ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS.

TOMUS SEPTIMUS.

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970


Dedit illi scientiam Sanctorum. Sap. 10
In plenitudine Sanctorum detentio mea Eccli. 24
APRILIS
ACTA
SANCTORUM.
OCTOBER.
VII.
ERVDITIO
MERITAS

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM MONUMENTIS, SERVATA PRIMIGENIA VETERUM SCRIPTORUM PHRASI.

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariisque et Observationibus

ILLUSTRATA

A

JOSEPHO VANDERMOERE

ET

JOSEPHO VANHECKE,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS,

NONNULLIS ALIIS EX EADEM SOCIETATE OPERAM CONFERENTIBUS.

TOMUS VII OCTOBRIS

Quo dies decimus quintus et decimus sextus continentur.

PARS PRIOR.



BRUXELLIS,

TYPIS ALPHONSI GREUSE,

MDCCCXLV.



Sumptibus Soc. Bollandi

SANCTISSIMO

PATRI ET DOMINO NOSTRO

GREGORIO XVI,

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Ea sors, **Beatissime Pater**, ***feliciter obtigit iis, qui olim Sanctorum Actis ex P. Joannis Bollandi consilio edendis operam navarunt, ut sub Romanorum Pontificum auspiciis voluminum suorum seriem inchoare et claudere concessum fuerit : atque adeo Urbani Octavi, Alexandri Septimi, Clementis Noni, Clementis Decimi, Innocentii Undecimi ac tandem Pii Sexti nomine illustratæ plures Bollandianæ lucubrationes prodierint. Interruptum per tot casus opus cum jam, licet tanto labori impares, prosequimur, simile omen et patrocinium sortiri gestimus. Etenim occurrere neminem in republica Christiana planum est, cui pluribus nominibus quam*** **Sanctitati tuæ** ***resumpta Beatorum præconia et Acta dicari deceat. Constans etiam ac multiplici beneficio probata in Societatem nostram benevolentia desiderium***

derium in nobis excitavit, **Beatissime Pater,** *ut illustre et amicum nomen Tuum operi nostro lucem quamdam et favorem affunderet. Cum autem eximia* **Sanctitatis tuæ** *modestia obstet, quominus in Tuas publicas ac privatas laudes, inque præclara merita, toti aliunde orbi cognita, excurramus; satis sit dicere, nos mirum in modum allici singulari illa et vere paterna benignitate, qua complecti soles humiliores etiam conatus eorum, qui vel sacræ eruditioni elucidandæ vel sanctæ Fidei adversus impugnatores vindicandæ allaborant. Movet et aliud, quod confiteri liceat: ingemiscit identidem* **Sanctitas tua,** *cum errantium multorum filiorum proterviam spectat, sævisque aut nuper aut etiamnum tempestatibus exagitatam Petri naviculam: atqui non insuave, ut speramus, afflicto sæpe animo exhibebunt spectaculum Sanctorum certamina et triumphi, cum* adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus *colluctarentur* (*Ephes.* VI. 12). *Humiliter igitur ad* **Sanctitatis tuæ** *pedes provoluti nostrum, sin minus ingenii aut industriæ, at saltem ardui et diuturni laboris opus deponimus, precamurque, ut illud et Patriæ et Societatis Jesu provinciæ Belgicæ et Bollandiani cœtus nomine oblatum in singularis venerationis, obsequii et amoris tenue pignus recipiat. Faxit interim Deus, ut* **Beatitudo tua** *Sanctæ Matris Ecclesiæ incolumitati et gloriæ diu conservetur.*

Sanctitatis tuæ

minimi famuli

Josephus Vandermoere

Josephus Vanhecke

Societatis Jesu.

HAGIOGRAPHI

LECTORI S.

Gratam nobis accidere exspectationem videndæ continuationis operis, quod tanto plausu olim ab eruditis exceptum fuit, lubentes fatemur. Ast dum mirantur quidam, imo et conqueruntur, justo diutius in scriniorum tenebris pressas fuisse lucubrationes nostras, et solidum octennium inter hujus voluminis et opellæ, quam die XXV *Martii* 1837 **De Prosecutione Operis Bollandiani** *emisimus, fluxisse, ii profecto numquam secum reputaverunt, quantæ hujus operis prosecutionem circumstarent difficultates, sive homines quis spectet, qui primi novo labori admovendi erant, sive instrumenta, quæ magna ex parte deerant, diuturnoque tempore erant conquirenda.*

Imprimis ad opus inchoandum advocandi fuere homines, qui licet litterarum studiis pl·us minus exculti, alieni tamen erant ab eo disciplinarum genere, quibus Hagiographia continetur. Nemo vero nescit, quam arduum sit hominem a consuetis totius vitæ studiis ad nova traducere, et transferre quodammodo in ignotam regionem, ubi omnia prius ante exploranda sunt, quam putet tuto pedem figere posse. Etenim plane perspiciebant Neo-Bollandiani jam sibi non sufficere illa historiæ, archeologiæve elementa, quæ nemo ignorare potest, nisi in reliquis disciplinis omnino cæcutire velit; sed illas scientias ita sibi perdiscendas esse, ut etiam, si quando occurreret, ipsos magistros emendare possent. Nullam igitur quæstionem attingere ipsis licebat, quam non plene perspectam habuissent, proindeque in omnibus partibus intime fuissent perscrutati. In ipso itaque limine tempus satis diuturnum impendendum fuit in accuratum studium earum scientiarum, quarum ope occurrentes difficultates submoverentur.

Cum dein paratos se utcumque judicabant, ut scriptionis laborem susciperent, in ipso statim exordio tot tantisque quæstionum ambagibus se circumcinctos videbant, ut clare intelligerent, si vellent tute, non nisi lente procedere se posse. Quod ut magis benevolo lectori innotescat, consideret aliquantisper secum Martyrologiorum exempli causa varietatem multiplicem et vacillantem non raro auctoritatem : peregrinum plerisque est id studiorum genus, utpote quod extra Hagiographiæ limites vix excurrat. Sed tamen iis, qui ad Sanctorum Acta castigatissime edenda atque examinanda cum fructu animum intendunt, Martyrologia, quocumque nomine sive Menæorum, sive Kalendariorum etc. veniant, sunt primaria instrumenta, quibus uti oportet. Hinc sponte sua fluit, hagiographo pernecessarium esse, quantum fieri potest, accuratissime noscere, quæ hujusmodi scriptionum sit auctoritas, quid tractu temporis exemplari primigenio perierit, quid interpolatum fuerit, quid valeant ejus dicta, dum de longinquis agit nationibus; num fortassis patriæ amore deceptus, regioni suæ non adscribat Sanctos, quos tulerat altera tellus. Quid quod non raro opposita inter se dicant martyrologi, quorum proin opiniones æqua trutina sunt pensandæ?

Quæ hic de Martyrologiorum studio diximus, eadem repetenda esse de re antiquaria, de chronologia atque de geographia, ejusque per varia sæcula vicissitudinibus, æquus lector facile perspiciet. Atque hæc ipsa eruditio plerumque parum prodesset, nisi accederet cognitio earum linguarum, quibus usi sunt scriptores palmares : nam plena aleæ scriptio est, quæ interpreti confidit. Cum porro Sanctorum res gestæ ad quæstionem revocantur, vix de iis prudens judicium ferri potest, nisi cum coævorum testimoniis conferatur : unde quoque oritur necessitas, ut hagiographus illam artem saltem aliquatenus calleat, quæ bibliographia *hodie appellatur. Oportet enim in disquisitionibus ambiguis, ut sciat quid auctores saltem primarii de re, in controversiam adducta, censuerint, et quatenus ad eorum opinationes sit accedendum. Cujus quidem artis elementa nemo novisse sibi existimet, nisi libros bene multos diurna nocturnaque manu diu evolverit. Quisquis hæc attentius secum reputaverit, non mirabitur tantæ molis fuisse primum hunc tomum, quo* Acta Sanctorum *continuantur, in lucem proferre. Qui post Joannem Bollandum hagiographico operi admoti fuerunt, licet duces haberent expertissimos, quos tuto sequerentur, plerumque quadriennium quinquenniumve ponebant, in paranda sibi litteraria supellectile, antequam manum tabulæ apponerent : id manifestum fiet cuicumque attentius decessorum nostrorum elogia inspicienti. Quid igitur miri, si nos sine duce, sine comite vadum tentantes, incerti aliquamdiu tardique progressi sumus?*

Alterum obicem operi promovendo injecit curta librorum penus, quæ licet satis ampla quibusdam videri possit, ejus tamen tenuitatis initio fuit, ut non raro inceptum opus interrumpi oportuerit, donec necessarii advecti fuissent libri, e longinquis regionibus arcessendi aut e fortuitis incertisque subhastationibus coemendi. Imo, deficientibus hujusmodi libris, qui accuratius ac copiosius quæstionem

aliquam pertractabant, variæ ad rem elucidandam notitiæ expiscandæ quodammodo erant ex aliorum multiplici lucubratione, quod profecto sine multorum dierum labore subinde præstari non potuit. Cum dein vix ullum sit historicum documentum, præsertim si ad media sæcula pertinet, quod ad explicandas res gestas alicujus Sancti derivari non solum non possit, sed et debeat, perspicuum fit librorum inopia scribendi industriam quam maxime retardari. Quin et id non raro accidit, tunc primum innotescere libri cujuspiam necessitatem, quum jam inceperit quis in Vitam Sancti commentarium conscribere : suboriuntur enim facta aliqua, quorum causæ altius repetendæ sunt, et effectuum promanatio in seram posteritatem monstranda : quæ omnia, dum libri quæruntur, emuntur, advehuntur, moram quam maxime diuturnam festinantibus objiciunt.

Nunc vero, quod læti gratique recolimus, crescit paulatim res nostra libraria, unde minus arduus quotidie evadit scribendi labor. Jam non spernendam pecuniam impendimus in libros coemendos, illos præcipue, quibus carere non poteramus ad hunc tomum concinnandum. Quoniam vero subsidium ab Augustissimo Rege nostro collatum honestæ sustentationi, epistolarum frequentium portorio, atque itineri uni alterive litterario sufficiebat, licuit nobis dona amicorum fautorumque fere ex integro expendere in augenda bibliotheca. Ad hæc adjumenta accessit regiorum administrorum benignitas, qui voluerunt, ut quoties liber aliquis, siquidem ad historiam spectaret aut cum eadem affinitatem haberet, publicis sumptibus excuderetur, exemplaria singula bibliothecæ nostræ donarentur. Nuper etiam Bruxellensis regia Academia Scientiarum ac Litterarum, post mutuam voluminum nostrorum promissionem, nos participes esse voluit Commentariorum suorum, simulque promisit communicandas imposterum nobiscum fore quascumque lucubrationes Academicorum, in rem nostram utiles. Voluit quoque Brugensis Societas, Æmulationis *nomen sortita et ad explorandas Flandrici soli antiquitates instituta, ut quæ documenta historicum momentum habent, bibliothecæ hagiographicæ accrescerent.*

Nec minus benefici in nos fuere variorum monasteriorum religiosi, qui lubentes nobis thesauros litterarios, ruinæ olim ereptos, patere voluerunt. Ast ingratissimi animi notam nobis inureremus, si inter præcipuos operis benefactores non recenseremus Canonicos regulares Præmonstratenses Tongerloæ, qui non solum nobis gratuito concesserunt manuscripta, quæ adhuc e Musæo Bollandiano supererant, sed etiam præter codices aliquot optimæ notæ multosque libros nobis mutuo datos, donarunt magis quam vendiderunt, laminas æreas, quæ sculpendis Sanctorum gestis in prioribus voluminibus inservierant. Pari beneficii vinculo obligatos nos habent ejusdem Ordinis Canonici Averbodienses, qui summa humanitate symbolam suam, eamdemque liberalem, in opus nostrum contulere. Eodem modo munificos se præstiterunt Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis et Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Belgii, qui jusserunt, ut nobis ad tempus liberaliter darentur illa volumina, quæ ad opus prosequendum utilia viderentur : cui quidem voluntati quam promptissime obtemperarunt seminariorum præsides. Quin et privati homines plurimi hanc beneficentiam æmulati sunt. Longum esset retexere nomina civium nostrorum, quorum largitionibus aucta fuit hagiographorum bibliotheca. Quosdam tamen, ne beneficiorum memoriam abolevisse videamur, præterire non possumus : D. Franc. Vergauwen, *senatorii Ordinis virum, qui vix annum præterlabi passus fuit, quin insigni aliquo dono nos cumularet : D. Gulielm.* De Viron, *Brabantiæ olim Gubernatorem, qui exquisitissimæ copiæ librorum liturgicorum usum facilem nobis concessit : R. D. Pet. Xav.* De Ram, *Catholicæ Universitatis Rectorem, qui primus curavit, ut Bollandiani Operis continuatio Societati nostræ crederetur : plurimarum bibliothecarum et archivorum præfectos, R. D. Joan. Bapt.* Malou, *S. Theologiæ in Universitate Catholica professorem, D. D. Frid.* De Reiffenberg, *J.* Marchal, *Franc.* Goethals, *Æm.* Gachard, *C. P.* Serrure *et Jul.* De St.-Genois.

Extra fines quoque Belgii propagata fuit voluntas juvandi hagiographos. Ante omnes hic nominandi veniunt Reges Francorum et Sardiniæ, quorum uterque voluit, ut non pauci libri, ære publico editi, quatenus historiam illustrarent, regali prorsus munificentia bibliothecæ Bollandianæ addicerentur. Sic e Gallia inter alia ditati fuimus collectione mapparum geographicarum, quæ vulgo Atlas Cassinianus *vocatur; e Sardinia vero, Comitibus* Solar de la Marguerite, *et* Crotti de Costiglioli *curantibus, accepimus corpus historicorum regni, quod* Monumenta Historiæ patriæ *appellatur : ad hæc adjecta erant alia opera summæ nobis utilitatis et maximi pretii. Ad opus nostrum opportuna documenta contulere quoque plures Episcopi exteri, imprimisque Atrebatensis, nunc S. R. E. Cardinalis, Ruthenensis, nunc Cameracensium Archiepiscopus, Tolosanus quoque Antistes, qui, litteris ad clerum datis, hortati sunt singulos, ut, si quid haberent, quod* Acta Sanctorum *illustrare posset, id cum Bollandistis communicarent. Archiepiscopi Parisiensis opera factum imprimis est, ut favorem regium in Galliis consequeremur. In Germania plures quoque Prælati, inter quos præcipue nominare licet Principem Episcopum Tridentinum et Episcopum suffraganeum Trevirensem, varia submisere, quæ supellectilem nostram hagiographicam augent ditantque. Neque silere nobis licet Ill. Joannem* Mutium *Antistitem Tifernatem, nec Cassinenses et Sublacenses monachos in Italia, qui summa humanitatis significatione se paratos exhibuerunt, ut apographa nobis traderent eorum, quæ in Manuscriptis suis antiquissimis et pretiosissimis opportuna reperirentur : quin et Abbas Mechitaristarum Armenus Venetiis non solum codices exscribi patiebatur, sed et unum alterumve e Nostris informare ad Armenam litteraturam volebat. In Hispania, præter Patres nostros istic degentes, Illustriss. Episcopus Gaditanus obtulit nobis opus eruditissimum, sex et quadraginta tomis constans, quod* España Sagrada *inscribitur. Horum aliorumque beneficiorum non solum sumus memores, sed, quoties in Commentariis nostris se obtulit occasio, fuimus præcones.*

Litteraria hæc subsidia effecere certe, ut toto forsitan biennio citius in publicum prodire potuerit Operis nostri editio. Nihilominus cursum nostrum retardavit etiam penuria eorum documentorum, quæ initiis laboris nostri deerant. Licet enim ingentem hagiographicorum manuscriptorum copiam bibliotheca Regia Burgundica reconditam habeat, desunt tamen plurimum, quæ maximi nostra intererat reperire, nempe illa apographa quæ ad diem XV *et* XVI *Octobris pertinent, et, si quæ servata fuere, admodum manca sunt et mutila. Quod quidem facile est explicatu. Etenim qui anno præterlapsi sæculi* XCVI *hagiographicis scriptionibus operam suam impendebant, destructo Tongerloensi, quod incolebant, monasterio, fuga dispersi, secum asportaverant manuscriptos codices, quibus parando septimo volumini Octobris utebantur, certi, ut ipsi quidem opinabantur, brevi se jure postliminii in antiquam domum reducendos : nemo enim in hujusmodi turbinibus est, qui non propediem exspectet restitutionem in integrum. Sed aliud placuit Divinæ Providentiæ : profugi Bollandistæ in unum amplius non convenere, quosque secum abstulerant codices, si pauculos excipias, perditi sunt. Damnum itaque resarcire oportuit non sine diuturna quandoque et fastidiosa inquisitione, quam dein longæ ambages subsequebantur. Facilior deinceps erit, uti speramus, labor noster, quum pleraque a decessoribus collecta coram erunt : unde ex hoc quoque capite sequentes tomi expeditiores in lucem prodire poterunt.*

Binis hisce causis, quæ operis promotionem procrastinabant, accedebat tertia; deerant videlicet illi catalogi et indices, sine quibus longe intricatior fuisset scribendi difficultas. In hisce autem conficiendis, *ut verbis Papebrochii utamur* (*a*), multum absumitur temporis, nec minor labor impenditur. *Unde cum quadam die* Antonius de Winghe, *Abbas Letiensis, unum indicem accurate conspexisset, lepide* hunc enimvero asininum esse laborem dixit (*b*). *Atqui plerique istiusmodi catalogi, alio forsitan asportati, perierant. Primæ itaque curæ eo conferendæ erant, ut indices renovarentur. Imprimis reficiendus fuit catalogus Sanctorum, prout qualibet occurrunt die a* XV *Octobris ad* XXXI *Decembris : evolvenda itaque fuere, quotquot reperire potuimus, Martyrologia, Breviaria, Kalendaria et similes libri sive manu exarati sive typis excusi, qui Sanctorum nomina secundum mensium et dierum seriem edicunt : ut porro sua staret auctoritas hujusmodi ephemeridibus Sanctorum universalibus, singulis nominibus singuli tituli apponendi erant, quibus cultus probaretur : dispiciendum deinde erat, num hi Sancti, quorum nomina occurrebant, sua apte sede repositi essent, num fortassis de iisdem jam in præcedentibus tomis actum fuisset : tandem religiose examinandum erat quosnam Sanctos, in posteriores anni dies rejectos, retractare oporteret. Tali indice facile et nobis et successoribus nostris, si quos nos habere Deus voluerit, fit non solum definire quinam Sancti diebus singulis occurrunt, sed prævidere etiam quæ necessaria erunt documenta, ut opportuno tempore allata moram et tædium scribenti non facessant.*

Alter dein index operosi contextus conficiendus erat : fastidiosum nempe fuisset, quoties de Sancto aliquo ageretur, per peculiares quinquaginta duorum voluminum indices tum historicos tum topographicos discurrere, ad videndum num forte de eodem Sancto quidpiam tractatum jam fuisset : ad tantum vero laborem, non raro etiam inutilem, levandum, non aliud præsto erat remedium, quam ut omnes singulares indices quinquaginta duorum tomorum in unum generalem conflarentur; hac scilicet ratione uno fere obtutu complecteremur quidquid in præcedentibus voluminibus continetur, parceretur tempori, labori, tædio. Ut vero operis utilitatem summam agnovimus, non dubitavimus ingratæ sedulitatis fastidium subire. Itaque singulos indices, e binis exemplaribus extractos, in tænias exsecuimus ac omnia quæ ad unam personam vel locum pertinebant sub una rubrica secundum litterarum seriem posuimus. Opus multæ longanimitatis, quod maximo compendio scribentem juvat, indicitque uno ictu oculi quid prædecessores de persona, loco, vel quæstione aliqua censuerint, quid etiam accuratius, data opportuniore occasione, retractandum spoponderint. Complectitur index iste decem tomos formæ majoris : atque id etiam emolumenti habet, ut viam sternat indici generali, qui universo operi coronidem, Deo dante, aliquando imponet.

Neque tamen hic indicum texendorum finis fuit. Etenim recensendi etiam erant sub Sanctorum nominibus codices manuscripti bibliothecæ Regiæ Bruxellensis, non ii solum qui sub Bollandianæ Collectionis nomine veniebant, sed alii etiam, quatenus hagiographiam attingebant, quibus abundat litterarius hic thesaurus. Juxta factam recensionem disponendus fuit catalogus, qui singulorum manuscriptorum, imo uniuscujusque Vitæ prima et postrema verba referret : ut hac ratione discernere possemus, quæ coram haberemus documenta ad Sanctorum Vitas illustrandas, quæ vero aliis in locis servata deessent, et suo tempore essent nobis transcribenda. Ut autem nobis innotesceret, ubinam laterent hagiographici apparatus, excolere nos oportuit variarum gentium viros eruditos, quin et instituere plura, tum intra tum extra Belgium, itinera litteraria, quibus arctius, intimius et securius scientificæ necessitudines conciliarentur. Hæc omnia ejusmodi sunt, ut unusquisque sibi persuadere possit diuturnum tempus impendendum fuisse quærendæ et ordinandæ litterariæ supellectili : quæ nunc, utcumque parata, faciliorem viam sternet ad scriptionis diligentiam promovendam. Hæc dicta sunto iis, qui fortassis putent nos justo diutius procrastinasse hujus voluminis editionem.

(*a*) Vita P. Joan. Bollandi, t. I Martii, p. XVIII, n. 53. — (*b*) Ibid.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Cum tres theologi Societatis nostræ legerint edique posse censuerint tomum septimum de Actis Sanctorum Octobris, collectis et illustratis a Josepho Vandermoere *et* Josepho Vanhecke, *Societatis ejusdem presbyteris theologis; ego infrascriptus Præpositus Provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Joanne Roothaan, concedo facultatem dictum tomum imprimendi. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Gandavi* 20 *Novembris* 1845.

Angelus MATTHYS S. J.

APPROBATIO ORDINARII.

Imprimatur.

Mechliniæ, 27 Decembris 1845.

J. B. PAUWELS, Vic. Gen.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod olim protestati fuere decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc septimum tomum Octobris et nos protestamur.

Præstitum est quod lex requirit ne alienis typis hoc opus recudatur.

PROOEMIUM

A

D

PROŒMIUM

DE RATIONE UNIVERSA OPERIS.

J. V. H.

Etsi qui post Bollandum in edendis *Actis Sanctorum* industriam suam contulerunt, nullum præposuerint voluminibus suis proœmium, nunc tamen, quum post quinquaginta annorum lapsum (*a*) redintegratur Bollandianum opus, id faciendum arbitramur, tum ut fata Operis a Bollando patre ad nostra usque tempora recenseamus, tum ut eorum elogia texamus, qui postremi eidem insudarunt.

Herib. Rosweydus animo concipit

B 2 Originem immenso Operi, quod *Acta Sanctorum* inscribitur, dedit Heribertus Rosweydus, natus Ultrajecti die XI kalend. Februarii 1569. *Jam inde a tyrocinio,* ait Philippus Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu, *quædam in eo semina apparuerunt, quæ indicarent, quantus olim futurus esset in eruenda antiquitate ecclesiastica, præsertim in Vitis Sanctorum ab oblivione vindicandis. Nam Duaci cum primis initæ Societatis annis Philosophiæ navaret operam, quibus diebus commilitones religiosa ambulatione se relaxabant, ipse ad vicina urbi monasteria evolabat, et inter obsoletos in bibliothecis MS. codices colligebat, quod magno Ecclesiæ bono post in omnes erat effusurus. Philosophiam postmodum et sacras litteras Duaci et Antverpiæ professus est, a quibus studiis, missione impetrata, animum ad scribendum appulit, et plerasque Belgii bibliothecas lustravit excussitque.* Primus fructus disquisitionum exstitit libellus, typis Plantinianis anno 1607 editus, mole quidem sua parvus, sed qui multorum annorum laborem testatum faciebat, cuique titulum præfixerat : *Fasti Sanctorum, quorum Vitæ in Belgicis bibliothecis manuscripta.* Hoc opusculo, ceu prodromo, viam moliebatur Rosweydus ad grandius

C opus, quod animo conceperat, perficiendum : mentem scilicet adjecerat ad hagiologium conscribendum, omnibus suis numeris absolutum; ita ut duo priora volumina Vitam Christi, Virginis Mariæ et utriusque festivitates complecterentur : tertium de Sanctorum solemnitatibus publicis tractaret : sequerentur duodecim alia, quibus Vitæ Sanctorum secundum ordinem mensium et dierum primigenio stylo exponerentur : coronidem, si tempus supperet, scriptioni imponerent tres tomi, quorum primus varia Martyrologia exhiberet, alter annotationes in Vitas, tertius tandem indices locupletissimos haberet. Qua ratione totum opus octodecim voluminibus majoris formæ includendum erat.

edere genuinas

3 Non dissimulabat sibi vir sagacissimus, quantum onus in se susciperet : agebatur enim imprimis, de Vitis Sanctorum, quæ innumeræ circumferebantur, dijudicandis; quanta nempe singularum esset auctoritas, quantum illæ in decursu multorum sæculorum, librariorum oscitantia, aut etiam vana scientia a primigenio stylo deflexissent : ad severiorem historicæ veritatis cri-

ticen revocandæ erant plurimorum narrationes, fabulis anilibus conspersæ. Huc quoque accedebant annotationes, quibus obscura multa in historia, tam sacra quam profana, elucidabantur. Ut mirum non sit fuisse homines doctissimos, qui judicabant Rosweydum rem impossibilem tentasse. Exstat adhuc in scriniis nostris epistola autographa Ven. Roberti Bellarmini Cardinalis, ad illum data VII Martii 1608, quam utpote ineditam huc inferemus : *Admodum Reverende Pater, Legi attente, nec sine voluptate præfationem Fastorum, percurri* E *cætera quæ libello continentur. Probarem consilium tuum per omnia, nisi duo me terrerent, immensitas operis, quæ tempus prope infinitum requirat, et magnitudo sumptuum, qui in tanto opere coemendo faciendi erunt. Addo etiam alia duo, unum ne forte in originalibus historiis multa sint inepta, levia, improbabilia, quæ risum potius, quam ædificationem pariant; hæc enim causa fuit, quæ Surium coegit multa detrahere, vel mutare. Alterum quia tituli trium primorum tomorum polliceri videntur non tam historias, quam sermones sive homilias : atque hoc est, quod in Lipomano et Surio multi reprehendunt, quod homilias plurimas sive orationes laudatorias admiscuerint Historiis de Vita et rebus gestis Sanctorum. Ego igitur si, quid sentiam, audire cupias, maxime laudarem eum, qui non actum ageret, sed eas tantum historias ederet, quæ Lipomani vel Surii diligentiam effugissent : neque improbarem, si quis emitteret in lucem integras et originales historias, quarum compendia, stilo mutato, Surius edidit, modo id cum delectu et prudenter fieret. Habes consilium meum, quod tamen aliorum judicio melius sentientium, ac tuo præsertim libentissime subjiciam. Interim pro* F *munusculo, quo me donare voluisti, ingentes gratias ago. Vale mei memor in sanctis precibus tuis. Romæ die* VII *Martii* 1608. *R. T. frater in Christo, Robertus Card. Bellarminus.*

Sanctorum Vitas,

4 Ea erat hujusmodi consiliorum indoles, ut virum, propositi sui minus tenacem, ab incepto opere deterruisset. Imo animo præsagiebat Cardinalis doctissimus in hujusmodi opere pro dignitate perficiendo spatium ducentorum annorum ab uno homine esse impendendum. *Ut erat tamen,* inquit Bollandus in Præf. (*b*) *magno animo Rosweydus, etsi tantum aberat ab absolutione operis, ut fundamenta, quæ cogitarat, vix omnino posuisse videatur; dixit tamen non diu antequam e vita decederet, jam* LX *natus annos, posse se annis singulis mensem sive tomum unum recensere ac vulgare. Cogitabat enim Vitas solas recensitas edere, uti SS. Tharasci, Probi et Andronici Acta publicarat, absque annotationibus, quas postea concinnaret, de iis vero Sanctis quorum non reperisset Vitas, nihil omnino dicere, statuerat. Pollicebatur autem se ipso mense Octobri,*

(*a*) T. VI Octobris, atque adeo postremus Operis, prodiit typis Tongerloensibus anno 1794. — (*b*) T. I Januar. p. XXIII.

A *quo ineunte decessit, opus illud aggressurum. Verum (ut ei tunc objectum est ab amico) an, ut id potuisset præstare, tomis duodecim editis,* LXXII *natus annos eo robore corporis, mentis vigore, memoriæ tenacitate futurus erat, ut annotationes tunc demum concinnaret? Quid iis Vitis erat facturus, quas plurimas, genuinas fortasse ratus, descripserat, ego ex aliis breviatas, imo et vitiatas postea deprehendi? Ederet non examinatas? Alienum hoc ejus ingenio et gravitate. Ponderaret omnia suis momentis? Annuo spatio majorem singuli menses operam postulassent. Distulisset in tempus aliud ambigua? Haud multo igitur Surianum opus superasset. Quid deinde iis futurum erat? An veluti atro damnata calculo,* vel blattis et ignis fierent pabulum, *ut ipse loquitur,* vel cucullum piperi facerent? *Verum et scriptoribus et Sanctis ipsis insignis ea ratione inferretur injuria; quando illorum scripta non examinata abolerentur, et horum benefacta ita leviter obtererentur et vitæ sanctitudo in dubium fortassis vocaretur. An examinaret omnia diligenter, absolutis annotationibus? Qua ætate?*

cui mortuo 5 *Ego quidem certe existimo, si cum Fastos edidit*
B *Rosweydus, continuo calamos sumpsisset, et insudasset operi, excutere potuisse Vitas omnes, etiam quæ non omnino certæ fidei videntur, et meditatum opus perficere, aut partem saltem ejus maximam, præsertim si adjutor ei aliquis idoneus obtigisset. Sed nimis ille multis curas suas distrahi est passus, non quod quæ scripsit, publico utilia non fuerint, sed pleraque fieri ab aliis, ipso instruente, potuerunt, præsertim quæ Teutonica lingua edidit, illius præstantem summamque diligentiam minime exigentia. Nec defuere, qui hæc inculcarent domestici externique monitores, quorum quidam vix convicio temperabant, aut desperare eum dictitantes, perfici posse, quæ esset meditatus, aut nimis viribus confidere vitæque. Non destitit tamen undecumque quantam posset copiam Vitarum coacervare atque etiam plane easdem; ut in diversis codicibus reperisset, diversis diebus assignatas sæpius describendas curare : sed acervo veluti attentus custos incubabat, alia interim meditans, scribensque semper aliquid. Verum iis nunc querelis, quas non mihi magis, quam cum ille mortuus est bonis omnibus, justus quidam dolor expressit, abstineamus; et licet opus meditatum non absolverit, habeamus tamen gratiam, quod ita præclare informarit.* Obiit scilicet Rosweydus Antver-
C piæ die v Octobris anni 1629, e libris, tabifico fætore infectis contracta febre maligna (*a*), quam auxere etiam continuatæ per totam noctem excubiæ apud hominem, contagioso morbo laborantem (*b*).

Joannes Bollandus 6 Quantam porro jam manuscriptorum copiam congessisset Rosweydus ad publicandas Sanctorum Vitas, certum nobis indicium præbent *Fasti Sanctorum* sæpius laudati, in quibus numerabantur ultra mille et trecentas biographias, e Belgicis bibliothecis erutas : quibus accesserunt, quæ ab anno VII usque ad XXIX sæculi sexti decimi doctissimi viri industria non *destitit undecumque coacervare.* Hæc chartarum non spernenda moles Superiores, qui tum præerant Societati Jesu in Belgio, induxit, ut serio secum deliberarent, *an,* mortuo Rosweydo, ut inquit Dan. Papebrochius in Vita Joan. Bollandi (*c*) *supellex antiquaria tam copiosa, ut videbatur, tineis esset blattisque relinquenda; et opulenta maturaque, ut credebatur, seges, nemine colligente manipulos jam resectos, perdenda per* D *ignaviam; cum posset labore non magno inferri in horrea, et viros omnes eruditos gaudio, Societatem gloria, Ecclesiam utilitate cumulare. Quin potius, inquiebant, vir aliquis doctus sedulusque quæritur, eique transcribitur hæreditas universa; modo is desertam a Rosweydo provinciam suscipere velit? Convenere in posteriorem ac meliorem partem sententiæ omnium : propositique tres sunt ex numero sociorum, quorum aliquis non infeliciter sperabatur eam spartam exculturus, videlicet P. Maximilianus Van Habbeeck, P. Joannes Bollandus et alius vir quidam eruditissimus, etiam nunc inter vivos superstes cum magna æstimatione politioris doctrinæ. Sed difficile videbatur Maximilianum, habendis in amplissimo hoc emporio* (Antverpiæ) *concionibus tantum non prægravatum, eo adducere, ut novum insuper onus admitteret. Ergo, quod proximum erat, in P. Bollandum conjecti sunt oculi : qui et ipse excusans nescire quid vel quantum esset a Rosweydo paratum, jubetur Antverpiam* (e Mechliniensi, quod incolebat, collegio) *se transferre, et coram lustrare universam congeriem chartarum, temere in acervos conjectarum.*

7 Ivit igitur Antverpiam Bollandus, et, visis iis, *sufficitur.*
E quæ Rosweydus rudimenta magis quam fundamenta parata habuerat, reposuit *ex præparata* a defuncto *in Sanctorum Vitis materia aliquid non pœnitendi operis a se posse confici, si modo, ut in re integra, suus conceptus sibi liber relinqueretur, et libri, quos multos ad usum studiorum suorum Heribertus coemerat, quosque præpropere e cubiculo raptos atque in publicam bibliothecam viderat asportatos, loco suo usuique restituerentur. Annuit utrique postulato Superior : ipsumque.... Antverpiam transtulit.* Cæterum opinabatur Superior non alium superesse laborem, quam qui requireretur ad opus jam paratum prelo subjiciendum : *Nempe,* ait citatus biographus (*d*), *ut molem futuri operis nec ipse nec consiliarii sui ne minima quidem intelligebant ex parte; ita exigui fore laboris censebant, et subcæsivis horis facile absolvendum, sicut ea, quæ ante hac Rosweydus alia, ut diximus e MSS. non magno opere et labore ediderat, fructu tamen plausuque non minimo. Fuit,* prosequitur biographus (*e*), *divinæ providentiæ opus quod non modo Provincialis* (*Jacobo Stratio nomen erat, antiquæ probitatis viro*) *haud satis sciret quid esset hoc, quod Bollando imponeret; sed nec ipse, qui onus suscipiebat, illius molem,* F *quanta erat, animo comprehenderet. Fassus est enim postea non semel de se, cum videret excusum Januarium, quantoque molimine porro opus foret, ut vel proximus Februarius, nedum menses alii venirent ad prelum : id si prævidere cogitando potuisset, consternandum fuisse operis propemodum immensi magnitudine, quod orbis universus miratur ab homine uno duobusve, non dico sperari efficiendum, sed vel cogitari optandum potuisse. Quis enim nisi vel temerarius vel revelatione divina de felici successu evidenter securus, spes suas audeat propagare ad sæculum etiam post se futurum, commentationemque auspicari non nisi a pluribus successive absolvendam, exemplo novo inter omnes quotquot hactenus floruere scriptores?* Ast quid portendisset ipse Papebrochius biographus, si illi præsagire licuisset fata operis, quod suppressa Societate nostra, vix ab interitu vindicari potuit : quod dein in Tongerloense monasterium Ordinis Præmonstratensis traductum ab illius loci canonicis continuandum erat :

(*a*) T. I Januar. Præf. gen. in Vitas Sanct., p. x. — (*b*) Biblioth. Script. Soc. Jesu v. *Heribertus Rosweydus.* — (*c*) T. I Mart., p. VII, n. 18. Papebrochius scriptorem se Vitæ Joannis Bollandi fatetur in Vita quam scripsit, Godefridi Henschenii, præfixa tomo septimo seu ultimo Maji, n. 1. — (*d*) Ibid., n. 19. — (*e*) Ibid., n. 20.

sed

A sed vix unum prodierat volumen, quum scriptionem omnem interrumpere oportuit, ingruente turbine, qui rempublicam ecclesiasticam et civilem prorsus destruxit. Tunc certe Actorum continuatio desperata plane videbatur : nec ipse Papebrochius aliud, quam interitum prævidere potuisset. Sed quæ Dei bonitas est, voluit ut conservarentur Belgio nostro collectiones præcipuæ, quæ lapsu centum quinquaginta annorum thesauro hagiographico accreverant, quæque prorsus necessariæ erant ut de prosequendo *Acta Sanctorum* vel cogitari posset. Profecto nemo est qui ultra ejusmodi rerum et hominum vicissitudines audeat propagare spes suas. Sed ad rem nostram redeamus.

Qui, retento

8 Caverat Bollandus, sicuti prædiximus, ut in exsequendo id, quod Rosweydus inceperat, *suus conceptus sibi liber relinqueretur*. Et id quidem prudenter : jam enim præsenserat consilium Heriberti, in *Fastis Sanctorum* expositum, sustineri non posse : nemo tamen suspicetur Bollandum temere mutasse operis Rosweydiani formam; etenim ipse in medium affert, quas habuerit rationes, ne decessoris sui vestigia instantius premeret. Has quoque nos hic adscribemus, quia optime explicant totius operis

B consilium atque indolem (*a*). *Vitas* Rosweydus, inquit, *nullas operi miscere statuerat, nisi vel exemplar manu exaratum nancisceretur, vel certe constaret eas ipsas, ex Architypis fideliter integreque expressas* (*b*). *Tam angustas mihimet metas non pono. Nam cum maximorum etiam Sanctorum, et quidem plurimorum, mandata litteris Acta non sint, aliorum interciderint, exstet tamen utrorumque frequens apud scriptores memoria; cur non licebit hic gesta eorum ex iisdem accepta scriptoribus commemorare? Quid si aliquorum nulla quidem Acta in manibus sunt, qualia principio conscripta fuisse constet, reperiatur tamen eorum epitome, nec stylo polita, nec satis ad historiæ normam exacta, et quandoque fortassis ab eo, quod eruditi homines animo præceperint, aberrans, cur hoc avido et famelico lectori ferculum subtrahas, etsi minus apte conditum videatur, nec quo e macello allatum sit noris et num quidpiam maligne præcerptum? Quid cum neque ejusmodi exstat monumentum, nec probati scriptoris testimonium, viget tamen Sancti alicujus memoria, ejusque celebrantur benefacta et miracula, vel sola populi fama, vel positis etiam imaginibus et anathematis; nefas fuerit quid majorum sermonibus traditum sit, quamque id probabile videatur, exponere? Abstinuisset his omnibus manum Rosweydus : non ego, qui nihil quod Sanctorum honorem amplificandum conservandumque memoriam facere videatur, existimem esse negligendum. Sæpe etiam neque scripta Veterum, neque recentiorum famam sequi datur, quod et Acta nulla exstant, et penitus abolita memoria Sanctorum est : nomina tamen vetustis inscripta Martyrologiis sunt, quorum verba repræsento, et si quid alibi vestigium apparet, scrutor et excutio diligenter.*

C

juxta Rosweydum

9 *Cogitabat præterea Rosweydus Vitas primum solas edere, et postea de earum scriptoribus, horum ætate ac Sanctorum ipsorum, de utrorumque vitæ ratione, domicilii et mortis loco, et aliis quæ superius exposita sunt* (*c*), *disputare. Ego vero satius esse duxi, ad singulas id Vitas agere, neque sat tuto in aliud tempus differri. Fieri enim potest, ut in Vitam incidat quispiam, quæ illi videatur vel ab aliquo probatæ fidei historico dissentire, vel receptæ chronologiæ non satis apte congruere, vel loca continere vulgo ignota; ideoque aut numquam exstitisse Sanctum illum, aut ficta esse et commentitia illius Acta suspicetur : occurrendum igitur istiusmodi opinionibus est.*

D

primigenio scriptorum

10 Reddit dein Bollandus rationem, cur tum ipse, tum etiam Rosweydus, Acta Sanctorum primigenio stylo, licet inornato ac barbaro, edenda censuerint. Quamvis autem hodierna eruditio non tam anxie refugiat antiquorum monumentorum rusticitatem, superest fortassis quispiam purioris latinitatis sectator, qui hæc ad elegantiam accommodata mallet : *Sentio,* inquit, *esse quosdam, quibus Rosweydi non probetur institutum, minus etiam meum; propterea quod existiment, satius esse urbano et venusto stylo, quæ de Sanctis comperta sunt, narrari; quam rudera quædam incondita, aut saxa potius barbari sermonis projici : quin et Sanctos ipsos venire in contemptum putant, cum ita illorum res gestæ narrantur. Cum vero ex variis auctoribus de Sanctis, quorum vel propria nulla, vel minus integra exstat Vita, quædam profero analecta; mallent unam concinnari continuam orationem, quam quasi centonem consui, ipsis auctorum verbis repræsentatis. Mallent cum invicem discrepant auctores, omnibus expensis, sententiam unam, quæ probabilior videatur, affirmari; quam ambigue consectando* E *ansam, ut ajunt, præberi de rebus omnibus dubitandi. Nœ illorum multum a mea dissentit ratio. Merentur quidem Sancti, ut a peritissimis scriptoribus res ab ipsis præclare gestæ mandentur litteris, magis sane quam rex ille, quem legimus, cum multos secum rerum suarum haberet scriptores, invidisse etiam ei, cui suæ virtutis Homerus præco obtigisset, seque ab Appelle pingi, a Lysippo fingi potissimum voluisse. At multis ætatibus vel rari exstitere præclari scriptores, vel qui exstitere, ii suorum studiorum inanem sectari mercedem, quam Deo Divisque suos consecrare labores maluerunt. Si qui autem bene docti Sanctorum gesta mandare litteris aggressi sunt, ii vel animis, in alias plures curas distractis, expolire sermonem non potuerunt, vel ultro neglexerunt, rati stylum eum optimum esse Sanctisque gratissimum, qui cum ipsorum vitæ modestia consentiret; ut sicut illi vulgo contempti contemnebant ipsi omnia sæculi ornamenta, monumenta gloriæ, laudis insignia, solo virtutum interno splendore contenti, quo se Numini gratiosos fore confiderent; ita omnis de eorum vita instituta narratio, humilis esset et inelegans, sola veritate et pietatis incitamento commendata.*

F

stylo.

11 *Equidem non video cur non cuicuimodi illud sit, quod sic traditum est litteris, id, quisquis amator est veritatis, multo libentius amplectatur, quam si novis elegantiarum pigmentis adulteretur. Jam quis ego sum, qui cum discrepant atque inter se pugnant scriptorum variorum narrationes, ipse quod mihi visum fuerit, velut certum minimeque dubium pronuntiem, et mea unius, quæ nulla est, firmem auctoritate? Nonne id satis est, si ubi plurium discrepantia protulero testimonia, quodnam eorum et quamobrem præferendum existimem, modeste exponam, aut etiam judicium lectori relinquam? Ipsos principes historicorum video ab hac ratione mea minime abhorrere : quoties enim Valerium Antiatem ac Fabium Pictorem, diversa sentientes, citat Livius? Quamquam, quia in omnium manibus erant, non ipsa eorum verba adnumerat, neque id erat opus. Mihi id visum est faciendum, ut sua antiquitati dignitas constet, ac reverentia. . . . . Lectores, malo quid olim de singulis Sanctis scriptum sit, intueri, quam mihi credere narranti. Aberit fraudis suspi-*

(*a*) T. I Januar. Præf. gen., p. XXIII. — (*b*) Herib. Rosweyd. Fasti Sanctorum, p. 14. — (*c*) Ibid., p. 9.

cio,

A *cio, cum ipsa veterum verba legentur. Atque ita quidem affectus animo sum, ut mihi haberi fidem nolim, nisi id narrem, quod ipse oculis vidi, neque enim ita me hactenus vixisse arbitror, ut tunc fidem non merear : ast in cæteris, quæ ante meam gesta sunt ætatem, nolo mihi credi, sed quos proferam, testibus, quos ipsos suis volo verbis uti : quæ tamen si quando obscuriora erunt, ut mihi interpretari ea et explicare liceat, deposcam.*

paulo aliter ordinat

12 Hucusque Bollandus; qui explicatis rationibus cur Herib. Rosweydi consilium mutandum censuerit, subnectit porro ordinem quem ipse in edendis *Actis Sanctorum* statuerat servandum. Hunc quoque nos exponendum ducimus, tum ut evidentius pateat nos hac in parte velle majorum nostrorum vestigia premere, tum etiam ut consulamus iis lectoribus, quibus ipsum Bollandi textum videre aut non vacat aut non contingit. Imprimis *fastos,* ut ipse dicit (*a*) *Romanos secutus, quo quisque* Sanctus *in cœlum migravit die, aut quo præcipua illius agitur festivitas, Acta dedit. Dierum quoque singulorum Sanctos in certum reposuit ordinem, ut, quantum eorum assequi ætatem potuit, prius de iis ageret, qui prius vixerunt, aut certe prius excesse-*
B *runt e vivis.* Quando Bollandus profitetur *fastos* se *Romanos secuturum,* ita vult intelligi, ut diem in iisdem assignatum sectaturum se significet. Nam discrimen aliquod intercedit inter Martyrologii Romani et Bollandi ordinem. Hic scilicet in Sanctis ordinandis chronologiam unice spectat : ast alio respicit Romanum Martyrologium; quod præ cæteris primum locum tribuit Sancto, cujus memoria Officio et Missa aut simplici commemoratione recolitur : servat dein ordinem Litaniarum Omnium Sanctorum; ut primo loco ponantur Sancti, qui sunt ex *Veteri Testamento,* consequenter *Apostoli, Martyres, Confessores pontifices et non pontifices, Virgines ac Viduæ* et tandem *festa secundaria Sanctorum :* inter Sanctos vero ejusdem ordinis servatur, quamvis non stricte, ratio chronologiæ. Sanctorum nominibus addit Bollandus, modo constaret, quo loco vixerint, et quam gesserint dignitatem aut gradum habuerint. Hanc methodum religiose servarunt, qui Bollandum secuti sunt, hanc quoque nos servabimus. Sic sub die XV Octobris notatur : *SS. Lupulus et Modestus MM. Romæ. S. Teresia V. Carmelitarum strictioris observantiæ Parens, Abulæ in Hispania.* Post catalogum Sanctorum,
C quorum Acta illa die exhibenda sunt, venit alter qui *Prætermissos aut in alios dies Rejectos* complectitur. *Sæpe namque,* ait Bollandus (*b*), *Sancti unius plura sunt festa in una etiam atque eadem ecclesia : nam quorumdam obitus sive natalis celebratur, translatio nec una, ordinatio, miraculum quodpiam : aliorum a diversis populis diverso die agitur etiam eadem celebritas. Esset vero illud ridiculum, si quis unius Sancti pluribus diebus edi uno in opere Acta vellet. Semel igitur illa dedi; quibus vero diebus alibi agitari illorum festivitatem vel recoli in divinis Officiis memoriam comperi indicari isthic, ubi Acta eorum queant inveniri..... Plerumque vero ad eum diem cujusque Vitam rejicio, quam maxime solemnem agi existimo in loco, ubi conditum est corpus, aut qui illius ortu patrociniove gloriatur. Sunt præterea recentioribus Martyrologiis, aut Sanctorum catalogis multorum inscripta nomina, quibus tamen cœlestes honores non sunt Ecclesiæ judicio decreti, vel antiqua populorum pietate prærogati. Hos ego mihi omittendos esse merito existimavi, recentiores præsertim : neque præter venerabilem illum Ludovicum Blosium, Ab-* D *batem Lætiensem* (*c*) (*cujus cur Vitam hic dederim, suo loco exposui*) *alterius cujusquam res gestas retuli, qui non ab aliquibus scriptoribus in Divorum albo collocetur. An legitime id factum esset, sæpius addubitavi, ac tunc si dedi Vitam* (*dedi autem paucorum*) *omisi tamen* Sancti *aut* Beati *titulum : plerumque tamen Vitam omisi, nomen indicavi, ut sicubi me mea conjectura fefellerit, me lector eruditus admoneat.....*

singulorum dierum catalogum,

13 *In hoc quoque omissorum syllabo ordo est a me duplex observatus : nam primo eos recenseo, qui in priorem, juxta kalendarii seriem, rejiciuntur mensem aut diem : exempli gratia, si die* XII *Januarii in Martyrologiis Sancti occurrant, quorum aliqui* X *Februarii,* VI *Aprilis,* XV *Januarii,* VIII *Januarii colantur, alii etiam plane omittendi videantur; primum eos refero qui ad præcedentes Januarii dies, tum qui ad ipsum duodecimum pertinent, sive qui adscripti illi diei sunt, sed videntur esse omittendi; dein qui ad dies consequentes ejusdem mensis, ac denique mensium aliorum eadem semper serie atque ordine dierum. Secundo cum omnino prætermissi eodem die plures sunt, hos quoque eo ordine digessi quem eorum postulare ætas, etsi non* E *semper accuratissime expensa, videretur.*

adjicitque prolegomena, quæ sub ejus successoribus

14 Hoc modo dispositis catalogis, qui cuivis diei, præmittuntur, veniunt singularia Acta Sanctorum, juxta ordinem chronologicum. His præmittuntur præfationes sive προλεγόμενα, aut præviæ de Vitis singulis dissertationes, quas tum Bollandus ipse, tum ejus successores a mense Februario et deinceps *Commentarium Prævium* dixerunt. Hos commentarios breviusculos volebat Bollandus, utpote qui speraret universum opus se absoluturum, ut satis clare insinuat in jam sæpius laudata Præfatione generali (*d*). Nam vitam sibi suam etiam ultra finem operis prorogandam sperasse Bollandum, vel ex eo liquet, quod ad complementum Actorum varia jam designaverit addere, scilicet I Vitas SS. Græco-latinas, seorsim edendas, quas successores meliori consilio ipsis Actis intercalarunt. II Indicem chronologicum Sanctorum universalem ad normam ejus, qui singulis voluminibus præfixus est. III Indicem Topographicum, cum descriptione locorum, quæ Sancti adiisse memorantur. IV Indicem Onomasticum, prout in singulis tomis occurrit, in quo explicantur voces et phrases solœcæ, barbaræ, peregrinæ et obscuræ. F V Editionem variorum Martyrologiorum, præsertim veterum, quæ forsan notis illustranda erant. VI Collectionem moralium præceptorum et exemplorum. VII Commentarium de scriptoribus, quorum fit mentio in decursu totius Operis. VIII. Indicem episcopatuum et episcoporum totius orbis, item omnium monasteriorum. IX Res gestas tum eorum, qui religionis causa ab anno 1500 trucidati sunt, tum virorum sanctitate illustrium, quorum memoria necdum ab Ecclesia consecrata fuisset. Tandem ait (*e*) : *Hisce absolutis, si quid erit reliquum temporis, ascetica doctrina, ut a Sanctis tradita hoc in Opere, oblectabo animum meum senescens.* Quibus certe verbis satis declarat vir generosus sibi se præsagiisse tantum vitæ, ut finem operis aliquando videret.

in longiores Commentarios excreverunt :

15 Cum igitur tam vastas operi suo appendices concepisset Bollandus, repugnabat consiliis Antonii Winghii, Lætiensis abbatis, qui optabat (*f*), *ut non brevissima solum scholia, sed luculentiores commentarii darentur, quales fere Petrus Halloix noster*

(*a*) T. I Januar. Præf. gen., p. XXV.—(*b*) Ibid.— (*c*) T. I Januar., p. 430.—(*d*) Ibid. Præf. gen., p. XXXI.—(*e*) Ibid.— (*f*) Ib. p. XXVII.

ad

A *ad Vitas Sanctorum Orientis adjecisset.* Winghii consiliis successores Bollandi, crescente in dies dicendorum mole et gravitate, fortassis inviti obtemperarunt initio; ast tum etiam lubentes, quando noverunt a posteris fore absolvendum, quod ipsi perficere non potuissent. Hinc pedetentim amplificata est Commentarii Prævii lucubratio : et cum Januarius duo, sequentes menses Februarius, Martius et Aprilis terna volumina complexi essent, reliquorum deinceps mensium commentationes ad septem octoque volumina excreverunt : October vero, qui ultra diem XIV non excurrit, sex jam tomos occupat. Bollando nempe huc spectabat Commentarius Prævius, ut exponeret in primis (*a*) *locum, in quo præcipue Sancti coluntur, quove orti aut in quo ætatem degere, vel quem suis Reliquiis consecravere :* dein *tempus, quo vixere, ex certis characteribus, si quidem ii suppetunt, eruitur, sanctitas* quoque publice celebrata ex Actis Canonizationis, Martyrologiis, veterum Scriptorum testimoniis, templis eorum honori dicatis, Reliquiarum *legitimis translationibus atque aliis monumentis affirmatur.* Tandem *Vita a quo scripta, quo tempore, quibus probata, citata, a quo*
B *accepta commemoratur.* Hæc quidem Bollandus : sed ejus successores putarunt satius esse longiores dissertationes historicas, chronologicas aut topographicas, et si quæ sunt aliæ, Commentario potius Prævio, quam animadversionibus in Vitas primigenias inserere : tum quia commentatio ordinatim procedit, tum ne longioribus scholiis textus primævus interpoletur. Atque hæc ratio est, cur in plura, quam statuerat Bollandus, volumina singuli menses accreverint.

Historias translationum.

16. Non Vitas solas Sanctorum ediderunt Hagiographi, sed iis subnectebant Historias translationum et miraculorum. Imo Bollandus (*b*) siquidem *hæc peculiari commentario descripta essent, iis sua præfigebat Prolegomena, æque ac Vitis ipsis, eodemque modo ea dilucidabat* : uti videre est in Vitis S. Eduardi Confessoris ad diem V Januarii et S. Agathæ Virginis et Martyris ad diem V Februarii. Post editum Februarium simile quid raro occurrit, cum deinceps maluerint Hagiographi dissertationes hujusmodi in commentarium prævium conjicere; quoties tamen majorem in molem accresceret dicendi materia, uti liquet ex Vitis SS.
C Apostolorum Petri et Pauli ad diem XXIX Junii, S. Ignatii Loyolæ ad diem XXXI Julii, etc., singulari tractatu Gloriam Sanctorum posthumam illustrarunt.

adnotationes in textum :

17 Acta Sanctorum authentica edidere Hagiographi, in varia, ubi longiora erant, distributa capita. Quoties probabile erat ipsos auctores divisisse commentarium suum per capita et titulos, hanc divisionem retinuerunt; nisi tamen tam brevia essent, ut singula singulas periodos caperent, aut tam longa, ut in plures excurrerent paginas : tunc enim alium adhibebant ordinem, sub hac cautione, ut primævam auctoris divisionem singillatim exponerent et titulos indicarent. Uti videmus v. g. in Vita S. Udalrici, Augustani episcopi, ad diem IV Julii. Hujusmodi capitibus adjecere Bollandus ejusque socii, ubi opus esse videretur, (*c*) *perbreves annotationes, quibus variæ lectiones in diversis MSS. animadversæ indicantur, non omnes cujuscumque generis, quod esset supervacaneum, sed quæ alicujus esse momenti visæ sunt; vel si quæ nomina urbium aliorumve occurrunt locorum, quæ non satis in eadem Vita explicata esse videantur, ea breviter, ubi sita sint, annotantur. Si quæ verba barbara, aut minus usitata, eoque obscura, explanantur ea breviter. Si quæ temporum nota, a vulgata dissentiens Chronologia, aut quæ non satis perspicua esse videatur, ea, si in Prolegomenis id factum non est, exponitur. Si quid est quod cum Theologorum placitis neutiquam congruere videatur, id vel enodatur, vel qua licet excusatur, vel etiam qui corrigi possit,* docetur. *Denique cum præter eam, quæ editur Sancti cujuspiam Vita, alia exstent subinde ab aliis scripta auctoribus ejusdem Acta, aut ab historicis relata, si quid hic omissum aut aliter narratum sit,* admonent Hagiographi. Hæ vero annotationes singulis capitibus primigeniorum Actorum subnexæ, ut ad quem quæque locum pertinere innotescant, signantur litteris alphabeti a. b. c. etc. in contextu orationis et in margine impressis. Quæ ex divinæ Scripturæ libris aliisve auctoribus citantur vel in ipsa orationis serie, aut subter paginam, quo loco reperiantur, indicantur. Servavimus quoque religiose et porro servabimus, quam sibi præscripserat regulam Bollandus (*d*), *ut quæ citaret auctorum loca, ipse vidisset; nihil aliena fide proferret : si auctores non fuissent ad manum, apud quem eos citatos*
D *reperisset, indicaret.* E

18 Ad perspicuitatem scriptionis pertinet quoque præfixus commentario annus, aut, si iste ignoraretur, sæculum, quo Sanctus decessit. Huc etiam collimat, quod in suprema margine, quasique superliminari cujusque paginæ, Sancti nomen, cujus isthic Vita editur, et dies mensis adscribatur; ne quis tempus in versando volumine terat. Vitarum vero primigeniarum auctores indicantur, quoties eorum scripta eduntur, in exteriori margine cujusque paginæ summo loco v. g. *Auctore NN. ex MSS.* aut *ex Eusebio,* etc., quæ ea pagina habentur, si nulli certo auctori tribuenda videantur, sed undique compilata fuerint, apponitur formula *ex Variis.* Lectoris fastidium allevarunt etiam alia industria Bollandus et socii : totum scilicet Commentarium suum, et dein Vitas singulas distinxerunt per numeros arabicos continuatos, et unicuique numero apposuerunt in margine ejus compendium, *ne* scilicet (*e*) *quis possit queri male in iis legendis operam collocari, aut certe ne molesto quidpiam quærendi labore conficiatur. Hæc compendia qui percurret, paucis horis vasti etiam voluminis materiam evolvet.* F

quæ omnia per numeros ordinate disponit.

Singula quoque volumina

19 Adhuc egimus de singularium Actorum dispositione, nunc paucis explicandus est ordo, quem secuti sunt Hagiographi in concinnando unoquoque volumine. Præcipue legentium utilitati consultum voluere per varios indices, quorum indoles brevibus verbis exponenda est. Seni Indices singula volumina adornant, quorum bini, post epistolam nuncupatoriam et dissertationem, si quæ forte fuerit, sive de Vita alicujus sodalis Hagiographi defuncti sive de quæstione aliqua historica, in capite voluminis reperiuntur. Prior est *Index Sanctorum* ordine litterarum alphabetico dispositus, non quidem omnium quorum mentio fit in decursu totius tomi hoc enim ad alium indicem pertinet : sed eorum duntaxat, quorum res gestæ in hoc volumine illustrantur. Sanctorum nomini cum adjecta indicatione status, officii et loci, in quo obierunt aut præcipue coluntur, præfigitur nota numeralis, quæ indicat diem mensis sub quo ejus historia exponitur et retractatur. Post hæc indicatur commentarius, ab Hagiographo conscriptus, et siquidem distinctus fuerit in varios §§, singu-

(*a*) T. I Januar. Præf. gen., p. XXVI. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid. — (*d*) Ibid, p. XXVII. — (*e*) Ibid.

A lorum exponuntur ex ordine tituli. Idem fit pro vita primigenia, cui insuper adjungitur nomen auctoris, qui scripsit, addita etiam mentione, si fuerit æqualis.

senis, qui enumerantur,

20 Hunc indicem excipit alter *chronologicus :* in quo ordine sæculorum indicatur annus, quo Sanctus, cujus historia refertur, v. g. natus, defunctus aut translatus fuerit, illustre quidpiam gesserit, etc. Quod si annum accurate exprimere non valemus, tunc initium, medium aut finem sæculi indicamus : hanc annotitiam excipit numerus paginæ, quo factum in volumine narratur aut discutitur. Si quæ epocha enuntianda recurrat, quam nec probare nec impugnare valemus, illam quoque damus, adjecto auctoris nomine, in vadimonium asserti anni. Hisce duobus indicibus alphabetico et chronologico non accenseo *Synopsim,* præmitti solitam, qua breviter enumerantur Sancti, quorum Acta illustrantur, secundum triplicem statum ecclesiasticum, monasticum et sæcularem, cui subnectitur catalogus sanctarum fœminarum. Hæc synopsis dari cœpit initio Maji, ita ut primus ejus tomus duorum quoque sequentium synopsim traderet : ast a tomo secundo Junii singulis voluminibus

B singulæ synopses præmissæ fuere.

indicibus

21 Quos recensuimus adhuc indices, in fronte voluminis præponi consueverunt, ita tamen ut dissertationem præliminarem, si quæ esset, subsequerentur. Post Acta vero Sanctorum ponuntur Indices quatuor. Primus est *Historicus,* qui fere continet nomina propria non solum Sanctorum, sed quorumcumque hominum, quorum mentio fit in decursu voluminis ; huic indici quoque non raro accensentur nomina populorum. Frustra autem istic quæreres illos Sanctos, quorum historia in volumine retractatur, utpote qui in capite voluminis recensiti sunt, nisi tamen in alia biographia idem nomen recurreret. Tandem ne oculus quærentium distrahatur, crux † appicta fuit nominibus Sanctorum, quia repetitæ litteræ S. vel B. fastidium lectori, confusionem alphabeto attulissent.

exornat.

22 Historicum sequitur index *topographicus :* quo recensentur nomina regionum, urbium, vicorum, montium, fluminum, quæ in volumine occurrunt, si forte excipias usitatiora, qualia sunt Gallia, Germania etc., auxissent enim præter modum indicis molem, nulla legentium utilitate. Indicis Onomastici usus est, ut explicentur voces barbaræ, obsoletæ, ex aliis linguis non raro derivatæ, quibus

C scatent frequenter scriptiones medii ævi. Indicis Moralis scopum optime indicat Bollandus (*a*), quum dicit in eo esse *materiam amplissimam, quæ concionatoribus, catechistis etc. usui esse possit. Quæcumque igitur res ad morum conformationem usurpari potest; etsi ipsa ad mores per se non spectet, virtutem inquam aut vitium, aliamve animi affectionem non significet, hic a personis separata, locisque ac temporibus, brevissime proponitur, aut potius commonstratur, loco indicato fusius exposita. Ad hunc Indicem revocata etiam ea vocabula sunt, quæ ordines hominum varios aut status officiaque significant, ut* Conjugati, Viduæ, Virgines, Reges, Pontifices, *etc., morbi quorum a variis Sanctis impetrari solita curatio : tormenta irrogata Martyribus : ritus sacri ac profani : religionis Catholicæ dogmata : et quæcumque demum a Sacræ Scripturæ interpretibus in moralibus digressionibus, ut ipsi vocant, congeri et pertractari solent.* Atque hi quidem sunt indices, qui singula volumina comitantur, ut nihil dicamus de duplici catalogo alphabetico Sanctorum, quorum historia aut illustratur, D aut prætermittitur propter cultum incertum. Prior continet Sanctos sex priorum mensium, ut ad calcem mensis Junii reperitur, alter, primo volumini Octobris subjectus, Sanctos exhibet trium præcedentium mensium. Est denique in eodem Octobris tomo *Syllabus nominum et rerum notabilium, quæ in Tractatibus præliminaribus occurrunt.* Hanc singulorum tomorum dispositionem, a Bollando præscriptam, retinuere successores, et nos quoque servabimus, utpote quam censemus utilissimam simul et commodissimam.

Bollando adjumento fuere, 1° frequens litterarum commercium;

23 Nunc nobis gradus faciendus est ad explicanda adjumenta litteraria quibus Hagiographi opus suum et inceperunt et promoverunt. Reliquerat imprimis Bollando, uti prædiximus n. 16, bibliothecam satis instructam Rosweydus; sed, ut scite animadvertit Dan. Papebrochius (*b*), *intra Belgium fere et loca vicina Belgio propositæ sibi collectionis spem omnem concluserat : Coloniæ, Treviri, Parisiique extremi conatuum ejus limites fuerant, et hi quidem parce timideque tentati per amicos pauculos.* Ast hæc subsidia, licet ampla, Bollando sufficere non poterant, utpote cui imprudens fuisset de Sanctis alienigenis agere, nisi coram haberet ejusmodi biographias, E quibus tuto fidere potuisset. *Ausus* itaque est, ait Papebrochius l. c. *totam circumspicere Europam, quam late nostra se diffundit Societas et quaquaversum spes suas extendere : diligenti in omnes partes scriptione utens et ad conferendam operam invitans aliquos ex Provinciis singulis.* Quod litterarum commercium frequens semper apud socios Bollandianos continuare oportuit : nam licet quis, quando ad commentandum in Vitam alicujus Sancti accingit sese, multa jam præparata habere putet, non raro tamen accidit, ut ingressus in causam propter perplexitatem et multitudinem subnascentium quæstionum, videat sibi multa deesse ad illustrandam historiam necessaria, quæ, quum e longinquo petuntur, amicorum benevolentia sunt comparanda. Harum epistolarum ingens numerus adhuc exstat in scriniis nostris, et præcipue in collectione hagiographica bibliothecæ regiæ Burgundicæ.

2° itinera litteraria, quæ

24 Maximo etiam adjumento ad opus promovendum fuere itinera litteraria, quæ socii Bollandiani suscepere, quæque varias Europæ Catholicæ partes complectebantur. Vivente etiamnum Bollando, primum hujusmodi iter instituere Godefridus Henschenius et Daniel Papebrochius. Ne autem in incertum vagari magis, quam ad propositum scopum omnia vestigare itinerantes viderentur, communi consilio apparavere indicem Actorum omnium, quæ vel in MSS. codicibus schedisve, vel in excusis libris, Musæum Bollandianum tunc continebat (*c*); *eo fine ut directorium esset perpetuum ad quævis monumenta dignoscenda, secernendaque ea, quibus descriptis opus foret, ab aliis quibus non egebant.* Hocce præcipuo viatico instructi socii, Bollando Coloniam Agrippinam usque comite, longo et, ut tunc erant tempora, laborioso itineri se commiserunt. Peragratis ditionibus Coloniensi, Trevirensi et Moguntino, per Bavariam Tyrolimque Italiam ingressi, Venetias appulere, ubi decem dierum intervallo excussere, tum quos reipublicæ legatos reliquerat græcos codices cardinalis Bessarion, tum quæ ma-

F gni momenti manuscripta servabantur in S. Georgii-majoris monasterio. Romæ tandem amplissimam messem collegerunt, tam in privatis prælatorum et monasteriorum bibliothecis, quam maxime in Vaticana;

(*a*) T. I Januar. Præf. gen., p. xxx. — (*b*) T. I Mart. Vita Joan. Bollandi, p. vii, n. 20. — (*c*) Ibid., p. xxiv, n. 81.

A cana; numerantur enim facile septingenta Acta, quæ in sola urbe Roma fuerunt reperta (*a*). Investigationibus suis faventem habuerunt Summum Pontificem, Alexandrum VII, qui quamdiu in Germania fuit Apostolicæ sedis Nuntius et ad componenda Germaniæ bella pacis conciliator, hebdomadale cum Bollando habuerat litterarum commercium. Hic *ut primum* (*b*) *de consilio transmittendorum in Italiam sociorum inaudivit, continuo per Illustrissimum Ferdinandum Furstenbergium, tunc intimum cubicularium suum, nunc Paderbornensem Episcopum et S. R. I. Principem* (*c*), *scribendum curavit, exspectatissimum sibi fore eorum adventum, quibus ad promovenda cœpta omnem esset opem favoremque impensurus.*

per varias Europæ partes

25 *Neque sane minus quam promiserat, fecit : statim enim illustrissimo Vaticanæ bibliothecæ custodi, Lucæ Holsteinio, S. Petri canonico* (*d*), *in mandatis dedit, ut sublata cujusvis excommunicationis interminatione, qua fere adstricti pulpitis suis Romæ detinentur libri, non modo Vaticanos omnes codices MSS. qui de Sanctis agerent, sed cætera omnia Almæ Urbis MSS. venturis P. Bollandi sociis sciret esse permissa; ipsique curandum, ut ea inspi-*

B *cere omnia, et commode cum vellent, transcribere possent.* Pontificiæ voluntati tanto alacrius obsecutus est Holsteinius, quanto jucundius mandatum acciderat : jam præsto erant Græcarum Vitarum catalogi, quos, in sociorum adventum excogitatos, pararat, ne nimium in quærendo et codices a capite ad calcem evolvendo, laborarent : atque ita spes erat eximii fructus, non admodum magno labore ac tempore colligendi. Sed tantas spes fefellit immatura mors Holsteinii, qui ut ostenderet quanti in sanctiore etiam palæstra illorum virtutem faceret, illos solos in extremo agone adhibendos voluit adhortatores, illos testamenti condendi sequestros, testes illos professionis Fidei catholicæ, advocari jussit (*e*).

obivere

26 Nacti nihilominus socii Bollandiani sunt æquum rerum suarum æstimatorem in Leone Allatio (*f*), qui custos bibliothecæ Vaticanæ Holsteinio successerat. Ipso certe minime repugnante, effectum est, ut non ipsi tantum, sed scriptor quoque, ab ipsis designatus, efferre domum possent quoscumque codices, qui utiles fore videbantur, describendos, *exemplo,* ait Papebrochius (*g*), *numquam usurpato, aut saltem nemini alias tam ampliter*

C *indefiniteque concesso. Neque utendo privilegio impedimentum attulit decretum, in Congregatione Conservatorum Bibliothecæ non diu post conditum, quo sanciebatur, ne cui quacumque ex licentia liceret retinere libros, e bibliothea acceptos, ultra diem decimum quintum.* Nam Pontifex voluit, ut toties illi quindecim dies replicarentur, donec esset Hagiographis satisfactum. Similem benevolentiam illis impendebant præcipui Cardinales, Franciscus Barberinus, Flavius Chisius, Brancaccius et Sforza, quibus aliisque quam plurimis adjungendus præ cæteris videtur princeps Camillus Pamphilius; is enim, quum in sua bibliotheca non multum haberet quod e re Bollandiana esset, liberali eleemosyna sociorum reditum adjuvit.

socii Hagiographi

27 Magnatum Romanorum benevolentiam æmulati sunt, quotquot erant in Alma Urbe, supremi Ordinum regularium moderatores, qui impensam D Romæ benignitatem cumularunt, missis ad suos encyclicis litteris, ut scrinia litteraria Hagiographis ultro aperirentur. Inter Mæcenates suos nominarunt majores nostri Joannem Baptistam de Marinis, Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, Sebastianum a Neapoli, Vicarium Generalem FF. Minorum Observantiæ, Petrum Lanfranconium Eremitarum S. Augustini Generalem Priorem, Hieronymum Ari, Priorem Generalem Carmelitarum, Callistum Puccinellium Priorem Generalem Ord. Servorum B. M. V., Ludovicum Balbum Præsidem Generalem Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Abbates Generales Petrum Ferracium Congregationis Camaldulensis, Danielem Sersalium Vallis Umbrosæ, et Joannem Bona (post S. R. E. Cardinalem) Cistercii reformati. Similes quoque litteras dedit pro Generali suo abbate absente Gaspar a Castro S. Petri, Procurator Generalis Canonicorum regularium Congregationis Lateranensis (*h*). Neque ulla umquam oblivio delebit, quæ debitæ fuerint gratiæ Patribus Oratorii Romani S. Philippi Nerii, qui non solum librariam supellectilem, a Baronio ejusque sociis relictam, ultro Henschenio et Papebrochio communicarunt, E sed eosdem, quamdiu Romæ substiterunt, habuerunt tamquam domesticos, quibus sollicita charitas impendenda esset (*i*). Tanta fuit documentorum copia, quam non tantummodo in Italia, sed in Gallia quoque collegerunt, ut generalis index, in quem referendi essent libri tum manu exarati, tum typis expressi, tanto auctus thesauro, rescribendus fuerit, quatenus omnia suo ordine secundum Alphabeti ordinem reperirentur (*k*). Exstat hujus itineris descriptio MS. in bibliotheca Burgundica sub numero 17,671.

variis temporibus.

28 Quam straverant ad exteras nationes viam, Henschenius et Papebrochius, gnaviter secuti sunt successores. Nam Conradus Janningus, cum per quadriennium Romæ in disciplinas theologicas incubuisset, quinto anno in Italia remansit, sedulo scrutatus omnes ditissimæ regionis quasi angulos ab anno 1681 ad 1686. Idem cum Francisco Baertio anno 1688 Germaniam Bohemiamque peragravit, ac dein in Italia ab 1697 per triennium mansit, ut quæ fuerant Actis objecta dilueret (*l*). Anno 1715 Joan. Bapt. Sollerius, socius expetitus a Thoma Philippo ab Alsatia, Cardinali archiepi- F scopo Mechliniensi, in Austriam perrexit, ubi continuandum Hagiographis stipendium a Cæsare Carolo VI impetravit (*m*). Adhuc Bollandiani socii Hispaniam non attigerant, sive quia ineunte sæculo XVIII bellis infesta erat, sive quia inusta per Hispanicam Inquisitionem censura erant deterriti : ast anno ejusdem sæculi XXI illuc profecti sunt Gulielmus Cuperus et Joannes Pinius sacræ antiquitatis monumenta, in bibliothecis et archivis asservata, lustraturi (*n*). Peregrinationum agmen claudit iter per Galliam, Italiam, Germaniam et Hungariam a Joanne Stiltingo et Constantino Suyskeno anno 1752 susceptum, quo non pœnitendus documentorum thesaurus in Musæum hagiographicum ingestus fuit (*o*).

3° *Pecuniarium subsidium,*

29 His litterariis subsidiis, copiose sane et splendide paratis, Bollandianis sociis procuranda fuit

(*a*) T. I Martii Vita Joan. Bollandi, p. XXVII, n. 95. — (*b*) Ibid. p. XXVIII, n. 95. — (*c*) Electus, confirmatus, consecratusque ad Paderbornensem Ecclesiam anno MDCLXVI : Monasteriensem quoque cathedram conscendit anno MDCLXXXVIII, inter præcipuos fautores Societatis nostræ et maxime Hagiographiæ numerandus venit. Ei dedicata fuere bina Actorum volumina, nempe II Aprilis et I Maji; ejusdem mensis tomus alter inscriptus fuit fratri ejus, Wilhelmo, præposito Monasteriensi, decano Salisburgensi et Paderbonensi canonico. — (*d*) De Luca Holsteinio vide Christophori Saxii Onomast. litt., t. IV. p. 293. — (*e*) T. I Mart. Vita Joan. Bollandi, p. XXVIII, n. 96. — (*f*) Vide Niceron., t. VIII, p. 91. — (*g*) T. I Mart. Vit. Joan. Boll., p. XXIX, n. 101. — (*h*) Ibid., p. XXXI, n. 107 et seqq. — (*i*) Ibid., p. XXVIII, n. 97 et seqq.— (*k*) Ibid., p. XXXVII, n. 127.— (*l*) T. III Jul. — (*m*) T. V Aug. — (*n*) T. VI Aug. — (*o*) T. I Octob.

rei

A rei pecuniariæ stabilis constitutio. Nam librorum ingens coemptio, manuscriptorum e variis linguis apographa, ipsa per potiorem Europæ partem itinera magnam nummorum vim insumebant : cui ferendæ impar erat rei domesticæ inopia. Initio itaque patronos sibi quærebant præcipuos ecclesiarum et monasteriorum Præsules, quos in bonarum litterarum studio propensos noverant, quibusque dein excusa typis volumina offerebant dedicata (*a*) : atque hi quidem usque ad exitum sæculi XVII utcumque reperiebantur vel in ipso Belgio nostro, vel in finitimis regionibus. Sed, eodem sæculo exeunte, ea jam erant Belgii tempora, quæ spem nullam facerent cujuscumque subsidii. Obierant quippe mortem præmaturam principes, qui dum viverent, et nonnulla contulerant et sperare jusserant omnia. Alio itaque convertendæ erant curæ, talesque erant principes adeundi, qui sperarentur munificentiam suam heredibus legaturi (*b*). *Erat quidem qui securos* Hagiographos *esse juberet, modo solum vertere et Christianissimi regis* (Ludovici XIV) *auspiciis continuare in Gallia Sanctorum Acta vellent, sed ab eo consilio rationes tum temporis absterrebant gravissmæ.*

apud varios principes quæsitum,

B 30 *Maluit ergo Papebrochius ad aulam Hispanicam sese vertere, ac benignissimum Regis Catholici explorare animum; et sane rem brevi tam opportune promoverat, ut jam de prospero successu dubitari non posset; cum Janningus, probe conscius, quo loco apud Imperatorem haberentur Acta Sanctorum, antevertendum sibi Papebrochii conatum putavit : et vero antevertit : tam promptam enim offendit Imperatoris voluntatem ad suscipiendam operis Bollandiani clientelam, ut, Viennæ etiamnum subsistens* (anno 1688), *ad Papebrochium scriberet, ne apud aulam Hispanicam porro quidquam urgeret. Præsagisse jam tum Janningum Sanctorum instinctu diceres, quæ futura deinceps erant : nam Catholici quidem regis, larga, ut assolet, esse poterat gratia; diuturna esse non poterat, sive ob insecutam brevi sacræ Inquisitionis Toletanæ procellam, sive ob mutatam in Belgio dominationem,* quæ ad domum Austriacam devoluta est per conditiones Pacis Ratstadensis an. 1714. Hæc fere ad verbum e Vita Conradi Janningi, auctore Petro Bosschio, exscripsimus.

ab Austriacis sub certis legibus

C 31 Nihilominus dicendum est primo suo itinere Janningum viam magis sibi stravisse ad quidpiam fixum et stabile obtinendum, quam reipsa obtinuisse; quod satis indicat Vitæ ejus scriptor narrans (*c*) illum anno 1700 Roma Vindobonam profectum, demum apud Cæsarem perfecisse, *quod ante decennium inchoaverat,* ut, *stabilitis in posterum ac perpetuis beneficiis, Augustissimæ familiæ socios habere vellet æternum obstrictissimos.* Petierat scilicet Janningus anno 1688 ut imperator, qui tunc erat Leopoldus I, vellet esse Operis perpetuus patronus, ea lege, ut omnes deinceps tomi, quos ad numerum quinquagenarium excreturos autumabat, ipsi Cæsari aut alicui e principibus utriusque sexus Domus Austriacæ dedicarentur. Annuit quidem Imperator et annua scuta imperialia mille, alendis tribus Hagiographis assignavit : verum hujus voluntatis, viva voce prolatæ, nullo existente testimonio, solutio promissum secuta non est, donec, ut supra diximus, anno 1700 Janningus Vindobonam reversus circa finem Septembris libellum supplicem Cæsari obtulit, quo eidem in memoriam revocat promissionem olim factam, quæ, nullo scripto adhuc firmata, effectum suum sortita non fuerat. Concessit, quod petebatur, Imperator, et decreto XVIII Novembris ejusdem anni sancivit, ut non solum constituta pensio quotannis accurate solveretur, sed etiam reliqua ab anno 1688 restituerentur. Scripto gratias egit Janningus Imperatori, et se suosque socios quamdiu pensio perseveraret, singulis septimanis semel Sacrosanctum E Missæ sacrificium pro incolumitate Austriacæ familiæ oblaturos spopondit. Impedivit tamen Cæsaream liberalitatem, quod brevi insecutum est bellum pro successione Hispanica, quo tota Europa et præsertim Belgium nostrum conflagravit usque ad an. 1713. Rebus compositis, Carolus VI diplomate suo dato XVII Januarii 1716, sancivit, ut pro reliquis non solutis penderentur semel sex millia florenorum seu circiter 10,884-35 francorum, et deinceps annuatim mille nongenti nonaginta quinque (circiter fr. 3,619-3) tribuerentur. Quamvis autem tale subsidium in decem solum aut undecim annos assignatum fuisset, perseveravit tamen usque ad abolitam Societatem Jesu anno 1773.

D

præcipue obtentum.

32 Annuæ pensioni a Principibus Austriacis adscriptæ et pecuniæ e divenditis Actorum voluminibus redactæ, accensenda sunt donaria satis ampla a sorore P. Danielis Papebrochii, ab Episcopis Brugensi Henrico Josepho Van Susteren et Gandavensi Joanne Baptista de Smet collata, ut efficiatur caput proventuum quibus Hagiographi sumptuosum opus sustinebant promovebantque. Commissam vero sibi pecuniam tam gnaviter procurabant, ut licet largi in sublevanda inopia, F præsertim domus Professæ Antverpiensis, habe-

(*a*) En catalogus principum et prælatorum quibus dedicata fuere volumina : apposito anno quo singula in lucem prodiere.

1	Jan. t. I. Urbano PP. VIII.	Anno. 1643
2	Jan. t. II. Francisco Card. Barberino.	Eod.
3	Febr. t. I. Alexandro PP. VII.	1658
4	Febr. t. II. Gaspari Nemio, Archiep. Camerac.	Eod.
5	Febr., t. III. Andreæ Creusen Archiep. Mechlin.	Eod.
6	Mart. t. I. Clementi PP. IX.	1668
7	Mart. t. II. Francisco Card. Barberino.	Eod.
8	Mart. t. III. Antonio Card. Bichio.	Eod.
9	April. t. I. Clementi PP. X.	1675
10	April. t. II. Ferdinando Furstemberg. Ep. Paderborn.	Eod.
11	April. t. III. Macario Simeomo, Abbati S. Michaelis Præm. Antv.	Eod.
12	Maj. t. I. Ferdinando Furstembergio, lib. Baroni.	Eod.
15	Maj. t. IV. Carolo Card. Barberino.	1685
16	Maj. t. V. Ludovico de Sousa Archiep. Ulissipon.	Eod.
17	Maj. t. VI. Cosmo III, magno Duci Etrur.	1688
18	Maj. t. VII. Maximiliano Henrico Archiep. Coloniensi.	Eod.
19	Propyl. Maj. Innocentio PP. XI.	1685
20	Jun. t. I. Leopoldo Imp.	1695
21	Jun. t. II. Eleonoræ Imperatrici	1698
22	Jun. t. III. Josepho I. Imp.	1701
23	Jun. t. IV. Eidem.	1707
24	Jun. t. V. Wilhelminæ Amaliæ Imp.	1709
25	Jun. t. VI. Pars. I. Carolo VI. Imp.	1715
	Pars. II. Eidem.	1717
26	Jun. t. VII. Eidem.	Eod.
27	Jul. t. I. Eidem.	1719
28	Jul. t. II. Elisabethæ Imperatrici.	Anno. 1721
29	Jul. t. III. Carolo VI, Imp.	1723
30	Jul. t. IV. Mariæ Elisabetbæ Belgii Gubern.	1725
31	Jul. t. V. Mariæ Magdalenæ Archid. Austr.	1727
32	Jul. t. VI. Mariæ Theresiæ Archid.	1729
33	Jul. t. VII. Mariæ Annæ Archid.	1731
34	Aug. t. I. Carolo V, Imp.	1733
35	Aug. t. II. Eidem.	1735
36	Aug. t. III. Franc. III, Lothar., et Mariæ Theres.	1737
37	Aug. t. IV. Carolo VI, Imp.	1739
38	Aug. t. V. Mariæ Theres. Reginæ.	1741
39	Aug. t. VI. Josepho Archid.	1743
40	Septembr. t. I. Mariæ Annæ Archid.	1746
41	Sept. t. II. Carolo Archid.	1748
42	Sept. t. III. Mariæ Christinæ Archid.	1750
43	Sept. t. IV. Mariæ Elisabethæ Archid.	1753
44	Sept. t. V. Petro Leopoldo Archid.	1755
45	Sept. t. VI. Mariæ Amaliæ Arch.	1757
46	Sept. t. VII. Joannæ Gabrielæ Archid.	1760
47	Sept. t. VIII. Josephæ Archid.	1762
48	Oct. t. I. Mariæ Carolinæ Archid.	1765
49	Oct. t. II. Ferdinando Archid.	1768
50	Oct. t. III. Mariæ Antoniæ Archid.	1770
51	Oct. t. IV. Maximiliano Archid. Ord. Mag. Supremo, Coadj. Colon et Monast.	1780
52	Francisco Josepho Archid. post Imperatori.	1786
53	Pio PP. VI.	1794

(*b*) T. III Jul., p. 4, n. 14, — (*c*) Ibid., p. 7, n. 20.

rent

A rent tamen, quando Societas Jesu abolita fuit, summam capitalem centum triginta sex millium florenorum Brabanticorum (fr. 246,710-35). Hæc deprompsimus e relatione facta, a consiliario Van den Cruyce die XVI Martii 1774. Quæ cum multis aliis instrumentis collecta fuere a Cl. viro Gachard Archivio regni præfecto (*a*). Hactenus de necessario ad scriptionem apparatu, qui, ut fere fit, initio tenuis, paulatim ad honestam conditionem amplificatus est.

Initio lente processere Hagiographi

33 Restat, ut paucis exponamus, quomodo Bollandus ejusque socii demandatam sibi provinciam et susceperint et administrarint. Principio quidem, quod et nos experti sumus, tentandum fuit quasi vadum, quo viam sibi sternerent ad rem cum decore peragendam. Bollandus, qui, ineunte anno 1630, ad Rosweydi incepta continuanda, uti supra n. 6 diximus, vocatus fuerat, solidos annos tredecim posuit, antequam bina volumina, totum Januarium mensem complexa, in lucem emitteret. Diuturnior dein usus peritiores fecit, ut intra brevius intervallum tomos sequentes edere valerent : atque ita factum est, ut reliqua volumina singula labore fere triginta quatuor mensium constarent. Universo

B lucubrationi operam vicissim contulerunt, tempore centum et quinquaginta annorum (*b*), viri triginta duo, uti liquet e subjecta tabella (*c*). Licet autem nostro præsertim sæculo breviora non raro definiantur temporum intervalla edendis voluminibus grandioris etiam formæ, nemo tamen qui indolem Operis secum ipse reputaverit, facile conqueretur tantum annorum spatium *Actis Sanctorum* perscribendis insumptum fuisse. « Scilicet Bollandus » et qui post ipsum in hoc labore versabantur, hanc » sibi præscripserant legem, ut immutato stylo D
» primigenias Vitas ederent; gravissimas quasque
» difficultates in Sanctorum historiis dilucidarent;
» *nullum,* ut exponit Papebrochius (*d*), *quem non*
» *ipsi inspexissent legissentque testem præsumerent*
» *adducere; et singulorum, quibus primario nite-*
» *bantur, ætatem, veracitatem prudentiamque in*
» *scribendo sibi declarandam existimarent. Nihil*
» *eorum, quæ ad Sancti alicujus pleniorem noti-*
» *tiam pertinebant, volebant indiscussum relin-*
» *quere; nullum locum tam obscurum, tam ignobi-*
» *lem gentem, tam remotam præterire regionem,*
» *quæ Sanctos aliquos coleret aut coluisset ali-*
» *quando, nullam denique vocem tam barbaram,*
» *quo suam non extenderent diligentiam, quantum*
» *quidem per editos ineditosve auctores, per littera-*
» *rum commercia, per obsequia conciliatorum ubi-*
» *que amicorum humanus potest labor obtinere.*
» *Non illi tantum generalem quamdam Ecclesiæ*
» *et regionum historiam ordinabant, quamvis et*
» *in hac sæpe iis multumque fuerit desudandum,*
» *sed particulares quorumcumque episcopatuum,*
» *civitatum, monasteriorum, religiosorum Ordinum*
» *origines, successiones, historiasque scrutabantur*
» *et pro viribus explanabant.* E

propter multiplices quæstiones

34 » Quam ut rite pertractarent, alieni esse non
» poterant ab iis artibus, quæ cum historia affini-
» tate junguntur : cæcutire enim videtur illa, nisi
» *geographicæ, chronologicæ, diplomaticæ,* et *ar-*
» *chæologicæ* disciplinæ facem præferant et eidem
» ancillentur. Nullus autem qui ejusmodi studia
» vel leviter attigerit, ignorat quantis implexa
» sint difficultatibus, quoties ex veteribus sunt
» repetenda. Hi rem, coævis satis notam una, alte-

(*a*) Archiv. du Royaume.—Bollandist. f. 32 et seqq. Pecuniæ supra relatæ annumerari quoque convenit 1° Creditum fl.9,410-19, (fr. 17,072-1). Ibid. f. 21. 2° Officinam librariam, quæ venalem habebat librorum copiam non spernendam : videlicet 8807 volumina *Actorum* et 22,982 tomos, ad humaniores litteras spectantes qui vulgo Libri *Classici* appellantur. 3° Supellectilem typographicam. — (*b*) Primum volumen editum fuit anno 1643; postremum, scilicet sextum Octobris, anno 1794. — (*c*) Præter Hagiographorum nomina, gratum fore lectoribus arbitramur subjicere simul numerum annorum, quos huic Operi impenderunt. Triplici serie distinguuntur : prima complectitur illos qui unius pluriumve voluminum titulo inscripti et Hagiographiæ immortui sunt; secunda habet eos, qui edendis voluminibus cooperati, aut Musæum ante mortem reliquerunt, aut Hagiographiæ supervixerunt; tertia denique illos exhibet, qui, exstincta Societate Jesu, ex aliis Ordinibus accesserunt ad Corn. Byeum et Jacob. Bueum, operamque posuerunt in conficiendis tribus ultimis voluminibus.

	NATI.		INGRESSI SOC. JESU.	DEFUNCTI.	ALLABORARUNT. ANNOS.	ALLABORARUNT. VOLUM.	LAUDANTUR.
PRIMA SERIES.							
C JOAN. BOLLANDUS.	Julii-Monte (Limburg.)	1596, 13 Aug.	1612	1665, 12 Sept.	34	8	T. I Mart. F
GODEFR. HENSCHENIUS	Venradii (Geldr.)	1600, 21 Jan.	1619	1681, 11 Sept.	46	2	T. VII Maji.
DANIEL PAPEBROCHIUS	Antverpiæ	1628, 16 Apr.	1646	1714, 28 Jun.	55	19	T. VI, p. I, Jun.
CONRAD. JANNINGUS	Groningæ	1650, 16 Nov.	1670	1723, 13 Aug.	44	13	T. III Jul.
FRANC. BAERTIUS	Ypris	1651, 25 Aug.	1670	1719, 27 Oct.	38	10	T. II Jul.
JOAN.-BAPT. SOLLERIUS	In Herseau (Fland.)	1669, 28 Febr.	1687	1740, 27 Jun.	38	12	T. V Aug.
JOAN. PINIUS	Gandavi	1678, 13 Dec.	1696	1749, 19 Maji.	35	14	T. III Septemb.
GULIELM. CUPERUS	Antverpiæ	1686, 1 Maji.	1704	1741, 2 Febr.	21	11	T. VI Aug.
PETRUS BOSCHIUS	Bruxellis	1686, 19 Oct.	1705	1736, 14 Nov.	15	7	T. III Aug.
JOAN. STILTINGUS	Vico-Duri (prov. Ultraj.)	1703, 24 Febr.	1722	1762, 28 Febr.	25	11	T. I Octob.
CONSTANT. SUYSKENUS	Silvæ-Ducis	1714, 20 Aug.	1732	1771, 28 Jun.	26	11	T. IV Octob.
JOAN. PERIERUS	Cortraci	1711, 29 Aug.	1732	1762, 23 Jun.	15	7	T. I Octob.
URBAN. STICKERUS	Dunkercæ	1717, 25 Sept.	1733	1753, 28 Oct.	2	1	T. V Septemb.
SECUNDA SERIES.							
JOAN. LIMPENUS	In Aalbeke (Limburg.)	1709, 19 Nov.	1726	1750 } recessere	9	3	
JOAN. VELDIUS	Antverpiæ	1710, 17 Sept.	1727	1747 } recessere	5	2	T. V Septemb.
JOAN. CLEUS	Antverpiæ	1722, 20 Aug.	1740	1760 } recessere	7	3	T. VII Octob.
CORN. BYEUS	In Elverdinghe (Fland.)	1727, 1 Oct.	1745	1801, 11 Aug.	33	6	Ibid.
JACOB. BUEUS	Hallis	1728, 11 Mart.	1743	1808, 29 Sept.	32	7	Ibid.
JOSEPH. GHESQUIERUS	Cortraci	1731, 27 Febr.	1750	1802, 23 Jan.	10	4	Ibid.
IGNAT. HUBENUS	Antverpiæ	1737, 12 Dec.	1755	1782, 18 Jul.	10	2	Ibid.
TERTIA SERIES.			PROFESS.				
JOAN.-BAPT. FONSONUS	Bruxellis	1757, 27 Febr.	Can. Reg.	1826, 14 Sept.	7	2	Ibid.
ANSELM. BERTHODUS	In Rupt (Sequan.)	1733, 21 Febr.	O. S. Ben.	1788, 19 Mart.	4	3	Ibid.
SIARDUS DYCKIUS	Tongerloæ	1759, 10 Nov.	O. Præm.	1830, 1 Sept.	5	2	Ibid.
CYPRIAN. GOORIUS	Turnholti	1759, 17 Dec.	O. Præm.	1839, 25 Jul.	5	2	Ibid.
MATTH. STALSIUS	Mosaci	1761, 12 Oct.	O. Præm.	1826, 2 Febr.	4	2	Ibid.

His annumeramus Daniel. Cardon Antverpiensem, Henric. Thilleul, Nicol. Rayé Bruxellensem, Franc. Verhoeven Brugensem, Petr. Dolmans ex Limmel, prope Trajectum ad Mosam, de quo T. V Septemb., Jacob. Trentecamp Aldenardensem, et Adrian. Heylen, Can. Præm. de quo cfr Mem. cour. de l'acad. roy. des sciences et bell.-lettres de Brux., t. XV, qui breviori tempore cooperati sunt. — (*d*) Vita Joan. Boll., p. XX.

A » rave signant voce, eaque frequenter ambigua, » quæ posteros divexet et nonnisi multiplici lucu- » bratione probabilem accipiat interpretationem. » Attamen in suo esse arbitrio nolebant Hagiogra- » phi molestum impedimentum silentio declinare; » sed quæ demum cumque quæstio res gestas » Sanctorum attingeret, hanc pro suo instituto » tractandam dilucidandamque suscipiebant tanta » cura, ut plurium mensium labor in una re » ancipiti aliquando poneretur. Ad *Geographiam* » quod attinet, longis investigationibus componere » sæpe oportebat historiam cum topographia, quæ » ob locorum nomina vitiata aut mutata, ob di- » screpantes auctorum sententias, ob dubios re- » gnorum, provinciarum, episcopatuum fines cali- » gat. Hinc, quoties argumentum postulabat, nihil » omiserunt Hagiographi quod locorum notiones » illustrare posset. *Chronologica* quoque studia, » quam sint ardua, experiri licet iis, qui seriem » temporum quam brevissimam ordinare tentant : » aliæ ex aliis controversiæ nectuntur, quæ dum » pendent, omnem cohibent gressum, nec locum » relinquunt, ubi certo vestigium figatur. Neque » operam suam in his perdidisse Hagiographos B » ostendunt commentationes, quibus quæstiones » maxime intricatas feliciter explicarunt (*a*). *Rem* » *diplomaticam* frequenter retractare cogebantur, » cum in institutione episcopatuum et monaste- » riorum, in donationibus, in privilegiis civitatum » instrumenta recurrant, de quorum fide et inte- » gritate erat dijudicandum. Et quamquam Pape- » brochium nostrum in suo Propylæo antiqua- » rio (*b*) aliqua propter hujusmodi scripturarum » inopiam fefellerint; *nullus tamen,* ait Mabillo- » nius (*c*) *ad hoc usque tempus peculiari tractatione* » *rem* (diplomaticam) *aggressus fuerat, ante Da-* » *nielem Papebrochium Societatis Jesu, editis San-* » *ctorum Actis clarissimum virum, qui in Propylæo* » *data opera eam discutiendam suscepit.*

varii generis enodandas.

35 » Habet et *Archæologia,* quæ accepta referat » Hagiographis, qui Sanctorum Vitas scrutantes » minutissime, et plenissime enucleantes, in an- » tiquos mores, ritus, leges, in Veterum artes et » in ipsa rudimenta linguarum inquirere, colla- » tisque monumentis sacris et profanis variarum » nonnunquam gentium, ad veri normam eadem » debuerunt expendere (*d*). Sed congestis his omni- » bus Historiæ subsidiis, et ingenti, quæ necessaria C » est, librorum et manuscriptorum comparata su- » pellectili, *superest,* ait Papebrochius (*e*), *ultimus* » *et difficillimus actus, qui in discernendo dijudi-* » *candoque consistit, propter multitudinem per-* » *plexitatemque subnascentium ex auctorum dis-* » *sensione controversiarum.* Quapropter ad nullum » testimonium provocabant, quin auctorem, ejus » ætatem et fidem recognovissent, quin dicta cum » scriptis æqualium aut antiquiorum composuis- » sent, quin historiam sæculi et regionis pene » universam habuissent perspectam, ne quid irre- » peret, quod cum cæteris monumentis non posset » conciliari. Ad hæc accedebant operosæ disceptа- » tiones de *Theologia* toties agitandæ, quoties ex » SS. Patrum scriptis demonstranda erat Fidei Ca- » tholicæ doctrina semper immota et sibi constans; » quoties in sanctorum episcoporum gestis defi- D » nienda erant conciliorum decreta et jura Eccle- » siæ; quoties demum in Sanctis vindicanda erant » perseverans miraculorum gloria, prophetiæ, cœ- » lestium revelationum, altissimæque contempla- » tionis donum indeficiens. Sanæ etiam *Philosophiæ* » placita adversus profanas incredulorum novi- » tates, superbum delicatulorum fastidium et ve- » cordem contemptum impiorum erant propu- » gnanda (*f*). »

Eorum eruditionem laudarunt

36 Et vero labori Hagiographorum laudem repensam fuisse testantur elogia, quibus eos ornarunt eruditi non solum Catholici, sed illi etiam qui propter religionis dissidia alieniores vel ob ipsam Operis indolem ab ejus auctoribus videbantur. Certe *Acta Eruditorum Lipsiensia* anni 1683 (*g*) cum enumerassent scriptores bene multos, qui ad Vitas Sanctorum edendas incubuerant, severiori censura omnes perstringunt, dum exprobrant *eruditionem adspersam fuisse nullam, nec in tam vastis operibus repertam salis micam, anilibus fabulis, quibus refertæ omnes paginæ, nullam melioris literaturæ partem admittentibus. Primus eam huic studio inferre cogitavit hoc sæculo Heribertus Rosweydus :* cumque brevibus enarrassent Rosweydi E consilium, dicunt ejus executionem *aggressum Joannem Bollandum, eruditione summa et eloquentia insigni instructum,* qui suas partes ita *implevit, ut non ii solum, qui Sanctorum cultui superstitiose dediti* (*h*) *sunt, fabulasque pro historiis accipientes nubem pro Junone amplectuntur; sed et alii qui Historiæ Ecclesiasticæ student, temporum rationes intelligere, antiquitates Ecclesiæ priscæ cognoscere, alia item ad eruditionem spectantia ex his monumentis haurire possint.* Hisce encomiis mire consonat judicium, quod de *Actis Sanctorum* tulit vir celeberrimus Godefridus Gulielmus Leibniz, qui editionem Actorum Lipsiensium non probavit solum, sed suam etiam operam conferendo promovit (*i*). Epistola enim ad Danielem Papebrochium data IV Non. Januarii 1686 et in scriniis nostris autographa, significat discussam se cupere quæstionem genealogicam *circa quosdam Longobardiæ et vicinarum regionum marchiones, qui sæculo* XI *vixere, quorum familias ditionesque agnoscere et distinguere operæ pretium esset* (*k*). Epistolam hisce verbis orditur : *Quantæ molis, quantique fructus opus in te susceperis, ex quo Bollando et Henschenio, tamquam Hercules Atlantibus successisti, quantum* F *in eo sis progressus, nemo adeo in literis hospes est, quin sciat. Itaque interrumpere tam præclaras cogitationes tuas aliena ab instituto vestro quæstione, prope religioni mihi ducerem, nisi scirem universam pene Historiam tuæ ditionis esse et in vestris scriniis omnium pene sæculorum claves contineri, quin et plus aliquando ex vestris chartis, quam ex multorum principum collegiorumque archivis erui posse, tantam autem vobis esse humanitatem, ut collectas opes publico beneficio destinetis.*

etiam ii

37 Altera epistola etiam autographa, data Hannovera $\frac{14}{24}$ Maji ejusdem anni, gratiis actis pro labore, ad enodandam quæstionem collato, subjungit : *Mihi institutum vestrum semper mirifice placuit: quare si qua in re inservire possim, non patiar meam prom-*

(*a*) Vid. De tribus Dagobertis : Acta SS., t. III April. — Chronotaxin Patriarcharum Hierosolymitan. Ibid., t. IV Maji.— Chronotaxin Patriarcharum Alexandrin. Ibid., t. V Jun. — Chronotaxin Patriarcharum Antioch. Ibid., t. IV Jul. — Chronotaxin Patriarcharum Constantinopolitan. Ibid., t. I Aug., etc. — (*b*) Propylæum antiquitatis circa veri et falsi discrimen in vetustis membranis. Act. SS., t. II April. — (*c*) De Re diplomatica., l. I, c. I. — (*d*) Vid. De Episcopis Tungrensibus : Act. SS., t. VII Maji. — Seges Majoricenses. Ibid., t. III Jun. — De Liturgia Hispan. antiqua. Ibid., t. VI Jul. — De Diaconissis. Ibid., t. I Sept., etc. — (*e*) Act. SS, t. I Mart. in Vita P. J. Bollandi, p. XIII. — (*f*) De Prosec. Op. Bolland., p. 3 et seq. — (*g*) Act. Erud. Lips. en 1683, p. 7. — (*h*) Homo acatholicus oblique carpit cultum et invocationem Sanctorum : hunc errorem luculenter refutant ipsa Acta Sanctorum : Vide quæ num. seq. habet Leibnizius de honore Sanctis exhibendo. — (*i*) Biograph. Univ. v. *Leibnitz*, p. 597. — (*k*) Ostendere nempe satagebat Leibniz communem esse stirpem et familiæ Estensi in Italia et in Germania Brunswicensi domui.

ptitudinem

A *ptitudinem desiderari. Quod de Sanctis honorandis mones, non possum non probare. Nam Christiani hominis semper esse duxi honori amicorum Dei favere, qui adeo nihil divinæ gloriæ detrahit, ut etiam addat; glorificari enim Deum in Sanctis suis manifestum est.* Leibnizium, quam olim conceperat de *Actis Sanctorum* opinionem, porro conservasse monstrat epistola ad Conradum Janningum data Hannovera 11 Julii anni 1706 : *Una vos epistola conjungo vel una potius charta* (alteram enim chartæ faciem Papebrochio inscripserat) *quos fama et magni Operis meritum conjunxit, præsertim cum non dubitem maximam nunc curarum partem in te* (cæcutiente et annis confecto Papebrochio) *recubuisse; quamvis nec ambigam, quin socium asciveris a quo sublevari possis. Itaque quæ hic scribo et mitto, ad vos omnes pertinere velim, quos reverenter saluto et plurimum colo, et de rebus vestris nunc facilius discere spero, quæ mihi et utilitati sunt et voluptati. Vale et fave.*

qui a Religione Catholica

38 Hæc eo adduximus, tum quia maximi momenti est in rebus, quæ ad eruditionem pertinent, celeberrimi viri judicium, tum ut tanto probabilior sit lectori data ab eodem Leibnizio olim ad Joannem Philippum Eugenium Comitem de Merode

B epistola, qua testatur vel sola *Acta Sanctorum* ejusmodi esse, ut meritas laudes universo Ordini concilient (*a*). Atque hæc fuit quoque multorum heterodoxorum opinio, ut dicere non dubitarit Josephus Ghesquiere (*b*), *non inventum esse inter eos quempiam eruditum prudentemque virum, qui ipsum institutum modumque tractandi in invidiam dubitationemve adduxerit.* Citati scriptoris assertionem confirmat judicium Armandi Gastonis Camus, qui licet Janseniana lue infectus (*c*), candide tamen fatetur (*d*) Historiam totius Europæ, imo etiam partim, Orientis, a VII ad XIII sæculum Vitis Sanctorum contineri : nihil fere in Ordine civili evenisse, cui non intercesserit Sanctus quispiam : ingens itaque emolumentum scribendæ historiæ contulisse Bollandistas collectione sua. Ipsi, inquit, primi densissimas tenebras quibus ars diplomatica involvebatur, discusserunt : egregiasque quæstiones ad Archæologiam, Historiam et Geographiam pertinentes solverunt. Unde concludit citatus auctor doctissimum quemque cupere, ut *Acta Sanctorum* continuentur.

erant alieni.

39 Necessarium esse non arbitramur recensere elogia eorum, qui inter Catholicos eruditionis laude floruerunt : innumera certe afferre nobis liceret :

C sed brevitati studentes, instar omnium sit judicium, quod de Opere hagiographico protulit Benedictus Papa XIV, quem non minus in sacris studiis commendat scientia, quam in suprema sede majestas. Hic binis epistolis testatum voluit, quanti faceret *Acta Sanctorum,* voluitque cum Hagiographis communicatas relationes factas in causis Sanctorum (*e*). Affirmat porro *magnam* sibi fuisse *semper opinionem de ingenti Opere,* Acta Sanctorum *nuncupato, quod... optimo consilio susceptum et incredibili labore continuatum* fuit. Et cum idem Pontifex ad instantiam R. P. Ignatii Vicecomitis, Societatis Jesu Præpositi Generalis, concessisset, ut fieret in D omnibus dictæ Societatis ecclesiis Officium S. Pulcheriæ imperatricis Virginis, dicit ad hujusmodi concessionem etiam se inclinatum fuisse *desiderio, quod Bollandistæ hac in re ostendunt;* quos dicit *de Beatorum Sanctorumque gestis actibusque in lucem emittendis, vindicandis, condignoque honore habendis meritissimos et Apostolicæ etiam prædicationis encomiis laudandos* (*f*).

Suppressa Societate Jesu,

40 Atque ita immensum Opus de Sanctorum omnium gestis, eadem qua inchoarant doctrinæ ac diligentiæ laude, deduxerant socii Bollandiani usque ad tomum undequinquagesimum, qui diem V, VI et VII Octobris complectebatur, et anno LXX sæculi præterlapsi editus fuerat. Sed anno 1773, suppressa Societate Jesu, non parva tenuit eruditos cura, ne, ruente ipso Instituto, corrueret quoque Hagiographorum fraternitas. Non pauci certe erant adversarii, qui sperabant rem hagiographicam, extincto Ordine universo, plane interituram. Ast aliud statuerat Augusta Maria Teresia. Nam ejus jussu Carolus, Lotharingiæ dux et Belgio summa cum potestate præfectus, exquisierat sententiam illorum virorum, qui, prout tunc vocabantur, rebus Jesuiticis curandis præpositi erant (*g*), ut E rite cognosceret quis favor Hagiographis tribuendus videretur (*h*). Atque ii quidem litteris XXXI Januarii 1774 hanc curam imponendam censuerunt consiliario in suprema Brabantiæ curia Van den Cruyce, qui, inspectis omnibus documentis, excussisque rationibus, rem hagiographicam accuratissime examinaverat. Cæterum assentandi potius gratia et ne in principem apertius impingeret, quam ut rem serio ad deliberationem revocare posset, id consilii conventus Jesuiticus dedisse videbatur. Illi unum certum fixumque erat, nihil viris suppressæ Societatis concedendum esse, quo possent quacumque ex causa inter se, licet paucissimi, aggregari. Periret sane res hagiographica, quidquid pecuniarum, industriæ, laboris adhuc impensum erat, pessumdaretur; quantumcumque damnum esse subeundum, ut novum sodalitii elementum non constitueretur, quod procedente tempore immensum glisceret : nihil proinde sibi intentatum esse relinquendum, ut tantum malum præverteret. Igitur ante etiam quam consiliarius Van den Cruyce de re hagiographica retulisset, suam jam pronuntiarant sententiam conventitii die XXII Februarii ejusdem anni : « Opus F
» scilicet Bollandianum id non habere utilitatis,
» ut eruditionem promoveat : melius hunc scopum
» attigisse Benedictinos in Gallia, Claudium Fleury
» in sua Ecclesiæ Historia, quorum scripta in
» omnium manibus versantur : dum ingens Bol-
» landistarum Opus in publicis bibliothecis delite-
» scat, et vix a quibusdam eruditis raro intervallo
» delibetur (*i*) ».

multi suppressam volebant

41 Hujusmodi sententiæ intercessit cons. Van den Cruyce, relatione sua die XVI Martii sequentis. Qua post expositam compendiose historiam Bol-

(*a*) Acta SS. Belgii, t. I. Præf., p. X.—(*b*) Ibid., p. IX.—(*c*) Biogr. Univ. v. *Camus.*—(*d*) Camus. Voyage fait dans les Départements nouvellement réunis. t. II, p. 50. *Rappelons-nous d'abord que presque toute l'histoire de l'Europe et une partie de celle d'Orient depuis le* VIIe *siècle jusqu'au* XIIIe *est dans la vie des personnages, auxquels on donna alors le titre de Saints. Il n'y a pas d'événement de quelque importance dans l'ordre civil, auquel un abbé, un moine, un saint n'aient part. C'est donc un grand service rendu par les Jésuites connus sous le nom de Bollandistes, à ceux qui veulent écrire l'histoire, d'avoir formé l'immense collection, aujourd'hui* (1803) *de* 52 *volumes in-folio, connue sous le nom d'*Acta Sanctorum. *La même collection a eu un autre avantage : elle a donné le signal de cultiver la science qui est la principale base de l'exactitude en fait d'histoire, savoir la diplomatique, ou l'art de discerner entre les monuments écrits, chartes, diplômes, traités, etc., ceux qui sont sincères et authentiques et ceux qui n'ont pas ces qualités. Les notes et les dissertations des Bollandistes ont été des modèles de critique sur des points d'antiquité, d'histoire, de géographie. Il n'est personne parmi les savants qui ne s'intéresse à la continuation des* Acta Sanctorum. — (*e*) Act. SS., t. IV Sept. in init. — (*f*) T. IV Sept., p. 778, n. 3, et p. 781, n. 19. — (*g*) Le Comité établi pour les affaires des ci-devant Jésuites. Il était composé sous la présidence du comte de Neny, chef et président du conseil privé, des conseillers du conseil privé Leclerc et Philippe de Neny et des conseillers du conseil des finances Cornet de Grez et Limpens (Gachard, Mém. sur les Bolland. Messager des sciences et des arts, année 1835, p. 214.) — (*h*) Archiv. du Royaume.—Bolland. et Historiogr., f. 1. — (*i*) Gachard sur les Bollandistes. Mess. des sciences, an. 1835 p. 214.

landistarum,

A landistarum, concludit « magnam illorum lucu-
» brationibus inesse utilitatem, quam demonstrant
» elogia, Operi impensa a viris omni exceptione
» majoribus, utpote qui, omnimoda eruditione in-
» structi, nullo partium studio adigebantur. »
Adjungitque « nullum aliud opus tantam laudem
» Belgio peperisse » (*a*). Optimum factu itaque
crediderunt conventitii cantare palinodiam, brevi,
uti videbimus, recantandam. Censuerunt scilicet
institutum hagiographicum esse conservandum,
ita tamen ut solis viris suppressæ Societatis non
constaret; existimabant enim periculosum esse
hujusmodi hominibus concredere hanc provin-
ciam (*b*), qua uterentur, ut novas dissensiones circa
res theologicas excitarent, uti fecerunt, dum tan-
tos motus tam in Belgio quam in vicinis Galliis
occasione Bullæ *Unigenitus* cierunt (*c*). Censent
itaque accurate invcstigandum esse in illos, qui
Operi hagiographico promovendo utiles esse pos-
sent : inquiratur, inquiunt, in illorum indolem,
in modum, quoque quo sese gesserunt, exsistente
etiamnum Societate, et maxime num paratos se
exhibeant, ita se impendere labori, ut patiantur
ab aliis se dirigi. Annuit utcumque huic sententiæ
B Carolus Lotharingus, epistola data VII Aprilis ejus-
dem anni (*d*), jussitque ut idem consiliarius Van
den Cruyce porro pergeret in investigandis sensis
Hagiographorum, uti constat ex epistola ad illum
missa die XX Augusti (*e*). Itaque sæpedictus con-
siliarius novas inquisitiones instituit, quibus ini-
quitas calumniarum manifestabatur; paratos se
Bollandistæ ostendebant, ut sociarentur iis eruditis,
quos princeps designare vellet : cæterum se totos
permittere quoad rem pecuniariam providentiæ
magistratus, dummodo non solis Missarum stipen-
diis alendi essent : hoc tamen se cupere, ut illorum
libri, segregati manerent a reliqua bibliotheca
Antverpiensi, ad quos dein sine magna temporis
jactura accedere possent (*f*).

*giogra-
am,*

42 Neque hac relatione satisfactum fuit con-
ventui : imo cum in consessu habito die II Aprilis
hujus anni (*g*) pronuntiasset utilem quidem esse
operam in *Actis Sanctorum* illustrandis positam,
periculose tamen viris suppressæ Societatis scri-
ptionis provinciam demandari, dein in consessu
celebrato XXI Novembris (*h*) dicit probabile sibi
videri dictos viros velle clanculo continuare sup-
pressam Societatem, atque hinc summi periculi
C esse, ut princeps sua auctoritate firmaret insti-
tutum, quod brevi quasi aliquod sociorum coa-
gmentum merito haberi posset. Neque dissimulabat
parum spei sibi affulgere fore ut Jesuitæ vellent in
hac eruditionis palæstra informare alios, qui ad
suam olim Societatem non pertinuissent. Censet
itaque conventus uniendos esse Hagiographos In-
stituto studiorum Bruxellensi. Princeps Stahrem-
bergius, cum suprema potestate ad provincias Bel-
gicas legatus (*Ministre plénipotentiaire*), consentit
quidem cum conventu opportunum non videri, D
ut Hagiographi segregatam quamdam societatem
constituant : quoniam tamen illorum opera utilis
et proinde promovenda videatur, optimum factu
censet, si associentur Academiæ Scientiarum et
Litterarum Bruxellensi, et *Acta Sanctorum* con-
tinuent sub directione aliquot selectorum Aca-
demicorum (*i*).

*præsertim
conventus*

43 Quæ opposuerat adhuc conventus Jesuiticus,
diverticula esse, quibus viros suppressæ Societatis
repellere quærebat, vel inde liquet, quod, quoties
acceptabantur positæ a conventitiis conditiones, to-
ties novum prætenderetur incommodum. Reposuit
itaque conventus litteris datis XIX Octobris ejus-
dem anni, quidquid fiat pro prosecutione Operis
Bollandiani per viros suppressæ Societatis, impos-
sibile esse rem ita constitui, ut vel non creet
publico regimini ingentes molestias, aut in socie-
tatem quamdam secretam coalescat. Istiusmodi
enim viris, inquit, non agitur, ut *Acta Sanctorum*
continuent, aut pensionem annuam cæteris majorem
accipiant; satis enim industrii sunt, ut pecunia
regi non debeant. Sed id unum intendunt, sicut
et reliqui per universam Europam, ut sodalitium
quoddam, idemque secretum, constituant. Vel enim E
magistratus quotidie aliquid illorum voluntati con-
cedet, quod procul dubio sodalitatem fovebit; vel
resistet gnaviter, at tunc post tricas, et molestis-
simas et multiplices, opus cessabit, et princeps
umbram magis, quam veritatem sectatus videbitur.
Verum, respondebit quis, aliorum directioni sube-
runt hi viri. Id quidem numquam accidet : aut
astute ipsis præsidibus dominabuntur, aut dissen-
siones, nulla arte sopiendas, excitabunt. Tales etiam
non sunt, ut Academiæ accenseri possint, in qua
præter eruditionem, requiritur indoles commoda
et agendi modus decorus. Atque hinc deducit
conventus nullum ex iis viris in album Academi-
corum esse inferendum, nisi quis cuperet, ut cœtus
ille plane ad nihilum redigeretur.

*rebus jesuiti-
cis ordinandis*

44 Restat nunc, pergit porro conventus, disqui-
rendum an meritum Operis Bollandiani tantum
sit, ut enarratis incommodis prævalere debeat.
Scopus Operi quidem prætenditur, expurgare Acta
Sanctorum fabulis, ingerere rectam notitiam rei
antiquariæ; qua in palæstra, fatendum est enim,
reliquis omnibus præivere Jesuitæ : sed, ait, superа-
runt illos postmodum tum monachi Ordinis S. Bene-
dicti, tum alii plurimi. Eruditorum judicio Operis
Bollandiani alius non est scopus, quam fucatis F
ementitisque narrationibus arrogatam Curiæ Ro-
manæ potestatem sustinere, et cleri in ambiendo
honores sæculares et in aucupando divitias avi-
ditatem, spretis sacrosanctæ Religionis principiis,
colorare aut excusare. Cæterum meritissimi etiam
fuerint illorum labores, hujusmodi tamen sunt,
ut nihil conferant ad universi populi doctrinam.
Impendatur magis reipublicæ pecunia in juventute

(*a*) Archiv.—Boll., t. I. f. 32 et seqq. *Il faut convenir que c'est de tous ceux qui ont paru dans ce pays, celui qui a fait le plus d'honneur à la nation.*—(*b*) Ibid., f. 36.—(*c*) Occasione hujus Bullæ motus excitatos fuisse, et quidem majores in Galliis, quam in Belgio nostro, nemo est qui diffiteatur. Sed turbarum auctores fuerunt illi, qui contumaces in legitimum et solemne Ecclesiæ judicium, maluerunt omnia sus deque vertere, quam debitam obedientiam præstare. Cum episcopis tum in Gallia tum in Belgio allaborasse viros Societatis in confesso est : quis vitio vertet militi sequenti ducem? Quid egerint Episcopi nostri circa Bullam *Unigenitus* vide in Synodico Belgico, t. II, p. 5 et 511. Quoad Gallos, consule : *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique pendant le* XVIIIe *siècle*, passim. Nihil dicendum puto de controversia cum Carmelitis, quam Hagiographis objicit conventus; quæstio istic tractabatur historica plane, et a theologicis disciplinis omnino aliena.—(*d*) Ibid., f. 40.—(*e*) Ibid., f. 44.—(*f*) Ibid., f. 48.—(*g*) Ibid., f. 36.—(*h*) Ibid., f. 52.—(*i*) Lettre de Crumpipen à la commission, Brux. 25 Septemb. 1775. Ibid, f. 72.

Quæ hic et alibi dicuntur de Hagiographis, intelligenda quoque sunt de *Historiographis*, qui *Acta Sanctorum Belgii selecta*, et alia multa ad patriam historiam illustrandam prelo parabant. Ad id operis concinnandum designati erant *Josephus Ghesquiere*, *Donatianus Dujardin*, *Philippus Cornet* et *Franciscus Lenssens*. Septeni igitur (annumeratis tribus Hagiographis *Cornelio de Bie*, *Jacobo de Bue* et *Ignatio Hubens*) Academiæ adjungendi fuissent : ne autem tanto numero accresceret societas litteraria, consultum visum fuit, ut initio unus vel alter solum admitteretur. Alio tamen modo rem narrat Arm. Camus (Voy. t. II, p. 54), qui didicerat e Georg. Gerard, Academico Bruxellensi, (vide ejus biographiam. *Supplém. à la Biogr. Univ.*), Academiæ consilium fuisse, ut adgregatis Hagiographis Academiæ, suo nomine *Acta Sanctorum* continuaret : solus assensit Joseph. Ghesquiere, reliqui maluerunt sejuncti ab omni collegio ad lucubrationes suas incumbere : viceruntque sub patrocinio episcopi Neostadiensis in Austria, qui securos eos fecit *Acta Sanctorum*, eo quo cœperant modo, esse porro promovenda.

rite

A rite instituenda : et si quidem continuare velint Acta Bollandistæ, adeant publicam bibliothecam, atque istic se suo periculo, sumptibus suis scriptioni impendant.

præpositus 45 Quem præ manibus habemus tractatum, non patitur ut multis gravissimas accusationes refellamus. Refutarunt ipsi Bollandistæ magna ex parte, cum ultro se obtulerint, ut conviverent in aliquo monasterio, cujus incolas selectos informarent ad rem hagiographicam prosequendum : uti reipsa fecerunt et in monasterio Caudenbergensi Bruxellis, et in abbatia Tongerloensi, uti infra monstrabitur. Ruebat hoc ipso vanum terriculum sodalitii cujusdam secreti, quod reipublicæ minax impenderet. Non immorabimur judicio, quod de *Actis Sanctorum* tulerunt conventitii; protulerunt illud, ut ipsi ajunt, ex ore eruditorum; tale certe est, ut graviores judices tum antiqui, tum hodierni illud reprobaverint. Cæterum sibi ipsi contradicebant conventitii, qui in consessu celebrato die II Aprilis anni 1774 censuerant utrumque institutum Hagio- et Historiographorum esse conservandum, supra n. 42.

sed obstitit 46 Præsenserant quodammodo Bollandistæ quod
B illorum capiti imminebat malum. Nam adhuc tranquilli in Domo Professa Antverpiensi degebant, consuetis studiis vacantes, cum indicitur omnibus incolis Domum, in scholam militarem mutandam, esse deserendam in diem X Junii 1775. A quo mandato, cum non exciperentur Hagiographi, suspicati sunt mentem esse principis, ut deinceps ab opere cessarent suo. Quam suspicionem etiam manifestam fecerunt conventui, litteris datis die VI ejusdem mensis et anni, exquirentes, ut tandem liquido voluntas gubernantium sibi innotesceret. Nihil tum quidem responsum fuit, unde non paucos occupavit timor, ut Operi continuatio porro daretur. Sed anno 1776 circa finem vergente scripsit princeps Kaunitz Rietberg, cancellarius status, ad Georgium Adamum principem Stahremberg (*a*), Augustam velle omnino, ut Opus hagiographicum per Bollandistas antiquos continuetur, et id quidem quin ullo modo subsint clientelari obsequio Academiæ Bruxellensis, aut eidem tradatur dos centum octoginta millium florenorum Brabanticorum (fr. 362,530-60), quæ pecunia olim Hagio- et Historiographis competebat. Ut vero occurratur incommodis, quæ ex constitutione rei
C Bollandianæ manare possent, proponat aliquis e Bollandistis, vir fidelis et prudens, modum, quo opus ad finem aptissime conduci possit.

Imperatrix Maria Teresia 47 Utile quoque judicabat imperatrix, ut Hagiographi incolerent aliquam abbatiam, in qua sibi operis successores possent informare, quam non solum indemnem servandam, sed donis etiam augendam esse statuebat. Hinc agendum ducebat cum præpositis hujusmodi monasteriorum, in consultationem prius, siita res ferebat, adhibitis Bollandistis, ut exquireretur ex ipsis quodnam sibi domicilium præ cæteris præferrent. Hagiographicum institutum id etiam commodi monasterio eligendo sperabatur allaturum, ut juniores monachi ad studia litterarum capessenda magis semper magisque excitarentur; quo etiam conduceret spes præmiorum Bollandistis eorumque successoribus impendendorum : lucubrationes, antequam prelo traderentur, esse censuræ ordinariæ sub- D
jiciendas, hinc occursum iri malis, quæ imminere dicebantur ex omnimoda solutione a jugo academico.

jussitque ut monasterium 48 Regiæ voluntati tam potenter manifestatæ deinceps obsistere ausi non sunt adversarii. Unde comes de Neny, præses conventus, monitus a cancellario Crumpipen (*b*) seriam esse voluntatem Augustæ, respondit, repetitis quibusdam querelis, aptissimos operis continuationi videri, excluso Josepho Ghesquiere, inquietæ, ajebat, indolis et mordacis linguæ viro, Cornelium de Bie, Jacobum de Bue et Ignatium Hubens (*c*). Mentem regiam notam fecerat princeps Stahremberg fiscali Brabantiæ Cuylen : simul mandans, ut cum Bollandistis ageret de seligenda aliqua abbatia, in qua ad laborem impendere sese, et socios pro futuro educare sibi possent. Respondit fiscalis Cuylen, Hagiographos nullum quidem sibi domicilium in specie designare voluisse : id unum tamen insinuasse opportunum videri ut locus eligendus esset intra aut juxta urbem, in qua typographia constituenda esset : dein ut rem domesticam separatam haberent a communitate religiosorum, quorum domum incolerent. Unde concludit non aptiorem E
facile locum inveniendum esse, quam abbatiam Caudenbergensem, atque consultum esse, ut prælatus petat id a principe (*d*).

Caudenbergensæ 49 Itaque Ægidius Josephus Warnots, qui tunc præerat monasterio Caudenbergensi Canonicorum Regularium S. Augustini, obtulit litteris, mense Novembris anni 1777 datis (*e*), domum suam, quam aptissimam judicabat recipiendis Bollandistis; erat enim in ipsa urbe Bruxellensi saluberrimo loco sita, unde commodæ ambulationes tam in hortum urbanum, quam in agros suburbanos patebant : ampla quoque aderant ædificia, quæ levi sumptu usibus Bollandistarum accommodari poterant : tandem vitæ genus moderatum, et vicina publica bibliotheca et academia domum hanc optime commendabant. Gratum imperatrici fuisse promptum obsequendi studium ab abbate Caudenbergensi exhibitum, significavit princeps Stahremberg, litteris XIV Aprilis 1778 (*f*), placere quoque, uti istic sedem suam constituerent Hagiographi, pro ædibus vero instaurandis concedi bis mille florenos (fr. 3,628-10) et exemplar integrum *Actorum*. Vult tandem Stahrembergius, ut abbas etiam atque etiam consideret leges, sub quibus F
res hagiographica committitur monasterio Caudenbergensi.

sub certis legibus 50 Hæ autem sunt tenoris sequentis : (*g*) 1° Musæum Bollandianum transfertur in abbatiam Caudenbergensem, atque istic *Acta Sanctorum* prosequentur presbyteri suppressæ Societatis Jesu, Cornelius de Bie, Jacobus de Bue et Ignatius Hubens : qui dein cum abbate pro tempore exsistente convenient de assumendis sociis, laborum futuris successoribus. 2° Singulis Hagiographis assignatur præter habitationem et victum gratuitum annua pensio octingentorum florenorum (1,451-24), quæ etiam porro præbebitur, si absque eorum culpa ab opere cessandum illis fuerit. 3° Ordinatur habitatio; providetur locus bibliothecæ, conclavibus communibus et singulorum cubiculis. 4° Ut monasterium indemne servetur in commodandis suis

(*a*) Archiv. du Royaum. Liasse 3053. Lettre du Pr. Kaunitz au Pr. de Stahremb., du 11 Décemb. 1776. — (*b*) Archiv. du Roy. — Bolland. et Historiogr., f. 80. Lettre du 30 Juillet 1777. — (*c*) Ibid., f. 84. Lettre du 2 Août 1777. — (*d*) Ibid., f. 92. — (*e*) Ibid., f. 90. Movit, ut quidam opinantur, abbatem spes, ut ope pecuniæ pro Hagiographia ex ærario publico pendendæ, paulatim dissolveretur æs alienum quo monasterium gravabatur : anno 1783 eo excreverat, ut multa bona immobilia in monasterium fœminarum Cisterciense Cameræ, juxta Bruxellas, transcribenda fuerint ad extinguendum nomen centum quinquaginta millium florenorum Cambialium (fr. 317,460-32) contractum, ut constat e decreto amortisationis Josephi II Imperatoris dato 28 Julii 1783. (Archiv. Monast. *Ter Cameren*). — (*f*) Boll., f. 96. — (*g*) Ibid., f. 98.

A ædibus, assignantur eidem mille floreni annui (fr. 1814-5). 5° Officina librorum venalis committitur administranda monasterio Caudenbergensi. 6° In lucrum cedent monasterio quidquid librorum vendetur, ea tamen lege ut in se deinceps sumat sumptus typographicos, atque rationes accepti et expensi annis singulis probandas exhibeat commissario a principe designando. 7° Quod, deductis prius expensis omnibus, lucrum ex voluminibus imposterum edendis proveniet, in duas partes dividetur, quarum altera monasterio, altera Bollandistis ex æquo dispertienda cedet : quæ porro partitio continuabitur, finito etiam opere, nisi tunc ex condicto malint Hagiographi suum jus cedere monasterio. 8° Ne Hagiographi molesta cura rei domesticæ graventur, præbet eisdem monasterium victum quotidianum, ratione ducentorum floren. (fr. 362-81) pro singulis annuatim ex ærario publico solvendorum. Quem vero habuerint famulum, aletur cum famulitio monasterii, cui solventur annuatim centum floreni (fr. 181-40). 9° Præbebit monasterium gratuito Bollandistis vinum, ornamenta ac necessaria celebrando SS. Missæ Sacrificio. 10° Canonici qui imposterum associabuntur
B Hagiographis, utentur mensa communitatis : sed nihilominus præbebitur eisdem pensio florenorum quadringentorum quadraginta (fr. 798-18). 11° Hagiographorum Bibliotheca constituetur in illorum contubernio; libri vero, qui istic collocari non poterunt, aut necessarii non videbuntur, bibliothecæ regiæ cedent. Conficietur autem duplex inventarium tum librorum et manuscriptorum, quæ in bibliothecam regiam inferentur, tum eorum qui Bollandistis relinquentur; atque horum quidem damnum præstabunt. 12° Quamprimum Bollandistæ incolere cœperint monasterium, consultationem cum illis habebunt abbas et alius religiosus per ipsum designandus, in qua, præside commissario regio, ordinabitur quidquid ad promovendum opus pertinet. 13° Rationes Hagiographorum separatæ erunt a rebus historiographis. 14° Pensiones ex ærario publico solvendæ, rationesque accepti et expensi discutientur et probabuntur a commissario regio. (Art. 15, 16, 17, 18, 19 pertinent ad historiographos, et proin hic recensendi non sunt). 20° Ut exsecutio voluntatis regiæ circa celerem Actorum confectionem magis urgeatur, præfinient Bollandistæ statuta tempora,
C quibus quodque volumen in publicum prodibit.

incolerent. 51 Die igitur XIV Aprilis (*a*) communicavit supradictam ordinationem princeps Stahrembergius fiscali supremæ curiæ Brabantiæ Cuylen, præscribens, ut porro Hagiographi de Bie, de Bue, Hubens, et Historiographus Ghesquiere agerent cum abbate Caudenbergensi circa diem, qua incolere inciperent ædes sibi paratas. Eodem etiam mense currente, tres hagiographi cum historiographo sedem suam occuparunt (*b*). Abbas vero Caudenbergensis, litteris datis XIII Maji ad principem Stahrembergium (*c*) gratias agit pro exhibita suo monasterio regia benevolentia, promittitque nihil intentatum se relicturum, ut res e voto principis prosperetur; maxime quum confidat diem illum beatum illuxisse, quo monasterii Caudenbergensis nomen in fastos orbis litterati inferendum sit. Subnectit paraturum se locum aptum in quo res libraria universa commode constitui possit.

52 Commissarius regius pro re hagiographica a Carolo Lotharingo constitutus fuerat die XXII Junii anni 1778 consiliarius status et privati consilii de Kulberg (*d*). Quamvis autem, uti diximus, mense Aprili monasterium Caudenbergense incolere cœpissent Bollandistæ, mense tamen Julio aptatus adhuc non erat locus bibliothecæ, quin imo libri ad scriptionem necessarii tradi non poterant ante reditum auditoris Cameræ rationum, Gerard, cui obtigerat cura omnium bibliothecarum suppressæ Societatis Jesu : hic autem non ante tres menses rediturus sperabatur. Conficiendum dein erat inventarium duplex librorum qui Hagiographis commodabantur juxta art. 11 ordinationis citatæ. Hinc impedimentum multiplex scriptionis labori injiciebatur (*e*). Ut moras tetricas abrumperet princeps de Stahremberg, jussit Bruxellas advocari auditorem Gerard, qui donec fieret definita librorum divisio, illos certe Bollandistis impertiret, quorum præsens esset necessitas ad opus continuandum; reliqui vero in publicam bibliothecam inferrentur, e qua tamen, dato chirographo, extrahi pro opportunitate poterant (*f*). *Constitutis dein quæ ad* D

53 Timuerant Hagiographi ne libri et manuscripta tumultuario in cistas projecta, quando Domus Professa Antverpiensis juvenibus, in arte militari erudiendis, transcripta fuerat, multum detrimenti accepissent, sive ob documenta deperdita, sive ob eorumdem confusionem; unde ingratus novos incolas tenuisset labor, si multiplicem confusamque chartarum farraginem suis scriniis ordinatim reponi oportuisset. Ast licet cito, bene tamen et ordinate omnia inventa sunt, nihil deperierat, nihil magnopere intricatum fuerat (*g*) : si quod in libris detrimentum accepit Hagiographia, id totum, ut certis testimoniis constat, furtivis detractionibus ministrorum inferioris subsellii imputandum fuit. *bibliothecam* E

54 In ordinatione supra recitata n. 50, nihil statutum fuerat a principe circa censuram in *Acta Sanctorum* exercendam. Duplex nempe olim erat : altera Ordinis, Episcopi altera : nam civilem numquam subierant Bollandistæ. Censuram regularem obibant ordinarie ipsi Hagiographi, ita ut alter alterius scripta examinaret, et si quid minus prudens prolatum fuerat, per majora suffragia expungendum, immutandumve indicabatur. Quare, postquam aliquis Vitam Sancti absolvisset, per quaterniones octo paginis constantes, prelo illam dabat, quæ correcta dein a typothetarum mendis, communicabatur reliquis sociis inspicienda et corrigenda. Quo facto, excudebantur quaterniones ordinarie ad numerum octingentorum. Ast suppressa Societate Jesu, deficiebat censura regularis : unde providendum erat, ut sua nihilominus scriptionibus staret auctoritas. Jam anno 1776 ad finem vergente (*h*) rescripserat princeps Kaunitz ad Stahrembergium, non videri opportunum, ut aliud quidpiam agerent censores regii, quam examinare, an nihil in libro occurreret contra fidem aut bonos mores. *censuram* F

55 Id censuræ genus non placebat quibusdam academicis, qui dolebant hac ratione eximi Hagiographos ab eorum tutela. Unde factum est, ut currente anno 1778 incertus adhuc hæreret princeps Stahremberg, quid de censura, quoniam deerant superiores regulares, statuendum esset (*i*). Suggesit proinde commissarius de Kulberg, ut censores constituerentur socii Academiæ Bruxellensis Nelis, *civilem*

(*a*) Archiv. du Royaum. Bolland. et Historiogr. f. 108. — (*b*) Gachard sur les Boll. Mess. des sciences et des arts, 1835, p. 222. — (*c*) Arch. du Roy. ut supra f. 116. — (*d*) Ibid., f. 144. — (*e*) Ibid., f. 154. Lettre du cons. d'État de Kulberg au prince de Stahremberg du 7 Juillet 1778. — (*f*) Ibid., f. 168. Lettre du Pr. de Stahremb. au cons. de Kulberg, 20 Août 1778. — (*g*) Ibid. et f. 199. Lettre du cons. de Kulberg au Pr. de Stahremb., 5 Nov. 1778. — (*h*) Archiv. Liasse 3033. Lettre du 11 Déc. 1776. — (*i*) Archiv. Boll., t. I, fol. 168. Lettre du Pr. de Stahremb. au cons. de Kulberg, 20 Août 1778.

A Needham et Mann; ita tamen, ut qui e tribus designaretur censor ad aliquod volumen aut ejus partem dijudicandum, esset maneretque ignotus Hagiographis : traderetur itaque, quod recensendum erat opus, commissario, qui designato censori communicaret (*a*). Sed istud consilium principi Stahrembergio probatum non fuit : nam litteris XX Aprilis 1779 ad commissarium de Kulberg datis (*b*), dicit mentem Augustæ non fuisse, ut vel minime impediretur libertas Hagiographorum in dicenda sua sententia circa quælibet facta historica, nec quidpiam ita constituendum esse, ut putarentur Bollandistæ alienum magis, quam suum proferre judicium, quo in casu regimini reipublicæ adscriberent homines, quidquid diceretur : ut tamen et sua penes principem maneret auctoritas, remittendos esse Hagiographos ad censores ordinarios, qui pro more per procuratorem Brabantiæ generalem erant designandi, et simul monendi, ut alacres sese operi examinando præstarent, ne voluminum editio nimium procrastinaretur. Atque ita factum est, ut sequentibus tribus voluminibus videantur præfixæ approbationes censorum regiorum, *P. Reuss, P. J. N. De Lannoy* et *P. S. De Neck*.

B *et rem typographicam* 56 Regiæ typographiæ attributa fuerant prela Hagiographorum, ea tamen lege, ut eisdem uti possent et deberent, modo indemnis servaretur fiscus (*c*). Mens Augustæ certe fuerat favere operi Bollandiano : nihilominus brevi patuit, iniquioribus conditionibus usuros nostros, si typos regios adhiberent. Nam quaternio (octonæ paginæ) stabat in regia officina flor. Brab. 22-14, (circiter fr. 41-18) : typographus Bruxellensis Flon easdem paginas offerebat pretio fl. 14. (circiter fr. 25-40) (*d*) : opportunum itaque videbatur, ut liberum relinqueretur Bollandistis, quocum vellent typographo æquis conditionibus pacisci; neque id in detrimentum regiæ officinæ cedebat, quippe quæ insueta majoris molis voluminibus edendis, multas procul dubio molestias sibi creasset. Annuit consilio princeps de Stahremberg, rescripsitque, finita editione voluminis, quod tunc quidem sub prelo regio sudabat, liberum fore Hagiographis quem vellent, sibi typographum deligerent (*e*).

pertinebant; 57 Ast aliter, quam sperabatur, res successit cum librario Flon : nam calculo inito, repertum fuit nihil emolumenti e mutatione officinæ accedere. Unde censuerunt Hagiographi insistendum

C esse apud principem, ut suam sibi typographiam instaurare liceret; litterarum formas se jam habere, facile prela, in officinam regiam translata, posse redimi : unde quoque id enascebatur commodi, ut sex mensium compendium in excudendis voluminibus fieret. Quæ vero obstabat patria consuetudo, qua cavebatur ne ullus, in censum typographorum non relatus, artem suam Bruxellis exerceret, facile discuti poterat ex eo, quod institutionibus regiis, qualis erat Hagiographia, fraudi esse non poterant hujusmodi statuta civitatum peculiaria. Cæterum spondebant Bollandistæ scriptoque contestabantur se nihil præter *Acta Sanctorum* edituros (*f*). Alienus non erat Stahrembergius ab annuendo justæ petitioni, eo tamen pacto, ut tum regius commissarius de Kulberg, tum Caudenbergensis abbas cautiones facerent servandi promissi (*g*). Verum- D tamen nihil actum præterea est : nam volumen Octobris quintum anno 1786 prodiit iisdem typis *Cæsareo-regiis*, quibus præcedens editum fuerat : neque alicubi reperire causam potuimus, cur res in medio steterit.

prodit quartus tomus Octobris. 58 Interea anno 1780 prodierat in lucem quartum volumen Octobris, quinquagesimum primum totius Operis et eodem eruditorum plausu, quam reliqua exceptum fuerat. Volumini adlaborarant Constantinus Suyskenus, ante suppressionem Societatis Jesu anno 1771 defunctus, Cornelius Byeus, Jacobus Bueus, Josephus Ghesquierus et Ignatius Hubenus. Interea tamen Josephus Ghesquiere deputatus fuerat ad Analecta Belgica colligenda et edenda. Ignatius vero Hubens in ipso flore ætatis immature ereptus fuit XVIII Julii 1782. Itaque duo supererant quinquagenario majores : et Byei quidem ita affecta erat valetudo, ut nihil esset quod non timeretur : hinc omne laboris pondus incumbebat in Jac. Bueum, virum gnavum doctumque, sed qui tamen diu solus tanto oneri ferendo non erat (*h*). Adjuncti quidem fuerant Hagiographis duo juniores canonici e monasterio Caudenbergensi, Franc. Jos. Reynders et Joan. Bapt. Fonson, E qui adjutores operis communi consilio electi fuerant (*i*). Sed Franc. Reynders, qui rei œconomicæ præfectus adhuc fuerat (*Provisorem* vocant) actuosæ vitæ nimis insueverat, quam ut ad otium, quale litteræ requirunt, traduci potuerit (*k*). Joan. Bapt. Fonson, annos viginti duos natus, magnas de se excitabat quidem spes; sed quæ non nisi longioris temporis intercapedine in rem prodituræ erant : consultum itaque videbatur, ut continuationi Operis Bollandiani tempestive provideretur.

Defuncto Hubeno succedit Berthodus. 59 Opportune offerebat sese, uti opinabatur commissarius regius de Kulberg, D. Anselmus (*l*) Berthod, O. S. B. e Congregatione SS. Vitoni et Hidulphi in Gallia. Inter hujus laudes referebatur, quod præfectus bibliothecæ S. Vincentii, Vesuntione, opuscula non contemnendæ eruditionis edidisset, quod auctor novi Breviarii suæ Congregationis spem faceret industriæ in Actis Sanctorum concinnandis, quod archivum archiepiscopale Vesuntinum, abundans imprimis documentis ad sæculo XIII, XIV, XV spectantibus, quam ordinatissime disposuisset : et his omnibus addebatur, illum, jam magnum priorem monasterii Luxoviensis, facilem sibi viam sternere posse ad supremam suæ F Congregationis præfecturam, quas tamen spes omnes facile abrumperet, ut vitæ laboriosæ ac solitariæ impendere se posset (*m*). Verum plus spei quam rei præstitit D. Anselmus Berthod : nam licet die IX mensis Octobris anni 1784 se adjunxerit sociis Hagiographis (*n*), ejus tamen nomen nuspiam appareret in quinto volumine Octobris anno 1786 edito, sive quia partiti jam laboris nihil reliquum fieret novo advenæ, sive quod biennium impendendum fuerit, ut inusitato lucubrationis generi ingenium accommodaret suum. In sexto volumine Octobris, sex omnino Vitas Sanctorum illustravit D. Anselmus, quæ, si S. Pantalum Ep. M. qui socius Virginibus Ursulanis ferebatur, excipias, non magnam eruditionis copiam requirebant.

(*a*) Archiv. Boll., t. I, f. 177. Lettre du cons. de Kulberg au Prince de Stahremb., 29 Sept. 1778. — (*b*) Ibid., f. 205. — (*c*) Archiv. du Roy. Liasse 3053. Lettre du 11 Décemb. 1776. — (*d*) Archiv. du Roy. Bollandistes, t. II, f. 20. Lettre du cons. de Kulberg au Pr. de Stahremb. Imo typographus Nivellensis Plon paratum se ostenderat, ut prela sua Bruxellas transferret, atque istic quaterniones singulos excuderet pretio fl. 11-16 (circa fr. 21-41). — (*e*) Ibid., f. 35. Lettre du Pr. de Stahremb. au cons. de Kulberg, 17 Junii 1780. — (*f*) Ibid., f. 55. Lettre du cons. de Kulb. au Pr. de Stahr., 2 Maji 1781. — (*g*) Ibid., f. 61. Lettre du Pr. de Stahr. au cons. de Kulb., 3 Maji 1781. — (*h*) Ibid., f. 115. Lettre du cons. de Kulb. au comte de Belgioioso, ministre plénipotentiaire, Octob. 1783. — (*i*) T. I, f. 154. Lettre de Kulb. au Pr. de Stahremb, 7 Jul. 1778. — (*k*) T. II, f. 20. Lettre de Kulb. au Pr. de Stahr., 3 Mai 1780. — (*l*) Perperam in epistola Kulbergii prænomen *Francisci* eidem tribuitur, cum tom. VI, frontispicium illum *Anselmum* appellet. — (*m*) T. II, f. 115. Lettre de Kulb. au comte de Belgioioso, Octob. 1783. — (*n*) Ibid., f. 140 et 154.

Josephus II operi Bollandiano

60 Interea Mariæ Teresiæ imperatrici, de re Bollandiana optime meritæ, hæres successerat filius
A Josephus II. Hic jam ab ipso regni exordio varias tum in Ecclesia tum in Civitate moliebatur immutationes, quæ satis præsagiebant eumdem favorem qui olim rei Hagiographicæ non esse impendendum. Hinc incepere multiplices creari molestiæ, quarum, ut sperabatur, pertæsi socii commissam provinciam sponte sua desererent : unde id quoque emergebat emolumenti, ut, quod invidiosum esse videbatur in operis interruptione, id totum in ipsos Hagiographos refunderetur. Initio itaque exagitabatur scriptorum tarditas, quasi unice intenderent nectendis moris, finem totius operis prorogare in longius tempus, et istiusmodi artibus pactas a principe pecunias sine termino percipere (*a*). Facile certe fuisset hujusmodi accusationi respondere, nihil enim lucri accrescebat Hagiographis e prorogatione operis, quum statutum fuisset, ut, absoluto quoque opere, ad vitæ tempus fruerentur assignata pensione : imo insulsum plane videbatur finiendi operis et laudem et lucrum relinquere hominibus adventitiis et incognitis, quæ duo, uti dicebatur, nullo negotio sibi præripere potuissent antiquiores
B Hagiographi.

molestias

61 Quæ tamen facile poterat discuti, suspicio altiores paulatim radices egit, ut imperator dein non solum tarditatem Hagiographorum acerbius incusaverit, sed conceptis etiam verbis jusserit, ut annis singulis singula volumina ederentur, atque intra decennium universum opus completionem reciperet suam (*b*). Hisce mandatis reposuerunt Hagiographi excusandam esse tarditatem, si nihil a quadriennio publici juris fecerint, tum ob sociorum paucitatem et affectam valetudinem, tum maxime ob translatam, suppressa Societate Jesu, bibliothecam, in qua ordinanda anno integro toti distenti fuerant. Cæterum allaborantibus quaternis sociis semper necessarium fuit triennium, ut tomum aliquem prelo pararent, timendumque esse ne e deproperato labore decresceret fama, quam *Acta Sanctorum* per totam Europam obtinuerant. Nihilominus ut Cæsari obsequentes sese probarent, spondebant omni biennio volumen edituros (*c*). Attamen hæc responsio calumniam non depulit, sed Cæsarei ministri porro insistebant, ut opus, quam posset maxime accelerarctur : simulque præscribebatur, ut deinceps deficienti socio Hagiographo alius non substitueretur, e quo mandato facile prævideri poterat, rem Bollandianam propere interituram (*d*). Res etiam minutiores accuratissime non raro indicant animi affectum : omittendum itaque non judicamus, quod Cæsarei ministri recusassent pro quinto volumine Octobris effigiem archiducis Francisci (postea imperatoris), causati eamdem sumptibus Hagiographorum pingendam sculpendamque esse, si quidem omne lucrum e divenditis tomis perciperent (*e*). Olim scilicet Maria Teresia suis sumptibus jusserat sculpi effigiem archiducis Maximiliani, cujus nomini volumen quar-
C tum Octobris inscriptum fuerat. Atque hinc factum D est, ut Francisci effigies inter principes Austriacos in *Actis Sanctorum* non appareat (*f*).

creat,

62 Dum acerbe incusatur Hagiographorum ignavia, novis impedimentis eorum industria irretitur. Nam decreto Cæsareo dato XXIII Maji anni 1786 supprimebatur Caudenbergensis, in qua sedem fixerant, abbatia, atque ad Bruxellense olim Societatis Jesu collegium, quod *convictus Teresianus* tunc appellabatur, transferenda indicebatur bibliotheca Bollandiana; in eaque ordinanda iterum ingratus quatuor mensium labor insumptus fuit (*g*) : et ille quidem eo ingratior, quo clarius apparebat voluntas Cæsaris, abolitionem societatis hagiographicæ non obscure molientis. Assignabatur interim in convictu Teresiano locus amplissimus, olim collegii bibliotheca, cum adjectis opportunis cubiculis, cibus illis honestus præbebatur, nihil in annua pensione minutionis patiebantur (*h*) : incedebant interea inter cineres dolosos, quoniam e multorum mentibus eradicari non poterat persuasio hoc paucorum virorum contubernium esse germen quoddam, e quo olim adolescere poterat ingens illa Societatis Jesu arbor, quam tot laboribus stirpitus evellere conati fuerant multi.

E

et tandem Societatem Hagiographicam

63 Jam anno 1783 commissarii regii rebus ecclesiæ et studiorum præfecti, conquesti sumptus in Hagiographia annuatim faciendos, opinabantur istiusmodi institutum tanta pecunia porro protegendum non esse, censebantque proponendum tandem esse modum, quo negotium Bollandianum conficeretur (*i*). Surdis profecto auribus non loquebantur commissarii : nam qui consistorio publicarum rationum præerat (*Directeur en chef de la Chambre des Comptes*) toto animo in illorum ivit sententiam : ipsi quoque videbatur impossibile, ut opus inceptum aliquando absolveretur, gravari jam ætate Cornelium de Bye et Jacob. de Bue; Joan. Bapt. Fonson aptum non censeri continuando labori; nihil aut lucri aut emolumenti ex istiusmodi opere percipi, quod stabat principi annue florenis 3725 (circ. fr. 6757-37) (*k*). Sententiæ ab uno e consiliariis positæ facile acquievit consistorium reipublicæ præpositum (*Conseil du Gouvernement*) eamque executioni mandandam esse pronuntiavit.

abolet,

64 Hanc porro opinationem hic exprimendam putamus, ut rite constet, qua tandem ex causa institutum hagiographicum ab Imperatore Josepho II abolitum fuerit. Dicebatur imprimis multum
F abesse ut *Acta Sanctorum* intra breve tempus terminanda viderentur, imo nullam spem affulgere, ut aliquando iisdem finis imponeretur : cæterum aliam utilitatem non habere opus, quam ut esset repertorium aliquod historicum, multis minutiis prægravatum, quæ viros vere eruditos parum alliciunt : mirum esse quomodo, suppressa Societate Jesu, principi tamen suasum fuerit, ut istiusmodi insulsæ faragini patrocinium impenderet suum : urgendam proin esse hujus sodalitii destructionem (*l*). Ex hoc suffragio profluxit epistola consistorii regii,

(*a*) T. II, f. 121. Lettre de Crumpipen au cons. Kulberg, 27 Janvier 1784. *Il lui paraissait* (au prince de Kaunitz) *que ces Messieurs mettaient beaucoup de lenteur dans leur travail, de manière que l'on pourrait présumer qu'ils ne cherchaient qu'à éterniser contre les intentions de Sa Majesté leur établissement et le grand profit qu'ils en retirent.* — (*b* Ibid., f. 133. Lettre du Pr. de Kaunitz. Vienne 14 Avril 1784 et f. 136. Lettre de Crumpipen au cons. de Kulberg, 27 Octob. 1784. — (*c*) Ibid., f. 142. Lettre du cons. de Kulb. au comte de Belgioioso, 18 Nov. 1784. — (*d*) Ibid., f. 151. Lettre du Pr. de Kaunitz au comte de Belgioioso. Vienne 15 Décemb. 1784.— (*e*) Ibid., f. 169. Lettre du Pr. de Kaunitz au comte de Belgioioso. Vienne 21 Mai 1785. — (*f*) Ibid. — (*g*) Act. SS. Belg., t. IV. Præf., p. v. — (*h*) Archiv. du Roy. Bolland., t. II, f. 195. — (*i*) Ibid., f. 210. Lettre de la comm. pour les affaires ecclés. et celles des études à la Chambre des comptes, 23 Août 1788. — (*k*) Ibid,, f. 212. Lettre au cons. du Gouvern., 29 Sept. 1788. Quæ inter hanc et præcedentem epistolam intercedit pecuniarum differentia, profluit ex eo, quod in priore ageretur solum de pecuniis expensis in alendis Hagiographis, dum hæc includit etiam annuas eorumdem pensiones. — (*l*) Ibid., f. 216 et 219, 11 et 16 Octob. 1788. *Cet ouvrage n'a d'autre mérite que celui d'un répertoire historique surchargé de détails énormes, qui auront toujours peu d'attraits pour de véritables savants. Il est étonnant que lors de l'abolition de l'Ordre jésuitique, on soit parvenu à intéresser le Gouvernement dans un pareil fatras, et ce qui le prouve, c'est le peu de débit que les Bollandistes ont obtenu du résultat de leurs travaux; c'est en termes de calcul, une très-mauvaise spéculation, et comme elle ne vaut pas mieux en termes de sciences, il est plus que temps d'y mettre fin.*

data

A data, ut videtur, XXIII Octobris 1788, ad judices ærarii publici, (*Chambre des Comptes*), qua decernitur a die prima proximi Novembris cessandum esse a continuatione *Actorum Sanctorum* : providendumque esse quid de librario et typographico apparatu faciendum sit (*a*). Fuerunt illo tempore non pauci, qui kalendas Nov., quibus annua Omnium Sanctorum solemnitas recurrit, assignatas ideo suspicati fuerint, ut ludibrio abolitio cumularetur.

cujus tamen hereditatem

65 Agebant porro regii ministri ut, quoniam parcimonia abolitioni prætendebatur, pretio quam optimo venderentur tum officina librorum venalium, tum ipsa bibliotheca. Hæc quidem octo millibus voluminum (*b*) constabat, quæ usui Hagiographorum destinata erant : libri plerumque hagiologici, neque proin magni pretii, suppresso Bollandiano instituto, emptorem parum allecturi sperabantur. Supererant quoque sena millia voluminum de *Actis Sanctorum,* quæ propter eamdem causam vili vendenda prævidebantur. Omnium optime rebus tum suis, tum Cæsaris consultum iri censuerunt ministri, si ipsi Bollandistæ modum quemdam venditionis proponerent : neque hi quidem fatale negotium detrectaverunt. Itaque Corn. de Bye jam
B mense Novembri currentis anni cogitarat totum institutum transferre ad monasterium S. Blasii, Ord. S. Bened. in silva Hercynia, epistolamque ad D. Martinum Gerbert abbatem delineaverat, in qua pretio cum regiis ministris discutiendo, venales offerebat officinam et bibliothecam (*c*), quin et se sociumque suum Jac. de Bue paratos dicebat, ut per unum alterumve mensem juniores quosdam monachos coram instruerent, qua ratione decessorum vestigiis insistere possent.

multi expetunt,

66 Placuit consilium regiis ministris, decretumque fuit, ut suo nomine cum Sanblasiano Abbate ageret Cornel. de Bye (*d*) : et, si quidem abbati consilium probaretur, porro decretum iri quid factu esset opportunum. Quod promiserat, præstitit quidem præfatus Hagiographus, verum nihil responsi a Sanblasianis tulit : quod silentium tribuit rumori, qui insonuerat de obitu Martini Gerbert abbatis (*e*), quamvis falso, cum vir ille, de Religione et re litteraria optime meritus diem supremum clauserit solum XIII Maji 1793 (*f*). Probabilius hanc provinciam in se suosque suscipere noluit vir doctissimus, tum quia, ut prodit in sua *Historia Nigræ Sylvæ,* minus favorabiliter de instituto So-
C cietatis Jesu sentiebat, tum maxime quia Sanblasiani monachi fidem suam publicam fecerant emittendi in lucem *Germaniam sacram,* ingens sane opus, quod historias omnium episcopatuum complecti debebat (*g*); unde illis satis fortasse temporis et virorum non suppetebat, ut Actorum continuationem in se suscipere possent.

tum extra,

67 Paratior erat ad successionem hagiographicam adeundam Congregatio ejusdem Ordinis Maurina in Galliis, uti constat ex epistola Simonis Petri Ernst, canonici Rodensis (*Rolduc*) (*h*), data XXIII Januarii anni 1789, qua notum facit non alienam esse dictam Congregationem ab emptione Bollandianæ hereditatis, dummodo æquis conditionibus veneat (*i*). Idem jam isti Benedictini Patres via, ut vulgo dicitur, diplomatica tentarant : quum enim magnus Franciæ sigillifer de Barentin mo- D
nuisset D. Chevreux, Congregationis S. Mauri Præpositum Generalem, e re Congregationis suæ fore, si *Acta Sanctorum* per suos monachos continuaret, mandatum acceperat francicus apud Belgas legatus, Eques de la Gravière, ut inquireret in tempus et leges ejusmodi venditionis : præstitit quod suarum partium erat legatus; ast comes de Trautsmandorff, summus Belgii administer, responderat, nihil prorsus obstare, quominus cum Hagiographis ageret, et, siquidem Hagiographia omnino abolenda esset, transactionem aliquam pararet : attamen non dissimulabat Belgii administer ejus se esse opinionis, continuationem, quoniam tam levi pecunia constitui poterat, esse in ipso Belgio urgendam, aut, si hoc minus Cæsari placeret, omnem supellectilem esse transferendam Vindobonam. Nihil ultra illa tempestate actum fuit (*k*).

tum intra

68 Facile crediderim huic tergiversationi ansam dedisse gliscentem tunc inter Belgas adversus Cæsarem simultatem, quæ tandem eodem anno in apertum tumultum erupit. Jam anno præcedenti Comitia Flandriæ propensa se ostenderant, ut sumptibus provincialibus *Acta Sanctorum* continuarentur, salubrique consilio unus intercesserat timor, E
ne per id genus tentaminum offensus imperator justis Provinciæ expostulationibus ægrius faceret satis (*l*). Eodem tempore et feliciori, ut eventus monstravit, successu de emptione et translatione rei Bollandianæ agebat abbatia Ordinis Præmonstratensis prædives, Tongerloa. Non repugnabant certe Hagiographi spes et fortunas suas omnes Tongerloensibus Canonicis transcribere, quippe qui scirent Jacobum Veltackerum, XXXIV abbatem novellæ tunc Societati Jesu Lovanii multa beneficia impendisse (*m*) : unde illis gratum erat, ut quod reliquum fecisset Societatis universæ naufragium, in hereditatem cederet Tongerloæ, olim beneficæ, et, quemadmodum totus Præmonstratensis Ordo, in Societatem Jesu, præsertimque in Bollandianos socios, semper liberalissimæ charitatis : quæ etiam nuper eluxit quum nobiscum communicavit quodcumque superstes remanserat in scriniis et bibliothecis suis.

Belgium :

69 Jam ineunte anno 1789 Cornelius de Bye binis litteris auditorem Charlier monuerat, varia esse monasteria, quæ rem Bollandianam sibi sumere vellent, ea tamen lege, ut per principem liceret *Acta Sanctorum* continuare (*n*). Placuit regiis F
administris conditio : auditus fuerat unus ex iis, qui rebus ecclesiasticis ordinandis Cæsareo decreto tunc præpositus erat, et quamvis ille nihil aliud invenisset in Hagiographorum operibus quam rudem indigestamque farraginem (vide supr. n. 64), quod et in præsenti relatione repetit, mira tamen conclusione censet, quoniam intra Belgium se offert aliquod monasterium paratum ad subeunda emptionis et translationis onera, præstare, ut huic universa fortuna litteraria potius, quam Congregationi Benedictinæ S. Mauri in Gallia cedat (*o*). Et hic licuit mirari divinæ Providentiæ dispositionem : si enim res Hagiographica in Galliam fuisset translata, una cum ipsis monasteriis brevi post tempore ita periisset, ut nullum dein ejus vestigium potuisset

(*a*) Archiv. du Roy. Bolland., t. II, f. 23, Octob. 1788. Lettre du Conseil du Gouvernement à la Chambre des Comptes. — (*b*) P. Namur. Hist. des bibl. publ. de la Belg., t. I. p. 112. — (*c*) Arch. t. II, f. 229, 11 Novemb. 1788. — (*d*) Ibid., f. 233, 22 Novemb. 1788. — (*e*) Feller. Journ. hist. 15 Décemb. 1787, p. 622. — (*f*) Biograph. univ. art. *Gerbert.* — (*g*) Ussermann. Germ. sacra t. I. Præf. Præter Hermanni Contracti Chronicon emendatius, prodiere consequenter, quantum innotuit, Historiæ episcopatuum Herbipolitani, Curiensis, Bambergensis et Constantiensis, t. I. — (*h*) Biogr. univ. suppl. art. *Ernst.* — (*i*) Archiv. du Roy. Bolland., t. II, f. 281. — (*k*) Gachard. Mém. sur les Bolland. Mess. des sciences et des arts. Gand 1835, p. 245. — In scriniis nostris exstant apographa illarum epistolarum, Parisiis e regia bibliotheca accepta. — (*l*) Gachard. Ibid., p. 244. — Arch. du Roy., t. II, f. 291. Lettre de la Chambre des Comptes au Conseil du Gouvern., 19 Janvier 1789. — (*m*) Sanderus Chorograph. sacr. Brab., t. I, p. 333. — (*n*) Archiv. du Roy. Bolland., t. II, f. 264 et 266. Lettres de Corn. de Bye à M. Charlier, auditeur de la Chambre des Comptes, 3 et 13 Janvier 1789. — (*o*) Ibid., f. 299, 31 Janv. 1789.

A inveniri, dum Tongerloæ saltem catenus salva fuere omnia quatenus nihil hodiedum magnopere desit, quo *Acta Sanctorum* absolvi possint.

et obtinet 70 Totius transactionis seriem optime exponit decretum cæsareum datum die XIV Maji anni 1789, quod proinde hic e gallico latinum reddimus, ut sequitur : *Josephus Dei gratia Romanorum Imperator etc. Cum ex parte dilectorum et fidelium nostrorum Reverendi Abbatis et religiosorum abbatiæ Tongerloensis in nostro ducatu Brabantiæ exhibita nobis fuisset conventio inita die* II *Maji* 1789 *inter auditorem Charlier, commissarium nostræ cameræ a rationibus, ad id a nobis legitime delegatum et religiosos Adrianum Heylen archivarium et Evermodum du Champs per prædictum abbatem vi tractatus capitularis habiti die* VIII *hujus mensis, cujus copia authentica annexa est dictæ conventioni, deputatos, intervenientibus quoque ex altera parte ex-bollandistis Cornelio de Bye, Jacobo de Buc et Joanne Baptista Fonson una cum J. J. Cattoir a nobis commisso administrationi operum Bollandianorum, qua conventione ceditur et transfertur ad dictam abbatiam institutum Bollandistarum seu opus de Vitis sanctorum, quod ad nos pertinebat ex suppressione Jesuitica,*

B *simul et institutum, dictum historiographicum, sive opus de* Analectis Belgicis, *ut dicta opera sumptibus et periculis dictæ domus abbatialis continuentur et absolvantur, quin præfata instituta possint ulli alii cedi aut transferri : omnia intelligendo juxta clausulas et conditiones contentas in actu conventionis præfatæ, cujus tenor sequitur.*

ex decreto Cæsareo 71 *Scilicet* 1° *A die, qua ratam habuerimus dictam conventionem, quæ est dies, qua dantur præsentes nostræ patentes litteræ, communitati Tongerloensi incumbit solvere pensiones vitalitias in illorum domicilio exreligiosis infra nominandis, olim auctoribus operis cui titulus* Acta Sanctorum, *scilicet annue presbytero de Bye florenos trecentos quinquaginta, presbytero de Bue, florenos trecentos quinquaginta, presbytero Fonson, florenos trecentos octoginta, presbytero Ghesquiere historiographo, qui Analectis Belgicis allaborat, florenos quingentos quindecim, presbytero Smet, socio presbyteri Ghesquiere florenos trecentos; simul florenos mille octingentos nonaginta quinque.* 2° *Pro acquirendis bibliothecis tum Bollandiana, tum illa quæ inservit compilationi* Analectorum Belgicorum, *quales sunt hodie, una*

C *cum scriniis et pluteis, quæ olim ad institutum Bollandianum et ad musæum Bellarminum pertinebant, intra terminum infra assignandum thesauro nostro regio solvetur summa duodecim millium florenorum Brabanticorum : item pro acquirendo tam massam voluminum typis jam excusorum, quam chartas, instrumenta et supellectilem typographiæ, quæ operi imprimendo inserviit, solvetur insuper infra eumdem terminum infra designandum summa octodecim millium florenorum pariter Brabanticorum : cujus media pars, novem millia florenorum, cedet thesauro regio, altera per æquas portiones trium millium florenorum, presbyteris de Bye, de Bue et Fonson, tamquam jus habentibus ad hanc medietatem massæ et typographiæ.*

abbas 72 3° *Quoniam abbas et religiosi dictæ domus Tongerloensis expensas faciant tam pro acquisitione, translatione, quam pro necessaria accommodatione ædificiorum, proindeque petant licentiam mutuam accipiendi summam sexaginta millium florenorum Brabanticorum, promiserunt commissarii se petituros, ut facultas ad id necessaria concedatur.* 4° *Vicissim abbatia promisit se usuram opera typothetæ Vanderbeken, sub conditionibus paciscendis, prout olim illo utebatur institutum Bollandistarum.* 5° *Abbatia numquam neque sub ullo prætextu poterit vendere* D *quemcumque librum typis sive manu expressum e dictis bibliothecis concessis; quod si inter hujusmodi libros aliqui sint, quem communicatum sibi cuperet gubernium, sese obligat abbatia, ad istiusmodi libros dandum, quoties requisita fuerit, cum onere, ut gubernium eosdem reddat post usum. Quoniam vero non habetur duplex catalogus librorum et manuscriptorum, illum commodiori tempore conficiet abbatia dandum gubernio; quod fidei et probitati abbatis et religiosorum committit, ut duplicatus ille catalogus contineat accurate omnes et singulos libros et manuscripta, quæ revera reperientur, quia fieri potest (quin id supponendum sit) quod unum alterumve volumen catalogo inscriptum defuturum sit, quod tamen abbatia a gubernio repetere non potest.*

Tongerloensis, 73 6° *Abbatia jus typographiæ habebit ad excudenda dicta opera, juxta eum modum, quo illud habuit suppressa abbatia Caudenbergensis, quando in eam translata sunt instituta sæpe dicta, id est : quod hæc typographia non poterit alia excudere, quam opus Bollandianum, Analecta Belgica et alia quæ ad hæc opera pertinent, in reliquis se conformabit legibus et mandatis de re typographica, libraria et censura.* 7° *Quoniam presbyter Ghesquiere, qui* E *redigit Analecta Belgica, indiget libris et manuscriptis in bibliothecis Bollandianis et Musæo Bellarmino contentis, iisdem utendi potestatem faciet abbatia, quoadusque dictum opus absolutum fuerit.* 8° *Omnes expensæ in efferendis et transferendis bibliothecis et aliis quibuscumque, quæ pertinuerunt ad instituta, quæ nunc ceduntur, incumbunt omnino abbatiæ, quemadmodum et illæ, quæ faciendæ sunt pro contractibus et apographis ad præsentem acquisitionem spectantibus.* 9° *Solutio summarum pactarum pro acquisitione rerum pertinentium ad prædicta instituta, videlicet duodecim millia florenorum pro bibliothecis et novem millia florenorum pro medietate massæ venalis et materiæ typographicæ, facienda erit intra tres menses, a die dati hujus præsentis consensus thesauro regio suæ Majestatis Bruxellis : summa vero novem millium florenorum pro altera medietate massæ et typographicæ materiæ, intra eumdem terminum solvenda erit respective antiquis Bollandistis De Bye, de Bue et Fonson, ad quos hæc medietas spectat, prout dictum est supra art.* 2, *nisi tamen aliter convenerit inter abbatiam et supradictos, si hi illud probaverint. Quidquid supellectilis ad dicta instituta spectat, transferendum erit ex* F *ædibus collegii, olim Teresiani, infra bimestre a die data harum, scilicet ante diem* XV *Julii proximam. Notum facimus, quod mature perpensis supradictis, auditoque consilio nostro regio, ratam habuimus, habemusque, et sigillo nostro secreto muniri jussimus conventionem supra relatam, volentes ut plenam et omnimodam exsecutionem sortiatur, et proinde dicti abbas et religiosi abbatiæ Tongerloensis mittantur in possessionem et usum rerum quæ ceduntur per dictam conventionem et sub conditionibus ibidem expressis : et favorabiliter inclinati ad petitionem supplicantium, jussimus litteras licentiæ sub data præsentium expediri, volumusque ut præsentes sint registratæ et recognitæ in consilio nostro regio gubernii, et exhibitæ nostræ cameræ a rationbus, ut illic pariter registrentur et recognoscantur. Quare mandamus, etc. In quorum fidem hisce præsentibus appendi jussimus sigillum nostrum majus. Datum in urbe nostra Bruxellensi die* XIV[a] *Maji, anno gratiæ* 1789 *et regnorum nostrorum, etc.*

consentiente 74 Quoniam in decreto cæsareo mentio fit consensus capitularis dati a canonicis Tongerloensibus, gratum nos facturos putamus lectori, si ipsum actum

A actum e flandrico latinum hic reddamus : monumentum collati in rem litterariam beneficii nobiscum communicavit Adm. Rev. D. Backx hodiernus superior Tongerloensis. *Hodie* VIII *Maji* 1789 *nos infrascripti Prior et religiosi Tongerloenses, capitulariter congregati, facta nobis relatione, quod Reverendissimus Dominus Prælatus noster multum inclinaretur ad procurandam in hac abbatia continuationem et absolutionem interrupti operis Bollandistarum, simul et Analectorum Belgicorum, nos, quantum in nobis est, unanimiter volentes cooperari rei tam utili religioni et scientiæ, prædictam intentionem Reverendissimi Prælati nostri laudavimus et approbavimus, prout per præsentes laudamus et approbamus : quapropter ad præfatum finem assequendum committimus eumdem Reverendissimum Prælatum, vel illos quos sibi Reverendissimus substituerit, ad tractandum et transigendum, cum iis quorum interest, de omnimoda acquisitione omnium librorum, manuscriptorum, typographici apparatus et aliarum quarumcumque rerum ap- et dependentium; atque id quidem sub pretio et conditionibus, prout melius utilitati et commodo communitatis nostræ convenire videbitur.*

B *universo* 75 *Et quoniam novimus deesse præsentem pecuniam, necessariam non solum ad coemptionem librorum et aliorum instrumentorum prædictorum eorumque translationem, sed etiam ad ædificationem conclavium necessariorum, idcirco per præsentes plenum consensum præstamus, ut post obtentam regiam licentiam, tantum pecuniæ super abbatiam mutuam, fœnore quoad fieri potest modico, accipiatur, quantum Reverendissimus vel ejus commissarii necessarium judicabunt. Ratum habentes quidquid Reverendissimus ejusve commissarii in hoc negotio facient. In cujus fidem præsens instrumentum omnes manu propria munivimus, in capitulo die mense et anno quo supra.* Sequuntur nomina capitularium : *F. Ignatius Serneels, Prior. F. Bonifacius Beerenbroek, Supprior. F. G. Vos, Camerar. F. Paulinus de Mosselaer, Bibliothecarius. F. Wilhelmus Van Boven Cellarius Conventus. F. Gabriel Van Steden, Cantor. F. F. Torfs, Provisor. F. Adrianus Heylen, Archivista. F. Carolus Schoonaerts, Cellarius Abbatiæ. F. Evermodus Du Champs, Lector. F. Ludolphus Lamal, Lector. F. Franciscus Kerckhofs. F. Hilarius Batens, Lector. F. Jacobus Smarius. F. Gilbertus Segers. F. Josephus De Kersmaekers.*

C *F. Petrus Oniaerts. F. Wilhelmus Goyarts. F. Amandus Helsen. F. Constantinus Bruynseels. F. Cyprianus Vande Goor. F. Franciscus van Elswyck. F. Mathias Stals. F. Willebrordus Peeters. F. Hieronymus Pessers. Ita attestor F. Siardus Vandyck, circator et secret. Capituli.*

capitulo : 76 Eadem die VI consensus supra laudati Godefridus Hermans, abbas Tongerloensis, tum suo nomine, tum vi facultatis a conventu datæ, sibi substituit, committit et plena potestate munit confratres suos RR. DD. Adrianum Heylen et Evermodum Du Champs, ut abbatis et conventus nomine executioni mandent, quidquid capitulariter deliberatum fuerat, promittens se ratum habiturum quodcumque fecerint, quasi ipse hoc fecisset. Similiter sub die VIII Julii anni 1789 dat plenam potestatem idem Reverendissimus abbas confratri D suo R. D. Nicolao Simens, Provisori Refugii Tongerloensis Antverpiæ, ut juxta licentiam cæsaream, mutuam accipiat summam sexaginta millium florenorum Brabanticorum, quam potest fieri, minimo fœnore. Brevi acceptam fuisse conjicere est ex eo, quod jam die XIV Augusti ejusdem anni solutum fuerit pretium principi debitum fl. 21,000 Brab. (*a*), ut constat ex apocha eodem die signata *de Walckiers* et *B*n. *Van Swieten*. Ex aliis scripturis liquet summam floren. Cambialium 51,000 (fr. 107,936-50) mutuam acceptam fuisse ad fœnus quatuor in centum.

sed post breve tempus, 77 Quamprimum venditio rei Bollandianæ sanctione cæsarea robur accepisset, statim manus ejus translationi admota fuit : nam, ut refert Adr. Heylen (*b*) supellex transferri cœpit XIX Maji continuavitque usque ad diem XX mensis sequentis. Neque propterea quies reddita est Hagiographis, in solitaria abbatia constitutis : nam, uti liquet ex rationibus redditis a laudato Nicol. Simens, die XX Februarii 1791, dati fuere floreni 9-9, canonico Mutsaerts (*c*), qui mense Decembri præcedenti fugiendo, bona quædam Bollandistarum periculo eripuerat : anno vero sequenti eodem modo con- E stat interdictam fuisse typographiam Bollandianam jussu substituti procuratoris generalis Brabantiæ (*d*). Hisce molestiis cumulum addebant turbines, qui, excusso Austriaco imperio, Belgium agitarunt et Belgii occupatio per Gallos a mense Novembri 1792 usque ad sequentem Martium. Unde, ut ait Joseph .Ghesquiere (*e*), *quod non citius quam mense Majo anni* 1794 *quinquagesimus secundus* (*f*) *Bollandiani Operis, sextusque de* Actis Sanctorum Belgii *tomus evulgati fuerint, nemo unus mirabitur, qui quas Tongerloensis abbatia ante superius biennium perpessa est calamitates, quæque utrique operi injectæ fuerunt, iniquas remoras aut oculis viderit aut ex veraci fama intellexerit.*

ingruentibus Francis, 78 Anno igitur 1794 post superatas multiplices difficultates, in lucem prodiit typis Tongerloensibus tomus sextus Octobris, quinquagesimus secundus totius operis, qui dies XII, XIII et XIV Octobris complectebatur. Quæ tunc patriæ imminebat hostilis irruptio in causa probabilius fuit, ut dies XV ejusdem mensis volumini non adderetur : nam vocabulum DIES, ad calcem paginæ 632 appositum, indicabat Hagiographorum mentem fuisse, eidem volumini inserere, quæ ad diem XV Octobris per- F tinebant. Dedicatio, volente id Hermanno abbate, inscripta fuit Pio VI, Pontifici Maximo, quin eidem propter temporum iniquitatem offerri potuerit (*g*). Non destiterunt interim scriptores gnaviter incumbere ad parandum prelo sequens volumen, cum ecce nova bellorum calamitas priores excepit complevitque calamitates. Nam mense Julio ejusdem anni Gallorum exercitus Belgium pene totum, e quo superiore anno ejecti fuerant, iterum victores occupant, atque ita operis cursus ad longa annorum spatia interceptus fuit. Siquidem die I Octobris anni sequentis conventus Francicus (*Convention nationale*) decreto publico edixerat Belgium Reipublicæ suæ esse perpetuo unitum : cujus deinde fortunas varias subiit usque ad annum XIV curren-

(*a*) Pretium decreto cæsareo statutum fuerat, summa flor. brab. 30,000; e quibus fl. 9,000 debebantur Hagiographis. — (*b*) Hist. Verhandeling over de Kempen, p. 193 not. — (*c*) Duo sunt homonymi canonici, alteri *Joannis Baptistæ*, alteri *Cœlestini* nomen erat. Rationes autem ex Archivo Tongerloensi exscriptum sic sonat : 20 February 1791. *Aen d'Eerw. Heer Mutsaert synde in December* 1790 *op de vlugt met eenig goed der Bolland., voor verschot fl.* 9-9. — (*d*) *Rekening van het jaer* 1792, 21 *January, gegeven aen d'Eerw. Heeren Siard. Van Dyck ende Cornel. Vande Goor, Bollandisten, rysgeld om sig naer Brussel te begeven, ten eynde van request gaen in te dienen tegen het sluyten der druckerye, van dag door den procureur generael substituet geschied, floren.* 49. — (*e*) Act. SS. Belg., t. VI. Præf., p. II.—(*f*) Qui hic quinquagesimus secundus tomus dicitur, hodie passim quinquagesimus tertius audit : consueverant enim Hagiographi *Propylæum Maji* extra tomorum seriem ponere. — (*g*) Quod paratum erat volumen Pio VI offerendum, felicioribus temporibus recurrentibus, ejus dignissimo successori Gregorio XVI obtulit R. adm. D. Evermodus Backx, rediviæ Tongerloæ superior.

tis

A tis sæculi. Mutata licet republicæ forma, perseveravit aliquamdiu status rei ecclesiasticæ : in hac enim regni novitate, timebantur motus civiles, si præpropere ecclesia attingeretur : consultum quoque visum est a clero regulari destructionem inchoare. Itaque die XIX Augusti 1796 (*a*) (II *Fructidor an VI*) in consessu quingentorum virorum (*Conseil des cinq cents*) Mailhe (*b*) proposuit ut bona cleri regularis fisco publico addicerentur, excusabatque ob rebellionis timorem hujusmodi proscriptionem citius effici non potuisse, nunc vero, pacato populo, rem quiete transigendam esse.

monasterium aboletur,

79 Huic spoliationi alteram, nempe cleri sæcularis confiscationem subnectere volebat Perès : esse Belgium aurifodinam amplam, fœcundam, divitem, atque ideo in ærarii publici penuria illic plenis manibus esse hauriendum. Objicitur quidem interitura juventutis educatio, sed mavult vir egregius ut hæc intereat, quam ut porro perstet status ecclesiasticus. Tandem prævaluit consilium præfati Mailhe : et abolitis omnibus regularibus Ordinibus, bona illorum immobilia et mobilia pretiosa (argentea supellex ecclesiarum, libri excusi et manuscripti, numismata et tabulæ pictæ) decreto dato
B XX Augusti fisco publico addicta fuere (*c*). Legem brevi intervallo suscepit exsecutio. Mensibus Decembri et Januario, pleraque monasteria destructa sunt : expulsi incolæ, bonaque divendita. Dies sexta Decembris, anni 1796 Tongerloensibus tum incolis tum advenis fatalis fuit : nam illa die, ut nobis retulit testis oculatus, cum mane singuli manu propria roborassent solemnem contestationem (*d*), qua profitebantur se vi armata expelli e loco, quem sponte libera elegerant ut illic Deo servirent et proximo essent adjutorio; sumpto ultimo communi prandio ad ecclesiam contulere sese, ut orantes vale plerisque æternum monasterio dicerent. Advenerat interea commissarius, uti tunc quidem vocabatur, potestatis exsecutivæ (*Commissaire du pouvoir exécutif*); qui signo dato, et cum diutius in oratione perseverarent, manu admota, omnes migrare jussit. Exeunt igitur bini et bini e templo lacrymabundi, senes quoque emeriti, valetudine et ætate graves curribus exportantur : tale erat spectaculum, ut qui circumstabant milites Galli, licet hujusmodi spoliationibus assueti, a fletu temperare non possent : confluxerant milleni pauperes, qui gemebant suos
C sibi patres, suos sibi altores eripi, jam affuturum neminem, qui afflictos solaretur, egenos pasceret, instrueret ignaros. At flocci hoc pendebant, qui Reipublicæ dominabantur; Parisiense plebiscitum adimplendum erat : perirent sane greges pauperum, aderat quo sollicitudo leniretur, spes ingentium opum diripiendarum.

ejusque bona diripiuntur,

80 Monasterium ipsum cum sumptuosissimo templo publica licitatione divenditum in manus laicas devenit. Annis dein 1810 et 1811 basilica magnificentissima, quam Ant. Sanderus (*e*) appellat *templum præcelsum, amplum, perlucidum et ad stuporem justa symmetria compositum,* solo æquatum fuit. Dolent etiamnum antiquioris artis, quæ vulgo *Gothica* dicitur, periti destructionem *hierotecæ* sa- D
cræ, *cui parem,* ait Sanderus l. c. *toto Belgio reperire non possis ea altitudine, ut licet chori fornices altissimæ sint, eas tamen fastigio suo pene attingat. Statuæ porro illi appositæ ex marmore candido spirare videantur et vitam habere. Ipsa vero domus etiam tota ex marmore, alabastro alioque pretioso lapide variis figuris ex veteri Testamento mysterium hoc magnum adumbrantibus et copioso auro perfusis instructa est. Opus continuis novem annis elaboratum fuit.* Hierotheca, uti refert Adrian. Heylen canonicus Tongerloensis (*f*) ornata erat figuris plusquam quingentis, atque ab anno 1536 ad 1548 confecta fuerat.

subductis tamen MSS

81 Eadem calamitate dispersa fuit Bibliotheca monasterii, de qua Goropius Becanus a Sandero citatus dicit, *in nullo umquam monasterio parem visam esse, sive ipsius magnitudinem, sive librorum varietatem spectes.* Hisce litterariis opibus accesserat, ut supra vidimus, supellex libraria Hagiographorum : unde nemo facile inficias ibit jactura bibliothecæ Tongerloensis ipsas litteras ingens accepisse detrimentum. Tantos vero thesauros dissipavit turbo gallicus, qui ante alia monasteria, in
E Campestri Brabantia sita, abbatiam Tongerloensem perflavit. Atque hinc etiam factum ut vix tempus suffecerit ad eripienda pauca quædam spoliantium rapacitati (*g*). Quæ vero subduci potuere, alia in latebras apud vicinos ruricolas immissa, fuere læsa, deperdita, incendiisve consumpta; alia raptim in currus conjecta et in Westphaliam asportata, non sine ingenti damno redierunt. Tandem post varios casus, quoniam nulla spes affulgere videbatur, ut interruptum opus aliquando continuaretur, statuerunt superstites Tongerloenses canonici partem librorum et manuscriptorum publice sub hasta Antverpiæ vendere. Exstat librorum catalogus anno 1825 excusus. Cesserunt dein anno 1827 regio gubernio Tongerloenses quidquid reliquum erat librorum et manuscriptorum (*h*). Et cum libri quidem Hagæ-Comitis in bibliothecam regiam illati fuissent, eodem etiam destinabantur codices manuscripti : sed obtentum tandem fuit, ut hi in bibliotheca Burgundica deponerentur. Atque ita servata fuit Belgio collectio, sine qua vix incipi potuisset continuatio operis de *Actis Sanctorum.*

Sub Gallico imperio frustra tentatur

82 Interea Belgis Galliæ subactis, rebusque utcumque in pace compositis, iterum tertioque restitutio societatis hagiographicæ tentata fuerat. Et-
F enim sub consulum triumviratu anno IX æræ neo-gallicanæ (1800—1801), præfectus provinciæ Antverpiensis (*Département des deux Nèthes*) D'Herbouville Jacobum de Bue, J. B. Fonson et Adrian. Heylen, qui in patria remanserant, hortatus erat ad labores hagiographicos instaurandos. Altero post anno (*Frimaire an XI*, Nov.-Decemb. 1802) Eruditorum collegium, quod *Institutum* vocatur, per Reipublicæ administrum rebus internis præpositum (*Ministre de l'Intérieur*) apud præfatos Bollandianos institerat, ut accingerent sese ad interruptum opus continuandum, aut, si præplacuisset, ut li-

(*a*) Moniteur 6 Fructidor an IV. — (*b*) Ille idem J. B. Mailhe die 7 Augusti 1792, volebat ut singulis religiosis qui matrimonium inirent, darentur præter pensionem ordinariam, centum franci. (Biogr. univ. suppl.) — (*c*) Moniteur 13 Fructid. an IV. — (*d*) Contestationem hanc reperimus in libello flandrico *P. Visschers presb.*, cui titulus : *Geschiedkundige inlichting over het Norbertynsch collegie te Roomen. Antv.* 1841, p. 47. *Oui, citoyens, nous cédons à la force, et nous sortons, et nous déclarons en même temps devant le ciel et la terre que ce n'est que par contrainte et par cette force, qu'on nous fait, que nous quittons ces lieux sacrés, que nous avions choisis librement pour servir Dieu toute notre vie et pourvoir au bien spirituel et corporel de notre prochain.* — *Ce que j'atteste au nom de la communauté de l'abbaye de Tongerloo, assemblée le 6 Décembre, à dix heures du matin* 1796, *A. Beke, prior Tongerl.*— (*e*) Chorogr. Brab., t. I. p. 382. — (*f*) *Hist. Verhand. over de Kempen*, p. 158. Edit. Turnh. 1837, in-8°. — (*g*) Feliciter servata fuit tabula a Leonardo Vincio picta exprimens Cœnam Dominicam, quæ erat Henrico VIII offerenda : sed in Belgio remansit, emptaque fuit ab abbate Tongerloensi ineunte anno 1545. Vid. cit. *Adr. Heylen*, p. 159. — (*h*) *Extr. des procès-verbaux de la séance du 3 Avril* 1835. *Commission roy. d'histoire. Mess. des sciences et des arts de la Belg.* Gand, an. 1835. p. 447.

A brariam copiam aliis, pacto pretio, cederent. Ast, quæcumque fuerint viris gravissimis rationes, neutram conditionem admittendam censuerunt (*a*).

hagiographiæ instauratio,

83 Demum comes de Montalivet, qui rebus imperii internis administrandis præerat, litteris datis Parisiis die xxvi Julii 1810 ad Baronem de la Tour-du-Pin, tunc Bruxellensis provinciæ (*Départ. de la Dyle*) præfectum, scribit sodales Hagiographos, suppressa Societate Jesu, primum sub patrocinio Domus Austriacæ labores suos continuasse, sed motibus civilibus Belgii et Galliæ dispersos convenisse primum Tongerloam et tandem Hallas Deiparæ (*b*) : nunc vero adhuc tres manere superstites PP. de Bue, Hallis, Fonson Bruxellis degentes et Heylen, cujus domicilium ignorabatur. Vult itaque ut præfectus accurate inquirat in ipsos Hagiographos, in collectionem librorum et manuscriptorum, quibus ad lucubrationes utebantur, indicatque Carolum Ant. de la Serna-Santander, Bibliothecæ Bruxellensis præfectum, tamquam virum maxime idoneum, ut hujusmodi notitias subministraret. Die x Augusti respondet præfectus Dyliæ, se egisse cum D. de la Serna-Santander, qui communicat, quas habet notitias : convenisse quo-

B que J. B. Fonson, qui solus Bruxellis erat, atque ex illo certiorem factum obiisse Jac. de Bue; nec alios esse superstites, quam Canonicos Tongerloenses, qui probabiliter Brabantiam Hollandicam incolebant, ubi quoque erunt, quæcumque naufragio Bollandianorum eripi potuerunt. Hæc enim retulerat die ix Augusti, vir multiplici encomio laudandus D. de la Serna, addebatque Vitam S. Teresiæ pro die xv Octobris jam prelo paratam fuisse a Jac. de Bue (*c*) : cæterum spem omnem promovendæ scriptionis deponendam esse, nisi immensa prope manuscriptorum copia, ab Henschenio præsertim et Papebrochio collectorum, detegeretur.

quam tandem anno 1838,

84 Illic stetit res, nec quidquam præterea tentatum fuit, donec, anno 1836 mense Septembri in finem vergente, rumor inter Belgas percrebuit coaluisse Parisiis societatem hagiographicam, quæ *Acta Sanctorum* Bollandiana continuaret : consilium probare dicebantur jam aliqui episcopi Galliæ multique eruditi : minister regius Guizot patrocinium impendendum labori adpromittebat (*d*). Cæterum viri eruditi rem faciliorem sibi fecerant, quam reapse erat : nam terna volumina in annos sin-

C gulos pollicebantur : opusque completum intra decennium spondebant (*e*). Nimis amplas fuisse promissiones, quam ut iisdem stare possent viri egregii, vel præcedentium Hagiographorum experientia docere debebat : hi enim biennium aut triennium ad parandum unum volumen prelo necessarium esse arbitrabantur : quanto igitur longius tempus exigendum erat, ut homines novi, hujusmodi labori insueti, quibusque vel ipsa latina scriptio forsan insolens erat, similem tomum typis ederent? Præfidentem promissionem fluxisse arbitror, ex eo, quod falso sibi persuaderent inter Bollandianas collectiones, quæ multiplices in Bibliotheca regia exstabant, inventuros materiem jam magna ex parte digestam, elaboratam, preloque maturam. Ast multum abest, ut simile quidpiam repertum fuerit, cum vel illa monumenta, quæ pro die xvi Octobris necessaria erant, plerumque deessent. D

satagentibus multis,

85 Fieri etiam potest, eosdem sperasse celeritatem operis conficiendi ex operarum numero. Quamvis in confesso sit, unius humeris tantum pondus imponi non posse, utpote quod superaret vires humanas; ut tamen sibi constet totius scriptionis series, aliqui socii adjungendi sunt, qui ejus indolem paulatim hauriant, eamque vicissim successoribus legent. Verum nemo diffitebitur Hagiographorum numerum non esse exaggerandum; siquidem multis opem conferentibus, fieri non potest, quatenus variæ et labiles sunt eruditorum opinationes, ut pax et unitas retineatur, quæ necessaria sunt, ut res hagiographica cum utilitate agatur. Quin et opportunissimum esse, ut uno omnes imbuti sint spiritu, etiam ipsi socii hagiographi Galli professi sunt, cum optare se dixerint, ut commune erigeretur contubernium, fraternitasque aliqua statueretur in Belgio, quæ continuationem Bollandianam promoveret (*f*). Sed ii ipsi facile nobiscum consentient, difficile esse, ut homines in unum coalescerent corpus, cujus præcipuum, ne dicam, unicum vinculum esset eruditio, etiam ecclesiastica.

E

admisit Societas Jesu:

86 Dum hæc ab eruditis Gallis agitantur, R. D. Petrus Franciscus Xaverius de Ram, Academiæ Catholicæ Lovanii Rector magnificus, vir de religione, patria et re litteraria multis nominibus optime meritus, eorum conatus prævertendos censuit. Data itaque die xvii Octobris epistola ad Equitem de Theux, qui tunc res Belgii internas administrabat, scribit constitutam Parisiis dici societatem hagiographicam, sibi videri hanc palmam ab alienigenis præripiendam non esse : degere adhuc in patria viros, qui hanc provinciam et susciperent in se et pares essent ferendo oneri, nullos autem aptiores habendos ad opus perficiendum, quam qui incepissent. Huic sententiæ accinebant, quotquot cupiebant hoc eruditionis opus patriæ conservatum. Una omnium vox fuit, patrium illud cœptum, cum respublica floreret, a Belgis esse complendum. Et quamvis qui tunc præerant Societati Jesu in Belgio, repugnarent in tanta hominum penuria arduum opus aggredi, proptereaque judicium Præpositi Generalis exquirere cuperent, tamen suadentibus amicis cesserunt, et confisi ratam habendam suam sententiam, consenserunt tandem, uti publicis nuntiis significaretur Societatem Jesu para- F tam esse ad viros suppeditandos, qui continuationem Operis Bollandiani aggrederentur (*g*).

brevique intervallo

87 Quamvis hæc publice denuntiata fuissent, et illo quidem diario, cujus præcipua usi fuerant opera Galli, perseverabat tamen in suo consilio societas hagiographica Parisiensis, variaque ad rem conficiendam utilia conscribi jusserat in bibliotheca regia Burgundica : unde erant jam qui timerent, ne ex ipso idem volentium concursu periculum continuationi crearetur. Neque facile erat moderatoribus Societatis Jesu, qui, currente jam anno scholastico vocabantur ex improviso ad rem arduam suscipiendam, ut bene maturatum consilium raptim proferrent. Unde factum est, ut tempus satis longum consultationibus habendis effluxerit. Quare primum die xxix Januarii 1837 Petrus

(*a*) *Camus. Voyage dans les Départ. réunis*, t. II, p. 88. Reiffenberg. Chron. de Phil. Mouskes. Introduct., p. xxix, xxx, liv et lxv. — (*b*) Male instructus Imperii administer motibus Belgii adscribit suppressionem Hagiographorum, quæ unice e voluntate Josephi II processit, uti supra n. 64, monstravimus : dein nihil umquam factum est Hallis, exiguo oppido Brabantiæ, quod opportuna subsidia ad scribendam historiam nullatenus præbere poterat. Errorem hunc ortum puto ex eo, quod Jacob. De Bue, Hagiographorum senior, Hallas ad obitum usque incoluerit. — (*c*) Multum quidem investigatum fuit in commentarium prævium ad vitam S. Teresiæ, sed vix quidpiam operæ pretium inveniri contigit; unde tela, ab alio jam perfecta, retexenda ex integro fuit. — (*d*) Vid. Diarium Brux. *L'Union*, 25 Nov. 1836. — (*e*) Ibid., 6 Décemb. 1836.— (*f*) Ibid., 11 Décemb. 1836.— (*g*) Ibid., 14 Décemb. 1836.

A Van Lil, præpositus provinciæ Belgicæ Equitem de Theux certiorem fecit constitutum esse sodalitium Bollandianum, quod constabat Joanne Baptista Boone, tunc rectore collegii S. Michaelis, Bruxellis, Josepho Van der Moere, collegii Gandensis ad S. Barbaram olim rectore, et Prospero Coppens, S. Theologiæ professore, quibus dein alii adjungerentur : Opus dicit illos prosecuturos eadem qua cœpit mente, promittitque novos continuo adlegendos esse sodales, speciali studio ad id genus eruditionis informandos : quare sperat illos qui Belgii gubernacula regunt, suo patrocinio promoturos rem litteris utilem, patriæ honorificam.

aliqui Socii 88 Die III Februarii sequentis respondit regius administer, gratissimam accidere Gubernationi continuationem Hagiographiæ Bollandianæ, et cupere sese uti explicatius ediceretur, quid opis atque subsidii exspectarent socii a republica. Sequenti die respondit præpositus provincialis, quoniam opus continuandum esset eodem modo, quo tantam famam inter Eruditos pepererat, necessarium videri, ut aliquod tempus impenderetur in studium earum disciplinarum, quæ maxime opportunæ videbantur ad novum stadium cum laude per-
B currendum; hinc lentam quamdam festinationem in hisce præsertim initiis sponderi solum posse. Cæterum petere se, ut per ministros regios permitteretur Neo-Bollandistis liber accessus ad bibliothecas publicas, et usus librorum tum typis excusorum tum manuscriptorum, qui iisdem utiles viderentur. Annuit hisce petitionibus regius administer, litteris datis XX Februarii, additque se curaturum ut infra breve spatium concederetur subsidium pecuniarium, quod deinde ad fr. 6000 per litteras XIII Maji ejusdem anni decretum fuit; et in annos singulos promissum fuerat.

ad Opus 89 Interea Galli, qui rem hagiographicam promovendam susceperant, non abjecerant omnem spem, ut in constitutam jam Bollandianam societatem cooptarentur. Itaque die XXVIII Februarii dant litteras a decem eruditis subscriptas, quibus operam suam omnem offerunt ad opus continuandum: adesse Parisiis plures e clero hujusmodi disciplinis assuetos, abundare Galliæ bibliothecas multis documentis utilissimis, eminere inter illos quosdam linguarum Orientalium cognitione. Erat certe in hisce officiis liberaliter oblatis, quo allicerentur
C Neo-Bollandiani, quibus gratissimum fuisset habere comites aut duces quos tute sectarentur. Sed obstabant plurima, quominus in unam coalescere cum aliegenis societatem possent : imprimis, qui in Belgio continuationem *Actorum* maxime et urgebant et juvabant, ægre tulissent, si per Belgas perfecta non fuisset : dein merito timebatur, ne ex ipsa operariorum multitudine turbatio nasceretur, dum operi tantum unitas deficeret, quantum accresceret celeritas. Itaque, qui tunc præerat Bollandianis, aliud respondere eximiis viris non potuit die XIX Martii, quam societatem hagiographicam hodiernam eamdem esse cum antiqua, proindeque de coagmentatione aliqua deinceps agi non posse.

inchoandum destinantur. 90 Die II Aprilis monuerat rector collegii Bruxellensis Equitem de Theux, statim post ferias paschales manum admovendam esse inchoando Operi Bollandiano, petebatque liberum fieri usum eorum præsertim manuscriptorum codicum, qui in bibliotheca Burgundica necessarii et opportuni ad scriptionem viderentur. Annuit petitioni litteris datis X Aprilis, alteraque epistola X Junii concessit, D ut, donec libri invenirentur, liceret Hagiographis mutuatitios ex Hulthemiana bibliotheca, recens ære publico coempta, accipere et in domesticis scriniis ad tempus deponere. Mense Octobri sequenti propius ad executionem Operis accinxere sese quatuor : nam Josephus Van Hecke, SS. Canonum professor, tribus supra laudatis num. 87 adjunctus fuerat. Neo-Bollandianis ante omnia conficiendi erant varii indices investigationibus necessarii : censuerunt quoque parandum esse scriptum, quo exponeretur conspectus totius operis, adjungereturque Index eorum Sanctorum, de quibus adhuc tractandum restaret, sive quia illorum festa dies inter XV Octobris et XXXI Decembris recurrit, sive, quia recenter in album Beatorum aut Sanctorum relati, ab antecessoribus laudari non potuerunt. Atque hæc sunt quæ de Historia rei Bollandianæ dicenda habuimus : superest ut paucis exponamus, quantum quidem colligere potuimus, Vitas eorum, qui post suppressionem Societatis Jesu promovendis Actis Sanctorum insudarunt.

Laudantur Hagiographi defuncti: Ignat. Hubens. 91 Primum eorum biographiam exponimus, qui olim ad Societatem Jesu pertinuerunt; transituri dein ad Hagiographos qui ex aliis Ordinibus assumpti fuerunt. Et primus quidem, quoniam se- E cundum diem annumque obitus ordinem dicendorum statuimus, occurrit Ignatius Hubens : hic Antverpiæ die XII Decembris 1737 honestis parentibus natus, Societatem Jesu die XXIX Septembris 1755 ingressus est. Peracto tyrocinio, philosophicisque disciplinis informatus, pro more Societatis litteras humaniores in collegio Gandavensi quinquennio docuit : deinde Lovanii quadriennium studiis Theologicis impendit, quibus absolutis, iterum Gandavum translatus rhetorica præcepta per annum tradidit. Anno 1771, defuncto Constantino Suyskeno die XXVIII Junii ejusdem anni, in societatem hagiographicam adlectus fuit. Quando suppressa fuit anno 1773 Societas Jesu suæ eruditionis specimen vix dare adhuc potuerat Ignatius Hubens : unde etiam in relatione circa res hagiographicas a consiliario Van den Cruyce facta, enumeratis dotibus antiquiorum Bollandistarum, de Ignatio dicitur (*a*): *quoniam breviori tempore* (triennio) *inter socios versatus fuerit, nec quidpiam adhuc typis ediderit, vix judicium de illo ferri posse; videri tamen optimæ indolis et laboris assidui*. Et vero pauca dein præ-
F stitit Ign. Hubens, sive valetudine adversa afflictus, sive aliis occupationibus disponendi scrinia et libros distractus : unde in *Monito* ad indicem Sanctorum tomi V Octobris præmisso dicitur *qualemcumque* solummodo *ad tomum quartum symbolam contulisse*. Nam in hoc volumine in tres sanctos commentatus reperitur Hubenus; breviter quidem in S. Petrum Galatam, monachum Constantinopoli, luculentius vero in S. Goswinum, abbatem Aquicinctinum in Artesia et B. Joannem Lobedavium, Ord. Min. S. Francisci in Prussia. Quintus vero tomus unicum exhibet Commentarium in SS. Eulampium et Eulampiam eorumque socios, Martyres Nicomediæ in Bithynia. Majorem certe de se spem fecerat Hubenus, si quidem ejus morte ad alterum annum proroganda fuerit tomi quinti editio (*b*). Obiit Ignatius Hubens die XVIII Julii anno 1782, annos natus XLIV, menses VII, dies VII.

Joannes Clé 92 Ampliorem scribendi materiam præbet Joannes Clé. Natus Antverpiæ die XXX Augusti anni 1722. Peractis humaniorum litterarum studiis in

(*a*) Archiv. du Roy. Bolland., t. I, f. 48, 24 Septemb. 1774. —
(*b*) Ibid., t. II, f. 115. Lettre du cons. de Kulb. au comte de Belgioioso, ministre plénipotentiaire, Octobre 1783.

urbe

A urbe patria, Duacum concessit daturus operam Philosophiæ, in florentissimo apud Patres Societatis collegio Aquicinctino. Postquam annum unum in has disciplinas impendisset, vitam religiosam cogitare cœpit. Itaque annos octodecim natus Tyrocinium nostrum Mechliniense die XXII Septembris 1740 ingressus est : peractoque consueto biennio, interruptum philosophiæ cursum repetiit et post annum absolvit Antverpiæ, unde Hallas se contulit ut haustam humaniorum litterarum notitiam perficeret atque expoliret. Quinquennio dein (Oct. 1744. — Oct. 1749) Gandavi inferiores scholas rexit : et absoluto Lovanii Theologiæ cursu quadrienni, datus est mense Octobri 1753 iis qui Philosophiæ post tyrocinium vacant, professor. Ast per unum vix mensem hoc officio fungebatur, quum propter immaturam mortem P. Urbani de Sticker (*a*), die XXV Octobris ejusdem anni defuncti, quartus requireretur scriptor ad *Acta Sanctorum* continuanda, Joannes Clé inter socios hagiographos annumeratus est. Quamvis labore difficillimo gravatus, non intermisit tamen Societatis nostræ munus maxime proprium docendi pueros rudesque doctrinam Christianam statis diebus, quod etiam
B non pauci alii Hagiographi pari assiduitate sustinuerant.

Hagiographus;

93 Septennium Cleus in Actis illustrandis impendit (Nov. 1753 — Nov. 1760). Quantum vero præstiterit, e tribus postremis tomis Septembris, quibus ejus lucubrationes continentur, videre est. In tomo sexto præter commentationes breviores in SS. Eustochium Turonensem, Miletum Trevirensem, Goericum Metensem, Arnulphum Vapincensem episcopos, Sequanum abbatem in territorio Lingonensi, Luciam de Monte in Lotharingia, qui omnes ad diem XIX Septembris pertinent, Faustam et socios Martyres, Cyzici in Hellesponto, Agapetum I Papam, die XX celebratos, Jonam Prophetam qui die XXI et Salabergam, abbatissam Lugduni in Belgica secunda, qui die XXII occurrunt, egregie illustravit Cleus Acta S. Theodori archiepiscopi Cantuariensis die XIX Septembris, in quibus ad trutinam revocanda erant dissidia inter S. Theodorum et SS. Ceddam et Wilfridum Eboracenses et Winfridum Lichfeldensem episcopos exorta, acuteque ostendit originem acerrimæ controversiæ in eo fuisse, quod Theodorus multiplicatas vellet sedes episcopales, aliis contranitentibus. Discutienda
C quoque suscepit concilia Anglica, quæ Theodorus celebravit, et chronotaxin rerum gestarum a tempore quo sanctus archiepiscopus e sede sua expulsus fuit, usque ad synodum Romanam in causa turbarum Anglicarum sub Agathone Papa celebratam. Examinat tandem quam fidem mereatur *liber pœnitentialis,* quæ sub nomine Theodori Cantuariensis in variis canonum collectionibus reperitur, atque monstrat genuinum ejus opus adhuc latere.

varia scribit

94 In diem XX Sept. celebrior incidebat controversia circa Acta SS. Eustachii, ejusque uxoris et filiorum, de quibus *ita litigant,* inquit ad diem XX Sept. num. 6 (*b*), *eruditi, utsi suffragiorum numero decidenda lis est, multo inferiores sint, qui illa propugnant, quam qui inter fabellas aniles rejecta cupiunt.* Litem certe non diremit Cleus, sed simul etiam monstravit non adeo insulsam esse Eustachianam historiam, ut omnis illi abroganda fides videretur : imo num. 33 innuit suspicionem e chronotaxi satis accurata deductam, scriptori adfuisse Acta quædam primigenia, quibus ipse lacinias fabulosas assuerit.

Die XXII Septembris quæstio non minus intricata D enodanda erat, quæ ad martyrium S. Mauritii Primicerii, Thebææque legionis spectabat, quæque varie non ab heterodoxis tantum, sed a Catholicis quoque agitata fuerat : difficultatem solvendam spoponderant Hagiographi, quorum fidem egregie liberavit Cleus. Conjectando id assecutus est, quod dein e monumentis monstravit Petrus Josephus de Rivaz, martyrium non anno Christi 286, sed 303 esse illigandum : pluribus etiam ostendit antiquissimum simul et celeberrimum horum Martyrum cultum, quo confutavit argumenta quæ Dubordæus, acatholicus minister, in contrarium attulerat. Ita demum rem gessit Cleus, ut editores operis laudati Petri Rivaz, dum lacunas quasdam in Commentario indigitant, fateantur tamen illum eruditionis et acuti ingenii laudes consecutum fuisse (*c*); quæ vero ad gloriam pothumam pertinent ab erudito Bollandiano plane fuisse exhausta (*d*).

per septennium :

95 Non minora ingenii sui argumenta dedit Cleus in tomo septimo Septembris. Quos enim de SS. Principio Suessionensi et Solenni Carnotensi episcopis, de Nilo abbate Cryptæ Ferratæ, et Epichari C. P. matrona scripsit breviores Commentarios, auctoris eruditionem vel maxime commen- E dant : sed eluxit præcipue ejus doctrinæ præstantia in illustrandis ad diem XXVI Septembris actis SS. Cypriani atque Justinæ, circa quæ non una erat inter eruditos controversia. Impugnat illic imprimis, opinationem Joannis Felli, Oxoniensis doctoris, qui intemperantem crisin in horum Martyrum historiam exercuerat; quia, ut ipse autumabat, eorum Acta, quatenus supposita, decreto Gelasii Papæ I inter apocrypha rejecta fuissent, et recentiori manu in fastos sacros fuissent relati : has aliasque difficultates vanas monstravit scriptor noster, qui simul etiam calamum stringere coactus fuit in Bailletum, cujus censuram, sibi non constantem, pronuntiat ostenditque. Octavus et postremus Septembris tomus duos solum continet Clei commentarios : S. Cyriaci abbatis in Palæstina et SS. Victoris et Ursi martyrum Solodori in Helvetia. In vita S. Cyriaci monstrat tales inter Origenistas grassari errores, *quos vix alibi,* inquit, *assertos reperias :* chronotaxin quoque multipliciter intricatam ex aliis monumentis evolvit, et Vitam a coævo Cyrillo Scythopolitano conscriptam et adhuc ineditam ipse latinitate donavit. Erudite quoque disseruit occasione Reliquiarum SS. Vic- F toris et Ursi, quorum martyrium stabilit, de initiis ecclesiæ Solodorensis, quæ hodiedum caput est Basileensis episcopatus. Atque hæc sunt quæ contulit Cleus ad perfectionem operis Bollandiani.

Provinciæ præpositus

96 Nam anno LXI, præteriti sæculi, majorum suorum jussu evocatus Lovanium, ut Scripturam Sacram Theologiæ alumnis interpretaretur, conceptam de se superiorum spem minime fefellit. Huic officio præfuit quatuor annis, quo tempore edidit egregias theses theologicas in sacra Euangelia et Acta Apostolorum. Die XXI Augusti anni 1765 datus est socius Petro Wautyer præposito provinciæ Flandro-Belgicæ : quod munus etiam sustinuit sub Engelberto Cornet, qui provinciæ gubernacula regenda susceperat die XXVIII Octobris 1769. Cum Engelbertus medio anno nondum elapso, Liræ diem supremum XIX Aprilis anni sequentis obiisset, repertus est chirographus, quo declarabatur, donec aliud Roma disponeret, præses provinciæ Joannes Cleus. Exin die IX Junii ejusdem anni eumdem

(*a*) Vide breve ejus elogium in capite tomi V Septembris. — (*b*) T. VI Septemb., p. 107. — (*c*) *Rivaz.* Eclairciss. sur le Mart. de la Lég. Thébéenne. Præf., p. XIII. — (*d*) Ibid., p. XVI.

A præpositum provincialem constituit supremus Societatis moderator. Incidit Clei administratio in tempora difficillima, in quibus nihil non tentabant adversarii, ut ruinam perniciemque universæ Societatis molirentur : perstitit vero ipse intrepidus, strenueque officio sibi imposito annos tres perfunctus est, quamvis virum sagacem non lateret ex ipsa sua præfectura, uti eventu patuit, molestias aliquando sibi enasciturus. Inter cætera porro quibus de Provincia Flandro-Belgica optime meritus est, illud imprimis a nobis recolendum venit, quod *Musæum historicum,* illustrandis Patriæ monumentis destinatum, constituerit.

Analectorum Belgicorum

97 In votis scilicet erat viris primariis plurimis, atque adeo ipsis supremis Belgii moderatoribus, ut dispersa patriæ historiæ documenta in unum colligerentur corpus, quod *Analecta Belgica* vocari placuit. Ut autem id consilii exsecutioni mandaretur, iidem summi viri censuerunt universalem hujusmodi Belgii historiam, præcipue quatenus mediam spectaret ætatem, elaborari commode non posse, nisi a scriptoribus numero pluribus, iisque in unum corpus coadunatis, oculosque conjecerunt in Patres Societatis Jesu, maximeque in Bollandianos socios,

B quibus propter scriptionis affinitatem familiarius erat id genus laborum. Actum igitur est cum Petro Wautyer, qui ab VIII Octobris 1764 ad XXVIII ejusdem mensis 1769 Provinciam administravit, sed tum quidem incassum cecidere conatus. Ast quæ obstabant impedimenta, sublata fuere, quando Joannes Cleus admotus fuit ad gubernacula. Nam post maturam ea super re deliberationem habitam, seriumque examen, statutum fuit, ut aliquot e Flandro-Belgica Societate Jesu, a præposito suo provinciali delecti, id sibi negotii assumerent, quo de Patria sua pro viribus bene mererentur, atque eruditorum desideriis facerent satis.

conceptum,

98 Itaque Joannes Cleus, præpositus provincialis, et Josephus Ghesquiere, Hagiographus, una allaborare cœperunt, atque sequentem operis historiographici ideam ministris regiis proposuere, quæ etiam ab iisdem approbata fuit. Primo nempe, ut dispersa variis in locis documenta, tum sacra tum profana, undequaque colligerent et monumenta quælibet, sorte felici inventa, suis tandem ergastulis erepta, ita producerent in lucem, ut congruenti ordine disposita sub *Analectorum Belgicorum* titulo juris fierent publici. Totum vero opus

C in tres partes dispertiendum erat, quarum prima Belgii regiones incolasque secundum varias periodos, videlicet Celticam, Romanam, Francicam, Polyarchicam, Burgundicam et Austriacam lectorum oculis repræsentatura erat. Hinc de Belgarum origine, finibus, civitatibus, pagis, idiomate, vestitu, religione, litterarum studiis, scientiis, artibus, agricultura, commerciis, aliisque hujusmodi argumentis nonnullas complecti debebat disquisitiones, quibus prisca dilucidanda erat veritas, suumque dissonis recentiorum opinionibus statuendum erat pretium. Hisce subnectenda erat chronologica epitome rerum gestarum, fabellis vulgaribus defæcata.

quorum indoles explicatur,

99 Altera pars complecti debebat *Acta Sanctorum Belgii,* seu eorum qui in Belgii regionibus aut nati erant, aut apostolicis laboribus virtutibusque heroicis, aut erectis instauratisve cœnobiis sacrisve ædibus inclaruerant, aut denique, qui illic sanctissimam animam Creatori suo reddiderant, relicta apud posteros ecclesiastica sui memoria. Pars demum tertia exhibere debebat instrumento-

rum historiæ Belgicæ inservientium non exiguam D collectionem, videlicet chronica inedita vel cæteroqui rariora; Pontificum, Regum, Principumque diplomata, Miræo non visa aut ei aliunde quam ex ipsis autographis fidisve apographis communicata; item synodorum decreta, non satis cuique obvia (*a*). Atque ea itidem omnia vel ex ipsis, cum licuisset, autographis, vel, si hæc defuissent, ex primaria editione desumpta, proditura erant. Promittebantur quoque ad singula animadversiones, quæ loca obscuriora illustrassent, explanassent voces exoticas et auctoris fidem declarassent.

promovet,

100 Istud porro opus jam anno 1771 in se susceperat Joannes Cleus et, adlaborante imprimis Josepho Ghesquiere, qui obtenta, consentientibus Superioribus, a studiis Hagiographicis missione, operam per annum solertissimam adhibuit, ut necessariam inchoando operi materiem subministraret. Res ultra quam credi potest, e voto successit, nam ab eruditis Belgis et Batavis submissi sunt manuscripti codices non pauci, librique aliquot perquam rari. Curarunt quoque Societatis moderatores, ut ad id laboris deligerentur sodales terni rerum patriarum gnari, Philippus Cornet Bruxellensis, Donatianus Dujardin Iprensis et Franciscus E Lenssens Gandavensis, qui in Domo Professa, præside Cleo, et Ghesquiero dirigente, opus meditatum aggrederentur.

et annuo subsidio

101 Haud segniter interim fuit actum de reperiendo pro tribus Historiographis sufficienti reditu, nam Domus Professa dura premebatur pauperie : nec quidquam sperare licebat, sive ab aula Bruxellensi sive a Vindobonensi. Patres quidem Bollandiani quatuor cum adjutore fratre eis adjuncto ex annua præsertim, quæ ab aula imperatoria pendebatur, munificentia pro victu et vestitu Domui professæ eleemosynæ titulo solvebant pensionem; sed tam pecuniosi non erant, ut sumptibus tanti operis sufficere possent, quin detrimentum grave suæ bibliothecæ inferrent. Donec tamen fundus Historiæ Belgicæ inveniretur, per annum integrum iisdem abunde providerunt, communicata etiam copia suorum librorum tum typo tum manu expressorum.

dotari curat.

102 Quamvis Hagiographorum liberalitate prorogata esset quærendi opportuni subsidii necessitas, recurrebat tamen eadem urgebatque superiores. Itaque alio se verterunt. Erat videlicet in Mechliniensi Tyrocinio Societatis Jesu fundatio, quam F Ven. mem. Cardinalis Bellarminus inchoandam procurarat, ad id ut quoniam Belgium Catholicum continuo inundabatur libellis, quibus impetebatur fides Catholica, essent semper præsto viri, qui eamdem ab impactis calumniis vindicarent. Bellarmini inceptum compleverant cancellarius Brabantiæ De Grysperre et Mechliniensis archiepiscopus, Humbertus de Precipiano (*b*). Quieverant tum quidem magna ex parte hujusmodi controversiæ, unde plerique censebant satis commode musæi Bellarmini reditum converti posse in annuum subsidium pro Patribus Historiographis. Quare, datis ad Procuratorem Generalem Societatis Jesu litteris, flagitatum fuit, ut, opportuna obtenta licentia, rata haberetur Mechliniensis reditus traductio. Procuratore autem tergiversante morasque nectente, de consilio Joannis Henrici de Franckenberg, Cardinalis et archiepiscopi, consentiente etiam Laurentio Ricci, Societatis Jesu Præposito Generali, supplices, uti per ipsum id liceret, oblatæ sunt

(*a*) Hæc fere ad verbum excerpsimus e *Prospectu operis quod inscribitur Analecta Belgica* excuso Antverpiæ typis J. Grangé, 1772. — (*b*) Reiffenb. Chron. de Phil. Mouskes, t. I. Introd., p. LII.

preces

preces Pontifici Clementi XIV, quibus benigne annuit.

suppressa Societat eJesu,

103 Atque hæc quidem ad initia Historiographiæ pertinent, quæ ideo apponenda hic duximus, quoniam in hisce præcipuam sibi partem vindicat Clei industria. Provinciæ administrationi admoto Petro Van Royen die XXVIII Junii anni 1773, Cleus Præpositus Domus Professæ Antverpiensis factus est, eo etiam consilio, ut e propinquo posset *Analectorum Belgicorum* incrementa curare. Ast mensis Septembris ejusdem anni, universæ Societati Flandro-Belgicæ fatalis, nemini funestior fuit quam Joanni nostro. Mense enim Novembri die XXI carceris loco inclusus fuit in monasterio PP. Carthusianorum Antverpiæ, dein XVII Januarii 1774 in ejusdem ordinis conventum Bruxellas translatus, illic biennio captivus mansit. Sparsus nempe fuerat de Cleo iniquus rumor, quasi pecunias collegiorum occultasset aut in Hollandia ad censum exposuisset, hujus vero fraudis Hagiographi complices indicabantur (*a*). Tria præcipua erant accusationis capita. Primum, quod epistolas Propositorum Generalium comburendas curasset. Alterum, quod non proderetur ærarium secretum, ingentibus, uti opinabantur adversarii, thesauris oppletum. Tertium demum, quod non reperirentur quatuordecim millia florenorum, quæ ad Gandavense collegium spectabant.

varias molestias perpessus,

104 Facile erat Cleo hæc accusationum commenta diluere. Igne absumptas Præpositorum Generalium epistolas plerasque aiebat, quia agebant de personis singularibus, eorum indole, doctrina, vivendi ratione. Id vero non solum suadebat charitas, sed justitia imperabat; sciebant enim omnes, si quid revelaretur, id ex pacto, non solum tacito sed expresso, severissimi secreti silentio esse perpetuo occultandum. Quod vero attinebat ad ærarium clandestinum, id unum affirmabat, ipsi ad illum usque diem penitus ignotum fuisse : ex acceptarum pecuniarum rationibus constare, nihil umquam aut occultatum aut dissimulatum fuisse; adesse cæterum superstites omnes, interrogarentur, si quid secreto in secretum thesaurum intulissent, non tacituri, quoniam sua repetere tunc possent. Tandem de ære Gandavensi nihil prorsus se scire, nisi quod paucis ante abolitam Societatem annis, nova argentea supellectili ornata fuerit ara princeps templi ejusdem collegii, quæ adest æstimata viginti millibus florenorum; quin ullum exstet in libris vestigium hujus expensi, unde verisimile fit summam florenorum quatuordecim millium ornando templo absorptam fuisse. Hujusmodi responsionibus non statim acquievere adversarii; sed per biennium inclusus, cum nihil profecisset accusantium calumnia, carcere tandem liberatus fuit.

obit Antverpiæ.

105 Quietiora deinde Cleo fluxere tempora, nisi quod gravissimis torqueretur stomachi doloribus, donec acerbiores patriam affligerent calamitates. Francis enim Belgium occupantibus, decretum fuit, ut quotquot essent ecclesiastici ordines viri aut jurejurando profiterentur exosam sibi esse regiam dignitatem, aut patria extorres in longinquas plagas deportarentur. Suasit sibi Cleus id juramentum licitum esse, atque in hæc verba juravit. Non est quod erratum ejus excusemus, cum suprema sententia decreverit Romana auctoritas damnabile fuisse hujusmodi jusjurandum, uti manifeste liquet ex epistola Card. Joannis Henrici a Franckenberg, qui tunc ecclesiam Mechliniensem administratoris titulo gubernabat. *Sanctissimus Dominus noster Pius PP. VII,* inquit (*b*), *feliciter regnans dignatus est, perpensis et diuturna consideratione libratis omnium rationum momentis, declarare et definire vos* (juratos) (*licet aliquos non tam pravitate cordis quam intellectus errore et specie quadam charitatis in proximum deceptos*) *errasse.* Temeritatis tamen, ut confidimus, nemo nos accusabit, si quæ culpam minuunt verba, Cleo viro ad illa usque tempora integerrimo applicata optemus. Obiit Antverpiæ die XXVII Novembris anni 1800, annos natus LXXVIII mens. II, dies XXIX.

Cornel. de Bye

106 Cleum excipit Cornelius de Bye (*c*), natus die I Octobris anni 1727 in Elverdinghe, parochia leuca flandrica Ipris distante. Postquam cum laude percurrisset consuetum humaniorum litterarum studium, in Societatem Jesu cooptatus, die XXIX Septembris anni 1745 tyrocinium Mechliniæ occœpit. Philosophicis disciplinis excultus Antverpiæ, in tertium annum Matheseos auditor, anno ejusdem sæculi quingesimo inclinante, inferioribus scholis magister præesse cœpit : atque in illo munere per sexennium perseveravit Antverpiæ, Brugis et Ipris. Deinde per quadriennium studiis Theologiæ vacavit, et iis discendi laboribus perfunctus talem ingenii, eruditionis, diligentiæque spem fecit, ut illum Hagiographi aptum censerent, qui, consentientibus moderatoribus, in numerum sociorum Bollandistarum cooptaretur.

Hagiographus Cleo suffectus

107 Nam cum, ut supra diximus, Joannes Clé Lovanium anno 1761 interpres sacrarum litterarum avocatus fuisset, in ejus locum deputatus fuit Byeus noster; qui dein senis prioribus tomis mensis Octobris strenue allaboravit. In primo volumine anno 1765 excuso non ita multum præstitit Byeus, sed quos commentarios scripsit ejusmodi sunt, ut jam tunc magnam de se spem excitarit. Etenim in vita SS. Leodegarii, Augustodunensis episcopi, et fratris ejus Gerini comitis, implexæ occurrebant tricæ genealogicæ et chronologicæ, quas feliciter evolvit : vindicavit quoque Martyrum sanctitatem, cui obesse videbatur, quod pro Childerico contra Theodoricum regem stetisset Leodegarius : sed monstrat commentator, nihil certi statui posse circa utriusvis jura; et episcopum semper in hac regni controversia secundum euangelicam mansuetudinem egisse : subnexuit quoque lucubrationi suæ disquisitionem bene longam de Reliquiis S. Leodegarii, qua dilucidat quibus in locis hæ reperiuntur. In S. Beregiso, abbate Andaini, in saltu Arduennensi, ostendit Byeus, non ita certam esse hujus Sancti professionem Benedictinam, ut probabilior non sit sententia quæ eum inter canonicos regulares annumerat : quæstio tunc erat plus vice simplici retractanda, utpote quæ sæpius recurreret : non pauci enim sunt Sancti de quorum professione dubium fundatum excitari potest. Disquisivit quoque de adjutorio quod idem Sanctus præstitit S. Huberto Leodiensi in convertendo ad fidem pagum Arduennensem : et quamvis ex Vita S. Beregisi non putaverit ineluctabile confici argumentum, ea tamen adduxit, quæ auctoris fidem adstruerent.

multa

108 Ampliorem symbolam contulit Byei probata jam et exculta industria ad alterum Octobris volumen, quod anno 1768 typis prodiit. Imprimis doctissimam edidit Byeus commentationem in vitam, doctrinam et opera S. Dionysii Alexandrini episcopi. Martyrologium Romanum quod Dionysium quamvis ipse constanter *y* suo nomini inseruerit, ut constat e pluribus epistolis ejus manu exaratis.

(*a*) Archiv. du Roy. Bolland., t. I, f. 74. Lettre de la commission à Crumpipen, 19 Octobre 1775. — (*b*) Synod. Belg., t. II, p. 547. — (*c*) Catalogi Provinciæ semper scripserunt *De Bie,*

A sium cum sociis Fausto, Cajo, Petro, Paulo et aliis quatuor, Martyrem tempore Valeriano, sub die III Octobris annuntiaverat, iterum Dionysium solum sub die XVII Novembris recolit, tamquam episcopum Alexandrinum, *et summæ eruditionis virum, qui multis confessionibus clarus, et pro passionum tormentorumque diversitate magnificus, plenus dierum Confessor quievit, Valeriani et Gallieni imperatorum temporibus.* Monstrat Byeus viros, corrigendo Romano Martyrologio præpositos, non perspexisse unum eumdemque esse Dionysium, qui diversis diebus recolitur; idemque censet accidisse de Caji et Fausti annuntiatione, quæ sub die IV Octobris una cum Eusebii, Chæremonis, Lucii et sociorum memoria, renovatur. Vindicanda quoque erat in Dionysio doctrinæ integritas, quæ duplici præcipue e capite impetebatur, quasi consensisset S. Cypriano docenti baptismum ab hæreticis collatum esse repetendum, et Arianorum præformasset errores. Utramque labem optimis rationibus expungit commentator noster, dum monstrat Dionysium in iis quæ supersunt epistolis, contrariam magis sectatum esse doctrinam. Fatetur Byeus S. Dionysium, *crudioribus nonnullis*
B *adhibitis de Sanctissima Trinitate loquendi formulis,* justam causam præbuisse, ob quam ad Romanum Pontificem veluti violatæ fidei reus, deferretur : sed simul monstrat auctoritate S. Athanasii, qui librum satis prolixum *De sententia Dionysii* conscripsit, excusari posse virum qui Sabellianos impugnans, dum distinctas tres personas acriter defendit, earumdem consubstantialitatem vellicare videtur. Adjecit hisce disquisitionibus sane doctissimis, varias commentationes, quæ ad chronologiam et ad Opera S. Dionysii spectabant.

quæ enumerantur. 109 Non minus feliciter evolvit Byeus difficultates, quæ in Vitis SS. Ewaldorum Martyrum in Saxonia, S. Gerardi abbatis Broniensis ad diem III : SS. Domninæ, Berinices et Prosdoces Martyrum in Syria et S. Ammonis, Ægyptii, in Nitria ad diem IV Octobris occurrebant; ut nihil dicatur de aliis Sanctis, in quorum res gestas erudite commentatus est. In tertio volumine Octobris, cujus pars tertia improbo labori Byei debetur, occurrebat vita S. Brunonis, Ordinis Carthusianorum fundatoris, in qua discutienda veniebat portentosa doctoris Parisiensis anastasis, quæ causa afferebatur secessus S. Brunonis in Carthusianos montes : summa
C cum industria collegit Byeus quidquid antiquorum testimoniorum supererat, quorum nullum coævum aut suppar est, et contra Launoium monstravit periculosum esse nimium urgere argumentum negativum, quod ex auctorum silentio desumitur : nihilominus prodigium, quin fabulis prorsus annumeret, dubium tamen esse pronuntiavit. Hanc disquisitionem excipiunt aliæ quæ sancti fundatoris Vitam mire illustrant.

senis tomis 110 Post editum anno 1770 tertium volumen Octobris, suppressa Societate Jesu, Byeus presbyter sæcularis, paratum se exhibuit ad continuanda Acta Sanctorum : supra diximus n. 45 et seqq. quot machinæ adhibitæ fuerint, ut Societatis ruina felicem Hagiographorum cursum interciperet. In relatione facta a consiliario *Van den Cruyce* dicitur Byeus ferventioris indolis, cæterum apprime linguam græcam callere, et aptus esse qui continuandis Sanctorum Actis una cum Jacobo de Bue et Ignatio Hubens allaboret (*a*). Post mortem Constantini Suyskens, senior Hagiographorum, pro more curandam habuit rem pecuniariam et bibliothecam Bollandianam. Supra quoque exposuimus quibus e causis acciderit, ut editio tomi quarti Octobris toto decennio, scilicet usque ad annum 1780 fuerit proroganda, quamque varia fuerit per id temporis intervallum Hagiographorum fortuna. In hac rerum vicissitudine sibi suisque non defuit Byeus, et labore, industria atque constantia effecit, ut primus, qui post suppressam Societatem Jesu prodiit tomus, eadem qua cæteri doctrinæ ac eruditionis laude effulserit.

111 Hunc scilicet tomum illustravit Byeus binis *Octobris* maxime Commentariis, qui de S. Demetrio Martyre, Thessalonicæ ad diem VIII Octobris et de SS. Dionysio Areopagita, et altero Dionysio Episcopo, Rustico presbytero et Eleutherio diacono, Martyribus Parisiis ad diem IX ejusdem mensis tractant. In Demetrio, cujus martyrium multiplici Græcorum scriptione celebratum olim fuerat, accurate discernenda erant illa scripta; quæ *Actis Sanctorum* inseri merito poterant : in utroque autem Dionysio quam graves olim exstiterint controversiæ, nemo eruditorum ignorat, has æqua trutina ponderat Byeus, et demum pronuntiat duos esse Dionysios, quorum alter Athenis, alter Parisiis E primus sederit. Non minoris quoque laboris fuit disquisitio in opera quæ sub S. Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, cum monstrandum fuerit eadem ementita esse sancti areopagitæ nomen, quo majorem sibi auctoritatem conciliarent. Eodem, quo tomus quartus Octobris, anno prodiere binæ responsiones Byei, ad J. des Roches, Academiæ Bruxellensis socium et secretarium directæ, circa Testamentum S. Remigii, de quo infra agemus.

confert, 112 Postquam prelum reliquisset quartum, de quo egimus, volumen, mors labores Ignatii Hubens interrupit, et ipsius Byei ita tentata fuit valetudo, ut per menses aliquot a labore vacandum illi fuerit (*b*). Prodiit nihilominus quintum Octobris volumen anno 1786 in quo multiplex extat monumentum industriæ Byei nostri. Eminet imprimis commentarius prævius ad Passionem SS. Gereonis et sociorum, ad X Octobris, in quo explicanda fuit mira confusio, alio annumerante SS. Martyres Thebæis, alio Mauris : probabilem autem fecit eorum opinionem, qui Thebææ Legioni hos Martyres adscribebant. In SS. Nigasio et sociis pariter Martyribus, Vadiniaci in pago Vilcassino, ad diem XI Octobris, recurrebat F quæstio, jam tractata et adhuc retractanda de initiis christianismi in Galliarum regionibus : cui novam lucem adjecit Byeus. Res gestas quoque S. Brunonis, Coloniensis archiepiscopi, multis negotiis politicis implicati, optime exposuit et ab adversariorum obtrectationibus egregie vindicavit.

et tandem exul 113 Cum anno 1789 Musæum Hagiographorum, ut supra diximus, in monasterium Tongerloense translatum fuisset, Byeus illuc concedere noluit : atque ita factum est, ut nomen ejus, quamvis sexto tomo Octobris præfixum, in epistola tamen dedicatoria, ad Pium Papam VI directa, non apparuerit : quippe quæ subscripta solum fuerit a Jacobo Bueo, Presb. Siardo Dyckio, Cypriano Goorio et Matthia Stalsio Ord. Præmonstratensis canonicis regularibus. Nihilominus suam symbolam contulit Byeus ad editionem hujus voluminis : nam præter breviores quosdam Commentarios, in Acta SS. Cypriani, Felicis sociorumque 4976 partim Confessorum, partim Martyrum, qui jussu Hune-

(*a*) Archiv. du Roy.— Bolland., t. I, f. 48. Rapport du cons. Van den Cruyce, 24 Sept. 1774.— (*b*) Ibid., t. II, f. 115. Rapport du cons. de Kulberg au comte de Belgioioso, ministre plénipot., Octobre 1783.

rici,

A rici, Regis Vandalici, exules obierunt, monstravit, nostro judicio, solide contra Limpenum, aliter in sylloge historica de S. Donatiano (*a*) sentientem, hos athletas omnes virilis fuisse sexus : deinde cum aliquibus videri potuisset Felicem Abbiritanum de quo hic agebatur, eumdem cum ejusdem nominis episcopo Abaritano, opinionem hanc non probavit. Non minus curiose vindicavit Byeus Ven. Bedam a nimiæ credulitatis nota, dum in Commentario prævio ad S. Edwinum regem loquitur de visione, quam sanctus ille rex habuisse narratur.

in Geldria 114 Atque hæc præcipua sunt, quæ præstitit Byeus in *Sanctorum Actis* illustrandis : restat ut nunc paulo latius agamus de binis responsionibus quæ opposuit commentario Joannis des Roches, secretarii Academiæ scientiarum et litterarum Bruxellensis. Suppressa Societate Jesu, petierat Academia, ut suum fieret quidquid pecuniæ ad Musæum Hagiographicum pertineret, ea lege ut ab sociis suis continuarentur *Acta Sanctorum* (*b*). Non erit fortassis conjectura temeraria, si opinemur ideo Byeum ægrius tulisse censuram secretarii Academici, quia in illa subolebat novum tentamen ad aucupandum spolia opima, quæ e musæo hagiographico B reportanda erant. Atque ita explicatur acrimonia, qua binæ lucubrationes conscriptæ fuerunt. Etenim ipsa disquisitio plane innoxia erat, cum ageretur solum, utrum prolixius testamentum, quod sub nomine S. Remigii circumferebatur, genuinum esset (*c*) : quod affirmandum duxit Joan. des Roches contra sententiam Suyskeni, qui testamentum apocryphum pronuntiaverat : atque hinc oblique carpi Opus Bollandianum cum existimasset Byeus, calamum æquo acrius forsitan acuit. Cæterum optime, nostro judicio, opinationes adversarii confutavit, monstravitque rectam esse Suyskeni sententiam.

obit Werdæ. 115 Cum anno 1794, Franci Belgium invasissent, Byeus noster mense julio fuga consulendum sibi duxit; atque Werdam, oppidum Gelriæ ad Ruram, (*d*) concessit, ut fidem facit scedula ad Jac. de Bue data die XIV Octobris 1795, qua hunc constituit procuratorem suum ad recipiendum pensiones nunc et imposterum solvendas; timebat enim ne bonis monasterii Tongerloensis fisco addictis, omni spe recuperandi quod suum erat, uti reapse accidit, frustraretur. Werdæ, uti videtur, perseveravit Byeus usque ad mortem, quæ accidit die XI Au- C gusti anno currentis sæculi primo : natus tum erat Byeus annos LXXIII, menses X, dies XI. In scedulis domesticis locus emortualis indicatur *Hassia :* quem errorem inde manasse suspicamur, quod oppidum vicinum *Essendia,* teutonice *Essen,* eumdem Belgis plerisque exhibeat sonum quem Hassia, flandrice *Hessen :* dein cum probabile sit, Byeum cohabitasse Ghesquiero, qui reipsa Essendiæ obiit; fuerint sane aliqui qui hac conjectura decepti Cornelium nostrum etiam istic supremum clausisse diem dixerint.

Joseph. Ghesquiere 116 Josephus Ghesquiere Cortraci natus die XXVII Februarii 1731, peractis humanioribus studiis in urbe patria, ad philosophiam incubuit Duaci. In Societate Jesu tyro admissus die XVI Octobris 1750 Mechliniæ, in omni virtutum genere sese exercuit per biennium. Emissis rite votis, Cortracum rediit, ut Rhetoricam repeteret. Cum dein per sexennium Mechliniæ et Bruxellis meruisset stipendia inferio- D rum scholarum magister, Lovanium abiit, ubi quadriennio disciplinis Theologicis excultus fuit. Postquam anno 1762 amisisset Musæum hagiographicum duos egregios scriptores Joannem Stilting et Joannem Perier eodem anno in eorum locum suffectus fuit Jacobus de Bue, de quo infra agemus, anno dein sequenti tribus Hagiographis adjunctus fuit Josephus Ghesquierus, qui jam tunc maximam sui spem fecerat.

primum texuit 117 Quando ad Musæum accessit Ghesquiere, allaborabant Hagiographi primo tomo Octobris, qui diem primum et secundum ejusdem mensis complectitur. In hujus tomi, autem qui anno 1765 typis prodiit, titulo, enumeratis aliis quorum studio illustrata sunt *Acta Sanctorum,* subditur : *Operam conferente Josepho Ghesquiero :* cujus quidem distinctionis ratio hæc est, quod Josephus in iis initiis totus fuerit in concinnandis Ephemeridibus et Indicibus Sanctorum, quorum Acta mensibus Julio, Augusto et Septembri illustrata fuerant. Idem præstiterat Daniel Papebrochius pro sex prioribus anni mensibus, atque ejuscemodi, ait Ghesquierus (*e*), *Ephemerides alterumque alphabeticum Sanctorum indicem, mox ut secundo semestri finis esset* E *impositus, typis edere jam fixum erat, ut, quemadmodum gratos lectoribus fructus priores tulerant, ita et Hagiophilorum commodo posteriores inservirent, et unde quilibet ex tot tamque vastis voluminibus haurire quidquam posset, minime operosa methodo indicarent. Verum cum ab anno* 1717, *quo tempore prodierunt memoratæ ephemerides primi semestris, eo opus nostrum excreverit, ut vulgata de Julio, Augusto et Septembri volumina vix non numero ea exæquent, quibus sex primi menses fuerant illustrati, haud abs re visum est, instigantibus præsertim Hagiophilis Germanis et Gallis, consilium jam diu conceptum mutare, ac nunc generales duos hujus trimestris indices texere, alterum qui martyrologii instar, sanctos beatosque assignaret, qui quoquo die trium illorum mensium in opere nostro locum habent, indicatis breviter iis omnibus, quæ Papebrochius P. M. in prioris semestris ephemeridibus indicarat : alterum qui alphabetico ordine servato, omnium, de quibus hoc trimestri actum est, Sanctorum ac Beatorum nomen cæteraque adjuncta, diem itidem quo coluntur, referret, ut nemini cuiquam difficile futurum sit, maxime ubi ultimo tri-* F *mestri accesserint similes indices, illius quam quærit, Sancti aut Beati vitam vel acta invenire.*

duplicem indicem, 118 Huic labori, quem jure optimo *tetricum* dicit, alterum non minus operosum subnexuit Ghesquierus, videlicet *syllabum nominum et rerum notabilium, quæ in præfationibus, tractatibus, diatribis et exegesibus præliminaribus nostro de Actis Sanctorum Operi hactenus præfixis, reperiuntur.* Sciebat enim, (*f*) *quam sit ex usu et lectoris commodo, rerum in prægrandibus iisque multis voluminibus dispersarum universum syllabum sibi prælucentem habere, atque adeo ab eo onere eximi, quo, sæpe, uno frustra tentato volumine, ad alterum et subinde ad plura recurrendum sit.* Hæc quidem præstitit Ghesquierus in adornando primo tomo Octobris : neque spernendam quis operam contulisse suspicabitur, qui secum ipse consideraverit quantum fastidiosæ diligentiæ requiratur, ut similis labor ali-

(*a*) Ad diem VI Septembris, p. 679, n. 10. — (*b*) *Gachard.* Des Bollandistes. Messager de 1835, p. 216. Lettre du Pr. Kaunitz au Pr. de Stahremb., 11 Décemb. 1776. Arch. du Roy. Liasse 3053. — (*c*) Scripta edita 1° *Examen du testament de S. Remi, par M. des Roches.* Mém. de l'acad. I. et R. de Brux., t. II, p. 633 2° *Réponse de l'ancien des Bolland. Corn. de Bye au mém. de M. des Roches.* Bruxell. 1780, in-8°. 3° *Lettre du secrétaire de l'acad. à M. l'abbé de Bye.* Bruxel. 1780, in-8°. 4° *Replique de l'ancien des Boll. à la lettre de M. des Roches.* Brux. 1781, in-8°. — (*d*) Duplex est *Rura,* altera, de qua hic agitur, Rheno influit prope *Duisburgum;* altera Mosæ, ad urbem cognominem *Ruræmundam* seu Ostium Ruræ. — (*e*) In præloquio ad Ephemerides Sanctorum, ad calcem t. I Octobris. — (*f*) Ibid. Præmonitio ad syllabum.

quid

A quid utilitatis afferat. Unde merito rerum Italicarum collectores (*a*) ajunt tantam esse *laboris ac tædii tolerantiam* in hujusmodi indicibus concinnandis, ut ille solus qui *similibus occupatus fuerit, æstimare possit, quantum sit operi insudandum.*

dein aliquot Sanctorum Vitis

119 In tribus sequentibus voluminibus Ghesquierus adscriptus reperitur inter hagiographos; ast videtur tamen illustrandis Sanctorum Actis non nisi subscæsivas tantum horas addixisse. Cujus rei causam censemus eam fuisse, quia omne tempus impendebat in colligendis omnibus Historiæ Belgicæ monumentis; nam, ut supra vidimus n. 96 jam tum probabiliter agebatur de istiusmodi lucubratione. In secundo itaque volumine Octobris quaternos solum Commentarios ad Sanctorum Acta reperimus : scilicet S. Cypriani, episcopi Telonensis, SS. Tyrsi et sociorum, Martyrum Treviris, Aureæ, Virginis abbatissæ Parisiis, et S. Magdalvæi episcopi Virodunensis in Lotharingia. Nihilominus lucubrationes illæ ejusmodi sunt, ut palam faciant quam accuratam crisim in quæstionibus trutinandis et evolvendis Ghesquierus exercuerit. Exemplo sit dissertatio, qua in Commentario ad Vitam S. Aureæ monstrat adversus Joan. Mabillon, hanc virginem
B S. Columbani magis disciplinam, quam Benedictinam regulam sectatam fuisse : unde deducit Ordini S. Benedicti minime fuisse adscribendam. In Tyrso autem et sociis refellit Honthemium contendentem infirmis niti fundamentis hujus Sancti sociorumque martyrium.

illustratis,

120 Aliquanto plura conscripsit Ghesquierus pro illustrando tomo tertio Octobris : egregiam præcipue laudem nostro judicio merentur Commentarii Vitis S. Gallæ, Viduæ Monialis Romæ, S. Fidis, Virginis et Martyris, Aginni in Aquitania, Placidi et sociorum, Messanæ in Sicilia, et Paladii, Episcopi, Mediolani Santonum, in Aquitania præmissi, in iisque non raro quæstiones pertractat, quæ miram lucem Historiæ præsertim ecclesiasticæ affundere possunt. In quarto Octobris volumine præter commentationem eruditam et bene longam de S. Abraham, Patriarcha et omnium credentium patre, in binas Vitas, S. Badilonis, Abbatis Lutosæ in Hannonia et S. Ragenfredis, Virginis et Abbatissæ, Dononii prope Valencenas, in Hannonia, tractatum habuit Ghesquierus, qui cæterum jam totus erat in parandis
C prelo monumentis patriis.

Analectis Belgicis

121 Jam in vita Joannis Clé egimus num. 96 de consilio inito ad colligenda omnia quæ Historiam Belgicam illustrare poterant sub *Analectorum Belgicorum* titulo. Nemo vero novo opere promovendo aptior judicabatur Ghesquiero nostro, tum propter eminentem quamdam eruditionem litterariam et historicam, tum propter litterarum commercium, quod cum doctissimis per Europam viris frequens habebat. Impigre igitur ad opus incubuit, et jam anno 1772, edito schemate, totam materiam, optime digestam, oculis eruditorum summo omnium plausu exposuerat : quando interveniente Societatis Jesu abolitione, scribendi di- D ligentia necessario relaxata fuit; donec simul cum Hagiographia interrupta Analectorum Belgicorum collectio jussu Mariæ Teresiæ Augustæ, posito etiam scribentibus annuo subsidio, resumpta fuerit. Cæterum opus *Acta Sanctorum Belgii selecta,* licet Bollandiano non solum maxime affine ex eodemque magna ex parte mutuatitium, suas habebat difficultates, cum non nisi undecimo a suppressa Societate Jesu anno lucem publicam aspexerit (*b*).

se præcipue

122 Prodiit itaque paratum opus sub titulo : *Acta Sanctorum Belgii selecta, quæ tum ex monumentis sinceris necdum in Bollandiano opere editis, tum ex vastissimo illo opere, servata primigenia scriptorum phrasi, collegit, chronologico ordine digessit, commentariisque illustravit Josephus Ghesquierus, presbyter. Tomus I complectens Acta SS. Belgii ab exordio Ecclesiæ Christianæ usque ad annum Christi* 532. *Bruxellis* 1783. — *Tomus II complectens Acta Sanctorum Belgii, qui a S. Remigii obitu usque ad annum circiter* 654 *ad Superos migrarunt. Ibid.* 1784. — *Tomus III ab obitu S. Bavonis ad annum* 671. *Ibid.* 1785. — *Tomus IV ab anno* 671 *ad annum* 693. *Ibid.* 1787. — *Tomus V ab anno* 693 *ad annum circiter* 709. *Ibid.* E 1789. — *Tomus VI a sæculi octavi initio usque ad annum circiter* 729. *Tongerloæ typis abbatiæ* 1794.

impendit.

123 Neque mirabitur quispiam *Analecta Belgica* ab Actis Sanctorum Belgii auspicata fuisse : sciunt enim omnes, qui antiquitates alicujus regionis aut gentis vel summis labiis delibarunt, nuspiam reperire opulentiorem fodinam, ad mores, historiamque elucidandam. Ghesquierus duos habuit operis sui adjutores Cornelium *Smet* (*c*) et Isfridum *Thys* (*d*), quorum ille tertio, quarto et quinto tomo, hic autem sexto allaboravit. Commissio regia historica statuit die IV Augusti 1834 ut *Acta Sanctorum Belgii* continuarentur, et hanc provinciam commisit Reverendo admodum Viro Petro De Ram, academiæ Catholicæ Lovanii Rectori magnifico : totum vero quod superest operis quatuor aut quinque volumina complectetur (*e*).

Scribit

124 Ad hæc plura alia scripsit Ghesquierus, quæ enumerare juvat. Imprimis lis, ut videtur, satis acris exarserat inter monachos Alciacenses et Sanbertinianos circa jus eligendi abbatem, quem e suo gremio sumendum defendebant Sanbertiniani (*f*). Alciacenses opponebant adversariis char- F tam fundationis suæ datam ab Huberto, Episcopo Tarvanensi, *anno Dominicæ Incarnat.* MLXXVIII, *indictione* II, quam contestabantur spuriam Sanbertiniani. Jam anno 1774 artis diplomaticæ periti Parisiis declararant chartam habere omnes notas authenticitatis : sed cum nihilominus perseverarent Sanbertiniani, a sociis Bollandianis exquisita sententia est, quam tulerunt die XIV Februarii 1777 dicentes *omnes notas tum extrinsecas tum intrinsecas veritatis adesse prædictæ chartæ nec quidquam in illa occurrere quod contra historiam peccaret.*

(*a*) Rer. Italic. script., t. XXV in Prolegom. — (*b*) Felici casu igni, quo jam erat absumendus, ereptus fuit libellus MS. authore P. Cornelio Geerts, olim sacræ Theologiæ professore in collegio nostro Lovaniensi († 19 Septembris 1819). Brevem conspectum exhibet Historiæ Societatis Jesu in Belgio, et præcipue satis accurate evolvit quæ ad *Musæa Litteraria* Provinciæ Flandro-Belgicæ pertinent. Ex hoc codice plura decerpsimus : spectat hodie ad collegium nostrum B. Mariæ Antverpiæ; atque benevolentia Patrum nobiscum communicatus fuit. — (*c*) Vide ejus vitæ synopsim in Kersten : *Journ. hist. et litt.*, t. IV, p. 88 additiones ad eumdem tom., p. 4 et Vitam præfixam operi posthumo : *Het leven van O. H. Jesus Christus, door wylen P. Cornelius Smet.* Brux. 1841, in-8°. — (*d*) Synopsis Vitæ extat *Mém. couronnées par l'acad. roy. de sciences et belles-lettres de Bruxelles*, t. XV, p. I. *Adriani Heylen Comment. de Orig. Tertii Status. Prolog. P. F. X. De Ram*, p. XX. — (*e*) *Messager des sciences et des arts.* Gand 1834. p. 414. — (*f*) Variæ Bullæ Romanorum Pontificum Sanbertinianis favere videbantur. Cfr *Collect. des Cartulaires de France. Cart. de l'abbaye de Saint-Bertin, publié par M. Guerard.* Paris 1841, p. 219, 262 et 294. Neque litem dirimere credebat Ghesquierus, dum defendebat Chartam Alciacensis fundationis esse authenticam. Titulus opusculi est : *Dissertation sur l'authenticité de la Charte de fondation de l'abbaye d'Auchy de l'an* 1079. *Paris, P. G. Simon et N. H. Nyon, Imprimeurs du Parlement.* in-4°. Confer. *Mémoires* (anciens) *de l'académie I. et R. des sciences et belles lettres de Brux.*, t. IV, f. 373. Exstat in scriniis nostris epistola ad Corn. Byeum, data die XVIII Februarii 1777, qua dicit Ghesquiere gratissimum accidisse Alciacensibus, quod socii Hagiopraphici favorabiles se exhibuerint diplomati fundationis.

Edidit

A Edidit itaque Ghesquierus opusculum, quo accurate omnes veritatis notas exponit, signatum a Cornelio de Bye, Jacobo de Bue, Ignatio Hubens Hagiographis et Josepho Ghesquiere Historiographo Cæsareæ Majestatis et socio academiæ Bruxellensis.

varia 125 Alterum opusculum in lucem protulit Ghesquierus de vero auctore Libri *De Imitatione Christi :* et multis ostendit alium non esse quam Thomam a Kempis, Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini, in monte S. Agnetis prope Zwollam (*a*). Occasionem dissertationi dederat reperta in codice manuscripto nota, qua anno vigesimo quinto sæculi quinti decimi, proindeque quadraginta quinque ante obitum Thomæ annis (*b*), eidem libellus adscribebatur. Nostrum non est, nunc maxime, cum novis allatis documentis recrudescit controversia, litem velle componere : id sufficiat indicasse Ghesquierum talia afferre argumenta, quæ sententiam suam probabilem faciant, quin fortassis omne oppositum dubium excludant. Cæterum quæ adjicitur codici nota, hæc est : *Notandum quod iste tractatus editus est a probo et egregio viro magistro Thoma de monte sanctæ Agnetis et canonico regulari in Trajecto,*
B *Thomas de Kempis dictus, descriptus ex manu autoris in Trajecto anno* 1425 *in sociatu provincialatus.*

quæ enumerantur, 126 Tertium opusculum Ghesquieri continet disquisitiones circa initia artis typographicæ inter Belgas : palmamque adscribere videtur Brugensibus (*c*), quoniam Joannes Brito, civis Brugensis, edidit opusculum paginarum XL atque in fine subjungit sequentes versiculos, qui rem novam innuunt :

Aspice presentis scripture gracia quæ sit
Confer opus operi. Spectetur codice codex
Respice quam munde, quam terse, quamque decore
Imprimit hec civis Brugensis Brito Johannes
Inveniens artem, nullo monstrante, mirandam
Instrumenta quoque non minus laude stupenda.

Ex hisce versiculis Ghesquierus conatur monstrare Britonem primum fuisse, qui Brugas artem typographicam intulerit, imo et in Belgium, alioquin, ait, impudentis mendacii facile convinci potuisset. Ostendere quoque nititur dissertator jam anno 1445 venales fuisse Brugis libros typis excusos.

opuscula 127 Eodem circiter tempore implicitus fuit Ghesquierus graviori controversiæ circa *Decimas*. Erant tunc in Belgio, quemadmodum in reliquis Europæ
C provinciis, qui nihil non moliebantur, quo exosa populo facerent, tum divitias, tum politicam potentiam cleri : ad hunc finem assequendum aptissima occurrebat quæstio de Decimis, quia directe nulloque intermedio annonam subtrahere videbatur : erat præterea hæc controversia maxime invidiosa, latissimumque litibus et jurgiis campum aperiebat (*d*). Tribus itaque opusculis Ghesquierus impactas falsitates refutavit, explicuitque veram D decimarum notionem (*e*) : et quum arma adversarii sibi sumpsissent ex historia, ex eadem illos egregie refellit.

ad multiplicem 128 Artem quoque numismaticam, historicis disciplinis quam maxime affinem, diligentissime excolebat Ghesquierus. Eruditus Gallus Poinsinet de Sivry edixerat numismata antiqua, præsertim Romana, numquam monetæ loco fuisse. Hanc opinionem novam et hactenus inauditam, multis allatis exemplis tum ex numismatis tum ex auctoribus antiquis, quam solidissime refellit noster (*f*), monstratque monetam non raro historicam fuisse. Alterum edidit opus circa monetam Belgicam, in quo tria discutit, imprimis quæ loca in Belgio ante annum 1450 habuerint officinas monetales; dein quibus notis insigniti fuerint, quantumque valuerint nummi Belgici; tandem tertio, quis esset valor hodiernus eorumdem nummorum (*g*).

eruditionem 129 Ghesquieri opera compilatus fuerat catalogus numismatum nummorumque, quos collegerat Carolus Alexander Lotharingus, Austriaci Belgii supremus Præfectus (*h*). Non parvo labore hæc scriptori stetisse, maxime cum ex octodecim millibus numismatum seligenda erant, quæ cimeliis E Vindobonensibus Cæsareis cederent, ipse fatetur (*i*). Attamen vix quidpiam præmii ingenti labori repensum fuit, dum alius qui rem vix summis digitis attigerat, mercedem magnificam retulisset. Quare exemplari catalogi bibliothecæ suæ adjecit versiculos :

Hos ego descripsi nummos; tulit alter honores
Sic vos non vobis, fertis aratra boves, etc. (*k*).

Ipse Ghesquierus non spernendam copiam numismatum sibi collegerat, quæ publicæ hastæ subjecta fuere mensis Julii die VI anni 1812 (*l*). Curiosus quoque erat indagator antiquorum librorum, qui incunabula artis typographicæ attingebant (*m*). Tantum sibi nomen in rebus archeologicis fecerat, ut cum Kalendis Octobribus 1788 transferendæ essent Lovanio Bruxellas facultates juris, medecinæ et artium (*n*), Ghesquiero destinatum fuerit munus doctoris in arte numismatica : sed ratus in detrimentum Religionis et Patriæ hujusmodi translationem cessuram, oblatum honorem omnino recusavit.

etiam civilem 130 Circa idem tempus, cum Belgæ pene universi, eversa potestate imperatoris Josephi II, liberos se pronuntiassent, edidit Ghesquierus opusculum F quo primariam regni legem examinat (*o*), atque ex historia demonstrat Belgas nullo umquam tempore ita principibus suis obnoxios fuisse, ut sine consensu optimatum lex aliqua sanciri posset. Id tamen adeo moderate scripsit, ut quamvis ferverent odia contra Cæsarem, ne verbo quidem regiam majestatem læserit : sciunt autem omnes quam

(*a*) Titulus libelli est : *Dissertation sur l'auteur du livre intitulé : de l'Imitation de Jésus-Christ. A Verceil et se trouve à Paris,* 1775, in-12°. Edidit opusculum et brevi procemio ornavit *Mercier* abbas S. Leodegarii (*S. Léger*) Suessione. — (*b*) Thomas a Kempis natus circa annum 1380, obiit anno 1471. Biogr. Univ., t. XXII, p. 286. — (*c*) *Réflexions de M. l'abbé Ghesquière sur deux pièces relatives à l'histoire de l'imprimerie.* Nivelles, 1780, in-12°. Confer *Esprit des Journaux.* Juin 1779, p. 232. Novembre 1779, p. 236. Janvier 1780, p. 240. Octobre 1780, p. 226. *Biographie des hommes remarquables de la Flandre Occident.* Bruges, 1843, p. 43. — (*d*) Notum est nostris etiam temporibus homines quosdam vafros, ut clero Belgico invidiam crearent, subsidium a decimis petiisse, quasi easdem resuscitatas cuperet : sciebant quippe nihil efficacius esse ad popularium odium exaggerandum, quam si suspicentur rem suam diuturno labore quæsitam ab aliis esse tollendam. Frustra reclamarunt parochi, negarunt episcopi; audax calumnia venenum suum diu post se reliquit. — (*e*) *Observations historiques et critiques sur une brochure ayant pour titre : Examens de la question, si les Décimateurs ont l'intention fondée en droit à la perception des dîmes insolites en Flandre.* Bruxelles, 1780, in-8°. *Lettres historiques et critiques pour servir de réponse sur l'origine des dîmes.* Utrecht, 1784, in-8°. *La vraie notion des dîmes.* Liége, 1785, in-8°. — (*f*) *Dissertation de M. l'abbé Ghesquière sur les différents genres de médailles antiques, ou examen critique des nouvelles recherches sur la science des médailles par M. Poinsinet de Sivry* Nivelles, 1779, in-4°. — (*g*) *Mémoire sur trois points intéressants de l'histoire monétaire des Pays-Bas.* Brux., 1786, in-8°. — (*h*) *Catalogus Numismatum Nummorumque.... omnis generis et moduli, quos non minore sumptu quam cura et delectu collegit Regius princeps ac dux Lotharingiæ Carolus Alexander,* etc. Brux., 1781, in-8°. — (*i*) *Vraie notion des Dîmes,* p. 187. — (*k*) Bibl. Hulthem, t. III, p. 447, n. 20,066. — (*l*) *Catalogue d'une collection de médailles grecq. et romaines, par P. F. Goesin-Verhaege.* Gand, 1812, in-8°. Cfr Bibl. Hulthem, t. III, p. 448, n. 20,072. — (*m*) *Première liste de diverses édit. anciennes du cabinet de l'abbé Ghesquière,* 1789. Cfr Bibl. Hult., t. III, p. 517, n. 21,008. — (*n*) Van de Velde. Synopsis. Monum., t. III, p. 1099. — (*o*) *Kort begryp van de oude constitutie der Nederlandsche provincien.* Brugge, 1790. Opellam primum gallice conscriptam reperire non potui.

A contumeliose multi adversus domum Austriacam obloquerentur in his rerum adjunctis. Ghesquiero sufficiebat, ut suus veritati esset locus.

et ad pietatem 131 Postremus Ghesquieri liber fuit commentatio in Psalmos (*a*). *Nullum,* ait, *hominibus Christianis, ac præsertim ecclesiasticis, solatium esse majus potest, hisce potissimum luctuosis temporibus, quam ipsummet Dei verbum, ad salutem et consolationem nostram cœlitus manifestatum. . . . Inter omnes autem libros, qui ut illis* (Machabæis), *ita et nobis* (*hocce præsertim tempore*) *solatio esse possunt, nullum esse arbitror huic scopo magis accommodatum, quam Psalmorum Davidicorum librum; dummodo is non obiter, non perfunctorie, sed attente, sed sedulo perlegatur. . . . Post attentam Psalmorum omnium lectionem, seriamque meditationem, animadverti eos ad quatuor diversas classes reduci posse; et alios quidem, spectato præcipuo eorum argumento, ad classem psalmorum* propheticorum, *alios ad classem* didacticorum, *seu* doctrinalium, *alios ad classem* hymnicorum; *alios denique ad classem* historicorum.

spectantia : 132 Præter hæc scripta protulit Ghesquierus varias dissertationes, qua socius academiæ scientiarum et litterarum Bruxellensis (*b*). 1° In numismata
B Romana recens detecta in parochia Waereghem, juxta Cortracum (*c*). 2° In diploma Alciacensis fundationis, de quo supra n. 124 egimus (*d*). 3° Scripsit *dissertationem geographico-historicam de majoribus populis, ante imperatoris Cæsaris Augusti ætatem Belgii hodierni incolis, anno* 1775 (*e*). In hac lucubratione inquisivit Ghesquierus in antiquos terminos gentium, quæ Belgium olim incoluere : quæstio sane difficilis, neque forsitan nostris temporibus adhuc plane perfecteque definita. Hisce scriptis annumerandum venit opusculum, cujus quidem elementa collegerat D. Anselmus Berthod, de quo infra agemus, sed apte digessit et animadversionibus illustravit Ghesquierus (*f*). Nihil dicemus de libello, quo vindicantur Ghesquiero primariæ partes in *Analectis Belgicis* (*g*), quoniam hunc fœtum suum esse negavit (*h*).

obit Essendiæ. 133 Irruentibus secundo Gallis in Belgium, cum Byeo in Germaniam concessit, ut quietiorem senectuti locum sibi procuraret. Werdæ primum aliquamdiu substitisse videtur, si quidem istinc procurationem dederit Jacobo de Bue ad percipiendam annuam pensionem, quæ illi debebatur. Werda
C Essendiam abiit, oppidum Geldriæ, nobili parthenone Ordinis S. Benedicti olim insigne. Atque istic diem supremum clausit die XXIII Januarii an. 1802, annos natus LXIX, mens. X, dies XXVIII. *Homo erat,* ait H. G. *Eskes,* canonicus Reesiensis (*i*), qui obitum ejus amico nuntiat (*k*), *profundissime doctus, quocum mihi usque ad ultimas ante ejus obitum dies continuum illudque mihi maxime proficuum fuit litterarum commercium.* Mirum certe est Ghesquierum in relatione de rebus Hagiographicis (*l*) traductum fuisse quasi, circulatorum more, verborum præstigias divenderet : habebat profecto aliquid splendidi in sua eruditione, sed nihil quod fucatum dici posset : soli indices ad D
tomum primum Octobris contexti abunde demonstrant Ghesquierum quæsivisse magis, quid prodesset, quam quid luceret.

Jacobus de Bue 134 Gradum facimus ad postremum, qui e Societate Jesu operi Bollandiano allaboravit. Is erat Jacobus de Bue, natus Hallis Deiparæ, in Brabantia, die XI Martii anni 1728. In oppido patrio probabiliter ad humaniores litteras informatus, Societatem Jesu tyro ingressus est Mechliniæ die II Octobris 1743. Post duos annos in philosophicas disciplinas Antverpiæ impensos, curriculum complevit Cortraci, ubi tertium annum repetendis iisdem consumpsit : ejus enim erat ingenii Bueus, ut magnum aliquod jam tum portendere videretur. Antverpiæ deinde ad docendos parvulos infimam grammaticam destinatus, post annum unum moderatorum jussu ad studium linguæ græcæ et præsertim matheseos traductus fuit, tanto successu, ut inter viros primi subsellii postea merito reputaretur. Theologicis studiis quadriennio excultus, quinquennium lectionibus philosophicis et mathematicis tradendis Antverpiæ impendit : donec anno 1762 cum duo uno anno iique primarii obiissent Hagio-
E graphi, Joannes Stilting et Joannes Perier, hic die XXIII Junii, ille XXVIII Februarii defuncti, in eorum locum suffectus fuit Bueus noster. Initio quidem pro more tunc consueto, quo anni aliquot impendebantur majori eruditionis supellectili conquirendæ, pauca præstitit : etenim in primo Octobris volumine, quod anno 1765 typis prodiit, non aliæ ejus lucubrationes occurrunt, quam elogium P. Joannis Stiltingi in limine præfixum et breviores syllogæ in SS. Lizerium, Romanum Martyrem, Diateriam, Virginem Mediolanensem, Joannem, episcopum Comi, Godefridum, presbyterum Cisterciensem et Berengarium Ordinis Prædicatorum. Paulo plura contulit adornando secundo volumini Octobris, quod diem tertium et quartum complectitur : licet enim vix plures Vitas illustrarit, eæ tamen hujusmodi sunt, ut latiorem præbeant campum eruditioni explicandæ. Nam in Hesychio, discipulo S. Hilarionis, cujus Vita texenda erat e scriptis S. Hieronymi, sedulo inquisivit Bueus in seriem chronologicam rerum a Sancto gestarum. In Uthone, abbate Mettensi, prope Deckendorffium in Bavaria inferiori, explicanda veniebant tempus et fata conditi monasterii : similia ferme dicere licet
F de Commentariis in SS. Mennam, Virginem in Lotharingia, Maximinianum episcopum in Africa, Dasium, Axiopolitanum in Mœsia Inferiori, et Petronium episcopum Confessorem Bononiæ.

quum quinque prioribus 135 In tertio tomo Octobris splendet magis Buei nostri eruditio. Nam ut omittamus commentariolos bene multos, non una erat difficultas enodanda in Vita et passione SS. Placidi et Sociorum, Martyrum Messanensium : contenderat Basnagius in sua Historia Ecclesiastica, ne vel exstitisse quidem sanctum aliquem Martyrem nomine Placidum, utpote qui a sæculo sexto ad duodecimum prorsus

(*a*) *David propheta, David doctor, David hymnographus, David historiographus. Opera et studio J. Ghesquieri a Raemdonck.* Tremoniæ ac Essendiæ 1800, in-8°.— (*b*) Socius academicus electus die XII Octobris, in academiam introductus fuit die VI Novembris 1780. *Mém. de l'Acad., t. IV. Journal des séances,* p. XIX. Prælegerat in hac sessione notitiam aliquam circa chronicon MS. Gilberti et tertium volumen historiæ Jacobi de Guise : sed, editione tunc quidem dilata, codex Ghesquieri desideratur. Ibid. — (*c*) *Mémoire sur un dépôt de médailles romaines de grand bronze, déterré à Waereghem, village de la Châtellenie de Courtray, au mois de Janvier* 1778, *par M. l'abbé Ghesquière.* Mém. de l'acad. de Brux., t. IV, p. 359. — (*d*) *Mém. sur l'authenticité d'un diplôme, que Mirœus n'a point connu et qui mériterait d'être placé dans un supplément au recueil de Mirœus, par M. l'abbé Ghesquière.* Ibid., p. 375.—(*e*) Ibid., t. V, part. hist., p. 1. — (*f*) Ibid., p. 48. *Observations bibliographiques et historiques sur la notice des Gaules, tirée d'un manuscrit de l'abbaye de S. Bertin, par D. Anselme Berthod; rédigées et augmentées après sa mort par M. l'abbé Ghesquière.* — (*g*) *Lettre d'un ami de la vérité à M. J. N. Paquot au sujet de son supplément du « Generalis temporum notio »* 1774. — (*h*) Arch. du Roy. Bollandistes, t. I, f. 48. Rapport du cons. Van den Cruyce, 24 Septembr. 1774. —(*i*) Oppidum ad Rhenum, in ducatu Cliviæ. — (*k*) H. G. Eskes qui scripsit epistolam citatam die V Septembris 1802, auctor est Operis adhuc inediti, quod *Clivia sacra* inscribitur, et commentarii menstrui, cui titulus : *Kerkelyk leesblad voor de Gelderlandsche en Kleeflandsche Catholiken :* tandem libelli precum, *Hulp in den nood* adversus librum J. G. Huleu, *Godvrugtig gebede-boeksken voor dezen tyd.* — (*l*) Arch. du Roy. Bolland., t. I, f. 48.

A ignotus manserit : unde Bueo retexenda erat sex sæculorum traditio circa martyrium S. Placidi, ut occluderet vafro scriptori omnes effugii vias. Discutiendæ dein veniebant conditi a Placido monasterii multiplices vicissitudines, ad trutinam revocanda martyrii Acta, quæ sublestæ plerumque sunt fidei. Eadem accuratione tractavit, quæ ad monasterium Besuense, in Burgundia, in Vita S. Prudentii, ejus fundatoris, pertinent. In passione S. Justinæ, Martyris Patavinæ, opiniones Sertorii Ursati et Justi Fontanini de Opilione, templi S. Justinæ conditore, falsas demonstravit, quoniam cum instrumentis fide dignissimis pugnarent.

tomis 136 Commentarios bene longos, et omnimoda eruditione refertos, exhibet tomus quartus Octobris : atque inter eos eminent, quæ scripsit Bueus in Vitam et revelationes S. Birgittæ, Viduæ. Etenim multa illic concurrebant explicatu non admodum facilia : magna erat revelationum Brigittinarum fama : probatæ fuerant summis Pontificibus Gregorio XI, Urbano VI et Bonifacio IX; sed oppugnatæ in Conciliis Constantiensi ac Basileensi, quamvis post maturam deliberationem habitam easdem ab omni censura immunes esse pronuntiaverit
B utraque synodus. Tractanda itaque veniebat ardua sane quæstio, cujus scilicet essent auctoritatis revelationes hujusmodi approbatæ, eamque e certis Theologorum principiis resolvit. In eodem pariter tomo scripsit de gestis S. Gisleni, qui celebre olim in Hannonia monasterium condidit.

Octobris 137 Post editum quartum Octobris volumen labefactari cœpit valetudo Byei, ita ut universi operis moles in humeros solius Buei incumberet, ut scribit Cæsareus pro rebus Hagiographicis commissarius (*a*); unde non putamus temerariam esse conjecturam, illum partem non spernendam habuisse in adornandis reliquis Commentariis, licet alieno nomine signentur : quo explicantur nostro judicio elogia, quibus insignitur Bueus; quamvis non videatur plus cæteris Operi Bollandiano promovendo allaborasse, si Acta, quibus nomen ejus præfixum est, inspiciamus. Cum itaque ea esset ætate, quæ jam in senectutem vergere cœpisset, monet Kulbergius (*b*), nisi ocius suppetiæ afferantur viro tantum non fatiscenti, quemque *profonde doctum* singulari encomio appellat, nullam deinde spem affuturam, ut aliquando *Acta Sanctorum* ad umbilicum perducantur.

C *multa contulisset,* 138 Ex allatis facile sibi quisque explicabit, quomodo factum sit, ut non ita multa Buei nostri nomine scripta in *Actis Sanctorum* occurrant, si conferantur cum iis quæ ab Byeo pertractata sunt. In quinto quidem tomo Octobris egregio Commentario illustravit Acta S. Francisci Borgiæ, tertii Præpositi Generalis Societatis Jesu. In S. Gummaro, Confessore Liræ in Brabantia, explicat, quæ ad Sancti cultum pertinent, quæque non raro historiam regionis aut urbis alicujus illustrant : nam dum cultus confirmandus est allatis exemplis, ex archivorum aut bibliothecarum pulvere eruenda sunt monumenta, quæ alia sæpe facta adhuc ignota aut in lucem producant, aut jam productis pleniorem claritatem afferant. Atque ita dum Vitæ Sanctorum ad accuratiorem crisim revocantur, multa necessario inveniuntur, quæ disquisitiones archæologicas aut genealogicas, et id genus alia requirant. Cæterum hæc jam supra multis demonstravimus. Ad Bueum nostrum redeamus.

Tongerloæ edit VI *tomum :* 139 Anno 1788 cum Bruxellis Tongerloam, ut num. 82 diximus, translatum esset Musæum Hagiographicum, solus Bueus in dictam abbatiam D concessit, atque juniores aliquot Canonicos Norbertinos ad continuanda *Acta Sanctorum* informandos suscepit. Eo itaque præcipue dirigente, typis Tongerloensibus prodiit sextus tomus Octobris, postremus qui adhuc publicam lucem aspexerit. In illo volumine accurate disquirit Bueus in Acta S. Callisti, Papæ et Martyris, præsertim in legem jejunii quatuor temporum, quam monstrat ab Ecclesia Romana in reliquas Occidentales manasse : in S. Burchardo origines ecclesiæ Herbipolitanæ in Germania, evolvit : in SS. Colmano, Martyre in Austria et Simperto, monacho et Augustæ Vindelicorum episcopo, antiquitatum Germanicarum peritum se exhibet. Tandem tomo septimo manus adjecerat Bueus, et aliquot ejus plagulæ jam excusæ erant, quas et nos secundis curis excudimus, quum Franci Belgium occupantes exulare Tongerloenses, tum incolas tum advenas, jusserunt.

obit Hallis. 140 Quum propter hostilem timorem Byeus et Ghesquierus in Gueldriam Borussicam, ut jam diximus migrassent, Bueus in patria remansit, E Deoque et Ecclesiæ fidelis, postremos vitæ annos Hallis Deiparæ, in natali solo transegit, donec supremum diem clausit in festo S. Michaelis III Kalendas Octobris anni 1808, annos natus LXXX, menses VI, dies XXVIII. In Bueum nostrum præcipue conjecerant oculos ad continuandum Bollandianum Opus tum administri reipublicæ, tum Academia Parisiensis, quæ vulgo *Institutum* audit : sed conditiones sane honorificas admittendas non judicavit : prodere etiam recusavit, ubi locorum lateret collectio documentorum, quæ necessaria erant ad opus promovendum : totus itaque ille tractatus irritus cecedit. Censebatur Bueus inter viros doctissimos Provinciæ Societatis Jesu Flandro-Belgicæ (*c*), tam peritus in mathematicis disciplinis, ut hinc etiam laudem non vulgarem consequi potuisset. Cæterum vir modestissimus, rarus inter homines, et tum quidem silentii, quantum humanitatis et charitatis leges permitterent, amans, alienæ tamen hilaritatis non solum patiens sed innocuis etiam jocis appetens : tempus vero omne, quo Deo non vacabat, in studia impendebat (*d*). Hæc sunt, quæ licet jejuna et mutila dicenda habuimus de Hagiographis Societatis Jesu : de his, sicut et de sequentibus plura F cognovisse maluissemus; sed interceptus longa annorum serie operis cursus impedivit ne, operose etiam investigantibus, plures notitiæ occurrerint.

Anselmus Berthod, 141 Inter hagiographos, qui ad Societatem Jesu non pertinebant, primum sibi locum vindicat Anselmus Berthod, monachus Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Vitoni. Natus erat honestis parentibus in Rupt, oppidulo comitatus Burgundiæ, die XXI Februarii an. 1733. Peractis cum laude humaniorum studiis Vesuntione apud PP. Societatis Jesu, ætatis anno decimo nono, Ordinem S. Benedicti, in monasterio Tavernacensi, Congregationis S. Vitoni, ingressus est, et in eo professionem solemnem emisit die VIII Septembris 1752. Post consueta philosophiæ ac theologiæ studia, totum se historiæ, et antiquitatibus ecclesiasticis et profanis addiscendis impendit. Licet palmas academicas sæpe retulisset, ea tamen erat modestia, ut suam agendi rationem tam superioribus quam

(*a*) Arch. du Roy. Bolland., t. II, f. 115. *Rapport du cons. de Kulberg au comte de Belgioioso, min. plénipotent.* Bruxelles, 18 Novembre 1784. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid., t. I, f. 48. — (*d*) Quæ de Buei virtutibus hic paucis indicamus, excerpsimus magnam partem ex epistola Caroli Antonii de la Serna Santander ad Præfectum Dyliæ datam, quamque communicavit ejus filius Petrus Ferdinandus, nostri operisque Bollandiani amicissimus.

æqualibus

A æqualibus probaret. Disciplinæ regularis tenax, omne tempus quod communibus officiis supererat, lectioni scriptionique addicebat.

jam fama clarus, e Gallia

142 Ut vero ejus ingenio, quod ad eruditionem inclinabatur, obsecundarent superiores, Anselmum præfecerunt bibliothecæ publicæ Vesuntinæ, opulentæ imprimis pro historia Belgica. Istic scilicet reperiebantur non solum epistolæ autographæ Cardinalis Granvellani, sed et litteræ plurimæ imperatorum, regum Hispaniæ et aliorum, quibus summa auctoritas illis turbulentissimis temporibus erat : constabat vero universa collectio voluminibus octoginta, e quibus excerpta satis ampla communicavit D. Anselmus cum Academia Vesuntina, cujus socius erat jam ab anno 1769. Circa annum 1770 alium subiit laborem, arduum et tetricum, sed magno emolumento compensandum, si quis res Burgundicas penitius inspicere vellet. Erant nempe in archivo episcopali Vesuntino multa testamenta, quæ ad sæcula XIII, XIV et XV pertinebant; immensam prope chartarum farraginem ad nitidissimum facillimumque ordinem redegit, quo quidem labore improbo nobilitas non solum Burgundiæ, sed Alsatiæ Helvetiæque origines familiarum suarum nullo
B negotio demonstrare poterant.

evocatur,

143 Eruditionis fama effecit, ut Franciæ administri Anselmum designaverint, qui varias Europæ regiones peragraret ad colligenda documenta, historiæ Francicæ illustrandæ utilia. Excurrit tunc Berthodus in Belgium nostrum, et non sine magna copia monumentorum ad suos reversus est. Cum vero per obitum regii in Gallia ministri, Bertin, consilium conscribendæ patriæ historiæ irritum cecidisset, Berthodus curas suas traduxit ad commentandum regulam S. Benedicti, prout observabatur in sua Congregatione S. Vitoni, novumque edendum Breviarium et Missale ad usum Ordinis sui. Hisce meritis cumulatus anno 1782 factus est prior major monasterii Luxoviensis et anno sequenti visitator generalis Congregationis S. Vitoni.

sed breve post tempus obit.

144 Jam in eo erat Berthodus, ut summam præposituram ordinis adipisceretur, quando jussu Cæsaris invitatus fuit, ut Ignatio Hubens defuncto succederet, *Acta Sanctorum* promoturus. Displicuit certe quibusdam hæc vocatio, qui maluissent, ut quoniam viro suppressæ Societatis Jesu provinciam credere nolebant administri Cæsarei, populari magis quam alienigenæ committerent. Atque id
C effecit, ut minus gratus fuerit non paucis Berthodi adventus Bruxellas : serpebat quoque obscurus rumor, quasi novus hospes minus recte in iis quæ sunt fidei sentiret, et proin opus hagiographicum in defensionem errorum a Sede Apostolica damna- D torum deflecteretur. Illa scilicet tempestate non pauci Ordinis S. Benedictini in Gallia alumni, labe Janseniana infecti erant, sed hi magis, ut videtur, ad Maurinos, quam ad Vitonianos pertinebant. Officiebant tamen ea omnia Berthodo, conceptasque præterea suspiciones exaggerabat frequens litterarum commercium cum iis, qui ad duplex opus l'*Art de vérifier les dates* et *Recueil des Historiens de France* incumbebant, quique in partes novatorum omnino inclinabantur. Has nebulas dissipavit Berthodi intemeratæ fidei professio. Attamen hujusmodi rumusculi tantum dolorem viro cordato inflixerunt, ut valetudinem affecerint : et forsitan finem vitæ acceleraverint. Jam supra n. 59 assignavimus rationes, cur pauca admodum ad *Acta Sanctorum* contulerit. Obiit Berthodus die XIX Martii 1788, annos natus LV, dies XXVII (*a*)

Joan. Bapt. Fonson,

145 Quemadmodum supra noluimus separare, qui fuerant in Societate Jesu eadem professione conjuncti, ita, quamvis Matthias Stals, Præmonstratensis, Joannem Baptistam Fonson morte præcesserit, de hoc tamen ante illum dicemus, ut deinceps Hagiographos Ordinis Præmonstratensis uno tenore recensere possimus. Berthodum igitur E excipit Joannes Baptista Fonson, natus Bruxellis III Kalendas Martii, anni 1757, patre medicinæ licentiato. In humanioribus scholis auditor fuit PP. Societatis Jesu in collegio S. Michaelis Bruxellis. Inter canonicos regulares abbatiæ Frigidi montis seu Caudenbergensis cooptatus, emissaque legitime professione, unus inter fratres suos inventus fuit, qui ad rem hagiographicam excolendam idoneus omni ex parte videretur. Tribus enim annis operam indefessam navaverat in comparanda illa eruditionis copia, quæ necessaria erat, ut sub rectione antiquiorum symbolam posset conferre suam ad *Acta Sanctorum* continuanda. Itaque anno 1781 Fonsonus inter Hagiographos annumeratus est (*b*). Nam alter canonicorum Caudenbergensium, Franc. Josephus Reynders actuoso otio, ut supra n. 70 diximus, insuescere nescierat.

Hagiographus,

146 Edidit Fonsonus in quinto tomo Octobris syllogas historicas et breviores Commentarios in utrumque S. Paulinum, Eboracensem in Anglia, et Capuanum episcopum, in B. Robertum, Malatestam, tertii Ordinis S. Francisci, in S. Germanum, Vesuntinum, et S. Firminum, Usetiensem antistites, in SS. abbates Cannicum, Kilkennensem in Hiber- F nia, et Paldonem, S. Vincentii ad Vulturnum, demum in SS. Virgines Placidiam, Veronensem et Ethelburgam Berchingensem abbatissam in An-

(*a*) Pleraque hic relata extraximus e Commentariis academiæ Bruxellensis, t. V. Hist. de l'acad., p. LXXII. Cfr Biograph. univ., t. IV. Quæ vero edidit Berthodus sunt sequentia, quorum plurima nobis videre non licuit :

1. *Dissertation sur l'ordre chronolog. des évêques de Besançon.*
2. *Discours sur le dyptique d'Ariobindus.*
3. *Mémoire sur la chronique de Jacques Leclerc et les Vaudois d'Arras.*
4. *Mémoire sur les principales villes du comté de Bourgogne dès le XIe siècle et sur sa capitale,*
5. *Mémoire sur les droits Régaliens des abbayes de St.Claude, de Luxeu et de Lure.*
6. *Mémoire sur les différentes positions de Besançon, depuis César jusqu'à présent.*
7. *Mémoire sur l'origine, l'autorité et les domaines des comtes de Bourgogne.*
8. *Mémoire sur le gouvernement de Besançon sous les Empereurs d'Allemagne, sur les armoiries et banières de cette ville.*
9. *Discours sur les manuscrits du cardinal de Granvelle, avec l'extrait de ces manuscrits.*
10. *Discours sur l'origine de plusieurs usages établis pendant le moyen âge.*
11. *Mémoire sur quelques manuscrits de la bibliothèque publique de Besançon.* (Vid. *Mém. de l'Acad. de Bruxelles,* t. II, p. XLIV.)
12. *Le voyage de Claude Belin à Bruxelles, tiré des manuscrits du card. de Granvelle.* (Vid. ibid., p. XLVII.)
13. *La vie de François Richardot, évêque d'Arras.* (Vid. Ibid., t. IV, p. I — XIV.)
14. *Voyage littéraire fait dans les Pays-Bas.* (Excerpta aliqua. Ibid., t. V. P. Hist., p. 227.)
15. *Observations sur la Notice des Gaules, publiée par le Père Sirmond, et sur une autre tirée des manuscrits de l'abbaye de St. Bertin.* (Ibid., p. 30.)
16. *Observations historiques et bibliographiques sur la Notice des Gaules, tirées d'un manuscrit de l'abbaye de St. Bertin, par Dom. B., rédigées et mises en ordre après sa mort, par M. l'abbé Ghesquière.* (Ibid., p. 48.)
17. Acta S. Maximiliani ep. Mart. Celecæ in Norico mediterraneo, XII Octob.
18. Acta S. Pantali seu Pantuli Rauracorum, episc. Mart. Coloniæ Agripp., XII Octob.
19. Acta SS. Amici et Amelii pro Martyribus cultorum, XII Octob.
20. Acta S. Lupentii presb. Conf. Trevir, XIII Octob.
21. Acta S. Venantii abbatis et Conf., XIII Octob.
22. Acta S. Geraldi, comitis Aurilliacensis, Conf., XIII Octob.

(*b*) Arch. du Roy. Bolland., t. II, f. 20. Rapport du cons. de Kulberg au Pr. de Stahremberg, 3 Mai 1780.

A glia. Suppressa abbatia Caudenbergensi, secutus est Fonsonus reliquos Hagiographos in Teresianum convictum, olim Societatis Jesu collegium, atque illic aliquamdiu *Actis Sanctorum* operam suam contulit. Sed cum deinde anno 1788, ut diximus n. 82, pacto pretio, transcripta fuisset Tongerloensibus universa Bollandiana hereditas, Bruxellis habitare maluit Fonsonus, atque hagiographicis studiis valedixit. Quare sexto Octobris tomo breviusculas solum syllogas de SS. Rodobaldo Ticinensi Episcopo, Leobono Confessore in Lemovicis et Hibernis Virginibus Fyncana et Findocha apposuit.

post concordatum ministerio sacro operam dat.

147 Damnosus forsitan Fonsono Bruxellensis incolatus exstitit; nam cum ex decreto Francorum, Belgium occupantium, omnes ecclesiastici ordinis viri adacti fuissent ad famosum juramentum, quo asseverabant exosam sibi esse regiam dignitatem, aliorum exemplo et auctoritate allectus in verba edicti juravit. Reddita Ecclesiæ pace, Fonsonus primum per quinquennium ecclesiæ parochiali B. Mariæ Finisterræ, dein anno 1807 ecclesiæ B. Mariæ de Victoria (vulgo *Sablon*) addictus fuit, variaque in ea ministeria exercuit. Nam rei pecuniariæ
B præfectus, cum dicta ecclesia gravibus litibus implicata esset, ministerium gratuitum impendit. Anno 1810 vicarius parochi, dispertitum ordinarie ægrotos invisendi gravissimum munus, solus diu sustinuit. Summæ quoque erat assiduitatis in confessionibus excipiendis, multos inveteratos peccatores a via perversa ad semitas justitiæ reduxit, quique omne sacerdotum refutabant auxilium, Fonsonum et libenter audiebant, et piis ejus monitis morem gerebant. Sperandum sane ingentem animarum zelum abstersisse maculas, persecutionis tempore contractas. Cum parochi titulus in eadem ecclesia illi oblatus fuisset, vir, solitudinis amans, delatum sibi honorem recusandum duxit. Obiit hydrops die XIV Septembris anni 1826, annos natus LXIX, menses VI, dies XVIII. Quæ de Fonsono retulimus, accepimus e fideli narratione eorum, qui diu cum illo versati fuerunt : rara enim sunt, quæ e documentis authenticis haurire nobis licuit.

E Præmonstratensi familia

148 Gradum facimus ad illos Hagiographos, qui postremi ad continuanda *Acta Sanctorum* accesserunt, et quorum præsertim opera reliquiæ Bollandiani musæi ab interitu vindicatæ fuerunt. Sed jure
C sibi optimo primum locum postulat Godefridus Hermans, abbas Tongerloensis, cujus maxime consilio factum est, ut Hagiographia universa Tongerloam transferretur. Natus erat Godefridus in Vorst, pago Taxandriæ, die XIX Novembris anni 1725 et peracto Ghelæ, vicino oppido, consueto studiorum humaniorum cursu, Lovanii philosophiam didicit (*a*). Sed rerum terrestrium pertæsus, Tongerloam se contulit, ut Deo sibique deinceps vacaret. Anno Domini 1747 die XXIII Maji solemni votorum professione Deo arctius adstrictus, ab abbate suo Siardo Van den Nieuweneynde Romam mittitur studiorum causa : unde reversus anno 1752 decennio sacrum ministerium vicarius exercuit in Alphen, parochia rurali prope Tilburgum in septemtrionali Brabantia. Anno 1762 a Siardo Tongerloam revocatus actuosum munus Provisoris, ut vocant, seu rei temporalis procuratoris sustinuit. Ejus industriæ imprimis debetur, quod Grevia olim, ut canit poeta (*b*),

Triste solum, terra ingratissima quondam D
Quantum mutata est! nunc hic justissima tellus
Pro tribulis spicas et erica fundit aristas.
Illic errantes in aprico gramine fœtæ
Et pingues vaccæ, robustaque corpora tauri,
Atque boves tremulum mugitibus aera pulsant,
Hic mille umbrosis pascunt in saltibus agnæ, etc.

Godefridus abbas Tongerloensis

149 Defuncto Siardo Van den Nieuweneynde abbate die VI Septembris 1779, Godefridus unus e tribus fuit electus, qui in antistitem designaretur a Maria Teresia Augusta. Imperatrix gnara quanta jam beneficia monasterio suo contulisset, Godefridum abbatem XLIV Tongerloensem scripsit die XXI Junii 1780. Possessionem dignitatis suæ adiit XXXI Julii, ac tandem infula pontificali donatus fuit X Septembris ejusdem anni. Cum jure prælaturæ suæ ordinum Brabanticorum assessor esset, inter cæteros ecclesiastici ordinis viros eminuit Godefridus ingenio reipublicæ capessendæ apto et imperterrita constantia adversus fatales novitates Josephi II Cæsaris, quibus Ecclesiæ atque Patriæ leges labefactabantur. Vir excelsæ mentis perspiciebat, quantum ad regularem disciplinam sartam tectam servandam conferret, ut, qui degebant in otio asceterii sui ad studia incumberent. Quare omni ope sategit E
in monasterium suum transferre rem Bollandianam : eo quidem consilio ut currentibus jam fratribus suis novos adderet stimulos : nam semper inter Præmonstratenses canonicos ac nominatim inter Tongerloenses, studia bonarum litterarum viguisse, nimis notum est, quam ut hic repetamus (*c*).

emit musæum Bollandianum,

150 Merito igitur optimo appellarunt Godefridum Hagiographi *alterum Bollandiani operis parentem* (*d*) : *cum enim,* ajunt, *ejus continuandi spem omnem nuperis Hagiographis ademptam videret, de republica christiana bene merendi incensus studio, ingentem, qua usi fuerant, librorum cum typis editorum, tum manuscriptorum copiam, continuando per suos operi ære numerato coemit, Tongerloam una cum omni preli supellectile transtulit, nova ornataque bibliotheca condidit.* Fructum suæ industriæ lætissimum vidit Godefridus, cum anno 1794 typis Tongerloensibus prodiit sextus tomus Octobris. Sed felicem operis cursum stitit ingruens belli calamitas, quæ omnem deinde spem abscidit. Ipse Godefridus, cui periculosa fiebat longior in Belgio mora, refugium sibi quæsivit, atque in Haeren, juxta Tilburgum, apud confratrem suum Adalbertum Zwaens, ibidem parochum, tutum quidem in- F
venit, sed neutiquam quietum locum, utpote qui ex hac quasi specula viderit præcipua monasterii prædia fisco addicta, dispersos fratres suos et ipsum cœnobium alienis deputatum, brevique destruendum. Tandem ærumnis magis, quam senio confectus, obiit die XIII Julii anni 1799 annos natus LXXIII, mens. VI, dies XXV. Occupabant tunc Franci Bataviam, unde in mediæ noctis silentio componi debuit, absque ulla funebri pompa, vir meliori fortuna dignus (*e*).

cui ex eodem monasterio adscripti Mathias Stals,

151 Ternos e suis initio Godefridus abbas Hagiographos designarat, Siardum Van Dyck, Cyprianum Van de Goor et Mathiam Stals. Hic, quoniam reliquos morte præcessit, primus nobis recensendus venit. Natus erat Mathias Mosaci (Maeseyck), in pago Limburgensi, die XII Octobris 1761. Candidam Præmonstrati vestem induit die XVIII Aprilis 1784 ac religiosam professionem emisit die XV Octobris anni 1786. Cautum enim erat decreto Mariæ Te-

(*a*) *Panegyris* in Godefridi installatione typis excusus. Auctore Van Dingenen, vic. in Tilburg. Cfr Adr. Heylen. *Hist. Verhand. over de Kempen,* p. 22. — (*b*) Ibid., p. 7 et seqq. — (*c*) Ibid., p. 191. — (*d*) Epist. dedic. ad Pium VI, præfix. t. VI Octobr. —

(*e*) Pleraque de Godefrido allata excerpsimus e notitia typis edita in Ephemeride *Ami de la Religion et du Roi,* XXXI Martii 1824, n. 1006, t. XXXIX, p. 206.

A resiæ dato die XVIII Aprilis 1772 (*a*), ne quis solemniter profiteretur, nisi annum vigesimum quintum ætatis complesset. Cum sexennium Theologicis disciplinis impendisset, ad Hagiographica studia, prælati sui jussu, anno 1790 traductus fuit. Duos Commentarios in t. VI Octobris edidit, alterum in SS. Agratum et Casturum episcopos Confessores Viennæ Allobrogum, alterum in S. Cosmam episcopum Confessorem Majumæ in Palæstina. In hoc septimo tomo Octobris iterum damus illa, quæ egregie, licet compendiose, scripsit de S. Deodato, episcopo Viennensi in Allobrogibus, de S. Sabino, episcopo Confessore, Catanæ in Sicilia, Galtero, abbate Cisterciensi, ac tandem de B. Philippa de Campo-Limano, Virgine, Viennæ Allobrogum. In his omnibus magnas de se spes excitaverat, quas tamen abrupit ejus vocatio ad munus cellarii abbatiæ, anno 1795 : in ejus locum suffectus videtur Adrianus Heylen (*b*), qui tamen nihil quod *Acta Sanctorum* attinet, scripsit. Anno sequenti cum fratribus suis VI et armis Francicis Tongerloa expulsus, munus vicarii in Chaam, parochia olim diœcesis Antverpiensis, nunc Vicariatus apostolici Bredani, in septemtrionali Brabantia. Ad cappellaB niam Tilburgensem translatus anno currentis sæculi primo, operam suam superioribus ita probavit, ut vacantem illic parochiam die IV Martii 1812 Stalsio contulerint. Istic seduli parochi partes egit diligentissime, donec die II Februarii, Mariæ purificatæ sacra, 1826 pie in Domino obdormivit, annos natus LXIV, mens. III, dies XXI.

Siardus Van Dyck,

152 Alter e Norbertina familia Hagiographus fuit Siardus Van Dyck, Tongerloæ die X Novembris 1759 natus. Post humaniorum litterarum studia, cum statuisset totum se divino obsequio devovere, admitti petiit in Ordinem Præmonstratensem : quominus statim voti compos fieret, et candidis Tongerloensium vestibus indueretur, obstabat ætas : itaque tamdiu communibus vestimentis usus est, licet cæterum in claustro jam degeret, donec illos annos attigisset qui paterentur et tyrocinium inchoare, et legitimo tempore solemnia vota rite concipere. Professionem regularem fecit die XXVIII Novembris anni 1784 annos viginti quinque natus. Diuturno studiorum labore paratus in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, III Kal. Julii 1789 designatus fuit Dyckius a prælato suo ad continuandum, Bueo duce, Bollandianum opus.

C *qui plura Acta*

153 Sexto Octobris tomo, sicut bini reliqui Tongerloenses, allaboravit Dyckius, atque si numerum et gravitatem eorum, quæ scripsit, respicimus, non est quod diffiteamur, Dyckium illum fuisse, qui maximas de se promovendi *Acta Sanctorum* spes faceret. Etenim, ut nihil dicamus de illustratis Actis SS. Mauritii, abbatis in Britannia minori, Fortunatæ Virginis ejusque fratrum, et Gaudentii, episcopi Martyris Ariminensis, conscripsit Commentarium in Acta S. Donatiani, episcopi Remensis, cujus Reliquiæ Brugis Flandrorum quiescunt : quamvis autem celeberrimus esset Sancti cultus, ejus tamen gesta tot fabulis respersa demonstrantur, ut merito recenseantur inter apocrypha. Utcumque e collatis monumentis eruit præcipua monumenta S. Episcopi. In SS. Dominico Loricato, Rustico Episcopo Trevirensi, et Fortunato Tudertino, serio indaganda fuit ætas, quo hi Sancti vixerint atque obierint : e chronologicis hisce tricis feliciter evolvit sese Dyckius, et Sanctorum Acta egregie illustravit. Septimo volumini allaboravit Dyckius editis doctis prolegomenis in passionem SS. Martyrum Maurorum, Coloniæ, quorum conditionem optime explicavit, in Vitas S. Leonardi, Corbiniacensis quem accurate ab ejus homonymo Lemovicensi distinguit, et S. Rogerii, episcopi Cannensis in ejusdemque ecclesiæ origines accuratissime investigavit. D

egregie illustrat,

154 Ad majora parabat se vir laboris patientissimus, quum violenta monasterii abolitio cursum litterarium intercepit. Anno itaque 1797 vicarius datus fuit parocho in vico Diessen, qui Vicariatui apostolico Silvæducensi subjacet : inde post Concordatum anni 1801 parochus designatus fuit in Oolen, quæ media est parochia inter Tongerloam et Herendalium, diœcesis Mechliniensis : sed inde brevi, scilicet 1804, quia obedire nolebat mandatis, quæ minus æqua et juribus Ecclesiæ contraria judicabat, exulare jussus est; abiit igitur in Diessen, ubi parochi munere functus est usque ad Kalendas Februarii anni 1830, quo diem supremum obiit, annos natus LXX, menses II, dies XXII. Dyckio merito accommodata sunt verba *Ecclesiastici* XXXIX, ỳ. 12 quæ adscripta reperimus paginæ funebri : *Collaudabunt multi sapientiam ejus. . . . non recedet memoria ejus. . . . et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.* Præter E Commentarios, *Actis Sanctorum* insertos, palmam retulit Dyckius in concertatione Academica circa quæstionem, anno 1792 propositam : *de finibus Comitatus Flandriæ sub Balduino Ferreo, de annis et ratione ejus regiminis.* Victori proxime accesserant Carolus Van Hulthem et Isfridus Thys (*c*).

et Cyprianus Van de Goor.

155 Agmen Hagiographorum claudit tandem Cyprianus Van de Goor, Turnholtanus, natus die XVI Decembris anni 1759. Quadriennio Tongerloæ versatus est antequam propter defectum ætatis adscribi inter canonicos Præmonstratenses potuerit per professionem regularem, quam tandem die XVII Decembris 1784 rite et legitime emisit. Eodem cum duobus præcedentibus tempore addictus Bollandiano Musæo, initio multam industriam impendit ad ordinanda illa, quæ ad rem librariam et typographicam pertinebant. Quaternos in sexto Octobris tomo edidit Commentarios Goorius, qui licet non sint prolixi, utpote quibus non multa materia subesset, ejusmodi tamen sunt, ut probarint illum aptissimum labori hagiographico. Nam in Cœlesti seu Cœlestio, Metensi episcopo, statim occurrebat quæstio de hujus Sancti ætate, quæ cum chronotaxi Metensis ecclesiæ componenda erat. In sanctis F Virginibus Manechilde, Catalaunensi, et Angadrisma, Bellovacensi, cultus et tempus emortuale discutienda veniebant. Similes investigationes postulabat sibi Vita S. Bernardi, Confessoris, Arcani in Italia. In hoc septimo volumine prelo iterum subjicimus Goorii lucubrationes quinas, scilicet in S. Agileum, Martyrem Carthaginensem, S. Tammarum episcopum Afrum, Beneventi, S. Baldericum, Confessorem in Burgundia, S. Theclam, Virginem abbatissam Kitzingensem, in Germania, et tandem B. Theodoricum Alemannum, presbyterum Ordinis Carmelitarum. Neque contemnat quis hujusmodi lucubrationes, quia sunt breviusculæ : labore sæpe improbo in multis libris conquirendum fuit, quod brevi scriptura exhibetur lectori. Expulsus cum fratribus suis e monasterio Goorius, reddita Ecclesiæ pace, designatus fuit parochus Tongerloensis anno 1803, atque illic omnem operam impendit, ut commissum suæ curæ populum ad virtutes Christianas informaret, donec senio et valetudine confectus,

(*a*) Van de Velde Synops. Monum., t. III, p. 1092. — (*b*) Vide ejus elogium a Cl. De Ram scriptum. *Mém. cour. de l'Acad. de Brux.*, t. XV, p. I. — (*c*) Nouv. mém. de l'acad. de Brux., t. II. *Rapport sur l'état des travaux, par M. Dewez*, p. XLIII.

confectus, parochiæ procurationem demittere coactus fuit. Unus fuit Goorius ex Hagiographis, qui monasterium suum phœnicis instar e cineribus renascens vidit, et pro patribus natos filios conspexit : quibus ut lætissimum incrementum det Deus Optimus Maximus, ex corde apprecamur. Piissimus erat Goorius, vir simplex et rectus, qui cum jam labore multorum annorum fessus, quod ageret, non haberet, dies integros precibus, præsertim terendis Rosarii globulis, dicabat. Obiit die xxv Julii 1839, annos natus LXXIX, menses VII, dies X.

Epilogus. 156 Hæc præfari opportunum et necessarium duximus, tum ut aliquam rationem de indole Operis nostri redderemus, tum ut debitas laudes iis rependeremus viris, qui in eadem palæstra nos præcesserunt. Quantum vero ad hunc tomum, quem primum post redintegratum Bollandianum institutum edimus, pertinet, certe nobis nimium blandiremur et lectori videremur fucum facere, si illum ab omni errore immunem haberemus; et eo quidem maxime, quod plerumque de rebus ab ætate nostra remotissimis et magnam adhuc partem incertis disseruerimus. Quod igitur in his lucubrationibus repererit lector aut a veritate alienum aut minus pro rei dignitate limatum, de eo nos sincere et humaniter admonere non dedignetur, quo diligentius in posterum ab hujusmodi erratis nobis cavere valeamus. Illud secum etiam reputet nihil simul inchoatum et perfectum esse; et non solum consilia posteriora, sed etiam opera magis magisque perfici. Qui proinde reliquas partes accuratius meliusque elaboratas exhiberi sibi optant, eos precamur, ut non tantum nos amice et fideliter doceant, sed ut optimæ erga nos conatusque nostros voluntatis significatione animos addant, et codices ac monumenta, ad rem nostram facientia, publicis vel privatis tabulariis et bibliothecis abditas, prompte nobis liberaliterque communicent.

SYNOPSIS

TOMI SEPTIMI

DE ACTIS SANCTORUM OCTOBRIS.

Tomus hic, totius operis tertius supra quinquagesimum, primusque a restituta societate hagiographica, duos solum dies, quintum et sextum decimum Octobris complectens, Sanctos ac Beatos quinquaginta octo nominatim, cum sanctis Martyribus octingentis nonaginta quinque anonymis recenset. De his, quatuor in classes, quarum tres priores quidem ecclesiastici, monastici et sæcularis status viros, quarta vero cujuscumque conditionis fœminas continet, divisis, hic pauca pro more majorum nostrorum secundum ordinem, quo in subjecto tomo dantur, præmittimus.

Ex statu ecclesiastico.

Classem hanc aperit cum *Modesto Lupulus,* qui habitu sacerdotali indutus in veteri pictura Capuana exhibetur. Hunc excipit *Eliphius,* qui paulo post medium quartum sæculum martyrium subiit : eodem quoque sæculo floruit *Antiochus,* episcopus Lugdunensis, qui presbyter episcopum suum Justum in Ægypto morantem invisit. Sequens sæculum varios nobis episcopos sanctitate insignes exhibet : *Cannatum* et *Antoninum,* ut fertur, Massilienses antistites, de quibus præter cultum, multis monumentis firmatum, vix certi quidpiam statui potest : *Severum,* Trevirensem, qui S. Germano, hæresim Pelagianam in Britannia majori profliganti, comes et adjutor fuit, et, adulto jam quinto sæculo, obiit : *Tammarum,* ex Africa, propter fidem Catholicam exulem, qui Beneventi cursum vitæ absolvit. De *Colmano,* Killruadhensi in Hibernia episcopo, paucula, eaque suis impedita difficultatibus, statuere nobis licuit. Eodem sæculo sexto floruit *Conoganus,* Corisopitensis episcopus in Armorica, cujus Acta, multis fabulis immixta, edidit Albertus Le Grand, accuratius autem Jacobus Malbrancq S. J. in commentario suo de Morinis. *Magnobodus,* Andegavensis episcopus, circa annum DCLXX defunctus, binos biographos nactus est, Anonymum coævum, quem edimus, et Marbodum, episcopum Rhedonensem, qui priorem Vitam tersiori et contractiori stylo fere ad amussim expressit. Anno probabilius DCLXXXIII *Mummolinus,* S. Eligii in cathedra Noviomensi et Tornacensi successor, obiit : hujus Sancti Acta, hactenus inedita et Commentario prævio adornata, damus ex veteri MS. codice Noviomensi. Parciora sunt documenta quæ de *Deodato* seu *Theodato,* episcopo Viennæ Allobrogum, nobis occurrunt; unde præter Sancti memoriam et cultum, tempus sedis et obitus, vix aliquid de eo accuratius determinari potest. Magis etiam dubia sunt, quæ de *Sabino,* episcopo Catanæ in Sicilia, traduntur; quoniam, si breve elogium Basiliano Menologio insertum exceperis, tempus episcopatus et obitus conjectura definiendum est. Ad sæculum octavum certo pertinet *Ambrosius,* Cadurcensis episcopus circa annum DCCLXX vita functus, cujus Acta ab auctore subæquali scripta, damus ex antiquo satis codice, collato cum MS. Reginæ Sueciæ. Proximum sibi locum vindicat *Lullus,* Moguntinus archiepiscopus et S. Bonifacii Martyris discipulus ac successor. Obiit Sanctus anno DCCLXXXV, ejusque Acta satis vetusta Commentario prævio illustravimus. Incertæ e contrario sunt res gestæ *Rogerii,* episcopi Cannensis in regno Neapolitano, immo nihil invenimus, quo tempus episcopatus ejus propius elucidare potuimus, quam dicendo illum ante sæculum XII floruisse. Gloriosum agmen claudit vir sanctitate insignis, *Bertrandus,* Convenarum episcopus, cujus Vitam coævam, pridem editam, sed ad optimum exemplar collatam, recudimus, præmisso Commentario prævio, in quo variæ quæstiones, ad chronologiam et topographiam spectantes, elucidantur.

Ex

A

Ex statu monastico.

De *Malo* seu *Maleo,* quem græca Kalendaria Eremitam, Patrem et Thaumaturgum appellant, pauca supersunt, incertumque est sæculum, quo floruit; sed ipsa documentorum parcitas aliquousque monstrat illum ad antiquiora tempora pertinere. In persecutione Vandalica mortem pro fide Catholica appetiere, anno CCCCLVIII aut sequenti, *Martinianus, Saturianus* eorumque fratres duo : hi, e servitute elapsi, suadente Maxima Virgine, eorum conserva, in monasterium Tabracense confugerunt; unde vi abrepti plurima tormenta sustinuerunt, ut late discribit Victor Vitensis. In Commentario prævio ad Vitam *Juniani,* retractata sunt illa, quæ majores nostri ad diem XXV Junii de *Amando,* Juniani magistro, dixerant : dein utriusque Sancti ab homonymis distinctio late indicata fuit. Similis opera impensa fuit in illustrandis Actis *Leonardi* Corbiniacensis, quem a Lemovicensi oportebat secernere : ejus Vita, ab Anonymo subæquali scripta, non satis dilucide chronotaxin enuntiat. In annum circiter DCXXVII incidit obitus *Galli,* discipuli S. Columbani, licet plerique recentiores tempus emortuale usque ad annum quadragesimum
B quintum prorogare contendant : in Commentario prævio variæ quæstiones attinguntur, quæ Acta S. Columbani et initia celebris monasterii S. *Galli* illustrant. Vitam S. *Galli* octavo sæculo exaratam e Monumentis Germaniæ historicis Cl. Georgii Henrici Pertz edimus. E Flodoardi Historia ecclesiæ Remensis, damus Acta *Balderici* Falcomontensis, atque hac occasione puncta quædam ad antiquitates Remenses spectantia examinantur. *Baldericum* in hac classe excipit *Bercharius,* Martyr, fundator monasteriorum in Altovillari et Dervo, cujus Acta ex antiquioribus documentis scripsit sæculo X Adso, Dervensis abbas. Qui sequitur *Vitalis,* in Ratiatensi pago eremita, distinguitur imprimis ab aliis ejusdem nominis Confessoribus, ac dein inquiritur in ejus ætatem, satis dubiam, quæ tamen ante medium sæculum nonum effluxisse videtur, quibus omnibus subnectitur Sancti Vita ex duplici Breviario MS. Trenorchiensi extracta et suppleta ex MS. gallico ecclesiæ S. *Vitalis.* Eodem circiter tempore vixit *Gurdanius* seu *Gurdinellus* Duaci cultus; sunt non pauci eruditi, qui duplicem hic sibi fingunt Sanctum, sed probabilibus monstramus argumentis unum eumdem-
C que, immutato licet aliquantisper nomine, designari. Paucula nobis servavit antiquitas de *Germano,* eremita et Martyre, in Arvernia, incertum quoque vitæ tempus, quod tamen medium sæculum undecimum antecessit; *Anastasius,* monachus et eremita in Gallia, circa an. MLXXXV defunctus, biographum nactus est coævum, Galterium; cui tamen non plane assentimus, quando refert Sanctum missum fuisse in Hispaniam ad prædicandum Sarracenis; probabilior enim nobis est scopus missioni præfixus, abolitio liturgiæ Hispanæ et inductio rituum Romanorum. Exeunte sæculo duodecimo floruit Ebuli, in diœcesi Salernitana, *Bernerius,* eremita, cujus Vita, centum fere annis post mortem scripta et adhuc anecdota, editur : atque hac occasione Bienerum quemdam, Uxamensem, qui numquam exstitit, e catalogo Sanctorum expunximus. *Galteri,* abbatis Ordinis Cisterciensis et Martyris anno MCCXLIV, Quinciaci sepulti, cultus ostenditur, simulque monstratur eum perperam in catalogum episcoporum Autisiodorensium inferri. In brevem syllogen contracta fuere, quæ in variis documentis occurrebant, circa res gestas, sanctitatem et cultum *Theodorici* Alemanni, ex Ordine Carmelitarum, an. MCCCLXXVII D
Venetiis defuncti.

Ex statu sæculari.

Qui primi in hac classe occurrunt, Martyres sunt, primis Ecclesiæ sæculis glorioso certamine perfuncti, *Fortunatus, Bassianus, Saturninus,* cum *Nereo, Mireo, Aufido* et sociis CCLXV, *Leontius* cum sociis *Domitio, Terentio* et *Domnino.* De *Agileo,* in cujus die natali S. Augustinum sermonem habuisse testatur Possidius, præter breve elogium, ex Hieronymianis Martyrologiis excerptum, nihil superest præter memoriam basilicæ, sub ejus olim invocatione dedicatæ : statuitur quoque *Agileus* a Galeo, sub die XXIV Januarii in quibusdam Hieronymianis codicibus annuntiato, distinguendus non esse. Sub Diocletiano passi perhibentur CCCLX *Mauri milites,* quorum corpora Coloniæ Agrippinæ requiescunt. Vandalis in Galliam irrumpentibus, circa annum CCCVI martyrium subiisse videtur *Silvanus :* colebatur olim in Agedunensi cœnobio agri Lemovicensis, qua occasione ejusdem monasterii origines discutiuntur. *Balderici,* Lingonensis, res gestæ, multis fabulis admixtæ, ex antiquis breviariis in lucem prodeunt. *Salvium,* Autisiodorensem, eumdem statuimus cum Nivernensi, E
diversum ab Albigensi. *Gaudericus,* qui vixit ante sæculum decimum, fertur coluisse pietatem dictam Angelus, unde nascitur et discutitur quæstio de origine hujus devotionis, simulque inquiritur in varias accessiones factas Angelicæ salutationi, prout reperitur in sacris libris.

Ex sexu foemineo.

Cœcram ex Hieronymianis nobis notam, licet Asiæ deputet Rabanus, ad Africam potius propter unanimem aliorum Martyrologorum auctoritatem pertinere cum sociis CCLXX censemus. Tempore probabiliter Juliani Apostatæ passa est *Bolonia,* quæ in agro Bassiniacensi colitur : fertur caput amputatum propriis manibus gestasse, ac ostenditur id genus miraculi frequenter Sanctis in Gallia Martyribus affingi. *Aurelia,* Virgo, cujus Reliquias profanatas S. Columbanus templo restituit, ad quartum quintumve sæculum pertinet, atque ab ejus homonyma Ratisponensi certis notis distinguitur. Martiniani et sociorum consors fuit *Maxima,* Virgo, quæ liberata a jugo Vandalico, multarum virginum mater postea exstitit. De *Kiara,* Virgine, pleraque nos latuerunt; constare tamen videtur illi F
deberi originem monasterii Kilchreæ in provincia Momoniæ, in Hibernia. Ex Britannica insula circa medium sæculum octavum advenit *Thecla,* in conversione Germanicarum gentium S. Bonifacio Moguntino adjutricem manum collatura. Arvernia nobis offert *Bonitam,* Virginem, Brivate cultam, cujus res gestas plerasque delevit oblivio. Sæculum quintum decimum illustravit *Philippa de Campo-Limano,* Virgo, in Foresio, provincia Galliæ, nata; potissimam vitæ partem Viennæ, in Delphinatu, transegit : scriptorem Vitæ habuit Anonymum coævum, cujus lucubratio e MS. edita fuit. Coronidis loco sit *Teresia,* Virgo, Carmelitarum strictioris observantiæ parens, quæ quamplures Vitæ suæ nacta est notæ optimæ scriptores; quos inter elucet, qui non modo *Teresiæ* æqualis, sed et eruditione scriptisque ac religiosarum virtutum laude insignis fuit, Franciscus Ribera. Hujus scriptionem, hispanice, cum *Teresiæ* rerumque ab ea gestarum recens adhuc esset apud populares memoria, elaboratam, ex versione Mathiæ Martinez (pluribus tamen in locis emendata) edimus, Commentario amplissimo illustratam.

INDEX

INDEX

SANCTORUM

IN TOMUM VII OCTOBRIS.

A.

15 Agileus, Martyr, Carthagine. SYLLOGE *ex Martyrologio Romano et Hieronymianis* 7.

16 Amandus cum Juniano. Vide *Junianus*.

16 Ambrosius, Cadurcensis episcopus et Confessor. COMMENT. PRÆV. § I. Memoria Sancti in Fastis sacris et ejus cultus 1031. § II. S. Ambrosii episcopatus et res in eo gestæ 1033. § III. Discutitur opinio Casimiri Oudini, qui S. Ambrosium Cadurcensem auctorem facit Librorum de Mysteriis et de Sacramentis, S. Ambrosio Mediolanensi vulgo tributorum 1037. § IV. S. Ambrosius, detectus cœlesti indicio, Romam proficiscitur et in reditu obit 1042. VITA S. AMBROSII EPISC. AUCTORE ANONYMO. *Ex MS. Andreæ du Chesne, collato obiter cum MS. Nicolai Belfortii : accuratius cum MS. reginæ Sueciæ* 1046.

16 Anastasius, monachus et eremita in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. De Sancti cultu, biographo, ejusque in Normannia gestis 1125. § II. S. Anastasius Cluniacum petit; quæritur quo anno et cur a S. Gregorio Papa VII in Hispaniam missus sit; an ad prædicandum Sarracenis? Mors et Reliquiæ S. Anastasii 1131. VITA S. ANASTASII, *auctore Galterio, ex editione Mabillonii*. Sancti patria, monachatus in Monte S. Michaelis, vita eremitica, secessus Cluniacum et in Hispaniam, reditus Cluniacum, repetita eremus, mors in pristina diœcesi Rivensi 1136.

15 Antiochus, episcopus Confessor Lugduni in Gallia. SYLLOGE HISTORICA de ejus ætate, gestis et cultu 17.

15 Antoninus cum Cannato. Vide *Cannatus*.

16 Aufidus cum Saturnino. Vide *Saturninus*.

15 Aurelia, Virgo, Argentorati in Alsatia. SYLLOGE. S. Aureliæ in Fastis sacris memoria, Acta qualiacumque, cultus sacer, et ab homonyma Ratisponensi distinctio 27.

B.

16 Baldericus, Confessor in Montefalconis, in agro Remensi. COMMENT. PRÆV. § I. Fasti sacri, monumenta historica, quæ de S. Balderico supersunt 909. § II. Synopsis vitæ; quo tempore monasterium S. Petri Remense a S. Balderico conditum sit; tempus natale S. Balderici; est hic Sanctus, non secus ac aliquot alii, filius Sigiberti I regis 911. § III. S. Baldericus exstruit Remis sorori suæ S. Bovæ monasterium, ad quod pertinebat templum S. Mariæ extra muros urbis; condit Falcomontanum monasterium, ubi discipulum habet S. Wandregisilum, uti, excussis hujus Sancti Actis, probatur; nova chronotaxis gestorum SS. Balderici et Bovæ texitur; moritur S. Baldericus 914. § IV. Elucidantur aliquot puncta historica ad cœnobium Montisfalconis spectantia 918. § V. Amissio omnium fere S. Balderici Reliquiarum; cultus in diœcesi Coloniensi et in Montefalconis, cum exstaret capitulum et postquam destructum est 920. VITA, MIRACULA ET TRANSLATIONES S. BALDERICI. *Ex Historia Ecclesiæ Remensis Flodoardi, lib.* IV, *c.* XXXVIII *et seqq., edita in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi, secundum recensionem Colvenerii*. Cap. I. S. Baldericus Remis exstruit cœnobium puellarum, in Montefalconis monasterium 923. Cap. II. Miracula et translationes usque ad finem fere sæc. IX 924. Cap. III. Reliqua miracula et translationes S. Balderici usque ad medium fere sæc. X 927.

16 Bassianus, Martyr, Syracusis in Sicilia. SYLLOGE de ejus cultu et passionis tempore 796.

15 Baudericus seu Baldericus, Confessor, in diœcesibus Lingonensi et Æduensi in Burgundia. COMM. PRÆV. Sancti Acta fabulosa, cultus legitimus, ætas incerta 49. VITA SEU ACTA *ex antiquis Breviariis* 52.

16 Bercharius, Martyr, abbas et fundator monasteriorum Altumvillaris et Dervi. COMMENT. PRÆV. § I. Memoria in sacris Fastis, cultus et Acta 986. § II. S. Bercharii patria, tempus natale, monachatus Luxovii 990. § III. Fundata a S. Berchario monasteria Altumvillare, Puellare et Dervense 993. § IV. S. Bercharius variis Sanctorum Reliquiis monasterium Dervense ditat : institutæ propterea peregrinationes Hierosolymitana et Romanæ 999. § V. Obitus S. Bercharii 1001. § VI. Variæ Reliquiarum S. Bercharii translationes 1006. VITA S. BERCHARII, ABBATIS DERVENSIS ET MARTYRIS. *Ex editione Nicolai Camuzat Prompt. Eccl. Tric. et Joannis Mabillon Act. SS. Ord. S. Bened. collata cum codice Aquicinctino*. Prologus. LIB. I. Cap. I. S. Bercharii ortus, prima institutio apud parentes et S. Nivardum : monachatus Luxovii 1010. Cap. II. Luxovio redux fundat cum S. Nivardo monasterium Altivillariense 1013. Cap. III. Defuncto S. Nivardo, perfectoque monasterio Altivillariensi, S. Bercharius Dervum fundat et injuste occiditur 1016. LIB. II. DE DIVERSIS CASIBUS DERVENSIS COENOBII ET S. BERCHARII. *Ex editione Surii Vit. SS. collata cum Promptuario Nicolai Camuzati et codice MS. Aquicinctino*. Cap. I. Casus monasterii Dervensis sub Carolovingis 1019. Cap. II. Instauratio cœnobii Dervensis, et abbatum series 1021. Cap. III. Miracula S. Bercharii 1024. Cap. IV. Continuatur narratio miraculorum S. Bercharii 1024. Cap. V. Alia miracula S. Bercharii 1028.

16 Bernerius, eremita, Ebuli, in diœcesi Salernitana, in regno Neapolitano. COMMENT. PRÆV. Quo die S. Bernerius colatur; ejus biographi; quid gesserit; an templum Ebulitanum construxerit; an cum alio confundendus sit; quo sæculo obierit; ejus cultus 1184. VITA S. BERNERII EREMITÆ. *Ex codice MS. Oratorii, forte Romani* 1187.

16 Bertrandus, archidiaconus Tolosanus et Convenensis episc., in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I.

S. Bertrandi festum die XVI Octobris proprie celebrandum; ejus biographiæ, earumque fontes; de initiis monasterii Scalæ-Dei 1140. § II. De S. Bertrandi parentibus, fratribus, aliisque consanguineis. Trium Gulielmorum, Ausciensium archiepiscoporum, chronologia illustratur 1144. § III. Pueritia et militiæ S. Bertrandi; quæritur an vere canonicus regularis fuerit in ecclesia S. Stephani Tolosæ; investigantur ejus episcopatus initia 1149. § IV. An hodiernæ Convenæ, a S. Bertrando ædificatæ, locum occupent veterum Convenarum; item sitne præsens ecclesia ab hoc Sancto exstructa. De institutione canonicorum Convenensium 1153. § V. Diplomata, quibus subscripsit S. Bertrandus; concilia, quibus interfuit; consecratio cœmeterii Ausciensis et ecclesiæ parthenonis S. Orientii. Mors S. Bertrandi 1157. § VI. Sepultura, canonizatio et Reliquiarum elevatio S. Bertrandi 1160. § VII. Inquiritur in indulgentias Clementi V Summo Pontifici attributas, potissimum in indulgentiam ad instar jubilæi; de tribus festivitatibus S. Bertrandi 1163. § VIII. De capsis reliquiariis et mausoleo Sancti Bertrandi Convenis, deque Reliquiis alibi servatis 1167. § IX. Cultus ecclesiasticus S. Bertrandi 1170. VITA S. BERTRANDI, EPISCOPI CONVENENSIS, *auctore Vitali Sacrosanctæ Sedis apostolicæ protonotario. E MS. P. Possini collato cum editione Martenii et apographo P. Gisseji.* Cap. I. S. Bertrandi nobilis ortus, educatio, militia, vita canonica Tolosæ, episcopatus Convenensis, mors et virtutes 1177. Cap. II. Miracula S. Bertrandi, dum viveret in terris 1176. Cap. III. Miracula S. Bertrandi post mortem 1180.

16 Bolonia, Martyr, in agro Bassiniacensi in Gallia. COMMENT. PRÆVIUS. S. Boloniæ cultus, biographi, juventus, Martyrii tempus et locus, incertum miraculum, et Reliquiarum conditio 816. PASSIO S. BOLONIÆ, *e recentioribus sacris Lectionibus Calvomontanis* 820.

16 Bonita, Virgo, Brivate in Arvernia. COMMENT. PRÆV. 1120. VITA S. BONITÆ VIRGINIS, *ex Breviario canonicorum Brivatensium* 1122.

C.

15 Cannatus et Antoninus, Conff. epp., ut fertur, Massilienses, in Provincia. COMMENT. PRÆVIUS. § I. SS. Confessorum apud Martyrologos mentio, Officium ecclesiasticum, aliaque cultus sacri ipsis impensi monumenta : Reliquiis eorum exhibitus honor : Acta exiguæ quidem fidei, edenda tamen 18. § II. Cætera, quæ de Sanctis hisce referuntur, passim incerta sunt 21. VITA *ex vetere manuscripto* 25.

16 Cecra et CCLXX Martyres, in Africa, *ex variis Martyrologiis* 797.

16 Colmannus, episc. Killruadhensis, in Hibernia. SYLLOGE HISTORICA. S. Colmanni, Killruadhensis episcopi, adolescentia, disciplina, ætas 851.

15 Conoganus, episc. Confessor, Corisopiti in Britannia minori. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Discutiuntur Acta ab Alberto Le Grand conscripta 37. § II. Sæculum quo probabiliter floruit, et cultus sacer 40. VITA *ex Jacobo Malbrancq de Morinis, lib.* IV, *cap.* XXIV. Caput unicum. Sancti vita et translatio Monstrolium 43.

D.

15 Deodatus seu Theodatus, episcopus Conf., Viennæ Allobrogum. SYLLOGE. Sancti memoria in Fastis sacris, et cultus : tempus sedis et obitus 55.

16 Domitius cum Leontio. Vide *Leontius.*

16 Domninus cum Leontio. Vide *Leontius.*

E.

16 Eliphius, Martyr, prope Tullum Leucorum in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. De S. Eliphii nomine, memoria in Martyrologiis, et biographis 799. § II. S. Eliphius non videtur mortis damnatus a Juliano, neque a Sallustio præfecto, sed ab ignoto Juliani gratiam aucupante 801. § III. De cultu S. Eliphii in Gallia 804. § IV. De translatione corporis S. Eliphii, cujus omnia fere sacra ossa Colonienses acceperunt 807. § V. De cultu collato S. Eliphio in monasterio S. Martini Coloniensi, itemque olim Ultrajecti 809. PASSIO S. ELIPHII MARTYRIS. *Ex codice MS. Coloniensi, nunc Bruxellensi, collata cum MSS. Gladbacensi, Ratisponensi et Trevirensi, necnon plurimis impressis* 812.

F.

15 Fortunatus, Martyr, Romæ. SYLLOGE *ex Hieronymianis aliisque sacris fastis* 5.

G.

16 Gallus, Confessor, Arbonæ in Alemannia. COMMENT. PRÆV. § I. Hujus Sancti memoria in sacris Fastis : cultus in variis regionibus 856. § II. Acta S. Galli discutiuntur 859. § III. S. Galli patria; tempus nativitatis; qua occasione inquiritur in epocham fundati monasterii Benchorensis 861. § IV. S. Galli educatio et monachatus in Benchorensi monasterio, sacerdotium 864. § V. Tempus adventus S. Columbani in Gallias 866. § VI. Iter Alemannicum 869. § VII. S. Galli res gestæ in Alemannia 871. § VIII. S. Gallus eremum incolit, sanat Cunzonis ducis filiam Fridiburgam, episcopatum Constantiensem recusat 874. § IX. Post S. Eustasii mortem, recusat S. Gallus regimen cœnobii Luxoviensis : moritur 877. § X. S. Galli sepultura, ejus corporis violatio, Reliquiæ 881. VITA S. GALLI, *auctore anonymo monacho Sangallensi, sæc.* VIII. *Ex Monumentis Germaniæ historicis Georg. Henr. Pertz t. II, p.* 3. LIB. I. Cap. I. S. Galli ortus, monachatus in cœnobio Benchorensi, adventus in Gallias et Alemanniam 884. Cap. II. In Alemannia relictus desertum Arbonense incolit, Fridiburgam Gunzonis ducis filiam a dæmonio liberat 888. Cap. III. Recusat episcopatum Constantiensem, cellam ædificat, moritur 892. LIB. II. Cap. I. De sepultura S. Galli, Reliquiarum violatione et aliquot miraculis 895. Cap. II. Miracula a S. Gallo patrata ad conservationem eremi quem incoluerat 899. Cap. III. Continuantur miracula S. Galli 903. Cap. IV. Alia miracula 906.

15 Galterus seu Galterius, abbas et Martyr Ord. Cisterciensis, Quinciaci in Gallia. SYLLOGE. Sanctus variis Fastis sacris inscriptus; non videtur fuisse episcopus Autisiodorensis 77.

16 Gaudericus, Gualdericus seu Galdericus, Conf. agricola Occitanus in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. De nomine, homonymis et biographis S. Gauderici; ejusdem vitæ synopsis 1106. § II. Quæritur an S. Gaudericus pietatem, dictam Angelus, coluerit 1108. § III. De translatione Reliquiarum et miraculis 1113. ACTA S. GAUDERICI, AGRICOLÆ CONFESSORIS, *conscripta a Tamayo ex Domenec, Poc et aliis scriptoribus* 1119.

16 Germanus, eremita et Martyr in Arvernia. SYLLOGE 1123.

16 Gurdanius seu Gurdinellus, eremita, Duaci et Aquiscinctii in diœcesi Cameracensi. SYLLOGE. S. Gurdanius idemne sit ac S. Gurdinellus; origines Aquiscinctienses;

Aquiscinctienses; S. Gurdanii variæ translationes et cultus 1100.

J.

16 Junianus, anachoreta, et ejus magister S. Amandus, in agro Lemovicensi, in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. Cur de S. Amando Commodoliacensi hic agatur : distinguitur a S. Amando Genuliacensi : illius patria, ortus et tempus mortis 835. § II. Biographi S. Amandi Commodoliacensis; ejus gestorum compendium e Bernardo Guidonis; Reliquiarum inventio a S. Hugone Cluniacensi facta, earumque cultus 839. § III. De S. Juniani cultu; num confundendus cum S. Juniano Nobiliacensi, et altero Remensi; de sepulcro et ecclesia sub ejus vocabulo Deo sacra 841. OFFICIUM S. AMANDI, complectens ejus Vitam et Reliquiarum translationem. *Ex traditionibus MSS. ecclesiæ S. Juniani Commodoliacensis* 845. VITA S. JUNIANI MONACHI ET CONFESSORIS. *Ex MS. codice Cluniacensi* 848.

K.

16 Kiara, Virgo, in Momonia in Hibernia. COMMENT. PRÆV. S. Kiaræ cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchreæ 950. VITA S. KIARÆ SEU CERÆ, *auctore Colgano* 952.

L.

15 Leonardus, Confessor, Corbiniaci, diœcesis Augustodunensis, in Gallia Nivernensi. COMMENT. PRÆV. Sancti a Leonardo Lemovicensi distinctio : ejus mentio in Martyrologiis : Acta sat antiqua : quo tempore in Cenomaniam venerit, obieritque : quo et quandonam ejus corpus translatum fuerit 45. VITA *e MS. Anisolensi, collata cum MSS. Ultrajectino S. Salvatoris et Carnotensi, auctore anonymo subæquali.* Caput unicum. In pago Cenomanensi condit monasterium : accusatus apud Clotarium regem sese purgat : inter orandum a serpente invasus, nihil læditur : in cellula sua mortuus et sepultus, miraculis inclarescit 47.

16 Leontius, Domitius, Terentius et Domninus, Martyres, culti a Græcis. SYLLOGE 798.

16 Lullus, archiep. Confessor, Moguntiæ in Germania. COMMENT. PRÆV. § I. Cultus S. Lulli vindicatus; ejus Acta discussa 1050. § II. S. Lulli patria et vita monastica in Anglia exacta 1052. § III. Gesta S. Lulli in Germania ante episcopatum 1055. § IV. Agente S. Bonifacio, creatur S. Lullus archiepiscopus Moguntinus 1058. § V. S. Lullus corpus S. Bonifacii Martyris transfert ad Fuldense monasterium 1061. § VI. De controversia exorta inter SS. Lullum et Sturmium circa cœnobium Fuldense 1063. § VII. Fundationes S. Lulli 1067. § VIII. Dedicationes ecclesiarum 1069. § IX. De pallii honore tardius delato et de conciliis, quibus S. Lullus interfuit 1071. § X. De epistolis a S. Lullo scriptis et de munusculis inter Germanos et Anglos ultro citroque missis 1073. § XI. De anno et die obitus S. Lulli 1078. § XII. De S. Lulli Reliquiis et variis translationibus 1082. VITA S. LULLI, AUCTORE ANONYMO, UT VIDETUR, MONACHO HERSFELDENSI. *Ex MS. Erlangensi, collata cum Legenda Sanctorum edita Lovanii an.* 1485 *per Joan. de Westphalia.* Cap. I. S. Lulli natales; profectio in Germaniam et promotio ad archiepiscopatum Moguntinum 1083. Cap. II. S. Bonifacii corpus Trajecto Fuldam transfert S. Lullus et honorifice condit 1085. Cap. III. Controversia cum S. Sturmio de monasterio Fuldensi; fundatio Hersfeldensis cœnobii; pius obitus et sepultura 1087.

15 Lupulus et Modestus, Martyres Capuæ. SYLLOGE *ex Hieronymianis aliisque sacris fastis* 6.

M.

16 Magnobodus, ep. et Conf., Andegavi in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. Sancti memoria, cultus 928. § II. Tempus et locus nativitatis Sancti Magnobodi; promotio ad Sacros Ordines; præfectura cœnobii Colonetensis 931. § III. Sancti legatio Romana; episcopatus 935. § IV. Gesta in episcopatu; Reliquiæ. VITA *auctore anonymo coævo, e MS. veteri et fide digno, olim a P. Sirmondo submisso, et collato cum eadem Vita, edita ab Edmundo Beaugendre inter Opera Hildeberti Cenomanensis.* Cap. I. Sancti natales; institutio clericalis; Romana peregrinatio; episcopatus 940. Cap. II. S. Magnobodus varia miracula operatur 943. Cap. III. Continuatur narratio de miraculis 945. Cap IV. Referuntur alia miracula; Sancti obitus et sepultura 947.

16 Malus eremita. SYLLOGE *e Menæis Græcorum aliisque fastis* 799.

16 Martinianus, Saturianus eorumque duo fratres Martyres et S. Maxima Virgo. COMM. PRÆV. § I. De variis Martyrologiis, quæ de SS. Martyribus agunt, et de tempore passionis 825. § II. De SS. Martiniani et Maximæ conjugio et de disciplina Ecclesiæ circa impedimentum e voto castitatis proveniens 827. § III. De monachatu S. Martiniani, Sociorum et Maximæ 829. § IV. Sanctorum Martyrum relegatio in desertum; illorum mirabilis prædicatio. — De S. Maxima 831. PASSIO SS. MARTINIANI ET SOCIORUM, *ex Victore Vitensi, lib.* I *Hist. Persec. Vandal. cap.* X, *juxta editionem Theodorici Ruinart* 833.

15 CCCLX Mauri Martyres, Coloniæ Agrippinæ. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. § I. Martyrum memoria ex Hieronymianis : quot numero et ex qua gente extiterint : an fuerint ex legione Thebæa : quandonam et ubi subierint martyrium : ubi sepulta sint eorum corpora 11. § II. Mirabilis SS. Corporum inventio : illorum cultus et Reliquiæ in variis ecclesiis Coloniæ asservatæ : prodigium, quod ibidem patratum nonnulli scribunt, ut suspectæ fidei rejectum 14.

16 Maxima cum Martiniano. Vide *Martinianus.*

16 Mireus cum Saturnino. Vide *Saturninus.*

15 Modestus cum Lupulo. Vide *Lupulus.*

16 Mummolinus seu Mommolenus, episcopus Noviomensis et Tornacensis. COMM. PRÆV. § I. S. Mummolini sacra memoria, biographi et gestorum synopsis 953. § II. S. Mummolini ortus, vita monastica Luxovii; prædicatio in Gallia, et in aula Clotarii II; condit Vetus et Sithivense monasteria, quibus præficitur 957. § III. Quo anno S. Eligius, episcopus Noviomensis et Tornacensis, mortuus sit, eique successerit S. Mummolinus; de linguarum latinæ et teutonicæ peritia, qua hic Sanctus ornatus fuit 963. § IV. Expenditur duplex in S. Mummolinum accusatio; exponitur translatio corporis S. Eligii, promotio S. Ebertramni, pactum cum S. Bertino et plures subscriptiones 968. § V. De morte, sepultura, elevatione et translatione Reliquiarum S. Mummolini; de Reliquiis concessis monasterio S. Bertini 972. § VI. Quæ fata Reliquiæ S. Mummolini expertæ sint Noviomi annis 1793 et 1795; invocatio ejus publica et privata 975. VITA S. MUMMOLINI EP. NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS, AUCTORE ANONYMO. *Ex vetere MS. codice Noviomensi.* Sancti patria; tirocinium vitæ religiosæ Luxoviense;

Luxoviense; prædicatio et commoratio in aula Clotarii II; digressus ad S. Audomarum; condit Vetus et Sithivense monasterium; fit Tornacensis et Noviomensis episcopus; moritur 980.

N.

16 Nereus cum Saturnino. Vide *Saturninus*.

P.

15 Philippa, Virgo, de Campo-Milano dicta, Viennæ Allobrogum in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. Paucis Virgo hæc nota est Martyrologis : binæ illius Vitæ : una ex his edenda 79. § II. Locus Beatæ natalis : illustres parentes : pia pueritia : cum matre castri Changyacensis curam gerit 81. § III. Mortua matre, castitatem vovet : varias ab indignis procis illatas injurias æquo animo tolerat 85. § IV. Viennæ varias virtutes exercet : miseris subvenit : illius in precibus assiduitas 87. § V. Occasione Jubilei Romam adiens ac inde rediens miseris mire compatitur : Viennæ moritur ac sepelitur : variis ab obitu claret miraculis, ac cultu ecclesiastico gaudet 91. VITA *auctore anonymo æquali, ex MS. a P. Chiffletio Societatis Jesu presbytero submisso* 94. PRÆLUDIUM MIRACULORUM VIRGINIS PHILIPPÆ, *a quodam presbytero Viennensis ecclesiæ antiquitus editum. Ex MS. D. Joannis Le Lièvre* 97. MIRACULA, *ex MS. gallico*. PARS I. Varia Viennæ ad B. Philippæ invocationem miracula eduntur 98. PARS II. Prodigia alia ope B. Philippæ Virginis eduntur 101. PARS III. Beneficia alia B. Philippæ precibus præstita 104.

R.

15 Rogerius, episc. Cannensis, Confessor, Baroli in Apulia. COMMENT. PRÆV. Sancti elogium a Ferrario adornatum : Acta qualia : tempus episcopatus : translatio corporis : cultus 70. OFFICIUM PROPRIUM S. ROGERII, *descriptum e vetustissimo Breviario monasterii S. Stephani Barolitani* 74.

S.

15 Sabinus, episc. et Confessor, Catanæ in Sicilia. SYLLOGE. De Sancti cultu, gestis et tempore episcopatus 65.

16 Salvius, in agro Autisiodorensi in Gallia. SYLLOGE. S. Salvius Autisiodorensis, memoratus in Martyrologiis, diversus est a S. Salvio Albigensi, sed idem est ac Nivernensis. Fata ædiculæ ei sacræ 853.

16 Saturianus cum Martiniano. Vide *Martinianus*.

16 Saturninus, Nerius, Mireus, Aufidus et socii CCCLXV, Martyres in Africa. *Ex variis Martyrologiis* 798.

15 Severus, episcopus Confessor, Treviris. SYLLOGE. Sancti gesta ex Constantio presbytero, tempus, cultus sacer 31.

16 Silvanus, Martyr, Ageduni in agro Lemovicensi. SYLLOGE HISTORICA. Memoria in Fastis sacris : cultus in monasterio Agedunensi, cujus origines referuntur; Acta alterius Martyris S. Silvano aflicta; Martyrium sub Vandalis 822.

T.

15 Tammarus, episc. Confessor, Beneventi in Italia. SYLLOGE. Sancti elogium ; fuit episcopus in Africa : sed an etiam Beneventi? 35.

16 Terentius cum Leontio. Vide *Leontius*.

15 Teresia, Virgo, Carmelitarum strictioris observantiæ Parens, Abulæ in Hispania. COMMENT. PRÆV. § I. Sanctæ biographi, aliique scribendæ ejus Vitæ fontes 109. § II. Ejus genus, proavi, parentes, fratres ac sorores 113. § III. Particularia quædam de Sanctæ fratribus, sororibus aliisque cognatis 117. § IV. Sanctæ nativitas et vitæ exordia 123. § V. Renascitur in S. Virgine inclinatio ad statum religiosum, atque hunc ingreditur 128. § VI. Sanctæ novitiatus et professio. Ægra rus abducitur et sacerdotem convertit : magis ægra ad monasterium reportatur, ac demum ope S. Josephi sanatur 132. § VII. Quid Sanctæ evenerit a recuperata miraculose sanitate usque ad pleniorem ejus ad Deum conversionem, sive ab anno 1539 ad annum 1555. Plurium rerum, pro illo temporis spatio, figitur chronologia 138. § VIII. Toto eo tempore peccata ejus gravia non fuerunt. Qua ratione omnes virtutis obices generose tandem superarit 143. § IX. Ex aspectu piæ imaginis propositum vitæ perfectioris concipit : sublimibus Dei donis in oratione cumulatur : confessarium e Societate Jesu eligit 147. § X. A novo conscientiæ arbitro mire in virtutum studio promovetur. Agit cum S. Francisco de Borgia, qui ejus spiritum approbat. Valedicit ex integro humanis amicitiis : timore dæmonum una Salvatoris locutione liberatur 153. § XI. P. Balthasare Alvarez confessario uti incipit. Sæpe Christi alloquio et visionibus fruitur : premitur anxietatibus et hominum oblocutionibus 157. § XII. Varia confessariorum de S. Teresiæ spiritu judicia, occasione illius qui contumelioso gestu apparitionem abigere jussit 164. § XIII. Videt Sancta adamantes in cruce sua, et Angelum qui cor ejus transfodit. Votum nuncupat faciendi semper quæ Deo gratiora viderentur 170. § XIV. Visitur et solamen accipit a S. Petro de Alcantara. Magnas patitur corporis animique angustias : Dei benignitatem et dæmonis rabiem multifariam experitur : egregios facit in humilitate progressus 174. § XV. Ex visione inferni nascitur in animo Sanctæ Ordinis sui reformandi consilium; quod ipsa, probantibus piis sanctisque viris, in opus deducere incipit 180. § XVI. Cœptum opus, impedita Teresia, promovet P. Petrus Ibañez Ord. Præd. : ipsa Sancta eidem rursus allaborans, cœlicis visionibus animatur. Frater ejus pecuniam, operam soror et sororius conferunt. Mittitur Toletum 185. § XVII. Toleti agit cum viro insigni Ordinis Prædicatorum : quædam futura prænoscit : nullos monasterio suo reditus admittere statuit. Abulam redit; quo ei afferuntur litteræ apostolicæ 190. § XVIII. Fundatio Abulensis monasterii S. Josephi : interius Sanctæ certamen : contradictiones externæ : P. Dominici Bañez Ord. Præd. erga Sanctam studium. Deus illam per visiones roborat 196. § XIX. Turbæ Abulenses componuntur. Sancta ad suum monasterium redit : Bullam apostolicam Pii PP. IV accipit 200. § XX. Primas moniales suas ad sanctimoniam et animarum zelum informat : librum componit de Via perfectionis 203. § XXI. A. R. P. Rubeo, Generali Ord. Carm., facultatem impetrat plura virginum et duo virorum suæ Reformationis monasteria erigendi 206. § XXII. It Methymnam Campestrem, ubi alterum fundat virginum monasterium 210. § XXIII. Erigit tertium monialibus suis cœnobium Malagone : scholam puellarum ibidem creandam curat. Librum Vitæ suæ mittit ad Ven. Joannem de Avila. Vallisoleti initium dat quarto suo monasterio 213. § XXIV. Cœnobii virorum Durvelensis, S. Teresiæ curis comparati, initia ponunt S. Joannes a Cruce et P. Antonius a Jesu.

Idem

Idem cœnobium postea Manceram transfertur 216. § xxv. Ad quintum virginum suarum monasterium Toleti stabiliendum, Sancta amplius annum cum omnimodis difficultatibus luctatur : demum victrix inde abit 219. § xxvi. Pastranæ, post tres menses paciscendo et patiendo transactos, secundum virorum et sextum monialium cœnobium excitat. Inchoatur cum visitatoris apostolici venia collegium Carm. Exc. Complutense 225. § xxvii. Martyrium Ven. P. Ignatii de Azevedo et aliorum e Societate Jesu, a S. Teresia in visione conspectum. Iter Sanctæ Salmanticense 229. § xxviii. Fundatio septimi virginum monasterii Salmanticæ : quam operosa hæc Sanctæ fuerit 232. § xxix. Octavum erigit Albæ Tormesiæ monialium suarum cœnobium. Inde redit Salmanticam, ubi duas ægrotas sanat. Præficitur monasterio Incarnationis Abulensi 234. § xxx. Utiles Sanctæ in Incarnationis monasterio labores; raptus; mystica cum Christo sponsalia; visio de nece P. Martini Gutierrez S. J.; epistolæ memorabiles 238. § xxxi. Carmelitæ Excalceati quatuor domicilia acquirunt in Andalusia. Sancta Salmanticam mittitur; ubi Fundationes suas describere incipit 242. § xxxii. P. Hieronymi Gratiani ad Carmeli Ordinem vocatio, et primi ejus labores. Dissidiorum inter Calceatos et Excalceatos initia 245. § xxxiii. Fundat Sancta nonum virginum suarum monasterium Segoviæ; Pastranense vero dissolvit. Donis supernaturalibus Segoviæ claret. Inde Abulam revertitur 248. § xxxiv. Sancta, prioratu suo in Incarnationis cœnobio abiens, a monialibus S. Josephi in priorissam eligitur. Varia instituit itinera. Decimum virginum suarum cœnobium fundat Veasi 253. § xxxv. Fundatio cœnobii virorum Almodovarensis. P. Hieronymi Gratiani cum S. Teresia primus congressus. Undecimum virginum monasterium Hispali a Sancta erectum 254. § xxxvi. Capituli generalis Ord. Carm. Placentiæ celebrati decreta adversus Excalceatos. De his decretis, necnon de R. P. Rubei, Generalis Carmelitarum, agendi ratione, quale judicium ferendum sit 258. § xxxvii. Visitatio provinciæ Ord. Carm. Andalusiæ, a P. Gratiano jussu Nuntii apostolici instituta. Decretum capituli generalis Placentini adversus S. Teresiam : hujus ad R. P. Rubeum litteræ 264. § xxxviii. Caravacæ duodecimum virginum Teresianarum, Sancta non præsente, inchoatur monasterium. Ipsa Hispali novam monialibus suis domum prospicit 268. § xxxix. Secessus Sanctæ in monasterium suum Toletanum. Capitulum Carmelitarum Excalceatorum Almodovarense, et alia quædam Reformationis Teresianæ negotia 273. § xl. Auget Sancta Fundationum suarum librum. Maternam de Reformatione sua sollicitudinem pluribus epistolis scribendis exerit. Succedit novus in demortui locum Nuntius apostolicus 278. § xli. Litteras dat Sancta ad regem de sparsis in P. Gratianum calumniis, ac non diu post de sævitia PP. Calceatorum in S. Joannem a Cruce ejusque socium et moniales cœnobii Incarnationis Abulensis. Scribit Castellum animæ. Controversiam quamdam cum provinciali S. J. amice componit 286. § xlii. Philippi Segæ, Nuntii apostolici, adversus Carmelitas Excalceatos gesta. Alterum horum capitulum Almodovarense. Consolatoria S. Matris ad moniales Hispalenses, misere vexatas, epistola 293. § xliii. Lætior, mutata Nuntii apostolici mente, rerum Carmeli Teresiani facies. Sanctæ visio, et monita divinitus ei significata. Varia ejus itinera, ac duo miracula 299. § xliv. Fundat Sancta decimum tertium monialium suarum cœnobium Villanovæ de la Xara. Inde Toletum se confert 305. § xlv. Abit Abulam, Segoviam, Methymnam Campestrem et Vallisoletum. Litteræ apostolicæ pro Carmelitarum Excalceatorum a Calceatis separatione in Hispaniam afferuntur 309. § xlvi. Sancta Palentiam proficiscitur, ubi decimum quartum Excalceatarum suarum monasterium erigit 313. § xlvii. Capitulum Carmelitarum Excalceatorum Complutense. Eorum a Calceatis separatio. S. Teresiæ de hac separatione gaudium 317. § xlviii. Decimo quinto virginum suarum cœnobio Sancta initium dat Soriæ; unde Abulam profecta, a monialibus primi cœnobii a se fundati in priorissam eligitur 319. § xlix. Carmelitarum Excalceatorum in Lusitaniam ingressus. Fundatio decimi sexti virginum Teresianarum monasterii, Granatæ a Ven. Anna a Jesu effecta 323. § l. Sancta, decimum septimum monialium suarum cœnobium fundatura, Burgos se confert; ubi non exigua offendit obstacula 327. § li. Remotis non ita facile obstaculis, demum fundationem suam Burgensem perficit 332. § lii. Ultima S. Teresiæ itinera, extrema ejus ægrotatio ac felicissimus ad cœlum transitus 337. § liii. Corporis S. Teresiæ forma, ejusque effigies. Exequiæ ac sepultura 341. § liv. De statu corporis S. Teresiæ a morte ejus usque ad annum 1591, 343. § lv. Item ab anno 1591 usque ad ejus beatificationem anno 1614, 346. § lvi. Beatificatio promota atque obtenta 348. § lvii. Promota item canonizatio, ac tandem impetrata 353. § lviii. Auditorum Rotæ facta Paulo PP. V Relatio prima : de miraculis in genere : de tribus miraculis in vita Servæ Dei Teresiæ, deque aliis in ejus obitu 358. § lix. Continuatio Relationis primæ : de duodecim miraculis post S. Teresiæ mortem 364. § lx. Relatio altera : de processibus informativis, remissorialibus et compulsorialibus, deque vita B. Teresiæ et sanctitate ejus in genere 375. § lxi. De sanctitate vitæ B. Teresiæ in specie. De virtutibus ejus theologalibus 381. § lxii. De ejus virtutibus cardinalibus, et circa solemnia Religionis vota 387. § lxiii. De cæteris virtutibus illius 393. § lxiv. De divinis ejus donis in oratione; de gratiis gratis datis; de donis S. Spiritus; deque fama sanctitatis ejus tam in vita quam post mortem 398. § lxv. Oratio J. B. Millini, consistorialis aulæ advocati, coram Gregorio PP. XV, 1 Februarii MDCXXII; et Summi Pontificis responsio per secretarium domesticum J. Ciampoli 406. § lxvi. Vota Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum canonizationem B. Teresiæ a Gregorio PP. XV efflagitantium, in consistorio semipublico xxiii Februarii MDCXXII 408. § lxvii. Brevis Relatio cæremoniarum in solemni canonizatione SS. Isidori, Ignatii, Francisci Xaverii, Teresiæ a Jesu et Philippi Nerii 413. § lxviii. Bulla canonizationis S. Teresiæ 417. § lxix. Visitatio corporis S. Matris anno 1616, 421. § lxx. Visitatio alia anno 1750, 423. § lxxi. Postremum corporis examen anno 1760, 426. § lxxii. De conservatione, cultu, miraculis cordis S. Teresiæ, et de Officio transverberationis ejus 429. § lxxiii. De S. Teresiæ manu et brachio sinistro, de digitis manus ejus dextræ, de pede item dextro, deque aliis minoribus ejus Reliquiis 433. § lxxiv. De scriptis S. Teresiæ in genere; de libris ejus deperditis aut falso ei attributis, ac de Sanctæ autographis 438. § lxxv. De editis S. Teresiæ libris, deque versis in varias linguas 443. § lxxvi. De libris S. Teresiæ singillatim, ac primo de Vita ejus deque additionibus ad Vitam, ac etiam de tribus quas scripsit brevioribus vitæ suæ Relationibus 447. § lxxvii. De cæteris Sanctæ scriptis, præter Epistolas ejus 452. § lxxviii. De Epistolis S. Teresiæ 457. § lxxix. De S. Tere-

siæ modo scribendi 461. § LXXX. Quæritur cœlitusne adjuta S. Mater fuerit in scribendis libris. Gravissima testimonia de auctoritate librorum et doctrinæ ejus 464. § LXXXI. S. Teresia inter Ecclesiæ universalis Doctores locari non potest. De utilitate legendorum ejus Operum 468. § LXXXII. Corrupti alicubi S. Teresiæ libri in iis quæ spectant ad Societatem Jesu. Omissa olim genuina quædam loca : nuper scripta ejus perfide interpretata, et spuria quædam ipsi supposita 471. § LXXXIII. Prophetia de Societatis Jesu excidio, S. Teresiæ afficta, falsa esse demonstratur. Tres genuinæ aliæ Ordini S. Dominici applicandæ videntur 476. § LXXXIV. In epistola quinquagesima tomi quarti Sancta non invehitur in Societatem Jesu 480. § LXXXV. Reprehenduntur plura in editionibus hactenus factis tertii et quarti tomi Epistolarum, speciatim quoad Societatem Jesu et quoad P. Hieronymum Gratianum 484. § LXXXVI. Graves contra Societatem Jesu vulgatissima pastorali Instructione archiepiscopi Burgensis anni 1769 contentæ calumniæ refelluntur ex ipsius potissimum S. Teresiæ testimoniis 487. § LXXXVII. S. Teresia composuit monialium suarum Constitutiones 492. § LXXXVIII. Quid S. Mater senserit circa delectum et copiam confessariorum pro monialibus suis, et num sententiam suam hac super re aliquando mutarit 498. § LXXXIX. Prosecutio ejusdem materiæ : ubi solvuntur objectiones pro contraria opinione allatæ 502. § XC. An et quousque S. Mater cupiverit filiarum suarum cœnobia a reformatis Carmeli Fratribus gubernari, illasque ab his in spiritualibus dirigi 507. § XCI. Ecstases, raptus, visiones, revelationes in S. Teresia a Dei spiritu profecta sunt 510. § XCII. Refutantur varia adversariorum argumenta 513. § XCIII. Vapulat Ludovicus Antonius Muratori, in italico suo opere de viribus humanæ phantasiæ, c. IX, inepte S. Teresiæ visiones imaginationi attribuens 516. § XCIV. Perperam aliqui S. Teresiæ ecstases magnetismo animali adscribunt. De magnetismi hujus existentia et natura controvertitur inter scriptores 523. § XCV. Admissis licet magnetismi animalis phænomenis, etiam mirandis, demonstratur nulla esse analogia Teresianas inter et magneticas ecstases 530. § XCVI. Demum neque hysteriæ aut catalepsi S. Teresiæ ecstases adscribi possunt 536. VITA *auctore P. Francisco Ribera, ex editione Salmanticensi anni* 1590 *et versione Mathiæ Martinez anni* 1620. LIBER I. Prologus. Quem afferant fructum Vitæ Sanctorum, et quod hujus sit libri argumentum 539. Cap. I. De visionibus ac revelationibus quæ multis Sanctis aliisque Dei servis contigerunt 542. Cap. II. Prosecutio ejusdem materiæ : quid de visionibus S. Teresiæ censendum sit 547. Cap. III. S. Teresiæ nativitas, pueritia, adolescentia et in Ordinem Carmelitanum ingressus 556. Cap. IV. Initia vitæ monasticæ S. Teresiæ : culpæ ab ea commissæ; quas non graves fuisse ostenditur 561. Cap. V. Sanctæ ad meliora conversio, et magni in via spirituali progressus 565. Cap. VI. Præclara Teresiæ in re difficili obedientia; insignes ei oblatæ visiones; colloquia cum S. Petro de Alcantara; tentationes variæ 569. Cap. VII. Propositum fundandi Abulæ monasterii in honorem S. Josephi, non sine remoris in opus deduci cœptum 573. Cap. VIII. Fundatio primi monasterii virginum Carmelitanarum Excalceatarum 577. LIBER II. Prologus. De delectu in admittendis inter Carmelitanas Excalceatas fœminis habendo 582. Cap. I. Scopus S. Teresiæ in fundandis monasteriis; Constitutionum ab ea conditarum summa 583. Cap. II. Turbæ ob fundatum a Teresia monasterium Abulæ coortæ, sed feliciter demum sedatæ 588. Cap. III. Adventus Generalis Carmelitarum in Hispaniam; facultas fundandi plura monasteria ab eo Teresiæ concessa. Iter Sanctæ Methymnam Campestrem 592. Cap. IV. Fundatio cœnobii virginum Methymnensis 597. Cap. V. Fundationes Malagonensis et Vallisoletana 600. Cap. VI. Fundatio Toletana 603. Cap. VII. Fundationes Pastranensis et Salmantina 608. Cap. VII. Fundatio Albana. S. Teresiæ iter agendi ratio 612. LIBER III. Prologus. De excellentia Constitutionum Teresianarum earumque conservatione 615. Cap. I. Prioratus cœnobii Incarnationis Abulensis Sanctæ commissus. Fundatio Segoviensis 616. Cap. II. Fundato Veasensis. Virorum Carmeli Teresiani initia 621. Cap. III. Fundatio Hispalensis 625. Cap IV. Fundatio Caravacensis. Dissidia Calceatos inter et Excalceatos Carmelitas, eorumque exitus. Fundatio Villanovana 629. Cap. V. Fundationes Palentina, Soriensis et Granatensis 634. Cap. VI. Fundatio Burgensis 637. Cap. VII. Extrema ægrotatio, mors et sepultura S. Teresiæ 641. LIBER IV. Prologus. Quo selectu quantaque cautela in admittendis novitiis opus sit 645. Cap. I. Naturales S. Teresiæ dotes, et sublimis illius oratio 651. Cap. II. Varii orationis supernaturalis modi, et rerum cœlestium Teresiæ data cognitio 655. Cap. III. Propheticus S. Teresiæ spiritus, et libri ab ea conscripti 660. Cap. IV. Examina de spiritu ejus instituta, ejusque circa orationem monita 665. Cap. V. Ejus fides, spes et in Deum caritas 672. Cap. VI. Caritas erga proximum 677. Cap. VII. Pietas erga SS. Eucharistiam et erga Sanctos 680. Cap. VIII. Fiducia in Deum, animi generositas, humilitas et mortificatio 684. Cap. IX. Tolerantia et patiendi amor 689. Cap. X. Austeritas vitæ, paupertas et liberalitas 692. Cap. XI. Obedientia, potentia in verbis et gratia sanitatum 695 . Cap. XII. Gratus animus, prudentia et spirituum discretio 699. Cap. XIII. S. Teresiæ de rebus animi sui relationes scriptæ ad quosdam e confessariis suis 704. LIBER V. Prologus. Cur auctor latius de Sanctæ virtutibus egerit 710. Cap. I. Corporis S. Teresiæ translationes 711. Cap. II. Status brachii et corporis S. Teresiæ. Plures illius a morte apparitiones 714. Cap. III. Miracula per corporis ejus Reliquias et pannos sanguine ejus tinctos 717. Cap. IV. Miracula per vestes ejus 720. Cap. V. Miracula per ejus imagines et epistolam, item ad ejus invocationem 723. TESTIMONIA DE S. TERESIA, *collecta a Didaco Yepes et in latinum translata a Mathia Martinez* 725. § I. De sanctitate et perfectione S. Matris Teresiæ favens semper omnium sententia 728. § II. Testimonia virorum gravium et doctorum qui ejus spiritum approbarunt 728. § III. Testimonia item virorum sanctorum 733. § IV. Testimonia quæ de S. Matre jam mortua data sunt 736. MONITA a Sancta monialibus suis tradita 741. Compendium chronologicum rerum Teresianarum 744. GLORIA POSTHUMA *e multis qua manuscriptis qua typo editis documentis*. Cap. I. GLORIA POSTHUMA ex miraculis. § I. Miracula S. Teresiæ multa et magna : e quibus primum ea quæ Yepes refert, sed quæ Ribera non habet, succincte referuntur 745. § II. Antverpia patrocinio S. Teresiæ, simul et precibus Annæ a S. Bartholomæo, miraculose liberatur 751. § III. Specialia aliquot miracula selecta 755. Cap. II. GLORIA POSTHUMA ex cultu. § I. De Indulgentiis, Officio et Missa in S. Teresiæ honorem concessis 760. § II. De reliquo ejus cultu, et speciatim de tutelari regni Hispaniæ patrocinio 763. Cap. III. GLORIA POSTHUMA ex reformato Ordine. § I. Celeriter ac late propagata

gata sacra Teresiæ familia 767. § II. In Ordinem cooptata multa membra insignia natalibus, scientia ac virtute 770. § III. Inclyta virtutis specimina nuperis temporibus a sequiori Carmeli sexu edita in Belgio, Gallia et Hispania 772. § IV. Conspectus provinciarum ac domiciliorum utriusque Congregationis Ordinis Carm. Exc., quæ erecta fuerunt a tempore S. Teresiæ usque ad nuperas rerum subversiones 776.

15 Thecla Virgo et abbatissa, Kitzingæ ad Mœnum in Franconia. SYLLOGE. De cultu et gestis 59.

15 Theodoricus Alemannus presb. Confessor ex Ordine Carmelitarum Venetiis in Italia. SYLLOGE. Beati elogium; miracula, ejus cultus hodie antiquatus 106.

V

16 Vitalis, eremita, in pago Ratiatensi diœcesis Nannetensis in Gallia. COMMENT. PRÆV. Homonymi, biographiæ, ætas, vitæ ratio, Reliquiarum translationes, et cultus 1091. VITA ET MIRACULA S. VITALIS CONFESSORIS, *ex duplici MS. Breviario Trenorchiensi, collata cum editione Chiffletii S. J. et suppleta ex MS. gallico ecclesiæ S. Vitalis* 1096.

INDEX

CHRONOLOGICUS.

SÆCULO III.

Inter annos 285 *et* 297 martyrium passi fuisse videntur SS. CCCLX Mauri 13 c

SÆCULO IV.

Ante annum 313 passus fuit S. Agileus 9 b
Anno probabiliter 362 martyrium subiit S. Eliphius 804 b, item S. Bolonia 816 c, 818 f
Sæculo IV *nonnihil provecto* obiit S. Antiochus episcopus Lugdunensis 17 b

SÆCULO V.

Circa initium sæculi V S. Silvanus martyrium subiit 822 a
Anno 429 SS. Germanus et Lupus primum in Britanniam navigarunt ad comprimendam hæresim Pelagianam 32 b
Anno 447 iidem Sancti secundo oppugnarunt Pelagianos in Britannia 32 b
Eodem anno cœptus S. Severi episcopatus Trevirensis 33 c
Post sæculi V *medium* floruisse videtur S. Cannatus 24 b c
Eodemne sæculo vixerit S. Antoninus Massiliensis, incertum est 24 e f
Anno 458 *vel* 459 martyrium passi fuere SS. Martinianus et socii 825 b, 826 e
Anno 461 celebratum Turonis concilium, cui forsitan adfuit S. Conoganus 43 f
Anno 465, præsente forsan eodem Sancto, habitum concilium Venetiæ in Armoricis 43 f
Circa annum 500 obiit S. Amandus 835 c, 838 e f

SÆCULO VI.

Circa annum 535 obiit S. Junianus 841 a, 842 d e
Circa annum 550 natus est S. Gallus 861 f, 862 a, 863 b, 881 c
Circa medium sæculi VI obiit S. Colmannus 851 c, 853 d
Circa annum 559 S. Gallus puer oblatus fuit in monasterio Benchorensi 863 b, 881 c
Inter annos 560 *et* 566 natus videtur S. Baldericus 914 b
Circa annum 574 videtur natus S. Magnobodus 931 e f, 932 a b
Circa annum 585 S. Gallus cum S. Columbano in Gallias appulit 868 b-f, 869 a-d, 881 c
Ante annum 596 S. Baldericus monasterium S. Petri Superius Remis ædificavit 912 b
Circa finem sæculi VI natus est S. Mummolinus
Ante sæculum VII obiit S. Salvius Autisiodorensis 853 c e f

SÆCULO VII.

Circa annum 610 S. Columbanus templum S. Aureliæ Brigantii expiavit 29 b
Anno circiter 614 S. Mummolinus ingressus est Luxovium 957 b
Anno 615 interfuit S. Gallus concilio Constantiensi, in quo Joannes ejus discipulus electus fuit episcopus 878 e f, 879 a, 881 c
Anno 625 S. Magnobodus subscripsit testamento S. Lonegesili 937 d e f, 938 a b
Circa annum 625 S. Magnobodus interfuit concilio Remensi 937 b c d, et natus videtur S. Bercharius 990 f, 991 a-d
Circa annum 627 obiit S. Gallus 856 b, 879, 880, 881 a b c
Circa annum 640 S. Mummolinus ad S. Audomarum venit 957 d
Eodem anno idem Sanctus præfectus fuit Veteri monasterio 959 b
Ante medium sæculi VII obiit S. Baldericus 909 b, 917 e f
Circa annum 650 constructum fuit monasterium Sithivense, eique præpositus S. Mummolinus 960 b c, 962 e
Circa initium anni 658 S. Mummolinus factus est episcopus 967 b

Circa

Circa annum 660 obiisse videtur S. Magnobodus 940 b c

Anno 662 fundavit S. Bercharius monasterium Altivillariense 994 b c d

Anno 672 initium a S. Berchario datum fuit Dervensi monasterio 997 f, 998, 999

Forsan anno 680 obiit S. Kiara 950 b, 951 c, 952 f

Probabiliter anno 683 obiit S. Mummolinus 953 a, 972 a b

Anno 685, *die* XXVI *Martii*, obiit S. Bercharius 986 a, 1002 e f, 1003, 1004

Anno 690 *aut* 691 S. Theodatus Viennenses infulas suscepit 57 c

SÆCULO VIII.

Circa annum 707 obiit S. Theodatus 58 c-f, 59 a d

Anno probabiliter 725 S. Lullus in Galliam appulit 1055 f, 1056 a-d

Circa annum 744 videtur S. Ambrosius cathedram Cadurcensem conscendisse 1034 a-d

Anno 748 ex Anglia in Germaniam venit S. Lioba atque adeo S. Thecla 61 b

Anno 754 S. Lullus ordinatus fuit episcopus Moguntinus 1060 c-f, 1061 a-e

Circa annum 760 obiit S. Sabinus 65 a, 69 c d e

Anno 766 fundavit S. Lullus monasterium Hersfeldense 1068 a

Anno 769, *die* XII *Aprilis*, S. Lullus interfuit concilio Romano sub Stephano III 1072 e f

Circa annum 770 obiit S. Ambrosius Cadurcensis 1031 b, 1044 a-e

Anno 777 consecravit S. Lullus ecclesiam Lauresshamensem 1070 a b

Probabiliter anno 780 idem Sanctus consecravit basilicam S. Goaris 1070 e f, 1071 a

Anno 786, *die* XVI *Octobris*, obiit S. Lullus 1050 b, 1078 e f

Circa finem sæculi VIII obiit S. Thecla abbatissa 64 f

SÆCULO IX.

Anno 850 *aut* 852, *in Cœna Domini*, translatum fuit corpus S. Lulli 1051 c, 1081 e

Versus annum 877 facta corporis S. Leonardi ad monasterium Corbiniacense translatio 47 a

Anno 878 corpus S. Conogani Monstrolium in Picardiam delatum fuit 42 a

Ante sæculi IX *finem* obiit S. Gurdanius 1104 c d

Inter sæcula IX *et* XI floruit S. Bonita 1121 c d

SÆCULO X.

Sub initio sæculi X Normanni dissiparunt Reliquias S. Silvani 824 d

Anno probabiliter 923 corpus S. Bercharii in Burgundiæ ducatum translatum fuit 1007 c, 1008 b

Anno probabilissime 964 translatæ fuere Reliquiæ S. Eliphii Coloniam Agrippinam 809 c d e

Circa annum 990 retectæ fuere Reliquiæ S. Juniani 843 b

SÆCULO XI.

Anno 1027, *die* XV *Octobris*, obiit Aurelia Ratisponensis 29 f

Anno 1040 secundo translata fuere S. Lulli ossa 1051 c, 1081 f

Ante medium sæculi XI natus est S. Bertrandus Convenensis 1144 b

Sæculo XI restitutus fuit a S. Annone Coloniensi archiepiscopo cultus SS. Maurorum 14 c-f

Anno probabiliter 1075 S. Hugo Cluniacensis detexit corpus S. Amandi 840 c d

Circa annum 1083 S. Bertrandus factus est Convenarum episcopus 1150 d e f, 1151 a b c

Circa annum 1085 obiit S. Anastasius 1125 a, 1135 b c

Sæculo XI jam carebat ecclesia Montisfalconis corpore S. Balderici 921 c

Anno 1100 S. Bertrandus interfuit concilio Pictavensi 1157 d e f, 1158 a-d

SÆCULO XII.

Anno 1102, *die* XXI *Octobris*, secundo translatum fuit corpus S. Juniani 843 b c d

Anno 1119 S. Bertrandus adfuit benedictioni cœmeterii Ausciensis 1159 b e

Anno 1122 SS. Cannati et Antonini Reliquiæ cum multis aliis in decenti theca reconditæ a Raymundo Massiliensi episcopo 20 a b, 24 a

Anno circiter 1125, *die* XVI *Octobris*, obiit S. Bertrandus 1140 c, 1160 a b c

Circa finem sæculi XII obiit S. Bernerius 1184 c

SÆCULO XIII.

Anno 1244 obiit B. Galterus abbas Quinciacensis 77 b, 78 c, 79 d

Anno 1276 translatum fuit Barolum corpus S. Rogerii 70 e, 71 b

Anno 1277 pars Reliquiarum SS. Cannati et Antonini translata fuit Massiliæ e cathedrali in S. Cannati ecclesiam 20 c-f

SÆCULO XIV.

Anno 1308, *die* XVI *Januarii*, Clemens V elevavit corpus S. Bertrandi 1162 c-f

Anno 1354 caput, brachium et costæ S. Galli Pragam delata fuere a Carolo IV imperatore 884 d

Anno 1377 obiit B. Theodoricus Alemannus 106 c

SÆCULO XV.

Circa annum 1401 nata est B. Philippa de Campo-Limano 83 e f, 84 a

Anno 1417, *die* XVII *Julii*, elevatæ fuere Reliquiæ S. Boloniæ 817 a, 819 f, 820 b

Anno 1424, *die* XIII *Junii*, translatæ fuere Reliquiæ SS. Corentini et Conogani 42 c d e

Anno 1444 pars Reliquiarum SS. Cannati et Antonini, quæ anno 1277 in S. Cannati ecclesiam delata fuerat, reportata fuit ad cathedralem Massiliensem 21 a

Anno 1450 Nicolao V Pontifice, celebratum fuit Romæ jubileum, cujus occasione B. Philippa in Urbem peregrinata est 91 a-e

Anno 1451 obiit B. Philippa 79 c f, 81 c e, 83 e, 91 f, 92 b c, 97 f

Anno 1458 statuta fuit solemnis B. Philippæ commemoratio 92 d

Circa annum 1460 instauratus fuit cultus S. Aureliæ 29 c d e

Anno 1463, *die* XXII *Junii*, advecta in Sithivense monasterium pars cranii S. Mummolini 974 c d e

Anno 1485, *die* XXIV *Julii*, sepulcrum S. Eliphii aperuit Hermannus archiepiscopus Coloniensis 808

SÆCULO XVI.

Anno 1512 translatum fuit corpus S. Rogerii in novum sacellum 74 e

Anno 1515, *die* XXVIII *Martii*, nata est S. Teresia a Jesu 123 c e, 557 c

Anno 1524 Lutherani devastarunt ecclesiam S. Aureliæ et ejus ossa exhumarunt 28 f, 29 a

Anno

Anno 1529, *die* XXIV *Februarii,* corpus S. Galli destructum fuit a Zwinglianis 884 d
Anno 1533, *die* II *Novembris,* S. Teresia Ordini Carmelitano nomen dedit 132 a-d, 561 a, 655 c d
Anno 1554 inventæ fuere Reliquiæ S. Bernerii 1185 e, 1189 d
Anno 1562 everterunt Calviniani ecclesiam S. Justi Lugduni 18 a
Anno 1562, *die* XXIV *Augusti,* primum Reformationis suæ monialium cœnobium fundavit S. Teresia 196 e, 581 f
Anno 1568, *die* XXVIII *Novembris,* primum virorum ejusdem Reformationis cœnobium incoli cœpit 218 a, 623 f
Anno probabiliter 1574 direptæ fuere Reliquiæ S. Anastasii 1136 b
Anno 1581, *die* III *Martii,* erecta fuit prima Carmelitarum Excalceatorum a Calceatis sejunctorum provincia 318 c d, 631 f
Anno 1582, *die* IV *Octobris, cum postridie ex Gregoriana Kalendarii emendatione foret dies* XV *Octobris,* obiit S. Teresia 338 d e, 643 a, 760 c f, 761 a
Anno 1583, *die* IV *Julii,* retectum primo fuit sepulcrum S. Teresiæ 343 c, 365 b c
Anno 1585, *die* XXIV *Novembris,* corpus S. Teresiæ Alba Tormesia Abulam translatum fuit 345 a, 365 c d, *et kalendis Januarii* 1586 ibidem ab episcopo et medicis visitatum 345 a b, 365 d e f
Anno 1586, *die* XXIII *Augusti,* S. Teresiæ corpus relatum fuit Albam 345 f, 366 a
Anno 1588, *die* VIII *Maji,* primus Carmelitarum Excalceatorum vicarius generalis electus fuit 632 a, 768 d
Anno 1589, *die* X *Julii,* Sixtus V oppido Albæ possessionem corporis S. Teresiæ asseruit 346 a, 714 a
Anno 1591 episcopus Salmantinus cum medicis invisit corpus S. Teresiæ 346 c, 366 a b, et testimonia de ejus virtutibus ac miraculis collegit 348 f
Anno 1593 Ordo Carmelitarum Excalceatorum suum sibi nactus est præpositum generalem 768 d
Anno 1594 denuo inspectum fuit S. Teresiæ corpus 346 d e f, 347 a b, 366 b c
Anno 1595 Camillus Cajetanus nuntius apostolicus informationes de S. Teresia institui jussit 348 f
Anno 1598 sepulcrum S. Teresiæ sublimiori positum fuit loco 347 b-f, 348 a b
Anno 1600 Carmelitæ Excalceati in duas abiere Congregationes, Hispanicam et Italicam 768 e

SÆCULO XVII.

Anno 1603, *die* XII *Decembris,* caput S. Lulli donatum fuit Patribus Societatis Jesu Moguntiæ 1082 e f, 1083 a
Anno 1604 sepulcrum S. Teresiæ apertum fuit, ac dein firmius occlusum 348 b c d, 366 c d
Eodem anno processus ad beatificationem S. Teresiæ auctoritate apostolica cœperunt institui 351 a
Anno 1614, *die* XXIV *Aprilis,* in Beatarum Virginum numerum adscripta fuit S. Teresia 352 c d e
Anno 1616, *die* XIII *Julii,* loculus S. Teresiæ, tumbæ lapideæ inclusus, in novo sacello collocatus fuit 422
Anno 1622, *die* XII *Martii,* SS. Isidorus, Ignatius, Franciscus, Teresia et Philippus in Sanctorum album fuere relati 413 e f, 414 *et seqq.*
Anno 1633 Sueci argenteis ornamentis spoliarunt lipsanothecam S. Eliphii 805 f
Anno 1653 inventa fuere Massiliæ S. Cannati cranium et quædam S. Antonini Reliquiæ 20 a, 23 e f
Circa eumdem annum recognitæ fuere Reliquiæ S. Bonitæ 1122 e
Anno 1662, *circa finem mensis Maji,* profanatæ Reliquiæ S. Ambrosii Cadurcensis 1045 f
Anno 1671, *die* XXXI *Maji,* novis thecis impositæ Reliquiæ S. Bercharii 1008 e f
Anno 1688 Reliquias S. Eliphii recognovit Thiard de Bissy, designatus episcopus Tullensis 805 f
Anno 1691 visitatæ vel elevatæ fuere Reliquiæ B. Galteri Quinciacensis 78 b d, 79 e

SÆCULO XVIII.

Anno 1733, *die* VI *Septembris,* pars Reliquiarum S. Bertrandi translata fuit in Insulam Jordanis 1168 f
Anno 1743 aliquot SS. Cannati et Antonini Reliquias reperit Henricus de Belzunce episcopus Massiliensis 23 f
Anno 1750, *a die* II *ad diem* XXIX *Octobris,* aperta fuit tumba S. Teresiæ, et interim corpus ejus recognitum 423 d e f, 424, 425, 426 a-d
Anno 1760, *die* XIV *Octobris,* corpus S. Teresiæ novæ urnæ argenteæ ex regia donatione insertum fuit 426 e f, 427, 428 a-d
Anno 1763 extracta fuit ex arca Reliquiarum S. Eliphii fibula pedis sinistri 806 a
Anno 1780 translatæ fuere Reliquiæ S. Balderici ad novam ecclesiam Montisfalconis 922 f
Anno 1793 projectæ in Montefalconis Reliquiæ S. Balderici 922 d e
Eodem anno flammis traditæ S. Magnobodi Reliquiæ, earumque cineres in ventum dispersi 940 d
Eodem anno, initio Novembris, Reliquiæ S. Mummolini extractæ e theca et humatæ 975 f, 976 a
Anno 1795, *die* XXIII *Augusti,* recognitæ Reliquiæ S. Mummolini 975 *et seqq.*

SÆCULO XIX.

Anno 1810 approbatæ Reliquiæ S. Germani Martyris 1124 a
Anno 1813, *die* XXVII *Februarii,* Benedictus Costaz episcopus Nanceensis designatus concessit coli S. Eliphium ritu solemnissimo in parochia Sant-Eliphiensi 806 d
Anno 1829, *die* XXIII *Octobris,* Gilbertus Paulus Aragones d'Orcet episcopus Lingonensis approbavit S. Bercharii Reliquias 1009 d e f, 1010 a b
Anno 1838, *die* XXI *Maji,* Petrus Ludovicus Parisis episcopus Lingonensis confirmavit factam visitationem Reliquiarum S. Bercharii 1010 b c
Anno 1839, *die* XXVI *Novembris,* Gregorius PP. XVI novam ecclesiam Ord. Carm. Exc. in monte Carmelo extructam titulo basilicæ minoris insignivit 769 f, 770 a b

NOTITIA FIGURARUM ORNANTIUM HUNC TOMUM.

Præfigitur solitum operis frontispicium.
Effigies Gregorii XVI Pont. Max., cui tomus ipse inscribitur.
Imago S. Lupuli e pictura veteri Capuana Pag. 7
Scutum gentilitium S. Teresiæ 113
Schema genealogicum ejusdem 122
Prospectus monasterii Incarnationis, Abulæ 130
Oratorium et sculpta S. Teresiæ imago, ibidem 237
Cancelli ejusdem monasterii 239
Sacræ Communionis mensa, ibidem 240
S. Teresiæ effigies 341
Sepulcrum ejus, Albæ 428
Cor S. Teresiæ, ibidem 430
Theca Reliquiarum ejus Parisiis, manus Ulyssipone, digitus Abulæ, alius Bruxellis 433
Pes ejus Romæ, clavicula Bruxellis, rosarium et sandalium Abulæ 436
Crux quam Sancta secum gerebat, Bruxellis 436
Baculus quo usa est, Abulæ 437
S. Teresia insignibus ornata doctoris theologiæ 469
Altare S. Teresiæ in ecclesia Excalceatorum Abulæ 560
Formula professionis S. Teresiæ 617
Scriptura Ven. Annæ a S. Bartholomæo 751
Prospectus ecclesiæ et monasterii Carmelitarum Abulæ 777
Sigillum capituli Montisfalconis, in Gallia 923
Effigies S. Mummolini 980
Novæ Convenæ et rudera claustri S. Bertrandi 1155
Altare, mausoleum et lipsanotheca S. Bertrandi 1167

Quæ proxime sequuntur Acta Sanctorum ad diem XV *Octobris spectantium, ad paginam usque* **108**, *collecta et illustrata fuere a novissimis decessoribus nostris, videlicet:*

JACOBO BUEO *presbytero, olim Societatis Jesu,*
SIARDO DYCKIO
CYPRIANO GOORIO
MATHIA STALSIO
canonicis regularibus Ord. Præm. Tongerloæ.

Quis autem cujusque Commentarii auctor fuerit, indicatur in summo paginarum margine litteris nominum initialibus : J. B. - S. D. - C. G. - M. S.

ACTA

OCTOBRIS

TOMUS SEPTIMUS.

DIES DECIMAQUINTA.

SANCTI QUI COLUNTUR IDIBUS OCTOBRIS.

S. Fortunatus M. Romæ.

B SS. Lupulus et Modestus MM. Romæ.

S. Agileus M. Carthagine in Africa.

SS. CCCLX. MM. Mauri Coloniæ Agrippinæ.

S. Antiochus Episc. Conf. Lugduni in Gallia.

SS. Cannatus et Antoninus Epp. Confl., ut fertur, Massiliæ in Provincia.

S. Aurelia Virgo Argentorati in Alsatia.

S. Severus Ep. Conf. Treviris.

C S. Tammarus Episc. Conf. Beneventi in Italia.

S. Conoganus Episc. Conf. Corisopiti in Britannia Minore.

S. Leonardus Conf. Corbiniaci diœc. Augustodunensis in Gallia Nivernensi.

S. Baldericus seu Baudericus Conf. in diœcesibus Lingonensi et Æduensi in E Burgundia.

S. Deodatus seu Theodatus Episc. Conf. Viennæ Allobrogum in Gallia.

S. Thecla V. et abbatissa Kitzingæ ad Mœnum in Franconia.

S. Sabinus Episc. Conf. Catanæ in Sicilia.

S. Rogerius Episc. Conf. Baroli in Apulia.

B. Galterus seu Galterius Abbas et M. Ord. Cisterciensis Quinciaci in Gallia. F

B. Philippa de Campo-Limano V. Viennæ Allobrogum.

B. Theodoricus Alemannus Presb. Conf. ex Ord. Carmelitarum Venetiis.

S. Teresia V. Carmelitarum strictioris observantiæ Parens Abulæ in Hispania.

[Qui hac die dantur in Sanctos, præter S. Teresiam, commentarii, Tongerloënsibus typis excusi, secundis curis redduntur. Inter uncinos [ ] inclusimus animadversiones et correctiones nostras].

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sanctum Lucianum *presbyterum Antiochenum et Martyrem hodie annuntiant Menæa et Menologium jussu Basilii imperatoris editum: illatus in Opus nostrum est ad diem* VII Januarii.

Belloacis civitate, Luciani Martyris *legitur in Martyrologio Hieronymiano Richenoviensi contracto : indicatur ejus Translatio : colitur* VIII Januarii.

Eodem die (XV *Octobris*) Translatio S. Gregorii Papæ *habet Grevenus; Codex vero Altempsianus apud Sollerium :* Ipso die translata sunt de Roma Sanctorum corpora Sebastiani et Gregorii. *Sed quo?* B *Opportune addit Florarium nostrum MS.* ad urbem Suessionis anno salutis DCCCXXXVI. *Actum de hac Translatione est in Opere nostro ad dies illis sacros* XX Januarii et XII Martii.

SS. Sarbelium et Barbeam Martyres *Edessæ variis diebus signant varii fasti ecclesiastici : hoc die Galesinius, Ferrarius in Catalogo SS. Generali, et Menæa. Actum vero de illis est ad diem* XXIX Januarii.

S. Barses Confessor, *episcopus Edessenus, Philone, Libyæ vico, annuntiatur hodie a Castellano; in Fastis Græcis quibusdam hodie memoratus; de quo egimus ad diem* XXX Januarii.

In Prussia, S. Brunonis episcopi Ruthenorum et Martyris, *inquit Menardus ad hunc diem; quo et Martyrologio Romano inscribitur. Multa de eo scribit Ademarus in Chronico S. Eparchii apud Labbeum tom. II Bibliothecæ MSS. pag.* 168 *et seq.: nos vero in Opere nostro jam egimus ad diem* XIV Februarii.

S. Oswaldum *episcopum Wigorniensem, deinde archiepiscopum Eboracensem, ad hunc diem refert Molanus; Vitam S. Oswaldi Wigorniensis episcopi,* C *et hanc Molani Annuntiationem discussam habes in Opere nostro ad diem* XXIX Februarii.

S. Gregorius et Theophilus *Patriarcha Alexandrinæ in Ægypto ecclesiæ* XXIII *antistes, anno* 412 *die* XV *Octobris defunctus, inseruntur hodie Kalendario Coptico apud Jobum Ludolfum Commentarii in Historiam Æthiopicam a se scriptam pag.* 395. Theophilus *non legitur in Kalendariis Copticis nostris MSS.; neque Ludolfianum istud Kalendarium nobis sufficit, ut eum cum Sancti Beative titulo Actis nostris inseramus. Gesta ejus, partim laude, partim reprehensione digna videsis apud Baronium in Annalibus, apud Sollerium in Patriarchis Alexandrinis, ubi a Sancti titulo illi tribuendo abstinet, ante tom. V Junii pag.* * 51. S. Gregorius *colitur* IX Martii.

S. Wulfranni *archiepiscopi Senonensis et Confessoris elevationem et translationem hodie signat Codex Usuardinus Centulensis apud Sollerium : Vitam ejus illustravimus ad diem* XX Martii.

S. Georgii M. Translatio Tolosæ *legitur hodie in Additionibus MSS. ad Usuardum Greveni anni* 1521 : *consule Opus nostrum ad diem* XXIII Aprilis.

SS. Guillielmi *et* Peregrini Translatio *Fogiæ in Italia signatur in hodierno SS. Elencho nostro MS. De hac, ut apparet, Translatione mentio facta est in Opere nostro ad diem* XXVI Aprilis.

Dedicationem *ecclesiæ Cathedralis Senogalliæ in ducatu Urbinate hodie memorat Ferrarius in Catalogo SS. Generali : nova Cathedralis, teste Colcto in Additionibus ad Ughellum Italiæ sacræ auctæ tom. II col.* 886, *S. Petro dicata est : Cathedralis vero antiqua, anno* 1456 *a Sigismundo Malatesta, Senogalliæ Domino, eversa, dicata fuit S. Paulino, urbis episcopo et Patrono, de quo egimus ad diem* IV Maji. E

Niciæ in Provincia, S. Hospitii Conf. *inquit hodie in Martyrologio Gallicano Saussayus. Actum de illo est in Opere nostro ad diem* XXI Maji.

S. Quirinum *hodie Zagabriæ, incolis* Zogrob *aut* Sagrab, *Germanis* Agram, *in Slavonia velut Confessorem adnotat Ferrarius in Catalogo SS. Generali ex Zagabriensis ecclesiæ Tabulis : ut ut id sese habeat, idem hic Sanctus est, fatente Ferrario, qui tamquam Ep. Martyr Scissiæ in Martyrologium Romanum ac Opus nostrum ex Actis ejus antiquis illatus est ad diem* IV Junii.

Dedicatio ecclesiæ S. Medardi *per Innocentium II occurrit hodie apud Castellanum in Supplemento : facta est anno* 1130 *hoc die, uti videre est tom. II Junii pag.* 76 *ad diem* VIII Junii.

S. Etheldredæ *Virginis memoria celebratur hoc die, adjecta oratione, in Excerptis nostris MSS. ex Breviario Aberdonensi : egimus de ea, ad diem, quo Romano Martyrologio inscribitur,* XXIII Junii.

S. Salvii Martyris *gesta, cujus hodie translationem Valencenis Molanus annuntiat, dedimus ad diem* XXVI Junii.

Depositio Sanctorum presbyterorum et Confes- F sorum Austricliani et Alpiniani ex LXXII discipulis Christi, *inquit hoc die Florarium nostrum MS. Colitur hodie in Lemovicensi diœcesi S.* Austriclianus, *die* XXVII *Aprilis S.* Alpinianus, *uti in Kalendario Breviarii Lemovicensis ecclesiæ anni* MDCXXVI *videre est.* [*Editio Usuardi Lubeco-Coloniensis et Grevenus ad hunc diem habent Lemovicensem Sanctum* Austridinum, *quem eumdem cum alterutro Sancto putamus.*] *De his Sanctis egimus in S. Martiale ad diem* XXX Junii.

Dedicatio Superioris ecclesiæ *signatur ad hunc diem in Supplemento Officiorum propriorum ecclesiæ S. Victoris Massiliensis, apud nos exstante, sed prima pagina mutilo : Inferioris vero ecclesiæ dedicatio signatur die* XXV *Junii. Utraque omittitur in Officiis ejusdem ecclesiæ propriis anni* 1662; *ubi Dedicatio istius ecclesiæ unica affigitur diei* VII Julii.

S. Margaritam Virginem *hodie annuntiat Martyrologium Usuardi, anno* 1521 *Coloniæ excusum, Antiochiæ,* quæ ut sæculi hujus pelagus evaderet, relicto sponso carnali, monasterium virorum ingressa Pelagii nomen assumpsit. Ubi in magna

A sanctitate vivens, monasterio Virginum prælata, de fornicatione falso accusata pœnitentiam egit, plenaque sanctitate quievit. *Nota est* Margarita *Virgo, sed Antiochiæ in Pisidia martyrium passa : nota item* Reparata *seu* Marina *Virgo, cui Elogium mox recitatum plane congruit; sed de cujus cultu haud nobis constat. De harum prima egimus ad diem* XX Julii.

De altera ad diem XVII Julii.

Tolosæ in Basilica S. Saturnini, Translatio beati Jacobi Apostoli, Zebedæi filii, *inquit ad hunc diem Saussayus in Supplemento. De S. hujus Apostoli Reliquiis disputatum a nobis est ad diem* XXV Julii.

Quies S. Panthalemonis Nicomediensis *notatur hodie in MS. Indice Martyrologii Coptici, ejus nempe, ut opinor, Martyris, qui in Opere nostro locum habet ad diem* XXVII Julii.

Certamen Sanctorum Martyrum Nazarii, Gervasii, Protasii et Celsi *signatur hodie in Menologio Græcorum jussu Basilii imperatoris edito : nos de* Nazario *et* Celso *egimus ad* XXVIII Julii.

De Gervasio *et* Protasio *ad* XIX Junii.

S. Martha *ponitur hodie in Kalendario Runico ab*
B *Olao Wormio edito : Martha, Servatoris hospita (si altera hic memoretur, nobis ignota est) relata est in Opus nostrum ad diem* XXIX Julii.

Asculi in Piceno, consecratio majoris ecclesiæ, *inquit Ferrarius in Catalogo SS. Generali : de illa actum est apud nos in S. Emygdio ejus ecclesiæ tutelari præside ad diem* V Augusti.

Transitus S. Justi in eremo episcopi Lugdunensis *legitur hodie in Auctariis Bedæ : Acta ejus illustrata habes ad diem* II Septembris.

S. Victurnianus *festo annuo alicubi in diœcesi Lemovicensi hodie colitur, sed festum inventionis ejus sacri corporis est, uti videre est in Opere nostro ad diem, quo de illo actum,* XXX Septembris.

S. Placidia, *Valentiniani imperatoris, ut aiunt, filia, a Molano hoc die memoratur : egimus de ea ad diem* XI Octobris.

Fortunatus Papa, *Fortunato Martyri Romano subjungitur in Additionibus ad Lucense Florentinii Martyrologium; credimus indicari hic S. Fortunatum episcopum Tudertinum, cui locus datus est supra ad diem* XIV Octobris.

SS. Agratum et Castulum *veluti Viennenses in Gallia episcopos et Confessores inter Auctaria Usuardina*
C *apud Sollerium hodie memorat editio Lubeco-Coloniensis : de quibus egimus ad diem* XIV Octobris.

SS. Gasparem,
Mutium,
Claudios duos,
Ericium,
Paulum,
Julium,
Vitalem,
aliosque plurimos } Martyres Severo imperante,

exhibet nobis hodie Martyrologium Brixianum a D. Bernardino editum : verum non ea est hujus Martyrologii auctoritas, ut ex ejus fide Martyres illos, quorum etiam familias et cognomenta Faynus sibi nota existimat, Actis nostris inseramus; donec aliunde illorum Martyrium et cultus probetur.

SS. Alexandri et Faustinæ MM. *Romanorum Roma ex Cœmeterio S. Cyriacæ Thenas in Belgium fuisse translata corpora anno* 1656, *atque ibidem insigni pompa Dominica tertia seu Idibus Octobris fidelium veneration exposita in templo PP. Minoritarum, accepta ad id anno* 1654 *ab Innocentio* X *facultate, discimus ex libello Flandrico anno* 1656 *typis H. Kempe Lovanii edito. Natalem horum Martyrum diem cæteraque ad eos spectantia ignoramus.* D

SS. Oswaldum ep.,
Marcianum,
Satirum, } Confessores,
et Candidum Martyrem

una eademque annuntiatione exhibet Florarium nostrum MS. licet valde disparatos. De S. Oswaldo *separatim hic mentio fit : cæteri, qui sint, quove die colantur, divinabit, opinor, qui definire voluerit.*

Monachus *quidam* Anonymus, *uti ad hunc diem Menæa perhibent, deserta, quam Superiori suo in solitudine Sceti exhibuerat aliquamdiu, obedientia, Alexandriæ captus, et, quod idolis sacrificare nollet, capite plexus est : cum vero in eo jam Christiani essent, ut eum, veluti Martyrem, sub altari tumularent, ac res divina fieret, sarcophagus inde absque cujuscumque manus adminiculo una cum Neophytis sponte recessit, donec, peracto Sacrificio, eodem rediit. Patefacta ab Angelo rei causa, accersitus Alexandriam Superior anathemate monachum solvit : quo facto, corpus ejus, quo statutum fuerat, loco honorifice sepultum, deinceps tranquille permansit. Res nobis apparet mirabilior, quam ut unica Menæorum auctoritate credi* E *debeat, aut* Martyrem *illum* Anonymum *in Acta nostra referendum arbitremur.*

S. Erkletus *Martyr in Britannia Minori occurrit hodie in Codice Altempsiano apud Sollerium.* Arcletus *Martyr in Kalendario MS. sæculi* XV *abbatiæ S. Merenni, teste Lobineau ad calcem Vitarum SS. Armoricorum, una cum S. Conogano, Corisopitensi episcopo, infra dando, memoratur in hunc modum :* Idibus, Conogani episcopi, VIII Lect. Item Arcleti Martyris, IV Lect. *sed additur :* De utroque omnia de Communi. *Unde eum inter Sanctos incognitos referre laudatus mox Lobineau compulsus fuit : sed neque nobis quidpiam suppetit, unde de eo plura dicamus, alioquin, quin idem sit* Erkletus, *qui* Arcletus, *vix ambigentes.*

Eodem die Natale S. Savinæ *legitur hodie in Auctariis Bedæ : at nihil nobis occurrit, quo illam ab aliis ejusdem nominis Sanctis mulieribus distinguamus.*

Caprasius *Carmeli Prior (quem anno* 450 *die* XV *Bostius,* XX *Octobris, Palæonydorus defunctum scribit) jam bis inter Prætermissos in Opus nostrum illatus est; primum ad diem secundum Junii, dein ad primum Julii. Caprasium alterum, nempe Lirinensem, jam dedimus ad diem* I *Junii : de illo cum* F *Lezana Annalium Carm. tom. III ad annum* 450 *notamus :* Hunc Caprasium titulo Sancti aliqui insigniunt, ut sunt antiquum Mechliniense Kalendarium, in quo XIII Kalend. Novembris dicitur : « Caprasii abbatis Prior. Carmelit. » Bostius et alii, quos non imitamur, decretis Apostolicæ Sedis morem debitum gerentes, donec majora suppetant fundamenta ejus sanctitatis.

Speciosæ Virginis, *inquit hodie Martyrologium Usuardinum Greveni anno* 1521 *Coloniæ excusum; iisdem verbis, quibus illam annuntiat hesterna die Florarium nostrum MS. Nihil quod iis, quæ de illa dicta hesterna die in Prætermissis sunt, adjiciamus, invenimus.*

S. Cuanum *quemdam inter plures ejusdem nominis alios loco decimoquarto, cui diem* XV *Octobris adscribit, recenset Colganus in Actis SS. Hiberniæ ad diem* IV *Februarii in Annotatis in S. Cuannam abbatem pag.* 251 *num.* 2; *ejus nominis Sanctos hactenus a Majoribus nostris inter Prætermissos, quod sufficientem personarum, gestorum et cultus sacri legitime illis delati, notitia caruerint, repositos videmus : quod et nos facere compellimur,*

A *quod* Cuani *ad hunc diem a Colgano memorati, nonnisi nudum nomen perspectum habeamus.*

S. Euthymium *Monachum videre est ad hunc diem in Ephemeridibus Græco-Moschis figuratis tom. I Maji præfixis; cui in Martyrologio Slavo-Russico a Domino Joanne Gabriele de Sparwenfeld Latine verso* novi *appellatio adjungitur : verum quis hic? Græcusne, an Ruthenus? An Martyr anonymus monachus, hodie in Menæis Magnis memoratus? An alius quispiam? Nihil ea de re certi, quod diceret, habuit Papebrochius, nihil Ignatius Kulczynski in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ pag.* 101, *neque nos habemus.* [*Suspicatur Jos. Simon. Assemani Kalend. Eccl. univ. tom. V pag.* 302 *hunc Euthymium eumdem esse cum Thaumaturgo, de quo Nostri ad diem* XVIII *Aprilis egerunt.*]

S. Erembertam, *alias* Bertanam *vel* Hermembertam Virginem *recenset Castellanus in Martyrologio Universali ad diem* VIII *Julii : Mabillonius Sec. III Benedictino part. I in Annotatis in Vitam S. Vulmari abbatis Silviacensis prope Bononiam in Picardia, cujus neptis fuit, ait eam coli hac die. Remissa apud nos fuit a die* VIII *ad* XX *Julii, quo de*

B *S. Vulmaro agendum erat : tum vero ob Actorum et cultus notitiæ plenioris penuriam huc remissa : sed cum eadem et nos premamur penuria, cogimur illam et hoc die præterire, donec lux uberior alicunde affulgeat.*

Petrus abbas *in Elencho nostro Sanctorum, qui Idibus Octobris coluntur, memoratus aliunde nobis ignotus est.*

Ratisbonæ, depositio sanctæ Aureliæ Virginis sanctimonialis reclusæ : *ita Menardus ad hunc diem in Martyrologio Benedictino. Memoratur item in Kalendario Dorgaini cum eodem titulo, ac Clotarii Franciæ regis, ab aliis vero Hugonis Capeti filia fuisse dicitur. Arnoldus Wion post lib.* 5 *Ligni Vitæ in Adjunctis pag.* 900 *illam confundit cum* Aurelia, *Argentorati hodie in Martyrologio Romano annuntiata, cui infra suus dabitur locus : interim sacri cultus* Aureliæ *Ratisponensi exhibiti sufficientia non reperio, ut in Opus nostrum inferatur, indicia : licet sublimiore ac honorificentiore tumulo donatam fuisse legam in Mausoleo S. Emmerammi a Cœlestino abbate Germanice scripto, pag.* 109 : *immo, teste Radero tom. II Bavariæ Sanctæ pag.* 164 *Wolfg. Selenderum, ex religioso S. Emmerammi S. Wenceslai in Bohemiæ Silesiæque*

C *confinio antistitem, citante,* instaurantur quotannis illi FUNEBRIA sacra apud sanctum Emmerammum jam ab annis quingentis octoginta novem (*ab anno* 1027) numquam intermissa. *Legit Raderum hoc loci Joannes Baptista ejusdem Cœnobii abbas, Cœlestini continuator, et Radero non tantum non contradicit, sed et ipsemet neque Sanctæ, neque Beatæ titulum* Aureliæ *Ratisponæ sepultæ tribuit.*

B. Richwinus *eremi Hemmerodensis Cœnobita in Germania*

et B. Elisabetha *abbatissa in Hoven prope Tolbiacum in archidiœcesi Coloniensi memorantur hodie in Menologio Cisterciensi Henriquezii; ubi et altera memoratur ejusdem nominis et Parthenonis abbatissa ad diem* XXVII *Augusti inter Prætermissos relata. Cum* Beati *titulo signantur Richwinus et Elisabetha hodierna in Kalendario Cisterciensi Sigismundi Alberti. Uterque omittitur a Chalemoto : nos utriusque cultum cupimus edoceri.*

Malcolmus *Scotiæ rex hujus nominis III, S. Margaretæ conjux, hodie comparet in Menologio Scotico Dempsteri ex Molano, qui eum retulit in editionem primam Martyrologii Usuardini; omisit in editionibus reliquis : omisit quoque Castellanus : Papebrochius vero, Malcolmum S. Margaretæ juncturus, si alicubi cultum ejus sufficienter probatum invenisset, ad diem* X *Junii, id facere non est ausus; neque porro nos, quibus exploratior non est ejus cultus, quam Papebrochio, illi locum in Opere nostro concedere audemus.* D

Dedicatio templi S. Mariæ *apud Morinos a Milone Morinensi episcopo facta anno* 1133 *hodie signatur in Kalendario Mariano P. Antonii Balinghem.*

BB. Bernardi Massæ in Tuscia,
Michaelis a Carcano Comi in Insubria,
Antonii Sulmonensis in Pelignis,
Christophori Plateani Valentiæ in Hispania,
} Confessorum,
et Brigittæ Gonzalez apud oppidum Veaz in Provincia Carthaginensi, Virginis Tertiariæ, *meminit hoc die Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano : sed absque indicio cultus.*

SS. Succus,
Cesa et X alii,
Mireus,
Aufridus,
Saturninus,
Nereus,
} *memorati hodie in Codice Hieronymiano Epternacensi seu Antverpiensi apud Florentinium spectare videntur ad diem* XVI Octobris. E

Romæ, Passio S. Silvani Martyris et S. Fortunati *signatur hodie in Beda aucto ante tom. II Martii.* [*De Fortunato inferius fit sermo; Silvanus vero ortusne sit ex Silvano qui* XVI *Octobris colitur, ambiguum est; mortis palæstra diversa saltem indicaretur, ut videri poterit ad* XVI Octobris.]

SS. Martianum,
Satirum,
Candidum,
} Martyres,
annuntiat hodie Florarium nostrum MS. Spectant ad diem XVI Octobris.

Martyres trecenti sexaginta anonymi *in Africa passi leguntur hodie in Viola Sanctorum. At in Martyrologio Romano SS. Saturnino et Nereo junguntur Socii Martyres trecenti sexaginta quinque absque palæstra : hos in persecutione Vandalica passos fuisse, quod in dictorum Martyrum Elogio ait Violæ auctor, SS. Martiani et Saturiani Elogium illis applicans, Baronius in Annotatis nullius auctoritate probari asserit. Memorandi erant una cum SS. Saturnino et Nereo, in Viola omissis ad diem, quo de illis agetur,* XVI Octobris. F

Bituricas, Ambrosii *habet hodie Martyrologium Richenoviense : est S.* Ambrosius *ep. Cadurcensis, de quo agetur die* XVI Octobris.

S. Gallum *Conf. hodie alicubi memorari notatum in SS. Elencho MS. nostro reperio. Pertinet is ad diem* XVI Octobris.

S. Bertrandum, *Convenarum episcopum, hodie signant Saussayus in Martyrologio Gallicano, auctor Martyrologii Parisiensis, Bailletus in Vitis Sanctorum : Castellanus autem ad diem* XVI *Octobris; et quidem recte : nam, teste Simone de Peyronet, presbytero Tolosate, cujus ecclesiæ S. Bertrandus archidiaconus fuit, in Notis ad Onomasticum Sanctum Gallico-latinum pag.* 18, *non solum in Breviario Tolosano notatur ejus festum ad diem* XVI *Octobris, sed eodem etiam die colitur in ecclesia propria; quo et mortuum testantur S. Episcopi Acta. Ad hunc item diem signatur in Officiis propriis ecclesiæ Tolosanæ, anno* 1647 *jussu Caroli de Monchal, Tolosæ editis. Differimus itaque S.* Bertrandum *ad diem* XVI Octobris.

S. Regulus Conf. *in Scotia, Prætermissis in Opere nostro ad diem* XXX *Martii, uti et ad diem* XXVIII *Augusti*

A *Augusti insertus hodie signatur in MSS. Excerptis Breviarii Aberdonensis, Codice ✠ MSS.* 167 *: verum ea dies ejus cultui haud stabiliter videtur fuisse affixa; additur enim :* Quando in Quadragesima de eo non fuerit servitium : *imo ne hoc quidem casu; sequitur enim :* Sed differtur in crastinum. *Agi de eo poterit ad diem, quo ejus festum Adamus King, ut ibidem etiam notatur, Catalogus SS. Hiberniæ MS. citato Codici insertus, Camerarius, Dempsterus aliique signant, ac alibi forte constanter colitur,* XVII Octobris.

Eusebius *presbyter num fuerit S. Reguli, qui S. Andreæ reliquias ex Achaia in Scotiam attulisse fertur, socius, ut ad diem* XXVII *Aprilis Camerarius ait, ac cultu sacro gaudeat, examinari poterit, cum de S. Regulo agetur ad diem* XVII Octobris.

S. Hedwigem *hodie Romanum Martyrologium his verbis annuntiat :* Cracoviæ S. Hedwigis ducissæ Poloniæ, quæ pauperum obsequio dedita etiam miraculis claruit, quam et Clemens Papa Quartus numero Sanctorum adscripsit, et Innocentius Undecimus ejus festivitatem sexto decimo Kalendas Novembris celebrari indulsit. *Hodie quidem illa migravit ad Superos; sed colitur, quo in Romano*

B *Martyrologio reperitur, nosque de ea, licet olim, Innocentio scilicet XI nondum Pontifice, in Opere nostro in Prætermissis ad diem* XVII *Martii hodie promissa sit, agemus ad diem* XVII Octobris.

S. Leopoldi Austriæ Marchionis, *tamquam hoc die culti, mentio fit in Opere nostro ad diem* XV *Februarii. Martyrologio Romano inscribitur ad diem* XV Novembris.

S. Maxentia Virgo in territorio Bellovacensi, *tamquam hoc die quibusdam Kalendariis inscripta, occurrit in MS. hujus diei Sanctorum Elencho nostro : natalem illi diem adscribit Saussayus in Supplemento, uti et Dempsterus in Menologio Scotico* XXIV *Octobris; Usuardus vero Greveni anni* 1521, XX Novembris.

S. Clementis Martyris Translatio, *hoc die facta anno* 1649 *refertur a Joanne Negro Lib.* 2 *cap.* 3 *post S. Juvenalis, Narniensis episcopi, Vitam : idem creditur, qui S. Clemens una cum S. Celso inscriptus Martyrologio Romano ad diem* XXI Novembris.

[In Scotia S. Colmanni episcopi, *habent hoc die Dempsterus in Menologio Scotico, et Martyrologium Tamlactense; hos secutus est Ferrarius in Catalogo Sanctorum generali : memoratur etiam in Breviario Aberdonensi, adjecta oratione, qua ejus intercessio invocatur : optime igitur ejus cultus probatur. Sed quoniam multi sunt Sancti homonymi, Martyrologium Tamlactense, inter Colmannos distinguens, dicet :* Nativitas Colmanni filii Lenini. *Festum ejus pleraque monumenta Hibernica rejiciunt ad diem* XXIV Novembris.] D

In territorio Remensi, sancti Basoli Confessoris, *inquit ad hunc diem Usuardus. Castellanus vero, qui hunc Sanctum ad diem* XXVI *Novembris memorat, ac sæculo* VI *adscribit, hodie ab hoc alium Martyrologio inserit : priorem vocat S.* Basle, *posteriorem S.* Veule, *quem sæculo* VIII *adscribit et Latine* Bosolum, *cæterum* Reclusum *et in diœcesi Trevirensi cultum dicit. Hausisse videtur hæc Castellanus ex Bernardo Guidonis, qui apud Labbeum tom. I Bibliothecæ MSS. pag.* 631 *Sanctos Lemovicenses extra diœcesim sepultos enumerans hæc de S.* Bosolo *habet :* S. Bosolus oriundus in montanis, veneratur in suo reclusorio, ubi nunc est abbatia in diœcesi Trevirensi, cujus legenda habetur. Festum ejus recolitur Idibus Octobris : E *verum pro* Trevirensi *legendum illic est* Remensi : *cætera enim omnia S.* Bosolo *in diœcesi Remensi ab Usuardo annuntiato quadrant : S. vero* Bosoli *nullus apud Trevirenses cultus, Legenda nulla, nulla denique Abbatia. Nec credibile est Guidonem memorare voluisse* Bosolum *Trevirensem, aliunde ignotum, præteriisse autem* Bosolum *Remensem satis per Galliam celebrem, cujus Translationis festum hodie Remis olim agebatur, et de quo agendum erit ad diem, qua celebratur ejus depositio,* XXVI Novembris.

S. Legadia *vel* Gaida Virgo *occurrit hodie in Auctariis Bedæ : suspicamur esse S.* Leocadiam, *cujus corpus, Saracenis in Hispaniam invadentibus, in Gallias delatum fuisse fertur, memoria vero in Martyrologio Romano signatur ad diem* IX Decembris.

S. Judoci Confessoris Translatio *signatur hodie in MS. Elencho nostro Sanctorum ex Usuardo Carthusiæ Bruxellensis. Colitur* XIII Decembris.

C F

DE S. FORTUNATO

MARTYRE ROMÆ.

Ex Hieronymianis aliisque sacris Fastis.

J. B.

SÆC. INCERTO. *Hodiernum Sanctorum laterculum Martyrologium Romanum exorditur his verbis :* Romæ via Aurelia Sancti Fortunati Martyris. *Usuardum et Adonem hoc loci Baronius laudat in suis ad Martyrologium Romanum Annotatis : recte quidem Usuardum, cujus apud Sollerium eadem, quæ Martyrologii Romani, de S.* Fortunato *sunt verba : at minus recte Adonem, cujus textus, purus scilicet, illum præterit, Rosweydo Adonis editori, hac in re assentientibus Sollerio* [*et Dominico Georgio, qui Adonianum Martyrologium postremus edidit anno* 1745]. *Usuardus porro, ut merito censet Sollerius, ex Hieronymiano quodam apographo S.* Fortunatum *hausit : quod vero Florentinius edidit, uti et Corbeiense apud eumdem, non* Fortunatum, *sed* Fortunatam *habent ad hunc modum :* Via Aurelia in cimiterio ejusdem Sancte Fortunate; *quæ quidem posterior lectio retinenda* [*non videtur; quamvis enim*

AUCTORE J. B.

A *duo apographa in hanc consonent, longe tamen plura, illaque antiqua, Martyrem virili sexui adscribunt. Præter Usuardum, qui constanter S. Fortunatum scribit, etiam in antiquissimo San-Germanensi sive apographo sive autographo; exhibet Dominic. Georgius in sua Adoniana editione* (*a*) *Martyrologium Ottobonianum, sæculi circiter decimi et proinde Hieronymiano Corbeiensi antiquius* (*b*), *in quo legitur sub Idibus Octobris :* In Gallia nat. Sanctorum Maurorum et de Militibus Lupuli et Fortunate. *Similem annuntiationem habet Kalendarium Palatino-Vaticanum sæculi* XII (*c*) : Fortunati Mart. *Numquid fœminea nominis desinentia promanare potuerit ex inscriptione Ottobonianæ simili, qua nomen militis* Fortunate *dicitur?*] *Martyris titulum S.* Fortunato *apposui, tum quod eo condecoretur ab Usuardo, tum quod in Hieronymianis soli passim locum habeant Martyres. Romanam porro palæstram illi item adscripsi, tum propter Usuardi iterum auctoritatem,* D *tum propter Viam Aureliam et in ea cœmeterium in citatis Hieronymianis Codicibus diserte expressa, quæ sane non aliam palæstram, quam Romam, fœcundissimum Martyrum sanguine solum, clamare videntur. Castellanus quidem in Martyrologio suo Universali, quoniam, Hieronymianos Codices secutus, fœminam Martyrem facit, S.* Fortunatam *eamdem videri ait, ac S.* Fortunatam, *de qua jam egimus heri, quæ quid cum hac nostra commune habeat præter nomen et Martyrium, sed alibi toleratum, non video. Sanctum huic nostro homonymum, e catacumbis Urbani VIII jussu extractum, summa veneratione hoc die colunt PP. Excalceati Vallisoletani, teste Tamayo; magis tamen, ut arbitramur, quod* Fortunatum *nostrum hodie Martyrologio Romano inscriptum scirent, quam quod eumdem ad se delatum certo crediderint.*

(*a*) Martyrol. Adonis, p. 680. — (*b*) D'Achery Spicil., t. II, p. 20. Edit. Paris. 1723. — (*c*) Mart. Adon. cit., p. 708.

B

DE SS. LUPULO ET MODESTO E

MARTYRIBUS CAPUÆ.

J. B.

Ex Hieronymianis aliisque sacris Fastis.

SÆC. INCERTO. *S. Lupulo,*

Quos modo citavimus *Hieronymianos Codices,* S. Lupulum, *cujus nomen varie a variis scribi, e textibus infra producendis, cuivis erit pronum colligere, hodie, sed absque Socio, annuntiant : sic quidem editus a Florentinio Codex :* In Capua Lupibli; *sic vero Corbeiensis :* In Capua Luplili. *At* Lupulo Modestum *jungunt vetera ecclesiæ Capuanæ Kalendaria, a Michaële Monacho, ejusdem ecclesiæ Canonico, Sanctuario suo Capuano inserta, quorum tertium sic hodie habet* (*a*) : Idibus S. Lupuli et Modesti l. 3. *id est* Tres lectiones. *Quartum* (*b*) *iisdem verbis* C *utitur, nisi quod trium Lectionum non meminerit. Pridie vero Fortunatam Virginem et Martyrem memorant, quod et secundum facit* (*c*), *quam non aliam esse a Fortunata Virgine et Martyre, SS. Carponii, Evaristi et Prisciani Sorore, de quibus actum hesterna die, nobis suadent tum illius per Italiam celebritas, tum dies* XIV *Octobris illius cultui consecrata. Unde emendandus videtur Ferrarius, qui in Catalogo Sanctorum Italiæ* (*post annuntiatam ad* XIV *Octobris diem Neapoli S. Fortunatam, SS. Carponii, Evaristi et Prisciani Sororem, et ad hunc diem etiam Fortunatum Martyrem Romanum, de quo paulo supra*) Lupilum *et Fortunatum Capuæ passos ex Breviario antiquo Capuano memorat : nec enim præter Fortunatam hesternam, Neapoli cultam, et Fortunatum Romanum, alius videtur Fortunatus admittendus : vocat quidem in subsidium Bedam; at Bedæ puri hodie laterculus vacat. Rabanus S.* Lupulum *cum S. Fortunata conjungit, ita ad hunc diem scribens :* Et in Capua Libuli, et S. Fortunatæ in Patrias; *Fortunatam hesternam loco quidem non suo refert, sed Capuæ non adscribit : id facere videri Notkerus potest, cum ita scribit :* In Capua Libuli et S. Fortunatæ : *atque adeo de eadem Fortunata, de qua Rabanus, quo in adornando Martyrologio suo plurimum usus est, loco item non suo agere videtur. Idem apparet dicendum de Appendice Adonis, in qua post annuntiatum Romæ S. Fortunatum Martyrem legitur :* Item Lubuli, Modesti et Fortunatæ, *haud expresso palæstræ nomine.*

apud Capuanos antiquitus culto,

2 *Michaël Monachus geminum præterea cultus sacri a Capuanis S.* Lupulo *olim impensi vestigium affert : primum Sanctuarii sui parte* I (*d*), *ubi in ecclesia S. Prisci exstare ait partem antiquæ basilicæ in honorem S. Prisci olim conditæ, in cujus abside plures variorum Sanctorum spectantur imagines, puta SS. Petri, Felicis,* Lupuli, *etc.; quod sane cultus antiquitus Capuæ huic Sancto exhibiti indicium est. Alterum ibidem* (*e*), *nempe instrumentum inter monumenta monialium S. Joannis ab ipso repertum, quod aperte indicat, olim apud Capuanos ecclesiam S.* Lupulo *sacram exstitisse. Instrumenti verba ita apud Michaëlem sonant :* In nomine Jesu Christi nono anno principatus Paldolfi gloriosi principis (*nimirum comitis Theanensis, qui, ut censet Monachus* (*f*), *ab anno* 1022 *usque ad* 1030 *Capuanum principatum tenuit*) ideoque ego mulier, quæ vocor Maria, filia quon. Petri mahistri et uxor. . . avitante deintus hac Capuana civitate in loco Grottula ad ipsa cementaria prope ecclesiam sancti Lupuli, quæ nunc dextructa esse videtur. . . . . ab alio F Capu est terra dictæ ecclesiæ S. Lupuli. *Hunc sacerdotio insignitum fuisse Michaël Monachus censet, partim ex antiquissima illa ecclesiæ S. Prisci pictura, in qua eodem habitu indutus cernitur, quo S. Marcellus : at Marcelli Acta* (*si tamen illius sunt, et non S. Marcelli Tingitani Martyris, ad diem* XXX *Octobris Martyrologio Romano inscripti*) *quæ Michaël* (*g*)

(*a*) p. 420. — (*b*) p. 432. — (*c*) p. 410. — (*d*) p. 132. — (*e*) p. 135 et seq. — (*f*) p. 620. — (*g*) p. 137.

exhibet,

A *exhibet, eum e milite Martyrem factum produnt : neque video, si habitus, quibus in ea pictura et alii nonnulli Sancti repræsentantur, spectes, unde discernat Michaël hos fuisse episcopos, illos vero presbyteros, inter quorum habitus (v. g. S. Prisci et S. Sinoti) nullum discrimen apparet.*

cur S. Modestus adjungatur.

3 Lupulo Modestum *junxi ex Capuanorum Kalendariorum, quæ supra citavi, et Officiorum, quorum jam mentio fiet, fide. Addit scilicet Michaël fratres fuisse, ex ecclesiæ Capuanæ de his Sanctis Officio, cujus Responsorium tertium est :* Hæc est vera fraternitas; *sed quid si fratres fide et spiritu tantummodo fuerint? Dein fatetur Michaël (a) idem Responsorium post Lectionem nonam legi in Officio SS. Marcelli et Apuleji, cum tamen in Actis S. Marcelli, ab ipsomet Michaële exhibitis, Apulejus Marcelli famulus fuisse dicatur. Unde ex Responsorio isto fraternam* Lupulum *inter et* Modestum *cognationem intercessisse haud satis tuto elicias.* AUCTORE J. B. D

[Ut clarius innotescat Buei Nostri ratiocinatio num. 2 exposita, picturam Capuanam, qualis a Michaële Monacho in *Sanctuario Capuano* exhibetur, ligno incisam lectori proponimus.

B E



In exemplari Capuano singulis Sanctis nomina apposita erant, quæ subjungimus secundum numerorum seriem. 1. S. Petrus. 2. S. Laurentius. 3. S. Paulus. 4. S. Cyprianus. 5. S. Susius. 6. S. Timotheus. 7. S. Agnes. 8. S. Quartus. 9. S. Quintus. 10. S. Priscus. 11. S. Lupulus. 12. S. Sinotus. 13. S. Rufus. 14. S. Marcellus. 15. S. Augustinus. 16. S. Felicitas. Gestari dicit Michaël Monachus a singulis Sanctis singulas coronas (*b*) : quod tamen e pictura non facile quis suspicetur; mappas magis dicerem, instar pulvinaris longiusculi, quæ significabant præsidium ludorum sive luctaminum, quippe quibus projecta mappa initium dabatur (*c*).]

(*a*) p. 41. — (*b*) p. 36. — (*c*) Gori Thes. Vet. Diptych., t. II, p. 132.

C F

DE S. AGILEO

MARTYRE CARTHAGINE IN AFRICA.

C. G.

Ex Martyrologio Romano et Hieronymianis.

ANTE ANNUM 313. *Sanctus Martyr, qui in Martyrologio Romano hac quidem die memoratur,*

Sanctum Carthaginensem Martyrem, in titulo propositum, ad hanc diem Martyrologio Romano primus inseruit Cardinalis Baronius, Carthagine, *inquiens,* S. Agilei Martyris, in cujus die natali Sanctus Augustinus de eo ad populum tractatum habuit : *annuntiationi huic suæ Annotata subjicit sequentia :* Possidius in Indice cap. 9 meminit de tractatu S. Augustini habito in die natali S. Agilei. De basilica sub nomine Sancti Agilei est clara memoria in Vita Sancti Fulgentii Ruspensis apud Surium (*a*). Sanctus Gregorius Papa dono accepit hujus Martyris sacras Reliquias a Dominico episcopo Carthaginensi, extat de his Epistola ejusdem S. Gregorii in Regist. lib. 10 Epist. I. *Cum vero in his monumentis, quæ sibi præluxisse hic prodit eruditus Martyrologii Concinnator, etsi celebri antiquoque Sanctum Martyrem gavisum fuisse cultu, et proinde recte Martyrologio*

(*a*) T. I. Apud Nostros ad diem 1 Januar., p. 43, n. 61.

Romano

AUCTORE C. G.

A *Romano insertum esse abunde probent, determinatum tamen, quo seu passus, seu religioso cultu antiquitus honoratus fuerit, diem eruere nequiverit, neque ulla, ex quibus hunc perspectum habere potuerit, laudet Martyrologia aut Kalendaria, suspicor laudatum Baronium diem, quo Sancto Martyri in Martyrologio Romano locum daret, pro arbitrio elegisse, atque ita, ut in similibus fieri assolet, ab anniversario vel passionis, vel cultus die longius aberrasse.*

ast olim, XXV *Januarii Carthagine insigniter,*

2 *Apud Florentinium siquidem in vetustissimo, seu Epternacensi, Hieronymiani Martyrologii apographo Sanctus noster ad diem* XXV *Januarii, quo et ab Operis nostri parente Bollando, pro instituto Martyrologii Romani ordinem sequente, ad hunc diem dilatus est, annuntiatur : ad eumdem diem memoratur a Carthusianis Coloniensibus, seu, quo nomine in Usuardinis apud Sollerium Auctariis veniunt, Greveno, ad eumdem pariter diem ejus festivitas perantiquo apud Mabillonium* (*a*) *ecclesiæ Carthaginensis Kalendario inscripta est, ut proinde, quin hic dies vere seu passionis seu potius ob infra dicenda cultus antiqui anniversarius sit, dubitari nequeat : Martyrologiorum annuntiationes infra alia occasione referemus : cæ-*

B *terum an ulla uspiam extent Sancti Martyris Acta nescimus ; horum quidem defectum supplere, et plurima Sancti gesta posteritati conservare potuisset, de quo laudatus Baronius in Annotatis, quemque Possidius in Indiculo scriptorum omnium S. Doctoris ita breviter indicat :* Per Natalem S. Agilæi, *S. Augustini tractatus, si non et hunc, ut ad eumdem Indiculum* (*b*) *notavit Stiltingus, nobis invidisset antiquitas : pauca nunc tantum de antiqua, quæ Carthagine extitit, Sancti nostri nomini dedicata ecclesia, atque etiam de ejusdem Reliquiis ad S. Gregorium Magnum missis cum Tillemontio* (*c*) *observabimus.*

ut ex dedicata ei, quæ ibi ex titit, ecclesia, semel

3 *Post captam a Genserico, Wandalorum rege, dolose Carthaginem, quod anno æræ vulgatæ* 439 *contigisse probat Theodoricus Ruinartius in Commentario ad Historiam persecutionis Wandalicæ a Victore Vitensi, tribulationis tum ingruentis participe, scriptam* (*d*), *dicatam S. Martyri basilicam misere profanatam fuisse, colligitur ex nobili fragmento Appendicis Chronici Prosperi, quod ex Codice Augustano edidit Henricus Canisius* (*e*), *ubi hujus auctor de Guntabundo seu Guntamundo, tertio in Africa Wandalorum rege, ita scribit :* Post eum

C (*Hunnericum*) regnavit (*ab anno secundum laudatum Ruinartium circiter* 484) Guntamundus, Gentunis, ejusdem Hunnerici regis fratris, filius annos undecim, menses novem, dies undecim, qui tertio anno regni sui COEMETERIUM SANCTI AGILEI apud Carthaginem Catholicis dare præcepit, Eugenio Carthaginensi episcopo ab eodem jam de exilio revocato, decimo autem anno regni sui ecclesias Catholicorum aperuit. *Ademerat verosimiliter Catholicis Sancti Martyris basilicam una cum Cœmeterio Gensericus, qui, ut ait Victor Vitensis* (*f*), pulso episcopo (*Quodvultdeo*) . . . cum clero venerabili, illico ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper episcopi commanebant, suæ religioni mancipavit, atque universas, quæ intra muros fuerant civitatis, cum suis divitiis abstulit, sed etiam foris muros quascumque voluit occupavit ; *aut certe hujus successor Hunnericus, qui, ut idem Victor testatur* (*g*), occulte cum... decreto per diversas provincias suos homines dirigens, episcopis Carthagine *(quo urgente ejusdem regis edicto fidei suæ rationem reddituri convenerant)* positis, una die universæ Africæ ecclesias clausit, universamque substantiam episcoporum et ecclesiarum suis episcopis munere condonavit. *Cui vero usui Sancti Martyris basilica addicta fuerit, an Arianæ sectæ mancipata, an vero a Wandalis inhabitata, in quem profanum usum multas ecclesias a Genserico fuisse traditas scribit Prosper in Chronico his verbis* (*h*) : Quas (*ecclesias*) et sacris vasis exinanitas et sacerdotum administratione privatas, jam non divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula, *donec eam Catholicis reddidit Guntamundus, incertum est.* D

iterumque a Wandalis profanata,

4 *Porro natum ob ecclesias a Guntamundo restitutas Catholicorum per Africam gaudium brevi quidem interturbavit hujus successor Trasamundus, qui iterum, ut ait Victor Tunnonensis in Chronico* (*i*), Ariana insania plenus Catholicos insectatus est, Catholi orum ecclesias clausit ; *at illud cumulate instauravit Hildericus, cujus* mirabilis bonitas, *inquit S. Fulgentii Ruspensis episcopi biographus* (*k*), ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donavit antistitem : *tum vero, exulibus episcopis ejusdem regis præcepto ab exilio cum S. Fulgentio Carthaginem redeuntibus,* Resonabat, *subdit idem biographus* (*l*), divina laus ex omnibus linguis, ad SANCTI QUIPPE AGILEI BASILICAM sequens populus et præcedens Confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat : *novi itidem Carthaginensis episcopi, scilicet Bonifacii, ordinationem in S. Martyris basilica peractam esse, ea forte de causa, quod ecclesiam cathedralem,* Restitutam *dictam, Hildericus mox Catholicis reddere, ne Wandalos suos, in persequendis Catholicis prædecessoribus regibus sæpe crudeliores, nimium exasperaret, veritus fuerit, legitur in laudato Tironis Prosperi Chronico* (*m*) *quod ita habet :* Post quem (*Trasamundum*) regnavit Hildrix, filius Hunerici annos VIII, dies VIII, qui in exordio regni sui Bonifacium episcopum apud Carthaginem in ecclesia Sancti Agilei ordinari præcepit, et omnibus Catholicis libertatem restituit : *eamdem verosimiliter ob rationem* Anno secundo gloriosissimi regis Hilderici (*vulgatæ æræ* 524) Nonis Februariis Carthagine in secretario BASILICÆ SANCTI MARTYRIS AGILEI Bonifacius episcopus ecclesiæ Carthaginensis cum coepiscopis suis diversarum provinciarum Africanarum *Concilium celebrans consedisse legitur apud Labbeum* (*n*) ; *atque adeo Carthaginenses episcopos in Sancti nostri Martyris basilica cathedram suam aliquamdiu habuisse, Arianis Wandalis cæteras Carthagine ecclesias adhuc occupantibus, ut asserit Tillemontius, vero non videtur absimile.* E F

ex ejusque Reliquiis ad S. Gregorium Magnum transmissis, liquet, cultus,

5 *An sub Gelimere tyranno, Hilderici interfectore, usque ad recuperatam a Justiniano imperatore anno* 534 *per Belisarium ducem Africam, captivumque ductum ipsum Gelimerem, quamdam præterea Sancti nostri basilica passa fuerit profanationem, a scriptoribus memoriæ proditum non invenio : videtur tamen hæc usque ad finem sæculi* VII, *quando, ut scribit Paulus diaconus lib.* VI *de Gestis Longobardorum cap.* X (*o*), Sarracenorum gens infidelis et Deo inimica ex Ægypto et Africa cum nimia multitudine pergens, obsessam Carthaginem cœpit, captamque crudeliter depopulata est, et ad solum usque prostravit, *integra stetisse, quem-*

(*a*) Vet. Analect., p. 167. Edit. Paris. 1723. — (*b*) Act. SS. XXVIII Augusti, p. 441 et seqq. — (*c*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. V, p. 554. — (*d*) Cap. V, p. 444. Edit. Paris. 1699. — (*e*) Lect. Antiq., t. I, p. 311. Edit. Basnag. — (*f*) Pers. Vand., l. I, § v, p. 7. — (*g*) Lib. IV, § 1, p. 63. — (*h*) Canis. Lect. Antiq., t. I, p. 303. — (*i*) Ibid. p. 326. — (*k*) Act. SS. 1 Januar., p. 43. n. 59. — (*l*) Ibid, n. 61. — (*m*) Canis. Antiq. Lect., t. I, p. 312. — (*n*) Conc., t. IV, c. 1629 et 1641. — (*o*) Murator. Scriptt. rer. Ital., t. I, p. 494.

admodum

A *admodum, extincto in Africa Wandalorum regno, innoxiæ superfuerunt, quæ in eadem basilica verosimiliter asservabantur, sacræ Sancti Martyris Exuviæ, ut ex laudata a Baronio S. Gregorii Epistola, quæ in editione Parisiensi Registri Epistolarum S. Gregorii, ab eruditis Congregationis S. Mauri Benedictinis anno* 1705 *procurata, est libri* XII *ordine prima, colligitur; in hac enim laudatus Pontifex ob transmissas quasdam Sancti nostri Reliquias Dominico Carthaginensi episcopo gratias agens,* Beati, *inquit,* AGILEI MARTYRIS BENEDICTIONEM ea caritate, qua nobis est a vobis transmissa, percepimus : *porro per hanc* Benedictionem *non significari quasdam Corporis Sancti Martyris partes, sed quasdam panni aut serici particulas, quæ Sanctorum lipsanothecis applicatæ, pro eorumdem Reliquiis habebantur, Brandeumque (consule ad hanc vocem Glossarium Cangii) vocabantur, cum, uti laudati Benedictini ad ejusdem S. Gregorii Epistolam, Constantinæ Augustæ Mauritii imperatoris conjugi inscriptam, quæ in eadem editione est libri* IV *ordine* 30, *ex Mabillonio breviter, fusius vero in ejusdem S. Pontificis Vita (a) observant, ipsamet Sanctorum Corpora aut quædam horum membra raro admodum*
B *in terris Occidentali imperio subjectis, universali ecclesiæ præsidente S. Gregorio Magno, transmitterentur, cum laudato Tillemontio existimo.*

et sub aliquo gentili imperatore passus fuit,

6 *Cum ex citatis hactenus antiquorum testimoniis constet, Sanctum nostrum vitam Martyrio terminasse, et jam tum, ante Wandalorum in Africam ingressum, templum Carthagine nomini suo dicatum habuisse, eumdem Sanctum in aliqua a gentilibus imperatoribus excitata persecutione, et proinde ante annum* 313, *quo Constantino Magno, post debellatum Maxentium, Africa jam parebat, passum esse consequitur, licet interim, in qua determinata persecutione id factum fuerit, sit prorsus ignotum.*

a Galeo Carthaginensi Martyre,

7 *Quædam nunc restat dubitatio, an videlicet S. noster Martyr* Agileus, *in Antverpiensi seu Epternacensi Hieronymiani Martyrologii apographo ad diem* XXV *Januarii, ut diximus, memoratus, diversus sit a Galeo, eidem apographo et quibusdam aliis ad diem præcedentem, seu* XXIV *ejusdem mensis, inscripto. Egit breviter de S. Galeo Operis nostri parens Bollandus tom. II Januarii (b), ubi hunc et Martyris titulo secundum receptam eruditorum opinionem, qua Sanctos omnes Hieronymianis apographis inscriptos*
C *pro Martyribus habendos esse, nisi gravis obstet ratio, consentiunt, donat, et Carthagini Africanæ adscribendum docet; neque nos his plura hactenus de S. Galeo, si a Sancto nostro hunc distinctum esse velis, comperta habemus : dein inter rejectos ad alium diem Sanctum nostrum* Agileum *in hunc diem distulit, atque ita* Galeum *et* Agileum *duos distinctos esse SS. Martyres credidisse videtur; ast nulla tum, quæ contrariam ei injicerent mentem, habebat laudatissimus hic vir subsidia, nondum in lucem protractis plurimis Codicibus Hieronymianis, ex quibus hæc difficultas oritur, atque etiam dirimenda est : quid igitur hi tum de* Galeo, *tum de Sancto nostro* Agileo *habeant, propono.*

Hieronymianis Codicibus ad diem XXIV *Januarii inscripto,*

8 *In Lucensi apud Florentinium apographo ad* XXIV *Januarii sic legitur :* Carthagine Galei; *consonat Antverpiense seu Epternacense, quod vetustissimum vocat Florentinius in Annotatis, atque etiam, ut opinor, cum differentiam nullam notet, Blumianum; parum nomen variatur in Corbeiensi apud eumdem Florentinium, et apud Acherium tom. II Spicilegii recusi, ubi ita habetur :* Carthagine Geliei; *inter Martyrologia Hieronymiana contracta, apud nos edita post tom. VII Junii, Augustanum sine ullo* D *loco ita habet :* Alibi... Galæi, *Labbeanum :* Alibi... Galei; *ab hoc non differt Gellonense apud Acherium; ad* XXV *ejusdem mensis ex jam recensitis apographis solum Antverpiense postremo loco S.* Agileum *annuntiat in hunc modum :* VIII Kal.... et in Cartagine Agilei : *ex hoc similive verosimiliter apographo ad hunc etiam diem hæc :* Item Sanctorum Viti, Castulæ, AGILEI, *transcripsit Grevenus, ut proinde hinc nihil pro alterutra opinione subsidii accedat; in aliis vero, quæ seu apud nos post citatum tom. VII Junii, seu ab Edmundo Martene (c) edita sunt, Martyrologii Hieronymiani exemplaribus, neque* Galeus *neque* AGILEUS *comparet. Antequam nunc meam in dicta quæstione opinionem proferam, sedulo observandum est id, quod sæpius monuere Majores nostri, varias videlicet apographa Hieronymiana a librariis, diligentibus quidem, sed sana fere crisi destitutis, passa esse interpolationes, interque has non infrequentem esse, qua iidem omnino Sancti, immutatis nonnihil nominibus, vel etiam eodem prorsus nomine, eodem vel vicino die in iisdem apographis repetantur, atque hinc fieri, ut per repetita eodem vel vicino die eadem vel paululum immutata nomina diversos designari San-* E *ctos, inferri tuto nequeat : hoc præmonito, per* Galeum, *seu, ut in Corbeiensi habetur,* Gelieum, *ad* XXIV *Januarii in citatis Codicibus annuntiatum, atque* AGILEUM, *ad diem proxime sequentem in solo Antverpiensi memoratum, unum tantum eumdemque Sanctum Martyrem Carthaginensem, qui secundum allegata ante veterum scriptorum testimonia* AGILEUS *vere dicendus sit, indicari, uti ante me contendit Tillemontius, atque etiam, qui in Martyrologio suo Universali ad* XXV *Januarii Sanctum nostrum* Agileum *memoravit,* Galeo *vero in Indice Sanctorum omissionis notam apposuit, Castellanus, arbitror.*

ob rationes hic allatas,

9 *In hanc opinionem idcirco inductus sum, quod, si in Antverpiensi seu Epternacensi Hieronymiani Martyrologii apographo ad diem* XXIV *Januarii per* Galeum, *et ad* XXV *ejusdem mensis per* Agileum *diversos designari Sanctos ponamus, nullatenus perspiciam, qua ratione in cæteris omnibus ejusdem Martyrologii exemplaribus Sanctus noster* Agileus *potuerit prætermitti : id enim in hac hypothesi aliunde provenire nequiit, quam ex hoc, quod vel antiqui illorum collectores Sanctum nostrum cognitum non habuerint, vel si cognitum habuerint, eum in* F *Fastis suis memorare neglexerint; utrumque autem mihi videtur prorsus incredibile : cum enim Sanctus noster sit antiquus, et S. Gregorio Magno, ut hujus verba, ex Epistola supra num.* 5 *prolata, probant, fuerit apprime notus, fueritque proinde etiam haud dubie unus ex istis Martyribus, quorum* nomina *Sanctus hic Pontifex, ut ad Eulogium Alexandrinum scribit lib.* VIII *Epist.* 29, in uno codice collecta habuit, *sive, quod idem est, fuerit jam tum sæculo* VI *Martyrologio Hieronymiano inscriptus; neutiquam verosimile est, ita demum nomen ejus excidisse, ut id posteriores omnes, unico excepto, qui idem Martyrologium exscripserunt, ne corruptum quidem aut luxatum, in variis, quibus utebantur, Codicibus repererint : id, opinor, circa celeberrimi Sancti nostri nomen, quod et basilica ei dedicata, quæ, ut diximus, usque ad finem sæculi* VII *Carthagine integra stetisse videtur, insignisque in Africa cultus toti tantum non orbi divulgare nata erant, accidisse, nemo sibi persuadebit.*

10 *Neque alterum, antiquorum videlicet illorum Martyrologiorum compilatores Sancti nostri nomen, si id ipsis notum fuerit, Fastis suis inferre neglexisse,*

(a) Opp. S. Greg. M., t. IV, p. 244. — (b) Die XXIV Januar, p. 590. — (c) T. III. Anecdot., col. 1547.

AUCTORE C. G.

A *magis credi potest : id enim etsi in quibusdam minoribus nimiumque contractis apographis ab horum auctoribus, qui magis brevitati studebant, ideoque viciniores sibi magisque notos Sanctos tantum referre volebant, factum fuisse ultro consentiam; idem tamen locum habuisse in majoribus Codicibus, quorum auctorum diligentia ad singulos propemodum dies in recensendis Martyribus, præsertim Africanis, elucet, sæpiusque a Florentinio in Annotatis laudatur, vero prorsus apparet absimile : certe hos auctores sæpius nimia diligentia, dum, ne quemquam Sanctum non memoratum præterirent, ob parvam quamdam in variis, quibus utebantur, Codicibus repertam nominis cujusdam Sancti differentiam, diversos statim Sanctos indicari putarent, utque tales Fastis suis perperam insererent, quam negligentia peccasse, apud omnes in his versari consuetos in confesso est : itaque, cum Sanctus noster ob neutram, quæ allegari posset, quamque jam rejecimus, rationem in majoribus saltem Hieronymiani Martyrologii apographis fuerit omissus, nec tamen in iis, si unicum excipias Epternacense, usquam memoratus reperiri possit, nisi per hanc, quæ, ut diximus, ad* XXIV *Januarii legitur, annuntiationem,* Carthagine Galei *aut* Geliei, *desi-*

B *gnetur, Sanctum nostrum Carthaginensem Martyrem hic vere memorari, adeoque per* Galeum, *qui ad mox dictum Januarii diem in pluribus apographis, et* Agileum, *qui ad* XXV *ejusdem mensis in solo Antverpiensi seu Epternacensi legitur, unum tantum eumdemque S. Martyrem significari posse, considerata etiam rationum, quæ contrarium suaderent, levitate, prorsus in animum induco.*

elevatis etiam, quæ pro opinione contraria allegari possent,

11 *Vidimus in citatis supra num.* 8 *Martyrologiis annuntiari* Galeum *tamquam Carthaginensem Martyrem absque sociis, et eodem prorsus modo in Codice Antverpiensi seu Epternacensi referri Sanctum nostrum* Agileum; *adeoque hæ annuntiationes ita sunt similes, ut ex eis nihil, quod* Galeum Agileumque *duos distinctos esse SS. Martyres utcumque suadeat, extundi possit, præter quamdam nominum, dierumque, quibus nomina isthæc referuntur, diversitatem : jam vero ista nominum differentia tanta non est, ut hæc culpæ Amanuensium, qui in Codicibus suis luxatum nonnihil* Agilei *nomen, hujusque forte exesam præ vetustate aut obliteratam initialem litteram reperientes, facile illud in* Galeum *vertere potuerint, imputari nequeat; equidem facilius perspicio, quo-*

C *modo ab antiquis illis Martyrologiorum collectoribus Sancti nostri nomen potuerit nonnihil, forte etiam ob Codicum, quos præ oculis habebant, variam lectionem, corrumpi aut luxari, quam penitus in Fastis, quos concinnabant, omitti : utut sit, cum nominum corruptio atque mutatio in Hieronymianis, quæ modo extant, apographis sit frequentissima, ob quamdam, quæ inter* Galei *et* Agilei *nomina intercedit, differentiam hos ab invicem distinctos esse nullatenus inferri potest.* D

12 *Neque id etiam magis probat diei, quo* Galeus *variis Hieronymiani Martyrologii exemplaribus inscriptus est, a die, quo in Antverpiensi seu Epternacensi refertur Sanctus noster* Agileus, *diversitas : quid enim si hujus posterioris apographi auctori quoddam seu Martyrologium seu Kalendarium, in quo S.* Agilei *nomen ad* XXV *Januarii diem ob annuam ejus tum recurrentem festivitatem signatum esset, præluxerit, hincque ille Sanctum hunc, qui sub corrupto* Galei *nomine in Hieronymianis quibusdam apographis, sibi pariter prælucentibus ad diem præcedentem, quia hoc passus erat, memoratus esset, perperam duplicarit? Extat apud Mabillonium* (a) *istiusmodi ecclesiæ Carthaginensis Kalendarium jam ante sæculum* VII, *ut editor notat, exaratum, cui Sanctus noster ad* XXV *Januarii inscriptus est hoc modo :* VIII Kal. (*Februarii*) Sancti Martyris Agelei, *quod-* E *que proinde, vel cui quoddam simile Epternacensis apographi collectori facile prælucere, ac etiam S.* Agileum *a* Galeo *distinguendi ansam præbere potuit : jam vero etsi hoc vel huic simile Kalendarium Sanctum nostrum Martyrem dicta* XXV *Januarii die anniversario cultu Carthagine antiquitus honoratum fuisse ostendat, nullatenus tamen impedit, quominus die præcedenti eumdem Sanctum vere Martyrio coronatum fuisse, atque idcirco ad hunc diem variis Martyrologii Hieronymiani, in quo, teste S. Gregorio in laudata ad Eulogium Epistola,* tantummodo nomen, locus et DIES PASSIONIS *notabantur, nunc extantibus apographis, sub corrupto etiam aliquatenus* Galei *nomine, inscriptum esse credamus : sane cum dies, quibus in Antverpiensi seu Epternacensi apographo* Galeus *et* Agileus *referuntur, sint adeo vicini, merito censeri hic potest, atque ob rationes numm.* 9 *et* 10 *allatas etiam debet, in eodem apographo eumdem Sanctum, ut sæpe alias in Hieronymianis Codicibus fieri ante observavimus, ad dictos* XXIV *et* XXV *Januarii dies, immutato nonnihil nomine, quacumque demum de causa repeti, et proinde* GALEUM *a Sancto nostro Carthaginensi Martyre* AGILEO *reipsa haud distingui.* F

argumentis, distinguendus non est.

(a) Vet. Anal., p. 167.

A D

DE SS. CCCLX MARTYRIBUS MAURIS,

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

S. D.

§ I. Martyrum memoria ex Hieronymianis : quot numero et ex qua gente extiterint : an fuerint ex legione Thebæa : quandonam et ubi subierint martyrium : ubi sepulta sint eorum corpora.

B Sub Diocl. et Maxim. imp. *SS. Milites* Mauri, *non aliunde*

Pomœriis Coloniensibus non ita pridem SS. Gereonis Sociorumque sanguine irrigatis, nova superadditur aliorum Pugilum, in eamdem arenam descendentium, Sanctorum videlicet Martyrum Maurorum *cohors, quam hodie recolit ecclesia Coloniensis, et Martyrologi varii varie annuntiant. Initium ducam ab Adone, cujus textus hodiernus ita sonat :* In Galliis apud Coloniam Agrippinam Sanctorum Maurorum de militibus S. Gereonis. Qui ex legione sacra Thebæorum, cum essent numero quinquaginta, apud eamdem urbem Martyrium consummantes, conditi sunt in basilica, quæ admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet; unde et incolæ Sanctos Aureos eos vocitare consueverunt. *Hoc Elogium hausisse Adonem e Gregorio Turonensi, jam pridem observarunt Cornelius Byeus in Commentario præv. de SS. Gereone aliisque martyribus* (*a*) *et Sollerius in sua ad Usuardum hodierna observatione; nec quisquam id diffitebitur, qui consideraverit sequentia lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 62 *Turonensis verba* (*b*) : Est apud Agrippinensem urbem basilica, in qua dicuntur quinquaginta viri ex illa legione sacra Thebæorum pro Christi nomine Martyrium consummasse.

C Et quia admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet, Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt. *Verum cum tam S. Gereon cum Sociis suis quam Martyres* Mauri, *ut infra videbimus, eamdem palæstram eumdemque sepulturæ locum obtinuerint, incertum plane est, num Gregorius Turonensis per illos quinquaginta legionis Thebææ viros vel* Mauros *nostros, vel Gereonem cum Sociis, vel saltem ex hisce aliquot designare voluerit.*

quam ex Hieronymianis a Martyrologis hausti,

2 *Didicerat procul dubio Ado e Fastis Hieronymianis, Gereonæum agmen multo plures quam quinquaginta numerasse milites; cumque* Maurorum *numerum iidem Fasti alte silerent, Gregorii textum de iis necessario intelligendum esse arbitratus fuit. Verum præterquam quod et ipsi* Mauri *Martyres, ut infra patescet, plures fuerint quam quinquaginta, imo Gereonis cohortem numero superarint, verosimilius imo certum esse, infra videbimus, non fuisse* Mauros *legionis Thebææ milites, sed aliam classem ex Africæ oris navigiis illo advectam. Videtur id suboluisse, qui Adonem præ oculis habuit, Usuardo; nam sublata ex Adoniana, quam supra huc transcripsi, annuntiatione voce* Maurorum, *substituit alteram* Martyrum, *ea verosimilius ratione impulsus, quod dubitaret, fuissentne, an non, legionis Thebææ milites, quos Ado hodie annuntiabat. Ast vero Gregorium Turonensem non de* Mauris, *sed de Gereonæo agmine aut quadam hujus parte explicandum esse, multo probabilius arbitrabitur, quisquis citatum Byei Commentarium a num.* 35 *usque ad num.* 45 *mature expenderit. Transeo igitur ad Hieronymiana apographa, quorum Lucense apud Florentinium Sanctos nostros hodie sic celebrat :* In Gallia Colonia Agripini natalis Sanctorum Maurorum de militibus. *Huic fere consonat Corbeiense; ast Epternacense, seu, ut illud Florentinius vocat, Antverpiense, magis confuse id facit sequentibus verbis :* Idus Octobris. Galliis Coloniæ Agrippinæ natalis Maurorum. *Ita tria hæc non contracta apud Florentinium Hieronymiana apographa.*

E

et a variis varie

3 *Similia habent Auctaria Bedæ, quæ huic hodie vacanti Florus aliique inseruere, quemadmodum in Operis nostri tom. II Martii, cui idem Beda cum Auctariis Flori aliorumque præmittitur, videri potest. Verum cum nec illa, ut supra dixi, Pugilum numerum exprimant, recurrendum est ad posterioris ævi Martyrologia, quæ Sollerius Usuardinis laterculis, ut hujus plerumque Auctaria, post Observationem suam subjicit. Numerum Martyrum quinquaginta retinuere codices Centulensis et Matriculæ Carthusiæ Ultrajectinæ : Antverpiensis vero maximus, Ultrajectinus, Leydensis, Lovaniensis, Albergensis et Danicus unanimes numerant trecentos sexaginta, et adjiciunt hæc verba :* Sub persecutione Maximiani, et cum duce suo Gregorio. *Prædictis adstipulantur Grevenus et Molanus, quorum hic in textu aliis litteris ex Adone addit :* Conditi in basilica, quæ admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet, unde et incolæ ad Sanctos Aureos vocitare consueverunt. *Ille vero inferius hæc inserit :* Nota : supradicti Martyres CCCLX fuerunt ex Mauritania, quæ est pars Africæ, non ex legione Thebæorum, licet Ado et Usuardus sic habeant : veneruntque Coloniam navigio cum duce suo Gregorio. *In Usuardina editione Lubeco-Coloniensi insuper addita habes sequentia :* Cum duce Gregorio et beato Constantio cursum sui agonis compleverunt, et cum beato Gereone ejusque Sociis beatorum corporum quietem perpetuam delegerunt in basilica, quæ admirabili opere ex musco

F

a) Act. SS. x Octob., p. 22. — (*b*) Bibl. Max. Patt., t. XI, p. 848. Edit. Lugd., an. 1677.

(*musivo*)

AUCTORE S. D.

(*musivo*) quodammodo deaurata resplenduit. *Verum de hisce loco suo agendum erit; unde ne longius evager a proposito, seu ab inquirendo SS. MM.* Maurorum *numero, quomodo hunc alii determinent, audiamus.* A

numerati,

4 *Martyrologium Romanum hodiernum non nisi trecentos hodie Martyres celebrat, verbis Usuardinis subjiciens :* Qui in persecutione Maximiani cursum sui agonis compleverunt. *Eumdem numerum servant codices Antverpiensis, Max-Lubecanus, et Ughellianus; sed ab his aliisque modo adductis rursum discrepat Hagenoyensis :* Apud Coloniam Agrippinam, *inquit,* extra muros natale Sanctorum Maurorum cum quadraginta; *ast, ut putat Sollerius,* ex CCC formatum cum, ut sit legendum CCCXL. *Quid igitur in hac Martyrologiorum varietate de Martyrum* Maurorum *numero statuendum? Helinandus monachus Frigidi Montis* (*Gallice* Froidmont) [*diœcesis Bellovacensis*], *qui vixit sæc.* XII *et* XIII, *in Actis SS. Gereonis ac Sociorum, relato horum Martyrio, sic pergit :* Eodem vero tempore de Mauritania, quæ est pars Africæ, finitimisque regionibus milites ab imperatore propter frequentes Gallorum tumultus evocati, in Galliam venerunt, quorum ibi simul trecenti sexaginta pro fide Catholica trucidati cum beato Gereone ejus- B que Sociis beatorum corporum quietem et venerationem perpetuam delegerunt. *Extant hæc SS. Gereonis Sociorumque Acta in Codice MS. Musei nostri* [*olim Bollandiani*] *signato PMs.* 159 : *apud Surium vero, qui eadem edidit ad diem* X *Octobris, leguntur tantummodo Martyres* 350; *verum cum MS. Audomarense et Ultrajectinum S. Salvatoris, quæ sunt Helinandæa apographa, itidem habeant* 60, *Codicis nostri lectione omnino standum videtur.*

fuere verosimilius 360,

5 *Accedunt Petrus de Natal. lib.* IX *cap.* LXVII, *et Mombritianum Helinandi Compendium* (*a*) : *quodque reipsa* Mauri 360 *fuerint, vel ideo magis credibile arbitror, quod totidem numeret biographus S. Annonis Coloniensis archiepiscopi* [*cujus Acta ad diem* IV *Decembris edentur*]. *Fuit is S. Annoni æqualis, vixitque adeo circa medium sæc.* XI, *a Cornelio Byco in Commentario ejus de SS. Gereone Sociisque Martyribus non semel laudatus. Accipe igitur ejus verba e Trimestri quarto Laurentii Surii* (*b*) : In hoc Sanctorum ambitu, sicut fama loquitur, post beati Gereonis et sociorum ejus interfectionem, milites ex Mauritania numero trecenti sexaginta, pro fide pariter trucidati, eamdem cum beato Gereone, sicut animarum, ita et corporum requiem meruerunt. C *Cum itaque ætate S. Annonis seu sæc.* XI *jam fama seu traditio foret, Martyres illos* CCCLX *fuisse, nullus dubito, quin vel eadem traditio, S. Annone multum forte antiquior, vel saltem ipsius S. Annonis Vita eumdem numerum Helinando subministraverit.*

sub duce Gregorio;

6 *Verum an, sicuti ex Actis Annonianis credibile fit numerasse* Maurorum *cohortem* CCCLX *milites, ita pariter probabile evadit, extitisse eorum ducem* Georgium, *ac simul cum eis fuisse interfectum? Quamvis Hieronymiana apographa, imo et alia monumenta omnia S. Annonis biographo antiquiora istiusmodi nomen subticeant, reipsa tamen* Maurorum *ducem* Georgium *vel* Gregorium *appellatum fuisse, exinde reor probabile, quod S. Annonis biographus absque ullo dubio, seu illud ex aliis documentis, seu ex antiqua Coloniensium traditione didicerit, tale ei nomen attribuat; nam relata S. Annonis, de qua inferius, visione, paucis interjectis, prosequitur hujuscemodi verbis :* His omnibus, ut hodie cernitur, pulchre perfectis, deinceps inquirendis sanctarum Reliquiarum corporibus immorabatur. Hujus autem intentione spei stratam marmoribus terram intra templi septa detegens, principem Sanctæ sodalitatis illius, D beatorum scilicet Maurorum, Georgium nomine, sociis in circuitu quiescentibus, accuratius præ cæteris humatum reperit, chlamyde purpurea circumdatum, orarum ejus extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus. *Sic quidem exprimunt ducis* Maurorum *nomen Annoniana apud Surium Acta, sed an recte a Surio id descriptum fuerit, non tantum summopere dubito, sed multo verosimilius arbitror, ibidem esse interpolatum, et substituendum esse* Gregorium, *ut illud Ægidius Gelenius, Erhardus Winheim aliique omnes, quos consulere licuit, unanimiter expressere.* [*Nuper accepimus Vitam S. Annonis accurate conscriptam in membrana, in qua nomen ducis,* Gregorius *exprimitur.*]

qui e Mauritania evocati,

7 *Præter* Gregorium Maurorum *ducem duos alios nominatos lego,* Constantium *videlicet et* Marcinum; *verum quid de hisce censendum sit, inferius dicturus, modo ad Martyrum gentem transeo. Trecentos illos et sexaginta milites e Mauritania finitimisque regionibus ab imperatore fuisse in Galliam, propter frequentes ibi excitatos tumultus, evocatos, Helinandus in Actis Gereonæis, monachus Sigebergensis in Annonianis, prout hæc jam citata commonstrant, aliique non pauci, nemine aliud asserente, constanter docuere. Verum cum Mauritania jam tum trifariam divideretur, nempe in Tingitanam, Cæsariensem et Sitifensem, incertum est, ex qua illius parte descenderint, nec multum id refert; sufficit enim nobis, Martyres hosce in antiquissimis Hieronymianis codicibus aliisque provectæ ætatis monumentis appellatos fuisse* Mauros, *quo nomine soli illi, qui e Mauritania oriundi erant, populi apud Latinos* (Maurusios *Græci vocant*) *omni tempore indigitati fuere. Sicut ergo nemo vel antiquorum vel modernorum negat, Martyres nostros extitisse natione* Mauros, *ita præter Usuardum, quem errantem secutum vidimus Adonem, occurrit unus dumtaxat Petrus de Natalibus, qui eosdem Martyres facit legionis Thebææ milites, lib.* IX *cap.* LXVII, *supra adhuc citato, ita scribens :* Trecenti LX Martyres apud Coloniam Agrippinam passi sunt. Qui cum essent milites Mauri ex sacra legione Thebæorum : et illis trucidatis, isti ex eorum consortio aufugissent : a militibus Maximiani Imperatoris apud ipsam urbem inventi : et ipsi gladiis trucidati sunt idibus Octobris. E

ad componendos Gallicos tumultus,

8 *Verum Adonem et Usuardum et ipsum Petrum pariter fefellisse, argumento est, quod sub finem dicti capitis utrumque illum* [*citet martyrologum; imo istis verosimilius ducibus, eo usque progressus est, ut* Mauros CCCLX *Martyres cum sociis S. Gereonis, de hisce agens citati Libri cap.* XLVI, *manifeste confuderit. Dixi id fecisse Petrum ducibus verosimilius Adone et Usuardo; si enim hos exceperis, nullum facile invenies antiquum documentum, quod Petri sententiam aliquatenus fulcire queat. Quod enim spectat Hieronymiana apud Florentinium apographa, hæc quidem docent, Martyres nostros fuisse milites,* non vero ex legione Thebæa, quemadmodum, *inquit Florentinius,* etiam Helinandus profitetur, *et nos supra a Greveno observatum vidimus. Abhorrere igitur, inquit Tillemontius* (*c*), *a verisimilitudine videtur, extitisse* Mauros *legionis Thebææ milites. Ad quam vero classem pertinuerint, jam sæpius insinuavi; non enim alios fuisse milites censeo, quam cohortem vel semi-cohortem alterius legionis, quæ jussu Maximiani ex Mauritania, ad compescendos cum reliquo exercitu Gallicos tumultus, evocata, unica classe ad Europæa littora, et sic porro ad Galliæ fines appulit.* F

9 *Memoratos Galliæ tumultus, quorum occasione*

(*a*) T. I, fol. 218 verso. — (*b*) Ad diem IV Decembris, p. 145. — (*c*) Mém. pour serv. à l'hist. eccl., t. IV, p. 431.

tam

A *tam martyres Agaunenses, seu Mauritius cum sociis, quam Gereon cum suis ac nostri martyrium verosimilius subiere, excitatos fuisse a rusticis,* Bagaudarum *nomen sibi imponentibus, Helinandus in Actis Gereonæis et Eutropius in Breviario lib.* IX *memoriæ produnt. Ad illos sedandos missus Maximianus Herculius Cæsar* levibus prœliis, *inquit ibidem Eutropius,* agrestes domuit, et partem Galliæ occupavit, *anno, ut Pagius in Criticis supputat,* 285, *vel saltem, ut convenit inter eruditos, proxime sequenti.* Post hæc tempora, *prosequitur idem,* etiam Carausius . . . . cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, et Britannias occupavit. *Contigit hac Carausii rebellione, ut Maximianus partem sui exercitus mitteret versus Coloniam Agrippinam, qua rebellium conatus irritos redderet. Rem gestam sic refert Helinandus :* Comperto vero, quod Carausius quidam nobilis insidias contra Romani regni fines moliretur, qui tamen procurator constitutus erat provinciæ, quæ est juxta Oceanum, ubi Franci, jam secundo a sedibus suis expulsi, juxta Gallorum et Saxonum

B confinia consederunt, misit illuc (*Maximianus*) per Rheni fluminis alveum partem sui exercitus, cujus militari virtute nefarius cassaretur inceptus. In quo itinere præcipuos belli Dominici duces Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium felices turmæ Christianorum militum sequebantur.

horum occasione

Martyrium,

10 *Post horum discessum, ut idem narrat Helinandus, sæviri cœptum in Martyres Agaunenses; quibus interfectis, haud diu post Cassius et Florentius Veronæ seu Bonnæ, ac Gereon cum suis in pomœriis Coloniensibus eamdem sortem subiere. Prosequitur Helinandus, et relato SS. Victoris sociorumque apud Xantum oppidum martyrio, de* Mauris *nostris, ut supra adhuc vidimus, ita loquitur :* Eodem vero tempore de Mauritania, quæ est pars Africæ, finitimisque regionibus milites, ab imperatore propter frequentes Gallorum tumultus evocati, in Galliam venerunt; quorum ibi simul trecenti sexaginta pro fide Catholica trucidati cum beato Gereone ejusque sociis beatorum corporum quietem, et venerationem perpetuam delegerunt. *Hæc brevi post Gereonæi agminis cædem et in eadem palæstra accidisse, probant sequentia Annoniani biographi, superius itidem citata, verba :* In hoc Sanctorum ambitu (*in pomœrio Coloniensi*), sicut fama loquitur, post beati Gereonis et sociorum ejus interfectionem, milites ex Mauritania numero trecenti sexaginta, pro fide pariter trucidati, eamdem cum beato Gereone, sicut animarum, ita et corporum requiem meruerunt.

C

sub Diocletiano et Maximiano imp.,

11 *Hisce præhabitis, haud adeo jam laboriosum foret assequi Martyrum* Maurorum *annum fatalem, dummodo constaret, quo tempore martyres Agaunenses passi fuerint; ut enim patet e Commentario apud nos die* IV *Octobris MM. Trevirensium Actis præmisso, et ex citato mox Helinandi textu, S. Gereon cum Sociis haud diu post Agaunensium cædem, adeoque et Sancti nostri fuere superstites : ast cum annus, quo illa contigit, ignoretur, satius duxi, latiori tantummodo modo Sanctorum nostrorum Martyrium subjicere imperio Diocletiani et Maximiani, quemadmodum Byeus et illud SS. Gereonis sociorumque, in Commentario suo illorum Actis prævio* § VI *signare maluit; cum hac tamen restrictione, ut ob allegatas ibidem rationes ei temporis spatio, quod ab anno* 285 *ad annum* 297 *excurrit, probabilius innecti debeat. Anni diem, qui extremus fuit* Mauris, *fuisse* XV *Octobris, admodum verosimile facit, quod tam in antiquissimis Hieronymianis, quam aliis, a Marteneo* (*a*) *editis Martyrologiis, non alio die locum inveniant, quam* XV *Octobris, qua etiam a Coloniensibus eorum festum ab immemorabili tempore recolitur. Verum cum aliunde probari id nequeat, diem uti et annum emortualem in medio relinquens, ad Sanctorum palæstram transitum facio.*

D

12 *Ægidius Gelenius* (*b*) *de illa sic loquitur :* Passi sunt autem inclyti Martyres, Coloniæ imposterum futuri præsides, circa eum locum, ubi Gereonæa basilica conspicitur, et extant etiamnum vestigia nominum, quæ ad cædem hanc intelligendam manuducunt. Siquidem ex una parte ecclesiæ, Ortum versus, sita est curia SS. Maurorum dicta in vetustis diplomatibus, nunc S. Andreæ vinea, vulgo MORTHOFF dicta; ad Occasum vero extra urbem ædes sacra, et olim etiam monasterium ad Martyres, nunc MÆCHTEREN S. Gereonis præposito subjecta parochiola. *Item in Colonia Supplice* (*c*) : Extat hodieque extra quidem veteris Coloniæ muros, hodiernæ vero Coloniæ mœniis inclusa vinea valde insignis nostri collegii S. Andreæ, sita prope S. Gereonem, vulgo

E MORDTHOFF dicta, olim vero curia Maurorum cognominata, quæ non obscure vel Maurorum vel cædis inibi peractæ vestigia titulo suo monstrare videtur. Collineat eodem, quod in proximo olim fuit virginum monasterium, nunc prædium cum sacello ad Martyres dicto, vulgus detorto nomine MECHTEREN appellat. *Ex his Gelenii verbis, si non certum, saltem probabile evadit,* Mauros *Martyres in illo loco, qui ante ampliatam urbem inter pomœria Coloniensia censebatur, Martyrii palmam adeptos esse.*

in pomœriis Coloniensibus subiere,

13 *Et siquidem credimus eidem Gelenio* (*d*), *id contigerit* sub ipsis mœnibus veteris Coloniæ ad septentrionalem plagam circa prætorium seu portam, quæ nunc S. Helenæ intra urbem dicitur, ante S. Claræ monasterium. *Pergit Gelenius, et quid de Sanctorum corporibus actum sit, exponit his verbis :* Erant istic eo tempore paludes et stagna, nostramque ad ætatem aliqua ex parte permanserunt. In his Martyrum corpora tamquam sudes palustres demerserunt impii; timentes vero Deum majoribus quam imperatorum corpora honoribus exaltata recondiderunt. Siquidem sub Constantino Magno, pace ecclesiis restituta, cum templa et memorias martyrum extruendi publica potestas

F est facta Orthodoxis, S. Helena mater Constantini Imperatoris, regali sumptu Agrippinenses adjuvans, S. Gregorii et sociorum Maurorum corpora, ubi in quadragesimum pene annum quiescebant, gloriose collecta jussit pari gloria recondi et servari. *Extruxisse S. Helenam super corpora SS. Gereonis sociorumque nec non* Maurorum *Martyrum basilicam perquam nobilem, asseverat S. Annonis biographus sequentem apud Surium loco supra cit. in modum :* Verum inter multas antiquitatis structuras, quibus ipsa civitas (*Coloniensis*) nobiliter excellit, beati Gereonis olim eximia celebrabatur fabrica, quam Helena Christianissima matrona, Constantini mater, regiis sumptibus in rotundum erexit, ita marmorea pulchritudine aurique luce foris et intus resplendentem, ut ad AUREOS SANCTOS appellaretur. In hoc Sanctorum ambitu, etc., *ut supra num.* 5.

erecta brevi post super eorum Corpora

prænobili basilica.

14 *Magis extollit basilicam illam Helinandus in Actis Gereonæis :* Fecit sane, *inquit,* (*S. Helena*) inter plurima spectabilia suæ devotionis opera, super ejusdem S. Martyris (*Gereonis*) et sociorum

(*a*) T. III. Anecdot., c. 1615, et t. VI, Collect. ampliss., c. 676, 683 et 725.

(*b*) De Magnit. Colon. Lib. III. Syntagm. II, § 2, p. 262.
(*c*) p. 85. — (*d*) p. 84.

AUCTORE S. D.

ejus corpora, ubi etiam supra memorati Sancti Martyres (Mauri) ad singulare mœrentium et infirmantium refrigerium pausant, insignem neminique prorsus vel sententia sermonis explicabilem, vel arte operis imitabilem structuræ mirificæ et sublimis ecclesiam, quam ita metallorum fulgore et artificii varietate decoravit, muris etiam validis excelsisque firmavit, ut nihil supra per omnes illas regiones vel fuisse vel futurum esse, celebri sermone feratur. Præter quod ligneam aliquam, vel quæ tam facile senio vel negligentiæ cedat, materiam habuisse negatur, cum marmoreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, ut opus totum columnarum illius generis firmitudine et pulchritudine fulciretur; aurei vero fulgoris in ea tantum emicuit, ut, musiva foris et intus fulgens elegantia, nomen ad AUREOS SANCTOS ab incolis sortiretur. *Et revera ejusmodi ecclesiam ætate Gregorii Turonensis seu sæc.* VI *Coloniæ extitisse, liquet ex ipsiusmet Gregorii verbis, initio hujus Commentarii in medium prolatis : verum an a S. Helena, prout credunt Colonienses, reipsa fuerit erecta, non immerito revocari potest in dubium; præterquam enim quod alte id sileat Turonensis, nulla facile sat antiqua attuleris monumenta, quibus id vel a longe probari valeat. Rem hanc fusius pertractarunt Cornelius Byeus in lucubratione sua jam sæpius citata, et Joannes Pinius in Commentario Actis S. Helenæ* XVIII *Augusti præmisso; ad quos lectorem remittens, ea, quæ specialius ad Sanctos nostros spectant, seu eorum gloriam posthumam seq.* § *consideratum eo.*

A

B

§ II. Mirabilis SS. corporum inventio : illorum cultus et Reliquiæ in variis ecclesiis Coloniæ asservatæ : prodigium, quod ibidem patratum nonnulli scribunt, ut suspectæ fidei rejectum.

S. Anno, invisione monitus

C

M*artyrum* Maurorum *memoriam temporum lapsu adeo fuisse offuscatam, ut sæc.* XI *cultum vix aliquem obtinerent, constat ex Actis Annonianis, jam plus semel a nobis citatis, in quibus post verba, supra num.* 5 *huc transcripta, subjicitur ostensa S. Annoni visio, his verbis concepta :* Sed in negligentiori veneratione habebantur a populo, eo quod in australi latere templi suæ memoriæ cryptam satis humilem, et paucorum receptioni propter angustias habilem obtinentes, ex accessu rariori per ætatum successiones e memoria pene sublati essent. Quæ negligentia multis increscens annis, sic et Annonis Sancti durabat temporibus, donec nocte quadam, eo quiescente, revelationis hujusmodi salutari correptus est verbere. Sublatus in excessum mentis eorumdem Christi Martyrum, Sanctorum scilicet Maurorum, multitudinem cum magna luminis gloria velut ad concilium uno in loco congregari videbat. In quos cum mirantibus defixus oculis, quem visio ipsa finem esset habitura, summa sustineret expectatione, raptus continuo, locum, qui congregatæ multitudinis medius erat, ut examinandus accepit, torvis adspectibus in eum cunctis respicientibus. Cumque discussio subtilis ageretur vel operum illius vel meritorum, ab illa sancta Concione magnarum querimoniarum generalis clamor exortus est, conquerentibus eis, antecessorum ejus incuria se tanti temporis contemptum pertulisse, nec ullius venerationis cultum a concivibus urbis suæ eatenus accepisse : in hoc se amplius permoveri, quod qualitercumque a superioribus episcopis erga ipsos actum sit, ejus, de quo spes melioris studii habebatur, non minor in eos neglectus existeret.

D

16 Post has Sanctorum interpellationes, ubi per increpationem districte requisitus est, quia * temeritate tot veritatis testes in tanta vilitate habuisset, non invento excusationis loco, cunctorum sententia justæ ultionis flagellum subire jussus est. Itaque veste spoliatus, verberibus graviter attrectatus est. Suspiriis autem et omnis emendationis sponsione suppliciter in tormentis, ut parceretur, laborans, hac eadem conditione tandem dimissus, a somno gravissimo, magno pavore æstuans, evigilavit, ita tremens, et totius corporis habitu ita se gerens, quasi sub flagellis etiamnum palpitaret. Mox in se reversus, intelligentiam somni non aliunde, sed ex illatis plagis in ipso corpore sensibiliter habens, necessario placendos * dixit, quibus iratus tantæ acerbitatis animus inesset : satisque metuendum, ne denuo concitatis eis, non ut ante, aliqua respirandi copia sibi concederetur. Collectis ergo viris industriis et ingeniosis, ad eamdem rotundi schematis basilicam, ab orientali parte rupto muro veteri, novum continuavit ædificium, quod, disposita in longum parietibus, per ascensus adspectu decentissimos in chorum spectabilem turresque geminas operose superius consurgens, cryptam in inferioribus magnæ capacitatis explicabat.

et acriter castigatus,
* *lege* qua

* *lege* placandos

E

17 Addens præterea hunc vel illum ex coloribus sive metallis ornatum egregiæ laudis titulum, in eisdem picturis versibus appositis, ita promeruit :

inventa SS. Corpora honestiori loco recondit;

» Ex Domini monito compunctus episcopus Anno,
» Quidquid habere potest, divinis cultibus offert,
» Jussit et adstantes appingier ordine patres
» Urbis Agrippinæ, sanctæ virtutis amicæ.
» Pro quibus in cœlis lætabitur ipse fidelis. »

His omnibus, ut hodie cernitur, pulchre perfectis, deinceps in exquirendis Sanctarum Reliquiarum corporibus immorabatur. Hujus autem intentione spei stratam marmoribus terram intra templi septa detegens, principem sanctæ sodalitatis illius, Beatorum videlicet Maurorum, * Georgium nomine, sociis in circuitu quiescentibus, accuratius præ cæteris humatum reperit, chlamyde purpurea circumdatum, orarum ejus extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus. Hunc cum nonnullis aliis de sepulchro super altare debita reverentia exaltans, in ejus laudem, qui talium thesaurorum author et largitor erat, erupit : et exinde nomen et memoria Sanctorum Maurorum per omnes Coloniæ angulos celebrior inolevit. *Quo vero loco S. Anno corpus* S. Gregorii Maurorum *ducis reposuerit, Gelenius de Magnitud. Colon. Agripp. loco supra citato docet his verbis :* Modo sanctas in ecclesia Gereonæa reliquias recensere pergo, nimirum S. Gregorium Maurum, cujus corpus quo loco quondam depositum sit vel effossum, in crypta monstratur monumento illo, quod 4 columnis impositum, hos habet adscriptos versus :

* *lege* Gregorium.

F

» Princeps Maurorum Gregorius alta polorum
» Scandens, ad mortem dat seque suamque cohortem.
» In hac tumba conditum est corpus S. Gre-
» gorii Principis et Martyris. »

18 *Dictam S.* Gregorii *translationem in ecclesia S. Gereonis annue recoli die* XXV *Junii testis est idem Gelenius*

AUCTORE S. D.

A *unde auctum apud Colonienses cultum,*

Gelenius (a); verum an ea die a S. Annone peracta fuerit, non refert illius biographus, nec id aliunde investigare potui. Probabile interim reor, S. Annonem, flagellis ita exceptum, sicuti S. Gregorii, *ita et Sociorum corpora decentiori loco collocari curasse, nihilque omisisse, quod conducere quodammodo posset ad promovendum eorum cultum, quem postea celeberrimum evasisse Coloniæ, monstrant variæ in variis ibidem ecclesiis publice expositæ seu custoditæ Reliquiæ. Ecclesias illas atque inibi servata Sanctorum nostrorum pignora Gelenius lib.* III *de Magnit. Colon. Agripp. recensens, Syntag.* IV *in ecclesia collegiata S. Cuniberti sic scribit (b) :* Loculus ad dextram S. Cuniberti depositus Sanctorum Maurorum Reliquias asservat. *Syntag.* VII *in ecclesia collegiata B. M. V. ad gradus (c) :* Occidentalis Marianæ hujus ad gradus ecclesiæ chorus aram habet complectentem quinque corpora Sanctorum Maurorum Martyrum. Hæc a B. Annone in cryptam, quæ sub choro fuit, illata fuerunt, sed a posteris translata, et illi, in qua modo servantur, aræ imposita fuerunt tali cum inscriptione :

» Condita sunt in hoc altari quinque sacrorum
» Maurorum Corpora ex crypta hujus ec-
» clesiæ olim huc reverenter translata. »

B *Item in ejusdem ecclesiæ hierotheca* XII *asservari tradit* Ossa diversa de SS. Mauris. *Syntag.* XI *in ecclesia collegiata S. Cæciliæ (d) :* Capita ex societatibus Maurorum.... collocata in honestissimis thecis vestiunt ecclesiæ parietem. *Syntag.* XXXVI *in ecclesia SS. Joannis et Cordulæ (e) :* De societate Martyrum.... Maurorum.

monstrant variæ

19 *Syntag.* XXXVIII *in ecclesia Corporis Christi canonicorum regularium, post enumeratas ejusdem ecclesiæ reliquias (f), hæc subdit :* Atque hæ potiores sunt præter alias ex societate SS. Gereonis et Maurorum Martyrum. *Syntag.* XL *inter reliquias ecclesiæ Carthusianorum (g) num.* XI *recenset* Cranium S. Marcini ex societate Maurorum : *verum hoc nomen, sicuti et illud* Beati Constantii, *quod supra num.* 3 *habet Usuardina editio Lubeco-Coloniensis, pro arbitrio a posteris imposita fuisse, idcirco suspicor, quod nullum in antiquitate reperiam documentum, in quo præter* S. Gregorium Maurorum *ducem alius aliquis proprio nomine compelletur. Pergit Gelenius, ac perveniens ad monasterium S. Claræ virginum conventualium Ordinis S. Francisci in hujus asceterio (h) num.* II *reposita asserit* Quatuor capita ex legione SS. Maurorum. *Item Syntag.* LIV *num.* XIV *(i)*

C *in ecclesia monasterii, quod* HORTUS *B. M. V. nuncupatur, virginum Ordinis Cisterciensis :* Duas partes capitis de Sanctis Mauris. *Syntag.* LVI *in ecclesia S. Maximini, virginum regularium sub regula S. Augustini (k) num.* VIII : Tria capita ex societate SS. Maurorum. *Syntag.* LVII *in monasterio SS. Bartholomæi et Apri virgg. Ord. Cist. num.* VIII *(l)* ; Octoginta circiter capita ex societatibus undecim millium virginum, et SS. Gereonis, Thebæorum, ac Maurorum Martyrum.

seu publice expositæ seu custoditæ Reliquiæ :

20 *Syntag.* LXIX *in monasterio S. Michaëlis virgg. reg. Ord. S. Augustini prope S. Cæciliam num.* VI *(m)* ; Capita tria ex cohorte Sanctorum Maurorum. *Syntag.* LXXIV *in monasterio B. M. V. in Bethleem, virgg. tertiæ reg. S. Francisci, vulgo* in der Romersgassen *(n), num.* IV : Duas costas de SS. Mauris Martyribus. *Syntag.* CIX *in sacello Collegii Hollandici SS. Bonifacii et Willibrordi (o) : nonnulla ossa SS.* Maurorum. *Hactenus e Gelenio. Adjicit Erhardus Winheim ecclesiam collegiatam SS. Apostolorum, quam notabiles itidem SS.* Maurorum *particulas possidere docet (p). Præter has SS. exuvias Coloniæ asservatas, quasdam accepisse S. Norbertum, alioque transtulisse, indicat illius biographus (q) :* Quo (*quodam corpore virginis Ursulanæ*) cum hymnis et laudibus Dei et gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum Virginum, aliorumque quorumdam Martyrum, videlicet Gereonis, Maurorum, duorum Ewaldorum, duo vascula, in modum feretri, ad efferendum ei impleta sunt. *An vero eas S. Parens noster Præmonstratum, sicuti et SS. Gereonis et duorum Ewaldorum exuvias, secum asportaverit, affirmare non ausim. Ac quamvis alias alio translatas nuspiam legam, proindeque Sanctorum cultus extra Coloniæ mœnia haud adeo forte sit celebris, annuam tamen illorum festivitatem inscriptam lego antiquis Breviariis Tungrensi, Wormatiensi, Ultrajectino, Trevirensi, Spirensi, Teneramundano, Antverpiensi, Hamburgensi, Erfordiensi, Osnabrugensi et Leodiensi. Sin autem id secus foret, seu nullibi quam Coloniæ colerentur, id abunde præstare amplissimam hanc urbem, vel solæ, uti diximus, monstrant recensitæ jam Reliquiæ, in variis ibidem ecclesiis seu publice expositæ seu honorificentissime custoditæ.*

D

E

et, siquidem vera narrent scriptores aliqui,

21 *Nec frustra hos Christi Athletas coluere Colonienses; si enim vera sunt, quæ Crombachius (r), Erhardus Winheim (s), Antonius Macedo (t) aliique narrant, illorum potissimum aliorumque Martyrum ope civitas Agrippinensis sæc.* XIII *erepta fuit præsentissimo periculo, quod obsidio minabatur. Universam rem gestam e Crombachio loco citato accipe :* Verum est, *inquit,* illud ethnici cujusdam dictum, urbes religione melius, quam mœnibus cingi : plenæ sunt ecclesiasticæ historiæ exemplis Divorum Tutelarium, qui civitates ab hostibus pene interceptas præsidio suo conservarunt. Sæpe id alias, tum luculenter experta est civitas Coloniensis anno 1266, vel, ut alii volunt, 1269, cum in summo discrimine et deditionis periculo, præsens in mœnibus Divi conspecti auxilium laboranti attulerunt. Cum enim eo tempore vicini principes eam cinxissent obsidio, nec oppugnationem posse diuturnam tolerare videretur, quando non ita multo ante cives, intestinis odiis et variis divisi simultatibus, rursum collidi facile mutuis inimicitiis potuissent, placuit tamen ea tempestate Divinæ Bonitati Divorum Tutelarium deprecatione ab exitio vindicare Coloniam.

F

illorum aliorumque SS. ope urbs Coloniensis

22 Jacebat in tentorio Clivensis comes somnum capturus eo loci, ex quo prospectus patebat versus civitatem, quam nocte intempesta videt luce circumfusa radiare; nam accensis prope mœnibus funalibus, omnis circumquaque regio colluccbat; stupor somnum excutit, præsertim cum lumen unum inter reliqua solis instar fulgurare notat, quod reginam S. Ursulam aureo redimitam diademate ducem exercitus præferre manibus observat : eam undena virginum millia pone sequebantur : succedebant Parthenium exercitum virorum agmina tam Thebæorum quam Maurorum, ducibus ac antesignanis SS. Gereone et Gregorio : ibant cunei militares cœlitum extra urbem prope mœnia, totumque Coloniensem hemicyclum ordine lustrabant; ita quidem, ut dum portæ alicubi propinquarent, regina dux exercitus eam cruce rosea consignaret : mox Virgines reliquique Martyres omnes eodem sigillo portas singulas contra hostium assultus munierunt : jamque tam campestrem ur-

(a) De Magnit. Colon., lib. IV, p. 699. — (b) p. 288. — (c) p. 309. — (d) p. 360. — (e) p. 445. — (f) p. 450. — (g) p. 455. — (h) p. 541. — (i) p. 543. — (k) p. 547. — (l) p. 550. — (m) p. 581. — (n) p. 587. — (o) p. 616. — (p) Sacrar. Agripp., p. 68. — (q) Act. SS. VI Jun., p. 835, num. 48. — (r) Ursula Vind., t. II, p. 893. — (s) Sacr. Agripp., p. 52. — (t) De Divis Tutel. Orb. Christ., p. 389.

bis

AUCTORE S. D.

A bis regionem, quam Rhenanum marginem rite collustrarant, et reduces portam piscinæ (quæ nomen vetus hodieque retinet) attigerant, ecce tibi protinus illa seris resolutis panditur, redeunt in urbem suam Divi Tutelares omnes.

a deditionis periculo prodigiose liberata fuit;

23 Duxit noctem illam insomnem Clivensis regulus (*hunc militem vocat Winheimius*), pavore stuporeque defixus, et cum eo Stephanus quidam (*hunc Macedo cognominat* Vuylen) comes auratus, qui soli prodigium illud conspexerant : ii cum frustra se viderent cum cœlo divisque belligerare, terrorem albescente cœlo totis castris incusserunt; ac discessu suo fugam omnibus suaserunt. Rem gestam narrat præter Coloniense Chronicon Bredenbachius, et Schultingius, qui addit præisse cum face Deiparam, et singulis singula funalia attribuit, ac tandem pacis internuntium, cives inter et archiepiscopum, missum B. Albertum Magnum (eum, qui decem circiter annis post S. Cordulam solemniter elevavit) Ratisbonensem episcopum, qui omne dissidium rara felicitate et dexteritate composuit. Extat in mœnibus civitatis in lapide excisa rei gestæ series; soletque senatus Coloniensis in hujus cœlestis beneficii memoriam et gratiarum actionem

B ipso SS. Maurorum festo XV Oct. decem prægrandes cereos basilicæ S. Gereonis dono transmittere, qui in crypta SS. Maurorum tunc 24 horis lucere conspiciuntur : quod ea nocte, quæ festum Maurorum præcurrit, id credatur visum apparuisse. *Eadem fere, sed contractius, refert Antonius Macedo; at, quamvis uterque, ut fidem suæ narrationi conciliet, præter Bredenbachium, Schultingium et Chronicon Coloniense in margine citet Chronicon MS. Burgravii Steindorpii, Guilielmum Baldesanum et Jacobum Monteirsium, nihilominus, si Chronicon Coloniense atque illud Burgravii Steindorpii, quæ mihi videre, ac proin examinare non licuit, exceperis, alii ab illis citati scriptores recentiores sunt, quam ut iis illico fides, præsertim quoad res tam prodigiose gestas, adhiberi debeat.*

ast quia eventus ille ab aliis scriptoribus

24 *Paucis rem hanc delibavit Byeus noster in Commentario suo, jam sæpius a nobis citato, ibidem num.* 45 *de* Gloria posthuma *in antecessum declarans, prodigium istud suspectum sibi videri; verum quod magis ad SS.* Mauros, *quippe horum nocte patratum, quam ad SS. Gereonem Sociosque spectaret, accuratius illud examinandum ad hunc diem reliquit. Id itaque ut facerem, varia Germaniæ aliaque Chro-*

C *nica perscrutatus reperi quidem, urbem Coloniensem circa id tempus a deditionis periculo fuisse liberatam, ast nullibi lego id contigisse miraculose. Levoldus de Northof, qui paulo post vixit, in Chronico suo Markano seu comitum de Marka, apud Henricum Meibomium ad annum* 1269 *de Colonia hæc refert* (*a*) : Anno MCCLXIX nocte Maurorum Martyrum dominus de Valkenburg, frater archiepiscopi Colon. Engelberti, cum suis complicibus muros Coloniens. de nocte subintrare nititur : sed bellum cum ipso committitur, et ipse cum multis in civitate occiditur. *Rem gestam anno* 1268 *illigat auctor Magni Chronici Belgici, quod edidit Joannes Pistorius* (*b*), *conscriptum circa finem sæc.* XV, *uti ex fine deduci potest.*

absque visionis mentione memoratur,

25 *Ipsius itaque verba, quod rem explicatius narrat, e Pistorio huc transfero :* Domino vero Engelberto a captivitate Coloniensi liberato, consanguinei ejus propter injuriam civium exacerbati, videlicet frater archiepiscopi dominus de Valken- D burg (*Theodoricus*), dux quoque Lymburgicus (*Walramus*), comes de Clivis (*Theodoricus*), et nobilis de Hynsberch (*Theodoricus*), anno Domini MCCLXVIII forti armatorum manu contracta, civitatem Coloniensem per quamdam domum, muro civitatis adhærentem, amplo aditu per murum civitatis per aliquos cives corruptos fraude sive pecuniis patefacto, in cujusdam noctis intempestæ silentio subintrarunt : sed cives, eo præcognito, ad arma conclamantes, dictos nobiles armata vi repulerunt : ubi dictus dominus de Valkenburg frater archiepiscopi primo congressu occiditur : dux Lymburgensis capitur : plurimi alii occiduntur : alii fuga dilabuntur. *Verum nullum hic intervenisse miraculum, clarissime constat e Chronico Hirsaugiensi Joannis Trithemii, ubi ad annum* 1269 *prædicta Coloniensis urbis a periculo liberatio, modusque, quo id contigit, longe lateque proponuntur.*

26 *Necesse itaque est, vel aliam fuisse Coloniæ liberationem, de qua Crombachius aliique scripsere, vel prodigium istud a Trithemio aliisque jam citatis chronologis ignoratum vel ut suspectæ nimium fidei rejectum fuisse. Quod omnino eadem fuerit, de qua Crombachius et Trithemius, Coloniæ liberatio, satis* E *aperte ipse Crombachius insinuat; non enim aliunde natum fuit imminens urbi periculum, nisi ratione dissidii cives inter et eorum archiepiscopum, qui conscripto milite tentabat urbem (nam hac cum suis expulsus fuerat) dolo recuperare. Sin autem de alia Coloniæ obsidione Crombachium intelligendum esse omnino velis, illam assignatis a Crombachio annis aut circa id tempus haud facile es reperturus. Ast, inquies, posito, quod de eadem omnes obsidione loquantur, nonne miraculum istud latere potuit Trithemium aliosque supra a nobis citatos? Potuit sane stricto sensu; verum, posita rei veritate, mihi quidem videtur difficillime id fieri potuisse; Levoldi enim Northovii temporibus eventus ille recentior erat, quam ut ab illius temporis Chronographis ignorari, nimiumque prodigiosus, quam ut silentio præteriri potuerit.*

et ob alias hic adductas rationes,

27 *Nec dubium, quin Trithemius, qui in rebus Coloniensibus fuit versatissimus, et sæpe dictam istius urbis liberationem prolixe explicavit, vel uno saltem verbo tanti prodigii meminisset; unde id non tantum habeo suspectum, sed etiam memoratæ urbis liberationi (nisi aliam circa id temporis rite assignaveris) omnino censeo affictum, atque ideo forte ab obsessoribus excogitatum, ut dedecoris notam in solvenda urbis obsidione sub specioso isthoc prætextu subterfugerent. Nec obstat, rei gestæ seriem Crombachii ætate in lapide mœnium Coloniensium extitisse excisam; æque enim facile est sculptoribus ac scriptoribus (hos illi fere imitantur) ab historica veritate recedere. Quod vero* senatus Coloniensis, *ut infra pergit Crombachius,* soleat in hujus cœlestis beneficii memoriam et gratiarum actionem ipso SS. Maurorum festo XV Oct. decem prægrandes cereos basilicæ S. Gereonis dono transmittere, etc., *anne idcirco tale factum fuit prodigium? Quamvis Crombachius, aliique id credidere, non aliam tamen ob rationem id fecisse senatum reor, quam quod ista urbis liberatio, prout a Trithemio aliisque a nobis citatis narratur, contigerit nocte præcedente festum SS.* Maurorum, *atque horum patrocinio a civibus verosimilius adscripta fuerit.*

prodigium istud commentitium videtur.

(*a*) Rer. German., t. I, p. 390. — (*b*) Rer. German., t. III, p. 284.

DE

A D

DE S. ANTIOCHO

EPISCOPO CONFESSORE LUGDUNI IN GALLIA.

SYLLOGE HISTORICA.

J. B.

SÆC. IV NONNIHIL PROVECTO. *Sancti ætas,*

Sanctum Justum Lugdunensem episcopum, uti et S. Elpidium ejusdem sedis antistitem, alterum quidem S. Antiochi *decessorem, licet non proximum, alterum vero successorem proximum, Operi nostro jam insertos habes tomo I Septembris* (*a*); *S. Albinus vero, S. Justi successor proximus, locum habet in Opere nostro tom. V Septembris ad*
B *diem* XV *ejusdem mensis* (*b*) : *porro Albinum inter et* Antiochum *medium S. Martinum collocant passim episcoporum Lugdunensium Catalogi. Antherum, quem item Albinum inter et* Antiochum *interponunt Sarazinus et Severtius, rerum Lugdunensium scriptores, Catalogi jam laudati ignorant. Interfuit S. Justus Concilio Aquileiensi anno* 381 ; *ac paulo post, uti apparet, relicta Lugdunensi Sede, in Ægyptum abiit, vitæ illic inter anachoretas exitum exspectaturus. Cum autem nulla relicta sint monumenta, ex quibus de initio, duratione et fine regiminis SS. Albini, Martini et Elpidii constet, ex probabili dumtaxat conjectura, locis Operis nostri supra citatis, Albini obitus sæculi tertii quartique confiniis illigatur ; Elpidii vero sæculo quarto media sui circiter parte elapso ; ex quo fit, ut, relictis Martino aliquot regiminis annis, S.* Antiochus *sæculo* IV *nonnihil provecto ad Superos migrasse videatur. Chronica Ecclesiæ S. Justi, a Stiltingo tom. I Septembris* (*c*) *laudata, S.* Antiochum *loco inter episcopos Lugdunenses decimoquinto collocat : decimosexto alii passim Catalogi : minus audiendus Paradinus, qui decimo octavo, propter Antherum, quem in Lugdunensium præsulum seriem intrusit.*

genuinum nomen,

2 *Genuinum sancti Prælusis nomen* Antiochus
C *est, sed a nonnullis in* Andiochum, *in* Anduellum *vero, uti Theophilus Raynaudus in Sanctorum Lugdunensium Indiculo scribit, a Lugdunensi vulgo conversum : gallice S.* Anduel *nuncupatur in Indiculo beneficiorum Lugdunensis diœcesis anno* 1638 *Lutetiæ Parisiorum edito typis Gervasii Alliot : Castellanus autem, in Martyrologio suo Universali ad hunc diem, genuinum ejus nomen gallice effert S.* Antioque. *Alius est hic noster a S. Andochio Martyre, de quo apud nos actum est ad diem* XXIV *Septembris, uti et a S. Andeolo, pariter Martyre, de quo videsis tom. I Maji* (*d*) ; *quod, ne confusionem pariat nominum affinitas, verbo monuisse sufficiat. Gesta porro S.* Antiochi *pleraque in tenebris latent, neque quidquam fere ex illis exploratum habemus, præter ea, quæ in Vita S. Justi Lugdunensis episcopi, ab auctore suppari scripta et apud nos tom. I Septembris* (*e*) *edita, leguntur : sunt autem hæc :* Eodem vero tempore, quo ipse (*S. Justus*) in heremo (*Ægypti Scithica, ut innuit Stiltingus in Annotatis ad Acta S. Justi*) morabatur, Sanctus Antiochus, tunc presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio, usque ad videndum episcopum peregre * animo intendit, vir discutione * præcipuus, et qui non immerito ad ejusdem pontificii culmen assumptus sit. Hic ergo cum desiderio tanti antistitis terras et maria transmitteret, prænuntiasse venerandi nominis Justus adventum ejus ita fertur, ut etiam, quibus diebus quæ accederet loca, non taceret, dicens : Charus noster Antiochus hodie illic moratur. Quod adeo manifeste E probatum affirmatur, ut etiam die ipso, quo ad eumdem venit, venturum esse prædixerit.

* *alibi* : pergere
* *alibi* : districtione

gesta pauca,

3 *Consequitur hinc quidem S.* Antiochum *prius ecclesiæ Lugdunensis fuisse presbyterum sub episcopo Justo, quam ejusdem infulas gesserit ; dein jam tum sacerdotali dignitate fulsisse, cum suum nuper episcopum procul Lugduno in Ægypto commorantem ivit invisum, non sine luculento eximii in Præsulem suum amoris venerationisque testimonio ; demum meritis suis atque virtutibus ad episcopale fastigium evectum fuisse* Antiochum, *cum vitæ austeritate adhuc presbyter eminuerit, ac Justo charus admodum fuerit, quod prolixo* Antiochi *encomio æquiparandum merito Raynaudus censuit. Errat ergo Paradinus, dum Historiæ Lugdunensis lib.* I *cap.* XLIX *ait,* Antiochum *in Ægyptum abeuntem fuisse diaconum : divinat saltem, cum illum ait eo in Ægyptum profectum consilio ac desiderio, ut Justum sedi suæ, cui hic sponte renuntiaverat, et Albinus Martinusve jam legitime præsidebat, restitutum cerneret. Vendit denique sua, dum S.* Antiochum *in Ægyptum fuisse appulsum scribit, cum jam e vivis S. Justus æque ac S. Viator, Justi Achates, e vivis excessissent ; retulisse tamen utriusque ossa Lugdunum, quæ citatis paulo ante* F *et mox citandis S. Justi biographi verbis adversari plane videntur. Is certe, in vivis adhuc fuisse superstitem S. Justum, ipsomet, quo ad illum S.* Antiochus *pervenit die, ut ad calcem num.* 2 *videre est, liquido tradit ; quapropter, si verum hic Paradinus scribit, aliqua tantum unius diei parte hujus mors illius adventum prægressa fuerit, quod crederem fortasse, si, unde id Paradinus edoctus sit, scirem.*

paucis discussa,

4 *Idem biographus quidem ait, prædixisse S. Justum Viatori fore, ut hic se sequeretur* brevi (*septimo, ut volunt, die*) *sed non eodem, quod æque omni fundamento, quin et verisimilitudine destitutum est. Neque, quod porro affirmare Paradino visum est, S. Justi ossa Lugdunum S.* Antiochus *detulit ; addo, nec S. Viator. Non Antiochus ; quantum enim intelligi datur ex S. Justi Vita,* Antiochus, *Lugduno in Ægyptum discedens, comitatu caruit ; id autem officii S. Justo præstitere plures e Lugdunensium civium numero : sic enim prosequitur laudatus S. Justi biographus :* Sed in gloria ejus neque illam Lugdunensium gratiam tacitus præterierim, quod in refe-

(*a*) Ad diem II Sept., p. 365 et 388. — (*b*) p. 44. — (*c*) p. 389, n. 3. — (*d*) Ad diem I Maji, p. 35. — (*e*) p. 373.

rendo

AUCTORE J. B.

rendo sancto ejus corpusculo, usque in Australem plagam venerabilium se civium cura porrexit, qui scrutati illas pene inaccessas ardoribus solitudines, et ab ipso admodum solis Occasu prope in vicina Ortui loca devotione currentes, totum pene orbem pietatis suæ testem fecerunt, *etc. Vides cives Lugdunenses ea mente atque consilio e patria in Ægyptum profectos, ut defuncti corpus per inaccessas solitudines quæsitum inventumque ad sedem propriam reducerent; quod de S.* Antiocho *dici haud potest. Sed nec Viator S. Justi corpus Lugdunum transtulit : cum brevi post S. Justum obierit ; neque facturus fuisse Vitæ S. Justi scriptor videatur, ut translati Lugdunum S. Justi gloriam in anonymos cives, nulla facta S.* Antiochi *aut S. Viatoris mentione, transferret, si S.* Antiochus *vel S. Viator translationis dux fuisset aut particeps.*

cultusque sacer.

5 *Gessit episcopatum S.* Antiochus, *dum vixit, strenue, sepulturamque in ecclesia SS. Machabæorum (postmodum S. Justi dicta et extra urbem prius sita), ut testatur Ado infra citandus, invenit; ubi religioso cultu honoratus a fidelibus jacuit, donec anno* 1562 *a Calvini asseclis eversa fuit S. Justi ecclesia, servatæque in ea Cœlitum Reliquiæ dissipatæ. Num quid Reliquiarum S.* Antiochi *Lugdunensium venerationi solatioque relictum sit, docere nos ipsi debent : Chronica Sanctorum, quorum corpora in S. Justi ecclesia habentur (vide tom. V Junii ad Vitam S. Irenæi* XXVIII *Junii) (a), post enumeratas SS. Justi, Viatoris, et Albini Reliquias ad S.* Antiochum *his verbis progreditur :* Item (*hic habetur*) corpus beati Antiochi Lugdunensis XV; *quas, occasione litis inter ecclesias S. Justi et S. Irenæi de hujus et SS. Martyrum Epipodii et Alexandri corporum possessione motæ, anno* 1287 *inspectas fuisse liquet ex confecti ea de re instrumenti l. c. num.* 24 *sequentibus verbis :* Item in alio tumulo repertum est corpus Sancti Antiochi Confessoris et archiepiscopi Lugdunensis, cujus sacrarum vestium, quibus indutus fuerat, sicut et plurium cæterorum adhuc vestigia manifesta restabant, super cujus etiam tumulum, secundum antiquam prædictæ ecclesiæ S. Justi consuetudinem, in festo ipsius, quod colitur Idibus Octobris, sacerdotes et clerici ejusdem loci candelam ponere consueverunt. *Indiculus beneficiorum diœcesis Lugdunensis, de quo num.* 2, *bina inter hæc numerat (b), quæ S.* Antiochi *titulo gaudent, quorum alterum* Saint Anduel la Valla, *alterum* Saint Anduel en Jarest *istic nuncupatur. Signari ejus festum in Breviario Lugdunensi testis Severtius est. Ado eum hodie sequenti, ex Actis S. Justi fere deprompto, elogio celebrat :* Eodem die apud Lugdunum, natale beati Antiochi episcopi, qui cum adhuc presbyter Lugdunensis esset, pio incitatus officio, usque ad visendum episcopum suum, qui in eremo morabatur, nomine et actione vere Justus, pergere animo intendit. Vir districtione præcipuus, et qui non immerito, tempore interjecto, ad ejusdem pontificii culmen assumptus est. Quo strenue administrato, regnum cœleste adeptus est. Sepultus in ecclesia Martyrum Machabæorum, in qua et Sanctus Justus tumulatus quiescit; *hoc Usuardus :* Lugduni Sancti Antiochi episcopi, qui strenue administrato pontificii culmine, ad quod assumptus fuerat, regnum cœleste adeptus est. *His addo pauca Martyrologii Autissiodorensis, inter antiquissima a Martineo (c) relati, verba :* Lugduno beati Antiochi episcopi. *Romanum iisdem verbis utitur, quibus Usuardus. Silentio liceat, ex quibus nihilo plus discat lector, præterire cætera.*

[*Gallia Christiana (d) vulgari potius opinione quam certo testimonio niti insinuat sententiam, quæ pronuntiat eumdem esse Antiochum et presbyterum sub S. Justo et episcopum : istiusmodi dubium clarius etiam exprimit Scriptor Historiæ Ecclesiasticæ Lugdunensis* Poullein de Lumina (*e*). *Has dubitationes tollit omnino vita S. Justi satis antiqua (f), ut fides ei abroganda non sit :* S. Antiochus tunc presbyter . . . , qui non immerito ad ejusdem pontificii culmen assumptus est.]

(*a*) Deductio historica super possessione corporum SS. Irenæi, p. 344, n. 18. — (*b*) p. 16. — (*c*) Coll. Ampliss., t. VI, col. 725. — (*d*) T. IV, col. 18. — (*e*) Hist. de l'Egl. de Lyon, p. 57. — (*f*) Act. SS. II Sept., p. 375, n. 8.

DE SS. CANNATO ET ANTONINO

CONFF. EPP., UT FERTUR, MASSILIENSIBUS IN PROVINCIA.

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. SS. Conff. apud Martyrologos mentio, officium ecclesiasticum, aliaque cultus sacri ipsis impensi monumenta; Reliquiis eorum exhibitus honor; Acta exiguæ quidem fidei, edenda tamen.

SÆC. V. *De SS. hisce Conff., licet ad dies varios alicubi relatis,*

Quam incerta sunt, quæ de SS. Cannato et Antonino *Massiliensium traditio prædicat, tam certus est cultus sacer illis ibidem a pluribus retro sæculis exhiberi hoc die solitus. Martyrologos inter primus ex his, quos quidem viderim, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Martyrologio Romano non inscriptorum ex ecclesiæ Massiliensis ad se transmissis tabulis S.* Cannatum, *nulla S.* Antonini *mentione facta, ad diem Octobris tertium sic annuntiat :* Massiliæ S. Canatis episcopi. *Ferrarium*

A *Ferrarium secutus in Supplemento Martyrologii sui Gallicani* (*a*) *ad diem item tertium Octobris, sed depravato nonnihil S.* Cannati, *quem solum æque ac Ferrarius exhibet, nomine, paulo prolixiore eum, ut solet, encomio celebrat Saussayus,* Massiliæ, *inquiens,* sancti Canalis episcopi testimoniis divinæ gratiæ et gloriæ præclari : cujus corpus in summo illius templo requiescit, ubi et hodie celebratur ejus memoria religiosi cultus honore. *At vero utrumque memorant Castellani Martyrologium universale, et Parisiense recentius: S.* Cannatum *quidem hodie, S. Antoninum autem ad diem* XIII *Octobris. Illud hodie sic habet :* Massiliæ S. Cannatis, hujus civitatis episcopi, cujus corpus in ecclesia cathedrali honoratur; *ad diem vero* XIII *Octobris :* Massiliæ S. Antonini episcopi, cujus corpus ex castro S. Cannatis ad Majorem ecclesiam translatum fuit anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo. *Martyrologii vero Parisiensis ad* XV *Octobris diem de S.* Cannato *verba sunt:* Eodem die, S. Cannati, quem Gennadius author coætaneus HOMINEM DEI vocat. Ejus nomine extat oppidum in Provincia, unde corpus ejus Massiliam in Majorem ecclesiam translatum fuit. Illic etiam una ex parochiis urbis quondam ejus titulo insi-
B gnita est; *ad diem vero* XIII *Octobris :* In provincia Arelatensi, Sancti Antonini, qui ex oppido S. Cannati, ubi primum sepultus est, Massiliam translatus, in ecclesia cathedrali quiescit. *Præ manibus nobis sunt Officia propria ecclesiæ Massiliensis, Stephani de Puget episcopi Massiliensis approbatione et auctoritate munita et anno* 1662 *typis edita, in quorum Kalendario, quia ad* XV *Octobris diem legimus : SS.* Cannati et Antonini episcoporum Massil. Duplex 2 classis, *de utroque simul nobis ad hunc diem visum est agere.*

hic simul agendum, quod simul Massiliæ colantur ;

2 *Scripserat Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib.* X (*b*). *S.* Cannati *festum in ecclesiis Aptensi, Tricastrinensi et Cavallicensi die octavo Octobris celebrari ; at melius instructus in Appendice ad Vitas mox dictas* (*c*) *scribit :* cujus festivitas XV Octobris cum Octavis solemnibus Massiliæ celebratur; *additque demum :* Notandum etiam, quod simul cum solemnitate S. Cannati celebratur etiam festivitas S. Antonini. *Hoc item die non tantum celebrari S.* Cannati *festum Massiliæ, sed et sæculo* XIV *celebratum fuisse ait Antonius Ruffius Historiæ Massiliensis secundo editæ lib.* X *num.* 19, *idque se reperisse in binis annorum* 1356 *et* 1385 *instrumentis : at num.* 22
C *S.* Antonini *festum Massiliæ olim celebratum fuisse scribit die Octobris* XVI. *Octavarum, quarum Gononus paulo ante citatus meminit, nulla mentio fit in Massiliensi Proprio, Pugeti episcopi auctoritate munito; sed Officium utrique Sancto commune per diœcesim recitandum præscribitur, in quo illis propria sunt sequentia. Antiphona in utrisque Vesperis :* Isti sunt Pontifices gloriosi, et nostri Pastores optimi, qui assistunt coram Domino et incessanter orant pro dilecto grege suo. *Oratio :* Exaudi quæsumus Domine preces nostras, quas in Beatorum Cannati et Antonini Confessorum tuorum atque Pontificum solemnitate deferimus : et qui tibi digne meruerunt famulari, eorum intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum. *Lectiones* 1 *et* 2 *Nocturni S.* Cannato *propriæ sunt et Actis infra dandis consonant : S.* Antonino *sexta tribuitur, sed nihil, quod illi peculiare sit, complectitur, utpote ex S. Maximi Homilia* 59 *petita :* Ad Sancti ac beatissimi nostri Antonini, cujus hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid decerpsisse est, etc. *Antiphona ad Laudes :* Laudemus viros gloriosos, qui scientia refulgentes et charitate ardentes cibarunt D populum suum pane vitæ intellectus. *Hymnum ad Laudes ac Orationem soli S.* Cannato *propriam olim recitari solitam ex ecclesiæ Massiliensis Breviario hujusmodi exhibet :* AUCTORE J. B.

Rex Christe o piissime,
Qui es formator machinæ :
Cui servivit Cannatus,
Bonus, sanctus atque castus.
In deserto comedebat
Radices, dum consistebat :
Nam loci præ angustia
Ejus aquæ sunt pocula.
Ut tibi, Christe, serviret,
Regnumque mundi sperneret,
Quod eidem veniebat,
Verbum tuum audiebat.
Sit laus Patri, etc.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui S. Cannatum de stirpe regia prodeuntem miraculose Massiliensi ecclesiæ, dum in deserto pœnitentiam ageret, pontificem præfecisti, ejus meritis et intercessione nobis concedere digneris cœlestium donorum omnium fulcimentum. E

ubi et eorum Reliquiis,

3 *Præter Officium utrique Sancto commune varia antiqui cultus ipsis impensi memorantur indicia : ac S.* Cannato *quidem in ecclesia cathedrali Massiliensi Virgini Deiparæ sacra, teste Ruffio lib.* X *cap.* I *num.* 8, *sacellum dedicatum visitur juxta sacristiam. Templum item parochiale intra civitatis sinum ejus honori conditum fuit olim, sed modo destructum, ab anno nimirum* 1524, *quo Massiliam Carolus Borbonius, Caroli V imperatoris adversus Franciscum I Galliæ regem signa secutus, irrito conatu obsedit, ut ait Ruffius lib.* VII *cap.* VI *num.* 31 : *at Henricus de Belzunce Massiliensis episcopus decessorum suorum Historiæ lib.* XIII (*d*) *scribit, templi tectum fuisse sublatum ; reliquum vero corpus ipsumque fornicem exstare adhuc, sed humo ingesta opertum. Haud procul Aquis Sextiis oppidum item seu castrum visitur S.* Cannati *de Sauzeto a Sancto nostro dictum, diœcesis quidem Aquensis limitibus inclusum, sed olim Massiliensium præsulum spirituali æque ac temporali jurisdictioni obnoxium, uti in Charta anni* 1278 *apud Henricum mox laudatum lib.* IX (*e*) *videre est. Anno autem* 1473 *id Joannes Allardeau, facta cum Albaneæ* (*Aubange*) *baronatu permutatione, Renato Siciliæ regi cessit. Chartam, factæ permutationis testem, exhi-*
F *bet Henricus episcopus lib.* XIII (*f*), *in qua S.* Cannati *castrum dicitur* salubris aëris locus, in plano positus, placibilis fontibus, et aquis deliciosus, ac fructibus, venationibus et pascuis abundans : *desertus erat cum vitam illic, ut Acta perhibent, solitariam S.* Cannatus *exorsus est. Bina item loca, quibus S.* Antoninus *nomen verosimiliter dederit, memorat Honoratus Bouche lib.* III *hist. Provinciæ cap.* IV (*g*), *pagum nempe S.* Antonini *prope Aquas Sextias et pagum Puylobier ; et montem S.* Antonini *prope Brignolium et pagum Camps, quo in monte eidem Sancto Oratorium extructum ait.*

uti ex hic recitatis

4 *Adhæc utriusque Sancti Reliquias insigni jam dudum, ut ex dicendis liquebit, honore Massiliensis ecclesia prosecuta est. Harum pars in cathedrali Massiliensi ecclesia seorsim conservatur ; pars vero altera ita permixta, ut unius ab alterius ossibus ossa dignosci nequeant : seorsim servantur thecis argenteis inclusa, uti scribit Ruffius Hist. Massiliensis lib.* X *cap.* I *num.* 9, *S.* Cannati *cranium et brachium : addit*

(*a*) p. 1176. — (*b*) p. 226. — (*c*) p. 470. — (*d*) T. III, p. 126. — (*e*) T. II, p. 297. — (*f*) T. III, p. 48. — (*g*) p. 627.

num.

AUCTORE J. B.

num. 19 *S.* Cannati *cranium sub ara majori ecclesiæ*
A *cathedralis inventum fuisse anno* 1653 *die* XXI *Januarii, argenteæ thecæ impositum, ac dein die* XV *Octobris solemni supplicatione per universam urbem circumductum, ac Sanctum præterea* Cannatum *a Pugeto, Massiliensi id temporis episcopo, patronum civitatis secundarium declaratum. Sacrum vero cranium tegebat lapis, cujus hæc erat inscriptio :* Hic continentur Caput beati Cannati et Reliquiæ S. Antonini, SS. Innocentium, et de vestibus beatæ Mariæ Virginis. *Cæteras SS.* Cannati *et* Antonini *Reliquias, clero prius populoque palam ostensas, decenti arcæ inclusit Raymundus Massiliensis episcopus anno* 1122 *die Assumptæ in cœlos Virgini Mariæ sacro, cujus quidem rei ex Archivis ecclesiæ Massiliensis lib.* VI (*a*) *Henricus de Belzunce sequens testimonium exhibet :* Raymundus Dei gratia Massiliensis episcopus, vir religiosus sub monachali habitu atque regula, cunctis diebus vitæ suæ vivens in hymnis et psalmis cum pudicitia Deo perseveranter servivit, qui multos libros, multaque ornamenta auri et argenti et palliorum in ecclesia S. Mariæ sedis Massiliæ emendo constituit. Ad ultimum autem sub Christi nomine, ad honorem genitricis Dei Mariæ antiquæ
B sedis Massiliæ hanc arcam in anno MCXXII ab Incarnatione Dom. fecit, in qua ipsemet propriis manibus Reliquias plurimorum Sanctorum in die Assumptionis Sanctæ Mariæ, præsente suo clero et populo, posuit; corpus S. Cannati episcopi Massiliensis et Confessoris, et S. Antonini Confessoris et Sancti Victoris Martyris ibi sunt. Hic sunt Reliquiæ S. Petri Apostoli, et Sancti Stephani, et S. Adriani Martyris, et S. Vincentii Martyris, et S. Joannis, et S. Verani, et S. Apollinaris, et S. Reginæ Martyris, et S. Pauli, et Gregorii, et S. Polycarpi, de sepulchro Domini, de veste S. Stephani, S. Sebastiani, S. Sulpitii Confessoris, S. Martini, S. Marcellini, S. Andreæ Apostoli, S. Laurentii, de ligno Crucis, S. Lazari, quem Dominus suscitavit, et S. Faustini, S. Christinæ, Sanctorum Innocentium, et multorum aliorum, quorum nomina nescimus; Deus scit.

instrumentis

5 *Confectum id instrumentum fuit, ut ejus verba produnt, post Raymundi obitum; at, ut apparet, non diu; inventumque anno* 1277 *in arca a Raymundo confecta, quo a Capitulo Massiliensi aperta fuit, ut Henricus episcopus monet. Raymundo Massiliensi episcopo cognomento* de Soliers *tam Ruffius*
C *lib.* X *cap.* I *num.* 43, *quam Henricus pium id opus adscribunt; at quem hic Raymundum II, ille III vocat. Cæterum hic obiter observatum velim, tum nullam hic cranii S.* Cannati *a Raymundo seorsim positi mentionem fieri, tum arcam servandis SS.* Cannati *et* Antonini *Reliquiis abs illo confectam non fuisse omnium antiquissimam : successit enim hæc alteri jam pene, ut credo, vetustate detritæ, ad quam reparandam vici S. Marcelli honorem seu dominium ecclesiæ cathedrali Massiliensi dederat Aicardus archiepiscopus Arelatensis, qua de re hæc apud Henricum episcopum lib.* V (*b*) *leguntur in Charta anni MCXXI, qua Pontius de Podio nigro ejusque uxor Guerriada Raymundo episcopo Massiliensi, a quo excommunicationis vinculo soluti fuerant, dimittunt* honorem jacentem S. Marcello, quem Aicardus archiepiscopus donavit Sanctæ Mariæ pro restauratione argenti de arca S. Cannati. *Reclusa denuo fuit arca, anno, ut supra dictum est,* 1122 *confecta, sacra SS.* Cannati *et* Antonini *aliorumque Sanctorum ossa complexa, ac in supplicationibus solita circumferri, anno* 1277 *die* XI *Maji a Massiliensi S. Mariæ Capitulo, absente episcopo Massi-* D
liensi, Raymundo altero, cognomento de Nismes; *ut fidem facit instrumentum alterum apud illustrissimum Massiliensem jam sæpe citatum lib* IX (*c*). *Confecta fuit id temporis arca altera ferrea, seris quatuor claudenda, cui die* XX *Junii ejusdem anni supradictorum Sanctorum pleræque Reliquiæ coram Bernardo de Languisello, Arelatensi archiepiscopo, hujus nominis II, et Alano episcopo Sistariensi inclusæ fuerunt, recoliturque ea SS. Reliquiarum repositio in ecclesia cathedrali Officio proprio ad eumdem diem. Non tamen in illam arcam ferream tum temporis illata fuerunt SS.* Cannati *et* Antonini *corpora; quorum ad ecclesiam S.* Cannati *translatio decreta quidem est, sed partim tantum executioni mandata. Canonici etenim cathedralis ecclesiæ, quod eas Reliquias in ecclesia S.* Cannati *haud satis tutas fore crederent, partem earum sacculo inclusam cathedrali ecclesiæ retinuerunt sigilloque suo munierunt, die* XXII *Junii : sic enim habet datum ea de re ab illis et anno* 1444 *in arca Reliquiarum cathedralis a Bartholomæo de Racoli Mass. ep. repertum testimonium apud Henricum episcopum lib.* IX (*d*).

6 Notum sit cunctis quod cum venerabilis Pater *constat*,
Dominus B. (*Bernardus*) Dei gratia sanctæ Arela- E
tensis ecclesiæ archiepiscopus, assistente ei Domino A. (*Alano*) Dei gratia Sisterciensi episcopo, recondidisset solemniter coram clero et populo multas Reliquias infra ecclesiam B. Mariæ, inter quas inventa fuerunt corpora S. Cannati Massiliensis episcopi, et Sancti Antonini, in uno sacculo ita commixta et conjuncta, quod discerni non poterant ullo modo; et dicta corpora Sancti Cannati et Sancti Antonini, in ecclesia Sancti Cannati civitatis Massil. recondi in perpetuum decrevisset, Nos de Novis præcentor et vicarius venerabilis Patris D. R. Dei gratia Massiliensis episcopi, et G. de Florensiaco Sacrista, locum tenens D. R. de Secureto Præpositi Massiliensis, et Jo. Blanchi, J. Bonifacii, et G. de Castro Novo canonici Massilienses, G. Columberii Capellanus curatus ejusdem ecclesiæ, attendentes, quod in dicta ecclesia S. Cannati non est locus certus seu firmus, in quo dicta corpora Sanctorum possent reponi seu recondi cum aliqua securitate, sine maximo periculo, tum propter debilitatem loci, tum etiam suspicionem clericorum, qui ibidem commorantur, cum sint annales et conductitii, propter quod possit esse magnum periculum, ipsos posse corrumpi propter pecuniam et dicta F
corpora Sanctorum Mass. furarentur; volentes etiam, etsi non totum, in parte tamen, dictum periculum devitare, medietatem dictorum corporum S. Cannati et Sancti Antonini penes dictam ecclesiam Massiliensem secreto retinuimus, et in isto sacculo duximus recondendam. In cujus rei testimonium, præsentem paginam sigillis nostris sigillavimus. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, decimo Idus Julii, etc.

7 *Cum ajunt Massilienses canonici hic expressi,* *insignis honor fuit exhibitus.*
penes dictam ecclesiam Massiliensem secreto retinuimus, *satis manifestum est, eos ecclesiæ Massiliensis nomine ecclesiam cathedralem S. Mariæ sacram designasse, atque anno* 1277 *partem Reliquiarum SS.* Cannati *et* Antonini *alteram in eadem retentam, alteram ex eadem ad S.* Cannati *ecclesiam, sacculo inclusam, fuisse translatam, contra ac Ruffius lib.* X *cap.* I, *earum partem ex ecclesia S.* Cannati *ad ecclesiam Majorem anno* 1178 (*imo* 1277) *translatam scribens, opinatus est. Hinc porro fluxit, ut arcam a Raymundo* de Soliers *anno* 1182

(*a*) T. I, p. 450. — (*b*) Ibid., p. 446. — (*c*) T. II, p. 294 — (*d*) Ibid., p. 295.

(*lege*

A (*lege* 1122) *confectam, haud prius fuisse reclusam, quam anno* 1444 *die nativitatis B. Mariæ ab episcopo Massiliensi Bartholomæo de Racoli, perperam quoque scripserit. Anno illo* 1444 *pars media SS.* Cannati *et* Antonini *Reliquiarum, quæ sacculo inclusa ad S.* Cannati *anno* 1277 *translata fuerat, inde rursus ad cathedralem reportata fuerit; atque exinde omnes ibidem conservatæ. Hactenus de cultu sacro Sancto Confessori utrique a Massiliensibus impenso : modo ad Acta, eaque, quæ in hisce memorantur, id est, a certis ad incerta progredior.*

Acta, licet auctoritatis exiguæ, cur edantur.

8 *Extant S.* Cannati *Acta apud Gononum in Appendice ad Vitas Patrum Occidentis ex Breviario Massiliensi deprompta, ac iis fere similia, quæ in Historiam episcoporum Massiliensium ex veteri ecclesiæ item Massiliensis Breviario intulit Henricus de Belzunce lib.* III (*a*). *Hinc conflatæ sunt Lectiones duæ, quæ in Massiliensi Proprio die* XV *Octobris de S.* Cannato *recitandæ proponuntur. Extat item in supellectile litteraria Tongerloënsi Vita S.* Cannati *episcopi, ut titulus præfert, Massiliensis, ex vetere Manuscripto transcripta, et ad Bollandum olim, curante R. P. Silvestro Petra-sancta, Massilia Antverpiam missa, uberior paulo jam enumeratis, et*
B *fons, uti apparet, unde Lectiones in antiqua ecclesiæ Massiliensis Breviaria derivatæ sunt; quam propterea, qualiscumque sit, hic typis committimus. Sub hujus sæculi exordium S.* Cannati *Vitam scripsisse lego Emmanuelem Pachier presbyterum Massilien-*
sem, quæ subsidium nobis, ut credimus, saltem aliquod attulisset, si ad manum fuisset. Anonymus noster Vitæ S. Cannati *auctor exiguam sibi fidem auctoritatemque vindicat, a S.* Cannati *ætate remotus sæculis facile quinque : prodit id ipsemet statim ab exordio Vitæ S.* Cannati *ajens, reges Acquenses sua memoria non amplius reges appellatos fuisse, sed* comites, *qui sæculo* X *primum in Provincia dominari, ac eam regionem proprio nomine ac jure moderari, agmen eorum, ut passim scriptores tradunt, ducente Bozone, cœperunt. Delectatur interdum etiam versibus Leoninis, quorum forte usus, ut ait Cangius ad vocem* Leoninus, *demum sub Ludovico VII et Philippo Augusto, Francorum regibus, id est, sæculo duodecimo primum invaluit. Visum tamen est eum hic typis committere, tum quia hæc S.* Cannati *Acta alibi nusquam vidimus integra, tum quia hinc deprompta videntur, quæ de illo Breviaria ecclesiæ Massiliensis antiqua prodiderunt.*

C [*Leoninam versificationem longe antiquiorem putamus, quippe quam sectari jam videbatur S. Augustinus; et sæculo sexto ad medium nondum provecto S. Fulgentius Ruspensis episcopus jam affectabat phrasis suæ finalem consonantiam : exempli causa sit ejus homilia in natalem S. Stephani Protomartyris* (*b*), *quæ legitur in Breviario Romano ad diem* XXVI *Decembris :* Ille descendit carne velatus, iste ascendit sanguine laureatus. Ascendit iste lapidantibus Judæis, quia ille descendit lætantibus Angelis. Gloria in excelsis Deo, heri sancti Angeli cantaverunt : hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exivit de utero Virginis : hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involutus : hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus, etc. *Hujusmodi consonantiam reperire est etiam in vita S. Galli, edenda die* XVI *Octobris, quæ ad sæculum octavum pertinet. Inde sponte quasi sua fluit, ut ad latinum metrum redactæ fuerint hæ consonantiæ : certe sæculo nono carmina leonina pangebantur, ut monstrant versus Ratperti San-Gallensis monachi sæculi noni in* Casibus S. Galli (*c*) : AUCTORE J. B.

D Præmia tantorum cui dona, Christe, laborum,
Huicque polum tribuas, qui sydera celsa crearas.
Mattheus, Marcus, Lucas, pariterque Johannes
Sint illi comites, quorum celebrabat honores.

Cæterum sæculo decimo exeunte jam frequentissimus erat versuum leoninorum usus, ut patet e carminibus a Notkero Labeone San-Gallensi dictatis (*d*)].

§ II. Cætera, quæ de Sanctis hisce referuntur, passim incerta sunt.

Aquis Sextiis, quæ civitas archiepiscopalis et Pro- *S.* Cannatus, *cujus natale solum,*
vinciæ metropolis est, gallice Aix *dicta, S.* Cannatus, *ut anonymus narrat, editus mundo est, filius, ut ait,* regis Acquensis; *mallem dixisset* præfecti : *sed, quoniam hi, capta per Odoacrem, Herulorum primum,*
ac mox Italiæ regem, anno 476 *Roma, ruenteque* E
Romano imperio, civitates et provincias, quibus regendis præfecti fuerant, sibi vindicatas auctoritate propria moderari cœperunt, regum titulo affecti interdum fuere : ita Gregorius Turonensis, Historiæ Francorum Lib. II *cap.* XXVII (*e*), *Siagrium, qui Suessionibus dumtaxat præerat, Romanorum regem appellavit :* Anno autem quinto regni ejus (*Clodovei I*) Siagrius Romanorum rex, Egidii filius, ad civitatem Suessionas, quam quondam supra memoratus Egidius tenuerat, sedem habebat. *At regni aut regis Acquensis nuspiam alibi fieri mentionem arbitror; neque illud ipse anonymus magis compertum habuit, quam parentum S.* Cannati, *quæ tacet, nomina.*

10 *Qua ætate S.* Cannatus *vivere cœperit, qua* *secessum in eremum,*
desierit, æque altum Anonymus tacet; imo ne ullum quidem, unde eam colligas, indicium præbet : aliunde tamen paulo infra utcumque assignabitur. Cæterum S. Cannati *juventutem a litterarum tam profanarum quam sacrarum studio, a pudicitia, honestate vitæ exemplaris, cæterisque virtutibus, potissimum vero a rerum mundanarum contemptu commendat, quo ductus aulæ paternæ deliciis regnique successioni, ut quidem anonymus absque teste affirmat, vale dicens, in solitudinem, cui de* F
Sausseto *nomen erat, soli Deo victurus sese abdidit. Distabat id Aquis Sextiis, ut num.* 2 *Anonymus ait, quinque aut sex fere milliaribus; apud Boucheum in Mappa Geographica leucis Provincialibus circiter binis. Loci amœnitatem etiam describit eo fere modo, quo supra num.* 3 *descriptam habes. Non tam miror, locum amœnum sibi delegisse S.* Cannatum, *quam aulæ paternæ tam vicinum. Locum tamen hunc incoluisse S. Eremitam ex eo verosimillimum fit, quod ibidem temporis lapsu oppidum seu castrum exurrexerit, quod ab illo jam pridem habuit nomen S.* Cannati, *habetque hodiedum. Quamdiu hac in eremo versatus fuerit S. Anachoreta, divinandum Anonymus posteris reliquit.*

11 *Interea vero, dum in contemplandis rebus* *et episcopatum, sed absque epocha, anonymus refert,*
cœlestibus totus est S. Cannatus, *pergit Anonymus, moritur Massiliensis episcopus : si nomen hujus expressisset Anonymus, saltem qua ætate S.* Cannatus, *illius, ut creditur, successor, vixerit, hinc scire potuissemus; verum ne hoc quidem exploratum ha-*

(*a*) T. I, p. 201. — (*b*) Bibl. Max. Patt., t. IX, p. 107. — (*c*) Pertz, Monum. Germ., t. II, p. 71. — (*d*) Ibid., p. 55. — (*e*) D. Bouquet, Rec. des Hist. de France, t. II, p. 174.

AUCTORE J. B.

buisse videtur : alio igitur nos convertamus oportet.

A *Gennadius presbyter Massiliensis, qui librum de illustribus ecclesiæ scriptoribus versus sæculi* V *finem (secundum Tillemontium Monum. eccl.* (*a*) *anno* 485, *secundum Pagium, in Critica Baronii ad annum* 490 *num.* 20, *non post annum* 494) *exaravit, in editione Suffridi Petri anni* 1580 *ita scribit cap.* LXXX : Vincentius presbyter et ipse natione Gallus, in divinis scripturis exercitatus, linguam habens usu loquendi et majori lectione politam, commentatus est in Psalmos : cujus legit aliqua homini Dei Cannatæ, me audiente, promittens simul, si Dominus vitam et mores daret, se in toto Psalterio laboraturum. *Apud Martianayum tom. V Operum S. Hieronymi* (*b*) *legitur* Majorum *pro* majori : homini Dei *præmittitur* Sancto; Cannati *item legitur pro* Cannatæ : *denique citatus de Vincentio articulus ita desinit :* Promittens simul, si Dominus vitam et vires daret, se in toto Psalterio eodem studio laboraturum.

probabiliter Sæc. quinto

12 *Verosimillimum est, nomen* Cannas *non aliud esse a nomine* Cannatus : *dein vero certum apparet, Cannatem, de quo Gennadius, hominem fuisse, qui et Massiliæ versatus aliquando fuerit et per Provin-*

B *ciam non modo doctrina, ut cui Vincentius presbyter, forte ut censori, quos in Psalmos scripserat, commentarios prælegerit, verum etiam sanctitatis opinione clarum : unde S.* Cannati *nostri hic mentionem fieri, ac eadem, qua Gennadius, qui sub quinti sæculi finem vixit, ætate vixisse plerique rerum Massiliensium scriptores censent; et quidem non omnino infundate : quandoquidem Cannati alterius, qui in isthac sanctitatis potissimum opinione floruerit, nulla videatur superstes esse memoria. Monent Historiæ litterariæ Franciæ auctores* (*c*) *Gennadium, etsi non ubique temporis ordinem servarit, divisisse tamen, quos recenset, scriptores in tres classes; quarum prima eos, qui a sæculo* IV, *secunda qui ante medium sæculum* V, *tertia denique eos, qui a medio sæculo* V *ad tempus, quo scribebat Gelasius, floruere, memorat a Leone Papa : qua postrema cum Vincentius presbyter, qui sua scripta* Cannato *prælegit, memoretur, et hunc verosimile est sæculo quinto ultra mediam sui partem elapso floruisse.*

floruit :

13 *Non tamen id omnino certum habeo, tum quia* Cannatus *alter a nostro notus esse, tametsi nulla ejus memoria supersit, doctrina et sanctitate*

C *clarus, Gennadio potuit; tum quia non omnes MSS. Codices* Cannatum *memorant. Extat in Bibliotheca Tongerloënsi Codex MS. membraneus geminus, Gennadii illustrium Virorum Catalogum complexus, quorum alter M.* 106, *alter* ✠ *MS.* 202 *notatur : horum neuter* Cannatis *meminit; uterque vero pro* legit *habet* legi. *Post memoratos Vincentii in Psalmos Commentarios ita pergit posterior :* Cujus Operis legi aliqua commenta, promittens simul, si Dominus vitam et vires daret, se in toto Psalterio eodem studio laboraturum; *prior vero sic :* Cujus Operis legi aliqua Sancti Johannis Dei communitati me audiente promittens simul, si Dominus, *etc. An per voces :* Dei communitati, *quæ pro his :* homini Dei *hic leguntur, monasterium S. Victoris, per has vero :* Sancti Johannis *Joannem Cassianum dicti monasterii, adhuc eo, quo scribebat, tempore Massiliæ extantis conditorem intellexit, ac illud incolentibus monachis Vincentii in quosdam Psalmos Commentarios Gennadius ipse prælegit? Dubitari ea de re aliquatenus posse videtur : at cum Codices nostri sæculo* XIII *haud antiquiores videantur, Catalogus vero Gennadii a Martianayo ex Codice vetu-* D *stissimo Corbeiensi sive San-Germanensi ante annos mille conscripto editus sit, nec ullam hunc inter et libros editos, quod alias facit, in Vincentio presbytero lectionem variantem Martianayus assignet, tutius* Cannatis *nomen velut a Gennadio reipsa Vincentiano articulo insertum haberi debere, arbitramur. Cum vero* Cannatem *a Gennadio memoratum a Sancto nostro diversum non fuisse verosimile ex dictis supra admodum sit, hinc S.* Cannatum *sæculo* V, *eoque ultra mediam sui partem provecto, floruisse, pari verisimilitudinis gradu consequitur. Tam S.* Cannatum, *quam S.* Antoninum *ad sæculum* VII *Guesnayus removet; sed hic infra conveniendus est : regredimur interim ad Anonymum.*

fuisse episcopum Massiliensem alii ajunt, alii negant;

14 *Massilienses pastore orbati divinitus, ut ait,* Cannatum *sedem vacuam occupaturum edocentur : spe igitur pleni Massiliensium legati* Cannatum *solitariam in eremo Sauzetana vitam agentem adeunt, multisque urgent, uti ne patriæ suæ infulas recuset : frustra; prius, inquit* Cannatus, *hæc arundo, quam forte gestabat aridam, virescet, quam episcopatum* Cannatus *accipiat. Viret arundo; hinc Dei voluntatem edoctus ille legatorum postulatis annuit, et* officio et benedictione a superiori suscepto ad se- E *dem suam accedit humiliter. Quod de officio et benedictione a superiore accepta ait Anonymus, de collata S.* Cannato *consecratione episcopali dixisse videtur, nempe per Arelatensem archiepiscopum, cui tamquam metropolitano sæculo* V *ultra partem mediam elapso Massiliensis episcopus suberat. At vero, num SS.* Cannatus *et* Antoninus *episcopi fuerint, controvertitur, etsi de illorum apud Massilienses cultu non dubitetur. Episcopatum S.* Cannati *agnoscunt Honoratus Bouche Historiæ Provinciæ lib.* III *ad cap.* IV *calcem; Ruffius in editione secunda anni* 1696 *lib.* X *num.* 19; *Guesnayus in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 621; *Henricus de Belzunce Massiliensis episcopus Historiæ decessorum suorum lib.* III *num.* 6 *et seqq. Gononus in Appendice ad Vitas Patrum Occidentis* (*d*); *Cointius tom. I Annal. eccl. Francorum ad annum* 544 *num.* 39; *Sammarthani Galliæ Christianæ tom. III* (*e*), *quibus adde Saussayum, Castellanum, et Martyrologii Parisiensis auctorem. Negant Claudius Robertus* (*vel saltem* Cannatum *et* Antoninum *inter Massilienses præsules non recenset*) *in Gallia Christiana* (*f*); *Tillemontius Monum. eccl. Nota* 6 *in Hilarium Arelatensem* (*g*), *qui Vitam item S.* Cannati *ab Anonymo scriptam reprobat* (*h*); *et Galliæ Christianæ auctæ scriptores* (*i*).

variantque in epocha

15 *Parum etiam convenit inter episcopatus S.* Cannati *patronos de tempore, quo ecclesiam Massiliensem rexerit. Guesnayus, cum apud Anonymum legeret,* S. Cannatum hæreticæ pestis mortiferas adinventiones *condemnasse, id de Iconoclastarum hæresi interpretatus est : Serenum quippe, quem S.* Cannati *decessorem facit, a Gregorio I reprehensum norat, quod, bono quidem, sed nimio zelo abreptus, Sanctorum imagines, ne a suis diœcesanis adorarentur, confringi jusserat : hinc porro opinatus Guesnayus est, Massilienses saltem partim Iconoclastarum hæresi fuisse contaminatos, cui exstirpandæ S. Sereni successori* Cannato *allaborandum fuerit. Falsus in opinione sua Guesnayus fuit : tantum enim abfuit, ut ea peste infectus populus Massiliensis fuerit, ut e contrario ob id Sereni factum major populi pars ab ejus communione secesserit.* Hæc autem dum in hoc animi tui incaute

motu

(*a*) Mém. pour servir à l'hist. eccl., t. XVI, p. 747. — (*b*) col. 43. — (*c*) Hist. littér. de la Fr., t. II, p. 635. — (*d*) p. 469. — (*e*) p. 644. — (*f*) p. 407. — (*g*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. XV, p. 846. — (*h*) Ibid., t. XVI, p. 13. — (*i*) T. I, col. 635.

A motu exequeris, *inquit Gregorius Lib.* XI *Epist.* 13, ita tuos scandalizasse perhiberis, ut maxima eorum pars a tua se communione suspenderet. *Neque peccarunt Massilienses sacrarum imaginum odio, sed quia harum cultum, quo non oportebat, extenderunt. At odium illud Siciliam infecerat : quid tum? Num id etiam, ut Guesnayus in Sereno scribit, Massiliam usque diffusum fuit? Si quid Anonymo hæresim nullam nominatim exprimenti addere voluit, quidni Prædestinatianam, Pelagianam aut Arianam, aliamve quæ sæculo quinto senescente nondum erat extincta, nominavit? Ut adeo parum fidei Guesnayo, annum* 621 *S.* Cannati *episcopatui assignanti, tribuendum sit.*

episcopatus ejus,

16 *Boucheus sedisse Massiliæ S.* Cannatum *scribit eo, quo Provinciæ pars, Arelatem et Massiliam complexa, Visigothorum fuit, tempore, quod ab anno* 468 *usque ad annum* 511 *extendit; Ruffius, inter annos* 475 *et* 489; *Cointius, ante occupatam a Francis Provinciam, seu, quod eodem recidit, ante annum* 536; *Sammarthani, circa* 480; *Castellanus et Martyrologii Parisiensis auctor, circa annum* 487; *Henricus Massiliensis episcopus, circa annum* 496. *Perinde episcoporum Massiliensium per hæc* B *tempora ordinem variant : successisse Venerio Eustasium ex Gennadio liquet; Eustasio porro Græcum, a Sidonio Apollinari laudatum, et inter Concilii Arelatensis, Eurici Visigothorum regis tempore celebrati, Patres in Epistola Lucidi presbyteri apud Labbe* (*a*) *numeratum, idem Sidonius lib.* VII *Epist.* 7 *indubitatum facit; exinde vero abeunt in diversa. Græcum apud Ruffium excipiunt* Cannatus, *Sabinianus, S. Honoratus, S. Antoninus, Theodorus. Eumdem ordinem Sammarthani servant. Henricus de Belzunce Græco proxime subjungit Salvianum ab anno* 492, *S. Honoratum ab anno* 494, *S.* Cannatum *circa annum* 496, *Gennadium circa annum* 499, *Dalmatium sub sæculi* VI *principium. Ex horum itaque auctorum discrepantibus opinionibus id solum colligi late potest, Massiliensi ecclesiæ præfuisse* Cannatum *sub sæculi* V *finem : sed an vere episcopum fuisse dicunt?*

quamquam nec is

17 *Dubitari haud posse de S.* Cannati *episcopatu contendit illustrissimus Belzuncius imprimis, quod ita habeat Massiliensis ecclesiæ traditio constans a tempore immemorabili; dein, quod festum ejus in diœcesi Massiliensi celebratum fuerit saltem ut confessoris episcopi; tertio, quod episcopus appelletur in* C *Breviariis antiquis æque ac novis; denique, quod in Actis, quæ quidem ejus meminerint, antiquissimis, cujusmodi sunt instrumenta olim, cum sacræ ejus Reliquiæ visitatæ translatæque fuerunt, confecta, eodem titulo gaudeat. Instrumentum translationis anno* 1122 *per Raymundum episcopum Massiliensem, sive hujus nominis, ut vult Ruffius, primum, sive, ut Henrico præplacet, secundum, factæ habes supra num.* 4; *idque eorum, quæ quidem Henricus viderit, vetustissimum videtur. Ex Breviariis vero Massiliensibus non citat antiquius eo, quod Lugduni typis Dionysii de Bursy anno* 1526 *prodiit. Quod si Gennadius, qui ex Catalogo illustrium Virorum apud Martianayum cap.* XCIX *et seq. Gelasio Papæ, anno* 492 *Romanæ Cathedræ admoto, synchronus fuit,* Cannati *quidem, sed episcopatus ejus nullam mentionem facit, id Henricum episcopum non ferit, ut qui propterea S.* Cannatum *versus annum* 496, *quo vivere Gelasius desiit, et Gennadius Catalogum suum jam ante absolverat, post Honoratum Massiliensem sedem adiisse scribit.*

18 *Absit a nobis, ut ecclesiarum, etiam particularium, traditiones, maxime si constantes fuerint atque perpetuæ, contemptui habeamus : attamen hujusmodi mihi non videtur esse Massiliensium de S.* Cannati *episcopatu Massiliensi traditio. Galliæ Christianæ auctæ scriptores, ut dictum supra, negati a se S.* Antonini *episcopatus hanc rationem reddunt :* Non minus hallucinantur, *inquiunt,* qui S. Antoninum, cujus reliquiæ in ecclesia Majori asservantur, docent fuisse episcopum Massiliensem. Ipsa inscriptio, quam Ruffius dicit legi in petra, quæ tegebat calvariam S. Cannati et S. Antonini reliquias (*habes illam num.* 4), satis probat eum numquam pro episcopo esse habitum. Nam si fuisset Massiliensis episcopus, haud dubie episcopi titulo in inscriptione insigniretur; *quibus quoad* S. Antoninum *lubens subscribit Henricus episcopus. Verum de* S. Cannato *quoque eodem modo loquuntur :* Eadem ratio militat, *inquiunt,* adversus episcopatum S. Cannati a nobis supra rejectum; *cum hujus perinde atque illius episcopatum laudata inscriptio taceat. Esto id, inquiet Henricus, cæterique episcopatus* S. Cannati *patroni, alia S.* Antonini *est ratio : instrumenta enim translationum Reliquiarum eorumdem Sanctorum annis* 1122 *et* 1277 *factarum, quæ scriptores Galliæ Christianæ laudati non videre,* E *S.* Cannato *quidem episcopi Massiliensis dignitatem dilucidis verbis adscribunt; secus autem* S. Antonino : *unde efficitur, hujus episcopatum id temporis adhuc fuisse ignotum,* S. Cannati *autem contra probe notum.*

extra controversiam

D

positus sit :

19 *Sic quidem difficultati propositæ obviam iri quadamtenus potest; at non plane exhauritur : fas enim est dubitare, num sæculis quintum inter et duodecimum mediis cognitus a Massiliensibus* S. Cannati *episcopatus fuerit. Si* S. Antoninus *coli tamquam episcopus sæculo demum decimo sexto, licet numquam, ut recte Henricus Dissert.* XV *ad calcem tomi III videtur tradere, Massiliensem sedem occuparit, quidni sæculo, quo* S. Cannati *Acta forte conscripta fuere, duodecimo oriri falsa de ejus episcopatu opinio potuit? Quod si sæculi duodecimi et sequentium monumentis accedere quis dixerit traditionem constantem atque perpetuam, nec sic multum effecerit; cum et hujus perpetuitas vocari saltem in dubium possit non absque ratione, quam S.* Cannati *episcopatum tuentibus pensitandam relinquo. Est autem hæc : anno* 1653 *inventum est cranium S.* Cannati *et quædam S.* Antonini *Reliquiæ sub ara majori* F *ecclesiæ cathedralis Massiliensis seorsim positæ : qui has tegebat lapis inscriptionem* (*num.* 4 *datam*), *in qua nulla episcopatus sive S.* Cannati *sive S.* Antonini *est mentio, habebat insculptam; neque est, cur hac in re fidem Ruffio denegem. Cranium vero S.* Cannati, *et reliquæ in inscriptione memoratæ Reliquiæ, a cætero S.* Cannati *et S.* Antonini *corpore separatæ, seorsim positæ sub altari majori neque anno* 1122 *neque* 1277 *fuere. Relege confecta de his instrumenta supra numm.* 4 *et* 6 *exhibita : perspicies inde quidem, reliquas corporis S.* Cannati *Reliquias cistis inclusas servari una cum aliorum Sanctorum Reliquiis consuevisse, cum iisque fuisse translatas : at de cranio S.* Cannati *altum ubique silentium : imo anno* 1277 *erant* corpora S. Cannati Massiliensis episcopi (*ut confecti eo anno instrumenti verbis utar*) et S. Antonini in uno sacculo ita commixta et conjuncta, quod discerni non poterant ullo modo : *has item Reliquias inter se ita confusas reperit anno* 1444 *Bartholomæus Massiliensis episcopus, reperit anno* 1743 *ipse Belzuncius. Cum itaque nulla uspiam cranii S.* Cannati *ab his aliisve episcopis separatim positi*

(*a*) T. IV. Conc., col. 1044.

fiat

AUCTORE J. B.

A *fiat mentio, jam ante reliquarum SS.* Cannati *et* Antonini *Reliquiarum anni* 1122 *translationem S.* Cannati *cranium seorsim altari majori ecclesiæ cathedralis non modo inclusum, sed incisa etiam lapidi, illud tegenti, fuerit supra memorata inscriptio; quæ cum neutri Sancto dignitatem episcopalem adscribat, ac anno* 1122 *ex dictis videatur antiquior, dubium enimvero fit, num S.* Cannatus *pro episcopo habitus a Massiliensibus fuerit sæculis inter quintum ac duodecimum mediis; dubia item fit Massiliensium de episcopatu S.* Cannati *traditionis perpetuitas.*

unde dubia sunt

20 *Quod cum ita sit, in dubium pariter veniunt, quæcumque Anonymus S.* Cannati *episcopatui superstruit; ut sunt arundinis aridæ in ejus manu revirescentis miraculum, donatio loci, in quo S.* Cannatus *vitam solitariam egerat, S.* Cannato *ejusque in Massiliensi sede successoribus episcopis a rege seu præfecto Aquensi facta, Massiliensis civitas ab ipso muris munita, temploque, quod e ruinis dicitur excitasse, exornata. Sauzetum seu oppidum S.* Cannati *jam olim quidem Massiliensibus episcopis in utroque foro paruisse, ex dictis num.* 3 *liquet; at quando parere iis cœperit, quove pacto cesserit, fateor me nescire. Creditu quidem facile est, exstitisse saltem olim dona-*

B *tionis factæ instrumenta; at S.* Cannati *ætate confecta, aut abs Anonymo visa esse non reor : meminit ille horum quidem; forsitan quod ita fieri debuisse censuerit, vel ita factum S.* Cannati *ætate fuisse ex infida sæpe vulgi traditione didicerit. Neque Breviarium Massiliense, ex quo Gononus, neque id, ex quo Belzuncius S.* Cannati *Vitam deprompsere, neque Officia ecclesiæ Massiliensis Propria anni* 1662 *donationis hujus meminerunt; an quia ejus fidem illorum auctores vacillare crediderunt aut suspicati sunt, ac prudenter propterea omittendam censuerunt?*

pleraque, quæ de illo

21 *Quo anno S.* Cannatus *in terris vivere desierit, Anonymus tacet, natalem ejus in cœlo diem* XV *Octobris assignasse contentus : at cum supra dictum sit ex Gennadio, floruisse illum probabilius sæculo* V *ultra mediam sui partem elapso, reliquum est, ut, quoniam nihil nobis suppetit, unde annum ejus emortualem propius definiamus, hanc cum æterna vita vel sub sæculi* VI *exordium vel* V *exitum commutasse dicamus; et quidem in sæculi* V *finem magis inclinamur. Gennadius enim in Catalogo Virorum illustrium, si quando de scriptore, de cujus morte nihildum inaudierat, scribit, superstitem eum adhuc fuisse, cum*

C *Catalogum suum conscriberet, monere lectorem passim solet; de Salviano presbytero Massiliensi agens apud Martianayum cap.* LXIX *ait :* Vivit usque hodie in senectute bona : *idem facit in Timotheo episcopo Alexandrino cap.* LXXIV; *in Samuele presbytero Edesseno cap.* LXXXIV; *in Joanne presbytero Antiocheno cap.* XCIV; *in Eugenio episcopo Carthaginensi cap.* XCVII; *denique in Honorato Massiliensi episcopo cap.* IC; (*si tamen hoc caput Gennadii est*) *id satis prodit, laudatum caput hisce verbis absolvens :* Litanias ad supplicandam Dei clementiam plebe sibi credita pro viribus agit. *Cum vero nihil hujusmodi faciat cap.* LXXXII *in Vincentio, presbytero Gallo, jam annis aliquot prius, quam ista Gennadius scriberet, non solum Vincentium, sed etiam* Cannatem, *cui, tamquam, ut apparet, seniori aut æquali, lucubrationes suas, Gennadio audiente, prælegit, in vivis esse desiisse, mihi apparet valde credibile; si Cannatem, de quo Gennadius, eumdem ac S.* Cannatum, *de quo nos, esse posueris; qua de re num.* 13 *dicta consule.*

referuntur;

22 *Obiit autem S.* Cannatus, *referente Anonymo, in eadem, quam ante episcopatum incoluerat, Sauzetana solitudine. Quid episcopo cum solitudine, quam* D *reliquerat? Num forte vale infulis Massiliensibus dixit? Non fit verisimile. Suosne illic invisentem insperatus morbus e vivis abstulit? Sed neque locum aut illi fuisse donatum, aut illum ex tunc in oppidum excrevisse, ullatenus certum est. Magis putem* Cannatum, *hominem doctrina et sanctimonia celebrem, Massiliæ versari solitum, seu temporis iniquitate seu mundani strepitus odio in solitudinem Sauzetanam sese subduxisse, in eaque, procul ab omni dignitate mente animoque remotum, vitam sanctam sancto fine terminasse; quamquam et hæc incertis pariter annumeranda esse non inficiar. Frequentari deinde locus, S.* Cannati *incolatu ac miraculis forte celeber, cœptus, auctusque paulatim, ut fere fieri consuevit, in castri oppidive speciem fuerit : unde postmodum, licet, quo tempore, nesciam, Massiliam, forte etiam Sancti patriam, translatus fuerit. Certe hæc non admodum repugnant iis, quæ de S.* Cannato *ex Gennadio, qui ex antiquis scriptoribus solus illius forte meminit, dicta sunt supra. Translatas ex oppido S.* Cannati *ejus Massiliam Reliquias fuisse, Anonymus tradit, et quidem mox a Sancti obitu, quod postremum, utrumne ex vero dictum sit, an non, si* E *quis dubitet, piaculi certe non arguam. Pauca igitur de S.* Cannato, *excepto cultu sacro, quæ quidem aut certa sint aut ad certitudinem accedant, habemus; pauciora vero de S.* Antonino.

magis vero quæ de S. Antonino.

23 *Neque enim cujas fuerit, ubi commoratus fuerit, quid rerum gesserit, uspiam reperi : servatas honoratasque jam olim Massiliæ fuisse ejus reliquias ex dictis supra satis equidem liquet : sed num aliunde eo, et quo tempore allatæ fuerint, rerum Massiliensium, quos vidi, scriptores non edicunt. Martyrologii Parisiensis recentioris auctor post Castellanum et Guesnayum ex oppido S.* Cannati, *ubi primum sepultus fuerit, Massiliam translatum scribit; quod si vere dicitur, non absimile vero est, eumdem locum, quem* Cannatus, *virtutibus suis, cum in vivis ageret, illustrasse S.* Antoninum : *at, e quo fonte id haustum sit, laudati auctores haud produnt, neque mihi aliunde compertum est. Quid vero de ætate, qua floruit, dicam? Boucheus lib.* III *ad calcem cap.* IV *S.* Cannato, *S. Quinidio Vasionensi, S. Æonio Arelatensi episcopis et Gennadio æqualem aut supparem facit. S. Quinidius subscripsit Concilio Parisiensi* IV *anno* 572; *Artemius vero, Quinidii successor, Concilio Matisconensi* I *anno* 581; *Æonius, S. Cæsarii decessor, obiit anno* 302, *uti ad diem* XXX *Augusti* F *in Opere nostro ostensum est : unde hi temporum characteres nimium disparati sunt, quam ut definite de S.* Antonini *ætate statui quidquam possit. Obiisse illum versus annum* 880 *Castellanus notat : cur ita censeat nec ipse declarat. Sedisse eum anno* 647 *Guesnayus sæpe laudatus scribit, ut* Cannati, *sic et* Antonini *ætatem nimium differens. Cointius tempore Theudis Visigothorum regis, quem ab anno* 531 *usque ad* 547 *regnasse ad annum* 518 *num.* 15 *tradit. Sunt item Massiliensium episcoporum Catalogi, a Belzuncio* (*a*) *citati, in quibus a S. Mauronto locum habet. Ex his incertam esse liquet S.* Antonini *ætatem : quapropter sæculum* V *principio hujus Comment. adscriptum ad solum S.* Cannatum *refero. Quod ad ejus episcopatum attinet, magis hic incertus est, quam S.* Cannati *ex dictis supra. Hujus tempore, ut Ruffius scribit, S Laurianus episcopus martyr Massilia transiens mortuum suscitavit; at nihil de S.* Antonino *legitur in ejus archiepiscopi Vita ad diem* IV *Julii apud nos excusa et a Sollerio illustrata.*

(*a*) Hist. des év. de Marseille, t. III, p. 550.

A

VITA

Ex vetere manuscripto.

S. Cannatus *Aquis Sextiis regio genere ortus,*

Beatissimus Cannatus illustrissimis natalibus ortus fuit. Regis enim Acquensis *a* fuit filius et reginæ. Siquidem qui modo comes Provinciæ *b* appellatur, rex Acquensis antiquitus dicebatur : tantam ergo nobilitatis lineam felix Cannatus moribus extulit, virtutibus sublimavit. Cœpit namque puer bonæ indolis esse, utpote qui a Deo sortitus bonam animam, et in tenera ætate cor gerebat senile. Ut præsagium nominis sui interpretatione verissima ostenderet se implere. Cannatus quippe ethimologice vertitur : cannatus, id est, sapiens natus juxta quod dicit Sapiens in Sapientia : « Senectus venerabilis est » non diuturna neque annorum numero compu- B » tata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas » senectutis vita immaculata. » *c* Non enim vacabat, ut assolet ætas illa, lasciviis, sed scientiis et præcipue sacris Theologiæ litteris animum docilem imbuebat : nobiles affluentias contemnebat : felicitatem appetebat : mentem sanctam virtutum exerciciis illustrabat, justitiæ cultor, servator honesti, pudicitiæ eximius zelator cam laicis commendabat et clericis doctrinis pariter et exemplis. Implebatur in eo sententia spiritus sancti in libro Sapientiæ, qua dicitur : « O quam pulchra est casta generatio » cum claritate! Immortalis est enim memoria » illius. » *d*

aulæ paternæ

2 Sed quoniam in paterna regia domo B. Viro de laude hominum periculum imminebat; præcipue cum legisset : « Egredere de terra tua et de domo » patris tui : » *e* et in Euangelio : « Qui non odit » patrem et matrem et uxorem et filios et fratres et » sorores, non potest meus esse discipulus » *f* et ibidem : « Qui non abrenunciaverit omnibus quæ » possidet, non potest meus esse discipulus » *g* nolo, inquit, nec appeto, sed contemno exhibitiones reverentiæ superfluas famulorum, nec superstitiosis honoribus agitari, nec adulatorum laudibus aures C dare. Laudes cavebo et spectacula sacrilega hystrionum. Laus mea sit in cœlis, ubi regnat turba fidelis. *h* Repente igitur Vir beatus ductus est a spiritu in desertum, regnum mundi et omnem ornatum sæculi digno gerens contemptui propter amorem Domini Jesu Christi : ipsius quippe solus castis amplexibus adhærebat, ipsi soli toto corde et tota anima serviebat. Erat autem desertum quondam, quod dicitur de Sauseto, *i* distans quinque aut sex fere milliariis a sede paterna, Acquensi scilicet civitate. *k* Siquidem locus amœnus et decorus arborum multitudine consitus diversarum. Nam salices ripis, robora monte virent, in limibus (*lege* illimibus) fontibus irrigatus, terra pratis vestita virentibus. Locum aptum cœlestibus studiis præferebat.

Sauzeti solitudinem præfert, incolitque,

3 Quo perveniens B. Cannatus suo exitu de Ægypto sæpius recolebat, quod Salvator noster, cum cognovisset, quod venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem « fugit in montem ipse solus »; *l* quapropter exultabat uberius sibi datum divinitus Dei Filium imitari, ut regnum fugeret, quod sibi ex successione congruebat. *m* Subiit itaque præfatum locum gratias agens in hymnis et confessionibus Dominum benedicens. Mira res! Quis umquam audivit talia? Filius regis factus est solitarius, factus est eremita. O stupenda et sic gratuita divina electio, qua a regio solio, arce summa regis, trahit ad humillimum mundi statum! Ecce, qui nutriebatur in croceis, nunc herbis et radicibus est contentus; quæ prius nolebat tangere anima ejus, nunc præ angustia loci, non animi, cibi illius sunt; huic latices haustum præbent, cui prius condita pocula nobilium asseclæ filii ministrabant. En solus habitat, quem supplex famulorum ordo et militum ambiebat. En vestes frondes sunt et capa *n* cœli, cujus parentes trabeatis et purpureis utebantur. Nondum ergo calcatus sub pedibus Servus Dei totum se in contemplationis studium colligebat, videbanturque ei dies pauci præ amoris magnitudine, quibus speciosæ Rachelis jucundissimis amplexibus fruebatur. Habitaculum Deo gratissimum in cordis hospitio fecerat, et in terra stans cœli altitudinem attingebat : nam ejus conversatio in cœlis erat. Degens itaque in tanta altitudine invictum a Dei servitio spiritum non relaxabat.

EX VETERE MS.

D

n

donec Massiliensem sedem,

4 Non permisit autem divina dispositio, quæ sibi cum elegerat ad majora, lucernam accensam amplius abscondi sub modio, sed fecit eligi cum et superponi E candelabro ecclesiasticæ dignitatis, quem elegerat a constitutione mundi, ut esset sanctus et immaculatus in castitate coram ipso. Interea nempe Massiliensis ecclesia suo orbata pastore Dominum gemitibus exorabat, quatenus sibi præsulem sanctum concedere dignaretur, qui in doctrina sana commissum gregem uberrimis pascuis enutriret, exemplis ad cœlestia elevaret, orationibus protegeret, et beneficiis confoveret. Etenim per bonum antistitem pax et disciplina est populis, quies monasteriis, norma clericis, et divino cultui continuum incrementum : nec est ramus, qui beneficium non sentiat vel recipiat, si virtus ingens a radice emanavit. Quia vero omnis, qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, cum petit pro se pie, salubriter et constanter, non est fraudata a desiderio suo, imo prece mansueta et humili exaudita. Siquidem Dominus J. C. ejus auriculæ revelavit, quod regis filius Cannatus, illustris tam sanctitate, quam stemmate generis celebris et famosus, esset Massiliensis episcopus, pater patriæ ac patronus. Dantur ergo laudes Dei Filio J. C. et absque mora legati sollicite eliguntur, qui Sanctum Pontificem, munus Dei, et diligentius quærant, et quæsitum irrefragabilibus rationibus inducant onus F suscipere non a se impositum, sed a Deo, et inductum affectuosius adducant sanctæ matri ecclesiæ cum multo desiderio præstolanti.

licet ægre, nec sine miraculo adiit;

5 Profecti itaque nuncii electi Dei Famulum indagantes citius repererunt. Voluntas quippe Dei fuit, ut occurreret cito, quem volebant; ad cujus genua provoluti cunctorum per ordinem denunciant veritatem et revelationem Domini J. C. et cleri gaudium et applausum populi universi. At vero beatus Cannatus, sicut erat humillimus, pontificatus recusat onera pariter et honorem, asserens se prorsus inutilem et indignum : quem tu, Domine, in hanc excellentiam componebas, ut similem tibi faceres, eumque, qui se in tantum humiliat, sublimius exaltares. Nam cum illi, qui venerant, importune et oportune instarent, rationibus plurimis ostendentes, hoc ipsum ingentis humilitatis indicium, si episcopatum Massiliensis ecclesiæ regis filius suscipere dignaretur; respondit eis : Nolite, fratres, obsecro, amplius me gravare : dico vobis et assero in nomine Domini mei, quod prius hæc arundo arida, quam videtis, virescet germinans, folia emittendo, quam Cannatus episcopatum, quem offertis, (recipiat.) Siquidem cannam

EX VETERE MS.

manu gestabat, qua corpus attenuatum jejuniis et
A abstinentia sustentabat. Illico postquam verbum protulerat servus Dei, arundo sicca integre revirescit, frondes emittit, et folia germinavit, manifeste declarans divinam electionem et electi Pontificis sanctitatem. Quapropter cum vidissent legati quod fecerat signum, admirantes inclinaverunt se, et adoraverunt Deum dicentes : Benedictus Deus Pater Domini nostri J. C., qui non abstulit misericordiam et veritatem suam ab ecclesia sua et recto itinere nos perduxit. Cannatus, qui vocabatur a Deo tamquam Aaron, suspirans ait : Ex quo a Domino egressus est sermo, non possum extra ejus placitum quicquam loqui et sibi me tota devotione committo, ut quod meis meritis non potero, ejus mihi pura bonitate donetur, et oratione facta, officio et benedictione a superiori suscepto, ad sedem suam accedit humiliter Pastor bonus. *o* Ingrediente illo suam
o civitatem Massiliensibus nova lux oriri visa est.
* *an* ortum? Gaudium hortor * atque tripudium.

qua præclare administrata,

6 De loco vero, in quo S. Cannatus heremiticam vitam duxit, ab Acquensi rege concessum est et sancitum, ut in memoriam beati Cannati et præconium celebre et honorem ab omnibus suis successo-
B ribus episcopis cum toto ejusdem loci territorio et districtu libere haberetur, ad perpetuam etiam firmitatem cautionibus et chyrographis vallatum
p (penitus) tradidit possidendum *p* : ad quem locum quamplures Provincialium accedentes oppidum construxerunt, quod adhuc hodie S. Cannatus dicitur de Sauseto. S. ergo Cannatus subditorum curam sollicitus adimplebat, jam præsul factus Domini vigilavit
q in actus, *q* velut cœlum novum sapientiæ et doctrinæ radiantissimis luminaribus præfulgebat, speciale specimen et exemplar religionis et sanctitatis se omnibus exhibebat, et ut omnes lucrifaceret, omnibus communis erat, turris Davidicæ mœnia restauravit et hæreticæ pestis mortiferas adinventiones
r condemnavit. *r* Ipse civitatem suam munivit et templi diruta resarcivit in tantum, ut vox exultationis diceretur : « Hæccine est urbs perfecti deco-
s » ris, gaudium universæ terræ? *s* » Die noctuque Euangelium J. C. mente gerebat et opere exercebat : totum enim se dederat fidei ortodoxæ et præceptis Dominicis et institutis Spiritus Sancti et ecclesiasticis prædicandis, in opera pietatis fervens et hilaris quotidie peragebat, et proprias facultates pauperibus Christi dividebat. Pontificatus sui diebus
C pacem dedit ecclesiis, clericis disciplinam et Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut semper erat ejus studium et ubique divini cultus lacrymam non solum solliciteque observare, verum etiam continuis successibus ampliare. Et licet cunctis polleret virtutibus, præcipue ipsum humilitas amari ab omnibus faciebat : nam quanto generosior, tanto humilior, ab omnibus honoratus, honorem debitum omnibus exhibebat. Orationibus et sacris lectionibus vacans, sic aliis fideliter intendebat, quod sacræ domui suæ optime providebat. De cordis hospitio xenodochium fecerat, et viscera misericordiæ alicui claudere nesciebat.

Sauzeti moritur, ac Massiliam refertur.

7 Sic et plenus fide et plenus operibus bonis cursum consummavit, fidem servavit, et juxta sententiam beati Job, quia audire dilexit et observavit,
t complevit dies suos in bono, et annos in gloria. *t* Signis enim et virtutibus clarus idibus Octobris
u obdormivit *u* apud S. Cannatum de Sauseto in Domino J. C., in quo quidem sitivit. . . . . gustat æternum stola una decoratus de reliqua est securus. Ipsum quippe Dei Filius cum servis fidelibus salutavit disponens ei regnum sicut disposuit sibi Pater. Post felicem transitum Ducis Sancti divina non defuere miracula, Viri justi clamantia D Sanctitatem. Nam cum ejus obitus sacrosanctus civibus fuisset Massiliensibus nunciatus, paraverunt, ut cum honore debito beatas reliquias tanti Patris ad sedem suam devotissime transmutarent et totam urbem Massiliensem tam sancto corpore dedicarent. Cum igitur ad S. Cannati oppidum pervenissent et sumsissent glebam beati corporis transferendam, facta est subito incomparabilis immutatio aeris magna nimis. Cœli namque facies condensis nubibus operitur, et terræ non solum superficies inundatione imbrium irrigatur, verum etiam et profundum. Quapropter conturbati et perterriti, qui aderant, universi servum Christi Cannatum invocant; ut eos ducat et deferat, qui ejus corpus sanctissimum deferebant. Mira res et omni tempore referenda ad honorem Domini J. C. et hujus præclarissimi Confessoris! Inceptum iter totum perficiunt a dextris et a sinistris ubique inundante pluvia; super ipsis vero et super sanctis reliquiis per totam viam nulla gutta pluviæ distillavit. Imitemur, Fratres, quem laudamus.

ANNOTATA. E

a Reges Acquenses *nulli fuere : fuerit fortasse ejus pater aut Provinciæ aut civitati Acquensi gubernandæ præfectus. Sub sæculi quinti sextique confinium, quo circiter tempore S.* Cannatus *floruit, Provincia partim Burgundionum, partim Visigothorum regibus suberat. Vide Boucheum Hist. Provinciæ lib.* III.

b *Nec, cum scribebat is Anonymus, recens nata ea* comitum Provinciæ *appellatio verosimiliter fuerat : primus autem Provinciæ comes passim audit Bozo, qui sæculo* X *fuit; hinc porro, cum de Provinciæ comitibus, qui jure proprio ac perpetuo Provinciam possidebant, hic sermo fieri videatur, consequitur Anonymum longiore temporis intervallo a S.* Cannati *ætate fuisse remotum, quam ut, antiquitatis nomine, indubiam sibi vindicet lectoris fidem.*

c *Sap.* 4 ℣. 8 *et* 9.

d *Ibidem* ℣. 1.

e *Gen.* 12 ℣. 1.

f *Luc.* 14 ℣. 26.

g *Ibid.* ℣. 33.

h *Leonini versus, qualem exhibere hic Anonymus voluit, forte ante sæculum* XII *in usu non fuere.* [*Cfr annotationem num.* 8 *Commentarii subjectam.*] F

i *Nunc oppidum ibi visitur S.* Cannati *dictum.* [*In hodierna Archidiœcesi Aquensi, in Præfectura Ostiis Rhodani* (*Dépt. des Bouches-du-Rhône*), *cujus caput Massilia.*]

k *Gallice* Aix *dicitur, estque civitas archiepiscopalis et Provinciæ* [*olim fuit*] *metropolis.*

l *Joan.* 6 ℣. 15.

m *Vide litt. a : sive unicus, sive major natu filius parenti fuerit, regnum, quod nullum patri erat, hæreditate consequi non poterat; imo neque jure proprietatis paternum officium.*

n Capa *vestis est totum hominem ambiens.*

o *Num S.* Cannatus *Massiliensis fuerit episcopus valde incertum est : unde nutat etiam miraculi, quod præmittitur, fides.*

p *Oppidum istud tam spirituali, quam temporali episcopi Massiliensis jurisdictioni jam olim paruisse ex dictis num.* 3 *Commentarii satis liquet : at ex quo tempore et quo pacto acquisitum fuerit nullus dixero : vidisse non credo Anonymum, de quibus loquitur, cautiones et chirographa.*

q *Vide quæ de versibus Leoninis notata sunt supra litt. h.*

r Scilicet

A r Scilicet iconoclastarum *addit de suo Guesnayus in Annalib. ecclesiasticis ad annum* 621 : *serpsisse Massiliæ ea ætate hanc hæresim, ut ut ei favere visus sit Serenus Massiliensis episcopus, ex Gregorii I ad illum Epistola non colligitur : vixisse autem tum temporis S.* Cannatum *Guesnayus neque probavit, neque probando fuit. Verosimilius est Anonymum hic hæresim Arianam, qua Visigothi infecti erant, indicare voluisse.*

s *Thren.* 2 ℣. 15; *sed sensu plane opposito : hic de Hierosolyma eversa, Anonymo de Massilia instaurata est sermo.*

t *Job.* 36 ℣. 11.

u *Sub finem forte sæculi* v.

EX VETERE MS. D

DE S. AURELIA VIRGINE

ARGENTORATI IN ALSATIA.

SYLLOGE.

J. B.

B **S. Aureliæ in Fastis sacris memoria, Acta qualiacumque, cultus sacer, et ab homonyma Ratisponensi distinctio.** E

SÆC. IV VEL V. *Sanctæ apud Martyrologos*

Argentoratum, seu Argentina, vernacule Straszburg, *Alsatiæ caput et episcopalis sub Moguntina metropoli ad Rhenum civitas nobis hodie S.* Aureliam *suppeditat, ut quæ illic mortales exuvias deposuerit, et prodigiis, ut infra dicetur, inclaruerit, et cultum sacrum a multis retro temporibus fuerit consecuta. Martyrologium quod ejus meminerit, nullum vetustius eo reperi, quod Augustæ Vindelicorum edidit Matthias Fredericus Beckius anno* 1687, *jam tum, ut ait, ab annis septingentis scriptum; sed nudum dumtaxat S. Virginis nomen hoc modo refert :* Idus Octob. Aureliæ Virg. [*Antiquioris Beckiano Martyrologii mentionem facit Schoepflinus* (*a*) : Aureliæ, *inquit,* Virginis cujusdam Argentoratenses ab antiquo coluerunt memoriam, quod Martyrologium illud Argentinense, sæculo VIII vel IX in ecclesiarum Alsaticarum usus conscriptum, demonstrat, ubi ad Idus Octobris legitur : « S. Aureliæ Virginis » scilicet memoria : C nec dubium quin templum Aurelianum ab hac nomen acceperit.] *Frequentior ejus fit apud martyrologos recentiores mentio : locum addit Martyrologium Romanum hodiernum his verbis :* Argentorati Sanctæ Aureliæ Virginis. *Verbis iisdem utitur Molanus apud Sollerium in Auctariis ad Usuardum, si loci, quem* Argentinam *appellat, nomen excipias. Notitiam paulo uberiorem Sanctæ præbet Lubeco-Coloniensis Usuardi editio,* In Argentina, *inquiens,* natale Sanctæ Aureliæ Virginis, quæ fuit una de undecim millibus Virginum et in reditu de Roma infirmata ibidem obiit. *His similia legas apud Grevenum : similia item in Martyrologio Germanico, Canisii dicto; et in Florario nostro MS. Plura alia missa facio, quod nihil de Sancta nostra, præter jam adducta, peculiare suppeditent.*

mentio, 2 *At vero præteriri silentio nequit Martyrologium Parisiense, Card. de Noailles Parisiensis archiepiscopi auctoritate anno hujus sæculi* [*scil.* XVIII] *supra vigesimum septimo editum, quod ad hunc diem de S. Aurelia hæc speciatim memorat :* Argentorati, Sanctæ Aureliæ Virginis, in cujus honorem extructum antiquitus oratorium, ejusque consecratum reliquiis, Sanctus Columbanus in Alemanniam veniens, apud Brigantium invenit, et altare, quod a barbaris profanatum fuerat, renovavit. *Singularia plane, sed non æque vera, quæ ad hunc diem in Martyrologio suo Hispano de S.* Aurelia *ex pseudo-Juliano Tamayus profert : audiatur :* Argentorati in Germania, *inquit, S.* Aureliæ Virginis et Martyris (*refragatur huic martyrio quidquid alibi martyrologorum scriptorumque est*), B. Agathopæi, Augusti liberti, ex Gallæcia Hispaniæ oriundi filiæ, quæ ab Apostolo Jacobo Hispaniarum magistro cum patre et sorore ad fidem conversa, fidei regulas viriliter est amplexa, pro quarum observantia ad martyrii coronam accessit. *Agathopæo scilicet, uti in Annotatis Tamayus addit, Martyri Antiocheno duæ fuerunt ejusdem nominis filiæ, quarum altera Anagniæ in Italia, altera Argentorati in Germania martyrii coronam meruere. Commentitia Juliani, archipresbyteri Toletani, adversaria jam sæpe explosa sunt, quæque hoc loci Tamayus inde affert abunde refutata habet lector a Suiskeno* (*b*) *ad diem* XXV *Septembris, ubi de S. Aurelia Anagniæ culta; ita ut pluribus de his disceptare non sit operæ pretium.* F

Actaque 3 *Consonant Usuardo Lubeco-Coloniensi, Martyrologio Germanico et Florario nostro MS. supra citatis, ac S. Ursulæ sodalitio S.* Aureliam *adscribentibus, qualiacumque hujus Acta Breviario Argentinensi, anno* 1489 *Joannis Reynaldi* (*alias Grunynger*) *impensis edito, inserta* (*c*), *quæ, licet ex traditione incolarum potius, quam ex indubitatis antiquitatis testimoniis profecta, nec sæculo* XIII *antiquiora, inde lectori hic sistimus : ita habent :* Lect. I. Tempore cum per divinam ordinationem beatissima Ursula cum suo comitatu a civitate Romana ascensis navibus per decursum Reni redire disposuisset, sicut plenius in Gestis ejus continetur, Aurelia Virgo illustrissima, quæ in prædictæ Sanctæ Virginis comitatu extiterat, divina favente gratia, in aqua, quæ Caltahe (*Kaltau Rheni brachium*) vocatur, febre arrepta et in locum extra muros civitatis Argenti-

(*a*) Alsat. Illustr., t. I, p. 341. — (*b*) T. VII. Septemb., p. 141. — (*c*) fol. 476.

nensis,

AUCTORE J. B.

nensis, ubi nunc requiescit, deducta, spiritum exa-
A lavit, ubi præstantur beneficia Dei omnibus ipsam sincera fide colentibus. II. Fertur namque de ipsa inter cætera, quod cum quondam rex Philippus nimio invidiæ zelo accensus civitatem Argentinensem obsideret, quidam tyrannus criptam Sanctæ Aureliæ introivit, asserens ibidem esse thesaurum absconditum; et statim cum percussisset instrumentum ad aperiendum sarcophagum, spiritus malignus intravit in ipsum, et dentibus propriis manus et pedes comedendo vitam finivit. III. Qui cum sepultus fuisset in cimiterio, iterum et tertio corpus ejus inventum est inhumatum, jacens super terram, clauso sepulcro : ut impleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam David : Misit de cœlo et liberavit me. Dedit in opprobrium conculcantes me. IV. Quod videntes ejusdem ecclesiæ fideles funem trunco imposuerunt, et in aquam non longe a loco fluentem traxerunt, et abire permiserunt, thuribulo sibi apposito, impleto stercore equino. Et omnis plebs, quæ vidit, dedit laudem Deo, qui nos ejusdem Sanctæ Aureliæ Virginis intervenientibus precibus et meritis perducat ad portum perpetuæ salutis.

ex Breviario Argentinensi

B 4 v. Sequitur quadam die prædictæ festivitatis signum mirabile, imo potius lamentabile. Promiscui sexus homines civitatis Argentinensis pro parvo habentes festum Aureliæ, exeuntes de civitate pro limo ferendo, qui multus apud ecclesiam ruÍam est. VI. Venerunt itaque ad quamdam fossam ibidem sitam, excultamque, quam cum more solito fodere cœpissent, in momento virgines XXIII ibidem oppressæ et conclusæ sunt. Quod nullus sanæ mentis ambigit, quin ad hoc factum sit, ut comprobaret Dominus, qui in Sanctis suis digne laudari voluit et vult, quanti meriti, quantæque præmemoratum festum coram eo et Sanctis suis Angelis in cœlis existat, et nos et nostros sequaces perhenni donatione (*legendum credo* devotione) venerari oporteat. *Philippus rex, cujus mentio fit Lectione* 2, *est Philippus Sueviæ dux, qui mortuo Henrico VI imperatore, fratre suo, a principum parte rex Romanorum salutatus fuit, stantibus aliis ab Ottone duce Brunsvicensi, in quibus erat Conradus II Argentinensis episcopus, quem bello Philippus petiit; qua de re hæc habes apud Urstisium in Fragmento incerti auctoris* (*a*) : Anno MCXCIX, rex Philippus, iterum collecto exercitu, tempore messis Alsatiam petiit, et omne
C frumentum pessumdedit, adversas domos in Rubiaco confregit : multa præsidia Argent. episcopi et comitis Alberti destruxit, ipsamque civitatem obsedit. [*Breviarium Constantiense anni* 1575 *obsidionem de qua agitur Philippo Francorum regi tribuit : sed perperam; etenim inter Francorum reges hujus nominis nullus reperitur, qui Argentinæ civitati infestus fuerit.*]

parum antiqua :

5 *Relata in Actis isthæc civitatis Argentinensis anni* 1199 *obsidio fecit, ut illa sæculo* XIII *haud antiquiora esse num.* 3 *dicerem : imo ad sæculum fortasse* XIV, *cum de obsidione illa, tamquam de re* quondam *seu dudum præterita loquantur, referenda sunt. Sed sive sæculo* XIII, *sive* XIV *aut sequenti hæc Acta primum sint exarata, facit equidem tam remota illorum ab ætate S.* Aureliæ *ætas, ut ea, quæ de S.* Aureliæ *cum S. Ursula societate in iis dicuntur, ex indigenarum potius traditione, ut supra ajebam, quam ex fidei indubiæ et ad ætatem S.* Aureliæ *sat prope accedentibus monumentis hausta existimem. Eadem traditione nititur, quod de S.* Aureliæ *sodalibus sanctisque pariter Virginibus Einbetta, Vorbetta et Vilibetta, ægrotanti* Aureliæ *a S. Ursula adjunctis, ac Argentorati, ubi et ipsæ in pace quievere,* D *cœlitum honore affectis, circumfertur. Quando hanc vitam cum cœlesti commutarit* Aurelia, *non definimus; sed accuratius indagandum de S. Ursula ad diem* XXI *Octobris tractaturo relinquimus : quapropter supra ad hujus Sylloges caput in margine, sæculum* IV *aut* V *adnotavimus, ob auctorum ea in re discrepantiam.*

certior ejusdem

6 *His certiora habemus de cultu sacro S.* Aureliæ : *non solum enim ejus Officium Argentinense anni* 1489 *Breviarium complectitur, sed etiam Litanias continet* (*b*), *in quibus S.* Aureliæ, *inter S. Attalam et S. Mariam Magdalenam mediæ, patrocinium invocatur. Officio Oratio præmittitur hujusmodi :* Deus, qui beatam Aureliam Virginem febre arreptam ad te migrare fecisti, concede, quæsumus, omnibus nobis ejus festa colentibus, ut ejus apud te precibus ab omni potestate febrium et ab omni malo liberemur, atque omnium bonorum futurorum nos facias esse consortes. Per. [*Recentius Breviarium seu Proprium ecclesiæ Argentoratensis aliam exhibet Orationem, quæ magis ad communem normam accedit :* Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in B. Aureliæ Virginis tuæ festivitate deferimus, clementer exaudi : et fac nos tibi puris semper mentibus E deservire. Per. *Quod infra dicitur Constantiense Breviarium easdem habere lectiones, sed in tres solum partes divisas, editioni supra citatæ non quadrat, utpote quæ exhibeat legendam aliquanto contractiorem.*] *Jungitur S. Hedwigi* Aurelia *Idibus Octobris in Kalendario Missalis Specialis anno* 1512 *Argentinæ excusi. Habet item Argentinæ ecclesiam suo nomini dedicatam, uti Franciscus Guillimannus in Episcopis Argentinensibus cap.* IX (*c*) *his verbis docet :* Præter has quatuor collegiatas (*cathedralem Deiparæ Virgini sacram, S. Petri Senioris, S. Thomæ et S. Petri Junioris*) erant totidem parochiæ S. Aureliæ, S. Andreæ, S. Martini, S. Nicolai. *Conditam ferunt sæc.* VI, *adeoque frequentatam, ut, extructis circa illam ædibus, civitatis pomœrium dilatandum fuerit anno* 700 : *modo cam civitas sinu complectitur, eo ipso loco sitam, quo sepulta fuit* Aurelia. *Sacrum præterea cultum in diœcesi Constantiensi consecuta est, uti ex Breviario illius ecclesiæ anni* 1561 *penes nos extante liquet; in quo item iisdem verbis leguntur in tres Lectiones divisa, quæ supra quatuor primis continentur, sed cum oratione S.* Aureliæ *minus propria :* Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui beatæ Aureliæ Virginis tuæ natalitia colimus, et F annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

cultus sacer

7 *Modo Lutheranorum usui cessit, a quibus anno* 1524 *ejus Reliquiæ in cineres redactæ fuerunt; sed cultum abolere non potuerunt.* [*Id factum est anno* XXIV *sæculi sexti decimi, ut nos docet Ludovicus Laguille Noster in sua Alsatiæ Historia* (*d*) *et confirmatur ex protestatione Canonicorum ecclesiarum S. Thomæ, S. Petri Junioris et S. Petri Senioris data die* VI *Januarii anni sequentis, apud cit. Laguille* (*e*), *in qua dicitur :* Notius noto existit qualiter præsertim in dicta civitate Argentinensi ipsius Lutheranæ sectæ assectatores in dictis collegiatis tribus ecclesiis et earumdem parochiis omnem ritum et observantiam a Sancta Matre Ecclesia salubriter institutis, tam in Sacramentis ministrandis quam Missarum solemniis celebrandis, non solum evertere conati sunt, imo revera subverterunt, prout supra notatum est : et quod pejus est, nuper in ecclesia parochiali Sanctæ Aureliæ, quæ pleno jure dictis Dominis de Capitulo S. Thomæ subjecta existit,

(*a*) Rer. Germ. Scriptt., t. II, p. 86. — (*b*) fol. 63 verso.—(*c*) p. 51.— (*d*) Hist. d'Alsace, part. II, p. 61.—(*e*) Ibid., part. III, p. 111.

ossa

A ossa Sanctæ Aureliæ Virginis in eadem ecclesia recondita sacrilego more exhumarunt, tumbam temere concusserunt, etc.] *Extat præterea luculentum cultus sacri jam olim S.* Aureliæ *impendi soliti ex Martyrologio Parisiensi num.* 1 *citati, monumentum, quod Oratorii sanctæ Virgini sacri et per S. Columbanum a gentilium profanatione repurgati mentionem facit : hausta ea pars annuntiationis fuit ex Vita S. Galli, quam Walafridus Strabo abbas Augiensis scripsit, anno* 859 *ex hac mortali vita ereptus, uti Mabillonius* (*a*) *ex Hepidanno Gallensi monacho in Observationibus ad S. Galli Vitam a Walafrido scriptam annotat. Rem ipsam ipsis Walafridi verbis Vitæ S. Galli cap.* VI *accipe :* Illis igitur illuc (*Arbona Brigantium, quæ sita sunt ad lacum Tigurinum oppida*) ire cupientibus, paravit presbyter (*Willimarus, apud quem hospitati fuerant diebus septem*) naviculam et imposuit remiges. Venerabilis autem abba (*Columbanus*) cum comitibus et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini, ad locum desideratum (*Brigantium*) via recta pervenit. Egressi de navicula, oratorium in honorem Sanctæ Aureliæ constructum adierunt, quod postmodum B. Columbanus in priscum renovavit honorem. *Cesserat enim*
B *id temporis superstitiosis ethnicorum ritibus : dein vero Walafridus, narrata incolarum saltem magna ex parte S. Galli opera ad fidem Christi conversione, in rem nostram hunc ad modum pergit :* Beatus autem Columbanus jussit aquam afferri, et benedicens illam, adspersit ea templum, et dum circuirent psallentes, dedicavit ecclesiam. Deinde invocato nomine Domini, unxit altare, et Beatæ Aureliæ Reliquias in eo collocavit, vestitoque altari Missas legitime compleverunt. Omnibus itaque rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio magno. *Eadem, sed contractius, narrat et Ratpertus S. Galli monachus lib.* I *cap.* I *de Origine et Casibus monasterii sui* (*b*).

Brigantii et Argentorati.

8 *Referri ad sæculi septimi initium debet expiati per S. Columbanum a gentilium superstitionibus S.* Aureliæ *templi epocha : Jonas quippe Vitæ Sancti Columbani scriptor suppar scribit cap.* LIX *ejusdem Vitæ apud Mabillonium* (*c*), *Columbanum, relicta Gallia et Germania, abiisse in Italiam,* cum vidisset devictum a Theodorico (*Burgundiæ*) Theodobertum (*Austrasiæ regem*) : *id quod anno Christi* 612 *evenit ; posteaquam nimirum, teste Walafrido in Vita S. Galli cap.* VI, *apud Brigantium moratus fuisset* annis tri-
C bus *vel circiter : unde templi illius expiationem sub annum* 610 *factum fuisse oportuit ; quod si tum, uti Ratpertus monachus S. Galli apud Goldastum in opere jam citato loquitur, id* jam olim Christianæ religioni dedicatum *fuerat, profecto jam ante illam epocham, et fortasse quidem dudum ante, sacer S.* Aureliæ *cultus non in Alsatia modo viguerit, sed etiam in vicinis ultra Rhenum Germaniæ regionibus. Neque enim de alia sancta Virgine Aurelia, quam de nostra hæc accipi posse videntur, Argentorati mortua, sepulta, et semper culta. Sæculo* XV, *quæ humanæ naturæ inconstantia est, apud Argentoratenses S.* Aureliæ *cultus deferbuit ; sed eodem sæculo, occasione apparitionis ejusdem Sanctæ Virginis, personæ cuidam piæ factæ, vigori pristino, elevato ejus corpore, temploque, quod ipsi dicatum est, refecto, restitutus fuit. Rem gestam anno* 1460, *ex MS. Germanico, latine a se reddito, sed ab auctore æquali primum exarato, Crombachius tom. II S. Ursulæ vindicatæ cap.* XXX *ita proponit :* Paucis ante annis nostra memoria accidit, circa annum Domini MCCCCLX cum pia in paucis persona in D. Aurelia fervidas ad Deum funderet D preces, e tumulo S. Aurelia Virgo prodiit adspectabili forma, plena luce, querelas ingeminans, quod ingloria delitesceret isthic, nec ullo mortales eam cultu dignarentur : ita ostium versus cum exire vellet, supplex persona dicta fit Sanctæ Virgini, rogat demisse, quo locorum concessura. Respondit Aurelia, Coloniam se cogitare ad Sodales reliquas, ut communi cum ipsis honore et cultu perfruatur, quæ sola isthic omni destituta reverentia quiesceret : hic obtestari illa, orare, imo exorare, locum et stationem illam ne desereret, actu ram se, ut congruo honore deinceps celebretur. Confestim illa, quæ viderat prodigium, consules adit et magistratum urbis Argentinensis : querelas Sanctæ Virginis exponit, et imprimis, quod testudinem subterraneam sepulcro incumbentem minari jam ruinam dixerat, itaque humilem et abjectam esse, ut vulgo despiceretur. Fama miraculi vulgata, cives operam dedere, ut tumulus innovaretur : ergo dum, operimento semoto, sarcophagus reseratur, tota integra lineis amicta vestibus invenitur : clauso deinde tumulo, insculpunt lapidi sepulcrali S. Aureliæ effigiem elevato monumento : cryptamque E ejus elegantissimis adornant picturis : tum sancte promittunt cives, plus se honoris deinceps et reverentiæ S. Virgini exhibituros, quam hactenus, suam agnoscentes et deprecantes negligentiam, habuissent. *Non ita accurate sarcophagi potius, quam corporis S.* Aureliæ, *prout quidem jam citatis verbis describitur, inspectio facta est, quin fieri potuerit facile, ut portio corporis sacri aliqua, licet illud ita compositum fuerit inventum, ut totius integrique corporis intuentium oculis speciem exhiberet, olim Brigantium translata fuerit, et eo loci in S.* Aureliæ *templo reposita ; atque adeo non facit ea inspectio, ut Argentoratensem* Aureliam *a Brigantina secernere necesse sit.*

AUCTORE J. B.

Aurelia *Argentorati culta*

9 *Verum idemne statuendum de Aurelia Ratisponensi? Nam et isthic celebris est Aureliæ memoria. Plane non arbitror. Prolixum huic Aureliæ elogium texit Raderus in Bavaria Sancta* (*d*) *ex Monumentis S. Emmerammi, Wolfgango Selendero aliisque. Præcipua elogii capita hæc fere sunt : Aurelia Lutetiæ Parisiorum nata patre Hugone Capeto* (*anno* 987 *in Galliæ regem inuncto*), *cum jam nubilis esset, Eluviano juventutis Lutetianæ facile principi in conjugem destinata, servandæ virginitatis amore* F *clam profuga, omnibusque ignota anno* 975 *Ratisponam ad S. Ramuoldum S. Emmerammi abbatem venit, a quo extra pomœrium claustro, quod S.* Andreæ *postea dictum est, inclusa, post annos* 52 *extra hominum strepitum pie sancteque exactos beato fine quievit anno* 1027, *die* XV *Octobris. Sitne eadem, quæ* Aurelia *Argentoratensis, an diversa, sibi haud constare Raderus ait ; ex quo Saussayus idem elogium in Martyrologium suum Gallicanum ad hunc diem, mutato hinc inde nonnihil stylo, transferens id ita concludit :* Corpus ejus purissimum, cœnobio S. Emmerammi illatum, in peristylio, hodieque altius e terra extans cum epigraphe propria visitur, memoriaque ejus ibidem colitur anniversariis sacris, jam ab annis supra sexcentis. *Quisquis postrema Saussayi verba legerit, eo hæc scripta autumabit, ut* Aureliæ *cultus sacer vindicetur. Atqui Raderus, ex quo Saussayus* Aureliæ *concinnavit Elogium, anniversarium istud sacrum non cujusmodi in honorem Cœlitum, Sanctorum*

(*a*) Sæc. II. Bened., p. 227. — (*b*) Goldast. Scriptt. rer. Alaman., part. 1, p. 1, et Pertz Monum. Germ., t. II, p. 61. — (*c*) Sæc. II. Bened., p. 28. — (*d*) T. II, p. 166.

AUCTORE J. B.

Beatorumve titulo gaudentium, celebrari solet, fuisse scripsit, sed funebre, *quale etiam celebrari pro iis solet, quibus neuter ille titulus quadrat.* [Instaurantur, *ait Raderus,* quotannis illi funebria sacra apud S. Emmerammum jam ab annis quingentis octoginta novem numquam intermissa, uti testatur Wolfg. Selenderus.] *Saussayo consonare videtur Brunnerus Annalium Boïcorum part.* II *lib.* IV *num.* 7 *ad annum* 1027, *ubi ait :* Corpus (*Aureliæ*) Boïcæ pignori relictum colitur ut Divæ : *verum in quo situs sit cultus ille explicat Joannes Adlzreiter item in Annalibus Boïcis part.* I *lib.* XVI *num.* 15 *his verbis :* Ejus tumulus, quotannis appenso tapete, et accensis candelis, celebratur, more ab anno MXXVII (*Aureliæ emortuali*) ad annum usque MDXCIX, quo Selenderus (*cujus de* Aurelia *lucubratione caremus*) scribebat, recepto : *quæ sane cultus species, si nihil illi aliunde accedat, non ita Sanctis Beatisque est proprius, ut fundando Sanctæ Beatæve titulo per se sufficiat. Observo quidem ex Mabillonio in Itinere suo Germanico* (*a*), *hujusmodi cultum funebrem in S. Emmerammi monasterio exhiberi S. Ramuoldo abbati; hunc tamen ibidem ut Sanctum coli : ita enim ille :* Hujus anniversarium quotannis recolunt, tametsi in privatis orationibus invocatur ut Sanctus : *sed nihil de* Aurelia, *de qua paulo ante egerat, hujusmodi memorat, nec Sanctæ vel Beatæ illi titulum tribuit, contra ac in Ramuoldo facit.*

a Ratisponensi

10 *Mabillonius porro citatus, ac testis eorum, quæ scribit, oculatus de Aurelia Ratisponensi, ejusque tumulo sic habet :* Ad portam claustri, qua in ecclesiam aditus patet, visitur tumulus satis elegans, super quem exstat effigies cujusdam Aureliæ, quam Hugonis Capeti filiam putant, super quatuor lapides erecta. In margine lapidis superioris hæc leguntur :

» Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,
» Quæ pœnas nescit cœli dulcedine fulta. »

» Lieutwinus Camer. (forte Camerarius) canonicus et » scholasticus Majoris ecclesiæ. » *Cœlestinus S. Emmerammi abbas* (*b*) *legit :* Gamerius, Gamedus, *vel* Gemeroldus. Appensa est, *pergit Mabillonius,* a capite una tabella, in qua hi versus haud inelegantes, sed recentius descripti :

» Contegor hoc tumulo soboles clarissima re-
» gum,
» Gallia quam genuit, nunc tenet Imbripolis.
» Huc profuga adveni fugiens consortia spon-
» si,
» Servarem ut castum, Christe, cubile tibi.
» Præstat hinc Ramuoldus opem, dum vita ma-
» nebat,
» Ut pia libarem thura precesque Deo.
» Vin tempus vitæ? Usa fui vitalibus auris
» Lustra decem, his annos insuper adde
» duos.
» Hic expecto tuum districtum, Christe, tri-
» bunal,
» A dextris sedeam tunc dabis inter oves. »

Observat hic Mabillonius his versibus Aureliam *non ut Hugonis Capeti aut alterius Galliæ regis filiam celebrari, sed ut* prolem regiam, *id est, ex genere regio natam; et merito quidem id a poëta omissum est : neque enim* Aureliam *aut Hugonis Capeti, aut Lotharii* (*quo natam alii dicunt*) *Galliæ regum filiam fuisse, ex ullis aliunde petitis probæ notæ monumentis probatum iri putem.*

distinguenda.

11 In inferiori lapide, *inquit porro Mabillonius,* qui huic superiori substernitur, operculi instar tumulum contegente, Romanis, id est, antiquissimis litteris, hæc apposita sunt in margine lapidis. . . . . O. M. (*alii legunt I. O. M., id est Jovi Optimo Maximo*) et perpetuæ securitati et memoriæ dulcissimæ Aureliæ (*pro una geminas alii sibi isthic videntur deprehendere Aurelias, matrem scilicet et filiam*) M. Aur. filiæ P. A E L. Silvanus (*pro quo legunt alii : A. E. L. Juvianus*) conjugi incomparabili. [*Quæ hic exhibentur variantes lectiones seu interpretationes excerptæ sunt ex Raderi Bavaria sancta* (*c*)]. *En denique Mabillonii hac in re conclusionem :* Ex hac inscriptione colligimus, vel duplicem fuisse Aureliam, quarum una conjugata antiquis Romanorum temporibus vixerit, alia virgo et quidem recentior : vel certe unam, quæ primis temporibus vixerit, cujus epitaphium cum posteri legere non potuissent, illud cuidam Aureliæ posteriori affinxerint. *Inconsulte enimvero egit, quisquis Aureliæ Ratisponæ reclusæ tumulo e ruderibus Romanis erutam inscriptionem imposuit, eoque pacto ansam præbuit non solum Aureliam paganam cum juniore Christiana, quas inter nihil commune fuit, confundendi, sed dubitandi etiam, an inde ab* Aureliæ *reclusæ obitu inscriptio illa ejus tumulum operuerit, et num verum hujus nomen exploratum habeamus; quid enim si elapso post ejus obitum aliquanto tempore posteri, ea inscriptione decepti, falso credere cœperint mulieris paganæ nomen fuisse virginis apud Ratisponam reclusæ, quemadmodum id in Eluviano, seu Ael. Juviano, illius, ut ajunt, sponso, locum habuisse perspicuum est? Hæc paulo fusius dicta sunt, tum ut ne lectorem rerum ad Aureliam Ratisponensem spectantium plane ignarum dimitterem, tum ut perspiceret idem, cur supra inter Prætermissos collocata sit, denique ut vel hinc intelligat* Aureliam *Argentoratensem a Ratisponensi plane esse diversam : nec enim fieri potest, ut ejusdem Aureliæ corpus Argentorati simul et Ratisponæ tumulatum servatumque hactenus fuerit, cultumque Argentorati et alibi multis ante sæculis Ratisponensis obtinuerit, quam hac luce frui cœperit. Cavendum itaque est, ne hæc cum* Aurelia *in Martyrologio Argentorati hodie annuntiata confundatur, quem in errorem prolapsi sunt Arnoldus Wion in Adjunctis ad Lignum Vitæ* (*d*), *et Castellanus in Martyrologio Universali : ille quidem dum Aureliam Ratisponensem hodie Romano Martyrologio inscriptam ait; ille autem dum unam dumtaxat* Aureliam, *et quidem Argentorati, annuntians annum hujus emortualem in margine* 1027, *quo Aurelia Ratisponensis ex hac vita migravit, assignat. Immerito item ab Arturo du Moustier in Gynecæo sacro Ferrarius vapulat, quod in Romani Martyrologii Topographia* Aureliam *alteram Argentorati, alteram Ratisponæ collocarit.* [*Coronidis loco sit lectio, quæ in recentiori Breviario recitatur in festo S. Aureliæ :* Aureliam Virginem ex choro earum virginum fuisse tradunt, quæ S. Ursulæ comites ac sociæ adhæserunt. De illius patria, natalibus ac vitæ cursu nihil in historiarum monumentis certi reperitur. Id unum constanti traditione compertum est, eam circa annum Christi trecentesimum octogesimum tertium Argentinam appulisse, ibi morbo correptam obiisse, ejusque cultum in Ecclesia Argentinensi ab immemorabili ævo vigere; siquidem nomen illius Sanctorum fastis jam sæculo nono incunte insertum legitur; nec non fideles sancta devotione ac fiducia eamdem coluere, ut in suburbio civitatis Argentinensis sub ejus invocatione ecclesiam ædificaverint, in qua corpus S. Aureliæ religiose asservatum fuit usque ad annum vigesimum quartum supra millesimum quingentesimum, quo a novatoribus sacra omnia proculcantibus tumulus

(*a*) Vet. Analect., p. 10. — (*b*) Ratisb. monast., p. 109. — (*c*) T. II, p. 169. — (*d*) p. 900.

effractus,

effractus, reliquiæ extractæ ac flammis traditæ fuerunt. *In Buei sylloge n.* 6 *refertur traditio quasi S. Aureliæ templum sæculo sexto conditum fuisset; sed Sanctorum Alsatiæ biographus Hunckler ejus ædificationem refert ad Ruthardum episcopum, qui medio sæculo decimo obiit* (a). *Caput S. Aureliæ Ulysipone repositum legitur Act. SS. T. II. Januar. p.* 612. *Num vero nostræ, an alterius cujusdam Aureliæ caput, non explicant scriptores.*] AUCTORE J. B.

(a) Hist. des Saints d'Alsace, p. 443.

DE S. SEVERO

EPISC. CONF. TREVIRIS.

SYLLOGE. J. B.

Sancti gesta ex Constantio presbytero, tempus, cultus sacer.

SÆC. V ADULTO. *S.* Severus, *S. Lupi Trecensis ep. discipulus,*

Bina jam pridem ecclesiæ Gallicanæ lumina, S. Germanum Autissiodorensem et S. Lupum Trecensem episcopos, illum ad diem XXXI *Julii, hunc ad diem ejusdem mensis* XXIX *intulere in Opus nostrum Majores nostri. Floruere hi sæculo æræ Christianæ quinto, junctisque una viribus, inter cætera præclare abs illis gesta Britanniam a Pelagiana lue aliquando felici admodum successu vindicarunt: hodie damus* S. Severum, *Trevirensem in Belgica Prima episcopum, S. Germani Autissiodorensis in expeditione Britannica socium, S. Lupi Trecensis discipulum; hoc illis certe inferiorem, quod gestorum suorum nedum adeo graves, ac illi, quin potius nullum, qui indubitatam ab antiquitate sibi fidem vindicet, prænones consecutus est. Vitam S. Germani scripsit Constantius presbyter Lugdunensis, vir summus, annis* XL *ab ejus obitu nondum elapsis: S. Lupi Anonymus antiquus, cujus de ætate quidem non ita presse constat, de fide autem integerrima non ambigunt eruditi.*

Constantio presbytero teste,

2 *Accepta his referri potissimum debet, qualiscumque, quæ ad nos usque permeavit, S.* Severi *notitia. Ac Constantius quidem presbyter de illo simul et S. Germano ad hunc modum scribit apud nos tomo VII Julii* (a): Interea ex Britanniis nuntiatur Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilatari: rursusque ad beatissimum Virum preces omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit; dum et laboribus delectatur, et Christo se gratanter impendit. Cessit tandem inimici invidia, victa virtutibus; nec tentare ausus est, quem Dei amicum esse jam senserat.

S. Germano ep. Autissiodorensi

3 Adjuncto itaque Severo episcopo totius sanctitatis viro (qui tunc Treviris ordinatus episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat) Parisios iterato dum expetit, totius plebis plausu, ut tantum Virum decebat, excipitur. Benedictionem postulatus, ubertim omnibus impertitur. Interea pignoris inibi dudum a se specialius commendati non immemor, de puella Genovefa, qualiter se habeat, attentius sciscitatur. Credo sanctum Virum minime latuisse, quæ et qualia post ejus discessum ab obloquentibus virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes, cunctas postremo, quæ a lividis manare assolent, simultates. Atque ut eorum irrevocabilem in malo pertinaciam par esset agnoscere, iniquæ mentis virus, et jamdudum concepta molimina, nec in ipsa sancti Viri præsentia, aliquatenus potuere supprimere. Verum ille, cui melius, quam ipsis etiam suis esset nota parentibus, obtrectantium garrulitate posthabita, ad virginis se diversorium contulit, atque hanc non sine ingenti stupore intuentium adeo humiliter salutavit, ut adverteres eum in illa ipsius divinitatis, cujus erat templum, præsentiam fuisse veneratum. Et ne adventus beati Pontificis sacræ virgini nihil contulisse videretur, neve ejus inter improbos persona inexpurgata remaneret, habito sermone ad populum, prima conversationis ejus auspicia declarans, cujus et quanti esset apud Deum meriti, cunctis evidenter exposuit, in argumentum tantæ rei arentem terram, cui orans superjacere consueverat, frequenti lacrymarum imbre madentem ostentans. Itaque universorum animis erga innocentem pastorali assertione compositis, iter præmaturans inceptum, mare, Christo auctore, conscendit. Ad itineris tranquillitatem elementa consentiunt; navigium venti, fluctus, aera prosequuntur.

hæresim Pelagianam

4 Interea sinistri spiritus pervolantes per totam insulam, Germanum venire invitis vaticinationibus nuntiabant: in tantum, ut Elaphius * quidam, regionis illius primus, in occursum Sanctorum sine ulla manifesti nuntii relatione properaverit, exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat. Erat enim arescentibus nervis, contracto poplite, cui per siccitatem cruris usus vestigii negabatur. Hunc Elaphium provincia tota subsequitur. Veniunt Sacerdotes; occurrit inscia multitudo: confestim benedictio et sermonis divini doctrina profunditur: recognoscit populum in ea, qua reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt culpam esse paucorum: inquirunt auctores, inventosque condemnant.

* *al.* Elafius

in Britannia retundenti

5 Cum subito Elaphius manibus advolvitur Sacerdotum, offerens filium, cujus necessitatem ætas

(a) Ad diem XXXI Jul., p. 216.

et

AUCTORE J. B.

et debilitas, etiam sine precibus, allegabant. Fit communis omnium dolor, præcipue Sacerdotum; qui conceptam misericordiam ad divinam clementiam contulerunt. Statimque adolescentem beatus Germanus sedere compulit. Attrectat poplitem debilitate curvatum, et per tota infirmitatis spatia medicabilis dextra percurrit. Salubrem tactum sanitas festina subsequitur, ariditas succum; nervi officia receperunt, et in conspectu omnium filio incolumitas, patri filius reformatur. Implentur populi stupore miraculi, et in pectoribus omnium fides Catholica firmabatur. Prædicatio deinde ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur : omniumque sententia, pravitatis auctores, expulsi ab insula, adducuntur Sacerdotibus, ad mediterranea deferendi; ut et regio absolutione et illi emendatione fruerentur. Quod in tantum salubriter factum est, ut in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Itaque compositis omnibus, beatissimi Sacerdotes ea, qua venerant, prosperitate reversi sunt.

comes fuit, nempe versus annum 447; num vero

6 *Observare nonnulla hic ex Bosschii in Vitam S. Germani tum Commentario, tum Annotatis prius juverit, quam ad S. Lupi biographum progrediamur. Geminum in Britanniam Pelagianæ hæresis retundendæ causa S. Germanus iter instituit, primum una cum S. Lupo Trecensi episcopo, alterum cum S.* Severo : *illud, teste S. Prospero Aquitano in Chronico integro, contigit Florentio et Dionysio Coss. anno æræ vulgaris* 429; *hoc vero anno* 447, *cum institutum id iter fuerit ex Constantio paulo ante S. Germani obitum, qui anno contigit* 448. *Observat item Boschius S.* Severum *a Constantio ad iter Britannicum invitatum dici,* quando gentibus Primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat, *cum tamen ad Belgicam Primam Treviri spectent. At nihil obest, quo minus ad Germaniæ Primæ populos Belgicæ Primæ vicinos, quo ardebat, veræ fidei docendæ augendæque zelum extenderit; Burgundiones, qui, teste S. Prospero Aquitano in Chronico, Lucio et Heracliano consulibus, seu anno Christi* 413, partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerant, *ad Christi fidem S.* Severi *opera fuisse conversos Hadrianus Valesius Rerum Francicarum lib.* III (*a*) *et Bucherius Belgii Romani lib.* XV *num.* 14 *censent, a quorum opinione non admodum alienus est Tillemontius de Imperatoribus* (*b*).

Burgundiones

7 *Burgundiones inde a sæculo* V *partem Galliæ Rheno adjacentem incoluerunt, uti ad consulatum Luciani, seu Lucii, et Heracliani, id est, ad annum* 413 *in Chronico integro, anno* 1711 *Parisiis una cum cæteris ejus Operibus edito, S. Prosper Aquitanus* (*c*) *scribit : constat autem porro ex Constantio num. superiore laudato, S.* Severum *verbi divini præconem egisse ea Galliarum parte, quæ* Germania Prima *nuncupabatur, in qua erant Moguntia, Argentoratum, Nemetum, Vangiones. Socrates denique illius temporis scriptor Hist. eccles. lib.* VII *cap.* XXX *scribit, Burgundiones, gentem barbaram trans Rhenum sedes habentem, cum se assiduis Hunnorum incursionibus objectos humanoque auxilio destitutos viderent, Romanorum autem Deum suis præsto esse adverterent, cujusdam Galliæ civitatis episcopum rogasse, ut Christiano baptismate lustrarentur : voti compotes factos, Hunnos intrepide aggressos, licet hostibus numero longe impares, pugna tamen superiores evasisse; id quod accidisse secundum Socratem Valesius ait, quo tempore Proclus Constantinopolitanæ ecclesiæ præerat, qui eam regere ecclesiam cœpit, teste Socrate cap.* XL, *Areobindo et Aspare coss., sive anno Christi* 434; *Tillemontio tom. V de Imperatoribus* (*d*) *hanc Burgundionum ad Christiana Sacra conversionem ad annum circiter* 440 *referente. Si itaque hæc simul omnia, prædicationem S.* Severi, *Trevirorum Burgundionumque viciniam, horum conversionis epocham hic a Valesio assertam, ab anno* 447, *quo indubie S.* Severus *Treviris præfuit, haud admodum remotam, contuleris, haud ægre verosimilem eam opinionem dixeris, qua Valesius non alterius, quam S.* Severi *opera, licet hujus nomen Socrates haud expresserit, gentem Burgundionum Christianas leges suscepisse contendit.*

ad Christi fidem converterit.

8 *At Paulus Orosius lib.* VII *cap.* XXXII *Burgundiones, prævalidam et perniciosam Galliis,* in quibus, *inquit,* præsumpta possessione consistunt, *manum, jam tum, cum scriberet* (*scripsit autem sub annum* 417), *Christianos fuisse testatur :* Quamvis, *inquit,* providentia Dei omnes Christiani modo facti, Catholica fide, nostrisque clericis quibus obedirent receptis, blande, mansuete innocenterque vivant, non quasi cum subjectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis; *quo tempore S.* Severus, *utpote S. Lupi Tricassini episcopi, anno demum* 426 (*vide tom. VII Julii*) (*e*) *ad infulas evecti, discipulus Trevirensi sedi nondum præerat. Ne auctores rebus, quas scribunt, æquales inter sese Tillemontius collidat, ait* (*f*) *alios Burgundiones fuisse, de quibus Orosius, alios, de quibus Socrates loquitur, hosque, serius Rhenum transgressos, S.* Severi *opera ad fidem Christianam potuisse converti, ut Socrates narrat, nempe sub annum* 440. *Minus tamen mihi vero videtur simile, id a* Severo *reipsa præstitum fuisse, vereorque imprimis, ut Socrates, in Oriente scribens, de rebus, quæ in Occidente gererentur, probe recteque instructus fuerit. Certe victoria, a Burgundionum tribus millibus de Hunnis triplo eoque amplius numero potioribus relata, commenti suspicione haud caret, saltem si sub annum* 440 *obtenta statuatur : præterquam enim, quod scriptoribus Latinis quibuscumque ignota videatur, eo minus fit credibilis, quod inde ab anno* 435 *in eo Galliæ tractu funditus deleta fuerit gens Burgundionum, ita scribente Prospero :* Aspare et Areobindo coss. Theodosio XV et Valentiniano IV coss. . . . . Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtinuit, pacemque ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est. Siquidem illum Hunni cum populo atque stirpe sua deleverunt.

minus certum apparet;

9 *Adhæc asserta a Socrate conversionis Burgundionum epocha haud satis congruere, ut S.* Severo *tribuatur, videtur cum anno episcopatus a S. Lupo suscepti et S.* Severi *apud Lupum commoratione, quæ diuturnior fuisse videtur, quam ut Galliarum ille episcopus, de quo Socrates,* Severus *Trevirensis fuerit. Episcopus e Lirinensi monacho factus est S. Lupus anno, ut paulo ante dictum est,* 426 *jam vergente ad exitum : quoto episcopatus ejus anno ad illum accesserit discipulus ejus* Severus *latet quidem; ponamus tamen primo, seu anno* 427. *Latet item, quoto episcopatus sui anno episcopus Gallicanus, de quo Socrates, Burgundiones sacro fonte lustrarit : ponamus item primo. Jam vero, conversio Burgundionum quo anno contigit? Non anno* 434, *quod Valesius, non circa annum* 440, *quod Tillemontius ait, sed multo citius, si Socratem presse sequamur. Narrat is lib.* VII *cap.* XXIX, *quomodo Nestorius ad sedem Constantinopolitanam evectus sit, ordina-*

(*a*) p. 138. — (*b*) Hist. des Empereurs, t. V, p. 268 et t. VI, p. 89 et seq. — (*c*) col. 740. — (*d*) p. 617. — (*e*) Ad diem XXXI Jul., p. 63, num. 61. — (*f*) Hist. des Emp., t. V, p. 168.

tumque

A *tumque ait die quarto Idus Aprilis, Felice et Tauro Coss., seu anno* 428. *Mox caput trigesimum, Burgundionum conversionem narraturus, sic exorditur:* Nunc vero rem memoratu imprimis, quæ per id tempus contigit, narrabo, *qua narratione absoluta, continuo ad res Orientis sese convertens, ait* sub idem tempus *obiisse Barbam Arianorum episcopum, consulatu Theodosii* XIII, *Valentiniani* III, *die Octavo Kalendas Julii, seu anno æræ vulgaris* 430. *Quo pacto vix triennium invenias, quo numeratus in discipulis S. Lupi* Severus *fuerit, id quod absque erroris periculo dictum iri non arbitror.*

hanc tamen Germaniæ I populis prædicavit
* *an* cujus?

10 *Jam tempus audiendi scriptorem anonymum Vitæ S. Lupi antiquum : ita loquitur apud nos tom. VII Julii* (*a*) : Cui * rei gestæ elationem * posteris traduni exempla facturum * qui affuerunt * vera ex scholis ejusdem (*S. Lupi*) discipulorum virtutis exempla docuerunt. Nam cuncti insignibus miraculis præminebant. Unde in S. Pulchronium episcopum ecclesiæ Veredunensis curationum gratia prælucebat : ita ut religatis post tergum manibus dæmoniacis imperaret, et prius sensum (*imperii Pulchronii effectum dæmoniaci*) perciperent, quam in collisionem suorum corporum cernui laberentur.

* relationem

B Sanctum Severum Treviris ordinatum, primæ Germaniæ gentibus prædicantem, Apostolorum non ambigimus societati permixtum. Sanctum quoque Alpinum, Cathalaunicæ pontificem civitatis, resplendentem prærogativa diutinæ sanitatis (*al.* sanctitatis) locis plurimis non silendum est, quam sæpe dæmonum purgator extiterit. Merito in tantorum (*discipulorum*) præconiis magistri laus gloriosa signatur. *Hinc colligas SS. Pulchronium, Alpinum et* Severum *non modo fuisse condiscipulos, sed etiam quam præclara fuerit S. Lupi schola, e qua tot prodierint viri dignitate episcopali, morum sanctitate et miraculis clari; ut adeo mirum non sit, si ex ea Trevirenses, orbati præsule,* Severum *sibi pontificem postularint.*

* factorum

Trevirensis factus episcopus

11 *Quo anno circiter id contigerit, dicendo non sum; nisi forte Constantius, cum scripsit,* Adjuncto itaque Severo episcopo, totius sanctitatis viro (qui tunc Treviris ordinatus episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat) Parisios iterato dum expetit (*S. Germanus Autissiodorensis*) totius plebis plausu, ut tantum virum decebat, excipitur, *propterea scripserit,* tunc Treviris ordinatus, *quod recens facta esset* Severi *ordinatio, cum Parisios, ipso comite, S. Germanus peteret, alteris vicibus in*

C *Britanniam profecturus; in hanc potius, quam in ejus prædicationem digitum particula* tunc *intendere volens; quod si ita se habet, dubium non est, quin aut anno* 447 *aut paulo ante cœptus sit* Severi *episcopatus; quo equidem mihi propendet animus, quod nisi Constantius, stylo planiore uti solitus, tempus ordinationis* Severi *hic indicatum voluisset, planius scripturus fuisse mihi videatur,* Adjuncto itaque Severo episcopo Trevirensi, totius sanctitatis viro, qui tunc primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat, Parisios iterato dum expetit, totius plebis plausu, ut tantum virum decebat, excipitur, *omni ad hunc modum dictionis ambiguitate seclusa. Fortassis etiam* Severus *in prima anni* 429 *SS. Germani et Lupi in Britanniam legatione, tunc nondum episcopus, comes fuerit; neque enim vero fit simile SS. illos solos et absque ullo comitatu sese in Britanniam contulisse : quin imo S.* Severus *cum S. Lupo Britanniam adiisse diserte legitur in perbrevi S.* Severi *Vita a Bollando tom. I Maji* (*b*) *laudata; ac propterea Constantius fortasse, de secunda tam Germani, quam* Severi *legatione agens, mentionem ordinationis ejus recens tunc factæ expressam facere voluerit. Observat ibidem Bollandus refragari quidem his Christophorum Browerum in Historia Trevirensi, ubi* Severi *episcopatum inde ab anno* 428 *cœptum ad annum* 455 *usque prorogat; sed nullo teste, nullo charactere in medium producto. Nobis vero, quoniam non minus annus, quo esse in vivis S. Præsul desierit, quam Trevirensi sedi præesse cœperit, in obscuro est, satis fuit ejus obitum sæculo quinto ultra mediam sui partem provecto lato quodam modo illigasse.*

AUCTORE J. B.

D

12 *S.* Severum *in cathedra Trevirensi proxime præcessit S. Auctor, de quo tom. IV Augusti ad diem* XX *ejus mensis* (*c*) *actum est in Opere nostro : illatus item in illud est successor ejus proximus S. Cyrillus tom. IV Maji ad diem, quo colitur,* XIX *ejusdem mensis* (*d*). *Nulla de hoc quidem movetur difficultas : at secus sese res habet quoad S. Auctorem decessorem ejus proximum : nonnulla enim esse, quæ ejus episcopatui officiant, et* non leviter *quidem, ait Hontheimius Myriophitanus episcopus et Trevirensis suffraganeus in Prodromo Hist. Trevir.* (*e*); *ac primo quidem, quod in antiquioribus episcoporum Trevirensium Catalogis, Prumiensi scilicet et Sanguisleniensi prætermittatur. At parum id est; fieri enim facile potuit, ut S. Auctoris nomen in aliis Catalogis expressum in his ex amanuensium oscitantia fuerit omissum : inter Trevirenses præsules certo numerandos fatetur Hontheimius Hist. Trev. dipl. tom. III de scriptoribus Trev.* § 1 (*f*), *S. Hildulphum et Hamularium, nec tamen in duobus istis Catalogis comparent. Hunc ex oscitantia amanuensium fuisse omissum in Prodromo* (*g*) *non diffitetur Hontheimius : at omissi in quibusdam Catalogis S. Hildulphi rationem dat Hist. Trev. tom. I* (*h*) Frequens est in veteribus episcoporum Catalogis omissio illorum, qui in sua sede defuncti non sunt : Hildulfus autem sedem episcopalem Trevirorum longe ante obitum dimisit, et in Mediano, quod condiderat, monasterio diem clausit extremum. *Verum si ea de causa omissus est in Catalogis Prumiensi et S. Gisleni Hildulphus, in iisdem pariter omissus fuisset Felix, qui, ut tom. I Prodromi in Annalibus Treviricis Hontheimius ad annum* 398 *scribit, episcopatu dimisso, ad S. Paulini monasterium secessit; licet non diu post ex vita migrasse legatur. Haud itaque est, cur Catalogorum dictorum de S. Auctore silentium ejus episcopatui magnopere officere censeri debeat, stantibus pro illo Catalogis aliis et constanti Trevirensium traditione.*

post S. Auctorem, cujus episcopatui

E

F

13 *At, inquit Hontheimius primo loco citatus,* (*quæ altera ejus ratio est*) nulla plane de eo (*Auctoris episcopatu*) anterior habetur notitia, quam ex historiis translationis hujus Sancti factæ anno 1113. *Non meminerat, cum hæc scripsit Hontheimius, eorum quæ vel in Actis Translationis S. Modoaldi anno* 1107 *factæ apud nos tom. III Maji* (*i*) *exhibitis legerat, vel quæ inde in tom. I Prodromi Hist. Trev.* (*k*) *intulit : leguntur autem priore loco cap.* I *num.* 11 *Helmwardeshusenses in Saxonia monachi obtinuisse* e sacrario B. Maximini *Treviris* brachium S. Auctoris Trevirorum archiepiscopi, magnæ sanctitatis viri; *quod num. seq. magna veneratione in sacrarium templi Helmwardensis illatum dicitur anno* 1105 *pridie Idus Maji. Apud ipsummet vero Hontheimium iidem anno* 1107 *a Sanmaximinianis rursus accepisse leguntur* testam superiorem capitis S. Auctoris archiepiscopi nec non duo de majoribus membris. *Sunt autem hæc ante annum* 1113 *non solum facta, sed etiam scripta : missa enim hæc Acta Translatio-*

quæ contra Hontheimius movet,

(*a*) p. 7, num. 11. — (*b*) Ad diem II Maji, p. 266. — (*c*) p. 37 et seqq. — (*d*) p. 331. — (*e*) T. I, p. 79. — (*f*) p. 963. — (*g*) T. I, p. 81. — (*h*) p. 84, nota c. — (*i*) Ad diem XII Maji, p. 63. — (*k*) p. 679 et seqq.

AUCTORE J. B.

A nis S. Modoaldi, uti ex prævia illis Epistola liquet, fuerunt ad Stephanum S. Jacobi abbatem, cum scilicet, qui S. Modoaldi Vitam a se scriptam Helmwardeshusensibus miserat : is autem, ejusdem nominis abbas secundus, teste Gabr. Bucelino in Germania sacra et profana (a), obiit Non. Kal. Februarii anno 1112, quem eidem fuisse supremum tradit etiam Bartholomæus Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis (b).

haud multum officiunt.

14 At quid roboris, inquies, S. Auctoris episcopatui adfert tantillum notitiarum illarum quoad antiquitatem discrimen? Multum enimvero : primum enim id inde consequitur, notum fuisse S. Maximini monachis S. Auctoris episcopatum vel e superioris ætatis, penes se tum adhuc conservatis, monumentis, vel certe ex constanti et minime sibi dubia loci traditione ad sæculum usque duodecimum propagata. Tum vero id inde porro consequitur, aliunde prorsus episcopatum S. Auctoris credi cœptum, quam ex muliebri, haud magni certe ponderis, visione, uti tertio loco videtur innuere Hontheimius, verbis num. superioris initio citatis mox ista subjiciens : 3tio. In Actis a Leibnitio editis dicitur S. Auctor Gertrudi marchionissæ (quæ ejus Reliquias, anno 1113, Brunsvicum transtulit) apparuisse (adde ex Actis Translationis Reliquiarum apud Hontheimium (c) Gertrudi dixisse : Ego sum Auctor, qui quondam fueram archipræsul Trevirorum) et revelasse Reliquias suas Treviris in ecclesia (S. Eucharii, uti Browerus Annal. Trev. lib. XIII num. 42 opinatur) « ad » australem plagam in editiori tumba reperiri, in » quam quondam opinione seditionis ingruente, » causa timoris, ne forte surriperentur (fuerunt) » inclusæ. » Quam suspectæ haberi debeant similes revelationes, non est cur hic repetamus. Quod autem quarto loco S. Auctoris episcopatui officere Hontheimius putat, Acta nempe Translationis reliquiarum S. Auctoris, in quibus archipræsulis titulo decoratur, sæculo demum XIII nata esse, nihilo validius est, cum hic illi titulus ex jam dictis aliunde vindicetur. Perpensis itaque, quæ S. Auctoris episcopatui objicit Hontheimius, momentis singulis, non ea videntur esse hujusmodi, ut eorum causa Sanctus ille ex Trevirensium episcoporum numero expungendus videatur. Denique non video, qui Hontheimius secum ipse non pugnet, hic ajens, notitiam episcopatus S. Auctoris anno 1113 antiquiorem non haberi; in Historia autem cultus Sanctorum Trevirensium (d) primæva Gesta Trevirorum, a Dacherio (e) exhibita, ad

C sæculum X commode referri posse dicens, in quibus tamen (f), ipso fere, quem citat, loco, Auctor inter S. Leguntium et Severum Trevirenses episcopos medius collocatur. Si S. Wendelini, de quo ibidem Hontheimius agit, ex Gestis Trevirorum primævis ab ipso laudatis et paulo post S. Wendelinum memorantibus, quid ni pariter ad sæculum X commode referri possit notitia episcopatus S. Auctoris ibidem pagina proxime præcedente memorati? Consule, quæ Hontheimius tom. III hist. Trev. (g) de Gestorum Trevirorum scriptoribus tradit. Sed hæc obiter de S. Auctoris episcopatu dicta sint : ad S. Severum revocamur.

S. Severi, cum S. Severino Coloniensi subinde confusi,

15 SS. Germani et Lupi biographis deberi qualemcumque Gestorum S. Severi notitiam, jam diximus supra : ex Constantio, S. Germani biographo, hausit Beda, quæ de SS. Germano et Severo lib. I eccles. Hist. gentis Anglorum cap. XXI scripsit : Rursusque ad beatissimum virum (S. Germanum) preces sacerdotum omnium deferuntur, ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni festinus obtemperat : nam adjuncto sibi Severo totius sanctitatis viro (qui erat discipulus beatissimi Tre- D casenorum episcopi, et tunc Treviris ordinatus episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicàbat) mare conscendit et consentientibus clementis tranquillo navigio Britannias petiit, etc. Hausit et Ado, iisdem fere, quibus Beda, S. Germanum verbis ad diem I Octob. Martyrologio suo inserens. Plura S. Severi gesta frustra quæsieris : nisi forte cum Bollando tom. I Maji (h) in Annotatis ad Vitam S. Germani Martyris, parum accurate scriptam, verosimile arbitreris S. Germanum episcopum Martyrem apud Ambianos in Gallia die II Maji cultum in episcopum ab illo fuisse ordinatum. Is Audini, principis Scoti, ut Acta perhibent, filius, a S. Germano in Britannia Pelagianam hæresim primum debellante sacro fonte lustratus, quam in baptismo adhuc puerulus susceperat, fidem adultior factus variis populis prædicans, Trevirim aliquando pervenit : inde vero a S. Severino (vide pag. 265 tomi mox citati num. 15) Coloniensi archiepiscopo episcopalibus infulis donatus fuit : at cum ex duobus Severinis, Coloniensem sedem alter citius, alter vero serius occuparit, quam ut S. Germano huic æquales esse potuerint, contra autem S. Severo Trevirensi in Britannia una cum S. Germano Autissiodorensi E anno 447 versanti notus verosimillime fuerit, non temere Bollandus S. Severinum Agrippinensem cum S. Severo Trevirensi a scriptore, parum alioquin accurato, confusum fuisse opinatus est.

Treviris cultus.

16 Sic et Severus, ut denique ad sacrum ejus cultum veniamus, cum S. Severino Coloniensi episcopo, Burdigalæ defuncto, ac die XXIII Octobris culto apud Sollerium ad diem ejusdem mensis XXI confunditur in codicibus Usuardinis Antverpiensi Maximo, Ultrajectensi et Leydensi : Burdegala, S. Severi Treverensis episcopi : uti et in Bruxellensi : Apud Burdegalam, depositio S. Severi Treverensis archiepiscopi. Erit fortasse, qui miretur, neque Bedam, neque Adonem S. Severi nomen in Martyrologia sua, cum tamen tum eximiam ejus sanctitatem, tum Apostolicos in Germania Prima labores ex Constantio presbytero probe sibi notos habuerint, intulisse : religioni opinor utrique fuisse, Severum prius tabulis ecclesiasticis inserere, quam cultu publico affectum didicissent : hunc autem serius illi delatum fuisse vel ex Kalendariis S. Maximini et S. Simeonis sæculi X, XI et XII, ab Hontheimio tom. I Prodromi hist. Trev. (i) editis, colligas, in quibus nusquam S. Severus F Trevirensis occurrit : at vero in eo, quod quinto ibidem loco exhibetur, et sæculi XIII exeuntis est, sic legitur : Idus (Octobris) Severi ep. Treveren. et SS. Maurorum. Locum item constanter habuit in Officiis ecclesiæ Trevirensis, teste Hontheimio in Hist. Sanctorum Trevirens. a Baldewini ævo, qui Trevirensem ecclesiam rexit ab anno 1307 usque ad annum ejusdem sæculi quinquagesimum quartum. Signatur item ejus festum eodem modo, quo in Kalendario altero, jam citato, S. Simeonis, in Kalendario parti hiemali Breviarii MS. pagi, ut videtur, Fusbacensis in diœcesi Trevirensi præfixo. Florarium MS. anno 1486 absolutum, dubitare me cogit, num hic dies S. Severo emortualis fuerit; sic enim istud habet : Item Translatio S. Severi Treverensis episcopi; cujus translationis nusquam alibi vestigium reperi. Inscribitur etiam ad hunc diem Martyrologio Germanico, Canisii dicto, aliisque recentioribus, ac Romano quidem his verbis : Treviris S. Severi episcopi et confessoris.

(a) T. II, p. 193. — (b) p. 328. — (c) p. 689. — (d) Prodrom. Hist. Trev., t. I, p. 370. — (e) Spicil., t. II, p. 208. — (f) p. 209. — (g) p. 963. — (h) Ad diem II Maji, p 266 — (i) p. 373.

DE

A D

DE SANCTO TAMMARO

EPISCOPO CONFESSORE

BENEVENTI IN ITALIA.

SYLLOGE.

C. G.

Sancti Elogium; fuit episcopus in Africa : sed an etiam Beneventi?

B

SÆC. V, AUT INEUNTE VI. *S.* Tammarus XVI *Januarii in diœcesi Aversana,*

Sanctum hunc Antistitem Codex Usuardinus Vaticanus, charactere Longobardo exaratus, quem Papebrochius novam collectionem ex Usuardo, Adone et aliis pro ecclesia Beneventana factam appellat, inter Usuardina apud Sollerium Auctaria ad hunc XV *Octobris diem commemorat his verbis :* Beneventi . . . et Sancti Tammari Episcopi et Confessoris; *commemorat et ad eumdem diem in Catalogo Sanctorum, quos ecclesia Beneventana duplici vel semiduplici ritu celebrat, Marius de Vipera Archidiaconus Beneventanus; Codici Vaticano et Mario de Vipera quoad annuntiationis diem consonat Ferrarius in utroque Sanctorum Catalogo, Generali videlicet et Sanctorum Italiæ : at ex antiquis Kalendariis, quartæ parti Sanctuarii sui Capuani a Michaële Monacho insertis, quæ Sanctos Capuæ quondam cultos complectuntur, secundum et quartum S.* Tammari *memoriam consignant cum eodem quidem* Episcopi et Confessoris *titulo, sed ad alium diem, scilicet ad* XVI *Januarii, asseritque in suis ad dicta Kalendaria Observationibus laudatus Monachus, hac die eumdem Sanctum etiamnum coli in diœcesis Aversanæ loco, qui dicitur* Vico de Pantano, *ibique eum tradi mortuum esse et sepultum.*

C *Quamobrem, opinor, ad diem* XVI *Januarii in Martyrologio suo Universali eidem diœcesis Aversanæ vico Sanctum attribuit Castellanus hisce Gallicis, quæ Latine reddo, verbis :* Pantani in diœcesi Aversana S. Tammari ex numero eorum Confessorum, qui creduntur venisse ex Africa cum S. Castrensi.

at hac die Beneventi cultus,

2 *Ut citatos hactenus sacros Fastos in concordiam adducant, alium S. Tammarum in diœcesi Aversana, alium apud Beneventanos coli quidam autumant, quod etsi Ferrario etiam non displicuerit, nobis tamen minus probabile videri infra dicemus. Porro cum ad diem* XVI *Januarii Majores nostri S.* Tammarum *inter Prætermissos retulerint, necesse est ut de eodem Sancto ad hunc* XV *Octobris diem agamus, quo eum Beneventi coli laudatus Vipera tam in Catalogo supra citato, quam in Elogio, mox dando, docet. Extat illud in Chronologia Episcoporum et Archiepiscoporum Beneventanorum, ex qua illud, uti et Ughellus fecit* (*a*), *huc transcribo :* Thammarus episcopus XXIII unus ex iis, quos Martyrologium Romanum sub prima die Septembris socios S. Prisci recenset, qui in persecutione Wandalorum ob fidem Catholicam varie afflicti, et vetustæ navi impositi ex Africa in Campaniæ littora pervenerunt anno Domini 440 circiter, et Christianam religionem in iis locis dispersi, diversisque ecclesiis præfecti mirifice propagarunt. Hic cum prope Beneventum solitariam ageret vitam, fama sanctitatis erumpente, fuit ad episcopatum evectus, et ita Beneventanam ecclesiam pie sancteque rexit, ut inter Sanctos defunctus referri meruerit. Extabat antiquitus basilica in ejus honorem erecta extra civitatem prope flumen Thamari, a qua postea flumen nomen accepisse fertur, temporum longitudine consumpta. Floruit anno Dom. 465, cujus festum agitur XV Octobris Beneventi, ubi ejus Reliquiæ servantur in cathedrali sub altare majore, ut ibi marmori sculptum docet.

E

a S. Tammaro episcopo Africano, a Wandalis ex Africa

3 *Ex quibus monumentis id Elogium concinnarit, indicat laudatus Archidiaconus Beneventanus ad marginem citans Michaëlem Monachum in Sanctuario Capuano, et Martyrologium antiquum MS. ex Bibliotheca Beneventana, cum vero id posterius pro sola Sancti, quæ Beneventi* XV *Octobris agitur, festivitate laudet, non immerito suspicari possumus, quidquid is de S.* Tammari *Gestis commemorat, iis exceptis, quæ de eodem Sancto in S. Castrensis Vita, a Michaële Monacho part.* I *Sanctuarii Capuani, et in Opere nostro tom. II Febr.* (*b*) *edita, reperiuntur, ex incerta tantum popularique traditione profectum esse. Et quidem ex hac Vita, ab auctore coævo, aut suppare, saltem prout in Opere nostro extat, ut censuit Henschenius, et luculente, solutis Tillemontii aliorumque objectionibus, ostendit Stiltingus tom. I Septembris* (*c*), *exarata sufficienter confirmatur id, quod habet datum Elogium de S. Tammaro ex Africa in Campaniam appulso, ut de eo verbis supra datis ita dubitanter loqui necesse non habuerit Castellanus; potuisset et hic Martyrologus eidem Sancto titulum* episcopi, *tuto adjungere ob episcopatum in Africa gestum, quandoquidem laudatus S. Castrensis biographus eum inter* Sanctos viros *et* summi sacerdotii honore præditos, *seu episcopos vetustæ ac cariosæ navi, Wandalis cuilibet et nominatim S. nostro* Tammaro *amaro hoc sarcasmo,* Tammarum fas est proram gubernare benigne, *illudentibus, cum multis aliis impositos, marique commissos, sat aperte recenseat,* Ex quibus (*inquiens*) viris, *videlicet,* Sanctis etiam-

F

(*a*) Ital. Sacr., t. VIII, col. 16. — (*b*) Ad diem XI Febr., p. 526. — (*c*) Ad diem I Sept., p. 211.

que

AUCTORE C. G.

A que summi sacerdotii honore præditis, præcipue rutilabant meritis et moribus et sensus decore Rossius, Priscus, et Tammarus et ab indole Sanctus enitens Castrensis. *Verum de his dubitarit Castellanus, quod minorem, quam par erat, eidem biographo adjungeret fidem.*

in Campaniam sæc. v,

4 *Quo vero anno ea, quæ de Sancto nostro sociisque narrat S. Castrensis Vita, acciderint, hique in Campaniam, Deo mirabiliter eos, ne a mari absorberentur, præservante, incolumes appulerint, non facile est determinare : Henschenius tom. II Februarii* (*a*) *id contigisse anno* 438 *aut* 439 *non improbabiliter opinatus est hac de causa, quod laudatus biographus, perstricta Wandalorum adversus Catholicos in Africa persecutione, ita habeat :* Hoc factum est usque ad quartum annum, *ac narrationem suam prosequens, mox ea referat, quæ S.* Tammarus *ejusque socii in Africa passi fuerunt : hinc enim statui posse videtur, ab initio persecutionis, quam, anno* 435 *pace inter Valentinianum imperatorem et Wandalos facta, hisque parte Africæ ad inhabitandum concessa, mox exortam esse laudatus Henschenius loco citato, et Theodoricus Ruinartius in Commentario Historico de persecutione Wandalica arbitrantur,* 3 *aut* 4 *an-*
B *nos fluxisse, antequam Wandali in S.* Tammarum *ejusque socios sævirent, adeoque eosdem Sanctos dicto anno* 438 *aut* 439 *ex Africa ejectos in regni Neapolitani Campaniam pervenisse. Favet et huic opinioni deliberatio illa Wandalorum, ita Sanctos, cum post carceres et verbera immota horum in fide Catholica persisteret constantia, perdere volentium, ut nullæ, quas Catholicos in veneratione habituros sciebant, eorum superessent Reliquiæ, antequam de iisdem cariosæ navi imponendis et in mari submergendis cogitarent ; ea enim deliberatio innuere videtur id tum novum fuisse, nec ante a Wandalis usurpatum, adeoque ante captam a Wandalis anno* 439 *Carthaginem, quando similiter S. Quodvultdeum Carthaginensem episcopum una cum suo clero navibus fractis impositum mari commisere, accidisse.*

aut ineunte VI *pulso,*

5 *Atque hæc quidem suadent non longe a vero aberrasse laudatum Viperam, qui Sancti nostri in Campaniam adventum circa annum* 440 *collocavit ; cum vero sint etiam admodum dubia, ultro cum Stiltingo tom. I Septembris* (*b*) *amplector opinionem Ruinartii :* Si conjecturis (*inquit hic auctor in laudato Commentario Historico*) indulgere voluerimus, nullus fere erit annus sub Wandalica domi-
C natione, ad quem hæc persecutio revocari non possit ; *ut proinde toto illo tempore, quod ab anno* 435, *quo persecutio cœpta, et licet sub Guntamundo intermissa, sub tribus tamen regibus, Genserico videlicet, Hunnerico et Trasamundo crudelissime grassata est, usque ad postremi hujus tyranni obitum, seu annum* 523, *quo a successore Hilderico persecutio restincta est, excurrit, mirabili eo, quo id factum esse S. Castrensis biographus refert, modo Sanctus noster cum Sociis in Campaniam appellere potuerit. Porro ubinam loci S.* Tammarus *post suum in Campaniam adventum reliquum vitæ transegerit, silet laudatus S. Castrensis biographus ; solummodo habet S. Castrensis socios* perrexisse ad loca propria, quæ illis Christus sancivit pro salute credentium : *atque hinc modo fit, ut, quæ laudatus Vipera de S.* Tammari *prope Beneventum commoratione ejusdemque episcopatu Beneventano asserit, suspicer profluxisse ex eodem fonte, ex vaga scilicet popularique traditione, ex qua Thamarum fluvium, Benevento vicinum, a basilica olim eidem Sancto dedicata nomen suum sortitum esse scribit, quamque hac ex parte jam ante* D *me suspectam habuit Eminentissimus pariter et doctissimus Cardinalis Stephanus Borgias in Memoriis Historicis civitatis Beneventanæ* (*c*), *et reipsa valde infidam esse ostendit Itinerarium Antonini Augusti, in quo id nomen eidem fluvio tribuitur, atque ita notatur :* Bovianum civit. super fluvium Thamari M. P. XVI.

ob rationes hic allatas non est distinguendus.

6 *Attamen Ferrarius* S. Tammarum *in Elogio, quod in Catalogo SS. Italiæ ad* XV *Octobris concinnavit, etiam sine hæsitatione pro episcopo Beneventano habet, eumque facit proximum S. Barbati successorem, et deinde, cum S. Barbatus sæculo* VII, *Longobardis in Italia dominantibus, cathedram Beneventanam absque dubio tenuerit, adeoque S. Tammari Beneventani, si hic reipsa S. Barbato successerit, ætas nullatenus* S. Tammaro, *sæculo* V *aut ineunte* VI *ex Africa in Campaniam delato, congruere possit, dubitat in Annotatis idem Ferrarius, an S.* Tammarus *a Beneventanis cultus et pro episcopo quondam suo habitus diversus non sit a S.* Tammaro *Africano, quem in diœcesi Aversana vici Pantani incolæ in veneratione habent : ast præterquam quod ipsemet secum pugnet Ferrarius, dum SS. Barbatum et* Tammarum *in serie episcoporum Beneventanorum* E *collocat ante Epiphanium, Synodo I Romanæ sub Symmacho Papa, anno* 499 *habitæ* (*d*), *subscriptum, illi hac in re refragantur laudatus Vipera et Ughellus tom. VIII Italiæ Sacræ, apud quos S.* Tammarus *longe ante S. Barbatum in eadem episcoporum Beneventanorum serie locum obtinet inter Dorum, ex Epistola Leonis I, de qua Baronius in Annalibus ad annum* 448 *loquitur, notum, et S. Sophiam seu Cadocum ; eumdem locum obtinet in Diptycho Collectioni Synodorum Beneventi habitarum præfixo a Vincentio Maria Ursino Archiepiscopo Beneventano, postmodum Benedicto XIII summo Pontifice : quamquam vero et hæc chronotaxis forte vitiosa sit, meliusque S. Sophias seu Cadocus, ut ex eis, quæ de hoc Sancto Operis nostri parens Bollandus tom. II Januarii* (*e*) *habet, perspici potest, non ante, sed post Epiphanium collocaretur, cum quidem omnes S.* Tammarum *in serie episcoporum Beneventanorum collocent ante Epiphanium, hæc ætas, quam S. suo* Tammaro *Beneventani adscribunt, satis congruit S.* Tammaro *Africano, ut unus idemque censeri possit.* [*S. Tammaro proxime successisse, ait Joan. de Vita, Canonicus Beneventanus* (*f*), *S. Sophiam seu Cadocum, quin ullo argumento Bollandi Nostri* F *chronologiam refutet.*]

allatas non est distinguendus.

7 *Neque etiam, ut hic duos distinctos SS.* Tammaros *agnoscamus, urget diei, quo a Beneventanis, a die, quo a Vici Pantani incolis colitur S.* Tammarus, *diversitas : hujus enim ratio esse potest, ejusdem Sancti Reliquiarum, quas Beneventanos possidere docet ex inscriptione marmorea laudatus sæpius Archidiaconus Marius de Vipera, ex eodem vico Beneventum, si reipsa, quemadmodum hujus vici incolas velle testatur cum Michaële Monacho Paulus Regius in Sanctis Neapolitanis* (*g*), *ibi S.* Tammarus *Africanus obierit sepultusque fuerit, aut, si secus habeat, facta quondam e converso translatio. Utut sit, si S.* Tammarus, *aut a Beneventanis aut a vici Pantani incolis cultus, a S.* Tammaro *sub Wandalis ex Africa in Campaniam delato esset distinctus, esset hic penitus ignotus ; quare dicere mallemus, quod Papebrochius occasione S. Canionis* (*h*) *pronuntiavit :* Tam certa (*ex Actis S. Castrensis*) notitia (*Tammari*) unius ex Africa in Campaniam delati

(*a*) p. 524. — (*b*) p. 212. — (*c*) Ist. della città di Benev., t. III, p. 282. — (*d*) Labbe, t. IV. Conc. col. 1315. — (*e*) Ad diem XXIV Januar., p, 602. — (*f*) Antiqnit. Benevent., t. II, p. 117. — (*g*) Vite de' Santi e Sante, t. II, p. 945. — (*h*) Ad diem XXIV Maji, p. 28, num. 5.

sub

A sub Wandalis intra cariosam navim, et ætas, *quam S. suo* Tammaro *adscribunt Beneventani*, si conferatur *cum documentorum, quæ de S.* Tammaro, *si ab Africano distinctus ponatur, Itali habent, aut saltem hactenus subministrarunt, inopia,* vehementer nos inclinant, ut arbitremur, non nisi unicum (Tammarum) habendum esse pro Sancto, eumque ad sæculum v et Wandalorum tempora pertinere, *quemque veluti Confessorem et Episcopum, ob episcopatum, ut supra diximus, in Africa gestum, tam Beneventani, quam in diœcesi Aversana Vici Pantani incolæ deinceps etiam in veneratione habere tuto queunt.*

An rexit ecclesiam Beneventanam ?

8 *Cæterum ea etiam desunt nobis monumenta, ex quibus, utra potior causa sit, Beneventanorum videlicet S.* Tammarum *Africanum pro episcopo quondam suo habentium, an dicti vici incolarum, eumdem apud se defunctum sepultumque esse contendentium, rite pronuntiem; etsi interim dissimulare nequeam, his posterioribus magis favere laudata S. Castrensis Acta, quæ diserte habent S. Castrensem prope Suessanam urbem post suum in Campaniam adventum* magis cellulæ pauperculæ *amplexum esse* hospitium, quam terrenas divitias ac favores populi; *quamobrem* B *ejus etiam socium sanctum nostrum* Tammarum *solitarium in Campania locum elegisse suspicari possumus. Accedit quod ejusdem memoria multo celebrior sit in Campania, hodie* Terra Laboris, *Italis* Terra di Lavoro *dicta, quam in territorio Beneventano, ut liquet ex variis, quæ eidem Sancto in Campania dedicatæ extiterunt, partimque hodie existunt, ecclesiis, a Michaële Monacho in hunc modum recensitis* (*a*): Habet (S. Tammarus) pagum et parochialem ecclesiam sui vocabuli a civitate (*Capuana*) mille passibus in via regia nova Neapolitana. Habuit olim ecclesiam prope villam, quæ dicebatur S. Nazarius in Terra Lanii (*a Clanio, Italis Lagno, parvo flumine, quod territorium Capuanum ab Aversano dividit, sic dicta*) et in villa quæ dicebatur Attignano in terra Canciæ, et in diœcesi Calvensi ecclesia S. Tammari de Monte erat subdita Archiepiscopo Capuano anno 1173. *Constat id postremum ex Diplomate Alexandri III eodem anno dato, in quo inter possessiones, quas hic Pontifex Alphano Archiepiscopo Capuano confirmat, recensetur eadem* ecclesia S. Tammari de Monte. *Unde non levis oritur suspicio S.* Tammarum *magis ad Campaniæ incolas, quam ad Beneventanos spectare. Non ita quidem certus est S.* Tammari *episcopatus Beneventanus, ut de eo ipsimet Itali non dubitent, et nominatim Michaël Monachus, qui in suis ad Acta S. Castrensis Observationibus ita loquitur* (*b*): Habent Acta S. Castrensem prope Suessam consedisse : habet Breviarium Capuanum S. Priscum consedisse Capuæ : de reliquis nihil adhuc certi asseritur : sunt qui dicant Tammarum Beneventi. E

AUCTORE C. G. D

(*a*) Sanctuar. Cap., p. 451. — (*b*) Ibid., p. 16.

DE S. CONOGANO EPISC. CONF. CORISOPITI IN BRITANNIA MINORE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B.

C § I. Discutiuntur Acta ab Alberto Le Grand conscripta. F

PROBABILIUS SÆC. VI.

Sancti Acta parum antiqua;

Corisopitum Cornubiæ, Gallice Cornouailles, *quæ Britanniæ Armoricæ Inferioris provincia est, caput, ad Oderam fluvium* (Odet) *tribus circiter ab Oceano leucis dissitum, episcopalis civitas est, archiepiscopatui Turonensi suffraganea; olim quidem* Quimper-Odet, *exinde vero* Quimper-Corentin *Gallice a S. Corentino dicta. Fueritne is reipsa primus ejus loci episcopus, et qua ætate Corisopitensibus primum datus sit præsul, ad diem* XII *Decembris, quo colitur, discutiendum est : huic Corisopitensium episcoporum Catalogi, sed quorum haud magna fides est, subjiciunt, et quidem proxime, de quo hic nobis sermo est, S.* Conoganum, Guenegandum *vel* Guennucum, *Gallis* S. Conocain, Guénégand, *vel* Guennekut *dictum. Vitam ejus collegerunt typisque mandarunt P. Albertus le Grand, Britannus Morlæensis ex Ordine S. Dominici, in Vitis Sanctorum Britanniæ* (*a*), *et Jacobus Malbrancq, Belga e Societate Jesu, lib.* IV *de Morinis cap.* XXIV : *Albertus quidem ex antiquo S.* Conogani *prope Landernacum in Inferiore Britannia ecclesiæ Legendario, a loci vicario sibi subministrato anno* 1624; *Malbrancus vero ex apographo, quod illi P. Jacobus Bernard, Britannus, e Societate Jesu, ex Annalæo Corisopitensi descriptum transmiserat. Neuter cujus antiquitatis sit Legendarium ecclesiæ S.* Conogani, *vel Annalæum, ut vocant, Corisopitense exponit : at non adeo antiqua videntur, quin diu post S.* Conogani *ætatem scribi potuerint, atque adeo non ea sunt, ut magnam sibi auctoritatem fidemque concilient.*

natale solum et genus;

2 *Albertus S.* Conogani *Vitam verbis hisce, sed Gallicis, quæ Latine reddo, exorditur :* Beatus præsul S. Conoganus in Britannia Inferiore natus est ex familia de la Pallue prope Landernacum in Leonensibus, ex parentibus opulentis ac apud suos

(*a*) Vies des SS. de la Bretagne-Armorique, p. 623. Brest, 1837.

AUCTORE J. B.

potentibus, vicecomiti Leonensi Guyomarco propinquis. *Idem quidem natale solum parentesque nobiles S.* Conogano *adscribit Annalæum Corisopitense apud Malbrancum; sed de familia de la Pallue, e qua ortus S.* Conoganus *fuerit, et de parentum ejus cum Guyomarco vicecomite Leonensi propinquitate altum silet : suspicor itaque Albertum id S.* Conogani *Actis addidisse de suo : neque quidquam fuisse illi in promptu credo, unde familiam de la Pallue inde a sæculo* IV, *quo natum S.* Conoganum *censet, floruisse probatum daret; quod etsi Legendarium ecclesiæ sancto Præsuli dicatæ conceptis verbis affirmaret, difficile tamen creditu foret. Alberti item additamentis adscribo scutum gentilitium S.* Conogani, *quod in episcoporum Corisopitensium serie describit; quasi horum usum posterioribus longe sæculis primum emersisse non sit cuilibet exploratum. Num exstiterit, S.* Conogano *in vivis agente, Guyomarcus vicecomes Leonensis, dicendo haud sum : vicecomitem Leonensem hujus quidem nominis, in Britanniæ regem electum, Argentræus lib.* II *cap.* X *Hist. Britannicæ memorat; sed is sæculo* IX, *regnante in Galliis Ludovico Pio, fuit : potuit tamen Alberto ansam præbere fingendi alterum, S.* Conogano *propinquum. Rursum Albertum audiamus.*

juventus pie exacta;

3 *Ita pergit :* Datus his (*parentibus suis*) cœlitus fuit (*S. Conoganus*) ut generis sui decus aliquando foret, multorumque sanctorum religiosorum, qui ex ejus schola egressi fidelium animos cœlesti gratiæ rore respergerent, pater ac magister. Sollicite in ædibus paternis educatus, jam septennis Corisopitum missus fuit ad ludum litterarium, quem olim ad nobilium regni sui juvenum instructionem Grallo rex instituerat. Sexennium eo in collegio humanioribus litteris sic impendit, ut a virtutibus semita non recederet : Philosophiæ vero in eadem urbe biennium; quo exacto, annis ipsis quatuor sacræ Theologiæ operam ea morum modestia dedit, ut tum abbati, tum monachis summopere probaretur. *Cum ex ejus schola religiosorum non exiguum numerum proditurum audis, nonne in animum inducas, S.* Conoganum *multis aliquando religiosis abbatem præfuisse? At infra e monacho episcopus, ne ulla quidem abbatialis muneris ab illo gesti mentione injecta, factus esse dicetur. Definitus annorum numerus singulis scientiis a S.* Conogano *impensus additamentum putamus esse Alberti, priscam studiorum rationem hodiernæ similem fuisse rati. Dein, qui fieri potuit, ut institutum Corisopiti a Gradlono, jam Britanniæ rege, uti verba mox citata innuunt, S.* Conoganus *gymnasium septennis frequentarit, litteris profanis sacrisque annos* 12, *aulæ vicecomitis, ut paulo post dicetur, annos* 5 *impenderit, factusque fuerit Corisopitensis episcopus, ut in serie episcoporum Corisopitensium Albertus scribit, anno* 403, *cum anno* 388, *ex Alberti sententia, Gradlonus regni Armorici habenas susceperit? Si enim anno* 388 *annos* 19 *adjeceris, ad annum* 407 *usque pervenies. Sed demus gymnasium a Gradlono nondum rege conditum fuisse; demus item id anno* 383, *cui Britannorum in Armoricam appulsus innecti solet, contigisse. Natus hoc pacto fuerit S.* Conoganus *anno* 376; *a quo ad annum* 403 *anni numerantur dumtaxat* 27 : *annis* 19 *porro adjiciendi sunt, ut ad annum ætatis* Conogani, *quo Corisopitensem sedem adiit, pervenias, præter annos* 5 *in aula Leonensi exactos anni verosimillime non pauci, quos ut infra mox Acta Albertina tradent, prope Landernacum presbyter, quos dein solitarius, denique quos Landeveneci monachus prius exegit, quam episcopus fieret : non fit autem verisimile S.* Conoganum *ad eam dignitatem evectum ætate tam parum provecta. Actorum ab Alberto editorum textum prosequor.*

integritas inter aulicos; sacerdotium;

4 Hinc (*e Landevenecensi monasterio*) revocatum parentes, a quibus mundo destinabatur, ad aulam vicecomitis Leonensis, ut ei a latere esset, amandarunt. Profectus eo est sanctus adolescens, licet ab aulæ strepitu alienus, ne parentibus faceret ægre; amiceque a vicecomite Leonensi exceptus. Factum id non sine singulari Dei nutu videtur; nam aula isthæc brevi usque adeo ejus opera emendata est, ut monasterium magis, quam principis aula videretur. Peregit hic annos quinque ab aulicorum vitiis integer : verum ad perfectiorem vitæ rationem aspirans missionem petiit, domumque reversus palam parentibus edixit, id sibi in votis esse, ut mundo vale omnino diceret, Deoque se devoveret. Abnuere illi primum : demum vero, perspecto obfirmato ejus animo, annuere. Ordinibus minoribus ac majoribus sacerdotioque susceptis, auctus beneficio, parentibus satagentibus, fuit; at quo brevi potitus est. Locum enim natalem (la Palluc) patre mortuo, urbe relicta repetiit, ubi splendidum in ædium suarum vicinia sacellum condidit, in quo quotidie summa pietate litabat. *Nihil hic quidem occurrit, quod falsi arguam : id unum observo, in Actis a Malebranco editis nihil penitus legi, unde in aula vicecomitis Leonensis S.* Conoganum *conjicias vel aliquando fuisse versatum : sed quod horum scriptorem latuit, perspectum habere potuit is, qui edita ab Alberto Acta confecit.*

austera in eremo vitæ ratio; monachatus,

5 *Patrem jam amiserat* Conoganus, *quo mortuo, ut vidimus, urbanos strepitus fugit : matre orbatus, solitudinem adiit :* Solum patrium, *inquiunt Acta Albertina,* ædesque suas cum deserto commutavit, in quo vitæ genus instituit tantæ austeritatis et exempli, ut brevi sanctimoniæ ejus universam Britanniam fama pervaserit, adeo ut frequentari a populo ejus solitudo cœpta sit, eaque de causa illam prorsus deserere decreverit, seque in Landevenecense, in quo disciplinis Theologicis olim imbutus fuerat, monasterium abdere. Abbas, ut qui viri merita editaque, cum junior Theologiæ operam daret, sanctimoniæ specimina probe perspecta haberet, passis ulnis exceptum, universo monachorum suffragante cœtu, Ordinis habitu induit, tironibusque adscripsit. Novos mores novus Christi Miles induit, quasi virtutis ne a limite quidem tramitem salutasset. Animi demissione, caritate, patientia, mansuetudine socios omnes superabat : a templi recessu, in quo animum cœlestium rerum contemplatione pascebat, non discedebat. Pane victitabat aceroso, herbis radicibusque, vino, nisi sacrificandum foret, prorsus abstinens. Lectus illi erat aut altaris gradus aut pavimentum frigidum. Ad augmentum meritorum permisit Deus, ut a dæmone non tentationibus modo, sed et spectris illusionibusque vexaretur : at Sancto victoria perpetuo cessit, hoste cum confusione dimisso retusoque.

sed incertus;

6 *Monachatus S.* Conogani *in Landevenecensi monasterio verbis istis planissime traditur : at cur abbatis, quo hoc monasterium moderante, monasticum vitæ genus amplexus est, nomen reticetur? Versari enim in dubio nequaquam id poterat, si vere Albertus* (*a*) *scribit, Gradloni exequiis, anno* 405 *celebratis, S.* Conoganum, *episcopum, una cum S. Winwalœo, Landevenecensi abbate primo, interfuisse. Winwalœi nomen haud expresserit vetus, quo Albertus est usus, ecclesiæ S.* Conogani *Legendarium : sic opinor : alioquin enim cur id indictum Albertus*

(*a*) Ibid., p. 57.

præteriisset?

A *præteriisset? At simul vereor, ut illic, quæ de S.* Conogani *monachatu recitata jam sunt, Albertus invenerit; Annalæum enim Corisopitense de illo non modo verbum nullum facit, sed etiam, cum præcipuam S.* Conogani *cum dæmone luctam memorat, hanc ipsi non, ut supra legitur, monasterium Landevenecense, sed eremum incolenti accidisse testatur: unde fit, ut S. Præsulis monachatus, dum aliunde de eo certiora proferantur, revocari saltem in dubium queat. Quod si reipsa monachus in monasterio Landevenecensi fuit, Scoticam, seu quam e Britannia Majori in Minorem emigrantes monachi eo invexerant, tenueruntque Landevenecenses, usque ad annum* 818, *Ludovici imperatoris quintum, quo Benedictinam amplexi sunt, sectatus fuerit disciplinam. Consule, si vis, ea de re ipsummet imperatoris apud Lobineau* (*a*) *vel tom. I Martii Operis nostri* (*b*) *diploma, in quo conversationis, seu vivendi rationis, et tonsionis Scoticæ, hactenus Landevenecensibus usitatæ, aperta fit mentio. Ad Albertum regredior.*

episcopatus, 7 S. Corentino, *inquit,* Cornubiensi episcopo e vivis sublato, actum est a canonicis populoque in cathedrali templo de successore eligendo; at iniri concordia nequiit : vicarius itaque jejunium pre-
B cesque triduanas indixit, ac die tertio S. Conoganus electus est suffragiis universorum. Civitatem omnem mox pervagata electionis fama gaudio summo excepta est. Missi canonici duo civesque nonnulli, qui Landevenecum electionis nuntium deferrent, quam ratam habere primum noluit : sed legatorum et Corisopitensium importunis precibus urgentique abbatis imperio cedens cathedralem ecclesiam adiit in episcopum consecrandus. Omnium plausu et gaudio exceptus Corisopiti fuit. Simul consecratus, simul emendatius vitæ genus exorsus est; quamquam autem virtutis perfectionisque prodigium fuisset hactenus, persuasum sibi habuit, novam dignitatem perfectionem a se solita majorem postulare. Neque comitatus, neque equus, neque currus illi erat. Domesticis mensa honesta : illi autem panis et aqua cum oleribus paucis. Suspiciebant diœcesani ut sanctum, ac re talem Deus insignibus miraculis comprobavit. [*Modus electionis, quo S.* Conoganus *episcopatum Cornubiensem adiisse fertur, consuetudines sæculi sive quarti sive sexti nullatenus sapit. Tunc enim hujusmodi electio ad metropolitanum et ad reliquos episcopos provinciæ præcipue spectabat. Neque istius sæculi est prin-*
C *cipem Diœcesis Ecclesiam* Cathedralem, *ejus Clerum* Canonicos *vocare. Imo ad hæc tempora nomen et officium vicarii sede vacante plane incognitum erat; quod vix ante Concilium Tridentinum sess.* XXIV. *c.* 16 *de ref. invaluisse juris canonici periti passim docent.*]

post S. Corentini, ut fertur, obitum susceptus; 8 *Memoratus hic loci S. Corentinus colitur die* XII *Decembris, ac primus fuisse creditur Corisopitensis episcopus : id certum, Corisopitum, quod* Quimper-Odet *a fluvio præterlabente olim Gallice dictum, ut ab alio Armoricæ oppido* Quimperlé, *similiter a fluvio* Ellé *sic cognominato, secerneretur,* Quimper-Corentin *insuper dictum fuisse. Successisse huic proxime S.* Conoganum *minus certum. Albertus quidem in serie episcoporum Corisopitensium proximum illi a S. Corentino locum tribuit, uti et Sammarthani fratres. Primum S. Corentini in sede Corisopitensi successorem nominat Lobineau in Vitis Sanctorum Britanniæ, sed addit :* ut fertur, *atque ita ea de re dubitare se innuit : neque immerito; ex duodecim enim primis episcopis Corisopitensibus, quos Albertus affert, nulli certum indubitatumque, quo sederit tempore, atque adeo quo ordine, testimonium assignat : ubi ad Hugonem, ordine decimum tertium pervenit, tandem ait hunc Alani Magni interfuisse comitiis, anno* 689 *in urbe Occismorensi seu Leonensi celebratis : exstant Alani Britanniæ regis litteræ tum confectæ apud Argentræum lib.* I *cap.* XXVIII *excusæ, quibus quinto inter præsules loco sic Hugo subscripsit :* S. Hugonis Cornugalliæ, *seu Cornubiæ. Hæc eo dicta sunt, quod hujus Hugonis proximus decessor fuerit S.* Conoganus, *si Annalæum Corisopitense, seu Monumenta MSS. ejusdem ecclesiæ a Malbranco in paginæ margine citata, S. Præsulis obitum recte signarint; qua de re infra sermo recurret. Nihil quoque certi quoad episcopum, cui proxime successerit S.* Conoganus, *ex dicto Annalæo elicias, cum ejus nomen omnino reticeat. Denique num* Conoganus *abbatis sui imperio, quod num. superiore legitur, cesserit, perinde incertum est, ac incertus est ejusdem monachatus, de quo num.* 6.

AUCTORE J. B.
D

miracula, 9 *Sanctitatem S.* Conogani *insignibus a Deo miraculis comprobatam fuisse supra legimus; sed e multis in Albertino, seu viso abs illo Legendario unum dumtaxat refertur, ac ita habet :* Corisopiti pauper quidam, dudum cæcus, cum S. Præsulis E sacro interesset, ejus ab eleemosynis simul et ad aras ministrum flagitavit aquam, qua hostiam oblaturus manus abluеret : dedit minister vas, quod illam continebat : cæcus vero plenus fidei, Deumque, ut per servi sui S. Conogani merita visum sibi restituere dignaretur, precatus, lavit ea oculos, visumque non sine omnium, qui aderant, stupore recepit. *Idem miraculum Corisopitense Annalæum num.* 3 *memorat : at frequentia fuisse S.* Conogani *miracula satis prodit, cum die uno post habitam ad populum concionem peractaque sacra varios ab illo ægros curatos fuisse ibidem tradit. Additur ibidem res observatu plane digna; omnino tamen in Legendario Albertino indicta : refert scilicet Annalæum Corisopitense S.* Conoganum, *cujus meritis precibusque recuperabant cæci visum, cum ad vitæ exitum inclinare cœpisset, nec paucorum quidem annorum spatio utriusque oculi usu caruisse; quod et S. Audomaro obtigisse Malbrancus observat. Viderit auctor Vitæ S.* Conogani *a Malbranco excusæ monumenta, quæ latere Alberti anonymum potuere.*

sanctusque 10 *Supremum S.* Conogani *morbum obitumque ex citato sæpius Legendario ad hunc modum describit Albertus :* Munere episcopali hactenus sancte perfun- F ctum adorta febris est, lectoque affixit; sic tamen, ut consuetarum exercitationum nihil intermiserit. Revelatum decumbenti ac superna contemplanti aliquando fuit, fore ut die eum postero ex hoc mundo Deus ad perceptionem beatitudinis æternæ evocaret. Lætus is illi nuntius fuit, egitque Numini gratias. Tum vale convocatis canonicis dixit, ac extremæ Unctionis Sacramento coram illis munitus, noctis reliquum contemplando peregit. Postridie, stupente admodum universa familia, e lecto sese proripuit, ecclesiam adiit, sacram parari supellectilem jussit, facturus rem divinam : at, prohibente id valetudinis imbecillitate, facere ad aram vicarium suum jussit, acceptoque ex ejus manibus sacro Viatico, domum redux, lectoque, indutus supparo et humerali, recumbens, coram canonicis numerosaque multitudine populi spiritum Creatori reddidit XV Octobris, anno CCCCLVI. *Fertur hic S.* Conoganus *in animo habuisse jam morti proximus sacrum celebrare; sed corporis infirmitate impeditum e vicarii manibus sacro Viatico fuisse munitum : at*

(*a*) Hist. de Bret., t. II, col. 26 *et* D. Morice, Mém. pour serv. à l'hist. de Bret., t. I, col. 228. — (*b*) Ad diem III Mart., p. 260, not. *c.*

Annalæum

AUCTORE J. B.

Annalæum Corisopitense, prout a Malbranco nobis exhibetur, Christi Corpore et Sanguine seipsum A *refocillasse perhibet. Ita sese res habet; verum ita accipi ea verba possunt, ut ea refocillatio in sola Viatici sacri, manibus alienis illi administrati, susceptione fuerit sita.*

ex hac vita discessus.

11 *Quæret hic etiam aliquis, num vero fiat simile,* S. Conoganum, *si, ut in Annalæo Corisopitensi legitur, cæcus erat, sacrum celebrare voluisse, aut reipsa, quod quodammodo allata Annalæi Corisopitensis verba insinuant, celebrasse? Respondeo, factum id videri etiam a S. Audomaro Taruanensi, cujus morbum extremum obitumque non absimilem tom. III Septembris* (*a*) *Vitæ ejus scriptor anonymus ita describit.* Post hæc (*post amissum oculorum usum*) paucis intervenientibus annis, cum prædictus venerabilis vitæ senex Audomarus nimio febris ardore fuisset fatigatus, cumque diem obitus sui adfuisse cognovisset, eodem die de lectulo, in quo jacebat, surrexit, atque in ecclesiam ingressus, pronus coram altari cum lacrymis Dominum pro se et pro circumstante eum rogavit populo. Corpus vero Christi et Sanguinem communicando, turbisque se circumdantibus prædicando . . . . ad suum iterum re- B versus lectulum . . . *ex hac vita migravit : immo vero S. Audomarum, visu orbatum* per singulos dies *immolasse Altissimo, auctor Vitæ secundæ addidit* (*b*); *nescio tamen an ex vero, nihil hujusmodi affirmante priore anonymo. Præplacet tamen Legendarii Albertini narratio.*

§ II. Sæculum, quo probabilius floruit, et cultus sacer.

Sanctum Albertus vixisse credit sæc. V.

D*issensio longe major inter Alberti Legendarium et Annalæum seu aliud fortasse quoddam monumentum Corisopitense MS., a Malbranco in margine citatum, est, si de tempore S.* Conogani *emortuali est quæstio : illud enim ejus obitum, ut supra videre est, affigit anno* 456; *nisi forte ex Alberti annus iste penu prodierit : hoc autem anno* 686 : *alii vago quodam modo ad sæculum* VI *spectare S.* Conoganum *volunt. Alberti le Grand sententia est, sedisse eum* C *Corisopiti ab anno* 403 *usque ad* 456, *huic maxime innixa fundamento, quod Gradloni, Britanniæ, ut vocat, regis, anno* 405 *defuncti exequiis jam episcopus interfuerit. Eo enim anno defunctum esse Gradlonum confici inprimis putat ex ejus Epitaphio, quod in sacello, in quo sepultus est, Landevenecensis ecclesiæ ita legitur :*

Hoc in sarcophago jacet inclyta magna propago
Gradlonus magnus Britonum rex, mitis ut agnus :
Noster fundator, vitæ cœlestis amator,
Illi propitia sit semper Virgo Maria.
Obiit anno Domini CCCCV.

ex monumentis

13 *Interfuisse ejus exequiis S.* Conoganum *jam episcopum probatum item credit ex fragmento Landenevecensi, cui titulus :* De exequiis regis Gradloni, *his verbis partim concepto :* Erant cum Guennuco (*seu* Conogano) episcopo pontificante, Winwalocus abbas de Landtteguennok . . . Gildas abbas Rhuiti, etc. *Quibus accedunt hæc Necrologii Landenevecensis verba :* Nonis Januarii anno CCCCV obiit Grallonus D rex magnus fundator istius monasterii. *Quartum his non absimile instrumentum citat Henschenius tom. I. Martii,* (*c*) *Commentarii de S. Winwaloeo num.* 6, *cujus initium :* Ego Gradlonus rex veni usque Lantequenec ad S. Guingualoëum anno Domini CCCC, Indictione X, concurrente VII, festique Paschalis VIII Kalendas Apriles . . . . . Et hæc excerpta sunt (*non ante* 900, *uti apud Henschenium citatum videre est*) ex donariis collatis S. Guingaloëo. *Instrumenti titulus erat :* De his qui colloquio Sancti frui meruerunt. *Unde efficitur, si sincera hæc instrumenta fuerint, eadem vixisse ætate sub sæculi* IV *et* V *confinia Gradlonum, alibi* Britanniæ, *alibi* Cornubiæ *regem appellatum, SS.* Conoganum, *Winwaloeum et Gildam.*

haud sinceris :

14 *Verum nauci illa habent Robertus Denyoldus in Rollone Normanno-Britanno cap.* V; *Henschenius citatus, Lobineau in Vitis Sanctorum Britanniæ* (*d*) *in S. Corentino. Epitaphium e versibus Leoninis conflatum prodit se natum post sæculum* V. *Cætera ex ætate, qua Gradlonus, S. Winwalœus et S. Gildas vixere, confutantur. Sæculo* VI *vixisse S. Winwalœum ostendit Henschenius citatus ex triplici temporum charactere. S. Gildæ, abbatis Ruyensis, cui* E Sapientis *cognomen adhæsit, Vitam illustravit idem Henschenius ad diem* XXIX *Januarii, ostenditque ex ipsiusmet Gildæ scriptis, eum sub exitum sæculi* V, *anno nimirum* 493, *in vivis numerari cæptum. Albertus quidem in Vita S. Gildæ* (*e*) *Gildas duos, utrumque Sanctum, utrumque monasterii Ruyensis in Venetis Armoricis abbatem, distinguit; quorum prior Ruyensis monasterii, anno* 399 *a Gradlono fundati, abbas primus fuerit et dicti regis cancellarius, alter vero cognomento* Sapiens *ejusdem monasterii instaurator : sed distinctionem illam citatus proxime Henschenius evertit, Commentarii sui* § 3 *ostendens unicum in Galliis S. Gildam exstitisse. Verum nec ipse sibi Albertus constat, ut qui tom. II seu altera Operis sui parte pag.* 361, *prioris sui Gildæ veluti oblitus Gildam* Sapientem *Gradloni regis cancellarium faciat. Spectant igitur SS. Winwalœus et Gildas ad sæculum* VI, *corruuntque, quæ de iis in fragmento Landevenecensi, tamquam Gradlono regi anno* 405 *parentantibus, perhibentur.*

at floruisse sæc. VI.

15 *Eodem quoque Gradlonus verosimilius spectat,* F *aut certe ad sæculi* V *finem. Instrumentum Gradloni, quod supra num.* 13 *quarto loco exhibetur, recte quidem Henschenius carpit, tum quod ibi anni Incarnationis Domini, sæculo* V *nondum usitati, adhibeantur, tum quod anno CCCCV Pascha non in* VIII *Kalendas Apriles, uti illic legitur, sed in ipsas Kalendas inciderit. Recte item censet, melius scripturum fuisse, qui donationes S. Winwalœo factas excerpsit, si mutata Indictione* X *in* XIII *signasset annum* 490, *quo concurrente* VII, *Pascha* VIII *Kalendas Aprilis celebratum fuit. Hinc tamen illo anno vixisse Gradlonum haud satis certo evincitur : ad eumdem enim modum dicere Albertus, qui Gradlonum anno* 405 *obiisse statuit, aut ejus, si qui sunt, sequaces possent, signandum fuisse, mutata Indictione* X *in* VIII, *annum* 395, *quo concurrente* VII, *cyclo Solis* XII, *Lunæ* XVI, *littera Dominicali G, festum Paschale* VIII *Kalendas Aprilis celebratum fuit. Verum alia non desunt indicia, ex quibus colligi possit, vixisse sub sæculi* V *finem Gradlonum, quod plane opinatur Henschenius. Eruuntur autem hæc indicia partim ex Gregorio Turonensi, partim ex Instrumentis quibusdam, ad Gradlonum spectan-*

(*a*) Ad diem IX Sept., p. 399. — (*b*) Ibid., p. 404. — (*c*) Ad diem III Martii, p. 246. — (*d*) Vies des SS. de Bret., p. 52, et idem Liber editus novis curis Parisiensis Canonici Tresvaux, an. 1836, t. I, p. 32. — (*e*) p. 18.

tibus,

A *tibus, quæ Lobineau* (*a*) *inter Historiæ Britanniæ Monumenta retulit.*

ob indicia 16 *Qui Francorum imperium in Britanniam Armoricam usque propagaret ante Clodoveum, anno* 511 *defunctum, nemo fuit : hic vero Armoricos saltem partim sibi non solum subjectos habuit, sed regium etiam titulum ab eorum principibus abstulit.* Non ignoras, *scribunt ad Nomenoium, quem* priorem gentis Britannicæ *vocant, Concilii Turonensis* IV, (*b*) *anno* 849 *celebrati, Patres,* quod certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerint, quos ipsi vindicaverunt sibi, et certi, quos petentibus concesserunt Britannis. *Sibi vindicasse videtur Clodoveus civitates Namnetensem, Redonensem Venetamque, cum harum episcopi ex omni Britannia soli Concilio Aurelianensi primo, ad quod omnes regni sui episcopos Clodoveus convocaverat, interfuerint. Britones vero cæteros, quos ante possederant fines habere sivit, at certis, ut apparet, conditionibus, quas inter una verosimiliter fuerit, ne Britonum deinceps principes se* reges *dicerent : unde Gregorius Turonensis, sæculi* VI *scriptor, ait :* Nam semper Britanni sub Francorum potestate post obitum regis Clodovei fuerunt, et comites, non reges appellati
B sunt. *Inter Britones, qui quodammodo veteri suo juri relicti fuere, numerandi verosimillime sunt Cornubienses, quorum caput, Corisopitum erat. Britannicum vero bellum Pagius sub annum* 503, *P. Daniel post annum* 507 *retulit : cum autem, uti observat Lobineau in S. Corentino, Gradlonus nullis in Actis Notitiisve comes vel dux appelletur, mortuus verosimiliter fuerit ante Clodoveum, post cujus obitum Britanniæ principes appellari* reges (*saltem aliquamdiu*) *desierunt.*

hic adducta 17 *Sunt porro et indicia quædam, quæ Gradlonum Clodoveo Franciæ regi æqualem fuisse insinuent. Lobineau* (*c*) *geminum Instrumentum ex Chartulario Landenevenecensi profert, quorum primum* (*idem forte, ac id cujus num.* 13 *ex Henschenio meminimus, sed hic absque temporum notis expressum*) *ita habet :* Ego Gradlonus gratia Dei rex Britonum, nec non ex parte Francorum cupiebam videre Sanctum Dei Guengualoeum ex multis temporibus. Idcirco obvius fui illi per viam in loco, qui vocatur Pulcarvan. Et ideo do et concedo de mea propria hæreditate S. Guengualoeo, *etc. Interpolatum id esse facile quidem agnosco; cum nec formula* Gratia Dei *ante Pippinum, Caroli Mar-*
C *telli filium, usitata fuerit, nec monasteria a primis suis præsulibus denominari soluerint, adjecto his* Sancti *titulo, quamdiu in vivis erant : plane fictitium non ausim dicere : quid si enim Donationum S. Guengualoeo, seu monasterio Landevenecensi factarum collectori seu ex antiquis ejus monasterii monumentis, seu aliunde, Gradlonum aliquamdiu veterem ditionem suam Francorum beneficio possedisse, constiterit, ac propterea Gradlonum* regem Britanniæ *etiam* ex parte Francorum *nominare sine piaculo se posse existimarit? Quod si ita est, nescio, quo hæc aptius, quam ad Clodovei tempora referri queant.*

magis nobis probatur. 18 *Alterum vero ex ejusdem monasterii Cartulario depromptum instrumentum verbis hisce concipitur :* Hæc memoria retinet, quod emit Gradlonus Enes-hir atque Racheves Kerbalavan nec non et Serechan de auro atque argento, quod accepit a filiis regis Francorum et postea tradidit S. Guengaloco in decumbitione æterna Tresper.... Trefles, Morcat, Sent-urgestle, *etc. Cujus, dic amabo, rei gratia, quove proposito sibi scopo aut commodo, Gradlonum accepisse a regis Francorum filiis aurum argentumque finxisset dictarum donationum collector, nisi hæc litteris jam olim consignata reperisset? At quinam porro memorati isthic regis Francorum filii? Cum et hæc sapere videantur eam temporis epocham, qua Britanni sub Francorum quodammodo potestate esse cœperunt, vero admodum simile reor, filiorum regis Francorum nomine, Theodoricum, Childebertum, Clodomirum et Clotarium, paternum regnum anno* 511 *partitos, hic intelligi. Vixerit itaque probabilius sæculo partim quinto, partim sexto, non quarto et quinto, quibus cum Britannis Armoricis Francorum regibus nihil rei fuit : atque adeo, spectata Gradloni ætate, S.* Conoganus, *si Gradlono æqualis fuit, ad sæculum* VI *referendus est. Dixi, si Gradlono æqualis fuit; nam neque huic, neque S. Winwaloeo æqualem fuisse, quidquid Albertus citataque abs illo monumenta dicant, est certum. Malbrancus enim de Morinis lib.* IV *cap.* XXIV *ex Monumento Corisopitensi MS. quod in margine laudat, ad Beatorum societatem transiisse S.* Conoganum *Corisopitensis urbis et provinciæ episcopum scribit anno* 686 : *at, cum cujusmodi sit id MS.*
plane ignorem, sententiæ Sanctum illum sæculo VI E *floruisse statuenti interim, tamquam probabiliori adhærere, dum quid in contrarium magis plausibile proferatur, est visum : unde vero annum, quo obiit, determinem, nihil omnino suppetit.*

AUCTORE J. B.
D

19 Corpus ejus in templo cathedrali Corisopi- *S.*Conoganum tensi, *inquit Albertus,* fuit conditum, multisque a Deo illustratum miraculis : *verum pugna hic inter Alberti Legendarium et Annalæum Corisopitense a Malbranco laudatum oritur : huic enim si habenda fides est, clerum inter et S.* Conogani *consanguineos de ejus corpore exorta lis est; sed illud illi, non jure, sed potentia potiores impetratum suomet condidere sacrario. Passum fuisse populum Corisopitensem, ut episcopi, miraculis etiam, dum inter illos viveret, clari, privatis in ædibus recluderetur, ægre inducar, ut credam : sepultum illud more recepto in cathedrali templo fuerit, illicque permanserit integrum; sic tamen, ut nonnihil ex illo deinceps ejus consanguinei, licet ægre, fortassis impetrarint, suaque inter cimelia conservarint. Mansit porro apud Corisopitenses S.* Conogani *corpus, ut nemine contradicente Albertus scribit, usque ad annum* 878, *quo ob Normannorum metum Monstrolium* (*quod Picardiæ ad fluvium Quantiam oppidum est,* Montreuil *Gallice dictum*) *delatum, et in abbatia S. Salvii Ordinis S. Benedicti depositum fuit, uti ex infra dicendis palam fiet. Translationi hæc fuit occasio : occiso Salomone Britanniæ rege anno* 874, *digladiantibusque inter se de imperio regionis proceribus, provocati ad prædam Dani Britanniam infestis navibus aggressi ac depopulati sunt, donec inde ab Alano Britanniæ duce anno* 879 *expulsi sunt; qua de re ita habet Chronicum Britannicum apud Lobineau* (*d*) : DCCCLXXIX. Alanus cognomento magnus, expulsis a Britannia paganis Danis et Northmannis, cunctis Britonum proceribus in subjectionem positis post multa miserabilia bella intestina una totius exercitus voce factus est Britanniæ dux.
F

ut Britanni semper, 20 *Alberti Vitam S.* Conogani *absolventis verba, quibus post relatam translationem modo dictam, memorat ædes etiam eidem Sancto sacras, hac in re testis fide dignus, utpote de rebus patriis, sibique, ut credere par est, probe notis loquens, demum pariter accipe.* Haud procul, *inquit,* Landernaco templum

(*a*) Hist. de Bret., t. II, col. 17. — (*b*) Seu potius *Parisiensis.* Labbe, t. VIII, col. 60. — (*c*) Hist. de Bret., t. II, col. 17. — (*d*) Ibid., t. II, col. 32.

AUCTORE J. B.

parochiale visitur, ædibus Paluanis contiguum, ejus memoriæ sacrum : est et sacellum exiguum, media leuca Corisopito dissitum, a febricitantibus admodum frequentatum, quorum plerisque valetudo pristina restituitur. Elevatum e terra corpus fuit, ossaque in ecclesia cathedrali reverenter servata ad usque DCCCLXXVIII, quo, ut Normannorum furori eriperentur, Monstrolium translata fuere, ubi magna cum veneratione servantur. *Patet hinc cultus sacer apud Britones S.* Conogano *impensus, confirmaturque ex veteri Breviario Corisopitensi typis excuso, sed initio ac fine mutilo, in quo Officium ejus post S. Callisti Pontificis festum, recitandum præcipitur quidem, sed* totum de communi. [*Similem ordinem reperio in Proprio Corisopitensi, authoritate venerabilis Capituli, sede vacante, editi anno* 1642 *a Carolo Guyet societatis nostræ presbytero, ut loquitur additio manu exarata in meo exemplari. Unde ironiam sacræ liturgiæ indignam sapit quod legi dicitur in Breviario Cornubiensi anni* 1789. *Idcirco nempe legendam S. Conogani non tradit,* quia hoc spirituale pratum Conogani ingressis, nobis idem evenit, ut si quis in pratum ingressus, et multas rosas, violas multas, ac lilia et alios vernos flores varios et diversos intuitus, ambigat quem primo loco, quem secundo perspexerit, dum singuli flores oculos ad se rapiant. *Quoniam mihi deest Breviarium, hæc descripsi e recentiore editione Alberti Le Grand* (*a*).] *Kalendarium MS. sæculo* XV *scriptum, abbatiæ S. Mevenni apud Lobineau ad calcem Vitarum Sanctorum Britanniæ item sic habet :* Idibus (*Octobris*) Conogani episcopi, VIII Lect. item Areleti Martyris, IV Lect. de utroque omnia de communi. *Kalendarium veteris Breviarii Leonensis ad eumdem diem :* Conognani episcopi et confessoris IX Lect. de communi. Conogani *nomen in Kalendariis cæteris ibidem excusis non comparet. Unde opinor, aut Legendarium, ex quo S.* Conogani *Vitam Albertus deprompsit, olim fuisse passim ignotum, aut fidei non adeo firmæ tum temporis visum fuisse, ut Lectiones inde S.* Conogano *propriæ conficerentur.*

ita et Monstrolienses, acceptis ejus reliquiis,

21 *Ex quo porro ejus e Britannia Monstrolium translatæ fuere exuviæ, magna illic quoque, ut Albertus ait, in veneratione servatas fuisse, testimonio luculento est, religiosorum S. Salvii in dicto oppido virorum de illis perpetuo et cum honore debito conservandis cura et sollicitudo : cum enim capsa lignea, cui inclusæ erant, jam esset vetustate pene detrita et exesa, S.* Conogani *reliquias in novam Joannis de Haricuria, episcopi Ambianensis opera solemni ritu, ingentique tum civium, tum vicinorum pagorum concursu transponendas curaverunt anno* 1424, *die Junii* XIII, *uti ex Instrumento sequenti, a V. C. Jacobo de Boves, ecclesiæ S. Winwaloei Monstrolii parocho, et collegiatæ S. Firmini Martyris ibidem canonico ad Majores nostros anno* 1664 *transmisso, manifestum fit : id ita sonat :* Universis præsentes litteras, sive hoc præsens instrumentum inspecturis Joannes de Haricuria miseratione divina episcopus Ambianensis salutem in Domino sempiternam et præsentibus dare fidem : notum facimus, quod nos in ecclesia monasterii S. Salvii de Monsterolo Ordinis S. Benedicti nostræ diœcesis visitationis officium exercentes inter cætera vidimus et palpavimus corpora Sanctorum Corentini et Conocani ab antiquissimis temporibus reposita in quadam theca seu feretro nemoreo (*seu ligneo*) quæ quidem theca propter antiquitatem multum demoliebatur.

magna in veneratione

22 Unde etiam ad supplicationem et requestam ac in præsentia religiosorum dicti monasterii, eorum abbate (*Andrea de Milly*) absente, etiam aliorum tam cleri, quam populi, ob hoc in multitudine coram nobis comparente, assistenteque omni plebe dictæ villæ et plurium aliarum villarum et locorum adjacentium, solemniter, honorifice ac devote post celebrationem Missæ in dicta ecclesia per nos celebratæ eadem corpora Sanctorum Corentini et Conocani a dicta veteri theca in novam thecam honestam et honestabilem (*lege* notabilem, *uti habetur in Instrumento Petri, episcopi Ambianensis de transpositis similiter e vetere in novam thecam reliquiis S. Winwaloei tom. I Martii* (*b*), *ubi eadem, quæ hic, verba leguntur*) reposuimus et includi fecimus realiter. In qua quidem theca veteri cum dictis Sanctis corporibus erat quædam cedula, de antiqua scriptura facta, verba sequentia continens : « Hic requiescunt corpora Sanctorum Corentini et Conocani » et his peractis venerabilis et religiosus vir, Frater Johannes Valeri, lector Carmelitarum dicti loci Monsteroli verbum Domini proposuit, vitam, virtutem et merita corporum Sanctorum narrando et declarando ad laudem Dei et recommendationem eorumdem Sanctorum totiusque curiæ cœlestis. Quod omnibus, quorum interest, tenore præsentium certificamus, et in hujus rei testimonium fecimus præsentes litteras sive hoc publicum instrumentum fieri ac sigillo nostro cum signo et subscriptione notarii infrascripti (*tam sigillum, quam subscriptio notarii absunt ab apographo nostro*) roborari.

habuerunt.

23 Datum et actum in loco prædicto anno ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, Indictione secunda; mensis vero Junii die decima tertia, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini divina providentia quinti anno septimo (*creatus fuit* XI, *consecratus* XXI *Novembris anni* 1417) præsentibus venerabilibus in Christo Patribus (*Arnulfo III, vel Widone II*) S. Judoci supra mare, et, (*Joanne III* de Conteville) Foresti-monasterii monasteriorum abbatibus, veneranda domina (*Margarita V d'Escoffen*) abbatissa S. Austrebertæ dicti loci Monsteroli Ordinis et diœcesis nostræ prædictorum; venerabilibus Patribus (*forte Ægidio*) de Longovillari Cisterciensis Ordinis, Morinorum (*nunc Boloniensis*) diœcesis, et (*Nicolao de Abbatisvilla*) S. Andreæ in Nemore Ordinis Præmonstratensis et nostræ diœcesis monasteriorum abbatibus cum multis aliis, etc. *Una eademque sandapila, argento obducta, SS. Corentini et* Conogani *reliquiæ inclusæ sunt. S. Corentini* corpus universum hactenus in Morinis adservatum *ait Malbrancus lib.* II *cap.* XXII, *quod qui componi cum translatione Reliquiarum, de qua Henschenius tom. I Martii* (*c*) *Parisios facta possint, ad diem* XII *Decembris Sancto illi sacram, dispiciendum erit. S.* Conogani, *ad quem ista difficultas haud spectat, etiam festum in supradictis Notitiis Monstrolio ad Majores nostros missis lego die* XV *Octobris ibidem celebrari, ad quem pariter diem apud binos sequentes martyrologos memorantur, ut sequitur : apud Castellanum in Martyrologio Universali :* In Britannia Inferiore S. Guenegani, episcopi Corisopitensis, cujus corpus Monstrolii in Picardia est in S. Salvii abbatia. *Apud auctorem Martyrologii Parisiensis jussu cardinalis de Noailles editi, qui sub annum* 598 *defunctum statuit :* In Aremoricis Sancti Cognogani Corisopitensis episcopi. S. Conogani *Acta, prout ea Gallice Albertus Le Grand dedit, sparsim huic commentario inserui : sequuntur ea, quæ Malbrancus edidit.*

(*a*) p. 626, not. 3. — (*b*) Ad diem III Mart., p. 249, num. 16. — (*c*) Ibid., p. 248, num. 12.

A

ACTA

Ex Jacobo Malbrancq de Morinis, lib. IV cap. XXIV *a*.

CAPUT UNICUM.

Sancti Vita et translatio Monstrolium.

Sanctus, a teneris virtuti deditus,

P rope Landerniam *b* Occasum versus palus est, ad quam nativam auram cœpit Conoganus *c* e parentibus apprime nobilibus *d*. Verisimile est e cognato Germanorum cœtu extitisse, quos diximus spretis mundi oblectamentis et coronis, Christi sanctiorem disciplinam amplexatos : quandoquidem et tempus et nativitatis locus et generis splendor consentiant : unde nostrorum Judoci et Winnoci imaginem solidis virtutibus in se expressit perfectissime *e*. Statim a teneris Deus prodidit, quantam in arborem evaderet hic surculus, cum brevi litterarum rudimentis imbutus *f*, coætaneos omnes longe anteiret. In puero nihil puerile, nihil ludicrum, nihil molle : facta dictave sapientissimos quosque ad congressum invitabant : qui si dilaudarent insolitum ea in ætate genium, non ipse extolli, ut nobilium moris est, sed declinare, atque uti assentatores flocci pendere.

spreta fortuna lautissima,

2 Parente fit orbus, cum jam vernaret ævum. Aderant fortunæ lautissimæ, forma decusque corporis ac generis præcipuum : non deerat puella nobilis, quæ tantis responderet facultatibus : nihilominus ipse ratus sibi technas parari, se protinus sacro inseruit Ordini *g*, quo omnis præscinderetur terrena consectandi materies. Hinc preces ingeminare, Eucharistico cibo se communire, egenis largissime subvenire, ære alieno laborantium nomina dissolvere, nudos integro indumento operire : sicque seipsum lubens fortunis exuebat, ut Christum indueret *h*. Paulo ætate maturior factus, cum aliorum affatim bono destinaretur, suo studere cogitavit C amplius. Locum ab hominum strepitu semotum delegit, quo eremiticam vitam degeret, vitaretque popularem auram, quam nimium circumquaque ventilantem præsentiscebat *i*.

suo solitarius, dein episcopus etiam aliorum bono intentus, k

3 Verum hic molestiore satanæ aura tentari cœpit, *k* atque eos insultus perpeti, ut ad divinas suppetias fuerit confugiendum. Sciebat vero durioribus vitæ exercitamentis hostem illum superari. Nudo pane, aqua, herbarum radicibus, arborum fructibus, vigiliis : quæ omnia subsecivis diebus injunxit sibi nec quicquam tamen de nocturnis diurnisve precibus remittens. Non tegit eremus Conoganum, quo plus latitare studet, eo magis inclarescit per confluentem populorum multitudinem, qui corporis et animi malis medelam referunt præsentissimam. Corisopiti oportet conscendat sedem, quam per eos dies deseruerat episcopus : ea est unanimis vox populi, ea sunt primorum vota : quibus etsi invitus acquiescat, ita tamen sedulo impositam provinciam obit, ut ad vitam actuosam omniumque salutem natus videatur *l*.

fit cæcus,

4 Cæcus quispiam inaudierat episcopum sacris operaturum manus abluisse. Petit obnixe quod in D pollubrum e manibus ejus depluerat tradi *m* et impetrat : mox ut oculis applicuit, lumen recepit perjucundum. Sed video in Conogano quidpiam Audomaro nostro persimile *n*. Ipso diluculo in templum suum concessit, evocata populi concione, ad quem per prolixum diei spatium verba habuit, cujusque pectus mirum in modum percellentia : dein cygneo concentu bonus senex sacris est operatus, quæ excepit variorum ægrorum frequens curatio. Meridianis tandem horis appetentibus, gravi succumbens lassitudine, spondæ se committere coactus est. Quod ut excitæ plebi innotuit, subitus incessit dolor, qui auctus est adhuc pejore nuntio. Fertur enim corporeæ lucis usuram, quam aliis ita potenter impertiebatur, omnino amisisse : et revera multis intervenientibus annis utroque orbe mansit excæcatus *o*. Neque ideo vel levis obmurmurationis aura hominem affecit : quin potius Audomari nostri instar *p*, de caducæ lucis amissione gratatur sibi, ut intus commodius cœlesti perfruatur.

ac tandem obit febre correptus : ejus Reliquias Monstrolium habet.

5 Cæcitatem subsecutus vehementis febris ardor : et appetente die, quo sciret sibi ea ægritudine soluto convasandum, corpus lecto proripit, atque ad ædem trahit, ubi coram ara principe prostratus, Christo Domino non sine uberibus lacrymis circumstantem E populum commendat. Dein Christi Corpore et Sanguine seipsum refocillans, spondam repetit *q*. Obortæ omnibus lacrymæ, quibus valefecerat, suumque apud Omnipotentem præsidium fuerat pollicitus. Vix dici potest quam sereno vultu, quanto cum jubilo vitæ exitum operiebatur. Egressa est anima *r* quasi exultabunda, quod inter angelorum choros sedem sibi paratam cerneret. De corpore vero certatum : nam cum, et merito, Corisopitensis clerus illud vendicaret sibi : parentes tamen et consanguinei, uti potentia et nobilitate valebant plurimum, suomet sacrario impetrarunt *s* : et tandem, uti dictum est, et Corisopitensibus et conterraneis ablatum ad Monstrolienses commigravit *t*.

ANNOTATA.

a *Accepit horum Actorum apographum Malbrancq opera P. Jacobi Bernard Britanni Armoricani, e Societate Jesu, depromptum ex MSS. ecclesiæ Corisopitensis monumentis, seu libro, quem* Annalæum *vocant : sed, num apographum id integre in Opus* F *suum Malebrancus intulerit, ut dubitem, faciunt, quæ Actis præmittit, hæc verba :* Pauca, *ex laudato nempe apographo,* subjiciam : *porro non ita presse id secutus videtur, quin id suo accommodarit stylo, nonnullisque, uti ex infra annotandis liquebit, de suo auxerit additamentis : quæ vero fuerit scriptoris ætas, neque edixit ille, neque est, unde conjiciam. Recentior forte est auctore, quem Albertus le Grand vidit ; sed, cum quædam apud Albertum omissa memoret, adminicula quædam, quibus ille caruit, præ oculis habuisse videtur.*

b *Britanniæ Minoris oppidum, indigenis* Landerneau, *quatuor leucis a Portu Brivate* (le Port de Brest) *dissitum :* [*nunc in Præfectura Finis-terræ* (Dépt du Finistère) *cujus caput est* Corisopitum (Quimper).]

[c Conoganus, *qui, uti n.* 1 *Comment. præv. dictum, et* Guenegandus *ac* Guennucus, *derivatum vocabulum est e lingua Armorica ; qua* guen e gan *significat* Albus est genitus : *unde aliqui putant* Albini *nomen adhæsisse, quo venit in Concilio Venetiis Armoricis celebrato circa annum Christi* 465 (*a*) :

(*a*) Labbe, t. IV, Conc., col. 1057

imo

A *imo et* Venerandum, *cujus nomine,* quia ipse non cerneret, *Jocundinus presbyter subscripsit Concilio Turonico anni* 461 (*a*) *legendum iidem putant* Venecandum, *quod quam proxime ad* Guenegandum *accedit.* (*Cfr Edit. recent. Alberti Le Grand p.* 623. *not.* 1.) *Cæterum præsentia Sancti in iis Conciliis nec cum Albertina, nec cum Malbranciana chronologia conciliari potest. Vid. infr. not.* r.]

d *Tales item perhibet fuisse le Grand, ac vicecomiti Leonensi* (*nescio cui*) *Guyomarco consanguinei vel affines; ex qua prosapia ortam scribit nobilem familiam de la Pallue prope Landternok; sed hæc Actis, quæ præ oculis habuit, Albertum de suo, nec fundate satis, adjecisse existimo.*

e *Hæc est Malebranci tum conjectura, tum interpolatio: non sufficit eadem ætas, patria, generis splendor, similitudoque virtutis, ut ex eadem familia, qua SS. Judocus, Winnocus aliique eorum fratres et sorores, numero licet bene multi fuisse dicantur, S.* Conoganum *ortum fuisse credamus. Colitur S. Judocus* XIII *Decembris, S. Winnocus* VI *Novembris.*

f *Si Alberto credimus, gymnasium Corisopitense a Grallone rege erectum septennis accessit; litteris humanioribus annos* 6, *Philosophiæ* 2, *Theologiæ* 4
B *Landevenecensi in monasterio impendit : sed ista annorum partitio soli Alberto tribuenda videtur.*

g *Secundum Albertum quinquennio aulam incoluerat vicecomitis Leonensis Guyomarci, virtutumque suarum exemplo emendarat, cum ad sa ros ordines animum appulit.*

h *Hæc secundum Acta ab Alberto edita in solo patrio* la Pallue *gesta sunt, relicta nimirum a S.* Conogano *Leonensi aula. Eo item loco sacellum condidit, in quo sacris operabatur quotidie.*

i *Quam tunc Minoris Britanniæ solitudinem adierit, Acta ab Alberto edita nihilo magis explicant.*

k *Tentationum, quibus a dæmone lacessitus fuit, Acta mox laudata etiam meminerunt; sed post relatum S.* Conogani *in monasterio Landevenecensi, in diœcesi Corisopitensi e regione fere portus Brivatis seu Brestii cœnobio monachatum; de quo, quam ex Malebranco hic habes, Sancti ejusdem Vita altum tacet : unde metuo, ne et monachatus ille cæteris adnumerari debeat Alberti commentis. Miror, quid causæ sit, cur abbatis nomen, qui sacra veste S.* Conoganum *induerit, neque hic, neque alibi, quod sciam, expresserit; maxime vero cum in episcoporum Corisopitensium serie S.* Conoganum *jam episcopum*
C *una cum Winwaloeo, primo Landevenecensi abbate* (*de quo vide tom. I Martii* (*b*).) *Gradloni regis exequiis scribat interfuisse anno* 405 *ex Corisopitensi ea de re fragmento, nisi id habuerit fortasse suspectum : cæterum Landevenecenses monachi institutum Scoticum cum Benedictino commutarunt anno* 818, *qua de re videsis Ludovici imperatoris mandatum citatum supra num.* 6.

l *Anno* 403, *uti Albertus censet : num recte, vide-* D
sis comm. prævium num. 12 *et seqq.*

m *Discrimen hic, sed exiguum inter biographum utrumque occurrit. Albertus biographus cæci sanationem adscribit aquæ, qua usus fuerat S.* Conoganus *in ipso sacrificio immaculatam hostiam Deo oblaturus.*

n *Rursum Malebrancum de suo loquentem audire videor.*

o *Nihil hujusmodi habet Albertus : de S. Audomari cæcitate legesis tom. III Septembris* (*c*).

p *Vide litt.* n.

q *Apud Albertum voluisse quidem sacris operari, sed id ne faceret, virium tenuitate impeditus fuisse legitur. Sacrosanctum vero Viaticum e manibus vicarii sui suscepisse. De S. Audomari, item cæci, simili obitu consulesis tom. Operis nostri ad litt.* o *citatum.*

r *Si Albertum audias, anno* 456, *die* XV *Octobris : quod ad diem S.* Conogani *emortualem attinet, Alberto lis non movetur : at, cum Gradlonum, S. Gildam et S. Winwaloeum, quos sæculo* VI *jam longe provecto vixisse Henschenius ad diem* III *Martii* § 1 *Commentarii prævii in Acta S. Winwaloei ostendit,* E
æquales faciat, Henschenianæ quidem sententiæ, quæ pro sæculo sexto pugnat, subscribendum potius reor, quam Albertinæ : at Malebrancus S. Conogani *ad sæculum* VII *ætatem differt.* Anno sexcentesimo sexto, *inquit,* in Britannia Minore apud Corisopitum in Beatorum societatem transit S. Conoganus ejus urbis et provinciæ episcopus. *Videntur quidem hæc ex ecclesiæ Corisopitensis Annalæo* (*vide litt.* a) *hausta; sed, cum cujus ætatis sit liber iste, aut ex quibus fontibus coaluerit, ignorem, dum alicunde res magis dilucidetur, sæculo* VI *vel* VII *S.* Conogani *obitum innectere consultum duxi.*

s *Pugnat hic uterque biographus : Albertus S.* Conogani *exuvias et in cathedrali templo fuisse tumulatas, e terra levatas, et, donec scilicet Corisopito Monstrolium translatæ anno* 878 *fuerunt, cum honore servatas ait. Pro cathedrali ut jus, ita et verisimilitudo major stare videtur, uti et consuetudo magis recepta.*

t *Patet hinc neque Alberti Legendarium, neque Malbranci MS. Corisopitense sæculum nonum, cujus anno* 78 *ea Translatio contigit, antiquitate excedere, nisi hæc Actis a se visis scriptores illi addiderint de suo. Cæterum S.* Conogani *reliquiæ Monstrolium* F
allatæ sunt sub idem tempus, quo S. Winwaloei; id quod annum 877 *inter et* 879 *ex litteris Henrici I Francorum regis, anno* 1092 *Monstrolii datis et partim ab Henschenio citatis, abunde liquet. Dixi* sub idem tempus, *eo quod instrumentum exhibeat Lobineau* (*d*) *in quo S. Corentini reliquias prius alio, quam S. Winwaloei translatas fuisse dicit; post necem tamen Salomonis regis, anno* 874 *fœde perempti.*

(*a*) Labbe, t. IV, Conc., col. 1033.— (*b*) Ad diem III Mart., p. 255.— (*c*) Ad diem IX Sept., p. 399.— (*d*) Hist. de Bret., t. II, col. 97.

DE

A D

DE S. LEONARDO CONF.

CORBINIACI DIOECESIS

AUGUSTODUNENSIS IN GALLIA NIVERNENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. S. D.

Sancti a Leonardo Lemovicensi distinctio : ejus mentio in Martyrologiis : Acta sat antiqua : quo tempore in Cenomaniam venerit, obieritque : quo et quandonam ejus B **Corpus translatum fuerit.** E

CIRCA AN. DLXX. *S.* Leonardus, *a Cellensi et Lemovicensi diversus,*

Et *tribus, qui sæculo* VI *Galliam illustrarunt, hujus nominis Sanctis, Cellensi scilicet, Lemovicensi et Corbiniacensi, inserendus hodie Operi nostro venit* Leonardus Corbiniacensis, *seu ut aliis placet,* Vendoperensis; *prius enim cognomen a Corbiniaco, quo corpus ejus translatum fuit, posterius vero a Vendopera, ubi commoratus, mortuus ac sepultus fuit, derivatum est. Idcirco autem hunc Sanctum Corbiniaci potius, quam Vendoperæ in titulo signare malui, quod ibidem cultu gaudeat celebriori, nomenque suum tam oppido, quam monasterio, ut latius infra edisseram, communicaverit. Priusquam vero hagiologia Sanctum hunc commemorantia hic adferam, pauca præmittere libet de S. Leonardo Lemovicensi; hic enim, quod eodem fere tempore in Galliis floruerit, a nonnullis cum nostro Corbiniacensi fuit confusus; imo in tantum, ut circa medium sæculi jam senescentis ipse episcopus Lemovicensis, ut probant ejus litteræ ad Majores nostros tunc destinatæ, summopere dubitarit, essetne* C *an non a nostro Corbiniacensi reipsa distinguendus. Acceptis hisce litteris, rem discussit Joannes Stiltingus, et collatis MSS., quæ varia habemus, utriusque Actorum exemplaribus, præfato episcopo rescripsit, sese, omni deposita dubitatione, credere, alterum ab altero plane esse distinctum. Illud autem non de quibusvis Sancti nostri Actis, sed de nostris edendis intelligesis; extant enim alia, quæ, ut infra dicetur, ex utriusque Actis postea conflata, confusioni ansam verosimilius præbuere.*

sæpius XXVI *Novembris quam hodie*

2 *Quamvis vero nostra satis antigua, imo, ut num.* 4 *fiet manifestum, haud diu post Sancti obitum conscripta sint, locum tamen nec in Martyrologiis classicis, nec apud hagiologos vetustiores invenit, atque hinc suspicio oritur, magis ipsum post mortem, ac corporis sui translationem miraculis inclaruisse. Quod vero plures sint, qui eum annuntient die* XXVI *Novembris, quam qui id faciant hodie, dum ejus festum recurrit, id me cum Bailleto in antecessum opinari facit, ejus Corpus* XXVI *fortasse Novembris die Corbiniacum translatum fuisse. Inter paucos itaque, qui id hodie præstant, palmam facile reportat Grevenus, quippe qui magis distincte atque prolixe, post factam SS. MM. Maurorum mentionem, textum suum ita prosequitur :* Item Sancti Leonardi Corbiginacensis Confessoris. Qui, ut refert Vincentius lib. XXII, temporibus Lotharii regis in pago Cenomannico sibi et sequacibus suis constructo monasterio, tantæ inter omnes humilitatis extitit, ut Prioris nomen refugiens, cunctis se viliorem exhiberet : vita tandem et miraculis inclytus quievit circa annum DLIX. *Minus recte id faciunt Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani, et Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano : prior quidem hujusmodi verbis :* In agro Æduensi (*Augustodunensi*) cœnobio Corbiniaco depositio S. Leonardi presbyteri et Confessoris, patientia, humilitate, austeritate, pietate necnon signis divinæ gratiæ tam in vita quam post mortem gloriosi : *posterior vero sequentibus :* In territorio Cenomanensi S. Leonardi presbyteri Corbiniacensis.

a Martyrologis, sed recentioribus tantum, annuntiatus,

3 *Præterquam enim quod Sanctus hic Corbiniaci nec commoratus umquam, nec mortuus aut sepultus fuerit, sat aperte citati Martyrologi innuunt, Sanctum, quem hodie celebrant, diversum sese putasse a* S. Leonardo *Vendoperensi, quem ipsi cum aliis pluribus, ut supra monui, die* XXVI *Novembris fastis suis inscripsere. Errorem inde natum credo, quod in prælucentibus sibi monumentis non tantum bis diversisque diebus signatum* S. Leonardum, *sed diversis etiam in locis (hic Vendoperæ, ibi Corbiniaci) invenientes, aliunde verosimilius ignoraverint, id ideo factum, quod corpus ejus e cœnobio Vendoperensi, idque* XXVI, *ut dixi, Novembris forsitan die Corbiniacum translatum fuerit. Minus a recto deviarunt Arnoldus Wion in Ligno vitæ die* XXVI *Novembris, et Petrus de Natalibus lib.* X *cap.* CXI; *tametsi enim et hi memoratam sæpe translationem ignorasse videantur, nihilominus Sanctum non nisi unum adstruunt, perperam tamen adjungentes, eum prius apud Corbiniacum (quod monasterium sæculo demum* IX *fundatum fuit) floruisse, ac dein in monasterio Vendoperensi abbatem factum ibidem feliciter obdormisse. Transeo alios, qui Sanctum memorant, Martyrologos, uti et Menologium Benedictinum Gabr. Bucelini : transeo pariter Saussayum, qui, quamvis ad diem* XXVI *Novembris* Leonardum *nostrum Elogio*

AUCTORE S. D.

A *more suo satis amplo condecorent, nihil tamen referunt, quod vel infra non dicetur, vel in Actis edendis legi non poterit.*

etsi biographum subæqualem hic,

4 *Quatuor Actorum exemplaria MSS., quorum singula in novem divisa sunt lectiones, Majores nostri accepere, brevia illa quidem, ast tam exacte, si minuscula quædam demas, sibi invicem consona, ut ex eodem omnia fonte profluxisse merito videantur. Annotavit in unius margine Bollandus, sese id accepisse Parisiis a patre Dardes, hunc vero Carilephopoli seu Anisolo, sic dicto a monasterio S. Carilefi in ditione Cenomanensium* (St Calais) : *in alterius vero, desumptum illud esse e MS. Tullensi; verum seu historiam ipsam seu narrandi stylum consideres, mecum, puto, opinabere, dictas lectiones, antiquitus in ecclesiis legi solitas, Vitæ Sancti, prout primitus fuit exarata, ecgraphum esse. Auctoris nomen tametsi ignotum sit, fuisse tamen Sancto subæqualem, invicte probant hæc illius in fine narrationis verba :* Sepulto autem eo, (S. Leonardo) per electionem eorum monachorum S. Domnolus (*episcopus Cenomanensis*) unum ex ipsis sibi constituit, et ordinavit abbatem : qui usque in hodiernum diem eamdem sub sancta religione, disponente et ordinante episcopo, guber-

B nat et regit cellulam. *Item, quæ subdit num.* 4 *post narratum miraculum de serpente :* Quod (*miraculum*) et nutu Dei cæteris fratribus manifestatum est Sed et sicut ab ipsis didicimus, ab illo die in ipsa cellula nullus deinceps serpens a quoquam videri potuit.

omissis aliis, edendum,

5 *Alterum Vitæ exemplar ad manum est, depromptum ex MS. ecclesiæ collegiatæ S. Lifardi in urbe Magdunensi* (Mahun-sur-Loire), *laudato ecgrapho Anisolensi longe quidem prolixius, at tanto minoris auctoritatis, quo plura sibi admixta habeat, quæ narrantur in Actis S. Leonardi Lemovicensis, uti quod fuerit frater S. Lifardi comitis Vindocinensis, cujus Acta nil tale referentia illustravit Henschenius die* III *Junii : quod fuerit sub disciplina S. Remigii Rhemensis archiepiscopi : quod dein sese contulerit ad monasterium Miciacense, ibidemque sub S. Maximino aliquamdiu vixerit : quod e monasterio Miciacensi una cum fratre suo Lifardo egressus, illo ad Ligerim relicto, longius in solitudinem fuerit progressus. Hæc, inquam, aliaque de S. Leonardo Lemovicensi affirmata habes in ejus Actis, quæ quam exigui, utpote sæculo* XII *haud antiquiora, ponderis sint, plenius dicetur, dum festum ejus annue recoli-*

C *tur, die* VI *Novembris. Memoratum itaque exemplar ex utriusque Actis, ut num.* 1 *etiam monuimus, conflatum, cum post sæculum* XII *per modum concionis conscriptum videatur, prelo indignum judicavimus. Habemus et alia duo Apographa, quorum unum ex MS. Ultrajectino S. Salvatoris, alterum ex MS. Carnotensi desumpta, sunt dumtaxat edendi ecgraphi Synopses; at quamvis ambo terminentur his verbis :* Hujus Leonardi Vita apud Corbiniacum legitur, quia corpus ejus ibidem requiescit : unde et locus ipse propter miraculorum multitudinem quotidie a populis frequentatur, *adeoque non videantur nisi post corporis translationem, quæ ante sæculum* IX *peracta non est, litteris mandata, quod tamen nonnulla contineant, quæ in edendis desunt, cum his collaturus, modo ad alios transeo, qui ejusdem Sancti Acta posterioribus sæculis typis edidere.*

nactus sit, incertus tamen

6 *Idiomate Gallico id fecerunt Bailletus die* XV *Octobris, Joannes Bondonnetus in Historia Episcoporum Cenomanensium* (*a*), *Antonius Corvaisierus in eadem Historia* (*b*), *Simon Martin lib.* III *de Floribus Solitudinis, seu Vitis Patrum Occidentis* (*c*) : *Latino autem* D *sed contractius Benedictus Gononus de Vitis Patrum Occidentis* (*d*) *ex Bernardo episcopo Lodovensi, et Breviario Cenomanensi, Petrus de Natalibus lib.* X *cap.* CXI, *Cointius sparsim in suis Annalibus, aliique; verum cum hi omnes Ecgrapho nostro in substantia consonent, ea tantummodo hic delibabimus, quæ nonnulli ex ipsis præter styli elegantiam, aliaque Rhetoricam spectantia, historiæ superaddidere. Corvaisierus, et ex eo Cointius Annal. Tom. I ad an.* 541 § LXVI, *Martin Bulteau Tom. I* (*e*), *Bondonnetus, Bailletus et Godescardus* [*seu Alb. Butler*] *Sancti* Leonardi *patriam assignant provinciam Leodiensem, quibusdam in ipsa natum asserentibus Leodiensi civitate, aliis in Tungrensi, atque hinc ad pagum Cenomanicum in Gallias commigrasse, solitariæ vitæ desiderio accensum. Verum cum nec Ecgraphum nostrum, nec antiqua Breviaria, nec Bernardus Lodovensis apud Gononum, nec alia, quæ habemus, sat antiqua documenta natale ejus solum edoceant, id conjicere citatos scriptores haud immerito dixeris.*

adventus ejus in Cenomaniam, obitusque annus est

7 *Quo tempore Sanctus in pagum Cenomanicum advenerit, quadamtenus indicant initialia laudati biographi verba :* Sanctus, *inquit,* Leonardus ex E corum Sanctorum, qui tempore Innocentii (*Cenomanensis episcopi*) advenientes et peregrinam vitam ducentes in pagum Cenomanicum venerunt, societate erat. *Sedit autem Innocentius Papebrochii, qui ejus Vitam die* XIX *Junii illustravit* (*f*), *calculo, annos circiter* XLV, *ab anno nimirum* CCCCXCVI *ad annum* DXLII; *ast cum nullum tempus aliunde innotescat, et quot annos Sanctus vixerit, ignoretur, determinari nequit, num initio pontificatus S. Innocentii, num hoc aliqua sui parte provecto eo sese contulerit. Obiisse in Actis dicitur sub Chilperico Francorum rege, filio scilicet Clotarii I, qui cum anno* DLXI, *ut Pagius aliique supputant, regnum Franciæ, seu potius Suessionense, mortuo patre, fuerit adeptus, consequitur, S.* Leonardum *non anno* 559, *ut MS. Ultrajectinum aliique nonnulli computavere, sed dudum posthæc vivere desiisse. Cointius mortem ejus collocat anno* 565; *alii vero plerique circa annum* 570, *quibus, eo quod idem tempus assignet MS. Carnotense, adstipulari maluimus.*

corpus ejus, Vendoperæ sepultum,

8 *Sepultus fuit, ut ejus biographus refert, in cellula sua, quam apud fluvium Sartham, annuente Innocentio Cenomanensi episcopo, extruxerat; a quo loco olim, ut notat Corvaisierus,* Vendopera *vel* F Vandopera, *Gallice* Vendœuvre *dicto, S.* Leonardus *in Additionibus ad Usuardum et alibi, quemadmodum initio diximus, cognomen obtinet* Vendoperensis. *Habes hunc locum in provincia Cenomanensi ad dextram fluminis Sarthæ versus confinia Normanniæ, vix altera ab Alenconio, dum hinc secundo Sartha discedis, itineris hora, appellatum vulgo* Saint Leonard des bois, *estque hodie parochia seu prioratus dependens ab abbatia S. Vincentii Cenomanensis. Fusius locum describit Corvaisierus, qui et addit, haud procul inde, cum aqua decrescit, videri lapidem similem sepulchrali, quatuor columnis sustentatum, quem alii ferunt stratum S.* Leonardi, *alii tumbam fuisse : item fontem, qui ibidem ad Sancti preces e monte quodam scaturire cœperit. Crevisse locum hunc post S.* Leonardi *adventum in ingens cœnobium, Acta quidem testantur, verum, posteaquam ejus corpus inde fuit ablatum, ob diminutum populi, quem frequentissimum fuisse Corvaisierus scribit, concursum paulatim intercidisse, et ita demum in*

(*a*) Hist. des Evèq. du Mans., p. 167. — (*b*) Le Courvaisier, Hist. des Evèq. du Mans, p. 152. — (*c*) Vies des SS., p. 491. — (*d*) p. 209. — (*e*) Abrégé de l'hist. de l'Ordre de S. Benoît, p. 272. — (*f*) p. 853, n. 1.

parochialem

A *parochialem ecclesiam, sub Sancti nomine dicatam, conversum esse, cum Bailleto aliisque opinamur. Quandonam vero id contigerit, seu quando et quo Sancti corpus translatum fuerit, jam inquirendum.*

hinc Corbiniacum

9 *Bailletus die* XV *Octobris descripta illius vita, sequentibus fere, quæ Latina facio, prosequitur verbis :* Corpus ejus Vendoperæ mansit trecentos et amplius annos. Videtur ex metu Normannorum inde ablatum fuisse, ut eorum furori subtraheretur. Translatum fuit sub finem regni Caroli Calvi (*id est versus annum* 877) ad abbatiam Corbiniacensem. *His similia in generali sua Collectione episcopatuum et abbatiarum Franciæ* (*a*) *scribit Beaunierus, locum graphice aliquatenus etiam indigitans. Est autem Corbiniacum* [Corbigny] *in pago Morvino* (*vulgo* Morvant) [*pristini*] *ducatus Nivernensis oppidum, a Nivernis leucis Gallicis fere* 12, *ab Augustoduno, ad cujus pertinet diœcesim, aliquanto longius remotum; ita vero appellatur a Corbone viro nobili, qui cum pater fuerit Widradi abbatis Flaviniacensis, videtur sæculo* VII (*obiit enim Widradus versus medium sæculi* VIII) *in vivis egisse. Oppido Corbiniacensi, intermediis vix centum passibus, præfata adjacet abbatia, quæ, quamvis Flaviniacensis, ab*

B *hujus quippe abbate Egilo circa annum* 865 *primum fundata, sit filia, ab illius tamen jurisdictione privilegio Paschalis Papæ II anno* 1107 *exempta fuit; deindeque post annos aliquot S.* Leonardi *Reliquiis, ut mox videbimus, ditata, S.* Leonardi *una cum oppido, idque verosimilius ad Corbiniaci S. Marculphi, quod oppidum Campaniæ est, distinctionem, nomenclationem induit. Satis itaque de loci notitia dictum ratus, redeo ad propositam quæstionem, seu quo et quandonam Sancti corpus translatum fuerit.*

translatum

10 *Scriptores Galliæ Christianæ tom. IV* (*b*) *de Hugone I abbate Flaviniacensi hæc perhibent :* Ejus tempore corpus S. Leonardi abbatis Vendoperensis ex pago Cenomanensi illatum Corbiniacum, monasterio nomen suum indidit : *annotarunt ad Marginem sed mendose :* Circa 230 (*forte* 1130) ex Edua Christiana. *Corvaisierus vero* (*c*) *et ex eo, ni fallor, Bondonnetus* (*d*), *nullam Corbiniaci facientes mentionem, asseverant, Sancti corpus usque ad tempora Roberti* (*nequit hic alius esse nisi filius Hugonis Capeti*) *regis Franciæ, qui ab anno* 996 *usque ad annum* 1031 *sceptrum tenuit, Vendoperæ quievisse, atque honoratum fuisse : quo regnante, inquiunt citati auctores, Guilielmus comes Belesmensis* (*Be-*

C *lesmum, vulgo* Bellesme *seu* Bellême, *civitas est in comitatu Perchensi*) *transferri id jussit in ecclesiam collegialem, quam intra ambitum castri sui recenter extrui, et in ejusdem Sancti honorem jam pridem dedicari jusserat.*

forte iterum iterumque fuit.

11 *Ast quid jam ad propositam quæstionem dicendum? Cum argumenta, quibus vel uni vel alteri sententiæ refragemur, haud suppetant, præfatas tres sententias ægerrime conciliabis, nisi Sancti corpus semel iterumque Corbiniacum translatum fuisse concesseris : quid enim vetat, quo minus sæculo* IX, *dum frequentissime Normanni in Gallias irrupere, horum metu ablatum, eoque postea cessante, ad locum pristinum reportatum fuerit? Quid pariter, quominus dein Belesmum, atque hinc denuo sæculo* XII *Corbiniacum devenerit? Ita, inquam, præfati scriptores, si tamen omnes verum perhibeant, conciliari utcumque poterunt. Illatas porro Corbiniacum Sancti Reliquias variis inclaruisse miraculis, fidem faciunt laudata superius MSS. Carnotensis et Ultrajectini S. Salvatoris apographa nostra his verbis :* Hujus Leonardi Vita apud Corbiniacum legitur, et corpus ejus ibi requiescit; unde et locus ipse propter miraculorum multitudinem quotidie a populis frequen- D tatur. *Hinc factum verosimilius, ut ejus festum non tantum in diœcesibus Augustodunensi et Cenomanensi, sed et alibi, ut Turonensi, Antisiodorensi, Senonensi, Sagiensi, Macloviensi, imo et Strigoniensi in Hungaria, aliisque, ut antiqua harum Breviaria Missaliaque die* XV *Octobris commonstrant, coli incœperit.*

AUCTORE S. D.

VITA S. LEONARDI

e MS. Anisolensi, collato cum MSS. Ultrajectino S. Salvatoris et Carnotensi, auctore anonymo subæquali.

CAPUT UNICUM. E

In pago Cenomanensi condit monasterium : accusatus apud Clotarium regem sese purgat : inter orandum a serpente invasus nihil læditur : in cellula sua mortuus et sepultus, miraculis inclarescit.

PROLOGUS AUCTORIS. *Acta Sanctorum sunt fidelibus manifestanda.*

Clarissimorum vita virorum quantum est meritis abundantior, tantum debet esse crebrior voce fidelium populorum : quoniam quidquid Dominus per suos servos et electos operatur, non est silendum, sed multo magis ad excitandas fidelium mentes prædicandum. De bonis igitur beatissimi Leonardi aliquid scribere conantes ab exordio notitiæ ejus incipere dignum judicavimus.

Sanctus, condito ad Sartham monasterio,

2 Sanctus igitur Leonardus ex eorum Sanctorum, qui tempore S. Innocentii episcopi advenientes et peregrinam vitam ducentes in pagum Cenomanicum *a* venerunt, societate erat *b* : qui et locum quærens, quo cellulam sub regulari Ordine ædificare una cum suis valeret, percepit quemdam locum a S. Innocentio episcopo in heremo super fluvium Sarte *c*, qui vocabulum ab ejusdem Leonardi nomine *d* accepit, atque cellula S. Leonardi de Boscis *e* nominatur usque in hodiernum diem. Qui postquam eumdem locum a præfato episcopo, de cujus sedis ecclesiæ jure erat, accipere meruit, ejus adjutorio fecit ibidem ecclesiam in honore S. Petri Apostolorum Principis, et claustra atque reliquas officinas, monachis convenientes, ubi et nonnullos monachos congregare studuit, et sancta sub regula vivere docuit. Cujus meritis et bonis exemplis tantus concursus populi ibi erat per tres annos, dum cellula construeretur, et * tamen numquam ibi panis coctus fuisset *, nec clibanus ad panem coquendum factus, sed a vicinis et Deum timentibus hominibus, illuc pro amore Dei concurrentibus, panis sufficienter et reliqua pulmentaria ei suisque monachis atque

F *a* *b* *c* *d* *e*

* *lege* ut

* *lege* fuerit

(*a*) Recueil des Evêch. et Abbayes de France, t. II, p. 460. — (*b*) col. 476. — (*c*) p. 138. — (*d*) p. 168.

discipulis,

AUCTORE ANONYM.

discipulis, nec non et suis operariis afferebantur, in tantum ut omnibus abundarent.

A

crescenteque discipulorum numero,

3 Multi autem nobiles atque ignobiles sua relinquentes prædia et possessiones, atque omnia vendentes, amore vitæ æternæ dabant pauperibus: jungebant etiam se præscripto S. Leonardo, atque in ejus cellula congregabantur, afferentes illi, quæ residua erant, atque communiter ac regulariter vitam una cum eo ducebant, et « erant illis omnia
f » communia. *f* » Unde factum est, ut antiquus hostis, invidia ductus, commoverit quorumdam animos hominum contra eum, accusantes illum ad
g regem Francorum Clotarium *g* nomine: dicebant autem contra eum, quod eorum tam liberos quam servos suaderet, ut eorum servitia desererent, se suo famulatui subderent, et propterea ejus servitium implere non possent. Quam causam præfatus rex diligenter inquiri præcipiens, misit ad eum apocrisiarios
h *h* suos, qui si ita verum reperissent, ejicerent eum inde, ne deinceps talia posset ibidem perpetrare. Qui citato cursu venientes ad eum, diligenter sibi imperata inquirunt: in quorum adventu etiam juvenis quidam communem ac regularem vitam

* militari

diligens, nobilis genere et exercitabili * negotio
B aptus, venit ad Sanctum Leonardum, indicans, sua omnia vendita habere, et maximam partem ex eis pauperibus attributam, et reliqua se afferre et in eorum communi ponere velle, atque cum eo et reliquis discipulis suisque monachis communem et regularem vitam ducere.

accusatus ab invidis, ut sibi regioque servitio noxius,

4 Quod prædicti regis apocrisiarii videntes et audientes, dicebant ad invicem: quid est necesse aliquem interrogare, aut quidquam inquirere super his, quæ dominus noster præcepit, cum jam nos
i ipsi vidimus, vera esse, quæ de ipso magone *i* dicta sunt? Tunc interrogant præfatum S. Leonardum, cur perverteret regnum Francorum, et homines suaderet temnere sua, atque regi suos milites auferre. Quibus S. Leonardus respondit: non subverto regnum Francorum, nec regi suos aufero; duo negavit, sed unum confessus est: negavit regi suos auferre, et regnum Francorum subvertere, sed confessus est, homines docere sua contemnere. Tunc illi inquiunt: jam te sociosque tuos totus pagus iste sequitur, et si ita peragere vobis licet, sicut cœptum habetis, non est hoc regnum Clotharii, sed vestrum. Quibus beatus Leonardus respondit: hoc regnum Christi Domini nostri est,
C qui nos proprio Sanguine suo redemit. Ad quos
k illi: nonne et senioris *k* nostri Clotharii est hoc regnum? Valde cupientes eum capere in sermone: sed ita temperavit ille sermonem suum, ut eorum falsa jacula veris clypeis retorqueret. Ait namque: non legistis, fratres charissimi, Dominum dicentem cuidam: « Vade, vende omnia, quæ habes, et da
l » pauperibus, et veni sequere me *l*? » Et alibi veritas ait: « Quicumque reliquerit patrem aut ma» trem, uxorem et liberos, fratres, sorores, domos » aut agros propter me, centuplum accipiet, et
m » vitam æternam possidebit *m*. » Si enim prædico et docco, quæ Dominus noster Jesus Christus docere docuit, ut quid me arguitis?

absolvitur, orantem serpens frustra aggreditur;

5 Ad quæ illi nihil juste et rationabiliter respondere potuerunt, sed vocem discipuli fecerunt, atque videntes ejus conversationem, voluntarie velle se imitari illum responderunt; quod et nutu Dei factum esse dubium non est. Qui dum hæc renuntiarent Clothario regi supradicto, ipse expansis manibus ad cœlum immensas Deo egit gratias; qui etiam ad prædictum opus explendum de fisci muneribus aliquod dedit adjutorium; insuper et dona illi non modica largitus est, quoniam diligebat admodum servos Dei, et muneribus ditabat. Unde D factum est, ut demum plures ad prædictam sanctam vitam converterentur, quam olim fecissent, et sic victo diabolo magis servitium Dei multiplicabatur et confortabatur *n*. Erat enim supradictus S. Leo- *n*
nardus affabilis, valde sanctarum Scripturarum floribus repletus, Deo amabilis et hominibus dilectus. Solitus namque erat Sanctus Domnolus *o* episcopus *o*
Cenomanensis, cujus et monachus erat, eum dirigere ad Sanctum Germanum *p* Parisiorum episco- *p*
pum, qui ambobus dilectus et credulus erat *q*. Qua- *q*
dam autem die, dum memoratus Sanctus Leonardus in prædicta cellula sua secreto oraret, venit quidam serpens *r* ascendens super pedes ejus; inde crura *r*
ventremque circuïens, ac per sinum ejus exiliens nihil ei nocere valuit, neque orationes ejus perturbare potuit, sed statim ex sinu *s* ejus exiliens cecidit *s*
mortuus; quod et nutu Dei cæteris fratribus manifestatum est. Sed et sicut ab ipsis didicimus *t*, ab *t*
illa die ibi nullus deinceps serpens a quoquam videri potuit; quos ejus precibus et meritis inde fugatos esse credimus.

in cella sua moritur, ac sepelitur, non sine prodigiis.

6 Obiit autem prædictus Sanctus Leonardus sub Chilperico *u* Francorum rege, Idibus Octobris in *u*
pace, plenus dierum in senectute bona, et sepultus E
est in supradicta cella a Sancto Domnolo antedicto episcopo: nam pridie antequam obiisset dictus Sanctus Leonardus, venit vox divina ad Sanctum Domnolum antedictum episcopum, præcipiens ei, ut iret Deo suis sanctissimis precibus animam commendare supradicti confessoris, quia de sæculo crastina die cum migrare, et cum Sanctis et electis Dei animam collocari oportebat. Qui statim cum suis ministris hoc, quod ei jussum divinitus fuerat, perficere non tardavit: nam et antedictus Sanctus Leonardus prænoscens divinitus sancti pontificis adventum, præcepit fratribus, ut ad ejus ingressum se præpararent, et digne, ut seniorem Domini pontificem decebat, cum susciperent, et omnia necessaria ministrarent. Indicavit etiam se fratribus, ipsa die, postquam præfatus pontifex suam Deo commendaret animam, de sæculo exiturum. Adveniente itaque prædicto suo episcopo, ejusque animam commendante, mox Domino suam sanctam animam reddidit. Quo defuncto, dum sancta ejus membra portabantur ad tumulum, cæci tangentes ejus vehiculum, visum receperunt pristinum. Sepulto autem eo, per electionem eorum monachorum, sanctus Domnolus unum ex ipsis sibi constituit et F
ordinavit abbatem, qui usque in hodiernum diem eamdem sub sancta religione, disponente et ordinante episcopo, gubernat et regit cellulam *x*. Ad *x*
præfixum namque S. Leonardi sepulchrum sæpissime ejus meritis multa miracula fiunt: ibi namque illuminantur cæci, sanantur leprosi, dæmonia ejiciuntur, infirmi sanantur, et multæ virtutes fiunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et potestas in sæculorum sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *Sic etiam vocatur in Vitis B. Medardi Viromanduorum episcopi, Constantiani abbatis, et Ludovici Pii imperatoris; apud Cæsarem vero et Livium populus Cenomanensis sub nomine* Aulercorum *venit.*

b *Consule dicta num.* 7 *Commentarii prævii.*

c *Oritur hic fluvius haud procul a celeberrima abbatia, vulgo* La Trappe *dicta, in confiniis Normannorum et Perchensium, atque hinc in Occidentem actus perrigat provinciam seu comitatum Cenomanensem.*

A *Cenomanensem, quemadmodum Theodulphus Aurelianensis lib.* IV *Carmine* 6 *apposite canit his metris:*

Est fluvius : Sartam Galli dixere priores,
Perticus hunc gignit, et Meduana bibit.
Fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius urbis abit.

d *Alium hujus nominis vicum tabulæ exhibent vix una alteraque ab urbe Cenomanensi in Occidentem leuca, ita verosimilius appellatum, quia eum Sanctum pro tutelari veneratur.*

e *Vide dicta num.* 8 *Commentarii prævii.*

f *Act. Apost. cap.* IV ℣. 32.

g *Regnare cœpit Clotarius I, mortuo Clodoveo patre, cum tribus fratribus suis Theodorico, Clodomere et Childeberto anno* DXI : *quomodo autem inter ipsos facta sit regni divisio, Fredegarius in Epitome cap.* XXX *apud Pagium his verbis explicat :* Sortitus est sedem Theudericus Mettis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisiis, et Chlotarius Suessionis. *Suberat Cenomania Clodomero, quo, anno* 524 *in bello contra Burgundos occiso, regnum ejus Childebertus et Clotarius biennio post, duobus filiis ejus pariter interfectis, partiti sunt; adeo ut Cenomania ab illo tempore Clotario parere*
B *potuerit, tametsi hic non nisi anno* 558, *post mortem scilicet Childeberti fratris, universam Franciæ monarchiam fuerit consecutus.*

h *Nuntios hic sive legatos aut commissarios intellige.*

i *Legendum verosimilius* mangone, *quæ vox mancipiorum venditorem denotat : ideo autem mango hic odiose vocatur, quod homines seu regis seu privatorum servitio aptos ad se colligeret, ac velut in servitutem abriperet.*

k Senior *idem est quod* Dominus, *unde vox Gallica* Seigneur.

l *Mat.* XIX ℣. 21, *Mar.* X ℣. 21.

m *Mat.* XIX ℣. 29, *Mar.* XV ℣. 29.

n *Apographa nostra Carnotense et Ultrajectinum* D *hic inserunt sequentia :* Erat ei erga miseros tantæ compassionis affectus; quod hoc a Deo precibus impetravit, ut quicumque in carcere vel in compedibus teneretur, mox invocato ejus nomine solveretur. *Verum hæc eadem leguntur in Actis S. Leonardi Lemovicensis, qui teste Corvaisiero, captivorum patronus, sicuti et noster surdorum, passim honoratur.*

o *S. Domnoli Acta, a coævo et oculato teste scripta, dedit Papebrochius die* XVI *Maji.*

p *Observat Henschenius in Commentario, S. Germani Actis* XXVIII *Maji prævio, num.* 9 *ex Actis S. Domnoli, arctissimam inter hunc et S. Germanum, uti et hic manifeste innuitur, intercessisse amicitiam; unde sine fundamento in apographis nostris hæc addita credo :* Perduravit itaque usque ad tempora S. Germani Parisiensis episcopi, et S. Domnoli, qui Innocentio episcopo Cenomanensi successit, qui cum eos forte ab invicem discordantes sedasset, in crastinum se finiendum . . . . prædixit. *Similia etiam refert Petrus de Natalibus lib.* X *cap.* CXI : *nihil enim de hac discordia ecgraphum nostrum, aut scriptores alii.*

q *Perperam addunt Corvaisierus, Bondonnetus* E *et Cointius, extitisse etiam S. Leonardum admodum familiarem S. Cerenico; ut enim in Commentario Vitæ illius* VII *Maji præmisso num.* 9 *notat Henschenius, S. Cerenicus integro plus sæculo S. Leonardo posterior est.*

r *Eapropter Sanctum hunc depingi in habitu monachali serpente circumvolutum, auctor est* (*a*) *Corvaisierus.*

s *Apographa nostra :* Per capucium tunicæ ejus exiliens.

t *Adisis dicta num.* 4 *Commentarii præv.*

u *Vide dicta num.* 7 *Comment. præv.*

x *Consule, quæ diximus num.* 4 *Comment. præv.*

(*a*) p. 159.

DE S. BAUDERICO SEU BALDERICO

CONFESSORE

C F

IN DIOECESIBUS LINGONENSI ET ÆDUENSI IN BURGUNDIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. G.

Sancti Acta fabulosa, cultus legitimus, ætas incerta.

FORTE SÆC. VI AUT VII. *Sancti Acta, quorum plura habemus*

Antiquo apud Lingones comitatui Magnimontensi Nomen dedit (*inquit Valesius in Notitia Galliarum*) Magnus mons vel Magni-montense oppidum quondam clarum in Lingonibus, S. Sequani patria, tribus leucis ab ejus monasterio Segestro distans, nihil nunc præter nomen servans, Maimont enim vel Mesmont nuncupatur. *Hoc in comitatu seu territorio, quod quam late patuerit, laudatus Valesius non edicit, natus est S.* Baldericus, *de cujus cultu et gestis quid-quid in lucem proferre possumus, duobus eruditissimis juxta ac studiosissimis Operis nostri quondam adjutoribus RR. PP. Vignerio et Chiffletio acceptum referre debemus. Imprimis ab his transmissa habemus tria Actorum S.* Balderici *exemplaria, quorum unum, quod descriptum notatur,* Ex duobus Breviariis membranaceis, altero ecclesiæ Salivensis (*Gallice* de Salive) in diœcesi Lingonensi, et altero ecclesiæ Attalantensis (de Estalante) in diœcesi Augustodunensi, *ad amussim quidem consonat alteri, quod*

AUCTORE C. G.

A *Chiffletius propria manu descriptum ad Majores nostros transmisit; at paulo prolixius est tertio exemplari, quod Vignerius ex solo Codice ecclesiæ Salivensis ab hujus parocho, viro, ut ait, docto et probo fideliter describi curavit, et in quo nonnulla, quæ in duobus aliis exemplaribus habentur, prætermittuntur; verum hæc ex paulo fusiore Codice Attalantensi, quocum postea apographum suum contulit, sufficienter annotavit Vignerius, ut inter id, simul cum adjectis ex Codice Attalantensi auctariis consideratum, et reliqua duo exemplaria modica tantum, quam in decursu aut in Annotatis, ubi operæ pretium fuerit, indicare non omittam, intercedat differentia.*

exemplaria, 2 *His adjunctum est quartum exemplar, dictis jam apographis etiam consonans, sed media parte truncatum, cui subjicitur Oratio S.* Balderici *propria, infra, cum cultum probabo, exhibenda; estque illud, ut opinor, excerptum ex monumentis ecclesiæ oppidi S. Burrisii aut Burrici (Gallice S. Burroy) in diœcesi Augustodunensi et Archipresbyteratu Sinemurensi siti. Cæterum indubitatam esse Actorum auctoritatem colligere quis prima fronte posset ex hac, qua duo prolixiora nostra apographa terminantur, clausula :* Cujus (S. Balderici) beatæ Vitæ Joannes asser-

B tor præcipuus extitit, et ut comes ejus præsens per omnia affuit intuituque conspexit, scribendo elucidavit ad laudem et honorem Omnipotentis, *etc. : etsi enim Acta a Joanne coævo et oculato teste, ut dicitur, conscripta, ab iis, quæ penes nos sunt, ponantur etiam diversa, hæc tamen Actorum nostrorum concinnatori præluxisse, huncque eadem fideliter secutum pleraque saltem verosimiliter memoriæ prodidisse, quæ in prioribus Actis, a Joanne conscriptis, repererat, ex allatis verbis non absone argui posset : verum similibus non mox acquiescendum esse norunt Critici, et aliquoties monuere Majores nostri, qui non semel experti sunt, fabulatores subinde coævorum oculatorumque testium larvas induere, quibus tecti secure et absque falsitatis suspicione aut fabulas suas inspergant veris sincerisque Sanctorum Actis, aut lectas etiam in aliis Sanctorum Vitis qualibuscumque mirabiles historias Sancto, cujus Vitam stylo prosequi intendunt, affingant. Plura hujus rei exempla, ne prolixior sim, congerere nolo; pro specimine interim sit S. Procopii ducis et Martyris Vita, tom. II Julii (a) edita, quam, etsi non magni momenti, SS. Martyribus Ephysio, de quo* XV *Januarii (b); et Joanni, de quo* XIX *Maji in Opere nostro actum*

C *est (c), magna ex parte applicatam fuisse, docuit tom. citato (d) Pinius.*

maxima quidem ex parte, 3 *Quin vero hic similiter factum fuerit, ac personatus ille Joannes, qui in exemplari Vignerii, nec proinde in Codice Salivensi, etiam non comparet, fuerit obtrusus ab insigni impostore, dubitare me non sinit S. Emani Martyris Vita tom. III Maji (e) edita, quacum Vita nostra Baldericiana ita convenit, ut alteram ex altera magna ex parte descriptam fuisse primo intuitu manifestum appareat : utrobique enim apparet S. Eusebius Vercellensis episcopus, jubeturque uterque Sanctus, Emanus videlicet et* Baldericus *in honorem ejus ecclesiam construere; pergit uterque Sanctus instante festivitate S. Symphoriani Augustodunum, ubi per energumenos declaratur amborum sanctitas, sed a Nectario episcopo, fraudem suspicato, ambo includuntur carceri, quo mox miraculose patefacto, ac suavissimo odore perfuso, ab eodem Nectario honorifice educuntur et inter clerum assumuntur; utrique apparet diaconus cum socio suo, ut dicitur Vitæ edendæ num.* 2, *a latronibus interfectus, monetqne, ut suum sociique corpus, in aquas projectum, inquiratur ac honestæ sepulturæ* D *tradatur : idem exhibetur utrobique utriusque Sancti pro captivis liberandis studium, idem refertur de fure equum auferre conante, sed immoto consistente, et de ovibus, furto itidem ablatis, inque canum speciem mutatis, miraculum; eadem denique utrobique leguntur nomina propria, qualia sunt Nectarius episcopus, Euphronius archidiaconus, Theodobertus Austrasiæ rex, Baudastus seu Bladistus vir honorabilis, hujus servus Abbo sive Apo aliaque plura, quæ hic ulterius proponere supersedeo, quod mihi persuasum habeam, neminem, qui S. nostri* Balderici *Acta simul cum S. Emani Actis contulerit, ullum sibi relicturum dubium, quin alter biographus alterum fere, mutatis alicubi locorum aliisque parvi momenti adjunctis, descripserit.*

ut variis 4 *Eadem opera S. Emani biographum S.* Balderici *Acta non consuluisse, sed potius horum auctorem pleraque ex S. Emani Vita mutuatum esse facile etiam perspici poterit : cum enim in S. Emani Vita gestorum series sit ita disposita, ut omnia apte inter se cohæreant, nihilque, paucis exceptis, quæ Henschenius ab interpolatore postmodum adjecta fuisse opinatus est, ibidem occurrat, quod auctore coævo, qualem se ejusdem scriptor profitetur, indignum sit,* E *non est quoque, cur hujus fides suspecta haberi merito queat. Cum autem e contrario in S. nostri* Balderici *Vita et stylus sit passim satis barbarus, et non pauca offendantur sibi invicem repugnantia, hujus auctori potius plagii crimen nemo non, opinor, impinget. Sane quicumque S.* Balderici *Acta utcumque expenderit, centonem videbit ex male cohærentibus factis inepte consutum : dicitur enim in initio S.* Baldericus parentum genere ortus; cui dubium (*inquit Vignerius in litteris ad Majores nostros datis*) quin deletum vel omissum ibi fuerit NOBILI vel HUMILI aut OBSCURO? *verum quæ dein in Actis referuntur, tam sibi sunt contraria, ut utrum Sanctus humili aut nobili genere natus dici debeat, prorsus ambiguum relinquant; quod enim, ut habent Acta, Sanctus,* Cum esset annorum duodecim, directus *fuerit* a parentibus in sylvam nomine Sigestro, ut pasceret porcos, notat (*ait idem Vignerius*) obscuram originem, quod autem prædia diversis in locis possederit, regesque aliquando adierit, claritudinem generis indicat; inquirenti bis responsum est, nihil aliud in exemplaribus contineri, opinionemque vulgi esse, quod Baudericus parentes obscuros ha-

F buerit; *cui quidem opinioni vel idcirco adstipulandum reor, quod, ut quotidiana experientia, docemur, sæpe quidem per recentiores biographos aut popularem traditionem Sanctis generis nobilitas, ast admodum raro iisdem obscura origo falso attributa fuisse deprehendatur.*

rationibus 5 *Ea etiam sedet sententia, quod, si Sanctus reipsa nobili stemmate ortus fuisset, illud diserte exprimere verosimilius nec neglexisset biographus, nec id in Actis desiderari tam facile passuri fuisse videntur posteri, qui certe ægre tulissent, Sanctum ex nobili prosapia in hypothesi oriundum, a biographo ad porcorum custodiam amandari, atque ita ad infimam hominum sortem deprimi. Jam vero, si Sanctus humili tantum genere, uti ob dicta existimandum prorsus est, natus fuerit, nullatenus verosimiles erunt tot prædiorum, quot ei biographus attribuit, possessiones, incredibilia quoque erunt, quæ apud illustres viros ipsumque regem peregisse Sanctum Acta tradunt. Laudatus quidem Vignerius etsi S.* Baldericum *obscuris parentibus natum fuisse insinuare videatur, biographum tamen etiam quoad*

(a) Ad diem VIII Jul., p. 556. — (b) p. 997. — (c) p. 304. — (d) p. 554, n. 18. — (e) Ad diem XVI Maji., p. 596.

alia

A *alia sequi voluit in Chronico Lingonensi ita scribens:* Custodem porcorum æque Sanctum tam illustribus viris (*S. Valentino aliisque nobilis prosapiæ Sanctis*) accensere mihi liceat. Fuit is Baudericus sive Balde-ricus Theobaldo regi Burgundionum atque Austra-siorum, cui Theodebertus pater, haud ignotus, et multis potentibus seu ducibus seu comitibus reve-rendus: *verum si huic eruditissimo scriptori S. Emani Vitam cum S.* Balderici, *quæ aliunde modo suspecta habebat, Actis conferre licuisset, vix dubito, quin me-cum arbitraturus fuisset, quidquid Sancto nostro cum viris principibus commercii fuisse in Actis legitur, ex dicta S. Emani Vita desumptum fuisse, perperamque Sancto nostro affictum ab insulso fabulatore, qui non semel ineptiam suam prodit, dum etiam eumdem Sanctum, jam secunda sua uxore viduum, nec lit-teris, ut apparet, sufficienter imbutum, a Nectario Augustodunensi episcopo, uti etiam de S. Emano narrat hujus biographus, clericum ordinatum fuisse asserit, moxque eumdem divinum officium explentem sistit, contra expressam Sacrorum Canonum auctori-tatem, quibus bigamis, quantumvis etiam Sanctis, aditus ad ecclesiasticos ordines sacrasque functiones*

B *diserte occludebatur.*

ostenditur, 6 *Equidem iisdem contra ecclesiasticam inhibi-tionem se initiari non laturus fuisse videtur Sanctus noster, neque hactenus quisquam Nectarium Augus-todunensem episcopum, ab aliquibus etiam, quamvis absque sufficienti, ut apparet, fundamento pro Sancto habitum, talem extitisse dixit Sacrorum Canonum contemptorem, qui hos, nihil sibi ab intentatis trans-gressoribus censuris et pœnis metuens, tam facile et citra ullam necessitatem infringere voluisset. Quid? Quod Actorum fidem suspectam etiam reddat mira-culum, quod habent de Avallonensis castri carceribus ad preces S.* Balderici *ultro patefactis, captivisque ibidem a Nicasio comite detentis, mirabiliter liberatis, quodque non quidem in laudata S. Emani Vita re-peritur, sed tamen demptis quibusdam circumstantiis, adeo simile est illi, quod in Vita S. Germani Pari-siensis apud nos tom. VI Maji* (*a*) *narrat Venantius Fortunatus scriptor gravissimus et S. Germano coæ-vus, ut mirabilis illa historia ex laudata S. Germani Vita in nostra S.* Balderici *Acta immigrasse indubie videatur. Utut sit, cum pleraque, quæ in utriusque SS. videlicet Emani et* Balderici *Actis leguntur, satis credibilia sint de S. Emano, ac e contrario, ut ex dictis nemo non colliget, non possint nisi inepte*

C *S. nostro* Balderico *applicari, statuendum prorsus est, hujus Acta magna ex parte ex S. Emani Vita fuisse transcripta, a biographo longe a Sancti ætate remoto, qui magnum se operæ pretium facturum ratus fuerit, si ejusdem Sancti, cujus forte nulla vel exigua tantum extabant Acta, Legendam potius ma-gnificam, quam veram concinnaret.*

fabulosa sunt, sed tamen eadem Acta 7 *Itaque consideratis Actis, legitimoque cultu mox probando, solummodo dicendum nobis videtur, exti-tisse in Lingonibus S.* Baldericum, *porcorum custodem, et proinde conditione quidem humilem, sed virtuti-bus statui suo, qui verosimiliter conjugalis fuit, con-venientibus sublimem, qui sanctam vitam pretiosa in conspectu Domini morte terminarit; hæc enim cum ex suspecta minime traditione haud dubie hauserit biographus, nec in S. Emani Vita similia reperian-tur, tuto etiam credi posse videntur; cætera vero, quæ in dicta S. Emani Vita etiam fere habentur, quatenus ad Sanctum nostrum spectare dicuntur, pro suspectis ac fabulosis habenda esse existimamus. Quamquam vero sic habeat, Actaque maximam par-tem fabulosa sint, eorumdem tamen, cum hactenus inedita sint, apographum, a Chiffletio propria manu descriptum moniturus in Annotatis, quænam a bre-viori paululum Vignerii exemplari absint, eadem, ut lector ipsemet eadem cum S. Emani Actis conferre possit, atque ex continua, quam reperiet, quamque etiam in Annotatis passim indicabo, utrorumque consonantia, si judicio nostro acquiescere velit, sta-tuere, talem esse Sanctum nostrum, quales plures in Opere nostro locum habent, cujus videlicet gesta fere quidem sint ignota, sed legitimus certusque sit cultus: cultus, inquam, certus est ex Actis, quorum omnia nostra exemplaria divisa sunt in novem lectiones, usu haud dubie receptas, quandoquidem extracta sint ex antiquis Breviariis, unique exemplari præ-mittatur hic titulus:* Officium S. Balderici Confes-soris. *Sequitur in eodem exemplari brevis hymnus ita sonans:* Sancte Balderice Christi confessor, audi rogantes servulos, et impetratam cœlitus tu defer indulgentiam. O Sancte Balderice, sydus aureum, Domini gratia, servulorum gemitus solita suscipe Clementia. Gloria, etc. *Huic hymno subjicio hanc, quæ in alio apographo mutilo habetur, orationem propriam:* Omnipotens sempiterne Deus, cui cun-cta famulantur elementa, intercedente pro nobis Beato Bauderico Confessore, exaudi propitius ora-tionem nostram, et tribue nobis misericordiam tuam, ut quæcumque præcipis, agamus, ipse adju-vet. Per Dominum, etc.

aliaque etiam hic adducta, probant legiti-mum cultum, 8 *Cætera, quæ ad Sancti cultum pertinent, dili-genter annotarunt laudati Chiffletius et Vignerius, quorum posterior in litteris ad Majores nostros datis ita loquitur:* Attalanta (vulgo Estalante) vicus est diœcesis Æduensis, in via militari, qua Lingonis itur Alexiam atque Augustodunum, ubi sacellum est et Brachium S. Bauderici. Saliva, non Salina, (vulgo Salive) oppidum est Lingonensis diœcesis, in quo maxima pars corporis S. Bauderici asser-vatur non longe a fonte Tiliæ fluminis, *addit Chif-fletius ecclesiæ ejusdem oppidi primarium patronum esse S. Martinum, et secundarium S. nostrum* Bal-dericum. *Adhæc* in episcopatu Æduensi (*inquit idem Chiffletius*) in archipresbyteratu Sinemuri in Auxeto (*Gallice* en Auxois) est ecclesia dicta S. Burrisii, vulgo saint Burroy, in tabulis Buxe-riæ dicitur etiam S. Burreius et S. Burricus. Ejus loci parochus et vicini alii presbyteri norunt hunc ipsum esse S. Baudericum, cujus et Vitam habent, quæ incipit (*quale et in omnibus nostris exempla-ribus est ejusdem exordium*): Inter laurigeros Con-

F fessorum choros; asseruntque eum ut patronum ibi coli die octava Julii. *Citat deinde laudatus Chif-fletius duo instrumenta, quæ ostendere videntur Sancti nostri cultum esse etiam valde antiquum, Chartam videlicet* XXX *ex Tabulario Flaviniacensi, datam anno* II *Rotberti regis, in qua memoratur* Altare S. Balderici, *alteramque chartam Lotharii regis, datam anno* 955, *ex qua excerpsit sequentia:* De rebus S. Botrici quibusdam in pago Burgundiæ manentibus: et in villa Casliaco super fluvium Duine, videlicet X et VIII mansi et ecclesia dimidia in comitatu Belnensi cum alia integra ecclesia in comitatu Calnensi, in honore Sancti Lupi dicata, super prænotatum fluvium sita. *At, quamvis syno-nyma sint, ut Chiffletius etiam observat,* Burrisius, Burricus, Botricus et Baldericus, *hæcque nominis varietas ex verbo S.* Burry, *uti apud Gallos Sanctus noster audit, derivetur, cum tamen ignotum sit, quænam ecclesia in hoc Lotharii regis diplomate veniat nomine S. Botrici, ac æque nobis incognitum sit, ubinam loci memoratum in dicta Tabularii Fla-*

(*a*) Ad diem XXVIII Maji., p. 782, num. 19.

viniacensis

AUCTORE C. G.

A *viniacensis charta* Altare S. Balderici *extiterit, utrum in laudatis instrumentis de Sancto nostro sermo sit, cum laudato Chifletio non ausim edicere, præsertim quia et in diœcesi Remensi alius celebris est S. Baldericus, qui, teste Flodoardo Historiæ Remensis cap.* XXXVIII *et* XXXIX, *regia stirpe ortus, presbyter monasteriique Montis-falconis in Campania conditor et abbas extitit, et de quo proinde in iisdem chartis sermo esse potest, quod ad diem sequentem, quo de isthoc S. Balderico in Opere nostro agendum erit, inquiri, si operæ pretium videbitur, amplius poterit.* [*Videtur hoc dubium Goorii minime fundatum: duo solum noscuntur sancti Balderici, alter Falcomontensis, in agro Rhemensi, Lingonensis alter. Unde probabile satis formatur argumentum, utrumque altare, in Burgundia erectum, honori S. Balderici Lingonensis potius tribuendum, quam sancti Rhemensis, Burgundionibus verosimiliter ignoti.*]

qui Sancto hac die et VIII *Julii defertur.*

9 *Porro, cum ex dictis liqueat, in diœcesi Lingonensi atque etiam Augustodunensi Sancti nostri* Balderici *cultum esse admodum celebrem, mirari satis non possum, ejusdem memoriam nec in sat longo Gualtherotii Lingonensium Sanctorum Elencho, nec in ullis quantumvis etiam novis et amplis Martyrologiis consignari, si unicum exceperis Universale Castellani, in quo diligentissimus Sanctorum, præsertim ad Galliam spectantium, refossor ad diem* VIII *Julii ita habet :* Magnimontii (à Memont) prope Divionem S. Balderici opilionis. *Et quidem hac eadem die Sanctum coli in ecclesia oppidi, quod ex ejus nomine S.* Burrisius *aut S.* Burricus (*Gallice S.* Burroy) *dicitur num. præced. vidimus; verum in ecclesia Salivensi ea die celebrari solummodo ejusdem translationem, natalemque diem agi hac* XV *Octobris disco ex antiquo Kalendario, ejusdem ecclesiæ Breviario præfixo, in quo testante sæpius laudato Chifletio, ita legitur :* Idibus Octobris Bauderici confessoris; VIII Idus Julii translatio Beati Bauderici confessoris. *Cum autem ignotus sit locus, ubi Sanctus felicem mortem oppetierit, sacræve ejus exuviæ primum terræ fuerint mandatæ, unde earumdem translatio ad ecclesiam Salivensem, in qua potiorem corporis S.* Balderici *partem, aut ad ecclesiam Attalantensem, in qua ejusdem Brachium servari jam diximus, facta sit, edicendo non sum; dicitur quidem in Actis S.* Baldericus *Sombernone, vico Lingonensis diœcesis, ecclesiam seu oratorium in honorem S. Eusebii ædificasse, atque in eodem postmodum sepulturæ traditus fuisse, ast idem fecisse a proprio biographo S. Emanus dicitur, quo fit ut non immerito Actorum fidem, cæteroquin etiam exiguam, suspectam hic habeamus.*

B

C

Ætas Sancti est incerta.

10 *Ob eamdem rationem, exiguam videlicet Actorum auctoritatem, determinare nobis in promptu non est, quo sæculo Sanctus vixerit : etsi enim Vignerius in Chronico Lingonensi Theobaldo Austrasiæ regi, qui secundum Cointium ab anno* 548 *usque ad annum* 555 *regni gubernacula tenuit, coævum statuat, id tamen non aliunde verosimiliter fecit, quam ex Actis dubiis, in quorum exemplari ab eodem Vignerio transmisso, legitur Sanctus interpellatum adiisse Theobaldum regem* (*alia exemplaria habent Theodebertum Theobaldi patrem*) *de possessione cujusdam villæ, quam ei malevolus quidam auferre moliebatur. Parum ab Actis recessit Castellanus Sanctum sæculo* VII *adscribens, cui an meliora monumenta præluxerint nescio : attamen cum certiora de ejusdem ætate docere nequeamus, hisce interim inhærere voluimus, donec major aliqua lux affulgeat, et Sancti obitum ad caput hujus Commentarii sæculo* VI *aut* VII, *dubie tamen, collocare.*

D

VITA SEU ACTA

Ex Antiquis Breviariis.

CAPUT UNICUM.

Sancti patria, gesta quædam in juventute, status conjugalis, miracula, obitus.

LECTIO I. Sanctus, qui jam in adolescentia diaboli tentamenta vicerat et miraculis claruerat,

* *alias* Bauderici

a

b

c

E

Inter laurigeros Confessorum choros pulchre Beati Balderici * nomen adscribitur, qui ab ipsis pene cunabulis sanctitatis culmine potitus, sacris miraculorum effulsit signis. Fuit enim ex territorio Magnimontensi *a* parentum genere *b* ortus, religionis culmine ab ipso ortu præpollens, spiritus Sancti gratia præventus. Is cum esset annorum duodecim directus est a parentibus in sylvam nomine Sigestro, *c* ut pasceret porcos, quem diabolus sicut auctor criminum, et invidus bonorum nisus est suæ calliditatis fraude terrendo impellere, unde arte persuasoria transformans se in similitudinem cervorum, circumdati impetu agentes constiterunt: at Sanctus Baldericus, licet territus, ut mos est pueri, animo tamen constans, totum se Domino committens ait : « Deus omnium Domine, cujus nutu reguntur cuncta, cujusque nominis invocatione omnis concutitur pernicies fantasiæ, terror aufugit et securitas tribuitur, ope tua me subsidiari non desinas » : sicque signo crucis totum se munivit, tunc omnis ille phantasmaticus diabolicæ multitudinis exercitus cum ingenti fragore confusus evanuit, nec ultra in cum suæ calliditatis tentando ausus est immittere fraudem *. Non multo post aggressus est Carrasiæ partibus invisere avunculum suum vocabulo Avitum, ubi dum cum ipso cælibem vitam duceret, dæmoniacus quidam auditus officio privatus ante eum infertur, pro quo Domino preces fundens, gemina calamitate obstrictus totus redit incolumis. Alius vero longa ægritudine detentus, etiam pene morti datus, non longe in domo decubans in ingressu præfati Sancti pristino redditur statui; taliter hujus puerilis ætas obtinere a Domino meruit coruscando triumphum.

* *LECTIO II.*

F

* 2 Igitur jam tempus pubertatis gliscendo per annorum curricula sanctitate et cœlicis virtutibus pollendo adveniens, parentum suasione compulsus accipit uxorem vocabulo Syagriam *d*, non libidinis facibus succensus, nec prolis amore invitatus, sed charitatis studio, qua proximus diligendus est, imbutus, cum qua sinceriter modice degens, contigit, ut ejusdem uxoris adveniret obitus; post quod biennium absque conjuge sistens, notis suadentibus, alteri jungitur non immemor castitatis, sed societatis amore præventus. Denique cursu miræ almitatis cluens, quidam diaconus una cum clerico suo reditum ad propria per Celsiacum villam exigere cupiens, cum super ripam Ormencionis fluvii paulum reficiendi causa cum equis et suis omnibus divertissent, a latronibus insecuti, sublatis omnibus, interempti et in aquam projecti sunt, quo in tempore per visum Beato Balderico apparuerunt fatentes mortis suæ innocentiam et laicorum sævitiam, et ut ipse corpora eorum sepulchris tradere deberet, missos

* *LECTIO III. prima uxore orbatus alteram ducit : corpora Martyrum sepelit, eorumque gloriam videt.*

d

missos se retulerunt, qui surgens illico venit ad locum, et facta oratione rejecti sunt ad littus, ab eo
* *LECTIO IV* et in Ormenciaco vico sepulti *e*. * His actis ad territorium Vesoniense iter arripuit proprios agros, Matriniacum scilicet in Sono *f* et Flaviniacum providere, ubi beatus Martyr Andochius apparens ei dixit : « Vere te, Sancte, aulis cœlestibus et civibus supernorum dignum pernoscas, eorumque numero jam adscriptum congaude, veni et ostendam tibi præmia beatorum, cum quibus ascitus gaudio perfrueris æterno, et supplicia miserorum inferorum, quorum miseriis nemo communicatur justorum » et indicens ei suum nomen et nomina eorum, cum quibus martyrio coronatus est, cum ingenti fulgoris aspectu recessit. Quis tanti se viri patrocinio non excitaverit subjici, quisve votorum plenus ejus orationibus dari?

Defuncta iterum conjuge, abstinentiæ magis deditus est, et Augustoduni e carcere liberatus, clericus ordinatur;

3 His ita gestis, cujusdam viri Baudassi pastores, cum gregis sui provisores insisterent, furtum a circumhabitantibus admittentes, capti et vincti ducebantur ad mortis supplicium, quo comperto, Sanctus Baldericus totum se contulit ad deprecandum pro eis, judicibus autem altercantibus et dimittere nolentibus, memor præceptorum Domini ultro se pro cis vinctum obtulit; tunc judex animo flexus libere eos abire permisit *g*. Deinde veniens in territorio Alsennæ, in villa Budriaco nomine, ibidem cum uxore decem annis conversatus est, quibus expletis cursum vitæ uxor ejus peregit; ex quo, sicut antea sanctitatis culmine pollebat, ferventius jejuniorum et orationum assuetudine macerabatur abstinentia, adeo ut, cum siti frequentius agitaretur, salem sibi pro aqua administraret dicens : « Accipe, gula insa-
* *LECTIO V* tiabilis, hoc tibi sit pro dulcedine aquæ. » * Præterea festivitate sancti Symphoriani Martyris *h* imminente iter ad Augustodunensem expetiit urbem : vacante eo orationi ad Martyris sepulchrum, multi cum dæmoniaci, qui non solum ex vicinis verum etiam
* *supple* dissitis ex longe lateque * locis ad tanti Martyris convenerant limina, clamabant, quod audiens vir venerandus Nectarius ejusdem loci episcopus, non illius sanctitatis virum scrutatus, sed potius hypocrisis malignitate subactum, tenebroso in loco recludi præcepit; at ille Domino gratias agens, instantius orationi procumbens, cœlicam more suo expetebat vitam, vestis summitate parietes et pavimentum carceris extergens; et ecce subito sera concussa et ostio aperto, odor miræ suavitatis per totam domum respersus est. Porro Euphronius archidiaconus ostia comperiens patefacta, terque ab eo munita, citissimeque reserata, sentiens odoris fragrantiam, culpans seipsum denuntiavit episcopo, quo comperto, flexus antistes, clericorum ac populorum turmis circumvallatus illum cum hymnidicis choris ac divinis excepit laudibus, indulgentiam flagitans pro contumeliis ab eo injectis, vidensque eum clericatus honore condignum, ut id ageret impetravit *i*.

a S. Eusebio in visione monitus construit Oratorium, furibus, equum pecudesque auferre incassum molientibus, ignoscit.

4 Quosdam autem dies ibi lucifluam ducens vitam, dum more solito divinum expleret officium, apparuit ei Sanctus Eusebius Vercellensis episcopus cum parvo puerulo, facie splendido et veste corusco, cujus nomen Sanctus inquirens : « Ego sum (ait) Eusebius Vercellensis episcopus, missus ad te desiderium cordis tui ostendere, locum scilicet, ubi ecclesiam construendi tibi fas est, » et designans ei locum, qui vocatur Sombernio, vale dicens discessit, quo in loco juxta significationis terminum con-
* *LECTIO VI* struxit oratorium *. (Id actum, quidam diabolus villæ illius possessionem vocabulo Blactiacum cupiditate ductus vi conatus est invadere et sibimet optabat aptare; proinde supplicaturus Coloniæ Theodebertum gloriosissimum adiit regem, et quia cibo potuque ultra modum parcus alio non usus erat potu, vasculum quoddam, sicut erat, absque ullius condimento saporis implevit *, quod ipsi et secum euntibus non deficiens, eundo et redeundo satisfecit. Hic itaque, sicut tanto viro charus, a præfato Baudasto invitatus fuerat. Exinde rediens, homo prædicti viri, vocabulo Apo, dolo plenus, cupiditate seductus equum ejus furari nisus est, sed justitiam justi impietate impii ludificari non fas est *k*.) Igitur Sanctus Dei ad propria rediens, sic ei advenit terminus, ut noctis inciperet cursus, et juxta morem equus foras ejicitur, ut herbæ reficeretur pabulo, adest fur, et toto noctis spatio arbitratus est eminus auferre, sed quo amplius elongari (se) putabat, eo cominius propinquabat : jamque advenit dies, quo incassum se laborasse fur deprehendit, et insidens equo ante Sanctum adstat confusus hærens gestatorio, stat miser cum præda non valens descendere ab equo nisi Sancti jussu; sane is magis curam gerens animarum, quam opum aut jumentorum, cupiditati ejus satisfaciens simul cum equo licitum ei dedit gressum, præbens iter agendi auxilium, unde scilicet calceamenta emeret peditum. Simili modo fures de ejus ovili oves auferre molientes duos arietes humeris gestare cœperunt, miro modo arietum onerati pondere canum effigies sibi videbantur gestare, quos deponentes itemque relevantes, nihil ovinum sed caninum existimabant, quos relinquentes abscesserunt confusi, in crastinum proprium cognoscentes delictum vestigia deosculabantur Sancti, veniam petentes de commisso reatu, quos coërcitos dimisit intrepidos.

EX ANTIQUIS BREVIARIIS.

* *supple* aqua

5 * Factum est interea, ut jam memorati Baudasti armilla magni ponderis, auro mundo facta, furtim sublata, omnis ejus familia torqueretur exinde; Sancto autem interveniente, ut spiritu prophetiæ pleno, quis reus esset innotuit, inventoque pignore et rei impetravit delictum et familiæ cessavit exitium. Post hæc contigit, ut idem Baudastus in mortis languorem incideret, quadam nocte gravi sopore sopitus vidit in visu utrosque Sanctos, Andochium *l* scilicet et Baldericum in maris pelago navigantes, et sopore exemptus, prædictum vocans athletam precatus est, ut limina Sancti Andochii pro eo... adiret, qui jussum complens, pro eo singultu attrito præsul martyr apparuit dicens : « Quid pro eo fatigaris, dilecte Dei, cum maledictionis stimulo illectus, jam cœlesti perfusus est excidio? Calicem namque aureum, quo * partibus Orientis crebrius potu utebamur, ex ea basilica supra mare sita furtim sustulit, ex quo partem secum habere videtur, et pro eo supplicas? scito prænoscens, quod die crastina, tertia illucescente hora, cum vitæ termino subjicietur morti, et cum debitum delictum accepturus, fætorem in domo senseris imminere, egredi ab ea non desinas; quia vero baptismi accepit gratiam, post mortis terminum officium super eum persolve debitum; nam de reliquo quidquid petieris, impetrare te scito. » . . . * Tempore ferme eodem divinitus admonitus Avallonensi digressus est castro, in quo proprio reatu duo detinebantur vincti, quorum unus Promotus, alter de nomine dicebatur Deman, scilicet quia fratrem Nychasii comitis ejusdem loci interfecerant, quorum uxores pro eis supplicantes, Sancto obviaverunt Balderico, pro quibus postulaturus advenit, sed renuente judice absque uniuscujusque centum solidorum præmio, is Sanctus Dei januis clausis carceris propinquans, orationi incumbens, nutu divino seræ contritæ, januæ patefactæ sunt, vincti cum aliis decem et octo exempti sunt *m*. (Id actum in mona-

LECTIO VII

Moribundo precibus suis sanitatem non impetrat; captivos vero e carcere liberat :

* *supple* in

* *LECTIO VIII*

EX ANTIQUIS BREVIARIIS.

sterio Deo devotarum virginum, ubi Edera venerabilis præerat abbatissa, biduo mansit. *n*).

n sanat surdum et mutum, reum e carcere, et fœminam a dæmone liberat, rursum captivos relaxari impetrat;

6 Erat in Toringia homo divitiis præditus, cujus unicus erat filius, sed ab ortu auditu privatus, cui præ fœcunditate rerum turpe erat habere filium hæredem surditate mutum, qui comperiens Sancti Balderici famam cum precibus et honoris præmio misit ei filium suum, cujus interventu sanus effectus est. Urbicus quidam adolescens, ludens cum coævis, instigante Diabolo unum ex eis occidit; parentes autem interempti dolore nimis concussi, comprehendentes reum carceri manciparunt in castello, quod dicitur Sinemurum; sæpe vero Dei famulus, ut erat pietate præcipuus, pro eo se contulit rogaturus, sed genitrix mortui dolore affecta noluit eum audire : Sanctus autem Dei humanum relaxans peccatum divino adhæsit suffragio, unde ante carcerem veniens, seque orationi committens, catenæ vinculorum disruptæ et claustra carceris sunt aperta; mater autem interfecti a dæmone arrepta cecidit ad pedes Sancti, quam manu imposita

* LECTIO IX

sanavit. * Lando dux exercitus, cujusdam honorati filiam concupiscens, renuentem patrem carceri reclusit occasione intercepta : factum est interea, ut

B idem Lando cum exteris gentibus prælium habiturus iter ageret per devium locum vocabulo Spinogildum, cui Sanctus Baldericus obviam venit rogaturus pro vincto, et tenens lora fræni precabatur, ut et illum dimitteret et filiam ejus et peccati reus non existeret, is autem labentis procurator sæculi Sancti verba parvi pendens, gressu, quo cœperat, molitus est aggredi iter, hinc viam stadiorum quindecim progressus, numine divino sistitur, nec equus progredi voluit, et magno timore correptus retro velociter pedem figens, quem contempserat requirit, et prosternens se illi, quem ante nec audire decreverat, veniam postulabat vinctum cum aliis quadraginta relaxans, sicque securus repedavit ad suos, factumque est, ut, dum unus solvitur, interventu Viri Dei multi solutionis mererentur veniam.

duos energumenos sanat, humanas laudes declinat, ac tandem defunctus in constructa jam ante a se ecclesia sepelitur.

7 Quidam Urfortius nomine juxta fluvium Adonis *o* habitabat ita dæmoni subactus, ut nullus eum auderet attingere, etiam labia sua dilacerabat dentibus, audientes autem noti Beati hujus famam, vinctum produxerunt ad eum, flagitantes ut illi virtute suæ pietatis insisteret, cui manu imposita inmundum spiritum abegit. Mulier quædam ex

o

C Francorum genere dæmoniacum habebat puerum unicum, amore prædilectum, hic nullo sciente, sicut alienus mente, non longe subiit arborem; denique ubique quæsitus et non inventus, Beati Balderici revelatione compertus, ac sanitati redditus matri totus designatur incolumis. Hic itaque Sanctus ac gloriosus pompas præsentis sæculi non ferens, laudem humanam refugiens, cunctis, quibus medelam impendebat, curam præcipue non desinebat suggerere, ut nullo modo alicubi quis famam ejus exigens alicujus virtutis ipsum esse dignum assereret; imo illius gratificum præstolans laudis emolumentum, cui soli competit æternæ remunerationis dare triumphum *p*. Denique tanti viri Miraculorum insignia ad liquidum prosequi non valentes, succincte tamen impolitoque sermone pro posse fingentes, ut memoria ejus ab antro pectoris

p

* *supple* non

humani * exolescat, herigraphare fas duximus : igitur jam senii concidatus honore, cursu sui laboris *, cœlicis condignus præmiis, Christo vocante, paradisiaco odore comitatus, Angelorumque stipatus turmis, populorum vallatus catervis Idus Octobris animo cœlos petente dilucidum ætherei D serti suscepit triumphum, cujus Sanctum corpus in basilica, quam ipse divinitus revelando ædificaverat, divinis cum laudibus tumulatur : ad cujus tumulum ampliora et frequentiora elucidantur magnalia, quam vitæ ejus accepisset cursus. Cujus beatæ vitæ Joannes assertor præcipuus extitit, et ut comes ejus præsens per omnia affuit, intuituque conspexit, scribendo elucidavit ad laudem et honorem Omnipotentis, qui tam mirabilis extat in Sanctis suis, qui est trina Deitas summaque potestas, cui virtus et imperium sine fine manet in sæcula sæculorum. Amen *q*.

q

* *supplé* consummato

ANNOTATA.

a *Hujus territorii seu comitatus notitiam dedimus Comment. prævv. num.* 1, *ampliusque eumdem comitatum descriptum habes in Annotatis in Vitam S. Sequani tom. VI Septembris* (*a*).

b *Supplendum hic verosimillime esse* humili *seu* obscuro *collige ex dictis Comment. prævv. num.* 5 *et* 6. E

c *De hac sylva pluribus agitur in Vita suspecta S. Sequani, diciturque extitisse* Spelunca latronum et latibulum spirituum immundorum, *antequam S. Sequanus monasterium suum ibidem exstrueret; atque hinc ansam arripere potuit biographus dæmonum etiam tentamina circa S. nostrum* Baldericum *comminiscendi.*

d *Hæc Sancti uxor uti et ejus avunculus Avitus aliunde mihi non sunt noti.*

e *In Vita S. Emani tom. III Maji* (*b*) *dicuntur hi occisi fuisse prope fluvium Auduram* (*Gallice* Eure) *Carnotensem civitatem in Belsia alluentem, cui noster biographus Ormencionem seu Hormentionem fluvium, qui in Burgundia oritur, substituit.*

f Marmagni vel potius Marigny en Auxois, *seu in pago Alexiensi aut Alesiensi, ut notat Vignerius, cui pago nomen dedit* Alesia (*Gallice* Alise) proxima Flaviniaco (*inquit Valesius*) in ducatu Burgundiæ... et in diœcesi Augustodunensi *seu Æduensi. At vide, quæ de prædiis, a Sancto nostro possessis, breviter diximus Comment. prævv. num.* 5.

g *Hanc eamdem de condemnatis a mortis supplicio liberatis Historiam habes in Vita S. Emani num.* 9. F

h *Colitur S. Symphorianus* XXII *Augusti, ad quem diem in Opere nostro locum obtinet.*

i *Quam parum credibile sit Sanctum nostrum clericum ordinatum fuisse collige ex dictis Comment. prævv. num.* 5 *et* 6, *nec dubitandum est, quin id biographus noster mutuatus fuerit ex sæpe dicta S. Emani Vita, in qua etiam a num.* 11 *usque ad* 16 *reliqua fere omnia habentur, quæ porro in Actis usque ad finem sequuntur.*

k *Quæ hic* ( ) *uncis inclusa sunt, in codice Salivensi non leguntur, sed eadem ex Attalantensi exemplari suo Vignerius postmodum subjunxit.*

l *De hoc Sancto Martyre et sociis actum est in Opere nostro tom. VI Septembris* (*c*).

m *Quæ hic de reis e carcere Avallonensis castri, in Burgundia et Alesiensi pago siti,* (*Gallice* Avalon en Auxois) *liberatis narrata sunt, verosimiliter mutuatus est biographus ex Vita S. Germani Parisiensis, ut dictum est Comment. prævv. num.* 6.

n *Uncis hic inclusa Vignerius ex codice Attalantensi iterum supplevit.*

(*a*) Ad diem XIX Sept., p. 38 not. *b*. (*b*) Ad diem XVI Maji., p. 397, num. 7. — (*c*) Ad diem XXIV Sept., p. 663.

o *In*

A o *In vita S. Emani num.* 16 *legitur :* prope fluvium Auduræ, *cui hic male substitutus est* fluvius Adonis, *cum hujus nominis fluvius in Gallia non sit notus.*

p *Sequentia in Vignerii exemplari non leguntur.* D

q *Quid ex tota male cohærentium Actorum farragine nobis credibile et verum videatur, diximus Comment. prævi. num.* 7.

DE SANCTO DEODATO

SEU THEODATO

EPISCOPO CONFESSORE VIENNÆ

ALLOBROGUM IN GALLIA.

SYLLOGE.

M. S.

B **Sancti memoria in fastis sacris, et cultus : tempus sedis, ac obitus.** E

CIRCA ANNUM DCCVII. *In variis Sanctus hic Præsul, iisque haud recentibus*

Vienna *in Delphinatu Galliæ civitas, ut varios in Sanctorum numerum relatos veneratur antistites, ita diem hodiernum, quo e vivis ablatus creditur, S.* Deodati *memoriæ dicatum voluit : hinc variis, iisque non ita recentibus, quamquam in genuinis Adonis ac Usuardi prætermissus sit, Sanctus hic habetur inscriptus Martyrologiis ; MS. enim S. Adonis Martyrologium hisce eumdem celebrat verbis :* Viennæ Sancti Deodati episcopi. *Consonat iis Mosander, ita habens :* Apud Viennam Sancti Deodati episcopi. *Quæ verba repetunt, ast in Appendicem ex probatioribus Codicibus rejiciunt Roswcydus et novissime Dominicus Georgius : Usuardi autem inter Auctaria a Sollerio memorata, hodie Sanctum nostrum in hunc modum Grevenus annuntiat :* Viennæ Sancti Deodati episcopi et Confessoris. *His addo Florarium nostrum MS. :* Viennæ Sancti Deodati episcopi. *Uti et antiquum ecclesiæ Viennensis MS. Kalendarium :*

C xv Octobris S. Deodati Ep. C. *Quibus consonat Castellanus Sanctum nostrum circa annum* 710 *obiisse ad marginem annotans. Ast his omnibus prolixius Saussayus, uti et Martyrologium MS. Sanctæ et antiquæ Viennensis ecclesiæ, a Lievræo vulgatum, quod quædam tamen castigationis indiga, ut infra videbimus, admiscet.*

hoc die annuntiatur Martyrologiis,

2 *Saussayus quidem sequens de Sancto nostro exhibet elogium :* Viennæ Sancti Theodati episcopi et Confessoris, qui Sancto Gregorio, *imo Georgio,* suffectus extinctum pietatis lumen novo virtutis splendore reparavit. Mira siquidem rerum caducarum despicientia, abstinentia et omni vitæ austeritate, justitiæ rigore, affectu misericordiæ, religionis studio sua ætate præpolluit. Denique omni opere dives, pastorali officio fructuose exacto, pro meritis evocatus est ad præmium. *Cuivis quidem Sancto præsuli hujusmodi concinnari posset elogium, si modo sequentia,* extinctum pietatis lumen novo virtutis splendore illustravit, *Saussayus haud adjecisset; cum enim extincti hujus luminis causa aut occasio apud ipsum reticeatur, cumque non nisi Sanctus Sancto tum temporis successerit episcopus, unde hæc ipsi elogii pars innotuerit, in ambiguo est relinquendum, aut eamdem de suo adjecisse opinandum. Quæ vero de S.* Deodato *MS. Martyrologium tradit, hisce continentur verbis :* Eodem die (*præmiserat B. Philippam de Campo-Milano dictam, cujus Acta infra dabuntur*) natalis S. Deodati Viennensis archiepiscopi, eximiæ sanctitatis viri, et abstinentiæ singularis. Hic Viennæ floruit regnante Theodorico Francorum rege, dum gloriosissimus pontifex Claudius Bisuntinensem regeret ecclesiam, Sanctus Audoënus Rothomagensem, Audomarus Teroanensem, Amatus Senonensem, Damianus Parisiensem, Theodorus Cantuariensem, atque Mansuetus Mediolanensem. Tandem ætate et miraculis plenus obdormivit in Domino, et cum majoribus tumulatus est. *Ita citatum Martyrologium Lievræi, cui et Series Sanctorum Viennensium MS., uti et Historia Antiquitatum Viennensium ab eodem Lievræo vulgata, pauculis immutatis, concordant.*

F

quo et cultum ecclesiasticum Viennæ obtinet :

3 *De cætero quod ad cultum S.* Deodati *ecclesiasticum spectat, quemque e citatis modo Martyrologiis vidimus, vix quidquam speciatim dicendum venit : a multo tempore annuam ejus memoriam celebratam fuisse, ac etiamnum celebrari constat e Breviario anno* 1522 *impresso, quod sequentem de Sancto nostro profert Rubricam* (*a*) : Sancti Deodati episcopi et Confessoris. Fiat ut in communi. Oratio. Da, quæsumus, omnipotens (*cujus verba porro sonant*) Deus, ut beati Deodati Confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum. *Asserit quidem* (*quod cultum ecclesiasticum egregie promovere natum est*) *Martyrologium MS. num.* 2 *citatum, præsulem hunc Miraculis plenum obiisse, ast specialia haud enumerat, cumque antiquiores æque ac recentiores hic sileant, quo Martyrologii dicta hac in parte stabilirem, ne minimum quidem datum fuit reperire. Unde hisce relictis, ad alia progrediamur, ac ut, cum ea quæ Sanctus hic ante episcopatum gessit, prorsus in obscuro sint, quandonam Viennensem*

(*a*) fol. CCCLXXXVIII verso.

diœcesim

AUCTORE M. S.

diœcesim moderari exorsus sit, modo inquiramus, ordo chronologicus exigere videtur.

A *ecclesiam hanc episcopus regere exorsus est*

4 *Omnes, quos quidem inspicere licuit, qui de Viennensibus agunt præsulibus, unum penes nos MS. si exceperis Catalogum, his Sanctum nostrum annumerarunt : priorem hos inter locum occupat Ado in eo, quod vulgatum habemus, Chronico : verum, uti observavimus Tom. VI Octob. die* XIV *in Sylloge de SS. Agrato et Casturo num.* 39, *haud ita clara sunt, quæ circa S.* Deodati *tempora in cit. Chronico Viennensis præsul annotavit; luculenter interea Sanctum nostrum sub Theodorico, id est, hujus nominis III* (*quem perperam editionis Parisiensis pag.* 204 *Philippico imperante, imo imperare desinente, regnum Francorum tenuisse asserit*) *diœcesim Viennensem fuisse moderatum scribit :* Francis *inquit,* adhuc Theodoricus regnabat. Deodatus Viennensis episcopus magnæ parcimoniæ vir florebat. *Subjicit his Ado, ast ordine neutiquam chronologico, ea, quæ ad Philippici pertinent imperium, annisque, ut loco supra citato diximus,* 711 *et* 712 *contigerunt, ac periodum suam his verbis claudit :* Theodoricus rex Francorum mortuus est, qui regnavit annis XIX. *Porro Theodoricum ad Philippici tempora nequaquam pervenisse apud historiographos in confesso est;*

B *obiit enim Theodoricus III, uti ad annum* 688 §§ III *et* IV *recte probat Pagius, nosque infra latius dicemus, anno Christi* 691, *qui annus, quod et Pagius advertit, in Chronico Hermanni Contracti edito apud Canisium tom. III P. I Antiquæ Lectionis* (*a*) *his verbis :* 691 apud Francos Theodoricus rex anno regni 19 moritur, *diserte annotatur.*

exeunte Theodorici III regno seu circa

5 *Imo vero Theodoricum ad annum* 711, *quo Philippicus imperare exorsus est, haud pervenisse, ex ipsomet Adone conficitur : narrata enim Theodorici morte, agit de Anastasii imperio, ac quibusdam interjectis, sequentia subjungit :* Drogo filius Pippini defungitur hybernali tempore anno Incarnationis Domini DCCVIII. *Adoni, teste Pagio ad hunc annum* § II, *Annales Nazariani, Tiliani, Petaviani, ac Chronicon San-Dionysianum concordant, uti et novissime in Arte examinandi temporum notas, inque Chronologia regum Francorum Benedictini. Hinc manifeste ordo chronologicus, quod et aliis cespitandi ansam præbuit, apud Adonem inversus ac turbatus apparet : convenit enim inter historicos, Philippicum sæculo octavo ultra decennium provecto imperium adiisse, ac Anastasium anno* 713 *in festo Pentecos-*

C *tes* IV *Junii* (*vide Pagium hoc anno, ac Benedictinos in cit. Chronologia* (*b*) *imperii ascendisse culmen, quibus sat prope numeri marginales in Adonis Chronico signati conveniunt. Ex his igitur consequens fit, S.* Deodatum *Theodorici regno finiente,* Francis *enim* adhuc Theodoricus regnabat, *ac circa annum* 690 *aut sequentem ex mente Adonis Viennensibus infulis fuisse redimitum. Fontem jam vidimus, rivulos modo, maxime cum a fonte discordent, paulisper intueamur : Boscius, quem Chenutius fere describit, in Elencho historico* (*c*) *Sanctum nostrum sub Anastasio Philippici in imperio successore, ac Theodorico, quos synchronos facit, floruisse contendit. En ejus verba.*

annum 690, aut sequentem; exordium quidem hoc,

6 Post eum, *nempe Georgium,* episcopus Viennensis fuit S. Deodatus, *ordine ut ad marginem notat,* XXXVIII, vir omnino abstemius, imperante Anastasio et regnante adhuc Theodorico, Pippino vero sub Sigeberto Austrasiæ rege aulæ præfecto; qui in hac præfectura successorem habuit Grimoaldum filium, qui in carcere sub Clodovæo defecit, D quo tempore S. Leodegarius diversis pœnis ab Ebroïno affectus, ultimo decollatus est, ac Gerinus frater ejus et alii sunt variis modis afflicti. Migravit Idibus Octobris. *Ita Boscius, sed varia hic peccata admittens : perperam enim, ut modo vidimus, Anastasii ac Theodorici tempora confundit : quid vero eumdem permoverit, ut hanc de Pippino adjiceret notam chronologicam, non video; obiit namque Pippinus Landensis Grimoaldi parens, ac sub S. Sigeberto Major-Domus, anno* 640, *ut Henschenius, Bollandum* (*qui eumdem Pipinum in Commentario Vitæ illius prævio* XXI *Februarii, anno* 646 *obiisse scripserat*) *in Exegesi tom. III Aprilis præfixa* (*d*) *correctum cupiens, nos edocet : imo Pagius* (*e*), *uti et Benedictini in cit. Chronologia,* (*f*) *Pippinum jure, ut apud ipsos est videre, anno* 639 *fatis concessisse contendunt. Nec magis ad rem faciunt, quæ de S. Leodegario, fratreque ejus Gerino, licet ea Theodorico regnante contigerint, Boscius commemorat; siquidem horum fratrum Martyrium procul dubio S.* Deodati *episcopatum præcesserit : passus namque est Gerinus, vide Vitæ Sancti Gerini Comm. præv.* § XIII *numm.* 197 *et* 198 (*g*), *anno* 676 : *Leodegarius vero diem obiit, absque Ebroïno occisus fuit anno* 678, *ut Comm. cit.* E § XVI *erudite Byeus probat.*

ast minus apte, quidam differendum censent.

7. *Liquet hinc, ea, quæ Boscius attulit, ac Chenutius fere adoptavit, ut, quandonam Sanctus noster floruerit, perspiciamus, facem præferre haud posse : nec Sammarthani fratres vades hic sese præstant idoneos; licet enim notas chronologicas Sancto nostro nullas adjiciant, decessorem illius Georgium* (*h*) *anno* 699 *ex Adone floruisse tradunt : huic enim Sammarthanorum opinioni quamvis numeri marginales in Adonis Chronico signati faveant, eamdem quidem, uti et Maupertuyum hujus sæculi historiographum, qui Sanctum nostrum anno* 701 *Viennenses infulas suscepisse asserit, ea, quæ ex ipso Adonis textu supra attulimus, luculenter satis convellunt. Hinc vero conformius Lievræus, in adjiciendis alioqui notis chronologicis nec exactus nec illiberalis, sequentia tantum, ad Galliæ reges quod spectat, in historia Antiquitatum Viennensium Gallice scribit :* S. Deodatus XXXVIII Viennensis archiepiscopus, miræ austeritatis et abstinentiæ vir, regnante Theodorico Francorum rege. *Quæ et supra num.* 2 *vidimus. Consectarium igitur ex his fit, S.* Deodatum *Theodorici III regno ad finem vergente, seu circa annum* 690 *aut* 691, *ut num.* 5 *diximus, Viennensem* F *ecclesiam regere incepisse. Verum extititne synchronus præclarissimis iis, a Lievræo in Martyrologio, num.* 2 *citato, enumeratis, præsulibus? Id paucis modo videamus.*

Illustres aliqui præsules exstitere contemporanei Sancto huic,

8 *Septem horum illustrium sanctorumque Pontificum Acta diversis in Opere nostro locis Majores nostri Commentariis illustrarunt, ac prioris quidem Claudii Vesuntionensis* VI *Junii* (*i*), *annum emortualem censet Henschenius* 581; *Cointius tamen præsulis hujus obitum anno* 698 (*videsis eumdem anno dicto*) *pro viribus tuetur innectendum, quem Chiffletius in Illustrationibus Claudianis, apud nos* (*k*), *ad annum usque* 703 *censet differendum. Audoënum autem Rothomagensem anno* 683 *cœlitum sedibus ortum Tom. IV Augusti Cuperus* (*l*), *Audomarum Tarvanensem circa annum* 670 *Tom. III Septembris die* IX *Stiltingus, Amatum Senonensem anno* 690 *Tom. IV Septembris die* XIII *Trentecampius* (*m*), *Damianum Papiensem anno* 710 *Tom. II*

(*a*) p. 238. Edit. Basnag. — (*b*) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. 421. — (*c*) p. 41. — (*d*) p. VI. — (*e*) Ad an. 639, § XV. — (*f*) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. 545. — (*g*) Ad diem II Octob., p. 403. — (*h*) Gall. Christ. Antiq., t. I, p. 796. — (*i*) T. I Junii, p. 644. (*k*) Ibid., p. 692. — (*l*) Ad diem XXIV Augusti, p. 799. — (*m*) p. 120.

Aprilis

A *Aprilis die* XII *Henschenius* (*a*), *Theodorum Cantuariensem anno* 699 *Tom. VI Septembris die* XIX *Clëus* (*b*), *Mansuetum denique Mediolanensem anno* 689 *Tom. III Februarii ad diem* XIX *Henschenius* (*c*), *asserunt. Hæc retulisse sufficiat, non enim vacat intricatas de quibusdam quæstiones penitius introspicere, nec locus hic est examinandi ea, quæ circa præsules hos, eorumve annos emortuales prolixius alibi disceptantur. Consequens ergo fit ex modo dictis, præsules hos* (*Claudium secludit Henschenius, ac Audomarum Stiltingus*) *Theodorico III regnante, aut regnare desinente, munus episcopale præclare gessisse, et hinc, si non omnes episcopi episcopo nostro synchroni, attamen ab eodem haud multum floruere remoti, cum Theodorici regno ad finem vergente diœcesim Viennensem susceperit* S. Deodatus *moderandam.*

præstantissimis virtutibus exornato :

9 *Præclaras inter Præsulis nostri virtutes præcipue scriptores extollunt abstinentiam ejus ac parcimoniam ; Ado enim, quem plerique, qui de Viennensibus disserunt præsulibus, sequuntur, compendioso eumdem hoc celebrat elogio :* Deodatus magnæ parcimoniæ vir florebat. *Ast enucleatius Saussayus in co, quod num.* 2 *vidimus, encomio, Antistitem hunc*

B *præclarissimis virtutum gemmis asserit fuisse exornatum, illumque non tantum ab abstinentia parcimoniave, verum et a justitia, misericordia, religionis studio, cunctisque virtutibus, ut verbo dicat, mirifice extollit : licet porro hasce virtutes cuique sancto præsuli dixerimus communes, hinc sane in Sancto nostro insigniter easdem illuxisse, inficias ire, mens neutiquam fuit. Cætera vero, quæ* S. Deodatus *episcopus gessit, nos latent, ac in obscuro sunt : asserit quidem Lievræus Sancto nostro in vivis agente celebratam fuisse sub S. Ansberto Rotomagensem synodum, verum eidem Sanctum nostrum interfuisse, nec ipse innuit, nec nomen illius, alia inter præsulum subscripta nomina, comparet : en verba Lievræi, quæ enumeratis supradictis episcopis, subjungit :* Tum celebratum fuit Rothomagi sub S. Ansberto S. Audoëni successore concilium, cujus acta, in tenebris sunt. *Verum licet Concilium istud* (*cujus quæ supersunt, vide apud Sirmondum* (*d*), *ac in Opere nostro Tom. II Februarii* (*e*) *sub Theodorico III celebratum fuisse, inter auctores conveniat, haud modica tamen de anno quo idem celebratum sit, inter eosdem disceptatio reperitur, ut, paucis verosimiliorem illius epo-*

C *cham indagantes, modo visuri sumus.*

qui concilio Rothomagensi, cujus verosimilior

10 *Henschenius die* I *Februarii in Commentario ad Vitam S. Sigeberti prævio* § XII *num.* 99 *synodum hanc habitam fuisse contendit anno Theodorici XIII, Christi vero* 691, *aut sequente : ipsum audiamus :* Sedem S. Ansberti, *inquit,* quem S. Audoëno XXIV Augusti anni DCLXXXIX mortuo successisse diximus, celebrem facit Synodus Rothomagensis ab eo habita, et quidem anno gloriosi regis Theodorici XIII, uti eum exprimunt Acta excusa, et MSS. Rothomagensia, et Fontanellensia, quibus maxime fidendum est. Annus is est Christi DCXCI, aut certe proximus DCXCII. *Num. autem* 100 *idem Henschenius Theodoricum annis* 14 *regnasse, ac anno* 693 *obiisse contendit : hisce ad diem* IX *Februarii S. Ansberto sacram* § III *numm.* 17 *et* 18 *scribit similia ; ast displicent hæc, nec immerito eruditis aliis : ac imprimis annum S. Audoëno emortualem non* 689, *sed* 683 *die* XXIV *Augusti, Tom. IV* (*f*) *Cuperus, Cointium Mabilloniumque secutus, statuit, ac Audoëni tempora* accurate *num.* 31 *Cointium* (*cui tamen Valesius, uti et Pagius ad annum* 684, *quo S. Audoënum obiisse contendunt, refragantur*) *notat indagasse. Quod modo Theodorici tempora spectat, ut jam supra vidimus, inter chronographos, contra ac Henschenius existimavit, sat convenit : audiamus hæc Byœum in Commentario de SS. Leodegario et Gerino die* II *Octobris* § VIII *num.* 120 *luculenter asserentem :* Huic Pagii argumento, *inquit, disserens de anno Dagoberti III in terris supremo,* lubet sequens adjicere.

AUCTORE M. S.

D

11 Petitur id a tempore, quo Theodoricus III obiit, et quo Neustriæ et Burgundiæ regnum tenuit. En illud. Obiit Theodoricus III Francorum rex anno 691, uti Pagius ad annum 688 numm. 3 et 4 luculenter ostendit, regnum autem Neustriæ et Burgundiæ tenuit annis novemdecim, ut Erchanbertus in Breviario regum Francorum ac majorumdomus, auctor de Gestis regum Francorum Erchanberto antiquior cap. XLIX, et Ado in Chronico affirmant. *Adde Chronicon Hermanni Contracti num. 4 citatum.* Quare cum ad annum 691, quo, ut dictum est, Theodoricus obiit, anni novemdecim, etiam incompleti tantum, quibus hunc in Neustria et Burgundia regnasse docuimus, reperiri nequeant, si serius quam anno 673 regnare in Neustria Theodoricus sit exorsus, consequens est, ut citius quam E anno 674 in Neustria regnare inceperit. *Ast quo jam Theodorici III anno Synodus Rothomagensis fuit celebrata? Ac eratne eo tempore Viennensis præsul S.* Deodatus? *Hæc definire, haud ita in promptu : a priori exordiamur, ac utriusque sententiæ monumenta videamus : annum Theodorici decimum tertium hasce ob rationes retinendum contendit Henschenius : annum hunc exprimunt S. Ansberti Acta excusa, ut modo ex Pagio videbimus. Eumdem annum habent MSS. Rothomagensia, et Fontanellensia,* quibus, *inquit Henschenius,* maxime est fidendum.

epocha indagatur,

12 *Modo Pagium, qui annum Theodorici decimum sextum legendum esse, evincere conatur, audiamus ; sequentia hic ad annum* 682 § VIII *adducit :* Sanctum Ansbertum, *inquit,* Rothomagensem episcopum inter alia celebrem reddit Synodus Rothomagensis ab eo congregata, sed ejus epocha in magnam controversiam vocata, quæ ut dirimi possit, referendi hic characteres chronologici, quibus consignatur in Vita Sancti Ansberti : sub anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXII indict. X, qui erat annus præfati gloriosi regis Theodorici XIII et præfati venerandi præsulis pontificatus quintus. Verum prior addi- F titius, quia hoc tempore saltem in Actis publicis, anni Incarnationis a Francis non usurpabantur, ut nunc extra controversiam est. Quare is character non ab Aigrado monacho Fontanellensi auctore illius Vitæ fere æquali Sancto Ansberto notatus, sed a posterioribus intrusus. *Addit Pagius, Vincentium Bellovacensem in Speculo historiali lib.* XXIII *cap.* C *pro anno* XIII *habere* XVI, *uti etiam legunt Sirmondus in Codice MS. monasterii sancti Michaëlis in mari in diœcesi Abrincensi siti, et Mabillonius sæculo* II *Benedictino* (*g*) *exhibens Vitam sancti Ansberti cum codicibus* (*nota*) *MSS. collatam. Pergit Pagius, ac qua ratione, conjectura ut videtur, loco numeri* XVI *irrepserit* XIII, *indicare conatur :* Librarius, *inquit,* cum detrita essent in infima parte lineamenta numeri V, loco XVI legit XIII, qui error non raro occurrit. Quare cum annus XVI Theodorici anno DCLXXXVIII inchoatus fuerit, primusque Ansberti proficiscatur ab anno DCLXXXIV, quo sancto Audoëno successit, Synodus Rothomagensis anno

quodque illius episcopatum

(*a*) p. 91. — (*b*) p. 55. — (*c*) p. 135. — (*d*) Conc. Gall., t. I, p. 509. — (*e*) Ad diem IX Febr., p. 352, n. 26. — (*f*) p. 799. — (*g*) Act. SS. Ord. Bened., t. II, p. 1948.

AUCTORE M. S.

sexcentesimo octogesimo octavo, aut octogesimo nono omnino celebrata, currente scilicet Indictione I vel II, ideoque Indictio X non minus in Vitam S. Ansberti infarta.

A

præcessisse videtur,

13 *Liquet hinc, haud levia pro sua quemque opinione adferre fundamenta, cur autem Pagiana chronotaxim distribuendi ratio mihi vero appareat similior, faciunt sequentia : imprimis Theodorici III annos, ut supra vidimus, nequaquam est assecutus Henschenius, ac Audoëni obitum, teste Cupero, auctoribusque ab eo citatis, plus justo, sexennio nempe secundum Cointium, aut quinquennio si Valesium, Pagiumque sequamur, distulit; hinc et Synodum, quam anno episcopatus sui quinto celebrasse S. Ansbertum Aigradus illius Biographus, quod Henschenius intactum præterit, diserte affirmat, differre debuit. Quod modo ad MSS. Rothomagensia Fontanellensiaque spectat, quamvis ea majoris momenti esse inficias non eam, sunt fortasse imperiti amanuensis vitio, uti Pagius asserit, depravata, quod eo lubentius conjicio, quo, hisce MSS. non obstantibus, a Sirmondo, Mabillonio, Pagioque MS. S. Michaëlis, aliisque, quæ Mabillonio præluxerunt, MSS. palmam deferri videam, imo cum, uti hodie inter chronographos convenit, Theodoricus anno* 673 *regnare sit exorsus, huic anno si tredecim adjiciamus, Concilium anno* 686, *aut* 687, *cum mensis anni sive* XIII, *sive* XVI, *quo celebratum fuit Concilium, haud exprimatur, quorum neuter cum quinto S. Ansberti coincidit, non vero* 691 *aut* 692 *fuisset celebratum.*

B

haud interfuit :

14 *Ex his porro consectarium fit Concilium Rothomagense anno Theodorici XVI, ac Christi* 688, *aut* 689, *uti Pagius sentit, verosimilius habitum fuisse, cui proxime Bouquetus* (*a*), *ac supra laudati Benedictini in Chronologia Conciliorum accedunt, Conciliumque, de quo agimus, anno* 689 *celebratum fuisse statuunt. Hinc ulterius sequitur pro certo definiri haud posse, num hujusce Concilii tempore cathedram Viennensem Sanctus noster fuerit episcopus moderatus; licet enim liquido satis eumdem sub Theodorici regni finem Antistitem creatum fuisse, supra ostenderimus, num tamen triennio, quadrienniove Theodorici obitum Episcopus prævenerit, unde probem, candide fateor, non habeo : imo Concilium Rothomagense, licet id clare confici haud possit, verius equidem S.* Deodati *præsulatum videtur præcessisse : multiplicatus enim hocce tempore antistitum Viennensium numerus* (*vide, quæ ea de re die præcedente in Comm. de SS. Agrato et Casturo* § III *num.* 37 *diximus*) *exigit, ut circa Theodorici regni finem ac circa annum* 691, *aut ad summum* 690 *S.* Deodati *in episcopatu primordia collocentur. Cætera porro, quæ S.* Deodatus, *ut num.* 9 *dixi, in episcopatu gessit, cum nos lateant, ad designandum, quoad propius fieri poterit, emortuale præsulis hujus tempus, me transfero.*

C

obiit Sanctus hic, cælestique

15 *Quædam modo huc pertinentia in Commentario de SS. Agrato et Casturo* § III *numm.* 39 *et* 40 *prælibavimus, ac præsulis nostri obitum ab anno* 707 *haud multum diximus segregandum : cum enim Adonis Chronicon circa annum* 708 *Blidramnum* (*quem tamen sæculo præcedente floruisse loco citato num.* 36 *docuimus, ac tempora eidem ab Adone assignata S. Agrato convenire opinati sumus*) *Viennenses infulas gessisse asserat, consequens fit, ex mente Adonis S.* Deodatum *ante annum* 708 *Viennensem cathedram successori, quisquis ille fuerit, reliquisse.* [*Ætatem nempe Blidramni incertam facit charta Theodorici III Neustriæ et Burgundiæ regis, data medio mense Septembri anni* V *regni ejus, seu,* D *ut interpretantur, æræ vulgaris anni* 677. (*Cfr Pagium Crit. Baron. ad hunc annum* § VIII.) *In illa autem Charta citantur tamquam Metropolitani, Genesius Lugdunensis, Blidramnus Viennensis, Landeberchtus Senonensis, Ternisius seu Ternasius Vesontionensis, et Chadunus incertæ sedis,* (*forsitan Aquensis aut Arelatensis*) *episcopi. Siquidem sua staret diplomati fides, procul dubio Blidramnus Sancto nostro Deodato esset præponendus. Hanc chartam a Mabillonio* De re Diplom. *Lib.* VI § X *citatam impugnat Barth. Germonius noster, atque hunc confutat Justus Fontaninus* Vind. Antiq. Diplom. (*b*). *Certe si limpidior esset Adoniana Chronologia, esset quo validissime oppugnaretur citatum diploma : sed ut nunc sunt res, vix decerni potest, utrius fides præferenda sit.*] *En verba Adonis, parum licet chronologica :* Blidramnus, *inquit* (*c*), Viennensis ecclesiæ episcopus. Leutbrandus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Heribertus rex fecerat, sed ille repetierat, ammonitione venerabilis Papæ Gregorii confirmavit. Drogo filius Pippini defungitur hybernali tempore anno Incarnationis Domini DCCVIII. *Patet hinc S.* Deodati *successorem anno* 708, *quo* E *diserte Ado Drogonem Pippini filium, cui Chronicon Floriacense apud Bouquetum* (*d*), *Lemovicense ibidem* (*e*), *uti et Pagius, ac ab eo citati Annales consentiunt, ex hac vita migrasse annotavit, ad Viennensem sedem jam tum fuisse evectum. Nec obstant ea, quæ de Leutbrando in Adonis Chronico mortem Drogonis antecedunt, siquidem hæc diu hisce temporibus sint posteriora. Haribertus enim Longobardorum rex anno* 707, *testibus Hermanno Contracto ac Pagio donationem hanc perfecit.*

gloria donatur

16 *En ad annum* 704 § II *Pagii verba.* Alpes Cottiæ, de quibus hoc anno Baronius, anno septingentesimo septimo ecclesiæ Romanæ donatæ, ut habet Hermannus Contractus in Chronico juxta editionem Canisianam (*f*). Anno DCCVII, *verba sunt Chronici,* hoc tempore Haribertus rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum a Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis litteris scriptum S. Petro, Joannique Papæ reddidit. *Imo Leutbrandus, seu ut alii Luitprandus ipse, non nisi anno* 712, (*vide Pagium dicto anno* § VIII) *Longobardorum regnum obtinuit, civitatesque, quas ipse ante biennium abstulerat, anno* 742, *uti ex Anastasio ad annum* 741 § X *Pagius ostendit, Zachariæ, Gre-* F *gorii III successori, restituit, ut hinc ea vel vero minus videantur conformia, vel si de quatuor illis a Luitprando restitutis intelligenda veniant civitatibus, debito nequaquam sint ordine annotata. Agebat igitur in cathedra Viennensi Sancti nostri successor anno* 708, *verum utrum eo, an uno ex proxime antecedentibus annis S.* Deodatus *de corporis ergastulo evolarit in cœlum, ex Adone dilucide non apparet, vehementer licet impellar, ut eumdem anno præcedente seu* 707, *quo S. Agrati exordium collocavimus, in vivis agere, idque hodierna die, uti inter omnes convenit, suspicer desiisse.*

circa annum 707.

17 *Licet enim S.* Deodatum *anno* 707 *obiisse, ex Adonis Chronico manifeste probari haud valeat, eumdem tamen ultra decimamquintam mensis Octobris diem haud superfuisse, sat vero videtur conforme : Drogo enim, quem Ado hiemali tempore anno* 708 *obiisse annotat, in Annalibus Petavianis, ac brevi quodam Chronico illis conformi, verno tempore obiisse dicitur :* Anno DCVIII. (*verba sunt Annalium*

(*a*) Recueil des Hist. de Fr., t. III, p. 618. — (*b*) p. 190. — (*c*) Apud Pertz Monum. Germ., t. II, p. 318. — (*d*) Rec. des Hist. de Fr., t. III, p. 315.— (*e*) Ibid., p. 316.— (*f*) Antiq. Lect., t. III, part. I, p. 239. Edit. Basnaq.

annid

A *apud Bouquetum* (*a*)) quando Drogo mortuus fuit verno tempore. *Chronicon autem hisce conforme ibidem* (*b*) *hæc habet :* DCCVIII quando Drogo mortuus fuit in vernale tempore. *Patet hinc Adonis verba de ineuntis anni* 708 *hiemali tempore esse accipienda, ad cujus anni mensem Octobris Sanctum nostrum non pervenisse, cum nec ipse Drogo pervenerit, efficitur consectarium. Plus justo ergo Castellanus in suo Martyrologio Universali Sancti nostri obitum, cum eumdem circa annum* 710 *collocet, convincitur distulisse. Licet ergo nec ipse, quo determinato anno Sanctus hic Præsul e vivis excesserit, ac cœlestia tabernacula sancta illius anima bonis operibus præfulgens, omnigenisque virtutibus ornata subintrarit, definire valeam, eumdem tamen antistitem non ultra annum* 707 *inter mortales fuisse, sat vero, ut ex dictis patet, videtur conforme.* AUCTORE M. S. D

(*a*) Rec. des Hist., de Fr., t. II, p. 641. — (*b*) Ibid., p. 644.

DE S. THECLA
VIRGINE ET ABBATISSA
KITZINGÆ AD MOENUM IN FRANCONIA.

B E

SYLLOGE.

C. G.

De Cultu et Gestis.

CIRCA FINEM SÆC. VIII.

Sancta in recentioribus Fastis

Ad varios dies S. Theclam, *quæ sæculo* VIII *a S. Bonifacio Germanorum Apostolo cum aliis quibusdam religiosis fœminis ex Anglia in Germaniam evocata, Kitsingensi et Ochsenfurtensi in Franconia monasteriis abbatissa præfuit, et ibidem Sancto fine quievit, certatim Martyrologi, sed non valde antiqui, celebrant; in primis Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum ad* XXVII *Septembris ita breviter habet :* In Germania S. Teclæ virginis et abbatissæ. *Ad diem proxime sequentem, seu* XXVIII *ejusdem mensis memoratur Sancta; sed non recte, ut in Prætermissis ibidem jam dictum est, Britanniæ adscribitur, ab auctore Florarii nostri MS., a Greveno in Usuardi apud Sollerium Auctariis et a Canisio in Martyrologio Germanico, in quo postremo ita legitur :* Item in Anglia S. Teclæ abbatissæ, quæ memoratæ S. Liobæ fuit consanguinea : *at vero ad hunc* XV *Octobris diem eadem Sancta Ordinis Benedictini abbatissa inscripta est tam Fastis Benedictinis a Wione, Menardo et Bucelino concinnatis, quam Anglicano Martyrologio, in quo a Wilsono exornatur elogio in hunc sensum concepto :* Eodem die Ochnofurti (*Ochsenfurti*) in Superiori Germania depositio S. Teclæ virginis et abbatissæ, quæ nativitate Angla, et ex monasterio Winburnensi in Dorcestriæ comitatu invitata in Germaniam a S. Bonifacio episcopo Moguntino simul cum S. Lioba et S. Agatha (*Agatham hanc non Anglam sed Germanam potius fuisse ostendit Perierus tom. VII Septembris* (*a*)) illic instituta fuit abbatissa Ochnofurtensis religiosarum virginum asceterii, quod dictus S. Bonifacius nuperrime exstruxerat, ubi in magna Sanctimonia et vitæ sanctitate felices suos dies terminavit circa annum Christi 750. *An hic Martyrologus bene tempus, quo Sancta obierit, determinarit, judicabit lector ex dicendis.*

(*a*) Ad diem XXVIII Sept., p. 755, n. 35. — (*b*) p. 194.

2 *Quæ Ferrarium aliosque laudatos Martyrologos, ut ad dictum* XXVII *aut* XXVIII *Septembris diem Sanctæ memoriam consignarent, impulerit ratio, compertum non habeo : dilata vero fuit a Majoribus nostris in hunc diem, quo et Martyrologio Romano a Baronio inserta est his verbis :* In Germania S. Theclæ abbatissæ, *et etiamnum a Benedictini instituti alumnis per Germaniam officio ecclesiastico colitur, ut disco ex Ignatio Gropp ejusdem instituti religioso et bibliothecæ in monasterio S. Stephani Herbipoli præfecto, cui Tom. IV Collectionis Novissimæ scriptorum et rerum Wirceburgensium, anno* 1750 *editæ* (*b*), *signari ait ejusdem Sanctæ Festum in* Breviario Benedictino XV Octobr.; *quali autem ritu ibidem S.* Theclæ *colatur, defectu Breviarii a Groppio citati, dicendo non sum.* [*In Breviario quidem monastico Benedictino, typis monasterii B. V. Mariæ Einsidlensis anno* 1756 *excuso, præter festum principale S. Teresiæ habetur ritu simplici memoria SS. Brunonis Episc. et Mart. ac Theclæ Virg.; atque ibidem legitur oratio utrique communis.*] *Habeo etiam præ oculis Breviarium anno* 1607 *pro religiosis Benedictinis, in Portugallia constitutis, Conimbricæ impressum, in quo ad eumdem* XV *Octobris diem in primis vesperis habetur Commemoratio de S. nostra* Thecla *per* orationem exaudi nos Deus *de Communi Virginum, et in Matutino post primam lectionem, quæ est de S. Brunone episc. et Mart. leguntur de eadem reliquæ duæ lectiones, depromptæ ex Vita S. Bonifacii, ab Othlono monacho Fuldensi sæculo* XII *exarata, a Baronio etiam hodie in Annotatis laudata, in qua apud Mabillonium part.* II *sec.* III *Benedict. diversæ utriusque sexus personæ, quæ S. Bonifacio in subdendis fidei jugo Germaniæ populis collaborarunt, referuntur hoc modo :* Prædicans ergo et baptisans S. præsul Bonifacius in Turingorum et Hessorum regionibus perspexit mes- F

memorata, hodie ecclesiastico cultu,

sem

AUCTORE C. G.

sem quidem esse multam, sed operarios paucos ad
A multitudinem credentium instruendam; unde in provinciam patriamque suam mittens, exinde tam fœminas quam viros religiosos scientiaque varia imbutos venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit, inter quos erant præcipui viri Burchardus et Lullus, Willibalt et Wunibalt frater ejus, Witta et Gregorius: fœminæ vero religiosæ matertera scilicet S. Lulli nomine Chunihilt, et filia ejus Berathgit, Chunidrut et Tecla, Lioba et Walburgis soror Willibaldi et Wunnibaldi; sed Chunihilt et filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali scientia in Turingorum regione constituebantur magistræ.....

* Teclam * Tecla vero juxta fluvium Moin in locis Kihhingen et Ochsnofruti nuncupatis (*seu in Kitzingensi et Ochsenfurtensi in Franconia ad Mœnum monasteriis*) collocavit, Liobam quoque ad Biscofesheim, ut illic multitudini virginum præesset constituit.

mox ab ejus obitu, ut hic adductæ 3 *Solos S. Bonifacii discipulos enumerat S. Liudgerus seu Ludgerus S. Gregorii discipulus et biographus apud nos tom. V Augusti* (*a*)*; eosque, relato breviter, quem S. Bonifacius retulit, laborum fructu, generatim prosequitur insignibus his laudibus:* Adhæc autem universa non modice adjutus est ab electis discipulis
B suis post magistrum clarissimis prædicatoribus, et columnis ecclesiæ Dei: quorum unusquisque civitatem et regionem suam sicut lucifer mane oriens illuminavit exemplis et doctrina sua. *Quemlibet deinde idem Sanctus biographus particulatim laudans, demum de SS. Burchardo et Wigberto ita loquitur:* Duo autem ex illis Wigbertus et Burghardus ante magistrum (*S. Bonifacium*) migrarunt a sæculo. Sed non sunt illi absque palma electionis suæ, dum ad regna cœlestia magistrum præcedere meruerunt, et in regionibus suis pro Sanctis Dei habentur et coluntur ab omnibus, qui vitam illorum et virtutem cum Deo nosse potuerunt. *Etsi vero laudatus S. Ludgerus solos S. Bonifacii discipulos expressim laudat, et de ejusdem discipulabus et adjutricibus diserte mentionem non faciat, quin tamen etiam hæ insigni vitæ sanctitate floruerint, et nominatim S. nostra* Tecla *Franconiam præclaris virtutum exemplis illustrarit, atque mox ab obitu non secus, ac laudati a S. Ludgero S. Bonifacii discipuli, pro Sancta habita, et in ipsis saltem, quibus præposita fuit, monasteriis religioso cultu honorata fuerit, adeoque, quin etiam ad hanc eædem, quibus S. Bonifacii discipuli a S. Ludgero exor-*
C *nantur, laudes spectent, non est ambigendum.*

rationes suadent, verosimiliter inchoato, honorata, 4 *Sane sicuti data a S. Ludgero S. Bonifacii discipulis encomia SS. Liobæ et Walburgi, ab Othlono inter S. Bonifacii discipulas pariter recensitis, apprime competere certum est ex iis, quæ de priori Perierus tom. VII Septembris* (*b*)*, et de posteriori Henschenius tom. III Februarii* (*c*) *disseruere, ita quoque ex iisdem encomiis excludi non posse arbitror S.* Theclam, *quam inter præcipuas S. Bonifacii discipulas habitam fuisse, cujusque sanctitatis magnam famam sæculo* XI *viguisse colligo ex Supplemento ad S. Bonifacii Vitam, tom. I Junii edito* (*d*)*, cujus auctor anonymus, presbyter Moguntinus, eodem sæculo florens, illam tantummodo et S. Liobam, cæteris S. Bonifacii discipulabus, et ipsa etiam S. Walburge omissis, commemorat,* Contigit (*inquiens*) ut necessitate compulsus (*S. Bonifacius*) de sua provincia evocaret fœminas religiosas, quatenus sui clerici et nobilium filii ab iisdem nutrirentur, et cœlestis prædicationis ministri imbuerentur Teclam namque juxta fluviam Moin collocavit, ut in illis locis quasi lucerna in caliginoso luceret loco, id est in D
Chizzingim.... nec non et Liobam virginem ad Biscofolheim constructo monasterio constituit, quæ multitudini virginum in eodem loco rectæ vitæ normulam docendo et vivendo præfuit. *Utcumque se res habeat, legitimum, quem hodieque, ut supra vidimus, apud religiosos Benedictinos in Germania obtinet, et ob quem ei inter alios hujus diei Sanctos in Opere nostro locum damus, Sanctæ nostræ cultum esse valde antiquum vel hinc statui potest, quod propter hunc solummodo* (*paucissima enim ejusdem gesta nota sunt*) *a laudatis supra Martyrologis, ex quibus auctor Florarii nostri MS. circa finem sæculi* XV, *et Grevenus circa initium* XVI *floruere, Fastis sacris verosimiliter fuerit inscripta, et ab aliis unanimiter auctoribus, nominatim quidem a Dempstero in Historia ecclesiastica gentis Scoticæ, Alfordo in Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ, Mabillonio in Actis SS. Ordinis Benedictini et Castellano, in similibus tamen parcissimo, tam in Martyrologio Universali, ubi Martyrologii Romani textum exhibet, quam in Indice Sanctorum sine ulla hæsitatione* Sanctæ *titulo fuerit insignita.*

priusquam ex Anglia in Germaniam 5 *Luculentiora procul dubio de antiquo Sanctæ* E
Theclæ *cultu testimonia proferre possemus, si hujus, quemadmodum SS. Liobæ et Walburgis, quarum mox ab obitu inchoatam venerationem earum biographi præcipue testatam fecere, Vita ex professo fuisset exarata, quod quia factum non est, pauca etiam tantum de ejus gestis magis disputanda, quam enarranda supersunt: facem in hisce nobis præfert Rudolfus, monachus Fuldensis, S. Liobæ biographus, ex cujus, utpote SS. Liobæ et* Theclæ *ætate supparis, magnaque proinde hic auctoritate pollentis, insigni lucubratione a Perierο tom. VII Septembris* (*e*) *edita exponemus et ad ordinem chronologicum utcumque revocare conabimur ea, quæ supra num.* 2 *in rem nostram protulimus ex Othlono. Ut vero ab ipsa Sanctæ in Germaniam adventus epocha exordium ducamus; post data num. citato Othloni verba, prosequens hic auctor S. Bonifacii gesta, refert hunc Sanctum præsulem tam sua quam sociorum, ex Anglia evocatorum, opera plurimos in Germania ad religionem Christianam convertisse; horum conversionem Gregorio III, recenter ad sedem Pontificalem, quod anno* 731 *contigit, evecto, legatis missis significasse; adeoque, si Othlonum sequamur, dicendum erit, SS.* Theclam, *et Liobam aliasque ab ipso memoratas jam ante dictum annum* 731, *imo jam anno* 725, F
ad quem earum transmigrationem retulit in Annalibus Baronius, in Germaniam venisse.

ad S. Bonifacium anno, ut hic 6 *Præter Baronium Othlonum quidem etiam secuti sunt Joannes Trithemius in Sanctæ nostræ elogio, quod exhibet lib.* III *de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti et novissime Eckhardus Commentarii de rebus Franciæ Orientalis. tom. I, atque inde factum esse puto, ut prior in compendio Annalium S. nostram* Theclam *cum S. Hadeloga, prima Kitzingensis cœnobii fundatrice et abbatissa perperam, ut ostendit Operis nostri parens Bollandus tom. I Februarii* (*f*)*, confuderit, et posterior, infra conveniendus, S. Hadelogam Kitzingensi monasterio umquam præfuisse negarit: at vero quominus ego Othlono assentiar, et Sanctæ nostræ in Germaniam adventum dicto anno* 725 *innectendam censeam, movet permagna auctoritas Rudolfi, S. Liobæ biographi, ex quo Othlonum historicum ordinem invertisse, et tam Sanctæ nostræ quam S. Liobæ in Germaniam adventum multo serius figendum esse colligimus. Satis enim*

(*a*) Ad diem XXV Aug., p. 238, num. 13. — (*b*) Ad diem XXVIII Sept., p. 748. — (*c*) Ad diem XXV Febr., Vit. S. Walburgis, p. 511. — (*d*) Ad diem V Jun., p. 474. num. 4. — (*e*) p. 761. — (*f*) Ad diem II Feb., p. 304, § II.

certum

A *certum est S. Bonifacium non alium ob finem SS. Liobam et* Theclam *in Germaniam evocasse, quam ut per virgines, in religiosa vita apprime exercitatas, perfectam regulæ S. Benedicti observantiam, quæ in Angliæ monasteriis vigebat, in noviter erecta Germaniæ monasteria induceret, adeoque SS. Liobam et* Theclam *in Germaniam non venisse, nisi exstructis jam quibusdam virginum monasteriis; jam vero ex Rudolfo constat sanctum Germanicæ gentis Apostolum, anno* 723 *a Gregorio II episcopum ordinatum et in Germaniam missum, priusquam monasteria construere inciperet, evocasse primo ex Anglia legatis et epistolis missis varii ordinis clericos, deinde, iisdem clericis adjutoribus, tales retulisse fructus, ut* Magnam Germaniæ partem doctrina salutari, virtutumque miraculis Christo *acquisiverit,* et pagani fide instructi certatim ad gratiam baptismatis convolarent; *cum autem huic magnæ Germaniæ partis ad fidem conversioni non* 7 *aut* 10, *sed verosimilius* 20, *aut etiam pluribus annis S. Bonifacio insudandum fuerit, sanctum hunc præsulem non nisi jam vergente ad medium sæculo* VIII *virginum monasteria ædificare cœpisse, et proinde eo etiam circiter tempore S. nostræ* Theclæ *in Germaniam adventum*

B *collocandum esse existimo.*

probatur, 748 cum S. Lioba veniret,

7 *Quin imo tempus, quo Sancta nostra in Germaniam venerit, propius adhuc determinavit Henschenius tom. III Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Walburgis* (*a*) *ita scribens :* S. Liobæ consanguinea etiam fuisse videtur S. Walburgis .... altera S. Liobæ consanguinea Rudolpho est S. Thecla. Quamobrem haud improbabili conjectura asseri posse opinamur, cum S. Lioba SS. Theclam et Walburgem venisse in Germaniam. *Henschenium secuti sunt Pagius in Critica Baronii ad annum* 725, *et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 749, *omnes ab Othlono memoratas fœminas simul in Germaniam appulisse arbitrantes : etsi vero id de quibusdam forte non peræque ostendi possit, tamen Sanctam nostram S. Liobæ, ex Anglia in Germaniam transmigrantis, fuisse sociam sufficienter colligimus non solum ex hujus cum S. Lioba consanguinitate, verum etiam ex eo, quod hæc in Bischoffshemiensi parthenone, ut Henschenius citato loco etiam dicit, et nos infra probabimus, post suum in Germaniam adventum religiosam aliquamdiu vitam sub regimine S. Liobæ egerit : deinde autem S. Liobam anno* 748 *in Germaniam venisse probat*

C *laudatus Henschenius et etiam tom. VII Septembris* (*b*) *Perierus, adeoque eidem etiam anno Sanctæ nostræ in Germaniam adventus debet innecti.*

8 *Opponi quidem huic sententiæ potest, Rudolfum de sola S. Lioba ex Anglia in Germaniam transeunte sermonem instituere, et proinde Sanctam hanc in hoc suo itinere alias virgines comites probabiliter, silente de his Rudolfo, non habuisse : verum, præterquam quod hic biographus, ut jam observavit Cointius, solius S. Liobæ meminisse,* Quia in ejus vita describenda totus versatur, *dici queat, Rudolfi silentium opinionem nostram, qua simul cum S. Lioba alias etiam virgines et nominatim S. nostram* Theclam *in Germaniam venisse arbitramur, minime evertere vel hinc patet, quod idem S. Liobæ biographus S. Sturmium in montem Cassinum a S. Bonifacio,* Ut in monasterio, quod beatus pater Benedictus instituit disciplinam regularem et vitam moresque monasticos agnosceret, pastorque futurus discipulus fieret, *nulla etiam facta sociorum mentione, missum fuisse scribat, quem tamen in ejusdem Vita* Præparatis itineri necessariis, ADSUMPTIS SECUM DUOBUS FRATRIBUS Romam *Cassinumque profectum esse refert Eigil ejus discipulus et Fuldensis abbas. Præterea, cum Rudolfus* S. Theclam *S. Liobæ* consanguineam, *ac etiam* discipulam *appellet* (*verba, quibus id facit, infra dabimus*) *hanc non ante S. Liobam, sed potius cum ipsa ex sua patria Anglia fuisse egressam sufficienter insinuat. Cæterum Sanctæ nostræ in Germaniam adventus epocham ante omnia inquirere volui, quod ex hac plurimum subsidii accedat elucidandis paucis ejusdem gestis, quod jam aggredior.* AUCTORE C. G.

D

9 *S. Liobam nobilibus in Anglia parentibus natam esse tradit hujus biographus his verbis :* Igitur parentes ejus, natione Angli, genere quidem nobiles erant, et studiosi ambo in religione, et observantia mandatorum Dei. *Quamobrem generis quoque nobilitatem ejus consanguineæ S.* Theclæ *adscribimus, licet interim qua stirpe, quibusve parentibus sit progenita, sit ignotum : incertum quoque est an hæc S. Bonifacio, cui S. Lioba ex parte matris consanguinea fuit, ut refert idem biographus, atque etiam ipsamet virgo in epistola, ad S. Bonifacium data, scribit hoc modo :* Nec non et matris meæ memoriam commendo tibi ..... quæ tibi, ut melius nosti, consanguinitatis nexibus copulatur, *sanguine propinqua fuerit, eo quod Rudolfus an sanguinis* E *nexus, qui SS.* Theclam *et Liobam conjungebat, ex parte hujus posterioris matris, an ex parte patris originem duceret, non exponat. Quia vero, ut laudatus Rudolfus iterum ait, S. Bonifacius* In patriam cum epistolis legatos direxit ad Tettam abbatissam (*Winbrunnensis monasterii*) deprecans, ut ad solatium suæ peregrinationis atque ad auxilium legationis sibi injunctæ, transmitteret ei Liobam virginem, *Sanctam nostram, priusquam in Germaniam proficisceretur, in eodem Winbrunnensi monasterio, a S. Cuthburga, adjuvantibus verosimiliter hujus sorore Coenburga et fratre Ina, occidentalium Saxonum rege, in ea regione, quam hodie Dorcestriæ in Anglia comitatum dicimus, exstructo, cum S. Lioba religiosam aliquamdiu vitam egisse, atque egregie in regulari observantia jam exercitatam, exinde quoque a S. Bonifacio evocatam, aut forte sponte consanguineam suam secutam fuisse, perquam est credibile.* *in Winbrunnensi monasterio,*

10 *Suspicatus est Bollandus Sanctam Virginem antea etiam in Berkingensi cœnobio una cum S. Cuthburga religiosæ vitæ fundamenta jecisse, et deinde ad Winbrunnense monasterium cum eadem S. Cuthburga transiisse, ita in Commentario prævio ad Vitam S. Hadelogæ tom. I februarii* (*c*) *scribens :* At fuit F fortassis illa S. Bonifacii adjutrix Thecla una ex iis virginibus, quæ cum S. Cutburga, ut XXXI Augusti ad ejus Vitam dicemus, e Berkingensi cœnobio Winbrunnum migrarunt, fuit enim S. Cutburga Berkingi (quod cœnobium infra Londinum ad Tamesim sorori suæ S. Ethelburgæ S. Erkenwaldus Londinensis episcopus ædificarat) sub ejusdem Ethelburgæ magistra Hildelitha disciplinis monasticis informata : deinde cum cœnobium illi Ina rex in Dorcestria ad Stourum amnem ædificasset, loco qui olim Vindogladia dictus putatur, vulgo nunc Winburri et Winburnminster, eo cum aliis virginibus commigravit. Harum e numero Theclam extitisse conjiciat quispiam, quod et Berkingi fuerit præcipui nominis sanctimonialis Thecla, et paulo post e Winburnensi cœnobio in Germaniam Thecla aliqua sit missa, sanctitate et religiosæ institutionis scientia conspicua. *Theclam aliquam in Berkingensi cœnobio una cum S. Cuthburga sanctimonialem extitisse probat mox Operis nostri parens ex libro de Laudibus virginitatis, quem S. Aldhelmum Berkin-* *non vero, ut aliqui volunt,*

(*a*) Ad diem XXV Feb., p. 514, num. 18. — (*b*) Ad diem XXVIII Septemb., p. 752. — (*c*) Ad diem II Febr., p. 305, num. 7.

AUCTORE C. G.

A *gensibus monialibus dedicasse, et diserte testatur Willelmus Malmesburiensis, et satis patet ex nomine abbatissæ Hildelichæ seu Hildelithæ, S. Ethelburgæ in regimine Berkingensis cœnobii, ut scribit Beda lib.* IV *de Gestis Anglorum cap.* X, *suffectæ, cujusque libri exordium ita sonat :* Reverendis Christi virginibus, omnique devotæ germanitatis affectu venerandis, et non solum corporalis pudicitiæ præconio, quod plurimorum est; verum etiam spiritualis castimoniæ gratia glorificandis, quod paucorum est, Hildelichæ regularis disciplinæ et monasticæ conversationis magistræ, simulque Justinæ et Cuthburgæ, nec non Osburni mihi contribulibus, necessitudinum nexibus conglutinatæ Altgidæ ac Scholasticæ, Hidburgæ et Berngidæ, Eulaliæ ac Teclæ rumore sanctitatis concorditer ecclesiam ornantibus, Aldhelmus segnis Christicola crucis et supplex ecclesiæ vernaculus optabilem perpetuæ prosperitatis salutem.

in Berkingensi, monialis extitit

11 *Ast Theclam hanc Sanctimonialem Berkingensem a Sancta nostra Bonifacii adjutrice verosimillime distinguendam esse, facile perspiciet, qui tempus, quo hæc in Germaniam venerit, a laudato Bollando tum nondum inquisitum, simul cum tempore scripti*

B *a S. Aldhelmo de Laudibus virginitatis libri expenderit; de tempore scripti hujus libri Mabillonius in Actis SS. Ordinis Benedictini sæc.* III *Part.* I (*a*) *ita loquitur :* scripsit porro Aldhelmus hunc librum post synodum, cujus jussu edidit opusculum contra errores Britonum, at vero ante annum DCCV, quo ex abbate Malmesburiensi factus est Scireburnensis episcopus, *et quidem, opinor, recte, tum quia S. Aldhelmus in ejusdem libri exordio se* Segnem *tantum* Christicolam crucis et supplicem ecclesiæ vernaculum appellat, *quibus titulis usurus fuisse non videtur, si hunc librum scribens, episcopali dignitate ornatus fuisset, tum quia S. Cuthburgam inter Berkingenses sanctimoniales commemorat, quam jam anno* 705 *Winbrunnensi monasterio præsedisse, ostendit ejusdem S. Aldhelmi epistola, ab Alfordo in Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ exhibita, quæ dicto anno data notatur. Itaque si Berkingensis illa Thecla, quæ scribente laudatum de Laudibus virginitatis librum S. Aldhelmo, jam aliquibus saltem annis in Berkingensi cœnobio sub regulari disciplina vixisse, et proinde jam tum ut minimum* 25 *aut etiam* 30 *annorum ætatem attigisse videtur, eadem foret, quæ Sancta nostra S. Bonifacii adjutrix,*

C *cujus in Germaniam adventum anno* 748 *innexuimus, jam hæc propemodum septuagenaria, aut etiam septuagenaria major, ad S. Bonifacium in Germaniam appulisset, quod etsi absolute fieri potuerit, a veritatis tamen specie prorsus apparet alienum.*

ac deinde, postquam in Bischoffshemiensi cœnobio

12 *Grandævior adhuc in dicta Hypothesi ad S. Bonifacium in Germaniam accessisset S. Lioba, utpote quæ S.* Thecla *senior fuisse videtur, cuique in Bischoffshemiensi parthenone abbatissæ constitutæ talem præterea S. Bonifacius circa alia Virginum monasteria imposuit curam, ut hæc cum particularibus suis abbatissis eidem tamquam generali Magistræ essent subjecta : et quidem S. Liobam post suum in Germaniam adventum illico Bischoffshemiensi cœnobio præfectam fuisse satis certum apparet; verum aliter omnino sentiendum est de S.* Thecla, *quam priusquam Kitzingensi aut Ochsenfurtensi monasterio præponeretur, quibusdam adhuc annis Bischoffshemii demoratam fuisse eruimus ex laudato sæpius S. Liobæ biographo Rudolpho, qui referens S. Liobam tremebundo ob sævissimam exortam tempestatem, et ad ecclesiam confugienti populo occurrisse, patientiam indixisse, securitatem pollicitam,* D *eumque, ut secum orationi imcumberet, adhortatam esse, prosequitur in hunc modum :* Tum populus omnis tanti terroris immanitatem non ferens ad altare cucurrit, et beatam virginem (*S. Liobam*) ab oratione excitat periculis opponendam, primaque eam Thecla consanguinea ejus his verbis adorsa est : O Dilecta Dilecta in te spes populi hujus, in te votorum summa consistit. Surge ergo et pro nobis Dominam tuam Sanctam Dei Genitricem invoca, ut ejus intercessione ab hujus tempestatis discrimine liberemur.

aliquamdiu

13 *Pergit Rudolfus narrare sævam illam tempestatem precibus S. Liobæ mirabiliter fuisse sedatam, quod huc non spectat, nisi quatenus Sancta nostra S. Liobæ videtur fuisse cooperata; solummodo observo ex Rudolphi narratione patere propositum sedatæ tempestatis miraculum contigisse in Bischoffshemiensi parthenone (eo enim populus metu tempestatis perculsus, et in precibus S. Liobæ, eidem cœnobio tum præfectæ, spem habens, confugisse videtur) atque adeo hinc etiam consequi S. nostram* Theclam *ejusdem cœnobii tum fuisse inquilinam. Etenim si jam tum Kitzingensi aut Ochsenfurtensi monasteriis, quod utrumque* 8 *circiter milliaribus Germanicis* E *Bischoffshemio distabat, fuisset præprosita, nequaquam Bischoffshemium ad S. Liobam ob itineris longitudinem, prohibente id etiam tam sæva tempestate, excurrere potuisset : adde etiam quominus monasterio suo egrederetur, obstituram verosimillime fuisse claustralem observantiam, quam SS. Lioba et* Thecla, *uti in Winbrunnensi monasterio olim edoctæ erant, in Germaniæ quoque monasteria haud dubie invexerunt, quæque, testante Rudolpho, in Winbrunnensi monasterio talis erat, ut* Fœminarum quæcumque sæculo renuntians, earum collegio sociari voluerat, numquam exitura *intraret*, nisi causa rationabilis vel magnæ cujuslibet utilitatis existens, eam cum consilio emitteret, *utque* ipsa congregationis mater, quando aliquid exteriorum pro utilitate monasterii ordinare vel mandare necesse erat, per fenestram *loqueretur*, et inde *cerneret*, quæcumque ordinanda vel mandanda utilitatis ratio exigebat. *Utut sit, certe Rudolphus nullatenus innuit S. nostram* Theclam *tum aliunde fortuito Bischoffshemium advenisse, sed ex ejusdem narratione potius colligitur, hanc sedanti mirabiliter tempestatem S. Liobæ non alia occasione adfuisse, quam quod sub ejus regimine in Bischoffshemiensi parthenone monasticam* F *tum vitam ageret.*

demorata fuisset,

14 *Id quod hactenus ex S. Liobæ Vita probavimus, Sanctam videlicet nostram post suum in Germaniam adventum Bischoffshemiense cœnobium, in diœcesi Moguntina ad Tuberam fluviolum olim situm, tempore non exiguo incoluisse, abunde etiam confirmat S. Bonifacii epistola,* XXV *inter Bonifacianas apud Serarium,* [*apud Würdtwein* XXII] *ex quo eam in Commentarium prævium ad vitam S. Liobæ transtulit Perierus, simulque observavit sanctum Germanorum apostolum maximam fiduciam habuisse in SS. Liobæ,* Theclæ *aliarumque Bischoffshemiensium sanctimonialium precibus, quas efflagitat in eadem epistola, in hunc modum inscripta :* Venerandis et amandis charissimis sororibus Leobguthæ et Teclæ, nec non et Cynehildæ, et omnibus in Christo diligendis sororibus, vobis cohabitantibus, æternæ charitatis salutem. *Itaque cum Sancta nostra* Thecla *plurium consanguineæ suæ S. Liobæ gestorum extiterit spectatrix, eique, ut ex allatis num.* 11 *Rudolphi verbis colligo, fuerit admodum ob*

(*a*) p. 300.

vitæ

A *vitæ haud dubie morumque similitudinem familiaris, facile in animum induco, hanc magnam partem habuisse in vindicandis ab oblivione ejusdem S. Liobæ præclaris facinoribus, quorum* Quædam (*inquit Rudolfus*) a viris venerabilibus ad meam notitiam pervenerunt, qui quatuor discipularum ejus Agathæ videlicet et Theclæ, Nanæ et Eolibæ fideli narratione comperta, singuli pro captu ingenii sui, sicut sibi tradita sunt, litteris mandare, et ad exemplum posteris relinquere studuerunt.

abbatissa facta est Kitzingensis

15 *Ex allatis mox Rudolfi verbis difficultatem quamdam in Commentario prævio ad S. Hadelogæ Vitam movit Operis nostri parens Bollandus num.* 13, An non duæ (*inquiens*) fuerint Theclæ una senior, quæ cum Lioba evocata ex Anglia memoratur, eique par, si non superior fuisse videtur . . . . altera junior S. Liobæ discipula merito dubitari potest; *ast quandoquidem dubitandum non sit, quin* Tecla, *S. Liobæ ex Anglia in Germaniam transmigrantis socia, eadem prorsus sit, quæ apud Rudolfum ejusdem etiam* consanguinea *audit, hæcque in Bischoffshemiensi cœnobio sub S. Liobæ, sicut magisterio, ita etiam ætate verosimillime superioris, regimine religiosam aliquamdiu vitam egerit, adeoque vere*
B *extiterit et a Rudolfo dici potuerit S. Liobæ discipula, duas hic Theclas non distinguendas esse, sed de una tantum eademque S. nostra* Thecla, *quæ S. Liobæ in Germaniam advenientis comes, consanguinea et discipula extiterit, ac in colligendis postmodum Sanctæ suæ consanguineæ gestis operam navarit, a Rudolfo sermonem institui existimo. Porro id etiam tuto de Sancta nostra affirmare particulatim possumus, quod generatim laudatus S. Liobæ biographus de hujus Sanctæ abbatissæ discipulabus scribit in hunc modum :* Statuit ei (*S. Liobæ S. Bonifacius*) monasterium in loco, qui vocatur Biscoffsheim, ubi non parvus ancillarum Dei numerus collectus est: quæ ad exemplum beatæ magistræ cœlestis disciplinæ studiis instituebantur, et in tantum doctrina ejus proficiebant, ut plures ex illis postmodum magistræ fierent aliarum, ita ut nulla aut etiam rara in illis regionibus essent monasteria fœminarum, quæ non discipularum ejus magisteria desiderarent. *Tuto, inquam, affirmare possumus, talem fecisse Sanctam nostram sub S. Liobæ magisterio in vitæ sanctitate et regulari observantia progressum, ut postmodum a monialibus Ochsenfurtensibus, et post obitum S. Hadelogæ a Kitzingensibus, cui utrique*
C *cœnobio eam præfuisse Othlonus scribit, lubentibus votis in abbatissam expetita fuerit.*

post obitum S. Hadelogæ, adeoque

16 *Quemadmodum incertum est quo circiter anno collocanda sint Kitzingensis monasterii primordia, ita quoque ignotum est, quo anno ejusdem prima abbatissa et fundatrix S. Hadeloga obierit, huicque in regimine dicti monasterii Sancta nostra successerit: ait quidem Mabillonius tom. II Annalium Benedict. hanc jam anno* 750, *quando S. Sturmius ex Italia redux,* Morbo correptus, *ut scribit in hujus Vita Eigil Fuldensis abbas,* apud Chitzinga monasterium hebdomadas quatuor ægrotavit, *eidem monasterio præfuisse, idque etiam legi in laudata S. Sturmii Vita asserit Ignatius Gropp, Collectionis novissimæ scriptorum et rerum Wirceburgensium tom. IV* (*a*); *verum neque ego in S. Sturmii Vita, a Mabillonio sec.* III *parte* II *edita, abbatissæ, Kitzingensi monasterio tum præsidentis, ullam fieri mentionem reperi, nec Sancta nostra verosimiliter, quæ, ut jam vidimus, anno tantum* 748 *una cum S. Lioba in Germaniam ad S. Bonifacium venit, ac deinde, antequam abbatissa fieret, non modico tempore monasterium Bischoffshemiense sub S. Liobæ regimine,* AUCTORE C. G.
D *ut ex hujus Sanctæ Bischoffshemiensis abbatissæ Vita et S. Bonifacii epistola pariter probavimus, incoluit, dicto anno, transacto tantum post suum in Germaniam adventum biennio, monasterio Kitzingensi præesse potuit : quamobrem eidem cœnobio S. Hadelogam tum adhuc præsedisse, pluribusque etiam post S. Sturmii ex Italia reditum annis in vivis superstitem fuisse multo mihi verosimilius est.*

non ante annum 766.

17 *Etenim etsi ex duplici hujus Sanctæ Kitzingensis monasterii fundatricis Vita, altera breviori apud nos tom. I Februarii* (*b*) *edita, altera prolixiori, seu fuso quodam ejusdem Sanctæ encomio in Appendicem post eumdem tomum illato, certo assequi nequeamus, an hæc S. Hadeloga, seu ut in dicto encomio appellatur, Hadelauga, post medium sæculum octavum in vivis adhuc egerit, id tamen sufficienter ostendit Charta donationis a Pistorio lib.* II *antiquitatum Fuldensium exhibita, in qua Charta Hahbertus et conjux ejus Hruada tradere dicuntur* In manum Styrmes abbatis et in manum Hruadlauge abbatissæ *bonorum suorum in* Geltresheim et Hengistorpfe *medietatem* ad casam S. Bonifacii *Martyris, sive monasterium Fuldense, et alteram medietatem* Ad casam S. Mariæ; hoc est, *inquit Eckhardus commentarii de rebus Franciæ Orientalis et episcopatus Wirceburgensis tom. I* (*c*), monasterium virginum Kitzingense, Casa S. Mariæ *in laudata Charta hac de causa, opinor, dictum, quod S. Hadeloga seu Hadelauga, teste ejus encomiaste,* Beatæ et gloriosæ virginis * Mariæ cœnobium suum dedicari voluerit. *Signatur autem ea Charta in calce hoc modo :* Actum est in Geltresheim in villa publica anno XII regnante domino nostro Pippino rege Francorum. *Annus Pippini regis* XII *ab ejus per Stephanum Papam coronatione, a qua in donationibus Fuldensibus privatorum annos ejus regni desumi probat laudatus Eckhardus, numeratus incidit in annum Christi* 766, *quo proinde anno Hruadlauga, sive Hadelauga, nam unam eamdemque esse arbitror, Kitzingensi monasterio adhuc abbatissa præerat.*

* Virgini

Eckhardi, aliter sentientis, rationes

18 *Moratur hic nos non nihil laudatus Eckhardus, qui S. Hadelogam ex Serie Kitzingensium abbatissarum expungendam, neque ab Addula, seu Adela, Dagoberti II Francorum regis filia, et Palatiolensis monasterii, prope Trevirensem urbem olim siti, fundatrice et abbatissa distinguendam esse contendens, hanc iniit abbatissarum Kitzingensium seriem, ut a*
F *Bonifacio prima constituta fuerit abbatissa S. nostra* Thecla, *huic successerit Heilga, atque hanc deinde exceperit Hruadlauga, sive ut ipse eam vocat, Rothlauga, in laudata apud Pistorium Charta memorata: verum ita opinari debuit Eckhardus, quod Sanctam nostram una cum S. Lioba anno* 725 *in Germaniam a S. Bonifacio evocatam fuisse crederet, in errorem inductus ab Othlono, quem in recensendis S. Bonifacii gestis historicum ordinem invertisse, et ea, quæ sanctus hic præsul fecit circa annum* 725, *cum eis, quæ postea circa annum* 748 *peregit, confudisse, jam ante monuimus, et fuse ostendit Pierus ex Vita S. Liobæ, cujus auctor Rudolfus temporibus S. Bonifacii vixit multo vicinior, adeoque Othlono longe etiam est præferendus. Adhæc cum anno* 750, *ægrotante in Kitzingensi monasterio S. Sturmio, S.* Theclam *in Bischoffshemiensi parthenone adhuc demoratam fuisse laudatus S. Liobæ biographus sat manifestum faciat, alia quædam, quæ S.* Theclam *præcesserit, et memorato anno* 750 *monasterio Kitzingensi præsederit, abbatissa admittenda est; hanc vero non aliam fuisse, quam S. Hadelaugam, Caroli Martelli vero-*

(*a*) p. 165. — (*b*) Ad diem 11 Febr., p. 306. — (*c*) p. 587.

similius

AUCTORE C. G.

A *similius filiam, idcirco persuasum habeo, quod hæc, uti tam Catalogus abbatissarum Kitzingensium, a Bruschio editus, quam utraque ejusdem S. Hadelogæ Vita demonstrant, a Kitzingensibus monialibus pro prima sua fundatrice et abbatissa constanter habita fuerit, ejusdemque, veluti sanctæ suæ et primæ spiritualis matris, sacræ exuviæ sæculo verosimiliter* X *ex priori sepulchro elatæ, atque honorifico in Choro tumulo conditæ, in magna semper veneratione apud easdem sanctimoniales extiterint.*

refelluntur. 19 *Verum quidem est, uti Eckhardus etiam dicit, utramque S. Hadelogæ Vitam ante sæculum* XII *forte non fuisse exaratam, erroribusque etiam, seu nævis quibusdam non carere; ast hæc ratio non sufficit, ut propterea hæc sancta ex numero Kitzingensium abbatissarum continuo evellatur : nam Sanctorum biographi non raro in quibusdam adjunctis a veritate aberrant, præsertim si ab ætate Sancti, cujus gesta scribunt, vixerint tribus quatuorve sæculis remoti, nec tamen idcirco ab his Sanctos, quos celebrant, fictos fuisse, nec ipsis in aliis, quæ referunt, factis, si hæc veritati repugnare aliunde ostendi nequeat, omnem fidem mox abrogandam esse, quisquam censet : cum vero nulla ratio sat solida aliunde pro-*

B *ferri possit, quæ biographos, S. Hadelogam, ab Addula seu Adela, Dagoberti II filia, et Palatiolensis cœnobii abbatissa, quæ Kitzingensi monasterio numquam præfuit; cujusque exuviæ in posteriori hoc parthenone numquam sepulturæ mandatæ, aut honoratæ fuere, omnino distinguendam, sæpe dicti Kitzingensis cœnobii primam extitisse fundatricem et abbatissam asserentes, erroris suspectos reddat, iisdem biographis hac in re etiam fidem adhibendam esse prorsus censeo. Porro cum S. Hadeloga æque ac Francorum rex Pippinus ejus verosimiliter frater, anno* 766 *in vivis superesse adhuc potuerit, et differentia, quæ inter nomina* Hruadlauga *et* Hadelauga *intercedit, sit tam modica, ut hæc lapsu temporis facile nasci potuerit, Rothlaugam illam a solo Eckhardo adinventam, prorsus fictitiam esse, et in laudata apud Pistorium Charta primam Kitzingensis monasterii fundatricem et abbatissam S. Hadelaugam seu Hadelogam vere designari existimo, præsertim, quia præter hanc nulla abbatissa, cujus nomen* Hruadlaugæ, *in dicta Charta epressæ, aliquatenus simile sit, in Catalogo abbatissarum Kitzingensium, a Bruschio edito, comparet; atque adeo ante dictum annum* 766 *S. nostra* Thecla *regimen*

C *Kitzingensis cœnobii haud adiit.*

Forte tamen citius abbatissa extitit Ochsenfurtensis cœnobii, 20 *Dubium tamen est, an Sancta nostra Virgo usque ad eumdem annum* 766 *in Bischoffshemiensi parthenone demorata fuerit : satis enim credibile est, eam, priusquam Kitzingensi cœnobio præficeretur, jam aliquot annis et forte jam ante S. Bonifacii, anno* 755 *Martyrii laurea decorati, obitum Ochsen-* D *furtensis monasterii abbatissam extitissse, atque S. Hadelogæ in regimine vicini Kitzingensis monasterii non raro consilio et auxilio adfuisse, donec tandem ipsi hujus etiam monasterii regimen, defuncta S. Hadeloga, plene fuerit commissum. Hoc modo Operis nostri parens Bollandus exponere conatus est Othlonum, num.* 2 *laudatum, qui a S. Bonifacio Sanctam nostram* In locis Kihhingen et Ochsnofruti *nuncupatis, seu in Kitzingensi et Ochsenfurtensi monasteriis collocatam fuisse scribit; quamquam non minus etiam credi possit, in tempore, quo Ochsenfurtensi cœnobio præfecta fuerit S.* Thecla, *hallucinatum fuisse Othlonum, atque hanc post S. Bonifacii martyrium aliquot etiam annos, ut ea, quæ ex Rudolpho, S. Liobæ biographo, jam ante protulimus, satis verosimile efficiunt, Bischoffshemii degisse, ac postmodum tam Ochsenfurtensis, quam Kitzingensis monasterii regimen consecutam fuisse. In catalogo quidem Kitzingensium abbatissarum apud Bruschium Sancta nostra* Thecla *non reperitur, ibidemque secunda abatissa* Heilga *appellatur; verum facile fieri potuit, ut id etiam nomen S.* Thecla *habuerit, binominisque, quemadmodum S. Lioba,* Leobgytha *et* Truthgeba *etiam dicta, ex-* E *titerit, aut illud nomen* Illi a Sanctitate (*inquit laudatus Bollandus*) inditum *fuerit,* Heylig enim Teutonice Sanctum significat; *si autem neutrum admiseris, ob auctoritatem Othloni, ac anonymi presbyteri Moguntini, num.* 4 *laudati, dicendum erit, editum a Bruschio Catalogum hic esse vitiosum.*

quod non amplius extat; Kitzingense vero sub alio instituto hodieque floret. 21 *Kitzingense monasterium ample descriptum est in laudato aliquoties per decursum ad S. Hadelogæ Vitam Commentario prævio, ubi tamen dictis addendum est, hoc monasterium ex potestate marchionum Brandeburgicorum, qui illud anno* 1544 *occuparant et profanis usibus addixerant, anno* 1629 *a Philippo Adolpho episcopo Herbipolensi recuperatum, ac dein a Joanne Godefrido a Guttenberga restauratum,* Magno, *ut scribit Groppius,* cum juventutis fœmineæ commodo sub Ursulinarum instituto hodie vigere. *Ochsenfurtensis vero parthenonis nullam post Sanctam nostram usquam memorari abbatissam reperi; verosimile itaque est hunc non diu substitisse, ac, non secus ac Bischoffshemiense monasterium, cui Sancta Lioba præfuit, post S.* Theclæ *obitum sensim decrevisse, ac tandem interiisse. Etsi vero, quæ in regimine utriusque monasterii S.* Thecla *peregit, præ-* F *clara gesta nos prorsus lateant, dubitare tamen non possumus, quin continue de virtute in virtutem profecerit, ac demum, cum S. Lioba, cujus obitum Perierus circa annum* 779 *collocavit, junior verosimiliter fuerit, anno circiter* 790, *aut non nihil etiam serius sancto fine vitæ suæ cursum absolverit.*

A D

DE S. SABINO

EPISCOPO ET CONFESSORE

CATANÆ IN SICILIA.

SYLLOGE.

M. S.

SÆCULO VIII ULTRA MEDIUM FERE PER DECENNIUM PROVECTO. S. Sabinus *Catanensis Episcopus latinis*

B Catana, *cujus præsul S.* Sabinus *extitit,* urbs clarissima, *inquit de Grossis in sua Catana Sacra* (*a*), ad eam Trinacriæ plagam, quæ Jonio mari abluitur, inter Meridiem et Orientem prospectans, ad radices montis Ætnæ, cui subest, extenditur. *Pluraque ibidem, quæ ad hujus civitatis splendorem faciunt, ut apud ipsum videre est, adducit. Aliquot jam illius sanctos præsules in Opus nostrum Majores nostri intulerunt, ac imprimis Leonem* S. Sabini *successorem, cujus ad diem* XX *Februarii Acta Bollandus Commentario prævio* (*b*)*; uti et Sancti nostri forte decessorem Jacobum, cujus Papebrochius res gestas ad diem* XXI *Martii* (*c*) *illustraverunt : medius hos inter* S. Sabinus *secundum omnes, quotquot inspexi, Catalogos diœcesim Catanensem antistes rexit, græcis æque ac latinis Fastis sacris insertus; illius quidem res gestas, aut potius præcipuas earum partes, una cum Octavio Cajetano, ut infra videbimus, nos latere, dolemus, ast cultum ecclesiasticum, ut modo ostensum eo, is habet certissimum; ac primo meminit illius crebro Cajetanus de Sanctis Siculis scriptor percelebris, inque Ideæ Operis Indice chronico* (*d*) *Sanctum hunc anno* 760 *sub Constantino Copronymo asserit floruisse, cui concordat in Martyrologio Siculo, hæc habens :* XV Oct. Catanæ S Sabini episcopi et Confessoris imp. Constantino Copronymo. *Similia habet Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, his verbis :* Catanæ
C in Sicilia S. Sabini episcopi ejusdem civitatis.

æque ac græcis

2 *Ast pluribus eum Fasti græci celebrant: Cardinalis enim Sirletus Sanctum hunc in Menologio suo annuntiat his verbis :* Eodem die *nempe* XV *Octobris,* commemoratio Sancti patris nostri Sabini episcopi, qui virtutem appetens, vigiliis, jejuniis et reliquis laboribus ita profecit, ut miracula etiam faceret, multosque ad virtutis studium et mundi hujus contemptum excitaret, cumque ita vixisset, in pace quiescens spiritum Domino et Salvatori nostro commendavit. *Similia habent majora Græcorum Menæa, uti et Maximus Margunius Cytherorum episcopus; verum discrepat ab his, prolixiusque eum celebrat Menologium Græcorum jussu Basilii imperatoris editum, quod proin Græce ac Latine hic sistimus, infra ejusdem ab aliis discrepantias expensuri, ita ergo habet :*

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ

Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Σαβίνου τοῦ Ἐπισκόπου.

Ὁ Μακάριος Σαβῖνος, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτοῦ ἀρέτὴν, καὶ κατάστασιν ἐγενετο πρότερον Ἐπίσκοπος. Εἶτα τοὺς θορύβους τοῦ κόσμου καταλιπὼν, διὰ τὸ τῆς ἡσυχίας καλόν, ἐμάκρυνε φυγαδεύων ἐν ταῖς ἐρήμοις· καὶ τοσοῦτον ἠγωνίσατο πρὸς ἀρετὴν, νηστείαις, καὶ ἀγρυπνίαις, καὶ ἀσκήσεσιν ἑαυτὸν ἐπιδοὺς, ὡς καὶ θαυμάτων ἀξιωθῆναι πολλῶν· νόσους ἀπελάυνειν, λεπρους καθαρίζειν, δαίμονας διώκειν, καὶ προλέγειν τὰ μέλλοντα. Πολλοὺς δὲ ὠφελήσας, καὶ πρὸς ἀρετὴν ἐπιδοῦναι ποιήσας, διὰ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ· καὶ γὰρ πολλοὶ προσήρχοντο αὐτῷ χάριν ὠφελείας· καὶ πείσας ἀφεῖναι καὶ γονεῖς, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ οἰκίας, καὶ τῷ μοναχικῷ βίῳ προσελθεῖν, καὶ Χριςῷ δουλεύειν, καὶ θεραπεύειν αὐτὸν διὰ καθάρσεως, καὶ τῆς τῶν ἐντολῶν ἐργασίας, ἐν εἰρηνῇ ἐτελειώθη. Τὸ μὲν ἱερὸν πνεῦμα αὐτοῦ παραδοὺς τῷ Κυρίῳ, τὸ δὲ τίμιον αὐτοῦ λείψανον τῇ συγγενεῖ γῇ, ἔτι καὶ νῦν βρύον ἰάματα.

E

3 *Quæ Latine versa, ibidem exhibentur in hunc modum :* Eodem die commemoratio Sancti patris nostri Sabini episcopi. Beatus Sabinus propter eximias virtutes et honestissimos mores primum quidem episcopus ordinatus fuit. Sed postea cum sæculares tumultus, quietis studio, fastidiret, in eremum procul ab omni hominum consuetudine profectus, ea contentione comparandis virtutibus incubuit, scipsum jejuniis, vigiliis, et exercitationibus dando, ut meruerit multa miracula edere, morbos depellere, leprosos mundare, dæmones fugare, et futura prænunciare. Cum autem multis profuisset, et ad se accedentes doctrina sua ad virtutes eo provexisset, ut relictis parentibus, fratribus, et domo, vitam monasticam professi, Christo ser-
F virirent, eique in puritate et mandatorum custodia famularentur, in pace decessit. Sacrum quidem spiritum Domino, pretiosas autem Reliquias suas cognatæ terræ commendans : quæ usque in præsentem diem curationes emittunt. *Ita citatum Menologium, quod et* S. Sabini *iconem, venerandum nempe senem episcopalibus ornatum indumentis, ac sinistra tenentem librum, exhibet. Ast quod maxime cultum ecclesiasticum Sancto huic rite exhiberi, idque per universam Catanensem diœcesim, ut Innocentius Maximus ejusdem civitatis episcopus in decreto Ordini divini officii recitandi, Missasque celebrandi, præfixo, districte anno* 1627 *injunxit, sequentis anni evincit rubrica, quam idem Ordo* XV *Octobris, festa* S. Sabini *luce ritu Duplicis celebranda, præscribit : en a primis vesperis ea, quæ ad Sanctum nostrum spectant integre :* Vesp. de S. Sabino episcopo Catan. Conf. dupl. Oratio. Da quæsumus. Die XV S. Sabini episcopi Conf. dupl. Lectiones, quæ habentur primo loco in Comm. conf. pont. Missa. Statuit. Vesp. de S. Sabino episcopo Conf.

Fastis sacris insertus, Catanæ ac hujus in diœcesi cultu ecclesiastico gaudet :

(*a*) p. 1.— (*b*) p. 222.— (*c*) p. 357. — (*d*) p. 75.

AUCTORE M. S. *pauca tamen præclari hujus*

A 4 *Stabilito Sancti præsulis hujus cultu ecclesiastico, ea modo, quæ solers Octavii Cajetani indagatio e tenebris eruit, videamus : sequentia is in Opere de Sanctis Siculis tom. II* (*a*) *tradit :* De Sancto Sabino episcopo Catanensi et Confess. *Ad marginem notat annum emortualem* 690, *ac ab sui Operis Idea, uti et Martyrologio Siculo, in quibus* 760 *annotarat, de quo infra, dissentit.* Sabinus Catanæ urbis fuit episcopus; ejus Sanctissimi viri gestæ res interiere, sed interire nomen minime patiar; testimoniis de sanctitate ejus allatis, quæ tempora reliquere : a scriptore Vitæ B. Leonis hoc exornatur elogio : « Sabinus vir meritis conspicuus, fide, vita, moribus » Deo dignus antistes, quem non universi modo, » qui ex ejus diœcesi erant, verum etiam Siculi » omnes præ sanctitate venerabantur, expleto cursu » migravit e vita, possessurus in cœlo vitam cum » Christo æternam. » *Vitam hanc, unde periodus ea desumpta est, typis et ipse Cajetanus vulgavit, extatque apud ipsum tom. cit.* (*b*). *Judicium porro, quod de biographo hoc ejusque lucubratione laudatus Cajetanus fert, hujusmodi est :* Sane hæc vita, *inquit in Animadversionibus in vitam et gesta S. Leonis l. c.,* ab antiquo scriptore, bono illo quidem, quam-

B quam verboso floridoque, ut ferebant tempora, ex græco desumpta est. Sed auctiorem reddidit, ut ipsemet testatur prologo ad vitam, ex quo latinum hunc scriptorem sive interpretem, monachum extitisse satis constat. *Ætatem vero ejusdem ibidem designat his verbis :* Ex eo (*nempe ex diversis, quas enumerat, linguis*) scriptoris hujus tempora cognoscas, quem post ejectos e Sicilia Saracenos a principibus Normannis vixisse crediderim. *Quod anno* 1075 *contigisse de Grossis* (*c*), *uti et Pirrus* (*d*) *scripto mandarunt.*

præsulis gesta nostram 5 *Pergit porro in eo, quod de* S. Sabino *concinnavit, elogio in hunc modum Cajetanus :* Hæc habet is scriptor de S. Sabino : Claruisse spiritu prophetico testis est jambographus græcus in Leone, de quo moriens Sabinus oracula, quæ jambis item transferimus, hæc edidit.

Id cum videret Catanæ Antistes integer
Sabinus, hæc haud mendax vates edidit :
Simul ac, inquit, naturæ nos cesserimus,
Nostras subibit optimus pastor vices
Leo, sancteque suos sibi pascet greges.
Salubre ingens ad pabulum felix pecus.
Fulgebit idem signis et miraculis,
C Ut efferatur superum Regi gloria.
Ponetque templum Luciæ invictissimæ.
Hæc cum dixisset, post paulo emoritur senex :
Cunctipotenti Deo commendans spiritum,
Beatas ad piorum sedes evolat.

Porro anonymi hujus poetæ et quidem certe Catanensis lucubrationem dilaudans in cit. Animad. Cajetanus, hæc habet (*e*) : Scriptor stylo et antiquitate probatur. Vixit enim ante annum Christi DCCC. Carmen Græcum P. Augustinus Floritus e nostra (*nempe Jesu*) societate latinum fecit.

ad notitiam 6 *Concludit deinde Cajetanus :* Ad hæc, *inquit,* Breviarium Gallicanum in sancto Leone : « Sabinus, ait, vir Sanctus Catanæ episcopus ad Dominum migravit. » Cætera ignoramus. Causas repetere acerbissimum est. *Verum quale illud Breviarium sit, haud assequor modo, causa autem, cur præclara illa antiquitatis Siculorum monumenta perierint, dirissima illa fuit Siciliæ* (*Saracenis inibi dominantibus, ac obvia quæque ferro flammaque vastantibus*) *a plerisque historiographis celebrata servitus, quos, qui eam cognoscere desiderat, si lubet, adeat; nos interea* D *ea, quæ ad Sanctum nostrum spectant, prosequemur; ast paucis, cum fontem, unde sua plerique hauriant, viderimus, eadem proponemus : meminit illius primo Siciliæ Sacræ* (*f*) *Rochus Pirrus, eumque magna sanctitatis fama præsulatu perfunctum, imperatore Constantino Copronymo asserit : verum prolixius multo de eo Catanæ Sacræ* § XII (*g*) *de Grossis agit, eumque S. Jacobo martyri anno* 760 *aut sequente successisse annotat; queis vero* S. Sabinus *virtutibus inclaruerit ibidem edicit, ita in hanc rem habens :* Episcopales ut capessivit infulas, prædecessoris sui terens vestigia, Christi Domini fidem, sacrarum denique imaginum, quæ tunc maxime impugnabantur, venerationem, Christiana dicendi libertate, sed vita in primis inculpabili, summopere studuit propagare. *His subnectit eam, quam modo vidimus, prophetiam, pergitque :* Hæc præfatus animam Domino reddidit XV Octobris anno 778. *Hisce consona habet Carreræ Pantheon Siculum, quod, si placet, consule.*

devenerunt : 7 *Ea fere sunt, quæ de illustri hoc Episcopo auctores scripto mandarunt; refert quidem e Vita S. Marciani ad diem* XV *Octobris in Annotationibus* E *et illustrationibus MSS. Raderus, a quodam Sabino dæmonem e filia quadam expulsum; verum ipsemet, quis Sabinus ille fuerit, ignorat; relata enim severa Sabini hujus vivendi ratione, dæmonisque expulsione* (*adi loc. cit., et Theodoretum in Historia Sanctorum patrum, Parisiis apud Guilielmum Chaudiere anno* 1570 *typis vulgata* (*h*), *hæc subjungit :* Hic, quia nulla fit mentio episcopi, fortasse fuerit alius, aut a Theodoreto non fuerit cognitus pro episcopo, incertum. *Imo Sabinum hunc, alium plane a Catanensi præsule* Sabino *extitisse, plura innuunt : Theodoretus enim ipse, cui annus* 458, *teste in Diction. Histor. Fellero, in terris extremus fuit,* Sabini *nostri res gestas, utpote per sæcula junioris, recensere haud valuit, nec Catanensis præsul S. Marcianum in Syria commorantem, ac sæculo quarto viventem, adire, et quidem crebro, ut innuitur, potuit : en enim narratæ rei exordium, hisce conceptum verbis :* Fuit quidam, qui ad eum (*nempe Marcianum*) ventitabat, eum autem appellabant Sabinum, qui corpus consumpsit laboribus innumerabilibus, etc.

nec extra controversiam est, quo tempore 8 *Reliquum modo est, ut quandonam diœcesim Catanensem* S. Sabinus *moderari sit exorsus, dispiciamus : id vero tam facili confici haud poterit negotio, cum celebres inter auctores Siculos ea de re non conveniat; Cajetanus enim eumdem sæculo* VII, *alii vero et communius sæculo* VIII *floruisse tradunt : notat namque in hanc rem, ac elogio, de* S. Sabino *a se concinnato, annum* 690 *apponit, ac pro emortuali habet Cajetanus, dum econtrario Sancti nostri in episcopatu primordia anno demum* 760 *Rochus Pirrus et de Grossis collocarunt, quibus et ipsemet Cajetanus in Idea Operis haud multum primitus abluserat, nec quid, sententiam ut mutaret, eumdem impulerit, perspicio; cum unde id utcumque erui possit, ne verbum quidem expresserit, imo vero trium sibi invicem in omnibus Catanensium præsulum Catalogis succedentium episcoporum inepte perquam chronologiam citatus Cajetanus in Opere disponit; en hanc ex ipso compendiose desumptam : S. Jacobum martyrem ordine, uti Pirrus numerat, decimum Catanensem episcopum inter mortales tom. II* (*i*) *esse desiisse anno* 772, *ad marginem annotat; hunc excepit* S. Sabinus, *cui tom. cit.* (*k*) *annum* 690 *extremum facit, Sancti vero nostri successorem*

(*a*) p. 3. — (*b*) p. 9. — (*c*) Catan. Decachord. Chord. X, col. 289. Edit. Burman, t. X, vol. X. — (*d*) Sicil. Sacr., lib. III, col. 457. Edit. Burman, t. X, vol. II. — (*e*) p. 11. — (*f*) Catan. Eccl. notit., col. 455. — (*g*) p. 25. — (*h*) p. 287. — (*i*) col. 455. p. 32. — (*k*) p. 3.

S. Leonem

A *S. Leonem in vivis agere desiisse, eodem tomo* (*a*) *anno* 725 *ad marginem habet.*

episcopus creatus sit :

9 *Unius porro S. Leonis, cur ita ætatem disposuerit, ast nudis, ut ipsemet fatetur, conjecturis innixus, Cajetanus rationem dedit : adiit enim S. Leo, ut apud Cajetanum in ejusdem Elogio ac utraque Vita videre est, imperatores Leonem et Constantinum, quod animadvertens, pluribus, quinam ii Leo et Constantinus sint, in Animad. ad Vitam primam num.* 12 *idem Cajetanus disceptat, eosque Leonem Isaurum ac filium Constantinum Copronymum, ob quasdam præsertim ethnicæ superstitionis reliquias* (*quas tamen imperantibus Leone IV et Constantino Porphyrogenneta perdurare potuisse admittit*) *fuisse arbitratur; verum refragatur ei in Commentario ad Vitam S. Leonis prævio die* XX *Februarii Bollandus, S. Leonem imperatores proxime antedictos, ut latius infra visuri sumus, adiisse contendens : cumque S. Jacobi, si hujus nominis eo tempore Catanensis, ut Papebrochius ad diem* XXI *Martii Jacobo juniori episcopo sacram loquitur, umquam extiterit, procul dubio perperam tempora Cajetanus disponat, idemque, ut modo dicemus,* S. Sabini *annum emortualem infeliciter signet, ac alibi conjecturis indulgeat, num tutioribus monumentis utcumque horum præsulum ætatem stabilire valeamus, paucis modo inquirendum.*

B

licet attentis decessorum successorumque

10 *Quod ut conficiam, facem mihi præferunt duorum Catanensium præsulum indubitatæ epochæ; prioris quidem Juliani, ordine, secundum Rocchi Pirri Catalogum,* IX *Catanensis episcopi : is enim epistolæ œcumenicæ Synodi sextæ Constantinopolitanæ, seu, si mavis, Romanæ eodem anno sub Agathone Pontifice Maximo celebratæ, ac Actis Concilii Constantinopolitani insertæ, ejusdem* Agathonis, ac Romanæ synodi centum viginti quinque episcoporum (*verba sunt tituli apud Labbeum* (*b*)) quæ fuit velut instructio legatorum, qui missi sunt ad Synodum sextam celebrandam, *subscribit in hunc modum :* Julianus exiguus episcopus sanctæ ecclesiæ Catanensis provinciæ Siciliæ, in hanc suggestionem, quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi. *Igitur diœcesim Catanensem anno* 680, *quo Synodus Constantinopolitana, ut extra controversiam est, habita fuit, moderabatur præsul Julianus; hunc porro apud laudatum Pirrum excepit Jacobus, cui Sanctus noster successit, quem deinde S. Leo, Leonemque Theodorus secutus est præsul, ordine decimus tertius, de cujus denuo ætate, cum Concilio Nicæno II interfuerit, similiter constat. Celebratum vero fuit Nicænum secundum ac Generale Concilium* VII, *uti inter chronographos convenit, anno* 787, *cui aliquoties Theodorus Catanensis episcopus, ut apud Labbeum* (*c*), *est videre, subscriptus legitur.*

C

præsertim

11 *Liquet hinc S. Leonis* (*quem S. Cyrilli Rhegiensis episcopi archidiaconum fuisse ejusdem Leonis Vitæ tradunt*) *chronologiam perperam a Cajetano esse dispositam : si enim S. Leo anno* 725, *uti contendit, imperatores Leonem et Constantinum* (*vide ejusdem Animadv. num.* 5, *uti et num.* 12) *adierit, obieritque, cum ipsum inter et Theodorum medius haud sederit Catanæ episcopus, nec sedes vacarit, Theodorus jam tum, cum Synodo Nicænæ adesset, sexaginta duobus annis, ut numerum ineunti patebit, episcopus extitisse debuit, imo dato S. Leonem præsulem ad Leonis Isauri annum postremum, qui secundum Pagium, ac Benedictinos in Arte temporum notas examinandi nuper vulgata,* 741 *fuit, pervenisse, certe Theodori præsulatus diuturnitas protrahi nimis videtur, cum testibus Pirro ac de Grossis sæculo nono inchoante, etiamnum inter mortales ageret Theodorus antistes. Ast quod ulterius S. Leonem* (*imperii clavum Leone Isauro ac Constantino Copronymo tenentibus*) *Constantinopolim haud adiisse iisve imperantibus obiisse, probat, venerationis benevolentiæque signa sunt, Sancto huic ipsis ab imperatoribus exhibita : en enim huc facientia ad diem* XX *Februarii, Menæorum, prout ea tom. cit.* (*d*) *Cajetanus exhibet, verba :* Quod sane Miraculum (*de Theodoro mago, quocum, sacra stola ad collum ejus ligata, S. Leo fornacem fuerat ingressus, ac, combusto mago, illæsus plane egressus*) cum ad ultimos usque fines pervenisset, inaudissentque imperatores Leo et Constantinus, accersiri virum Sanctum ad se jubent, pedesque ipsius prehendentes, obtestati sunt, pro ipsis ut precaretur. *Eumque, ut subditur,* perhonorifice *a se dimiserunt.*

D

S. Leonis

12 *Quis porro benevolentiam talem a perfrictæ frontis hæreticis, ac præclarissimos quosvis Christi gregis pastores implacabili odio persequentibus expectet? Ast reponit ad interrogata hæc his verbis in cit. Animadv. Cajetanus :* Certe quidem, *inquit,* non ignoro, Leonem Isauricum hæreticum iconoclasten multos pro cultu Sanctarum imaginum martyrio coronasse, sed D. Leonem ingentium miraculorum effectorem revereri, timore perterritus potuit, quemadmodum suppliciis vexare abstinuit Joannem episcopum Polyboti. *Ast, utcumque de Joanne episcopo* (*quod ad diem* IV *vel* V *Decembris, quibus sacris Fastis inscriptus legitur, examinari poterit, quemque ad priorem diem Isauri impietatem redarguisse, apud Raderum Menæa asserunt*) *se res habeat, latum discrimen est inter nudam a suppliciis cessationem, et ea, quæ hic imperatores Leo et Constantinus exhibuisse leguntur S. Leoni antistiti reverentiæ signa. Hinc datæ responsioni minus fidens Cajetanus, hanc, cui me facile, ni alia, ac præ reliquis Theodori præsulatus diuturnitas, obstarent, consentientem haberet, superaddit, nempe* Leonem Isauricum septimo (*imo teste Pagio ad annum* 726, § X) post initum imperium anno, in hæresim lapsum. *Et exinde ea, quæ de S. Leone Menæa habent, antequam Isaurus palam hæresim profiteretur, orthodoxosque vexaret, contingere potuisse, animadvertit Cajetanus.*

E

Thaumaturgi,

13 *Quod vero ad S. Cyrillum Rhegiensem præsulem, quem Ughellus Italiæ Sac. tom. IX* (*e*) *anno* 586 *obiisse scribit, modo spectat, hujus archidiaconus si S. Leo, ut ejusdem Vitæ habent, fuerit, serius procul dubio is, etiamsi Cajetani arrideret tempus numerandi ratio, ut et ipse advertit, vixisse debuit, cum fere per sesquisæculum, dato quod ad annum* 725 *dumtaxat pervenerit, S. Leo S. Cyrillo equidem vixisset posterius, quod, quam a veritate sit alienum, quivis facile perspicit. Quo ergo anno S. Leo ad cœlos evolavit? Apte satis hunc signavit ad diem* XX *Februarii Bollandus, cum eumdem circa annum* 780 *Tom. III Febr.* (*f*), *ac sub Leone Constantini Copronymi filio, ac Constantino Porphyrogenneta Commentarii prævii num.* 4 *e vita migrasse contendit : quod vero annum hunc pro certo emortuali haud habuerit Bollandus, ex adjuncta particula* circa *satis liquet, cumque per quadriennium Leo hæresim suam occuluerit, et ex inde benevolentiæ ac reverentiæ signa S. Leoni exhibere interea valuerit, commode S. Leo uno e proxime antecedentibus annis imperatores Leonem et Constantinum adiisse potuit, dummodo id nec ante annum* 775 *Constantino filio primum, nec post* 780 *Leoni patri extremum, statuatur contigisse; favit enim orthodoxis annis prioribus*

F

a) p. 5. — (*b*) t. VI. Conc., col. 677. — (*c*) T. VII. Conc., col. 327 et 662. — (*d*) p. 6. — (*e*) col. 323. — (*f*) p. 222, ad marg.

Leo

AUCTORE M. S.

Leo imperator, nec nisi anno 780, *sibique extremo sacris imaginibus, earumve cultoribus bellum indixit: audiamus Baronii ad annum* 780 *verba :* Media vero, *inquit* § III, hebdomada jejuniorum tentus est Jacobus prothospatarius, et Papias et Strategus, et Theophanes cubicularius una cum aliis religiosis viris, eo quod imagines adorarent. Tunc demum occultam malitiam suam Leo persecutoris filius patefecit, etc. *Proin hinc, Theodorum, de quo num.* 10, *cum Synodo Nicænæ is adesset, non* 62 *annis, sed cum ultra* 775 *S. Leo superstes fuerit annum, haud multum infra suprave decennium episcopum fuisse, consequens sit, oportet.*

ac S. Jacobi

14 *Modo ad S. Jacobum, quem sub Leone Isauro Rochus Pirrus, uti et de Grossis apte satis, si quis eo nomine Julianum inter et* S. Sabinum *episcopus fuerit, sedisse contendunt, gressum faciamus. Colitur S. Jacobus junior* XXI *Martii, quo die Commentario historico illius gesta, ut Bollandus* XX *Februarii in Commentario ad Acta S. Leonis prævio præmonuerat, illustravit Papebrochius; verum enim vero Jacobum hunc Catanensem præsulem extitisse, ingenue* § II *num.* 11 *Papebrochius sibi fatetur esse suspectum, nec abs re; cum nihil, unde eumdem Catanenses infulas tenuisse probent, Siculos scriptores adferre judicet : ipsum Papebrochium num. cit. disserentem audiamus :* Quibus sic deductis, *inquit, ingenue fatemur, suspectam nobis esse Octavii Cajetani fidem (aut quisquis alius ei persuasit, ut hunc, *Jacobum nempe,* quem hoc die colunt Græci, Catanensem in Sicilia episcopum fuisse diceret) quando Anthologium Græcum citat, quasi in eo legatur :* « Sancti patris nostri et confessoris Jacobi » episcopi Catanæ » suspectum quoque habemus Rochum Pirrum Græcorum citantem Breviarium latinitate donatum, atque ex eo hæc verba : « Jacobus martyr et episcopus a puericia monasticæ » vitæ institutis, et sacris litteris eruditus Catanensi » ecclesiæ præfuit, cum barbarorum in sacras imagines impietas desæviret; pro quarum cultu exilium innumerosque labores ac cruciatus constantissime subire, non dubitavit, quibus confectus » animam Deo reddidit. »

fortassis

15 Citat enim in margine cardinalis Sirleti Menologium : illud utique, cujus apographum nactus Henricus Canisius Antiquarum Lectionum tom. II vulgavit (*a*) : in quo, ut vidimus, nullum de Catana verbum, de exilio et morte nullum : non magis quam in Anthologio, quod habemus juxta Hierosolymitanorum, Studitarum et Montis-Sancti monachorum typica ab Arcudio renovatum, et impressum Romæ anno 1598. *Pergit Papebrochius binis subsequentibus numeris (ad quos, ne actum in Opere agam, lectorem remitto) rationes Siculorum minus sufficientes esse, demonstrare : ast unum est, quod me, ne candide Papebrochii sententiæ subscribam, prohibet, en illud : Joannes Baptista de Grossis, dum Jacobi hujus, qui apud ipsum est ordine præsul undecimus (Iwinum enim, Junium aut Juninum, de quo Pirro non constat, octavum Catanensem episcopum admittit floruisse) gesta recenset, eumdem ab anno* 730 *ad usque* 740 *diœcesim Catanensem rexisse astruit, eamque Catanensibus, nempe eo ordine Catanæ Jacobum episcopum extitisse, alte sedere opinionem, probat, dum in hunc modum in Catana Sacra (b) ratiocinatur :* Eum (*S. Jacobum*) Catanensis senatus anno 1632 die XII Augusti, ut vel sic dignam tanto præsule concives opinionem conciperent, ad eumque venerandum vehementius excitarentur, quem in terris degentem antistitem habuit, eumdem iu cœlis conregnantem in patronum adscivit.

Sancti nostri

16 *Pergit porro de Grossis, ac ea, quæ Papebrochio, S. Jacobi ut episcopatum eo ordine admitteret, minus fundata apparuere, adfert, periodumque suam, velut S. Jacobum e Catanensium præsulum numero excludendum prætimens, hisce claudit verbis :* Atqui ex MS. cujus superius exscribebam verba, de hoc apprime constat. *Meminit et ejusdem MS. de Juliano Jacobi decessore disserens laudatus de Grossis (c), ita in hanc rem habens :* Nostræ assertionis assumptum ex MS. Catalogo Catanensium episcoporum e Vaticanis Regestis per laudatum episcopum Cultellium eruto, cui tamquam sacræ anchoræ innitimur, fidem sibi vendicat et auctoramentum. *Cum enim Vincentius de Cultellis* LXXI, *ut de Grossis numerat, Catanensis antistes ob quasdam ipsum inter et Catanenses discordias anno* 1583 *Romam adiisset, ibidemque per biennium a Pontifice detentus fuisset,* Ne otio torpesceret aut desidia (*verba sunt de Grossis (d)*) Vaticanam bibliothecam evolutandam suscepit, ut vel sic nuperos antiquioresque Catanensium præsules in album redigeret, quod et diligentissime perfecit. *Detectus proin est thesaurus ille, quem Rochus Pirrus maximo a se studio perquisitum nullibi reperiri potuisse, suo tempore dolebat : ast vehementer admiror, quod eumdem Catalogum nec publici juris fecerit, nec ea, quæ de S. Jacobo ex ipso de Grossis mutuatus est, diserte expresserit; cumque Papebrochius ad patria monumenta num.* 13 *provocet, num quis forte ejusdem dubia solverit, animo reputare cœpi.*

decessoris epochis,

17 *Contuli ergo me ad litterariam Operis nostri supplemento concinnando, religiose conservatam supellectilem, evolutisque quam plurimis, quæ mensis Martius offert, monumentis, et spe mea me frustratum dolui, et e Catanensibus neminem præclari hujus præsulis martyris ac patroni sui, cui tantopere anno* 1632 *affectus erat senatus, causam defendendam suscepisse, Majoresque nostros dubios debitis monumentis, ut expetebant, certos reddidisse, perspexi : cumque, quænam MS. iste, de quo modo agebam, Catalogus de S. Jacobo contineat, nesciam, aliaque, quæ vidimus, talia non sint, ut omne prorsus dubium eliminent, anceps etiamnum hæreo, nec pro S. Jacobi episcopatu quidquam certi definire valeo : auctor interea sum, ut Catanenses dubios nos instruant, nec ex Operis nostri Supplemento præclarum sibi præsulem ac patronum (alius si sit a Jacobo juniore, in Opus nostrum ad* XXI *Martii diem jam illato) excludi patiantur.*

verosimilius episcopatum sæculo VIII *nondum medio adiisse,*

18 *Consectarium igitur ex supradictis fit, accurate definiri haud posse, quo tempore S.* Sabinus *diœcesim Catanensem gubernare sit exorsus; id tamen Constantino Copronymo imperante Rochus Pirrus uti et de Grossis haud infeliciter statuunt; cum enim anno* 680 *Julianus sextæ Synodo interfuerit, illiusque annus emortualis Siculos scriptores lateat, commode is ad sæculi octavi exordia pervenisse potuit, imo de Grossis, innixus forte MS. Cultellii Catalogo, Jacobum, quem, ut vidimus, Juliani successorem facit, anno demum* 730 *Catanenses infulas adiisse, ac decennio, seu usque ad annum* 740 *tenuisse contendit : quo elapso, cum per vicennium præsule Catanenses caruissent, tandem S.* Sabinum *S. Jacobo fausta totius cleri populique acclamatione anno* 760 *aut sequente subrogatum censet, cui et Rochus Pirrus in eorumdem præsulum Catalogo (quamvis annum S. Jacobo emortualem, sedemque vacasse, sileat) consentanea jam ante exararat; cumque paucissima*

(*a*) T. III, part. I, p. 409. Edit. Basnag. — (*b*) p. 25. — (*c*) p. 24. — (*d*) p. 270.

scriptoribus

A *scriptoribus his explorata certaque videantur, ac seclusis binis iis, de quibus num.* 10, *epochis, pleraque ambigua, nihil obesse videtur, si S.* Sabini *præsulatus exordium sæculo* VIII *nondum ad mediam sui partem provecto collòcemus, tutius definituri, si quis nos modo inscios, quantæ sit auctoritatis præsulum Catanensium MS. Cultellii Catalogus, quidque inde deduci possit, docuerit, aliave, si quæ sint, antiqua monumenta subministrarit.*

ac re ad obitum usque præclare

19 *Statutis ita præsulatus Sancti nostri primordiis, quænam episcopus gesserit, ordo, nî lectorem, summa nos documentorum laborare penuria, jam modo præmonuissem, exponendum exigeret; verum seclusis paucis iis, quæ e Cajetano ac de Grossis jam ante (nempe eum Virum fuisse meritis conspicuum, fide, vita, moribus Deo dignum Antistitem, sacrarum imaginum cultum christiana dicendi libertate propagantem, ac ob sanctimoniam Siculis venerabilem universis) in decursu vidimus, de cætero memorandum nil habeo. Verum anne se episcopatu* S. Sabinus *abdicavit? Id certo innuit Basilii imperatoris jussu editum supraque citatum, Menologium, eumque in solitudinem secessisse, majora Græcorum Menæa habent, hominumque tumultus declinasse : ast quamvis identidem præsulem hunc, fervoris conservandi,* B *renovandive gratia, solitudinem petiisse, mundanosque tumultus declinasse, facile mihi persuasum habeam, eumdem tamen, vale episcopatui dicto, constanter eremum incoluisse, cur non assentiar, me triplex S. Leonis, qui ei successit, Vita permovet : in harum namque singulis, ad extremum usque spiritum, ut episcopali muneri vacans,* S. Sabinus *memoratur : en verba Vitæ ab auctore coævo conscriptæ, ac apud nos Tom. III Februarii* (*a*) *datæ :* Defuncto autem, *inquit num.* 2 *laudatus biographus,* Sabino episcopo, cum in successore, qui sacerdotii munere dignus esset, investigando, hujus urbis incolæ tumultuarentur, etc. *Similia habet Vita prolixior apud Cajetanum, uti et jambographus num.* 5 *citatus, his omnino verbis :*

Simul ac, inquit, naturæ nos cesserimus
Nostras subibit optimus pastor vices
Leo.

gesta, eodem sæculo ultra

20 *Hinc igitur, quamvis præsulem nostrum solitudinis amore detentum fuisse, haud abnuam, eumdem tamen, ut credi jubet illius sanctitas, ovium sibi commissarum saluti nec minus vigili cura, ac per se ipsum incubuisse, sit consequens, donec senio gravis ad extrema deductus, ac spiritu prophetico, quo* C *successorem sibi Leonem, ejusque virtutes prænuntiavit, clarus, animam Deo reddidit. Verum quo anno? Litigant de eo, ut jam supra visum, qui de Catanensibus egerunt præsulibus; annum enim* 690 *ad marginem notat Cajetanus, a quo haud parum discrepans de Grossis, diserte anno* 778 S. Sabinum *inter mortales esse desiisse, his verbis asserit:* Hæc præfatus, animam Deo reddidit xv Octobris ann. 778. *Pirrus vero, quamvis annum emortualem haud signet, S. Leoni tamen eumdem* 778 *primum fuisse* (*b*) *ad marginem habet. Ast ad eum annum pervenisse S.* Sabinum, *vetant ea, quæ jam supra de S. Leonis ad imperatores Leonem et Constantinum accessu disseruimus; licet enim accessum hunc anno* 725, *quo nec Leo Isaurus sacrarum imaginum cultum, anno sequente id exorsus, proscripserat, haud collocandum docuerimus, ac eumdem post annum* 775 *ad Leonis IV et Constantini Porphyrogennetæ imperium differendum censuerimus, tamen eum ann.* 780 *haud contigisse posterius, e Leonis eo anno interitu fit perspicuum. Cum enim S. Leo, cujus* S. Sabinus *decessor extitit, ultra annum* 780 *vitam certo haud protelarit, imo fortassis uno alterove anno citius obierit, qui ad annum* 778 *S.* Sabinus *pervenisse potuit?*

AUCTORE M. S.

D

medium fere per decennium provecto, vivere

21 *Cum vero nec S. Leonis in episcopatu initiam annum Bollandus, illius Vitam Commentario prævio* XX *Februarii illustrans, assequi potuerit, nec ejusdem præsulatus ob eximiam nominis celebritatem, insignibus miraculis illustratam, paucis annis circumscribi valeat, eumdem si circiter per vicennium diœcesim Catanensem præclare moderatum fuisse statuerimus, haud multum conjiciendo a vero nos aberraturos arbitramur; cum enim monumenta, quæ utcumque Sancti nostri annum in terris extremum, ac S. Leonis in episcopatu primum demonstrent, plane deficiant, conjecturis vero ut inhæreamus* E *similioribus, necessum est, quapropter Sanctum nostrum cœlestes subiisse mansiones sæculo octavo ultra medium fere per decennium provecto arbitramur : hinc in hypothesi S. Jacobum vere* S. Sabini *decessorem extitisse, consequitur plus annis decem Sanctum nostrum Antistitem Catanensibus insulis fuisse redimitum, si vero eo tempore Jacobus nullus Catanæ sederit episcopus,* S. Sabinum *ab anno* 730 *episcopum fuisse, nihil vetat, cum sedem per vicennium vacasse, nec rite de Grossis probet, nec vero, ut ex dictis liquet, videatur conforme.*

desiisse videatur.

22 *Num autem continuis ab obitu et quidem* usque in præsentem diem *miraculis S.* Sabinus *inclaruerit, numque præclari præsulis hujus exuviæ venerationi publicæ fuerint expositæ, unde definite pronuntiem, non habeo : asserit quidem id sup. cit. Basilii imperatoris Menologium his verbis : B.* Sabinus. . . . . in pace decessit. Sacrum quidem spiritum Domino, pretiosas autem Reliquias suas cognatæ terræ commendans : quæ usque in præsentem diem curationes emittunt. *Verumtamen cum hic sileant, quotquot de S.* Sabino *consului Græca æque ac Latina documenta, nec simile Siculis e scriptoribus quisquam innuat, Menologii* F *asserta, ad præsulis nostri Reliquias quod spectat, unde utcumque stabiliam, nihil inveni; adstipulatur quidem non nihil num.* 2 *citatum Sirleti Menologium, miracula si spectes, quibus Sanctum nostrum inclaruisse, inficias certo ire, non est animus, ast nullum in specie Octavius Cajetanus indagator horum indefessus detegere valuit; imo res illius gestas temporum bellorumve injuria interiisse, candide idem asserit, nec nisi pauca illa, quæ jam supra memoravimus, suam ad notitiam pervenisse, asseverat.*

(*a*) Ad diem xx Febr., p. 223. — (*b*) Sicil. Sacr., col. 455.

A D

DE S. ROGERIO

EPISCOPO CANNENSI CONFESSORE

BAROLI IN APULIA.

S. D

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti elogium a Ferrario adornatum : Acta qualia : tempus episcopatus : translatio corporis : cultus.

B

ANTE MEDIUM SÆC. XII

S. Rogerius *a solo fere Ferrario*

Ughellus Italiæ Sacræ auctæ tom. VII (*a*) *in Tranensi archiepiscopatu Barolum seu Barulum graphice describit his verbis :* Barolum, vulgo « Barletta » septimo a Metropoli Tranensi milliario, maritimum est oppidum regiæ ditionis inter primaria, non modo Apuliæ et regni (*Siciliæ*) sed vel Italiæ oppida numerandum, quippe habitatum animabus decem et octo millibus, nec modo ædificiis, nobilitate, amœnitate, sed opibus etiam et mercatura præclarum. . . . Hic etiam cœnobia virorum octo, Sanctimonialium quinque; quorum præcipuum S. Stephani Ord. S. Benedicti, ubi jacet S. Rogerius Cannarum episcopus miraculis gloriosus. *Hujus Sancti memoriam, quam alibi frustra fere quæsieris, Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad hunc diem celebrat, illius Acta, quæ sunt admodum brevia, e monumentis ecclesiæ Barolitanæ strictim referens in hunc modum :* Rogerius qui et Rugerius apud Cannas in pago vicino natus, circa annum sal. quingentesimum factus clericus ecclesiæ cathedralis Cannensis, sic vitæ probitate suavitateque morum anno ætatis 18 præditus fuit, ut apud cives summam laudem consecutus unice ab omnibus diligeretur. Erat enim a mundi hujus
C cupiditatibus alienus, miræ continentiæ, sedulam ecclesiæ servitutem præstans. Quare mortuo episcopo Cannensi maximo totius populi et cleri consensu in demortui locum eligitur. Qui cum nondum ob teneram ætatem sacerdos esset, et quod se tanti muneris indignum judicaret, non solum electioni non assensit : sed etiam, ne assentire cogeretur, aufugit. Verum ex fuga retractus totius urbis desiderio satisfacere cogitur.

celebratus

2 Factus itaque episcopus, ac velut in alium virum mutatus, videbatur sublimis et humilis, dives et pauper, in vestitu vilitatem, in vita asperitatem, in cibo et potu sobrietatem amplexus. Afflictos solabatur : infirmos frequens visebat; pauperes suis facultatibus sustentabat; viduas et pupillos fovebat patrocinio, ac ut uno verbo dicatur, omnibus erat pius pater et pastor. Is adhuc vivens miraculis claruit. Nam Paschali cuidam diutina oculorum et aurium infirmitate laboranti, oratione integram et utramque sanitatem restituit; et nemo cum fiducia accedens, ab eo beneficio vacuus recedebat. Denique vir S. virtutibus et meritis clarus ex hac vita in alteram migrans quievit in E
pace. Idibus Octobris et aliis diebus illius memoria a Baroliensibus, qui corpus eo ex Cannis urbe translatum habent, maxime celebratur. *Ita quidem Ferrarius ex Actis, quorum apographum, ab Ughello tom. VII* (*b*) *excusum, ab archiepiscopo Nazareno Majores nostri accepere. Concordat autem per omnia cum altero apographo vetustissimi Breviarii MS. monasterii S. Stephani, ubi Sancti corpus Baroli requiescit; sed præter duodecim, in quas ibidem dividitur, Lectiones alia ad historiam spectantia habes in Antiphonis, Hymnis et Responsoriis, quæ antiquitus in dicto monasterio legi solita nos huic Commentario una cum Lectionibus subjiciemus. Hæc omnia sibi prælucentia habuit Joannes Paulus Grimaldi Neapolitanus S. J. theologus, ex iisque corrasam Sancti Vitam idiomate Italico edidit, ast usitato Italis more multum dilatatam.*

non anno Domini 500,

3 *Verum cum dictæ Lectiones seu Officium proprium non nisi post annum* 1276, *quo Sancti corpus Barolum fuit translatum, conscriptum digestumque fuerit, hujus auctor a Sancti epocha* (*hanc enim figit circa annum Domini* 500) 800 *fere annorum intervallo est remotus : vix proinde dubitandum, quin parum aut nihil amplius* (*nam multas interea calamitates* F
rerumque vicissitudines perpessa fuit Apulia) *de Sancti gestis innotuerit. Quin imo imperitus adeo in historia is auctor fuit, ut plane ignorasse videatur, quo vel circiter tempore S.* Rogerius *Cannensem cathedram occuparit : quod enim floruisse eum scribat anno Domini quingentesimo, nulla alia basi innititur, quam actis S. Richardi episcopi Andriensis, quorum epitomen Papebrochius die* IX *Junii, dum festum ejus recolitur, e Ferrario transcribens num.* 9 *hæc interserit :* Hactenus proprio quasi cortice natans auctor (*Vitæ S. Richardi*) porro subsidium petit a Vitis Sanctorum duorum episcoporum, in nostro Februario illustratis, S. Laurentii scilicet Sipontini episcopi, sub quo contigit revelatio S. Michaëlis in monte Gargano, uti refertur VII Februarii ; et S. Sabini Canusini episcopi, a quo, die IX ejusdem mensis, num. 5 Vitæ leguntur ad Barolitanæ ecclesiæ dedicationem, simul cum S. Gelasio Papa, invitati « Laurentius Sipontinæ ecclesiæ pon-
» tifex, Palladius Salpitanæ, Eutychius Tranensis,
» Joannes Rubisinæ, Austerius Venusinæ. » His

(*a*) col. 887. — (*b*) col. 789

duabus

A duabus quasi facibus prælucentibus pergit Vita, et ex hac strictim compendiata Ferrarius : « Cum » S. Michaël Archangelus in monte Gargano appa- » ruisset, eo jussu Pontificis profectus, una cum » Laurentio episcopo Sipontino, Sabino episcopo » Canusino, et Rogerio Cannensi, aras templi re- » cens conditi consecravit. »

ut perperam in Actis,

4 Ast Vita prædicti S. Laurentii (cujus caput III pene totum verbotenus describit auctor, et suo aptat textui) nihil de altaribus consecratis, nihil de episcopis ad eam rem sociis. Rogerium autem Cannensem nec illa Vita nec Vita S. Sabini, nec alia ulla antiqua scriptura novit; imo nec episcopos Cannenses ullos ante sæculum IX vel X, sic ut verosimile sit, ecclesiam hanc recentioris multo, quam credatur, institutionis esse; similiterque primum ejus episcopum ac Patronum Rogerium. *Ex solis itaque S. Richardi Actis, quæ edere noluit Papebrochius, prodiisse videtur, quod Sanctus noster interfuerit consecrationi altarium ecclesiæ S. Michaëlis Archangeli in monte Gargano, adeoque vixerit circa annum* 500; *nec aliud id asserendi argumentum Ughello Ferrarioque fuisse, hic quidem infra in Annotationibus, ille vero post relata Sancti Acta*
B *profitentur. Ast præterquam quod nulla sint antiqua monumenta, quæ episcoporum Cannensium ante sæculum* IX *vel* X *meminere, addi hic non immerito potest, videri admodum mirum, si jam tum sæculo* VI *Cannensis episcopatus fuisset erectus, nec S.* Rogerium, *nec alium quemquam istius sedis episcopum subscriptum legi uni e sex Romanis Conciliis, quæ sub finem sæculi* V *et initium* VI *habita, extant apud Labbeum cum prolixis subscriptorum tum Apuliæ quam aliarum Italiæ regionum episcoporum catalogis.*

e corrupto fonte haustis asseritur.

5 *Recte igitur Papebrochius post textum statim recitatum eodem num.* 9 *sic pergit :* Hunc sane (Rogerium) vel solum nomen suum probat differri posse ac debere ad Longobardorum (*imo probabilius* Normannorum, *ut Assemanus de scriptoribus Hist. Ital. Tom. I* (*a*), *et ex eo Tortora* (*b*) *observant*) iis in partibus dominatum; sicut ex eadem causa nec Richardus, de quo agimus, credi potest ad sæculum V spectare, quando necdum Anglo-Saxones converti cœperant. Sed de hoc plura ad XV Octobris, quando Rogerius iste colitur, anno MCCLXXVI translatus Barolum : post quod tempus compositæ de ejus Vita Lectiones, similiter suffartæ, ut hæ An-
C drienses : quarum seu potius Vitæ auctor, noluit Rogerium præterire in deducendo ad Garganum Richardo, tum quia vicinissimæ urbes sunt Cannæ et Andria, tum quia Rogerio adscriptum miraculum, de æstu ac siti, per fontem et aquilam euntibus levata, volebat commune Richardo facere, quod Ferrarius neglexit. *Dein num. seq. transcriptis reliquis Ferrarii verbis, hæc subjungit :* Hæc sumpta sibi fatetur Ferrarius « ex Officiis ecclesiæ An- » driensis, ubi Vita in tres Lectiones distributa » quæ si aliquando reformentur, ut sane conveniret; earum argumentum aptius sumetur ex historia Inventionis et Miraculorum, tamquam sola certa et fide digna, ideoque solam illam huic operi inserimus. Idem suaserim illis, qui similes de S. Rogerio Lectiones usurpant; non nisi in meris conjecturis, et his imperite consarcinatis fundatas; quamvis ei, quo conditæ sunt, sæculo ignoscendas.

sed, ut ex Ughelliano

6 *Non quidem Lectiones propriæ seu legenda nostra apud Ughellum excusa* S. Rogerium *præfatæ dedicationi in monte Gargano adfuisse referunt, verum cum harum Lectionum auctor universum Sancti Officium, quod supra num.* 2 *e vetustissimo Breviario Barolitano desumptum vidimus, verosimilius eodem tempore ordinaverit, vix dubium remanet, quin ex præsentia Sancti, quam e spuriis S. Richardi Actis didicerat, in prædicta dedicatione concluserit, alteram historiam suam, quam e vaga forte traditione* (*antiqua enim Cannensis ecclesiæ monumenta cum hujus destructione periisse in Præfatione sua testatur Grimaldi*) *acceptam, in digerendis Lectionibus adhibiturus erat, necessario ad illud circiter tempus, quo dedicatio isthæc contigerat, rejiciendam esse. Deceptus hisce, ut diximus, Ughellus non tantum Cannensis episcopatus exordia a Gelasii I Papæ temporibus, seu fine sæculi* V, *sed, ut perperam alibi factum sæpe in Opere nostro compertum fuit, ab ipsis Apostolorum temporibus repetit : en prima Catalogi ipsius verba* (*c*) : N . . . . . Primus Cannarum episcopus sedit, Apostolorum Principe Romam contendente, his populis Evangelio edoctis an. sal. 44 ex Tabulario ecclesiæ Sipontinæ. *Nil mirum, nomen hic reticeri, cum res ipsa id temporis haud extiterit. Pergit Ughellus et secundum locum tribuit S. Liberali,* qui pastorale munus, *inquit,* laurea martyrii decoravit circa an. 112 : *at quamvis idipsum lib.* II *cap.* XX *scribat* E
Petrus de Natalibus, seu S. Liberalem episcopum faciat Cannensem, eum tam Ferrarius ad diem XXX *Decembris, et citatus supra Tortora* (*d*) *episcopis Canusinis, tum ex accurata rei inquisitione, tum ex constanti minimeque interrupta ecclesiæ Canusinæ traditione, adnumerant.*

AUCTORE S. D.

D

epp. Cannensium Catalogo,

7 *Error inde verosimilius profluxerit, quod* plurimi scriptores (*sic ibi loquitur Tortora*) in hoc hallucinati turpiter sint, ut Canusium et Cannas confunderent adeo, ut unam eamdemque civitatem reputarent; quod quam alienum a vero sit, abunde demonstravit Damadenus. Falsa hac itaque persuasione adductus in memoratum confutatumque errorem forsan prolapsus est Petrus de Natalibus, nisi potius errorem hunc amanuensium oscitantiæ et imperitiæ velimus adscribere, cum menda, quæ eorum causa in operibus obrepunt, nec rara sint nec levia. *Hactenus Tortora; quibus non obstantibus prosequens Ughellus tertio loco recenset S.* Rogerium, *sed spuriis, uti diximus, S. Richardi Actis circumventus : quarto vero loco Felicem his verbis :* Felix Sypontinus episcopus, et hujus ecclesiæ (*Cannensis*) commendatarius ex institutione M. Gre-
F gorii, ut in Epist. 51 L. I : *ast vero hic denuo falli Ughellum, liquet e Gregorii verbis, quæ Epist.* 51 *ad Felicem talia sunt :* Pervenit ad nos, quod Canosina ecclesia ita sit Sacerdotii officio destituta, ut nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Hujus igitur tam piæ rei tamque necessariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut præceptionis authoritate commonitus, memoratæ ecclesiæ visitator accedas, et vel duos parochiales presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ, et morum gravitate prævideris, et quibus in nullo obvient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela provideatur ecclesiæ. *Confundit itaque Ughellus ecclesiam Canusinam cum Cannensi, qui error plurimis scriptoribus, ut supra notat Tortora, est communis.*

ad sæculum usque X

8 *Felicem in Catalogo Ughelliano sequitur Petrus; verum ut infra in Notis num.* 2 *inquit Nicolaus Coletus,* Hic tamen vel nullus in hac serie est, vel alter ab eo, quem Cannensem opinatur idem Ughellus in descriptione status ecclesiæ Gravi-

(*a*) p. 410. — (*b*) Status Eccl. Canus., p. 43 — (*c*) T. VII, col. 789. — (*d*) p. 15.

nensis,

AUCTORE S. D.

nensis, quem dum repellit e Gravinensium catalogo, in hunc Cannensem rejicit, ex varia librariorum lectione deceptus. Eum Petrum nos adnumerabimus inter Gabienses Latii Tom. X hujus operis, quem Gavensem, id est Gabensem, usurpata lit. v pro b, legimus inter conterminos episcopos connumeratum in Rom. Concilio an. 869. *Jam Ughellus ultra medium sæculi* IX *progressus, nullum Catalogo suo inseruit Cannensem præsulem, qui inibi locum vel ulla plausibili ratione sibi valeat vindicare. Hinc jure merito supra num.* 4 *dixit Papebrochius,* Rogerium Cannensem nec illam Vitam (*S. Laurentii*) nec Vitam S. Sabini, nec aliam ullam antiquam scripturam nosse; imo nec episcopos Cannenses ullos ante sæculum IX vel X, sic ut verosimile sit, ecclesiam hanc recentioris multo, quam credatur, institutionis esse, similiterque primum ejus episcopum ac Patronum Rogerium. *Sed plus aliquid hic innuit Papebrochius, nimirum extitisse S.* Rogerium *primum Cannensis urbis episcopum: id ipsum jactare ecclesiam Cannensem, testis est Tortora* (*a*); *ast id verosimile non esse, e mox dicendis colligi dabitur.*

erroneo,

9 *Post sæculum* IX *firmius incedit Ughellus sexto loco sic scribens :* Lucidus Cannensis episcopus, cujus meminit Baronius ad annum 963; *etenim hoc anno Lucidus Cannensis una cum aliis Apuliæ antistitibus interfuisse legitur celebri conventui Romanorum, Ottoni imperatori sub juramento promittentium liberam summi Pontificis electionem. Post Lucidum collocat Joannem, qui* præsens fuit (*verba sunt Ughelli*) consecrationi ecclesiæ Casinensis anno 1071 ab Alexandro II Papa celebratæ apud anonymum Casinensem. *Huic adstipulatur Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib.* III *cap.* XXVIII, *ubi inter quadraginta tres, qui dictæ consecrationi adfuere, episcopos recenset etiam Cannensem, sed nec hujus nec aliorum nomina exprimit. Pergit demum Ughellus in hunc modum :* N. . . . cujus nomen ignoratur, anno 1105 a Goffredo Cannarum comite et imperiali senatore amplum pro sua ecclesia obtinuit privilegium. *Admodum ergo probabile est, memoratum episcopum, cujus nomen Ughellum latuit, unum eumdemque esse cum illo, qui anno* 1102 *Cannensi ecclesiæ præsidebat; huic autem nomen fuisse* Rogerium, *invicte probat* Diploma (*verbis utar laudati Tortoræ* (*b*)) continens consecrationem ecclesiæ Canusinæ in honorem S. Sabini illius episcopi, cujus autographum in Tabulario capituli Canusini adservatur, exemplarque exscriptum legitur in pervetustissimo marmore publice omnibus patente in eadem ecclesia, cujus tenor est, qui sequitur :

« D. O. M.

et recitata hic inscriptione liquet,

10 « Anno Dominicæ Incarnationis MCII mensis » Septembris indictione decima hæc ecclesia Canu- » sina ad honorem divi Sabini confessoris Christi » dedicata est ab universali Papa Paschale secundo » septimo Idus Septembris et ad hujus S. E. ne- » gotium perpetrandum invitati sunt Portuensis » episcopus, Beneventanus archiepiscopus, Capua- » nus archiepiscopus, Salernitanus archiepiscopus, » Neapolitanus archiepiscopus, Acheruntinus ar- » chiepiscopus, Sypontinus archiepiscopus, Bixan- » tius Tranensis archiepiscopus, Maraldus Ta- » rentinus archiepiscopus, Malcerius Compsanus » archiepiscopus, Rogerius Cannensis episcopus, » Guilielmus Salpitanus episcopus, Mandus Miner- » vinensis episcopus, Gaudinus Murensis episcopus » et Cupersanensis episcopus; verum et plures alii » archiepiscopi, episcopi, abbates et multorum alio- » rum clericorum congregatio copiosa. Quapropter » quicumque ad ejus dedicationem in illius festivi- » tate annuatim venerint, sciant se de omnibus pecca- » tis, quibus canonice confessi fuerint, quadraginta » sex annos et quadraginta sex quadragesimas sibi » relaxari. » *Anne igitur, qui hic nominatur,* Rogerius *non erit Sanctus noster, cujus epocham episcopatus neque Ughellus neque alius aliquis, nisi e fabulosis Richardi Actis assignare hucusque potuit? Ne nimium hic in respondendo præceps aut novitatis amans videar, prius audi, quid Tortora, num scilicet* S. Rogerius *SS. Sabini et Laurentii Sipontini extiterit socius, respondeat* (*c*) : Nam si quod res est, *inquit,* fateri volumus, hoc maxime controvertitur ab emunctæ naris criticis et historicis, qui proinde contendunt, S. hunc Rogerium Cannarum præsulem floruisse sub Normannis, illumque esse, qui descriptus reperitur in inscriptione consecrationis basilicæ Canusinæ a Paschali II peractæ.

sæculo demum XII *floruisse videtur.*

11 *Dum enim Sancti corpore jam ditati erant Barolitani, perquiri Acta verosimilius cæpere; cumque forsan traditio ferret, interfuisse Sanctum cujusdam ecclesiæ dedicationi, simulque præ manibus essent Acta S. Richardi, pronum fuit biographo, cæteroquin historiæ etiam ignaro, chronologiæ seriem invertere, opinando, traditionem istam de dedicatione ecclesiæ S. Michaëlis, ut eam in Actis S. Richardi legebat, esse interpretandam. Cum inquam, id facile fuerit biographo, non alium esse* Rogerium *istum Cannensem præsulem ab eo, de quo agimus, existimamus, donec vel ante vel post hunc alium* (*nam ejusmodi nomen in Apulia Siciliaque ante sæculum* XI *haud reperi*) Rogerium, *ejusdem ecclesiæ episcopum extitisse, solidioribus argumentis convicti fuerimus. Hinc porro consequitur, haud adeo, quam sibi quidem imaginatus fuit, Vitæ auctorem a Sancti ætate abfuisse, proindeque in iis, quæ aliunde quam ex S. Richardi Actis conquisivit, majorem fidem promereri.*

Anno 1276

12 *Antiquus Sancti cultus eruitur ex Officio proprio monasterii S. Stephani Baroli jam sæpius memorato, quod quia Sancti Vitam in duodecim lectiones divisam complectitur, integrum cum Annotatis prelo dabimus : cum vero cultus non nisi post factam corporis Barolum translationem celeber evaserit, præmittendum prius, quomodo dicta translatio fuerit peracta. Hanc supra num.* 3 *contigisse diximus anno* 1276, *quo tempore Theobaldo Cannensem ecclesiam moderante, rem gestam sequens Monumentum, nobis ex autographo ecclesiæ Nazarenæ communicatum, et ab Ughello* (*d*) *excusum, his verbis explicat:*

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, regnante domino nostro Carolo, Dei gratia magnifico rege Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, almæ Urbis senatore, Andegaviæ provinciæ et Fulchalquerii comite, ac Romani Imperii in Tuscia per Sanctam Romanam Ecclesiam vicario generali, regni vero ejus anno undecimo, mense Junii octavo decimo die ejusdem, quarta ind. apud Barolum.

Nos Robertus de Argintera regalis Baroli judex, Nicolaus de Raynerio publicus ejusdem terræ notarius, et subscripti testes litterati de eadem terra ad hoc specialiter vocati et rogati præsenti publico scripto fatemur, venerabilem virum D. Bivianum Minerbinensem episcopum, in nostra præsentia constitutum, intus in majori ecclesia Baroli osten-

(*a*) p. 205.— (*b*) p. 170. — (*c*) p. 205. — (*d*) Ital. Sacr., t. VII, col. 795.

disse

A disse nobis mandatum unum patens sanctissimi Patris D. Papæ, cujus mandati tenor per omnia talis est.

accusati apud Pontificem de furto corporis S. Rogerii

13 « Innocentius episcopus servus servorum » Dei, etc. Venerabili fratri episcopo Minerbi- » nensi, etc. Exposuit nobis venerabilis frater no- » ster episcopus Cannensis, quod clerici castri de » Barolo, adjunctis sibi quibusdam laïcis, eorum » in hac parte sequacibus Tranensis diœcesis, ad » ecclesiam Cannensem armata manu nequiter » accedentes majus altare ipsius ecclesiæ ausu » sacrilego violare, ac quasdam reliquias Sancto- » rum, quæ in eodem altari, et corpus beati Ro- » gerii, quod in quodam sepulchro juxta ipsum » altare recondita fuerunt, nec non et lapidem su- » perpositum eidem altari violenter auferre, illaque » cum pluribus aliis rebus ejusdem ecclesiæ ibi- » dem inventis ad prædictum castrum secum ex- » inde asportare non sine multæ temeritatis au- » dacia præsumpserunt : iidem quoque clerici et » laici tam corpus, Reliquias et res prædictas, » quam nonnullas possessiones, ad eosdem epi- » scopum et ecclesiam pertinentes contra justitiam » detinent, et ipsi ecclesiæ restituere indebite con- B » tradicunt; quo circa fraternitati tuæ per Aposto- » lica scripta mandamus, quatenus si de hujusmodi » sacrilegio tibi constiterit, prædictos clericos et » laïcos tamdiu appellatione remota excommuni- » catos publice nunties, et facias ab omnibus ar- » ctius evitari, donec super hujusmodi violatione » dicti altaris, ac ablatione et asportatione cor- » poris, Reliquiarum et lapidis prædictorum satis- » fecerint competenter, et cum tuarum testimonio » litterarum ad sedem venerint Apostolicam absol- » vendi, ipsisque nihilominus corpus, Reliquias, » lapidem et possessiones prædictas memorato epi- » scopo et ecclesiæ restituant, ut tenentur, moni- » tione præmissa per censuram ecclesiasticam ap- » pellatione remota compescas. Datum Laterani » quinto decimo Kalendas Maji, Pontificatus nostri » anno primo. »

clerici Barolitani, modum explicant,

14 Volens igitur idem D. episcopus Minerbini ad ipsius executionem mandati reverenter procedere cum ea, qua expedit, diligentia et cautela in testimonio nostro juxta ipsius mandati tenorem cum omni diligentia inquisivit perplures et diversos homines Baroli, sufficientes et probos, et omni exceptione majores, si de hujusmodi sacrilegio ad C corum aliquid notitiam pervenisset; qui corporaliter juramento astricti seriatim dixerunt, et confessi sunt in præsentia nostra, nihil ad eorum pervenisse notitiam de prædictis. Cujus quidem inquisitionis fama cum subito pervenisset ad notitiam venerabilis viri archipresbyteri Baroli, et aliorum clericorum sociorum ejus, ipsi unanimiter et voluntarie et tamquam obedientiæ filii ad præsentiam prædicti episcopi Minerbini, nobis ibidem præsentibus, se personaliter cum omni reverentia contulerunt exponentes, quod quidam clericus socius eorum, Andreas nomine, archipresbyter et canonicus ejusdem Cannensis ecclesiæ, et Angelus specialis civis Baroli, ipsius Cannensis ecclesiæ procurator venerunt ad eumdem archipresbyterum et ejus socios supra dictos, requirentes ipsos, ut ob Dei reverentiam et honoris intuitum ejusdem Cannensis episcopi et eorum deberent una cum eis ad eamdem Cannensem ecclesiam se conferre ad deferendas et salvandas ad opus ejusdem Cannensis ecclesiæ quasdam res de omnibus supradictis, ne res ipsæ fuissent furtive noctis tempore ab inde asportatæ, prout plura et diversa de rebus ipsius ecclesiæ per malos homines ab eadem ecclesia furtive asportata fuerant et substracta. AUCTORE S. D. D

15 Verum quia idem archipresbyter, et ejus socii supradicti petitionem et requisitionem prædicti Andreæ archipresbyteri et Angeli procuratoris præfati cum omni devotione ac solicitudine efficaciter admittentes, quia opus Dei et ipsius Cannensis ecclesiæ satis utile et necessarium videbatur fore, si prædictæ res per eos ad opus ipsius Cannensis ecclesiæ salvarentur, idem archipresbyter et ejus socii supradicti unanimiter et concorditer miserunt quosdam clericos de sociis eorum simul cum prædicto Andrea et Angelo procuratore ad eamdem Cannensem ecclesiam, credentes ad hoc benefacere, et sub expensis eorum, quia prænominati archipresbyter Cannensis et procurator promiserunt eidem archipresbytero Baroli et ejus sociis expensas ipsas restituere, feceruntque infra scriptas res de rebus ipsius Cannensis ecclesiæ apud Barolum deferre, ibidem conservari, et deponi sub custodia prædicti Cannensis archipresbyteri et Angeli procuratoris prædicti, videlicet mappas duas de altari de lapidibus marmoreis, campanam unam, et alias plancas de lapidibus marmoreis; quas quidem res omnes delatas per eos, prout supra distinguitur, incontinenti et sine aliqua diminutione ad mandatum prædicti D. Minerbinensis episcopi eidem Andreæ archipresbytero et præd. Angelo procuratori in præsentia præfati D. episcopi, ac in nostro testimonio tam voluntarie quam libenter assignaverunt, et fecerunt integre resignari, quamquam fuissent sub custodia dicti Cannensis archipresbyteri et procuratoris ipsius ea omnia deputata. E

quo res quasdam a Cannensi ecclesia Barolum transtulissent;

16 Nos vero qui supra Bivianus Minerbinensis episcopus per præsens publicum scriptum fatemur, prædicta omnia qualiter præleguntur, fuisse in nostra præsentia plenarie exequuta pariter et completa; et per hoc non oportuit nos ad excommunicationem nuntiandam procedere, quia minime nobis constare potuit de sacrilegio supradicto. Et nos qui supra Andreas archipresbyter, et Angelus specialis procurator in præsentia prædictorum judicis, notarii et testium subscriptorum prædicta omnia, quæ supra distinguuntur, vera esse fatemur, et res prædictas nobis, ut prædicitur, resignatas præsentis scripti serie asserimus recepisse. Unde ad futuram memoriam, et ipsius archipresbyteri Baroli et sociorum ejus cautelam, præsens publicum testimoniale scriptum, sicut exinde factum est, per manus mei prædicti Nicolai, publici Baroli notarii, signo meo solito, subscriptione præfati judicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, etc. Extat signum, etc. F

unde et a furto excusantur.

Robertus F. F. Baroli judex.
Pasqualis Uturberlongus testatur.
Nicolaus de Caroangelo testis, etc.
Ambrosius de Amicis testis, etc.

Anno sequenti 1277 *Theobaldum pium furtum a Barolitanis, præter corpus S.* Rogerii, *recepisse, docet aliud, quod e majori ecclesia Barolitana habemus, et a Grimaldi* (a) *Italice editum est, monumentum tenoris hujusmodi :*

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, regnante Domino nostro Carolo, Dei gratia magnifico rege Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, almæ Urbis senatore, Andegaviæ et Fulchalquerii comite, ac Romani imperii in Tuscia per S. Romanam Ecclesiam vicario generali, re-

(a) Vita Ital. S. Rogerii, p. 30.

AUCTORE S. D.

gni vero anno duodecimo, mense Julii vigesimo secundo die ejusdem, quinta ind. apud Barolum.

A *Res ablatas*

17 Nos Theobaldus humilis Cannensis episcopus, et Achilles archidiaconus, Andreas archipresbyter, Nicolaus primicerius, Lambertus subdiaconus, Petrus subdiaconus ipsius ecclesiæ canonici in præsentia Salomonis regalis Baroli judicis, Nicolai de Raynerio publici ejusdem terræ notarii, et subscriptorum testium litteratorum de eadem terra, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, præsentis scripti publici serie notum facimus et testamur, quod dum permittente ultione divina, non sine nostra et civium magna contagione peccati, Cannensis civitas esset populo derelicta, ita quod quomodo sola sederet et sedeat, melius ipsa verissimo oculorum potest certificatione perpendi, quam alicujus locutione depingi : quid plura? Dum seges esset resecanda falce, et sylvæ effigiem præsentaret locus, ubi Cannensis civitas erat sita, et per consequens cathedralis nostra Cannensis ecclesia, intus in prædicta civitate fundata, propter loci deserti sterilitatem legitimorum ministrorum suffragio, et custodientium securitate careret, et idcirco nonnulli, qui in vanum Christi nomen sumere non

B formidant, Dei timore postposito et ecclesiæ immunitate contempta, porta prædictæ Cannensis ecclesiæ manu armata et temeraria confringentes corpus Beati Roggerii, campanam et quamplures sacratas res alias asportassent : itaque dum ipsa ecclesia esset posita in medio nationis perversæ, custodientium securitate contempta, a diversis et variis malefactoribus pateretur insultus, sicque residuæ res, scilicet infrascripti marmores, mensæ altarium, et Sanctorum Reliquiæ, nec non et campana essent exposita naufragio et ruinæ, atque essent quodammodo prædæ prædonum effecta, Andreas Gattus archipresbyter prædictæ Cannensis ecclesiæ, et noster qui supra Cannensis episcopi tunc in spiritualibus procurator Angelus specialis de Barolo in temporalibus ministrator deputatus a nobis, et nos Achilles archidiaconus et canonici superius nominati, videntes præfatum evidens periculum imminere, et destructionem prædictæ ecclesiæ manifestam, voluimus eo modo quo poteramus malis obviare præfatis.

Cannenses recipiunt, excepto S. Rogerii *corpore,*

C 18 Unde interveniente auxilio D. Pauli Barolitani archipresbyteri et clericorum seu canonicorum majoris Barolitanæ ecclesiæ, a nobis postulato et clementer obtento, infrascriptas res a civitate et ecclesia Cannensi Barolum asportavimus, prædictisque Barolitano archipresbytero et clericis recommendare curavimus, qui ad utilitatem prædictæ Cannensis ecclesiæ custodirent, et assignarent, cum esset voluntas episcopi, qui esset pro tempore et canonicorum ecclesiæ supradictæ. Qui, ut dictum est, ipsas res ad utilitatem prædictæ Cannensis ecclesiæ conservantes ad requisitionem nostram primo die mensis Julii præsentis quintæ indictionis, prædicti archipresbyteri et clerici infrascriptas res nobis integraliter et sine diminutione quadam, et assignarunt, et paupertatem prædictæ Cannensis ecclesiæ intuentes, eas expensis propriis benigne ad prædictam Cannensem ecclesiam portare fecerunt. De quibus omnibus nos confitemur, et recognoscimus, quod sumus eisdem ad antidata (*remunerationem*) obligati de ipsis rebus nos et successores nostri obligati a nobis, quietantes eosdem et defendentes ab omni persona, contra eos de iis controversiam seu quæstionem movente; cum nobis essent per eos, ut dictum est, ipsæ res integre D assignatæ; quæ res sunt hæc scilicet : mensæ duæ marmoreæ altarium, omnes marmores sedis, ubi sedere, dum missarum solemnia celebrarentur, episcopus consuevit, campana una et quamplures sanctorum reliquiæ. Unde ad futuram memoriam, et prædictorum archipresbyteri et clericorum seu canonicorum cautelam, et ut de commissis fides indubitabilis habeatur, præsens publicum instrumentum eis exinde fieri fecimus per manus prædicti Nicolai publici Baroli notarii, signato suo solito sigillo, et subscriptione nostra, qui supra, Cannensis episcopi, et subscriptionibus nostrorum, qui supra, canonicorum ipsius Cannensis ecclesiæ, subscriptione prædicti judicis, aliorumque subscriptionibus infrascriptorum testium roboratum : quod scripsi ego prædictus Nicolaus de Raynerio publicus Baroli notarius, qui interfui, et signo meo consueto signavi.

quod Baroli apud moniales S. Stephani conditum fuit.

19 *Sic itaque delatum Sancti corpus Barolum apud moniales Benedictinas depositum fuisse, conditumque in earum ecclesia S. Stephano sacra, testis est Grimaldi* (*a*), *id constare inquiens ex litteris indulgentiarum, quas eidem ecclesiæ duo Cardinales legati a latere* (*horum unus erat Ludovicus presbyter tituli S. Laurentii in Damaso, alter Latinus Orsino tituli SS. Joannis et Pauli*) *anno* 1459 *largientes,* E *corporis S.* Rogerii, *ut inibi quiescentis, expressis verbis meminere. Scribit porro Grimaldi, ejus mausoleum, pretioso e marmore eboreque confectum, stetisse olim apud aram majorem S. Stephani ad cornu Epistolæ, et ex adverso majoris ecclesiæ januæ; anno vero* 1512 *in novum sacellum, Orientali ecclesiæ parti accommodatum, una cum ipso principe altari translatum, sub eoque reconditum fuisse; excipe tamen caput, quod foris reservatum, inclusumque argento palam ostenditur : item partem alterius ossis, quam possidet ecclesia Andriensis, argenteo vasi similiter inclusam. Occasione hujus translationis, ut idem prosequitur, monstratam voluit Deus sanctitatem sui Famuli tum per ossium ejus suaveolentiam, tum per miracula; etenim sumpto ex tumba Sancti pulvere sanati fuere quinque infirmi, præter alios non paucos, qui sanitatis recuperandæ ergo ad illius tumulum confugiebant. Hinc igitur Dei famulum meritissimo jure Barolitani in Patronum suum, urbisque protectorem, quemadmodum ex Officio proprio mox dando liquet, postmodum assumpsere. Quin etiam, si credimus Grimaldi* (*b*), *erecta fuit Baroli anno* 1361, *et in S.* Rogerii *honorem dicta ecclesia in eo civitatis loco, qui* la Piazzetta *dicitur : istiusmet Sancti devotione pariter accensus fuit Carolus VIII Galliarum rex; anno enim* 1495, *dum regnum Neapolitanum sex mensium spatio tenuit, monasterio S. Stephani privilegium concessit cujusdam donationis, quod in Pergameno conscriptum in dicto monasterio asservari, idem Grimaldi* (*c*) *asserit. Festum Baroli annuatim bis recolitur, trigesima nempe Decembris, quam Sancti emortualem credunt, et Dominica* II *post Pascha, qua corpus ejus Cannis Barolum, aut ex antiquo in novum sepulchrum translatum fuerit. Hæc quoque Grimaldus* (*d*); *verum de majori ecclesia Barolitana seu S. Mariæ id accipiendum censeo; etiam apud moniales S. Stephani ejus festum celebratur hodie seu* XV *Octobris, quæ an* XXX *Decembris, aliave Sancto fuerit suprema, uti et quo anno obierit, dicendo non sumus.** F

(*a*) p. 34. — (*b*) p. 42. — (*c*) p. 42. — (*d*) p. 43.

A

OFFICIUM PROPRIUM

IN FESTO S. ROGERII,

Descriptum e vetustissimo breviario monasterii S. Stephani Barolitani.

AD VESPERAS.

Adest consecrationi ecclesiæ S. Michaëlis :

a

B

Antiphona : Vita vixit mirabili in ecclesia Domini Rogerius diaconus et factus est episcopus : *Psalm :* Dixit Dominus : *Ant :* In Cannensi *a* ecclesia Rogerius Cœlicola refulsit in virtutibus in prælatis omnibus : *Psalm :* Confitebor : *Antiph :* Hospes nobilissimus Rogerius eximius recipiebat pauperes, infirmos atque debiles : *Psalm :* Beatus vir : *Ant :* Pauper pastor efficitur Rogerius, dum quæritur a Cannarum populo, serviens Christo Domino : *Psalm :* Laudate pueri : *Capitulum :* Benedictionem omnium gentium dedit illi et testamentum suum confirmavit super caput ejus : *Responsorium :* Aquila desuper volans, dum pedester ambulabat, umbram semper faciebat, nec ardorem solis, dum clarescceret, sentiebat : *Vers :* Obediens ad ecclesiam pergebat consecrandam Sancti

b

Angeli *b* : *Hymnus :* Gaudeamns et lætemur in festo Rogerii, sanctitatem ejus pandamus, Deoque summo præsuli desertum per aufugiens servans humilitatem pastoris, et gradum nolens electus ad dignitatem, ciliciis se macerans, disciplinis se domabat, carnem suam conculcans, refrænando jejunabat, ad consecrandum pergit viæ longitudinem : itaque consurgit, nolens multitudinem, pariterque mittitur Riccardus Andriensis, simul cum ipso jungitur Pelagius Salpensis, pedester ambulabat Rogerius Sanctissimus, totum se humiliabat Michaëli devotissimus : Gloria tibi Domine, qui natus es de

C

Virgine, cum Patre et Sancto Spiritu in sempiterna sæcula. Amen. *Vers :* Ora pro nobis Beate Rogeri, *Resp :* ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Ant :* ad Magnificat : O pastor æterne, Rogeri, clemens accipe, et vota precantum tu benigne suscipe, et pro nobis Christo preces nostras porrige, ac civitatem istam a malis cunctis eripe, ut mereamur cum Sanctis omnibus omnes perduci ad cœlestia. Alleluia. *Cant. magn. oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Rogerium confessorem tuum atque pontificem de Cannarum civitate Barolum venire fecisti, tribue nobis quæsumus, ut qui ejus sacrum festum recolimus, suis sanctis meritis et virtutibus ab omnibus periculis eruamur.

ut novum ecclesiæ sidus

2 *Invitatorium :* Adoremus Dominum, qui glorificavit Beatum Rogerium, et glorificat : *Psalm :* Venite : *Ant :* Divinam lucem produxit Deus super terram, dum dedit Baroli patronum *c* super pestem et guerram * : *Psalm :* Beatus vir, qui : *Ant :* Lilium puritatis Angelicæ fuit Rogerius, atque rosa rubens caritatis Seraphicæ : *Psalm :* Quare fremuerunt : *Ant :* Innocentem Rogerium exaudit Dominus, dum orat pro populo suis devotis precibus : *Psalm :* Cum invocarem : *Ant :* Lætentur

c

* bellum

omnes, qui sperant in Beato Rogerio, quoniam exaudiet illum Dominus de excelso suo Sancto : *Psalm :* Verba mea : *Ant :* Amicus Dei perfectissimus, quem coronavit Dominus, in Cannensi ecclesia, Rogerius sanctissimus : *Psalm :* Domine Dominus noster : *Ant :* Servator justitiæ et æquitatis fuit in populo suo, dum præsidebat humiliter in solio suo : *Psalm :* In Domino confido : *Vers :* clegit eum Dominus : *Resp :* ad sacrificandum : *Lectio prima :* Summus polorum rector produxit jubar lucidum, candidum et decorum, Beatum videlicet Rogerium, sanctæ matris Ecclesiæ sidus pulcherrimum et splendidissimum ornamentum, fideique Christianæ monile decorum, sed Barolitanæ præsertim civitatis nunc auxilium, et intercessorem sufficientissimum, et devotum, qui velut rogus ingens totus ferbuit caritate, micuit honestate, et claruit sanctitate. Tu autem. *Resp :* Dum staret cum pastoribus vir Dei Sanctissimus, vacabat orationibus Deo devotissimus, ne eligeretur ad pastoralem gradum, cujus non erat dignus : *Vers :* Fugitque præfata perpetua sua humilitate cum mente deliberata : Ne eligeretur.

EX ANTIQUO BREVIARIO.

D

3 *Lectio secunda :* Hic oriundus de civitate olim Cannarum, vel de vico, qui dicitur Petra *d*, floruit anno Domini quingentesimo; et factus a parentibus clericus in ecclesia cathedrali Cannarum, cœpit indolis puer laudabilis sectari monita et documenta proborum. Tu autem. *Resp :* Infirmorum domos et afflictorum visitabat, pupillorum casas benefica pietate quærebat, quia sic pater pauperum in populo suo habitabat : *Vers :* Multi ad ipsum recurrebant, et languentes suis pedibus se prosternebant : quia. *Lectio tertia :* Et tandem percurrens decimum octavum annum, omnium morum spiritualium fragrantia redolere cœpit, ita ut carus esset omnibus et acceptus; nec abiit in consilio impiorum, nec secutus est vanitates et insanias falsas tabidæ carnis nostræ. Tu autem. *Resp :* Tanta fiducia in Deum ferebatur, ut in Domino de omnibus confideret accipere cum orabat, et Deus in cunctis misericorditer audiebat, considerans suam sanctitatem, quæ in suo corpore nitebat : *Vers :* In omnibus Deus exaudivit eum, quia in justitia petiit et amavit eum : considerans. *Lectio quarta :* Sed inter spinas et mores perversos hominum floruit ut candens lilium puritatis Angelicæ, et ut rosa rubens caritatis Seraphicæ. Accidit

F

autem, ut ecclesia Cannensis careret præsule *e*, et cum sciscitarentur de idoneo præsule, omnes unanimiter, tam sacerdotes quam laïci, eum in præsulem elegerunt : unde patenter apparet, quanta erat virtutum suarum exuberantia, quantaque gratia Domini super eum. Tu autem. *Resp :* Cingulum castitatis præcinxit suis lumbis, cunctisque pauperibus manum largitatis aperuit, quia videlicet diligebat omnes corde et voluntate, amore Crucifixi, dum erat in dignitate : *Vers :* Erant omnes ad ipsum recurrentes pauperes, debilesque, pupillos et flentes diligebat : quia.

fulget apud Cannas, cujus urbis episcopatum,

E *d*

e

varie reluctatus demum acceptat :

4 *In secundo nocturno ant :* Dominus Deus meus, ex Rogerii ossibus odor exit eximius, et multos per ipsum Dominus sanavit a languoribus : *Psalm :* Domine quis habitabit : *Ant :* Quidam Paschalis nomine auditum aurium amiserat, sed Rogerii precibus sanavit eum Dominus : *Psalm :* Domine in virtute : *Ant :* Multi languentes veniunt ad Rogerii tumulum, et dum, quod postulant, accipiunt, laudantes Deum redeunt : *Psalm :* Domini est terra : *Ant :* Omnes pauperes clamabant et humiles, et Beatus Rogerius exaudiebat eos : *Psalm :* Benedicam Dominum : *Ant :* Beatus

EX ANTIQUO BREVIARIO.

tus Rogerius, quem elegisti, Domine, habitat in atriis tuis, et in excelso solio gloriæ tuæ : *Psalm :*
A Te decet : *Ant :* O Rogeri Sanctissime, ora pro nobis Deum, ut conducat nos altissime ad contemplandum eum : *Psalm :* Bonum est : *Vers :* Amavit eum Dominus : *Resp :* Stolam gloriæ induit. *Lectio quinta :* Sed ipse verus humilis cum nondum fuisset sacerdos, nec ætatis perfectæ pluries renuntiavit electioni, et molestatus persæpe fugit a civitate Cannarum, et domum suam relinquens cum aliquibus pastoribus processit ad alium locum. Tu autem. *Resp :* Per Beatum Rogerium fiunt hæc divina mysteria, per orationes ejus leprosi mundantur, cæci illuminantur, et in natali ejus dæmonia effugantur, et infirmi sanantur : *Vers :* in suis exemplis congaudet turba clericorum, nam tumbæ pulvere sumpto sanantur quinque fideles : et in natali. *Lectio sexta.* Sed quoniam non est consilium contra Dominum, ideo tam electio sacerdotum quam acclamatio populorum utriusque ætatis et sexus stetit firma super Sanctum Rogerium, adeo ut cives accurrerent omnes ad locum, ubi morabatur Sanctus Rogerius cum illis pastoribus, et videns ipse præsentiam tam sacerdotum
B quam reliqui populi, et Domini præcipue voluntatem acceptavit. Tu autem. *Resp :* Aquila desuper volans, dum pedester ambulabat, umbram semper faciebat, nec ardorem solis, dum claresceret, sentiebat : *Vers :* Obediens ad ecclesiam pergebat consecrandam Sancti Angeli : nec ardorem.

delinc virtutibus,

5 *Lectio septima :* Et factus simul sacerdos et episcopus statim mutatus est in alium virum, utpote sublimem humilitate et divitem paupertate ; omnes enim de ecclesia majores et minores modesto venerabatur affectu, ut ipse videretur minimus de ecclesia, et quilibet minimus major ipso. Tu autem. *Resp :* Dum Apulia patria semel opprimeretur maxima siccitate, et arva cuncta et vineæ destruerentur, atque spes colligendis fructibus laberetur, orat pro populo Rogerius sanctissimus, ut a siccitate liberetur : *Vers :* Exaudivit illum Dominus propter suam sanctitatem, et dedit pluviam terræ super siccitatem : orat pro populo. *Lectio octava :* In vestibus vilitatem, in ciliciis asperitatem, in cibo et potu durissimam sobrietatem, in lecto observabat paupertatem, omniumque penurias pio considerabat affectu, et ipsorum præsentiam magno venerabatur applausu, et cui non impendere poterat beneficium, consolabatur caritatis
C ardore. Tu autem. *Resp :* In diebus suis placuit Deo Beatissimus Rogerius, dum stetit semper coram eo humillimus, obediens et pius, quia non desiderabat nisi placita Deo, et amabat : *Vers :* Placens Deo dilectus ejus et vivens inter peccatores translatus est : quia. *Ad cantica :* Dum orat Rogerius, Deus exaudit, quia fulget in virtutibus, qui meruit, ut per totam Apuliam Deus daret pluviam alleluia : *Psalm :* Beatus vir qui : *Vers :* Tu es sacerdos in æternum : *Resp :* Secundum ordinem Melschisedech.

et miraculis clarior,

6 *Lectio nona :* Infirmorum domos visitabat, afflictos consolabatur, pupillorum causas, et viduarum necessitates pietate paterna suscipiebat, et statim ut pervenit ad apicem tam perfectæ virtutis, cœpit coruscare miraculis, et prodigiis clarescere sanctitatis. Tu autem. *Resp :* Claruit miraculis in morte et in vita suis profundis meritis, sibi a Deo potentia attributa, et quia perseveravit usque ad finem, ideo meruit gloriam sublimem : *Vers :* Multis disciplinis se domabat, suisque exemplis populo prædicabat : ideo. *Lectio decima :* Nam quidam inter alios Paschalis nomine oculorum et aurium longa infirmitate gravatus ad Sanctum Ro- D
gerium supplex venit, ut dignaretur Deo pro eo misericorditer supplicare ; cui petitioni assentiens Rogerius vere pius, facta oratione devota, mox sanitatem oculorum, et beneficium audiendi, quod perdiderat diu homo ille, recuperavit ad plenum. Tu autem. *Resp :* Propter humilitatem renunciavit electionem, considerans statum suum et conditionem, quia nec sacerdos erat nec ætatem habebat, quapropter hinc inde semper fugiebat : *Vers :* O pater Sancte, multum Deo grate, summæ coram Deo fuisti humilitatis : quapropter. *Lectio undecima :* Domus insuper episcopalis erat publicum pauperum hospitale, nulli umquam vocatus verbo vel animo durus erat, nisi forte cuipiam scelerato ob detestationem facinorum et correptionem fraternam. Tu autem. *Resp :* Mortuorum suscitator magnificus, surdorum et cæcorum liberator fuit mirificus, mutos et claudos Rogerius Sanctissimus liberavit et sanavit suis sanctis precibus : *Vers :* Multos a languoribus ad ipsum accurrentes, variisque infirmitatibus dum erant flentes : liberavit et sanavit.

obdormit in Domino.

7 *Lectio duodecima :* Cunctis beneficiis et exemplis studebat in Christo placere, tanta animi sinceritate ac rectitudine mentis erat, ut putares in eo fuisse naturam sinceram, voluntatem immaculatam, et originalem justitiam reservatam, quod favente Deo non exiguo * extitit declaratum, *f* et sic virtutibus et miraculis clarus vitam finivit in Domino. Tu autem. *Resp :* Beatum Rogerium omnes rogemus pariter, ut piis suis meritis juvemur, atque salutem utriusque vitæ nobis ipse acquirat : *Vers :* Et ejus sanctis precibus ab omnibus malis eripiamur : atque salutem utriusque. *Hymnus :* Te Deum laudamus. *Secundum Marcum :* In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : videte et vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit : homo quidam peregre profectus reliquit domum suam, et dedit suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit, ut vigilet. Vigilate igitur ; nescitis enim, quando Dominus veniet sero an media nocte, an galli cantu an mane : cum venerit repente, inveniet nos dormientes : quod autem vobis, omnibus dico, vigilate. *Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Rogerium confessorem tuum atque pontificem de Cannarum civitate Barolum venire fecisti, tribue nobis quæsumus, ut qui ejus sacrum festum percolimus, F
suis sanctis meritis et virtutibus ab omnibus periculis eruamur, per Dominum . . . . *Ad laudes et omnes horas :* O Baroli corona, rector et gubernator, pro nobis Deum ora : Crucifixus et Salvator per tuam Sanctitatem salvet et gubernet nostram civitatem : *Psalm :* Dominus regnavit : *Ant :* Ante diem surgebat Rugerius Beatus, carnem suam domabat multoties flagellatus : *Psalm :* Jubilate : *Ant :* Dum pedester ambulabat obediens et humilis, aquila refrigerabat ipsum propter calorem solis : *Psalm :* Deus Deus meus.

E

* *adde* *f* miraculo vel experimento.

ANNOTATA.

a *Locus hic celebris evasit post ingentem illam stragem, qua ab Hannibale Carthaginensi Romanos ibidem profligatos, Polibius lib.* III *in fine, Livius lib.* XXII, *aliique veteres memorant : adjacet Aufido amni Canusium inter et Barolum ; ast hodie solo fere nomine notum vulgo appellatur* Canna distrutta.

b *De hac fabula, qua Officium hoc crebro aspergitur, sat superque disseruimus in Comment. prær.*

c *Vide dicta num.* 19 *Comm. prær.*

d *Hujus*

A d *Hujus vici nulla amplius vestigia præter ejusmodi nomen in littore maris extare, scribit* (*a*) *Grimaldus.*

e *Hinc colligere est, non fuisse S.* Rogerium *primum istius civitatis episcopum, ut num.* 8 *Comment.* D *præv. præmonuimus.*

f *Hic finitur Lectio : quæ sequuntur, ex apographo Nazareno et Ughello addidi.*

(*a*) p. 48.

DE B. GALTERO SEU GALTERIO

ABBATE ET MARTYRE ORDINIS CISTERCIENSIS

QUINCIACI IN GALLIA.

B

SYLLOGE. E

M. S.

ANNO MCCXLIV. *Quinciaci, cujus brevis notitia datur, quodque Ordinis Cisterciensis monasterium est, floruit*

Quinciacum, *inquiunt Galliæ Christianæ scriptores* (*a*), B. Mariæ prope Tanlayum in Decanatu S. Willemerii, duabus leucis ab urbe Tornodoro, Ordinis Cisterciensis monasterium e linea Pontiniaci, fundatur XI kal. Maji anno 1133 vel 1132. *Celebris eo in monasterio est memoria ejusdem cœnobii abbatis horum in serie* XII, *ac nomine II,* B. Galteri, Galterii aut Gualterii, *quem sæculo decimo tertio nondum medio floruisse, inter auctores convenit; quamvis de rebus ejus gestis paucissima, ut in decursu perspicuum fiet, iidem scripto mandarint, ac singula fere* (*seclude abbatialem dignitatem, annum emortualem et cultum ecclesiasticum*) *quæ ad Beatum hunc pertinent, sint obscura; de ejusdem enim in terris ortu, parentibus, generis qualitate, ac rebus regiminis sui tempore plæclare gestis, monumenta omnia, quæ consului, silent, eumque solummodo justitiam adversus Ecclesiæ hostes strenue defendisse, ac exin ab iisdem martyrio* (*licet, quibus in specie suppliciis extinctus fuerit, ignorent*) *fuisse affectum scribunt. Quædam quidem huc pertinentia in celebri æque ac prolixo de B.* Galtero *elogio, abbatialem tamen ejusdem dignitatem silens, exhibet Henriquesius; ast quanti ea, quæ adfert, momenti sint, cum fontem, unde sua Henriquesius hauserit, reticeat, definire non valeo; illud tamen, qualecumque sit, hic visum fuit exhibere.*

C

sanctitate vitæ B. Galterus *abbas ordine* XII, *ac nomine* II, *Fastisque*

2 *Ita id in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis* (*b*) *habet*: De B. Gualtero episcopo Antissiodorensi et martyre. Beatus Gualterus, ab ipsa juventute sua ingenti solitariæ vitæ desiderio captus, terrenas contemnens voluptates, in Quiriaco Ordinis Cisterciensis cœnobio, cum admiranda quadam sanctitatis opinione monachus habitavit. Talisque ac tantus evasit, et tam stupenda signorum ac miraculorum extitit claritate illustris, ut multi ex variis regionibus ad eum confluerent diversis infirmitatibus afflicti, opem et remedium implorantes. Nec frustra; illustraverat enim Servum suum Altissimus cœlesti quadam virtute, qua ægrotos quocumque morbo oppressos sublevabat, et sanitati desideratæ restituebat. Quæ omnia humani generis hostis inique ferens, variis cum tentationibus aggressus est, sed non prævaluit: fortissimus enim Christi athleta humilitatis clipeo et orationis gladio omnia inimici machinamenta superabat. Denique tam excellens virtutis specimen in omnibus ostendit, ut post egregia trophea, variasque de principe tenebrarum reportatas victorias, cum fama pietatis ejus longius cum admiratione vagaretur, ad episcopalis muneris functionem communi populi Altissiodorensis suffragio fuerit electus.

3 Quam dignitatem tam eximia mansuetudine et vitæ integritate administravit, ut nec æmuli minimam in eo labem deprehendere possent. Cumque omnes doctrinam hominis mirarentur, obstupescerent miracula, et virtutes suspicerent, excitavit ille, qui homicida est ab initio, animas iniquorum contra Virum Sanctum, a quibus tandem occisus martyrii palmam promeruit. Quo autem mortis genere, quave occasione fuerit extinctus, ignoro. *Interjectis porro Barnabæ de Montalvo, quibus eumdem Autissiodorensem præsulem, Quinciacensis cœnobii* F *abbatem, ac Martyrem habet, verbis, ita pergit:* Miror, quod hic Sanctus inter cæteros Antissiodorensis ecclesiæ antistites (*de quo nos modo*) non recenseatur a Joanne Chenu Biturico in sua Historia chronologica archiepiscoporum et episcoporum Galliæ. *Brevius eumdem in suo Martyrologio Gallicano hodie celebrat Saussayus :* Autissiodori, *inquit et quidem primo loco,* passio Sancti Galteri episcopi, qui cum esset Quinciaci abbas in territorio Lingonensi, moribus sanctissimis, etiamque miraculis pollens, excedente ab humano tramite Bernardo de Soliaco Autissiodorensi pontifice, eam ad sedem assumptus: cum Vir in sancta religione strenuus justitiæ tenorem adversus Ecclesiæ hostes zelo sacerdotali assereret; ab iis odio gratis habitus, et dire impetitus coronam martyrii, pastor pro grege occisus, gloriosam recepit. *sacris*

4 *Saussayum describunt, eive consonant Bucelinus in Menologio Cisterciensi, Antonius de Heredia, Barnabas de Montalvo, aliique, quorum proin verba non repeto : ast omnibus his concinnius Castellanus* *insertus est. Verum perperam a quibusdam Autissiodori episcopus,*

(*a*) T. IV, col. 830. — (*b*) part. II, p. 426.

AUCTORE M. S.

A *hodie et quidem Quinciaci, ubi certo cultum habet ecclesiasticum, Beatum nostrum in suo Martyrologio Universali Gallice annuntiat his verbis :* Quinciaci in Campania inter Melundam et Molismum Beatus Valterus (*communius* Galterus *aut* Galterius) eo in loco sepultus, colitur et ut Autissiodorensis episcopus, ac ut pro defensione jurium ecclesiasticorum occisus. *Seu, si mavis, ut Martyr. Modo ad cultum ecclesiasticum, Beato huic Quinciaci, ut Castellanus asserit, exhiberi solitum, me converto indagandum : verum mirabitur fortasse Lector, ac qua ratione demum* B. Galterum, *quem plerique scriptores Autissiodorensem episcopum fuisse habent, ego in Titulo hacce dignitate orbatum exhibeam, inquiret? Ast mirari procul dubio desinet, si sinceram præcipue D. Lebeuf sententiam, uti et Galliæ Christianæ Auctæ scriptorum, aliorumque inaudierit, qua Beatum hunc Autissiodorensem umquam extitisse præsulem, vero minus, nec abs re, arbitrantur conforme.*

cum ab eo alii toto XIII *sæculo,*

5 *Leves enim sane non sunt, quæ eos, ut ita sentiant, impellunt, rationes : audiamus D. Lebeuf Historiæ Eccles. Autissiod. gallica, quæ latina facio, verba : ita hæc habent* (*a*) : Præliminare historiæ Renaldi de Saligny. Recentiores inter Ordinis

B Cisterciensis auctores opinio est, quæ, abbatem quemdam Quinciacensem prope Tornodorum Galterum (*Gallice* Gautier) dictum, Autissiodorensem episcopum fuisse, habet : verum cum sedes integro decimotertio sæculo ab episcopis a Galtero aliis fuerit occupata, unicus, qui ei hacce in Historia tribui posset, locus, intervallum illud est, quod Bernardi de Sully offert dimissio : verumtamen præsulum nostrorum coævus biographus, nullam se facti hujus habere notitiam, dilucide satis annotat, ac successorem Bernardo, nemine medio, Renaldum designat. Certe perhonorificum sibi duceret Autissiodorensis ecclesia, sanctorum suorum præsulum crescentem intueri numerum, dummodo fundamenti satis esset, hunc ut Galterum admitteret. Constat nobis plene, quod cultu is in ecclesia Quinciacensi honoretur publico, quodque ad sinistrum chori decussati latus ibidem in sepulchro tribus aut circa pedibus elevato requiescat, imo quod et ut martyr ibidem habeatur, ac exuviæ illius in sepulchro per D. Bordes Tornodorensem decanum, ad id a Lingonensi episcopo delegatum, anno 1691 fuerint visitatæ. Nova Gallia Christiana quidem hanc Reliquiarum ejusdem fuisse elevatio-

C nem asseverat. *Interjectis dein quibusdam, unde opinio ea ortum habere potuerit, conjecturis,* B. Galterum *Autissiodorensem episcopum neutiquam extitisse, D. Lebeuf concludit.*

quo Beatus hic in vivis egit, episcopatum illum tenuerint,

6 *Consonant his Benedictini Galliæ Christianæ continuatores, ac recentis cujusdam schedulæ, quæ unicum forte eorum, qui Beatum nostrum episcopum extitisse contendunt, fundamentum est, verba exhibent : en integram de* B. Galtero, *quem ipsi* Galterium *dicunt, periodum* (*b*) : XII (*Quinciacensis abbas*) S. Galterius II de quo hæc habet schedula recens apud Quinciacum « Anno Incarnationis » Dominicæ 1244 XVI kal. Octob. migravit a sæculo » bonæ memoriæ venerabilis vir Galterius, divina » quondam gratia Autissiodor. episcopus, hujus » insignis abbatiæ abbas, multa Sanctitate splen- » didus. Obiit autem in hoc monasterio, jacetque » ante magnum altare hujus insignis ecclesiæ, et » multos curat a febribus. » *Modo de episcopatu ejusdem disserunt :* Nullus tamen eo nomine in vulgatis Catalogis extat episcopus Autissiodor. fortasse fuit tantum electus, quem certe in alia scheda ab- D batem et martyrem legimus tantum 1244, non episcopum. Cæterum ipsius Reliquiæ anno 1691 in sepulchrum quod in ecclesia cernitur elevatum auctoritate Lingonensis episcopi (*nempe Ludovici IV de Simiane, qui ab anno* 1671, *ut iidem scriptores tom. cit.* (*c*) *habent, usque* 1695 *Lingonensi præfuit eccclesiæ*) translatæ fuerunt. *Similia scriptores hi tom. XII* (*d*) *in serie episcoporum Autissiodorensium annotarunt.*

sedisse perhibetur : cultu B. Gualterus *Quinciaci*

7 *Consectarium igitur hinc fit, haud satis esse fundamenti, quo* B. Galteri *episcopatus vero haberi queat similior, imo nec ipsi recentiores Ordinis Cisterciensis scriptores, quos quidem viderim, quo tempore Beatus noster Autissiodori episcopus sederit, quæ specialia gesserit, quandonam præsulatum, utpote Quinciaci mortuus, dimiserit, aliave expresserunt ; imo nec ipsa D. Lebeuf, cui Saussayus præivit, conjectura* (*quam tamen et ipse haud firmam habet*) *subsistit ; non enim potuit* B. Galterius *dimisso a Bernardo I episcopatu, præsul extitisse, quandoquidem ipsemet Bernardus* Trinitariorum capellæ, *ut laudati Galliæ Christianæ scriptores tom. XII* (*e*) *nos docent,* stipendium *auxerit* anno 1244 mense Octobri, *quo anno, teste ipsa schedula,* E XVI *Septembris, seu* XVI *kal. Octobris, in vivis agere Beatus noster abbas modo desierat. Cum ergo nihil unde* B. Galterum *Autissiodorensem extitisse præsulem probare queam, occurrat, jure arbitror, me eumdem hac dignitate* (*quamvis forte, quod Galliæ Christianæ scriptores haud abnuunt, ut talis, sed ante Bernardi in episcopum, quæ anno* 1234 *contigit, assumptionem, fuerit electus*) *seclusa in Titulo exhibuisse. Ast certior, Quinciaci ei deferri solitus, ecclesiasticus cultus est : hunc enim evincunt ea, quæ jam ex Historia D. Lebeuf num.* 5, *uti et num.* 6 *e Galliæ Christianæ continuatoribus vidimus, qui et eumdem a febricitantibus invocari, horumque multos curare, e recenti illa, de qua supra, schedula habent ; imo Beati hujus Reliquiis conservandis magnificum extructum fuisse mausoleum, seu elevatum in templo sepulchrum asseverant.*

ecclesiastico gaudet,

8 *His accedit in Sylloge Historica Archiepiscoporum, etc. Galliæ* (*f*) *Beaunierius, hæc gallice, quæ latine transfero, tradens :* Monstratur in templo, *nempe Quinciacensi,* sepulchrum S. Galteri (*vernacule* Gaultier) monasterii abbatis, quem et episcopum Autissiodorensem et martyrem fa- ciunt ; verum hujus nominis Autissiodorensem præ- F sulem haud reperio, ac eo tempore, quo Sanctus hic vixisse traditur, alii cathedram hanc fuere moderati præsules. *Ita et ipse Ordinis S. Benedicti religiosus Beaunierius. Verum gaudetne* B. Galterus *Quinciaci aut in suo Cisterciensi Ordine Officio ecclesiastico? Id unde stabiliam non habeo : quatuor enim, quæ coram habeo, Breviaria, uti et bina Ordinis Cisterciensis Directoria* B. Galteri *haud meminerunt, nec specialia abbatiæ Quinciacensis, si quæ sint, monumenta assequi potui ; ita ut, quo speciatim Quinciaci honoretur cultu, edicere haud valeam, licet interea illius sepulchrum a febricitantibus, ut schedula num.* 6 *citata habet, cum frequenti contra morbum hunc remedio fuisse visitatum, facile mihi persuasum habeam. Haud meminit itidem illius Lingonense Breviarium, anno* 1604 *Cathalauni excusum, cui illustrissimus Descars epistolam præfigit, quam ita exorditur :* Carolus Descars episcopus, dux Lingonensis . . . . omnibus ecclesiasticis diœcesis nostræ viris, etc. *Non meminit, inquam, Beati*

(*a*) Hist. de l'Egl. d'Auxerre, t. I, p. 375. — (*b*) T. IV, col. 831. — (*c*) col. 641. — (*d*) col. 305. (*e*) col. 304. (*f*) Rec. des Evêch. et Abbayes de Fr. T. II. p. 461.

nostri

A *nostri Breviarium istud, ac proin Officium ecclesiasticum ea in diœcesi neutiquam videtur obtinuisse.*

eumdemque habet, aut verosimilius habuit

9 *Modo, num* B. Galterus, *ut martyrologi innuunt, honore aliquo Sanctis proprio Autissiodori afficiatur est inquirendum; nec id definire, ita sane in promptu est : extitisse quidem* B. Galterum *hujus civitatis præsulem, una cum Galliæ Christianæ scriptoribus, D. Lebeuf, ac Beaunierio vero minus conforme asseruimus, verum, utrum hacce in diœcesi cultu ecclesiastico afficiatur, historiographi isti non indagant, cumque* B. Galterum *Saussayus, et quidem primo loco, aliique Autissiodori annuntient, dubium saltem mihi injecerunt, num forte ibidem ecclesiasticus quidam cultus eidem exhibeatur; nec leviter dubium hoc auxit, imo pene illud sustulit, duplex in MS. nostro Codice, S.* 19 *signato, ea de re Instrumentum : prius quidem (quod humanissime Majoribus nostris D. Noël senior Autissiodorensis ecclesiæ canonicus anno* 1662, VII *Augusti transmisit) hunc præfert Titulum :* Kalendarium ecclesiæ et diœcesis Autissiodorensis, *illudque de Beato nostro ad* XV *Octobris hæc habet :* XV Octob. B. Galterus eps. conf. *Aliud autem Gallicum (cujus verba Latine reddo, cujusque is est titulus :* Honor et felicitas piæ civitatis Autis-
B siodorensis ad normam martyrologii) *meminit Beati nostri hodie his verbis :* XV B. Galterus episcopus Autissiodorensis sepultus Quinciaci in Diœcesi Lingonensi. [*De S. Galtero silet tamen Martyrologium Autissiodorense jussu Caroli de Caylus anno* 1751 *editum.*]

10 *Liquet hinc* B. Galterum *cultu aliquo Autissiodori forte gaudere, aut verosimilius (silet enim id, de cultu, quem Quinciaci Beatus habet, disserens, D. Lebeuf hujus sæculi historiographus) gavisum fuisse, ast quali, haud facile dixero : præ manibus namque habeo triplex Autissiodorense Breviarium, duo quidem antiquiora anni, cum prioribus paginis sint mutila, mihi ignoti, recentius autem tertium Parisiis anno* 1736 *est impressum, quæ omnia ne verbo quidem (die* XV *Octobris ubique S. Leonardo sacra) de* B. Galtero *mentionem faciunt, uti nec anni* 1520 *Directorium; ita ut, quo qualive cultu honoratus Beatus noster Autissiodori fuerit, similiter assequi haud potuerim. Nec certior est ejusdem martyrii species, cum nemo singulatim, quibus suppliciis is extinctus fuerit, me inscium doceat; cum tamen plerosque inter auctores (quibus quidem Kalendarium num. præc. citatum refragatur) eumdem anno* 1244 *martyrium sibiisse, conveniat, his certo, quamvis determinatam mortis speciem nesciam, non est animus contraire; verum Beatum nostrum aut hodie, aut, si recentiori schedulæ num.* 6 *citatæ fides habenda sit,* XVI *Kalendas Octobris, seu* XVI *Septembris martyrio, cum iisdem arbitror, vitam finivisse, inque Quinciacensi templo fuisse sepul-* E *tum, cujus demum sacræ Reliquiæ anno* 1691, *ut modo vidimus, auctoritate Lingonensis episcopi fuere elevatæ, ac ante altare majus, si schedulæ sæpe dictæ fides, aut ad sinistrum decussati chori latus, si D. Lebeuf credimus, honorifice fuere collocatæ.*

AUCTORE M. S. *Autissiodori, ac vivere Quinciaci martyrio coronatus desiit, inque abbatiali templo sepultus fuit.* D

DE BEATA PHILIPPA VIRGINE

DE CAMPO-MILANO DICTA,

VIENNÆ ALLOBROGUM IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

M. S.

C § I. Paucis Virgo hæc nota est Martyrologis : binæ illius F Vitæ : una ex his edenda.

ANNO MCCCCLI. *Paucis Virgo hæc, Castellani nempe Universali, Saussayi, et Arturi ac binis*

Quamquam Virgo Philippa *omnibus fere, qui de rebus Viennensibus historiam texuerunt, illiusque tempora subsecuti sunt, notissima sit scriptoribus, non ita tamen se res habet apud Martyrologos : tribus enim impressis Saussayi nempe, Universali Castellani et Arturi tantum extat inscripta Martyrologiis : Saussayus quidem sequens illius hodie in supplemento exhibet elogium :* Viennæ transitus Beatæ Philippæ de Campteliman, quæ post vitæ sanctissimæ decursum ad Sanctum Mauritium in claustro ad altare Sanctæ Mariæ tumulata, intra annos decem sexdecim mortuos suscitavit. *Ita, ast Ordini Piorum tantum Virginem hanc inserens, Saussayus : Castellanus vero Beatis eamdem annumerans, gallice, quæ latine reddo, habet sequentia :* Viennæ insuper (*præmiserat S. Deodatum, de quo supra actum est*) Beatæ Philippæ de Campo-Telimano Virginis. *Arturus autem in Gynæcæo Sacro his verbis eam celebrat :* Viennæ Allobrogum depositio Beatæ Philippæ vita et miraculis gloriosæ. *In Notis vero, expressis perperam quibusdam nominibus, Rinaldo infra citando consentanea scribit. His accedunt bina penes nos MSS. Martyrologia; prius quidem, cujus titulus est* Martyrologium Sanctæ Viennensis ecclesiæ, etc., *his verbis Beatam nostram annuntiat :* Viennæ in Gallia beata virgo Philippa de Campo-Milano vocata, Burgundina, quæ piis operibus, ac pauperum solicitudinibus addicta, clara miraculis migravit ad Sponsum anno 1451 ætatis vero 50, sedente Viennæ Joanne de Nory archiepiscopo LXXXVI, quæ tumulata ante fores capellæ B. Mariæ diu miraculis corruscavit.

2 *Aliud vero, cujus hic Titulus est :* Ordo et series Sanctorum sanctæ et antiquæ Viennensis ecclesiæ, etc., *sequens, ac prolixius habet encomium :* Idibus

MSS., extat inscripta martyrologiis, uti et

AUCTORE M. S. A Idibus Octobris obiit Viennæ B. Virgo Philippa de Campo-Milano nuncupata Burgundina anno 1451, ætatis suæ 50 annorum, Nicolao quinto Papa sedente. Quæ claris e parentibus progenita, Viennæ longo tempore deguit in obsequio nobilis dominæ Annæ de Nory sororis reverendissimi P. Joannis de Nory tunc Viennensis archiepiscopi octuagesimi sexti. Hæc cum domina sua quotidie cultui divino mancipata, et operibus pietatis addicta ad tantam devenit sanctitatem, ut omnibus forma esset recte ac pie vivendi. Et cum Romæ sacro jubilegio interfuisset, cum domina sua pedibus suis anno 1450 sub præfato Pontifice maximo, ipsa rediens domum, plena pietatis operibus ac miraculis ante et post obitum, feliciter migravit ad Dominum, tumulata in æde sacra Majori Viennensi, ante fores capellæ Majoris B. Mariæ Virginis, cujus miracula post mortem innumera a clericis excerpta in archivis ipsius ecclesiæ clausa et custodita remanserunt. *Martyrologis annumerandus Jacobus Rinaldus, qui in suis Liliis seu Floribus Galliæ Sanctæ Divione anno* 1643 *typis editis, compendiosam* B. Philippæ *Historiam parte altera cap.* I (*a*) *tradit hujusmodi.*

Rinaldi Liliis B 3 Beata Philippa de Chamteliman pedissequa nobilis. Facit in hoc libello post mortem Philippa, quod fecit in vita, sequitur nobiles nobilis ipsa, sed ancilla et pedissequa nobilissimæ fœminæ, archiepiscopi Viennensis sororis. Si tamen ancilla dicenda sit an domina, quæ morti sic imperavit, ut solo decennio sexdecim mortuos mortua suscitavit, heu quid non potuit viva quæ tantum potuit mortua, ut illi dominaretur, quæ omnibus etiam potentissimis dominatur regibus! et quisquam stupeat, si cæcis duobus oculos reddidit, foresque carceris tribus aperuit captivis? Nullo negotio fores aperit et fenestras, qui ædificia ipsa restaurat. Si octo periclitantibus in partu mulieribus adfuit, et earum servavit fructus; facile in limine vitæ constitutos introducit, qui terminum transgressos ad vitam reducit. At quod rabie efferos quatuor pristinæ restituit sanitati, mulierem cum marito, capitali dissidentem odio, conciliavit; hominem a dæmonum liberavit præstigiis; et id genus alia edidit miracula; se morientem ascendisse loco et potestate, et ex ancilla late dominam factam esse probavit, nec injuria : debuit enim potentia, et miraculis præire, quæ corporeis licet heram secuta sit passibus, virtutibus longe præcessit. De quibus, si abdidit, qui C Philippæ Vitam scripsit author, e tot tantisque miraculis satis conjicere possumus.

seu Floribus 4 Si enim summa non fuisset animi demissione, ad tantam non eveheretur gloriam ab eo, qui summus ima respicit, despicit summa : mortuos haud quaquam suscitasset, nisi vividam sub pectore aluisset fidem : nec cæcis lumen redderet, nisi viva tenebras amasset suas : demum tantis a cœlo non donaretur præmiis, aut laborum mercede, nisi ancilla optima divino numini bene servisset. *Hisce porro quadruplicem notam idem Rinaldus subnectit, prior quidem Beatam nostram, utrique biographo aliisque conformis, e loco* Changy *oriundam continet, altera vero eamdem famularem operam præstitisse dominæ de Norry, tertia sexdecim mortuos* B. Philippæ *patrocinio suscitatos ex monumentis ecclesiæ Viennensis Sancti Mauritii, in cujus claustro ea sepulta fuit, asserit probari : verum in quarta Rinaldus, Compendio Vitæ gallico quamquam fere consonus, longiuscule tamen ab aliis recedit; licet enim, ut et scriptores reliqui Beatam nostram diem obiisse extremum anno* 1451, XV *Octobris annotet, id tamen, a cæteris omnibus discrepans, una cum Compendio* D *Vitæ gallico, cujus tamen error, ut infra dicemus, verosimilius amanuensi tribuendus, anno ætatis* B. Philippæ 39 *contigisse, perperam, ut postea videbimus, annotavit.*

Galliæ Sanctæ : 5 *Quidquid porro jam ex Rinaldo attulimus, ipse, se ex Jacobo Gauterio hausisse innuit : sequentia enim notis prædictis Rinaldus subjungit :* Ex Jacobo Gauterio in Tabulis Chronolog. 15 sæculo, p. 754 in postremis editionibus. *Verum præ manibus habeo* Tabulam Chronographicam status Ecclesiæ Catholicæ a Christo nato ad annum 1614 authore Jacobo Gaulterio Lugduni sumptibus Horatii Cardon anno 1616 typis vulgatam, *uti et alteram* Coloniæ sumptibus Petri Henningii *eodem anno impressam, in quarum tamen sæculo decimo quinto ne verbum quidem de* B. Philippa *Viennensi Virgine datur reperire; hinc in posterioribus editionibus, quas inspicere modo non licet, auctiores apparuisse Gualterii lucubrationes, non est, cur ambigamus : de industria enim Rinaldus voces has* in postremis editionibus *propterea videtur adjecisse. Utcumque se res habeat, si ætatis annum* 39, *qua* B. Philippam *obiisse scribit, secluseris, utrique biographo, Miraculorum Prologo,* E *aliisque, sat consona Rinaldus asseruit; miracula vero, quæ is generatim astruit, infra Actis subnectemus. Ad Beatæ nostræ biographos, Vitasque, ut, quæ huc spectant, indagem, modo me converto.*

ejusdem Virginis Vita penes nos duplex est, gallica una, ab altera 6 *Insinuavimus jam supra duplicem penes nos esse* B. Philippæ *Vitam : harum una idiomate gallico, altera vero latino, quam et Commentario huic subjungemus, est conscripta; submisit posteriorem nobis, ut in margine notatur, de Museo nostro bene meritus R. P. Chiffletius S. J. sacerdos, estque ea e vetusto Codice descripta : sequentia enim, cum de Miraculis agere Chiffletii MS. exorditur, in hanc rem habet :* Idem ille vetustus Codex manuscriptus, unde Vita depromta est, quam plurima fusissime percenset *miracula : anonyma quidem Vita hæc est; verum ab æquali, qui ab anno ætatis illius vigesimo* B. Philippam *probe cognitam habuit, quemque illa benevolentia ac familiari colloquio dignata fuit, ea est litteris exarata, quod num.* 5 *luculenter his verbis biographus testatur :* Hactenus, *inquit,* quamvis ex audito, certis tamen auctoribus comperta locuti sumus, quæ fuerit Philippæ usque ad vigesimum ætatis annum educatio atque virtus. Reliquorum triginta, quibus sancta civitas Vienna tantarum virtutum ingenti quasi theatro sitarum spectatrix fuit, F historiam eo scribam lubentius, quod ea dicturus sim, quæ et egomet oculis hausi, et quamplurimis aliis sunt notissima, quos illa juxta atque me benevolentia sua, familiari colloquio et frequenti apud Deum patrocinio dignata est.

latina anonyma, ast ab æquali conscripta, 7 *Fidem ergo procul dubio biographus meretur integram; ast dolendum summopere, quod generatim plerumque ea, quæ ad Beatam nostram spectant, breviterque nimis perstringat : quis vero qualisve latinus biographus fuerit, nullibi innuit : verumtamen sese* B. Philippæ, *cum Viennæ demoraretur, familiarem asserit, ut modo vidimus, extitisse, ex quo Viennensem illum, et forte presbyterum fuisse, fas est colligere; forte, inquam, presbyterum : miraculorum enim prologo, qui Vitæ latinæ velut compendium est, nec nisi in paucis ab eadem discrepat, sequens præfigitur exordium :* Præludium Miraculorum Virginis Philippæ a quodam presbytero Viennensis ecclesiæ antiquitus editum. Ex MS. D. Joannis le Lievre. *Hinc forte ab eodem biographo et miracula (cum omnia, seclusis sex posterioribus, a morte*

(*a*) p. 337.

Beatæ

A *Beatæ hujus nondum elapso decennio contigerint) fuisse collecta, haud imprudenter conjici posse videtur; nam, ut num. præc. diximus, vitam, et miracula idem vetustus codex continebat. Utcumque se res habeat, synchronus est biographus, et ipsimet* B. Philippæ *familiaris, rerumque ab ipsa præclare gestarum per triginta posteriores annos testis extitit ocularis, quæ omnia ad fidem conciliandam summopere faciunt.*

in paucis discrepans, imo

8 *Quod modo ad Gallici Vitæ Compendii auctorem attinet, is magis etiam mihi ignotus est, ne minimum enim, unde utcumque dignosci possit, sui indicium præbet : subjicitur quidem apographo nostro hæc gallice nota, quam (quod, quoties de ipso sermonem habeo, Lectorem præmonitum volo) latine reddo :* J. L. vir nobilis ejusdem ac Virgo loci, cujus nomen latet, asseruit, sese octodecim annorum tempore familiariter cum Virgine hac fuisse conversatum, bibisse ac comedisse; is ipse veteri lingua gallica tempori isti propria, vitam, mores ac conversationem ejusdem scripto mandavit. *Verum Compendium id, quod præ manibus habeo, nec antiqua lingua gallica, saltem quæ decimum quintum sæculum redoleat, nec ab eo, qui Beatam Virginem de*
B *facie novit, est conscriptum : ne verbum enim hac de re, secus ac latinus biographus, Compendii auctor facit. Porro, de Vita hac antiquo idiomate gallico exarata ulterius mihi nihil innotuit, nisi quod eadem, ut modo dicam, Patrum citationibus aucta extiterit, aut me inscio forte etiamnum existat : discrimen vero Compendium Gallicum inter et biographum, attentis iis, quæ infra de ætatis anno, cum morti Beata nostra succubuit, dicemus, est exiguum, ac utriusque exordium fere sibi simile; in reliquis ordo perperam quandoque invertitur, ac hinc et inde quædam occurrunt discrepantiæ; has, si ad rem facere videbuntur, hocce in Commentario, servato ordine chronologico proponemus, unde ut Vitam hanc, latine quamvis modo a me redditam, typis divulgem, necessum nequaquam reor.*

et tertiam quamdam Vitam, Patrum citationibus auctam,

9 *Jam vero quædam de Vita illa, quæ Patrum citationibus aucta, ut statim vidimus, prodiit, disseramus : extitisse eam, aut forte etiamnum existere, luculenter satis Vitæ Gallicæ, quam coram habeo, subnotatur; cum enim virum nobilem, de quo supra, Vitam moresque* B. Philippæ *scripto mandasse apographi auctor, aut is forte, qui nobis idem benevole submisit, indicasset, subnectit sequentia :* Hac, *nempe Vita*
C *antiquo idiomate gallico conscripta,* usus J. L. (*Joannes Lievræus?*) Vitam aliquanto prolixiorem texuit, et Sanctorum Patrum citationibus auxit, sed quoad substantiam aliud nihil continet, quam quæ hic recitantur. *Unde revera, nos ea carere, jactura plane est exigua, cum ornamenta ea, ac phrasilogiæ plerumque ad rem parum aut nihil conducant. Insuper fortassis ea ipsa, quam habemus, Vita Gallica hujus prolixioris est compendium, e latino in gallicum translatum, quod ut opiner, sequentia me movent : auctor is, qui Vitam hanc Gallicam edidit prolixiorem sibi latinam præluxisse, aperte satis innuit, eamque ab illa, quæ penes nos est eo idiomate conscripta, ut modo dicemus, diversam. Prolixiorem enim præluxisse titulus Vitæ nostræ, qui ita habet, evincit :* Compendium Vitæ beatæ Virginis Philippæ de Campomilano defunctæ Viennæ anno 1451 decimaquinta Octobris anno ætatis suæ 39. Extractum e manuscripto. *Si ergo Compendium, quod præ manibus habeo, e MS., quo careo, sit extractum, procul dubio MS. prolixius fuisse, consequens sit, oportet.*

quæ Gallicæ nostræ auctori forte præluxit,

10 *Vitam porro eam, quam Compendii auctor contraxit, latine fuisse exaratam ejusdem Compendii epilogus probare videtur, quem latine Vitæ Gallicæ scriptor in hunc modum eidem subnectit :* D Et pro coronide virtutum illius is vitæ finis est. *Pergitque, ast idiomate latino :* Pretiosa vultu, blanda aspectu, ore placida, patientia fortis, amica pacis a cunabulis noscitur totis visceribus Deum dilexisse, avide audiens ejus verbum super aurum et topasium, in hoc miro modo anima ejus reficiebatur, et ut ad amorem sui aliquando pertingeret Sponsi in jejuniis, vigiliis, ac orationibus suam exercuit vitam, omnibus horis canonicis, dempta aliquando nona propter refectionem, intererat; inter agenda mens a contemplatione, lingua ab oratione, manus a bono opere numquam cessabat. Loquendi modestia, agendi cautela, silentii taciturnitate vigebat, et licet omnia bona in ea florerent, tamquam inutilis, infima omnium, et indigna omni bono vivebat, et ut concludam, data est in exemplum non solum adolescentulis, sed etiam viris et mulieribus in vita activa constitutis. *Sequitur hinc, Compendium id gallicum e prolixiori latino, eo idiomate in epilogo servato, gallice a Lievræo fuisse verosimilius translatum; id enim quoad miracula, quorum maximam partem non nisi gallice habemus, is, qui hæc nobis submisit, aut annotavit,* E *aut ab alio notatum, his miraculis subjunctis transcripsit verbis :* Conclusio Joannis le Lièvre, ut videtur, qui et forte hæc, *id est miracula,* gallice reddidit.

ex eodem evincitur, a nostra latina diversam extitisse.

11 *Diversam vero a nostra Vitam hanc latinam fuisse, luculenter conficit is, quem numero superiore vidimus, epilogus : præterquam enim, quod ne verbum quidem illius in apographo nostro reperiatur, egregia est, ni amanuensis inscitia contigerit, in ætate, cum morti Beata nostra succumberet, assignanda discrepantia : rem ita Compendium Vitæ gallicum, latine tamen conficit :* Demum anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLI in mense Octobris morbo epidemiæ detenta ætate XL vel circa, ita ut propria * alimenta Spiritualibus * tota junior appareret, quo felicius in Domino diem extremum ageret, ante fores cœnaculi B. Mariæ de cappella intra claustrum S. Mauritii per dominos dictæ ecclesiæ deportata, honorifice extitit tumulata. *Contra vero Vita edenda* B. Philippam *non anno ætatis suæ circiter quadragesimo, ast quinquagesimo his verbis obiisse tradit :* Avolavit ad Sponsi beatos amplexus an. 1451 idibus Octobris quinquaginta circiter annos nata, quamvis ex vivida lineamentorum tem- F peratura quivis longe natu minorem pronuntiasset. *Aliam ergo quamquam Vitam, et forte eam, quam supra Patrum citationibus auctam dicebamus, quas is resecavit, Compendii Gallici auctori præluxisse, hinc consequatur, oportet. Præmissis modo hisce, quæ biographos* B. Philippæ *proprie contingunt, ad rem ipsam properemus, Actorumque seriem discutere aggrediamur.*

* propter
* spiritualia

§ II. Locus Beatæ natalis : illustres parentes : pia pueritia : cum matre castri Changyacensis curam gerit.

Nata est Virgo hæc in loco Changy *dicto prope Cruzetum*

Nata est B. *Virgo* Philippa *in pago Forensi seu Foresiensi, qui in Superiorem Inferioremque dividitur; ast num Superiore, num Inferiore orta sit,*

AUCTORE M. S.

eorum, qui de illa agunt, diserte nullus expressit; A *eamdem equidem Inferiore* (*quod Foresium absolute vulgo* le Forez *dicitur*) *ortam esse, haud levia suadent argumenta : præterquam enim, quod nemo Superioris meminerit, juxta Crozetum Foresiensis tractus oppidum in arce* Changy B. Philippam *biographus, compendium Vitæ Gallicum, Miraculorum Prologus, aliique natam esse, unanimiter affirmant; locus porro is, Crozetum nempe, Geographiæ Blaevianæ voluminis septimi Inferioris Foresii metropoli Rodumna quinque fere milliariis communibus Septentrionem versus abest, totidemque fere eadem via Palicia, seu Palissa, uti biographus habet, Borbonensis tractus oppido : ast arcem Changyacam prope Crozetum ibidem haud reperio, pag. tamen* 209 *ubi Lugdunensis, Forensisque exhibetur tabula, eidem Crozeto duplex vicus,* Changy *dictus, pari fere distantia Septentrionem versus unus, Orientem versus alter adjacet, quorum uno procul dubio* Philippa *nostra extitit oriunda : Crozeto enim, ut fortassis ab homonymis distinguatur,* Changy *vicinum esse, laudati scriptores indicarunt; ast quidem utri e duobus divinandum reliquerunt. Reperi similiter arcem vicumve* Changy (*vernacule* bourg) *in Dictio-* B *nario Vosgien in generalitate Lugdunensi, quæ Foresium utrumque complectitur, illiusque Electio quarta* (*adi Dictionarium Martinière voc.* Changy) *Rodumnam, ut dixi, Inferioris ejusdem Foresii metropolim.* [Changyacum, *patria B. Philippæ videtur esse ille vicus qui medius jacet inter Rodumnam* (Roanne) *et Crosetum; dicitur quidem Lugdunensi Provinciæ accenseri apud* Expilly *Dict. Géogr. de la Fr., sed totus Floresiensis tractus Lugdunensibus adscribebatur. Hodie iste locus ad diœcesim Lugdunensem, sub parochiali ecclesia* La Pacaudière *pertinet, intra præfecturam Ligeris* (*Dépt. de la Loire*): *Changyacum in Borbonensi tractu nimium distat, scilicet leucis gallicis triginta, a Foresiensi provincia, quam ut eidem attribui possit; cfr. mappam Cassinianam. Notare juverit indicatum supra Changyaci vicum ad Claromontanam ecclesiam spectare, ut dicit Maupertuys n.* 18 *citatus, Changyacum Burbonesii in episcopatu Bituricensi censeri.*]

Foresiensis tractus, qui pars est ducatus

13 *Nata est, igitur* B. Philippa *in pago Forensi ac arce Changyaca; ast litem quamdam movere videntur biographus, Miraculorum Prologus ac sup. cit. MSS. Martyrologia : trifariam enim dividuntur;* C *Martyrologia namque illam Burgundinam appellant; verum id non ideo, quod stricte e Burgundiæ ducatu extiterit oriunda; sed quod Foresium quondam* (*adi Martiniere ad verbum* Forez) *Burgundis principibus paruerit, id martyrologos scripsisse, non ambigo : contra vero miraculorum Prologus eam e ducatu Borbonio ortam, et biographus eam in Boiis natam habent : ast qua ratione miraculorum Prologus eam e Borbonio ortam dicat, e Baudrando accipe, qui sequentia ad verba* Borbonensis provincia *in hanc rem tradit :* Borbonensis provincia. . . . ducatus titulo, *inquit,* insignita, ubi alias Boii populi : ejus termini a Septentrione Nivernensis provincia, ab Oriente Burgundia, ab Occidente Bituricensis provincia cum Marchia et a Meridie Alvernia, *queis Foresium interjacet; luculentius etiam in hunc modum id in suo Dict. Univ. Corneillius conficit, en verba illius :* Rodumna urbs Franciæ sita in diœcesi Claromontana ad Ligerim fluvium, ac in Forensi, qui pars est ducatus Borbonensis, comitatu. *Ita ad verbum* Roanne *gallice Corneillius; jure igitur Beatam nostram Prologi auctor e Borbonio ortam affirmavit; manifestumque fere fit, cur in Boiis* B. Philippam *biographus asserat fuisse natam;* D *quod enim per ducatum Borbonium Prologi auctor, id brevius per Boios biographus expressum voluit.*

Borbonensis, oppidum,

14 *Suadent enim hoc ea, quæ modo e Baudrando vidimus, confirmatque Hadrianus Valesius, pluribus de Boiis gente Celtica disceptans, ac eosdem Notitiæ Galliarum ad verbum* Boji, *cum Plinio* in Gallia Lugdunensi vel Celtica inter Carnutes et Senones *ponit, nec* difficulter, *ut ait, accedit Coquillio, asserenti Hist. Nivernensis* (*a*): Partem pagi Burbonensis, sed eam tantum, quam Liger et Elaver claudunt. . . . Boios veterum esse. Addit Coquillius Burbonensis pagi primum fuisse Burbonem modo, Muratam atque Cantiliam : postea eum pagum sensim crevisse, et de Biturigibus, de Avernis, de Forensibus (*nota*) seu Seguisianis, et de Nivernensibus multa sibi loca adjunxisse. *His accedit D'Abbevilleus in Opusculo, quod* Animadversiones in Galliæ antiquæ tabulas *inscripsit, ac sequentia num.* 44 *habet :* Boii, Borbonensis provincia, et forte quædam e vicinis loca. *Adstipulantur et novissime Majores nostri Tom. III Octob. in Notis ad Acta S. Leopardini* (*b*), *ubi hæc verba sunt :* Galliæ provincia et urbs (*nempe Nivernensis pagus*) Biturigæ ad occasum, Borbonios seu Boios E ad meridiem habet. *Plura qui de Foresio desiderat, adeat ejusdem Historiam universalem de la Mure, Lugduni anno* 1674 *typis vulgatam, in cujus tamen* Stella Sancta, *seu Historia ecclesiastica de* B. Philippa, *cum non nisi de personis ecclesiasticis, aut religiosis agat, mentio nulla habetur.*

per TO *z, ut a synonymo distinguatur, exarandum.*

15 *Ast nondum plane biographum inter et alios convenit; Crozetum enim per* TO *S in medio biographus, cæteri vero per* TO *Z expresserunt; discrimen quidem leve, ac error facile committi solitus; verum cum et in ipso Foresio Inferiore* (*vide Geog. Blaev. volum.* 7 *tabulam Lugdunensem et Foresiensem*) *vicus* Crosetz *dictus Rodumna Meridiem versus, uno et dimidio fere milliari ad Ligeris dextram dissitus, reperiatur, Lectori id indicandum duxi, licet pro Crozeto* (*cum* Changy *juxta Crosetz irrito labore quæsierim*) *judicem concludendum, ac errorem prædictum apographo nostro tribuendum. Insuper biographus, cui alii concordant, Crosetum oppidi nomine appellat; nec tamen, quovis modo expresseris, unum aut aliud charactere, signove oppidis proprio in tabula modo citata insignitum reperitur; quamvis signum hoc oppidulis proprium* F *Geog. Blaev. volum. VII Crozeto, quod modo dicta stabilit, adjectum videatur. Alterutro ergo e Crozeto vicinis locis, de quibus num.* 13, *B.* Philippam, *salva aliter sentientium opinione, arbitror oriundam; quamquam forte illud Martinière per* TO *S* (*vide eumdem ad verbum* Roanne) *duxerit exprimendum. Hæc de loco natali* B. Philippæ *sufficiant, ad præclaros illius parentes gressum faciamus.*

Parentes

16 *Illustribus Virginem hanc e progenitoribus fuisse natam, communis est opinio, a biographo in exordio asserta; ipsum audiamus :* Nata est Philippa in Boiis in arce cui Changyaco nomen juxta Crosetum Forisiensis tractus oppidum, qua Palissam itur. Claro ex utriusque parentibus satu; nam pater Joannes de Campotemilano, mater Joanna de Verniaco natalium splendorem christiana virtute nobilitarant. *His similia numm.* 2 *et* 3, *eamdem a nobilitate ac stirpis claritudine laudans, biographus habet, cui Compendium Vitæ Gallicum, miraculorum Prologus, aliique, Maupertuyo dempto, adstipulantur : ast pauca de patre Joanne innotuerunt;* Ille *enim, uti biographus pergit,* secun-

(*a*) Hist. du Nivernois, p. 302. — (*b*) Ad diem VII Octobris, p. 917, nota *oo*.

dum

dum filiæ ortum paucis diebus extinguitur. *Eumdem tamen, quem* devotum et plane religiosum *Compendii auctor appellat, famularem archiepiscopo Viennensi, utique in primariis officiis, præstitisse operam, idem Compendii auctor, uti et biographus asseruerunt : en biographi num.* 4 *verba :* Boiorum finibus egressa, nata viginti annos Viennam Allobrogum accersita est, ut illustri loco matronæ dominæ Castellanæ in nobilium puellarum comitatu famularem operam præstaret : quod jam in eodem ministerio fratris ejus uxor Margareta nomine versaretur, quodque alias Philippæ parens Joannes de Champslemilan in fratris dominæ du Chatel, Joannis de Norry, qui tum ad Viennensis ecclesiæ gubernacula sedebat, domestica familia liberales operas locatas habuisset.

illius sæculari nobilitate, licet

17 *Ad matrem vero Joannam de Verniaco* (*vernacule* de Vernay) *quod attinet, quam* religiosam matronam *merito biographus dicit, quæ qualisve illa fuerit, et in ipso pariter exordio idem biographus explicat : narrata enim mariti illius morte, in hunc modum pergit :* Hæc, *mater nempe,* tollendam eam, atque domestica disciplina educandam cum suscepisset, facile tenecros mores veræ pietatis rudimento imbuit : inter cæteras religiosæ matronæ dotes eluxisse fertur præcipuus adversus Deiparam cultus, quam variis corporis afflictationibus, precibus, et ad ejus Aniciense signum frequenti peregrinatione, et cujusquemodi venerationis genere studebat demereri. Nec obstabat ei imposita totius Changyacensis basilicæ administrandæ provincia, quam incorrupta fide obiit, quominus caram sobolem magnis heroïcæ virtutis incrementis ad perfectam sanctimoniæ laudem informaret. *Tam præclaris parentibns degener nequaquam extitit* Philippa *filia; ast priusquam de his enucleatius disseram, investigandum paucis est, num vere Virgo hæc illiusque progenitores fuerint sæculari nobilitate illustres; quamquam enim hanc ut indubitatam eis biographus, Compendium Vitæ Gallicum, miraculorum prologus, Rinaldus, ac promiscue alii tribuant, refragatur tamen Maupertuyus hujus sæculi scriptor in ea, quam de Viennensi ecclesia scripsit, Historia, eamque honestæ quidem, sed neutiquam nobilis extitisse familiæ affirmat.*

id inficias Maupertuyus eat,

18 *Gallica Maupertuyi in hanc rem* (*a*) *verba, quæ latina facio, accipe :* Celebrabimus hic, *inquit,* una cum Viennensi ecclesia memoriam Sanctæ cujusdam Virginis, quæ conditionis quamvis mediocris (*vulgo* peu relevée) virtutibus sublimis extitit : dicebatur hæc Philippa de Chante-Milan. (Cante-Liman, *aut* Champ de Milan, *ut ad marginem notat*) nata hæc est decimo quinto ineunte sæculo, in loco Changy dicto, inque Foresio ac Claromontana diœcesi. Patri Joannes de Chante-Milan, matri Joanna de Vernay nomen erat, honestæ quidem uterque familiæ, ast fortunæ bonis modice dotatæ, quapropter mater illius, pauco a morte conjugis sui, ac filiæ nativitate elapso tempore, famulitio archiepiscopi nostri sororis, vicique, quem incolebat, dominæ, ac nobilis Foresiensis de l'Espinace dicti viduæ, sese addicere fuit coacta. *Ita Maupertuyus : verum præterquam quod is hujus suæ singularis opinionis testimonium nullum adferat, aliique omnes, quos inspexi, B.* Philippam *a nobilitate ac plerique a divitiis commendent, nihil plane obesse videtur, quo minus nobiles quantumvis divites, nobilioribus in primariis deserviant officiis : in primariis porro Beatæ matrem famulatam fuisse officiis, diserte biographus scriptor æqualis testatur :* Totius *enim* Changyacensis basilicæ administrandæ provinciam *habebat : nihil igitur hic famulatus, cui quidem præcipue Maupertuyus innititur, contra Virginis, parentumve illius generis claritudinem evincit, nec id exemplis, cum obvia sint, arbitror confirmandum.* AUCTORE M. S. D

illustres extitere, ac Philippam *filiam ineunte*

19 *Rem totam ipse conficit biographus, ac qualem tam* B. Philippa, *quam fratria, ac pater præstiterint operam, explicat verbis supra num.* 16 *adductis, Beatamque hanc uti et fratriam* in nobilium puellarum comitatu famularem operam *præstitisse, patremque in Viennensis episcopi* domestica familia liberales operas locatas *habuisse asseverat : liquet ergo hasce operas ingenuam nobilemque puellam neutiquam dedecuisse, cumque eamdem cæteri omnes a nobilitate commendent, his utique præ Maupertuyo hujus ævi historiographo adhærendum existimo. Parentum, ipsiusque* B. Philippæ *generis stabilita claritudine, illius in terris natalis annus modo est inquirendus : dependet is partim ab eo, quo mortem obierit, anno, partim ab eo, quo in vivis egerit tempore; quamquam porro inter auctores de priore, quem* 1451 *statuunt, satis conveniat, disparia tamen de altero, ut videbimus, iidem sentiunt; Rinaldus enim* (*adi supra num.* 4) *in suis Galliæ Sanctæ Liliis* B. Philippam *ætatis suæ* 39, *Christi vero* 1451 *e viventium numero esse desiisse asserit, et consequenter illius in terris ortum anno* 1412 *innectendum contendit; verum, ut mox dicam, Beatæ hujus nativitatis annum plus justo Rinaldus distulit, uti et in novissimis editionibus Gaulterius, Rinaldo id, qui eumdem fortasse descripsit, attestante : utriusque præluxisse potuit illud, quod præ manibus habeo, Gallicum Vitæ Compendium, ab eorum opinione parum remotum.* E

sæculo XV

20 *En ejusdem epilogi verba latina :* Demum anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLI in mense Octobris die XV morbo epidemiæ detenta ætate XL annorum vel circa *in Domino obdormivit. Titulus vero eidem Compendio præfixus Beatam nostram Viennæ anno* 1451 *die* XV *Octobris* 39 *annis natam obiisse tradit; verum, præterquam, ut ad hujus Commentarii calcem dicam, quod verba hæc Compendii corrupta amanuensis vitio suspicer, prævalet multum sane his biographi æqualis auctoritas, qui* B. Philippam *mundo exortam ineunte sæculo decimo quinto, ac circa annum* 1401 (*licet hunc diserte non exprimat*) *luculenter satis asseruit et probavit; asseruit hisce sub finem verbis :* Avolavit ad Sponsi beatos amplexus anno 1451 Idibus Octobris quinquaginta circiter annos nata. *Probavit vero, cum profitetur, sese* B. Philippam *vigesimum ætatis suæ annum agentem, per alios triginta annos probe cognitam habuisse; ipsummet biographum num.* 3 *loquentem audiamus :* Hactenus, *inquit,* quamvis ex audito, certis tamen auctoribus comperta locuti sumus, quæ fuerit Philippæ usque ad vicesimum ætatis annum educatio atque virtus : reliquorum triginta, quibus sancta civitas Vienna tantarum virtutum ingenti quasi theatro sitarum spectatrix fuit, historiam eo scribam lubentius, quod ea dicturus sim, quæ et egomet (*utique per triginta annos*) oculis hausi. *Consequens igitur hinc fit, anno* 1401 *Beatæ hujus ortum esse innectendum; eamdem porro ætatis suæ vigesimo anno civitatem accessisse Viennensem, et ipsum confirmat Gallicum Vitæ Compendium.* F

genuerunt :

21 *Ita enim illud in hanc rem num.* 3 *habet :* Vigesimum cum ageret ætatis annum, in manibus celebris theologi Prioris Rochetensis virginitatis votum emisit, quod donec viveret, inviolatum conservavit.

(*a*) Hist. de l'Egl. de Vienne, p. 267.

AUCTORE M. S.

servavit. Eodem tempore loco de Changy exiens ad sanctam Viennensem civitatem accessit. *Hisce proinde viginti annis triginta, quibus familiari Virgo nostra colloquio biographum dignata fuit, adjectis, quinquagenariam eam, cum morti succumberet, fuisse, et hinc anno* 1401 *natam, liquido satis apparet. Biographo consonant Lievræus ac Maupertuyus; ille enim* (*a*) B. Philippam *mortuam affirmat* anno 1451 xv Octobris ætatis suæ 50 anno. *Maupertuyus vero eamdem mundo natam* ineunte sæculo decimo quinto (*b*), *ac denatam* xv Octobris 1451 *annotavit; quibus et bina Martyrologia MSS. numm.* 1 *et* 2 *citata concordant : perperam igitur Gallicum Vitæ Compendium, Rinaldus, Arturus ac forte Gaulterius vitæ tempus Beatæ hujus Virginis contraxerunt, ac illius in terris ortum distulerunt; cum tamen nec biographus nec quisquam eorum, qui biographo consonant, expressis verbis nativitatem* B. Philippæ *anno* 1401 *illiget, non ita præfracte anno huic inhærendum puto, ut is ita solus statuatur, ut altero id haud contigisse potuerit, cum biographus, cujus præcipue fidem sequor, non absolute quinquagenariam, sed* quinquaginta circiter annos natam *scribat obiisse, hinc cum nativitatis dies omnino nos lateat, si anno* 1402 *inter mortales esse cœperit, vere quinquaginta circiter fuisse annorum, cum inter eosdem esse desineret, a biographo potuit annotari.*

A

B

vix nata Virgo hæc patre orbatur, ac matri educanda relinquitur, quacum

22 *Vitam vix auspicata fuerat* Philippa *Virgo, quum patre Joanne orbata, ac matris unius curæ fuerit relicta, quæ tamen,* Cum cam domestica disciplina educandam suscepisset, *inquit num.* 1 *biographus,* facile teneros mores veræ pietatis rudimento imbuit. *De prioribus porro vitæ illius annis specialia nec biographus, nec Gallicum Vitæ Compendium indicarunt, eamdem tantum ad perfectæ sanctimoniæ laudem a matre informatam fuisse asserit biographus; nec fructu optato sedula hæc matris cura caruit : pergit enim in hunc modum eodem num.* 1 *biographus :* Respondit culturæ seges : Philippam recti honestique amor sic incendit, ut cum annis pariter probitas adolesceret, et indies confirmaretur : vix emenso pueritiæ flexu (quæ fuit supra ætatem indolis maturitas) in maternæ procurationis ac muneris partem cooptata, omnibus sese probavit, materna cura ac præceptis nusquam destituta. *Hisce sat congruit Gallicum Vitæ Compendium; eamdem enim a matre modum, quo Deo, Beatæque Virgini deserviret, in tantum asserit fuisse edoctam, ut quantum corpore et ætate cresceret, tantum fide, pietate, omnisque generis virtutum ita proficeret exercitio, ut grandiuscula jam effecta* (*matre eam oculo vigili, si a recto quandoque deflecteret, subsequente*) *domus curam gereret.*

C

pueritiæ annis egressa, et pietati mire addicta Changyacensis castri curam gerit,

23 *Porro pueritiæ annis egressa, talem sese præstitit* B. Philippa, *ut nihil piæ matris votis reliqui fuisse fatearis, necesse sit; sedula enim erat in obeundis iis, quæ ad munus suum spectabant, quibus expletis, non otio, quod pulvinar diaboli esse, probe ei perspectum erat; sed rerum divinarum contemplationi vacabat; audiamus biographum, cui Compendium Gallicum apprime consonat :* Jam tum, *inquit num.* 2, *cum nempe in maternæ procurationis partem cooptata esset,* singularis in ea rerum divinarum sensus. Familiaribus muniis perfuncta se in sacellum abdebat, quo posset a turba secretior cœlestium mysteriorum commentationi inservire. *Hisce similia Maupertuyus, qui ipse Beatæ hujus compendium Vitæ edidit,* (*c*) *habet; is enim, licet contra ac biographus et Gallicum Vitæ Compendium matri, non totius Changyacensis castri procurationem, sed prolium educandarum, instruendarumque tantum demandatam fuisse asserat provinciam, illius in hunc modum primordia celebrat :* Et parvula Philippa *inquit gallice, quod latine reddo,* familiæ huic *nempe Changyacensis toparchæ* annumerata fuit, cujus primordia admirabilia fuerunt, ac talia qualia Sanctorum extiterunt. Orbata ea matre fuit nonnisi quindecim annis nata. *Verum, in quo illius primordia miranda extiterint, Maupertuyus non indicavit.*

D

ac sibi similes cantu quandoque recreans, mox ad opera pia revolat, uti biographo

24 *Ad biographum ergo regredior, qui cum Beatam hanc a pietate ac solitudinis amore commendare incœpisset, qualis in communi convictu, ac inter sibi similes extiterit, adjungit; cum enim, ut fit, aliarum nobilium puellarum hortatu* (velut vi *addit Compendium*) *adigeretur, ut caneret, morem quidem gerebat; ast quantocyus ad pietatis opera regrediebatur; id enim Compendium æque ac biographus asserunt, eamque a cantus suavitate dilaudant :* Angelica namque (*verba sunt Compendii*) voce modulabatur; *biographus vero sequentibus verbis eodem num.* 2 *rem ita conficit :* Unde si quandoque æqualium nobilium puellarum invitatu prodiret, ut eas suavitate vocis, quam persecte moderabatur, oblectaret, tantisper obsecuta, confestim occupationum gravitatem et multitudinem causata, ad labores domesticos, aut divini colloquii quietem, boni otii parcissima sese recipiebat. *Liquet hinc quantum Virgo hæc etiam in tenera illa ætate rerum divinarum contemplationi, ac solitudini fuerit addicta : nec ita tamen solitudinem deperibat, ut humanis interesse colloquiis, ut modo dixi, penitus respueret; quinimo iis quandoque interesse, nihil jucundius ipsi erat : ast iis tantum, uti biographus num. cit. habet,* Quibus de Deo, et hominum sempiterna salute *agebatur.* Hinc fiebat, ut de christiana re concionem, quantum licebat, nullam inauditam abire sineret, divina re obeunda, Christoque in Eucharistiæ latebris adorando, numquam explebatur.

E

conforme habet Compendium Vitæ Gallicum, quod tamen

25 *Hisce narratis Compendium Vitæ Gallicum, quod biographo hactenus sat fuerat conforme, ab eodem discrepare exorditur; non quidem quod alia referat Compendium, ac alia biographus* (*ea enim, ut num.* 8 *præmonui, Commentario huic, habita quantum licuerit temporis ratione, innectam*) *sed quod, omni despecto ordine ac chronologia, velut finem anhelans in ipso fere exordio, uno quasi obtutu præcipua ipsius gesta, quæque Viennæ contigerunt, in conspectu Compendium ponat : pro specimine sit, prout ipse more nostro divisi, numeri* 2 *pars posterior, quæ hæc fere gallice continet :* Cætera porro inter celebriora desideria, ac diversas affectiones principem locum tenebat, de Deo colloquentes inaudire, aut de aliorum salute, neque ipsius Missam audiendi desiderium, eique assistendi, umquam fuit expletum; cumque inaudisset, vanum ornatum Christianam dedecere personam, omnem illum (antea enim apprime compta incedebat) respuit, seseque plus solito orationi dedidit. Statuit et matitunali semper interesse officio; ac Deum, cum alii somno indulgerent, exorare : modum namque sine strepitu egrediendi, regrediendique excogitarat; vestibus plerumque induta capiebat somnum, ac secretum in primario templo occupabat locum, ut principali Sacro, omnibusque horis genibus provoluta, et quandoque prostrata interesset.

F

ab eodem, neglecto ordine chronologico, his narratis discrepare exorditur.

26 Preces vero fundebat hasce : beatæ Virginis Officium, defunctorum cum novem lectionibus vigilias, sanctæ Crucis, ac Spiritus Sancti Officium, item illud de Passione Domini, prout a S. Bona-

(*a*) Hist. de l'Antiquité et Saint. de Vienne, p. 405. — (*b*) p. 263. — (*c*) p. 264.

ventura

A ventura est dispositum, septemque Davidis pœnitentis psalmos cum litaniis, precesque alias innumerabiles. Consolationis, *pergit num.* 3, cum oraret, expers erat, gravemque molestiam sentiebat, prout his, qui sibi consilio esse poterant, affirmabat, quod si quandoque Deus ei orationis dulcedine frui concederet, humeri sui graviori onere videbantur liberati. *Horum vero majorem partem post matris obitum, ac Viennæ contigisse, licet urbem hanc postea* B. Philippam *adiisse Compendii auctor referat, non ambigo : id enim inter alia evincunt primarium, quod accessisse, ut horis omnibus interesset, dicitur templum, quod Changyaci, cum vicus castellumve* (*vernacule* Bourg) *fuerit, frustra verosimilius quæsieris, ac sedula vigilantissimæ matris cura, quæ clandestinum illum, nocturnumve egressum, licet optimo fine institutum, juniori suæ filiæ procul dubio interdictum voluisset; biographi ergo, qui et a vigesimo Virginis hujus anno eidem familiaris, ac ea, quæ antea peregit,* certis auctoribus *comperta habuit, ordinem sequemur, illaque, quæ porro B.* Philippa *gessit, illo duce enucleabimus.*

B

§ III. Mortua matre, castitatem vovet : varias ab indignis procis illatas injurias æquo animo tolerat.

Defuncta, cui usque pia extiterat, matre,

Sagaci *matris curæ subditam etiamnum* B. Philippam *reliquimus; verum ad nubilem cum ea pervenisset ætatem, cura hac destituta ac matre orbata fuit; quamquam enim hic sileant biographus et Gallicum Vitæ Compendium, opportune tamen casum hunc Virgini nostræ summopere lugubrem his verbis Maupertuyus indicavit :* Matre, *inquit,* orbata est quindecim nondum annis nata : *quam porro sensibilis ac dolorosa mors ea* B. Philippæ *extiterit, cætera inter evincunt pietas ac in charam genitricem reverentia; specimen unum, quod biographus æque ac Compendii auctor ad calcem suarum lucubrationum exhibent, ut hic proponatur, cum una et matris vigilantiam, ac filiæ observantiam luculenter manifestet, ordo postulat chronologicus : ita id habet :*

C Ejus in parentes pietatis, *verba sunt biographi num.* 9, illud extat exemplum. Cum adolescentula in Changyacensi castello penuariæ cellæ curatrix esset, rogata a quodam e famulis, ut ei ex arundinibus, quarum in quodam cubiculo, cujus clavim asservabat, magna vis erat, unam donaret, morem gessit : conclave reserantem opprimit mater, cunctatur studiose, quid rerum gerat; summa in genitricem observantia puellam ita consternavit, ut responso aspergeret vanitatem : sed deprehensa in mendacio, colaphis ab irata parente acerbe objurgata, numquam exinde dolorem posuit, ex dissimulatæ veritatis, et exacerbatæ matris noxa contractum.

Virginitatem suam Deo

28 *Modo biographi ordinem resumamus; postquam igitur is ab assiduitate rerum divinarum, earumque contemplatione* B. Philippam *laudavit, alio convertit orationem, ac assultus, quos a dæmone, procorumque turba Virgo jam nubilis sustinuerit, ac quomodo de his ipsis triumpharit, explanare exorditur; invidebat namque callidissimus humani generis hostis eximium illum in omni virtutum genere progressum, eumque omni molimine impedire instituit; verum antequam ea in medium proferam, indagandam prius, quo ætatis suæ anno virginitatem suam Beata hæc Deo consecrarit; inde enim inter alia luctarum cum dæmone, ac castimoniæ hostibus originem biographus deducit : ipsum num.* 2 *loquentem audiamus :* His artibus, *inquit,* munitam pudicitiam impurissimus virginum hostis non dubitavit attentare. Ingenua Philippæ comitas, morum suavitas, virginea modestia, magnum insitæ venustatis ornamentum, stirpis denique claritudo procorum turbam concivit. Ne consanguineis quidem et affinibus magnopere nuptiæ improbabantur, unam virginem, utpote quæ jam in æterni Sponsi manus convenisset, mortalis thalami pœnitebat. AUCTORE M. S. D

29 *Ast quo ætatis suæ anno Virgo hæc in æterni Sponsi manus convenit? Reticet annum hunc biographus; expressit tamen Compendium Vitæ Gallicum, uti et Maupertuyus : verum haud exigua hos inter est discrepantia : en Compendii verba :* Vigesimum cum ageret ætatis annum in manibus celebris theologi Prioris Rochetensis (*vernacule* Prieur de la Rochette) virginitatis votum emisit. *Maupertuyus vero, qui, cum nonnisi decimum quintum* B. Philippa *complesset annum, illius matrem vivere desiisse scribit, e vestigio subdit :* Tum illa in manibus Prioris Rochetensis votum virginitatis vovit : *ac id ipsum a morte matris haud notabili elapso tempore contigisse luculenter satis innuit, attentisque iis, quæ interserit priusquam illius e Changyaco Viennam commemoret egressum, votum aliquot certe annis vigesimum ætatis illius præcessisse debuit; quod et vero arbitror similius, biographoque conformius; is enim, cum* B. Philippam *tam eximiis corporis animique dotibus instructam, virginitatis servandæ sibi legem imposuisse dixisset, varia itidem refert, quæ ab indignis amatoribus, absque iis, qui nuptias illius anhelabant, sufferenda habuerit, qualiterque Beata hæc ab iisdem, amore in odium verso, opprobriis, ac contumeliis vexata fuerit, enuntiat; quæ procul dubio annorum quorumdam exigunt intercapedinem, ac tum demum illius e Changyaco egressum* (*qui omnium assensu, si Miraculorum Prologum forte secluseris, vigesimo ipsius ætatis anno est innectendus*) *biographus indicare exorditur.* *intra id, quod a decimoquinto illius usque ad vigesimum annum* E

30 *Vovit ergo* B. Philippa *castitatem intra id, quod a decimoquinto ad usque vigesimum ætatis annum defluxit, tempus, verum quo speciatim id præstiterit anno, dicendo non sum, licet id a decimoquinto ob modo dicta haud multo judicem removendum. Ast quis celeber ille theologus ac Prior Rochetensis, qui Virginis nostræ vota excepit? Eumdem equidem cujusdam monasterii Changyaco haud procul dissiti Priorem extitisse regularem, vix ambigo, cujus tamen determinate monasterii hactenus non inveni : exhibet quidem Jongelinus* (*a*) *Ordinis Cisterciensis in diœcesi Autisiodorensi abbatiam de Rupibus* (*vulgo* de Roches) *nuncupatam, ac anno* 1136 *fundatam, aliamque* (*b*) *nomine affinem, inque ipsa Claromontana diœcesi Bouchetum,* (du Bouchet) *dictam, a Roberto Arveniæ sive Clarimontis comite anno* 1197 *erectam : verumtamen celebrem hunc theologum unam e prædictis abbatiis incoluisse, monumentorum defectu non affirmo. Alium insuper in suo Dictionario Geographico hoc nomine insignitum Baudrandus ad verbum* Ictodurum *assignat locum hoc modo :* Ictodurum, *inquit,* locus Galliæ Narbonensis, nunc est la Rochette castrum Delphinatus in Vapincensi tractu, inter Chorges oppidum et Vapincum : *eo autem in loco monaste-* *defluxit tempus, in manibus Prioris Rochetensis, mihi ignoti, consecravit.* F

(*a*) Notit. Abbatiar. Ord. Cist., p. 49. — (*b*) p. 72.

AUCTORE M. S.

A *rium extitisse, aut existere etiamnum, irrito labore indagavi; Lectorem ergo, quis theologus iste, Priorque fuerit, cum edocere non valeam, ad ea, quæ ad Beatam nostram spectant, prosequenda regredior.*

Varie a dæmone ac

31 *Ad labefactandum constantem Virginis animum, quo illibatam servare castitatem decreverat, omnem lapidem movisse dæmonis astutiam, jam supra insinuavimus; modo vero, quibus id artibus ad effectum deducere tentarit, ordo exigit, ut exponamus; excitarant igitur eæ, quibus Virgo adulta jam et nubilis præcellebat, corporis animæque facultates, procorum turbam, illiusque nuptias quam plurimi totis votis anhelabant, nec defuisse hos inter nobilitate illustres, ac congruis divitiis instructos ambigendum, quamquam enim hujus nec biographus, nec Compendium Vitæ Gallicum meminerint, Maupertuyus tamen, licet forte minus sibi cohærens* (*vide quæ num.* 18 *diximus*) *luculenter satis id innuit hisce verbis :* Illustriores personas, *inquit,* (*vernacule* plusieurs partis considérables) quas venustas, virtusque illius, ut nuptias ejus ambirent, incenderat, quisque, eam æterno Sponso devotam esse, perspectum haud erat, multoties recusavit. *Procorum insuper votis consanguinei affinesque patrocinabantur, nec deerant hos*

B *inter, qui, ut præpotentis cujusdam admitteret connubium, Virginem incitabant; id enim e biographi nostri verbis non obscure posse videtur erui; sequentia enim in hanc rem num.* 2 *habet :* Ne consanguineis quidem, *inquit,* et affinibus magnopere nuptiæ improbabantur.

castimoniæ hostibus, ut votum hoc infringat, sed

32 *Specimen unum num.* 8 *biographus exhibet, quod tamen num Changyaci, num Viennæ, num consanguineorum, num externorum opera contigerit, ex ejusdem verbis colligi nequit; ita id habet :* Jam adulta et nubilis Deo virginitatem voto consecravit. Utroque parente orbata luculentum dynastam, eam ad nuptias cum aliquo incundas hortantem, et sponte magnum pecuniæ numerum de suo dicentem doti, constantissime aspernata est. *His aliisque assultibus generose restitit* Philippa *Virgo, omnesque æterno Sponso fidelis sprevit;* Unam enim Virginem, *inquit biographus,* mortalis thalami pœnitebat. *Conspicatus ergo vaferrimus castitatis, omniumque virtutum hostis Virginis constantiam hisce machinis nequicquam concuti, minusve expugnari, alio convertit animum, ac licitis aliunde, honestisque relictis mediis, ab illicitis præsidium quærit.* Enim vero adolescentes ejus nuptias ambientes repulsa acrius inflammabat. *Ut*

C *asserit biographus; Maupertuyus autem loco proxime citato rem ita conficit :* Verum haud semper innocuos venustas illa stimulabat ignes, imo vero plus vice simplice Virgini huic impuris amoribus, quibus vario impetebatur artificio, resistendum fuit, ast gratia Dei victrix evasit. *Artificia porro technasque, quibus impura libidinis mancipia Beatam Virginem impetebant, eodem num.* 2 *biographus in hunc modum enarrare pergit :* Ausi etiam nonnulli intemerato pudori moliri insidias, precibus oblatisque ingentibus donis, et quando blanditiis nihil moveretur, gravibus minis Virgunculam terrere conari; illa interim cœlesti ope imploranda sperandaque cacodæmonum fraudes elusit.

irrito labore, tentatur,

33 *Nec stetit hic dæmonis vaframentum, sed ariete vere fortissimo Virginis eximiam constantiam suscepit concutiendam, ac unde sperandum Virgini præsidium, inde eidem præparare decrevit exitium, tanto formidabilius, quanto minus prævisum; rem ipsam videamus :* vehementissima, *verba sunt biographi num.* 3, impressio ea fuit, cum mulier specie probitatis impuram mentem obtegens, et cum ea non levi necessitudinis, et amicitiæ fœdere conjuncta D cum virginei floris hostibus ad expugnandam Virginem flagitiosi consilii societatem iniit. *Ast e gravissimis hisce periculis Dominus, qui novit, qui sunt ejus,* B. Philippam *liberavit, deque immundis hisce dæmonis impressionibus trophæum reportare concessit; non enim inermem eam, verum contra omnes suas nequitias armatam dæmon invenit : id denuo biographum explicantem audiamus; sequentia enim, verbis ex ipso modo adductis, subjungit :* Quibus eam laqueis Christus expedivit, voluntariis doloribus corpus assidue vexantem, et sacrorum mysteriorum cogitationi perpetuo intentam. Multum quoque profuit illa, cujus erat egregium specimen, vultus, oculorumque modestia, et diligens in loquendo, si opus esset, cautio, cæteris temporibus altissimum silentium, et inertiæ, turpisque otii, quo plerumque generosæ puellæ marcent, odium accerrimum.

ac ab his irrogatas injurias patienter tolerat :

34 *Inde aliam arripit biographus laudandæ Virginis materiem; præclaram nempe in sufferendis opprobriis et contumeliis patientiam; cum enim sese omnes, quotquot connubium ejus expetierant, votis frustrari cernerent, omni molimine publicam illius apud homines existimationem vesana pervicacia proscindere contendunt; rem biographi verbis proponamus :* Tum vero, *inquit eodem num.* 3, cum se votis exclusa cernerent fœda libidinis mancipia, amore in furorem verso, maledictis et obtrectationibus ejus existimationem omni contentione adorta, etiam præsenti audientique virulenta probra ingerebant. *Nec abs re* virulenta *hæc, licet speciatim ea non expresserit, biographus* probra *dixit; en enim Maupertuyi in hanc rem gallica, quæ latina facio, verba :* Honoris periculum, *inquit,* incurrit; indignis ipsius procis omni vi eam calumniis suis denigrare conatis, eaque prostituti pudoris publice accusata, ut de castimonia, qua adversus illos semper fuerat, vindictam sumerent. *Compendium vero Vitæ Gallicum narratis eximiis corporis illius dotibus, iisque, quas sprevit, ad subeundum matrimonii jugum sollicitationibus, eam sæpe sæpius ludibria, calumnias et verbera perpessam asserit; ast immemor usque malorum* Philippa *Virgo, et* Bene sibi conscia, *ait biographus,* contumelias sprevit, et de se pessime meritos inimicos, ne minimo iracundiæ argumento læsit. E

talis ante Vicennium Virgo hæc exititit,

35 *Eæ sunt fere, quæ* B. Philippam, *antequam vigesimum ætatis annum illa attigisset ac, priusquam Changyaco Viennam accederet, illustrem reddidere virtutes, quæque, licet eas de visu non habuerit perspectas biographus, eidem tamen, ut ait, certis compertæ fuere auctoribus; Beatam enim hanc anno ætatis suæ vigesimo, ut aliquoties dixi, Viennam adiisse inter auctores sat convenit, quamquam Miraculorum Prologus, obscurus fere per omnia, cæteris dissonus videatur; en hujus in exordio verba :* Illa igitur sub ducatu de Borbonio, imo de Changy prope Crozetum, quod est in comitatu Forensi, a domo nobili de Champ de Milan ortum trahens, ætatis quadraginta vel circa annorum nobili Annæ de Nory dominæ de Castro fideliter serviendo, habitus fatuæ mundanizationis portans, in hanc Viennensem applicuit civitatem patre reverendissimo Joanne de Nory ejusdem Annæ fratre in hac Viennæ sede sanctissima præsulante. *Igitur anno Christi* 1441, *si Prologo credimus, Viennam* B. Philippa *accessit, quo anno procul dubio in vivis non erat, utpote anno* 1437 *aut sequente* (*vide Maupertuyum, ac Sammarthanos* (*a*)) *defunctus, Joannes præsul; cumque et diserte biographus scriptor æqualis, Com-*

(*a*) Gall. Christ. Antiq., t. I, p. 808.

pendium

A *pendium Vitæ Gallicum, Maupertuyus, aliique, id anno illius vigesimo contigisse habeant, his utique præ Miraculorum Prologo, et alibi, ut infra videre est, corrupto, adhærendum existimo.*

quo elapso Viennam, ut

36 *Modo ergo ea, quæ* B. Philippa *a vigesimo anno Viennæ præclare gessit, quorumque biographus testis ocularis extitit, hocce in Commentario illustranda veniunt; prævie tamen de iis, quibus famularem præstitit operam, matronis, quædam, cum hos inter, qui de illis agunt, non conveniat, duxi præmittenda; Compendium enim Vitæ Gallicum eam elapso ætatis anno vigesimo dominæ Annæ de L'Espinace fuisse famulatam his verbis contendit :* Eodem tempore (*nempe viginti annis nata*) Changyaco exiens, Sanctam Viennensem civitatem adiit, ut dominæ Annæ de L'Espinace, Joannis de Norry archiepiscopi Viennensis sorori famularetur. *Contra vero num.* 4 *biographus sequentem loquitur in modum :* Boiorum finibus egressa, nata viginti annos Viennam Allobrogum accersita est, ut illustri loco matronæ Castellanæ (*vernacule, ut notat,* du Chatel) in nobilium puellarum comitatu famularem operam præstaret. *Verumtamen in margine eamdem, quam dominam Castellanam dixit, alias vocari Annam de*

B *L'Espinace adjecit. Ast biographo, ut et Compendio clarius Maupertuyus; is enim binas eidem archipræsuli Joanni de Norry fuisse sorores, ac utriusque familiæ Beatam nostram quondam fuisse annumeratam observavit. Sequentia enim* (*a*) *in hanc rem habet :* Quapropter (*ob fortunæ tenuitatem, ut ipse autumat*) mater illius pauco a morte conjugis sui, ac filiæ nativitate elapso tempore, famulitio archiepiscopi nostri sororis, vicique, quem incolebat, dominæ, ac nobilis Foresiensis de L'Espinace dicti viduæ, sese addicere fuit coacta.

dominæ Castellanæ famulares

37 *Eidem porro familiæ* B. Philippam, *grandiuscula cum esset, fuisse adscriptam, subnectit Maupertuyus, nosque supra modo vidimus, eam una cum matre Changyacensis castri, cujus penes viduam de L'Espinace dominium erat, curam gessisse. Hæc quoad priorem Beatæ nostræ heram; cujus mors, cum* B. Philippam *sui juris, ut pagina sequente Maupertuyus asserit, reddidisset, vitam solito magis solitariam, austerioremque agere exorsa est. De secunda vero idem historiographus sequentia* (*b*) *prolixe satis observat :* Familiæ de Norry (*inquit gallice, quæ latine reddo*) ubi tam christiane sancteque fuerat educata, memoriam amittere haud valens,

C denuo annumerari petiit famulitio Annæ de Norry archiepiscopi æque ac prioris heræ dominæ de L'Espinace sororis; admissa porro fuit cum gaudio : ac tum allaboravit strenue, ut pleno gressu perfectionis decurreret viam. Domina Castellana, *vernacule* du Chatel (id enim novæ heræ nomen erat) pietate excellebat; quamquam aliqui eam ut mulierem vafram, spiritusque inquieti habuerint, quæque plus pecuniam, quam Christiano fas est, adamaret, in tantum, ut fama fuerit, eammet discordias Viennenses inter et archipræsulem disseminasse, statimque, ut subditos (quibus plus justo hasce vendebat operas) domino reconciliaret, sese obtulisse; hac arte, et quod apud fratrem valebat, et quam de sua intercessione Viennenses conceperant fiduciam, in lucrum convertens.

operas exhiberet, accessit.

38 Verum, *subdit Maupertuyus,* credendum est, hanc non nisi malignam esse traditionem, cui neutiquam est adhærendum; certum namque est, eam eximia, varias sacras fundationes instituentem, pietatis dedisse signa. Tribuit saltem Philippæ de Campo-Milano omnem desiderabilem pietatis exercendæ facultatem, eidem sacris interesse, ut liberet, indulgens. *Hæc Maupertuyus; cumque nec ego quidquam, quod matronæ hujus memoriam labefactet, repererim, eamdem ab hac calumnia Maupertuyum* (*quem et pag.* 262 *vide*) *jure arbitror exemisse. Modo ad Beatam nostram, quam tantisper reliqueramus, revertamur, quamque antequam Viennam accederet Maupertuyus a peregrinationibus sanctis, eo tempore institui solitis, hisce* (*c*) *verbis commendat :* Vigesimo ætatis suæ anno, *inquit,* Changyaco exiit, ac loca sancta, secundum istius temporis pietatem, quæ fere in sacris consistebat peregrinationibus, invisit. Ita nudis pedibus Changyaco ultra viginti leucas distans Podium, seu Annicium in Velaunis, ut celebrem inibi divæ Virginis iconem veneraretur, adivit. Tandem Viennam pervenit, ubi lacrymarum imbre tantorum martyrum, quo urbs hæc diversis ecclesiæ persecutionibus conspersa fuit, sanguinem venerata est. *Ita, sed in antecessum, ut videtur, de his disserit Maupertuyus; biographus enim, uti et Compendium Vitæ Gallicum de peregrinationibus his, priusquam Viennam adiret, ne verbum quidem expressere.*

AUCTORE M. S.

D

E

§ IV. Viennæ varias virtutes exercet : miseris subvenit : illius in precibus assiduitas.

Viennæ existens corporis cultum, quem in concione castigari inaudierat, prompte obediens,

Vigesimum ætatis suæ annum cum jam B. Philippa *complesset, civitatem Viennensem ingressa, ac dominæ Castellanæ annumerata familiæ, exercendarum virtutum campum reperit spatiosissimum, omnique Deo serviendi a domina donata est facultate, qua haud segniter, uti in decursu perspicuum fiet,* B. Philippa *est usa : exorditur hæc num.* 4 *enarrare biographus, eamque impense commendare incipit a promptissima, quam usque exhibuit, obedientia; argumentumque inde arripit, quod ornatiore ad id usque tempus corporis cultu incedere consueverat, quem cum ecclesiastes culpasset, quidquid plus justo forte mundum mundanamve vanitatem redolere sibi videbatur, protinus* B. Philippa *abjecit; ast rem integram biographi num. cit. verbis proponamus :* F *ita habent :* Commodum civitatem sanctam inviserat, cum in sacra concione exquisitiorem corporis cultum exagitari audivit tamquam superbiæ fomitem, et ingratam Deo alieni amoris illecebram : adhuc comitum suarum more nitorem et elegantiam studuerat in vestitu; ut sensit a divini verbi præcone culpari, continuo, quidquid erat lepidioris ornatus, abjecit, tenui modestoque vestitu contenta. *His consonat, iterato rem eamdem numm.* 2 *et* 3 *habens, Gallicum Vitæ Compendium, cujus hæc num.* 3 *verba sunt :* Philippa tum, ut nobilium istius temporis vanitas suadebat, etiamnum vestita erat, non quod hisce cor apponeret, sed ut dominæ, cui famulabatur, honorem exhiberet; verum eo ipso, quo e cathedra inaudierat, omnia hæc superflua esse, iisque Deum offendi, omnem hanc deseruit vanitatem.

uti solebat,

40 *Talem porro qualem hocce in specimine* B. Philippa *præstitit obedientiæ promptitudinem, et in aliis eam exhibere consuevisse biographus his verbis asseverat :* Non erit abs re, *inquit eodem num.* 4, hoc

(*a*) p. 263. — (*b*) p. 264. — (*c*) Ibid.

loco

AUCTORE M. S.

loco illud commemorare, id eam in cæteris omnibus
A factitare solitam, ut virorum probitate doctrinaque præstantium, præsertim quibus animum purgandum regendumque crediderat, præceptis esset obsequentissima. *Quam insignis porro hæc fuerit in clericos probitate conspicuos veneratio, et quod caput est, obedientia, idem biographus enarrare pergit, eamque, si a recto quid fortasse dissonum admitteret, ut admoneretur, asserit efflagitasse; en verba :* Unum aliquem de clero, *inquit,* præclare novi sanctæ Virgini perfamiliarem, quem illa sæpe numero rogavit, ut, si quid in se justæ reprehensioni obnoxium notasset, significare ne gravaretur. *Ita biographus Viennæ vitæ ejus spectator : cui similia fere Compendium in hunc modum gallice expressit :* Notandum hic, eam illâ, quæ confessarius, aut quivis vir prudens, malum peccatumve esse publice asserebat, extemplo deseruisse, eximiam in his obedientiæ promptitudinem exhibens; imo vero deprecabatur crebro eos, quibus familiaris erat, ut si quid rectum minus adverterent, id indicare, ne gravarentur, gratoque animo admonitiones illorum excipiebat. *Liquet hinc perfectissimæ obedientiæ eam non raro dedisse egregia specimina.*

B *licet is peccato saltem gravi certo non fuerit obnoxius, deseruit,*

41 *Num vero corporis ille cultus, de quo supra, revera fuerit peccato obnoxius, nec biographus, nec Compendium Vitæ Gallicum, nec Miraculorum Prologus diserte expresserunt; quamquam eum lepidiorem venustioremque biographus appellet, ac Compendium eam, ut nobilium istius temporis vanitas suadebat, asserat incessisse; imo plusculum Miraculorum Prologus, cultum hunc* fatuæ mundanizationis *indigitans nomine, adjiciat; licet enim in hac vestium pompa, ut tristi plane experientia docemur, Deum sæpius offendi, inficias non eam, id tamen in* B. Philippa, *quam recti honestique amor ab ipsis incunabulis incendit, quæque sedula matris cura ab incunte ætate ad omnem virtutem fuerat efformata, locum habuisse, vero mihi minus videtur simile. Utcumque se res habeat, si defectus in his fuerit, levem equidem eum fuisse arbitror eo confidentius, quod Compendium Beatam hanc,* hisce cor apposuisse, *diserte abnuat, eamque ut* dominæ suæ, *quam a pietate plerique commendant, quæque hinc notabilem tolli jussisset excessum,* honorem exhiberet, *sibi similium morem imitatam fuisse asseveret; licet ergo jure divini verbi præco lubricum fortasse, in-*
C *ordinatumque vestium usum culparit, illudque rigida sibi* B. Philippa *applicarit, levioris equidem culpæ labeculam, quam sacra exomologesi statim expiavit, eam ad summum quandoque contraxisse, autumo.*

quo aspernato, et cæteras sibi aulicæ vitæ delicias, pietati plerumque intenta, interdixit :

42 *Pergit porro biographus cæteras illius virtutes, ac qualem sese Viennæ* B. Philippa *in aula, ac inter domesticos præstiterit, enarrare, ipsum num.* 5 *loquentem audi :* Simul, *inquit,* venustiorem comptum aspernata est, cæteras itidem oblectationes et nugatorias aulicæ vitæ sibi delicias interdixit : dumque, ut fit, sub cœnam expectatur, ut inferantur dapes, et id spatium a basilicanis inepta confabulatione, mutuæ irrisionis ludicro, et interdum protervis salibus, fallendæ famis gratia, consumitur, dum a cibo solutioribus jocis indulgetur, in episcopalem ædiculam, item ut olim in Changyacensem concedere instituit, exercitandæ in summi boni contemplatione menti, usque adeo ignaviam exosa, ut ad mensam accumbenti, nihil videretur longius, quam ut ad opus aliquod elaborandum, aut divina animo volvenda revolaret. *Paulo vero aliter ac brevius ea Compendium effert in hunc modum :* Decurrente refectionis hora, tempus vanis sermonibus impendi solitum, quove alter alterum ludibrio habere consuevit, ipsa orationi in episcopali sacello D insistebat, ab incunte ætate et choreis indulgere, et tempus inutiliter transigere summopere exhorrescens. *Interjectis porro iis, quæ ex ipso num.* 40 *vidimus, pergit his verbis :* Quod si quandoque serio minus rei alicui vacaret, ex otii timore, pedes sui in ignem velut immissi videbantur; ita enim tempus perdere extimescebat, imo mensæ cum accumberet, tempus protrahi nimium, sibi videbatur, ac finem tantum ut manuali spiritualive operi insisteret, anhelabat. *Liquet hinc, dominam Castellanam* B. Philippæ *heram ipsas inhabitasse ædes episcopales; id enim et biographus, qui Beatam nostram* in episcopalem ædiculam concedere *consuevisse habet, ac Compendium, quod eamdem* in episcopali sacello *orationi institisse asserit, luculenter satis expresserunt.*

misericordiæ operibus, et cujusvis generis

43 *Postquam igitur biographus* B. Philippam *ab obedientiæ promptitudine, ac otii fuga impense commendavit, non minus eam a misericordiæ operibus, quibus inopes, infirmos et cujusvis generis miseros sublevavit, laudare aggreditur : rem totidem ejusdem verbis proponamus :* Ad laxandas, *ait eodem num.* 5, miserorum angustias mirifice propensam fuisse, ex eo quivis intelligat, quod inopes omnes, imprimis E ære alieno implicitos, aut qui morbo, senectute, corporis vitio victum sibi parare prohibebantur, singulari miserationis sensu excipiebat ad se confugientes, solabatur allocutione, cibo et potione recreatos ad heram deducebat, ut ejus ope archipræsuli fratri commendarentur. Publicas custodias invisebat, ut eis aliquid opis impertiret. Ægrotos item et puerperas, genium sæpe defraudans, et de demenso suo comparcens aliquid, quod egenis erogaret, quos ultro ubique vestigabat; in ptochotrophiis et nosocomiis frequentissima, eorum potissimum miseratione movebatur, quos omni ope aliena videbat esse destitutos. *Pergit biographus, ac specimen unum, quamquam id circa vitæ illius finem contigerit, num.* 6 *subjungit, quod ita habet :* Romam solemni jubileo proficiscens, assidui mœroris materiam invenit, stratis ad viam et spiritum passim efflantibus religiosorum peregrinatorum quamplurimis; quid ei tunc animi fuit in reditu, cum una muliere comitata (reliquis ad curanda corpora dilabentibus) ad ædiculam orationis causa se contulit, ut quamvis ex imbre madida et algore horrens, quotidianum precum pensum exsolveret.

F *miseris sublevandis assidue addicta fuit,*

44 Ibi tum forte jacentem mendicum, et animam agentem nacta, omissa reliciendarum cibo virium memoria, solari, et omni subsidio levare institit, usque dum, urgente comitatu, ab opere pio ægre avelleretur. *Hisce sat congruit, si substantiam, vimque verborum utrimque consideres, Gallicum Vitæ Compendium, ac misericordiæ specimen, quod modo e biographo attulimus, in oppido* Sancti Laurentii *dicto, adjicit contigisse; verum num Italiæ Galliæve oppidum id sit, reticuit, cumque hic et illic nominis hujus loca reperiantur, in quo horum id evenerit, non est mihi animus divinare. Progreditur biographus, ac qualem ulterius præstiterit miseris opem, qualiterque, ut iis subveniret, vilibus mulierculis, in hunc finem conductis, magna animi demissione, ac contempta generis claritudine sese promiscue junxerit, pergit enarrare.* Decumbentibus, *inquit eodem num.* 6, ex morbo in xenone dapes propriis manibus parare et apponere, cum vilibus mulierculis, quas eadem inopum cura ptochiorum ministerio addixerat, palam versari, colloqui, obire templa, ergastula, pauperum tuguriola non satis habens, etiam absentium egestate sollicita Franciscanis monialibus parthenonis Aniciensis corrogatam

rogatam a Delphinatibus matronis stipem missitabat.

magisque prodesse concupivit Virgo aliis blanda, sibi

45 *Nec stetit hic B.* Philippæ *virtus; sed et graviora durioraque et agere, et perpeti, in votis habebat:* His omnibus, *inquit num.* 7 *biographus,* haud quaquam defessa, sexcenties tanto gravius laborum onus Sponsi causa tolerandum optabat offerri. Porro cum se actioni dedisset satis, de moderatorum sententia (*en aliud insignis in moderatores venerationis, ac eximiæ humilitatis specimen*) ad fruendam divinæ contemplationis quietem, paululum se negotiorum turbæ subduxit. *Talis erga alios* B. Philippa *extitit; modo qualis sibi fuerit, e biographo etiam videamus, ac quam aliis beneficam et blandam, sibimet severam et rigidam intueamur :* E lectulo, *inquit num. cit. biographus,* quem subjecto assere duraverat, et in quo vestibus semper obvolutum corpusculum ad breve spatium sternebat, placide crepens, in templum se ante lucem præsentabat (*adi supra num.* 25, *ubi eadem fere, ast ordine neglecto, in Compendio asserta reperies*), ut canentium clericorum variis variarum horarum psalmis, deinde compluribus sacrificiis ad multum diei interesset. *Ast speciales quosdam modos insuper, quibus, ut carnem spiritui subjugaret,*

B *Beata hæc usa est, Maupertuyum explicantem audi: is nempe, cum calumnia, de qua jam supra,* B. Philippæ *heram merito exemisset, sic fatur :* Tribuit saltem Philippæ de Campo-Milano omnem desiderabilem pietatis exercendæ facultatem, eidem sacris interesse, ut liberet, indulgens, qua indulgentia parce nequaquam Virgo sancta utebatur : per octo enim sæpius horas continuas quotidie fere matutinali, cæterisque principis templi Officiis præsens assistebat.

vero austera, in precibus fundendis

46 Haud mediocriter austeritates suas adauxit, non nisi tabulæ asserive in cubiculo indormiens, cilicio suo minores chordulas, quibus sibi brachia pedesque ligabat, superaddidit; nequidquam vero his, quibus corpus in servitutem redigebat, obstantibus rigoribus, quæ sui erant muneris magna perficiebat agilitate, ita ut hera sociæque eam plus uno, quam aliæ pluribus diebus, ultro asscrucrint, operis effectum dedisse, quod et iis, quibus, quam frequens in templo versaretur, perspectum erat, quibusque nil operis de die dare videbatur, magnam admirationem movit. *Hæc Maupertuyus, cui in ipsis pene verbis, ad operis diligentiam quod spectat, biographus Compendiumque concordant : ad*

C *biographum ergo regredior, qui asserta* B. Philippæ *in templo assiduitate, preces, quas omni die fundebat, indicare exorditur; sunt autem hæ satis numerosæ :* Utroque interim, *ait eodem num.* 7, genu nixa Virgini Deiparæ, Spiritui Sancto, Crucis et cruciatuum Christi honori dicatos Psalmos et preces, septuplicem Davidis pœnitentis hymnum, piis item manibus sublevandis descriptum, et viginti lectionibus intertextum psalterium, aliaque non pauca decurrebat fere citra ullum internæ suavitatis (quod ipsa apud viros pios non semel questa est) gustum atque solatium : ac si quo die in eo munere quæpiam a Deo concederetur animi jucunditas, tum sibi velut ingens molestiarum pondus abjecisse videbatur.

quas diversimode biographus, et

47 *Ast hic discrepantia quædam biographum inter et Compendium exoritur; is enim* B. Philippam piis manibus sublevandis descriptum, et viginti lectionibus intertextum persolvisse psalterium *asserit; contra vero Compendium diserte id ipsum novem tantummodo fuisse lectionum expressit; ipsa Compendii verba, præsertim cum et ea alibi biographo dissona sint, videamus; ita, quamvis, ut jam ante prænonui, inverso chronologico ordine, num.* 2 *habet :* Secretum in primario templo occupabat locum, ut principali Sacro, omnibusque horis genibus provoluta, et quandoque prostrata interesset: preces vero fundebat hasce : beatæ Virginis Officium, defunctorum cum novem lectionibus Vigilias, sanctæ Crucis, ac Spiritus Sancti Officium; item illud de Passione Domini, prout a S. Bonaventura est dispositum, septemque Davidis pœnitentis psalmos cum litaniis, precesque alias innumerabiles. *Cum porro viginti lectionibus intertextum defunctorum Officium, quale hic biographus asserit, haud repererim hactenus, potius Compendii, donec quale id Officium extiterit, edocear* (*ni forte illud pro sua privata pietate, ut innui videtur, habuerit descriptum*) *verbis videtur inhærendum. Ast quodnam id, quod vice versa a Compendio allegatur, de Passione Domini, a S. Bonaventura dispositum Officium? Cætera inter hujus sanctissimi Cardinalis opera habetur :* Vita Christi a beato Bonaventura contemplative composita . *Verum* B. Philippam *Vitam hanc contemplative compositam singula die perlegisse, mihi vero plane videtur dissimile.* [*Inter Opuscula S. Bonaventuræ extat* Officium de Passione Domini *per horas canonicas divisum, quarum singulæ sin-* E *gulos psalmos, hymnum et orationem habent* (*a*). *Aliud officium similis formæ recensetur inter opuscula S. Francisci Assisiatis* (*b*) *Pergit porro Stalsius.*]

Compendium enumerant, perquam assidua, ac

48 *Prolixa enim ea est, et, prout opera et expensis magistri Bertoldi Rembolt anno* 1517, *ut Soliloquio fol.* LXXVI *subjicitur, typis data est, continet capitula* 96, *ac integra, charactere satis compresso,* 49 *folia in minori, ut vocant, quarto, quæ a quopiam singulis diebus, præcipue tot aliis adjectis, devote legi posse, nulli cordato persuasum iri autumo; hinc compendiosius Officium id fuisse, ac tale forte, quale promiscue exhibent libelli ascetici, suspicor. Utcumque se res habeat, liquet hinc B.* Philippam *in precibus fundendis perquam fuisse assiduam; ast spiritualis dulcedinis plerumque expertem; id enim et ipsa suis moderatoribus, ac iis,* Qui in his sibi, *ut Compendium habet,* consilio esse poterant, *fatebatur. Quod vero ad reliquas Beatæ hujus virtutes spectat, eas solita brevitate num.* 8 *biographus commemorat : en illius in hanc rem verba :* Acerbitatum et laborum eximie patiens, honoris unius erat intolerantissima, in bonis malisque rebus æquabili semper vultus dignitate et comitate, oculis humi assidue dejectis, quos inter F sacram meditationem, uno eodemque loco defixos, nusquam dimovebat. *Quantis vero ei paupertas in deliciis fuerit, quodque eam tenuioris fortunæ, ut* § II *docuimus, nequaquam extitisse, aperte satis conficit compendiose biographus, e Beatæ fratribus, si plures habuerit, unicum suppresso nomine laudans, enuntiat :* Fortunas omnes, *inquit,* fratri concessit, nec ullo ejus rogatu potuit umquam adduci, ut iis denuo potiretur, tenuissime victitabat, domandæ carnis studiosissima.

paupertati mire fuit addicta, suæ aliorumque salutis curam gessit, peregrinationesque

49 *Hisce sat consonat Compendium, fratrisque conjugem, quam num.* 16 *Margaritam dictam, ac dominæ Castellanæ itidem famulitio adscriptam vidimus, commemorat; illius enim num.* 5 *hæc verba sunt :* Bona sua, quorum fratri dominium transcripserat, recipere, (fratria aliisque ad id eam inducere frustra conantibus) detrectabat. *Hinc itaque ac ex prædictis quantam suæ salutis Beata hæc gesserit curam, fit conspicuum; qualem vero salutis aliorum habuerit, quamque implacabili odio peccata, cæteroqui blanda Virgo ac mitis, fuerit prosecuta*

(*a*) T. VI. Opp., p. 436. Edit. Rom., an 1596. — (*b*) p. 380.

AUCTORE M. S.

num. 6 *idem habet Compendium, ubi hæc leguntur :*
A Tanto ipsi horrori erant sermones obsceni aut blasphemi, ut, si quandoque jurantes inaudiret, quamquam illustriores essent inter nobiles, hos libere æque ac candide redargueret. *Biographus vero ita rem hanc conficit :* Neminem umquam *ait num.* 8, dicto, facto, exemplo læsit, nec tamen ita blanda, ut non perhumane adolescentum quorumdam petulantiam, et ore in Deum sacrilegos, aut jurejurando temere abutentes, tametsi potentiores homines, verbis castigaret. *Subjicit porro his biographus, quas supra num.* 38 *e Maupertuyo vidimus sacras peregrinationes, easque strictim suo more celebrat his verbis :* Materno exemplo ad loca religione inclyta, Aniciensis Virginis celeberrimam effigiem, S. Claudii incorruptas exuvias (*addit Miraculorum Prologus* et S. Antonii cœnobium) aliquoties venerabunda peregrinationem suscepit.

sacras instituit,

50 *Porro haud immerito Aniciensis Virginis Mariæ celeberrima a biographo dicitur effigies, ad quam sacræ undique instituuntur* (*aut verius eheu instituebantur olim*) *peregrinationes.* [*Derelictum sanctuarium Aniciense deplorabat auctor anno* 1794, *quando omnia in Galliis susdeque versa erant. Verum post-*
B *quam anno* 1801 *suus rediit Religioni honor, jure postliminii aris reddita fuit imago B. Mariæ et populi in Matrem optimam referbuit pietas. Cujus rei non ita pridem novum accepimus testimonium. Antiquum scilicet erat Ecclesiæ Aniciensis privilegium, ut quoties Festum Annuntiationis B. Mariæ incideret in feriam* VI *Parasceves, esset indulgentia plenaria in forma jubilei omnibus fidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis, et Cathedralem Ecclesiam Aniciensem visitantibus. Cum vero nuper, anno* 1842, *hæc concurrentia incidisset, Gregorius Papa XVI feliciter regnans dictum privilegium litteris in forma Brevis datis die* VI *Augusti* 1841 *confirmavit* (*a*). *Concessum privilegium solemniter promulgavit Dominica infra octavam Epiphaniæ,* IX *Januarii anni sequentis hodiernus Aniciensium Episcopus, Petrus Maria Josephus Darcimoles, qui pontificali ritu indutus prælegit primum ordinationem, qua omnes adhortabatur ut sancte se ad indulgentiam pararent, dein in signum reverentiæ Apostolicæ Sedi ac Romano Pontifici debitæ, deposita mitra, assurgente populo universo prælegit Breve apostolicum confirmationis* (*b*). *Cum tandem illuxissent dies salutis, non solum ex Ani-*
C *ciensi diœcesi, sed e vicinis etiam provinciis ingens populi multitudo cœpit affluere : alii supplicantium more agminatim, alii sparsim accurrebant. Centum quadraginta millia hominum numerata sunt, qui intra duodecim dies Aniciense sanctuarium venerationis ergo frequentarunt. Civitas, quæ ad duodecim millia hominum censebatur, per continuos duodecim dies duplicatum videbat incolarum suorum numerum, conversis e Christiana caritate privatorum ædibus in publica diversoria* (*c*)] *Audiamus de hoc sanctuario breviter loquentem in suo Dictionario Universali Corneillium; is enim ad verbum* le Puy, *cætera inter fastuosa cathedralis templi decora memorat circa medium articuli sequentia :* Princeps, *inquit gallice,* hujus templi ara, quæ quinquaginta plus aditur gradibus, a choro clathris altis, ut thesauro prospiciatur, disjungitur; præter enim lampades candelabraque argentea, quæ Divæ Virginis in ara parvulum Jesum tenentis iconem cingunt, uti et coronas auro gemmisque fulgentes, ac vestes unionibus obductas, plures sunt cruces aureæ argenteæque, vasa eximia, Sanctorum Sanctarumque icones, aliaque immodici pretii dona, oblata ab his, D
qui omni ex parte sacrum hunc invisunt locum. *De S. Claudio vero, utique episcopo Vesontionensi, cujus incorruptas exuvias aliquoties venerabunda invisit, consule Opus nostrum ad* VI *Junii diem : uti et de S. Antonio Magno abbate in Thebaide, cujus Miraculorum Prologus meminit, tom. II Januarii die* XVII; *ast præ reliquis de tertia ejusdem sancti reliquiarum translatione* (*d*). *Subnectit his biographus pietatis in matrem* (*adi supra num.* 27) *exemplum, ac lucubrationi suæ, annotatis* B. Philippæ *supremo morbo, mortisque tempore, coronidem imponit; verum antequam id hic fiat, quædam e Compendio ac Maupertuyo, quæ biographus aut strictim nimis, aut intacta præteriit, sunt adjungenda.*

ac Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum frequens in templis

51 *Ac imprimis eam ardentissimo erga Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum fuisse affectam amore, ac impransam plerumque cœnam expectasse num.* 8 *Compendium testatur : en hujus ea de re integrum, cum et conscientiæ teneritudinem Beatæ hujus explicet, textum latine versum.* Cultui Sanctissimi Sacramenti summopere erat addicta, Deumque præ omnibus in Missæ sacrificio adorare concupiebat; imo martyrium velut subibat, cum rei divinæ eo, quo hera e lecto surgebat, tempore E
interesset; primum enim circa horam septimam inchoabatur sacrum, et exinde reliqua, queis singulis assistere in votis erat. Verum cum sacrificio adesset, seipsam ut muneris sui erga heram arguebat negligentem; ast animo, brevi Missa isthæc finietur, sibi itidem replicabat : itaque pluribus invicem succedentibus intererat sacrificiis, adeo ut hera, famulante nemine, e lectulo surgeret, templumque accederet; nec hinc equidem (*en aliud piæ matronæ encomium*) Beatæ Philippæ succensebat, quam filiæ nomine compellabat; domum porro regressa, cubiculo sese includebat, tumque sibi videbantur dicere omnes : commode filia hæc suos dies ducit; ast illa labori tum strenue insistens, modico tempore (asseruit id hera) plus operis, quam protractiori aliæ, effectum dabat. Cumque hora prandii appropinquaret, fratriæ eam, ut cibum caperet, admonenti, actis gratiis, sese ad cœnam usque, ut plerumque faciebat, expectaturam respondebat.

specialiter venerata est.

52 Ab ultima confessione, *pergit num.* 9 *Com-*
pendium, singulis annis generalem instituebat. *Verum quoties per anni decursum confiteri consueverit, nec biographus, nec Compendium Vitæ* F
Gallicum expresserunt, quamquam, teneræ eam conscientiæ extitisse, ut num. præced. vidimus, luculenter satis Compendium insinuet, eamque e divinis præceptis accuratissime vitam exegisse, inter omnes conveniat. Qualem porro sese, cum cœlesti ac Eucharistico refici desideraret epulo, B. Philippa *præbuerit, Compendium haud reticuit, cujus, ut ipse distinxi, num.* 6 *hæc charactere minore ac postea forte adjecta, verba sunt :* Dum vero Eucharistico frui intenderet epulo, accurata sese die antecedente confessione, jejuniis, pœnitentiæ operibus ac meditatione præparabat, reliquam autem diei partem (universa rerum temporalium despecta massa) in agendis gratiis, ac intra et extra urbem visitandis ecclesiis, transigebat. *Hæc sunt fere præclara gesta, quæ de* B. Philippa, *priusquam Romanam accederet urbem, auctores retulerunt, quibusque ea Viennæ ab anno ætatis suæ vigesimo inclaruit; modo illa, quæ alibi terrarum, postremisque vitæ annis præstitit, ac ea, quæ ad illius gloriam posthumam spectant,* § *sequente sunt percensenda.*

(*a*) Ami de la Relig., t. CXII, p. 25, num. 3537. — (*b*) Ibid., p. 118, num. 3543. — (*c*) Ibid., t. CXIII, p. 135, num. 3585. — (*d*) p. 150.

A

§ V. Occasione Jubilei Romam adiens, ac inde rediens miseris mire compatitur : Viennæ moritur, ac sepelitur : variis ab obitu claret miraculis, ac cultu ecclesiastico gaudet.

Romam, ut Jubileo anni 1450, maximo

Tot *tamque eximiis* B. Philippa *exornata virtutibus, Viennam annis jam plurimis, uti vidimus, illustrarat, dum divinæ providentiæ placuit, ut et alio suavissimus ille virtutum odor diffunderetur : rem sequentibus verbis Maupertuyus tradit :* Vienna, *inquit,* sat jam temporis Philippæ virtutum testis extiterat, oportebatque, ut ad Dei gloriam, ac in fidelium ædificationem altius illa celebriusque theatrum conscenderet. Ut igitur Romanam adiret
B urbem, Jubilei anno 1450 lucrandi gratia, divinitus inspiratur; nec id zelo illius difficile; sanctum illud protractumque iter pedibus exorditur, totumque bonorum operum odore complet, ac integro anno sancto Romæ commoratur, ibique, ut secura Christi Jesu adstaret judicio, usque allaboravit. Præsagium secretum, aut vera forte instantis mortis revelatio, cam temporis etiamnum residui reddidit observantissimam. Tandem Virgo sancta, aliquibus postquam Viennam redux esset mensibus, peste inibi grassante, et ipsa infecta fuit, ac anni 1451 die xv Octobris obiit. *Hæc de extremis Beatæ nostræ laboribus Maupertuyus, quæ nec biographus nec Compendium, uti numm.* 43 *et* 44 *vidimus, intacta prætermerunt. Porro Jubileum istud anno* 1450 *fuisse celebratum, atque infinito mortalium numero frequentatum, apud historiographos in confesso est; audiamus eminentissimi cardinalis Baronii continuatoris Odorici Raynaldi ad annum prædictum num.* 1 *verba; ita hæc habent.*

populorum numero illustri, interesset,

54 Anno hujus sæculi quinquagesimo, Indictione tertia decima, maximi populorum concursus ex toto christiano orbe mira frequentia, pietatis ac religionis studio in Urbem facti sunt, cum nullæ itinerum difC ficultates, nullave pericula eas retardare potuerint, quam fidelium confluentium celebritatem miratus S. Antoninus subjecta verba historiæ mandavit p. III, tit. 22 c. 12 § 3 : In anno MCCCCL, *verba sunt S. Antonini,* celebratus fuit Jubileus sub Nicolao Pontifice Urbis, prius prænuntiatus et publicatus solemniter cum indulgentia plenaria visitantibus ecclesias Urbis quatuor, scilicet S. Joannis Lateranensis, S. Petri, et S. Pauli et S. Mariæ Majoris certis diebus determinatis, pœnitentibus et confessis certo modo et forma, ad quam consequendam convenerunt ex omni natione quæ sub cœlo est, fidelium plurimi mares et fœminæ. Confirmat hæc, *pergit Baynaldus,* Jannozius Manettus lib. II in Vita Nicolai V. Ad hanc, *inquit Mannettus,* celeberrimam sanctissimamque solemnitatem. . . . . tota populorum omnium Christianorum multitudo concurrisse et confluxisse perhibetur, ut cæteris Jubileis hactenus celebratis numero et copia hominum utriusque sexus non immerito præferri posse existimetur; tantæ enim Pannonum, Germanorum, Cimbrorum, Britannorum, Gallorum, Hispanorum, Celtiberorum, Portugalensium, Græcorum, Dalmatarum, Italorum, cæterorumque Christianorum populorum, ut omnes uno verbo summatim comprehendamus, catervæ quotidie con- AUCTORE M. S.
D fluebant, ut concurrentium congregatio cujuslibet mensis dimidio, per arbitrium designato, in stuporem admirationemque procederet, tantæ namque et tam magnæ adventantium catervæ quotidie concurrebant, ut quasi sturnorum apumve et formicarum agmina, mirabile et incredibile dictu! viderentur.

profecta, miseris itidem subvenit

55 *Hos inter et Virgo* Philippa *sacram peregrinationem, et forte, uti Lievræus habet, nudis pedibus, unaque cum hera, ut Lievræo consonans asserit num.* 2 *cit. Martyrologium, suscepit, ac anno integro, imo ultra annum, ut infra dicemus, Romæ est commorata; rem gestam in hunc modum biographus commemorat :* Romam, *inquit num.* 6, solemni Jubileo proficiscens, assidui mœroris materiam invenit, stratis ad viam et spiritum passim efflantibus religiosorum peregrinatorum quamplurimis. *Quæ vero qualisve Romæ* (*ea, quæ Maupertuyus in hanc rem habet, vide num.* 53,) B. Philippa *extiterit, nec biographus, nec Compendium litteris mandarunt: hic enim æque ac illud, relato illius ad urbem Romanam accessu, ejusdem e vestigio inde regressum, ne verbo interjecto, commemorant. En biographi,* E *quæ modo citatis subnectit, quæque, qualem sese* B. Philippa *in reditu præstiterit, indicant num.* 6 *verba :* Quid ei tunc animi, *inquit,* fuit in reditu, cum una muliere comitata (reliquis ad curanda corpora in diversoria dilabentibus) ad ædiculam orationis causa se contulit, quod et alias in itinere solemne habuit, ut quamvis ex imbre madida et algore horrens, quotidianum precum pensum exsolveret. Ibi tum forte jacentem mendicum, et animam agentem nacta, omissa reficiendarum cibo virium memoria, solari et omni subsidio levare institit, usque dum urgente comitatu ab opere pio ægre avelleretur.

Viennamque regressa pretiosa in conspectu Domini morte

56 *Cætera autem, quæ hisce in itineribus gessit, tacentibus ea scriptoribus prorsus incerta sunt, ac quo circiter tempore Roma regressa sit, modo breviter est indagandum; vidimus namque Beatam hanc ratione Jubilei anno* 1449 *promulgati Urbem, procul dubio eodem anno exeunte, adiisse, ac anno integro, teste Maupertuyo, cui, tacentibus aliis, adhærendum, fuisse commoratam : consequens igitur hinc fit, eam anno* 1451 *ineunte, aut uno alterove ipsius mense elapso Roma Viennam regredi cœpisse, ac medio circiter eo anno reducem fuisse; id enim dilucide satis* F *Maupertuyus insinuat, cum eam aliquibus a regressu mensibus anno* 1451 *die* xv *Octobris, cui emortuali diei, nemo, quod sciam, refragatur, morti affirmet succubuisse. Verum enim vero habuitne instantis sibi mortis B.* Philippa *revelationem? Non ita sane e facili, licet favor is Sanctis haud sit insuetus, sine altero vade Maupertuyus mihi id persuasum faciet, præcipue cum biographus, qui Beatæ huic ad ultimum usque spiritum familiaris extitit, ne minimum quidem, unde id vero arbitrer simile, verbum insinuet, non omissurus certo, si sibi de tali revelatione constitisset; utcumque se res habeat, pretiosa in conspectu Domini morte defuncta est Virgo* Philippa *Idibus Octobris anni* 1451, *ac e mortalium numero eo die peste sublata : audiamus biographi, cui omnes adstipulantur, ad calcem in hanc rem verba.*

peste infecta obdormivit,

57 Avolavit, *inquit,* ad Sponsi beatos amplexus anno 1451 Idibus Octobris quinquaginta circiter annos nata, quamvis ex vivida lineamentorum temperatura, quivis longe natu minorem pronuntiasset. Grassata in plebe lues (*ad marginem notatur* epidemia, seu morbus popularis) mortalium numero S. Virginem eripuit, ut adderet immortalibus. *Biographo,*

AUCTORE M. S.

A *grapho, ad supremum morbum quod spectat, Compendium, miraculorum Prologus, Maupertuyus, aliique concordant, indicatque ea, quæ miraculis, illius patrocinio patratis, subnectitur Antiphona, in qua uti et Oratione contra tremendum hunc morbum, ut patrona regni Galliæ, ut infra visuri sumus, invocatur. Num vero progressus solitos humani generis flagellum isthoc habuerit in Gallia, reticent Galli quos inspexi, historiographi. Ast Romæ anno* 1450 *morbum hunc fuisse grassatum ad eumdem annum* § XVIII *Raynaldus monstrat e litteris Nicolai V datis* III *Non. Septembris anni* 1450, *in quibus dicit se ab Urbe circa festivitatem SS. Petri et Pauli,* peste compellente, *abfuisse. Similia et ad annum sequentem de Pragensi urbe* § XI *ex Ænea Sylvio Raynaldus habet, uti et de Mediolano ad annum* 1452 § II; *ast Galliam peste fuisse infectam nullibi insinuat; cum tamen ad unum omnes B.* Philippam *peste obiisse, qui de ea agunt, affirment, ab his* (*non obstante historiographorum silentio*) *neutiquam videtur recedendum.*

ac in S. Mauritii principe templo sepulta fuit:

58 Corpus exanime, *pergit biographus,* illustris S. Mauritii clerus infra templi sui claustrum terræ infodit. *Paulo aliter miraculorum Prologus, cui et in verbis fere* (*anno ætatis, cum morti Virgo* Philippa

B *succumberet, ut supra diximus, secluso*) *Compendium consonat; en Prologi verba :* Demum de anno Dominicæ Incarn. MCCCCLI in mense Octobri die XV morbo epidemiæ detenta ætatis quinquaginta annorum vel circa, quamvis alimentis roborata spiritualibus tota junior appareret, suos felices in Domino dies clausit, extremas ante fores cœnaculi B. Mariæ de Capellis infra claustrum B. Mauritii (ubi toties dum viveret, *adjicit Maupertuyus,* ferventissimas preces fuderat) per dominos dictæ ecclesiæ deportata, honorifice extitit tumulata. *Confer modo Compendii verba, ac num ea amanuensis inscitia non sint depravata, ut num.* 20 *diximus, perspice; ita hæc habent :* Demum anno Dominicæ incarnat. MCCCCLI in mense Octobris die XV morbo epidemiæ detenta ætate XL annorum vel circa, ita ut propria alimenta spiritualibus tota junior appareret, quo felicius in Domino diem extremum ageret, ante fores cœnaculi B. Mariæ de Capella intra claustrum S. Mauritii per dominos dictæ ecclesiæ deportata, honorifice extitit tumulata. *Lievræus vero, qui in Antiquitatibus Viennensibus breviter* B. Philippæ *virtutes celebrat, ita in hanc rem scribit* (*a*) : Viennam *Roma nempe* regressa, ac peste infecta sancte

C moritur, cum plura in vita (*quorum ne unum quidem ad nostram devenit notitiam*) præclara celebriaque ferventis fidei virtute perpetrasset miracula : a morte vero ad ipsius sepulchrum in claustro Viennensis ecclesiæ innumera facta sunt miracula, quæ litteris mandata, a testibus ac notariis fuere confirmata.

illius sepulchrum ac cineres sacri

59 *Quanta porro in veneratione Virginis hujus sepulchrum fuerit, idem Lievræus subjungit :* Plures, *ait,* e confratribus senioribus viderunt supra sepulchrum clathros ferreos, ne præ honore et reverentia ob continua miracula illud incedendo pedibus quisquam contingeret; nec nisi prælatis nostris vitio dandum, eam solemniter Sanctorum albo haud fuisse adscriptam. Obiit ea anno 1451 die XV Octobris, 50 annis nata. *Licet vero eo tempore in Sanctorum numerum* B. Philippa *haud fuerit solemniter relata, nec id postea contigisse repererim hactenus, locum tamen in Opere nostro suum jure obtinet, cum constet de legitimo ipsius cultu, centum et amplius annis Urbani VIII Decretum, anno* 1625 *de Sanctorum veneratione emissum, prægresso: cultum enim hunc stabiliunt, in exordio citata Martyrologia,* D *aliaque, ut modo visuri sumus : ac imprimis apud laudatum supra Lievræum sequentia in hanc rem gallice, quæ latine tranfero, narrantur :* In hujus, Philippæ *scilicet,* virtutum meritorumque memoriam expensis suis Matthæus Tardyt ac Franciscus Boucher ecclesiæ nostræ presbyteri singulis annis commemorationem (*vernacule* remembrance) cum antiphona, Salve Regina, fieri instituerunt, fit autem id, post majoris campanæ pulsum in sacello divæ Virginis Octobris decima quarta die.

pie visitata fuerunt, ipsaque pluribus

60 *Hisce haud multum dissona est, quæ gallice itidem miraculis subnectitur annotatio, sequentibus concepta verbis* : Anno 1458 XV Octobris, obitus ejusdem Virginis anniversaria die, statutum fuit, ut singulis annis, canentibus musicis ac sonantibus organis, in honorem Dei Genitricis, inque illius sacello solemnis celebraretur missa, ac sepulchrum Virginis Philippæ (expensas omnes benevole solventibus dominis Tarditi et Bouchety hujus ecclesiæ presbyteris) floribus ornaretur, quod et observatur, et usque hodie in memoriam ejusdem Virginis continuatur. *Ast quæ huc haud parum facit, illiusque legitimum cultum satis evincit, ipsa est miraculorum conclusio ita Gallice habens :* Partem E dumtaxat miraculorum meritis Virginis Philippæ patratorum hæc descriptio continet, quorum regestum habuere majores nostri; ast credere lubet, ea tanto præter hominum notitiam fuisse numero, ut colligi omnia non potuerint. Insuper anno 1567 templum Viennense primarium (*vide de his plura apud Lievræum Antiq. Vienn.* (*b*)) ab hæreticis fuit occupatum, et monumenta illius direpta, ac in loco publico fuere combusta. Hac occasione majores nostri prope illius sepulchrum in ejusdem Virginis honorem altare erexerunt, ac lampadem perpetuo ardentem collocarunt; nec interruptum id fuit, nisi templo ab hæreticis occupato. *Ast quod maxime, præter nomini ipsius consecratum altare, inque ipsius honorem* (*adi miraculum sextum, et quinquagesimum secundum, etc.*) *celebrata sacra, cultum eidem ecclesiasticum fuisse delatum, comprobat, ipsa sunt miracula beneficiaque cujusvis generis patrocinio* B. Philippæ *perpetrata, de quibus paucis modo disserendum.*

miraculis, quorum aliqua,

61 *Cujusvis generis illam inclaruisse miraculis, modo e Lievræo vidimus: horum ad Musæum nostrum, nostramque notitiam devenere numero quinquaginta septem, eaque omnia* (*excipe* 6, *et* 49) *publici notarii, ac pleraque testium subscriptione sunt roborata;* F *collecta hæc, quamvis numero pauciora, fuere anno* 1456 *in gratiam reginæ Galliæ, quod diserte apographo nostro subjecta annotatio gallica edocet :* Anno 1456 die IV Januarii miraculorum Virginis Philippæ ex archetypo conditus fuit Catalogus, ac reginæ Franciæ, uti ipsa petierat, a canonicis hujus ecclesiæ missus fuit; *Mariæ nempe Ludovici II Andegavensis, Siciliæ regis filiæ, ac Caroli VII,* (*adi Artem temporum notas examinandi* (*c*)) *Galliæ regis conjugi. Cum porro potior miraculorum pars, uti infra est videre, anno* 1456 *contigerit elapso, iterato Catalogum miraculorum numero* 57, *cujus nos copiam habemus, confectum fuisse, consequens sit oportet : vidit porro totidem numero miracula in archivo Viennensi, uti ad marginem notat, Maupertuyus, ita in hanc rem* (*d*) *gallice scribens :* Sepulchrum illius, *id est Virginis* Philippæ, modico tempore ob præclara miracula fit celebre. Numerantur 57. Hæc inter cæci illuminati, obsessi liberati, mortui resuscitati : Verum præ reliquis formidabilis erat dæmonibus, pluresque obsessi, ac

(*a*) Antiq. et Saint. de Vienne, p. 403. — (*b*) p. 479. — (*c*) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. 619. — (*d*) Hist. de Vienne, p. 266.

horribilibus

A horribilibus visionibus exagitati, illius auxilium implorantes, fuere liberati, abque his tetris apparitionibus redditi immunes.

cum ab infra 62 *Verum unde Maupertuyo constiterit, Beatam nostram præcipue dæmonibus extitisse formidabilem, non video, nec ipse indicavit; asserit quidem, obsessos, ut supra vidimus, liberatos, ast quot ii numero fuerint, reticuit; cumque e miraculis infra dandis simile quid erui nequeat, unumque solummodo a dæmone obsessum ac tetris apparitionibus exagitatum* (*adi miraculum* 52) *patrocinio suo liberasse legatur, Maupertuyo hic assentiendum, ni aliunde ea de re ipsi constiterit, nequaquam arbitror; verius procul dubio periculose molesteque parientium, ac fœtuum in partu extinctorum patrona singularis haberetur, cum in plerisque miraculis, ut infra perspicuum fiet, et matribus et prolibus subvenisse legatur; porro miracula omnia idiomate gallico, styloque simplice sunt conscripta, quo servato, eadem latine versa, Vitæ subnectam, una cum eo, quod miraculis præfigitur, Prologo seu Præludio latine exarato : quædam quidem Compendium Vitæ Gallicum, uti et Vita edenda latine exhibent miracula; ast pauciora ea sunt, ac, chronologica serie servata, reliquis infra*
B *dandis adjunguntur : ne inferas quidem, pauca hæc solummodo biographo, ac Compendii auctori fuisse perspecta; plura namque* B. Philippæ *meritis fuisse peracta, ambo dilucide expresserunt : en enim huc facientia, ac, binis miraculis infra ordine primo ac tertio dandis, subjuncta Compendii verba :* Summa omnium miraculorum. Infantes mortui ad vitam revocati sexdecim. Carceri inclusi liberati octo. Mulieres in puerperio laborantes octo. Cæci, qui visum receperunt, duo. Ex agonia liberati duo. Dementes et in rabiem versi quatuor. Ignis sedatus semel. Herniosus semel. Chiragra laborans mulier semel. Uxor et maritus conciliati, qui per duodecim annos non se viderant. Mulier lac perditum recuperavit. Ægri variis infirmitatibus undecim. Homo per triginta annos rubea infirmitate (*detentus*) diebus novem sanatus est.

dandis haud 63 *Ad calcem vero, interjectis insuper, quamvis non sine levibus quibusdam discrepantiis, quinque miraculis, nempe, ut infra exhibentur,* 4, 20, 11, 26, *et* 47, *fontem, unde sua deprompserit Compendii auctor, his verbis assignat :* Ex MS., *inquit,* satis antiquo clariss. viri D. Chorier in parlamento Gratianopolitano causidici. *Biographus autem, cum*
C *Vitæ coronidem imposuisset, ad miracula quod spectat, sequentia habet :* Cœlo recepta Philippa, quantum gratia apud Sponsum valeret, brevi varia prodigia testatum fecere. Idem ille vetustus Codex manuscriptus, unde Vita deprompta est, quamplurima fusissime percenset, confirmata multis testibus, quorum nomina singulorum appellat, habetque adscriptum publici libellionis (*quod et iis, quæ infra dabimus, apprime convenit*) archetypus chirographum. Satis lectori meo factum iri reor, si omnibus, in aliquot variorum generum summas sublatis, pauca plenius edisseram, ex quibus cætera non absimilia intelligantur. Mortuis infantibus, ut lustralibus aquis Christiano ritu inaugurarentur, vitam reddidit quatuordecim (*Compendium verosimilius ex codicum discrepantia, quod et pro reliquis, si quæ differant, adverte, habet sexdecim, ac infra, ut numerum ineunti patebit, ad vitam revocantur septemdecim*) in iis quosdam concepto a parentibus voto intra domesticos parietes, alios sepulchro suo impositos excitavit. Duo exempla referam apertius. *Recitatoque miraculo infra primo loco dando, aliud subjicit, quod ordine est quadragesimum nonum; cumque id in quibusdam a gallico discrepet, ac eo sit prolixius clariusque, idipsum hic exhibere visum fuit. Cui et bina ex iis, quæ Compendii Gallici auctor, latine tamen, exhibet, cum haud modice ab infra ordine* 26 *et* 47 *dandis discrepent, itidem hic proponam.* AUCTORE M. S. D

64 *Ita id a biographo exaratum habet :* Claudia *modice discrepent,* Joannis Fournery Conjux in pago S. Martini trans Rodanum anno 1454 (*gallicum habet* 1459) mense Majo mortuam filiam peperit. Cum eam vita carere constaret, mœsta obstetrix cæteræque mulieres silentio defodiendam censebant. Obstitere, qui forte aderant, Petrus Catoni et Petrus Bulues, ne profana terra tegeretur; sumtam in manus ad Philippæ cineres sacros deferunt, tumuloque superponunt. Mirum dictu! quo temporis puncto divinis altaribus adstans sacerdos Ludovicus Galtheryus sacro carmine victimam immortalem Deo mactabat, puella multis spectantibus (qui hoc deinde tabulis evangelicis imposita manu jurati affirmarunt) labia et caput movit, alterum oculum aperuit, ore pituitam, naribus cruorem fudit, ad quem illisa anima non sine claro strepitu erumpebat. Eam illico S. Ferreoli parochus sacro rore tinxit ad curiale lustralis aquæ labrum, servato per otium ecclesiasticarum ceremoniarum ritu. Post quinque ho- E
ras puella ad concessi muneris fructum percipiendum vita cessit. *Ast et tertium biographus subjungit miraculum, illud nempe quod infra decimo exhibetur loco, hoc solo discrimine, quod, quem biographus in vico,* Sapando (*vernacule forte* Sapey *prope Gratianopolin*) *captum asserit, eumdem miraculorum collector* Rupefortii *in Sabaudia apprehensum fuisse, affirmet; verum oscitantia describentis, quædam fuisse prætermissa, manifeste apparet, solet enim biographus, ubique verbo, quo miracula in variorum generum summas conferre antea spoponderat, exacte stare; hic autem, ex abrupto velut, is, qui nobis Vitam descripsit, miraculum de incarcerato isthoc interserit; quænam autem omissa sint, aut quot incarceratos* (*Compendium numerat octo*) *asseruerit biographus liberatos, prorsus ignoro.*

65 *Quod ad ea spectat, quæ Compendii auctor* *hic exhibere* *exhibet, ita primum, quod infra ordine est vigesimum sextum, se habet :* Anno Domini MCCCCLVI Banctus asseruit, esse duodecim circiter annos, quibus non viderat Claudium filium suum, qui discesserat absque licentia, et dimiserat uxorem suam, seque vovisse libram ceræ beatæ Virgini Philippæ. Rediitque, antequam annus elapsus esset in Quadragesima F
cum uxore, cum antea nollent se videre, aut possent compati. *Confer modo miraculum idem loc. cit. infra descriptum, ac eidem alterum, de Claudii filia mortua B.* Philippæ *meritis ad vitam revocata, additum videbis. Aliud vero miraculum, quod infra est ordine quadragesimum septimum in hunc modum Compendii auctor enarrat :* Anno MCCCCLVIII die XXVII Maji mulier pluribus liberis onerata, cum doleret multum, quod non haberet, unde eos educaret, in tantam progressu temporis venit insaniam, ut in desperationem incideret ac tamquam vesana per campos vellet discurrere, seque per fenestram dejicere, quod fecisset, ni mater eam detinuisset. Mater cum multa miracula B. Philippæ audisset, vovit eam, quod, si sanaretur, veniret ad tumulum, et novem libras ceræ offerret, nec nisi panem comederet, et aquam biberet, donec adimplevisset votum : quo facto statim amens rediit ad pristinam et sanam mentem. *Nihil ergo de matris convictu difficillimæ morositate, quam contra secus ac miraculorum collector dilaudat, ac votum ipsum emisisse Compendium astruit.*

66 *Pergit porro Biographus his verbis :* Mentis *visum,*

AUCTORE M. S.

impotes insania liberati sex. Ex his illud potissimum scitu dignum duxi, *nempe quod modo e Compendio vidimus, quodque infra num.* 47 *dando conforme est.* Conclamati et animam agentes ex morbo recreati nonnulli statim post invocatam Virginis opem, seni circiter. Prægnantes ad pariendum adjutæ totidem. Unius miraculum, quæ est ejus admirabilitas, tacere religio est, *narratoque miraculo quod ordine undecimum est, subjungit :* Quid alia sexcenta commemorem? Conjuges duodecimum jam annum dissidentes, mutuoque conspectu fugitando longissime divulsi, a mariti patre concepto voto, repente conciliantur. Lac in mammis, jam per aliquot dies extinctum, nutrix, eadem ope accersita, recuperat. Variis morbis afflicti ternideni præsentissimas Divæ suppetias experti sunt. *Adductoque miraculo infra postremo loco exhibito, quod anno* 1462 *Biographus, miraculorum vero collector anno* 1472 *contigisse asserit, lucubrationi suæ coronidem imponit in hunc modum :* Prodigiorum agmen claudet cœlitus cohibitum incendium. *Verumtamen, cum haud modica Biographum inter et miraculorum Collectorem, uterque enim miraculum hoc exhibet, occurrat discrepantia, et illud hic proponere visum fuit, prœmonito tamen Lectore, annum, quo miraculum hoc contigit, perperam verosimilius* (*antea enim habebatur* 1456) *in apographo nostro fuisse mutatum, ita ergo illud, quod apud miraculorum Collectorem ordine est trigesimum, Biographus proponit.*

illustrata fuit:

67 Anno 1454 Augusto mense, paulo ante mediam noctem in S. Genesii vico magnam ædium partem flamma, incertum unde oborta, populari cœpit : crepantis cymbali tinnitu excitati omnes incolæ, prosiliunt lectulis; attoniti spectaculo, et imminentis in sua etiam tecta pestis contagia reformidantes, consilii nihil explicabant : vehemens noctua omni remedio potentius malum longe lateque spargebat. Jam obvia quæque depastus vapor Goffredi Girini religiosi sacerdotis domui celerrimum exitium intentabat; aderat quidem alius sacerdos nomine Stephanus, ambo stupefacti malis, cladis suæ spectatores adstabant: donec admoniti Viennensem illam tot miraculis claram Virginem sibi patronam adsciscere, vovere ambo, Goffredus, se pia peregrinatione Beatæ Reliquias aditurum, Stephanus, missurum se in donarium perexiguum (ut erat illorum temporum locorumque in assiduis bellorum direptionibus tenuitas) pecuniæ summam, scilicet tres solidos cum triente, seu denarios quadraginta, duos grossos vocat manuscriptus Codex. Placuit Philippæ promissum. Continuo posuere Austri, et excitatus Boreas flammarum globos ad pagi partes ædificiis vacuas retorsit, et incendii vis tamquam affusa aqua resedit; si quid aura distulit, innoxio casu lapsum est, ut torres, in villæ cujusdam axiculis opertæ tectum impulsi, nullo potuerint esse nocumento. Hæc ille idem Goffredus Viennam profectus, ut se peregrinatione confecta, socium munusculo exsoluto, voto liberaret, dato jurejurando coram Viennensibus aliquot civibus asseveravit.

extant et in illius honorem Antiphona et Oratio.

68 *Conjiciet hinc fortasse non nemo, plura quam quæ infra numero quinquaginta septem exhibentur, Biographo præluxisse miracula, nec multum ipse reluctor; id enim Biographi verba modo relata luculenter satis innuunt, idque ea, quæ num.* 60 *vidimus, conficere nata sunt; utut hæc porro se habeant, frequentibus* B. Philippam *coruscasse miraculis, hinc plus quam satis fit manifestum, ac dignissimam eam fuisse, cui ab ipso fere obitus tempore honores ecclesiastici rite exhiberentur. Modo paucis etiam de Antiphona, cujus num.* 57 *meminimus, agendum; ita hæc in MS. nostro habet :*

Ad Virginem Philippam.

Ave gemma castitatis,
Flos et decus puellarum;
Ave splendor nobilium.
Philippa Viennensium,
Urbis almæ fortitudo,
Sors et propugnaculum,
Tu quæ comes es Virginum,
Regis summi sponsa Christi,
Sume preces servulorum,
Tela frange adversantium,
Pestis tolle virus,
Et da salutis solatium.

Ora pro nobis Beata Virgo Philippa,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus, qui filios Israël cruce signatos ab exterminio Angelico quondam liberasti, exaudi nos quæsumus in angustiis et miseriis positos, et interveniente Beata Philippa Virgine tua civitatem atque diœcesim istam Viennensem, regnique totius Galliæ ambitum et a morbo epidemiæ et a mortifera peste corporis et animæ eruere dignare. Per Christum.

num autem in ecclesia publice cantentur, unde eruam, non habeo.

69 *Num vero Antiphona hæc hymnusve talis sit, ut publice in Officio ecclesiastico, quo Beatam hanc Viennæ aut alibi gaudere non reperi hactenus, cantetur, num vero quis pro privato suo in* B. Philippam *affectu hymnum hunc antiphonamve adornarit, dicendo non sum; cum nemo, uti nec ipsemet miraculorum collector ea de re verbum faciat, meve inscium instruat. Nec minus in obscuro est, quo qualive cultus genere Virgo hæc hisce posterioribus temporibus gaudeat, aut gavisa fuerit : clathros istos ferreos, quibus sepulchrum* B. Philippæ *fuerat cinctum, suo tempore Lievræus* (*adi num.* 59) *scripsit non amplius extitisse, eosdem quidem a senioribus confratribus, seu divi Mauritii cathedralisque Viennensis templi canonicis idem asserit fuisse visos, cumque Lievræana lucubratio, ut publica luce digna, anno* 1623 *fuerit approbata, clathri ii, sæculo decimo sexto jam adulto vel senescente, casu mihi ignoto haud improbabiliter conjici possunt fuisse ablati; honores tamen de quibus num.* 60 *egimus, etiamnum continuari suo tempore, is, qui nobis miracula descripsit, annotavit aut in autographo notatum, ut num. proxime citato est videre, adjecit. His plura de* B. Philippa *non inveni, et proin huic Commentario finem impono.*

VITA

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI [a].

[a]

Ex Ms. a P. Chiffletio Societatis Jesu presbytero submisso.

B. Philippa *in Boiis nascitur, defuncto patre matris unius curæ relinquitur, seduloque educatur, ac vix*

Nata est Philippa in Boiis *b*, in arce cui Changyaco *c* nomen juxta Crosetum *d* Forisiensis tractus oppidum, qua Palissam *e* itur : claro ex utrisque parentibus satu; nam pater Joannes de Campotemilano

b
c
d
e

AUCTORE ANONYM.

A Campotemilano *f*, mater Joanna de Verniaco *g* natalium splendorem *h* Christiana virtute nobilitaverant. Ille secundum filiæ ortum paucis diebus extinguitur; hæc tollendam eam, atque domestica disciplina educandam cum suscepisset, facile teneros mores veræ pietatis rudimento imbuit. Inter cæteras religiosæ matronæ dotes eluxisse fertur præcipuus adversus Deiparam cultus, quam variis corporis afflictationibus, precibus et ad ejus Aniciense signum *i* frequenti peregrinatione et cujusquemodi venerationis genere studebat demereri. Neque obstabat ei imposita totius Changyacensis basilicæ administrandæ provincia, quam incorrupta fide obiit, quo minus caram sobolem magnis heroicæ virtutis incrementis ad perfectæ sanctimoniæ laudem informaret. Respondit culturæ seges : Philippam recti honestique amor sic incendit, ut cum annis pariter probitas adolesceret, et indies confirmaretur. Vix emenso pueritiæ flexu (quæ fuit supra ætatem indolis maturitas) in maternæ procurationis ac muneris partem cooptata omnibus sese probavit,

f *g* *h* *i*

B materna cura ac præceptis nusquam destituta.

pueritiæ annis egressa cum matre Changyacensis castri, pietati mire addicta curam gerit, adultior effecta cum virginitatem servare decrevisset, varie

2 Jam tum in ea singularis rerum divinarum sensus. Familiaribus muniis perfuncta se in sacellum abdebat, quo posset a turba secretior cœlestium mysteriorum commentationi tranquillius inservire. Unde si quando æqualium puellarum nobilium invitatu prodiret, ut eas suavitate vocis, quam percite moderabatur, oblectaret, tantisper obsecuta, confestim occupationum gravitatem et multitudinem causata, ad labores domesticos aut divini colloquii quietem boni otii parcissima, se recipiebat. Nihil ei jucundius quam de Deo et hominum sempiterna salute sermonibus interesse; hinc fiebat, ut de Christiana re concionem, quantum licebat, nullam inauditam abire sineret : divina re obeunda, Christoque in Eucharistiæ latebris adorando numquam explebatur. His artibus munitam pudicitiam impurissimus Virginum hostis non dubitavit attentare. Ingenua Philippæ comitas, morum suavitas, virginea modestia, magnum insitæ venustatis ornamentum, stirpis denique claritudo, procorum turbam concivit. Ne consanguineis quidem et affinibus magnopere nuptiæ improbabantur. Unam Virginem, utpote quæ jam in æterni Sponsi manus convenisset *k* mortalis thalami pœnitebat. Enimvero adolescentes ejus nuptias ambientes repulsa acrius inflammabat. Ausi etiam nonnulli intemerato pudori moliri insidias, precibus oblatisque ingentibus donis cum oppugnare, et quando blanditiis nihil moveretur, gravibus minis Virgunculam terrere conari : illa interim cœlesti ope imploranda sperandaque cacodæmonum fraudes elusit.

k

C

a dæmone ac castimoniæ hostibus tentatur, ast illæsa præservatur.

3 Vehementissima impressio ea fuit, cum mulier *l* specie probitatis impuram mentem obtegens, et cum ea non levi necessitudinis et amicitiæ fœdere conjuncta, cum virginei floris hostibus, ad expugnandam Virginem, flagitiosi consilii societatem iniit : quibus eam laqueis Christus expedivit, voluntariis doloribus corpus assidue vexantem, et sacrorum mysteriorum cogitationi perpetuo intentam. Multum quoque profuit illa, cujus erat egregium specimen vultus oculorumque modestia, et diligens in loquendo, si opus esset, cautio : cæteris temporibus altissimum silentium, et inertiæ turpisque otii, quo plerumque generosæ puellæ marcent, odium acerrimum. Tum vero, cum se votis exclusa cernerent fœda libidinis mancipia, amore in furorem verso, maledictis et obtrectationibus ejus existimationem omni contentione adorta, etiam præsenti audientique virulenta probra *m* ingerebant : illa bene sibi conscia, et contumelias sprevit, et de se pessime meritos inimicos ne minimo quidem iracundiæ argumento læsit. Hactenus quamvis ex audito certis tamen auctoribus comperta locuti sumus, quæ fuerit Philippæ usque ad vicesimum ætatis annum educatio atque virtus. Reliquorum triginta, quibus sancta civitas Vienna *n* tantarum virtutum ingenti quasi theatro sitarum spectatrix fuit, historiam eo scribam lubentius, quod ea dicturus sim, quæ et egomet oculis hausi *o*, et quamplurimis aliis sunt notissima, quos illa juxta atque me benevolentia sua, familiari colloquio et frequenti apud Deum patrocinio dignata est.

l

m

D

n

o

Viginti annis nata Viennam, ut dominæ Castellanæ famuletur, adit, vestium pompam deserit,

4 Boiorum *p* finibus egressa, nata viginti annos, Viennam Allobrogum accersita est, ut illustri loco matronæ dominæ Castellanæ *q* in nobilium puellarum comitatu famularem operam præstaret : quod jam in eodem ministerio fratris *r* ejus uxor Margareta *s* nomine versaretur, quodque alias Philippæ parens Joannes de Champs le Milan *t* in fratris dominæ du Chastel Joannis de Norry *u*, qui tum ad Viennensis ecclesiæ gubernacula sedebat, domestica familia liberales operas locatas habuisset. Commodum civitatem sanctam inviserat, cum in sacra concione exquisitiorem corporis cultum exagitari audivit tamquam superbiæ fomitem, et ingratam Deo alieni amoris illecebram : adhuc comitum suarum more nitorem atque elegantiam studuerat in vestitu; ut sensit a divini verbi præcone culpari, continuo, quidquid erat lepidioris ornatus, abjecit, tenui modestoque cultu contenta. Non erit abs re hoc loco illud commemorare, id eam in cæteris omnibus factitare solitam, ut virorum probitate doctrinaque præstantium, præsertim quibus animum purgandum regendumque crediderat, præceptis esset obsequentissima. Unum aliquem *x* de clero præclare novi Sanctæ Virgini perfamiliarem, quem illa sæpenumero rogavit, ut, si quid in se justæ reprehensioni obnoxium notasset, significare ne gravaretur.

p *q* *r* *s* *t* *u*

E

x

ac cæteras aulicæ vitæ delicias spernit : miseris varie subvenit,

5 Simul venustiorem comptum aspernata est, cæteras itidem oblectationes et nugatorias aulicæ vitæ sibi delicias interdixit : dumque, ut fit, sub cœnam expectatur, ut inferantur dapes, et id spatium a basilicanis inepta confabulatione, mutuæ irrisionis ludicro, et interdum protervis salibus, fallendæ famis gratia, consumitur; dum a cibo solutioribus jocis indulgetur, in episcopalem ædiculam *y*, item ut olim in Changyacensem, concedere instituit, exercitandæ in summi boni contemplatione menti, usque adeo ignaviam exosa, ut ad mensam accumbenti, nihil videretur longius, quam ut ad opus aliquod elaborandum, aut divina animo volvenda revolaret. Ad laxandas miserorum angustias mirifice propensam fuisse, ex eo quivis intelligat, quod inopes omnes, imprimis ære alieno implicitos, aut qui morbo, senectute, corporis vitio, victum sibi parare prohibebantur, singulari miserationis sensu excipiebat ad se confugientes, solabatur allocutione, cibo et potione recreatos ad heram deducebat, ut ejus ope archipræsuli fratri commendarentur. Publicas custodias invisebat, ut eis aliquid opis impertiret, ægrotos item et puerperas, genium sæpe defraudans, et de demenso suo comparcens aliquid, quod egenis erogaret : quos ultro ubique vestigabat, in ptochotrophiis *z* et nosocomiis *aa* frequentissima, earum potissimum miseratione movebatur, quos omni ope aliena videbat esse destitutos.

y

F

z

aa

ac Romam solemni Jubileo proficiscens, indeque regrediens iisdem compatitur, Viennæ succurrit,

6 Romam solemni Jubileo proficiscens, assidui mœroris materiam invenit, stratis ad viam et spiritum passim efflantibus religiosorum peregrinatorum quamplurimis. Quid ei tunc animi fuit in reditu, cum una muliere comitata (reliquis ad curanda corpora

AUCTORE ANONYM.

pora in diversoria dilabentibus) ad ædiculam orationis causa se contulit, quod et alias in itinere solemne habuit, ut quamvis ex imbre madida et algore horrens, quotidianum precum pensum exsolveret. Ibi tum forte jacentem mendicum et animam agentem nacta omissa reficiendarum cibo virium memoria, solari et omni subsidio levare institit, usque dum urgente comitatu ab opere pio ægre avelleretur. Decumbentibus ex morbo in xenone *bb* dapes propriis manibus parare, et apponere, cum vilibus mulierculis, quas eadem inopum cura ptochiorum *cc* ministerio addixerat, palam versari, colloqui, obire templa, ergastula, pauperum tuguriola non satis habens, etiam absentium egestate sollicita Franciscanis monialibus *dd* parthenonis Aniciensis corrogatam a Delphinatibus matronis stipem missitabat.

divinæ contemplationi vacat, ac numerosas in templo preces fundit,

7 His omnibus haudquaquam defessa, sexcenties tanto gravius laborum onus Sponsi causa tolerandum optabat offerri; porro cum se actioni dedisset satis, de moderatorum sententia ad fruendam divinæ contemplationis quietem paululum se negotiorum turbæ subduxit. E lectulo, quem subjecto assere duraverat, et in quo vestibus semper obvolutum corpusculum ad breve spatium sternebat, placide erepens, in templum se ante lucem præsentabat, ut canentium clericorum variis variarum horarum psalmis, deinde compluribus sacrificiis ad multum diei interesset : utroque interim genu nixa Virgini Deiparæ, Spiritui Sancto, Crucis et cruciatuum Christi honori dicatos psalmos et preces, septuplicem Davidis pœnitentis hymnum, piis item manibus sublevandis descriptum, et viginti Lectionibus intertextum psalterium *ee* aliaque non pauca decurrebat fere citra ullum internæ suavitatis (quod ipsa apud viros pios non semel questa est) gustum atque solatium : ac si quo die in eo munere quæpiam a Deo concederetur animi jucunditas, tum sibi velut ingens molestiarum pondus abjecisse videbatur.

in opere diligens, variisque virtutibus

8 Post bene longos cum superis congressus domum reversa, paucis horis de operæ diurnæ penso plus multo effectum dabat, quam aliæ puellæ multis, quod ejus illustris hera fœminis quibusdam solita erat affirmare. Acerbitatum et laborum eximie patiens, honoris unius erat intolerantissima : in bonis malisque rebus æquabili semper vultus dignitate et comitate : oculis humi assidue dejectis, quos inter sacram meditationem uno eodemque loco defixos nusquam dimovebat. Fortunas omnes fratri concessit, neque ullo ejus rogatu potuit umquam adduci, ut iis denuo potiretur : tenuissime victitabat, domandæ carnis studiosissima : jam adulta et nubilis Deo virginitatem *ff* voto consecravit. Utroque parente orbata luculentum dynastam *gg*, eam ad nuptias cum aliquo ineundas hortantem, et sponte magnum pecuniæ numerum de suo dicentem doti, constantissime aspernata est. Neminem unquam dicto, facto, exemplo læsit; nec tamen ita blanda, ut non perhumane adolescentum quorumdam petulantiam, et ore in Deum sacrilegos, aut jurejurando temere abutentes, tametsi potentiores homines verbis castigaret. Materno exemplo ad loca religione inclyta Aniciensis Virginis celeberrimam effigiem *hh*, S. Claudii *ii* incorruptas exuvias aliquoties venerabunda peregrinationem suscepit.

effulgens, Viennæ peste infecta, in Domino obdormivit.

9 Ejus in parentes pietatis illud extat exemplum. Cum adolescentula in Changyacensi castello penuariæ cellæ curatrix esset, rogata a quodam e famulis, ut ei ex arundinibus, quarum in quodam cubiculo, cujus clavim asservabat, magna vis erat, unam donaret, morem gessit : conclave reserantem opprimit mater, cunctatur studiose, quid rerum gerat; summa in genitricem observantia puellam ita consternavit, ut responso aspergeret vanitatem : sed deprehensa in mendacio, colaphis ab irata parente acerbe objurgata, numquam exinde dolorem posuit, ex dissimulatæ veritatis et exacerbatæ matris noxa contractum. Avolavit ad Sponsi beatos amplexus anno 1451 Idibus Octobris, quinquaginta circiter annos nata, quamvis ex vivida lineamentorum temperatura quivis longe natu minorem pronuntiasset. Grassata in plebe lues *kk* mortalium numero S. Virginem eripuit, ut adderet immortalibus. Corpus exanime illustris S. Mauritii clerus infra sui templi claustrum terræ infodit.

ANNOTATA.

a *De Vitæ scriptore plura observavi in Commentario prævio* § I.

b *De his actum est in Commentario prævio* § II.

c *In margine Vernacule* Changy. *Adi prædicti Comment. num.* 12.

d *Vulgo* Croset, *ut ad marginem additur; ast hic mendum esse, et loco τὸ s scribendum τὸ z, vero opinati sumus similius Commentarii num.* 15.

e *Oppidulum non incelebre in Borbonensi tractu quinque leucis Varenna, novem vero Molinis dissitum, quod fluvius Besbria perluit. Vide Dictionaria Corneillii et Baudrandi.*

f *De* Philippæ *patre vide num.* 16. *In apographo nostro ad marginem additur :* de Champtemilan al. de Champdemilan, *cumque promiscue auctores* de Campo Milano *scribant, eo pariter vocabulo et nos usi sumus.*

g *Vernacule* de Vernay. *Plura, quæ ad eam spectant, videsis num.* 17.

h *De nobili ipsius genere consule Commentarium Prævium numm.* 18 *et* 19.

i *Adi* § IV *num.* 50, *et plura vide apud Jacobum Branche* (*a*).

k *Hæc latius explicata habes* § III *num.* 29 *et sequentibus, diximusque ibidem, eam servandæ castitatis sibi legem imposuisse intra id, quod a decimoquinto ad usque vigesimum ætatis annum defluxit, tempus; et quamvis ipsummet annum haud valeamus assignare, hunc quidem a decimoquinto haud multo, arbitrati sumus, removendum.*

l *Quæ qualisve ea mulier fuerit, tacente biographo, frustra divinavero; ea tamen B.* Philippæ *cohabitasse innuitur, ac eidem amicitiæ vinculo fuisse conjuncta asseritur.*

m *Horum specimen unum, num.* 34.

n *Notior ea urbs est, quam ut illius pluribus meminisse debeam.*

o *Synchronus ergo est biographus, et Beatæ Virgini familiaris extitit. Redi ad annotata lit. a.*

p *Adi supra lit. b.*

q *Quæ ad hanc illiusque sororem dominam de l'Espinace spectant, discussa habes* § III.

r *De fratre, quem nonnisi suppresso nomine biographus commemorat, infra iterato agit, eidemque* Philippam *bonorum suorum transcripsisse notat dominium, quod ut ipsa reassumeret, induci a nemine potuit.*

s *Hæc eidem familiæ Castellanæ adscripta de cætero mihi fere ignota est, nec de ea specialia referuntur; allaboravit tamen et ipsa, ut* B. Philippa *fortunas suas reciperet, eamque instante prandio, ut*

(*a*) Saints d'Auvergne. p. 1.

cibum

A *cibum caperet, crebro* (*adi num.* 51) *admonuit, uti Compendium Vitæ Gallicum habet.*

t *Redi ad Annotata lit. f.*

u *Præfuit præsul hic ecclesiæ Viennensi testibus Sammarthanis fratribus* (*a*) *usque ad annum* 1438, *quo Bisuntinensis archiepiscopus creatus, ante solemnem ingressum Giaci obiit : interfuit et is, ut iidem asserunt, Conciliis Pisano anno* 1409 *ac Constantiensi ab anno* 1415 *celebratis. Ast rectius Maupertuyus, qui non archipræsulem Joannem de Norry, verum hujus decessorem Joannem de Nante utrique Concilio, in quibus præter hæc verba,* Joannes Viennensis (*b*) *ac* Joannes episcopus Viennensis, (*c*) *nihil habetur, interfuisse annotat, quod et Sammarthanorum testimonio roboratur; ii enim dum Parisiensium præsulum Catalogum exhibent,* (*d*) *sequentia scribunt :* Joannes de Nant, IV (*vide ibidem illius cœnotaphium*) ex illustri Gente de Nanto in Burgundiæ comitatu oriundus, renuntiatur antistes die festo S. Dionysii IX Oct. 1423, quod constat ex veteri Diario manuscripto historiæ Francor. in quo vocatur Viennensis. *Liquet igitur præsulem hunc utrique synodo ante annum* 1423 *celebratæ, non vero hujus successorem interfuisse. Obiter hic adverte Martyrologii MS. num.* 1 *cit. errorem; præsulem enim hunc anno* 1451, *cum ultra annum* 1438 *in vivis haud fuerit, etiamnum superstitem facit.*

B

x *Quis ille fuerit, divinare non lubet.*

y *Beatam nostram ædes inhabitasse archiepiscopales et sup. num.* 42 *observavimus; verum cum archipræsulis mors* B. Philippæ *obitum diu præcesserit, ubinam illa et hera defuncto præsule domicilium habuerunt? Intactum id biographus, Compendium, aliique prætereunt, nec aliunde id eruitur; attamen heram dominam Castellanam alias Viennæ a morte fratris incoluisse ædes, suspicor, eique Beatam ad extremum usque diem, quem certo Viennæ obiit, adfuisse autumo.*

z *Pauperum, mendicorumve receptaculis.*

aa *Id est, valetudinariis.*

bb *Id est, peregrinorum diversorio.*

cc *Idem quod ptochotropium. Vide Annotata ad lit. z.*

dd *Verosimilius Ordinis S. Claræ, quas primo loco alias inter monialium congregationes Corneillius enumerat.*

ee *De hocce viginti Lectionibus intertexto psalterio vide Comment. prævi.* § IV *num.* 47.

C

ff *Vide Annotata lit. k.*

gg *Quis ille fuerit mihi incompertum.*

hh *Redi ad Annotata lit. i.*

ii *Vide dicta num.* 50.

kk *Ad marginem additur :* Epidemia seu morbus popularis. *Ea, quæ latius huc spectant, habes* § v. *numm.* 56 *et* 57.

PRÆLUDIUM

MIRACULORUM

VIRGINIS PHILIPPÆ

a

a quodam presbytero a *Viennensis ecclesiæ antiquitus editum. Ex. MS. D. Joannis Le Lièvre.*

AUCTORE ANONYM.

D

Illa S. Spiritus gratia irrorante, quæ simul convocatis in die Pentecostes Apostolis claritatem infudit, atque in illis mirabiliter refulsit, in hoc quæ gesta sunt hemispherio, ut Christi sequutoribus liqueant, firmiterque fomite meliori virtus illa, sine qua hominem salvari fides nostra non patitur, stylo sub breviori concesso hujus laudandæ, ut facta sinunt, Virginis Philippæ Vitam, partim demonstrando miracula, ut pie creditur, per eam demonstrata, non tacebo. Illa igitur sub ducatu de Borbonio *b* imo de Changy prope Crozetum *c*, quod est in comitatu Forensi *d* a domo nobili de Champ de Milan ortum trahens, ætatis quadraginta *e* vel circiter annorum nobili Annæ de Nory *f* dominæ de Castro fideliter serviendo, habitus fatuæ mundanizationis portans, in hanc Viennensem applicuit civitatem, patre reverendissimo Joanne de Nory *g* ejusdem Annæ fratre in hac Viennæ sede sanctissima præsulante. Quæ Virgo voluntarie ad supernam citata dotem dictos habitus dereliquit, nondum ipsius magistræ servitium renuendo, quinimo, quæ non inventa est otiosa, obsequiis divinæ propaginis non defuit, eodem in statu certo temporis spatio exinde sequuto eidem ipsi magistræ fuit percunctata. Quæ post solitariam (quamvis inter populares viveret) vitam ducere conaretur, divinum ecclesiæ servitium sub honorandissimo contectu sæpissime reiterando, et semel in anno generaliter a tempore ejusdem notitiæ (ut a suis confessoribus elicitur) pura et integra confessione fatebatur : viaticum recordans humiliter assumendum reiterationibus properatis visitavit.

b *c* *d* *e* *f* *g*

E

O quantis vicibus incorruptæ Christi Matris amore saucia Anicium *h*, cœnobia SS. Antonii *i*, et Claudii *k* visitare non desinens, Romam quam pie ac devote hilari vultu, pede concusso in anno Jubilcitatis perrexit. Numquam se devotioni *l* corpore ipsius cordulis alligato, illa seu cuncta peragens concordiam discordantibus, tractans infirmos hospitalium cum servitio visitando, consolando desolatos, de bonis sibi collatis pauperibus distribuendo, cuncta misericordiæ opera assidue adimplebat. Et quæcumque celebrarentur in Sancta Viennensi ecclesia ab hora matutinali usque ad Completorium inclusive, ac prædicantium verba aptissime insequens, non solum ibi vel locis circumvicinis, sed etiam Lugduni ad audiendum eos diligenter cum affectu currebat. Vexavit *m* in jejuniis et diversarum generibus abstinentiarum, interiori vita frui conabatur. Mores suos vultu gratabili ad quæque divina aptavit. Demum de anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLI in mense Octobri die XV morbo epidemiæ detenta ætatis quinquaginta annorum vel circa, quamvis alimentis roborata spiritualibus tota junior appareret, suos felices in Domino dies clausit, extremas ante fores cœnaculi B. Mariæ de Capellis infra claustrum B. Mauritii per dominos dictæ ecclesiæ deportata, honorifice extitit tumulata, quæ cum devote expostularetur, quæ sequuntur, miracula edidit.

h *i* *k* *l* *m*

F

(*a*) Gall. Christ. Antiq., t. I, p. 808. — (*b*) Labbe, t. XI, Conc. col. 2217. — (*c*) T. XII, col. 1480. — (*d*) Gall. Christ. Antiq., t. I, p. 457.

AUCTORE ANONYM.

A

ANNOTATA.

a *Quis presbyter ille fuerit, scire haud potui; vide quædam hic spectantia Commentarii prævii* § I *num.* 7, *et observa, insigniter obscurum integrum hoc esse Præludium.*

b *Adi Comm. præv. num.* 13.

c *Vide Comm. præv.* § II.

d *Consule* § *proxime citatum.*

e *Alii rectius id anno ætatis illius vigesimo contigisse asserunt.*

f *Redi ad Comm. præv. num.* 36 *et seq.*

g *Vide Annotata ad Vitam lit. u.*

h *Adi* § IV *num.* 50.

i *Ibidem.*

k *Vide eumdem numerum.*

l *Amanuensis oscitantia quædam omissa sunt.*

m *Nec hæc sibi recte cohærent.*

B

MIRACULA

PER INTERCESSIONEM VIRGINIS PHILIPPÆ

PERPETRATA

Auctore anonymo e MS. gallico.

PARS PRIMA.

Varia Viennæ ad Beatæ Philippæ invocationem miracula eduntur.

C

Meritis B. Philippæ *mulier periculose infirma ac partui proxima sanatur; hujus filius, quem mortuum enixa fuerat, vitæ restituitur.*

a

Anno 1452 die x Februarii. F. Guilielmus Gerry Ordinis Carmelitarum Viennæ asseruit, ac coram notario et testibus affirmavit, se pridie adiisse mulierem nomine Claudiam, uxorem Petri Venut, parochiæ S. Blasii *a*, quæ gravi ex infirmitate morti erat proxima, ac insuper premebatur partus angustiis et doloribus : Deum ergo prædictus F. Guilielmus deprecatur, pluraque pro eadem muliere suffragia et preces recitat, quæ tandem matutino tempore enixa est filium mortuum; mortuus porro hic infans delatus fuit ad sepulchrum Virginis Philippæ, voto ac promissis factis a parentibus Deo, gloriosæ Virgini Mariæ ac Virgini Philippæ, quod, si vita donaretur, baptizareturque puer, offerrent candelam Virgini Philippæ æqualis ac puer ponderis. Extemplo ac in momento temporis infantis palpitare incipit dexter oculus, quem quater quinicsve aperit, quod advertens F. Guilielmus Carmelita baptizavit infantem, imposito eidem Joannis nomine : perstitit porro in vivis, percepto baptismate, una et dimidia hora, quod et abunde confirmatum fuit ab infantis patre Petro Venut baptismati præsente. Actus signatus erat. Vital.

Infans mortuus resuscitatur.

D

b

2 Anno prædicto XI Februarii. Idem F. Guilielmus Gerry Carmelita, uti et domicella Antonia Vidua Joannis Blein parochiæ S. Andreæ Monialium *b* testati sunt dictam Antoniam, qua obstetricem, recepisse præsente patre Carmelita infantem mortuum, qui unius ac mediæ horæ tempore sine ullo permansit vitæ signo : verum simul ac Virgini Philippæ devotus fuit, ac super ejus sepulchrum reclinatus, oculum aperuit, corpus movit, aliquoties nutricis lacte refectus est : baptizatus ergo fuit, ac post horam cum dimidia exspiravit. Contigerunt hæc præsentibus testibus, fuitque oblatus in gratiarum actionem Philippæ Virgini cereus. Erat signatum. Perret et Vital.

Puella morti proxima sanitati redditur.

3 Anno 1453 die VIII Aprilis aliud miraculum in Sacello Sanctæ Dei Genitricis per merita et intercessionem B. Virginis Mariæ ac Virginis Philippæ contigit. Octo solummodo mensium puella Henrica dicta, filia Jacobi de Eyrieu notarii, et Aloysiæ ejus conjugis loci de Maleval *c* diœcesis Viennensis incolarum, ob gravem morbum ante bimestre contractum morti proxima erat; verum cum domi a parentibus utroque poplite flexo devoveretur Philippæ Virgini, ac pater insuper, si sanaretur filia, promitteret, se oblaturum eidem Virgini unius libræ cereum, iturumque a ponte Rodani ad indusium usque nudum ad Virginis sepulchrum : voto facto, sine adminiculo aliquo se levat filia, ac spiritus miraculose corpori redditur, ac si nullum filia incommodum passa fuisset; votum Virgini Philippæ factum, coram testibus fuit impletum. Erat signatum. Vitalis.

c

E

Carcere detentus libertati restituitur.

d

e

f

g

h

i

4 XII Augusti 1453 aliud miraculum contigit Germano l'Hardys Cabilonensi *d* in Burgundia *e* : hic testatus est, sese incarceratum fuisse in castro de Corbien *f* in turri quadam duabus fere leucis Vapinco *g* dissita, ob equum, quem ipse ac complex unus a quindecim diebus furto abstulerant Segusterone *h* in Provincia *i*. Hic porro cum inaudisset sabbato sequente se uti et complicem a domino de Corbien Segusteronem deducendos, ac justitiæ ministris tradendos, vitæ periculum exiliumve metuens, Virgini Philippæ, eo tempore ob sanctitatem ac miracula perquam celebratæ, sese commendat, vovetque, se nudum *k*, si vitæ periculum evadat, a dicto loco incessurum, Virginis ejusdem sepulchrum visitaturum, ac unius libræ cereum uti et duarum librarum e cera factam imaginem oblaturum; quo facto, statim percipit claustra relaxari in tantum, ut digitum posset interponere; hinc bacillo eadem reserat, evaditque per fenestram turris, ferreo ante rejecto longurio, ac altitudine duarum lancearum, fune ex detrito inibique reperto sacco confecto, sese demisit, catenasque, quibus pedes constricti erant, elevatas, ne murmur excitarent, spatio, quod balistæ globus quater explosus conficit, portavit; cumque et iis se expediisset, Viennam, voti solvendi causa, nudus accessit, cereumque in gratiarum actionem pro impetrata libertate coram testibus obtulit. Erat signatum. Perreti.

k

F

Infirmus ac oculorum fere usu privatus plena sanitate donatur.

l

5 Aliud miraculum die XXIII Augusti 1453 contigit. Joannes textor dictus Paf parochiæ de Argoir *l* diœcesis Lugdunensis periculose decumbens ac morti proximus ex inflammatione carbunculi, a sorore sua Joanna devotus fuit Philippæ Virgini; sperabat enim illa, eum meritis et virtutibus Virginis hujus pristinam sanitatem recuperaturum, ac oculorum usum, quem fere perdiderat, recepturum; vovit ergo infirmum, si sanaretur, Viennam nudum *m* ac discalceatum accessurum, et imaginem ceream duarum librarum oblaturum. Voto Deo facto, infirmus Viennam versus progredi incipit, modo ante promisso

m

promisso. Liber ergo a malis, ac membris confortatis, gratus dictam Virginem accessit, votumque præsentibus testibus explevit. Signatum. Chatar.

Domicella nobilis partui proxima, ast partum edere haud valens, liberatur.

6 Aliud miraculum anno 1453, VIII Septembris. Nobilis quædam domina dicta Vicona, uxor nobilis Odonis Taillebois districtus Chandiensis (vulgo *Mandement* de Chandien *n*) diœcesis Lugdunensis, a quatuor tantummodo ac dimidio mensibus prægnans, gravissimis concuti cœpit partus doloribus a die Jovis ad usque subsequentem Lunæ diem. Deo igitur Virginique Philippæ sese devovens promisit, si infans prodiret sanus, baptismumque reciperet, se oblaturam eidem Virgini amictum ac candelam longitudini infantis æqualem, curaturamque celebrandum unum sacrum in honorem Dei ac dictæ Virginis, ac insuper oblaturam unum quadrantem *o* singulis annis, donec viveret, adjiciens etiam primum infantem, quem eniteretur, Philippæ nomine donandum. Nec frustra; paucis enim elapsis diebus domina hæc filium enixa est, mox a parochiæ rectore baptizatum, ac Philippæ nomine donatum. Mater porro sanitati plene restituta, votum adimpletura Viennam accessit, secumque infantem deportavit, ac annuatim sepulchrum hujus Virginis invisere et promissa offerre ad mortem usque grata perseveravit.

n

o

Lac uberibus restituitur.

7 Anni prædicti XXIX Novembris die. Joanna uxor Joannis Ducil loci de Moisseu *p* jurisdictionis Belligardiæ *q*, diœcesis Viennensis, lacte uberum suorum in tantum frustrata fuit, ut infanti suo a die Jovis usque ad Martis subsequentem diem nutrimentum subministrare haud valuerit; tum vero Virgini Philippæ se devovens, promisit, in usum lampadis Virginis ejusdem quatronem *r* olei, ac a vino, donec adimpletum fuerit votum, abstinere. Quo facto, et lac recepit, et cum gratiarum actione domum regressa est. Signatum. Vitalis.

p

q

r

Infirmus sanatur.

8 Anno 1454 ultima Junii fuerunt in sacello Divæ Virginis Antonius Vidalon et Margarita conjux illius parochiæ de Ancisien *s* prope Annoniacum *t* diœcesis Viennensis, uti et Bartholomæus Pugnet ac Aloysia uxor ejus Annoniacenses, qui vera esse testati sunt sequentia : nempe prædictus Vidalon die Paschatis proxime elapso in Ancisiensi parochiali templo matutinali tempore concussus fuit gravi dolore lateris, uti et capitis ac crurium, in tantum ut post sacram Communionem domum relatus, ac in lectulum reclinatus extremæ Unctionis Sacramento fuerit munitus, ac insequente Veneris die in agoniam delapsus, sensibusque visus et auditus ac membrorum omnium usu ita destitutus fuerit, ut a circumstantibus mortuus judicaretur; quod videns illius uxor, utroque poplite aliquoties flexo, Dei ac Philippæ Virginis opem implorat, maritumque in torali Viennam super ejusdem Virginis sacros cineres portari jubet, toto itineris tempore silentium servans. Quibus completis, duabusque a voto reddito elapsis horis prædictus Antonius sanitati restitutus fuit, viresque suas paulatim recepit. Signatum. Vitalis.

s

t

Infans mortuus vitæ restituitur.

9 Anno 1454 die IX Augusti aliud miraculum contigit, prout attestatur Stephanus Berecht parochiæ de Bregnies *u* diœcesis Lugdunensis. Asseruit enim is, Joannam Claudiam Berecht die præcedente peperisse infantem mortuum, quem Deo Virginique Philippæ devovit, promittens, si infans vitam recuperaret, baptismumque reciperet, se infantem ad sepulchrum ejusdem Virginis delaturam, eidemque cereum oblaturam. Deportatus ergo fuit infans ad sepulchrum, ac perstitit illic a die Jovis usque ad sequentem Dominicam, vitæ æque ac Baptismatis gratiam expectans; tandem hodie infantis lingua, quæ in ore restricta fuerat, ad labra usque prodiit; movit et infans brachium dextrum ab umbilico ad pectus, velut lac desiderans. Immutabatur faciei color, ac ore sanguinem emittebat, sufficientiaque præbebat vitæ signa : hinc baptizatus fuit, ac postea præsentibus testibus obiit. Signatum. Perreti.

u

Aliquot incarcerati liberantur.

10 Anno 1454 die XIV Septembris. Jaquemundus Quarat parochiæ de Eclose *x* diœcesis Viennensis testatus est, se una cum sociis hoc anno, cum bellum Delphinum inter et ducem Sabaudiæ esset *y*, Rupefortii *z* in ducatu Sabaudiæ *aa* captum fuisse, deductumque ad majorem turrim castri Aigue-Bellette *bb* una cum Guilielmo Gay de Vauleserre *cc* Antonio Chapuys de Flachetes *dd* aliisque : hi omnes sese Deo Virginique Philippæ devovent, promittentes, si evaderent, carcereque sani exirent et incolumes, se Viennam adituros, ac unius libræ cereum oblaturos, imo se recta via Viennam, antequam ad propria remeassent, accessuros. Quo facto prædictus Jaquemundus ferreum extrahit e fenestra turris longurium, ac carcere nona hujus exit; tum vero sine ulla læsione aut incommodo ejusdem turris portam adit, eamque facillime aperit; itaque prædicti captivi evadunt omnes, ac a turre ad majorem (quam eadem facilitate reserant) arcis portam perveniunt, et nullo ab excubitoribus vigilibusve accepto incommodo aut obstaculo, abierunt, statimque Viennam ac Virginis sepulchrum petunt, cui expletis votis, Deoque gratiis actis, ad propria præsentibus testibus remearunt. Signatum. Boudet.

x

y

z *aa*

bb *cc*

dd

Mater infirma ac partui proxima sanatur, et feliciter parit.

11 Aliud miraculum XXVIII Novembris 1454 retulit nobilis et potens dominus Leonardus a S. Projecto, baro S. Aunemundi in Jaresio *ee* diœcesis Lugdunensis, asserens : præterito mense Augusto nobilem dominam Annam conjugem suam prægnantem gravi fuisse morbo correptam, ita ut motus nullus in venarum pulsu aut aliis corporis partibus sentiretur. Pluribus ea fuit Sanctis devota : ast nullo accepto remedio, imo duabus horis velut mortua extitit, ita ut obstetrix cultellum, uteri resecandi infantique vitam conservandi gratia, modo teneret : verum soror ejus domina de Alpinato, cum cor illius etiamnum palpitare sensisset, vetuit, ne obstetrix uterum resecaret; dein dicta soror Deo ac Virgini Philippæ in gratiam ejusdem domicellæ ad extrema illa deductæ votum vovit : quo facto, integram subito sanitatem recepit, pauco elapso tempore infantem peperit, qui ob firmam fiduciam de meritis et intercessione Philippæ Virginis Baptismo donatus fuit, ad quam prænominatus dominus, uxor illius cunctique domestici votum reddituri accesserunt, maximas Deo, Divæ Virgini Mariæ ac Virgini Philippæ gratias referentes. Signatum. Jo. Cahnety.

ee

Infans resuscitatur ac baptismate donatur

12 Anno 1454 die III Januarii *ff* Joannes du Pra parochiæ de Gusney *gg* in Foresio *hh* diœcesis Lugdunensis aliique præsentes testati sunt, Laurentiam uxorem Benedicti Martin de Pomiers *ii* prope Lugdunum peperisse infantem, quem vicini mortuum arbitrati sunt : infantem porro hunc mox Philippæ Virgini eadem Laurentia devovit, qui a prædicto Pra aliisque Viennam delatus, ac super sepulchrum Virginis hujus reclinatus, bis in testimonium vitæ labia movit, ac a præsente presbytero cum gratiarum actione fuit baptizatus. Signatum. Cahnety.

ff

gg

hh

ii

Infans mortuus vitæ restituitur, ac baptizatur.

13 Anno 1454 die XVII Novembris uxor Antonii Belly dicta Grangel de Maclas *kk* diœcesis Viennensis infantem enixa est mortuum, qui ad sacros Philippæ Virginis cineres delatus, mox vitæ signa edidit, ter linguam movens, dextrum oculum aperiens ac halitum ducens; baptizatus itaque fuit a domino

kk

AUCTORE ANONYM.

a domino Clemente de Commelle parocho de Revertim *ll* in sacello Sanctæ Dei Genitricis pluribus cum aliis præsente : parentes porro infantis obtulerunt sudarium, uti et unam ceræ libram, curaruntque celebrari in eodem sacello duas Missas, ac in signum lætitiæ de peracto miraculo ecclesiæ campanæ fuerunt pulsatæ. Infans pauco a recepto baptismate tempore vivere desiit, ac prope Virginem fuit tumulatus. Signatum. Bourdeti.

ll

Mortua filia resuscitata ac Baptismate donata est.

mm

14 Anno 1455 die XXVII Aprilis aliud miraculum contigit in claustro ecclesiæ S. Mauritii. Georgio Galemet loci de Bregnes *mm* diœcesis Lugdunensis abortu nata est filia mortua : hæc ad sepulchrum Virginis delata vitam recepit, baptizata et Philippa vocata fuit; sale in os immisso sudaverat, brachia extenderat, linguam moverat ac cor illius palpitaverat. Signatum. Bourdeti.

Infans moribundus vires recipit.

nn

15 Aliud miraculum factum XXV Junii 1455 : Joanna uxor Martini Bonis de Chavanay *nn* diœcesis Viennensis infantem moribundum peperit, qui devotus Philippæ Virgini, et a matre ad tumulum ejusdem Virginis delatus vires suas recepit, ac a domino Joanne Fournier presbytero coram testibus fuit baptizatus. Signatum. Bourdeti.

B

Alter mortuus resuscitatur et baptizatur.

oo

16 Die VIII Julii anni prædicti Claudia conjux Claudii Grosian parochiæ S. Mauritii de Reymions *oo* diœcesis Lugdunensis peperit filium mortuum, qui devotus, ac ad Virginis Philippæ sepulchrum deportatus, remansit ibidem a die Veneris ad usque diei Dominicæ matutinum tempus; tum domicellæ præsentes senserunt, infantis stomachum moveri, exinde infans vomit ac sanguinem ejicit, admotus deinceps ad ignem suspiravit; baptizatus ergo, ac Joannes vocatus fuit; quo facto vivere præsentibus testibus desiit. Signatum. Bourdeti.

Filia mortua ad vitam revocatur.

pp

17 Anno 1455 die XX Julii parvula filia quindecim mensium Stephani Planchy et Catharinæ uxoris ejus pagi de Seisseul *pp* prope Viennam postquam multum plorasset, ac omni humano solatio destituta luctasset, in cunis inventa est mortua : vicini enim ploratum audientes domi hærebant; postea vero pater ac mater ex agro a fructibus pertica decutiendis regressi, ac filiolam mortuam invenientes, in genua sese provolvunt, adjutorium a Domino ac Virgine Philippa efflagitantes; statuunt deinde infantem deferre ad ejusdem Virginis sepulchrum, et statim respirare incipit puella, ad ignem admotæ immutatur color, sanitatemque pristinam recuperat. De quibus gratias Deo, eidemque Virgini coram testibus reddiderunt. Signatum. Vitello.

C

A sensibus abalienata filia sanatur.

rr qq

18 Anno 1455 penultima Novembris Antonius des Chevaulx et Antonia uxor Guilielmi des Chevaulx de Biel *qq* districtus Castri Villanensis *rr* diœcesis Viennensis testati sunt, Claudiam filiam mente et sensibus fuisse destitutam, ac membrorum usu privatam ab ineunte Quadragesima usque ad festum S. Juliani *ss* exeunte mense Augusto : verum cum devota esset, ac deducta ad sacros Philippæ Virginis cineres, cumque huic Virgini oblatum esset sudarium cum cerea imagine, integram recepit filia hæc sanitatem, ac mentis plane effecta est compos. Signatum. Bourdeti.

ss

Bini pueri periculose infirmi sanitate donantur.

tt

uu

xx

19 Anno 1454 die I Februarii *tt,* Petrus Vallier et Margarita conjux illius, loci de Chamond *uu* prope S. Theudericum *xx* diœcesis Viennensis duos habuere infantes gravi pedum morbo, qui Callus dicitur, ita detentos, ut pedibus sese haud possent sustentare, tandem vocis usu ac spe vitæ fere sunt destituti : horum unus dicebatur Quinidius, alter vero Alexius, ad extrema porro hæc deducti pueri a parentibus Deo ac Virgini Philippæ fuere devoti cum promissione eidem Virgini offerendi dimidiæ libræ cereum ac partem quamdam telæ, si placeret Deo infantes vita ac sanitate donare, quod miraculose, illis votum implentibus, gratiasque coram testibus agentibus, effectum est. Signatum. Chatard.

D

ANNOTATA.

a *Haud invenitur* (*ni forte fuerit in ipsa urbe Viennensi particularis parochia*) *hic locus in Mappis Geographicis; sed et alia deinceps loca occurrent, quæ vel in Mappis Geographicis non signantur, vel nomina mutarunt, vel admodum vitiose expressa sunt; de quorum situ, ex adjectis passim diœcesibus, in quibus sita sunt, judicium utcumque ferri poterit.* [*Est vicus dictus* St-Blaise-du-Buis, *Vienna non multum distans.*]

b *Huic synonyma in Delphinatu varia sunt loca; ast omnia sine addito* Monialium, les Moniales *vernacule, nec diœcesis, in qua is locus situs est, exprimitur.*

c Oppidulum in Foresio sex fere leucis Orientem versus a Fano S. Stephani dissitum prope Rodanum fluvium. *Vosgien ad verbum* Maleval.

d Cabillonum *civitas est episcopalis ad Ararim fluvium.* [Châlons-sur-Saône *hodie cathedræ Augustodunensi subjacet,* Dépt. de Saône-et-Loire.]

E

e *Provincia Galliæ satis nota.*

f *Forte est locus is, qui in Mappis Blaevianis* Curbam *dicitur, quatuor tamen fere leucis communibus Vapinco distans.*

g *Civitate in Delphinatu episcopali, ac ejusdem nominis pagi metropoli.* [Gap. Dépt. des Hautes-Alpes.]

h Urbs Galliæ in Provincia, episcopalis sub archiepiscopo Aquensi, dicta fuit etiam a quibusdam Segusteronum caput, estque etiamnum ampla et probe culta ad Druentiam fluvium, ubi recipit Beuch fluviolum in limine Delphinatus, 7 leucis a Vapinco distans in Meridiem. *Baudrandus ad verbum* Segustero. [Sisteron, *hodie in diœcesi Diniensi,* Digne Dépt. des Basses-Alpes.]

i *Notissima item Galliæ regione.*

k *Id est,* fere nudum.

l *Vicus est Lugduno tribus fere leucis dissitus.*

m *Vide Annotata ad lit.* k.

n *Vicus hic in recentiori Delphinatus Tabula a Tillemontio disposita, ac a Joanne Homanno Norimbergæ excusa, Lugduno sex fere leucis distat.* [*Forsitan* Chandieu, *vicus tribus et media leucis Vienna distans.*]

F

o *Gallice* Un liard d'oblation. *Quænam hæc fuit monetæ species? Eum fuisse e nostratibus quadrantibus seu liardis unum, personæ dignitas suspicari prohibet : pluribus de re monetaria agit du Cange; is porro monetas aureas ad verbum* Moneta *describens, statutum Caroli VIII* XVI *Feb. an.* 1485 *de monetarum pretio emissum exhibet, quod ita habet :* Liars et Hardis pour 3 den. piece. *De monetis vero argenteis agens, parvos liardos Delphinatus exhibet; ast sub Ludovico XI cusos : si igitur hujus nominis moneta extiterit aurea vel argentea, ex his annuatim nummum unum nobilem hanc dominam obtulisse, verius suspicor.*

p *Sex leucis in citata proxime Tabula* Belligardia *Vienna distat, eique vicus* Moissieu *dictus adjacet.*

q *Vide Annotata lit. præcedente.*

r *Mensuræ species est. Adi Glossarium du Cange ad verba* Quarteronus, Quartronus *et* Quatronus.

s *Locus is prope Annoniacum non occurrit in consultis a me Tabulis. Ni forte is sit qui in tabula Guil. de Isle præfixa Historiæ Delphinatus Latine* Audantia *dicitur.*

t Oppidum Galliæ quibusdam etiam Annonæum dictum in provincia Vivariensi superiori ad radices montium et prope Deume amnem, qui duabus leucis

A cis infra in Rodanum se exonerat, septem leucis distat Vienna in meridiem. *Baudrandus ad verbum* Annoniacum.

u *Locum hunc non reperio : eidem occurrunt tamen nomine affinia in Mappis Blaevianis loca, ut* Bergna *duabus fere leucis Lugduno meridiem versus,* la Bresle *inde fere tribus in occidentem distantia.* [*Occurrit etiam* Brignais, *succursalis ecclesia sub parochiali* St Genis-Laval, *in districtu Lugdunensi.*]

x *Verosimilius vicus est, qui in Tabula ad lit.* n. *cit.* Eclauze *dicitur, ac Vienna ad orientem novem leucis distat.* [*Imo* Eclose *hodiedum scribitur.*]

y *De bello isthoc vide Raynaldum eminentissimi cardinalis Baronii continuatorem ad annum* 1454 § VI, *uti et præcipue P. Daniel in Hist. Franciæ ad annum* 1455.

z Rupefortium *is, puto, locus est, qui in confiniis Bressiæ et Sabaudiæ prope Rodanum situs est, ac Camberiaco Sabaudiæ metropoli octo fere leucis versus occidentem distat. Camberiaco vicinus est locus* Aiguebelette *dictus, ac prout in tabulis Blacvianis signatur, locus hic in monte situs apparet, in cujus castrum hi captivi conjecti fuisse videntur.*

aa *Ducatus is apprime notus est.*

B bb *Vide Annotata ad lit.* z.

cc *Locus est mihi incognitus.* [*Ecclesia succursalis sub parochia* Pont-de-Beauvoisin, *districtus* la Tour-du-Pin.]

dd *Ignotus mihi locus iste.* [*Numquid* Flachères, *sub parochia* Lemps, *in eodem districtu Turrensi?*]

ee Jaresius ager Le Jarez, tractus Galliæ in Lugdunensi provincia inter Pilam montem ad ortum et Ligerim fluvium ad occasum in limine Forensis provinciæ superioris infra Fanum S. Stephani, sed ejus veri periere limites. *Baudrandus ad verba* Jaresius ager. *Ab eodem porro S. Stephani Fano oppidulum* S. Chaumont *seu* S. Aunemundus *dictum meridiem inter et orientem vix ultra leucam recedit.*

ff *Ordinem chronologicum hic miraculorum collector neglexit; debuisset enim, si annus diesque recte notati sint, miraculum hoc exhiberi septimo loco; advertit et id forte is, qui nobis miracula descripsit, cum dies et annus in apographo nostro sublineati sint. Similia et alibi lector observabit.*

gg *Parochia isthæc Lugduno meridiem versus ad Rodanum fluvium duabus fere leucis distat.*

hh *Adi Commentarium prævium* § 1.

ii *In tabula Blaeviana exaratur* Fornière, *ac*
C *dimidia Lugduno leuca distat.*

kk *Haud reperi in Tabulis geographicis locum istum.* [*Est in hodierna diœcesi Lugdunensi ecclesia succursalis* Maclas *sub parochia* Pelussin, *in districtu* Saint-Étienne.]

ll *Neque hunc inveni.* [*Num forte* Reventin, *hodie succursalis ecclesia sub parochia S. Mauritii, Viennensi olim Cathedrali?*]

mm *Forte vicus est, qui* Brena *dicitur in Tabulis, situs in Bressia ad Rodanum, ab oppido* Quirievo *tribus fere leucis distans, aut forte locus unus est ex supra ad lit.* n *visis.*

nn *Oppidulum est duabus fere leucis Vienna et una Condriaco dissitum. In tabula ad lit.* s *cit.* Cavaneyum *dicitur.*

oo *Varia hoc nomine insignita in Delphinatu sunt loca, sed adjuncto* de Reymions *carent.*

pp *Forte locus is in Tabula ad lit.* n *citata* Sossuet *dicitur, ac Vienna duabus fere leucis abest.* [*Est succursalis ecclesia sub nomine* N.-D.-de-Seysseul *sub parochia* Saint-André-le-Bas, *in districtu Viennensi.*]

qq *Locus hic haud exprimitur in tabulis, sed* Castrum Villanense *vernacule* Château-Villain *expressum invenio in tabula Tillemontiana jam aliquoties citata, Vienna decem fere leucis distans. Meminit et ejusdem Vosgien ac septem solummodo leucis Vienna distare asserit.* [*Est fortassis* Biol, *succursalis ecclesia haud procul a Castro Villanensi, in districtu la* Tour-du-Pin.] AUCTORE ANONYM. D

rr *Vide Notam præcedentem.*

ss *Nempe die* XXVIII *Augusti S. Juliano Martyri Brivate in Arvernia sacra : vide Opus nostrum ad dictam diem.*

tt *Vide notata ad litt.* ff.

uu *In tabulis ad lit.* n *cit. septentrionem versus hic et sequens locus hocce in miraculo expressi, pari fere distantia octo nempe leucis Vienna dissiti sunt; posteriorque vulgo* S. Chef, *vel* St. Theudère *appellatur.*

xx *Vide Notam antecedentem.*

PARS SECUNDA.

Prodigia alia ope Beatæ Philippæ Virginis patrata.

Anno ac die, quibus supra. *a* Bartholomæus Christin supra dictæ parochiæ *b* filium habebat unius anni Jacobum nomine; hic omne alimentum corporale respuebat, ita ut visum modo quadam ex infirmitate perdidisset, verum ut primum ab eodem Christin patre commendatus Deo ac Virgini Philippæ cum promissione visitandi ejusdem sepulchrum fuit devotus, plenam recuperavit infans sanitatem : dein pater filium Viennam detulit, ac eidem Virgini dimidiam libram ceræ, parvamque telam præsentibus testibus cum gratiarum actione obtulit. Signatum. Chatardi. E *Infirmus intercessione B. Philippæ sanatur.* *a* *b*

21 Anno 1455 die XXVI Novembris. Quidam dictus Peronon parochiæ de Edoche *c* diœcesis Viennensis retulit, elapso proxime Sancto Joanni Baptistæ sacro die filiam suam Peronettam de nocte peperisse infantem mortuum, anticipato per mensem partu, quod intuens idem Peronon, vovit Deo, gloriosæ Virgini Mariæ ac Virgini Philippæ, se, si infans reviviscat ac baptismo donetur, visitaturum ejusdem virginis sepulchrum, eique oblaturum unius libræ cereum, ac medium argenti grossum *d* : extemplo infans signa vitæ edit ac plorat; baptizatus ergo decimaquinta die animam Deo reddit. Voto deinde coram testibus prædictus Peronon satisfecit. F Signatum. Chatardi. *Mortua proles vitæ restituitur, ac baptizatur.* *c* *d*

22 Anno 1456 die XXVIII Maji. Joanna Ougamart uxor Antonii Michel parochiæ de Rines *e* diœcesis Gratianopolitanæ narravit, sese a duobus fere annis enixam fuisse infantem mortuum; verum domicella Florena de Bessesel ejusdem loci devovit infantem hunc Virgini Philippæ, cum promissione offerendi Viennæ candelam paris cum infante ponderis. Quo facto, parochus infantem, quem respirantem spiritumque trahentem intuebatur, baptizavit. Votum dein fuit redditum ac adimpletum. Signatum. Perretti. *Infans mortuus ad vitam revocatur ac baptizatur.* *e*

23 Anno 1456 XXIX Maji. Claudius Jognan et Catharina conjux illius parochiæ castri de Bressien *f* diœcesis Viennensis testati sunt, eamdem Catharinam ineunte Quadragesima gravioribus partus doloribus die integro laborasse; verum, cum uterque ad Deum ac Virginem Philippam confugisset, promisissetque offerre ceræ libram, si infans vitam baptismumque reciperet, statim infans in lucem editus, ac festo Hilarii die fuit baptizatus. Votum dein ad sepulchrum Virginis fuit adimpletum. Signatum. Bourdeti. *Mulier in partu laborans liberatur.* *f*

AUCTORE ANONYM.

A

Periclitans in partu subsidium experitur.

g

* *an* diebus?

24 Anno 1456 penultima Maji. Joannes Seguiet de Tupen *g* prope Viennam testatus est, Andream uxorem suam tribus mensibus * partus dolores pertulisse, verumtamen parere haud potuisse; quod plures domicellæ videntes, eamdem S. Philippæ Viennensi devoverunt promittentes, si divino beneplacito infans salvus pareretur, ac baptizaretur, ceram infantis gravitati æqualem. Tum prædicta mulier infantem enixa est sanum, qui baptizatus in loco Moncelles *h* dicto, ac Antonius vocatus, sanus agere perseveravit. Votum exinde fuit adimpletum. Signatum. Bourdeti.

h

E partu periculose laborans liberatur.

i

25 Anno 1456 die prædicto, Antonius Savojar de Movelles *i* testatus est, uxorem suam dictam Jaquemetam duobus diebus ac tribus noctibus parturientis doloribus abhinc annis duobus et dimidio fuisse detentam. Prædicta porro mulier se Virgini Philippæ devovit, ac una hora post filium peperit, qui in parochiali templo baptizatus, ac Joannes dictus, duobus mensibus in vivis egit. Parentes illius votum dictæ Virgini reddiderunt, offerentes ceræ libram ac infantis sudarium. Signatum. Bourdeti.

B

Maritus, qui uxorem deseruerat, eidem redditur, horum filius mortuus ad vitam revocatur.

26 Anno 1456 die IV Aprilis. Gouvetus Recamier dictus Papon asseruit, filium suum Claudium matrimonio junctum jam a duodecim annis suam deseruisse uxorem, ac regionem pervagatum esse; verum vovit is Deo ac Virgini Philippæ unius libræ cereum, si favente Deo filius in bona sanitate ac prospere revertatur; hinc filius Claudius intra annum regressus, ac bona in pace uxori est redditus. Deinde eadem uxor filium peperit mortuum, qui ex devotione supra Virginis Philippæ sepulchrum repositus, ter respiravit ac baptismum recepit. Quapropter parentes Viennam, ut eidem Virgini gratias agerent, unum sacrum celebrari curarent, ac supra promissum cereum offerrent, adierunt. Signatum. Bourdeti.

Mutus loquela donatur.

k

27 Anno 1456 die XVII Junii. Joannes Girond parochiæ Monasterii Bessesel *k* diœcesis Viennensis asseruit, sexennem suum filium Claudium dictum ex gravi infirmitate loquela fuisse destitutum; hinc Virgini Philippæ devotus fuit, ac sanitatem recuperavit; pater porro una cum filio, ut offerret Virgini Philippæ e tela factum sudarium, curaretque in gratiarum actionem præsentibus testibus unum celebrari sacrum, Viennam accessit. Signatum. Chatardi.

Infirmus sanatur.

l

28 Anno 1456 die XVIII Junii. Benedictus Chave de Chatenay *l* diœcesis Viennensis testatus est, C sese a quinque circiter septimanis gravi fuisse pollicis dextri dolore detentum, qui dolor ei, cum domum quamdam destrueret, obvenerat : interea malum indies augebatur, in tantum ut humerum dextrum ac exinde latus affecerit, ita ut homo miser sibi victum parare, aut manu brachiove sibi prodesse haud valeret : verum, cum se Deo Virginique Philippæ devovisset commendassetque, subsequente Martis die commode Virginis ejusdem imaginem ceream unius libræ, ac fusum filorum a sorore sua virgine contextorum oblaturus, accedit sepulchrum, curatque integra sanitate donatus celebrari unum sacrum. Signatum. Perreti.

Proles mortua vitæ restituitur.

m

29 Die Sabbati XVII Julii anni prædicti Joannes de Baulme loci S. Theuderici *m* diœcesis Viennensis asseruit, Joannam conjugem suam die Martis præcedente peperisse filiam mortuam, quam prædictus Baulme extemplo Deo Virginique Philippæ devovit, cum promissione Viennam accedendi, offerendique unius ac dimidiæ libræ cereum, si placeret Deo vitam baptismumque infanti suæ indulgere; una igitur hora post infans vigorem recepit ac vires, motum edens a brachiis ad crura usque, os oculosque aperiens ac plorans : baptizata igitur fuit a Petro du Bois ibidem præsente; tum pater pedibus D ac corpore nudus *n* oblationem suam eidem Virgini cum gratiarum actione redditurus, Viennam accessit. Signatum. Bourdeti.

n

Ignis extinguitur.

30 Secunda Augusti anni superioris frater Gaufredus Giriu prior religiosus S. Georgii d'Oste *o* sub religionis votis testatus est, civitate hac a Delphini militibus capta *p* ignem domuum partem absumpsisse : verum circa mediam noctem campanarum strepitu oppidanis, ut succurrerent, excitatis, ejusdem loci parochus, uti et prædictus prior Virgini Philippæ Viennensi voverunt, se ipsius invisuros sepulchrum, et duos oblaturos argenti grossos *q*. Extemplo ventus, qui ignem stimulabat, cessavit, nec ultra flamma progressa est, ac nobilis viri dicti Jacobi de Fontaine vicinum horreum reliquit intactum. Prænominati ergo (non obstantibus iis, quæ a militibus imminebant, periculis) Viennam sese conferunt, votum eidem Virgini cum gratiarum actione persoluturi. Signatum. Bourdeti.

o

p

q

Infirmus sanatur.

31 Anno 1456 penultima Octobris venerabilis religiosus F. Arnoldus du Puis eques, magnus Alverniæ *r* Ordinis S. Joannis Hierosolymitani prior sub religionis votis testatus est, se spatio 32 annorum totius corporis infirmitate, dicta de Diertes E *s* fuisse detentum; e maculis porro rubris, quibus maxime afflictabatur, infirmitas ea prodibat : remediis ergo corporalibus in vanum applicatis devovit se Virgini Mariæ ac Virgini Philippæ, promittens, si a morbo suo liberaretur, Viennam se accessurum, eidemque Virgini cereum 25 librarum se oblaturum. Heri ergo flexo in vesperam die una cum cereo, ac eodem modo se habens prænominatus prior ante portam ecclesiæ S. Mauritii ad palatii archiepiscopalis latus pervenit; at portam occlusam cernens, manuque candelam tenens, utrumque flectit poplitem, ac a Deo, Virgine Maria Sanctaque Philippa efflagitat adjutorium. Extemplo se cernit a malo liberum, nec in facie aut alia corporis parte ullum signum vestigiumve ruboris apparebat; reclusa igitur porta Divæ Virginis sacellum ingressus, ac ad sepulchrum Virginis Philippæ prostratus, pro recuperata sanitate reddidit gratias. Signatum. Bourdeti.

r

s

Phreneticus sanitati restituitur.

32 Anno prædicto XXVII Decembris Petrus Regis pistrinarius loci S. Eustachii *t* diœcesis Viennensis asseruit, filium suum Vitalem Regis die Lunæ Natalitium Domini præcedente bina jumenta frumento F onusta deduxisse in Moras *u* Vallis aureæ *x* oppidum : ast toto itineris tempore ita exagitatus, ac gravioribus pluviis obrutus fuit, ut redux morbo ac febre phrenetica fuerit oppressus; hinc vehementes edebat clamores et ululatus, ac contra uxorem dicebat convicia : quæ Petrus pater uti et mater cernentes, simul eumdem Deo commendaverunt, ac Virgini Philippæ devoverunt; et mox phrenesis cessavit, fuitque prædictus Vitalis plane liber ac a malo sanatus : hinc Viennam ii accesserunt, ac vota sua eidem Virgini persolverunt, facem ceream et tres grossos argenteos *y* Deo eidemque Virgini cum gratiarum actione afferentes. Signatum. Bourdeti.

t

u *x*

y

Febre detenta sanitate donatur.

33 Anno 1457 die XI Januarii aliud miraculum contigit Stephanæ uxori Francisci Bourgrand parochiæ de Renel *z* diœcesis Viennensis : hæc a sex mensibus febre detenta, et lecto ita affixa fuit, ut nec levare se, nec pedibus sustentare valeret; se ipsam hinc Virgini Philippæ devovit, promittens, si sanaretur, ter trium annorum spatio sese sepulchrum ejusdem Virginis invisuram, ac imaginem ceream tribus grossis *aa* valentem oblaturam, qua Deo eidemque Virgini promissione facta, extemplo a morbo

z

aa

A a morbo liberata fuit, ac votum gratiasque eidem Virgini redditura accessit. Signatum. Bourdeti.

Infirmus sanatur. *bb*

34 Aliud miraculum I Februarii anno 1457 contigit Antonio Topin parochiæ Quirievensis *bb* diœcesis Lugdunensis : hic a tribus mensibus gravi morbo detentus, ac in lectulo suo gemens, nec loqui nec surgere valebat : hinc conjux illius eumdem Virgini Philippæ devovet, ac promittit, si sanetur, eum ipsum visitaturum ejusdem Virginis sepulchrum, ac eidem oblaturum unum toral, uti et sudarium. Derepente ergo sese sanatum sentiens de lecto surgit, vota ac gratiarum actiones redditurus ac ea, quæ supra, oblaturus venit, una cum duobus grossis monetæ Papalis *cc*. Signatum. Bourdeti.

cc

Infirmus sanitati restituitur. *dd*

35 Aliud miraculum II Februarii anni prædicti accidit Claudio Francisci Albi filio loci S. Laurentii Champ-Mosset *dd* diœcesis Lugdunensis : hic anno ætatis suæ quinto in partibus nobilibus hernia, descendentibus ilibus ad media usque femora, afflictatus fuit, partes porro prædictæ apparebant quandoque rubræ, quandoque vero nigræ, erantque gravium dolorum clamorumque causa, in tantum ut nec bibere, nec comedere, nec quiescere posset : tandem cum pater Virgini Philippæ devovit, ac, si sanaretur,
B promisit, sese filium suum pietatis ergo Viennam deducturum. Extemplo infans ab infirmitate et ilium relaxatione fuit sanatus, ac una cum patre modico post tempore Deo ac Virgini Philippæ gratias acturus ac offerenda oblaturus accessit. Signatum. Cahneti.

Infans mortuus vita ac Baptismate donatur. *ee* *ff*

36 Aliud miraculum anno 1457 XIX Aprilis. Catharina uxor Antonii Charle loci de Renage *ee* districtus de Branc-Rossant *ff*, diœcesis Gratianopolitanæ mortuum infantem abortu edidit; hic, cum a parentibus Virgini Philippæ esset devotus, cum promissione offerendi, si vitam sacrumque Baptisma reciperet, ceram paris cum infante gravitatis, derepente oculos aperit, movet manus, ac facies rubicundo colore donatur ; baptizatus ergo, et Claudius vocatus est, ac demum exspiravit. Pater vero Viennam gratias acturus Deo ac Virgini Philippæ accessit, eidemque Virgini novem librarum cereum obtulit. Signatum. Bourdeti.

E partu difficili in vitæ discrimen adducta liberatur.

37 Aliud miraculum anno 1457 die XXIV Aprilis relatum a domicella Maria nobilis viri Philippi Jobert alias de Vernac conjuge : hæc cum in puerperio esset, infans primo pedibus prodiit, reliquum autem corporis ita utero inclusum hæsit, ut prodire
C neutiquam posset. Tum eadem domicella preces suas Deo Virginique Philippæ obtulit, ita ut, si salva partum ederet, baptizarcturque proles, ipsamet veniret, aut mitteret, qui Viennæ caput cereum eidem offerret Virgini. Continuo infans integre prodit, ac sanguinem ob dolores oculis emittit, fuitque baptizatus. Exinde eadem domicella suum secum infantem deferens, aliisque stipata domicellis Viennam accessit, ut devotioni sana valensque satisfaceret. Signatum. Bourdeti.

Morti proximus sanitatem recuperat. *gg*

38 Anno ac die prædictis Joannes Chanonier dictus Bachas Annoniacensis *gg* diœcesis Viennensis asseruit, filium suum Joannem oppressum fuisse quodam morbo, ita ut ore ejiceret vermes longitudine fuso æquales, patremque, ut præ ægritudine ad lectum deferretur, rogaret; quo facto, moribundi instar singultus emittere cœpit : tum commiserescens genitor, filium suum Deo ac Virgini Philippæ devovit, promisitque Viennam se aditurum ac unius libræ cereum oblaturum. Duabus porro elapsis horis infans sanitatem recuperavit, vermes ejicere desiit, ac comedere cum appetentia cœpit : quæ vero fuere promissa, ab eisdem et fuere persoluta. Signatum. Bourdeti.

ANNOTATA. AUCTORE ANONYM.

D

a *Haud distinguuntur per partes miracula in apographo nostro, sed ordine sibi invicem omnia succedunt ; ipse vero more nostro in partes eadem divisi. Contigit miraculum hoc anno* 1454 I *Februarii die.*

b *Redi ad Annotata parte præcedente ad litt.* rr.

c *Vicus decem fere leucis Vienna dissitus.*

d *Varios Grossorum species in suo tractatu de Re monetaria exhibet le Blanc, uti et du Cange ad verbum* Moneta ; *cujus vero speciei is, de quo hic agitur, ac ii, de quibus infra agetur, fuerint, non habeo, unde definite pronunciem.*

e *Vicum* Rivel *sex fere leucis in orientem Gratianopoli distantem verosimilius miraculorum collector hic indicare voluit.*

f *Media fere via Viennam inter et Gratianopolim locus is situs est, ac in Tabula ad lit.* s *parte præced. cit.* Bressiacum *dicitur.*

g *Ita exaratum locum hunc non inveni.*

h *Locus is, ita expressus, non occurrit, sed alter ei affinis nomine* Modieu *dictus, ac tribus leucis Vienna dissitus.*

i *Ita expressum nomen id non inveni.*

k *Eo modo exaratum non invenio.* E

l *Septem leucis Vienna meridiem versus distat.*

m *Adi Annotata parte præced ad litt.* rr.

n *Id est fere nudus.*

o *In apographo nostro exaratum est* S. Goris d'Osta ; *ast attentis iis, quæ de Delphini militibus miraculorum collector asserit, scribendum arbitror* d'Aste, *quæ urbs est in ducatu Montisferrati latine* Asta *dicta ; ad eam enim usque, teste P. Daniel ad annum* 1455, *Delphini milites pervenerant. Cæterum haud modice in hujus miraculi descriptione inter se biographus ac miraculorum Collector discrepant, ut Comment. præv. num* 67 *est videre.*

p *Adi P. Daniel loco ad lit.* o *modo citato.*

q *Vide Annotata hac parte ad lit.* d. Tres solidos cum triente seu denarios quadraginta *habet biographus.*

r *Provincia Franciæ ampla et nota.* [*Magnus tamen prioratus Alverniæ latius patebat, utpote qui in utramque Burgundiam, Sabaudiam, Pictavienses, etc. excurreret.*]

s Dartres *vernacule, latine* Impetigo *dicitur : quadruplex morbi hujus apud medicos species est, de secunda autem* (*cæteras apud ipsum vide*) *sequentia le Mascrier in Tabula infirmitatum gallice habet :* In secunda, *nempe impetiginis specie,* quæ pejor F priore est, pellis rudis ac rubra magis est, ac pustulis elevatioribus operta est. Hæc impetiginis species, quam Dartres dicimus, græcis Lichen vocatur. Hocce in morbo corrosio vehementior est, et cutis scabra abit in squamas, malum proserpit, partesque vicinas occupat, disparet, et iterato certis temporibus communiter prodit.

t *Locum hunc non reperi.*

u *Oppidulum Vienna septem circiter leucis dissitum.*

x Vallis in Delphinatu. Latinis Vallis aurea ob eximiam illius fertilitatem, extendit se ab oriente in occidentem ad Rodani latus, quatuor infra Viennam leucis. *Corneille ad verbum* Valoire.

y *Redi ad Annotata supra lit.* d.

z *Verosimilius locus is, qui in tabula Tillemontiana* Revel *dicitur, ac quatuor leucis Vienna distat.*

aa *Vide Annotata supra lit.* d.

bb *Oppidum est in Delphinatu, Lugduno septem leucis dissitum.*

cc *Cujus illi valoris sint, assequi haud potui.*

dd *Locus hic in Tabulis Blaevianis* S. Laurent de Chamolet *dicitur, ac Lugduno Orientem versus quinque fere*

AUCTORE ANONYM.

que fere leucis distat. [*Rectius miraculorum Collector : est enim* S. Laurent de Chamousset *parochia in districtu Lugdunensi.*]

A ee *Nomina verosimilius utriusque loci hocce in miraculo expressi immutata sunt; neutrum enim ita expressum reperire valui : videntur quidem in Tabula Tillemontiana prior* Uriage, *posterior* Bourg d'Oisans *dici : in Tabulis vero Blaevianis dicuntur* Uriage *et* Bourg d'Oysan.

ff *Vide Notam præcedentem.*

gg *Redi ad Annotata parte præcedente lit.* t.

PARS TERTIA.

Beneficia alia B. Philippæ precibus præstita.

Carceri inclusus ope B. Philippæ libertati redditur. *a*

Anno ac die quibus supra quidam dictus Joannes Benedictus Annoniacensis *a* obscuro carceri ibidem fuit inclusus ob suspicionem, quam ministri justitiæ conceperant, eumdem flumen loci illius veneno infecisse; quod falsum esse, Joannes Benedictus asse-
B rebat : quo non obstante, ut factum fateretur, bis pœnis tortus fuit; verum perseverabat factum negare, seque innocentem dicere : contigit interea, ut eumdem conjux Benedicta Virgini Philippæ devoveret, promitteretque Viennam se accessuram ac
b unius quatroni *b* cereum oblaturam, si e loco evadere, pœnasque salvus declinare posset; quod et factum est : innocens enim declaratus, ac a ministris, quadam interveniente pecuniæ summa, dimissus est; exinde ipse et uxor illius votum eidem Virgini reddiderunt. Signatum. Bourdeti.

Mulier, mortuos infantes parere assueta, vivum enititur. *d* *c*

40 Anni prædicti die penultima Aprilis domicella Margarita uxor nobilis domini Antonii de Fogieres *c* loci ejusdem, ac Castri Dei *d* toparchæ, diœcesis Lugdunensis asseruit, se jam quinies partum edidisse mortuum; sed cum videret iterato se gravidam, fœtum hunc Deo, gloriosæ Virgini Mariæ ac Virgini Philippæ devovit, ea lege ut, si salvus pareretur, vivereque in eorum solamen perseveraret, deferret ipsa infantem Viennam ad ejusdem Virginis sepulchrum, offerretque in gratiarum actionem cereum : pauco porro post tempore domicella hæc filium enixa est; qui et Baptismate donatus fuit; cumque post sex septimanas mater eidem Virgini in gratiarum actio-
C nem cereum obtulisset, peracto Sacrosancto Missæ sacrificio, læta ac sana ad propria est regressa. Signatum. Bourdeti.

Variis morbis detenta sanitati restituitur. *e* *f*

41 Anno 1457 die v Maji domicella Antonia de la Foniere conjux nobilis domini Francisci de Vangence domini de Souvignan *e* in Sabaudia prope Burgum in Bressia *f* testata est, sese a duobus annis circa festum S. Michaelis gravi pedum dolore, qui ad femora usque pertingebat, fuisse detentam, ita ut se sustentare non valeret, insuper chiragra adeo laborabat, ut digitos incurvatos haberet, neque eos extendere posset, imo tanto capitis totiusque corporis dolore premebatur, ut nec quiescere, nec adversus mala hæc ullum potuerit humanum invenire remedium : statuit ergo tandem subsidium petere a
h *g* S. Joanne Baptista *g*, S. Romano *h* ac Virgine Philippa, promisitque, si sanaretur, se visitaturam singulorum templa; sanatur igitur, visitatque in patria S. Joannis Baptistæ ac S. Romani loca, ast Virginem Philippam accedere negligit : quapropter priorem relabitur in infirmitatem, ac perseverante ea summopere dolebat; iter igitur Viennam versus, quantumvis infirma, aggreditur; ast in via meritis et intercessione Virginis Philippæ sanatur : Viennam porro adveniens, ejusdem Virginis sepulchrum visi- D
tavit, ac tres florenos in gratiarum actionem obtulit. Signatum. Bourdeti.

Mortuæ matris fœtus præservatur. *i*

42 Anni prædicti XXI Maji Godo Piney, et Guilielmus Masson oppidi S. Aunemundi *i* diœcesis Lugdunensis asseruerunt, Godonis conjugem præterito Paschate partui proximam gravi fuisse morbo oppressam, adeo ut per biduum sensibus plane destitueretur, ac postea partu haud emisso moreretur; quod intuentes prædicti, infantem Deo ac Virgini Philippæ, ut vitam Baptismumque reciperet, devoverunt : statim ergo iidem uterum defunctæ matris reserant, infantemque vivum reperiunt, qui sacro Baptismate percepto post horas duas animam Deo reddidit : quo facto Viennam Deo ac Virgini Philippæ acturi gratias advenerunt, offerentes unius ac dimidiæ libræ imaginem ceream, aliasque minores candelas. Signatum. Bourdeti.

Infirmus sanitati redditur. *k*

43 Anno ut supra die S. Joanni Baptistæ sacro Petrus Boudilon et Joanna uxor ejus, Joannes Faiard Monasteriolensis *k* et Gabriela conjux illius diœcesis Podiensis asseruerunt prædictum Joannem Faiard mense Majo tali fuisse sex septemve diebus faucium dolore detentum, ut nec bibere nec comedere, imo nec loqui valeret : nescius ergo quæ porro E
remedia adhiberet, interne sese Deo, Sanctis omnibus, præsertim tamen Viennensi Virgini Philippæ commendavit, animo vovens, si sanaretur, iter Viennam versus se ingressurum, ut Deo eidemque Virgini, venerabundus illius Reliquias visitans, gratias redderet. Hisce ergo interne deliberatis ac promissis, extemplo e lecto surgit infirmus, ac loqui incipit his verbis : « Virgo me tibi dono. » In festo porro S. Crucis Majo mense ab infirmitate sua sanus, ac a malo extitit liber, hodieque Viennam, gratias acturus Deo Sanctæque Virgini, cum prædictis accessit. Signatum. Chomardi.

Filiola mortua vita ac Baptismo donatur. *l* *m*

44 Anno 1558 (*lege* 1458) die XX Martii Gerardus Villery de Charpen *l* et Claudius Tansas de Alexian *m* diœcesis Valentiensis retulerunt, conjugem Claudii a tribus diebus filiam peperisse mortuam. Quapropter parentes afflicti eamdem Deo ac Virgini Philippæ devoverunt, siquc vitam reciperet, ac sacro regeneraretur Baptismate, vota sua eidem Virgini redderent, infantemque supra sepulchrum deferrent, offerentes in gratiarum actionem quatuor ceræ libras. Iter ergo ingrediuntur, et vota complent, ac filia super sepulchrum ejusdem Vir-
F ginis reclinata, oculum aperit ac caput movet, statimque baptizatur. Gratiarum igitur actione ac promissorum oblatione factis, prædicti gaudentes ad propria sunt regressi. Signatum. Bourdeti.

Infirma sanatur. * mensium

45 Anno supradicto 1458 die XIV Aprilis Bertrandus Dansou domicellæ Susannæ de Cardaroussc famulus testatus est ejusdem domicellæ sexdecim octodecimve annorum * filiam ex pluribus in ore ulceribus ita fuisse ægrotam, ut jam a triduo nec lac nec quodvis aliud nutrimentum sumere valuerit : parentes ergo una cum loci pastore filiam hanc Virgini Philippæ devovent, promittuntque, si sanetur, binas ceræ libras Viennam mittendas et offerendas; extemplo filia hæc lac sugit, vires ac plenam perfectamque sanitatem recipit. Votum ab homine ad id speciatim delegato debite fuit persolutum, ac gratiæ eidem Virgini fuere redditæ. Signatum. Bourdeti.

Infirma sanitatem recuperat. *n* *o*

46 Anno 1458 die XIX Aprilis dominus Petrus Plaisant regius medicus ac Joanna conjux, filia domini Stephani Brinet de Villefranche *n*, modo loci S. Boniti *o* incolæ, asseruerunt eamdem Joannam, languore ac gravi morbo ex prægnationis formidine contracto, fuisse detentam, ac septem hebdomadibus

A dibus omni nutrimento (modico jusculo ac aqua seclusis) vixisse rejecto; graviter igitur exinde debilitata, sese Deo ac Virgini Philippæ, ut sanaretur, ac infantem, qui sacro Baptismatis fonte tingeretur, posset eniti, devovit, quod et divina favente gratia, contigit : mater enim sanitati fuit restituta, ac infans Baptismate donatus diu superstes fuit : voto hinc hodie mater satisfecit, obtulitque binas ceræ libras, ac unum celebrari curavit sacrum. Signatum. Averti.

Mulier amens fit sui compos
p

47 Anno 1458 XXVII Maji Claudius Baulme de Mommet *p* diœcesis Valentiensis testatus est, conjugem suam Margaritam proxime præterito Pentecostes die magna fuisse mœstitia obrutam ob liberorum multitudinem (quibus alendis res familiaris erat angustior) ac matris vetulæ convictu difficillimæ morositatem : augebatur porro in tantum mœstitia hæc, ut a rationis usu abalienata per fenestras sese misella præcipitare tentaret, ac nuda per plateas discurrere. Devovetur a marito Philippæ virgini, et extemplo mulier sensibus restituitur et sanitati : maritus hinc Viennam accessit et novem ceræ libras in gratiarum actionem obtulit. Signatum. Bourdeti.

Morti proxima sanitate donatur.
r q

B 48 Anno prædicto IX Augusti Petrus Arnould, dictus Charay parochiæ de Columbiere *q* districtus de Anthon *r* diœcesis Lugdunensis asseruit, filiam suam, arbore casu in caput ejus decidente, morti fuisse proximam, ita ut tribus quatuorve diebus mortuæ quam vivæ fuerit similior, ac ea, quæ ad sepulturam spectant, cœpta modo essent præparari : verum pater, aliique, qui de cognatis aderant, eam Philippæ virgini devovent, promittuntque, si sanitati restituatur filia, Deo eidemque Virgini ex devotione trium librarum cereum, ejusdem filiæ sudarium, ac insuper omnibus diebus Veneris ac Mercurii, donec votum plene fuerit persolutum, jejunium; quo facto, filia sanatur, et votum solemniter redditur. Signatum. Bourdeti.

Defuncta proles resuscitatur, ac baptizatur.
s

49 Anno 1459 die IX Maji Joanni Fournier dicto Jaquemet loci S. Martini de Plaigne *s* diœcesis Lugdunensis abortu nata est filia mortua, quæ Virgini Philippæ devota, ejusque sepulchro superposita vitam recepit, et a parocho S. Ferreoli baptizata, post quinque horas vivere desiit.

Filiolus mortuus reviviscit et baptizatur.
t

C 50 Anno 1458 die XIX Aprilis Joanna filia Jacobi Alouëtte parochiæ de Soleise *t* Lugdunensis diœcesis abortivum enixa est filium, qui Philippæ Virgini devotus, ac sepulchro ejusdem superpositus, meritis et intercessione illius finito Sacro vita ac Baptismate donatus fuit. In gratiarum actionem paris ac puer ponderis fuit oblatus cereus. Signatum. Bourdeti cum bono testium testimonio.

Infans mortuus vitam recipit et Baptismum.
u

x

51 Anno prædicto XII Maji nobilis Joannes du Puis patria Borbonius, loci de Naucosset *u* asseruit, Margaritam conjugem suam peperisse infantem mortuum, quem devoverunt Philippæ Virgini, ac ad parochialis templi altare detulerunt, cumque plura vitæ signa dedisset, a deserviente illic presbytero baptizatus ac a parocho Sacro Oleo *x* inunctus fuit, quo peracto obiit. Parentes deinde vota sua Philippæ Virgini reddiderunt. Signatum. Bourdeti.

A dæmone obsessus, ac misere vexatus liberatur.
y

52 Anno 1465 die XXVII Aprilis Matthæus Baret loci S. Petri de Beufs *y* diœcesis Viennensis ratione litis, a tribus in festo S. Antonii annis ab alio contra se motæ, gravi tristitia tenebatur; cumque nocte quadam graviter hinc affligeretur, vocem sibi dicentem audivit : « Patientiam habe, et adversarios tuos vinces. » Somno ergo emersus, lumen clarissimum in cubiculo intuetur, quod extemplo evanuit. Visionem porro hanc meditans, ac media, quibus adversarios vinceret, indagans, iterato indormit, ac post pusillum malignus apparet D spiritus, qui et miserum invadit; e lecto ergo sese proripiens, ac furiis agitatus, sese terræ allisit, clamores ululatusque tales emittens, ut domestici æque ac vicini ad miseri hominis spectaculum accurrerent, eumdemque de terra elevantes, in lectulum reclinarent : verum inibi eumdem detinere (furiose namque a dæmone exagitabatur) haud valentes, eumdem integri mensis tempore vinculis ligare, necessum habuere : tandem conjux misellique filia eumdem Deo, Sanctæ Philippæ ac Sanctæ Cruci in loci templo cultæ devovent, promittuntque, eumdem sanitati restitutum illuc se deducturas, ac dimidiæ libræ cereum, similemque in honorem Sanctæ Crucis oblaturas, si favente Deo his malis eximeretur. Extemplo miser hic suaviter indormit, sanitati restituitur, a maligno spiritu liberatur, ac promissa adimplentur. Signatum. Molletti.

Infans mortuus, cum ad Virginis sepulchrum defertur, Lugduni vitam ac Baptismum recipit, obit, ac sepelitur.
z

E 53 Aliud miraculum anno 1465 die XXVII Julii ab Hugone Billiot parochiæ de Cuyzet prope insulam Carbo *z* Lugdunensis diœcesis relatum fuit : asserebat namque is conjugem suam Antoniam abortu infantem peperisse masculum, cui eadem Antonia condolens, illum devovet Viennensi Virgini Philippæ, promittitque, si vitam Baptismumque recipiat, se oblaturam cereum paris cum puero (octo autem libras puer æquabat) ponderis. Iter ergo Viennam versus, bono stipati sodalitio, ac infantem secum deferentes, exordiuntur, ac Lugdunum omnes perveniunt, dumque in templo Fratrum Minorum moras trahunt, infans spiritu vitæ donatur, ac a Fratre Priore de Tuyssia ejusdem Ordinis religioso baptizatur; duabus porro horis præteritis vivere infans desiit, ac eodem in templo, trecentis et ultra personis miraculo præsentibus, sepelitur, cognati dein iter suum Viennam usque prosequuntur, gratias Deo Virginique Philippæ referunt, cereum offerunt, ac in pace ad propria regrediuntur. Signatum. Molletti.

Morti proximus sanatur.
aa

54 Aliud miraculum anno 1465 die XXVII Septembris a Benedicto Domenge domini Guilielmi Camyon Valentiæ *aa* membranarum politoris famulo assertum : aiebat namque is heræ suæ filium ubera sugere haud valentem, mortique proximum Virgini Philippæ fuisse devotum; quo facto revivisscre, et nutricis ubera sugere incipit; parentes igitur in honorem Virginis Sacrum Viennæ celebrari curant, ac cereum sex argenti grossis valentem offerunt. Signatum. Molletti. F

Infirmus et laterum dolore oppressus sanitati redditur.
bb

55 Anno 1480 die XXIII Junii Antonius Bonpar Podiensis *bb* laterum dolore ita triennio detentus fuit, ut ab hominibus subsidium ultra haud speraret, quod conjux illius Coleta animadvertens, maritum suum Virgini Philippæ devovet, ac, si sanatur, promittit, se uti et maritum Viennam accessuros, ut vota sua reddant, Sacrum unum celebrari curent, ac quinquaginta ceræ libras eidem Virgini offerant : protinus a malis infirmus liberatur, ac sanitati plene restituitur. Viennam ergo cum conjuge sua, ac vicinis quibusdam properat, ut vota reddat, ac Deo eidemque Virgini gratias agat. Signatum. Bourdeti.

Eodem morbo laborans sanatur.
cc

56 Anno ac die prædictis Joannes Michelat Podiensis *cc*, qui comitem sese modo dicto Antonio Viennam versus præbuerat, eodem plane laterum dolore oppressus fuit; ast Viennam regressus, ac ad Virginis Philippæ sepulchrum prostratus, devotionis ac fidei virtute sanatus, et dolore exemptus fuit, obtulitque in gratiarum actionem ea, quæ rei familiaris angustia indulgebat. Signatum. Bourdeti.

57 Anno 1472 die XIV Aprilis Guilielmus Sol-

AUCTORE ANONYM. *Cæcus Virginis sepulchrum visitans illuminatur.*

lessart Montis-Ferrandensis *dd* in Alvernia quinquaginta annis natus, a pluribus jam annis oculorum lumine ita fuit destitutus, ut nec colores, nec litteras videre, nec ullum de facie posset cognoscere : audita porro Viennensis Virginis Philippæ virtutum miraculorumque celebritate, divina fretus misericordia, Viennam versus iter haud sine comite instituit : precibus igitur, ad ejusdem Virginis sepulchrum procumbens, intentus visum integre recuperat, ac de percepto beneficio Deo, gloriosæ Virgini Philippæ gratias reddit, et cum gaudio ad propria regreditur. Signatum. Bourdeti.

A *dd*

ANNOTATA.

a *Vide notata parte prima ad lit.* t.

b *Redi ad Annotata part.* I *lit.* r.

c *Locum hunc ita expressum non inveni, ni is sit forte, qui in Tabulis Blaevianis* Fonge *dicitur, ac* Condriaco *fere adjacet.*

d *Ignotus mihi locus iste; haud multum discrepat, nec a præcedente ita remotus est vicus* Chau vieux *dictus.* [Champdieu *succursalis ecclesia sub parochia* Montis Brisonis, *in diœcesi Lugdunensi.*]

B e *Aliquot hujus fere nominis loca in Sabaudia existunt : ut* Savona, Savery, Sarbies, Salauce : *ast velut in apographo nostro exprimitur, locum hunc non inveni.*

f *Metropolim Bressiæ sex fere leucis Matiscone orientem versus dissitam.*

g *De S. Joanne Baptista per universum orbem catholicum culto, consule Opus nostrum ad diem* XXIV *Junii; ast præ reliquis cap.* IV § IV, *uti et ibidem caput* VI.

h *De S. Romano, utique abbate Jurensis monasterii in Burgundia, videsis apud nos* XXVIII *Februarii.*

i *Quinque fere leucis Lugduno meridiem versus distat.*

k Monistrol *vernacule : oppidulum est in Velaunis prope Ligerim fluvium.*

l *Quatuor leucis Valentia distat, ac in Tabula Tillemontiana* Charpey *dicitur.*

m *Tribus fere leucis Valentia distat, ac in Tabula modo citata* Alissan *vocatur.*

n *Forte indicatur hic* Francopolis [Villefranche], *venustum oppidum septem circiter leucis Lugduno dissitum.*

o *Burgus est in Foresio media fere via S. Aunemundum inter et Montem Brisonis situm.* [*Duplex est* vicus S. Bonniti, *uterque in districtu Francopolitano :* St-Bonnet-le-Troncy *et* St-Bonnet-des-Bruyères.]

C p *Forte locus is in Tabula Tillemontiana* Monvendre *dicitur, ac Valentiæ adjacet.*

q *Burgus est ad fluvium* Pin *septem leucis Lugduno distans; a* Collumbiere *vero* Anthon *duabus fere leucis abest ac Rodano adjacet.* D

r *Vide notam præcedentem.*

s *Lugduno meridiem versus quatuor fere leucis distat, ac vicus S. Aunemundo proximus est* S. Martinus *dictus.*

t *Ignotus hic mihi locus.* [Solaise *ecclesia succursalis sub parochia* St-Symphorien-d'Ozon, *in hodierna diœcesi Gratianopolitana,* Dép^t^ de l'Isère.]

u *Similia huic in Borbonio, ut* Cousaget, Cressaget, Ecousaio, *occurrunt nomina; hinc fortasse perperam locus hic in apographo nostro exprimitur.*

x *Confirmationis, ut videtur, id enim Sacramentum a presbytero* (*adi theologos Scholasticos de hujus Sacramenti ministro*) *præeunte Pontificis licentia valide et licite conferri potest : quamquam forte et de alia quadam unctione id intelligi possit, uti de simili recte Menardus in Notis et Observationibus in Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ* (*a*) *observat in hunc modum :* Sed ii, *inquit,* non mediocriter hallucinantur, qui scribunt ejusdem esse virtutis chrismari seu ungi in vertice a presbytero, ac chrismari in fronte ab episcopo. Hæc enim chrismatio verticis non est Sacramentum, nec gratiam E ex opere operato conferre, nec Spiritum Sanctum donare valet : sed datur, ut intelligat baptizatus, se ab eo die Christo capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ex ea re Christianum a Christo, Christum vero a christo appellari, etc.

y *Vienna trans Rodanum quinque leucis distat vicus hic, ac in Tabula* I *parte ad lit.* s *citata* S. Petrus de Bove *dicitur.*

z *Insula hæc Lugduno adjacet; ast parochia hæc in tabulis Blaevianis, ni illa sit, quæ* la Ciere *dicitur, non reperitur.*

aa *Civitas episcopalis est in Delphinatu ad Rodanum fluvium.*

bb Urbs Galliæ ampla et perculta in colle in Occitania, Velauniæ provinciæ caput prope Ligerim fluvium, episcopalis sub archiepiscopo Bituricensi, sed ab ejusdem jurisdictione immunis . . . . . dicitur aliter hæc urbs Anicium. *Baudrandus ad verbum* Podium. *Vide plura apud eumdem ad verbum* Anicium, *et quædam in Commentario prævio* § III *num.* 50.

cc *Vide Annotata lit. præced.*

dd Urbs Galliæ in Alvernia provincia vix uno F milliari a Claromonte urbe distans in ortum, unde etiam sub ipsa sæpius comprehenditur, et aliquando dicta fuit Clermont-Ferrand, sed revera separatur. *Baudrandus ad verbum* Mons-Ferrandus.

(*a*) T. III, part. I, Opp. col. 386. Edit. Paris. an. 1705.

DE B. THEODORICO

ALEMANNO PRESBYTERO CONFESSORE

EX ORDINE CARMELITARUM VENETIIS IN ITALIA.

SYLLOGE.

C. G.

CIRCA ANNUM MCCCLXXVII *Ob defectum Actorum, forte*

Quod aliquoties doluerunt Majores nostri, nempe suas ad manus plurimorum virorum illustrium, Sanctisque aut Beatis adscriptorum, qui sacrum Ordinem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo præclaris virtutum suarum exemplis illustrarunt, Acta non devenisse, id nobis pariter non immerito dolendum esset de B. Theodorici *Vita, si hæc uti Segerum Pauli testari ait Lezana in Annalibus Carmelitarum ad annum* 1377, *reipsa conscripta foret a Joanne Grossi*

A *Grossi Tolosano* In Opusculo de Sanctis Ordinis Carmelitani : *cum enim hic scriptor, utpote qui ab anno* 1389 *usque ad annum* 1430 *generale Ordinis Carmelitani magisterium gessit, et proinde B.* Theodorico, *circa annum* 1377, *ut ajunt, defuncto, suppar extitit, pleraque hujus gesta optime perspecta habere potuerit, quemadmodum elucubrata ab eodem Beati nostri Vita non posset non summe æstimari, et ut auctoris maxima auctoritate prædita fœtus nostro de Actis Sanctorum Operi inseri, ita quoque ejusdem jactura non posset non ægre ferri. Verum num illud reipsa præstiterit, seu sat prolixam, ut apte* Vita *dici potuerit, gestorum B.* Theodorici *historiam exararit laudatus Joannes Grossi, dubium facit, quod idem Segerus Pauli conscriptam Beati nostri Vitam citans, pauca admodum in medium proferat, quæ in gestorum ejusdem Compendio, ab eodem magistro generali part.* II *Viridarii Ordinis Carmelitani concinnato, non legantur.*

numquam scriptorum, exhibetur tantum

2 *Etenim, testante Lezana, Segerus Pauli in suis ad Mechliniense Kalendarium, varios ex Ordine Carmelitano sanctos sanctitatisve fama illustres viros complexum, Observationibus ex citata a se Vita nihil aliud collegit, quam B.* Theodoricum ex fratre Con-

B verso factum esse clericum et presbyterum et sex patrasse miracula; *jam vero hæc miracula, unico excepto, leguntur pariter in dicto jam exhibitoque* (*a*) *Speculo Carmelitano a R. P. Daniele a Virgine Maria gestorum Beati Compendio seu Elogio; qua de causa modo suspicor Segerum Pauli, dum* B. Theodorici *Vitam a laudato magistro generali conscriptam fuisse ait, nihil aliud, quam ipsummet gestorum Compendium seu Elogium, ab eodem Joanne Grossi concinnatum, designasse. Fateor quidem ex hoc Elogio nullatenus erui* B. Theodoricum, *priusquam clericus sacerdosque fieret, extitisse, ut Segerus Pauli ex citata a se Vita collegit, fratrem laicum seu conversum, atque hinc etiam aliquatenus innui, dictum gestorum Compendium a citata a Segero Pauli Vita esse diversum; at vetusta Viridarii Joannis Grossi, in quo Compendium illud exstat, MSS. exemplaria, ejusdemque, quæ anno* 1507 *procurata est, editionem Venetam inter se non convenire monet in Notatione prævia ejusdem Viridarii editor R. P. Daniel a Virgine Maria : quid itaque si alia exemplaria aliis extiterint auctiora, unoque tali auctiori exemplari Segerus Pauli usus fuerit, et in eo,*

C *quod in aliis exemplaribus non habebatur, B.* Theodoricum *in religiosæ suæ vitæ initio extitisse fratrem laicum seu conversum legerit? Utut sit, cum citata ab hoc auctore Beati Vita, si hæc a concinnato per Joannem Grossi Actorum Compendio distincta ponatur, a RR. PP. Daniele a Virgine Maria, et Lezana, qui ambo scriptores antiqua Ordinis sui monumenta diligentissime inquisierunt, in lucem protrahi nequiverit, cæterisque etiam omnibus, quos consului, ejusdem Ordinis scriptoribus ignota fuerit, eamdem quoque a nobis minime repertum iri existimamus, ejusque loco ex Joannis Grossi Viridario, part.* II *Tom. I speculi Carmelitani edito, gestorum Beati Compendium, seu ejusdem Elogium hic exhibemus.*

breve Beati Elogium.

3 S. Theodoricus natione Alemannus. Hic domans carnem suam quotidie, supra nudum ferream portavit loricam. Unde

Carnetenus ferrum portans diu, vanaque sprevit
Cordetenus, Sanctum tandem lux cœlica plevit.

Iste Sanctus, petita et obtenta licentia superiorum propriam provinciam deserendi, peregrinationis causa Romam pervenit, ubi multa fecit miracula. Quandam enim generosam puellam, graviter a D dæmonio vexatam, præsente urbis Romanæ senatore cum comitibus diversis, misericorditer liberavit. Demum gloriam mundi fugiens venit ad civitatem Senarum, ubi primo in præsentia multorum cuidam surdo auditum restituit; secundo vero, dum populo prædicabat verbum vitæ, quædam mulier ejus interfuit prædicationi, et Sancti Viri aliquod desiderans videre miraculum, in elevatione Corporis Christi vidit Trinitatem in confirmationem sui desiderii. Postea veniens Florentiam, quamdam puellam claudam, nullum habentem rectum membrum, in toto sanavit. In conventu vero Venetiarum, ubi ejus Corpus gloriose quiescit multis clarens miraculis, XIX die mensis Octobris ab hac luce migravit. Quædam autem mulier cæca cum cappa Viri Sancti oculos suos tangendo atque tergendo visum recepit. Multa crebra miracula meritis istius Sancti Confessoris fiunt ad laudem et gloriam Conditoris omnium in ipsa ecclesia, in qua ejus gloriosum Corpus quiescit, quæ ibidem multum pulchre depicta sunt.

AUCTORE C. G.

Alia quædam, quæ de eodem narrantur,

4 *Simile Elogium, sed paulo magis contractum, habet Joannes Palæonydorus Hollandus initio sæc.* XVI *defunctus, in Fasciculo tripartito parte itidem* II *Speculi Carmelitani* (*b*) *edito, Palæonydorumque secuti sunt Didacus Coria in Chronico Carmelitarum, Biscarretus in Palmitibus Vineæ Carmeli, aliique passim ex ordine Carmelitano scriptores; at singularia quædam tradit Philippus Metius apud Lezanam tom. IV Annalium* (*c*) *his verbis :* Beatus Theodoricus, Germaniæ quondam provincialis, cum reverendiss. priorem generalem in Terra Sancta residentem visitasset, rediens terra et mari tanta (intercedente divina gratia) edidit miracula, ut omnium ore apostolus Terræ Sanctæ diceretur. Mirabilis fuit suæ carnis domitor; super nudum etenim corpus ferream quotidie portabat loricam. Charitate in fratres et pietate in Deum fuit insigni. Qui cum magistratu suo fuisset bene perfunctus, tandem in conventu Venetiarum diem clausit extremum anno 1310 miraculis et vivus et mortuus excellens. Ejus intercessionibus Veneti his etiam temporibus nostris gaudent.

E

sunt fabulosa.

5 *Quam hæc sunt magnifica, ita vellem antiquiorem aliquem auctorem produci, qui eadem confirmaret; verum id neque præstare potuit laudatus Lezana, qui in Annalibus ad annum* 1377 *ita loquitur :* Quis fuerit hic Generalis, quem in Terra Sancta (B. Theodoricus) visitavit, et quomodo dicatur obiisse anno 1310, cum Palæonydorus, Coria, Munos et Biscarretus, imo Philippus a S. Jacobo in Catal. Vir. illust. Ord. circa hoc tempus (*annum videlicet* 1377) obiisse dicat, pro nunc prætermittimus, donec clariora innotescant, *neque a quoquam præstitum iri puto : anno enim* MCCXXXVIII, *uti Papebrochius tom III Maji* (*d*) *docet, decreta cœptaque fuit Ordinis Carmelitani ex Oriente in Occidentem transmigratio, et septem annis post, seu anno* 1245 *generalis prior Alanus ex Syria et Terra Sancta, pro majori parte a Turcis occupata, in Europam transiens exceptus fuit in Alysfordiensi Angliæ conventu, ibique abdicanti Alano a patribus in Capitulo congregatis suffectus fuit B. Simon Stok, qui deinceps, uti in dicto Capitulo decretum fuit, semper in Occidente remansit, neque ullus postea prior generalis in Oriente demoratus fuit, quem proinde B.* Theodoricus, *si Metio, anno* 1310, *si vero aliis scriptoribus*

F

(*a*) T. I, part. II, p. 140, num. 603, p. 265, num. 1099 *et* t. II, p. 736, num. 2550. — (*b*) p. 220, num. 932. — (*c*) p. 693. — (*d*) Ad diem XVI Maji, p. 634, num. 4.

credimus,

AUCTORE C. G.

credimus, circa annum 1377 *defunctus, in Terram Sanctam visitatum ire nequiit. Dubitari etiam potest, an reipsa Beatus noster Carmelitarum per Germaniam provincialis extiterit, quandoquidem inter eosdem neque a laudato Palœonydoro, lib.* III *cap.* XIII *quosdam Germaniæ provinciales recensente, neque a Lezana, qui ex Capitulis Generalibus, ab anno* 1348 *usque ad annum* 1373 *habitis, tom. IV Annalium* (*a*) *plures enumerat, referatur; sane sola Metii auctoritas illud nobis indubitatum reddere nequit, tacentibus cæteris ex eodem Carmelitano Ordine scriptoribus, quibus etiam quoad tempus Beati emortuale potius adhæremus, quam soli Metio aliis omnibus refraganti.*

Pluribus claruit Beatus miraculis,

6 *Etsi vero ex dictis Philippi Metii narratio fabulosa quædam adjuncta habere videatur, ex laudatis tamen supra Joanne Grossi et Palœonydoro certum est, Beatum nostrum a jactis religiosæ vitæ fundamentis* (*fecit id, ut in Notis MMSS. ad Aciem bene ordinatam Philippi Visitantini lego, et a Carmelitis Coloniensibus, teste Gelenio lib.* III *Syntagmate* 43 *de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine, creditur, in conventu Coloniensi*) *austeram admodum vitæ rationem tenuisse, cujus indicium est ferrea lorica, a monachis Camaldulensibus, ut in Vita B. Dominici Loricati ad diem præcedentem edita legere est, frequenter etiam usurpata, quam super nudam carnem suam gerebat, talemque etiam evasisse ad vitæ sanctitatem, quam Deus in vita æque ac post obitum mundo testatam facere dignatus fuerit crebris miraculorum signis, in dato supra num.* 3 *Elogio ex parte recensitis; ex parte, inquam, recensitis, quia plura alia post ejus obitum mox asseruntur fuisse subsecuta, a Marco Antonio Alegrè de Casanate in Paradiso Carmelitici Decoris generatim etiam perstricta hisce verbis :* Venetiis tandem (B. Theodoricus) spiritum immaculatum reddidit Christo. Ibi incorrupto Corporis exuvio manens, magna veneratione recultus, a morte miraculis clarus, cæci ab eo visum, surdi auditum recipiunt, et debilis quisque sospes a sepulchro regreditur ejus, et vel levissimo pallii ejus attactu multa mira operantur a Deo. *Similia habet Philippus a Sanctissima Trinitate Historiæ Carmelitanæ cap.* V *et Petrus Wemmers in Chronico ejusdem Ordinis* (*b*), *qui et addit eumdem ob crebra, quæ ad ejus sepulchrum facta fuerunt, miracula semper pro* Sancto *fuisse habitum, quod quam verum sit vel ex eo liquet, quod uti a laudatis Joanne Grossi et Palœonydoro, in Speculo quoque antiquo Carmelitano, anno* 1507 *Venetiis typis edito,* Sanctus *nuncupetur, et a cæteris omnibus, quos consului, ex Ordine Carmelitano scriptoribus* Sancti *aut* Beati *titulo insigniatur.*

publicoque cultu gavisus fuit,

7 *Scriptoribus Carmelitanis accedunt Miræus in opusculo de Origine et Incrementis Ord. Carmelit., Gelenius in Sacris et Piis Fastis Agrippinensibus, et Molanus, qui in Usuardi apud Sollerium Auctariis ad hanc diem ita habet :* Ipso die Sancti Theodorici Confessoris Ordinis Carmeli. *Nec dubitandum est, quin mox ab obitu crebrescentibus ad Beati Viri tumulum miraculis, cœpta etiam mox fuerit in Carmelitarum saltem Venetiis ecclesia publica ejusdem veneratio, et deinceps tantopere fuerit aucta, ut hanc demum ad totum Ordinem Carmelitanum extendere visum fuerit Capitulo Generali, Romæ in cœnobio S. Martini anno* 1564 *congregato, cujus jussu Kalendario Breviarii, eodem anno editi, ad* XV *Octobris diem hæc inserta sunt :* Theodorici confessoris ordinis nostri, Duplex. *Sane Beati nostri cultum ex hoc capituli generalis decreto non sumpsisse initium, sed eumdum jam dudum ante habitum dictum capitulum generale viguisse, suadet Kalendarium antiquum MS. Conventus Mechliniensis, ante annum* 1500, *imo verosimiliter, ut observat, qui ejus ecgraphum ad Majores nostros transmisit, circa medium sæc.* XV *exaratum, in quo ad* XIX *Octobris ita legitur :* Theodorici confessoris non episcopi ordinis nostri : *suadet id pariter codex MS. sat antiquus ex bibliotheca ducis Altemps de origine Ordinis Montis Carmeli, a Lezana laudatus,* qui Theodoricum *nostrum* inter Sanctos seu Beatos Ordinis cappis albis depingendos reponit : *neque etiam congregati in capitulo generali anno* 1564 *præcipui ex sacro Carmelitarum Ordine Patres tam solemnem B.* Theodorico *per universum Ordinem cultum decreturi fuisse videntur, nisi ad id cœpta jam dudum Venetiis, continuataque ejusdem publica veneratio eos incitasset.*

qui hodie, ut edocemur, non amplius viget.

8 *Porro desierunt jam pridem idipsum decretum, quo Patres Romæ in Capitulo congregati Festum Beati nostri ritu duplici celebrandum sanxerunt, Carmelitæ observare, officiumque de eo ecclesiasticum recitare : postquam nimirum pontificio Gregorii* XIII *præcepto obstricti fuerunt ad recitandum Breviarium ad normam Breviarii Romani, a Concilio Tridentino emendati, correctum, in quo nullum de B.* Theodorico *officium exstat; verum dicti Breviarii correctio hac solummodo de causa facta fuit, ut illud* remotis inde incertis et apocryphis scripturis (*verba sunt laudati Pontificis in decreto approbationis Breviarii correcti*) minusque probatis Patrum sermonibus expunctis, Antiphonis quoque et Responsoriis juxta Scripturæ ordinem collocatis, *cum Breviario Romano conveniret; et proinde idem Pontifex correctum hoc modo Breviarium Carmelitis præscribens, omnem cultum Beato impendi solitum nullatenus voluit abrogare. Itaque quemadmodum præfatum Pontificis præceptum non obstat, quominus sacræ B.* Theodorici *Exuviæ deinceps etiam in veneratione haberi potuerint, ita quoque nos impedire non debuit, quominus eidem, cum* Beati *tamen potius, quam* Sancti *titulo, quod ejus cultus extra sacrum Carmelitanum Ordinem non videatur fuisse propagatus, in Opere nostro locum daremus. Vellem nunc particularia quædam de publica veneratione, hodieque verosimiliter Beato Viro exhibita proferre, ideoque ad R. P. Priorem Carmelitarum Venetorum litteras dedi, rogans ab illo desuper edoceri; at hactenus responsum non accepimus, quapropter hic cogimur finem facere, plura prolaturi in hujus tomi Appendice, si hæc opportune fuerimus edocti. Hactenus scripseram, cum litteras Venetiis recipio omni humanitate plenas, quibus R. admodum Pater J. Augustinus Barcella exprovincialis et prior conventus Veneti dignatus est nos præter expectationem docere, nulla ibidem superesse vestigia venerationis publicæ, olim certe, ut ex præcedentibus liquet, B.* Theodorico *delatæ.*

(*a*) p. 691. — (*b*) p. 616.

DE S.

A D

DE S. TERESIA VIRGINE,

CARMELITARUM

STRICTIORIS OBSERVANTIÆ PARENTE,

ABULÆ IN HISPANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. V. D. M.

§ I. Sanctæ biographi, aliique scribendæ ejus vitæ fontes.

B E

ANNO MDLXXXII. *S.* Teresia *nacta est præclaros biographos;*

In *S. Virgine* Teresia, *Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo reformati Conditrice, eximium prorsusque admirandum cum animi dotum rerumque gestarum et scriptarum, tum virtutum et omnigenæ sanctimoniæ præberi complexum, orbi universo notissimum est; ut adeo hanc omnium pene linguis celebratam fuisse mirum videri nemini debeat. Longum sane foret singulos recensere qui ejus facta virtutesque persecuti sunt; siquidem hactenus vix ullus in album Sanctorum existat relatus qui tot ac tam præclaros nactus fuerit vitæ suæ scriptores. Satis habuero ex illis præcipuos commemorare, rerum abs S. Virgine gestarum notitia, antiquitate et auctoritate commendatissimos. Hi enim sunt ad instar fontium e quibus posteriores ceu rivuli quidam dimanaverunt, et e quibus potissimum, præscripta ab initio bollandiani operis norma, pleniore haustu ego quoque saturabor, aditurus tum dumtaxat juniores S. Virginis biographos, cum fuerit disceptandum explicandave gloria Sanctæ posthuma.*

inter quos, præter Sanctam quæ plura de se ipsa scripsit,

2 *Atque imprimis quidem ipsamet S.* Teresia, *quæ jussu moderatorum conscientiæ suæ vitam suam hispanice scripsit, agmen ducere posset, si liber cui posteri* Vitam *inscripserunt,* Vita *recte diceretur. Sed annum illic* 1562 *non excedens, et proin* 20 *postremos vitæ suæ annos non attingens, Sancta non tantum nullum fere ordinem chronologicum servat, nulliusque, si demas S. Franciscum Borgiam et S. Petrum de Alcantara, ex iis viris citat nomen qui sibi consultores, hortatores et adjutores fuerunt in exstruendo utroque fastigioso ædificio et propriæ sanctitatis et reformati Ordinis Carmelitici. Adhæc S. Virgo inibi magis dona sibi divinitus communicata quam virtutes suas rerumque a se gestarum seriem enarrat. Neque aliud ei erat in mandatis, ut ipsa dicit c.* XXVII, *n.* 6 Vitæ *suæ :* Jussa sum scribere modum et viam qua duxit me Dominus. *Vitam igitur suam internam et supernaturalem magis pandit quam narrat actiones suas mere humanas. Equidem, cum spiritualis vita eminenter vita dici possit, quia actiones spectat hominis a Deo moti et ducti, hanc quoque vitam referam, sed compendio, eo quod supernaturalis vivendi ratio superet captum et gustum majoris partis lectorum.*

præferimus Riberam

3 *Verum quidem est quod, præter Abulensis primi sui monasterii annexam* Vitæ *suæ fundationem,* 17 *aliorum,* 2 *scilicet virorum, et monialium* 15, *fundationes describens, pretiosam ex qua vita sua componatur, materiam suppeditet, sed incohærentem struem magis quam structum ordinem. Quapropter ex his* Fundationibus *ea desumam quæ ad pangendam historiam faciunt, una cum excerpendis e reliquis B. Virginis operibus, ac præ cæteris ex* 329 *ejus editis epistolis, epistolarumque* 87 *fragmentis; quæ omnia Commentario prævio verbotenus, quantum fieri poterit, toties interseram quoties ea non retulerit P. Franciscus Ribera S. J. in vita hispanica quam de S.* Teresia *Salmanticæ anno* 1590 *edidit. Hujus enim teretem non minus quam fidelem plerumque versionem latinam, quam Matthias Martinez Coloniæ anno* 1620 *vulgavit, præ cæteris dandam selegi, posteaquam eam iterum accurate contulero cum prototypa hispanica editione, quam e bibliotheca Universitatis Lovaniensis humanissime mutuo præbitam præ oculis prius habui, et dein Madrito dono accepi. Eamdem quoque a prædecessore meo, P. Jacobo Bueo, selectam fuisse novi ex unico, et nequidem integro, superstite de S.* Teresia *folio. Longa itaque hæc de S.* Teresia *texenda proprio marte elucubratio prima sunt stipendia quæ recens redivivæ hagiographiæ adscripto mihi sunt merenda, opitulante, ut confido et deprecor, gratia Salvatoris nostri Jesu Christi,* qui est benedictus Deus in sæcula, *et cui* Regi sæculorum immortali et invisibili, soli Deo, *sit* honor et gloria. F

ob eminentes viri dotes, doctrinam scilicet,

4 *Neque sine causa a Bueo prælatus est Yepesio, P. Joanni a Jesu Maria cæterisque S.* Teresiæ *biographis P. Franciscus Ribera S. J., sacræ Theologiæ Doctor. Scripsit enim ante alios, et vir fuit ingenio excellenti, judicio acri, tenaci memoria, SS. Patrum lectione atque observatione instructus, qui exquisitæ suæ eruditionis specimina edidit quinque libris* de templo et iis quæ ad templum pertinent, *ac Commentariis* in S. Euangelium secundum Joannem, in Epistolam ad Hebræos, in Apocalypsin S. Joannis, *ac præcipue* in duodecim Prophetas minores. *Postremi hi commentarii pluries recusi fuerunt Romæ, Coloniæ et Duaci. Ob præstantem suam eruditionem dignus fuit Ribera qui a Societate Jesu, anno* 1586 *Romæ adunata, deputaretur cum undecim aliis ad formulam Rationis studiorum S. J. conficiendam (Instit. S. J. Congr.* IV, *Decr.* 31), *et ut a Benedicto XIV (de Synod. l.* XIII, *c.* XI, *n.* 7) *appellaretur* gravissimus S. J. theologus. *Atque in ipsa quoque*

AUCTORE V. D. M.

A *Hispania, optimorum cum theologorum tum S. Scripturæ interpretum sæculis* XVI *et* XVII *tam ferace, habitus fuit præcellens et interpres et theologus* (*vide* Memorialia Trivoltiana, *anno* 1719, *pag.* 19 *bis, et an.* 1721, *p.* 880).

sanctitatem vel ad miracula usque,

5 *Tantæ insuper erat Ribera pietatis in Deum et cœlestibus donis adeo cumulatus, ut vivus et mortuus miraculis inclaruisse perhibeatur. Narrat scilicet inter alia Ven. Ludovicus de Ponte in vita P. Balthasaris Alvarez, c.* XXXI, *Riberam aliquando in concione visum fuisse radiante vultu et a Christo sibi adstante inspiratum : quod etiam P. Phil. Alegambe in Biblioth. Script. Soc. Jesu, art.* Francisco Ribera, *repetit. Nec tamen, ut recte monet P. Fredericus a S. Antonio* (*Introduct. ad Vitam S.* Teresiæ, *p.* XLI, *edit. Rom.* 1837), *adstipulandum videtur P. Josepho Tournemine* (*Præf. ad Comm. Menochii*) *et P. Nathanaeli Sotwel* (*Contin. Bibl. Script. S. J.*) *asserentibus ab ipsa S.* Teresia *hæc Riberæ prodigia visa et audita esse, ut nec P. Matthiæ Tanner, qui in libro* Societas Jesu Apostolorum imitatrix (*p.* 350) *tabula æri incisa idem exhibet. Ratio dubitandi est quod P. de Ponte, reliquis allatis scriptoribus anterior et fons cæterorum, cœlestem hanc Riberæ illustrationem*

B *referens, nomen taceat matronæ cui communicata ea visio fuit; quod sane non celasset, si potuisset prodigium id ex* Teresiæ *nomine et auctoritate nobilitare et confirmare, eo magis quod hoc libro sæpe memoret S.* Teresiam. *Verum præterea ratio, non jam dubitandi, sed et pernegandi est quod P. de Ponte dicat Riberam ab illa ipsa matrona, quæ hanc visionem habuit, tertia a morte sua die visum fuisse gloria cœlesti perfruentem. Atqui hoc S.* Teresiæ *minime quadrat, quæ nono ante Riberam anno vita cessit.*

industriam,

6 *Porro diligens non minus quam pius et doctus scriptor Ribera fuit : oratione studium adjuvabat consecrabatque, lumen identidem a Deo exposcens accurata prece, et, si quid difficilioris nodi incurreret, addens interdum jejunium et asperam corporis vexationem. Valebat itaque, qui iis dotibus eaque solertia instructus erat, recta ac critica historiam scribendi ratione, quidquid contradicant D. Boucher* (*præf. p.* V) *ac DD. Collombet et Grégoire* (*præf. p.* XVII), *eum arguentes non sat exquisitæ scriptionis et minoris critices. Neutrum enim nequimus admittere, nisi forte, quod criticen attinet, respiciatur ad caput* I *libri I, ubi Ribera, revelationes Sanctorum ex antiquis pluribus scriptoribus prolixe sanciens,*

C *nonnulla allegat quæ respuit exercita magis hodie crisis. Cæterum, hoc dempto capite, in tota S.* Teresiæ *vita, ut Lyrici effato utar, lecta potenter ei est res, nec facundia deserit hunc nec lucidus ordo.*

ac sinceritatem :

7 *Demum ad litterarum culturam, ad judicii perspicacitatem rerumque spiritualium experientiam binas eas adjunctas habebat dotes quibus instructo historiographo plena conciliari debet fides : nempe perspectam rerum quas narrat notitiam ut possit dicere verum, atque ingenuam sinceritatem et candorem ut velit. Ipsum enim in narratis non fuisse falsum constat ex eo, quod, familiariter cum S. Matre conversatus, rerum illius plurimarum conscius fuit, cæterasque diligenter et diu ante inquisivit quam eas, quinto dumtaxat ab ejus morte anno, in litteras misit; quin imo quod ejus confessionibus aliquando præfuit, uti videre est tum in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu, tum in Bibliotheca Hispana nova Nicolai Antonii. Quantopere vero a fallendis aliis abfuerit, testatur ipse in Prologo ita scribens :* Cum quilibet qui Deum glorificare mirabilium, quæ Sanctorum suorum opera edere dignatus est, commemoratione desiderat, idipsum mentiendo fingendove haudquaquam facere possit; deinde cum natura ipse detester omne id quod commentitium esse D novi, atque a viro sapiente alienissimum eoque indignissimum censeam dubia pro veris obtrudere; quidquid non certissimum erit, omittam; quæque dicturus sum, cum veritate ipsa usquequaque constabunt. Atque hanc ob causam personarum singillatim nomina adscribo, et ad minutias sæpe descendo; liquido ut constet qua in veritatem reique certitudinem diligentia, in iis etiam quæ exigui ponderis alioquin videbantur, inquisierim. Hinc fixos semper in narrationis veritatem oculos habebo, quæ ab ipsis etiam ethnicis scriptoribus prima et potissima esse historiæ pars semper fuit judicata.

ita ut a multis summam laudem meruerit.

8 *Editum illud Riberæ opus inclyti idoneique testes magnis encomiis dilaudarunt. De quo imprimis Didacum Yepes in Proœmio ad alteram S.* Teresiæ *vitam, quam et ipse, nova miracula amplioraque argumenta consecutus, conscripsit, loquentem audi :* Præ cæteris S. Matris Teresiæ a Jesu sanctimoniam divulgat et celebrat doctissimus Pater et Doctor Franciscus Ribera, qui cum magno omnium plausu in duodecim Prophetas minores, S. Pauli ad Hebræos Epistolam et Apocalypsin S. Joannis Commentarium edidit; cumque aliis magni momenti rebus occuparetur, tanto tamen devotionis affectu E et æstimatione erga admirabilem S. Matris sanctimoniam et virtutes motus est, ut, nullo alio certe sibi scopo præfixo quam unica Dei gloria, utque tanta sanctitas illius in Ecclesia innotesceret, et ut ob particulares quasdam gratias, quas ejus intercessione a Domino ipse receperat, gratum illi se exhiberet (quod ipsemet fatetur), ut, inquam, jam senior et annis gravis de illius vita et miraculis integrum librum conscripserit : in quo, licet tam alta et heroica de sancta hac Virgine referat, semper tamen pauciora quam rei dignitas exigit atque infra ejus dignitatem se loqui existimat. Ut vero major scripto illius accedat auctoritas, tametsi ipsa scribentis auctoritas per se sufficeret, quod magnæ vir sit religionis et virtutum plurimarum; ipse in testimonio quod dat in informatione quæ de ejus canonizatione facta est, sub jurisjurandi sacramento confirmat quidquid a se libro illo descriptum est, verissimum esse. Quin imo quæcumque scripsit, serio et accurate inquisivit, omniaque quam potuit fidelissime scripto commisit; ut unicum hoc ejus testimonium ad tam singulari et admirabili virtuti fidem adjungendam sufficiat. *Non minus luculento, licet compendiosiore, suffragio hoc Riberæ opus approbavit* F *Cardinalis Baronius, italicæ ejus versioni subscribens has quæ sequuntur voces :* Cæsar Card. Baronius. Existimo opus impressione dignissimum et christianæ Religioni proficuum. *Neque solum italice pluries illud prodiit, sed et latine, gallice, belgice, etc.; atque in optatis mihi est ut denuo copia ejus vulgo fiat, hodiernis id jam politioribus linguis recudendo; siquidem ex judicio Baronii aliorumque plurimorum, opus id christianæ Religioni maxime est proficuum. Pro exemplo sit versio belgica quam anno* 1620, *latina vixdum in Belgium Colonia advecta, Archiducissa Isabella Clara Eugenia, Belgii gubernatrix, Trognesio civi Antverpiensi conficiendam simul et typis edendam commendavit.*

Alteram Sanctæ vitam scripsit Yepes præclare admodum,

9 *Latius explicuimus laudes Riberæ, tum ne inepti delectus in reproducendo non exiguo ejus fœtu habeamur rei, tum ut maculam abstergamus quam nuperi quidam perperam ejus famæ insperserunt. Reliquos jam indigitemus fontes ex quibus hausimus. Alter vitæ S.* Teresiæ *scriptor fuit Didacus sive Jacobus Yepes e S. Hieronymi familia religiosus, Philippo II a sacris confessionibus et Episcopus Turiasonensis in Aragonia* (*non vero Tarraconensis in*

A *in Catalaunia, ut plures itali et galli scripserunt, similitudine patrii nominis decepti). Magis quam Ribera in commentationes pias excurrit Yepes, et quarta fere parte, si non res, sed verba spectes, ipso ambitiosior : quare perperam dicitur T. II p.* 677 *Speculi Carmelitani, Yepesium scripsisse Vitam compendiosiorem. Iisdem ac Ribera dicitur a D. Boucher ac a DD. Collombet et Grégoire laborare defectibus; sed et hic dissentimus ab eis. Nam sibi nota vir veridicus et cordatus conscripsit, diligens insuper et sanctitate vitæ conspicuus. Neque enim cum multis hodiernis præterito ævo illico vertere vitio possumus quod multa et magna miracula proavi nostri admiserint, si ea justis sibi argumentis constabant; at in nostro ævo id potius carpendum ducimus quod in sanctis Dei amicis operationes divini amoris divinæque omnipotentiæ non ob aliam causam plures negant quam quia multæ sunt aut valde prodigiosæ, neglectis interea testimoniis hominum perspicacium et veracium, qui eas ex visu aut certo auditu asseverant. Ergo, ut Yepesium non minus rerum quas memorat conscium quam sincerum judices, ipsum in Epistola dedicatoria ad Paulum V P. M. loquentem audi :* Quod vidimus, *inquit,* quod perspeximus,
B quod, ut cum Apostolo Joanne loquar, manus nostræ de vita et sanctitate Teresiæ contrectaverunt, id in hoc opere annuntiamus; . . . . . reliqua quæ propriis non intuiti sumus oculis propriisve ex ea non audivimus auribus, desumpsimus ex authenticis fideque dignis instrumentis . . . . Plus quam 14 annis ei a confessionibus fui, mihique animam suam dirigendam tum intra tum extra sacramentale tribunal concredidit. Spirituales thesauros, quos Deus in anima sua deposuerat, reserabat mihi, sperans id et mihi profectui fore. Ac revera, dum vixit in terris, maximos mihi favores conciliavit; et ex quo in cœlis regnat, adhuc multo majores. *In sua quoque depositione sub juramento facta, non minus docte quam pie et fideliter, ut dicitur in Actis Beatificationis,* Teresiam *ejusque spiritum divinum laudavit et approbavit. Antequam hanc vitam scriberet Yepes, panegyrin* Teresiæ 1565, *id est tertio a morte ejus anno, ad S. Hermenegildi, in novo conventu O. C. Excalceatorum munificentia Philippi II Madriti recens erecto, dixerat coram aula; ac prolixa etiam epistola anno* 1587 *ad Ludovicum Legionensem (quomodo Nicolaus Antonius aliique eum nominant, licet hispanum ei nomen esset* Luis de Leon, *non a*
C *patria Legione, Granatensis enim erat, sed avito cognomento) data laudes* Teresiæ *prælibaverat. Monasterium quoque monialium Excalceatarum in civitate sua episcopali postea fundavit, et voluit in hujus monasterii ecclesia tumulari : quod pro votis suis sibi contigit, defuncto* VII *Maji* 1613 *et præmonito a S.* Teresia *de instanti sua morte, ut narrat P. Fredericus a S. Antonio in vita S.* Teresiæ *italica (l.* III, *c.* XVIII) *ex Chronico tom. III, libr.* XI, *c.* III. *Edita pluries est hæc S.* Teresiæ *vita, ac in plures linguas versa. Prodiit v. g. in Hispania annis* 1606, 1614, 1615, 1776; *Ulyssipone anno* 1616; *italice, opera Julii Cæs. Braccini, annis* 1623, 1628, *etc., ac de novo, opera P. Josephi de Castro S. J., sub anagrammate abbatis Josephi de Trosca, annis* 1730 *et* 1733; *gallice ex versione P. Cypriani a Nativitate anno* 1643; *etc., etc.*

ut et tertiam P. Joannes a Jesu Maria, cujus duplex Teresianæ vitæ compendium habetur.

10 *Tertio venit loco Ven. P. Joannes a Jesu Maria, Generalis O. C. Exc. Congregationis italicæ, qui egregium vitæ S.* Teresiæ *compendium composuit, adjutrices manus præbente P. Joanne a S. Hieronymo, Procuratore generali Congregationis hispanicæ; et id obtulit Paulo V, anno* 1609, *eo fine ut eum permoveret ad S.* Teresiam *inter Beatos referendam. Opportune autem plures advertunt, minime esse verosimile, ut ille Matris suæ historiam obtulerit* AUCTORE V. D. M.
D *Pontifici quæ potuisset falsitatis argui. Porro non est quod hæc vita opella habeatur, quia brevis; sed optime et presse elaborata est, ac summa fulget latini sermonis gratia. Perlegere totum id scriptum dignatus est Pontifex, et sine dubio magni ponderis fuit tanti scriptoris testimonium ad beatificationem S.* Teresiæ *accelerandam; nam rerum quas scribebat, optime habebatur conscius, atque adeo doctus erat ut Card. Bellarminus in ejus operibus lectitandis sibi complaceret, et ut ab ill. Bossuet (in nova quæst. tract.* I. *c.* 15) *nominetur* summus theologus et summus mysticus; *laudatus etiam a S. Francisco Salesio in* præfatione ad tractatum de Amore Dei. *Germanice versa fuit hæc vita, et pluries latine recusa. Jam anno* 1610 *revulgata vulgo dicitur Bruxellis typis Rogerii Velpii, quam editionem licet quærenti mihi non contigit habere obviam. Ast prorsus aliud Teresianæ vitæ arctius adhuc compendium penes me habeo, a binis iisdem auctoribus, PP. Joanne a Jesu Maria et Joanne a S. Hieronymo compositum, et cura P. Hieronymi Gratiani apud Rogerium Velpium eo quoque anno primis vicibus editum. Hoc*
E *opusculum, quod non aliter quam* 105 *paragraphis dividitur, forte confuderunt cum altero priore romano, quod, quinque libris diremptum, constat capitibus* 71. *Neutra interim ejus meminit, sive Bibliotheca Carmelitana, 2 vol. in-fol. anni* 1752, *sive Bibliotheca Ord. Carm. Exc. in-4° anni* 1730, *ut nec alii libri de S.* Teresia *agentes quos ego volvi. Arbitror manuscriptum hujus libri, priusquam P. Joannes a Jesu Maria eum refunderet, ad manus Gratiani venisse; atque id edendum curasse Gratianum (Januario* 1610) *cum nondum noscebat amplius opusculum romanum. Quamvis autem romanum duplo fere sit latius, plura non habet quæ in illo sunt : quare usui mihi subinde veniet hic libellus, cui titulus est :* Vita et mores, spiritus, zelus et doctrina servæ Dei Theresæ de Jesu; *eo magis quod Gratianus, quem diu S.* Teresia *præ omnibus aliis animæ sequestrum et actionum suarum rectorem habuit, veracem omnino librum testetur esse, in Epistola sua dedicatoria ad Cardinalem Bentivoglium ita loquens :* Ex conscriptis purissima veritate et fide (*editis et ineditis*) tractatibus FF. Joannes a Jesu Maria et Joannes a S. Joseph (*per mendam credo, nam titulus habet* Joannes a S. Hieronymo) Excalceati Theresam
F nostram in summam quamdam centum et quinque articulis distinctam, ac velut in epitomen eorum quæ fuse per varios libros sparsa sunt, redegerunt. Omnes hos fere libros legi, perque decem annos ipsius Theresæ confessiones audivi, arcana sui pectoris et secreta spiritus mihi non abscondit; quid egerit et quomodo vixerit, hisce ego oculis vidi, hisce auribus hausi. Compendium ergo istud, cum perquam mihi arriserit, typis idem subjicere et communi luce sub tua protectione donare visum fuit.

Alii præterea fontes sunt, quos adibo;

11 *Demum præclaris his biographis accenseri possent plura alia de S.* Teresia *scripta monumenta; sed potissimum unum dumtaxat alterumve nominare juvat. Nempe* B. Virginis Teresiæ vitæ, virtutum ac morum relationes SS. Domino Nostro Paulo P. V per S. Rotæ auditores deputatos factæ ad solemnem canonizationem, *Barcinonæ* 1621; *item aucto post Canonizationem libello, Parisiis* 1625, *et Viennæ in Austria* 1628, *sub titulo* Acta Canonizationis, *ac, mutato aliquantum ordine, Antverpiæ* 1680, *T. II. Speculi Carmelitani. Cuivis Catholico luculenter constat quanti sit ponderis judicium sacri illius Tribunalis, ac jure dicit Gravina* Cath. præscript. *T. IV,*

AUCTORE V. D. M.

A *T. IV, p.* 333 : Quicunque ergo testes istos graves, multos, districte examinatos in Actis Canonizationis repellit et infirmare nititur eorum testimonium, cum ipsa natura etiam pugnat, omnia tribunalia evertit, hierarchicum ordinem pessumdat, humanumque commercium tollit. *Sed præterea cum auctore præfationis illorum Actorum affirmare non dubitamus :* Ajunt rerum Curiæ peritiores et Apostolici asseclæ, quod, una tantummodo relatione excepta, quæ est seraphici Bonaventuræ, nulla alia excellentior adhuc visa sit hac quæ de seraphica nostra Teresia agit. *Multa dein singularia hauriri possunt e primo tomo Annalium O. C. Exc., quos P. Franciscus a S. Maria, S.* Teresiæ *ex avia pronepos, ac quarto tantum anno a Sanctæ morte sui Ordinis habitu Salmanticæ indutus, conscripsit. Res gestas graviter et accurate ille evolvit; eratque in quærendo vero tam diligens, ut jusjurandum exigeret ab iis qui, conscii sive actionum sive gratiarum S. Matris, aliquid sibi referebant, bis etiam attente perscrutatus autographa Teresiana quæ in Bibliotheca Escuriali asservantur. Hispanice lucem aspexerunt illi Annales sub titulo :* Reforma de los Descalzos de nuestra Señora del Carmen, *ac translati fuerunt in idiomata*

B *italicum et gallicum, sed, quoad gallicum saltem, multo liberius, neque satis accurate. Quinque alii tomi produxerunt historiam O. C. Exc. usque ad annum* 1657. *Supersedeo enumerandis recentioribus scriptoribus qui ad manum mihi sunt. Unus pro multis potuit mihi esse P. Fredericus a S. Antonio, scriptor exactus et eloquens, prudensque rerum indagator, qui Venetiis primum anno* 1754 *prodiit* 2 *vol. in-*4°, *dedicatus Benedicto* XIV, *et quem Romæ anno* 1837 *recusum, defectu prioris editionis usurpo, licet suspicer ex alterius editionis citationibus, quas passim in aliis libris invenio, nonnusquam tacite immutatum. Ivi tamen præter P. Fredericum, crebro consultum alio : v. g. ad D. Boucher,* Vie de S. Thérèse, Paris 1810-1828, 2 *vol. in-*8°, *et ad R. P. Fr. M. de T., i. e. Manuelem seu Emmanuelem de Traggia,* La muger grande, vida meditada de S. Teresa de Jesus, Madrid 1807, 3 *vol. in-*4°; *quamquam hunc in paucis secutus sum, utpote solertem magis in promovenda pietate quam in disquirenda veritate.*

qui hic eo quo designantur in hisce commentariis modo referuntur.

C 12 *Ergo ad seriem historicam contexendam, supplendaque ea quæ in Ribera desiderantur, multa e posterioribus Ribera Sanctæ biographis, præsertim ex Yepesio et e P. Joanne a Jesu Maria, desumpsi prævio huic Commentario intercalanda. Nec tamen necesse duco, unde ea quæ extra controversiam sunt, hauserim, continuis auctorum et locorum citationibus indicare. At quotiescumque disceptandum fuerit, invocandaque auctoritas scriptorum quos adhibeo, eorum nomina et loca allego sollicite et accurate. Interim, ut brevitati consulatur, nec longiore titulo indicandi sexcenties sint libri quos cito, hic pono quomodo eos qui frequentius hocce in Commentario occurrunt, designem. Scilicet :* Opera S. Teresiæ *suis quæque nominibus passim appello, puta* Vitam, Fundationes, Viam perfectionis, Castellum animæ, *etc., ex editione facta Madriti anno* 1793, *duobus tomis in-*4°, *quæ non differt ab anteriori editione anni* 1778.

Latina, quam sæpius adduco, eorum operum versio edita fuit Coloniæ Agrippinæ anno 1626, 2 *tom. in-*4°; *belgica, Gandavi,* 1711, 2 *tom. in-*4°; *germanica, Augustæ Vindelicorum,* 1756, 2 *tom. in-*4°; *gallica, Antverpiæ,* 1683, 3 *tom. in-*12°; *anglica, loco incerto,* 1675, 2 *tom. in-*4°.

Epistolæ S. Teresiæ *allegantur e quatuor tomis in-*4°, *qui Madriti cum annotationibus Palafoxii et P. Antonii a S. Josepho hispanice excusi fuerunt eodem tempore ac duo Operum tomi de quibus supra.*

Acta canonizationis *citantur ex editione Vindo-* D *bonensi anni* 1628.

Ribera *ubi adducitur, intellige Vitam S.* Teresiæ *ab ipso conscriptam sub titulo :* La vida de la Madre Teresa de Jesus, *editam Salmanticæ anno* 1590, *in-*4°; *cujus latinam versionem, excusam Coloniæ Agrippinæ anno* 1620 *in-*4°, *hic non sine emendationibus recudemus, mutata nonnihil capitum divisione : unde, quoties in hoc Commentario ad quoddam Riberæ caput remittimus, quærendum id erit in nostra editione. Alias S.* Teresiæ *vitas pari ratione per auctorum nomina designabo, nempe :*

Yepes, *hispanice :* Vida, virtudes y milagros de la B. Virgen Teresa de Jesus, *Madriti,* 1776, 2 *tom. in-*4°.

Joannes a Jesu Maria, *latine :* Compendium vitæ B. V. Teresiæ a Jesu, *quod reperire est tomo III operum ejus Florentiæ editorum annis* 1771, 1772 *et* 1774, 3 *tom. in-folio.*

P. Fredericus a S. Antonio, *italice :* Vita di Santa Teresa di Gesù, *Romæ,* 1837, 4 *tom. in-*8°.

P. Joannes a S. Ludovico, *hispanice :* Historia de la vida y muerte... de S. Teresa de Jesus, *Valentiæ,* 1813 *et* 1814, 2 *tom. in-*4°.

Villefore, *gallice :* La vie de S. Thérèse, *Parisiis,* E 1756, 2 *tom. in-*12°.

Boucher, *gallice :* Vie de S. Thérèse, *Parisiis,* 1810 *et* 1828, 2 *tom. in-*12°.

Emery, *gallice :* L'Esprit de S. Thérèse, *Lugduni,* 1779, *in-*8°.

Chronicum *brevitatis causa voco Historiam generalem seu Annales Ord. Carm. Exc., quibus hispanice titulus est :* Reforma de los Descalzos de N. S. del Carm. *Primus hujus operis tomus prodiit Madriti anno* 1644, *in-fol.; ac partim, uti jam diximus, in linguam gallicam translatum fuit sub titulo :* Histoire générale des Carmes deschaussez, *Parisiis,* 1655 *et* 1666, 2 *tom. in-fol.*

Annus Teresianus, *hispanice :* Año Teresiano, *opus est a P. Antonio a S. Joachim compositum, duodecim constans tomis in-*4°, *Madriti excusis ab anno* 1733 *ad* 1766.

Bibliotheca Carmelitana, *quæ Aurelianis anno* 1752 *in lucem data fuit,* 2 *tom. in-fol., scriptores enumerat utriusque Ordinis Carmelitici, tam Calceatos quam Excalceatos; adeoque ab hac probe distinguenda est sequens.*

Bibliotheca Ord. Carm. Exc. *seu* Bibliotheca scriptorum utriusque congregationis et sexus F Carm. Exc. per P. Martialem a S. Joanne Baptista, *Burdigalæ,* 1730, *in-*4°.

Montoya, *presbyter olim Societatis Jesu, post suppressionem ejusdem Societatis italice sub pseudonymo* Giacinto Hoyoman (*quo anagrammatice continetur verum ejus nomen* Gioachin Montoya) *edidit commentarium :* L'amore scambievole e non mai interrotto tra S. Teresa e la Compagnia de Gesù, *Lucæ,* 1794, 3 *tom. in-*4°.

Dabuntur quoque historica librorum Teresianorum fragmenta.

13 *Nunc itaque in procinctu sto ut Sanctæ nostræ Vitam aggrediar, prævio hoc Commentario passim exhibiturus relatu digna quæ in Ribera desunt. Illis interserendum duxi quidquid autographa S. Virginis* Vita *et liber* Fundationum *ejus historicum habent. Lubuisset sane imitari prædecessores meos qui ad* XXVIII *diem Augusti novem priores libros* Confessionum *S. Augustini Commentariis non inseruerunt, sed apposuerunt : ast in libris Teresianis occurrunt prolixa de modo orandi et contemplandi spiritualia plura documenta, quæ, quantumvis egregia et lectu dignissima, instituti mei non sunt, nec e more Majorum ad rationem hujus operis pertinent. Hæc proin cum resecta fuerint, scripta* Teresiæ

A siæ *in fragmenta abeunt, quæ ex ejusdem Martinezii versione qui Riberam latinum fecit, malui suo quæque loco intercalare quam multa ista sine nexu frustra huic Commentario affigere. Sanctam autem quoties citavero, verbotenus excerpta ejus adferam, etiam cum brevia fuerint. Enimvero temerarius ego sim, si in S.* Teresiæ *scriptis aliquid mutare, nedum emendare, præsumam; cum omnia ad amussim exacta ibi sint, nec quidquam profana antiquitas suppetat scitum et nativa simplicitate eloquens magis. Id ausi fuerant quidam, cum libri Sanctæ adhuc manuscripti primum circumferebantur. Sed Ludovicus Legionensis, ea anno* 1587 *edere jussus, in epistola sua dedicatoria ita invehitur in illos :* Nimis quam magna fuit audacia mutare quæ S. Virgo scripsit, in cujus pectore Deus habitabat, et quam ipsa Divina Majestas (ut quidem verisimile est) hæc ut scriberet movebat. Quin et stupor intolerabilis est vel sola ejus verba corrigere velle, *etc. Unum doleo, quod primigenia lingua qua scripsit, non detur in hoc opere* Teresiam *citare. Quippe Sancta nostra ita terse scribit, ut nacta sit verum linguæ suæ atticismum. Ast de stylo et mascula Sanctæ hujus mulieris eloquentia, ut et de adjutorio*
B *ei ad scribendum cœlitus collato, postea ex professo latius. Exhibeamus modo ea quæ conferre possint ad Sanctam illustrandam.*

§ II. S. Teresiæ genus, proavi, parentes, fratres ac sorores.

De nobili S. Teresiæ *genere ex professo tractarunt*

E *sse S.* Teresiam *e nobili genere ortam inter omnes ejus biographos convenit, atque idem e scuto gentilitio ostenditur quod supra ostium domus ejus paternæ lapidi insculptum visebatur, et etiamnum visitur tum in superliminaribus sacelli constructi in loco ubi Sancta lucem primum aspexit, tum in fronte ecclesiæ eidem sacello cohærentis; ea scilicet forma qua illud hic ligno incisum lectori proponimus.*

C 

At vero in demonstranda ejus nobilitatis origine et insignibus explicandis non una est scriptorum AUCTORE V. D. M.
D *sententia : idem de quibusdam majorum nominibus, præsertim maternorum, dicendum est. Præ cæteris consului pro hac tractatione primum tomum Chronici Carmeli Reformati, conscriptum a P. Francisco a S. Maria, Sanctæ Matris cognato atque coævo ; itemque lectionem præviam libri* la Muger grande, *auctore R. P. Fr. M. de T. (id est, ut aliunde accepimus, Emmanuele a S. Thoma Aquinate, e nobili in Aragonia et S.* Teresiæ, *uti ex ipso opere videtur, affini familia Traggia orto). Continet ea lectio prævia satis amplam de stemmate S.* Teresiæ *tractationem, cui conjungitur elucidatio quarteriorum novi cujusdam scuti gentilitii, quod auctor, schemate a veteriori norma nonnihil diverso, ordinandum curaverat a D. Emmanuele Medina, armorum regulo Madritensi.*

15 *Adhibuit autem P. Emmanuel ad hunc laborem* *nostro quidem tempore P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate,*
non solum Historiam P. Francisci, sed etiam illam tempore priorem P. Hieronymi a S. Josepho, quæ, quoniam non placebat domesticis, nunquam scilicet typis dari permissa est (Biblioth. Hisp. nova). Præterea testatur se vidisse, in Madritensi Excalceatarum monasterio a S. Anna nuncupato, arborem Sanctæ genealogicam quam anno 1618 *Matri Beatrici a* E
Jesu, ejusdem monasterii priorissæ, quæ S. Teresiam *materteram habuit, descripsit P. Laurentius a Matre Dei, rogatu P. Hieronymi Gratiani : sed hanc arborem patenter mendosam esse affirmat, tum quod nonnulla nomina vitiose recitet, tum etiam quod assignandis S.* Teresiæ *fratribus ac sororibus, quorum numerum supra verum auget, nullam habeat diversi tori rationem. Inspexit etiam Cordubæ idem P. Emmanuel arborem genealogicam D. Didaci Antonii de Leon, Atalayuelarum marchionis, cujus uxor D. Maria Teresia de Navarrete y Valdivia inter majores suos numerat Ferdinandum de Ahumada, S.* Teresiæ *fratrem germanum. Astygis quoque vidit arborem genealogicam ill. comitis de Valhermoso, cujus item uxor D. Petronilla de Mendoza Lope de Avila per Ahumadios præsertim cum Sancta genus habet commune. Atque in Cordubensi quidem arbore, præter agnomina* Sanchez, Cepeda, Davila *et* Ahumada, *quæ omnia S.* Teresiæ *genitiva fuere, cernuntur, teste P. Emmanuele, nomina* Soria, Ximenez, Claros, Coronado, Guerrero de Castro y Almagro, Escudero, Orta, Espinosa de los Monteros, Ruiz de Valdivia, Guzman, Gabaldon y Vera, Traggia, F
Merlo, *etc.*, quibus, *inquit ille,* tum per paternam tum per maternam lineam, stirpi S. Teresiæ consanguinitate atque affinitate varia copulantur ii quos dixi (*nimirum D. Didacus Ant. de Leon et D. Maria Teresia ejus conjux*) ac nurus eorum D. Maria de los Dolores, marchionissa Guardiæ Regalis. *In Astygensi autem arbore reperiuntur nomina* Pareja, Peralta, Arellano, Tabares, Carabajal, Torres, Zuñiga, Ponce de Leon, Castillo y Padilla, Villalon, Narvaes, et marchio Amarillarum, cujus primarium est cognomentum Ahumada y Giron.

16 *Hæc equidem postremo loco adducta minime* *olim vero, et accuratius, P. Franciscus a S. Maria.*
improbavero, ut quæ domesticis nobilium harum familiarum fulciantur monumentis; quibus sane uti magnæ Matris Teresiæ *consanguinitas aut affinitas summo decori est, ita quoque sanctitatis ejus memoria ingens ad omnes virtutes incitamentum debet esse. Quæ vero a pio ac modestissimo scriptore in decursu operis sui adducuntur vel ex antiquioribus instrumentis vel ex probabilibus ei conjecturis, fateor non omnia æque mihi visa accipienda : nec plane, si licet hac in re a sententia reguli armorum sive præfecti rei heraldicæ decedere, ulla ratione vetustioris scuti quarteria, ut factum est, e suis quæque*

AUCTORE V. D. M.

locis distracta voluissem. Aperio autem hic meam
A *sententiam eo liberius quod ipse auctor ingenue asse-*
ruerit se nequaquam sibi blandiri de inventa ubique
veritate; atque, ut eam assequeretur, etiam a ductu
PP. Hieronymi ac Francisci supra nominatorum
aliquoties recessisse. Porro P. Franciscus de genere
S. Teresiæ *affert satis accurata, ut videtur; præci-*
pue de Cepediis, quorum e stirpe ipsa P. Francisci
mater fuit: tum etiam ita concinne atque eleganter,
ut gratum fore lectori existimem nonnulla ex ejus
enarratione a me ad verbum latine reddi. Quid vero
ex aliis auctoribus atque ex voluminibus Epistolarum
S. Teresiæ *interdum amplioris elucidationis causa*
hauserim, in ipso commentationis quam nunc aggre-
dior, contextu apparebit.

Pater S. Teresiæ *Alphonsus Sanchez de Cepeda*

17 *S.* Teresia, *ait de la Rue in ejus Panegyri, in*
patre alterum habebat Jacob, duodecim filiorum pa-
rentem, quos exemplo præibat et monitis dirigebat;
in matre mulierem fortem, similem Racheli in pul-
chritudine, Liæ in fœcunditate, utrisque in pietate
et modestia. Scilicet patrem habuit Alphonsum San-
chez de Cepeda, filium Joannis Sanchez de Toledo et
Agnetis de Cepeda. Joanni parentes fuere Alphonsus
Sanchez de Toledo et Teresia Sanchez; Agneti autem
B *pater (nam matris nomen ignotum est) Ludovicus de*
Cepeda, Tordesillanus, eques S. Jacobi. Hæc de-
sumpta ex P. Emmanuele; quibus nihil, quod sciam,
apud cæteros scriptores contrarium est. Tribuit autem
Joanni Sanchez de Toledo et Agneti de Cepeda, præ-
ter patrem S. Teresiæ, *quinque alios liberos, e quibus*
duo nominantur a biographis: Franciscus videlicet
Alvarez de Cepeda et Petrus Sanchez de Cepeda.
Equidem tertium quoque ab ipsa Sancta assignari
patruum putem, nomine Rodericum, cum in quadam
ad sororem suam Joannam epistola dicat: nuestro
tio Ruiz Sanchez (*tom. IV, epist.* 42, *not.* 15).

duodecim susce-pit liberos e duabus uxori-bus:

18 *Porro Alphonsus Sanchez de Cepeda binas*
nuptias iniit. Prior ei fuit uxor Catharina del Peso
y Enao, e qua suscepit filiam Mariam de Cepeda et
duos filios, quorum natu major a quibusdam Joannes,
ab aliis Hieronymus dicitur, et fors recte diceretur
Joannes Hieronymus, ut P. Emmanuel censet; natu
vero minorem idem hic scriptor ex P. Hieronymo
Petrum appellat, licet alios dicat de ejus nomine
ambigere et P. Franciscus (lib. I, *c.* III, *n.* 3) *absolute*
scribat ignotum esse. Altera Alphonsi conjux fuit
Beatrix Davila y Ahumada, felix S. Teresiæ *et octo*
C *aliarum prolium mater, quarum hæc nomina: Fer-*
dinandus, Rodericus, Laurentius, Antonius, Petrus,
Hieronymus, Augustinus ac Joanna. Ac Ferdinandum
quidem et Rodericum constat ante Sanctam germa-
nam editos fuisse; Joannam vero esse omnium natu
postremam.

Catharina del Peso y Enao et Beatrice de Ahumada.

19 *De genere ac majoribus Catharinæ del Peso*
y Enao vix quidquam reperi. Dicit P. Joseph a
S. Teresia (Chron. Carm. Exc. tom. III, lib. IX,
c. XIV, *n.* 1), *nescio quo fundamento,* Henaos (*sic*
olim scribebatur) *ab Hannonia appellari, unde in*
Hispaniam migraverint in gratiam Henrici II regis,
antea comitis Transtamarani (de quo consule histo-
rias Hispaniæ), circiter medium sæculi decimi quarti.
Quod ad Beatricis Davila y Ahumada proavos per-
tinet, de quorum nobilitate postea sermo erit, eorum
seriem ita texit P. Emmanuel: Sancius Esteban
Domingo filiam Mariam Gonzalez nuptui collocavit
Velæ Nuñez: his parentibus natus Ferdinandus
Blasquez Nuñez, cui filius Joannes Blasquez Davila
de Cordovilla. Joannes autem uxorem duxit Beatri-
cem de Ahumada, ex qua natus Matthæus (quibusdam
Joannes, et forsan recte Joannes Matthæus) Blasquez
de Ahumada. Huic Matthæo ac Teresiæ de las Cue-
vas filia fuit Beatrix, S. Teresiæ *mater.*

20 *Pro hac serie penes P. Emmanuelem fides esto:*
mihi enim fere nemo alius est auctor qui aliquid in
hanc rem suppeditet. Solum notabo aviam S. Teresiæ
maternam a P. Ribera (lib. I, *c.* III), *P. Frederico*
(in nota ad lib. I, *c.* XXIX) *aliisque, non* Teresiam de
las Cuevas, *sed* Joannam de Tapia *vocari. Alicubi*
etiam P. Emmanuel de las Casas *pro* de las Cuevas
scriptum vidit, in arbore autem genealogica Madri-
tensi et Chronico P. Francisci (non designat quo loco)
Teresiam de las Cuevas *vel* de Tapia. *Ut vero osten-*
dat pro nomine Teresia de las Cuevas *unice stan-*
dum esse, in hunc modum loquitur: Joannes Blas-
quez Davila de Cordovilla præter avum S. Teresiæ
filiam procreavit Mariam de Ahumada. Nupsit hæc
Didaco de Tapia, viro nobilissimo, qui regi a ratio-
nibus fuit. Hinc æquivocatio P. Francisci a S. Ma-
ria et arboris genealogici Excalceatarum Madriten-
sium, quasi S. Teresiæ proavus fuerit Didacus de
Tapia et avia Teresia de Tapia, Didaci filia. Majus
autem fundamentum habet id quod asserit P. Hiero-
nymus, aviam dicens Teresiam de las Cuevas e vi-
cinia Ulmeti: quippe qui de Sanctæ majoribus
curiosius inquisivit, ac difficultates omnes enodavit;
allegans etiam instrumentum nobilitatis Alphonsi
Cepedii cum codice successionum qui Philippi IV
tempore exstabat penes armorum regulos, atque
addens se scripta ac testimonia authentica pro hac
genealogia vidisse. *Sed contra est quod P. Ribera,*
postquam aviam S. Teresiæ *nominavit* Joannam de
Tapia, *non minus asseveranter dicit:* Quæ de Tere-
siæ nostræ avis et proavis huc attulimus e priscis
de illorum nobilitate fastis ac tabulis deprompta
sunt; quæ adeo quidem evidens erat ac manifesta
ut, licet Alphonsus Sanchez de Toledo Abulensis
non fuerit, sed advena, suas tamen proles nobilissi-
mis ac primariis urbis illius matrimonio elocarit
(*lib.* I, *c.* III). *Suggerit quoque P. Emmanuel rationem*
qua dictam arborem monialium Madritensium et
Historiam P. Francisci errore, quem iis tribuit, libe-
rari posse autumat: at fuerit videlicet (*ejus verba*
sunt) Didaco de Tapia secundaria appellatio Cuevas;
quo casu credibile foret Teresiam de las Cuevas
conjugi suo, S. Teresiæ avo, cognatam fuisse ex
parte Didaci, quem matrimonio, *ait,* junctum dixi-
mus Mariæ Ahumadiæ, uni de filiabus Joannis
Blasquez Davila.

D *Dissentiunt auctores de S.* Teresiæ *avia materna*

E

et quibusdam aliis cognatis.

21 *Hanc igitur controversiam ego rei gnaris diri-*
mendam relinquo. Ne vero de iis quæ inquirenti mihi
occurrerunt quidquam diligentem lectorem lateat,
F *addam illis quæ jam allegata sunt aliam etiam per-*
plexitatis meæ causam. Scilicet Agnes et Anna de
Tapia, quæ postmodum S. Matris Institutum professæ
atque Agnes a Jesu et Anna ab Incarnatione appel-
latæ fuerunt, dicuntur a scriptoribus pene omnibus
fuisse S. Teresiæ, *ut hispanice ajunt,* primas hermа-
nas, *latine autem seu* patrueles *seu* consobrinæ *seu*
amitinæ. *Matthias quidem Martinez in sua Riberæ*
versione patrueles *scripsit: sed hoc nihil probat;*
quia aliunde patet vocis hujus significationem ab
interprete illo latius extendi quam genuina ferat lati-
nitas (v. g. ex lib. II, *c.* II, *ubi* patrueles S. Teresiæ
scribit Mariam Ocampiam ac Mariam de Avila,
quas sobrinas *suo idiomate Ribera vocat). P. Anto-*
nius a S. Josepho implicat rem etiam magis. Nam
tomo II Epistolarum S. Teresiæ, *nota* 12 *ad epist.* 53,
Agnetem de Tapia asserit filiam esse Francisci Alva-
rez de Cepeda, *patrui S.* Teresiæ; *et in eodem tomo,*
nota 1 *ad epist.* 78, *eamdem Agnetem et Annam,*
ejus sororem germanam, filias dicit Didaci de Tapia
et Mariæ de Ahumada; *ac rursum tomo III, nota* 20
ad epist. 25, *Petrum Alvarez Cimbron dicit filium*
Francisci Alvarez de Cepeda *et* Mariæ de Ahumada.

Interim

A *Interim apud Riberam occurrit* (*lib.* II, *c.* III) *Vincentius cognomento* de Ahumada, *frater Agnetis et Annæ* de Tapia *supra dictarum, et curio oppidi Villanovæ de Azerale; atque apud ill. Palafoxium* (*nota* 1 *ad epist.* 35 *tomi I*) *Hieronyma cognomento* de Tapia, *filia Francisci Alvarez de Cepeda. Num forte Maria de Ahumada, de qua P. Antonius loquitur, S.* Teresiæ *matertera est, soror videlicet matris ejus Beatricis; ac proin distinguenda ab illa Maria de Ahumada quam paulo ante* (*num.* 20) *a P. Emmanuele memorari vidimus? An junior illa Maria de Ahumada bis nupsit, ita ut alter ei maritus Didacus de Tapia* (*item distinguendus a seniore Didaco*), *alter Franciscus Alvarez de Cepeda fuerit? An ipsi Mariæ præter agnomen* de Ahumada *etiam alterum* de Tapia *tribuitur, quemadmodum Beatrici quoque duo agnomina sunt* Davila *et* de Ahumada? *An vero vel P. Antonius vel P. Emmanuel vel uterque erravit? aut typothetæ oscitantia aliquo in libro mendum quodpiam admissum est? Hæ totidem sunt quæstiones quibus non habeo quid respondeam.*

S. Teresiæ *quatuor præcipua agnomina: 1. Sanchez.*

22 *Iis igitur in medio relictis, quid de quatuor S.* Teresiæ *agnominibus, nimirum* Sanchez, Cepeda, Davila *et* Ahumada, *ab historicis traditum sit, quam* B *clarissime potero, nunc exponam, citato præcipue P. Francisco, qui res, licet fors non undequaque probatas, stylo certe non invenusto depinxit. Primum igitur Sanctæ cognomen* Sanchez *patronymicum apud Hispanos est, a* Sancho *formatum; uti* Alvarez *ab* Alvaro, Hernandez *ab* Hernando, Martinez *a* Martin, Perez *a* Pedro, Rodriguez *a* Rodrigo, *etc. Vellem de hoc agnomine S.* Teresiæ *allata fuisse a P. Francisco paulo plura quam attulit. Tantum enim de eo hæc habet:* De agnomine Sanchez non ago, quia multis commune est domibus, quæ per id illustrantur genere, ut fertur, unius e Sanciis Castellæ vel Legionis regibus (*lib.* I, *c.* IV, *n.* 4). *Pater vero Emmanuel:* Cognomentum Sanchez, *inquit,* nobile est in Aragonia ac Navarra, et magis etiam Abulæ; in qua civitate Sancius aliquis aut Sanchezius illis equitibus annumeratur qui circa annum 1083 ejus restaurationem atque incrementum potissimum procuraverunt, uti constat ex Abulensium historia: nominatur enim illic Sancius Sanchez Zurraquines, origine Cantaber, et patruelis Petri Sanchez Zurraquines, episcopi Abulensis. Alter Sanchez, ejusdem forte prosapiæ, celeberrimus fuit in insignibus illis Abulæ quadrillis: hic nominatur C etiam Blascus Ximenus vel Ximenus Blascus, atque originem repetit a Nunnio Rasura, Castellæ olim judice (Ariza, Hist. Abul. part. IV), e quo domus marchionis de Velada, Hispaniæ magnatis (grande de España). *Quædam ex his, si cui placuerit, valere possint de Teresia Sanchez, proavia paterna S.* Teresiæ, *fortassis Abulensi; sed non idem putem de ejus marito Alphonso Sanchez de Toledo, siquidem hic, Ribera teste,* Abulensis non fuerit, sed advena, *imo Toletanum fuisse ipse P. Emmanuel affirmat. Omitto hic quæ idem Pater verbis modo relatis subnectit; quippe posthac, cum de cognomine* Davila *dicemus, aptius discutienda.*

2. Cepeda, nomen loci exigui; ex quo loco quidam Cepedii antiquitus in montana Burgorum,

23 *De Cepediis hæc edisserit P. Franciscus* (*L.* I. *c.* IV, *n.* 2, 3, 4): In regno Legionensi, prope Asturicam civitatem, parvus, at antiquus, est locus cui nomen Cepeda. Hinc ortos esse constat primos hujus cognomenti equites, sive a loco ipsi sive ab ipsis locus appellationem acceperit. Inde porro derivatæ plurimæ familiæ, eo nomine eaque origine inter se devinctæ; quanquam nunc aliæ ab aliis longe diversæ sunt temporum vicissitudinibus. Ex iis duæ præ cæteris notæ. Prior illa est quam ferunt antiquissimis temporibus inhabitasse locum Castellæ Veteris, vocatum Herrera de Rio Pisuerga, prope Aguilariam (Aguilar de Campos); ac post Hispa- D niæ vastationem in montana Burgorum cessisse, ubi sedem fixerint circa Vallem Obregoniam et Castañedam, in loco qui dicitur Santivañez. Ex hac familia prodiere insignes equites; qui, quod essent multo tempore de regibus Castellæ ac Legionis egregie meriti, pro rebus gestis consecuti sunt trophæa atque insignia quibus a cæteris distinguuntur: nempe scutum rubrum, cujus in medio turris argentea est, in capite stellæ aureæ tres. Post etiam appictus sub turre fluvius et supra turrim ramale cum panno cæruleo tribus decorato liliis. Tesserarum illarum causas obruerunt oblivione sæcula; id quod aliis innumeris illustrium stirpium insignibus temporis inclementia obtigit. Solum hoc generatim dici potest, a capto Toleto ejusmodi tesserarum distinctiones adhiberi cœpisse; cum antea reges et equites non aliter quam crucibus forma atque colore diversis alii ab aliis dignoscerentur.

AUCTORE V. D. M.

alii vero, iique magis noti,

24 Altera ejusdem cognomenti familia, quæ quidem videtur esse præcipua ac de qua scripturæ librique lucidiora quædam perhibent, illorum est Cepediorum qui Cepedæ, in Legionensis regni montibus, sedem cum loci dominio retinue- E runt: id dominium hodie penes Asturicæ marchiones est, ex eo, ut creditur, quod Cepedio de sanguine sint. Porro Cepedii de quibus hic sermo est, ob collatam dynastis suis operam in restauratione regni Legionensis itemque Castellani, leone pro tessera gentilitia donati sunt, insigni scilicet regio; absque castello tamen, ut esset a regum tessera discrimen. Leoni circumpositæ postmodum in limbo octo cruces decussatæ seu Andreanæ, ob gesta ad Biatiam seu Baczam, die festo S. Andreæ Apostoli (*anno* 1227) Mauris ereptam. Tunc enim temporis nonnullis præclaris armatorum ducibus cruces ejusmodi vario numero atque colore a regibus attributæ sunt, in perennem cœlestis auxilii tali die obtenti memoriam (*Vide e. g. insignia familiarum de Avellaneda, Ayala, Azevedo, Bazan, la Cueva, Hinestrosa, Miraval, Saavedra, Vera, etc.*)

sæculo XIV *Tordesillas transmigrarunt:*

25 Prædictæ domus et vici Cepedæ dominus cum esset (*sæculo* XIV) Vascus Vasquez de Cepeda, dissidia ei intercessere cum Henrico Transtamarano comite, postea rege Castellæ ac Legionis: quamobrem universæ domus ac negotiorum suorum sedem Tordesillas, in insigne Castellæ Veteris oppidum, transtulit. Genus ob eo equite ducunt præstantes viri plurimi, inter quos nominare juvat Joannem Vasquez de Cepeda, Segoviæ episcopum, qua in civitate a loco natalium Joannes de Tordesillas dictus fuit (*De eo vide J. de Ferreras Hist. Hisp. ad an.* 1400 *et* 1423). Sic etiam cognominatus est de Tordesillas Joannis frater Rodericus Vasquez de Cepeda, administer mensæ (maestresala) regis Henrici IV; atque exinde prosapia ejus claruit Segoviæ sub hoc cognomento, non omisso tamen nomine Cepediorum, per quod S. Teresiæ cognatione decoratur. Joanni ac Roderico fratres fuere Martinus Vasquez de Cepeda, miræ fortitudinis eques, et alius cujus excidit nomen, qui postquam magistro Alvaro de Luna a secretis majorque domus fuerat, ad episcopalem etiam ipse dignitatem evectus fuit. Hos habuit quatuor nepotes is quem dixi Vascus Vasquez. Ab hac igitur nobili familia, Cepedæ primitus orta, ac deinceps translata Tordesillas, descendunt progenitores S. M. N. Teresiæ a Jesu. Namque ejus proavus paternus Joannes Sanchez de Cepeda illi se trunco connexuit, inito matrimonio cum Agnete de Cepeda Tordesillana.

Argumento

AUCTORE V. D. M.

A Argumento sunt insignia gentilitia Alphonsi Sanchez de Cepeda, patris S. Teresiæ. Ex eo enim quod in uno quarteriorum leo cernitur octo crucibus Andreanis cinctus, sequitur Alphonsum a Cepediis antiquis descendere, non per Agnetem matrem solum, verum etiam per patrem Joannem, cui nimirum id quarterium competebat. Ideo, ne priscum Vasci Vasquezii cognomen interiret, primogenitum suum Alphonsus appellavit Joannem Vasquez de Cepeda. *Adde, eamdem probabiliter ob causam in scuto gentilitio domus paternæ S.* Teresiæ *duos Cepediorum leones cerni, alterum crucibus cinctum, alterum absque crucibus.*

indidem orti multi nobiles Hispani;

26 *Agnomen* de Tordesillas *hodiedum, secundum P. Emmanuelem, servant comites de Alcolea et marchiones de Sanfelices : item e stirpe Cepedia dicit processisse comites de Mora et Villamena, marchiones de la Torre de las Sirgadas, Villecastel, Salar aliosque; iisdem denique ex atavis ortum duxisse nobilissimam domum de Toledo, comites de Oropesa, duces de Alva ac marchiones de Villafranca. Ac Pulgares quidem, domini de Salar, quomodo Cepediis connexi fuerint docet P. Franciscus, e Pulgarium ipse familia, jussus id quod modestiæ causa diu celaverat,*

B *vulgo tandem aliquando propalare. Itaque, ex mandato sui Generalis (quem ad id imperandum Francisci fratres cæterique cognati sollicitaverant), dicit patrem suum Ferdinandum del Pulgar matrimonium iniisse cum Hieronyma de Cepeda, filia Catharinæ de Cepeda, nepte Mariæ Gonzalvæ de la Torre y Cepeda, abnepte Catharinæ de Cepeda. Hæc vero quam ultimo loco nominavi Catharina promatertera fuit S.* Teresiæ, *utpote soror Agnetis de Cepeda, quam Sanctæ aviam fuisse supra docui.*

ac, secundum quosdam, Cepedii Galli.

27 *Insuper P. Ludovicus a S. Teresia in Annalibus Carm. Exc. Gall.* (*Præfat. c.* IV, *num.* 4) *ex Nostradami Historia Provinciæ* (*part.* VII, *ad annum* 1613) *asserit nobiles illos qui in Gallia* de Cépèdes *aut* de la Cépède *agnominantur, et quorum frequenter inde a sæculo* XIV *in historiis Provinciæ ac præcipuarum ejus civitatum fit mentio, ab antiquis illis Cepediis Hispanis originem traxisse. Hinc secundum D. Boucher stirpi S.* Teresiæ *agnatus fuit ill. C. F. Daviau Dubois-de-Sanzay, nuper Burdigalensis archiepiscopus, anno* 1826 *defunctus, cujus acta virtutesque prolixe dilaudatas invenies in Ephemeride* L'Ami de la Religion (*tom. LVIII, pag.* 209, 241, 273, 384; *tom. LX, pag.* 213, 214) *et*

C *cujus soror anno* 1792 *præerat conventui Carmelitanarum Excalceatarum Pictaviensi. Atque hæc quidem de agnominibus S.* Teresiæ *paternis in medium ferenda duximus.*

3. Davila, cognomentum nobilissimarum familiarum,

28 Materna vero S. Teresiæ nobilitas, *inquit P. Franciscus* (*loc. cit. n.* 6 *et* 7) non minus clara est quam paterna. Agnomen Davila viget apud nonnullos Castellæ magnates (grandes) qui hodie Sanctæ cognationem summo honori sibi ducunt; ut adeo necesse sit paucis contrahere quæ in variis de nobilitate tractatibus reperire est. Continentur nempe eo agnomine Blasquezii, Nuñezii, Velasii aliique Abula oriundi, item una ex ditissimis Solariegarum domibus, quæ sunt apud Castellanos spectatissimæ. Atque hodie quidem illustrissimis domibus de Velada, de San Roman, de las Navas, de Navalmorquende et de Villafranca id cognomentum Davila proprium est; quæ a celebribus illis familiis Abulensibus, de Blasco Ximeno videlicet, sive Ximeno Blasquez, et de Esteban Domingo, derivantur. Horum enim posteri, ut a sibi homonymis distinguerentur, reliquis titulis suis illud de Avila adjecerunt, ab Abula videlicet civitate, ubi præcipua gerebant munera (de donde eran Caudillos, Adalides y Governadores) : deinceps autem ex de Avila, abjecta una littera, Davila factum est. . . . Ex una de iis domibus Davila fuit Joannes Blasquez Davila de Cordovilla, S. Teresiæ proavus, per duo illa priora cognomenta (*Blasquez et Davila*) descendens ab origine Navalmorquendia, cujus progenies masculina hodie summo splendore lucet in domo de Velada et San Roman. Unde ill. D. Sancius Davila Carthagenæ, Giennii, Palentiæ ac Seguntiæ episcopus, domus Veladiæ filius, sæpe Patribus nostris Excalceatis colloquens de sua S. Teresiæ cognatione gloriabatur. Tertium cognomentum de Cordovilla sibi assumpsit Joannes Blasquez a loco natalium, ut ab aliis dignosceretur Davilis et Blasqueziis. Comprobantur autem ea quæ dixi, per sex illa liba quæ cernebantur in tessera materna S. Teresiæ, ac propria sunt domui de Velada.

D

cui quæ competat tessera gentilitia

29 *Hic igitur aperte sibi apponuntur P. Franciscus et P. Emmanuel : dum alter quidem, ut modo lector animadverterit, materno S.* Teresiæ *generi* Davila *scutum illud aureum sex libis cæruleis instructum claris verbis adjudicat, alter vero id ipsum scutum suo e loco ab armorum regulo dimoveri fecit, et in primo omnium quarterio tamquam* E *Sancheziorum insigne collocari, propter rationes quas hic disserendas esse supra annuntiavi. Nempe post verba quæ num.* 22 *ex eo adduxi, ita pergit :* Ejus (*scilicet domus Veladiæ*) filius natu maximus Gomezius Davila, secundus Veladæ marchio, frater erat Sancii Davila episcopi, cui ut cognato scripsit S. Teresia epistolas (6 *et* 7 *tomi I*); et vero pro insignibus gentilitiis habuit sex liba cærulea in aureo scuto, prout a Martino de Ximena ponuntur in Annalibus Giennensibus. Cum igitur Sanctæ pater, avus et proavus insigniantur cognomento Sanchez ac simul altero de Toledo, uti supra expositum; consequens est cognationem intercedere inter ejus domum ac domus Veladiorum, Toletorum Sancheziorumque, quæ omnes in unam stirpem redeunt : quamvis non voluerimus abolitum hoc proprium Sanchez, quod nempe in serie majorum paternorum S. Teresiæ conspicitur; cum potius id agnomen primitivum Veladiorum ac Toletorum esse reputemus, prout indicant sex illa scuti liba : quæ tamen auxerunt deinceps eæ familiæ usque ad tredecim vel amplius. Sex quæ dixi liba prostant quoque in scuto lapidi insculpto supra ostium do-

F mus paternæ S. Teresiæ : hoc nihilominus discrimine quod ibi nescio quam ob causam inferius a sinistris quarterium occupant, in novo autem scuto D. Emmanuel Medina ea in dextro superiori collocavit; quo loco scilicet paterna insignia, maxime quod tam illustria sint, reponi æquum videbatur.

quibusdam argumentis disceptatur.

30 *Sit ita sane, ut paterna insignia maternis proponantur; verum contendo nihil obstare quominus hanc regulam in vetusto lapide observatam esse pronuntietur. Quidquid enim sit de connexione inter Veladios, Toletos ac Sanchezios; certe hæc non dilucide ostendit, id de quo agitur quarterium Sancheziorum dicendum esse potius quam Davilarum. Quod vero Sancius Davila episcopus, frater Gomezii Davila marchiones Veladæ, tale scutum pro tessera gentilitia gesserit, haud scio an inde eruatur sententiæ potius P. Francisci quam P. Emmanuelis adhærendum esse. Etenim primo, manifestum est agnomen* Davila *fuisse Veladiis maxime proprium; licet negari nequeat quosdam ex eorum majoribus insuper gessisse agnomen* Sanchez, *sicut alii quoque ex iis agnominati sunt* Blasquez, Ximenez, Gomez *vel alio quodam nomine patronymico. Secundo, opus hispanicum* Monarquia Española, blason de su nobleza,

auctore

A *auctore J. F. F. de Rivarola y Pineda* (*Madrid* 1736) *tomi II capite* XXXIX (*in quo de Navalmorquendiis agitur, et in cujus num.* 12 *Blascus Ximenus, tertius dominus de Navalmorquende, dicitur* stirpis Davila caput et summus parens) *pro inscriptione sic habet:* Insignia et arma de Davila et titulus marchionis de Navalmorquende (*nempe antea, non marchiones, sed domini de Navalmorquende extiterant*), quem Rex Philippus IV concessit D. Didaco Davila Coello : in scuto campus aureus, tredecim liba cærulea, *etc.; ac quoties eo in opere sex aut tredecim liba hujusmodi cærulea occurrunt, toties cognomento Davila adscribuntur* (*Vide t. I, p.* 125, Astorga; *p.* 128, Velada; *p.* 276, Santi-Esteban; *p.* 336, Uzeda; *p.* 341, las Navas, Risco, Villafranca). *Tertio, videtur ipse P. Emmanuel in nostram plane transire sententiam, initio sui* § VII *hæc scribens :* Docuimus appellatione Davila plurimas familias contineri, quæ illam adhibuerunt, ut ab aliis ad Abulensem quadrillam non pertinentibus discernerentur; ex iisque genus ducere sæpe dictum Joannem Blasquez Davila, proavum maternum S. Teresiæ : inde assumpta liba Veladiorum aliorumque. *Verum est mox hisce ab eo subjungi :*

B Similiter eidem competunt ac genitivæ sunt tres fasciæ (*cæruleæ in scuto argenteo*) quæ in lapide domus S. Teresiæ quarterium inferius ad dexteram constituunt. Sunt qui has fascias Toletis, id est paterno Sanctæ generi, censent tribuendas. Muñoziis quoque eæ congruunt, Gothis equitibus, e quibus progeniti marchiones de las Navas, quadrillæ Abulensis caput per Esteban Domingo, Blasci Muñozii parentem. Denique etiam S. Teresiæ conveniunt per Davila et Ahumada, descendenti a Blasco Muñoz, *etc. Sed hæc quid innuant quidve probent, non omnino perspicio. Id solum inde mihi assumo, esse mecum alios* qui has fascias paterno Sanctæ generi censeant tribuendas. *Itaque erunt antiquioris scuti duo superiora quarteria Cepediis adscribenda; de inferiori dextro non ausim plane decernere Toletis an Sancheziis an alii cuidam agnomini debeatur; inferius sinistrum vix dubito quin sit unice proprium cognomento* Davila. *Restat de* Ahumadiis *dicendum, quibus congruit arx seu turris in veteri lapide supra scutum collocata.*

4. Ahumada, item nobilissimum, sed originis incertæ.

C 31 Genus Ahumadiorum, *ait P. Ribera,* et nobilitate et antiquitate inter Abulenses familias facile principem locum tenet. *P. vero Franciscus, principio alludens ad vocem* Ahumada (*quippe deductam ab* ahumar, *i. e.* fumare) : Tempus, *inquit,* in fumum vertit originem cognomenti de Ahumada. Id quod de ejus mysteriis per ora hominum versatum fuit, Historiæ gravitas non admittit. Sic se habet quod traditione magis quam scripto reliquum est. Nempe dicitur quidam eques, nomine Ferdinandus, una cum tribus filiis suis, certam turrim aut arcem adversus Mauros defendisse; ea vero a Mauris incensa, e flammis per fumi obscuritatem se eripuisse: hinc assumptum cognomen de Ahumada, et pro honoris tessera a regibus donatam Ferdinando turrim, cujus e portis ac fenestris flammæ erumperent : turri varia dehinc apposita esse insignia per familias ea stirpe oriundas. Harum familiarum una consedit in valle ac ditione Antezanæ, in montibus Burgorum; alia iisdem in montibus, in vico Ahumada, ditionis Villæ Didaci (Villa-Diego), infra Rupem Aregiam (Peña Damaya). A quanam illarum descendant equites Ahumadii Abulenses, adeoque Beatrix S. Teresiæ mater, ignotum est. Quin fieri potest ut prodierint e vico quodam Fumada nomine, qui tempore Luitprandi juxta Abulam situs noscebatur, nunc vero nulla habet reliqua vestigia. Hunc Luitprandus tribuit Martyrii locum S. Secundo, Abulensium Apostolo ac Patrono : quod si inde Ahumadiorum appellatio sit, turre Ahumadia antiquior dicenda est.

AUCTORE V. D. M.

D

§ III. Particularia quædam de Sanctæ fratribus, sororibus aliisque cognatis.

S. Teresiæ, *in sæculo dictæ de Ahumada, undecim numerantur fratres ac sorores; nempe :*

Gessit *S.* Teresia *usitato apud Hispanos more hoc matris cognomentum de* Ahumada, *donec, fundato Reformationis suæ primo monasterio, pro sæculari illa appellatione sacratissimum* Jesu *nomen substituit. Idem cognomentum* de Ahumada *gesserunt, non solum ejus soror Joanna, sed etiam quatuor fratres Ferdinandus, Antonius, Petrus et Augustinus; cæteri fratres* (*nisi forte excipiendus sit secundus ex Catherina del Peso natus, de quo nihil constat*), *itemque soror Maria,* de Cepeda *dicti sunt, et quidem omnium natu maximus* Vasquez de Cepeda, *ut supra ex P. Francisco fuit expositum. Agam, credo, rem non inutilem nec omnino a nostro instituto alienam,* E *si præcipua congessero quæ de S.* Teresiæ *fratribus ac sororibus eorumque progenie, cum in illius epistolis cæterisque quibusdam operibus, tum etiam apud scriptores primo paragrapho laudatos reperi. Id eo nimirum potissimum faciendum judicavi quod ea quæ de illorum vita ac moribus afferenda sunt, sæpe ad ipsius S.* Teresiæ *honorem conferunt, et interdum quoque ad elucidandam ejus historiam facem præferunt non inutilem. De parentum egregia pietate, qua eos æternam salutem adeptos esse divina revelatione S.* Teresia *certior facta fuit, consulto, ne scilicet bis idem efferatur, hic dicere prætermitto. Præclarum enim eorum encomium, ipso Sanctæ filiæ calamo exaratum, sequenti paragrapho aptius proponetur.*

primus Joannes Vasquez de Cepeda; secundus incerti nominis; tertia Maria de Cepeda, mulier egregia,

33 *Filius igitur natu maximus Alphonsi Cepedii fuit, ut diximus, Joannes sive Joannes Hieronymus Vasquez de Cepeda. Id unum de eo scitur, ex Chronico* (*lib.* I, *cap.* III, *n.* 2), *fuisse ducem peditum in hispanico exercitu. De ejus fratre germano natu minore adeo nihil constat ut vel ipsum ejus nomen incertum, ne dicam plane ignotum sit. Horum soror Maria de Cepeda, cui S.* Teresia *percara fuit quamque a singulari honestate ac probitate commendat, nupsit Martino de Guzman y Barrientos,* F *viro virtute opibusque spectabili, et cum eo habitavit in viculo Castellanis de la Cañada. Illic apud Mariam ter, quod scitur, S.* Teresia *versata est : primo quando ante sumptam Carmeli vestem ab ægritudine convalescebat; iterum quando e monasterio Incarnationis Abulensi, jam emissa professione, Bezadas adiit a novis infirmitatibus curanda; tertio demum quinque annos ante mortem Mariæ, ob rationem mox allegandam. Apparet autem ex quadam Sanctæ epistola ad fratrem suum Laurentium* (*Tom. I, epist.* 29) *rem familiarem Martini ac Mariæ, initio satis copiosam, labente tempore nonnihil fuisse afflictam; ac demum, Martino inopina morte sublato, optimam Mariam penuria laborasse, ita ut Laurentii, tum in America degentis, ope indiguerit. Divinitus præscivit S.* Teresia *Mariam similiter subito morituram. Quare de consilio confessarii ad eam invisendam profecta est; ac, celata licet cœlica visione, suaviter ei inculcavit ut de rebus animæ suæ quam maxima posset cura disponeret. Et vero Maria quinque residuos vitæ annos tam sancte transegit ut post obitum octo non amplius dies in purgatorio permanserit, prout S.* Teresiæ *a mensa eucharistica recedenti in-*

AUCTORE V. D. M.

notuisse *P. Ribera et P. Franciscus a S. Maria perhibent.*

A *mater F. Joannis a Jesu Ord. Min. ac Didaci de Guzman;*

34 *Nominantur duo Mariæ Cepediæ filii, Joannes et Didacus; fortassis quoque ejus filia est Magdalena ea de qua S.* Teresia *loquitur in epistola* 38 *tomi III. Joannes assumpsit habitum S. Francisci Assisiensis in conventu Arenensi, ac Sanctæ materteræ exemplum imitatus* F. Joannes a Jesu *dici voluit. Ita P. Antonius a S. Josepho, commentans epistolam, in qua Sancta de dicto F. Joanne agit cum P. Antonio de Segura, Franciscano Excalceato* (*tom. II, epist.* 15). *In notis ad hanc epistolam præterea legitur, Joannem in vitæ præsertim interioris exercitio multa inter pericula plurimum profecisse et suum perfectionis religiosæ curriculum beata morte conclusisse, in qua materteram, jam cœlo fruentem, sibi assistere conspexerit. Frater Joannis, Didacus de Guzman, uxorem duxit Hieronymam de Tapia, quam patruelem S.* Teresiæ *dicit illustrissimus Palafox* (*Tom. I, epist.* 35, *not.* 1), *utpote filiam patrui ejus Francisci Alvarez de Cepeda : idem confirmat P. Antonius a S. Josepho* (*Tom. III, epist.* 38, *not.* 1), *qui addit dispensationem secundi ac tertii gradus pro hoc matrimonio datam fuisse Abulæ anno* 1564, *no-*

B *minans etiam provisorem et notarium. Habemus duas S.* Teresiæ *ad Didacum epistolas* (*modo citatas*), *scriptas circiter annum* 1676 *aut* 1677 : *utraque consolatoria est, de morte uxoris ac filiolæ. Quædam Didaci filia conjugem accepit Abulæ Joannem del Aguila, eique peperit Constantiam del Aguila, matrem Nunnii Ordoñez del Aguila, equitis S. Jacobi, qui tempore Palafoxii vixit. Fuisse Constantiæ ejusque viro Josepho Ordoñez Orejon alias insuper proles, ac nominatim filias duas, Euphemiam et Teresiam, ex Mss. refert P. Antonius.*

quartus Ferdinandus de Ahumada; quintus Rodericus de Cepeda;

35 *Progredimur nunc ad S.* Teresiæ *fratres germanos, quorum primus est Ferdinandus de Ahumada. Fuit hic inter Pizarrorum comites in expeditione Peruviana : fertur excelluisse virtute bellica, atque obtinuisse portionem terrarum bello Hispanis in America comparatarum. Indicat, secundum testimonium P. Emmanuelis a S. Thoma Aquinate, arbor genealogica marchionis Atalayuelarum* (*id quod nuspiam alibi a me reperitur*), *Ferdinando Ahumadio conjugem fuisse Eleonoram de Xeres Abulensem, et ex ea filiam Eleonoram de Ahumada; cujus progenies ad nostrum usque tempus perdurarit, deducta scilicet ad D. Mariam Teresiam de Navar-*

C *rete y Valdivia, prædicti marchionis uxorem. Ferdinandum consequitur Rodericus de Cepeda, a* Teresia *puella præ cæteris fratribus dilectus; qui quid in tenera ætate una cum* Teresia *egerit, hanc initio vitæ suæ narrantem sequenti paragrapho audiemus. Fratris vestigia secutus Rodericus ipse quoque in Novum Orbem navigavit, hærede paternorum bonorum, si moreretur improles,* Teresia *instituta; atque in fluvio Argentino, ad quem cohortem ducebat, mersus interiit, letho quidem specie miserabili, at ipsa re felicissimo, quod nempe S.* Teresia *non dubitavit martyrio comparare : id quo sensu Sancta facere potuerit, exponetur in annotationibus ad Riberam.*

sextus Laurentius de Cepeda,

36 *Hi quos modo laudavi fratres S.* Teresiam *ordine natalium præcesserunt : proximus post eam, quatuor fere annorum intervallo, natus est Laurentius de Cepeda; de quo et ad quem cum ipsa Sancta soror plurima scripserit, amplior et certior nobis suppeditat de eo notitia. In Americam profectus est circa annum* 1540, *ibique ultra* 34 *annos permansit, uti constat ex libro Fundationum S.* Teresiæ (*cap.* XXXV, *num.* 3). *Teste P. Francisco a S. Maria, Laurentius in Indiis militum cohorti ac dein ærario Quitoanæ provinciæ præfuit. Duxit in iis terris* D *uxorem spectabili loco natam, Joannam de Fuentes y Guzman; ac genuisse videtur septem liberos, e quibus quatuor infantiam non excesserint : de cæteris tribus, Francisco, Laurentio ac Teresia, sermo mihi postea habendus quam de eorum parentis Laurentii vita dixero. Maria, uxor Laurentii, ad finem anni* 1567 *Quitoæ vivere desiit, uti memorat quædam scheda a Laurentio hispanice conscripta; ex qua juvat in commendationem utriusque conjugis sequentia latina facere :* Tam sancte defuncta est ut optem Deus mihi tribuat eadem, si sibi placuerit, morte quiescere. Amen. Præclarum exemplum, quo toto vitæ suæ tempore mihi præluxit, in obitu quoque dedit. Ac me bis quidem admonuit eamdem viam et mihi post se fore ingrediendam : quod si illic cuperem cum ea conjungi, hortabatur ut bonus essem et vitam obsequio Dei impenderem. Sepulta est in monasterio B. Mariæ de Mercede, hujus Ordinis induta habitu; quod ideo voluerat fortunata mulier ut concessas ei loco indulgentias consequeretur (*Confer tom. IV epist.* 42, *not.* 6, 7 *et* 8).

vir dives, et cum ante

37 *Fuit Laurentius splendide rebus fortunæ in-* E *structus; qua in parte cæteros plerosque ac fortasse omnes propinquos sibi consanguineos longe superavit. At, nequaquam prospera sorte elatus,* post aurum non abiit nec speravit in pecunia et thesauris; *sed præcepto Sapientis obtemperans* honoravit Dominum de substantia sua. *Namque munifica caritate, quam S.* Teresia *plurima laude ac gratiarum actione prosecuta est, e regionibus illis longinquis copiosa identidem subsidia in patriam transmisit, tum fundandis recens reformati Carmeli conventibus, tum sublevandæ cognatorum nonnullorum inopiæ impendenda. Jam tunc Laurentium in partem suæ sollicitudinis* Teresia *vocabat; labores quos ad Dei gloriam obibat, per litteras ei communicans, ac singulari Dei providentiæ acceptum referens quod tantum tali tempore* (*moliebatur enim primam fundationem Abulensem*) *nacta esset fratris auxilium* (*tom. I, epist.* 29). *Cœperat interea hic, mortua uxore, in Europam cogitare, ubi se totum pietati traderet et prolium provideret educationi. Probavit vehementer id consilium S.* Teresia, *scriptis anno* 1570 *litteris : quo autem magis fratrem alliceret, universam civitatem patriam a pietate, collegium societatis Jesu Abulense a proba puerorum institutione, scholam PP. Prædicatorum ab altioribus studiis egregie dilaudavit; nec non sub* F *finem suæ scriptionis dulcissima hæc adjecit verba :* Magnæ credo levationi mihi futurum si tua fruar præsentia. Tam parum solaminis a rebus terrenis accipio ut existimem hanc mihi a Deo repositam esse voluptatem, tecum scilicet ut conjungar, quo honori et gloriæ Creatoris atque aliquantum etiam animarum saluti procurandæ una allaboremus. Hoc enim est quod omnium maxime me angit, tantum animarum numerum perire : nec sane exiguum istæ Indiæ tuæ mihi negotium facessunt; quas, opto, Deus illuminet : etenim hic et istic magna miseria est (*tom. I, epist.* 30).

tum maxime post reditum ex America in patriam piissimus,

38 *Appulit Laurentius in San-Lucar, notum Hispaniæ portum, cum prolibus ac Petro fratre, ad medium annum* 1575 (*tom. IV, epist.* 42); *ac mense Augusto S.* Teresiam *Hispali convenit. Inde mense Octobri se contulit Madritum in aulam regiam, aliquid negotiorum acturus; quo interim tempore Hispalim cum liberis suis accesserunt Joanna de Ahumada hujusque conjux Joannes de Ovalle, quos ad visendum fratrem S.* Teresia *advocarat* (*tom. IV, epist.* 47), *quibusque exin cum Laurentio intercessit pulcherrima conjunctio animorum* (*t. III, epist.* 61). *Madrito hic post aliquot dies redux, S. Fundatricem, Hispali*

A *Hispali a se adjutam, comitatus est Toletum usque cum magna utriusque voluptate ac solatio; uti ipsa Sancta P. Gratiano testata fuit* (*tom. IV, epist.* 20). *Toleto Abulam, ubi habitare constituerat, cum duobus pueris adiit, manente apud Sanctam amitam Teresia filiola. Brevi post litteras ad fratrem suum dedit S.* Teresia, *urgens ut pueros, ne pravorum consortio corruptelam paterentur, illico ad collegium Societatis Jesu mitteret, quamvis pedissequum, quem iis conquisierat, nondum domi haberet, ac simul monens abstineret Laurentius a nimio fastu, quin tamen omitteret honori atque æstimationi suæ ex æquo consulere* (*tom. II, epist.* 49) *et domum decenter, ut in sequenti aliqua jubet epistola, pro dignitate ordinare:* modo, *inquit,* curaveris istiusmodi reculas parvi facere iisque non adhærescere (*tom. I, epist.* 33). *Quantum pro se Laurentius a mundi negotiis abhorreret, inde patet, quod, testante S.* Teresia, *aliquandiu de religiosa vita amplectenda deliberaverit* (*tom. III, epist.* 61): *quin imo, cum dein villam aliquam,* la Serna *dictam, non longe ab Abula distantem, emisset pretio* 14,000 *aureorum, quo fortunæ suæ ac familiæ in posterum dignitati prospiceret* (*tom. II, epist.* 82; *tom. III, epist.* 66); *hæc res, quasi de nimis operosa*
B *ac pietati nociva famæ ac lucri cura, ita eum anxium habuit, ut necesse fuerit Sanctæ sorori ejus super his scrupulos validis rationibus explodere* (*tom. I, epist.* 31). *Idem quoque accidit de argentea supellectile ac tapetibus, quæ vir timoratus non est ausus usurpare, nisi accepto* Teresiæ *responso isthæc, modo ne animum a Deo abstraherent, ad rem nihil contingere, adeoque patienter, ut ait, fratri puerorum gratia esse ferenda* (*tom. I, epist.* 33).

orationi ac pœnitentiæ deditus,

39 *Prorsus autem mirabile est ad quantam vitæ perfectionem Laurentius sub S.* Teresiæ *ductu brevi temporis spatio ascenderit. Totum se ei, tanquam matri ac magistræ, dirigendum in via Domini commiserat, paratus ei quibuscunque in rebus obedire: quod tamen consilium illa non admodum approbavit, nec nisi ægre pro rato habuit, expressa conditione cavens ne cuiquam speciatim voluntatem suam voto obstringeret. Cœpit igitur S. Mater spiritualium rerum commercium cum Laurentio instituere* (*tom. I, epist.* 31, 32, 33; *tom. II, epist.* 40; *tom. IV, epist.* 39 *et* 40). *Docuit quo modo orationi insistendum; quid præstandum ubi impetus divini amoris, id quod non raro contingebat, vir piissimus persentisceret; quid rursum, dum aresceret aut ab inferno hoste turba-*
C *retur animus, procurandum esset. Mensuram quoque pœnitentiæ præstituit: quoties flagrum adhibendum carni; quo tempore et quamdiu induendum cilicium, quod ipsa ad fratrem miserat, hujusmodi dono, ut facete loquitur, munuscula ac medicamina, quæ ab eo ægrotans acceperat, remetiens. Habebat autem in iis quæ ad carnem afflictandam pertinent, non stimulo Laurentius, sed fræno opus. Frequenter item narravit ei* Teresia *de divinis operationibus quas ipsa patiebatur; contemplationis suæ gradus et quæ huc spectabant ei tanquam rerum ejusmodi intelligenti exposuit; scripturas suas spirituales ei communicavit; tanti denique ejus in scientia Dei æstimavit peritiam, ut eum cum tribus aliis viris eximia spiritualium rerum cognitione præditis, S. Joanne a Cruce, Juliano de Avila sacerdote ac Francisco Salcedio equite, ad quoddam quasi certamen provocarit ad interpretanda verba hæc mystica quæ ex ore divini Sponsi audierat:* Quære te in me: *quo refertur bellissima illa epistola ad Alvarum de Mendoza, Abulensem episcopum* (*tom. I, epist.* 5). *Est adeo præclaro documento homo ille militaris atque opulentus quo evehi Sancti Spiritus gratiâ possit, non tantum monachus aut monialis vel si quis est alius ad Dei cultum specialiter ordinatus, sed quivis christianus etiam qui Deo se penitus manciparit et quæ ei placita sunt studiose exquisierit.*

AUCTORE V. D. M.

D

caritate et zelo conspicuus,

40 *Neque adeo fieri poterat ut tam ardens in Deum pietas intra meros affectus internosque animi motus consisteret. Imo quam efficaciter in opus prodierit, plurimæ paginæ epistolarum S.* Teresiæ *testantur. Cognatis indigentioribus non paucis facultatum suarum partem generose Laurentius subministrabat: quales erant præ cæteris Joanna Ahumadia soror, cujus familiæ sæpe missis muneribus succurrit; Petrus item Ahumadius frater, qui, ex quo in patriam rediit, fere unius Laurentii sumptibus vixit; duæ aliorum fratrum Hieronymi atque Augustini filiæ, quibus, attributa congrua dote, honestas procuravit nuptias* (*tom. II, epist.* 52). *Ad hæc variis S.* Teresiæ *monasteriis, dum penuria laborabant, præsens erat ad Laurentium refugium. Pro Hispalensi præcipue monasterio quantum non solum pecuniæ expenderit, sed etiam quam gravia passus sit, legere est apud Riberam, libro* III, *cap.* III, *et apud* Teresiam *ipsam, libro Fundationum, cap.* XXV. *En quid admirabunda super Laurentii in iis rerum adjunctis magnanimitate S. Mater ad filiam suam Mariam a S. Baptista scripserit:* Ni hic affuisset frater meus, numquam E temporum aliquid effectum foret. Tanta ille passus est ac tam magno animo opes expendit et labores sustinuit ut sit unde Deum laudemus. Æquum certo est ut eum ament sorores illæ nostræ; quia nec aliunde juvamen aderat, et ingens nobis erat præ manibus molestia. In præsentia hinc recessit; neque enim metus abfuit ne in carcerem, qui hic est inferno similis, raperetur. Nihili fit hoc loco justitia: quæ non debemus repetuntur a nobis et a fratre meo, utpote sponsore. Finiri ista non possunt nisi supremam curiam appellemus: res isthæc non habet modum. Ille autem bonus libenti animo Dei causa vexationes sustinuit. Modo cum Patre nostro apud Carmelitas versatur: et quæ in illum incidit pluvia ærumnarum grandinis instar est. Quidni ergo etiam ego animum sustollam; cum interea vir hic nostro dolore magis afficiatur quam suo? (*Tom. I, epist.* 47). *Testamentum Laurentii et ipsum insignis pietatis ejus monumentum est: præter enim ea quæ ad dividendam inter tres liberos hæreditatem pertinebant, quorum tunc duo, nempe Franciscus et Teresia, Ordinem Carmelitarum Excalceatorum ingredi velle videbantur, designabantur illic a Laurentio*
F *pecuniarum summæ non spernendæ quas cupiebat tum monasteriis S.* Teresiæ *tribui, tum ad pias fundationes adhiberi. Exstrui curarat Laurentius sacellum in honorem S. Annæ, cui erat singulariter devotus* (*tom. I, epist.* 34). *Item ædificari testamento suo jussit sacellum S. Laurentii, patroni sui, ubi post mortem conderetur, in conventu S. Josephi Abulensi. Fornix majoris oratorii eidem conventui annexi fabricanda erat e relictis a Laurentio opibus: quod si contingeret filium suum Laurentium sine prole mori, id quod de fornice statutum erat, ad integrum oratorii ædificium extendebatur.*

post felicem mortem

41 *Ita* stabilitis bonis suis in Domino, *Laurentius Cepedius, plane dignus cujus* elcemosynas enarret omnis Ecclesia Sanctorum, *inopinato e vita discessit* XXVI *Junii* 1580. *Legimeretur quod super fratris obitu S.* Teresia *scripsit ad Matrem Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem:* Spiritus Sanctus tecum sit, Mater carissima. Videtur velle Deus ut nullum fere sit tempus quo non aliquid habeam patiendum. Noveris ei placuisse ut ad se tolleret devotum sibi servum Laurentium de Cepeda. Afflixit eum sanguinis ejectione tam præcipiti ut intra sex horas, intercluso spiritu, extinctus fuerit. Accesserat ad sacras

AUCTORE V. D. M.

sacras epulas ante biduum, ac moriens præsenti usque ad extremum animo sese Domino commendabat. Equidem divinæ misericordiæ confido Laurentium ad fruendum Deo abiisse : ea enim vixit mente ut alias res quam quæ divini erant obsequii jam ferre non posset. Quare etiam sua villa extra Abulam sita multum delectabatur; quod scilicet diceret illic ab urbanis salutationibus requiem sibi concedi. Assidua erat ejus oratio, quoniam semper in Dei præsentia gradiebatur; ac tantis a suprema Majestate donabatur gratiis ut aliquando stuporem mihi injecerint. Pœnitentiæ erat addictissimus, atque adeo ea in re plura præstabat quam ego voluissem. Namque mihi omnia communicare solitus fuit, ac pro eo quem mihi addixerat amore, plurimi faciebat quæcunque ei dicerem. Pro hoc amore jam ego ei redhibeo gaudium meum, quod nempe vitam hanc miserabilem cum æterna permutarit securitate. Non hæc dicendi formula est; sed vere quoties ea cogitatio menti meæ obversatur, toties recreari me sentio. De filiis equidem angor; sed propter patrem, credo, miserebitur eorum Deus. Tam multa scripsi tui consolandæ causa ; isthac enim morte prævideo quantum dolitura sis; et sane æquum est ut doleatis tu et istæ sorores meæ, quarum molestiis quantum ille afficeretur, quantumque eas diligeret, incredibile est. Nunc adest tempus ut debitum caritatis persolvatis, commendando illum Domino; hac conditione ut, si (quod ego crediderim quodque per fidem cogitare licet) nostra jam ope anima illius non indigeat, id quod pie factum fuerit cedat in levamen animarum earum quæ nostris suffragiis maxime habent opus. Paucis ante mortem suam diebus Segoviam, ubi etiamnum consisto, litteras ad me dederat; in quibus ita scribebat ut videretur quam parum sibi vivendum superesset præsagire : id quod me nonnihil attonitam habuit (*tom. I, epist.* 64).

brevi in cœlum admissus,

42 *Hactenus S. Mater; quæ non diu post eodem fere modo scripsit ad Laurentium defuncti filium, tunc in America degentem : adjicit vero in posteriore hac epistola esse quædam particularia, quorum ipsa quidem esset conscia, sed quæ chartæ committere non posset. Sunt hæc fortassis ea quæ S.* Teresia *alteri Laurentii filio Francisco narravit, ut constare dicit P. Antonius a S. Josepho ex testimonio quod Orofrisia, prædicti Francisci uxor, postea reddidit in informationibus pro* Teresiæ *beatificatione* (*tom. II, epist.* 55, *not.* 10) : *scilicet ea hora qua Laurentius vivere desiit S. Matrem Segoviæ cum suis monialibus opus aliquod manuale peragentem, divino accepto monitu, omnes filias suas statim ad orandum pro fratre defuncto in chorum evocasse; paulo post certiorem factam fuisse de Laurentii post brevem in purgatorio moram in cœlum ingressu; ac demum, cum quadam die ad sacram Synaxin se præpararet, S. Josephum ac Laurentium ab ea esse visos mediam habentes Sanctissimam Eucharistiam quæ a sacerdote deferebatur. Hanc visionem etiam allegat P. Franciscus a S. Maria* (*lib.* I, *cap.* III, *n.* 6); *sed errat hic auctor in eo quod mortem Laurentii Cepedii dicit contigisse anno* 1579, *deceptus proculdubio lectione epistolæ* 64 *tomi I, quam supra citavi, et cui aliena manu annus* 1579 *appositus est. Id aliena manu factum fuisse colligitur ex examine juridico quod a veteris scripturæ peritis institui jussit ad medium sæculi* XVII *Ill. Isidorus Joseph Bustamantius, Vallisoletanus episcopus; imo jam antea affirmarat P. Petrus ab Annuntiatione, testis oculatus, anni notam primitus in epistola de qua agitur non adfuisse. Præterea constat S.* Teresiæ *epistolam, de qua dixi, ad Laurentium juniorem scriptam esse Vallisoleti mense Decembri; quod fieri non potuit anno* 1579, *quando eum mensem S. Mater Malagone transegit, uti ex aliis ejus epistolis perspicuum est. Adde demum inscriptionem lapidis sepulchralis Laurentii, quam hoc tenore fuisse refert D. Antonius Ponz* (Viage de España, *tom. XII, carta* 10) : Fallesció Lorencio de Cepeda á 28 de Junio del año de 1580. Es fundador de esta capilla, y hermano de la Santa fundadora de esta casa y de todas las Descalzas Carmelitas. *Id est :* Obiit Laurentius de Cepeda 28 Junii anni 1580. Fundator est hujus sacelli, et frater Sanctæ fundatricis hujus domus et omnium Carmelitanarum Excalceatarum. *Nota tamen Ponzium hic per mendum pro* 26 *Junii scripsisse* 28 *Junii; quandoquidem S.* Teresia *expresse affirmat Laurentium decessisse post biduum a festo S. Joannis :* dos dias despues de San Juan. *Præterea mendum esse novi e missa nuper Abula illa inscriptione, quæ addita erat scuto Laurentii gentilitio. Scutum hoc circulare est, et tertio quarterio differt a scuto num.* 14 *exhibito, nec turrim sibi habet impositam : præterea notandum est in primo quarterio leonem sinistrorsum versum esse, dum in S.* Teresiæ *aliorumque scuto dextrorsum est versus. Suspicor, incisorem scuti Laurentiani, legum heraldicarum ignarum, id vitii sibi permisisse ob formam scuti circularem. Quarterium id leone octoque crucibus decussatis ornatum gestant illustres antiquæque omnes familiæ civitatis Abulensis, quæ jure cognomento gaudet* Avila de los Caballeros.

relictis tribus liberis : Francisco de Cepeda,

43 *Franciscus, Laurentii filius natu prior, a teneris annis pietati deditus, et post suum adventum in Europam Sanctæ amitæ plurimum dilectus, eo anno quo mortuus est ejus pater, ardenter ad religiosum statum aspirabat, ut adeo jam nullum de ejus consilio dubium superfuisse ex quadam S.* Teresiæ *epistola appareat. Id consilium reapse demum executurus, fine ejusdem anni jam appropinquante, cum P. Hieronymo Gratiano Pastranam adiit, novæ vitæ quam cogitabat periculum faciendi gratia : at exitum qui sperabatur res ea non habuit; et Franciscus, vix ullo experimento facto, post paucos dies e conventu Pastranensi domum reversus est. Neque obscurum est quid super ea re senserit S.* Teresia : Historia Francisci, *sic scribit ad Gratianum,* nos omnes perculit. Apparet nihil aliud istos egisse, nisi ut mentem ejus in varias partes distraherent. Quod pertinet ad ejus cognatos, non me movet; sed hoc movet, Deum ita reliquisse creaturam sibi servire cupientem. Alta sunt judicia ejus (*t. III, epist.* 26). *Paulo post invenitur Francisco sponsa nobilissimo loco nata, nomine Orofrisia de Mendoza y Castilla, filia Francisci de Mendoza et Beatricis de Castilla, amitina matris ducis Albuquercii, ducem quoque del Infantado aliosque primariis titulis nobiles arcta consanguinitate contingens; quos inter Abulæ numerabantur marchiones de las Navas et de Velada, nec non hujus conjux, et maxime Mosis Rubin filius Ludovicus, claræ apud Gallos originis. Erat Orofrisiæ ætas quindecim annorum, gratia et discretio insignis, dos quater mille aureorum, mater eximia prudentia et rei domesticæ regendæ idonea, frater unicus majoratu gaudens, cui fratri si proles deesset, Orofrisiæ tota cederet hæreditas, soror item una eaque monialis* (*tom. II, epist.* 55). *Celebrata sponsalia fuere festa die Virginis sine labe conceptæ, anno eodem quem supra scripsi* 1580; *Francisco autem optime cum uxore ac socru conveniebat. At, quæ est ordinaria sors non obtemperantium Deo ad religiosum statum vocanti, rerum tam bene, ut videbatur, fluentium brevi commutatio facta est. Anno enim sequenti* 1581 *dolebat S.* Teresia *rem familiarem Francisci in pejus ruere; adeo ut verum illa dixerit esse juvenem Deo natum, non curandis rebus terrenis. Fuit etiam anno* 1582

negotium

A *negotium S.* Teresiæ *cum Beatrice socru Francisci; quæ, ut penuriæ generi sui mederetur, testamento Laurentii Cepedii suum contendebat valorem adimere, eratque in eo ut S. Matrem in jus advocaret, nisi hæc, non minus fortiter quam suaviter, ad eam rescripsisset* (*tom. IV, epist.* 16). *Demum Franciscus, rebus pene desperatis, pietate tamen ac S.* Teresiæ *amicitia nunquam amissa, in Americam navigavit; et Quitoæ, nulla relicta progenie, anno* 1617 *decessit.*

Laurentio de Cepeda

44 *Felicius egit Francisci frater Laurentius, cui inscriptæ sunt epistolæ duæ S.* Teresiæ (*tom. II, epist.* 55, *et tom. IV, epist.* 43). *Profectus est hic in Americam ante Laurentii patris mortem, munus gesturus quod ei pater reliquerat hac lege ut suo juri legitimæ portionis cederet in gratiam fratris sui, cui majoratus obtinendus eo pacto sperabatur. Contraxit Laurentius matrimonium cum Maria de Hinojosa, nata in insula Hispaniola* (*vulgo* S. Domingo *vel* Haïti) *ex Petro de Hinojosa et Anna de Esteves y Santistevan; atque adeo prospere rem gessit, ut jam anno* 1581 *copioso reditu frueretur. Fuerat socer ejus antea auditor, ut vocant, in audientia prædictæ insulæ et tunc audientiæ Quitoanæ præerat, atque mortuo prorege, Peruvianam provinciam vicarius*

B *administrabat. Laurentio deinceps munus honorificum commissum a rege est, cum amplissimo proventu. Exemplum secutus optimi patris, quem ei S.* Teresia *imitandum identidem proponebat, Laurentius suarum divitiarum partem succurrendo pauperioribus consanguineis aliaque bona opera procurando impendit. Peperit ei Maria de Hinojosa filios quatuor et duas filias; unde propagatum nobile Cepediorum genus in America. Anno* 1666, *uti narrat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 49, *not.* 15), *unus ex Laurentii nepotibus in Hispaniam venit ad petendam præbendam Ecclesiæ Quitoanæ; eamdemque, quia erat e S.* Teresiæ *fratre oriundus, suffragio Consilii Indici præ multis se antiquioribus obtinuit: postea etiam canonicatu donatus, munifica in S.* Teresiam *religione reginæ Hispaniarum.*

et Teresia a Jesu juniore;

45 *Francisco ac Laurentio felicior eorum soror Teresia fuit. Natalem annum habuit Quitoæ* 1568. *Eam, Toleti apud se relictam, anno* 1576 S. Teresia, suavissimis ejus moribus et indole eximia et aliis ad Deo ancillandum dotibus, *ut Ribera loquitur, plurimum delectata, in spiritualem filiam adoptavit ac monialibus suis Abulensibus educandam atque ad sanctitatem efformandam commisit. Ibi*

C *puella tantum fecit in omni virtutum genere, et potissimum in humilitate, progressum, ut perfectissimæ illæ a quibus educabatur virgines, conspecta ejus agendi ratione, rubore suffundi se testarentur. Sic præparata Domino Jesu sponsa habitum Carmelitanarum Excalceatarum induit anno* 1581 *eodem in conventu Abulensi; ac dicta deinceps fuit Teresia a Jesu. In novitiatu versantem Deus multis argumentis probavit atque inferno hosti tentandam permisit; quam interea scriptis admirandis consiliis et hortationibus S.* Teresia *sustentabat. Optabat Sancta Fundatrix dilectissimæ fratris filiæ solemnem professionem ipsa excipere; sed ante mortua est quam voti sui compos fieri potuerit. Hanc igitur professionem post felicissimum materteræ suæ exitum Teresia junior emisit die* v *Novembris* 1582; *atque deinceps totum vitæ suæ tempus Abulæ transegit, prout jussisse S. Matrem in quadam post mortem suam apparitione narrat P. Josephus a S. Teresia* (*Chron. tom. III, lib.* XIII, *cap.* XIII, *num.* 7). *Functa fuit aliquando Teresia officio magistræ novitiarum; in quo officio sicut in cæteris vitæ suæ actionibus præclara sanctitate enituit* (*Ibid. n.* 8). *Eadem hora qua mortua est, die* x *Septembris* 1610, *narratur a citato scriptore* (*Ibid. n.* 9) *conspiciendam se obtulisse amicissimæ sibi Venerabili Dei Servæ Annæ a S. Bartholomæo, degenti in Gallia.*

AUCTORE V. D. M.

D

46 *Satis prolixe egimus de Laurentio Cepedio ejusque liberis. De Antonio Ahumadio, cui quartus locus inter S.* Teresiæ *fratres germanos assignatur, non tam multa dicenda sunt. Antonium* Teresia *eo adduxit, ut quo die hæc in ordinem Carmelitarum ingrederetur, ille quoque in religiosam domum, nempe PP. Prædicatorum Abulensium, sese reciperet. Variæ autem sunt in hanc rem auctorum sententiæ, quas sic exponit* (*in nota ad cap.* IV, *lib.* I *vitæ italicæ S.* Teresiæ) *P. Fredericus a S. Antonio:* Scribit, *inquit,* P. Ribera, lib. I, cap. VI, Antonium Ahumadium ab Incarnationis cœnobio, quo sororem deduxerat, recta ad S. Thomæ Ordinis D. Dominici contendisse, ut admissionem postularet: sed ea admissione dilata ab ejus domus Patribus, qui antea vellent parentis, quem familiariter noverant, mentem explorare, Antonium in Ordinem D. Hieronymi se recepisse; at, cum per tirocinii tempus in morbum incidisset, cœptum vitæ institutum tenere non potuisse. Alii sunt scriptores qui nihil omnino de Antonio memoriæ prodidere. Denique P. Franciscus a S. Maria, lib. I, cap. VII, et E Philippus Lopez, cap. II, adducti fuerunt ut crederent Antonium reipsa habitu S. Dominici indutum fuisse; ac prior quidem, allegata licet sententia eorum qui apud monachos S. Hieronymi illum degisse opinantur, scribit tamen juvenem, vita in Instituto PP. Prædicatorum egregie acta, necdum facta professione, diem supremum obiisse.

septimus Antonius de Ahumada, religiosus;

47 *Antonium de Ahumada ordine natalium consequitur Petrus, item de Ahumada dictus, ac bellica virtute in expeditionibus transmarinis non minus quam tres qui illum præcesserant fratres spectabilis. Reversum esse Petrum ex America cum fratre suo Laurentio, antea docui. Meritorum suorum mercedem, quam reposcere in Hispaniam rediens intenderat, non videtur pro spe fuisse consecutus; qua repulsa effectum ut per totam reliquam vitam animi ægritudine et sibi et cognatis suis non parum molesta laborarit. Ejus necessitati Laurentius frater generosissime subvenit, omnia ei tribuens quibus ad victum, vestitum ac res domesticas indigebat, ac propriam domum cum fratre, quamdiu hic voluit, communicans. Eadem hospitalitate, modo vellet, gaudere potuit Petrus sive apud Joannam Ahumadiam sororem sive apud sororis Mariæ filium Didacum.* F *Sanctæ autem* Teresiæ *ut multum curarum suscitavit sua in Petrum misericors caritas, sic etiam eidem inspiravit eloquentissimam epistolam; qua dubito an in hoc genere scriptionis aliquid pulchrius atque ad persuadendum movendumque aptius inveniri possit* (*tom. III, epist.* 35). *Mortuo Laurentio fratre, habitavit Petrus apud Franciscum Laurentii filium; ejusque rem domesticam, tum ante tum post initum ab eo matrimonium, pro parte cum ejus socru Beatrice Mendozia administravit: cui administrationi paulo postea Petrum Abulæ immortuum conjicio.*

octavus Petrus de Ahumada, qui ex America redux pauper obiit;

48 *Ferdinandum, Rodericum, Laurentium ac Petrum æmulati sunt alii duo de quibus nunc dicendum est S.* Teresiæ *fratres, Hieronymus de Cepeda et Augustinus de Ahumada. Colligitur ex epistolis S. Matris Hieronymum in Americanas expeditiones profectum fuisse anno* 1562 (*tom. I, epist* 29), *ac post duodecim prope annos in iisdem exactos, sub id tempus nimirum quo ejus fratres Laurentius ac Petrus reditum in patriam parabant,* mortuum esse in nomine Domini tanquam sanctum (*Tom. IV, epist.* 42): *Augustinum vero anno* 1572 *apud proregem Peruviæ fuisse versatum* (*tom. II, epist.* 52). *Hieronymo*

nonus Hieronymus de Cepeda, et decimus Augustinus de Ahumada, uterque in America sancte mortuus;

AUCTORE V. D. M.

A *nymo filia fuit Joanna nomine, Augustino item filia Eleonora; quas ambas a patruo suo Laurentio nuptui collocatas esse supra retuli* (*num.* 40) : *earum quæ matres fuerint, item an et quot alios liberos parentes earum genuerint, nusquam a me compertum est. Porro de Augustino Ahumadio sequentia prodit P. Franciscus a S. Maria* (*lib.* I, *cap.* III, *num.* 8) : Fuit Augustinus militum præfectus fortissimus in Chile et septemdecim e præliis victor evasit. Cum autem esset regendo alicui Peruviæ loco præpositus, litteras a Sancta sorore accepit quibus jubebatur præfecturæ et loco cedere, ni vitam animamque perditam vellet. Obedivit vir timoratus, neglecto ditissimo muneris sui proventu; nec vero diu post accessit illuc hostis, et gubernatorem Augustino suffectum cum omnibus loci incolis trucidavit. Ambiit deinde alterum munus in ea terra Augustinus; at denuo ad illum S. Teresia litteras misit, in quibus præter alia hæc scribebat : « Ne assumas, mi frater, » in Indiis ullum munus; accepi enim a Domino te, » si eo assumpto mortuus fueris, damnatum iri. » Tum ille, veritus periculum, abjecto muneris ambiendi consilio, in Hispaniam venit, afferens scripta rerum egregie a se gestarum testimonia, et

B meritorum suorum expetiturus præmium. Quod cum videret alibi quam in Indiis consequi se non posse, aures voci conscientiæ occlusit, mortua jam sorore; atque præfecturam in provincia Tucumana gerendam admisit. Jam mare iterum remensus erat, et in Civitatem Regum (*alias* Limam) pervenerat, cum ecce morbo ad extremum discrimen deductus, agnito misericordiæ divinæ flagello, omnem ambitionem ex animo expulit, seque ad mortem paravit. In vitæ exitu assistentem sibi habuit Sanctam sororem et ab ea in conspectum Dei adductus est; uti in informationibus pro Teresiæ canonizatione testatum fecit P. Ludovicus de Valdivia, Societatis Jesu sacerdos, qui Augustinum peccata confitentem audierat. *Eadem hæc constant e manuscripto de prophetiæ dono S.* Teresiæ *Summario; in quo P. Ludovicus designatur ut* 38 *testis examinatus Madriti.*

undecima tandem Joanna de Ahumada, bona boni viri uxor,

49 *Restat ultimo loco nata inter Alphonsi Cepedii liberos Joanna de Ahumada, soror S.* Teresiæ *carissima; quam hæc, multo se juniorem, mortua matre, adoptarat in filiam atque in monasterio Incarnationis summa cum cura educarat. Iniit Joanna honestissimum matrimonium anno* 1553 *cum Joanne*

C *de Ovalle Godinez, nobili viro Salmanticensi, qui per plures annos sub Caroli Quinti vexillis cum laude meruerat. Feruntur progeniti ex hoc matrimonio duo filii ac filiæ tres : nempe Gonzalvus, quem Sancta matertera a morte suscitavisse narratur apud Riberam lib.* I, *cap.* VIII; *Josephus, quem eadem, suis in brachiis mortuum, vidit comitantibus Angelis in cœlum ascendere, uti ibidem Ribera memorat; Beatrix, quam S.* Teresia *non sine labore sensim ad sui Instituti lanam induendam allexit; Constantia demum et Eleonora, quarum nihil aliud quam nomina, eaque apud unum P. Emmanuelem a S. Hieronymo, continuatorem Chronici, notata invenio* (*tom. V, lib.* XXI, *cap.* XXXI, *num.* 4). *Erat conjugii sui initio res Joannis Ovallii satis copiosa. Habitabat per alteram anni partem in civitate Alba, per alteram in villa sibi hæreditaria prope Albam, nomine Galandustre. Multa elargiebatur pauperibus : gaudebatque summa æstimatione apud Duces Albanos; quorum in aula filius ejus Gonzalvus prius inter pueros honorarios, dein inter nobiles ministros, versatus fuit. Sed sua non semper stetit Joanni fortuna; prout ex eo patet quod illius familiæ duo Laurentii Cepedii, pater et filius, de suis opibus succurrerunt. Multa eaque præclara de Joanne Ovallio ejusque* D *conjuge lector apud Riberam offendet; quæ proin superfluum erat a me hoc loco describi. Referam ergo de prolibus eorum Gonzalvo ac Beatrice ea quæ Ribera vel omnino non habet vel paucis tantum verbis perstringit.*

mater Gonzalvi de Ovalle

50 *Ac de Gonzalvo quidem exstat relatio memoratu digna Matris Mariæ a S. Francisco, Carmelitissæ Excalceatæ cœnobii Albani. Ex hac relatione huc traducam quæ ex ea desumpsit P. Antonius a S. Josepho in suis notis ad epist.* 51 *et* 108 *tomi secundi epistolarum S.* Teresiæ. *Scilicet cum quadam die Sancta Fundatrix Albæ consisteret, illam Gonzalvus puer sic compellavit :* Mater ac matertera mea carissima, commenda me Deo et ora, amabo te, ut cum nunquam offendam ac salvus fiam : tibi enim omnium maxime incumbit hoc facere, quæ prohibuisti ne in tenera ætate cœlo fruerer. O mater, *exclamabat,* quot modo annos in conspectu Dei stetissem, nisi tu me inde disturbasses! Vide igitur quid mihi eripueris; vide quanto debito mihi obstringaris : quod mihi ut per tuas preces solvatur postulo atque spero. *Obtinuit Gonzalvus, nec dubium quin S.* Teresia *intercedente, id quod tam sollicite tamque tenero affectu postulabat : nempe anno* 1587, *ætatis suæ circiter* 28, *beatissimum vitæ finem ac-* E *cepit. Cum esset in eo ut in extremum veniret discrimen, peracta generali confessione, morientium Sacramentis cum magno pietatis affectu munitus est; nec deinceps, donec vitæ usura superfuit, Deum suaviter alloqui desiit aut invisentes se equites de mundanarum rerum vanitate admonere. Queri aliquando apud medicum audiebatur nimis tarde advenientem mortis horam : quam non præ tædio suorum dolorum advocari a se dicebat, sed pro ea qua pellebatur videndi Deum cupidine. Misit etiam qui peterent a Beatrice sorore, tunc sanctimoniali, habitum Carmelitanum. Quo indutus, postquam sacras Litanias pro se recitari jussisset, ad quas ipse* Ora pro me *respondebat; placide exspiravit, sparso suavi per cubiculum odore, qualem S.* Teresiæ *exuviæ olim diffuderant.*

et Beatricis a Jesu, Carm. Exc.

51 *Beatrix de Ovalle, postea Beatrix a Jesu, primam lucem aspexit Albæ; et quinquennis puellula curæ monialium Benedictinarum ejusdem civitatis, quas inter habebat duas amitas, commissa a parentibus fuit. Narratur harum monialium uni eam nomine Hispanis diminutivo* Ahumadita *appellanti reposuisse :* Domina Beatrix de Ahumada ego vocor; *et gloriolæ amorem, quem postea exemplari humilitate* F *reparavit, per pueriles illos annos plurimum in se fovisse. Musicæ quoque, profanis narratiunculis, foliis lusoriis cæterisque hujusmodi quisquiliis erat immoderatius dedita : qua re non parum exercitavit pii patris ac Sanctæ materteræ zelum, talibus eam extricare miseriis satagentium. Cessit his sensim pro voto labor : adolescentem filiam vidit Joannes, ut gratia ac prudentia, sic etiam virtutibus indies crescere;* Teresia *autem jam tunc monasticæ vitæ aliquando addictum iri Beatricem prædixit : ad quam tamen vitam hæc, proba licet et modesta, ne minimum quidem eo tempore afficiebatur. Anno ætatis suæ decimo quinto zelotypæ mulieris calumniis in discrimen famæ adducta, ex eoque a Deo innocentiæ vindice erepta, cœpit Beatrix se dare ferventius pietati, et eam quam soli vestium elegantiæ ad id tempus impenderat, ingenii ac manuum dexteritatem sacris imaginibus altaribusque ornandis nec non linteis sacrificalibus affabre conficiendis adhibere; recusatis interea qui eam procabantur, non solum Albæ, sed Abulæ quoque ac Salmanticæ, nobilibus equitibus : neque hoc tamen quod jam teneretur amore vitæ monasticæ, a quo scilicet adhuc longe aberat; sed potius quia metuebat*

ne

SCHEMA GENEALOGICUM S. TERESIÆ A JESU.



ALII PROPINQUI S. TERESIÆ COGNATI,

quibus certum in hoc schemate locum assignare nequivimus.

Vincentius de Ahumada, *presbyter.*
Agnes a Jesu, *Carm. Exc.* } *ejusdem Vincentii sorores.*
Anna ab Incarnatione, *Carm. Exc.* }

Maria a S. Hieronymo, *Carm. Exc., cui parentes fuere* { Alphonsus Alvarez Davila *et* Mencia de Salazar.

A *ne Dei de se consilium importune præverteret. Anno* 1581 *persuasit S.* Teresia *sorori suæ ac sororis marito ut Beatricem per aliquod temporis spatium Abulæ habitare sinerent apud Petrum Alvarez Cimbron, quem Joannis Ovallii fratrem dicit P. Emmanuel a S. Hieronymo; et pro se videtur habere fragmentum epistolæ alicujus S.* Teresiæ *ad Beatricem, in quo legitur* Peralvarez su tio, Petrus Alvarez tuus patruus : *vult tamen P. Antonius a S. Josepho historiographum erravisse, et Petrum Alvarez patruelem facit S.* Teresiæ (*vide tom. III, epist.* 30, *not.* 19). *Verum hoc per transennam dictum esto. Ad Beatricem ut redeam, versata hæc est Abulæ usque post mortem Sanctæ materteræ. Tum Albam reversa, cum ad Sanctæ sepulchrum, per novemdiales preces ibi a Maria de Toledo ducissa Albana institutas, sæpius oravisset, tandem aliquando deliberare de religiosa vita amplectenda cœpit; atque in eo proposito a S.* Teresia *per somnium sibi apparente roborata, post aliquam adhuc moram demum feliciter in portum Religionis Carmelitanæ devecta est : narrat hoc Ribera libr.* V, *cap.* II. *Quam bene exinde S.* Teresiæ *vestigiis institerit, qua laude functa sit variis Instituti sui muniis, quibus a Deo favoribus et ante*

B *et post pretiosam in ejus conspectu mortem illustrata, prolixe conscriptum est in Chronico, tom. V, l.* XXI, *cap.* XXXII *et* XXXIII.

Multæ consanguineæ S. Teresiæ *monia-* 52 *Probe distinguenda est hæc Beatrix a Jesu,*
ales fuerunt. *filia Joannæ Ahumadiæ, ab altera S.* Teresiæ *cognata quæ prorsus idem nomen in religione gessit. Suspicatur P. Antonius a S. Josepho hanc alteram Beatricem sororem esse Isabellæ a S. Paulo, ejus quæ prima omnium in primo reformationis Teresianæ monasterio professionem fecit; utriusque autem patrem fuisse Franciscum de Cepeda, filium Francisci Alvarez de Cepeda, patrui S.* Teresiæ. *Alter ejusdem patrui filius Didacus similiter duas filias monachas habuit; nempe Mariam de Ocampo sive a S. Joanne Baptista, Carmelitanam Excalceatam, et Eleonoram de Cepeda, cujus pulchram in monasterio Incarnationis mortem Ribera narrat lib.* IV, *cap.* III. *Fuerunt et aliæ inter Carmelitanas Excalceatas S.* Teresiæ *consanguineæ, uti Agnes a Jesu, Anna ab Incarnatione, Maria a S. Hieronymo; de quibus per vitam S.* Teresiæ *mentio non infrequens occurrit. Ut autem ea quæ hactenus de Sanctæ nostræ genere et consanguinitate disserui, uno quasi obtutu videas, illius schema genealogicum tibi præsto est.*

C

§ IV. S. Teresiæ nativitas, et vitæ exordia.

Sancta nata est Abulæ anno 1515, **O***rta est S.* Teresia *Abulæ, in Castellæ Veteris civitate, cujus episcopalem sedem medio sæculo* XV *insignivit orbi notissimus et, ut eum Emin. Card. Bellarminus appellat, mundi miraculum, Alphonsus Tostatus. Eminet præterea hæc civitas antiquitate et incolarum suorum pietate et bellica fortitudine,* Abula Santos y cantos *proverbio dicta, quasi nihil illic nisi Sancti sint et petræ, fertili licet in solo. Non degenerem a proavis et civibus suis edidit Abula* Teresiam, *matrem innumerabilis spiritualis familiæ, et reformatricem non solum monialium, sed et Ordinis religiosorum virorum. Lucem primo aspexit anno* 1515, *quo, ut notant historici, Lutherus in pectore virus coquebat quod postea erat evomiturus. Etenim, ut recte ait Caramuel in Vita Ven. P. Dominici a Jesu Maria* (*l.* III, *c.* III, *n.* 240) : Biennio post non occepit Martinus Lutherus esse hæreticus, sed esse insolens : tunc enim, quod prius privatim, publice concionatur et disputat. *Atque, ut dicit auctor anonymus Annalium Torgaviensium* (*apud Menckenium t. II Rer. Germanicarum, p.* 583) : Hoc anno (1516) Lutherus fratres suos a Tezelii mercibus (*sic Lutheri sectator Indulgentias nominat*) dehortari cœpit : et porro sequenti anno positiones suas contra eum publice effinxit. *Ea ratione, Luthero destruente et* Teresia *ædificante, factum est quod Isaïas c.* LV, *v.* 13, *dicit :* Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. *Non est tamen quod sola* Teresia *illo ævo damnum quod Ecclesia subibat, eximia sanctitate et miraculis aut parto etiam religioso Ordine compensarit : nam pluribus vel in sola Hispania illustrissimis viris canoni Sanctorum jam adscriptis coæva, imo non paucis amica et familiaris Sancta nostra extitit; quos inter nominasse satis sit SS. Joannem a Cruce, Franciscum Borgiam, Petrum de Alcantara, Ludovicum Bertrandum, Thomam a Villanova, etc., de quibus post frequens sermo recurret.* Teresiæ *primordia jam pertractemus.*

AUCTORE V. D. M.

D

54 *Dies quæ eam protulit, fuit* XXVIII *Martii, S. Bertholdi, primi inter Latinos Generalis O. C., non, ut Yepesio excidit, festum, sed profestum, ac neutiquam* XII *Martii, sicut præfracte Helyot et Nicolaus Antonius ac dubitanter Baillet affirmant, neque* XXII *Martii, ut hærens scribit Richard in Dictionario Scientiarum Eccl., art. S.* Thérèse. *Constat de die illo natali e Ribera aliisque; quin P. Emmanuel a S. Thoma, quod alibi non reperi, asserit Pastranæ in monasterio O. C. suo tempore* (1807) *etiam tunc extitisse memorialem notam patris S.* Teresiæ, *quæ propria illius manu exarata sic sonat :* Die Mercurii, XXVIII Martii 1515 nascebatur filia mea Teresia circiter media hora 5 matutina, id est illucescente die. Susceptor ejus in baptismo fuit Vela Nuñez, et susceptrix D. Maria del Aguila, filia Francisci Pajares. *Illo ipso die sacris undis ab originali peccato expiata fuit in parochia S. Joannis, ubi, ut perhibent, antiqui fontes baptismales perdurant. P. Emmanuel a S. Thoma ait eam* IV *Aprilis baptizatam. Ast hic et alibi passim, ubi sine vade rem ille asseverat aut antiquis contradicit, tacitus imposterum cum præteribo : v. g. cum erronee una cademque pagina dicit, unius* Teresiæ *natalem diem a patre annotatam; baptizatam* Teresiam *in ecclesia S. Bartholomæi; solo paternæ domus ejus inædificatam ecclesiam monialium Ordinis sui; Riberam derivasse nomen* Teresia *a* Thyrsus, *etc. Quam etymologiam novi quidem esse indicatam a Francisco Villegas et Alphonso Bivario, sed non a Ribera, qui dumtaxat dicit* Teresa (*sive, ut nunc passim scribitur,* Teresia, *et subin, præsertim a Gallis,* Theresia) *hispanicum nomen potius esse quam græcum aut latinum. Utrum autem Sancta nostra patronam habuerit S. Teresiam, Alphonsi V Legionensis regis sororem* (*quam latini auctores* Tarasiam *scripsere*), *utrum Teresiam Lusitanicam, vulgo* Sanctam Reginam *nuncupatam, Alphonsi IX Legionensis item regis primam uxorem, utrum denique aliam forte Sanctam synonymam, me præterit. Nomen id, in vetustis Hispanorum Annalibus aliquoties obvium, post S.* Teresiæ *canonizationem quam plurimis commune evasit, ac familiare etiam imperatricibus et reginis, quæ a parentibus et patrinis sub potentis patronæ illius tutela in baptismo pie positæ fuerant.*

die XXVIII *Martii; ac* Teresia *nominata.*

E

Monumentum in natali ejus loco erectum. 55 *Neque solum S.* Teresiæ *nomen celebre factum est, sed et in loco ubi ipsa in lucem edita est, sacrum et perenne monumentum fuit exactum. Nihil de hoc accuratius neque recentius hic litteris consignare possum*

F

AUCTORE V. D. M.

A *possum, quam quod R. P. Ignatius Lerdo e certis documentis, aut potius ex iis quæ ipse conspexerat,* XXIV *Martii* 1840 *perscribere dignatus est. Madriti, cum scripsit, adhuc degebat officiosissimus ille vir; sed paulo post accitus Romam est, ut assistentis munere apud A. R. P. Præpositum Generalem S. J. fungeretur. Sic autem ille scribit :* De loco, ubi ea primam lucem vidit, optime scitur, illum ipsum esse, ubi postea ædificata fuit ecclesia conventus, ab ejus nomine nuncupati, Patrum Carmelitarum Excalceatorum; domum tamen Teresiæ natalem non idem spatium ac ecclesiam occupasse, sed illud tantum quod sinistro crucis exstructæ brachio et parvula sacristia adjacente oppletur. In eo crucis latere inferiori sacella duo sunt, unum B. Virgini de Monte Carmelo, alterum ipsi B. Teresiæ dicatum. A tergo igitur primi illius, quod B. Mariæ sacrum et præcipuum est, in exteriori muri facie, occasum respiciente, cernitur octo decemve ulnis hispanicis supra terram lapis albus, non marmoreus, politus tamen, ac in quadro sectus, qui in ipsa ædificii structione ibi collocatus videtur; in eoque characteribus omnibus majusculis inscriptio, quæ infra hic exprimitur, legenda patet. *Animadvertit*

B *D. Valentinus Carderera, a quo delineatas plures laminas habes in vita hac Teresiana, quique et ipse participes nos fecit hujus a se exaratæ inscriptionis, hanc vix legibilem esse : ac notat, eam, si altitudinem spectes, introrsum respondere altari.*

INHOC DEIPARAEDICATO·SACELLOEXTITEREQUODAM
FOELICIASATINCUNABULA·IN QUIBUS TER·PRAE-
CLARAVIRGO·S·TERESIA·ABIESU·IPSIUSCARISSI-
MA SPONSA·AUSPICATO NATA·PIEQUEEDUCATA
FUITREPARATICARMELI MATER AUGUSTA·EREC-
TRIX·DOCTRIX

C Non longe ab ea muri parte ubi est prædictus lapis, in angulo brachium hoc inter et caput crucis ædificii interjacente, spatium non amplum est, muro quodam altitudinis ulnarum quatuor omnino clausum absque ullo prorsus introitu, nisi e superiori parte, quæ nullo tecto cooperta est : nulli locus hic usui inservit; dicitur tamen idem ipse esse, in quo hortulus consitus erat, ubi infantula Teresia simul cum fratre cellulis eremiticis construendis, quasi vocationi futuræ proludens, oblectabatur. *Hactenus R. P. Lerdo. Nimirum anno* 1629 *obtinuerat Ill. Franciscus Marquez Gazetta, episcopus Abulensis, ut, quod adeo Riberæ in votis erat, natalis S.* Teresiæ *locus in sanctuarium verteretur, et ut D. Gaspar de Guzman, comes de Olivares et dux de San-Lucar, inclytus Philippi IV minister, exstrueret ibi pulchram ex architecturæ regulis ecclesiam, dicatam S.* Teresiæ, *cujus affabre celata statua, præclarum Gregorii Hernandez opus, stat in proprio Sanctæ sacello. Anno* 1640 *ossa felicium* Teresiæ *parentum in sacras eas natæ suæ ædes ex ædibus S. Francisci translata fuerunt. Duplicem grandis hujus in perennem S.* Teresiæ *honorem excitati monumenti conspectum exhibebo in paragraphis ubi de gloria Sanctæ posthuma, ad quam spectat ratione temporis quo fuit constructum. At redeamus ad* Teresiæ *infantiam et adolescentiam, quas ex ore ejus incomparabili candore et humilitate narratas hic accipe.*

Sancta exponit qui jussa sit describere

56 Proœmium. Vellem equidem, ut, quemadmodum superiores mihi præceperunt, et plenam potestatem fecerunt, ut et orationis modum et quas a Domino recepi gratias scripto committerem; sic eamdem fecissent, ad enormia mea peccata et vitam sceleratam sigillatim et clarissime aperiendam. Permagnæ hoc mihi, fateor, fuisset consolationi; sed hanc ipsi mihi dare facultatem noluerunt, quinimo valde me hac in re restrictam esse jusserunt. Hanc ob causam per Dei amorem rogo, ut, quicumque hunc vitæ meæ discursum leget, sibi ob oculos ponat, hanc ita improbam fuisse, ut ex omnibus, qui ad Deum se converterunt, Sanctis, nullum omnino invenerim, qui suo mihi exemplo esse solatio possit. Video enim eos, ex quo a Domino vocati sunt, exinde ad eum peccatis offendendum non rediisse : ego vero non solum facta sum pejor, verum etiam gratiis, quas a divina ejus Majestate accipiebam, studio et data opera visa sum resistere; quod me ad magis ei serviendum cernerem obligari, et reipsa intelligerem non posse et debere me minus quam debebam, persolvere. Sit in æternum ipse benedictus, quod tanto me tempore exspectarit : quem ex toto corde meo obsecro, mihi ut gratiam concedat, ad hanc vitæ meæ narrationem (quam et mei mihi confessarii injunxerunt, et ipsemet Dominus jam pridem, E ut quidem scio, conscribi voluit, sed quam ego hactenus aggredi ausa non sum) ea qua par est claritate et fide faciendam; deinde ut hæc in gloriam et laudem ejus cedat, tum ut confessarii, posthac melius me perspectam habentes, imbecillitatem ac debilitatem meam adjuvent, quo eorum, quæ Domino debeo plurima, aliquid præstare possim, quem omnia creata jugiter laudent ac benedicant. Amen.

orationis modum receptasque gratias. D

Parentes ejus pii fuerunt :

57 Cap. I. Nisi ego tam mala et improba fuissem, accedente etiam divino erga me favore, satis mihi ad virtutis iter capessendum fuisset, pios et timoratos a Deo parentes accepisse. Pater bonorum librorum lectioni mire deditus erat, hinc et tales lingua vernacula conscriptos domi non paucos habebat, quo illorum lectioni et filii assuescerent. Hoc, accedente etiam cura matris, qua curabat ut omnes Deum quotidie oraremus et pio erga Deiparam Matrem et Sanctorum nonnullos affectu raperemur, me jam sexennem vel septennem (ut mihi quidem videtur) cœpit excitare. Non parum mihi hic adjumenti erat, quod viderem parentes nullum cuiquam favorem impertiri, nisi quem sibi virtute promeruisset, cum illius et ipsi eximii F cultores essent. Pater namque erga pauperes quoslibet mirifice afficiebatur, in ægrotos, quin etiam famulos suos tanta erat pietate, numquam ut emptitios servos habere voluerit, quod illis valde compateretur. Unde cum quodam tempore quoddam muliebre patrui mei mancipium domi nostræ versaretur, non minus id pater benigne lauteque habuit quam proprios filios, et pro ea qua erat pietate aiebat se pati non posse, quod libertati non restitueretur. Veritatis adhæc in verbis erat imprimis amans, hinc numquam eum audivi jurantem, aut alicui detrahentem; quin et honestus supra modum. Mater quoque permultis prædita fuit virtutibus, et gravibus quoad vixit est cum morbis conflictata. Adhæc summa fuit honestate, et quamvis forma esset utcumque venusta, numquam tamen ob eam se visa vel audita est efferre ac magni facere : nam licet, dum moreretur, non nisi triginta trium esset annorum, vestitus tamen ejus ita modestus erat, ut vetulam deceret. Placida ac lenis apprime fuit, et ingenio valde sagaci. Magnos, dum vixit, labores et ærumnas pertulit, et hanc ipsam vitam tandem Christiana morte conclusit.

58 Tres

probi quoque fratres et sorores, præcipue Rodericus, cum Sancta consociatus.

58 Tres numero eramus sorores, et fratres novem; et omnes (quæ Dei bonitas) virtutum studio et exercitio parentes referebant, una me excepta, tametsi alioquin præ aliis prolibus patri essem
A chara : et sane antequam Deum inciperem offendere, aliquam ad me amandam habere videbatur rationem. Nam non parum jam doleo, dum illas ad bonum propensiones, quas a Domino tum acceperam, ad mentem revoco, quamquam male iis uti potuerim. Adhæc nullum omnino mihi fratres, quo minus Deo servirem, impedimentum adferebant. Unus eorum ejusdem prope mecum ætatis erat, qui etiam mihi præ aliis charus (quamquam et cæteros summopere diligebam, et illi me). Ipse et ego sæpe simul Sanctorum vitas percurrebamus : cumque martyria et cruciatus, quos ex Dei amore sancti homines passi erant, legerem, vilissimo etiam pretio cœlum eos ac Dei fruitionem mercatos esse censebam, indeque et mihi ardens quoddam similiter moriendi desiderium innascebatur; non quidem ex ingenti amore, quo me in Deum ferri putarem, sed ut tam brevium cruciatuum pretio summorum illorum bonorum, quæ in Cœlo reservari legebam, particeps redderer. Cum hocce
B meo fraterculo sæpe conveniebam, ut simul conferremus, quanam potissimum via et ratione hoc assequi possemus. Convenit inter nos ut simul ad Maurorum regna concederemus, stipem Dei nomine petentes, ut, cum illuc pervenissemus, ipsi nobis caput præciderent. Et (ut quidem mihi jam apparet) satis nobis animorum in tam tenera ætate ad hoc ipsum perficiendum Dominus suggerebat, si modo aliquam illuc proficiscendi commoditatem vidissemus : at maximum nobis impedimentum esse videbatur, quod domi parentes haberemus. Nihil vero in iis, quæ legebamus, magis movebat, quam quod pœna infernalis et gloria cœlestis sempiterna esse diceretur. Hinc sæpe hac ipsa de re satis diu simul agebamus, et volupe nobis erat identidem repetere : «In æternum, æternum, æternum »; quod autem hoc sæpius mecum repeterem, placuit Domino, ut mihi jam tum, in puerili illa ætate, veritatis via impressa maneret. Ut vero vidi impossibile mihi esse ad ea me loca conferre, in quibus pro Dei nomine mortem mihi inferrent, statuimus eremiticam vitam ducere, et in horto quodam domestico cellulas quasdam eremiticas, omni quo per pueriles annos potuimus modo, con-
C struere cœpimus, parvos quosdam lapides invicem superstruendo, qui illico concidebant, adeo ut nulla nobis desiderio nostro adimplendo ratio suppeteret.

Innata et Teresiæ ad bonum propensio :

59 Unde etiamnum ad devotionem excitor, cum mecum reputo, quam tempestive et cito Deus tum mihi daret id quod postea culpa et demerito meo deperdidi. Eleemosynas egenis erogabam, prout poteram; poteram autem minimum. Solitudinem captabam, ut solitas meas precatiunculas, quas habebam plurimas, decurrerem, atque imprimis Rosarium Deiparæ Virginis, cujus recitationi mater mea maximopere addicta erat, et ut nos addicti essemus procurabat. Si quando cum æqualibus puellis colludebam, voluptati mihi erat monasteriola construere, perinde ac si moniales essemus; quin et ego mihi videbar monialis esse velle, quamquam hoc non tam ardenter volebam, atque alia illa quæ jam commemoravi. Dum mater mea ex hac vita decederet, duodecimum, aut circiter, ætatis annum (quantum recordor) expleram : utque cœpi intelligere, quantam illius obitu jacturam fecissem, afflicta et mœrens coram quadam Beatissimæ Matris Mariæ imagine me abjeci, multisque eam cum lacrymis rogavi, mea ut Mater et curatrix deinceps esse dignaretur. Quod quamvis tum ex simplicitate quadam puerili feci, mihi tamen postea non parum D videtur profuisse; manifestam enim et apertam Virginis hujus clementissimæ opem experta sum, quoties et in quantum ejus me tutelæ concredidi. Unde et tandem me ad se pertraxit. Quamobrem mire me cruciat, dum considero et cogito, ecquid in causa fuerit, quod in bonis desideriis et propositis, quæ tunc concepi et incepi, non perseverarim. Cum, o Domine Deus, statuisse videaris, ut ad salutem pervenirem, placeat, obsecro, Majestati tuæ, ut id fiat, et tot mihi gratias concedere, quot mihi olim concessisti. Vellem equidem, ut non permisisses, non quidem in rem et utilitatem meam, sed ob tui reverentiam et respectum, ut habitaculum, in quo ita continenter habitaturus eras, ita fœde inquinaretur. Crux mihi est, Domine, ipsum etiam dicendo referre : scio quippe meæ unius id culpæ adscribendum esse; etenim a tua parte nihil, quod præterea faceres, superfuisse videtur, quo minus jam tum ab illa ætate tota tua esse potuerim. De parentibus meis si velim conqueri, etiam non possum : non enim in illis videbam, nisi omne bonum, et insignem de meo in bono profectu curam. Itaque cum hanc ætatem E excessissem, et naturæ, quæ a Domino acceperam, quæque (ut aiebant) erant plurima, dona agnoscere inciperem; adeo non pro iisdem (ut quidem tenebar) gratias datori agebam, ut etiam singulis ad eum offendendum, ut jam commemorabo, uti inceperim.

AUCTORE V. D. M.

sed in bono languet lectione futilium librorum,

60 Caput II. Quod modo referam, non mediocre meo judicio mihi damnum adferre cœpit : unde subinde mecum ipsa considero, quam male parentes agant, qui non procurant, ut liberi sui semper et ubique videant ea quæ virtutem omnimodis redoleant : nam esto mater mea, uti retuli, virtutum studio adeo addicta foret, ego tamen, ubi ad rationis usum perveni, non tantum illius e bonitate hausi, quantum quidem oporteret, imo vix aliquid; malum contra, quod illa habebat, summopere mihi nocuit. Generosa quippe priscorum equitum facinora ipsa avide et cum voluptate identidem legebat; sed isthoc recreationis genus non tantum ei nocuit, quantum mihi, quod ipsa, quæ ei necessario agenda erant, propterea non negligeret, sed nobis hæcce legendi et tempus et facultatem daret. Ideo forsitan huic ipsa lectioni incumbebat, ut magnas quas habebat molestias et afflictiones hoc F pacto oblivisceretur, et liberos suos occuparet, ne, si aliis rebus se dederent, depravarentur. Ita quidem grave hoc patri meo accidit, ut furtim et clam illo nos hæc legere oportuerit. Unde ipsa quamdam librorum illorum legendorum consuetudinem indui, et tenuis ille, quem in matre vidi, defectus bonis piisque meis desideriis velut frigidam cœpit injicere, atque in causa fuit, ut etiam in rebus cæteris cœperim deficere; neque etiam male me putarem agere, tametsi multas tam diei quam noctis horas tam vano exercitio, quamvis inscio patre, impenderem. Adeo vero hæc me lectio delectabat ac detinebat, ut, nisi novum aliquem haberem librum, nullatenus mihi satisfactum videretur. Exinde elegantias et ornatum sectari cœpi, et pulchritudine mea aliis placere, et talis videri velle sollicite curans, et manus habere nitidas, et capillitium scite structum, et odoramenta oblectantia, et reliquas quas hoc in genere habere poteram vanitates; quæ sane non erant paucæ, quod hujusmodi nugarum essem curiosissima : nulla tamen sinistra ad hæc me impellebat intentio; neque enim voluissem, ut aliquis mei causa et occasione Deum offendisset. Unde nimia quædam nitoris

AUCTORE V. D. M.

et elegantiæ, et rerum quæ nullum mihi peccatum involvere videbantur, sollicitudo multos mihi annos adhæsit : sed modo video, quanto ea cum peccato conjuncta essent.

A

et sodalitate mundanorum consanguineorum :

61 Consobrini quidam patrueles sæpe domum paternam frequentabant : nam aliis personis ad illam aditus non patebat, quia pater meus in admissione illa circumspectus erat. Utinam vero etiam in his excludendis circumspectus fuisset! Nunc enim video, quanto conjunctum sit cum periculo, ea ætate, qua virtutum semina jacienda sunt, cum iis hominibus habere commercium qui nondum perspectum habent quam in se mundus sit vanus, sed aliis contra incitamento sunt, ut eumdem sectentur. Ejusdem hi prope mecum ætatis erant, aut saltem non multo me provectioris : hinc semper simul agebamus et conversabamur. Mirifice hi erga me afficiebantur, et vicissim quæcumque ego ipsis grata esse noveram, de illis apud eos agebam, simulque affectionum ipsorum et puerilium ineptiarum parum bonarum successus ex ipsis audiebam; et quod deterius fuit, anima ultro se applicabat iis, quæ omnis ei mali fuerunt occasio. Si meum esset consulere, equidem parentibus consulerem, ut in hac

B

ætate serio reflecterent super eos qui cum filiis suis agunt; nam multum in eo mali situm est, eo quod natura nostra in malum potius quam in bonum propendeat ac feratur. Ita plane mihi contigit : cum enim sororem haberem ætate me majorem, illius honestatem et probitatem, quæ in ea singularis erat, nihildum sum imitata; cognatæ vero cujusdam meæ, quæ in domo paterna frequens erat, levitatem et malum omne mox imbibi. Tam hæc erat in conversatione et moribus levis, ut mater eam domo nostra excludere maxime allaborarit; ut jam tum præsagire videretur malum, quod ejus mihi conversatio esset allatura : sed tantam illa domus nostræ frequentandæ causam habebat et occasionem, ut commode ipsam ab ea excludere non potuerit. Cum hac ipsa ergo omnis mihi voluptas erat agere; omne meum cum ipsa erat colloquium, et unicum commercium, eo quod omnibus in rebus vanis et recreativis mihi et auxilio esset et incitamento, ac velut pro magistra, suorumque me colloquiorum ac vanitatum etiam participem faceret. Usquedum, decimo quarto scilicet ætatis meæ anno, et aliquantum, ut credo, ultra, cum ipsa habere commercium cœpi, magis ut amicitiam

C

mecum coleret et rerum suarum me faceret participem, quam alia ex causa; Deum (ut mihi quidem videtur) per culpam mortalem non deserueram, nec ejusdem timorem ullatenus amiseram, quamquam magis timerem ne aliquam honoris mei jacturam facerem. Timor hic honoris perdendi in causa fuit, ut cum penitus non perdiderim; et ita tum quidem comparata fuisse mihi videor, ut nulla prorsus mundi res me quoad hoc inflectere potuisset, nec ita ullum in mundo hominem amabam, ut ab hoc proposito propter illum me passa essem divelli. Utinam vero tale mihi robur et constantia fuisset ad Dei honorem non violandum, qualem mihi natura mea et indoles dabant ad nihil amittendum eorum in quibus mihi honor mundanus videbatur consistere : interim tamen non videbam, plurimis aliis modis ejus me jacturam facere. De eo non amittendo apprime sollicita eram, et (quæ mea vanitas) nimium quantum effusa et extrema; quæ tamen ad eum servandum requirebantur, media nulla adhibebam, in hoc unum dumtaxat maxime intenta, ne me plane perditum irem.

cui malo pater ejus medetur,

62 Pater meus et soror (*D. Boucher male hic habet* mater) hoc meum cum cognata commercium ægre ferebant, atque identidem de eo me reprehendebant : at, quoniam illam domo arcere et ejus adeundæ occasionem illi præcidere commode non valebant, ideo omnis, quam adhibebant, diligentia incassum recidebat. Eram quippe ad quidquid malum est, sagacissima. Subinde mecum ipsa non sine stupore perpendo, et, nisi id ipsa essem experta, vixdum crederem, quantum depravati alicujus commercium damni parere queat, ac præsertim in adolescentia; tunc quippe, quod inde provenit damnum, majus sit oportet. Utinam infortunio et exemplo meo parentes omnes edocti, rei huic maxime advigilare discerent! Sane ita me isthoc cognatæ commercium et necessitudo immutavit, ut vix ullum mihi bonæ naturæ et animæ sanctioris vestigium signumve relinqueret, et tum cognata suas conditiones et mores, tum alia quædam easdem vanitates et recreationes consectans, suas mihi penitus impressisse viderentur. Atque hinc facile intelligo, quantum boni afferat cum pio aliquo familiaritas; et si illa in ætate cum hominibus sanctis et piis commercium habuissem, in virtute haud dubie solidata et integra mansissem. Si enim id ætatis habuissem, qui me Dei timorem docuisset, tale

D

anima mea paulatim robur collegisset, ut a lapsu ipsam præservasset. Sed cum postea hic Dei timor penitus e me evanuisset, solus mihi honoris amittendi timor mansit, qui me, in omni eo quod agebam, mire cruciabat et lancinabat. Hinc quod cogitarem ea ad hominum notitiam non perventura, multa, quæ et cum hoc honore et cum Deo pugnabant, committere non verebar. Principio quidem earum quas jam dixi, quantum mihi videtur, personarum commercia nocuerunt; esto hoc non tam ipsis fortasse quam mihi adscribendum esset : ad malum quippe nequitia mea postea satis magna et sufficiens fuit; ut taceam habuisse me præterea ancillas, quas ad omne malum perpetrandum paratissimas comperi : si illarum aliqua bene mihi consuluisset, forsitan id mihi profuisset; sed tam ipsas quæstus et commodum proprium, quam meus me affectus excæcabat. Et esto natura ad graviora mala numquam propenderim (eo quod quidquid inhonestatem redoleret naturaliter abhorrerem, ac dumtaxat confabulationes et amica cum aliquibus ad tempus fallendum colloquia captarem), tamen quod hanc occasionem non evitarem, sed in eam ultro me ingererem, in præsentissimo lapsus versabar periculo, eique et patrem simul et fratres exponebam :

E

sed ab eo me Deus Opt. Max. immunem præstitit, adeo ut ad oculum pateat, eum, etiam me invita, et contra voluntatem meam, procurasse ne prorsus me perderem.

F

constituens eam in monasterio educandam ;

63 Omnia tamen ita secreto fieri non potuerunt, ut non honor meus magnam inde infamiæ notam contraxerit, et non pater meus sinistri aliquid de me suspicaretur : nam, quantum equidem recordor, vix trimestri integro his me vanitatibus et nugis dederam, cum me in quodam urbis hujus monasterio, in quo meæ conditionis et ætatis puellæ, etsi non ejusdem in moribus depravationis, educabantur, constituerunt : ita porro id tecte ac dissimulanter factum est, ut nemo ejus rei, præter me et quemdam de consanguineis meis, fuerit conscius; nam, ne quem rei hujus novitas offenderet, commodam ejus faciendi opportunitatem exspectarunt. Eam dedere sororis meæ nuptiæ : hac quippe jam nupta, indecens fuisset solam me, sine matre, domi manere. Tam extremo me pater amore prosequebatur, et tanta mea erat dissimulatio, ut tantum ipse de me malum credere non posset; itaque factum, ut ejus gratia numquam exciderim. Quod vero parvo tempore

A pore hujusmodi vanitatibus vacavi, hinc, etsi aliquid de me spargeretur, incerto tamen omnia rumore ferebantur; quod enim de honore nimiopere sollicita essem, quo poteram modo procurabam ut omnia secretissime peragerentur, non cogitans interim, nihil clam illo fieri posse qui intuetur omnia. Quantum, o Deus meus, in mundo hinc damnum sequitur, quod isthoc parvi fiat, sibique persuadeant homines aliquid absconditum manere posse, quod in te committitur! Sane ita mihi persuadeo fore ut multa mala non committeremus, si intelligeremus ipsum rei cardinem non tam in eo versari, ne ab hominibus videamur, quam in non agendo quod Majestatem tuam offendat.

ubi ad frugem bonam se recipit.

64 Primo octiduo mihi monasterium grave fuit ac molestum, sed magis quod subdubitarem meam jam vanitatem aliis innotuisse, quam quod eo loci reclusa essem : jam enim me tædere vanitatis inceperat; ac, licet Deum peccando offenderem, nihilominus magno ejus timore concutiebar, et quam citissime ad confessionem accedebam. Initio inquieta fui, sed ante octo dies, atque etiam citius (ut quidem credo), majorem quietem quam in ædibus paternis experta sum. Omnes quoque mo-
B niales consortio meo valde reficiebantur : nam singularem illam a Domino acceperam gratiam, ut placerem et grata essem omnibus, apud quos commorabar; unde fiebat ut omnibus monialibus accepta essem. Et quamvis tum quidem a statu monastico valde abhorrerem, volupe tamen mihi erat, inter tam bonas, honestas, religiosas et regulæ servantes moniales, quales hæ ipsæ erant, commorari. Diabolus nihilominus a me tentando non cessabat, et simul externos excitabat, qui continuis suis compellationibus ac nuntiis quietem meam interpellarent : sed quod nulla ad hæc esset commoditas, remora hæc diuturna non fuit; unde mox anima bona primæ ætatis meæ exercitia, hactenus intermissa, postliminio repetere cœpit : ac tum demum vidi, quantum Deus boni præstet ei quem inter bonos commorari et cum bonis conversari facit. Omnem jam tum viam et modum ejus Majestas excogitare et exquirere videbatur, quo me ad se pertraheret. Benedictus sis, Domine, qui ita me patienter sustinuisti. Amen. Unum erat quod me aliquo modo excusare posse videbatur, nisi tot alios defectus et culpas habuissem, scilicet conversationem hanc et commercium cum eo fuisse cum
C quo per viam matrimonii honestari et bonum habere exitum posset : cumque et confessarium et alios super hoc consuluissem, in multis id genus rebus me Deum dicebant non offendere. Quædam vero de monialibus inter nos puellas sæculares dormiebat, cujus opera et adminiculo aliquod mihi Deus lumen (ut videtur) dare, uti mox dicam, incipere voluit.

Argumenta pietatis plura præbuit S. puellula,

65 *Hactenus sine interruptione sivimus S. Matrem juventutem suam enarrare. Pios ergo non minus quam nobiles nacta erat parentes; et ipsa, ut quæ exemplo suo plurimos ad virtutem pietatemque esset aliquando attractura, naturæ dotibus ad id idoneis divinæ Providentiæ munere cumulate erat ornata, ac facile a teneris unguiculis pietati virtutique se dedit, jam tum non puerilibus nugis atque quisquiliis dedita, sed ardua seriaque animo volvens. Sexennis aut septennis, parentum cura et exemplo orare quotidie ac pio in Deiparam Matrem Sanctosque nonnullos ferri animo cœpit, eorumque vitas percurrere, meditari æterna, solitudinem quærere, precibus vacare, potissimum vero Rosarium Deiparæ Virginis volvere, construere monasteriola, in pauperes, prout facultas suppeteret, esse munifica, martyrium, exci-*

AUCTORE V. D. M.

tata lectione vitarum Sanctorum, desiderare. Atque hic plus præstitit quam narrat, aiunt Ribera (*l.* I, *c.* III) *et Yepes* (*l.* I, *c.* II) : *neque enim gesta sua narrare jussa erat, sed motiones gratiæ. Scilicet reipsa* Teresia *et fraterculus, ad iter accincti et qualicunque viatico muniti, porta civitatis erant egressi, Maurorum terras et martyrium petentes, cum cohibiti sunt et reducti a patruo. Illud hymnus Sanctæ proprius in Romano Breviario canit:*

D Regis superni nuntia,
Domum paternam deseris,
Terris Teresa barbaris
Christum datura aut sanguinem.
Sed te manet suavior
Mors, pœna poscit dulcior,
Divini amoris cuspide
In vulnus icta concides.

potissimum cum ad virinos Mauros itura fuit.

66 *Quidam loci in processu Canonizationis, ipsa Canonizationis Bulla, lectiones Romani Breviarii, P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 80, *not.*7; *tom. III, epist.* 36, *not.* 4) *ac P. Fredericus* (*l.* I, *c.* I) *dicunt eos in Africam fuisse trajecturos; Ribera vero, Yepes, P. Joannes a Jesu Maria, Villefore, Boucher, Butler, etc. solummodo ponunt eos ad Maurorum terras ire voluisse : ad quas ut accederent, ait Boucher, Hispania non videtur fuisse excedendum. Nam Mauri tum in pluribus Hispaniæ tractibus adhuc degebant, expugnata licet a* 30 *annis, id est a* 1492, *Granata, præcipua eorum sede. Atque ex Mauris videtur fuisse muliebre id*
E *mancipium in paterna Sanctæ domo, de quo supra. Adi P. Guilielmi Bledæ O. P. opus cui titulus :* Coronica de los Moros, *versus finem. Ast, fateor, nulli constat quid in animo pusillorum latuerit. Interea, tot inter S. Matris præclara facinora, non erat quod magis miraretur Gregorius PP. XV. Sic enim in publico Consistorio ad postulatum de B.* Teresia *canonizanda secretarius ejus, Joannes Ciampolo, responsum suum exorsus est :* Spectaculum Deo gratissimum atque hominibus admirandum præbuit Hispanæ Virginis fortitudo, in ipso vitæ semper militantis tirocinio omnium imperatorum laudes supergressa. Atque in id mentis oculos libentissime convertit S. D. N. Qua ætate vel ipsas materni cubiculi tenebras plerique formidamus, puella septennis, jam micans splendoribus Sanctorum, a parentum complexu divellitur, monstrorum feracem Africam petitura, deducente pie-
F tate ac periculis invitantibus, ubi ferox amore martyrii tyrannorum sævitiam provocaret, clamitans plaudente Cœlo : « Quis nos separabit a caritate » Christi? Tribulatio, an angustia, an periculum, an » gladius? » Compendiarium illa quidem iter institerat, ut violenta raperet regnum Dei; verum opportunis id sepsit impedimentis misericordiarum Pater, quo tanta virtus orbi profutura per longiores divinorum mandatorum ac consiliorum semitas ad æternitatis palmam properaret. Puella, *ait P. Martialis a S. Joanne Baptista in Bibl. Carm. Exc.,* ut gigas exultabat, ad currendam perfectionis viam; et ibi inchoabat, ubi meta et complementum christianæ et heroicæ fortitudinis terminatur.

Corrigitur D. Boucher.

67 *Hic obiter adverto, D. Boucher erravisse, hispanica capitis primi vocabula* libros de Romance *vertentem per hæc gallica :* des livres qui avaient des romances, sorte de poésie en petits vers, contenant quelques anciennes histoires; *ac si S.* Teresiæ *parens hujusmodi libros habuisset, filiisque suis legendos præbuisset : dum Sancta nil aliud dicit quam eum habuisse bonos libros lingua vernacula conscriptos. Nam Hispani vulgare suum idioma appellant* Romance, *quod, ut et gallicum ac italicum,*

a romano

AUCTORE V. D. M.

A *a romano seu latino sumit suam originem. Nempe Romanorum, ut ait S. Augustinus* (*de Civ. Dei l.* XIX, *c.* VII), imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam, domitis gentibus per pacem societatis imponebat. *At cessante eorum potestate et ditione, degenerabat et lingua, retinens solum* Romanum *nomen. Sic ait Jacobus I Aragoniæ rex in Constitutionibus Catalauniæ MSS.* (*anno* 1247): Statuimus ne aliquis libros Veteris vel Novi Testamenti in Romancio habeat; et si aliquis habeat,... tradat eos loci episcopo comburendos : quod nisi fecerit, sive clericus fuerit sive laicus, tamquam suspectus de hæresi habeatur (*Vid. Glossarium Ducange, art.* Romancium). *Quamvis sensu qui expositus est id verbum hic intelligendum sit, fatendum tamen est illud præcipue numero plurali idem aliquando sonare ac gallice* romans, *id est fictitias, ac, ut plurimum, frivolas et lubricas historias. Alias etiam sonat speciem quamdam versuum hispanorum.*

Sancta, tardior dein in vita ute, juvatur in monasterio Augustiniano,

B 68 *Ex quo vero pia puella frustratam se vidit voto adeundi martyrii, eum tenuit vitæ quem paulo ante descripsi modum, usque ad annum ætatis suæ duodecimum, Christi* 1527, *quo matre sua fuit orbata. Gravi inde mœrore percussa, Deiparam Virginem non sine lacrymis obsecravit, ut, quoniam in terris matrem amiserat, ipsa sibi matris loco esse non gravaretur e cœlis. Quam orationem non inutilem fuisse, reliqua Teresianæ vitæ series declaravit. Hæc igitur fuere principia, unde exorsa ad summum perfectionis christianæ apicem fastigiumque deinde evasit. Ast tam felicia in tenella virgine principia, a qua multa in alios bona aliquando derivanda metuebat, dæmonis invidia ferre non potuit. Ergo ut illam a recto vivendi abducat tramite, quem ingressa* Teresia *vixdum erat, primam machinam adhibet descripta fictitiorum heroum facinora amoresque, quorum lectio plerumque tanto bonis et puris moribus perniciosior est, quanto majore cum voluptate istius farinæ libelli a juventute devorantur. Cœpit itaque puella hujusmodi nugas manu et oculis terere, sed clam patre, ut ipsa capite* I *vitæ suæ fatetur. Porro non solum versando istiusmodi quisquilias* Teresia *immorabatur; ast, ut facili felicique erat ingenio, cœpit etiam odas in fictitiorum heroum laudes ipsa componere. Et quo hæc omnia fructu? Ipsa fatetur minus sibi profuisse bonorum librorum tractationem quam nocuisse malorum. Videns itaque dæmon non omni effectu caruisse structam hanc ad-*

C *versus* Teresiam *machinam, machinam machinæ adjunxit, consortia prava. Consobrini patrueles, et præcipue cognata quædam, vas fuerunt quo dæmon ei venenum propinavit, a quo incauta puella non satis abstinuit. Quare brevi in deterius prolapsa est, non tamen, sicut postea cum Ribera demonstrabo, in grave crimen, a quo, præter naturæ honestatem, altero veluti fræno retenta fuit, honoris cura, cujus servandi cupidissima erat. Conversationibus istis irretita fuit S.* Teresia, *cum annum explerat decimum quartum, sed trimestri tantum spatio; quo elapso, divinæ Providentiæ, eam ad majora destinanti, injectos illi a dæmone laqueos dissolvere placuit. Prudens enim et consultus pater ejus, subodoratus quid vitii ex hoc germine pullulare posset, filiam suam sex fere menses ultra quindecim annos natam collocavit in Abulensi conventu, ubi liberale erat contubernium in quo ingenuæ adolescentulæ a monialibus probe educabantur.*

de qua domo hic plura.

69 *Monasterium illud, antiquum Mahumetis templum, Ordinis erat S. Augustini, a* S. Maria de Gratia *nuncupatum, inhabitatumque a quadraginta monialibus, et fundatum anno* 1508 *secundum Torellum in Sæculis Augustinianis, sed* 1509 *secundum Arizium in Historia civitatis Abulensis* (*part.* I, *p.* 51). *Dicit auctor Chronici* (*l.* I, *c.* VII, *num.* 2) *S. Thomam a Villanova in quodam suo super S. Eucharistia sermone illius domus cum laude meminisse; ac ulterius addit* (*quod et refertur a Torello in opere paulo ante allegato, ad annum* 1508 *num.* 41 *et* 42, *repetiturque a posterioribus S.* Teresiæ *biographis*) *eam domum habuisse aliquando S. Thomam in confessarium et rectorem. Verum ex hujus Sancti vita, quam Majores nostri ad diem* XVIII *Septembris accurate compegerunt, deduci potest ei non vacasse ut id munus obiret; quandoquidem anno* 1517 *sacerdotio initiatus Salmanticæ Theologiam prælegit, donec ab anno* 1519 *ad* 1534 *usque continuo aut priorem jam Salmanticæ jam Burgis egit, aut præfuit Castellanæ provinciæ, et exinde archiepiscopus factus. Nihil tamen implicat quominus Sanctus hic in eo conventu interdum e pulpito dixerit, aut etiam aliquamdiu sit commoratus. Monasterii illius ædificium labente tempore quamvis fuit immutatum, confessionale tamen variaque supellex qua adolescentula* Teresia *usa est adhuc hodie, ut inde mihi anno* 1840 *fuit scriptum, ibi asservatur. Ea igitur fuit domus, ubi S. Virgo*

E *ad pristinum fervorem est revocata, ope præsertim Mariæ Briceño zelosissimæ monialis, quæ sæcularibus puellis invigilando præerat. Quod sequenti* § *Sanctam nostram fusius narrantem audies.*

D

§ V. Renascitur in Sancta Virgine inclinatio ad statum religiosum, atque hunc ingreditur.

Bonorum conversatione sancta illic ei redeunt desideria,

P*ostquam Sancta narravit juventutis suæ delicta, primumque suum in laudato monasterio animi habitum, sic deinde cap.* III *pergit :* Ut ergo bonam et sanctam monialis hujus conversationem et familiaritatem gustare cœpi, voluptati mihi fuit illam bene et ardenter de rebus divinis loquentem audire; erat enim apprime discreta et sancta. Unde nunquam (ut quidem mihi videtur) grave fuit, sed semper suave illam loquentem audire. Initio narrare mihi

F cœpit, quomodo sola lectione illorum verborum Euangelii : « Multi sunt vocati, pauci vero electi », conversa, monasticam vitam assumpsisset : addebat et de præmio, quod præparavit Deus iis qui propter ipsum omnia relinquunt. Bona hæc familiaritas, quos mala mihi instillarat mores, paulatim cœpit eliminare, et rerum æternarum desideria denuo menti imprimere, magnamque illam meam a vita monastica alienationem, quæ sane in me summa fuit, nonnihil imminuere. Si quam vero religiosam inter orandum videbam lacrymantem, aut alias quaspiam virtutes habere, non parum has ei invidebam : hac enim in re tanta cordis mei erat durities, ut, etsi universum Passionis Dominicæ textum perlegissem, ne vel lacrymulam emisissem. Quod profecto mire me cruciabat. Sesquianni spatio isthoc in monasterio vixi, non sine magna pravarum consuetudinum mearum emendatione. Incepi deinde multas orationes vocales decurrere, et nullam non domesticam rogare ut Deo per preces me commendaret, ut ad eum me statum vocare dignaretur in quo illi inservire possem : attamen monasticum nolebam, adeo ut vellem Deo placeret eum mihi non inspirare; esto alia ex parte etiam metuerem matrimonio

A monio me applicare. Ad finem autem temporis quo ibidem versata sum, magis jam ad monasticum statum assumendum propendebam, tametsi non in hoc monasterio; quod sancta quædam exercitia, quæ postea intellexi illic a monialibus usurpari, mihi nimis gravia videbantur : et erant nonnullæ de junioribus, quæ in hac me opinione etiam confirmabant; nam si ejusdem omnes sententiæ fuissent, non sane mediocriter id mihi profuisset. Huc accedebat, quod alio quodam in monasterio sodalem charissimam habebam, et hoc in causa erat, quod si demum religiosa fieri vellem, non alio fierem in loco, quam in quo isthæc sodalis mea commorabatur. Magis scilicet sensualitatis meæ consolationem et vanitatis, quam animæ bonum spectabam. Bonæ illæ cogitationes monasterium ingrediendi subinde quidem mihi occurrebant, sed statim abibant; nec a me ipsa impetrare poteram, plane ut animum ad hoc inducerem. Hoc ipso tempore, etsi ego a parte mea non negligerem illa quæ mihi bona et salutaria erant, magis tamen Dominus ipse contendit ad eum me statum disponere, qui mihi esset maxime salutaris.

quæ dein crescunt in domo patrui lectione piorum librorum,

71 In gravem tunc temporis incidi infirmitatem, ut me ad paternas ædes reduci oportuerit : confirmata vero valetudine, ad sororem, quæ in pago B quodam habitabat, conducta sum, quo eam inviserem, quod mire me ipsa diligeret : et, si quidem ei auscultassem moremque gessissem, numquam inde rediissem. Conjugi quoque ejus acceptissima eram; exterius saltem magna mihi benevolentiæ signa exhibebat. Quo etiam nomine peramplas Deo meo gratias debeo, quod, quocumque loco fui, semper benevolos sum homines experta; ipsa tamen, pro ea ac sum, male id ei rependi. In via, qua nos transire oportebat, commorabatur patruus noster, vir prudens et virtutum perstudiosus, ac viduus, quem etiam Dominus sibi paulatim disponebat : nam jam ætate grandis et maturus, relictis omnibus quæ possidebat, religiosum statum suscepit; in quo ita laudabiliter vitam terminavit, ut divina cum visione jam perfrui credam. Hic me ad dies aliquot apud se commorari voluit : tempus, quo a negotiis vacabat, librorum piorum patria lingua conscriptorum lectioni dabat : omnis autem ejus sermo ut plurimum de Deo mundique hujus vanitate erat : ut vero et mihi rerum divinarum amorem instillaret, eos me libros, se præsente, legere jussit; et C licet non multum erga eos afficerer, simulabam tamen, quo ei satisfacerem : nam aliis complacere, et alienæ voluntati morem gerere studui semper quam maxime, etiamsi propterea mihi ipsi molestiam creassem ac tœdium; adeo quidem ut, quod in aliis virtutis nomen meruisset, in me reprehensionem meruerit et ingens vitium fuerit, quod in hoc sæpe discretionis limites excederem. Quot, o Deus bone, modis et viis tua me Majestas ad eum paulatim disponebat statum, in quo mea uti opera voluit, ut, etiamsi nollem, me mihimetipsi vim facere cogeret! Sit ipse in æternum benedictus. Amen.

ita ut statuat monasterium ingredi :

72 Esto vero ibidem nonnisi paucis egerim diebus, per eam tamen quam verba Dei tam lecta quam audita in corde meo exseruere vim, simul et per bonum commercium, eam intelligere cœpi veritatem, quam olim in prima pueritia intellexeram, nimirum quidquid in mundo est, nihil esse, et non nisi meram vanitatem, atque ipsum in momento præterire; simulque timere, ne, si vita exire me contingeret, ad infernum detruderer. Ac licet ne tum quidem a me impetrare ipsa possem, ut statui monastico me applicarem; videns tamen statum illum et meliorem esse et securiorem, paulatim apud memetipsam constitui quamdam mihi vim ad eum capessendum inferre. Trimestri et amplius hoc in conflictu hæsi, hac me ratione incitans et cohortans, nimirum vitæ monasticæ labores et mala pœnis purgatorii majora esse non posse, ac, cum delictis ipsa meis infernales pœnas promerita essem, non multum esse, si quod restabat vitæ velut in purgatorio transigerem; postea me recta cœlos petituram, nam hoc unum spectabam ac desiderabam : atque in hac status deligendi anxietate, timore servili magis quam amore moveri videbar. Hoc volventi mihi dæmon proponebat fore, ut, quod deliciis et vitæ molli assuevissem, Religionis onera et labores ferre non possem : cui contra opponebam labores et dolores quos Redemptor noster Jesus vivens passus est, et proinde non multum esse, me aliquos ipsius nomine et amore subire; atque ipsum mihi in iis ferendis auxilio futurum : cogitare quidem hoc debebam, sed an hoc postremum cogitarim, non recte recordor. His ipsis diebus plurimas passa sum tentationes, et gravissimis vexata febribus, ad quas longa animi accedebant deliquia : nam nunquam firma valetudine sum usa. Maxime vero me tum juvit, quod erga bonorum librorum lectionem mire affecta manserim. E

AUCTORE V. D. M. D

73 Unde lectis S. Hieronymi epistolis ita commota sum, ut tandem patri meo id significare decreverim; quod prope idem erat ac sacrum habitum suscipere : nam ita generosa eram, ut, cum semel meam quoad hoc voluntatem aperuissem, ob nullam prorsus rem, eam immutatura fuisse videar. Tanto porro me pater amore prosequebatur, ut nullo id ab eo pacto impetrare potuerim; uti nec aliorum, quos pro me intercessores ad illum misi, preces et compellatio : summum quod tum quidem ab eo obtineri potuit, fuit ut, cum ipse jam vita functus esset, facerem quidquid cuperem. Verum hic mihimetipsi meæque imbecillitati timere cœpi, ne scilicet retro respicerem; unde mihi videbatur hoc mihi parum expedire, ideoque id alia ab eo via obtinere sum conata, ut jam referam. Cap. IV. Iis ipsis diebus, quibus ipsa mecum de isthoc proposito deliberabam, uni de fratribus meis, ut vitæ se religiosæ daret, mundi hujus vanitate ei ob oculos posita, persuaseram. Unde simul statuimus quadam die summo manc ad illud monasterium accedere in quo illa amica, quam ego singulari quodam prosequebar affectu, commorabatur. Nam ex hac ultima determinatione mea ita affecta eram, ut, F ubicumque magis me Deo putassem posse servire, et quodcumque pater me voluisset ingredi, illud ingressa monasterium fuissem; quod jam magis ad animæ meæ bonum et salutem, quam ad satisfactionem internam attenderem : unde hanc jam nihili faciebam.

quod patri suo manifestat.

Sanctæ narratio suppletur ac diluciditur,

74 *Brevi hac narratione* S. *Mater perstringit quatuor adolescentiæ suæ annos* (1529—1533), *ab anno fere ætatis suæ decimoquarto cum dimidio, quo primum monialibus* O. A. *cohabitavit, usque ad annum decimum octavum cum dimidio, quo religiosum statum eam fuisse amplexam ad finem hujus* § *stabilietur. Experta eo tempore est* Teresia *hominem præsertim in juventute sociatum bonis fieri bonum, sociatum vero malis fieri malum. Illa enim antea, optimi licet sub parentis disciplina, in eo fuerat ut perverteretur e sola quorumdam extraneorum familiaritate. Sed vidit, ut ipsa ait,* quantum Deus boni præstet ei quem inter bonos commorari et cum bonis conversari facit. *Nam inter sanctas jam versans moniales, modicam eam vanitatem, quam e sæculo hauserat, execrata est, et Religionis amore, quem exuerat, iterum affecta fuit. Non tamen Augustiniana*

AUCTORE V. D. M.

A *fieri voluit, ut male asserit Hippolytus Helyot in sua Historia religiosorum Ordinum. Nec etiam adeo tunc desideravit religiosum statum quantum affirmat parum fidus interpres qui Chronicum gallice vertit, æquo liberius sæpe recedens a prototypo hispanico, quod generatim non minus accuratum est quam eleganti stylo conscriptum. At redeamus ad Sanctam nostram. Internis hæc se spiritualis vitæ exercitiis, quamvis et cogitationibus importunis et donis extrinsecus missis tentaretur, magis ac magis se devovebat, quousque, gravi morbo intercepta, domum paternam repetivit. Postquam autem e morbo convaluit, cum in oppidulum, ubi morabatur ejus soror Maria de Cepeda, deduceretur, obiter patruum suum Petrum Sanchez de Cepeda in oppido cui nomen Hortigosa, quod duodecim milliaribus sive quatuor leucis Abula dissitum est, invisit; et librorum piorum lectionem, non tam sibi quam patruo audienti, qui eo studio magnopere delectabatur, gratificatura frequentavit. Argumento iterum hic est* Teresia, *hominem evadere similem libro seu auctori quem legit, ac facile, qualis sit persona, dignosci posse sive e sua bibliotheca sive e lectionis suæ diario; siquidem libri genus quoddam sodalium sunt, quibuscum convivimus et conversa-*

B *mur. Libri qui eam, adhuc impuberem, meliorem reddiderunt, fuere Vitæ Sanctorum et Martyrum; qui deteriorem, fictitia heroum gesta narrantes,* romans *gallice dicti; qui iterum meliorem fecerunt, ut brevi videbimus, Epistolæ S. Hieronymi; liber de modo orandi, inscriptus* Tertium Abecedarium; *libri morales S. Gregorii M.; Confessiones S. Augustini; Vitæ Sanctorum, similesque : quibus in suis passim scriptis fatetur se fuisse tota sua vita magnopere delectatam et adjutam. Namque ut semel dedocta fuit vanissimam librorum equestrium lectionem, optimo consilio (utinam in quaque scientiarum specie id magno bono suo omnes imitentur!) sprevit inferioris notæ libros, et lectitavit quidquid in suo genere optimum est, volvens congruos sibi tractatus e tantis doctoribus quales sunt SS. Hieronymus, Gregorius Magnus, Augustinus, etc. Ex quo cernimus, et quo eam sanum ferret judicium, et quo sub ductu Spiritus Sancti gressum ipsa faceret, sublimem locum inter theologiæ mysticæ scriptores olim occupatura.*

speciatim quoad ingressum ejus in cœnobium Incarnationis Ord. Carm.;

C 75 *Incertum temporis spatium est quo apud sororem mansit; sed et tunc atque etiam cum reversa fuit in domum paternam, saluberrimo piæ lectionis exercitio veritatem illam in pueritia conceptam, sed aliquamdiu intermissam, penitus intellexit, omnia videlicet mundi bona evanescere, æterna permanere : et per tres menses luctata secum, statum religiosum, non jam sensualitatis suæ consolationem, sicut ante cum apud moniales S. Augustini habitabat, sed animæ suæ bonum spectans, tandem sibi persuasit et arripere decrevit. Causas quæ eam moverunt, a se in rationis trutina prudentissime ponderatas, supra exponit. Scilicet expendit cœlum, infernum, purgatorium, Christi labores et dolores, in religiosæ vitæ oneribus affuturam sibi Dei gratiam, brevitatem residuæ suæ vitæ, etc. : donec, post trimestre spatium, ei stetit animus, quod in S. Hieronymo (Epist. ad Heliod.) legerat, vel per calcatum pergere patrem, et ad vexillum Crucis evolare. Cœpit ergo parentem suum pro explendo desiderio urgere. Sed, cum inter liberos omnes ab eo tenerrime amaretur, nil impetrare potuit. Tunc rem aggredi, ut quæ magnanimitate ad res arduas obeundas prædita erat, patre relicto cogitavit; ac tandem decrevit, die quadam summo mane, nemine conscio præter Antonium germanum suum in fuga comitem, domo erumpere et constanter se abdere in Monasterium* Incarnationis, *B. Virgini de Monte Carmelo sacrum. Ad hujus cœnobii delectum faciendum multum allicicbatur necessitudine qua affi-* D *ciebatur erga quamdam monialem, nomine Joannam Suarez, admirabili Dei Providentia disponente ut adolescens nostra monasterium Ordinis Carmelitici, quem aliquando reformaret, præponeret monasterio Ordinis S. Augustini, quamquam hoc super majori perfectione fundatum erat. Cum S. Mater* 32 *annos eam domum inhabitarit,* 29 *qua monialis* (1533-1562), *et* 3 *qua priorissa* (1571-1574), *congruit ut quædam de hoc ejus domicilio referantur.*

de qua domo hic plura,

76 *Anno* 1513, *ut ait Lezana tomo IV Annalium Carmelitarum, est* specialissima actum Dei Providentia, ut cœnobium monialium Abulense, de Incarnatione nuncupatum, nostro Ordini adderetur. Fuit etenim domus ista instar paradisi viridarium, in quo pulcherrimi flores, virgines nempe plurimæ, Deo et Ecclesiæ odorem suavissimum efflantes, orbi effulserunt. Ipsarum parens et primiceria jure censetur nostra seraphica Virgo S. Teresia, Hispaniæ et Religionis splendidissimum jubar. Auspicia habuit ex pietate D. Elviræ de Medina, domus fundatricis, in fundo majoratus S. Michaelis de Arroyo dicti, extra civitatem septentrionem versus non valde dissito. Crevit temporis cursu in valde nobilem fabricam, templum excellens, claustrum ingens E singulariter, hortum et viridarium spatiosum, officinas et cameras tot ac tales, ut circa annum 1550 posset 190 moniales capere. *Ac revera tot cepisse asseverat Chronicum; et ipsa Sancta* (*t. II, ep.* 48, *n.* 2) *ait se* 25 *annis vixisse in domo ubi erant moniales* 180. *Verum, ut mihi inde scriptum est anno* 1840, *numerus non excedit jam duodenarium et Ordinario sunt pro more subjectæ. Licet domus esset erecta anno* 1513, *tamen biennio tantum post, et quidem illa ipsa die qua* Teresia *baptizata fuit, celebratum est in ejus ædibus primum Sacrum. Quod autem Yepes* (*l.* I, *c.* IV) *dicit id ex spectabilioribus ob antiquitatem suam Abulæ cœnobiis esse, id intelligendum videtur de nota antiquitate fundi aut de vetustate partis ædificiorum suo tempore exstantium. Chronicum plures enumerat conventus illius moniales eminentis sanctitatis, quæ eo præsertim enituit illic tempore quo S. Joannes a Cruce illas in spirituali vita excolebat. Laudem illius monasterii texit S. Mater c.* VII *Vitæ suæ, et in suis ad hanc Additionibus ait divinam Majestatem dixisse ejus moniales a se pro sororibus haberi, et jussisse ut ibi priorissæ munus assumeret. Toto vitæ suæ tempore* Teresia F *eam domum ut matrem adamavit; et aliquando eo divertebat, quando, erecto jam S.* Josephi *conventu, ob fundandas novas domos itinerandum sibi erat. Morata tunc ibi semel undecim dies est, et cum moniales mirabantur tam grate se a S. Matre visitatas, respondit :* Sicut matrem colo et amo hoc monasterium, et ad vos, quæ sorores meæ estis, diverto. *Hæc de monasterio Incarnationis referens, malui adhærere Lezanæ, Artizio et Chronico, quam P. Frederico, qui, secutus, ut fatetur, illius monasterii memorialia, in nonnullis recedit ab aliis scriptoribus.*

duplici exhibita tabula, quarum una

77 *Pia memoria locorum quæ Sancta occupavit, illic etiamnum perennat, et leguntur adhuc hodie tam supra craticulam Communionis quam ad crates locutoriorum aliisque in locis inscriptiones plures, quæ testantur raptus, ecstases, similiaque ibi ab ea accepta dona. Rem lectori gratam me facturum ratus, id monasterium sub oculos ejus pono duplici incisa æri tabula, quam nuperrime D. Valentinus Carderera, socius regiæ Academiæ historiæ et S. Ferdinandi, accurate delineavit, obtenta ab Ill. Abulensi episcopo ingrediendi in claustrum facultate. Prior tabula prospectam refert domum Abulam versus, sive exarata est ab insidente mœniis civitatis et contem-*

plante



PROSPECTUS EXTERIOR. MONASTERII INCARNATIONIS.



Valentinus Carderera Del. Car. Onghena Sc.

PROSPECTUS INTERIOR. MONASTERII INCARNATIONIS.

A *plante septemtrionalem ædificii partem. Ecclesia, quæ reædificata est et recentioris est structuræ quam ipsa domus, architectonem non prodit insignem. At contra grande et sumptuosum, picturisque decoratum non spernendis, sacellum habetur ad extremam transversam ecclesiæ alam e latere euangelii. In ultimo fere horto, antequam binas arbores pertingas, spectare est ædiculam octogonam, quæ in loco fertur esse in quo olim S. Joannes a Cruce, quando monialium rectorem agebat, diu habitavit: diciturque exstructa e ligno quo illa ejus domus compacta erat; qua de causa in nativo suo sine pictura colore id lignum conservatur. Supra ecclesiæ portam lapidi insculpta est Annuntiatio, probe satis, et manu, ut judicat D. Carderera, sæculum decimum sextum referente: atque in templi foribus duplex exstat marmoreum gentilitium scutum, quod fundatricis est D. Elviræ de Medina; idemque reperitur in claustro et exteriore porticu.*

et altera explicatur.

78 *Altera tabula faciem cœnobii exteriorem exhibet. Ea domus pars quæ signata est littera A, murus est exterior sacelli quod occupat spatium destructæ S. Virginis cellæ. Nux autem prope fontem, quæ vegetos hodieque late ramos pandit, ipsius, ut fert prisca traditio, Sanctæ manibus quondam terræ*
B *inserta fuit; fructusque illius arboris devote distribuuntur, et tribus abhinc annis vel in Belgium, ad Carmelitanas Tornacenas, carptæ ex ea nuces fuere perlatæ. In orientali domus ala ostenditur exigua camera in qua Sanctæ cor ab Angelo transfossum fuisse perhibent, aliaque vitæ Teresianæ monumenta indicantur, excisis nonnumquam inde ligni lapidumque particulis pro pietate fidelium, v. g. a porta quæ domo in supra memoratum oratorium ducit, e qua multa recisa fuere segmina, ita ut tota janua non modice læsa appareat. De duplice in eadem area constructo oratorio, inferiore et superiore, plura dicemus postmodum.*

Terribilis luctа naturæ ante ejus in monasterium introitum

79 *Ergo rem grandem adorsa est S. Virgo; et proterens honorem, opulentiam voluptatemque, quibus certe bonis in sæculo large frui poterat, firmo pede ad claustrum recta perrexit. Nihilominus in ipsomet egressu incredibilem animi dolorem ac talem sensus pugnam persensit, ut singula corporis ossa eluxari ac membra dissolvi viderentur. Ob hoc certamen forte, suique victoriam, P. Pinamonti S. J. in opusculo suo cui titulus:* Vocatio victoriosa (*c.* IX) *Sanctam nostram proponit ut patronam ad obtinendam perseverantiam in vocatione, et, de hac strenuæ nostræ*
C *adolescentulæ luctatione loquens, ait:* Quis novit an insignis hæc de humano amore reportata victoria forsan primus non fuerit lapis excelsi illius ædificii quod per Sanctam nostram divinus amor in Ecclesia excitavit? *Illud autem terribile certamen partamque ex sui ipsius victoria pacem audi qui ipsa S.* Teresia *graphice enarret c.* IV *Vitæ suæ:* Quantum quidem mihi videtur (et vere ita est), memini sane me tum, cum domo paterna jam exirem, ita affectam fuisse, ut non putem majorem me doloris sensum experturam, quando moriar, quam tunc in me sensi: singula quippe corporis ossa a sua mihi divelli sede ac compagine videbantur. Nam quia non is Dei amor in me erat qui me amorem erga patrem et consanguineos faceret oblivisci, hinc talem in me adversus memetipsam repugnantiam sensi, ut, nisi me Dominus adjuvisset, omnes meæ considerationes et rationes satis potentes non fuissent ad hoc a me impetrandum. Sed ipse mihi talem animum contra memetipsam dedit, ut, quod proposueram, opere tandem exequerer.

sed alta eam luctam subsequitur pax et gaudium.

80 Ut autem habitum sacrum assumpsi, statim, Deo me illuminante, intellexi, quomodo ipse adsit et opem ferat iis qui, quo ipsi serviant, sibimet vim inferunt. At hanc vim nemo in me notavit, sed omnes propensissimam quamdam ad hoc voluntaD tem. In ipso habitus assumpti momento, summum mihi ex assumpto hoc statu gaudium exortum est, quod exinde usque in præsens numquam a me recessit, et ariditatem, qua anima mea laborabat, in summam affectus teneritudinem commutavit, adeo ut quidquid ad Religionem spectaret, jucundum mihi esset ac delectabile. Interdum, fateor, iis ipsis horis, quas olim corporis recreationi et ornatui solebam impendere, domum everrebam; quibus dum animum revocarem, esse me jam ab illis liberam, novum quoddam in mente mihi gaudium suboriebatur, ut et ipsa mirarer, et undenam id oriretur prorsus haud intelligerem. Quod dum menti meæ recurrit, nihil est, tametsi gravissimum et durissimum, quod, si mihi proponatur, non dubitem aggredi. Multorum namque usu et experientia jam novi, si initio me ipsa, in firmiter statuendo aliquid exequi, juvem (nam ubi aliquid ex puro Dei intuitu fit, vult animam hoc metu initio perterreri, donec ipsum aggrediatur, ut sic majus nostrum sit meritum; et quo hic metus major est, eo etiam, si nihilominus rem aggrediatur, majori præmio donatur, et
E postea majorem inde suavitatem ac voluptatem sentit), Majestatem ejus etiam in hac vita id mihi certis quibusdam modis remunerari, quos ille solus intelligit qui id reipsa jam experitur. Hoc, uti dixi, plurimis in rebus magni momenti experientia cognovi; unde si essem quæ aliis dare consilium deberem, numquam consulerem ut, cum bona aliqua inspiratio sæpius alicui occurrit, eam ob metum initio incidentem executioni mandare negligeret: nam si pure simpliciterque solo Dei nomine suscipiatur, non est quod timeat ne non feliciter sibi succedat, quia Deus ad omnia potens est. Sit ipse in æternum benedictus. Amen.

Plura chronologica de primis Sanctæ annis,

81 *Amaris postea verbis quæ* § *sequenti citabo, exaggerat Sancta suum gratiarum in religiosa vita neglectum, cujus se ream facit pro eo præcipue tempore quo, ut postea videbimus, orationi se non satis vacasse deplorat, id est usque ad annum ætatis suæ trigesimum octavum, Christi vero* 1553. *Demptis enim viginti de quibus hic loquitur annis, habemus annum* 1533, *quo B. Virginem religiosam vitam amplexam fuisse probabilibus argumentis ostendam, postquam alia quædam chronologica de anteriori Sanctæ vita præmissa fuerint, ut omnia quæ ad juventutis ejus tempora spectant, uno tractu hic supputentur. Natam fuisse Sanctam nostram* XXVIII *Martii anni* 1515; *præcocem puellam sexennem vel septennem jam vitas Sanctorum volvisse, quo inducta fuit ad terras Maurorum petendum tempore vix posteriori; eam a septimo ad duodecimum ætatis annum* (1522-1527) *legendis et agendis rebus piis fuisse delectatam; deinde, cum infantiæ annis vix erat egressa, malum matris exemplum fuisse imitatam; delibasse primum futiles fictorum heroum libros, ac postmodum vorasse: hæc omnia ex allatis supra locis extra controversiam sunt. Pariter constat malesuadam quamdam suam cognatam, jam ante mortem matris S.* Teresiæ, *hujus domum frequentasse, sed absque magno his initiis* Teresiæ *nocumento, donec post biennium a morte matris, quando quatuordecim annos numerabat, arctiorem cum ista familiaritatem contraxit, quam continuavit altero biennio* (1529-1531), *usquedum tres ante suum in conventum O. A. secessum menses, vanitati, quam ab ea sodali didicerat, in veste et capillamento indulgens, in propiore perversionis periculo fuerit versata, decimosexto anno fere expleto, sive initio anni* 1531. *Ratio cur tam serus ponatur Sanctæ in illud monasterium*

AUCTORE V. D. M.

A *nasterium O. A. recessus, est quod P. Franciscus a S. Maria* (*Chronico lib.* I, *c.* VII, *n.* 4) *asserat extitisse pactum coram notario conventum quo* XI *Januarii* 1531 *Sanctæ pater, Alphonsus de Cepeda, sese obligabat ad præbendam nupturienti filiæ suæ natu maximæ dotem* 600,000 *maravediorum. Ex quo consequitur* Teresiam, *quam non nisi nupta sorore constat domo abiisse, intrasse puellarum contubernium, cum decimumsextum prope attigerat annum, seu initio* 1531. *Illic autem mansit sesquianno, id est usque ad decimumseptimum ætatis suæ annum, sive donec annus* 1532 *inclinabatur jam in autumnum. Inde ob ægritudinem egressa quamdiu sive apud patrem sive apud Mariam sororem manserit, incertum est. Has tamen in utroque eo loco moras non multum durasse ultra annum, conficitur ex eo quod* II *Novembris anni* 1533 *in monasterium Incarnationis se receperit : quod brevi disceptatione modo ostendam non quidem esse certum, sed probabile magis, ac proin a me deinceps tenendum. Præmitto varias præcipuorum biographorum assertiones.*

ac præ cæteris de anno quo amplexa est statum religiosum.

B 82 *Ribera lib.* I, *c.* III, *simpliciter dicit Sanctam monasterium ingressam esse* II *Nov.* 1535; *Yepes vero lib.* I, *c.* IV, *eam habitum sumpsisse* II *Nov. anni* 1533, *quando viginti, ait, nondum completos habebat annos. Sed, cum tam ipse Yepes* (*lib.* I, *c.* II) *quam alii passim dicant natam* XXVIII *Martii anni* 1515, *melius sibi constitisset, aut saltem clarius locutus fuisset Yepes, si scripsisset eam claustrum subiisse anno* 1533, *decimo nono ætatis suæ. Quidquid sit, potissimum ex manco utcunque et male interpretato hoc Yepesii dicto inducta suspicor Acta et Bullam canonizationis, lectionesque Breviarii Romani, et plures etiam recentiores, ad affigendum anno ætatis ejus vigesimo illius in monasterium Incarnationis introitum. Sed ipse Yepes clare sese explicat in fine capitis sexti, ubi de oratione et ægritudine ejus loquens scribit :* Tum viginti tres annos ætatis habebat, et quinque Religionis. *Ex quo sequitur eam, e mente Yepesii, ætatis decimo nono anno religiosam factam : quod et aperte dicit P. Petrus Ibañez in loco ab ipso Yepesio ad finem capitis octavi citato. Chronicum* (*lib.* I, *c.* VIII, *n.* 5) *tenet Sanctam nostram* XXXI *Octobris* 1536 *monasterium subiisse et biduo post,* II *Novembris, sacram vestem assumpsisse, fundatque hanc suam opinionem super duplici manuscripta conventione quæ Albæ suo tempore, ut ait, existebat in archivo notarii publici.*

C *Utramque confectam esse dicit* XXXI *Oct.* 1536, *et altera* Teresiam *cedere omni jure suo, altera vero patrem astringere se ad annuatim in dotem* 25 *mensuras, dimidiatim frumenti et hordei, monasterio suppeditandas, aut, in harum defectu,* 200 *annuatim ducatos aureos. Pro eodem die et anno stat P. Fredericus, binis quoque nitens pactis scriptis, quæ Madriti existere certiorem se inde factum asserit, quorum unum a priore supra memorato e Chronico non abludit. Ast alterum posteriori supra allato potius contrarium est quam conforme, siquidem juxta hoc non nisi* XXIII *Oct. anni* 1537 *monasterium inter et Sanctæ patrem de dote convenit. Quare alterutra hæc prætensa conventio, aut illa Chronici, aut illa P. Frederici, falsa esse cernitur. Sed et utraque, imo omnes tres illæ præfatæ conventiones videntur ut spuriæ rejiciendæ, addicendusque anno* 1533 *Sanctæ in monasterium ingressus, non tantum ex sententia Yepesii, sed et ob certum et clarum Teresianæ Vitæ locum, in quo ipsa* (*capite* IV, *num.* 3) *asseverat se post professionem, cum rus petivisset curationis gratia, vigesimum annum nondum explesse. Atque hanc etiam sententiam secuti sunt Villefore, Emery, Butler, Boucher, Collombet, etc., quantumvis graves sint auctores contra, v. g. Ribera, Acta canonizationis, Rom. Breviarium, Chronicum, P. Fredericus, P. Antonius a S. Josepho* (*not.* 21 *ad ep.* 12 *t. III*), *atque ipsa quodammodo* Teresia, *si initium epistolæ suæ secundæ ad P. Rod. Alvarez S. J.* (*tom. II, epist.* 19) *ad litteram sumatur. Videlicet ibi* 40 *annos se dicit monialem, et paulo post ait tredecim tum elapsos esse annos a fundatione Abulensi S. Josephi : ita ut* (*cum constet* XXIV *Augusti anni* 1562 *hoc monasterium fundatum esse*) *illa epistola sit scripta ferme ad finem anni* 1575, *ac proin, si induta fuerit sacro habitu* 40 *annos ante, religionem sit ingressa anno* 1535. *Ast cum* Teresia Teresiæ *opponatur, ille utique inflecti locus debet qui minus decretorius est. Atqui annorum numerum rotundasse in posteriore hoc loco magis videtur, ubi se dicit* 40 *annos monialem, quam errasse in altero, ubi diserte asserit se necdum annos natam viginti, postquam Incarnationis monasterium jam fere duos vel tres annos intrarat. Neque est cur quis miretur me recedere a Breviario Romano Actisque canonizationis, uti et recessi, ubi de puellulæ* Teresiæ *itu ad Mauros agebatur : Ecclesia enim minime improbat quominus hæc et similia ad moderatam critices trutinam revocentur, siquidem vel de S. Scripturæ chronologicis* E *quibusdam locis licite disputetur. Atque id eo magis hic licuit, quod auctores auctoribus opponantur, quorum dumtaxat præcipuos supra memoravi, mittens v. g. Lud. Arizium, qui in Historia civitatis Abulensis* (*part.* I, *pag.* 49) *habet annum* 1532; *parvum Chronicum Monasterii Incarnationis, a P. Frederico citatum, quod* 1535; *duas Bibliothecas Carmelitanas, quæ* 1535 *et* 1536 : *ita ut quod Breviarium et Acta canonizationis habent, verum fortassis sit, licet minus probabile mihi videatur.*

§ VI. Sanctæ novitiatus et professio. Ægra rus abducitur et sacerdotem convertit : magis ægra ad monasterium reportatur, ac demum ope S. Josephi sanatur. F

Tametsi Sancta exaggeret defectus suos,

S*anctam nostram, sacra veste suscepta, vidimus affectam penitissima lætitia* (*quæ Dei, hausto labore, solantis consuetudo est*) *ob statum religiosum selectum, mundumque spretum. Excipe jam ex ore ejus quomodo novitiatum transegerit, solemniaque vota emiserit. Sed memor esto illam præ humilitate defectus suos pro more suo multum exaggerare.* In ipso novitiatus anno, *inquit c.* V *Vitæ suæ,* magnas passa sum inquietudines et molestias, et quidem in rebus quæ ex se parvi momenti erant, sed in quibus sæpe, tametsi innocens, reprehendebar : ferebam id quidem, etsi (quæ mea imperfectio erat) permoleste; tamen magna illa, quod religiosa jam essem, consolatio omnia me æquanimiter tolerare faciebat : quod enim sodales meæ solitudinem me sectari et præteritas culpas subinde deplorare viderent, statu me meo non esse contentam existimabant, quod etiam palam dicere non verebantur. Omnia quæ Religionis erant, mirifice mihi placebant, ea tamen, quæ contemptum mei videbantur includere, minime ferre poteram. Gaudebam quippe ab omnibus magni fieri;

A fieri; et in omni eo quod faciebam, curiosa et exacta eram. Hoc ipsum porro mihi quædam esse videbatur virtus, quamquam hoc me a culpa non eximet, quod, quæ ad recreationem et commoditatem meam spectabant, optime sectari scirem. Ac proinde ipsa me ignorantia hic a culpa non excusat. Aliqualem quidem excusationem meretur, quod hoc monasterium non esset super magnam perfectionem fundatum : at ipsa (quæ mea improbitas) sequebar quod videbam bonum non esse, et quod bonum erat non sequebar.

ferventer tamen egit noviliatum;

84 *Hæc sunt humilis Sanctæ de se testimonia. Sed certum est eam Deo faventi non ita male respondisse. Generose secum statuebat observare, quanto fervore poterat, religiosæ vitæ exercitia, ac res magnas pro Deo moliri. In orationem, cujus olim magistra futura erat, plurimum incumbebat : quem in finem multifariam dispertita erat tempus ac multas horas impendebat; atque, ut posset magis recollectionem promovere, recipiebat se in locum a strepitu domestico remotum. Rosarium sæpe precando discurrebat, interrupta interdum recitatione, ut mysteria meditando pensitaret. Movebatur præsertim ad conjunctionem et amorem considerando*
B *pericula sæculi et illam qua inde eruta fuerat Dei in se misericordiam. His profundis meditationibus ita in ejus corde divinus amor accendebatur, ut consequeretur exinde a Deo donum lacrymarum. Cum experta esset quanta sit in legendis libris spiritualibus utilitas, majori semper fervore in eam lectionem incumbebat, et præsertim in historias vitarum Sanctorum. In regulari disciplina observanda erat plurimum diligens, et speciatim in cæremoniis chori. Quod si quandoque in his errabat, demittebat sese atque aliquam sibi pœnam exposcebat. Pœnitentiæ quoque se dabat quantum licebat per obedientiam ac valetudinem, quæ jam eo tempore debilis esse videbatur. Eminebat vero supra cæteras Sanctæ novitiæ virtutes sollicita ac prompta in proximum caritas. Omnibus quæ se offerebant caritatis et humilitatis officiis moniales adjuvabat. Horis, ut sic dicam, furtivis se conferebat in chorum, relictas ibi a monialibus cappas ordinatura ac nitide plicatura. Iis autem temporibus quæ somno et quieti moniales concedebant, domum verrebat* Teresia *vel alio hujusmodi abjecto alterius officio fungebatur; quem usum postea feliciter in suam Reformationem transtulit. Noctu quoque volebat ex sancta ambitione monialibus præbere lumen,*
C *iis se sociam adjungere ad loca obscura adeunda, ac demum etiam eas in suas cellulas reducere.*

neque tantus quantum dicit, fuit ejus neglectus gratiarum,

85 *Ea ratione, licet varie exercita, fervida pietate Virgo novitiatus spatium complevit, gratissima semper erga Deum de sua ad statum monasticum vocatione, sed simul anxia de neglectis forte in spirituali eo stadio a se gratiis.* O summum Bonum, et unica requies mea! *exclamat c.* IV, *abrepta, ut crebro, in Dei alloquium,* sufficere debuissent gratiæ eatenus mihi tum collatæ, quod me scilicet, singulari tua pietate et magnitudine, e tot deviis anfractibus ad statum ita securum, et ad locum in quo plurimæ tuæ famulæ commorabantur, perduxeris, a quibus virtutum exempla mutuari possem, quibus excitata, in dies in tuo famulatu magis et magis proficerem : illa, inquam, sufficere debuissent. Verum quomodo hinc ulterius progrediar nescio, dum nimirum professionis meæ formulam, et quanta resolutione et consolatione eam fecerim, nec non sponsalia quæ tecum tunc inivi, in mentem revoco. Quæ omnia sine lacrymis exponere nequeo, quæ et sanguineæ esse deberent, et ipsum mihi cor præ dolore disrumpi; qui quidem doloris sensus etiam nimis quam exiguus esset, si intuear quoties et quam graviter exinde divinam tuam Majestatem peccando offenderim. Et sane (ut quidem nunc mihi D videtur) non sine magna ratione tantam mihi habere dignitatem nolebam, quod illa essem abusura; sed tu, Domine, viginti circiter annis, quibus hac tua gratia male usa sum, injuriam pati voluisti, ut hoc ego pacto ad emendationem pervenirem. Ita plane, Domine, me hic gessi (ut quidem apparet) ac si promisissem nihil eorum, quæ tibi vovendo promiseram, servare; quamvis tunc quidem talis mea intentio non fuerit : sed video opera mea postea hujusmodi fuisse, prorsus ut nesciam qualem tum intentionem habuerim; ut scilicet magis pateat quis tu, sponse mi, sis, et qualis ego. Et sane magnorum vitiorum meorum sensum ea sæpenumero consolatio in me minuit ac temperat, quæ mihi provenit ex eo quod misericordiarum tuarum multitudo hoc pacto innotescat.

quod vel e sola ejus in ægras charitate patet.

86 *Inter alia pia exercitia quæ Sancta in Religionis tirocinio ultro subierat, cura fuerat infirmarum quas maximo amore et sollicita charitate prosequebatur : quin ipsa Deo se devoverat ad omne morborum genus, æternæ felicitatis studio et desiderio, sicut exponit c.* V, *ita inquiens :* Quædam tunc temporis monialis gravi ex morbo decumbebat, E eratque servientibus permolesta : plura namque in ventre habebat foramina, quæ nimia oppilatio alvi formarat, per quæ quidquid manducabat, egerebat. Unde etiam non multo post decessit. Videbam quidem omnes quæ domi erant istud morbi genus exhorrescere : ego vero, illius invidens patientiæ, Dominum rogabam ut cum eadem patientia eos mihi daret morbos quos placeret. Nullum (ut mihi videtur) tunc morbi genus metuebam : eo namque bonorum æternorum acquirendorum tenebar desiderio, ut quocumque demum pretio et medio ea comparare mecum statuerem. Quod ipsum nunc summopere miror, quod nondum eo Dei amore tacta essem quo postea, cum jam orationem frequentare cœpi, mihi videbar tacta fuisse : etenim aliud non habebam quam lucem quamdam et cognitionem, qua, quidquid transit et finem habet, parvi faciendum videbam; et contrà bona, quæ per hoc comparari possunt, permagni ducenda, cum æterna sint. Divina Majestas hocce meum votum audivit : nam, antequam duo effluxissent anni, ita morbida effecta sum, ut, licet malum quod triennio ipso pertuli, uti jam referam, tale non fuerit quale illius monialis, non minus tamen molestum mihi F ac grave fuisse credam.

Ipsa dein ægra rus petens, proficit in oratione

87 Jam ipso novitiatus tempore, *ait c.* IV, mutatio vitæ et ciborum valetudini meæ directe contraria fuerat : nam esto summa consolatione perfunderer et contenta essem, inde tamen melius non me habui. Deliquia quippe et animi defectus quotidie magis et magis increscebant, tantusque accedebat cordis languor, ut quotquot me viderent obstupescerent : mox et alii morbi sequebantur. Ita primum tirocinii annum parum firma valetudine peregi : verum toto illo tempore Deum non multum mihi videor offendisse. Quoniam autem malum adeo grave erat ut me semper fere sensu privaret, imo subinde eum etiam omnem mihi penitus eriperet, hinc parens meus omnimodis allaborabat ut valetudini possem restitui; et quia ab hujus loci medicis nullam opem sentiebam, ad alium me locum, in quo multos variis morbis affectos persanari constans fama erat, me conduci jussit, quod et me illic sanitati restituendam omnes censerent. Amica illa mea, quam in hac domo me habuisse ante dixi, et quæ de veteranarum erat numero, mecum profecta est : nam isthoc in monasterio claustri voto moniales

AUCTORE V. D. M.

A se non obligabant. . . Æstate ineunte primum in medicorum manus tradenda eram; attamen incipiente hyeme eo me contuli; toto autem tempore intermedio in sororis meæ, quam in pago commorari dixi, domo hæsi, mensem Aprilem expectans, qui et instabat, et ne toties ultro citroque commearem. Mihi jam e monasterio digressæ patruus (quem ante dixi in via habitasse) librum dedit, cui Abecedarium Tertium nomen est, quique orationis recollectivæ et mentalis methodum tradit. Et licet primo illo tirocinii mei anno varios pios sanctosque libros legissem (neque enim alios quam pios legere volebam, utpote damnorum quæ ab aliis illis passa eram probe gnara), quia tamen nondum sciebam quomodo me in oratione gerere ac mentem recol ligere deberem, hic liber gratissimus tum mihi fuit, ipsiusque viam ac methodum omni animi conten tione sequi statui. Lacrymarum donum jam tum a Domino acceperam, atque ipsa lectione multum recreabar : hinc solitudinem subinde ad tempus colere, frequentius Confessionem instituere et hanc ipsam viam ingredi incipiebam, hocce libro loco magistri et directoris utens.

ope bonorum librorum et solitudinis.

B 88 *Ergo Sancta, sicut hic fatetur, jam gaudebat dono lacrymarum, utebaturque duplici ad perfectionem adminiculo, solitudinis scilicet et orationis; infirmior autem erat quam ut multas adhiberet corporis pœnitentias. Incedebat in oratione illa via quam indicabat præfatus liber conscriptus a P. Francisco de Osuna Ord. Min., et Jesum Christum animæ suæ intime præsentem sibi proponebat in aliquo passionis suæ momento constitutum. Intrans cum eo in cubile cordis sui, cæterarum rerum oblita, amanter ac tenere alloquebatur eum conspiciebatque : quod quidem orationis genus a mysticis theologis oratio recollectionis dicitur. Fuit* Teresiæ *solitum orationis principium inspicere in vitam ac virtutes Christi et considerare amorem quo nos prosecutus est : neque enim intellectu discurrere atque operari adeo ex usu ei erat. Hanc ob rem passim bonis libris utebatur; quod sane ad orandum atque in oratione perseverandum magnum adjumentum est, adeoque unum e præcipuis quæ Sancti scriptis suis commendarunt. Adhibuit ergo Deus illum Osunæ librum pro instrumento suæ misericordiæ; ac* Teresia *per ejus doctrinam aliaque quæ a Deo accipiebat adminicula, sic profecit, ut exinde summa Majestas cœperit talibus eam ditare donis, ut post novem menses in hac solitudine trans-*

C *actos ad orationem quietis pervenerit. Quin imo aliquoties ascendit ad altissimum et perfectissimum contemplationis gradum, unionem, inquam, et animæ transformationem in Deum suum, non tamen ea qua postea plenitudine ac perfectione. His gratiis adducebatur ad mundum pedibus calcandum ac tanti quanti valet æstimandum. Miserebatur eorum quos terrena sectari videbat, quamvis in rebus licitis. Nec vero magna res erat mundi vilitatem atque exiguitatem despici ab ea quæ jam inceperat Dei magnitudinem in oratione contemplari. In ea nempe spiritum renovabat ac se ardenti fervidoque amore Sponso suo uniebat. Quanquam autem tantus esset cœli favor, tanta Dei misericordia, tam altum orationis genus quo sponsam suam Dominus sublevabat; adeo tamen continua hæc non erant, ut Deus non privaret illam interdum hujusmodi voluptate, et sua derelictione atque absentia multoties exercitaret. Cum autem illa intellectu discurrere jam non posset, neque interim Dei præsentia esset tam ordinaria quam deinceps fuit, accidebat ut arida ac distracta valde esset. Tum usu veniebant libri : quos ubi legebat, excitabatur illico animus, ac se colligebat in oratione; ubi autem demittebat, illico divagabatur per imaginationem et per varias quæ ei bellum movebant cogitationes.* D

Commercio periclitatur sacerdotis perditi;

89 *Audiamus iterum Sanctam, quæ vitæ suum cursum c.* v *ita prosequitur :* Cum jam tempus, quod apud sororem meam in loco quo dixi expectabam, venisset, ut medico traderer; magna me et pater et soror et amica illa monialis quæ mecum venerat, quæque magno me amore prosequebatur, sollicitudine, uti bene in via haberer et nihil mihi deesset, conduxerunt. Hic animæ meæ quietem interturbare diabolus cœpit, etsi multum inde boni Deus elicuerit. Erat in loco, quem curandi gratia adieram, sacerdos quidam non contemnendis natalibus et ingenio, doctus quoque, sed nonnisi mediocriter. Hunc ergo mihi in confessarium delegi, quia virorum litteratorum semper amans fui, esto multum animæ meæ damni attulerint confessores qui tantum semidocti erant : non enim poteram tam doctos semper reperire ac quidem voluissem. Jam usu ipso didici satius esse, eos, modo boni beneque morati sint, nullas habere litteras, quam non nisi modicas : nam indocti, cum sibi non fidant, necesse habent alios doctiores consulere; neque etiam ego iis fiderem. Vir bene doctus numquam me decepit; neque etiam indocti illi me volebant

E decipere, sed plura non sciebant. . . . Ut ergo huic, quem dico, confiteri cœpi, is mirifice erga me affici incepit; etenim tunc non tam multum habebam quod confiterer atque habui postea, uti nec habueram ab eo tempore quo religiosa fueram. Hujus affectus non erat malus, sed quia nimius erat, hinc in non bonum degeneravit. Is de me persuasum sibi habebat, me nullo omnino pretio quid agere velle quo Deum graviter offenderem; idem quoque de se ipse affirmabat; hinc magnum inter nos esse cœpit commercium : sed ego ita quidem tunc constituta eram in mea conversatione, ut, accedente illa Dei quam habebam familiaritate, nihil mihi esset jucundius quam de rebus divinis loqui. Hinc ille, cum ita juvenem me esse cerneret, non mediocriter confundebatur; adeo ut e nimio illo suo erga me affectu et propensione suam mihi indicare perditionem cœperit, quæ sane parva non erat : nam septem pene annis in periculosissimo statu, ob infame et inhonestum cum quadam loci hujus muliere commercium, hæserat; et in eo statu cum esset, interea tamen celebrare non verebatur.

sed vincit eum,

90 Res erat ita passim nota et celebris, ut et honorem et famam omnem amisisset : nemo tamen F cum hujus rei commonere audebat. Me vero magna ejus cepit miseratio, quia cum maxime diligebam. Hoc quippe ego non parvam levitatem et cæcitatem redolens habebam, quod virtutem quamdam esse censerem gratum esse, et necessario amare me debere eum qui me amore prosequebatur. At maledicta sit illa obligatio, quæ usque ad repugnantiam ejus quod Deo debemus, sese extendit. Est hoc dementia quædam, cujus in mundo usus est, quæ etiam me dementat. Deo quippe debemus omne bonum quod nobis ab hominibus fit; et tamen virtutem esse putamus hanc humanæ amicitiæ legem non violare, tametsi directe Deo adversetur. O intolerabilem mundi cæcitatem! Utinam, Domine, toti mundo ingratissima essem, tibi vero ne vel minimum! Sed propter peccata mea plane contrarium factum est. Exactius ergo e domesticis illius de facti veritate cœpi inquirere; e quibus illius perditionem intellexi, et non tam ipsum in culpa esse ac putabatur : nam scelesta hæc mulierecula imagunculæ cuidam æreæ, quam illum rogaverat ut de collo in sui gratiam gestaret, veneficium incluserat; nemo autem hanc ei tollere hactenus potuerat. Equidem quod de ejusmodi incantationibus

A cantationibus dicitur, non statim mihi verum esse persuadeo; dicam tamen quæ vidi, ut sibi viri ab illarum fœminarum, quæ id genus commercia habere volunt, usu caveant. Sibi persuadeant velim, quod, cum fœminæ (quæ magis semper ad honestatem servandam obligantur quam viri) omnem Dei pudorem amiserint, nequaquam et nulla in re illis possint fidere : nam, ut suam cupiditatem et libidinem, quam cacodæmon illis suggerit, ad effectum cogant et expleant, nihil pensi habent. Esto vero ego scelesta fuerim et improba, numquam tamen simili in genere deliqui, nec umquam ad male faciendum aliquem induxi; nec, siquidem potuissem, voluntatem alicujus violenter, ut me amore prosequeretur, cogere voluissem : nam sua me gratia Deus ab hac re præservavit; sed si me deseruisset, non minus in hoc prolapsa fuissem quam in reliquis deliqui : nam non est quod de me quis fidat.

atque plane convertit.

91 Ut ergo hoc de ipso intellexi, majorem ei amorem cœpi ostendere. Intentio quidem mea bona erat, sed non res ipsa : ut enim bonum aliquod, quantumvis maximum, facerem, ne vel minimum facere malum me oportebat. Ut plurimum cum illo
B de Deo loquebar, et hoc quidem aliquo modo eum juvare debebat; tametsi nihil eum magis juvisse credam, quam quod erga me afficeretur : nam ut mihi gratificaretur, icunculam illam mihi tradidit, quam acceptam statim in profluentem abjici jussi. Hac ablata, quasi qui e profundo somno excitatur, cœpit exacte singulorum quæ annis illis continuo commiserat recordari; unde se ipse obstupescens, suamque perniciem dolenter deplorans, mulierculam illam paulatim repudiare cœpit. Deiparam Virginem hac in re illi subsidio fuisse, satis liquet : nam illius Conceptioni singulari quadam ratione afficiebatur, et, cum festum illius quotannis recurreret, insigni id solemnitate recolebat. Tandem mulierem illam ne videre quidem sustinuit, et aspectu ejus sibi interdixit, Deoque, quod mentem illuminare dignatus esset, gratiis agendis satiari non poterat. Qui deinde evoluto anno, præcise eo ipso die quo eum primum vidi, ex hac vita decessit. Deo jam multum et sedulo servierat : nam insignis ille affectus quo erga me ferebatur, numquam mihi visus est fuisse malus, esto is aliquanto esse purior potuerit. Huc accedit quod etiam peccandi occasiones habuerimus, quæ, nisi Deum maxime
C præ oculis habuissemus, ad graviter contra eum peccandum nos perduxissent; sed ita quidem tunc animata eram, ut numquam aliquid (uti jam dixi) fecissem quod peccatum mortale esse scissem. Et crediderim illum, quod hanc in me cautelam observaret, magis inde ad me amandam permotum fuisse : existimo namque viros omnes magis affectu in eas fœminas ferri quas in virtutem propendere vident; et etiam ad obtinendum id quod in hoc mundo prætendunt, plus illas apud hos per virtutum viam quam vitiorum proficere, uti postea ostendam. Itaque certissime mihi persuadeo illum in via salutis esse. Valde christiane mortuus est, et ab illa peccandi occasione penitus liberatus; et ut hac ratione ad salutem perveniret, Dominus videtur voluisse.

Hic retunditur versio Villeforii, qua venificia videtur negare.

92 *Sanctam non interrupimus, tanta humilitate et eloquentia præbentem nobis in his zeli sui primitiis nobilissimum specimen magnarum earum rerum quas olim patratura erat : ut jure dixeris, ex ungue leonem. Quæ vixdum septennis persuaserat fraterculo Roderico martyrium, abductura eum secum ad communis supplicii locum, et quæ dein alteri fratri animum indiderat ut sæculo renunciaret; jam grandior facta, 21 annorum virgo, audet tentare majora : lascivum nempe sacerdotem Deo lucratur, qui totum jam septennium non sine vulgi scandalo immersus fuerat cœno sacrilegæ impuritatis, maleficioque diabolico mulieri alligatus; atque efficit ut Dei gratia ad mortem usque perseveret in castitate et pietate. At medias has inter res, quæ S. Virgini tanto decori sunt, carpere oportet in Villeforio iniquam versionem hispanicorum aliquot verborum, quæ, gallice vitæ ejus Teresianæ licet obiter inserta, nata sunt labem inspergere famæ illius. Quippe Sanctam tali in re vindicare pluris interest quam emendare chronologiam aut claudam aliquam restituere narrationem facti, in quo læsa forte est historia, sed illæsa Sancta. En eorum verborum contextum :* Ví que el pobre no tenia tanta culpa, porque la desventurada de la muger le tenia puestos hechizos en un idolillo de cobre, que le habia rogado le traxesse por amor della al cuello; y este nadie habia sido poderoso de podersele quitar. Yo no creo es verdad esto de hechizos determinadamente, mas diré esto que yo ví. *Lector præcipue attendat velim ad* yo no creo es verdad esto de hechizos determinadamente; *quod latine sonat :* Non leviter, non indistincte, non sine disquisitione et discretione credo E
ego quæ de sortilegiis sive incantationibus passim narrantur. *Atque eo fere sensu vertunt plurimi quos vidi latine, belgice, anglice, gallice, etc. Sed Villeforius ore rotundo pronunciat :* Thérèse n'ajoutait pas foi à ces sortes de choses : *quæ gallica phrasis, hispanica verba male reddens, innuit* Teresiam *pro more hodiernorum incredulorum omnem magiam pernegasse; ubi e contrario prudens Sancta, conformans se menti theologorum ac ipsius Catholicæ Ecclesiæ, solum dicit diffidenter se excipere singula hujusmodi quæ vulgantur maleficia, minime vero affirmat se, non secus ac magia non extaret, judicare omnem semper eis fidem denegandam esse. Atque hic non tam corrigendus fuit Teresianæ Vitæ male traductus locus, quam vindicandus recte sentiendi ejus modus in re in qua minime recedendum est a spiritu Catholicæ Ecclesiæ. Quippe cum hæc Exorcistarum Ordinem habeat, sinatque exorcismos, ubi de magia episcopis constiterit, adhibere; aperte magiæ maleficia agnoscit. Neque profecto id in quod ipse Deus* (*Deuteron. c.* XVIII, *v.* 10 *et* 11) *vitam interminatur; quod Judæi æque ac Ethnici adstruunt; quod SS. Patres innumeris locis abominati sunt, Conciliaque anathemate confixerunt; quod docti æque ac justi* F
innumeri judices etiam capitali sententia millies puniverunt, prohibueruntque tot leges divinæ et humanæ, ecclesiasticæ et civiles, tribunalia sacra ac profana; non id, inquam, inficiabitur cordatus ullus, nedum S. Teresia, *quæ c.* XXXIII *Vitæ suæ dicit malle se oppetere millies mortem quam vel minimam Ecclesiæ cæremoniam violare.*

Interim Sanctam magis ac magis ægram

93 *At redeamus ad Sanctam nostram, quæ c.* V *ita pergit :* Trimestri in pago illo (*Becedas*) gravissimos sustinui cruciatus : nam acriora et duriora mihi medicamenta adhibebantur, quam mea ferret complexio. Secundo mense medicamentorum acrimonia ac vi pene ad extremum vitæ redacta eram; et cordis deliquium, ad quod tollendum illuc missa fueram, factum erat intensius, adeo ut cor mihi subinde dentibus acutissimis commorderi videretur, ac potissimum vererentur omnes ne morbus in furorem degeneraret. Ob ingentem virium defectum et debilitatem (nihil quippe in stomachum præter liquida et sorbilia demittere poteram, quod omnia sumpta evomerem; nec non febris continua ac quotidianæ purgationes, quia mense prope integro singulis diebus posim me sumere medici jusserant,

AUCTORE V. D. M.

serant, corpus plane exhauserant) ita introrsum arefacta eram, ut jam mihi nervi contrahi incipe-
A rent, tanto quidem cum dolore et cruciatu, ut nullam, tam de die quam de nocte, quietem invenire possem : ad quod etiam profundissima quædam animi accedebat tristitia. Pater ita me constitutam reduxit in locum unde veneram; ubi, cum medici me denuo inviserent, de mea valetudine desperabant; quinimo me, præter eos quos habebam morbos, etiam hectico malo laborare asserebant. Parum aut nihil istud illorum judicium curabam : sed ipsi me dolores vexabant; nam a capite ad pedes usque, ubique æque graves et intensi erant. Et sane, ut ipsimet medici affirmabant, dolores nervorum sunt intolerabiles, idque eo magis quod omnes omnino contraherentur : quod certe, nisi culpis id ipsa meis promerita essem, gravissimum tormentum erat. Non amplius trimestri me in extremo hoc cruciatu fuisse puto : impossibile autem videbatur, tot mala et tormenta junctim me posse ferre.

ingens paroxysmus occupat :

94 Nunc miror, et velut singulare Dei beneficium agnosco, patientiam illam quam illius Majestas mihi elargita est : nam liquide patebat illam non nisi ab illo dari. Ad eam habendam non parum me
B juvit, vitam et historiam Job in S. Gregorii Moralibus descriptam legisse, ut tum per hanc lectionem, tum per orationis studium, cui jam dare me cœperam, prævenisse me Dominus videatur, ad tanta cum voluntatis conformitate cruciatus hosce ferendos. Omnia colloquia mea erant cum illo, et pene semper hæc verba Job : «Si bona suscepimus de » manu Domini, mala quare non suscipiamus?» aut mente revolvebam, aut in ore habebam : hoc enim mihi et animos videbatur addere et robur. Inter hæc occurrit festum Assumptionis B. Virginis (nam catenus jam inde a mense Aprili cruciatus ille durarat, quamquam tribus ultimis mensibus intensior fuit), quo festinavi peccatorum meorum Confessionem instituere; siquidem semper frequentioris Confessionis amantissima fui. Putabant id me præ mortis metu facere; atque ideo parens, ne quam mihi hæc cogitatio aut apprehensio molestiam crearet, Confessionem me instituere non permisit. O superfluum ac nimium carnis et sanguinis amorem! nam tametsi is patris tam catholici, virique adeo prudentis, qualis ipse erat, esset, ita ut ex ignorantia id fecisse dici nequeat, permultum tamen ipse mihi nocere potuisset. Hac ipsa nocte, talis me
C paroxysmus occupavit, ut pene quatriduo me sensus omnis expertem reddiderit : quo durante, Sacramento extremæ Unctionis sum communita, et ad singulas horas aut momenta me spiritum credebant emissuram : hinc fidei Christianæ articuli identidem mihi prælegebantur, perinde ac si quid intellexissem; quin etiam interdum ita me emortuam esse credebant, ut deinde etiam residuæ ceræ guttas in oculis repererim. Torquebat patrem non parum, quod me tunc non permisisset confiteri : hinc plurimas ad Deum pro me preces et pios clamores effundebat. Ille proinde sit benedictus, qui eos exaudire est dignatus. Nam cum jam die et medio sepulchrum in monasterio meo apertum fuisset, meum in horas cadaver monialibus expectantibus, quin imo in alio Ordinis nostri monasterio, quod extra hunc locum est, exequiæ a Fratribus pro me tamquam demortua celebratæ essent, placuit Domino me mihimetipsi ac sensibus restituere.

ex quo evigilans plura præsagit.

95 *Præter hæc quæ Sancta hic refert, memorant Ribera, Yepes aliique visionem ab ea tum habitam et prophetias prolatas. Ut evigilavit, aiunt, querens quod fuisset excitata, protulit se in cœlis fuisse, tartarum quoque vidisse; aliaque plura vaticinata est quæ infra in Ribera (libro* I, *c.* IV) *legi possunt, ubi* D *et suum sanus ille auctor de iis exserit judicium. Rei veritatem confirmat etiam Yepes* (*l.* I, *c.* VI), *dicens ea omnia sibi constare : eventusque, ait, demonstravit illa non fuisse somnia vana aut phantasiæ lusum, sed a Deo venisse. Atque Chronicum* (*l.* I, *c.* XII, *n.* 4) *dicit Sanctam in decursu vitæ suæ hæc eadem aperuisse pluribus e filiabus suis, quæ id in beatificationis processu testatæ sunt. Ribera ægre eam maxime visionem admittit qua Sanctæ prænonstrata fuerunt fundanda a se monasteria; quia postea, erecto jam Abulæ primo monasterio, ignorantia videtur laborasse reliquorum a se erigendorum. Res tamen tota bene explicatur, concilianturque inter se Ribera, Yepes ac cæteri, si dicatur repræsentationem fuisse cœlitus sane ei immissam, quam Sancta norat certo se habuisse, nescia tamen unde illa sibi provenisset; ita ut non mentiretur sive rem referens sive imputans eam morbi delirio, cum humilitas ejus refugeret credere tanta quæ repræsentata sibi fuerant, cœlitus esse revelata, et ad tanta se esse a Deo destinatam. Et ea ratione de eo quatriduo loquens humilis semper Virgo ita ait :* Non usque adeo, si tunc me mori contigisset (ut quidem ipsa arbitror), de salute mea secura certaque fuissem, tum quod confessarii mei parum E litterati essent, tum quod ipsa adeo improba forem. Et sane cum hoc ipsa mecum perpendo, et quomodo me Dominus (ut quidem mihi videtur) velut a morte excitarit, tantus me stupor occupat, ut toto corpore contremiscam. Par et æquum, meo judicio, fuisset te, o anima mea, cogitare quanto e periculo te Dominus eripuisset; et esto ex amore eum non desivisses offendere, ex timore saltem id omisisses, eo quod aliis mille vicibus, cum pejore in statu eras, occidere te potuisset, neque multum me credo de meo adjungere, si bis mille vices dixero, etsi, qui me in peccatis meis referendis moderationem adhibere jussit, me objurgaret : et sane satis illa insignita et illustrata sunt. Quem ex Dei amore rogo, nihil ut de peccatis meis demat; quod hac ratione ipsa Dei magnificentia magis elucescat, et quantum ipse animam aliquam supportet : sit ipse in æternum benedictus; ejusque Majestati ut placeat enixe rogo, ante ut annihiler, quam umquam eum plus amare desinam.

Paroxysmi superioris effectus :

96 Cap. VI. Ex illo quatriduano paroxysmo ita male affecta mansi, ut incomparabiles dolores, quos in me tunc sensi, solus Deus nosse possit. Lingua præ continuo morsu hinc inde læsa erat : fauces, tum quod tanto tempore nihil ciborum transmisissent, tum e continua debilitate, perinde erant ac si suffocarer, ut ne aquam quidem transmittere possem. Omnes quoque ossium compages loco motæ videbantur, ut taceam caput ita turbatum fuisse ut emotæ mentis viderer. Adhæc toto corpore instar glomeris aut pilæ contracta eram, quia in hoc dierum illorum dolor desivit, ut non magis brachium aut pedem aut manum aut caput per me movere possem quam si revera mortua essem, nisi aliis moventibus : unum dumtaxat dextræ manus digitum mihi videbar movere posse : ut etiam quis me contingeret, vix ulla apparebat ratio; ita quippe toto corpore affecta eram, nullius ut contactum ferre possem. Hinc me in quodam linteo, uno unum, altero aliud latus tenente, de loco in locum moveri oportebat. Duravit hoc usque ad Dominicam Palmarum. Hoc porro unum solatii habebam, quod, si me nemo tangeret, dolores sæpe mitigarentur; utque vel modicum quietis mihi darent, subinde me bene habere fingebam, quod vererer ne me patientia deficeret. Hinc summopere gaudebam, cum dolores meos nec tam intensos nec tam continuos esse cernerem,

A cernerem, quamquam vehementi duplicis quartanæ febris, quam maximam et diuturnam habui, frigore accedente, eos etiam paterer intolerabiles, uti et magnam stomachi nauseam : statim ergo ita festinavi ad monasterium meum redire, ut me, ita licet affectam, eo etiam deferri fecerim. Quam igitur mortuam exspectarant, anima tenus dumtaxat moniales receperunt : corpus quippe habebam mortuo deterius, ut horrorem et dolorem videntibus moveret. Cujus summa et extrema debilitas nullis exprimi verbis potest, ut solis constare viderer ossibus.

quos patienter fert,

97 Hoc in statu, plus octo (uti jam dixi) hæsi mensibus; triennio vero prope toto, omni membrorum usu carui, etsi is quotidie magis et magis mihi restitueretur. Ut primum ligneis fulcris niti cœpi, Deo gratias egi. Omnes porro has infirmitates magna cum Dei voluntate conformitate sustinui, quin et, exceptis illis primis, summa animi lætitia. Omnia quippe nonnisi ludus mihi esse videbantur, cum illis collata doloribus quos initio tuleram. In omnibus divinæ me voluntati per omnia conformabam, tametsi me etiam perpetuo hoc in cruciatu agere passus fuisset. Nulla alia de causa, ut mihi videtur, desiderabam sanitati restitui,
B quam ut in solitudine orationi, sicut instructa eram, me darem : nam in valetudinario nulla ad hoc commoditas erat. Frequenter Confessionem instituebam; sæpe item de Deo sermonem miscebam, ita ut omnes domesticas ædificarem, quæ et vicissim patientiam, quam mihi Dominus dabat, obstupescebant : nisi enim eam ipse dedisset, impossibile illis videbatur tantos cruciatus tanta animi hilaritate pati posse. Gratia quoque bene orandi, quam mihi dederat, permagni ad hoc momenti fuit : hæc namque intelligere me faciebat quid esset eum diligere. Etenim intra exiguum illud tempus vidi virtutes illas in me velut innovatas, esto nondum satis validas : quia me in justitiæ statu firmam tenere non potuerunt.

crescente etiam in ea desiderio perfectionis;

98 De nullo male, ne minimum quidem, loquebar, sed ut plurimum omne detractionum et murmurationum genus impediebam : nam valde mihi impresseram, non debere me velle aut dicere de alio quopiam, quod de me alios dicere nollem. Hoc ergo malum imprimis cavebam, quod sæpius detrahendi aliis occasiones occurrerent; tametsi non tam plene ac perfecte, quin subinde, dum mihi se prægnans offerebat occasio, aliqua in re impingerem : sed ordinarie non impingebam; hinc et iis quæ mihi
C serviebant, ac mecum tractabant, idipsum ita persuasi, ut quamdam jam non detrahendi consuetudinem induerint, et eam servarint. Unde factum est ut vulgo scirent omnes, ubicumque præsens ego essem, tutos se a detractoria lingua esse, et ut idem quoque sentirent de iis quæ ad me spectabant, vel ratione amicitiæ vel sanguinis, vel a me docebantur. Quamquam alia multa habeam ob quæ me Deo reddere rationem oportebit, quod in his malo illis exemplo fuerim. Illius Majestas ut mihi ignoscat supplex rogo : multorum namque malorum ego causa fui, etsi non tam prava mea intentio fuerit, ac fuit opus et effectus qui exinde sequebantur. Ingens solitudinis captandæ desiderium mihi mansit; et tam gratum mihi fuit de Deo loqui et tractare, ut, si quem invenirem quocum id facere possem, longe id mihi majorem voluptatem et recreationem afferret, quam omnis conversationis mundanæ civilitas, aut (ut melius dicam) stupiditas. Adhæc gaudebam sæpius solito confiteri et Sacram Communionem recipere, quin etiam id summopere desiderabam : lectio quoque bonorum librorum permultum me delectabat : denique, cum peccando Deum offendissem, mox tanta me ejus capiebat pœnitentia ac dolor, ut meminerim sæpe me non ausam orationem instituere, quod D maximam illam pœnam, quam ex eo offenso sensuram me noram, perinde ac gravem delicti castigationem metuerem. Hicque cruciatus deinde ita mihi increvit et enormis fuit, ut, cui cum comparem, prorsus nesciam. . . . . AUCTORE V. D. M.

adhibetque patronum S. Josephum.

99 Ubi ergo me, et quidem ita juvenem, plane membrorum usu destitutam vidi, simulque recogitare cœpi quam male me medici terrestres habuissent, ad cœlestes statui, quo sanitatem mihi redhiberent, confugere : nam magno sanitatis quocunque modo recuperandæ desiderio tenebar, esto alioquin cruciatus hos magno animi gaudio tolerarem, et subinde apud me cogitarem, si sanitati jam restituta, damnationi æternæ addici deberem, melius longe fore hoc in statu permanere; nihilominus tamen putabam me in sanitate Deo melius et ferventius servire posse. Male ergo facimus, et fallimur, quod in omnibus quæ de nobis Deus statuere vult, nos non resignemus, cum ipse melius novit quam nos quid utilius nobis sit et convenientius. Incepi ergo devotiones aliquas exercere circa Missarum sacrificia, et alias quasdam maxime approbatas circa orationes : numquam enim aliæ illæ mihi devotiones E placuere, quas nonnulli, ac præsertim mulierculæ, certis quibusdam adhibitis cæremoniis, usurpant, quas ferre plane non poteram : quibus tametsi ipsæ ad devotionem excitabantur, tamen postea patuit eas ineptas et parum proprias esse; quia superstitiosæ. In patronum vero et dominum selegi gloriosum virum S. Josephum, ejusque me patrocinio unice commendabam. Liquido deinde perspexi, sanctum hunc Patrem et Dominum meum tam ab hac me necessitate quam aliis majoribus, in quibus de animæ meæ et honore et perditione agebatur, liberasse; idque majori meo bono quam eum rogare potuissem. Non memini me aliquid ab eo hactenus petiisse, cujus me compotem non reddiderit.

Enodantur quædam tricæ chronologicæ;

100 *Antequam finem huic paragrapho imponam, congruit exhibere chronologicum schema quadriennii quod præsens paragraphus comprehendit : nam et hic in quibusdam dissentiunt auctores. En qui, attente collatis et perpensis tum* Teresiæ *tum Yepesii textibus, ordinanda spatia censeam Sanctæ tunc temporis sive itinerum sive morborum. Elapso recens anno ab ejus in monasterium ingressu, solemnia vota professa est anno* 1534, III *Novembris* (*non* III *Decembris, ut mendose scribit Helyot*). *Anno* 1535, *incipiente, ut Sancta dicit c.* IV, *hyeme, v. g. Novembri, ægra se secundo ad sororem contulit in Castellanos de la Cañada. Boucher* (*p.* 38 *et* 42) *tenet eam abiisse anno* 1534, *votis vixdum emissis. Sed cum nil obstet sive in vita autographa sive in Ribera vel Yepes, quominus Chronicum sequar reliquosque fere omnes hodiernos, judico rusticationem eam in annum sequentem, id est* 1535, *quando biennium in monasterio traduxerat, rejiciendam esse : atque id quidem eo magis quod Sancta c.* VIII *Vitæ suæ numeret* 28 *annos ab incepta oratione. Atque his demptis ab anno* 1563 *quo eam vitæ partem videtur secundo scripsisse, habemus annum* 1535, *quo apud patruum orare didicit. In domo sororis suæ moras traxit usque ad vernum anni* 1536. *Dein ivit Becedas seu Bezadas, in quo curationis loco, quem melius supplicii theatrum dixeris, trimestrem carnificinam subiit. Mense Julio, ut videtur, reportata fuit ad domum paternam, ubi spasmo quodam immani et in quatriduum protracto correpta est, effosso jam in monasterio sepulcro, et expectato in Incarnationis claustro cadavere, imo, ut P. Joannes a Jesu Maria et Chronicum inquiunt, aliquot e monialibus jamjam domum emortuæ, ut putabant,*

AUCTORE V. D. M.

A *sodalis suæ gressis ad cadaver extrahendum aut saltem feretrum comitandum. Verum experrecta* Teresia *est, atque, dolores acerrimos exantlans, in paternis ædibus permansit usque ad anni* 1537 *Dominicam Palmarum. Nec solum* Teresia *innuit, sed et Ribera ac P. Joannes a Jesu Maria apertis verbis dicunt, eam tamdiu apud patrem moratam; quare linquendos hic censeo auctorem Chronici, P. Fredericum a S. Ant. aliosque, qui eam in monasterium revertisse scribunt paulo post paroxysmum.*

et magis exponitur enormitas morbi ejus.

101 *Porro, cum Sancta scribat illum extremæ debilitatis tormentorumque statum durasse octo menses, videtur, ut paschali tempore* 1537 *rediit in monasterium, paulatim convaluisse. Attamen paralysis, sicut ipsa dicit, tres ferme annos duravit, id est, ut autumo, a medio anno* 1536 *ad medium annum* 1539, *quando ope S. Josephi sanatam se fatetur, annum cum jam superabat ætatis vigesimumquartum, et Religionis agebat sextum. Neque hic contrarius mihi est Yepes, ad finem capitis sexti dicens eam attigisse annos* 23 *ætatis et* 5 *Religionis; nam distincte non scribit Sanctam, quando eos attigerat annos, attigisse et finem ægritudinis, sed vage tantum dicit eam id*

B *ætatis fuisse, cum ad magnam jam patientiam sensumque gratitudinis pervenerat. Abstinebo tamen variis allegandis argumentis ad tuendam hanc quam profero sententiam et ad ostendendum Yepesium (in fine c.* VI) *mihi non contradicere; nam non vacat ut minoribus his tricis chronologicis longa disputatione immorer. Similiter post longum hunc de junioris* Teresiæ *morbis sermonem, quem totum fere ex ipsa ejus vita hausi, supervacaneum judico, non dico refutare, sed vel referre id quod P. Fredericus a S. Ant. in Præfatione pag.* XLIV *citat ex Discursu trigesimotertio J. B. Campadelli, sacerdotis Patavini, qui ex sua, ut videtur, depromit penu commentitios S.* Teresiæ *morbos et adhibita toto octennio remedia. Satius judico hic adferre quædam e P. Elia a S. Teresia in Præfatione operis sui quod nuncupavit :* Legatio Ecclesiæ triumphantis ad militantem pro liberandis purgatorio animabus, *ubi inter alia dicit :* S. M. Teresia (Vitæ suæ capite VI) refert miraculose sanatam se a vehementissimis ac periculosissimis morbis quibus annis tribus cum dimidio divexata atque a medicis desperata jacuerat. Erant hi non tantum gravissimi, sed et plurimi, utpote quorum novem aut decem per se singuli sufficerent ut ei mortem

C adferrent. *Occasione recuperatæ valetudinis Sancta inclytum effundit encomium S. Josephi c.* VI *Vitæ suæ.*

§ VII. Quid Sanctæ evenerit a recuperata miraculose sanitate usque ad pleniorem ejus ad Deum conversionem, sive ab anno 1539 ad annum 1555. Plurium rerum, pro illo temporis spatio, figitur chronologia.

Subsequentium 18 *annorum vitæ ejus compendium exhibetur :*

P*ost annorum igitur trium excursum, ope S. Josephi a membrorum contractione soluta, cœpit* Teresia *incedere, anno ut supputavimus* 1539, *quando aliquot supra* 24 *annos ætas ejus attigerat menses. Uno conspectu nunc* 16 *annorum examinabo spatium, id est ad initium usque anni* 1555, *et proin ad ætatis* D *ejus quadragesimum. Hæc eo tempore inter alia occurrunt : intepescens ex conversatione cum profanis hominibus* Teresiæ *fervor, et omissio orationis mentalis : pater, suæ filiæ discipulus, ad usum sublimioris orationis magnamque sanctitatem evectus, atque adjutus ab illa in lethali suo morbo, piaque ejus mors : reversa quidem Sancta, consilio P. Vincentii Varonii, cujus ductui moriente patre se crediderat, ad exercitium orationis mentalis; sed distracta adhuc anima ejus et quodammodo in contrarias partes divulsa, sive quando ad vestibuli cancellos, cum sæcularibus tempus terens, neglecti Dei queribundam intra se vocem inaudiebat, sive quando in oratorio cum Deo agentis mens et cor ad profanas confabulationes et affectiones aberrabant; unde ariditas luctaque interior : nec correcta* Teresia *monitis probæ consodalis, nec victa visu Christi severa facie negatam sibi cordis integritatem exprobrantis, repræsentantisque immensos suos dolores ac discerptas in flagellatione carnes, nec revulsa ab iis congressibus visu monstrificæ bestiæ hos interturbantis : ita claudicans in duas partes septemdecim et amplius annis, donec imaginem, quam in oratorio suo habebat, Christi patientis vul-*

E *neribusque confossi aspiciendo emota (quod piarum imaginum vim ostendit), ferventissime Deum deprecata fuerit, ut totam se uni illi devinctam admitteret : Deo jam devota ex integro, solidataque in proposito lectis S. Augustini Confessionibus, ex quo supernis deliciis perfundi cœpit, recta spiritualium virorum ductu : ac tunc, ut ipsa loquitur c.* XXIII, *nova prorsusque alia cœpit vita :* quam enim, *ait*, catenus vixeram, mea erat vita; quam vero vixi exinde, vita fuit, ut mihi quidem videbatur, quam in me Deus vivebat. *Quæ felix commutatio materia erit sequentium paragraphorum.*

quod ipsa amplius enarrat. Intermittit orationem.

103 *Sinam iterum S. Virginem incomparabili humilitate et eloquentia ea evolvere, addens quasdam tantum commentationes, tum majoris dilucidationis gratia, tum ad vindicandam* Teresiam *ab exaggeratis male a quibusdam scriptoribus defectibus, tum denique ut, meliore quo potuerit modo, figatur chronologia, in qua Sanctæ biographi, præfatam factorum seriem plus minusve intervertentes, inter se, et aliquando a se ipsis, dissentiunt. Ergo Sancta, tempus miraculosam suam sanationem secutum percurrens, ita capite* VII *fatur :* Incepi itaque, ex una recreatione in aliam, ex una vanitate in aliam, ex una occasione in aliam prolabens, ita me in præsentis- F simas peccandi occasiones intricare, et anima mea multarum vanitatum illecebris ita se implicare, ut jam me puderet per adeo singulare amicitiæ genus (uti est, per orationem cum eo loqui) ad Deum reverti et revolare. Nihil vero ad hoc magis me juvit, quam quod, sicuti peccata mea increscebant, ita me gustus spiritualis, et ea quam e rebus piis ac virtuosis capere solebam, voluptas deficere inciperet. Videbam clarissime, Domine mi, ideo hanc mihi deficere, quod ego meis erga te partibus deessem. Hæc omnium quibus me diabolus circumvenire poterat fraudum fuit nocentissima, idque sub specie quadam humilitatis; quod scilicet, cum me ita desperatam ac perditam viderem, inceperim timere orationi me dare : multoque mihi videbatur satius communem multorum in mundo vivendi rationem imitari, eique me conformare (eo quod inter malos essem pessima) ac legere illa ad quæ ex Ordinis præscripto obligabar, et quidem vocaliter, quam mentalem orationem instituere tantumque Dei commercium frequentare; quippe quæ cum dæmoniis conversationem habere digna eram, atque adeo hominibus qui me noverant imponebam, eo quod

A quod exterius tantum probitatis et pietatis speciem præferrem.

Perosa licet hypocrisim, bona usque æstimatur.

104 Nec tamen locus et domus in qua agebam culpanda sunt : curabam namque (quæ mea et industria et calliditas) ut omnes bonam de me opinionem haberent; quamquam id non expresse et data opera, pietatem scilicet ex professo mentiendo. Nam, quantum ad hypocrisim et vanam gloriam, numquam me, quod quidem sciam, in Deum (illi laus sit) memini offendisse : quippe ad primum vanæ gloriæ motum et suggestionem tantam in me sentiebam molestiam et aversionem, ut et dæmon non sine jactura discederet, ego vero inde lucrum aliquod facerem; proinde non nisi rarissime hoc in genere me tentavit. Si illi Deus permisisset ut hac in re tam graviter me tentaret ac in aliis rebus tentavit, fors non minus in eo cecidissem; sed ipsius me Majestas hactenus quoad hoc tutata est et indemnem præstitit : unde sit in æternum benedictus. Imo vero non parum me cruciabat quod vulgo bonam de me opinionem haberent, ut quæ cordis mei intima pernossem. Quod autem non ita improba vulgo haberer, inde fiebat quod me ita juvenem, et in tot peccandi occasionibus constitutam, vide-
B rent sæpe reliquarum commercia declinare, quo intra solitudinem me abdens orarem, multa legere, ac de Deo frequenter agere; quod item viderent me curare ut multis in locis illius imago depingeretur, oratorium secretum habere, inque illo ea habere satagere quæ devotionem provocarent; quod denique famæ nullius detrahentem me audirent; et alia id genus, quæ virtutis quamdam haberent speciem : interim tamen (quæ mea vanitas) iis in rebus meipsam noveram magni facere, quæ in mundo magni fieri solent.

Dolet quod in monasterio clauso non vixerit.

105 Hinc fiebat ut tanta, quin et major mihi concederetur libertas quam aliis maxime veteranis, multumque mihi confiderent. Ut autem talem libertatem sponte et ultro mihi assumerem, aut aliquid sine licentia facerem, nimirum per clancularia quædam foramina vel parietes, vel etiam de nocte cum aliquo loquerer, numquam adduci potuissem (uti mihi videtur) ut illud in monasterio facerem, neque etiam sic umquam locuta sum : nam sua manu me Dominus a lapsu hoc præservavit. Quod autem prudenter ac mature multa mecum expenderem, pessime sane mihi factum videbatur, mea unius improbitate tot sanctarum monialium ho-
C norem in aliquod discrimen vocari; quasi reliqua, quæ faciebam, bona fuissent : ut verum fatear, malum quod faciebam, esto magnum id esset, non tanta tamen fiebat cum advertentia, nec tanta erat malitia quanta fuisset hoc. Hac de causa permultum mihi censeo nocuisse quod in clauso monasterio non essem : quia libertas, qua, quæ bonæ erant, bene ac jure uti poterant (quia ad amplius obligatæ non erant, eo quod claustrum Deo non promisissent), me, quæ improba sum, haud dubie ad infernum pertraxisset, nisi tot remediis ac rationibus Dominus e singularissima gratia sua hoc me periculo eripuisset. Inter quæ longe maximum mihi videtur esse monasterium mulierum gaudens libertate, adeo ut, quod hujusmodi est, iis quæ malæ esse volent, via potius esse videatur ad inferos recta deducens, quam aliquod infirmitatibus quas habent curandis remedium. Nolim autem hoc de meo monasterio dictum intelligi : quia tot in eo sunt sorores quæ sincerissime summaque cum perfectione Domino deserviunt, ut non possit Majestas ejus, pro sua bonitate et misericordia, sua ipsis gratia non adesse; ut ipsum non sit inter cœnobia quæ maxime libera sunt numerandum, utpote in quo omnis religiosa disciplina exactissime servatur : sed de aliis loquor cœnobiis, quæ et novi et vidi. Quo- AUCTORE V. D. M.
D rum incolas non inscite cum miserandis hæreticis comparare posse videor, in quantum hi seipsos excæcare volunt, et aliis persuadere bonum id esse quod ipsi sectantur, et ipsum etiam credunt, ut tamen non credant : quia intra semetipsos habent aliquem, qui identidem suggerat, et aggerat, hoc ipsum malum esse.

Deus conatur eam absterrere a vana familiaritate, immisso uno

106 Ut ergo familiaritates has mundanas frequentare cœpi, non existimabam tale inde animam meam (quod viderem eas vulgo ab aliis usurpari) detrimentum et distractionem passuram, quale postea ab iisdem provenire solere intellexi. Putabam rem adeo obviam et communem (qualis est frequens illa amicorum visitatio, quæ in multis monasteriis locum habet) mihi non plus allaturam damni quam aliis, quas videbam esse bonas; et non advertebam eas multo me meliores esse, et quod mihi periculosum fuit et damno, id aliis posse ita damnosum non esse : quia non dubito quin saltem aliquod in eo malum situm sit, esto aliud id non foret quam quod tempus hoc modo inutiliter ac male impendatur. Cum mihi cujusdam personæ commercium placeret, voluit Dominus mihi, jam inde a principio E
quo eam nosse et tractare cœpi, significare ac velut præmonere, id genus amicitias mihi non expedire, tantaque in caligine aliquod mihi lumen dare. Unde Christus Dominus se tunc mihi visendum multo cum rigore et severitate objecit, significans mihi quidnam hac in re sibi displiceret. Animæ oculis clarius eum et intimius vidi quam corporeis videre potuissem; itaque mihi illius figura impressa mansit, ut, esto jam viginti sex anni ab hac visione præterierint, eum tamen etiam nunc præsentem habere me credam. Valde autem ex hac visione perculsa et conturbata mansi, atque personam illam, cum qua familiarius egeram, exinde amplius videre nolui.

et altero visu;

107 Multum vero hic mihi nocuit, quod nescirem fieri posse ut quid aliter quam oculis corporeis videatur; diabolo impellente me scilicet, ut id ita se habere crederem, mihique persuaderem prorsus id fieri non posse, meque in visione illa deceptam fuisse, neve a Deo illam venisse, et fortasse cacodæmonem ipsum mihi apparuisse, et alia ejusmodi. Semper quidem visum mihi fuit, et impressum mansit, id a Deo, non vero imaginarium aliquod spectrum fuisse; sed quia illa reprehensio mihi displicebat, hinc memetipsam mendacii arguebam : F
et, quoniam hanc visionem nulli aperire audebam, ac denuo magna cum importunitate a nonnullis ad idem commercium invitabar, asserentibus nullum in eo esse malum, quod cum tali persona agerem, adeoque me nullam isthoc commercio honoris jacturam facere, ut eum etiam illustriorem facerem; ad eamdem cum ipsa familiaritatem, et postea in alias cum aliis devoluta sum, quia permultos annos pestilentem hanc conversationum delectationem sum secuta, quam, quia adeo profunde in ea hærebam, non tam mihi damnosam esse credebam ac revera erat, tametsi interdum manifeste viderem eam minime bonam esse. Ac nullius mihi notitia tot distractionum causa fuit, sicut illius personæ quam dixi, quod eam peculiari affectu prosequerer. Cum alio quodam tempore cum hac ipsa loquerer, vidimus (uti et aliæ personæ, quæ præsentes aderant, viderunt) aliquid ingentis bufonis formam habens, versus nos contendere, idque majore quadam celeritate quam bufones proserpere solent. Non possum intelligere quomodo talis bestia in illo loco, e quo procurrebat, reperiri posset, idque in meridie, cum numquam tale quid illic visum fuerit; et pro ea

quam

AUCTORE V. D. M.

quam in me fecit operatione, mysterio id minime videtur caruisse, unde nec ejus unquam me cepit oblivio. Quanta me, o immensa Dei magnitudo, sollicitudine et pietate diversimode commonebas! Quam vero parum ipsa inde profeci!

sed incassum.

108 Habebam illic inter moniales quamdam consanguineam meam, senio quidem gravem, sed ferventem Dei ancillam, magnæque religionis. Hæc etiam non raro me admonebat; ego vero non tantum ei non credebam, sed etiam succensebam indignans, putabamque illam sine ulla causa scandalizari. Idcirco autem hæc de me referre volui, ut hinc mea malitia, inde vero mira Dei bonitas innotescat, et quot ipsa nominibus gehennam, propter tam intolerabilem ingratitudinem, promeruerim; tum etiam, ut, si forte Dominus ita disposuerit et velit, ut aliquæ moniales post futuris temporibus scriptum hoc legant, periculo ipsæ meo cautiores fiant: quas ego ex amore Dei rogatas volo ut id genus recreationes remis velisque fugiant. Divina ejus Majestas faxit ut de numero illarum quas errare feci, aliqua in viam salutis opella mea revocetur; dicendo namque id malum non esse, et tanto ipsas in periculo per meam cæcitatem certas et securas reddendo (nam ex professo et data opera eas decipere noluissem), simul et malo quod iis dedi exemplo (uti jam dixi) plurimorum malorum causa fui, esto tantum in hoc me malum facere non crederem.

Interea pater ejus, quem ipsa ad orationem adduxerat,

109 Cum primis illis diebus ægrotarem, ante scilicet quam me ipsa juvare possem, ardenti quodam aliorum ad salutem juvandorum desiderio tenebar; quæ ordinaria primum incipientium tentatio est, tametsi mihi eadem bene successerit: quod enim patrem meum maxime diligerem, simile ei optabam bonum quod mihi ipsa habere videbar, orationis scilicet donum: nam nullum eo, in hac quidem vita, videbatur mihi haberi posse melius; adeo ut per anfractus, et velut de longe, pro eo ac potui, eum inducere conata sim ut ei se daret. Hinc dedi ei libros de orandi modo tractantes, et quod esset vir probus (uti jam supra dixi), ita hoc orationis exercitium illi placuit, ut quinque vel sex annorum circiter spatio tantos in eo fecerit profectus, ut et Deum summopere propterea laudaverim, et maximæ id mihi esset consolationi. Magnas is passus est adversitates et molestias, et quidem omnigenas; in omnibus tamen magna se voluntatis suæ in divinam resignatione gessit. Sæpius visitatum me venit, quod de rebus divinis colloquia magnam ei voluptatem afferrent. Postea vero, cum distractionibus ita locum dedissem, et orationem intermisissem, viderem porro illum existimare esse me eamdem quæ solebam, continere me ipsa non potui, quin veritatem ei aperirem: anno namque toto et amplius orationem intermisi, majoris hoc humilitatis esse opinata. Et hæc (uti postea commemorabo) omnium quas habui tentationum maxima fuit: hac quippe actione in totalem ruinam, ac perditionem tendebam: nam per orationis exercitium, si forte hoc die Deum offendissem, sequentibus denuo me recolligebam, peccandique occasiones magis ac magis evitare studebam.

et qui omissam dein ab ea orationem valetudini ejus imputarat,

110 Cum ergo vir bonus hac cum persuasione me visitaret, ferre non poteram illum ita graviter circa me decipi et falli, putando me pro eo ac solebam adhuc orationi vacare; hinc illi aperui me non amplius ei, prout consueveram, incumbere: esto veram ejus rei causam non declararem; continuis infirmitatibus meis fieri dicens, quo minus ei me dare possem. Nam licet a magna illa, quam ante dixi, infirmitate sanata essem, semper tamen hactenus cum magnis infirmitatibus sum conflictata, et etiamnum conflictor; tametsi ab hinc pauco tempore illarum se rigor nonnihil intermiserit, penitus tamen omnimodis me non deserunt. Imprimis namque viginti ipsis annis, quotidie mane obnoxia fui vomitui, adeo ut nihil ciborum usque ad meridiem, subinde etiam serius, possem sumere, verum ex quo jam frequentius sacram adire Communionem cœpi, jam non nisi circa vesperam, antequam cubitum concedam, vomitiones illæ redeunt, et quidem majori cum dolore: nam pennis aliisque id genus rebus eas me provocare oportet: si enim eas contineo, malum quod sentio maximum est. Et sane, numquam fere (ut mihi quidem videtur) sine multis sum doloribus et cruciatibus, qui et aliquando etiam gravissimi sunt, ac præsertim circa cor: licet deliquium illud, quod mihi esse solebat continuum et pene ordinarium, jam valde se intermiserit; magna quoque illa paralysis, febres, aliaque morborum genera, quibus esse solebam obnoxia, jam rarius me impetant, et sæpe ab iis exempta sim. Jam octo continuo annis, hisce morbis laboravi; quos jam tam parvi facio, ut sæpe etiam iis gaudeam, propterea quod in hoc sibi Deus aliquo modo complacere videatur. Pater ergo hanc intermissæ orationis causam esse credidit, ratus me, sicut ipse ab omni erat mendacio alienus ac sincerus, mentiri sibi, pro eo quod illi debebam et cum eo tractabam, non debere. Addebam, quo melius id crederet (videbam namque me quoad hanc negligentiam nullatenus posse excusari), satis me facere, quod choro servire possem. Quamquam nec hoc ipsum sufficiens causa erat ad quidpiam omittendum, quod ad orationem peragendam non robore corporali, sed amore et consuetudine sola opus est: semper namque opportunitatem nobis ad eam Dominus offert, si modo velimus. . . . . .

morbo corripitur,

111 Porro pater ob bonam quam de me habebat opinionem, et ob amorem quo me prosequebatur, in omnibus mihi credebat, quinimo mihi compatiebatur; sed quod jam tum in adeo eminentem perfectionis gradum pervenisset, exinde tam diu apud me non hæsit, sed simul ac me vidisset, inde abiit, tempus vanis hisce colloquiis inutiliter perdi dicens; sed quod ego ipsum aliis vanitatibus impenderem, parum id curabam. Nec vero soli patri, verum et aliis suasi, ut orationis exercitium frequentarent, etiam eo tempore quo vanitates prædictas sectabar: et, quod eos oratione vocali delectari viderem, docebam ipsos quomodo meditationem instituere possent (et sane non sine profectu), et hanc in rem illis libros necessarios suppeditabam; nam hoc desiderium, ut scilicet etiam alii Deo famularentur, semper mihi mansit jam inde ab eo tempore quo exercere orationem cœpi, sicut ante dictum est. Videbar quippe, cum ipsa ita Deo non servirem uti me debere servire intelligebam, saltem procurare debere, ne pessum iret id quod divina ipsius Majestas me docuerat, atque alii meo loco illi servirent. Hoc eo dico, ut ingens illa in qua versabar cæcitas appareat, dum me ipsam in interitum ruere sino, et alios lucrifacere studeo. Circa hæc tempora parens meus illo correptus est morbo e quo demortuus est; diebus aliquot hic duravit. Unde ipsa ad ei serviendum necessariaque præstanda abii, sed quæ magis anima laborabam, quam ipse corpore, utpote plurimis vanitatibus implicita; ita tamen ut, quantum intelligere poteram, toto illo tempore, quo maxime perdita eram (de quo loquor), in peccati mortalis statu non fuerim; nam si qua in re id me admissuram fuisse scivissem, quamprimum ab ea me subduxissem. Magnas in ejus morbo passa sum molestias: aliquatenus illi rependisse videor

videor illas quas ipse, me ægrotante, subierat; ac, licet alioquin ipsa satis debilis essem, sedulo tamen ei ministravi; et quamvis, ipso ablato, exinde omne mihi bonum et solamen auferendum esset, (nam continuo et ubique mihi consolationi erat), tam parum tamen me morbo ejus commoveri et dolere ostendi (ne quam ei molestiam adderem, et donec moreretur ei adessem) ac si nihil penitus sensissem, cum tamen, dum eum exspirantem viderem, animam mihi violenter e corpore avelli et extrahi putarem, quod eum multum diligerem.

ac, præscius mortis, piissime

112 Erat sane mors quam obivit, ardensque moriendi quod habebat desiderium, insignis quædam Dei laudandi occasio, uti etiam fuit, salutaria illa quæ nobis, postquam jam extremæ inunctionis Sacramento munitus esset, dabat, audire consilia. Inter alia nobis injungebat ut eum jam vita functum Deo per preces commendaremus, divinam ipsi misericordiam deposceremus, semper Deo serviremus, denique consideraremus cuncta quæ in mundo sunt, momentanea esse et pertransire : simulque nobis multis cum lacrymis, ingentem quem sentiebat dolorem, eo quod illi non prout oportebat servisset, testabatur : volebatque fuisse religiosus et quidem ex iis qui strictissimum vitæ genus profitentur. Velut certum et indubitatum habeo, Dominum ei quindecim antequam exspiraret diebus præsignificasse, ipsum brevi demoriturum esse : nam, licet ante satis mala esset valetudine, et ægerrime valeret, morbum tamen eum mortalem esse non credebat; verum a quinto decimo illo die, esto etiam paulo meliuscule se haberet, et idipsum quoque medici assererent, eorum judicium nihil moratus, animæ suæ prospectum ante omnia cupiebat, deque ejus bono statu omnis sua cura erat. Præcipuus ejus morbus fuit gravissimus scapularum dolor, qui numquam cum desrebat, et per intervalla ita eum torquebat ut intensissimos cruciatus sentiret. Unde ipsa ei suasi, ut, quoniam mysterium bajulationis Crucis Domini magno animi sensu semper recoluisset, cogitaret ipsius Majestatem jam velle ut aliquid ejus doloris sentiret, quem ipse in Cruce humeris bajulanda olim sensisset. Quæ cum verba ita consolabantur ut numquam exinde amplius eum de dolore conquerentem audisse videar.

vita defungitur.

113 Tribus continuis diebus omnis expers sensus fuit : sed eo quo defunctus est die ita sensibus omnibus redditus est ut omnes miraremur, quorum usum habuit integrum, donec in media symboli Apostolici recitatione, quod ipsemet clare decurrebat, spiritum reddidit. Jam defuncti facies angelica quadam specie resplenduit, et revera Angelus quidam, ut ita dicam, mihi fuisse visus est, si animam ejusque dispositionem intuemur. Nescio quem in finem hæc retulerim; nisi fortasse, ut meas ipsa nequitias hinc magis sugillem : nam visa tam sancta morte, et tam pia intellecta vita, meam me, quo talem parentem aliquatenus imitando referrem, in melius commutare oportuisset. Confessarius ipsius, vir sane egregie doctus, ex ordine Divi Dominici, non dubitare se aiebat, quin recta cœlos anima ejus peteret, quod jam ab hinc annis aliquot ei a confessionibus fuisset, et insignem conscientiæ ejus puritatem commendabat. Idem Dominicanus, qui vir apprime bonus erat ac Deum timens, mihi non mediocriter profuit (quod ei confiterer), et animam meam serio juvare, et quo in periculo perditionis versarer, mihi aperire propositum habuit. Jussit hic ut singulis quatuordecim diebus sacram Eucharistiæ mensam adirem, et paulatim magis et magis cum eo de rebus meis agere incipiens, tandem de meo orandi modo cum eo locuta sum.

AUCTORE V. D. M.

Ea occasione S. Virgo resumit orandi usum.

114 Suasit ergo ut illam neutiquam intermitterem, quod per illam non possem non proficere. Illam itaque reassumere incepi, non tamen vanitatum occasiones penitus præscindere; unde exinde numquam eam amplius intermisi. Maxime laboriosam et pœnosam tunc vitam vixi : nam in oratione defectus meos et apertius et liquidius perspiciebam. Ex una quippe parte me vocitabat Deus, et ex altera mundum ego sequebar. Quidquid erat Dei et Divinum, magnæ quidem mihi voluptati erat; sed quæ mundi erant, arcte me colligatam tenebant. Videbar scilicet duo hæc adeo ab invicem dissona et inimica, vitam videlicet spiritualem, ac delectationes, consolationes et recreationes sensuales, ad quamdam velle concordiam redigere, et mutuo reconciliare. In oratione summas passa sum molestias et difficultates : spiritus quippe non dominus erat, sed mancipium; unde fiebat ut me intra memetipsam recolligere ac recludere non possem (qui tamen erat orandi modus quem practicare solebam) quin simul mille intra me vanitates concluderem. Per multos annos sic in oratione feci, ut modo mirer quomodo id anima alicujus ferre potuerit, ita ut alterutrum horum extremorum non deseruerit. Scio in manu et potestate mea tum non fuisse orationem penitus intermittere, quod, qui me amabat, quo majores mihi adhuc gratias conferret, sua me manu teneret.

Quæritur quandonam Christus ei severo vultu apparuerit

115 *Eatenus Sancta. Post longum hunc ejus sermonem, straturus ante omnia hoc commentationis loco fundamentum Teresianæ chronologiæ pro sexdecim his annis, necesse habeo præmittere quandonam Sancta mihi videatur scripsisse Vitam suam. Scripsit autem bis : nempe prius, e jusso sibi anno* 1561 *dato, quam scriptionem finiit mense Junio* 1562; *posterius vero, anno* 1563 *vel* 1564, *aut, si ob multas in recens inchoato conventu occupationes ei adhuc continuandum fuerit anno* 1565, *saltem caput* XXXVII *absolverat ante* XXVIII *Martii illius anni, cum ad illius capitis finem dicat se nondum quinquaginta annos habere. Plura de hoc vide eo* § *quo speciatim agam de libro Vitæ a S. Matre conscriptæ. Interim ad annum* 1563 *referri posse videtur scriptio locorum quæ e Vita Teresiana hic citavi, cum spectent ad priorem partem libri, cujus scribendi initium obedientissima Virgo non diu certe procrastinavit post jussum sibi anno* 1562 *datum. Hoc præmisso, tempus figi potest quo pleræque* Teresiæ *res horum annorum spatio evenerint. Atque imprimis conjici datur eam jam anno* 1537, *vixdum in monasterium e domo paterna reportatam, colloquiis cum visentibus se sæcularibus nimis indulsisse. Capite enim septimo dicit se a plus quam* 26 *annis visionem habuisse, qua a Christo severo vultu increpabatur profanæ hujusmodi amicitiæ : quæ visio proin incidit in annum* 1537, *cujus vere, juxta sententiam quam supra amplexus sum, in monasterium paralytica revecta fuit. Ipsaque Sancta, de hoc ægritudinis tempore c.* VII *agens, virtuti et orationi licet studeret, dolet confessarios non jam tum penitus amovisse istarum conversationum pericula quibus ipsa se objiciebat. Quamobrem nec recurrendum esse judico, prout recurrit P. Fredericus a S. Ant.* (*l.* I, *c.* IX) *ad mendum quo positus esset annorum numerus* 26, *loco* 20, *nec ad memoriæ lapsum in* Teresia, *quod verisimile dicit Chronici auctor, qui visionem eam annectit anno* 1542. *Fateor quidem Sanctam in diebus, mensibus ac ipsis etiam annis ponendis nonnumquam hæsitare, imo etiam errare subinde; ast nimius, quam ut probabilis videatur, hic lapsæ memoriæ*

AUCTORE V. D. M.

A *moriæ esset hiatus, annorum nempe quinque vel sex. Unum fortassis aliquantulum obstaret sententiæ quam tueor, scilicet quod Yepes, auctor Chronici aliique recentiores hanc rigidi a Christo objecti vultus visionem dicant contigisse ad claustri cancellos in loco qui vulgo locutorium dicitur, quo Virgo capta omnibus membris repere non valuit : confundunt enim hanc visionem cum altera, in qua laniatum vidit Salvatorem, cui pendulum erat sub discerpto brachio frustum carnis. Verum dubitat Ribera, unane sit an duplex visio, nec diffiteor me propensum ad eas cum Helyot aliisque distinguendas, cum obvius narratæ a* Teresia *prioris visionis sensus non ita quadret alteri visioni, siquidem illa plus rigoris præ se ferat, hæc plus doloris et amicabilis questus.*

ad cancellos, quietiam nunc existunt, appensa in iis visionis hujus pictura.

116 *Jam Jesu Christi severiore vultu apparitionem, quam Sancta cap.* VII *Vitæ suæ refert, repræsentatam intueri poteris in incisa æri tabula, quæ postea dabitur. Hanc visionem nuperrime delineavit D. Robustianus Boada ex pictura quæ pendet in illo ipso quod* Teresiæ *tempore extitit locutorio, et in quo etiam locutorio, cum priore visione non emendaretur, postea vidit monstrum quoddam,*

B *ingentis bufonis formam habens. Ecce quæ sub exarata illic pictura contracte leguntur hispanice, et quæ latine etiam versa exhibeo :* Estando nuestra Santa Madre Teresa de Jesus en el principio de su vida en visita con una persona de las prendas que dice la Santa, se la representó Cristo con mucho rigor en la forma que se vé, dandola a entender lo que de aquella no se agradaba ; y aunque la Santa se turbó mucho, la pareció, como su intencion no era de ofender á Dios, seria antojo ; y el demonio, que dice se lo hacia creer asi : con que perseverando en ver la misma persona, vió en este locutorio, otro dia volviendola avisar, esta sabandija, como lo dice la Santa en el capitulo VII de su Vida. Cum nostra S. M. Teresia a Jesu, initio vitæ suæ (*religiosæ*), viseretur a persona qualitatibus gratiosis quarum meminit prædita, Jesus Christus ei magno cum rigore, eo vultu qualis hic videtur, sese obtulit, significans ei id minime sibi placere : et Sancta, tametsi multum turbaretur, quia mens ei non erat ut Deum offenderet, phantasiæ ludum id æstimabat ; dicitque dæmonem ei persuasisse ut id ita judicaret. Ut autem pergebat in excipienda visitatione illius personæ, alia die, pro novo monito, vidit bufonem

C illum, sicut Sancta capite VII Vitæ suæ enarrat.

Speciatim, quod attinet neglectam cultamque orationem, tempus inquiritur :

117 *Cum dein* Teresia *S. Josephi intercessu sanitatem recuperasset, et ad crates visentes se jam posset excipere, multo magis conversationibus istis implicuit sese. Nimirum, quæ dæmonis artes sunt, nativa iste abutens* Teresiæ *propensione ad conciliandam sibi hominum affectionem et amicitiam, et præcipue ad gratificandum cuicunque pro obsequiis ac benevolentia sibi præstita, eam versipellis impellebat ad tempus terendum in familiari colloquio cum extraneis qui ad eam ventitabant, allecti præstabili ejus ingenio, morumque comitate et sermonis lepore. His laqueis cum semel eam hostis compediverat, suasit ei ut orandi exercitium intermitteret, indignitatis colore prætenso, nefas esse dicens ut ad Christum accederet quæ ab hominibus non recederet. Ergo improvide auscultans insidianti qui mendax est ab initio, et qui, irretitam primum commercio profanorum, dein removerat a familiari cum Deo in oratione mentali commercio,* Teresia *in eo erat ut aliquando pessumiisset, nisi resumpsisset orationis exercitium. Resumpsit autem occasione moræ quam trahebat in domo patris sui, huic moribundo assistens. Ibi enim nosse cœpit confessarium ejus, P. Vincentium Varonium O. P., virum pium et litteratum, quem etiam* D *sibi confessarium adhibuit. Huic cum exposuisset se orandi usum jamdiu interrupisse, quia verebatur cum neglecto a se Deo agere, improbavit ille præposteram humilitatem ; et* Teresia, *permota consilio ejus, studium illud resumpsit, numquam amplius remittendum, quin tamen abstineret satis a noxia familiaritate, sed claudicabat in duas partes, Deo vicissim et hominibus se commodans, neutri se totam dedens. Dignoscitur autem quoto ætatis suæ anno* Teresia *orationem omiserit e cap.* XIX *Vitæ ejus. Ibi enim dicit, plus quam* 21 *annos tunc elapsos fuisse a tempore quo delusa a dæmone id salutare exercitium reliquerat. Atqui, si demas* 21 *annos et quid ultra a* 1563, *patet infaustum illud tempus fuisse annum Christi circiter* 1541, *et ætatis suæ vigesimum sextum. Yepes ergo non recte dicere videtur* (*l.* I, *c.* IX) *Sanctam, cum orationem resumpsit, tantum* 24 *vel* 25 *annos natam fuisse.*

qua in re opinio plurium describitur, carpiturque Kerbekius.

118 *Quamobrem hic recedere cogor ab auctore Chronici, a P. Frederico a S. Ant., a Boucher, etc., quorum miror duos priores, contra clara Yepesii et ipsius* Teresiæ *citata loca, patrem mortuum, Teresiamque oratione abstinentem velle anno* 1545, *ac tertium, Boucher scilicet, bina hæc facta vel in annum* 1550 *protendere. His ita opinandi occasio videtur fuisse, quod Sancta Vitæ suæ c.* V *dicat se vitio confessariorum suorum, qui eam non sat instruebant de gravitate peccati* (*aut verius, de periculo graviter peccandi*), *plus quam septemdecim annos cæcutiisse, donec in aliquibus rebus meliora docta fuerit a P. Dominicano* (*P. Varonio*), *et tandem omnibus peccandi periculis absterrita fuerit a Patribus S. J. Sed cum etiam stent quæ supra attuli ex* Teresia *et Yepesio dilucida loca, objectus e cap.* IV *locus ita interpretandus est, ut intelligatur* Teresia *primis iis de quibus loquitur annis, a P. Varonio dedocta fuisse falsæ humilitatis principium quo orationem deseruerat, sed multo post tempore Patres S. J. salutari incusso timore effecisse ut quamlibet mali vel etiam periculi occasionem abhorreret. Interim non abs re erit hic per transennam oculum conjicere in infidelem versionem quam P. Antonius Kerbekius Moguntiæ vulgavit anno* 1603. *En locum hunc hispanice e* Teresia, *et latine e Kerbekio :* Duré en esta ceguedad creo mas de diez y siete años, hasta que un Padre Dominico, gran letrado, me desengañó en cosas, y los de la Compañia de Jesus del todo me hicieron tanto temer, agravandome tan malos principios. In hujusmodi cæcitate, ut puto, plus quam 17 annos permansi, donec quidam Pater Ordinis S. Dominici, vir alioquin doctissimus, mihi quædam declaraverit, et aliqui e Societate Jesu, magnum mihi incutiendo timorem, et multum aggravando mea principia. *Abruptaque hic est phrasis. Ergo Kerbekius insinuat vitio vertendum Patri Dominicano, quod* Teresiæ *declaraverit repetendum esse orationis usum, ut et Patribus S. J., quod diserte et magna efficacia ei significarint quorsum tenderet id commentum quo opinabatur cum Deo simul et cum hominibus familiariter agere et utrisque servire se posse. Ast Kerbekius vapulabit postea.* E F

Ac demum indagatur quamdiu durarit languor et ariditas ejus.

119 *Unum inquirendum jam restat quod attinet hanc Sanctæ ætatem, nempe quamdiu his humanæ consuetudinis laqueis manserit obligata. Specietenus quidem, sed nil reapse diversum, ipsa dicit, cum jam* 17, *jam* 18, *jam* 20, *imo jam* 22 *annos id durasse narrat. Nam cum pedetentim ei se consuetudini implicuerit, neque uno anno ex illa se penitus explicuerit, plus minusve extendi id tempus illæsa veritate potest. Idem fere dixeris de spatio quo non sat se a confessariis instructam fuisse queritur, vel quo*

A *quo ariditate in orando laboravit. Interea hi sterilitatis anni passim numerantur octodecim, v. g. in Bulla canonizationis et in Breviario Romano, quod sic habet :* Per duodeviginti annos gravissimis morbis et variis tentationibus vexata, constantissime meruit in castris Christianæ pœnitentiæ, nullo refecta pabulo cœlestium earum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare. *Idque conforme est capiti* VIII *Vitæ, ubi Sancta dicit se a* 28 *annis inchoasse orationis exercitium,* inter quos, *inquit,* præter unum semel annum et aliquot pluries menses (*cum seriam magis operam virtuti navarat*) plus quam 18 annis luctandum mihi fuit, volenti cum Deo et cum mundo promiscue tractare. Reliquis vero annis (*nempe extra brevia ea fervoris spatia*) causa interioris illius belli, tametsi hoc leve non fuerit, alia extitit : sed quia tunc (ut quidem existimo) in Dei eram servitio et mundi vanitatem perspectam habebam, mihi omnia suavia fuerunt. *Ut autem distinguantur a prioribus sterilitatis, posteriores hi ubertatis anni quibus non amplius cum mundo, sed, uti olim Jacob, cum Deo luctata dici potest, inter alia Sanctæ ac biographorum ejus loca unus est qui rem conficit, adeo ut cætera negligi posse*
B *videantur. Nimirum in epistola ad Rod. Alvarez S. J.* (*t. I, ep.* 19) *ita loquitur Sancta :* Abhinc octodecim prope annis actum fuit de fundatione primi monasterii Excalceatarum Abulæ. Duobus tribusve ante annis (credo tres fuisse) cœpit (*in hac conscientiæ suæ relatione Sancta utitur tertia persona*) sibi videri audire interdum internas voces et habere aliquoties visiones et revelationes. *Cum itaque conjici possit anno* 1559 *cœptum esse agi de fundatione S. Josephi, supernaturalium donorum primitiæ referendæ videntur ad annum* 1556, *et ad annum anteriorem, sive* 1555, *magna ea in* Teresia *motio ex conspectu imaginis Jesu Christi et ex lectione Confessionum S. Augustini. Neque probabiles mihi veniunt rationes excogitatæ ab interprete epistolarum Teresianarum* (*t. IV, ad ep. seu scriptum* 76), *quibus ille perhibet Sanctam jam anno* 1551 *gustasse ea supernaturalia dona. Has autem afferre, nedum refutare, inutile judico, re sufficienter stabilita ex claro supra citato* Teresiæ *loco.*

C

§ VIII. Prosecutio paragraphi præcedentis. Toto eo tempore peccata ejus gravia non fuerunt. Qua ratione omnes virtutis obices generose tandem superarit.

S. Virgo miratur se magni etiam tum factam.

Excipiamus ex ore Teresiæ *reliqua quæ ei longis illis annis acciderunt, quibus, leves interdum culpas admittens, crebrius autem inculpatissime agens, modo arens, modo solatiis perfusa divinis, vitam contexuit. Mox dispiciemus, quantumvis* Teresia *accusatrix sit sui, nihil ab ea turpe seu grave commissum, et paucissimos dies intercalatos quibus non longissime oraret. Pergit itaque Sancta c.* VII *et* VIII *Vitæ suæ :* Deus bone, quomodo referam occasiones quas a me toto illo tempore Deus amovebat, et quomodo me ipsa in easdem rursus præcipitem darem, nec non a quibus famæ meæ penitus amittendæ periculis me custodierit? Ego enim ea faciebam opera e quibus, quænam essem, videri ac colligi poterat; Dominus autem mala mea tegebat, et virtutem aliquam tenuem (si quam etiam haberem) palam manifestam reddebat, et omnium oculis magnam eam videri faciebat, adeo ut semper magni ab omnibus fierem : nam tametsi vanitates meæ interdum apparerent, quod tamen viderent alia, quæ ipsis bona esse videbantur, nihil hujusmodi de me credebant. Hoc autem inde proveniebat, quod omnium cognitor rerum Deus jam tum providisset id ita expediens esse, quo iis in rebus quas postea de ejus famulatu locuta sum, aliquam apud eas auctoritatem haberem, et summa ejus liberalitas non tam gravia mea intuebatur peccata, quam quæ ei serviendi sæpenumero habebam desideria; nec non dolorem quem sentiebam ex eo quod vires mihi ad ea opere ipso exequenda deessent. AUCTORE V. D. M. D

121 Quomodo, o animæ meæ Deus, digne illas expendam gratias quas mihi toto illo tempore contulisti, et quomodo illo ipso tempore, quo te magis peccando offendebam, tu me quam citissime, per maximam quamdam pœnitudinem, disponeres, quo tuas consolationes et gratias percipere possem? Et, ut verum fatear, Rex meus, usus es ad hoc ea castigatione qua mihi aut suavior aut pœnosior nulla esse posset, ut qui intelligeres et scires quid mihi futurum esset acerbissimum : adeo ut magnis favoribus ac bonis mea castigares peccata. Nec credo me quid insanum aut stultum hic dicere, tametsi par foret me jam insanire ac mentem amittere, dum meam ingratitudinem et malitiam jam de novo in memoriam revoco. Longe mihi, pro meæ naturæ conditione, gravius erat gratias a te recipere tum, cum in graves culpas incidissem, quam flagellari et affligi : nam revera magis mihi per unicam, quam accipiebam, gratiam, confundi videbar et annihilari, quam per multas infirmitates et plurimas alias molestias simul junctas. Afflictionem namque me videbam mereri, credebamque aliquid patiendo molestiarum, aliquatenus me pro peccatis meis satisfacere : esto id nimis quam parum esset respectu horum, quæ numero erant plurima. Sed dum novis identidem me beneficiis affici viderem, esto tam male pro prioribus quæ receperam satisfacerem, crux hoc mihi erat omnium gravissima, uti etiam futurum credo omnibus qui vel aliquam Dei cognitionem vel amorem habebunt. Et hoc satis perspici hic potest in eis qui ad virtutem naturaliter propendent. Ideo scilicet lacrymabar et indignabar, videns nimirum id quod sentiebam : nam me in proxima, ut ita dicam, relapsus potentia constitutam cernebam, esto proposita et desideria mea tunc, illo, inquam, tempore, satis firma essent. Magnum malum est, dum anima sola inter tot tantaque pericula versatur. Sane si quem habuissem quocum de omnibus his rebus conferre potuissem, credo equidem ejus auxilio me cohibendam fuisse, ne rursus ac de novo relaberer, saltem e quadam verecundia, cum interim nulla Dei verecundia moverer... Equidem hoc de me ipsa fateri possum, me, nisi hanc mihi Dominus veritatem aperuisset, mediaque dedisset ad sæpe cum iis qui in orandi arte et modo versati erant agendum, modo lapsantem ac modo resurgentem, haud dubie in infernum præcipitem lapsuram fecisse : ad cadendum quippe multos habebam amicos a quibus juvabar; ut vero resurgerem, adeo sola ipsa eram, ut etiamnum mirer quomodo non semper in lapsu solo affixa hæserim : Deique misericordiam decanto, quia ipse solus mihi manum ad resurgendum porrexit. Ipse sit in æternum benedictus. Amen. *Acerbiores ei erant gratiæ quas a Deo recipiebat, quam ipsa castigatio,* E F

122 Nec

AUCTORE V. D. M. *eo quod Deo in amore non respondere sibi videretur.*

122 Nec immerito hocce vitæ meæ tempus ita ponderavi et excussi; quod videam nullum futurum qui aliquam e rei adeo malæ et improbæ usu voluptatem capiat. Vellem sane ut, qui hæc A legent, mei nauseam conciperent, videntes animam adeo pertinacem et ingratam erga eum a quo tot gratias et favores accepit, cuperemque facultatem mihi fieri declarandi quoties, illo durante tempore, contra Deum meum offenderim, eo quod forti illi et solidæ orationis columnæ non inniterer. Procellosum et tempestuosum hoc mare viginti prope annis navigavi, alternis modo labendo, modo resurgendo, sed imperfecte admodum, eo quod post resurrectionem ad vomitum mox redirem et vitam ita imperfectam ducerem, ut peccata venialia prope nihili facerem, mortalia vero, esto ea metuerem, non tamen ita timebam uti quidem oportebat, cum eorum occasiones non declinarem. Hoc dicere scio, isthunc vivendi modum ita acerbum et difficilem esse, ut nullus eo fingi darive videatur posse difficilior : neque enim fruebar Deo, neque ullam e mundo voluptatem capiebam. Cum enim in mundanis recreationibus eram, mox ut mihi in mentem redibat quid Deo deberem, quamdam in iis amari- B tudinem sentiebam : cum vero cum Deo conversabar, affectus et desideria mundana me interturbabant. Hæcque pugna ita quidem pœnosa et permolesta est, ut nesciam quomodo eam vel ad mensem ferre potuerim, nedum ad tot annos. In hoc tamen magnam Dei erga me misericordiam liquide perspicio, quod, tametsi cum mundanis agendum et in mundo vivendum mihi esset, animum nihilominus haberem ad orationem exercendam : animum, inquam; nescio enim quamnam ad rem, ex omnibus quæ in mundo sunt, magis opus sit animo, quam ut quis de rege suo prodendo tractet, et interim sciat hoc illum minime latere, et nunquam ejus præsentiam ex oculis amittat. Nam licet semper coram Deo simus quotquot sumus, longe tamen alio modo ei præsentes esse videntur ii qui orationem exercent : vident enim assidue se ab eo videri, cum fortasse alii ad multos etiam dies ne vel cogitant quidem Deo se præsentes esse.

Tandem tamen fervorem ei reducit frequens identidem oratio,

123 Verum quidem est, quod toto hoc tempore per multos aliquando menses, et credo etiam per unum annum integrum, mihi caverim ne Deum peccando offenderem, et orationi multum insisterim, variasque diversimode diligentias adhibuerim necu- C bi eum offenderem (et quia, quidquid scribo, cum veritate coincidit et verissimum est, ideo de hac re jam ago); sed bonorum illorum dierum perexigua mihi est memoria : unde quam paucissimi fuerint oportet, mali vero numero plurimi. Vix abibat dies, quin multas ejus horas orationi impenderem, nisi me aut infirma impediret valetudo, aut de foris ingruentia negotia. Cum corpus ægrum esset, animus ad Deum divinaque valentior erat, dabamque operam, ut qui mecum tunc tractabant, etiam bene quoad Deum valerent; quod ipsum etiam a Deo inter orandum efflagitabam, ac sæpius cum iis de ipso loquebar. Ita ut (excepto fortasse illo anno quem dixi) e viginti octo annis (tot enim sunt, ex quo in oratione me exercere cœpi) octodecim et amplius hac in pugna et conflictu, quod modo me Deo, modo mundo alternatim applicarem, transegerim : in iis vero annis qui mihi jam commemorandi restant, pugnæ, tametsi ea parva non fuerit, causa mutata est; sed quia tunc (ut quidem existimo) in Dei servitio eram et mundanam vanitatem perspectam habebam, mihi omnia, ut postea referam, suavia fuere. Causa igitur ob quam hæc omnia ita particulatim deduxi, hæc est, primo ut et Dei misericordia et mea erga illum ingratitudo (uti jam D ante dixi) appareat : deinde ut omnes magnum illud bonum intelligant quod præstat animæ Deus, cum illam disponit ut se in oratione cordialiter et bona cum voluntate exerceat, esto non tam bene ac quidem oportet ipsa per se disposita sit; et quomodo Dominus illam, si modo in ea perseveret, non obstantibus peccatis, tentationibus et diversis lapsibus, quos diabolus causabitur, tandem (ut quidem mihi ipsa certo persuadeo) ad salutis portum pertrahat : sicut me (ut mihi quidem jam videtur) per suam gratiam eo pertraxit. Divina ejus Majestas faxit ne posthac denuo ad me perdendam revertar. . . . .

quam maxima sæpe cum animi repugnantia adibat.

124 Non intelligo sane quid tandem timeant qui mentali orationi sese applicare timent; et vere cur metuant nescio; consulto autem dæmon hunc metum causatur, ut per eum vere nobis noceat ac malefaciat, cum scilicet per hunc me impedit quo minus recogitem, quoties et quam graviter Deum offenderim, quantum illi debeam, esse infernum ac cœlestem quamdam gloriam, denique ne cogitem ingentes illos cruciatus et labores quos mei causa subiit. Circa hæc omnis mea oratio versabatur, et versata est quamdiu in illis periculis constituta fui; E et hæc, quando poteram, identidem ruminabam : imo per aliquot annos, sæpius magis laboravi ut horam quam ad orandum mihi præfixeram, cito transactam viderem, attendens anxie quando tandem signum ejus elapsæ daretur, quam ut aliis rebus bonis me darem; et non raro quantumlibet gravem pœnitentiam libentius subiissem, quam me ad orandum recollegissem. Vis porro quam mihi diabolus aut perversa mea consuetudo faciebat, ut orationem intermitterem, et tristitia quæ me, dum intra oratorium me abderem, occupabat, tanta erat, ut, quo mihi vim facerem, omni me conatu et animo conniti oporteret (quem tamen animum non exiguum habere dicor, et ad oculum videre fuit, cum mihi plusquam muliebrem a Deo datum esse, nisi quod male eum impendi); sed Deus tandem auxilio suo mihi aderat. Postquam vero hanc mihi vim fecissem, majorem longe quietem sensi et consolationem, quam aliquoties, dum in libro pio legere gestiebam. Si ergo Dominus me ita nefariam tanto tempore sustinuit, et evidenter quoque pateat, hac via omnibus malis meis remedium adhibitum esse, quis, quantumlibet malus, timeat? Nemo F sane : nam, esto sit pessimus, tot saltem annis malus non erit, post tot a Domino gratias acceptas : aut quis diffidere poterit, cum ipse me tanto tempore sustinuerit? idque dumtaxat, quod commodum aliquem locum et tempus quærerem et ambirem, quo ipse mecum ageret; et hoc sæpe me invita; quod magnam mihi vel ego vel Dominus ipse vim faceret. . . . Hoc unum hic de oratione addam, nempe eam veluti portam fuisse qua magnæ illæ gratiæ quas Dominus mihi præstitit, venerunt, atque ingens bonum inde mihi obtigisse, quod orationem et lectionem piam numquam intermiserim.

Non sedatur inconsultis confessarii dictis, permovetur vero sacris concionibus.

125 Vellem equidem captivitatem, qua tum temporis anima mea captiva detinebatur, aliquo modo possem describere : quia sciebam et videbam captivam quidem illam esse : quo tamen constricta vinculo teneretur, intelligere plane non poteram, uti nec credere id quod confessarii mihi non ita exaggerabant, tam esse malum quam id ego in anima mea esse sentiebam. Quidam ex illis, cum, scrupulis pressa, consilii et auxilii causa ipsum adiissem, mihi dicere veritus non est mihi, esto ad summum contemplationis genus evecta essem, id genus occasiones et conversationes minime posse nocere. Erat

A Erat hoc jam circa finem, quando scilicet, divina juvante gratia, jam me a magnis peccandi periculis magis cavebam, tametsi ipsam occasionem peccandi nondum penitus declinarem. Quod autem omnes me desideria bona habere et orationi subinde insistere viderent, multum sane iis agere videbar; anima autem mea facile intelligebat, non esse id facere illud ad quod obligata erat ei cui tantum debebat. Miseret sane me jam animæ meæ, quod tam multa tunc sustinuerit, quodque ei tam parum ab omnibus præterquam a Deo venerit subsidii, deinde quod tanta ei daretur libertas ad recreationes et consolationes suas sectandas, dicendo eas licitas esse. Quam deinde in concionibus sensi, pœna non erat exigua, et ita eisdem audiendis afficiebar, ut, si quem cum spiritu et bene concionantem viderem, particulari quodam erga eum amore ferrer, ita tamen ut eum ipsa non procurarem, et unde is mihi oboriretur prorsus ignorarem. Pene numquam aliqua mihi concio tam inepta et incongrua visa est, ut non eam libenter audirem; etsi aliorum qui eam audissent judicio concionator non bene esset concionatus : si autem bona esset concio, particularem quamdam inde vo-
B luptatem hauriebam. Numquam pene, ex quo orationi vacare cœpi, tædio mihi fuit de Deo et loqui et alios loquentes audire. Conciones porro, quas audiebam, aliquando summæ mihi erant consolationi, aliquando vero valde me cruciabant, quod in illis intelligerem multum me distare ab eo quod esse debebam. Rogabam itaque Dominum ut me adjuvaret : sed (prout mihi nunc quidem videtur) in eo debui tunc errasse quod fiduciam non penitus in divina ejus Majestate ponerem, nullam vero penitus in memetipsa. Quæritabam itaque remedium, et conatum adhibebam quem poteram : sed verisimile est non intellexisse me, omnia parum aut nihil juvare, nisi de nobis ipsis penitus diffidentes, fiduciam omnem in Deo ponamus. Volebam scilicet vivere : intelligebam namque me neutiquam vivere, sed cum quadam umbra mortis certare; et nemo erat qui mihi vitam daret, hanc tamen a memetipsa capere non poteram : qui autem eam mihi dare poterat, non sine ratione mihi non succurrebat, cum jam toties me ad se reduxisset et eum ipsa turpiter deseruissem.

Male quidam exaggerant S. Virginis defectus :

C 126 *Eatenus a Sancta hanc in religione laxioris vitæ periodum delineatam habes. Tantum omisi hic, ut passim, cum historici partes habeam et non ascetæ, multa spiritualis vitæ placita, quæ ab omnibus in ipso* Teresiæ *libro lectitari velim. Conatus in proximo paragrapho chronologica præcipue dubia excutere, in præsente vix aliquid habeo quod Teresianæ narrationi adjiciam, cum ipsa evolvat ample et simpliciter cunctas actiones suas, aperiatque intima animæ suæ arcana. Interea tamen unum occurrit quod hic agitem, licet id in Ribera late et docte pro suo tempore, quo non omnia explorata erant argumenta, præstitum invenias. Nempe aliqui, ad litteram sumentes ea omnia quæ humilis* Teresia *de gravitate peccatorum suorum proloquitur, nec pensantes orationis ejus frequentiam, et caritatis multarumque aliarum virtutum exercitium, atque immunitatem in ea illorum nævorum quibus virginea corporis animæque castitas vel levissime maculatur, illam multo pejorem finxerunt quam revera fuit. Jam Ribera et Yepes Sanctam a gravibus criminibus vindicarant; at post præclaros hos biographos, occasione processus canonizationis, luculentius adhuc perennis ejus ab omni mortifero peccato puritas demonstrata fuit. Nihilominus tamen posteriores quidam eam ut gravem peccatricem traducere videntur. Etenim catholici etiam scriptores, Jansenistarum exemplo et stylo abducti, non sat sibi caverunt a proprio sectæ illius habitu, quo omnia exaggerantur et consilia in præcepta vertuntur ac male etiam de bonis sentitur. Diceres profecto pro more quem inter incautos durus invexit Jansenismus, solitus caritatem buccis crepantibus continuo ventilare, omnesque humanas e puro in Deum amore, ni peccatum sint, actiones proficisci volens, et ea ratione e præpostera sua caritate humanum genus fere totum ceu massam quamdam damnatam reprobans, diceres, inquam, nonnullos scriptores videri sibi tanto meliores se esse sanctitatis sectatores justitiæque æstimatores, quanto magis in aliis extenuent virtutes, acriusque carpant vel in ipsis Sanctis levissimas etiam noxas. Quod quam falsum sit et euangelicæ caritati quam contrarium, nemo non videt.*

AUCTORE V. D. M.

D

quod improvide excidit Patri Helyot aliisque,

127 *Ea ratione in pluribus* Teresiæ *scriptis operumve ejus versionibus quæ hoc vel proximo sæculo prodierunt, non raro quædam in Sanctam dicta reperire est quæ nata sunt non levem maculam sanctitati ejus inspergere, etsi id ex professo non fiat, nec etiam intendatur. Qua ratione Helyot inscite dicit,* Sanctam, cum duodennis erat, sensum timoris Dei amisisse, quem eousque conservarat. *Benignæ utique interpretationi locus esset, intelligique posset eam non amisisse gratiam sanctificantem, sed tantum divinæ gratiæ fervorem; quemadmodum intelligi debet Ven. P. Joannes a Jesu Maria, quando l.* I, *c.* VI *scribit :* Hinc Dei timoris oblivio, vani affectus, et aliorum nimia familiaritas. *Statim enim subjungit :* Quamvis, quod ipsa scripto consignavit, numquam grave peccatum appetierit. Clementissimus enim Deus, ne contagio ullo sacrarium illud suum pollueretur, armatura duplici, hoc est nativo libidinis odio et honoris virtute, virginem sepsit, ut omnes vitiorum ictus elideret. *Ast hujusmodi interpretatio Patri Helyot concedi nequit, cum postea dicta non leniat, sed adhuc aggravet defectus ejus, inquiens,* Teresiam aliquando laxiori vitæ se permisisse, ac sivisse ut sæculi spiritus in animo suo dominaretur (*quam postremam phrasis partem in editione Parisiensi* 1792 *amputatam invenio*). *Taceo hunc scriptorem paulo post, inaccepta catholicis theologis formula, exprimere* Teresiam naturali cordis pronitate iterum ad Deum reductam. *Nec absimili modo scriptores quidam de* Teresiæ *conversione crudius loquuntur. Recte utique dici potest conversa, quando ex adjunctis lector non inducitur ad credendum eam ante fuisse a Deo aversam, sed quando solum id sonat pleniorem ejus ad Deum conversionem, prout in Ribera sonat, et mea quoque habet inscriptio paragraphi præcedentis. Ast apud quosdam, sicut verba jacent, non obscure innuitur eam aliquando Dei amicitia per lethalia peccata fuisse privatam.*

E

F

sed quod modo plane indigno ausus est Villeforius.

128 *Verum hæc quæ proborum scriptorum calamo improvide exciderunt, levia sunt, si conferantur rerum contextui quem tum super* Teresiæ *in sæculo transacta juventute, tum super prioribus ejus in religione annis fabricavit Villeforius in gallica Sanctæ Vita. Me pudet hic repetere amatorias levitates quas honestissimæ et pudicissimæ usque Virgini imponere non veretur. Totum triennium, cum adhuc in sæculo erat, eam exhibet in tali pernicie versatam, ut, emollito amoribus corde et extincto penitus in ea divinæ gratiæ lumine et fervore, comptus blanditiarumque magistra evaserit : dum tamen in omnibus ejus biographis, atque adeo in ipsius Sanctæ scriptis, licet præ humilitatis spiritu certo non celet minuatve, sed magis augeat suos defectus, nil tale reperiatur, et dum vanitates in quibus versatam se confitetur, non tres annos, ut mentitur Villeforius, sed*

AUCTORE V. D. M.

A *ne vel tres menses, ut asseverat Sancta c.* II, *durarint. Dein idem auctor, cum S. Virgo sacra jam induta erat veste, adstrictaque solemni castitatis voto, turpi calumnia fabulatur eam ab amasio frequentatam qui irretitum tenebat ejus cor. Ast apage injuriam in mores castissimæ Deoque devotæ Virginis et in historicam veritatem! Nam primus ex suo cerebro hæc extuderit Villeforius, qui ex eo quod Sancta* (*c.* VII *Vitæ suæ*) *simpliciter narret se peculiari affectu alicui crebro eam visitanti adhæsisse, ultro et quin hispanicus textus hoc vel minimum innuat, comminiscitur inhonestum fuisse in moniali affectum et non merum nimiæ humanitatis obsequium. Castigare autem eo magis hic oportuit Villeforium, propterea quod recentiores plures eum in hoc imitati sunt, novos etiam ejus commento addentes colores : sicut facit auctor articuli S.* Thérèse, *in Dictionario Parisiis excuso* 1839 *typis Belin et Mandar, sub titulo :* Dictionnaire de la conversation et de la lecture. *Absit tamen ut, dum Villeforium in his reprehensibilem dico, negem in multis aliis esse commendabilem.*

Sancta semper immunis fuit,

B 129 *Sed convertamus stylum ad meliora : et, ut non solum gravia hæc in Sanctam dicteria Villeforii, sed exaggerata quoque ab aliis vitæ ejus laxitas, prætensaque conversio, ac ista quæ affirmatur a quibusdam divini in* Teresia *aliquando amoris absentia, pro merito explodantur; præter Riberæ argumenta, auctore præcipue P. Frederico a S. Antonio* (*l.* III, *c.* XXV), *alia hic congeram, e quibus patebit Sanctam nostram numquam gravi labe maculasse candorem stolæ suæ baptismalis, sed ei attribui posse et debere sublimiorem eam gloriam qua præ pœnitentibus splendent innocentes : quod sane demonstratu dignissimum est, quum tanti referat ad majorem Sanctæ æstimationem. Ergo qua, rogo, specie peccatorum turpatam dicas Sanctam nostram? Impudicitiæ? Ast, ultra Riberam, qui diluit hoc crimen* (*lib.* I, *cap.* IV), *audi Gregorium XV S. P., qui in Bulla canonizationis gravissimis apertissimisque verbis non solum corporis, sed et cordis, angelicam* Teresiæ *asserit puritatem.* Inter cæteras, *inquit,* ejus virtutes, quibus quasi sponsa a Deo ornata mirifice excelluit, integerrima effulsit castitas, quam adeo eximie coluit, ut non solum propositum virginitatis servandæ a pueritia conceptum usque ad mortem perduxerit, sed omnis expertem maculæ angelicam in corde et corpore servaverit

C puritatem. *Insuper Sacra Congregatio Rituum approbavit orationem quæ recitatur festo Transfixionis Cordis ejus in universo Ordine Carmelitico pluribusque per orbem ecclesiis, et in qua immunis declaratur ab omni profano amore :* Deus, qui illibata præcordia B. Virginis Teresiæ sponsæ tuæ ignito jaculo transfixisti, et charitatis victimam consecrasti, *etc.*

non solum a luxuria,

130 *Nullo igitur cogitatu aut opere leges pudicitiæ umquam violavit S.* Teresia. *Restat ut videamus num ei pro gravi noxa imputandum sit quod in peccandi periculo fuerit aliquando versata. Respondent PP. Joannes a Jesu Maria* (*lib.* I, *cap.* VI) *et Franciscus a S. Maria* (*Chron. lib.* I, *cap.* VI, *num.* 7) *duobus a misericorde Deo frænis adversus peccatum instructam fuisse* Teresiam : *nempe sollicita famæ tuendæ cura et horrore cujusvis immodestiæ aut turpitudinis, uti ipsa de se testatur Vitæ suæ capite secundo; unde fortasse concludere liceat non fuisse illi in re de qua agitur tam proximum delinquendi periculum quam aliis nonnullis fuisset. Animadvertit præterea Yepesius, S. Virginem, licet culpas suas vehementer pro sua humilitate exaggeret, licet etiam innuere videatur in suis illis conversationibus peccati mortalis periculum latuisse, numquam tamen fuisse* D *adductam ut vel de illius periculi evidentia pronuntiaret vel se majoris culpæ agnosceret ream. Quod si quis crediderit periculi magnitudinem, qualiscumque ea demum fuerit, a* Teresia *jam ætate provectiore perspectam fuisse; attamen eidem* Teresiæ *adhuc juveni certa, eaque peremptoria, excusatio ignorantia fuit. Crimen non est in puerulo rupem ascendere, quam præcipitem esse nesciat : atqui idem de Sancta nostra judicandum est; præsertim cum non per se solam erraret, sed secum in errore consentientes haberet confessarios, qui negabant scilicet ea quæ ageret esse illicita : prout ex Vitæ ejus capitibus* III *et* VIII *liquet. Dum sic hallucinabantur illi ipsi quibus se regendam commiserat, quis, quæso, puellæ imperitæ gravi crimini verterit recti tramitis fuisse insciam? Quis bona fide* Teresiam *egisse non existimaverit, si attendatur ad caput* VII *Vitæ ab ipsa scriptæ; ubi refert se aliis monialibus, non decipiendi consilio, sed recta mente, persuasisse nihil in suis illis colloquiis esse mali? Nemo ullus, credo, erit qui censeat S. Virginem eo devenisse malitiæ ut non sibi uni peccaret, sed etiam aliis destinato animo præberet ansam peccandi.*

sed ab omni gravi peccato,

131 *Satis quidem superque hæc sufficiunt ut ab omni impudicitiæ labe immunem fuisse* Teresiam E *asseveremus, prorsusque adeo negemus eam aut facto aut cogitatione ulla angelicam hanc virtutem umquam læsisse. Quid vero restat in quo graviter peccasse perhibeatur? An quod famam prosciderit proximorum? An quod monasticas leges cum scandalo prætergressa sit? An quod invidia aliisve id genus vitiis sorduerit? Exhauriat qui volet* (*verbis fere utor P. Frederici*) *omnium peccatorum sentinam : quid inveniet de quo* Teresiam *accuset? Scio equidem Sanctam plorasse enormia quæ commiserit delicta, scio ostensum ei locum fuisse quem sibi dicit a dæmonibus in inferno fuisse paratum : sed illas humilitatis formulas cave strictiori sensu acceperis. Plangit Sancta Virgo, sibi ipsi vilissima, plangit atque abominatur defectus suos; deflet relictum a se aliquamdiu orationis mentalis exercitium, pessumdatum tempus levibus confabulationibus; narrat reprehensiones sibi factas a benignissimo Redemptore, qui dignabatur minutas quasque ejus imperfectiones corrigere et vitæ eatenus transactæ vanitatem ei ostendere, quo sponsam ad generositatem in suo amore excitaret : sed tantum abest ut usquam ipsa referat se amissæ* F *gratiæ sanctificantis fuisse a Domino incusatam, ut imo disertis verbis capite* VII *Vitæ suæ affirmet se nullum perditissimo vitæ suæ tempore lethale delictum commisisse. Unde manifestum fit, quæcumque ipsa edisserit de suis sceleribus, æquiparanda esse iis quæ SS. Patres pronuntiant in homines peccatorum venialium emendandorum incurios. Nimirum, uti falsum et hæreticum est astruere omnia peccata esse ex genere suo mortalia, at nequaquam est Christiano indignum venialia etiam peccata pro gravi malo reputare; quod per ea summum atque infinitum Bonum offenditur. Infernum vero fuit S.* Teresiæ *ostensum, non quod jam meruisset eo detrudi, sed quia merita fuisset, ni pristinos abjecisset mores : quippe a levioribus lapsibus, imminuto sensim majorum lapsuum horrore, secundum illud Spiritus Sancti eloquium :* Qui spernit modica, paulatim decidet (*Eccli.* XIX, 1), *ad omnimodam ruinam fuisset miserrime protracta.*

prout ipse affirmavit Urbanus VIII.

132 *Juvat argumentis hactenus a me adductis augustissima adjungere testimonia, quibus maxime conspicuum fiat* Teresiam *numquam a Deo, ultimo fine suo, gravibus peccatis se elongasse. Sacræ Rotæ auditores, incorrupti ac rigidissimi examinatores omnium*

A *omnium Operum S.* Teresiæ, *in Relationis suæ de ejus virtutibus articulo* VII, *ubi agitur de perfectissima ejus justitia, ita pronuntiant :* Secundo, idem desumitur ex timore filiali, quo illa semper legis et mandatorum Dei transgressionem exhorruit : quod adeo verum est, ut, quamvis ipsa culpas suas in relatione vitæ suæ exaggerarit (quod profundam humilitatem arguit), numquam tamen peccatum lethale commisisse, sed nuptialem gratiæ vestem in Baptismo susceptam fidelissime custodisse credatur. *Idem se sentire Urbanus VIII Pontifex Maximus luculentissime ostendit, teste Philippo Lopez Vitæ suæ Teresianæ capite ultimo. Nempe in primo quod excusum fuit S.* Teresiæ *officio sub finem lectionis sextæ dicebatur :* Eam divinis charismatibus tam liberaliter locupletabat Dominus, ut sæpius exclamans peteret beneficiis in se divinis modum imponi, nec tam celeri oblivione scelerum suorum memoriam aboleri; *quæ verba auctor officii, qui creditur fuisse P. Ludovicus a S. Josepho Florentinus e nobili Magalottorum familia, propterea adornarat quia humilibus Sanctæ locutionibus conformia videbantur : at Pontifex Urbanus, sumpto calamo, ne ab indoctis reputaretur S.* Teresia *umquam sce-*
B *lesta fuisse, propria manu pro vocibus* scelerum suorum *substituit* culparum suarum, *quas etiamnum in Breviario Romano legimus; atque in hæc verba prorupit memoratu dignissima :* S. Teresia numquam commisit peccatum mortale : quare non convenit, ut quæ ipsa præ humilitate sibi attribuebat, vulgo fiant occasio suspicandi eam gravium delictorum arguendam umquam fuisse.

Imo eximiis numquam non splenduit virtutibus.

133 *Quod si res tam ab ipsa* Teresia *quam a coætaneis illius biographis narratas attente vel in originali lingua vel in fideli versione legamus, inveniemus* (*ut recte advertit P. Fredericus*) *virtutum complexum, quem Sacræ Scripturæ* justitiæ *nomine decorant, non spernendum in ea fuisse ipso etiam illo tempore quo vocalibus tantum precibus, relicta per erroneam animi demissionem oratione mentali, vacare solita fuit. In locis supra passim a me citatis ingeniosa illa sui accusatrix cuique oculato lectori tanta virtute prædita cernitur, ut, si eam communi religiosam vitam profitentium numero compares, fervida ac propemodum perfecta dicenda esse videatur. Sollicita erat ne quid ad monasticam observantiam pertinens omitteret, neu impingeret in obedientiæ leges; sui despicientia*
C *ac suavissimis moribus se faciebat omnibus commendabilem; quæ sibi concessa ad usum erant, aliis cedebat liberalissime; horrebat oblocutiones ac discordias; sodalibus qua poterat industria succurrebat; secedebat frequenter ad orandum aut pascendam spirituali lectione animam; de Deo libenter loquebatur; et, quamvis ipsa, ut supra vidimus, mentalis orationis exercitium eo tempore omitteret, tamen pro suo divini obsequii zelo alios nonnullos, inter quos parens ejus Alphonsus fuit, ut eidem se darent exercitio, sedulo adhortabatur. Quantæ vero virtutis indicium est quod morbos acerbissimos, quod angustias animi, quod omnis externi juvaminis ac solatii absentiam, quod plurimas insectationes dæmonis tam patienter, tam constanter, tam fortiter sustinuerit! Licet sane de* Teresia *loquenti usurpare quod de B. Job scribebat olim S. Gregorius :* Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certe sublimis apparet etiam in peccatis suis (*Moral. lib.* XXII, *cap.* XV). *Quin et audeo fere dicere cum P. Antonio a S. Josepho peccata* Teresiæ *plus valuisse quam nostras virtutes, perfectiones nostras ad ejus imperfectiones non attingere. Illa culpæ sibi vertebat non semper ardere divina caritate Seraphinorum instar; nostra virtus aliquot caritatis actibus interdum elicitis continetur : illa criminosum putabat non* D *semper fecisse id quod optimum erat; nos si quid boni agimus, præclare de nostra virtute sentimus. Talis igitur* Teresia *fuit illo tempore quo se tepidam credidit; jam quid fervida egerit, in sequentibus videndum.*

AUCTORE V. D. M.

§ IX. Ex aspectu piæ imaginis propositum vitæ perfectioris concipit : sublimibus Dei donis in oratione cumulatur : confessarium e Societate Jesu eligit.

Visa imagine Christi vulnerati,

Teresiæ *nostræ a minus perfectis ad perfectiora conversio quomodo cœperit, ex ipso ejus calamo intellige :* Erat igitur, *ait Vitæ suæ capite* IX, anima mea jam lassa et exhausta, et licet quiescere ipsa E paululum vellet, mali tamen quos habebat habitus et consuetudines nullam ei requiem indulgebant. Factum est autem, ut, cum quadam die oratorium intrassem, aliquam in eo viderim imaginem quæ ibidem custodiæ causa reposita et ob festum quoddam in monasterio nostro celebrandum mutuo accepta erat. Depictus in ea erat Redemptor noster Christus, vulneribus et plagis undequaque deformatus, ita aspicientes ad compassionem commovens, ut statim atque in eam oculos conjeci, tota interius turbata sim, quod tali eum in schemate et forma viderem; namque ad vivum repræsentabat quid pro nobis is passus esset. Talem quidem in animo meo dolorem sensi, quod illi ob acceptas hasce plagas tam parum grata exstitissem, ut cor mihi in duas diffindi partes videretur; unde ipsa me multis cum lacrymis coram eo abjeci, ex animo eum rogans, talem mihi simul et semel constantiam atque animi robur daret, ut posthac amplius eum non offenderem. Singulari porro affectu S. Mariam Magdalenam prosequebar, ejusque conversionem sæpe mecum recolebam, et maxime dum ad mensam Eucharisticam accedebam. Nam quod certo certius scirem Dominum Jesum intra me tunc realiter præsentem F esse, ad pedes ejus me collocabam, sperans fore ut lacrymæ meæ non repellerentur. Et nesciebam quid dicerem : nam plusquam satis faciebat is qui sui causa me eas effundere patiebatur, cum sensus hujus et affectus tam cito me caperet oblivio; et Sanctæ huic serio me commendabam, ut suffragio ipsa suo mihi commissorum veniam impetraret. Sed postremus ille, quem dico, imaginis hujus conspectus magis mihi profuisse videtur; quod jam penitus mihi ipsi diffiderem et omnem fiduciam meam in solo Deo collocarem. Videor porro mihi tunc ei certa cum fiducia dixisse, inde me non ante surrecturam, quam me ejus quod ab eo petebam compotem redderet : et certo mihi persuadeo id mihi profuisse; nam ex eo tempore notabiliter vitam emendare cœpi.

Sancta solito ferventius vacare incipit meditationi

135 Hunc porro orandi modum servabam : nam quod per intellectum discurrere non possem, Redemptorem nostrum Jesum intra me repræsentare conabar, et in illorum mysteriorum meditatione plus gustus et affectus mihi invenire videbar in quibus eum magis solum et ab aliis desertum videbam : credebamque eum ita solum et afflictum, tamquam

AUCTORE V. D. M.

tamquam qui in necessitate positus est, haud ægre me admissurum. Non paucas id genus simplicitates habebam; præcipue vero me movebat ipsa Domini in horto Gethsemani oratio, ubi ei soli me comitem adjungebam. Hic sudorem ejus et quam ibi sensit animi angustiam mecum recolebam, et, si mihi licuisset, hunc tam pœnosum et amarum sudorem ei detergere voluissem : sed, quantum recordor, numquam id ausa fui proponere aggredi, quod peccata mea tam gravia identidem mihi ob oculos versarentur : hic tam diu cum eo per imaginationem manebam, quantum id mihi cogitationes permittebant : nam cæ plurimæ numero mentem non mediocriter lancinabant. Permultos annos plerisque noctium, antequam dormirem, cum me jam ante somnum Deo per preces commendarem, semper aliquanto temporis spatio de hac oratione in horto meditabar, etiam antequam religiosa forem; quod amplæ hocce mysterium recolentibus promissæ esse dicerentur Indulgentiæ. Credo autem firmiter animam meam hoc pacto non contemnendum quæstum fecisse, quod hac occasione orationi vacare cœpi, cum tamen quid ipsa esset nescirem; quinimo ita mihi familiaris jam fiebat
B oratio, ut non magis eam omitterem quam me omittebam signo Crucis communire, dum ad dormiendum me componerem.

piisque cogitationibus de Christi humanitate,

136 Ut ergo ad tormentum, quod a cogitationibus occurrentibus me passam dixi, revertam, dico ordinarium et proprium esse huic orandi modo sine intellectus discursu, ut in eo anima multum vel lucretur vel amittat : omissa, inquam, consideratione, is qui sic proficit, multum proficit, eo quod totus in amando versetur. Nemo autem huc pertingit nisi post magnum laborem, ac non sine magno suo sumptu, præterquam illi quos Dominus quam brevissimo tempore ad orationem quietis perducere dignatur : tales enim nonnullos novi. Qui autem tales sunt, iis expedit librum in manus accipere, cujus lectionis adminiculo statim se recolligant. Plurimum quoque me juvabat videre campos, aquam, flores : his quippe in rebus Creatoris ipsius memoriam inveniebam : hæ, inquam, me excitabant et recollectam faciebant, librique alicujus vicem præstabant, etiam in ingratitudine et peccatis meis. Cœlestia autem ac sublimia numquam intellectus meus (qui ejus erat stupor) potuit imaginari, donec alia mihi via et modo Dominus illa
C repræsentavit : nam adeo parum habilis eram ad aliquid mihi per intellectum repræsentandum, ut nihil ab imaginatione mea subsidii haberem, nisi dumtaxat in recogitando eo quod oculis ipsa meis intuebar, cum tamen alii quaslibet repræsentationes facere possint, in quibus se recolligant. Ego solum de Christo, in quantum homo est, cogitare poteram, numquam tamen eum mihi repræsentare potui, quantumcumque demum de ejus pulchritudine legerem, aut quantaslibet illius imagines viderem, nisi tantum instar cæci alicujus, aut ejus qui in tenebris sine aliquo lumine agit, qui tametsi cum aliquo loquatur, sciatque se apud illum esse (quod certissime norit ipsum præsentem adesse, sciat, inquam, et credat illum coram esse), eum tamen non videt. Eodem prorsus modo mihi fiebat, dum de Salvatore Jesu cogitabam. Hanc ob causam ita erga imagines et picturas afficiebar. Væ autem illis infelicibus qui culpa sua hujusmodi bono excidunt; unde clare colligere est illos Dominum neutiquam diligere : si enim eum diligerent, ejus haud dubie imagine delectarentur; quemadmodum etiam inter amicos mundanos juvat et volupe est imaginem videre ejus quem unice diligimus.

ac S. Augustini Confessiones non sine lacrymis legens.

137 Hoc ipso tempore dati sunt mihi libri Confessionum Sancti Augustini, disponente (ut quidem apparet) Domino; nam eas ipsa nec procuraram, nec umquam videram. Porro singulari erga S. Augustinum affectu sum, tum quod monasterium in quo etiamnum sæcularis habitaram, Ordinis Augustiniani esset, tum quod et ipse dum viveret, peccator fuisset. Nam Sancti quos Dominus, postquam in peccatis vixissent, tandem ad se vocavit, permagnæ mihi semper consolationi fuerunt, quod aliquam in iis opem invenire debere me crederem, et Dominum, quemadmodum illos in gratiam receperat, ita et me in gratiam recepturum. Sed, ut dixi, unum hoc me dejiciebat et angebat, scilicet eos nonnisi semel a Domino vocatos esse, et exinde non amplius recidisse, me vero toties vocatam, semper ad vomitum rediisse. Quod sane summopere me angebat. Attamen cum amorem ejus, quo me prosequebatur, considerabam, rursus animum resumebam : numquam enim de ejus misericordia diffidebam, de me ipsa vero sæpissime. Quam, o bone Deus, animæ meæ duritiem et pervicaciam demiror, cum tamen tot tamque præclara ab ipso subsidia acceperit! Non possum non metuere ac
E pavere, dum cogito quam parum in meipsa potuerim, ac quam velut constricta fuerim, ne mecum ipsa statuerem totam me Deo dare. Ut ergo illas Sancti Augustini Confessiones legere cœpi, mei ipsius in iis imaginem videre visa sum, serioque me et ex animo huic glorioso Patri commendare cœpi. Dumque jam ad illius conversionem pervenissem, et quomodo illa ad eum vox in horto facta esset, non aliter commota sum ac si eadem a Domino voce compellarer : unde etiam magno temporis spatio tota me in lacrymas, introrsum, intra memetipsam flens, effundebam, non sine magna animi amaritudine et angore.

in amore Dei

138 Quantum, Deus bone, patitur anima, ut libertatem, quam uti domina habere deberet, amittat, et quantum tormentorum tolerat! Jam mecum ipsa miror quomodo tanto in cruciatu vivere potuerim. Benedictus sit Deus, qui vitam mihi dedit, ut e morte adeo mortifera emergerem. Magnas tum animam meam a divina Majestate vires accepisse, et Deum clamores meos exaudire tantarumque lacrymarum misereri debuisse, mihi verisimile est. Unde animus et desiderium mihi crescere cœpit, diutius cum ipso in oratione agendi, et peccandi occasiones ab oculis meis amovendi; illis enim re- F motis et ablatis, statim ad Majestatem ipsius amandam denuo convertebar : nam etsi, quantum mihi quidem videbatur, me illum diligere intelligerem, non intelligebam tamen (uti id intelligere debebam) in quo situm esset Deum sincere et cordialiter diligere. Non videbar a me ipsa impetrare posse ut me ad ei servire cupiendum tunc disponerem, cum illius me Majestas novis gustibus recreare rursus incipiebat : quinimo, quod alii summo cum labore sibi comparare student, id Dominus ita mihi ultro dare voluisse videtur, ut quodammodo a me contenderet ut ipsum accipere vellem; adeo scilicet abundanter postremis hisce annis gustus et consolationes spiritus mihi suppeditavit. Eum vero rogare ut eas mihi daret, aut aliquam devotionis teneritudinem, numquam ausa fui; hoc tantum ab eo petii, gratiam ut mihi daret eum posthac non offendendi, et enormia peccata mea mihi condonaret.

et compunctione cordis proficit.

139 Quæ quia ita enormia esse videbam, ideo numquam ex professo et advertenter consolationes gustusve rogare eum ausa sum : et videbatur mihi nimis quam multum ejus pietas agere (et revera

A vera magna mecum est misericordia usus) quod me coram se esse permitteret, meque sibi præsentem habere sustineret : videbam quippe, nisi tantopere ipse institisset, numquam futurum fuisse ut venirem. Semel tantum in vita, quantum memini, gustus spirituales ab eo petii, quod tunc magnam mentis ariditatem sentirem, cumque, quid agerem, adverterem, ita inde apud me confusa mansi, ut hæc ipsa erubescentia, ex eo orta quod me tam parum humilem viderem, mihi dederit id quod petere ausa fueram. Sciebam quidem licitum et fas esse gustus petere; sed illorum tantum hoc esse putabam qui huc rite dispositi sunt, eorum nimirum, qui, quæ veræ devotionis sunt (qualia sunt Deum peccando non offendere, et ad omne bonorum genus egregie dispositum ac resolutum esse), totis semper viribus procurare studuerunt. Videbantur autem mihi hæ lacrymæ meæ muliebres esse et impotentes, cum per eas non obtinerem id quod desiderabam; nihilominus aliquatenus eas credo mihi profuisse, quia speciatim post duas illas quas dixi vices, quibus in illis magnam animi compunctionem et afflictionem sensi, magis me orationi dare cœpi, et minus tractare ea quæ mihi
B noxia et damnosa esse possent :.ac tametsi nondum penitus illa relinquerem, Deus tamen, uti dico, in iis paulatim abdicandis me adjuvabat. Quia autem ejus Majestas nihil aliud exspectabat, quam aliquem ad hoc in me apparatum ac dispositionem videre, hinc spirituales gratiæ, eo quo dicam modo, in me crescere cœperunt; quod tamen ejusmodi est, ut id non soleat Dominus dare, nisi iis qui mundiore conscientia sunt.

Ob sublime orationis suæ genus animo fluctuans,

140 *Post hanc narrationem incipit Sancta exponere singulares favores quos sibi in oratione Deus impertiebatur, ac theologiæ mysticæ altissima tradere documenta; quæ cum pro meo instituto hujus loci non sint, a fine capitis* IX *transilio ad caput* XXIII, *quo diu interruptum historiæ filum S. Mater, ut ipsa monet, resumit.* Jam, *inquit,* narrationis vitæ meæ filum, quod abruperam, resumere volo : vereor enim ne in præcedentibus æquo fuerim prolixior, quo possent ea quæ subjungentur melius intelligi. Sequentia ergo velut novus futura sunt liber, nova, inquam, et alia vita : quam enim hactenus vixi, mea vita fuit; quam vero vixi jam inde ab eo quo hanc orationis materiam cœpi declarare, est illa quam in me Deus (ut mihi quidem vide-
C batur) vivebat : credo enim impossibile plane mihi fuisse, tam brevi tempore tam pravas consuetudines et opera ita deserere. Benedictus sit Deus, quod me a meipsa liberarit. Mox ergo ut occasiones peccandi relinquere et orationi magis me dare cœpi, Dominus etiam mihi suas incipiebat gratias dare, ut qui nihil aliud quærere videbatur quam ut ego eas vellem suscipere. Cœpit ergo Majestas ejus valde frequenter mihi orationem quietis dare ac sæpe etiam unionis; quæ satis diu durabat. Ego vero quoniam illa tempestate multæ fœminæ turpiter illusionibus variis a diabolo deceptæ erant, et in fraudem pertractæ, timere cœpi, quod ea quam sentiebam voluptas et suavitas nimis quam magna esset, et sæpe tanta ut eam ipsa impedire non possem. Verum ex alia parte magnam intra memetipsam securitatem sentiebam, hæc non nisi a Deo venire (præsertim cum jam orationi incumbebam); et magnam inde in vita mea emendationem sequi, meque in spiritu magis corroborari videbam. At si quando vel modica me distractio subinde abripiebat, rursus metuere et cogitare incipiebam, an non forte dæmon sic intellectum meum suspenderet, mihi persuadendo id bonum esse, quo me sic orationem mentalem faceret deserere, et de passione dominica meditari aut intellectu meo uti non pos- AUCTORE V. D. M.
D sem : quod mihi, utpote non intelligenti, major longe jactura et damnum esse videbatur. Sed quia Majestas ejus jam mihi dare lumen volebat, ad scilicet ipsam non offendendam, et quantum ei deberem agnoscendum, hinc ita in me timor hic crescebat, ut is me viros quosdam spirituales, quibuscum de hisce rebus conferrem, quam diligentissime conquirere compelleret.

et Patres Societatis Jesu

141 Jam tum e nonnullis intellexeram Patres Societatis Jesu huc nuperrime venisse (*nempe jam aliquatenus anno* 1553, *sed dein stabilius anno* 1555, *Abulam rogatu civium invectos, hospitio quodam ægrotorum cum adjacente S. Ægidii æde in collegii usum iis a pia quadam sodalitate concesso, uti referunt P. Nicolaus Orlandinus, Hist. Soc. Jesu lib.* XIII, *num.* 43, *et Cardinalis Cienfuegos, Vitæ S. Francisci Borgiæ lib.* I, *c.* VIII); erga quos ipsa, tametsi neminem eorum in particulari nossem, mirifice affecta eram, solum quod eorum et vivendi et orandi modum intellexissem, sed indignam me reputabam quæ eos alloquerer, nec validam satis ad illis obediendum. Atque hoc magis me timere
E faciebat : nam grave mihi et durum erat, talis ego cum essem, illos alloqui et cum ipsis conferre. In hac ergo contentione et conflictu ad tempus aliquod hæsi, quoadusque non sine magna repugnatione quam in me sensi et timoribus, mecum ipsa statui cum viro aliquo spirituali de rebus meis conferre, ut ex ipso sciscitando scirem quale orandi genus ipsa sectarer et haberem; utque is me, si qua in re errarem, edoceret facere quidquid possem ad Deum non offendendum. Nam fortitudinis et roboris defectus, quem in meipsa notabam, ita me, uti dixi, timidam reddebat.

adire non audens,

142 Quam gravis et intolerabilis, Deus bone, error erat, quod, ut bona essem, a bono me subducebam! Haud dubie diabolus hanc in rem in ipso virtutis principio quam maxime debet incumbere; neque enim impetrare hoc a meipsa poteram : novit ipse namque omne animæ bonum ac salutem in eo consistere ut cum viris bonis et amicis Dei communicet; itaque nullatenus ad hoc faciendum poteram animum inducere. Exspectabam donec me prius emendassem, uti et alias feceram tum cum orationem intermiseram, et forsitan id numquam fecissem : jam enim tam profunde quædam malæ
F consuetudines, tametsi exiguæ, mihi insidebant, ut vix possem credere ipsas malas esse, adeo ut alios me juvare et manum mihi, quo resurgerem, porrigere necesse esset. Benedictus sit Dominus, qui primus tandem mihi manum porrexit. Ut vero vidi timorem hunc meum ita increscere (quod indies cresceret oratio), videbatur mihi hic aut magnum aliquod bonum aut maximum malum delitescere; jam tum enim intelligebam id quod habebam, quid supernaturale esse : nam subinde ei non poteram resistere, uti nec in mea manu erat id cum vellem, habere. Hinc apud me cogitabam nullum omnino mei juvandæ remedium esse, nisi conscientiæ puritati studerem, meque ab omnibus cujuscumque peccati occasionibus, etiam venialis, avocarem : posito enim spiritum Dei esse, evidens erat inde mihi non nisi bonum venturum; at si id a maligno veniret, me procurante Domino placere eumque nequaquam offendere, non multum is mihi poterat nocere, imo potius id in ejus detrimentum cessurum certum erat.

magistrum Gasparem Dazam,

143 Hoc itaque apud me constituto, Dominumque identidem obsecrans ut mihi ope sua præsto esset, atque hoc ad dies aliquot sedulo

AUCTORE V. D. M.

observans, comperi animam meam sat virium non habere, ut ipsa sola per se ad tantam perfectionem pertingeret, idque ob nimias quasdam erga aliqua affectiones, quæ quamvis ex se valde mala non essent, satis tamen erant ad omnia impedienda. Audivi itaque de sacerdote quodam perdocto hac in civitate commorante, cujus sanctitatem ac honestam vitam Dominus jam populo patefacere incipiebat. *Gaspar Daza is erat; qui, uti refert Ven. P. Ludovicus de Ponte in vita Ven. P. Balthasaris Alvarez* (*cap.* IX), *probos sibi sacerdotes non exiguo numero adjunxerat, ut in aliorum hominum procuranda salute inopumque difficultatibus sublevandis, non intra urbis dumtaxat mœnia, sed et in omni diœcesi, una secum operam navarent; quos postmodum, pro ea qua præditus erat humilitate, P. Balthasari Alvarez tradidit dirigendos perficiendosque.*

suasu et opera Francisci Salcedii.

144 Hujus mihi sacerdotis, *prosequitur Sancta,* notitiam et accessum vir quidam nobilis etiam hujus civitatis conciliavit. Vir hic (*nomen ei erat Franciscus de Salcedo*) uxorem quidem duxit, sed vitæ est adeo honestæ, itaque orationi et operibus charitatis deditus, ut illius bonitas et perfectio omni in re elucescat, nec immerito, ejus enim adminiculo et opera multæ sunt animæ in salutis semitam revocatæ, idque ob singularia quæ a Deo accepit talenta; quæ cum, quantumvis ratione status hoc facere impediatur, non operari non sinunt. Nam præclaro et præstanti est ingenio et comis erga omnes; conversatio ejus minime gravis et molesta, sed tam suavis et omnibus grata (eo quod et recta sit et sancta) ut omnibus quibuscum tractat, mirifice placeat, omnia vero ad majus animarum quibuscum tractat bonum dirigit, et omni suo studio et opera aliud nihil spectare videtur, quam ut omnibus quibus aliquo modo potest, placeat et gratificetur. Hic ergo bonus et sanctus vir industria sua in causa et initium fuisse videtur ut anima mea viam salutis iniret. Non possum humilitatem illius non summopere mirari, quod ipse me adire et visitare voluerit, cum tamen ipse jam (quantum quidem memini) quadraginta annis (an duo tresve minus sint nescio) orationis studio incubuerit, et omnem vitæ perfectionem, quam status ejus permittere et pati videtur, semper sectatus sit. Uxorem namque habet ita pietati addictam et caritatis studiosam, ut hæc ei in perfectione sectanda nullo sit impedimento; talem, inquam, mulierem, ut eam Deus ei, quem tam singularem et indefessum servum suum noverat futurum, in uxorem selegisse visus sit. Quidam de ejus consanguineis cum meis connubia contraxerant. Habebam præterea notitiam et nonnumquam tractabam cum alio quodam insigni Dei famulo, qui unam de cognatis meis in uxorem duxerat.

consulit:

145 Per hos itaque procuravi, ut is quem dixi sacerdos, magnus, inquam, ille Dei servus, me accederet (nam erat hic ipsis perfamiliaris et notus), statuens illum mihi et in confessarium et in spiritus negotiis directorem deligere. Cum ergo is venit ut me alloqueretur, magno me rubore perfundi sensi, quod coram viro adeo sancto apparerem; ac mox ei animæ meæ et orationis rationem reddidi; porro confessarius meus esse nolebat, quod se aliis negotiis plurimis distentum, ei vacare non posse diceret: revera occupatissimus erat. Hic ergo me sancta aliqua et generosa resolutione conducere cœpit tanquam si fortissima fuissem (et sane talis quidem esse debuissem, pro modo orationis quam me tenere videbat), ut scilicet nullatenus et nulla in re Deum offendere proponerem. Ut ergo firmam et festinam ejus resolutionem etiam parvis in rebus vidi, ad quas tamen, ut dixi, tam perfecte ut volebat statim adimplendas satis virium non habebam; non parum contristari cœpi, quod illum animæ meæ negotium ita respicere viderem tamquam rem quam unica vice semel consequi et perficere possem, cum tamen longiore me curatione opus habere cernerem.

sed nec Daza

146 Videbam itaque me per ea quæ ipse mihi suggerebat media, nullatenus adjuvandam; quod animæ perfectiori magis illa quadrarent: ego enim, etsi in Dei gratiis utcunque provecta essem, tamen valde in ipsis virtutum et mortificationis principiis hærebam. Et sane, si cum nullo alio quam cum hoc tractassem, numquam aliquem anima mea in virtutum studio, credo, progressum fecisset; quam enim in me sensi, afflictio, quod me nec facere nec posse facere (ut mihi quidem videbatur) viderem ea quæ mihi facienda præscribebat, nimis quam satis erat ad desperandum de progressu faciendo et quæ cœperam omnia abrumpenda. Subinde mecum ipsa miror cur, cum singulari vir hic ad animas ad Deum pertrahendas præditus esset gratia, Domino non placuerit ut meam pernosset et illius curam in se susciperet; at jam video id omne ad majus animæ meæ bonum factum et directum esse, ut scilicet sic in notitiam venirem virorum ita sanctorum, uti sunt religiosi Societatis Jesu, et cum illis de rebus meis conferrem.

nec Salcedius, qui eam sæpe visitat,

147 Cum ex eo tempore virum illum nobilem rogassem ut aliquoties ad me visitationis causa excurreret, id ipse se facturum promisit. Hic insignis ejus relucebat humilitas, quod cum persona ita improba, qualis ego eram, volebat agere. Incepit ergo me subinde visitare meque animans dicere, non debere me cogitare me die uno simul omnia posse relinquere, sed Deum id paulatim facturum: nam et se, in rebus quibusdam valde levibus, ad annos aliquot hæsitasse, nec eas etiam omni conatu adhibito relinquere potuisse. O quantum boni præstas, humilitas, iis in quibus habitas, nec non omnibus ad eos qui te possident accurrentibus! Sanctus hic vir (hoc quippe nomine cum merito donare posse videor) quasdam mihi e suis spiritualibus infirmitatibus narrabat, quæ quidem ei, qua erat humilitate, tales esse videbantur (ut earum scilicet narratione, malo ipse meo mederetur); ratione tamen status ipsius, nec defectus erant nec imperfectio; juxta meum tamen statum, gravissima fuisset eas habere. Non sine ratione autem illa huc adfero, esto minutiis referendis plus æquo videar inhærere; tanti quippe eæ momenti sunt, quo anima aliqua in spiritu proficere incipiat, et volare discat, dum (uti dicitur) adhuc implumis est, ut nemo id crederet, nisi qui reipsa id est expertus. Et quoniam certa me cum Dei gratia spes tenet, fore ut R. V. aliis plurimis per hæc prosit, idcirco ea hic adferre visum est; scilicet omne meum bonum ac salutem in eo sita fuisse, quod is me juvare sciverit, tum quod humilitatem simul et caritatem ad mecum manendum, nec non patientiam ad me tolerandam, quod imperfectiones adhuc penitus non rescinderem, habuerit.

animum ejus tranquillare noverunt.

148 Procedebat hic paulatim cum discretione, modos mihi et media ad dæmonem expugnandum suggerens. Unde ita eum diligere cœpi, ut nunquam major mihi esset consolatio quam die illo quo is me visitatum veniebat; sed raro admodum ad me excurrebat. Cum aliquanto diutius visitationem differret, statim non modice affligebar, idcirco eum ad me non excurrere existimans quod nimis quam improba forem. Ut ergo meas imperfectiones ita graves (et forsitan erant peccata; nihilominus, ex quo cum eo agere cœpi, magna vitæ meæ secuta erat

A erat emendatio) nec non gratias quas Dominus mihi conferebat, me referente, quo aliquam mihi ipse hic lucem adferret, intellexit; duo hæc simul consistere et bene convenire posse negabat : has quippe gratias iis solum dari qui jam longius progressi essent et passiones omnes subjectas haberent. Unde non potuit non valde mihi timere : in nonnullis enim rebus diabolica id ei videbatur esse illusio et impostura; se tamen non plane id asserere velle aiebat. *Hæc Salcedii hallucinatio ex eo potissimum orta videtur quod cerneret vias Dei plane diversas in Maria Diaz, provectioris ætatis virgine, cujus præclara virtutibus vita, quam describit P. de Ponte* (*op. cit. c.* x), *toti civitati Abulæ admirationi erat.*

Interim mirantem Dei beneficia

149 *Porro ad internam* Teresiæ *anxietatem hoc probabiliter tempore accesserunt variæ illæ in ipsam oblocutiones, quasi fœda hypocrisi res novas moliens, ut quœdam Magdalena a Cruce fecerat, famam sanctitatis aucuparetur. Quapropter non immerito huc refertur prima Domini ad sponsam suam locutio; quam extra factorum ordinem capite* XIX *Vitæ suæ Sancta refert in hunc modum :* Cacodæmon magnum mihi hac in re certamen movit, multumque sum passa ex eo quod parvam humilitatem esse credeB rem me ita improbam orationi incumbere : adeo ut ipsam (uti supra dixi) sesquianno, aut saltem anno toto (nam de medio anno usque adeo certa non sum) intermiserim. In quo si perrexissem, recta me ipsa in infernum deturbassem (imo jam revera me deturbabam), ita ut dæmonibus, qui me eo conducerent, minime opus esset. Quanta hæc, Deus bone, cæcitas est! et quam bene diabolus novit quid agat, cum tam efflictim eam impedire satagit! Novit quippe sacrilegus hic impostor, se in animam quæ in oratione constanter perseverat, nihil posse, deque ea subvertenda se prope desperare debere, et omnem quem ei causatur lapsum et ruinam, postea illam adjuvare, ut, per Dei gratiam, in divino obsequio ferventius currat et ulterius provehatur : magni ergo hoc illius interest. Quid est, Jesu bone, animam quæ huc pervenit, in peccatum aliquod prolapsam videre, quando tua tu misericordia denuo ei manum porrigis et eam sublevas! Quomodo tunc magnitudinis et misericordiarum tuarum multitudinem, propriamque miseriam agnoscit! Tunc scilicet serio se annihilat, tuamque magnitudinem agnoscit : tunc oculos attollere non audet : tunc non aliter eos attollit quam ut videat quantum tibi debeat : tunc
C ardentem erga Cœlorum Reginam affectum induit, quo ipsa te propitium reddat : tunc Sanctorum qui, postquam a te vocati essent, lapsi sunt, opem invocat, ut eos auxiliatores habeat : tunc nimis quam superfluum pro se putat omne id quod ei das; videt enim se ne terram quidem, quam calcat, promereri : tunc fide viva ad Sacramenta accedit, utpote quæ hic ei manet ad vim et virtutem quam in ipsis sitam esse voluisti agnoscendam : tunc denique te laudat, quod talem pro vulneribus nostris medicinam et unguentum reliqueris, quæ ea non tantum superficie tenus sanant, verum etiam penitus auferunt.

sibi imperfectæ concessa,

150 Hoc itaque anima demiratur : et quis, o Deus animæ meæ, tantam misericordiam ac tam excessivam gratiam, post proditionem tam fœdam et abominabilem, non admiretur? ut nesciam quomodo cor meum mihi hæc scribenti non disrumpatur, quod ita scelesta et improba sum. Videor tibi per has lacrymas quas hic fundo, quasque ipse mihi das (quæ sunt velut tam male olentis putei, quantum est ex parte mea, aqua), pro tam fœdis quas admisi proditionibus satisfacere; semper quippe malum committebam, et gratias ac beneficia, quæ ipse mihi contulisti, tibi destruere allaborabam. Tu eis, Domine mi, robur et valorem adde, aquam hanc ita turbidam, limpidam redde, saltem ne cui occaD sionem dem judicandi (uti mihi id occasio fuit) et cogitandi, quare, o Domine, viros quosdam sanctissimos, qui semper tibi servierunt, semper pro te laborarunt, quique in Religione educati, et de facto veri religiosi sunt, non quales ego, quæ nudum dumtaxat religiosæ nomen habebam, negligas; cum aperte videam eas te illis gratias non facere, quas præstitisti mihi. Video, o Bonum meum, te præmium illis in futurum reservare, quo iis id totum simul retribuas, imbecillitatem autem meam hoc gratiarum adminiculo opus habere. Illi ceu fortes et generosi serviunt tibi sine illo, et tu illos velut robustos et valentes ac sine ullo proprio compendio tibi servientes tractas; verumtamen nosti, Domine, sæpe me ad te clamasse, eos qui mihi detrahebant, et adversum me loquebantur, apud te excusando, quod bona ratione ad hoc eos moveri crederem. Hoc tum erat, Domine, postquam tua bonitate me sustinebas et retinebas, ne toties te offenderem, et cum jam a parte mea paulatim subducere me inciperem ab omni eo quo te putarem offendi posse et exacerbari. Mox enim ut hoc ego faciebam, tu tuos, Domine, thesauros illico reserare incipiebas, E quo ancillæ tuæ eos communicares. Et prout quidem quamprimum et statim incipiebas, non solum eos mihi dare, sed etiam velle ut omnibus innotesceret illos a te mihi dari, aliud sane exspectasse non videris, quam ut aliquam ipsa ad eos recipiendos voluntatem et dispositionem adferrem.

et obtrectationibus impetitam,

151 Hoc ergo cum vulgo viderent omnes, bonam opinionem habere cœperunt de ea quæ quam improba esset nondum intellexerant, esto improbitas mea satis forinsecus appareret. Unde derepente acris adversum me exorta detractio et exagitatio, et, prout quidem mihi videtur, non sine ratione : unde etiam erga nullum eorum odium aut inimicitiam concepi, sed te rogabam ut quibus movebantur, rationes intuereris. Dicebant ergo quod haberi vellem Sancta, et novitates quasdam adinvenirem; cum tamen tunc temporis nondum magna ex parte adimplerem ea quæ regula mea facienda præscribebat, nec ad quarumdam bonarum et sanctarum sororum, quæ domi erant, perfectionem pervenissem, imo nec ad illam quidem me perventuram puto, nisi sua Deus bonitate totum ex parte sua agat. Sed contra noveram tollere id F quod bonum erat, et ejus loco consuetudines non bonas introducere; eas saltem pro posse meo inducere satagebam : in malo enim satis potens et valida eram. Quocirca merito ac nulla sua culpa me culpabant; nec solum moniales domesticæ, sed externi, te nimirum permittente, mihi quæ vera erant detegebant.

Salvator prima vice alloquitur.

152 Quadam vice, cum horas canonicas (dum hæc me tentatio subinde capiebat) recitarem, et jam ad illum versiculum : « Justus es, Domine, et rectum » judicium tuum, » pervenissem, cogitare mecum ipsa cœpi quam hoc verum esset : nam quoad hoc numquam satis dæmon virium habuit ut me tentaret, ut scilicet ambigerem num omnia bonorum genera in te, Domine, complectereris, aut de aliquo fidei articulo subdubitarem; quin potius, quo res credendæ communes naturæ limites magis excedebant, eo fidem habere videbar firmiorem, et magnam in me devotionem excitabat quod omnipotentem te esse cogitarem : per hanc enim cogitationem omnia magnalia, quæ faciebas, in me comprehendebam, et quoad hoc (uti dixi) numq uam vel minimum dubitavi. Cogitanti ergo mihi quomodo (non sine justitia tamen) multis ancillis tuis, quæ (uti

AUCTORE V. D. M.

(uti dixi) tibi sincere et ardenter hoc in loco famu-
A labantur, illas consolationes et gratias negares, quas mihi, quæ talis eram qualis fui, erogabas, respondisti, Domine : « Servi tu mihi, de cætero noli » esse solicita. » Hoc primum fuit verbum quod loquentem te audivi; unde etiam me satis consternatam reddidit. *Ad cætera namque Sanctæ incommoda id quoque eo tempore addebatur quod orationis suæ naturam neque ipsa capiebat, nedum aliis poterat explicare. Nihilominus brevi post, Deo juvante, ejus explicationem invenit in pio opusculo, cujus auctorem fuisse Bernardinum de Laredo, Fratrem laicum Ordinis Minorum, de quo Waddingus* (*Annal. Min. ad annum* 1433) *præclaram facit mentionem, conjicio ex Bibliotheca Franciscana P. Joannis a S. Antonio.*

Denique Sancta librum, in quo orationis suæ natura exponebatur,

153 *Rem ipsam cum iis quæ illam secutæ sunt circumstantiis Sancta narrat capite suo* XXIII, *quod ita prosequitur, adhuc de Salcedio loquens :* Monebat porro ut quidquid ad orationem meam spectare putabam, sedulo notarem, et ad ipsum dein referrem; sed in eo difficultas omnis erat, quod quæ et qualis oratio mea esset, exponere non possem : nam non nisi nuper admodum hanc mihi Dominus
B gratiam præstitit, quod intelligere et exponere possem quale id sit. Ut ergo hoc ipse mihi dixit, simul accedente metu quem a me ipsa habebam, maximopere intra meipsam angustiari cœpi, totaque in lacrymas resolvi : nam aliud sane non quærebam quam Dei voluntatem implere, mihique persuadere non poteram a dæmone hæc venire, subverebar interim ne forte ob mea me peccata Deus excæcasset, ut hoc ipsa non intelligerem. Varios itaque inspiciens libros, ut viderem num quem orandi modum habebam, in iis expressum viderem, et ita eum aliis de eo sciscitantibus possem exponere, tandem in eo cui nomen est Ascensus in Montem, quantum ad unionem animæ cum Deo spectat, omnia illa legi signa quæ in me ipsa in illa unione notabam, quod scilicet nihil penitus cogitarem; hoc quippe erat quod semper dicebam, nimirum me, cum hunc orandi modum tenerem, nihil omnino cogitare posse. Quamobrem, lineis quibusdam subductis, loca illa in libro notavi, eique librum tradidi, ut et ipse et alius ille quem dixi, sacerdos pius Deique famulus, ipsum inspicerent meque docerent quid facto mihi opus esset, cum animo et proposito, si ita
C ipsis videretur, orationis studium penitus intermittendi. Ad quid enim me in illa pericula conjicerem, cum viginti aut circiter annorum spatio, quibus hanc orationem usurpavi, nullum aliud inde commodum retulissem quam illusiones diabolicas? satius proinde esse eam prorsus omittere, quamquam et hoc grave mihi videbatur : jam tum quippe experta eram quis animæ meæ sine orationis exercitio esse soleret status; adeo ut angustiæ mihi essent undique, et quamcumque in partem me verterem, quietem non viderem : sicut qui in rapidissimi fluminis medio constitutus, ad quamcumque ejus partem accedit, ibi majus et evidentius periculum incurrere timet, et jamjam ab aquarum impetu absorbendus est. Est hæc ingens quædam crux et angustia, et id genus plurimas ipsa sum passa, uti postea dicam : quod scire etsi parum referre videatur, forsitan usu venire poterit ad sciendum quomodo spiritus probari debeat.

consultoribus suis anxia ostendit;

154 Et certe magna est angustia quam homo ibi patitur; unde summa hic opus est circumspectione, præsertim in mulieribus : magna quippe nostra est infirmitas, et ingens inde oriri malum posset, si aperte ipsis diceretur hæc dæmone auctore in ipsis fieri; sed res ipsa exacte inspicienda est, et omne occurrens periculum ab iis avertendum, ipsæque D clam aliis et secreto commonendæ, ut secreta sua celent, quod et ipsi confessarii facere debent : ita quippe et expedit. Hoc dico et moneo, quia hac in re satis multa sum passa, quod quidam, quibuscum de oratione mea contuli, tacere non potuerunt : nam modo hunc, modo illum consulendo, adeo non mihi profuere, ut potius magnopere nocuerint. Hac enim ratione multa divulgata sunt, quæ satius fuisset taceri et celari, cum hæc non sint omnium et quorumlibet; et ego illa evulgare videbar. Crediderim equidem Dominum id, nulla ipsorum cum culpa, permisisse, quo ego aliquid patiendi materiam haberem. Non dico eos aperuisse aut revelasse ea quæ in Confessione acceperant; sed quia erant quibus ob timorem quem habebam, omnia mea aperiebam, quo facem mihi præferrent et bene consulerent, par mihi esse videbatur eos audita tacere debere : interim tamen nihil omnino eorum quæ mihi occurrebant, tales homines celare audebam. Moneo itaque ut circumspecte et magna cum discretione cum mulieribus procedant, semper illas animando, et tempus exspectando, quoadusque eas Dominus juvet, uti me juvit : nam alioquin, prout quidem
E meticulosa et subtimida eram, maximopere id mihi nocuisset, accedente præsertim illo ordinario meo animi deliquio : unde et miror me non plus adhuc inde damni accepisse.

qui eam, ut a dæmone delusam, remittunt

155 Postquam ego librum illi tradidi, simul et vitæ meæ rationem ac peccata mea in genere, quam poteram optime, aperui (non quod confiterer; erat quippe laicus : satis tamen ei declaravi quam essem improba), duo hi Dei famuli magna cum caritate et amore considerabant et examinabant quid mihi facto opus esset. Ut ergo secum statuerunt quid mihi responderent (quod ego responsum magna cum anxietate exspectabam, cum per eos dies etiam plurimis, ut negotium meum per preces Deo commendarent, injunxissem, et ego id a parte mea per frequentes orationes serio commendassem), magna cum angustia et animi mœrore eorum alter ad me venit, et dæmonis esse illusionem sibi ac socio post maturam deliberationem videri dixit; quocirca sibi consultum videri, ut cum quodam e Societate Jesu hac super re conferrem, libenter se interfuturum, si quem e Patribus illis ad necessitatem meam ei declarandam accerserem, illi totius vitæ meæ et status rationem in generali Confessione
F redderem, idque quam poteram apertissime et sincerissime : nam per Sacramenti Confessionis virtutem sperare se fore ut Deus plus ei lucis daret; illos quippe Patres in rebus spiritus esse versatissimos. Monebat præterea ut in omnibus quæ is mihi suggereret aut consuleret, ei quam exactissime morem gererem; quod, nisi haberem qui me dirigeret, in præsentissimo lapsus versarer periculo.

ad P. Joannem Padranos S. J.

156 *Reapse S.* Teresia *inter Patres Societatis Jesu eum offendit qui animo nimium affecto mederi nosset : nempe Joannem Padranos; quem S. Franciscus Borgias, ætate juvenem illum quidem, sed spiritu provectum, cum P. Ferdinando Alvarez del Aguila anno* 1555 *ad fundationem Abulensis collegii destinarat. Hic, audita* Teresiæ *Confessione generali, ac traditis ei* (*ut referunt Ribera et Cienfuegos, ac post eos* Imago primi sæculi Societatis Jesu) *quibusdam S. P. Ignatii exercitiis spiritualibus, meditationem humanitatis Christi impense ei commendavit : gustum vero quem orando hauriebat, respuere præcepit, donec aliud ille injungeret; et ad vitæ austeritatem, quam illucusque parum exercuerat, hortatus est. Obsecuta monitis fuit S. Virgo : sed orationi suæ circumscriptos fines non prætergredi non potuit; quia scilicet, quo*

A *quo magis reluctabatur divinis consolationibus eo majori ubertate iisdem perfundebatur. Simul afflictationi carnis se ex animo dedidit, cilicium induens e ferreis laminis in radulæ seu scobinæ modum perforatis, ac sese frequenter vel urticarum manipulis vel clavibus diverberans, proposita sibi inter plagarum dolores passione Jesu Christi. Ita magis stabilita ac firmiori fundamento innixa sua oratione, mirum quantum in sui cognitione proficere cœpit atque a rebus superfluis abstrahi : ut vere pronuntiaverit Cienfuegos* (*lib.* I, *c.* XVII) *P. Padranosium quasi ignem Santelmi fuisse quo oceanus ille, puta S.* Teresiæ *animus, antea procellosus, totus conflagrare visus sit. In eo vero, ut monet Ven. Joannes a Jesu Maria, Patris illius prudentia præsertim enituit quod non confestim Virginem severis legibus obstrinxit; sed cunctatus Dei opus observavit, nativos mores inspexit, et sensim, præeunte Deo, ad ulteriora promovit. Id jam ipsam Sanctam narrantem audiamus ad finem capitis sui* XXIII *et initio capitis* XXIV.

B

§ X. A novo conscientiæ arbitro mire in virtutum studio promovetur. Agit cum S. Francisco Borgia, qui ejus spiritum approbat. Valedicit ex integro humanis amicitiis : timore dæmonum una Salvatoris locutione liberatur.

Audita Teresiæ *Confessione generali,*

Postquam igitur *S.* Teresia *dixit se a magistro Daza et Francisco de Salcedo remissam fuisse ad sacerdotem quempiam Societatis Jesu :* Tantum, *ait,* inde concepi timorem et angorem, ut quid factura essem plane nescirem : unde ubertim flere cœpi; cumque in oratorio meo admodum afflicta sederem, incerta quid mihi futurum esset, libro quodam (quem mihi Dominus haud dubie in manus tradidisse videtur) sumpto, in eo legi, Apostolum Paulum
C scribere, Deum fidelem esse quam maxime, ita ut eos qui ipsum serio et sincere amant, nunquam a diabolo decipi sinat et illudi. Hoc autem maximæ mihi consolationi fuit. Itaque de generali Confessione instituenda cogitare cœpi, et omnia mea mala et bona, nec non universam vitæ meæ seriem, quam nosse et intelligere poteram clarissime, nihil ut illius omitterem, scripto tradere. Memini autem me, postquam quæ scripseram relegi, tot scilicet mala et nullum prope bonum, summo mœrore et afflictione oppressam fuisse. Valde quoque me torsit, quod me domesticæ cum hominibus tam sanctis, quales Societatis Jesu Patres erant, agentem visuræ essent : verebar quippe meam improbitatem; et videbatur mihi quod sic magis obligata manerem ad eamdem deponendam et omnibus recreationibus meis valedicendum, et nisi hoc facerem, inde majora sequi mala possent. Unde ædituam et janitricem rogavi nemini id significarent, sed parum hoc mihi profuit; nam forte fortuna factum est, ut, cum ad Patres alloquendos evocarer, ad januam esset quæ per totum monasterium mox id divulgavit. Ah, quot dæmon remoras, impedimenta et timendi occasiones oggerit ad Deum venire cupientibus!

158 Itaque cum magno hoc servo Dei (nam talis revera erat, et magnæ vir prudentiæ) tractavi, universumque vitæ meæ statum et animæ interiora ei patefeci; ipse autem, utpote hisce in rebus versatissimus, liquido mihi declaravit quidnam de me rei esset, meque ad ulterius pergendum animavit, dicens spiritum Dei evidenter hic operari; sed debere me ad orationis studium denuo reverti, quod bene fundata non essem, et necdum intelligere incepissem quid esset mortificatio (et ita erat; nam ne nomen quidem ejus mihi videbar intelligere), ac proinde orationem nullatenus intermitterem, sed animum sumerem, cum tam singulares mihi Deus gratias faceret : quis enim, inquiebat, novit an multas opera tua animas Deus juvari velit? Et alia id genus addebat plurima; ita ut velut Propheta mihi prædixerit ea quæ Dominus postea mecum egit. Adhæc magnæ me culpæ ream fore, si acceptis a Deo gratiis haud responderem. Visus est itaque mihi ipse Spiritus Sanctus per omnia ejus ore loqui, ad animam meam curandam : ita quidem is se cordi meo insinuabat et imprimebat. Magno hic igitur me rubore suffudit, et per eam viam conduxit, ut me in alium plane hominem commutare videretur. Quam magnum porro bonum est animam pernosse
E et intelligere!

AUCTORE V. D. M. *P. Padranos censuit Deum in ea operari;* D

159 Monebat is me, ut quotidie aliquod dominicæ passionis mysterium meditando percurrerem, et per hoc me ipsa juvarem, ac non nisi de humanitate Christi cogitarem, illis autem recollectionibus internis ac gustibus, quoad ejus fieri poterat, resisterem, nullumque penitus iis locum darem, quoadusque ipse aliud moneret. Is ergo plane me consolatam et ad majora animatam reliquit; et ita Dominus cum me, tum illum mire juvit, ut et conditionem meam ac statum, et quomodo me dirigeret, intelligeret : firmiter autem apud memetipsam statui, ab omnibus quæ mihi injunxerat, ne latum quidem unguem vel in minimo recedere; atque ita ad hoc usque tempus illud observavi. Benedictus sit Dominus, qui mihi confessariis meis obediendi, tametsi satis imperfecte, gratiam dedit. Et hi pene semper fuere e benedictis illis Patribus Societatis Jesu; esto eis, sicuti jam dixi, imperfecte admodum obsecuta sim. Quare factum est ut notabiliter melior animæ meæ status redditus sit, uti jam referam.

rationem meditandi ei præscripsit;

160 Post generalem illam Confessionem, anima mea ita serenata et tranquillata mansit, ut nihil mihi objici et proponi posse visum sit, ad quod aggrediendum me non quam libentissime disposuissem : unde multis in rebus me ipsa mutare cœpi, et fui alia, quamvis me confessarius non urgeret, imo vero ipse omnia illa etiam parvi facere videretur. Et hoc maxime me movebat, eo quod juxta normam et regulam caritatis Dei me ducebat, et ut qui ad libertatem, non autem ad præmium, vocaret, nisi hoc ipsa mihi per amorem promererem. Bimestri pene toto ita me gessi, omnimodis allaborans ut divinis consolationibus et gratiis resisterem; quoad exteriora vero, notabilis in me apparebat mutatio : nam incipiebat mihi jam Dominus robur et animos dare ad quædam superanda, quæ iis qui me noverant, atque etiam domesticis, extrema esse videbantur. Et, ut verum fatear, prout quidem erat quod ante faciebam, bene judicabant extrema esse; sed secundum id ad quod ratione habitus et professionis meæ tenebar, minus æquo præstabam. Per hanc gustuum et suavitatum interiorum reluctantiam hoc saltem assequebar quod a Domino instruerer. Ante namque mira mihi, ad id genus gustus in oratione sentiendos, opus esse videbatur solitudine et abstractione, ita ut me vix movere

eamque, bimestri spatio gustibus internis obedienter reluctantem, F

AUCTORE V. D. M.

A auderem; sed postea adverti quam parum hoc ad rem faceret: nam quo plus me satagebam distrahere et in alia divertere, eo me illa suavitate Dominus et gloria abundantius perpluebat; adeo ut ab illa circumcingi et obrui, et nullo eam modo effugere posse viderer. Et revera ita erat, tametsi a parte mea in tantum in contrarium obniterer, ut mihi etiam id pœnosum esset. Dominus contra hoc bimestri, in gratiis mihi subministrandis et sese patefaciendo, magis effundere visus est quam antea, ut hac ratione melius intelligerem non amplius in potestate mea esse illis resistere.

in mortificationis studio promovit:

161 Cœpi ergo novo quodam erga sacratissimam Christi humanitatem affectu affici, et oratio mea magis stabiliri, perinde ac domus aut fabrica cujus jam fundamentum positum est, nec non majori erga austeritatem et afflictionem corporis, quam ob morborum meorum gravitatem hactenus neglexeram, studio ferri. Aiebat sanctus ille vir qui Confessionem meam excipiebat, quædam mihi nullum prorsus detrimentum allatura, ac Deum ideo fortasse tantas mihi infirmitates ac morbos immittere quod austerius corpus meum non tractarem, ac proinde Majestatem ejus, me in eo deficiente, illud

B castigare et affligere velle. Quasdam ergo me mortificationes jubebat subire, quæ mihi parum gratæ, imo molestæ erant: nihilominus eas omnes exactissime implebam, quod et mihi a Domino injunctas, et ei ab illo ad illas mihi præscribendas gratiam dari existimarem, ut hac ratione ei obsequens forem. Jam ergo anima et conscientia mea angi scrupulis incipiebat, si quod, quantumlibet exiguum, adversus Deum peccatum admitterem; adeo ut, si quid superflui haberem, non prius me in oratione recolligere et attentionem habere possem, quam ipsum a me abdicassem. Sæpius quoque tunc ad hoc orationem meam direxi, ut in sua me Dominus protectione habere dignaretur, nec me, quandoquidem cum servis ejus communicabam, retroflectere sineret; hoc enim mihi magnum et intolerabile crimen fore, et illos insignem, mea occasione, boni, quod apud omnes habebant, nominis jacturam facturos arbitrabar.

donec tandem S. Franciscus Borgias,

162 Hoc ipso tempore ad hoc oppidum appulit P. Franciscus, qui, Gandiæ dux cum fuisset, abhinc annis aliquot, omnibus quæ possidebat relictis, Societati Jesu se dedicarat. Operam dedit confessarius ille meus ut hic me semel alloqueretur (et vir ille nobilis quem dixi, hac etiam de causa ad me venit), ut orationis quem habebam modum illi declararem: sciebat enim multas illum a Deo gratias et singulares favores accepisse, ut qui, quoniam multa propter eum reliquerat, jam tum in hac vita aliqualem ab eo propterea compensationem accipiebat. Is ergo postquam me loquentem audivit, Dei spiritum hunc esse dicere non dubitavit, sibique nefas videri jam diutius et magis ei obluctari, quamvis in ei hactenus resistendo non peccassem nec male egissem. Suadebat autem ut orationem meam semper ab aliquo passionis mysterio inchoarem, ac, si deinde Dominus mentem meam suspenderet aut raperet, ei neutiquam resisterem, sed Majestatem ejus illam sustollere sinerem, sic ut ipsa raptum minime procurarem. Hic itaque salutare mihi consilium et remedium suggessit, utpote qui hac in re versatissimus erat. Multum quippe hic facit experientia. Addebat præterea, gravissime me delicturam, si posthac amplius spiritui Dei refragarer. Unde magnam in animo meo consolationem sensi, uti et vir ille nobilis; qui etiam magnopere lætabatur, audito Spiritum Dei hic operari, mihique semper qua poterat (poterat autem plurimum) tum verbis tum re D subsidio fuit.

Abulam anno 1557 veniens,

163 *S. Franciscus Borgias, pro rebus Societatis Jesu in Hispania commissarius a S. Ignatio constitutus anno* 1554, *et a decessu S. Fundatoris, qui anno* 1556 *contigit, eodem in munere confirmatus, e cœnobio S. Justi Placentinæ diœceseos, ubi apud Carolum Quintum, abdicato regno illic degentem, triduum exegerat, verno tempore anni* 1557 *Abulam venit; prout Bueus noster stabilivit in Commentario prævio ad ejus Vitam (tom. V Octobris, pag.* 201). *Signandus hic error Villeforii, qui pro commissario provincialem scripsit, et præcipue anachronismus in quem prolapsi sunt Yepes et Joannes a Jesu Maria, jam tum S. Francisco Borgiæ titulum Generalis Societatis Jesu assignantes: quem tamen ille titulum non ante annum* 1565, *defuncto P. Jacobo Laynez, adeptus est. Neque probandus est, ut patet, annus* 1558 *quem huic Borgiæ itineri adscripsere PP. Franciscus a S. Maria et Fredericus a S. Antonio; licet tamen et eo anno Abulam iterum venisse Sanctus potuerit. Hac autem prima vice in S. Ægidii collegio moratus est dies quindecim.*

spiritum Sanctæ plane approbavit.

164 *Porro auctores sunt Yepes (Prologi* § III) *et Joannes a Jesu Maria (lib.* I, *cap.* I) *Borgiam, ex quo cum* Teresia *agere cœpit, ingentibus sanctimoniam ejus extulisse laudibus ac perennem cum ea per litteras (quæ utinam superarent!) amicitiam coluisse. Idem in Relatione de virtutibus S.* Teresiæ *coram Paulo V, Summo Pontifice, enuntiatum fuit:* P. Franciscum Borgiam, Societatis Jesu Generalem, et prius ducem Gandiæ, genere clarissimum, tantoque magis rarum exemplum mundi contemptus, orationis et contemplationis magnum magistrum, vitæque sanctitate conspicuum, non modo spiritum B. Teresiæ absque ulla exceptione probasse; verum adeo illam veneratum fuisse ut frequenti litterarum officio devotissime salutaverit (*part.* II, *art.* II, § 1). *Specialius etiam est quod meminit Cienfuegos (loco citato) S. Matrem de suis fundationibus Divi Borgiæ consilium per litteras expetivisse, et ab eo responsum tulisse quo vir Dei ejus molimina non approbaret tantum, verum etiam urgeret. Quod vero in opusculo* Vita et mores, *etc. Sancta nostra dicitur (art.* 17) *Borgiæ confessa fuisse interventu P. Balthasaris Alvarez, id quidem hoc de quo agimus tempore fieri potuisse non videtur, quando nondum erat ei cum Alvarezio rerum spiritualium commercium; contingere autem potuit uno e sequentibus annis, fors* F *anno* 1558, *per aliud quoddam Borgiæ iter. Namque ipsa* Teresia *scripsit anno* 1576 *ad P. Rodericum Alvarez (tom. I, epist.* 19) *se bis cum Borgia egisse: quod haud scio an non de duobus tantum intra quindecim hos dies colloquiis intelligendum sit; an potius sic ut dicatur S. Franciscus bis venisse Abulam et utraque vice sæpius S. Virginem visitasse, prout de alterutra saltem vice Chronicum habet (lib.* I, *cap.* XX, *num.* 4).

Padranosio Abula evocato,

165 *Dum Abulam liquit S. Franciscus Borgias, P. Padranos etiam, qui jam bimestrem S.* Teresiæ *habuerat curam, indidem avocatus fuit; quod illam non parum afflixit, ratam vix alium confessarium ex sententia successurum. Invenit tamen, ope cujusdam cognatæ suæ et alterius matronæ, nomine Guiomaræ de Ulloa, alterum non minus idoneum ex eadem Societate virum; a quo ad majorem etiam perfectionem cœpit incitari et quibusdam amicitiis ac necessitudinibus efficacius subduci. Non videtur confessarius ille fuisse P. Balthasar Alvarez; quanquam id crediderint PP. Ludovicus de Ponte, Franciscus a S. Maria, Fredericus a S. Antonio, Montoya aliique. Etenim primo, ut monet Boucher ex Ludovico de*

A *de Ponte, Sacchino ac Nierembergio, non fuit P. Balthasar ante annum* 1558 *sacerdotum ordini adscriptus. Secundo, Ribera non obscure significat alium quemdam Patrem inter Joannem Padranos et Balthasarem Alvarez intercessisse; præsertim lib.* I, *cap.* VI, *ubi dicit :* Alius ex eodem collegio (*nempe Abulensi*) Pater, qui antea illam direxerat et jam etiam interdum illius, P. Balthasare aliorsum impedito, confitentis excipiebat peccata, *etc. Tertio, in eumdem sensum loqui videtur S. Mater :* Unus, *inquiens,* illorum (*PP. Societatis Jesu*), qui antea me adjuvabat, is cui subinde, P. Ministro (*Balthasare Alvarez*) impedito, confitebar, incipiebat dicere, *etc.* (*Vitæ suæ cap.* XXIX).

alium e Societate Jesu

166 *Mihi incertum de quo Patre hic sermo sit; sed apud Cienfuegosium* (*lib.* IV, *c.* VIII, § I) *legitur P. Ferdinandus Alvarez, qui Francisco Salcedio a Confessionibus erat, aliquoties S.* Teresiam *pro sacro Tribunali audivisse. Boucher anceps hæret inter P. Ferdinandum hunc et P. Antonium Araoz, S. Ignatii consanguineum.* Cum Araozio rem sibi fuisse ipsa, *ait,* Sancta testatur. *Recte id quidem; sed valde dubium an anno* 1557 *aut* 1558. *Sanctæ enim de se sub tertia persona scribentis ad P. Rodericum Alvarez* (*tom. I, epist.* 19) *hæc sunt verba :*
B Tractare cœpit cum viris spiritualibus Societatis Jesu; quos inter fuere P. Araoz, qui erat commissarius Societatis, quem contigit illuc accedere, *etc. Jam vero commissarii munus Araozius suscepit anno* 1562 (*Hist. Soc. Jesu, part.* II, *lib.* VI, *n.* 65), *et fuit antea Castellanæ provinciæ præpositus ab anno* 1554 (*Ibid. part.* I, *lib.* XIV, *num.* 53) : *ergo non est probabile eum unquam S.* Teresiæ *stabilem confessarium fuisse; quod si illam aliquando audierit confitentem, id tantum fecerit pro data occasione in casu aliquo particulari. Hæc ad supplendas quasdam S.* Teresiæ *omissiones a me disseri oportuit : ipsam nunc iterum audiamus.*

confessarium Teresia *eligit;*

167 Hoc autem tempore jussus est confessarius meus ex hac civitate in aliam commigrare; quod sane pro eo ac debuit, mihi permolestum accidit et grave fuit : verebar enim ne rursus retrospicerem, et ad pravas meas consuetudines redirem, mihique impossibile videbatur huic parem invenire. Unde anima, velut in deserta quadam solitudine sola relicta, valde anxia et timida mansit; ut quid mihi facerem plane ignorarem. Quocirca quædam de cognatis meis tantum fecit, ut me domum suam abduxerit, ubi ego me quamprimum
C ad Patres Societatis contuli, ut alium mihi ex illis confessarium deligerem. Placuit autem hic Domino, ut necessitudinem et familiaritatem cum vidua quadam nobili sanctæque vitæ, quæ cum Patribus illis sæpe tractabat, contrahere inciperem. Hæc suo me confessario fecit confiteri, et ad dies aliquot illius in ædibus egi. Pergratum mihi erat quod non procul ab eorum collegio habitaret, quo major esset cum ipsis identidem agendi occasio : magnum siquidem animæ meæ etiam e nuda sanctitatis, quam in omni conversatione sua præferebant, fama et commemoratione commodum accedebat. Hic porro Pater ad majorem cœpit me promovere perfectionem : aiebat enim nihil omnino me prætermittere debere, quo Deo penitus et per omnia placerem; quam etiam in rem magna satis industria et suavitate utebatur : vix enim anima mea utcumque fortis erat et valens, sed admodum tenella, præsertim ad particulares quosdam erga nonnullas personas affectus exuendos : nam etsi per illos Deum minime offenderem, magnus tamen meus erga eas erat affectus; unde insignis mihi futuræ ingratitudinis nota videbatur, easdem amicitias rescindere. Quare ab eo petebam cur, cum Deum per eas non offenderem, ingrata esse vellem? D Suasit ergo mihi ut ad aliquot dies negotium hoc Deo commendarem, hymnumque : « Veni Creator » Spiritus, » etc. recitarem, ut is mentem meam illuminare dignaretur, quo quid factu optimum esset, possem perspicere.

AUCTORE V. D. M.

et Christi in raptu loquentis jussu,

168 Cum ergo die quadam frequentius et ardentius orationi institissem, Dominumque, ut me in illi penitus placendo adjuvaret, rogassem, hymnum prædictum recitare cœpi; in quo cum aliquousque progressa essem, tam subitus me raptus occupavit ut prope tota extra me ipsa essem, ita ut de eo nullatenus dubitare possem; nam nimis quam manifesta res erat. Hic primus fuit raptus quem Dominus mihi dedit, in quo aperte verba hæc ex eo audivi : « Nolo posthac cum hominibus con- » verseris, sed cum Angelis. » Maximopere hoc me consternavit : magna quippe animæ meæ erat turbatio et commotio, et verba hæc mihi valde profunde in spiritu dicebantur. Unde magnus me timor incessit, sed ex alia parte mirabili sum consolatione perfusa : quæ, postquam timor (utpote quem, ut quidem censeo, ipsa rei novitas causabat) jam abiisset, accessit et intra me mansit. Quod autem ad E me tunc ore dictum est, exinde re ipsa completum est : ex eo enim tempore numquam amplius firmam cum quopiam necessitudinem contrahere, consolationem ex eo capere, aut amore prosequi aliquem in particulari potui, nisi eos quos Deum amare ac serio velle ei servire novi. Nec in manu aut potestate mea fuit secus agere; nec plus moveor, sint consanguinei aut amici, nec ne, nisi hoc quod dixi jam de eo intelligam, aut nisi sit aliquis qui se in oratione exercet : alioquin gravissimum mihi est cum alio quopiam agere. Vere hoc ita est, ut mihi quidem videtur, et nullum de eo dubium est.

amicitias humanas generose deserit.

169 Ab eo tempore ita ad omnia ex amore Dei, ut cui ancillam suam unico momento (neque enim diutius id mihi visum est durasse) in alium hominem commutare placuit, relinquenda animata mansi, ut necesse non fuerit mihi id amplius speciali aliquo præcepto injungere. Quod enim confessarius ita me his implicatam videret et affixam, hinc non fuit ausus hoc mihi aperte et expresse injungere. Expectare scilicet debebat, ut Dominus ipse in me operaretur, uti et operatus est, nec ipsa putaram fore ut a me impetrarem : nam jam aliquoties hoc conata fueram; sed ita id mihi grave et permolestum fuit, ut id quamprimum, tamquam rem in F qua non multum momenti situm esset, omitterem et penitus abjicerem : hoc vero robur mihi, et plenam illius quod volebam opere exequendi libertatem, Dominus dedit; quare hoc confessario meo aperui, et prout quidem is mihi injunxerat, omnia quantocius reliqui. Unde qui mecum continuo agebant, hanc in me resolutionem et generositatem videntes, non parum inde fructus retulerunt. Benedictus sit Deus in æternum, qui unico in momento illam mihi libertatem dedit, quam omni diligentia et conatu meo, etiam per tot annos adhibito, per me ipsa consequi non potui; tametsi tantam mihi subinde violentiam inferrem ut sanitati id meæ non parum nocuerit : sed quia opus fuit ejus qui potens est et verus absolutusque omnium Dominus, hinc nullam jam in eo pœnam aut molestiam sensi.

Sequenti biennio

170 *Raptum hunc S.* Teresiæ *primum fuisse clare patet e proprio ejus testimonio; sed verba quæ in eodem audivit non fuere prima quæ Dominus ei dixit. Liquet id e fragmento quod paulo ante* (*num.* 152) *e Vitæ ejus capite* XIX *desumpsi. Illic enim, postquam retulit has voces :* Servi tu mihi, de cætero noli esse sollicita;

AUCTORE V. D. M.

sollicita; *mox subjungit, Dominum compellans :* Hoc
A primum fuit verbum quod te loquentem audivi; unde etiam me satis consternatam reddidit. *Est id omnino notatu dignum, eo maxime quod gravissimos S.* Teresiæ *biographos, Riberam, Yepesium et Joannem a Jesu Maria præteriit; qui affirmant scilicet Dominum in primo illo raptu prima vice sponsam suam fuisse allocutum. Auctor vero Chronici sibi ab eo decessorum suorum errore pro sua solertia cavit. Cujus autem naturæ sit Dei ad animam locutio, S. Mater explicat initio capitis sui* XXV; *probe eam distinguens a mera intellectus apprehensione et ab animæ sermocinatione cum seipsa, ac simul aperiens rationem qua ea quæ desursum sunt verba ac cœlicæ visiones a fraudibus satanæ dignosci queant. Dein per reliquam capitis illius partem et per totum caput* XXVI *varias congerit Dei locutiones, tempore fere biennii ad se factas. Ad idem tempus referendam plerique putant celebrem illam inferni visionem quam capite suo* XXXII *S. Virgo describit; cum inde ad annum quo vitam suam iterato exaravit sexennium effluxisse testetur. Verumtamen quia visionis illius narrationem usque ad caput suum* XXXII *distulit, non tam, ut videtur, memoriæ lapsu quam ob illius*
B *connexionem potius cum immissa sibi divinitus Ordinis sui reformandi idea; ego quoque eam hic omittam, et servatam ab ipsa Sancta rerum seriem religiose sequar.*

graves aliquot viri

171 *Relatis itaque iis quæ paulo superius legimus,* Teresia *nostra caput* XXV *orditur exponendo quomodo Dei ad animam locutio, quæ sine strepitu et quasi tacite fit, intelligenda sit; dein quænam in ea materia latere possint illusiones; ac tandem undenam cognosci possit locutionem talem vere divinam esse. Post quæ ita prosequitur vitæ suæ historiam :* Varias diabolus technas et insidias struere potest, adeoque nihil hac in re ita certum est, quin semper tutius ac securius sit timere et magna cum circumspectione et cautela procedere, ac directorem quemdam doctum ac peritum, qui errantem audacter corripiat, habere; ita enim fiet ut nullum prorsus damnum incurrat; esto ego sæpissime valde sim passa, ob nimios illos timores quos nonnulli habent. Semel inter alia id mihi contigit, cum scilicet multi de quibus bonam opinionem, ut par erat, habebam, unum in locum congregati erant (nam esto tunc nonnisi cum uno in particulari agerem, et cum alio nullo loquerer, nisi dum hic id mihi præciperet, illi tamen sæpe inter se de me juvanda
C agebant, quia et me valde diligebant, et metuebant ne forte diabolus mihi illuderet; quin et egomet, dum extra orationem eram, non mediocriter timebam; nam statim atque eidem me applicabam, et aliquam mihi Dominus gratiam dare incipiebat, quamprimum omnis a me timor recedebat et secura reddebar); quinque vel sex eos fuisse crediderim, et omnes insignes et zelosos Dei servos : affirmabat autem tunc mihi confessarius meus, omnes illos sibi persuadere a diabolo mihi illudi; propterea illud consultum videri, ne toties Sacramentum Venerabilis Eucharistiæ susciperem, meque in externorum negotiorum tractatione distraherem ac solitudinem caverem.

scrupulos et timorem diabolicæ illusionis,

172 Equidem, ut dixi, in magno tunc timore et anxietate versabar; ad quam augendam non parum conferebat continuum meum cordis deliquium; ita ut sæpe per diem aliquo in loco sola agere non auderem. Cumque viderem tales et tam multos id mihi dicere, et tamen animum inducere penitus non possem ut hoc de me crederem; gravissimum conscientiæ scrupulum sensi, quod id ex humilitatis defectu fieri putarem : omnes quippe incomparabiliter multo sanctioris erant vitæ quam ego, et D insuper doctrina et litteris eminebant; cur ego eis non crederem? Conabar quam poteram maxime, etiam vi mihi facta, illis credere, et simul sceleratam vitam meam recogitabam, itaque illos vere de me judicare, cum sic judicarent. Quare sic anxia et afflicta me e templo contuli in oratorium quoddam; cum jam ad dies multos Sacra Communione abstinuissem, et solitudinem cavissem, in qua tamen omnis mea sita erat consolatio et recreatio, ita ut nullum haberem, cum quo conferre possem; nam omnes ad unum mihi adversabantur.

confessario specie tenus conspirante,

173 Nonnulli, dum his de rebus agerem, me videbantur ridere, tamquam si tantum imaginatio et phantasma fuisset : alii confessarium monebant, sibi ut a me caveret : alii certo et indubitanter asserebant diabolum in me operari : solus confessarius meus (esto cum aliis conspiraret; at dumtaxat, ut me, sicut postea intellexi, probaret) semper me consolabatur, dicebatque, tametsi etiam diabolus foret, modo Deum Optimum Maximum peccando non offenderem, nihil penitus mihi damni illum inferre posse; ipsum tandem a me discessurum; unde hoc ipsum a Domino instanter per preces deposcerem, id quod tum ipse, tum omnes E quibus ille in confessione aures dabat, nec non alii plurimi, serio præstabant. Omnis quoque oratio mea hunc ad scopum dirigebatur; quin et universos Dei servos, quos nossem, orabam, ut Deum rogarent, alia ut me Majestas illius via conducere dignaretur. Biennio pene toto hanc ego Deo rem per preces continuo commendavi, identidem hoc ab eo petens.

Sanctæ injecerunt :

174 Nihil autem me consolari poterat, cum mecum cogitabam fierine posset ut cacodæmon toties mecum loqueretur. Nam quod nullum amplius mei per orationem in solitudine recolligendæ tempus haberem, Dominus mihi dabat, ut interim dum cum aliis conversabar, me introrsum possem recolligere; quin et ipse, frustra me reluctante, loquebatur mihi quæcumque ei videbantur, egoque, quantumvis id mihi gravissimum ac molestissimum esset, eum tunc loquentem audire cogebar. Sed cum sola essem, nullum amicum habens, cujus alloquio me ipsa solarer, non poteram vel orare, vel in libro legere; sed ob tantam tribulationem et timorem, ne forte mihi cacodæmon illuderet, tota inquieta et afflicta, plane nesciens quid tandem de me factura essem (et hanc quidem angustiam aliquoties, imo sæpe sensi, sed numquam meo judicio F ita gravem et excessivam ac tunc), quatuor aut quinque horas continuo in hoc statu manebam, ut nec a terra mihi ullum, nec e cœlo solatium veniret aut affulgeret; nisi quod Dominus me, mille inter periculorum timores constitutam, pati cerneret.

sed benignissimus Jesus

175 Quam, o Domine Jesu, verus amicus es tu! et quam potens! Quando enim vis, potes, et nunquam non vis, si modo nos te velimus. Omnia quæ condita sunt, te, o mundi Domine, laudent et benedicant! Utinam plena per universum orbem terrarum voce promulgare possem quam tu amicis tuis fidelis sis! Omnia, Domine, creata deficiunt et pertranseunt : tu, illorum omnium Dominus, nunquam deficis aut pertransis. Nimis quam exiguum est quod pati sinis eum qui te diligit. Quam, o Domine mi, tenere, civiliter, blande et suaviter tuos tractare et habere nosti! O si quis nunquam aliquem, præter unum te, amare procurasset! Videris, o Domine, virga et rigore probare eum qui te amat, ut jam in extrema afflictione constitutus, majorem amoris tui extremitatem et immensitatem intelligat.

Osi

A O si quis, Deus meus, ingenium simul et doctrinam, nec non nova verba haberet, ad opera tua magnificanda et extollenda, ut quidem ea anima mea intelligit! Omnia me deserunt et deficiunt, Domine mi, sed si tu me non derelinquas, ego a te nullatenus deficiam. Omnes viri docti contra me insurgant et impugnent, omnes me creaturæ persequantur, omnes me dæmones exagitent, tu solus noli a me recedere : experientia quippe novi quantum sit lucrum quod referunt ii qui in te solo confidunt.

interna locutione eam ita roboravit

176 Cum ergo in magna illa anxietate constituta essem (nondum enim aliqua mihi visio hactenus oblata erat), hæc sola verba nimis quam sufficientia fuere ad illam auferendam, mentemque meam, omni nubilo discusso, serenandam : « Filia, noli timere : ego enim sum, et non deseram te, noli timere. » Putabam sane (ut quidem me dispositam vidi) valde longo tempore opus esse ad mihi persuadendum ut mentem ego meam ad quietem componerem, et neminem sufficientem ad hoc eloquentiam et ingenium adferre posse; et ecce sola verba hæc ita me serenant, corroborant, animant, securam reddunt, quietant et illuminant, ut animam meam in momento plane immutatam viderem et aliam, et,
B contra universum mundum disputando, rationibus evicissem Deum esse qui in me operaretur. Quam Deus bonus est, quam bonus et potens Dominus est! Nam non modo bonum consilium suggerit, sed remedium; verbaque ejus sunt opera. Quam, o Deus bone, fides hominem corroborat et per eam amor adaugetur! Ut verum fatear, sæpe ad mentem et memoriam revocabam, quomodo Dominus olim, orta in mari tempestate, ventis imperasset ut cessarent; unde ita mecum ipsa dicebam : Quis est hic, cui omnes potentiæ meæ ita obediunt et qui unico momento tam spissis in tenebris lucem serenitatemque adfert; qui cor quod saxeum et marmoreum esse videbatur emollit; qui suavium lacrymarum ibi fluenta laxat, ubi ariditas dudum et longo tempore futura esse videbatur? Quis hæc desideria subministrat? Quis hos suggerit animos? ut sæpe intra me ipsa cogitarem : Quid est quod timeo? Quid est hoc? Huic ego Domino famulari cupio; aliud nolo quam ei soli placere; aliam recreationem, quietem, bonum non cupio, quam illius voluntatem facere (nam de eo, prout mihi quidem videtur, plane certa eram, ut id hic possim referre).
C Si ergo Dominus tam potens sit, atque eum esse video et scio, et dæmones ejus sint mancipia, deque eo nefas sit dubitare (cum sit de fidei articulis), ego autem hujus Domini et Regis ancilla sim, ecquod illi mihi malum inferre possunt? Cur non satis virium habeam, ad cum universis inferorum cohortibus decertandum?

ut dæmones omnes provocare sit ausa,

177 Crucem itaque in manus sumpsi : et videbatur sane mihi Dominus robur et animum inspirare; nam brevi tempore ita me immutatam vidi ut cum omnibus dæmonibus etiam manus conferre et luctari non vererer : videbar quippe cruce illa haud difficulter eos in fugam agere ac debellare posse. Unde apud memetipsam provocando dicebam : Venite jam omnes quotquot estis; videre volo quid mihi, ancilla Dei cum sim, facere universi possitis. Et sane videbantur illi me timere : nam ex eo tempore quieta et sine timore mansi, et ita illos, quotquot sunt, formidare desii, ut omnis quem hactenus habueram, timor cessarit : nam tametsi eos, ut postea referam, interdum adhuc viderem, non tamen jam amplius eos timebam, quin imo me ipsis terribilem esse putabam : et quoddam mihi, Deo dante, in illos omnes mansit dominium, ut jam non magis eos timeam quam si muscæ forent.

178 Ita porro illi mihi meticulosi et ignavi videntur esse, ut, quamprimum se contemni vident, omne robur et potentiam suam amittant. Neminem hi hostes de facto oppugnare norunt, nisi quem ultro semetipsum tradentem conspiciunt, aut quando suos Deus servos, ad majus ipsorum bonum, tentari vexarique permittit. Utinam vero timeremus eum quem vere timere nos oportet, nobisque persuaderemus plus nobis damni ab uno peccato veniali quam ab omni infernali multitudine simul juncta posse advenire : cum hoc revera ita sit. Quantum porro nos hi maligni spiritus in metu et pavore detinent, eo quod per nostros honoris, auri ac voluptatum appetitus ipsi nosmetipsos pavidos et timidos reddere volumus! Nam illi tunc nobiscum conjuncti et velut collatis viribus (nam nobismetipsis hostes et inimici sumus, quando diligimus et sectamur ea quæ odisse deberemus) permultum haud dubie nobis nocebunt : ipsi enim in causa sumus cur nostris propriis armis illi nos oppugnent, ipsis quodammodo illa in manus dantes, quibus nosipsos contra eorum vim et impetum defendere deberemus; quod sane deplorandum est. Sed si propter Deum omnia repudiemus, crucem amplectentes, eique sincere et ex corde servire satagamus; E tunc non secus has cacodæmon veritates fugit, quam nos pestem virulentissimam.

AUCTORE V. D. M. *eosque ut ignavos* D

179 Nam diligit mendacium, imo ipsummet est mendacium; nec ullum cum eo qui in veritate ambulat, inibit pactum aut commercium : sed, cum mentem et intellectum alicujus obnubilatum cernit, omnimodis collaborat ut et oculos ei eruat et plane cæcum reddat. Si quem enim jam ita cæcum videat, ut is se in rebus vanis quietem inventurum putet (nam omnes mundi hujus res ita vanæ sunt, ut non nisi puerilia crepundia et nugæ esse videantur), quamprimum advertit hujusmodi hominem merum esse puerum, cum nimirum puerorum more vivat; unde mox audaciam et animos concipit, ad cum eo, non jam semel, sed sæpius luctandum. Faxit Deus de horum numero ipsa non sim, sed gratiam Majestas ipsius, quæso, mihi det, qua mediante, id quietem esse existimem quod vere quies est; id honorem, quod vere honor est; hoc delectabile, quod vere delectabile est, et non vice versa : ac tum dæmones omnes explodam et flocci faciam; imo potius ipsi me timebunt. Non intelligo hunc timendi modum, ut dicamus, « diabolus, diabolus »; cum dicere possimus, « Deus, Deus », atque ita ei timorem incu- F tere : scimus enim jam tum, illum, nisi Dominus id ei permittat, se ne movere quidem posse. Quid sibi vult hoc? Quod scilicet jam plus metuam eos qui dæmonem ita metuunt, quam ipsummet verear : nam ipse nullum prorsus inferre mihi damnum potest; at hi, præsertim si confessarii sint, hominem mire turbant et inquietant. Equidem per multos annos tantas hac in re pertuli molestias, ut etiamnum mecum ipsa mirer quomodo eas ferre potuerim. Benedictus sit Dominus, qui ita me reipsa fortem reddidit. Amen. *Hæc Sancta, capite* XXV.

et mendaces spreverit.

§ XI. P. Balthasare Alvarez confessario uti incipit. Sæpe Christi alloquio et visionibus fruitur : premitur anxietatibus et hominum oblocutionibus.

Sequitur caput XXVI, *in quo adhuc de Dei locu-* *Magnam se-*
40 *tionibus*

AUCTORE V. D. M. *curitatem afferunt verus Dei amor,*

tionibus sermo est : Unam de primariis ac maximis quas a Deo accepi gratiis hanc esse puto, generositatem et animos quos mihi contra cacodæmones A dedit. Damnosissimum quippe maximeque impertinens est, animam ignavam et meticulosam esse et aliud quid præterquam Dei offensam vereri. Nam cum omnipotentem Regem et Dominum ita magnum habeamus, ut omnia possit et omnes sibi subjiciat, nullam omnino timendi occasionem habemus, si modo (uti dixi) in veritate et sincere et magna cum conscientiæ puritate coram ejus Majestate ambulemus. Ad hoc vellem (sicuti dixi) omnem quicunque est timorem habere, ne videlicet aliqua in re offendam illum qui hoc ipso momento nos destruere et ad nihilum redigere potest : nam si Majestatem ejus amicam et propitiam habeamus, omnes adversarii nostri manibus junctis velut supplices coram nobis se humiliabunt. Dicet ad hoc quis, id ita quidem esse, sed quænam anima ita recte et sincere vivet ut Deo placeat in omnibus, et propterea facta securior, nihil omnino metuat? Certe non mea; nam nimis quam improba et inutilis est, ac mille miseriis et infirmitatibus obnoxia : at Deus Optimus Maximus non ita se erga reos gerit B uti homines solent, novit quippe imbecillitatem nostram. Sed anima evidentibus e signis et conjecturis colligere in seipsa potest an ipsum sincere vereque diligat : amor enim in illis quæ ad hunc statum pervenerunt, non est dissimulatus et tectus, uti in principio, sed admodum impetuosus; et ardens hæ Dei videndi desiderium in se sentiunt, uti infra uberius ostendam, aut jam supra commemoravi. Hinc omnia hominem cruciant, affligunt, torquent, nisi aut cum Deo aut propter Deum ferantur; omnis quoque quies eum inquietat, quod se a vera et propria sua quiete abesse sentiat. Proinde res manifesta est et quæ, sicuti dictum est, dissimulate tecteque non procedit.

modus quo Deus animam roborat aut increpat,

181 Quodam tempore, cum me magnis tribulationibus atque variis aliorum oblocutionibus, certo quodam in negotio, quod postea referam, in quo tum universam civitatem in qua impræsentiarum ago, tum universum Ordinem repugnantes et adversantes habui, oppressam cernerem, et magna sane in angustia, nec immerito, versarer, factum est ut his me Dominus vocibus compellaret : « Quid » times? An nescis me Omnipotentem esse? Quod » tibi promisi, reipsa præstabo. » Et est id etiam C postea adimpletum. Statim vero tantum in me robur ortum est, ut, quo ei possem servire, etiam ad alias perdifficiles res de novo aggrediendas animata fuerim, esto etiam major mihi inde sequi molestia, et novam illæ patiendi materiam mihi dare debuissent. Hoc vero accidit mihi toties ut numerum dicere non possem : sæpe quoque me increpavit, quin etiam modo increpat, cum in aliquas imperfectiones incido; et quidem verbis tam acribus, ut satis ea sint ad animam quamdam in nihilum redigendam; tantæ saltem sunt efficaciæ et tam potentia, ut ipsa se corrigat : nam, sicut supra dixi, Majestas ejus consilium dat juxta ac remedium. Alias præterita peccata mihi in memoriam reducit, ac tum præsertim cum singularem aliquam mihi gratiam dare vult, adeo ut se jam anima vere coram illius tribunali consistere putet : veritas quippe tam clare et liquido ei ob oculos ibi ponitur, ut quo sese referat, prorsus ignoret. Subinde pericula quædam tum mihi, tum aliis impendentia, nec non alias res futuras, tribus aut quatuor antequam contingerent annis mihi præsignificavit; quæ omnia exacte et ordine evenerunt; quorum nonnulla postea fortasse referam. Adeo ut tam multa signa sint e quibus queat colligi an Deus sit qui loquitur, ut neminem D id ignorare posse putem.

et præcipue recursus ad confessarium.

182 Omnium vero tutissimum est, sicuti sæpe mihi Dominus significavit, ut totam animam et omnes quas a Deo accipimus gratias, confessario aperire non vereamur : is autem doctus sit oportet; nostrum vero est in omnibus morem gerere. Hoc autem ipsa facio, et nisi facerem, quietem non haberem; neque enim consultum est nos mulieres plena quiete frui, cum et indoctæ simus, et nullum omnino hinc incommodum, at ingens sequatur commodum. Et hoc valde frequenter mihi contingit. Confessarium habebam qui variis me mortificationibus exercebat, et subinde etiam affligebat, et mirum in modum me identidem divexabat : nullam quippe mihi quietem indulgebat. Atque hic meo judicio fuit qui plus quam alii me in via spiritus adjuvit; et, licet magnopere eum diligerem, subinde tamen ad eum relinquendum tentabar; credebam namque eas quas mihi causabat molestias et afflictiones impedimento esse, quo minus orationi possem insistere. Quotiescunque autem hoc facere proponebam, statim interius Domino loquente monebar id ne facerem, idque tam E aspera et acri cum reprehensione, ut illius verba magis cor meum discinderent quam omnes quas mihi confessarius inferebat molestiæ. Aliquando grave mihi erat, quod hinc quidem interrogarer, illinc vero reprehenderer. Et sane sic mecum fieri oportebat, prout quidem voluntas mea parum flexa et morigera erat. Semel Dominus mihi dixit me vere obedientem non esse, quamdiu non proponerem et parata essem pati; sed oculos conjicerem in id quod ipse nostri causa passus esset, et tunc mihi omnia quam facillima visum iri.

Quapropter totum Sancta aperiebat pectus

183 Alius porro confessarius, is scilicet qui in initio Confessionem meam exceperat, mihi quodam tempore consuluit, ut, quandoquidem jam notissimum erat spiritum bonum in me operari, id ipsa posthac tacerem, et nemini quidquam de eo dicerem, quod melius esset id genus res silentio premere et celare. Non displicebat hoc consilium mihi : nam quoties confessario meo hisce de rebus loquebar, tam mihi id grave erat et tanto me rubore suffundebat, ut majorem aliquando in hisce declarandis, quam in gravibus peccatis aperiendis, difficultatem sentirem, et maxime cum singulares quædam gratiæ declarandæ erant : putabam enim illos mihi non credituros, meque audientibus ludibrio fore. Hoc autem male me habebat, quod magnalium et mirabilium Dei quædam mihi hoc videretur esse irreverentia et vilipendium : ideoque hæc silentio involvere maluissem. Tunc demum intellexi valde mihi male confessarium illum meum in hoc consuluisse, nec ullatenus debere me quidquam celare eum quo ut confessario utor; hoc namque longe tutissimum esse, et secus si agerem, fieri posse ut illuderer aliquando et deciperer. Quotiescunque Dominus mihi in oratione aliquid faciendum mandabat, confessarius autem id fieri nolebat, Dominus, cum ad eum postea recurrerem, jubebat ut obedirem confessario : ac Majestas ejus ipsius deinde mentem immutabat, ut jam id mihi injungeret quod Dominus ante fieri jusserat. Cum quodam tempore multi libri hispanici nobis jussu Superiorum auferrentur legique vetarentur, satis hoc mihi grave visum est, quod essent nonnulli erga quorum lectionem maxime afficiebar, et quos jam amplius legere vetitum erat, quod solum latine eos legere fas esset. Unde mihi Dominus ait : « Ne hoc te cruciet; nam ego dabo tibi librum viventem. » Nesciebam cur aut quo fine hoc diceretur; non- F

dum

A dum enim ullas tunc visiones habueram : at non multo post, quid sibi id vellet facile intellexi. Nam tantam recogitandi et ea quæ coram videbam meditandi materiam habui, et tantum mihi Dominus, in me omnimodis erudienda, amorem exhibuit, ut aut valde parum aut prope nihil opus habuerim libris. Majestas ipsius verus ille liber fuit, in quo veritates legi : benedictus autem sit ille liber, qui quæ legenda et facienda sunt ita memoriæ imprimit ut ea nulla eradere possit oblivio.

P. Balthasari Alvarez, egregio animarum directori,

184 *Confessarium quem modo laudari videbamus fuisse credo P. Balthasarem Alvarez, qui jam anno* 1559, *quo nos Sancta perduxit, Sacerdotio erat initiatus; postquam videlicet theologicis disciplinis sub magisterio PP. Dominicanorum Abulensium biennium impendisset. Namque exhinc computando usque ad initium anni* 1566, *quando Abula Methymnam Campi missus fuit P. Balthasar, magistrum tironum acturus, annos habemus omnino sex; quot annos illo se confessario usam scripsit S.* Teresia *in sæpe citata epistola ad P. Rodericum Alvarez. Toto eo sexennio minister collegii Abulensis S. Ægidii P. Balthasar fuit : atque interim diu omnimodam, sine rectoris titulo tamen, ejusdem collegii administrationem gessit; quandoquidem per id omne temporis spatium duo dumtaxat rectores, alter sesquianno, alter novem tantum mensibus, præfuere regimini. Præterea externorum animos assidue juvit : quo in munere persuaserat sibi primarium operario Societatis studium esse ut arctissime se Deo conjungat; dein pertinere ad ejusdem Societatis institutum (verba Sacchini sunt)* non ad quemvis virtutis gradum, sed ad quam liceret excelsissimum homines perducere; neque esse quemquam ullo in ordine, qui non posset suo in statu magis ac magis perfici : proinde non curandum quam multos quis numeret pœnitentes; sed vel paucos conandum perpetuis incrementis reddere meliores : quippe et graviter vindicaturum Deum in spiritualis vitæ magistris, non culpas modo a quibus non averterint quos instituebant, sed etiam prætermissam perfectionem ad quam non evexerint .... Deinde securim quodammodo ad radicem applicans, operam dabat ut a rebus creatis paulatim abstraheret; præsertim ab otiosis ac supervacuis familiaritatibus, quas in Societate quoque plurimum detestabatur : vix intelligi affirmans quantum animorum cursum ad Deum et illapsum Dei in eos impediant. Ac ne erga seipsum quidem
C volebat humanitus affici, munuscula et omnes amoris privati illecebras respuens, profitensque gratum etiam sibi fore si interdum alios confessarios pro voluntate adirent. Hac libertate utens, inque sui victoriam non molliter exercens, ad orationis studium pertrahebat. Super omnia legem sibi præfixerat ne cum pœnitentibus nisi de rebus divinis loqueretur; ut ne ipsi quidem dynastæ cum quibus ageret alios auderent sermones injicere. Ille autem, ut ex pleno et ardenti pectore verba fundebat, tanta vi, tanta sublimitate disserebat ut vel unico sermone sapientiæ cœlestis amore audientem succenderet. *Hæc Sacchinus* (*Hist. Soc. Jesu, part.* IV, *lib.* VIII, *num.* 216, 217 *et* 218) : *quæ citatu digna ideo duxi quia Balthasarem talem depingunt qualem studiosus lector passim in S.* Teresiæ *scriptis deprehendet; atque ut ex magistro discipulam agnoscas, et viam scias quam a directore suo indigitatam obediens Virgo secuta est, ac quasi effectum ex causa. Cæterum plura de Venerabili hoc Dei Servo jam non dicam : tum quia frequenter ejus mentio in reliqua S.* Teresiæ *vita occurret, et nominatim de eo, qua S. Virginis confessario, alibi disputabo; tum etiam quia ejus res gestas Ven. P. Ludovicus de Ponte insigni volumine prosecutus est, quod adire potest quisquis virum penitius nosse cupierit.*

AUCTORE V. D. M.

D

attamen tunc temporis subaustero.

185 *Est tamen adhuc aliquid quod hic omittere non possum. Nempe paulo ante legimus S.* Teresiam *satis severe a confessario habitam fuisse, mirum in modum aliquando cruciatam, ad dies multos* (*viginti habet P. de Ponte*) *non admissam ad Sacram Synaxin, etc. Hujus autem austeritatis et cujusdam quasi hallucinationis causam humilis P. Balthasar ipse assignat, seu verius dixerim exaggerat, in relatione quam de suo spiritu misit ad P. Everardum Mercurianum, Generalem S. J. Præpositum.* Sexdecim, *inquit,* annos (*puta ab anno* 1551 *ad* 1567, *uti numerat P. de Ponte*) exercitus labore sum, arantis instar et non colligentis : animo certe pusillo tunc eram; angebarque maxime quod iis cæterorum dotibus cassus eram quibus æstimationem mihi conciliarem ab aliis et amorem : hac modo, modo illa cura discerptus, vacandi precationi percupidus; quiete illic ubi oportuit, neque collocata scilicet nec reperta. . . Eodem hoc tempore meas animi mendas amarori potius quam submissioni mihi esse cognovi; iisque videbantur mihi divina præpediri consilia : proque animi mei angustiis cruciabar etiam vitiis aliorum quorum ad me cura spectabat; rebarque E rationem esse regendi optimam submissos illos afflictosque habere, dum se ipsi corrigerent. . . . . Amantior eram mei, animo simul eram ægerrimo : videbatur enim mihi nunquam fore ut virtutum perfectionem assequerer; idque eo quia divina largitas non ita mihi sese impertiebat ut cæteris. . . . Pusilli angustique animi mei causa sapientiores homines sanctioresque verebar; quibus sistere me non audebam, quod exsuctum efflictumque me cernerem, inter illos mente, ore litterisque carentem : neque vitæ munera obire mihi posse videbar nisi geminos inter viros medius, alium hinc virtutibus, alium inde negotiis gerendis idoneum. . . . . Sentioque intolerantiæ meæ fuisse illos accepisse tam aspere quos ferre sit opus, obtutu minimum in illos, plurimum in Deum defixo (*Apud Lud. de Ponte, c.* XIII, § 1).

Porro cum diu Deum precata fuisset

186 *Jam ut ad historiæ Teresianæ seriem redeamus, locutiones internas, quæ pene biennium expleverant, subsecutæ sunt per duos annos cum dimidio, nempe ab anno* 1559 *in annum usque* 1561, *plurimæ eæque insignissimæ visiones. Earum prima, in qua, quia nec imaginaria nec sensibilis esset, Christum non tam vidit quam sibi adesse miris modis* F *novit, contigit ei festo quodam S. Petri die, posteaquam enixe Deum oraverat ut vel alia se via duceret vel saltem de internorum verborum veritate plane securam faceret; advocato eum in finem multorum Sanctorum patrocinio, præsertim S. Hilarionis et Beatissimi Michaelis Archangeli, quos Carmeli Ordo solemniori ritu colit. Hanc visionem post paucos dies excepit visio imaginaria triplex : primo manuum Jesu Christi, dein faciei, ac demum totius Sacrosanctæ ejus Humanitatis, qualiter gloriosa e sepulcro surrexit. En quæ de iis Sancta nostra memoriæ prodidit, Vitæ suæ capitibus* XXVII et XXVIII.

ut se alia via duceret,

187 In afflictione et anxietate eram; et variæ pro me ad Deum orationes passim fundebantur, ut me per aliam viam, quæ securior foret, ducere dignaretur, quod eam per quam ambulabam suspectam dicerent, ac periculis plenam. Fateor tamen, quamvis id a Domino suppliciter peterem et summopere vellem desiderium in me sentire ad aliam quamdam viam ineundam, quia tamen animam meam ita melioratam videbam (nisi forte interdum, cum ob ea quæ mihi dicebantur, nec non ob timores, quos mihi incutiebant, mire angebar), in potestate omnino non fuisse

mea

AUCTORE V. D M.

mea serio id desiderare, esto identidem ipsum a
A Deo peterem. Quod enim me prorsus viderem mutatam, hinc aliud facere non poteram quam me totam in Dei manus resignare, quod ipse sciret quid mihi conveniret; ipsumque ideo rogabam ut in omnibus sanctissimam voluntatem suam in me adimpleret. Videbam porro quod per hanc viam recta in cœlum tenderem, ante vero recta ad inferos properassem; unde a me ipsa impetrare non poteram ut aut hoc ipsum desiderarem aut dæmoniacam id illusionem esse crederem, esto quantamcunque possem, cum ad hoc credendum, tum ad illud desiderandum, diligentiam adhiberem; sed nequaquam hoc in manu mea situm erat. Quidquid agebam (si modo bonum aliquod opus facerem) hunc in finem Domino offerebam; adhæc pios quosdam Sanctos mihi in patronos deligebam, ut me hi ab illusione diabolica eriperent; novemdiales quoque peregrinationes hac intentione suscipiebam; serio præterea S. Hilarioni et S. Michaëli Archangelo me commendabam; quem hac potissimum de causa jam recenter mihi in patronum delegeram, serioque invocare inceperam : quin et alios non paucos Sanctos importunius invocabam, ut per illorum
B intercessionem veritatem Dominus ostendere dignaretur et hoc suis ipsi precibus a divina Majestate exposcerent.

Jesus Christus

188 Postquam ergo per biennium tam ego quam alii plurimi instantissime orassent, ut Dominus vel per aliam me viam conduceret, aut rei veritatem declararet, eo quod me Dominus eo quo dixi modo sæpe alloqueretur; hoc tandem mihi contigit. Cum quodam gloriosi Apostoli Petri die festo in oratione versarer, videbam, aut ut melius dicam, sentiebam (oculis enim corporis aut animæ nihil penitus videbam), seu magis videbatur ipse Salvator noster Jesus penes me consistere, et videbam (ut mihi quidem apparebat) ipsum esse qui mihi loquebatur. Ego, ut quæ penitus ignorabam similem visionem fieri posse, initio magno concuti timore cœpi et indesinenter lacrymabar : ut primum tamen ad me reddendam securam cœpit loqui, pro more quieta, serenata et gaudio plena mansi, et omnis mox timor evanuit. Videbatur Dominus semper ad latus meum incedere, sed quia non erat visio imaginaria, hinc non videbam qua esset forma : nihilominus valde notabiliter percepi et sensi illum semper ad dextrum meum
C latus adstare ac testem oculatum esse omnium quæ agerem : et quamdiu vel minimum recollecta eram, vel non multum aliorsum distracta, ignorare non poteram quod apud me esset.

sublimi quodam visionis genere

189 Sine mora valde afflicta et turbata confessarium meum adii, ut hanc ipsi visionem referrem. Is me rogavit qua illum forma viderem : respondi me illum non videre. Intulit unde ergo scirem quod esset Salvator Jesus : dixi nescire me; nihilominus non posse me non scire et intelligere quod apud me esset, et me hoc clare videre et sentire, eo quod animæ recollectio in oratione quietis multo major esset et valde continua, et effectus longe alii quam habere solebam; adeo ut res esset evidentissima. Unde alias super alias similitudines adferebam, ad me ipsam declarandam : sed ad hoc visionum genus declarandum, nullam sane dari posse putem quæ satis quadret vel apta sit. Nam cum hæc de maxime sublimium visionum genere sit, sicut mihi postea sanctus quidam vir magnique spiritus, F. Petrus de Alcantara appellatus (de quo postea uberius loquar), aliique viri doctissimi dixerunt, nec non de numero earum in quas se dæmon minus ingerere et immiscere potest, hinc nobis indoctis verba non suppetunt et occurrunt ad illas hic in terra declarandas : litterati autem et docti melius eas exponent. Si enim dixero D
me nec corporeis nec interioribus animæ oculis eum conspicere, quia imaginaria visio non est; quomodo ergo scio et majore cum claritate et certitudine mihi persuadeo eum apud me esse, quam si oculis eum meis intuerer? Si enim dico videri perinde esse ac dum quis, quia in tenebris est vel cæcus, alium hominem apud se consistentem non videt, non satis hoc convenit; aliquam quidem similitudinem habet, sed ea satis parva est : ibi namque sensibus suis quis hominem præsentem sentit, vel eum loquentem incedentemve audit vel tangit; at hic nihil tale est nec ulla hic videtur obscuritas, sed per notitiam quandam, quæ sole est clarior, Dominus animæ se repræsentat. Non dico solem aut claritatem hic videri, sed lucem quæ sine ulla tamen lucis visione intellectum illuminat, ut tanto bono anima fruatur. Magna hoc præterea bona secum adfert.

se ei præsentem sistit;

190 Non est autem velut quædam Dei præsentia, qualis sæpe in oratione sentitur, præsertim ab iis qui orationem unionis ac quietis habent; sed hic statim atque orare incipimus, invenire videmur quicum loquamur, et etiam intelligere quod ipse nos audit, idque ex effectibus et spiritualibus ardentis amoris ac fidei et aliorum propositorum E
cum quadam cordis teneritudine, affectibus sensibusque colligere est. Est hæc singularis et magna Dei gratia, unde qui eam cœlitus accepit, permagni faciat oportet : est quippe valde sublimis orandi modus, sed non est visio; ut scilicet quis intelligat Deum ibi per effectus quos, sicut dixi, in anima operatur, adesse : nam per talem modum se Majestas ejus nobis patefacere vult : hinc liquido videre est Jesum Christum purissimæ Virginis Mariæ filium hic præsentem adesse. In alio illo orandi modo quædam dumtaxat Divinitatis influentiæ se exerunt; at hic præter illas influentias etiam sacratissimam Humanitatem nos comitari et benefacere nobis velle videmus. Petiit ergo a me confessarius : « Quis tibi » dixit id Jesum Christum fuisse? » Respondi : « Ipsemet sæpe id mihi dixit; imo vero, etiam an- » tequam id ipse mihi diceret, menti meæ impres- » sum fuit quod ipse esset : quin etiam ante hanc » impressionem ipse id mihi significabat, et tamen » eum non videbam ». . . . Quippe tam evidens ac certa, etiam non videndo, menti notitia imprimitur ut nullum superesse dubium queat. Vult siquidem Dominus id tam firmiter menti insculpi ut non magis de eo dubitare possimus, imo etiam F
minus, quam de eo quod oculis videmus. . . . . .

dein manus et faciem,

191 Paucos aliquot dies in illa quam dixi visione hæsi, quæ valde continua fuit, tantumque mihi profuit, ut ab oratione non discederem, imo omnia quæ agebam, sic facere allaborarem, ut non displicerem ei quem eorum testem et inspectorem esse tam aperte videbam : et esto subinde apud memet ipsa timerem, quod tam multa mihi in dies dicerentur, timor tamen hic diuturnus non erat, quod me Dominus securam redderet. Cum ergo quadam die in oratione versarer, placuit Domino suas dumtaxat manus mihi ostendere; quæ sane tam excellentis pulchritudinis erant ut eam verbis satis exprimere non possim. Unde cœpi metuere : omnis quippe novitas semper me initio valde timidam et pavidam reddit, quamcumque demum supernaturalem gratiam mihi Dominus præstet. Paucis post diebus, vidi quoque divinam ejus faciem; cujus aspectus plane me, ut quidem mihi videtur, absorbuit. Intelligere non poteram cur se Dominus quasi per partes et paulatim magis ac magis ostenderet, cum postea gratiam mihi facturus esset, ut eum totum viderem : quoadusque postea intellexi,

Dominum

A Dominum in eo se naturali meæ imbecillitati conformasse et adaptasse. Sit ipse in æternum benedictus : nam tam malum et vile subjectum tantam gloriam simul se exerentem ferre non potuisset; et Dominus, utpote qui id bene noverat, pro sua bonitate id ita disponebat. Videbor fortasse R. Vestræ magno, ad manus et faciem ita formosam aspiciendam, robore opus non habuisse : sed noverit oportet corpora gloriosa ita pulchra esse, tantamque undequaque gloriam spirare, ut rei tam supernaturalis et ita eminenter pulchræ aspectus hominem velut extra se rapiat, et velut dementem reddat. Hinc fiebat ut ita timerem, ut præ timore turbarer et consternarer; etsi paulo post plane secura redderer et certa, et ejusmodi in me sentirem effectus ut omnis mox timor abscederet.

ac demum totam Humanitatem suam ei ostendit

192 Quodam die S. Paulo Apostolo sacro, dum Missam audirem, sacratissima illa Christi Domini Humanitas totam se mihi videndam exhibuit ea prorsus in forma qua e sepulchro gloriosus resurgens depingi solet, talem pulchritudinem et Majestatem præferens qualem tunc in particulari R. Vestræ descripsi, dum id mihi exacte injungeret : quod sane satis mihi grave fuit; neque enim quis
B id dicere potest nisi magnam sibi pœnam inferat : porro tunc id quod potui, optime et clarissime descripsi; quamobrem necesse non est hoc loco quæ alias dicta sunt repetere : hoc solum dico quod, esto in cœlo non aliud oculorum oblectamentum foret quam summa gloriosorum corporum pulchritudo, nimis quam magna ea gloria sit, præsertim ipsam Humanitatem Salvatoris nostri Jesu Christi videre : locum hoc habet quoque etiam cum se Majestas ejus hic in terra nonnisi secundum imbecillitatis nostræ capacitatem spectandam dat : quid ergo erit in cœlo, ubi tanto bono simul et semel frui datur? Sed licet visio hæc imaginaria sit, numquam tamen corporeis eam oculis intuita sum, uti nec ullam aliam, sed dumtaxat oculis animæ. Qui vero majorem harum rerum peritiam habent quam ego, dicunt visionem de qua ante locuta sum perfectiorem esse hac, et hanc perfectiorem esse iis quæ corporeis oculis videntur; tradunt enim hoc visionum genus inter visiones infimum esse, et plus illusionibus diabolicis obnoxium : quamquam id tunc quidem mihi persuadere non poteram; sed volebam quam maxime ut, quoniam hujusmodi mihi gratia fiebat, corporeis eam oculis
C possem intueri, ne confessarius mihi diceret oculos meos fascino detineri et illudi. Quin imo, cum illa jam præteriisset, quædam incidebat mihi cogitatio (et illud quidem statim) num forte oculi mei delusi fuissent; et me torquebat et angebat quod id confessario meo significassem, mecum cogitans an non fortasse eum decepissem. Erat itaque hoc nova lacrymarum ac doloris materia; quare me ad eum conferebam et doloris mei occasionem narrabam. Rogabat is me an id tantum mihi ita videretur, an vero dato studio ipsum decipere voluissem. Ego sincere ei quod reipsa erat, dicebam : nam, meo judicio, non mentiebar neu mentiri volueram; imo ne quidem propter omnia quæ in mundo sunt, unum pro alio narrassem. Noverat hoc ipse, atque me ad quietem reducere conabatur. Ita etiam a parte mea mihi grave et permolestum erat cum id genus nugis ipsum adire; plane ut nesciam quomodo suggerere mihi diabolus potuisset ut illud fingerem, quo me ipsa excruciarem et torquerem : sed Dominus ipse in hac gratia mihi præstanda et veritate hac declaranda ita festinabat, ut quantocius hæc a me anxietas, et scrupulus an hoc nonnisi mera oculorum illusio esset, abscederet; ac meum ipsa stuporem ac simplicitatem postea nimis quam aperte perspexi. Nam etsi ad multos annos D mecum ipsa imaginando cogitarem quomodo rem tam speciosam effingerem, hoc tamen facere penitus nec possem nec scirem; longe quippe ea excedit omne id quod hic imaginatione cogitandove potest effingi.

AUCTORE V. D. M.

193 Equidem declarare velim quo se Dominus *modo ineffabili,* modo in hisce visionibus spectandum det : non dico me ostensuram qua ratione in interiori sensu tam vehemens ac forte lumen, et in intellectu tam clara imago, ut vere ipse illic præsens adesse videatur, possit constitui : hæc namque ad viros doctos spectat tractatio. Et noluit mihi Dominus modum quo id fiat declarare; adhæc adeo ipsa ignara et tam obtusi ingenii sum ut hactenus id intelligere non potuerim, quantumlibet id mihi alii exponere sint conati. Certum autem id est, quamvis R. V. me felici et acuto esse ingenio opinetur, stupido tamen et obtuso me esse : nam quemadmodum multis in rebus experta jam sum, ipsum non aliud aut plus comprehendit quam quod (uti dici vulgo solet) ei comedendum præbetur. Qui mihi a Confessionibus erat, subinde meas mirabatur ignorantias, nec umquam vel is mihi aperiebat vel ego scire cupiebam E quo Deus hoc vel illud modo fecisset, aut hoc illudve esse potuerit : nec etiam id umquam interrogavi, esto, uti supra dixisse memini, jam a multis annis cum viris doctissimis agere consuevissem. Hoc porro rogabam, num quid peccatum esset, nec ne; at de reliquo aliud mihi opus non erat quam cogitare Deum omnia condidisse; ac videbam me nullam admirandi, sed magnam ejus magnificandi ac laudandi occasionem habere; imo ad devotionem potius me movebant res difficiles et sublimes, et quo illæ erant difficiliores, eo movebar magis.

194 Utinam vero, mi Jesu, indicare verbis pos- *atque ea majestate* sim quanta cum majestate te spectandum præbeas et quam universi orbis terrarum, cœlorum et aliorum mille mundorum et infinitorum mundorum ac cœlorum quos creare posses, Dominum te esse ostendas : quos omnes anima, pro majestate quidem qua te videndum das, indignos et nihil prorsus esse intelligit, ut tu illorum Dominus sis et dicaris. Hic quoque clare apparet, mi Jesu, quam exigua et enervis diabolorum omnium sit potentia, si cum tua conferatur, et quomodo, qui te amicum habet, universam tartari vim et nequitiam possit proterere. Hinc quoque colligitur quam merito cacodæmones, F te ad limbum patrum descendente, metuerint et mille alios infernos profundiores optarint in quos se abderent, ne tantam majestatem coram aspicerent : ac simul ipsa video, declarare te animæ velle quam magna sit sacratissima illa Humanitas, Divinitati conjuncta, et quanta ejus potentia. Hic item apparet quid erit, in judicii extremi die hanc Regis hujus Majestatem, ejusque erga damnatos et reprobos severitatem intueri. Hic quoque vera est humilitas, quam in anima relinquit, quod scilicet suam ipsa miseriam intueatur : nam non potest eam non intueri. Hic denique confusio et verus de commissis peccatis dolor ac pœnitentia : nam, quamvis amice se anima a Domino haberi videat, ubi se tamen ab eo abscondat nescit; atque inde est quod tota annihiletur.

195 Hæc autem visio permagni facienda est et *qua dæmon apparere nequit.* (ut mihi quidem videtur) nulli obnoxia est periculo; ex effectibus quippe colligi potest, nihil omnino hic diabolum posse. Ter quaterve (quantum memini) ipsum Salvatorem Christum hoc ille modo mihi repræsentare voluit, in falsa ac mendaci repræsentatione; formam quidem carnalem tunc assumit, at

AUCTORE V. D. M.

gloriam illam quæ formam hanc sequitur, cum
A a Deo visio hæc venit, imitari nequit : facit autem has repræsentationes, ut veram visionem quam anima habuit destruat; sed ipsa ita illis resistit, itaque turbatur et nauseabunda fit et inquieta, ut omnem quam antea habebat devotionem et suavitatis gustum amittat, itaque prorsus sine oratione maneat. Hoc mihi ter aut quater in principio, sicuti dixi, contigit. Hoc ergo argumentum, uti et alia id genus, opponebam, me a dæmone illudi et fascinari (quod sane perfrequenter mihi objiciebatur) dicentibus, nec non similitudines quasdam, prout poteram et prout eas mihi Dominus suggerebat, adferebam; sed parum per hæc omnia evincere poteram : nam quod hoc in oppido multi viri sancti essent, quibus ego collata non nisi mera corruptio eram et putredo, quos Deus tamen per hanc viam non conducebat, statim ipsi mali quid de me suspicabantur; et peccata mea in causa fuisse videntur, ut hæc de me fama et suspicio, velut in orbem, ab uno ad alium obambularet; ita ut, esto id nemini præterquam confessario meo soli, aut iis quibus id ipse me declarare jubebat, aperirem, omnibus tamen
B passim res hæc innotesceret.

Sancta inde virtutibus aucta,

196 Inter alia semel iis dixi, si qui de me hoc dicebant, mihi jamjam ab alloquio cujuspiam quem optime nossem venienti dixissent, hunc ipsum non esse revera illum quem putarem, sed id mihi dumtaxat ita videri et hoc ipsis sole meridiano clarius esse, me hoc hauddubie potius crediturum fuisse quam id quod videram : at si hic amicus præterea quædam mihi monilia, velut amoris sui pignora, in manus consignasset quæ ante non habuissem, meque jam divitem viderem, cum ante paupercula fuissem, non posse me id, tametsi forte vellem, credere. Addebam autem hæc me monilia etiamnum posse ostendere : quotquot enim me noverant, ad oculum videbant animam meam penitus immutatam esse : ut taceam idem quoque mei confessarii de me fuisse judicium. Hæc quippe mei mutatio omnibus in rebus ita manifesta et evidens erat, ut omnium in oculos passim incurreret. Dicebam namque, cum initio ita improba et peccatis assueta fuissem, me credere plane non posse dæmonem, si hoc ad me decipiendam et postea in tartara deturbandam faceret, tam contrarium ad hoc medium et viam usurpaturum, uti erat meas a me imperfectiones auferre et earum loco virtutes et robur spiritus
C suggerere; videbam namque sole meridiano clarius, me in momento hisce rebus in plane alium hominem mutatam esse.

amore creaturarum se magis exuit,

197 *Inter mirabiles autem effectus quos visio de qua hic sermo est in anima* Teresiæ *producebat, valde notandus, uti apposite hoc loco monet Yepes, ille est quem ipsa Vitæ suæ capite* XXXVII *describit his verbis:* Ex Christi Domini nostri aspectu eximia illius pulchritudo mihi impressa mansit, eaque etiamnum hodie viva et integra memoriæ meæ inhæret; ad hoc enim satis est eum vel semel conspexisse : quanto vero magis, cum toties hanc mihi gratiam Dominus facere dignatus sit? Ingens porro inde mihi mansit commodum quod jam referam. Eram gravissimo cuidam errori, e quo non parva mihi damna sequebantur, obnoxia; quod scilicet mox ut me ab aliquo vel aliqua, qui mire ad gustum meum faceret, diligi videbam, quamprimum ita erga ipsum afficerer, ut memoria mea mirabili quodam modo ad cogitandum de eo compelleretur ac velut traheretur, esto nullam per hoc Deum offendendi intentionem haberem; attamen libenter eum aspiciebam, ac de illo deque bonis quæ in eo notabam, cogitare mihi erat quam suavissimum. Erat hoc adeo mihi damnosum, ut anima mea propterea in D
præsentissimo percundi periculo versaretur.

ut affectum universum in Deum conferret :

198 Sed, postquam indicibilem Domini pulchritudinem aspexi, neminem omnino exinde vidi qui cum illo collatus mihi pulcher videretur, vel memoriam meam occupatam teneret : ita enim quoad hoc jam reddita sum libera, ut, cum vel solum mentis et considerationis oculos in imaginem quam animæ insculptam gero conjicio, ex eo tempore cuncta quæ video mihi abominabilia et fastidio esse videantur, cum excellentiis et gratiis quas in Domino hoc conspexi comparata. Nulla quoque est scientia, nullum item voluptatum genus, quod illius comparatione, hoc est cum vel unici verbi a divino illo ore prolati auditu comparatum, aliquo apud me sit loco : quanto vero magis, cum toties cum loquentem audiverim? Imo, nisi ob peccata mea Dominus faciat ut sui ipsius memoriam penitus amittam, minime posse fieri puto, ut quis ita memoriam meam occupet, quin, si modo vel paululum de Domino hoc cogitem, statim ab illius imagine atque impressione fiam libera. . . . Majorem erga hunc Dominum amorem et fiduciam concipiebam, postquam illum vidissem, utpote quæ tantam cum eo familiaritatem habebam et tam
E assiduo cum eo conversabar. Videbam illum, etsi esset Deus, etiam hominem esse atque hominum imbecillitatem non horrere, utpote qui fragilem ac miseram nostram conditionem, quæ per primum peccatum (quod ipse curaturus in mundum venit) ad lapsum valde prona est et facilis, probe perspectam habet. Esto meus sit Dominus, possum nihilominus cum illo agere tanquam cum amico. Satis namque intelligo cum non esse sicut illos quos hic in terra pro dominis habemus, qui omnem dominatum et magnificentiam suam in affectata et ascititia quadam auctoritate constituunt.

interea tamen,

199 *Et hunc quidem cæterosque visionum suarum effectus Sancta adversus contradicentes afferebat, ut ostenderet Dei esse opus quod in se ageretur.* Confessarius quoque meus, uti modo dicebam, *inquit ad finem capitis* XXVIII, qui erat vir apprime Sanctus e Societate Jesu (*nempe P. Balthasar Alvarez*), idem atque ego, prout postea intellexi, respondebat. Erat namque homo mire discretus magnæque humilitatis : hæc autem magna ejus humilitas multarum mihi molestiarum causa fuit; esto enim orationi esset addictissimus et satis doctus, sibi ipsi tamen non confidebat, quod se Dominus per hanc viam
F non duceret : unde ipse mea causa satis per omnem modum angebatur et torquebatur. Intellexi itaque dictum illi a quoquam esse ut sibi a me caveret, ne a dæmone, si quid eorum quæ ei dicebam crederet, deciperetur : afferebant ei ad hoc aliorum exempla : quod uti et alia omnia maximopere me cruciabat; adeo ut vererer ne tandem invenire non possem aliquem qui mihi confitenti aures dare vellet, sed omnes a me velut profana fugerent : itaque in lacrymas tota resolvebar : sed Dei providentia ita eum permovit ut me patienter ferre et aures confitenti dare voluerit : erat quippe tam zelosus Dei servus ut ejus causa nihil non tentasset : quare ipse mihi consuluit ne Deum peccando offenderem, nec ab iis quæ mihi suggerebat monitis et consiliis vel latum unguem deflecterem; et hoc si facerem, non esse quod vererer ne ab ipso desererer.

licet eam solaretur confessarius,

200 Semper is me animabat et quietabat; nec non mandabat ut nihil eorum quæ mihi accidebant ipsum celarem : quod et exacte observabam. Dicebat autem me, si hæc facerem, quamvis dæmonis hæc esset illusio, nullum ab ea damnum accepturam esse, quin imo fore ut Dominus e malo, quod animæ meæ is intentare vellet, bonum ingens eliceret :

A ceret : unde eam ipse omni qua poterat ratione perficere allaborabat. Ego vero, quia valde anxia et timida eram, ei in omnibus, quamvis imperfecte, obsequebar. Triennio et amplius, quo mihi, durantibus illis anxietatibus, confitenti aures dedit, satis molestiarum mea causa et per me passus est : nam in summis persecutionibus quas habui, et aliis pluribus in rebus, in quibus, permittente Domino, sinistre de me sentiebant et judicabant (in quarum plerisque innoxia eram), semper ad ipsum recurrebatur; unde ipse, nulla sua culpa, mea causa diversimode insimulabatur. Et sane, nisi tantæ vir sanctitatis fuisset et eum Dominus corroborasset, tantis molestiis et obloquiis perferendis impar fuisset : hinc quippe pro me respondere debebat iis qui me in interitum ruere censebant, eique secus dicenti minime credebant; illinc vero me securam reddere, et qua laborabam anxietatem et timorem, alio majori timore mihi injecto, simul etiam me quietando dispellere.

internas anxietates magnas

201 Nam post singulas visiones, maxime cum quid novi in iis intercurreret, permittebat Dominus ut magnis timoribus et anxietatibus angerer; quod haud dubie inde procedebat quod tot peccata
B committerem et alias commisissem. Ipse autem quam cordialissime et piissime me consolabatur; et, si sibi ipse credere voluisset, equidem non tam multa passa essem : dabat enim ei Deus ut veritatem in omnibus cognosceret; nam et Sacramentum ipsum, quantum credo, ei lucem suggerebat. Servi Dei quibus suspecta eram, sæpe mecum agebant; et, quoniam ego quædam simpliciter et inconsiderate effutiebam, hinc hæc ipsa, secus quam ego illa protuleram, interpretabantur. Erga horum unum mire afficiebar; multis quippe nominibus anima mea ei obligata erat, eratque magna vitæ sanctimonia : unde summopere me torquebat, quod ab ipso me viderem non intelligi; ipse autem de profectu meo valde sollicitus erat, et ut Dominus me illuminare dignaretur. Atque ita fiebat ut quod (uti jam dixi) inadvertenter et sine reflexione dicebam, id ex humilitatis defectu proficisci arbitrarentur; et mox ut aliquam in me imperfectionem notabant (quæ sane non paucæ erant), quamprimum omnia mea ut mala interpretarentur.

et hominum obloquia patiebatur.

202 Proinde nonnulla me rogabant; ad quæ cum simpliciter et sine ulla reflexione responderem,
C statim me putabant ipsos docere velle, meque ipsam ut doctam et versatam reputare. Quæ omnia mox ad confessarium meum referebantur; nam revera de bono et progressu meo illorum nemo non laborabat : ipse autem quamprimum me objurgabat. Et hoc satis diu duravit, ut multis ex partibus afflicta essem; verum gratiis quas mihi Dominus faciebat, corroborata, omnia pervincebam. Hoc ideo refero, ut pateat quam difficile et molestum sit, cum homo neminem habet qui in hac via spiritus sit versatus : nisi enim suo me Dominus auxilio in tantum suffulsisset, nescio profecto quid mihi futurum fuisset. Erant sane nonnulla quæ nimis quam satis erant ad me ad insaniam redigendam : imo subinde eo me redactam sensi, ut quid agerem penitus ignorarem, quam oculos meos ad Dominum sustollere : nam bonorum virorum contradictio in improbam et imbecillem mulierculam (qualis ego sum) et meticulosam nihil (ut ita dicam) esse videtur; inter omnes tamen afflictiones ac molestias, quas in vita mea habui maximas, hanc sane reputo gravissimam : faxit Deus ut Majestati ejus aliquod hac in re obsequium præstiterim : certa quippe sum eos, qui me condemnabant et adversabantur, insigne hac in re ei obsequium præstitisse, omnemque hanc operam ad utilitatem et bonum meum assumpsisse et direxisse.

AUCTORE V. D. M.

203 *Hactenus S.* Teresia. *De anno autem quo descriptæ modo visiones contigerunt, ac de festis SS. Apostolorum Petri et Pauli in quæ inciderunt earum prima et quarta, non una est auctorum sententia. Yepes de prima visione loquens* (*lib.* I, *c.* XIII) *refert S. Virginem, dum eadem frueretur, aliquot dies et quasi fere annum transegisse valde contentam; quia non posset tam bona societas ac tam ordinaria non esse ei magno proventui. Cum tamen idem Præsul mox hisce subjungat secundam visionem, illam inquam manuum Salvatoris, paulo postea fuisse ostensam, non videtur integri prope anni intervallum ponere inter utrasque; sed potius innuit breviores et interstites per idem tempus fuisse alias imaginarias visiones, priorem vero illam, quæ imaginaria non erat, diuturniorem fuisse et magis continue menti* Teresiæ *obversatam. Cæterum festa de quibus movi quæstionem, hic scriptor non indigitat. Auctor Chronici* (*lib.* I, *cap.* XXIII, *num.* 7), *cui consentit P. Fredericus a S. Antonio, laudatas visiones tamquam anno* 1558 *habitas perhibet, easque intra octo dierum spatium concludit, autumans primam incidisse in festum Cathedræ S. Petri Romæ, quod celebramus*
D *die* XVIII *Januarii, et quartam in diem ejusdem mensis* XXV, *memoriæ Conversionis S. Pauli sacrum; atque hanc opinionem suam ex ipsius S.* Teresiæ *narratione confirmare nititur. Ac re quidem vera tres priores visiones, si verba Teresiana attendas, commode ad unam videntur hebdomadem reduci posse. Dicit namque Sancta se in prima visione* paucos aliquot dies (*Martinezium correxi, qui scripserat* multos) *hæsisse :* Pasé algunos dias, pocos, con esta vision muy contina : *dein, narrata visione manuum Salvatoris, affirmat se paucis post diebus divinum ejus vultum conspexisse :* desde a pocos dias
E ví tambien aquel divino rostro. *Verum quod meritissimus Chronici scriptor subjungit, paucos item dies inter ostensionem vultus et totius Sacrosanctæ Christi Humanitatis exhibitionem intercessisse, id non ita expresse a Sancta dicitur; ac proin nihil prohibet quominus festa SS. Apostolorum majori intervallo alterum ab altero dissita admittamus, præsertim cum festum Romanæ S. Petri Cathedræ illo ipso tantum anno* 1558, *per litteras Pauli IV apostolicas octavo idus Januarii datas* (*Bullar. Rom. tom. I, pag.* 832 *edit. Luxemb.*), *fuerit Urbi Orbique restitutum : nisi forte ostendere quis possit, quod equidem nusquam*
F *reperi, id ipsum festum, quod jam tum, teste eodem Paulo IV,* in diversis orbis Christiani, et præsertim Galliæ et Hispaniæ partibus, *celebrabatur, Abulæ quoque vel in Ordine Carmelitano pridem celebrari consuevisse. Præterea, ut biennium, de quo sæpius Sancta loquitur, quodque a discessu S. Francisci Borgiæ ac P. Padranosii* (*vide* § *præcedentem*) *videtur inchoandum, confici queat, non ad annum* 1558, *sed ad annum* 1559 *referendas puto visiones de quibus agimus. Quod etiam ante me censuit D. Boucher, qui eas innectit anno* 1559 *media circiter sui parte elapso; unde adoptandum esset vel primarium S. Petri festum* XXIX *Junii vel festum S. Petri ad Vincula Kalend. Augusti, ac pro festo S. Pauli recurrendum vel ad diem Conversionis* XXV *Januarii vel ad diem Commemorationis* XXX *Junii* 1560.

in annum usque 1561 *duraverunt.*

204 *Porro visionem quam S.* Teresia *die festo S. Petri vidit, etsi omnium ejus visionum proprie non fuit prima, in præcedenti numero interdum primam vocavi, tum ut eam a tribus sequentibus brevi vocabulo distinguerem, tum etiam quia ex mente Yepesii prima fuit quam Sancta intellexit a Deo processisse; quia scilicet dum antea Jesum conspexit* (*ut num.* 106, 115 *et* 116 *vidimus*), *hoc ostensum,*

AUCTORE V. D. M.

A *sum, utpote talium rerum adhuc ignara, quemadmodum ipsa testatur, pro visione non habuerat. Quod pertinet ad visionum speciem de qua hic agitur, et cujus descriptionem Sancta separatim directori miserat, non fuit hæc semel ostensa, sed sæpius, ut capite* XXIX *mox afferendo dicet, per duos annos cum dimidio, i. e. usque ad finem anni* 1561; *et quidem non raro in Sacra Hostia. Passim se conspiciendum sponsæ suæ dabat Deus-homo in illa forma qua e sepulchro surrexit : attamen interdum etiam vulneratum, coronatum spinis, cruce onustum vel eidem appensum, in agonia positum, etc., prout S.* Teresiæ *status exigebat. Atque hic quidem, nisi tractationem de oratione S. Virginis ad remotiorem paragraphum remisissem, attentionem lectoris advocarem ad miram solertiam qua illico usurpatam a dæmone formam Salvatoris et falsas maligni illius spiritus consolationes e cauda sua serpentina Virgo vere prudens dignovit; et ostenderem quam pulchre inter se de regulis discretionis spirituum SS. Ignatius ac* Teresia *consentiant. Sed, iis omissis, urgebo saltem aliquatenus fortissimum argumentum quo in hanc rem apud confessarium suum aliosque usa est : nempe morum suorum emendationem et talem in*

B *virtutibus solidis progressum qualis e diabolicis machinationibus progigni minime potuisset. Nimirum, quod hic tantum generatim allegat, tam manifestam fuisse, teste P. Balthasare Alvarez, vitæ suæ immutationem ut in omnium oculos incurreret, id in epistola sua, jam sæpe citata, ad P. Rodericum Alvarez (tom. I, epist.* 19) *distinctius et per partes evolvit : ingentem se concepisse offendendi Dei timorem et generosam summæ ejus Majestati serviendi voluntatem; confessariis integre et prompte in omnibus rebus obedivisse; ex quo donis supernaturalibus frui cæpit, tetendisse semper ad res maxime perfectas, et vehemens fovisse patiendi desiderium cum amore paupertatis, unde in omni tribulatione abundasse gaudio, et speciali dilectione erga persecutores fuisse affectam; vana gloria non amplius laboravisse, quia, licet Dei gratias non oblivisceretur, culparum tamen præteritarum potius retineret memoriam; demum laudem et honorem Dei atque animarum salutem, spretis rebus terrestribus, assidue concupivisse. Utique his signis,* gaudio et ad Deum fiducia atque ineffabili caritate, *ex doctrina magni Antonii (c.* VIII *Vitæ ejus, auctore S. Athanasio, apud Bollandum ad* XVII *Januarii), non infestatio satanæ, sed cœleste*

C venisse scitur auxilium : quia securitas animæ præsentis Majestatis indicium est; *at hostis infernus* nec refovere novit, et usque ad profundam impietatis foveam, ut sibi homines prosternantur, impellit. *Patientiæ vero et obedientiæ suæ insigne specimen S.* Teresia *exhibebit ad initium ejus qui nunc sequitur paragraphi.*

§ XII. Varia confessariorum de S. Teresiæ spiritu judicia, occasione illius qui contumelioso gestu apparitionem abigere jussit.

Continua et familiaris Dei apud Teresiam *apparitio*

Æquo longius, *sic pergit Sancta Vitæ suæ c.* XXIX, a proposita mihi via deflexi; decrevi quippe rationes tradere e quibus colligi posset visionem illam priorem imaginationem non esse : quomodo enim ipsi per operationem et conatum intellectus ipsam Christi Humanitatem nobis re- D
præsentare, et eximiam ejus pulchritudinem per imaginationem concipere possemus? Multo sane tempore opus foret, etiam ad imaginandum aliquid quod ei aliquatenus assimiletur.... Duobus annis et medio duravit quod hanc mihi Dominus gratiam ut plurimum præstitit; sed jam abhinc triennio et amplius, illam mihi hoc modo, per aliam longe sublimiorem (uti fortasse infra dicam), valde ordinarie abstulit : et licet viderem quod me alloqueretur, et ego summam illam pulchritudinem, et qua suavitate verba illa ore illo pulcherrimo et divino eloquatur (etsi interdum etiam rigorem præferat), considerarem, ac summopere desiderarem scire qualis oculorum ejus esset color, quæ eorum magnitudo, ut hoc aliis possem referre; numquam tamen id videre merui, et, quomodocumque id coner, semper frustrata sum; in eo ipsa visio potius penitus mihi deperit. Interdum quidem, fateor, video quod me blande et amice intueatur; sed aspectus hic tam est potens et efficax ut eum anima perferre nequeat, tamque repentinus mox eum raptus sequitur, ut, quo ipso toto ea fruatur, pulchrum hunc aspectum amittat. Adeo ut velle et nolle locum hic prorsus
E non habeat, et liquido appareat Dominum aliud non velle quam ut humilitatem ac nostri ipsorum confusionem hic exerceamus, et fruamur eo quod nobis datur, et laudemus eum qui id dat. . . . Quoties se Dominus mihi spectandum dabat, in ea pene semper forma apparebat quam habuit dum sepulchro gloriosus resurrexit : sic quoque in Sacra Hostia se spectandum exhibebat; nisi quod interdum, ad me in aliqua tribulatione positam animandam et corroborandam, sua mihi exhibebat vulnera, modo quidem in cruce positus, modo in horto constitutus, raro spineam coronam gestans, aliquando etiam crucem bajulans, idque (uti dixi) ob meas et aliorum necessitates, at semper corpus et carnem glorificatam præferens. In hoc autem aliis declarando multa opprobria, infamiam et molestias pertuli; sæpe etiam propterea mihimetipsi timui, et ab aliis exagitata sum. Tam enim certo me putabant a dæmone incessam, ut nonnulli eum etiam exorcismis pellere a me vellent : sed parum hæc morabar : cæterum grave mihi erat quod viderem confessarios meos a mea Confessione audienda deterreri, aut cum aliquid de me ad eos delatum sciebam. Cæteroquin numquam me pœnitere poterit quod cœlestes F
has visiones viderim, et ne unam quidem illarum cum omnibus mundi hujus bonis et deliciis commutassem; semper quippe id ut singularem et magnam Dei gratiam interpretabar : et sane id maximus quidam thesaurus mihi esse videtur; quin et Dominus ipse sæpe me securam esse jubebat. Videbam me in eo amando plurimum proficere : unde has omnes afflictiones meas illi queritabunda in oratione exponebam; neve ab ea umquam surgebam, nisi consolatione ac novis viribus acceptis. Illis autem me opponere non audebam, quia videbam contradictionem meam adeo non prodesse, ut obesset potius; nam illam ex humilitatis defectu oriri censebant : sed cum confessario meo tractabam, qui, dum me afflictam et mœstam videret, identidem me consolabatur.

a confessario quodam jubetur contumeliose repelli.

206 Cum autem visiones increscerent, unus illorum qui antea me juvabat (is cui subinde, P. Ministro impedito, confitebar) incipiebat dicere certum et evidens esse illusionem diabolicam esse. Is me jubebat, cum jam nulla resistendi esset ratio aut modus, quoties aliquam visionem viderem, crucis signum formare, dæmonemque pollicem ostendendo irridere, quod certo crederet dæmonis illusionem esse,

A esse, itaque fore ut non amplius ad me veniret; cæterum non timerem, Deum enim mihi auxilio futurum, et ab illusione liberaturum. Grave hoc mihi erat et peracerbum : quod enim credere non possem quin esset Deus, idcirco hoc facere mihi horrendum et impium erat; nec, uti dixi, desiderare aut velle poteram ut hoc a me auferretur : nihilominus faciebam quod faciendum jusserat. Deum itaque instanter orabam, ut me, ne a dæmone deciperer, conservaret. Hoc identidem et assidue orabam, idque multis cum lacrymis; nec non SS. Apostolorum Petri et Pauli (quos Dominus, cum ipsorum die festo primum se mihi spectandum daret, me promisit servaturos et protecturos, ne a dæmone deciperer) opem efflagitabam. Unde eos sæpe quam clarissime ad latus meum sinistrum adstantes conspexi, etsi non per visionem imaginariam. Erant ergo hi gloriosi Sancti singulares mei domini ac patroni. Illa autem pollicis ostensio mihi erat quam pœnosissima, cum hanc Domini visionem videbam : quando enim eum præsentem videbam, nullatenus mihi persuadere potuissem hunc esse dæmonium, esto me in frusta concidissent. Itaque erat hoc mihi grave tormentum et mortificatio; ac ne me toties
B signo crucis consignarem, crucifixum aliquem in manus sumebam. Hoc prope semper agebam; sed id convicii signum non tam frequenter usurpabam : erat hoc quippe mihi grave et permolestum. In mentem mihi veniebant injuriæ et sannæ quas olim Judæi illi irrogarant, orabamque supplex ut factam ei a me illam injuriam ignosceret, cum eam non aliter usurparem quam ut obedirem ei quem in illius locum delegeram, mihique eam ad culpam non imputaret, cum hi ipsius essent ministri quos sua in Ecclesia constituisset. Ipse autem aiebat ut parum hoc morarer, adeo enim id culpam non esse, ut bene agerem illis obediendo; se vero effecturum ut rei veritas tandem palam pateret. Dum autem orationem mihi inhibebant, videbatur id ipse moleste tulisse : proinde dicebat responderem iis id meram esse tyrannidem. Adhæc, argumenta et rationes mihi suggerebat, e quibus intelligerem non esse diabolicam illusionem : quarum aliquas postea referam.

Disquisitio de ea contumeliæ specie, quam Sancta exprimit per dar higas.

207 *Varie a traductoribus expressum fuit genus injuriæ quo Sancta jussa fuit in Dominum Jesum sibi apparentem, tanquam si diabolus esset, illudere. Martinezius hic utitur vocibus* exsibilatio *et* per sannas explosio, *et in versione Riberæ adhibet phrasin*
C sannis nasoque suspenso apparentem excipere. *Arnauld d'Andilly scripsit* paroles de mépris, verba contemptus; *Chanut* moquerie, irrisio, *et etiam, quod melius est,* signes de moquerie, irrisionis signa; *P. Cyprianus a Nativitate Carm. Exc. in versione gallica Yepesii habet* faire la nique, *quod generatim significat* illudere, subsannare, *speciatim vero, secundum Dictionarium Trivoltiense,* contumeliose mentum porrigere, mentum alicui projicere; *interpres Anglus S.* Teresiæ *bene adhibuit phrases* some exterior action of scorn, signs of scorn, signs of contempt. *Sancta autem et ejus biographi Hispani non aliam phrasin usurpant quam* dar higas, *quam interpres ejus Flander, P. Elias a S. Teresia, exacte expressit per* de vyge geven, de vyge toonen, *Germanus per* die Feigen zeigen, *Itali item per* far i fichi, far le fiche; *prout gallice etiam stylo populari interdum dicitur* faire la figue. *Medio ævo usitata fuit dictio* ficham facere *seu* ficus facere, *ut ostendit D. Carpentier O. B. in supplemento ad Cangii Glossarium, allegans sequentia e Stat. Pallavic. lib.* II, *c.* X, *pag.* 85 : Ordinatum est quod si aliqua persona contra Dominum nostrum vel Dominam S. Mariam ejus Matrem vel aliquem ex Sanctis per Ecclesiam veneratis ficham fecerit, pro qualibet vice puniatur et condemnetur in libris quinque; *et e litteris remissorialibus an.* 1449 *in Reg.* 180 *Chartoph. reg. ch.* XLVII : Dictus de Remato cum ambabus suis manibus fecit ficus dicto Sermes, eum despectando, dicendo sibi : Je t'en fau la figua et t'en despiege. *Apud Anglos eamdem dictionem non reperi; sed ei forte propinqua hæc est :* I do not care a fig for him, non fici illum facio. *Est autem* ficha *seu* ficus *signum manus ex se perquam contumeliosum : unde satis intelligitur quam grave Sanctæ acciderit mandatum signa hujusmodi adversus Jesum Christum edendi; et videbitur minus mirum, id quod quidam ejus biographi memorant, eam subter scapulari suo manum in hunc gestum compositam abscondisse.*

AUCTORE V. D. M.
D

Theologice investigatur, qui homo se gerere debeat erga apparentem sibi Christi imaginem :

208 *Relato hoc facto, laudataque S. Matris obedientia, equidem omni disputationi super eo confessarii præcepto supersederem, nisi multi, multa hac occasione disserentes, falsa non raro protulissent, ut in decursu hujus § patebit. Quare necesse duxi certa quædam principia ponere, factique circumstantias dilucidare. Mandatum prætereo quod ei dedit confessarius faciendi signum crucis vel crucem in manu gestandi; nil enim ibi est quod carpatur, quia dæmoni id quidem exosum est, sed Christo Salvatori non injuriosum. Atque huc pertinet quod narrat Ven. Mater Anna a S. Augustino Carm. Exc.* (*Vitæ suæ c.* XXI), *consilium sibi fuisse datum a S. Fundatrice ut Sanctis sibi apparentibus crucem rosario suo appensam porrigeret osculandam; id quod Dei Serva reapse executioni mandavit etiam erga S.* Teresiam, *cum hæc a morte sua gloriosa ei apparuit, atque erga ipsummet Salvatorem Jesum Christum.*
E

primo si constet esse a Deo; dein si constet esse a diabolo;

209 *Imago extraordinariis talibus modis menti objecta, aut certo judicatur a Deo provenire, adhibitis, ut suppono, prudentiæ regulis, quales sunt attenta consideratio, fusæ ad Deum preces, quæsitumque e doctis viris consilium. Ac tunc utique talem imaginem conviciari nefas est; fas vero eam in honore habere. Aut certo æstimatur istiusmodi imago a diabolo immissa. Et tum, etsi Christus aut S. Eucharistia aut quidlibet aliud repræsentetur, abhorrendus est hallucinator diabolus et conficta ab eo figura, sive angelus tenebrarum semetipsum transfiguret in angelum lucis Deumve, sive alio quocunque modo horum speciem referat. Ac certe ageret ille pessime et a peccato idololatriæ immunis non foret qui, abhorrens licet repræsentantem, talem imaginem actu venerareturob objectum repræsentatum : ut patebit e doctrina S. Thomæ et Patris Scaramelli, numero sequenti afferendam. Qui vero abstineret omni contemptu ob reverentiam erga figuram repræsentatam, sed et omni cultu ob horrorem a repræsentante, excusari forte posset ob scrupulum, quamvis inanem, quo falsam Christi imaginem, a diabolo ut medium et instrumentum ad hominis perditionem productam, distinguere non audet a sculpta pictaque Christi imagine, quæ ab homine facta, ut ita loquar, in termino est, sive quæ ex se non tendit in malum, sed quæ suum ipsa finem habet, qui est Christum depingere in phantasia hominis. Agit vero recte et prudenter qui, perniciosum omne cum diabolo commercium abrupturus, istiusmodi formam contumelia afficit, eo quod sciat, aut substantialiter sub ea latere diabolum, aut saltem eam quomodocunque ab immundo eo spiritu ideo esse effictam ut contaminetur homo qui ea capi se sinit. Centeni memorantur Sancti qui diabolum oblatamve ab eo speciem contempserunt contemnive jusserunt, tametsi ferebat personam Sancti, Beatæ Virginis vel Christi, aut induerat formam Specierum Eucharisticarum. Unum alterumve dum-*
F

AUCTORE V. D. M.

A *taxat exemplum citabo. S. Philippus Nerius censuit figuram B. V. Mariæ, ab inferno hoste præsentatam, contumelia affici licite posse, discipulo suo Francisco Ferrariensi dicens :* Non tibi Sanctissima Dei Mater, ut putas, sed dæmon ejus forma sese videndum obtulit. Itaque cum tibi ea visio denuo se objiciet, faciem ejus qui apparet, conspuere jubeo (*in ejus Vita, auctore Gallonio, cap.* IV). *Neque aliter S. Pachomius, qui, ut videre est in Actis ejus apud Majores nostros ad* XIV *Maji* (*num.* 55), *cum diabolum sibi adstare sensit, quamvis Christum se esse assereret, non veritus est eam qualemcunque Salvatoris speciem; sed* manum extendit, quasi illum apprehensurus, atque in faciem ejus insufflavit.

ac demum si dubitetur an a Deo, an a diabolo.

210 *Aut tandem dubium est a Deone sit, an a diabolo, illa Dei Sanctive figura. Sanchez et Azor aperte docent nefas esse imagini, quamquam Deum referat, cultum tribuere,* quoties ambigimus sitne dæmon necne, qui per imaginem loquitur. *Ac tunc usuvenit regula quam dat P. Scaramelli S. J. in Directorio mystico* (*tract.* IV, *n.* 68). Non sinat, *ait,* animæ moderator, ut is qui visionem habuit Jesu Christi, B. V. Mariæ vel Sanctorum, eis prius venerationem cultumve præstet quam perpenderit
B ipse moderator diligenter dictam visionem rationesque quibus nitatur. Quærit S. Thomas liceatne in apparitionibus aut visionibus Redemptorem aut ejus Matrem vel Sanctos adorare in actu quo ipsi sese exhibent oculis, phantasiæ vel intellectui; ac respondet, si apparitio ista sit diabolica, ac veneratio exhibeatur cum expressa conditione : « Si tu » es Christus, etc., » nil ibi mali videri. At, si hæc conditio abfuerit, censet venerationem istam eximi non posse peccato et culpa, quamquam habitualis semper subsit conditio qua reverentia non præstaretur, si sciretur dæmon latere sub ea figura : « Dicen» dum, quod non potest diabolus in specie Christi » apparens sine peccato adorari, nisi sit conditio » actu explicita. Non enim sufficit solo habitu : » quia illa novitas rei insolitæ considerationem et » attentionem requirit; sicut dicitur de B. Virgine, » quod cogitabat qualis esset illa salutatio. » (*in* 3 *Sent. dist.* IX, *quæst.* I, *art.* II). *Atque hanc S. Thomæ doctrinam non deserendam dicit Benedictus XIV* (*de Beatif. et Canoniz. l.* III, *c.* LI, *n.* 8); *quam etiam confirmat e S. Bonaventura. At, si honorare dubiam eam imaginem non licet, ita nec*
C *fas eam contumelia afficere; quemadmodum quidam ex Ordine Carmelitico theologus, a P. Frederico citatus, recte dicit :* Absolute, nisi habeatur moralis certitudo dæmonis delitescentis, non sunt facienda illa signa irrisionis et contumeliarum. Aliud est injuriari Christi imaginem, aliud cultum suspendere. Primum imprudentiæ est, apparentem amicum, nondum inimicum probatum, conspuere. Secundum prudentiæ est, probare an amicus sit, vel inimicus, qui apparet.

Et inquiritur historice, quale de Teresiæ *visionibus circa* 1560 *judicium ferretur,*

211 *His positis, priusquam bina super hoc argumento attingam* Teresiæ *loca quæ primo intuitu perperam interpretanda cuidam forte videntur, oportet inquirere ad quam e tribus iis classibus singuli, qui Sanctæ conscientiam circa* 1560 (*quod tempus bene notandum est*) *moderabantur, miras illas in anima ejus operationes referrent, sive quinam existimarent Deum esse earum auctorem, quinam diabolum, quinam denique dubii hærerent Deumne dicerent an diabolum. Imprimis quod ipsam Sanctam attinet, ipsa multis librorum epistolarumque suarum locis fatetur, sibi, quamdiu visio durabat, intime persuasum fuisse a Deo cuncta hæc profluere; ubi vero modice mens distrahebatur, angoribus se fuisse oppletam, ac timuisse ne a diabolo luderetur : quemadmodum aperte de se vel decies affirmat a capite* XXIII *ad caput* XXX *Vitæ suæ. Ergo primus corrigendus hic venit P. Fredericus a S. Antonio, qui l.* I, *c.* XVI *dicit Sanctam fuisse opinatam infallibiter tenendum esse Deum sibi apparere :* L'opinione della Santa e del Bagnez era infallibilmente d'abbracciarsi nelle circonstanze sì gravi di morale interna certezza, che chi le appariva, era Dio. *Qui autem Deo adscribenda primis iis temporibus censerent ea quæ Sancta in se experiebatur, vix alii memorantur quam S. Franciscus de Borgia ac duo e Societate Jesu confessarii, quorum alter S. Francisco in eo apud* Teresiam *munere præcessit, alter successit. Cæteri prope omnes suspicabantur technis eam irretitam esse diabolicis; ita ut ipsa timeret ne tandem deesset sacerdos qui sibi peccata confitenti aures præbere vellet. Atque hoc quibusdam eousque persuasum erat, ut exorcismis in eam agendum esse decernerent, et ut quidam, sicut narrat Perottus* (*apud P. Fredericum loc. cit.*), *stola humeris injecta, ad solemnem eum actum jam properaret. Nominatim quinque vel sex viri Abulenses, ducibus Daza et Salcedio, postquam pluries ad deliberandum super* Teresiæ *statu convenissent, tandem pronuntiarunt præstigiis*
E *eam ludi diabolicis. Non tamen inter devios hos consiliarios numerandi sunt Sanctæ tunc temporis confessarii, sicut perperam affirmatur a P. Petro ab Annuntiatione* (*in notis* 3, 4 *et* 5 *ad ep.* 11 *tom. II edit. Bruxell.* 1742). *Saltem de P. Balthasare Alvarez, quo tunc præcipuo, ne dicam unico, Sancta usa videtur fuisse confessario, contrarium prorsus ipsa refert Vitæ suæ cap.* XXVIII.

ac speciatim a P. Balthasare Alvarez,

212 *Operæ pretium est paucis hic referre quale ejus fuerit de Sanctæ spiritu judicium : ex quo videbitur, sin primæ, saltem tertiæ, dubitantium scilicet, classi esse annumerandus. Initio quidem judicium ejus erat omnino Sanctæ favorabile, atque eam ex hac lege regebat. Postmodum vero, cum illud, de quo supra, sextumvirale tribunal severum suum decretum protulisset, et cum suas absentis vices confessarius ille qui* Teresiam *jussit apparitionem cum probro repellere, supplesset; P. Balthasar, qui junior sacerdos erat, pro sua humilitate ausus non est opinioni contraire tantorum virorum, quos ipsa Sancta* zelosos, doctos, spirituales, insignesque Dei servos *appellat. Interne quidem favebat* Teresiæ; *sed, judicium suum quodammodo suspendens, ad speciem dirigebat illam e mente adversariorum, solitudinem ei*
F *dissuadens* (*quod fere cum illusis fieri solet*), *removensque eam aliquamdiu* (*ad viginti dies, dicitur in vita P. Balthasaris*) *a S. Communione, ac sinens etiam ut antecessoris sui præceptum, repellendi nempe contumeliose visionem, executioni mandaretur. Ea ratione P. Balthasar timidior forte fuit quam æquum erat; immerens tamen est duræ castigationis quam P. Petrus ab Annuntiatione loco jam citato in Sanctæ confessarios exaggerat. Atque eadem via perrexit humilis Pater, donec meliora consilia S. Petri de Alcantara evicerint in animo ejus auctoritatem Salcedii et aliorum quibus visus fuerat* Teresiæ *spiritus reprobandus.*

et dein ab illo confessario qui Teresiam *visiones cum probro abigere jussit:*

213 *Nec in unum P. Balthasarem acriores sunt Aristarchi quidam, sed et modum plures excedunt in confessarium qui* Teresiæ *male injunxit visionem arcere cum contumelia, victus, ut opinor, auctoritate aliorum, aut nescio quibus argumentis persuasus. Improbent, per me licet, properum ejus judicium; eis assentiar, si solummodo dixerint ambigendi locum fuisse, et proin suspendendi judicii, tum ob Sanctæ humilitatem crescentemque in dies ejus virtutem, tum ob contrariam ante, a S. Francisco Borgia præcipue, prolatam sententiam. Ast, recte ut judicetur, oportet*

A *oportet circumstantias perpendere. Scilicet audierant confessarii ex ipsius Sanctæ ore, dæmonem aliquoties se ejus visionibus immiscuisse* (*c.* XXX *et* XXXI *Vitæ*)*; habebant consentiens sibi judicium aliorum virorum valde spiritualium* (*quorum aliqui volebant vel ad exorcismos deveniri*)*, ac nominatim sancti equitis Salcedii, qui quadraginta annos orationi institerat et ad magnam pervenerat perfectionem ac negotiorum spiritualium peritiam; videbant ipsam* Teresiam*, licet diceret se visionum tempore valde securam esse de Christi præsentia* (*id quod decepti quoque a dæmone homines non raro dicere consueverunt*)*, tamen post eas visiones valde anxiam esse et timidam, maxime cum quid novi in eis incurrisset, prout modo ipsam narrantem audivimus, et etiam narravit anno* 1560 *in sua epistola ad S. Petrum de Alcantara* (*t. II, ep.* 11). *Hæc et alia, quæ suspicionem diabolicæ fraudis non injuria certe movere poterant, consideret diligenter velim quicunque de confessario illo, a quibusdam scriptoribus tam graviter accusato, æquam cupit ferre sententiam. Exaggeravit utique nimium quantum culpam confessariorum S. Virginis is qui* (*nota* 2 *ad ep.* 11 *tomi II*) *eorum consilium* acerbum, *et probationem quam de*

B *Sanctæ spiritu instituerunt,* crudelem *appellavit. Ac falso asseruit in opere suo :* Innocentia vindicata, *P. Joannes ab Annuntiatione, Generalis Carm. Exc., valde turbatum fuisse ab imprudenti confessario* serenum *animum S.* Teresiæ; *dum ex ipsis S. Matris testimoniis decies et amplius repetitis luce clarius est prætensam illam serenitatem longe ab ejus animo per id temporis exulasse; nec solum tunc, sed etiam postquam S. Petrus de Alcantara eam quietam reddere studuerat. Atque idem Pater paulo post in eodem suo opere non minus falso affirmat Sanctam in edendis jussu confessarii istis contumeliosis signis tamdiu perrexisse, donec P. Dominicus Bañez id eam dedocuerit, id est ad annum usque* 1562. *Etenim hæc assertio cum subsequenti S.* Teresiæ *narratione subsistere nequaquam potest; siquidem jam anno* 1560 *S. Petrus de Alcantara ei dixerat Dei spiritum esse qui agebat in ea.*

cujus agendi rationem Sancta improbat binis librorum suorum locis.

214 *Declaranda jam duo veniunt S. Matris loca in quibus de famoso confessarii jussu agit. Lectoris oculis hic ea subjicio, alterum e Fundationum capite* VIII, *alterum e Mansionis sextæ capite* IX. Novi, *ait ibi, tertia persona utens,* quamdam quam con-

C fessarii ob hujusmodi visiones mirum in modum angustiabant et lancinabant; quæ tamen (ut videre postea fuit, et patuit e singularibus effectibus et bonis operibus quæ hinc consecuta sunt) a Deo proveniebant. Hæc ergo dum ejus imaginem aliqua in visione videbat, identidem se crucis signo iterato communiebat, apparentemque contumeliosis signis repellebat, quod id facere jussa esset. At postea, cum viro quodam comprimis docto, scilicet Fratre Dominico Bañezio, communicans, ex eo male id fieri, ac neminem id facere debere, audiit. Nam ubicunque Redemptoris nostri imaginem videmus, bonum est nos illi imagini reverentiam et honorem exhibere, tametsi ab ipso cacodæmone efformata esset aut picta; ipse namque egregius est pictor, et compendium nobis facit potius quam dispendium, dum obesse putat, si quando crucifixum aliquem aut aliam quampiam imaginem nobis ita ad vivum exprimit ut cordi eam nostro insculptam relinquat. Hæc porro ratio mirifice mihi placuit : quando enim egregiam et præstantem aliquam imaginem conspicimus, esto eam ab improbo quopiam depictam sciamus, magni tamen ipsam facere non negligemus, de pictore autem parum laborabimus, ne nostra propterea imminuatur devotio. Bonum siquidem aut malum non tam in visione quam in ipso vidente consistit, malum, inquam, si nullum inde cum humi- D litate fructum colligat. Hæc enim si adfuerit, nullum adferre visio, quamvis ipse appareret cacodæmon, damnum potest; si autem abfuerit, esto etiam a Deo sit, nullum afferet fructum. Si enim quod ad nos humiliandos conducere debet (cum nimirum hanc nos gratiam minime promereri videmus), vice versa nobis sit superbiendi occasio, araneæ adinstar erimus, quæ quidquid comedit, in venenum convertit, non adinstar apiculæ, quæ in mel cuncta transire facit. *Dein exemplis id Sancta amplius declarat, suadens quam maxime obedientiam erga confessarium. Alter vero ejus locus e Castello animæ* (*loc. cit.*) *ita sonat :* Vir quidam apprime doctus dicere solebat, egregium pingendi artificem diabolum esse; addebatque, si is Dominum Jesum maxime ad vivum sibi repræsentaret, minime id sibi molestum fore, ut scilicet per illam figuram devotionis spiritum in se excitaret, et propriis dæmonem armis impeteret ac jugularet. Nam, quantumlibet imperitus et ineptus sit pictor, non propterea minus honorari et coli debere imaginem quam pingit, dummodo sit illius qui est unicum bonum nostrum, scilicet Jesu Christi. Unde non poterat non sum- E mopere displicere illi, quod faciendum nonnulli suis consulunt, ut scilicet, cum aliquam vident visionem, illam contumeliose repellant : dicebat enim, nos, ubicunque Regem nostrum depictum videremus, ei debere reverentiam. Et sane merito eum sic censere video : nam etiam hoc in mundo quis indignaretur, si imaginem suam ab eo quem amicum haberet, id genus contumeliis et injuriis affectam sciret. Quanto ergo potius ac majori jure ipsam Domini crucifixi effigiem, aut aliam quamcumque Imperatoris nostri imaginem semper nos revereri par est? Esto hac de re alio in loco scripserim, volupe tamen et jucundum mihi fuit ipsum hic repetere; eo quod quamdam, cum hoc remedium sumere jussa esset, permultum inde afflictam vidi. Nescio quis hunc primo modum adinvenerit, adeo ad torquendum proprium et aptum, et quidem illam quæ nil aliud facere valet quam obedire, si tale quid confessarius faciendum suadeat, et quæ se perditum ire putet, nisi ei suadenti morem gerat. At meum consilium est, quamvis ipsi quid tale suadeant, hanc illis cum modestia et humilitate rationem depromatis, et remedium id non sumatis. Summopere vero mihi quadrarunt bonæ illæ rationes quas mihi F suggessit is qui de hac re mecum tractavit.

Ex iis tamen locis non debere concludi Sanctam velle, ut adoretur Christi imago quæ noscitur a dæmone exhibita,

215 *Difficultates horum locorum enucleaturus, præmitto nonnullos esse qui sequentem sustinent sententiam, quam ego existimo vix esse probabilem ac practice judico esse periculosam, et quam, ut mihi videtur, mens humana refugit amplecti, absonamque judicat. Scilicet quidam S.* Teresiæ *interpretes ac biographi, nec non quidam theologi qui crude nimis S. Matris verba intelligunt ac ita intellecta perperam propugnant, præfracte affirmant ab ipsa doceri imaginem Christi, etiam quæ sit ac sciatur a dæmone esse efformata, semper esse reverendam. Unde consequens est ut, si cui ipse dæmon appareat protentamque teneat Christi figuram aut eam delineet in pariete, recte ille cui apparitio fit eam adoret, imo adorare debeat, non moratus malignum spiritum qui eam effingit atque exhibet, quia* ubicumque Regem nostrum depictum videmus, ei debemus reverentiam. *P. Fredericus* (*l.* I, *c.* XVI), *Montoya* (*Diss.* I, *p.* 189) *aliique plures eum sensum in præfatis S.* Teresiæ *verbis reperire se putant, ut patet aperte ex iis quæ indicatis a me locis bini illi auctores disserunt. Neque disputatione opus foret, si tantum*

AUCTORE V. D. M.

A *tantum sustinerent a Sancta doceri imaginem quæ a Deo immissa judicatur, coli posse; nam de hoc inter omnes theologos convenit, cum hac sola accidentali in eorum sententiis discrepantia, quod alii actualem conditionem* (Si tu es Christus) *velint præmitti, dum alii contenti sunt habituali. Igitur, quod apprime notari debet, illi scriptores tenent Sanctam non solum prohibere quominus tale diabolicum phantasma explodatur; neque solum tradunt eam non sinere ut abstineatur, ut a contumelia, ita et a cultu; quamquam ipsa Ecclesia præceptum sacras imagines venerandi nobis proponat dumtaxat, ut theologi loquuntur, negativum, id est non inferendi iis injuriam aut irreverentiam, et tantum præceptum affirmativum, id est tribuendi iis debitum cultum, pro temporibus necessariis, ita ut nemo sit obligatus ad cultum singulis imaginibus exhibendum : sed præterea contendunt ipsam cupere ut actu istiusmodi phantasma honoretur, quia* Regi nostro debemus venerationem ubicumque eum depictum videmus, non attendendo ad improbum pictorem. *Ast isthæc opinio ob plures gravesque rationes rejicienda videtur; et proin illa, si per congruam interpretationem ullatenus liceat, eximi S.* Teresia *debet, cum illuminatissima mysticæ theologiæ magistra fuerit, nec quidquam in scriptis ejus censores, qui ante beatificationis processum ea examinarunt, perstrinxerint. Ecce summatim aliquot quæ contra militant argumenta.* 1° *Mens humana, ut dixi, insitum sentit horrorem a tali in rebus præsertim sacris cum dæmone commercio.* Quæ conventio Christi ad Belial? 2° *Sancti, v. g. Philippus Nerius et Pachomius, de quibus supra, S. Martinus Turonensis* (*apud Sulpicium Severum, in Vita ejus n.* 25), *aliique quam plurimi dæmonem semper abominati sunt, quacumque eis apparuerit forma, sive sacra sive profana.* 3° *S. Thomas, S. Bonaventura, Benedictus XIV, et summa, quotquot sunt, theologicæ disciplinæ lumina tam procul absunt ab illo opinionis, monstrone dicam an commento, ut etiam in iis apparitionibus quæ Deum videntur habere auctorem, vel sub reatu peccati appositam expresse velint conditionem :* Si tu es Christus. 4° *Periculum inde seductionis maximum. Unde S. Athanasius, exponens illud Lucæ IV,* 35 : Increpavit illum dicens : Obmutesce, *sic ait :* Quamvis vera fateretur dæmon, tamen Christus ejus sermonem increpavit, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulgaret, et ut nos assuefaciat

C talibus negligendis, etsi vera loqui videatur. 5° *Omne cum dæmone consortium superstitio est, dicente S. Augustino* (*lib.* II *de Doctr. Christ.*) : Quidquid procedit ex societate dæmonum et hominum, superstitiosum est; *nec verente Gersonio scribere,* (*prop.* XVIII *Trilogii Astrologiæ theologizatæ*) : Non est licitum participare cum eis (*angelis malis*), tamquam excommunicatis a Deo et Ecclesia tota, et quia fallaces sunt, fallere semper cupientes, non juvare : unde, juxta proverbium vulgi, « ludunt ad » falsam societatem. »

uno et altero argumento,

216 *Hæc igitur cum ita sint, indagandum solerter est an S. Mater istam opinionem ita profiteatur, ut nullam aliam justam interpretationem verba ejus ferant. Atqui hujusmodi reperiri posse, ac proin admitti debere, conficietur ex iis quæ dicturus sum. Sancta, fateor, primo quidem intuitu videtur dicere se rationibus Bañezii inductam fuisse ut autumaret numquam esse licitum imagini Christi illudere, etiamsi sit a diabolo immissa, sed eam semper esse reverendam, etiam quando sit atque sciatur a maligno spiritu esse efficta. At scrutanti penitius sensum illorum locorum Sancta censebitur loqui de talibus solum visionibus in quibus vage dubitari forte possit sintne a Deo an a diabolo, et in quibus homo, bona fide* D *procedens, imaginem veneretur cum habituali saltem ea conditione :* Si tu es Christus; *ac minime censebitur loqui de imagine certe a diabolo objecta, quam colendam diceret; imo non invenietur ipsa ibi affirmare, in positivo dubio* (*id est in quo homo, post tentatum conscientiæ dictamen, est adhuc perplexus, hæretque, ambigens a Deone credat imaginem an a diabolo*) *licite adorari imaginem posse. Primum autem, quod solum mihi contra plures S.* Teresiæ *interpretes probandum est* (*nempe eam non docere Dei honorandam esse imaginem quæ noscitur a dæmone esse efformata*), *sequentibus stabilio argumentis, notans prævie plures traductores non ubivis id omnino reddere quod textus hispanus habet.* 1° *Expressis verbis Sancta eam opinionem nullibi ita profert, ut benignior interpretatio recusari possit : ad quod facit initium citati prioris capitis, ubi liquet eam loqui de dubia visione quam a Deo venisse postea constitit.* 2° *Quod si S.* Teresia *imaginem Christi menti in visionibus objectam comparet cum imagine amici qui hac spreta indignatur; hæc, ut quæcunque alia comparatio, claudicat. Innoxia enim est illa amici imago quæ ab amico spernitur, et in qua se spretum juste ille indignatur. At* E *pseudoimago Dei, quam infernalis ejus adversarius effingit ut hominem perdat et ut Deum æmuletur divinosque honores captet, noxia est, saltem in intentione dæmonis illam usurpantis. Quare, contra ac fit cum amico illo, non est sane cur Deus offendatur illi qui falsam suam talem imaginem temnit, et ita artes maligni spiritus eludit. Sic ipse Christus pluries in Novi Testamenti libris etiam tunc dæmonem cum probro repulisse illiusque os obturasse legitur, quando impurum illud monstrum ejus laudes deprædicabat. Porro, quando Sancta loquitur de Christi imagine ab homine picta sculptave, attendendum est aliam plane hujus habendam esse rationem, quam istius ementiti a diabolo phantasmatis : quum ibi agatur de imagine mortua, hic vero de viva quæ loqui valet ac seducere, et quæ a diabolo ea mente, ut hominem seducat, usurpatur et exhibetur; dicentibus Salmanticensibus :* Cum frequenter per talem imaginem dæmon animam alloquatur, si ejus verbis credat, facile deceptionem patitur (*Theol. Mor. t.* V, *c.* VI, *n.* 21) : *quod patet ex historia Secundelli, apud S. Greg. Tur.* (*de vita Patrum, c.* X), *et Valentis, apud Palladium* (*in hist. SS. Patrum*).

ac etiam tertio, probatur :

217 3° *In illa tandem phrasi, quæ præcipue difficultatem movere posse videtur :* Ubicunque Redemptoris nostri imaginem videmus, bonum est nos ei F reverentiam et honorem exhibere, tametsi ab ipso cacodæmone efformata esset aut picta; *ultimæ voces duplicem interpretationem ferunt. Nempe sonare possunt :* Tametsi per accidens, et eo qui ipsam colit inscio, ab ipso dæmone formata esset; *aut :* Tametsi certo sciretur ab ipso dæmone formata. *Prior autem præferenda est, non solum quia sinceris theologicis principiis conformis est* (*dum altera eis est difformis*), *sed et quia prior sensus, e circumstantiis quas modo explicabo, naturaliter judicari potest continere doctrinam qua Sancta a Bañezio instruenda fuit, ac proin eam quam Sancta hausit, et quam exponere hic etiam voluit, siquidem non aliam ipsa hic quam Bañezii doctrinam profitetur, nec alium quam ipsum dictorum suorum vadem citat. Hujus autem doctrina non e litterali dumtaxat S. Matris narratione colligi debet, verum e circumstantiis quoque in quibus tum Bañezius tum Sancta versabantur. Ergo finge, aut magis recordare, rerum adjuncta in quibus anno* 1562 *et ab ipsa petitum et a Bañezio datum id consilium seu responsum fuit. Quænam autem illa erant? Quod S. Matrem attinet, eo jam tempore ex ejus in virtutibus*

A *tibus ac speciatim in humilitate progressu, atque e testimonio sanctissimorum et perspicacissimorum virorum, plane constabat bono eam regi spiritu. Nec tamen ipsius ita sedata erat mens ut non frequenter adhuc agitaretur, sive ob contraria sibi data olim a Salcedio aliisque consilia et præcepta, sive ob profundam suam humilitatem, qua mens ejus refugiebat credere tantis sese cœlitus donatam esse charismatibus. Quoad Bañezium vero, cui utrumque hoc exploratum erat, nempe Deum in ipsa operari, et nihilominus eam crebro ac graviter adhuc conturbari, partes ejus erant, non præterita disserere, sed præsens præbere consilium, ac remedium suppeditare componendorum animi ejus motuum. Indubie Sancta ei aperuerat ab altero sibi olim declaratum fuisse confessario dæmonem esse qui eam vexaret, ac sibi fuisse injunctum ut apparentem propulsaret infami gestu. Hæc igitur cum ita essent, Bañezius, ut e tota S. Matris narratione colligitur, non minus sagaciter quam prudenter id præstitit quod præstare oportebat. Scilicet in eo cum ipsa colloquio ponere non voluit theologicas de apparitionibus theses, singulis quibusque, sive illusi sint a dæmone, sive a Deo inspirati,*

B *promiscue applicandas; sed protulit sua sensa oratoris more (nam etiam in privata confabulatione eloquentiæ artes, intra limites veri, valent ac licent), atque anxiæ ejus menti omnia illa quæ utroque citato S. Virginis loco supra legere est, suggessit, ut eam pacatam redderet; omnino sane aliter locuturus, si a dæmone eam ludi, infernalemque hostem sub specie Christi illi se exhibere novisset. Neque profecto secus ac Bañez, sagax quisque conscientiarum moderator agit; qui, veritatis licet observantissimus, aliter tamen scrupuloso loquitur, aliter dissoluto, apud unum argumenta tacens quæ apud alterum exaggerat. Consequens ergo est posse Bañezii consilium ad hæc reduci verba :* Oportet tranquilla sis, etiamsi a dæmone efficta esset imago. *Atque naturali hac explicatione Bañezius vindicatur, cui, utpote doctissimo inclytoque theologo, nefas est sine aperta causa affricare absurdam istam opinionem, ac si voluisset Christi imaginem etiam tunc coli debere quando constat diaboli in ea latere substantiam, aut saltem fascinationem dolosque a diabolo ad hominis ruinam structos ei subesse.*

ita ut hic recedendum sit ab interpretatione multorum, ac ipsius etiam P. Frederici;

C 218 *Atque etiam ut S.* Teresiam *in præfatis binis iis locis rite intelligamus ac juste interpretemur, eæ rationes atque circumstantiæ ante oculos versari debent. Ad quod quia non satis attenderunt aliqui qui crude nimis S. Matris verba exceperunt, principia theologica protulerunt a Bañezii atque adeo ab ipsius S. Matris mente aliena, et opposita iis principiis quæ supra stabilivimus auctoritate nixi S. Thomæ aliorumque insignium theologorum. Quin idcirco ipse P. Fredericus, accuratus cæteroquin scriptor ac Matri suæ devotissimus filius, non sat recte nec sat favorabiliter cernitur hæc loca commentatus esse; atque insuper e tribus propositionibus quas interpretationi suæ subnectit, prima prorsus est erronea. En qui post citata a se bina S. Matris loca ipse ratiocinetur :* Non omnes forte approbabunt eam Sanctæ ac Bañezii argumentationem, dicentque aliud esse honorare picturam quæ sine diaboli ope existit et conservatur, aliud venerari internum phantasma quod a diabolo efformatur et a diabolo, ut ita loquar, in sua essentia et in sua conservatione dependet, neque tendit ad alium finem quam ad damnum ruinamque hominum. Interim opinio S. Matris propugnatur a gravibus et claris theologis, ipsius filiis. Quod si mihi licuerit meum promere sensum, dicam videri mihi theologos, inter oppositas apparenter quas tuentur propositiones, in hac mea convenire sententia : scilicet, 1° quod S. Matris (*hoc paulo ante ego refutavi*) ac Bañezii opinio fuerit infallibiliter in tam gravibus moralis certitudinis circumstantiis esse tenendum Deum fuisse qui ei apparebat, *etc.*

AUCTORE V. D. M.

D 219 *P. Fredericus in hac sua propositione male confundit tempora. Judicium enim Bañezii, latum anno* 1562 (*siquidem ipsemet Bañezius testatus est in processu canonizationis se non novisse aut vidisse* Teresiam *ante annum* 1562), *perperam applicat ad annum* 1558 (*huic nempe anno memoratum confessarii jussum ipse innectit*), *quo alia omnino quam anno* 1562 *erat judicandi ratio. Illo namque temporis intervallo, ut notat P. Montoya* (*Diss.* I, *pag.* 192), *Seraphinus transverberarat S. Virginis cor* (*anno* 1559, *e P. Frederico l.* I, *c.* XVI, *cujus chronologiam hæc citando sequor*), *mirabilesque id prodigium in anima ejus reliquerat effectus; Sancta arduum, consciis confessariis suis, emiserat votum faciendi semper quod perfectius erat* (*anno* 1559 *aut sequenti, ibid. c.* XVIII); *S. Petrus de Alcantara singulariter approbarat spiritum quo Sancta agebatur* (*anno* 1560, *ibid. c.* XX); *dæmones, qui visibili eam forma invadebant, expugnarat* (*anno* 1560, *ibid. c.* XXI); *S. Petrus de Alcantara et* E *S. Ludovicus Bertrandus consilio ejus de reformando Carmelo applauserant* (*anno* 1560, *ibid. c.* XXIII); *P. Petrus Ibañez illius spiritum examinarat et probarat* (*anno* 1560, *etc., ibid. c.* XXIV); *ac, ut pleraque alia argumenta omittam, Sancta sororis suæ filium ad vitam revocarat* (*anno* 1561, *ibid. c.* XXV). *At, si ad anteriora prodigiis iis tempora te vertas, ad annum, inquam, quo P. Balthasar Alvarez explorabat quali* Teresia *mota esset spiritu, et quo substitutus ei confessarius suadebat improbata ista signa edere, quis neget tempora illa pro confessariis fuisse molestiarum et incertitudinis plenissima? Scilicet dæmon, indutus formam Christi, pluries* Teresiam *seducere conabatur* (*Vitæ c.* XXV, *n.* 6, *et c.* XXVIII, *n.* 9); *tot spirituales viri, fide dignissimi, declarabant a diabolo cuncta procedere; Sancta, quæ nondum intellexerat qualis sua esset oratio, neque ejus explicandæ donum acceperat* (*ibid. c.* XXIII, *n.* 5), *præ humilitate confessarios suos serio monebat, caverent sibi, ne, quantumvis invita et nolens, eis forte imponeret* (*ibid. c.* XXX, *n.* 9). *Ex his igitur evidens est aliam plane judicandi rationem fuisse anno* 1558, *aliam vero* 1562. *Constat posteriore hoc tempore P. Balthasarem Alvarez dudum jam omnem hæsitationem excussisse; atque probabile valde est illum alterum confessarium, qui Sanctæ auctor fuerat repellendi apparitiones cum probro, et ipsum non jam tum amplius condemnasse Sanctæ spiritum. Quin probabiliter suspectant P. Fredericus* (*l.* I, *c.* XVI) *et Montoya* (*Diss.* I, *p.* 202) *confessario huic ipsi, vel si forte non ei, cuidam alteri e Sanctæ nostræ censoribus, accidisse rem quam modo, ut a multis traditur, narrabo. Apparuit ei nocte quadam Redemptor noster, et sui ostensione magnum stuporem incussit. Mane facto convenit vir bonus* Teresiam *et quid factum sit docet.* Mi Pater, *ait,* ne credideris. Numquid Christus volet tibi apparere? Cave, quæso, credideris. *Instat ille, argumenta adducit quibus sibi persuadeat Christum vere a se visum. Tum Sancta :* Intelligas igitur velim, quomodo tu credis tuas visiones esse certas, sic alios quoque qui te consulunt, suas visiones pro certis habere. *Qua responsione Patris illius de* Teresia *æstimatio fuit immutata, Domino scilicet ita promissionem implere incipiente quam sponsæ suæ fecerat, effecturum se ut rei veritas tandem palam pateret. Ex his igitur omnibus quas conglobavi rationibus sequitur, opinio-*

qui insuper Bañezii de Teresia judicium anni 1562 *male retorquet ad annum* 1558.

F

AUCTORE V. D. M.

A *nem Bañezii invocari non posse, quando agitur de anterioribus confessariorum opinionibus explicandis aut conciliandis. Interim tamen illud probe notari potest et debet, memoratum superius Bañezii dictum, stricto sensu sumptum* (*quo sensu etiam a S.* Teresia *sumptum fuit*), *imaginem solummodo respicere ut signum qua signum : quod patet e Sanctæ verbis :* Dummodo sit illius qui est unicum bonum nostrum, scilicet Jesu Christi. *Atque hoc sensu dæmon tantum habetur ut pictor utque materialiter solummodo et extrinsece concurrens; eoque pacto cultus nullatenus in imaginis suppositum refertur, quod theologi communi calculo damnant. Sed tempus est paragraphum hunc claudere quem paulo prolixiorem sivi evadere, quia plures graviorum scriptorum errores erant corrigendi, et quia hæc disputatio plurimum conducet ad explicandum S. Virginis in longa hac interiori lucta statum, totumque animæ ejus habitum; multo autem maxime quia absona ei affligebatur opinio, qua, si congrua interpretatio admittatur, liberari potuit.*

Dicta confirmantur ex P. Liberio a Jesu.

220 *Hic a me absolutus erat paragraphus, cum incidi in tomum VIII Controversiarum* (*edit. Mediolanensis,* 1757) *P. Liberii a Jesu, qui p.* 1014 *et*

B *seq. hanc quæstionem tractans, eam quam tuitus sum sententiam sequitur. Inter alia enim sic dicit :* Status controversiæ non est an liceat adorare imaginem Christi vel augustissimæ cœlorum Reginæ, sub qua delitescat dæmon, si hoc certo sciatur; nulli enim dubium est hoc esse pravum : sed sensus est an, quando ignoratur an imago elaborata sit a dæmone, possint illæ imagines absolute adorari, seu nullo examine præmisso. Dico : absolute, hoc est sine examine, non est deferenda adoratio imagini sub qua delitescit dæmon, et graviter peccat qui aliter agit. *Idque postquam probavit e S. Scriptura, e S. Thoma et e S. Bonaventura; hanc sibi objectionem facit et solvit :* Licet adorare imaginem Christi elaboratam a pessimo sculptore ad finem pravum; ergo licet adorare imaginem (sine ulla conditione) a dæmone efformatam interius animo decipiendi: nam dæmon se habet ut pictor efformans imaginem; adoratio autem non fertur in artificem, sed in exemplar oppositum. Certe non videtur major ratio de imagine interius elaborata, quam exterius in tela vel argilla : at hanc secundam liceret adorare absolute, etsi a dæmone fabrefactam; ergo et primam. Hanc doctrinam approbat Mater nostra

C Mansione VI, cap. IX, reprehenditque imperitos jubentes his imaginibus contumelias fieri. Resp. Neg. Conseq. Quia in casu imaginum interiorum, quarum fieri, esse et conservari dependet ab opere diaboli, dæmon non se habet pure extrinsece velut pictor et artifex, sed ibidem delitescit et præsens est; ideo adoratio non solum fertur in exemplar, sed virtualiter in ipsum dæmonem, utentem imagine boni ad decipiendum : est enim hæc species quædam societatis cum nostro hoste. Porro, nedum societas formalis, sed etiam materialis, ut accidit in aliis rebus superstitiosis, illicita est. Adde quod argumentum probaret licere adorationem etiam quando certo sciretur delitescere dæmonem, sicut licet quando constat ab infami pictore certo elaboratam fuisse imaginem. Secundum exemplum imaginis permanentis a dæmone factæ recte quadrat cum exemplo pictoris : et tunc conceditur licere adorationem, quia pure extrinsece se habet; et hoc sentit N. S. Mater ducta exemplo pictoris. Cæterum absolute, nisi habeatur certitudo moralis dæmonis delitescentis, non sunt facienda illi signa irrisionis et contumeliarum. Aliud est injuriis afficere Christi imaginem, aliud cultum suspendere : primum imprudentiæ est, ap- D parentem amicum, nondum inimicum probatum, conspuere; secundum vero viri prudentis est, probare an amicus sit vel inimicus qui apparet.

§ XIII. Videt Sancta adamantes in cruce sua, et Angelum qui cor ejus transfodit. Votum nuncupat faciendi semper quæ Deo gratiora viderentur.

Adamantes in cruce sua videt Sancta.

Ad majora nunc devenimus charismata quæ eodem tempore Deus in ancilla sua operari dignatus est. Cum aliquando, *ait Sancta capite* XXIX *Vitæ suæ,* crucem quæ de rosario pendebat, in manu haberem, sua ipse manu eam meæ eripuit; cumque eam mihi deinde redderet, e quatuor ingentibus compacta erat gemmis, quæ multo, sine ulla comparatione, adamantibus erant pretiosiores, et, quantum videre est, pene supernaturales; imo adamantes fictitium et imperfectum quid esse videntur, comparati cum gemmis in cruce illa apparentibus : præferebant autem hæ quinque Domini vulnera quam scitissime expressa. Aiebat autem deinceps me crucem hanc ut gemmeam visuram; et ita revera factum est, ut scilicet non lignum e quo confecta erat, sed hasce gemmas viderem : at illas nullus videbat quam ego. *Ut Ribera, Chronicum aliique tradunt, Joanna de Ahumada, magni valoris hujus crucis conscia* (*non autem* ignara, *sicut Chronici gallica versio habet*), *multis precibus hanc a sorore dissimulanter extorsit. Et addit Chronicum eam crucem apud Carmelitanas Vallisoletanas* (*contra ac P. Fredericus dicit :* apud Madritenses) *in ditissima theca argentea contineri, ac multorum miraculorum esse operatricem, quorum unum legesis apud Riberam lib.* I, *c.* VI, *et apud Yepes lib.* II, *c.* XXXIX.

Gratias recipiens indies copiosiores,

222 Gratiæ indies, *ita pergit Sancta,* mihi uberius et copiosius dabantur; cumque me distrahere conarer, nullatenus me poteram ab oratione divertere, adeo ut etiam inter dormiendum orare viderer : hic quippe amoris erat incrementum, et mea F cum Domino expostulatio, et quod id ferre non possem; nec in mea manu erat (etsi id et vellem et ad hoc maxime conniterer) de eo non cogitare : nihilominus, quantum poteram, obtemperabam; sed in hoc parum aut certe prorsus nihil poteram. Et Dominus ipse numquam hoc a me abstulit; sed, esto ut id facerem suaderet, ab alia tamen parte reddebat me securam, docebatque quid ipsis responderem (uti et modo facit), tamque sufficientes et prægnantes mihi dabat rationes, ut plane me convincerent et securam redderent. Non multo post incepit Majestas ejus (ut mihi promiserat) evidentius ostendere se esse qui mihi apparebat : etenim tam ingens et ardens Dei amor in me crescebat, ut quis eum mihi inderet prorsus ignorarem; erat is namque quam maxime supernaturalis, nec ego ad eum ullatenus connitebar. Emoriebar præ desiderio videndi Deum, et nesciebam quonam ad hanc vitam modo pervenirem, nisi per mortem. Magni itaque quidam hujus amoris impetus me occupabant; qui quamvis adeo intolerabiles non essent atque ii de quibus alias locuta sum, nec tam potentes, nesciebam tamen quid mihi ipsa facerem : nihil

A nihil enim me delectabat aut recreabat; sed anima jam inde ab intimis fibris mihi evelli vere videbatur. O summum et eximium Domini artificium! Quam subtili et suavi, cum misella ancilla tua, utebaris industria! Faciem tuam abscondebas a me, et interim tuo me amore urgebas, tamque dulcem mihi mortem inferebas, ut anima perpetuo in ea agere et numquam ea carere voluisset.

Angelum videt transverberantem sibi cor.

223 Voluit autem Dominus ut aliquoties viderem mihi ad latus sinistrum corporea in forma adstantem Angelum quemdam : quod nonnisi admodum raro videre soleo, etsi alioqui sæpe mihi Angeli appareant; sed cum hi apparent, eos non video nisi adinstar superioris illius visionis de qua primo locuta sum. In hac vero visione voluit Dominus eum sic viderem : non erat is magnus, sed parvus formaque pulcherrima, ac vultu ita ardenti et flagranti ut de supremis ac primariis esse Angelis videretur, qui toti ardere videntur : hoc credo esse eos qui Seraphini dicuntur; sua quippe nomina mihi non declarant : video tamen tantum in cœlis inter unum Angelum et alium, et inter hos et illos discrimen esse, ut ipsum non possem verbis exponere. Videbam illum longum quoddam jaculum au-
B reum, sed ad ferri cuspidem pauxillo igne inflammatum, in manu habere: hoc ipso ille cor meum subinde ad intimas usque fibras transverberare, et, dum illud rursus educeret, quædam earum frusta simul educere videbatur : quo facto, ingenti Dei amore me totam æstuantem et inflammatam reliquit. Tam vehemens porro hæc pœna erat, ut in hos me gemitus et expostulationes faceret prorumpere; sed suavitas quam summus hic dolor mihi adfert, tam excessiva est ut eum mihi auferri prorsus nolim, nec anima minorem voluptatem ac delectationem quærat quam ipsummet Deum. Non est autem hæc pœna corporalis, sed spiritualis, etsi corpus ab ea plane immune non sit, sed eam nimis quam multum sentiat. Est hæc tam suavis inter animam et Deum amoris reciprocatio, ut ejus ego bonitatem rogem, eam ut gustare faciat illum qui me forte censebit mentiri. Omnibus diebus quibus hoc duravit, eram quasi mentis inops; voluissem neminem videre aut alloqui, at dumtaxat meipsam cum pœna mea amplecti; quam ego majorem esse gloriam putabam quam esse posset omnis quæ a rebus creatis venire posset. Hoc interdum mihi etiam contingebat, cum volebat Dominus ut hi tam magni raptus mihi supervenirent, ut etiam, cum inter homines versabar, iis
C resistere non possem; unde magno meo cum dolore, et invita me, in hominum notitiam hi venire et divulgari cœpere : sed, ex quo hosce raptus habere incepi, hanc pœnam tam intensam non sentio, sed aliam illam de qua ante quodam in loco (capitis enim non memini) locuta sum; quæ sane multis in rebus diversa et longe dignior est. Imo cum hæc pœna, de qua jam ago, me occupare incipit, tum Dominus animam sustollere et in ecstasin collocare videtur; atque ita nulla est aut pœnæ sentiendæ aut aliquid patiendi occasio : nam statim ipsa sequitur fruitio. Sit ipse in æternum benedictus, qui tot tantasque gratias præstat ei quæ tantis beneficiis ipsius tam male respondet. *Qui divinas hujusmodi operationes, quantum humanæ scientiæ datum est, nosse cupit, adeat ipsa S.* Teresiæ *opera, atque etiam Directorium mysticum Patris Scaramelli, potissimum tract.* III, *cap.* XXVII, (*edit. Neapolit.* 1768), *ubi plura habet de spirituali vulnere quali gavisa fuit S.* Teresia.

Error notatur in plerisque Gallis.

224 *Ribera eadem prope refert* (*l.* I, *c.* VI) *quæ* Teresia. *Yepes quoque iisdem fere verbis ac Ribera, cœlestem hanc largitionem enarrat* (*l.* I, *c.* XIV); *sed omittit argumentationem qua Ribera sacri hujus visi veritatem tuetur. Scilicet, quod priori Sanctæ biographo primis iis temporibus tali dissertatione munire opportunum videbatur, supervacaneum visum est posteriori, cum vulgatissima in* Teresia *prodigia sensato cuique et hoc prodigium credibile magis reddidissent. Ad citatum autem S.* Teresiæ *locum quædam habeo quæ hic subjungam. Imprimis carpendi sunt plerique qui locum hunc gallice verterunt, decepti hispana voce* largo, *quæ non latitudinem, sed longitudinem sonat. Sic Channut perperam ponit:* un large dard (largum jaculum); *Arnaldus :* un dard dont la pointe était fort large (jaculum cujus cuspis valde larga erat); *Boucher et Villefore :* un large dard qui me paraissait être d'or (largum jaculum cujus cuspis mihi aurea videbatur); *I. D. B. P. auctor versionis editæ anno* 1601 : un dard qui estoit d'or et large (spiculum quod ex auro erat et largum). *Nec pauci quoque pictores calami errorem penicillo suo imitati sunt, et jaculum quod Sancta longum fuisse scribit, breve exhibuerunt. Recte hunc locum versum invenio a D. Collombet, atque etiam in Anglis, Belgis, Germanis et Italis qui mihi ad manum sunt scriptoribus. Feriret hic me Bailletii* D *silentium, non dignati unum mutire iota super prodigiosa hac visione, ni perspectus esset viri sensus, qui, ubi de miraculis visionibusque agitur, sæpe est multo difficilior ac severior quam sensus est Ecclesiæ, et quam sana prudentium scriptorum fert judicandi ratio. Alterum quod notem super eo loco est ubi Sancta dicit se vidisse Angelum corporali specie : quæ verba, licet obvio sensu aliter sonare videantur, intelligenda tamen sunt de visione imaginaria. Sancta enim libro Castelli animæ* (*Mansione* VI, *c.* IX), *quem librum composuit decimo tertio a scripta Vita sua anno, diserte affirmat se cœlicas numquam habuisse visiones corporali specie repræsentatas. Tandem, adverto tertio, ex ipsis ejus verbis et ex Annalibus monasterii Incarnationis, dilecta Christi Sponsa, non semel, sed pluries tali divini amoris cuspide, ut canit Ecclesia,* in vulnus icta concidit.

Sancta super eo vulnere composuit cantilenam :

225 *De prodigiosa hac cordis sui vulneratione carmen a Sancta compositum fuisse et leni voce cantari solitum, jampridem sciebatur; et ejus carminis sensum P. Antonius Perottus O. C., in Vita Teresiana, Augustæ Taurinorum anno* 1614 *edita, his versibus, italico sermone exhibuerat* (*part.* I, *c.* VII) :

D'amor celeste son con morte e vita,
Con ferro, fuoco, con amor ferita : F
Ferita, perch'io muoja, e viva insieme
D'amor, che con amor il cuor mi preme.
Cœlestis amor me morti sociat et vitæ :
Icta sum ferro, igne et amore;
Icta, ut moriar vivamque simul
Amore, cor qui meum amore premit.

Sensum, uti dixi, non verba hujus cantilenæ P. Perottus tradidit; fatetur enim ipse, S. Matrem (*quam tunc hoc vulnere a Deo dignatam ait, quando gloriam contemplabatur quam Sancti ex ardentissima charitate acquisierant*) *susurrando tantum, ne intelligerent moniales, cantasse; adeo ut aliquem cantilenæ intellectum quidem percipere illæ potuerint, non vero articulatas voces. Revera exhibita a Perotto stropha differt quoad verba a Teresiano carmine, etsi cum eo concordet quoad sensum.*

quæ exhibetur hispanice et latine.

226 *Hoc canticum anno* 1700 *in monasterio S. Josephi Hispali repertum est manu scriptum carmine hispanico : quod credunt originalem esse Sanctæ opellam. En tibi illud, quale typis vulgatum prostat : nam scriptum exemplar anno* 1806 *frustra quæsitum dolet in opere suo* La Muger grande, *ad* XXIX *Aprilis, P. Emmanuel a S. Thoma.*

En las

AUCTORE V. D. M.

A

En las internas entrañas
Senti un golpe repentino;
El blason era divino,
Porque obró grandes hazañas.
Con el golpe fui herida;
Y aunque la herida es mortal,
Y es un dolor desigual,
Es muerte que causa vida.
Si mata, como da vida?
Y si vida, como muerte?
Como sana cuando hiere?
Y se vé con el unida?
Tiene tan divinas mañas,
Que en un tan acerbo trance
Sale triunfando de lance
Obrando grandes hazañas.
Intimis cordis penetralibus
Ictum repentinum persensi.
Erat divinus ille ictus :
Magna namque in me operatus est.
Cum ictu vulnus mihi fuit :
Et licet vulnus sit mortale,
Ac dolor sit incomparabilis,
Mors est quæ vitam gignit.

B

Si nocet, qui vitam dat?
Si vitam dat, qui necat?
Quomodo affligit simul et sanat?
Et qui vita stat cum tali vulnere?
Næ Dei hæ sunt artes,
Qui per acerba adeo discrimina
Triumphator lucta exeat,
Tantasque operetur res.

Probatur id vulnus fuisse corporale :

227 *Errat qui hæc allegorice et de spirituali solum charitatis vulnere intellexerit. Vera fuit et corporalis cordis transverberatio; ut adeo, ex utraque illius parte, scissuræ cum labiis semiustis post Seraphicæ Virginis obitum conspectæ fuerint, et, sicut Abula anno* 1842 *certior factus sum, etiamnum clare et distincte conspiciantur.* El corazon de la Santa, *ait D. Robustianus Boada, qui illud delineavit,* se halla intacto, viendose bien clara y distintamente la herida de la transverberacion. *Ita etiam dicit P. Scaramelli in suo Directorio mystico* (*tract.* III, *cap.* XXVIII) : Ictus ille mirabilis quem S. Teresia manu Seraphini pluries accepit, in corde ejus cicatricem reliquit quæ ad hunc usque diem cernitur. *Adhæc, priusquam anno* 1726 *Carmelus Excalceatus a Benedicto XIII festum transverberationis cordis S. suæ Matris impetraret,* postulatores,

C

ut ait Benedictus XIV (*de Beatif. l.* IV, *p.* II, *c.* VIII, *n.* 3), judicialibus congestis probationibus, vulneris impressionem adhuc extantem et visibilem in corde ostenderunt. *Et cum biennio post idem Pontifex lectiones festi illius proprias concederet, sextam lectionem sic claudi permisit :* Cum autem illius cor incorruptum, ac transverberationis signis decoratum, . . . Christi fideles in præsentem usque diem venerentur; iis omnibus perspectis, Benedictus XIII P. M. solemnitatem hanc ad recolendam insignis prodigii memoriam, in eodem Ordine quotannis celebrari concessit. *Quæ omnia latius tunc exponam, cum de Reliquiis agam, ubi sculpta in ære tabula sacrum Virginis cor exhibebit.*

ac vapulat D. L. F. Alfredus Maury.

228 *Ast sine censura tacito mihi hic præterire fas non est L. F. Alfredum Maury, qui in gallica sua scriptione quam* Tentamen *vocat* super piis medii ævi Legendis, *quamque anno* 1843 *Parisiis in lucem dedit, sic habet :* Celeber pictor Alphonsus Cano, qui secundum psalmum XXXVII : « Quoniam sagittæ » tuæ infixæ sunt mihi », pingere voluit divini amoris sagittas quibus S. Teresiæ anima confixa erat, ejus cor exhibuit jaculo confossum. Exin vulgus ad litteram cepit emblema, et fabricatores Legendarum fabulati sunt S. Teresiam martyrem fuisse sagitta confectam. *Ita ille. Ast toto prope sæculo ante pictam ab Alphonso tabulam, quam vano commento ansam præbuisse auctor perhibet, ipsa Sancta in Vitæ suæ libro narrarat relatam superius visionem Angeli cor suum jaculo transfigentis, omnesque ejus biographi diu ante Alphonsum eamdem visionem memorarant. Insuper in processu beatificationis hac de re fuerat actum, testatumque ab oculatis testibus perforatum materialiter fuisse cor. Ergo male fingit auctor Alphonsum Cano, qui tantum post Sanctæ beatificationem penicillum tractare cœpit, occasionem vulgo præbuisse habendi pro vero facto quod allegorico pictor luserat artificio. Certe pœnitendum laborem operose scribendo exantlavit D. Maury. Non enim tam secernit in Sanctorum Vitis vile figmentorum plumbum a pretioso veritatis auro, quam omne aurum in scoriam vertit, vilipendio temerans facta etiam certissima et sanctissima. Suasor proinde sum viro illi, si res historicas, et maxime si sacras, tractare voluerit, prorsus alium sibi præfigat scopum, atque ita fabulas quæ in Sanctorum Vitas forte irrepserint, redarguat, ut perstent sua veritati jura.* D

Porro a se ipso vulgatæ jam scriptionis rationem exposcat, ac poplite flexo deprecatusque Dei lumen, secum consideret quam infelix sit operis sui summa. Quippe res sacra veritas : qua læsa, læditur Deus, qui se essentialem esse veritatem pronunciavit : Ego sum. . . . veritas (*Joan.* XIV, 6). E

Votum faciendi semper gratiora Deo Sancta emittit et adimplet :

229 *Sic igitur sauciata ac toto pectore exæstuans* Teresia *cœpit agitare secum ipsa quid Domino retribueret pro omnibus quæ sibi retribuisset; atque, ut verbis utar Auditorum sacræ Rotæ in Actis Canon.* (*Rel.* II, *art.* 5), efficax *sibi formavit* propositum, curamque *gessit* continuam sui ipsius suarumque actionum et cogitationum, qua ambulabat, de non offendendo Deum sibi adeo dilectum, nedum culpa veniali et levi, verum nec actu aliquo minoris perfectionis. Ex quo processit illud votum rarum ac notatu dignum quod emisit : nempe semper agendi quod inter multa quæ illi occurrerent, gratius et acceptius Deo sibi videretur. Ita ut per talem voti emissionem non solum voluerit quod placitum esset Deo, adimplere, quod amoris istius magnum signum fuisset, juxta illud Joannis cap. XIV : « Si quis diligit » me, sermonem meum servabit »; sed etiam, tanquam illa quæ inter istas amoris flammas ardebat, voluerit et quod perfectius et quod Deo acceptius judicaret, illud exequi et ad id voto se obstringere. Quod et Deo fideliter reddidit præ nimio amore quo illum propter seipsum prosequebatur : ut totius vitæ ipsius cursus probat. *Namque, ut memorat Yepesius, jurati testes innumeri in informationibus ad S.* Teresiæ *canonizationem publice affirmarunt, nunquam aliquid a se, quamdiu ei convixissent, in ea fuisse animadversum quod imperfectionem saperet. Unde, prosequitur idem scriptor, vel ipse voti fructus atque successus perspicue demonstrat non sine speciali Dei consilio et inspiratione conceptum : quare prudentiæ ac sapientiæ deputanda res est quæ secus ineptiæ aut arrogantiæ attribuenda videri potuisset. Et mihi quidem, porro subjungit Yepes, maximum hoc argumentum est admirandæ ad quam evecta* Teresia *fuit, sanctimoniæ : persolutum scilicet per tot annos ab ea fuisse votum tam excellens tamque difficile, Seraphinorum magis quam hominum viribus accommodatum.* F

cujus voti præstantia demonstratur.

230 *Quam vere hæc ab Yepesio dicta sint, intelliget quisquis voti illius naturam vel obiter inspexerit. Quidquid enim et Deus mandat, et Ordinis præscribunt regulæ, et ratio dictat, et exigit justitia, et ordinat caritas, et temperantia metitur, et patientia suadet,*

A *suadet, et commonstrat arduum fortitudo, et humilitas et quæcunque sunt virtutes cæteræ ordinant atque præscribunt; totum hoc, quantumcunque est, nec communi ratione quadam, sed quatenus undequaque perfectissimum sit, uno illo voto continebatur. Sane non aliunde quam de cœlo tale quid in cor S.* Teresiæ *potuit descendere, nec sine Omnipotentis adjutorio in actum effectumque deduci. Id quod ego jam rationibus arguere non contendam, postquam supremo in Ecclesia oraculo, eloquio, inquam, Gregorii PP. XV in Bulla Canonizationis, pronuntiatum est* Teresiam maxime arduum votum a Deo edoctam emisisse, *sive, ut dicitur, in lectione Breviarii Romani,* Deo consiliante. *Quare pius quidam scriptor recte notat id votum vinculum fuisse quo Deo uniebatur quam arctissime, obstringebaturque ad virtutem in qualibet actione exercendam in gradu heroico, et quo, ut ait Cornelius a Lapide* (*Comment. in Matth. c.* III, *v.* 15), *eam Salvatoris ad Joannem Baptistam adimplevit vocem :* Decet nos implere omnem justitiam. *Nam, addit,* sic B. Teresia faciebat omnem justitiam, quia in qualibet re faciebat id quod justius, sanctius, perfectius et Deo gratius erat. *Et quidem eo voto ita se obstrinxit* (*sicut advertit auctor Speculi Carmelitani t. II, p.* 734), *ut non*
B *teneretur solum quoad substantiam operum seu actionum, verum etiam quoad modum sive circumstantias, et præsertim quoad intentionem, ad agenda omnia ad majorem Dei gloriam.* Votum *profecto, exclamabat J. B. Millinus, consistorialis Aulæ advocatus, in publico coram Gregorio XV consistorio,* ad eum usque diem inauditum, *quod generosa hæc Virgo prima emisit! Sanctusque Alphonsus de Ligorio* (*in sua novemdiali ad S. Teresiam Devotione*) : Votum quod Sanctos etiam viros stupore adimplevit!

Ob justas tamen rationes petitur

231 *Id quod nunc dicturus sum, ait P. Fredericus* (*l.* I, *c.* XIX), *cujus fere jam utar verbis, spectat quidem ad annum* 1565 ; *at quoniam ad argumentum de quo modo egimus, omnino pertinet, opportunius videtur hoc loco id annotare. Factum anno* 1560 *votum fideliter* Teresia *implebat : verumtamen non deerant scrupuli quibus tum ejus ipsius animus tum animi confessariorum, in tanta operationum varietate ac multitudine, ancipites hærerent quid magis aut minus perfectum foret. Quibus ut mederentur, P. Garcias de Toledo Ord. Præd. et P. Antonius de Heredia, prior Carmeli Abulensis, Sanctæ suasserunt ut a provinciali suo voti sui dissolutionem peteret ac fa-*
C *cultatem illud alio modo magis opportuno emittendi. Obsecuta humilis atque obediens Virgo directorum suorum consiliis, litteras ea de re misit ad provincialem, tum Toleti versantem; a quo sequens obtinuit diploma :* F. Angelus de Salazar, Præpositus Provinciæ Castellæ Ord. B. V. de monte Carmelo. Harum litterarum tenore nostram damus ac committimus auctoritatem R. P. Priori Conventus nostri Abulensis ac R. P. Garciæ de Toledo Ord. Præd., qua possit utervis eorum, Pœnitentiæ Sacramentum administrans carissimæ nostræ sorori Teresiæ a Jesu, Priorissæ Monialium S. Josephi, dissolvere votum quodvis ab ipsa factum vel illud immutare, prout ipsis ad Dei obsequium et ad quietem animi prædictæ sororis nostræ magis expedire videbitur. Quam ad rem, uti diximus, facultatem atque auctoritatem, quam habemus ex nostro officio, iisdem Patribus concedimus. Datum Toleti, die II Martii 1565. F. Angelus de Salazar.

et conceditur forma voti mutari.

232 *Huic igitur diplomati P. Garcias de Toledo propria manu hæc adscripsit :* Audita Confessione tua, prout requirit P. Provincialis, et quia intelligo id ad pacem ac quietem animi tui, necnon, quod hoc in casu junctum it, confessariorum tuorum, opportunum esse, ego dissolvo et extinguo votum a te factum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Modus autem quo mihi videtur votum hujusmodi denuo a te fieri posse, hic est : nimirum ut voveas te, cum confessario rem in Sacro Tribunali exposueris, quidquid ille declaraverit majoris esse perfectionis, id executioni esse mandaturum. Ad quod tria sunt necessaria : primum, ut confessarius sciat te hoc votum fecisse; alterum ut ejus sententiam exquiras, et non aliter; tertium ut ipse discernat quid magis perfectum sit. Cum hisce tribus conditionibus votum validum esto; sed non alia ratione : nam votum prius a te factum maximo erat scrupulo, tum tibi ipsi, tum confessario cui delicata ac subtilis fuerit conscientia. Fr. Garcias de Toledo. *Novam hanc voti formam, qua scrupuli levabantur quidem, sed non ipsa voti obligatio, Sancta deinde subjecit approbationi R. P. Joannis Baptistæ Rubei, Generalis Carmelitarum : et ea approbatione accepta, diplomati provincialis sua manu adjecit :* Dedit mihi Reverendissimus P. Generalis licentiam hoc votum faciendi, etc. Teresia a Jesu. *Dicit P. Antonius a S. Josepho originale folium, quo provincialis, confessarii et Sanctæ ipsius scripturæ continen-*
E *tur, apud Carmelitanas Calagurritanas existere* (*tom. III, epist.* 74, *not.* 16). *Quod autem Ribera et Yepes asserunt, Sanctam petivisse etiam licentiam a P. Petro Hernandez Ord. Præd., visitatore apostolico Ordinis Carmeli, componi non potest cum recta chronologia, siquidem visitatoris munus non accepit Hernandezius nisi quatuor post annis, nempe anno* 1569. *Ne tamen gravissimos scriptores temere negligentiæ incuriæque arguam, mihi videtur dici posse,* Teresiam *visitatoris postulasse consensum, non jam ad faciendum votum, sed ad pergendum in eo. Solent enim religiosæ ac solertes animæ, quamquam permissione aliqua jam dudum gaudeant, tamen ejus confirmationem a novis ac pluribus superioribus petere, quo majori cum merito, utpote magis obedientiæ subjectæ, actiones suas peragere possint.*

AUCTORE V. D. M.

D

Nova ea forma non minuit voti perfectionem.

233 *Jam si voti conditiones attente consideremus, patebit nihil ejus excellentiæ fuisse detractum. Neque enim per alteram hanc voti formam eximebatur Sancta ab obligatione faciendi quidquid esset perfectius; imo hæc obligatio aperte supponitur, hoc tantum cum discrimine quod prius exequi debebat quæcumque proprio suo judicio perfectiora existimaret, deinceps vero ea quæ aliorum judicio perfectiora viderentur : quod imo multo magis ac perfectius jure dici potest. Aliorum opinioni Sancta*
F *suberat, adeoque agere aliquando debebat quæ ignotus quis aut indoctus aut inexpertus perfectiora judicasset. Quam rara sit talis proprii judicii submissio quamque difficilis, in hominibus præsertim cordatis, hi ipsi optime norunt. Decrat, ni fallor, voto Teresiano aliquid quod ad augendum ejus perfectionem maxime conducebat, nimirum proprii ac perspicacissimi intellectus in actione quacumque cæcitas. Hanc autem eidem addidit facta a P. Garcia, si ita vocare licet, ejus reformatio.*

§ XIV. Visitur et solamen accipit a S. Petro de Alcantara. Magnas patitur corporis animique angustias : Dei benignitatem et dæmonis rabiem multifa-

AUCTORE V. D. M.

A

riam experitur : egregios facit in humilitate progressus.

S. Petrus de Alcantara

Exscribam *modo capita* XXX *et* XXXI *Vitæ Teresianæ, resectis tamen iis quæ historica non sunt.* Cum ergo viderem, *inquit Sancta,* quam parum aut nihil impedire possem ingentes illos quos sentiebam impetus, vereri cœpi illos habere; quod intelligere non possem quomodo pœna simul et gaudium uno in subjecto esse possent : nam sciebam quidem corporalem pœnam et spirituale gaudium et delectationem simul consistere posse; sed haud capiebam, et impotem me mentis pene reddebat, quomodo tam immensa pœna spiritualis cum tam excessiva suavitate consistere possent : et quamvis omnimodis ei resistere laborabam, tam parum tamen proficiebam ut subinde defatigarer. Armis ergo Crucis me defendebam, meque ea tueri volebam adversus eum qui nos omnes per eamdem liberavit et defendit. Videbam porro a nemine me intelligi : ego vero id quam
B clarissime intelligebam, sed nemini id indicare audebam præterquam confessario meo : nam hoc aliis indicando satis ostendissem humilitate me carere. Placuit autem Domino magnam laborum meorum partem ac tum quidem omnem penitus mihi auferre, benedictum virum F. Petrum de Alcantara hoc ad oppidum perducendo. Inter alia mihi certo affirmatum est, eum viginti ipsis annis continuo cilicium ex albi ferri lamellis contextum gestasse. Ipse quorumdam libellorum de oratione in lingua patria conscriptorum, qui jam omnium manibus teruntur, auctor est : nam quia eam bene exercuerat et optime in ea versatus erat, hinc de ea scripsit quam utilissime iis qui eamdem exercent. Primam S. Francisci regulam ad unguem et in rigore servavit, et alia permulta præstitit.

Abulam venit;

235 Ut ergo vidua illa, magna Dei ancilla, meaque amica, de qua supra egi, virum tam eximium huc venisse intellexit, sciretque quantis in necessitatibus versarer (ut quæ mearum afflictionum et ærumnarum testis et conscia erat, et identidem me consolabatur : tanta namque ejus erat fides, ut aliud sibi persuadere non posset quam quod spiritus esset Dei, quem cæteri omnes malignum et diabolicum
C esse aiebant; et, quia boni ingenii mireque taciturna est, et multas a Domino in oratione gratias solita erat accipere, hinc ipsius Majestas eam illuminare dignata est in eo quod viri docti intelligere non valebant : hinc mihi confessarii mei copiam faciebant ut nonnullis quæ ipsa mihi diceret, acquiescerem; nam multas ob causas satis eorum erat capax : interdum quoque gratiarum quas Dominus mihi concedebat, particeps reddebatur, accedentibus quibusdam monitis et consiliis, in magnam animæ ejus utilitatem tendentibus), ut, inquam, hoc intellexit, quo melius cum eo et liberius agere possem, me inscia, a provinciali meo licentiam mihi impetravit ut ad octiduum illius in domo agere liceret : ubi, sicut et in quibusdam templis, sæpius eum conveni, pro prima vice qua hic fuit; nam postea diversis vicibus ac temporibus cum eo de meis rebus communicavi.

S. Teresiæ se consulenti multum dat luminis;

236 Ut ergo ei vitæ meæ seriem et meum in oratione procedendi modum summatim ea qua potui perspicuitate (hoc quippe semper mihi solemne fuit, ut cum iis quibus animam meam declaro et aperio, omni qua possum claritate et veritate agam; imo vellem ut et motus mei primo primi illis paterent et innotescerent; in rebus dubiis quoque et D
suspectis ego contra memetipsam argumenta et rationes producebam) declaravi, ita ut sine ulla duplicitate, nihilque celando, animæ ei meæ statum patefecerim, jam inde pene ab initio intellexi et vidi eum me per experientiam intelligere; quod imprimis mihi erat necessarium : tunc quippe ipsa me, sicut et jam, intelligere non poteram, ad illud declarandum (postea enim gratiam mihi Deus dedit intelligendi et exponendi gratias quas ejus Majestas mihi elargitur) quod ut quis bene intelligeret, et quid sit, exponere posset, opus sane foret ut hoc reipsa expertus esset. Is me non parum illustravit et enubilavit; nam saltem in visionibus quæ imaginariæ non erant, omnino intelligere non poteram quid hoc esse posset : quin et in iis quas animæ oculis intuebar, æque parum mihi videbar intelligere quomodo hoc fieri posset; sed dumtaxat eas quæ corporeis oculis videntur, uti dixi, magni me facere debere putabam, et has ipsa non habebam. Sanctus hic vir magnam mihi in omnibus lucem dabat, singulaque declarabat, ac ne me affligerem et torquerem monebat, sed Deum laudarem, tamque certa essem spiritum illius hic operari, ut, una excepta fide, nihil majoris esse posset veritatis, aut quod certius credere possem. E
Magnopere porro is se mecum oblectabat, et omnem quem poterat favorem et opem mihi exhibebat, atque ex eo tempore semper singularem mei curam gessit, meque rerum etiam suarum ac negotiorum participem reddidit : et quia me mire desiderare videbat ea quæ ipse jam de facto et reipsa possidebat (nam desiderium Dominus valde firmum et solidum mihi dabat) et simul tam bene animatam, hinc quam libentissime mecum tractabat. Quippe ei quem Dominus ad hunc statum perduxit, nulla voluptas aut consolatio accidere major potest quam in aliquem incidere cui aliqua hujus rei principia communicasse Dominus videtur : nam tunc temporis quidem (quantum mihi videtur) non multo plus habere poteram : faxit autem Deus, ut id vel modo habeam.

de ea cum confessario ejus et cum Salcedio loquitur,

237 Magnopere autem is mihi compatiebatur; dicebatque id quod passa eram, de maximis qui in terra haberi possunt laboribus et afflictionibus esse, contradictionem scilicet bonorum; et adhuc multa mihi subeunda restare (semper quippe opus habebam aliquo quocum conferrem, et hoc in oppido nullus erat qui me intelligeret), sed acturum se cum confessario meo, et cum aliquo eorum qui me maxime affligebant, qualis erat vir ille nobilis F
conjugatus, de quo jam egi supra; nam is, quia me mirifice diligebat, mihi omne bellum movebat : est porro vir Deum timens et sanctus; sed quia me non ita pridem ita sceleratam et improbam viderat, non poterat non timere meque ut suspectam tenere. Sanctus vir Petrus, uti promisit, sic et reipsa præstitit, et ambos convenit, multasque apud eos rationes et causas protulit, quibus ab omni eos timore liberaret et securos redderet, ne me posthac amplius inquietarent. Porro confessarius monitione hac non valde opus habebat; sed bene vir ille nobilis, cui tametsi ea satis non fuit nec plane satisfecit, ex parte tamen juvit ut me posthac in tantum non intimidaret. Pactum iniimus, ut ego ei perscriberem quidquid jam inde ab hoc tempore mihi hoc in genere accideret, utque alter alterum Deo per preces commendaremus : tanta scilicet ejus erat humilitas ut mei miserabilis orationes aliquo haberet loco; quod sane non mediocris mea fuit confusio.

eamque solatur.

238 Discedens ergo, magna me consolatione et gaudio perfusam reliquit, monens ut sine timore, sed summa cum securitate in oratione mea pergerem, neu dubitarem quin Dei Spiritus hic operaretur;

A retur; omne vero id de quo aliquo modo dubitabam, quin et (ad majorem meam securitatem et quietem) quidquid demum mihi eveniret, ad confessarium meum referrem, et sic posthac quiete viverem. Ad hanc tamen ego securitatem pervenire prorsus non potui. Dominus namque me per viam timoris deducebat, uti erat credere diabolum in me operari, cum eum alii in me operari dicebant : adeo ut nec timor nec securitas ab ullo homine mihi comparari possent, ita ut illis non possem ulterius credere, quam quantum Dominus mihi inspiraret et cordi immitteret. Unde, etsi ipse me consolatus sit et quietarit, tamen non tantum ei credidi ut omni prorsus timore vacarem et plane secura essem, præsertim cum me Dominus in illis spiritus angustiis quas jam commemorabo, adhuc agere volebat : nihilominus, uti dixi, magna consolatione delibata mansi. Non poteram proinde Deo et glorioso Patri meo S. Josepho gratiis agendis satiari, qui, ut mihi videbatur, bonum hunc Patrem ad me destinarat : erat hic quippe commissarius generalis custodiæ S. Josephi, cui Sancto, uti et gloriosissimæ Matri Mariæ, me assidue commendabam.

Internis externisque angustiis,

239 Aliquando tum (uti et modo, etsi non tam frequenter) ingentibus animæ opprimebar angustiis B et pressuris; ad quas præterea excessivi quidam corporis cruciatus et tormenta accedebant, ita quidem graves ut iis ferendis par vix essem. Interdum vero dolor ipse corporalis intensior erat; quem, quia tunc a pressura spiritus libera eram, æquissimo et hilari animo perferebam : sed cum et corporis et spiritus mala simul ingruebant, tam gravis pœna et pressura erat ut me velut opprimeret. Unde omnes quas a Deo acceperam gratias prorsus obliviscebar, ita ut sola carum memoria, velut rei cujusdam quam per somnium videram, mihi maneret, quod mihi in pœnam cedebat : intellectus quippe ita torpidus et soporatus redditur ut mille mihi dubitationes et suspiciones suboriri faceret, meque id non bene intelligere potuisse, et forsitan ita dumtaxat mihi visum fuisse et velut somniasse putarem : ac proinde satis esse debere quod ego sola deciperer, quin bonos in errorem pertraherem. Ita porro me malam et sceleratam esse putabam ut universa mala, et etiam hæreses quæ exortæ erant, ob mea peccata enata esse crederem.

et humilitatis specie falsa,

240 Est hæc falsa quædam humilitas, quam idcirco in me excitare diabolus conabatur, ut me C turbaret et inquietaret, et videret num sic in desperationis abyssum animam meam posset pertrahere. Equidem jam tantam experientiam habeo illud non nisi a diabolo provenire, ut quoad hoc jam toties me non oppugnet ac solebat; videt enim me jam artes suas et technas percallere. Colligere autem hoc clare est ex inquiete et perturbatione quam initio adfert, nec non ex tumultu quem in anima, quamdiu id durat, excitat; adhæc ex obscuritate et afflictione quam in ipsa operatur; denique ex ariditate, et ad orandum et omne bonum opus ineptitudine et indispositione : adeo ut animam præfocare et corpus velut constringere videatur, quo ad nihil omnino sit utile.

perquam noxia

241 Vera enim humilitas (esto anima se improbam agnoscat, nobisque grave sit videre id quod sumus, nostramque improbitatem nimium quantum extollamus, eo modo quo dixi, et id vere de nobis ipsis sentiamus) non venit cum perturbatione, animam non inquietat, nec obscuram aut aridam reddit; quin imo plane e contrario, mira eam quiete, suavitate et luce recreat ac perfundit. Hæc autem pœna animam alia ex parte consolatur, dum nimirum videt quantam sibi Deus gratiam faciat, cum hac se pœna affligi sinit, et quam ea bene veniat; hinc dolet quod Deum offenderit, ex alia D autem parte ipsius misericordia ipsam dilatat et consolatur : accedit et lumen quoddam, tum ad sui ipsius confusionem excitandam, tum ad Majestatem ejus, quod tam diu se sustinuerit, deprædicandam. At in alia illa humilitate, quæ a diabolo provenit, nullum homini ad aliquod bonum faciendum lumen datur, adeo ut Deus omnia ferro et igne devastaturus videatur : hæc namque solam justitiam ei ob oculos ponit; et, esto etiam misericordiam credat (neque enim tanta dæmonis potentia est ut fidem ipsi auferat), hæc tamen fides et consideratio nullam ei adfert consolationem; quin imo tantam misericordiam videns, magis inde cruciatur et affligitur, quod propterea se ad plura bona præstanda teneri putet.

AUCTORE V. D. M.

et artificiosa,

242 Hæc dæmonis techna et artificium, inter alias quas in eo notavi, et gravissima est et subtilissima et maxime tecta : ideoque Reverentiæ Vestræ hanc indicare et aperire mihi visum fuit, ut, si forte te hac machina dæmon oppugnet, aliquod ad eam dignoscendam lumen habeas, si modo tibi intellectum ad eam intelligendam et perspiciendam relinquat. Cogites enim velim, non omnia in do- E
ctrina et scientia sita esse : nam etsi mihi desint omnia, tamen, cum hoc jam præteriit, id nonnisi meras esse inanias ac stultitiam intelligo. Hoc autem intellexi, nimirum Dominum Deum id velle et permittere, diaboloque velut potestatem facere, uti olim ei dedit ut Job virum sanctissimum tentaret, esto mecum, quæ ita misera et improba sum, tam dure et immaniter non agat. Contigit hoc mihi, et, quantum recordor, pridie vigiliæ festi Ven. Sacramenti (erga quod festum mire, esto non pro eo ac quidem oporteret, afficior); et tunc quidem id mihi nonnisi usque ad festum duravit : nam alias integra id hebdomada, aut duabus, et interdum etiam tribus, et nescio an etiam diutius, ac præsertim circa hebdomadas sanctas, cum me magis in devotionem et pietatem effundere solebam, durabat. Videtur ergo is in momento intellectum occupare, et aliquando ob res ita leves et exiguas ut alias eas riderem et exploderem; ipsumque tunc, quocumque allubuerit, rotat et versat; et anima tunc ceu compedibus ferreis ita constricta est ut suiipsius compos et domina non sit, et, præter nugas et inanias quas ipse ei oggerit, nihil omnino cogitare possit, et ita quidem vanas ut vix ullius sint momenti, et ad F
nihil prosint quam ut animam ita constringant et suffocent ut ipsa sibi nimis quam angusta sit. Ita porro me subinde constitutam sensi ut mihi dæmones animam ceu pilam jactare, versare et reversare viderentur, ipsaque interim ita impotens esse ut ex illorum manibus sese eximere non posset.

animus Teresiæ interdum misere tortus,

243 Dici non potest aut exponi ecquid anima hoc in genere patiatur : vellet quidem juvari, at, Deo permittente, fit ut juvantem non inveniat : solum liberi arbitrii lumen semper ei adest; id tamen non usque adeo clarum est : sed perinde ac si oculi ei velati essent, vel sicut aliquis qui sæpius per certum aliquem locum transivit, qui quamvis de nocte et in tenebris per eum ambulet, novit tamen per frequentem anteriorem reflexionem ad quæ offendicula cespitare posset, eo quod de die illa notavit, itaque ab eo sibi periculo cavet; ita quoque se res hic habet, in Deo non offendendo, quod id tum ex consuetudine quadam fieri videatur : ut taceam interim (quod sane præcipuum hic est) Deum nos conservare et tueri solere. Fides quoque tum ita emortua et soporata videtur, simul et reliquæ virtutes, tametsi non omnino perdita (nam credit quidem

AUCTORE V. D. M.

quidem anima quod Ecclesia credendum proponit ac docet, sed tantum velut quid ore exterius pronuntiatum), ut ab alia parte velut urgeri, premi ac torpida reddi videatur, et Deum non aliter nosse quam velut rem quam eminus et a longe tantum audivit. Amor quoque ejus ita tepidus et vapidus est, ut, si quando de eo loqui audit, non secus auscultet quam quasi ad rem quam credat esse id quod est, quod Ecclesia id ita credendum doceat; sed non meminit ejus quod alias in se ipsa experta est : si se orationi vocali applicare velit, aut intra solitudinem abdere, majorem adhuc afflictionem et pressuram sentit : quod enim in se sentit tormentum, ut tamen causam ejus nesciat, est pene intolerabile, et tormentorum infernalium mihi quodammodo imago et typus videtur esse. Et verum dico, ut mihi Dominus ipse in quadam visione declaravit : anima enim in se ipsa ardet, quin sciat a quo aut undenam ignis sibi subdatur, aut quomodo eum evitet, aut denique qua eum ratione exstinguat.

nec in pia lectione

244 Velle autem a lectione remedium aliquod invenire, tantumdem est ac si legere omnino non posset : semel mihi contigit, ut, cum vitam alicujus Sancti legere inciperem, ut viderem num illam possem imbibere, meque consolarer eo quod ille passus erat, jamque quater aut quinies totidem lineas legissem, minus tamen lecta intelligerem in fine quam initio, tametsi lingua materna illa conscripta essent: itaque lectionem abrupi. Id quidem sæpe mihi contigit, sed illius quam dixi vicis particularius recordor. Deterius etiam multo est cum aliquo colloqui velle : dæmon quippe tam amarulentum et fastidiosum iræ spiritum homini infundit, ut is omnes devorare etiam velle videatur, quin id impedire valeat, quamquam sibi aliquid facere videtur, dum ei obluctatur et contra pugnat, vel potius ipse Dominus facit, dum eum qui hoc in statu est, protegit et defendit, ne quid proximo damnosum ac noxium, vel per quod Deum ipsemet offendat, dicat aut faciat.

nec in recursu ad confessarium,

245 Ad confessarium autem recurrere nihil juvat : quod autem jam dicam, certum est id mihi sæpius contigisse; scilicet illos, esto tam sancti essent ac sunt modo, tam ii quos tunc habui quam quos modo habeo, talia tamen mihi verba dixisse, atque ita aspere me objurgasse, ut ipsimet, cum hæc apud eos deinde verba repeterem, mirarentur, dicerentque in sua potestate non fuisse mitius loqui : nam quantumvis firmum ab iis verbis abstinendi propositum facerent, imo etiam postea, cum mei miseratione tacti, tum conscientiæ scrupulis compuncti, apud se statuerent suaviter me, cum in hujusmodi tum corporis tum animi pressura degerem, consolari, impossibile tamen illis erat aliter facere. Non dicebant quidem verba aliqua mala, quibus scilicet Deum offenderent, ea tamen tam amarulenta et aspera ut acerbiora a confessario aliquo proferri non possent. Erat, credo, illis propositum me mortificare et humiliare; et, quamvis alias talibus gauderem et omnia ferre parata essem, hoc tamen tempore omnia mihi crux erant et tormentum. Videbatur adhæc mihi quod illos deciperem : unde eos adibam, serioque illos præmonebam sibi ut a me caverent; fieri enim posset ut illos deciperem : videbam quidem quod sponte et data opera eos non deciperem aut illis mentirer, in omnibus tamen erat quod timerem. Unus illorum, audita mea tentatione, semel mihi dixit non esse quod me propterea cruciarem aut affligerem; etsi enim ipsum decipere vellem, satis se ingenii habere ad se non sinendum decipi.

246 Hoc aliquoties, imo pene semper, me magnopere consolabatur : tunc saltem ut plurimum aliquod alleviamentum sentiebam, cum a Sacra Communione surgebam; et interdum etiam, cum ad eam accedebam, ita derepente in anima et corpore vegetabar et serenabar, ut satis id nequeam admirari : perinde ac si omnes animæ meæ tenebræ in momento dispellerentur; et sole jam exorto, perspiciebam quæ me fatuitas et stoliditas occupasset. Alias vel unico Domini verbo audito, uti cum mihi dixit : « Noli te excruciare, nec me- » tuas » (uti jam ante dixi), vel aliquam visionem videndo, ita sanitati tota restituebar ac si nullum ante malum habuissem. Recreabam me in Deo, et apud illum de malo meo expostulabam, petens cur aut quomodo tam gravibus me malis premi sineret. Sed mihi hæc mox quam abundantissime compensabantur, cum fere semper exinde me magna in copia cœlestes gratiæ circumfluerent. Unde talis anima velut recenter e conflatoria fornace prodire videtur; utpote quæ adinstar auri purior et clarior reddita est ad Dominum in seipsa contemplandum. Unde fit ut hi labores demum velut exigui habeantur, etsi antea intolerabiles esse viderentur, velletque eos homo de novo subire, si id majus Dei beneplacitum foret. Et licet tribulationes ac persecutiones adhuc crebriores sint, dummodo sine ulla Dei offensione, sed et gaudenter ac libenter propter eum illas ferat, illæ in majus ejus commodum et utilitatem cedent; etsi ego eas non prout oportet, sed magna cum imperfectione feram.

sed in Deo solo levamen invenit.

Alias torporem experitur,

247 Alias aliquo modo illæ in me ingruebant, uti et modo ingruunt, ita ut omnis aliquid boni vel cogitandi vel facere volendi potestas plane mihi auferri videatur, sed prorsus tam quoad animam quam corpus inepta, torpida et gravis maneam : at tunc alias illas tentationes et inquietudines non sentio; sed tantum tædium quoddam, ut quid mihi sit prorsus nesciam, et nihil omnino animæ meæ satisfaciat aut arrideat. Bonis quibusdam operibus exterioribus meipsam tunc occupare, et ex parte invita, connitebar; sed facile intelligo quam anima parum ex se possit, gratia Dei sese abscondente : sed hoc mihi grave aut molestum erat; quod enim me ita vilem, miseram et abjectam viderem, aliquo modo me id recreabat.

alias intellectus distractionem

248 Alias ita me constitutam esse comperio ut ne unam quidem formalem de Deo aut ulla re bona cogitationem constanter firmiterque habere, nec orationem instituere possim, esto etiam in solitudine sim; sentiam tamen me eum nosse. Quantum quidem intelligo, intellectus et imaginatio hic mihi nocent : voluntas quippe bona et ad omne bonum disposita mihi esse videtur, at intellectus ita distractus et perditus est, ut cum nulla re melius eum conferre possim quam cum stulto quodam furioso, quem nemo vinculis potest constringere; imo ne tantillo quidem spatio quo symbolum Apostolorum decurri posset, cum quietum esse jubere possum. Aliquando mecum ipsa rideo, meamque miseriam agnosco, et eum curiosius inspecto, ac sibi permitto, ut videam quid agat; et, Deo laus, nunquam (quod mirum est) rei malæ se applicat, sed indifferentibus, num scilicet hic aut illic aut alibi quid faciendum sit. Ac tum melius intelligo maximam illam gratiam quam mihi Dominus præstat, dum stultum hunc in perfecta contemplatione vinctum detinet. Considero quoque apud memetipsam, quid esset, si, qui me ut bonam intuentur, me tum, cum in hoc delirio et errore versor, viderent.

et inquietudinem;

249 Miseret me quam maxime animæ, quod eam cum sociis tam improbis vivere debere videam : vellem

A vellem eam liberam et in libertate videre : unde subinde sic Dominum compello : « Quando, o Deus » meus, erit illud tempus, quo animam meam totam » in te laudando unitam videbo, ita ut omnes ejus » potentiæ te perfruantur? Ne permittas, Domine, » ut posthac amplius velut per partes distracta sit. » Nam singulæ ejus partes ad suam quæque finem et intentum ferri videntur. Et frequenter hoc ipsa patior; sed aliquando video indispositionem et invaletudinem corporis non parum huc conferre. Quocirca sæpe mecum ipsa ingens illud damnum quod a primo peccato nobis provenit, recogito; inde namque venisse nobis videtur quod ad tanto bono fruendum inepti et incapaces sumus : quin imo meis propriis peccatis id merito imputare possum; nisi enim mea tam multa fuissent, haud dubie in bono longe fuissem constantior.

interdum se humilitate carere putat;

250 Habui et aliam satis magnam afflictionem : quod nempe me omnes libros qui de oratione agunt, satis sufficienterque, dum eos legebam, intelligere putarem, et Dominum mihi gratiam illam dedisse ut illis jam opus non haberem; hinc fiebat ut illos non amplius legerem, sed solas vitas Sanctorum evolverem : nam quod videam me eos in Deo diligendo
B serviendoque tam parum imitari, hinc mihi semper aliquod ex illa lectione bonum provenire, meque animari non mediocriter existimo. Insignis tamen mihi humilitatis defectus esse videbatur, cogitare ad hujusmodi orationis gradum me jam tum pervenisse : quia vero id mihi prorsus ita videbatur, nec hanc a me repellere ipsa cogitationem poteram, magnopere contristabar et affligebar; donec quidam viri docti, et inter cæteros benedictus ille F. Petrus de Alcantara, mihi dicerent hanc ut cogitationem parvi facerem et nihil morarer. Equidem satis video, me ne incepisse quidem Deo sincere servire, tametsi mihi Majestas ejus non minores nec pauciores gratias fecerit quam multis aliis bonis præstitit, cum tamen ipsa non nisi mera sim imperfectio, nisi quod bona quædam habeam desideria, et eum amem : novi namque Dominum hoc in genere aliquid mihi dedisse quo ei saltem aliqua in re servire possem. Videor quidem mihi ipsum amare; sed opera mea et frequentes imperfectiones, quas in me adverto, me contristant.

nec semper fervorem illum sentit

251 Alias me quædam animæ occupat simplicitas et velut stupida stoliditas : simplicitas, inquam; videor quippe nec bonum nec malum quid facere,
C sed alios præeuntes, et communem plurimorum agendi modum (ut dici solet) sequor, neve ullam pœnam sentio vel gloriam; animaque nec vitam curat nec mortem, nec voluptas eam afficit nec tristitia, sed nihil prorsus sentire videtur, at instar aselli esse, qui pascitur et alitur eo pabulo quod ei porrigitur, et comedit quodammodo nihil sentiens : neque enim dubium est quin anima hoc in statu aliquod singularium quarumdam Dei gratiarum alimentum percipiat, cum eam non pigeat aut tædeat tam amaram vitam vivere, et quidem summa cum patientia et animæquitate : verum nullos prorsus in se sentit motus vel effectus, per quos se ipsa possit intelligere.

quo mens aquæ vivæ

252 Perinde id mihi jam esse videtur ac si quis leni quadam inter navigandum aura uteretur, cujus adminiculo multum quidem viæ conficiat, nesciat tamen unde hoc fiat. Nam in aliis illis modis effectus et operationes tam sunt evidentes, ut anima quamprimum advertat se proficere et meliorem fieri, eo quod bona desideria ebulliunt et statim se efferunt, et nunquam sibi anima satisfacit, quidquid demum facit; hoc quippe ingentes illi amoris impetus, de quibus supra locuta sum, operari solent in iis quibus illos Deus elargiri dignatur. Non secus se res habet ac in nonnullis, quos manantes vidi, D fonticulis, in quibus arena lusitans continuo in altum effertur et ascendit; quæ similitudo et exemplum ad vivum repræsentare mihi videtur statum animarum quæ huc perveniunt. Amor quippe semper effervescit, et continuo excogitat quid facturus sit, nec se ipsum capit; ac sicuti terra aquam illam in se continere et capere non posse videtur, sed eamdem foras ejicit et expellit, ita et anima ut plurimum sic constituta est, ut nec in se quieta sit, nec ob amorem quem sentit, durare queat, ac proinde ab eodem velut imbibita, cum ejus ipsa plus quam satis habeat, vellet et alios de eo bibere, ut illam in Deo laudando adjuvent. Ah quoties mihi in mentem venit aquæ illius viventis de qua Samaritanæ mulieri Redemptor Jesus locutus est! Ideo erga illud Euangelium maxime afficior; et certe, jam inde a prima pueritia, licet bonum illud nondum tam bene intelligerem sicut jam intelligo, erga id mire affecta fui, atque ideo sæpe Domino supplicabam ut hanc aquam mihi daret; et, ubicumque agebam, mulieris hujus imaginem una cum illis verbis, quibus Salvatorem ad puteum venientem compellavit : « Domine, da mihi aquam », semper E circumferebam.

et igni similis efficitur.

253 Videntur quoque hujusmodi animæ similes esse magno cuidam igni, qui, quo non exstinguatur, novo semper alimento et materia fovendus est : nam vellent hæ, etiam magno suo dispendio et labore, undequaque ligna et materiam congerere et afferre, ne ignis hic exstingueretur. Ego autem hujusmodi sum, ut contenta essem si vel stramen et sarmenta haberem, quæ igni illi fovendo injicerem; et hoc mihi subinde, imo sæpe, accidit : unde aliquando propterea mecum ipsa rideo, aliquando mirum in modum affligor. Nam internus motus me excitat ut ei in aliquo serviam, nimirum, cum quid majus præstare non possum, imagines ramusculis et flosculis convestiendo, aut verrendo, aut oratorium quoddam concinnando, aut alia id genus ministeria obeundo, ita quidem exigua et parvi momenti, ut pudore suffunderer. Si quam austeritatem aut pœnitentiam subirem, ea erat nimis quam parva et modica, adeo ut omnia illa nullius esse momenti viderem, nisi Dominus voluntatem meam in bonam partem accepisset : imo memetipsa irridebam.

F

Diabolus modo minatur Teresiæ,

254 Quandoquidem hactenus de nonnullis internis et occultis tentationibus ac perturbationibus, quas mihi diabolus causabat, locuta sum, ideo nunc alias quasdam, quas pene inspectantibus aliis mihi inferebat, et ita manifeste ut nullum esset dubium quin ab ipso hæ provenirent, loqui propono. Quodam tempore mihi in oratorio agenti ipse ad latus meum sinistrum, tetra et horribili figura, se spectandum dedit : et quia me alloquebatur, hinc particulatim os ejus intuita sum, quod valde terribile et immane habebat. Illius autem e corpore ingens prodire videbatur flamma, eaque tota rutilans et sine ulla fumosa fuligine. Mox ergo horribili quadam voce me alloquens, aiebat in præsens quidem suas me manus evasisse, sed fore ut in sua me potestate denuo haberet. Unde conterrita non mediocriter, signo crucis me, prout poteram, consignabam; quo ille viso, mox disparuit, sed illico rediit : et hoc secundo. Et ego ignara quid agerem, aquam benedictam, quæ eo in loco erat, versus locum illum jeci : nec exinde ad me tunc rediit.

modo eam vexat ac premit:

255 Alias quinque horas continuo tam intensis me vexavit doloribus, et pressura tum interiori tum exteriori, ut amplius eam ferre posse me diffiderem.

AUCTORE V. D. M.

A Quæ apud me erant sodales valde consternatæ et pavidæ erant, et quid agerent nesciebant, uti nec ego quomodo me juvarem. Pro more habeo, cum pœna corporalis et pressura valde intensa est, internos spiritus actus intra memetipsam, prout quidem possum, facere, Dominum rogans, ut, si illius beneplacitum sit, tantum mihi patientiam det, cæterum in hac me pressura ad usque sæculi finem sinat manere. Ut ergo pressuram tunc tam vehementem et intensam esse vidi, per internos illos actus et proposita concepta me juvare satagebam. Dignatus est autem Dominus mihi declarare quod id diabolica vexatio esset : videbam quippe ad latus meum nigellum quemdam æthiopem, horribili valde aspectu, dentibus instar cujusdam desperantis frendentem et ringentem; quod unde lucrum sperabat, inde jacturam referret. Ut eum vidi, risi nec quidquam timui; erant enim apud me quædam, quæ et viribus deficiebant, et quomodo tantum dispellerent tormentum, nesciebant : nam corpore toto, capite et brachiis, tam vehementes, illo impellente, dabam motus, ut me retinere non possem, et (quod deterrimum erat) interna inquietudo tanta erat ut nullo ad quietem pacto pervenire valerem : non audebam

B tamen aquam lustralem poscere, ne illas perterrefacerem, ipsæque intelligerent quid rerum circa me ageretur.

sed aquæ benedictæ aspersione

256 Sæpe probavi et vidi nihil esse quod diabolos magis in fugam compellat ad amplius non revertendum, quam aqua lustralis : a cruce quidem fugiunt, sed quamprimum redeunt. Unde efficio magnam haud dubie aquæ lustralis virtutem esse debere : mihi saltem singularis et patentissima quædam animæ consolatio est, eam sumere : hoc certum est, me communiter et ut plurimum ex illius sumptione eam recreationem sentire quam verbis non possem exponere, nec non internam quamdam delectationem, quæ totam animam meam vegetat et recreat. Non est hoc somnium aut res quæ mihi non nisi semel accidit, sed quæ frequenter, et ad quam serio reflexi et diligenter animum adverti : dico id perinde esse ac si quis, valde æstuans et sitiens, aquæ frigidæ haustum biberet, unde totus homo refrigerari videtur. Mecum ipsa subinde perpendo quam magni facienda sint omnia quæ ab Ecclesia instituta et ordinata sunt; et summopere gaudeo, cum tantam verba hæc vim habere video, ut eam etiam aquæ affricent et indant, quo tantum sit inter id quod benedictum

C est et quod benedictum non est, discrimen.

ab ea pellitur

257 Sed quia tormentum id nondum cessabat, dicebam ad socias, me, nisi timerem ne me riderent, aquam lustralem petituram esse. Ergo sine mora illam attulere, meque ea resperserunt; sed incassum. Ego hoc videns versus eam partem illam jeci in qua diabolus erat; qui in momento disparuit: ego autem mox ab omni malo plane liberata fui, non aliter quam si quis manu id a me defricuisset; excepto quod ita delumbata et enervis mansi ac si longam et duram toto corpore fustigationem passa essem. Magnopere mihi profuit quod hoc viso cogitarem intra me, si homini in quem nec quoad animam nec quoad corpus aliquod habet jus, tantum diabolus malum, Domino id ei permittente, inferat, quantum illaturus sit, quando cum ut proprium possidet? Hoc novum quoddam in me excitabat desiderium meipsam a tam infido contubernio liberandi.

fetidus ille strepitator;

258 Non diu præteriit, cum hoc ipsum rursus mihi contigit, etsi non tam diu durarit. Eram autem sola in loco; petebamque mihi aquam lustralem adferri : quæ autem post illius abitum (fuerunt autem duæ moniales fide dignæ, ut quæ ob nullam omnino causam mentirentur) cubiculum ingressæ D sunt, tetrum quemdam odorem, quasi sulfureum, olfecerunt. Ego vero eum non sensi; tam diu tamen is in loco mansit ut commode percipi posset. Alio tempore cum in choro agerem, magnum quemdam mentis recolligendæ impetum ac desiderium sensi : unde me quamprimum inde subduxi, ne id aliæ adverterent; quæ tamen non procul a me erant, magnum quemdam verberum inflictorum strepitum eo in loco in quo ipsa eram, percipiebant; ego vero juxta me vocem quamdam velut quid inter se statuentium audiebam, esto intelligere non possem quidnam dicerent; nam ita in oratione mea eram attenta, nihil ut intelligerem et nihil omnino timerem. Pene semper hoc mihi eveniebat, cum mihi Dominus gratiam faciebat, mea ut persuasione anima aliqua ad meliorem frugem rediret.

qui, ob sacerdotem precibus Teresiæ *conversum*

259 Quod autem jam commemorabo, certum est mihi accidisse, ac multi ejus sunt testes, et inter alios is qui modo confessarius meus est, quia id in epistola quadam scriptum vidit; et licet ei non dicerem cujusnam ea esset epistola, ipse tamen eum noverat. Veniebat ad me quidam, qui duobus annis et medio in peccati mortalis, et quidem talis ut nullum eo abominabilius unquam audierim, reatu E hæserat; et toto illo tempore nec ipsum confitebatur nec vitam in melius commutabat, nihilominus Sacrum frequenter celebrabat. Et quamvis alia peccata sua confitebatur, de hoc tamen ita dicebat : « Quomodo scelus tam fœdum et abominabile possem confiteri? » Magnopere quidem ab eo liberari desiderabat, quoad hoc tamen seipsum expugnare non poterat. Miserebat me ejus quam maxime, ac valde cruciabat quod hac ratione Dei Majestas violaretur. Promisi illi, Deo me supplicaturam quo eum ab hoc malo curaret, meque operam daturam, ut et alii, qui me essent meliores, idem præstarent. Scripsi ergo cuidam, ad quem me litteras mittere ille permisit. Et ecce factum est ut prima Confessione crimen illud confiteretur : visum quippe fuit Deo, quem multi homines vere sancti, quibus id ipsa serio commendaram, ferventibus precibus suis flexerant, misericordiam hanc erga animam illam exhibere : et ego, tametsi miserabilis, quidquid poteram a parte mea, magna animi contentione præstabam. Ipse autem mihi scripsit, se jam ita in melius mutatum esse ut jam ad dies aliquot ab eo peccato abstinuisset, sed tam se acriter a tentante F dæmone oppugnari, ut se in inferno (adeo scilicet torquebatur) esse putaret; quare instanter eum Domino commendarem.

atque a tentationibus liberatum,

260 Itaque denuo eum sororum mearum precibus commendavi; quibus Dominum flexum et delinitum, hanc mihi gratiam præstitisse credo : nam rem cordi habentes serio cum Deo commendarunt. Fuit autem is talis, ut quisnam esset, nemo aut conjectura assequi posset aut divinare. Rogabam autem Majestatem ejus, ut quæ is patiebatur tormenta et tentationes, paululum mitigarentur, quique illum vexabant tentatores, me oppugnatum venirent et cruciatum, ea tamen conditione ne Dominum ullatenus offenderem. Unde factum est ut mense integro gravissima tormenta et vexationes pertulerim, ac tunc mihi illa duo quæ ante narravi contigerunt. Placuit autem Domino ut ipsum tentationes desererent (uti mihi postea perscriptum est) : quia vero ei narrabam quid toto illo mense paterer, hinc anima ejus vigorabatur; exinde autem penitus a vexationibus diabolicis immunis fuit : unde Deo identidem gratias quam poterat maximas agebat, nec non mihi, tamquam si ego aliquid huc contulissem; nisi forte opinio quam habebat, quod Dominus mihi

aliquas

A aliquas gratias daret, eum aliquo modo juvaret : dicebatque se meas litteras legere tum cum se a tentatione acriter impeti videbat, ac earum se lectione ab ea liberari, mirabaturque non mediocriter, tum quæ ego propterea passa eram, tum quod ipse a malo suo liberatus esset : quin et ego mirabar; et adhuc ad multos annos, quo animam hanc immunem et liberam videre possem, illa pati voluissem. Sit Deus in omnibus benedictus.

odium suum in eam exercet.

261 Magnæ sane potentiæ et efficaciæ est oratio eorum qui Domino serviunt, uti ei servire credo hujus loci moniales; sed quia has ego preces procuraram, mirum sane non erat in me potissimum dæmones sævisse : ob peccata quoque mea Dominus id permittebat. Hoc eodem tempore quadam nocte ab ipsis me putabam suffocari : unde cum aqua lustrali plurima me conspergerent, magnam illorum multitudinem promiscue quam celerrime, perinde ac si de rupe aliqua præcipitassent, a me fugere conspexi. Toties porro scelesti ac maledicti hi spiritus me infestant, tamque parum eos timeo (eo quod eos, nisi id Dominus permittat, ne movere quidem se posse videam), ut, si quoties hoc factum sit enarrare vellem, et R. Vestram defatigarem et
B meipsam recrearem. Quod autem dixi, usui esse poterit, ut verus Dei servus, quæ illi ad nos perterrendos ponunt et concitant terriculamenta, contemnat et parvi faciat : norint enim, quotiescunque eos ridemus et minas ipsorum parum curamus, cum vires ipsorum imminui, tum animam vegetiorem fieri. Semper porro magnum inde bonum sequitur, quod, ne æquo sim prolixior, hic omitto referre : hoc unum narrabo, quod mihi in nocte festum commemorationis animarum fidelium præcedente, in oratorio quodam agenti contigit. Cum enim primum Matutinarum nocturnum recitassem, et pias quasdam orationes, quæ ad finem ejusdem in Breviario nostro continentur, jam legerem, libro meo insedit, ne orationem perficerem. Ego signo crucis me communiebam, ipse vero se in fugam dabat. Iterum me legere incipiente, iterum ipse se spectandum dedit (et tertio cum id fecisse credo) nec ante recessit quam aqua benedicta ipsum conspergerem; et simul videbam animas quasdam, hoc ipso temporis instanti, e pœnis purgatorii egredi, quibus non multum expiandum restare debebat, et
C cogitabam an hoc ipse fortitan impedire voluerit.

Videt Sancta certamen dæmonum contra Angelos,

262 Raro cum in assumpta forma vidi, sed sæpius sine omni prorsus forma, adinstar visionis; nam etiam sine forma clare perspicitur eum præsentem esse, uti jam dixi. Volo porro et illud hic referre, quia magnam id mihi admirationem incussit. Cum in festo SS. Trinitatis in cujusdam monasterii choro agerem, et in ecstasi rapta essem, magnum dæmonum contra Angelos certamen et contentionem perspexi : equidem intelligere non poteram quid sibi hæc visio vellet; sed ante quindecim dies facile id quadam inter quosdam orationi addictos et alios plurimos ab eadem alieniores contentione patuit; e qua domui in qua res illa contigit, non mediocre damnum enatum est. Contentio autem et decertatio hæc diuturna magnarumque turbarum ac molestiarum exstitit occasio.

et lumen, quo dæmones ab ipsa Deus arcet.

263 Alio tempore ingentem illorum multitudinem circumcirca me vidi : sed ingenti quadam claritate undequaque circumdata esse videbar, quæ illos propius ad me accedere non sinebat; unde intellexi Deum me custodire et protegere, ne mihi sic illi appropinquarent ut me ad eum offendendum provocarent. Et juxta id quod subinde in meipsa experta sum, facile intellexi veram id visionem fuisse. Quocirca jam tam aperte intelligo et video quam parum illi possint (si Deum inimicum non habeam), ut vix eos timeam : nam prorsus impotentes sunt, nisi D animas quasdam ultro se ipsis dedentes et meticulosas videant : adversus hujusmodi namque vires suas et potentiam exerunt. Interdum quidem in tentationibus quas jam dixi, omnes superiorum temporum vanitates et infirmitates iterum in me reviviscere et repullulare videbantur, ita ut Deo me quam enixissime commendare opus haberem. Mox autem hæc me pressura vexabat, quod putarem, quandoquidem hæ mihi cogitationes ingruerent, quidquid agerem, diabolicum esse, quoadusque confessarius mentem meam serenaret et ad quietem componeret. Putabam namque me, quæ tam multas a Deo gratias recipiebam, ne primum quidem malæ cujusdam cogitationis motum sentire et habere debere.

Dolet se ab hominibus magni fieri

264 Alias non mediocriter me cruciabat (uti et modo me cruciat) quod aliquo in numero et existimatione me esse viderem, præsertim hominibus qui magni sunt nominis, quodque multa bona de me referrent : hac in re multa passa sum et etiamnum patior. Unde statim ad Redemptoris Christi et Sanctorum vitam oculos converto, videorque mihi plane alia quam ipsi via incedere, cum ipsi non nisi per E contemptus, opprobrii et gravium injuriarum viam incesserint : et hoc me facit cum metu et tremore incedere, ac quasi caput meum attollere non audentem, vellemque a nemine omnino videri. Hoc autem in me sentio tum cum persecutionibus exagitor : tum quippe anima ita potens et magistra est, esto corpus in pressura sit, et ipsa alia ex parte afflictionem sentiam, ut quomodo hoc fieri possit penitus nesciam. Nihilominus ita, uti dixi, fit : tunc namque anima suo in regno esse videtur, et quidquid in mundo est, pedibus premere. Hoc subinde mihi eveniebat, et ad multos etiam dies durabat; et quædam id mihi virtus atque humilitas esse videbatur; at jam liquido perspicio id meram tentationem fuisse, ut vir quidam apprime doctus ex Ordine Prædicatorum bene mihi declaravit.

et gratias sibi a Deo factas publicari;

265 Cum autem cogitarem, quas mihi Dominus confert gratias, in publicum propalandas et passim omnibus notas fore, tam intolerabile et excessivum in me tormentum sentiebam ut meam id animam non parum affligeret et inquietaret : quin imo eo res processit, ut, cum hoc considerarem, visa sim maluisse viva sepeliri quam ut eæ innotescerent. Unde cum me magnæ hæ recollectiones vel raptus F primum ita occuparent ut iis publice resistere non possem, post eos ita erubui et me puduit, ut libenter aliquo concedere voluissem ubi me nemo videret. Cum ergo hac de causa quadam vice summopere contristarer, rogabat me Dominus ecquid timerem, cum ex hac re nonnisi horum duorum alterum sequi posset, aut quod homines adversus me murmurarent et obloquerentur, aut quod ipsum laudarent; significans eos qui hoc crediturі essent, ipsum dilaudaturos, qui vero non crediturі, nulla me mea culpa et merito condemnaturos, et utrumque in bonum meum cessurum, ac proinde non esse ut me affligerem. Hoc me valde serenavit, quin etiam, quoties illius adhuc recordor, mire me consolatur.

adeoque in aliud monasterium ire cogitat,

266 Ita porro vehemens hæc tentatio fuit, ut hinc abscedere et ad aliud me monasterium, in quo claustrum arctius servabatur quam in eo in quo modo versabar, quodque valde commendari audiebam, et ejusdem Ordinis erat cujus id in quo agebam, procul hinc situm (nam magnæ mihi consolationi fuisset eo in loco agere in quo prorsus ignota fuissem), transferre animus fuerit; sed confessarius id mihi permittere noluit. Hi timores spiritus

AUCTORE V. D. M.

ritus mihi libertatem valde imminuerunt : nam
A postea intellexi humilitatem hanc non esse bonam, quod adeo me inquietaret; hanc porro veritatem me Dominus edocuit, scilicet cum certissime scirem nihil boni meum esse, sed a Deo omnia provenire, quemadmodum mihi grave non erat aliorum laudes audire, quin imo summopere eo gaudebam, et permagnæ id mihi consolationi erat, quod viderem Deum in illis se ostendere, ita nec molestum nec grave mihi fore quod et in me opera sua ostenderet.

oratque ut sua peccata quoque innotescant.

267 Incidi et in aliud extremum, quod nimirum Deum orarem, et quidem orationem sigillatim ad hoc dirigendo, ut, si quando quis aliquid boni in me notaret, mea illi peccata Majestas ejus declararet, ut nempe is videret quam mihi immerenti ipse gratias conferret : nam hoc identidem quam enixissime ab eo peto. Confessarius autem me monuit ne id amplius facerem : sed usque ad hunc pene diem, si quem bene de me sentire et bonam opinionem habere videbam, mea mox ei peccata per anfractus et circumlocutiones, vel quomodocumque possem, declarabam; et per hoc mihi serenari et quietari videbar. Sed hac quoque in re magnum mihi scrupulum moverunt, et hoc mihi vi-
B debatur non ex humilitate, sed tentatione quadam provenire. Multi ad me veniebant, et hos omnes ego decipere et in errore detinere mihi videbar : et, esto fallantur in eo quod aliquid in me boni esse putent, neminem tamen umquam ex professo decipere volui, nec umquam ea mea fuit intentio, sed id Dominus interdum certam ob causam permittit. Unde ne quidem cum confessariis meis de aliqua re umquam contulissem, nisi id mihi pernecessarium esse vidissem; nam alioquin magnus id mihi scrupulus fuisset. Omnes hosce pueriles timores et afflictiones et nimiam humilitatem video jam magnam imperfectionem fuisse, et inde manasse quod non satis mortificata essem : anima namque quæ se totam in Dei manus consignavit, non curat utrum bona an mala de se dicantur, dummodo bene intelligat, cum Dominus aliquam ei gratiam conferre vult, nihil prorsus se a seipsa habere.

Addiscendo modo recitandi horas canonicas

268 Inter alias quas habebam imperfectiones, erat hæc, quod in lectione horarum parum versata essem, et quid in choro mihi agendum, aut quomodo in eo me gerere deberem, vix scirem, idque ex mera negligentia et quod aliis vanitatibus distinerer; adeo ut et novitias viderem quæ me docere
C potuissent : at sæpe eas interrogare nolebam, ne meam ipsis proderem inscitiam; ac statim mihi in mentem veniebat me illis bono exemplo prælucere debere. Verum ex quo mihi Dominus oculos nonnihil aperuit, cum rem aliquam ex parte scirem, nonnihil tamen adhuc de illa dubitarem, interrogabam id alios, etiam puellas; nec propterea vel minimam honoris auctoritatisque meæ jacturam feci, imo vero (quantum mihi quidem videtur) placuit exinde Domino tenaciorem mihi memoriam dare. Non bene noram cantare; cumque præscriptum mihi cantum non satis bene didicissem, valde sollicita et anxia eram : idque non quod in conspectu Domini errare vererer (hoc quippe virtutis fuisset), sed quod plures me cantantem audiebant; quod enim puro honoris desiderio tenerer, hinc inde ita turbabar, ut etiam valde minus dicerem quam scirem. Quocirca mecum statui, cum non satis bene scirem, dicere me plane nescire.

et plicandis palliis humilitatem exercet.

269 Hoc quidem initio peracerbum mihi fuit; at postea longe fuit suavissimum. Et revera adverti ex eo tempore longe melius me dicere solitam, ex quo parvi ducere cœpi quod ignorantia mea et inscitia aliis innotesceret; et fatuum honorem magno mihi, in bene agendo eo in quo honorem meum si- D
tum esse arbitrabar (quisque enim eum collocat in eo quo vult), impedimento fuisse : per has nihilitates, quæ nullius sane momenti sunt (et revera merito nihilo comparari ipsa possum, cum hoc ita mihi grave esset), et frequens rerum parvarum (quales hæ sunt) exercitium, paulatim quis ad majores actus ascendit : cum enim hi propter Deum exercentur, tunc ipse illis robur et valorem addit, et Majestas ejus adjuvat ut ad ea quæ majora et altiora sunt, paulatim gradum faciat. Atque ita id mihi in rebus ad humilitatem spectantibus contingebat : videns enim omnes religiosas in via virtutum, una me excepta (numquam enim ad aliquid utilis fui), progredi, illis e choro jam digressis, omnium pallia complicabam : in quo officio videbar mihi Angelis, Dominum illis laudantibus, obsequium præstare, quoadusque id ipsæ, nescio undenam, intellexerunt; quod sane magno me rubore complevit : neque enim tam perfecta mea erat virtus ut hæc sciri vellem; idque non (ut verisimile est) e pura et sincera quadam humilitate, sed quod vererer ne me irriderent, eo quod hæc parva et nullius momenti essent.

E

§ XV. Ex visione inferni nascitur in animo Sanctæ Ordinis sui reformandi consilium; quod ipsa, probantibus piis sanctisque viris, in opus deducere incipit.

In visione inferni

Gradum facimus ad alteram epocham vitæ S. Teresiæ, *eamque sane quam notabilem. Hactenus enim vitæ contemplativæ fere unice dedita fuit; sed deinceps Marthæ sollicitudinem cum sacro Mariæ otio sociabit, utpote Ordinis Carmelitici Reformatrix, et plurimarum utriusque sexus prolium in Domino Mater. Quam variis mirisque modis ad præclarum Reformationis suæ opus aggrediendum ab Altissimo permota fuerit, declarat Vitæ suæ capite* XXXII; *et per sequentia aliquot capita primi a se fundati monasterii exordia narratione satis ampla prosequitur :* F *cui si Riberæ narrationem adjicias* (*a qua hic repetenda, quoad fieri poterit, cavebo*), *pauca admodum a me supplementa desiderabis. Sic igitur S. Virgo scribit, a visione inferni, de qua præmonui num.* 170, *ordiens :* Diu postquam mihi Dominus permultas illarum gratiarum quas commemoravi, necnon alias singulares contulisset, cum quadam die in oratione versarer, repente ac velut in momento ita me totaliter constitutam sensi (quin tamen scirem quomodo) ut me in inferno agere putarem. Statim intellexi velle Dominum ut quem dæmones mihi illic paraverant, et peccatis ipsa meis promerita eram, locum oculis meis conspicerem. Pauxillo quidem tempore illic hæsi; sed etiamsi adhuc ad multos annos vitam protenderem, nunquam illius (ut mihi quidem videtur) potero oblivisci.

pœnas acerbissimas

271 Illius introitus mihi videbatur esse adinstar longissimæ et angustissimæ cujusdam semitæ, perinde ac demissus, obscurus et arctus caminus; fundus autem, velut aquæ lutulentæ et sordidæ, quæ et tetram mephitim exhalabat, et [illegible] bestiis repleta erat : illius ad extremum quodam, foramen erat, adinstar armarii

A me, anguste admodum, compingi videbam. Et hæc omnia visu jucunda et delectabilia erant, si cum iis quæ ibi sensi comparentur; cum tamen quæ dixi, non satis prout quidem oporteret, exaggeraverim. Sed ad secundum illud, prout oporteret et sicuti est, declarandum, ne principium quidem possim invenire, et id quomodo sit, nemo intelligere queat : talem autem in anima mea ignem sensi, ut intelligere plane nequeam quomodo ego qua ratione id fiat, exponam. Intolerabiles illi corporis dolores quos alias in vita mea pertuli, præsertim cum paralysi et nervorum omnium contractione laborarem (qui, prout medici censent, inter eos quos homo hic pati potest dolores, facile gravissimus est), ut taceam alios plurimos diversi generis, quos passa sum, quorum etiam nonnullos (uti dicere memini) diabolus mihi intulit, nihil omnino sunt, si comparentur cum iis quæ ibi pertuli, maxime eo quod viderem dolores illos finem non habituros nec ullo ævo cessaturos.

Sancta experitur.

272 Omnia hæc adhuc nihil sunt, collata cum agone animæ, cum angore, cum suffocatione, cum tam sensibili angustia, cum tam desperabunda et angustiante afflictione, ut quo pacto id satis com-
B mode exponam, prorsus nesciam : si enim id continuam quamdam animæ eradicationem et evulsionem esse dixero, nimis quam parum dixero : nam tunc ab alio tibi vita tolli et eripi videtur; sed hic anima seipsam consumit et destruit. Adeo ut prorsus nesciam quomodo internum illum ignem et desperationem, quam præter intolerabiles illos cruciatus et tormenta ibi passa sum, sufficienter satis exprimam. Non videbam quisnam mihi tormenta illa infligeret; sentiebam tamen me aduri et in frusta comminui et commoli, prout mihi quidem videtur : dico autem ignem et desperationem illam internam omnium teterrimam esse. In illo autem pestilentiali loco, in quo nulla prorsus consolationis recipiendæ spes est, agentem impossibile est aut sedere aut jacere, imo nec ullus ibi est locus sedendi aut jacendi; esto ipsa ibi, velut in foramine in pariete facto, constituta essem : nam illi ipsi parietes, qui visu horribiles sunt, coangustiant; et quidquid ibi demum est, suffocat et constipat. Adhæc nulla ibi lux est, sed spississima ubique et obscurissima caligo. Et sane intelligere non valeo quomodo fieri possit ut, cum ibi nullum prorsus sit lumen, videri tamen possit quidquid visum excru-
C ciare potest.

Easdem iterum videt,

273 Nolebat me Dominus tunc plus videre quam ipsum infernum : sed postea aliam visionem habui, idque de rebus maxime horrendis, de quorumdam scilicet vitiorum castigationibus : hæ, quoad visum quidem, multo mihi horribiliores esse videbantur; quod tamen pœnam illam minime sentirem, hinc tantum mihi timorem non incusserunt : nam in priori illa visione voluit me Dominus reipsa in spiritu illos cruciatus et angustias sentire, perinde ac si corpus illos revera paterctur. Quomodo id factum sit nescio; hoc scio, singularem quamdam id Dei gratiam esse, ipsumque voluisse ut ad oculum velut intuerer a quibus ipsa malis ac cruciatibus per illius misericordiam liberata essem. Quidquid enim alios de diversis tormentorum generibus dicentes audivi et nonnunquam etiam mecum ipsa meditata sum (esto non sæpe; anima quippe mea timoris fræno regi nolebat), quomodo scilicet inferni tortores candentibus forcipibus damnatos lancinent, et alia diversa tormentorum genera, quæ apud alios descripta legi, cum hac pœna collata, nihil omnino sunt : nam quid longe aliud est : tantum denique inter utraque discrimen est quantum inter imaginem pictam et ipsammet veritatem; et hic ardere exiguum quid et puerile est, respectu ignis infernalis.

AUCTORE V. D. M.

D

274 Ita autem inde consternata fui, et adhuc sum modo, dum hæc scribo (esto jam sexennium ab hac visione effluxerit), ut calor naturalis me præ timore, ubi hic sum, destituere videatur. Atque inde est, ut in tribulatione et angore et doloribus constituta, nunquam hujus meminerim, quin statim mihi omne quodcumque demum hic homo pati possit, merum nihil esse videatur : itaque ex parte immerito et frustra de doloribus quos hic patimur conqueri videmur. Unde iterum dico, hoc de maximis quæ Dominus in me contulit donis et gratiis unum fuisse; hoc namque mirifice me juvit, tum ad tribulationum et adversitatum vitæ hujus timorem dispellendum, tum ad me animandum ut illas æquanimiter perferam, simul etiam ad gratias Domino agendas, quod (uti mihi quidem nunc videtur) a tam æternis et horrendis me malis liberarit. Ex illo tempore, uti jam dixi, omnia mihi nimis quam facilia videntur, si vel cum momento pœnarum quas illic ipsa pertuli, comparentur. Unde etiam mirabar, quod, cum sæpius libros de pœnis infernalibus aliquatenus agentes legissem, ipsas tamen non perhorrescerem, neu tanti quanti quidem oportet, illas facerem; et quomodo ego, in tali statu constituta, aliquapiam ex re quæ ad tam horrendum me locum tandem deductura esset, voluptatem possem capere. Tu esto in æternum, Domine mi, benedictus.

et sæpe deinceps cum fructu recordatur.

E

275 *Ad tremendam hanc visionem, qua Sancta nostra aliquo modo experta fuit illius Tertulliani de inferno loquentis effati veritatem :* Illic tota Divinitatis dextera percutiuntur, *ipsa alludit in quadam epistola ad Petrum de Castro, canonicum Abulensem, ac postea Segoviensem episcopum :* Quanta res est, *inquiens,* misericordia Dei!... Extra infernum me vidi, quem jam dudum merueram. Quare libro meo (*Vitæ scilicet*) titulum dedi : De misericordiis Domini (*tom. IV, epist.* 8). *Neque hoc loco abs re fuerit in medium proferre Petri Nicolii, viri utique in tali visionum argumento haudquaquam suspecti, gravissima de modo relata visione verba :* Illud, *inquit,* non dubito affirmare, si quis ad hanc narrationem non pavescat, eamque ut imaginationis monstrum spernat, absurdissima illum animi fortitudine præditum esse. Etenim, ut justam haberemus spernendi rationem, certi esse deberemus deceptam phantasia sua fuisse Teresiam. Jam vero
F multum abest ut hanc circa visiones ab ipsa relatas certitudinem habeamus. Quin potius cum duæ sint res quas merito, dum de visionibus agitur, in dubium vocare licet, altera an sincerus sit is qui eas refert, altera an idem illusioni phantasiæ sit obnoxius; æquissimus quisque rerum æstimator, si scripta illustris illius Sanctæ examinaverit, non poterit integerrimam ejus sinceritatem non penitus habere exploratam, nec nisi difficulter sibi persuadebit fieri posse ut ope imaginationis animą ad sanctum illum ac divinum statum evehatur in quo Teresiam per has visiones a Deo positam fuisse cernimus, vel ut Deus illusionibus phantasticis tot tamque miraculosos effectus attribuere voluerit. (Essais de morale, *tom. IV, traité* I, *liv.* II, *ch.* X).

Allegantur de hac visione verba Nicolii,

276 *Hæc velim serio perpendant, tum homines illi qui omnes ingenii vires intendunt ut cum famosis Centuriatoribus Magdeburgensibus omnem supernaturalem revelationem Ecclesiæ catholicæ eripiant, tum etiam vanissimi, quos nostra videt ætas, Seraphicæ Virginis admiratores; qui nihil aliud scilicet in ea laudare consueverunt quam œstrum nescio quod poëticum ac splendidam, ut ipsi loquuntur,*

et monita Lancicii ad sæculares

AUCTORE V. D. M.

A *imaginationem; at de Deo in Sancta sua, ex Psaltæ regii monitu, laudando ne cogitant quidem. Ii vero qui, secundum mentem atque adeo verba Ecclesiæ, S.* Teresiam *legunt ut* cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriantur et piæ devotionis erudiantur affectu, *animum advertant, quæso, ad salutares consequentias quas e prælaudata visione pius deducit Lancicius. Quarum altera quidem omni promiscue hominum ordini, juvenibus præsertim, utilissima, hæc est :* Si ergo S. Teresia nullo unquam peccato mortali inquinata, nulla impura cogitatione unquam infestata, ac proinde nullis fœdis tentationibus impugnata, per conversationem ex se non malam, chorcis, lusibus alearum aut chartarum, aut tactibus manuum aut curiosis aspectibus alterius sexus hominum, osculis urbanis, non maculatam, si in ea conversatione durasset, ivisset Dei judicio ad infernum; quis erit tam vecors et suæ animæ non amans, qui cum expertus sit se prolapsum sæpius in peccata mortalia, vel saltem se obnoxium tentationibus impuris et iracundis, velit tales conversationes inire quales dixi vitandas esse non tantum volenti ingredi Religionem, sed multo magis volenti vivere

B in statu sæculari et in eo mori? (*Opusc.* I. *De recte traducenda adolescentia, cap.* XIII).

ac religiosos. 277 *Altera vero religiosis potissimum accomodata est : nimirum pius scriptor, ubi ostendit S.* Teresiam *nunquam graviter peccasse, sed unice culpabilem fuisse in eo quod admitteret otiosas quasdam et lætas conversationes cum aliis immaturæ ætatis et virtutis, ita disserit :* Si ergo hæc, permissa illi a superioribus, adeoque levia ut quidam confessarii dicerent non esse peccata, illam perduxissent ad infernum; quid dicendum est de apertis peccatis murmurationum, seminantium discordias, diffidentias, aversiones, et de aliis periculosioribus? Sunt enim peccata velut annuli quidam catenæ : unum trahit aliud, et tandem perducit ad perdendam gratiam per peccatum mortale, et postea tandem ad perdendam vocationem. Nam, ut ait B. Laurentius Justinianus lib. de vita solit., cap. IV, « in una malignitatis catena » confœderata sunt vitia in animarum ruinam, ab » immundis spiritibus fabricata atque contexta. » Ideo fere nunquam perditur vocatio, nisi, uti bene dicebat P. Petrus Ximenez, post multa peccata venialia et ex his orta peccata mortalia contra vota in Religione commissa (*Opusc.* XVI. *De fuga pecc. ven. cap.* IV).

C *Inde S.* Teresia, 278 *Sed jam videamus quos in ipsa* Teresia *fructus inferni ostensio produxerit.* Postquam ergo, *ait,* hæc aliaque magna secreta, quæ Dominus mihi ex sua misericordia ostendere dignatus est, gloriam, inquam, quæ beatos, et supplicia quæ damnatos et improbos manent, vidissem; modum rationemque aliquam exquirens, tum pœnitentiæ faciendæ ne tantum malum incurrerem, tum aliquid boni faciendi quo tantum bonum promererer, magnam in me, ad me ab hominibus subducendam et mundum penitus deserendum, inclinationem sensi. Nullam spiritus meus quietem habebat : hæc tamen non molesta aut affligens, sed dulcis quædam erat inquietudo; facile ut appareret hoc a Deo solo venire, ac Majestatem ejus calorem animæ indere ad alios cibos rudiores, quam quos ordinarie comedebat, digerendos. Cogitabam ergo ipsa mecum quidnam potissimum ad amorem Dei possem facere, putabamque inter hæc primum esse, si vocationem Majestatis ejus, qua me ad Religionem vocarat, sequerer, regulam meam quam poteram maxima perfectione servando.

aliisque ex causis, 279 Et licet in monasterio in quo agebam, multæ Dei ancillæ essent, ipsique ibi satis bene serviretur, ipsæ tamen moniales ob necessitatem, qua tum D opprimebantur, sæpe ad ea loca foras concedebant in quibus in summa honestate et Dei obsequio agere poteramus : neque enim in primævo regulæ rigore locus hic fundatus erat, sed ita ea ibi servabatur sicuti passim tunc servabatur per totum Ordinem, nimirum juxta privilegia et Bullas relaxationis; ut taceam et alia inconvenientia, inter quæ unum erat, quod plus æquo commode ibi me agere et commoditates corporis habere putabam. Sed illa foras egressio, quamvis ipsam frequenter usurparem, valde mihi noxia erat : quod inde fiebat quod multi me penes se habere satagerent, quibus id superiores mei negare non audebant; atque ideo mihi injungebant ut illis hac in re, ad omnem a se avertendam molestiam, morem gererem. Hac ergo consuetudine semel inducta, raro domi et in monasterio esse potui : crediderim et cacodæmonem aliquo modo ad hoc collaborare potuisse, ut foris et extra conventum agerem. Tamen, ut verum fatear, quod traderem aliis ea quæ mei me directores docebant, hinc non parum inde boni sequebatur.

ideam Reformationis suæ concipit; 280 Contigit vero quadam die, quemdam tum mihi tum aliis præsentibus dicere, si Excalceatarum Clarissarum ritu et modo vivere vellemus, non E defore fortasse ad tale nobis monasterium erigendum facultates. Cumque hoc votum ac desiderium identidem animo agitarem, cum nobili illa vidua, sodali mea, quam dixi, hacce de re agere cœpi; cui idem desiderium jam dudum insederat. Cogitare exinde illa cœpit quo id pacto redditibus perpetuis stabilire posset. Sed, uti jam video, bonam ambæ viam non inibamus, esto id tum quidem, pro nostro erga hanc rem desiderio, nobis secus videretur; sed ex alia parte, quod in monasterio in quo agebam, magnam quietem et jucunditatem sentirem (erat id quippe ad gustum et mentem meam, et cella quam incolebam, satis mihi commoda erat), hinc me quietam tenebam et adhuc suspensam : inter nos tamen convenit ut rem serio per preces Deo commendaremus.

quæ mox visionibus divinis 281 Quadam die, post sumptam Sacram Communionem, divina mihi Majestas injunxit ut hujus monasterii erectionem maxima qua poteram contentione urgerem, pollicitus fore ut ea feliciter ad exitum perduceretur ac bene sibi in eo loco serviretur, eique a S. Josepho nomen imponerem : et addebat, S. Josephum ad unum portæ latus, ac Deiparam Matrem ad alterum, velut custodes futuros, F et Christum Dominum in omnibus nobiscum fore : ad hæc locum hunc velut stellam fore, quæ lucis suæ radios quaquaversus esset diffusura. Addebat, quamvis Religiones a primævo flore et vigore recidissent, non propterea cogitarem parum se ex iis obsequii et cultus recipere; quid enim de mundo esset, si religiosi nulli in eo essent? Quare confessario meo indicarem hoc quodcumque ipse mihi hic injungeret, seque illum rogare ne rei huic contrairet aut impedimento foret. Erat hæc visio ita efficax, et hæc Domini allocutio hujusmodi, plane ut dubitare non possem quin ipsemet esset qui me alloquebatur. Ego vero non parum angebar et affligebar, cum quod mihi ex parte ante oculos versabantur ingentes inquietudines, molestiæ ac labores, quibus mihi res hæc constitura esset, tum quod in conventu illo libenter habitabam : etsi enim jam antea de re illa egissem, tamen non ita fidenter et certo, tanquam si res certo futura esset. Hic autem aliquod præmium et mercedem recipere mihi videbar; quod autem me viderem negotium quod multarum molestiarum seminarium futurum esset, suscipere, quid tandem aggrederer, anxia dubitabam.

282 Porro

assensuque provincialis, nec non S. Petri de Alcantara,

282 Porro Dominus idipsum diversis vicibus identidem mihi repetebat, tam evidentibus mihi causis, rationibus et demonstrationibus propositis, A plane ut appareret id ejus voluntatem esse : unde non audebam id confessario meo non aperire, illi totum rei successum in scripto tradens. Hic quidem plane et prompte mihi dicere non audebat ut ab hoc proposito desisterem : aperte tamen videbat rem, naturaliter loquendo, prorsus impossibilem esse; eo quod socia mea quam oportebat id exequi, valde exiguas, imo prope nullas facultates ad hoc exequendum haberet. Is autem dicebat ut cum superiore meo hac de re agerem, et quodcunque ille suaderet faciendum, id exequi satagerem. Visiones quidem has superiori non indicabam; at domina illa, quæ hoc monasterium construere volebat, cum eo agebat. Placuit ea res provinciali mirum in modum, utpote qui erga omne quod Dei obsequium et cultum spectat, mire afficitur; hinc quam poterat, ei opem et favorem spondebat, id se monasterium, si quando paratum esset, admissurum asserens. Agi quoque inter eos cœpit de necessario ad annuos sumptus et alimoniam censu : nos autem non plures quam tredecim in id admitti moniales volebamus, B idque ob varias rationes. Antequam vero de hoc negotio quidquam tractare inciperemus, F. Petro de Alcantara, quidquid in ejus tractatione fieret, perscribebamus. Is porro suadebat ut cœptum negotium acriter urgeremus, suamque de omnibus sententiam nobis rescribebat. *Quare merito Bulla Canonizationis S. illius viri ait eum ita S.* Teresiæ *fuisse auxilio, ut susceptæ ab illa Reformationis præcipuus promotor sit habendus.*

S. Ludovici Bertrandi,

283 *S. Petro de Alcantara jungendus est S. Ludovicus Bertrandus, lucidum inclyti Ordinis Prædicatorum sidus, qui anno* 1560 *Valentiæ magistrum tironum agebat. De hoc biographus ejus P. Bartholomæus Avignonus* (*apud Majores nostros tom. V Octobris, pag.* 413) *hæc Sanctam nostram spectantia tradit :* S. Teresia, Ordinis PP. Carmelitarum Discalceatorum Fundatrix, primis annis dum cœpit eum Ordinem instituere, super hoc proposito suo diversas spirituales personas consuluit; ac peculiariter scripsit ad B. Bertrandum, exponens desiderium suum et rationes quibus inducebatur ad rem tanti momenti, quæque tot difficultatibus turbisque obnoxia erat, aggrediendum. Accepta hac epistola, Beatus hoc negotium Deo commendavit; C et post tres quatuorve menses responsoriam ei misit sequentem : « Mater Teresia, litteras tuas accepi; » et quia negotium de quo me consuluisti, ad Dei » cultum plurimum attinet, volui illud prius meis » tepidis precibus et Sacrificiis divinæ Majestati » commendare : eaque causa est cur respondere » tardaverim. Modo in nomine ejusdem Domini » dico tibi, ut sumas animum ad tantum opus ag- » grediendum, Deum te adjuturum tibique fautu- » rum; et illius nomine te facio certiorem non » elapsuros quinquaginta annos quin vestra Religio » futura sit una ex illustrioribus quas habet Ec- » clesia Dei, qui, etc. Valentia, etc. » *Testatur Avignonus hanc epistolam se accepisse e S. Ludovici Vita, auctore Joanne Roca; ubi illa extat sermone, quo scripta fuit, hispanico* (*tract.* I, *c.* XXII), *uti quoque in Chronico* (*lib.* I, *c.* XXXVI, *n.* 3). *Versionem latinam verbis tantum diversam, cætera similem ei quam exhibui, dat Ven. P. Joannes a Jesu Maria in Vita S.* Teresiæ (*lib.* I, *c.* I). *Abest ubique annus scriptionis; sed fuisse unum e tribus annis* 1560, 1561, 1562, *loci designatio importat : anno enim* 1560 *Sanctus rediit Valentiam, unde tres annos abfuerat, et biennio post in Americam trajecit.*

AUCTORE V. D. M. *et fortasse S. Francisci Borgiæ, confirmatur.*

284 *Ad eadem tempora referendæ quoque videntur S. Matris ad S. Borgiam litteræ, de quibus supra ex Cienfuegosio memini* (*num.* 164). *Utrum vero ad S. Ludovicum Bertrandum scripserit, et hujus sit responsionem præstolata, priusquam suum superiorem, P. Angelum de Salazar, Castellæ provinciæ Ord. Carm. moderatorem, per Guiomaram de Ulloa consuluit; mihi, tum ob incertum annum scriptæ a S. Ludovico epistolæ, tum etiam ob trimestrem quadrimestremve Sancti hujus in respondendo moram, nimis dubium videtur quam ut id cum auctore Chronici et P. Frederico a S. Antonio affirmem. Potius admiserim ex Yepesio, S. Virginem, mente confessarii, superioris ac S. Petri de Alcantara jam explorata et nota, præterea adhuc S. Ludovici per litteras quæsiisse sententiam. Parvi sane id refert; sed tamen indigitare volui, diligentiæ historicæ sectandæ gratia.* D

Ortis in civitate obloquiis,

285 *Pergit Sancta :* Mox vero ut in urbe sciri res cœpta est et omnium ad aures pervenit, gravis in nos adversantium et obloquentium tempestas insurrexit, ut omnes oblocutiones, ludibria, scommata et irrisiones paucis perstringere non possem. Me aiebant meo in cœnobio bene ac quiete esse, ac proinde non nisi ex levitate transire velle; socia E porro mea ita exagitabatur ut quo se verteret ignoraret : ego quid agerem nesciebam, et ex parte illos merito sic loqui et bene fundatos videri censebam. Hac in angustia agens, Dei opem imploravi, qui me statim consolatus est, et animum addidit : dixitque jam viderem quæ obloquia et persecutiones illi passi sint Sancti qui primum Religionem aliquam fundarunt : addebat plures mihi persecutiones subeundas quam possem mente concipere, at flocci eas faceremus. Indicabat et quædam quæ sodali meæ declararem. Maxime porro mirabar, tum quod statim, quoad ea quæ jam præterierant, magnam in nobis ipsis consolationem sentiremus, tum quod egregie ad omnibus obsistentibus resistendum animatæ essemus. Et sane vix erat ex omnibus orationem exercentibus, et propemodum in universa civitate ullus, quin nobis tunc adversaretur, nostrumque inceptum velut summe insanum explo-deret; quinimo ipsius monasterii mei tanta erat oblocutio et turbatio, ut provinciali nostro nimis quam difficillimum et gravissimum videretur omnium menti ac voluntati velle refragari.

provincialis sententiam mutat;

286 Unde factum est ut et alterius opinionis fieret, et jam monasterium nollet admittere : aiebat namque et censum incertum esse ac nimis quam F tenuem, et oblocutionem multam. Et sane non male censere is videbatur, ut rem cœptam intermitteret et admittere monasterium penitus nollet. Erat hoc nobis, quæ jam primos ictus recepisse videbamur, ac mihi imprimis permolestum, quod ipse provincialis nobis adversaretur : illo enim id volente et urgente, ego omnis apud universos culpæ expers habebar : sodali quoque meæ confessarii non ante absolutionem sacramentalem dare volebant, quam cœptum negotium urgere desineret; quod eam ad scandali occasionem auferendam teneri dicerent.

sed, cum P. Petrus Ibañez Ord. Præd.,

287 Adibat ea doctum quemdam ex Ordine S. Dominici virum, insignem Dei servum, ut cum illo de re hac universa communicaret; idque antequam provincialis hoc negotium jam seposuisset : in universa quippe civitate neminem inveniebamus qui hac in re nobis consulere et quid facto opus esset indicare vellet : atque hæc erat causa cur hoc nos e cerebro nostro comminisci dicerent. Matrona secreto illi viro rationem de omnibus reddebat, simul indicabat censum quem de patrimonio suo habebat, enixeque eum rogabat nobis ut adesset; erat is quippe

AUCTORE V. D. M.

quippe illa tempestate totius civitatis doctissimus, et erant illo quam paucissimi in universo ipsius Ordine doctiores. Quidquid facere decreveramus illi significabam, addebam et quasdam facti mei rationes : nullam porro apud eum visionem aut revelationem divinam, sed dumtaxat naturales quæ ad id faciendum me movebant rationes proferebam ; et ut secundum illas, et non alias, nobis mentem et opinionem suam, et quid opus facto esset, indicaret, eum rogabam.

re mature deliberata,

288 Octiduum ille ad deliberandum et respondendum petiit : simulque quærebat num facere paratæ essemus quidquid ille nobis consuleret. Pacatas nos fore spondebam : sed, esto id sponderem, et, prout mihi videtur, etiam fecissem, semper tamen quædam in me certitudo mansit, nec eam unquam deposui, rem hauddubie ad exitum perducendam. Majorem porro sodalis mea fidem habebat; nam, quodcunque demum illi dicebatur, nunquam rem plane abjicere volebat : ego vero, etsi mihi impossibile videretur, rem plane non posse confici, in tantum tamen revelationem veram esse credo, in quantum rebus in Sacra Scriptura traditis aut Ecclesiæ præceptis, quæ servare obligati sumus, non
B adversatur. Nam, esto plane et vere mihi videretur res hæc a Deo venire, nihilominus, si doctus ille vir id nos sine Dei offensione et peccati reatu facere non posse asseruisset, quamprimum (ut mihi quidem videtur) id de manibus abjecissem, et aliam ejus exequendi rationem excogitassem : verum aliam quam hanc ipsam, mihi Dominus non suggerebat.

Sanctæ consilium approbasset,

289 Hic porro Dei famulus postea mihi retulit, firmiter se apud semetipsum statuisse omnimodis nos ab isthoc proposito et cœpto dehortari (jam enim ad aures ejus vox et obloquia populi pervenerant; quin etiam ipsi, uti et aliis omnibus, stultum omnino id esse videbatur : et vir quidam nobilis, audito nos ad illum consulendi ergo abiisse, illi significarat, videret etiam atque etiam quidnam ageret, nec nos aliqua in re audiret vel juvaret); nihilominus cum secum cogitare quid nobis responderet, et rem ipsam, intentionemque ac scopum nostrum, quin et vivendi modum, ac Religionis genus quod illi proposueramus, examinare apud se inciperet, visum id sibi ad honorem Dei mirifice futurum et certissime ad exitum perductum iri : unde et nobis in responsione suasit ut in illo perficiendo urgendoque festinaremus, simul et modum
C rationemque quam in ejus executione nos servare oporteret, aperuit. Censum autem tenuem non debere in causa esse cur res omitteretur, sed debere nos Deo in aliquo fidere : si quis autem refragari aut resistere nobis vellet, ad se hunc mitteremus, se illius argumentis et objectionibus facturum satis. Atque ita ille nos in omnibus ac semper adjuvit, uti postea suo loco commemorabo.

emitur tandem aliqua domuncula.

290 Hoc autem nos mirifice recreavit, uti etiam quod quidam viri sancti, quos hactenus adversarios senseramus, jam pro nobis ex parte sentirent, nonnulli quoque nos re auxilioque suo adjuvarent : inter quos non postremus fuit sanctus ille eques de quo ante paulo locuta sum; qui cum cœptum hoc commodissimam ad tantam perfectionem viam esse (ut etiam revera est; nam omne nostrum fundamentum oratione nititur) cerneret, cessit, dicens fieri posse rem hanc a Deo esse, etsi media et viæ ad eam perficiendam perdifficiles ei et incommodæ viderentur. Dominus hauddubie cor ejus moverat, uti et magistri illius, famuli Dei ac sacerdotis, quem, sicut dixi, primo sum allocuta, qui universæ civitati instar speculi est, quemque illic Dominus ad multarum animarum bonum ac juvamen commorari voluit; atque is jam tum negotium nostrum juvare D et promovere incipiebat. Rebus ergo ita constitutis, nos identidem orationi insistentes, domum loco satis commodo emimus, esto parvam : sed parum id curabam; Dominus quippe mihi dixerat, ut, quomodocumque possem, eam ingrederer; visuram quippe me postea quid Majestas ejus factura esset. Et sane quomodo id vidi et experta sum! Ac tametsi viderem, reditum tenuem esse, ipsa tamen mihi firmiter persuadebam fore ut Dominus alia rem via et mediis promoveret nosque adjuvaret.

Controvertitur num Ibañezio adscribi debeant

291 *Franciscum Salcedium, quem sancti equitis appellatione* Teresia *decorat, item pium magistrum Dazam jam novit lector. Præsentatus vero, de quo modo mentio incidit, fuit, non P. Dominicus Bañez, ut putavit P. Touron in suo opere de Viris illustribus Ordinis S. Dominici* (*tom. IV, lib.* XXXII), *sed P. Petrus Ibañez, quem inter scriptores sui Ordinis P. Jacobus Echardus ad annum* 1565 *hoc encomio dilaudat :* F. Petrus Ibañez Hispanus Salmanticæ Ordinem professus, vir vitæ innocentia nec minus eruditione conspicuus, theologiam Pinciæ professus est apud suos, sed et ejus quam mysticam vocant, insignis et expertus magister fuit, ceu qui orationi assidue cœlestiumque rerum meditationi totus in- E cumberet. Hinc a S. Virgine Teresia, perfectiorem vitam aggressa, conscientiæ arcanorum arbiter et mystagogus allectus, non parum ad eam in proposito confirmandam et ad sublimiora evehendam contulit : vicissimque ipse ex eminentiore illius animæ consortio ac necessitudine non exiguum percepit spiritus emolumentum. Apud Trianos sodalium priorem agens, ad ea ad quæ se semper extenderat anteriora, felici morte transiit anno MDLXV. De quo legendus Lopez, Hist. gen. part. IV, pag. 447 et seqq. ; Gravina, Voce turturis, p. 169; Altamura ad 1565. Scriptus ab eo relictus est Tractatus de regulis ad discernendos spiritus, in XI capita divisus, lingua Hispana; ad quæ scilicet Virginis Teresiæ, tum vitam spiritualem aggressæ, mores expenderat. Cujus tractatus quædam fragmenta episcopus Turiasonensis initio operum Sanctæ profert, addens integrum MS. servari in monasterio Abulensi sanctimonialium Teresianarum.

33 articuli de spiritu S. Teresiæ,

292 *Ex hac postrema phrasi P. Echardi eruit Boucher, id quod evidenter inibi non continetur, exaratum a P. Ibañezio fuisse scriptum triginta et tribus constans articulis de S.* Teresiæ *spiritu, quod Ribera Vitæ suæ Teresianæ inseruit lib.* IV, *cap.* IV, *et Yepes item suæ lib.* I, *cap.* XXI. *Scilicet Boucherio articuli illi nihil aliud esse videntur quam compendium e majori Tractatu de regulis ad discernendos spiritus ab Ibañezio ipso extractum et ad S.* Teresiam *missum pro responsione ad quamdam ab ea acceptam epistolam; illam nempe quam Ribera exscripsit lib.* IV, *cap.* XIII, *Yepes lib.* III, *cap.* XXVIII, *auctor Chronici lib.* I, *cap.* XXXI, *et cui apud hos tres auctores subnectitur altera epistola ejusdem fere argumenti. Verum quam gratis hoc a Boucherio asseritur, tam gratis etiam negari potest : eo magis quod Yepesius, qui tractatum majorem e P. Ibañezii autographo legit, et aliqua ejus fragmenta recitat inter* diversa virorum doctrina et sanctitate illustrium de S. Teresia testimonia § II, *ab eo Patre Prædicatore probe distinguit* (*in Sanctæ Vita lib.* I, *cap.* XXI) *auctorem* 33 *articulorum; quem suspicatur fuisse Patrem Societatis Jesu, a quo ad Ven. Joannem de Avila directi fuerint : in hanc suspicionem eo forsitan inductus quod speciatim nominari articulis* 21 *et* 27 *Patres Societatis Jesu cerneret; qua ex circumstantia prorsus contrarium, videlicet non esse a Patre Societatis scriptos, concludendum arbitratur*

A *arbitratur Boucher. Ribera hanc in rem nihil nos docet; cum rescire se non potuisse fateatur a quo esset illud scriptum auctore contextum.*

an potius S. Petro de Alcantara.

293 *Chronicum vero, collectorem Epistolarum S.* Teresiæ *cæterosque recentiores si consulamus, in tertiam sententiam incidimus, non jam cuiquam ex Ordine S. Dominici aut S. Ignatii, sed S. Petro de Alcantara articulos adscribentem. Plura quidem ad sententiam hanc probandam argumenta, neque ea tamen inexpugnabilia, afferunt auctor Chronici* (*lib.* I, *cap.* XXXII) *et P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* I, *cap.* XX); *verum hisce discutiendis supersedere possumus, siquidem prorsus rem perficit, modo in allegando vade suo non fallatur, P. Joannes a S. Ludovico, qui in nota quadam ad S.* Teresiæ *Vitam* (*lib.* II, *cap.* IX) *ita loquitur :* Duo hæc scripta, nempe relationem Sanctæ et approbationem S. Petri de Alcantara, genuina esse constat ex antiquis Ordinis nostri documentis et e processibus beatificationis utriusque Sancti; prout se vidisse testatur R. P. Fr. Joannes a S. Bernardo, Ordinis sui in Curia Romana procurator, et postulator causæ illustris Patris sui Petri de Alcantara, cujus ipse Vitam ex actis beatificationis extractam typis Neapolitanis anno 1667 edidit, hortante D. Francisco
B Fabes, Sacræ Rituum Congregationis et Francisci Cardinalis Barberini secretario. *Cum laudatam S. Petri Vitam non habeamus, diligentius in hanc rem inquirere non potui; sed facere id forsitan poterit ille ex nobis qui ejusdem Sancti acta illustraturus est ad diem* XIX *Octobris.*

P. Ibañezii elogium ex verbis S. Teresiæ.

294 *Porro ad laudes P. Ibañezii, e quibus in hanc digressionem devenimus, paulisper redire easque amplificare juvat luculento testimonio quod de ejus sanctitate reddit S.* Teresia *Vitæ suæ capite* XXXVIII, *hisce verbis :* Quodam tempore vidi, quomodo Beata Virgo Patri illi præsentato Prædicatorum Ordinis, de quo jam supra aliquoties memini, candidissimam cappam circumdaret; dixitque mihi se in illius quod sibi præstitisset, obsequii, dum scilicet strenue allaboravit ut domus hæc fundaretur, compensationem ei hanc candidam vestem dare, idque in signum quod illius animam ipsa posthac mundam servaret, et ab omni peccato mortali immunem. Id quin ita factum sit minime dubito : paucis enim exinde post annis demortuus est; reliquo autem vitæ tempore et in morte tantam austeritatem et
C sanctitatem prætulit, ut, quantum e conjecturis assequi possum, nullus sit de eo ambigendi locus. Quidam autem monachus, qui eum morientem viderat, certo mihi affirmavit se ex eo, paulo antequam spiritum in Dei manus traderet, audisse, S. Thomam sibi visum assistere. Mortuus est autem summo cum gaudio et ardentissimo ex hoc ærumnoso exilii loco emigrandi desiderio. Postea subinde mihi magna in gloria apparuit, et nonnulla secreta aperuit. Orationi porro ita addictus erat, ut etiam in mortis hora, cum ob nimiam corporis debilitatem ab ea abstinere vellet, plane non potuerit, ob frequentes quos tum patiebatur raptus. Paulo antequam ex hac vita decederet, litteras mihi misit, in quibus me consuluit quomodo se in raptibus, qui ei statim post Missæ celebrationem incidebant ac satis diu durabant, ita ut eos ipse impedire non posset, gereret : sed Deus tandem ei omnium quos toto vitæ tempore sat multos subiit, laborum atque obsequiorum præmium reddidit.

§ XVI. Cœptum opus, impe- rsecsia, promovet P.

AUCTORE V. D. M.

Petrus Ibañez Ord. Præd.: ipsa Sancta eidem rursus allaborans, cœlicis visionibus animatur. Frater ejus pecuniam, operam soror et sororius conferunt. Mittitur Toletum.

D

Provincialis,

Pervenimus jam ad *caput* XXXIII, *quod sequentis tenoris est :* Cum hoc in statu res versaretur, et ita prope jam confecta esset ut postera die litteræ censuum conficiendæ et confirmandæ essent, mentem suam mox provincialis noster mutavit. Divino illum nutu, ut postea liquido patuit, permotum fuisse, mihi verisimile fit : quod enim orationes intensæ essent et frequentes, placuit Domino rem paulatim et alio longe modo ad exitum perduci. Cum ergo is monasterium nollet admittere, statim confessarius meus mihi inhibuit ne de hoc negotio ulterius agerem, tametsi, quas me, ut ad hunc sta- E tum et hactenus id perducerem, Dominus pertulisse novit, molestiæ et difficultates ingentes essent. Quod ergo res intermitteretur nec ulterius promoveretur, hinc longe magis homines in ea opinione qua id nonnisi mulierum inventum et commentum esse dixerant, confirmabantur, et crescebat adversum me oblocutio et murmuratio, etsi quidquid usque ad illud tempus factum erat, provincialis jussu et venia factum esset.

moniales cœnobii Incarnationis

296 Non rectis oculis sorores meæ me aspiciebant, maleque erga me animatæ erant, eo quod aliud monasterium, cujus clausura esset arctior, fundare molirer : dicebant namque me ipsis hoc pacto infamiæ natam inurere, et æque me ibi atque alio in loco Deo servire posse, cum in eo essent aliæ longe me meliores; non videri me bene erga monasterium in quo hactenus egeram, affectam; denique longe satius esse huic reditum annuum quam cuilibet alteri procurare. Unde consulebant nonnullæ ut in carcerem compingerer; aliæ vero (quæ perpaucæ erant) meam causam propugnabant. Videbam multis quidem in rebus jure meritoque illas de me conqueri (hinc etiam subinde me apud illas purgabam) : quia tamen quod in hoc F negotio præcipuum erat (nimirum id me nonnisi Domino jubente suscipere) dici non oportebat, hinc nesciebam quid agerem; atque adeo tacebam. Alio tempore illam mihi Dominus gratiam præstabat quod hæc me remora nihil omnino gravaret, ac cœptum negotium non minori facilitate et lubentia intermitterem quam si nullo prorsus labore aut molestia mihi constitisset. Sed hoc ut crederent, vix ullus in animum inducere poterat, ne quidem pii illi orationisque amantes viri quos assidue tractabam : quin imo magnopere me propterea dolere et non parum indignari putabant.

et confessarius Sanctæ

297 Ipse quoque confessarius meus non aliter sibi persuadere poterat. Sed quia feceram quidquid a parte mea potueram (uti quidem mihi videbatur), hinc me ulterius ad Domini jussa adimplenda teneri non putabam : atque ita domi me continui, pacata et quieta; mihi tamen plane persuadere non poteram ipsum adimpletum non iri, et, licet nullam ejus adimplendi rationem aut modum viderem, aut quomodo aut quando id foret, firmissime tamen ipsum perfectum iri credebam. Nihil vero magis me movit quam missa quædam a confessa-

AUCTORE V. D. M.

rio meo epistola, tanquam si aliquid illo invito et
A præter voluntatem ejus egissem (voluit fortassis Dominus ab illa etiam parte mihi molestiam creari, a qua illa veniens me maxime affligeret), qua ille me in hac multiplici afflictione et persecutione mea adeo non est consolatus (uti quidem exspectabam) ut etiam scriberet me jam facile ex iis quæ contigerant, posse videre, omnia nonnisi mera esse somnia; quare viderem ne posthac amplius inanem operam et laborem sumerem, et hac de re non amplius agerem, cum scandalum, quod inde secutum erat, jam liquido perspicerem. Addebat et alia, sed quæ aliorsum non tendebant quam ad me affligendam et contristandam.

obnituntur:

298 Unum hoc gravius me affligebat quam omnia alia etiam simul juncta; examinabamque num aliqua forsan in re occasionem dedissem, aut in culpa fuissem, cur Deus offenderetur; et cogitabam, si hæ visiones diabolicæ fuissent illusiones, fieri posse ut etiam omnis oratio mea mera impostura esset, itaque turpissime deciperer et in pereundi periculo versarer. Ita autem vehementer et extreme hoc me affecit, ut tota essem turbata et gravissima in angustia versarer : sed Dominus (qui me in om-
B nibus illis quæ narravi gravaminibus et afflictionibus nunquam dereliquit, sed sæpe me solabatur et animum suggerebat, quod commemorare hic longum nimis foret) tunc mihi dixit non esse quod propterea dejiciar aut me contristem; etenim Deo magnum me in hoc negotio obsequium præstitisse, nullo autem modo ipsum offendisse; ad unguem autem et præcise exequerer quod mihi confessarius injungeret, scilicet modo et in præsens de hoc negotio penitus tacerem, quoadusque commodum de eo denuo agendi tempus foret. Ita porro hocce dicto contenta fui et consolatione perfusa, ut omnis quam ejus causa experta eram, persecutio et molestia nihil omnino esse videretur.

quæ dum obedienter a cœpto desistit,

299 Hic simul mihi Dominus ostendit quam singulare bonum sit molestias, difficultates et persecutiones illius nomine perferre : amor quippe Dei tantum in anima mea ex hoc incrementum fecit, sicut et alia multa, ut non parum obstupescerem : atque hæc est causa cur non possim non semper tribulationes et adversitates postulare. Alii vero putabant me propterea maximopere indignari; et revera indignata fuissem, nisi Dominus tanta me gratia in tantum prævenisset. Tunc temporis autem
C ingruere in me cœperunt majores illi amoris divini impetus quos dixi, et sublimiores raptus, etsi eos ipsa tacerem, et nullum de spirituali hoc lucro apud ullum verbum facerem. Sanctus quoque ille Dominicanus tam certus erat rem hanc confectum iri quam ego, et quamvis ego de ea agere intermitterem, ne videlicet confessarii mei præcepto adversarer, ipse tamen una cum sodali mea rem acerrime perurgebat : hinc Romam litteras scribebant, atque inter se quid facto opus esset, deliberabant et consultabant. Diabolo quoque cooperante et se intromittente, factum est ut unus ex alio sciverit hac in re me revelationem aliquam habuisse : unde magno cum tremore et anxietate ad me veniebant, dicentes et periculosa esse tempora in quibus ageremus, et fieri posse ut apud Inquisitores me quis deferret et insimularet. Ineptum plane et ridiculum id mihi videbatur (nunquam enim hac in re aliquid timui; sciebam quippe me, in rebus ad fidem spectantibus, potius millies etiam pro minima S. Ecclesiæ cæremonia aut aliqua S. Scripturæ veritate mortem subituram fuisse, quam me quis contra eam peccantem aut delinquentem vidisset) : unde dicebam non esse quod quoad hanc partem de me metuerent. Vere quippe miserum animæ meæ fuis- D
set, si quid in ea fuisset ob quod, ne in Inquisitorum manus inciderem, timere debuissem : nam si quid tale in me deprehendissem, ultro ad eos ipsa concessissem, et si quid mihi falso imponeretur, confidebam fore ut Dominus non solum me ab illa calumnia eriperet, verum etiam proventum ex illa concederet.

strenue rem urget P. Ibañezius.

300 Rem hanc cum Patre illo Dominicano conferebam : quod enim tam doctus esset, uti dixi, hinc iis quæ dicturus esset, tuto niti, consiliaque ejus indubitate sequi poteram : simul etiam visiones meas et modum orandi quem servabam, nec non ingentes quas mihi Dominus faceret gratias, quam poteram clarissime liquidissimeque ei tunc patefeci, illum rogans ut exacte singula excuteret, et num quid in iis Sacræ Scripturæ repugnans adverteret, simul etiam suum de singulis judicium opinionemque declararet. Is me certam securamque esse jubebat; ego vero, ut quidem judico, non parum hoc pacto illi profui : esto enim valde bonus esset, ex eo tamen tempore multo magis se studio orationis dedit, intraque aliud sui Ordinis monasterium, in quo major erat quies et solitudo, sese abdidit, quo se ibi in ea melius commodiusque E
exerceret : in quo duos ipsos annos egit, donec cum superiores (quod illi grave fuit) alio commigrare juberent; quod enim tantus ac talis vir esset, ejus opera alio in loco indigebant. Mihi sane illius hinc discessus etiam ex parte obfuit; cum tamen, etsi insigni ejus opera jam carere deberem, impedire nolui, utpote sciens hunc in utilitatem ejus cessurum. Mihi ergo ob ejus discessum vehementer afflictæ, dixit Dominus tristitiam et angorem deponerem, ac mentem ad quietem componerem, eo quod bene comitatus abiret. Anima enim illius ita meliorata et profectu spirituali aucta inde rediit, ut jam reversus mihi diceret nihil sibi hoc discessu esse carius et nullam præ eo rem malle. Idem quoque ego e parte mea dicere possem : nam, cum antea solum sua doctrina securam me redderet et solaretur, jam reversus, etiam per spiritus experientiam, utpote quam jam sibi sat magnam rerum supernaturalium compararat, me solabatur. Eo autem tempore cum Deus Opt. Max. huc redire fecit, quo eum Majestas ipsius requiri et opus esse sciebat, ad huic suo operi (monasterii, inquam, hujus promotioni) quod Majestas eadem perfici et
F ad exitum perduci volebat, opportune cooperandum.

Novus demum rector collegii S. J., Gaspar de Salazar,

301 Quinque igitur aut sex mensibus sic tacui, de hoc negotio nec tractans nec verbum ullum faciens; neque etiam Dominus ipse aliquid mihi quoad illud amplius imperabat : quamvis autem ignorarem nec intelligerem quænam hujus rei esset causa, in animum tamen meum inducere plane non poteram ipsum non perficiendum. Ad finem hujus temporis, cum collegii Societatis Jesu rector hinc alio jam discessisset, alium ejus loco divina Majestas huc adduxit, virum mire spiritualem, magno animo et ingenio præditum, simul et insigniter doctum; idque eo tempore quo in magna anxietate constituta eram : etenim quod is quo tunc confessario utebar, sub rectore esset, et Societatis hominibus sancta et inviolata ea virtus sit, nihil omnino ut agant quam prout vult ipsorum superior, tametsi ille spiritum meum optime intelligeret, summeque ut rem perficerem expeteret, in nonnullis tamen rebus nihil certi determinare audebat, idque ob plurimas quibus ad id movebatur rationes. Porro spiritus meus tunc temporis tanto impetu propellebatur, ut permolestum mihi esset eum ita vinctum tenere;

A tenere; attamen ne latum quidem unguem ab ejus jussis declinabam.

cum per confessarium,

302 Quadam die cum in summa angustia versarer, eo quod confessarium minime mihi credere putabam, dixit mihi Dominus ne me affligerem aut torquerem, hanc quippe angustiam et pressuram brevi finem habituram. Unde mire fui exhilarata, quod per hoc brevi me morituram significari putarem; et quoties hoc mihi in mentem veniebat, magnam in anima mea lætitiam sentiebam : sed postea liquido perspexi, de illius rectoris, quem dixi, adventu Dominum loqui voluisse : exinde enim nulla mihi amplius hujus afflictionis sentiendæ data fuit occasio, quod nuperus et novus ille rector Patri ministro, qui meus confessarius erat, neutiquam refragaretur, sed ei ut me consolaretur injungeret, nullum hic periculum metusve occasionem dicens subesse, nec me tam angusta arctave via duceret, spiritum denique Domini prout vellet operari sineret : interdum quippe, ob vehementes illos spiritus impetus, nec halitui attrahendo anima sufficiens futura videbatur.

tum per seipsum Teresiam *solatur;*

B 303 Rector hic me venit invisum; confessarius autem meus mihi injunxit ut omni libertate et claritate cum eo de rebus meis communicarem : et quanquam magnam in hujusmodi rebus divulgandis repugnantiam sentire solebam, ubi tamen tunc confessionalem sedem intravi, nescio quid in spiritu meo sensi, quod nec ante nec postea unquam apud ullum alium sensisse me memini; quod quale et quid fuerit, dicere non possem, imo nec per similitudinem aliquam exprimere : erat namque spirituale quoddam gaudium et occulta quædam notitia atque intelligentia, qua se anima mea a rectoris anima intelligendam meque ei conformem esse intelligebat, esto quomodo id fieret, uti dixi, non intelligerem; nam si illum antea allocuta fuissem aut mira quædam de illo ab aliis inaudissem, non fuisset mirum me gavisam fuisse, quod me ab illo intelligendam scirem; sed nullum is mihi, nec ego illi hactenus verbum locuta eram, nec erat is cujus antea aliquam habere potueram notitiam. Exinde porro liquido percepi spiritum meum in illo minime deceptum fuisse : siquidem omnimodis et mihi et animæ meæ profuit, cum illo communicare et loqui : illius namque communicatio maxime conducibilis est iis quos Dominus jam longius provexisse videtur; ipse enim eis stimulos subdit ut celeriter currant et non

C pedetentim incedant, atque id potissimum spectat ut eos ab omnibus rebus creatis abstrahat et mortificet : ad hoc quippe ei Dominus, uti et ad alia plurima, singularem gratiam ac talentum dedit. Ut cum eo agere cœpi, modum ejus agendi, spiritum et genium statim perspexi; ac illum puram et sanctam animam esse, et ad discernendos spiritus miram quamdam a Deo gratiam vidi accepisse : ipseque mihi magnam consolationem attulit.

eique auctor est ut manum iterum admoveat operi.

304 Non multo postquam cum illo agere cœperam, instare denuo et urgere Dominus me cœpit ut monasterii negotium rursus in manus sumerem, et confessario meo et rectori huic multis rationibus et argumentis ostenderem, ne quod mihi in hoc impedimentum adferrent; quorum ea erat vis ut etiam nonnulla ipsis metum incuterent : rector hic quippe nunquam dubitavit quin esset Spiritus Dei; nam omnes ejus effectus sollicite admodum et mature secum examinando perpendebat. Itaque, postquam alia permulta intervenissent, nullum mihi sunt ausi impedimentum in hocce negotio aut remoram objicere; sed ipse confessarius meus iterum plenam mihi potestatem fecit omni qua possem contentione et studio in id connitendi. Videbam equidem quantam molestiarum molem in caput meum accerserem, tum quod prorsus sola essem, tum quod valde D parum possem. Inter nos ergo convenit ut rem quam fieri posset secretissime ageremus; unde dedi operam ut una de sororibus meis, quæ alio in loco commorabatur, domum coemeret, et eam tanquam si ipsius usibus cessura esset adaptaret, idque ea pecunia quam Dominus certis quibusdam mediis ad eam coemendam procurabat. Nimis quippe longum foret referre quibus eam Dominus viis modisve nobis procuraret : maxime namque cavebam ne qua in re contra obedientiam peccarem; sciebam tamen me, si superioribus meis rem aperuissem, omnem, uti alias, operam perdituram fuisse, imo etiam pejore loco negotium futurum quam antea. Sæpe vero magnam in pecunia procuranda, in domo comparanda, disponenda ac concinnanda molestiam et laborem pertuli; et quidem interdum sola, esto socia mea faceret id quod poterat : sed parum in eo poterat; imo tam parum ut prope nihil esset, et solum quod id illius nomine et illa annuente fieret : reliquum vero laboris in me tam diversimode ingruebat, ut jam non parum mirer quomodo illi ferendo par esse potuerim. Unde interdum afflicta et mœrens dicebam : « Quomodo fieri potest, Do- E
» mine mi, ut talia mihi tute præcipias, quæ prorsus
» impossibilia videntur? Si essem libera, quamvis
» sim mulier, bene quidem; sed cum undequaque
» diversis vinculis constricta sim et sine ulla pe-
» cunia, ac nesciam etiam undenam eam com-
» parem, tum ad litterarum expeditionis Roma
» mittendarum, tum ad alios sumptus necessarios
» sustinendos necessariam, quomodo aliquid præ-
» stem aut exequar? »

Sancta Dei alloquio

305 Cum semel in magna necessitate constituta essem, nesciremque quid agerem, vel undenam operariis nonnullis mercedem persolverem, Sanctus Josephus, verus meus Pater et Dominus, mihi apparuit, spondens pecuniam mihi nequaquam defuturam, ac proinde cum operis de stipendio convenirem : quod et feci, ne obolum quidem in promptu habens. Dominus porro iis mihi modis de pecunia necessaria providit, ut quicumque audirent, summopere obstupescerent. Domus mihi nimis quam parva videbatur, et erat revera ita parva, ut, quo monasterium fieret, prorsus inepta videretur. Volebam quidem et aliam domum coemere, sed non suppetebant nummi, nec ulla ejus emendæ apparebat ratio, ut quo me verterem nescirem : vicina F
quippe ei erat alia domuncula, templo concinnando idonea. Cum autem quodam tempore a Sacra Communione surgerem, ait Dominus ad me : « Dixi tibi
» ut in illam te conferas, quomodocumque possis. »
Et velut per modum exclamationis addebat : « O ge-
» neris humani cupiditas, cur times ne tibi etiam
» terra desit? Quoties ego sub dio, quod tecto et domo
» carerem, dormivi! » His auditis valde consternata mansi, ac vidi illum jure de nobis queri. Concessi itaque in domunculam illam, eamque in certas partes dispertiens, comperi perfectum quoddam monasterium esse, tametsi perexiguum et angustum; nec exinde de majore area aut fundo coemendo laboravi; operam tantum dedi ut in eo quem jam habebam, ædificium habitationi commodum adaptaretur, idque rudi modo et sine ulla arte et ornatu, nihil aliud ei addendo quam quantum, ne sanitas inhabitantium detrimentum pateretur, necessarium erat : etenim semper primo sanitatis ratio habenda est.

et S. Claræ apparitione animatur.

306 Cum in festo S. Claræ ad Sacram Communionem accederem, magno cum splendore Diva ipsa mihi apparuit, bono me animo esse et opere cœpto progredi

AUCTORE V. D. M.

A progredi jubens, suamque mihi in eo opem et favorem pollicens. Magnum exinde erga eam devotionis affectum concepi, et quod mihi tum dixit, ita comperi verum esse ut quoddam Ordinis illius monasterium, quod non procul hinc distat, nos suo tenui censu aliquatenus sustentet. Et, quod majus fuit, meum hoc desiderium ad tantam ipsa perfectionem paulatim perduxit, ut paupertas quam Sancta illa Virgo suo in cœnobio servabat, etiam hoc in loco servetur, et ex eleemosynis vivamus: quod sane mihi non parvo labore constitit, ut videlicet cum omni firmitate et Summi Pontificis auctoritate fieret, ac nihil illi adversum contrariumve committeretur, neve ullus umquam census admitteretur. Quin et plura Dominus præstat (forsan benedictæ hujus Virginis precibus et intercessione), quod nobis, etiam non petentibus, Majestas ejus abunde de omni eo quod nobis necessarium est providet. Sit ipse de omnibus in sæcula sæculorum benedictus. Amen.

seque splendida veste et torque aureo

307 Cum eodem pene tempore, in festo videlicet Assumptionis Deiparæ Matris, in Dominicanorum templo agerem, mecumque perpenderem peccata illa numero plurima quæ olim eo in loco confessa

B essem, nec non alia quæ ad vitam meam improbam spectabant, tam vehemens me raptus occupavit ut prope in mentis deliquium inciderim. Subsidebam in terra, et, quod majus est, non poteram (ut mihi quidem videtur) videre Corpus Domini in Sacro elevatum, aut Missam audire; adeo ut hoc postea mihi scrupulum moverit. Hoc quidem in statu constituta, videbar alba et splendida valde quadam veste indui. Initio non videbam quis mihi illam injiceret; at postea ad latus meum dextrum vidi adstantem Sanctissimam Virginem Mariam, et ad sinistrum Patrem ac Tutorem meum Josephum, qui hanc mihi vestem circumdarent: simul quoque mihi dabatur intelligi jam me a peccatis meis mundatam esse. Postquam vero jam induta essem, magnaque jucunditate et gloria perfusa, statim mihi visum est quod Deipara Mater, manibus meis apprehensis, mihi diceret rem me sibi gratissimam facere, quod gloriosi Confessoris Josephi cultrix essem; certo proinde mihi persuaderem illud ipsum quod quoad monasterii erectionem conceperam, perfectum iri: addebat quoque Dominum Jesum et se, una cum sponso suo Josepho, maxime in eo colendos; ne metuerem fore ut id decretum umquam immuta-

C retur (etsi obedientia, quam præstabam, ad gustum meum non esset), quod ambo nos custodirent; jam enim filium suum nobis pollicitum esse se in medio nostrum fore, seque in hujus rei veritatis signum hoc mihi monile tradere. Atque hoc dicto, torquem ex auro pulcherrimo, de quo pretiosissima quædam crux dependebat, collo meo videbatur injicere: sed aurum et gemmæ illius ita ab auro et gemmis terrenis differunt, ut nulla inter utrumque sit similitudo; pulchritudo quippe ejus longe discrepat ab omni eo quod hic imaginari possumus; imo nec intellectus concipere ullatenus potest ex qua materia vestis illa confecta esset, uti nec albedinem quam in ea relucere Dominus vult, imaginari; nam quidquid hic videtur, cum eo collatum, nonnisi rudis quædam delineatio carbone expressa, ut ita dicam, esse videtur.

a Deipara ac S. Josepho ornari videt.

308 Pulchritudo autem quam in Sanctissima Matre notabam, eminentissima erat et summa, et esto in figuris variis ea sita esset, nullam tamen singillatim, sed universam faciei formam et efformationem simul aspiciebam. Candida veste amicta erat, fulgoremque emittebat quam maximum, qui tamen oculos rutilantia sua non præstingueret, sed suavitate fulgidum. Gloriosum Josephum non ita D clare aperteque vidi; eo tamen visionum modo ibi illum adesse vidi, quas dixi non videri: videbatur vero mihi Virgo Mater valde juvenis. Cum sic aliquantisper mihi adfuissent, et ego in maxima gloria ac jucunditate essem, qua (ut quidem mihi apparet) majorem numquam sensi, et quæ ita singularis erat ut numquam ea carere vellem; videbar illos cum magno Angelorum comitatu in cœlos ascendentes videre. Cæterum ego valde deserta et sola mansi, nihilominus ita recreata, elevata et in orationem recollecta et interius commota, ut ad aliquod tempus nec movere me nec loqui possem, imo propemodum extra meipsam essem. Mansit exinde mihi tantus impetus ad meipsam pro Dei nomine annihilandam et consumendam, nec non tales effectus, omniaque eo fiebant modo, prorsus ut dubitare non possem (esto ad id ipsa non mediocriter conniterer) quin a Deo visio illa veniret. Cœlorum Regina valde me consolatam et mire contentam reliquit, ob ea quæ mihi de obedientia dixerat. Grave scilicet mihi erat eam Ordinis superioribus non præstare: dixerat autem mihi Dominus consultum non esse illam ipsis præ-

E stare, et rationes ob quas id me facere nullatenus expediret, adferebat; at Romam certa quadam via litteras mitterem, effecturum se dicens ut omnia illic felicem successum haberent: quod et factum est. Postquam enim ea quam mihi Dominus suggesserat via litteras Romam misissemus, lætum optatumque responsum inde transmissum est, cum antea numquam expeditionem aliquam accipere potuissemus. Porro ob ea quæ postea facta sunt, convenientissimum maximeque expediens fuit, ut episcopo obedientia præstaretur; esto tum quidem cum minime nossem, nec qualis prælatus futurus esset scirem, Domino autem volente factum est ut cum nobis ita propitium domuique huic ita faventem senserimus, ac quidem ob magnam illam, quæ contra eam postea insurrexit, contradictionem oportuit (uti postea referam), et ut illam eo in statu in quo modo est, constitueret. Benedictus sit ipse, qui sic omnia promovit ac direxit. Amen.

Pecuniam a fratre Laurentio e Peruvia accipit,

309 *Per quinque aut sex illos menses, quibus a cœpto negotio* Teresia *destitit, traducti sumus in annum* 1561. *Quo anno P. Dionysio Vasquez, homini egregie docto ac rebus gestis claro, sed in subditos, ut ex Historia Societatis Jesu liquet, valde immiti, suffectus est ad regendum collegium S. Ægidii Abulense P. Gaspar de Salazar; magno, uti vidimus, S.* Teresiæ *gaudio ac solatio. Sub idem quoque tempus, anno scilicet* 1561 *exeunte, advenit S. Virgini subsidium pecuniarium non modicum, e regno Peruano a fratre ejus Laurentio de Cepeda, novæ quæ instabat fundationis adhuc inscio, tam opportune transmissum, ut id miraculi instar haberent quotquot secretum noverant. Gratias illa profusissimas dilecto fratri egit, totumque ei negotium aperuit ac commendavit scripta ad diem* xxx *Decembris epistola* (*tom. I, epist.* 29). *Hanc, ut indidem discimus, jam aliæ epistolæ plures præcesserant, aliæ brevi erant secuturæ: quæ si omnes etiamnum exstarent, multum fortasse lucis nostræ affunderent historiæ. Sed Deo aliter visum.*

F

et juvatur a sorore Joanna ejusque conjuge.

310 *Plurimo item auxilio per id temporis S. Fundatrici fuerunt soror sua Joanna de Ahumada hujusque conjux Joannes de Ovalle; qui hanc unam ob rem Alba Abulam venerant, ut domum proprio suo nomine emerent et novi monasterii usibus aptari curarent. Cujus illi caritatis mercedem non exiguam,* Teresia *intercedente, obtinuerunt a Deo: præsertim quando filiolum eorum Gonzalvum Sancta matertera*

A *matertera vitæ restituit, et alteri eorum infanti sua prece obtinuit ut tres tantum natus hebdomadas in cœlum inter Angelorum choros reciperetur. Equidem latius hæc narrare non debeo, quoniam optime id fecit Ribera* (*lib.* I, *cap.* VIII); *qui etiam refert qua magnanimitate S.* Teresia *passa sit tum se publice a concionatore quodam perstringi, tum murum monasterii sui a dæmonibus dejici. Ipsa interim, pro ingeniosa humilitate sua, hasce res sibi perhonorificas alto premit silentio : ac quasi earum immemor, stylum illico transfert capite suo* XXXIV *ad iter Toletanum a se susceptum initio Januarii* 1562, *et ad semestrem commorationem suam apud nobilem viduam Aloisiam de la Cerda, ducis Methymnæ Cœli sororem.*

Abula Toletum

311 Quamquam, *inquit,* summo studio conniterer ut res hæc clam omnibus fieret, ita tamen secreto eam peragere non potui quin ad multorum notitiam perveniret, quorum aliqui eam credebant, aliqui minime. Maxime vero timebam ne, cum provincialis noster venisset et ex aliis aliquid de isthoc negotio inaudisset, in eodem me progredi vetaret; illo enim jubente, penitus id de manibus deposuissem, nec in eo quidquam egissem : sed huic

B timori alia Deus via prospexit; quod scilicet in civitate quadam illustri, plusquam viginti leucis hinc distante, nobilis quædam matrona ob mariti sui mortem ita contristabatur et afflicta erat, ut, ne mortem ei dolor hic afferret, omnes metuerent. Contigit porro illam in peccatriculæ hujus notitiam venire; Deo enim disponente, factum est ut varii varia de me apud illam loquerentur, idque ob alia quæ hinc consecuta sunt bona. Magnam matrona hæc cum provinciali nostro notitiam ac familiaritatem habebat : quod autem illustri esset familia oriunda, et tali me in monasterio agere sciret unde egredi foras licebat, hinc magnum illi mei videndæ desiderium Dominus injecit (utpote quæ persuasum habebat mea me præsentia consolationem aliquam afferre sibi posse); quod aliter fieri non poterat, nisi, me quamprimum ad se evocando, omnem quam poterat ad hoc industriam et media adhiberet. Hanc ergo ob rem litteras ad provincialem longius distantem scripsit : qui mihi sub præcepto obedientiæ injunxit ut quamprimum me cum alia quadam socia ad ipsam conferrem.

jussu provincialis discedit

312 Nocte Natalis Domini nuntium hoc accepi; quod sane me aliquantulum turbavit et valde af-

C flixit, quod viderem ideo illos me evocare quod aliquod in me bonum esse crederent : quia enim me ita improbam et nequam videbam, hinc male me habebat talem de me vulgo opinionem haberi. Cum ergo me serio Deo per preces commendarem, contigit me in ecstasin rapi, quæ toto matutinarum horarum tempore aut magna saltem earum parte duravit. Monuit me Dominus ut illuc concedere non negligerem, nullis autem aliorum consiliis opinionibusque auscultarem, quia pene omnes temere mihi consulturi erant; et, licet aliquam in hoc difficultatem et laborem sentirem, fore tamen ut id in magnum Dei obsequium cederet, et ad monasterii erigendi bonum progressumque expedire et necesse esse ut ad tempus hinc discederem, quoadusque Bulla Roma mitteretur; dæmonem quippe magnas mihi in provincialis adventum insidias præparasse : ego vero constanter agerem, nec ullatenus timerem; se enim illo in loco mihi adfuturum. Ego his verbis egregie animata et excitata, rectorem collegii Societatis Jesu de omnibus certiorem reddidi. Is monuit me, ne ullam ob causam profectionem hanc omitterem; alii vero illam penitus dissuadebant, dæmonis astu et dolo eam adornari dicentes, ut aliquod inde mihi malum et periculum crearetur; quapropter provinciali mentem meam in contra- D rium rescriberem. Verum P. rectori obedivi, et iis quæ in oratione cœlitus inaudieram, animata, sine ullo prorsus timore in viam me dedi; sed non sine magna confusione et pudore, dum videbam quo titulo et prætextu illuc evocarer, et quam graviter me advocantes in hoc deciperentur. Atque hoc in causa erat cur sollicitius et instantius ad Dominum clamarem, ne me ipse desereret.

AUCTORE V. D. M.

ad leniendum dolorem viduæ Aloisiæ de la Cerda;

313 Mirum in modum tamen me consolabatur quod in civitate ad quam me conferebam, collegium Societatis Jesu esset; quod vero essem in omnibus quæ mihi injungerent, uti et hic eram, parere paratissima, hinc aliquo modo secura futura esse mihi videbar. Placuit autem Domino nobilem illam matronam per consolationes ita paulatim dolorem suum pellere, ut evidenter statim melius habere inciperet, et dolore pulso, quotidie magis et magis consolationem admitteret. Magni porro hoc omnes faciebant; quia, uti dixi, tristitia et dolor quam maxime eam lancinabant. Et sane verisimile est, Dominum, plurimorum bonorum quos novi precibus, quas pro me, ut bene mihi res hæc succederet, fundebant, permotum, hoc ei beneficium contulisse. Adhæc E Deum ipsa quam maxime timebat, tantæque erat pietatis ut magna illius pietas et virtus suppleret id quod mihi deerat. Magno ipsa erga me amore affici cœpit, uti et ego erga illam, quod magnam in ea bonitatem notarem. Sed omnia pene ibi me cruciabant : nam quod laute splendideque ab ea alerer, valde me affligebat; et, quod tanto in pretio haberer, in magno me timore continebat, et ita meticulosa anima mea erat ut se ipsa negligere non auderet.

ibique aulicæ vitæ molestias experitur

314 Ipse quoque Dominus me non negligebat : nam toto illo tempore quo illic egi, perinsignes mihi gratias contulit, quæ et tantam mihi libertatem dabant, et quidquid videbam, ita me contemnere faciebant (ac quo plura videbam, eo magis omnia parvi faciebam) ut cum id genus nobilibus matronis identidem ea libertate agerem ac si iis æqualis exstitissem, quibus tamen servire summo mihi honori ducere potuissem. Porro non contemnendum ibi lucrum feci, quod etiam ipsi indicare non dubitavi. Videbam illam, tametsi tam potentem, infirmitatibus et passionibus non minus subjectam esse quam me, quamque omnis potentia parvi facienda sit, et, quo illa major est, eo etiam plus sollicitudinum et F laborum includat. Magnates namque semper solliciti sunt ut se juxta statum suum in omnibus gerant et de modo quo auctoritatem suam tueantur, quod nullam ipsis quietem indulget; adhæc extra tempus et præscriptam regulam prandent et cœnant (omnia namque pro status ratione fiant oportet, non vero prout naturæ complexio et indoles exposcit) : sæpe etiam cibos magis statui suo conformes, quam qui appetitui faciant satis, debent comedere.

et magis magisque fastidit.

315 Unde factum ut ille nobilium status plane mihi nauseam moverit : Dominus me a tali molestia liberet et protegat. Licet autem hæc de illustrissimis regni hujus sit, ita tamen humilis est, et ita teres ac rotunda, ut paucas esse credam quæ hac in parte eam anteeant : quare sortem ejus miserabar, uti etiamnum miseror, quod illam sæpe, contra quam naturalis inclinatio dictat et suadet, quo statum et auctoritatem suam tueatur, agere videam. Ut taceam interim quam parum famulis et ancillis fidere oporteat, etsi, quotquot ipsa haberet, boni et probi essent; non plus uni quam alteri loquendum est, imo is quem cariorem habes, odio

AUCTORE V. D. M.

A quodammodo exterius est prosequendus. Talis autem hæc servitus et subjectio est, ut hoc unum de mendaciis sit quæ mundus loquitur, dum id genus homines dominos vocat, cum revera (uti mihi quidem videtur) sexcentarum rerum sint mancipia. Placuit Domino ut toto illo quo illic egi tempore domestici omnes mire in Dei obsequio et cultu proficerent; efficere tamen non potui ut non aliquæ me difficultates exciperent, quæ e nonnullorum, matronam illam nobilem mirifice erga me affici videntium, odio et invidia ortum habebant. Putabant fortasse lucellum me aliquod captare : et forsan Domino permittente factum ut nonnullæ mihi molestiæ tam hac in re quam aliis id genus exhiberentur, ne a lautæ illius tractationis, quam ibi alia ex parte experiebar, illiciis in profundum voluptatum demergerer. Placuit autem Domino me ex omnibus cum animæ meæ lucro et emendatione educere.

§ XVII. Toleti agit cum viro insigni Ordinis Prædicatorum : quædam futura præ-noscit : nullos monasterio suo reditus admittere statuit. Abulam redit; quo ei afferuntur litteræ apostolicæ.

B

Cuidam ex Ordine Prædicatorum

Hic narrationi suæ Sancta intertexit encomium insignis cujusdam viri e S. Dominici familia. Fueritne is, ut Yepes asseverat (lib. II, *cap.* VII), *P. Vincentius Varon, de quo supra (num.* 117) *actum est, an vero P. Garcias de Toledo, e domo Oropesia ortus ac præclarum Ordinis sui lumen, ambigit auctor Chronici (lib.* I, *cap.* XLI, *n.* 2) *et cum eo P. Fredericus a S. Antonio (lib.* I, *cap.* XXVI). *Modo nominatus P. Garcias, et aliquoties adhuc in reliqua vita Teresiana cum laude nominandus, S. Virgini ad finem anni* 1562 *auctor fuit suam ut Vitam iterato exararet. Prima autem hujus Vitæ scriptio,*

C *jussu P. Petri Ibañez suscepta, isthoc ipso anno, mense Junio, Toleti ad finem perducta fuit; eamque illico S.* Teresia *ad Ibañezium portandam curavit, una cum epistola (tom. I, ep.* 15), *quam alibi dabo. His breviter prænotatis, ad Sanctæ narrationem redeamus.*

Sancta res animi sui aperit :

317 Interea, *ait,* dum Toleti agerem, venit illuc forte fortuna honestus ac pius quidam religiosus, quocum ante aliquot annos interdum egeram. Cum ergo in Ordinis cujus ipse erat monasterio, quod non procul a domo in qua agebam distabat, Sacrum audirem, quoddam mihi venit desiderium sciendi quis esset animæ hominis illius (quem magnum Dei servum esse cupiebam) status : quare surrexi de loco, ut eum allocutum pergerem. Sed quod in oratione jam recollecta essem, hinc postea id mihi visum est merum temporis dispendium fore, si eam ob causam huic me negotio immiscere vellem. Unde iterum ad orandum me composui. Quantum memini, tertio sic resedi et surrexi : sed tandem plus bonus Angelus potuit quam malus. Illum ergo jussi advocari; qui me in quadam sede confessionali est allocutus. Interrogare nos mutuo de vitæ nostræ ratione cœpimus : jam enim multum temporis effluxerat ex quo invicem non videramus. D Referre illi incipiebam, vitam meam miseriis ac ærumnis plenissimam fuisse : illi vero instanter a me petenti ut quænam hæ afflictiones essent, illi aperirem, respondi eas nesciri a quoquam, nec dici a me oportere. Ait ille, cum Dominicanus de quo apud eum mentionem feceram, illas sciret, se, quia illo amico utebatur, haud difficulter ex illo scire eas posse; quare nullam me in illis sibi aperiendis difficultatem facere debere. Tam parum vero in potestate ejus fuit id instanter ex me non petere, quam in mea fuit (ut mihi quidem apparet) id ei non aperire : nam etsi semper tum cum ipso, tum cum rectore quem dixi, non nisi summa cum repugnantia et rubore hisce de rebus tractarem; tunc tamen nullam omnino in hoc difficultatem, quin imo magnam consolationem sensi. Retuli id ei sub sigillo Confessionis : atque is tum quidem discretior et prudentior mihi esse videbatur quam umquam ante fuerat, esto eum semper ut magni ingenii prudentiæque virum suspexerim.

eidem, id petenti,

318 Respiciebam ad præclara ejus talenta et dona naturæ, quorum ope, si se penitus Dei obsequio dedicasset, magnum in virtutum studio profectum facere potuisset. Hoc enim jam abhinc ali- E quot annis mihi perfamiliare est, nimirum quod neminem qui mihi ob dona naturæ maxime placeat, videam, quin statim videre vellem ut is se totum ad Dei obsequium applicaret; idque tam ardenti desiderio et impetu ut interdum me retinere nequeam : et quamquam omnes quotquot sunt homines ei servire optem; cum tamen illos qui mihi præ aliis placeant, ei servire desidero, hinc hocce desiderium summo in me impetu ingruit : unde quam instantissime et ferventissime pro iis ad Dominum clamo. Ita prorsus cum hoc quem dico religioso mihi factum est : orabat quippe is me ut Deum pro ipso ferventer rogarem (quod tamen non opus erat mihi dicere : nam ita jam tum disposita eram ut non possem pro eo non orare); unde ad locum in quo orationi sola in quiete insistere consueveram, me conferens, incepi cum Domino in summa mentis recollectione modo quodam simplici et puerili (quod mihi valde frequens est, ut quid dicam prorsus nesciam) agere : amor quippe loquitur, et anima ita alienata et quodammodo extra se est, ut non advertat quantum sit inter ipsam et Deum discrimen : nam amor quo se ab illius Majestate diligi novit, in causa est cur ipsa sui obli- F viscatur; imo vero putat se in illo esse, et, tamquam si Deus quoddam proprium et indivisum illius bonum esset, stolida quædam proloquitur. Hoc illi tum temporis dixisse memini, postquam multis cum lacrymis ab eo quam enixissime postulassem ut animam hanc totaliter ac revera inter servos suos cooptaret. Nam esto cum ut bonum virum existimarem, satis tamen id mihi non erat; sed volebam ut perfectus et optimus esset : unde sic ad Dominum clamavi : « Hanc mihi gratiam negare » non debes, Domine : respice illum, obsecro; aptus » est enim et conveniens ut inter amicos coopte- » tur. » O ingentem Dei bonitatem et humanitatem, qui non tam verba quam desideria et voluntatem qua illa proferuntur, intuetur; quique non indignatur aut succenset, quod talis qualis ego sum, Majestatem ejus tam audacter alloquitur! Sit ipse in æternum benedictus.

suis precibus a Deo obtinet

319 Memini me, ea ipsa hora qua noctu illam orationem fundebam, magna angustia et pressura spiritus oppressam fuisse, inde orta quod cogitarem num in Dei amicitia essem. Quod autem certo scire non possem num in ejus gratia essem nec ne

(non

A (non quod hoc scire volebam; mori quippe maluissem quam talem vitam ducere, in qua non poteram certa esse mortuane essem an non : nulla quippe mors tam mihi gravis esse poterat quam reputare num forte Deum offendissem) et me hoc non parum angeret, rogabam ipsum ne hoc ulla ratione permitteret, idque magna quadam cum suavitate et lacrymarum copia. Tum vero intellexi non esse quod me propterea torquerem, sed posse confidere me in illius gratia esse : fieri enim non potest ut anima quæ tali Deum amore prosequitur, tales quoque ab eo gratias et experientias recipit, sinatur in mortalis peccati statum incidere. Certa me spes et fiducia exinde tenuit Dominum mihi id indubitate concessurum quod illi homini ab eo postulabam. Aiebat ut quædam illi verba dicerem : sed hoc mihi permolestum erat, quod quomodo ea illi dicerem nescirem. Hoc quippe, aliquid videlicet alicui tertio significare, præsertim ignorante me quam in partem is hoc a me accepturus esset, et num forsitan me explosurus, mihi semper durissimum et gravissimum videtur. Valde quidem quoad hoc anxia eram : nihilominus tandem ita apud me firmiter statui, ut (prout mihi quidem videtur)
B Deo pollicita sim omnimodis illi me ea dicturam; sed quia valde erubescebam, scripto verba illa commisi, eique tradidi.

orandi studium, lumina spiritualia,

320 Liquido apparebat hanc rem a Deo venire, ex his quæ in eo operabatur : valde enim is serio apud se proposuit totum se orationi dedere, etsi hoc propositum quamprimum executioni non mandarit. Sed cum Dominus eum ad se allicere cuperet, quasdam ei veritates per me significari voluit, quæ ei, etiam inscia me, ita conducibiles fuere ut ipsemet non parum miraretur. Crediderim Dominum sic eum paulatim disposuisse, ut hoc pacto is sibi persuaderet, has ab ipsius Majestate provenire; et, esto ego miserrima essem, ardentissime tamen Dominum rogabam, ut eum penitus ad se attraheret, eique voluptatum atque omnium vitæ hujus rerum contemptum indere dignaretur : quod ille ita re ipsa est executus (quo nomine sit Dominus in æternum benedictus) ut, quotiescumque me alloquitur, velut perculsa obstupescam; et, nisi oculis ipsa meis vidissem, credere vix possem, Dominum sic ei suas tam brevi tempore gratias adauxisse, et sic eum ad se attraxisse, ut jam ad nullam omnino mundi hujus rem vivere videatur.
C Dominus eum corroboret : si enim hoc pacto pergat (ut eum perrecturum in Domino spero; nam in sui ipsius cognitione insigniter et solide fundatus est), haud dubie de selectissimis ipsius famulis, et ad multarum animarum utilitatem futurus est. Brevissimo enim tempore permagnam rerum ad spiritum spectantium experientiam est consecutus: hæc quippe sunt dona, quæ Dominus, et cum vult, et quomodocumque vult, dare solet; neque hoc in ipsa temporis diuturnitate aut obsequiorum præstitorum magnitudine situm est.

humilitatem aliasque virtutes :

321 Hic ergo religiosus, hacce humilitatis virtute a Domino multis in rebus accepta, in hac se, quantum sibi possibile fuit, materia perficere studuit; quia doctrina valet, et quod non habet per experientiam, hoc discit ab illam habentibus : Dominus quoque eum juvat, magnam illi fidem dando; itaque tam sibi quam aliis nonnullis (inter quos et ego sum) mirifice profuit. Cum enim Dominus nosset quæ mihi difficultates instarent, et aliquos ex illis qui me regerent, ad se rapere vellet, providit (ut quidem apparet) ut alii reliqui essent qui me in multis difficultatibus adjuvarunt, et mirifice mihi profuerunt. Dominus penitus eum immutavit, adeo ut se ipse quodammodo vix norit; et ei corporale robur quo ante caruit, ad austeritates subeundas
D dedit; cumque antea debilis esset, ad omne quod bonum est vegetus et animatus factus est, ut alia plurima taceam. Unde liquido paret hanc valde singularem Dei vocationem fuisse : sit ipse in æternum benedictus. Omne porro bonum hoc ei crediderim promanare a donis quæ Dominus illi in oratione contulit, quod hæc ei non leviter ac velut in summa cute adhæreant : nam aliquibus in rebus Dominus id ad oculum videri jam voluit; etenim ipse, velut vi facta, omnia perrumpit, tanquam qui jam penitus et intime cognovit quantum meriti in persecutionum tolerantia situm sit. Ipsa (quæ Dei potentia est) confido fore ut ejus ope ingens tum nonnulli fratres Ordinis cujus ipse est, tum etiam Ordo universus bonum consequatur. Hoc jam tum ad oculum apparere incipit. Ego quippe notabiles quasdam visiones habui, in quibus mihi Dominus nonnulla tam de ipso quam de rectore illo quem dixi Societatis Jesu, declaravit, quæ sane admirationem merentur; nec non de aliis duobus Ordinis Prædicatorum viris, ac singillatim de uno, cui Dominus jam in suo progressu etiam quædam ostendit
E quæ ante de eo e Domino intellexeram. At de illo de quo in præsens loquor, plurima mihi in visione revelata sunt.

sanctitatem ejus interiori lumine conspicit;

322 Unam tantum rem modo referre hic volo : cum quodam tempore cum eo certo quodam in loco locutioni destinato agerem, anima amorem æstuare sensit, ut prope a me ipsa deficerem : nam Dei potentiam considerabam, videns quomodo in tam brevi tempore animam quamdam ad tam sublimem statum evexisset. Magnum sane is mihi tum pudorem incussit, quod viderem illum magna cum humilitate me de rebus nonnullis ad orationem spectantibus agentem audire : sed quia illa in me perexigua erat, quod nempe ita libere cum id genus hominibus agerem, hanc sane libertatem meam Dominus benigne tolerasse debuit, ob ardens meum, quo illum magnos in rebus spiritus progressus facere cupiebam, desiderium. Ita porro illius mihi conversatio et commercium profuit, ut is novum quemdam in anima mea ignem indidisse videatur, qui me inflammaret ad Domino velut de novo serviendum. Ingens sane in animo meo gaudium sensi cum animam illam viderem (nam videbatur Dominus velle ut ego ingentes illos thesauros quos ei communicaverat, cernerem), dein cum viderem
F gratiam quam mihi contulerat, quod nimirum id adminiculo et ope mea fieri voluerit, ad quod me prorsus indignam agnoscebam : atque hoc in causa erat cur datas ei a Deo Opt. Max. gratias majori ipsa in pretio haberem, ac plus ob eas ei me debere crederem, quam si mihi factæ essent, maximasque Domino agerem gratias, videns Majestatem ejus voto et desiderio meo jam tum incipere satisfacere, et preces meas exaudisse, quibus nimirum ab eo petieram ut hujusmodi viros excitaret.

eumque ab Angelis elevari videt.

323 Cum ergo anima mea sic constituta esset, et tantum in se gaudium amplius ferre non posset, extra seipsam egrediebatur, seque perdebat ut amplius lucraretur; illas item considerationes amittebat, nec non divinæ illius linguæ qua Spiritus Sanctus loqui videbatur, auditum; statim vero magna me ecstasis et raptus, qui mihi omnem pene sensum adimebat, etsi id diu non duraret, occupavit. Videbam namque Redemptorem nostrum Christum in maxima majestate et gloria, magna gestientis et gaudentis animi, ob id quod ibi contingebat, signa dantem; et hoc ipse mihi etiam indicabat, volebatque me ad oculum videre, se in hujusmodi colloquiis et conversationibus

AUCTORE V. D. M.

versationibus semper præsentem adesse, quamque sibi gratum sit quod homines ita de ipso loqui gaudeant. Alio tempore videbam quomodo hunc ipsum Angeli magna in gloria elevarent, etsi tunc temporis longe a loco in quo ipse ageret, dissita essem : e qua visione collegi animam ejus insignes progressus facere. Et revera ita erat : nam cum illi quidam, cui ipse ante beneficium insigne contulerat (ejus quippe honori et animæ quam maxime consuluerat), enorme crimen, ob quod ejus honor non parum periclitabatur, etiam productis testibus, affingeret, hanc ipse tamen calumniam gratanter lætoque animo sustinuerat. Ut taceam quod et alia bona opera ad Dei honorem fecerit, et adhuc alias injurias et persecutiones æquanimiter tulerit. At plura referre minime mihi in præsens convenire videtur; nihilominus si R. V. secus videatur (quandoquidem ea novit), postea illa ad Dei honorem et gloriam referri poterunt.

A

Prænoscit multa de futuro suo monasterio, et obitum sororis suæ Mariæ.

324 Omnes porro quas hactenus retuli de isthoc monasterio prædictiones, nec non et eæ quas adhuc tam de illo quam de aliis rebus sum commemoratura, exacte adimpletæ sunt; inter quas mihi nonnullæ triennio, aliæ amplius, aliæ etiam minus, antequam vulgo innotescerent, a Domino dictæ sunt. Semper autem eas confessario meo, nec non amicæ illi meæ viduæ, quacum loqui poteram (uti dixi), declaravi : hanc autem sciebam eas aliis aperire solitam; et hi norunt me neutiquam mentiri. Et Deum venerans precor ne me umquam de ulla re, nedum de tanti momenti negotiis, aliter quam ipsa veritas loquendum suadeat, loqui sinat. Cum de sororiis meis quidam subita morte sublatus esset, quod valde me angebat, eo quod Confessionem instituendi tempus ei non fuisset, inter orandum mihi revelatum fuit etiam sororem meam repentina morte morituram, utque me ad illam conferrem, ac qua poteram operam darem ut ad mortem se disponeret. Dixi id confessario meo; sed quod ille me abire vetaret, idcirco idem mihi et denuo significatum fuit : quod ille audiens suasit eo me conferrem, nullum quippe inde mihi damnum securum. Illa tum quidem in pago commorabatur. Illuc ergo cum venissem, nec itineris tamen mei causam ei aperirem, qua potui illam in omnibus edocere et illustrare conata sum, et auctor ei fui ut sæpius confiteretur exactamque animæ suæ rationem haberet : quod etiam præstitit, quia per se bona et pia erat. Quatuor autem vel quinque annis postquam illam sæpius confitendi et super conscientiam suam serio advigilandi consuetudinem assumpsit, nemine præsente, nec etiam Confessione instituta, ex hac vita abrepta est. Bene ei cecidit quod (quia id ita jam consueverat) nonnisi octiduum aut circiter ab ultima ejus Confessione elapsum esset; de quo plurimum gavisa sum, audiens illam ex hac vita decessisse. Cæterum valde parvo tempore in purgatorio fuit. Vix enim octiduum præterierat (ut mihi videtur), cum mihi, statim a sumpta Communione, Dominus apparuit, meque videre voluit quomodo eam ad cœlos deduceret. Jam inde ab eo tempore quo mihi Dominus id declaravit, usque dum ipsa moreretur, nunquam quod mihi dictum erat oblita sum, uti nec sodalis mea, quæ mox ut illam obiisse comperit, ad me venit, mirata quod omnia quæ dicta erant ita exacte adimpleta vidit. Sit Dominus in æternum benedictus, qui tantam animarum, ne pereant, curam gerit. Amen. *Erat hæc S.* Teresiæ *soror Maria de Cepeda, vidua Martini de Guzman, de qua in tertio hujus commentarii paragrapho* (*num.* 33).

B

C

325 *Incipit jam caput* XXXV : Interim, *ait Sancta,* cum apud eam quam dixi mulierem agerem (egi autem plus quam medio anno), Domino faciente contigit quamdam Ordinis nostri monialem, quæ plusquam septuaginta leucas ab hac civitate distabat (*nomen ei erat Maria a Jesu*), mei notitiam accipere; quare non dubitavit huc ad me excurrere, non verita aliquantulum de via deflectere, quo in mei colloquium veniret. Moverat illam Dominus ut aliud quoddam Ordinis nostri monasterium erigeret, idque eodem anno et mense quo me ad hoc ipsum faciendum excitarat : hoc autem desiderio et proposito concepto, vendidit cuncta quæ possidebat, et nudipes Romam, quo confirmatorias litteras impetraret, abiit. Mulier est austeræ vitæ et orationis studio mire addicta; quin et Dominus insignes ei gratias præstitit : Deipara quoque Virgo ei apparens jussit ut rem quam meditabatur executioni mandaret : tanto porro me in Dei famulatu antecurrebat intervallo ut coram illa comparere erubescerem.

Invisitur a Maria a Jesu, moniali;

D

326 Ostendit mihi litteras confirmatorias quas Roma attulerat, et quindecim dierum illorum quibus apud me fuit spatio inter nos deliberavimus quomodo hæc monasteria nostra conderemus. Antequam autem illam convenissem, nunquam hactenus inaudieram regula nostra, priusquam relaxata esset, vetari ne quid proprium moniales haberent : hinc etiam intentio mea non fuerat ut isthæc monasteria sine ullo censu fundarentur; hoc enim spectabam, ut nulla rerum ad vitam ducendam necessariarum sollicitudine distineremur : at non advertebam quantum sollicitudinis curarumque hæc bonorum temporalium possessio ac proprietas secum traheret. Sed sancta illa mulier, utpote a Domino edocta, id valde bene intelligebat (esto legendi artem non calleret) quod ego lectis et relectis toties Constitutionibus nostris, adhuc ignorabam. Quod cum illa mihi dixisset, mire id mihi placuit; licet aliquantulum metuerem ne superiores id mihi non permitterent, sed me stulte inepteque agere dicturi essent, ac vetituri ne quid aggrederer quo aliis occasio scandali et crucis essem. Si ego sola fuissem, rem statim sine mora executioni mandassem; quin imo magnæ voluptati mihi erat de Domini nostri Jesu Christi consiliis exacte servandis cogitare : ejus quippe Majestas ingens paupertatis servandæ desiderium jam tum mihi inspirarat; adeo ut (quantum quidem ad me spectabat) minime dubitarem quin hoc longe optimum esset ac consultissimum. Jam enim abhinc multo tempore desideraveram ut meus mihi status permitteret victum et omnia necessaria ostiatim propter Dei nomen mendicare, imo nec domum aut aliud quid habere : sed verebar ne reliquæ, si forte Dominus hæc illis desideria non inspiraret, propterea turbarentur, et hoc distractionis alicujus illis occasio foret. Videbam namque etiam nonnulla monasteria censu carentia parum recollecta et quieta esse; at non considerabam paupertatem ipsam in causa non esse cur inquieta essent, sed vice versa inquietudinem in causa esse cur necessariis destituerentur et in paupertate viverent : nam nec per inquietudinem ditescunt, nec umquam deserit Deus eum qui se serio et ex corde diligit. Demum fides mea exigua et debilis erat, ea vero illius famulæ Dei ingens et valida.

cujus suasu,

E

F

327 Sed, cum ipsa in omni re semper diversorum sententias audirem et inquirerem, nullum tamen inveni qui hujus opinionis foret, nec confessarium nec ullum e viris doctis quos identidem consulebam : etenim tot hi mihi rationes adducebant ut quid actura essem, penitus nescirem; nam cognito jam, paupertatem ab ipsamet regula præscribi, eamque servare

licet dissuaderent viri docti,

A servare majoris perfectionis esse, plane inducere in animum meum non poteram ut annuos census assumerem. Et licet subinde suis me argumentis convincerent, mox tamen ut ad orandum me conferebam et Christum in cruce positum ita pauperem et nudum intuebar, divitiarum possessionem æqua mente admittere non poteram : multis ergo cum lacrymis illum identidem rogabam ita rem disponeret ut simul cum ipso me pauperem et egenam viderem. Tantæ autem in redituum possessione difficultates et incommoda mihi occurrebant, quin imo tantam inquietudinum nec non distractionum causam eos esse videbam, ut assidue cum viris doctis de illorum admissione concertando disputarem. Unde super hoc negotio ad Dominicanum illum scripsi qui rem nostram agebat; qui litteris meis respondens, suam de hoc negotio opinionem, qua meam refutabat, aperuit, eamque argumentis et rationibus theologicis confirmavit, quibus duo chartæ folia replevit; et quo mihi melius eam persuaderet, serio se rem hanc excussisse et maturo judicio aiebat expendisse. Cui rursus respondi, me, ad vocationem meam, et votum paupertatis quod professa eram, nec non ad Christi Domini consilia ea qua oportet perfectione
B non sequenda, nolle theologica scientia uti, nec petere ut hoc in casu per doctrinam suam mihi gratificetur et juvet. Summopere vero gaudebam, si quem invenirem qui mihi hac in causa patrocinaretur. In quo peregregiam mihi operam præstitit nobilis illa matrona apud quam commorabar. Multi quidem initio opinioni meæ suffragabantur, meque bene facturam aiebant; at postea, cum eam penitus examinarent, tanta in ea notabant incommoda, ut eam jam dissuadere et contrarium suadere omnimodis connitenterentur. Quibus ego replicabam, cum ipsi tam cito a sua sententia discederent et aliam jam propugnarent, me priori velle adhærere.

hortatu item S. Petri de Alcantara,

328 *S. Matris in hoc proposito constantiam mire roboravit S. Petrus de Alcantara, flagrans et ipse amator euangelicæ paupertatis et primitivæ Seraphici Francisci regulæ exactus observator. Primo namque, ubi accepit* Teresiam *a Gonzalvo de Aranda, sacerdote Abulensi, scripto postulasse ut hic doctos aliquot viros pro se consuleret, sine mora epistolam ad eam dedit die* XIV *Aprilis; qua epistola, quæ extat apud Yepesium* (*lib.* II, *c.* VII) *et in Chronico* (*lib.* I, *c.* XLI), *admonebat ne litteratorum rationibus hac in re nimium fideret. Dein Toletum usque excurrit,* Teresiæ
C *animum magis etiam obfirmaturus; uti modo, ipsa narrante, audiemus.* Interea, *ait,* disponente scilicet Domino, factum ut Petrus de Alcantara, sanctus ille vir, rogatu meo ad ædes matronæ hujus veniret (nunquam quippe ipsa sanctum virum viderat). Quod autem hic, utpote insignis paupertatis amator et ad multos annos indefessus cultor, quantus in ea thesaurus lateret, perspectissimum habebat, non parum me isthoc in negotio juvit, et quam potuit enixissime præcepit ut in paupertatis patrocinio et causa tuenda animose pergerem, nec unquam deficerem. Hac audita sententia et patrocinio, puta ejus qui, quod magnam rei hujus habebat experientiam, optime eam nosse poterat, mecum statui nullius exinde amplius de ea opinionem sciscitari.

et Salvatoris jussu, monasterium absque censu fundare statuit.

329 Cum autem die quadam hocce negotium Domino in oratione mea enixe commendarem, ipse mihi apparens mandavit, nullatenus ut omitterem monasterium sine omni censu et in paupertate fundare; hanc nempe et Patris sui cœlestis et suam voluntatem esse, seque mihi auxilio suo adfuturum. Factum hoc est in raptu, tantis tamque potentibus cum effectibus, ut ambigere neutiquam possem quin hoc a Deo proveniret. Alio tempore mihi dicebat in reditibus annuis sitam esse confusionem; nec non alia multa in paupertatis laudem afferebat, et certo mihi confirmabat, ei qui ipsi ex toto corde serviret, rerum ad vitam necessariarum nihil unquam defuturum : unde et ipsa (uti dixi) nunquam verita sum ne quid mihi deesset. Quin et postea Patris illius Dominicani, quem ante mihi, ne sine censibus certis monasterium fundarem, dixi scripsisse, cor Dominus immutavit. His ergo auditis, nec non talium virorum in hoc negotio opinionibus mihi suffragantibus, ita jam tum in animo meo gestii, ut omnes totius mundi opes sola tum possidere mihi viderer, cum eleemosynis et mendicato vivere in animum induxi. AUCTORE V. D. M. D

Permittente provinciali,

330 Hoc ipso tempore provincialis meus me relaxavit a præcepto et obedientia, quo me apud matronam illam ad tempus esse jusserat, liberumque mihi reliquit, aut inde abire, si vellem, aut ad certum adhuc spatium ibidem manere. Hoc autem intra tempus in cœnobio meo novæ præpositæ facienda erat electio : intellexi autem multas mihi hoc onus imponere statuisse. Adeo porro vel de eo cogitare erat mihi grave, ut, quamvis omnigena tormenta et martyria propter Deum quam libentissime perferre haud difficulter in animum meum induE cerem, tamen, ut isthoc munus susciperem, nullatenus a me ipsa impetrare possem. Nam ut nihil de onere et labore quem munus hoc secum afferebat (erant enim multæ moniales) dicam, et alia multa ob quæ nunquam dignitatem aut munus aliquod desideravi, sed semper qua potui subterfugi, omittam; evidens in eo mihi conscientiæ offendendæ periculum contineri videbatur : unde Deo gratias egi quod ibi tunc præsens non adessem. Scripsi adhæc sodalibus et charissimis meis, ne quod pro me suffragium in hac electione darent.

confessario hortante, et Deo interius impellente,

331 Cum itaque mihimetipsi congratulans gauderem quod extra illum strepitum jam in tuto essem, ait mihi Dominus nullatenus omitterem illuc me conferre; et, cum crucem desiderarem, insignem mihi illic parari; hanc proinde ex humeris non excuterem, sed animose illuc pergerem, et quidem quam citissime; se vero mihi præsto et subsidio futurum. His ego auditis, valde me afflixi, lacrymis identidem me conficiens; per crucem siquidem hanc regimen ac præposituram putabam denotari : quam, uti jam dixi, nullo modo mihi persuadere poteram animæ meæ utilem aut consentaneam fore, nec aliquod argumentum invenire quo ad eam susciF piendam possem induci. Confessario proinde meo rem totam aperui, qui, ut quantocius illuc abirem, mihi injunxit, liquido enim patere majorem in hoc perfectionem contineri. Sed, quod intensi per eos dies calores essent, et satis tempestive adessem, si adessem cum facienda esset electio, suasit ut ad aliquot dies iter adhuc differrem, ne quod valetudini meæ damnum profectio hæc adferret. Sed quia Dominus rem aliter ordinaverat, hinc eam executioni mandari oportebat : nam inquietudo quam in anima sentiebam, tanta erat ut orationi vacare non possem : quin imo refragari et reluctari mihi videbar rei quam mihi Dominus tam manifeste injunxerat, et nolle, quod ibi quiete agerem lauteque haberer, labori me offerre; adhæc omnia mea cum Deo non nisi verba esse : deinde, cur, cum in loco esse possem ubi majoris perfectionis habendæ esset occasio, eo me conferre negligerem; et, si ibi mori me contingeret, parvi id referre. Insuper gravissimam in anima angustiam sentiebam : Dominus quoque mihi omnem quam inter orandum sentire solebam suavitatem gustumque ademerat. Denique ita constituta eram, tantumque introrsum tormentum sensi, ut

AUCTORE V. D. M.

dominam illam rogarem, bona ut illius cum venia mihi domum abire liceret; quia jam etiam confessarius meus, visa mea amaritudine, ut abirem me monuerat : eodem enim modo cum Deus interne movebat quo me.

sed dolente Aloisia de la Cerda,

332 Cæterum matrona illa, audito me abitum adornare velle, ita propterea est contristata ut hoc ei velut tormentum et crux fuerit : nam magno illi hæc mea apud ipsam commoratio labore et importunis apud provincialem precibus constiterat. Equidem ut singulare beneficium sum interpretata (ita discessum meum ægre ferebat) quod discedendi mihi copiam faceret : sed, quia Deum timebat, ac discessum meum ad magnam ejus gloriam tendere posse dicebam, nec non alia id genus, spemque illi faciebam fieri forsan posse ut denuo ipsam inviserem, tandem in abitum, licet non sine magna difficultate, consensit. At ego nullam prorsus, ab ea discedendo, sensi; etenim majoris id perfectionis opus et ad Dei honorem tendens esse cum viderem (eo quod ei placere ejusque voluntatem per omnia facere mihi longe gratissimum sit), illam quæ a parte mea in matrona hac (quam abitum meum tam moleste ferre videbam) nec non aliis plurimis, quibus
B permultis nominibus obstricta eram, ac præsertim confessario meo, qui de Societate Jesu et ad genium et gustum meum erat, deserendo, esse poterat, acerbitatem ac molestiam facile superavi. Sed quo plus consolationis propter Dominum me videbam dimittere, eo plus gaudii ex ejus dimissione sentiebam.

Abulam revertitur.

333 Hoc quomodo fieret, intelligere plane non poteram; etenim manifeste duo hæc contrariantia in me notabam, gaudium, inquam, solatium et jucunditatem ex eo quod me in anima torquebat et cruciabat : eram quippe apud matronam illam bene ac quiete, insignemque ad multas horas orationem meam extendendi commoditatem habebam; inde autem descendendo, velut in ignem accensum ultro proruere mihi videbar : jam ante enim mihi dixerat Dominus me ad crucem ingentem abire (esto eam tantam fore numquam putavi quantam postea fuisse comperi). Nihilominus hilariter iter suscepi, indoluique quod etiam tam diu certamen ac crux differretur, cum tamen ad hanc a Domino evocarer : atque idcirco Majestas ejus mihi vires et robur suggerebat, meamque infirmitatem corroborabat. Hoc, inquam, qui fieret, penitus intelligere
C non valebam, sed hæc similitudo mihi hic in mentem veniebat : si videlicet mihi pretiosum aliquod monile, aut aliud quidlibet quod mihi gratissimum esset, possidenti diceretur, aliquempiam, quem majore quam meipsam amore prosequerer, et cui complacere longe mihi carius esset quam meaipsius recreatio ac voluptas, illud ambire ac desiderare, longe mihi haud dubie jucundius esset jam illo carere quam ante erat possidere, quo amico illi gratificarer; et quia hæc ei gratificandi voluptas meam in possidendo voluptatem longe excedit, hinc est quod monili aut alia illa re quam diligo, carere, aut voluptate quam inde percipiebam frustrari, mihi haud grave sit. Itaque, etsi etiam voluissem ægre et dolenter ferre quod eos deserere debebam quibus discessus meus tantum doloris afferebat (cum alioquin ipsa ex natura mea ita grata et beneficiorum memor sim, ut hoc ipsum solum alio tempore nimis quam satis fuisset ad me vehementissime dejiciendam et affligendam), in præsenti tamen casu aut tristari aut affligere me prorsus non poteram. Tantum porro benedicti hujus monasterii interfuit me vel ad diem unum iter non distulisse, ut, si diutius illic hæsissem, planc nesciam quomodo negotium hoc ex voto ac feliciter confici potuisset. D

Auctoritate apostolica, per litteras S. Pœnitentiariæ,

334 *Etenim diploma apostolicum e S. Pœnitentiaria missum, quo condendi novi monasterii copia concedebatur, propediem, uti mox ex ipsa Sancta discemus, Abulam apportandum erat. Illud e Bullario Carmelitano hic transcribo :* Ranutius, miseratione divina tituli S. Angeli presbyter Cardinalis. Dilectis in Christo Domnæ Aldoncæ de Guzman et Domnæ Guiomar de Ulloa, mulieribus illustribus, viduis, incolis Abulensis civitatis, salutem in Domino. Ex parte vestra Nobis oblata petitio continebat, quod vos zelo devotionis accensæ, ad Dei laudem et honorem, desideratis in dicta civitate Abulensi unum monasterium numero et sub invocatione vobis bene visis, regulæ et Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ac sub obedientia et correctione venerabilis in Christo Patris Dei gratia episcopi Abulensis pro tempore existentis, cum ecclesia, campanili, campanis, claustro, refectorio, dormitorio, horto et aliis necessariis officinis construere et ædificare, nec non in eadem ecclesia unam seu plures cappellaniam seu cappellanias erigere, ac monasterium et cappellaniam seu cappellanias hujusmodi ex propriis vestris bonis competenter dotare : id tamen vobis licere dubitatis, absque Sedis apostolicæ speciali licentia. Quare supplicari fecistis humiliter, vobis super his per dictam Sedem de opportuno remedio misericorditer provideri. E

copia Sanctæ fit fundandi monasterii,

335 Nos igitur attendentes, quod in his quæ in divini cultus augmentum tendunt, favorabiles esse debemus, atque benigne vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali mandato, super hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, vobis ut unum monasterium monialium numero et sub invocatione vobis bene visis, regulæ et Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ac sub obedientia et correctione dicti Domini episcopi Abulensis pro tempore existentis, cum ecclesia, campanili, campanis, claustro, refectorio, horto et aliis necessariis officinis in aliquo loco seu situ, intra aut extra muros dictæ civitatis Abulensis vobis bene viso, sine tamen alicujus præjudicio, construere et ædificare; ac in eadem ecclesia unam seu plures cappellaniam seu cappellanias erigere, et monasterium et cappellaniam seu cappellanias hujusmodi ex propriis vestris bonis competenter dotare; et postquam monasterium prædictum constructum et erectum fuerit, illud illiusque moniales pro tempore existentes omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, libertatibus, concessionibus et indultis, quibus alia dicti Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo monasteria et illorum moniales de jure, usu, consuetudine vel alias in genere utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, tenore præsentium concedimus et indulgemus. F

et constitutiones condendi.

336 Vobisque super fundatione et dotatione hujusmodi, ac priorissæ et monialibus dicti monasterii pro tempore existentibus super his quæ felix regimen et gubernium ejusdem monasterii concernent, quæcumque statuta et ordinationes licita et honesta et juri canonico non contraria condendi, et postquam condita et ordinata fuerint, illa in toto vel in parte juxta temporum qualitatem in melius mutandi, reformandi, alterandi, et etiam in totum tollendi, eaque abrogandi, ac alia similiter condendi licentiam et liberam faculatem impartimur.

timur. Ac tam condita, quam mutanda, reformanda, alteranda et de novo condenda statuta et ordinationes hujusmodi apostolica auctoritate ex nunc pro tunc et e contra confirmata fuisse et esse ac inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque judices et personas, quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentes, sublata eis eorumque cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi et diffiniendi facultate et auctoritate, judicari, interpretari et diffiniri debere : irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Additur sanctio pœnalis;

337 Mandantes et districtius inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, et sub suspensione a divinis quoad episcopos vel alios majores prælatos, quo vero ad alios excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, quam contra facientes ipso facto incurrere volumus, et a qua non nisi per nos aut Sedem apostolicam, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, quibusvis judicibus et personis tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentibus, ne vos et pro tempore existentes dicti monasterii moniales directe vel indirecte quovis quæsito colore seu ingenio quomodolibet indebite molestare, perturbare vel inquietare audeant sive præsumant : ac decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

deputantur executores,

338 Quocirca discretis viris, priori conventus de Magacela nullius diœcesis, et cappellano majori Toletan. ac archidiacono Segobien. Ecclesiarum, et eorum cuilibet, auctoritate et mandato prædictis committimus et mandamus, quatenus vobis et dicti monasterii monialibus pro tempore existentibus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, et quilibet eorum faciat vos et moniales prædictas concessione, indulto, licentia et facultate hujusmodi, omnibusque et singulis præmissis pacifice frui et inviolabiliter gaudere; non permittentes vos et eas desuper dictas per dicti Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo et aliorum quorumvis Ordinum superiores, prælatos, priores, reformatores, visitatores et fratres, aut alios cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, et quacumque etiam pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate etiam apostolica fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore seu ingenio quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari : contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia juris opportuna remedia appellatione postposita compescendo : invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

ac derogatur contrariis quibuscunque.

339 Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ octavi de una et Concilii generalis de duabus dictis, dummodo non ultra tres, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac B. Mariæ de monte Carmelo hujusmodi, et illius monasteriorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordini et monasteriis, illorumque Superioribus et Generali, sub quibusvis verborum formis et clausulis, et derogatoriarum derogatoriis, fortioribusque et efficacioribus ac insolitis, irritantibusque, et aliis decretis concessis, confirmatis et etiam iteratis vicibus innovatis, etiam Mari magno, Bulla aurea vel alias nuncupatis; quibus omnibus, illorum tenores ac si de verbo ad verbum inscrerentur præsentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo Pœnitentiariæ, septimo Idus Februarii, Pontificatus Domini Pii Papæ quarti anno tertio.

AUCTORE V. D. M.

Disquisitio de titulo cardinalitio Ranutii Farnesii, Pœnitentiarii Majoris.

340 *Mirum fortasse nonnemini videbitur Ranutium Farnesium, e presbyterorum Ordine S. R. E. Cardinalem, titulo insignitum fuisse S. Angeli* (*i. e. S. Archangeli Michaelis*) *in foro Piscario, qui alias a priscis temporibus, perinde ac hodie, inter diaconias annumerari consuevit. Quam in rem occurrit mihi apud Mabillonium, Commentario prævio in Ordinem Romanum* (*Mus. Ital. tom. II, pag.* XVII), *e Torrigii de Cryptis Vaticanis opere,* Theodatus Pater diaconiæ S. Angeli in Piscina *sub Gregorio II ad sæculi* VIII *initium; eidemque diaconiæ, secundum P. Fulvii Carduli conjecturam a Majoribus nostris relatam tom. IV Julii* (*pag.* 357), *præfuisse videtur Stephanus, factus anno* 752 *e diacono Summus Pontifex. Quod si posteriorum temporum monumenta adeas, v. g. antiquos Codices Vaticanos apud Baronium* (*ad annum* 1057 § XXI) *et Crescimbenium* (*Hist. Eccl. S. Joannis ante portam Latin. lib.* V, *cap.* I), *librum Petri Mallii ad Alexandrum III apud Mabillonium* (*Mus. Ital. tom. II, pag.* 160), *Vitam Anastasianam Leonis III apud Blanchinium* (*De Vitis Rom. Pontif. sect.* 404), *ac demum Ciaconii Vitas Pontificum a tempore Urbani II, reperies ad sæculum* XVI *usque semper Cardinales S. Angeli diaconos fuisse, nunquam presbyteros. Atque ad hanc etiam normam Julius Papa II Matthæum Langium ab Wellenburg, electum, sed nondum consecratum Gurcensem episcopum, diaconum Cardinalem S. Angeli creavit anno* 1511. *Verum, cum Langius biennio post a Maximiliano Cæsare de rebus imperii missus fuisset ad Leonem X, hic Pontifex, ut legitur in Ciaconio Oldoini* (*tom. III, col.* 304), S. Angeli in foro piscium ecclesiam ad diaconum spectantem, Gurcensi postulante, inter presbyterales, quoad ipse, qui S. Angeli Cardinalis ..... renuntiatus fuerat, superstes fuisset, esse jussit : *unde ratio patet ob quam Langius, infulis Salisburgensibus anno* 1519 *decoratus, se ipse anno* 1522 tituli S. Angeli Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem *inscripsit in mandato ad clerum suum, quod legere est apud Florianum Dalham in Conciliis Salisburgensibus* (*pag.* 281), *et S. R. E. cum eodem titulo archipresbyter vocatur a Ciaconio in conclavi anni* 1534 (*tom. III, col.* 533). *Porro post Langium proximus cardinalatum S. Angeli tenuit Alexander Farnesius ut diaconus; post hunc Ennius Philonardus ut presbyter; tum Ranutius Farnesius, primum ut diaconus, deinde ut presbyter; rursum variis deinceps annis et vicibus alii plures, modo presbyteri, modo diaconi. Neque uni S. Angeli diaconiæ sæculo illo commutationes ejusmodi obtigerunt, sed pluribus aliis, puta S. Mariæ in Aquiro, S. Mariæ in Cosmedin, S. Agathæ, etc.; quemadmodum vicissim, prout Ciaconium vel obiter pervolventi facile liquebit, presbyterales tituli S. Onuphrii, S. Marcelli aliique loco diaconiarum fuerunt habiti : donec Sixtus V anno* 1587 *per litteras apostolicas, consentientibus et subscribentibus Cardinalibus,* congrua, *ut ipse ait,* distinctione confusionem perpetuo tollere *decrevit,* titulos et diaconias proprios cujusque Ordinis certos et distinctos assignando; ita ut nunquam in posterum .... presbyteris diaconiæ, nec diaconis tituli presbyterales perturbato ordine aut promiscue concedantur (*Bullar. Roman. tom. II, pag.* 621, *edit. Luxemb.*). *Exinde vero distinctio inter presbyterales titulos et diaconias, facta anno* 1602 *a Clemente VIII nova designatione, quam Paulus V anno* 1618 *confirmavit,*

AUCTORE V. D. M.

mavit, prout refertur in Bibliotheca P. Lucii Ferraris (*voce* Cardinales, *art.* 1, *num.* 44), *ad hodiernum usque tempus perseverat.*

§ XVIII. Fundatio Abulensis monasterii S. Josephi : interius Sanctæ certamen : contradictiones externæ : P. Dominici Bañez Ord. Præd. erga Sanctam studium. Deus illam per visiones roborat.

In novum monasterium, ab episcopo Abulensi admissum,

A *medio anno* 1562, *quo tempore Toleto Abulam revertit S.* Teresia, *in quadragesimales insequentis anni dies præsens decurret paragraphus, qui Vitæ ejus capite* XXXVI *magnam ad partem constabit.* Cum jam ex illa urbe discessissem, *ait,* magnam per totum hoc iter lætitiam sensi, firmiter apud memetipsam statuens, quidquid tandem mihi Dominus imponere decrevisset, gratanter et summa cum animi lubentia suscipere. Ea ipsa vespera qua civitatem hanc sum ingressa, redditæ mihi sunt litteræ et Breve apostolicum, quibus monasterii fundatio cum ampla potestate concedebatur. Unde tum ego, tum omnes qui quantopere me Dominus ad iter hoc suscipiendum ursisset, noverant, non mediocriter sumus mirati; videntes quam tunc me necesse fuerit in viam dare, et quam etiam opportuno commodoque tempore Dominus huc me duxisset. Illic quippe reperi episcopum loci et sanctum virum F. Petrum de Alcantara, nec non equitem illum nobilem, egregium Dei famulum, in cujus ædibus sanctus ille vir hospitabatur; erat is namque communis hominum sanctorum curator, patronus et hospes. Uterque ita serio apud episcopum pro monasterii admissione institerunt, ut is tandem facultatem dederit; quod sane parvi momenti non est, eo quod sine censu ullo id fundandum erat. Sed ipse erga homines quos ad Deo serviendum ita animatos videbat, tantopere afficiebatur ut illis subsidio suo
C adesse et patrocinium illorum suscipere in animum statim induceret. Qui autem omnia fecit, et in causa fuit ut ipsum admitteretur, fuit sanctus ille senex F. Petrus de Alcantara, qui modo hunc modo illum compellabat, nobis ut auxilium et favorem præstarent. Et sane, nisi eo quo dixi tempore opportuno advenissem, nescio quo rem modo conficere potuissem : nam sanctus ille vir quam minimo tempore hic substitit (etenim vix ad octiduum hic eum hæsisse, et quidem valetudine parum firma, existimo), et paucis exinde post diebus Dominus eum ex hoc mortali corpore ad se evocavit. Eatenus sane eum illius Majestas in vita conservasse videtur, quoadusque negotium hoc plane conficeretur : jam dudum enim (imo nescio an plus biennio) satis debili et languida fuit valetudine.

et quam poterat secretissime cura Teresiæ *paratum,*

342 Omnia porro quam fieri poterat secretissime peragebantur; nam alioquin, prout quidem populus propterea commotus est (uti postea apparuit), numquam res confici potuisset. Disponente vero Domino factum ut sororius meus, uxore peregre profecta, in morbum inciderit; qui ad eas præ morbi vi redactus est angustias, ut apud eum manendi copia mihi data sit : hincque factum ut res non ita innotuerit; quamquam non deerant D qui aliquid suspicando subolfacerent, sed plane ut id crederent, in animum inducere non poterant. Admiratione sane non caret, quod diutius non ægrotaverit quam quantum huic negotio conficiendo expediens erat; statim vero ac necesse fuit illum sanitati restitui, quo et ego ab eo curando liberarer et ipse domo illa excederet, sanitatem illi Dominus restituit, adeo ut et ipse miraretur. Ego autem interim modo hos modo illos adibam, idque magno cum labore, ut domus admissionem efflagitarem : adibam et ægrotum sororium, etiam operas et fabros, apud illos sollicite instans, ut quam citissime eatenus domus aptaretur ut monasterii formam habere posset; multum quippe adhuc in ea faciendum restabat. Socia quoque mea tum temporis urbe aberat : expedientius enim esse nobis videbatur, quo res secretius et occultius perageretur, ut illa tantisper urbe excederet. Et videbam plane rem quam celerrime summaque cum festinatione peragi oportere, idque ob varias rationes; inter quas hæc una erat, quod singulis horis metuerem ne eo reverti unde veneram, juberer. Ita porro undique molestiis atque angustiis circumdata et oppressa eram, ut cogitare inciperem E hæccine crux illa esset quam mihi Dominus indicarat; quamquam hoc mihi nimis quam parvum videbatur, ut per magnam illam intelligi crucem posset quam Dominus mihi impendere præmonuerat.

quatuor ingrediuntur novitiæ, gaudente Sancta,

343 Rebus itaque omnibus utcumque dispositis et constitutis, placuit Domino ut ipso S. Bartholomæi festo nonnullæ habitum sacrum assumerent, et Vener. Sacramentum Eucharistiæ plena cum auctoritate et potestate in altari collocaretur; itaque anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo gloriosissimi Patris nostri S. Josephi monasterium perfectum est. Cum autem illæ vestem sacram assumerent, ego simul et aliæ duæ conventus nostri proprii moniales, quæ forte fortuna tum foras egressæ erant, illam iis dedimus. Quod vero monasterium in sororii mei domo pararetur (nam, uti supra dictum est, ipse eam, quo res occultior foret, coemerat), hinc facultatem a superioribus meis acceperam illic agendi : nihil porro faciebam non consultis ante viris doctis, ne vel in minimo contra obedientiam delinquerem. Hi, quia id universo Ordini, varias ob causas, mirum in
F modum videbant prodesse, hinc id mihi licitum esse dicebant, esto id non nisi quam occultissime peragerem, daremque operam ne res ad prælatorum meorum aures deveniret. Si enim vel minimam hac in re imperfectionem latere dixissent, ne ob mille quidem monasteria, nedum ob unum, eam, meo judicio, facere voluissem. Certissimum hoc est : etsi enim ab omni re creata magis me sequestrare et professionem ac vocationem meam majore perfectione et clausura servare firmissime mihi propositum esset, taliter tamen id volebam, ut, si intellexissem gratius Deo fore si ipsum penitus intermitterem, id (quod et alias feceram) quam libentissime et maxima animi serenitate ac quiete intermisissem.

præsertim de templo in S. Josephi honorem erecto.

344 Itaque summa quasi in gloria mihi esse videbar, cum Vener. Sacramentum in altari collocari, et quatuor pauperculas filias parentibus orbas (sine ulla enim dote admittebantur), sed insignes Dei ancillas, juvari et in monasterium admitti viderem (nam in principio maxime propositum fuit ut tales admitterentur, quæ bono suo exemplo tamquam fundamentum essent, in quo, qui nobis propositus erat, magnæ perfectionis et frequentis

A frequentis orationis finis ac scopus effectum habere posset), tum vero quod adimpletum jam viderem opus quod ad obsequium Domini et Ordinis a gloriosissima ejus Matre cognominati honorem (hoc quippe solum ipsa spectabam) tendere videbam. Præterea magnæ mihi consolationi fuit adimplesse id quod tam instanter mihi Dominus injunxerat, et quod hoc in oppido unum templum amplius esset quam hactenus fuerat, idque in gloriosi Patris mei Josephi honorem erectum. *Verisimile est, ut animadvertit Emery in Vita brevi S. Fundatricis* (*quam præmisit operi suo de Spiritu S. Teresiæ*), *templum hoc omnium primum fuisse quod in honorem S. Josephi dedicatum vidit orbis catholicus. Certe prædecessores nostri in Commentario suo historico de gloriosissimi Dei Genitricis sponsi vita ad diem* XIX *Martii* (*num.* 56 *et* 57) *sacellorum ei sacrorum meminerunt illi quidem* (*nominatim Avenione sæculo* XV *in ecclesia S. Agricolæ, et Romæ anno* 1548 *in S. Mariæ ad Martyres*); *sed templorum ante Sanctæ nostræ tempora eidem erectorum nullum videntur reperisse vestigium. Ergo sicuti Carmelitano Ordini hæc gloria competit quod omnium primus S. Josephi cultum ex Oriente in Occidentalem*
B *Ecclesiam traduxit, uti probabili conjectura iidem nostri prædecessores autumant* (*num.* 14 *et* 15); *ita S.* Teresiæ *imprimis accepta referri debet ingens ille templorum numerus quem hodiedum in S. Josephi honorem prostare ubique terrarum videmus. Atque hæc quidem per transennam hic dicta sunto; cum de tenerrima Sanctæ nostræ erga Christi Nutritium pietate latius postea sit agendum.*

Succedunt gaudio certamen internum,

345 Gaudebam autem, *pergit illa,* non quod mihi aliquid in hoc a parte mea fecisse viderer (nunquam enim id mihi visum fuit, uti nec modo videtur : semper quippe agnosco et profiteor, Dominum esse qui hoc faceret; et quidquid a parte mea erat, tantis scatebat imperfectionibus, ut culpari me propterea potius debere et reprehendi, quam ut gratiæ mihi ab aliis agantur, videam), sed quod me, esto ita inepta et misera, Majestas illius ad opus hoc adeo præstans peragendum uti voluerit : tanta porro hæc mea voluptas fuit ut velut extra meipsam, per profundam orationem, abrepta essem. Rebus omnibus jam peractis, tres circiter aut quatuor post horas peracre mihi diabolus quoad spiritum certamen movit, uti jam dicam. Dubitationem mihi injecit, qua dubitare cœpi rectene factum
C esset id quod jam factum erat, et num in obedientiam peccassem, quod, provinciali non jubente, rem hanc aggressa et executa essem (nam non dubitabam quin ille aliquatenus ægre ferret, quod monasterium, illo non prænonito nec consulto, Ordinario loci supposuissem; quia tamen id ipse admittere noluerat, meque illius obedientiæ ac subjectioni non omnino subtrahebam, hinc videbatur ipse mihi hoc parum curaturus); num item filiæ illæ, quæ hic admissæ erant, in tanta vitæ austeritate et rigore contentæ essent vivere; an item victus et res ad vitam necessariæ illis non essent defuturæ; ad hæc, an non rem stultam aggressa essem, et quid ad illam suscipiendam me movisset, cum proprium monasterium haberem.

dejectio animi et anxietas;

346 Cæterum, omnia quæ mihi Dominus injunxerat, omnes sententiæ aliorum quas audiveram, orationes quas ipsa fuderam (nam plus biennio rem hanc per preces Deo pene assidue commendaram), ita e memoria mea effugerant, velut oblivione sepulta, ac si nihil horum unquam circa me factum esset; sola mea ipsius opinio memoriæ obversabatur; omnes quoque virtutes, imo ipsa etiam fides, tum temporis sic in me suspensæ erant, ut ne vel unam quidem earum opere exercere, aut carum alicujus ope hosce adversariorum impetus possem retundere. Suggerebat mihi præterea diabolus cur tam angustæ me domunculæ vellem includere, et quidem tot morbis oppressam; quo item pacto tantam austeritatem perferre possem, et cur domum ita amplam et amœnam, in qua hactenus tam contenta et hilaris vixeram et tot habebam amicas, deserem; forsitan fore ut quæ hic essent moniales mihi displicerent, nec ad genium meum essent : denique, paucis ut complectar, nimis grave me in humeros onus devocasse, quod in causa esse posset cur in desperationis abyssum præceps ruerem; et dæmonem ideo forsitan ad hoc me impulisse, ut mihi pacem et quietem mentis eriperet, ut sic, ob hanc inquietem, orationi insistere non possem; itaque fore ut animam meam perderem. Hæc aliaque ejusmodi diabolus conglobatim mihi ob oculos ponebat, prorsus ut mihi impossibile foret de ulla re quam hac cogitationem suscipere; idque ea mentis angustia, caligine atque obscuritate, ut verbis id eloqui nequeam. Unde me ita constitutam advertens, Ven. Altaris Sacramentum adivi; sed orationem aliquam instituere neutiquam valebam. Quantum conjecturando assequi possum, tali tum in E
angore versabar, in quali agonizantes et morti jam proximi : nemini quoque eum patefacere ausa fueram, quod nondum certum aliquem confessarium delegissem.

AUCTORE V. D. M.

D

347 Deus bone! Quam ærumnosa et misera est *at nebulæ illæ,*
hæc vita! Nulla secura hic voluptas datur, et nihil est quod non varium aut inconstans sit. Paulo ante, meum ego gaudium cum ullo mundi gaudio non videbar commutatura, et modo ob eamdem omnino causam ita cruciabar et angebar, ut quid mihi factura essem, plane ignorarem. Si attente vitæ nostræ res expenderemus, nemo non per experientiam videret quam parvi omnis quam hic habere possimus, voluptas aut molestia dolorve facienda sit. Nullum sane mihi, toto quo vixi tempore, vehementius certamen aut impetum adversarii, quam hoc fuit, tulisse videor; et videtur mihi mens gravem illam quæ mihi adhuc restabat, passionem præsagiisse, quamquam illa non tam gravis fuit atque hæc, si quidem diuturnior fuisset. Sed miseram ancillam suam Dominus pati non patiebatur; semper enim is mihi in tribulationibus adfuit : sic et in hac mihi est auxiliatus; quia pauxillum mihi lucis aspiravit, ut viderem dæmonem esse qui me affligeF bat, et veritatem intueri possem, et perspicerem nil aliud illum quærere quam ut mendaciis quibusdam me perterreret.

exorante Deum Teresia, *dispelluntur.*

348 Unde firmorum meorum, quæ alias conceperam, Deo serviendi propositorum, nec non intensorum, quæ habueram, pro illo patiendi desideriorum recordari cœpi; mecum reputans, non esse mihi, siquidem illa adimplere vellem, ullatenus quietem quærendam, et, si quæ mihi interdum adversitates occurrerent, in iis meritum situm esse, et, si ad Dei honorem patienter illas ferrem, purgatorii loco id mihi fore : proinde non esse quod timerem; nam, quandoquidem molestias et gravamina desiderabam, jam me iis oblatis debere gaudere, quod hæc nimis quam magna et gravia essent : etenim in maxima oppugnatione et contradictione lucrum consistere. Petebam ergo a meipsa, cur mihi ad ei cui tantum debebam, serviendum animus deesset. His et aliis id genus considerationibus magnam mihimetipsi vim faciens, coram Ven. Sacramento spopondi me omni qua poteram contentione allaboraturam, ut in illo monasterio habitatum veniendi, clausuræque, si quando salva conscientia id facere

 possem,

AUCTORE V. D. M.

possem, vovendæ facultatem impetrarem. Hoc dicto, in momento diabolus a me recessit, meque quietam et in pace mentis reliquit; itaque quieta mansi, et semper exinde quieta fui : et quidquid in hac domo quoad clausuram, austeritatem et reliqua observatur, mihi quam suavissimum et nimis quam exiguum videtur; et quam sentio voluptatem, tam eminenter magna est, ut subinde mecum ipsa cogitem ecquid in terra seligere et optare possem dulcius. Nescio sane an hoc ex parte in causa sit cur meliore jam sim valetudine quam fuerim hactenus, vel an ideo hoc mihi Dominus dare solatium velit, ut, quod aliæ omnes implent, ego quoque implere possim; cum ita me facere et oporteat et rationi sit consentaneum, esto id mihi quam molestissimum sit : nihilominus omnes quibus mea invaletudo nota est, id præstare me posse mirantur. Ille sit benedictus, qui omnia dat, et cujus potentia omnia possumus.

Sancta in Incarnationis cœnobium revocatur,

349 Hoc me certamen valde dejecit et attrivit: interim tamen dæmonem risi; nam manifeste videbam illius has technas et molimina esse. Credo equidem Domino permittente hæc omnia facta esse (duodetriginta enim annis et amplius, quibus vitam monasticam egi, nunquam, ne ad momentum quidem, experta eram quid esset ob vitam monasticam assumptam contristari), ut scilicet intelligerem quantum ipse mihi in hoc beneficium contulisset, et quanto me tormento eripuisset, simul etiam, si quam hac in angustia constitutam cernerem, non mirarer, sed ei compaterer et eam solari possem. His jam transactis, cum post prandium quietis aliquid capere vellem (nam tota superiore nocte vix quietem habueram, quin et aliis quibusdam præcedentibus noctibus a labore et cura nunquam vacaram, ut taceam quod quotidie per diem summopere defatigarer), ecce, quod tum in civitate, tum in monasterio meo, quid factum esset, jam innotuisset, magnæ in hoc turbæ et concitatio, ob eas quas supra commemoravi rationes, quæ aliquam verisimilitudinis umbram habere videbantur, exorta est. Statim ergo me præposita ad se evocavit, ut, nulla data mora, sibi me sisterem. Ego autem mox ut illius mandatum vidi, illuc quamprimum me, novas moniales meas tristes admodum et afflictas relinquens, contuli. Permultum mihi molestiæ impendere facile perspexi; sed, quoniam opus jam peractum et confectum erat, hinc me res ea non magnopere movit. Orationi ergo me dedi, Dominum precata ut mihi adesset, et gloriosum Patrem meum Josephum, ut ad suum me monasterium reduceret, eique quæ passura eram obtuli. Gaudens autem et exultans, aliquam mihi pro ejus nomine patiendi, et in quo ei servire possem, occasionem dari, illuc abii, credens fore ut quamprimum in carcerem compingerer : sed fuisset hoc (ut quidem apparet) mihi longe gratissimum, quod hoc pacto nullius alloquendi et in solitudine aliquantisper requiescendi (quod mihi sane imprimis necessarium erat; eram quippe ob assiduam cum hominibus conversationem prope exhausta et molita) occasionem haberem.

ubi priorissam et provincialem placat.

350 Ut igitur in præpositæ conspectum veni, et facti mei rationes apud eam deposui, aliquantum placata mitius agere cœpit : omnes autem ad provincialem causam hanc amandarunt. Ea tunc indecisa mansit, ut ab eo judicaretur : qui ut advenit, illius judicio me stiti, gaudens quod aliquid pro Dei nomine me pati cernerem; non enim comperiebam in hoc facto me aut contra illius Majestatem aut contra regulam peccasse, sed omni studio contendere ut Ordinem adaugerem : quin et libentissime vitam meam hujus causa obtulissem; nam id unum cupiebam, ut quam maxima fieri poterat perfectione regula adimpleretur. Venit hic mihi in mentem judicii illius quo Redemptor noster Christus dijudicatus est; videbamque quod meum, illius respectu, nihil esset. Culpam hic agnoscebam, tanquam si valde culpabilis fuissem; et certe talis videbar iis qui omnes facti mei rationes non sciebant. Postquam ergo is me acriter reprehendisset (esto non eo cum rigore quo delictum coargui merebatur, et coargui debuisse multi provinciali dicebant), penitus me purgare noluissem (hoc quippe plane apud me statueram) : unde eum rogavi ut mihi peccanti ignosceret, et citra iracundiam pœnam infligeret. In nonnullis quidem immerito me videbam damnari; dicebant enim ideo id me fecisse ut aliquod mihi nomen et famam acquirerem, et alia id genus : at in aliis clarissime videbam eas verum dicere, quod videlicet cæteris omnibus essem deterior, et, cum bonam religiosam disciplinam, quæ apud se servabatur, prout oportet servare non potuerim, me tamen alio in loco majori cum rigore servare eam posse crederem, adhæc populo scandalum crearem, et novitates quasdam introducerem. Nihil horum me turbabat aut angebat, esto me et turbari et angi propterea ostenderem, ne, quæ mihi dicebantur et objiciebantur, parvi facere et explodere viderer. Demum provincialis mihi injunxit ut coram monialibus me defenderem, ac facti mei rationem redderem; quod et facere me oportuit. Cum autem et interius quieta essem, et Dominus me juvaret, ita meam causam egi ut nec provincialis nec quæ aderant moniales ullam me damnandi causam invenirent. Postea vero, cum apud illum solum essem, multo sum clarius locuta : quibus ipse auditis mitiorem se præbuit, et ita totus in partes meas concessit, ut, si res progressum haberet et civitatis oblocutio jam cessaret, mihi se facultatem daturum promitteret in monasterium illud ingrediendi. Nam, uti jam referam, magnas ea res in civitate turbas excitavit.

Apud infensos magistratus causam Teresiæ agit P. Dominicus Bañez Ord. Præd.

351 Duobus nempe aut tribus post diebus, nonnulli de rectoribus civitatis, una cum prætore, et quidam de capitulo, in unum convenientes, nullatenus rem hanc a se tolerari debere dixerunt (evidens enim detrimentum rempublicam inde accipere), Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum inde auferendum, ac nulla ratione se toleraturos ut ea res progressum haberet. Omnes proinde religiosos Ordines convenire jusserunt, duos e singulis viros doctos evocantes, ut suam de monasterii hujus erectione sententiam dicerent. Quorum alii tacebant, alii ipsum damnabant; demum in id plerique convenerunt, quamprimum ut dissolveretur : sed unus dumtaxat præsentatus Ordinis S. Dominici (esto ei displiceret, non tam monasterium quam quod certo censu careret) sese opponens, non videri sibi dixit hanc rem ejusmodi quæ tam cito dissolveretur, sed mature eam expendendam disserendamque, et satis ad hoc temporis esse, nec festinato opus videri, quod ad episcopum negotium hoc spectaret; et alia ejus generis argumenta attulit, adeo ut hoc dicendo multum profuerit : alioquin enim parum aberat (ita vehemens erat concitatio et furor) quin quod subito decretum erat, illico executioni mandaretur. Sed ita id fieri oportebat : Dominus enim sic volebat; neque omnes simul juncti potentes satis erant ad ejus voluntatem impediendam. Suas ipsi rationes depromebant : et, quia bono eos zelo agi videbam, hinc et me sine Dei offensa pati faciebant, et omnes illos qui negotio huic patrocinabantur, qui utcumque multi erant et persecutionibus variis exagitabantur. *Ille ex Ordine S. Dominici Pater qui in*

A *in iis Abulensibus motibus strenue adeo, et quidem solus contra omnes (ut etiam ipsemet testatus est in processu canonizationis), partes S.* Teresiæ *suscepit, eamque dein consiliis jugiter adjuvit, est celeberrimus theologus Bañez, qui aliquando munus visitatoris apostolici apud Carmelum Excalceatum obivit, P. Petro Hernandezio eum sibi vicarium substituente* XX *Augusti* 1569. *Neque solum Abulæ, sed, secundum idem ejus testimonium, Sanctæ quoque adstitit in fundationibus Methymnensi, Vallisoletana, Toletana et Salmanticensi. Insuper sex annis ait Sancta* (*t. I, ep.* 19, *num.* 13) *illi se fuisse peccata confessam, et cum illo sibi fuisse continua commercia epistolarum.*

Deus illam alloquendo consolatur.

352 *Prosequitur Sancta :* Populus autem omnis ita concitatus et turbatus erat, ut de nulla re quam de hac vulgo sermo esset, et nemo non mihi eam vitio et culpæ verteret, plurimique ad provincialem ac conventum nostrum venirent. Quidquid de me spargebant et causabantur, non magis me movebat quam si dictum non esset; sed solum timor quem habebam ne forte monasterium cœptum dissolveretur, me summopere lancinabat, idque eo magis quod viderem fore ut illi qui mei patrocinium susceperant, auctoritate sua exciderent, et quod
B magnis hi molestiis ac persecutionibus exagitarentur : nam ex iis quæ de me spargebantur calumniis gaudii mihi plus quam doloris hausisse videor; et sane, si vel aliquid fidei habuissem, nullam omnino perturbationem motumve passa essem : sed vel unius virtutis defectus plus quam satis est ut etiam cæteræ, veluti sopore oppressæ, vim suam non exerant. Unde biduo illo, quo duplex illa congregatio in populo habebatur, valde turbata et anxia fui : sed maximopere me afflictam Dominus hisce verbis est allocutus : « An me potentem esse ignoras? » Quid ergo metuis? » mihique certo certius asseverabat monasterium hoc minime dissolutum iri; quod mihi maximæ consolationi fuit.

Dum res in consilio regio agitatur,

353 Interim illi informationem rei totius ad consilium regium transmisere; quod, quomodo ipsum erectum et constitutum esset, exacte a capite ad calcem scripto committi rescribendo petiit. Jam ecce magna cœpta erat lis : a parte enim civitatis quidam delecti ad concilium abibant; unde et a parte monasterii quosdam delegari oportebat : deerat tamen ad sumptus tolerandos pecunia, et ipsa quo me verterem nesciebam. Ita porro Dominus rem est moderatus ut nunquam me provincialis monasterii
C tractationem de manu jusserit deponere; tantus enim ipse virtutum omnium est cultor, ut, esto causæ meæ non omnino patrocinaretur, illi tamen se totaliter nollet opponere vel refragari : sed ante facultatem mihi facere nolebat huc redeundi quam appareret quis rei futurus esset exitus. Hæ Dei ancillæ solæ et desertæ erant, plusque suis illæ precibus, quam ego omni mea instantia, efficiebant; etsi alioqui summa ad negotium hoc contentione opus esset. Interdum videbatur res tota penitus concidere, præsertim pridie quam provincialis appelleret : tunc enim præposita mihi imperabat ne me ullatenus huic negotio immiscerem; et hoc erat conceptum hunc penitus evanescere.

onzalvus de Aranda, Franciscus de Salcedo et Gaspar Daza juvant Sanctam;

354 Ergo ad Deum me contuli, dicens : « Domus » hæc, Domine, non est mea; propter te constructa » et parata est : cum ergo jam nullus sit qui curam » ejus gerat, æquum est Majestatem tuam illam in » se suscipere. » His dictis ita illustrata et curarum expers mansi, tanquam si omnes qui in mundo sunt homines mihi patrocinari et favere volentes habuissem; atque adeo negotium velut jam confectum reputabam. Sacerdos quidam, egregius Dei famulus, omnisque perfectionis cultor (*Gonzalvus de Aranda*), quem semper mihi faventem et auxiliatorem senseram, ad aulam concessit, rem auctoritate sua promoturus; et sane impigre in ea laboravit. Sic etiam sanctus ille eques (*Franciscus de Salcedo*), cujus ante sæpius memini, tota in rem nostram contentione et studio incubuit, eique omnimodis favebat, multumque laboris et graves persecutiones in ea promovenda subiit : quem proinde semper ut patrem habui, et etiamnum habeo. Tantum porro omnibus rei hujus promotoribus et auxiliatoribus fervorem Dominus inspirabat, ut eam quisque ita cordi haberet tanquam si propria fuisset, et vitæ honorisve proprii periculum in ea verteretur; cum tamen non alio ad eos titulo spectaret quam quod Dei cultum et honorem ea promotum iri crederent. Nemo non facile videbat illius Majestatem sacerdoti illi magistro de quo locuta fui (*Gaspari Dazæ*) ope sua adesse (qui etiam de illis fuit, qui me insigniter adjuverunt) : quem dein episcopus jussit magno cuidam conventui, qui monasterii causa indictus erat, suo nomine interesse; in quo ipse solus universis se opponens, ipsis tandem jam aliquanto mitioribus certa quædam media, quibus confici res posset, proposuit : quod sane tum quidem satis fuit
D ad judicium suspendendum et ulterius non procedendum; sed nullius tanta dicendi vis fuit qui impedire eos potuerit quominus post paulo vitam (ut dicitur) exponere cuperent, ut posset monasterium destrui. Hic, de quo loquor, Dei famulus erat ipse qui monialibus sacrum habitum dederat et Venerabile Sacramentum in altari statuerat : quo nomine multorum invidiam incurrit et multa passus est.

quæ a Salvatore sibi apparente,

355 Semianno fere hæcce duravit persecutio : cæterum, si omnes et singulas quibus jactabamur molestias et difficultates graves singillatim vellem commemorare, æquo essem diffusior. Porro mirabar quid esset quod diabolus tantam adversus mulierculas aliquot vim exerceret; et cur adversarii omnes intolerabile quoddam reipublicæ damnum a duodecim dumtaxat mulieribus cum sua præposita (plures enim numero esse non possunt) crederent imminere. De illis autem loquor quibus ii sese tum opponebant, quæque tam austeram vitam ducunt, ut, si quid in eo jacturæ aut erroris situm esset, hoc in illarummet caput recideret; dicere autem civitati ingens inde damnum accessurum, prorsus verisimile non est, et cum ratione videtur pugnare. Plures tamen hic invenire erat qui bona cum conscientia huic negotio adversabantur. Porro eo tandem ve-
F nerunt, ut tunc monasterium se admissuros et ejus erectioni suffragaturos dicerent, cum censum stabilem assumeret. Ita vero me gravabat quod amicos et patronos meos traduci ac pati videbam (imo plus quam meipsius afflictio et oppressio) ut malum non fore putarem, si tamdiu monasterium admitteret reditus quoadusque populus tumultuans placaretur; atque, illo placato, eos rursus posse dimitti : imo etiam mihi, utpote improbæ et imperfectæ, aliquando videbatur Dominum forsitan id ita velle, quod censu non admisso monasterii admissionem nullatenus impetrare possemus; et jam ipsa in hanc propendere partem et ad contractum hunc ineundum incipiebam. Sed cum nocte illa quæ contractus illius, jam iniri cœpti, firmandi diem præcessit, in oratione agerem, apparuit mihi Dominus, eumque me inire vetuit; si enim semel reditus possidere inciperemus, fore ut eos relinquere non permitteremur : addebat his et alia nonnulla.

nec non a S. Petro de Alcantara, jam inter Cœlites recepto,

356 Eadem quoque nocte apparuit mihi S. F. Petrus de Alcantara, qui jam ex hac vita decesserat; qui etiam, antequam ad Dominum abiret, magna oblocutione et persecutione quam patiebamur intellecta,

AUCTORE V. D. M.

lecta, summopere gaudere se mihi per epistolam A scripserat, quod, tam invitis et obluctantibus omnibus, hujus fundatio monasterii fieret : hanc quippe signum esse Dominum insigniter in eo honorandum et colendum, cum tanta opum vi diabolus ipsam impedire satageret. Præterea monuerat ut nullatenus permitterem censum stabilem illuc induci; quin imo hoc ipsum monitum secundo aut tertio hisce in litteris iterarat, omnia mihi ex voto in ejus fundatione cessura asserens, si hoc ipsius consilium de censu tollendo sequerer. Jam ante adhuc bis ipsum a morte, in magna illa gloria quam habebat, conspexeram; atque ita nequaquam, illo conspecto, perterrita fui, sed mire recreata : semper quippe se velut in corpore glorioso magna gloria amicto spectandum dabat, quæ etiam in me ex illius conspectu quam abundantissime redundabat. Prima vice qua mihi apparuit, memini illum, cum mihi de magna qua fruebatur gloria multa referret, inter alia dixisse pœnitentiam et austeritatem quam in vita egerat, quam felicissimam fuisse, utpote quæ tanto jam donata esset præmio : sed quia (uti puto) jam ante aliquid hac de re dixi, hinc ab ea repetenda hic abstineo; hoc tantum addens, illum in hac visione B austerum vultum prætulisse, et aliud non dixisse quam ne ullatenus censum admitterem, et quamobrem illius consilium sequi abnuerem : quibus dictis, mox disparuit.

districte vetatur ne censum admittat.

357 His visis et auditis, non mediocriter obstupui; cumque jam dies illuxisset, viro illi nobili (omnia quippe ad hunc referebantur, velut ad eum qui rem maxime urgebat) narravi quidquid mihi contigisset, plane me nolle dicens ut de censu firmando ageretur, sed in lite urgenda procederetur. Erat autem ipse hoc in genere longe me animosior et fortior, ac proinde hæc audiens magnopere gavisus est; postea vero mihi retulit quam invite et illubenter ad conventionem aliquam ineundam descenderet. Re porro jam ad optatiorem statum perducta, surrexit alius quidam insignis Dei servus, qui bono quodam zelo actus suadebat ut doctorum virorum judicio res committeretur. Magnæ sane inquietudinis hoc mihi fuit occasio : nonnulli quippe de fautoribus meis non omnino ab hoc erant alieni; atque hæc ex omnibus quas mihi diabolus umquam posuit insidiis ac technis longe fuit ad digerendum durissima. In omnibus tamen me Dominus adjuvit. Hæc quidem summa- C tim dicta sint; neque enim ita paucis satis potest declarari quidquid biennii spatio, jam inde ab monasterii initio ad usque ejus perfectionem, indies contingebat. Duo vero medii anni, videlicet hic postremus et primus, nobis fuere gravissimi et pœnosissimi.

§ XIX. Turbæ Abulenses componuntur. Sancta ad suum monasterium redit : Bullam apostolicam Pii PP. IV accipit.

Postquam procella illa,

Vehementem hancce procellam quam ad finem superioris paragraphi legimus, sibi, dum Toleti versaretur, cœlitus portentam fuisse S. Mater declarat Vitæ suæ capite XXXIX *hisce verbis :* Cum aliquando orationi insisterem, solam me patenti quodam in campo, circum me autem magnam hominum diversis moribus præditorum multitudinem, a qua D undequaque circumcingebar, constitutam vidi : omnes autem arma manibus præferre ad me lædendum videbantur, hi quidem lanceas, illi gladios, alii pugiones, alii sicas admodum longas : unde nulla parte perrumpere valebam, nisi me in certissimum vitæ periculum conjicerem; ego autem eram sola, nullus ut ad opem mihi ferendam adesset. Spiritu itaque meo hac in afflictione constituto, ut quid factura mihi essem nescirem, oculos ad cœlum sustuli, vidique Redemptorem Christum (non quidem in ipso cœlo, sed longe sublimem a me, in aere) manum suam versus me extendentem, indeque ita mihi auxiliantem ut jam ex omni illa inimicorum multitudine neminem omnino timerem, et ipsi, quantumvis percuperent, nullam mihi adferre noxam possent.

quam Deus per visionem antea Teresiæ ostenderat,

359 Visio hæc, quamvis inutilis et infructuosa videatur, magnum tamen mihi fructum attulit : postea namque declaratum mihi est quid per illam repræsentaretur; et post paulo in pari prope discrimine et conflictu me constitutam vidi, intellexique visionem hanc mundi hujus typum et figuram esse : quidquid enim in illo est, arma præferre ad animam afflictam et desolatam offendendam videtur. Ut enim E nihil loquar de iis qui non multum Domino serviunt, nihil de honoribus, divitiis, deliciis, aliisque id genus rebus, quibus anima, cum non caute et diligenter advigilat, haud dubie irretitur atque intricatur, aut quæ omnia eam saltem irretire conantur; ipsi amici, consanguinei et (quod maxime miror) etiam viri boni bellum illi movent. Ab his ergo omnibus ita me postea oppugnatam vidi, cum interim ipsi bene se et laudabiliter hoc agere putarent, ut, quomodo me tuerer, aut quid agerem, ignorarem. Si dicerem, Domine mi, quam multiplices et varios toto illo tempore labores subierim (etiam post illa quæ supra retuli), quam insigne id documentum et monitio foret ad omnia quæ sunt penitus deserenda! Fuit hæc omnium quas umquam passa sum, ut mihi apparet, persecutionum gravissima et maxima. Ita, inquam, me subinde undequaque ab inimicis angustiatam et oppugnatam vidi, nullum ut aliqua in re mihi affulgeret remedium, quam in oculos ad cœlum sustollendo Deique opem implorando; simulque mihi in mentem veniebat quid in hac visione vidissem, quod me salubriter velut monuit ne multum in hominibus fiduciæ collocarem : etenim nullus constans et stabilis F est præterquam Deus. In omnibus his afflictionibus et pressuris semper mihi Dominus (prout mihi præsignificavit) aliquem a parte sua submisit qui mihi auxiliarem manum præberet (uti mihi in visione illa superiori ostenderat), ut scilicet nulla re niterer, sed soli Domino placere satagerem; quod ad parvam et exiguam hanc virtutem, quam in illi servire cupiendo habebam, alendam et sustentandam satis fuit.

litteris Roma submissis,

360 *Et quidem id præsertim commodum Sanctæ accidit quod mediis istis turbis intervenere alteræ litteræ apostolicæ ad eam perscriptæ, quibus omnis de reditibus controversia dirimebatur. Earum etiam ipsa meminit eodem, quod modo citabam, Vitæ suæ capite* XXXIX, *cum dicit :* Jam nuperrime contigit ut, cum litteræ quibus concedebatur ut sine certo censu monasterium hoc erigi et fundari posset, Roma allatæ essent, ipsum plene perfectum sit, idque, ut quidem videtur, non sine aliquo labore. Ergo cum de ejus perfectione apud meipsam gauderem, nec non mecum revolverem quantum laborum hac de causa subiissem, Dominoque gratias agerem quod aliqua saltem in re opera mea uti voluisset,

A voluisset, recogitare mecum cœpi ecquæ pro ipso hic passa essem. In singulis autem quæ feceram (quæ aliquid esse videbantur) plurimos defectus et imperfectiones et subinde etiam pusillanimitatem, sæpe etiam valde parvam fidem, inveniebam. Nam ad hoc usque tempus, quo jam omnia adimpleta et perfecta esse video, numquam plene et perfecte credere potui quidquid de monasterio hoc perficiendo Dominus mihi diceret; nihilominus non poteram de eo dubitare : quod quomodo fieret, nescio; ut sæpe id mihi ex una parte sua penitus videretur impossibile, ex alia vero nullatenus de eo possem ambigere, id est, plane crederem ipsum ad exitum perducendum. Reperiebam tandem, Dominum a parte sua omne bonum, et me a mea omne malum fecisse : itaque de re illa cogitare destiti, et amplius illius recordari nolui, ne ob tantam defectuum et imperfectionum mearum copiam usquam impingerem. Sit ipse benedictus, qui, cum libuerit, etiam ex omnibus utilitatem novit efficere. Amen.

quibus controversia de censu

361 *En modo ipsa litterarum verba :* Ranutius, miseratione divina tituli S. Angeli presbyter Cardinalis. Dilectis in Christo abbatissæ et monialibus monasterii S. Joseph Abulensis, Ordinis Beatæ
B Mariæ de monte Carmelo, salutem in Domino. Ex parte vestra nobis oblata petitio continebat, quod, licet vos ex indulto speciali Sedis apostolicæ, in vim quarumdam litterarum apostolicarum per officium Sacræ Pœnitentiariæ expeditarum, fundatricibus dicti monasterii nuper erecti concesso, quæcumque bona in communi et particulari habere et possidere valeatis, nihilominus ob meliorem vitæ frugem cupitis bona aliqua in communi aut particulari habere seu possidere minime posse, juxta formam regulæ dicti Ordinis, sed ex eleemosynis vobis per Christi fideles pie elargiendis vos sustentare, prout aliæ moniales dicti Ordinis in illis partibus degunt; id tamen vobis licere dubitatis absque Sedis apostolicæ licentia speciali. Quare supplicari fecistis humiliter, vobis super his per Sedem eamdem de opportuno remedio misericorditer provideri.

dirimebatur,

362 Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut bona aliqua in communi aut in particulari habere seu possidere minime possitis, juxta formam
C primæ regulæ dicti Ordinis, sed eleemosynis et charitatis subsidiis vobis per Christi fideles pie elargiendis vos sustentare libere valeatis, tenore præsentium concedimus et indulgemus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ, nonis Decembris, Pontificatus Domini Pii Papæ quarti anno tertio.

paulatim sedari cœpit;

363 *Has litteras quo suadente petierit S. Mater, quo intercedente obtinuerit, non clare compertum est. Sed optimum P. Petrum Ibañez nonnihil operæ huc contulisse conjecturare licet, ut advertit P. Fredericus* (*lib.* I, *c.* XXXI), *e proxime sequentibus verbis capitis* XXXVI, *quod nunc pergam exscribere :* Civitate ergo jam nonnihil pacata et quieta, Pater ille præsentatus Ordinis S. Dominici qui nos adjuvabat, ita rem cordi habuit, ut, etiam absens, suo nobis patrocinio et subsidio adesset; ac tali in tempore et tam opportune eum Dominus huc adduxit, ut nobis ope sua maxime profuerit : neque enim alium ob finem huc eum illius Majestas evocasse mihi visa est; etenim ipsemet mihi postea retulit nullam omnino se huc veniendi causam habuisse, sed casu id tantum intellixisse. Tamdiu porro hic mansit quamdiu opus fuit : etiam reversus, ita quibusdam viis et rationibus apud provincialem rem egit, ut hic mihi absolutam cum aliis quibusdam ad hocce monasterium transeundi facultatem daret; cum tamen prope impossibile mihi videretur ut is hanc tam cito concederet. AUCTORE V. D. M.
D

Sancta, cum venia provincialis,

364 *Hanc Sancta laudem Ibañezio tribuens, veritatem utique dicit : attamen pro suo humilitatis studio unam omittit circumstantiam, quam postmodum in processu canonizationis testatam fecit is de quo hic sermo fit, provincialis P. Angelus de Salazar. Nempe postquam Ibañezii argumentis jam persuasum habebat non esse sibi diutius obsistendum quominus* Teresia *ex Incarnationis cœnobio ad S. Josephi transiret; fluctuabat tamen adhuc, et licentiam a S. Virgine tantopere desideratam remorabatur in dies, quippe metuens ne sopitæ tantum, non penitus exstinctæ, essent illæ multorum in ipsam iræ quas supra vidimus. Hoc itaque animo cum esset vir bonus, una hac* Teresiæ *voce :* Vide, mi Pater, ne Spiritui Sancto resistamus, *repente ita se mutatum sensit ut non ei tantum, sed insuper quatuor aliis monialibus, abitum ad novam domum concesserit.*

mense Martio 1563 transit

365 *Contendit auctor Chronici* (*lib.* I, *c.* XLVII), *quem secuti sunt P. Fredericus et P. Joannes a S. Ludovico, contra ac docent Ribera, Yepes, Joannes a Jesu Maria aliique e primis Sanctæ biographis, hæc contigisse mense Decembri anni* 1562; *ac suam sententiam stabilire nititur prologo libri Fundationum, ubi Sancta ait :* Cum anno 1562 in S. Josephi monasterio Abulensi (quo anno et ipsum fundatum est) agerem; P. Garcias de Toledo . . . mihi injunxit ut illius monasterii fundationem cum aliis multis rebus . . . . scripto committerem. *Negat scilicet laudatus Chronici auctor P. Garciam id injungere potuisse priusquam Sancta revocaretur ad cœnobium Incarnationis; siquidem ipsa tunc ne unum quidem integrum diem in S. Josephi perstare potuerit. Ergone, quæso, integro die P. Garcias opus habebat ad dandum hujusmodi mandatum? Quin imo nonne id dare potuit vel antequam penitus effecta esset monasterii S. Josephi fundatio, id est, ante festum S. Bartholomæi, quando ex licentia superiorum Sancta illic, quasi in sororii sui domo, frequenter agebat? Me quidem certo argumentatio Chronici nullatenus pervincit; uti nec pervicisse videtur diligentem scriptorem Boucher, qui ex Ribera affirmat novum S. Josephi cœnobium a S. Fundatrice incoli cœptum fuisse media quadragesima seu circiter diem* XVIII *Martii anni* 1563.
E F

in pauperem S. Josephi domum,

366 *Porro Sancta, ut e scheda ipsius manu scripta ac nomine subsignata constare affirmat auctor Chronici* (*loc. cit.*), *e cœnobio Incarnationis nihil secum detulit præter stramentitiam quamdam stoream, vestem attritam et assutis panniculis interpolatam, flagrum denique et confectum e ferreis catenis cilicium. Quæ quidem reculæ optime congruebant cum tenuissima domunculæ ad quam se recipiebat, supellectili. Omnia enim inibi paupertatem quam maximam spirabant, non in cellulis solummodo et officinis, sed imo in ipsa ecclesiola. Operæ pretium est Chronici auctorem de hac loquentem audire :* Ordinavit Sancta, *inquit,* in parva illa casula ecclesiam perexiguam, et minutam e ligno craticulam, duplicem, densam et nonnisi angustissimis patentem rimis, per quas Sacrum audire moniales possent. Ad hæc vestibulum fecit sane quam angustum; in quo tum ecclesiæ tum monasterii porta erat. Et duas huic superposuit imagunculas, alteram B. Virginis, S. Josephi alteram, ut uterque, secundum Domini nostri promissionem, custos monialium foret : quæ quidem

AUCTORE V. D. M.

imagunculæ hodiedum apud Patres nostros Madritenses in oratorio sacristiæ extant. Signo autem ad divinum officium dando inserviebat campanula, trium librarum non amplius pondere, suspensa in quodam parietis cavo; quo nulla ex parte non esset paupertatis indicium. Eamdem campanulam, quam merito S. Matris reliquiis annumeraveris, ad annum usque 1634 servatam, R. P. Stephanus a S. Josepho, tunc Ordinis nostri Præpositus Generalis, ex Abulensi monialium cœnobio ad Pastranenses nostros, apud quos Congregationes generales fieri solent, transtulit. Ac mos est inde ad hodiernam servatus diem ut illa Capitulares ad sessiones suas convocentur; nimirum ut primitivo hoc sonitu, pauperi adeo atque humili, animi Patrum Ordinis nostri excitentur ad recordationem ac continuationem observantiæ illius et disciplinæ monasticæ quæ primis temporibus in nostra Reformatione viguerunt. *Hæc ille* (*lib.* I, *cap.* XLIV).

Deo et hominibus placentem :

367 Eo ipso die, *Sancta ait,* quo huc ad sacra officia celebranda, et eas quæ hic erant, instituendas venimus, summa me sensi in animo voluptate perfundi. Cum, priusquam monasterium ingrederer, in templo orarem, vidi, pene in raptu constituta, Salvatorem nostrum Jesum, qui me magno cum affectu videbatur suscipere, coronamque capiti meo imponere, gratias mihi velut agens pro eo quod in Matris suæ gratiam præstiteram. Alio tempore, cum simul omnes in choro post Completorium orationi insisteremus, Deiparam Virginem summa in gloria, et cyclade alba, sub qua nos omnes continere et velut protegere videbatur, amictam vidi; simul etiam agnovi quam Dominus sublimem gloriæ gradum monasterii hujus monialibus daturus esset. Statim autem ac sacra Missarum officia hic celebrari cœpere, mire erga domum hanc populus affici cœpit : plures quoque moniales admittebantur; quin et Dominus animos illorum permovere incipiebat qui prius nobis maxime adversati erant, quo et nobis faverent et eleemosynis suis succurrerent : itaque probare se ostendebant id quod ante adeo erant aversati, ac paulatim a lite prosequenda cessabant, jam se ad oculum videre dicentes, opus id esse dextræ Excelsi, cum Majestas illius id per tantas oblocutiones ac repugnantias promoveri ac perfici voluerit; adeo ut hoc tempore nullus sit qui consultius putet ipsum non fuisse constructum : unde ita universi nobis de eleemosynis prospiciunt, ut Dominus ad illas, nobis non rogantibus aut quidquam ab aliquo efflagitantibus, submittendas eos excitet, et ita bene simus ut rerum necessariarum prorsus nulla nobis desit; id quod semper futurum, in Domino confido : quod enim sorores numero paucæ sint, si quod debent faciant (sicuti per Dei gratiam jam faciunt), certa sum fore ut nihil illis unquam desit, aut ipsæ cuiquam petendo importunæ sint aut molestæ; at Dominus ipsarum curam geret, sicut hactenus gessit. Itaque summæ mihi consolationi est inter animas ita ab omnibus rebus denudatas et sequestratas degere.

ubi moniales suas ad primævæ regulæ observantiam informat,

368 Omne illarum exercitium est sedulo curare quomodo in Dei famulatu semper aliquem progressum faciant : solitudo porro unicum earum solatium est; de aliquo autem homine videndo cogitare, nisi forte ut sic ad Sponsum suum magis amandum excitentur, summa illis crux et molestia est, esto is etiam sit sanguine conjunctissimus. Hinc etiam nullus huc venit qui isthoc intentum non habeat : et qui quid aliud spectant, nec satisfactionem ipsis adferunt, nec eam in ipsis inveniunt. Adhæc non alia illarum est lingua quam ut de Deo loquantur; hinc est quod neminem intelligunt, nec ab ullo intelliguntur, quam ab illo qui hac lingua loquatur. Servamus et profitemur regulam B. Virginis de monte Carmelo, ab Alberto patriarcha Jerosolymitano datam, eamque puram, primævam et sine ulla relaxatione, et qualem eam confirmavit et approbavit Innocentius IV anno Pontificatus sui V, post Christum natum MCCXLVIII. Omnes porro quos subiimus labores et molestiæ amplum mihi operæ pretium futuri videntur, et, licet regula jam aliquantulum stricta sit (numquam enim vescimur carnibus, nisi id suadeat necessitas, et octimestre jejunium servamus, nec non alia id genus, uti in primæva regula videre est), multis tamen sororibus rigor hic nimis quam parvus et tolerabilis videtur : hinc etiam alia non pauca observantur, quæ, quo prima regula majore cum perfectione et sinceritate servetur, nobis visa sunt esse necessaria; et in Domino futurum confido, ut, quod cœptum est opus, insignem habeat progressum et augmentum, quemadmodum mihi Majestas illius significavit.

Dei erga se misericordiam et bonitatem extollens.

369 *Pro coronide hic partem afferam capitis* VIII *Viæ Perfectionis, in quo pro sua ad sanctum eum locum vocatione grata mentis suæ sensa, Deum compellans, Sancta effundit.* Quando, *exclamat,* o Creator et Domine mi, tantam dignitatem promerui? Multos circuitus, flexus et reflexus fecisse videris, quæritans quomodo te nobis reddere posses viciniorem : misericordia tua faxit ne nostra nos culpa id amittamus. Intelligite, quæso ex amore Dei, carissimæ, magnam illam misericordiam et gratiam quam Dominus præstitit illis quas huc perducere est dignatus : et unaquæque vestrum serio id apud se expendat, cum Majestas ejus, e solis duodecim quæ hic sumus, ipsam unam esse voluerit. Et quot sunt, imo quanta multitudine sunt, me meliores, quas hunc locum quam libentissime suscepturas scio! Sed dedit eum Dominus mihi adeo male cum promeritæ. Benedictus sis, Domine, et confiteantur et laudent te Angeli omnes, atque adeo quidquid creatum est : hoc namque beneficium vix ullo potest obsequio compensari, ut nec alia plurima quæ mihi contulisti. Quod enim primo me ad vitam monasticam et religiosam vocaveris, summum et singulare quoddam beneficium fuit : sed quia tam male me in eo statu gerebam, Domine, hinc ulterius mihi fidere noluisti; nam in tam multarum bonarum ibi congregatarum multitudine, nequitia mea non apparuisset, nisi cum jam ad vitæ extremum pervenissem : eam enim celassem et occultassem, sicut ad multos annos eam celavi. Sed ad talem me, Domine, locum deduxisti, in quo ob tantam monialium quæ hic sunt, paucitatem, aliquid celari posse impossibile videatur; utque majori cautela et circumspectione super meipsam advigilem, omnes mihi occasiones præscindis. Quare fateri necesse est, Domine, non posse me jam ullum ad me excusandam argumentum adferre; unde magis tua opus habeo misericordia, ut quod delinquam, mihi ignoscas.

Anno 1565 Pius PP. IV indulta pridem concessa de erigendo monasterio,

370 *Denique subnexa Bulla apostolica anno* 1565 *data est, qua bina Sacræ Pœnitentiariæ indulta, a Ranutio Cardinali S. Angeli jam pridem Abulam missa, a Pio IV Summo Pontifice confirmantur; et omnia vi horum indultorum peracta denuo pro ratis habentur.* Pius episcopus Servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus priorissæ, seu matri forsan nuncupatæ, et conventui monasterii monialium S. Josephi Abulensis, et Aldoncæ Guzman et Guiomari de Ulloa, mulieribus viduis, incolis Abulensibus, salutem, étc. Cum a nobis petitur quod justum est, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte vestra nobis

A nobis nuper exhibita petitio continebat : quod alias, postquam vos in Christo filiæ Aldonca et Guiomara, quæ, ut asseritis, illustres et viduæ estis, pia devotione motæ, cupientes terrena pro cœlestibus et transitoria pro æternis felici commercio commutare, ac de bonis vestris vobis a Deo collatis pro animarum vestrarum salute unum monasterium ad Dei Omnipotentis laudem et honorem, sub vocabulo et invocatione vobis bene visis, construere, erigere et ædificare proposueratis et desideraretis, idque absque Sedis apostolicæ speciali indulto facere posse dubitaretis, quasdam sub certa forma tunc expressa a Sede apostolica seu illius Sacra Pœnitentiaria, et inter alia ut unum monasterium monialium, in numero et sub invocatione vobis bene visis, Regulæ et Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ac sub obedientia et correctione pro tempore existentis episcopi Abulensis, cum ecclesia, campanili, campanis, claustro, refectorio, dormitorio, horto et aliis necessariis officinis construere et ædificare, necnon in eadem ecclesia unam seu plures cappellaniam seu cappellanias erigere, ac monasterium et cappellaniam seu cappellanias hujusmodi ex vestris propriis bonis competenter dotare, et
B postquam sic constructum et erectum ac dotatum foret, illius moniales in eo pro tempore existentes omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, libertatibus, concessionibus et indultis, quibus alia dicti Ordinis monasteria de jure, usu et consuetudine vel alias in genere utuntur et potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere vobis concedi et indulgeri.

de condendis constitutionibus,

371 Quodque vos et moniales dicti monasterii pro tempore existentes, pro illius felici regimine et gubernio ac directione, quæcumque statuta et ordinationes licita et honesta ac juri canonico non contraria condere et ordinare, et postquam condita et ordinata forent, illa in toto vel in parte juxta temporum qualitatem in melius mutare, reformare, alterare ac in totum tollere, abrogare, et alia similia condere, impartiri, et tam condita quam mutanda, reformanda, alteranda ac denuo condenda statuta et ordinationes hujusmodi apostolica auctoritate, ex tunc prout ex nunc et e contra, confirmata fuisse et esse, ac inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque judices et personas quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpre-
C tandi et definiendi facultate et auctoritate, judicari et interpretari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, decerni et mandari.

de pœnis in inquietantes,

372 Et districtius in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensione a divinis quoad episcopos vel alios majores prælatos, quo vero ad alios excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, quam contra facientes ipso facto incurrere, et a qua non nisi per Sedem apostolicam, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, decerni; ac quibusvis judicibus et personis tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentibus, ne vos et pro tempore existentes dicti monasterii moniales directe vel indirecte, quovis quæsito colore vel ingenio, quomodolibet indebite molestare, perturbare et inquietare auderent seu præsumerent, inhiberi; ac, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, etiam irritum et inane etiam decerni.

de executoribus deputandis.

373 Necnon quibusdam judicibus tunc expressis, quatenus vobis et dicti monasterii monialibus pro tempore existentibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assisterent, facerentque, seu quilibet eorum faceret, vos et moniales præfatas concessis indulto, licentia ac facultate hujusmodi, omnibusque et singulis præmissis pacifice frui et inviolabiliter gaudere; non permittentes vos et eas desuper per prædictis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo et aliorum quorumvis Ordinum superiores, prælatos, priores, reformatores, visitatores et fratres, aut alios quoscumque tam ecclesiasticos quam sæculares judices et personas, cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, et quacumque, etiam pontificali, dignitate vel auctoritate, etiam apostolica, fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore vel ingenio, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari : contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, cum aliis clausulis et derogationibus tunc expressis. AUCTORE V. D. M.
D

deque censu non admittendo,

374 Vosque in Christo filiæ priorissa et conventus per alias etiam, ab eadem Sede seu Sacra Pœnitentiaria præfata, alias etiam sub certa forma tunc expressa, etiam per quas ob melioris vitæ frugem inter alia, ut bona aliqua in communi aut
E particulari habere seu possidere minime possitis, juxta formam primæ regulæ dicti Ordinis, sed ex eleemosynis et charitativis subsidiis vobis per Christi fideles pie elargiendis, vos sustentare libere et licite valeatis, concedi et indulgeri, obtinuistis litteras, prout in singulis litteris prædictis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quæ omnia et singula pro illorum subsistentia firmiori a nobis apostolico petiistis munimine roborari.

rata habuit ac confirmavit.

375 Nos igitur vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, erectionem monasterii, indultum, voluntatem, statuta, obedientiam eidem Ordinario ex indulto prædicto super dicto monasterio ac dilectis in Christo filiabus Theresa de Jesu, nunc moderna abbatissa, seu matre forsan nuncupata, Maria Elisabeth et Anna de Angelis, olim in monasterio monialium Incarnationis extra muros Abulenses, nunc vero in dicto monasterio S. Josephi degentibus, ac aliis dicti monasterii monialibus pro tempore existentibus, debitam dandam, et decreta, ac omnia et singula alia in eisdem litteris contenta, et inde sequuta quæ-
F cumque, licita tamen et honesta, sicut rite et provide gesta sunt, rata et grata habentes, illa apostolica auctoritate confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et communitionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem, etc. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1565, XVI Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

§ XX. Primas moniales suas ad sanctimoniam et animarum zelum informat : Vitam suam iterato describit, ac librum componit de Via Perfectionis.

Quæ *restant in libro S.* Teresiæ *de Vita sua capita*

AUCTORE V. D. M. *S. Reformatrix*

pita quatuor res varias continent nullo passim historico ordine digestas. Ex iis pauca jam delibavimus: reliqua autem usuvenient in posterum, maxime quando de visionibus ac prophetiis ejus dicemus. Nunc vero ut biographicam seriem prosequamur, apte sese nobis offert liber Fundationum; qui liber præ illo de Vita, quo hactenus utebamur, id etiam majoris habet commoditatis quod pleræque in eo laudatæ personæ propriis appellentur nominibus, et anni diesque rerum gestarum passim accuratius signentur: unde iis apud diversos scriptores inquirendis mihi jam minus insudandum erit. Alteram præterea actis suis illustrandis præferet Teresia *facem: nempe plurimas epistolas ab anno* 1568 *ad annum usque* 1582, *qui postremus vitæ ejus fuit, ad varios variis de negotiis conscriptas.*

A

quinquennium Abulæ moratur

377 *Librum igitur Fundationum suarum ita orditur:* Quinquennio toto post fundatum conventum S. Josephi Abulæ, in eodem sum commorata, quos annos (ut mihi quidem modo videtur) omnium quos in vita adhuc habebo, existimo fore quietissimos, ad quorum quietem et tranquillitatem anima mea sæpe adhuc aspirat. Hoc ipso tempore puellæ quædam pietate præstantes et juvenculæ, quas jam tum mundus (uti quidem videbatur) ut suas possidebat, prout quidem exterius veste et splendido elegantique ornatu præferebant, Religionem hanc ingressæ sunt: quas hisce vanitatibus Dominus quam citissime valedicere faciens, ad suam domum conduxit, tanta ibi singulas perfectione donans ut hoc ipsa videns non parum confunderer. Cum jam tredecim numero essent, qui erat is quem statutum erat non transcendere, ego inter animas tam sanctas ac mundas agens, non mediocrem in meipsa voluptatem sentiebam; quarum omnium ea erat cura et studium, quomodo Domino servirent eumque laudarent.

B

inter moniales suas, paupertatis

378 Ibi quoque Majestas illius nobis ea quæ necessaria erant, etiam non petentibus, subministravit; cumque ea aliquando deessent (quod certe erat quam rarissimum), tum magis lætabantur. Equidem Dominum laudabam et gratias ei agebam, quod tot virtutes eximias in ipsis viderem, atque imprimis quemdam rerum omnium, præterquam quomodo ei servirent, neglectum. Ego, quæ superiorem ibi agebam, numquam de rebus necessariis me sollicitam fuisse aut laborasse memini; etenim certissime mihi impressum erat, Dominum minime defuturum iis quæ de nulla alia re quam quomodo ei placerent, sollicitæ erant aut anxiæ. Ac si interdum quod datum erat, pro omnibus non sufficiebat, ipsaque hoc distribuendum ac dandum iis dicerem quæ plus opus haberent, unaquæque se eam non esse arbitrabatur; itaque ipsum intactum manebat, usquedum Dominus sufficientem pro omnibus elecmosynam submitteret.

C

cæcæque obedientiæ,

379 De obedientiæ virtute (erga quam ego mire afficior, esto eam exercere non scirem, usquedum hæ Dei ancillæ me ejus usum ita docuere ut ignorare nequirem, si virtutem haberem) multa possem dicere, quæ hic in ipsis notavi. Unum mihi hic in mentem venit: nimirum, cum quadam die mensæ in refectorio assideremus, portioque nostra essent cucumeres, datus mihi cucumis fuit parvulus, at interne putris. Equidem dissimulatione utens, quamdam e sororibus, ex iis quæ plus ingenii et majores naturæ dotes habere videbantur, quo obedientiæ illius periculum facerem, ad me vocavi, huncque cucumerem in hortulo, quem habebamus, ut plantaret injunxi. Petit illa rectumne eum an transversum terræ indi oporteret. Me dicente transversum ut plantaret, abiit et quod jussum erat adimplevit, nullatenus ut ei in mentem veniret non posse semen ejus sic siccari, sed, quia ex obedientia hoc ei injungebatur, rationem suam naturalem captivavit in obsequium Christi; quod id valde deliberate et rite sibi injunctum esse crederet. Alteri cuidam sex aut septem negotia valde inter se repugnantia peragenda injunxi; quæ tamen illa tacens omnia suscepit, quod sibi quam maxime possibile crederet omnia illa simul exequi.

D

ad prodigium usque, studiosas:

380 Erat apud nos puteus aquam (ut dicebant qui ipsius periculum fecerant) satis insipidam continens, et impossibile videbatur eam alio derivare, quod admodum profundus esset. Vocavi ergo fabros qui rem executioni mandarent: qui cum me riderent, peterentque cur pecunias frustra prodigere vellem, petii a sororibus quid ipsis hac de re videretur. Quarum una ait: « Rei periculum fiat: » ad Dominum enim spectat curare ut nobis de » aqua provideatur, atque ut ea habeamus quæ » ad victum sunt necessaria; et cum Majestas » ejus minore sumptu nobis dare aquam domi » possit, haud dubie id factura est. » Videns ergo magnam qua id dicebat fidem, ipsum ut certo futurum mihi persuasi: et, contra aquilegis opinionem rem fieri jussi; et placuit Domino inde nos satis sufficientem et aquæ potabilis canalem, uti cum modo habemus, educere. Ego hoc inter miracula non reputo, cum alia id genus multa dicere possem, sed ut fidem quam sorores illæ habebant, ostendam, cum id ita ac dixi contigerit: quoniam primarius meus scopus non est horum monasteriorum monialium elogia conscribere; eo quod, quæ Dei bonitas est, omnes usque in hunc diem eamdem vivendi rationem servant, et quia de his aliisque plurimis scribere longum foret, esto id non sine fructu fieret: nam subinde fit ut postea ad Ordinem accedentes ad similia facienda animentur. At, si Domino visum fuerit ut hæc sciantur et in populum innotescant, poterunt prælati priorissis injungere ut hæc scripto committant.

E

quarum angelicis mentibus zelum salutis animarum instillat,

381 Cum ergo inter hasce angelicas animas agerem (veri enim Angeli mihi esse videbantur, quod nullam imperfectionem, tametsi interiorem, me celarent; adhæc gratiæ et ardentia desideria et a rebus creatis divulsio, quam Dominus ipsis dabat, summa erant: omnes quoque earum deliciæ et solatia erat solitudo; unde mihi asseverabant numquam se solitudine satiari: itaque fiebat ut illis tormentum esset quod ab externis, tametsi fratribus et sororibus, visitarentur; quæ vero majorem ad agendum in eremitorio commoditatem habebat, sese etiam beatiorem reputabat), cumque harum animarum valorem ac pretium considerarem, nec non animum quem Deus ipsis ad patiendum eique serviendum dabat, qui certe muliebris non erat, sæpe mihi videbatur fore ut quos Dominus in ipsis collocabat, thesauri ad magnum aliquem finem aliquando tenderent; quamquam id quod postea contigit, mihi tunc in mentem non veniret: tunc namque id impossibile mihi esse videbatur, quod nullum viderem principium aut fundamentum e quo hoc imaginari aut colligere quis potuisset. Itaque cum simul cum tempore desideria mea increscerent, et indies atque indies ardentius desiderarem animæ cuipiam prodesse, ejusque bonum procurare quoquo modo posse, sæpenumero mihi esse videbar instar viri magnum aliquem thesaurum possidentis, quem quidem is in omnes effusum et dispertitum vellet, at cui manus, quo minus eum distribuat, alligatæ sunt. Videbatur ergo mihi anima mea velut ligata: gratiæ enim quas ei Dominus hisce annis faciebat, maximæ erant; omnia vero male mihi et inutiliter existimabam impendi. Serviebam quippe Domino

F

per

A per miseras et tenues orationes meas, et apud sorores, idem ut facerent, utque erga animarum salutem et Ecclesiæ ipsius augmentum, atque omnium qui cum ipsis tractarent, ædificationem et bonum exemplum, mirifice afficerentur, identidem procurabam; et in hoc intensa mea desideria impendere satagebam.

ut vitæ sanctimonia reparent injurias Deo ab hæreticis illatas,

382 *Imo non desideria solum atque opera, sed etiam scribendi laborem. Nam, præter iteratam Vitæ suæ scriptionem, stylum impendit concinnando præstantissimo illi Commentario qui* Via Perfectionis *inscribitur. Notabile est Commentarii illius initium, quo docemur quam præsertim ob causam S. Fundatrix statuerit tam arctæ paupertati ac tam severis legibus novum suum monasterium obstringere.* Principio, *inquit,* cum monasterium hoc, ob eas quæ in prænominato libro (quem, uti jam dictum est, conscripsi) allatæ sunt rationes, nec non ob quædam Domini magnalia, quibus ostendebat quantopere hac in domo nomen suum glorificandum esset, fundaretur, propositum aut intentum meum non erat ut tanta quoad exteriora in id asperitas induceretur, aut ut sine censu stabili fundaretur : imo vero voluissem sufficientes reditus habuisset, nihil ut ei
B aliquando deesset. Sed id volebam ut imbecillis et improba, tametsi multæ bonæ rationes ad hoc faciendum potius quam propria commoditas me impellerent. Hoc ipso in tempore certo rumore intellexi immensa Galliæ damna, et quanta illi regno mala hæretici intulissent, quam denique longe lateque scelerata illa secta se diffunderet et proserperet. Qui sane rumor incredibili animum meum angustia oppressit : et, tanquam si aliquid potuissem, aut alicujus etiam momenti fuissem, flens ad Dominum clamabam, utque tanto malo mederetur, enixissime eum sum precata. Mille mihi vitas, pro vel unius animæ de tanta ibi pereuntium multitudine, liberatione et salute ponere paratissima videbar. Sed, cum me et fœminam, et quidem imbecillem, et ad aliquid eorum quæ ad Dei cultum spectantia exequi voluissem, exequendum prorsus ineptam esse viderem, omnia quoque desideria mea id spectarent (uti et modo spectant) ut, cum Dominus tam multos habeat inimicos, amicos autem paucos, hi saltem pauculi, boni essent; firmiter apud memetipsam statui, exiguum illud quod in me erat, præstare, euangelica scilicet consilia quam maxima possem perfectione sequi, et operam dare ut pauculæ illæ
C quæ hic sunt moniales, idem facerent.

et pro viris apostolicis,

383 Hoc equidem futurum confido in eminentissima Dei misericordia, utpote qui auxilium suum nunquam denegat illi qui propter ipsum omnia deserere proponit; ac spero fore ut (cum ipsæ sint tales quales ego eas in meis desideriis depingebam) defectus et imperfectiones meæ inter virtutes illarum vires nullas habeant, et aliqua saltem in re ipsa Domino possim placere : adhæc ut, cum omnes ita assidue pro defensoribus Ecclesiæ, pro concionatoribus, aliisque viris doctis ipsam propugnantibus, oremus, hunc ipsum Dominum meum, qui ita opprimitur et angustiatur ab illis quibus tam multa beneficia præstitit, pro eo ac possumus adjuvemus, dum hi proditores iterum illum cruci affigere, ac ne quidem in quo caput suum reclinet illi relinquere velle videntur. . . . Juvate me, quæso, carissimæ in Christo sorores, identidem Dominum hac pro re orando : hanc enim ob causam vos huc adduxit et conjunxit; hæc est vocatio vestra; hæc vestra esse debet negotiatio et studium, hoc vestrum desiderium; huic rei vestras dedicare lacrymas, huc vestræ tendere debent postulationes et preces, non pro mundi hujus negotiis, carissimæ.

AUCTORE V. D. M. *qui Dei Ecclesiam, ceu arcem,*

384 *Eumdem finem suum P. Roderico Alvarez indicat Sancta, ita de se scribens :* Oratio ejus ac monialium quas instituit, eo potissimum spectat ut ad catholicæ fidei augmentum, quem etiam ob finem D primum suum monasterium inchoavit, nec non ad Ordinis sui bonum referatur (*tom. I, ep.* 19, *num.* 16). *Scilicet religiosas domos, si vigeat in iis disciplina, fidei pietatisque arces quasdam et munimenta æstimabat : quod ipsa pulcherrime exprimit capite* III *ejusdem Viæ Perfectionis, in hunc modum loquens :* Ut ergo ad primarium finem ob quem potissimum hac in domo nos Dominus congregavit, et ad quem etiam ego maximopere vellem ut aliquid essemus, quo Majestati ejus placere possimus, revertar, quandoquidem videmus mala sæculi hujus tam enormia esse, ut multæ humanæ vires ad hocce hæreticorum, quod ita passim gliscit, incendium restinguendum satis non sint, idem mihi facto opus videtur quod tempore belli fieri consuevit. Hostibus namque universum provinciæ alicujus agrum deprædantibus, princeps ipse jam in arcto positus, intra aliquam se arcem aut civitatem recipit, quam undequaque omni arte et præsidio communit : unde illius præsidiarii subinde in hostiles copias eruptionem faciunt, et, quia hi soli plus possunt (utpote E selecti omnes) quam plurimi milites meticulosi possent, hinc sæpe contingit eos victoria potiri, aut, si eam aliquando non referant, saltem non succumbere : nam, quia nullus inter eos est proditor, hinc expugnari omnino nequeunt, nisi forte fame; quæ tamen hoc in loco non potest esse tanta, ut eos sese hosti dedere cogat : ea quidem facere posset ut morerentur, non autem ut victi dicerentur.

adversus hostes spirituales defendunt,

385 Quorsum autem ego hæc attuli? Ut nempe intelligeretis, carissimæ, hoc nos incessanter a Deo petere debere, ut, quæ illius misericordia est, ex hac bonorum Christianorum arce quæ hodie reperitur, nemo ad hostes transfugiat, duces vero arcis hujus aut civitatis, concionatores, inquam, et theologos, in via Domini animosos et quam maxime strenuos efficere dignetur; quod autem maxima illorum pars in monasteriis et Religionibus agat, has ipsas Religiones in sua perfectione et vocatione magnos facere profectus velit; quod sane perquam necessarium est : etenim ea jam sunt tempora ut (sicut dixi) non jam tam sæculare quam spirituale nos brachium defendat necesse sit. Quod autem nos fœminæ nec in temporalibus nec in spiritualibus Regem F nostrum adjuvare possumus, tales saltem esse studeamus, ut preces nostræ, ad hosce Dei famulos, qui tanto seipsos labore tum per doctrinam, tum per bonam vitam communierunt, et, ut Domino hac in necessitate subsidio forent, omnimodis elaborarunt, adjuvandos convenientes et idoneæ reperiantur.

magno fervore,

386 Petetis ex me fortasse cur hancce ego rem tanti faciam et æstimem, et juvari a nobis velim eos qui nobis meliores sunt. Respondeo : quod scilicet nondum vos satis intelligere credam quam multum Domino debeatis, quod ad hanc vos domum conduxerit, in qua ab omnibus negotiis, occasionibus et rerum sæcularium impedimentis ita sequestratæ vivitis. Est autem singulare hoc beneficium, quo non fruuntur ii de quibus loquor. . . . Quocirca credatis velim, non parvo, sed sane maximo, ad hoc quod illi suscipiunt certamen, opus esse subsidio. Ut ergo duo illa quæ dicam, a Deo impetremus, rogo vos, tales esse studeatis ut his obtinendis dignæ inveniamur. Quorum primum est, ut inter tam multos doctos et religiosos viros qui hodie vivunt, multos reperire sit qui necessarias ad id quod dixi dotes habeant; eos autem qui non satis ad hoc

AUCTORE V. D. M.

ipsum apti vel dispositi sunt, Dominus disponere dignetur : unus quippe perfectus plus hac in re efficiet quam imperfecti multi. Alterum est, ut, postquam in certamine (quod, uti dixi, non sane exiguum est) et in acie constituti fuerint, sua eos Dominus manu protegere et tueri dignetur, ut et magna illa quæ in mundo sunt pericula queant evadere, et adversus illicem sirenum cantum, in parum tuto hoc mari, aures obturare. Qua quidem in re si quid a Deo obtinere possimus, non segniter, esto hic reclusæ, pro illo depugnamus; atque ita fiet ut omnem quem hoc in angello construendo laborem subii, optime me putem impendisse : in quo etiam scopus et propositum meum fuit ut hæc B. Virginis, Dominæ et Imperatricis nostræ, regula eadem in perfectione qua primum inducta est, observaretur.

et quasi suæ utilitatis oblitæ,

387 Nolite vero existimare inutilem vos operam sumere, dum identidem et assidue hoc ipsum a Deo petitis : reperire enim non paucos est quibus grave sit non posse multum pro sua ipsorum anima Deum rogare. At quænam oratio hac melior est? An forsan grave vobis est quod hac oratione nihil de pœna vobis in purgatorio debita minuatur? Certæ estote, per æquissimam et convenientissimam hanc orationem promerituras vos ut hæc allevietur ac minuatur. De cætero, quod ad ulteriorem ejus remissionem deerit, desit in nomine Domini. Quid enim refert, me etiam ad diem usque judicii in purgatorio detineri, si vel una dumtaxat anima per orationem meam salutis compos reddi queat? Quanto vero magis, cum de tot animarum commodo ac bono, atque honore Dei Opt. Max. agatur? Tormenta quæ semel finem habent, parvi facite, cum majus aliquod illi præstare obsequium licebit qui tam multa pro nobis passus est. Semper videte et respicite ad id quod majoris sit perfectionis : dein quod quam studiosissime a vobis petere volo, et cujus etiam postea rationes adferam, est ut semper cum viris litteratis et doctis agere studeatis.

Patrem misericordiarum orent

388 Per amorem ergo Dei vos obsecro, Majestati ejus supplicetis ut hac in re preces nostras exaudiat. Equidem, quantumvis miserabilis, hoc ipsum Majestatem ejus identidem rogo, cum et in illius gloriam et Ecclesiæ ipsius utilitatem cedat. Hic enim votorum et desideriorum meorum scopus est. Præsumptuosum autem videtur cogitare aliquid me ad hoc impetrandum posse aut valere. Sed fiduciam habeo, Domine, in hisce ancillis tuis quæ hic sunt; quas aliud non cupere, non spectare scio quam tibi complacere : propter te deseruere modicum illud quod habebant, et plura certe habere voluissent ad tibi serviendum. Scio autem, Creator mi, non esse te ingratum, ut te postulata ipsarum adimplere negleturum putem; neque enim umquam, Domine, dum in terra vivebas, mulierum preces et postulationes rejecisti, sed semper iis te magna cum pietate faventem ac benignum exhibuisti. Si quando honores, reditus aut pecuniam, aut quid aliud mundum redolens, a te nos petere continget, ne exaudias nos; sed cur, propter Filii tui honorem, Pater æterne, non exaudies eum qui et honorem et vitam millies pro te exponere paratus esset? Non nostri causa, Domine (neque enim id promeremur), sed propter Filii tui sanguinem et merita.

per merita Jesu Christi et Sanctorum.

389 Considera, o Pater æterne, multa illa flagra, illusiones et gravissima quæ pertulit tormenta oblivioni tradenda et negligenda non esse. Quomodo ergo, mi Creator, tam amantia viscera qualia tua sunt, ferre queant, ut, quod a Filio tuo tam ardenti amore et ad magis tibi placendum (jusseras enim ei ut nos diligeret) institutum est, ita vilipendatur et ludibrio habeatur, ac quidem hæretici illi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum hodie vilipendunt, utpote cui, dum templa demoliuntur et destruunt, ejus habitacula eripiunt. Bene quidem, si quid ipse ad tibi complacendum unquam prætermisisset; sed jam omnia quam consummatissime adimplevit. An non, dilectissime Pater, satis erat, quod, dum viveret, non habuerit ubi caput suum reclinaret, et quod semper continuo gravissimis in laboribus egerit, nisi etiam ei sua, quæ ad amicos suos invitandos et excipiendos (quod infirmos nos videat, et eos qui laborem suscipere debent, hujusmodi cibo sustentari debere norit) in terra habet, habitacula jam cripiantur? An non plusquam satis ac sufficientissime pro Adami peccato satisfecit? An, quotiescunque in novum aliquod crimen incidimus, suavissimus hic Agnus luat et exsolvat oportebit? Ne permittas id, obsecro, clementissime Imperator; at tua se Majestas placari ac repropitiari sinat : ne respicias, quæso, peccata nostra; sed in Sanctissimum Filium tuum, qui nos redemit, et tum in illius, tum in gloriosissimæ Matris ejus atque tot Sanctorum ac Martyrum, qui pro nomine tuo mortem non dubitarunt oppetere, merita oculos conjice.

Reges quoque et prælatos precibus earum commendat.

390 Sed hem! quænam, obsecro, ego sum, Domine, quæ te hic nomine omnium ausa fuerim deprecari et compellare? Quam, o carissimæ, ineptam et balbutientem advocatam habetis, ut me mediatrice exaudiamini, et quæ hanc nomine vestro orationem depromat! Quid, si supremum hunc judicem, ubi hanc meam audaciam viderit, magis irritem et ad indignandum provocem? nec immerito. Sed memento, obsecro, Domine, esse te jam Deum misericordiæ : hanc, quæso, in me miseram peccatriculam et vermiculum, quæ tam audacter tecum ago, ostende. Respice, amantissime Deus, desideria et lacrymas meas, quibus hanc ego rem a te deposco : ne memineris, quæso, operum meorum, pro eo qui es, sed tot animarum pereuntium te tangat compassio; Ecclesiam tuam propitius respice, nec ulla posthæc amplius mala damnave, Domine, super orbem Christianum veniant : denique tenebras hasce quam citissime illumina. Per amorem Dei vos obsecro, carissimæ, ut hanc pauperculam et audaculam sororculam divinæ ejus Majestati commendetis, eumque rogetis ut mihi humilitatem elargiri dignetur; et hoc si feceritis, facietis quod facere tenemini. Pro regibus ac prælatis ecclesiasticis, ac speciatim pro episcopo urbis hujus, ut oretis, singulariter hic vobis non præcipio; omnes enim, quotquot modo hic estis, ita in hac re diligentes video, ut id mihi jam vobis injungere opus esse non videatur. Sed veniant huc post vos quæcunque volent, quamdiu sanctum aliquem prælatum habebunt, sanctæ etiam subditæ illius erunt. Quam rem, tanti utpote momenti, Domino identidem per preces commendabitis : et, si orationes, desideria, disciplinas et jejunia ad eum quem dixi scopum non dirigatis, certæ estote et cogitate non facere vos nec adimplere finem ad quem hoc in loco vos Dominus coadunavit.

§ XXI. A R. P. Rubeo, Generali Ord. Carm., facultatem impetrat plura virginum et duo virorum suæ Reformationis monasteria erigendi.

Verumtamen inter illos limites non stetit Virginis Seraphicæ

Sermonibus P. Alphonsi Maldonati Ord. Min. Sancta majori zelo incenditur,

Seraphicæ zelus; sed paulatim eo devenit ut pluribus, nec jam fœminarum tantum, verum etiam virorum monasteriis exstruendis operam navaverit : id quod nunc ex reliqua parte capitis I *et capite* II *Fundationum videbimus.* Post quadriennium, *ait,* aut paulo amplius, ut mihi quidem videtur (*proin anno* 1567), invisit me religiosus quidem Franciscanus, F. Alphonsus Maldonatus dictus, insignis Dei famulus, eodem animarum juvandarum ardens desiderio quo ego : quod vero illud ipse executioni mandare poterat, hinc ei non parum invidebam. Venerat is non ita pridem ex Indiis; ac commemorare mihi cœpit quot animarum milliones ibidem defectu docentium perierint : habitaque ad nos concione, ad pœnitentiam et austeritatem subeundam nos est adhortatus, atque ita recessit. Ego vero tot animarum pereuntium jacturam ita miserata sum ut me ipsa vix possem retinere : unde intra eremitorium quoddam me abdidi, ibique multis cum lacrymis ad Dominum clamavi, eum rogans mihi medium suggereret, ut vel unam animam ad illius obsequium possem traducere, cum cacodæmon tam multa ad se traheret millia, utque orationes meæ aliquid hac in parte efficerent, quod amplius quid præstare non valerem. Unde et maximopere invidebam iis qui ex Dei amore huic rei totos se poterant impendere, etiamsi mille mortes hic eos subire oporteret. Hinc dum in vitis Sanctorum lego illos animas Deo lucrifecisse, majorem erga illos amorem et teneritudinem concipio, magisque hoc illis invideo quam omnia quæ passi sunt martyria : hanc namque inclinationem mihi Dominus dedit, quod unam animam, quam nostris orationibus, mediante ejus misericordia, lucrifacimus, pluris eum facere putem quam quæcumque ei impendere possumus obsequia.

et Deus res magnas ei prænuntiat.

392 Ergo ingentem hanc pœnam identidem in me sentienti, ac quadam nocte in oratione agenti, apparuit mihi Dominus eo modo quo solet, magnumque amorem præferens, tamquam si me consolari vellet, mihi ait : « Paulisper exspecta, filia, et magna » videbis. » Verba hæc ita cordi meo impressa mansere, nulla ut ratione ea e cogitatione possem evellere; et, quamvis colligere et eruere non valerem (quantumlibet apud me de hoc cogitarem) quidnam hoc futurum esset, nec etiam viderem undenam hoc possem imaginatione consequi, nihilominus non vulgarem in me consolationem sensi, simulque spem quam maximam concepi, verba hæc effectum certissime habitura : at quo id modo fieri posset, numquam mihi in mentem aut imaginationem venit. Medius ergo annus interim (quantum mihi videtur) elapsus est, ac deinde id quod modo referam contigit.

R. P. Rubeus, Generalis Ord. Carm., Abulam venit;

393 Generales nostri Romæ semper resident, et nunquam eorum ullus in Hispaniam venerat : unde impossibile videbatur eum qui modo nobis præest, venturum esse; verum, quia ad ea quæ Deus fieri vult, nihil impossibile est, hinc Majestas illius statuit et effecit ut quod hactenus factum non erat, jam fieret. *Videlicet, ut narrat auctor Chronici* (*lib.* II, *cap.* II), *Joannes Baptista Rossi seu Rubeus, Generalis Ordinis Carmeli Præpositus, invitatu Philippi II, regis Catholici, et ex potestate sibi facta per Breve S. Pii V, datum* XXIV *Februarii* 1566, *quod in Monsignani Bullario Carmelitano legere est, eodem illo anno* 1566 *in Hispaniam venit, ut subditas sibi in eo regno domus religiosas juxta statuta Ordinis et Concilii Tridentini decreta corrigeret emendaretque. Ex aula Madritensi, ubi iis honoribus quæ Hispaniæ magnatibus tribui solebant, a rege fuerat exceptus, primum se contulit in Bæticam seu* (*ut nomine utar jam magis vulgato*) *Andalusiam, et, convocato Hispalim in diem* XX *Septembris ducentorum Patrum cœtu, provincialique Andalusiæ creato P. Joanne de la Cuadra, leges tulit reformando Ordini perquam accommodatas : quod vero reliquum erat anni tempus eidem provinciæ lustrandæ insumpsit. Tum, cœpto jam anno* 1567, *Madritum reversus, subinfensum sibi invenit animum Philippi, quippe præoccupatum Andalusiorum adversus se calumniis. Quamobrem, nec ad regium alloquium admissus, Abulam decessit ad cogendum Castellanæ quoque provinciæ capitulum : eique tunc provinciæ pro Angelo de Salazar præfecit P. Alphonsum Gonzalez; et in S.* Teresiæ *ac Reformationis ab ea institutæ notitiam ibidem venit, uti jamjam videbimus. Prius tamen adhuc monitum lectorem velim, Generales Carmeli qui Rubeum præcesserunt, non ita semper Romæ residere solitos ut non alio frequenter abirent, præsertim ad capitula generalia; quæ nulli tunc certo loco erant addicta, sed prout tempus ferebat, nunc hac, nunc illa in regione celebrabantur. Quin ex iis saltem duo apud Catalanos habita fuere : Barcinone alterum anno* 1324, *sub Generali Joanne Alerio; alterum Perpiniani* (*quæ civitas hodie Francorum regibus paret*) *anno* 1354 *sub P. Raymundo de Grassa. Hinc quod Sancta dicit Generales Ordinis sui nunquam in Hispaniam venisse, non de tota, ut nunc est, Hispania intellige, sed potius de regno Castellæ tantum.*

AUCTORE V. D. M.

auditisque S. Teresiæ rationibus,

394 Equidem, *prosequitur ipsa,* cum primum de Generalis adventu cognovi, nonnihil turbata et commota fuisse videor, eo quod (uti in S. Josephi monasterii fundatione dixisse memini) conventus ille, ob causam quam ibi dixi, Fratribus subjectus non erat. Quare hic duo timebam : primum, ne mihi succenseret; nam quod nesciret quomodo res contigisset, merito id facturus videbatur : alterum, ne me ad monasterium Incarnationis, in quo regula mitigata et laxata servabatur, redire juberet; quod me varias ob causas, quas hic referre necesse non est, non mediocriter afflixisset. Una hæc plusquam satis erat, quod illo in conventu primigeniæ regulæ rigorem servare non potuissem, tum quod plusquam centum quinquaginta ibi moniales essent, cum, ubi pauciores numero sunt, major habeatur conformitas et quies. At melius quam putabam, Dominus rem disposuit : Generalis enim, cum insignis Dei esset famulus ac discretione ac scientia præstans, opus bonum esse vidit, nullamque mihi de cætero indignationem aut animi alienationem ostendit. Nomen illi F. Joannes Baptista Rubeus, Ravennas, vir admodum illustris in Ordine, et merito quidem. Hic cum Abulam venisset, dedi operam ut S. Josephi domum inviseret. Episcopus porro e re nostra fore putavit ut eisdem illum benevolentiæ et amoris signis reciperemus quibus ipsummet. Equidem ei magna cum veritate, candore et claritate omnia aperui, ac singulorum rationem dedi : sic namque, prout naturalis mea inclinatio est, cum prælatis tractare gaudeo, eveniat quodcumque demum evenire potest, cum ipsi Dei sint vicarii, nec non cum confessariis. Id nisi sic facerem, anima mea secura non fore videbatur. Quare tam hujus rei quam pene totius vitæ meæ, tametsi ea satis improba sit, ei rationem dedi.

per litteras patentes sponte sua

395 Ipse vero me non parum est solatus, certamque me reddidit fore ut me inde digredi non juberet. Quin et ipse a parte sua non parum gavisus est, nostrum vivendi modum nec non exemplar quoddam (tametsi imperfectum) primævi in Ordine nostro servari soliti vigoris videns, tum quod prima regula ad litteram in summo rigore hic servaretur, id quod in nullo per universum Ordinem

AUCTORE V. D. M.

Ordinem conventu fiebat. Quod autem tenue hoc
A principium longius se diffundere et crescere desideraret, amplissimas mihi dedit litteras, quibus potestatem mihi fecit plura ad eamdem formam et exemplum monasteria erigendi, additis insuper censuris et pœnis adversus provinciales qui mihi obstare et impedimento esse vellent. Has vero ego ab ipso non petii; verum ipse e meo orandi modo satis intellexit, ardentia illa mea desideria alio non spectare quam ut adminiculum et instrumentum esse possem ut aliqua anima ad Deum propius accederet ac converteretur. Hæc porro media ipsa minime procurabam, quin imo vesania et stoliditas id mihi videbatur; quod tam imbecillem, et tam paucarum virium atque ego eram, mulierculam nihil hic posse intelligerem. At quando hujusmodi desideria animam occupant, non est in illius manu illa a se repellere aut avertere : sed, quod ipsa Deo, et fidei quam in ipsum habet, satisfacere gestiat, hinc Majestas illius ei reddit possibile, quod, si humanam rationem intuemur, possibile non est. Itaque insignem R. P. nostri Generalis propensionem et voluntatem, ut plura hujus regulæ monasteria erigerentur, videns, illa jam tum erecta videre
B videbar : et memor verborum quæ mihi Dominus antea dixerat, jam tum aliquod initium videbam ejus quod antea quomodo effectui mandaretur, intelligere non poteram. Videns vero P. Generalem Romam reversionem parare, non mediocriter contristata fui, quod singulari eum amore prosequerer; unde me omni ope per illius discessum destituendam credebam, quam ipse mihi summam ac singularem, uti et permagnum favorem, ostendit. Quoties vero ei per occupationes integrum erat, ad nos excurrebat de spiritualibus rebus nobiscum acturus, utpote cui hoc in genere magnas Dominus gratias contulisse videtur; de his vero cum agentem audire mirificæ nobis consolationi erat.

copiam ei facit

396 *Interest, credo, Rubei litteras quas modo Sancta memorabat, legendas hic exhiberi. Quare eas e Chronico, ubi* (*lib.* II, *cap.* III) *hispanice extant* (*transcriptæ, ut auctor monet, ex originalibus chartis a P. Hieronymo Gratiano post S.* Teresiæ *mortem dono datis Beatrici Ramirez de Mendoza, comitissæ Castellarensi, et ab hac matrona transmissis ad Madritense monialium Ordinis S. Hieronymi cœnobium cui a Corpore Christi nomen*), *latinitate donabo. Ne autem lector miretur quod*
C *videbit in iis a Rubeo dici* Teresiam *obedientiæ suæ subjacere ac suo cum consensu monasterio S. Josephi præesse, præmittendam ex Yepesio duxi sequentem asserti hujus explicationem :* Monasterium S. Josephi tunc temporis Ordinario suberat secundum litteras apostolicas quarum supra meminimus. Itidem S. Mater et duæ aliæ moniales, ex Incarnationis cœnobio cum ea egressæ, pro copia sibi a Sancta Sede facta, quia id tum novæ Reformationi expediebat, renuntiantes obedientiæ Ordinis, episcopo sese submiserant. Nihilominus die XXIX (*forte legendum, ut in litteris Rubei,* XXVII) Aprilis 1567, hæ tres virgines, consentiente episcopo, ad Generalis obedientiam redierunt : interim tamen jurisdictione in novum cœnobium et moniales recenter in eo Religioni adscriptas penes episcopum manente, donec S. Mater ex divina revelatione curavit ut hæ etiam Ordini subjicerentur; quomodo postea dicemus. *Pluribus idem evolvit Chronicon; sed quoniam dubito num satis accurate id præstet, malui Yepesii verba adducere.*

plura monialium cœnobia,

397 *En jam ipsas litteras :* F. Joannes Baptista Rubeus Ravennas, Prior et Magister Generalis et Dei gratia servus omnium Fratrum et Monialium Ordinis gloriosissimæ semper Virginis Mariæ de D
monte Carmelo, Reverendæ Matri Teresiæ a Jesu, priorissæ religiosarum monialium ad S. Josephi Abulæ ejusdem Ordinis, professæ ac sacro velo ornatæ in nostro Incarnationis monasterio, animi puritatem et fervorem ardentis caritatis. Nullus est bonus mercator aut agricola aut miles aut litteratus, qui non curet et videat et omnem adhibeat diligentiam magnosque labores perferat ut domum, rem familiarem, nominis existimationem, omnia demum sua amplificet. Quod si hæc illi faciunt, multo sane magis ii qui Deo serviunt, curare debent ut loca acquirant, excitent ecclesias ac monasteria et quidquid possunt impetrent ad animarum emolumentum et gloriam divinæ Majestatis. Huc assidue intenta Reverenda Mater Teresia a Jesu, Carmelitissa, filia et humilis subdita nostra, nunc cum nostra licentia reverendi monasterii S. Josephi priorissa, supplicavit nobis ut, ad honorem ac gloriam Dei et Sanctissimæ ejus Matris nec non ad profectum devotarum animarum, facultatem demus ac potestatem faciendi in quocumque loco regni Castellæ cœnobia sacri Ordinis nostri monialium, quæ vivant secundum primam regulam cum
E vestitus forma aliisque sanctis usibus quos tenent ac servant in S. Josephi, cæterisque qui ordinati fuerint : et totum quidem sub nostra atque aliorum Generalium successorum nostrorum obedientia.

quæ Generali immediate subsint, rite fundandi

398 Quod votum cum nobis perquam religiosum ac sanctum videatur, non possumus illud rejicere, sed potius fovere, amplecti atque adaugere. Quare ex generalis officii nostri auctoritate concedimus ac damus Reverendæ Matri Teresiæ a Jesu, Carmelitissæ et hodie priorissæ in S. Josephi, ac sub nostra obedientia viventi, liberam facultatem assumendi ac recipiendi domos, ecclesias, sedes et loca in omni parte Castellæ, nomine Ordinis nostri, ad faciendum cœnobia monialium Carmelitanarum sub nostra immediata obedientia. Vestibus autem utantur e panno sargineo fusco; vitamque quoad omnia primæ regulæ conforment. Nulli provinciali, vicario aut priori hujus provinciæ liceat eas quidquam jubere; sed solum nobis vel ei qui ex nostra commissione ad id destinatus fuerit. Numerus monialium in unoquoque cœnobio sit viginti quinque non amplius. Ante vero quam accipientur domus ac monasteria fient, curetur ut benedictio obtineatur Ill. ac Rev. Ordinarii, episcopi sive archiepiscopi, vel ejusdem vicariorum, prout mandat Sacrosanctum F
Concilium. Atque ut omnia cum effectu fiant, permittimus ei (*nempe* Teresiæ) secum ut adducat in singulum quod erigi contigerit monasterium duas moniales nostri Incarnationis cœnobii Abulensis; nimirum quæ voluerint, et non alias. Nec eas impedire poterit provincialis, nec priorissa quæ pro tempore iis præfuerit, nec alia persona quæcunque subdita nobis, sub pœna privationis officiorum aliisque gravibus censuris. Ac monasteria stent sub nostra obedientia; secus quippe huic nostræ concessioni nullum esse valorem intendimus. Quando sargia inveniri non poterit, pannus grossus assumatur. Nos autem qui illas gubernent, vicarios commissariosve dabimus. Factum Abulæ XXVII Aprilis 1567. Fr. Joannes Baptista Rubeus, Generalis Carmelitarum.

in utraque Castella.

399 *Cum autem de nomine* Castella *concertatio fieri posse videretur, huic omnem ut ansam præriperet P. Rubeus, mense Majo declarationem sequentem edidit :* Nos Fr. Joannes Baptista Rubeus, Generalis et servus universi Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, dicimus : Cùm litteras patentes confecerimus ac tradiderimus Reverendæ Matri Teresiæ

A Teresiæ a Jesu, priorissæ in S. Josephi, ut possit accipere, fundare ac facere monasteria nostri Ordinis in regno Castellæ; dubitari posset de partibus illius regni, utrum de Veteri an de Nova Castella agatur. Ut igitur mentem nostram declaremus, dicimus nostram licentiam de tota Castella, tam Nova quam Veteri, intelligendam. Atque iterum ex officii nostri Generalis auctoritate concedimus facultatem et libertatem dictæ Reverendæ Matri, filiæ nostræ, Teresiæ a Jesu, recipiendi, acceptandi, assumendi, erigendi atque fundandi in loco quocunque regnorum Castellæ (modo sit extra Andalusiam) cœnobia monialium, quæ sint sub nostra regulari obedientia, et non aliter: illa autem ac moniales ejus teneantur ad vivendum secundum primam regulam et constitutiones nostras. Si vero voluerit secum adducere filias nostras plurimum dilectas sororem Annam ab Angelis et sororem Mariam Isabellam, cæque ire voluerint, fieri id omnino licebit. Item, si quæ aliæ moniales socias se adjungere filiæ nostræ Teresiæ voluerint, erit id eis integrum. Nec quispiam ex inferioribus nostris sive fratribus sive monialibus hanc nostram voluntatem irritam faxit, sub pœna rebellionis graviumque censurarum. Factum Ma-
B driti XVI Maji 1567. Fr. Joannes Baptista Rubeus, Generalis Carmelitarum.

Postea eam apud regem laudat; et, quod episcopo Abulensi abnuerat,

400 *Aulam Madritensem, ut hinc vides, denuo Generalis repetiit mense Majo. Asserit Chronicon P. Rubeum hac occasione apud Philippum regem, quocum tandem in gratiam redierat, ingenti cum laude de rebus Teresianis fuisse locutum; unde in admirationem raptum religiosissimum principem a Rubeo postulasse ut se suaque regna precibus Sanctæ ac monialium ejus per litteras commendaret; quod cum Rubeus præstitisset, Sanctam easdem litteras filiabus suis prælegisse; et hinc exordium sumpsisse consuetudinem orandi pro rege, quæ secutis dein temporibus in reformato Carmelo Hispanico semper speciali modo viguit, imo in legem etiam transiit. Ante autem quam Generalis Abula Madritum abiret,* Abulensis episcopus Alvarus Mendozius (*verba sunt Sanctæ*), pro singulari suo erga omnes quos Deo majore cum perfectione servire velle videt, studio, eum rogavit ut licentiam daret ad aliquot in sua diœcesi conventus Fratrum Excalceatorum primam regulam servantium fundandos, quod et alii dein ab ipso petivere. Ipse quidem Generalis ab hoc alienus non erat, sed quod aliquam propterea in
C Ordine universo repugnantiam sentiret, hinc, ne provinciam turbaret, in præsens quidem concedere noluit.

Teresiæ per epistolam flagitanti,

401 Paucis post diebus, cum mecum ipsa perpenderem quam necessarium esset, ut, cum monialium cœnobia erigenda essent, etiam virorum eamdem regulam servantium fundarentur, videremque illos tam paucos isthac in provincia esse ut jam defecturi et paulatim emorituri esse viderentur; re per orationem Deo intensius commendata, ad P. N. Generalem scripsi, eum quam potui demississime rem hanc rogans, simul et causas ob quas e Dei obsequio illud futurum credebam proponens, et incommoda quæ inde sequi poterant tanta non esse asserens ut opus tam bonum ac salutare propterea intermitteretur, denique in mentem ei revocans quam id esset honorem Beatissimæ Virginis Matris, cujus ipse perstudiosus erat, promoturum. Ipsa hauddubie Virgo rem omnem optatum ad exitum perduxit: etenim cum ei Valentiæ agenti litteræ meæ traditæ essent, inde mihi per epistolam potestatem fecit duo monasteria viris fundandi, utpote qui majorem Ordinis religionem ac bonum desiderabat; ac, ne qua contradictio ac difficultas oriretur, rem omnem tum provincialis qui tunc id munus obibat, tum ejus qui eo nuperrime defunctus fuerat, arbitrio commisit: quod sane arduum erat et ad obtinendum difficile. At cum quod erat gravissimum ex voto confectum vidi, spem concepi Dominum quæ reliqua erant effecturum. Et ita etiam factum est; nam episcopo, qui negotium hoc plane ut suum cordi habebat, adjuvante, ambo tandem assensum præbuerunt. AUCTORE V. D. M.
D

nec alia quam divina ope nixæ, concedit:

402 Etsi vero ex hac accepta facultate mirificam in animo consolationem sentirem, mea tamen anxietas et sollicitudo magis cœpit increscere, quod nullum ex omnibus totius provinciæ Fratribus, quos quidem ipsa nossem, invenirem, qui, ut ad novum hunc rigorem a mitiore transiret regula, animum vellet adjicere, nullum etiam sæcularem qui tali operi principium dare statueret. Unde assidue Dominum rogabam ut vel unum hominem ad hoc opus inchoandum excitaret. Non habebam adhuc domum, nec undenam haberem sciebam. Ecce tibi ergo pauperculam monialem Excalceatam, omni humana ope destitutam, sed solius Dei auxilio nixam, litteris sui Generalis et bonis desideriis tantum instructam, eadem tamen executioni mandare prorsus impotentem: nec tamen me vel animus E vel spes deficiebat; sperabam namque Dominum, cum dedisset unum, daturum et alterum: unde omnia jam possibilia admodum videbantur; quare eadem opere exequi incepi. Quomodo, o divina Magnitudo, potentiam tuam ostendis, dum formiculæ cuidam audaciam suggeris! Quomodo, o Deus meus, per te non stat quominus magna et heroica opera patrent ii qui te amant, sed per nostram inertiam et pusillanimitatem, quod nimirum firmam solidamque resolutionem non faciamus, sed identidem mille timoribus natemus, et humana prudentia nimium nitamur! Atque inde est, Deus meus, quod mirabilia et magnalia tua minime opereris. Quis enim magis dare gaudet quam tu, si esset qui vellet accipere? Quis servitia et obsequia ita suo sumptu admittit? Det Majestas tua, aliquod ipsa tibi umquam præstiterim, et non adhuc plus tibi debeam pro innumeris quæ a te accepi beneficiis. *Hactenus Sancta, Fundationum capite* II.

nempe ut, ad majus Dei obsequium,

403 *Litteræ autem quibus Rubeus cœnobia virorum fundari permisit, hunc habent tenorem:* Nos, Fr. Joannes Baptista Rubeus Ravennas, Prior Generalis et humilis servus Fratrum ac Monialium Sacri Ordinis B. Virginis de monte Carmelo, Dei F Genitricis, omnibus has litteras et patentes nostras lecturis dulces Spiritus Sancti inspirationes apprecamur. Dicimus et cum veritate dicere possumus quod zelus honoris Dei et profectus religiosorum ac religiosarum hujus Ordinis, tam antiqui atque a serenissima Cœli Regina tantopere amati, assidue viscera nostra comedit et ad sollicitudinem spiritualem exstimulat: quodque valde dolemus quando ingentes fructus non cernimus in vinea Carmeli, plantata atque rigata lacrymis et aqua ac sanguine Lateris Christi; imo vero omni sanguine Sacratissimi Corporis ejus ac pœnis amaritudinibusque Sacrosanctæ Mortis ejus ac Passionis. Cuperemus ut omnes religiosi hujus Ordinis filii clara essent specula, lampades ardentes, incensæ faces et splendescentes stellæ ad illuminandum juvandumque eos qui in mundo hoc peregrinantur. Et ideo præcipue optamus ut totos se in continuam ac familiarem cum Deo tractationem impendant; atque per orationem, sanctis meditationibus contemplationibusque intentos, tam arcte se ei unire conentur ut spiritus suus, quamvis adhuc carne impeditus, jam in cœlo vivat et corpori tantum ad meram necessi-

AUCTORE V. D. M.

tatem serviat, eique illas solum procuret vires quæ sufficiant ut impleatur sanctorum operum multitudine, non vero fictitiis titulis, abundantia atque apparatu victus, vestitus aliorumve temporalium commodorum; sed in spiritu et veritate, cum serpentium prudentia et simplicitate columbarum: quo vivant immunes ab omni eo quod destruere possit atque ex anima evellere sanctum candorem ac puritatem ardentis amoris et caritatis Dei, sui obliti atque in frequentes altasque elevationes absorpti; quæ quidem, quia ordinaria non adveniunt via, explicari nequeunt. Quarum lux nunc transit velociter, nunc inhæret ac circumducitur animæ, nunc recedit et sese reducit in ejus intimum centrum, nunc videtur etiam discurrere, volare, ascendere atque descendere (quin possit mens vitæ hujus maxime perita eam assequi), relinquens lacrymas in oculis, in corde vero rorem suavissimum atque utilissimum.

virorum primævam Carmeli regulam profitentium duo erigantur cœnobia.

404 His itaque moti desideriis quæ pro augmento nostræ Religionis fovemus, debere nobis videmur justis quorumdam postulationibus annuere, quibus petitur ut permittamus ac licentiam demus ut possint fieri et accipi quædam domus religiosorum Fratrum nostri Ordinis, in quibus occupentur celebrandis Sacris et recitandis canendisque Officiis divinis, vacando horis congruis orationi, meditationi aliisque exercitiis spiritualibus, ita ut vocentur et sint domus ac monasteria Carmelitarum Contemplativorum; item ut juvent proximos, si qui se offerant: vivendo secundum constitutiones antiquas, forma a nobis ordinanda, sub obedientia Reverendi Provincialis pro tempore existentis vel extituri. Quare, sancto zelo permoti, ex auctoritate nostri Generalis officii, tenore præsentium facultatem damus ac potestatem Reverendis Patribus Magistris Fr. Alphonso Gonzalez, provinciali Castellæ, et Fr. Angelo de Salazar, priori conventus nostri Abulensis, recipiendi nostri Ordinis nomine duas domus cum ecclesiis, nostræ professionis, nostræ obedientiæ nostrique habitus, sub forma contenta et per extensum declarata in nostris Actis; ac statuendi in dictis domibus Priorem et Fratres qui voluerint vivere in omni reformatione et progredi in perfectione vitæ regularis Carmelitanæ, de qua vere dicere licet non inveniri aliam ea perfectiorem, uti in regula primitiva videri potest. Atque ut omnia cum humilitate et obedientia fiant, ordinamus ut nulla domus accipiatur nisi ante obtenta fuerit benedictio Reverendissimi Ordinarii. Nulli vero ex nostris inferioribus liceat impedire id quod facient dicti Reverendi Patres, ambo in hoc opere juncti, secundum formam nostris litteris contentam, sub pœna privationis loci ac vocis, et exilii ex nostra provincia Castellæ. Quorum in fidem præsentes conscribi jussimus, nostra manu firmatas et Ordinis nostri sigillo munitas. Valentiæ, XIV Augusti 1567. Ita observari præcipimus. Fr. Joannes Baptista Rubeus, Generalis Carmelitarum.

§ XXII. It Methymnam Campestrem, ubi alterum fundat virginum monasterium.

Vespere illius diei qua ultimæ quas retuli Generalis Rubei litteræ scriptæ fuere, S. Mater Methymnam Campestrem novi monasterii fundandi ergo advenit. Est Methymna quæ Campestris dicitur, hispanice autem Medina del Campo (*nam nomen* Medina, *quod arabice* oppidum *significat, multis per Hispaniam locis commune est:* Medina Celi, Medina Sidonia, Medina del Pomar, Medina del Rio seco, Medina de las Torres), *est, inquam, Methymna Campestris vetusta urbs regni olim Legionensis in limite Castellæ Veteris, media inter Salmanticam ac Vallisoletum via: pro recentiori vero Hispaniarum divisione ipsi Veteri Castellæ addicitur. Splendida antiquitus ac multo quam hodie populosior, mercatibus ac soli fertilitate opulenta; ad hæc tantis dotata privilegiis ut scuto suo non dubitaverint cives inscribere:* Ni el Papa beneficio ni el Rei oficio, *id est:* Nec Papa beneficium nec Rex officium; *clara demum, ut cætera decora præteream, natalitiis Ferdinandi I regis Arragoniæ et Ferdinandi I imperatoris: nunc etiam ædificiorum elegantia alioque ornatu fulget. Collegium Societatis Jesu inchoatum inibi fuit anno* 1551 *munificentia Roderici Dueña, civis pii ac divitis; atque illud dein reditibus, domo ampliori ac templo auxit Petrus Quadratus mercator, prorsus uti eidem Petro prædixerat olim Antverpiæ S. Ignatius. Hujus itaque collegii Patres in auxilium advocare S.* Teresia *in animum induxit.* Erant enim, *inquit capite* III, Patres illi Methymnensibus perquam accepti et grati, ipsisque ego (uti in primi monasterii fundatione scripsisse memini) ad multos annos animæ meæ statum et negotia credideram, et, quoniam hæc multum per eos boni acceperat, hinc particulari quodam erga ipsos amore et affectu semper fui. Ergo collegii Methymnensis rectori perscripsi, quid P. N. Generalis mihi mandasset. Rector hic erat is quo ad multos annos confessario usa eram, uti alias dictum, esto eum non nominarim: nomen ei est Balthasar Alvarez, qui modo provincialem agit. Is ergo et reliqui socii dixere facturos se hac in re quodcumque possent; et certe non segniter in eam incubuere, ut tum a populo, tum a præsule facultatem impetrarent: quod enim monasterium mendicato victurum esset, magnæ undequaque in eo admittendo difficultates suboriebantur; unde ad aliquot dies negotii persecutio dilata est.

Methymnam Campestrem, aditu a Patribus S. J. parato,

406 Ad hunc ergo misi sacerdotem quemdam, insignem Dei famulum, a mundi hujus rebus quam alienissimum, et orationi mire deditum. Sacellanum is agebat in monasterio in quo ipsa agebam. Eadem huic Dominus desideria inspirabat quæ mihi, eademque ambo collineabamus; unde etiam insignem hac in re mihi operam (uti postea videbitur) navavit. Vocabatur autem Julianus de Avila. Etsi vero fundandi facultatem haberem, domum tamen et obolum ad eam coemendam non habebam, fidejussorem vero et fidem (ut in nulla omnino re fiderem, nisi eam Dominus dedisset) quomodo habere posset peregrina, qualis ipsa eram? Providit ergo Dominus ut virgo quædam virtutibus comprimis ornata, cui in S. Josephi monasterium admittendæ locus non fuerat, audito novam domum parari, me accesserit, rogans ut ipsam in hanc admitterem. Habebat hæc aliquantum pecuniæ, quæ tamen tam copiosa non erat ut domus ex ea emi, sed conduci tantum posset. Unde etiam quamdam conduximus, et reliquum argenti in viæ commeatum cedere debebat.

et pia quadam virgine pecuniam conferente,

407 Sine ullo igitur, præterquam hoc, subsidio Abula egressæ sumus, duæ moniales S. Josephi, ego et quatuor e conventu Incarnationis (locus is est in quo regula mitigata et laxata servabatur, et in quo ipsa agebam antequam S. Josephi domus erigeretur), comitante nostro sacellano Juliano de Avila. Ut primum ea res in civitate Abulensi innotuit, maxima

Sancta proficiscitur cum sex sociabus;

A maxima concitata est commotio et murmuratio : alii quippe me stultam esse dicebant, alii temerarii et inepti hujus cœpti finem exspectandum censebant. Episcopo vero (prout post ipsemet mihi retulit) maxima id stoliditas videbatur, esto tum quidem id mihi non dixerit, nec me impedire voluerit (quod me plurimum diligeret) neque me contristari. Amici mei satis id mihi prædixerant. At ego parum hæc omnia morabar; quod adeo mihi facile et expeditum videretur id quod ipsi ut incertum et anceps habebant, ut persuadere mihi non possem fore ut id non bene succederet.

quas ibi, dum empta domus concinnatur,

408 Abula priusquam digrederemur, cuidam Ordinis nostri Patri, cui nomen Antonius de Heredia (qui tum in Fratrum monasterio quod ibi Ordinis Carmelitani erat, a S. Anna cognominatum, priorem agebat), scripsi ut domum mihi emeret. Hac super emptione is cum quadam matrona sibi devota egit, quæ domum, sed pene præ vetustate collapsam, quarta parte excepta, habebat, at loco commodissimo sitam. Tam vero ipsa facilis et bona fuit, ut eam illi se venditurum sponderet; atque etiam inter eos de pretio convenit, nullo qui fidejuberet, aut alia certitudine quam ipsius promisso,
B exacto : et sane, si fidejussorem sponsionemve aliquam petiisset, nullam dare potuissemus. Sed Dominus omnia ita disponebat. Domus hæc ita ruinosa et confracta erat, ut, interim dum restauraretur (erant autem ibi multa instauranda), aliam illam nos conducere opus fuerit. Cum ergo prima die vesperi, et ob incommoda quæ in via habueramus defatigati, Arevalum intraremus, sacerdos quidam, amicus noster, nobis obviam processit, qui nobis apud devotas aliquot mulieres hospitium pararat; dixitque mihi secreto non habere nos domum, quod quam habere putabamus, Augustinianorum monasterio vicina esset, et hos omnimodis obstare ne ibi habitaremus : unde necesse esset lite nos rem dirimere.

in conductitia domo aliquamdiu collocare intenderat.

409 Deus bone, quando tu, Domine, animum das, quam parum omnes adversantium contradictiones efficere possunt! Imo vero magis hoc animasse videtur, quod jam tum cacodæmon turbas conciere incipiebat, eo quod Dominum monasterii hujus opera uti velle videbat. Dixi tamen sacerdoti taceret, ne socias meas turbaret, et maxime duas ex monialibus conventus Incarnationis : reliquæ enim, quicumque demum occurrerent labores, mei
C causa libenter subituræ fuissent. Illarum duarum altera subpriorissam tum in Incarnationis agebat, et multimodis ei, ne inde digrederetur, varii persuadere conati erant : ambæ vero primarios quosque in civitate sanguine et genere attingebant, illisque omnibus invitis me secutæ erant; nullus enim non stolide et inconsiderate eas agere censebat. Deinceps vero vidi merito illos sic sentire. Verum cum Dominus aliquod monasterium me vult fundare, nihil mihi spiritus meus cogitare aut admittere posse videtur, quod me, quominus ipsum fundem et opus exequar, impediat, nisi postquam res jam confecta est : tunc quippe omnes difficultates simul et semel sese mihi repræsentant, uti postea suo loco referam.

Verum, ut litem cum PP. Augustinianis vitet,

410 Ut vero in præparatum locum veni, intellexi Fratrem quemdam ex ordine D. Dominici eo in loco agere, insignem certe Dei famulum, quo confessario usa fueram dum in S. Josephi Abulæ agerem : quia vero, illius domus fundationem describens, multa de ipsius virtutibus locuta sum, hinc aliud de eo hic non dicam quam ejus nomen, quod est P. F. Dominicus Bañez. Vir est apprime doctus, singularisque discretionis, cujus e judicio directionequ omnia mea agebam; ipse vero id quod aggrediebar opus, non existimabat arduum atque laboriosum ut cæteri, imo facilem ejus eventum spondebat : quo enim quis Deum magis cognoscit, eo etiam illius opera ei faciliora redduntur. Hinc, tum ob gratias nonnullas quas sciebat Majestatem ipsius mihi fecisse, tum ob ea quæ in S. Josephi fundatione evenisse mira viderat, omnia ei quam maxime possibilia videbantur. Ut illum ergo conveni, non parum recreata sum; illius enim judicio directioneque omnia quam felicissimum mihi exitum habitura persuadebam. Is cum me adiisset, quid rerum ageretur, illico aperui : spem vero ipse mihi fecit brevi ac facile cum PP. Augustinianis negotium confectum iri. At mihi mora omnis nimis quam longa videbatur, quod nescirem quid de tot monialibus, quas mecum duxeram, agerem. Unde omnes magnis in angustiis et anxietatibus noctem illam traduximus, quod jam tum omnibus in domo ea res innotuisset. AUCTORE V. D. M.
D

ad emptam domum

411 Ecce autem postridie mane Antonius de Heredia, Carmelitarum ibidem agentium superior, appulit, dicens domum illam quam coemerat, utcumque commodam videri, et vestibulum sacello adaptando, additis peristromatis nonnullis, satis idoneum habere. Hoc ergo consilium placuit omnibus; mihi saltem quam optimum esse videbatur : nam, quod minimam habebat moram et minus requirebat temporis, ipsum erat quod nobis convenientissimum erat; tum quod extra monasteria nostra essemus, tum quod jam aliqua excitata esset commotio et contradictio, qualem in prioris monasterii fundatione experta eram. Itaque quam maxime volebam, ut, priusquam in populo res innotesceret, possessio caperetur; et, ut ea caperetur, omnes operam dedimus et voluimus; cujus opinionis quoque fuit R. P. Dominicus Banez.
E

ipsa adventus sui nocte se confert;

412 Pridie festi assumptæ in cœlum Virginis Methymnam duodecima noctis hora appulimus, et ad monasterium S. Annæ primum divertimus, ut omnis sine ullo strepitu res peragerctur; inde mox pedibus ad domum designatam perreximus. Magnum porro et evidens divinæ misericordiæ argumentum fuit, quod in aliquem non inciderimus eorum qui tauros postridie festi agitandos cunabulis eadem hora inclusum ibant : nam quod rei quam moliebamur, usque adeo intentæ essemus et in eam velut absorptæ, hinc ad nihil pene reflectebamus. At Dominus, qui curam gerit eorum qui
F unicum illius honorem et obsequium propositum habent, ab omni nos periculo liberavit; nam certe alium scopum et intentionem hoc in opere non habebamus. Ut ergo in designatum locum ventum est, in patentem quamdam aream admissæ sumus, cujus parietes hinc inde collapsos et admodum luxatos conspexi; sed tunc non tantum id apparebat quantum de die. Videtur porro Dominus voluisse ut bonus ille Frater cæcutiret, dum locum illum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento collocando admodum importunum et inconvenientem esse non vidit. Vestibulum namque cum vidissemus, comperimus ipsum terra oppletum esse, eamque ante egerendam; dein tectum cœli injuriis pervium et parietes ejus minime incrustatos esse.

et sacellum in ea utcunque adornat,

413 Breve erat quod restabat noctis, et nonnisi pauculos (credo fuisse tres) omni illi vastitati, quam vestibulum habebat circumcirca, convestiendæ tapetes habebamus; qui certe velut nihil erant. Equidem quid agerem nesciebam, quod locum illum altari erigendo minime idoneum viderem. Contigit vero (Deo, qui rem quamprimum confici cupiebat, dante) matronæ illius œconomum

AUCTORE V. D. M.

nomum multos illius tapetes in domo hac asservare, quin et lecti stragula e serico Damasceno cæruleo : injunxerat autem hæc illi ut quibuscumque opus haberemus, nobis subministraret; erat quippe admodum pia. Ut ergo tam bonum vidi apparatum, Dominum dilaudavi, uti et comites meas eum laudasse credo; sed carebamus clavis, nec tempus ad eos emendos jam erat, utpote nox : sed eos hinc inde per parietes conquisitos extrahebamus. Tandem omne quod necessarium erat, magno cum labore inventum. Hinc certatim omnes operi incumbere incipiunt : viri suspendunt tapetes, nos terram egerentes locum mundamus. Adeo vero non segnes fuimus, ut, cum illuxisset, altare jam adornatum et instructum esset, et campanula in porticu quadam suspensa.

cui mane infertur SS. Eucharistia.

414 Hoc quidem satis ad capiendam possessionem erat; sed hic non hæsimus, verum et Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum intulimus, atque per januæ cujusdam, quæ ex opposito erat, rimas, Sacrum Missæ audiebamus : neque enim alia ad hoc erat commoditas. Magnæ id mihi lætitiæ occasio erat, gaudebamque plurimum : etenim permagnæ mihi consolationi est unum amplius templum videre, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum habeatur. Sed perbrevis ea mihi fuit : etenim cum, Sacro jam peracto, per fenestram in aream subjectam despexissem, aliquibus in locis parietes ejus penitus in terram collapsos et ita prostratos vidi, ut nonnisi complurium dierum opera erigi posse viderentur. Ah, cum divinissimum Altaris Sacramentum atque ipsam Dei Majestatem pene sub dio et in platea expositum vidi, præsertim temporibus hisce periculosis ob nefariam hæreticorum perditorum audaciam ac licentiam, qualis cor meum occupavit angustia et afflictio!

Mœstus dein anxiusque Teresiæ *animus*

415 His accedebant omnes illæ difficultates et contradictiones, quas contra opponere poterant illi qui multum operi huic adversati et oblocuti erant : quin adeo persuasum habui, et liquido intellexi, non sine ratione illos ad opponendum se moveri. Adhæc penitus impossibile mihi videbatur ea quæ jam cœpta erant, ulterius prosequi et promovere : nam, sicut initio omnia mihi nimis quam facilia et expedita videbantur, quod propter Deum res omnis fieret, ita nunc ejus potentiam tentatio ita imminuebat, nullam prorsus ut ab eo gratiam recepisse viderer; ac vilitas et impotentia mea solum mihi assidue ob oculos versabantur : cumque re tam fragili et imbecilli me niti viderem, quem bonum successum sperare poteram? Videbar porro mihi, si sola fuissem, quietior et tranquillior futura; at quod verebar ne sociæ meæ, ob magnam illam quam, quod proprio egressæ essent monasterio, ab aliis perpessæ erant oppugnationem, retro unde venerant reverterentur, non mediocriter in animo sum anxiata. Videbatur quoque mihi, gravi hoc sub initium errore admisso, quidquid antea Dominum facturum intellexeram, nihil futurum et in auras abiturum. Ex quo etiam mox ille subnascebatur timor ne illusio esset quidquid hactenus in oratione didicissem; quod pressurarum omnium, certe non minima, sed maxima erat : maximus enim me occupabat timor ne suis me diabolus præstigiis et technis deciperet. Quid est, Deus meus, videre animam quam tu affligi et angustiari sinis! Sane cum hujus afflictionis, nec non aliarum nonnullarum quas in horum monasteriorum fundationibus experta sum, memini, omnes pœnæ corporales (tametsi eas etiam passa sim gravissimas) nihil mihi esse videntur, si cum hisce conferantur.

416 Hanc autem pressuram, quæ certe non vulgariter me cruciabat ac lancinabat, apud sodales meas dissimulabam, ne, nova hac ad priorem desolatione accedente, ipsas opprimerem et dolorem dolori adderem. Duravit autem hæc usque ad vesperam, cum quidam a rectore collegii Societatis Jesu submissus Pater mentem prostratam verbis erexit, et animum mœrentem est consolatus. Huic tamen omnes, quibus tunc premebar, angustias non aperui, sed eam tantum quam sentiebam inde quod velut in publico et propatulo commoraremur. Petii itaque ut laxiores, ad quas transiremus interea dum hæ restaurarentur, ædes nobis conquireret ac conduceret, de pretio nihildum sollicitus esset. Inde vero dispelli mea nonnihil anxietas cœpit, quod multos ad ædem nostram confluere, eorum vero nullum temeritatem et stoliditatem nostram sugillare cernerem : quod non sine singulari Dei providentia factum est; nam si nobis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum abstulissent, id jure meritoque fecissent. Jam vero meam considero inconsiderantiam et stuporem, nec non omnium cæcitatem et inadvertentiam, quod ipsum inibi tolerarint. Ego autem mihi persuadebam, illo nobis ablato, omnia quodammodo in nihilum recidere, et cœpta omnia disturbari. Magno quidem sunt studio hujusmodi ædes conductitiæ conquisitæ, sed non inventæ : unde me noctu et interdiu ingens sollicitudo tenebat; verebar enim ne, custodibus qui identidem de nocte actis excubiis hierothecam custodiebant, dormitantibus, quis eam surriperet. Unde sæpius per noctem surgebam, per fenestram exploratura num vigiles essent; quod facile, fulgente luna, videre poteram. Per omnes illos dies multi ad nos confluebant, quibus non solum non malum apparebat, sed etiam ad devotionem excitabat, quod isthoc in vestibulo iterum divinissimum Sacramentum collocatum esset; et sane videbatur Majestas illius (utpote qui numquam in se nostri causa humiliando defatigatur) inde nolle discedere.

erigitur alloquio cujusdem e Soc. Jesu et pio civium ad sacellum concursu.

417 Jam octo transierant dies, cum mercator quidam, angustias domus nostræ videns, dixit ut in superiorem domus suæ (quam ipse satis commodam et amplam habebat) partem transiremus; in ea nos ut in propria agere posse. Habebat hæc atrium spatiosum et deauratum, quod ille nobis in templi usum cessit : et matrona quædam, cui nomen Helena de Quiroga, insignis Dei ancilla, mihi se pecunias suppeditaturam dixit, ut ex iis quamprimum sacellum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento decenter collocando excitaretur, nec non alia domus nostra sic restauraretur ut ab populo sequestratæ essemus. Alii quidem multi satis abundanter eleemosynis suis victui necessaria nobis suppeditabant, at nullus hac muliere in nos fuit profusior. Tum demum majorem habere quietem cœpi; quod in domo ad quam transieramus, majore gauderemus solitudine et claustro, et jam officium Horarum dicere inciperemus. In aliis autem ædibus instaurandis bonus prior Heredius celeritate mira usus est; at, licet rem assidue laborando perurgeret, nihilominus ante bimestre necessaria instauratio confici non potuit. Sed ea, utcumque fuerit, talis tamen fuit ut ad annos aliquot satis tolerabiliter illic simus commoratæ; postea vero, Domino subministrante, in meliorem omnia formam redacta sunt.

Perficitur demum monasterium

418 Tametsi hæc tum quidem agitarem, interim tamen priorem illam de monasteriis virorum excitandis cogitationem identidem animo versabam, et, quod nullum prorsus animo ad id paratum scirem (uti dictum est), quid agerem nesciebam. Decrevi

Primævam Carmeli regulam se secuturos spondent P. Antonius de Heredia

A crevi itaque priorem Heredium hac super re convenire, et explorare quidnam is in ea mihi consuleret. Quod cum feci, incredibili is perfundi cœpit gaudio, ac primum qui institutum hoc auspicaretur, fore se respondit. Ejus ego verba parvi pendi, nec curavi : quamquam enim eum et bonum virum et religione et studio ac solitudine monastica singularem hactenus fuisse non ignorabam; mihi tamen delicatioris naturæ, nec ad austeritates factus, et ei qui subeundus erat rigori severitatique vitæ ad finem usque continenter ferendæ impar videbatur. Is contra mihi jam dudum se, Deo suggerente, ad vitam austeriorem aspirasse, et propterea Carthusianum Institutum amplecti (ad quod ab ipsis etiam admissum jam erat) in animo habuisse dixit. Verum satis hæc verba mihi non erant, esto viri generositas et propositum mire mihi placerent. Unde eum rogavi ut aliquantisper negotium hoc manu deponeret, et interim privatim, et velut in umbra, periculum faceret ejus quod promissurus erat voto. Antonius morem gessit, et anno integro tirocinium illud subiit. In quo tantis malevolorum calumniis et persecutionibus, ac tot tamque frequentibus laboribus est exagitatus, ut illum Dominus probare voluisse
B videatur. Ipse vero ita viriliter omnia sustinuit, et tantum inde in spiritu profecit, ut Dominum ipsa mirum in modum laudarim; ut jam tum illum Majestas ipsius ad hoc disponere videretur.

ac S. Joannes a Cruce.

419 Non multo post, alium ejusdem Instituti religiosum, ætate juvenem, Salmanticæ tum litteris operam dantem, una cum socio huc appellere contigit. Socius mihi multa de ejusdem probitate et religione narravit : nomen vero huic erat Joannes a Cruce. Ego Domino propterea quam potui maximas egi gratias; cumque eum coram convenissem, mire mihi placuit, et ex eo intellexi ipsum de Carthusiano Instituto assumendo cogitare. Illico ego mentem meam aperui, rogavique non ante ad novum illud Institutum capessendum animum adjiceret, quam nobis aliquod Dominus monasterium dedisset; longeque utilius et ad majorem Dei gloriam futurum ostendi, siquidem ad majorem perfectionem aspiraret, eam in Ordine exerceret ad quem primo vocatus esset. Fidem Joannes dedit, modo æquo diutius istius monasterii erectio non differretur. Jam tum ego rem totam confectam habere putabam, quod duos Fratres ad fundamenta jacienda et ad incipiendum haberem, etsi Antonius mihi usque-
C quaque non satisfaceret : itaque rem aliquantulum distuli, eo imprimis quod deesset locus in quo eam auspicarer.

Monialium Teresianarum æstimatio apud Methymnenses.

420 Crescebat porro indies monialium apud Methymnenses æstimatio et nomen, ac singularem hi in ipsas amorem et affectum ostendebant; et, prout mihi quidem videtur, merito : neque enim aliud pro se quæque spectabant quam qua ratione Domino magis servire possent. Eamdem vero vivendi rationem sequebantur quam quæ in S. Josephi Abulæ agebant, quod eamdem utræque regulam et constitutiones haberent. Unde etiam Dominus virgines nonnullas ad habitum nostrum assumendum permovit; quibus tam singulares et eximias faciebat gratias, ut mecum ipsa mirarer. Sit is in æternum benedictus. Amen. Videtur quippe aliud non spectare et intendere quam amari ut amet. *Quod hic generatim Sancta enuntiat de sanctis moribus monialium Methymnensium, id ipsum, pluribus adductis exemplis, specialius demonstrat auctor Chronici* (*lib.* II, *cap.* VI *et* VII). *Hæc tamen, licet non parum* S. Teresiæ, *talium prolium Matris, gloriam amplificent, in campum nimis latum et operosum me deducerent quam ut queam singulis inhærere; conjunctim potius alibi de iis tractaturus : quod monitum similiter lectorem volo pro cæteris quæ subsequentur fundationibus. Nec multus quoque ero in explicandis iis quæ de S. Joanne a Cruce modo occurrebant, et porro adhuc occurrent, ne videar partes ejus usurpare qui ad* XXIV *Novembris vitam illius Sancti, Deo dante, commentabitur. Proin, omisso etiam itinere Complutensi, quod a Sancta post Methymnensem fundationem susceptum Ribera narrat* (*lib.* III, *cap.* V), *stylum transferamus Malagonem ac Vallisoletum. His nimirum in locis anno* 1568 *duas fecit fundationes, quas capitibus* IX *et* X *describit.*

AUCTORE V. D. M. D

§ XXIII. Erigit tertium monialibus suis cœnobium Malagone : scholam puellarum ibidem creandam curat. Librum Vitæ suæ mittit ad Ven. Joannem de Avila. Vallisoleti initium dat quarto suo monasterio. E

Aloisia de la Cerda reditum annuum offerente,

De fundatione quidem Vallisoletana prius agi cœptum est quam de Malagonensi; verum hæc ante illam in opus deducta est, et ideo priori loco a S. Teresia *describitur his verbis :* Agebat tum Toleti ducis Methymnæ Celi soror (*Aloisia de la Cerda*), cujus in ædibus superiorum imperio (uti pluribus in fundatione Abulensi declaravi) ad dies aliquot egeram. Hæc, cognito mihi alia fundandi monasteria factam a superioribus copiam esse, summis me precibus urgere cœpit ut suo item in oppido Malagone cœnobium constituerem. Initio id detrectavi, nec admittere volui, quod oppidum id tam esset exiguum ut necessario domicilium id annuis stabiliendum esset proventibus, quo vitæ subsidia necessaria moniales haberent; a quo ipsa quam maxime abhorrebam. Unde cum viris litteratis, et imprimis quodam e confessariis meis, rem contuli : qui male me agere asserebant; cum enim Sacri Concilii Tridentini auctoritate annui reditus monasteriis concederentur, minime videri fundationem monasterii, in
F quo Deo tantum (ut mihi quidem videbatur) præstari obsequium poterat, omittendam. Adhæc accedebant frequentes importunæque matronæ illius preces; unde non potui ipsum non admittere. Attribuit hæc quam liberalissime quæcumque annuatim necessaria erant. Ejus namque semper opinionis sum, ut vel monasteria nostra plane censibus careant, vel, si habeant, adeo illi sint uberes ut a quoquam vitæ suæ necessaria emendicare moniales non cogantur.

Sancta Malagone monasterium instituit.

422 Equidem omnibus quibus potui viribus contendi efficere ne qua monialium quid proprium possideret, sed ut constitutiones per omnia, sicut in aliis monasteriis paupertatem profitentibus servabantur, unaquæque servaret. Fundationis tabulis jam confectis, moniales aliquot, quæ hujus initia ponerent, evocavi; quibuscum una cum prædicta matrona Malagonem concessimus. Quo cum perventum esset, octiduo eoque amplius in quadam castelli illius parte egimus, quod nondum esset designata domus habitationis religiosæ usibus parata. Dominica igitur Palmarum anno Domini

AUCTORE V. D. M.

A MDLXVIII, præeunte oppidanorum supplicatione, palliis nostris albis indutæ et velis faciem opertæ, ad templum loci deductæ sumus; inde, postquam habita fuit concio, Sanctissimum Altaris Sacramentum ad monasterium nostrum perlatum est, quod magnum in omnibus pietatis sensum movit. Aliquot autem diebus hic hæsi; et cum quodam tempore, sumpta Sacra Communione, orationi insisterem, Domino revelante didici fore ut magnum ipsi isthac in domo obsequium præstaretur. Vix bimestri toto illic hæsisse mihi videor, quod me spiritus urgeret et quodammodo compelleret ut ad conventum Vallisoletanum fundandum abirem.

Cui, priusquam inde abit,

423 *Nempe Malagonem* Teresia *reliquit* XIX *Maji, uti patet e litteris quas pridie illius diei ad Aloisiam, tunc in Andalusia versantem, scripsit* (*tom. III, epist.* 4). *Biduo post, uti ostendunt aliæ ad eamdem matronam litteræ* (*tom. IV, epist.* 11), *comite parocho Malagonensi Toletum advenit, affecta adeo graviter æstu solis valetudine ut bis venæ incisione, semel cathartica potione ægram sublevari oportuerit. Postridie Ascensionis Domini, quæ eo anno in* XXVII *Maji incidebat, Toleto Escalonam se contulit, quo a marchionissa de Villena y Escalona invitabatur. Transacta ibi die Dominica, demum feria quarta, die scilicet* II *Junii, Abulam attigit* (*tom. IV, epist.* 12); *inde post festum SS. Petri et Pauli, ut scripsit die illius mensis* XXIII *ad Aloisiam de la Cerda* (*tom. II, epist.* 10), *Vallisoletum petere intendens. Interea vero quam Abulæ consistebat, eam convenit Raphael Megia Velasquez de conventu virorum Durveli excitando, uti alibi exponendum erit. A vera hac certaque chronologia erravit auctor Chronici, quippe multarum litterarum Teresianarum quas modo habemus, ope ac lumine destitutus, atque adeo ad rem conjectura prosequendam coactus. Iisdem ex litteris plura alia facta innotescunt nobis, quæ vetustos S. Virginis biographos vel partim vel omnino fugerunt. Quare præcipua hic annotabo, quædam etiam aliunde hausta adjuncturus.*

B

bonum assignat confessario.

424 *Ac primo quidem quoad fundationem Malagonensem. In hac egregiam S.* Teresiæ *operam navaverunt tum loci parochus, cui confessa fuisse dicitur in Chronico* (*lib.* II, *c.* XI, *n.* 3), *tum administer Aloisiæ Cerdiæ, tum denique Alphonsus et Antonius de Cabria, necnon Carlevalius quidam, cujus fratrem* Teresia *proficiscens reliquit Malagone, ut novo monasterio esset a confessionibus. Valde laudatur hic confessarius a vitæ sanctitate atque eximia rerum spiritualium experientia; quas ob dotes meruit ut a S. Virgine appellaretur homo Dei, ac suo in munere nulli quam P. Paulo Hernandez S. J. secundus diceretur. Moniales sua ex parte talem se nactas directorem gratulabantur; atque uti numero, sic religiosa perfectione brevi tempore mire crescebant : ut adeo nihil esse S. Mater testetur quod ultra desiderare potuisset. Credibile est aliquid etiam operæ spiritualis iis collatum fuisse ab eo quem statim nominabam, P. Hernandezio, quem Toleti arbitrum conscientiæ adhibere* Teresia *consueverat, quique etiam ad eam Malagone laborantem excurrit aliquando : sed plura de eo dicenda erunt ad fundationem Toletanam.*

C

Curat puellarum scholam ibidem erigendam

425 *Porro Sancta nostra municipium Malagonem non tantum ornavit monasterio; verum etiam utili quodam instituto dotavit, de quo hæc ipsa memorat :* Deliberatum habemus accersere mulierem valde Theatinam (*id est imbutam spirituali Patrum S. J. disciplina; nam hi tunc temporis in Hispania vulgo* Theatini *audiebant*), quæ sumptibus domus victitans, gratis puellulas doceat muliebres labores; atque sub eo prætextu doctrina Christiana ac pietate, quæ res est maximi momenti, erudiat. Insuper D puerum et pupillam aliquam quæ iis famuletur, conquiri jussit Carlevalius, ipse quoque cum parocho doctrinam Christianam traditurus. Spero in Domino fore ut prosperum successum res habeat. Ut autem summatim omnia complectar, plaudo mihi laborem isthunc : tu vicissim et tibi plaudas velim, nec vereare ne meo abitu de domus illius religione quidquam detrahatur. Equidem sic mihi in Deo persuadeo, et pietate monialium, quæ plurima est, et opera confessarii juxta ac parochi, qui illarum non obliviscetur, effectum iri ut magis indies ac magis progrediantur. *Hæc Sancta* (*t. IV, epist.* 11).

et librum Vitæ suæ ferendum ad Ven. Joannem de Avila,

426 *Aliud insuper quod e citatis hoc paragrapho litteris eruitur, est illud quod jam dicam. Aloisiæ de la Cerda proficiscenti in Andalusiam commiserat S.* Teresia *Vitæ suæ relationem, a Joanne de Avila examinandam. Ut celebrem hunc vitæ spiritualis magistrum Sancta consuleret, hortator fuerat Franciscus de Soto y Salazar, Fidei Inquisitor* (*videsis epistolam* 19 *tomi I, quam fere integram Ribera refert lib.* IV, *cap.* IV). *Mandati executionem Aloisia remorabatur, præstolans nescio qua de causa P. Gasparem de Salazar S. J., rectorem antea Abulensis,* E *tunc vero Mancenensis in Andalusia collegii* (*Hist. Soc. Jesu, part.* III, *lib.* III, *n.* 194). *Moræ pertæsa* Teresia *hæc totidem verba ad Aloisiam ea super re scripsit* (*tom. III, epist.* 4), *e quibus cernas quanti Joannis de Avila judicium ac sententiam faceret :* Intelligere nequeo quid adhuc differas commentarium hunc meum ad magistrum Avilam destinare. Næ, per Dei caritatem, hac ipsa hora tabularium mitte : audio enim dici non amplius esse illuc iter. Salazarium si exspectas, perperam facis : quoniam ne te quidem, si rector est, nedum P. Avilam adire poterit. Ergo, si adhuc facta missio non sit, quam primum fiat obsecro. Nam revera dolui rem infectam hactenus fuisse, astu fortasse diaboli. Dominum licentiatum (*erat is quidam Aloisiæ sacellanus*) monueram ut, si quando iret, libellum eo asportaret : sed dæmoni, credo, molestum est sancti viri oculis eum subjici. Iterum proin atque iterum insto, negotium hoc meum expedias, et facias id quod te Tolcti rogaveram. Pluris quippe interest quam putas. *Et denuo post paucos dies :* Timeo, *ait* (*tom. IV, epist.* 11), ne diaboli artibus meum illud scriptum numquam videat magister Avila, imo ne ante moriatur quam videre possit; quod foret plane F dolendum.

qui eum approbat.

427 *Devenit tandem libellus in manus magistri Joannis; qui, eo diligenter perlecto atque excusso, affirmavit S. Matri per litteras, datas Montillæ* XII *Septembris* 1568, *negotium omne a Deo esse : quare formidaret nihil, sed prorsus secura ac tranquilla viveret. Has ego litteras, ut exemplo simul et verbis utar Ven. Ludovici Granatensis in Vita R. P. M. Joannis Avilæ* (*part.* I, *cap.* III, § II), quia prolixiores sunt, et argumenta tractant admodum spiritualia ac delicata, quibus capiendis quivis non est, hic ponere prætermitto. *Legitur et altera Venerabilis viri ad S.* Teresiam *epistola de eodem argumento, quam scripsit* XII *Aprilis* 1569, *paucis ante obitum suum hebdomadibus. Namque mensis Maji insequentis die* X *ex hac vita emigravit.*

Ut juvenem nobilem, qui domum dederat, e purgatorio liberet,

428 *Redeundum modo ad librum Fundationum, in quo se offert fundationis Vallisoletanæ historia.* Quatuor, *inquit Sancta,* aut quinque circiter ante mensibus quam Malagonensis domus fundaretur, egerat mecum adolescens quidam equestri dignitate nobilis, paratissimum sese dicens, si Vallisoleti fundare conventum vellem, domum quam illic habebat, necnon

A necnon bonum magnumque ei contiguum hortum, qui amplam satis habebat vineam, mihi eidem fundando offerre. Ejus ut possessionem quamprimum caperem, identidem me urgebat. Magni certe ea pretii erat. Ego porro illam acceptavi, esto ad fundandum illo in loco monasterium non admodum propenderem, quod quarta prope leucæ parte urbe is abesset : at putabam nos haud ægre inde in urbem commigrare posse, semel illic possessione accepta. Quod ergo is tam gratanter et libenter donationem illam offerret, non potui tam bonum ejus opus non admittere, aut devotionem ejus perturbare. Exinde duo propemodum effluxerant menses, cum repente acri symptomate is opprimitur, et adeo quidem præcipiti, ut omni linguæ privatus usu, peccatorum instituere Confessionem commode non potuerit, etsi plurima interni ob offensum Deum doloris daret argumenta. Igitur celeriter admodum et raptim, procul tamen a loco ubi ipsa agebam, hac e vita abripitur. Dominus porro per visum mihi indicavit salutem ejus summo in discrimine versatam fuisse, at se ejus misertum ob præstitum Matri suæ, hanc illi offerendo domum, in qua Ordinis illi dedicati sodalibus monasterium construeB retur, obsequium; atque eum non ante igne purgatorio liberandum quam in eodem prima Deo ad altare Hostia offerretur; ea autem oblata, inde egressurum.

properat Sancta Vallisoletum; ubi, facta quantocius fundatione,

429 Quæ autem anima illa ibidem patiebatur tormenta acerbissima, mihi adeo præsentia et velut ante oculos erant, ut, tametsi Toletanam domum prius fundare summopere desiderarem, tunc tamen eam curam intermiscrim, meque ad Vallisoletanam, quomodocumque possem, fundandam urserim et exstimularim. Non tam cito tamen ac quidem volebam, Vallisoletum abire potui, quod ad aliquot dies in conventu Abulensi, qui meæ curæ concreditus erat, ac deinde in Methymnensi (nam et eo concessi), necessario me manere oportuerit. Methymnæ vero cum agerem, et orationi insisterem, Dominus me monuit ut abitum maturarem, quod anima illa plurimum pateretur. Unde, licet ad hoc parum instructa essem, opere ipso rem sum executa et ipsis B. Martyri Laurentio sacris feriis Vallisoletum ingressa. Ut primum domum coram inspexi, magnopere turbari atque angustiari cœpi, quod viderem non sine ingentibus intolerabilibusque sumptibus ibidem moniales posse commorari : et licet C animi relaxationi accommoda foret, quod peramœnum annexum haberet hortum, non poterat tamen non esse insalubris, quod propter flumen præterlabens sita esset. Esto jam de via defessa essem, ad quoddam Ordinis nostri cœnobium, quod sub ipsum urbis ingressum situm erat, Sacri audiendi causa abii. Tam procul autem a domo distabat ut meam id pœnam adauxerit; sed nullum ea de re apud comites meas verbum faciebam, ne eas contristarem, quod spem haberem ac fiduciam (esto satis tenuem) Dominum, qui priora illa mihi dixerat et significarat, omnibus prospecturum. Unde fabros clanculo evocavi, murosque hinc inde ut construerent, quibus claustro et solitudini nostræ consuleretur, aliaque necessaria ut incipere pararent, præcepi. Venerant nobiscum is quem dixi sacerdos, Julianus de Avila, et e duobus illis Fratribus qui Excalceatorum Ordinem volebant ordiri, alteruter; qui interea de vivendi modo quem hisce in domibus servabamus, inquirebat. Julianus porro in facultate ab Ordinario loci, qui jam tum, antequam illuc concederem, bonam ejus spem dederat, impetranda serio allaborabat. At non tam cito ea potuit impetrari, quin Dominica dies jam adesset: nihilominus facultas ad Sacrum eo quem in templi formam paraveramus loco offerendum nobis concessa fuit; quod et factum est.

AUCTORE V. D. M.

D *juvenem illum videt Cœlicolis adscriptum.*

430 Multum vero aberat ut putarem per hanc Missam adimpletum iri ea quæ de anima illa a Domino dicta mihi erant : nam, quamvis dictum mihi esset animam illam per primam in domo illa oblatam Hostiam liberatum iri, credebam tamen id eo demum Sacro futurum cum simul Sacramentum Venerabile templo primum inferretur. Sacerdote ergo sacrosanctum cœli ferculum ad locum in quo communicaturæ agebamus deferente, et me jam ejus participem facere parante, ecce eques ille quem dixi, ore decoro et vultu splendido ac læto, complicatisque manibus, juxta sacerdotem, mihi sese spectandum dedit, et immensas ob acceptum opera mea liberationis e purgatorii pœnis beneficium gratias agebat. Itaque mox anima illa in superna habitacula evolavit. Et certe, ut primum intellexi illum in via salutis versari, deque ea certum esse, vix ipsum mihi persuadere potui, et admodum intra me anxia fui; quod, pro vitæ quam duxerat ratione, aliud is mortis genus, quo salutem consequi posset, obire debere mihi videretur. Nam (ut alia taceam) mundi vanitatibus totus immersus fuerat; quamquam (ut verum fatear) mortis se E identidem, dum viveret, memoriam præ oculis habere, comitibus meis dixit. Mirum certe et notabile est, Domino placere et gratum esse quodcumque Matri suæ exhibetur obsequium. Sane immensa ejus est misericordia. Sit ipse pro omnibus laudatus et benedictus, quod vita et gloria æterna operum nostrorum vilitatem ita compenset, cumque ea perexigui sint valoris, magna reddat et pretiosa.

Hæc tamen domus postea cum meliori commutatur.

431 Cum ergo festum assumptæ in cœlos Virginis Deiparæ, die videlicet Augusti quintadecima, anno Domini MDLXVIII ageretur, domus illius rite adita possessio est. Sed non diu illo in loco commoratæ sumus, quod pene omnes in morbum incidimus. Quo perspecto, Maria de Mendoza, illustri genere mulier, commendatoris Cobos uxor et marchionis Camarasensis mater, pietate, religione et caritate (quam effusæ in egenos eleemosynæ satis frequentes aperte declarabant) præstans, eadem quæ prius caritatis officia mihi tum præstitit. Illam namque noveram familiariter : est enim Abulensis episcopi soror, et in primi monasterii fundatione insignem nobis operam præstiterat, nec non in omnibus ad Ordinem universum spectantibus. Quod ergo esset caritate et affectu plena, videretque non- F nisi difficillime illic nos posse habitare, tum quod ad eleemosynas accipiendas locus ab urbe satis esset remotus, tum quia insalubris et morbis obnoxius erat, hanc sibi domum ut cederemus rogavit, aliam ejus loco se coempturam dicens. Ut dixit, fecit. Quam autem nobis dedit, multo pluris valuit, quod simul cuncta quæ nobis necessaria essent daret, quin et usque nunc det, et quoad vivet datura sit. S. Blasii festo, solemni ritu supplicantis populi beneque in nos affecti, illuc migravimus. Hunc porro is affectum semper in nos conservat, quod magna erga conventum hunc misericordia Dominus utatur, et tales ad eumdem virgines vocaverit, illarum ut vitæ sanctitas suo tempore aliquando describenda sit, quo Dominus ipse laudetur ac glorificetur, qui per hujusmodi media et instrumenta opera sua extollere et creaturis suis gratificari vult. *Ad hanc narrationem nihil habeo quod addam; siquidem ea quæ S. Mater non integre vel non satis clare expressit, facile lector ex Ribera supplere potest. E multis autem litteris quas Sancta hoc anno* 1568 *Vallisoleti scripsit, binæ tantum nobis sunt reliquæ : alteræ videlicet ad pium equitem Abulensem,*

AUCTORE V. D. M.

A *lensem, Franciscum de Salcedo* (*tom. II, epist.* 56); *alteræ ad sæpe laudatam matronam Aloisiam de la Cerda* (*tom. I, epist.* 10). *Priorum lator fuisse videtur S. Joannes a Cruce, cujus pulcherrimum eæ continent elogium, quique mense Septembri vertente Vallisoleto Abulam ivisse narratur in Chronico* (*lib.* II, *cap.* XIX, *n.* 2).

§ XXIV. Cœnobii virorum Durvelensis, S. Teresiæ curis comparati, initia ponunt S. Joannes a Cruce et P. Antonius a Jesu. Idem cœnobium postea Manceram transfertur.

Teresiæ, *Vallisoletum profecturæ,*

B *Posteriorem capitis* X *partem et capita* XI *ac* XII *S. Mater impendit trium monialium Vallisoletanarum elogiis : nempe Briandæ de Acuña, Casildæ de Padilla et Beatricis Oñez; quæ, sumpto religioso habitu, vocatæ fuerunt Teresia a Jesu, Casilda a Conceptione et Beatrix ab Incarnatione. Dein, duobus insequentibus capitibus, pandit historiam erecti primi conventus virorum Ordinis Carmeli Excalceatorum : quam erectionem, quippe a se in maximis Dei beneficiis semper habitam, præ grati animi fervore tam luculenta tamque proclivi oratione celebrat ut ad eam vix quidquam a me annotandum sit.* Ante, *inquit,* quam ad Vallisoletanum monasterium fundandum abirem, jam tum cum P. F. Antonio a Jesu (qui tum in S. Annæ cœnobio Ordinis Carmelitani priorem Methymnæ agebat) et cum F. Joanne a Cruce (uti antea dixi) conveneram, ut, si quod Fratrum primam Excalceatorum regulam sectantium monasterium fundaretur, primi essent qui ipsam profiterentur. Quod tamen nescirem undenam habere domum possem, identidem Deo id negotium in oratione commendabam; quia (sicuti jam supra monui) duo illi Patres jam tum mihi placebant. Etenim P. Antonium a Jesu Dominus ipse varios per labores, quos is magna cum perfectione

C pertulerat, anno integro (nam tantum pene temporis jam effluxerat ab eo die quo primum de hac re cum illo egi) mire exercuerat : at Joannem a Cruce minime opus erat probari; nam (esto Calceatorum Carmelitarum Ordinem professus esset) semper ille vitam valde exemplarem et religiosam duxerat.

domum Durvelensem obtulerat Raphael Megia :

433 Placuit tandem Domino, cum mihi quod præcipuum erat, fratres, inquam, qui fundamenta rei ponerent, dedisset, etiam reliquum dare. Etenim vir quidam nobilis Abulensis, Raphael cognominatus, quicum numquam hactenus egeram, cum nescio unde (neque enim recordor) de quodam Excalceatorum monasterio exstruendo agi intellexisset, ultro me accessit, domumque quam in pago quodam paucissimorum incolarum (nam vix viginti mihi fuisse videntur, non enim jam rite recordor) in usum cujusdam villici, qui frumentum, quod ipsi singulis annis ibi e censibus cedebat, illius nomine colligeret, habebat, sponte mihi obtulit. Ego vero, etsi viderem qualis esse domus illa posset, Domino benedixi, eique gratias egi. Ille autem Methymnam Campi petentes pagum hunc transire aiebat; meque Vallisoletum ad fundandam abeuntem illac necessario (esse enim hanc rectam viam) D pertransire debere, ac tum ipsam posse inspicere. Dixi me facturam, uti et feci; etenim mense Junio Abula, una cum socia et Juliano de Avila (qui erat is sacerdos quem dixi, quique mihi his in itineribus operam sedulam præstabat, monasterii nostri Abulensis sacellanus) discessi.

eamque ipsa ex itinere inspectum iverat;

434 Summo mane itineri nos dedimus, cumque qua eundum esset ignoraremus, hinc a via erravimus; quodque pagus hic parum notus et obscurus esset, non multum de illius situ intelligere potuimus : unde toto illo die magnum laborem et molestiam in eundo subiimus, quod vehemens et intensus solis esset æstus. Cum vero jam prope pagum nos esse putabamus, tantum ab eo abfuimus, ut tantumdem nos viæ conficere adhuc oportuerit quantum jam confeceramus. Molestiæ autem, defatigationis et erroris quam hac in via subiimus, memoria semper mihi ob oculos præsens versatur. Paulo ante noctem ad locum illum pervenimus : ut vero domum ingressi sumus, ita eam constitutam invenimus ut nocte illa ibi diversari ausi non simus, tum ob innumeras quibus scatebat sordes, tum quod magna illic messorum copia diversaretur. Habebat hæc atrium utcumque spatiosum, nec non duplex cubi- E culum cum suo spatio intermedio, demum parvam culinam. Hæc erat tota monasterii nostri structura et ædificium. Ex atrio statuebam templum concinnari posse, ex spatio intermedio chorum, arcte quidem; duplex autem cubiculum dormitorio et refectorio aptari posse. Socia mea, esto multo me esset melior et pœnitentiæ perquam studiosa, ferre non poterat quod illo e loco adaptare monasterium vellem; unde mihi dixit : « Certe, mater, nullus est » spiritus, quantumvis bonus, qui hoc ferat : am- » plius igitur de eo ne tractes rogo. » Cæterum sacerdos qui viæ comes erat, tametsi ejusdem esset opinionis cujus comes mea, ut tamen intentionem et propositum meum audivit, minime mihi est refragatus. In templum vicinum somni capiendi gratia de nocte concessimus; nam, quod usque eo defatigati et exhausti essemus eundo, eam vigilando transigere noluissemus.

ac, prænonitis Patribus ad eam incolendam paratis,

435 Methymnam ut appulimus, statim cum P. Antonio locuta sum, et quid rerum ageretur, ei aperui, spopondique, si modo animum haberet ad illic aliquousque habitandum, Deum quamprimum auxilio et remedio futurum : incepto dumtaxat opus esse; in eo enim omnem difficultatem consistere. F Videbar mihi tam ante oculos et præsens habere quod Dominus postea est operatus, adeoque certum (ut ita dicam) quam modo id video, quin et plura multo quam hucusque facta vidi. Nam hoc ipso quo hæc scribo tempore, decem (quæ Dei bonitas est) Excalceatorum numerantur conventus. Addidi præterea, sibi persuaderet, provinciales, tam eum qui nuperrime officio defunctus erat quam modo præsidentem, minime ad hoc nobis licentiam daturos (nam, uti jam supra initio dixi, bona illorum cum venia res peragi debebat) si nos in domo quadam ampla capacique rem auspicari viderent; ut interim taceam, melius quid tunc nobis non occurrisse : at in vili illo pago et domo cum agerent, minime fore ut quis ipsis impedimento foret. Plus illi animi certe Deus dederat quam mihi : unde, non solum ibi, sed et in hara porcina paratum sese ait commorari. Ejusdem quoque fortitudinis et propositi erat F. Joannes a Cruce; adeo ut aliud nobis reliquum non esset, quam duorum illorum, quos dixi, Patrum provincialium facultatem obtinere : hac namque conditione potestatem ad hoc exequendum mihi P. N. Generalis dederat.

Equidem

A Equidem in Domino sperabam hanc nobis facultatem minime denegatum iri. Unde P. Antonio dixi ut quamcumque, quomodocumque posset, domui necessariam supellectilem conquirere interim omni ope satageret : ego autem una cum F. Joanne a Cruce ad Vallisoletanam, quæ jam descripta est, fundationem conficiendam perrexi.

tempore Vallisoletanæ fundationis

436 Quod autem ad aliquot dies inter operas, domum, quæ sine claustro erat, claustro adaptantes, ageremus, commodum interea P. Joannes a Cruce de omni nostra vivendi ratione inquirendi locum ac tempus habebat, ut sic omnem nostram regulam bene perspectam teneret, tam quoad mortificationem quam mutuæ confraternitatis modum et recreationem, quæ inter nos aliquando habetur. Omnis namque tanta cum moderatione recreatio conceditur, ut dumtaxat ad imperfectiones sororum tali in occasione cognoscendas, et aliquantulum relaxationis, ad regulæ rigorem melius ferendum, capiendum concessa intelligatur. Is autem adeo probæ vitæ erat, ut plus ego ab ipso quam ipse a me, discere possem : at non hoc erat quod spectabam, sed dumtaxat ut hac ipse ratione modum formamque vivendi quam sorores servarent, perspi-
B ceret.

assensum provincialis et prioris Abulensis obtinuerat.

437 Deo porro disponente, factum ut illuc tum appelleret Ordinis nostri provincialis, cujus beneplacitum et facultas requirebatur, P. Alphonsus Gonzalez, vir senex optimæque indolis, et omnis malitiæ expers. Tanta autem ei dixi, cum ab ipso ad opus hoc auspicandum facultatem peterem, deque ratione quam Deo judici, si tam bonum opus impediret, redditurus esset, ut, illius Majestate, quod hoc ipsum executioni mandari volebat, illum disponente, valde moderate placideque mihi responderit. At cum deinde D. Maria Mendozia et episcopus Abulensis, qui illius est frater, quique semper nobis et favit et auxiliatus est, cum convenissent, facile cum ipso negotium confecere, nec non cum P. Angelo de Salazar, provinciali defuncto, a quo plus imminere difficultatis et repugnantiæ formidabam. At occurrit tum forte fortuna casus in quo D. Mariæ Mendoziæ is favore auxilioque opus habuit; et hoc non mediocriter ad facultatis prædictæ impetrationem conduxisse mihi persuadeo : ut taceam, etiam hac occasione non oblata, futurum ut Dominus hanc menti ejus voluntatem inspiraret, uti et P. N. Generalis, qui nimium quantum alienus
C ab hoc proposito videbatur, mentem mutavit. Quam multa, Deus bone, hisce in negotiis, quæ prorsus impossibilia videbantur, feliciter a divina Majestate, omnibus difficultatibus exsuperatis, ad exitum deducta vidi! Ah, quanta mea confusio est vidisse me quæ vidi, et non esse me meliorem quam sum! Certe modo, dum hoc scribo, etiamnum obstupesco, ac velim ut Dominus omnibus in mundo patefaciat nihil prope esse quod hisce in fundationibus nos creaturæ præstitimus : ipse namque Dominus universa solus disposuit, idque per initia et fundamenta quædam tam tenuia, ut sola Majestas ejus ad illum in quo modo sunt, statum eadem evehere potuerit. Sit ipse in æternum benedictus.

Novum ergo hoc cœnobium,

438 Ut ergo hasce duas voluntates in potestate mea habui, nihil mihi ulterius deesse videbatur. Decrevimus itaque ut P. Joannes a Cruce in domum quam dixi concederet, eamque ita adaptaret et concinnaret, ut, quomodocumque liceret, in ipsa habitari posset : nam tamdiu festinato opus censebam, quoadusque res jam cœpta foret; non parum enim timebam ne quod inexspectato nobis obstaculum suboriretur. Igitur et res peracta est. Jam P. Antonius nonnullam ad usum necessarium supellectilem collegerat; quem et nos a parte nostra, prout potuimus (potuimus autem parum), adjuvimus. Mox autem ad me conveniendam Vallisoletum magno animi cum jubilo excurrit, mihique quidnam rerum collegisset, significavit, quod certe nimis quam exiguum erat : ab horologiis solum bene instructus erat; nam quinque sibi compararat : unde mihi insignem ridendi occasionem dedit. Ad horas bene dispositas habendas ea sese comparasse dixit, quod a tempore præoccupari et non ordinato tempore sua agere nollet. Credo sane eum ne quidem tunc habuisse super quo somnum caperet. In domo usui nostro adaptanda aliquantulum lente procedebatur, quod deesset ad fabricandum pecunia, tametsi multa alioquin fieri vellent. Re tandem peracta, P. Antonius prioratui suo insigni cum animi promptitudine et quam lubentissime renuntians, ad primam regulam servandam voto se obligavit; imo ne quidem aliquod ejus periculum, id me suadente, prius facere in umbra voluit : unde mox summo animi gaudio et lætitia ad tugurium suum novum sese recepit. Joannes autem a Cruce jam tum ibi agebat.

AUCTORE V. D. M.

D

carni quidem incommodum,

439 Hic porro Antonius mihi postea asseruit, ut primum in vici illius conspectum venit, maximum se interne gaudium sensisse, ac visum sibi jam mundum plane se debellasse, quod eum penitus omnem jam desereret, intraque solitudinem illam sese abderet. Unde nec huic nec Joanni domuncula illa displicuit; sed in summis se maximisque deliciis agere putabant. Quam, o Deus bone, hæc ædificia et deliciæ ac recreationes exteriores ad pacem interiorem parum conducunt! Unde per ejus amorem vos obsecro, carissimæ, et vos, Patres, ut in domibus magnis et pretiosis semper omnem quam potestis moderationem adhibeatis. Versentur nobis ante oculos veri nostri fundatores, qui sunt sancti illi Patres a quibus descendimus, quos per hanc paupertatis et humilitatis viam ad Dei fruitionem pervenisse novimus.

E

sed ubi spirituales affluant deliciæ.

440 Et sane, ut fatear quod res est, semper plus spiritus nec non gaudii interioris vigere vidi, quando corporibus suæ deesse commoditates et recreationes videntur, quam postea cum jam domum amplam habent suasque commoditates. Quantumlibet illa magna sit, quid nobis inde boni aut fructus sequitur, cum unius dumtaxat cellæ usum continuo habeamus? Si illa capacissima sit et bene constructa, quid F nostra interest, cum parietes nos respicere et considerare minime oporteat? Si item consideremus non esse domum quæ in perpetuum nobis durare debeat, sed solum ad tam modicum tempus ac vita nostra durat (quantumlibet illa longa sit), omnia nobis quam suavissima videbuntur, scientibus, quo pauciora hic in terra habebimus, eo plura nos in illa æternitate possessuros, in qua nobis habitacula et mansiones dantur pro amoris quo boni nostri Jesu vitam imitati fuerimus, parvitate aut magnitudine. Si hæc esse principia dixerimus ad regulam B. Virginis, ejus Matris, Dominæ ac Patronæ nostræ, renovandam, hanc illi, quæso, injuriam non inferamus, neve sanctis nostris Patribus qui nos præcesserunt, ut illorum vitam imitari nolimus : et, quamvis ob imbecillitatem nostram in omnibus illos imitari non possimus, in iis saltem quæ ad vitæ sustentationem nec prosunt nec obsunt, magna cum circumspectione procedamus necesse est; cum omnia nonnisi modicus quidam labor, isque sapidus sit, qualem eum duo illi Patres initio habebant : cumque semel generose apud nosmetipsos statuimus et proponimus illum exsuperare, omnis jam expu-

AUCTORE V. D. M.

gnata difficultas est, cum omnis pœna nonnisi modicum quid in principio sit.

A *fundatur die* XXVIII *Novembris* 1568.

441 Prima aut secunda Dominica Adventus anni hujus MDLXVIII (neque enim satis recordor utra harum Dominicarum fuerit) primum Sacrum in atriolo illo Bethlehemitico (nihilo enim id mihi illo pretiosius fuisse videtur) celebratum est. *Ignoscenda utique S. Virgini sua oblivio; sed resarcienda tamen ubi possumus. Dicere debuerat* prima Dominica Adventus, *uti patet ex libro memoriali conventus Durvelensis; in cujus libri capite, teste auctore Chronici, hæc consignata fuerunt:* Anno MDLXVIII die XXVIII Novembris, in loco cui nomen Durvelo fundatum est hocce B. V. de monte Carmelo monasterium; in eoque regula primitiva cum suo rigore observari cœpit, qualem nobis reliquerunt primi Patres nostri, cum Spiritus Sancti favore et gratia. Provinciam hanc moderante admodum Reverendo P. M. Fr. Alphonso Gonzalez, inceperunt vitam ex rigore regulæ cum gratia Dei agere FF. Antonius a Jesu, Joannes a Cruce et Joseph a Christo. Domum ac sedem nobis attribuit vir illustris Raphael Megia Velasquez, dicti municipii dominus. Erectioni autem dictæ domus ac monasterii con-

B sensit Illustrissimus Dominus Alvarus de Mendoza, episcopus Abulensis. *Hæc ibi. Redeamus ad textum Teresianum.*

Transiens illac Sancta miratur paupertatem,

442 Quadragesima post sequente, cum ad Toletanam fundationem illac transirem, et summo mane locum illum inviserem, reperi P. Antonium templi januam scopis everrentem, facie ad hilaritatem quam maxime composita, qualem is semper præfert. Cui ego : « Quid hoc est, mi Pater? Ubinam jam est » honor? » Qui mox subintulit, simul mirum gaudium quod identidem sentiebat, mihi significans : « Maledico tempori quo eum aliquando magni feci. » Templum autem ingrediens, mirata sum spiritus et devotionis copiam quam ei loco Dominus indiderat : neque ego solum, sed et duo mercatores, qui jam inde a Methymna me illuc usque comitati erant, meique fautores erant, identidem plorabant : omnia quippe undique crucibus et craniis mortuorum plena erant. Numquam vero mihi memoria excidit parva quædam crux e ligno sculpta, juxta aquæ benedictæ vasculum, cui chartacea quædam imago Christi crucifixi annexa erit, quod majorem exspirare devotionem videbatur quam si e re pretiosa et artificiosissime confecta fuisset. Chorus erat spatium

C illud intermedium quod in medio utcumque altum erat, ut in eo Horas recitare possent; sed ingredientes atque in eo Sacrum audituros valde sese inclinare oportebat. Duo ibi habebant in angellis versus templum porrectis eremitoriola, in quibus nonnisi sedentes aut humi abjecti agere poterant, fœno repleta; namque et locus admodum erat frigidus et tectum capiti pene imminebat. Duas inibi altare respicientes habebant fenestellas, et duo saxa in usum cervicalis; suas quoque illic habebant cruces et crania.

pietatem

443 Intellexi illos, dictis Matutinis, usque ad Primam inde non discedere, sed illic in oratione, quam satis prolixam instituebant, permanere; et nonnumquam factum ut, quando ad Primam ibant, per altam nivem cum vestibus suis incederent, nec tamen eam senserint. Horas suas cum alio quodam Patre Ordinis mitigati, qui, ut cum illis habitaret, illuc concesserat (esto non mutasset habitum, quod esset valetudinis satis imbecillis), et alio quodam fratre juvene, qui Ordinibus sacris initiatus nondum erat, quique etiam ibidem agebat, recitabant. Ad multa loca vicina, quæ doctoribus et doctrina destituta erant, prædicatum excurrebant; unde et ob hanc causam gavisa sum domum illam ibidem D constitutam esse, quod videlicet intellexi, nec ibi in vicinia monasterium ullum esse, nec ejus habendi spem ullam apparere. Quod certe res vere deploranda erat.

et zelum apostolicum sociorum.

444 Tantam autem brevi tempore sibi apud rurales auctoritatem compararant, ut, cum primum id cognovi, maximæ mihi id consolationis fuerit occasio. Ibant, ut jam dixi, ad conciones habendas, ad sesquileucam, vel etiam duas, nudipedes (nam tunc non gestabant celones aut sandalia, quos postea primum jussi sunt induere) per densas nives et summo in frigore; et, postquam die toto concionibus habendis et Confessionibus excipiendis vacassent, nonnisi ad vesperam domum, cibum aliquem sumpturi, revertebantur. Quod autem inde sentiebant gaudium ac voluptas omnia illis parva et modica videri faciebat. Victui necessaria satis iis suppetebant : nam e locis circumcirca positis plus eis ciborum adferebatur quam opus haberent; quin et viri nonnulli nobiles, in locis et pagis illis agentes, Confessionis gratia eos accedebant; qui simul jam tum commodiores domos et melius sitas iis offerebant.

Transmigrant hi Manceram,

445 Inter alios fuit quidam Ludovicus, quinque oppidorum toparcha. Ædificarat hic sacellum imagini cuidam Beatissimæ Virginis, quæ certe venera- E tione et honore omni quam dignissima erat, quamque pater ejus e Belgio ad illius aviam aut matrem (neque enim satis recordor) per quemdam mercatorem miserat. Usque adeo porro is erga eam affectus fuit ut multis eam annis domi suæ asservarit, quin et postea in hora mortis ad se deferri jusserit. Est magna quædam tabella, qua, mea vita, nihil vidi aut melius aut elegantius; quod et alii permulti mecum testantur. Porro P. Antonius a Jesu, cum, Ludovico petente, ad locum prædictum concessisset et imaginem illam coram vidisset, ita erga eam affici cœpit (et non sine ratione) ut non abnuerit monasterium illuc transferre (loco nomen Mancera), esto aquæ putealis laboraret penuria, nec ulla ejus ibi habendæ ratio suppetere videretur. Ludovicus autem parvum eis (pro ratione vocationis et professionis ipsorum) monasterium condidit; quin et templo ornamenta addidit, omniaque bene perfecit.

ubi aquam miro modo inveniunt.

446 Nolo vero hic omittere referre qua Dominus ratione aquam ipsis dederit, quia pro miraculo res habita fuit. Cum enim quadam die P. Antonius, qui F priorem agebat, cum Fratribus suis post cœnam in claustro loqueretur, ac de aquæ quo laborabant defectu sermonem misceret, ecce tibi subito exsurgens, eo quem in manibus habebat scipione quadam in parte areæ signum crucis efformavit (ut mihi quidem videtur; nam modo non satis bene recordor an eo crucem fecerit : saltem baculo ipso signavit locum) dicens : « Jam hic effodito. » Vix aliquantulum terræ effoderant, cum tantum aquæ subito prorupit, ut nequidem ad emundandum puteum jam ejus vis queat inhiberi : est autem hæc aqua sapidissima et potui accommodatissima; nam toto eo tempore quo ædificatum est, inde aqua petita fuit, et numquam (uti dixi) puteus evacuatur. Posteaquam vero hortum quemdam muro inclusissent, aquam in eo habere conati sunt ac varias scrobes in eo fecerunt, multum pecuniæ impendentes, et tamen hactenus (post omnem operam) eam invenire non potuerunt.

Attamen Durvelum,

447 Ut ergo domunculam illam, in qua paulo ante vix habitari poterat, talem spirare devotionem vidi, ut, quocumque meos oculos converterem, viderem quæ me ædificabant, simul et audivi quam primi

A primi illi vivendi normam tenerent, nec non quomodo mortificationi et orationi insisterent, et quam bonum omnibus exemplum darent (ibi namque me invisum venere vir quidam nobilis ejusque uxor, quos noveram, quique vicino quodam in pago commorabantur; ac multa de illorum sanctitate, nec non de fructu eximio quem inter homines pagi illius faciebant, mihi referebant), gratiis Domino agendis minime satiabar; idque cum maximo quodam cordis gaudio, quod jam tum initia quædam data viderem rei quæ ad incrementum Ordinis nostri et insigne Domini obsequium mirifice faceret.

ubi rigidiorem vitam tam fervide auspicarant,

448 Dignetur illius Majestas eam, prout quidem jam procedit, ulterius semper promovere: nam tunc cogitatio et conceptus meus verissimus erit. Qui mecum venerant mercatores dicebant quod pro toto mundo nollent non venisse mecum. Quanta res est virtus, ut magis illis placeret hæc paupertas quam omnes quas ipsi possidebant divitiæ, et hæc quoque animum eorum satiarit et consolata sit! Postquam autem Patres illi et ego de rebus nonnullis tractassemus, eos imprimis quam studiosissime rogavi (prout quidem ipsa sum debilis et improba) ut in austeritatibus subeundis tam in se rigidi non
B essent quam erant : metuebam enim ne quod tot mihi votis et orationibus apud Dominum constitisset, aliquem scilicet ut mihi ipse daret qui rem auspicaretur, quodque jam tam bene procedebat, penitus concideret, cacodæmone illos ante conficiendi et subvertendi medium quærente quam quod ipsa conceperam et sperabam, ad exitum perduceretur : sed, quod imperfecta et parvæ essem fidei, non cogitabam id esse opus Dei, ejusque Majestatem id promoturam. At illi (quod haberent ea quæ mihi deerant) mea verba, ad exercitia sua intermittenda, parum morabantur. Unde maxima cum animi consolatione inde discessi, tametsi pares, et eas quas tam ingens opus promerebatur, Deo gratias non agerem. Det Majestas ejus (quæ illius est bonitas) ut aliquod ei e multis illis quæ ei debeo, obsequium rependere digna sim. Amen. Etenim satis intelligebam hanc multo majorem gratiam esse quam illam, quam, ut monialium conventus erigerentur, mihi præstitit.

postmodum repetierunt S. Matris Teresiæ *filii.*

449 *A quibusdam scriptoribus creditur Gonzalezius provincialis initium conventus Durvelensis sua*
C *præsentia cohonestasse : alii vero tradunt eum, facta jam ab aliquanto tempore fundatione, illuc primum accessisse; atque, impertita ingenti cum animi gaudio novæ habitationi paterna benedictione, prioratum P. Antonio a Jesu, subprioratum cum magisterio novitiorum S. Joanni a Cruce, rei domesticæ curam F. Josepho a Christo (illi qui postea ad mitigatam Carmeli regulam rediit) commisisse. Quod vero pertinet ad transmigrationem e Durvelensi in Manceranum conventum, quæ contigit* XI *Junii* 1570 (*Chron. lib.* II, *c.* XXXIX), *ea satis ample pro nostro instituto a S.* Teresia *modo per transennam narrata est, et porro a Ribera narrabitur* (*lib.* III, *c.* II). *Altera transitio quæ Mancera Abulam facta est anno* 1600 (*Chron. lib.* X, *c.* XXXI), *item redintegratio primi conventus Durvelensis anno* 1637 (*Ibid. lib.* II, *c.* XL *et lib.* XX, *c.* XXXIV) *prorsus extra limites hujus nostri Commentarii sitæ sunt; et opportunius, si ita videbitur, ad Vitam S. Joannis a Cruce poterunt afferri. Hinc tamen cave deduxeris a me innui S. Joanni a Cruce potius quam S.* Teresiæ *reformationem virorum sui Ordinis primario adscribendam esse : quandoquidem, vel per ea quæ hactenus vidimus, extra omnem est controversiam S. Virgini insignem hanc gloriam competere. Equidem sic censeo : S.* Teresiam *Ordinis Carmeli, tam virorum quam mulierum, Instauratricem dici posse ac debere; S. Joannem a Cruce præcipuum comitem S. Matri divinitus fuisse datum,* ut quam ipsa (*Breviarii Romani verba sunt*) inter Sorores primævam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, eamdem et inter Fratres, Joanne adjutore, restitueret; *eumdem item S. Joannem primum Carmelitam Excalceatum fuisse, siquidem ante alios omnes Durvelense cœnobium incolere cœpit ac regulam primitivam ibi observare; Patrem denique Antonium de Heredia sive a Jesu, quod primus S.* Teresiæ *se obtulit* (*prout legimus num.* 418), *non immerito virorum sui ordinis* πρωτόκλητον *dici, quo titulo Græci S. Andream inter Apostolos distinguunt.*

AUCTORE V. D. M.

D

§ XXV. Ad quintum virginum suarum monasterium Toleti stabiliendum, Sancta amplius annum cum omnimodis difficultatibus luctatur : demum victrix inde abit.

E

Cum e Martini Ramirezii defuncti voluntate.

Sequitur nunc fundatio conventus monialium Toletani; cujus occasionem refert Sancta initio capitis sui XV, *his verbis :* Commorabatur Toleti mercator quidam honorabilis atque egregius Dei famulus, qui hactenus inire matrimonium noluerat, sed vitam Christiano cumprimis dignam agebat, veritatis et honestatis cultor acerrimus, et nullum nisi licitum commercium inire volens. Propositum hic habebat non alio scopo aut intentione opes coacervare quam ut ex iis quoddam Deo gratissimum opus excitaret. Nomen vero illi erat Martinus Ramirez. Hunc ergo morti jam vicinum Paulus Hernandez, Societatis Jesu sacerdos (quo ego confessario, cum Toleti agerem, ad Malagonensem fundationem properans, usa eram), ubi hoc intellexit, invisit : et, quod Toleti Excalceatis monialibus erigi condique cœnobium cumprimis cuperet, ei quantum hoc ad divinum obsequium futurum esset, ostendit; addidit præterea eos quos
F fundare decreverat sacellanos et capellanias in isthoc monasterio fundari posse, ibidemque certas quasdam solemnitates, et reliqua omnia quæ cuidam urbis illius parœciæ legare et fundare constituerat, haud incommode posse celebrari. Ea porro ipsius fuit ægritudo, ut, cum sibi tempus ad hæc constituenda necessarium minime suffecturum crederet, rem omnem fratri suo Alphonso Alvarez Ramirez, viro prudenti, religioso, sincero atque in egenos profuso, et rationis præscriptum in omnibus sequenti (quæ ei dare elogia merito et vere possum, utpote testis oculata, quod sæpius cum eodem egerim), commiserit. Martino porro ex hac vita decedente, adhuc Vallisoletana in fundatione occupata eram : ubi mihi Patris Pauli Hernandez et Alphonsi Alvarez litteræ sunt redditæ, quibus me omnium quæ peracta erant certiorem reddebant, et, si fundationem acceptare Toletanam vellem, Toletum ut me quam primum conferrem, invitarunt : quamobrem post paulo quam domus Vallisoletana concinnata esset, illuc excurri.

curantibus duobus e Soc. Jesu Patribus,

451 *Binæ de quibus loquitur litteræ S. Fundatrici redditæ sunt exeunte Novembri vel ineunte Decembri anni* 1568. *Sed, cum esset eo tempore Vallisoleti*

AUCTORE V. D. M.

A *leti multis distenta negotiis et insuper febri laboraret, illico Toletum ire non potuit. Hanc ob rem procurationem destinavit ad rectorem collegii S. J. Toletani et ad P. Paulum Hernandez, in hæc verba :* Dico ego Teresia a Jesu, priorissa ad S. Joseph Abulæ, quandoquidem Reverendissimus Generalis Magister Fr. Joannes Baptista Rubeus concessit mihi amplissimam facultatem fundandi admittendique monasteria primitivi hujus ac sacri Ordinis B. V. de monte Carmelo : cum acceperim esse in urbe Toleto qui, movente divina gratia atque adjuvante Sacratissima Virgine Patrona nostra, largiri cupiunt dicto Ordini domum cum ecclesia et quatuor sacellanis rebusque ad ecclesiæ hujusmodi usum necessariis; cumque intelligam spectare hoc ad Domini nostri obsequium ac laudem : ideo, subscripto nomine meo, dico me eam oblationem accipere, utpote caritatis tantæ et eleemosynæ opus. Dum vero oportebit aliquam, ut assolet, de hoc negotio pactionem fieri, si quidem voluerint P. Præpositus et P. Paulus Hernandez pro sua in me caritate rei curam in se suscipere, jam nunc me obstringo ad exequendum quidquid statuerint illi Patres, vel, si ipsi noluerint, quicumque alii ad hoc per illos
B fuerint deputati; ne longiorem moram negotium patiatur, donec Deo placebit ut ego ipsa illuc me conferam. Et quia hæc mea est voluntas, ideo, subscripto meo nomine, spondeo me rem perfecturam. Factum Vallisoleti die VII mensis Decembris 1568. Teresia a Jesu, priorissa ad S. Joseph Abulæ, Carmelitana.

monasterium S. Teresiæ attribuendum esset,

452 *Sexto post die, nempe festo S. Luciæ, litteras Toletum scripsit* (*ut modo memoravi num.* 431) *ad Aloisiam de la Cerda, quibus inter cætera petebat ut nobilis ea matrona apud magistratum pro se intercederet. Interim Patribus S. J. convenerat cum Alphonso Ramirez ut jus patronatus novi monasterii cederet cuidam ejus nepoti, filio Didaci Ortiz et Franciscæ Ramirez. Quod ubi Sancta ex P. Hernandezio didicit, die* IX *Januarii* 1569 *litteras ad Ortizium dedit perquam comes atque urbanas* (*tom. I, epist,* 37), *quas integras legere non erit abs re nec injucundum :* Spiritus S. sit semper in anima tua ac tibi sanctum amorem et timorem suum impertiatur. Amen. Scripsit mihi P. Doctor Paulus Hernandez de gratia atque eleemosyna qua me dignaris, nempe paratum iri a te sacrato huic Ordini domum. Equidem pro certo habeo animum
C tuum a Domino nostro et gloriosa ejus Matre, Patrona mea ac Domina, permotum fuisse ad opus tam sanctum; ex quo spero fore ut multum summæ Majestati obsequium, tibi vero ingens bonorum spiritualium lucrum redundet. Faxit Deus id quod ego et omnes sorores meæ pro te petimus atque universus deinceps Ordo petet. Magnam sane ex ista re cepi voluptatem; unde summopere cupio te coram agnoscere, ut me tibi præsens ancillam, quomodo nunc absens facio, offeram.

ipsa, sicut per litteras Didaco Ortizio

453 Dignatus est Dominus febres a me discutere: et jam qua possum diligentia huic domui apte disponendæ allaboro; adeoque puto, Deo adjuvante, brevi id finiendum. Spondeo autem tibi me ne vel minimum temporis punctum esse cunctaturam, sed protinus Toletum venturam, neglecta imo valetudine, si forte febres redierint. Æquum est enim ut, dum tu nihil non facis, ego vice mea aliquantillum saltem operæ ac laboris conferam; quandoquidem nobis aliud procurandum non est quam ut aliquid patiamur, nobis, inquam, illum imitari cupientibus qui totam vitam in doloribus, licet immerens, transegit. Dein neque hanc solam utilitatem ex isthoc negotio capiam. Scripsit enim ad me P. Paulus Hernandez, cum te virum esse cujus D amicitia valde mihi proficua futura sit. Equidem quod hactenus me sustinuerim, id aliorum precibus debeo : quare per Deum te obsecro ne mei in tuis precibus obliviscare. Spem habeo, ni Deus aliter ordinaverit, fore ut istuc veniam cum tardissime secunda hebdomade Quadragesimæ. Cum enim obeunda mihi sint monasteria quæ ultimis hisce annis, Deo propitio, fundata sunt, quamquam ex iis quam citissime me expediam, tamen aliquot dies in iis me agere necesse est. Erunt tamen dies illi quoad fieri poterit paucissimi, tum quia tu id cupis, tum etiam quia monasteria illa tam bene ordinata et composita jam sunt ut vix quidquam habeam quod illic agam, nisi ut admirer et Deum Dominum nostrum laudem. Ducat te superna dextera in omnibus viis tuis, et vitam tibi præstet et salutem cum gratiæ augmento quod tibi exopto.

et Alphonso Ramirezio

454 *His litteris subnectenda videtur pars aliarum litterarum quas* XIX *Febr. Sancta scripsit ad Alphonsum Ramirez :* Spiritus Sanctus sit tecum ac tibi remuneretur consolationem quam tua mihi dedisti epistola. Tabularius tuus peropportune mihi adfuit, sollicite nimirum quærenti viam aliquam ad te scribendi de rebus meis : quo equidem in officio non E facile patior meam a te solertiam desiderari . . . . Quæso autem ne de domo emenda quidquam constituas donec ego venero. Vellem enim ut nostro proposito esset aptissima; siquidem tu et beatus ille, qui cœli gloria jam gaudet, tali nos eleemosyna dignati fuistis. Quod ad licentias attinet, regis quidem licentiam cum Deo bene juvante facile adipiscar; tametsi non sine aliquo labore. Etenim experientia novi quam ægre cacodæmon domos hujusmodi patiatur, quantumque propter eas in nos sæviat : sed, cum Deum habeamus qui omnia potest, nequam ille hostis cum probro et ignominia recedere cogitur. Pertulimus in hac civitate vexationem gravissimam, eamque a viris summatibus : verum ea jam omnis depulsa est. Tu interim cave existimes Deum nil aliud a te requisiturum præter id quod nunc cogitas. Imo vero multa plura requiret : solet enim hanc pro bonis operibus mercedem reddere, exigendo scilicet ut majora faciamus. Quippe dare pecuniam parvum quid est et parum laboriosum : sed quando et tu et gener tuus et nos omnes, quotquot operam dabimus isti fundationi, lapidibus obruemur (id quod parum abfuit quin Abulæ fieret, dum S. Josephi cœnobium exstruximus); tum de- F nique præclare nobiscum agetur, et nedum damni aliquid, imo potius multum lucri monasterio et nobis ipsis inde obveniet. Cæterum negotium isthoc eo modo dirigat Deus quo scit fore optimum : tu vero ne sis sollicitus.

spoponderat,

455 Doleo Patrem illum meum (*Paulum Hernandez*) istinc abiisse : si opus fuerit, curabimus ut revertatur. Denique manum operi jam admovit diabolus. Sint laudes Deo, qui utique non deerit nobis, modo nos ei ne desimus. Sane magna tui videndi cupiditate teneor, non solum quia spero id mihi plurimo solatio fore, sed ut humanissimis tuis litteris coram respondere queam. Faxit Deus ut te et generum tuum omni ex parte salvos inveniam. Commendo me utriusque vestrum precibus : quibus vide quantopere necesse habeam ad iter istud suscipiendum, pessima hac qua utor valetudine; quanquam in febrim non amplius recidi. Cæterum cura mihi erit, imo jam est, de rebus quas mihi mandas : eadem etiam his sororibus meis erit, quæ quidem omnes volunt se tibi commendatas. Teneat te Dominus semper dextera sua. Amen. (*tom. I, epist.* 38).

456 *Duobus post diebus quam has litteras scripserat,*

post breves aliquot in alia loca excursus

pserat, nimirum die XXI *Februarii, quæ erat feria secunda Quinquagesimæ, S. Mater, Vallisoleto relicto, primum Methymnam Campestrem petiit; dein, inchoato jam Quadragesimali jejunio, Durvelum* (*ut vidimus num.* 442); *posthac Abulam, ubi per dies aliquot morata est in primo suo conventu S. Josephi. Inde profecta Toletum est ad medium mensem Martium, comitibus Gonzalvo de Aranda, presbytero Abulensi, et duabus sororibus professis, Isabella a S. Dominico et Isabella a S. Paulo. Iter illis erat per urbem Madritum; ubi jam antea* (*nempe cum Methymna Complutum iret, ut narrat Ribera lib.* II, *c.* V) *integrum pene Novembrem anni* 1567 *transegerat, duplici illic usa hospitio, primo nimirum aula Eleonoræ Mascareniæ, dein regio monasterio virginum S. Claræ Excalceatarum, fundato a serenissima principe Joanna, sorore Philippi II regis. Atque ea quidem occasione, dum apud Mascareniam ageret, opinionem de sua sanctitate, a primariis regni matronis præconceptam, singulari humilitatis industria eludere tentaverat. Nempe, cum aliæ tanquam rerum spiritualium peritissimam multa rogarent, aliæ dubia proponerent solvenda, aliæ etiam urgerent ut futura prædiceret; fertur* Teresia, *nihil* B *has morata quæstiones, post acceptas redditasque summa urbanitate salutationes, exclamasse :* Quam pulchras Madritum plateas habet! *ac mox exspectationem curiosarum fœminarum fefellisse sermonibus tam vulgaris argumenti ut nonnullæ, quippe minus perspicaces, cogitare apud se cœperint forsan satis bonam esse monialem, sed Sanctam esse certo non posse, quæ sic et talibus de rebus fabularetur.*

Madrito Toletum advenit :

457 *Non perinde deceperat S. Mater moniales S. Claræ earumque abbatissam Joannam, S. Francisci Borgiæ ex eodem patre sororem. Hæ nempe, postquam rogatu regiæ principis Joannæ quindecim dies apud eas* Teresia *transegerat, gratias ingentes reddiderant Deo quod sibi talem Sanctam, qualem omnes imitari possent, ostendisset; quippe quæ vesceretur et dormiret et loqueretur ut cæteræ, neque affectatione aut artificiis uteretur : hunc esse plane Domini spiritum, quia sincerus esset ac candidus, qualem ipse Jesus, dum in terris ageret, præ se ferre consuesset. Porro quam anno* 1567, *occasione quam dixi,* Teresia *contraxerat cum regis sorore amicitiam, eamdem hoc anno* 1569, *quando iterum Madritum venit, uti modo dicere cœpi, arctius constrinxit. Quin etiam, testante Chronico* (*lib.* II, C *c.* XXIII, *n.* 7), *monita instinctu Dei scripta Joannæ tradidit, ad regem Philippum deferenda. Quæ cum religiosissimus princeps cum intimis animi sui sensibus plane congruere deprehendisset, Virginem videre ac coram alloqui vehementer desideravit. Sed illa jam Madrito excesserat, Toletum properans : quo pervenit* XXIV *Martii, uti indicat in litteris paulo post missis ad Mariam de Mendoza* (*tom. IV, epist.* 13), *et in capite* XV *Fundationum, quod nunc pergam exscribere.*

ubi in Aloisiæ Cerdiæ ædibus,

458 Pridie autem festi Annuntiationis Deiparæ Virginis Toletum veniens, ad D. Aloisiam de la Cerda diverti, uti et diverti alias, cum ad Malagonensem fundationem abirem. Perhumaniter et hilariter ab illa excepta fui; quam maxime enim erga me afficitur. Duas mecum comites e conventu Abulensi, eximias Dei ancillas, duxeram; quibus mox secretum ac privatum de more attributum cubiculum, in quo nostris, prout in monasterio solebamus, exercitiis sine turba vacaremus. Ergo nihil cunctandum rata, cum Alphonso Alvarez quamprimum de rebus ob quas illuc veneram, tractare cœpi, nec non cum ejus genero Didaco Ortizio; qui, tametsi vitæ probæ esset et in theologicis versatus, sententiæ suæ erat multo quam Alphonsus Alvarezius tenacior, nec tam cito, atque ille, rationi cedebat. D Quare multas mihi conditiones proposuerunt, in quas consentire mihi parum æquum videbatur. Interim dum pacisci pergimus et aliam domum conducibilem quærimus, ut sic aliquatenus possessionem adiremus, nullam post diligentem inquisitionem aptam convenientemque invenimus.

propter exortas adversus fundationem difficultates,

459 Adhæc ab urbis gubernatore monasterii excitandi facultatem impetrare non potui (neque enim ea tempestate archiepiscopum ea urbs habebat), esto eam quam studiosissime efflagitarent hinc Aloisia de la Cerda, hinc vir nobilitate insignis, Toletanæ ecclesiæ canonicus Petrus Manrique, supremi Castellæ præfecti filius, qui excellens Dei famulus erat et etiamnum est (adhuc enim in vivis agit) et, esto valetudinis parum firmæ esset, aliquot postquam conventus hic fundatus esset annis, Societati Jesu sese dicavit, in qua etiamnum agit. Hoc certe illo in loco permultum fuit, quod judicio is valeret et auctoritate : nulla tamen impetrari licentia potuit; nam, tametsi gubernator jam nonnihil mitigatus esset ac lenius ageret, curiæ archiepiscopalis assessores se summa contentione opponebant. Præterea alia ex parte cum Alphonso Alva- E rezio, impediente genero (cui ille rem totam commiserat), transigere non potui : quare a conveniendo paciscendoque tandem penitus abstinui. Nesciebam ergo quid agerem aut quo me verterem, quod aliam ob causam illuc non venissem; ac videbam insigni mihi futurum probro, si re infecta inde abirem.

trimestre pene spatium exigit;

460 Nihil vero me affligebat magis quam denegata superiorum facultas : hac namque habita et possessione adita, Deo freta, reliqua ex voto mihi cessura sperabam, quemadmodum aliis in locis cesserant. Quare loci præfectum convenire statui; hacque de causa in quoddam ædibus illius vicinum templum concedens, misso nuntio illum, ne ad mecum colloquendum illuc venire gravaretur, invitavi. Jam duo et amplius menses in rei confectione transactioneque effluxerant, et quotidie res in deterius cedebat. Ut ergo is constituto adfuit l oco, in hæc illum verba compellavi : « Durissimum videri et » indignum, mulieres quasdam illuc venisse, quæ » solius Dei causa summum vitæ rigorem, perfe- » ctionem, solitudinem et clausuram sectarentur, et » eos qui horum nihil præstarent, sed potius vitæ » delicias affectarentur, opus gloriæ Dei in tantum F » promovendæ institutum subvertere conari. » His aliisque id genus verbis, quæ mira quadam libertate ac fidentia, quantam quidem Dominus mihi indebat, in medium attuli, ita præfectum permovi, ut is, antequam templo digrederetur, facultatem concesserit. Ita autem me hæc exhilaravit ut jam tum omnia me consecutam arbitrarer, cum tamen nihil omnino haberem : nam quam possidebam pecuniam, tribus ea quatuorve ad summum constabat aureis; quibus duas in tela pictas imagines (nam nullam, quam in altari ponerem, habebam imaginem), duas item culcitras stramineas ac lodicem coemi. De domo inveniendа nulla omnino spes erat; et quæ cum Alphonso Alvarezio ineunda erat conventio, jam prorsus conciderat.

donec opera pii juvenis, nomine Andradii,

461 Habitabat per idem tempus Toleti mercator quidam mihi peramicus et cœlebs, officiis caritatis erga carcere clausos et alios egenos exercendæ addictissimus, Alphonsus de Avila cognomento. Hic mihi dixerat de domo ut minime laborarem, se enim de ea mihi prospecturum. Sed is mox in ægritudinem incidit. Paucis ante diebus Toletum Frater quidam ex Ordine Minorum, Martinus a Cruce appellatus, vir

AUCTORE V. D. M.

singularis sanctitatis, appulerat : aliquot autem illic
A diebus hæsit, cumque jam discessurus esset, juvenem quemdam, cui is a Confessionibus erat, nomine Andradium, nullarum opum, imo satis pauperem, ad me misit, huicque in mandatis dedit ut faceret quæcumque ego ei facienda præscriberem. Quadam die cum Sacro interessem, me est allocutus, et quæ sibi a viro illo sancto referre injuncta erant, ex ordine retulit; scilicet certa essem se quæcumque posset meo nomine facturum, quamquam non aliter quam semetipso solo nobis favere et opitulari posset. Equidem illi hoc nomine gratias egi; verum ridere ego et sociæ meæ cœpimus, videntes quem nobis sanctus vir adjutorem et auxiliatorem destinasset : etenim neque ob exteriorem vestitum ac schema accommodus videbatur ut cum Excalceatis monialibus ageret. Ergo, cum me quidem facultatem habere cernerem, sed non hominem qui mihi opitularetur, nesciebam quid ultra agerem aut cui me commendarem.

a P. Martino a Cruce Ord. Min. submissi,

462 Venit igitur mihi in mentem adolescentis illius quem F. Martinus a Cruce ad me alias destinarat; et hoc comitibus meis consilium aperui. Illæ me non parum risere, et ne id facerem dissuaserunt; neque enim id aliud fore quam rem omni-
B bus patefacere et divulgare. Equidem illis auscultare in hoc nolui; confidebam enim fore ut (quod ab illo viro Dei missus esset) saltem aliquid præstaret, neque id sine mysterio factum esse : unde ei ad me evocato (rem ut celaret, quam maxime injungens) quidquid rerum ageretur aperui; ac propterea cum rogavi domum mihi conquireret, fidejussorem pro pretio elocationis me procuraturam. Cui rei bonum Alphonsum de Avila, quem in morbum incidisse paulo ante commemoravi, destinabam. Valde facile id illi visum est, seque domum diligentissime conquisiturum spopondit.

domum tandem satis commodam

463 Ecce autem postridie mane, cum apud Patres Societatis Jesu Sacrum Missæ Sacrificium audirem, is me venit allocutum, seque jam domum invenisse nuntiat, ejusque claves penes se habere, illamque non admodum procul hinc abesse, quare eam visum abiremus; quod et fecimus : adeo autem ea bona et commoda fuit ut anno prope toto in ea habitaverimus. Sæpenumero apud memetipsam, cum fundationis hujus recordor, divinæ providentiæ arcana demiror; quod pene trimestri spatio (saltem plus quam bimestri; neque enim satis re-
C cordor) tota passim assiduoque quæritantes urbe viri tam opulenti (quasi nullæ usquam in urbe domus fuissent) numquam eam invenire potuerint : et ecce mox ut venit adolescens hic satis tenuis et inops, Domino volente, quamprimum aliquam invenit; cumque sine ullo labore fundatio peragi posset, uti quidem fieri poterat, si cum Alphonso Alvarez convenissemus, hanc Deus transactionem non fieri voluit, verum ut isthæc fundatio cum paupertate et laboribus perageretur.

conductitio jure nanciscitur,

464 Ut ergo placuit mihi domus, quamprimum operam dedi ut ejus caperetur possessio, antequam in illa quid adaptaretur, ne quod postea obstaculum aut remora intercurreret. Et non multo post Andradius prædictus mihi significatum venit, eo die domum vacuam a conductoribus fore; itaque nostram eo supellectilem transferremus. Dixi ei non multum nobis transferendum fore; etenim aliud nos non habere quam duas culcitras et lodicem unam. Quod ille audiens, hauddubie miratus est; unde et sodalibus meis grave fuit hoc me illi aperuisse : rogabant enim cur id dixissem; nam fore ut is, viso nos ita pauperes esse, nos amplius adjuvare nollet. Ego ad hoc non attendi : ipse quoque Andradius parum id curavit; nam qui hanc illi voluntatem dabat, eam etiam in eo ulterius promoturus et adauctorus erat, quoadusque opus suum ad exitum perductum esset. Et vere ita fuit : nam adeo se navum sedulumque præstitit, domum concinnando et operas fabriles adducendo, ut nihil in eo nobis concedere videretur. D

eaque uti incipit

465 Ornamenta Sacro dicendo necessaria mutuo cum petiissimus, post solis occasum cum quodam officiali, præsonante nola, quarum est ad elevationem salutaris Hostiæ in Missa usus (quod aliam non haberemus), domum adivimus, ejusdem primum possessionem capturæ. Cumque magno cum timore tota nocte eam instaurassemus et accommodassemus, locum sacrario parando commodum non habuimus, nisi forte atrium quoddam, in quod nonnisi per aliam domunculam vicinam, quam mulieres aliquot incolebant et quæ nobis etiam fuerat locata, patebat aditus. Omnibus ergo jam paratis, cum primum diesceret (nihil autem illis mulieribus indicare ausæ eramus, ne forte nos illæ proderent), portam aperire cœpimus, quæ erat parietis cujusdam lutei, per quem in parvum quoddam atrium ibatur. Ut vero illæ audiere fragores, illico strato se (nam dormiebant adhuc) consternatæ proripiunt, et E vix verbis multis placari potuere. At, cum hora Sacri dicendi jam advenisset, esto nobis initio adversarentur illæ, nullum tamen tunc nobis facessivere negotium : cumque vidissent quanam de causa id factum esset, Domino eas placante, mitiores se præbuere.

non sine novis obstaculis

466 Postea vero vidi quam male fecissemus : nam ob mentis absorptionem quam primum Deus immittit, ut opus executioni illico mandetur, non advertimus ad incommoda quæ subinde proveniunt. Cum ergo ædium domina intellexit domum suam in templum transisse (utpote vidua viri qui majoratum habebat), majus nobis obortum est negotium. Quippe omnimodis rem impedire et obstare conata est. Sed quod putaret nos eam, siquidem placeret, caro empturas, tandem, Domino volente, turbare desiit. Postquam vero curiæ archiepiscopalis consiliarii rescivere monasterium cujus condendi ante ipsi pernegarant potestatem, reipsa jam coaluisse, maximopere indignati sunt, et frementes ad quemdam e primariis ecclesiasticis (quem mei ipsa propositi clanculo participem consciumque reddideram) abiere, consulturi quid sibi faciendum et statuendum esset : etenim præfectus post datam mihi fa- F
cultatem urbe tunc temporis, suscepto itinere, aberat. Ut ergo ad eum quem dixi virum venere, tantam mulierculæ audaciam apud illum exaggerantes, quæ ipsis invitis et refragantibus novum monasterium construeret, is se gessit quasi nihil horum sciret; et, quam optime potuit, illos placavit, idipsum aliis etiam locis me fecisse asserens; nec vero credibile videri me sine necessariis litteris opus hoc inchoasse. Hi vero (nescio ad quot dies) sub excommunicationis anathemate Sacra in templo nostro peragi vetuerunt, quoadusque factæ potestatis litteræ exhiberentur. Equidem benigne eis respondi, illorum me jussis dicens parituram; etsi ipsis alioqui morem gerere hac in re minime obligarer. Ergo Petrum Manrique (illum, inquam, quem dixi, virum nobilem) obsecravi, consiliarios ut adiret, et quas habebam litteras depromeret. Is vero eos placavit, eo potissimum quod jam res confecta esset; alioquin non parum nobis laboris subeundum fuisset.

et magna cum paupertate,

467 Aliquot diebus non aliam supellectilem habuimus quam duas illas culcitras et lodicem, et primo etiam die ne tantum quidem ligni quantum sardæ aut haleculæ assandæ sufficeret; et nescio quemnam

A quemnam deinde Dominus emoverit ut in templo ligni fascem poneret, quo necessitati nostræ succurreret. Noctu aliquantulum frigoris sentiebamus, esto illa lodice et spissioribus quæ gestamus palliis nos tegeremus, quæ non raro nobis ad hoc usui sunt. Incredibile forte cuiquam videatur, quod, cum in opulenta Aloisiæ, quæ tam amice me habebat, domo egissemus, tanta tamen in paupertate viveremus. Quid in causa sit nescio; nisi forte quod voluerit nos Dominus reipsa ibi experiri quantum in virtute hac boni situm sit. Equidem nihil ab ipsa petivi : ab omni enim molestia inferenda ulloque gravando alienissima sum. Forsitan hoc ipsa non animadvertit : plus namque quam nobis dare posset, ei debeo. Nobis certe id quam præclarissime cessit et in lucrum : nam quod in animo sentiebamus gaudium, alacritatem et consolationem, tam erat intensum, sæpe ut mecum ipsa revolvam et recorder quosnam Dominus in ipsis virtutibus thesauros reclusos habeat.

cui tamen brevi civium liberalitas succurrit.

468 Hæc quam patiebamur indigentia suavem quamdam in nobis (ut mihi quidem apparet) contemplationem producebat. At hæc diuturna non fuit : statim enim tam ipse Alphonsus Alvarez
B quam alii longe in nos plura quam quidem optabamus, erogarunt. Hoc porro certum est, tantam tunc animi mei tristitiam fuisse, ut non alia esse videretur quam si multa aurea monilia habuissem, et hæc omnia mihi repente ablata essent, meque omnibus destitutam viderem. Adeo scilicet grave mihi meisque sodalibus fuit paupertatem nostram jam finem habere : cum enim eas vultu subtristiore viderem et dolentes, insolitæ tristitiæ causam ab iis sciscitata sum, et illæ dixere : « Quidnam habeamus, Mater, » cum jam non amplius pauperes esse videamur? » Jam inde ab illo tempore paupertatis magnæ habendæ desiderium in me crevit; simul quoque quoddam mihi dominium mansit ad omnia temporalia parvi facienda; cum illorum defectus et carentia bonum interius mire adaugeat et crescere faciat, quod is certe longe aliam secum saturitatem et quietem ferat.

Demum, variis varia consulentibus,

469 Porro iis ipsis diebus quibus cum Alphonso Alvarez de fundatione conventus agebam, plures fuere quibus ea res displicuit, mihique id significabant, quod ipsum et familiam ejus illustrem et equestri esse dignitate negarent (alioqui, uti dixi, suo in statu honesti et optimi erant); addebantque,
C in civitate tam frequenti et copiosa ac Toletum est, fundatoris illustris mihi commoditatem minime defuturam. Ego vero parum id curabam, quia (Deo laus) pluris semper virtutem quam genus et familiam existimavi. Sed jam tum quoad hoc tam multa gubernatori dicta erant, ut non aliter is mihi hic fundandi licentiam dederit quam prout aliis in locis jam fundaram. Ego nesciebam quid agerem, quia, monasterio jam fundato, rursus de hac re agere cœpere : verum, quia jam peracta res erat, primarium illis sacellum assignare statui, quoad monasterium vero nihil sibi ut vindicarent, uti quidem modo est.

sed Deo animum ejus obfirmante,

470 Jam vir quidam nobilis sese obtulerat, primarium sibi sacellum attribui petens : cumque variæ amicorum super hac re essent sententiæ, et ipsa cui accederem nescirem, Dominus ipse hac in re me illuminare dignatus est : unde quadam die mihi ait quam hi stirpium et familiarum tituli in Dei judicio parum prodessent; maximeque me reprehendit, quod auscultarem iis qui mihi de id genus rebus loquerentur : neque enim hæc esse ejusmodi quæ decerent nos quæ jam mundum omnem despeximus. His aliisque id genus argumentis mire confusa fui, et quod de sacello Alvarezio suisque assignando agitari cœperat, perficere decrevi : cujus
D sane rei numquam me exinde pœnituit. Vidimus enim ad oculum quam alioqui difficile nobis fuisset domum emere. Illius quippe subsidio et suppetiis domum illam emimus in qua modo agimus, cui paucas Toletum pares habet, ut quæ duodenis aureorum steterit millibus. Quod autem is plurimas quotannis apud nos celebrandas fundavit Missas, tum monialibus ipsis, tum etiam populo permagnæ est consolationi. Si autem ad vanas mundi opiniones attendissemus, numquam (uti quidem intelligere possumus) tam bonam nancisci commoditatem potuissemus; gravem quoque intulissemus injuriam illi qui nobis tam libenter et grato animo beneficium et caritatem hanc contulit.

AUCTORE V. D. M.

Sancta, amplius annum Toleti,

471 *In alteram hanc domum, sitam e conspectu officinæ monetalis, in ea urbis regione cui a S. Nicolao vocabulum est, migraverunt moniales anno* 1570. *Nimirum S. Mater e duplici fundatione Pastranensi* (*de qua sequenti paragrapho dicetur*) *Toletum redux fuit die* XXI *Julii* 1569, *et ibi ut plurimum sedem fixit usque ad Augustum mensem anni sequentis. Liquet hoc primo ex epistola Limam missa* XVII *Januarii* 1570 *ad Laurentium Cepedium, in qua dicit:*
E Nunc sum Toleti, quo veni abhinc fere anno ad pervigilium festi Deiparæ mensis Martii. Digressa tamen sum ad vicum quemdam Roderici Gomez, Eboli principis; ubi fundata sunt monasteria duo, alterum Fratrum, Monialium alterum : quæ quidem se habent optime. Exinde huc redii, ut ultimam manum apponam concinnandæ huic domui; quæ ita assurgit ut valde præclara fore videatur. Ac valetudine quidem meliori usa præsenti hieme sum, quia admirabile est hujusce regionis cœlum, *etc.* (*tom. I, epist.* 30). *Secundo ex pactionibus mense Majo* 1570 *factis* Teresiam *inter et Alphonsum Ramirez ac Didacum Ortiz, quas ex Anno Teresiano* (XVIII *Martii, num.* 3) *memorat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 68, *not.* 2 *et tom. III, epist.* 53, *not.* 6). *Tertio ex syngrapha quadam S.* Teresiæ *circa res temporales Joannæ a Spiritu Sancto et Agnetis a S. Joanne Baptista, filiarum Didaci de San Pedro de Palma; cui syngraphæ* (*quam vide tom. IV, epist.* 54, *not.* 3) *subscribitur :* Facta in S. Joseph Toleti XI Augusti anno MDLXX. *Quarto ex testimonio P. Angeli Manrique in Vita Ven. Dei Ancillæ Annæ a Jesu, ubi asserit* (*lib.* II, *c.* II, *n.* 2) *S.* Teresiam *post Annæ ingressum in monasterium S. Josephi Abulense litteras Toleto misisse, quibus juberet assumpto jam ab ea nomini Annæ a S. Petro substitui alterum Annam a Jesu; eamdemque Sanctam paucos post dies Toleto Abulam venisse : atqui ex libro professionum monasterii Salmanticensis aliisque documentis constat Ven. Annam professam fuisse* XII *Octobris* 1571, *expletis in tirocinio, morbi cujusdam causa, duobus circiter suprā annum mensibus, teste auctore Chronici* (*lib.* II, *c.* XLIV, *n.* 5); *proin ingressa in Ordinem Anna fuerit mense Augusto* 1570.
F

quanquam non assidue, commorata,

472 *Attamen intra illud intervallum quod ab exeunte Julio* 1569 *in Augustum usque* 1570 *protenditur, Toleto aliorsum quandoque excurrit* Teresia : *Methymnam Campestrem, Albam, iterum Methymnam, ut Ribera habet lib.* II, *c.* VIII; *dein, eodem teste, Vallisoletum, unde misit litteras ad Agnetem Nieto,* XXVIII *Decembris* 1569 (*tom. II, epist.* 70); *postea Pastranam, ubi Julio mense* 1570 *interfuit professioni FF. Ambrosii Mariani et Joannis de Miseria, prout perhibet Chronicon* (*lib.* II, *c.* XLIII, *n.* 1 *et c.* XLIV, *n.* 7); *tum fortasse tertio Methymnam, etc. His ad chronologiam figendam notatis, redeamus ad*

ca

AUCTORE V. D. M. *de domo, ecclesia*

ea quæ de fundatione Toletana dicenda supersunt.

A 473 *Alphonsus Ramirez ac gener ejus Didacus Ortiz, ad æquiorem tandem reversi mentem, ut ex narratione Teresiana vidimus, novæ domui cum ecclesia excitandæ duodecies mille aureos e defuncti Martini opibus contulere; et convenit cum iis Sancta (ex licentia R. P. Rubei Generalis Carmelitarum, postea confirmata a visitatore apostolico P. Petro Hernandez Ord. Præd.) ut in eadem ecclesia quædam fundarentur capellaniæ ad plurima quotannis Sacra solemni ritu celebranda. Plura hac super re dicuntur in variis S.* Teresiæ *ad Alphonsum ac Didacum epistolis; e quibus hic aliqua latine vertam, tam ut elucidentur ea quæ modo memoravi, tum etiam ut S. Virginis dexteritatem, maternam de suis curam, servandarum constitutionum sollicitudinem et gratum in benefactores animum nativis suis coloribus depicta conspicias.*

et capellaniis ecclesiæ annectendis

474 *Mense Augusto* 1570, *quando in procinctu stabat ut Abulam peteret, sic aperit Ortizio suam quoad capellanias intentionem :* Volui ut ipsi capellani tenerentur cantare diebus festivis; siquidem e nostra est constitutione ut non obligentur moniales, quippe quæ per regulam suam vel cantare B possunt vel non. Nam quamvis cantus e constitutione sit, non est tamen quod eas sub ullo peccato obstringat. Tu ergo vide num fuerint a me obligandæ. Imo nulla causa est ob quam id ego unquam faxim : neque vero id tu me rogasti, nec quisquam hominum; sed tantum ut pro nostra id commoditate ita præciperem. Quod si errorem scribendo commisi, non sunt illæ ideo per vim cogendæ ad rem quæ penes liberum est earum arbitrium : et quandoquidem paratæ sunt ab obsequendum tibi et ad Sacris passim intercinendum, boni etiam, quæso, consulas si sua, dum necesse erit, libertate fruantur. Excusatam me habe quod aliena manu scripsi : debilitor enim venæ incisione, nec caput mihi ad plura sufficit. Dominus noster te custodiat (*tom. III, ep.* 53).

cum Ramirezio et Ortizio amicissime paciscitur.

475 *Aliquamdiu post, dum Albanæ incumbebat fundationi,* v *Februarii* 1571 *ad Alphonsum Ramirez hæc scripsit :* Jesus sit tecum. Si tantum otii mihi foret ad scribendum quantum tibi, essem te in hac parte diligentior. Interim Deo te commendare minime negligo. Quoniam tamen aliunde accepi de tua valetudine, minus ægre fero nihil a te dari litterarum. Faxit Deus pro sua potentia ut valeas C quomodo ego opto, et ut cum Ortizio nostro et carissima Domina Francisca Ramirez plurimum perfruaris ædificio isto, ecclesia, inquam, cum capellanis, quam dicunt fore bellissimam. Laudetur Dominus in sæculum. Gaudeo apud Reverendissimum Patrem nostrum Generalem fuisse rem tam bene gestam. Sapiens plane est ac sanctus : servet illum Deus. Novit summa ejus Majestas quam libenter in ista vestra domo essem : sed ex quo istinc meavi, nulla dies abiit non valde operosa mihi. Duo, gloria Domino sit, fundata stant monasteria, quorum hoc (*Albanum intelligit*) minus est. Concedat Deus Optimus ut alicui sit usui. Non capio quare non transferantur (*in novam ecclesiam*) corpus Martini Ramirez, cui gloriam æternam apprecor atque a Deo deposco. Scribe mihi, amabo te, quæ sit omissionis causa et num res ea de qua deliberatum habebas, uti me aliquando docuisti, effectum sortita sit. O quoties in pactionibus quæ hic offeruntur mihi, recordata sum vestri, vobisque benedixi, quia quæcunque semel dixeratis, ad exitum perducebantur, etiamsi per jocum dixissetis! Det Deus ut multos annos vobis fruar, utpote quos plurimum diligo in Domino. Bene faceret Ortizius, si interdum ad me scriberet. Quando non volet, tu D præcipito ut faciat. Exosculor manus tuas et Franciscæ tuæ, et me commendo parvulis istis angelis vestris. Servet illos Dominus, et præcipue patronum nostrum; ac te manu sua sustentet, et vobis omne quod supplico bonum largiatur. Amen. Est hodie v Februarii. Joannes de Ovalle, quod obliviscebar, plurimum vos valere jubet; nec finem facit prædicandi tua in se merita : quidni ego faciam? Quod vero Isabellam a S. Paulo tam comiter excepisti, non est quod memorem : tanta enim habeo erga te debita ut ea non possim quam Deo persolvenda committere. Sit ipse de tanta tua eleemosyna benedictus. Didaco Ortiz dicas velim ne ultra obliviscatur statuam S. Josephi ad fores ecclesiæ ponere (*tom. II, epist.* 68). *Hactenus Sancta; cujus etiam epistolæ tres ad Didacum Ortiz postea missæ* (*tom. II, epistt.* 65, 66 *et* 67) *non minus lectu dignæ sunt et pro styli epistolaris exemplis merito habendæ.*

Attamen postea mutatur monasterii situs.

476 *Cum autem successu temporis plurima monialibus generarent incommoda institutæ in sua ecclesia capellaniæ et festorum dierum celebritates, actum fuit anno* 1594 *de mutanda habitatione. Res sic confecta est cum Didaco Martino de Zayas, hærede Ramirezii et Ortizii, ut oratorium penes capellanos maneret, moniales vero inde transirent in domum Alphonsi Franco, sitam in foro Sancii Minaya prope nosocomium cui a Misericordia nomen est* (*Chron. lib.* II, *c.* XXIV, *n.* 5). *Verum neque hic optata quiete frui Dei ancillis licuit : tum quia tantummodo tres in universum cellas habebant, quas adeo a pluribus simul monialibus per diem incoli erat necesse; tum etiam quia dormitoriola, in quibus quaternæ per noctem quiescebant, tam contiguæ erant vicinorum sæcularium habitationi, ut non possent horum confabulationes non audire. Quare Beatrix a Jesu, filia Joannæ de Ahumada, sororis S.* Teresiæ, *monasterio illi præposita priorissa anno* 1607, *alteram coemit domum, quæ olim pertinuerat ad Ferdinandum de la Cerda, fratrem Aloisiæ sæpe a me nominatæ, et avum maternum secundi comitis de Montalvan, Joannis de Pacheco y Toledo* (*Chron. loc. cit. et lib.* XXI, *c.* XXXIII, *n.* 18). *Sita erat domus hæc in parochia S. Leocadiæ ad celebrem urbis portam vulgo dictam* del Cambron. *Ecclesiam ei domui adstructam ob decoras Sanctorum imagines quæ inibi visuntur, passim nec immerito laudari dicit Antonius Ponz in Itinere suo Hispanico* (*tom. I, carta* 4, *n.* 19), *ubi* F *brevem earumdem dat notitiam. Celebrat idem auctor* (*Ibid. carta* 5, *n.* 22) *elegantem faciem oratorii S. Josephi, quod vulgo oratorium Martini Ramirez vel capellanorum Martini Ramirez appellabatur* (*Franc. de Pisa,* Descripcion de Toledo, *lib.* I, *c.* XXVIII, *n.* 24). *Verum de fundatione Toletana satis multa : ad Pastranenses fundationes nos vertamus, quarum altera ad* IX, *altera ad* XIII *Julii* 1569 *perfecta fuit.*

§ XXVI. Pastranæ, post tres menses paciscendo et patiendo transactos, secundum virorum et sextum monialium cœnobium excitat. Inchoatur cum visitatoris apostolici venia collegium

A

legium Carm. Exc. Complutense.

Princeps Rodericus Gomez ejusque conjux

Rodericus *Gomez de Silva, Eboli princeps, primus Pastranæ dux, præfectus ærarii Hispaniæ atque Indiarum, regi Philippo II a consiliis rei civilis ac bellicæ, etc., jam ab anno* 1568, *uti discimus ex epistola quadam S.* Teresiæ *ad Franciscum de Salcedo* (*tom. II, epist.* 56), *deliberatum habebat cum conjuge sua Anna de Mendoza y la Cerda, filia Didaci Hurtado de Mendoza, principis de Melito et Francavillæ ducis, ut monasterium Teresianæ Reformationi, de qua ex Generali Rubeo multa præclara audierat, in suo municipio Pastrana excitaret; et mox inde Anna principissa rem hanc apud S. Fundatricem urserat, sed frustraneo conatu; forte propterea quod illustris matrona illa, ut erat genio mobili atque imperioso, conditiones non satis æquas præstituisset. Itaque tunc quidem dissolutus omnino tractatus fuerat, nec brevi tempore renovandus videbatur. Ecce autem post aliquot menses, medio vertente anno* 1569, *intermissum negotium subito principissa*

B *repetiit; et S.* Teresiæ, *nil jam tale exspectanti, augendi insigniter Ordinis sui, tam virorum quam virginum numero, ansam pulcherrimam dedit : miranda sane Dei providentia; uti inficias ire nullus poterit qui rei historiam leget, quam sic texit Sancta capite* XVII :

S. Teresiam *accersunt Pastranam :*

478 A Toletana domo jam fundata dies decimus quintus agebatur (*erat is* XXVIII *Maji*), qui in vigiliam Pentecostes incidebat; illo porro intervallo temporis ædiculæ concinnandæ, cancellis ferreis adaptandis, aliisque id genus operibus (quæ agenda erant plurima) perficiendis multum operæ impenderam : nam (sicuti ante commemoravi) anno prope toto in domo illa egimus. Cumque illis ipsis diebus ob assiduam cum operis fabrilibus discursationem mire defatigata essem; ecce, omnibus rebus jam confectis, cum mane illo ad mensam communi in cœnaculo prandii causa accumberem, mihi tanta subito oborta est consolatio atque pia animi voluptas, quod omnia perfecta jam cernerem, nihilque amplius curandum restaret, et mihi curis omnibus jam solutæ hisce Pentecostes feriis Domino paulo diutius vacare eoque ad satietatem perfrui liceret, ut præ gaudii animo insidentis magnitudine omnis

C edendi appetitus quasi evanesceret. Non diu vero hæc consolatio duravit : nam inter hæc adesse nuntiatur missus a principissa Ebolensi, Roderici Gomezii Silvii conjuge, famulus. Ergo ad illi loquendum abii : nuntiavit autem is me a domina sua evocari. Jam dudum enim ipsa et ego inter nos de conventu quodam Pastranæ erigendo egeramus, tametsi id non tam cito perficiendum existimarem. Valde id mihi grave fuit; minime enim consultum mihi videbatur, nec periculo vacare, monasterium tam recenter et tantis cum adversantium contradictionibus fundatum deserere : unde statui illuc modo non proficisci, idque famulo significavi. Is excusationem meam minime admittebat, quod principissa jam illuc concessisset, idque ob hanc solam causam, cique me non obsequi in magnum ejus probrum cederet. Nihilominus mens mihi non erat eo proficisci : itaque dixi me, interim dum cibum sumeret, ad principissam scripturam, et cum litteris meis illum abire posse. Erat is vir cumprimis honorabilis; et, quamvis grave ei esset me non comitari, auditis tamen rationibus meis, visus est acquiescere.

quo dum Dei jussu proficiscitur,

479 Moniales, quæ nuperrime primum in monasterium hoc venerant, nullatenus expedire censebant ut domum illam tam cito desererem. Itaque coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento supplex me abjeci, ea mihi inspirari petens, quæ, cum principissæ perscripta essent, eam minime offenderent. Illius enim favor nobis tunc utilis fore videbatur, quod Fratrum monasteria tunc primum fundari inciperent; quin et Roderici Gomez conjugis ejus, qui magna apud regem et omnes valebat auctoritate, benevolentiam et subsidium nos habere conveniebat. Non satis memini an illius tunc rei recordata sim; sed hoc scio, me ei displicere noluisse. Hæc agitanti mihi subito a Domino dictum est : « Illuc me conferre non negligerem : nam ob plura » me illuc, quam hancce fundationem, negotia evo- » cari; quare regulam et constitutiones mecum » ferrem. » His ego auditis, esto prægnantes ad non eundum rationes viderem, non tamen ausa sum quidquam statuere; sed, quod mihi hujusmodi in rebus et perplexitatibus solemne est, confessarii mei consilium mentemque inquirere statui. Unde eum mox evocavi, nullatenus tamen ei quod in oratione intellexeram significans. Sic namque melius mihi semper satisfit, et contenta maneo, Dominum rogans ut eos illuminare dignetur, juxta id quod naturaliter quidem intelligere possunt; et, E cum Majestas illius quid fieri vult, hoc illis tunc inspirare solet. Sæpius autem hoc mihi contigit, tam hac in re quam in aliis. Illi ergo visum ut illuc me conferrem : quare in viam me dare statui.

AUCTORE V. D. M.

D

Madriti offendit Ambrosium Marianum.

480 Toleto itaque altero Pentecostes die discessi. Madritum vero transire nos oportuit, ubi una cum comitibus meis in quodam Franciscanarum monasterio, apud D. Eleonoram Mascareniam, quæ ipsum construxerat et in eodem agebat, diversata sum. Fuerat hæc infantiæ regis nutrix, insignis Dei ancilla : apud quam et alias hospitata eram, dum, quibusdam negotiis exigentibus, illac me transire oportuit; semper autem eam mire benevolam et amicam experta sum. Hæc summopere se gaudere affirmabat, quod tam opportuno tempore illuc venissem : esse enim ibidem eremicolam, qui maximopere me nosse cuperet, sibique videri vitæ rationem quam tum ipse tum collegæ ejus instituerent, cum regula nostra optime convenire et conformem esse. Ego vero, quod duos dumtaxat monachos Excalceatos haberem, cogitare mecum cœpi magnum quid facturam me, si efficere possem ut hic illis sese aggregaret. Habitabat hic in domo quam prædicta Eleonora illi F consignarat, una cum socio suo, Joanne a Miseria vulgo appellato, qui, esto ætate juvenis, insignis Dei famulus erat, rerumque terrenarum quam maxime inscius. Ut vero anachoreta ille me convenit, narravit mihi Romam se velle petere. Antequam autem ulterius in hac narratione progrediar, dicere statui quidquid de illo Patre, cui Mariani a S. Benedicto nomen erat, scio aut comperi.

genere Italum, præstanti pietate,

481 Erat hic genere Italus, juris doctor, ingenio experientiaque rerum præstans. Habitarat olim in reginæ Poloniæ (cujus primarius fuerat œconomus) aula; cumque a matrimonio ineundo semper abhorruisset, adhæc inter equites Melitenses accensus esset, perpulit illum tandem Dominus, ut, quo salutem suam melius operaretur, omnibus quæ possidebat nuntium remitteret. Postquam vero multis cum ærumnis conflixisset et varie exagitatus esset, eo quod cædi cujusdam interfuisset, proptereaque ad biennium in carcere tamquam cædis reus gemuisset, nollet tamen ut quis jurisconsultus aut alius quislibet sui patrocinium susciperet, sed Deo ejusque justitiæ causæ suæ æquitatem committeret, esto etiam testes adversus

AUCTORE V. D. M.

ipsum jurejurando affirmarent se ab illo ad cædem patrandam vocatos et conductos esse; factum est ut (quemadmodum duobus senibus S. Susannæ delatoribus contigit), dum a judice seorsim et ab invicem disjuncti interrogarentur, ubinam fuisset, cum hanc illis cædem præciperet, unus responderit lecto eum tunc insedisse, alius vero per fenestram prospexisse. Tandem vero confessi sunt se supplantare ipsum conatos, ac falsum adversus ipsum testimonium dixisse. Ipse vero multo se illorum liberationem, ne a judice falsi testimonii damnarentur, auro redemisse mihi affirmavit; adhæc illum ipsum qui hanc illi litem intentarat, suas in manus postea incidisse, ac sibi potestatem fuisse in illius acta inquirendi; atque eamdem ob causam omni se qua potuerat ope ac dispendio elaborasse ne quod is propterea damnum pateretur. Ob has aliasque virtutes (est enim vir mire castus et mundus, et ab omni cum fœminis consortio valde alienus) hauddubie apud Dominum promeritus est lucem ab eo impetrare cognoscendi quanta rerum mundanarum sit vanitas, quo sese ab illis expediret.

A

doctrina et industria virum;

B

482 *Liceat mihi hic aliquantisper S.* Teresiæ *sermonem intercipere, ut alia quædam de Ambrosio Mariano breviter referam. Natus erat Bitonti in regno Neapolitano, parentibus genere, opibus ac pietate conspicuis. Studiorum curriculum* (*in quo condiscipulum habuit Hugonem Boncompagni, qui fuit postmodum Gregorius PP. XIII, et memoriam Mariani semper retinuit*) *multa cum laude emensus, et lauream doctoris utriusque juris adeptus, adfuit aliquo tempore Sacrosancto Concilio Tridentino; et de ejus actis ac decisionibus librum eleganti sermone conscripsit, quem in Seritano Carmelitarum Excalceatorum cœnobio asservatum fuisse asserit Bibliotheca Carmelitana. Missus dein a Concilii Patribus in Belgium, Germaniam et alia regna septemtrionalia, ad tractanda quædam Catholicæ Religionis negotia, his peractis, in Polonia mansit apud Catharinam Austriacam, Sigismundi II regis conjugem, summus rei domesticæ præfectus. Inde digressus, sacræ Melitensium equitum militiæ nomen dedit; et anno* 1557 *interfuit celebri ad oppidum S. Quintini in Veromanduis pugnæ. Quo in oppido, cum post relatam de Gallis victoriam honestæ cujusdam viduæ tecto cum altero milite uteretur, duas virgines, dictæ viduæ filias, a socii impudicitia tutatus fuit, stricto gladio et ad scelus morte plectendum parato. Non diu post carceri innocens fuit inclusus, prouti Sancta nostra jam enarravit. Unde in libertatem pristinam restitutus, ex Italia, quo redierat, juniorem principem Sulmonensem, suæ curæ commissum, jussu regis Philippi in Hispaniam duxit. Demum ab eodem rege Cordubam missus ad explorandum num inde Hispalim versus navigabilis reddi posset fluvius Bætis seu Guadalquivir, apud Cordubenses Societatis Jesu Patres spiritualibus S. Ignatii exercitiis animum excoluit. Quid deinceps egerit, jam ipsa Sancta persequetur, cujus verba exscribere rursum incipio.*

C

qui eremum, in qua octo vixerat annos,

483 Secum, *inquit*, cogitare Marianus cœpit, cuinam potissimum religioso Ordini se dedicaret; quare singulos eorum examinans et conferens, in omnibus pro conditione status sui ac naturæ (ut mihi ipse dixit) quoddam quod displiceret, inveniebat. Intelligens autem haud procul Hispali, in solitudine quam Tardoniam dicunt, eremicolas quosdam, superiore ac directore P. Matthæo, egregiæ sanctitatis viro, simul agere, illis sese aggregavit. Horum singuli suum habebant tugurium sequestratum ab aliis; Officium vero divinum non recitabant, sed quoddam, in quo ad Sacra audienda conveniebant omnes, habebant oratorium: nullos quoque habebant reditus, ac ne quidem eleemosynis vivere volebant, unde etiam oblatas non admittebant; sed labore manuum suarum quisque sibi victum comparabat, quem etiam privatim soli sumebant, eumque satis tenuem. Hæc ego audiens, primorum Patrum nostrorum ritum ac normam vivendi ab illis repræsentari censebam. Hoc porro ille ritu octennium vixit: at, quoniam omne anachoretarum genus alicui religiosæ familiæ sese subdere Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi auctoritate jubebatur, Romam petere constituerat, ejus quam hactenus ipse et socii duxerant, vitæ prosequendæ facultatem a suprema Sede petiturus; et in hoc proposito versabatur tum cum primum ipsum conveni.

D

cum cœnobio virorum Carmelitano,

484 Postquam ergo suam vivendi formulam is mihi indicasset, primigeniam nostram regulam vicissim ei ipsa legendam dedi, sine tanto labore universa hæc ipsum servare posse asserens, cum eadem esset vivendi utrorumque ratio; præsertim quod labore manuum victitare (erga quem ipse plurimum afficiebatur, mundum dicens rerum concupiscentia corruptum esse, et hanc in causa esse cur religiosa vita passim apud mundanos vilesceret) nobis quoque solemne erat. Cum ejusdem cum ipso sententiæ et opinionis essem, statim quoad hoc, uti et quoad reliqua omnia, convenimus: quare, cum ipsi persuadere diversimode conarer quantum hoc in habitu Deo præstare obsequium posset, ea sese nocte de illo dixit deliberaturum. Jam tum illum huc pene propendere videbam; et hoc demum esse intelligebam quod in oratione a Domino didiceram, scilicet ad longe plura quam ad monasterii monialium fundationem me abire. Summæ mihi id consolationi fuit, quod in maximum Domini obsequium cessurum mihi videretur, si is Ordini nostro nomen daret. Majestas ejus, qui idipsum volebat, illa nocte ita illum permovit, ut postridie, jam plane certus, ad se me evocaverit, non parum miratus, quod se tam cito, et præsertim per mulierem (quod et modo subinde mihi dicere solet), mutatum cerneret, tamquam si ipsa sola in causa fuissem, et non potius Dominus, qui corda hominum immutare potest.

E

Pastranæ erigendo,

F

485 Magna sane ejus sunt judicia, uti apparet ex eo quod, cum tot annis ipse apud se deliberasset, nesciens cui sese Religioni potissimum applicaret (nam illa in qua ipse tum agebat, Religio proprie non erat; quod vota ibi non emitterent, nec aliquid quod obligationem includeret, observarent, excepto duntaxat quod ibi a populo sequestrati agerent), tam cito tamen Dominus illum emoverit, eique declararit quantum hoc in statu ipsi serviturus esset, Majestatemque suam opera ejus uti velle ad promovendum id quod jam cœptum erat. Et certe egregiam is huc a parte sua operam contulit: hactenus enim Ordinis causa ingentes et plurimos labores subiit, quin et adhuc subiturus est, usquedum res ipsa confecta sit, ut potest e magnis obloquiis et contradictionibus, quibus primigenia hæc regula modo oppugnatur et exagitatur, intelligi. Quippe ob naturæ dotes, ingenium, vitæque sanctimoniam, magna apud plurimos, qui nobis favent et nostra tuentur, auctoritate pollet. Narravit is ergo mihi, Rodericum Gomezium Pastranæ (qui is ipse erat locus ad quem jam proficiscebar) commodum sibi olim locum dedisse, in quo suis anachoretis sedem figeret; se vero Ordini huic illum attribuere, in eoque illius habitum velle assumere.

486 Ego ingentes ei propterea gratias egi, Dominumque

commutare statuit,

numque ex toto corde laudavi; nam, cum duorum erigendorum conventuum a R. P. N. Generali facultatem impetrassem, hactenus tamen nonnisi unus fundatus erat. Quare jam inde ex hoc loco, per litteras a duobus provincialibus, eo videlicet qui modo eo munere fungebatur, et eo qui nuperrime functus erat, ad hoc faciendum facultatem petii (bona enim illorum sine venia fieri non poterat), simul et ad episcopum Abulensem, Alvarum Mendozium, qui nobis mirifice favebat, scripsi, ut auctoritate sua ad hanc facultatem concedendam ipsos permoveret. Placuit autem Deo ut hi in illa concedenda sese haud difficiles præbuerint; forsan quod ipsis videretur, quia locus hic adeo dissitus esset, parum inde sibi suisque sequi posse dispendium. Mox ergo ut provincialium facultatem obtinuissem, Marianus se nostris accessurum mihi spopondit: itaque magno cum gaudio iter quod cœperam, perficere aggressa sum.

Verum nonnisi post tres menses,

487 Pastranam ut appuli, inveni Rodericum Gomezium principem ejusque conjugem, qui me amice benevoleque excepere, et secretum nobis a reliqua familia conclave attribuerunt, in quo opinato diutius hæsimus. Domus enim quam principissa nobis assignarat, perangusta erat; hinc multas ipsa ejus partes demoliri, non tamen muros aut parietes, easque novas instaurari jussit. Trimestri et amplius Pastranæ sum morata, esto non sine magnis difficultatibus, quod tales mihi principissa proponeret conditiones quæ a Religione et Instituto nostro admodum alienæ erant: imo maluissem re infecta Toletum reverti quam in illas consentire. At ipse princeps Gomezius sua, qua plurimum pollebat, prudentia, quippe rationis ductum sequebatur, tantum apud uxorem effecit ut ipsa jam mitius se gereret. Ego quoque a parte mea in nonnullis ipsi obsecundavi; quod ibi Fratribus, quam monialibus, erigi conventum mallem, sciens quantopere id expediret, uti postea compertum est.

quos propositis a principissa conditionibus

488 *Hæc Sancta; quibus pro more addam necessaria supplementa et elucidationes, e biographis ejus et aliis haustas auctoribus. Itaque quod pertinet ad conditiones ab Anna Mendozia propositas, feruntur eæ fuisse potissimum duæ: altera, ut in suum cœnobium* Teresia *admitteret sanctimonialem quamdam, nomine Catharinam Machuca, e Segoviensi Humilitatis conventu Ordinis Eremitarum S. Augustini, quam principissa Madrito Pastranam adduxerat; altera, ut novum monasterium virginum suarum* Teresia *vellet esse sine reditu, quomodo alibi, præterquam Malagone, fecerat. Respuit priorem conditionem S. Virgo, quia oblatæ sibi seu potius per vim obtrusæ Catharinæ nec mores nec genium noverat, imo ne horum quidem periculum facere sinebatur; deinde, et potius etiam, quia sapienter judicabat minime expedire inconsultas illas ac tumultuarias ex una Religione in alteram transitiones. Ut vero suas rationes gravi quadam auctoritate fulciret, de re tota consuluit P. Dominicum Bañez; quo* Teresiæ *assentiente, principissa desiit conditionis hujus executionem urgere.*

dispellendis Sancta impendit,

489 *Difficilior refutatu erat altera conditio, utpote quæ* Teresiam *tanquam suis ipsam armis adoriebatur. Objiciebant nempe principes, cum cæteros passim conventus suæ Reformationis sine censu esse Sancta expresse jussisset, ad majorem haud dubie id pertinere perfectionem: se vero ne quid sororibus unquam deforet, sollicite curaturos. Verum prudens Virgo, considerans hinc incolas Pastranenses et pauperes satis esse et parum liberales fore in monasterium quod tam opulentos habebat fautores, illinc vero monialibus suis ab Anna Mendozia metuens (ne scilicet aliquando, prætensa jure injuriave principum offensione, largiendarum eleemosynarum fieret finis), exemplum allegavit Aloisiæ de la Cerda, quæ erectum in suo prædio Malagone conventum congruo dotaverat reditu. Eo exemplo et quibusdam concessionibus ex parte* Teresiæ, *quæ, nisi de excitando Pastranæ virorum cœnobio spes sibi affulsisset, re infecta Toletum remeare cogitabat, ad æquiorem mentem sunt demum revocati nobiles conjuges: Rodericus quidem non difficulter, quia, ut Sancta loquitur,* rationis ductum sequebatur; *Anna vero ægerrime, tum propter iras de repudiata Catharina Machuca, tum quoque aliam ob causam, quam modo aperiam.*

quo etiam tempore ob Vitæ suæ librum

490 *Audierat ab incauto nescio quo narratore S. Matrem attulisse scriptum de Vita sua commentarium: unde, ut fit, curiosæ fœmineæ menti cupido legendi illius incesserat. Institit itaque primum apud* Teresiam *ipsam, sibi ut librum cederet. Hac vero modeste adductisque rationibus recusante, virum dein statuit adhibere intercessorem. Diu hic etiam conatus frustra fuit: sed victas denique manus dat Sancta, et optato curiositatis alimento principissa potitur. Ea lege composita res ut soli Rodericus ejusque uxor scriptionem illam inspiciant: gravia cæteroquin incommoda secutura. At paucos post dies en tibi, qui molestissimus* Teresiæ *fuit, nuntius: librum tota aula per manus ancillarum vagari, omnium irrisione ludi, ac proscindi dicteriis; insuper principissam asseruisse esse omnes Teresianas visiones nihil aliud quam malas artes, artibus famosæ Mariæ Magdalenæ a Cruce quam simillimas.*

calumniis ab eadem impetita fuit,

491 *Quam esset atrox hujusmodi sarcasmus, satis intelligere est (ne plures auctores afferam) e Ribadineira ac Bartolo, S. Ignatii biographis; quorum ille Mariam Magdalenam a Cruce ita describit (Vitæ S. Ignatii l.* V, *c.* X, *vel in Actis Sanctorum tom. VII Julii, pag.* 767): Illa quæ ab ipsa infantia Deo sacrata fuerat, quæ pœnitentiæ asperitate præclara, orationis assiduitate excellens credebatur, prudentiæ laude singularis; a qua (tamquam futura præsentiret, et conscia divinæ voluntatis mente præsaga ventura prædiceret) responsa multi petebant; quæ denique omnium virtutum opinione florebat, et veluti de cœlo lapsa virgo colebatur; certis vestigiis deprehensa tandem est, cognitumque est omnibus ac compertum, fraude diaboli atque artificio egregie illam hominibus imposuisse, eamque deceptricem et levem, et falsa opinione, errore hominum, a pueritia commendatam, animum vultu, vitam parietibus, flagitia captiosis artibus dæmonis præstigiisque texisse. *Quam ob causam, teste Bartolo (Vitæ Ignatianæ lib.* IV, *num.* 36), saga illa ac diaboli ministra accepit a sacro Inquisitionis Tribunali dignam suæ vanitatis mercedem. *Porro, sicut ejusmodi in re fieri assolet, brevi rumor de Teresiano libro, Pastranensium superatis finibus, Madritum usque pervasit; adeoque convicia Annæ de Mendoza regiam aulam, per ora muliebria præsertim, personuerunt. Quam rem potissimum in causa fuisse quidam dicunt cur anno* 1575 *Vitam* Teresiæ *examinandam censuere Inquisitores. Sed hoc alibi latius exponendum; nunc prosequenda hujus paragraphi materia.*

initium duobus cœnobiis,

492 *Dictas igitur difficultates, Deo adjuvante, eluctata* Teresia *Pastranensis cœnobii monialibus destinati possessionem adiit, illato illuc Sanctissimo D. N. J. C. Corpore, die* IX *Julii* 1569. Hoc tempore, *sic ipsa pergit,* Pastranam venere Marianus ejusque socius (illi ipsi, inquam, eremicolæ quorum supra memini); et acceptis jam litteris facultatis provincialium, principibus illis visum est locum illum

AUCTORE V. D. M.

illum et desertum quem ei in anachoretarum habitationem alias concesserant, in Fratrum Excalceatorum usum convertere. Cumque P. Antonium a Jesu, qui primus fuit et Manceræ adhuc agebat, evocassem ut hujus conventus initia poneret, ipsa interea vestes illis et cappas paravi, et quidquid poteram faciebam, ut illi quam citissime habitum assumerent. Interim plures Methymnensi e conventu moniales evocaveram; neque enim plures quam duas mecum duxeram. Agebat tum Methymnæ quidam Carmelita satis provectæ ætatis, qui junior non erat nec senior, sed egregius erat concionator, F. Balthasar a Jesu vocitatus : qui, cognito recens hoc Pastranæ domicilium fundari, una cum monialibus evocatis huc appulit, in animo habens Excalceatis sese aggregare, uti etiam, postquam venit, reipsa fecit : quod cum ipse mihi significasset, Domino summas egi gratias. Hic porro Marianum ejusque socium sacra veste induit, sed ea qua Fratres nostri laici utuntur : etenim P. Marianus Sacerdotio destinari nolebat, sed ea Ordinem intentione ingrediebatur ut omnium esset minor; neque aliud tum ullis ab eo rationibus impetrare poteram : at postea, R. P. Generalis accedente jussu, Sacris se Ordinibus initiari passus est.

virorum alteri,

493 *Facta est hæc vestium assumptio in sacello domestico Roderici Gomez, ad eam solemnitatem tanquam ad festi diei celebrationem splendidissime ornato. Assistebat uterque princeps, comitantibus aulicis et domesticorum ac vicinorum caterva. Orationem ea occasione habuit P. Balthasar a Jesu; qua vehementer commoti omnes auditores, sed præ cæteris juvenis quidam nobili loco natus, qui postea se Carmelitis Excalceatis adjunxit, sumpto nomine Gabrielis ab Assumptione. Paucos post dies, nempe* XIII *Julii, solemni supplicatione in novum conventum religiosi introducti fuerunt. Sed Sanctissimæ Eucharistiæ illationem in adventum usque P. Antonii a Jesu S. Mater judicavit esse differendam, honorandi causa Patris illius, tam bene de suo Ordine meriti.* Postquam vero, *prosequitur illa,* utroque monasterio jam fundato, P. Antonius advenisset, tales mox in Ordinem novitii cooptati sunt ut de illorum nonnullis postea quædam dictura sim. Simul hi Domino valde sincere et serio servire cœperunt; sicuti, si ei placebit, describet is qui melius quam ego id præstare poterit : ad hoc enim, ut verum fatear, nimis inepta et imperita sum. *Id quidem quod, imperita sibi, nobis peritissima,* Teresia *hoc loco omisit, præstitit, quantum Chronici sui ratio patiebatur, P. Franciscus a S. Maria; quem consulere potes, si libet, lib.* II, *a capite* XXXI *ad caput* XXXVII *inclusive.*

alteri monialium,

494 Quod vero, *ait Sancta,* ad monialium cœnobium spectat, ipsum cum singulari principum benevolentia propensioneque ibidem erectum est; ipsa porro principissa non cessabat illas omnimodis curare, atque omnem nobis benevolentiam ostendere, beneque nos habebat, quoadusque princeps Gomezius ex hac vita decederet : tunc quippe ipsa, aut diabolica tentatione premente, aut forsitan Deo permittente (Majestas illius rationem novit), præcipiti doloris passione ob mortem illius concepta, monialis illic esse voluit, et habitum suscepit : at, quod dolore nimium quantum premeretur, hinc ingens illa nostra solitudo et clausura, cui minime assueverat, illi placere aut ad gustum esse non poterant; quod autem per Sacrosanctum Concilium Tridentinum omnes quas quidem ipsa desiderabat, concedere ei libertates priorissa vetaretur, hinc ita tum ab ipsa tum a reliquis alienari cœpit, ut etiam, postquam habitum monasticum exuisset et domi suæ jam ageret, identidem ipsis molestiam exhiberet et ab ipsis dissideret.

sed huic non diu duraturo, datur.

495 Unde miseræ religiosæ tantum ab ipsa inquietudinis patiebantur, ut, quibuscumque modis potui, efficere conata sim, superiores id quam maxime rogando, ut monasterium inde auferretur. Segoviam igitur (uti postea commemorabitur) sorores illæ demum abierunt, omnibus quæ principissæ liberalitate acceperant, Pastranæ relictis, quin et aliquot moniales, quas principissa sine ulla prorsus dote admitti rogarat, secum ducendo. Lectos vero et reliquas quas ipsæ moniales secum attulerant reculas et minutias inde avexere, non sine magno incolarum loci dolore et amaritudine, meo autem summo cum gaudio, quod illas jam quiete optata frui viderem. Etenim mihi notissimum erat nullam ipsas, ut alienatior ab ipsis principissa fieret et stomacharetur, causam dedisse, quin imo, interim dum inter eas in veste religiosa ageret, non secus ei serviisse quam ante eam sumptam : unde patet eam solam quam dixi, alienationis causam fuisse, nec non nimium quem ob mariti mortem ipsamet conceperat dolorem. Omnis vero causa (uti quidem postea intelligere fuit) cuidam illius ancillæ quam secum duxerat, adscribenda est. In summa, Domino, qui ipsum permittebat, visum fuit illud monasterium huic loco minime convenire : magna quippe et alta ejus sunt judicia, et longe alia atque omnis ingenii nostri perspicacitas intelligere potest : ego vero, solo meo ingenio nixa, numquam id facere ausa fuissem, sed virorum tum doctrina tum sanctimonia excellentium in hoc judicium sum secuta. *De hac re plura ad fundationem Segoviensem : sed hic pauca adhuc de virorum cœnobio Pastranensi et de domo iisdem hoc ipso anno* 1570 *Compluti acquisita.*

P. Petrus Hernandez, visitator apostolicus,

496 *Cum lustratio provinciarum Hispaniensium Ordinis Carmeli, a R. P. Rubeo (ut ante dictum est) effecta, non eum habuisset exitum qui speratus fuerat, rex prudentissimus Philippus II, pro eo quo flagrabat Religionis zelo, institerat denuo apud S. Pium V, Romanum Pontificem, novam ut visitationem faciendam curaret. Ergo Sanctus e suo Prædicatorum Ordine viros idoneos per diplomata apostolica jussit esse Carmelitarum Hispanorum visitatores : nimirum pro Castella P. Petrum Hernandez, pro Andalusia P. Franciscum de Vargas, hunc conventus S. Pauli Cordubæ, illum Conventus Talaveræ Reginæ priorem. P. Petrus Hernandez, accepto ad Martium mensem anni* 1570 *vel jam antea Brevi Pontificio, muneris sui exsequendi initium fecit a conventu Pastranensi. Pedes illuc accessit tempore Quadragesimæ bonus senex cum socio Fratre et uno ad pallia vehendum jumento; et hanc paupertatem humilitatemque mirantibus dixit non esse sæcularium more itinerandum ei qui Sanctos invisum iret. Quamdiu Pastranæ egit, non aliter vixit quam si unus de Teresianis Excalceatis fuisset, observans omnem disciplinam domesticam et quadragesimales austeritates, magna omnium ædificatione et insigni adeo virtutis exemplo : unde perlibenter tam Fratres quam moniales Pastranenses se ejus obedientiæ submisere.*

Carmelitis Excalceatis favet

497 *Hinc ergo primum enata Hernandezii in S.* Teresiam *ejusque Reformationem tenera illa benevolentia, cujus argumenta per decursum historiæ nostræ non deficient. Sane, quam primum Madritum advenit visitator, apud regem Philippum, apud Rodericum Gomez cæterosque primarios aulicos, encomiasten Teresiani Instituti egit : idemque insuper plurimum commendavit nuntio apostolico, Nicolao Ormaneto,*

A *Ormaneto, illi qui olim Cardinali Reginaldo Polo ad Anglicam legationem adjunctus, deinde deputatus ad Sacrosanctum Concilium Tridentinum, post a S. Carolo Borromæo creatus vicarius generalis Mediolanensis, demum ad sedem episcopalem Patavinam evectus fuerat, ac propter suum salutis animarum zelum passim a Romanis, laudatoria ironia,* reformator orbis *dicebatur.*

ac collegii Compluti fundandi

498 *Interea, priore P. Balthasare a Jesu, crescebat Pastranæ virorum ac juvenum sub regula S.* Teresiæ *vivere incipientium numerus. Quorum cura, eo quod P. Balthasar sæpe alio excurrere cogeretur, ad medium Octobrem* 1570 *S. Joanni a Cruce commissa est; sed ad tempus perquam breve. Nempe per eosdem dies cogitari cœptum de creando Compluti collegio, quod adirent religiosi tum doctrinæ sibi comparandæ, tum plurium juvenum e celebri illius civitatis schola ad se alliciendorum causa. Obstabat quod in concessa S.* Teresiæ *a R. P. Rubeo facultate* (*quam attuli num.* 404) *conventuum numerus ad duos, non amplius, restringebatur : quare neque provinciali Alphonso Gonzalez, quantumvis benevolo, integrum erat conventibus Excalceatorum Mancerano ac Pastranensi tertium superaddi per-*
B *mittere. Prætercа simultas Observantes inter ac Reformatos, brevi præter modum excretura, pullulare paulatim jam cœperat.*

facultatem concedit.

499 *Nihil igitur consultius reformatis Patribus visum quam a visitatore Hernandezio faciendæ novæ hujus fundationis veniam petere : quam ille quidem, pro ampla sua jurisdictione suoque in Excalceatos amore, libenter concessit. Sic brevissime confecta res : sumptibus Roderici Gomezii et opera PP. Francisci a Conceptione atque Ambrosii Mariani coemptæ Compluti Carmelitarum Observantium ædes, quas hi deserere jam cogitaverant. Initium sic collegio datum kalendis Novembribus anni* 1570 *a P. Balthasare a Jesu; et paulo post S. Joannes a Cruce illuc accersitus cum vicarii ac primi rectoris munere : in ejus locum Pastranæ suffectus P. Angelus a S. Gabriele. Primum Complutensi conventui vocabulum fuit a Beata Virgine de monte Carmelo : sed anno* 1581 *a S. Cyrillo Hierosolymitano cognomen accepit, quod festo illius Sancti die ibi primum capitulum suum generale Reformati, postquam sui juris per separationem a Mitigatis facti erant, celebravere. Quæ hic raptim narravi, latius evolvuntur in Chronico* (*lib.* II, *cap.* XXXVIII, XLII *et* XLIII), *et ad diem* XXIV *Novem-*
C *bris pro Commentario de S. Joanne a Cruce resumenda erunt.*

§ XXVII. Martyrium Ven. P. Ignatii de Azevedo et aliorum e Societate Jesu, a S. Teresia in visione conspectum. Iter Sanctæ Salmanticense.

Martyrium P. Ignatii Azevedii et sociorum, 39

Redeuntibus *ad ipsam Sanctam, a qua sub finem superioris paragraphi paulisper recessimus, proxime nobis dicendum est de insigni quadam visione quæ ei mense Julio anni* 1570 *obtigit. Notum est ex Historia Societatis Jesu* (*part.* III, *lib.* VI, *num.* 208 *et seqq.*), *e libris Ribadineiræ et Cienfuegosii de Vita S. Francisci Borgiæ, e Buei nostri in eamdem Vitam Commentario, ex Alegambii Mortibus illustribus S. J., e Tanneri Societate Jesu militante, aliisque scriptoribus bene multis, præsertim vero tum e P. Petri Possini de Vita et Morte P. Ignatii Azevedii et sociorum ejus e Soc. Jesu libris quatuor Romæ anno* 1679 *editis, tum maxime ex informationibus juridicis auctoritate Sedis apostolicæ rite peractis; ex his omnibus, inquam, notissimum est quadraginta Societatis nostræ viros, partim sacerdotes, partim scholasticos, coadjutores temporales et novitios, navi Lusitana in Brasiliam tendentes, prope Palmam, unam e Fortunatis seu Canariis insulam, diebus* XV *et* XVI *Julii, a crudelissimo Joanne Soria, archipirata, quem rebellium in Gallia Calvinistarum coryphæus Colinius rei maritimæ præfecerat, inhumaniter in odium Fidei Catholicæ et Jesuitici Ordinis* (*ut ipse Soria disertis verbis jactabat, quamquam hoc perfide dissimulat mendax Thuanus*) *interfectorum : quorum* Martyrium et Martyrii causam *Benedictus XIV* ita probari declaravit ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem signorum seu miraculorum; atque ad eorum præcipue qui Catholicæ Fidei, qua plantandæ, qua propagandæ, qua defendendæ causa inter idololatras aut perfidos hæreticos in assiduo vitæ periculo versantur, solatium non minus quam incitamentum, E
et decus etiam insigne Nationis ac Religionis quam prædicti Servi Dei sortiti ac professi sunt, de Sede apostolica et Fide Catholica optime meritæ, utpote quam fuso largiter non sudore modo, verum etiam, ubi opus est, sanguine fortiter tuetur, *hujus* declarationis decretum (*quod legere est tom. VI, pag.* 66, *editionis Romanæ anni* 1751, *et tom. VI, pag.* 24, *editionis Venetæ anni* 1788 *operum ejusdem Summi Pontificis*) in lucem edi ac publicari mandavit XXI Septembris 1742.

AUCTORE V. D. M. D

quorum unus erat Sanctæ consangui-neus,

501 *Erat autem inter Martyres illos quidam S.* Teresiæ *consanguineus, Turrigiis, e Toletanæ diœceseos oppido, oriundus, nomine Franciscus Perez Godoius, de cujus vocatione ad Societatem Jesu et vita in tirocinio Methymnensi perlaudabiliter acta legi merentur P. Ludovicus de Ponte in Vita P. Balthasaris Alvarez* (*cap.* XX) *et P. Possinus in opere jam citato* (*lib.* IV, *cap.* I, *num.* 23 *et seqq.*). *Ego illud unum hic referam : nempe cum in extremo pro Fide agone subinde se ac socios, dum ab efferatis hæreticis necarentur, his adhortatum fuisse verbis, quæ sæpissime e suo tironum magistro P. Balthasare Alvarez audiverat :* Ne degeneremus, fratres, a præcelsis cogitationibus filiorum Dei; *et in iis sen-* F
sibus ac verbis, consanguineo S. Teresiæ *dignis, confossum fuisse atque demersum.*

ipsa, Deo revelante, conspicit :

502 *Jam vero totum hoc cruentum spectaculum, eo ipso tempore quo in Atlantico mari editum est, Sancta nostra in oratione posita, mirabili Dei revelatione cognovit, et illos quadraginta viros vidit in cœlis coronis Martyrum decoratos; deque re tota P. Balthasarem Alvarez certiorem fecit priusquam ejus nuntii in Hispaniam afferri potuissent. Probatur evidentissime visionis hujus veritas tum ex Yepesii lib.* III, *cap.* XVII, *quod caput integrum insertum fuit Summario de singulari Prophetiæ dono S.* Teresiæ, *cum gravissimus auctor Deo teste affirmarat, ut alibi jam dixi, vera esse quæcunque de Sanctæ Vita scripsisset; tum e jurato testimonio P. Ægidii Gonzalez de Avila S. J. in informationibus de S.* Teresia *Madriti habitis; tum denique, in ipsa prædictorum Martyrum causa, e depositione* 36 *testium de publica voce et fama, quorum aliqui etiam dixerunt rem illam fuisse manifeste notoriam in Sacro Ordine S.* Teresiæ *et Societate Jesu.*

atque hanc revelationem

503 *Elucidationis gratia afferendus videtur locus ex opere P. Possini supra laudato, ubi doctus hic*

AUCTORE V. D. M.

A *scriptor de eo quod tractamus argumento ex professo disputat. Scilicet, postquam allegavit dicta ab Yepesio et Gonzalezio in Hispanicis informationibus de hac revelatione testimonia, ita loqui pergit :* Eadem revelatio Romæ deinde, cum causa canonizationis pressius agitaretur, a Sacræ Rotæ judicibus summo rigore discussa, uti valide probata est admissa, ex eaque gravissimus ille consessus judicavit constare S. Teresiam spiritu Prophetiæ fuisse præditam; prout attestatur, qui præsens affuit, D. Coccinus, venerandi tunc illius Concilii præses, quippe, ut vulgo vocant, Sacræ Rotæ decanus, in scripto nota ejus manu exarato, quod hodieque servatur. Movit nimirum sapientissimos illos judices duorum, quos supra nominavi, gravium virorum consentiens assertio, Didaci de Yepes et Ægidii Gonzalez, quem utrumque norant adhibitum ab illa religiosissima Virgine conscientiæ arbitrum; qualibus illam constat solitam fuisse statim manifestare illustrationes divinas omnes et cœlestes afflatus aut visa mirabilia, quæ illi experiri contingeret. Unde non videtur dubium quin quod referunt, ex ipsa audiverint, fatente suis moderatoribus, prout ingenuissime consueverat, se vidisse circa medium Julium anno
B 1570 coronatos in cœlo laureis Martyrum quadraginta socios, in mari, dum Brasiliam peterent, ab hæreticis occisos.

P. Balthasari Alvarez

504 Nec obstat, quod ambo illi affirmant, id ipsam P. Balthasari Alvarez suo tunc confessario communicasse. Nam et illi quem tunc habuit præsentem, quod recentissime gestum erat exponere, et aliis quos diversis locis et temporibus conscios rerum intimarum fecit, quæ dudum ipsi fuissent manifestata, declarare postea potuit. Prudenter tamen uterque in testimonio de hac re perhibendo, non sibi posterius, sed longe antea Balthasari Alvarez factam ejus facti relationem allegavit, quoniam, cum hoc ipsi e S. Teresiæ ore audiverunt, fama cædis Azevedii ac comitum, allatis tempestive nuntiis, increbuerat. Quamobrem Sanctæ Virginis narratio manifesto tunc vaticinii experimento carebat : quale habuit irrefragabile narratio eadem a Balthasare Alvarez eo tempore audita, quo nullo humano indicio res in Oceano Atlantico procul pridie gesta sciri poterat in Hispania.

statim, peculiari de causa, annuntiat;

505 Nec videtur omittendum, præter usitatam causam manifestandi moderatoribus penitissimos animi sensus, peculiari motam fuisse ratione S. Te-
C resiam ad hanc P. Alvarez cœlestem visionem sine mora indicandam; officio videlicet communis sibi et illi caritatis erga Franciscum Perezium Godoium, unum e quadraginta visis in cœlo Martyribus, qui, ut est dictum, S. Teresiæ domestica cognationis necessitudine conjunctus, Balthasari vero Alvarez alumnus in spiritu ac filius fuerat, nimirum sub ejus diu cura in Methymnensi Societatis tirocinio educatus; ut propterea præsentem commodum Alvarem, et jure sollicitum de carissimi discipuli, paulo ante casibus longinquæ navigationis expositi, fortuna, non potuerit humanissima Virgo non confestim impertire certo sibi cœlitus allato nuntio felicissimi ejus ex hac vita exitus, et in cœlestem patriam appulsus.

prout e certis testimoniis

506 Miretur fortasse aliquis, non citari de re tanta testimonium auritum Balthasaris ipsius. At id mirari desinet qui reputaverit, toto ante S. Teresiæ obitum biennio mortuum Balthasarem, evulgare quæ arcano sibi commisisset illa Virgo sanctissima, salva secreti fide, nequivisse. Tantum credibile est, postquam visioni clam auditæ suffragium a fama publica accessit, quibusdam illum amicorum significasse quæ tanto prius cognovisset. Deinde vero ipsam, quæ viderat, moderatoribus D
quos in demortui Balthasaris locum subinde adscivit, ea sinceritate qua cuncta cætera, declarasse, tum istud ipsum suum de quadraginta sociis visum, tum ejusdem impertitam a se confessario tunc suo Balthasari notitiam. Qua via id cognitum Yepes et Ægidius deinde Toleti apud delegatos a Sede apostolica judices jurati protulerint.

planissime constat,

507 Cæterum comprobatam Rotæ Romanæ, uti dictum est, judicio revelationem eamdem, major denique auctoritas consecravit Summi Pontificis Gregorii XV, qui motus isto inter alia vaticinii comperti eventu, et testimoniis a Sacra Rota judicatis idoneis probati, argumento, Teresiam Sanctarum Virginum Albo adscripsit, Constitutione Romæ data anno Incarnationis Dominicæ 1621, quarto idus Martii, cujus est initium : « Omnipotens » Sermo Dei, » indidemque excerptum insertumque Breviario Romano, jussu Sacræ Rituum Congregationis, elogium ex eodem legitimis exploratо inquisitionibus documento Sanctam illam Virginem Prophetiæ dono excelluisse profitetur. Quæ qui æquus reputarit, vix poterit, opinor, recusare, quin solemnem S. Teresiæ relationem in
E Sanctarum fastos ecclesiasticos certissimum fateatur fuisse præjudicium veri Martyrii ac gloriæ Azevedii et sociorum, præsertim postquam fama, de hoc ipso latissime diffusa, cunctarum idipsum gentium unanimi persuasione celebravit : prout præter evidentiam experientiæ ubique hodiernæ, sex et triginta gravissimorum testium juratæ affirmationes adstruunt, exceptæ Actis legitime confectis quæstionum de hoc ipso negotio auctoritate apostolica variis locis et temporibus habitarum (Process. Brac., Conimb., Ebor., Bayensis, Summ. add. de sign. supernat. pag. 3 et seq.) *Hæc Possinus* (*lib.* IV, *cap.* III, *num.* 56 *et seqq.*).

quanquam in quibusdam circumstantiis errant

508 *Quod vero in quadam eorumdem Martyrum Historia Venetiis anno* 1745 *edita asseritur* (*cap.* XIV) *Sancta hanc revelationem habuisse in conventu suo Abulensi, quo tempore Alvarezio confessario utebatur; id quidem, tametsi cum Vitæ Teresianæ serie non possit componi, nemini tamen cordato lectori de ipsa revelationis veritate dubium injicere natum est : quandoquidem sæpius accidit ut in adventitiis rerum adjunctis referendis minus cauti fallantur historiographi; ut non tantum recte animadvertit P. Fredericus a S. Antonio apud Montoyam* (Amore Scambievole, *diss.* I, *cap.* VII, § I, *n.* 19), *sed etiam ipse proprio suo exemplo ostendit, quando perperam dicit* (*lib.* IV, *cap.* VI) *Ven. Dei Servos Azevedium et socios occisos fuisse ab hæreticis Hollandis, cum tamen ab Hugonottis Gallis occisi sint. Equidem citatam a Montoya notam miror in nova P. Frederici editione Romana non comparere, sed partim omissam esse, partim ipso scriptoris textui interpositam. Quo in textu alia insuper occurrit observatio, neque ea hic prætermittenda.* F

aut dubii hærent quidam scriptores de ea agentes.

509 *Nimirum cum P. Josephus a S. Teresia in Floribus Carmeli* (§ I, *num.* 36) *ex aliorum quorumdam assertionibus referat hanc de qua sermo est revelationem contigisse Pastranæ; quæri posset qui S.* Teresia *de eadem docuerit P. Balthasarem Alvarez, tunc Methymnensis tirocinii suæ Societatis moderatorem. Respondet P. Fredericus* (*aut qui forte alius hunc P. Frederici locum interpolavit*) *Sanctam hoc facere potuisse vel statim per litteras vel aliquot post menses viva voce. Quod dicit :* aliquot menses, *mihi non valde probatur; quia tam longum intervallum non congruit cum Yepesii ac Gonzalezii testimoniis, et quia jam mense Augusto fama interfectionis quadraginta Martyrum per Hispaniam vulgari cœperat,*

teste

A *teste Possino* (*lib.* IV, *cap.* II, *num.* 42). *Quare, si e duobus hisce P. Frederici responsis alterum admitti debeat, potius admiserim Sanctam scripsisse ad P. Alvarez. Sed et aliud responsum suggero. Pastranæ utique fuit Sancta mense Julio* 1570, *quando interfuit professioni Ambrosii Mariani et Joannis de Miseria, uti jam antea ex Chronico dixi* (*num.* 472): *at, cum hæc professio, prout ex albo professionum conventus virorum Pastranensis affirmat auctor Anni Teresiani, in diem* X *Julii inciderit, impossibile non est ut quinto post die Sancta reapse Methymnæ Campi fuerit. Impossibile, inquam, non est, tametsi pro certo id asseverare non ausim : et hæc est ratio cur num.* 472 *conjectando dixerim illam fortasse tertio Methymnam ivisse.*

Posthac, finem versus anni 1570,

510 *Advocamur nunc in oppidum celeberrima academia clarum, Salmanticam; ubi eodem die festo omnium Sanctorum, quo adita a Carmelitis Excalceatis collegii sui Complutensis possessio, S.* Teresia *novam fecit suis virginibus fundationem. Huic quidem Ribera et Yepes assignant annum* 1569; *sed erronee : uti patet ex stabilita supra* (*num.* 471) *rerum a S.* Teresia *per octo priores menses anni* 1570 *gestarum chronologia; item, teste auctore Chronici*
B (*lib.* II, *c.* XLIV, *n.* 5), *ex antiquis monasterii Salmanticensis et primi Complutensis capituli monumentis; et insuper ex eo quod inter fundationem hanc et Albanam, quæ contigit* XXV *Januarii* 1571, *non potuit amplius quam trium mensium spatium intercedere, id quod e contextu ipsius Sanctæ, quando eo pervenerimus, deprehensu facile erit. Ortus probabiliter dictorum biographorum error ex initio capitis* XVIII *S.* Teresiæ, *ubi tempora non omnino perspicue discernuntur.*

Salmanticam, consentiente episcopo,

511 *En tibi illud, adjectis a me explicandi causa parenthesibus :* Hisce duabus fundationibus (*Pastranensibus virorum ac virginum*) jam peractis, Toletum mox redii (XXI *Julii, vigilia S. Mariæ Magdalenæ*); ubi etiam aliquot menses hæsi (*imo plures quam duodecim, licet interdum alio excurrens*), quoadusque ea quam dixi domus (*ex Martini Ramirezii defuncti pecunia*) coemeretur et omnia disposita essent. His ergo dum incumbo, collegii Societatis Jesu Salmanticensis rector (*P. Martinus Gutierrez*) mihi scripsit operæ pretium facturam me, si de conventu quodam Ordinis hujus nostri ibidem erigendo cogitarem : ad quod faciendum multis etiam me est rationibus cohortatus (*Scripsit P. Gutierrez ante*
C XVII *Januarii* 1570; *nam in epistola ejus diei ad Laurentium Cepedium, quæ est* 30 *tomi I, mentio fit de oblata Salmanticæ domo*). Etsi vero, quod oppidum id non usque adeo opulentum foret, a monasterio sine ullis stabilibus reditibus ibi fundando animum jam pridem avocassem; attamen, alia ex parte considerans Abulam non minus pauperem esse, nec tamen quid unquam ibi nostris defuisse (neque enim Deum credo defuturum illis qui ei sincere servient), statui tandem (*post menses aliquot*) illuc coloniam quamdam ducere : præsertim cum paucis opus habeamus, utpote tenuiter victitantes; ad hæc numero paucæ simus; denique manuum nostrarum labore, ut possumus, nos sustentemus. Toleto igitur Abulam profecta (*mense Augusto* 1570), jam inde ex eo loco episcopi, qui tunc erat, Salmanticensis (*Petri Gonzalez de Mendoza, fratris ducis del Infantado et inter Patres Tridentinos cum honore nominandi*) facultatem impetrare studui : qui, quod eum P. Rector multa de Ordinis hujus instituto, et quis inde in Deum honos redundaturus esset, coram edocuisset, haud difficulter eam concessit.

et domo jam empta,

512 *Reliqua S. Virginis narratio per se* (*et præsertim si Riberam simul adeas*) *satis plana est.* Porro, *ait,* jam mihi rem constitutam videre, jam monasterium fundatum, Ordinarii impetrata facultate (prout quidem id tum mihi facile apparebat), videbar. Unde quamprimum domum conducere studui, quam matronæ cujusdam mihi notissimæ adminiculo mox inveni, etsi non sine difficultate, tum quod appellerem extra tempus quo domus elocari solebant, tum quod eadem ab academicis nonnullis incoleretur; qui tamen inde se egressuros spopondere, cum qui eam incolerent, appulissent. Non sciebant illi cui illa usui destinaretur : hoc namque ipsa quam maxime curabam, ne, antequam adiretur possessio, res ulli innotesceret. Jam tum quippe per experientiam novi qua dæmon contentione elaboret ut horum monasteriorum unius erectionem impediat; esto ad hoc impediendum nullam ei sub initium Dominus potestatem concesserit, quod ipsum omnimodis fundari et exigi vellet. Verum postea tot obortæ sunt contradictiones, et tot molestias nos pati oportuit, ut ne quidem modo, dum hæc scribo (esto jam aliquot ab ejus fundatione elapsi sint anni), res penitus peracta sit, et illæ evinci potuerint. Unde mihi persuadeo insigne in illo obsequium Domino præstari, cum diabolus id nulla ratione ferre queat. AUCTORE V. D. M. D E

iter S. Fundatrix instituit

513 Impetrata ergo jam facultate, et domo jam habita, sola Dei nixa misericordia (quod illo in loco neminem, qui me aliqua in re juvaret, haberem, cum tamen multis ad domum illam instaurandam mihi opus esset), illuc ivi cum una solum comite, quo occultius res perageretur; quod certe longe tenebam satius ac consultius quam multas mecum comites assumere, quoadusque perfecta caperetur possessio : quippe memineram et sciebam quomodo in Methymnensi fundatione mihi res successisset, in qua multas me subire difficultates et tribulationes oportuit : si quod enim obstaculum oriretur, hoc sola subire malebam cum una tantum socia, qua carere non poteram. Pridie ergo festi omnium Sanctorum oppidum ingressæ sumus, cum nocte præterita potissima itineris parte summam frigoris brumalis inclementiam passæ essemus et satis incommode dormissemus, ego porro non recta valetudine uterer.

magna, uti in cæteris quoque itineribus,

514 *Hactenus Sancta de sua Salmanticam profectione. Tum, cuncta universim itinera sua uno quasi obtutu complectens, subdit :* Non commemoro in harum fundationum descriptione ingentes viarum labores et difficultates, quas subinde ob frigus, F æstum et nivem me subire oportuit. Contigit quippe subinde per integrum diem sine cessatione ningere; subinde me a via aberrare; alias magnis cum incommodis et febribus per viam luctari : nam ordinarium mihi est (Deo laus) imbecilliori uti valetudine; sed ad oculum video Dominum mihi robur et animum ad magna suppeditasse. Nonnunquam enim fiebat, ut, cum alicujus cœnobii fundandi occasio sese obtulisset, tantis tormentis et morbis oppressa essem ut non parum affligerer; adeo ut nequidem in cella manere posse mihi viderer, quin in lecto jacerem : unde, ad Dominum conversa, apud Majestatem illius expostulabam, rogans quomodo me facere vellet id quod exequi nullatenus poteram. Cæterum Majestas illius deinde (etsi non sine labore) mihi vires suppeditabat : adeo ut per fervorem, nec non anxiam sollicitudinem quam ipse mihi indebat, meiipsius viderer oblita. Certe, quantum quidem jam recordor, numquam ob aliquarum difficultatum metum ullam fundationem omisi; esto magnam in proficiscendo (præsertim si locus satis dissitus esset) repugnantiam et contradictionem sentirem : verum, cum me jam in viam dare

AUCTORE V. D. M.

A dare cœpissem, ipsa mihi quam brevissima et nihil esse videbatur, præsertim videnti cujusnam illa nomine susciperetur, considerantique fore ut illa in domo Dominus laudaretur et Sanctissimum Sacramentum poneretur. Etenim singularis cujusdam mihi consolationis est occasio unum templum amplius videre, dum in mentem revoco quam multa hæretici passim templa dejiciant et evertant.

animi alacritate.

515 Nescio sane quem timeri laborem oporteat, quantumvis magnum, si ad immensum, quod inde in Christianum orbem resultat, bonum respectus habeatur : etenim magna nobis esse deberet consolatio (quamquam multi ad hoc non reflectamus) quod in multis locis Dominus noster Jesus Christus verus Deus et homo in Sanctissimo altaris Sacramento (uti revera est) præsens adsit. Certe sic quoque sæpe magnam in choro consolationem in meipsa sentio, cum animas illas tam puras et mundas Dei laudibus decantandis occupatas video. Etenim hoc multis e rebus nemo non potest colligere, cum quod eas in obediendo promptissimas, tum in arctissima hac clausura et solitudine mire hilares videat, et, si qua se mortificationis exercendæ offerat occasio, maximopere gaudentes : quin et, ubi

B majorem Dominus priorissæ ad eas in hisce rebus exercitandas gratiam concedit, ibi major illarum apparet alacritas et gaudium. Unde fit ut magis sese lassent et defatigent priorissæ in illis exercendis, quam ipsæ in obediendo. Semper enim nova ipsis mortificationis exercendæ oriuntur desideria et voluntates. *Exhinc ad finem usque capitis* XVIII *sequuntur sapientissima ad priorissas de monasteriorum regimine monita; quæ ego hic pro more omitto, de itineribus etiam S.* Teresiæ *non acturus, cum Ribera librum suum* II *speciali de his capite claudat.*

§ XXVIII. Fundatio septimi virginum monasterii Salmanticæ : quam operosa hæc Sanctæ fuerit.

Salmanticense monasterium anno 1570

C *Initio capitis* XIX *recipit se S. Mater a digressione superiori capite instituta; et ita pandit historiam fundationis Salmanticensis :* Pridie ergo festi omnium Sanctorum, eo quo ante dictum est anno, sub prandium Salmanticam ingressæ sumus; et e diversorio ad me evocavi Nicolaum Gutierrez, insignem Dei famulum, qui ea vitæ quam duxerat ratione insignem suis in laboribus et ærumnis, quos subierat plurimos (etenim summa olim in prosperitate vixerat, et ad summam inopiam redactus deinde fuit, quam non minori animi ferebat æquitate, quam alias opulentiam), animi pacem et gaudium ab illius Majestate acceperat; cui in mandatis dederam ut domum designatam mihi expediret. Hic porro huic fundationi peragendæ serio gnaviterque incubuit, idque magna cum devotione et animi promptitudine. Ut autem ad me venit, narravit domum nondum vacare; neque enim se ab academicis impetrare potuisse ut illa discederent. Illi ergo dixi permultum referre eam quantocius nobis vacuam reddi, antequam in vulgus me appulisse innotesceret : semper etenim metuebam (uti supra retuli) ne quod aliunde superveniret impedimentum. Adiit ergo domus dominum, et ita apud eum rem gessit ut illa vespera, pene dum tenebresceret, studiosi inde emigrarent. Ad D illam ergo transimus. Illa autem fuit prima quam sine Sanctissimi Sacramenti illatione fundavi : nisi enim illud inferretur, plenam mihi domus possessionem adire non videbar; at jam tum didiceram parum id referre, quod certe maximæ mihi consolationi fuit. Etenim academici illi, quibus pro more est non esse nitidos, totam domum ita sordidam et inquinatam reliquere, ut in illa emundanda non parum ea nocte sudaverimus.

kalendis Novembribus inchoatur,

517 Manc in ea Sacrorum sunt celebratæ primitiæ; quando et ipsa plures huc moniales, quæ Methymna venire debebant, evocavi. Nocte ergo festum Sanctorum omnium sequente, ego et socia solæ in domo mansimus. Porro cum timoris quem socia mea, Maria a S. Sacramento, ætate me major et insignis Dei ancilla, tum habebat, jam recordor, non possum non ridere. Quod enim domus esset vasta et satis hinc inde dissoluta, multas quoque haberet intermedias vacuitates, identidem illius animo et cogitationi recurrebat, fieri posse ut e studiosis illis, quod inviti domum illam deserere coacti essent, aliquis clam et in abdito delitesceret. Facile quidem id ipsis fuisset, quod locus ille ad hoc satis esset commodus. Sed ipsæ nos intra E conclave quoddam abdidimus, palea invecta constratum : hanc namque primam in fundandas domos supellectilem invehere pro more habeo; et hanc habentes, in ipsa dormiebamus: illa vero nocte duas insuper habebamus lodices, mutuo acceptas.

et illuc postridie

518 Postridie religiosæ quædam vicinæ (quibus tamen verebamur ne nostra vicinitas oneri et molestiæ esset) necessariam aliunde venturis sodalibus supellectilem, quin etiam cibum magna benignitatis significatione subministrarunt. Dictæ sunt illæ a S. Elisabeth, et toto illo quo in vicinia illarum habitavimus tempore, summa earum in nos eluxit munificentia et obsequium. Ut vero comes mea conclavi illo se occlusam vidit, timere quidem aliquantulum quoad studiosorum terricula desiit; attamen circumspicere pavida hinc et illinc cœpit. Et certe diabolus se hic immiscuisse videtur, quædam illius animo et cogitationi pericula objiciens, ut sic per eam me inquietaret : quod enim animi deliquio et languori obnoxia sim, quam minimum ad illud mihi adferendum satis esse solet. Percunctor ergo ecquid identidem respectaret, cum nemo illuc intrare posset. Tum illa : « Agitabam animo, Mater, F » ecquid, si hoc me loco emori contingeret, sola » ipsa hic ageres. Id enim si fieret, mihi grave et » perquam durum foret. »

plures Methymna adveniunt moniales.

519 Hæc me responsio cogitabundam et suspensam nonnihil reddit, et aliquem etiam timorem injecit. Etsi enim exsanguia corpora nullum timorem mihi incutiant, aliquem tamen cordis languorem et imbecillitatem semper mihi afferunt, etiam tum cum sola non sum. Huc accedebat quod in omnibus tota civitate templis lugubris campanis excitaretur sonus, quod (uti dixi) postridie fidelium defunctorum ageretur commemoratio. Ergo dæmon hanc occasionem arripuit ad nos per inania hæc terriculamenta magis consternandas; videns namque sese non timeri, alias timoris injiciendi occasiones et anfractus quærit. Comiti ergo dixi: « Hoc ubi » evenerit, carissima, tum demum quid facto opus » mihi sit, deliberabo; at in præsens sine me, ob- » secro, dormire. » Quod autem duabus superioribus noctibus satis male dormissemus, somnus mox nobis obrepens metum omnem discussit. Postridie vero appulere novæ illæ moniales, quarum adventus quietas nos reddidit ac securas.

520 Triennio

Hæ triennio fere post

520 Triennio prope toto in illo loco monasterium fuit, imo nescio an etiam quadriennio, nam hujus rei memoriam parum retinui : injunctum quippe mox mihi fuit inde ad primum meum Abulense monasterium ab Incarnatione dictum reverti. Alias vero neutiquam aliquo digrederer monasterio (prout quidem mea voluntas est) quin ei domum propriam, constructam et per omnia accommodatam relinquam, neve umquam etiam digressa sum. In hoc quippe mihi Dominus singularem gratiam faciebat, quod in laboribus suscipiendis prima esse gauderem, et quidquid ad sororum quietem et recollectionem nècessarium videbatur, etiam minutissima quæque, serio procurarem, tamquam si mihi toto vitæ tempore in domo illa vivendum fuisset. Unde etiam extremæ mihi consolationi et gaudio erat quod optime illis esset prospectum et omnia rite accommodata. Certe valde male me habuit quod sorores loci illius variis modis fuerint afflictæ et mala passæ, non tam quoad ea quæ victui et usui erant necessaria (nam etiam e loco in quo ipsa agebam, hæc illis ut sufficerent procurabam : erat quippe monasterium hoc satis importuno ad elecmosynas submittendas loco situm) quam quoad valetudinem, eo quod locus esset humidus et satis frigidus; quod enim domus esset ampla, hinc ab ea frigus satis arceri non poterat. Omnium vero gravissimum erat quod Sanctissimum Altaris Sacramentum in æde non haberent, cujus privatio monialibus ita reclusis magnæ desolationis occasio est. Hanc illæ molestiam non sensere, sed eam unaquæque tali cum animi voluptate et gaudio pertulit ut etiam Dominum laudarent : imo harum nonnullæ mihi dixere, imperfectionem sibi quamdam videri aliam domum desiderare; etenim mire se contentas hic agere, dummodo Divinissimum Eucharistiæ haberent Sacramentum.

in aliam domum

521 Superior ergo, visa monialium perfectione, nec non laborem afflictionemque quam sustinebant miseratus, me ex Incarnationis illuc evocavit cœnobio. Ipsæ vero interea cum viro quodam nobili de aliis ædibus sibi vendendis stipulatæ sunt : sed eæ erant hujusmodi ut binis aurcorum millibus commodam in formam aptari vix possent. Adhæc erant feudales. Ipse nihilominus passurum se dixit nos in illas commigrare et parietes altiores erigere, etiam nondum alienationis venia a rege impetrata. Ergo procuravi ut Julianus de Avila (quem me in fundationibus istis comitari solitum jam ante dixi) hujus itineris mihi esset comes. Vidimus ergo domum, ut quæ in ea concinnanda erant, designaremus; etenim ipsa experientia faciebat ut jam aliquam fabricæ haberem notitiam. Mense Augusto illuc abiimus, et (esto quam maxime rem urgerem) tamen ante S. Michaelis festum (quo tempore Salmanticæ domus elocari solent) parari non potuit ac plane, prout res exigebat, omnia concinnari. Sed, quod eam in qua hactenus habitaveramus, in sequentem annum non conduxissemus, hinc alius eam conduxerat, qui, ut inde emigraremus, identidem nos urgebat. Jam templum utcumque paratum et pene dealbatum erat : vir nobilis qui illam nobis vendiderat, urbe aberat; quin et amici nonnulli nostri male nos agere dicebant, quod tam cito, nondum omnibus paratis, illuc migrare vellemus. At ubi urget necessitas, bonis consiliis non est locus, nisi simul remedium impedimentis adferant.

transeunt;

522 Ergo pridie dedicationis Archangeli Michaelis, summo mane huc transiimus : in diem vero sequentem indicta erat pro suggestu Ven. Eucharistiæ in locum illum illatio, et prima futura illic concio. Factum autem, Domino disponente, ut eo quo vesperi migravimus die, tanta ceciderit pluvia, ut in rebus necessariis transferendis maxime nos laborare et molestias subire varias oportuerit. Templum erectum erat novum, tamque male tectum ut aquam pluviam hinc inde transmitteret. Fatear vobis oportet, carissimæ, illo me die vidisse me satis imperfectam esse : quod enim res jam divulgata et proclamata esset, nesciebam quid agerem, sed meipsa affligens et crucians, amice cum Deo velut expostulabam, eum rogans ut aut me hujusmodi in operibus adjutricem ministramque non adhiberet, aut importunæ huic ipse necessitati auxiliando prospiceret. Sed vir ille bonus Nicolaus Gutierrez, solita sua mentis æqualitate, tamquam si nulla subfuisset difficultas, blande mihi dixit, minime angerer aut torquerer; Deum quippe auxiliaturum. Atque ita etiam factum est : nam, ut primum S. Michaelis illuxit dies, eo tempore quo populus confluere incipiebat, inopinato cœlo toto sol fulgore nitere cœpit; quod magnam in me devotionem excitavit; vidique ad oculum quam bonus ille vir melius egisset in Domino confidendo, quam ipsa in vanum me torquendo et cruciando. Magnus ergo omnium ordinum factus est concursus, ac solemni cantu et magna pompa SS. Eucharistiæ Sacramentum illuc illatum est. Quod autem optimo domus hæc esset loco sita, celebrari frequentarique sæpius a multitudine, et populus solito magis erga ipsam affici cœpit; imprimis autem Maria Pimentel comitissa Monteregiensis, nec non alia quædam matrona, Mariana cognomine, cujus maritus loci illius præfectus erat.

quam tamen coguntur

523 Postridie vero (ut, quod ob receptum penes nos Altaris Sacramentum conceperamus, gaudium aliquo modo temperaretur) appulit ipse domus possessor et dominus, qui ita stomachari cœpit, ut quomodo cum placarem nescirem : et, diabolo hauddubie instigante, factum ut rationi is nollet acquiescere. Quidquid enim cum ipso stipulatæ eramus, reipsa compleveramus; sed hoc ei tum quidem referre et in mentem revocare parum nobis conducebat. Verum, cum alii eum alloquerentur, paulo mitius agere cœpit. At mox iterum mentem mutans, placari noluit. Dixi ei itaque paratam me domo empta quamprimum cedere; verum ne hoc quidem voluit, sed pretium emptionis statim sibi præstari. Uxor ejus (hujus namque erat domus) illam vendi petierat, ut e pretio ejus duabus filiabus in matrimonium collocandis dotem pararet : hoc namque titulo licentia emptionis a rege (quod esset in majoratum data) postulata erat, et pretium in manus illius consignatum cui id ipse dari petierat.

post aliquot annos

524 Quamvis autem hoc jam abhinc triennio factum sit, nondum tamen perfecta venditio est, nec scio utrum illo in loco (id est in domo illa) mansurum sit monasterium (hac de causa enim hæc retuli) vel quidnam tandem de illo futurum sit. Hoc autem scio, in nullo omnium quæ hactenus Dominus hujus primæ regulæ fundavit, monasteriorum, moniales tantis laboribus et vexationibus exagitatas ut plurimum fuisse, quantis exagitatæ sunt hujus : sed, quæ Dei misericordia est, tam bonæ et patientes ibi commorantur ut maxima animi hilaritudine omnia adversa perferant. Det Majestas ejus ut in hac ipsa indies magis magisque proficiant et crescant. Nam in domo commoda habenda, vel non habenda, parum situm est : imo vero volupe nobis esse debet, cum tali in domo habitamus e qua semper nos possunt expellere; si præsertim recordemur ipsum mundi Dominum nullam domum propriam aut stabilem habuisse. Quin hoc ipsum, nimirum in domo non propria habitare, adhuc alias quidem nobis

AUCTORE V. D. M.

AUCTORE V. D. M.

contigit (uti ex his ipsis fundationibus colligere
A est) : in veritate tamen dicere possum, numquam me monialem vidisse quæ hoc gravate ferret aut propterea turbaretur. Det illius Majestas, per infinitam suam bonitatem et misericordiam, ut æterna nobis habitacula et domus non desint. Amen.

cum tertia domo,

525 *Existimavi non esse abrumpendam nec in duas partes scindendam S.* Teresiæ *narrationem, quamvis transitus monialium Salmanticensium in secundam illam domum spectet proprie ad annum* 1573. *Qui vero Sanctæ adhuc incertus erat contentionis cum Petro de la Vanda exitus, nobis ex Ribera et Yepesio certus est : coactas post aliquos annos virgines fuisse ad transferendam alio sedem, nempe ad nosocomium a S. Rosario vocatum, prope conventum S. Stephani Ordinis Prædicatorum. Quartum demum, idque stabilius, habitaculum nactæ sunt anno* 1614 (*uti docet Chronicum lib* III, *c.* XX, *n.* 3) *extra portam civitatis dictam de Villamayor. Extat Sanctæ epistola circa secundæ domus emptionem, scripta Salmanticæ ad Petrum de la Vanda* II *Augusti* 1573 (*tom. III, epist.* 48). *Ad hanc epistolam notat P. Antonius a S. Josepho, Sanctam solitam fuisse lepide dicere, si aliæ domus ei vanam gloriam dedissent, certe Salmanticensem hanc sibi fuisse demptu-*
B *ram. Alio semel accedendum fuerat ut fundaret; at huc ter cum venerat, ac etiam moras ibi cum traxerat longiores quam alibi, filias suas relinquere cogebatur sine domo et sine censu. Scilicet, ut advertit idem P. Antonius* (*tom. II, ep.* 29, *nota* 9) *illuc itinerata est anno* 1571, *post fundatam domum Abulensem; anno* 1573, *cum moderabatur conventum Incarnationis; ac demum anno* 1579.

laboriosissime acquisita, commutare.

526 *De tertio hoc suo conatu, Salmantica ad P. Gratianum* IV *Octobris* 1579 *scribens :* O mi Pater, *ait,* quantis laboribus constitit nobis illius domus negotium! Namque eo jam plane confecto, cacodæmon effecit ut hactenus illa careamus : tametsi nullam domum nobis aptiorem Salmantica habeat, et emptio nostra cedat etiam in rem venditoris. En quam non sit istis Adæ filiis fidendum. Qui domum nobis obtulerat, et sponte quidem sua, vir est omnium judicio probus et integer; de quo hæc erat vox una vulgi, tantum verbis ejus inesse fidei quantum publicis scripturis : sed imo fidem is non tantum verbis dederat; verum etiam, advocato scriba, eamdem coram testibus consignarat. Hinc tota stupet civitas : nec suspicio abest mutatam esse
C ejus mentem a certis hominibus, omnia seu sua seu propinquorum utilitate metientibus; quorum scilicet auctoritate plus ille moveatur quam rationibus cordatorum hominum atque adeo ipsius fratris sui, qui magna nos caritate adjuvit et nunc casum nostrum nobiscum dolet. Cæterum hanc rem Deo Domino nostro commendavimus; quod hauddubie optimum factu fuit. Maxime autem ideo angor quia alias domus, nisi pessimas, Salmanticæ non invenimus (*tom. II, epist.* 29).

§ XXIX. Octavum erigit Albæ Tormesiæ monialium suarum cœnobium. Inde redit Salmanticam, ubi duas ægrotas sanat. Præficitur monasterio Incarnationis Abulensi.

Albana fundatio Salmanticensem proxime excipit. *Illam S.* Teresia *capite suo* XX *sic enarrat :* Nondum duo effluxerant a peracta Salmanticensis conventus in omnium Sanctorum festo fundatione menses, cum litteris et precibus quæstoris ducis Albani ejusque uxoris instantissime sum rogata ut et Albæ conventum constituerem. Cæterum in hanc ipsa sedem non usque adeo propendebam, quod, cum oppidum perexiguum sit, certis illa reditibus stabilienda videretur; ego vero malebam ut sine ullis omnino reditibus fundaretur. At P. Dominicus Bañez, qui meus tum confessarius erat, et cujus sub harum fundationum principium mentionem feci, quemque tunc Salmanticæ agere contigerat, me reprehendit, dicens, cum Concilium Tridentinum reditus stabiles monasteriis possidere concederet, nefas esse cujusdam fundationem conventus illam ob causam intermittere; et me rem non intelligere : neque enim, etsi dotatus esset proventibus, eo minus, quæ in eo degunt, monachas et paupertatem posse colere et ad perfectionem adspirare.

In civitate Alba D

Teresia Laiz, quæ parentes, sibi nascenti infensos

528 Antequam vero ulterius prosequar, dicam quænam et qualis ipsa fuerit fundatrix, et quibus ad conventum hunc fundandum modis a Domino inducta sit. Teresia Laizia, hujus monasterii Albani ab Annuntiatione B. Virginis denominati fundatrix, E nobilibus prognata erat parentibus et sanguine illustri. Hi, quod opes et facultates non responderent per omnia sanguinis et generis dignitati, habitabant in pago cui Tordillos nomen, duabus circiter leucis Alba distante. Res sane misera est, quod, cum mundi hujus res tantam includant vanitatem et pompam, viri nobiles absentiam illam doctrinæ et aliarum multarum rerum quarum adminiculo animæ illuminari possunt, quæ in parvis illis pagis et oppidis habetur, pati malint, quam ut vel apicem punctorum suorum, quæ id quod ipsi honorem vocant, secum fert, amittant. Cum ergo jam quatuor hi filias haberent, quando Teresia Laizia in lucem prodivit, illius nativitas parentibus non usque adeo grata fuit, videntibus rursus sibi filiam nasci. Misera sane et deploranda res, homines, cum non intelligant quid sibi sit melius (utpote qui Dei judicia ignorant, nescii et ignari magnorum illorum bonorum quæ sibi per filias obtingere queunt, et contra malorum ingentium quæ adferre ipsis possunt filii), nolle tamen id committere ei qui omnia novit et creat; imo vero sese quodammodo enecare per id quod ipsis adferre deberet gaudium, tamquam F si fidem soporatam aut emortuam haberent; considerationem quoque ulterius non extendere, nec denique recordari Deum esse qui hæc omnia disponit et ordinat, quo omnes rerum eventus ac successus illius dispositioni committant : et licet adeo cæcutiant ut hoc non faciant, insignis tamen et non toleranda ignorantia est, quod non videant quam hæc ipsis anxietas et sollicitudo parum prosit. Quam, o Deus bone, aliter et melius has ignorantias intelligemus in die illa qua omnium harum rerum veritas patescet et scietur! Quot tunc patres ad infernum se damnari videbunt, eo quod filios habuerint; et quot matres cœlo se donatas, per et propter filias!

miraculosa in cunis loquela placarat

529 Ut vero cœptæ narrationis filum resumam, ita se parentes hi in puellam hanc gessere, satis ut ostenderent parum se de ipsius vita laborare : etenim nonnisi tertio a nativitate die solam illam in cunis vagientem jam inde ab aurora in vesperam reliquere, nullus ut ejus memoriam aut curam haberet. Hoc quidem bene fecere quod eam recenter editam a sacerdote Baptismi undis ablui jusserint. Ergo mulier quædam cui puella concredita erat, circa vesperam, cum compertum haberet quam parum

A parum proli cautum esset, in conclave irruit, coram inspectura utrum nondum exspirasset; quam et aliæ quædam personæ, quæ puerperam visitatum venerant, comitabantur, quæ testes sunt ejus quod jam referam. Hæc ergo pupam in ulnas accipiens, quærere ab ea lamentabili ac lacrymosa voce cœpit: « Christianane es, filia? » de hac crudelitate in ipsam ut Christianam quodammodo conquesta. Infans illico, sublato capite, fari cœpit ac dicere: « Christiana sum. » Exinde vero nullum amplius verbum protulit, donec statam loquendi in pueris reliquis ætatem nacta esset. Quotquot hanc vocem audiebant, summo repleti sunt stupore: et eo factum ut ex illo tempore erga eam mater vehementius cœperit affici et eam cariorem habere, diceretque identidem unum hoc a Deo se exposcere, eatenus ut se in vita servaret, quo cernere liceret quid puellæ huic futurum esset. Unde eam parentes quam honestissime educarunt, quidquid pium et virtuti consentaneum esset, eam edocentes.

ac post initas nuptias

530 Jam nubilem collocare in matrimonio dum volunt, refragari Teresia initio, et hunc suscipere statum nolle; donec, cognito Franciscum Velasquez (qui etiam, utpote maritus ejus, domus
B hujus fundator exstitit) suas ambire nuptias, ad matrimonium (dummodo cum illo id contraheret, etsi antea de facie inviso) animum mox applicuit. At vidit Dominus hoc ita expedire et convenire, ut bonum hoc opus, quod ambo ad ejus Majestatis obsequium præstitere, hac ratione executioni mandaretur. Nam, ut taceam quod vir opibus et virtute commendabilis sit, ita erga uxorem is suam afficitur ut ei in omnibus complacere studeat, et non immerito: quidquid enim in conjugata desiderari et optari potest, id ei Dominus quam abundantissime contulit. Nam, ut de magna illius circa rem domesticam cura et familiæ regendæ peritia nihil dicam, tanta enituit honestate, ut, cum maritus Albam, unde erat oriundus, ipsam duxisset, et ducis Albani metatores illius in domo juveni cuidam equiti domicilium assignassent, ita propterea sit indignata ut abhorrere Albanos omnes cœperit. Nam quod ipsa juvencula esset et forma satis liberali, adolescens ille ejus pudicitiam tentavit: quæ nisi honesta et casta fuisset, forsan illius libidini assensisset; adeo scilicet vehementer cacodæmon hunc ad illam sollicitandam impellebat. Hoc illa comperto, marito tamen suo nihil significans, apud eum institit, inde
C ut sese alio transferret. Cui is morem gerens, Salmanticam cum sua familia commigravit, ibique valde feliciter ac jucunde vixit, ac plurimis rerum temporalium commodis affluens; tali namque illic munere fungebatur ut omnes ipsum complecti et qua possent gratificari et fovere gestirent.

sterilis permanserat,

531 Hanc tamen illorum quietem anxia illa cura turbabat quod fortunarum suarum hæredem prolem non haberent, quam Teresia summis a Deo precibus contendit: unde etiam variis pietatis obsequiis hanc in causam assumptis illum demulcere satagebat. Sobolem vero ut desideraret, non alia eam impellebat ratio quam ut, se vita defuncta, hæres superesset qui suo nomine ac veluti loco Majestatem illius continenter laudaret. Durum namque et grave ei videbatur quod in ipsa stirps et genus suum deficeret, et post mortem suam non haberet qui illius Majestatem coleret. Unde etiam mihi exinde retulit, numquam se in prole petenda aliud quam quod dixi, spectasse. Et sane scio illam minime mentiri: est namque mulier veritatis amantissima, et tot Christianis virtutibus ac religione adeo insignis (uti jamjam dixi) ut, dum opera ejus et animæ, Deo placendi studiosissimæ et nullum umquam tempus bene impendere negligentis, statum considero, sæpe Dei dilaudandi occasionem habeam.

AUCTORE V. D. M.
D

532 Hoc ergo desiderium cum multis annis ei duraret, et Sanctum Apostolum Andream patrocinio suo fæcundare steriles uteros didicisset, miro atque inflammato erga eum studio rapi, eique suam identidem orbitatem commendare cœpit. Post multas ergo preces et Dei ac Sancti obsequia, cum nocte quadam in lecto jaceret, facta ad eam vox est: « Noli velle prolem: nam condemnareris. » Unde ipsa quidem perculsa et obstupefacta fuit: at non propterea prolem desiderare desiit; quod sibi videretur, cum tam bono in ea desideranda fine moveretur, minime ideo damnanda: unde ulterius in prole a Deo petenda progressa est, et singulari quodam cultu Apostolum Andream colere cœpit. Quare quadam vice cum hoc ipsum desiderium haberet, illi, vigilantine an dormienti incertum, oblata visio est: sed tamen a Deo illam venisse novit ex eo qui secutus est eventu. Versari sibi quadam in domo videbatur, sub cujus areæ porticu puteum cernere se putabat: haud procul inde vernantissimum conspexit pratum, candidis perfusum floribus, adeo quidem elegantibus ut similes vidisse se non me- E
minisset, et quomodo elegantiam illorum explicaret, nesciret. Puteo adstantem vidit Apostolum Andream, forma venerabili ac decora, ut magna illius aspectus videntem voluptate perfuderit; e quo mox audiit: « Longe alii hi sunt liberi quam quales » exposcis. » Voluisset quidem ipsa ut quam hoc in loco percipiebat, voluptas diuturnior fuisset, nec finem habuisset: sed longior non fuit. Esto apparens Sanctus nomen non indicasset, facile tamen ipsa intellexit Apostolum Andream fuisse, adhæc Deum velle ut monasterium constitueret: unde colligere est visionem hanc non minus intellectualem quam imaginariam fuisse, nec phantasma, nec illusionem diabolicam exstitisse. Non phantasma, liquet e magno quem peperit effectu: nam post illam omnis illi sobolis habendæ desiderium abiit, et ita certo sibi persuasit hanc Dei voluntatem esse, ut illam exinde nec petierit amplius nec desiderarit; unde cogitare secum cœpit quo Dei voluntatem modo executioni mandare posset. Non item illusionem diabolicam, patet quoque ex effectu qui hinc secutus est: quod enim a cacodæmone proficiscitur, non potest tale producere bonum, quale est mo- F
nasterium illud jam constructum esse, in quo tam singulare Domino obsequium præstatur. Accedit quod sexennio et amplius antequam monasterium fundaretur, hæc visio contigerit: etenim futuros eventus tales diabolus prænosse nequit.

S. Andreæ Apostoli apparitione

aliisque divinæ voluntatis

533 Hac illa visione consternata, agere cum marito cœpit, cum prolem sibi rerum dator omnium Deus negasset, videri operæ se pretium ac dignum Deo opus facturos, si suis e facultatibus monialibus quibusdam monasterium erigerent. Nec abnuit pio conjugis studio maritus (quod etiam pius esset, et uxori morem gerere studeret), et deliberare secum cœpere quonam potissimum in loco ipsum conderent. Illa in natali suo solo id erigi cupiebat; verum ipse, variis allegatis impedimentis, eo illud loco erigi minime consentaneum fore asserebat, et ab hoc ipsam proposito divertere studebat. Hæc dum agitabant, ducissa Albana Velasquezium ad colloquium invitavit, ad ei suadendum ut Albam cum familia sua commigraret, illo ibi functurus magistratu quem sua in aula ei dare decreverat. Is cum ad ducissam venisset, visurus quod illa munus ei vellet concredere, et ipsam audivisset, id suscipere non renuit, esto tam compendiosum

non

AUCTORE V. D. M.

non esset atque illud quo Salmanticæ fungebatur. A Hoc cognito, conjux contristata est, quod (uti dixi) ab oppido illo esset alienior : at certior facta nullos amplius apud se posthac hospitaturos, nonnihil placari cœpit; quamvis non usque adeo contenta foret, quod Salmanticæ libentius et magis secundum desiderium habitaret. Velasquezius ergo cum ædes coemisset, conjugem per litteras eo invitavit. Venit illa quidem, esto non libenter et invita : magis vero abhorruit, cum vidit domum a marito coemptam. Licet enim optimo sita esset loco, et satis ampla, paucis tamen illa distincta erat cubiculis; unde prima nocte satis male contenta fuit.

indiciis 534 Ut ergo postera luce primum in aream descendit, ac porticum et sub ea puteum conspexit, statim animo recurrebat hunc ipsum sane esse locum quem per visum jam ante, Andrea Apostolo sibi apparente, conspexerat : vidit, inquam, locum, non tamen Apostolum, nec pratum, nec flores, esto et hunc et hæc illa imaginationi suæ optime impressa tunc haberet et etiam modo habeat. Visis his, non mediocriter obstupuit, et simul apud se statuit eodem loco monasterium constituere. Atque exinde Albana ei commoratio voluptati esse et placere B cœpit, ac nunquam inde recedere voluit. Unde et contiguas compararunt ædes, usquedum monasterii quod moliebantur, termini satis ampli et lati forent. Cogitabat autem secum ipsa identidem, atque anxia animo versabat, cujusnam potissimum Instituti moniales illuc induceret : volebat enim eas et numero pauciores esse et studiosissimas solitudinis sectatrices. Hac ipsa de re cum duobus diversorum Ordinum sodalibus communicavit, viris bonis iisque doctis. Hi satius asserebant fore suas in alia piæ caritatis opera facultates impendere; quod major monialium pars suo statu vix esset contenta, et aliis ejus momenti rationibus allatis. Quod enim cacodæmonem opus hoc male haberet, ideo illud disturbare omnimodis satagebat : unde, quæ viri illi afferebant argumenta et in contrarium rationes, ei ut placerent, iste effecit.

permota, 535 Quare cum hoc ei opus hi dissuasissent, et diabolus adhuc magis in illo dissuadendo instaret, timere et turbari cœpit, et a monasterio fundando fieri alienior : quem ipsa animum suum etiam marito communicavit. Visum proinde illis, cum hujusmodi viri id dissuaderent, ipsorumque intentio esset Deo gratissimum obsequium præstare, ab hoc C proposito animum divertere. Unde in eam venere sententiam, ut potissimam fortunarum partem impenderent in nuptias quas quidam Laiziæ cognatus, sororis ei carissimæ filius, probus et admodum juvenis, cum aliqua Velasquezii cognata erat inituras; reliquas vero opes in animarum suarum post hanc vitam subsidium piis operibus dedicarent. Id quidem utrique summopere placuit, et ipsum pari consensu efficere suo tempore decrevere. Sed, cum Dominus longe aliud facere constituisset, ipsorum propositum parum profuit et prorsus evanuit : nam vix quindecim effluxere ab hoc proposito dies, cum cognatus ille in gravem adeo derepente incidit ægritudinem, ut ex ea non multo post exstinctus ad Dominum migrarit. Mors hæc ipsam cum non mediocri stupore ac timore complevisset, simul animo recogitare cœpit, uti Jonas Propheta ultricem Dei manum sensit, quod illius esset jussis obluctatus, non secus sibi, Deo vindicante, carissimum hunc cognatum morte sublatum, quod divina exequi monita neglexisset, et illi dare vellet quæ Deo ante dedicare decreverat.

monasterium 536 Ex illo tempore apud se statuit nulla de causa monasterii fundationem intermittere; quæ et voluntas marito ejus insedit, etsi quomodo illam D opere perficerent, prorsus ignorarent. Illi namque Deus inspirare et suggerere videbatur id quod hodie peractum videmus : ii vero quibus ipsa rem significabat, et quale monasterium vellet, describebat, illam ridebant, quod quæ ipsa vellet, nusquam habituram illam dicerent; et in primis confessarius quidam ex ordine Sancti Francisci, vir doctus et magni nominis : unde ipsa non mediocriter est contristata. Cum vero contigisset sacerdotem hunc alio foras proficisci, et multa is coram de monasteriis his B. Virginis de monte Carmelo, quæ hinc inde tum fundabantur, inaudisset, omniaque eorum instituta accurate per se ipse inquisisset, Albam reversus, eas ille se reperisse significat monachas quas adeo sollicite quæreret; quare jam monasterium quod volebat, et quomodocumque vellet, conderet. Cuncta ex ordine, quæ audierat, ei retulit, et suasit ut mecum hac ipsa de re ageret; uti etiam fecit.

S. Teresiæ attribuit. 537 Multum vero laboris et molestiæ in paciscendo cum ipsis et stipulando subiimus. Ejus namque semper fui sententiæ, ut iis monasteriis quæ piorum eleemosynis non victitarent, abunde necessaria omnia suppeditanda censerem, ne quid a E consanguineis aut alio quopiam monachæ, necessitate premente, postulare cogerentur, sed ad victum et vestitum necessaria omnia domi iis darentur, infirmæ vero et ægræ bene haberentur. Nam e necessariarum rerum defectu haud pauca sequi solent incommoda. Et certe ad multa monasteria facultatibus et annuis reditibus non dotata construenda, numquam mihi animus aut fiducia in Deum deest; certa quippe sum numquam ipsum illis defuturum aut necessaria non daturum : ut vero eisdem proventus, et quidem modicos, assignari patiar, numquam animum habeo; imo vero eadem mallem non fundari. Tandem rationi et æquitati accedentes, sufficientes pro numero monacharum reditus nobis assignarunt; et (quo nomine plurimum illis debeo) sua excessere domo, quo nobis eam cederent, et ipsi in aliam satis incommodam commigrarunt. Die itaque Apostoli Pauli Conversioni sacro, anno MDLXXI, ad gloriam Dei Sanctissimum Altaris Sacramentum huc illatum est, et peracta fundatio : quo in loco optime divinæ Majestati servitur. Det ipse ut hocce ejus obsequium semper majus et majus fieri possit.

F *Sancta Salmanticæ feminam*

538 *Peracta fundatione, Albæ substitit S.* Teresia *ad tempus aliquantum; uti videre est e litteris a me num.* 475 *recitatis, quas* v *Februarii ex eo oppido scripsit ad Alphonsum Ramirez. At vero brevi post desiderata Salmanticæ ejus præsentia fuit, molestiarum causa quibus ibi moniales afflictari supra didicimus. Ea occasione comes de Monterey* (*Hieronymus de Azevedo, filius Mariæ Pimentel, de qua num.* 522) *ejusque uxor rogaverunt provincialem, vellet juberetque* Teresiam *Salmanticæ aliquamdiu in sua aula diversari. Cui mandato obediens S. Virgo, nobiles hospites non consortio suo tantum ac virtutum exemplis solata est atque in via salutis percurrenda adjuvit; verum eosdem etiam duplici miraculo recreavit. Prostrata jacebat maligna febri Maria de Artiaga, conjux pædagogi filiorum comitis, jamque ad portas mortis pervenerat; cum, patronis instanter petentibus,* Teresia *cubiculum ægrotantis ingressa manum vultui ejus imposuit. Contactum purissimæ manus simul ac persensit Maria :* Quis me tangit? *exclamat,* sanatam me esse sentio. *Adstantes non poterat hæc vox non percellere; neque humili Sanctæ quidquam profuit quod illico diceret fieri posse ut ægrota delirando proferret verba ejusmodi : hæc enim, sine mora*



S. TERESIA

IN MONASTERIO INCARNATIONIS.



Valentinus Carderera Del. Car. Onghena Sc.

ORATORIUM MONASTERII INCARNATIONIS, ABULÆ.

A *mora e lecto assurgens, tam mente sanam se esse quam corpore nemini dubium reliquit.*

ac puellam sanitati reddit;

539 *Narrant hanc sanationem Yepes* (*lib.* IV, *c.* I) *et auctor Chronici* (*lib.* II, *c.* XLVIII). *Posterior vero alteram quoque addit, quæ non aliunde innotescere potuit quam e testimonio P. Dominici Bañez. Nempe eodem tempore graviter item decumbebat comitis filiola, Maria Pimentel de Fonseca, quæ postmodum mater facta est viri per Hispaniam celebratissimi, ac plurimis honorum titulis a Philippo IV rege decorati, Gasparis de Guzman, tertii comitis de Olivares. Pii igitur parentes pro ea rogavere* Teresiam *suas ad Deum preces, ut, modo ad gloriam summæ Majestatis id cederet, carissimæ proli vitæ terminus prorogaretur. Obsequenti votis tam æquis, intra suum cubiculum S. Virgini videndos se præbuere S. Dominicus et S. Catharina Senensis, nuntiaveruntque exauditam esse ejus orationem; gratum autem fore Deo, si per unum annum parvula Maria veste sanctimonialium Ordinis Prædicatorum uteretur. Quoniam vero non poterat hanc Cœlitum voluntatem Sancta comiti indicare quin simul visionem quam habuerat aperiret, P. Bañezium hac super re adiit; atque ejus interventione facile a religiosis gra-*
B *tisque hospitibus obtinuit ut puellula vestem Dominicanam anno integro gestaret.*

et Abulæ

540 *Tempus autem a S. Fundatrice Salmanticæ hoc anno* 1571 *exactum, partim apud comitem de Monterey, partim in suo monasterio, nuspiam accurate definitur. Ante* XXIX *Martii illuc venisse demonstratur e litteris quas ea die Toletum dedit ad Didacum Ortizium* (*tom. II, epist.* 65). *Porro ex dicto oppido Methymnam Campestrem iit, reductura priorissam Agnetem a Jesu, quam inde ad fundationem Albanam secum advexerat, et lites compositura quæ iis forte diebus inter Isabellam ab Angelis et ejus parentes erant exortæ, eo graviori momento quod, dum partem Isabellæ tuebatur Sancta cum suis monialibus, e parte parentum cum PP. Carmelitis staret Salazarius provincialis. Hic, suam suorumque opinionem S. Matri non probari videns, causatusque Agnetem a Jesu suo injussu a monasterio abfuisse, adhæc ægre ferens nunc eamdem Agnetem denuo votis monialium in priorissam eligi, et Teresiam de Quesada, quam ipse proponebat, recusari, ultra quam par erat commotus, sub acribus pœnis Sanctam una cum Agnete jussit Methymna illico excedere. Obtemperavere ambæ virgines, atque Albam prius, dein Abulam se receperunt; et quidem Albam pervenere, ut Chronicon refert, duobus vectæ asellis quos portitor carentibus commodiori itinerandi ratione suppeditaverat.*
C

monasterii Incarnationis prioratum,

541 *Abulæ tunc primum* Teresiam *de visu cognovit, qui ante eam cognoverat e fama tantum, P. Petrus Hernandez, apostolicus Carmelitarum per Castellam visitator. Cujus viri auctoritate* (*quam Sancta, utpote a Summo Pontifice promanantem, et Generali Ordinis Præposito et capitulo generali prævalere recte asserit, tom. II, epist.* 66), *unanimi monialium suffragio accedente, præposita fuit mense Augusto monasterio Methymnensi, unde Quesadia jam dudum ultro excesserat. Mense vero Octobri proxime sequente Sanctam indidem evocavit Hernandezius, eamque præesse jussit Incarnationis cœnobio Abulensi. Hujus illa cœnobii præfecturam, summopere difficilem, quomodo invitis monialibus adierit, docebit te Ribera* (*lib.* III, *cap.* I). *Ad ea quæ ipse habet, addam hic dumtaxat S. Matris allocutionem, qua, summa licet simplicitate, jam tum in medio eo æstu demulcere cœpit reluctantium animos. Ea oratio ad calcem poni solet primi voluminis Epistolarum, quinto loco inter Monita.*

542 Dominæ, *inquit Sancta,* Matres et Sorores meæ, per obedientiam misit me Deus in isthanc domum ad fungendum hoc officio, quod nequaquam ambivi, nedum merui. Gravissima mihi ea electio accidit, tum quia onus mihi imposuit cui ferendo sum impar, tum quia vestris e manibus erepta fuit eligendi libertas qua hactenus gavisæ eratis, et ea vobis priorissa nolentibus invitisque data est cui res esset multæ operæ vel eo contendere ut ab omnium vestrum minima plurimum quod illa habet boni addisceret. Equidem alia de causa huc non venio quam ut serviam vobis et me omnibus in rebus, quoad potuero, vobis commodem. Spero autem fore ut hac in re plurimum me Dominus adjuvet; nam in cæteris rebus nulla inter vos est quæ docere me ac reformare non possit. Quare videte, Dominæ meæ, quo ego pacto bene de vobis mereri queam: etiamsi sanguinem ac vitam pro vobis profundere me oporteat, libentissimo id faciam animo. Filia sum domus hujus, et omnium vestrum soror. Plerarumque, sin minus omnium, ingenium novi ac necessitates; ac proin non est cur sitis alienæ ab ea quæ tam proprie vestra est. Nec meam adeo gubernationem timete. Licet enim hactenus Excalceatis convixi atque præfui, scio equidem per Dei bonitatem quomodo quæ non sint Excalceatæ, regi de- E
beant. Unum cupio, ut suaviter cunctæ Domino famulemur, et pauca illa regularum ac constitutionum nostrarum capita pro Deo, cui tanta debemus, observare satagamus. Non me fugit quam magna sit nostra debilitas : quod vero si operibus nostris ad culmen perfectionis non pertingimus, at pertingamus saltem desideriis. Etenim Dominus pro sua benignitate efficiet ut paulatim intentioni ac desiderio opera respondeant.

AUCTORE V. D. M. *habita ad moniales allocutione, capessit.*

D

Describitur oratorium superius,

543 *Juvat hic paucis describere oratorium in quo Sancta tunc præsedit et quod etiamnum existit, quale recens delineatum habes in adjecta hic tabula. Eadem super area duplex illud est, inferius et superius. Superioris constructio a S.* Teresiæ *repetenda est temporibus. In hujus altari sculptilis stat S. Maria,* Clementiæ *dicta, magnoque habetur imago hæc in honore, utpote quæ a S.* Teresia, *cum velum sumpsit, allata fuit. Series quoque sellarum, e nitido ligno, probæque cælaturæ, venerationi sunt, eo quod Sancta toties iis insedit; et ob eam causam a nemine occupantur, sed omnes moniales sedent in scabellis seu sedilibus inferioribus, dum superiora, piarum imaginum loculamenta, sertis florum ornata sunt, quaque moniali provinciam habente curandi et decorandi* F
unum eorum sedilium.

et inferius, in quo Sancta tunc præsedit.

544 *Inferius oratorium, stratum tectumque ligneis tignis, minus habet ornamentorum. Sed juxta altare e latere euangelii, lignea est S.* Teresiæ *statua, boni sculptoris opus. Induta est veste quæ tum forma tum colore illum habitum refert quo ante institutam Reformationem induta erat. Speciem tamen habet choro, qua priorissæ, præsidentis, signumque manu edentis ad inchoandum divinum Officium. Factum videtur id sculptile multo post mortem ejus tempore. Sedile in quo sedet, id ipsum est quod occupavit tempore prioratus sui; quare ejus columellæ, multis ablatis ex pietatis sensu recisamentis, valde male habitæ sunt, ideoque, ut sedis vulnera non pateant, floribus obteguntur, ac tota nunc cum statua sedes vitreo armario quadrilatero includitur, quod tamen undique aperiri potest. Ejus stylobates duabus ferme palmis supra solum est, aliquanto inferior quam scabella monialium; nam et hæ humilitatem imitantur Excalceatarum, a sede qua Sancta earum Mater usa est, abstinentium; ac priorissa ad latus manet statuæ, ita ut Sancta jugiter præsidere choro videatur. In inferiore hoc oratorio medium inter duas fenestras foramen est*

AUCTORE V. D. M.

A *sive scamnum Communionis, super quo pictura quædam pendet, in qua Sancta repræsentatur, Sacram Communionem recipiens e manibus Jesu Christi, cui duo adsunt Angeli cum accensis tædis. Etenim in eo ipso loco talem ei gratiam a Deo collatam esse, pia fert traditio. Cum autem a tempore pronuntiatæ quam supra attuli, orationis, ad Segoviensem usque fundationem plura evenerint quæ Ribera nusquam attingit, ea aliunde, quantum potero, in sequentem paragraphum congeram.*

§ XXX. Utiles Sanctæ in Incarnationis monasterio labores; raptus; mystica cum Christo sponsalia; visio de nece P. Martini Gutierrez S. J.; epistolæ memorabiles.

B *Morbis curisque oppressa S. Mater*

Sancta familiari quadam epistola VII *Martii* 1572 *ad Mariam de Mendoza data, non solum infirmæ valetudinis pauperisque monasterii Incarnationis statum nativo suo lepore describit; sed et heroicam patientiam atque uberem suæ caritatis ac suavitatis in regenda commissa sibi domo fructum clarius elegantiusque præter suam intentionem propalat quam longa id fieri possit panegyri. Quare gratum me lectori facturum puto eas hic litteras afferendo :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper tecum. Amen. Multum tui recordata sum hac tempestate, ac timui ne aeris intemperies tuæ noceret valetudini : meæ sane, ut mihi videtur, nocuit non parum. Sit Deo laus, quoniam æternitatem videbimus temporum vices non habentem : faxit vero ille ita nos per temporalia transire ut tanto mereamur aliquando frui bono. Mihi quidem sic sapuit terra ut videar in ea non esse nata. Bona valetudine vix mensem cum medio fruitam me esse puto, idque initio; quoniam viderit, credo, Deus non potuisse tunc sine ea quidquam effici. Hodie ipse omnia facit : ego enim aliud non scio quam corpus curare. Præsertim a tribus abhinc hebdomadibus addidit ad quar-

C tanas meas dolorem lateris et anginam. Vel unum ex his malis ad mortem mihi dandam sufficeret, si Deo placeret : at non videtur hactenus velle ut id bonum consequar. Vena ter incisa, paululum convalui. Abscessere quartanæ, sed non me reliquit febris omnino : quare mane purgatione utor. Tœdet me tam infirmam me videre ut nequeam ex angulo prodire nisi ad Missam. Maximus autem est dolor maxillarum, quo afflictor jam mensem cum medio. Enumero tibi hæc omnia, ne mihi succenseas quod ad te non scripserim, utque videas quam liberaliter mihi Dominus tribuat ea quæ semper ab illo efflagito. Mihi certe fieri non posse videbatur, quando huc accessi, ut debilis hæc et infirma natura mea tot esset laboribus perferendis. Nam præter negotia ordinaria, quæ sane plurima sunt in his monasteriis, sollicitor rebus gravissimis quæ non spectant ad domum hanc : ita ut vere pateat omnia nos posse in Deo, quemadmodum ait S. Paulus. Dat mihi Deus ut, exigua adeo valetudine utens, præstem omnia.

disciplinam inter moniales Incarnationis.

546 Aliquoties mecum ipsa risi, relictam me esse sine confessario et tam solam ut non habeam cum quo solandæ mei gratia aliter agam quam aspectu. Quamquam quod ad corporis levamen attinet, mi- D nime defuit magna erga me pietas ac sollicitudo. et hoc ipso in loco multam mihi fecere eleemosynam : dat enim domus hæc mihi cibum dumtaxat; neque hunc quidem desideraveram. Propemodum consumpta est eleemosyna quam dedit Domina Magdalena (*verisimiliter hæc est Magdalena de Ulloa*) : hactenus prandium ex ea feceramus; cui accessit etiam illud quod tu et quædam aliæ personæ tam larga manu pauperrimis tribuistis monialibus. Dum cerno has Incarnationis moniales adeo jam sedatas et bonas, grave mihi est quod patiuntur. Laudandus plane Deus, qui adeo eas immutavit ut illæ ipsæ quæ maxime rebelles fuerunt, nunc sint contentissimæ et plurimum mei amantes. Præsenti tempore quadragesimali neminem sive mulierem sive virum invisunt; quamvis, quod domui huic permolestum accidit, magna laborent egestate. Cuncta sufferunt cum multa pace : verissime sunt hic eximiæ Dei ancillæ, et quasi omnes in melius proficiunt. Priorissa mea (*Beatissimam Virginem Mariam intelligit*) facit hæc mirabilia. Quod ut melius pateat ita esse, ego, disponente Deo, tali affecta valetudine sum ut videar huc venisse tantum ad abhorrendam pœnitentiam et ad corpus curandum (*tom. III,* E *epist.* 6).

suaviter

547 *Non admodum longo tempore Sanctæ opus fuit ad fructum hunc colligendum. Vix enim pauci dies a turbulento illo quod Ribera describit, capitulo effluxerant, cum ad Sanctam accurrentes quædam e monialibus quæ plurimum ei fuerant adversæ :* Bene feceris, Mater, *inquiebant,* si locutoriorum claves apud te retinueris, sique his et his (*nominabant optimas ac* Teresiæ *gratas*) commiseris domestica officia. *Quibus suaviter respondit :* Quando id quidem vobis, o Matres carissimæ, sic videtur, fiat utique, per me licet. *Hoc pacto ad exitum quem sibi proposuerat, non tam sua quam subditarum suarum voluntate visa fuit pervenire; et arcem quæ eatenus inexpugnabilis fuerat, locutorium dico, non vi superavit, sed perplacide in deditionem accepit. Itaque ex eo tempore custodia ostii, sacristiæ aliorumque locorum quibus periculum subesse poterat, fidelissimis monialium concredita. Quoties sæculares homines ad colloquium monialem unam alteramve evocabant, S. Mater eos dimittebat pia quadam industria : qua ædificati boni, mali vero fastidio affecti, paulatim tam hi quam illi a frequentando monasterio destiterunt.* F

et fortiter agendo, restituit,

548 *Erant tamen pauci aliqui juvenes obstinatiores, qui egregiam laudem, victa* Teresiæ *constantia, relaturi sibi videbantur. Unus præ cæteris, graviter ferens omni sibi commercio cum moniali quam turpiter amabat, interdici, advocatam in locutorium priorissam probris maledictisque omnibus est insectatus. Auscultavit quiete ac patienter injuriantem* Teresia : *verum, ubi finem dicendi ille fecit, ipsa vicissim sermonem suscipiens, vultu animato gravique rationum pondere impudico nebuloni prohibuit ne posthac cœnobio pedem inferret; quod si quietem sponsarum Jesu Christi vel una adhuc vice disturbare conaretur, regia se auctoritate adversus temerarios illos ausus esse usuram. Prostratus eo verborum fulmine, nil contra mutivit homo impudens; sed e locutorio celerrime se recipiens, socios admonitum iit non esse jocis apud* Teresiam *locum, finita esse in Incarnationis conventu colloquia, alio iis qui adhuc ludere velint, gressus esse dirigendos. Ita sensim sine sensu mundanis abstractæ rebus, ac Deo sibique redditæ, moniales Incarnationis orationi ac mortificationi internæ externæque tam ferventer vacare cœperunt, ut inter ipsas et Excalceatas jam*



CANCELLI AD QUOS S. TERESIA ET S. JOANNES A CRUCE PENDULI VISI SUNT.



Robustianus Boada Del. Car. Ongiena Sc.

CANCELLI AD QUOS J. C. SEVERO VULTU S. TERESIÆ APPARUIT.

A *jam aliud discrimen non esset quam vestium. Tanto vero amoris affectu priorissam suam prosequebantur, ut eam, si per ipsas stetisset, nunquam a se avelli fuissent passæ.*

juvante S. Joanne a Cruce, 549 *Interea temporis P. Angelus a S. Gabriele, quem tironibus Pastranensibus magistrum præpositum supra docui* (*num.* 499), *zelo ductus ille quidem, sed non secundum scientiam, faciem commissi sibi novitiatus insolito mortificationum genere immutaverat. Quod ut animadverterunt superiores, illuc e collegio Complutensi S. Joannem a Cruce ablegarunt, qui res collapsas sua industria restitueret. Tulit animo non satis mortificato P. Angelus adimi sibi potestatem et se et alios mortificandi; et de hac immerenti, ut credebat, illata injuria conquestus est per litteras apud* Teresiam, *tanquam communem omnium Matrem. Misit has Sancta litteras Salmanticam ad P. Dominicum Bañez, cujus prudentiæ ac religioni non minus quam doctrinæ valde fidebat; atque adeo eum ortæ controversiæ arbitrum constituit. Ad diem* XXIII *Aprilis* 1572 *P. Bañez respondit litteris quas integras in Chronicum suum assumpsit P. Franciscus a S. Maria* (*lib.* II *c.* I), *et quarum hæc summa erat, menti S. Reformatricis*

B *prorsus conformis : perperam egisse P. Angelum, recte S. Joannem a Cruce; quia hic nimirum regulæ Carmelitanæ institerit, ille autem deceptus sit studio imitandi Societatem Jesu. Attamen haud ita dudum Pastranæ moratus est Sanctus; sed mense Majo, ut videtur, a S.* Teresia *Abulam accersitus cum P. Germano a S. Matthia, magnæ virtutis religioso, ut simul monialibus Incarnationis a Sacris Confessionibus essent : quo ibi munere ultra quatuor annos summa cum laude ambo perfuncti sunt, casula quadam conventui vicina pro habitaculo utentes. Longior horum tractatio potius ad S. Joannis quam ad S.* Teresiæ *Vitam pertinet : utrique vero commune est id quod sequitur.*

quocum aliquando raptum 550 *Cum quadam die in locutorio monasterii Incarnationis altissimos ac pro more suo fervidissimos de Sanctissimæ Trinitatis mysterio sermones miscere cœpissent, et Joannem sublime loquentem* Teresia *in genua provoluta per cancellos auscultaret; adeo utriusque animus divino igne incaluit, ut primum quidem Joannes una cum sede in qua requiescebat, tanquam cum suo curru Elias, mox vero etiam* Teresia, *genibus ut erat flexis, rapti fuerint sursum versus. Testem hujus rei habemus Beatricem*

C *a Jesu* (*filiam Francisci Alvarez, patruelis S.* Teresiæ), *tunc ad Incarnationis monacham, sed postea ad Excalceatas cum aliis pluribus transgressam; quæ ipso ecstaseos tempore locutorium ingressa fuerat ad nuntium aliquod Sanctæ ferendum, atque ex ea postmodum tam miri spectaculi causam et occasionem didicerat. Idem non semel contigisse censendum est, tum ex fide historicorum, tum maxime ex eo quod ferunt S. Matrem dictitare solitam, caute de Deo colloquendum esse cum P. Joanne a Cruce; quippe qui non solum raperetur ipse, verum efficeret ut alii quoque raptus paterentur.*

in locutorio patitur. 551 *Illud eodem hodieque in statu locutorium cum cancellis in Incarnationis monasterio conservatum est, qualiter a D. Boada recens in ipso loco delineatum, ærique in Belgio incisum, adjuncta hic tabula exhibet. Diversi autem sunt hi cancelli ab iis ad quos Sancta prius correpta fuerat austera apparentis Christi facie, quosque exaratos cernis in inferiore tabulæ parte, et de quibus jam* § VII *mentionem feci. Utrique hi cancelli lati sunt pedum circiter quinque, et alti pedum fere trium. Inscriptio picturæ superioris, si multiplicem crasim impleas, hispanice hæc est :* Siendo priora deste convento de la Encarnacion nuestra Santa Madre, y vicario de dicho convento S. Juan de la Cruz, estando en este locutorio D hablando en el misterio de la Santissima Trinidad, se arrobaron entrambos, y el Santo subió llevando tras si la silla, como se vé en la pintura. *Quod latine sonat :* Priorissa cum erat hujus conventus Incarnationis N. S. Mater Teresia, et cum vicarius erat dicti conventus S. Joannes a Cruce, uterque ad hos cancellos inter colloquium de mysterio Sanctissimæ Trinitatis in altum rapti fuerunt, et Sanctus una cum sede elevabatur, ut cernitur in pictura.

Cum Jesu, clavum sibi porrigente, 552 *Et quoniam ad hanc materiam nos vexit oratio, congeram hoc loco quædam alia de divinis operationibus quas scitur Sancta hoc prioratus sui spatio in sæpe dicto monasterio Incarnationis experta fuisse. Unam ejus visionem habitam pridie* XX *Januarii, qui dies SS. Fabiano ac Sebastiano sacer est, refert Ribera* (*lib.* III, *c.* I) *ipsis* Teresiæ *verbis, ex schedis videlicet quas Ludovicus de Leon Vitæ ab ipsa scriptæ adjecit. Idem Ribera narrat* (*lib.* IV, *c.* III) *quomodo Sancta hoc tempore corpus defunctæ Eleonoræ de Cepeda, consanguineæ suæ, ab Angelis bajulari viderit. S. Pius V ipso obitus sui die, kalendis Maji* 1572, *Sanctæ apparuit; uti ex hujus ore se accepisse cum juramento testata est in informatio-* E *nibus ad canonizationem Ven. Mater Anna a Jesu* (*apud Manrique, lib.* II, *c.* VII). *Maria a S. Joanne Baptista, soror germana modo nominatæ Eleonoræ, et una de primis reformati Carmeli monialibus, item testata est esse penes se schedam manu* Teresiæ *exaratam et hæc inter alia continentem :* Cum essem in Incarnationis monasterio, secundo anno mei in eodem prioratus, quadam die sacris epulis refectæ mihi Deus dixit : « Ne timueris, filia; quandoquidem nullus est qui queat te a me separare. » Ac tum quidem imaginaria visione mihi sese, uti et alias facere solitus erat, valde intime spectandum dedit; et dexteram suam mihi porrigens, ait : « Aspice clavum hunc, in signum quod ab hoc die » sponsa mea futura es : hactenus id non meruе- » ras; posthac vero honoris mei curam geres, non » solum tamquam Creatoris, Regis ac Dei tui, sed » ut vera et germana sponsa mea : honor meus » jam tuus est, et tuus meus. » Hæc gratia tales in me fecit effectus ut illam vix caperem et velut mentis impos manerem, diceremque Domino ut vel meam vilitatem propalaret aut talem gratiam mihi non concederet : putabam namque naturam meam illi ferendæ imparem esse. Unde tota die ab ea F velut imbibita et valde absorpta mansi. Magnum inde postea fructum sensi ac majorem mei confusionem et animi dolorem, ex eo quod nihil tantis gratiis donisque dignum me facere viderem.

mystica init sponsalia ad Eucharisticam mensam. 553 *Sunt hæc Christi Domini cum S.* Teresia *sponsalia, quorum Ribera, allegatis iisdem verbis, meminit lib.* IV, *c.* V, *indicans insuper ea contigisse in octava S. Martini, id est die* XVIII *Novembris* 1572. *In additionibus cura Ludovici de Leon ad Vitam Teresianam factis eadem dies designatur, et referuntur præterea quædam circumstantiæ antecedentes; nempe sic ibi Sancta loquitur :* Cum in Incarnationis monasterio agerem, in secundo prioratus mei anno, die octava S. Martini, et jamjam Sacram Communionem perceptura essem, P. F. Joannes a Cruce Sacram Hostiam in duas partes divisit, quarum una mihi, altera alteri sorori cederet. Equidem putabam id illum facere non tam quod hostiæ deficerent quam ut me mortificaret, quandoquidem illi dixeram me libenter magnas in Sacra Communione Hostias accipere; esto scirem id nihil referre, et propterea non minus Dominum integrum et totum illic adesse, tametsi particula

AUCTORE V. D. M.

A particula etiam minutissima sit. Dixit autem mihi Deus : « Ne timueris filia; enimvero nullus est » qui queat te a me separare » : indicans nullius id momenti esse. Ac tum quidem, *etc., ut supra. Illa ipsa S. Communionis mensa ubi hoc evenit, etiamnum existit et magnam habet venerationem : juxtaque appensa pictura visionem eam exhibet, qualiter a Sancta narrata est. Utrumque hoc ad amussim expressum cernis ex accurata delineatione, quam anno* 1842 *a D. Robustiano Boada in ipso Incarnationis monasterio faciendam curavimus. Loculamentum sacræ mensæ extrinsecus latum est* 23 *pollices, altum* 26 *; fenestella quæ in eo habetur, lata* 12 *cum dimidio, alta* 15 *cum dimidio; tabula vero fere alta est pedes* 9, *et lata* 8.



B

Corrigitur error circa factorum seriem.

C 554 *In noxa, si factorum seriem spectes, est Lectio inserta in Breviario Ambrosiano* (*vi decreti Cæsaris Cardinalis Montii, archiepiscopi Mediolanensis, anno* 1647), *ubi hæc habentur :* (Teresiam) novo sponsalium ritu, suæ scilicet passionis clavo, annuli vice, sibi Christus in sponsam accivit (*quod contigit* XVIII *Novembris* 1572); et exinde tanto ipsa patiendi flagravit desiderio, ut exclamaret identidem : « Domine, aut pati, aut mori. » Non defuit æstuanti Sponsus; sed per Angelum ignito jaculo cor ipsi transverberavit (*quæ transverberatio totis duodecim annis sponsalia præcessit*) : illaque Sponso tanta charitate respondit, ut insolitum et perdifficile votum semper efficiendi quidquid perfectius esse et ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret, constantissime emiserit (*quòd pariter jam a duodecim annis, nempe statim post cordis transfixionem, a Sancta factum erat*). *Ex quo cernis chronologicum factorum ordinem illic interverti.*

Refertur fabella quædam de pueri cum Teresia *confabulatione.*

555 *Nescio autem utrum hæc Dei ad* Teresiam *verba* : Honor meus jam tuus est, et tuus meus, *utrum vero illa quæ referuntur c.* XXXIX *Vitæ ejus :* Jam tu mea es, et ego tuus, *ansam dederint narratiunculæ, quam quidam concionatores scriptoresque librorum asceticorum nescio unde deprompserunt, et quam P. Fredericus* (*tom. I, p.* XLIII) *sic* D *refert :* Quadam die, obambulans S. Mater in monasterio, formosum sibi obvium habuit puerulum; miransque quod is introgressus esset claustrum, monialis alicujus cognatum esse opinabatur. Quæsivit ergo ex eo quo vocaretur nomine. Cui parvulus : « Prius, ait, tuum mihi nomen edic; ego » deinde tibi designabo meum. » Respondit Sancta Teresiam a Jesu se vocari. « Ego vero, reposuit » ille, vocor Jesus a Teresia. » *At nusquam, uti apposite subjungit P. Fredericus, sive apud S.* Teresiæ *biographos, sive apud alios ex antiquioribus bonæ notæ historicos, factum hujusmodi enarratum repereris. De quo et alia illa occurrit vehementer dubitandi ratio, quod scilicet hic ageretur de externa et corporali visione; dum tamen visionem id genus nullam, sed internas visiones tantum, modo intellectuales, modo imaginarias, se habuisse ipsa S. Mater perspicuis verbis declarat in suo Castello animæ* (*Mansione* VI, *cap.* IX), *prout jam alias memini* (*num.* 224). *Sic nimirum ibi loquitur :* De iis visionibus quæ exteriori visu apprehenduntur, nihil omnino possum dicere; quandoquidem personæ quam dixi (*i. e. Sanctæ ipsi, semet sub tertia persona designanti*), et de qua hic tam particulariter possum E loqui, nihil tale unquam contigit, nec quisquam certam dare rationem potest rei quam expertus non fuit. *Satis autem verisimile est encomiasten quemdam S.* Teresiæ *suavissima illa Salvatoris verba, quæ modo attuli, ita oratoria aliqua paraphrasi interpretatum fuisse ut diceret* Teresiam *esse Jesu, et Jesum* Teresiæ; *indeque sensim sine sensu, additis deinceps novis commentis, memoratam fabellam manasse in vulgus, quæ de cætero ad Seraphicæ Virginis gloriam, tot aliis nominibus inclytissimam, perexigui sane est momenti.*

Sancta Jesum sæpius audit sibi loquentem.

556 *Porro mystica illa S.* Teresiæ *cum Salvatore sponsalia præparatio fuerunt ad alterum adhuc sublimius orandi genus* (*matrimonium spirituale ipsa Sancta appellat*) *quo usa est per ultimos vitæ suæ annos, teste Ribera* (*lib.* IV, *cap.* I). *Non dicam hic de earum rerum natura, cum ipsa* Teresia *id explicet in Castello animæ* (*Mansione* VII, *c.* I *et* II). *Ad schedam redeo cujus verba Maria a S. Joanne Baptista coram informatoribus, ut paulo ante dixi, protulit.* Alia vice, *ait ibidem S. Mater,* cum intra memet me collegissem cum societate illa quam semper in anima gero, videbatur mihi Deus in ea esse; ita ut F recordarer verborum S. Petri : « Tu es Christus » Filius Dei vivi »; quoniam et in anima mea Deus vivus erat. Non est autem hæc visio similis aliis, siquidem affert vim cum fide; sic ut dubitari non possit quin Sanctissima Trinitas animabus adsit præsentia, essentia atque potentia. Maxime proficuum est hanc capere veritatem. Cum vero paverem, quod tantam Majestatem cernerem in vilissima hac anima mea, audivi : « Vilis non est, quando- » quidem ad imaginem meam facta est. » Prætera didici quædam de causa ob quam Deus animabus magis delectetur quam reliquis creaturis : quæ quidem tam delicata sunt ut, licet ea cito intellectus deprehenderit, effari tamen nesciat. Alia vice, reputans quam dura res sit vita, qua impedimur quominus semper admirabili illa Sanctissimæ Trinitatis societate fruamur, intra me dicebam : « Domine, da mihi aliquem modum excutiendi » vitæ hujus pondus. » Et Deus ad me : « Cogita, » ait, filia mea, non posse te vita functam mihi » servire uti nunc facis. Comede pro me et dormi » pro me; sit pro me quidquid egeris, quasi vive- » res non jam tu, sed ego, quemadmodum dixit » S. Paulus. » *Ad hanc ipsius* Teresiæ *manu conscriptam*

A *conscriptam narrationem addit adhuc Maria a S. Joanne Baptista :* Nocte quadam festi Corporis Christi vidit Mater Teresia e Sacra Pyxide Dominum ad se venire, fluente e toto capite sanguine; qui tanquam fatigatus ei dixit se etiam per Ecclesiæ capita tali in statu esse. Non recordor utrum jussa fuerit hæc iis verba referre : sed narravit hæc alicui quæ magnum inde emolumentum hausit.

De morte P. Martini Gutierrez S. J.

557 *Tandem consignanda hic venit visio quam Sancta anno* 1573 *habuit de P. Martino Gutierrez, suo nuper in fundatione Salmanticensi adjutore et confessario. Hic dum post S. Francisci Borgiæ obitum Romam ad electionem novi Generalis Societatis Jesu proficiscebatur cum PP. Ægidio Gonzalez provinciali Castellæ et Joanne Suarez, comitante etiam F. Didaco de Rios coadjutore temporali, interceptus est in Gallia ab Hugonottis hæreticis : qui, cum de nece quatuor insontibus inferenda, nisi se magna pecuniæ summa redimerent, jam deliberassent, et P. Ægidium graviter in femore sauciassent, interim plagis et contumeliis affectos duro carcere inclementer detinuerunt Cardalliaci, decem ab urbe Ruthenorum leucis. Unde ingenti laterum dolore cum febri contracto, P. Gutierrez quintum intra diem,* XXI *Februarii,*

B *in ipsa captivitate exstinctus est, omnibus morbi lenimentis et solatiis destitutus; prout olim a Beatissima Virgine Maria, cujus eximius erat cultor, multa prece efflagitaverat. Ecce autem, ubi de catholice tumulando ejus corpore in medio nationis pravæ socii, jam libertati ob promissos nummos redditi, frustra deliberant, adest repente matrona augusta ac verecunda specie; et num quis eorum decessisset, cujus corpus humandum foret, prior interrogat. Quibus annuentibus, prolata sindone suis ipsa manibus cadaver decentissime involvit, et mox videri desiit : ut nihil dubitarint Patres quin id benignissimæ cœli Reginæ erga exuvias clientis sui beneficium fuerit.*

cælitus monetur.

558 *Omnes has mortis Martyrio proximæ circumstantias paucis post diebus conscripsit ac sæpe deinde narravit P. Joannes Suarez* (*consule Vitam P. Balthasaris Alvarez, auctore Lud. de Ponte, c.* XXVII, *et Hist. Soc. Jesu, part.* IV, *l.* I, *num.* 2 *et seqq.*). *Pater autem Bartholomæus Perez de Nueros* (*alter duorum sociorum quos, ut narrat Ribera lib.* II, *c.* VII, *P. Gutierrez, prima nocte fundationis Salmanticensis, ad S.* Teresiæ *sacellum componendum et ornandum miserat*), *in informationibus pro Sanctæ*

C *canonizatione Madriti habitis testatus est se audivisse qui pro certo narrarent gloriosam P. Martini mortem S.* Teresiæ *divinitus revelatam fuisse; eamdemque Sanctam dedisse litteras ad P. Ægidium Gonzalez, qui tunc Hispaniæ Assistentem Romæ agebat, quibus certiorem eum faceret sibi P. Martinum ostensum esse a Deo in cœlesti gloria conspicuum et Martyrii laurea decoratum.*

Curat Excalceatas suas Abulenses.

559 *Cave autem existimes tot inter visiones ac spiritus delicias, tantos inter corporis dolores quantos ipsa suis litteris supra memoratis enumeravit, inter laboriosissimos denique ad disciplinam in monasterio Incarnationis instaurandam conatus, immemorem S. Matrem fuisse filiarum quas Domino in suæ Reformationis cœnobiis genuerat. Abulensis S. Josephi cœnobii iis temporibus, quando tam prope ab eo habitabat, specialem curam haud dubie gessit. Illius priorissa, Maria a S. Hieronymo, nihil inconsulta* Teresia *unquam ordinabat : imo, teste P. Chrysostomo Henriquez in Vita Ven. Dei Servæ Annæ a S. Bartholomæo* (*lib.* II, *c.* VI), *regebat S. Fundatrix et solabatur ac docebat caras suas Excalceatas Abulenses eodem modo ac si media inter eas versaretur. Pro specimine est apud eumdem scriptorem licentia quam Sancta dedit Mariæ a S. Hieronymo, tanquam vicariæ suæ, admittendi ad professionem die* XXV *Augusti* 1572 *sua auctoritate ac nomine Ven. Annam modo nominatam.*

AUCTORE V. D. M.

D

Scribit ad Mariam de Mendoza

560 *Albani quoque cœnobii sui negotia Sanctam tum cordi habuisse liquet e binis ad Joannam Ahumadiam litteris,* IV *Februarii et* XXVII *Septembris datis* (*tom II, epist.* 52; *tom. III, epist.* 36). *Eamdem de Vallisoletanis sororibus sollicitudinem promit epistola ad Mariam de Mendoza, cujus exordium in principio hujus* § *modo allegavi, et cujus prosecutionem jam exhibeo, ut constet quam monasteriorum suorum bono ac disciplinæ fortiter, atque colendæ benefactorum amicitiæ prudenter S. Mater consuleret.* Nunc, *ait,* ut nulla ex parte non patiar, scribit mihi priorissa tui illius conventus (*Vallisoletani*) velle te ut in eo monialis quædam cooptetur; atque adeo te moleste tulisse quod tibi dixerit noluisse me, postquam tu miseras recipiendi licentiam, eam recipere, ut nec alteram quam admissam cupit P. Ripalda. Non recte te instructam existimavi; dolerem, si vero nitereris. Potes me increpare et mihi præcipere. Neque persuadere mihi possum esse te mihi infensam quin mihi id dicas : potius crediderim iram a te simulari, ut te istinc extrices. E Quod si ita esset, valde reficerer. Novi enim quomodo agendum sit cum Patribus istis Societatis, ut eos mihi assentientes faciam; quippe qui nec ipsi ad voluntati meæ obsequendum, quempiam non aptum suo Ordini admitterent. Si digneris decretam tuam voluntatem mihi perscribere, non erit quod verbulum ultra faciam : et ista in domo et in reliquis omnibus tu præcipere potes; mihi obediendum erit. Attamen exposcam hoc in casu vel P. Visitatoris vel P. Generalis veniam : namque horum alterutri, sed non mihi, integrum est virginem istam tuam inter moniales accipere; siquidem defectus quo laborat, constitutionibus adversatur. Oportet autem ut moniales bene discant latine legere : quoniam regula cautum est ne secus recipiantur.

de novitia Vallisoleti non recipienda.

561 Meæ interim conscientiæ exonerandæ causa non possum quin indicem tibi quid ego, re Domino commendata, his in adjunctis factura essem. Omitto, ut modo dixi, quod cupis me, ni velim tibi stomachum facere, ad omnia tibi esse paratissimam : nec super hoc mutiam amplius. Tantum supplico tibi ut mature ea quæ mox scribam, consideres, et quidem in conventus tui gratiam, quem non omni ex F parte perfectum esse sane non sine dolore cerneres. Ubi multæ cohabitant moniales, melius defectus aliqui tolerari possunt; verum istic, ubi tam paucæ sunt, selectissimæ omnes sint oportet. Et hanc quidem tuam esse mentem semper mihi persuasi, in tantum ut e monialibus quæ mihi ad officia qualiacunque suppetunt, non ausa fuerim in tuum conventum quampiam mittere : quoniam nulla scilicet iis mihi dotibus elucere videbatur quas tui conventus virginibus inesse cupiebam. Meo proinde judicio neutra duarum puellarum de quibus quæstio est istic recipietur : nam non satis sanctitatis aut virtutis nec tantam discretionem industriamve ipsis inesse video ut domui prodesse possint. Cum igitur damnum inde sit futurum, cur, quæso, vis ut recipiantur? Abunde habent alia monasteria quo confugiant, et ubi ob numerum monialium, uti dixi, facilior est quarumdum rerum toleratio. Tuum vero in monasterium tales tantum adoptari deberent ut quæque prioratum, seu quodcunque aliud officium quod sibi oblatum fuerit, gerere valeat. Ergo pro amore Domini nostri bene rem inspicias velim, et videas bono communi semper magis quam particu-

AUCTORE V. D. M.

lari providendum esse; dein attende quanti intersit
A ut universæ quæ istic se occluserunt, aliæ aliis convivant et mutuos defectus ferant cum cæteris Ordinis difficultatibus : difficultas autem maxima enasceretur, si rem suam non bene gererent. Tu, quæ tantis nos beneficiis tibi obstrictas habes, hac quoque in re monialibus tuis, oro, faveas. Si ita placeat, mihi rem committe : ego enim, ut supra scripsi, cum Patribus istis facili negotio transigam. Sin contra tuo in proposito persistas, faciendum erit, per me licet, id quod mandas : in te autem recidet, si res male evenerit. Cæterum puella quam P. Ripalda proponit, mihi videtur alii cuidam loco non male quadrare; sed nobis curandum est, præsertim initio, ne nostram istam domum deformemus. Ordinet hæc Dominus prout maxime ad suam gloriam pertinuerit, det tibi lumen quo quod optimum factu sit facias, et te nobis servet plurimos annos incolumem : id quod nunquam desino ab ipso petere, quantumvis male me habeam.

ad P. Ordoñez S.J. de erigendo puellarum convictu,

562 *Eloquentissimis hisce litteris fortasse non in-*
B *feriores habendæ sunt illæ quas Sancta* XXVII *Julii* 1573 *destinavit ad P. Ordoñez, insignem Societatis Jesu operarium* (*tom. II, epist.* 17). *Agunt de convictu Methymnæ Campi, seorsim a conventu monialium, instituendo ad juniores puellas muliebribus erudiendas disciplinis atque ad pietatem efformandas. Necessarios ad eum finem sumptus obtulerant nobilis vidua Helena de Quiroga et filia ejus Hieronyma de Villarroel y Quiroga* (*quarum hæc* XIII *Januarii* 1575 *sub nomine Hieronymæ ab Incarnatione, illa exeunte Octobri* 1581 *sub nomine Helenæ a Jesu se Carmelitissis Excalceatis adjunxerunt*), *et propositi executionem commiserant P. Ordoñezio simul et P. Hernandezio visitatori. Visitator autem suas partes in P. Dominicum Bañez et S.* Teresiam *transtulerat; unde non mediocris labor in Sanctæ humeros, aliis jam rebus valde oneratos, recidit. Litteris igitur quas dixi, rem totam diligenter pertractat : de magistrarum nominatione a priorissa Methymnensi facienda, de earum numero, de numero item ac dotibus puellarum in convictum admittendarum, de modo administrandi res temporales novi instituti, deque aliis id generis rebus, quid sibi videatur, docet: prudenti cunctatione opus esse admonet, et petit ut P. Ordoñez, re prius mature cum Bañezio expensa, in consilium insuper vocet duos e Societate Jesu sacerdotes, nimirum P. Joannem Suarez, Castellæ provincialem, et P. Balthasarem Alvarez. De reliquo*
C *valde dubium mihi est utrum convictus ille unquam extiterit; vel certe, si extiterit, ita brevi deletus fuit ut ne ullum quidem ejus vestigium superaret. Quibus id causis tribuendum sit ignoratur.*

et ad regem Philippum II de sua Reformatione.

563 *Par fere ignoratio est de argumento litterarum eodem anno ad Philippum regem scriptarum in hæc verba :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper cum tua Majestate. Amen. Minime fallit, ut existimo, Majestatem tuam quam assidua mihi cura sit ut illam in exilibus precibus meis Domino Deo nostro commendem. Quod quamvis mea ex parte, quippe quæ sum miserrima, parvum omnino sit obsequium, est tamen hoc aliquid quod ad idem faciendum horter moniales Excalceatas nostri Ordinis, quas egregie Deo ancillari scio. Et hac quoque in domo in qua hodie versor, pio isto officio fungimur non tantum erga Majestatem tuam, verum etiam erga serenissimam reginam et principem, quem longissima Deus ut vita donet precor. Peculiarem fecimus orationem ipsa die qua Celsitudini ejus solemne jusjurandum dictum est. Idem semper fiet; ut adeo, quo majus Ordo hic incrementum acceperit, eo major inde in Majestatem tuam proventus sit redundaturus. Quare ausa fui supplicare D Majestati tuæ ut nobis faveat certis in rebus quas exponet licentiatus Joannes de Padilla, cui eas commisi. Fidem illi det Majestas tua; namque eximius quem in ipso animadverti, zelus me invitavit ut cum conscium facerem hujusce negotii; quod, si vulgo notum esset, effectu omni, qui alius non est quam gloria et honor Domini nostri, prorsus careret. Servet te divina Majestas tot annos quot status Christianus exigit, cui tantas inter ærumnas ac persecutiones magno levamini est tam strenuum Sanctæ Ecclesiæ defensorem atque auxiliatorem, Majestatem dico tuam, a Deo concessum fuisse. Ex hac domo Incarnationis Abulensi, XI Junii 1573. Indigna Majestatis tuæ serva ac subdita, Teresia a Jesu, Carmelitana (*t. III, ep.* 1). *E contextu ipso liquet spectare has litteras ad rem quamdam Teresiani Instituti; at qualis ea res fuerit, frustra, puto, quæsieris. Princeps de quo Sancta loquitur, Ferdinandus erat, Philippi II et Annæ Austriacæ filius, natus* IV *Decembris* 1571, *regni hæres juratus exeunte Majo anni* 1573, *sed præmatura morte ad cœlos translatus* XVIII *Octobris* 1578.

E

§ XXXI. Carmelitæ Excalceati quatuor domicilia acquirunt in Andalusia. Sancta Salmanticam mittitur; ubi Fundationes suas describere incipit.

Carmelitæ Excalceati cœnobia B. V. M. de Subsidio

R*elinquenda paulisper est nobis S. Mater in suo regimine monasterii Incarnationis; ut, quantum hujus nostri Commentarii ratio postulat, de Excalceatorum ejus augmento ac de conventibus ab illis anno* 1571 *et* 1572 *incoli cœptis summatim narremus. Inter hos primum tenet locum conventus Beatissimæ Virginis de Subsidio, montibus Altomirensibus, qui Toletanam provinciam a Conchensi dividunt, inædificatus a pio clerico Huetensi, nomine Didaco del Castillo. P. Balthasar a Jesu, prior Pastranensis, quem Hernandezius, visitator apostolicus, fundatis fundandisque Carmelitarum Excalceatorum*
F *conventibus quasi vicarium provincialem dederat, destinavit illuc, obtenta prælatorum suorum licentia, et a Francisco de Fresneda, episcopo Conchensi, memorati conventus donatione, P. Franciscum a Jesu* (*alio nomine dictum Franciscum Capela, et cognomine* veterem) *cum sex sociis. Adita novæ domus possessio solito ritu, nempe Sacratissimi Corporis Christi illatione, ad diem* XXIV *Novembris* 1571, *concurrente populi turba e vicinis locis* (*si tamen vicinos recte dixerim, quorum qui proximi sunt, integra leuca distant*) *et religiosissimos viros plurimum admirante, qui asperam adeo solitudinem montesque hiberna nive opertos habitatum ire non vererentur. Quam fortiter frigora tulerint, quam fervide Deo sint famulati, quam miram aliquando Dei Genitricis opem experti fuerint, refert auctor Chronici per tria postrema capita libri sui secundi.*

et S. Joannis a Portu accipiunt:

565 *Sub idem tempus nonnulli Andalusii qui Compluti agebant studiorum causa, perspecta Excalceatorum præclara vita, ad hos ex Observanti Carmelo transierunt. Inter eos præ cæteris nominandus est P. Andreas a Sanctis, qui lumine prophetico jam ab annis triginta Reformationem Teresianam prænoverat et ex eo tempore ad illam transeundi postulârat*

A *larat a provincialibus suis veniam. Hinc aliis multis Andalusiis et magis etiam P. Francisco Vargas, visitatori apostolico, subortum desiderium Excalceatos Carmelitas ex Castella in Andalusiam acciendi. Scripsit proin hunc in finem Vargasius ad P. Balthasarem a Jesu, quem non sui tantum religiosi, sed Calceati quoque Patres, ob perspectam olim, quando inter illos vivebat, virtutem ejus atque doctrinam, plurimi faciebant : qui tum quidem P. Vargasio excusavit plurimas quæ sibi Pastranæ et alibi in Castella incumbebant occupationes; attamen spem ostendit fore ut tam bella Ordinis sui ampliandi occasione, quam primum per tempus liceret, uteretur. Haud diu post evenit ut P. Didacus Heredia y Rengifo, dictus a S. Maria, ante Observantis Carmeli, tunc Reformati alumnus, patriam suam Granatam, comite Fr. Ambrosio a S. Petro, ex venia Hernandezii visitatoris repeteret. Quos ut Cordubæ vidit P. Vargas, subsistere jussit : et paulo postea, petito per litteras collegæ sui Hernandezii consensu, in suam receptos obedientiam novis sedibus donavit, nimirum conventu S. Joannis a Portu, Eleplam inter et Guelvam, jussis alio transmigrare Patribus Observantibus qui hunc locum eatenus obtinuerant.*

B *Acta sunt hæc Octobri ac Novembri mensibus anni* 1572; *ac mox Didaco Ambrosioque plurimi, partim ex Observanti Carmelo, partim e sæculo, se socios adjunxerunt. Vides jam prima semina dissensionum Calceatos inter et Excalceatos Carmelitas, in Andalusia primum, deinceps vero per reliquas Hispanias, exortarum.*

dein, PP. Gabrielis a Conceptione

566 *Interim P. Gabriel de la Peñuela, monasterii Carmelitici Granatæ recens exstructi incola, Ubeda oriundus atque ob nobilitatem generis ac magis etiam ob virtutes suas, potissimum ob humilitatem, a primariis viris magno in honore habitus, ut audivit extendi per Castellam S.* Teresiæ *Institutum, volvere animo cœpit qua illud ratione etiam in Andalusiam induceret. Re attente perpensa, consilium communicavit cum Petro Guerrero, archiepiscopo Granatensi, et Petro Daza, civitatis prætore; et utrumque hortatorem habuit ut operi tam pio manum admoveret, prius vero Madritum iret, litteras regias, quibus ora contradicentium claudere posset, petiturus. Itaque, cum licentia visitatoris apostolici, excalceavit se P. Gabriel initio Septembris anni* 1572, *ac, sumpto a Conceptione B. Virginis cognomine, ad urbem regiam iter instituit. Eo in itinere obvium forte habuit*

C *Didacum de Leon, Andalusium, e Carmeli Ordine in episcopalem sedem Sodorensem* (*de qua consule Majores nostros ad diem* III *Julii, pag.* 667, *et additiones ad Camdeni Britanniam, tom. III, pag.* 701, *edit. Londin.* 1789) *evectum; e quo audivit esse in Rupecula Marianorum montium territorii Biatiensis* (Peñuela de Sierra Morena *dicunt Hispani*) *quosdam eremitas nullo adhuc Ordini religioso adscriptos, qui vitam viverent primitivæ Carmeli regulæ satis conformem, unde non difficulter Excalceatis Teresianis associari possent; quare operæ pretium facturum esse, si tam hos quam illos invisum iret, atque ad ineundam inter se societatem adduceret; Andalusios Excalceatos qui Pastranæ et Compluti non exiguo numero essent, præsertim P. Balthasarem a Jesu, tam bonæ rei exequendæ non defuturos.*

et Balthasaris a Jesu opera,

567 *Hinc nova concepta spe, et confecto prospere apud regem in silva Balsain prope Segoviam negotio, P. Gabriel a Conceptione Complutum ac Pastranam excurrit; et proposito suo perficiendo modum cum P. Balthasare a Jesu præstituit. Dein adivit eremicolas Rupeculæ : quos, cum statim petitioni consensissent, per aliquot dies methodum orandi et observantias regulares Ordinis Carmeli docuit; atque inde eorum unum, Petrum a S. Angelo, Ordinis veste indutum, secum adduxit ad loci Ordinarium, Franciscum Delgado, episcopum Giennensem, cujus impetranda erat ad fundationem faciendam licentia. Abnuit tum quidem præsul, assensurus tamen postea, uti videbimus : civitas vero Biatia donavit eremitis spatium augendæ habitationi; quare P. Gabrieli remeandum Madritum fuit, ut donationem a rege firmandam curaret. Hac occasione jussu P. Balthasaris a Jesu, qui eo tempore principi Roderico Gomez ægrotanti curam dabat, Pastranæ substitit per Quadragesimam anni* 1573. *Post Pascha princeps Tituatiam* (*vulgo* Illescas), *votum pro recuperata sanitate Deiparæ soluturus, se contulit cum P. Balthasare; quem hinc, annuente provinciali Angelo de Salazar, in Andalusiam dimisit, tamquam ad negotium nescio quod familiæ suæ componendum cum genero suo, duce Methymnæ Sidoniæ. Comes Balthasari e Pastranensi conventu venit P. Gabriel : simul indidem et e conventu Altomirano accitis aliis Andalusiis mandatur ut clam bini et bini Giennium partim, partim Biatiam eant, præstolaturi fundationem seu Granatæ sive in Rupecula faciendam.*

AUCTORE V. D. M.

D

sedes nanciscuntur

E

568 *Igitur PP. Balthasar et Gabriel, postquam ex via in Rupeculam digressi fuissent et eremitarum unum, Garciam a S. Luca, sibi socium adjunxissent, venere Granatam et litteras commendatitias principis Ebolensis comiti de Tendilla, Ludovico Hurtado de Mendoza, præfecto celeberrimæ arcis quæ Alhambra dicitur, obtulerunt. Ab eo recepti hospitio, persolutis erga archiepiscopum et urbis præsidem urbanitatis officiis, stiterunt se P. Francisco Vargas visitatori. Qui moribus Balthasaris mirum in modum delectatus, suas ei vices diplomate legavit ad visitandum regendumque quotquot tota Andalusia forent Reformati Carmeli monasteria. Obstabant interim pleno rerum successui simultates quædam quas ea forte tempestate comes Tendillensis cum magnatibus Granatensibus gerebat. Nihilominus P. Balthasar summos infimosque sibi paulatim conciliavit, sacris præsertim concionibus; atque ut esset sua opera civibus utilior, ex arce Alhambra descendit, mandante P. Vargasio, in domum quam Carmelitæ Observantes olim tenuerant. Alteram quidem domum obtulit archiepiscopus, propinquam parochiali S. Gregorii Magni templo; sed hanc P. Balthasar non accepit, quia nimis difficilis addebatur conditio : videlicet ut Mauris ad fidem Christi conv.. 's Sacramenta Carmelitæ administrarent.*

F

in monte Martyrum Granatensi et in Rupecula Marianorum montium.

569 *Denique indefessa comitis cura obtentum ut clerici regiæ capellæ Granatensis P. Balthasari cederent insigne eremitorium, quod reges Catholici Ferdinandus et Isabella, capta anno* 1492 *urbe Granata, ædificari curaverant juxta vetus regum Maurorum palatium, in memoriam innumerabilium Christianorum eo ipso in loco* (*cui propterea nomen* Mons Martyrum *inditur*) *ab impiis Mahumeti sectatoribus in odium Fidei nostræ interfectorum. Visuntur adhucdum ibi cavernæ, nocturna captivorum ergastula, quas suo Mauri idiomate* mazmorras *appellabant et quarum ichnographiam exhibet Joannes Alvarez de Colmenar in suis Annalibus Hispaniæ ac Lusitaniæ* (*fig.* 112). *Ecclesiola dicti eremitorii pridem titulare habuerat festum S. Petri ad Vincula; sed dein SS. Cosmam ac Damianum patronos acceperat cum insigni horum duorum Martyrum lipsano et largis indulgentiis a Paulo III Pontifice Maximo concessis. Porro syngrapha die* XIX *Maji* 1573 *confecta, qua clerici regii usum eremitorii Montis Martyrum Carmelitis Teresianis tribuebant, tam molestas continebat leges, ut, nisi spes affulsisset fore ut eæ aliquando abolerentur, acceptari a P. Balthasare vix potuissent,*

AUCTORE V. D. M.

A *potuissent, utque imo lapsu temporis religiosi, earum executione immodice prægravati, de redhibendo pristinis dominis loco aliquando cogitaverint. At omnes illas leges anno* 1597 *antiquavit Philippus II; ex quo tempore monasterium, quod eatenus precario Carmelitæ incoluerant, et ædificiorum augmento et accessione sociorum et populi concursu egregie floruit. Peracta utcunque, prout dixi, Granatensi fundatione, relictoque in ea P. Francisco Capela sive a Jesu cum FF. Petro a Cruce et Garcia a S. Luca, P. Balthasar a Jesu, comite P. Petro ab Angelis, Giennium profectus est, ad petendam denuo ab episcopo facultatem cooptandi in Ordinem suum eremitas Rupeculæ. Quam posteaquam impetravit, recta ad Rupeculam contendens, eremitis illis peroptatam Carmeli vestem induit festo SS. Petri ac Pauli die; ac vicaria illis potestate P. Petrum ab Angelis præstituit. Nec ultra P. Balthasari tunc integrum fuit in Andalusia permanere; quia Madritum illum vocabat principis Ebolensis iterata eaque extrema ægrotatio. Atque hæc quidem de tribus iis fundationibus in Andalusia factis a me breviter dicta sufficiant, quæ late evolvuntur in Chronico* (*lib.* III, *a capite* I *ad* XVIII *inclusive*).

B *Sancta anno* 1573

570 *Reducimur nunc a PP. Carmelitis Excalceatis ad S. Matrem* Teresiam *mentione quæ facienda hic se offert de scheda quadam pii certaminis bonorumque operum provocatoria, quam aliqui ex iis ad moniales Incarnationis Abulenses miserunt. Suspicatur P. Antonius a S. Josepho provocatores fuisse Excalceatos Pastranenses, duce potissimum P. Hieronymo Gratiano seu a Matre Dei, qui habitum ibi sumpsit* XXV *Martii* 1572 *et professionem fecit* XXVIII *Martii* 1573, *Sanctæque Fundatrici adhuc prioratum Abulæ gerenti tractatum obtulit cum hoc titulo :* Arte de esgrima de los caballeros de Jesus y la Virgen, desafiados en el cartel de Anastasio, *hoc Anastasii nomine, uti sæpius fecit, proprium suum nomen tegens. Dolendum est schedam de qua modo memini, vel interiisse vel saltem hactenus latuisse : sed responsoriam monialium schedam habemus tomo IV epistolarum Teresianarum* (*script.* 77), *et quidem ex ipsius S.* Teresiæ *scriptura, si lineas aliquot excipias quæ alia manu scriptæ videbantur, quasque ea de causa P. Antonius a S. Josepho in editione Epistolarum commatibus margini appositis distinxit. Vel sola hæc scheda, etiamsi alia argumenta quæ supra adduxi, deficerent, luculentissime ostendit quan-*

C *tam ad perfectionem multæ inter moniales Incarnationis sub Sanctæ nostræ regimine ascenderint.*

Abula Salmanticam proficiscitur;

571 *Postquam autem eo in regimine menses circiter viginti et unum, ab Octobri scilicet* 1571 *usque ad finem Julii* 1573, *exegisset, jussu P. Petri Hernandez abiit Salmanticam, ut ibi provideret rebus afflictis suarum monialium, quarum priorissa Anna ab Incarnatione domum a Petro de la Vanda emerat. Quæ de itinere illo deque rebus Salmanticæ a se gestis Sancta refert, legenda dedi paragrapho* XXVIII : *Ribera de iisdem agit lib.* II, *c.* VII. *Unam tamen circumstantiam, illam nempe mutati ex improviso aeris, a Ribera breviter narratam, hic latius audi expositam a Ven. Anna a Jesu in juridicis informationibus Salmanticæ pro canonizanda* Teresia *factis :* Inter multas occasiones quibus experta sum quantum nostra Mater apud Deum valeret ac sua prece obtineret, una se obtulit omnino notabilis. Cum in hac civitate mense Septembri in S. Michaelis pervigilio domum nostram priorem cum domo quadam Petri de la Vanda commutassemus, cumque indicta esset in diem sequentem Sanctissimi Sacramenti illatio et concio habenda a P. Estella (*P. Didaco Estella, Ordinis Minorum*), clarissimo oratore, unde spes erat majorem civium partem nostris cæremoniis interfore (uti reapse interfuit); tantus imber cecidit, ac sacellum ipsum in quo collocanda Eucharistia erat, utpote vix ad culmen perductum nequedum tegulis opertum, ita maduit, ut timendum videretur ne, introitu prorsus intercluso, ornandis tribus altaribus, quæ illa ipsa nocte componere oportebat, manus adhibere non possemus. Invesperascebat, audita jam hora octava; et Mater cum duobus sacerdotibus (erant hi Julianus de Avila, ac licentiatus Nieto, monialium nostrarum Albanarum capellanus) aliisque officialibus de remedio, si quod esset, adhibendo deliberabat : dum interim ego et cæteræ sorores, ecclesiolam ornare cupientes, ambiguæ consilii hærebamus. Itaque cum duabus sororibus ingressa conclave fui in quo Mater erat; ad quam valde audacter dixi : « Quandoquidem Reve- D
» rentia tua novit quota sit hora et quantum nobis
» ante mane laborandum supersit, deberes a Deo
» petere ut pluviam cohibeat et nobis det spatium
» componendi ista altaria. » Illa vero tam alte loquentem me severo vultu intuita : « Tu ipsa, inquit,
» ora Deum, si tibi videatur tam cito rem hanc
» facturus ob meas preces. » Ut autem adverti moleste illam id ferre, statim exivi : at oculos attollens, E
priusquam in aream propinquam descendissem, cœlum stellatum vidi ac tam serenum ut a multis diebus non pluisse dixisses. Quare vestigia repetens, coram iisdem qui priora mea verba audierant, locuta sum : « Potuisset sane Reverentia tua hanc rem
» ocius fecisse : ecce enim operarii omnes, relicta
» nobis ornandi sacelli cura, abierunt. » Risit illa, ac suam in cellam aufugit : nos ecclesiolam commode paravimus, nec pluvia jam nec ipsa aqua quæ intro penetraverat, impeditæ. Sic, omnibus tempestive dispositis, solemnissimo ritu diem festum egimus. *Juratum hoc Ven. Annæ testimonium refert P. Angelus Manrique in ejus Vita* (*lib.* II, *cap.* VIII).

ubi Fundationes suas describere incipit

572 *Porro* Teresia *Salmanticæ substitit usque ad mensem Martium; et interea temporis principium dedit scribendo Fundationum suarum libro, prouti ipsa in hujus libri prologo testatur :* Cum ergo anno MDLXII in S. Josephi monasterio Abulensi (quo anno et ipsum fundatum est) agerem, P. F. Garcias de Toledo Dominicanus (quem tunc confessarium habebam) mihi injunxit ut illius monasterii fundationem, cum aliis multis rebus quas qui illam leget (dummodo in lucem prodeat) videbit, scripto committerem. Jam vero, cum anno MDLXXIII F
(undecim scilicet post annis) Salmanticæ agam, et rectori collegii Societatis Jesu, cui nomen Ripalda, confitear, is, ubi hoc primæ fundationis scriptum legit, mire ad Domini Dei obsequium fore putavit, si et reliquorum septem, quæ exinde per Dei bonitatem fundata sunt, monasteriorum fundationem, nec non Patrum Excalceatorum primi hujus Ordinis initia et primordia litteris mandarem. Quare id ut facerem, ipse mihi imperare non dubitavit. Quod cum mihi a me fieri impossibile videretur, ob plurima quæ me distinent negotia, tum litterarum scribendarum, tum aliarum occupationum necessario peragendarum, quod circa res a superioribus mihi injunctas eæ versentur, Deo rem per preces commendabam; cumque nonnihil in me ipsa affligerer, quod tam parum ipsa essem utilis et habilis, tam tenuis insuper valetudinis, ut etiam sine hoc laborem aliquem sustinere non posse viderer, prout quidem naturalis mea imbecillitas erat, dixit mihi Dominus : « Filia, obedientia dat vires. » Det Majestas ejus id ita sit, mihique gratiam concedat, ut ad gloriam ipsius, ita ut oportet, referam et prosequar gratias quas Ordini huic in hisce fundationibus contulit.

Haberi

A Haberi porro ut certum potest, omnia quam verissime, et sine ulla exaggeratione (quantum quidem ipsa novi), sed ita prout revera res contigit, hic narratum iri. Nam etiam in re quæ longe minoris momenti est, ob quodcumque etiam mundi bonum, non mentirer; in iis vero quæ, ut Deus per hæc ipsa laudetur, scribo, mentiri mihi maximum scrupulum faceret : mihique persuaderem id non solum esse tempus perdere, sed etiam per ea quæ ad Deum spectant, aliis fucum facere velle; et adeo non illum per hæc laudandum, ut etiam offenderetur : quod sane fœda quædam proditio foret. Utinam Majestas ejus ita mei non obliviscatur, ut hoc umquam faciam! In omnibus porro me submitto iis quæ tradit et docet S. Ecclesia Romana, et volo ut, priusquam in manus vestras, sorores et filiæ meæ, veniant, viri litterati et spirituales ea examinent. Incipio igitur in nomine Domini, gloriosissimam ejus Matrem, cujus ego habitum (tametsi indigna) gesto, in auxilium meum advocans, nec non gloriosum Patrem et Dominum meum S. Josephum, cujus in domo (nam ab ipso hoc Excalceatarum monasterium nomen habet) nunc ago, et cujus orationibus assidue adjuta fui. Anno Domini MDLXXIII, die festo
B S. Ludovici, Francorum regis, id est XXIV Augusti.

ad Albanam usque. 573 *Hac vice librum produxit Sancta ad finem usque fundationis Albanæ, quousque nos eum hactenus citavimus, et hac quasi epiloge conclusit :* Particularia quædam de nonnullis horum monasteriorum monialibus referre quidem cœperam, tum temporis rata, cum hæc ipsa in aliorum manus venirent et passim legerentur, illas quæ modo in vivis sunt moniales mortuas futuras, tum etiam ut quæ post venturæ sunt, ad bona hæc principia ulterius producenda animarentur : at postea mihi visum est non defuturum aliquem qui melius et particularius, nec tali cum metu qualem ipsa habui, id præstet; cum illos me horum participem esse arbitraturos existimem : unde etiam multa scribere omisi, quæ qui vidit et cognovit, non potest ea ceu miraculosa (sunt quippe admodum supernaturalia) non habere. Horum nulla hic referre volui, uti nec illorum quæ ad oculum et manifeste patuit illarum per preces Dominum fecisse. Vereor sane et dubito, ne in annorum, quibus monasteria hæc fundata sunt, assignatione aliquando errem, tametsi omni qua possum diligentia eorum meminisse allaborem : at, quia parum id refert, et postea facile is emendari error potest, pono eos
C quam possum proxime illorum recordari. Si quis vero in his intercurrat error, modicum sane discrimen id erit. *Tertio autem post anno opus suum continuare instituit, incipiendo a fundatione cœnobii monialium Segoviensis. De illa brevi agemus; sed prius Hispalim nos vocat effecta initio anni* 1574 *in ea civitate monasterii virorum fundatio.*

§ XXXII. P. Hieronymi Gratiani ad Carmeli Ordinem vocatio, et primi ejus labores. Dissidiorum inter Calceatos et Excalceatos initia.

P. Hieronymus Gratianus, **P.** *Franciscus Vargas datis* XX *Junii* 1573 *litteris Fr. Ambrosium Marianum sive a S. Benedicto invitavit in Andalusiam, Reformationis Carmeliticæ ibi propagandæ studio; una monens ut socios itineris sibi deligeret idoneos, non ex eorum numero qui ab Observantibus transissent ad Excalceatos, sed potius ex iis quos Reformatus Carmelus e sæculo recta venientes excepisset. Æquum putavit Ambrosius votis optimi visitatoris facere satis; et de adducendo secum viro rebus gerendis apto cogitans, oculos conjecit in P. Hieronymum Gratianum seu a Matre Dei.* Erat hic, *ait Sancta Fundationum capite* XXIII, vir apprime doctus, summo ingenio nec minori modestia; ac toto vitæ suæ tempore tam continuus virtutum omnium cultor et amator, ut in renovatæ primigeniæ Carmelitarum regulæ et Ordinis hujus bonum B. Virgo eum selegisse videatur. Hic Compluti habitans, ab Ordinis nostri habitu assumendo satis erat alienus, esto non a vita religiosa profitenda. Etsi enim parentes ipsius, quod gratia et benevolentia apud regem valerent, et præclara omnia filii indoles polliceretur, aliud quid intenderent, ipse tamen alia longe spectabat. Pater ejus, qui regi a secretis erat, volebat ut calamo rem ageret, et non militiæ assuesceret, eumque proinde sibi in secretarii officio successorem designabat. At ipse, cum ætate adhuc esset junior, adeo huc non propendit, ut magna lacrymarum vi effusa ab eo impetrarit ut E theologiæ sibi operam dare liceret.

AUCTORE V. D. M. D

qui, dum Societatem Jesu parabat ingredi, 575 Animum is jam ad Societatem Jesu applicarat, quin etiam ad eamdem jam cooptatus erat, sed, nescio qua de causa, illius ingressum ad dies aliquot differendum censuere. Narravit is mihi, omnes quæ sibi occurrebant delicias et recreationes semper sibi graves et pœnosas fuisse, quod hæc sibi via ad cœlum minime conducere neque tuta esse videretur. Semper autem statas suas orandi servabat horas et ordinariam mentis recollectionem, eratque honestatis servandæ per omnia studiosissimus. Eodem porro tempore summus quidam amicus ejus Pastranæ Ordinis nostri habitum assumpsit, theologiæ etiam doctor, F. Joannes a Jesu cognominatus. Nescio autem an hanc ob causam, aut quod hic de Ordinis nostri magnitudine, excellentia et antiquitate ad illum scripsisset, erga eumdem affici cœpit. Etenim tam illi volupe erat omnia quæ ad ipsum spectant legere, et hæc ipsa illustrium auctorum testimoniis comprobare, ut sæpe scrupulos conscientiæ sensisse se diceret, quod alia majoris momenti studia et lectionem intermitteret, quia ab hisce avelli non posset, et omnes recreationis suæ horas his solum impenderet. F

a B. V. Maria, 576 O sapientiam et potentiam Dei! Quam parum effugere et divertere possumus id quod ipse fieri vult! Videbat Dominus quantum opus hoc quod Majestas ipsius inchoarat, hujusmodi viro indigeret. Equidem frequenter ob gratiam et beneficium in hoc nobis datum cum laudo ac celebro : etenim, si summa cum contentione et enixe Majestatem ejus rogare voluissem ut talem Ordini virum daret, qui, sub hæc primordia, omnia quæ ad eum spectarent, disponeret ac dirigeret, tantum ab eo petere virum nescivissem quantum in isthoc nobis dedit. Sit ipse propterea in æternum benedictus. Cum ergo nihil minus quam de Ordine hoc capessendo cogitaret, rogatus est ut Pastranam, cum conventus nostri illic præposita (nondum enim is conventus dissolutus et translatus erat) acturus, ut virginem quamdam illa in familiam suam cooptaret, sese conferret. Quæ non divina Majestas media usurpat! Forsitan enim, si illuc se ad habitum religiosum sumendum conferre decrevisset, tam multi ei adversati fuissent ut numquam id perficere potuisset. Sed Beatissima Virgo Maria, cujus ille indefessus est cultor et perstudiosus, sibi impensum obse-

AUCTORE V. D. M.

quium non aliter ei remunerari voluit quam suum
A ei vestitum clargiendo. Ipsam proinde mediatricem fuisse existimo, quo hanc ei Dominus gratiam præstaret, nec non in causa fuisse ut et ipse hunc assumeret et tam bene erga Ordinem ejus semper affectus fuerit. Noluit enim ut tam ardens ei serviendi desiderium habenti ad ipsum opere exequendum deesset occasio. Illi namque solemne et ordinarium est opem et auxilium præstare illis qui sub suum præsidium confugiunt.

cujus insignis erat cultor,

577 Madriti puer cum ageret, sæpe quamdam B. Virginis imaginem, erga quam peculiari quodam affectu ferebatur (quæ ubinam esset, non recordor), salutatum abibat, eamque dominam et amicam suam nuncupare solebat et quam frequentissime visitabat. Munditiem illam et castitatem quam semper, usquedum vixit, is coluit, ipsa hauddubie illi a Filio impetravit. Dixit visam sibi subinde imaginem illam oculos lacrymis suffusos, ob plurimas quæ adversus Filium suum committuntur offensas, habuisse. Hinc magnus quidam in eo impetus et desiderium animarum juvandarum, nec non intensus ac vehemens, cum in Deum videret peccari, animi dolor et sensus nascebatur. Ita autem erga proximi animaB rum bonum propendet, ut omnis ei labor, si aliquid per eum sese proficere posse speret, illarum causa susceptus perexiguus esse videatur. Hoc ipsa per experientiam et reipsa in multis laboribus quos subiit, perspexi.

Pastranam adductus,

578 Cum ergo Beata Virgo Pastranam cum velut circumventum conduxisset (putabat namque ipse illuc se ad moniali cuidam vestem impetrandam abire), ecce Dominus ita rem disposuit ut vestem ipsemet ibidem sumpserit. O secreta judicia Dei! Quomodo nolentes nos disponit ut nobis gratiam conferat, et animæ illi bona quæ fecit opera, atque egregium quod semper dederat, virtutum exemplum, nec non intensum quo gloriosæ ejus Matri famulari volebat, desiderium remuneretur! Etenim Majestas ejus hæc semper maximis quibusdam muneribus et præmiis indubie compensare solet. Pastranam ergo cum appulisset, præpositam, ut virginem illam in suum contubernium admitteret, allocutus est; imo vero cum ea egisse videtur ut ipsa suis precibus ingressum illius in Ordinem nostrum a Deo obtineret. Etenim, ex gratia a Deo illi data, tam suavis et blanda ejus conversatio est ut plerique qui cum eo agunt, eum diligant : unde etiam
C ab omnibus religiosis ac monialibus ipsi subditis summopere amatur. Nam tametsi nullum delictum impune esse sinat (etenim de Religionis et Ordinis incremento semper sollicitus est quam maxime, et in eo procurando assiduus), nihilominus eam morum suavitatem et lenitatem præfert ut nullus aliquam de ipso conquerendi occasionem habere posse videatur. Cum igitur idem huic priorissæ accideret quod aliis omnibus, summopere ea desideravit ut Ordini ipse huic nomen daret. Hoc ergo desiderium monialibus suis patefecit, ut viderent scilicet etiam atque etiam quanti hoc sua interesset (tunc namque admodum paucos, et pene nullum ei similem Ordo universus virum habebat) ac Dominum precibus inducerent ne illum inde digredi pateretur, nisi habitu Carmelitano assumpto.

Ubi Carmelitis Excalceatis se adjunxerat,

579 Hæc autem priorissa tam insignis et fervens Dei ancilla est ut etiam ejus unius orationem a Deo exaudiri dignam fuisse censeam; quanto vero magis tot sanctarum animarum, quæ ibidem congregatæ erant? Nulla non hanc in se provinciam suscepit, et jejuniis, corporis castigationibus et ferventibus orationibus divinam Majestatem continenter fatigabant : unde etiam eam induxere ut hanc nobis gratiam faceret. Ut enim P. Gratianus conventum D Fratrum adiit, tantamque ibidem vigere religionem vidit, nec non tam insignem Domino serviendi occasionem ac materiam (atque imprimis quod Ordo esset gloriosissimæ ejus Matri, cui ille usque adeo famulari avebat, dedicatus), cor illius cœpit ad amplius in mundum non revertendum emoveri. Et, quamvis multas ei cacodæmon difficultates et remoras objiceret, atque imprimis quem ipse dolorem et crucem suis allaturus esset parentibus, qui usque eo ipsum diligebant, eumque liberis suis (quos habebant in utroque sexu plurimos) aliquando consulturum et auxilio futurum certissime sperabant; attamen ipse hanc Deo, cujus causa relinquebat reliqua omnia, curam committens, Virginis esse famulus, cliens et religiosus, ejusque habitum assumere apud se firmissime constituit. Quare hunc etiam magno universorum, ac præsertim præpositæ et monialium omnium, plausu ac gaudio suscepit : unde hæ Domino summas agebant gratias, quod suis hoc Deum Opt. Max. beneficium precibus et orationibus contulisse existimarent.

et tirocinii difficultates fortiter superarat,

580 Toto tirocinii sui tempore eam humilitatem et abjectionem prætulit quam novitiorum minimus. Imprimis vero ejus virtus eluxit et probata E est, cum, illius loci priore absente, Frater quidam admodum juvenis, vix doctus, et paucissimis naturæ dotibus nec ulla ad regendum prudentia instructus, et sine ulla experientia (etenim nonnisi pauculis annis in Religione vixerat), ipsi in rectorem et præsidem datus est. Vix credat quis quam is suos rigide haberet, quibus eos austeritatibus et mortificationibus attereret : et quoties id mecum recogito, obstupesco quomodo eas subditi ferre possent, præsertim similes viri; adeo ut spiritu illo quem illis dederat Deus, ad illas sustinendas sane opus esset. Unde etiam exinde patuit religiosum illum melancholicæ passioni valde obnoxium fuisse, adeo quidem ut, ubicumque agat, etiam subditus, fratribus suis molestus et gravis sit, multo vero magis cum alios regeret; nam malus illi humor valde dominatur. Ipse quidem bonus religiosus est; sed Deus subinde permittit ut talis error committatur, tales, inquam, homines gubernaculis admoveantur, ut ii quos ipse amat, in obedientiæ virtute exerceantur ac perficiantur. Ita hic factum fuisse verisimile est. Unde in hujus rei meritum maximam Deus lucem in rebus ad obedientiam spectantibus P. Hieronymo a Matre Dei F contulit, ad suos postea subditos instituendos, utpote qui tam bona habuit ad sese in ea exercendum principia. Ut vero in omnibus quæ nobis opus sunt, aliquam haberet experientiam, utque per omnia probatus foret, trimestri antequam professionem votorum emitteret, maximis exagitatus fuit tentationibus; at ipse, tamquam strenuus filiorum B. Virginis Mariæ ductor futurus, egregie illas superavit et victor evasit : nam cum illum cacodæmon maxime et vehementissime inducere satagebat ut habitum assumptum exueret, ipse, Deo promittens sese illum non dimissurum, et vota religiosa nuncupans, illius vim et potentiam eludebat. Mihi deinde tractatum quem durantibus illis tentationibus conscripsit, legendum dedit, qui magnum sane devotionis spiritum in me excitavit : simul etiam hinc apparet quo eum Dominus modo in tentationibus expugnandis corroborarit.

Reformationi Teresianæ promovendæ

581 Videbitur fortasse cuiquam vestrum ineptum et absurdum quod tot animæ suæ secreta ita singillatim ipse mihi aperuerit. Forsitan id fieri permisit Dominus, ut hoc illa loco commemorarem, ut ipse suis in creaturis laudetur et celebretur :

A tur : novi enim ipsum ne confessario quidem suo, neu cuipiam alteri, tantum quantum mihi eorum patefecisse. Subinde aliquam ad hoc faciendum habebat occasionem, quod ei, tum ob provectiorem meam ætatem, tum ob ea quæ ex aliis de me audiebat, aliquam rerum habere viderer experientiam. Aliarum rerum de quibus agebamus, occasione hæc aliaque mihi aperiebat; quæ tamen non est opus hoc loco describere, ne æquo sim longior. Et certe adhuc multum me ipsa inhibui, ne, si forte hæc aliquando in illius manus incidant, aliquam ei propterea molestiam pariam. Revera minus facere non potui, et nefas putavi ejus qui huic primigeniæ regulæ renovationi tantopere contulit et profuit (cum, antequam hæc in manus illius incidant, adhuc valde diu futurum sit) mentionem non facere aut recordari. Etsi enim is primus non fuerit qui eam inchoavit, advenit tamen tum cum male me habebat quod eadem esset inchoata, nisi tam magnam de Dei misericordia spem ac fiduciam habuissem.

a Deo destinatus,

582 Loquor autem de conventibus Fratrum : etenim conventus monialium, quæ ejus bonitas et benignitas est, hactenus semper felicem progressum et successum habuere; quin et Fratrum do-
B mus non male procedebant, sed tale habebant fundamentum ac principium ut propediem prolapsuræ viderentur : quod enim ipsæ proprium sibi provincialem non haberent, a Patribus Calceatis regebantur. Porro qui eas regere potuissent, qualis erat P. F. Antonius a Jesu (is, inquam, qui rem exorsus erat), plena hac potestate non gaudebant; neque etiam constitutiones a R. P. N. Generali datas stabilitasque habebant. In singulis conventibus Fratres agebant id quod ipsis bonum et expediens videbatur; unde, usquedonec ab aliquo suæ professionis et regulæ regerentur, maximas passi sunt difficultates : hoc enim huic, illud illi placebat et sequendum videbatur; quod certe me non raro mirum in modum cruciabat. Cui rei et incommodo Dominus per P. Hieronymum a Matre Dei succurrendum putavit : hic namque commissarius apostolicus mox est creatus, plenamque et absolutam auctoritatem et potestatem super omnes Excalceatos et Excalceatas accepit, et in Fratrum usum constitutiones condidit. Quod enim nos moniales eas jam tum a R. P. Generali accepissemus, nullas pro nobis confecit, sed pro illis, idque ex potestate ab apostolica Sede accepta, nec non per præclara na-
C turæ talenta, quæ, uti jam supra retuli, a Domino acceperat. Ut primum eos visitavit, omnia tam bonum in ordinem et statum redegit, satis ut appareret eum a divina Majestate adjuvari, et a Beatissima Virgine Deipara delectum qui Ordinis ipsius negotia curaret. Illam igitur ego supplex rogo ut apud Filium efficere dignetur, ut is eum assidue foveat, juvet, promoveat, eique gratiam det ad semper ulterius in illius obsequio progrediendum. Amen.

fit Vargasii visitatoris in Andalusia vicarius;

583 *Hunc ergo virum, laudibus quas ei S.* Teresia *impertiit, tunc temporis dignissimum, Ambrosius a S. Benedicto, iter in Andalusiam meditans, laborum consortem delegit. Quod consilium comprobans vehementer P. Balthasar a Jesu, in Hieronymum (utpote sacerdotem; nam laicus adhuc erat Ambrosius), scripto* IV *Augusti* 1573 *diplomate, detulit omne jus regendi suorum monasteria quod ipse a P. Vargasio olim acceperat (num.* 568*). Quoniam autem absque prælati alicujus venia proficisci non licebat, et metus erat ne visitator Hernandez tam utile par virorum e Castella exire non facile sineret, itum est ad P. Angelum de Salazar provincialem, a quo Ambrosius specie negotiorum nescio quorum, et eo facilius quod a laico nil timendum videretur, permissionem obtinuit patriam repetendi cum socio quemcunque voluisset : caverat enim a nominando P. Gratiano. Pastrana igitur ambo profecti ineunte Septembri, Toletum primum digrediuntur. Ea in civitate Mariano intimatur R. P. Rubei Generalis jussio ut e laico statu transeat ad clericum : unde manendum ibi fuit ad ferias usque quatuor temporum, per quas ferias ad Subdiaconatus Ordinem manibus archiepiscopi Toletani promoveretur. Expletis Sacris Ordinationibus, propediem in Rupeculam ad salutandos Fratres recens Carmelo adscriptos, dehinc Granatam festinant. Amicissime exceptos P. Franciscus Vargas, qui id temporis in provincialem sui Prædicatorum Ordinis electus fuerat, ad perficienda fortiter cœpta animavit; ac P. Hieronymo Gratiano, quantumvis invito, apostolici commissarii sive visitatoris functiones vicaria delegatione commisit. Apportabantur interim provincialis Salazarii litteræ, quibus Marianus et Gratianus Pastranam revocabantur; sed has irritas fecit potior Vargasii potestas, jubentis utrumque tuta conscientia intra Andalusiorum fines se continere.* AUCTORE V. D. M.
D

cœnobium S. Joannis a Portu Calceatis reddit;

584 *Memini num.* 565 *Calceatos Carmelitas mandato Vargasii emigrasse e conventu S. Joannis a Portu, ut locum darent Excalceatis. Offenderat ea res animum P. Augustini Suarez, provincialis Carmeli Andalusii; unde huic cum priore Excalceato dicti conventus, P. Didaco a S. Maria, haud adeo bene conveniebat. Ansam discordiæ auferendam judicans Gratianus, provincialem convenit; ac, probato suo jure regendi Excalceatorum domos, domum de qua disceptabatur, Calceatis reddidit die festo S. Lucæ. Facta redditione, voluit quosdam e suis denuo calceari et apud Calceatos manere : cæteros, eosque selectissimos, secum abduxit Hispalim; ubi hospitarentur in Observantis sive Mitigati Carmeli cœnobio, donec propriam sibi habitationem comparavissent. Principio viguit fraterna animorum conjunctio inter utriusque vestimenti religiosos, dum interea Gratianus ac Marianus, hic sanctissimis ac suavissimis moribus, ille apostolico labore, bonam sibi faciebant cum oppidanis summis infimisque gratiam. Ecce autem paulatim domesticum bellum exarsit, non staturum intra Hispalensia tantum mœnia, sed longe lateque per Hispanias et aliorsum vagaturum. Sparguntur voces per Calceatorum quorumdam ora : non egere tempus reformatoribus istis; non aliud ab ipsis* F *quam fucum fieri sæcularibus hominibus, ut antiquum Ordinem jam vilipendant quem ante dilexerint : si restauranda S. Alberti regula foret, esse quod merito quisque laudaret; sed quo demum spectare venerabili regulæ superadditas novitates? quid sibi velle insolitas vestium formas nudatosque præter veterem Instituti morem pedes? displicere talia Reverendissimo Generali, qui imo subditis sibi provincialibus nuper significarit ea tolerenda amplius non esse : ipsum Castellanæ provinciæ visitatorem, etsi antea molitoribus illis novarum rerum connivere visus fuerit, at resipiscere modo, nec adeo sinere ut latius malum serpat; ergo cur visitatori Andalusio liceat esse tam iniquo ut tumultuariæ fundationi faveat quæ antiquo conventui et bene de civitate merito detrimentum sit allatura? pellendos esse ingratos hospites, qui perniciem struant iis quorum cibo ac tecto utantur : omni industria obnitendum ne Gratianus ac Marianus, qui nescio quo fascino magistratum et inquisitores et archiepiscopum sibi amicos fecerint, rerum potiantur.*
E

et alterum cœnobium Hispali accipit,

585 *Hæc et alia dicteria clam serpere aliquamdiu, at sensim audacius claustra primum, mox quoque urbem perstrepere. Mariano videri ut conductitiam in*

AUCTORE V. D. M.

A *in domum paulisper Excalceati se recipiant, usquedum stabilem nasciscantur; non item Gratiano, quod se vereri diceret ne immaturo eo secessu de sua innocentia ac bona intentione diffidere videretur. Eamdem rationem Christophoro de Rojas y Sandoval, archipræsuli Hispalensi, partem palatii sui offerenti, Gratianus probabilem fecit, undique interim propriæ fundationis sibi procurandæ opportunitatem anquirens. Ni vero pacem commoditati suæ prætulisset, erat ei in promptu eremitorium, quod Bethlehem dicebatur, situm in populeto prope conventum Carmelitarum Observantium; sed maluit donum illud recusare quam discordiam ex vicinitate inter Fratres augere. Non diu post statuit archiepiscopus Gratiano largiri eremitorium alterum, imagine miraculosa B. Virginis de Remediis decoratum, de quo litem eo tempore gerebat cum Roderico de Castillo, Hispalensi clerico. Gavisi munere tali Patres Excalceati possessionem ejus in pervigilio Epiphaniæ anni* 1574 *adierunt, licet infectis adhucdum donationis litteris : has enim præsul non prius consignandas censebat quam advenissent diplomata apostolica quibus sperabat omnem litem, sibi a Castillio motam, compositum iri. Sic aliquot menses anceps pependit*

B *causa; donec, Castillio sponte cedente, publicis scripturis res tota definita fuit et Sanctissima Eucharistia solemnissime in eremitorium deportata.*

murmurantibus Calceatis;

586 *Oppositionem aliquantulo novæ fundationi PP. Minimi fecerunt, allegantes hortorum contiguitatem, privilegio quod cannarum vocamus, contrariam; verum auctoritati præsulis et magnæ Gratiani erga se comitati facile victas dedere manus. Non ita Carmelitæ Observantes. Nempe hi episcopum Sodorensem* (*de quo locutus sum num.* 566) *ac subpriorem suum Joannem Euangelistam miserunt qui Gratiano dicerent offensos esse gravissimos viros sui Ordinis, quod unus homo, inconsulto provinciali, Generali invito, nulla sui juris probatione exhibita, cœnobium derepente auspicatus esset : proin sine mora produceret quidquid haberet litterarum, quo videri posset utrum legitimæ illæ essent et quid de excitata controversia foret statuendum. Modestissime reposuit P. Gratianus non esse quod iterum in quæstionem sua jura vocentur, de quibus jam pridem, quando de redhibitione conventus S. Joannis a Portu ageretur, provincialis aliique Ordinis magistri cognoverint : litteras quæ exigerentur non esse modo penes se, sed penes archiepiscopum; quem si adire voluerint,*

C *dubiis ex integro satisfacturum esse. Ea responsio clausit pro tempore queritantium ora; iras vero alta mente repositas adeo non compescuit, ut imo statuerint regiam auctoritatem adversus Fratres suos Excalceatos invocare.*

sed Vargasius Excalceatos regi commendat.

587 *Edoctus Observantium Carmelitarum machinationes P. Vargasius, qui eo ipso tempore Hispalim venerat ut domicilia Ordinis Prædicatorum qua provincialis inspiceret, regem præmonuit scripta in hunc modum epistola :* Sanctissimus Pater noster, instanter petente Majestate tua, injunxit mihi ut per hanc Andalusiæ provinciam FF. Carmelitas visitarem. Equidem munere isthoc per quadriennium quanta potui diligentia perfunctus, quoniam obsequii Dei et Majestatis tuæ permagni intererat, in eam deveni sententiam : scilicet unum quo reformatio isthæc effici possit, remedium esse FF. Excalceatos ex iis qui Pastranæ degunt. Igitur a me invitati in oppidum hoc Hispalim venerunt P. Marianus, P. Hieronymus Gratianus aliique Patres, qui sua vita ac doctrina multæ ædificationi sunt civitati, quanquam e parte Calceatorum Patrum illis haud desint persecutiones. Putavi monendam hac de re Majestatem tuam, ut, quoties se dabit occasio, bonis viris faveat; quo et sanctum opus ab D ipsis cœptum incrementa accipiat, et alii excitentur ad vitæ emendationem; qua quantopere indigeant, latius ad Sanctitatis Suæ nuntium perscripsi. Rem omnem explicabit Joannes de Padilla licentiatus, harum litterarum lator, cui eam fidem Majestas tua adjunget qua dignum esse jamdiu novit. Servet te Dominus Deus cum serenissima conjuge ac prole. In civitate hac Hispali, xv Martii 1574, scribebat infimus Majestatis tuæ subditus ac servus, Fr. Franciscus de Vargas, Ordinis Prædicatorum.

§ XXXIII. Fundat Sanctonum virginum suarum monasterium Segoviæ; Pastranense vero dissolvit. Donis supernaturalibus Segoviæ claret. Inde Abulam revertitur.

E

Licentia fundandi Segoviæ monasterii

Sequitur *jam ex ordine temporis Segoviensis monialium cœnobii fundatio.* Jam supra commemoravi, *dicit Sancta Fundationum capite* XXI, me, postquam Salmanticensem et Albanam domus fundassem et antequam Salmanticæ moniales ædes proprias haberent, a P. Petro Hernandez, qui ea tempestate commissarium apostolicum agebat, triennio in Incarnationis monasterio Abulæ commorari jussam; item quomodo me idem, visa Salmanticensium monialium necessitate, Salmanticam ablegarit, ut propriam illis domum compararem. Ibi cum agerem, mihi inter orandum Dominus ait Segoviam ut concederem, novum ibidem monasterium conditura. Hoc mihi fieri penitus non posse videbatur, quod superiorum injussu illinc me nefas esset discedere, et quod commissarius apostolicus Petrus Hernandez tum quidem alia fundari per me domicilia non æquo animo pateretur. Neque vero id ipsa sine ratione ab eo mihi negandum arbitrabar, quod condictum quo in Incarnationis agere me oportebat, nondum exspirasset. Hæc agitanti rursus mihi Dominus significavit ut facultatem ab Hernandezio exigerem; hanc enim ab eo hauddubie concedendam. Salmanticæ tum temporis agebam, unde misso epistolio paucis hoc illi perscripsi, cum amplissima mihi jam olim a Reverendissimo Patre nostro Generali facta esset ad ubivis locorum, si quando daretur occasio, cœnobia constituenda potestas, et jam commoda alicujus in civitate Segoviensi excitandi sese offerret opportunitas, quod loci episcopus (*Didacus de Covarruvias*) simul et respublica ab eo fundando non abhorrerent, non posse me hoc illi non significare, ut quidem meæ ipsius conscientiæ paci privatim consulerem; iis vero quæ ipse statueret, me paratam acquiescere, atque ita securam et quietam me fore.

F

rite obtenta,

589 Hæc ipsissima epistolæ fuere verba, nihil illis addendo nec demendo : adjungebam præterea id mihi videri ad Dei obsequium mirifice futurum. Facile videre fuit Majestatem illius id velle : etenim ipse, lectis litteris, plenam mihi rei perficiendæ potestatem dedit. Movit inopinatus hic illius assensus mihi stuporem, quod longe secus sentientem haud multo ante simili in eventu eum perspexissem. Quocirca jam inde Salmantica curavi domum ut amici mihi conducerent. Etenim post Toletanæ et Vallisoletanæ

A Vallisoletanæ domorum fundationem didiceram longe esse satius, nonnisi adita jam possessione, domum propriam conquirere; idque multis de causis, quarum ea sane præcipua erat quod domibus emendis obolum non haberem; possessione vero jam capta et sede fundata, Dominus mox de pecunia necessaria prospiceret; præterea quod tum melius sitas et commodiores per otium conquirere liceret.

ac domo ibi conducta,

590 Agebat tum Segoviæ honesta quædam fœmina, Anna de Ximena cognominata, quæ olim viri majoratum habentis uxor fuerat. Hæc Abulam semel ad me visitandam excurrit; eratque Dei servitio et cultui addictissima, ejusque vocatio semper fuerat religiosam vitam profiteri. Unde, cum hocce cœnobium erigeretur, ipsa simul et filia, quæ semper piam sanctamque duxerat vitam, ei nomina dederunt. Quam vero et in conjugali et in viduali vita senserat molestiam et tædium, illi Dominus eo quod ex religiosa postea percepit gaudio, duplicato rependit; et mater simul et filia semper admodum recollectæ et insignes Dei ancillæ fuerant. Ipsa ergo domum nobis conduxit, et rebus omnibus necessariis illam instruxit et apparatu domestico, nec non
B suam sacrario supellectilem comparavit : unde mihi nullatenus hic laborandum fuit. At, ne qua sine labore et molestia fundatio perageretur, ut taceam me tum vehementissimæ febris ardoribus divexatam fuisse, et stomacho imbecilliore aliisque insuper malis languisse, incredibili anima tum ariditate et spissa caligine laborabat, accedentibus adhæc plurimis corporis doloribus, quorum vehementia ad trimestre pene duravit. Quin etiam per annum medium, quo illic egi, numquam deinde commoda usa sum valetudine.

Sancta Albam primum petit,

591 *Iter arripuit S. Mater cum Quiteria, moniali Calceata, et duabus Excalceatis Segovia oriundis, nempe Isabella a Jesu, Annæ Ximeniæ cognata, ac Maria a Jesu, initio anni* 1574; *et Albam primum devenit : ubi* VIII *Februarii, teste P. Antonio a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 62, *not.* 4), *transcriptum librorum suorum exemplar appositione nominis sui firmavit; ac duos dies illa vice egisse videtur apud ducissam Albanam, prouti ipsa refert in Castello animæ, Mansione* VI, *capite* IV : Credite, *inquiens,* vos in regis alicujus aut potentis principis conclave rebus pretiosis asservandis accommodatum intrare, ubi infinita vasorum vitreorum et figlinorum ge-
C nera aliaque multa eorum cimelia asservantur, eo ordine reposita ut intrantibus pene simul omnia in oculos incurrant. Semel in aula ducissæ Albanæ (ad quam, dum in via essem, obedientia ad biduum me divertere ob importunas illius preces jussit) talem in locum introducta fui. Hunc ergo ingrediens, maximopere obstupui, cœpique mecum considerare quorsum et ad quid hæc tanta rerum vanarum copia faceret. Intellexi vero insignem Dei laudandi materiam esse posse tantam rerum diversitatem et copiam intueri; et nunc gaudeo ac mihi gratulor quod hoc loco ad propositum meum faciat. Quamvis autem satis diu illo in loco hæserim, tamen tam multa ibi aspectanda occurrebant ut omnium statim oblita fuerim, adeo quidem ut non major rerum illarum mihi manserit memoria quam si numquam eas vidissem, neque dicere possem quæ earum esset forma, sed tantum meminerim in genere illas me aliquando vidisse, *etc.*

et inde

592 *Habemus duas Sanctæ epistolas Albæ hac occasione scriptas : alteram ad episcopum Abulensem de variis negotiis* (*tom. IV, epist.* 6), *alteram qua certiorem de suo adventu fecit Annam ab Incarnatione, priorissam Salmanticensem, adjecto munusculo ad conventum PP. Prædicatorum portando, de quo sic non illepide scribebat :* Truta hæc, quam
D hodie ducissa ad me misit, tam bona mihi visa fuit ut eam Patri isti meo Bartholomæo de Medina destinarim. Quam si acceperis circa comestionis horam, illico Michaeli cum litteris hisce ad PP. Prædicatorum cœnobium ferendam da; sin tardius advenerit, ne tamen mittere differas, ut videas num Pater ille forte velit aliquot ad me lineas scribere (*tom. III, epist.* 62). *Nempe P. Medina, clarus sacræ theologiæ in academia Salmanticensi professor, posteaquam S.* Teresiam, *quam eatenus parvi fecerat, generaliter confitentem et alias sibi loquentem audisset, in tanto pretio eam cœperat habere ut ejus nomen nunquam pronuntiaret sine adjecta sanctitatis nota, et semel Ven. Annam a Jesu graviter carpserit quod simplici appellatione* Mater Teresia *dixisset, et non potius* Mater nostra Fundatrix : *vicissimque ipsum, teste eadem Ven. Dei Serva, S. Mater plurimum diligebat ejusque consuetudinem valde desiderabat.*

Methymnam, Abulam, ac demum Segoviam; ubi fundationem,

593 *Porro, secundum relationem quam de itinere Segoviensi fecit Isabella a Jesu, ut refert P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 62, *not.* 3), *S. Fundatrix, adlecta ad tres priores socias Guiomara a Jesu, ex Albano suo conventu Methymnam Campestrem, et hinc post aliquot dies Abulam tetendit : ubi postquam Quiteriam in monasterium Incarnationis reduxisset et e S. Josephi assumpsisset Isabellam a S. Paulo, Francisci Cepedii patruelis sui filiam, Segoviam cum hac et tribus aliis comitibus modo nominatis intravit* XVIII *Martii* 1574. *Dico* 1574, *tum quia id suadet ordo epistolarum S.* Teresiæ, *tum ob alias rationes peremptorias allegatas ab auctore Chronici* (*lib.* III, *c.* XXVII, *num.* 4) *adversus Riberam, Yepesium et primos editores Bruxellenses, Cæsaraugustanos et Antverpienses operum Teresianorum, qui omnes scribunt* 1573. *Nempe primo, auctor Chronici anno* 1641 *suis ipsemet oculis inspexit in regia Escurialis bibliotheca ipsum Sanctæ autographum, in quo asserit notatum esse* 1574. *Secundo, eumdem annum habent P. Angelus Manrique in Vita jam sæpe citata Ven. Annæ a Jesu, P. Michael Baptista de la Nuza in Vita Isabellæ a S. Dominico, et Didacus de Colmenares in Historia civitatis Segoviensis. Tertio, ipse Ribera refert moniales e dissoluto post mortem Roderici Gomez* (*quomodo mox narrabo*) *conventu Pastranensi in Segoviensem jam fundatum advenisse tertia vel quarta* F *feria Hebdomadæ Majoris : jam vero si id anno* 1573 *factum esset, venissent Segoviam non post fundationem, sed pridie vel biduo ante eam; imo venissent tertio mense ante obitum Gomezii, quod est manifeste falsum. Adde ab ipso Ribera dici* (*lib.* IV, *c.* X) *ægrotam* Teresiam *Segoviæ lecto incubuisse Hebdomade Sancta.* Ipso S. Josephi die, *prosequitur Sancta,* SS. Sacramentum huc intulimus. Etenim, licet episcopi facultatem et magistratus assensum jam impetrassem, nolui tamen nisi ejus diei pervigilio clanculo circa vesperam domum adire. Jam abhinc multo tempore hæc mihi facultas data erat; sed, quod in Incarnationis conventu agerem, et jam alium superiorem haberem, quam Patrem nostrum Generalem, fundationem hanc peragere non potueram : adhæc ab episcopo, qui Ecclesiæ Segoviensi tum præerat cum id civitas volebat, licentiam nonnisi oretenus acceperam, procurante honesto equite Segoviensi Andrea Ximenio, qui de illa in scriptis habenda parum laborabat; neque etiam mihi talis magnopere necessaria videbatur : sed decepta sum. Ut enim episcopi vicarius intellexit jam monasterium fundatum esse, acri cruciatus ira illuc

AUCTORE V. D. M.

advenit, Sacrum ulterius celebrari vetuit, eumque qui jam celebrarat, in carcerem compingere voluit, Fratrem, inquam, quemdam Excalceatum (*nempe S. Joannem a Cruce*), qui una cum P. Juliano de Avila et alio Dei famulo qui me comitabatur, Antonio Gaitano dicto, illuc venerat.

juvantibus Antonio Gaitan et Juliano de Avila,

594 Erat Gaitanus Albæ equestri genere ortus, ipsumque jam abhinc annis aliquot Dominus a mundi vanitatibus, quibus olim satis immersus erat, avocarat. Has porro ipse ita jam pessumdederat et proculcarat, ut aliud quam quomodo Domino magis placeret et obsequeretur, jam non spectaret. Idcirco autem hæc de illo referre volui, quod in iis quæ sequentur fundationibus aliquoties illius facienda erit mentio, quoniam insignem in iisdem mihi operam præstitit et impigre laboravit; cujus virtutum si hic texere catalogum et seriem vellem, non tam cito possem absolvere : quæ vero hic nobis maxime necessaria erat, est quod ita sit mortificatus, ut famulorum qui nos comitabantur, nullus ita suo officio in obsequendo et laborando in iis quæ opus erant, fungatur, atque ipse. Orationi vero mire deditus est, et tot ei Dominus gratias præstitit, ut, quidquid aliis molestum et laboriosum videretur, illi placeat, arrideat et facile sit. Talis est omnis labor et molestia quam in hisce fundationibus suscipit, adeo ut tam hunc quam P. Julianum de Avila, ad has peragendas Dominus singillatim delegisse videatur; quamquam suam Julianus jam inde a primi monasterii initio operam navarit. Horum comitum pietati et sinceritati adscribendum videtur quod omnia mihi bene succedere Deus voluerit. Sermones per viam habebant de rebus divinis, aut eos qui nostro in comitatu erant aut in itinere occurrebant, edocebant; adeo ut per omnia divinæ Majestati famularentur. Quare par est, carissimæ, eam quæ fundationum harum historiam legerit, agnoscere et scire quam iis multum debeat; ut, cum sine ullo commodo suo tantum in hoc bono quo vos jam fruimini, quod hisce in monasteriis agatis, laboris susceperint, eos Deo in orationibus commendetis, et aliquam saltem e precibus vestris ipsi utilitatem accipiant. Sane si nossetis quam multas noctes et dies laboriosas habuerint, quæ per viam passi sint incommoda et difficultates, credo equidem libentissime id vos facturas.

non sine obstaculis perficit.

595 Vicarius ergo, priusquam templo nostro excederet, lictorem, nescio qua de causa, ad ejus aditum constituit. Terrorem id, fateor, aliquem incussit illic præsentibus; at me nihil, quodcumque demum post captam jam possessionem accideret, omnino turbabat : si quid timebam, id erat antequam caperetur possessio. Itaque monialis cujusdam, quam forte mecum duxeram, consanguineos, primarios civitatis illius, evocavi, ut cum vicario agerent, eique significarent me ad hoc faciendum ab episcopo facultatem accepisse. Is hoc non ignorabat, uti postea ipsemet dixit, sed ægre ferebat quod illum rei hujus certiorem et participem non fecissemus; quod certe, meo judicio, pejus longe fuisset. Tandem consensit, Sacrorum dicendorum potestatem dans : at Sanctissimi Sacramenti custodiam negavit; id quod patienter ferebamus.

Dein moniales Pastranenses,

596 *Quamprimum* Teresia *nostra obicem præcipuum sic removerat, Pastranam ablegavit Julianum de Avila et Antonium Gaitan, qui inde Segoviam moniales abducerent. Consilio huic causam dedit, uti ipsa breviter narravit supra* (*num.* 494), *agendi ratio principissæ Ebolensis, inconsiderata primum, dein etiam iniqua. Nimirum princeps Rodericus Gomez, rite ad mortem præparatus a PP. Balthasare a Jesu et Mariano* (*fuerat hic haud diu ante Sacerdotio initiatus*), *pie in Domino obdormierat Madriti die* XXIX *Julii* 1573. *Casum hunc immoderate dolens vidua ejus, arripit temere consilium monasticæ vitæ in conventu a se fundato amplectendæ. Ergo induta sibi, quam Marianus non satis prudens dederat, veste Carmelitica, omissisque, quas curare debuisset, rebus domesticis, Madrito Pastranam cum matre sua avehitur. Nobiles matronas præiverat horis aliquot P. Balthasar a Jesu, ac secunda noctis hora de earum adventu præmonitum venit Isabellam a S. Dominico priorissam. Obstupescens illa audito nuntio :* Ergone, *ait,* ducissa erit monialis? Domum perditam puto. *Quam recte fuerit hoc dictum, eventus ostendit.*

a Roderici Gomezii vidua

597 *Adventantem cum matre Mendoziam hora octava honorifice recepit Isabella : vesti a P. Mariano datæ alteram substituit nitidiorem : duas principissæ pedisequas in ipso locutorio novitiatui adscripsit rogatu hujus vel potius jussu; nam vix Isabellæ licuit priorem consulere, quod diceret principissa suo conventui nihil rei esse cum Fratribus illis. Posthæc, paratas sibi ac matri in conclavi separato carnes respuens, communi mensæ in refectorio levis ingenii fœmina accumbere voluit; atque ibi, non loco sibi prope priorissam parato, sed quodam ex infimis usa est, non tam animi demissione quam obstinatione. Demum sejunctam a monialium cubiculis habitationem, in quam sæculares admittere posset, dum simul ostium haberet ad claustra regularia, quoticscunque liberet, ingredienda, admittere se velle tum priorissæ tum ipsi matri suæ negavit. Hæ primæ diei miseriæ. Postridie, solutis Roderico exequiis, cum ad visendam principissam viduam venisset cum magnatibus pluribus episcopus Segoviensis, portæ conventus, violata lege claustraria ac frustra obnitente priorissa, non dominis tantum patuere, sed famulorum quoque ingenti catervæ : ad hæc exigere Mendozia cœpit ut secum habitare sinerentur duæ ancillæ sæculares.*

male habitas,

598 *Hæc edocta per Isabellæ litteras* Teresia, *viduam turbulentam solita sua discretione scripto monuit : monuerunt item priorissa ac duæ ex antiquissimis monialium dissolvendum fore* Teresiæ *auctoritate cœnobium in quo virginibus Deo sacris integrum jam non esset suis vivere legibus. Ægre monitiones, licet suavissimas, tulit mulier : transiit e conventu in eremitorium horto inædificatum, ubi sæcularium colloquio liberius frui posset; subtraxitque egenis Dei famulabus destinatam conventui e defuncti mariti voluntate eleemosynam. Contigit autem per id tempus Pastranam venire Ven. Catharinam de Cardona; quam narrant Mendoziæ, Officio nocturno Epiphaniæ in choro interesse cupienti, dixisse :* Vide, principissa, ne isto tuo agendi modo Deum irrites : monialium Matutinis assistenti mihi visendos se dedere mixti illis Angeli, strictis ad illas defendendum gladiis. *Hoc audito, timens aliquantum principissa ex eremitorio suo se recepit in domum sæcularem vicinam, retento adhuc monastico vestimento, sed rupto omni commercio cum monialibus : quas nihilominus ex eo tempore, maxime quando non diu post ad pristinas vestes ac palatium suum redierat, adeo molestare perrexit ut S.* Teresia, *priusquam Salmanticam linqueret, scripserit ad P. Dominicum Bañez :* Pastranenses nostræ, etsi in domum suam principissa revertit, tanquam captivæ vivunt; ut adeo prior Atochensis (*erat is P. Ferdinandus del Castillo*), quando nuper illic fuit, haud sit ausus eas visere. Nunc etiam cum Fratribus nostris habet illa simultatem. Non mihi videtur ea servitus diutius subeunda (*tom. II, epist.* 14).

599 *Levamentum*

diss luto earum cœnobio,

A 599 *Levamentum rebus tantopere afflictis afferendum erat. Quare, consulto P. Angelo de Salazar provinciali, necnon e Dominicana familia PP. Petro Hernandez, Dominico Bañez ac Ferdinando del Castillo, statuit S. Mater aliquem Pastranam mittere qui principissam supplex rogaret ne necessario victu fraudatum ultra vellet conventum. Subiit ingratam missionem P. Ferdinandus del Castillo, magni vir nominis et Philippo II regi percarus; sed repulsam tulit et injurias. Non gessit felicius rem provincialis Salazarius, visitatoris Hernandezii auctoritate eodem directus : quippe principissa, ægrotam se simulans, ne alloquio quidem virum dignata est. Sic nequicquam tentatis ad pacem componendam viis, ictu efficaci nodum solvendum rata, S. Fundatrix Juliano de Avila et Antonio Gaitan, amicissimis viris, curam commendavit adducendi Segoviam quotquot erant Pastranæ moniales.*

Segoviam abducendas curat;

B 600 *Prœmonita de eo quod futurum erat, atque ad profectionem se suasque parans, Isabella a S. Dominico, ut erat apprime sagax, suppellectilem olim ab Anna Mendozia monialibus datam apud vici prætorem deposuit cum accurato catalogo; curavitque super hac resignatione conficiendum a scriba publico chirographum coram prætore eodem ac P. Gabriele ab Assumptione, qui tum Carmelitas Pastranenses vicaria potestate pro absente priore moderabatur. His ita actis, reliquæ monasterii reculæ vehiculis imponuntur; ac, frendente principissa et abitum jam vi impedire conante quem antea provocarat, media nocte Isabella cum virginibus suis Pastranam linquit, ducibus Juliano, Antonio ac P. Gabriele. Factum iter summa cum decentia ac religione, seu, ut verbo dicam, more vere Teresiano. Dum autem vehicula fluvium quemdam transmittuntur, in præsens vitæ discrimen incidunt viatrices : at divina ope ex eodem eripiuntur, tum suis, tum Segoviensium sororum, tum maxime S.* Teresiæ *precibus. Hæc enim, casum eodem momento quo accideret, cœlitus docta, virgines quæ Segoviæ apud se erant, anxio vultu hortata fuerat ut Pastranenses suas periclitantes Deo commendarent. Quas demum adventantes* V *vel* VI *Aprilis in sinu complexuque materno recepit; et Isabellam a S. Dominico munere prioratus, quo Pastranæ tam sapienter functa fuerat, Segoviæ statim honestavit.*

nec imposterum nobiles feminas

C 601 Casu illo aliisque similibus compertum S. Mater habuit, *ait Yepes* (*lib.* II, *cap.* XXI), non esse e facili recipiendas optimates matronas : quæ, cum suis in ædibus consueverint mandata aliis dare, obedientiæ se tarde accommodant; nec fere non semper quasdam capessunt libertates ac privilegia claustri legibus et humilitati nociva. Unde, cum ego aliquando ad illam scripsissem ut primariam quamdam ex his regnis fœminam, maturæ ætatis, opibus ac clientium numero conspicuam, inter Carmelitanas admitteret (egerat namque mecum matrona illa de amplectendo Teresiano Instituto, ac rogaverat ut pro se Sanctam de colloquio postularem; quare, multa cum commendatione scribens de ejus dotibus et bono ingenio et magnis Deo serviendi desideriis, maximam me a Sancta inire gratiam putabam qui tam bonam ei procurarem monialem), responsum ad me dedit summæ sibi esse voluptati animum hunc meum et curam qua Ordini suo promovendo ac omni ope juvando insisterem : attamen petere se ut aliis potius rebus sibi gratificarer quam offerendo matronas; quæ, uti suam semper facere voluntatem didicerunt, non aliud quam detrimentum monasteriis sint allaturæ. Quoniam autem vix repereris regulam, quantumvis generalem, quæ non admittat exceptionem, S. Mater aliis occasionibus, dum nempe perspectas habebat talium personarum dotes, virtutes et præ cæteris humilitatem, perlibenter eas in suum Ordinem recipiebat : uti enim damno sunt eæ quæ non ita bene proficiunt, sic prodesse communitati ac speculo exemploque cæteris esse solent illæ quæ, pristinorum oblitæ honorum, obsequio ac servituti Jesu Christi se penitus mancipare student; id quod in multis experientia ostendit.

AUCTORE V. D. M. ¶)

nisi cum delectu admittit.

602 *Pro specimine exceptionis hac ultima episcopi Turiasonensis phrasi indicatæ esse potest S.* Teresiæ *affectus in Casildam de Padilla, filiam et hæredem summi Castellæ præfecti, quæ ineunte hoc ipso anno* 1574 *in Vallisoletanum monasterium se duodennis abdidit, prout late narrat Sancta capite* XI *Fundationum; dein, victis heroica constantia obstaculis plurimis, vota religiosa ibidem nuncupavit anno* 1577 : *quadriennio autem post, nescio quam ob causam, a Carmelitanis vi Indulti apostolici ad Franciscanas transiit in Burgense S. Ludovici cœnobium. Sæpius de Casilda sua tenerrime loquitur S. Fundatrix in suis ad diversas personas epistolis : dat quoque P. Ludovicus de Ponte litteras a P. Balthasare Alvarez ad Casildam scriptas kalendis Augusti* 1574 (*Vitæ P. Balth. Alvarez, cap.* XXXIV, § II). *Consanguinitate aliqua Casildam contingebat Beatrix Oñez sive ab Incarnatione; quæ omnium Teresianarum Excalceatarum prima ad cœlos abiit e Vallisoletano conventu die* V *Maji* 1573, *ut habet auctor Chronici* (*lib.* III, *c.* XIX, *num.* 9) *e nota formulæ professionis Beatricis adscripta, vel* 1574, *ut ex epistola quadam S.* Teresiæ *ad priorissam Vallisoletanam, diebus* XIII *et* XIV *Maji scripta* (*tom. III, epist.* 59), *ostendere nititur P. Antonius a S. Josepho. Elogium Beatricis Teresiano claboratum calamo habes capite* XII *libri Fundationum, uti suo loco annotavi* (*num.* 432).

S. Mater Isabellæ ab Angelis

603 *Hoc ipso anno* 1574 *obiit Isabella ab Angelis* (*tom. IV, epist.* 62); *quæ anno* 1569 *Methymnæ Campi monasticam vitam felicibus exorsa auspiciis, uti Sancta scribebat* XVIII *Octobris* 1569 *ad patruum ejus Simonem Ruiz* (*tom. IV, epist.* 53), *Salmanticæ dein sub directione Ven. Annæ a Jesu, quæ ibi erat subpriorissa, pene quadriennium vixerat. Salmantica proficiscens ad fundationem Segoviensem* Teresia, *Isabellam liquerat intenso corporis dolore et anxiis animi scrupulis ægerrimam. Exinde ad Junium* F *usque mensem declinarat indies in pejus bonæ monialis valetudo, ac tantopere vis morbi vultum ejus immutaverat ut agnosci ab iis ipsis qui quondam optime illam noverant, vix posset. Dies advenerat* XI *Junii, S. Barnabæ sacer, quo die, monialibus cæteris ad Missam euntibus, gravius se habebat Isabella quam unquam ante habuerat. Finito autem Sacro, en tibi quæ anxiæ accurrebant ad ægrotantis cubile sorores, mutatam ejus faciem, micantes oculos ac pristinæ redditos hilaritati non sine stupore conspiciunt.* Benedictus sit Deus, *priorissa exclamat,* quoniam melius valere, soror, videris! Ecquæ ista lætitia est quæ adeo in te elucet? *Ad quam Isabella :* Quia hodie, o Mater, miseriarum harum finis erit, et bonis quæ concupivi, fruitum ibo. *Tum subpriorissa :* Quisnam, *ait,* tibi hoc dixit, quod pro tam certo habes? *Et iterum ægrota :* Quid, Mater subpriorissa, quæris? Illa mihi hoc dixit quæ scire potest. *Hæc locutam cæteræ relinquunt : Anna vero a Jesu sola manens, ulterius sciscitatur undenam habeat illam mortis ea die futuræ præscientiam.*

animam Salmanticæ agenti

604 Ac tum quidem certiorem me fecit (*verba ipsius Annæ sunt apud Manriquium, lib.* II, *cap.* IX) sibi tempore Missæ adstitisse Matrem nostram Teresiam

AUCTORE V. D. M.

resiam a Jesu, benedicentem sibi, blandientem ac vultui suo suavissime palpantem; e cujus ore hæc audisset verba : « Filia mea, ne insanias, nec istis » timoribus indulgeas; sed fiduciam tuam repone » in iis quæ Sponsus tuus fecit et pertulit pro te : » magna enim est gloria quam tibi Deus paravit, » et credo te hodie illa fruituram esse. » Affirmabat autem videri sibi se gloria illa jam frui; atque incredibilem intra se experiri pacem, quasi nunquam bellum gerendum habuisset. In ea animi serenitate totum diem perstitit, usquedum, relictis apud eam duabus tribusve nostrum, cæteræ ad Matutinum abscessimus. Ut autem, absoluto ad horam undecimam cantu, disciplinæ in choro (nam feria sexta erat) initium dederamus, orta est omnibus nobis, nemine commonente, tam vivida præsensio de Isabellæ ad Deum transitu, ut ad primum flagrorum ictum cessaverimus a verberando et cunctæ simul in valetudinarium accurrerimus. Ibi, posito in moribundæ manibus cereo sacro cum Crucifixi imagine, ac nomine Jesu invocato, cœpimus dicere Symbolum apostolicum; cujus illa singulos articulos nobiscum pronuntiavit : simul vero ac ultimum hunc « Vitam æternam » absolvimus, exspiravit et æternam illam vitam adiit. Extemplo autem corpus ejus tanta pulchritudine ac splendore perfundi cœpit ut clare apparuerit rem agi supernaturalem ac cœlestem. Neque id nos tantum vidimus, quæ in conventu hoc eramus moniales, sed plurimi quoque variorum Ordinum religiosi ac sæculares homines, qui defunctæ exequiis interfuerunt. Nempe, quia ob nostram paupertatem aliaque incommoda publice extra claustrum funeranda fuit, tanta concurrit populi turba ut ad protegendum cadaver, dum Officium caneretur, feretro adstare debuerint comes de Fuentes et commendator Paczius. *Hac Ven. Dei Serva sæpe nominata.*

A

B

se per miraculum præsentem sistit :

605 *Eodem die quo Isabella ab Angelis obiit (festo nimirum S. Barnabæ, uti recte habent episcopus Turiasonensis et auctor Chronici, non S. Bartholomæi, uti P. Manriquius notat; nam festum S. Bartholomæi anno* 1574 *non incidit in feriam sextam, sicut S. Barnabæ festum, sed in feriam tertiam), S.* Teresia *Segovia Salmanticam scripsit de duabus rebus quas scire nequibat nisi hic revera præsens fuisset. Ipsa vero hora qua infirmam visitavit, animadversum Segoviæ fuit illam sic esse extra se raptam ut mortuæ similis videretur, et bis terve vocata nihil audiret. Cum autem Sanctam Segovienses suæ super iis quæ dixi, interrogarent, eludebat quæstionem responso ambiguo; verum anno sequenti rem omnem Annæ a Jesu aperte confessa fuit : ostensam sibi a Deo gloriam quam Isabella sua quinque illis annis quos in Religione egerat, promeruisset; et hanc quidem tantam esse quantam aliæ multæ per quinquaginta annos rectissime vivendo vix adipiscantur.*

C

Segoviæ plures revelationes

606 *Non unam hanc Segoviæ habuit Sancta revelationem. Alias plures refert auctor Chronici (lib.* III, *c.* XXX); *e quibus tamen, ne longior sim, unam tantum cæteris insigniorem seligam. Spectat ea ad Joannem Orozco de Covarruvias, episcopi Segoviensis cognatum et ecclesiæ cathedralis tunc temporis canonicum. Hic nempe, mane quodam juxta ecclesiolam Teresiani monasterii transiens, munditia ejus ac religioso ornatu illectus fuerat ad Sanctissimum Missæ Sacrificium in ea offerendum. Expleto Sacrificio, in locutorium advocavit S.* Teresiam; *quæ simul atque illuc intravit :* Scias, *inquit,* Domine, te esse huc a Deo adductum, atque oportere ut mihi succurras : quanquam enim mundanam nobilitatem non magni facio, tamen non omitto æstimare quidquid rationi est congruum. Scias Mariam de Tapia, materteram tuam, mihi cognatam esse; sed potissima ratio est caritas ob quam domum hanc adjuvare debes. *Perculsus his Sanctæ verbis, Orozcius insignem se præbere cæpit monialibus Segoviensibus fautorem, etiam dignatus aliquamdiu capellanum apud ipsas agere. Aliquanto post accidit ut Orozcius, propter gratiam quamdam sibi a rege concessam, patruum episcopum sibi offensum haberet : de qua re cum anxius Sanctam consuleret, hæc jussit illum quieto esse animo; nec enim diuturnam fore episcopi iram, et plurimam a Deo proventuram pro bono opere mercedem : quam prædictionem eventus plane comprobavit. Altera vice ad Orozcium Sancta dixit :* Consideravi hodie mane, Domine Prior, omnes pene amicos meos a Deo provehi ad episcopatum vel archiepiscopatum, ac te quoque eo dignitatis venturum esse. *Nec fefellit dissimulata illa prophetia; siquidem post S.* Teresiæ *mortem Orozcius, nihil tale jam cogitans, Gaditanæ Ecclesiæ infulis insignitus fuit. Constant hæc e quadam ipsius Orozcii epistola ad Generalem Carmelitarum, recognita dein et approbata per legitimos testes in juridicis de S.* Teresia *informationibus.*

D

et visiones habet;

607 *Demum prætereundæ non sunt insignes duæ visiones quas S.* Teresia *hoc anno* 1574 *habuit in templo PP. Prædicatorum Segoviensium, et quarum testem habemus P. Didacum de Yanguas, ejus tunc temporis confessarium. Prior harum visionum ei obtigit ad diem* VII *Augusti, qua die S. Albertum Siculum, Ordinis sui Confessorem, solemni Officio venerantur Carmelitæ. Nempe communicatura S. Mater dextræ suæ adstantem conspexit Salvatorem, sinistræ S. Albertum : post Communionem vero abiens Jesus S. Albertum apud ipsam reliquit, dicens :* Recrea te cum illo. *Ac tum quidem Sanctus, inter alia multa quæ non pervenere ad nostram notitiam, de rebus conventuum Carmelitanorum, tum virorum tum virginum, cum* Teresia *locutus fuit; atque ei persuasit ad bonum successum et incrementum novæ Reformationis expedire ut Excalceati ab Observantibus prorsus secernerentur, propriosque sibi haberent superiores, observationi regulæ primitivæ sedulo invigilaturos. Altera visio incidit in diem* XXX *Septembris, qua ipsa die Segovia Abulam profecta fuit S. Mater. Sed hanc ego hic non narrabo, cum Ribera eam describat ad finem capitis* VII *libri sui* IV *Vitæ Teresianæ; qua descriptione jam usus est Cuperus, noster prædecessor, in Commentario suo prævio ad Vitam S. Dominici (tom. I Augusti, pag.* 474).

E

F

atque illic demum stabili in domo,

608 *Restat ut ea absolvamus quæ ad fundationem Segoviensem proprie pertinent. Scilicet jam supra vidimus Sanctam cum filiabus suis conductitia in domo habitasse, licentia custodiendæ SS. Eucharistiæ privatam.* Ad aliquot menses, *ait ipsa,* isthoc in statu res nostræ fuere, usquedum alias ædes coemimus, et una cum illis magnas in caput nostrum lites accersivimus; et jam ante sat litium cum PP. Franciscanis habueramus ob alias quæ prius in vicinia coemptæ erant ædes. *Nimirum, ut rem ex ordine dicam, Julianus de Avila et Antonius Gaitan oculos pridem in quamdam domum conjecerant; sed hanc tam parum ad monasticos usus accommodatam Sancta censuerat ut scriptis ad Gaitanum, qui Salmanticam abierat, litteris omnino gavisam se testetur quod eam possessor vendere detrectasset (tom. II, epist.* 57). *Dehinc S. Mater de alia domo, sita præcipuo civitatis loco, sibi comparanda sategit (Ibid.); sed ab hoc proposito propter oppositionem vicinorum Patrum Ordinis Minorum desistere debuit, prout paucis abhinc lineis ipsam narrantem audiimus et etiam indicat postrema hac phrasi*

A *phrasi cujusdam epistolæ suæ ad Theotonium de Braganza (qui postea Eborensis archiepiscopus fuit), tunc temporis Salmanticæ morantem :* Mandes velim P. Rectori (*Balthasari Alvarez*) curare nos ut ejus sanationem a Deo petamus, et bene me convenire cum P. Santanderio, at non item cum religiosis vicinis : nam de empta a nobis domo, ad nostrum quidem propositum aptissima, sed aliquanto propius ad ipsos sita, in jus ierunt adversum nos; quæ res quomodo finienda sit, non scio (*tom. I, epist.* 2).

inita cum canonicis pactione,

609 *Denique P. Ludovicus Santander, collegii Segoviensis S. J. rector, domum bene structam, prope illam qua conductitio jure moniales utebantur, pro Sancta coemit a quodam Didaco de Porras* (*tom. III, ep.* 60, *tom. IV, ep.* 3). Verum, *ait ipsa ad finem capitis* XXI *Fundationum,* ob posteriores illas ædes litem nobis moverunt sodales quidam religiosi a Mercede cognominati, nec non capitulum et canonici, quibus emphyteuseos jus in domum illam erat. Quam, o bone Jesu, difficile est cum diversis hominum opinionibus decertare et rem habere! Cum enim rem jam confectam mihi habere videbar, tum alia ex alia difficultas subnascebatur :

B nam satis non erat quæ postulaverant, omnia ipsis concedere, quoniam statim aliud et aliud incommodum afferebant. Hoc ipsum, ita dictum, nihil quidem esse videtur, at id ferre et subire nimis quam multum fuit. Quidam episcopi cognatus, qui in eadem Ecclesia prior et canonicus erat, quidquid poterat, nostri causa faciebat, nec non licentiatus Heredius, insignis Dei famulus. *Instabant namque canonici apud episcopum ne sine reditibus conventum esse sineret; et tam fortiter instabant ut S.* Teresia, *quamtumlibet constans, pene victam se dederit, ac priorissam Vallisoletanam inquirere jusserit* (*tom. III, epist.* 60) *num P. Dominicus Bañez, pro potestate quam acceperat a P. Petro Hernandez visitatore, licentiam largiri posset fundandi cum aliquo reditu monasterii :* Si id possit, *inquit,* det hanc licentiam scripto per manus notarii cui sua jura probaverit; eamque ad me mittat quamprimum pro sua caritate, ni velit me a canonicis prosterni : nam modo domum illam adiissemus, si non obstitissent miseri illi ter mille maravediorum nummi.

moniales suas collocat.

C 610 *Ita mense Julio res se habebat : nihilominus duobus post mensibus aliter pacta fuit; et canonicis factum satis solutione sexcentorum aureorum, operose a S. Fundatrice collectorum* (*tom. I, epist.* 46). *Cætera habes in hac conclusione citati capitis* XXI *Fundationum :* Cum canonicis tandem multo ære persoluto, res feliciter composita est, at non cum Patribus illis de Mercede : ut ergo ad novas illas ædes transiremus, quam occultissime id fieri oportuit. Ubi vero nos jam de facto (etenim uno atque altero ante festum Archangeli Michaelis die migravimus) in illas transiisse compererunt, pecunia accepta, nobiscum pacisci satius et præstabilius judicarunt. Imprimis vero me in hisce difficultatibus cruciabat, quod, cum nonnisi septem mihi octove a præfecturæ Incarnationis triennio exacto dies deessent, Abulam inde me digredi necessario, muneris causa, oporteret. Domino ergo disponente et dirigente, factum ut omnia ita composita et ex voto constituta sint, nulla ut amplius exinde nobis lis fuerit : unde biduo aut triduo post ad Incarnationis cœnobium digressa sum. Sit nomen ejus in perpetuum benedictum, quod tales et tantas mihi numquam non gratias contulit, omnesque illius creaturæ eum laudent et celebrent. Amen.

AUCTORE V. D. M.

D

§ XXXIV. Sancta, prioratu suo in Incarnationis cœnobio abiens, a monialibus S. Josephi in priorissam eligitur. Varia instituit itinera. Decimum virginum suarum cœnobium fundat Veasi.

S. Teresiæ, Abulensi prioratu jam defunctæ,

Sancta, præsens ultimos dies Abulæ, explerat ad VI *Octobris* 1574 *triennem suum in Incarnationis monasterio prioratum; quo postremos tredecim menses, jussa Salmanticæ ac Segoviæ subsistere, absens functa fuerat, per frequentes litteras curam subditis suis impendens. Multæ ex Incarnationis monialibus percupiebant id officium denuo ei deferre; sed renitebatur provincialis, ac ipsa* Teresia *instabat ut*

E *repetere sibi liceret suam S. Josephi domum. Illæ, dolentes optimæ Matris recessum, id saltem ab ea poposcerunt ut nuncuparet quæ suas priorissæ vices obiret. Ergo ad S. Josephi reversa est; ubi sine mora, filiarum suarum suffragiis, illius domus regimen ei fuit commissum. Mox vero accingere se debuit ad iter Vallisoletanum, ut obices removeret quos consanguinei Casildæ de Padilla* (*de qua dixi num.* 602) *ingressui hujus in Ordinem Carmelitanum opponebant; qui quidem labor prospere ex ipsius Sanctæ ac Casildæ voto cessit. Vallisoleto interim S. Mater litteras dedit ad Annam Henriquez e familia marchionum de Alcañizes, continentes singularem laudem PP. Balthasaris Alvarez S. J. et Dominici Bañez Ord. Præd.* (*tom. I, epist.* 12). *Scripsit indidem die* IV *Januarii ad amicum suum Theotonium de Braganza* (*tom. IV, epist.* 4) *de variis negotiis, ac nominatim de quatuor fundationibus tunc temporis sibi propositis : prima Zamoræ, in regno Legionensi; altera Turrigiis, in diœcesi Toletana; tertia incerto loco, oblata a comitissa cujus nomen in epistola non exprimitur; quarta demum Madriti. Quarum cum nulla non haberet sat magnas difficultates sibi annexas, a tribus quidem*

F *prioribus se prorsus alienam* Teresia *ostendit : quartam vero, quam videbat Reformationi suæ utilissimam fore, ita pro tempore rejicit ut tamen ostendat se de ea postmodum adhuc cogitaturam; prout ipsam revera fecisse, et quidem ad mortem usque, in decursu hujus Commentarii demonstrabimus.*

offertur in oppido Veaso

612 *Profecta Vallisoleto S. Mater ante diem octavam Epiphaniæ Methymnam Campestrem attigit; qua die, præsente etiam Yepesio, Hieronyma de Quiroga, de qua alias jam locutus fui* (*num.* 562), *sæcularem ornatum cum veste Carmelitica ibidem commutavit. Abulam deinde iter Sanctæ fuit; unde post moram brevissimam, Toleto et Malagone transiens, Veasum denique profecta fuit novæ fundationis inchoandæ ergo* (*tom. IV, epist.* 4, *not.* 22), *quam ita capite* XXII *describere incipit :* Eo ipso tempore quo (sicut supra commemoravi) e monasterio Incarnationis Salmanticam proficisci jussa fui, me ibidem versantem honesta quædam matrona Veasensis, misso nuntio, nec non litteris, quas parochi aliorumque conscripserat nomine, invitavit, ut illo in oppido cœnobium conditum venirem, et de domo emenda minime laborarem; etenim ipsam se jam pa-

AUCTORE V. D. M.

ratam habere, ut sola, omnibus dispositis, monialium quæ ipsam incolerent, requireretur præsentia. Ergo nuntium de oppidi situ, commodis et incolis sum percontata : qui multa mihi ejusdem bona commemoravit, nec injuria; est namque locus amœnus, salubris et cœli satis temperati. Sed cum viderem quantum inter illum et Salmanticam esset intervallum, stultum mihi videbatur de ea fundatione cogitare : atque imprimis quod commissarium apostolicum (qui novæ hujusmodi cœnobiorum fundationi, si non adversaretur, saltem non favebat) assensum ad illam præbere oporteret.

ad monasticos usus parata domus

613 Quare initio decrevi, illo non monito, dicere me in præsens nequaquam illam posse fundationem admittere. At postea mihi visa sum (quod is ipse Salmanticæ tunc versaretur) male factura, si illo inconsulto et non monito rem hanc non susciperem, cum a Rev. P. N. Generali mihi esset injunctum nullam, quæcumque se offerret, fundationem repudiare. Ipse ergo, his litteris visis, nefas mihi dixit videri piorum illorum virorum, quorum se pietate ac benignitate mirifice asserebat recreatum, desiderio non satisfacere nec morem gerere; quare, missis Veasum litteris, illis significarem fore ut fundationi, accepta ab Ordinario per ipsos potestate, prospiceretur. Verum addebat, indubitate crederem hanc ipsam minime ab illis obtinendam : quia enim id equitum S. Jacobi oppidum esset, aliunde constare sibi id genus facultates, ne multorum quidem spatio annorum, ab aliis simili in casu impetrari potuisse : attamen illis per litteras meas spem omnem non adimerem. Interdum hoc ipsa mecum perpendo, et quomodo id quod Dominus fieri vult (esto id ipsi etiam nolimus) ad exitum deducatur et perficiatur, ut, etiam ignari et nescientes, in illius manu simus tanquam instrumenta; sicuti hac in re R. P. Petrus Hernandez, qui commissarius erat, instrumentum fuit : unde ipse, equitum pace ac potestate jam impetrata, eam a parte sua denegare minime potuit, quominus hac ratione res perageretur. Hoc Veasense cœnobium, in honorem S. Josephi, in festo Apostoli Matthiæ anno Domini MDLXXV fundatum est. Hæc autem ejus fuere principia et initia, ad laudem et gloriam Dei. *Dein fuse describit Sancta mirabilem Dei providentiam, quæ duas sorores, Sancii Rodriguez de Sandoval filias, eo deduxit ut illam fundationem promoverent, simulque monialium habitum in ea domo induerent. Hæc cum prolixiora sint neque ad Sanctam proxime spectent, malim lectorem ad ipsum Fundationum Teresianarum librum remittere quam a meo proposito longa hac narratione exspatiari.*

Illuc igitur Sancta, post editam Almodovari prophetiam,

614 *Eunti Veasum S. Matri iter erat per Almodovar del Campo, quo in loco non diu post PP. Carmelitarum Excalceatorum cœnobium excitatum fuit. Hospitata ibi est apud Marcum Garcia et Isabellam Lopez, piissimos conjuges, parentes B. Joannis Baptistæ Lopez seu a Conceptione, Reformatoris Ordinis SS. Trinitatis, a Pio VII, Pontifice Maximo, Beatorum fastis adscripti anno* 1819. *En quid Antonius Lopez, ipsius Beati frater, in informationibus juridicis pro ejus beatificatione jurejurando affirmarit : Bis in domo parentum suorum diversatam fuisse S.* Teresiam; *et quadam die Marci Garciæ liberos, qui octo erant numero, omnes simul coram ea stetisse. Quos cum, sublato a facie velo, singillatim fuisset intuita, earum genitrici dixisse :* Domina, inter octo istos unum habes ad magnam sanctitatem perventurum, multarumque futurum adjutorem animarum, ac Reformationis insignis, uti tempus ostendet, auctorem. *Dein, manu dextra humerum ipsius testis Antonii contrectasse, atque his usam fuisse ad eum verbis :* Sanctule, considera multa tibi patientia opus fore, quoniam maximos in hac lacrymarum valle ictus ferendos habebis : quid mihi respondes? *Cui cum reposuisset testis :* Quantam potero, patientiam habebo; *iterum* Teresiam *dixisse :* Attende magnos esse qui futuri sunt ictus : quid mihi respondes? *ac tum addidisse verba hæc, primo intuitu non ita perspicua :* Tempus docebit unum ex octo liberis qui hic stant, quinto post mortem suam anno talem futurum esse qualis ante fuerit. *Hæ autem tres prædictiones ad amussim impletæ fuerunt : Joannes Baptista Ordinem SS. Trinitatis feliciter reformavit (uti videre est apud P. Helyot, Hist. Ord. relig. parte* II, *cap.* XLVIII, *et prolixius in prima parte Chronic. Discalc. Ord. SS. Trinitatis, auctore P. Floriano a S. Josepho, Bohemo); Antonius, prout ipse testatus est, plurimas pertulit in vita sua ærumnas; corpus vero unius ex utriusque sororibus quinquennio post ejus mortem prorsus integrum repertum fuit. Hæc auctor Chronici (lib.* III, *cap.* XXXIII), *qui etiam e jurato testimonio Ven. Annæ a Jesu sequens factum refert.*

per viam a S. Josepho ostensam devehitur.

615 *Ex Almodovar del Campo profectæ S.* Teresiæ *superandi erant montes Mariani. In quibus montibus errore aurigarum a recta via deductus currus tam angusto fragrosoque in gurgite hæsit, ut nec progredi sine periculo posset nec regredi. Quod ubi advertit Sancta, hortata est comites ut secum Deum ac S. Josephum orarent ad obtinendum felicem ex illis angustiis exitum. Vixdum preces inceptæ erant, cum ecce vox, tanquam senis cujusdam venerabilis, omnium auribus insonuit :* Sistite, sistite; nam si pergatis, ex præcipiti devolvemini : *ac sciscitantibus qua eundum esset, facilem planamque viam indicavit. Aurigæ, miraculo attoniti, circumspectant omnem in partem ac discurrunt, ut benefactori, sicubi inveniant, meritas reddant grates; sed nemine viso redeunt : id quod Sancta jam monialibus sibi assidentibus prædixerat :* Non est, *inquiens,* quod eos sinamus disquirere : neque enim virum invenire poterunt; quippe cum alius non fuerit quam Pater meus S. Joseph. *Demum paulo antequam Veasum perventum est, aliud adhuc contigit prodigium. Scilicet cum eo in loco quo transmittendum erat flumen Guadalimar, pons appareret nullus, atque propterea monialibus e curru descendendum esset, ut equorum tergis ad undas permeandas insiderent, hac eas molestia Deus exemit, translato inopinate in adversam fluminis ripam universo comitatu.*

§ XXXV. Fundatio cœnobii virorum Almodovarensis. P. Hieronymi Gratiani cum S. Teresia primus congressus. Undecimum virginum monasterium, Hispali a Sancta erectum.

Fundatur cœnobium virorum Almodovarense.

Die VII *Martii* 1575 *inchoatus fuit, ex licentia R. P. Rubei, Generalis Ord. Carm., novus Excalceatorum conventus in Almodovar del Campo, cum adjuncto onere docendi pueros grammaticam; quo tamen onere, utpote suæ vocationi non satis congruo, post aliquot annos se Patres liberarunt. Hac vero fundatione, quam per transennam indicasse sufficit, notabilius*

A *notabilius est id quod circa finem anni præcedentis* 1574 *tum Romæ tum in Hispania quoad Ordinem Carmeliticum actum legimus. Nempe R. P. Joannes Baptista Rubeus ad diem* XIII *Augusti* 1574 *litteras apostolicas obtinuit a Gregorio XIII, quibus concessa a S. Pio V visitatoribus Hernandezio ac Vargasio in Ordinem Carmeli potestas revocabatur. Harum quidem litterarum publicationem Rubeus distulerat ad generale capitulum Ordinis sui, habendum Placentiæ in Italia mense Majo insequenti; sed rem ita non occultaverat ut non ejus notitia diu ante in Hispaniam perveniret ad aures Nicolai Ormaneti, nuntii apostolici ac Teresianæ Reformationis fautoris.*

P. Gratianus, socius visitatori Vargasio datus.

617 *Hic igitur, ut animadvertit dictis apostolicis litteris sua jura nullatenus restringi, non tantum P. Vargasio suum visitatoris officium, dato die* XXII *Septembris* 1574 *diplomate, restituit; sed ei ad idem officium* in solidum, *ut dicunt, exercendum P. Hieronymum Gratianum socium adjunxit. Atque, ut omnem scrupulum circa hanc rem e sua conscientia certius depelleret, consuluit de mente Summi Pontificis intimum ejus secretarium, Ptolemæum Cardinalem Comensem : qui litteris Romæ datis* XXVII *Decembris respondit mentem Suæ Sanctitatis minime*
B *fuisse quidquam de facultate Ormaneti, qua nuntii et legati a latere, quoad reformationem Ordinum regularium detrahere. Ad hæc quæ dixi facienda stimulos etiam nuntio addiderant Philippus rex Catholicus et egregii quidam ejus consiliarii : videlicet Didacus de Covarruvias, Castellæ præses; Cardinalis de Quiroga, Toletanus archiepiscopus; Ludovicus Manrique et Gabriel de Zayas, quorum alter regi ab eleemosynis erat, alter a secretis; nec non optimus vir Joannes de Padilla, de quo jam facta est mentio* (*num.* 563 *et* 587).

S. Teresiam *Veasi invisit;*

618 *Rebus ita se habentibus, monente amico aut consanguineo* (*ut vult auctor Chronici*) *vel jubente Ormaneto* (*ut habet Boucher*), *Hispali Madritum se recepit post festa Paschalia P. Hieronymus Gratianus; et ex itinere Veasum divertit, videndi ergo S.* Teresiam, *quæ adhucdum eo in oppido facultatem concilii commendatorum Ordinis equestris S. Jacobi præstolabatur ad fundationem Caravacæ auspicandam.* Nondum, *ait ipsa capite* XXIV *Fundationum,* cum Patrem de facie videram, tametsi id summopere hactenus desiderassem; sed invicem aliquoties per litteras allocuti eramus. Ut ergo cognovi eum illic adesse, maximopere sum gavisa; valde enim cum
C videre optabam, quod tam præclara de ipso et salutaria inaudissem, at magis gavisa sum tunc, quando coram cum eo tractare cœpi : ita namque mihi is placuit, ut qui illum apud me dilaudarant, satis adhuc eum perspexisse non viderentur. Cum autem ipsa tum variis afflictionibus et vexationibus oppressa essem, certe, ut illum primum vidi, omne quod illius opera nobis eventurum esset bonum repræsentare mihi Dominus videbatur; adeo ut omnibus illis diebus tantam in animo meo consolationem sentirem, ut me ipsa revera stuperem. Illius commissariatus nonnisi super conventus Andalusiæ tunc quidem extendebatur; at Veasi versantem ad se nuntius apostolicus evocavit, simulque Castellanæ provinciæ Excalceatorum visitatorem esse jussit. Tanto porro spiritus meus tunc exultabat gaudio ut Domino gratiis agendis per dies illos satiari non possem, et aliud quid facere nollem.

arctissimo caritatis vinculo

619 *In eumdem sensum die festo Ascensionis Domini, qui erat* XII *Maji, ad priorissam Malagonensem scribebat :* O Mater mea, quam voluissem hisce diebus mecum fuisses! Scito illos, meo quidem judicio, optimos (sine exaggeratione loquor) vitæ meæ fuisse. Substitit hic dies viginti et amplius P. Mag. Gratianus : quocum quantumvis multum egerim, dico equidem me viri illius merita nondum ex integro percepisse. Lectissimus mihi videtur, nobisque tam utilis ut quemquam eo meliorem ne
D sciremus quidem a Deo poscere. Quare a te cæterisque omnibus orari Dominum velim, hunc ut nobis prælatum donet : in quem, quandoquidem tantam perfectionem cum tanta suavitate conjunctam nuspiam vidi, harum domorum regimen excutere potero. Deus illum sua ducat manu servetque : nihil enim rerum omnium est quod non ejus visioni ac frequenti per hos dies alloquio posthabuerim. Expectabat hoc in loco Marianum; qui ut quam tardissime adveniret, nos optabamus. Depereunt illum Julianus de Avila et cæteri. Concionatur vero admirandum in modum; nec dubito quin, ex quo tu eum vidisti, plurimum profecerit gravibus quos sustinuit laboribus. Porro ita Deus res ordinavit ut ego proxima feria secunda hinc proficiscar, Hispalim, Deo juvante, itineratura; prouti latius ad Fr. Didacum perscripsi. Quippe domus hæc Andalusiæ provinciæ est : cui cum P. Gratianus præsit, huic me subesse inopinato deprehendi, adeoque mihi imperandi jus habuit. Accedit, nobis jam Caravacam ire
E cogitantibus, allatam esse commendatorum licentiam talis tenoris ut nobis non esset acceptabilis: quare visum est negotium Hispalense prius conficiendum (*tom. I, epist.* 49).

AUCTORE V. D. M.

cum ea conjungitur,

620 *De Hispalensi fundatione mox prolixius agentem Sanctam audiemus. Sed prius aliquid dicendum restat de scriptura quadam, quam plicatam et clausam, inscriptis hisce verbis :* Est res animæ et conscientiæ meæ, quam nemo legat, etiamsi obiero, sed detur P. Magistro Gratiano, *post mortem Sanctæ repertam fuisse asserit Andreas del Marmol, regiæ curiæ Madritensis advocatus, vel potius P. Christophorus Marquez Ord. Carm.* (*vide Nic. Antonium, Biblioth. Hisp. nov. tom. I, pag.* 79 *et* 247), *in Vita P. Gratiani impressa Vallisoleti anno* 1619 (*part.* I, *cap.* XVII) : *cujus Vitæ hispanicum quidem exemplar nobis deest; sed hujus defectum aliquatenus supplent tum flandrica versio, quam habemus manuscriptam, tum etiam fragmenta quæ ex ea Vita descripsit P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate* (*tom. III, pag.* 176 *et seqq.*). *En igitur prælaudatæ scripturæ a S.* Teresia *confectæ summam : Mense Aprili* 1575 *Veasum venisse P. Gratianum; et Sanctam, postquam ei aliquoties confessa fuisset, visionem habuisse,* F *in qua videret Jesum stantem medium inter se et Gratianum, ac dextras utriusque manus conjungentem, addita hortatione ut concorditer in omnibus agerent Gratianumque* Teresia *haberet tanquam Dei vicem erga se gerentem : qua visione magnum levamen Sanctæ allatum fuisse, præsertim cum postmodum Salvator adhuc bis sua dicta ei confirmasset : proin ipsam, cum magna animi pace, voto se obstrinxisse ad obediendum Gratiano omnibus in rebus quæ non forent Dei ac superiorum voluntati contrariæ : quod votum* (*cujus etiam exemplar integrum exhibet P. Marquezius*) *dein feria secunda Pentecostes post Sacri auditionem ab ipsa renovatum fuisse Astygis, in sacristia cujusdam eremitorii : ac tum quidem Sanctæ aliquamdiu fuisse luctandum adversus animi repugnantiam, non absimilem illi quam olim in transitu e domo paterna ad monasterium senserat* (*confer hujus nostri Commentarii num.* 79); *sed huic mox successisse magnam fiduciam et liberæ mentis tranquillitatem. Citat quoque P. Marquez* (*part.* I, *cap.* VIII) *sequens P. Gratiani testimonium de primo suo cum S. Matre congressu :* S. Teresiam primum vidi anno 1575; quo tempore, postquam spiritum meum per mensem integrum examinasset,

AUCTORE V. D. M.

examinasset, et ego vicissim ejus agendi rationem perspexissem, ut erat in omnibus obsequentissima, meo jussu fundationes monialium in Andalusia promovit, cum antea nec propositum habuisset nec licentiam fundandi inibi monasteria. Tum quoque cœlitus ei facta est de me revelatio. A

eamque Hispalim ire jubet.

621 *Sequitur nunc Sanctæ narratio de sua Hispalim profectione et adventu.* Hoc ipso, *ait,* tempore submissa fuit facultas ad novum Caravacæ conventum fundandum, sed longe alia quam ad meum propositum et intentum necessaria erat; unde de novo nuntius ad regiam mittendus fuit. Grave mihi ac tædiosum cumprimis erat tanto illic tempore exspectare; unde in Castellam redire constitui; jam tum enim fundatricibus scripseram, nullatenus eum, nisi certa quædam conditio, quæ facultati deerat, concederetur, fundandum. Unde denuo ad aulam mitti nuntium oportuit. Quod autem P. Hieronymus Gratianus, cui monasterium illud jam tum subjectum erat, cum totius provinciæ Andalusiæ commissarius esset, ibi tunc versaretur, nihil sine ejus voluntate fieri aut decerni poterat: unde rem totam cum eo communicavi. Illi porro videbatur fore ut, si semel inde B discedere et abire me contingeret, fundatio Caravacensis penitus concideret; adhæc non parum ad Dei gloriam futurum, si Hispali conventus quidam constitueretur: quod ei haud difficile futurum videbatur, eo quod quidam auctoritate pollentes et opibus, etiam domum statim consignare parati, hoc ipsum ab illo petiissent. Adhæc, quod archiepiscopus singulari Ordinem hunc studio complectebatur, rem longe gratissimam illi sese facturum hac ratione existimabat. Unde statutum est ut cum priorissa et monialibus quas Caravacensi sedi destinaveram, Hispalim concederem, tametsi animo a conventibus in Andalusia fundandis, varias ob causas, semper fuerim alieniore. Imo vero, si, cum essem Veasi, prius oppidum illud in Andalusia esse intellexissem, minime illuc concessissem: illud autem me decepit, quod, quamvis oppidum et ager Andalusii juris non sit, quod non nisi quatuor aut quinque inde leucis initium habet, ab illo tamen ipsa provincia dependeat. Ut tamen vidi superiorem hujus animi esse, illico ejusdem judicio sententiæque acquievi (hanc namque mihi Dominus gratiam facit, ut superiores semper et in omnibus bene mandare et ratione niti censeam); tametsi aliam C fundationem jam molirer, et rationes prægnantissimas haberem quominus Hispalim adire vellem. *Huc spectant quæ Ribera inter insignia S. Matris obedientiæ specimina annotavit in sua Vita Teresiana, lib.* IV, *cap* XI; *sed humillima Virgo quidquid sibi laudi est, studiose quantum potuit, reticet.*

Iter Sancta arripit

622 Statim ergo, *pergit illa,* omnia quæ ad iter hoc necessaria erant, præparari cœpere, quoniam æstivi calores ingruebant, et jam Pater commissarius apostolicus Gratianus ad nuntium abierat. Cum solitis comitibus meis, P. Juliano de Avila, Antonio Gaitano ac fratre quodam Excalceato, et aliquot monialibus, Hispalim contendi. Curru vehebamur prorsus tectæ; hæc namque erat nostra per vias incedendi consuetudo: cum vero in hospitium venissemus, cubiculum aliquod, commodum vel incommodum, occupabamus, et ad ejus januam sororem collocabamus, quæ quibus opus habebamus, intro ferebat; imo vero nec illi qui nos comitabantur, illuc ingrediebantur. Omni qua potuimus festinatione usi, Hispalim feria quinta ante Dominicam SS. Trinitatis appulimus, cum intensos per viam æstus et calores sensissemus. Nam, quamquam meridie ab itinere abstinebamus, dico vobis, carissimæ, quod, cum sol radiis suis currus ita in- D tense et jugiter feriret, in illis quasi in purgatorio agere videbamur.

cum sex monialibus.

623 Subinde de inferno cogitabant, subinde ex amore Dei aliquid et facere et pati proponebant sorores, et sic cum gaudio et animi jucunditate iter cœptum prosequebantur: sex enim illæ quæ me comitabantur, tam bonæ et ferventes erant, ut mihi cum illis etiam ad regiones Turcarum proficisci ausura videar, et ipsæ ad mortem pro Domini nomine patiendam vires habituræ, aut (ut melius dicam) eas ab ipso accepturæ. Hæc namque illarum erant desideria et assidui sermones; adhæc erant in orationis et mortificationis studio cumprimis exercitatæ: quod enim ibi procul ab aliis conventibus erant futuræ, illas præ cæteris in hanc sedem deligere studui quas magis ei commodas futuras et melius ei quadraturas existimabam. Et tales certe eas esse oportuit, pro ratione difficultatum et procellarum quas hoc in loco subiere: quarum aliquot, et quidem maximas, hic tacebo et referre omittam, eo quod aliquas particulares personas fortassis notarem.

Graviter febri laborat. E

624 Inter alias ipsarum molestias et vexationes, fuit illa non postrema quod me pridie festi Pentecostes ardentissima occuparit febris. Illarum ad Deum clamores et preces in causa fuisse autumo, ut malum illud ulterius non increverit: numquam enim me in vita talis occupavit febris, quin semper ulterius ea progrederetur et aliud ex se malum gigneret. Erat ea hujusmodi ut, prout quidem mei tunc impotens eram, lethargo et phrenesi laborare viderer. In mali lenimentum aqua me ipsæ conspergebant. Sed hæc ita solis æstuabat ardore, ut perexiguum ex ea sentirem refrigerium. Non possum quin vobis hic referam quam incommodum hac in necessitate nacta sim hospitium: assignatum namque in eo nobis fuit parvum quoddam cubiculum sub tecto situm, nullam prorsus habens fenestram; cujus si ostium aperiretur, omnis mox solis æstus eodem penetrabat. Credatis autem oportet solem longe intolerabiliorem hic esse quam in Castella. Tali vero in lecto moniales me collocarunt, ut humi cubare maluissem: ejus namque ea erat inæqualitas, ut, cum hinc in altum tumeret, illinc in profundum deprimeretur, acutissimis e saxis constratus videretur.

sed per unum tantum diem. F

625 Quanta res est infirmitas et morbus! Nam in bona valetudine omnia toleratu facilia sunt. Quare satius tandem duxi hinc surgere, et inde nos abire: præstare namque mihi videbatur fervores solares aperto in campo excipere, quam quos angustum illud gurgustium afflabat. Quam vero misera illorum qui apud inferos damnati sunt, sors est! Hi enim numquam sedem ac situm mutare poterunt: nam, quamvis nonnisi ex una pœna in aliam fiat mutatio et migratio, nihilominus aliquod hæc afferre alleviamentum videtur. Et sane mihi contigit ut, cum intensum in quapiam corporis parte et extremum dolorem sentirem, si deinde in alia alius æque intensus et gravis me opprimeret, aliquod mihi hæc mutatio solatium et lenimen afferre videretur. Sic et hoc loco mihi factum est. Nihil vero (quantum quidem recordor) me cruciabat quod tali in statu me constitutam viderem; at moniales, comites meæ, longe certe majorem quam ego dolorem sentiebant. Placuit autem Domino ut ipsa morbi vehementia et intensio nonnisi ad unum duraret diem.

Bætim flumen non sine vitæ discrimine trajicit.

626 Paulo ante (nescio an biduo) aliud accidit nobis infortunium, quod certe aliquantulum nos sollicitas et anxias reddidit. Cum enim Bætis navigio

A vigio transmittendus esset, recta illo in loco ubi funis ducebat, trajicere cum curribus non potuimus : unde obliquare et ad latus deflectere pontonem nonnihil oportuit; ita tamen ut funis obliquantibus semper aliquo modo usui esset. Sed cum qui funem ductilem tenebant, eum e manibus dimisissent, aut nescio quo casu is illis elapsus esset, ecce secundo cœpit flumine aquarum impetu ponto, nullo retinente fune, remis nullis, cum curru nostro ferri. Nautæ ego vicem magis multo miserabar, cum quod eum tam efflictim obnitentem viderem, tum quod in præsentissimo ageremus discrimine. Omnes extemplo trepidi vocem tollebant; nos vero ad precandum Deum convertebamur. Viderat nos eminus ex arce sua vir nobilis, submiseratque de suis qui nobis laborantibus opem ferret, quando nondum ponto funem penitus amiserat, at Fratres qui nos comitabantur eum adhuc in manu habebant, totis viribus retinere conati : sed is erat aquarum impetus ac rapiditas, ut, licet omnes junctim obniterentur, nonnemo tamen subinde prolaberetur. Magnam certe devotionem mihi inspiravit ipse nautæ filius, quem etiam numquam possum oblivisci : puer hic, qui (ut mihi quidem
B videbatur) decem aut undecim habebat annos, ut adeo laborantem et anxium patrem suum vidit, ita ejus sortem complorare cœpit, ut ipsa, hoc viso, Dominum laudaverim. Sed sicut nullum Majestas illius immittit infortunium quin semper ipsius in eo se exerat pietas, ita et hoc loco factum est : etenim, pontone se vertente et in vado quodam arenario subsistente, quod ab una parte modicum esset aquæ, periclitantibus alii auxilio esse potuere. Præterea haud dubie a via (quod jam nox esset) aberrassemus, nisi qui proximo e castello venerat, in regiam nos viam reduxisset. Non cogitaram hisce de rebus, quæ parvi momenti sunt, hoc loco tractare, quod jam alias permultas alibi de incommodis et malis per viam successibus commemorarim : unde certa sum me horum commemoratione tædium legentibus adferre, quod æquo in illis fuerim diffusior.

Cordubæ, ad Sacrum audiendum,

627 Longe quam priora hæc magis me vexavit et afflixit id quod ultimo Pentecostes festo nobis contigit. Summa celeritate tota nocte usæ eramus, ut ante lucem Cordubam perveniremus et Sacrificio Missæ interessemus, quin ab ullo mortalium conspiceremur. Conducebamur ergo ad tem-
C plum quod trans pontem situm erat, ut occultius in eo lateremus. Jam pontem transire parabamus, sed frustra : etenim sine facultate illac pervehi curribus nefas erat, et hæc erat ab urbis præfecto concedenda. Antequam vero illa impetraretur, duæ et amplius horæ effluxere, quod homines nondum surrexissent; et multi undequaque affluebant, ut viderent quales essemus : sed parum hoc curabamus, quia currus ita obducti erant ut nemo nos videre posset. Ut vero allata fuit licentia, non poterant currus, quod latiores essent, per angustam pontis portam transire; unde eos necesse fuit serra decurtari et transitui aptari, in quo etiam satis multum spatii effluxit. Tandem cum ad templum venissemus, et P. Julianus de Avila Sacrum celebraturus esset, ipsum hominibus plenum erat, quod locus a Spiritu Sancto denominatus esset; unde de more solemnis hic futura erat supplicatio, ac dein verbi divini prædicatio, quam nos solemnitatem ignorabamus. Hæc cum vidi, maximopere indolui, et, meo judicio, sane præstitisset, non audito Sacro, inde discedere, quam in tam confertam hominum multitudinem nos dare. Verum alterius opinionis erat Julianus de Avila, et, quod bonus esset theologus, illius opinioni omnes nos parere et consentire oportuit : hic enim ni fuisset, D reliqui comites fortasse meam sententiam secuti fuissent; in quo hauddubie gravius errassemus, tametsi nesciam an meam unius sententiam ipsa essem secuta.

AUCTORE V. D. M.

628 Prope templum exscensionem fecimus : nam, quamquam nostram nemo videre faciem posset (etenim longis eam velis semper cooperiebamus et tegebamus), satis tamen ad novitatem et stuporem spectantium ciendum erat, quod nos velatas, et crassioribus palliis albis, qualia nobis usitata sunt, amictas, et sandaliis calceatas cernerent; uti revera fuit. Hæc alteratio et turbatio omnem certe febrim pridianam a me abstulit; quæ sane tum mihi tum aliis omnibus nimis quam gravis erat. Porro mihi templum ingredienti vir quidam probus obviam procedens, seque viæ ducem præbens, turbam ingruentem submovit. Quem etiam rogavi ut in sequestratum a populi strepitu sacellum nos conduceret. Morem is gessit, eoque occluso recedens, nos rursum inde, dum digredi templo voluimus, eduxit. Hic ipse non ita multo post Hispalim venit, et cuidam Ordinis nostri Patri retulit, credere se, sibi, ob exhibitum hoc quale- E
cumque nobis officium et piam caritatem, nihil tale exspectanti opimam obtigisse, Deo dante, hæreditatem. Vere vobis dico, carissimæ, quamvis hoc forsan vobis nihil esse videbitur, mihi hoc ita grave et pœnosum visum ut vix me pœnosius quid meminerim subiisse; populus enim tanto impetu et tumultu huc ingruebat ac si tauri furibundi irruissent. Unde nihil mihi accidere potuit optatius quam inde quamprimum excedere, etsi aliam diei transigendi commoditatem in vicinia non haberemus; unde æstum illius nos sub ponte quodam vicino apricando declinare oportuit.

per confertam hominum turbam cum sociabus transire cogitur.

629 Hispalim cum venissemus, in domum quam *Demum Hispali, consensu archiepiscopi* P. Marianus (qui adventus nostri jam factus erat certior) nobis conduxerat, concessimus. Equidem omne negotium jam tum ex voto confectum opinabar : etenim, sicut supra indicavi, archiepiscopus miro erga Excalceatos studio rapiebatur; quin etiam interdum me per litteras quam officiosissime compellarat. Nihilominus magnum me hic laborem et vexationem subire oportuit; quod Domino id ita viderctur. Archiepiscopus namque a monialium est cœnobiis quæ certis non constarent proventi-
F bus, admittendis maxime alienus, nec immerito. Hoc autem obfuit, imo potius profuit, ad opus istud perficiendum et exequendum : si enim rei hujus, antequam huc appulissem, fuisset conscius, facultatem ad hoc certe haudquaquam esset elargitus. Sed, quoniam P. Gratianus et P. Marianus certissime opinabantur pergratam illi se rem facere, quod me huc venire fecissent (et certe adventus meus illi quam gratissimus exstitit), hinc illi de hac re nihil significarunt; et, si significassent, forsitan, bene se facturos sperantes, maximum in hoc errorem commisissent. Etenim in reliquorum monasteriorum fundatione ante omnia Ordinarii locorum licentiam obtinere pro more habeo, uti etiam Sacrosancta Tridentina Synodus faciendum præcipit : in hac autem non solum eam ut jam concessam ducebamus, verum etiam (prout jam dixi) insigne nos Ordinario hac ratione obsequium præstare arbitrabamur; et vere res ita se habebat, quemadmodum etiam postea intellexi. Sed nullam omnino Dominus fundationem sine magno meo labore et molestia perfici voluit, ut modo quidem hoc, alias alio modo exagitarer.

630 Ut ergo in domum quæ nobis (ut dictum *non ita facile*
65 est)

AUCTORE V. D. M.

A est) erat conducta, venimus, statim (uti facere solebam) ejus inire possessionem cogitabam, ut divinum in ea recitare Officium possemus. At P. Marianus, qui rem inchoarat et illic erat, tergiversari, et rationes cur differenda res esset, cœpit afferre, ac, ne me affligeret et contristaret, plane quod res erat, dicere nolebat, dissimulans. At, cum rationes quas adferebat, sufficientes non essent, statim intellexi in quo sita esset difficultas, in eo nimirum quod licentiam archiepiscopus non dedisset. Unde dicere et persuadere mihi cœpit ut annuis censibus monasterium stabiliri permitterem, aut simile quid, cujus non satis recordor. Tandem vero sine ulla dissimulatione dixit archiepiscopum non usque adeo in monialium monasterii fundationem propendere, atque jam inde ab eo tempore quo dignitate archiepiscopali functus esset (functus autem erat ad annos plurimos, tum Hispali, tum Cordubæ, estque fervens Dei famulus) nulli hanc potestatem fecisse; præsertim vero si sine reditibus ac possessionibus fundandum monasterium esset, cum id minime concessurum. Quod perinde erat ac dicere ipsum plane non fundandum.

impetrato,

B 631 Mihi cum reditu fundare grave erat (quamquam id facere potuissem, si voluissem): primo, quod in civitate Hispalensi res ageretur; nam, si in monasteriis nonnullis reditus admisi, in parvis oppidis id fuit, ubi, nisi hi admitterentur, illa fundari non potuissent, quod aliunde quo ea alerentur, non suppeteret: deinde, quod post sumptus itineris unus solum obolus mihi reliquus esset; quin etiam nihil nobiscum tuleramus, præterquam vestes quibus eramus indutæ, nec non aliquot tunicas et vela, atque alia quæ nobis, dum curru veheremur, ad nos obtegendum usui erant. Unde etiam, quo comites nostri possent eo unde profecti erant reverti, pecuniam mutuatitiam conquirere oportuit, quam amicus quidam quem Antonius Gaitanus illic habebat, nobis dedit: quod vero ad supellectilem domesticam comparandam necessarium erat, P. Marianus mendicato quæsivit. Adhæc domum propriam non habebamus; adeo ut impossibile videretur conventum illic fundari. Quare non sine summa dicti Patris rogatione et velut importunitate factum arbitror ut archiepiscopus tandem nos Sacrum ipso SS. Trinitatis festo celebrare permiserit: idque primum fuit. Vetuit tamen, ne ære campano ad Sacra signum daretur, nec ipsum de loco superiori suspenderetur, nisi forte jam suspensum esset.

C

monasterium virginum suarum constituit;

632 Quindecim diebus et amplius illo in statu res nostræ fuere, adeo ut ipsa statuerim, nisi P. Commissarius et P. Marianus obstarent, cum monialibus meis, parva admodum cum animi ægritudine, Veasum reverti, quo cum illis Caravacensem fundationem ordirer. Multo majorem indies pressuram habebam (cum tamen felicis memoriæ non sim, non satis recordor quamdiu id durarit; sed arbitror uno plus mense durasse); quia, cum jam in vulgus innotesceret monasterii cœptum, discessus magis ac magis difficilis nobis fiebat. Ad archiepiscopum vero nunquam me P. Marianus permisit litteras scribere; sed ipse paulatim verbis blandioribus, nec non litteris Madrito a P. Commissario missis, eum lenivit. Unum hoc me in conscientia consolabatur et eam tranquillabat a scrupulis, quod primum Sacrum bona illius cum venia celebratum esset; semper quoque in choro Officium divinum recitabamus. Subinde etiam me per aliquem visitari jubebat, simul denuntians semet propediem ad me excursurum; quin et unum e domesticis sacerdotibus miserat, qui Sacrum primum hic Deo offerret: unde liquido apparebat omnem hanc turbationem meam alio non tendere quam ut me anxiam et sollicitam redderet. Quamquam non tam mea aut monialium mearum causa angebar, quam quod Patrem commissarium anxium scirem. Quoniam enim ipse me illuc ire jusserat, hic maximopere angebatur, et, si quod impedimentum intervenisset, quam vehementissimam afflictionem sensisset. Et certe multas ad hoc timendum habebat rationes.

D

633 Sub idem tempus accessere ad me Carmelitæ Calceati, sciscitantes qua tandem auctoritate monasterium hoc fundassem; quibus cum acceptas olim a Reverendissimo Patre nostro Generali litteras ostendissem, ulterius inquirere desierunt. Si enim scivissent quam parum archiepiscopus erga hoc cœnobium esset animatus, haud dubie hæ ad illos placandos litteræ satis non fuissent. Sed hoc omnes latebat; imo nemo non persuasum habebat bona illius cum venia et assensu cuncta fieri. Tandem, Deo dante, factum ut nos ipse visitatum venerit; cui ego eam quam nobis faceret pœnam exposui. Ad extremum facultatem mihi dedit, quidquid statueram, exequendi; quin et deinceps, si qua poterat, et quæcumque se dabat occasio, semper se benevolum ac partium nostrarum fautorem declaravit. *Quod sub finem hujus narrationis Sancta commemoravit de Carmelitis Calceatis, connexionem habet cum inimicitiis quas illi hoc maxime tempore cum Excalceatis exercere cœperunt, et de quibus nonnulla mihi in sequentibus paragraphis erunt dicenda.*

et placat Carmelitas Calceatos.

E

§ XXXVI. Capituli generalis Ord. Carm., Placentiæ celebrati, decreta adversus Excalceatos. De his decretis, nec non de R. P. Rubei, Generalis Carmelitarum, agendi ratione, quale judicium ferendum sit.

F

Capitulum generale Ord. Carm. Placentinum,

Habeo ante oculos Brevem seriem omnium capitulorum generalium in Ordine B. V. M. de monte Carmelo habitorum et decretorum ab eisdem emanatorum de anno 1318 usque ad annum 1762 inclusive, *impressam Romæ anno* 1765. *Verum sub numero* LVII, *ubi agitur de capitulo generali Placentino anni* 1575, *ne verbulum quidem de Excalceatis reperire est: quamquam* eo in Capitulo, *ut ait P. Marianus Ventimiglia in sua Historia Chronologica Priorum Generalium Latinorum Ordinis B. V. M. de monte Carmelo,* severissima sane decreta condita sunt contra novos Hispaniarum Excalceatos Carmelitas, qui contra Generalis Prioris patentales litteras ac præcepta extra Castellanæ provinciæ fines conventus ædificaverant. Decreta nihilosecius, *inquit,* quæ, etiamsi a quibusdam ut nimis severa atque injusta prædicentur, aliud sane non continent quam apostolicis litteris Gregorii XIII obtemperationem, quæ ad capitulares missæ sunt quæque Bull. Carm. tom. II referuntur. *Ita ille ex papyris (ut ipse vocat) Ordinis, quas non credo unquam fuisse editas.*

pro data sibi litteris apostolicis

635 *Certe ad capitulum illud generale, Placentiæ mense Majo celebrandum, Gregorius XIII litteras dedit*

A *dedit sub annulo Piscatoris die* XV *Aprilis* 1575; *quarum tale erat initium :* Cum ad cunctorum vineæ Domini religiosorum Ordinum, et præcipue vestri Ordinis gloriosissimæ semper Virginis et Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo, salubrem directionem nostra pastoralis aspiret intentio, et eumdem Ordinem vestrum, qui fructuosos palmites in Sancta Dei Ecclesia hactenus produxit, in veteri sua pietate et doctrina jugiter versari cum Dei Omnipotentis servitio vestraque laude et Christi fidelium ædificatione cupiamus, has litteras vobis in Domino congregatis duximus destinandas; ut, quamquam non dubitamus vos vestro officio etiam sine nostris litteris non fuisse defuturos, tamen ex abundantia dilectionis nostræ addamus calcar pietatis sponte currentibus, et vos nostra etiam voce incitati in studio Sanctæ Religionis ferventius decurratis, et ad optatum sancti laboris vestri finem ac pariter præmium pervenire mereamini : devotionem vestram paterni amoris stimulis hortamur, et apostolica auctoritate urgemus, vobisque etiam in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut in hac vestri generalis capituli celebratione, in civitate Placentiæ provinciæ Lombardiæ habenda in pro-
B ximo festo Pentecostes, ad veram observantiam regularem, ubi jam instituta et introducta fuit, et ubi non sit, restituendam in universo Ordine vestro, tam ultra quam citra montes, efficaciter intendatis; ut et salus animarum vestrarum et populi Christiani ædificatio ad laudem Omnipotentis Dei assidue inde procedant.

in dyscolos potestate,

636 *Inter cætera autem his litteris contenta notatu imprimis digna sunt verba sequentia :* Si aliqui contra statuta generalia et contra obedientiam superiorum vestrorum electi et assumpti, vel conventus et loca quovis in loco contra eorumdem superiorum voluntatem acceptaverint, erexerint et inhabitaverint, ac modo inhabitent, ab officio et administrationibus dejicere et amovere non omittatis : omnes item dyscolos et scandalosos, contradictores, molestatores et rebelles quoslibet per censuras ecclesiasticas et pœnas aliaque opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescatis; invocato etiam super his, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. *Vix dubium esse potest quin hæc respiciant Carmelitas Excalceatos; qui, etsi licite cum venia visitatorum apostolicorum, attamen contra Generalis sui mentem*
C *(is enim duo tantum virorum cœnobia fundari permiserat, ut num.* 404 *vidimus) pluribus in locis, apud Andalusios præsertim, cœperant seorsim a Calceatis habitare.*

decreta condit adversus Excalceatos;

637 *His igitur muniti Pontificiis ordinationibus, Patres Placentiæ congregati in Excalceatos, quos erroneo judicio pro rebellibus habebant, decreta duo contorserunt tenoris hujusmodi :* Reverendi magistri provinciales, et quicunque alii provinciarum vel conventuum ministri et rectores, ex æquo curabunt sub pœna suspensionis a Divinis, privationis vocis et loci, et sub censuris sibi bene visis, ut indebite assumptos et electos ejiciant et amoveant, neque illis obediant : et quia nonnulli inobedientes, rebelles atque contumaces, qui Discalceati vulgo vocantur, contra patentes et statuta Prioris Generalis habitarunt et habitant extra provinciam Castellæ quam Veterem dicunt, nempe apud Granatam, Hispalim et prope oppidum vulgo nuncupatum la Penuela, nec volunt humiliter, adductis fallaciis et cavilliis et tergiversationibus, mandata ejusdem Prioris Generalis et litteras acceptare; significabunt eisdem Carmelitis Discalceatis sub pœnis et censuris apostolicis (invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis) ut infra tres dies inde omnino abscedant : et quosvis contradicentes compescant, graviter puniant et a nobis citatos esse, ut personaliter appareant, intiment; et, præsentibus testibus, innotescere faciant, nisi ab eorum pervicacia resipuerint. Item judicarunt etiam auctoritate apostolica amovendos esse Carmelitas primæ regulæ, qui vulgo Discalceati nuncupantur, a conventibus obtentis extra provinciam Castellæ; et etiam, si quos in Castella accepissent contra patentes et institutiones Reverendissimi Patris Generalis, ab eis excludi et rejici. Item quod visitentur, et debitis institutis juxta priorem regulam constringantur. Si vero aliqui ex illis obedire recusaverint, citamus eos ut coram nobis compareant infra spatium trium mensium a die quo obedire recusaverint. (*Vide Chronicon, lib.* III, *cap.* XL.)

AUCTORE V. D. M.

D

ad quæ exequenda P. Hieronymus Tostatus

638 *Ad hæc P. Hieronymum Tostado in Hispaniam cum visitatoris potestate Rubeus Generalis delegat, ad urgendam et omni qua possit ope promovendam decretorum modo relatorum executionem. Audi quid hac super re dicat auctor Chronici :* Volens Generalis penitus extinctos per Hispaniam Excalceatos, nec animadvertens exemplum eorum esse efficacissimum ad eam quam cupiebat Ordinis reformationem, eosque ab rege defensum iri, et
E nostræ Sanctæ orationes in contrariam niti partem, denique Bullis apostolicis non aliam inesse vim quam quæ oriretur e mora regiarum ad Pontificem Maximum litterarum; hoc, inquam, animo Generalis elegit P. Hieronymum Tostatum, ortu Lusitanum, virum alto ingenio et litteris exculto menteque impavida, ad gerenda negotia atque etiam ad simulanda natum, qui propheticam hanc ac primitivam sementem, tota Hispania propere gemmantem, extingueret. Ergo hanc ei commisit visitandam plena illa qua opus erat potestate; et videns non expedire vim, dolis hominem instruit. Nimirum injunxit ut regi cum laude loqueretur de sancto suo ad Ordinem restaurandum zelo, sibique gratularetur quod pars aliqua tam præstantis operis sibi obtigisset : mandata se Generalis habere ut Excalceatos animi dotibus insigniores per Calceatorum conventus distribuat iisque ornet officiis quæ viros requirant fidissimos, quo suis ipsi exemplis cæteros stimulent et conventuum prosperitati, honestati ac numero provideant : insimul sibi curandum esse ut Calceatorum aliqui aptissimi ad conventus Excal-
F ceatorum transeant, ubi reformationem discere possint. Sic quidem lingua loquebatur; verum in animo (ut e scriptis ejus colligitur) delitescebat ruina Excalceatæ familiæ; quam ita scilicet proscindere volebat ut nec tirones recipere nec multiplicare domicilia nec refugium in angustiis invenire quiret. Ac maximas quidem angustias ipse bonus Pater ei attulit, uti progrediens docebit historia : hoc autem loco nosse sufficit qualia mandata in illo capitulo adversus novam generationem propheticam acceperit. Quo interim melius intentum coloraretur, jubebatur quoque per Hispaniam divulgare ac regi dicere, quod capitulum generale Venetum anno 1524 sancierat ut quæque provincia domus aliquot reformatas haberet, ubi vita sub communi Ordinis vestitu ad primitivæ regulæ normam institueretur, idipsum nec aliud capitulo Placentino fuisse propositum.

a R. P. Rubeo, Ordinis Generali,

639 *Hæc auctor Chronici lib.* III, *cap.* XL, *num.* 5, *et his similia pluribus in locis, quæ indicare non est operæ pretium. Equidem non video quomodo hæc tam severa Rubei Generalis accusatio, quasi is non tam auctoritate quam malis artibus destructionem Teresianæ Reformationis moliretur, componi possit cum insigni reverentia quam gravissimo ac meritissimo illi viro ab omnibus Excalceatis deberi idem auctor lib.* IV,

AUCTORE V. D. M.

lib. IV, *cap.* XXXII, *num.* 3, *his verbis prædicat :* Sane A Rubei in S. Matrem studium atque amor, amplæ quas ille concessit augendi cœnobia monialium facultates necnon fundandi conventus Durvelani, qui nostri Excalceatorum Ordinis fundamentum est; hæc, inquam, omnia non tantum perpetuam ejus memoriam a nobis exposcunt, verum etiam æternas grates ac religiosam reverentiam : ut adeo nostris in animis eum æstimemus patrem nostrum, Sanctorum consortem, et advocatum apud Deum in nostris necessitatibus. Quamvis enim sinistræ informationes animum ejus a nobis alienarint, sicut venti mare turbant, dejiciunt turres, rupes excidunt et montes concutiunt, tamen primus amor ejus in nos, qui nostri incrementi principium fuit, primum debet nostra in existimatione locum tenere. *Mihi videntur, quam apposite hæc dicta sunt, tam perperam dicta esse illa quæ numero superiori allegavi.*

in Hispaniam mittitur.

640 *Nec majoris, imo multo minoris momenti sunt quæ circa Tostati missionem lectoribus suis oggerit P. Antonius a S. Josepho, declamatoriis illis et exaggeratis quæ sequuntur verbis :* Veniebat, *inquiens,* Roma in Hispaniam Tostatus facultatibus contra Excalceatos onustus, sicuti Saulus Hierosolyma B Damascum adversus primitivos Christianos, diverso licet animo et intentione; nam semper supponimus ei majorem Dei gloriam cordi fuisse. Attamen certo veniebat cum chartis ac mandatis, « ut, si » quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vin- » ctos perduceret; » utique puniendos, quemadmodum declarat S. Augustinus : nam revera egit bonus ille Tostatus « tanquam abundantius æmulator existens paternarum suarum traditionum » (*tom. III, epist.* 9, *not.* 6). *Verba hæc sunt et voces, prætereaque nihil. Quæ enim Tostatus anno* 1577 *nimis severe egit, non debent credi jam hoc anno* 1575 *a P. Rubeo ac capitulo generali decreta fuisse. Sed contigit P. Antonio tempora temporibus confundere et male uno in loco suarum notarum traducere illos ipsos quos alio in loco impensissime laudat. Sic non solum tractat P. Hieronymum Tostatum, sed etiam Generalem Rubeum aliosque e suis Calceatis Patribus.*

Sancta ad Generalem, ex falsis delationibus sibi infensum,

641 *Longe aliter agit æquus rerum æstimator Ribera; qui non Rubeum ipsum nec universum capitulum generale turgentibus incusat verbis, sed simplici phrasi enuntiat* maxime cruciatam fuisse Sanctam quod delationum ac testimoniorum velut C instrumento usi nonnulli Præpositi Generalis animum a se alieniorem reddidissent (*hispanice :* avian algunos hecho que el Padre General estuviese con ella desgustado). *Atque in eamdem prorsus sententiam ipsa S. Mater caput* XXVIII *libri Fundationum orditur :* Hispalensi fundatione jam constabilita, a fundando per quadriennium et amplius cessatum est. Causa fuit quod magnæ ac graves derepente adversus Excalceatos et Excalceatas exortæ sint persecutionum procellæ : quamvis enim permultæ hactenus contra nos insurrexissent, nulla tamen ita fuit gravis atque hæc ultima, utpote quæ fuit hujusmodi ut quidquid factum erat hactenus, summo esset in periculo ne penitus subverteretur et concideret. Satis ergo patuit quam diabolo sanctum hoc principium, quod Dominus inchoarat, molestum et exosum esset, quodque videret id opus illius esse, quandoquidem progressum et incrementum habebat. In Excalceatos, ac præsertim superiores ipsorum, gravis hæc falsorum testimoniorum et obloquiorum (quia omnes pene Patres mitigatæ regulæ illis se opponebant) procella desæviit. Hi ergo Reverendissimum Patrem nostrum Generalem ita perpulerunt, ut, quamvis vir esset vitæ integerrimæ, et ipsemet facultatem dedisset ut omnes D conventus fundarentur (uno excepto Abulensi, qui fuit primus; is enim annuente Pontifice Romano erectus est), omni contentione obstiterit ne plura Excalceatorum monasteria fundarentur : nam erga monasteria monialium semper bene animatus mansit. Quoniam vero illorum ipsa rebus prout poteram opitulabar, adversum me stomachari et indignari cœpere : quod certe maximum fuit, quod hisce fundationibus pertuli, tormentum, tametsi alia tormenta fuerint plurima. Etenim ut opus quod ipsa ad oculum videbam ad Dei obsequium et Ordinis nostri incrementum tendere, promovere et juvare desinerem, non patiebantur viri longe doctissimi, quibus ipsa tum confitebar : alia autem ex parte adversari me iis quæ superiorem meum velle videbam, mihi ipsa morte gravius videbatur; nam, præterquam quod eum amare obligabar, eo quod superior meus esset, aliunde etiam mirifice erga eum afficiebar, et sane hoc illi debebatur. Ut autem verum fatear, tametsi in hoc illi morem gerere et gratificari quam maxime vellem, minime tamen poteram, quod visitatores haberem apostolicos, quibus parere necesse me erat.

E

dat litteras, quibus se

642 *Prodeat hoc loco, tanquam egregius rerum de quibus agimus commentarius, pulcherrima illa epistola quam S.* Teresia *ad R. P. Rubeum scripsit uno circiter ab incepto generali capitulo mense, nempe ad diem* XVIII *Junii* 1575. Jesus. Gratia S. Spiritus sit semper tecum. Hebdomade proxime elapsa ad te multis verbis perscripsi; et quidem bino earumdem litterarum exemplari, quia cupiebam ut eæ in manus tuas pervenirent. Heri, quæ erat Junii dies XVII, duæ mihi datæ sunt epistolæ tuæ, sane optatissimæ, altera Octobri mense et altera Januario exaratæ. Quæ etsi non iis quibus ego optassem temporibus scriptæ erant, solatio certe mihi fuerunt, eo maxime quod didicerim bona te frui valetudine; quam ut Deus tibi proroget, indesinenter in hisce tuis domibus omnes filiæ tuæ precamur. Quotidie peculiaris pro te oratio fit in choro : qua de re magna est cunctarum cura; quoniam, cum te mihi carissimum esse sciant nec alium præter te Patrem cognoscant, magno te amore prosequuntur. Neque vero id mirum, siquidem aliud bonum non habeamus in terra : et cum sint omnes sua sorte contentissimæ, suam tibi originem se debere nunquam non grato animo reminiscuntur. Scripsi ad te de Veasensi fundatione; item a Caravacensibus alteram F expetitam fuisse, ad quam non sine incommodis licentiam fuisse concessam (*hic ex autographo quatuor deficiunt lineæ*).

suosque Excalceatos, ac nominatim

643 Docui quoque te quas ob causas Hispalim fundatum venerim. Faxit Deus ut res Excalceatorum nostrorum ex æquo compositas nec ullam tibi ab ipsis offensionem fieri videam. Scias velim multum me inquisivisse num forte Veasum Andalusiæ esset oppidum; hanc enim regionem adire nequaquam mihi mens fuit (*confer tom. IV, epist.* 63). Et vero Veasum non Andalusiæ terræ est, sed Andalusiæ provinciæ. Quod equidem non scivi nisi fundato jam a mense et ultra monasterio : quo tempore, quoniam ibi jam moniales habebam, non mihi videbatur domus illa deserenda; atque id partim quidem quia animus mihi erat huc venire. Quod vero potissimum cupio, illud est, quod jam alias ad te perscripsi, nempe ut de negotio horum Patrum nostrorum intelligas; quos, quamvis suam ipsi causam tuentur, atque ego scio eos esse genuinos tuos filios nec velle te offendere, non possum tamen penitus a culpa liberare. Videntur jam intelligere quam multo fuisset satius si alia via, te non læso, ivissent.

A ivissent. Multum inter nos contendimus, præsertim ego et Marianus; qui quidem vir est valde strenuus, dum contra Gratianus Angelo similis est. Hic si solus fuisset, longe aliter res acta foret : nec vero huc alia de causa venit quam quia accersiverat eum P. Balthasar, tunc temporis prior Pastranensis. Illud dicere non vereor, si virum cognosceres, lætabundum te fore quod filium istiusmodi habeas, qualem eum vere esse intelligo : quod item de Mariano jure dixerim.

P. Marianum 644 Est Marianus vir probus ac pœnitentiæ deditus, et ingenii sui laude apud omnes notus. Quem pro certo habe non alia re motum fuisse quam zelo gloriæ Dei et prosperitatis nostri Ordinis : quanquam, mea quidem sententia, immodicus ille zelus et indiscretus fuerit. Ambitione hominem laborare non censeo, sed dæmonem, prouti dicis, res istas exagitare, et multa a Mariano proferri quæ ambitionem sapere videantur. Interdum pessime me habuit; verum, quia virtutem ejus habeo perspectam, patienter sustinui. Nec dubium est quin, si eum audires, tuam sibi gratiam conciliaret. Nuper mihi dixit non se fore quietum donec ad pedes tuos se projecerit. Cæterum jam scripsi ad te rogatam me

B fuisse ab utroque ut, quoniam ipsi non auderent, ego litteras ad te darem ac suas apud te purgarem culpas : quare, ne idem repetendo longior sim, ea tantum dicam quæ mihi videor dicere debere.

et P. Gratianum, illi purgat; 645 Primum igitur obsecro te per Domini nostri amorem, persuasum habe Excalceatos nihili me facturam potius quam passuram ut vel vestem tuam tangant. Hoc prorsus animo sum, ut adeo eum qui tibi quamcunque dederit offensionem, perinde sim habitura ac si pupillam oculi mei læsisset. Epistolam hanc ipsi nec viderunt nec visuri sunt. Mariano solummodo dixi scire me, quandoquidem illi sint obedientes, misericordem te fore; Gratianus autem hic non adest. Quos ego si tuum imperium detrectare cernerem, nec videre amplius vellem nec audire. At nunquam ego tibi tam filia esse possum quam illi se filios exhibent. Dicam modo id quod sentio : quod si inepta loquar, tu veniam da. De excommunicatione Gratianus aulicus (*intellige Antonium Gratianum, fratrem P. Gratiani*) ita ad Marianum scripsit : P. Angelum provincialem dixisse P. Gratiano non sibi licere eum in domum suam admittere, quia excommunicationis vinculo teneretur; quamobrem Gratianum ad parentis sui do-

C mum abivisse : Nuntium vero, ubi rem rescivisset, accersitum ad se P. Angelum valide increpuisse; quod diceret se ferre non posse ut excommunicatus is diceretur qui suo jussu eo accessisset : quare qui talia dicerent, puniendos esse. Unde mox in monasterium receptum fuisse Gratianum, ibidemque nunc habitare et conciones habere apud aulam.

ac malas artes quorumdam Calceatorum, 646 Res istas, Pater ac Domine mi, præsens tempus non fert. Est namque Gratiani frater regi a secretis ac multa apud eumdem gratia; neque rex, uti ego quidem accepi, a Reformatione alienus est. Quin et ipsi Calceati dicunt se assequi animo non posse quare viros tam probos tam male habeas : se quidem libenter cum Contemplativis, quorum virtutem videant, agere velle, nisi tu ista excommunicatione obstitisses. Scilicet aliud tibi nuntiant, aliud hic profantur. Archiepiscopum adeunt ac profitentur se non audere pœnas infligere, eo quod mox te sint adituri. Miri profecto sunt homines illi. Equidem, Domine mi, et hoc et istud video, et Deus scit me vera dicere, dum existimo Excalceatos esse ac fore cæteris omnibus obedientiores. Non vides istic ea quæ hic fiunt : ego autem ea video et dico; quoniam novi quam sanctus sis et veritatis amans. Quidam venerunt me invisum; et nominatim prior (qui vir valde bonus est) quæsivit a me quasnam D habeam ad fundanda monasteria patentes litteras. Has quidem ei monstravi; sed ecgraphum postulanti nolui dare, ne ad lites aliquando veniretur. Etenim videbat me fundare posse; siquidem litteris patentibus quas latino idiomate post visitatorum adventum ad me misisti, licentiam mihi concedis, prout omnes litterati intelligunt, ubique locorum monasteria excitandi. Nullam enim excipis domum aut regnum, nec limitem quemquam assignas; sed voce « ubique » uteris. Quin imo tale inibi præceptum additur ut plus etiam mihi laborandum fuerit quam possum, vetula cum sim et fessa. Quamquam nec ipsa quidem fatigatio quam in monasterio Incarnationis subii, gravis mihi accidit. Quotidie majora mihi beneficia præstat Deus, cui sit in omnibus gloria.

AUCTORE V. D. M.

res a visitatoribus gestas 647 De Fratribus (*Calceatis*) quos inter suos admiserunt Excalceati, sermonem feci cum Mariano. Dixit hic mihi Peñuelam illum (*de quo vide num.* 566) per fraudem assumpsisse vestem Excalceatorum. Nimirum Pastranam venit, dictitans datam esse a Vargasio, visitatore Andalusiæ, licentiam; seque, hac cognita, ipsi sibi vestem eam induisse. Modo ab E aliquot diebus de dimittendo illo Patre agitur, et utique dimittetur. Alter vero (*quemnam hic Sancta indigitet, ignoro*) jam non amplius est apud Excalceatos. Quod autem ad monasteria attinet, sunt hæc erecta mandato visitatoris Vargasii, auctoritate quam habebat apostolica. Nempe in his terris præcipuam reformationem æstimant in domibus Excalceatorum condendis sitam esse : quare etiam Nuntius, pro suo reformatoris officio, quando P. Antonio a Jesu visitatoris munus demandavit, licentiam eidem fundandorum monasteriorum tribuit. Quod nihilominus multo rectius is fecisset, si antea te hoc rogavisset. Sane, si hic affuisset Teresia a Jesu, fortassis id negotii circumspectatum fuisset attentius. Neque enim ego tam projecta eram ad audendum, ut aliter quam bona tua venia de domo quapiam fundanda egissem. Qua in re laudandus est P. Petrus Hernandez, Castellæ visitator, atque adeo egregie de me meritus, quod semper cavit ne quid in te committeret. Contra vero visitator Andalusiæ tot licentiis ac facultatibus illos Patres donavit atque ad agendum hortatus est, ut, si easdem inspiceres, bonos illos viros non admodum in culpa esse judicares. Profitentur illi quidem nunquam se P. Ga- F sparem ejusve amicitiam aucupatos, sed contra multa prece ab ipso rogatos fuisse; idemque de aliis obtinere ajunt : domum autem quam habebant, Ordini pridem ereptam, redditam modo esse (*vide num.* 565 *et* 584). Hæc et alia non pauca habent quibus a se culpam dimoveant : unde mihi videntur rem non adeo malitiose gessisse.

et sanctam Excalceatorum vitam illi ob oculos ponit. 648 Dum vero mecum ipsa considero ingentes labores quos sustinuerunt et pœnitentias quibus se dedunt, unde mihi patet eos esse reapse Dei servos, non possum non dolere quod tua exciderint gratia. Plane ipsi vitam studio virtutum ac rerum divinarum impendunt; atque inter eos quos admiserunt, plures sunt quam viginti qui cursos habent, aut nescio quo alio nomine vocentur (*vernacula phrasis habet :* que tienen cursas ó no sé como los llaman; *quibus verbis Sancta designare videtur eos qui studiorum suorum curriculum emetiuntur*), sanctissimis moribus ac bono ingenio præcellentes. Hic vero (*scilicet Hispali*) et Granatæ et in Rupecula plures esse quam sexaginta, mihi videor audivisse. De his omnibus quid fieri possit quidve homines jam judicaturi sint, apud quos bona passim est de

AUCTORE V. D. M.

A Excalceatis opinio, ego non intelligo; nisi forte omnes hujus rei piaculares futuri simus. Namque et regi admodum gratiosi sunt, et archipræsulis hujus (*Hispalensis*) judicio ipsi soli sunt genuini ac veri monachi. Ergo noli, quæso, ut in præsentia Reformationem deserant. Ea res, crede mihi, etiamsi omni ex parte pro te stet ratio, bene cedere non potest. Nam neque ipsi volunt tuo subtrahi præsidio, nec tu rem æquam ac Domino gratam egeris si id facias. Commenda, amabo te, negotium isthoc divinæ Majestati; atque, ut verus Pater, præterita obliviscere. Memento te servum esse B. Virginis, quæ sane ægre latura sit tua ope destitui eos qui sudorem suum Ordinis sui augmento impendunt. Eo jam loco res nostræ sunt ut plurima consideratione sit opus. Sum indigna filia tua ac subdita, Teresia a Jesu (*tom. IV, epist.* 72).

Rubeus, reformationi Ordinis sui serio

649 *Vides quam excusabilis sit Rubeus; quem sinistræ quædam informationes, neque illæ quidem omni fundamento vacuæ, ad severitatem perpulerunt. Enimvero rem, cum ex hac S.* Teresiæ *epistola, tum e narratione a me hactenus facta, penitius inspiciamus. Erat Rubeo, ipsis Excalceatis ultro fatentibus, sincerum revocandæ in Ordinem suum*
B *regularis observantiæ desiderium; atque ad idipsum opere explendum remedia non omnino incongrua adhibuerat. Sic ipso initio sui generalatus, anno* 1563, *petita a Pio IV Pontifice Maximo facultate, pro muneris sui officio debite exequendo ad diversas provincias et monasteria Ordinis proficisci, eaque diligenter visitare, et, si qua ibi reformanda et corrigenda forent, reformare et corrigere intenderat* (*Bullar. Carmel. tom. II, pag.* 124). *Sic eodem anno S. Carolum Borromæum Ordini suo protectorem, utique non segnem ignavumque futurum, ab eodem Pontifice petiit* (*ibid pag.* 126). *Sic anno* 1571 *a S. Pio V, et iterum anno* 1576 *a Gregorio XIII, confirmationem atque ampliationem postulavit atque obtinuit potestatis Generalibus Carmelitarum pridem a Clemente VII concessæ ad puniendos* nonnullos dyscolos (*verba sunt Pontificum*) qui a recta via deviabant nec monitionibus et piis hortationibus a malis resipiscebant, imo illis spretis indies magis incorrigibiles fiebant (*ibid. pag.* 8, 167 *et* 188). *Sic speciatim, teste P. Mariano Ventimiglia, in regnis Hispaniæ ac Lusitaniæ, quo visitator apostolicus anno* 1566 *venerat,* provincias visit, capitula convocavit, con-
C ventus reformavit, undique legibus statutisque conditis ac publicatis, ut subditos ad primævam observantiam revocaret. *Denique nullus est ex omnibus qui illius meminere scriptoribus, a quo non a religiosæ vitæ integritate sanctissimisque moribus, insigni insuper doctrinæ laudi conjunctis, summopere commendetur. Hosce scriptores plerosque enumeratos habes in Bibliotheca Carmelitana* (*tom. I, pag.* 786) *et in opere italico* Le sagre memorie di Ravenna antica, *auctore Hieronymo Fabri* (*pag.* 198).

et ex animo intentus,

650 *Quod ad Reformationem Teresianam spectat, hanc Rubeus quantum ad cœnobia virginum nunquam non approbavit; quantum ad virorum cœnobia, licet* (*nec immerito, ut mihi videtur*) *parcior in danda facultate fuit, duo tamen jam pridem fundari permiserat* (*vide num.* 404), *plura fortasse permissurus, si rem ex mente S.* Teresiæ, *nempe consulto Generali suo, Excalceati semper egissent. Cæterum Ordinem universum ad Reformationem Teresianam adigere Rubeo non erat animus, nec ei plane fuisset integrum; quandoquidem legitima erat, ut etiamnum est, id quod ne licet quidem in dubium vocare, approbata ab Eugenio IV legum Carmelitanarum mitigatio. Volebat igitur bonus Generalis, laudabili utique consilio, subditos sibi Fratres eum in modum reformare quem capitulum generale Venetum, hortante atque* D *approbante Clemente VII, anno* 1524 *sanxerat. Idem procurare debebant, ni fallor, visitatores apostolici Hernandez ac Vargas. Itaque hactenus quidem, ut mihi videtur, culpa vacat Rubeus.*

sed a Vargasio et Excalceatis

651 *Jam vero Hernandezium visitatorem multa cum moderatione et absque Generalis offensione suo munere functum esse, ipsa Sancta testatur: nam quod Excalceatorum Castellanorum cœpta promoverit, id Generali, utpote qui ipse iis consenserat, ingratum non fuit. Vargasius autem, etsi nec de ejus jure nec de purissima intentione quidquam dubitem, tamen mihi videtur* (*bona cum venia dixerim*), *et quando Excalceatos in Andalusiam evocavit et quando eorum negotia ibidem promovit, prudentiæ leges, ne cuipiam ullam daret offensionem aut querimoniæ locum, interdum non satis consuluisse. Enimvero quid illud est, quod conventum S. Joannis a Portu Calceati Excalceatis cedere coacti fuerint?* (*num.* 565). *Quid iterum, quod P. Gabriel de la Peñuela, relicto conventu suo Granatensi, per fraudem assumpsit, ipsa S.* Teresia *teste, vestem Excalceatorum?* (*num.* 647). *Quid tertio, quod princeps Rodericus Gomez, interposita auctoritate sua, colore negotiorum quorumdam temporalium pro se gerendorum, provincialem* E *Castellæ, P. Angelum de Salazar, compulit ut P. Balthasarem a Jesu, jam pridem a Vargasio in Andalusiam invitatum, Granatam petere sineret, dum alii interim Excalceati nonnulli clanculum eo proficiscebantur?* (*num.* 565 *et* 567). *Quid quarto, quod item Ambrosius Marianus, nescio quo prætextu, tacito principali proposito suo et nomine socii quem assumere volebat, ab eodem provinciali obtinuit licentiam abeundi cum P. Hieronymo Gratiano in Andalusiam; unde a provinciali reverti jussos Vargasius ne obsequerentur prohibuit?* (*num.* 574 *et* 583). *Quid quinto, quod Vargasius Hieronymum Gratianum, annos natum viginti et octo, atque a paucis tantum mensibus religiosa vota professum, sibi vicarium substituit: quare* nonnulli Carmelitarum Calceatorum auctoritatem ac nomen, *testante Ribera* (*lib.* III, *cap.* IV), non parum lædi censebant, quod adolescentem non sui Instituti et tironem quodammodo religiosum in visitatorem nacti essent; præsertim cum sibi non deessent, uti revera non deerant, alii et ætate et religione et vitæ probitate spectabiles Patres, quibus eæ committi partes cum honore potuissent?

læsam esse existimans

652 *Hæc et alia, a versipellibus illis quorum duplex ingenium Sancta nobis paulo ante* (*num.* 646) F *depinxit, Romam non sine exaggeratione* (*ut conjicere licet*) *delata, Rubeum impulerunt ad rogandum Romanum Pontificem ut visitatorum Hispanorum facultates antiquatas vellet juberetque* (*uti dictum est a nobis num.* 616). *Rogationi annuit Summus Pontifex Gregorius, male informatus a Generali male informato. Erit hoc primum, si velis, Rubei crimen; at absolutione dignissimum nullus est æquus judex qui non mecum sit autumaturus. Sed dicet fortasse quis, Ormanetum visitatoribus restituisse suam jurisdictionem* (*num.* 617). *Ita sane: Ormanetus id fecit; et bene quidem fecit, quia faciendi potestatem habebat et quia potestate hac utendum ad majus Religionis bonum coram Deo judicabat. Verum Generali, longe ab Hispania dissito, uti rationes Ormaneti ignotæ erant, sic querelæ suorum Calceatorum obstrepebant: et quantacunque demum fuerit nuntii potestas, constat tamen penes Rubeum et capitulum generale litteras apostolicas non ambigui tenoris fuisse, quarum vi decreta satis severa adversus Excalceatos suos condere posse sibi non immerito videbantur, uti ex earum lectione liquido apparet.*

653 *Non*

dignitatem

A 653 *Non satis attente hæc omnia inspexit D. Boucher, rigidior etiam ipse P. Rubei judex. Verba ejus hic citabo, miscens hinc inde meas animadversiones, e characterum typographicorum diversitate dignoscendas.* Quantumcunque, *inquit*, qui mihi præierunt historici excusare Rubeum conati sunt, equidem idem facere non possum. Illi enim, cum plerique fuerint Ordinis Carmeli alumni, quibusdam de causis, ubi de suo Generali loquebantur, cohibere calamum debuerunt; sed nos veritatem reticere prohibemur et studio sinceritatis historicæ et cupiditate pandendæ virtutis a S. Teresia in tam arduis adjunctis ostensæ. *Quasi vero, inculpato P. Rubeo, quidquam de eximia virtute S.* Teresiæ *detractum iretur!* En, *inquit deinde Boucher,* veritatem omnimodam, ut mihi videtur. Vix conscenso throno, Philippus rex II in id animum intenderat ut regularem observantiam in Ordines religiosos regnorum suorum curaret revocandam. Quamobrem a Pio V impetraverat ut P. Rubeus in Hispaniam veniret. Dum ibi erat Generalis hic, permiserat S. Teresiæ, imo injunxerat, ut quam plurima monialium suæ Reformationis cœnobia conderet : quin etiam ut duo conventus virorum
B ejusdem observantiæ fierent, annuerat. Quod si deinceps Excalceati limites a Rubeo positos excesserunt, id fecere ex auctoritate PP. Hernandezii et Vargasii; quos summus Pontifex, iterato regis rogatu, ob exiguum fructum institutæ per Rubeum visitationis, Ordinis Carmelitani visitatores apud Hispanos crearat. Atque hi quidem, utpote apostolica muniti potestate, consensum Generalis ad novas fundationes faciendas petere non tenebantur; adeoque eam petendo suam ipsi auctoritatem in discrimen adduxissent, et locum dedissent difficultatibus a Rubeo objiciendis. *Sane Rubei consensu opus non habebant visitatores; verumtamen optandum erat, id quod S.* Teresia *desiderabat magnopere, ut aliquam Rubei rationem Vargasius habuisset ac de rebus Carmeliticis amice cum eo contulisset. Nam quod addit D. Boucher de objiciendis a Rubeo difficultatibus, vix ullum habet fundamentum. Verba ejus latina facere pergamus.*

atque auctoritatem suam,

654 Non poterant quidem, *ait,* fundationes ejusmodi non permittere, tum quia hoc suo muneri valde erat proprium, tum quia bonus Carmeli Reformati odor, indies per Andalusiam Castellamque sparsus, summam in iis regnis multiplicandorum
C Excalceatorum expectationem fecerat. Præterea novæ illæ domus nec provincialium Carmeli Mitigati, nedum Generalis imperio subducebantur; sed Teresia ejusque filii fiduciam erga illos atque obsequium assidue colebant. *De S.* Teresia *certum hoc est; de ejus autem filiis idem in universum dici nequit. Clandestina illa in Andalusiam profectio et aliæ id genus artes potius contrarium arguunt : nec multum Generali fidisse videntur præcipui Excalceati, Marianus ac Gratianus, qui ne quidem audebant litteras ad eum dare.*

bona intentione,

655 Itaque, *pergit Boucher,* suorum querelis Romam delatis, tantum Rubeo inquirere licebat num visitatores apostolici Carmelum Mitigatum arctioribus obstringerent legibus quam erat Eugenii IV decreto cautum, aut ad regulam primitivam amplectendam quempiam cogerent. Quod si neutra in re excederent (*nonne quadamtenus excedere visus est P. Vargas?*), eorum zelo atque operæ in dilatanda Reformatione positæ plaudere debebat, et nominis sui existimationem in eo collocare ut, quemadmodum ei Sancta suasit (*postea quidem, at nondum hoc tempore*), peculiarem Reformatis provincialem a Summo Pontifice impetraret, ea lege ut uterque Carmelus sub uno remaneret Generali. Obnitens huic consilio et Reformationem (*quam scilicet non bene noscebat*) evertere studens, Rubeus Nuntium, probe gnarum quam proficua Religioni et ipsi Ordini Reformatio esset, ad eam omni ope fovendam regique commendandam adigebat. *Hactenus Gallus S.* Teresiæ *biographus. Ejusne an mea de Rubeo sententia æquior sit, solers expendat lector; videatque num recte asseram cum Palafoxio, tam Rubeum ejusque Calceatos* (*exceptis tamen immitibus illis fratrum suorum accusatoribus*) *quam nuntium et visitatores bona intentione fuisse operatos : dum videlicet* illos metus ne Reformatio non esset a Deo, movebat ad contradicendum, hos fiducia qua Dei opus esse credebant, animabat ad protegendum; atque ita, neutris peccantibus, utrisque merentibus, ipsa Reformatio proficiebat et per ipsas contradictiones stabiliebatur (*tom. I, epist.* 3, *not.* 16).

AUCTORE V. D. M.

D

656 *Sic nimirum, ut sapienter annotat P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate* (*tom. III, pag.* 173), oriuntur dissidia inter ipsos justos, sine utrorumvis culpa; vel, si culpa quorumdam privatorum hominum adsit, Deus solus, qui scrutator est intentionum, cognoscere de illis ac judicium ferre E certum potest... Hasce nimirum vias ad probandum servos suos Deus adhibet, quos vult per patientiam et caritatem ad coronam perducere. Atque in hujusmodi, *ait,* controversiis is mihi sanctissimus est qui plurima patitur et minime æmulum suum dijudicat. *Quo in argumento etiam audiendus doctissimus SS. Scripturarum interpres, P. Cornelius a Lapide; qui exponens hæc Angeli ad Danielem Prophetam verba :* Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus (*Dan.* X, 13), *postquam demonstravit quomodo Angeli,* licet summa caritate se invicem ament sintque summe concordes, tamen in quibusdam rebus, in quibus Deus necdum patefecit suam voluntatem, sibi invicem contraria velle possint, non absolute *illi quidem* et efficaciter, sed conditionate : Moraliter, *subjicit,* si inter Angelos, imo principes Angelorum, sunt dissidia, quid mirum inter homines sanctos subinde oriri dissensiones vel opinionum vel voluntatum, salva utrinque caritate? Ita dissensio orta inter Paulum et Barnabam causa fuit ut pluribus gentibus prædicaretur Euangelium (*Act.* v, 39). Ita S. Paulus a S. Petro dissensit (*Gal.* II, 11). Ita S. Cyprianus a S. Stephano Pontifice, S. Chrysostomus a S. Epiphanio, S. Hieronymus a S. Augustino : quos tamen caritas una cum Deo et cum sese invicem nexos vinctosque jungebat. *Hæc ille. Atque ut demum videas iis quæ hactenus disserui, nihil S.* Teresiæ *nostræ sanctitatem deprimi, adi Relationem de virtutibus ejus a S. Rotæ auditoribus factam; in qua, inter cætera speciali cum laude celebratur* prudentia qua inchoavit opus istius novæ Reformationis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, adhibita matura consideratione præsentium et futurarum rerum quæ evenire poterant, prævidendo contradictiones contradictoresque plurimos vel specie pietatis vel prudentiæ futuros : ut revera illos invenit, qui valide ipsi, cum bona tamen intentione, adversati sunt.

adeoque sine culpa saltem graviore, ipsis fuit adversatus.

F

§ XXXVII. Visitatio provinciæ Ord. Carm. Andalusiæ, a P. Gratiano jussu nuntii apostolici

AUCTORE V. D. M.

apostolici instituta. Decretum capituli generalis Placentini adversus S. Teresiam : hujus ad R. P. Rubeum litteræ.

A

Nuntii apostolici jussu P. Gratianus,

Interim dum Placentiæ capitulum generale Carmelitarum celebrabatur, P. Hieronymus Gratianus, jam pridem a nuntio Ormaneto Andalusiæ provinciæ præpositus, ut patet e S. Teresiæ *litteris scriptis* XI *Maji* 1575 *ad episcopum Abulensem* (*tom. IV, epist.* 7), *Madritum eodem mense Majo adveniens, regi ac nuntio necnon primariis ministris regiis, præsertim archiepiscopo Toletano et præsidi Castellæ, quo loco res sui ordinis in Andalusia essent, exposuit. Exhinc trimestri pene spatio ad deliberandum adhibito* (*cunctationem videlicet injiciebat P. Gratiani juventus*), *tandem die* III *Augusti Ormanetus, e consilii regii consensu, Gratiano, prudentia, mansuetudine litterisque ad res gerendas idoneo reperto, summam*

B *tribuit visitandi, reformandi ac castigandi Andalusios Calceatos potestatem : eumdemque Excalceatis Castellæ Andalusiæque universis, tam virginibus quam viris, cum provincialis auctoritate præfecit.*

de quo Sancta cum laude ad regem scripserat,

658 *Quam ad rem haud dubie non parum contulerit S.* Teresiæ *ad regem Philippum scripta epistola die* XIX *Julii, his verbis :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper cum tua Majestate. Negotia Sacri hujus Ordinis B. Mariæ Virginis multa cum sollicitudine Domino commendanti, et cogitanti quam necesse sit ut opus hoc a Deo cœptum non collabatur, occurrit mihi nullum esse efficacius rebus nostris remedium quam ut tua Majestas id omne quod ad ædificium hoc stabiliendum pertinet, probe intelligat. Anni sunt quadraginta quos in Ordine hoc vixi; et perspectis rebus omnibus, clare cognosco, nisi Excalceati suum sibi mox habituri sint provincialem, damnum ingens fore, nec fieri posse ut ita perdurent. Quoniam vero hujusce rei potestas penes te est, quem a B. Virgine nostro Ordini fautorem datum video, arrogavi mihi ut id a Majestate tua supplex petam per Domini nostri et gloriosæ Deiparæ amorem. Itaque jubeat Majestas tua rem hanc fieri : nam cacodæmon ad eam

C disturbandam nullum non lapidem movet, quamquam nihil inde mali metuendum, at potius quidquid boni sperandum sit. Agetur autem præclare de nobis, si in his operis nostri primordiis id munus demandabitur P. Excalceato quem F. Hieronymum Gratianum vocant, viro mihi jam pridem noto, juveni illi quidem, sed talibus prædito dotibus tantisque a Deo operibus multo cum fructu adhibito ut eum credam Ordini huic nostro promovendo natum. Dominus noster negotia ita moderetur ut velit tua Majestas petitioni meæ, quæ ad divinum spectat obsequium, concedere. Pro illa autem gratia qua me dignatus es, cum Caravacensis monasterii fundandi licentiam dedisti, multoties Majestatis tuæ manus exosculor. Per Dei amorem supplico ut mihi ignoscas audaciam meam : quippe quam nimiam fuisse jam animadverto; quamquam credo non fore importunam, quoniam clamorem pauperum exaudit Dominus, cujus tu locum tenes. Talem Majestati tuæ Deus quietem, ac tale vitæ spatium concedat quale assidue tibi ab ipso posco et res Christianæ fidei requirit. Scribebam XIX Julii. Indigna Majestatis tuæ serva ac subdita, Teresia a Jesu. (*Tom. II, epist.* 1.)

apud Andalusios Calceatos,

659 *Novis igitur muneribus exequendis initium Gratianus fecit visitatione Teresianorum per Castellam cœnobiorum : in quibus cum videret nondum esse unam vivendi formam, prout jam ante* (*num.* 582) *e S.* Teresiæ *narratione legimus, constitutiones condidit ab omnibus Fratribus Excalceatis uno eodemque modo servandas* (*quas legere est in Chronico, lib.* III, *cap.* XLI). *Tres circiter menses in ea visitatione consumpsit, certiores interea faciens Carmelitas Andalusiæ, se cum visitatoris munere illuc venturum. Spes aliqua ostendebatur fore ut omnia bene cederent, prout colligitur e S.* Teresiæ *ad Gratianum litteris* XXVII *Septembris scriptis, in quarum initio hæc legimus :* Heri huc accessit P. Provincialis Observantium (*P. Augustinus Suarez*) cum quodam magistro : modo etiam venit Prior, et dein alter magister; pridie autem hic fuerat Fr. Gaspar Nieto. Cunctos inveni paratos ad obediendum tibi teque juvandum in eo quod ad tollenda quæcumque peccata pertinet, modo ne in aliis rebus ad extrema adigantur. Ego illis de te spopondi fore ut suaviter sis processurus, aliaque dixi quæ mihi videbantur opportuna. Non mihi displicuit eorum responsio circa Nuntii litteras. Spero in Domino fore ut omnia optime fiant. P. Elias valde quietus est et animatus. Equidem, credo, modo sine strepitu suaviterque incipias, multum operæ confectum iri, quamvis non una die. Re enim vera cordatos hic esse homines judico : quales utinam istic quoque essent! (*Tom. III, epist.* 8).

D

E

incipiendo ab Hispalensibus, qui satis ægre

660 *Confectis in Castella negotiis, Novembri tandem mense Gratianus cum P. Antonio a Jesu in Andalusiam proficiscitur; ubi Rupeculæ incolas omnium primos invisit et novarum constitutionum codice donat, secundum quas vitam, usque ad id tempus nimis austeram, imposterum more reliquorum Excalceatorum ordinent. Dehinc Hispalim advehitur, gratissimus S.* Teresiæ *suisque Excalceatis ibi degentibus hospes. Initur mox de modo visitandi consultatio. Lenitatem suadet, uti jam pridem per litteras fecerat, S. Mater* Teresia; *at Marianus aliique severitate utendum pronuntiant. Posterius hoc consilium capessit P. Hieronymus Gratianus; diemque condicit* XXI *Novembris, quo die se conferat in Mitigatorum conventum, litteras Nuntii promulgaturus. Dictum factum. Ecce autem, ubi advenit P. Gratianus cum PP. Antonio et Bartholomæo a Jesu, ac legi publice cœperunt litterœ, tantus oritur in conventu motus tantaque*

F *vociferatio ut S.* Teresiæ *nuntiatum fuerit monachos in armis stare, obseratas esse portas, occisum Gratianum* (*consule P. Emmanuelem, tom. III, pag.* 215). *Quibus illa auditis, adeo trepidare cœpit ut Officium divinum recitare vix posset. At pacem animo Dominus reddidit, hisce eam alloquendo verbis, quæ ipsa in relatione quadam annotavit :* O mulier modicæ fidei, timorem pone; optime res agitur. *Dicit auctor Chronici Sanctam in hujus rei memoriam ordinasse ut festum Præsentationis Deiparæ, quod in* XXI *Novembris incidit, celebriori ritu in suis monasteriis ageretur. Sunt etiam qui asserunt, inter quos P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* II, *cap.* XXVII), *hinc ortum esse morem, a monialibus Teresianis pridem servatum, quotannis eo in festo vota sua renovandi. uti indicat Ven. Anna a S. Bartholomæo apud Henriquezium* (*lib.* IV, *cap.* XII) *his verbis :* Die Præsentationis Dominæ nostræ, factis in capitulo votis ad imitationem nostræ Sanctæ, quæ nobis hujusmodi usum reliquit, *etc. : quamvis postea susceperint moniales illæ consuetudinem Fratrum sui Ordinis, vota renovantium ad festa Epiphaniæ Domini et Exaltationis S. Crucis.*

661 *Ad*

se ei subjiciunt,

661 *Ad P. Gratianum cœptamque ab eo Hispali visitationem ut redeamus, en quomodo rei successum porro enarrat auctor Chronici :* Turbis interveniens Sodorensis episcopus (*de quo num.* 566), Roma non ita pridem redux, compescuit strepitantes, ponendo iis ob oculos damnum cujusque proprium, statum rei, æquum Nuntii consilium, justitiam regis, exiguum fructum illius in tres viros iracundiæ, dum tot aliis satisfaciendum esset, Præpositi Generalis displicentiam, mentem Summi Pontificis, iram plebis, quidquid hactenus vulgatum esset, firmius credituræ, cœlestem denique vindictam, quam in se, in cœnobium, in provinciam, in Ordinem universum provocarent. Marianus autem, factus mox certior quid ageretur, accurrit ad archiepiscopum et assistentem : quibus ad opem ferendum venientibus, lectisque iterum litteris, solus obedientem se præstitit P. Joannes Euangelista, subprior. Lata hinc fuit rerum notitia Madritum; unde Joannes de Padilla, qui Nuntio stimulator aderat, plura pluraque identidem emisit fulmina apostolica : donec tandem Observantes, spe præconcepta dejecti, obedienter visitationem admiserunt; et invitas licet initio, at paulatim faciles aures præbuerunt reformationi, in qua hodiedum perseverant multa cum laude.

visitationes instituit.

662 Iis itaque partim placatis, cœpit P. Visitator rebus temporalibus ac spiritualibus illius domus prospicere. Vicarium pro absente vel ægrotante priore constituit subpriorem. Quædam officia opportune Excalceatis demandavit. Observanda curavit capitulorum generalium de reformatione decreta, hisque nova quædam addidit. Choro orationique prospexit. Modum posuit egressibus. Publica delicta cum suavitate castigavit, secreta sine dedecore. Ordinavit novitiatum, tironum cura in se suscepta. Juvenes ad studia applicuit, quo eos a dissipatione averteret. Seniores ad pacem concordiamque hortatus est. Dein mente ad reliquam provinciam intenta, P. Augustinum Suarez, Andalusiæ provincialem, in Ossunensem ablegavit conventum : Exacenæ ac in S. Joannis a Portu novos creavit priores P. Joannem de Peñalosa et P. Joannem de las Infantas; alios item in aliis cœnobiis, sicubi navis pastoribus erat opus. Tum Antonium nostrum a Jesu cum P. Joanne de los Rios misit qui suo nomine obedientiam totius provinciæ exigerent. Hisce rebus, tanquam quæ in detrimentum ac dedecus sui Ordinis vergere sibi viderentur, nonnulli occurrendum rati, persuaserunt PP. Petro de Cota, priori Cordubensi, et Ludovico de Navarrete, priori Utrerensi, ut Romam transmitterent, petituri a Summo Pontifice rescissionem omnium litterarum visitatori datarum. *Hæc auctor Chronici* (*lib.* III, *cap.* XLIII, *num.* 7, 8 *et* 10).

Interim S. Fundatrici,

663 *Prius autem quam hanc Gratianus visitationem incepisset* (*uti liquet e tom. IV, epist.* 64, *num.* 2), *S.* Teresiæ, *adhuc Hispalensi fundationi intentæ et fundationem Caravacensem brevi faciendam curaturæ, decretum ex Italia allatum erat, quo per quadriennium et amplius cursus fundationum ejus fuit interruptus. Ipsam de hoc decreto moniales suas alloquentem audiamus, libri Fundationum capite* XXVII. Intellexeritis, *ait,* hasce fundationes non solum annuente Reverendissimo P. nostro Generali factas esse, verum etiam postea sub præcepto obedientiæ jubente et mandante. Neque hoc solum, sed etiam, quoties nova aliqua sedes ac conventus erigebatur, summopere sese hac nova erectione lætari, mihi scribebat. Et sane, maxima quam in laboribus omnibus meis sentiebam, recreatio erat quod illum adeo hac re gaudere viderem : putabam namque me, hanc illi gaudendi materiam dando, aliquod Domino obsequium præstare, quod esset meus superior : præter hoc, eum quam maxime diligebam. Verum, cum dictas fundationes perfecissem, a fundando aliquantisper cessatum est, vel quod Dominus aliquam mihi requiem indulgere dignatus sit, vel quod cacodæmonem male haberet tot sedes in quibus obsequium Domino præstaretur, hinc inde fundari. At satis videre fuit id per Rever. Patris nostri Generalis voluntatem non stetisse : is namque, cum eum per litteras rogassem ne mihi novorum conventuum erectionem præciperet, in illa re se minime mihi morem gesturum rescripserat. Etenim tam multos is fundari cupiebat quot in capite haberem capillos.

aversum a se Generalis Rubei animum

664 Porro, antequam Hispali reverterer, jam inde e capitulo quodam generali (in quo par et æquum videbatur ut approbaretur ac laudaretur quod aliquod Ordini factum esset incrementum) ab ejusdem diffinitoribus mihi injunctum est, non modo ut nullas posthac novas erigerem sedes, verum etiam ex omnibus jam erectis unam mihi eligerem, in qua deinceps quiete viverem, nec quacumque de causa illinc egrederer. Quod certe velut carcer est : etenim nulla est religiosa quam provincialis, ob res ad bonum Ordinis necessarias, ex uno loco ad alium (id est ex uno monasterio ad aliud) mittere non possit. Id vero gravius mihi erat quod Pater noster Generalis animo a me jam esset alieniore, esto valde sine causa et immerito; sed malevoli et suspicaces homines eum suas in partes pertraxerant, quibus ille credebat. Quod certe valde me angebat.

et calumnias inimicorum

665 Adhæc duo adversum me testimonia, et quidem in magni momenti rebus, tunc producta et procusa sunt. Ut vero misericordiam Domini videatis, carissimæ, illiusque Majestatem non derelinquere eum qui ex animo illi servire desiderat, dico vobis, non modo nullum me inde dolorem, verum etiam summum et accidentale quoddam gaudium sensisse; adeo ut jam non mirer Davidem regem ante arcam Domini euntem saltasse : etenim tunc quidem ipsa aliud nihil pro magnitudine gaudii quod intra me sentiebam, facere voluissem : nam quomodo illud celarem ac tegerem, nesciebam. Cujus rei quænam sit causa, scire nequeo : nam in aliis gravioribus oblocutionibus et contradictionibus, in quibus aliquando sum versata, simile quid hactenus non sensi : una tamen earum quæ de me sparsæ erant calumniarum, satis gravis et infamis erat. Cæterum illa posthac nullibi fundandi inhibitio (nisi illa Reverendissimi Patris Generalis indignatio accessisset et displicentia) maximam mihi afferebat quietem, et tranquillitatis erat materia, ac res quam ipsa persæpe exoptavi, vitam scilicet meam posse in quiete finire : tametsi qui id ipsum procurabant, id minime spectarent aut cogitarent, sed talem sese hac ratione mihi afflictionem dare arbitrarentur qua nulla posset dari major; etsi fortasse aliqua alia bona intentione ad hoc faciendum moverentur.

patientissime toleranti,

666 Subinde quoque me recreabant maximæ illæ oblocutiones et contradictiones quas in fundationibus illis conficiendis experta sum, quarum aliæ quidem e bona intentione proficiscebantur, aliæ alia ex causa ortum habebant. At certe tale me ullo e labore et afflictione gaudium sensisse non memini, quale ex hoc quod jam ante paulo retuli. Etenim fatear necesse est, vel unam harum trium rerum quæ simul et junctim me tunc impetivere, alio tempore nimis quam sufficientem mihi afflictionis causam futuram fuisse. Credo equidem gau-

AUCTORE V. D. M.

AUCTORE V. D M.

A dium meum inde præcipue ortum habuisse, quod cogitarem, cum creaturæ mihi tam male penderent, ipsi tamen Creatori me satisfacere. Didiceram namque eum qui e rebus terrenis et hominum laudibus gaudium ac satisfactionem quærit, valde falli ac decipi, ut nihil dicam de exiguo qui inde sequitur fructu : hoc quippe ipsis lubet et placet hodie, cras illud ; et de quo hodie bene loquuntur, postea male loquentur. Tu vero, Domine et Deus meus, qui immutabilis es, esto in æternum et in sæculum benedictus. Quisquis tibi ad finem usque fideliter servit, sine fine in æternitate vivet.

jussum affertur ut in aliquod cœnobium se abdat.

667 *Simul ac prædictum decretum a P. Angelo de Salazar, provinciali Castellæ, S.* Teresiæ *significatum est, ei se incunctanter statuit subjicere : et quamvis audierat sibi per Nuntium Ormanetum licere in fundandis monasteriis pergere, scripsit tamen ad Mariam a S. Joanne Baptista, priorissam Vallisoletanam, se, ni Nuntius secus imperaret, nulli imposterum fundationi operam daturam* (*tom. IV, epist.* 64). *Quod ad libertatem eligendi quod vellet ad habitandum cœnobii* (*elegit autem anno sequenti Toletanum*), *eidem priorissæ per alias litteras* XXX *Decembris significavit mentem sibi primo fuisse*

B *ut Vallisoletum se reciperet, nisi jussu Gratiani Hispali adhuc remanere cogeretur.* Si licuisset, *inquit,* jam tecum habitarem. Injunctum enim mihi est Reverendissimi Patris nostri mandatum, quo jubeor aliquam domum eligere in qua perpetuo sim mansura, omissis penitus fundationibus ; quia dicunt per Concilium Tridentinum monialibus vetari ne exeant claustris. Scilicet adversarii illi mei, quibus meus adventus gravis accidit, arbitrantur egregias se mihi pœnas reddere ; quamquam id mihi majori est jucunditati quam sperare ausim. Equidem tuum cœnobium adire vellem quasdam ob causas, quas epistolæ committere non expedit præter hanc unam, quod tu nempe istic es et Pater iste meus (*Dominicus Bañez*) ; verum hinc ne proficiscerer, vetuit P. Visitator, cujus nunc majus est imperium quam Reverendissimi nostri : quæ res quorsum evadat, nescio. Me sane plurimum reficeret, si modo a molestis illis reformationum turbis quiescerem ; sed Deo id hactenus non placuit. Interea spondet mihi Pater noster (*Gratianus*) fore ut proximo vere abire mihi liceat (*tom. III, epist.* 61).

Scribit rursus ad Rubeum litteras,

668 *Dein, interjectis nonnullis de fratre suo Laurentio, sororio Joanne de Ovalle, aliisque :* Quod ad

C res monasterii Incarnationis, *ait,* attinet, scribas velim ad Isabellam a Cruce me ei hic magis quam ibi auxilio esse posse, ac reapse in id incumbere. Modo Deus Pontificem Maximum, Regem, Nuntium ac Patrem nostrum ad unum alterumve annum servet incolumes, spero rebus omnibus quam optime prospectum iri : si vero cuiquam illorum mori obtigerit, actum de nobis erit, dum stat Reverendissimus noster in eadem qua nunc sententia ; quamquam aliunde rebus nostris occurret Deus. In præsentia mihi animus est ad Reverendissimum Patrem nostrum litteras dare eique etiam magis quam antea obsequi : nempe hoc ego summopere cupio et ille meretur. Vehementer me sollicitant ea quæ nunc propter malas criminationes ab illo fieri video. *Quænam fuerint illæ res monasterii Incarnationis, partim intelligi potest ex his Sanctæ ad P. Gratianum verbis, die* XXVII *Septembris scriptis :* Nunc mihi visa fui aliquam habere caritatem. Quantumvis enim acerba mihi accidit absentia tua, eam tamen libentissime adhuc per mensem ferrem, modo reficias monasterium Incarnationis. Si tamen P. Joannem (*nempe S. Joannem a Cruce*) ibi vicarium relinquas, octo dierum spatio D rem omnem confeceris. Scio ego moniales illas in his rerum adjunctis, licet initio multum vociferentur, tamen, cum caput viderint, cito victas manus dare. Multum me illarum miseret. Nuntius autem hanc rem procurando opus faceret quo nihil præstantius (*tom. III, epist.* 8). *At clarius idem intelligetur e litteris a S. Matre ad Generalem Rubeum missis ineunte anno* 1576 ; *quas modo latinitate donabo.*

669 Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper *quibus ab eo veniam* tecum. Amen. Ex quo in hanc civitatem Hispalim veni, ter aut quater ad te scripsi. Pluries id non feci, quia Patres e capitulo reversi mihi dixerunt te Romæ non affore, eo quod Mantuanos visitatum ivisses. Gratias Deo quod res illa prospere cessit. Superioribus litteris certiorem te feci tria hoc anno monasteria fundata esse : Veasi scilicet, Caravacæ et hic. Habes in iis egregias Dei ancillas tibi subjectas. Ac duo quidem priora reditus habent, hoc vero tertium non item. Licet autem propriam domum hic nondum habeam, spero tamen fore ut Deo juvante fiat. Cæterum, cum certum mihi sit aliquot e meis epistolis in tuas manus venisse, E omitto illa quæ memoravi, singillatim recensere. Item tibi dixi quantum discrepent colloquium horum Patrum Excalceatorum (Gratiani nempe ac Mariani) et nuntia quæ istinc accepi. Sunt ii veri tui filii ; et quod ad rerum substantiam pertinet, dicere audeo neminem illorum qui se maxime tibi filios profitentur, hanc iis laudem præripere. Quoniam autem me mediatrice usi sunt ut tuam gratiam recuperarent (nam ipsi ad te scribere non audebant), eos a te deprecata fui quam potui impensissime ; quod nunc iterum facio. Per Domini nostri amorem, da illis veniam, da aliquid meæ intercessioni. Nulla enim est causa cur te de veritate celatum velim : quin existimo tacere me non posse sine Dei ac tua, Patris mihi carissimi, offensione : imo etiamsi ea reticentia Deo non adversaretur, mihi tamen videretur perfida ac maligna. Quando stabimus coram Domino, videbis quantum debeas veræ filiæ tuæ Teresiæ a Jesu. Hac ego spe in his rebus sustentor : nam intelligo non defuturos qui contraria ad te referant : faciam tamen quoad potero ut omnes me ita loquentem audiant, meque, quamdiu vixero, ita intelligant quicunque animo non sint iniquo.

670 Jam antea ad te scripsi de provincia quam *Gratiano* Nuntius P. Gratiano ad se accersito demandarat. Ex F eo tempore jam audieris denuo eidem Patri injunctum esse ut Excalceatos Excalceatasque et provinciam Andalusiam visitet. Equidem certissime scio, quidquid alii contra dicant, Gratianum hanc Andalusiæ visitationem qua potuit contentione recusasse ; eaque in re, utpote nihil aliud quam magnas molestias allatura, consentientem sibi habuisse fratrem suum, regis secretarium. Re autem confecta, mihi si credidissent Patres isti, cum nullius injuria, prout inter fratres fieri decet, totum transactum fuisset. Certe meam in his operam non passa sum desiderari, tum quia æquum erat ut bene consulerem Fratribus optime semper, ex quo huc venimus, de nobis meritis, tum quia, sicuti ad te scripsi, viros hic reperi ingenio litterisque præstantes : quales utinam in Castellana provincia nostra forent ! Solemne mihi esse solet e necessitate, ut dicimus, virtutem facere. Quare voluissem ut, cum se ad resistendum paraverunt, dispexissent cui id bono. Ex altera tamen parte non magnopere miror quod ipsos tædeat tot visitationum ac novitatum, quot per hos annos ob nostra peccata vidimus : faxit Deus ut aliquo cum proventu nostro ! Valide siquidem nos concutit.

Quamquam

A Quamquam hodie, cum visitator e proprio nostro sit Ordine, non tantum inde dedecoris consequi videtur; atque equidem spero, si tu effeceris ut Gratiano bene tecum esse illi intelligant, fore ut feliciter cuncta fiant. Scribit ad te Gratianus, hanc quam dico gratiam ardenter exoptans, nec aliud quam tibi gratum facere et obediens filius tuus haberi cupiens.

ac Mariano 671 Quæ cum ita sint, per amorem Domini nostri et gloriosæ Matris ejus, quam tantopere amas, quamque etiam sic amat P. Gratianus ut ejus causæ huic se Ordini aggregarit, te oro atque obtestor ut ei benigne respondeas, eumque, præteritarum culparum oblitus, in filium ac subditum recipias, qualis verissime est. Perinde etiam est de misello illo Mariano, nisi quod interdum se ipse non intelligit; unde nec mirarer si ad te scripsisset longe alia ac habet in voluntate. Declarare enim suam mentem non recte novit; sed profitetur numquam se in animo habuisse ut te seu verbo seu facto offenderet. Quoniam autem dæmon omni ope conatur res ad suam detorquere sententiam, ejus improbitati assignandum est, si quid ab utroque illo Patre,
B neutro tamen volente, factum fuerit minus recte.

precatur, 672 At considera, quæso, filiorum proprium esse errare, patrum ignoscere et errata non attendere. Iterum supplico tibi per Domini nostri amorem, vide quam multas ob causas hanc mihi gratiam a te fieri conveniat. Eas causas forte istic non intelligis sicuti ego hic. Licet autem nos mulierculæ consiliis dandis parum aptæ simus, at interdum rem acu tangimus. Mihi quidem videtur nihil mali oriri posse, sed potius multum boni proventurum, si in gratiam receperis illos, qui, si præsentes adessent, libentissime se ad pedes tuos abjicerent (neque enim ipse Deus veniam dare recusat), sique hoc pacto innotuerit omnibus quam jucundum tibi sit reformationem procurari a subdito tibi filio, cui tu propterea non sine voluptate ignoscis. Si plures essent quibus id reformandi munus committi posset, aliter sentirem : sed quoniam, ut apparet, nemo iisdem ac Pater iste insignitur dotibus (quod certe scio te etiam dicturum, si virum videres), quidni ostendas tali te subdito delectari? Unde nimirum intelligant universi, si bene quidem processerit isthæc reformatio, tua id opera, tuis consiliis monitisque fieri. Et dummodo sciatur tibi hanc rem placere, tota plana erit. Volebam equidem plura de hoc ar-
C gumento scribere. Supplico autem Domino nostro ut intelligere te faciat quid maxime conveniat; mea enim verba jam dudum nihil apud te perfecere. Bene equidem secura sum; nam, si verbis aberrem, voluntate tamen non aberro. P. Antonius a Jesu hic adest, nec potuit aliter facere; licet et ipse, æque ac alii Patres illi, defendere se cœperit. Litteras ad te scribit, feliciores forsan meis futuras, ut tandem de omnibus hisce quæ dico, ita sentias uti convenit. Perficiat omnia Dominus, sicut potest et oportere videt.

et jusso ejus se libenter, 673 Jam novi mandatum quo capitulum generale vetuit ne domo exeam. Huc illud miserat P. Angelus provincialis ad P. Ulloam cum præcepto ut mihi illud significaret. Putans vero is rem istam mihi molestam fore (nec enim Patres isti aliam ob causam id procurarunt nisi ut mihi afferrent molestiam), mandatum penes se retinebat. Equidem, cum aliunde de eo audivissem, ante mensem et paulo amplius curavi ut mihi daretur. Dico autem tibi certissime, quoad possum res ipsa meas intelligere, magnæ hoc mihi lætitiæ voluptatique futurum fuisse, si tu ipse per litteras mandatum istud ad me misisses; unde perspexissem hoc mihi a te injungi quia compatiebaris magnis laboribus quos ego (parvis tantum patiendis par) in hisce D fundationibus sustinui; adeoque quietem mihi a te concessam, non pœnam, sed præmium esse. Sed enim, licet longe alia via mandatum ad me pervenisse video, valde equidem gaudeo quod requiescere tandem aliquando mihi liceat. AUCTORE V. D. M.

quam primum poterit, obtemperaturam spondet; 674 Interim pro magno meo in te amore, quantumvis animo recreer, non potui non ægre ferre ita rem hanc de me, quasi valde inobsequente, actam esse, ut P. Angelus potuerit, me nihildum sciente, eam in aula divulgare, putans me acerbissime ea affici. Atque adeo idem ad me scripsit remedium a me in curia Summi Pontificis quæri posse : quasi vero res isthæc non magno mihi foret levamini. Enimvero, etsi hoc quod tu mihi præcipis, foret laboriosissimum, tamen ne in mentem quidem mihi veniret ut obedire desinerem : nec unquam velim Deus mihi det locum in re quacunque tuæ voluntati adversa acquiescendi. Namque verissime, teste Deo, dicere possum, si in laboribus, sollicitudinibus, ærumnis ac murmurationibus a me sustentis aliquod umquam levamentum accepi, non aliunde profecto me id accepisse quam quia scie-
E bam me tuam exequi voluntatem tibique gratificari : quod ipsum nunc imperata tua faciendo consequar. Hæc equidem jam volui in opus deducere : sed, quoniam prope erat festum Nativitatis Domini ac via longissima, moderatoribus aliter visum fuit, judicantibus scilicet te non velle valetudinem meam in discrimen adducere. Proin adhucdum Hispali remaneo, quamvis propositum habeam hinc proficiscendi simul ac hiems transierit : namque non satis mihi convenit cum gente Andalusia. Plurimum autem te oro ut, quemlibet in locum me recepero, non omittas ad me scribere. Quippe metuo, quoniam nulla jam habeo negotia (quod sane mihi accidit quam gratissimum), ne mei te deinceps capiat oblivio : id quod tamen meæ culpæ adscribendum non erit, quandoquidem, te licet scriptionem omittente, ego certe a litteris mei solandæ causa ad te dandis non cessabo.

conqueritur de dictis factisque adversariorum, 675 In his terris nemo intellexit umquam aut modo intelligit per decreta Concilii litterasque apostolicas potestatem præpositis adimi mittendi aliquorsum moniales pro utilitate ac rebus Ordinis, quæ possunt occurrere plurimæ. Equidem pro meipsa hoc non dico (quippe quæ sim ad nihil utilis; et non solum in cœnobio quocumque, ubi
F quiete et otio aliquo fruar, sed etiam, modo id tibi placere intelligerem, in carcere totam vitam exigerem libentissime), sed ne de præteritis ullum habeas scrupulum. Etiamsi enim patentes litteræ mihi præsto erant, tamen nusquam fundatum ivi (alia autem quam fundationis causa ire me non potuisse perspicuum est) absque prælati scripto mandato vel permissu. Ita per P. Angelum mihi licuit Veasi ac Caravacæ instituere cœnobia; huc vero accessi jussu P. Gratiani, qui interea eamdem ac nunc potestatem a Nuntio habebat, licet ea non uteretur. Nihilominus apostasiæ crimen mihi impegit ac me traduxit tanquam excommunicatam P. Angelus : cui Deus indulgeat. Nosti ac testis mihi es quantopere semper concordiæ te inter et ipsum stabiliendæ insudarim eique gratum facere studuerim omnibus in rebus divino obsequio non adversis. Nec tamen sic quidem gratiam ejus mihi reconciliavi. Næ faceret is multo melius, si iram suam converteret in Valdemorium : qui cum sit prior Abulæ, non sine magno populi scandalo Excalceatos Patres (*S. Joannem a Cruce et P. Germanum a S. Matthia*) ab Incarnationis cœnobio dimovit; et illius

AUCTORE V. D. M.

illius cœnobii virgines, sanctissime ad Dei laudem viventes, miserandum in modum afflixit atque turbavit. Et hæ quidem, uti ad me perscriptum fuit, culpam sibi ipsis adscribunt ut eam a priore dimoveant. Sed jam accepi rediisse illuc Excalceatos et vetitum a Nuntio fuisse ne quis alius e Carmelitano Ordine Confessiones illarum excipiat. Indolui vehementer monialium istarum derelictioni; quæ ab istis nihil præter panem accipiunt, dum ex altera parte adeo excruciantur ut me non possit earum non summopere misereri.

A

ac propensum erga Rubeum animum profitetur.

676 Deus omnibus hisce malis remedium afferat, teque nobis ad plurimos annos servet incolumem. Audivi hodie Generalem Dominicanorum huc venturum esse. Utinam mihi Deus illam faceret gratiam ut te quoque venire contingeret! At vero aliunde tuus iste labor nimiam mihi injiceret sollicitudinem; ac proin hæc mihi jucunditas differenda est in æternitatem illam quæ finem non habet, ubi tandem videbis quid mihi debeas. Faxit Deus per misericordiam suam ut felicitatem illam promerear. Istis Reverendis Patribus meis, sociis tuis, commendo plurimum ut mei in precibus suis sint memores. Hæ vero subditæ tuæ ac filiæ tibi supplicant ut tuam eis benedictionem impertiaris : quam ego mihi quoque a te exposco. Hispali, *etc.* (*Tom. I, epist.* 13).

B

§ XXXVIII. Caravacæ duodecimum virginum Tercsianarum, Sancta non præsente, inchoatur monasterium. Ipsa Hispali novam monialibus suis domum prospicit.

Fundatio Caravacensis,

Epistola S. Teresiæ *ad R. P. Rubeum, qua superiorem clausimus paragraphum, scripta fuit, uti ex ipso argumento ejus patet, initio anni* 1576; *posteaquam scilicet Carmeli Reformati virgines possessionem adierant cœnobii Caravacensis. Caravaca oppidum est antiqui regni Murciani, orbi Christiano notissimum ob miraculosam Crucem, de qua Papebrochius noster, Vitam S. Ferdinandi regis illustrans, specialem edidit dissertationem* (*tom. VII Maji, pag.* 392 *et seqq.*). *Factam ibi suo absentis nomine ac mandato fundationem S.* Teresia *hoc modo describit capite* XXVII : Interim dum Abulæ in S. Josephi agerem, ad Veasensem, quæ jam supra descripta est, fundationem peragendam jamjam abitura, adeo quidem ut nonnisi sarcinulæ nobis conficiendæ essent, quibus ad iter necessaria imponerentur, venit ad me missus Caravaca hac sola de causa nuntius, cum litteris matronæ cujusdam cognomento Catharinæ, quibus mihi illa significavit tres honestas virgines, postquam cujusdam Patris e Societate Jesu concionem audiissent, in domum suam se subduxisse, nec ante ex ea egredi decrevisse quam illo in oppido monasterium fundaretur. Id illas credo cum hac matrona sic tractasse et transegisse; hæc enim erat quæ illas in hac fundatione peragenda maxime juvit. Erant hæ e primariis oppidi illius nobilibus prognatæ. Una patrem habebat Rodericum de Moya, insignem Dei famulum, summæque prudentiæ virum. Simul inter se tantum facultatum habebant quantum ad simile opus inchoandum satis erat. Noverant adhæc quidnam in horum monasteriorum fundationibus Dominus fecisset; etenim Patres Societatis Jesu, qui rei huic semper auxilio et subsidio, qua poterant, fuere, hæc eis declaraverant.

C

D

quæ dilata fuerat aliquamdiu,

678 Ego autem, ut pium harum virginum desiderium et fervorem perspexi, quodque jam e longinquo B. Virginis Ordinem conquirerent, magno pietatis sensu erga illas mota fui, bonoque earum proposito morem gerere constitui. Cognito vero locum non procul Veaso abesse, plures solito mecum moniales illuc conduxi. Nam, quantum e litteris apparebat, non dubitabam quin facile inter nos conveniremus. Unde statui, Veasensi fundatione constabilita, illuc me quam primum conferre. Sed quoniam Dominus aliud facere decreverat, omnia mea proposita et decreta parum juvere : nam, quemadmodum jam ante in Hispalensi fundatione dictum est, ipsa concilii commendatorum licentia non satis tempestive data est; atque ideo, interim dum illa impetraretur, res (quamquam ipsa illuc me conferre plane decreveram) intermissa fuit. Fatendum tamen est, me, dum Veasi de oppidi illius situ inquirerem, intelligeremque illud satis remotum esse, et hinc illuc proficiscentibus viam adeo difficilem esse ut qui moniales visitatum abirent, prælatos et superiores magnam in proficiscendo molestiam subire oporteret (quod hauddubie illis displiceret), non satis ad hanc fundationem inchoandam animo propendisse.

E

tandem, Juliano de Avila et Antonio Gaitan

679 Quia tamen bonam Caravacensibus illis spem dederam, P. Julianum de Avila et Antonium Gaitanum rogavi, illuc sese conferrent, visuri quidnam rerum esset, et, si ita illis videretur, cœpta dissoluturi. Hi Caravacam cum venissent, rem pene desperatam et depositam compererunt, non quidem ex parte earum quæ futuræ erant moniales, sed ex parte D. Catharinæ, a qua tamen una res omnis dependebat, quæque illas in quadam ædium suarum parte, tamquam si jam tum in claustro religioso agerent, ab aliis secretas fovebat. Ipsæ vero religiosæ adeo in proposito suo constantes erant, ac præsertim duæ (eæ, inquam, quæ de facto futuræ erant moniales), ut P. Julianum de Avila et Antonium Gaitanum usque adeo suas in partes pertraxerint, ut, priusquam hi inde recederent, fundationis tabulas et instrumenta confecerint illisque confectis ad me redierint, virgines illas plane contentas et gaudio delibutas relinquentes : ipsis vero tum harum, tum soli et oppidi bonitas mire placuerat, ut satis eam deprædicare et dilaudare non possent; sed et itineris difficultatem satis extollebant.

F

operam conferentibus,

680 Ego vero stipulationis tabulas ut vidi confectas, ipsam tamen commendatorum facultatem æquo diutius differri, bonum Antonium Gaitanum quod is mei causa, omnem difficultatem laboremque libenter suscipiebat, tum etiam quod ipse et socius rem cordi habebant, denuo illuc, ut fundatio optatum ad exitum perduci et perfici posset, amandavi : quocirca his solis isthæc adscribi et attribui fundatio debet : nam, si hi illuc se non contulissent et cum fundatoribus convenissent, ego certe de illa parum laborassem. Dixi ergo illuc abiret, et loculatam rotam ac cancellos in domo in qua adeunda esset possessio et moniales commoraturæ, usquedum proprias et commodas ædes invenirent, collocaret. Quapropter ea de causa ad plures dies illic hæsit : nam in Roderici de Moya (qui, uti jam dixi, harum puellarum unius pater erat), cum ædium suarum partem hunc in usum libenter nobis dedisset, omnia hæc ad aliquot dies accommodabat.

681 Cum vero jam facultas submissa, et ego in procinctu

remotisque regis interventu obstaculis,

A procinctu jam starem ut illuc abirem, intellexi inter alias conditionem hanc additam esse, ut commendatoribus domus subjecta esset, ipsisque moniales obedientiam præstarent : in quam ipsa consentire prorsus non poteram, quod Carmelitarum et proinde B. Virginis Deiparæ is Ordo esset. Unde nova petitione opus fuit : nam in hac et Veasensi fundatione aliter fieri ac transigi non potuit. Sed rex noster, qui in præsens est Philippus II, hanc mihi gratiam præstitit, ut, cum ei scripsissem, mandarit ut quæ peterem, mihi concederentur : adeo scilicet is gratificari et favere gestit religiosis, iis, inquam, qui professionis suæ regulam sequuntur et exacte servant. Cognito namque ecquæ nostra esset in hisce monasteriis vivendi ratio, primigeniamque in iisdem servari regulam, in omnibus et ubique nobis se propitium præstitit. Quapropter etiam atque etiam vos rogo, carissimæ, ut particulari semper modo pro ejus Majestate fiat oratio, uti et modo ea apud nos fit.

e P. Gratiani auctoritate

682 Interim dum denuo ad regiam pro impetranda facultate legatio mittitur, ego, Patre commissario (qui tum erat, uti et modo est, P. Hieronymus Gratianus a Matre Dei, sicuti antea retuli) B jubente, Hispalim profecta sum : unde miseræ illæ virgines usque ad primum sequentis anni diem inclusæ mansere : et cum primum Abulam ad me scripsere, mensis Februarius agebatur. Facultas quidem non diu dilata est; sed, quod ipsa procul distarem et variis oppressa essem malis, illis succurrere tunc non poteram; quamquam sortem illarum miserarer, eo quod sæpe ad me scriberent, suamque orbitatem identidem exponerent. Unde nefas putavi diutius eorum vota et expectationem frustrari. Quod autem illuc me abire videretur impossibile, cum quod locus adeo esset remotus, tum quod fundatio in qua versabar, nondum plane esset confecta, hinc P. Hieronymus Gratianus visitator constituit, ut saltem moniales, quæ fundationis initia ponerent, illuc, tametsi ipsa non adessem, e Malagonensi domo, in qua interim manserant, sese conferrent. Procuravi ut illa præposita esset quam optime munere suo functuram credebam (est namque multo me melior) : quare, omni re necessaria secum sumpta, cum duobus Patribus Excalceatis ex Ordine nostro, se in viam dederunt; nam P. Julianus de Avila et Antonius Gaitanus jam abhinc diebus aliquot ad proprias sedes reverterant : quod autem locus valde dissitus C esset et tempus satis importunum (finis videlicet Decembris), illos evocare nolui.

et Teresiæ *absentis præscripto*

683 *Abeunti Caravacam Annæ a S. Alberto, in illius monasterii priorissam destinatæ, S.* Teresia *conscripsit instructionem seu memoriale sequens de iis quæ pro fundatione essent observanda :* 1. Quamprimum eo veneris, in domum te abde, nec permitte quemquam ingredi; sed qui colloqui volet, dum crates ponentur, id faciat sive eo in loco ubi crates ponendæ sunt sive per loculatam rotam : curabis autem ut mox crates ordinentur. 2. Necesse est ut, anteaquam Missa celebretur sive domus possessio capiatur, campanam jubeas suspendi, exhibeasque litterato alicui scripturas a matronis illis confectas, quibus domui reditus attribuitur, et patentes litteras quibus constet hoc a te auctoritate R. P. Generalis fieri : qua auctoritate, nec non pro potestate a me tibi concessa, domum admittas absque ullo onere aut obligatione exactionis alteriusve rei; quandoquidem ita scripto firmatum est. Facta scriptura hac, quæ num recte composita sit, P. Ambrosius vicarius noster videbit, eademque a te ac matronis illis subsignata, inferri illuc poterit SS. Sacramentum. 3. Adverti etiam debet apponendam scripturæ esse licentiam regiæ Majestatis : de episcopi vero licentia non arbitror nobis amplius agendum esse. D Pulsanda autem est campana ad Missam pro adeunda possessione; nec necessaria est benedictio ecclesiæ, siquidem non est propria. 4. Capta possessione, poterunt virgines illæ vestem nostram, quando libebit, assumere. Teresia a Jesu. *Hoc memoriale hispanice legere est tomo IV epistolarum S.* Teresiæ (*fragmento* LXXXII). *Spectat etiam ad fundationem Caravacensem epistola quam Sancta* XIX *Februarii* 1576 *Hispali dedit* (*tom. III, epist.* 47) *ad Rodericum de Moya, jam supra* (*num.* 677) *ab ipsa laudatum, cujus in ædibus Anna a S. Alberto cum sociabus suis habitaverat a die* XVIII *Decembris ad kalendas usque Januarias, uti testatur Ribera* (*lib.* III, *c.* IV).

AUCTORE V. D. M.

perficitur kalendis Januarii 1576.

684 *Paucissimis dehinc verbis narrationem hujus fundationis Sancta concludit, ex eaque dilabitur in pulcherrimam de vita religiosa ac laboribus a se exantlatis digressionem; quam supprimere nefas duxi, eo magis quod historica nonnulla contineat. Ita igitur loqui pergit :* Ubi moniales Caravacam appulere, magno totius populi plausu et summo illarum virginum quæ adeo reclusæ fuerant, gaudio exceptæ fuere. Fundatum porro monasterium et Sanctissimum Altaris Sacramentum primo anni MDLXXVI E die illatum est. Eodem ipso die duæ illarum religiosam sumpsere vestem; tertia vero, quod melancholica cumprimis esset et clausuram pati vix posset, nedum tantam vitæ austeritatem et pœnitentiam, cum quadam sorore sua ad paternas ædes voluit reverti.

Hortatur Sancta moniales suas

685 Videte, carissimæ, Dei judicia, quantumque ad ei serviendum teneamur, nos, quas, usquedum professionem emitteremus, perseverare, atque jugiter in domo Domini velut propriæ Beatæ Virginis filiæ manere, concessit. Mirum certe, Majestatem ejus voluntate et facultatibus virginis illius ad fundationem monasterii hujus uti voluisse, et eo ipso tempore quo potitura esset re quam tantopere desiderarat, robur et animum eam defecisse, et ab humore melancholico ipsam se expugnari sivisse, cui omnem non raro imperfectionem et mutationis nostræ culpam imputamus. Utinam divina Majestas quam abundantissime suam nobis donet gratiam! Per hanc namque fiet ut nihil nos impediat quominus semper in ejus obsequio progrediamur. Præterea omnes, quotquot sumus, protegat, ne tam bonum et illustre principium nostra inertia ignaviaque intercidat, sicuti facere dignatus est ut ipsum a miserabilibus mulierculis, quales ipsæ sumus, initium et ortum haberet. Quare nomine ejus vos rogo, sorores et filiæ meæ, hanc ut gratiam identidem ab eo efflagitetis, et unaquæque earum quæ post venturæ sunt, sibi persuadeat in sese primigeniam et reformatam Ordinis B. Virginis regulam denuo incipere et reflorescere; et nullatenus in ullam mitigationem inducendam consentiat. Cogitate vero etiam minima quæque aditum et januam ad maxima pandere, et vobis nescientibus, mundum subingressurum. F

ut Deo, in ipsas benignissimo,

686 Mementote per paupertatem et labores perfectum ad exitum perductum esse id quo vos jam quiete et pacifice fruimini; et, si recte advertatis, videbitis potissimam harum domorum partem non tam ab hominibus quam a potenti Dei manu fundatam et stabilitam esse : gaudet porro Majestas illius ea promovere opera quæ ipsemet facit, nisi nos a parte nostra impedimento simus. Undenam enim putatis fuisse mulierculam, qualis ipsa sum, vires et robur ad tam magna opera patranda habituram? Quippe ab alterius manu et potestate dependebam, ac ne vel obolum habebam, nec aliquem qui mihi ullum subsidium adferret. Nam

AUCTORE V. D. M.

A frater ille meus qui in Hispalensi fundatione auxilio fuit, quique aliquid facultatum nec non animum et bonam voluntatem ad aliquatenus adjuvandum habebat, in India tum versabatur. Videte, carissimæ, dexteram Excelsi. Num forte mihi honor attributus quod nobili essem stirpe edita? Quibuscunque ex partibus rem inspicere voletis, illius id opus esse comperietis. Quare nefas est nos illud vel in minimo imminuere, etiamsi pro vitæ, honoris et quietis nostræ compendio, idque eo magis quod hæc omnia hic junctim et simul habeamus. Vita namque est ita vivere ut mortem vel ullos vitæ hujus casus haudquaquam metuamus; sed eamdem in omnibus animi serenitatem et lætitiam præferre, qualem omnes, quotquot estis, jam habetis, nec non illa frui prosperitate et affluentia qua nulla haberi potest major, quæ est paupertatem non exhorrescere, sed eam potius desiderare.

se totas devoveant,

687 Cui vero rei assimilem interiorem simul et exteriorem pacem quam semper habetis? In vestra porro manu est cum illa vivere et mori, quemadmodum mori vidimus illas quæ hactenus hisce in monasteriis mortuæ sunt. Si enim a Deo semper petatis ut hoc ipsum ulterius producat et adaugeat, nullamque B in vobis ipsis fiduciam habeatis, suam ille misericordiam vobis non denegabit, dummodo semper in ipso spem et fiduciam collocetis, et generosas et animosas vos præbeatis; etenim Majestati illius id quam gratissimum est. Nolite metuere ne quidquam vobis desit, et numquam rejiciatis eas quæ in Ordinem admitti postulant (dummodo illarum desideria et naturæ talenta vobis placeant), si forte illis necessaria ad hoc subsidia desint, modo intentio illarum sit ut majore hic cum perfectione Domino serviant; neque etiamsi fortunæ bonis careant, dummodo ab internis animæ bonis sint instructæ : alia namque via in duplum vobis Dominus rependet id quo hanc ab causam opus habebitis.

ejusque gloriam in pauperibus æque ac divitibus admittendis

688 Magnam ipsa rei hujus habeo experientiam. Novit quippe Majestas ejus, me, quantum recordor, nullam umquam ob rei hujus defectum in Ordinem suscipere prætermisisse. Testari id possunt plurimæ illæ quæ solo Dei ipsius intuitu et causa admissæ sunt, uti vos ipsæ non ignoratis. Et certe in veritate asseverare vobis possum non tantum me gaudii in animo sentire solitam, dum opulentam aliquam admitto, quantum, cum illas quæ solo Dei amore suscipiuntur : imo vero locupletiores semper C me timere faciebant; pauperculæ autem spiritum mihi et animum dilatabant, earumque admissio tanto me replebat gaudio ut mihi præ mentis jubilo lacrymæ erumperent. Est hoc quam verissimum. Si ergo cum domus aut emendæ aut restaurandæ erant, Dominus tam fideliter nos juvit, cur non facturus est idem, habentibus jam nobis ubi vivamus et habitemus? Mihi credite, filiæ, per id vos facturas dispendium per quod facturas vos putaretis compendium. Quando autem quæ admitti postulat, facultates habet et bona, nullas tamen alias obligationes et debita, si bona hæc aliis relinquere velit qui fortasse iis opus non habebunt, consultius sane fuerit ut vobis ea in eleemosynam det : aliter enim si faciat, parvi id in vos affectus signum esse sentio. Semper vero illi quæ admitti postulat, proponite ut de facultatibus quas habebit, disponat et faciat id quod viri docti ad majorem Dei gloriam spectare judicabunt. Malum namque foret, si ob alium quam eum quem dixi finem et scopum, ab aliqua quæ admittitur, facultates peteremus. Namque longe plus lucramur per hoc quod illa faciat quod Deo suo debet (majore, inquam, cum perfectione) quam per omnes facultates quas secum ferre potest; cum aliud non spectemus (nec ut aliud spectemus permittat Deus) quam ut Majestati D ejus in omnibus et per omnia obsequium præstetur.

unice spectent;

689 Et quamquam ipsa inepta et miserabilis sum, tamen, tum ad honorem et gloriam ejus, tum vero ut gaudeatis, recogitantes quomodo hæ domus ejus fundatæ sint, dico numquam me illarum negotio in hisce fundationibus, nec in re quacunque quæ harum occasione mihi quomodolibet occurreret (tametsi etiam nullam omnino fundare potuissem, nisi ab hac intentione vel paululum deflectendo), quidquam facturam fuisse, aut etiam fecisse, quod Dei voluntati vel minimum repugnare aut cum ea usquequaque non convenire nossem, secundum id quod confessarii mei consulebant; qui, ex quo hæc ago, semper viri maxime docti et egregii Dei famuli fuere : et, quantum quidem recordor, numquam mihi aliud in mentem venit aliamve intentionem habui.

et pauca quædam de se

690 Forsitan fallor, ac multa sane commiserim quæ ignoro, atque infinitæ meæ erunt imperfectiones. Novit hoc Dominus, qui veracissimus et æquissimus est judex; ac proinde plura de meipsa non dico quam scire et nosse potui. Video adhæc evidentissime hoc a me profectum non esse, sed ex E eo quod Deus opus hoc fieri volebat. Quod ergo suum id opus esset, ideo mihi aderat hancque gratiam præstabat. Idcirco namque id refero, carissimæ, ut noveritis eo majorem vestram erga eum obligationem esse, et sciatis ea quæ hactenus facta sunt, sine ullius injuria, læsione ac præjudicio facta esse. Benedictus sit ille, qui omnia hæc fecit, et hominum qui nobis auxilio fuere, caritatem et benevolentiam excitavit. Utinam vero Majestas illius semper nos protegere, et simul gratiam dare, ne post tot favores acceptos nos ingratas præbeamus, dignetur. Amen.

suisque laboribus, tam corporalibus

691 Jam vidistis, carissimæ, aliquas me difficultates et vexationes passam esse (quamquam credam eas quas scripsi, minimas esse; si enim singillatim eæ et enucleatim dicendæ essent, infiniti ea res laboris ac tædii foret), tum in viis et itineribus, tum in aquis, nivibus, deviatione, et maxime quod sæpe tam infirma fuerim valetudine, ut aliquando (nescio an non id jam ante retulerim; etenim id in prima profectionis die contigit, cum Malagone Veasum peteremus) febri æstuarem, et tot simul malis oppressa essem, ut viæ qua eundum erat, longinquitatem considerans, meque ita constitutam cernens, Patris nostri Eliæ Jesabelem fugientis F recordarer, ac dicerem : « Quomodo hoc perferre » potero, Domine? Tuum est huc advertere. » Et revera Majestas ejus, ita me debilem et infirmam videns, subito me a febri necnon ab omnibus morbis, qui extremi erant, liberavit : ex quo postea in eam deveni cogitationem ut sanationem illam meam adscriberem ingressui cujusdam sacerdotis, insignis Dei famuli; et forsitan in hoc non errabam. Sed cuicunque demum causæ illa sanatio adscribenda sit, ipsum saltem malum, tum interius, tum exterius, repente et in momento me deseruit. Valetudine ergo confirmata, corporales labores æquo animo perferebam.

quam spiritualibus, subjungit.

692 Porro in multorum ac variorum hominum conditionibus ferendis (quod certe in singulis pene locis occurrebat et necesse erat) non parum mihi laboris subeundum erat. Adhæc, in filiabus et sororibus meis, cum de uno loco in alium proficiscendum erat, deserendis, satis magnam me crucem et molestiam (quod eas singulari quodam amore complectar) sensisse vobis assevero; præsertim cum cogitabam me eas amplius visuram non esse, magnumque earum dolorem et lacrymas intuebar.

Quamvis

AUCTORE V. D. M.

A Quamvis enim ab aliarum rerum amore multum elongatæ sint, tamen affectum erga me illis Dominus auferre non voluit, forsitan ut sic ipsa majorem patiendi materiam haberem, quod illas unice diligam, tametsi hunc illis amorem, quantum poteram, conarer abscondere, ne eum ipsæ agnoscerent. Unde etiam subinde eas objurgabam et reprehendebam, tametsi parum per hoc proficerem : etenim amor quo me hæ prosequuntur, magnus est, et quantum permultis e rebus videre est, verus ac sincerus.

Falsitatem criminum S. Teresiæ *impactorum*

693 *A Caravacensi fundatione Hispalim nos revocant calumniæ in S. Fundatricem ejusque monachas initio anni* 1576 *spargi cœptæ; quas Ribera commemorat lib.* III, *cap.* III, *allegans litteras a Sancta scriptas* XXIX *Aprilis ad priorissam Vallisoletanam* (*tom. I, epist.* 47). *Nos hoc loco aliquid de eadem re narrantem audiamus Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem, in quodam commentariolo* (*cui inscriptio est :* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi). Ea tempestate, *inquit,* in monasterium nostrum intravit magna quædam beata; quæ brevi vitæ nostræ impatiens, claustra clam nobis deseruit opera consilioque sacerdotum quorum-
B dam, quibus Sancta nostra ad eam consolandam permiserat ut Confessiones ejus exciperent. Ut autem egressum suum misella excusaret, accusavit nos apud Inquisitores tanquam erroribus Illuminatorum implicitas. Inter alia dixit moniales nostras ad mensam Eucharisticam accedere facie discooperta : nempe unum esse omnibus velum, atque hoc tantum cæremoniæ causa, quo sibi quæque, dum Corpus Christi sumeret, caput velaret. Porro, donec nostris usibus domus accommodaretur, locus ubi Sacra Communio a nobis fieri solebat, situs erat in peristylo ardoribus solis patulo : quare, vitandæ lucis ac mentis colligendæ ergo, sedebamus singulæ, quoad fieri poterat, vultu converso ad parietem. Quod calumniatrix illa in tam malam partem vertit, additis mendaciis plurimis ac testimoniis adversus S. Matrem nostram, ut unus ex Inquisitoribus rem examinatum venerit. At detecta accusationum falsitate, compressa illico res illa fuit; quamvis extrancæ essemus et interim Illuminatorum secta grassaretur. Mox vero aliæ subsecutæ sunt molestiæ; quæ quidem tantæ fuerunt ut Sancta, abitum parans sibi a Generali injunctum, mihi declararit se nunquam majora passam fuisse a tempore fundationis
C Abulensis. Cumque ego negarem his in adjunctis proficiscendum Teresiæ esse : modo enim a Sacro Tribunali quæstionem de rebus nostris institui; a quo si prehendi forte juberetur, nec jam inveniretur Hispali, quid porro futurum esse? hæc, inquam, mihi objicienti ait Sancta : « Recte tu quidem, » judicas, filia; et voluntas Dei est ut adhuc» dum hic consistam. » Postea quoque mihi aliquando dixit : « Quantum, filia, me consolabaris, » quando ajebas me ad Inquisitionem deductum » iri! » *Ita fere Maria a S. Josepho apud P. Emmanuelem a S. Thoma* (*tom. III, pag.* 215 *et* 216).

agnoscunt Inquisitores Hispalenses.

694 *Alia eodem pertinentia refert Yepesius hoc modo* (*lib.* II, *cap.* XXVII) : Cum quadam die P. Hieronymus a Matre Dei Sanctam invisum iret, vidit in platea non paucos equos mulosque Inquisitorum ac ministrorum S. Tribunalis, qui examinis causa monasterium subierant. Stabat interea in angulo quodam sacerdos (*criminator ille videlicet de quo Ribera loco citato loquitur*), exspectans fore ut moniales e sua domo ad carcerem deducerentur. Eo spectaculo consternatum non modice ac turbatum P. Hieronymum S. Mater excepit animo vultuque lætissimo, spem præ se ferens fore ut ignominiæ ferendæ sibi aliqua daretur occasio : quippe ærumnas atque opprobria, dum nullius sibi esset conscia culpæ, in maximis ac suavissimis habebat deliciis. Videns autem boni Patris mœrorem ac metum, bono esse animo jussit : nimirum Deum, cui curæ esset ancillarum suarum fama, haud permissurum ut ea macularetur aut læderetur; quidquid ad offuscandam veritatem molirentur adversarii, id omne frustra futurum esse : hoc enim sibi jampridem in oratione Dominum dixisse. Verba Sanctæ comprobavit eventus. Namque Fidei quæsitores, edocti quid rei esset, primum in accusatorem severe animadverterunt : dein, quo sibi certius constaret de spiritu et orandi modo S. Matris, negotium commiserunt P. Roderico Alvarez, Societatis Jesu sacerdoti, rerum divinarum peritissimo; qui cum vitæ relationem sibi a Sancta scriptam (*quæ est t. I, epist.* 19) approbasset ac S. Inquisitioni exhibuisset, procella omnis non sine magna Teresiæ ac monialium ejus laude dissipata fuit. *Relationem cujus hic meminit Yepes, fere integram exscripsit Ribera lib.* IV, *cap.* IV.

D

Sanctam sororem

695 *Laboribus omnigenis, quos hactenus commemoravi, perfunctæ S. Fundatrici denique licuit verno tempore, uti patet ex litteris scriptis* IX *Maji ad* E
P. Marianum tunc Madriti degentem (*tom. III, epist.* 33), *domum bene ordinatam coemere, eoque ad diem* III *Junii suas moniales deducere; quomodo ipsa narrat capite* XXV *libri Fundationum hisce verbis :* Vix credat quisquam in civitate adeo copiosa et tot opulentos inquilinos habente, qualis Hispalensis est, minorem monasterii fundandi occasionem et opportunitatem fuisse quam in omnibus in quibus hactenus fueram oppidis : imo adeo ad hoc deesse hic opportunitas videbatur, ut subinde apud memetipsam reputarem e re nostra non esse hac nos in civitate conventum habere. Nescio autem an cœli climati hoc sit adscribendum : nonnunquam enim audivi dici diabolos hic ad tentandum potentiores esse quam alibi, Deo hanc illis potentiam dante : unde etiam me hic acriter impetivisse videntur; nam numquam, quoad vixi, ita me pusillanimem et meticulosam vidi quam ibi me fuisse comperi : adeo ut me ipsa vix nossem. Fiducia quidem quam de Domino habere soleo, me non deserebat : sed natura adeo discrepabat ab ea quam habere solebam, ex quo Hispalensis cœnobii tractationi me immiscebam, satis ut intelligerem suam Dominum ex parte manum subtraxisse, ut scilicet ipse maneret qui est, F
et ego viderem, si quem aliquando habuerim animum, a me ipsa eum non habuisse.

de domo Hispali emenda sollicitam

696 Cum ergo, jam inde ab eo quo dixi tempore, illic usque ad initium Quadragesimæ pene mansissem, nulla tamen aut domus emendæ fiebat mentio, aut qua ea emeretur pecuniæ habendæ, imo ne quidem ejus qui pro nobis sponderet, uti in aliis oppidis habueramus, inveniendi spes affulgebat. Etenim illæ quæ Patri commissario serio spoponderant sese in Ordinem ingressuras, ac propterea enixissime, moniales aliquot ut huc conduceret, rogarant, viso regulæ rigore, et ei ferendo impares sese existimantes, deficiebant; ut sola una, de qua postea loquar, ingressa sit. Jam tempus instabat quo propediem Andalusia excedere jubenda eram, quod alia prægnantia negotia alio me vocarent. Permolestum sane mihi erat moniales illic sine certa domo relinquere, tametsi viderem me nihil omnino hac in re posse, eo quod gratia quam aliis in partibus Dominus mihi facit, ut scilicet habeam aliquem qui hisce in operibus me adjuvet, me hic deficeret.

juvat Laurentius de Cepeda :

697 Placuit autem Deo ut iis diebus frater quidam meus, Laurentius Cepedius appellatus, qui triginta

AUCTORE V. D. M.

ginta et quatuor annis in India commoratus fuerat, inde rediret : cui etiam longe quam mihi indignius et gravius visum est moniales propriam domum non habere. Is ergo egregie nobis præsto fuit, præsertim in procuranda et habenda domo in qua modo agimus : quamquam ipsa tunc quoque sedulo et ferventer apud Dominum rem hanc urgebam, eum deprecans ne me, monialibus domum nondum habentibus, hinc abire sineret; quin et his ipsis injungebam ut idem ei negotium in precibus commendarent, nec non B. Josepho. Adhæc Beatissimam Virginem Matrem frequentibus precibus et supplicationibus nobis faventem reddere procurabamus. His ergo adminiculis et fiducia animata, nec non quod fratrem meum rem nostram cordi habere cernerem, de domibus quibusdam emendis tractare cœpi; sed, cum res omnis jam prope confecta erat et de emptione pene conventum, illico ipsa in momento penitus concidebat.

eique, Deo opitulante,

698 Quadam ergo die de hocce negotio mihi cum Domino inter comprecandum agenti, petentique ut, quoniam ipsæ illius essent sponsæ eique omnimodis placere quam maxime satagerent, eis de domo prospiceret, dictum fuit : « Jam te exaudivi : » mihi rei ejus curam committe. » His ego verbis erecta et plane gavisa fui, quod mihi jam tum in manibus domum habere viderer. Et revera ita factum est. Impedivit vero Majestas ipsius ne quamdam, quæ quidem omnium ad gustum erat (quod optimo sita esset loco), attamen adeo ruinosa et male materiata erat, ut sola nuda ejus arca empta fuisset, et quidem non multo minoris quam eæ sunt ædes coemptæ in quibus modo habitant, emeremus. Jam omnis facta conventio et de pretio inter partes pactum erat, nihil ut faciendum aliud restaret quam emptionis tabulas conficere. Ego non usque adeo huc propendebam, quod hæc domus cum ultimis illis quæ inter orandum audiveram, verbis minime convenire videbatur : illa enim (quantum quidem ipsa colligebam) bonas nobis ædes dandas denotabant ac spondebant. Unde Dominus disposuit ut is qui eam nobis quamquam insigni suo cum compendio vendiderat, aliquod tamen obstaculum per se objiceret, ne tabulæ eo quo stipulati eramus tempore fierent. Itaque nulla nostra cum culpa stipulationi et emptioni renuntiare nobis licuit. Quod certe non contemnenda Domini gratia fuit : etenim per totam vitam monialium quæ ibi tum agebant, domui illi accommodandæ allaborandum fuisset; quod certe illis fuisset perquam molestum : adhæc necessaria pecunia illis deerat.

aptam prospicit domum.

699 Multum huc operæ insignis quidam Dei famulus contulit, qui fere jam inde ab initio quo huc primum appulimus, cognito nobis deesse qui Sacrum nobis celebraret, quotidie illud apud nos celebratum veniebat, quamquam et domicilium ejus longe a nostro dissitum esset, atque æstus diurnus vehementior. Nomen illi est Garcias Alvarez, vir vita integerrimus et magno apud omnes in pretio, ob varia bona opera quibus totum se impendit, habitus : qui si fortunis abundasset, nihil penitus nobis defuisset. Hic ergo, quod domum nosset, stolide nos facturas aiebat, si tantum pro ea pecuniæ persolveremus. Atque hoc ipsum quotidie nobis oggerebat, amice monens ut ab illa coemenda animum prorsus avocaremus. Ideo frater meus et ipse viderunt domum illam in qua in præsens commoramur : quæ adeo illis placuit (nec immerito, cum et Dominus illud vellet) ut biduo triduove ipsæ confectæ sint tabulæ.

Hanc clanculo primum

700 Non parum vero laboratum est ut ad illam transiremus : qui enim illam inhabitabat, tam cito inde egredi nolebat; adhæc Fratres Minores (quod in vicinia habitarent) statim instare cœperunt ne ullatenus in illam transiremus, adeo quidem ut, nisi coemptionis instrumenta et litteræ tam firmiter confectæ fuissent, Deum summopere laudassem, si ea dissolvi et irritari potuissent : videbam quippe nos obligatas sex aureorum millia (tot enim domus ipsa constiterat) solvere, et tamen illius capere possessionem non posse. At ejus opinionis non erat priorissa, sed Dominum laudabat, quod irritari contractus non posset : quippe majorem ei divina Majestas fidem et animositatem dabat in hac domus comparatione, quam mihi; et eosdem in omni alia re animos illi esse crediderim, quod multo me sit melior. Amplius mense his in angustiis hæsimus; sed tandem Deo visum ut priorissa, ego et aliæ duæ moniales de nocte silenter ad illam transiremus, ne prædicti Fratres quidquam horum rescirent antequam adita esset possessio. Id vero non sine timore fecimus; nam qui nobiscum ibant, quascumque viderent per noctem umbras, monachos sibi videri aiebant.

moniales adeunt :

701 Ut primum illuxit, bonus sacerdos Garcias Alvarez (qui e nocturnis comitibus unus fuerat) primum in ea Sacrum celebravit. Itaque tandem timere desiimus. Quam vero, Jesu bone, multos hujusmodi in possessionibus capiendis timores subii! Quare sæpenumero mecum ipsa perpendo, si, cum non ad malum faciendum, sed ad Domino obsequium præstandum abirem, tantus me occupabat metus, qualem habere oporteat illos qui malefacere proponunt, quod in Dei et proximi injuriam tendat. Quale inde lucrum et commodum exspectent, aut qualem haurire e tam gravi in caput suum pondere accersendo voluptatem queant, nescio. Non aderat tunc forte ibidem frater meus : secesserat enim ad tempus ob errorem aliquem in tabulis conventionis ex nimia rei acceleratione commissum; unde etiam magnum monasterio damnum impendebat : quod vero ipse nostro nomine spopondisset, hinc cum quæritabant, quo illum custodiæ traderent, quod certe maximopere nos afflixisset, eo quod peregrinus et exterus ipse esset; uti etiam revera doluimus quod tamdiu molestias pertulerit, quoadusque aliquod ipse pignus vendentibus ad illorum securitatem dedisset. Exinde vero melius res peragi cœpit; quamquam ad aliquod tempus lites nobis non defuerint, quo majus meritum foret.

dein, P. Pantoja Carthusiano

702 Interea temporis nos in aliquibus cubiculis inferioribus reclusæ eramus; ipse vero toto tempore operariis et fabris aderat, ac nobis interim de cibo et victu quotidiano prospiciebat, uti et prius satis diu prospexerat : nam quoniam nondum passim omnibus innotuerat hic monasterium esse (quod in privata quadam domo habitaremus), pauca eleemosynarum subsidia suppeditabantur, nisi forte a pio quodam sene, Carthusianorum (quorum domus hic de las Cuevas appellabatur) præposito, qui insignis Dei famulus est, atque Abulæ e familia Pantojana natus. Hic singulari quodam erga nos, quam primum huc venimus, amore et studio rapi cœpit, ut sperem fore eum, quamdiu superstes erit, omnimodis nobis auxilio et subsidio futurum, et semper benefactorem nostrum fore. Ideo vero istud hic scribo, carissimæ, ut, cum hæc legeritis, Majestati divinæ commendetis (uti par etiam est) eum qui nos tam egregie adjuvit, uti et alios, tam adhuc vita fungentes, quam ea ante defunctos. Huic ergo sancto viro plurimum debemus. Mensem ferme integrum, si rite recordor (nam in diebus exacte ponendis ac numerandis usque adeo bonam memoriam

A riam non habeo, ut non aliquando errare possim : proinde semper subintelligatis oportet, plus aut minus, cum parum id referat), hoc in statu egimus. Interea frater meus in ædem sacram e cubiculis quibusdam adaptandam et omnia domus membra insarcienda ita totus incubuit, nihil ut nobis oneris incumberet.

et Garcia Alvarez sacerdote curantibus,

703 Omnibus ergo jam concinnatis et instauratis, optassem quidem sine strepitu atque apparatu ullo Venerabile Sacramentum huc inferri, eo quod nemini molesta esse velim, si modo aliter fieri potest aut declinari; quam ego opinionem D. Garciæ Alvarez significavi, qui exinde ipsam cum præposito Carthusiensi communicavit. Hi vero ita res nostras serio curarunt ut proprias curare studiosius non possent; unde eis placuit, quo cœnobium magis in populum innotesceret, solemni ritu ac festiva pompa illationem hanc celebrari. Qua etiam super re cum archiepiscopum ipsum consuluissent, eorum is sententiæ haud invitus accedens, statuit ut e quadam parochiali æde Venerabile Christi Corpus, magna pompa, universo clero et sodalitatibus nonnullis convenientibus, et viis pu-
B blicis adornatis, huc transferretur.

SS. Eucharistia solemniter illuc infertur.

704 Ut dictum, factum : nam bonus Garcias Alvarez monasterii nostri claustrum (quod tum transitum præbebat) ac templum rite adornavit et instruxit, scitas quoque hinc inde aras adaptavit, aliasque elegantiarum varietates ad devotionem excitandam induxit. Inter cæteras aquam e malorum aureorum cytinis expressam, per tubos in perpetui fontis modum fluere fecit, nobis hunc nec procurantibus nec petentibus, tametsi, cum jam factus is esset, insignem deinde nobis devotionem excitarit. Et sane maximopere gavisæ sumus, cum templi nostri encænia tanta cum solemnitate peragi, ac vias publicas adornatas, nec non tam festivum symphoniacorum et instrumentorum musicorum concentum videremus; ut mihi sanctus ille Carthusianorum Prior nihil umquam tale se Hispali vidisse affirmaret, ac manifeste appareret solius Dei id opus fuisse. Unde etiam ipsemet supplicationi interfuit, quamquam nulli hactenus interfuisset : ipse vero archiepiscopus augustissimum Angelorum Panem huc detulit. Hic ergo videtis, carissimæ, pauperculas Excalceatas ita jam ab omnibus honoratas fuisse; dum paulo ante etiam aqua illis defutura et deneganda videbatur, tametsi fluvius
C urbis hujus aqua quam maxime abundaret. Quanta autem hominum ad solemnitatem hanc affluxerit multitudo, vix quisquam credat.

Incendii periculum Deus a domo avertit.

705 Hoc etiam die res contigit prodigiosa, qualis omnibus ante quorum oculos ea facta fuit, esse videbatur. Cum enim plurima in plausu ignea missilia jacta essent et crebro bombardarum fragore omnia identidem reboassent, ac sub vesperam, supplicatione jam finita, denuo hæc ipsa plausus argumenta repeterentur, casu nescio quo in pulverem sulphureum, tametsi pauculum, ignis illapsus est; is tamen qui pulverem habebat, non sine miraculo a flamma læsus non fuit. Adhæc cum ad usque cœnobii fastigium flamma repens ascendisset, cujus laqueare bysso tenui adornatum erat, ecce fornicis quidem lapides tetram ab ipso fumo fuliginem induerunt, ipsa tamen extima byssus tenuissima, quæ omnium judicio prima flammam concipere debuisset, quæque erat subflava et coccinea, inviolata nec colorem mutasse visa fuit, perinde ac si nec ignis nec fumus eam afflasset. Quotquot rem viderunt, obstupuere. Moniales vero Dominum dilaudarunt, quod ipsarum necessitati prospexisset, cum, undenam novam byssum compararent, pecuniam non haberent. Crediderim diabolum, ob festivitatem quæ contigerat, et quod novam rursus Dei domum videret, indignatum, hoc sese modo aliquatenus de nobis ulcisci voluisse. Sed Majestas illius hunc impedivit. Sit ipse benedictus in sæcula. Amen.

AUCTORE V. D. M.

D

706 *Hisce subnectendum initium capitis* XXVI; *cujus reliquam partem, cum tota versetur in narranda vocatione Beatricis a Matre Dei, primæ Hispalensis cœnobii novitiæ, pro meo instituto omittam.* Considerare, *ait Sancta,* vobiscum potestis, carissimæ, quodnam nostrum ea die fuerit gaudium et consolatio. De meipsa certe dicere possum et scio meum quam maximum fuisse : imprimis vero quod viderem me in tam bona beneque sita domo moniales relinquere, quodque monasterium jam satis cognitum in urbe esset, et quod in domo moniales essent quæ potissimam debitorum et æris alieni quod ejus emendæ nomine contractum erat, partem possent persolvere; adeo ut etiam per eas quæ ad completum numerum deerant (quantumlibet parum in dotem attulissent) debita dissolvi possent. Imprimis autem et maxime me recreabat quod labores et afflictiones aliquot subiissem. Cumque jam aliqua fruitura quiete eram, inde me E discedere oportuit. Cum enim Dominica proxima ante Pentecosten anno MDLXXVI solemnitas hæc encæniorum celebrata esset, statim proxima feria secunda inde discessi : calor enim et æstus quotidie fiebat vehementior. Si fieri potuisset, non libenter ipsis festis Pentecostalibus in itinere fuissem; imo vero Malagone eadem celebrare animus erat, uti et ad dies aliquot ibidem subsistere, ac propterea tantopere festinaram. Non placuit autem Domino ut vel saltem uno die in templo illo Sacrum audirem.

Sancta, prospero rerum exitu læta,

707 Discessus meus non mediocriter monialium gaudium ac consolationem imminuit, easque magnopere contristavit, quod toto illo anno simul egissemus, et tam multas (uti dictum est) simul afflictiones subiissemus, quarum gravissimas tamen hic non descripsi, ut, quantum mihi videtur, una Abulensi fundatione excepta (cui sane nulla quoad difficultates et labores comparari potest), nulla tanto mihi labore steterit quanto hæc, quod afflictiones et angores illius maxime interni essent. Utinam vero Majestas divina dare dignetur ut semper sibi in ea obsequium præstetur. Hoc enim si fiat, omnes quas subii exagitationes mihi quam minimæ videbuntur : et certe ita idipsum futurum F spero : incepit siquidem Majestas ejus pias sanctasque animas quasdam ad hanc domum pellicere : ex iis autem quas mecum duxi (quæ fuerunt universum quinque), quam fuerint bonæ illæ quæ remansere, jam tum aliquatenus declaravi, cum dici plurima de ipsis possent, ac quod dixi, minimum sit.

Hispali discedit.

§ XXXIX. Secessus Sanctæ in monasterium suum Toletanum. Capitulum Carmelitarum Excalceatorum Almodovarense, et alia quædam Reformationis Teresianæ negotia.

Dum *S.* Teresia *manum extremam cæperat impo-*

AUCTORE V. D. M. *Calceati capitulum celebrant Moralegiæ.*

nere stabiliendo monasterio suo Hispalensi, P. Hieronymus Gratianus, Nuntium de variis sui officii negotiis consulturus, Madritum abiit, relicto in Andalusia vicario suo P. Joanne Euangelista, antea A *subpriore, tunc priore Carmelitarum Calceatorum Hispalensium* (*tom. III, epist.* 33). *Circiter idem tempus P. Angelus de Salazar, provincialis Castellæ, capitulum generale indixerat Moralegiæ congregandum; quo, præter Calceatos suffragii jure gaudentes, invitati quoque fuerunt tres Excalceati : nimirum P. Joannes a Jesu, prior Manceranus, P. Didacus a SS. Trinitate, prior Pastranensis, et P. Elias a S. Martino, rector Complutensis. Ex his PP. Joannes ac Didacus, statim ubi acceperant litteras convocatorias, Madritum et ipsi perrexerunt ut mentem Nuntii exquirerent. Utrumque jussit Nuntius ad capitulum ire; verum prohibuit ne quid in Excalceatorum statutis mutari paterentur neve ullo decreto adversus P. Gratianum ferendo consentirent. Properarunt ergo quam citissime Moralegiam : sed, priusquam eo pervenerunt, jam pene confecta erant præcipua capituli negotia. Notabiliora legum latarum capita, a Generali Rubeo indicata et brevi a P. Tostato* (*qui mense Martio Barcinonem appulerat*) B *approbanda, hæc erant : Calceatis utendum esse fuscis vestibus et palliis brevioribus; idem vestium genus Excalceatis una cum calceis assumendum; hos imposterum Contemplativos vocandos esse, illos Observantes; utrisque autem inhabitandas esse easdem promiscue domus, ita tamen ut Observantes suam sequerentur regulam, suam item Contemplativi. Quæ ut sibi prælegi audierunt duo illi Excalceati, valide repugnarunt; præsertim vero prior Manceranus, ut erat ingenii fervidioris, nulli harum omnium legum consensurum se protestatus est, nisi jussu P. Gratiani, Nuntii ac regis. Eo sermone commotis quidem Calceatorum animis, sed non mutatis, PP. Joannes ac Didacus post dissolutum capitulum ad Nuntium reversi sunt, rerum a se gestarum rationem ei reddituri.*

S. Teresia *Toletum venit.*

709 *Porro S. Fundatrix, Hispali profecta ad diem* IV *Junii, comitibus P. Gregorio Nazianzeno, Alphonso Ruiz, Laurentio de Cepeda hujusque filia Teresia, Malagonem advenit die* XI *ejusdem mensis, quæ erat secunda Pentecostes feria, uti sequenti feria sexta scripsit ad Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem* (*tom. I, epist.* 53). *Neminem enim morari debet vox* Pascua, *quam Sancta in sua epistola adhibet; quandoquidem ea voce apud Hispanos, sicut* C *voce* Pasqua *apud Italos, non solum solemnissima Resurrectionis Domini dies, sed præcipua quæque per annum festa, præsertim Pentecostes et Nativitatis Domini, designantur : qui quidem usus medio ævo in aliis quoque regionibus passim viguit, ut e variis apparet documentis quæ in Cangii Glossario ejusque Supplemento videre est. Substitit autem Sancta dies aliquot Malagone ad res sui monasterii curandas; et indidem de his rebus et de itinere suo scripsit ad P. Gratianum* (*tom. IV, epist.* 20), *alterasque ad priorissam Hispalensem litteras die* XVIII *Junii ferendas commisit P. Gregorio Nazianzeno, Hispalim revertenti* (*tom. II, epist.* 79). *Dein ipsa Toletum adiit, quod oppidum elegerat ut ibi ex mandato Generalis* (*de quo num.* 664 *dictum fuit*) *imposterum habitaret; quanquam brevi post, antequam stabilem ibi moram faceret, adhuc excurrere debuit Abulam propter mandatum sibi a P. Gratiano impositum, quod legitur in Anno Teresiano ad diem* VI *Maji.*

It Abulam, redítque Toletum.

710 *Toleto duas misit epistolas diebus* II *et* XI *Julii ad Hispalensem priorissam : in quarum priore non obscure significat quantum sibi et P. Gratiano displicuerit severitas qua PP. Ambrosius Marianus et Antonius a Jesu in Calceatos fuerant usi, additque* D *sibi et Nuntio valde placuisse quod Gratianus non rediisset in Andalusiam* (*tom. I, epist.* 54); *in altera vero epistola, salvere jussis PP. Antonio et Ambrosio, quibus simul lepide exprobat quod ad se non scribant, mox subjungit :* Mandavit rex Patri nostro (*Gratiano*) ut de iis quæ spectant ad nostrum Ordinem cum regii consilii præside (*Didaco de Covarruvias, episcopo Segoviensi*) et cum Quiroga (*episcopo Conchensi ac Generali Inquisitore*) conferat. Faxit Deus ut res nostræ prospere cedant : quod ideo dico quia multa est oratione opus. Commendent quoque Deo sorores nostræ P. Generalem, qui e mula cadendo sibi tibiam fregit. Equidem, maxime cum provecta sit ætate, casu ejus non parum angor (*tom. II, epist.* 80). *Non admodum diu post scriptam hanc epistolam, at incertum quo die, iter Abulense a P. Gratiano sibi injunctum Sancta arripuit; unde redux Toletum fuit die* IX *Augusti, comite Ven. Anna a S. Barthomæo; quam hac occasione videlicet, cælitus jam pridem Hispali monita, e cœtu Abulensium monacharum in sociam perennem laborum atque itinerum sibi adlegit, prout narrat P. Chrysostomus Henriquez Ord. Cist. in Vita ejusdem Annæ* (*lib.* II, *cap.* XIV *et* XV). *Extat S. Matris epistola per iter illud scripta die* VI *Augusti ad moniales suas Veasenses; qua nuntiat se hospitari apud matronam quamdam, nomine Mariam Fajardo, sibique illic ægrotanti S. Josephum visibili specie adstitisse, qui se consolaretur et animum daret ad eundum quo sancta mitteret obedientia* (*tom. I, epist.* 50). E

Ad P. Gratianum

711 *Interea Patribus Excalceatis visum fuerat capitulo adversus se Moralegiæ nuper habito alterum e sua parte capitulum objicere. Eum in finem P. Gratianus præcipuos e suis accivit in Almodovar del Campo. Adstruit Chronicon* (*lib.* V, *cap.* L, *num.* 4) *huic capitulo initium datum fuisse* VIII *Augusti, ac S.* Teresiam *id priorissæ Hispalensi nuntiasse datis postridie Malagone litteris. Verum animadvertendum est quod ad has litteras* (*tom. II, epist.* 81) *annotat P. Antonius a S. Josepho :* Originali, *inquit,* exemplari hujus epistolæ, quod penes moniales nostras Vallisoletanas est, deest anni dieique inscriptio : quamvis autem plerique exaratam autument IX Augusti, tamen ex aliis epistolis patet erronee primis hujus ecgraphis Augustum pro Septembri fuisse adscriptum. *Hæc P. Antonii sententia cum mihi videatur optime congruere cum epistolis Sanctæ mox citandis, censeo cum D. Boucher prædictum capitulum inceptum fuisse* VIII *Septembris; id quod et aliis P. Antonii notis confirmatur* (*tom. II, epist.* 59, *not.* 3 *et* 4, *tom. III, epist.* 9, *not.* 5 *et* 9). *Nimirum ait, secundum scripturas P. Gratiani et libros memoriales Carmelitarum Calceatorum Madritensium, P. Tostatum* V *Augusti* 1576 *Madritum accessisse, ibique per multos dies cum P. Gratiano contendisse de potestate, quam alter a Præposito capituloque generali sui Ordinis, alter a Nuntio apostolico acceperat; dein Tostatum in Lusitaniam abiisse* XXIX *Augusti. Jam vero Gratianus Madriti esse simul et capitulo Almodovarensi præsidere non poterat. Ad hæc idem epistolarum S.* Teresiæ *commentator testem adducit P. Alphonsum a Matre Dei, asserentem Patres convocatos fuisse in diem* VIII *Septembris.* F

plures dat epistolas, cum ante

712 *Capitulo igitur prævit S.* Teresiæ *epistola ad Gratianum* V *Septembris data, hæc inter cætera continens :* Vereor ne Calceati, non vera de nobis Summo Pontifici referentes, obtineant contra nos Bullas quotquot voluerint. Quare arbitror omnino oportere ut aliqui nostrorum Romæ adsint; ut ex agendi ratione adversariorum patefiat quo affectu ducantur. Quamdiu hoc non curabimus, nihil efficiemus:

A ciemus : et possent simul nostri Romæ impetrare licentiam fundandi aliquot conventus. Multum arbitror interesse ut simus ad quæcunque parati (*tom. III, epist.* 9). *Quærit etiam Sancta e Gratiano num Marianus ad capitulum venerit. Hic autem advenisse non videtur, siquidem auctor Chronici eum congregatis Patribus non annumerat. Dictam epistolam die sequenti altera ad Gratianum excepit; e qua hæc depromo circa negotia Ordinis :* Jam bis ad te scripsi Peraltam in Lusitaniam abiisse eodem quo huc venisti die. Santelmus hodie me per litteras certiorem fecit nihil nobis timendum esse : quandoquidem Mathusalem fixum determinatumque habeat nostris pro aquilarum separatione votis obsequi; quippe qui videat id prorsus expedire. Accepi item litteras Hispali de turbis illic cum Peralta habitis et de rumore per civitatem sparso fore ut papiliones sub potestatem redigantur. Utique id fieri oportuit quod Deus voluit : sit ipse æternum benedictus. Venit ad me Infante, ut litteras ad Paulum a me peteret. Respondi eum nihil pro me facturum; dixique ut ipse cum Paulo loqueretur, cum nullius sibi culpæ sit conscius. Credo, si speraret rediturum Peraltam, non ita sese demitteret (*tom. III, epist.* 10).

B *Ut hæc intelligantur, notandum est S.* Teresiam *in hac et multis sequentibus epistolis varias de quibus agit personas pseudonymice indicare. Sic Salvatorem nostrum Jesum Christum interdum designat nomine Joseph; sic Philippus rex ab ea dicitur Magnus Angelus, Inquisitores Angeli, Nuntius Mathusalem, Gratianus Paulus vel Elisæus, Tostatus Peralta, Carmelitæ Excalceati Aquilæ, Excalceatæ Papiliones* (*hispanice* mariposas, *quæ vox est fœminini generis*); *seipsam Sancta vocat nunc Angelicam, nunc Laurentiam. Alia demum aliis secundum circumstantias dat nomina : quomodo v. g. qui hic nominatur Infante est P. Joannes de las Infantas; Santelmus vero est P. Olea, Societatis Jesu, de quo alibi adhuc loquendum erit.*

tum post 713 *Porro binas ad Gratianum litteras modo laudatas proxime ex ordine temporis sequuntur octonæ ad priorissam Hispalensem scriptæ diebus* VII, IX, XX, XXII *et* XXVI *Septembris necnon* V, XIII *et* XXXI *Octobris* (*tom. I, epist.* 58, *tom. II, epist.* 81 *et* 82, *tom. III, epist.* 63, 64, 65, 66 *et* 67); *item binæ ad Gratianum mense Septembri, quarum alteræ perbreves incerto die* (*tom. IV, epist.* 21), *alteræ satis prolixæ die* XX (*tom. III, epist.* 11). *Ex*

C *his de capitulo Excalceatorum, jam ante eam diem absoluto, excerpo sequentia :* Qui e capitulo revertuntur, multum sibi de eo plaudunt; nec ego de rebus inibi quam optime gestis non possum grates Deo agere. Utique ob easdem tibi laus non exigua debetur. A Dei manu totum provenit, et forsitan, ut tu quidem recte dicis, haud parum precibus ad illum fusis effectum est. Vehementer delector decreto isto sane optimo atque utilissimo circa urgendam in nostris domibus communem observantiam. Excitavi P. Rocam (*Joannem a Jesu*) ut exercitiis manualibus, quæ infiniti apud nos momenti sunt, promovendis sedulo allaboret : et quoniam mihi dicebat non fuisse de iis actum in capitulo, dixi me ad te scripturam; cæterum ea præscribi constitutionibus ac regulis, ad quarum observationem urgendam ipse deputatus esset. Idem Pater mihi narravit rem quam credere non potui, nempe expulsos ex Ordine quosdam fuisse : quod si fieri potuit, magna res est. Dein etiam prolixe me docuit quid consilii ceperitis ut omnimode per Patrem nostrum Generalem provinciam nobis propriam obtineamus. Et foret revera bellum intolerabile, si invito prælato id ageremus. Quod si pecunia ad hanc rem opus sit, illam Deus largietur : committi autem poterit sociis Romam ituris. Equidem per Deum te oro, fac ut quantocius proficiscantur; nec iter eorum rem parvam aut adventitiam habe, cum sit potius rei totius caput. Prior Rupeculæ, quando hunc quidem negotio gerendo idoneum judicas, ire posset cum P. Mariano. Si apud Generalem nihil effici poterit, Pontifex Summus erit adeundus; licet malim rem cum Generali confici, præsertim quia præclaram nunc habemus opportunitatem. Equidem, dum video quo erga nos animo sit Mathusalem (*Ormanetus*), nescio cur moram trahamus; quod plane non est aliud quam nihil hic habere et optima tempora e manibus nostris elabi sinere. Scito clericum quemdam, amicum meum, hodie, dum mecum de animæ suæ rebus ageret, mihi dixisse certissimum sibi esse fore ut Gilbertus (*videtur hoc quoque nomine innui Ormanetus*) admodum brevi moriatur, imo vel intra ipsum hunc annum. Jam alias a pluribus audivi virum illum in suis prædictionibus nunquam falli. Certe res illa possibilis est : etsi autem ea prædictio non tanti sit facienda, tamen, quia non est res impossibilis, operæ pretium feceris, si quanta potes celeritate allaboraris negotiis nostris componendis, adeoque ea quæ ad visitationem spectant, E tanquam res non diu duraturas tractaveris. P. Petrus Hernandez quidquid de Incarnationis cœnobio statuerat, effecit per P. Angelum, procul ipse ab Abula remotus; nec tamen sic quidem muneri suo visitatoris rebusque a se curandis defuit. Semper mihi ob oculos versatur quam bene tecum egerit provincialis iste (*P. Augustinus Suarez*), dum in cœnobio ejus versabamini (*vide num.* 584) : quare cupio ut, si fieri possit, nullam ei molestiam inferas. Aliqui queruntur quod a P. Euangelista (*illo scilicet quem Gratianus Calceatis Hispalensibus præfecerat, ut dixi num.* 708) regi te sinas; adeoque interest ut bene advertas non esse nos ita perfectos ut non possimus aliis malevoli esse, aliis contra nimis benevoli.

AUCTORE V. D. M.

D

714 *Hæc Sancta, res in capitulo actas approbans,* *capitulum Excalceatorum Almodovarense;* *et P. Gratiano modestis simul et aptissimis verbis normam agendi proponens. Ut autem mentem ejus melius assequamur, paucis referre oportet præcipua a congregatis Patribus in Almodovar statuta. Nempe primo, hortante Gratiano, quatuor diffinitores elegerunt, atque inter hos primum P. Antonium a Jesu, etiam provincialis munere, dum forte absens foret vel mortuus Gratianus, functurum.* F *Dein sategerunt ut unam eamdemque observandarum constitutionum rationem in omnes omnino conventus suos inducerent, destinato ad hanc rem urgendam P. Joanne a Jesu, priore Mancerano. Tum de fine Ordinis Carmeli disceptatum est : quem in duabus ex æquo rebus, oratione videlicet et spirituali proximorum auxilio, situm esse PP. Gratianus imprimis et Antonius a Jesu contendebant; dum ex adverso S. Joannes a Cruce cum aliis quibusdam, licet juvandos a Carmelitis proximos non negaret, plus tamen censebat esse tribuendum orationi quam ministeriis sacris. Hanc quidem contentionem non omnino ex voto Sancti cessisse docet auctor Chronici* (*lib.* III, *cap.* LI, *num.* 3); *sed in alio quod sequebatur argumento omnium prorsus animos in suam traxit sententiam, iis videlicet persuadendo ut cantum sacrum, cui nonnullis in conventibus non sine orationis mentalis detrimento nimium impendebatur temporis, statis legibus moderarentur. Post hæc decretum fuit ut Rupecula, ob insalubrem loci atque aeris naturam, cum alio habitaculo quamprimum commutaretur; quod quonam pacto effectum sit, transitu scilicet ad montem Calvariæ*

AUCTORE V. D. M.

Calvariæ sesquileuca ab oppido Villanova dissitum, legi potest in Chronico (*lib.* III, *a cap.* LII *ad* LV). *Denique, sicuti Carmelitæ Calceati duos e suis Romam miserant, lecti quoque ab Excalceatis ad iter Romanum fuerunt PP. Joannes a Jesu, jam sæpe nominatus, et Petrus ab Angelis, prior Rupeculæ.*

cupitque ut duo ex ipsis Romam eant.

715 *Nihilominus iter hoc, quod S.* Teresia, *ut citata ostendit epistola, maximopere cordi habebat, et de quo Gratianum valde urgebat, susceptum tunc temporis non fuit; aliis nimirum alia Gratiano suadentibus, et varia obstacula causantibus. Recte forsitan dixeris dilationem adscribendam esse duplici alii capituli decreto, quo jubebatur P. Petrus ab Angelis conventum Rupeculæ transferendum curare, et P. Joannes a Jesu domus omnes Excalceatorum obire ad promovendam constitutionum observantiam : qua etiam re Sanctam adductam fuisse arbitror ut P. Joannis loco Marianum Romam mittendum Gratiano proponeret. Cæterum vide qui iterum de itinere illo Sancta loquatur in epistola per id tempus data ad ipsum Joannem a Jesu :* Quod scribis de itinere Romano, jam a multis diebus ei institi. Licet autem nunquam multum potuerunt litteræ apud homines tot ductos ratio- B nibus, dummodo tamen nos faciamus id quod debemus, cadant res utcumque sors tulerit. Nec ab ipso P. Visitatore, etiamsi agere statuit, res ea pendet; quippe quem tam multi in diversam trahunt sententiam ut parum ego scribendo valeam. Valde me angit quod plus facere nequeo. Equidem existimaram fore ut P. Gratianus ex ipso suo itinere in meum consilium abiret, prouti plures mihi prædixerunt : quod utinam Deus aliquando faxit. Interim tu, qui plus habes, quam ego, auctoritatis ad persuadendum, pro tua caritate virum urgere ne cessa (*tom. IV, epist.* 32).

Tumultuari desinunt Calceati in Andalusia

716 *Post capitulum Almodovarense P. Gratianus mox e Castella in Andalusiam rediit; ubi omnia ab eo ordinata sus deque verterat P. Augustinus Suarez, provincialis Calceatorum, pro quo deprecantem Sanctam modo audiebamus* (*num.* 713) *et quem a Gratiano Ossunam ablegatum diximus supra* (*num.* 662). *Is, cum congregandos in Almodovar Excalceatos audisset, suos quoque Calceatos Andalusios congregaverat in Astygis oppido; remotisque quos Gratianus crearat cœnobiarchis, in pristinam formam, a Gratiano abrogatam, omnes suæ provinciæ conventus restituerat : quin etiam P. Joannem Euangelistam,* C *Gratiani absentis vicarium, ex Hispalensi Calceatorum cœnobio extorrem miserat ad Excalceatos. His igitur mutationibus supervenientem visitatorem tumultuarie exceperunt Calceati Hispalenses, antiquatam esse jactitantes ejus auctoritatem litteris Romanæ Curiæ, a P. Petro de Cota* (*de quo num.* 662) *submissis. Reposuit Gratianus subreptitias esse litteras, imploratoque archiepiscopi et assistentis auxilio, tam strenue redarguit adversarios ut ejus imperio, quantumvis id detrectare statuerant, iterum sese subjecerint, non infimi tantum monachi, sed provincialis quoque cum præpositis cæteris : ac, nemine jam contra hiscente, Granatensi cœnobio præfecit P. Hieronymum Ferrarium, S. theologiæ lectorem.*

et in Castella.

717 *Hunc turbarum exitum, faustum satis pro illo tempore, Gratianus* Teresiam *edocuit, ut patet ex hujus epistola ad P. Joannem a Jesu modo citata. Ipsa vicissim Sancta die* XX *Octobris visitatori non sine lætitia annuntiavit Calceatos Andalusios qui in Castella* (*nempe apud aulam, ut videtur*) *versabantur, morigeros se præstitisse. Patet hoc ex epistola sequenti die, S. Hilarionis festo, ad eumdem Gratianum missa; quæ ita incipit :* Gratia Spiritus Sancti sit tecum. Heri scribebam ad te quam quieti ac pacifici facti sint Patres illi, quantumque propterea Deum lau- D darem. Scire te velim nondum illis lectas fuisse Nuntii litteras : unde non parum metuebam quid futurum esset; præsertim cum quidam ex illis me convenisset mihique dixisset vehementer commotos esse eorum animos, quia sibi viderentur non omni juris colore destitui. Nempe dicunt, id quod ego etiam Mariano dixi ac nescio an ad te scripsi, esse rem prorsus insolitam ut quis tanquam prælatus imperet quin ostendat qua auctoritate id faciat. Quod ad causas attinet, quas in tuis ad P. Marianum litteris allegas, cur Nuntii scripturam non miseris, utique, si dubitandi ratio aliqua habeatur, melius id dubium antea motum fuisset. Utinam sic res cadant ut tu onere isto liberere, et nobis non alii remaneant quam Excalceati et Excalceatæ! (*tom. II, epist.* 19). *Vides quam apposite Gratianum moneat Sancta, quam sedulo procuret ne quid a suis fiat quod videri vel tantillum possit a caritate fraterna et candore religioso alienum. Neque adeo dubius sum quin hortatu* Teresiæ *factum sit ut Gratianus aulam adierit, visitatoris potestatem, si rex et Nuntius consensissent, abdicaturus, uti videbimus in sequentibus. Marianus vero, quocum ipsa se locutam fuisse scribit, die* XXV *Septembris Toletum advenerat* (*tom. III,* E *epist.* 65), *indeque abierat Madritum; ubi rebus Excalceatorum in aula curandis integrum annum et amplius videtur allaborasse* (*ibid. not.* 2 *et* 3, *et tom. II, epist.* 21, *not.* 3).

Censet Sancta non esse PP. Excalceatis suscipiendam

718 *Reliquam etiam epistolæ partem, momentosam satis, exscribamus :* Dicet tibi P. Padilla qua ratione contendat P. Angelus (*Angelus nimirum de Salazar, Carmeli Castellani provincialis*) mihi per Concilium (*Tridentinum*) et expressum Reverendissimi Patris nostri declarationem prohiberi fundationes. Admodum cuperem ut, si fieri possit, illam declarationem videres. Quod vero dicit me semper huc illuc ducere moniales, id equidem cum superiorum venia feci : imo vero schedam penes me habeo qua ipse P. Angelus mihi permisit ut Veasum ac Caravacam moniales dirigerem. Quare tunc temporis eam declarationem non respexit, quandoquidem jam tum edita erat? Utinam me sinant aliquando quiescere! Faxit Deus, mi Pater, ut tu quoque otio quod ego opto, fruaris! Quod hanc ad te mitto epistolam, causa est negotium istud Salmanticense, super quo, ut mihi apparet, jam ad te scriptum erat. Docui te nuper non congruere id nostris Excalceatis : si de cœnobio ibi habendo ageretur, esset quidem res optima; at F non item ubi agitur (nec enim aliud agi videtur) de vicariorum muneribus iis committendis, et quidem ad duos menses tantum; præsertim cum episcopus id eos non roget, nec ipsi ad res illas sint facti. Malim ego ut Excalceati in ea civitate appareant quasi homines alterius mundi, qui non eant redeantque ad mulieres. Habemus episcopum a nostra parte stantem; sine quo forsitan causa cecidissemus. Dubito num aliquid effecturus sit bonus noster Theotonius (*Braganzius scilicet, de quo num.* 608); neque enim auctoritate nec adeo rerum gerendarum consuetudine multa pollet. Si essem illic, fervefacerem rem istam, ac plane, credo, percoquerem : et forsan ita eveniet, si tibi videatur. Omnia hæc ad illos perscripsi. Priorissa ac cæteræ sorores meæ se tuis tuorumque Patrum precibus commendant, *etc.*

curam mulierum, ipsis Salmanticæ oblatam,

719 *Idem argumentum cum aliis pluribus eodem die* XXI *Octobris S. Mater latius pertractaverat scripta ad P. Ambrosium Marianum prolixiori epistola. Sollicitabantur videlicet Carmelitæ Excalceati ut Salmanticæ mulierc ularum e flagitio ad meliorem frugem reversarum curam spiritualem susciperent aliquamdiu*

A *aliquamdiu gerendam, pro absente earum vicario Joanne Diaz : ac spes simul dabatur ut stabilem eo in oppido sedem nanciscerentur. Spem quidem hanc S. Mater minime abjicit, imo vero fovet; quamquam ad meliora tempora rei exequendæ laborem differendum esse, uti revera dilatus fuit ad annum* 1581, *pro sua perspicacitate censet : verum quoad alterum caput, fœminarum, inquam, directionem, tantum abest ut ei assentiatur, ut potius magno rationum pondere perneget acceptari a suis Carmelitis posse.*

nec expedire ut Madriti sibi domum comparent;

720 *Quoniam vero etiam in animo habebat Marianus Excalceatis quos Madritum accersiverat, commune tectum prospicere; en quid super ea re prudens Virgo moneat :* Probabam equidem consilium tuum de comparanda domo ubi Fratres nostri hospitari possent; nec quidquam putabam obstare, quominus, licet monasterium non sit, licentia concederetur offerendi inibi Missæ Sacrificium, perinde ac vel pro sæcularium procerum domibus concedi solet : atque adeo hoc Patri nostro ita persuadere conata sum. Is tamen censuit, ac recte quidem, id nunc non expedire, sed potius spectare ad res nostras penitus evertendas. Qua Patris nostri mente

B perspecta, non debueras tu quidem tot socios Madritum vocare, neque, quasi venia jam data fuisset, templum adornare : quod sane risum mihi movit. Imo, nisi approbante Ordinario, nequidem domum emerem : memini enim me id Hispali non impune fecisse. Denique, ut tibi jam ante acriter inculcavi, bene tibi persuade nihil effectum iri, donec a Nuntio scriptam facultatem habueris. Porro quando D. Hieronymus mihi annuntiavit te hanc rem a Patribus (*Calceatis*) petiisse, exterrita fui : quoniam ego non tantum, quantum vos, istis fido, saltem hoc tempore; adeoque nec alloquor Valdemorium. Namque suspecta mihi est ejus amicitia, quam ad nostram utilitatem minime referri arbitror, sed eo potius tendere ut ex nobis expiscetur aliquid de quo amicos certiores facere possit. Hoc tu quoque velim existimes, nec talibus patronis nostra committas negotia, sed Deo potius, cui soli competunt, et qui ea suo tempore perficiet. Desiste ergo a præpostera ista festinatione, quæ vel sola ad omnia perturbanda sufficit (*tom. I, epist.* 28).

sed potius cœnobium Malagone fundandum esse.

721 *Postquam ita nimium Mariani ardorem repressit, alia subdit quæ sibi de eodem argumento in mentem venerunt, maxime de idoneis operi fautoribus ac patronis conquirendis. Deinde, insertis iis*

C *quæ modo indicavi de fundatione Salmanticæ molienda, ita pergit :* Exspectabam donec Madritum ire possem ad fervefaciendum illud negotium : sum enim magna negotiatrix (quod si dubites, testis esto amicus meus Valdemorius); nec sane vellem ut inconsulte agendo rem isthanc conturbaremus. Nam nihil est æque quod cupiam ac domum illam Madritensem; de altera vero (*scilicet Salmanticensi*) gaudeo vos hactenus non laborare, donec amplior aperietur e regia vicinitate occasio : modo enim rationem qua consilium istud prosperari queat, non invenio. Si vero e duobus malis alterum eligi debet, multo mihi præplacet Malagon, quo vos Aloisia nostra (*de la Cerda*) omnibus votis advocat, utilitatibus vestris progressu temporis bene consultura; præterquam quod locus ille pagis multis magnisque cingitur, ut proin cibus non defuturus sit nostris. Essetque insuper prætextus quo Salmanticensibus probabilis fieret vestra dilatio : qui sibi nimirum persuadebunt suam petitionem non omnino abnui a vobis, sed tantum procrastinari, donec de commodo domicilio vobis prospexeritis; præsertim cum haud deceat ut religiosi indies ædes mutent.

AUCTORE V. D. M. *In suo recessu Toletano*

D 722 *Ne longior sim, cætera hujus epistolæ Teresianæ capita prætermitto; prout etiam feci de epistolis proxime citatis ad PP. Gratianum ac Joannem a Jesu, satis habens ea potissimum inde selegisse quæ ostendant quam actuosam in ipso suo recessu Toletano Sancta nostra sese exhibuerit, quam industrie ac sapienter viros ipsos suæ Reformationis gubernaret ac moderaretur. Quæ vero ad curam virginum suarum pertinent, si singillatim persequi vellem, esset prope labor infinitus; cum inter epistolas quas ab ea hoc tempore Toleti scriptas habemus, vix ullam sit reperire quæ non huc vel tota vel magnam ad partem referatur : ita ut, quod magnus ille Apostolus gentium de se gloriabatur :* Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (2 *Cor.* XI, 28, 29), *modo voci* Ecclesiarum *substitueris* Monasteriorum, *non incongrue S.* Teresiæ *applicari posse videatur.*

negotiis gerendis, librisque

723 *Nimirum, ut notat P. Chrysostomus Henriquez in Vita Ven. Annæ a S. Bartholomæo* (*lib.* II, *cap.* XVIII), sexcentis S. Mater obruebatur negotiis; quoniam non moniales modo, verum etiam viri Reformati Carmeli, licet plurimi essent inter ipsos prudentia, scientia virtuteque conspicui, ad eam E tanquam ad Matrem ac Fundatricem recurrebant. Accipiebat undique litteras plurimas; agebat cum proceribus, prælatis et viris utriusque cleri primariis, probe videlicet sciens Reformationi suæ, quasi teneræ ac delicatæ plantæ, necessariam esse veluti umbram ac protectionem multorum : quorum adeo benevolentiam omni qua poterat opera sibi conciliare ac conservare studebat. Accedebat ad labores illos tam varios ac necessarios aliud opus ex obedientia erga confessarios et caritate erga moniales susceptum : scripturæ scilicet pietate ac cœlesti doctrina refertæ, et eo expressæ stylo quem universa admiratur Ecclesia. Unde res prodigio similis videbatur, posse unam virginem tot maximi momenti multiplicisque argumenti negotiis sufficere; et, quamtumvis animo erat ad majora etiam facienda satis valido, tantis aliquando premebatur difficultatibus totque habebat huc illuc expediendas epistolas, ut pene fatisceret, maxime ob continuos capitis dolores atque alios quibus tentabatur morbos.

et plurimis epistolis scribendis,

724 *Neque hic omittendum, quod jam alibi me notasse memini, longe plurimas S.* Teresiæ *epistolas intercidisse, ut colligitur vel ex iis ipsis quæ nobis supersunt, exempli gratia ex epistola* X *Februarii* 1577, *ad fratrem suum Laurentium de Cepeda, quæ his verbis incipit :* Convalui a nupera infirmitate : et cum postea nimia bile laborare mihi videbar, unde timebam ne proxima Quadragesima a jejunio mihi foret abstinendum, purgationem adhibui. Eadem autem die tot epistolis ac negotiis distenta fui, ut usque ad horam a media nocte secundam scribendo caput læserim : quod puto mihi fore proficuum; nam vetuit medicus ne scribam ultra noctis medium, neve semper id propria manu faciam. Ac re quidem vera modum hac in parte excessi hac hieme, nec parva culpa teneor; quia, ne matutinum mihi vacuum esset, defraudabam me somno : quo insuper accedebat quod sæpe post vomitum scribebam. Cæterum, licet illa quam dixi purgationis die, grave fuerit incommodum, exinde tamen meliuscule mihi esse cœpit; et jam valetudini multam do operam, ita ut non habeas quod de me sollicitus sis. Atque hoc ideo dixi, ne, si quam videris meam epistolam non scriptam mea manu, sive aliquam solito breviorem a me acceperis, causa hujus rei te lateat (*tom. I, epist.* 33). *Idem liquet ex epistolis ad Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem, ubi*

AUCTORE V. D. M.

A *sæpius ad eumdem modum de laborum suorum mole et acceptarum missarumque litterarum ingenti numero loquitur.*

ægrota, at Deo semper conjuncta, occupatur.

725 *Quod autem de valetudine sua in allegata ad fratrem epistola memorat, latius evolvit in sequenti ad eumdem data die* XXVIII *Februarii : affirmatque adeo se debilitatam, præsertim jejunio quod Carmelitana regula a festo Exaltationis S. Crucis usque ad diem Dominicæ Resurrectionis observandum præscribitur, ut timuerit ne reliquo vitæ tempore prorsus cuicumque labori ferendo foret impar, atque omni caruerit recollectione spirituali, quia mentali orationi more solito vacare non posset. Unde eo mirabilior videri debet perpetua S. Matris inter labores doloresque cum Deo conjunctio, quam his verbis testatur individua ac carissima ejus comes Anna a S. Bartholomæo :* Præter mutuum amorem qui mihi cum illa intercedebat, alterum capiebam ex ejus consortio solatium; nimirum quod Christum Dominum passim videbam animæ ejus conjunctum, tamquam si ipsa in cœlo fuisset. Quæ res summam mihi ingerebat reverentiam, qualem divina præsentia exigit. *His generatim de commoratione Toletana S.* Teresiæ *notatis, ad magis particularia descendam; ac primum quidem, paragrapho proxime sequenti, epocham quæ inter Septembrem anni* 1576 *et mortem Nuntii Ormaneti intercedit, studiosius quam hactenus a Sanctæ biographis factum est, e superstitibus ejus epistolis illustrare conabor.*

B

§ XL. Auget Sancta Fundationum suarum librum. Maternam de Reformatione sua sollicitudinem pluribus epistolis scribendis exerit. Succedit novus in demortui locum Nuntius apostolicus.

Quatuor nuperarum fundationum narrationem

C U*t igitur ordiamur ab iis quæ ordine temporis priora occurrunt, librum Fundationum, antea perductum ad finem usque capitis* XX, *ultimis mensibus anni* 1576 *S.* Teresia *mandato P. Gratiani locupletavit quatuor fundationum historiis : Segoviensis videlicet, Veasensis, Hispalensis et Caravacensis. Prius autem quam continuando libro manum adjiceret, hæc ad Gratianum perscripsit, notatu perdigna :* Dum sub hanc noctem in Sacra Historia legerem Pharaonem illum cum regno suo universo gravissimis plagis a Moyse fuisse percussum, nec tamen umquam manus in eum conjecisse, omnino mirata fui, et gaudens apud me cogitavi neminem nocere nobis posse, quando Deum habemus fautorem. Jucundum quoque mihi erat quod de Mari Rubro narratur; cum reputarem quanto minus sit hoc quod nos petimus. Dum autem Sancti illius conatibus jussu Dei factis delectabar, interim lætabar etiam Elisæum meum (*P. Gratianum*) in iisdem positum esse, eumque iterum atque iterum Deo commendabam. Recordabar quas mihi Josephus (*i. e. Christus Jesus*) gratias præstitisset, et quomodo mihi dixisset : « Adhuc majora videbis ad » honorem et gloriam Dei. » Deficiebam desiderio mille pericula adeundi pro ejus obsequio. Quippe hisce ac similibus rebus vita transigitur. Et has quidem chartæ commisi ineptias quas videbis. Quod ad describendas Fundationes attinet, nunc incipiam; cum dixerit mihi Josephus multis animabus hunc laborem fore proficuum. Equidem credo id ita fore, si Deus adjuverit; verum, etiamsi hoc mihi non dixisset, tamen id mihi faciendum esse statueram, eo quod tu mihi mandavisti (*tom. IV, fragm.* 17). D

727 *Iterum de eodem libro ad Gratianum scripsit ultimo die Octobris :* Fundationum historia propemodum ad finem perducta est. Credo oblectationi fore quod eam videbis : nam sapida res est. Vide num bene obediam. Non raro puto hanc me virtutem habere; utpote quæ, quoties mihi aliquid per jocum præcipitur, serio id facere vellem : ac libentius huic scriptioni operam do quam turbæ illi epistolarum, qua conficior. Nescio vero quomodo non solum tempus mihi fuerit reliquum ad scribenda ea quæ scripsi, sed nec otium quidem mihi defuerit ad agendum cum Josepho (*i. e. Christo*). Is nimirum est qui vires præstat ad omnia (*tom. III, epist.* 12). *Demum* XIV *Novembris perfectam fuisse illam scriptionem patet ex epiloge qua caput* XXVII *clauditur :* Incepi porro (uti dixi initio) hasce Fundationes describere jussu R. P. M. Ripaldæ Societatis Jesu, qui tum Salmantini collegii rectorem agebat, et quo ipsa, cum in S. Josephi monasterio in illa civitate erecto agerem, confessario utebar, anno scilicet MDLXXIII. Jam tum aliquas scripto commiseram; at postea, ob ingruentes occupationes, a scribendo destiti. Unde etiam in iis ulterius non pergere decreveram, tum quod dicto Patri amplius non confiterer (quia is jam alio migrarat), tum quod quidquid scribo et scripsi, magno mihi labore constat, tametsi omnem, quemcumque in eo subii, laborem ut bene impensum reputem, uti et quidquid hactenus mihi ex obedientia injunctum est. *suo Fundationum libro* E

728 Hoc quidem firmiter et plane apud me constitueram; at commissarius apostolicus (qui modo est P. M. F. Hieronymus Gratianus a Matre Dei) mihi ut in iisdem pergerem et eas absolverem, præcepit. Ipsa vero ei aperiebam quam parum ad hoc haberem otii, necnon alia multa afferebam, quæ ad me ab hoc onere excusandam tunc quidem mihi (quippe adeo immorigera sum) in mentem veniebant. Imprimis vero causabar ingentem quæ inde mihi secutura erat, defatigationem et lassitudinem. At ille nihilosecius mihi injunxit ut paulatim, et quomodocumque possem, in earum scriptione usque ad finem progrederer; uti et feci, parata et contenta, ut quidquid male dictum scirent et intelligerent, illud eraderent. Imo forsan fieri potest ut quod mihi optimum videtur, ipsis videatur pessimum. *jussu P. Gratiani* F

729 Absolutum porro opus hoc est hodie, ipsa, inquam, Sancti Eugenii vigilia, decimo quarto Novembris die, anno MDLXXVI, in monasterio Toletano S. Josephi, in quo modo R. P. Commissarii apostolici Hieronymi Gratiani a Matre Dei, quem modo Exalceatorum et Excalceatarum primitivam regulam sectantium superiorem habemus, quique etiam eorum qui mitigatam sequuntur, per Andalusiam visitator est constitutus, jussu et præcepto habitationem habeo; ad honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui regnat, et per omnia sæcula in æternum regnabit. Amen. Cæterum, ex amore Domini nostri Jesu Christi, sorores meas et moniales quæ hæc lecturæ sunt, rogo ut me Majestati illius commendent, quo mei misereatur meque a pœnis purgatorii liberet, ac, si in ipsum detrudi promerear, ad sui fruitionem non moretur admittere. Cum vero, quamdiu in vita futura sum, *Sancta adjungit.*

A sum, hoc opus visuræ non sitis, post mortem saltem is quem in eo scribendo cepi, labor et defatigatio aliquod mihi lucrum adferat, nec non ingens illud quod in scribendo habui desiderium, ut aliquid dicere possim quod vobis consolationi sit, si modo ipsum legere permittamini.

Pro Didaco Yepes

730 *Ad hoc fere tempus referenda quoque videtur epistola qua S. Mater P. Gratianum certiorem facit confessarium sibi a Jesu Christo assignatum fuisse Alphonsum Velasquez, ecclesiæ Toletanæ canonicum* (*tom. IV, epist.* 23). *Paulo ante, suadente P. Gaspare de Salazar S. J., sibi ipsa conscientiæ arbitrum elegerat P. Didacum Yepes, priorem tunc temporis cœnobii Hieronymiani cui nomen a S. Maria de la Sisla, siti extra mœnia civitatis Toletanæ. Hic vero cum antea solitus fuisset sæpius* Teresiam *invisere, ex eo tempore quo Confessiones ejus audire cœperat, multo veniebat rarius; non quod sancto illo cum ea commercio non delectaretur, quandoquidem ipse fatebatur hoc sibi esse jucundissimum, sed quod arcana quadam vi ab ea adeunda prohiberetur, ita quidem ut quadam die, cum a Sancta fuisset accitus, ter pedem e cœnobio suo frustra extulerit, prout ipse postmodum, incorruptum S.* Teresiæ

B *cadaver Albæ visitans, narravit P. Didaco de Yanguas Ord. Præd. et Mariæ Henriquez, ducissæ Albanæ. Ergo Sancta, uti vicissim eadem occasione P. Yanguas Yepesio narravit, queribunda Salvatorem nostrum adiit :* Eccur, *exclamans,* o bone Pastor, in tantis me angustiis constitutam, ministro tuo, qui me juvare possit, privas? Quidni veniat iste quem vocavi, dum tu facere potes ut veniat? *Cui benignissimus Jesus :* Imo, filia, ego illum retineo, quia volo ut confessario utaris doctore Velasquez.

in confessarium, jubente Christo, assumit

731 *Non parum sollicitudinis hæc responsio Sanctæ injecit; præsertim cum Yepesio jam animum aperire cœpisset, viro de se optime merito. Contigit autem ut paucos post dies denuo Toletum accederet P. Gaspar de Salazar; cujus illa ad arbitrium rem hanc omnem statuit referre. Censuit vir animi S.* Teresiæ *apprime conscius, divino rem agi consilio; ac proin auctor S. Virgini fuit ut imposterum negotia animæ suæ ad Velasquezium referret. Hic vero tam libenter oblatam sibi curam gerendam suscepit, ut ultro Sanctæ promiserit se singulis saltem hebdomadibus, quantiscumque distentus foret negotiis, ad eam venturum esse æque libenter ac si*

C *de archiepiscopatu Toletano adeundo ageretur : cui promisso stetit fidelissime, nec sine magno S. Matris solatio ac levamento. Et hæc quidem partim desumpsi ex ipsa S.* Teresiæ *ad Gratianum epistola, partim e testimonio a ducissa Albana dato in juridicis informationibus pro Sanctæ nostræ beatificatione, quod ex Anno Teresiano allegat P. Antonius a S. Josepho in notis ad citatam epistolam.*

Alphonsum Velasquez.

732 *Velasquezius porro, de quo hic agitur, postquam Sanctam frequentasset ac pro Confessione audisset, tantam erga ipsam devotionem et affectum concepit, tamque præclare de heroicis ipsius virtutibus sensit, ut post aliquot annos, cum factus esset Oxomensis episcopus, ipsam evocarit, ut Soriæ, in suæ diœceseos oppido, monasterium constitueret, atque in domum suam ea occasione venientem genu flexo exceperit. Testatur hoc Yepesius in virorum illustrium de S.* Teresia *testimoniis, Vitæ suæ Teresianæ prologi loco præmissis* (§ III); *additque Sanctam eo honore ita erubuisse atque umquam alias in vita erubuerat. A sede episcopali Oxomensi ad Compostellanam postmodum translatus, Velasquezius apud Philippum II institit ut se gravibus laborantem morbis pateretur a pastorali cura quiescere; quod diceret nec suam nec regis conscientiam, quamdiu Compostellanæ præesset ecclesiæ, in tuto esse* D *ulla ratione posse. Cui postulationi cum rex, ægre licet, ut latius exponit Palafoxius* (*tom. I, epist.* 8, *not.* 3 *et* 4), *tandem annuisset, reliquam præsul vitam uni sibi Deoque vacans exegit Talaveræ in Nova Castella. His de præstante illo viro obiter annotatis, historiæ Teresianæ filum resumo.*

P. Gratianum de vana gloria cavenda

733 *P. Gratianus sub finem anni* 1576 *visitandis Carmeli Andalusii cœnobiis sedulam navabat operam, magna ubique, teste S.* Teresia (*tom. II, epist.* 76), *discretione ac suavitate utens; qua agendi ratione tantos e difficillimo labore collegit fructus, ut eos pene incredibiles fuisse Sancta pronuntiarit* (*tom. II, epist.* 85) *ac Gratiano a vanæ gloriæ titillatione timuisse videatur. Sic enim post octavam omnium Sanctorum virum monebat :* Nuper tibi scribebam quantopere me recreassent litteræ a P. Mariano ad te missæ; quibus narrat historiam quæ me ad laudandum plurimum Deum excitavit. Nescio unde ei tam belli joci tantumque ingenium. Sit benedictus ille qui dedit : patet enim hæc Dei opera esse. Quare in ea semper permane sententia ut gratia Dei te esse existimes id quod es, et parum tibimetipsi fidas. Quod ideo dico quod mihi videtur bonus ille Marianus nimia confidentia res suas promere ac facilia habere omnia; ita ut, eo audito, verita fuerim ne in vacuum laboraret. Jubet magnus Israel Deus in Sacris Scripturis ut sibi laudem attribuamus. Unde omnino necesse est cum scopum spectemus quem tu recte quidem tibi habes propositum, honorem, inquam, et gloriam Dei; atque omni studio caveamus ne ulla in re quæramus nosmetipsos. Ipsi enim Deo, siquidem ita ei placuerit, hoc curæ erit : nostræ vero sunt partes ut parvitatem nostram ob oculos habeamus; unde Dei magnitudo clarius eluceat. E

modeste blandeque admonet;

734 *Ut autem ostendat se non arrogantia adduci ad ita hortandum præpositum, sed potius tenerrima in eum caritate, illico, quasi corrigendæ sui ergo, subjungit :* At quam stolida sum, et quantum Pater meus ridebit, quando hæc leget! Bene sit papilionibus istis (*intellige moniales Hispalenses*), tanto cum solatio tua præsentia fruentibus, qua mihi istic sine multis molestiis frui non licuit. Non possum istis non invidere : quanquam summo mihi gaudio est industria illa qua iis est integrum, et quidem sine cujusquam crimine, aliquam Paulo F meo (*i. e. Gratiano*) levationem afferre..... Magna me jucunditate afficiunt istæ sorores, dum (quæ tua est in me benevolentia) adeo accurate me de omnibus faciunt certiorem, adduntque se tuo jussu id facere. Lautissimum enim mihi gaudium est quod videam te non esse mei immemorem (*tom. II, epist.* 21.)

eique Hispali versanti,

735 *Scilicet Hispalim tamquam centrum suorum per Andalusiam laborum Gratianus constituerat, ubi passim omne illud tempus quod habebat a visitationibus vacuum, transigeret. Hinc frequens illi cum cœnobio monialium Hispalensium consuetudo, præsertim vero cum cœnobii illius priorissa, Maria a S. Josepho, præstantis ingenii virgine, quam passim* Teresia *et Gratianus arcanorum ac consiliorum suorum consciam et commercii epistolaris sequestram adhibebant : quo facile explicatur cur longe sæpius ad hanc quam ad cæteras priorissas S. Mater eo tempore scripserit. Ne autem litterarum ad ipsum Gratianum scriptarum multitudo adversariis suspicioni esset, en qua arte se deinceps usuram Sancta die* VIII *Novembris laudatæ priorissæ annuntiet :* Litteras meas ad Patrem nostrum nullo involucro obtegam, easque tibi inscribam, adjecta duplici cruce,

AUCTORE V. D. M.

cruce, vel potius triplici; melius enim est tres cruces apponere quam duas vel unam, siquidem plurimæ sunt cruces (*i. e. ærumnæ*) quibus istic affligimini. Monebis quoque Patrem nostrum ut ipsis suis litteris nihil inscribat; sed tibi potius eas committat, quibus eamdem quam tuis litteris inscriptionem imponas. Magis enim hoc valet ad dissimulandum quam id quod antea suggessi (*tom. III, epist.* 68).

non vero aliis viris, in monialium locutorio cibos dari sinit.

736 *Quantælibet autem esset Sanctæ nostræ oblectationi mutua Gratianum inter et moniales Hispalenses necessitudo, tamen inde enasci regularis observantiæ imminutionem vel minimam æquo animo sinere non poterat. Hanc ob causam, cum sciret Gratianum sæpius apud moniales cibum potumque sumere, non obstitit quidem quominus ille ob temporis rerumque adjuncta id facere pergeret; attamen gravissimis verbis non semel tum priorissam tum Gratianum ipsum admonuit ne idem ad alios viros permitterent extendi* (*tom. I, epist.* 53; *tom. IV, epist.* 20). Licet, *ait,* hoc tempore omnia sancta sint, scio quid futurum sit, si jam nunc cautela non adhibeatur: et hæc causa est cur hanc rem tantopere pressi. *Quam vero pro Gratiano tum fecerat exceptionem, eamdem iterum sexto post mense non confirmavit solum, verum* B *etiam, quoniam videbat bono Patri pessime cum Calceatis convenire, quodammodo ampliavit. Namque initio Decembris injunxit priorissæ Hispalensi ut Gratianum enixe rogaret ne amplius Calceatorum refectorio uteretur; hinc enim gravissima in Reformatum Carmelum universum redundare incommoda* (*tom. III, epist.* 70): *tum etiam eamdem priorissam de cura qua Patris amantissimi necessitatibus impigre inserviebat, ample dilaudavit, et ad pergendum, modo fieri posset sine scandalo, hortata est* (*tom. II, epist.* 85). *Ne autem hæc in Gratianum caritas ullam egestatem afferret monasterio satis pauperi, provida mente S. Fundatrix subsidia pecuniaria in eum usum curaverat subministranda a monialibus primæ suæ ac carissimæ domus S. Josephi Abulensis* (*tom. II, epist.* 83 *et* 85).

Inopia premuntur Veasenses, Caravacenses et Malagonenses moniales;

737 *Interim ad inopiam qua moniales Teresianæ Veasi ac Caravacæ premebantur, accedebant lites nescio quæ adversus eas motæ, quas mense Majo* 1577 *nondum terminatas fuisse Sancta queritur in epistola tunc Hispalim data* (*tom. II, epist.* 89). *Imo Veasi vitam tam ægre sustentabant moniales, ut Gratianus, quando illuc exeunte anno* 1576 *accessit, deliberarit cum Ven. Anna a Jesu, priorissa,* C *de domicilio Granatam transferendo. At consulta de hoc negotio S. Fundatrix, in hæc verba respondit:* Videtur mihi timor iste ne rebus necessariis destituamur, indicium esse permodicæ in Deum fiduciæ; siquidem ne vel minimum animalculum reperire est cui summa Majestas escam non suppeditet. Curam vestram ac sollicitudinem omnem, filiæ meæ, in benignissimum Jesum conjicite; spondeo enim vobis fore ut numquam vobis desit vosque destituat. Præterea, si quidem breve tempus est ex quo monasterium istud fundatum fuit, non videtur expedire ut tam cito istinc retrahatur. Aliquot annos expectate. Dein, si vestræ inopiæ remedium non attulerit Deus, signum erit ipsi placere ut mutatio fiat. Interim faciant nunc præpositi nostri id quod sibi videtur faciendum (*tom. IV, fragm.* 71). *Malagonensis quoque cœnobii virgines varias patiebantur calamitates, quas Sancta describit in epistola* XIX *Novembris* 1576 *ad priorissam Hispalensem data* (*tom. I, epist.* 55).

Hispalenses etiam calumnias patiuntur,

738 *Cæterum minimi facienda est hæc rerum temporalium inopia, si comparetur cum aliis malis quæ eadem tempestate sanctæ virgines Hispalenses patiebantur, ob calumnias potissimum quas Calceati Patres aliique horum partibus addicti adversus illas* D *et Gratianum ipsamque S. Fundatricem passim in vulgus spargebant. Certum est e Sanctæ nostræ litteris has tragœdias agi cœpisse jam inde ab anno* 1576, *Calceatosque eo anno exeunte consilium iniisse ablegandæ ad exteros* Teresiæ, *de quo ipsa non illepide scribebat* XXVI *Novembris:* Gratum mihi fecerunt qui occasionem quærunt mittendi me ad Indos. Sit istis Deus propitius. Nihil enim melius facere possunt quam ut tanta simul probra in me congerant, ut apud neminem scilicet fidem inveniant (*tom. II, epist.* 84). *Attamen in his ordinem temporis mihi videntur parum servasse auctor Chronici et qui ejus vestigia pressit P. Fredericus, dum huc referunt ablatum Mariæ a S. Josepho monasterii sui regimen auctoritate provincialis Calceatorum Andalusiæ, necnon binas litteras quas Sancta illa occasione dedit ad P. Pantoja Carthusianum et ad moniales suas Hispalenses. Equidem ex attento Teresianæ historiæ studio persuasum habeo ea non pertinere ad hoc de quo nunc agimus tempus, sed ad finem anni* 1578 *et initium* 1579. *Nempe usque ad postremum hunc annum atrox illa tempestas adeo sævire non desiit, ut potius, si brevia aliquot inter-* E *valla exceperis, magis magisque increverit; donec tandem per regios commissarios penitus depulsa fuit, prouti suo loco dicemus. Hæ autem turbæ connexæ quoque sunt cum quæstione de confessariis monialium, quam speciali tractabimus paragrapho.*

a PP. Calceatis sparsas.

739 *Interim ut scias quid S.* Teresia *hoc tempore censeret de illis Calceatis qui suæ Reformationi exitium machinabantur, memento ab ipsa enixe rogatum fuisse Gratianum ne apud eos cibum sumeret; ac præterea adi binas litteras, initio Novembris ad Marianum datas, in quibus hæc inter alia scribit:* Reverendam me appellas et Dominam. Sit Deus tibi propitius; vere enim videmur tu et ego ad Calceatos revertisse. Jucunda mihi accidit amicitia Reverendi istius (*Valdemorii, quem ex superiori ad Marianum epistola, num.* 720 *citata, jam novimus*) qui nuper ad te venit gratiam postulaturus, et me jam Abulæ pro ea impetranda convenerat. Meliorem illi salutem concedat Deus. Hem! numquid duodecim horas habet una dies? Fors mutatus jam erit (*tom. IV, epist.* 33). *Quæ vero fuerit gratia illa, alteræ docent litteræ:* Hodie me invisit bonus Valdemorius, et jam credo, vera loquitur de amicitia; quippe ipsi nunc bene est. Multis mihi disseruit de S. Paulo Christianos persequente, ac de iis quæ post- F modum Apostolus gessit. Quod si noster ille vel decimam partem eorum quæ S. Paulus fecit, pro Deo fecerit, condonabimus illi quidquid in nos deliquit vel deinceps delinquet. Dixit se a te petisse ut fratrem suum inter nostros reciperes. Utique, si tantum concionatoribus indigeremus quantum ipse dicit, magnam nobis faceret gratiam: at metuo scilicet ne Pater noster (*Gratianus*), qui visitationis tempore aliorum Ordinum homines expellit, non facile in suum Carmelum extraneos admittat. Existimo igitur Valdemorium nostrum unicam hanc e sua amicitia capturum utilitatem, quod nempe ipsum Deo commendabimus. Cæterum istic videbitis quid expediat (*tom. IV, epist.* 34). *Quod S. Mater hic de Gratiano innuit, explicat P. Antonius a S. Josepho* (*nota* 3 *ad citatam epistolam*) *his verbis:* Gratianus catalogum confici jussit omnium qui ex aliis Ordinibus ad nostrum transierant; hosque ad suam quemque Matrem remisit, quia plurimum retardabant Reformationem. Videre est eorum nomina in originalibus visitationum actis, quæ penes Observantes nostros Madritenses servantur.

740 *Sic*

De Paternensi suarum missione

740 *Sic quasi sponte ad Gratiani visitationes revertimur, a quibus parumper recesseramus. Singillatim equidem res a Gratiano gestas enarrare nec possum nec debeo; sed eatenus solum eœ a me referendœ sunt quatenus ad vitæ S.* Teresiæ *illustrationem aliquid momenti afferunt. Sub hoc igitur respectu non ultimum locum tenet monialium Teresianaram in Paternam missio; cujus occasionem ac circumstantias ita summatim narrat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 22, *not.* 10 *et* 11) : Erat Paternæ cœnobium virginum Carmelitanarum Calceatarum, adversus quas nebulo nescio quis turpem atque horrendam adornavit accusationem. Sancta, dum adhuc Hispali morabatur, institit apud P. Gratianum ut veritatem exploraret, ac probata monialium illarum innocentia, insigniter puniri curaret perfrictæ frontis hominem qui tantum filiabus Sanctissimæ Virginis crimen affingere non dubitasset. Hujus rei ac simul reformandi cœnobii causa Gratianus, pro sua visitatoris potestate, eidem præfecit Isabellam a S. Francisco, Excalceatam Hispalensem, cui sociam dedit Isabellam a S. Hieronymo, ac deinde etiam Margaretam a Conceptione, veli albi sororem. Maria a S. Josepho, totius rei conscia, testatur factam esse profectionem Paternensem mense Octobri 1576, reditum vero incidisse in diem festum S. Barbaræ anni sequentis 1577. Huic testimonio consentanea est depositio Isabellæ a S. Francisco, affirmantis se Paternæ prioratum gessisse annum cum mense. Per id tempus manifeste patuit Calceatarum Paternensium innocentia, ac publice pœnas dedit nefarius impostor. Excalceatæ autem nostræ, licet illic non parum passæ, tamen egregie consuluerunt famæ ac religioni sororum suarum. Et hæ utramque hodiedum conservant, transitu facto in Sanctæ Annæ cœnobium, quod pretiosissimis opulentæ civitatis Hispalis ornamentis annumeratur, succedentibus in Paternenses ædes monialibus clarissimi Ordinis qui a S. Joanne dicitur, quarum nobilitati par pietas. Porro Gratianus pro patefacta innocentia multis criminibus accusatus fuit, uti ipse libris propria manu conscriptis testatum reliquit. *Hæc laudatus P. Antonius.*

Sancta gaudium suum testatur priorissæ Hispalensi

741 *Porro Sancta nostra quanto exultarit gaudio, quando de Paternensi suarum expeditione certior facta est, qualemque hinc promovendæ Dei gloriæ et animarum salutis spem conceperit, multæ ex epistolis ejus ostendunt. En, exempli causa, quomodo loquatur in epistolis ad priorissam Hispalensem :* Invidi, *inquit,* plurimum nostris illis quæ Paternam profectæ sunt, non tam quia cum Patre nostro ierunt, quam quia ierunt ad patiendum : pro hoc enim bono alterum obliviscebar. Faxit Deus ut res hæc principium sit operæ a nobis ad ejus obsequium imposterum adhibendæ! Cum tam paucæ ibi sint, non multis opus habere mihi videntur præter victum ad famem levandam : audivi nimirum ipsis non suppetere quod manducent. Ardenter hic Deum precamur ut ipsis adesse dignetur. Tu has litteras ad eas mittere ne negligas; et si quas ab iis acceperis, has mihi, quæso, afferri cura, ut videam quomodo se habeant : denique litteris, hortatu, consilio illas juvare ne cessa. Valde enim grave ipsis accidit quod tam solæ sint (*tom. II, epist.* 84). Multa mihi sollicitudo est circa monasteria quorum cura Patri nostro incumbit. Modo Excalceatas meas in ejus auxilium impendo, ac libentissime meipsam impenderem (*tom. III, epist.* 70). Non intra unum istud monasterium stabit Excalceatarum in aliis reformandis opera (*ibid. epist.* 69).

et P. Mariano,

742 *Item in epistola ad Marianum data* XII *Decembris* 1576 (*et non* 1578, *uti vult Lataste in nota ad versionem gallicam : nam primo quidem in ipsa hac epistola asserit Sancta postridie fore feriam quintam; jam vero* XIII *Decembris feria quinta esse non potest nisi littera dominicalis fuerit G, quod non anno* 1578, *sed anno* 1576 *obtinuit : præterea, uti modo vidimus, Excalceatæ Hispalenses Paterna jam excesserant anno* 1577 *exeunte*) : O Pater mi, *lætabunda inquit Sancta,* quanto cor meum exundat gaudio, quoties ex hoc Ordine nostro aliquis quidpiam facit ad Dei honorem et gloriam vel aliqua peccata exstirpat! Unum me torquet atque sollicitat : nimirum quod video quam parum sit quod eum in finem ego conferre valeam. Quidni liceat et mihi pericula adire atque ærumnas, ut spolia participem cum his qui medias in acies se fortiter injiciunt! Quandoque, quæ mea malitia est, delector quiete qua hic mihi frui concessum est : at, ubi ad me pervenit notitia rerum quæ illic aguntur, mœrore conficior et æmulatione adversus Paternenses illas. Quamquam gaudeo quoque quod Deus Excalceatas meas ad suum obsequium adhibere cœperit; ac sæpe, dum video mentes illas tanta animositate res hujusmodi capessere, mihi persuadeo fieri non posse ut Deus, nisi ad insignem aliquem finem, tantas iis gratias impertiatur. Quod vero si nihil amplius facerent, vel hoc solum lætitia me afficeret quod illo in monasterio moratæ aliquamdiu fuerint, ac prohibuerint saltem aliquas Dei offensas : quanto magis igitur lætandum mihi nunc est, dum spero fore in Domino ut plurimis aliquando animabus prosint!

cui mentem quoque suam de promovendis fundationibus,

743 *Relicta Paterna, de qua adhuc aliqua deinceps occurrent, per hanc ipsam epistolam ad alia transeamus. Sic eam continuat S. Mater :* Memento ut declarationi quæ in Fratrum nostrorum gratiam fiet, etiam apponatur licentia fundandi monasteria virginum. Confessario hic utor doctore Velasquez, ecclesiæ Toletanæ canonico, viro, ut vulgo compertum est, litteris ac pietate præstanti. Is ægre fert jam non fundari monialium cœnobia; ac me hortatus est ut per D. Aloisiam de la Cerda implorem regii legati qui Romæ est, intercessionem, ad obtinendam fundandi facultatem a Præposito Generali, sin minus, ab Summo Pontifice : dici enim posse affirmat monasteria nostra esse Hispaniæ specula; se id ipsum scripto asserturum. Jam antea certiorem te feci de fundatione quæ offertur. De utraque igitur re mihi responde. Ex epistolio quod ad me misisti, magnum cepi solatium : gratiam tibi rependat Deus. Equidem id quod dicis, jam firmiter animo tenebam. Eccur nullum ad me nuntium dat P. Balthasar? Omnes nostros velim salutes meo nomine.

de nimia pedum nuditate vitanda

744 Quod autem dicit P. Joannes a Jesu, velle me ut nudis pedibus incedatis, est equidem quod mirer; quippe cum id semper prohibuerim P. Antonio : erravitque si meo judicio steterit. Namque, quoniam mihi erat propositum ut viros idoneos ad nos allicerem, metuebam ne nimia vitæ nostræ asperitate deterrerentur; et tamen ex altera parte nuditas illa pedum erat necessaria, qua ab aliis istis Carmelitis distingueremini. Nescio an dixerim æque vos frigori obnoxios fore hoc qualicumque calceatu, ac si omnino excalcearemini : sed illud bene memini me dixisse, nempe meo judicio valde male congruere pedes nudos cum bono jumento; quare nequaquam nostris permittendum esse jumentorum usum, nisi longi itineris aut necessitatis causa; denique absurdam rem mihi videri quod aliqui juvenes Excalceati jumento huc vecti essent, ubi iter tam breve erat, ut facile potuissent pedites conficere. Atqui hoc ipsum iterum dico, non bene stratis insidere mulis juvenes qui calceos non habeant.

AUCTORE V. D. M.

beant. Cæterum quæ mihi affinguntur de immodica pedum nuditate, ne in mentem quidem mihi umquam venerunt. Ergo mone ut aliud a nemine fiat quam quod hactenus solitum est, et Patri nostro hoc indica.

et de victus asperitate moderanda aperit.

745 Alterum est quod fortiter ursi, videlicet ut nostris de meliori victu provideatur. Versantur enim mihi ante oculos ea quæ mihi dixisti; ac sæpius plurimum doleo nihildum hac in re me efficere potuisse. Heri, antequam tuæ litteræ mihi apportatæ erant, in spem tandem veneram fore ut post biduum emendatio fieret; verum ubi vidi quo res gerantur modo, ad Deum me recepi, solatium postulatura. Ipse enim, uti omnia nostra cœpit, ita etiam cœpta ordinabit: gaudeo autem quod te mihi consentientem habeam. Insuper petii instanter ut in operibus manualibus nostri exercerentur, saltem in conficiendis cistellis aut similibus rebus, et quidem hora recreationis, si aliud tempus non suppetat : nam ubi studiis litterariis non vacatur, maximi id momenti est. Intelligas velim, Pater mi, amicam me esse magni processus in virtutibus, sed non rigoris, uti ex nostris monialium domibus videre est; nescio an ideo, quod parum ipsa pœnitentiæ studeo. Plurimas Domino nostro tribuo laudes quod tanta ad negotia tantam tibi dat lucem. Omnium vero maximum hoc est, Dei laudem et gloriam unice concupiscere. Pro qua utinam mille mortes oppetere nobis contingat! Amen. Amen. (*Tom. II, epist.* 46.) *Quæ in hac ad P. Marianum epistola pertractat Sancta, partim una cum aliis Ordinis negotiis recurrunt in epistola medio circiter Decembri scripta* (*tom. II, epist.* 23) *ad P. Gratianum; quem etiam die* VII *ejusdem mensis certiorem fecerat et consuluerat de oblata sibi fundatione in Aguilar del Campo a divite et improli vidua, quæ fortunas suas, suasu Patris cujusdam e Societate Jesu, in cœnobii Carmelitanarum Excalceatarum erectionem impendere statuerat* (*ibid. epist.* 22). *Ita quidem omnes pene epistolas anno* 1576, *quoad scio, a S.* Teresia *scriptas, ordine quam potui optimo, suis locis indicavi. Ut integra earum series perficiatur, addendæ tantum sunt tres ad Gratianum* (*tom. II, epist.* 20, 22 *et* 27) *et duæ ad priorissam Hispalensem* (*tom. III, epist.* 71 *et* 72).

Scribitur Apologia Regularium

746 *Prius autem quam anno* 1576 *excedamus, mentio facienda videtur rei cujusdam sat memorabilis; quæ, licet ad S.* Teresiam *vix quidquam videatur pertinere, tamen in quibusdam ejus epistolis innuitur iisque proin dilucidandis inservire potest. Loquor de P. Ferdinandi del Castillo, Ord. Præd., epistola, quam vocant Apologiam Regularium, ad Philippum II ex Atochensi conventu scripta die* XXIII *Octobris* 1576. Hanc, *inquit P. Jacobus Echard,* noster Joannes Lopez inseruit Histor. Gener. P. IV, lib. 3, cap. 63, pag, 736; cujus scribendæ hæc occasio fuit. In Fratres Ordinis Minorum Bæticæ provinciæ, alicujus illorum forte prætextu reatus, præter juris ordinem regulariumque disciplinam, etiam auctoritate regis insurrexerant osores eorum aliqui : cum autem id in commune regularium omnium exitium famæque dispendium, morum et disciplinæ detrimentum manifeste verteretur, malo huic occurrere Castillius noster et apud regem intercedere decrevit pro disciplinæ regularis juribus communique regularium fama et nomine; quod hac Epistola seu Apologia præstitit et pro votis consecutus est. (*Scriptor. Ord. Præd. tom. II, pag.* 309.) *Equidem, cum Historia illa Ordinis Prædicatorum, idiomate hispanico conscripta et sex comprehensa voluminibus, quorum duo prima P. Ferdinandum del Castillo, quatuor reliqua P. Joannem Lopez auctorem habent, in nostra bibliotheca non extet, et aliis in libris, quæ sive Franciscanam sive Dominicanam tradunt historiam, plenam factorum de quibus agitur, notitiam frustra quæsissem; adii nitidissimum Bibliothecæ regiæ Bruxellensis codicem quo prælaudata P. Castillii epistola continetur, signata numero* 3763 *et manu pereleganti scripta, errore tamen in anni nota commisso, ubi ad finem scribitur* 1580 *pro* 1576.

adversus Nuntium et Joannem de Padilla.

747 *Porro, ut nihil aliud dicam quam quod ad rem nostram facit, querelæ, hac epistola* (*jurene an injuria*) *ad regem perlatæ, potissimum cadunt in Ormanetum Nuntium et Joannem de Padilla, S.* Teresiæ *amicos ac fautores studiosissimos. Ac manuscripto quidem, quod consului, epistolæ exemplo nota subditur, qua dicitur actum in consilio regio fuisse tum de Padilla carceri includendo, tum etiam de remittendo ex Hispania Ormaneto recusandisque imposterum quoscumque Romanus Pontifex in illud regnum ablegasset Nuntiis. Ergo ad hoc Padillæ infortunium alludit Sancta, dum in litteris ad P. Marianum* III *Novembris scriptis ait :* Valde angor malis quæ patitur bonus Pater noster de Padilla. Non potest dæmon tam magnis operibus bellum non inferre : det Deus animum homini illi ac vires (*tom. IV, epist.* 34). *Et in alteris litteris, paulo post, ut videtur, scriptis, gaudium testatur suum de bona Padillæ valetudine* (*tom. IV, epist.* 33). *Ignoro autem num ad hunc ipsum an vero ad alium Padillæ casum respiciant, quæ Sancta anno* 1578 *die* XXVIII *Julii scribebat ad P. Dominicum Bañez :* Vehementer me afficit mala sors Patris de Padilla, quem pro Dei famulo habeo. Dignetur Deus veritatem patefacere; valde enim pati necesse est illum quem tot inimici insectantur : quæ quidem communis omnium nostrum sors est; sed pro tam bono Domino vitam atque honorem pessumdare res est exigua (*tom. IV, epist.* 73). *Quod vero allegata nota perhibet actum fuisse de dimissione Nuntii, confirmari videtur e prima trium epistolarum quas e S. Matris autographis gallice versas primus edidit R. D. Migne* (OEuvres très-complètes de Sainte Thérèse, *tom. II, pag.* 664 *et seqq.*). *Ibi enim Sancta, postquam denuo anxie quæsivit de valetudine Padillæ* (*iis autem verbis quæ ostendant bonum virum eo tempore, nempe* XVI *Februarii* 1577, *vel nondum incarceratum fuisse vel jam exiisse e carcere*), *dein ita de Ormaneto loquitur :* Scias, mi Pater, cogitasse me omnino nos opus habere bono Nuntio, qui certe est Dei famulus. Abitus ejus, si locum habeat, maximam mihi molestiam afferet. *Quidquid sit, videtur causa hæc, quatenus saltem ad Ormanetum futurosque post ipsum Nuntios spectabat, brevi cum bona utrinque gratia composita fuisse; sicuti ipse hujus Commentarii mei decursus ostendet. Joannem vero de Padilla a Sacræ Inquisitionis tribunali crimine absolutum fuisse, asseverat P. Antonius a S. Josepho in annotationibus suis ad epistolas superius allegatas.*

Mittit S. Mater carmina

748 *Annum ingredimur* 1577; *cujus in principio, nempe die* II *Januarii, Sancta fratri suo Laurentio illa misit carmina :*

O hermosura que excedeis
A todas las hermosuras!
Sin herir dolor haceis;
Y sin dolor deshaceis
El amor de las criaturas.
O ñudo que así juntais
Dos cosas tan desiguales!
No sé por que os desatais :
Pues atado fuerza dais
A tener por bien los males.
Quien no tiene ser, juntais

Con

A Con el ser que no se acaba :
Sin acabar, acabais :
Sin tener que amar, amais :
Engrandeceis nuestra nada.
O pulchritudo quæ excedis
Omnes pulchritudines!
Sine ictu dolorem facis;
Et sine dolore aufers
Amorem creaturarum.
O node qui ita jungis
Duas res tam dispares!
Nescio cur dissolvaris :
Siquidem strictus vires præbes
Ad mala in bonis habenda.
Eum qui non habet esse, jungis
Cum ente nullum habente terminum :
Non interiens, interimis :
Non habens quem ames, amas :
Amplificas nostrum nihilum.

Cum litteris ad fratrem suum.

749 *Eadem cui hæc carmina inseruntur epistola etiam annuntiat quod sequitur :* Injunxit mihi Nuntius ut ad se mitterem exempla diplomatum quibus ad fundanda monasteria usa fui, una cum catalogo quo indicentur numerus ac locus cujusque monaB sterii, numerus item monialium et quam quæque patriam et ætatem habeat; demum quot ex iis ad prioratum gerendum idoneæ mihi videantur . . . . . Ajunt hæc illum eo petere quod propriam nobis provinciam facere velit : verum timeo ego ne potius intendat nostras moniales ad alia cœnobia reformanda adhibere; qua de re jam pridem, nec sane nostro bono, actum fuit : tantum quod pro Ordinis nostri monasteriis id jam fieri patimur (*tom. I, epist.* 31). *Utique de Paternensi cœnobio hic loquitur; cui reformando duas moniales, ut supra vidimus, Hispali Gratianus deduxerat. His juvandis unam alteramve veli albi sororem deputari Sancta suadet litteris* III *Januarii datis ad priorissam Hispalensem* (*tom. III, epist.* 73); *cui suasioni Gratianus obsecundans, sociam primis duabus reformatricibus elegit Margaretam a Conceptione. Manserunt autem hæ tres Excalceatæ in monasterio Paternensi usque ad diem* IV *Decembris; qua demum die Hispalim redierunt* (*tom. III, epist.* 77).

De rebus sui Ordinis ad P. Gratianum, ad priorissam Hispalensem et ad P. Marianum scribit.

C 750 *Tertio post festum Epiphaniæ die S. Fundatrix, ad ipsum P. Gratianum scribens, hæc quoad reformanda monasteria monet :* Quod dicis de damno tot animarum quæ se Dei servitio in Religione manciparunt, jam dudum id deploravi. Factu optimum est ut eis de bonis confessariis provideas : et hocce remedium ni adhibueris, quocunque miseris nostras Excalceatas, timeo ne parum admodum proficias. Etenim magna erit difficultas, si, rebus exterioribus intentæ, non habeant a quo in interioribus adjuventur; prout ipsa experta fui, donec nostri Excalceati cœnobio Incarnationis operam dare cœperunt. Jam vero, quandoquidem aliud non intendis quam medelam animabus afferre, id velim procures, addito etiam mandato ut iis in locis ubi Fratrum cœnobium existit, nemo moniales adeat qui eas inquietare possit (*tom. IV, epist.* 24). *Alias epistolas* XVII *Januarii ad fratrem suum et ad priorissam Hispalensem dedit* (*tom. I, epist.* 32 *et* 56); *et iterum ad hanc* XXVI *Januarii inter alia scripsit :* Vides quantum chartarum ad Patrem nostrum (*Gratianum*) mittam . . . . Visum hic quoque fuit mandatum Generalis quod mihi Hispali adhuc versanti intimatum fuit, quo non ego solum exire prohibeor, sed et cæteræ omnes moniales; ita ut nullam in domum, sive ad prioratum gerendum, sive alia de causa, transmigrare illis liceat. Itaque immineret nobis exitium, si quando Patri nostro sua auferretur commissio. Etiamsi enim Excalceati nos regant, nihil hoc nobis D proderit, nisi Pater noster, adhuc commissarius, declaret exire nos interdum posse : ejus autem declaratio et mihi et monialibus sufficit. Quoniam ergo fieri in horas potest ut sic incautæ excipiamur, obsecro te ut negotium isthoc omni qua potes diligentia conficias. Is cui litteras ad Patrem nostrum ferendas dabis, exspectare poterit donec declaratio scribetur, ad quam scribendam non est multo tempore opus, eamque in reditu suo ad te afferre. Aliter autem litteras non mitte quam per mulionem, et proposito bono vecturæ pretio; Patrique nostro significa me tibi scripsisse ut responsiones suas ad te mittat. Mire hactenus insanivimus : nempe administrator, qui est legum peritissimus, ac doctor Velasquez, inspecto Generalis mandato, dicunt nos agere posse, et commentarium hac super re mittunt. Faciat Deus quidquid maxime ad suum obsequium conducet. Cum vero illi mihi injungant ut celeriter rem faciendam curem, ipsis obsequor (*tom. III, epist.* 74). *Vides impigram S. Matris prudentiam. Initio Februarii, dum metus Sanctæ incesserat ob iter P. Tostati ad aulam Madritensem* (*tom. I, ep.* 33), *commodum accidit ut Toletum veniret P. Petrus Hernandez Ord. Præd., Carmeli Castellani olim visitator, cujus sæpe cum laude meminimus.* Et dixit mihi, *ait illa, ad Marianum* (*ni fallor*) *scribens* XVI *Februarii,* fore ut prævaleat visitatorum potestas, si Tostatus exhibere nequeat diploma quo ostendat se in eos jus habere; sin aliter, tacendum nobis et obediendum esse, atque alia via rem aggrediendam. Commissarios enim, pro ea quam habent auctoritate, nec provinciam conficere posse nec constituere diffinitores. Itaque consulto opus est et prece ad Deum, in cujus potentia sita sunt omnia : dignetur, quod ardenter omnes petimus, ocius tibi reddere sanitatem. Is quem vides tabularius id unum in mandatis habet ut mihi renuntiet quæ tua sit super hoc negotio sententia et qua sis valetudine (*epist.* 1 *inter eas quas primus edidit R. D. Migne*). *Videtur Mariani responsio* Teresiam *metu exonerasse, quantum colligere est ex altera ad eumdem epistola versus idem tempus exarata; in qua etiam lætitiam ostendit de promotione Gasparis de Quiroga, episcopi Conchensis ac præsidis S. Inquisitionis, ad sedem archiepiscopalem Toletanam; asseritque se hanc promotionem jam dudum ante pro certa habuisse.* (*tom. IV, epist.* 35).

F

Judicium summi Inquisitoris de suis libris aliaque fratri suo Laurentio nuntiat.

751 *Die* XXVIII *Februarii prolixas S. Mater litteras dedit ad fratrem suum Laurentium, e quibus sequentia seligo ;* De scriptis meis bona accepi nuntia. Summus Inquisitor, inaudito hactenus exemplo, ea ipse legit; ac videtur de iis locutus fuisse cum honoris significatione. Dixit ipse Dominæ Aloisiæ (*de la Cerda*) nihil inibi reperiri quod negotium facessere Inquisitoribus possit, cum nec mali quidquam, sed potius multum boni contineant. Tum etiam, pro egregio quo est in Excalceatos animo, quæsivit eccur nondum Madriti monasterium excitassem. Scito eumdem hunc esse qui non longo abhinc tempore archiepiscopus Toletanus designatus fuit. Magnopere illi nostrum hoc negotium cordi est, uti ad me scripsit Aloisia, quæ illo amicissime utitur et nescio quo in loco sermonem cum illo videtur habuisse. Ipsa brevi, quando huc revertetur, cætera me docebit. Hæc cum episcopo (*Abulensi*), subpriorissa et Isabella a S. Paulo, sed non cum aliis, communices velim; rogesque ut nemini indicent, sed Deo omnia commendent. Sane optima sunt ejusmodi nuntia . . . . Bene valet P. Visitator. Nunc, ut fertur, redit Tostatus; qui reditus, credo,

AUCTORE V. D. M.

credo, eo spectabit ut toti orbi tandem aliquando nostra hæc negotia innotescant : apparet quippe nihil aliud agi quam comœdiam. Interim ardenter cupio Patrem nostrum illo onere levatum videre. Faxit Deus sicut fieri oportere viderit (*tom. II, epist.* 50). *Iisdem litteris Laurentium docet moniales Hispalenses rerum temporalium copia auctas esse. De qua prosperitate ipsam quoque earum priorissam, litteris item* XXVIII *Februarii ad eam datis, gratulatur :* Remuneretur tibi Deus, *inquiens,* ob bona nuntia quæ ad me perscribis : vere enim tibi edico fuisse hæc mihi jucundissima, et præ cæteris ea quæ ad domum vestram pertinent : quippe magno mihi levamento est quod aliquanta quiete fruimini. Multa hoc prĕce a Deo postulaveram : quare nec absque ingenti voluptate strenas tibi dabo meas. Utinam me Deus pro te orantem exaudire dignetur! Nunc enim dives cum sis et officio præmineas et prospera utaris fortuna, divino auxilio ad humilitatem colendam valde indiges. Ac mihi quidem certum apparet omnia ista beneficia Dei bonitate, cui æterna laus sit, in te fuisse collata : quod omnino velim tibi mecum persuadeas. *Tum, paucis interjectis, rem aliam attingit his verbis :* Magnopere mihi displicet Patrem nostrum de prolatis in nos dicteriis inquisitionem ex forma juris instituere. Mera enim sunt turbamenta, quæ ridere et sustinere præstat : equidem, quod ad me attinet, iis non parum delector (*tom. II, epist.* 87).

Censoriam scribit de rebus spiritualibus epistolam.

752 *Sequitur ex ordine temporis satis prolixa ad eamdem priorissam epistola, data* II *Martii; in qua inter cætera agitur de explicatione horum Jesu Christi ad* Teresiam *verborum :* Quære te in me. *Narrat S. Mater se hæc verba proposuisse fratri suo Laurentio, eademque ab aliis etiam piis viris fuisse in disceptationem vocata; inter quos deinde convenisse ut suum quisque de iis commentarium mitterent ad moniales S. Josephi Abulenses : at Abulensem præsulem, Alvarum de Mendoza, præcepisse ut ipsa Sancta judicem ageret; quod quidem se fecisse, licet præ capitis dolore vix legere posset* (*tom. I, epist.* 57). *Extat Sanctæ nostræ de prædictis commentariis censoria epistola ad episcopum modo laudatum, quam passim Hispani* la Carta del vejamen *appellant, quæque ob nativos quibus ornatur lepores merito a Palafoxio tanquam egregium sanctæ eutrapeliæ exemplum dilaudatur* (*tom. I, epist.* 5). *Non absimili hilaritate et jocis admodum concinnis conspersa quoque est alia S. Matris ad priorissam Hispalensem epistola, quæ circiter idem fere tempus videtur exarata fuisse* (*tom. II, epist* 86).

Nicolaus Doria fit Carmelita Excalceatus.

753 *Die* XXIV *Martii Carmelitanam vestem induit Nicolaus a Jesu Maria, Genuæ e nobilissima familia Doria natus anno* 1539; *ille qui postmodum anno* 1588, *facta Calceatos inter et Excalceatos omnimoda separatione, primus novi Ordinis Vicarius Generalis renuntiatus fuit. Studiorum curriculum partim in patria sua Italia, partim in Hispania cum laude emensus, ac dehinc sacerdotio insignitus, res domesticas Christophori de Rojas, archiepiscopi Hispalensis, inordinatas ac fere deperditas, resarcierat. Interim de animi sui rebus frequenter disseruerat cum P. Ambrosio Mariano; et aliquando etiam cum S.* Teresia *de sua ad religiosam vitam vocatione, nullius Ordinis expresso nomine, fuerat locutus. Exinde S. Mater, viri pietate ac prudentia mirum in modum delectata, enixis precibus a Deo contenderat ut is Excalceatis Carmeli alumnis adscriberetur. Ejus in Religionem ingressu quantum lætata fuerit, testatum facit in epistola ad priorissam Hispalensem scripta die* IX *Aprilis* (*tom. II, epist.* 88).

Reformatio Teresiana

754 *Sub idem tempus quanquam e particularibus domibus nuntia accepisset non admodum læta : Malagone enim erga Annam a Matre Dei, quam Briandæ a S. Josepho, morbi causa Toletum evocatæ* (*tom. II, epist.* 89, 90 *et* 91, *et epist.* 2 *ex iis quas R. D. Migne primus edidit*), *Sancta vicariam substituerat* (*tom. II, epist.* 25, *not.* 4), *non ita bene afficiebantur moniales* (*tom. I, epist.* 36; *tom. II, epist.* 63); *Veasi et Caravacæ judicialibus pauperes virgines torquebantur molestiis* (*tom. II, epist.* 89); *Hispali priorissa et subpriorissa graviter ægrotabant* (*ibid. et epist.* 90, 91 *et* 92, *item tom. IV, epist.* 68) : *novam nihilominus pro generalibus Reformationis suæ rebus spem Sancta concepit ex eo quod Gratianus a Nuntio Ormaneto Matritum accersebatur* (*tom. II, epist.* 89 *et* 90); *quo reapse iter instituit ad finem Maji, postquam Tostatus eo jam pervenisset in pervigilio Pentecostes, die ejusdem mensis* XXV; *uti P. Antonius a S. Josepho constare dicit e libris Carmelitarum Calceatorum Madritensium. En quid hac super re S. Mater perscripserit die* XXVIII *Maji ad priorissam Hispalensem :* Bonam nobis Pentecosten attulit adventus Patris nostri, qui in aulam, accitus a Nuntio, proficiscitur, integerrima gaudens valetudine. Scito igitur prorsus oportere ut plurima et accuratissima prece negotia nostra Deo commendemus. Tostatus modo in aula versatur. Ante quatuor aut quinque dies huc transiit tanta cum festinatione ut tres tantum quatuorve non amplius horas hic substiterit. Deus autem in his omnibus id faxit quod ad suum honorem ac gloriam maxime conducet : nec enim aliud cupimus (*tom. III, epist.* 75). *Dubium interim mihi est utrum hac occasione, an vero aliquot ante mensibus, Gratianus a rege ac nuntio efflagitaverit ut ab onere visitandi Carmelum Andalusium liberaretur; prout ipsum irrito conatu fecisse narrat auctor Chronici* (*lib.* III, *cap.* LVI, *et lib.* IV, *cap.* XXI).

Nuntii Ormaneti morte

755 *Verum S.* Teresiæ *exspectationem omnem hac ipsa tempestate penitus disturbavit Ormaneti obitus. Vir optimus et de Religione Catholica egregie meritus, quem S. Carolus Borromæus, scribens anno* 1566 *ad Cardinalem Alexandrinum, pronuntiat* in rebus agendis omnino integrum, doctum, fortem, ingenuum et in negotiis demandatis promovendis vix umquam cessantem, *ex hac vita decessit, non anno* 1557, *ut typothetæ errore scribitur in Maffei Verona illustrata* (*tom. II, pag.* 420); *nec anno* 1575, *ut, hunc errorem corrigere volens, asseruit Biancolinius in Serie scriptorum Veronensium inter Supplementa ad Veronense Chronicon Petri Zagata; neque tandem* XVIII *Januarii* 1577, *ut Ughellus habet* (*Italiæ Sacræ tom. V, col.* 460, *ed. Venet.*) : *sed, ut ex serie actorum et epistolarum S.* Teresiæ *liquet, mense Junio* 1577. *Tanta autem ei fuerat opum terrenarum despicientia ac generosa in pauperes largitas, ut ne satis quidem pecuniæ reliquerit ad corporis sui sepulturam : quare Philippus II e regio ærario amplissimum funus ei faciendum curavit.*

et Philippi Segæ, successoris ejus,

756 *Ormaneto, priusquam moreretur, jam fuerat a Gregorio Papa XIII successor designatus Philippus Sega, episcopus Ripæ Transonis, ut docet P. Philippus Becchetti in Historia ecclesiastica* (*lib.* XXIV, *num.* 45). *Erat Sega, uti idem Becchettus et Strada* (*De bello Belgico, dec.* I, *lib.* IX) *cum plurimis historicis referunt, jam ab aliquo tempore apostolicus in Belgio Nuntius apud Joannem Austriacum, quem kalendis Maji* 1577 *solemni pompa Bruxellas ingredientem fuerat comitatus, cuique ex parte Summi Pontificis quinquaginta nummum aureorum millia, Britannico prius bello destinata, obtulerat. Exinde tum apud Austriacum, tum apud delegatos*

A *delegatos Ordinum Belgicorum, exhibitis quas habebat litteris pontificiis, rem Catholicæ Religionis strenue promovere studuerat, exitu tamen parum fausto propter perfidas multorum in Deum regemque rebellium machinationes. Mense Julio, quando sese Austriacus e Brabantia Namurcum recepit, adhucdum in Belgio, teste Strada, degebat Nuntius; sed abiit in Hispaniam aliquamdiu ante* XXIV *Augusti, uti liquet e litteris quas ea die ab Ordinibus Belgii ad regem Philippum scriptas exhibet Petrus Bor in sua Belli Belgici Historia* (*lib.* XI); *quarum initio dicitur Ripanus episcopus alteras nuper eorumdem Ordinum litteras ad regem secum attulisse. Pervenisse autem in Hispaniam videtur ante* XXV *Septembris; prout colligi posse arbitror ex Historia Stradana collata cum narratione Gasparis Scheti Corvini, Domini in Grobbendoncq, quam latine edidit in suis Analectis Belgicis Petrus Burmannus secundus, et cujus duplex exemplar MS. gallico idiomate exstat in Bibliotheca Burgundica Bruxellensi, notatum numeris* 15897 *et* 15898. *Hinc namque Strada memorat Austriacum* accepisse ab rege litteras, opera Philippi Segæ festinatas, in quibus rex volebat Ordinum delegatis edici, arma ut deponerent,
B Orangium ne admitterent, Edicto perpetuo obtemperarent : *illinc vero habemus Schetum, testem oculatem, qui affirmat* (*apud Burmannum, part.* I, *pag.* 111) *has litteras* XXV *Septembris datas fuisse.*

in Hispaniam adventu 757 *Prius autem quam Roma in Belgium nostrum Sega abiret, hinc* (*uti modo demonstrabam*) *in Hispaniam profecturus, nullum non moverant lapidem Ordinis Carmelitani in Italia præsides, ut suas in partes novum Nuntium traherent atque adversus Excalceatos animarent, adhibita etiam in hunc ipsum finem ope auctoritateque Philippi Cardinalis Boncompagni, quem Gregorius XIII, patruus suus, anno* 1573, *S. Carolo Borromæo sponte ac libere abdicante, protectorem Carmelitis dederat, et qui præterea Segam sibi habebat consanguinitatis vinculo primum, dein beneficiis quoque multis obstrictum. Hoc igitur adveniente, immutata mox rerum Carmeliticarum apud Hispanos facies, et exorta ingens in S.* Teresiam *ejusque prolem procella : quæ qua ratione cæperit, qua vehementia sævierit, qui tandem regis Philippi opera cessaverit, ipsa Sancta summatim enarrat capite* XXVIII *libri Fundationum his verbis :* Moritur interea Nuntius apostolicus, vir sanctus et mirus virtutum fautor et cultor, qui
C et hac de causa æstimabat Excalceatos. Illius in locum alius sufficitur, quem propterea Deus submisisse videbatur, ut aliquam nobis patiendi materiam suggereret. Pontificem Summum aliquo consanguinitatis titulo is attingebat, et hauddubie Dei servus erat. Sed mox ut huc venit, Patrum Calceatorum negotia serio cordi habere et studiose promovere cœpit; et, secundum ea quæ illi de nobis relata erant, visum illi expedire ut hæc quæ jam data erant principia ulterius non procederent. Unde etiam mox summo cum rigore id ipsum executioni mandare cœpit, eos condemnando, carceri mancipando aut proscribendo quos sibi in hoc cœpto resistere posse putabat.

in grave discrimen, 758 Præ cæteris autem exagitati sunt P. Antonius a Jesu, is, inquam, qui primi Excalceatorum monasterii fundamentum fuit, nec non P. Hieronymus Gratianus, quem nuper defunctus Nuntius apostolicum Calceatorum Patrum visitatorem constituerat. Adversus hunc et P. Marianum a S. Benedicto novus ille Nuntius maxime insurrexit. Qui et quales Patres hi sint, jam ante in superioribus fundationibus declaravi. In alios etiam Patres e gravioribus et celebrioribus animadvertit, sed non eo quo in priores rigore. His ergo anathematis proposita pœna indixit ne quis verbum ulla de re amplius faceret. Satis vero apparebat hæc omnia Deo dirigente fieri, ipsiusque Majestatem ad majus aliquod bonum, utque bonorum illorum Patrum virtus magis hac ratione innotesceret (uti etiam innotuit), permittere. Quocirca quemdam ex Mitigato Ordine monasteriis nostris tum virginum tum virorum visitatorem præfecit. Qui si id quod cogitabat, in illis invenisset, nimis quam graviter nos afflixisset, quamquam adhuc sat magnam afflictionem passi sumus, quemadmodum aliquando scripto committet qui melius quam ego id poterit præstare. Ego vero hæc obiter tantum et velut per transennam tango, ut quæ post venturæ sunt moniales norint quantopere ipsæ ad perfectionem semper promovendam sint obligatæ, cum jam velut complanatum inveniant quod monialibus hodie viventibus tam caro stetit; etenim illarum nonnullæ illo tempore satis multa propter sinistra illa testimonia et calumnias perpessæ sunt : quarum sane magis miserebar quam mei ipsius; nam quod ego patiebar, adeo non me affligebat, ut potius gaudium inde et voluptatem caperem. Persuasum habebam
E mei unius causa turbidam hanc tempestatem coactam esse, meque in procellosum mare adinstar Jonæ conjecta, fore ut universa procella detumesceret.

AUCTORE V. D. M.

D

e quo dein ope regis 759 Benedictus sit Deus et laudatus, qui veritatis patrocinium suscipit, uti hic suscepit. Etenim rex noster Philippus, cognito quid rerum ageretur et audito quæ Excalceatorum esset vivendi ratio et institutum, nostri patrocinium suscipere dignatus est; adeo ut a solo Nuntio causam nostram noluerit judicari, sed quatuor ei sua ipse sponte designarit assessores, viros graves, et horum tres esse jusserit religiosos, quo causæ nostræ æquitas melius inquireretur. Horum unus erat P. Petrus Hernandez, vir vitæ sanctimonia, doctrina judicioque præstans; qui jam alias in Castellana provincia apostolici commissarii et visitatoris, tam Calceatorum quam Excalceatorum, munere functus erat. Norat is rei veritatem, et quænam tam horum quam illorum esset vivendi ratio; etenim aliud nihil desiderabamus quam ut id innotesceret.

feliciter emersit, 760 Ubi ergo primum intellexi hunc a rege virum ad causæ examen et cognitionem denominatum esse, rem ut confectam habebam, quemadmodum etiam deinde, quæ Dei misericordia est, F confecta est feliciter. Det Majestas ejus ut id ad gloriam et honorem suum cedat. Tametsi vero permulti Hispaniæ proceres et episcopi summopere festinarent ad nuntium de rei totius veritate certiorem reddendum, hæc tamen omnia nihil profuissent, si Deus rege ut instrumento usus non esset. Quamobrem, carissimæ, cum quam maxime obligatæ sumus semper nostris in orationibus Domino commendare, uti et omnes eos qui causam ipsius et B. Virginis Dominæ nostræ defendendam suscepere. Quocirca id vobis etiam atque etiam commendo. Jam igitur liquido videtis, carissimæ, quam parva ad ulterius fundandum suppeteret opportunitas. Quare assidue jugiterque orationibus insistebamus et pœnitentias frequentabamus, ut domus quæ jam fundatæ erant, Deus ulterius conservaret, si illis ad suum honorem uti vellet. *Hæc ibi S. Mater.*

adducitur. 761 *Absit autem ut Philippum Sega, rebus ad Dei obsequium et Ecclesiæ Sanctæ utilitatem, tum in sua diœcesi Placentina, ad quam* III *Octobris* 1578 *e Ripana translatus fuit, tum in Belgio, Hispania, Lusitania, Germania, Gallia, quas omnes*

AUCTORE V. D. M.

A *regiones Nuntius vel Legatus apostolicus variis temporibus adiit, tum Romæ, ubi ecclesiarum ac monasteriorum reformator ac visitator a Gregorio XIII fuit constitutus, optime et sanctissime gestis conspicuum, adeoque ob ingentia in rem Christianam merita ab Innocentio IX purpura cardinalitia decoratum, pietate, continentia, imo paupertatis etiam tolerantia (ut Placentino ejus sepulchro inscribitur) aliarumque virtutum ornamentis clarum ac celebrem, absit, inquam, ut talem tantumque virum de prima sua in Excalceatos Carmelitas non bene sibi notos severitate, quam ipse postmodum, veritate perspecta, in summam benignitatem convertit, acerbius incusemus. Quas enim alibi pro R. P. Rubei Generalis et capituli Placentini defensione attulimus rationes multo sane magis, attentis rerum adjunctis, pro Nuntio militare debent, ut apposite animadvertit P. Fredericus a S. Antonio (lib. II, cap. XXX). Ulteriori igitur quoad hanc rem discussioni supersedendum ratus, historiam Teresianam sequenti paragrapho prosequar.*

B

§ XLI. Litteras dat Sancta ad regem de sparsis in P. Gratianum calumniis, ac non diu post de sævitia PP. Calceatorum in S. Joannem a Cruce ejusque socium et moniales cœnobii Incarnationis Abulensis. Scribit Castellum animæ. Controversiam quamdam cum provinciali S. J. amice componit.

P. Gratiani famam

C *P. Gratianus, mox ut Ormaneti mortem rescivit, supremum Inquisitorem Quirogam et præsidem regii consilii Covarruviam, quorum maxime curæ negotia Carmelitana rex commiserat, ultro adiit, laboriosum visitatoris munus denuo in horum manibus depositurus; quod diceret, assentiente etiam S.* Teresia, *omnem auctoritatem suam obitu Nuntii concidisse. Sed aliter visum regi Philippo : qui, consultis super ea re Compluti, Toleti ac Madriti theologiæ jurisque doctoribus, censuit commisso Gratianum officio adhucdum legitime vacare posse (tom. III, epist. 20); Tostatumque interim visitationibus, quas ex accepta a Generali Rubeo potestate facere intenderat, interdixit (tom. IV, epist. 68). Itaque Gratianus, qui paulisper renovandæ spiritualibus exercitiis menti Pastranam secesserat, Hispalim denuo revertit, stupentibus Calceatis, qui ante paucos dies per eam civitatem sparserant illum auctoritate privatum et castigatum pro meritis a rege fuisse. Attamen eodem tempore Tostatus, licet aliquantum regia prohibitione repressus, mire Patres Excalceatos torquebat ac varias in sententias distrahebat, missis quaquaversum mandatis, quibus vetabantur novitios sibi adsciscere, et Calceatis subesse jubebantur omnibus in locis in quibus utrique haberent domicilia.*

ab adversariis laceratam

763 *Turbas hinc, præsertim per Andalusiam, exortas, dum Excalceatorum alii Tostato, alii Gratiano parendum censerent, sat prolixe enarrat auctor Chronici (lib. IV, cap. XXIV). His accedebant graves* D *in Gratianum ac monasteria Teresiana calumniæ, eo ab adversariis prolatæ audacius, quin etiam ad regem per famosos libellos delatæ, quod nitebantur mendacibus testimoniis duorum Excalceatorum. Horum alteri nomen fuisse Michaelis de la Columna asserit auctor Chronici; alterius vero nomen honoris causa reticet, addens fuisse e primariis Reformati Carmeli viris ac postmodum facti pœnitentem Ulysipone quiete et sancte vitam produxisse usque ad annum* 1589. *Quoniam vero a S.* Teresia *in litteris mox citandis vocatur Balthasar, aliqua mihi est suspicio hunc fuisse P. Balthasarem a Jesu, de initiis Reformationis, ut antea vidimus, optime meritum : qua in suspicione eo magis obfirmor quod de reliqua ejus vita, quantum ego quidem scio, altum servant silentium tum auctor Chronici tum alii Ordinis sui scriptores. Non poterat S. Mater his calamitatibus non vehementer affici. Etenim, ut ipsa postmodum scripsit ad P. Gratianum (tom. I, ep. 23), ad quemdam directorem animæ suæ (tom. II, ep. 44) et ad fautorem suum Theotonium de Braganza (tom. I, ep. 3), tantæ erant illæ adversus Gratianum criminationes, tamque atroces de ipso ac monialibus Excalceatis libelli regi* E *offerebantur, ut Reformati Carmeli honor videretur in supremum discrimen adductus, et nemo non stuperet eo malitiæ potuisse ab hominibus deveniri; præsertim cum angelica monialium vita ac magna Gratiani integritas, cui accedebat mira in illis angustiis patientia ac lætitia, nemini non deberent esse perspectæ.*

rex Philippus, ad quem per litteras

764 *Quapropter ipsa, cum alio quo confugeret non haberet, queribundas dedit ad Philippum II litteras in hæc verba :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper cum tua Majestate. Amen. Innotuit mihi de commentario Majestati tuæ oblato adversus P. Magistrum Gratianum. Quas equidem artes cacodæmonis ac ministrorum ejus stupeo : qui non satis habent turpitudinem inflixisse huic Dei servo (vere enim talis est, qui cunctas nos exemplo suo ita ad virtutes colendas pertrahit, ut quæcumque visitavit monasteria, prout litteræ assidue ad me scriptæ testantur, novo spiritu imbuerit); sed nunc etiam nituntur horum monasteriorum, ubi tot virgines tam bene ancillantur Domino, famam inquinare. Atque ad rem hanc pessimam opera utuntur duorum Excalceatorum; quorum alter, priusquam Fratribus aggregaretur nostris, famulum in his monasteriis agens, multis in rebus palam fecit quam sit identidem judicii expers. Hujusmodi igitur ho- F minem, aliosque in P. Gratianum, quippe a quo castigandi erant, ira commotos, æmuli impulerunt ad subscribendum insulsæ accusationi, qua monialibus Excalceatis ea criminum monstra inferuntur, quæ mihi, nisi metuerem ne illa diabolus in nostram detorqueat perniciem, non aliud quam risum motura fuissent : adeo sunt ab Instituti nostri ratione abnormia.

querens Sancta

765 Per Dei amorem Majestati tuæ supplico, ne testimonia tam infamia coram tribunalibus in apertam proferri lucem patiare : quandoquidem ita comparata est hominum natura ut facillime iis, licet perpurgato crimine, mala de aliquo suspicio adhæreat, modo occasio suspicandi aliquando fuerit data. Nec potest Reformationi non obstare macula quævis nostris aspersa rebus; quæ quidem per Dei bonitatem optimo sunt loco, sicuti Majestas tua, si dignata fuerit, videre poterit e probatione quam certas ob rationes P. Gratianus pro nostris monasteriis conficiendam curavit a viris gravibus et sanctis qui cum monialibus hisce agere solent. Quoad vero libellorum istorum auctores, quandoquidem nihil impedit quominus disquiratur quæ eos causæ inci-

taverint,

A taverint, per amorem Dei Domini nostri, de cujus gloria et honore agitur, obsecro Majestatem tuam ut huc quoque curas suas extendat. Si enim viderint adversarii suas accusationes aliquo numero haberi, eo devenient ut ad depellendam a se visitationem reum hæreseos agant visitatorem; et, ubi non multum timoris Dei adest, facile invenientur criminis argumenta.

confugit, 766 Ac me quidem dolor quo miserandam illius servi Dei vicem doleo, cujus est in omnibus rebus spectata æquitas ac vitæ perfectio, supplicem tuæ Majestati facit, ut vel tuo illum præsidio digneris, vel visitandi onus, quo istis objicitur periculis, ab humeris illius dimoveas. Neque enim ipse a familiæ suæ, quæ tota in Majestatis tuæ est ministerio, virtute degeneravit; sed vere mihi videtur homo missus a Deo, et a B. Dei Matre, cui insignem ille pietatem adhibet, ad hunc Ordinem, ut mihi auxilio esset, attractus. Quippe, postquam totos septemdecim et amplius annos sola fuissem passa, ita imbecilles vires meæ conciderant ut jam mihi viderer oneri ferendo impar. Longius a me provectam orationem Majestas tua boni, precor, consulat. Nempe audacem me fecit magnus amor quo Majestatem
B tuam prosequor; quia mecum ipsa considerabam, siquidem Dominus Deus inconsultas querelas meas suffert, fieri non posse ut tu easdem respuas. Dignetur ille exaudire omnes preces quas Excalceati Excalceatæque fundunt, ut Majestatem tuam, præter quam in hac terra nullum habemus refugium, plurimos servet annos. Scribebam Abulæ die XIII Septembris 1577, indigna Majestatis tuæ serva ac subdita, Teresia a Jesu (*tom. I, epist.* 1).

omnino reparandam 767 *Quem his litteris Sancta intenderat finem, brevi post feliciter est consecuta. Namque, ut ipsa mense Octobri priorissæ Hispalensi annuntiabat, F. Michael et P. Balthasar testimonium quod falso adversus Gratianum ediderant, publice coram scribis et SS. Jesu Christi Corpore retractarunt : juravitque Michael nihil eorum quæ probroso illo in innocentes libello continebantur, a se fuisse scriptum, at se, vi ac minis adactum, nomen suum ei apposuisse* (*tom. III, epist.* 76). *Facta est hæc retractatio non die* IV *Septembris, ut habet Chronicon* (*eccur enim Sancta adhuc* XIII *Septembris ad regem de ea re scripsisset?*), *sed* VIII *Octobris, ut ex originali charta asserit P. Antonius a S. Josepho* (*ibid. not.* 8). *Nec vero bonus Michael satis habuit hoc modo sua dicta*
C *revocasse; sed etiam, die* XXIV *Octobris, teste eodem P. Antonio, litteras pœnitentiæ suæ testes ad Philippum II direxit. Balthasar autem circa idem tempus veniam a Gratiano petiit per litteras, quas auctor Chronici testatur autographas penes se fuisse; quibus fatebatur sanctissimos esse Teresianæ prolis universæ mores, ac se non alia causa ad calumniam devenisse quam quia sibi falsa quadam delatione persuasisset injuriam sibi fieri a P. Gratiano. Edita hac utriusque Excalceati retractatione, de cæteris criminibus Gratiano aliunde objectis itidem examen a consilio regio institutum fuit; quo demum, patente luculenter veritate, omnis fuit depulsa calumnia* (*tom. I, epist.* 3).

et P. Tostatum coercendum curat. 768 *Hæc omnia cum essent jam agitari cœpta, e duobus protectoribus Gratiano jam pridem ab rege assignatis alter quidem, nimirum Gaspar de Quiroga, supremus Inquisitor, ab episcopali sede Conchensi transivit ad Toletanam, ad quam fuerat ante aliquot menses designatus* (*tom. IV, epist.* 44); *alter vero, Didacus de Covarruvias, Segoviensis antistes et præses regni Castellæ, die* XXVI *Septembris ad superos abiit. Qua occasione, etsi Quiroga non cessabat in defensionem Excalceatorum strenue, quantum poterat, incumbere, quia is tamen solus ad illum laborem haud sufficere videbatur, rex vigilantissimus* D *Philippus toti consilio suo rerum Carmeliticarum curam commisit; Tostatoque præcepit ut quæcunque attulisset vel accepisset prælatorum suorum mandata, congregatis consiliariis ostenderet, nec ea prius executioni mandaret quam fuissent rite legitimeque recognita et approbata. Obnixus ille huic præcepto fuit quanta potuit maxima sagacitate; ac multa constantia usque sub anni finem litem super ea re gessit cum licentiato Chucamero, actore causarum consilii regii.*

Abulæ suum S. Josephi monasterium, 769 *Nunc ut ad alia veniamus quæ S.* Teresiæ *magis propria sunt, animadverterit sedulus lector litteras ejus ad regem, quas paulo ante videbamus, exaratas fuisse Abulæ. Eo nempe se contulerat mense Julio, prout ex instrumento juridico die* XXIX *illius mensis ab ipsa conscripto liquere affirmat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist,* 92, *not.* 5). *Errat hic proculdubio Boucher, narrans hanc transmigrationem Sanctæ injunctam fuisse a Philippo Sega, Ormaneti successore; siquidem is illo tempore adhuc in Belgio versabatur, prout supra demonstratum fuit. Credibilius ergo mihi videtur id quod conjicit P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* II, *cap.* XXX), *Sanc-* E *tam cum venia sive P. Gratiani sive provincialis Carmelitarum Calceatorum, qui hic invitus esse non poterat, iter illud suscepisse, ut primum suum monasterium S. Josephi Abulense ab episcopi jurisdictione eximendum et Ordini suo submittendum curaret; quemadmodum ipsa narrat ad finem ultimi capitis libri Fundationum, hisce verbis :* Visum mihi est hoc loco referre quomodo moniales cœnobii Abulensis (quod primum omnium fundatum fuit, cujusque fundatio alibi descripta est, non autem in hoc libro), quæ in prima sua fundatione obedientiæ Ordinarii subjectæ fuerant, jam Ordinis se obedientiæ subjecerint. Quo autem tempore id fundatum est, Abulæ episcopum agebat Alvarus de Mendoza, qui modo Palentinæ sedi præest, et quamdiu Abulæ egit, mirifice moniales fovit et protexit. Cum autem ei obedientia præstaretur, intellexi a Domino id quidem tunc expedire. Et certe satis id postea apparuit; etenim in omnibus quas exinde ordo passus est difficultatibus, nec non in aliis plurimis rebus quæ occurrerunt, egregiam semper in eo opem et benevolentiam expertæ sumus : unde etiam numquam passus est ut ab alio sacerdote domus visi-
F tarctur; atque adeo aliud isthoc in monasterio non fiebat quam quod ego ab ipso postulabam.

quod hactenus episcopo subfuerat, 770 Hac porro in obedientia septemdecim circiter annos (non enim exacte memini) mansimus : neque etiam, ut ea mutaretur, ipsa cupiebam. Verum postea, cum Abulensi episcopo Palentinus episcopatus daretur, et ego tum Toleti versarer, dixit mihi Dominus expedire et consentaneum esse ut moniales S. Josephi jam Ordini obedientiam redderent et hoc ipsa procurarem, ac nisi id fieret, fore ut monasterium hoc quamprimum de vigore et rigore suo remitteret. Ego vero, quod alias intellexissem consultum esse eam Ordinario loci præstari, aliquam in hisce verbis contradictionem includi rata, nesciebam quid agerem. Quare rem confessario meo, qui tum erat qui modo Oxomensem episcopum agit (*Alphonsus Velasquez, de quo vide quæ retuli num.* 732) et vir apprime doctus est, aperui. Nullam vero hic in eo subesse difficultatem aiebat; nimirum tunc temporis prius illud fieri oportuisse, nunc vero aliud expedire (et recte illum censuisse, jam multis in rebus ad oculum docuit eventus), ac credere se, monasterio illi longe salutarius et consultius fore quod æquale aliis monasteriis esset, quam

AUCTORE V. D. M.

quam si solum et exemptum. Unde Abulam me ire et hac de re agere jussit.

A *jurisdictioni sui Ordinis Sancta submittit.*

771 Inveni porro episcopum adeo diversa sentientem ut nullo modo huc inclinaturus videretur : at, cum ei damna nonnulla recenserem, quæ, si secus fieret, monialibus possent evenire, et cum eas ipse singulari affectu prosequeretur, rem accurate secum cœpit dispicere. Et, quoniam boni est ingenii, et Dominus a parte sua cooperabatur, alias insuper (et quidem prægnantiores quam ego attuleram) rationes invenit : unde decrevit, quod ab eo postulabam, executioni mandare; ac, licet sacerdotes nonnulli id minime expedire objicerent, nihil tamen apud eum impetrare potuere. Requirebantur ad hoc monialium suffragia et consensus; quarum aliquibus id nimis quam difficile et grave videbatur : at, quoniam me unice diligebant, hinc rationibus quas apud eas depromebam, acquievere; præsertim quod episcopum cui Ordo tantum debebat, et erga quem ipsa singulariter afficiebar, jam viderent alio concessisse; neque me semper habituræ erant. Hæc ratio permultum apud eas valuit. Itaque tanti momenti negotium tandem aliquando executioni mandatum et conclusum est. Etenim omnes reipsa
B viderunt quanto in ruinæ periculo domus hæc versata fuisset, nisi hoc ita factum esset. Benedictus sit Dominus in æternum, qui tanta cum providentia et affectu, quidquid ad bonum et salutem ancillarum suarum quoquo modo spectat, procurat. Amen.

Plurimæ, quæ S. Teresiam *elegerant priorissam,*

772 *Dum Abulæ hanc ob causam apud suas Excalceatas agebat S. Mater, mense Octobri Isabella a Cruce suum prioratus triennium finiebat in monasterio Incarnationis. Instituta igitur de more rituque Ordinis suffragatione, maxima ac sanissima pars monialium, cui Sanctæ nostræ memoria ob res ante paucos annos summa cum laude ac fructu spirituali gestas adhucdum in benedictione erat, ipsam sibi legitime in priorissam elegit. Cui electioni cum cæteræ moniales acriter refragarentur, adeoque provincialem, qui tum erat P. Joannes Gutierrez a Magdalena, tanquam judicem superiorem appellarent; en tibi tragœdiam sanequam miserabilem, quam ipsa Sancta exeunte Octobri in epistola ad priorissam Hispalensem ita describebat :* Ante quindecim dies jussu Tostati huc advenit provincialis Calceatorum ad faciendam electionem, magnas censuras et excommunicationis pœnam proponens iis quæ suum mihi daturæ essent suffragium. Nihilominus,
C ac si nihil minarum iis intentum fuisset, me elegerunt moniales quinquaginta quinque. Quarum ut singula suum suffragium ferebat, eam excommunicabat et execrabatur provincialis chartasque pugno laceratas ac percussas flammis tradebat. Jam decimaquinta dies est ex quo, tanquam excommunicatæ, ab audiendo Sacro et ab ingressu chori, etiam quando Officium divinum ibi non concinitur, penitus arcentur; imo ne sinuntur quidem confessariorum aut parentum frui alloquio. Quod autem mirere magis, postridie rescissæ illius electionis eas revocavit provincialis, ut iterarent suffragationem. Cui cum illæ respondissent non esse quod actam electionem denuo agerent, anathematis sententiam recantavit; vocatisque reliquis, quæ numero erant quatuor et quadraginta, aliam constituit priorissam (*cui nomen Anna de Toledo*), ac gestæ rei instrumentum ad Tostatum, a quo confirmaretur, destinavit.

moniales Abulensis cœnobii Incarnationis

773 Licet ab eo hæc in priorissam confirmata sit, priores illæ virgines, in sententia perstantes, profitentur se ei obedire non velle nisi ut vicariæ. Affirmant viri litterati eas haudquaquam esse excommunicatas, sed Fratres illos læsi Concilii (*Tridentini*) reos esse, qui priorissam constituerint D non electam pluralitate suffragiorum. Interim illæ nuntiandum Tostato curarunt velle se ut ego ipsis præsim. Qui negavit se id toleraturum; nec aliud permittere voluit nisi ut me in cœnobium Incarnationis recolligendi animi causa reciperem. Quid porro futurum sit, nescio. Cæterum, ut summatim complectar, nullus est quem res illa non valde perculerit atque offenderit : equidem libentissime quidquid in me peccarunt, ignoscerem, modo me pace mea frui sivissent. Nullatenus cupio in illa Babylonia versari, præsertim cum adeo tenui utar valetudine, quæ tenuior etiam fit quando in domo illa dego. Faciat Deus quidquid ad suum maxime obsequium conferre possit, ac me ab ipsis liberare dignetur (*tom. III, epist.* 76).

misere a Carmelitis Calceatis vexantur;

774 *Et in epistola ad Theotonium de Braganza, data* XVI *Januarii* 1578 : Bonæ illæ, *inquit,* moniales Incarnationis in pœnam suorum peccatorum me elegerant priorissam. Attonita est civitas universa de ærumnis quas passæ fuerunt ac patiuntur et nescio quamdiu porro sunt passuræ. P. Tostatus inaudito in ipsas rigore usus fuit. Dies amplius quinquaginta interdicta ipsis fuere Sacra : nunc vero adhuc vetantur quempiam colloquii causa vi- E dere. Vulgo dicebantur excommunicatæ; sed negabant theologi Abulenses ad unum omnes : quandoquidem excommunicatio in eas tantum cadebat quæ extraneam monialem elegissent, ego autem neque ut talis notata eram, nec vero, cum ea in domo professionem fecerim ac plures annos inibi vixerim, a monialibus pro tali habebar. Nempe, si modo voluissem, poteram eo redire, utpote quæ dotem ibi meam habeo nec ad separatam provinciam pertineo. Interim priorissam a minori monialium parte electam superiores suo in munere confirmarunt. Causa adhuc pendet in consilio regio, nec scio quem habitura sit exitum. Mihi vero peracerba accidit turba hujusmodi ac scandalum civitatis et inquietudo tot animarum : erant enim moniales excommunicatæ plus quinquaginta quatuor. Una hæc mihi consolatio fuit, quod nihil videlicet non fecissem quo eas a me eligenda absterrerem (*tom. I, epist.* 3).

ac duo earum confessarii Excalceati,

775 *Hæc Sancta in binis quas dicebam litteris : ex aliis vero litteris patet eamdem tum per se tum per alios serio hortatam fuisse amantissimas sui virgines ut Annam de Toledo, cui quasi vicariæ tantum obediebant, pro vera haberent ac revererentur priorissa;* F *quod tamen non nisi post tres quatuorve menses videtur ab ipsis obtinuisse* (*tom. III, ep.* 14). *Simul quoque, uti præsertim videre est in epistola* X *Novembris Madritum missa ad Alphonsum de Aranda, sacerdotem Abulensem* (*tom. IV, epist.* 51), *varias tentabat vias plurimosque in auxilium vocabat intercessores, ad impetrandum, sive a Tostato, sive a provinciali, seu demum a Nuntio apostolico, solutionem anathematis in moniales Incarnationis contorti. Tandem, audita consilii sui sententia, rex ipse ad finem mensis Novembris Tostato per Nuntium Segam in mandatis dedit ut moniales illas censuris omnibus curaret absolvendas.* Ergo, *ait Sancta, scribens* X *Decembris ad priorissam Hispalensem,* Tostatus cæterique qui ei a consiliis sunt, priorem quemdam Toletanum (*erat is P. Ferdinandus Maldonado*) illuc destinarunt : qui eas absolvit tantis cum molestiis ut has singillatim enarrare longum foret, et magis quam antea oppressas ac desolatas reliquit; propterea quod non eam quam illi volunt, sed me sibi præesse optant. Accedit quod duo Excalceati, illic a commissario apostolico et defuncto Nuntio constituti, ablati ipsis fuerunt et abducti tanquam facinorosi. Qui utinam

ex

A ex istorum manibus quantocius liberentur! Mallem enim eos Maurorum in terris videre. Illa ipsa die qua capti sunt, bis fustibus cæsi, et quam pessime fieri potuit, habiti fuisse dicuntur. Joannem a Cruce Maldonatus, prior Toletanus, secum ad Tostatum rapuit; dum interea P. Germanus, sanguinem, ut ferunt, ex ore excreans, Moralegiam ad conventum S. Pauli trahebatur a priore Abulensi (*Valdemorio, jam aliunde nobis noto*); qui prior, ubi reversus est, dixit monialibus a sua parte stantibus proditorem illum egregias dedisse suorum criminum pœnas. Hic sane casus acerbior virginibus illis fuit, et etiamnum est, quam reliquæ, quantumvis magnæ, earum calamitates. Pro tua caritate velim eas Deo commendes, necnon sanctos illos viros, quibus cras erit octava captivitatis dies. Testantur moniales eos vere sanctos esse nec unquam visos quidpiam agere quod non esset apostolicis dignum hominibus (*tom. III, epist.* 77, *cui junge* 78).

Uti Sancta ad regem scribit,

776 *Hæc vis innocentibus illata fuit nocte media inter* III *et* IV *Decembris; ac postera luce sequentes dedit S.* Teresia *ad regem Hispaniæ litteras :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper cum tua Majestate. Amen. Quoniam valde mihi persuasum est destiB natum habuisse Dominum nostrum ut in afflictis Ordinis nostri rebus certum inveniremus in tua Majestate præsidium, non possum quin te de iisdem faciam certiorem. Quam quidem audaciam meam, per Domini nostri amorem obsecro, Majestas tua ne ægre ferat. Equidem credo Majestatem tuam minime latere quomodo moniales illæ Incarnationis me sibi adsciscere studuerint; quod nempe putarent aliquid sibi a me allatum iri quo liberarentur ab hominibus obices magnos ponere solitis quietæ ac religiosæ vivendi rationi ad quam aspirant. His obicibus removendis olim ibi propinqua in domo collocavi Patrem Excalceatum, sua in Deum pietate ipsis utilissimum; cui adeo ob maximum animarum quæstum, quem ibi cum adjuncto sibi socio fecit, civitas admirabunda nomen sancti attribuit : et revera, mea quidem opinione, sanctus est et tota vita fuit. Cum autem utrumque socium Calceati, non sine injuria et scandalo civitatis, inde removissent, Nuntius nuper defunctus, plurimis civibus hinc fructuosam Excalceatorum operam, illinc noxas Calceatorum attestantibus, sub anathematis pœna non solum præcepit ut expulsi Patres ambo revocarentur, verum etiam cavit ne quis Calceatus seu C negotiorum seu Sacri faciendi seu Confessiones audiendi gratia ad Incarnationis accederet, proindeque ut Excalceatis tantum et clericis sæcularibus moniales uterentur. Hac ratione bene domui illi fuit ad mortem usque Nuntii : quo e vivis sublato, redierunt Calceati sine ulla juris sui probatione; cum iisque inquietudo etiam rediit.

per summam vim et injuriam

777 Ac nunc quidem Pater aliquis, ad absolvendas anathemate moniales illuc missus, tantas iis præter jus et fas molestias intulisse dicitur, ut ad pœnas quibus jam pridem subjacebant, quasque adhucdum ferunt, novus dolorum cumulus accesserit. Inter hos dolores primum tenet locum confessariorum Excalceatorum ablatio. Quos immitis ille, cellularum seris vi excussis, in ea monasterii sui parte in qua chartæ asservantur, violenter prehendit. Civitatem totam vehementer offendit hominis audacia; qui, cum prælatus non sit nec usurpatam a se potestatem legitimis probarit argumentis (commissario quippe apostolico isti subsunt), talia non dubitavit facere Abulæ, sub oculis, prope dixerim, tuæ Majestatis. Atque illi quidem jam dudum desiderabant manus in eos injicere : me vero cum utriusque miseret, tum etiam sanctissimi illius Patris, cruciatibus pene exhausti, vitæ timeo.

AUCTORE V. D. M.

778 Quapropter Majestatem tuam per Domini nostri amorem obsecro ut quantocius eum jubeas in libertatem restitui, prohibeasque ne Calceati isti D tanta sævitia in miseros Excalceatos universos grassentur. Licet enim hi tacendo et patiendo mereantur plurimum, attamen scandalum inde in populum derivatur. Jam idem ille prior, qui modo hic est, æstivo hujus anni tempore Toleti sine ulla causa manus injecit in bonum senem P. Antonium a Jesu, omnium Excalceatorum primum : et passim jactantur a Calceatis mandata Tostati quasi certum nobis exitium allatura. Sint Deo laudes. Interea si tua Majestas remedium malis nostris non afferat, quo tandem res nostræ casuræ sint, non video. Tu enim unum nobis in terra refugium es; quem utinam Dominus plurimos servet annos! Spero equidem fore ut hanc nobis gratiam faciat, præsertim ubi adeo destitutum se videt hominibus suæ gloriæ promovendæ studiosis. Omnes hæ Majestatis tuæ ancillæ mecum suas preces in hunc finem assidue intendunt. Scribebam in monasterio S. Josephi Abulæ die IV Decembris 1577, indigna Majestatis tuæ serva ac subdita, Teresia a Jesu (*tom. IV, epist.* 1). *Attamen his litteris perficere Sancta non* E *potuit ut S. Joannes a Cruce e sua captivitate liberaretur. Novem enim menses, ut ipsa alicubi testatur* (*tom. IV, fragm.* 44), *Dei famulus angustissimo carceri mancipatus fuit, ne mutata quidem semel tunica. Mitius actum fuisse videtur de P. Germano a S. Matthia, etsi mihi non satis constat quamdiu is fuerit Moralegiæ detentus. Moniales autem Incarnationis quam severe mense Martio insequenti adhuc haberentur, patet ex epistolis S. Matris eo mense datis ad P. Gratianum* (*tom. III, epist.* 14) *et ad Rochum de Huerta, præfectum custodiæ montium* (*tom. III, epist.* 50), *qui cum Joanne de Padilla apud consilium regium eo incumbebat ut levamentum afflictis illis monialibus, quas Martyribus Sancta æquiparabat, tandem afferret.*

R. P. Seraphinus Cavalli, Generalis Ord. Præd., dat S. Matri amicitiæ tesseram.

779 *Non exiguæ interim consolationi fuisse S. Matri crediderim datas die* V *Decembris litteras R. P. Seraphini Cavalli, Generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, eo anno in Hispaniam appulsi et tunc temporis Toleti commorantis in conventu sui Ordinis, cui a S. Petro Martyre nomen. Nimirum hisce litteris ipsa ejusque moniales Toletanæ participes efficiebantur omnium Sacrificiorum, precum, prædicationum, exercitiorum spiritualium, vigiliarum,* F *jejuniorum, abstinentiarum, macerationum, peregrinationum, studiorum cæterorumque bonorum operum ac meritorum inclytæ prolis S. Dominici toto terrarum orbe dispersæ, atque in ejus amicitiam ac fraternitatem, adeoque ad omnia illius Ordinis beneficia et suffragia tam in vita quam in morte admittebantur; addita insuper ex concessione Sedis apostolicæ indulgentia plenaria, semel in vita et semel in hora mortis lucranda. Quarum litterarum originale exemplar latinum in monasterio S. Josephi Toletano religiose servatum fuisse scribebat anno* 1769 *P. Antonius a S. Joachim in Anno Teresiano; ejusdemque versionem Hispanicam exhibet ad diem* V *Decembris.*

P. Tostatus, licet a consilio regio repressus,

780 *Illa ipsa die præcipuus auctor calamitatum paulo ante a me descriptarum, P. Hieronymus Tostatus, qui, ut supra dixi* (*num.* 768), *jamdudum litem cum Chucamero de sua potestate gerebat, tandem decreto consilii regii causa cecidit, prout auctor Chronici asserit ex regia quam vocant provisione, servata in archivis sui Ordinis* (*lib.* IV, *cap.* XXVIII). *Quamvis autem in Chronico scribatur litem diremptam fuisse die* V *Novembris, eamdemque diem assignent*

AUCTORE V. D. M.

A *P. Fredericus a S. Antonio et D. Boucher, Chronicon procul dubio secuti, tamen ipse Chronici contextus arguere videtur aliquod, scriptorisne an typothetæ, sphalma, quo mensis November pro Decembri positus vel alia nescio qua ratione ordo rerum interversus fuerit. Secus enim qui præcedentibus (in quibus ipse Chronici auctor narravit S. Joannem a Cruce cum socio ab Incarnationis monasterio abreptum fuisse nocte inter* III *et* IV *Decembris) vel sibi ipsi cohæreat illa phrasis, non video :* Dum Maldonatus, prior Toletanus, ea quæ diximus mandata Abulæ exequebatur, litem suam vicarius generalis cum Chucamero, causarum actore, prosequens, post multas controversias, ad annum fere integrum protractas, visa ac revisa causa, devictus tandem fuit ad diem V Novembris. *Sed parvi quidem hæc qualiscumque verborum dissidentia ad nostrum propositum refert. Videtur autem Tostatus, ubi per semet tam multa, quam pridem fecerat, jam agere non posset, aliquamdiu Nuntio Segæ, qui eo potissimum tempore Excalceatos torquere cœpit, instigator et adjutor adhæsisse; quando nimirum, velut Segæ commissarius, ut notatur in Bibliotheca Carmelitana (tom. I, col.* 657), *condidit* decreta nonnulla

B pro rebus Carmelitarum Excalceatorum componendis, *imo perturbandis.*

impedit tamen ne Reformatio Teresiana

781 *De reliquo in hanc rem non parum luminis haurire est e litteris partim gratulatoriis, partim narratoriis (tom. I, ep.* 3), *quas* XVI *Januarii* 1578 *S.* Teresia *dedit ad Theotonium de Braganza, Eborensibus infulis non ita pridem insignitum (nempe dominica tertia Octobris* 1577, *uti docet noster P. Antonius Franco in Synopsi Annalium Soc. Jesu in Lusitania), et quarum jam duo fragmenta nuper allegavi (num.* 763 *et* 774). Nuntius, *inquit,* adventans multum Tostato favit; Gratiano vero prohibuit ne monasteria visitaret. Et hic quidem, licet commissarii apostolici munere nequaquam destitutus (siquidem nec suam Nuntius potestatem probatam fecerat, nec Gratiano diplomata ablata erant), ivit tamen illico Complutum, ac dein Pastranam, ubi quadam in specu patiens delituit : nec sua commissione ex eo tempore amplius usus est; sed ibi permansit tamquam omnino suspensus. Maximopere optat a visitationibus imposterum abstinere : idem et nos cupimus, propter ingentia quæ inde in nos redundant mala, nisi Deus pro sua benignitate separatam nobis procuret provin-

C ciam, sine qua nescio quo tandem deveniemus. Ex itinere mihi scripsit P. Gratianus destinatum sibi animo esse ut Tostato, si forte visitabit, obediat; suasitque ut idem cunctæ faciamus. Verum neque illuc ivit Tostatus, nec huc accessit; quia illum Deus, credo, prohibuerit. Attamen communis Patrum nostrorum opinio est, ipsum esse qui omnia faciat et visitationem suadeat : qua quidem re omnino profligamur; nec alia plane est causa omnium quæ tibi exposui malorum.

per Hispaniam dilatetur,

782 Aperto tibi scripsi pectore : primum quidem ut omnem prorsus, quamquam his legendis fortasse aliquantum fatigaberis, cognoscas rerum historiam, quandoquidem de tuo in hunc Ordinem nostrum amore mihi est persuasum; deinde etiam ut videas quam parum spei habere possis fore ut Eboram (*ubi nimirum novus archiepiscopus cœnobium monialium Teresianarum excitare cupiebat*) in hoc temporis articulo veniamus : præsertim cum alia impedimenta etiam plura accedant, quæ nunc exponam. Videlicet, cum nullam ego viam quæ se obtulerit, intentatam relinquere queam, quominus bonum hoc nostræ Reformationis principium corruat (qua in re nullus virorum doctorum qui meas Confessiones audierunt, mecum non sentit), valde D infestos mihi habeo Patres illos Calceatos : qui propterea suis delationibus apud P. Generalem effecerunt ut post celebratum generale capitulum præceptum ab eo exierit, quo omnes Excalceatæ, et ego nominatim, prohibemur sub pœna excommunicationis nostris exire domibus, mihique injunctum fuit ut domum quam vellem, ad habitandum eligerem; id vero non alium certe ob finem quam ad impediendum ne plures fiant monialium nostrarum fundationes. Luctuosum est tot virgines, quæ nostra monasteria inclamant, propter eorumdem paucitatem, dum numerum augere non licet, nobis aggregari non posse. Etsi autem defunctus Nuntius mihi mandavit ne ideo a fundandis domibus cessarem, atque ad eam ipsam rem diplomata habeo a visitatore apostolico mihi concessa, tamen fixum mihi ratumque est data facultate non uti, nisi vel P. N. Generalis vel Summus Pontifex secus ordinaverit. Quoniam enim nullo meo vitio laborem intermisi, Dei benignitate factum est ut jam fatigata quiescam. Quamquam, si de te bene mereri mihi liceret, non labor is esset, sed recreatio potius : tanto quippe tui videndi desiderio teneor, ut præ- E clarissime de me agi existimarem, si istuc ire juberer.

nedum in Lusitaniam

783 Equidem, præterquam quod de capitulo generali modo dicebam, scire te velim litteras patentes, quas a P. N. Generali acceperam, pro unis Castellæ regnis valere; ut adeo pro Lusitania vestra indigeamus nova facultate, quam non dubito quin hoc tempore P. Generalis prorsus denegaturus sit. At facili negotio a Summo Pontifice obtineretur, præsertim si ei ostenderetur testificatio, quæ cura P. Gratiani confecta fuit, super vita ac moribus nostrarum monialium ac fructu spirituali quem producunt ubicumque degunt. Quam ego tamen testificationem numquam legi, quia timeo ne meimet nimia cum laude faciat mentionem; sed viri graves affirmant nostras secundum eam testificationem posse canonizari. Mallem equidem ut de hac re, si fieri debeat ac possit, cum P. N. Generali conficeremus : tantum scilicet ut ratum haberet fundationes fieri in Hispania; namque, modo paretur monasterium, sat monialium habemus quæ illuc mitti queant, me domi manente. At interim, proh dolor! tot animarum quæstus impeditur. Quod si aliqua tibi esset amicitia cum protectore Ordinis nostri, quem ferunt esse filium fratris F Summi Pontificis, posset is rem apud P. N. Generalem expedire. Tu vero si id procuraveris, magnum utique Deo præstabis obsequium, magnam Ordini nostro gratiam.

introducatur.

784 Sed et alterum occurrit incommodum (nihil enim latere te volo), quod scilicet Tostatus in Lusitaniæ regno jam ut vicarius generalis admissus est; cujus in manus nemo nostrum, nedum ego, impune inciderit. Omnem istic haud dubie movebit lapidem ut opus nostrum disturbet; sed in Castella, prout nunc quidem res se habet, non item. Postquam enim officio suo functus fuit, non exhibita potestatis suæ probatione, ac speciatim in monasterio Incarnationis immodice sæviit, novo regis mandato (nam alterum præterita æstate ei jam intimatum fuerat) jussus est litteras suas in supremum consilium afferre : quæ litteræ hactenus non sunt ei redditæ, nec imposterum, credo, reddentur. Præterea habemus visitatorum apostolicorum litteras, secundum quas nostra monasteria visitari a nemine possunt qui non sit a P. Generali delegatus, et is quidem ex Excalceatorum numero. Quod quoniam in Lusitania idem non obtinet, cito istic

istic actum erit de nostra perfectione. Tu interim videris num quid remedii his incommodis afferri possit; ac certus esto non defuturas moniales ad bene de te merendum paratas. *Hæc Sancta, scribens, ut dixi, ad Theotonium de Braganza; quo etiam hortante, anno* 1577, *qua cujus mensis die incertum, litteras dedit altissimam animi demissionem spirantes ad Ven. Dei Servum Ludovicum Granatensem* (*tom. I, epist.* 14).

Conscribit Sancta Castellum animæ.

785 *Prius autem quam ulterius progrediamur in fatis Reformationis Teresianæ enarrandis, in aliarum quarumdam rerum commemoratione paulisper sistamus oportet. Ac primum notandum hic superest, Sanctam, licet adversa valetudine utentem ac laboribus ærumnisque omnigenis afflictam, per quinque tamen menses anni* 1577 *operam navasse conscribendo* Castello animæ, *jussu Alphonsi Velasquez, ut affirmant Ribera* (*lib.* IV, *cap.* III) *et Yepes* (*lib.* III, *cap.* XVIII), *vel P. Hieronymi Gratiani, ut asserit auctor Chronici* (*lib.* V, *cap.* XXXVII, *num.* 7), *vel forte utriusque, ut ad conciliandum dictos scriptores conjicit Boucher* (*lib.* VII *ad finem*). *Loca ac tempora inceptæ finitæque scriptionis ad caput et ad calcem libri sui ipsa accurate definit. Nempe in*
B *prologo sic habet :* Hodierno die, festo SS. Trinitatis (*i. e.* II *Julii*) anno 1577, in hoc S. Josephi monasterio Ord. Carm. Toletano, ubi in præsentia ago, id quod jussa sum, adimplere incipio; *in epilogo autem :* Tractatui huic scribendo finis impositus in monasterio S. Josephi Abulensi, anno salutis 1577, pridie festi S. Andreæ, ad gloriam Dei, qui vivit et regnat in perpetuas æternitates. Amen. *Plura de hoc libro dicentur in speciali de scriptis Teresianis paragrapho.*

Brachium sibi, a dæmone præcipitata, frangit.

786 *Eodem anno* 1577, *in pervigilio Nativitatis Domini, S.* Teresiam *vespere ad Completorium euntem diabolus e scala præcipitem egit ac sinistrum ei confregit brachium, prout latius narrat Ribera* (*lib.* IV, *cap.* IX), *cui quoad facti circumstantias consentiunt Yepes* (*lib.* III, *cap.* XII) *et Ven. Anna a S. Bartholomæo* (*Vitæ suæ cap.* XI); *dissentiunt vero quoad levem circumstantiam Auditores S. Rotæ in relatione de virtutibus S.* Teresiæ, *dum videlicet dicunt hoc accidisse Sanctæ* e choro egredienti, *ubi e contrario citati auctores expressis verbis eam perhibent in summitate scalæ, ut jamjam chorum ingrederetur, stantem. Narravit porro ipsa P. Didaco de Yanguas Ord. Præd., se, cum ita dæmonis ne-*
C *quitia fractum sentiret brachium, ad Dominum clamasse :* Deus bone, iste voluit me interficere; *Dominum vero sibi respondisse :* Sic iste quidem voluit, attamen ego eram tecum. *Dein, exponens dolores quos pertulit, dum illi* (*ut narrat Ribera loc. cit.*) *locatum fuit et dislocatum brachium :* Dubito, mi Pater, *inquit,* an adsit ullum corpus humanum hodie vivum quod tantum malum passum fuerit quantum istud meum. *Constant hæc ex testimonio Yanguasii, quod ex Processu compulsoriali Abulensi* (*fol.* 20 *a tergo*) *allegatur in MS. Summario de S.* Teresiæ *virtutibus* (*fol.* 22 *a tergo*), *olim ad ejus beatificationem adhibito et nuper Roma ad nos transmisso.*

Scriptis ad provinciæ Castellæ S. J. præpositum litteris

787 *Hactenus de rebus anno* 1577 *gestis disserui. Anni autem insequentis initio P. Gaspar de Salazar, de quo S.* Teresiam *perhonorifice loquentem olim audivimus* (*num.* 303), *transitum e Societate Jesu ad Carmelitas Excalceatos meditabatur. Quo audito, ac rumore insuper sparso Sanctam ejusdem esse cum Salazario consilii et revelationem utrique super hac re a Deo factam credi, indignatus P. Joannes Suarez, provinciæ Castellæ S. J. præpositus, per rectorem Abulensem, P. Gonzalvum de Avila, litteras ad S.* Teresiam *dedit, querimoniis in ipsam abunde refertas. Ad quas S. Reformatrix in hunc modum respondit :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti sit semper tecum. Amen. Dedit mihi P. Rector tuam epistolam, quæ me non parum attonuit; quoniam scribis egisse me ut P. Gaspar de Salazar relinquat Societatem Jesu et Carmeli Ordinem ingrediatur, quod dicerem scilicet hanc esse Dei voluntatem cœlitus revelatam. Quod ad primum attinet, testis est Deus, ac verum esse patebit, nunquam me istud optasse, nedum cum P. Gaspare de eo egisse. Et quando hunc rumorem cognovi, jam antequam recepissem de hac re litteras, adeo turbata ac dolore affecta fui ut morbus quo jam pridem laborabam, inde magis invaluerit : audivi autem isthanc rem tam paucis abhinc diebus ut dubium mihi nullum sit quin tu diu ante de ea sis factus certior. Quantum ad revelationem quam dicis, quandoquidem de hoc Salazarii consilio nec scripseram quidquam nec noveram, multo minus de revelatione poteram scire. Etiamsi vero hanc quam deliram tu vocas revelationem (*hispanice :* la desvelation que V. P. dice) habuissem, non sum equidem tam levi animo ut tali de causa tantam mutationem cuperem aut Patri isti suaderem. Nam, laudes Deo sint, E probe docta fui a viris plurimis quid valoris ac ponderis rebus hujuscemodi sit adscribendum : nec sane crediderim multum eas apud P. Salazarium, virum cordatissimum, fuisse valituras, si non alia haberet in hoc negotio argumenta.

AUCTORE V. D. M. D

negat se P. Gaspari de Salazar, amico suo,

788 Quod dicis de examine a præpositis instituendo, optimum erit si fiat; adeoque tuæ erunt partes hanc rem discernere : namque omnino perspicuum est, ut puto, nihil ipsum te invito aut non præmonito esse facturum. Amicitiam quæ mihi cum P. Salazario intercedit, ejusque in me merita, ego nunquam negavero; quanquam pro certo habeam illum non tam ex amicitia mihi auxiliatum fuisse quam ex pietate in Salvatorem nostrum et Matrem ejus Beatissimam : quin etiam per duos, quoad recordor, annos a dandis mutuo inter nos litteris cessatum est. Ex eo vero quod mihi cum illo vetus est usus, intelligi potest me aliis temporibus multo magis auxilio ejus indiguisse, quando videlicet Ordo hic noster duos tantum numerabat Excalceatos; ut proinde tunc potius de hac mutatione procuranda cogitassem, quam nunc, ubi per Dei bonitatem plures, ni fallor, quam ducentos Excalceatos habemus, inter quos F sat multi sunt ad nos pro modulo nostro juvandas idonei. Nec unquam credidi manum Domini pro Ordine Matris suæ magis quam pro cæteris esse abbreviatam.

transitum e Soc. Jesu ad Ord. Carm. cogitanti,

789 Asseris etiam me litteras scripsisse quibus adornarem testes qui dicerent me transitioni isti obstare : quod si mihi vel in mentem venerit, velim ut Deus me non scribat in libro vitæ. Ignosce mihi, quod ita exaggeranter, ut mihi quidem apparet, loquor : nimirum ut intelligas de vestra Societate quid sentiam; cujus ego res tam vere cordi habeo ut parata forem vitam pro iis profundere, dummodo Dei obsequium nihil inde detrimenti caperet. Magna sunt arcana Dei : et quoniam, Deo teste, non aliam quam dixi partem in hoc negotio habui, ideo neque illorum quæ futura sunt, particeps esse volo. Quod si in me culpa conjiciatur, non hac primum vice sine culpa patiar. Cæterum experientia didici, modo Deo satisfactum fuerit, cætera facile posse componi; nec unquam credam, ne ob causas graviores quidem, nedum ob rem adeo levem, permissurum esse Dominum ut sua Societas Ordini Matris suæ, quem

ope

AUCTORE V. D. M.

ope ipsius Societatis reparavit renovavitque, aliquando inimica fiat. Si vero id permitteret, timeo ne quod ex una parte lucrum forte videretur, ex altera parte in damnis foret reponendum.

A

hortatricem fuisse aut fore:

790 Sumus omnes magni illius Regis clientes. Dignetur ipse utriusque Ordinis prolem, tam quæ Filii nomen gerit quam quæ Matris, talem efficere ut tanquam strenui milites nihil aliud præ oculis habeamus quam Regis nostri vexillum, ad obsequendum sanctissimæ ejus voluntati. Hoc si nos Carmelitæ vere faciemus, fieri non poterit ut ab iis qui Jesu nomine insigniuntur, aliquando derelinquamur; quamvis non desint qui mihi id sæpius sunt minati. Servet te Deus multos annos incolumem : scio enim quæ tua sit semper in nos benignitas; ac plurimum, quamtumvis misera, te Domino nostro commendo. Idem, precor, caritatis officium pauperi vetulæ præsta, in quam sex jam mensibus calamitatum et persecutionum imber defluxit, quarum non minima est hoc de quo nunc tecum ago negotium. De reliquo fidem tibi meam obligo fore ut neque per me nec per alios P. Salazarium ad deserendam Societatem adducam; prouti nego me id hactenus fecisse. Est hodie x Februarii.

B

Indigna serva ac subdita tua, Teresia a Jesu (*tom. I, epist.* 20).

Alteras dat litteras

791 *Hisce S. Matris litteris placatus provincialis, rectori Abulensi in mandatis dedit ut suas excusationes de mala suspicione, e falsis hausta delationibus, ad eam deferret, eamque simul rogaret ut acceptas pridem provincialis litteras denuo legere ne gravaretur; qua nimirum lectione, sedatiori quam prius animo facta, plane esset perspectura litteras illas non adeo fuisse vehementes. Adjecit ad hæc gratissimum sibi et optimum factu futurum, si Sancta scribere dignaretur, tum ad Salazarium ipsum, tum ad superiores conventuum Carmelitanorum, ut illum ab egressu Societatis, hos ab illo in Carmeli Ordinem cooptando deterreret. Fecit rector quod jussus fuerat, et sequens a S.* Teresia *responsum tulit :* Jesus. Spiritus Sanctus sit tecum. Semel iterumque relecta P. Provincialis epistola, equidem in eadem sententia persisto : ipsum parum æque de me cogitasse, sibique ea de me persuasisse quæ mihi ne in mentem quidem venerant. Unde ne mirere quod gravius commota fuerim. Attamen parvi interest : ni enim tam imperfecta forem, Patri isti, cui me omnino subjectam

C

profiteor, in acceptis referre debueram quod me mortificare dignatus sit. Cui cum etiam P. Salazar sit subjectus, opinor melius fore, si ipse, pro suo prælati officio, cum reo ageret, quam si ego, ut postulas, ad homines non meos litteras darem, quas parvi facere merito possent. Illud certum, me aliud non scire, nec adeo a me intelligi asseverationem illam qua dicis Salazarium scripsisse. Excepto enim quod non dixerim nuntium e cœlis venisse, quo id quod meditatur, facere prohibeatur, nihil non egi quo virum a proposito deducerem. Sed enim, uti tibi dixisse memini, non est quod rationem reddam omnium, ne ita homini qui mihi debet esse carissimus, plurimum damni afferam; præsertim cum ex ipsius verbis ad me perlatis omnino mihi persuasum sit, ut item tibi nuper dixi, illum inscio P. Provinciali rem istam haud facturum : quod si hoc ei nec dixit nec scripsit, ergo neque Societatem deseret. Si autem Provincialis possit eum exitu Societatis prohibere eique licentiam recusare, peccarem ego in virum adeo gravem et optimum Dei servum, si eum in omnibus nostris monasteriis (quæ tamen nescio an fidem mihi negarent) diffamarem. Magna enim infamia est id facere velle quod sine Dei offensa

D

fieri non possit.

de eodem argumento

792 Scripsi ad te verissime; ac meo quidem judicio omne id feci quod factum a generosa fœmina et Christiana oportuit. Deus scit me vera loqui. Quare, si plus facerem quam feci, in nobilitatem ac religionem forem injuria. Denique, quod tibi jam dixi, quando aliqua in re præstiti id quod præstandum putavi, Deus mihi animum dare solet ad perferendum cum suo auxilio quidquid mali inde in me redundaverit. Et hac quidem in re si quid obtigerit tale, non erit quod querar defuisse prophetias, nec etiam quod doleam aliquid eorum quæ facere debui, esse a me prætermissum. Fieri et illud potest, te scilicet magis in culpa esse, qui eo me adduxisti, quam ego fuissem, si tibi non obedivissem. Quanquam, si negotium isthoc e tua sententia non esset actum, securissima equidem sum æque ream me habendam fuisse ac si egissem prorsus nihil; quod vero locuta fui, sat causæ esse ut prophetiæ impleri incipiant. At si me manent ærumnæ, veniant, per me licet. Quippe tantopere divinam Majestatem offendi, ut plura etiam mala meruerim quam hæc esse queant. Age vero, sit ita factum ut ego in

E

hocce negotio partem aliquam habuerim; non video equidem quod in vestram Societatem commiserim scelus tam severe puniendum. Vestra enim causa nihil re tam parva contingitur; siquidem altioribus Societas nititur fundamentis. Mihi autem det Deus ut semper pro fundamento habeam nunquam ab ejus discedere voluntate; tibique ad idem ob oculos habendum lucem continuo largiatur. Magna demum consolatio mihi foret, si huc veniret P. Provincialis : quippe cujus aspectu jam nimis dudum me Dominus carere voluit. Sum indigna famula ac filia tua, Teresia a Jesu (*tom. II, ep.* 16).

ad rectorem collegii Abulensis S. J.

793 *Limatissimis hisce epistolis, quarum posterior ad finem Februarii aut initium Martii referenda videtur,* Teresiam *inter et P. Joannem Suarez, quem Ven. Ludovicus a Ponte* (*Vit. P. Balth. Alvarez, cap.* XXVII) *ab integritate, pietate, prudentia animorumque regendorum experientia multum commendat, reconciliatio effecta fuit. Duæ aliæ prostant in impressis anno* 1771 *et anno* 1793 *voluminibus S. Matris epistolæ ad P. Gratianum directæ* (*tom. III, epist.* 13 *et tom. IV, epist.* 25), *in quibus de P. Gaspare Salazar sub nomine Carillo mentio fit : sed has contendit P. Montoya* (*Dissert.* II, *cap.* IV, § I, *et cap.* VI, § II) *pro interpolatis habendas esse, æque ac*

F

aliam ad eumdem P. Gratianum epistolam, scriptam die XXII *Maji* (*tom. III, epist.* 28), *cujus duos primos numeros commentator Epistolarum ad negotium P. Salazarii refert; quanquam mihi non improbabile videatur Sanctam ibi longe alio in argumento versari. Sed satius est acrem controversiam, a P. Montoya motam, silentio præterire. Ante vero quam ad alia historiæ Teresianæ capita gressum faciamus, corrigamus oportet errorem in quem D. Boucher, de negotio P. Salazarii agens, incaute prolapsus fuit. Putavit meritissimus scriptor, nominum similitudine deceptus, collegio S. J. Abulensi tunc temporis præfuisse P. Ægidium Gonzalez de Avila, cujus vitam hac occasione summatim in adjecta nota describit, citans S.* Teresiæ *epistolas, Bibliothecam Scriptorum Societatis Jesu, Historiam ejusdem Societatis et librum de illustribus Societatis viris, auctore P. Eusebio Nieremberg. At, si citatos a se fontes accuratius inspexisset, facile videre poterat laudatum P. Ægidium, anno* 1573 *in Assistentem Hispaniæ electum, Romæ pro munere suo versatum fuisse quamdiu Societatis gubernacula tenuit P. Everardus Mercurianus, nempe ad annum usque* 1580. *Abulensis autem*

A *autem collegii rector anno* 1578 *erat is quem supra nominavi P. Gonzalvus de Avila, antea, teste P. Ludovico de Ponte* (*Vit. P. Balth. Alvarez, cap.* XXX), *ministri officio functus in collegio Salmanticensi : qui quam sit probe distinguendus a P. Ægidio Gonzalez, manifestissime patet ex Historia Soc. Jesu, ubi ad annos* 1588 *et* 1590 *amborum nomina ac munera perspicue inter se discernuntur. Scilicet anno* 1588 *P. Ægidius Castellanam provinciam, Toletanam P. Gonzalvus moderabatur* (*Part.* V, *lib.* VIII, *num.* 140); *post biennium vero P. Gonzalvus provinciæ Toletanæ adhuc præerat, visitatorem interim agente P. Ægidio. Utrumque S.* Teresia *conscientiæ arbitrum adhibuit. Etenim P. Ægidium Gonzalez inter viros Societatis Jesu a se de animi rebus consultos annumerat in epistola ad P. Rodericum Alvarez, jam sæpe a me allegata* (*tom. I, epist.* 19); *et ad P. Gonzalvum de Avila litteras dedit* (*ibid. epist.* 21), *e quibus liquido apparet hunc quoque directorem ejus spiritualem fuisse et tam bene de ea existimasse ut eam etiam consuluerit de modo conjunctionis cum Deo servandæ medias inter occupationes officio rectoris inhærentes : cui consultationi humilis Virgo obedienter et eloquenter, nec sine*
B *magna viri laude, respondit. Has litteras anno* 1578 *scriptas fuisse conjicio e lepida hac phrasi :* Vellem ut tantam curam haberes de anima mea quantam de fonte illo vestro habes; *quæ evidentem habet connexionem cum iis quæ Sancta de eodem fonte memorat in sua ad P. Gratianum epistola die* XXII *Maji data :* Jam scripsi ad te, *inquiens,* quam ardenter Patres Societatis qui in hoc oppido degunt, adventum P. Mariani desiderent, ut inspiciat quemdam ipsorum fontem . . . . Hortare, quæso, virum ne id omittat neu oblivioni tradat (*tom. III, epist.* 18).

§ XLII. Philippi Segæ, Nuntii apostolici, adversus Carmelitas Excalceatos gesta. Alterum horum capitulum Almodovarense. Consolatoria S. Matris ad moniales
C **Hispalenses, misere vexatas, epistola.**

Nuntius apostolicus, jam dudum infestus,

Ea autem tempestate Reformationi S. Teresiæ videbantur omnes dæmones, *ut ipsa loquitur, ad P. Ambrosium Marianum iis in angustiis scribens* XV *Martii* 1578, bellum intulisse; nec aliunde quam a Deo exspectari levamen poterat, obediendo nimirum ac patiendo (*tom. IV, epist.* 36). *P. Gratianus, sin minus ex obedientia, saltem ex reverentia erga novum Nuntium abstinebat ab injuncto sibi per Ormanetum munere. Namque, uti Sancta postmodum* (*nescio an mense Augusto*) *exposuit in commentario quodam pro Gratiani defensione composito* (*tom. III, epist.* 20), Sega post suum in Hispaniam adventum Patri huic mandaverat ut litteras librosque quibus datæ ei facultates et instituti ab eo processus continebantur, ad se afferret. Mens Gratiano erat omnes scriptiones illas Nuntio relinquere. Verumtamen, cum ab amicis moneretur fore ut hoc displiceret regi, quippe cujus imperio etiam subesset, de tota re admonitum ivit archiepiscopum (*Toletanum*). Hic vero virum irridens, musca timidiorem esse dixit; suasitque ut regi rationem redderet omnium. Opponenti autem Gra-
D tiano offendicula sibi a Nuntio inde timenda, respondit licitum esse cuivis ut suum superiorem adeat; hortatusque est ut regi se sisteret. Porro rex jusso in monasterium suum redire Gratiano spopondit se de toto negotio cogniturum. Docti quidam viri, et ipse quem super hac re interrogavi præsentatus Romero, multis argumentis demonstraverunt, quandoquidem Nuntius exertam a se in eo negotio potestatem non legitime probasset, non debere Gratianum a munere sibi concredito cessare. Litteras enim a Summo Pontifice sibi datas nondum ostenderat Nuntius; imo ne nunc quidem ostendit, nisi forsitan hoc fecerit decem abhinc diebus, licet certissime scio eum regis nomine rogatum fuisse ut illas ostenderet. Nihilosecius novem amplius menses ita functione sua abstinuit Gratianus ut ne semel quidem nomen suum actis quibuscunque subscripserit, etsi noverat affirmasse ac jurasse Nuntium, nunquam a se vetitum fuisse
E ne Gratianus cœnobia visitaret. Plurimi sunt ejus rei testes; qui etiam asseverant eumdem Nuntium, cum a Carmelita nescio quo rogaretur ut Gratiani potestatem irritam declararet, aperte confessum fuisse id sibi non esse integrum.

tandem, ubi P. Tostatus Hispania excessit,

795 *Hæc ibi Sancta de Gratiano, ad quem per id tempus, a Februario mense usque ad Augustum, nonnullas dedit more suo de variis negotiis epistolas* (*tom. II, epist.* 24 *et* 25; *tom. III, epist.* 13-18; *tom. IV, epist.* 24). *Marianus autem mense Martio Madriti morabatur, invigilans rebus Ordinis, ac procurandæ in ea urbe fundationi* (*de qua jam aliquid attigimus num.* 720) *cum satis exigua spe intentus; abstinebatque contra mentem Nuntii, ut videtur, a cohabitatione Fratrum suorum Calceatorum. Quamobrem Sancta eum monendum duxit ne voto Nuntii hac in re obsisteret; ac simul consilium ei ejusque sociis dedit ut ante Dominicam Passionis, quo tempore spiritualibus negotiis magis vacare conveniret quam temporalibus, se Pastranam aut Complutum ad suos reciperent* (*tom. IV, epist.* 36). *Antonius a Jesu, venerabili canitie senex, quem æstate præterita Tostatus carceri mandari jusserat* (*tom. IV, epist.* 1), *initio hujus anni* 1578 *morbo laborabat* (*tom. III, ep.* 13), *quo tamen mense Aprili levatus fuit* (*ibid. epist.* 15). *S. Joannes a Cruce adhuc in ergastulo suo delitescebat. Itaque quatuor illi viri, qui secundum* Teresiam *suis quodammodo humeris ædificium Reformationis Carmelitanæ sustentabant, facti erant quasi inutiles; dum contra Tostatus, iis prostratis, audentior ibat, repulsam ille quidem a consilio regio passus, sed Nuntii dein auctoritate suffultus. Quare a nemine fere magis quam a Tostato sibi suisque timuisse S. Fundatrix videtur; ac tanquam gravi onere se levatam sensit, quando ille Excalceatorum adversarius mense Majo ineunte in Lusitaniam, vel, ut alii volunt, in Italiam tandem profectus est* (*tom. II, epist.* 24).

ipse per se in Carmelitas Excalceatos sævit.

796 *Sed hic Tostati discessus parum aut nihil profuit Carmelo Teresiano. Etenim in ejus ruinam ipse deinceps Sega non segniter incumbens, per litteras die* XXII *Julii publicatas* (*ut ex Vita Gratiani, auctore P. Christophoro Marquez, asserit P. Antonius a S. Josepho, tom. III, epist.* 19, *not.* 3) *Gratianum a visitatoris officio deposuit; ac provincialibus Carmeli Observantis præcepit ut Excalceatorum utriusque sexus conventus obirent, reos castigaturi, novos superiores, non tamen e Calceatis, ubicunque opus esse judicarent, instituturi, ac maxime cauturi ne novæ ab Excalceatis fierent fundationes. Ubi de his litteris rescitum est, ambigere cœperunt*

AUCTORE V. D. M.

A *Excalceatorum præcipui utrum oporteret necne obedientiam præstare missis a Nuntio visitatoribus. Sancta quidem e virorum doctorum sententia judicavit mandata Nuntii vim habere nullam, quia non ostenderat qua potestate ea edidisset : attamen initio non abnuebat quominus pacis ergo Excalceati se ad obediendum Segæ paratos exhiberent, modo ne cogerentur Calceatis subesse. Ajebat enim Nuntii imperium plane sibi videri tolerabile, imo hanc forsitan optimam fore viam qua ad optatam Excalceatorum a Calceatis sejunctionem tandem perveniretur : verum formidandum dicebat ne Tostatus, ad incepta rediens, hinc occasionem arriperet subvertendæ penitus Reformationis* (*tom. III, ep.* 19 *et* 37). *In hanc illa sententiam diebus* VIII *et* IX *Augusti scripsit ad sororem suam Joannam de Ahumada et ad P. Gratianum.*

Ira ejus, aliquantisper sedata,

797 *Per eosdem fere dies, si credere licet auctori Chronici* (*lib.* IV, *cap.* XXX), *Nuntius Sega, qui hactenus pessime de PP. Antonio a Jesu, Gratiano ac Mariano senserat, et S.* Teresiam *non dubitaverat appellare* fœminam inquietam, multivagam, indocilem ac contumacem, malarum doctrinarum sub pietatis specie inventricem, infracti claustri contra Tridentina decreta et præpositorum mandata ream,
B contemptricem denique præcepti apostolici (1 *Tim.* II, 42) quo mulieribus docere non permittitur; *is, inquam, per id fere tempus a præjudicata hac opinione ad benigniorem de Excalceatis sententiam traductus fuerat opera P. Joannis Roca seu a Jesu, prioris Excalceatorum Mancerœ; qui cum Madritum ad Nuntium accessisset litigii cujusdam quod cum Calceatis gerebat causa, et ejus jussu aliquamdiu apud Calceatos Madritenses quasi in carcere detentus fuisset, obtenta demum loquendi copia, defensorem S. Matris ejusque prolis tam libere et eloquenter egit, ut victus illius oratione Nuntius spoponderit fore ut Excalceatos, in fidem suam ac tutelam receptos, nunquam Calceatorum subjiceret imperio.*

recrudescit ob regium quoddam edictum.

798 *At non diu his promissis Sega stetit : imo acrius quam antea in Institutum Teresianum insurrexit, quando ad diem* IX *Augusti, uti perhibet Chronicon* (*lib.* IV, *cap.* XXVIII), *e supremo Hispaniarum consilio edictum prodiit regium, quo magistratibus universis significabatur irritum et nihili faciendum esse quidquid Nuntius de Ordinibus religiosis statuisset. Hujus edicti exemplar ad S. Matrem* XIV *Augusti transmisit amicus ejus Rochus de Huerta*
C (*tom. III, epist.* 21). *Mauritius autem de Pazos, qui Alvaro de Mendoza in episcopatu Abulensi et Didaco de Covarruvias in supremi consilii præfectura successerat, P. Gratianum in regiam urbem accersitum jussit denuo visitandis Ordinis sui cœnobiis operam navare.* Suppliciter, *inquit Sancta* (*tom. III, epist.* 20), Gratianus ab eo petebat ne tale onus iterum sibi imponeret. Ille vero respondebat fixam hanc esse determinatamque Dei et regis voluntatem, cui resistere nemini integrum : addebat de sua ipsius præfectura, non admodum sibi gestu jucunda, deque aliis id genus. Ad quæ cum Gratianus peteret essetne igitur ad Nuntium cundum, vetuit præses ne iret, sed ad se potius confugeret, si qua re opus haberet. Itaque Gratianus amplissimas accepit a consilio regio litteras, quarum ope auxilium brachii sæcularis, ubicunque opus foret, invocare posset. Porro, *addit Sancta,* semper opinio fuit Nuntium, quoad ex ipso intelligi potuit, nullam habere in Ordines regulares potestatem : cum enim rex ægre ferret quod tam festinanter, se inscio, adversus Gratianum egisset (*scilicet novem mensibus ante, ut vidimus num.* 794), nihil deinceps fecerat usque ad præsens tempus. Ex ea autem agendi ratione satis patet transmissum D ei fuisse magnum aliquod Summi Pontificis mandatum; licet id nec consilio regio nec cuiquam, quod scitur, ostenderit. *Hoc mandato, quod Philippus II per litteras vel per suum in curia Romana oratorem verisimiliter expetiit, Gregorium XIII cavisse ferunt ne Sega rebus Carmeliticis sese immisceret. Verum hujus asserti fides penes suos auctores esto. Nos Sanctam audire pergamus.*

Fluctuans animo P. Gratianus,

799 Æstuabat, *ait,* dubitatione animus P. Gratiani. Nam si, neglecta regis voluntate, Nuntio pareret, pessum ibamus, destituti scilicet favore regis, qui hactenus nos sustentavit ac pro nobis apud Sanctam Sedem intercessit : præsertim cum insuper compertum nobis esset Nuntium procurasse ut visitaremur a Tostato illo, qui, ut erat Calceatus et a Generali cum vicarii potestate missus, certissime propositum sibi habebat omnes nostras domos convellere; quandoquidem a capitulo generali cautum erat ne plura quam duo vel tria cœnobia nostris relinquerentur, neve Excalceatorum numerus imposterum augeretur, neu denique vestium esset ulla distinctio. Ac semper Gratianus ægerrime ille quidem, ac tantum ut nos sustentaret, onus visitandorum cœnobiorum in se E suscepit : nunc vero etiam durum illi accidit quod acta visitationum suarum exhibere sit jussus; quia multa inibi continentur quæ sub secreto audivit : adeoque omnes offendet et multos infamabit, si ea Nuntio ostenderit, non habenti legitime probatam potestatem qua malis remedium afferre possit. Ex his verissime a me expositis, quibus et alia possent adjungi, quivis intelliget quam inique in illis Nuntii litteris de Gratiano actum sit. Nihil hic umquam egit nisi ex virorum bene doctorum sententia : quamvis enim ipse scientia non caret, tamen proprio judicio numquam fidit. Quod vero Nuntius suas facultates approbationi regiæ subjicere renuat, id novum et inauditum apud Hispanos dicit esse; quoniam, qui antea fuerunt Nuntii, semper id fecerunt.

postquam alias placandi Nuntii vias

800 *Ergo Sancta, de causæ suæ æquitate nullatenus dubitans, Gratiano adhuc timido stimulos addidit ad rem fortiter, depulso omni scrupulo, et simul etiam suaviter capessendam.* Tua, *inquit,* sapientia ac prudentia in his adjunctis opus est, ut nil aliud metuere videamur nisi ne Deum offendamus. Quando vero Nuntium alloqueris, si tamen F audire te voluerit, purga te illi de his rebus, significando videlicet te semper ad obediendum illi fore paratissimum, sed neminem fugere quam acriter Tostatus nostris hisce inceptis obsistat, de his autem inquiri facile posse; et si quid aliud tibi in mentem venerit. Ante omnia autem, quibuscumque potueris viis et quibuscumque illi voluerint conditionibus, cum Nuntio age de obtinenda nobis provincia : quippe omnis nostra salus atque adeo tota hæc Reformatio in ea est posita. Quare plurimi quoque interest ut de eadem hac re agas cum rege, cum præside, cum archiepiscopo, denique, ut summatim dicam, cum omnibus; ostendasque omnia scandala ac bella, præsertim in regno Castellano, hoc uno ex fonte oriri, quod nimirum sejunctam provinciam hactenus non habemus (*tom. III, epist.* 21). *Hæc Sancta* XIV *Augusti.*

frustra quæsivit,

801 *At non facilem accessum ad Segam Gratianus habuit, uti patet e sequenti* Teresiæ *ad eum epistola, scripta* XXIV *Augusti* (*tom. II, epist.* 26), *qua anxie percontatur num tandem aliquando Nuntium convenerit : et qua simul, ut hoc etiam obiter notem, testatum facit dolorem suum de morte Sebastiani, regis Lusitanorum, viginti ante diebus in prælio*

A *prælio apud Afros interempti; narratque Generalem Rubeum ad Quiteriam, monialem cœnobii Incarnationis, litteras dedisse quæ præcipue ostenderent quam mala de Excalceatis nuntia Romam fuissent allata. Porro, dum per eos dies, ut ostendit P. Antonius a S. Josepho* (*tom. IV, epist.* 23, *not.* 10), *Carmelitæ Calceati, præsertim PP. Coria ac Suarez, Andalusii ambo, qui superiori mense cum multis de Gratiano querelis ad Segam venerant, operam ac pecuniam suam impenderent portandis mittendisque quaquaversum ad Excalceatos Nuntii litteris de quibus supra egi, Gratianus una cum Mariano, qui Madriti adhucdum sedulus permanserat* (*tom. IV, epist.* 75), *ibique, ut Segæ faceret satis, apud Calceatos habitaverat* (*tom. II, epist.* 47), *Pastranam videtur abiisse : ubi tunc quoque aderat P. Antonius a Jesu.*

illius demum imperio se subjicit

802 *Vix autem tria hæc Excalceatorum capita unum in locum ita convenerant, cum ecce Pastranæ etiam adfuerunt cum Nuntii litteris Suarez et Coria, imperiosis vocibus obedientiam ab Excalceatis ibi degentibus exigentes. Advocat illico Gratianus in consilium gravissimos quosque cœnobii Patres. His vero in diversas sententias abeuntibus, in cellulam*
B *sese abdit cum Benedicto a B. Virgine, viro omnium opinione sancto : quo suadente, etsi loci magistratus, stipante civium caterva, jam ad vim ab Excalceatis depellendam cum regio adversus Nuntii litteras decreto* (*de quo num.* 798) *accurrisset, tamen vir mitis et Summi Pontificis, cujus personam Sega gerebat, reverentia ductus, sperans præterea facile se ab rege excusatum iri, omnes Excalceatos suos in capitulum convenire jussit ad faciendam obsequii sui erga Nuntium significationem. Post hæc quidquid habebat litterarum ab Ormaneto acceptum et alia quæcumque sui officii instrumenta duobus quos paulo ante nominavi Patribus ultro in manus dedit.*

contra regis Philippi voluntatem.

803 *Placavit aliquantisper Segam paratus ille Gratiani ac Pastranensium Excalceatorum ad obediendum animus; sed regi contra ita displicuit ut de solita ejus in Excalceatos benevolentia non parum hanc ob causam fuerit detractum. Cum autem Gratianus, comitibus Antonio ac Mariano, Madritum rediret, sui, ut arbitror, apud regium consilium purgandi causa, Nuntius, probabiliter timens ne rex,*
C *audito Gratiano ejusque sociis, quidquid Pastranæ nuper gestum erat, rescinderet, eosdem vix urbem ingressos ac nil tale suspicatos abduci jussit quasi captivos in cœnobium Calceatorum, ablata illis cum celebrandi audiendive Sacri, tum etiam litterarum scribendarum aut recipiendarum copia. Auctor Chronici* (*lib.* IV, *cap.* XXVIII), *quem in hac narratione secutus sum, insuper refert PP. Marianum et Antonium non ita diu post ad alia cœnobia, illum nempe ad Atochanum PP. Prædicatorum, hunc ad S. Bernardini PP. Ordinis Minorum Excalceatorum, Nuntii jussu fuisse traductos, Gratiano interim solo apud Carmelitas Calceatos manente.*

Miserum rerum suarum statum

804 *Ad hanc autem epocham haud scio an referendum sit fragmentum epistolæ a S. Matre ad P. Gratianum scriptæ, quod ita sonat :* Spiritus Sanctus sit tecum tibique animum ac vires addat ad sustinendum hoc prælium. Vix enim hoc tempore quisquam est quem tanto furore a dæmone ac mundo impeti Deus sinat. Sit nomen Domini benedictum, quia voluit ut tot ac tanta simul tibi mereare virtutum præmia. Certe, nisi natura tam molles essemus, facile intelligentia consequeremur quantam habeamus gaudendi causam. Me reficit quod non amplius suspiceris te esse excommunicatum : ego quidem ne vel minimam de hac re dubitationem unquam habui (*tom. IV, fragm.* 19). *Dolendum est epistolam e qua hæc verba desumpta* **AUCTORE V. D. M.**
D *sunt, et quæ fors multum luminis nobis attulisset, non integram superesse : ac magis etiam dolendum quod destituimur litteris quas a se calamitoso hoc tempore ad regem ac Nuntium scriptas ipsa Sancta memorat* (*tom. III, epist.* 7, *et tom. IV, epist.* 26 *et* 75).

P. Paulo Hernandez S. J.

805 *Utique calamitosum tempus illud Teresianæ Reformationi fuit. Habebant sibi Excalceati regem parum propitium, infensum Nuntium apostolicum, alienum ab sese animum Rubei Generalis : imminebant validi in omnem sæviendi occasionem adversarii; nec quidquam opis auxiliique in amicis jam erat. Turbata jacebant ac dissipata intestinis discordiis cœnobia, dum alii victas darent hostibus manus, alii gloriosissimum putarent extrema quæque pro institutis suis fortiter perpeti, nec ullus adesset qui divisas inter se mentes ad unam eamdemque sententiam revocare sua auctoritate posset. En quid ipsa* Teresia *lamentabunda super his ad P. Paulum Hernandez S. J. die* IV *Octobris perscripserit :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti tecum sit, Pater mi. Ante hos octo dies Anna ab Angelis, priorissa Toletana, ad me perscripsit te Madriti versari. Quo nuntio ma- E
gnum solamen accepi, quia mihi videris ab ipso Deo illuc adductus, ut levamen aliquod meis doloribus afferas. Tanta enim ac tam varia mala a mense Augusto anni proxime elapsi sum passa, ut mollimentum ingens mihi foret, si te coram videre ac partem aliquam dolorum meorum (nam omnes enarrare non possem) in sinum tuum effundere mihi liceret. In præsentia vero ad cumulum miseriæ pervenimus, prouti te docebit qui has litteras ad te defert, vir fidissimus et pro suo in nos amore nostrarum quoque calamitatum particeps. Molestissimum diabolo accidit obsequium quod ab Excalceatis nostris, tam viris quam fœminis, Deo præstatur ea perfectione de qua cogitare sine consolatione non possis. Ac inter Excalceatos quidem, qui novem jam habent cœnobia, plurimi sunt eximiis animi dotibus viri; qui, quoniam propriam sibi provinciam non habent, tantas a Calceatis molestias patiuntur ut singillatim describi nequeant.

Sancta per litteras exponit;

806 Omnis nostra salus vel pernicies secundum Deum in manibus Nuntii vertitur; qui, ob nostra sane peccata, tantam Calceatis nostram famam lacerantibus tribuit fidem ut quo res casuræ sint, F
non videam. Quod ad meipsam attinet, multivaga vocor et inquieta; quæ autem fundavi monasteria, sine licentia Papæ aut Generalis fundasse dicor : quo crimine quid pejus, quid Christiano indignius esse possit? Sed et alia multa dictu horrenda atque intolerabilia boni illi tam de me quam de P. Gratiano, qui eos visitavit, proh dolor! in vulgus spargunt. Equidem, vere hæc a me dici crede, affirmare non dubito P. Gratianum pro honestissimis suis moribus et eximia conscientiæ puritate inter maximos Dei servos quibuscum egi, merito esse annumerandum : quid multa? vestræ Societatis, ut facile scire potes, per omnem vitam suam fuit alumnus. Compluto repetenda est causa cur pessime de Patre illo sentire Nuntius cœperit; idque certas quasdam ob res, quæ si rite noscerentur, vel exigua vel plane nulla Gratiani culpa in iis deprehenderetur. Idem de me quoque dicendum : nisi forte tunc in Nuntium peccaverim, quando mandatis ejus mihi significatis summa voluntate obedivi, vel quando litteras ad eum dedi maxima qua potui animi demissione.

ejusque patrocinium,

807 Credo autem hæc omnia desuper in nos cadere, quod velit nimirum Deus ut patiamur. Atque adeo

AUCTORE V. D. M.

adeo jam nemo est qui veritatem curet et bonum aliquod verbulum pro me loquatur. Quibus ego quidem malis, ut dicam quod sentio, quod ad me attinet, lætor potius quam commoveor aut conficior: sed mihi videntur, si ea crimina quæ Patres illi in me conferunt, falsa esse constaret, fortasse nec illa quæ de P. Gratiano dicuntur, fidem apud Nuntium habitura esse; quod sane permagni nostra interest. Quapropter mitto ad te exemplar patentium litterarum quas a R. P. Generali accepi, e quibus videas quam sit a veritate alienum quod Nuntius dicit, domus nostras absque licentia fuisse fundatas. Sed, ut video, omnes vires eo intendit diabolus ut hasce domus male perdat: quocirca in optatis mihi est ut quidam Dei servi earum patrocinium in se suscipiant. Eheu! Pater mi, nubilo tempore quam paucos reperire est amicos!

ad iniquam de suis Excalceatis opinionem

808 Audio te esse præsidi valde acceptum atque in ejus gratiam Madritum venisse. Cum autem non dubitem quin is omnia hæc et plura etiam a Nuntio de nobis acceperit, operæ pretium esset, si tu, qui testis es quodammodo ocularis, quippe cum animam meam habeas perspectam, errorem homini eriperes: quo pacto magnum a te obsequium Deo præstitum B iri puto. Ostende, quæso, quanti referat ut cœpta hæc nostra progressum habeant; præsertim quia te non latet quantum Sacro huic Ordini esset inclinata res. At dicunt novum Ordinem hunc esse, novella inventa. Legant igitur primam regulam, quam nos unam servamus sine mitigatione, sed eo rigore quo primitus a Summo Pontifice data fuit. Credant suismet oculis tantum, ut videant quomodo nos vivamus, quomodo item Calceati: his vero aures non præbeant, qui nescio unde tam multa, quæ nequaquam vera sunt, in nostrum exitium deprompserint.

Nuntio eripiendam,

809 Præterea oro te atque obtestor ut Patrem illum qui Nuntio a confessionibus est, nomine meo alloquaris meisque verbis salutes, ac de tota veritate facias certiorem; ut religionem videlicet Nuntio injiciat quominus in meam perniciem res pessimas, nullo præcedente examine, divulget. Quantumvis enim improba sum, non tamen usque adeo sum temeraria ut ea commiserim quæ vulgo de me jactantur. Ex his tu ea dices quæ dicenda judicaveris. Demum, si tibi videbitur, ostendere poteris qua auctoritate monasteria mea fundaverim. Quin imo præceptum aliquando accepi, quo vetabar finem fundandi facere; et quando R. P. N. Generalem oravi ut me juberet labore illo desistere, respondit mihi ille optare sese ut tot fundarem monasteria quot habeo in capite capillos. Proin nil causæ est cur tot Dei ancillæ ob adversa testimonia male audiant. Quod quoniam a Societate vestra educationem, ut aiunt, et existentiam accepi, æquum mihi videtur ut per virum Societatis veritas pateat; quo Nuntius, vir gravissimus, quandoquidem ad reformandos Ordines in has regiones sibi incognitas venit, cognoscat tandem aliquando quos reformare debeat et quibus bene velle, ac mendacissimos homines pro delicti gravitate puniat. De reliquo, ut jam dixi, tu videris quid facto sit opus.

enixe sibi deposcit.

810 Interim per Dei Domini nostri ac pretiosæ Matris ejus amorem te precor, ut tuam istam benevolentiam, qua nos, ex quo nos cognovisti, semper es prosecutus, ærumnoso hoc tempore desiderari ne patiare. Nostri sane operæ pretium tibi egregie solvent, et debes hoc cum meæ voluntati tum ipsi quoque veritati, quam iis rationibus tuearis velim quas duxeris opportunissimas. De omnibus, quæso, me facito certiorem, præcipue de valetudine tua. Mea quidem infirmissima fuit; atque ita omnibus D modis me Deus angustiavit: sed meos dolores parum dolerem, modo illos Dei famulos non viderem pati. Sit tecum servetque te Dominus. Tandem indica mihi num verum sit, quod audivi, te non ita brevi ex ista urbe excessurum. Est hodie dies S. Francisci. Indigna famula ac genuina filia tua, Teresia a Jesu, Carmelitana (*tom. III, epist.* 7).

Verum ipsi Excalceati, provincialem sibi

811 *Has igitur ad angustias redacti Carmelitæ Excalceati audax iniere consilium, hortante præsertim Gratiano, eligendi sibi proprium provincialem. In eam cogitationem jam aliquot ante mensibus venerant; sed tunc cessisse videntur auctoritati S.* Teresiæ, *hanc rem e doctorum virorum sententia prorsus dissuadentis. Scripserat namque illa* XV *Aprilis ad P. Gratianum consultos a se fuisse magistrum Daza et doctorem Rueda: utrique autem videri talem electionem illicitam, nisi Generalis aut Pontificis Maximi consensio accesserit; nec aliud inde quam occasionem clamoribus Calceatorum datum iri: proindeque multo fore consultius si regis Philippi intercessione a S. Sede postularetur venia novam provinciam erigendi* (*tom. I, epist.* 22). *Cumque ultimum hoc consilium Sanctæ valde arrisisset, nullam ipsa ejus urgendi ac maturandi occasionem omiserat, ut ex epistolis ipsius bene multis liquet. Quin et commentarius prostat, ab ipsa per hos de quibus agimus menses conscriptus, de separatione inter utrumque Carmelum sub auctoritate et bona venia P. Rubei facienda; cujus commentarii illa erant præcipua capita: Monasteria Virginum curæ provincialis potissimum esse commendanda: ac neminem quidem ad id muneris gerendum aptiorem esse P. Gratiano; at, quoniam hic Generali non placeret, Antonium a Jesu vel S. Joannem a Cruce vel alium quempiam, modo ne vel olim fuisset vel adhuc esset Calceatus, novæ provinciæ esse præficiendum: porro curaturum provincialem ut consueta vectigalia quotannis ad Generalem mitterentur; quæ imo duplicanda esse, si Gratianus provincialis fieret: demum non ita restringendam videri pro monialibus claustri legem ut non possent illæ interdum suis e cœnobiis exire ad ponenda novarum fundationum initia* (*tom. IV, epist.* 48).

contra mentem S. Teresiæ

812 *Convenisse autem videtur Gratiano cum* Teresia *ut Excalceatorum aliqui ad assequendum optatissimam hanc turbarum ac discordiarum solutionem Romam proficiscerentur; et S. Mater in eam sententiam adhuc die* XXIX *Septembris ad Gratianum scripserat, duos ei proponens Patres quos ad iter Romanum et res apud S. Sedem et Generalem promovendas maxime putabat idoneos* (*tom. IV, epist.* 27). *Verum, uti modo dicere cœpi, pacifici illi conatus tumultuario tandem plurium Excalceatorum consilio fuere disturbati: quando scilicet desperabundus Gratianus, nonnullis cum ipso sentientibus, forsitan ne monita quidem* Teresia, *et certe ea invita, propriis viribus id tentare statuit quod aliena ope se jam consequi non posse arbitrabatur; ac P. Antonio a Jesu, qui anno* 1576 *in capitulo Almodovarensi electus fuerat primus definitor, in hunc finem suggessit ut capitulum eodem in loco celebrandum indiceret ad diem* IX *Octobris. Ut autem probabili aliquo nomine capituli convocationem coloraret, proferebat acta PP. Petri Hernandez et Francisci Vargas Ord. Præd., a S. Pio V olim* (*ut vidimus num.* 496) *ad visitandos Carmelitas Hispanos deputatorum; quibus actis permissum injunctumque Excalceatis esse contendebat, ut, absolutis visitationibus, ad creandum sibi provincialem capitulariter convenirent.*

et S. Joannis a Cruce

813 *De prætextus hujusce momento, quod prorsus nullum*

A *nullum fuisse Montoya pronuntiat* (*dissert.* II, *cap.* VI, § III), *videant alii quid statui oporteat. Illud certum, S. Joannem a Cruce, qui, ut e suo carcere Toletano paulo ante erat ope Deiparæ liberatus, Almodovarum cum aliis venerat, opinioni Gratiani apertissime contradixisse iisdem fere rationibus quas S.* Teresia *jam mense Aprili, ut supra demonstravi, allegarat : quamvis Boucher autumat nimis delicatam in hac parte fuisse SS.* Teresiæ *Joannisque conscientiam. Quidquid sit, cursum tenuit capitulum. Electus in provincialem fuit P. Antonius a Jesu : destinati ad iter Romanum P. Petrus ab Angelis et Fr. Joannes a S. Jacobo; ac dicto P. Petro in regimine cœnobii Montis Calvariæ suffectus S. Joannes a Cruce, qui jussus simul fuit moniales Veasenses nescio qua de causa invisere. His ita decretis, Madrito Almodovarum accessit P. Joannes a Jesu : qui primum quidem, ubi suam ac P. Nicolai Doriæ mentem, similem menti S. Joannis a Cruce, multis argumentis propalavit, surdis se canere sensit; attamen deinde perfecit ut congregatorum Patrum præcipui Nuntium supplices adirent, rerum a se gestarum reddituri rationem, approbationemque petituri. Ita demum solutum capitulum,*

B *de quo ampliora legere est in Chronico* (*lib.* IV, *cap.* XXXI).

intempestive eligendo, magis exasperant Nuntii animum.

814 *Circa idem tempus nuntium in Hispaniam perlatum fuerat R. P. Joannem Baptistam Rubeum* III *nonas Septembris, anno ætatis suæ* 71, *generalatus* 16, *e vivis excessisse. Quo Sancta nuntio se ita indoluisse testatur ut integrum diem lacrymando consumpserit :* Nec enim, *inquit, ad Gratianum* XV *Octobris scribens,* sine dolore ea recordari poteram quæ immerens ille nostri causa fuerat passus; quem si adivissemus, in expedito fuissent omnia : det Dominus veniam homini isti qui obstitit quominus mihi tecum de modo placandi Generalis conveniret; quanquam tu quoque isthac in re parum mihi credidisti (*tom. III, epist.* 22). *Significantissima hæc S.* Teresiæ *verba hic citanda duxi, in confirmationem disputationis a me* § XXXVI *institutæ. Cæterum epistola unde ea deprompsi, uti initio planissima est, sic finem versus in intricatissimum evadit sensum, ita ut Montoya contendat* (*loc. cit.*) *ex variis epistolarum S.* Teresiæ *fragmentis a viro existimationis P. Gratiani nimium studioso fuisse consutam; inutili tamen labore, siquidem Gratianus maximam partem rerum in capitulo Almodovarensi actarum*

C *sibimet ipse tribuit in panegyrico quodam de suis actionibus commentario. Satis igitur fuerit e prædicta epistola illud unum hic addidisse : nempe Sanctam, mortuo jam Rubeo, optasse ut Excalceati Romam destinati itineri suo id temporis supersederent; quia metuebat videlicet ne vel in Hispania vel certe in Italia tanquam fugitivi a Calceatis comprehenderentur et carceri manciparentur, unde difficilius liberari potuissent quam e suo liberatus fuerat S. Joannes a Cruce : hic scilicet circa id tempus menstruam inclusionem in quadam cœnobii Pastranensis cellula subierat. Porro, ubi Excalceati, veluti condictum fuerat, in conspectum venere Nuntii, auribusque ejus capituli nomen et provincialis electio insonuit, nullus amplius fuit ejus indignationi modus. Rescidit is extemplo quidquid factum Almodovari fuerat : Gratianum ad cœnobium Carmelitarum Madritense, Marianum ad Atochense Dominicanorum, Antonium a Jesu ad S. Bernardini Franciscanorum Excalceatorum,* Teresiam *Toletum tanquam in novam captivitatem iterum abire jussit; latisque die* XVI *Octobris severissimis decretis, integram Reformationis Teresianæ destructionem serio et ex animo orsus est.*

815 *Qua primum die de his decretis facta fuit Sancta certior, adeo præ doloris vehementia concidit animo ut a sumendis cibis penitus abstineret. Quo animadverso, cum aliquantum noctis jam processisset, Ven. Anna a S. Bartholomæo ægram hortata fuit descenderet in refectorium viribus paululum reficiendis, priusquam signum ad nocturnum Officium daretur. Dictis carissimæ filiæ S. Mater paruit; ac mensæ accumbens, teste Anna* (*Vitæ suæ cap.* XV), *Jesum Christum visibili specie sibi adstantem habuit, panem suismet manibus frangentem ejusque frustulum in dilectæ sponsæ os immittentem cum suavissimis hisce verbis :* Manduca, filia; bene enim video quam multum patiaris : macte animo, quia aliter res fieri non potest. *Hac visione incredibile dictu est quantam conceperit S. Mater fiduciam. Quare omnem cogitatum suum in Dominum jactans et levans oculos suos in montes supernos, unde certo sciebat auxilium sibi venturum, preces, jejunia corporisque macerationes tum ipsa sibi multiplicavit, tum etiam monialibus suis multiplicandas indixit. Nec tamen ita spiritualia hæc adhibuit adjumenta ut temporalia sibi negligenda duceret : imo vero singulari cura non per se tantum, sed etiam per Ven. Annam a Jesu, priorissam Veasensem* (*ut in hujus Vita, lib.* III, *cap.* XIII, *annotat P. Angelus Manrique*) *favorem ac patrocinium magnatum sibi suisque conciliare et religiosos magni nominis adhibere deprecatores studuit; nec omisit ad regem ipsum iis scribere verbis quæ plus apud illum, testibus Ribera et Yepesio, efficerent quam potentium multorum intercessiones.*

AUCTORE V. D. M. *Mœrentem* Teresiam *Christus, visibili specie apparens, animat.*

D

E

Monialibus suis Hispalensibus,

816 *Dicendum nunc est de vexationibus a Carmelitis Calceatis in Excalceatas Hispalenses ad finem anni* 1578 *majori quam olim sævitiæ exerceri cœptis, prouti num.* 738 *hujus Commentarii præmonui. Res ex narratione priorissæ, Mariæ a S. Josepho, paulo est altius repetenda. Postquam S. Mater Hispalim liquerat, sacerdos quidam indoctus fere quotidie a mane ad vesperam usque, sub prætextu Confessionis generalis, cum duabus alternatim monialibus in Sacro Tribunali colloquia instituebat. Quem cum prudens priorissa, cui id admodum displicebat, post trium quatuorve mensium spatium dimittere vellet, cœpit ille optimæ virginis famam ita apud clerum populumque Hispalensem lacerare ut nemo unus demum esset sacerdos qui non ab ea diffideret, nedum ejus Confessiones excipere vellet. Quo cognito, S.* Teresia, *quæ jam pridem carissimam filiam hortata ad patientiam fuerat, in auxilium vocavit P. Petrum Hernandez Ord. Præd., sæpe jam a me laudatum : qui, re*

F *perpensa cum P. Nicolao Doria, Mariæ a S. Josepho auctor fuit ne sacerdote illo ad audiendas monialium Confessiones amplius uteretur. Verum provincialis Carmeli Andalusii, priorissæ et ipse infensus, malesanum confessarium denuo monialibus obtrudit.*

priorissam suam injuste officio privatam dolentibus,

817 *Tum vero impudens obtrectator, adhibita ope duarum quas deceperat monialium, non tantum Mariam a S. Josepho aliasque cœnobii Hispalensis virgines, sed P. Gratianum quoque ac S.* Teresiam *horrendis criminibus apud Sacram cœpit Inquisitionem accusare. Hinc variæ examinationes magno strepitu tumultuque institutæ, crescente in tantum mendaciorum enormitate, ut S.* Teresia, *iis auditis, ridens diceret :* Si mentiri volunt, mentiantur sane eo modo, quo fiet ut apud neminem fidem inveniant. *Confectoque tandem a scribis instrumento, in quo, ut castis auribus intolerabilia omittam, Virgo purissima* Teresia *parum honeste inducebatur, Matri Mariæ a S. Josepho non sine ingenti civitatis scandalo adimitur prioratus; ejusque in locum alia virgo admodum juvenis atque ei inimicissima subrogatur cum vicariæ titulo. Inter quæ tantus fuit monialium pavor ut pallium omnes paratum haberent, si forte essent ad*

AUCTORE V. D. M.

A *S. Inquisitionis carcerem rapiendæ. Narrat hoc ipsa priorissa apud P. Emmanuelem a S. Thoma Aquinate* (*tom. III, pag.* 217).

Sancta levamen afferre satagit,

818 *Quantopere S.* Teresiam *dilectarum filiarum misertum fuerit, pronum est intelligere. Si enim erga omnes moniales suas maternum gerebat animum, at Hispalenses ita singulari quodam amore prosequebatur ut cæteræ his, ipsa teste* (*tom. III, epist.* 66), *quasi subinviderent. Itaque præsto eis fuit omni qua poterat ope, præcipue suis aliarumque monialium ad Deum precibus, et quoad licuit, etiam epistolis. Quoniam vero labente tempore omnes accipiendi scribendique litteras viæ miserandis illis virginibus erant per summam vim atque injuriam occlusæ, refugit ad virum sibi amicissimum, P. Pantoja, priorem Carthusiani cœnobii Hispalensis, cui* a Caveis *nomen est* (*vulgo* de las Cuevas), *eique monasterium suum affectuosissimis litteris, die* XXXI *Januarii scriptis, commendavit* (*tom. I, epist.* 17), *addens simul consolatoriam ad fideles suas moniales epistolam, quam optabat ut cunctæ legerent, vel, si hoc fieri nequiret, legi saltem audirent. Non possum quin potissimam partem illius epistolæ, qua generosos animi sui sensus, amorem erga filias impensissimum et altam in dextra*

B *Omnipotentis fiduciam stupenda plane facundia sententiarumque ubertate Seraphica Mater pandit, oculis lectoris subjiciam.*

atque eloquenti epistola

819 *Est ea igitur talis :* Jesus. Gratia Spiritus Sancti vobiscum sit, sorores et filiæ meæ. Scitote meum in vos amorem nunquam tantum fuisse quantus est in hocce temporis articulo; vos vero ipsas nunquam habuisse tam pulchram quam nunc habetis Domino serviendi occasionem : quandoquidem ingentem nunc vobis impertit gratiam, qua possitis crucem ejus paulisper experiri cum parte aliqua derelictionis quam ipse longe maximam in cruce passus fuit. O beatam diem qua istum in locum venistis, ubi tam fortunata vos manebant tempora! Habetis me admodum vobis invidam. Et re quidem vera, quando omnes istas mutationes cognovi, quæ mihi plenissime narratæ sunt, quando audivi actum fuisse de vobis e monasterio depellendis aliaque id genus nuntia, adeo non dolui, ut imo potius summa lætitia apud animum meum gestierim; quia videbamini mihi, ne mari quidem transmisso, per Domini bonitatem assecutæ esse æternorum thesaurorum fodinam : qua spero in codem Domino vos ita esse ditandas ut in nos

C quoque quæ hic sumus, aliquid e vestris opibus sit redundaturum. Equidem Dei misericordia omnino confido nos ita adjutum iri ut nulla in re a vobis offendatur. Quod vero multo doloris sensu de his rebus afficiamini, id nolim vos adeo sollicitet : volet nimirum Deus ut inde probe intelligatis vos nimium vobismet tribuisse, quando tantopere eratis patiendi cupidæ.

magnanimem malorum tolerantiam

820 Agitedum, agite, filiæ meæ. Mementote Deum non passurum vos tentari supra id quod potestis, eumque vobiscum esse in tribulatione vestra. Quæ cum certo ita sint, non est quod timeatis; verum in ejus misericordia sperandum, qua integræ demum veritati suus erit locus, patebuntque machinæ quædam a dæmonio ad omnia susdeque vertenda hactenus occultatæ, de quibus multo ego dolui magis quam de præsenti ista calamitate. Oratione, sorores meæ, oratione opus est. Splendeat modo inter vos humilitas, splendeat obedientia; quam quidem virtutem erga vicariam ita exercebitis omnes, ac præ cæteris priorissa ab officio nuper deturbata, ut ab aliis in hac parte vos superari non sinatis. O tempus quo nullum aptius colligendo fructui votorum istorum quibus Deo servire concupivistis! Animadvertite, amabo vos, Deum D frequenter experiri velle num opera nostra votis ac verbis respondeant. Date dignas manus filiis B. Virginis, fratribus, inquam, vestris, in magna isthac persecutione. Si enim invicem adjuveritis, bonus Jesus vos adjuvabit; qui licet in mari dormiat, at ingravescente tempestate ventos imperio coercet. Nostras ille preces exoptat; atque in tantum nos amat, ut nunquam non sit in omnem nostræ utilitatis procurandæ occasionem intentus. Sit Nomini ejus benedictio in sæcula. Amen. Amen. Amen.

et fiduciam in Deo commendat.

821 In omnibus nostris domibus vos Deo commendant sorores vestræ : quare per ejus benignitatem spero fore ut brevi remedium cunctis vestris ærumnis afferatur. Curate itaque ut hilares sitis; ac considerate quam parum sit, re probe perpensa, quidquid patimur pro Deo tam bono et tanta pro nobis passo. Nondum enim eo pervenistis ut sanguinem ejus causa profuderitis. Inter sorores vestras, non in Algerio versamini. Quod si Sponsum vestrum sinatis agere, brevi eos ipsos qui nunc bellum nobis inferunt, mediis involutos fluctibus videbitis, veluti Pharaoni regi accidit : nos autem, populus Domini, libertati reddemur; nec erit quis-

E quam nostrum quem præteritorum fructus dolorum non ad novas ærumnas exoptandas incitabit. Vestras litteras accepi : doleo autem quod aliqua a vobis scripta igni injeceritis; poterant enim usuvenire. Quod litteras meas tradideritis, hoc quidem, ut docti hic viri censent, facere non erat necesse; sed parvi interest. Utinam omnes culpæ fuissent in me unam collatæ! quanquam dolores eorum qui nulla sua culpa passi fuerunt, sanequam ego ipsa dolui. Omnium vero acerbissimum mihi accidit in actis informationis, istic a P. Provinciali institutæ, res nonnullas scriptas esse, quæ quam falsæ sint ego probe scio, quoniam præsens tunc eram. Per Domini nostri amorem bene videte num quæ vestrum eas res per metum aliquem aut turbationem dixerit. Nam, modo nihil in Deum peccatum fuerit, totum hoc nihil est; sed de mendaciis, iisque in damnum alienum, mœrore confecta fui : quamvis fidem illa nullam apud me invenerunt; quia perspectum est omnibus qua puritate ac sanctitate nobiscum agat P. Gratianus, quantumque nos ad proficiendum et progrediendum in obsequio Domini juverit. Unde, etiamsi res exigui momenti forent, gravi tamen culpa tenetur qui eas illi imputaverit. Monete ex

F caritate sorores istas; et cum SS. Trinitate quiescite, cujus in tutela opto ut sitis. Amen (*tom. I, epist.* 51). *Pauculas lineas quæ adhuc sequuntur, cum minutulis tantum de rebus agant, supervacaneum foret hic adscribere.*

Garcias Alvarez, monasterii Hispalensis confessarius,

822 *Juveni illi vicariæ, de qua supra diximus, subrogata fuit nescio quando Isabella a S. Hieronymo, una e quinque illis quæ primæ ad fundationem Hispalensem cum S.* Teresia *venerant. Ad hanc simul et Mariam a S. Josepho, turbis jam sedari cœptis, aliam dedit S. Fundatrix epistolam* (*tom. III, epist.* 79), *cui ad calcem pro diei nota adscribitur :* Est hodie dies Crucis; *quo nomine diem* III *Maji, inventæ S. Cruci sacrum, designari arbitror. Est hæc epistola plena monitis, præcipue de cura adhibenda duabus monialibus Margaretæ et Beatrici, quæ faces intestini belli fuerant et tunc aliquantum cœperant resipiscere; adeoque perlonga est, novem paginis in* 4° *comprehensa et numeris omnino* 17 *constans. Verum, ut animadvertit Montoya* (*Dissert.* III, *num.* 172), *suspectam facit eam epistolam altera epistola a Palafoxio edita, cujus majorem partem constituunt duo longæ istius epistolæ brevia fragmenta, nullo vocum discrimine* (*tom. I, epist.* 58).

Præterea

A *Præterea commentator in suis annotationibus traducit Garciam Alvarez, monialium Hispalensium confessarium, ac si is fuisset primus auctor atrocis illius in Sanctam ejusque prolem calumniæ, Calceatorum dein Carmelitarum machinationibus amplificatæ : atque nullatenus dubitat quin Garcias fuerit confessarius ille quem Maria a S. Josepho tacito nomine ut calumniatorem perstringit.*

non fuit auctor harum calamitatum;

823 *Mihi contra longe aliud suadent cum aliæ S. Matris ad priorissam illam epistolæ, tum præcipue hæc ipsa de qua nunc disputamus. Mire enim in illis elucet Sanctæ erga Garciam, de se suisque tempore fundationis (vide num.* 699) *et deinceps optime meritum cognatasque aliquot inter moniales numerantem, grati animi affectus; ita ut vix non semper, quando ad priorissam scribebat, eum valere speciatim jusserit. Ad hæc sæpius multa cum fiducia ad eum litteras dedit : voluit ut priorissa cum eo de sua oratione libere loqueretur; eique librum a se de Vita sua scriptum cupiit communicare (tom. II, epist.* 88) : *testata semel et iterum fuit se de ejus veracitate nequaquam dubitare, ne in iis quidem rebus quæ spectabant ipsas ejus consanguineas (tom. I, epist.* 59 *et tom. III, epist.* 66). *Si quemdam aliquando ei misit*

B *commentarium P. Gratiani de confessariis (tom. III, epist.* 69 *et* 73), *hoc fecit pro directione ejus potius quam pro reprehensione; quamvis non diffiteor semel a Sancta improbatam fuisse Garciæ opinionem, qua videtur nimis libere et sine delectu alios advocasse confessarios vel directores :* Quare, *ait ipsa,* propositum mihi fuit ad eum scribere ab eoque petere ut, si quid habeat cum aliis communicandum, omittat magistros spiritus, et viros seligat apprime doctos; hi enim e multis me extricarunt difficultatibus (*tom. II, epist* 84). *Quin imo mense Octobri anni* 1576, *cum timor esset ne Garcias ab audiendis monialium Confessionibus cessaret, moleste hoc ferens Sancta, eum per litteras vel per priorissam rogavit ut in eo munere fungendo pergere ne gravaretur (tom. III, epist.* 66).

quæ felicem demum habent exitum.

824 *Porro negotium hoc monialium Hispalensium, ad consilium regium delatum atque ibi diligenter excussum, strenuam utilemque imprimis operam navante P. Nicolao Doria (tom. I, ep.* 60, *et tom. II, epist.* 28), *eum prorsus exitum habuit quem S.* Teresia *suis litteris cum perfecta in Deo fiducia prænuntiarat. Probata nimirum P. Gratiani ac castarum illarum Dei ancillarum innocentia, quam jussu Nuntii*

C *scripto die* XXVIII *Junii juridico instrumento rite testatam fecit P. Angelus de Salazar, tunc Excalceatis (ut mox videbimus) cum vicarii generalis potestate præpositus, Mariæ a S. Josepho suus est prioratus, quem tamen recusare in animo habuerat (tom. I, epist.* 60), *cum honore restitutus (ibid. epist.* 61, *not.* 1). *Eumdem exinde summa cum laude gerere perrexit per quinque circiter annos; donec scilicet anno* 1584 *propter miram prudentiam suam, uti docet auctor Chronici (lib.* VI, *cap.* XLI), *electa a P. Gratiano provinciali fuit, ut novi Ulyssiponensis monasterii fundationem curaret eique præesset. Ubi dum degebat, anno* 1590 *magna animi constantia manum adjutricem porrexit priorissæ Madritensi, Ven. Annæ a Jesu, quæ meruerat ab ipsa S.* Teresia *se dignior præfectura appellari et in Ordine haberi ut altera Teresia; quæque, uti fortitudine et prudentia sua e septis claustri sui effecerat ut anno* 1580 *S. Sedes postulata sua pro separatione inter utrumque Carmelum, invito licet Carmelo Mitigato, concederet, sic iterum anno* 1590, *invito ipso Reformatorum capitulo, litteras obtinuit apostolicas ad restituendum pristinum Teresianum in Ordine regimen. Mansit autem Maria a S. Josepho in Lusitania ad annum usque* 1603; *nec diu post in Corvensi cœnobio cum magna sanctitatis opinione obiit, ut refert Didacus Ortiz de Zuñiga in Annalibus Hispalensibus (lib.* XV, *ad annum* 1576).

AUCTORE V. D. M.

D

§ XLIII. Lætior, mutata Nuntii apostolici mente, rerum Carmeli Teresiani facies. Sanctæ visio, et monita divinitus ei significata. Varia ejus itinera, ac duo miracula.

Comes Tendillanus a Nuntio, quem offenderat,

D*e speciali illa Hispalensis monasterii calamitate superiori paragrapho satis diximus. Quod vero ad procellas in universam S.* Teresiæ *Reformationem excitatas pertinet, hæ quoque intra primos menses anni* 1579 *mira Dei providentia dissipatæ fuerunt. Ludovicus Hurtado de Mendoza, comes de Tendilla,* E *cum mense Februario vel Martio ad Nuntium Segam pro Carmelitis Excalceatis deprecator venisset, eumque officiosis primum verbis delinire frustra tentasset, ira tandem vehementius effervescens non solum contumeliosa in præsulem verba contorserat, verum etiam consilium regium impulerat ut novo decreto acta ejus omnia irrita declararet. Ivit Nuntius suam injuriam cum rege expostulatum. Cui Philippus, postquam recepit se curaturum ut comes Tendillanus culpam in S. Sedis administrum commissam debita excusatione dilueret :* Equidem, *ait,* Calceatorum Carmelitarum in Excalceatos inimicitiam novi; eamdemque pro suspecta habeo, eo quod in homines vitæ austeræ ac perfectæ deditos exercetur. Tu vero, quem audio Excalceatis haudquaquam succurrere, virtuti tandem aliquando fave. *Hæc responsio, magna oris vultusque dignitate ab rege prolata, Segam non modice pupugit, ac potissimus ei ad mutandam mentem fuit stimulus. Quo accedebat quod apprime sciret suam adversus Excalceatos severitatem episcopis plurimis summisque regni ministris valde displicere, atque ipsum Summum Pontificem, litteris archiepiscopi Toletani ac viva voce regii apud* F *curiam Romanam oratoris de rebus Carmeliticis edoctum, satis benigne de Teresiana Reformatione cogitare.*

sibi obtinet veniam et Carmelitis Excalceatis præsidium.

826 *Rex igitur Philippus, ut promisso staret, præsidi Castellæ (erat is, ut alibi jam dixi, Mauritius de Pazos, Abulensis episcopus) imperavit ut Ludovicum Hurtadium, læsi Nuntii apostolici reum, Madritum, unde excesserat, revocaret. Facturus imperata comes, litteras adventus sui prænuntias ad præsidem dedit, quibus causas suæ in Excalceatos Carmelitas benevolentiæ dilucide explicabat, seque de cætero paratum ostendebat ad justam Nuntio dandam satisfactionem. Hæ litteræ, cum regis mandato fuissent Segæ ob oculos positæ, animum ejus, si nondum ex integro mutarunt, saltem quam proxime ad mutationem disposuerunt. Atque ita comiti post paucos dies cum excusationibus venienti non modo benevolum sese exhibuit; sed etiam, auditis quas ille ad defensionem clientium suorum Excalceatorum modeste ac sedate afferebat rationibus, gratissimum sibi fore testatus est, si graves aliquot viri, quibuscum de negotiis Carmelitarum rite conferre atque statuere posset, sibi a rege assignarentur. Voto huic Segæ qui factum fuerit satis, brevi a me narrabitur. Prius tamen*

AUCTORE V. D. M.

A

tamen ad S. Teresiam, *rerum inter Nuntium et comitem Tendillanum agitatarum adhuc insciam, paulisper redeamus oportet.*

S. Teresia, *hujus rei adhuc ignara,*

827 *Non est quod minutatim describam ærumnas quibus præcipui PP. Excalceatorum, Gratianus, Marianus, Antonius a Jesu, etc. post infaustum illud capitulum Almodovarense fuerunt afflictati. Id unum in genere notasse sufficiat, nihil ferme opis aut spei in quoquam illorum fuisse repositum; atque adeo totam, ut ita loquar, Reformati Carmeli molem duarum virginum, multorum virorum animos gerentium, humeris sustentatam fuisse, S.* Teresiæ *nimirum et Ven. Annæ a Jesu. De Annæ laboribus, insigni encomio a S.* Teresia *laudatis* (*tom. IV, fragm.* 73 *et* 74), *consuli potest P. Angelus Manrique in ejus Vita* (*lib.* III, *cap.* XIII, XIV *et* XV). *Quoad S.* Teresiam, *præterquam quod jam supra variis locis memoravimus, audire juvat testem oculatum Yepesium :* Patientissime, *ait,* expectabat S. Mater a manu Domini quidquid obtingeret; et quanquam cernebat malos successus successibus pejoribus excipi, tamen, quando jam negotia omnia in perditis ac desperatis habenda videbantur, fidentiam in Deo maximam cum certa spe collocabat. Accidit eo tempore, dum

B

quadam die B. Matrem Toleti invisebam, præsente etiam P. Mariano, ut litteras ambo acciperent, quibus P. Hieronymus a Matre Dei annuntiabat omnino actum esse de negotiorum suorum successu. Hæ litteræ P. Mariano quidquid spei habebat reliquum abstulerunt; et sane, qui firmam illam Teresiæ fiduciam non participasset, erat quod merito desperaret. Quid enim facerent quatuor aut quinque Fratres, et ii quidem pauperes, a paucis cogniti, a pluribus abjecti ac vexati, omni præsidio atque auctoritate destituti? Quid faceret Mater ipsa Fundatrix, extorris jam facta et maledictionibus conviciisque proscissa?

de prospero successu suæ Reformationis,

828 Nihilominus, dum cuncti eramus exanimati atque ab omni spe deturbati, unius animus Teresiæ serenitate gaudebat et confidentia maxima. Ut horrida in tempestate, ventis mare volventibus, opertoque atra caligine cœlo, quando jam nautis ars deficit animique cadunt; si forte contingat ut quis, conscenso malo, portum eminus conspiciat, animos illico eum spe salutis ac tranquillitatis turba navalis resumit : sic sancta mens Teresiæ, supra omnes tempestates nimbosque scandens et cœlestibus illuminata splendoribus, cernere videbatur propinquum

C

portum, finem dico periculosæ tremendæque illius procellæ; ac mox nos hisce est verbis allocuta : « Patiamur ærumnas oportet; sed non peribit hic » Ordo. » Namque, ut postea comperi, ei cogitanti num reipsa adversarii novam hanc Reformationem destructam vellent, Salvator noster responderat : « Ita quidem nonnulli cuperent; verum id minime » continget, sed longe secus. » Equidem ex illo tempore, quamvis Ordinem illum magnis in angustiis videbam, nunquam amplius amisi confidentiam, nec ei malum successum unquam timui, pro certo scilicet habens omnia deinceps ita casura esse uti Sancta prædixerat. *Hæc episcopus Turiasonensis* (*lib.* II, *cap.* XXVIII).

quæ in summo discrimine

829 *Ut autem mirabilem illam serenitatem qua animus S.* Teresiæ *tot inter ærumnas ac labores fruitus fuit, clarius relucentem videas, et causam asseverationis qua instantem malorum finem certissima prænuntiavit, explicatius cognoscas, afferam modo pulcherrimam epistolam ad P. Joannem a Jesu ab ipsa scriptam festo Incarnationis Dominicæ seu Annuntiationis B. V. M. die, in hæc verba :* Jesus, Maria, Joseph sint in anima Patris mei Joannis a Jesu. Litteræ mihi tuæ allatæ sunt in hunc carcerem, ubi abundo gaudio in omnibus tribulationibus

D

quas pro Deo meo ac Religione mea patior. Id unum doleo ac moleste fero, quod vos nimia de me sollicitudine laboretis : quam, quæso, fili mi, sollicitudinem abjice, ac cæteros quoque, ut abjiciant, hortare. Vere enim ac si alter Paulus forem (licet a Pauli sanctitate longissime absim), dicere non vereor carceres, labores, persecutiones, tormenta, ignominiam atque approbria mihi propter Christum meum et Religionem meam lucra facta esse. Numquam tolerabiliores mihi acciderunt dolores quam hoc tempore. Consuevit nimirum Dominus afflictis atque incarceratis auxilio suo et gratia præsto esse. Grates infinitas Deo meo ago, et certe æquum est ut eas cuncti agamus, pro beneficiis quæ mihi in hoc carcere impertit. Ecquid, fili ac Pater mi, dulcius, quid jucundius, quid suavius esse possit quam pro bono Deo nostro pati? Nonne Sancti tanquam suo in centro ac summo gaudio quiescebant, quando patiebantur pro Christo ac Deo suo? Hæc secura, hæc certissima ad Deum via; quoniam crux gaudium ac lætitia nostra debet esse. Ergo, mi Pater, crucem quæramus, crucem optemus, ærumnas amplectamur : quæ si nos aliquando deficerent, actum esset de Ordine Excalceato, actum de nobis.

E

tunc versari videbatur,

830 Scribis ad me Nuntium non tantum vetuisse ne Exalceatorum cœnobia imposterum fundentur, sed etiam rogatu P. Generalis decrevisse ut cœnobia jam fundata destruantur; ad hæc eumdem Nuntium mihi esse infensissimum, meque ab eo vocari mulierem inquietam ac multivagam; mundum denique totum in armis stare adversus me ac filios meos, et hos in asperis montium senticetis et retractissimis in domibus latere, ne ab hostibus inveniantur et capiantur. Sane illud est quod fleo, quod sentio, quo conficior, quod pro peccatrice scilicet ac mala moniali tot persecutiones atque dolores filii mei sufferunt, ab omnibus derelicti illi quidem, at non a Deo tamen, quem certa sum numquam nos derelicturum esse, nec deserturum eos qui tantopere illum amant.

cœlica visione fit certior.

831 Ut autem majorem cum cæteris Fratribus tuis lætitiam capias, rem magnæ consolationis tibi dictura sum, sed ea lege ut ejus cognitio inter me et te et P. Marianum maneat : nolim enim ut ab aliis sciatur. Scito igitur, mi Pater, moniali cuidam (*ipsam* Teresiam *intellige*), in pervigilio Patris mei S. Josephi orationi intentæ, apparuisse eumdem Sanctum ac Beatam Virginem cum Filio suo. Oran-

F

tibus autem Maria ac Josepho, dixit ei Salvator gestire quidem infernas potestates et multos in terra homines, qui putarent jam Ordinis nostri ruinam adesse; prius vero quam Nuntii decretum nobis exitiale prodiisset, Ordinem hunc a Deo fuisse confirmatum : ac porro monuit ut regem, patris loco nobis in omni re futurum, nostri adirent. Idem dixerunt B. Virgo et S. Joseph, necnon alia multa quæ chartæ commendari non debent; speciatim vero me, Deo juvante, intra viginti dies ex hoc carcere exituram esse. Quapropter gaudeamus omnes; etenim jam nunc hæc Excalceatorum Reformatio incrementum capiet. Tu interim mane in domo Mariæ de Mendoza, donec te monuero; et P. Marianus harum epistolarum alteram ad regem ferat, alteram ad ducissam Pastranensem : cave autem domo exeas, ne forte capiaris : brevi namque libertati redditos nos videbimus. Integra sum ac firma valetudine, laudes sint Deo : socia vero meæ (*Anna a S. Bartholomæo*) marcenti stomacho est. Utramque nostrum Deo commenda, et Missam gratiarum actionis in honorem Patris mei S. Josephi celebra; sed, donec te monebo, nullas ad me da litteras.

A litteras. Deus te sanctum ac perfectum faciat Carmelitam Excalceatum. Scribebam feria quarta, die xxv Martii 1579. Cum P. Mariano consilium contuli, ut tu et P. Hieronymus a Matre Dei secreto agatis cum duce del Infantado. Teresia a Jesu (*tom. I, epist.* 27).

Excalceatos P. Angelo de Salazar regendos committit Nuntius;

832 *Eodem circiter tempore quo hanc epistolam Sancta exaravit, quatuor assistentes Nuntio apostolico, prouti ipse optare se professus fuerat, a Philippo II fuerunt adjuncti : nimirum Ludovicus Manrique, qui regi a Sacris atque ab eleemosynis erat; P. Laurentius de Villavicencio, Ordinis S. Augustini monachus ac regius concionator; P. Ferdinandus del Castillo, concionator item regius ex Ordine S. Dominici, atque ex eodem Ordine P. Petrus Hernandez, præpositus provinciæ Castellæ, idem qui Carmelum Hispanum olim ut vicarius apostolicus visitarat : omnes spectatæ virtutis doctrinæque eximiæ viri. Horum consilio Sega ingenue atque ex animo usus, post paucos dies, nempe kalendis Aprilis, litteras edidit, quibus Carmelitas utriusque sexus Excalceatos, a jurisdictione provincialium Mitigatorum exemptos, submittebat P. Angelo de Salazar tamquam prælato ac vicario gene-*
B *rali, Mitigato quidem et ipsi, sed in Excalceatos, quorum sanctimoniam longo usu perspectam habebat, bene affecto. Is omnia Teresiana cœnobia in regnis Castellanis sita non diu post visitator obivit; eratque etiam visitationes in Andalusia facturus, nisi adversa valetudine et multitudine laborum impeditus fuisset. Item S.* Teresiæ *initio mensis Aprilis licentiam impertiit Toleto Abulam redeundi; et mense Julio S. Joannem a Cruce Biatiam destinavit, ad novum collegium Reformati Carmeli eo in oppido inchoandum. Multa demum alia beneficia Fratribus suis Excalceatis bonus Pater impertiit, quæ meum non est late describere; sed ea qui voluerit in Chronico legat* (*lib.* IV, *cap.* XXXVII *et seqq.*). *Porro in consultationibus Nuntium inter et quatuor quos dixi viros institutis paulatim longius processum est, ita ut die* XV *Julii commentarium, illorum nominibus subsignatum, ipse Nuntius regi obtulerit; quo statuebantur tres qui sequuntur articuli : primo, Reformationem S.* Teresiæ *omnino esse fovendam ac retinendam; secundo, Excalceatis non esse promiscue cum Calceatis habitandum; tertio, priores Excalceatorum non nisi ex ipsis Excalceatis deligi*
C *oportere : et præterea rogabatur rex ut pro creatione novæ Excalceatorum provinciæ suam auctoritatem apud Summum Pontificem dignaretur interponere.*

ex iisque Romam,

833 *Tres vero quatuorve menses antequam commentarius ille conscriberetur, spe novæ provinciæ jam affulgente, uti patet e litteris ad Gratianum scriptis die* XXI *Aprilis* (*tom. II, epist.* 28), *Sancta curas suas eo convertit ut vir idoneus e cœtu Excalceatorum ad res ipsorum promovendas Romam mitteretur. Anno quidem superiore ex decreto capituli Almodovarensis jam eo profectus erat P. Petrus ab Angelis cum Fr. Joanne a S. Jacobo; sed non plus inde utilitatis Reformato Carmelo provenit quam ex intempestiva provincialis electione cæterisque congregatorum Almodovari Patrum consiliis, SS.* Teresiæ *et Joanni a Cruce haudquaquam* (*ut supra demonstravi*) *probatis : ut merito dicere possis, quæcumque decreta in illo capitulo fuerunt condita, ad unum omnia incassum cecidisse, et magis contulisse ad labefactandas quam ad solidandas res Carmelitarum Excalceatorum. Nempe dictus P. Petrus, simul ac Neapolim venit, per summam imprudentiam, non consulto itineris comite, recta adiit R. P. Joannem Baptistam Caffardum, Ordinis sui a morte Rubei vicarium generalem, tum forte ea in civitate ob nescio quæ negotia versantem; eique absque ulla cautione quidquid habebat in mandatis et omnem missionis suæ rationem exposuit, perperam existimans hanc esse brevissimam rerum conficiendarum viam, quam si inivisset, non sibi jam fore opus laborioso ad Cardinales et Summum Pontificem recursu. Excepit virum Caffardus humanissime ille quidem; verum, ut consilia Excalceatorum, quibus suam auctoritatem imminutum iri videbat, uno ictu disturbaret, litteras chartasque omnes ex Hispania a duobus sociis allatas sibi in manus dari jussit.* AUCTORE V. D. M.

D

quo antea P. Petrus ab Angelis,

834 *Itaque nihil P. Petrus agere amplius in Italia poterat, donec novæ sibi e patria litteræ submitterentur. Quas dum exspectaret, hospitabatur interim cum socio suo apud Inicum Lopez Hurtado de Mendoza, marchionem de Mondejar, proregem Neapoleos, patrem Ludovici Hurtadii, comitis Tendillani, fautoris eximii Reformationis Teresianæ. Lautissime utrumque Excalceatum apud se Inicus cum filio suo Bernardino habuit, deputata ad eis inserviendum magna famulorum caterva : quod quidem Fr. Joanni a S. Jacobo, remoræ hujus impatienti et vitæ monasticæ ex animo dedito, accidit molestissimum; dum e contrario P. Petrus ab Angelis, opu-* E *lentæ domus commoditatibus captus, paulatim deficere cœpit ab amore religiosæ austeritatis, cui ad illud tempus usque tam impense studuerat ut SS. Macarium et Hilarionem, teste auctore Chronici, æmulari videretur. Hoc pacto magna illa exspectatio quam de viri hujus in Italiam missione Excalceati habuerant, omnino evanuit.*

sed malo cum successu, missus fuerat,

835 *Ivit ille quidem postmodum Romam, uti constat e quadam S.* Teresiæ *epistola* (*tom. I, ep.* 48); *sed et ibi oleum et operam videtur perdidisse. Reversus inde in Hispaniam, prorsus uti S. Joannes a Cruce prædixerat, Calceatis, a quibus olim recesserat, se iterum Granatæ adjunxit, et pallium quod Excalceatus gestaverat, cuidam civitatis illius fœminæ vendidit. Redemit hoc ipsum pallium Ven. Anna a Jesu, facta anno* 1582 *Granatensis priorissa; misitque qui hominem moneret ut sibi brevi morituro prospiceret. Quo is monito perculsus, sæpius Annæ colloquium expetivit. Sed illa, prænoscens ac metuens quod futurum erat, numquam ei aditum conveniendi voluit dare. Tandem miser, cum quadam die apertum monialium templum vidisset, eo ingressus et suam Teresiani Instituti desertionem amare lacrymatus, ab oratione surrexit utroque privatus oculo; et paucos* F *post dies in Granatensi Calceatorum cœnobio obiit. Cujus mortis nuntium ubi ad Annam a Jesu perlatum est, dixit hæc monialibus suis :* Equidem, sorores, quia jam illud sciebam, numquam Patri isti volueram loqui; sed contra monueram ne huc veniret : attamen præstat in præsenti vita pœnas dare, et sic pœnam æternam effugisse. *Hosce casus P. Petri ab Angelis referunt P. Angelus Manrique in Vita Ven. Annæ* (*lib.* IV, *cap.* VIII) *et auctor Chronici* (*lib.* IV, *cap.* XXXII); *a quibus scriptoribus etiam latius evolvuntur* (*Chron. lib.* IV, *cap.* XXXIX *et lib.* V, *cap.* I; *Vit. Ven. Annæ, lib.* III, *cap.* XIII) *illa quæ modo de sequenti itinere Romano paucis indigitabo.*

PP. Joannes a Jesu et Didacus a SS. Trinitate proficiscuntur.

836 *Quoniam de PP. Gratiano, Mariano et Antonio a Jesu ad hoc iter deligendis cogitari eo tempore nondum poterat, secundum eos nemo S.* Teresiæ *aptior visus fuit P. Joanne a Jesu seu Roca, priore Mancerano, viro religiosissimo et animi dotibus ad res bene agendas requisitis prædito. S. Matris in hoc delectu judicium communi calculo approbaverunt præcipui quique Excalceatorum præter unum P. Gratianum, qui hac in re nescio qua de causa oblique incessit. Datus P. Joanni socius,*

AUCTORE V. D. M.

A *quem ipse optabat, P. Didacus a SS. Trinitate, Pastranensis cœnobii præpositus. Pecuniam ad itineris expensas necessariam partim amici divites, partim monialium cœnobia contulerunt : qua in parte laudandi præ cæteris Ludovicus comes Tendillanus, qui quadringentos aureos obtulit una cum litteris quibus viatores patri suo proregi Neapolitano enixe commendaret, et Ven. Anna a Jesu, quæ aureos totidem e cujusdam novitiæ dote in usus itineris submisit; nec sua laude caruerunt moniales Toletanæ, multum et ipsæ liberales, ac demum P. Nicolaus Doria, a quo eosdem in usus octo realium millia Hispali fuerunt deposita. Ad hæc plures litteræ commendatitiæ, itinerantibus, cum per varia Italiæ loca, tum Romæ præcipue, usui futuræ, industria S.* Teresiæ *et Ven. Annæ ab rege regnique proceribus nonnullis fuerunt obtentæ. Denique, ne Patres ab inimicis e vestium nominumque indicio ut Excalceati agnoscerentur, vestitum assumpserunt sæcularem ac nomina aliena; id quod hisce in adjunctis licere judicaverant viri aliquot docti, ea super re accurate consulti. Indumenta igitur, enses cæterosque sæcularium virorum ornatus utrique suppeditavit Fran-*

B *ciscus Bracamonté, vir nobilis Abulensis; a quo simul prætextum mutuati sunt ad principalem itineris sui finem dissimulandum : scilicet eis Franciscus in mandatis dedit ut suo nomine apud Romanam curiam agerent pro obtinenda licentia matrimonii cum Anna Bracamonte, sibi consanguinitate propinqua, ineundi. Omnibus sic optime prævisis ac præparatis, ex Illicitano portu* (*vulgo* Alicante) *solverunt mense Majo* 1579. *Extant de ipsorum profectione duæ S. Matris epistolæ hoc fere tempore datæ : altera scilicet die* II *Maji ad Rochum de Huerta* (*tom. III, epist.* 52); *altera incerto die, sed certe Patribus jam profectis, ad priorissam ac moniales Vallisoletanas, quas Sancta inibi excitabat ut aliquid pecuniæ in utilitates Ordinis expendendæ conferrent* (*tom. I, epist.* 48). *De felicibus hujus itineris consequentiis alibi loquendum erit; ubi quoque chronologiam ab auctore Chronici, aliisque qui eum secuti sunt, admissam* (*nempe profectionem PP. Joannis et Didaci in annum* 1580 *differunt*) *facilius ex ipsa factorum serie refutabo.*

S. Mater quatuor Dei monita suis significat.

837 *Hoc interim loco consignanda se offerunt quatuor monita cœlitus S. Reformatrici tradita die* VI *Junii* 1579, *et bis ab ea conscripta : semel videlicet in additionibus ad Vitam suam autographam, capite*

C *ultimo; atque iterum ad calcem capitis* XXVII *libri Fundationum. En ipsius verba :* Cum in Abulensi monasterio agerem pridie festi Pentecostes, intra eremitoriolum Nazareth reclusa, ac singularem quamdam gratiam quam illo jam ante viginti circiter annos die alias mihi Dominus præstiterat, animo volverem, magnus quidam spiritus impetus et fervor me occupare cœpit, qui et mentem meam suspendit. In magna hac recollectione a Domino intellexi quod modo referam, ut scilicet ejus nomine Patribus Excalceatis significarem quatuor res observare ut procurarent, quas quamdiu observarent, tamdiu fore ut ipsorum Religio semper in melius cresceret; si vero negligerent, scirent a suo illam fundamento desciscere et retrocedere. Prima erat, ut omnes superiores concordes et conformes inter se essent. Secunda, ut, quamvis de facto multos habituri essent conventus, in singulis tamen paucissimi essent Fratres. Tertia, ut cum sæcularibus quam rarissime conversarentur, idque nonnisi ad animarum ipsorum bonum ac salutem. Quarta, magis operibus docerent quam verbis. Contigit hoc anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Et quia hoc certissima est veritas, hinc meo id nomine subsigno. Teresia a Jesu. *Monita hæc ea qua par*

D *crat reverentia recepit deinceps Carmelus Excalceatus, et solemni decreto statuit ea suis constitutionibus inserere; uti docet auctor Chronici* (*lib.* IV, *cap.* XL), *qui simul ostendit quanti ea essent momenti, non solum pro futuris temporibus, sed speciatim pro eo quo data sunt tempore. Palafoxius quoque eadem, cum monitis aliis a S. Matre vitæ suæ tempore datis, singillatim illustravit commentario, quod reperire est ad calcem tomi primi Epistolarum Teresianarum.*

Postea, a P. Angelo de Salazar

838 *Rebus Reformationis suæ magis jam prospere se habentibus, viarum fundationumque labores, a quibus per quatuor annos fere quieverat, S.* Teresia *more consueto resumpsit. Primi itineris anno* 1579 *ab ea suscepti illa fuit occasio. Moniales Malagonenses, pertæsæ imperii Annæ a Matre Dei, quæ illis a biennio præerat, antiquam suam priorissam Briandam a S. Josepho, olim valetudinis causa* (*ut vidimus num.* 754) *Toletum translatam, omnibus votis reposcebant. Quapropter P. Angelus de Salazar, cum S.* Teresia *judicans non abs re esse ut Brianda Malagonem rediret, ipsi Sanctæ prioratum ibidem gerendum demandavit, tum ut tumultuantes filias pia Mater placaret, tum etiam ut spiritum examinaret Ven.*

E *Dei Servæ Annæ a S. Augustino, quæ, facta ibidem professione ad diem* IV *Maji* 1578, *variis a cacodæmone vexabatur modis, prout refert Joseph Maria Salvatori, Aulæ consistorialis advocatus, in Vita ejusdem Annæ extracta e processibus pro illius beatificatione et canonizatione rite institutis, italice edita Romæ anno* 1777 *et gallice Lugduni anno* 1832 (*lib.* I, *cap.* V).

Malagonem ire jussa,

839 *De eo mandato a P. Salazario sibi imposito ea quid Sancta* X *Junii perscripserit ad P. Gratianum :* Per adjunctas litteras cognosces quid statuatur de paupere vetula. Quoad ex indiciis judicare licet (quamvis possit esse mera suspicio), Fratres illi mei non tam commoventur necessitate monasterii Malagonensis quam me procul a se abesse cupiunt. Atque hoc est quod mihi parumper accidit grave : nam de reliquo, quod nempe Malagonem ire jubeor, ne primum quidem animi motum sensi; licet molestum mihi sit officium prioratus, tum quia ad id non sum apta, tum quia timeo ne quid in Dei servitio delinquam. Precare Deum, quæso, ut in illo servitio semper integra permaneam : cæterum, utcunque res ceciderit, quo plus laborum, eo plus lucri. . . . Scripsi ad P. Vicarium rationes ob quas mihi videor a prioratu illo liberari debere; præsertim quia com-

F munibus Religionis nostræ exercitiis perinde ac cæteræ vacare nequeo; reliqua autem mihi non fore molesta; ituram me ad fines terræ, modo fuerit ex obedientia. Namque adeo a laboribus non abhorreo, ut imo credam, quo majores illi fuerint, eo magis me gavisuram esse, quod magno Deo, cui tantum debeo, in recula aliqua gratum facere potero, idque tum maxime quando hoc fecero meræ obedientiæ gratia. . . . . Ut aliquantisper delecteris, mitto ad te hosce versiculos, quos miseræ illæ moniales Incarnationis, apud quas luctuosissima est rerum facies, sui recreandarum causa composuerunt. Ingentem iis dolorem afferet mea profectio; sed sperant adhuc, neque egomet hac spe careo, res Malagonenses absque me compositum iri (*tom. I, epist.* 25).

prius ex ejusdem mandato Vallisoletum

840 *In eumdem sensum Sancta scripsit paucos post dies ad Mariam a S. Joanne Baptista, priorissam Vallisoletanam* (*tom. IV, epist.* 65); *cui simul annuntiavit se, priusquam Malagonem pergeret, Vallisoleto Salmanticam ituram : propter novum scilicet mandatum quod ei P. Angelus de Salazar intimaverat die* XVIII *Junii, festo Corporis Christi; prout*

A *prout liquet e duabus epistolis, quarum alteram eodem hoc festo scripsit ad Annam ab Incarnatione, priorissam Salmanticensem* (*tom. II, epist.* 78), *alteram Dominica proxime sequenti ad priorissam Vallisoletanam modo nominatam* (*ibid., epist.* 77). *Causam vero hujusce itineris ac diem quoque profectionis suæ indicavit die* XXIV *Junii priorissæ Hispalensi sequentibus verbis :* Cras abibo Vallisoletum ex decreto a P. N. Vicario generali ad me misso, quo jubeor sine mora eo proficisci. Dein Salmanticam me conferam. Vallisoleti quidem parum necessaria est mea præsentia; sed eam expoposcerunt Domina Maria et Ill. Episcopus (*nempe Maria de Mendoza, Vallisoletanæ domus fundatrix, et frater ejus Alvarus, antistes Palentinus, antea Abulensis*). Salmanticenses autem nostræ auxilio opus habent, quia omnino morbosam incolunt domum, et is qui eam vendidit, multas quotidie lites ac molestias pene intolerabiles illis suscitat. Quapropter precare Deum ut commodam aliquam domum modico pretio emere possimus (*tom. I, epist.* 60).

cum Anna a S. Bartholomæo venit;

841 *Probabile est Sanctam,* XXV *Junii Abula cum Ven. Anna a S. Bartholomæo egressam, tres quatuorve dies, uti propositum habebat* (*tom. II,*
B *epist.* 77), *Methymnæ Campi transegisse. Vallisoletum vero advenit die* III *Julii, uti ipsa quarto post die annuntiavit P. Gratiano* (*tom. III, epist.* 23); *ibique commorata est ad diem usque* XXX *ejusdem mensis. Præter epistolam ad Gratianum modo citatam quinque aliæ supersunt epistolæ Vallisoleti a S. Matre mense Julio scriptæ : nimirum duæ ad eumdem Gratianum* XVIII *et* XXV *Julii* (*tom. IV, epist.* 74, *et tom. III, epist.* 24), *una ad priorissam Hispalensem* XXII *Julii* (*tom. I, epist.* 61), *una ad archiepiscopum Eborensem eodem die* (*tom. IV, epist.* 5) *et una ad Laurentium de Cepeda, fratrem suum, postridie festi S. Annæ* (*tom. I, epist.* 34). *De singulis pauca dicenda. Ut ordiar ab iis quæ P. Gratiano inscribuntur, in prima* (*quæ data fuit, ut modo indicabam, die* VII *Julii*) *S. Mater illi dissuadere nititur ne Romam ire ipse jam cogitet; hortaturque ut concordiam servet cum P. Nicolao Doria, quem dicit esse virum prudentem et Dei servum, licet non ea qua Gratianus polleret comitate atque affabilitate sermonis.*

unde litteras dat monitorias ad P. Gratianum,

842 *In altera Gratianum de quodam defectu suaviter carpit hisce verbis :* Volo indicare tibi tentationem quamdam quam de Elisæo (*i. e. de ipso Gra-*
C *tiano*) habui et etiamnum habeo. Videtur mihi is interdum non satis curare ut quibuscunque in rebus omnem dicat veritatem. Licet autem agi videam de rebus parvi momenti, tamen cuperem ut hac in parte multo esset accuratior. Per caritatem velim ut ei hoc meo nomine persuadeas : nam ubi incuria ista adest, ibi integra perfectio esse non potest. Vide qualibus ego rebus me immisceam, quasi nihil aliud mihi incumberet curarum. *Tertia denique ad Gratianum epistola non continet quidem res magni momenti; veruntamen hic notare juvat eam viginti circiter abhinc annis, intercessu Ill. ac Rev. Domini Francisci Xaverii de Cienfuegos y Jovellanos, episcopi Gaditani* (*nunc archiepiscopi Hispalensis et S. R. E. Cardinalis, ærumnis propter justitiam magnanimiter toleratis clarissimi; qui post nuperrimam Hispalis obsidionem, cum esset ipse exul et inops, admirabili caritatis in gregem suum exemplo, crucem pectoralem aliaque ornamenta ad penuriam indigorum sublevandam venumdari voluit*), *a monialibus Carm. Exc. Hispalensibus dono missam fuisse ad ejusdem Ordinis moniales Parisienses, uti narratur in ephemeridibus gallicis* l'Ami de la Religion *ad diem* XI *Februarii* 1824.

AUCTORE V. D. M. *gratulatorias ad priorissam Hispalensem*

843 *Epistola ad Mariam a Josepho, priorissam Hispalensem, magnam partem gratulatoria est ob felicem cessationem turbarum in ipsam ejusque moniales* (*ut supra demonstratum est*) *excitatarum. En earum initium :* Jesus. Gratia Spriritus Sancti sit tecum, filia mea. Et meritissimo quidem jure te filiam appellare meam possum; quia, etsi jampridem te diligebam plurimum, at nunc multo magis te diligo atque ita admiror ut ardentissime cupiam te videre et amplecti. Laudes sint Deo, a quo omne bonum procedit, quod e pugna tam intricata te victricem eripuerit. Equidem istam victoriam tuæ virtuti non adscribo, sed multis precibus per hasce domus pro te ad Deum fusis. Faxit Deus ut dignas ei gratias agamus de tam insigni beneficio nobis collato. Misit ad me P. Provincialis litteras sororum nostrarum, et P. Nicolaus item suas; e quibus didici te officium tuum resumpsisse : id quod maximæ mihi consolationi fuit, quippe quod alias animabus istis pax nondum fuisset reddita. Patientiam habe; et siquidem Domino te paratam ad patiendum exhibuisti, ferendis hisce laboribus, quos intelligo non esse exiguos, votum illi factum læto animo exple. Si enim labores eos eligeremus tantum
E quos volumus, et cæteros missos faceremus, non imitaremur Sponsum nostrum, cujus oratio in horto inter acerbissimos dolores illis terminabatur verbis : «Fiat voluntas tua.» Hanc voluntatem semper oportet exequamur, faciatque Deus de nobis quidquid voluerit. *Præterea eadem epistola continentur varia S. Matris monita, quorum præcipuum erat de delectu confessariorum habendo.*

ac de rebus Lusitanicis ad Eborensem archiepiscopum :

844 *Sequitur dicendum de epistola* XXII *Julii data ad Theotonium de Braganza, archipræsulem Eborensem. Quam ut rite intelligamus, advertendum est, mortuo Sebastiano rege et brevi morituro successore ejus Henrico Cardinali, plures surrexisse æmulos de adipiscendo Lusitaniæ regno; inter quos non infimo ponenda est loco Catharina principissa, infantis Eduardi filia ac proin regis Emmanuelis neptis : hanc vero nuptam fuisse Joanni duci Bragantino, cui Theotonius satis arcta consanguinitate jungebatur, utpote natus eodem patre, sed non eadem matre, ac Theodosius prædicti Joannis parens; uti videre est in magno Morerii Dictionario* (*voce* Portugal). *Mearum non est partium ut de horum competitorum disceptationibus earumque sequelis disseram; verum prætermittere mihi non licet quæ S.* Teresia F *in iis quas dixi litteris ad archiepiscopum Eborensem de illo argumento scripsit :* Certioremm e faciendam cura, si quæ fuerint pacis nuntia; nam quæ hic narrari audio, magno me dolore afficiunt, propterea quod, si pro meis peccatis negotium isthoc ad bellum excesserit, timeo ne ingens malum Lusitaniæ, neque id sine Hispaniæ detrimento, inferatur. Ferunt ducem Bragantinum belli concitorem esse : unde, cum res ad te aliqua ratione pertineat, angor meum pectus effodit; ne cæteras allegem mœrendi causas, quæ utique sunt plurimæ. Quoniam autem tua auctoritas plurimum apud ducem merito valere debet, per Dominum nostrum te obsecro ut ipsum inter et regem nostrum (qui, ut mihi dicitur, omnem eo confert operam, atque adeo causæ suæ æquitatem maxime probatam facit) pactionem ineundam cures; proponasque oculis tuis ingentia damna quæ secus, uti dixi, sunt oboritura. Hæc tu quidem, ut cupio ac spero, pro Dei honore, nulla habita cæterarum rerum ratione, attente considerabis. Faxit Deus, quod cunctæ ab ipso petimus, ut manum operi isti admoveas. Equidem edico tibi tanta me anxietate confici, ut, si permissurus sit Deus ut eo malorum veniatur, mori prius

AUCTORE V. D. M.

prius optem quam talem calamitatem videam. Oro Deum ut te multos annos cum sanctitate ad Ecclesiæ suæ utilitatem servet incolumem; tibique gratiam largiatur qua negotium istud, quod tanti ad ejus obsequium momenti est, apte componere queas. Una hic vox est omnium, justitiam stare a parte regis nostri nec quidquam ab eo prætermissum fuisse quo jus suum faceret evidentissimum. Det Dominus lumen, quo veritas perspiciatur, ne belli subeatur alea cum multorum hominum interitu. Quid enim, hoc potissimum tempore quo tam pauci sunt vere Christiani, tristius possit accidere quam mutuæ inter eos cædes?

dein, socia Anna inopinato sanata, Salmanticam;

845 *Tandem die* XXVII *Julii fratri suo Laurentio significavit Sancta P. Joannem a Jesu Romam jam advenisse; se vero profecturam esse Vallisoleto proxima feria quinta, quæ erat dies ejusdem mensis* XXX. Methymnæ, *inquit,* morabor tres dies vel ad summum quatuor; Albæ, quæ civitas a Methymna bidui itinere abest, octo dies vel etiam minus diu: inde recta Salmanticam petam. *Ergo, nisi forte remoram alicubi sit passa, Salmanticam advenisse debet versus festum Deiparæ in cœlum assumptæ. Antea autem quam Vallisoletum linqueret, Annæ a S. Bartholomæo secum profecturæ sanitatem fusis ad Deum precibus restituit; prout liquet tum e Ribera* (*lib.* IV, *cap.* XI), *tum e Processu compulsoriali Abulensi in causa beatificationis et canonizationis S.* Teresiæ, *ubi fol.* 162 *et seqq. leguntur jurata ipsius Annæ de vita ejus ac miraculis testimonia. Hujus quidem Processus exemplar nullum habemus; sed quæ ex eo hic et alibi allegabo, reperiuntur in novo Summario additionali super virtutibus Ven. Annæ modo nominatæ, impresso typis Rev. Cameræ apostolicæ. Sic igitur ibi ad litteram legitur, latinis quidem vocibus, sed constructione hispanica :* Super 9 articulo dixit, quod, uti persona quæ illam associabat in ejus viaticis ista declarans, fuit multum affecta dolore medullarum; et dum Mater illi apponeret manum in facie benedicendo, cessabat dolor. Dum ista testis etiam esset in ejus societate et servitio in civitate Vallisoletana, quadam sero dum esset parata recedere versus civitatem Salmantinam, ista testis incidit in magnam febrim cum magnis vomitibus, ita quod fuerit coacta jacere in lecto: quod ægre tulit S. Mater, et ista testis, judicans quod non valeret illi inservire et illam associare in illo viatico; et dum ista nocte esset in ejus cella S. Mater, venit visitare istam testem circa mediam noctem, et ipsi dixit : « Dormis, filia? » et ipsa testis respondit : « Dormiebam, Mater; » et replicavit Mater : « Surge, et videas quomodo te habeas; » et ipsa hoc fecit, et sensit se sanam et absque febri; et Mater lætata fuit, et dixit : « Benedictus sit « D. Deus noster, cui supplicavi ut tibi concederet » sanitatem; » et de mane se posuerunt in itinere, et nullam postea sensit infirmitatem (*Summ. addit. num.* 8, § XV).

ubi Anna, antea calami tractandi ignara, scribere incipit.

846 *Alterum quoque miraculum, quod brevi post Salmanticæ contigit, ex ejusdem Ven. Dei Servæ testimonio in citato Processu* (*ibid.* § XVIII) *sequentibus narratur verbis :* Recordatur etiam ista testis, quod, cum quadam die Mater extaret in civitate Salmantina, ad quam venerat a civitate Vallisoletana in viatico de quo deposuit, et S. M. Teresia a Jesu esset in magna angustia, cum recepisset quamplures litteras quibus respondere debuerat, dixit huic testi : « Si scires scribere, utique me adjuvares ad respon- » dendum istis litteris »; et ipsa illi dixit : « Det » mihi vestra Reverentia materiam, ex qua possim » discere » : tradidit ipsi quamdam litteram unius religiosæ optimi characteris et dixit ipsi ut inde addisceret; et ista testis illi replicavit quod melius sibi videbatur quod ex ejus charactere addisceret et quod ad ejus imitationem scriberet; et S. Mater manu sua scripsit duas litteras, quas sibi tradidit; et ad illarum imitationem ista testis de sero scripsit unam litteram missivam ad sorores S. Josephi Abulensis, et abinde citra scripsit : et adjuvabat Matrem ad rescribendum litteris quas Mater recipiebat, absque eo quod, prout deposuit, habuisset magistrum, nec ab aliqua persona didicisset scribere; et absque eo quod unquam quidquam tale didicisset; et absque eo quod novisset legere nisi aliquid impressum, et cum difficultate cognoscebat litteras manuscriptas : ex quo cognovit quod fuit opus divinum, ut adjuvaret Matrem in istis necessitatibus et angustiis, quas propter ejus amorem patiebatur cum tanto gaudio et hilaritate. *Idem in causa S.* Teresiæ *confirmarunt Maria a S. Hieronymo, priorissa monasterii S. Josephi Abulensis, et Teresia a Jesu junior, filia Laurentii de Cepeda. Postmodum in causa Ven. Annæ a S. Bartholomæo ulterius de eo facto deposuerunt alii testes; inter quos tres Annæ confessarii, serenissima Maria Medicea, Franciæ regina, et Maria a S. Spiritu, monialis Antverpiensis. Videsis num.* 37 *Summarii additionalis jam citati, necnon Responsiones ad Animadversiones antiquas et novas promotorum fidei in causa Ven. Annæ, cap.* VIII, § IX. *Aliquot lineas ab ea conscriptas et ligno incisas habes in Gloria S.* Teresiæ *posthuma, cap. de Miraculis. Sed, ut ibi dicitur, cum eas exaravit, hemiplexia languebat manus.*

Inde demum ambæ virgines

847 *Salmantica porro die* IV *Octobris dedit S. Mater ad P. Gratianum litteras* (*tom. II, ep.* 29), *quarum partem supra* (*num.* 526), *ubi de fundatione Salmanticensi agebam, in latinum converti. Aliæ epistolæ ibidem eo tempore ab ipsa conscriptæ, quæ quidem* (*secundum testimonium Ven. Annæ a S. Bartholomæo modo adductum*) *fuerunt plurimæ, exciderunt. Versata autem apud Salmanticenses suas videtur duos menses cum dimidio, sedulo interim allaborans negotiis ad emptionem domicilii pertinentibus accurandis; ex earumque numero Hieronymam a S. Spiritu in monasterii Malagonensis priorissam elegit : unde patet P. Angelum de Salazar justas rationes quibus* Teresia, *uti paulo antea* (*num.* 839) *vidimus, prioratum illum abs se deprecata fuerat, demum exaudivisse; licet alteram mandati sui partem, qua Sanctam jusserat Malagonense cœnobium, ob causas quas supra indicavi, invisere, non retractaverit.*

per Abulam et Toletum

848 *Itaque Sancta, Hieronyma a S. Spiritu et Anna a S. Bartholomæo comitibus, Abulam primum rediit, verisimiliter versus initium Novembris. Dein, Abulæ aliquamdiu morata, iter Malagonense sibi a P. Salazario injunctum, licet pridie profectionis paralysi correpta, magno animo est ingressa. Quo in itinere, cum per tres dies imbre fuisset madida, non ante quintum diem Toletum attigit, uti ex testimonio Hieronymæ a S. Spiritu asserit P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 30, *not.* 3). *Toleto ad diem* XIX *Novembris litteras dedit ad nobilem virginem Isabellam Osorio, inter Carmelitanas Excalceatas, exemplo sororis suæ Agnetis, quæ Toleti novitia erat, adscribi cupientem; quibus litteris ei suadebat ut ingressum aliquo tempore differret, ad cooperandum scilicet novæ fundationi Madriti, ut spes erat, brevi faciendæ* (*tom. IV, epist.* 57) : *attamen addebat, si spes illa fundationis Madritensis irrita foret, locum Isabellæ paratum esse inter moniales Salmanticenses; quem tamen locum num pia hæc virgo aliquando occupaverit, in dubium vocat P. Antonius a S. Josepho, qui profitetur se nomen illius in libris professionum*

A *sionum sive Salmanticæ sive aliis in monasteriis reperire nequivisse* (*ibid. not.* 8).

Malagonem proficiscuntur,

849 *Relicto Toleto, tandem die* XXV *Novembris, S. Catharinæ Virgini ac Martyri sacro, S. Reformatrix, cum Hieronyma et Anna quas dixi, Malagonem advenit; ac tredecim post dies, in festo immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ, moniales suas in novam domum non sine multis laboribus præparatam traduxit : uti patet ex epistola* XXI *Decembris data ad P. Nicolaum Doria* (*tom. IV, epist.* 18), *et latius a P. Ribera narratur* (*lib.* II, *cap.* V). *Ipso illo die translationis cœnobii, Ven. Anna a S. Augustino, cujus spiritum a se diligenter examinatum Sancta plane approbarat, formosam vidit columbam circum caput ejus aliquamdiu volitantem, uti narratur in Chronico* (*lib.* XVI, *cap.* XXIV, *num.* 8). *Dein S. Mater non tantum sedulam navavit operam observantiæ religiosæ, quæ sub præfectura Annæ a Matre Dei varias ob causas misere collapsa fuerat, in illud monasterium una cum nova priorissa reducendæ, qui quidem labor felicissime illi cessit; sed præterea innumeris fere negotiis obruta fuit, spectantibus sive ad Reformationem Carmeliticam generatim, sive ad monasteria particularia, sive ad fundationes quæ eo*
B *tempore faciendæ se offerebant Madriti, Eboræ, Arenis et Villanovæ de la Xara.*

ibique tres fere menses transigunt.

850 *Omnia hæc singillatim prosequi nimis longum foret : quare satis habeo ea hic summatim indigitasse, remittens de cætero studiosum lectorem ad epistolas quas Sancta Malagone scripsit a* III *Decembris* 1579 *usque ad* XII *Februarii* 1580 (*tom. I, epist.* 52, 62 *et* 63; *tom. II, epist.* 30, 31, 32, 33 *et* 95; *tom. IV, epist.* 18, 19, 28, 29 *et* 58). *Quod pertinet ad fundationes, de quibus actum fuisse modo dicebam : Madritensis, quam Sancta valde exoptabat, dilata fuit ad quartum usque annum post ejus mortem; Eborensi, quam multum, vivente Sancta, urserat archiepiscopus Theotonius* (*tom. I, epist.* 62 *et* 64), *initium tantummodo datum fuit post integrum sæculum, anno* 1681; *Arenensis, cui P. Angelus de Salazar et S.* Teresia *ineunte anno* 1580 *animum adjecerant, nunquam habuit locum; de Villanovana in sequenti paragrapho sermo erit. Porro causas ob quas fundatio Madritensis ita procrastinabatur, postea ex aliis Sanctæ epistolis adducemus. Quid autem obstiterit quominus Arenis monasterium conderetur, assequi non potui. Sane eo jam perducta res erat, ut propediem faciendam ibi esse fundationem*
C *S.* Teresia *putaret, eique jam priorissam designasset Annam a S. Petro, insignem Abulensis cœnobii monialem, natione Flandram, cui in sæculo nomen fuerat Anna Wasteels, quæque matrimonio olim fuerat juncta Matthiæ de Guzman y Davila, nobili viro Abulensi, et ei genuerat duas filias, quarum altera nupsit Alphonso Sedeño, altera Teresianum Institutum amplexa fuit* (*vide tom. II, epist.* 6, *not.* 3 *et seqq.*).

§ XLIV. Fundat Sancta decimum tertium monialium suarum cœnobium Villanovæ de la Xara. Inde Toletum se confert.

Quadriennio ante oblatam,

F*undationem Villanovanam, de qua nunc ex rerum ordine est dicendum, S. Mater capite* XXVIII *libri Fundationum ita describit :* Sub initium hujus gravioris tempestatis (quæ, quia eam paucis perstrinxi, exigua vobis videbitur, quamvis permagna fuit D et diu duravit), cum Toleti jam ab Hispalensi fundatione reversa anno MDLXXVI agerem, quidam oppidi Villanovæ de la Xara sacerdos mihi a magistratu loci illius litteras attulit, quibus ille petebat ut ad novem virgines, quæ in S. Annæ eremum jam abhinc annis aliquot simul sese receperant, et in domuncula quæ ei vicina erat, commorabantur, in id admittendas, ad monasterium illic fundandum excurrerem. Tanta porro hæ in recollectione et sanctitate vivebant ut universam oppidi permoverent multitudinem ad piis ipsarum desideriis quibus moniales esse volebant, satisfaciendum. Litteras quoque suas hac de causa ad me miserat loci illius parochus, Augustinus Ervias cognominatus, vir doctus juxta ac pius : pietas autem ejus in causa erat ut, quantum posset, opus hoc sanctum promoveret. Mihi vero ea res minime admittenda videbatur, idque ob hasce rationes : primo, quod tam multæ essent; quare nimis quam difficile mihi fore videbatur ut quæ jam certæ vitæ rationi assuetæ erant, ad nostrum sese institutum accommodarent : secundo, quod nihil prope haberent quo sese sus-
E tentarent, et oppidum vix mille numeraret cives; adeo ut ad eleemosyna vivendum vix ratio affulgeret, et, quamvis respublica illarum se necessitatibus prospecturam sponderet, minime ea durabilis ac perpetua futura promissio videretur : tertio, quod carerent domo : quarto, quod ab aliis monasteriis nostris oppidum distaret. Et, quamvis harum virginum pietas omnium sermone probaretur, tamen, quod illæ mihi visæ non essent, scire non poteram num talenta quæ in hisce monasteriis requirimus, ipsæ præferrent. Unde constitui postulata prorsus negare.

sed procrastinatam

852 Ut tamen consulto procederem, confessario meo, qui tum erat doctor Velasquez, canonicus et cathedraticus Toletanus, vir doctus æque ac pius, quique modo Oxomensis episcopus est, rem communicare volui : pro more namque habeo nihil umquam e proprio judicio, sed omnia ex hujusmodi virorum consilio agere. Is ergo ut litteras vidit remque ex ordine intellexit, suasit ut postulata prorsus non rejicerem, sed aliquam illis spem facerem : cum enim tot simul corda in unum, Deo movente, scopum collinearent, evidens id signum esse Deum in eo sibi complacere et id in suum obse-
F quium dirigere velle. Illius ergo consilio acquievi, ut petita nec plane concederem nec negarem. Interim vero dum impensius hæc per litteras, etiam per aliorum interventionem qui negotium conficerent, petuntur, in annum usque hujus sæculi octogesimum protracta res est, quod semper inconsultum incautumque mihi videretur eam concedere : at, cum responderem, numquam plane rem negare poteram.

hactenus

853 Factum interea ut P. F. Antonius a Jesu in monasterio quod a B. Maria de Subsidio nomen habet et tribus ab Villanova leucis dissitum est, exilium suum perageret, et subinde illuc verbi divini prædicationis ergo excurreret; quin et ipse loci præpositus, qui et modo est, P. F. Gabriel ab Assumptione, vir apprime prudens et insigniter sanctus, sæpius ad idem oppidum veniebat : nam ambo doctori Ervias perfamiliares erant. Cum ergo sanctas hasce sorores subinde convenirent, ita erga illarum virtutes affici cœpere, ut, cum a civibus tum a doctore impulsi, rem illam in se susceperint et per epistolas quam instantissime mihi commendare cœperint. Cumque ipsa in Malagonensi cœnobio (qui locus sex et viginti leucis, quin et amplius, a

AUCTORE V. D. M.

A

Villanova distat) agerem, idem Prior ad me, hac de re coram acturus, excurrit, quid in ea fieri decernique posset edisserens; addebat ipsum doctorem Ervias monasterio jam fundato trecentorum aureorum reditum annuum, e beneficii sui pensione percipiendorum, assignaturum, dummodo ad hoc faciendum ei a Romana curia daretur facultas.

ob certas rationes,

854 Valde autem incertum nec post peractam fundationem satis stabile fore id mihi videbatur; quamvis cæteroquin cum paucis bonis quæ virgines illæ de suo habebant, id sufficeret. Quare plures et meo judicio probabiles rationes allegavi, quibus P. Priori ostenderem hanc rem minime expedire; monuique ut eam ipse et P. Antonius a Jesu serio examinarent, ipsorum conscientiæ eam me committere dictitans : putabam quippe eas quas iis afferebam rationes ad ipsam evertendam sufficere. Ut ergo inde digressus est, considerare mecum cœpi quantopere huc ipse propenderet, et fore ut P. Angelum de Salazar, quem nunc prælatum habemus, ad fundationem illam admittendam induceret : unde ad hunc litteras dare festinavi, quibus petebam ne facultatem concederet, et meas illi rationes

B

exponebam; is vero (ut postea mihi rescripsit) nunquam eam dare voluerat, nisi in quantum ego consensissem.

fundationem Villanovanam

855 Sesquimensis (nescio an etiam amplius) effluxerat, cum mihi, cogitanti rem jam plane dissolutam et impeditam esse, redditæ sunt a tabellario litteræ senatus, quibus hic significabat simul et spondebat, nihil eorum quæ quomodocumque necessaria erant, virginibus illis defuturum : ipse quoque doctor Ervias sese obligabat ad id quod ante jam dixi : accedebant et litteræ duorum illorum Patrum, qui quam enixissime negotium urgebant. Maxima autem mei timoris causa erat quod tot simul sorores in Ordinem admittendæ essent : existimabam namque fieri posse ut hæ contra eas quæ jam admissæ erant et veteranæ, factionem quamdam inter se (uti fieri solet) excitarent; tum etiam, quod certi nihil ac stabile ad illarum sustentationem haberi viderem : quod enim nobis offerebatur, non erat hujusmodi ut ad admittendum jure me posset compellere; adeo ut me valde perplexam et ancipitem viderem. Verum postea comperi hunc dæmone auctore timorem in me excitatum fuisse : nam, licet satis ad hoc mihi animi a

C

Domino daretur, tanta mea tunc erat pusillanimitas ac diffidentia ut nihil Deo fidere viderer. Sed ferventes sanctarum illarum animarum preces tandem prævaluere.

Sancta Dei jussu

856 Ergo die quadam, cum a Sacra Communione surgerem, et hoc negotium Deo (uti sæpe faciebam) serio commendarem (nam causa cur semper bene illis responderem, erat quod vererer ne quo modo aliquarum animarum profectum et bonum impedirem : etenim nihil magis semper desidero quam aliquam invenire et excogitare posse rationem ut Dominus laudetur, utque plures existant qui ei obsequium præstent), Majestas illius acriter me objurgavit, rogans quibusnam reliqua quæ hactenus erecta erant domicilia, thesauris fundata essent, et mandans ut hanc domum admitterem, quippe quæ partim suum in obsequium, partim in animarum salutem cederet. Verba autem Dei adeo sunt efficacia ut intellectus non solum ea intelligat, sed etiam ab iisdem ad veritatem capiendam illustretur, simul quoque voluntas ad res opere exequendas disponatur. Quod etiam hic mihi contigit : nam non solum volupe mihi fuit monasterium hoc tunc admittere, verum etiam graviter mihi deliquisse et noxam insignem contraxisse visa sum,

D

quod tamdiu rem distulissem et humanis rationibus plus æquo nixa essem, cum quæ in sacra hac Religione Majestas ipsius hactenus fecit, adeo omnem humanam rationem et captum transcendisse viderim.

tandem admittit.

857 Ut ergo fundationem illam admittere plane jam constitui, necessarium cumprimis mihi videbatur ut cum iis quæ ibi mansuræ erant monialibus me illuc ipsa conferrem, idque ob plurimas quæ mihi tunc occurrebant rationes, tametsi ipsa corporis constitutio iter hoc mihi tunc dissuaderet, quod ægra admodum Malagonem pervenissem, et ægritudo nondum me deseruisset. Sed tamen, quod e re divina id fore censerem, id superiori meo (*P. Angelo de Salazar*) indicavi, petens ut illud ipse mihi faciendum præscriberet quod expedire magis judicaret. Is ergo non modo fundandæ domus potestatem fecit, verum etiam addito imperio (*litteris nempe patentibus die* XXVIII *Januarii concessis, uti patet e tom. I, epist.* 63) mandavit ut illius fundationi præsens interessem, et quas cuperem monachas mecum conducerem. Hoc certe non parum mentem meam afflictavit, quod hæ habituræ essent inter illas quæ ibi jam commorabantur.

E

Re ergo cum Domino per preces communicata, duas e Toletana domo, quarum altera futura erat præfecta, item duas e Malagonensi, quarum altera futura erat vicaria, assumpsi. Quod vero res hæc tam ferventer et frequenter esset per orationem ab illius Majestate petita, delectus hic optime cessit; quod ego certe permagni feci : etenim in fundationibus quæ e solis nostris monialibus inchoantur, tanta non est difficultas, et omnia facili negotio accommodantur.

Per Villanovanum iter

858 P. F. Antonius a Jesu et R. P. Prior Gabriel ab Assumptione nos accersitum venerant. Cumque respublica omnia nobis necessaria suppeditasset, sabbato ante quadragesimale jejunium, decima tertia Februarii die, anno MDLXXX Malagone discessimus. Ita porro recte valebam ut numquam ægrotasse viderer, utque ipsa obstupescerem, perpenderemque quanti referat propriam debilitatem et invaletudinem non morari, cum de divini cultus et gloriæ augmento agi videmus, quæcumque demum in contrarium insurgat contradictio et oblocutio : potest namque ipse e debilibus facere robustos et ex ægris recte valentes; et quamvis hoc etiam minime faceret, nihil certe animæ nostræ accidere utilius potest quam

F

aliquid pati. Ad quid enim vitam et sanitatem habemus, nisi ut tanti Regis et Domini causa eam prodigamus, utque honorem illius intuentes et spectantes, nostri ipsorum obliviscamur? Hanc viam si insistatis, carissimæ, mihi credite, numquam quid vobis male cedet. Equidem fatear oportet, meam mihi nequitiam et imbecillitatem sæpe timoris et dubitationis occasionem fuisse : attamen non memini me, ex quo Excalceatarum habitum mihi Dominus dedit, quin etiam aliquot annis ante (quæ illius est misericordia ac singularis gratia), ab id genus tentationibus superatam succubuisse, et quod ad illius obsequium maxime facere nossem, quantumcumque id arduum ac difficile foret, faciendum non suscepisse. Satis autem video quam id exiguum esset, quidquid a parte mea præstabam; at plura non cupit Deus quam determinatam illam voluntatem, ut reliquum ipse a parte sua præstet. Sit ipse in perpetuum benedictus. Amen.

in cœnobio B. V. M. de Subsidio

859 Per monasterium B. Virginis de Subsidio de quo jam supra egi, et quod leucis tribus a Villanova remotum est, transire nos oportebat, et illic aliquantisper hærere, usquedum adventus nostri oppidanos certiores fecissemus : ita namque conventum erat; me

A me vero Patribus illis quibuscum ibamus, per omnia obedire par erat. Monasterium autem hoc intra silvarum est abdita, in solitudine satis devota : cui cum propiores fieremus, Fratres una cum Priore ordine incedentes nobis excipiendis obviam processere : et quod essent excalceati et tunicis suis grossioribus induti, omnibus nobis devotionis sensum, mihi vero quamdam animi teneritudinem attulerunt, quod florida primorum Ordinis nostri Patrum tempora hac in imagine cernerem. Videbantur mihi florum candidorum et fragrantissimorum speciem referre; et certe tales eos in conspectu et judicio Dei esse credo : etenim, nisi fallor, valde fideliter hoc in loco ei serviunt. In ædem porro sacram agminatim me conduxere, cantantes « Te Deum laudamus », idque vocibus modestis et mortificatis. Aditus porro illius subterraneus est, velut per cavernam, quæ speciem referebat ejus in qua Pater noster Elias delituerat. Ego certe tanto interius gaudio delibuta eram, ut, ad simile quid sentiendum, etiam longius multo iter libenter suscepissem : quamquam satis alioquin dolerem quod jam tum mortua esset sancta illa mulier Catharina de Cardona, cujus opera monasterium hoc Deus fundavit; B quia, tametsi summopere id cuperem, illam videre non merui.

Ven. Catharinam de Cardona,

860 *Sequitur vita et elogium Ven. Catharinæ de Cardona; quod, licet lectu dignissimum, tamen prætermittendum duxi, utpote ad hujus Commentarii mei argumentum non satis directe pertinens. Eo autem absoluto, ita Sancta pergit :* Devotio quæ illi monasterio propter Catharinæ memoriam defertur, valde singularis est : unde et huic loco et omnibus locis vicinis afflata videtur; præsertim ubi quis eremum et speluncam, in qua vixit, priusquam monasterium constituere decrevisset, considerat. Narratum mihi est adeo ei molestum fuisse quod tam multos ad se videndam homines confluere conspiceret, ut alium in locum sese conferre voluerit, ubi nemo de ipsa quidquam nosset. Unde eremitam a quo hunc in locum conducta erat, ad se evocavit, rogatura ut alio sese conduceret. Sed is jam defunctus erat. At Dominus Deus, qui decreverat ut hic B. Virginis conventus isthoc in loco erigeretur, id non permisit, nec ullam opportunitatem ad hoc ei dedit; quia (sicuti dixi) egregie illi ibi serviri credo. Omnes enim religiosi optime ad hoc dispositi sunt; et aperte in illis videre est quantum ab hominum turba sequeC strati et in solitudine vivere gaudeant, atque imprimis Prior, quem mediis e deliciis ad habitum hunc assumendum Dominus evocavit, et egregie id ei compensavit, dum illas ei in spirituales convertit. Magnam is illic nobis ostendit caritatem : quin et e templi sui supellectile dedit nobis quæ ad id quod fundatum abibamus, adornandum requirebantur. Nam, quod sancta illa mulier apud plurimos magni nominis homines ita accepta esset, eorum templum satis erat sacris ornamentis instructum.

quæ sanctissime ibi vixerat,

861 Quamdiu vero ipsa illic egi, miram in animo consolationem sensi, quamquam non sine magna confusione, quæ mihi etiamnum adhæret, quod viderem illam quæ isthoc in loco tam asperam vitam duxerat, æque fuisse mulierem atque ego sum, quin etiam multo delicatiorem fuisse, quod tam illustri esset sanguine edita, deinde non tantam peccatricem quanta ipsa sum (nam quoad hoc nulla inter nos ambas institui potest comparatio), quin etiam multo majores me a Domino gratias omnimodis recepisse; inter quas maxima sane illa est quod modo ob gravia peccata mea in inferno non ardeam. Solum quod habebam ad eam (si quomodo possem) imitandam desiderium me solabatur. Sed parum id est : nam (ut video) omnis vita mea in solis desideriis mihi transiit, opera autem nulla facio. Dei misericordia, in qua semper fiduciam habui, per Sanctissimum Filium ejus Jesum Christum nec non B. Virginem Mariam, cujus habitum (quæ Domini bonitas est) gero, mihi propitia sit.

AUCTORE V. D. M.

D

visione intellectuali conspicit.

862 Cum autem quadam die in sancto illo templo a Communione surgerem, magna quædam animi recollectio cum suspensione me occupavit, ita ut sensuum omnino expers essem. In illa ergo spectandam mihi se per visionem intellectualem sancta illa mulier dedit, veluti corpus quoddam gloriosum, aliquot Angelis comitata, mihique dixit ne me cœptus labor fatigaret, sed in hisce fundationibus semper progrederer. Unde intelligebam (quamquam signanter id non exprimeret) ipsam me apud Deum juvare. Dixit mihi præterea et aliud quid, quod non est hoc loco scribendum. His ergo verbis valde animata fui et ingens laborum suscipiendorum concepi desiderium : speroque in Domini bonitate fore ut tam bono auxilio, uti sunt hæ illius orationes, aliquid efficiam. Videtis, carissimæ, quomodo omnes illius labores jam finem acceperint, at gloriam quam jam habet, nullum habere finem. Connitamur jam totis viribus, per amorem Domini vos obsecro, hanc E sororem nostram imitari, nos ipsas mortificando et contemnendo, uti se ipsa contempsit; itaque iter nostrum perficiemus, cum omnia tam celeriter prætereant et tam cito finem accipiant.

Villanovam ubi pervenit,

863 Prima autem Quadragesimæ Dominica, pridie festi Cathedræ Sancti Petri, in festo videlicet S. Barbatiani, anno MDLXXX, Villanovam de la Xara devenimus. *Ante autem quam civitatem ingrederetur, Sancta cum comitibus suis aliquanto temporis spatio requievit in domo suburbana honesti cujusdam viri, cui nomen Michael de Mondejar; tribusque ejus filiabus, de religiosa vita amplectenda nullatenus cogitantibus, imo ab ea potius abhorrentibus, prædixit fore ut vestem Carmelitanam in eo cœnobio quod fundatum veniebat, assumerent. Id illæ postmodum reipsa fecerunt, assumptis nominibus Isabella a Jesu, Francisca a S. Elia et Josepha ab Incarnatione : e quibus Josepha hanc ipsam prophetiam S. Fundatricis sub juramento enarravit in processibus pro canonizatione ejus institutis, uti legere est in Chronico* (*lib.* v, *cap.* III); *ubi insuper refertur eadem illa die, cum jam per quinque menses siccitate fuisset laboratum, uberem salutaremque pluviam decidisse, quam boni cives Villanovani S.* Teresiæ *meritis,* Teresia *vero civium pietati adscripsit.* F

solemni pompa a civibus

864 Eadem die, *prosequitur ipsa,* divinissimum Altaris Sacramentum in S. Annæ templo sub summum Sacrum collocatum fuit. Senatus totus cum aliquot aliis, nec non doctor Ervias, ad nos excipiendas obviam processit. Exscensionem vero fecimus in templo parochiali, quod satis ab æde S. Annæ dissitum erat. Tanta autem totius populi erat lætitia ut magna sim consolatione perfusa, videns qua Sacratissimæ Virginis Deiparæ Ordinem hilaritate et gaudio admitteret. Eminus festum campanarum sonum audiebamus. Cum vero templum jam ingressæ essemus, hymnum « Te Deum laudamus » canere cœpere, alternantibus inter se versus illius tum cantoribus musicis, tum ipso organo. Hoc decantato, Sanctissimum Altaris Sacramentum in ferculo quodam, et in alio B. Virginis effigies, ferebatur, additis crucibus et vexillis. Magna cum pompa supplicatio procedebat; in qua nos, palliis nostris albis amictæ ac vultum velis coopertæ, in medio juxta Sanctissimum Sacramentum gradiebamur, et prope nos Fratres nostri Excalceati, qui satis multi huc confluxerant. Aderant quoque Franciscani

AUCTORE V. D. M.

ciscani (nam illorum hoc in oppido monasterium est) nec non religiosus quidam ex Ordine S. Dominici, qui casu illic versabatur : qui tametsi solus adesset, summopere tamen gavisa sum, illum habitum hic spectans. Quod autem via esset longior, et varia per eam erecta altaria, subsistebatur per intervalla, ac tum aliquod Ordinis nostri elogium recitabatur, quod certe non mediocrem in nobis devotionem excitabat, atque imprimis quod omnes magnum illum Deum, quem præsentem habebamus, dilaudarent et celebrarent, quodque illius intuitu tantus septem pauperculis Excalceatis, quæ hic aderamus, honos haberetur. Etsi vero hoc tunc considerarem, nihilominus magna introrsum confusione replebar, quod cogitarem me inter illas numerari et incedere, ipsosque omnes (si me pro meritis meis tractassent) adversum me insurgere debuisse.

in paratum sibi monasterium deducta,

865 Ideo autem hujus, quo Beatæ Virginis habitum affecere, honoris tam prolixam narrationem institui, ut Dominum laudetis, eumque rogetis ut hanc fundationem in suum honorem et laudem convertat. Etenim (ut fatear quod res est) majus tum sentire soleo gaudium, quando multa cum contradictione et laboribus fundatio quapiam peragitur, talemque vobis libentius describo et propono. Quamquam fatendum sit sorores illas quæ ibi commorabantur, sexennio prope toto, saltem plus quam quinque annis et medio, postquam scilicet in hocce Sanctæ Annæ monasterium ingressæ sunt, satis molestiarum subiisse, ut taceam extremam illarum paupertatem, nec non laborem quem in victu lucrando subibant (numquam enim eleemosynam petere sustinuere, idque ne cives putarent ideo illas ibi agere ut sibi respublica de victu prospiceret) et magnam quam usurpabant austeritatem, tum frequenter jejunando ac tenui cibo famem pellendo, tum dure cubando et anguste admodum habitando, quod in tam arcta clausura, quam semper coluere, nimis quam grave et pœnosum erat.

sex virgines,

866 Maximam vero illis afflictionem et dolorem (prout mihi postea retulere) attulit intensissimum illud quo se habitu religioso vestitas videre cupiebant, desiderium et voluntas, utpote quod et noctu et interdiu gravissime ipsas affligebat, eo quod illum se diem numquam visuras esse arbitrarentur. Unde omnis ipsarum oratio, ut plurimum lacrymis condita, alio non tendebat quam ut hanc ipsis Deus gratiam faceret. Cumque aliquod subinde impedimentum objici et rem prope negari viderent, summopere affligebantur, suamque propterea adaugebant austeritatem. Ex eo quod opere manuum sibi colligebant et quo victum parabant, aliquid subinde demebant, genium defraudantes, quo tabellariis ad me proficiscentibus debitam mercedem persolverent, nec non (quantum quidem paupertas ipsarum patiebatur) iis qui aliquod ipsis hac in re subsidium dare poterant, gratificarentur. Postquam vero eas tractavi earumque vitæ sanctitatem perspexi, satis videbam illarum orationes ac lacrymas in causa fuisse ut illas Ordo noster admitteret. Unde majorem thesaurum esse duxi tales in eo animas agere, quam si amplas possessiones et reditus haberent : speroque fore ut ea res maxime sit progressura.

quæ ad optatam Carmeliticam vestem

867 Ut ergo in domum illam ingressæ sumus, universæ ad ostium intus stabant, suam unaquæque indutæ vestem. Sic nempe erant vestitæ, uti dum primum illuc ingressæ sunt : numquam enim peculiarem habitum assumere voluere, hunc nostrum assidue jugiterque exspectantes; tametsi quem gestabant, satis honestus et modestus esset, ut appareret illas parum de seipsis ac cultu corporis sollicitas esse. Ita scilicet tenuiter et inculte vestitæ erant et omnes prope usque adeo deformatæ, satis ut pateret valde austeram eas vitam duxisse. Multis cum lacrymis, quas summum gestientis animi exprimebat gaudium, nos excepere; quas satis apparebat fictas non esse.

accipiendam

868 *Vestem monasticam, spectante multo populo et P. Antonio a Jesu pro concione dicente, piis illis virginibus Sancta induit die* XXV *Februarii.* Singularis porro, *ait,* earum virtus elucet in vultus lætitia quam præferunt, nec non in humilitate et obedientia quam præpositæ et omnibus quæ ad hanc fundationem venere, præstant, quibus quomodocumque gratificari gestiunt. Id unum verebantur, ne, cum summam ipsarum inopiam et angustam habitationem vidissemus, inde mox re infecta discederemus. Nulla ipsarum superiorem inter eas egerat, sed unaquæque magna cum humilitate laborabat quantum poterat. Duæ ætate provectiores, cum necesse erat, externa et domestica negotia procurabant; aliæ vero cum nullo mortalium loquebantur aut loqui volebant. Clavem in janua numquam habuere, sed dumtaxat pessulum; nec quæque ad januam sese conferre audebat : sed quæ natu erat maxima, responsa dabat et accipiebat. Perexiguum vero capiebant somnum, ut victum labore lucrarentur et de statutis orandi horis nullam perderent : etenim sat multum temporis orationi impendebant; festos vero dies integros ei dedicabant.

se dudum sanctequc parabant,

869 P. Ludovici Granatensis et F. Petri de Alcantara librorum directionem in vitæ suæ et orationis ratione per omnia sequebantur. Ut plurimum Officium divinum recitabant, quamvis valde parum legere nossent (nam una dumtaxat illarum perite legit), idque ex Breviariis quæ inter se minime convenirent : nam sacerdotes nonnulli quædam in quibus juxta veterem usum Romanum legebatur (quod illis ipsi, utpote antiquatis, amplius non uterentur) Breviaria dederant; ex aliis vero legebant prout poterant. Quod autem legere vix scirent, hinc multas huic recitationi horas impendebant. In eo tamen loco Officium non recitabant unde eas alii foris audire potuissent. Deus, credo, bonam earum intentionem et laborem quem assumebant, in bonam partem admiserit : nam verisimile est eas quam paucissima bene recitasse et pronuntiasse. Postquam vero P. Antonius a Jesu cum iis agere cœpit, suasit ut aliud Officium non recitarent quam B. Virginis. Habebant suum domi furnum, in quo panem coquebant. Omnia autem ordinatim fiebant, tamquam si habuissent, quæ singula ipsis imperasset, superiorem.

inter suas moniales admittit.

870 Ego hæc videns, non potui Dominum non laudare; et, quo magis cum iis conversabar et agebam, eo magis illuc me venisse gaudebam. Equidem propter multos quos subire me oportuisset labores, nollem (ut mihi videtur) huc ad animas hasce consolandas venire neglexisse. Quæ vero e comitibus meis illic mansere, postea mihi retulerunt aliquam se primis diebus contradictionem sensisse, sed, cum ipsas paulatim magis magisque nossent, virtutemque ipsarum perspicerent, summopere se gavisas fuisse quod inter illas habitare sibi contigisset; unde magnopere erga ipsas afficiebantur. Multum sane potest sanctitas et virtus. Certe comites meæ erant hujusmodi ut, quamvis multum in hac cohabitatione difficultatis et laboris invenissent, ipsum tamen cum Dei gratia et auxilio haud difficulter et generose exsuperassent. Quæcumque autem soror hoc in se desiderium non sentiet, illa se veram Excalceatam esse non existimet; cum non tam recreationes quam ut aliquam patiendi materiam habeamus, desiderare debeamus, quo Sponsum nostrum quapiam in re imitemur.

imitemur. Utinam Majestas illius gratiam ad hoc nobis concedere dignetur.

Inde vero Toletum se confert

871 *Hanc Villanovanæ fundationis narrationem Sancta brevi post chartæ mandavit, uti liquet e quadam ejus epistola, mense Aprili vel Majo ad priorissam Hispalensem data* (*tom. II, epist.* 96). *Quoniam autem, ut ad eamdem priorissam kalendis Februarii scripserat* (*tom. I, epist.* 63), *Villanovæ ex mandato P. Angeli Salazarii manere tantum poterat ad festum usque S. Josephi, postridie illius festi, nihil morata brachii sui dolorem, qui rotæ lapsu* (*de quo Ribera lib.* III, *cap.* IV) *biduo ante increverat, inde Toletum sese recepit cum Ven. Anna a S. Bartholomæo et Beatrice a Jesu, consanguinea sua. Quo in discessu, plorantibus novi monasterii incolis, Dei nomine prædixit nihil eis unquam defuturum, dummodo religiose viverent. Hæc promissio quam mirabiliter, elapso vix anno, impleri cœperit, ac sequentibus quoque temporibus passim fuerit impleta, non necesse habeo dicere; quandoquidem idem argumentum late evolvitur in relatione Auditorum Rotæ de S.* Teresiæ *miraculis, quam suo loco legendam exhibebo.*

cum Anna a S. Bartholomæo

872 *Adventus S. Matris in monasterium suum Toletanum incidit in diem* XXVI *Martii, id est pridie* B *Dominicæ Palmarum; ut constat ex nota quam Beatrix a Jesu, jubente* Teresia, *adjecit epistolæ jam citatæ ad priorissam Hispalensem* (*tom. II, epist.* 96), *et in qua ipsa affirmat se* (*uti modo dixi*) *comitem itineris S. Fundatrici fuisse : id quod nullus e vitæ Teresianæ scriptoribus animadvertit. Namque horum antesignanus Ribera moniales a Sancta Villanovam ductas ita enumerat :* E Toletana domo Annam a Matre Dei præpositam futuram, et e Malagonensi Elviram a S. Angelo vicariam ejus selegit; hisque adjunxit Annam a S. Augustino et Constantiam a Cruce : tum quoque comes ejus extitit Anna a S. Bartholomæo. *Yepes unam tantum nominat Mariam a Martyribus, quam dicit primam fuisse priorissam Villanovanam* (*lib.* II, *cap.* XXX), *et pro qua Ribera erronee scripserat Annam a Matre Dei. Riberæ errorem participant P. Chrysostomus Henriquez, iisdem fere ac ille verbis usus* (*Vit. Annæ a S. Barthol. lib.* II, *cap.* XXII), *et Ven. P. Joannes a Jesu Maria :* Eduxit Toleto, *inquiens,* Annam a Matre Dei, ut præesset, Malagone postmodum Elviram a S. Angelo, Annam quoque a S. Bartholomæo sociam individuam, etc., *nec alias præterea socias indicans* (*lib.* III, *cap.* IX). *Auctor Chronici, quem sequitur* C *P. Fredericus a S. Antonio, asserit Malagone, fusis ad Dei lumen implorandum precibus, delectas fuisse Annam a S. Augustino et Elviram a S. Angelo, ac dein Toleti Mariam a Martyribus cum Constantia a Cruce; adeoque Sanctam cum quatuor hisce virginibus et Anna a S. Bartholomæo Villanovam tetendisse.*

et Beatrice a Jesu.

873 *Demum Boucher sex quidem S. Matri assignat viæ comites, sed ratione improbabili prorsus. Quatuor nimirum monialibus ad fundationem Villanovanam deputatis ipse e Malagonensi monasterio quintam adjungit, cujus nomen sibi ignotum esse profitetur : verum de Beatrice a Jesu hoc loco ne cogitavit quidem. Arbitror auctorem hunc, passim diligentissimum, in errorem hic inductum fuisse a Matre Maupeou; quæ in sua Epistolarum Teresianarum versione non solum notam Beatricis a Jesu, cujus supra memini, omnino omisit, sed etiam verba S.* Teresiæ *ad priorissam Hispalensem male expressit hoc modo :* J'ai laissé pour prieure la Mère Marie des Martyrs; c'est une excellente fille de ce monastère de Tolède; elle me paraît aussi propre pour ce pays-là, que vous, ma chère Mère, pour l'Andalousie. Je lui ai donné pour sous-prieure la Mère Elvire de Saint-Ange, du couvent de Malagon, et deux autres religieuses de la même maison, toutes trois fort vertueuses et d'un grand exemple. *Sane e verbis illis :* D deux autres religieuses de la même maison, *pronum est ut concludas tres moniales e monasterio Malagonensi Villanovanæ fundationi inchoandæ fuisse destinatas; quibus si addideris e Toletano monasterio duas, numerum quinarium confeceris. At longe aliter hispanica verba sonant :* Llevé de aqui por priora á una hija de Beatriz de la Fuente : harto buena parece, tan pintada para aquella gente, como V. R. para el Andalucia. Santangel, la de Malagon, es supriora alli en Villanueva; hacelo muy bien, y otras dos con ellas harto buenas. *Quorum hæc est significatio :* Hinc (*i. e. Toleto*) in priorissam assumpsi filiam Beatricis de la Fuente (*Mariam a Martyribus*) : videtur valde bona, et genti illi nata perinde ac tu Andalusiæ. Malagonensis nostra a S. Angelo subpriorissa Villanovæ est; optime res suas agit, et aliæ duæ cum iis valde bonæ. *Nemo non videt quam infidelis sit gallica versio, et quam erronea proinde sit laudati scriptoris sententia. Itaque, ut paucis hanc disputationem claudam, sex moniales Sanctam Malagone proficiscentem fuerant comitatæ : e quibus quatuor Villanovæ permanserunt; reliquæ duæ, Anna a S. Bartholomæo et Beatrix a Jesu, uti jam ostendi,* E *iverunt cum ea Toletum.*

§ XLV. Abit Sancta Abulam, Segoviam, Methymnam Campestrem et Vallisoletum. Litteræ apostolicæ pro Carmelitarum Excalceatorum a Calceatis separatione in Hispaniam afferuntur.

Scribit Sancta Toleto ad uxorem ducis Albani, tunc captivi.

Quinto *die postquam S.* Teresia *Toletum pervenit, nempe feria quinta in Cœna Domini, acerbissima paralysi ac cordis dolore, cui per mensem integrum febris aliaque affectæ valetudinis incommoda accesserunt, ita correpta fuit ut se jam morti proximam crederet. Nec tamen propterea a laborando et scribendo abstinuit; verum, uti patet e superstitibus ejus* F *litteris ad fratrem suum Laurentium* (*tom. III, epist.* 35, *et tom. IV, epist.* 39), *ad P. Gratianum* (*tom. II, epist.* 36, 37 *et* 38), *ad Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem* (*tom. II, epist.* 96), *et ad Mariam Henriquez, ducissam Albanam* (*tom. I, epist.* 9), *multis negotiis vacavit solita sedulitate, eo præcipue studium, irrito tamen conatu, intendens ut Gasparis de Quiroga, archiepiscopi Toletani et ab anno* 1578 *S. R. E. Cardinalis, consensum impetraret ad faciendam Madriti fundationem. Inter epistolas autem quas modo allegabam, venustissima est illa quam die* VIII *Maji dedit ad ducissam Albanam, partim ut eam solaretur de absentia mariti Ferdinandi, partim ut ei commendaret res novi collegii Societatis Jesu Pampilonæ in regno Navarræ* non sine nonnullorum strepitu, *ut loquitur Sacchinus* (*Hist. Soc. Jesu, part.* IV, *lib.* VII, *num.* 199), *anno superiore inchoati. Magna hæc de collegio illo periclitante sollicitudo indicium est grati* Teresiæ *animi erga Patres Societatis Jesu, a quibus ipsa tam multis in fundationibus adjuta fuerat; tota vero epistola spirat mutuum Sanctam inter et ducissam ducemque*

AUCTORE V. D. M.

A *Albanum amicitiæ et caritatis affectum. Porro Ferdinandus, dux Albanus, tunc temporis captivus in arce Ucedana detinebatur matrimonii causa quod filius ejus Fredericus, invitis rege reginaque Hispaniæ, inierat cum agnata sua Maria de Toledo, filia Garciæ, marchionis de Villafranca; de quo matrimonio etiam Sancta loquitur in quadam ad ducissam epistola (tom. III, epist.* 3). *Quod autem ab homine militari vix expectes, levabat summus bellator captivitatis suæ tædium lectione Vitæ S.* Teresiæ *ab ipsa conscriptæ; cujus exemplar penes se habebat, manu P. Bartholomæi de Medina Ord. Præd. (de quo num.* 592 *locutus fui) exaratum : et tanti S. Fundatricem æstimabat ut invisenti se P. Gratiano dicere non dubitaverit, nihil esse quod magis haberet in votis quam frui Matris* Teresiæ *conspectu, etiamsi ad eam videndam plurimarum leucarum iter sibi foret suscipiendum. Sanctæ vicissim erga ducem voluntas manifesto deprehenditur ex amicis querelis quas ducissa aliquando apud P. Gratianum habuit, quasi majori vir suus quam ipsa apud S. Matrem valeret gratia (vide tom. II, epist.* 33, *num.* 5 *et* 6, *et not.* 12 *et seqq.).*

Methymnæ Campi nuntium accipit

B 875 *Sed ut historiæ filum resumamus, valetudinis interim ac negotiorum causa Sancta Toleti consistere debuit aliquanto diutius quam sibi initio proposuerat; nec ante ineuntem Junium, die, ut videtur,* VII *illius mensis (tom. II, epist.* 38), *inde profecta est, cum mandatum jam haberet P. Salazarii, quo jubebatur Vallisoletum se conferre. Ac primum Toleto Segoviam advenit* XIII *Junii (tom. IV, epist.* 40); *ubi mensem non omnino integrum videtur substitisse : in quod tempus incidit mors fratris ejus, Laurentii de Cepeda (tom. I, epist.* 64), *de qua alibi latius egimus (num.* 41 *et* 42). *Segovia Abulam ivit, ad providendum Teresiæ et Francisco, fratris sui defuncti liberis, cognoscendumque de ejus testamento; deinde Methymnam Campestrem, comitibus Francisco, quem modo nominabam, et P. Gratiano, uti ostendunt litteræ* VI *Augusti datæ ad priorissam Hispalensem (tom. III, epist.* 80) : *quibus litteris insuper continetur jucundissimum hoc nuntium :* Ante quinque dies P. Hieronymus Gratianus, qui huc mecum venit et valde utilem in hisce negotiis mihi tulit opem, epistolam Roma accepit a P. Joanne a Jesu; qua hic nuntiat litteras apostolicas de rebus nostris traditas jam fuisse oratori regis nostri, atque ab eo in Hispaniam destinatas per eumdem cursorem qui epistolam

C ipsius P. Joannis attulit : unde pro certo habemus eas jam esse penes regem. Ex earum summario, quod epistolæ suæ P. Joannes adscripsit, apparet eas esse copiosissimas. Quapropter æquum est ut Deo, qui tanto beneficio nos dignatus est, laudes gratesque persolvamus.

duos Excalceatorum suorum deputatos,

876 *Nimirum, ut breviter indicemus quo pacto hæ litteræ apostolicæ obtentæ fuerint, PP. Joannes a Jesu et Didacus a SS. Trinitate, postquam medium versus anni* 1579, *prouti ex epistola S.* Teresiæ *ad fratrem suum Laurentium, quam suo loco citavi (num.* 845), *manifestum est (ac proinde non anno* 1580, *uti contendit auctor Chronici, quem sequuntur P. Fredericus a S. Antonio, P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate et P. Joannes a S. Ludovico; quippe quia tempus missarum a rege ad Summum Pontificem, ad quosdam Cardinales et ad oratorem suum Ludovicum de Requesens litterarum commendatitiarum male confundunt cum tempore adventus duorum Patrum deputatorum), post, inquam, quam prædicti duo Patres Excalceati in Italiam appulerunt, magna iis cautela opus fuit ne pro Carmelitis Excalceatis agnoscerentur; præsertim quia P. Hieronymus Tostado, acerrimus eorum adversarius, tunc Romæ aderat, et quia capitulum generale* D *Ordinis Carmeli ad eligendum defuncti P. Rubei successorem eadem in urbe erat celebrandum ad festa Pentecostes anni* 1580. *Quare, retentis vestibus sæcularibus, donec Romam advenissent consultationum a Nuntio Sega institutarum acta et regis Philippi litteræ (quarum missio, impedito rebus Lusitanicis rege, usque ad annum* 1580 *fuit tardata), de negotio separationis nondum publice, sed clanculo tantum cum fidis quibusdam ac suæ Reformationi devotis viris, agere cœperunt.*

victis nonnullis difficultatibus,

877 *Ita per annum fere protracta res : donec tandem Gregorius XIII, cognita Philippi II voluntate perspectaque e missis ad se documentis utilitate Teresiani operis, rei examen commisit Cardinalibus super visitatione apostolica et consultatione episcoporum ac regularium reformatione deputatis. Inter hos Cardinalis Montaltus, qui postea fuit Sixtus Papa V, pro Carmelitis Excalceatis tam egregie peroravit ut omnium collegarum suorum animos ad sententiam petitioni eorum consentaneam inclinarit. Verum, cum Summus Pontifex mandasset ut causa Excalceatorum etiam capitulo generali Ordinis proponeretur, et ea unanimi capitularium assensu* E *commissa fuisset novo Generali R. P. Joanni Baptistæ Caffardo, intercessit P. Caffardus apud Cardinalem Boncompagnum, Ordinis sui protectorem, non omnino rejiciens ille quidem Fratrum suorum Excalceatorum postulata, quæ fulciri videbat a rege Hispaniæ, a Cardinali Quiroga, a plurimis Hispaniæ proceribus, a Nuntio apostolico ac gravissimis ex utroque clero viris, sed mediam quamdam specietenus viam proponens incundam, ita scilicet ut, omissa provinciæ scissione, alternis triennüis Excalceatus aliquis, alternis vero Calceatus in provincialem eligeretur. Placebat hæc conditio Cardinali protectori, nec eidem ipsemet Gregorius XIII repugnabat; ac res Teresianæ eo majori versabantur in discrimine quod Roma per eos dies excesserat Hispanus orator, et qui interim oratoris vice fungebatur Bricēnus manum non audebat operoso negotio adhibere. Ergo re infecta parabant in patriam renavigare duo Excalceatorum deputati, nisi, suadente Andrea Spinola, cubiculi pontificii clerico, cui valedictum venerant, confugissent ad Alexandrum Cardinalem Sfortiam, virum multæ apud Romanum Pontificem gratiæ atque auctoritatis. Hic, rei cura libenter in se suscepta, mentem Gregorii ad alia consilia convertit.* F

litteras apostolicas suæ Reformationi obtinuisse,

878 *Denique, quæstione in purpuratorum Patrum senatu (quem consistorium dicimus) agitata, causam Excalceatorum eloquenter tuentibus Cardinalibus Maffeo ac Montalto, prodierunt ad diem* XXII *Junii sub annulo Piscatoris litteræ apostolicæ; quarum illa erant præcipua capita : Fratres ac moniales primitivam Ordinis Carmeli regulam et quædam ultra ad carnis mortificationem et populi ædificationem instituta observantes, penitus et omnino in perpetuum a provinciis Fratrum et monialium regulam ab Eugenio IV mitigatam observantium sejungi, separari ac dismembrari; Discalceatorum domos, monasteria ac loca quæcumque in unam erigi provinciam, ac gubernari debere per provincialem in capitulo dictæ provinciæ ex eisdem Discalceatis eligendum; hanc tamen provinciam, sicut alias provincias Ordinis, sub obedientia et superioritate Prioris Generalis remanere; qui per seipsum tantum vel per virum idoneum ex ipsis Discalceatis, et juxta eorum primitivam regulam et instituta regularia, eos visitare, reformare, corrigere et punire possit, sed non extra eorum domus transferre aut ad alias provincias mittere; provinciali Discalceatorum plenam*

A *nam esse et liberam facultatem ut, postquam electus fuerit, officium suum absque ulla confirmatione (quam tamen a Priore totius Ordinis Generali mox petere teneatur) exerceat; Discalceatos utriusque sexus omnibus et singulis gaudere privilegiis, gratiis, etc., quibus gaudent Mitigati, modo ne sint decretis Concilii Tridentini, Constitutionibus apostolicis, regulæ primitivæ et Instituto suo aut ipsis hisce litteris contraria; nullum e Discalceatis ad suum Fratrum Mitigatorum vel aliorum Ordinem, præterquam Carthusianorum, sine apostasiæ nota transire posse absque Sedis apostolicæ licentia; denique P. Angelo de Salazar et Priori Generali et provincialibus et commissariis aliisque Mitigatorum prælatis, ministris et officialibus sub pœna excommunicationis inhiberi ne Discalceatos super præmissis quoquo modo molestare, perturbare, vexare, inquietare audeant vel præsumant; et si cui ex Mitigatis sit concessa facultas visitandi, gubernandi puniendive Discalceatos, hanc facultatem cassari, revocari et annulari.*

hasque jam esse ad regem transmissas;

879 *Has litteras Bricenus, oratoris vices Romæ (ut jam dixi) agens,* XXVII *Junii in Hispaniam misit;* B *et* XV *Augusti exemplar earumdem in manus regis Philippi pervenit, qui tum Badajocii se ad ingrediendum Lusitaniam parabat. Licet autem per eas ipsas litteras mandaretur omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prælatis ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis, ac nominatim archiepiscopis Toletano et Hispalensi, episcopo Palentino et auditori generali causarum curiæ cameræ apostolicæ, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, dictas litteras et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus foret aut quoties pro parte Discalceatorum desuper forent requisiti, solemniter publicantes illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, facerent eos auctoritate Sanctæ Sedis præmissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; tamen, præsertim quia jam obierat Christophorus de Rojas, Hispalensis archiepiscopus, censuit rex rogandum esse Summum Pontificem ut executionem apostolici Diplomatis committeret P. Petro Hernandez e S. Dominici familia, qui res Carmeliticas longo usu habebat optime perspectas. Annuit petitioni Gregorius XIII; sed quominus Hernandezius eo munere fungeretur, mors jam viro imminens impedivit. Tertium igitur mense Octobri Romam* C *Philippus scripsit; ac tandem, accepto die* XX *Novembris Romano responso, id muneris commissum fuit alteri ex Ordine Prædicatorum viro, P. Joanni de las Cuevas, Talaverensi priori. Indicta ab eo in Dominicam quartam Quadragesimæ anni sequentis Compluti celebranda comitia; in quibus, significato secundum juris formulam actu separationis, die* IV *Martii P. Hieronymus Gratianus primus Carmelitarum Excalceatorum provincialis renuntiatus est. Adi Chronicon (lib.* V, *cap.* I, II, VIII, IX *et* X) *et Bullarium Carmelitanum Monsignani (tom. II, pag.* 208 *et seqq.), vel magnum Bullarium Romanum (tom. II, pag.* 476 *et seqq. edit. Luxemb.).*

item P. Balthasarem Alvarez obivisse.

880 *Sanctam nostram interea Methymnæ Campi reliquimus; ubi insigni miraculo Annam a SS. Trinitate gravi erysipelate et febri laborantem solo manus tactu vestigio temporis sanitati restituit, uti legere est apud Riberam (lib.* IV, *cap.* XI) *et in relatione de S.* Teresiæ *miraculis facta ab S. Rotæ Auditoribus. Eodem in oppido certior facta est P. Balthasarem Alvarez S. J. die* XXV *Julii Belmontii in Nova Castella mortalem cum immortali vita commutasse, uti docet in P. Balthasaris Vita P. Ludovicus de Ponte, cujus verba hic adscribere juvat :* Sanctissima Mater Teresia a Jesu, *ait,* Me- D thymnæ Campi, ubi degebat, Balthasaris obitum accepit : duasque plus horas a lacrymis sibi temperare non potuit, solatium aliis frustra illi ferentibus; rogantibusque, cur, tam procul habens ab animi sensu mortalia, hoc unum ipsi accideret tam acerbum : « Sum, inquit, in luctu, quod jacturam » Ecclesiæ Dei ab excessu tanti ejus famuli præ- » sentem ac futuram intelligo. » Atque in his, duas plus horas, animo a sensibus alienato conticuit : quid actum interea secum sit, non dixit. Novimus tamen memorata sæpius ab illa fuisse quæ undecimo capite divinitus patefacta ipsi meminimus, de sanctimoniæ nempe gradu quo Balthasar eminebat in terris, deque ingenti gloria ad quam idem destinabatur in cœlo. Et ipse quidem ex ancilla Christi quadam egregia, sanctissimæ huic Virgini cum primis addicta, et Societatis nostræ percupida, cujus mihi et virtus et veritas explorata certissimo est, illud accepi, mœrenti sibi admodum inclytam hanc sanctissimamque Parentem videndam obtulisse sese, multis post annis quam mortalitati decesserat, eamque, ipsius ægritudinis demulcendæ causa, inter alia permulta, hæc ipsa E verba ad ipsius solatium opportuna elocutam esse : « Et ego sum filia Societatis, et ex ea confessario » usa sum; et nunc profiteor in cœlo illum et » colo. » Affirmatum id ab ea de Balthasare Alvarez, dubitandum nihil est : quamquam enim aliis usa prius fuit, diutissime tamen omnium confitentem hic audiit; ac suam illi opem operamque diligentissime contulit, donec ea demum sublimia sua illa cœpta perfecit; et quem confessarium et institutorem habere suam ipsa in gloriam referebat. Cumque in cœlo nunc illum profiteatur et colat, argumento est gradum sedemque ab eo ibi ita præstantem obtineri, velut agens in terris ipsa jam viderat. *Hactenus laudatus auctor (cap.* LIII, § I).

AUCTORE V. D. M.

881 *Jam quod Boucher arbitratus fuit, Sanctam circa medium Septembrem Abulam rediisse, ibique, licet aliquando sive Segoviam sive Salmanticam excurrisset, adhuc fuisse die* X *Octobris, dein inter hanc diem et* XXV *Octobris Vallisoletum tandem esse profectam; hæc, inquam, meritissimi scriptoris conjectura mihi nequaquam probatur. Primum enim quod dicit de reditu Abulam, non aliud, quod sciam, habet fundamentum nisi quod Epistolarum Teresianarum commentator gratuito asserit epistolam quam* F *Sancta* XVII *Septembris dedit ad Agnetem Nieto (tom. III, epist.* 56) *scriptam fuisse Abulæ. Alterum quod sequitur de factis a Sancta Segoviam et Salmanticam excursionibus, non video quomodo probari possit; sed credo non bene a D. Boucher intellectam fuisse phrasin qua prædictus commentator memorat Sanctam, postquam anno* 1579 *Vallisoleto excesserat (ut dixi num.* 845 *et seqq.), adiisse Salmanticam, Methymnam, Segoviam et Malagonem (tom. III, ep.* 25, *not.* 1) : *id quod reapse illam fecisse, quamvis non eo ordine quo hæc loca a commentatore enumerantur, constat ex iis quæ supra retuli. Demum ratio ob quam D. Boucher existimavit Sanctam* X *Octobris adhuc fuisse Abulæ, desumitur ex epistola ejus ad Sancium Davila, marchionis de Velada filium, qui postea ecclesiis Carthagenensi, Giennensi, Seguntinæ et Placentinæ successive antistes præfuit. Nimirum huic quidem epistolæ apud Palafoxium adscribitur :* Abulæ X Octobris 1580 *(tom. I, epist.* 6); *sed probe notandum est eam a Palafoxio nec integre nec accurate editam fuisse, uti patet ex altero exemplari quod inter fragmenta epistolarum Teresianarum collocavit P. Antonius a S. Josepho (tom. IV,*

Inde non Abulam, ut quidam scriptores asserunt,

AUCTORE V. D. M.

A (*tom. IV, fragm.* 2) *quodque haud scio an multo melius inter epistolas integras collocasset. Etenim ipse P. Antonius affirmat autographam servari hanc epistolam apud moniales sui Ordinis Ocanienses, eamque ita concludi :* Det tibi Dominus eam sanctitatem quam tibi ab eo exposco. Amen. Est hodie dies IX Octobris. Indigna serva ac filia tua, Teresia a Jesu. Precor ut Domino Frederico et Dominæ meæ Mariæ (*intelligit ducissam Albanam ac filium ejus*), ad quos scribere mihi per capitis dolores non licet, salutem dicas meo nomine, et mihi per Dei amorem ignoscas. *Superscriptio autem est :* Al muy Ilustre Senor Don Sancho de Avila, mi Senor. En Alva : de Avila.

sed Vallisoletum petit;

882 *Quidquid de reliquo dicat P. Antonius ut aliquo modo probabile faciat duas hic haberi distinctas epistolas, mihi persuasum est unam esse atque eamdem; quippe cum utrobique eædem phrases ac sententiæ, licet non eodem ordine, recurrunt. Quæ cum ita sint, quandoquidem Abulæ* (*ut fert superscriptio modo allegata*) *exarata fuit, non dubito quin referenda sit ad annum* 1581; *quo anno totum mensem Octobrem Abulæ certo transegit Sancta, ut postea videbimus. Proin, mea quidem opinione, Methymna Campestri S. Mater, comite defuncti fratris sui filio Francisco, se recta contulit Vallisoletum, tum ut quasdam scripturas* (*de relictis a fratre suo bonis, ut videtur*) *ibi conficiendas curaret* (*tom. III, ep.* 80), *tum præsertim ut pareret mandato P. Angeli de Salazar, de quo ipsa loquitur initio capitis* XXIX *libri Fundationum hisce verbis :* Mihi a Villanovana fundatione jam reversæ superior injunxit ut Vallisoletum irem, ita petente Reverendissimo D. Alvaro Mendozio episcopo Palentino, qui primum monasterium S. Josephi Abulæ erectum admisit, et semper ei favit, quin et in omnibus quæ ad Ordinem hunc spectant, numquam non favet; cui, cum Abulensi episcopatu relicto ad Palentinum transiisset, Dominus desiderium injecit ut aliud Sacri hujus Ordinis monasterium illic erigi procuraret.

ubi dum e gravi morbo

883 Vallisoletum cum venissem, tam atrox me invasit ægritudo ut ex ea cuncti me demorituram putarent. Adeo autem ab eo proposito aliena mansi, et adeo mihi visa sum hoc in negotio non posse quidquam præstare, ut, quamvis Vallisoletani nostri conventus priorissa (quæ hanc fundationem quam libentissime vidisset) importune id et perstudiose a me peteret, nullatenus tamen id mihi persuadere

C possem, aut quomodo huic initium darem, nescirem. Etenim monasterium hoc sine reditibus et in paupertate fundandum erat; dicebatur porro mihi nullatenus ipsum ibi posse sustentari, quod oppidum satis tenue esset. Jam pene annus effluxerat ex quo de hujus et simul de Burgensis fundatione tractare cœperam. Initio sane tantam in eo difficultatem non inveniebam; tunc vero permulta mihi in contrarium occurrebant, cum tamen alia de causa Vallisoletum non venissem.

paulatim convalescit,

884 Nescio autem an horum causa esset gravior illa infirmitas et debilitas quæ mihi e morbo remanserat, an vero diabolus, qui bonum quod postea ibi factum est, impedire volebat. Certe miror et miseror (de quo etiam sæpe apud Dominum conqueror) quod misellæ animæ tantum ex corporis invaletudine et morbis adhærescat, ita ut ipsa leges hujus observare debere videatur : adeo scilicet eam necessitates suas et alia plurima subire cogit. Quod mihi una e maximis vitæ hujus miseriis et laboribus esse videtur, præsertim quando non adest simul generosus et heroicus animus, qui ipsum subjiciat et expugnet. Etenim quod corpus male valeat et maximis doloribus et cruciatibus afflictetur (tametsi id alioquin laboriosum et grave sit) parvi admodum D facio, dummodo anima experrecta sit ac vegeta; ipsa namque Deum tunc laudat, et universa a manu ejus provenire considerat : at, dum una ex parte patitur et ex alia non operatur, terribile quid est et intolerabile; præsertim si talis anima sit quæ intensissima sese desideria aliquando habuisse comperit, numquam vel interioris vel exterioris recreationis capiendæ, sed sese totam, quanta est, magni Dei sui obsequio impendendi. Nullum quippe aliud tunc hic remedium subest quam patientia et propriam agnoscere miseriam, divinæque sese voluntati permittere, ut de se is faciat et statuat quodcumque et quomodocumque voluerit.

plures tum manu Ven. Annæ a S. Bartholomæo

885 Ita quidem tunc ipsa constituta eram, tametsi paulatim jam convalescere et meliuscule habere inciperem : sed tanta mea erat imbecillitas, ut et fiduciam, quam mihi, dum aliqua harum fundationum inchoanda est, Deus Opt. Max. dare solebat, perdidissem. Omnia quippe mihi impossibilia videbantur. Unde si tunc in aliquem qui me animando corroborasset, incidissem, is sane quam maxime mihi profuisset; sed hominum alii magis timere me faciebant, alii (esto aliquam mihi subinde spem facerent) meam tamen auferre et expugnare E pusillanimitatem non poterant. *E morbo illo se recuperare Sancta jam cœperat die* IV *Octobris; uti liquet ex epistola quam suo nomine scribendam ea die curavit ad P. Gratianum* (*tom. III, epist* 25) : *unde novum mihi exsurgit argumentum adversus sententiam D. Boucher, aliis jam rationibus* (*num.* 881) *refutatam. Accedit præterea ad has rationes quod Sancta in eadem epistola mentionem facit de Maria a S. Josepho, sorore P. Gratiani, idque iis verbis quæ manifesto indicent utramque eodem tecto tunc temporis fuisse usam. Jam vero e multis aliis litteris* (*v. g. e tom. III, epist.* 16, 23 *et* 24, *et tom. IV, epist.* 74) *liquido apparet sororem Gratiani in Vallisoletano degisse monasterio. Epistola autem hæc nomine quidem* Teresiæ, *ut modo dicebam, sed aliena manu conscripta fuit : quod et obtinet de epistolis* XX *Novembris ad P. Gratianum, et* XXV *Octobris ac* XXVIII *Decembris ad priorissam Hispalensem destinatis* (*tom. III, epist.* 26 *et* 81, *tom. II, epist.* 98), *amanuensem scilicet agente Ven. Anna a S. Bartholomæo.*

tum sua scribit epistolas.

886 *Propria vero manu Sancta scripsit* VII *Octobris ad priorissam et moniales S. Josephi Abulenses* (*tom. II, epist.* 74), XXI *Novembris ad priorissam Hispalensem* (*tom. II, epist.* 97), *mense Decembri ad Laurentium de Cepeda juniorem, in Indiis Occidentalibus versantem* (*tom. II, epist.* 55), *item ad Mariam a Jesu, fundatricem ac monialem cœnobii Veasensis* (*tom. IV, epist.* 67). *Præcipuum plerarumque harum epistolarum argumentum est mors Laurentii Cepedii ejusdemque mortis sequelæ, de quibus tertio hujus Commentarii paragrapho, quantum satis erat, egimus. Secundum Ludovicum Lataste, episcopum Bethlehemensem, qui Epistolas S.* Teresiæ *a Matre Anna a S. Josepho* (*sæculari nomine Maupeou*) *gallice versas publici juris fecit, poni hic quoque deberet epistolium quo Sancta Petro de Castro, canonico Abulensi* (*qui postea fuit Segoviensis episcopus*), *gratias agit de concione in templo sui monasterii S. Josephi habita infra octavam omnium Sanctorum* (*tom. II, epist.* 5); *cujus concionis ipsa meminit in litteris* XXVI *Octobris* 1581 *ad P. Gratianum datis* (*ibid. epist.* 42). *Verum, cum Sancta propriis auribus Castrium audivisse videatur, potius crediderim anno* 1578 *illam sacram orationem ab eo dictam fuisse.*

F

§ XLVI.

A

§ XLVI. Sancta Palentiam proficiscitur, ubi decimum quartum Excalceatarum suarum monasterium erigit.

A P. Hieronymo Ripalda,

Ad Palentinam modo fundationem nos conferamus; *de qua S. Mater Veasum ad Mariam a Jesu scribens:* Dixerit tibi, *ait,* Mater priorissa, injunctum mihi esse ut ad fundationem quamdam me conferam quam per plures annos fui a me deprecata. Quoniam vero hanc tam perseveranter apud me urserunt, prælato nostro approbante, proficiscor cum multa spe promovendi divini obsequii (*tom. IV, epist.* 67). *Ad hanc spem quomodo ex longa hæsitatione, de qua eam loquentem audivimus, pervenerit, e Fundationum capite* XXIX *audiamus.* Contigit forte, *inquit,* ut quidam Societatis Jesu sacerdos Vallisoletum veniret, Pater ac Magister Ripalda, quem satis B diu confessarium habui, vir doctrina æque ac pietate in Deum eximia. Huic ipsa animæ meæ statum aperui, eumque me in Dei locum accipere velle dixi; declararet proinde mihi quid sibi videretur. Is ergo multum me exstimulare et animare cœpit, hanc inertiam meam senio adscribi debere dictitans. Verum sat ipsa videbam eum non recte in eo censuisse : etenim hoc tempore adhuc senior sum, eam tamen jam minime sentio. Non dubito quin et ipse satis id nosset; sed hoc dixerit ut me reprehenderet atque objurgaret, eo quod hunc angorem et tædium a Deo provenire minime crederet.

uti jam pridem a P. Balthasare Alvarez,

888 Hæc Palentina fundatio una cum Burgensi simul tum tractabatur; et tam ad hanc quam ad illam nihil penitus habebam : sed non erat hoc anxietatis meæ causa, quia etiam cum minori et tenuiori subsidio fundationes auspicari soleo. Nullatenus ergo cœpto ut desisterem, P. Ripalda edixit: idem quoque paulo ante Toleti mihi dixerat P. Balthasar Alvarez, Societatis ejusdem provincialis. Tum quidem recte valebam; unde satis hoc mihi esse debuisset ad sententiam meam figendam : attamen, quamvis permagni id mea interesset, plane C rem decernere non potui, eo quod vel diabolus vel (sicuti dixi) infirmitas me vinctam quodammodo teneret. Sed exinde melius multo valui. Vallisoletana priorissa, quantum poterat, me juvabat et in oneris partem veniebat; summopere namque Palentinam fundationem perfici desiderabat : at, quoniam adeo me videbat tepidam, hinc etiam timidius agebat. Aliunde ergo verus calor veniat necesse est, cum nec homines nec ipsi servi Dei quidquam efficere possint : unde satis videre erit, sæpe non esse me quæ facio, cum nihil omnino faciam, sed illum qui ad omnia potens est.

ac dein a Deo quoque ipso animata,

889 Cum ergo die quadam a Sacra Communione surgerem, ita fluctuans et dubitans et ab omni fundatione auspicanda prorsus aliena, Dominum rogaram ut lumen mihi daret ad voluntatem ejus in omnibus faciendam : neque enim tepor meus erat hujusmodi ut hocce mihi desiderium vel in minimo umquam defecerit. Dominus ergo per modum increpantis mihi dixit : « Quid times? Quando umquam » tibi defui? Idem qui hactenus fui, sum modo : duas » hasce fundationes perficere ne negligas. » Quam, o magne Deus, verba tua ab humanis verbis discrepant! Ita quippe animata mansi, ut ne totus etiam mundus contradicens ab hoc me proposito revocare potuisset : quare statim ea de re tractare cœpi, et D Dominus mihi ad eam media suppeditare. Duas ergo moniales assumpsi, ad ædes ex illarum dote coemendas; et quamvis mihi ab omnibus diceretur non posse nos Palentiæ ex eleemosynis vivere, perinde id erat ac si mihi plane nil diceretur : etenim, si reditus stabiles in fundatione monasterii admitterem, jam tum videbam nulla id ratione tunc quidem posse fundari; cum autem jam Deus ipsum fundari juberet, certa eram fore ut Majestas ejus provideret.

AUCTORE V. D. M.

Palentiam S. Teresia proficiscitur :

890 *Circiter idem tempus P. Hieronymus Gratianus, qui S. Matris rogatu Palentiam se contulerat ad res oblatæ fundationis, a qua etiam ipse abhorrebat, prope inspiciendas, inde rediit animo plane mutato. Quippe vir quidam nobilis domum a se conductam sponte obtulerat, quam moniales, donec propriis potirentur ædibus, incolere possent; et magnam ei spem boni successus inspiraverat pius Suerus de Vega, Syracusarum olim sub patre suo Joanne, Siciliæ prorege, præfectus, et collegii Societatis Jesu Syracusani fundator, uti videre est apud P. Orlandinum in Historia Societatis* (*part.* I, *lib.* XIV, *num.* 41) *et apud prædecessorem nostrum Pinium in Commentario prævio ad Vitam S. Ignatii de Loyola* (*tom. VII* E *Julii, pag.* 742). Palentiam igitur, *inquit Sancta,* esto nondum penitus confirmata essem valetudine, proficisci statui, etsi tempus admodum rigidum esset : nam in SS. Innocentium festo Vallisoleto, eo quo dixi anno, discessi, quia vir quidam nobilis illius loci domum quam ipse ab anni sequentis initio ad usque festum S. Joannis conduxerat, nobis cesserat, quod is alio habitatum se contulisset. Unde ad quemdam civitatis illius canonicum (esto eum non nossem, sed quidam de amicis ejus mihi dixerat illum Dei famulum esse) litteras dedi : simul etiam firmiter mihi impressi illum insignem nobis operam præstiturum; quemadmodum in aliis usque modo perfectis fundationibus videre fuit, quod in unaquaque harum aliquem Deus submittat qui nos adjuvet: videt namque Majestas ejus quam ipsa parum per me præstare valeam. Eum ergo per litteras rogavi ut, quam fieri posset secretissime, domum illam mihi curaret evacuari (ab alio enim incolebatur), at non diceret ad quem illa usum pararetur. Nam quamvis aliqui de primoribus suam erga nos propensionem ostendissent et ipse quoque episcopus satis per se propenderet, longe tamen censebam esse satius rem celari et ignorari. F

ubi domum a Reynosio canonico paratam,

891 Adeo porro exacte canonicus Reynosius (ita nempe vocabatur is ad quem scripseram) cuncta præstitit, ut non solum domum evacuari curaverit, verum etiam lectos et alias multas commoditates satis abundanter nobis præpararit. Et certe iis opus habebamus; erat namque intensum frigus, et dies hesternus satis nobis molestus fuerat, idque ob spissam adeo nebulam, ut invicem vix videremus: sed, ut verum fatear, parum quietis habuimus, quoadusque præparassemus locum in quo postridie Sacrum dicendum esset, priusquam nesciret quispiam nos illic adesse; namque experientia compertum est ita in fundationibus fieri imprimis expedire. Si enim hominum judicia et sententias inquirere incipiamus, diabolus illico omnia turbabit; ac licet is nihil omnino possit evincere, saltem nos inquietat. Sic ergo factum est : statim namque postridie mane (cum pene diesceret) Missam ibi celebravit sacerdos quidam qui nos comitatus erat, Porras cognomento, insignis Dei famulus, nec non alius sacerdos, Vallisoletanarum monialium fautor et amicus, Augustinus de Victoria nominatus, qui mihi pecuniam ad domum instruendam mutuo dederat, et

AUCTORE V. D. M.

per viam laute nos habuerat. Eramus universum, me annumerata, quinque moniales, et una laica (*Ven. Anna a S. Bartholomæo*), quæ jam a multo tempore me est comitata, insignis Dei famula, et adeo discreta ut plus me juvare possit quam aliæ chorum frequentantes. Tota illa nocte parum dormivimus, tametsi (sicuti dictum est) via pridiana satis difficilis et molesta fuisset ob continuam pluviam quæ ceciderat. Gavisa porro sum quod eo monasterium die fundaretur, quo de rege Davide, erga quem ipsa mire afficior, Officium divinum recitaretur. A

summa episcopi

892 Hoc ipso ergo mane Ill. D. Episcopo rem jussi significari, qui necdum sciebat nos Palentiam advenisse. Unde quamprimum magna cum charitate, quam numquam non erga nos ostendit, ad nos excurrit, omnem quo opus haberemus panem sese subministraturum pollicitus, suoque œconomo mandavit ut de multis rebus necessariis nobis provideret. Tantum porro Ordo hic ei debet, ut quisquis hasce fundationes legerit, eum tam vivum quam mortuum Domino per preces commendare teneatur; quod e caritate eum rogo et obsecro. Tanta vero populi totius fuit voluptas et lætitia, eaque ita universalis, ut talem alibi non viderim : etenim nullus omnino fuit cui hæc res displiceret. Ad quod multum juvit quod constaret ipsum episcopum ita velle : est enim is popularibus et omnibus suis admodum carus et acceptus; quin et omnis populus tam bonæ et generosæ est indolis ut talem alibi vidisse non meminerim : unde quotidie magis et magis hoc me in oppidum monasterium illud invexisse gaudeo. B

populique Palentini voluntate,

893 *Non minori cum laude de civitate Palentina S. Mater loquitur in suis litteris* (*tom. II, epist.* 40, 45, 53 *et* 99*; tom. IV, epist.* 15). *Præ cæteris autem, teste Yepesio, eluxit Sueri de Vega, qui propter suam in pauperes caritatem vulgo pater pauperum dicebatur, et uxoris ejus Elviræ Manrique, filiæ comitis Osornensis, in S.* Teresiam *ejusque prolem benevolentia : quam deinde semper continuatam fuisse affirmat, tanquam ipse expertus, auctor Chronici, addens quoque Joannem de Vega, eorumdem piorum conjugum filium, aliquo post tempore in Ordinem Carmeli ingressum, omnigenis inibi claruisse virtutibus. Idem scriptor refert* (*quod a S.* Teresia, *Ribera et Yepesio omittitur*) *prætorem Palentinum initio novam fundationem assensu suo comprobare noluisse; cum vero P. Gratianus ad eum venisset, petitionem* Teresiæ *nomine iteraturus, quasi invitum respondisse :* I, Pater, fiat quod me rogas : habet enim Mater Teresia in sinu suo edictum nescio quod divini consilii, quo cogimur quidquid ea vult, etsi non volentes, facere. C

conductitio primum jure occupat;

894 Quoniam autem, *pergit S. Fundatrix,* domus in qua morabamur, nostra non erat, hinc statim de alia emenda tractare cœpimus : nam tametsi hæc ipsa vendibilis esset, quia tamen valde importuno sita erat loco, displicebat. Videbamur autem per subsidium pecuniarium, quod e monialibus quæ illic admitti debebant, habebam, audacter et cum fundamento ea de re agere posse; quod tametsi esset exiguum, eo tamen in loco satis erat magnum : quamquam, si nobis bonos illos amicos Deus non submisisset, omnia nihil juvassent. Nam bonus ille canonicus Reynosius alium canonicum, amicum suum, cognomento Salinas, magnæ charitatis et ingenii virum, huc induxit : qui junctim et communi studio rem hanc non secus cordi habuere ac si propria fuisset, imo vero, ut puto, plus quam propriam; atque adeo semper ex animo conventus hujus commodis studuere.

donec duas ædi B. V. M. de Platea D

895 Est hoc in oppido ædicula quædam B. Virgini sacra, religione et pio cultu admodum celebris, adinstar eremitorii concinnata, cui nomen B. Virgo de Platea; quæ tum a vicinorum oppidorum incolis, tum a Palentinis civibus mira devotione colitur, ut plurimi undique ad eam confluant. Visum episcopo et omnibus civibus, nos, si circa illam ædem habitaremus, opportune habitaturas. Non habebat quidem ipsa domum, sed duæ contiguæ si emerentur, in nostrum usum templo illo accedente, satis futuræ videbantur. Illius conferendi jus penes capitulum et quoddam in ipso erectum sodalitium erat : unde de eo impetrando serio agi cœptum est. Capitulum quidem statim assensit, sed cum sodalibus illis satis magnæ fuere difficultates; at tandem ipsi etiam cesserunt, quia, sicuti dixi, oppidi illius incolæ valde ad pietatem propendent, et magis quam usquam ullos vidi. Ut autem domuum illarum domini nos in eas propendere viderunt, pluris æquo eas facere cœperunt; nec immerito. Ego vero illas inspicere volui : at eæ adeo mihi displicuerunt ut eas habere nollem, nec non iis qui nobiscum illuc ibant.

contiguas domos, E

896 Postea autem liquido apparuit diabolum hic multa in adversum a parte sua molitum esse; quod male eum haberet nos illuc venisse et sedem fixisse. Duobus vero canonicis qui rem omnem curabant, videbantur domus illæ satis procul ab ecclesia collegiata distare (uti etiam revera distant) : ea tamen in oppidi parte sitæ sunt, quæ præ aliis populosior est. Tandem constituimus, quod domus illæ nobis non quadrarent, aliam conquirere. Quamobrem duo illi canonici tanto rem hanc studio et diligentia procurare et efficere cœperunt, ut esset id mihi non mediocris Dominum laudandi occasio, nihil prorsus ut omitterent quod huc aliquo modo facere posse videretur. Placuit illis inter cæteras quædam, quæ ad quemdam cui Tamayo nomen, pertinebat : habebat hæc loca nonnulla satis bene concinnata et instructa, quæ nobis non male quadrassent : vicina adhæc erat ædibus viri cujusdam primarii Sueri de Vega nominati, qui qua potest nobis favet, cui, uti et aliis ejusdem vici hominibus, pergratum fuisset si illuc habitatum venissemus. Domus illa satis quidem capax non erat, sed una cum ipsa alia nobis offerebatur; verum nec hæ ambæ simul commodam nobis dare habitationem potuissent. Quod ergo tam multa mihi de illa referrentur, quam maxime volui rem tandem aliquando confici : at canonici illi nihil, antequam eam ipsa inspexissem, facere voluere. F

quibus tamen aliam quamdam domum

897 Ego, quod pergrave mihi esset in publicum prodire, illorumque prudentiæ satis confiderem, in animum inducere non poteram ut eo me conferrem. Sed tandem inducta eo me contuli, eam inspectura, uti et illas B. Virginis de Platea; quamquam intentionem non haberem illas emendi, sed ut prioris illius dominus videret alias etiam domos suppetere, neque necessario nos ipsius domum emere debere. Hæ autem (uti dixi) adeo mihi displicuere, ut et iis quæ mecum ibant, ut etiam modo miremur quomodo illæ nobis tunc ita incommodæ videri potuerint. Quapropter alteram domum inspectum ivimus, destinatum animo habentes illam et non aliam coemere. Et quamvis sat multas in illa difficultates inveniremus, quibus etiam valde difficulter occurri posset, eas tamen dissimulavimus. Nam ut templum in ea construi posset (et quidem satis incommodum et difforme), omnia loca quæ in ea ad habitandum commoda erant, necesse erat auferri. Mirum profecto quid est fixo jam antea animo ad rem aliquam ineundam accedere : vere equidem parum mihi ipsi fidere solco; sed tunc non ego sola præjudicio abrepta eram. Enimvero inspectum

A inspectum eam domum ivimus cum certa intentione non aliam emendi quam hanc, et quod venditor poposcerat pretium, esto enorme erat, ei solvendi, et hanc mentem nostram ei, quod jam urbe abesset, quamvis non procul distaret, perscribendi.

aliquamdiu 898 *Ut rerum hactenus a Sancta narratarum chronologiam quoad fieri potest determinemus, epistolas ejus paulisper adire oportet. Die* IV *Januarii, ad P. Joannem a Jesu scribens, fixum determinatumque habebat sedem monialium suarum figere prope ecclesiam B. V. de Platea; atque a canonicis obtinuerat facultatem cancellos ad monasterii usum in ea ecclesia construendi* (*tom. II, epist.* 45). *Dein de domo Tamayi emenda cogitari cœptum est circa medium Februarium, uti liquet ex epistola die* XVII *illius mensis ad P. Gratianum data* (*tom. III, epist.* 27) : *duravit autem negotiatio per reliquam Februarii partem et aliquot mensis proxime sequentis dies; iterumque de ea ad P. Gratianum Sancta scripsit die* XXVII *Februarii* (*tom. II, epist.* 39), *necnon* IV *Martii ad Annam Henriquez, e familia marchionum de Alcañices, quæ imaginem grandem ac pulchram, puto S. Josephi, novæ fundationi*
B *Palentinæ dono dederat* (*tom. IV, epist.* 15). *Superest quoque S. Matris epistolium ad Hieronymum Reynosium, quod scriptum videtur postridie illius diei qua utramque domum, comite probabiliter Reynosio, iverat inspectum* (*tom. III, epist.* 39). *Denique Parasceves die, quæ erat* XXIV *Martii, P. Gratianum certiorem fecit se jam ab erronea sententia resipuisse, et rursus adjecisse animum ad domus B. Virginis ædi contiguas* (*tom. II, epist.* 40) : *cujus mutationis causam ipsa docebit in sequentibus.*

prætulerat. 899 Impertinens, *ait,* certe cuiquam videatur tanto tempore me in domus emptione occupatam fuisse : sed judicium suspendat, usquedum videat quem diabolus finem et intentionem habuerit, ne scilicet illas ædiculæ B. Virginis contiguas domos emeremus : quod quotiescumque mecum recogito et recordor, non possum non timere. Cum ergo (uti jam dixi) omnes ita in alteram illam domum propenderent ut aliam quam hanc emere nollent, postridie, cum Sacro interessem, agitare magna cum perplexitate animo cœpi consultone priores illas emere negligerem : hinc tanta me occupavit inquietudo ut pene toto tempore Sacri me quiescere non
C permiserit. Inter hæc ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum accedo, et ecce in ejusdem sumptione hæc verba : « Hæc tibi quadrat, » audivi, quorum ea fuit vis et energia, ut plane me fecerint animum a priore illa quam mente designaram, avocare, et in priores illas ædes propendere.

Dei jussu, 900 Cum vero durum mihi videri inciperet, rem usque eo productam, quamque ii qui nobis tam impigre et sollicite opitulabantur, tam impense desiderabant, dissolvere repente et velut abrumpere, respondit mihi Dominus : « Ignorant illi quam » multis illo in loco delictis offendar : quibus per » vestram illic habitationem via præcludetur. » Cogitatio tum mihi incidit num aliqua hoc illusio foret : quamquam de contrario certa eram; nam ex iis quos in me operabatur motibus liquido satis perspiciebam hunc esse spiritum Dei. Hic vero statim mihi dixit : « Ego sum. » His auditis, valde serenata mansi, et quæ me ante occuparat turbatio, prorsus evanuit. At nesciebam quomodo quod jam factum erat, infectum redderem, et quomodo quæcumque de illis ædibus apud sorores meas jam toties sinistre locuta eram (earum incommoditatem tam diversimode et varie exaggerando, et dicendo ob nullam rem mundi me velle ut eo transivissimus, antequam illas inspexissemus) re- AUCTORE V. D. M.
D vocarem. Quamquam de hoc usque adeo non laborabam, quia jam tum videbam illas ratum habituras quidquid ipsa hoc in genere facerem; sed verebar ne illi qui secundæ domus emptionem maxime desiderabant, me levem existimarent, quod tam cito opinionem meam mutarem : quam ego rem ut turpissimam et intolerabilem detestor. Verum omnes illæ cogitationes ne vel minimum me emovere et impedire potuerunt quominus in ædes illas B. Virginis propenderem. Neque jam recordabar eas non esse commodas et bonas. Nam si moniales vel unum peccatum veniale impedire possent, reliqua omnia incommoda domus mihi nullius esse momenti videbantur; et, prout mihi quidem apparet, unaquæque illarum, si scivisset quod ego sciebam, ejusdem haud dubie mecum intentionis fuisset.

ac Reynosii 901 Hac ergo rei dissolvendæ ratione usa sum. Reynosio canonico tum temporis confessario utebar (erat hic unus e duobus illis qui me adjuvabant), quamquam hujusmodi res ad spiritum spectantes nondum ei communicaram, quod nulladum occasio, ob quam id necesse foret, sese obtulisset; et quo-
E niam hisce in fundationibus semper facere soleo quod confessarius mihi faciendum consulit, quo majore cum securitate et certitudine in illis procedam, hinc id ei sub sigillo arctissimæ taciturnitatis aperire constitui : quamvis non satis me propensam sentiebam ad omittendum id quod jam cœlitus intellexeram, quin simul magnam in meipsa propterea repugnantiam et molestiam sensissem. Si tamen id jussa fuissem omittere, certe omisissem : fiduciam namque habebam in Domino, fore scilicet ut Majestas ejus (quod alias non semel vidi) confessario, quamquam alterius sit opinionis, persuaderet ut is faceret id quod ipse fieri vellet.

super ea re consulti 902 Primum ergo ei dixi Dominum sæpius hac ratione me instruere et docere solere, et hactenus multa satis argumenta et indicia me vidisse e quibus hunc ejus esse spiritum nossem; simulque ei aperiebam id quod contigerat : addebam vero paratam me facere quidquid faciendum ei videretur, esto id mihi quam gravissimum foret. Ipse vero, quod prudens, sanctus et qualibet in re boni sit consilii (tametsi juvenis), licet aliquam hinc obloquii occasionem hominibus dandam videret, non tamen omittendum censuit quod ipsa a Domino
F audieram. Dixi ergo consultum fore, si nuntium interea expectaremus : quod consilium ipsi etiam placuit. Etenim fidebam in Domino fore ut ipse provideret; uti etiam factum est : cum enim domino domus tantum obtulissemus quantum volebat et petierat, rursus trecentos ultra condictum a nobis aureos petiit : quod certe quædam stultitiæ species videbatur; quoniam pluris æquo illam nobis vendiderat. Hinc ergo ad oculum patuit Deum sese huic negotio immiscuisse. Possessori namque commodum quam maxime erat sic eam vendidisse, cumque jam conventum esset, sine ullo fundamento et ratione, plus quam stipulati essemus, poposcit. Hac ratione difficultati illi quam dixeramus fore ut cum ipso numquam possemus expedire, occursum ex parte est, sed non plane : certum namque erat nos ob trecentos aureos non omissuras esse emere domum, quæ monasterio constituendo percommoda esse videbatur.

et Salinasii item canonici 903 Confessario ergo dixi opinionis et judicii mei nullam ut rationem haberet, si modo id ipse faciendum judicaret; sed socio et collegæ suo aperte significaret me ejus jam sententiæ factam esse ut ædes B. Virginis caro vilive pretio quoquo modo coemerentur.

AUCTORE V. D. M.

coemerentur. Vivacissimo hic et acerrimo est ingenio, adeo ut, quamvis eorum quæ facta erant, nihil ei dictum sit, repentinam tamen hanc mutationem videns, non dubitem quin illius causam fuerit subodoratus. Unde factum ut ulterius me quoad hoc non compellarit aut urserit. Postea vero ad oculum omnes vidimus quam magnam in alia illa domo emenda errorem admisissemus : nam jam non possumus non satis admirari, videntes quot partibus hæ illi præstent et meliores sint; ut interim taceam (quod sane præcipuum est) neminem non videre quantum eo in loco Domino ejusque gloriosissimæ Matri serviatur, et quam multæ peccandi occasiones hac ratione præscindantur : plures quippe nocturnæ illic excubiæ agebantur, in quibus (quod locus desertus et velut eremitorium esset) multa poterant committi quæ diabolus ægre ferret auferri et impediri; nos vero gaudebamus, quod dilectæ Dominæ et Patronæ nostræ in aliquo servire possemus. Et certe valde male factum erat quod tam diu id distulerimus; nam ad aliud quid non oportebat nos respicere.

assensu

904 Liquido ergo patet in multis nos rebus a diabolo fuisse excæcatas : nam in his domibus multæ sunt commoditates quæ alibi vix reperiantur; deinde populo universo, qui hoc unice cupiebat, hac ratione gaudii materiam dedimus : iis quoque qui cupiebant ut aliam coemeremus, postea valde placuit quod ad has commigrassemus. Benedictus sit ille in æternum qui in hac re lumen mihi dedit, quale semper mihi dat, quoties aliquid bene facio : nam quotidie magis et magis obstupesco exiguam meam, quam in rebus omnibus habeo, habilitatem et peritiam. Nolite autem putare hoc me ex humilitate dicere, cum hoc ipsum quotidie magis magisque perspiciam : quippe Majestas divina velle videtur ut tum ego tum omnes alii aperte cognoscamus et videamus ipsum solum esse qui opera hæc præstat, et, quemadmodum olim cæco per lutum visum restituit, sic mulierem tam cæcam atque ipsa sum, talem efficit ut cæca amplius non sit. Nam multa, ut verum fatear, in hac re erant quæ (sicuti dixi) magnam cæcitatem includebant; quare, quotiescumque rei hujus recordor, vellem sane Dominum propter illam de novo laudare : at, ut video, ne ad hoc quidem apta sum; ut nesciam quomodo me ipse toleret. Benedicta sit misericordia ejus in æternum. Amen.

atque auxilio,

905 Ergo duo illi viri pii, B. Virginis clientes, in ædibus illis comparandis festinarunt; et (ut mihi videtur) satis eæ vili pretio coemptæ sunt. Multum sane iis laborandum fuit : vult namque Deus ut in singulis hisce fundationibus ii qui nos adjuvant, aliquam merendi materiam habeant; ego vero nihil omnino præsto, uti jam alias sæpe dixi, et vellem numquam non dicere possem; quia vere sic est. Etenim illi et in domo adornanda, et in pecunia etiam mutuo danda (ego enim ea carebam), et in fidejubendo pro illa, insignem operam præstiterunt. Nam aliis in locis, priusquam fidejussorem inveniam (et quidem pro minori summa), satis mihi laborandum et sudandum est; nec immerito : quia, nisi venditores Domino confiderent, a me ne obolum quidem expectarent. At hanc mihi Majestas ejus hactenus gratiam præstitit, ut quicumque pro me fidejusserunt, nihil amiserint, sed ad usque ultimum quadrantem summam pro qua spoponderant, receperint; quod ego in maximis gratiis habeo.

coemit

906 Cum vero venditoribus domorum duo illi fidejussores minime sufficerent, episcopi vicarium, nomine Prudentium (nescio tamen num recte recorder; sed jam ita mihi dicitur : nam, quia cum vulgo provisorem vocabamus, proprium ejus nomen ignorabam), cui ob suam in nos caritatem multum debuimus et modo debemus, ambo adierunt. Hic autem cum forte iis obviam veniret ac sciscitaretur quonam abirent, responderunt illi se ad ipsum venire, ut fidejussionem sua manu signaret. Subrisit ille, et ait : « Itane me pro tanta summa fidejubere » vultis? » et mox, ne mula quidem sua descendens, sponsionem signavit. Sane exulceratis hisce temporibus id quam maxime ponderandum est et plurimi faciendum.

et in monasterium

907 Vellem equidem caritatem quæ Palentiæ tam universaliter quam particulariter viget, pluribus verbis dilaudare, et nullam ejus laudem omittere : nam, ut verum fatear, hæc primitivæ Ecclesiæ tempora redolere, aut saltem hodierna die et modo non multum in usu esse videbatur; nam cum nos viderent reditibus carere, seque insuper nos alere debere, non modo nos nostraque tuebantur, sed etiam singularem a Deo gratiam sibi in hoc fieri censebant. Et sane, si res prout oportet consideretur, verum dicebant : nam, esto aliud hinc bonum profectum non esset quam quod jam unum amplius in civitate templum extat, in quo Sanctissimum Altaris Sacramentum reponatur, ea sane res ut magna habenda esset. Sit ipse in æternum benedictus. Amen. Jam enim satis apparet obsequium ei aliquod ex hujus monasterii hocce in loco constitutione præstitum esse; nam ibidem res quædam incongruæ nec sat honestæ committebantur, quæ modo sublatæ sunt. Quippe cum plurimi illic excubias agerent, et locus per se desertus et solitarius esset, non omnes devotionis et pietatis intuitu se illuc conferebant : cui malo jam paulatim occurritur. Ipsa quoque Beatissimæ Virginis imago satis indecore et incommode sita erat : sed ei Alvarus Mendozius loci episcopus sacellum quoddam ære suo construi curavit; paulatim quoque alia in gloriosæ hujus Virginis ejusque Filii honorem et gloriam ordinantur. Sit ipse in sæculum sæculi laudatus. Amen.

convertit.

908 Ut ergo jam domus aptata et concinnata est, solemni pompa ad eam transire moniales idem antistes jussit; idque intra octavam festi Ven. Sacramenti factum est. Quin etiam ipse, ea dumtaxat de causa, Vallisoleto Palentiam revertit : universum quoque capitulum et religiosæ familiæ et omnes prope oppidi cives, læta vocum perstrepente harmonia, convenere (*aderant quoque PP. Nicolaus Doria et Joannes a Jesu, uti liquet e tom. IV, ep.* 30). Nos vero e domo in qua agebamus, palliis nostris albis indutæ et faciem velo opertæ, in modum supplicantium ad vicinam quamdam ædiculæ B. Virginis parœciam (*cui a S. Lazaro nomen*) deductæ sumus. Prædicta quoque imago nobis obviam allata est, et Ven. Eucharistia, hoc e templo assumpta, insigni cum ordine et pompa in templum nostrum illata. Magnus tum in omnibus excitatus est pietatis sensus. Plures vero aderant moniales, nimirum quæ ad Soriensem fundationem simul inchoandam illuc venerant; omnes vero candelas ardentes manibus gestabant. Credo equidem Dominum die illo valde laudatum fuisse. Det ipse ut ab omnibus creaturis semper laudetur et benedicatur. Amen. *Hactenus Sancta. Addit auctor Chronici, in solemni illa supplicatione novam priorissam, Isabellam a Jesu, post reliquas moniales incessisse mediam inter civitatis prætorem et Suerum de Vega. Dein narrat qua ratione decimo post anno, ob nimiam hominum frequentiam, sæpe ad mediam usque noctem ecclesiam B. V. de Platea visitantium, in aliud domicilium moniales commigrarint* (*lib.* V, *cap.* VII).

§ XLVII.

A

§ XLVII. Capitulum Carmelitarum Excalceatorum Complutense. Eorum a Calceatis separatio. S. Teresiæ de hac separatione gaudium.

P. Joannes de las Cuevas Ord. Prœd.,

Eodem libri sui capite quo fundatio Palentina describitur, Sancta paucis verbis refert qui separatio inter utriusque Carmeli alumnos, litteris apostolicis XXII *Junii* 1580 *decreta, anno* 1581 *rite effecta fuerit.* Palentiæ, *inquit,* cum agerem, visum Domino ut Excalceatorum et Calceatorum Carmelitarum fieret separatio, et suum singuli provincialem haberent; quod nos ad nostram quietem et tranquillitatem quam maxime cupiebamus. Quocirca amplissimum ad hoc Breve apostolicum, Philippo rege nostro Catholico id petente, Roma nobis allaB tum est, ejusque Majestas (uti jam ante cœperat) egregie nos hac in re juvit. Itaque R. P. F. Joanne de las Cuevas Ordinis S. Dominici, qui tum Talaverensem priorem agebat, et quem Romanus Pontifex ex regis nostri commendatione nominatim designarat, viro sanctitate et prudentia, qualis hanc ad rem necessaria erat, eximia, jubente, Compluti capitulum celebratum est. Sumptus vero omnes de suo præstitit rex, ejusque jussu universa academia Patribus nostris est opitulata. Celebratum porro capitulum est in Excalceatorum collegio quod a S. Cyrillo cognomen habet, et quidem admodum pacifice et magno animorum consensu et concordia. Electus autem est in provincialem P. M. F. Hieronymus Gratianus a Matre Dei.

pro munere sibi cura regis imposito,

910 Quoniam autem illi Patres alio in loco enarrabunt ea quæ tunc peracta sunt, non erat cur ego de iis scriberem. Verbulo tamen ea hic attigi, quod, me in hac fundatione occupata, Dominus rem hanc ad gloriam et honorem gloriosæ Matris suæ, quæ est Ordinis nostri domina ac specialis nostra patrona et protectrix, tantopere facientem perfecerit. Ego vero tantum tunc in animo meo gaudium sensi ut majus hac in vita habere nequeam. Jam C enim amplius quinque supra viginti anni effluxerant, quibus plurimas molestias, persecutiones et afflictiones subieram, quas longum hic esset referre, et vero solus Dominus eas nosse potest. Quale autem ex eo quod rem hanc perfectam viderem, senserim in animo gaudium, quantumque haberem desiderium ut omnes propterea Dominum mortales laudarent, et nos divinæ ejus Majestati sanctum hunc regem nostrum Philippum, cujus opera et intentione eam Deus ad tam felicem exitum conduxerat (tanta namque diabolus versutia negotium hoc concusserat, ut, nisi rex manum ei adhibuisset, ipsum collapsurum penitus fuisset), commendaremus, nosse et intelligere nemo potest, nisi qui labores a nobis toleratos noverit.

Carmelitas Excalceatos Complutum advocat.

911 *Hæc aliquanto latius evolvamus oportet. P. Joannes de las Cuevas kalendis Februarii ad omnia Carmelitarum Excalceatorum cœnobia litteras misit encyclicas, quibus ad capitulum Compluti die* III *Martii inchoandum omnes Priores cæterosque qui eo veniendi jus haberent, convocabat. Imperavit præterea, tum ut in universis tam virorum quam virginum domibus assiduæ funderentur preces ad obtinendum a Deo felicem capituli successum, tum quoque ut e singulis conventibus Complutum mitteretur quidquid notatu dignum de constitutionibus in mentem cuipiam venisset. Dein Complutum ipse se contulit, ut cum PP. Gratiano, Mariano, Roca et Doria, donec tempus celebrandi capituli advenisset, de rebus in eo tractandis ac statuendis colloqueretur. Interim minime otiosa fuit S.* Teresia, *uti abunde demonstrant quaternæ quæ supersunt litteræ per eos dies ad P. Gratianum scriptæ, quibus et alias ad PP. Marianum, Rocam et Doriam datas accessisse affirmat auctor Chronici (lib.* V, *cap.* IX). *Attamen hæ in editis Epistolarum Teresianarum tomis nusquam comparent; sicut nec epistola satis momentosa, quam ipsa Sancta dicit se ad P. Commissarium scripsisse et suæ ad Gratianum epistolæ non obsignatam inclusisse (tom. III, epist.* 28).

AUCTORE V. D. M.

D

912 *Juvat videre quid hisce suis epistolis S. Reformatrix præstiterit. Ac primum quidem conata fuit P. Gratiano suadere ut, si nova provincia ei regenda committeretur, socium sibi assumeret P. Nicolaum Doriam potius quam P. Bartholomœum a Jesu : plurimum enim intererat ut PP. Gratianus et Doria, initio præsertim, conjunctissimis agerent animis; et P. Bartholomœus (erat hic Gratiano, cui visitatoris munere fungenti a secretis fuerat, percarus) invidos jam nonnullorum oculos in se converterat : unde timendum ne, si hic socius foret provincialis, detrimenti aliquid Reformatus Ordo caperet (tom. III, epist.* 27). *Dein Sancta cum suas tum etiam monialium suarum de constitutionibus animadversiones opportuno tempore Complutum apportandas curavit. Censebat autem quoad monialium regulas optimum factu esse ut de iis Gratianus privatim cum P. Commissario conferret, consultis tantum PP. Nicolao Doria et Joanne Roca seu a Jesu, sed non aliis.* Nostræ enim res (*monialium scilicet*) Fratribus, *inquit,* communicari non debent : neque eas unquam ipsis communicavit P. Petrus Hernandez; qui quidquid in Acta retulit, id omne inter illum et me deliberatum fuit, nec quidpiam ille faciebat me inscia. *Cupiebat insuper Sancta ut constitutiones typis mandarentur; ne scilicet imposterum priorissæ, uti alicubi acciderat, eas transcribendo mutare pro libitu possent (tom. III, epist.* 28).

Sancta interim de constitutionibus,

913 *Descendens vero ad particularia quædem capita, nonnulla circa victum, vestitum et monasteriorum reditus vel mutanda vel statuenda suggerebat, præsertim ad præcavendos scrupulos; monebatque superiores ut satis ciborum præberent religiosis, et munditiem in lectis ac mensis valde cordi haberent. Item de Officio divino agebat, in quo persolvendo non putabat ab usitato eatenus more discedendum. Pro monialium recto regimine censebat cavendum ne confessarii perpetuo forent vicarii, neve cœnobia monialium prioribus subessent : utraque enim re auctoritatem priorissarum labefactatum iri, ac locum dari multis aliis incommodis. Idem sentiebat de nimio monialium intra unius domus claustra numero. Tum urgebat etiam ut accuratissimæ de veli usu conficerentur regulæ : v. g. ne unquam cum confessariis aut cujuscumque Ordinis religiosis, nedum Carmelitis Excalceatis, moniales colloquerentur aliter quam facie cooperta; atque ut idem statueretur de aliis generatim colloquiis, nisi ob consanguinitatem valde propinquam, personarum dignitatem aliasve graves rationes exceptio facienda videretur.*

victu, vestitu, reditibus, cantu sacro, monialium regimine,

F

914 *Demum, quoad claustri leges, commendabat Gratiano ut videret num per decreta apostolica monialibus liceat ingredi ecclesiam aut ad ostium monasterii accedere : quod quidem ipsa in universum judicabat vitandum, exceptis tantum novis fundationibus, ubi necessitas id aliquando exigere posset; atque hinc*

claustri regulis

AUCTORE V. D. M.

laudabat priorissas Toletanam ac Segoviensem, quæ aditum e monasterio in ecclesiam occludendum curaverant. Dum hæc scribebat obedientissima Ecclesiæ filia, nondum bene noverat decretum a Gregorio XIII die XXX *Decembris* 1572 *editum, quo declaratur* nullis monialibus, etiam tertiariis, licere habere ostium per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum monialium ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas et divina Officia sua patere solet accessus; sed omnino muro obstruendum : neque itidem licere monialibus, etiam tertiariis, egredi e janua monasterii etiam ad claudendum ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca colloquio destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam januam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore quo clausa sunt (*Bull. Rom., tom. II, pag.* 396, *edit. Luxemb.*). *Verum postmodum melius edocta, mense Octobri scribens ad priorissam Hispalensem, claustri leges ita prorsus definivit, quemadmodum eæ fuerant a Summo Pontifice præscriptæ* (*tom. II, epist.* 100).

aliisque ordinandis ad P. Gratianum scribit.

915 *Hæc de præcipuis S. Fundatricis animadversionibus, in quibus omnibus sapientia ejus mirum in modum elucet, dicta satis sunto : quas qui penitius inspicere cupierit, adeat ipsas epistolas* (*tom. I, epist.* 26; *tom. II, epist.* 39; *tom. III, epist.* 27 *et* 28). *Cæterarum monialium animadversiones, quarum recognitio fuerat Sanctæ concredita, ad nostras manus non pervenerunt. Attamen e citatis epistolis apparet plerasque S. Matri non fuisse ex omni parte probatas, multaque proin emendatione indiguisse, exceptis tantum illis Isabellæ a S. Dominico, priorissæ Segoviensis, quas sine ulla exceptione laudavit atque integras P. Gratiano misit. Quod vero acerbissimum accidere Sanctæ debuit, omnium pessimæ erant animadversiones ac postulata primi sui monasterii S. Josephi Abulensis.* Sunt ea talia, *scribebat ipsa,* ut, si admitterentur, nihil abesset quin ibi ad normam monasterii Incarnationis viveretur. Exterreor videndo quid cacodæmon faciat; ac fere tota hujus rei culpa in confessario residet, viro bono illo quidem, at nimis proclivi ad concedendum omnibus carnium usum; quem ut obtinerent, petitionem suo libello inseruerunt. Vide qualis ea sit vita! Equidem mœrore conficior, dum video quantum domus illa de recto deflexerit et quam difficulter, licet optimis referta monialibus, ad pristinum revocanda sit statum. Quin etiam a P. Provinciali Angelo postulaverunt ut inter ipsas quædam, quæ tenui sunt valetudine, aliquid ciborum in cellis suis servare possint; idque tali ratione postulaverunt ut non mirer bonum Patrem ipsis concessisse. Ecquam vero licentiæ hujusmodi petitricem fuisse putas? Ita nimirum sensim sine sensu tota labat disciplina. Quapropter necesse est ut ordinationes quibus prohibebitur, prout petii, ne prælati cuiquam cujusvis rei possessionem permittant, cum quodam verborum pondere conscribantur, ita ut nulla monialis, quantumlibet infirma, ab iis eximi queat; sed curet valetudinarii præfecta noctu apud ægrotas relinquere quidquid iis fuerit necesse : multa enim et magna caritate apud nos suppeditari solet quantum valetudo monialium requirit. *Hæc Sancta.*

Compluti rite celebratur,

916 *Post has aliasque, uti dixi, præparationes, initium capitulo datum die* III *Martii. Præsidebat P. Joannes de las Cuevas, commissarius apostolicus : intererant omnium cœnobiorum Carmeli Reformati præsides cum suo quisque socio, cæterique omnes qui in collegio Complutensi tunc degebant Carmelitæ Excalceati; atque tanquam testes Patribus assidebant quinque viri dignitate spectabiles : nimirum Ludovicus Hurtado de Mendoza, quem antea passim comitem Tendillanum appellavi, quique nuper morte parentis sui Inici marchionatum Mondejarensem fuerat adeptus; Henricus de Mendoza, eques S. Jacobi, Ludovici Hurtadii frater; Antonius de Torres, ecclesiæ collegialis Complutensis abbas; P. Michael Seco, commendator Ordinis B. V. Mariæ de Mercede; et P. Hieronymus de Almonacid, ex Ordine Prædicatorum, magnum Complutensis academiæ lumen. Coram his omnibus eadem illa die commissarius apostolicus actum separationis ritu legitimo promulgavit : cui ipse dein et quos modo nominabam testes nomina sua subscripserunt. Sequenti die, præside iterum Cuevasio, post invocatum solemni Sacrificio Spiritum Sanctum, soli ii Patres convenerunt quibus jus eligendi provincialem competebat. Secretarius designatus P. Ambrosius Marianus; diffinitores PP. Nicolaus a Jesu Maria seu Doria, Antonius a Jesu, S. Joannes a Cruce et Gabriel ab Assumptione; provincialis denique P. Hieronymus Gratianus.*

accedente sacra ac litteraria pompa,

917 *Die* V *Martii, quæ erat dies Dominica, solemnis instituta supplicatio ad SS. Justi et Pastoris ecclesiam; cui marchio de Moadejar, academia, magistratus cæterique primarii civitatis viri interfuere, atque obviam processit abbas cum capitulo canonicorum. Ibi P. Gratianus pro concione dixit, et P. Antonius a Jesu ritu festivo Sanctissimum obtulit Missæ Sacrificium. Tempore vero pomeridiano, cantatis in æde cœnobii Carmelitani primis vesperis S. Cyrilli Hierosolymitani, cujus festivitas in diem sequentem recurrebat, theses de sacra theologia magno cum plausu coram insigni virorum doctorum corona defendit P. Joannes a Matre Dei. Feria dehinc secunda, hortante P. Commissario, statutum fuit ut perpetuis temporibus una quotidie Missa, preces item continuæ et una per singulas hebdomadas corporis flagellatio pro rege Hispaniæ ejusque familia in universis conventibus Carmelitarum utriusque sexus Excalceatorum Deo offerretur.*

capitulum quo separantur

918 *Exinde ad diem usque* XIII *ejusdem mensis impensa fuit opera ordinandis constitutionibus, et quatuor præterea dies aliis negotiis expediendis insumpti. Quo etiam tempore P. Joannes de las Cuevas pro suo commissarii munere binas ad R. P. Joannem Baptistam Caffardum, Ord. Carm. Generalem, dedit epistolas : alteram qua eum de gestis in capitulo rebus faceret certiorem; alteram qua novi provincialis confirmationem ab eo peteret. Tandem neque illud hoc loco tacitus præterire possum, quod refert P. Angelus Manrique* (*Vit. Annæ a Jesu, lib.* III, *cap.* XV), *S.* Teresiæ *flagitatu deputatos Veasum fuisse PP. Joannem a Jesu et Didacum a SS. Trinitate, qui Excalceatorum Compluti congregatorum nomine solemnes gratias persolverent Ven. Annæ a Jesu, idque intra monasterii claustra. Quippe S. Mater optimum itineris Romani successum industriæ potissimum Annæ suæ adscribebat; ita ut subinde audita fuerit cum diceret :* Anna, Anna, tu opera tibi habes, ego nomen tantum; *item :* Me quidem fundatricem vocant, sed Annæ a Jesu rerum nostrarum laus est attribuenda (*ibid., cap.* XIV).

Excalceati utriusque sexus Carmelitæ a Calceatis.

919 *Atque hæc de illo separationis capitulo, quod prolixius in Chronico describitur* (*lib.* V, *cap.* IX *et* X), *summatim a me indicata sufficiant : de cujus exitu lætabunda Sancta :* Jam vero, *ait,* omnes in pace sumus, tam Calceati quam Excalceati. Nemo nobis in Domino nostro serviendo impedimento est. Quapropter, fratres et sorores meæ, cum vestras orationes ipse exaudierit, illius Majestati servire contendite. Videant præsentes, qui rei hujus sunt testes

testes oculati, quæ nobis contulerit beneficia, et a quibus laboribus et inquietudinibus nos liberarit : eos vero qui post venturi sunt (cum omnia jam complanata et composita inveniant) ex amore Domini obsecro ut nihil quod ad perfectionem ullatenus faciat, intercidere patiantur; ne quando propter eos dicatur de nobis quod de Ordinibus nonnullis dicitur, nempe sola eorum principia laudabilia esse. Nos modo incipimus : ipsi vero dent operam ut semper de bono in melius proficiant. Considerent diabolum rebus minimis et minutissimis foramen et aperturam facere qua deinde maximæ se insinuent : et ne umquam dicant : « Nihil hoc est, » extrema hæc sunt. » Nam omnia, carissimæ, magnum quid sunt, si impedimento sint ne ulterius procedatur. Per Domini amorem vos rogo, recordemini quam cito omnia prætereant, qualemque nobis Dominus gratiam fecerit ad hunc nos Ordinem vocando, quantaque eum maneat pœna qui aliquam relaxationem invehere incipiet. Sed vestros in stirpem et propaginem e qua descendimus (Sanctorum, inquam, illorum Prophetarum) oculos semper conjicite. Quam multos in cœlo habemus Sanctos qui habitum hunc gestarunt! Et sancta quadam præ-
B sumptione confidamus fore nos aliquando per Dei gratiam et auxilium tales quales ipsi sunt modo. Certamen modico durabit tempore, carissimæ; finis autem æternus est. Relinquamus ergo illa quæ in seipsis nihil sunt; ea vero sectemur quæ ad finem illum nos conducant, quo magis eum diligamus eique serviamus qui in perpetuas æternitates victurus est. Amen. Amen. Deo gratias. *Similiter suum ac monialium suarum gaudium pandit in epistola ad P. Gratianum scripta diebus* XXIII *et* XXIV *Martii* (*tom. II, epist.* 40), *quam post quatuor dies secuta fuit epistola ad Antonium Gaitan, nihil continens quod nobis usui esse possit* (*tom. III, epist.* 46). *Denique ad finem Maji, verisimiliter die* XXIX, *quæ erat feria secunda* (*tom. IV, epist.* 30), *Soriam profecta fuit ad novum illic constituendum cœnobium; cum jam die* IV *Maji initium datum fuisset Vallisoleti novo cœnobio virorum, ut narrat Chronicon* (*lib.* V, *cap.* XIII), *et die* I *Junii proxime sequenti inchoandum esset collegium Salmanticense, ut idem Chronicon refert* (*ibid., cap.* XVIII). *Igitur Soriam nos cum Sancta conferamus.*

AUCTORE V. D. M.

id eum ex amore Dei rogassem, meamque ipse necessitatem considerasset, tam libenter id præstitit D ut obstupuerim : unde toto eo tempore quo Toleti hæsi (quod certe satis fuit diuturnum) eo confessario usa sum et de animæ rebus cum ipso contuli, idque omni quo poteram candore et simplicitate, prout semper facere mihi moris est. Tantum porro is mihi profuit, ut statim ac cum illo contuli, timores me relinquere inceperint. Alia (ut verum fatear) præterea mihi fuit cum illo agendi causa, quam hoc loco non expedit commemorare. At de facto maximam mihi utilitatem attulit : nam Sacræ Scripturæ testimoniis securam me reddebat; quæ certe ratio mihi maxime expedit, cum nimirum certa sum eos qui mihi illa depromunt, ex se etiam doctos esse et multa nosse, uti de illo viro certa eram, accedente præsertim vita ejus bona.

S. Teresiam Soriam invitat,

921 Litteras porro has mihi scripsit Soria, ubi tum quidem ipse versabatur : in iis autem scribebat mulierem quamdam nobilem, cujus ipse illic Confessiones excipiebat, secum de quodam monialibus nostris cœnobio fundando locutam esse, sibique hoc non incongruum videri; ei vero dixisse se rem mecum haud difficulter transacturum : quamobrem illuc me ad fundationem inchoandam conferrem, E nec, secus sentiendo, sese apud illam confunderem : itaque, si id conveniens et congruum censerem, certiorem se per litteras redderem; ac tum se me evocaturum. Equidem maximopere gavisa sum : nam (ut omittam fundationem illam expedire mihi visam) summopere desiderabam nonnulla negotia ad animam meam spectantia cum eo communicare cumque coram videre; quia, ob ingentem quem mihi attulerat fructum, insignem erga eum amorem conceperam.

a Beatrice Beaumontia domum,

922 Huic autem fundatrici nomen erat Beatrix de Beaumont y Navarra (quod a Navarræ regibus genus ducat), D. Francisci de Beaumont genere et natalibus illustrissimi filia. Aliquot illa annis nupta, nullos conceperat liberos; cæterum fortunis et opibus abundabat. Jam vero a multis annis secum statuerat quoddam monialium monasterium condere. Itaque super hoc negotio cum episcopo Velasquezio tractavit; qui ei hujus Ordinis B. Virginis Excalceatarum mentionem fecit : quod illa audiens, adeo huc propendit ut quam citissime hanc rem executioni per eum mandari voluerit. Est vero mulier cumprimis blanda, suavis moribus, generosa austeritatis sectatrix, denique insignis Dei famula. F Habebat hæc Soriæ domum bonam, bene materiatam et satis commode sitam. Hanc se nobis daturam spopondit, una cum omnibus quæ ad monasterii fundationem erant necessaria. Addidit præterea quingentos aureos annuos, ad nummum vigesimum computatos.

a se vero templum dandum spondens.

923 Episcopus vero templum se daturum promisit, valde bonum et omni ex parte concameratum, ad parœciam quamdam vicinam pertinens, quod, addito quodam ambulacro et vestibulo, satis utile nobis esse poterat. Non incommode autem id facere potuit, quod templo vix esset de reditibus prospectum, et aliæ satis multæ in vicinia ædes sacræ sint : unde ipsam parœciam alteri adnexuit. Hæc omnia suis ipse in litteris mihi significavit, quas ego mox cum P. Provinciali, qui Palentiæ tum aderat, communicavi : cui, ut et omnibus amicis nostris, placuit ut illi per certum ac proprium tabellarium rescriberem ut me venirent accersitum : nam Palentina fundatio jam tum confecta erat. Ego vero summo propterea affecta sum gaudio, idque ob eam quam dixi causam. Incepi ergo seligere et evocare moniales, quas illuc mecum assumptura eram, quæ universim

C § XLVIII. Decimo quinto virginum suarum cœnobio Sancta initium dat Soriæ; unde Abulam profecta, a monialibus primi cœnobii a se fundati in priorissam eligitur.

Alphonsus Velasquez, Oxomensis episcopus,

Palentiæ cum versarer, *inquit Sancta capite* XXX, in ea quam dixi fundatione perficienda, episcopi Oxomensis litteræ mihi redditæ sunt. Nomen huic doctor Velasquez, cum quo, dum in primaria ecclesia Toleti canonicus et cathedraticus erat, aliquos timores in meipsa sentiens, communicare de animæ meæ negotiis procuravi, quod eum virum doctum et eximium Dei famulum esse nossem; adeoque eum importunis precibus rogavi ut animæ meæ regimen susciperet mihique confitenti operam daret. Is autem, quamvis variis negotiis distineretur, cum

AUCTORE V. D. M.

universim fuere septem (illa namque matrona potius plures habere volebat quam pauciores), et præter has una laica nec non socia mea et ego. Venit porro quidam nuntius inde missus summa cum festinatione, ad nos accersendas, et quidem valde opportune; quia scripseram velle me duos Excalceatos Patres mecum adducere.

A

Sancta igitur cum P. Nicolao Doria

924 Sumpsi ergo mecum P. F. Nicolaum a Jesu Maria, magnæ discretionis virum, Genua oriundum. Habitum religiosum is induit annum agens plusquam quadragesimum, uti mihi quidem videtur : saltem in præsens tot annos habet, nec diu est ex quo eum assumpsit; verum brevissimo tempore tantum in virtutibus fecit progressum, satis ut appareat eum a Domino electum esse ut in hisce persecutionibus et exagitationibus Ordinem propugnaret. Quippe mirum in modum tunc temporis eum juvit : reliquorum namque qui eum tueri poterant, alii erant in exilium acti, alii in carcerem conjecti; illum vero, quod munere nullo fungeretur, quia non ita diu (uti dictum est) in Ordine fuerat, non usque adeo curabant. Ideo vero id Deus permisit, ut talis mihi auxiliator superesset. Tantæ vero discretionis est, ut, cum Madriti in Calceatorum conventu ageret, tam prudenter sese gesserit ut aliorum negotiorum tractandorum causa hi eum illuc venisse arbitrarentur, nec de nostris cum rebus agere intelligere possent. Unde cum minime vexarunt, sed quietum esse siverunt. Sæpius invicem litteras scribebamus (eram enim tunc ipsa in conventu Abulensi), et de iis quæ opus erat, invicem certiores reddebamus : hoc namque permagnæ ei consolationi erat. Hinc liquido patebit quanta tunc in necessitate Ordo noster versaretur; siquidem mei (virorum bonorum, uti dicitur, defectu) tanta haberetur ratio. Toto illo tempore illius perfectionem et discretionem perspexi : unde de numero illorum est quos ex hoc Ordine in Domino plurimum diligo et plurimi facio. Ipse ergo et socius ejus Frater laicus nos comitati sunt.

B

et pluribus aliis comitibus

925 *Fratri laico, secundum auctorem Chronici* (*lib.* v, *cap.* xx), *nomen erat Elisæus a Matre Dei : nomina monialium quæ Sanctam comitabantur, videsis apud Riberam. Cæteri comites ejus erant hi : Franciscus de Cetina, sacerdos, a Beatrice de Beaumont cum vehiculo submissus; necnon alter sacerdos, nomine Chacon, et quidam administer, deputati ambo ab episcopo Oxomensi; demum Petrus de Ribera, præbendarius Palentinæ ecclesiæ, ab Alvaro Mendozio, præsule Palentino, Sanctæ proficiscenti adjunctus.* Satis ergo, *inquit illa,* exiguum in via hac laborem et molestiam sum passa : quem enim episcopus ad nos evocandas submiserat, satis laute commodeque nos habuit, et qua poterat, ubique de bonis nobis diversoriis prospicere procurabat. Cum enim Oxomensem diœcesim intrassemus, populus, pro suo erga episcopum affectu, ubi audivit nos ejus invitatu eo venire, optime nos excepit. Tempus quoque satis serenum erat et diætæ viarum non adeo longæ; unde parum in hacce via laboris, sed gaudii multum sensimus. Audiens enim quam bene passim omnes de episcopi sui sanctitate loquerentur, valde intra me lætabar. In Burgum vero feria quarta pridie octavæ Venerabilis Sacramenti devenimus : feria vero quinta, qua ipsa agebatur octava, Sacram Communionem ibi sumpsimus; ibidemque prandimus, quod ea vespera Soriam pervenire non possemus. Noctem in templo quodam transegimus, quod aliud tunc diversorium non suppeteret; nec vero male nobis illic cessit. Postridie, cum Sacrificium Missæ ibidem audissemus, hora circiter quinta vespertina Soriam devenimus.

C

926 *Ex hac S.* Teresiæ *narratione omnino perspicuum mihi videtur ipsam cum sociis suis advenisse Soriam* II *Junii, postridie nimirum octavæ Corporis Christi. A versione enim Martinezii, qui voces hispanicas* otro dia *per latinam* postridie *expressit, nequaquam est recedendum : sicut recessit D. Boucher, dum hanc phrasin :* Otro dia oimos alli Misa y llegamos á Soria como á las cinco de la tarde, *ita gallice reddidit :* Un autre jour nous entendîmes encore la messe, et nous arrivâmes à Sorie sur les cinq heures du soir; *cum tamen ipse paulo ante pro* otro dia *dixerat* le lendemain : *ut nihil dicam de voce* encore, *quam hispanico* alli (*i. e.* ibi) *substituit. Sed bonum virum ad hanc vim verbis Teresianis inferendam duplex adegit ratio. Altera est error geographicus, quo sub Burgi nomine intelligendum ipse duxit urbem Burgos, veteris Castellæ caput, sede episcopali ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus, archiepiscopali vero ab anno* 1574 *insignitam; dum interim Sancta agit de Burgo Oxomæ, quod vulgari Hispanorum idiomate* el Burgo de Osma *appellatur et quod ipsum oppidum Oxomam, a Mauris pene in solitudinem redactum, magnitudine multum superat, ut adeo ibi persæpe commorari consueverint episcopi Oxomenses, prouti inter cæteros docet Baudrand in Lexico geographico Philippi Ferrarii a se aucto et emendato. Altera ratio ob quam D. Boucher hallucinatur, est ipsius S.* Teresiæ *sphalma, de quo nunc dicam.*

ad Burgum Oxomæ, episcopum ibi invisura,

D

atque inde Soriam devehitur

927 *Nempe, ut ipsam modo narrantem audivimus, Soriam ingressa fuit die* II *Junii. Pergit vero ita :* Sanctus episcopus, prospiciens e quadam domus suæ fenestra, dum illac transiremus, nos sua est benedictione dignatus : quo me facto non mediocriter recreavit; nam benedictio a prælato et sancto viro proficiscens permagni facienda est. Matrona autem illa, fundatrix nostra, ad domus suæ januam adventum nostrum præstolabatur, qui erat locus in quo monasterium constituendum erat. Quo autem in illam ingrederemur modo, vix ulla apparebat ratio : nam ingens hominum aderat turba. Neque vero novum hoc erat : nam quocumque imus, tanta semper adest multitudo (quod mundus novitatum sit cupidus et curiosus) ut, nisi velis faciem tegeremus, maximo suffunderemur rubore; sed, cum velis tectæ sumus, tolerabile utcumque id est. Paraverat illa capax atrium, ipsumque bene adornarat, in quo Sacrum dicendum erat : nam templo quod nobis episcopus daturus erat, quoddam addi debebat ambulacrum. Unde etiam postera die, qua festum S. P. N. Elisæi recolebatur, Sacrum ibi celebratum est. Omnia quibus opus habebamus, fœmina illa quam abundantissime suppeditabat, nobisque eum locum inhabitandum reliquit; in quo tamdiu recollectæ egimus, usquedum ambulacrum illud pararetur, quod ante festum Transfigurationis Domini perfectum non fuit.

E

F

ubi monasterii possessionem

928 *Hæc Sancta, sibi ipsi, ut patet, non satis constans : unde omnes biographi ejus, excepto uno P. Frederico a S. Antonio, concluserunt eam Soriam advenisse die* XIII *Junii; quæ erat feria tertia quartæ post octavam Pentecostes hebdomadæ, non feria sexta, ut asserit auctor Chronici* (*lib.* v, *cap.* xx, *num.* 3) : *etenim anno* 1581, *littera dominicali A et Paschate incidente in diem* XXVI *Martii, dies* XI *Junii fuit Dominica quarta post Pentecosten. Certissimum autem est diem* XIV *Junii a multis retro sæculis cum apud Græcos tum apud Latinos cultui S. Elisæi fuisse addictam, uti docet Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum ac Papebrochius noster pluribus ostendit in suo de S. Propheta Commentario* (*tom. II Junii, pag.* 784 *et* 785) : *neque*

A *neque ullus Ordinis Carmeli Generalis, id quod forte suspicari quis posset, diem* III *Junii recitando S. Elisæi Officio assignasse scitur.* In libro a me inspecto, *inquit P. Fredericus* (*lib.* II, *cap.* XXXIX *in nota*), impresso Venetiis anno 1544 cum titulo Ordinalis, in quo quam accuratissime omnia Officia in Ordine nostro celebranda eorumque cæremoniæ minutatim indigitantur, dies XIV Junii ritu duplici S. Elisæo adscribitur; eamdemque diem constanter perhibent omnia Kalendaria et Breviaria citata a P. Daniele a Virgine Maria in Speculo Carmelitano.

die III *Junii* 1581 *adit;*

929 Quamobrem, *ait sapiens auctor,* asserere licet Sanctam nostram hic per quemdam errorem lapsam fuisse : neque ipsa meæ huicce propositioni quasi parum reverenti refragabitur; quandoquidem multis librorum suorum locis profitetur fieri posse ut in annorum dierumque indicatione erraverit. Unde patet quam ridiculi sint audentiores critici nonnulli, qui, dum in Sanctorum historiis impingunt in circumstantiam aliquam dubiam, acuta falce quidquid est factorum resecant, deridentque historicum tanquam nugivendum. Nonne verum est intelligi non posse qui anno 1581 dies XIV Junii in sabbatum octavæ Corporis Christi proximum incidisset? Ergo

B cant isti, ni velint stultis annumerari, ac negent, si possint, eodem illo anno monasterium Soriæ a S. Teresia fuisse erectum. *Huic ego sententiæ P. Frederici subscribendum, atque a cæteris S. Matris biographis, qui rem non tam accurate examinarunt, merito recedendum mihi judicavi. Si enim alterutro loco Sancta erravit, equidem cum P. Frederico credo pronius fuisse ut in notando S. Elisæi festo, quam in notandis hebdomadæ feriis et octava Corporis Christi die, memoria laberetur. Et fieri interim quoque potuit ut die* III *Junii, quæ in Kalendariis Romano et Carmelitano vacat, dicta fuerit votiva S. Elisæi Missa.*

die vero VI *Augusti*

930 *Ad narrationem porro S.* Teresiæ *quasdam auctor Chronici adjungit circumstantias nescio unde haustas; quæ ostendunt hinc Sanctæ erga benefactores et amicos blandissimam comitatem, illinc magnam ejus apud Sorienses et præcipue apud Oxomensem episcopum æstimationem : verum has, utpote minutiores, absque historiæ dispendio arbitror posse a me præteriri. Ergo Sanctæ verba exscribere pergo :* Illa igitur die (*nimirum festo Transfigurationis Domini*) primum Missæ Sacrificium in templo illo nostro (*ab episcopo concesso*) celebratum est, magna cum solemnitate et hominum confluxu : quidam Societatis Jesu sacerdos concionem habuit; quod episcopus in Burgum concessisset (*mense Julio ad celebrandum Synodum, prout Sancta scribit tom. III, epist.* 30) : nullum enim diem aut horam elabi sinit quo non laboret et operetur, tametsi non bona utens valetudine et unius oculi usu tum destitutus. Certe magnum mihi dolorem attulit, quod qui Domini nostri obsequio ita totum sese impendebat, in hisce circumstantiis visum amisisset. Hæc scilicet sunt Dei judicia; qui hauddubie ideo hoc faciebat ut majorem famulo suo merendi materiam daret (quia non segnius aut minus idcirco laborabat quam ante) utque videret num voluntas illius cum sua voluntate conformis esset. Unde dicebat mihi non magis sese propterea affligi quam si illa cuipiam e vicinis suis ægritudo obtigisset, nec sibi videri grave futurum, si et alterius lumen oculi Dominus eriperet : tunc quippe se dicebat in eremum quamdam concessurum, ut ibi minore cum onere et obligatione Deo serviret. Hæc enim semper illius fuit propensio, antequam ad episcopatum assumeretur, uti subinde mihi referebat. Imo propemodum jam statuerat simul omnia descrere et intra solitudinem quamdam sese abdere.

931 Ego vero id pati minime poteram, quod mihi Ecclesiæ Dei perutilis futurus videretur; unde eum ego statum illi optabam quem modo habet : tametsi, quo die episcopale munus ei delatum est (nam statim id ipse mihi significari jussit), magnam intra me turbationem et inquietudinem sensi, quod gravissimum ei onus impositum viderem; nec me componere aut quietare poteram : quamobrem in chorum abii, eum Domino commendatura. Ibi me Majestas illius statim serenavit, ipsum servitio suo perutilem fore asserens; quod ita esse satis jam apparet. Quamvis ita ut dixi ex oculo laboret et alios præterea graves morbos habeat (ut taceam labores ejus ordinarios), quater per hebdomadam jejunat aliasque austeritates subit : cibus illius simplex est, ac nullas habet delicias. Suam diœcesim visitat pedes; quod famuli ejus et comites vix ferunt, deque ea re mecum subinde conquesti sunt. Illos porro oportet pios esse et virtutibus insistere, aut illius familiam deserere. Magni momenti negotia per provisores suos ut peragantur, vix sustinet; imo credo eum ne ulla quidem ipsis committere, sed ipsemet ea facere et exequi vult. AUCTORE V. D. M. *concessa sibi a pio episcopo* D

932 Biennio primo tam gravibus ibidem falsarum delationum exagitatus est persecutionibus, ut non possem non obstupescere; quia in justitia administranda mire integer et sincerus est. Illæ vero jam paulatim cessabant, et, quamvis delatores ad aulam et ad eos per quos ei malum machinari se et nocere posse sperabant, se contulerint, quia tamen jam virtus et bonum quod per totam diœcesim facit, innotuere, hinc nihil omnino possunt : ipse autem tanta cum animi tranquillitate omnes eas pertulit ut adversarios suos confusione repleverit, benefaciendo illis quos sibi malum machinari nosset. Quantumvis multa ei negotia curanda sint, semper tamen aliquod tempus illis suffurari satagit, quo orationi incumbat. Videor absorberi et extra metam ferri, dum aliqua de sancto eo viro bona refero. Et certe adhuc valde pauca dixi; sed ut sciatur quisnam fundationis Soriensis conventus, a SS. Trinitate cognominati, primus auctor exstiterit, utque quæ in eo aliquando vivent moniales consolationem sentiant, inanem operam non sumpsi : eæ vero quæ modo ibi agunt, id plane norunt. Quamvis autem ipse reditum annuum non dederit, dedit tamen templum; et ipse fuit qui (uti relatum est) matronam illam ad hoc opus faciendum induxit : denique, sicuti dixi, vir est excellentis pie- F tatis, virtutis et austeritatis. *ecclesia uti incipit.* E

Hac fundatione

933 *Hactenus Sancta de fundatione Soriensi : cui perficiendæ dum operam dabat, simul conata rursus fuit ut a Cardinali Quiroga, archiepiscopo Toletano, facultatem impetraret fundandi in urbe Madrito cœnobii, uti liquet ex epistola in hunc finem ad ipsum directa die* XVI *Junii* (*tom. IV, epist.* 2), *item ex altera* XXX *Junii data ad licentiatum Dionysium Ruiz de la Peña, Cardinalis confessarium* (*tom. III, epist.* 42); *atque ad eam rem intercessione usa est Alphonsi Velasquez, episcopi Oxomensis, mense Septembri Toletum forte profecturi, prout ipsa ad P. Gratianum scripsit die* XIV *Julii* (*tom. III, epist.* 30). *Agitur quoque in iis quas modo citabam epistolis, necnon in alia ad Dionysium de la Peña die* VIII *Julii data* (*tom. II, epist.* 59), *de nobili vidua Helena de Quiroga, archipræsulis consanguinea, quæ jam ab anno* 1567 *inter Carmelitanas Excalceatas cooptari cupierat. Hanc Sancta illo tempore nondum judicabat recipiendam, partim ne Cardinalem offenderet, partim quia plures habebat Helena liberos, quos matre sua orbari non expediebat. Nihilominus ante hujus anni finem Helena Te-*

AUCTORE V. D. M.

A *resianæ fuit adjuncta familiæ, ut alibi jam annotavi* (*num.* 562) *et ipsa Sancta Cardinali per epistolam indicavit* XXX *Octobris* (*tom. III, epist.* 2). *Quoad epistolam die* XIV *Julii scriptam ad P. Gratianum, notare juvat, id quod epistolarum commentator nescivit, eam adhuc sæculo superiori autographam asservatam fuisse in archivis collegii S. J. Complutensis; quemadmodum intelligo e superstitibus manuscriptis doctissimi P. Andreæ Burriel, quæ nobis perhumaniter communicare dignatus est D. Petrus de la Serna y Santander, Caroli de la Serna bon. mem., bibliothecarii olim civitatis Bruxellensis, filius. Ignoro quid post Societatis nostræ cladem de iis archivis actum fuerit, quæ plurimas epistolas SS. Ignatii de Loyola et Francisci Xaverii aliorumque virorum sanctitate ac doctrina illustrium continebant.*

vixdum absoluta,

934 *Porro vix pauci dies a festo Dominicæ Transfigurationis effluxerant, cum Sanctæ nostræ excedendum Soria fuit ut Abulam prospectum iret cœnobio suo S. Josephi. Itaque die* XVI *Augusti cum Petro de Ribera, quem supra nominavi* (*num.* 925), *et Ven. Anna a S. Bartholomæo, iter Abulense arripuit, simul Segovienses suas ex itinere visitatura.*

B *Antequam proficisceretur, Soriensi priorissæ, Catharinæ a Christo, commentarium tradidit sua manu exaratum de rebus in nova fundatione Soriensi ordinandis* (*tom. II, epist.* 75); *ex quo palam fit quantum S. Matri curæ esset exactissima regularum de clausura monastica observatio. Neque enim dubitat eam ob rem ad minutissima quæque descendere; et vult ut in ipso privato Beatricis Beaumontiæ locutorio, cujus clavis a priorissa servanda erat, cortina cancellis appendeat, quam retrahere non liceat, nisi quando loquendum fuerit cum Beatrice ipsa aut cum consanguinea ejus Eleonora de Ayanz, et interdum, sed rarius, cum Elvira de Tapia, recens nupta Francisco Carolo de Beaumont, proximo consanguineo Beatricis. Narrat auctor Chronici hunc virum S.* Teresiæ *fuisse valde infensum ob pecuniam a Beatrice, cujus ipse erat hæres, novo monasterio impensam; quinquennio vero post ei ægrotanti apparuisse Sanctam atque dixisse :* Multum quidem dubitavisti de mea sanctitate; sed vide quemadmodum dicat Euangelium, e fructibus nosci arborem, fructusque a me partos considera : *ac tum quidem Francisco in mentem venisse quasdam prædictiones sibi olim a Sancta factas; eumque in*

C *alium plane virum mutatum, vitam piissime exegisse Arevali, et opem S. Fundatricis frequenter fuisse expertum; atque hæc omnia ab ipso deinde in informationibus pro Sanctæ canonizatione jurato testimonio confirmata fuisse. Eleonora autem de Ayanz, rescisso per legitimam auctoritatem matrimonio quod cum Joanne de Beaumont, altero Beatricis consanguineo, contraxerat, hoc ipso anno* 1581 *Institutum Teresianum sub nomine Eleonoræ a Misericordia amplexa est. Idem fecit post duos annos Beatrix de Beaumont, in Pampelonense cœnobium, cujus fundationem opibus suis promoverat, ingressa sub nomine Beatricis a Christo. Tres habemus S.* Teresiæ *ad Eleonoram a Misericordia epistolas* (*tom. I, epist.* 44; *tom. II, epist.* 107; *tom. IV, epist.* 70).

per Burgum Oxomæ

935 *Audiendus modo Yepesius, illa ingenue de seipso narrans :* Quando Sancta Soriæ versabatur, perfunctus prioratu meo Zamorensi missus fui a prælatis meis Rivosiam; et Oxoma transiens audivi ab episcopo, qui jam Soria redierat mihique erat amicissimus, S. Matrem Soriensi fundationi incumbere ac brevi inde venturam esse Oxomam : e quo nuntio magnam cepi lætitiam et voluptatem. Advenit illa eodem die ad horam octavam vesper- D
tinam : ego obviam ei ad januam egressus, descendentem e curru salutavi. Cui roganti quis essem (quippe ut habebat faciem velo opertam, utque dies jam advesperascebat, me illa non agnoverat) postquam responderam me esse Fr. Didacum de Yepes, vocem cohibuit : unde timere cœpi ne forte mei esset oblita neu mea illi præsentia gravis accideret. Deinde vero ubi solus cum sola fui, rogavi quid sibi vellet silentium quo me meum nomen profitentem exceperat ac dolorem simul et admirationem mihi incusserat. Respondit illa : « Pau-
» lulum turbata fui, quia duæ res mihi ob oculos
» versabantur : vel te ab Ordinis tui præpositis
» punitum esse, vel Deum voluisse laborum in
» illa fundatione toleratorum præmium mihi tri-
» buere, te huc adducendo. » Equidem recreatus hac Sanctæ erga me voluntate, fassus sum verum esse id quod priore loco dixerat; sed alteram rem certe Deum non voluisse. Tum dixit mihi quanto tempore pœnitentia mea duratura esset; ac dissimulanter me reprehendit, prædicens fore ut, absoluta pœnitentia, me mei puderet : satis enim liquere quam parum ad patiendum paratus essem, qui
tam parva tanti facerem. Atque ita prorsus evenit E
uti ipsa dixit sociæ suæ Annæ a S. Bartholomæo, tamquam ei significans tempus quo mihi meus labor esset duraturus. *Hæc Yepesius* (*lib.* II, *cap.* XXXII); *qui præterea narrat in quadam relatione, citata a P. Antonio a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 82, *not.* 7), *se bis ea occasione Sacratissimum Jesu Christi Corpus S. Matri porrexisse, ac tum maxime expertum fuisse duo illa quæ in Vita ejus* (*lib.* II, *cap.* XXXVIII, *et lib.* III, *cap.* XX) *refert : nempe suavissimum passim fuisse ejus halitum, et quoties ad Eucharisticam Mensam accederet, vultum ejus mutari consuesse e pallido in formosissimum et quasi perlucidum.*

et Segoviam,

936 *Ex hactenus dictis concludere pro chronologia probabiliter licet, S.* Teresiam, *die* XVI *Augusti Soria egressam, attigisse sive Oxomam sive Burgum Oxomæ ad sequentis diei vesperum, ibidem transegisse diem* XVIII *Augusti, et postridie mane, sumpta SS. Eucharistia, inde profectam fuisse Segoviam, quo pervenit die* XXIII. *Ipsa autem de suo illo itinere ita scribit :* Cum jam Soriæ ad templum aliud concessissemus, et quæ ad clausuram necessaria erant, disposuissemus, necesse me fuit ad Abulensem con-
ventum proficisci : quare quamprimum inde per F
intensos æstivos calores digressa sum : adhæc iter quod conficiendum erat, curribus admodum erat importunum. Profectus vero mecum est præbendarius quidam Palentinus, Ribera nomine; qui in ambulacro nostro concinnando, nec non in omnibus rebus aliis, impigram mihi operam navavit magnumque laborem subiit; quia P. F. Nicolaus a Jesu Maria, confectis jam fundationis litteris, alio, ubi opera illius quam maxime necessaria erat, concesserat. Inde vero tantum ei Deus nobis benefaciendi desiderium injecit ut is inter nostri Ordinis fautores possit accenseri, ut una cum ipsis eum illius Majestati commendemus. Nolebam autem ut alius quis mecum veniret quam ipse et socia mea : nam adeo providus est ut mihi sufficeret; et quo minor per viam est strepitus, eo melius id esse comperio.

quo molestissimo itinere

937 Incommodis quæ hic sustinui, satis luebam quæ in veniendo habueram commoda : nam quamvis adolescens qui viarum se ducem obtulerat, viam usque Segoviam nosset, regiam tamen viam ignorabat. Hinc sæpe in ea nos loca conducebat ut exscensionem nos facere oporteret, et vehiculum velut in humeros ob ingruentia prægrandiaque præcipitia

A præcipitia sustollere. Si quos viæ indices assumebamus, ulterius nos non conducebant quam quousque ipsam nossent; si autem via vel paulo difficilior occurreret, illico nos deserebant, a suis se negotiis domum revocari dictitantes. Ante vero quam ad diversorium perveniremus (quod quando fieret, nesciebamus), vehementem solis æstum passi eramus, quin etiam sæpe in præsentissimo periculo versati, ne currus ipse, eversis rotis, prolaberetur. Ego sollicita et anxia imprimis eram ob illum qui nos comitabatur : nam, tametsi jam ante dixissent nos bona via incedere, necesse tamen nos erat viam emensam remetiri, et eo unde veneramus, reverti. At ipse adeo in virtute erat radicatus ut numquam illum stomachantem vidisse me meminerim; quæ certe æquabilitas mihi eum admirandi et Dominum laudandi occasio fuit. Quippe ubi solida et radicata est virtus, ibi occasiones peccandi vix quidquam possunt. Ego vero Dominum laudabam, quod nos e difficili hac via educere dignatus esset.

pervenit, 938 Pridie ergo natalis S. Bartholomæi Apostoli Segoviam ad S. Josephi appulimus; ubi moniales nostræ in metu et anxietate versabantur, quod tamdiu in via moraremur : quod enim via
B perdifficilis esset, satis diu in ea hæsimus. Illæ vero benigne et perhumaniter nos excepere : nam numquam mihi Dominus laborem aliquem ac pressuram immittit, quin eum statim consolatione rependat. Octiduo eoque amplius hic quievi. Hæc autem fundatio adeo sine ullo prorsus labore peracta est, ut is quem jam retuli, nihili faciendus sit; quia revera nullius est momenti. Equidem valde contenta inde redii, quod oppidum id mihi videretur hujusmodi, ut, quæ Dei misericordia est, sperem fore ut magnum nomini ejus inde sequatur obsequium quod conventus ille ibi sit erectus; uti jam reipsa id satis apparet. Sit ille in æternum benedictus et glorificatus. Amen.

Abulam, 939 *Dehinc Sancta die* IV *Septembris pervenit in vicum Villacastin, unde litteras dedit ad priorissam Hispalensem* (*tom. III, epist.* 82), *sequenti die Abulam usque itineratura; ubi ipsam præstolabatur P. Nicolaus Doria, paratus ad iter Romanum pro confirmandis Ordinis sui negotiis ex regis Philippi voluntate suscipiendum. Ipsa hac rerum serie, quin alia argumenta adducere oporteat, satis refutatur auctor Chronici, asserens Sanctam hoc iter per Palentiam fecisse, proindeque ad annum* 1581 *perperam*
C *referens quæ referenda erant ad annum* 1582, *ut suo loco patebit. Quin imo idem scriptor, quem sequitur P. Fredericus, adventum S. Matris in suum Abulense monasterium distulit ad finem usque Septembris, propter epistolam quam autumat Vallisoleto Soriam a Sancta missam fuisse* XVIII *Septembris* 1581. *Loquitur, ni fallor, de epistola* 42 *tomi primi, quam ad idem probandum allegat P. Fredericus* (*lib.* II, *cap.* XL), *et quæ diei notam habet* XV, *non* XVIII, *Septembris. Verum hanc anno* 1581 *scriptam haudquaquam fuisse vel inde ostenditur, quod in ea agitur de professione cujusdam monialis in aliud tempus differenda ob nimiam ejus adolescentiam : atqui quarto mense post monasterii fundationem de professione agi nondum poterat, siquidem Concilium Tridentinum* (*sess.* XXV, *cap.* XV) *vult ante professionem integrum tirocinii annum exactum. Præterea ipsa Sancta in epistolis quas dedit* IX *Septembris ad Hieronymum Reynoso* (*tom. IV, epist.* 49) *et* XIII *Septembris ad Dionysium de la Peña* (*tom. II, epist.* 60) *expressis verbis affirmat se Soria reducem jam Abulæ versari.*

prioratum in S. Josephi gestura, 940 *Abulam autem quando pervenit, carissimam suam S. Josephi domum reperit misere afflictam. Neque enim tantum moniales, confessarii sui culpa,* AUCTORE V. D. M.
de pristino pietatis ac religiosæ observantiæ fervore D
multum remiserant, uti jam alibi dictum fuit et nunc iterum apparet e S. Matris ad P. Gratianum epistola, data XXVI *Octobris* (*tom II, epist.* 42); *verum etiam, quoad res temporales, carebant fere eleemosynis atque obruebantur ære alieno. Has illæ ob causas, fame cogente, ut lepide non diu post scribebat Sancta ad priorissam Hispalensem* (*tom. II, epist.* 100), *consilium capesserunt eligendæ in priorissam* Teresiæ; *id quod facile, Maria a Christo prioratum sponte abdicante, Sancta vero senii ac valetudinis prætextu nequicquam reluctante, a provinciali Gratiano impetraverunt die* X *Septembris* (*tom. III, epist* 82, *not.* 6) *magno rerum suarum temporalium simul et spiritualium emolumento, uti in Ribera legere est* (*lib.* III, *cap.* V).

941 *Nimis longum foret epistolas hoc tempore* *adit.*
Abulæ a S. Teresia *conscriptas singillatim evolvere. Satis ergo sit aliqua ex iis, quomodo jam facere cœpi, delibasse, ac de cætero ordinem earum chronologicum, quo juvetur qui eas legere cupiat, breviter indicasse. Qui quidem ordo est talis : mensis Octobris die* IX *ad Hieronymum Reynoso* (*tom. IV, epist.* 49), *die* XIII *ad Dionysium Ruiz de la Peña* (*tom. II,* E
epist. 60); *mensis Octobris die* IX *vel* X *ad Sancium Davila* (*tom. I, epist.* 6, *et tom. IV, fragm.* 2, *sicut indicavi num.* 881), *die* XXVI *ad P. Gratianum* (*tom. II, epist.* 42), *die* XXX *ad Gasparem de Quiroga Cardinalem* (*tom. III, epist.* 2); *mensis Novembris die* VIII *ad Mariam a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 100), *die* XIII *ad Martinum de Salinas* (*tom. II, epist.* 58), *die* XV *ad Joannem de Ovalle* (*tom. II, epist.* 54), *die* XIX *ad Petrum de Castro* (*tom. IV, epist.* 8), *incerto die ad eumdem* (*tom. II, epist* 6), *item incerto die ad ducissam Albanam* (*tom. IV, epist.* 10), *die* XXVIII *ad Mariam a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 101), *die* XXIX *ad P. Gratianum* (*tom. III, epist.* 31); *mensis Decembris initio ad eumdem* (*tom. III, epist.* 32), *die* IV *iterum ad eumdem* (*tom. IV, fragm.* 9), *die* XV *ad Laurentium de Cepeda, defuncti Laurentii filium* (*tom. IV, epist.* 43), *die* XXIX *ad moniales Sorienses* (*tom. I, epist.* 43). *Huic forsan serici accenseri quoque debet epistola data die* XXII *Octobris ad Guyomaram Pardo y Talavera* (*tom. II, epist.* 69; *tom. III, epist.* 5); *sed cum certam anni notam præ se non ferat, id plane affirmare non ausim.*

F

§ XLIX. Carmelitarum Excalceatorum in Lusitaniam ingressus. Fundatio decimi sexti virginum Teresianarum monasterii, Granatæ a Ven. Anna a Jesu effecta.

Ven. Annæ a Jesu, Sub *annum* 1582, *quem nunc ingrediemur, P. Ambrosius Marianus Carmelo Reformato viam pararat in Lusitaniam atque etiam in transmarinas Lusitanicas ditiones; ita ut inchoatum Ulyssipone fuerit die* XIX *Februarii cœnobium Carmelitarum Excalceatorum, et quinque ex iis die* XX *Martii in Guineam navigare cœperint : sed hi in mari perierunt* (*Chron. lib.* V, *cap.* XXIV). *Sanctæ interim nostræ quatuor minimum fundationes fuerant oblatæ, videlicet*

AUCTORE V. D. M.

A *licet in pago Roderici, ac Orduniæ, Granatæ et Burgis : e quibus duas priores, ut* XIII *Julii scripsit ad Hieronymum Reynoso* (*tom. III, epist.* 40), *recusandas judicavit ; duæ vero posteriores ineunte anno* 1582 *fuerunt inchoatæ, Burgensis ab ipsa S.* Teresia, *Granatensis a Ven. Anna a Jesu,* Teresiæ *nomine ac loco. De hac, quia alteram tempore præcessit, prius mihi dicendum est; in quo ducem sequar ipsam Annam, quæ hanc fundationem descripsit. Etenim S.* Teresia, *scribere jussa historiam fundationum suarum, æstimarat eo mandato non comprehendi Granatensem, tum quia nondum plane absoluta erat, tum quia hæc non a se præsente* (*licet prævio suo consilio deditaque opera*) *fiebat : qua etiam de causa referendis abstinuit monasteriorum virorum fundationibus, nisi duorum primorum, quorum ipsa fuerat pars magna. At, cum Sancta vivis jam excesserat, P. Gratianus defectum illum historiæ, cum ex reliquis virginum fundationibus una hæc desideraretur, suppleturus, præcepit Annæ a Jesu ut conditæ a se domus historiam texeret : quod excellens hæc virgo tam probe styloque pene Teresiano executa est ut scriptum ejus reliquis fundationibus annecti solcat appendicis loco. Nec tamen id ego huic Commentario*

B *inseram, non tam quia e* Teresiæ *calamo non fluxit quam quia Anna præcipua Granatæ actrix fuit, non* Teresia. *Priorem tamen narrationis illius adferam partem, qua dicitur quomodo Sancta Granatensi fundationi proluserit. Quod autem porro referendum a me est, quomodo scilicet domui jam cœptæ* Teresia *consuluerit, suppeditabit mihi castigatoria epistola quam Sancta ad Annam misit* XXX *Maji* 1582, *id est quinto ab hujus in Granatensem civitatem adventu labente jam mense.*

Granatensem conventum

943 Mandat mihi Vestra Reverentia, *inquit Anna, narrationem suam ordiens et Gratianum alloquens,* ut domus hujus Granatensis fundationem describam; at, quia tam debili et imbecilli sum capite, tam exiguam habeo memoriam ut nesciam num gestorum bene sim recordatura : dicam tamen ea quæ memoriæ occurrent. Mense nuper Octobri anni MDLXXXV quartus agebatur annus ex quo P. Didacus a SS. Trinitate (qui vivat in pace) cum V. Reverentiæ loco viceprovincialem ageret, Veasensem conventum visitatum venit; in quo jam a trimestri aut quadrimestri præpositæ munere defuncta eram, et satis male valebam. Cumque hoc in statu

C me P. Visitator vidisset, serio et studiose nobiscum agere cœpit ut Granatam ad fundationem inchoandam excurreremus, quod multi viri graves et illustres ac locupletes matronæ illam ab eo instantissime peterent, notabilesque in illam eleemosynas sponderent. Nihil autem aliud (ut mihi quidem videbatur) erat quod illum ad credendum hos nobis in aliquo opitulaturos impelleret, quam bona illius fides et sinceritas. Unde ei dixi hæc nonnisi per modum assentationis et jactationis ab iis dici; proinde eorum quæ sponderent, nihil omnino futurum; imo nec loci archiepiscopum (*erat is Joannes Mendez, infulis Granatensibus ornatus anno* 1576) facultatem daturum ut monasterium aliquod censum non habens fundaretur, præsertim quod illic tot essent moniales quæ se vix sustentare eleemosynis possent, tum quod Granata esset destructa, tum quod magna rei annonariæ quotannis esset inopia. Ille, quamvis verum me dicere videret, tamen quod summopere conventum quemdam desideraret illic erigi, iterum in spe rei optime successuræ confirmari cœpit, dicens licentiatum Lagunam, audientiæ Granatensis assessorem, suam ad ipsi imprimis favendum operam addixisse, uti et P. Salazarium, Societatis Jesu sacerdotem, tametsi occulte, asserentes facili negotio hanc se ab archiepiscopo D facultatem impetraturos.

conditurœ,

944 Ego vero omnia hæc velut incerta duxi, uti revera erant; tametsi, quod Pater ille adeo huc propenderet, Deo rem quam affectuosissime commendarem, moniales reliquas etiam rogans illum orarent ut nobis lumen dare dignaretur, quo dispiceremus num eam fieri expediret. Majestas certe illius nobis lumen satis clarum dedit, ut ejus adminiculo liquido videremus nullam nobis aut commoditatem aut favorem humanum tunc quidem sperandum; sed, quemadmodum reliqua hactenus monasteria in sola de divina ejus providentia fiducia fundata erant, ita et hoc ipsum fundandum : Dominum namque singularem ejus curam in se sumpturum, magnumque ei in illo obsequium præstitum iri. Hoc porro mihi significatum est, cum a Sacra Communione surgerem; jamque tres elapsæ hebdomades erant ex quo P. Visitator hinc discesserat, omnimodis procurans ut hæc res ad exitum conduceretur. Ego, tametsi ea adeo dubia esset, tot etiam rationes eam dissuaderent, eam tamen tandem exequi decrevi, idque eo ipso temporis puncto quo a Communione surgebam; et sorori Beatrici a S. Mi-

E chaele, quæ erat ostiaria et mecum ad Communionem accesserat, id significavi, dicens : « Certissime cre- » das Deum velle ut isthoc Granatense monasterium » fundetur : quocirca Patrem Joannem a Cruce ad » me advoca, ut ei tamquam confessario meo dicam » quidnam mihi Majestas illius significarit. » Cum ergo P. Joanni a Cruce, qui meus erat confessarius, hoc aperuissem, suasit is ut Patri Visitatori id indicarem, ut hic quamprimum ad Rev. Vestram scriberet, quo bona illius cum venia et consensu res fieret. Hoc eodem ergo die id constitutum est : simul etiam quidquid huc erat necessarium, procuratum, magno sane omnium Patrum et conventus totius gaudio, cognito fundationem hanc jam executioni mandandam.

sociæ a S. Teresia *assignantur.*

945 Scripsimus proinde ad Rev. Vestram et ad Sanctam Matrem nostram Teresiam a Jesu, quatuor ab ea moniales e Castella postulantes, quæ hanc fundationem ordirentur, nec non ut ipsa eam auspicaretur; quod certi essemus eam omnimodis conficiendam. Dedimus ergo operam ut P. F. Joannes a Cruce cum alio quodam religioso illuc abiret, et omnia ad moniales conducendas necessaria secum sumeret. Quapropter is Veaso Abulam ad S. Ma-

F trem nostram Teresiam a Jesu contendit; atque inde nuntium ad Rev. Vestram, quæ tum Salmanticæ agebat, destinarunt. Quæ ut litteras illorum conspexit, illico postulata concessit, S. Matri nostræ tamen liberam earum quas mittendas dicebamus, monialium electionem permittens. Assignavit autem illa duas e domo Abulensi, Matrem videlicet Mariam a Christo, quæ quinquennio illic præpositæ munere functa erat, nec non sororem Antoniam a Spiritu Sancto, quæ de quatuor primis quæ Excalceatarum habitum in S. Josephi Abulæ induerunt, una fuerat; e Toletana vero, sororem Beatricem a Jesu, quæ item e veteranis monialibus erat et S. Matris nostræ cognata. Ipsa vero S. Mater huc venire non potuit, quod ad Burgensem fundationem, quæ eo ipso tempore instituebatur, inchoandam proficisci eam oportebat : et jam a multo tempore mihi scripserat se ad Granatensem fundationem non profecturam; quod crederet Deum velle ut ego illam inchoarem. Mihi vero prorsus impossibile videbatur ullam sine ipsa fundationem perficere : quocirca grave mihi accidit quod die festo Conceptionis Deiparæ moniales sine idsa Veasum appellerent. Legi autem litteras ejus quas hæ mihi afferebant;

bant; in quibus affirmabat se quidem velle, ad mihi gratum faciendum, ut huc posset excurrere, sed magnum Deum nostrum aliud quid sibi præcepisse; se nihilominus certam esse Granatæ omnia quam felicissime perfectum iri, Majestatemque illius singulari quodam modo mihi auxiliaturam, quod etiam statim ad oculum videri incepit.

Summatim refertur Granatensis fundatio.

946 *Dein pergit Anna narrando quomodo* XXI *Januarii* 1582 *Granatam pervenerit in comitatu monialium suarum ac S. Joannis a Cruce et P. Petri ab Angelis; qua ratione moniales septem prope menses hospitatæ fuerint in domo Annæ de Peñalosa et Ludovici de Mercado, nolente primum archiepiscopo in suam civitatem novum admittere monasterium; cur e ducentis quæ habitum Ordinis postulabant, dumtaxat una recepta fuerit, donec, alieno non amplius arctatæ in domicilio, conductitiam occuparint domum, quam dein commutarunt cum multo meliore quam a duce de Sesa emerunt e pecuniariis subsidiis Ordini attributis a monialibus recens professis. Atque hæc licet compendio dicta juvabunt ad melius intelligenda ea quæ mox expositurus sum secundum epistolam* (*tom. I, epist.* 65) *quam Sancta* XXX *Maji misit ad Annam monialesque ejus, in mutuatitia adhuc domo*
B *cohabitantes cum sæcularibus.*

Castigatoriæ S. Matris ad Annam litteræ

947 *De epistola hac nec P. Angelus Manrique in Vita Ven. Dei Servæ, nec auctor Chronici, ubi fundationem Granatensem enarrat, ullam fecere mentionem. Omissa hæc itidem fuit anno* 1660 *in editione Parisiensi versionis gallicæ primi volumis Epistolarum S.* Teresiæ, *factæ a Francisco Pellicot : cujus quidem omissionis culpa, ut docet monitum editioni Bruxellensi ejusdem versionis anno* 1661, *et Antverpiensi anno* 1686, *a typographo præmissum, neque in traductorem nec in typographum Parisiensem conjicienda est, sed in moniales quibus Pellicotius sua scripta commiserat, quæque ex iis hanc epistolam cum aliis quibusdam epistolarum locis, humani aliquid passæ, expunxerant : quod ubi palam fieri cœpit, eadem epistola quibusdam exemplaribus prædictæ editionis Parisiensis, sed valde paucis, fuit quasi postliminii jure ad calcem adjuncta. Postmodum vero Mater Maupeou, dum jussu superiorum secundo Epistolarum Teresianarum volumini in gallicam linguam vertendo operam dedit, hujus quoque epistolæ adornavit versionem, sed ita ut nomina Ven. Annæ a Jesu et civitatum Granatæ ac Veasi, quæ in hispanico textu comparent, studiose omitteret, cum in*
C *titulo, tum in decursu epistolæ : quamobrem editor versionis illius margini hæc nomina adscripsit. Hinc facile deduces rationem cur inter epistolas S.* Teresiæ *gallica lingua anno* 1748 *editas celebris hæc epistola non priori volumini, sed posteriori inserta fuerit : quia scilicet, cum eam Mater Maupeou epistolis posterioris voluminis addidisset, superfluum merito judicavit Chappe de Ligny eam cæteris prioris voluminis epistolis denuo accensere; prout ipse in suo proœmio lectorem monet. Nuper R. D. Migne in nova editione gallica Operum S.* Teresiæ *locum eidem assignavit inter epistolas primi voluminis ultimum sive* LXV, *quamquam rectius ex ordine chronologico eam loco* LXI *posuisset; sed parvi id quidem interest.*

expenduntur;

948 *Jam vero omissionum, quas modo recensebam, causa potissima videtur fuisse timor ne fama Ven. Annæ a Jesu, de Carmelo Reformato optime meritæ, quæ plura per Hispaniam, Galliam, Belgium monasteria fundaverat, cujus etiam causa beatificationis fuit apud Sacram Rituum Congregationem introducta, detrimenti aliquid pateretur. Quippe S. Mater* Teresia *in epistola de qua loquor dilectam sibi filiam Annam quarumdam culparum ream faciebat, quas abbas de Montis in Vita hujus Ven. Servæ Dei, excusa Parisiis anno* 1788, *ad quatuor reducit capita :* AUCTORE V. D. M.
1° *quod nimis multas moniales secum duxisset, adeo-*
D *que hospiti suo Ludovico de Mercado molestiam faceret;* 2° *quod e Veasensi monasterio eas elegisset socias a quibus se plurimum diligi sciret;* 3° *quod neglexisset de rebus a se gestis certiores facere P. Gratianum et S.* Teresiam ; 4° *quod, postquam a monialibus electa fuisset in priorissam, ægre ferret sibi a P. Gratiano, non priorissæ, sed tantum præsidis titulum tribui. Quamquam, ut e non levibus argumentis conjicere fas est, S.* Teresia *non acribus adeo verbis eam excepisset, si de ejus agendi modo ac de rebus Granatensibus fuisset accuratius edocta : neque enim filia tantum in culpa fuit quantum Mater credidit.*

et Anna magna ex parte

949 *Imprimis verum quidem est multas simul moniales Granatam abivisse : miserat namque S. Mater e cœnobio Abulensi duas, e Toletano unam, curaveratque insuper per litteras* (*tom. II, epist.* 101) *ut duas priorissa Hispalensis mitteret; his vero tres Veasenses Ven. Anna adjunxerat, ita ut essent universim moniales novem. Sed esto de hoc numero nec S.* Teresiam *nec P. Gratianum monuisset, monuerat certe* (*ut in narratione ejus legitur*) *P. Didacum a SS. Trinitate, Gratiani in provincialatu vicarium; quin imo expresse ad eum scripserat decem* E *moniales esse venturas : neque is nec S. Joannes a Cruce in hac re videntur ab Anna dissensisse. Quod autem septem mensium spatio moniales in domo aliena habitarint non sine piorum hospitum incommodo, hoc Anna prævidere non potuerat, dum acciebatur a vicario, qui scribebat domum a se fuisse conductam. Omnes hasce rerum circumstantias alias-*
que multas, quæ ex dicta narratione erui possunt, si S. Teresia *probe scivisset, facile, credo, excusasset Annam suam. Utrum vero hæc Dei Serva in deligendis e Veasensi monasterio sociabus affectum nimis humanum fuerit secuta, prorsus dubium S.* Teresia *relinquit; neque enim affirmanter, ut credidisse videtur Montisius, sed conjectatorie tantum hoc ei exprobrat, addens se nescire quænam e Veasensibus Granatam sint profectæ : videantque illi qui hoc crimen nimium urgent, ne ejus quoque reum faciant S. Joannem a Cruce; quo inconsulto Annam quidquam egisse, non facile mihi persuasero.*

excusatur.

950 *At scribere saltem ad S.* Teresiam *et P. Gratianum debuit. Imo vero, nisi probabilem ob rationem hanc scriptionem omiserit : v. g. quia non satis ei constaret ubinam S.* Teresia *et P. Gratianus degerent, quando illa ad fundationem Burgensem* F *incunte anno abierat, hic vero ad visitanda cœnobia tam varias in partes excurrebat ut ipsa Sancta passim nesciret qua via litteræ ad eum perventuræ essent. Et fieri quoque potuit ut Anna reipsa scripserit, quin ejus litteras acceperint* Teresia *et Gratianus. Ad hunc saltem eam dedisse litteras, deduci aliquatenus, mea quidem opinione, potest e monialium Granatensium de Gratiano querelis propter præsidis titulum electæ a se priorissæ datum. Nisi enim putassent provincialem de electione priorissæ jam factum esse certiorem, qui potuissent adeo ei hac de causa succensere? Neque tamen ita mente captæ erant ut putarent res longe dissitas aliter quam per litteras aut nuntia posse Gratiano innotescere. Denique hæ ipsæ monialium querelæ, quod quartum est crimen Ven. Annæ objectum, nimiæ fuerint illæ quidem, per me licet : verumtamen jure fundatæ erant; et ideo fortassis bonæ illæ virgines jus suum paulo acrius tuebantur quod recordarentur luctuosas tragœdias circa hujusmodi rem olim actas : videlicet Abulæ in Incarnationis cœnobio, ubi S.* Teresia, *legitime in priorissam electa, munere suo fuerat a provinciali prohibita* (*vide* § XLI); *item Hispali, ubi Mariæ a*

AUCTORE V. D. M.

A *S. Josepho excunte anno* 1578 *per vim ademptus fuerat prioratus* (§ XLII). *Quod dum dico, nolim tamen, præcipue quod spectat ad quartum hoc caput, moniales Granatenses omni prorsus culpa liberare, sicut facere videtur Palafoxius; sed illud unum contendo, commissas ab iis culpas, ac præsertim ab Anna a Jesu, fuisse perquam exiguas. De reliquo omnino assentior Montisio, dum ita loquitur:* Nullum dubium est quin Anna a Jesu, pro ea qua eminebat religiosa sanctimonia, responsionem carissimæ suæ Matri fecerit plenam affectibus humilitatis, subjectionis ac contritionis; quæ si pervenisset ad nos, summæ nobis ædificationi fuisset. *Hæc quidem de laudata S.* Teresiæ *epistola prævie a me dicta satis sunto.*

Eæ litteræ partim per compendium,

951 *Vellem sane totam modo hic inserere eam epistolam, quæ simul monumentum est Teresianæ eloquentiæ et specimen sanctæ severitatis qua Mater amantissima filias suas, quando ei videbantur a regula ac spiritu vitæ Carmeliticæ deflexisse, castigare atque ad rectum perfectionis tramitem revocare norat. At, brevitatis ergo, notabiliores tantum ejus partes citabo, cætera summatim. Scilicet exordio Sancta perstringit Annæ monialiumque suarum*

B *oscitantiam in litteris dandis cum ad se tum ad provincialem; carpit læsam, ut existimabat, ab Anna obedientiam in plurium quam fas erat monialium e Veasensi conventu abductione; ridet vanos illarum de amittendo archiepiscopi patrocinio timores et nimias de rerum penuria querimonias, quas acute redarguit exemplo sororum Hispalensium, non ita gemebundas se præbentium, quamvis durissima, Martyrum instar, ferant dispendia.* Ubi, *inquit,* bona adest valetudo nec esca deest, ibi profecto non est quod ob domum paulo arctiorem morti proximas vos clamitetis; et cum tam potentes habeatis fautores, nescio de qua re conqueramini : non enim debebant omnia vobis ridere. *Porro non sinit ut e monialibus quæ nimiæ sunt, Hispalenses Hispalim revertantur, vult vero ut Veasenses Veasum repetant.* Et ita quidem id volo, *ait,* ut, nisi timerem ne vobis dem ansam iterum offendendi Deum per inobedientiam, magnum ad te mitterem præceptum : nam pro omnibus Excalceatarum rebus vice fungor P. N. Provincialis. Hac igitur auctoritate edico ac mando, ut, quam primum proficiscendi erit facultas, Veasum redeant quotquot inde Granatam ierunt moniales, excepta Matre Anna a Jesu; idque

C etiamsi jam ad propriam domum transmigraveritis : nisi forte sufficiens adsit reditus, quo e præsenti necessitate queatis emergere. Nullam enim ob causam utile est ut fundatio cum tot monialibus incipiatur : imo multæ rationes contrarium suadent.

partim per fragmenta exhibentur,

952 Equidem (*sic pergit Sancta*) per hosce dies rem Deo Domino nostro commendavi (nolebam enim tam cito ad vestras litteras respondere), et judico hoc meum imperium omnino ad Dei gloriam spectare; et tanto quidem magis quanto vobis accidet acerbius. Nimirum a spiritu Excalceatarum mearum prorsus abhorret quævis animi in creaturas, adeoque in ipsam priorissam propensio : qua si quæ laborent, numquam proficient in rebus spiritualibus. Liberas Deus vult esse sponsas suas et sibi soli devinctas; neque velim ut domus ista imitetur Veasensem. Numquam e memoria mea dilabetur quædam epistola quam illinc accepi, quando tuo ibi prioratu abivisti. Inde scilicet factiones, inde aliæ plurimæ nascuntur turbæ, eo graviores quod principia non advertere solemus. Quare nunc temporis, per caritatem oro vos, nolite a me dissentire : postea, si videbitur, quando meliori loco res vestræ erunt et moniales istæ habebunt animum magis a creaturis divulsum, redire ad vos poterunt. Ignoro D plane quænam illæ sint quæ tecum abierunt; nam de iis et me et P. Provincialem diligenter celastis, nec putabam te tam multas abducturam : suspicor autem eas fuisse quæ tibi sunt optime affectæ. O verum obedientiæ spiritum! Num fas est naturali amori indulgere erga aliquam, quod ipsa locum Dei teneat? Per hunc ego te spiritum oro atque obtestor ut perpendas animas a te educari quæ fiant sponsæ Crucifixi; quas proin ita crucifigere debeas ut propria careant voluntate, nec afficiantur erga res nihili. Videte, quæso, vos Ordinis nostri initia ponere in novo regno (*scil. Granatensi, non ita pridem Mauris erepto*); adeoque oportere ut tu cæteræque omnes non muliercularum animos, sed virorum fortium geratis.

v. g. ubi Anna acrius tueri dicitur suam dignitatem,

953 Quid autem refert, Mater mea, sive P. Provincialis te præsidem appellet, sive priorissam, sive Annam a Jesu? Bene intelligitur, nisi tu cæteris præesses, te non magis nominandam fuisse quam alias quæ æque ac tu priorissæ fuerunt. Tam parum de rebus vestris Patrem illum docuistis ut mirari non debeatis quod ignoret utrum electionem feceritis necne. Sane pudore me affecistis, quando vidi E Excalceatas meas ad tales ineptias abire, nec de iis cogitare tantum, sed loqui etiam : qua in parte præ reliquis eminet Mater Maria a Christo. Utique vel dolor vester ad insaniam vos adegit, vel infernalia semina nostro huic Ordini injicit diabolus. Interim prædicta Mater tuam extollit animi magnitudinem; quasi vero hæc cum submissione consistere non posset. Det Deus monialibus meis Excalceatis humilitatem, obedientiam ac subjectionem : sine his enim virtutibus alia ista facinora omnia non sunt aliud quam magnarum principia imperfectionum. Modo mihi venit in mentem, quod olim ad me scripsistis, uni vestrum, quam Veaso adduxistis, consanguineos esse Granatæ, a quibus adjutæ fuistis. Quæ res si ita se habet, conscientiæ Matris priorissæ committo ut hanc Granatæ retineat, si videbitur; at cæteras non item. Magnas proculdubio difficultates in hocce initio offendes : quas cave timueris. Opus tam grande effici absque iis non poterit; et ingens manet præmium. Faxit Deus ne imperfectiones a me committi solitæ castigationem magis quam præmium mereantur : hoc quippe numquam non timeo. Scripsi ad priorissam Veasensem ut ad sumptus itineris aliquid conferat, siquidem tam parum com- F moditatis jam adest. Dixi ei me libentissime, si Abula tam prope a Granata abesset, meas revocaturam moniales : quod etiam postea, labente tempore, fieri cum Dei ope poterit. Itaque spondere iis potes, fore ut, quando fundatio facta erit et novas receperitis moniales, ad pristinas suas domus remittantur illæ quæ non amplius erunt istic necessariæ. Porro, cum nuperrime ad te, ad Matres istas et ad P. Joannem a Cruce prolixe de rebus quæ hic aguntur perscripsi, non censui nunc aliam epistolam mihi ad omnes dandam esse præter hanc unam. Utinam ne et hoc ægre ferant, sicut ægre tulerunt quod P. Provincialis te præsidem appellavit! At ita usus habet : antequam hic, veniente Patre nostro, electionem institueramus, non vocabamus priorissam eam quæ præerat, sed præsidem. Cæterum hæc eodem recidunt.

item ubi de disciplina claustri.

954 Quoties scripsi, oblita fui id quod sequitur. Scilicet nuntiatum mihi fuit moniales Veasenses, etiam post capitulum separationis, claustris suis egredi ad componendam ecclesiam. Quod quomodo fiat, non intelligo, dum nec ipsi provinciali id permittere integrum est : Summus enim Pontifex motu proprio claustri leges severissimis anathematis

A matis pœnis sancivit; ne de nostra constitutione loquar, qua districte eædem præscribuntur. Initio quidem leges illæ aliquam nobis attulere molestiam; nunc autem multum gaudii. Neque licet nobis exire ad claudendum ostium quo itur in plateam : quod cum sorores nostræ Abulenses optime sciant, miror quod cæteras non monuerint. Tu per caritatem cura ut hæ leges observentur : Deus mittet qui ecclesiam vestram componant, eritque unde omnia fiant quæ fieri oportebit. Quando autem recogito quam molestæ sitis vestris hospitibus, non possum non valde commoveri. Alias jam scripsi ut de domo vobis prospiciatis, quantumvis mala et inepta fuerit; ubi, licet incommode, saltem non tam anguste habitetis : quod si etiam anguste, malo ut vos aliquid patiamini quam ut patiantur insignes isti benefactores. Scribo modo ad Dominam Annam (*de Peñalosa*), et verba invenire apta vellem quibus ei de collatis in nos beneficiis dignas agam gratias: verum, quod caput est, sua ei merces apud Dominum non deerit. *Ad extremum Sancta sua claudit monita jubendo ut hæc epistola, quæ Annæ destinata erat, legatur etiam a subpriorissa duabusque sociabus ejus et a S. Joanne a Cruce.*

B

§ L. Sancta, decimum septimum monialium suarum cœnobium fundatura, Burgos se confert; ubi non exigua offendit obstacula.

Archiepiscopus Burgensis,

Gradum facimus ad Burgensem eamque postremam S. Teresiæ *fundationem, prolixe ab ipsa enarratam capite libri Fundationum ultimo. Eam igitur loquentem audi, quarumdam prolatarum occasione hujus fundationis in Societatem Jesu cavillationum refutatione ad eum dilata locum in quo sermo erit de perenni S.* Teresiæ *erga Societatem Jesu amore.* Jam sexennium, *ait,* et amplius effluxerat, ex quo quidam e Societate Jesu viri cumprimis religiosi, senio, litteris et spiritu commendabiles, mihi dixere non mediocriter ad Domini gloriam et obsequium futurum, si quoddam Sacri hujus Ordinis cœnobium in
C civitate Burgensi erigeretur. Aliquot ad hoc quoque depromebant rationes, quæ me ad id ipsum desiderandum non parum impellebant. Verum, quod et Ordo ipse diversimode exagitatus et ego aliis fundationibus distenta essem, commodam rei hujus perficiendæ occasionem non habueram. Itaque cum anno MDLXXX Vallisoleti agerem, forte illac archiepiscopus Burgensis (*Christophorus Vela*), tunc recenter ad hunc archiepiscopatum electus (antea namque Canariensis episcopus fuerat) et eo se conferens, pertransiit. Unde Alvarum Mendozium Palentinum præsulem (quem jam sæpius dixi plurimum huic Ordini favere : ipse namque primus fuit qui cœnobium S. Josephi Abulæ admiserat, dum illic episcopus erat; quin etiam magna exinde semper nullo non loco nobis beneficia contulit, negotiaque Ordinis hujus non secus curavit quam propria, atque ea imprimis quæ particulatim cum rogo ut curet) oravi ut ab hoc ad Burgis conventum constituendum facultatem mihi deposceret. Qui id se quam libentissime facturum respondit : quod enim singulare Domino in hisce monasteriis obsequium præstari arbitretur, hinc illi maximæ est voluptati, si quando aliquod alicubi erigitur.

956 Noluit autem archiepiscopus novus Vallisoletum intrare, sed in S. Hieronymi conventu extra civitatem est diversatus : quo eum loco Palentinus præsul quam humanissime invisit, cum eoque prandit, et quoddam ei cingulum dedit, aut nescio quam cæremoniam circa eum exercuit, quam episcopali manu fieri oportebat (*de impositione sacri Pallii, quod Romani Pontifices ad archiepiscopos mittere solent, Sancta loquitur*). Hic ergo facultatem ab illo monasterii in urbe Burgensi fundandi petiit : quam ipse quam libentissime elargiturum se spopondit, quoniam etiam cum in Canaria ageret, desiderarat et petierat ut ibidem aliquod Ordinis hujus cœnobium fundaretur; quod probe sibi constaret quantopere in illis Domino serviretur. Quippe ex urbe erat oriundus in qua unum eorum fundatum erat : præterea eram ego ei familiariter nota. Quamobrem me episcopus securam esse jussit, utque de facultate impetranda neutiquam dubitarem, edixit; eo quod archiepiscopo id quam gratissimum fuisset. Et quia Concilio Tridentino non jubetur ut facultas hujusmodi scripto tradatur, sed satis sit Ordinarium in his assensum præbere, hinc facultas ea ut data concessaque poterat haberi.

AUCTORE V. D. M. *rogante Palentino episcopo,* D

E

957 Jam supra in Palentinæ fundationis narratione dixi quam illo tempore magnam in meipsa sentirem a fundando repugnantiam, quod quam pessime valuissem, ut omnes me demorituram crederent, ac ne tum quidem plane confirmata essem valetudine; tametsi me hæc ipsa adeo dejicere et pusillanimem reddere non soleant, cum quæ agenda sunt, ad Dei honorem et cultum tendere video : unde quænam tantæ pusillanimitatis et ignaviæ, quantam tunc habebam, causa fuerit, nequaquam intelligo. Si dixero inde ortam quod parva mihi ad illam fundationem peragendam suppeterent subsidia, aliis certe in fundationibus habueram minora. Quocirca, cum illius vidi eventum et quæ inde secuta sunt, a diabolo eam profectam fuisse mihi persuadeo. Plerumque enim hactenus contigisse video, ut, quoties in aliqua fundatione mihi subeundus est labor, Dominus, miseriam meam cognoscens, mihi tum verbis tum operibus animum semper addat.

S. Teresiæ

958 Aliquoties mihi in mentem venit, Dominum, sicut in quibusdam fundationibus quæ difficultate carebant, nihil mihi significare consuevit, ita in hac, cum sciret quidnam nobis patiendum esset, jam inde a principio animum mihi dare cœpisse. Sit ipse pro omnibus laudatus. Nimirum, uti jam retuli in F fundatione Palentina, de qua facienda eodem tempore agebatur, per modum reprehensionis mihi dixit : « Quid times? Quando unquam tibi defui? Idem » qui hactenus fui, sum modo : duas hasce funda- » tiones perficere ne negligas. » Quoniam ibi narratum est quis mihi post illa verba animus manserit, necesse me non est hic idem denuo referre. Mox namque ab omni me socordia liberatam sensi : unde liquido patet invaletudinem et senilem ætatem meam illius causam non fuisse. Quocirca tam de una quam de altera (uti ante declaratum est) tractare cœpi. Magis autem expedire videbatur ut Palentinam prius auspicarer, tum quod id oppidum esset vicinum, tum quod tempus satis brumale, tum quod Burgensis civitas frigidiori esset sub climate, maxime vero ut bono Palentino episcopo gratificaremur. Unde etiam prius ea perfecta est, sicuti jam supra narratum fuit. Sed quoniam, cum ibidem agerem, Soriensis fundationis occasio sese inexspectato obtulit, visum mihi (quod omnia hic parata et confecta essent) satius futurum prius illuc proficisci, atque inde demum Burgos me conferre.

Soriensi fundationi intentæ

959 Visum autem Palentino episcopo (prout quidem

significat gratum sibi fore

AUCTORE V. D. M.

quidem cum ipsa rogabam) expedire ut rei hujus et omnium quæ gerebantur, archiepiscopum certiorem facerem. Adhæc ipse, dum ego Soriam profecta eram, canonicum quemdam, Joannem Alphonsum nomine, hac sola de causa ad archiepiscopum misit. Hic vero multa cum amoris testificatione ad me scripsit se adventum meum desiderare; et, postquam cum canonico illo egisset, episcopo Palentino, cujus prudentiæ rem committebat, per litteras respondit se quidquid faceret, ideo facere quod Burgenses nosset; necesse enim esse ut eorum cum consensu fundatio fieret : itaque mentem suam esse ut ego me illuc conferrem, et rem hanc primo cum civitatis magistratu transigeremus; at hunc tamen, si forte facultatem nobis denegaret, impedire non posse quominus eam ipse archiepiscopus deinde concederet. Addebat se interfuisse fundationi monasterii nostri Abulensis, ac memoria tenere quantæ ibi turbæ et contradictiones fuissent excitatæ : has vero se Burgis antevenire velle; ac proin non expedire ut monasterium erigeretur nisi aut cum reditu aut cum assensu civitatis : se autem propterea hoc dicere quod ego ad reditum admittendum non omnino propenderem.

si ipsa Burgis cœnobium erigat.

960 Palentinus ergo præsul rem plane confectam existimabat, nec immerito; quandoquidem archiepiscopus suaserat ut Burgos venirem. Quare, misso nuntio, significavit ut illuc proficisceremur. Ego vero aliquem animi defectum in archiepiscopo percipere mihi videbar; adeoque ad eum rescripsi me quidem gratias ei agere de beneficio mihi præstito, sed pejus mihi videri ac majorem archiepiscopo invidiam creatum iri, si invita civitate monasterium fundaremus, quam si id faceremus nihil magistratui indicando. Videor mihi jam tum præsagiisse quam parum subsidii nobis ab ipso sperandum esset, si qua forte contradictio in fundatione procuranda sese mihi objiceret. Quin etiam negotium hoc difficile fore arbitrabar e varietate opinionum quæ hujusmodi in rebus occurrere solet. Quapropter et ad episcopum Palentinum epistolam dedi, ei supplicans ut, cum exigua æstatis pars reliqua esset nec me infirmitates meæ in regione adeo brumali commorari sinerent, fundatio hæc pro eo tempore omitteretur. Suspicionem equidem meam de archiepiscopo ei non aperui, tum quia suapte sponte jam ægre ferebat difficultates ab illo allegari post tot benevolentiæ significationes, tum ne inter eos, amici cum sint, discordiam sererem. Soria igitur Abulam discessi, nequaquam interea in animo habens tam cito Burgos adire; ac meus quidem in Abulense S. Josephi cœnobium adventus quasdam ob causas erat pernecessarius.

Catharina de Tolosa, vidua,

961 Habitabat autem tunc Burgis sancta quædam vidua, Catharina de Tolosa nuncupata, e Cantabria oriunda; cujus si virtutes, pœnitentiam, orationem, liberales eleemosynas, caritatem, præclarum ingenium ac fortitudinem animi prædicare vellem, longam contexere narrationis seriem possem. Duas hæc in Vallisoletano Ordinis nostri cœnobio, a Conceptione Deiparæ Matris vocato, filias (idque, ni fallor, jam a quadriennio) collocarat : postea et alias duas Palentino dedicavit, exspectans usquedum hoc constitueretur; quas, priusquam inde recederem, illuc deduxit. Quæ quatuor adeo bene profecere (utpote a tali matre institutæ et educatæ) ut Angelos sanctitate referre videantur. Amplas satis illis dabat dotes, et omnia necessaria quam abundantissime : ipsa namque rebus abundat, et quidquid facit, quam cumulatissime facit; et potest quidem, cum opulenta sit ac locuples.

962 Palentiæ ergo cum ageret, tam certo nobis sperabamus facultatem ab archiepiscopo dandam, ut nullatenus de ea dubitandum videretur. Eam itaque rogavi domum mihi pretio conducibilem conquireret, ut in ea adire possessionem possemus, in qua et reticulatos cancellos et orbem versatilem adaptaret, meisque rationibus pretium horum adscriberet : nam nolebam ut vel minimum de suo impenderet, sed ut mihi tantum mutuaret. Tam ardenter porro hanc ipsa fundationem perfectam videre cupiebat, ut permolestum illi fuerit quod tunc ea confecta non fuerit. Unde, me Abulam (uti dixi) profecta, et nihil minus quam de fundatione hac conficienda cogitante, ipsa minime cessavit; nam, cum a sola facultatis magistratus impetratione negotium totum dependere illi videretur, eam (nihil omnino mihi indicando) procurare cœpit. Habebat namque duas vicinas magnæ auctoritatis fœminas, et permagnas Dei ancillas, matrem scilicet ac filiam, quæ hoc monasterium illic videre cumprimis desiderabant.

opera duarum vicinarum

963 Matri nomen erat Maria Manrique, quæ filium habebat senatorem, Alphonsum a S. Dominico Manrique cognominatum : filia vero Catharina vocabatur. Ambæ instanter ab ipso petierunt ut rem hanc in senatu proponeret. Is ergo Catharinam de Tolosa convenit, petens ecquo nos dicere posset fundamento niti : neque enim facultatem a senatu datum iri, nisi aliquod subsidium haberemus. Ipsa se spopondit domum ære suo (si aliunde nobis non suppeteret) comparaturam ac de victu prospecturam, uti et fecit; adeoque supplicem libellum suo signatum nomine senatui obtulit. D. Alphonsus rem adeo scite proposuit et conduxit, ut ab universis senatoribus facultatem hanc, et quidem in scriptis, obtinuerit, quam et archiepiscopo videndam dedit. Cum vero de hoc illa negotio agere cœpisset, per litteras mihi id significavit. Ego illam nugari et me ridere existimabam : scio namque quam ægre monasteria nullis dotata censibus admittantur; quod vero nescirem, ac ne cogitarem quidem, ipsam se facturam spopondisse id quod postea fecit, longe alia ad hoc mihi opus esse auctoritate videbatur.

a senatu civitatis

964 Cum ergo intra octavam S. Martini hoc negotium Domino per orationem commendarem, animo reputare cœpi quidnam ipsa, si a magistratu jam ea facultas daretur, facerem : etenim parum tutum et expediens mihi videbatur, corpore adeo præ morbis attrito, cui frigus quam maxime officit (erat namque id tunc satis vehemens), Burgos me abire; nam temerarium erat tam longum me iter suscipere, cum nonnisi nuperrime ab altero valde difficili (quale me, dum Soria redirem, habuisse dixi) rediissem. Timebam quoque ne Pater provincialis id mihi non permitteret. Putabam proinde Palentinam præpositam non incommode eo posse mitti, quod, rebus omnibus jam dispositis et difficultatibus superatis, non multum negotii imminneret. Dum autem hoc mecum volvo, et ab itinere suscipiendo animum prorsus avoco, hæc mihi Dominus verba dixit, e quibus jam tunc facultatem datam fuisse liquido perspexi : « Noli frigora hæc » curare : ego namque verus sum calor. Omni dia- » bolus ope connititur ut hanc fundationem dis- » turbet : tu vero contra a parte mea connitere » ut ad exitum ea perducatur; et ne negligas ipsa » te illuc conferre : nam magnum inde commodum » proveniet. »

pro S. Fundatrice,

965 Mox ergo opinionem et sententiam mutavi : nam, tametsi corpus in iis quæ laboriosa sunt et difficilia, subinde repugnet, non tamen mihi aufert propositum pro magno illo Deo patiendi : unde ei dixi

cui Deus interim animum addit,

A dixi hosce debilitatis meæ sensus non curaret, quominus ea quæ sibi viderentur, mihi imperaret; sua namque ope et auxilio succurrente, me eadem præstituram. Nimium tum multa deciderat nix, et intensum erat frigus; et, quod maxime me segnem reddebat, infirma eram valetudine : hanc enim si bonam habuissem, reliqua omnia nihil esse mihi visa fuissent. Invaletudo porro hac in fundatione ut plurimum me exercuit : frigus vero fuit tam exiguum (quantum saltem ipsa sensi) ut æque intensum Toleti sensisse mihi videar. E quo colligere est, Dominum ea quæ mihi dixerat, reipsa complesse fidemque liberasse.

licentiam impetrat fundationis

966 Post paucos dies licentia magistratus ad me transmissa fuit cum epistolis Catharinæ de Tolosa ejusque amicæ Catharinæ Manrique, quæ me urgebant ut festinarem, quia timebant ne quod interveniret impedimentum. Etenim Patres Minimi eo tempore illuc cœnobium erectum venerant, et Carmelitæ Calceati jam dudum apud magistratum institerant ut fundationem sibi facere liceret, nec diu post advenerunt monachi S. Basilii. Magno sane impedimento ii nobis esse poterant, eratque res consideratione digna quod tam multi simul eodem
B tempore ad monasteria ibi excitanda concurreremus; nec deerat Dei ob eminentem hujus civitatis caritatem dilaudandi locus : nam etsi oppidum hoc prosperitate qua solebat, non gauderet, multumque a pristino splendore decidisset, eos tamen omnes quam libentissime admisit. Semper quidem civitatis illius caritatem deprædicari audivi; sed non putabam eam tam intensam et eximiam esse. Hi quidem illis, alii aliis religiosis favebant et patrocinabantur. Sed archiepiscopus, omnia quæ suboriri poterant incommoda perspiciens, tam multa inibi monasteria fundari vetabat, ratus hac ratione Ordinibus eleemosyna viventibus aliquam injuriam fieri, eo quod hi se vix sustentare possent. Et forsan ipsimet eum propterea adierant, aut diabolus hanc technam invenerat, qua impediret ingens illud bonum quod Deus oppido in quod multa monasteria inducit, adferre solet; utpote qui plura æque bene sustentare potest ac pauciora.

in sua domo inchoandæ.

967 Hæc igitur fuit causa cur sanctæ illæ mulieres adeo me festinare vellent; ac, prout quidem voluntas mea erat, libenter statim me in viam dedissem, nisi quædam me negotia remanere coegissent. Cogitabam namque meam obligationem, ad
C videndum ne tam bona a parte mea elaberetur occasio, majorem multo esse quam illarum quas tam serio et impigre in hanc rem incumbere videbam. E verbis autem quæ a Domino intellexeram, magnam colligebam nobis instare contradictionem : at intelligere nequibam a quo aut undenam ea esset proventura. Etenim Catharina de Tolosa jam tum mihi scripserat domum in qua ipsa commorabatur, certo destinatam esse in qua adeunda esset possessio; adhæc magistratum et archiepiscopum facultatem apertissime concessisse. Quamobrem intelligere non poteram a quo hæc enascitura esset contradictio, quam a cacodæmonibus excitatum iri non dubitabam, quia ea quæ audieram verba a Domino venerant.

Sancta cum P. Gratiano

968 Majorem porro Dominus superioribus lucem communicare solet : nam cum Patri Provinciali scripsissem ut me (prout cœlitus jussa eram) illuc abire sineret, facile quidem mihi assensum præbuit et facultatem eundi dedit; at simul me rogavit num ab archiepiscopo licentiam scripto accepissem. Respondi Burgis mihi scriptum esse rem cum ipso communicatam fuisse, et, cum petita a magistratu facultas data jam esset, ipsum eam comprobasse nec refragatum esse; proinde, tam ex hoc quam e verbis quæ isthoc in casu erat prolocutus, videri nos ea de re certos esse posse. Cæterum P. Provincialis una nobiscum ad hanc fundationem proficisci volebat : partim, credo, quod tum impedimentis et negotiis vacaret; nam paulo ante per Adventum conciones habuerat : partim quod Soriense monasterium eum visitare oportebat; nam ex quo id fundatum erat, nondum illud viderat, neque vero procul a via sua necesse eum erat deflectere : partim denique ut valetudini meæ per itinera et vias prospiceret, quod et tempus esset frigidum et immite, et ego tam vetula et infirma; quippe vitam meam aliquanti adhuc referre existimabant. AUCTORE V. D. M. D

aliisque pluribus comitibus

969 *Præter P. Gratianum comites Sanctæ aderant P. Petrus a Purificatione, Ven. Anna a S. Bartholomæo, Thomasina a S. Joanne Baptista, ex Albano monasterio accita, necnon e monasterio Abulensi soror laica, nomine Maria a S. Joanne Baptista, et novitia Teresia a Jesu, filia fratris S.* Teresiæ *nuper defuncti. His comitibus, Sancta, die* II *Januarii Abula profecta, Methymnam Campi pervenit die* IV; *ibique Albertam a S. Joanne Baptista, priorissam, gravi morbo laterisque dolore decumbentem, voce ac tactu ad sanitatem revocavit, ut refertur in Relatione Auditorum Rotæ de ejus miraculis. Methymna excessit die* IX *Januarii, uti pridie scripserat ad Dionysium de la Peña* (*tom. II, epist.* 61); *ubi advertendus levis error Riberæ, asserentis eam tres dies Methymnæ constitisse. Vallisoleti, quo dein pervenit, quatriduum exegit; indeque, Palentiam abiens, socias secum duxit duas : Catharinam ab Assumptione, filiam Catharinæ de Tolosa, et Catharinam a Jesu, quam auctor Chronici hic* (*lib.* V, *cap.* XXV, *num.* 4) *erronee vocat Isabellam a Jesu, sed postmodum se ipsum corrigit* (*cap.* XXVI, *num.* 5); *id quod Boucher non animadvertit. Enumeratis hactenus virginibus si addas Agnetem a Cruce, quam S. Fundatrix sibi Palentiæ adscivit, numerus conficitur octonarius; quem numerum ipsa, scribens die* XVI *Januarii e suo Palentino monasterio ad benefactricem suam Catharinam de Tolosa, expresse designavit his verbis :* Quinque sunt numero quæ Burgis remanebunt, et præter has duæ mihi comites; ita ut, si me connumeres, octo omnino veniamus (*tom. II, epist.* 72), *atque iisdem pene verbis mox etiam eum in sua narratione designabit. Proin Ribera hic iterum errasse dicendus est, qui*
F *novem numeravit virgines, cæteris nimirum superaddens alteram Catharinam a Jesu, sororem laicam. Probabile est P. Gratianum sibi quoque Vallisoleti alterum adjunxisse socium; quandoquidem Ribera et Yepes diserte affirmant duos cum eo Excalceatos ad Burgensem fundationem ivisse, et Sancta etiam mox plurali numero de Gratiani sociis loquitur. Penes autem Chronici auctorem esto fides facti sequentis, de quo apud vetustiores S.* Teresiæ *biographos nihil reperio : scilicet civem quemdam Vallisoletanum domum cum quingentorum aureorum reditu obtulisse, ubi teneræ ætatis puellæ a Carmelitanis monialibus erudirentur; sed Sanctam huic rei assentire noluisse, propterea quod sciret abbatem Vallisoletanum velle ut domus illa Ordinario loci subderetur.*

periculoso

970 *Hæc supplementi loco a me interseri oportuit. Cæteras itineris circumstantias docebit te Ribera, ac partim quoque ipsa* Teresia, *quæ ita suam prosequitur narrationem :* Et certe quadam divinæ Providentiæ ordinatione factum est ut me Pater Provincialis comitaretur : nam viæ erant tales (utpote tot aquis oppletæ) ut et ipsum et socios ejus necesse fuerit explorare ubinam curribus incedendum esset, et ad vehicula cœnosis locis subinde educenda

AUCTORE V. D. M.

A cenda adjuvare, maxime in via media inter Palentiam et Burgos; adeo ut summo nos periculo tunc exposuerimus, quod per id tempus in viam nos dedimus. Verum quidem est dixisse mihi Dominum : « Ire potestis : nolito metuere; ego namque vobis- » cum ero et vos adjuvabo »; sed P. Provinciali tunc temporis id non significaram : id tamen mihi in maximis periculis et difficultatibus, in quæ subinde incidebamus, permagnæ consolationi erat; præsertim in loco cui a Pontonibus nomen est, haud procul Burgis, in quo aqua usque eo increverat (et quidem ad satis magnum spatium) ut nec pontes apparerent, nec qua incedendum esset dignosceremus, sed tam hinc quam illinc aqua profundissima undequaque late restagnaret. Magna temeritas est illac transire, ac præsertim curru : si enim cum vel modicum in latus vergere contingat, jamjam ab aquarum voragine abripiendus videtur; atque ita quidam e comitatus nostri curribus in præsentissimo mersionis fuit periculo. Unde ductorem quemdam e proximo diversorio, vadorum et locorum tractus hujus peritum, accepimus : nam certe ipsa admodum periculosa sunt.

difficilique itinere

B 971 Quam autem diversoria incommoda fuerint, dici nequit : quod enim viæ essent præpeditæ, hinc integras diætas conficere non poteramus; quia carrucæ nostræ ut plurimum cœno infixæ hærebant : unde etiam equos et jumenta e nonnullis dissolvi oportebat, quo aliæ e cœnosis illis præcipitiis educi possent. Magnis certe cum difficultatibus Patres nostri qui nos comitabantur, ibi sunt conflictati : habebamus namque aurigas adolescentes et satis improvidos. Porro ipsa Patris Provincialis præsentia permagno nobis solatio et alleviamento erat, quod is omnem in partem sedulus excubaret, adhæc adeo suavis ingenii sit ut nulla difficultate terreri aut de solita mentis constantia dimoveri posse videatur : unde quod summum et difficillimum erat, adeo ipse reddebat facile ut nihil esse videretur. Quamquam et circa Pontones non potuerit non timere : quis enim non timeat, ubi se in aquarum gurgitem, nullo viarum apparente indicio, nullo ad manum navigio, ferri videt? Quin et ipsa, quantumvis me Dominus securam esse jussisset, timui : quidni ergo sodales meæ et comites?

ægrotans

C 972 Universim eramus octo : duæ mecum erant redituræ; quinque Burgis remansuræ, quatuor scilicet chorales et una laica. Nondum, credo, dixi quomodo P. Provincialis vocetur. Est F. Hieronymus Gratianus a Matre Dei, de quo jam alias mentionem feci. Ego vero e faucibus gravissime laborabam, quod me malum in via, cum Vallisoletum peterem, occupavit : accedebat ad id febris, quæ me minime deserebat : cibum autem quam difficillime et summo cum dolore trajiciebam. Hoc erat in causa ut quæ in via subeunda erant incommoda non adeo sentirem. Hoc porro malum usque modo, ad finem, inquam, mensis Junii, duravit, et esto non tam intensum (et quidem multis partibus), nihilominus sat multum mihi doloris et cruciatus affert. Omnes porro satis bene affectæ et animatæ erant : etenim post pericula exhausta et superata jucundum erat de iisdem loqui. Magnum sane quid est ex obedientia pati, illis præsertim quibus eadem adeo frequens et consueta est, uti hisce monialibus nostris.

advehitur Burgos;

973 Post hæc viarum incommoda, per plurima aquarum pericula, quæ, antequam eo veniremus, subeunda erant, Burgos tandem appulimus. Voluit autem P. Provincialis ut prius sanctam Crucifixi effigiem visitatum abiremus, quo nostrorum ei negotiorum successum commendaremus, utque interea advesperasceret, quod satis tempestive ad urbem D appulissemus. Feria sexta, postridie Conversionis S. Pauli, die XXVI Januarii, urbem invecti sumus. Decreveram vero, statim atque venissem, fundationem inchoare, eaque de causa multas litteras canonici Salinas (cujus in Palentina fundatione mentio facta est, cuique hæc Burgensis non minore labore constat) mecum tuleram, nec non aliorum virorum gravium et auctoritate valentium, ad consanguineos et amicos quos illic habebant, ut hi nostro negotio sese propitios præberent et faverent; uti etiam fecere : nam statim, postera die, omnes me visitatum venerunt; et civitatis rectores nobis significarunt adeo sese promissorum suorum non pœnitere ut potius de meo adventu summopere gauderent : viderem proinde ac dicerem quanam mihi ipsos in re putarem obsequium posse præstare.

ubi a magistratu bene excipitur.

974 Visa porro (si quis enim metus nobis fuerat, a parte magistratus semper fuerat) tanta eorum in nos propensione ac benevolentia, rem ut plane confectam ducebamus. Mens nobis erat, priusquam adventus noster innotuisset (quando scilicet propter densissimam pluviam nemo adhuc ad ædes bonæ E Catharinæ accesserat), archiepiscopum de eo certiorem facere, ut primum Sacrum mox dici posset (prout plerisque in locis facere soleo); sed hic id fieri non potuit. Nocte illa satis jucunde et suaviter requievimus, quod nos sancta illa mulier laute exciperet; esto eæ mihi deliciæ magno labore steterint. Ingens enim et luculentus focus ad nos exsiccandas structus, etsi in camino, usque eo mihi nocuit, ut caput sequenti die attollere non possem : unde me necesse erat eos qui me visitatum veniebant, in lecto jacentem, ad fenestram ferreo reticulo cancellatam veloque obtenso tectam alloqui; quod certe mihi cumprimis pœnosum fuit, quod dies is esset quo rebus expediendis necessario vacare me oportebat.

sed ab archiepiscopo non item :

975 Postridie ergo summo mane P. Provincialis archiepiscopum adiit, benedictionem illius petiturus : nam aliud nihil hac in re faciendum nobis putabamus. Quem adeo mutatum et stomachantem reperit, quod diceret me sine facultate illuc venisse, ut numquam aut ipse mihi mandasse ut illuc venirem aut nihildum hac de re hactenus actum fuisse videretur. Ita P. Provincialem est allocutus ut valde mihi sese indignari ostenderet : ac licet tandem concederet mandasse se ut illuc F venirem, ita tamen id sese aiebat intellexisse, ut ego sola rem tractatura venirem; quod vero tot simul moniales adducerem, perquam molestum illi accidit. Dixit ei P. Provincialis rem cum magistratu (uti fieri ipse volebat) jam confectam esse, ac proinde nihil aliud faciendum restare quam ut fundationem inchoaremus; Palentinum vero episcopum (dum videlicet illum rogarem num bene factum censeret, si archiepiscopo inscio et certiore non reddito urbem intrarem) nostram agendi rationem approbasse, quod archiepiscopus se fundationem desiderare diceret. Sed omnia hæc parum apud eum proficiebant. Sic ergo res transacta est. Certe factum id ideo quod monasterium Deus fundari omnimodis vellet (uti et ipsemet postea confessus est) : nam si eum prius adventus nostri certiorem fecissemus, aperte edixisset ut non veniremus. Tandem ergo sic P. Provincialem a se dimisit, ut ante se negaret potestatem facturum quam domum propriam et reditus certos haberemus; alioquin posse nos re infecta reverti; quasi vero viæ jam essent expeditæ et tempus commodum.

976 Quam,

hic nempe, varia causatus.

A 976 Quam, o Deus meus, certum est, ei qui tibi aliquod obsequium præstat, citissime magno aliquo labore mercedem a te persolvi! Quæ autem merces haberi potest pretiosior ab iis qui ex animo te diligunt, si illius valorem intelligere initio nobis datum fuisset! Tunc vero lucrum illud habere ipsæ nolebamus, quoniam omne negotium nostrum per id corruere videbatur. Dicebat enim archiepiscopus reditum quem habere, et domum quam emere debebamus, ex dotibus quas moniales ingredientes daturæ erant, comparari non debere. Et cum remedium tunc temporis menti non occurreret, nullum reapse remedium a nobis inventum iri putabatur. At non ita videbatur mihi : semper enim certa eram ac sperabam omnia hæc nobis in melius cessura, et nonnisi diaboli technas et molimina esse ad rem hanc penitus disturbandam; Deum vero tandem opus suum feliciter ad exitum conducturum. Cæterum Pater Provincialis, his auditis, alacer et lætus inde rediit : tunc enim nullatenus est turbatus. Deus quippe id ita fieri volebat, ne ipse me objurgaret, quod datam facultatem scripto (prout quidem is faciendum suaserat) com-

B mitti non jussissem.

ne celebrandi quidem

977 Quidam ex amicis ad quos canonicus Salinas (uti dixi) litteras commendatitias dederat, venerat me invisum; isque et consanguinei ejus suadebant ut ab archiepiscopo facultatem peteremus, ut nobis in domo in qua agebamus Sacrum posset celebrari, ne per plateas, quæ admodum tunc lutulentæ erant, incederemus : indecens enim videbatur et inconveniens nos Excalceatas ita foras prodire. Domus hæc commodum satis ad hoc locum habebat, utpote qui Patribus Societatis Jesu, cum primum Burgos venerunt, et quidem octo annorum spatio, vicem templi præbuerat. Itaque non inconveniens futurum nobis videbatur, si ibidem loci possessionem caperemus, usquedum domum aliam haberemus. Numquam vero impetrari ab archiepiscopo potuit ut ibi nos Sacrum audire sineret, tametsi duo canonici id ipsum quam instantissime ab eo efflagitarent (*aliique multi cum ipsis tum e clero tum e laicis, teste auctore Chronici, qui nominatim designat Mariam Manrique, egregiam matronam, matrem P. Angeli Manrique Ord. Cist., biographi Ven. Annæ a Jesu*).

in Catharinæ domo Sacri,

C 978 Aliud vero non concessit, quam ut, postquam censum stabilem jam haberemus, illic fundationem auspicaremur, donec domum propriam haberemus; quin etiam datis fidejussoribus nos sibi promittere voluit talem nos empturas, indeque emigraturas. Hos vero quamprimum invenimus : etenim consanguinei et amici canonici Salinas ad hoc sese obtulere, Catharina vero de Tolosa reditus se daturam spopondit, ut sic fundationi initium daretur. Inter hæc, dum disquiritur quomodo aut unde census constituendus esset, tres et amplius hebdomades effluxerant. Nos interea Sacrum non audiebamus nisi solum festis diebus, ac tum quidem summo mane. Ego vero febricitabam, et satis male valebam : sed Catharina de Tolosa ita nobis abunde de omnibus providebat, ut quam jucundissime agerem; et mense integro tam copiose tantaque animi alacritate nos in quadam ædium suarum parte a cæteris sequestrata aluit, ac si singularum mater esset. *Conferri hic possunt litteræ quas S.* Teresia *die* VI *Februarii dedit ad priorissam Hispalensem, et quarum latorem Petrum de Tolosa, Catharinæ filium, eidem priorissæ cum multa matris ejus laude commendat* (*tom. II, epist.* 102).

nedum fundationis inibi auspicandæ,

979 Interea temporis, *pergit,* Pater Provincialis cum suis comitibus diversabatur apud quemdam ex amicis suis, quocum eodem in collegio olim litteris operam dederat : erat hic doctor Manso, theologalis ibidem in primaria æde canonicus. Grave vero ei et permolestum erat quod tanto tempore illic se morari oporteret, et nesciret quo se a nobis modo posset subducere. Fidejussoribus demum productis, et reditu constituto, archiepiscopus provisori rem in manus tradi jussit, pollicitus fore ut quamprimum expediretur. Diabolus certe huic se negotio immiscere vibebatur : nam postquam illud mature examinatum esset, ut nullam jam superesse difficultatem existimaremus, et jam prope mensis effluxisset ex quo archiepiscopus consenserat ut eo quo dictum est modo res perageretur, misit mihi provisor schedam, in qua scribebat non ante potestatem fundandi nobis datum iri quam proprias ædes haberemus : nolle namque archiepiscopum ut in domo in qua agebamus, fundationem inchoaremus, quod ea esset humida, et platea in qua sita erat, admodum tumultuosa et inquieta. Adhæc nescio quos scrupulos et difficultates nobis movebat circa reditus certitudinem, et alia nonnulla, tamquam si tunc primum res inciperet; et nisi ita faceremus, non esse quod amplius instaremus : denique domum archiepiscopo placere debere.

AUCTORE V. D. M.

D

E

facere vult potestatem.

980 Magna sane fuit Patris Provincialis, cum hoc vidit, atque adeo omnium, animi ægritudo : certum namque est ad situm aliquem monasterio condendo accommodum coemendum multo opus esse tempore. Permolestum quoque ei erat videre quod ad Sacrum audiendum nos oporteret foras prodire : nam, quamvis templum non ita procul distaret, et ipsæ quodam in sacello secreto, nemine nos conspiciente, id audiremus, ei tamen et nobis longe id erat molestissimum. Unde is id ægre ferens, jam tunc (ut credo) decrevit ut irrita re, unde veneramus, rediremus. Ego vero ei minime assentiri poteram, cum præsertim in memoriam reducerem id quod mihi Dominus ante dixerat, ut scilicet ex ejus parte rem auspicarer. Adeo certo eam conficiendam sperabam, ut vix aliquam hac e tergiversatione molestiam sentirem. Solum me affligebat quod P. Provincialem mœstum cernerem, ac dolebam imprimis quod is nobiscum venisset, utpote quæ nesciebam quantum deinde nobis amici ipsius (uti postea referam) essent auxiliaturi. Me ergo in hac afflictione constituta, comitibus quoque meis adhuc magis afflictis (quamquam illarum afflitione non tangerer, sed sola P. Provincialis), Dominus mihi, extra orationis tempus, hæc verba dixit : « Firmo perge animo, Teresia. » Hoc ego animata monito, majore jam generositate P. Provincialem cohortor (et certe Majestas illius hanc ei hauddubie etiam suggessit) ut inde ad sua negotia digrederetur, nosque Burgis relinqueret, quod jam quadragesimales feriæ imminerent, quibus illum alibi conciones habere necessario oportebat.

F

Quare in nosocomium aliquod

981 Ipse ergo et amici quidam operam dederunt ut nobis aliquot cubicula in nosocomio a Conceptione denominato, in quo et Venerabilis asservabatur Eucharistia et quotidie Sacrum peragebatur, attribuerentur. Hoc quidem ei aliquod attulit gaudium et solatium; at non ita nobis : etenim vidua quædam, quæ commodissimum ibi cubiculum conduxerat (etsi nonnisi post semestre huc esset commigratura), non modo illud cedere aut mutuo dare nobis noluit, verum etiam grave ei erat quod quædam cubicula in solario, tecto rimoso vicina, et e quorum uno ad ejus cubiculum aditus patebat, nobis essent attributa. Unde, cum satis ei non esset illud forinsecus occludere clavemque penes se asservare, etiam clavos trabales introrsum jussit infigi,

AUCTORE V. D. M.

figi, idque usui ineptum reddidit. Adhæc sodales loci putabant nos nosocomium nobis arrogare et usurpare velle (quæ certe suspicio nimis quam a nobis erat aliena) : volebat videlicet nobis Deus majoris meriti materiam dare. Unde coram notario tam P. Provincialem quam me spondere jubent, nos inde, quandocumque nobis dicerent, statim egressuros. Hoc mihi porro omnium videbatur difficillimum : timebam namque ne illa vidua, quæ et opulenta erat et consanguineos plurimos habebat, cum id illi in mentem veniret, nos inde subito juberet excedere. At Pater Provincialis (utpote prudentior et circumspectior) voluit nos facere quidquid hi fieri juberent, ut illuc quamprimum transire possemus.

transire moniales coguntur;

982 Alia loca nobis non dabant quam unum cubiculum cum quadam culina. Sed qui nosocomii hujus curam habebat, Ferdinandus de Matanza, insignis Dei servus, alia insuper duo cubicula nobis attribuit, in quibus externos ad colloquium admitteremus; in quo permagnam is nobis caritatem fecit, qualem et erga omnes exhibere solet, ut qui pauperum causa nihil non præstat. Quin et Franciscus de Cuevas, qui supremus cursorum magister hic est et nosocomii hujus curam peculiarem habebat, benevolum nobis se exhibuit, et quibuscumque in rebus potuit, semper nostrum se tutorem et patronum præstitit. *Transitum Sancta in id nosocomium fecit, sicut mox ipsa docebit, die* XXIII *Februarii, postquam, ut ex ante relatis liquet, quatuor hebdomadas apud Catharinam de Tolosa exegerat : unde recte concludit P. Antonius a S. Josepho epistolam quam e nosocomio dedit ad Martinum Alphonsum de Salinas* (*tom. III, epist.* 41) *scribi non potuisse kalendis Februarii; ac proin in hispanico ejus textu pro* primero de Febrero *legendum est* postrero de Febrero, *vel, si mavis,* primero de Marzo. *Confirmat idipsum epistola jam citata ad priorissam Hispalensem, ex qua colligitur Sanctam* VI *Februarii nondum e domo suæ hospitæ exisse.*

ubi piæ Catharinæ

983 Benefactorum, *porro ait,* in hisce principiis ideo mentionem facio, ut quæ jam vivunt moniales, et quæ post futuræ sunt, eorum suis in precibus (uti par est) memores sint, eosque Deo commendent : fundatoribus enim hoc quam maxime debetur. Quamvis vero mea intentio initio non fuerit ut Catharina de Tolosa fundatrix domus hujus esset, quinimo ne quidem id cogitaverim, id tamen bona ejus vita apud Dominum promeruit, qui hoc modo rem omnem disposuit et ordinavit ut hic ei titulus merito denegari non possit. Nam, ut omittam quod domum emerit et de suo solverit (ni enim hoc fecisset, remedium ad hoc nullum suppetebat), dici sane non potest quanto omnes archiepiscopi tergiversationes et remoræ ei labore steterint. Maxima namque ei erat afflictio et crux vel tantum cogitare rem hanc collapsuram esse et exitum non habituram; numquam vero a nobis benefaciendo cessabat. Licet autem nosocomium hoc satis ab ædibus illius esset remotum, nihilominus magna quadam cum benevolentia et affectu pene quotidie nos visitabat, omniaque quibus opus habebamus, submittebat; tametsi malevoli eam identidem carperent et sugillarent, adeo ut, nisi haberet animum et generositatem quam habet, cavilli illi satis fuissent ad eam a cœpta benevolentia revocandam. Ego vero, quantum ipsa pateretur, nec non afflictionem ejus videns, summopere intra memetipsam affligebar : licet enim eam ut plurimum me celaret, nonnumquam tamen dissimulare non poterat, ac præsertim cum cavilli conscientiam tangerent: habet enim eam cumprimis bonam et timoratam, ut, quamtumvis magnam indignandi occasionem nonnulli ei darent, numquam tamen eam vel verbum quod Deum offenderet, proloquentem audiverim.

liberalitate sustentantur,

984 Dicebant ergo illam recte ad infernum tendere; nam quomodo id facere posset quod faciebat, cum liberos haberet? Ipsa vero quidquid faciebat, nonnisi arbitrio et consilio virorum doctorum faciebat : ego namque (esto ipsa forte secus censuisset) ob nullam omnino mundi hujus rem quippiam eam facere permisissem quod facere nefas fuisset, tametsi propterea etiam mille monasteriorum omitteretur fundatio, nedum unius. Sed quia id quod tractabatur, occulto et secreto fiebat, hinc non miror, si plura homines suspicarentur quam revera erant. Ipsa vero semper insigni cum circumspectione et prudentia (qua pollet maxima) omnibus respondebat, omniaque æquanimiter sustinebat; satis ut appareret quamdam a Deo illi industriam dari ad his satisfaciendum et ad illos tolerandos, simul et virilem animum suggeri ad omnia æqua mente perferenda. Quanto servi Dei sunt ad res illustres et præclaras exequendas animosiores illis qui illustri quidem stirpe sunt editi, sed Deo non famulantur! Quamquam nec Catharinæ de Tolosa stirpis nobilitas et claritas deest : est namque valde honesto genere edita.

usquedum domum propriam acquirant.

985 Ut vero ad cœptam materiam redeam, P. Provincialis, cum nos jam conduxisset in locum in quo et audire possemus Sacrum et claustrum aliquo modo servare, Vallisoletum (quo in oppido eum concionari oportebat) ire decrevit, esto non sine anxietate, quod nihil in archiepiscopo videret e quo nobis illum facultatem concessurum sperare posset. Et, quamvis ipsa ei spem facerem, hanc tamen in animum inducere mihique credere non poterat. Et certe magnas ad ita sentiendum habebat causas ac rationes, quas hoc loco non expedit referre. Si vero ipse exiguam habebat spem, amici certe adhuc minorem habebant, eumque adhuc magis dejiciebant. Ipse ut discessit, magna ex parte meam anxietatem imminutam sensi : nam (uti jam supra commemoravi) maxima quam sentiebam pressura erat quod cum afflictum viderem. Abiens is nobis in mandatis dedit ut domum propriam habere procuraremus; quod certe nimis quam difficile erat : hactenus quippe nulladum sese obtulerat quam emere possemus. Amici nostri maximopere de nobis solliciti et anxii fuere (ac potissimum duo illi amici Patris Provincialis) : simul etiam inter se decrevere non prius archiepiscopo verbum de rebus nostris facere quam domum haberemus. Is vero semper se dictitabat majore fundationem hanc studio cupere quam alium quempiam in civitate. Equidem id credo (est namque tam pius et bonus, ut nihil nisi verum loqueretur); ex operibus tamen ejus id non satis apparebat: ea namque a nobis exigebat quæ (prout quidem nostræ erant facultates) penitus impossibilia videbantur. At hæc diaboli erat machina et versutia, ut res hæc disturbaretur. Sed quam, o Domine, ad oculum patet esse te potentem! Nam ex eo ipso quod is ad eam evertendam procudebat, tu rationem ad illam melius et commodius exequendam elicuisti. Esto in æternum benedictus.

§ LI. Remotis non ita facile obstaculis, demum fundationem suam Burgensem Sancta perficit.

De *fundatione Burgensi, cujus difficilia initia superiori*

Tandem aliquando Burgis,

periori paragrapho legimus, videndum restat qui tandem ibi Sancta propriam sit nacta domum et
A *omnimodam archiepiscopi gratiam atque benevolentiam sibi conciliarit.* Jam inde, *ait,* a vigilia S. Matthiæ, qua in nosocomium ingressæ sumus (*ita veteres editiones ac versiones, et recte quidem : editio autem hispanica anni* 1778 *pro* vispera de San Matias *habet* vispera de Santa Maria, *quo nomine intelligi videtur pervigilium Purificationis Deiparæ; sed hoc cum præcedenti S. Matris narratione non cohærere patet ex iis quæ dixi num.* 982), ad usque vigiliam S. Josephi domos varias inspeximus : sed in omnibus quæ offerebantur, tot notabantur incommoda ut nullam ex oblatis emere consultum esset. Proposuerant mihi inter alias ædes quasdam viri nobilis, quæ jam a multo tempore venales fuerant; et, quamvis tot ibi Ordines domum quærerent, Deo tamen providente factum ut nullis horum arriderent. Jam vero id illi omnes non parum mirantur; quin imo eorum nonnullos eas tunc non coemisse valde deinde pœnituit. Duo de iis aliquando mecum egerant : sed tam multi vicissim earum mihi incommoda narrabant ut omnem erga ipsas affectum (tamquam erga rem mihi minime expedientem),
B imo et memoriam jam exuissem.

juvante licentiato Aguiario,

987 Cum ergo die quadam cum licentiato Aguiario, qui unus e Patris nostri amicis erat, quique magna cum sollicitudine domum nobis urbe tota conquirebat, agerem, isque mihi diceret multas quidem se vidisse, at nullam in universa civitate commodam reperisse, atque adeo impossibile penitus mihi videretur (prout quidem ex aliis intelligebam) ullam tunc invenire, subito mihi illarum ædium in mentem venit, a quibus dixi nos jam animum avocasse. Cogitavi ergo mecum eas, quamvis ita essent incommodæ ac jactabant, præsenti tamen necessitati posse sufficere : etenim postea, si displicerent, facili negotio aliis revendi posse. Licentiato Aguiario rem hanc aperui, eumque rogavi ut meo nomine eas inspicere dignaretur. Forma illarum exterior ei non displicebat, esto eas non inspexisset : quare eas, quamvis tempus ventosissimum et immite esset, quamprimum inspicere voluit. Earum inquilinus, quod eas vendi minime cupiebat, nulli inspiciendas dare volebat : at illarum situs et quantum quidem exterius colligere poterat, mire ei arridebant : unde de iis emendis agere decrevimus. Vir nobilis cujus eæ erant, tum in civitate non aderat;
C sed sacerdoti cuidam, viro cumprimis pio, earum divendendarum curam dederat : huic vero Dominus voluntatem et propensionem injecit ad eas nobis vendendas et candide admodum ac sincere nobiscum agendum. Convenimus ut eas ipsa inspectum abirem : ita vero statim mihi placuere, ut, tametsi duplum ejus quo venales esse audieram, pretium emptor postulasset, ipsum non illibenter persolvissem, atque etiam tum vili eas mihi cessisse pretio credidissem : nam idem jam ante biennium domino earum oblatum pretium erat; eo tamen eas vendere noluerat.

domum monasterio aptam

988 Postero ergo die sacerdos et licentiatus convenere. Hic cum audisset quodnam sacerdos pro iis pretium exigeret, voluisset id quamprimum obtulissemus et inter nos convenissemus. Hanc ego rem cum amicis quibusdam communicassem, dixerunt me, si tantum solverem, quingentos aureos ultra condignum pro iis soluturam. Cum hoc licentiato significassem, contra censebat is nos etiam infra condignum daturos, esto quidquid peterent daremus. Ejusdem opinionis eram et ego : nec adeo diu quoad hoc deliberassem, quod frustra esse ea deliberatio mihi videretur; verum quia de commuui Ordinis totius ære pretium id erat numerandum, hinc religioni mihi ducebam quidquid peterent
D offerre. Hæc autem conventio et consultatio in ipsa S. Josephi vigilia ante Sacrum contigit : quare ut a Sacro partes rursus convenirent, ac tum rem concluderemus, edixi. Licentiatus autem vir boni judicii est et sagax : unde perspiciebat et augurabatur, si res in plebem divulgari inciperet, fore ut vel eas multo carius vel prorsus non emeremus. Itaque sacerdotem spondere jussit sese post Sacrum illuc rediturum : nam in omnibus navum se et sedulum imprimis præbebat.

in S. Josephi pervigilio

989 Interim nos Deo negotium per preces commendavimus; qui mihi tunc dixit : « Quid? Ob » pecunias moraris? » quibus verbis significavit domum illam nobis quadrare. Rogarant moniales S. Josephum quam instantissime, ut in festivitate illius domum habere possent : cumque non cogitarent tam cito illam inveniendam, tamen votis ipsarum est satisfactum. Quod enim omnes me identidem urgerent, et suaderent ut tandem de emptionis pretio convenirem, tandem persuaserunt ut conventum sit. Licentiatus autem janua egrediens, in tabellionem, qui Deo dirigente et ordinante illac tum forte transibat, incidit : cum quo intrans,
E mihi dixit expedire negotio huic tandem finem imponi; convocatisque testibus, et atrii janua occlusa, ne quis rem resciret (unum namque hoc metuebat), stipulatio, omni quæ ad eam necessaria erat, adhibita solemnitate et robore, idque in vigilia (uti dixi) gloriosi S. Josephi, per summam boni hujus fautoris diligentiam et prudentiam, inita confectaque est.

Sancta coemit,

990 Nemo vero crediderat fore ut tam vili illa pretio venumdaretur : unde cum primum ea res in vulgus innotuit, multi accessere aliunde emptores, dictitantes sacerdotem illum qui venditioni præfuerat, domum quodammodo incendisse, et stipulationem illam ut fallacem et subdolam revocandam; etenim manifestum in ea commissum esse errorem : unde non parum calumniarum sacerdos ille excepit. Dominos vero illius, qui erant (uti dixi) vir quidam illustris ejusque uxor, quamprimum certiores hujus rei fecimus : qui, audito domum suam jam in monasterium esse conversam, tanto perfusi sunt gaudio ut pacta atque conventa rata firmaque esse jusserint; quamquam jam ea dissolvere non possent. Postridie ergo venditionis confectæ sunt ta-
F bulæ, et tertia pretii pars (uti sacerdos stipulatus erat) mox persoluta : nam in nonnullis conventionis articulis omnino non ex æquo justoque nobiscum agebatur : sed interpretationem illam sustinuimus dissimulantes.

Dei in hac re providentiam

991 Absurdum forte et ineptum cuipiam videatur tam diu me narrationi emptionis domus hujus immorari; at certe, quicumque rem hanc penitius considerarunt, illam sine miraculo confectam non fuisse censuere, partim quoad pretii quo empta est vilitatem, partim quod omnes religiosi qui illam inspexerant, adeo cæcutierint, ut illam, quasi sibi minime convenientem, emere neglexerint, tamquam si Burgis non fuissent : unde mirabantur quotquot eam inspiciebant, quomodo hi ita cæcutiissent; adeoque eos reprehendebant atque inconsiderantiæ coarguebant. Quin et duo monasteria monialium (quorum unum jam nuperrime illic constitutum erat, aliud vero rure, ubi cœnobium ipsarum concrematum erat, in urbem se contulerat) nec non alia quædam persona dives, quæ monasterium quoddam fundare decreverat, et domum hanc inspectam ut incongruam neglexerat, posteaquam ea a nobis coempta est, quam maxime doluere quod a se

AUCTORE V. D. M.

empta non esset. Is autem per civitatem spargebatur rumor, clare ut videremus quam merito bonus licentiatus Aguiarius procurarit ut res quam occultissime perageretur, talemque ipse a parte sua diligentiam adhibuerit; vere ut dicere possimus, ipsum unum, secundum Deum, nobis domum dedisse.

A

valde admirans.

992 Magnum sane ad omnia momentum adfert bonum et solers ingenium: quod quia ipse tam præclarum et eximium habet, et simul tam bonam ei voluntatem Deus indidit, hinc ejus adminiculo rem hanc confecit. Mense et amplius in nobis auxiliando, et designando quæ restaurari oportebat, et quidem sat parvo impendio, naviter incubuit. Liquido autem apparebat Dominum domus hujus fundationem sibi soli reservasse; nam in ea omnia pene parata et disposita reperiebantur. Ut verum fatear, statim atque illam et omnem ejus instaurationem vidi (tamquam si ad nostrum usum constructa esset), merum mihi somnium videbatur universa tam celeriter confecta cernere. Unde eas quas ante passæ eramus adversitates et difficultates Dominus, ad tam deliciosum nos locum conducendo, abunde compensavit. Etenim hortus, late patens prospectus et aqua ejus merus paradisus deliciarum videntur. Sit ipse in æternum benedictus. Amen.

B

Archiepiscopum vero

993 Archiepiscopus statim rem hanc rescivit: unde non parum gavisus est quod tam commodas ædes nactæ essemus; cujus rei causam contradictionem suam ex parte esse credebat, et non sine ratione. Ego ei scripsi magno me affectam gaudio fuisse eo quod hæ illi placuissent; festinaturam quoque ut eæ quamprimum habitationi adaptarentur, ut sic mihi facultatem faceret. Ergo quamprimum, ut illuc commigrarem, operam dedi. Dictum namque mihi a nonnemine tamdiu illos velle nos in nosocomio agere, usquedum litteræ nescio quæ confectæ essent. Quamvis autem inquilinus illarum nondum emigrasset (nam etiam in illo inde excedere compellendo aliquam nos difficultatem subire oportuit), in quamdam tamen illarum partem nos recepimus. Intellexi porro archiepiscopum propterea non mediocriter succensuisse. Unde ipsa cum, prout potui, placare studui: nam quod bonus sit, esto irascatur subinde, statim placatur. Indignatus quoque est, cognito nos illuc reticulatos cancellos et orbitam induxisse, quod in hoc morem ejus voluntati gerere non videremur. Cui rescripsi illa ut plurimum in ædibus monialium recollectioni studentium adhiberi solere; at quod ad monasterii formam spectaret, nondum nos ausas fuisse vel crucem domui præfigere, ne monasterium ea esse videretur. Et erat hoc verum. Quantumlibet autem magnum is affectum et benevolentiam nobis declararet, tamen ab eo impetrari non potuit ut facultatem nobis concederet.

C

adhuc tergiversanten

994 Venit autem domum inspecturus, quæ ei mirifice placuit, plurimumque benevolentiæ nobis ostendit; non tamen eam quam volebamus potestatem faciebat, esto illius concedendæ majorem jam spem daret. At quod litteræ quædam et instrumenta cum Catharina de Tolosa conficienda essent, non parum timebamus ne ipse illam negaret. At doctor Mansius (est is alius ille amicus quem P. Provincialem Burgis habuisse dixi) illi perfamiliaris erat: hinc commodam explorabat opportunitatem ad hoc ei in mentem reducendum et facultatem impetrandam; etenim huic permolestum erat res nostras isthoc in statu videre. Nam ne quidem in domo quam emeramus (tametsi ipsa sacellum privatum haberet, in quo domini illius Sacrum audierant) potestatem facere voluit ut Sacrum nobis celebraretur: unde diebus festis et Dominicis necesse nos erat foras prodire, ad ipsum quodam in templo audiendum (commodum autem accidebat quod hoc satis vicinum esset); atque ita inde ab eo tempore quo in domum hanc migravimus, usquedum illa in monasterii formam erigeretur, prope mensis effluxit. Omnes viri docti aiebant causam illam sufficientem esse ad facultatem dandam; et ipse archiepiscopus, qui valde doctus est, idem etiam videbat: adeo ut aliud cur ea differretur, in causa esse non videretur quam quod Dominus nos aliquid pati volebat. Ego quidem id satis æquanimiter ferebam; sed erat quædam monialis, quæ, quoties se in plateis videbat, ex formidine et angore tremiscebat. *Eodem illo die* XVIII *Martii, quo facta fuit hæc emptio, S. Mater de ea certiorem per litteras fecit P. Ambrosium Marianum; et simul etiam, ut ex iisdem litteris patet, scripsit ad ducissam Albanam, cupiens ducis ducissæque interventu impetrare a Nuntio apostolico, quam archiepiscopus Burgensis adhucdum denegabat, Missæ in privato sacello audiendæ facultatem* (*tom. IV, epist.* 37).

D

et moras nectentem

995 Adhæc, *inquit,* in litteris et instrumentis conficiendis non parum difficultatis et laboris subiimus: modo enim ei satis erat quod fidejussores offerremus, modo volebat præsente pecunia venditori satisfieri; quin et aliis multis in rebus importunus et molestus nobis extitit. Verum in hoc non tam archiepiscopus ipse quam provisor qui omne hoc negotium nobis facessivit, culpandus est; quem si tunc temporis Deus non immutasset, numquam rem, credo, ad exitum conducere potuissemus. Porro quam multa Catharinam de Tolosa hic pati oportuerit, dici non potest: omnia vero ipsa tam patienter pertulit ut me in admirationem raperet. In rebus autem necessariis nobis procurandis numquam defatigabatur: omnem namque quam in domo instruenda opus habebamus, supellectilem quam libentissime subministravit, uti lectos et alia plurima; utpote quæ domum satis habebat instructam: imo nihil eorum quibus opus habebamus (esto id ipsa domi suæ non haberet) nobis defuturum videbatur. Alii qui monasteria nostra fundarunt, plures quidem quam ipsa facultates et possessiones eis dederunt; at qui plures nostra causa subierit labores, nullus est: quippe decuplo plus omnibus laboravit; imo, si liberos non habuisset, dedisset quidquid habere potuisset. Adeo vero longior hæc mora ipsam conficiebat, et rei finem videre tam ardenter cupiebat, ut quidquid illius gratia faciebat, perexiguum illi videretur.

E

F

Palentinus episcopus, a Sancta rogatus,

996 Ego vero, cum longam hanc tergiversationem viderem, ad Palentinum antistitem scripsi, eum rogans ut denuo ad archiepiscopum litteras scribere dignaretur, utpote qui non parum adversus eum commotus erat: nam quidquid in nos ille admittebat, hic velut sibi factum interpretabatur. Quod vero maxime mirabamur, id erat quod archiepiscopus nullam se nobis aliqua in re injuriam facere crederet. Rogavi ergo eum ut rursus archiepiscopum per litteras moneret, ut, quoniam jam de domo nobis prospectum erat, et quidquid is vellet, faciebamus, rem ad exitum aliquando conduceret. Palentinus ergo talem pro eo epistolam apertam mihi misit, ut, si illi hæc tradita fuisset, res nostras summo periculo exposuissemus, imo perdidissemus. Quocirca doctor Mansius, quo tum confessario utebar et consultore, eam illi tradi noluit: nam, quamvis benevolentiam et amicitiam per omnia spiraret, quædam tamen hinc inde interim proferebat, quæ, prout quidem archiepiscopi natura erat, satis ad illum abalienandum erant; ut qui jam

A qui jam tum, ob nonnulla quæ ei nuntiari jusserat, ab eo alienior nonnihil erat, cum tamen antea summi inter se fuissent amici.

ad consensum præstandum permovet:

997 Mihi vero significavit, quemadmodum per Salvatoris nostri mortem, qui prius ad invicem inimici erant, facti sunt amici, ita vice versa me eos qui prius amici erant, inimicos inter se reddidisse. Ad quod ei respondi hinc eum videre posse quidnam ipsa essem : quamquam, quantum possum colligere, omni qua poteram ratione elaboraram et curaram ne hi ab invicem abalienarentur. Quare iterum Palentinum quam potui optimis rationibus rogavi ut alias ei litteras perofficiosas et benevolentia plenas mittere non gravaretur, ei ob oculos ponens quantum per hanc rem honori divino accederet incrementum. Fecit is quæ ab eo postulabam; quod certe permultum fuit. Ubi vidit de honore divino agi, et hac sese re mihi gratificari (utpote qui tam continuo semper mihi est gratificatus), id se facturum recepit; mihique rescripsit, quidquid hactenus in Ordinis gratiam præstitisset, sibi grave adeo non fuisse atque has ad archiepiscopum litteras mittere. Tandem ergo illæ venere; quæ, accedente quoque diligentia doctoris Mansii,
B archiepiscopum perpulerunt ut facultatem optatam nobis concesserit, et per bonum Ferdinandum de Matanza (qui summo cum animi sui gaudio eam attulit) nobis eam denuntiari jusserit.

quo obtento,

998 *Rerum gestarum seriem melius enucleare possumus ex epistola qua S. Mater die Parasceves, qui erat* XIII *Aprilis, gratias egit præsuli Palentino de missis ad archiepiscopum Burgensem litteris (tom. II, epist.* 3). *Nempe archiepiscopus, litteris illis mirum in modum delectatus, sponte cœperat, nemine rogante, manum dare conficiendo quamprimum fundationis negotio; jamque in prima urbis paræcia quæstionem jusserat institui num cui novum monasterium præjudicio fore videretur : ad quam cum responsum fuisset fundationem illam adeo nemini displicere ut potius esset omnibus optatissima, voluerat illam, si fieri potuisset, ante solemnissimum Resurrectionis Dominicæ festum ad exitum deducere. Verum ipsæ functiones sacræ laborumque moles, quibus clerus per eos dies distinebatur, quominus id fieret, obstaculo fuerunt, ac magis etiam propositum quod habebat archipræsul propriis manibus ædem monasterii Deo dicandi ac primum in ea Sacrificium Eucharisticum offerendi. Itaque dies ad id constituta*
C *fuit feria tertia Paschatis, ut Sancta quidem, dum suam scribebat epistolam, arbitrabatur : attamen eam sua fefellit opinio, sive quia ab initio fuerat erronea, sive quia archiepiscopus mentem interea mutaverat. Hic enim neque primum apud moniales sacrificatum venit, et optatam iis largiri facultatem, teste Ribera aliisque scriptoribus, distulit usque ad feriam Paschatis quartam, qui erat dies* XVIII *Aprilis.*

initium cœnobio datur

999 Illo autem die, *ait Sancta,* erant moniales magis desolatæ quam fuerant hactenus, et bona Catharina de Tolosa ita mœrore constrata ut eam consolari nemo posset; ut eo ipso tempore quo nos jam recreare et gaudio perfundere Dominus volebat, magis nos affligere voluisse videatur. Quin et ego (quæ semper hactenus bene speraveram) superiore nocte aliquomodo cœperam diffidere. Sit nomen Domini benedictum et superexaltatum in sæcula. Doctori Mansio archiepiscopus potestatem fecit postridie Sacrum apud nos celebrandi et Sanctissimum Christi Corpus illic collocandi. Ipse ergo primam Deo Hostiam obtulit, et Pater Prior monasterii S. Pauli Ordinis Dominicanorum (cui Ordini, uti et Societati Jesu, permultum semper debui) Sacrum summum celebravit, idque cum magna symphoniacorum et citharœdorum sua sponte venientium solemnitate.

D

cum magna amicorum omnium,

1000 Omnes amici et fautores nostri maximopere gaudebant, et universi prope cives nobis congratulabantur, utpote qui nobis quam maxime compatiebantur, quod tam male nos haberi cernerent; et quidquid archiepiscopus in nos committebat, tam illis indignum et grave videbatur, ut subinde magis sentirem quod de ipso dici audiebam quam quod ab ipso patiebar. Tanta autem erat tum bonæ Catharinæ de Tolosa tum omnium monialium lætitia, ut mihi ea devotionem excitaret, Dominoque dicerem : « Quid, quæso, spectant hæ ancillæ » tuæ aliud quam tibi servire et se propter te recluE » sas videre, unde numquam possint egredi? » Vix credat quisquam, nisi qui reipsa experitur, quantum in hisce fundationibus tum percipiatur gaudium, cum ita nos reclusas videmus ut nullus sæcularium ad nos ingredi queat. Nam quantumvis illi nobis propinqui sunt et cari, tantum tamen afferre nobis solatium et voluptatem non possunt, quantum percipimus dum solas et reclusas nos esse videmus. Perinde hic nobiscum agi videtur ac cum piscibus sagena e fluvio eductis, vivere prorsus non valentibus, nisi denuo in aquam conjiciantur. Nam animæ in profluentibus Sponsi sui aquis vivere assuetæ, dum ex iis eductæ rerum mundi hujus retia conspicantur, vere vivere nequeunt, quoadusque sese denuo in easdem conjectas videant.

maxima vero monialium lætitia;

1001 Hoc autem in omnibus hisce sororibus semper video, idque per experientiam scio, moniales illas quæ quoddam ad foras egrediendum, ut inter sæculares versentur, et cum illis sæpius agendum, desiderium et pruritum sentiunt, nondum aquam illam vivam de qua cum Samaritana muliere Dominus locutus est, invenisse, ac Sponsum vultum suum ab illis abscondisse, et merito quidem, cum et illis volupe non sit cum illo tractare et conversari. Vereor autem ne duplici ex causa id contingat : nimirum aut quod statum hunc pure propter ipsum solum non assumpserint, aut quod, postquam illum jam assumpsere, non agnoscant quantam ipsis Dominus gratiam, illas sibi seligendo, et, ne viro cuipiam, qui sæpe illis vitam (atque utinam non et animam) eripiat, subjiciantur, liberando, præstiterit. Anne, o Sponse mi, vere homo et Deus, gratia hæc parvi facienda est? Laudemus
F ergo eum, carissimæ, quod nobis hanc fecerit; nec in tam magno Rege et Domino, qui nobis propter exiguos quosdam labores, tot quoque deliciis perfusos, quique cras finem accipient, regnum quod finem nescit, præparavit, dilaudando umquam defatigemur. Sit ipse in perpetuum benedictus. Amen.

quibus, etsi censu stabili careant,

1002 Aliquot post fundationem peractam diebus, Patri Provinciali et mihi visus est census annuus quem Catharina de Tolosa domui huic assignarat, incommodis quibusdam, e quibus et nobis lites suboriri et illi molestiæ exhiberi possent, obnoxius esse. Maluimus proinde Deo fidere quam occasionem retinere e qua ei quapiam in re enasci posset molestia. Quare, tum ob has tum ob alias rationes, omnes in capitulo congregatæ, annuente P. Provinciali, ea quam nobis Catharina dederat possessione coram tabellione publico haud gravate cessimus, omnesque ejusdem tabulas ei reddidimus. Factum hoc quam poterat secretissime, ne id resciscerct archiepiscopus, qui id velut injuriam sibi factam fuisset interpretatus; esto ea omnis in monasterium hoc redundet : quando enim scitur aliquod monasterium in paupertate et sine censu fundatum esse, non est quod timeamus; nam passim eleemosynæ

AUCTORE V. D. M.

synæ submittuntur : verum quando censum habere stabilem vulgo creditur, subesse certe periculum aliquod videtur ne ei subinde ad victum necessaria desint. Et ita quidem modo Burgis res se habet : sed post Catharinæ mortem aliter erit.

A

nihil rerum necessariarum

1003 Occursum nempe futuræ necessitati per duas ejusdem filias, quæ hoc ipso anno in Palentino conventu professionem erant emissuræ : cum enim hæ, jam vota edituræ, Palentiæ legitimæ suæ portioni renuntiassent, eamque matri addixissent, jussit hæc ut eam renuntiationem irritam declararent, et in Burgense monasterium jus suum transferrent (*de qua re Sancta utrique novitiæ gratias scripto egit, tom. IV, epist.* 69). Hæc, uti et dos quam alia ejusdem filia, quæ hoc loco habitum monasticum induere voluit, attulit, utpote cui mater legitimæ tum paternæ tum maternæ liberam dispositionem reliquit, censui quem prius ipsa nobis assignarat, æquivaluere. Hoc dumtaxat incommodi est, quod hisce dotibus in præsentia frui non liceat : at semper mihi persuasi nihil illis umquam defuturum. Etenim Dominus, qui efficit ut aliis monasteriis quæ in paupertate fundata sunt, eleemosynæ attribuantur, aut corda hominum excitabit ut liberaliter

B

huic benefaciant, aut alia media suggeret quibus se moniales sustineant et alantur.

defuturum affirmat Sancta.

1004 Sed quoniam nullum hactenus (uti quidem scio) hoc modo fundatum erat, hinc subinde Dominum rogabam, ut, quoniam hoc ipsum erigi voluisset, etiam monialibus de rebus necessariis et alimonia provideret : unde etiam hinc discedere non prius voluissem quam aliquam monialem habitum assumentem vidissem. Cumque quadam vice hac de re cogitarem, dixit mihi Dominus : « Quid dubi- » tas? Jam omnia confecta et absoluta sunt. Bene » potes abire. » Quibus verbis mihi significavit nihil necessariorum illis defuturum : unde ita sollicitudinem omnem deposui, tantamque fiduciam concepi, ac si valde opimum eis censum relinquerem. Itaque quamprimum de meo discessu agere cœpi, quod jam tum frustra moras hic trahere mihi viderer, et aliud nihil agere quam in domo hac recreari et voluptatem capere (utpote quæ mihi cumprimis placebat), et aliis in locis (esto majore cum labore) magis utilis esse possem. Porro archiepiscopus et episcopus Palentinus ex eo tempore egregie inter se amicitiam coluerunt. Etenim archiepiscopus statim singulari quodam modo erga nos affici cœpit,

C

sacrumque Religionis habitum filiæ Catharinæ de Tolosa, nec non alii moniali quæ hoc monasterium ingressa est, contulit (*circa medium mensis Maji, ut videre est in epistola Sanctæ ad Petrum Manso, tom. IV, epist.* 9). Et hactenus semper fuere aliqui qui benigne nos, et quidem satis laute, habuere. Nec credo Dominum permissurum ut sponsæ suæ cum inopia conflictentur, si modo ipsæ, sicuti debent, ei serviant. Det proinde Majestas illius, propter magnam suam misericordiam et bonitatem, illis ad hoc gratiam. Amen. *Ita, quæ ex libro Fundationum S.* Teresiæ *nobis erant exscribenda, finem tandem habent : nam reliquam capitis ultimi partem jam alibi legimus* (*num.* 769, 770 *et* 771).

Novum hoc cœnobium

1005 *Absoluta demum feliciter post longas multasque difficultates fundatione illa Burgensi, ibidem S. Mater permansit ad finem usque Julii, sperans interim fore ut brevi sibi liceret Madriti cœnobium suis filiabus excitare, prouti ostendunt epistolæ ejus ad Petrum de Casa de Monte* XIV *Maji* (*tom. II, epist.* 64), *ad Dionysium de la Peña* IV *Junii* (*tom. II, epist.* 62), *ad Eleonoram a Misericordia* VII *Julii* (*tom. II, epist.* 107). *Præter has epistolas, et alias quæ data opportunitate fuerunt a me recensitæ, Burgis adhuc scripsit* XVIII *Aprilis ad Fredericum Alvarez de Toledo, quartum ducem Albanum* (*t. II, epist.* 7), *eodem mense ad P. Nicolaum Doria* (*ibid. epist.* 18), XX *Maji ad Hieronymum Reynoso* (*tom. IV, epist.* 50), VI *et* XIV *Julii ad Mariam a S. Josepho, priorissam Hispalensem* (*tom. II, ep.* 103 *et* 104); *nec dubium quin longe plures varias in partes miserit epistolas. Cæterum quid in ea civitate egerit, vel potius quid ibi passa sit, partim enarrat Ven. Anna a S. Bartholomæo capite* XIII *Commentarii de vita sua, jussu moderatorum suorum compositi. Cujus capitis, quoniam nativa qua conscriptum est simplicitate mire se commendat, potissimam partem hic latine vertam.*

D

inundatione affligitur;

1006 Si vellem, *inquit,* omnes ærumnas atque molestias a S. Matre nostra per totum illud tempus quo ei comes itinerum adfui, toleratas singillatim referre, quandonam tandem scribendi mihi finis afforet, nescio. Quidquid enim in libris ejus legere est, etiam quod spectat ad fundationem Burgensem, quam omnium fecit ultimam non sine magnis difficultatibus, quasi omnino est nihil. Nihil quoque est quod interdum ipsa scribit de magna inopia ac paupertate qua in itineribus premebamur, deficientibus

E

sæpenumero rebus ad victum necessariis. Recordor aliquando, cum S. Mater gravi laboraret deliquio, nihil aliud ad eam sustentandum mihi fuisse in promptu præter panis frustulum in frigidam intinctum. Namque ut extra civitatem prope flumen habitabamus, ab omni nos incolarum commercio diviserant aquæ, in tantum scilicet exuberantes ut domum nostram non solum invaderent, sed ejus quoque parietes, quippe cum esset vetusta, undæ cujusque impetus concuteret. Erat autem S. Matris cella adeo misera ut per tecti hiatus stellas quis aspicere potuisset, rimasque parietes agerent. Ad hæc a frigoribus, quibus obnoxium est regionis illius cœlum, plurimum patiebatur.

sub qua Ven. Anna a S. Bartholomæo

1007 Jam primam contignationem tenebant undæ : quo in discrimine Sanctissimam Eucharistiam in supremam domus partem deferri curavimus ; et metus singulis momentis erat ne mergeremur. Ita ab hora sexta matutina ad mediam usque noctem recitandis litaniis institimus, sine quiete aut cibo ; nam omnia nostra fluctus voraverant. Inter hæc, cum recentissima esset illa fundatio, S. Mater valde angebatur ; eo magis quod Dominus ita eam destituerat ut nesciret utrum præstaret illic persistere,

F

an vero, quod alii religiosi jam fecerant, alio aufugere. Nostra autem trepidatio tanta fuit ut de Matre nostra cibisque ei afferendis ne cogitaremus quidem. Quamobrem, cum valde sero jam esset, me advocans : « Vide, inquit, filia, num paululum panis su- » persit ; ac buccellam mihi, quæso, porrige : vires » enim me deficiunt. »

erga S. Matrem, tunc ægrotam,

1008 Hæc ego audiens verba, videbar mihi dolore disrumpi. Itaque novitiam e robustioribus advocavimus ; quæ cingulo tenus in aquam se inferens, panem inde extraxit, quo S. Matrem, cæteris escis destitutam, tantisper refecimus. Et omnes fame interibamus, nisi quidam civitatis viri (Angelos Dei esse putabamus, nec unde aut qua venissent, sciebamus) ad nos transnatassent ; qui, portis disruptis, viam aquis, qua effluere possent, fecerunt. Postea vero quam effluxerant, tanta remansit in domo lapidum copia ut iis impleta fuerint plaustra minimum octo. Nutabat porro S. Matris nostræ cubiculum, vento, ut modo dicebam, pluviæque et nocturno frigori patens : quare e duabus lodicibus quas in meo lecto habebam, alteram cubanti imposui, alteram circum lectum suspendi ; ita tamen ut ipsa id non animadverteret : non enim me sivisset sic fa-

A cere. Quæ ut obdormiscere cœperat, ego juxta illam assidens quiescebam. Quando autem me advocabat, simulabam me meo e lecto surgere; ita ut aliquando mihi illa diceret : « Quomodo tam cito ades, filia? »

amor mire elucet.

1009 Interdum quoque, illa dormiente, vestes ejus ac linteamina lotum ibam; quod quidem solatio mihi ac jucunditati erat, scienti quantopere ægrotæ meæ mundities ac nitor curæ essent : unde multas noctes egi insomnes, sed, propter ejus amorem atque obsequium, libentissime. Quin etiam ipsa die qua ex hac vita erat decessura, quando eam jam vox defecerat, nitidum ei velum nitidasque manicarum oras indui : qua munditie delectata oculosque in me conjiciens, dulce mihi arrisit, quasi in grati animi significationem. Ita nimirum semper omnibusque in rebus hoc munditiæ concinnitatisque studium, quoad vixit, præ se tulit. Sed ut redeam ad ea quæ cœperam dicere, equidem eo tempore tam bene corpore et animo valebam ac si totis dormissem noctibus et cibis laute fuissem usa. Scilicet id Dominus ita ordinavit ad S. Matris nostræ solatium : quæ si vidisset curas quas ei impendebam, mihi nocere, incredibili inde dolore affecta fuisset. Adeoque hanc aliasque gratias mihi miseræ pecca-
B trici Dominus præstitit propter famulam suam et amicam carissimam Teresiam, cui ego servire non eram digna. *Hactenus Ven. Anna a S. Bartholomæo, nonnulla deinde referens notatu digna de rebus a S.* Teresia *per ultimos vitæ menses gestis, quas nunc ex ordine describere aggredior.*

§ LII. Ultima S. Teresiæ itinera, extrema ejus ægrotatio ac felicissimus ad cœlum transitus.

Burgensi civitate relicta,

C *Profecta Burgis fuit Sancta cum Anna a S. Bartholomæo et Teresia a Jesu, fratris sui filia, exeunte mense Julio; ac Palentiam mox pervenit, ubi die* III *Augusti litteras suo nomine scribendas curavit, quibus propria manu aliquot adjecit lineas, ad Thomasinam a S. Joanne Baptista, priorissam Burgensem* (*tom. IV, epist.* 71). *Ex his inter cætera accipimus, P. Nicolaum Doria, qui mense Majo, ut Chronicon refert* (*lib.* V, *cap.* XXVII, *num.* 6), *ex Hispania in Italiam navigarat, Genuæ apud R. P. Caffardum, Ordinis Carmeli Generalem, tam bene rem egisse ut ab eo creatus fuerit procurator totius provinciæ Excalceatorum et Excalceatarum. Rursus ad priorissam Burgensem litteras misit Sancta die* IX *Augusti, in quarum fine nuntiat se ex voluntate P. Gratiani, cupientis ut Albam et Salmanticam iret, Albam verisimiliter eo anno profecturam* (*tom. II, epist.* 105). *Triduo vero ante, festo Transfigurationis Domini die, scripserat ad Teresiam Laiz, Albani cœnobii fundatricem, de rebus quibusdam illius cœnobii quas emendatas oportebat* (*tom. III, epist.* 55). *Demum adhuc die* XII *Augusti epistolam Palentiæ exaravit ad consanguineum suum Sancium Davila, de quo num.* 28 *et* 881 *dictum fuit* (*tom. I, epist.* 7).

Palentia,

1011 *Ex his litteris patet errasse auctorem Chronici, dum Burgensem S.* Teresiæ *commorationem protraxit usque ad* I *Septembris, in errorem inductus epistola nescio qua ad priorissam Hispalensem* (*lib.* V, *cap.* XXVI, *num.* 5, *et cap.* XXVIII, *num.* 1). *Quo autem die Palentiam S. Mater liquerit, non constat; sed eam* XXVI *Augusti jam degisse Vallisoleti, ostendit epistola illo die data ad Annam ab Angelis, priorissam Toletanam; cui epistolæ in impressis voluminibus altera annectitur, scripta initio Septembris* (*tom. IV, epist.* 66). *Duas alias habemus epistolas e Vallisoletano cœnobio hoc tempore missas : alteram die* XXVII *Augusti ad priorissam Burgensem* (*tom. II, epist.* 106), *alteram* I *Septembris ad P. Gratianum* (*tom. II, ep.* 43), *et hujus quidem posterioris unum folium, quod hodie pie asservant moniales Carmelitanæ Bruxellenses, non modo inspicere oculis meis, legere ac venerari mihi contigit, sed et, me pro Carmelitissis supplicante, id pro vera Sacra Reliquia agnitum est, confectæque de ejus authentia legitimæ tabulæ. De hac epistola, qua Gratianum S. Mater ob nonnullos defectus perstringit et quam video non valde accurate editam, plura dicturus alibi, unum hic de ea annotabo : nempe agi in illa de lite quam circa Laurentii Cepedii testamentum movere Sanctæ intendebat Beatrix de Castilla, socrus Francisci Cepedii, filii Laurentii, uti olim retuli* (*num.* 43).

Vallisoleto

1012 *Audienda hic iterum Ven. Anna a S. Bartholomæo :* Vallisoleti, *ait Vitæ suæ capite* XIV, nova S. Matri accessit molestia propter testamentum quo frater ejus mandarat ut opes suæ omnes, si forte liberi sui improles morerentur, Abulensi monasterio nostro cederent. Contendebant autem amici ejus E testamentum illud nullius esse valoris, ac proin S. Matri verba dare conabantur; licet ea minime esset facilis ad accipiendum quidquam quod non certo sciret Deo deberi. Cum autem ipsorum voluntati ac proposito negaret se concessuram, e causidicis unus eo processit inurbanitatis atque audaciæ ut recta accurrens ad cœnobium contumeliosis eam verbis alloqui non dubitaverit : non esse eam talem qualis appareret, multosque inter sæculares esse qui plura darent virtutum exempla quam ipsa. Ad quæ illa : « Rependat tibi Deus, inquit, hanc quam » mihi præstas gratiam »; nec plura respondit. Cœnobii vero priorissa, victa adversariorum sollicitationibus, ad eorum partes transierat; nec Sanctæ, etsi plurimum ab illa diligebatur, eum quem debuit amorem ac reverentiam hisce in adjunctis exhibuit : edixitque adeo nobis ut suo e cœnobio abiremus. Quod ubi facere cœperamus, prope ostium veste me apprehendens : « Abite, ait, nec am-
» plius huc revertamini. » Acerbissime S. Matris animum hæc verba pupugerunt, utpote prolata ab una filiarum suarum; a qua scilicet existimabat majorem sibi quam a sæcularibus deberi reverentiam, et se tamen sæcularibus ab ea postponi videbat. F

et Methymna Campestri

1013 Igitur inde se recepit Methymnam Campi, qua Abulam, ubi prioratum gerebat, est iter. Eodem vespere quo illuc pervenit, priorissam monuit de re quadam non valde mala, sed tamen corrigenda. Quam monitionem cum priorissa non æquo animo tulisset, ægre vicissim S. Mater tulit quod filias suas videret, opera inferni hostis, ab ea quam antea præstare consueverant, obedientia excidisse. Quare in aliud cubiculum se ipsa abdidit, in aliud priorissa. Adeo autem mutatio illa mentium et insolentia S. Matrem nostram afflictavit ut vespere illo nihil comederit ac tota nocte permanserit insomnis. *Dum hosce dolores S.* Teresiæ *e candida comitis ejus Annæ narratione describo, advertat velim lector me textu hispanico destitutum adhibere versionem ejus flandricam Antverpiæ iterato impressam anno* 1733; *id quod ideo præsertim moneo quia in versione gallica, Bruxellis anno* 1708 *edita, omittitur quidquid spectat ad injuriam S.* Teresiæ *a priorissis Vallisoletana ac Methymnensi factam.*

Albam, extremo morbo correpta,

1014 *Vallisoleti autem, dum abitum jam meditaretur, die* XV *Septembris litteras exaravit ad Catharinam a Christo, priorissam Soriensem, mitten-*

AUCTORE V. D. M.

A das; quibus dein paucula aliquot verba Methymnæ Campi subjunxit (tom. I, epist. 42). Mens illi tum erat quantocius Abulam se conferre, ut ibi monasterii sui rebus pro suo priorissæ munere prospiceret, atque ut Teresiæ, fratris sui filiæ, quam comitem itineris habuerat, sacrum conferret velamen. Verum Methymnæ Campi, quo videtur advenisse die XVI Septembris, obvium habuit P. Antonium a Jesu, vices absentis P. Gratiani tunc temporis agentem : quo jubente ac ducente, non Abulam, quo intenderat, sed Albam cum comitibus suis vecta fuit, ut nimirum faceret satis validæ petitioni Mariæ Henriquez, ducissæ Albanæ, quæ magno ejus videndæ alloquendæque tenebatur desiderio. Postridie, ait Ven. Anna a S. Bartholomæo, quam Methymnam pervenceramus, sine cibo inde profectæ sumus, propositum habentes manducandi inter viam. Tentabatur jam tunc S. Mater eo morbo quo brevi post absumpta fuit; et cum totam illam diem iter fecissemus, nihil omnino cibi viribus ejus reficiendis invenire potueram. Cum vero sub noctem in pauperem devenissemus viculum, ne ibi quidem rerum edulium quidquam nobis suppetebat præter aridas ficus aliquot. Cum igitur S. Mater, languens ac febri æstuans, mihi

B dixisset : « Num quid habes, filia? Aliquid, quæso, » mihi da; vires enim mihi deficiunt », quatuor reales dedi ad emendum duo ova pretio quantumvis magno. Videns vero nec pecunia emi quidquam illic posse et nummos mihi integros reddi, non potui sine lacrymis in semimortuum Sanctæ vultum oculos intendere : neque apta mihi suppetunt verba quibus illum quem tunc persensi dolorem describam; cor enim meum tristitia ac mœrore disrumpi mihi videbatur.

Sancta devenit :

1015 Ergo in fletus me projiciebam, quod tanta me in inopia constitutam cernebam, ut nihil haberem quo Matri carissimæ ante oculos meos morienti levamen aliquod opemque afferre possem. At illa, angelicam in omnibus præ se ferens patientiam : « Tempera, inquit, filia, lacrymis : » Domini enim voluntate hæc res accidit. » Quo magis nimirum appropinquabat tempus ubi ex hoc mundo erat migratura, eo magis omnibus illam modis Dominus probabat : et illa quidem sanctissime, ut semper fecerat, cuncta patiebatur; mihi vero (quippe animo meo non perinde atque illa moderari noveram) longe id accidebat acerbius. Quare oportuit ut ipsa me solaretur, juberetque

C animo esse æquiori; quod una ficu, quam comederat, sibi jam satis esse datum diceret. Postridie (*nempe* XX *Septembris, hora sexta vespertina*) Albam attigit; sed tanta cum jactatione atque alteratione valetudinis ut de vita ejus medici desperarent. Quod mihi fuit auditu molestissimum; præsertim dum cogitabam nos Albæ esse, et me ei fore superstitem. Præterquam enim quod altera alteram diligebamus, summæ mihi erat consolationi Christum Dominum nostrum in corde ejus una præsentem videre; cui videlicet anima ejus perinde erat conjuncta ac si apud illum fuisset in cœlo : unde eam in me excitabat reverentiam quam Domino, ubi adest, homines præstare debent.

ibique inter brachia Annæ a S. Bartholomæo,

1016 *His narratis, res quasdam Ven. Dei Serva refert ad anteriora pertinentes tempora; quæ ego, cum ea suis locis olim annotaverim, hic repetere non debeo, omissurus similiter, ne actum agam, quæ de ultimis quindecim vitæ diebus et gloriosa morte* S. Teresiæ *tam copiose quam eleganter scripsit Ribera. Pergit igitur Anna, post brevem quam dixi digressionem :* Albæ per quinque extremos S. Matris dies mortua videbar potius quam vivens. Biduo vero antequam morerctur, cum forte sola ipsi adessem : « Filia, inquit, venit jam abitus mei hora. » D Quibus verbis cor meum quasi cultro percussum fuit. Nec jam pedem amplius ab ejus cubiculo movens, rogabam sorores ut quidquid opus foret ad me afferrent; idque ipsi deinde porrigebam : solamen enim ex meo capiebat consortio. Demum qua die ex hoc mundo migravit, loquelam mihi a summo mane dolor abstulerat : quare sub vesperam P. Antonius a Jesu, e numero primorum Excalceatorum, qui moribundæ aderat, mihi injunxit ut comestum secederem. Me comedente, irrequieta S. Mater huc illuc circumspiciebat. A qua cum petisset P. Antonius num forte me vellet, signis id aliquibus affirmavit; itaque revocata fui. Ubi advertit me regressam esse, dulce renidens ac multo cum amoris affectu manibus me suis apprehendens, in mea brachia caput reclinavit : quod ego ita sustinui atque amplexa fui donec expiravit. Interea ego magis mori videbar quam ipsa. Adeo namque Sponsi sui caritate flagrabat ut horam illam qua, solutis corporis vinculis, eo in perpetuum frui posset, unice concupisceret. Ad extremum Dominus, cujus infinita clementia est, cernens exiguam meam in hac cruce ferenda tolerantiam, conspiciendum se mihi obtulit cum ingenti Majestate et comitatu Sanctorum ad extremam lecti spondam adstantium, a quibus beata illa anima in cœlos deducenda erat. Sub qua visione, quæ quidem eo duravit spatio quo Symbolum apostolicum recitare posses, dolor ille meus in magnam est animi tranquillitatem versus; et veniam interim a Domino petens, dixi : « Etiamsi, » Domine, Majestati tuæ placeret ut consortio Ma- » tris Teresiæ adhuc aliquamdiu fruerer, nunc ta- » men, postquam ejus gloriam conspexi, te rogare » malim ut ne uno quidem momento amplius eam in » terra relinquas. » Sic anima illa beata discessit et columbæ instar ad Dei sui fruitionem avolavit. E

quæ Christum Cælitesque adstantes videt,

1017 *Quas hactenus e Ven. Anna excripsi mortis* S. Teresiæ *circumstantias, easdem fere omnes insignis hæc Dei famula jurejurando affirmavit anno* 1596, *ut colligitur ex processu compulsoriali Abulensi* (*de quo vide quid monuerim num.* 845). *Accedit in processu remissoriali Abulensi Teresia a Jesu junior, quæ obitui Sanctæ amitæ suæ testis item oculata interfuit; et testimonium Ven. Annæ a S. Bartholomæo non solum confirmavit, verum etiam sequentia addidit : ex splendore scilicet ac luce, qua totam cellam oppletam in spiritu vidit, tantam claritatem in faciem Ven. Annæ fuisse repercussam, ut* F *cæteræ moniales, insciæ quid ageretur, attentius eam aspicerent quam S. Matrem; quod quidem ipsas postmodum narrasse admirabundas : ubi vero Sancta exspirasset, evanuisse visionem; Annamque ad se rediisse gratias Deo agendo. Cæteris equidem apparitionibus, signis atque portentis, quæ* S. Teresiæ *mortem vel comitata sunt vel proxime secuta, e quibus aliqua etiam in Breviario Romano memorantur, hic referendis supersedeo; quandoquidem præcipua quæque apud Riberam et in Actis canonizationis legere est. Quod vero in eodem Breviario dicitur Sancta* intolerabili divini amoris incendio potius quam vi morbi, Albæ cum decumberet, ... purissimam animam Deo reddidisse, *id Yepesii, viri prudentissimi, testimonio confirmare juvat.*

purissimam animam

1018 Causam atque occasionem mortis ejus, *inquit ille,* medici referebant in magnam fatigationem laboresque itineris, quibus accedebat superveniens ei sanguinis fluxus, unde vires ei vitaque defecerint. Quamvis negari nequeat hæc adjuncta ad filum vitæ ejus abrumpendum aliquid contulisse, tamen gladius qui mortem ei dedit, fuit impetus amoris divini adeo validus ac fortis ut non ad

animæ

animæ et spiritus tantum, sed ad corporis quoque et animæ divisionem pertigerit. Namque toto illo spatio quatuordecim, uti diximus, horarum, quo absorpta atque in ecstasin rapta perstitit, ita ardere cœperat ac flagrare rerum quas videbat amore, et gaudio spei jam certo affulgentis, ut sui jam non potens, phœnici similis, in beato illo igne, in quo semper vixerat, animam exhalarit. Id quod ipsa postridie (*imo ipsa nocte, ut habetur in processibus canonizationis*) sui obitus revelavit Matri Catharinæ a Jesu, magna sanctitate ac perfectione virgini, quæ tum Veasensi cœnobio a se fundato præerat : hæc gravissimo decumbens morbo, cum ei obitum S. Matris, ne dolorem dolori adderent, moniales celavissent, illum nihilominus obitum scivit; dixitque P. Hieronymo a Matre Dei, Excalceatorum provinciali, Sanctam sibi magna cum gloria apparuisse, dicentem se Deo jam frui, ac magno amoris Dei impetu quem in morte sensisset, animam a corpore fuisse divulsam. . . . . Idem S. Mater significavit gravi Ordinis sui prælato : magnos scilicet impetus illos causam fuisse suæ mortis; quippe tantam fuisse eorum vehementiam ut naturæ vires plane superaverint.

non tam vi morbi

1019 Nec vero magnopere mirandum est impetum hujusmodi tam fortem esse ut animam a corpore separare valeat, siquidem de seipsa meminit Sancta quomodo aliquando solo auditu cantiunculæ, qua canebatur quam amarum sit sine Dei visione vivere, impetu simili tam violenter efferbuerit, ut, ni cantus ille, Deo providente, mox desiisset, anima sua non potuisset amplius corpore contineri. Quin idipsum ante prædixerat, quando in Vita sua, agens de magnis istis motibus ac Dei desideriis, ita loquitur (*cap.* xx) : « Credo, si, ut hactenus fecit, dolor hic semper » procedat et increscat, Dominum pro sua bonitate » facturum aliquando ut hic simul cum vita finem » accipiat. » Et alibi loquens de se ipsa (*in Concept. amoris, cap.* vii) : « Novi quamdam, ait, quæ, cum in » eo orationis genere versaretur et suavem quem- » dam cantum audiret, asseruerit, nisi cantus iste » desiisset, visum sibi fore ut anima e corpore exi- » ret : quare divinam Majestatem effecisse ut cantus » ille finem acciperet; se enim in hac suspensione » constitutam mori quidem potuisse, sed non po- » tuisse dicere canenti ut cessaret. » Atque hanc veram fuisse mortis ejus causam apparet e tranquillitate qua ita moriens fruebatur, ut virgines illæ quæ sæpenumero eam in oratione extra se raptam viderant, non aliud tunc putarent nisi raptum ejusmodi ei contigisse. Tandem vero ingenti illa amoris vehementia atque impetu anima ejus tam fortiter concitata fuit ut non solum abstraheretur a sensibus corporis, sed et ab ipso corpore : adeoque ex intenso ardore, quo in amplexus et conjunctionem cœlestis ac divini Sponsi sui ruebat, magnus sanguinis fluxus et hinc mors ipsa processit. *Commendatur hic Yepesii locus in Relatione Auditorum Rotæ de virtutibus S.* Teresiæ, *ubi et ipsi referunt revelationem qua Sancta aperuit se ultimo eo maximoque amoris impetu, quem morti proxima sensit, potius mortuam quam ex vi morbi. Ad hæc, præter Breviarium Romanum, quod jam allegavi, Yepesio adstipulatus insuper fuit Christi in terris Vicarius Gregorius XV in Bulla canonizationis :* Quin etiam, *inquiens,* post mortem cuidam moniali per visum manifestavit se non vi morbi, sed ex intolerabili divini amoris incendio vita excessisse. *Demum S. Franciscus Salesius in suo Tractatu de amore Dei hæc habet :* Beata Virgo Teresia revelavit se impetu amoris tam violento mortuam esse, ut, natura eum impetum ferre non valente, anima ad sui amoris objectum abrepta fuerit (*l.* vii, *c.* ii). *Et S. Alphonsus de Ligorio, in sua erga S.* Teresiam *novemdiali Devotione* (*consider.* ix) *pariter dicit eam in dulci amoris incendio et præ amoris violentia exspirasse. Tandem ad citata ab Yepesio e S.* Teresia *loca unum addam ex ejus libro de Via perfectionis, ubi sic inquit :* Potest crescere adeo amor et desiderium Dei ut subjectum naturale ferre illud nequeat; et aliqui ita sunt mortui (*cap.* xix, *num.* 9).

AUCTORE V. D. M.

quam divini amoris incendio suaviter exhalat,

1020 *Enimvero non uni* Teresiæ *tale mortis genus contigisse fert Historia. Sic v. g. in Breviario Romano idem de S. Gertrude abbatissa ad diem* xv *Novembris legimus :* Flagrantissimo Dei amore potius quam morbo languescens, anno Domini MCCXCII vita decessit. *Sic sæculo* xv *anonymus quidam Carthusianus* (*ut ex archivis conventus Carthusianorum Gandensium refert Arnoldus Raissius, in suo ad Natales Sanctorum Belgii J. Molani Auctario ad diem* i *Martii, utque ante ipsum retulerat Dorlandus, Chron. Carth. lib.* v, *cap.* xxviii, *absque loci et temporis nota*), quodam tempore post meridiem reversus e refectorio, dum solitæ contemplationis æstuaret ardoribus, tam flagrans eum divini amoris ignis apprehendit, ut hunc lutei vasculi haud ferret infirmitas; sed anima, sitiens Deum vivum, in cœlum, visibili eam comitante gloria, evolarit. *Sic in ipsis Sanctorum Actis quorum continuationi insudamus, mihi e Prosperi Lambertini, postea Benedicti XIV, indicatione* (*de Beatif. et Canoniz. lib.* iii, *cap.* xxxviii, *num.* 25) *occurrit ad diem* xii *Maji B. Imelda Lambertina; quæ, annum vixdum undecimum ætatis agens, sumpta sacra Hostia de cœlo delapsa,* clausis suaviter oculis, quasi somno indulgens, spiritum Christo Sponso suo reddidit, qui mortali corpore conclusus tantas delicias ferre diutius non posset (*tom. III Maji, pag.* 184). *Allegare pro eodem argumento hic juvat Bossuetium, Meldensem episcopum, qui in Oratione panegyrica in laudem S.* Teresiæ *habita egregie ostendit Seraphicam Virginem, vere* caritatis victimam, *jamdudum amoris vi moriendo ad Sponsum suum abire debuisse, nisi Deus effecisset ut patiendo vitam protraheret. Ut enim ipsa scripsit ultimo Vitæ suæ capite, adeoque vigesimo circiter ante obitum suum anno, solebat identidem tota voluntatis vi ad Deum evibrare inflammata hæc desideria :* Domine, aut mori aut pati! Neque aliud te mihi rogo. *Et addit auditum horologii pulsum sibi solamen afferre, eo quod, hac elapsa vitæ suæ hora, cogitaret se tantillum Deo videndo propiorem.*

prædicta triduo ante mortis suæ die;

1021 *Enucleandum restat et alterum Breviarii assertum, S.* Teresiam *obiisse prænuntiato suæ mortis die. Qua in re, ne qua oboriatur confusio, bene notari velim diei prænotionem omnino distinguendam esse a prænotione anni. Scilicet diem qua moritura erat, non ita diu prænovit S. Mater; quandoquidem viginti ante diebus significarat priorissæ Soriensi velle se ad breve tempus Abulæ sistere, indeque Salmanticam petere, spem una multam ostendens fore ut Madritum quoque cœnobii fundandi ergo ire posset* (*tom. I, epist.* 42), *Salmantica vero Albam transire statuerat* (*tom. II, epist.* 43), *prænoueratque jam mense Augusto moniales suas Albanas futuram se forsitan apud ipsas tempore hiemis* (*tom. II, epist.* 105). *Utique hæc Sancta non scripsisset, si jam tum scivisset se festo S. Franciscı Assisiatis die morituram. Riberæ igitur ac Yepesio adhærendum videtur, qui ex communi fama asseruerunt S. Matrem certo de mortis suæ die prædoctam fuisse triduo ante, quando totam prope noctem orando transegit, ut iidem auctores et alii post eos maxime accurati referunt.*

1022 *Verum*

AUCTORE V. D. M. *cum a pluribus jam annis,*

A

1022 *Verum ad annum quod spectat, hunc Sancta præsciverat jam a longo tempore. Etenim anno* 1574, *cum esset Methymnæ Campi* (*hanc civitatem designat P. Fredericus, lib.* V, *cap.* I; *et Sancta ibi reapse fuit anno* 1574, *ut vidimus num.* 593) *rogareturque a consanguinea sua Agnete a Jesu, priorissa, quantum haberet ætatis, respondit alta voce se natam esse annos quinquaginta novem; ac voce dein submissiore, quasi secum ipsa loquens, subdidit :* Quot restant ad sexaginta octo? *Audivit hæc verba, quippe prope adstans, Isabella a Jesu, tunc cum S. Matre Segoviam profectura; eademque anno* 1592 *in processu informativo Salmanticensi* (*uti docent duo Summaria MSS., alterum de universa vita S.* Teresiæ, *alterum de ejus prophetiæ dono, jam alias a me citata*) *fideliter, prout audierat, retulit : qua etiam occasione duo facta quæ sequuntur patefecit. Nimirum paulo plus tribus annis antequam Deus illam ad se vocaret* (*id est, ut vidimus num.* 845, *anno* 1579), *S.* Teresia *Salmanticæ cum quodam medico agens de suis infirmitatibus, dum is quædam illi præberet remedia :* Quorsum, *ait,* tanta cura ei impendatur quæ tres tantum aut quatuor annos adhuc debeat vivere? *Postea, quando e quodam cœnobio*

B

suo ultima vice exivit, diserte prædixit monialibus se illas non amplius visuram in terris et fecit illis exhortationem cum magno animi affectu. Hoc quidem, si verbis Summariorum inhæreamus, Salmanticæ quoque accidisse dicendum est. Yepes vero, de Salmantica non loquens, ultimum illud vale Segoviæ dictum perhibet : quod equidem verius esse existimo; præsertim quia, ut modo videbamus, Sancta paulo ante mortem suam adhuc habebat propositum ut Salmanticam iret. Et in processus canonizationis irrepere potuisse nominum hujusmodi æquivocationem (*qua tamen rei substantia non læditur*), *e serie vitæ ipsius testis facile ostensu est.*

ut certa docent testimonia,

1023 *Videlicet Isabella de Ximena, ad quam adhuc sæcularem, eo tempore quod Salmanticensem inter et Segoviensem fundationem effluxit, S. Mater litteras scripsit* (*tom. I, epist.* 40), *nata erat Segoviæ; Salmanticæ vero Teresiano Instituto nomen dedit ac solemnia professionis vota emisit. Dehinc anno* 1574 *S. Reformatricem* (*ut diximus num.* 591) *comitata fuit in patriam civitatem Segoviam, ut novæ illic fundationis cum tribus aliis monialibus initia poneret. Unde redux, Salmanticæ iterum versabatur*

C

anno 1579, *ut patefacit quædam Sanctæ epistola ad priorissam Salmanticensem* (*tom. II, epist.* 78). *Anno autem* 1580 *exeunte, Palentinam adiit fundationem, cæteris ut monialibus in ea præesset* (*uti vidimus num.* 908). *Quoniam vero S. Mater Junio jam mense Toleto profecta fuit ut Vallisoletum iret, cum episcopo Palentino de dicta fundatione locutura, quo in itinere* (*ut demonstratum fuit num.* 875 *et seqq.*) *Segoviæ, Abulæ et Methymnæ Campi satis diu hærere debuit, non improbabilis est conjectura Isabellam a Jesu, ad novam fundationem destinatam, Segoviæ cum S. Matre affuisse; sive quod ibi jam pridem iterum ageret, sive quod eam Sancta hac occasione vel paulo antea Salmantica accersivisset : utrumque enim fieri potuit. Demum, quo tempore P. Ribera vitam S.* Teresiæ *edidit* (*edidit autem anno* 1590), *Isabella, ut ipse testatur lib.* III, *cap.* I, *priorissam agebat Salmanticæ; ubi etiam anno* 1592 *de Sanctæ* Teresiæ *virtutibus ac miraculis testimonium edidit. His explicatis, quis non videat, id quod paulo ante dicebam, in hoc testimonio facile Salmanticam loco Segoviæ vel dici vel scribi potuisse? Cæterum, utut res se habet, sive levis hic error Summario insit seu me mea conjectura fallat, certe constat S.* Teresiæ *prædictio.*

annum quoque mortis,

D

1024 *Præterea, teste Yepesio, S. Mater annum obitus sui, a Domino sibi revelatum ante octo vel etiam plures annos, notis quibusdam breviario quo utebatur inscripserat; eumque manifestarat P. Ambrosio Mariano. Nescio an meritissimus scriptor loquatur de scheda quadam in breviario illo inventa, quam post Sanctæ mortem in manus P. Gratiani venisse, atque ab eo, utpote arcani conscio, facile explicatam fuisse, asserit P. Antonius a S. Josepho; qui quidem hoc constare affirmat e testimonio Mariæ a S. Josepho, sororis P. Gratiani* (*quam cave confundas cum altera insigni moniali ejusdem nominis, de qua sæpissime egimus, et speciatim* § XLII), *asseverans insuper, e notis quas a P. Alphonso a Matre Dei ad auctorem Chronici transmissas et in archivis Ordinis asservatas fuisse dicit, P. Riberam et P. Ludovicum de Leon hujus schedulæ interpretationem frustra attentasse* (*tom. IV, epist. seu script.* 76, *not.* 2). *Eam anno* 1768 *ex originali exemplari, quod tunc Methymnæ Campi apud moniales Teresianas extabat, in lucem edidit auctor Anni Teresiani ad diem* XVII *Novembris. Idem fecit, sed interpunctis paulo aliter vocibus, adjectisque sententiis de spirituali martyrio repertis itidem in illo breviario, P. Antonius a S. Josepho* (*l. c.*). *Ego obscura implexaque hujus schedæ verba non afferam, nedum interpretabor. Non afferam, ne, infirmum exhibendo ejusmodi argumentum, solidioribus modo exhibitis noceam magis quam prosim. Nedum interpretabor, quandoquidem sensus ejus fugit ipsosmet Riberam et Ludovicum de Leon. Ad hæc, quod non parum enervat auctoritatem ejus, plura verba sunt alia in Anno Teresiano, alia tomo IV Epistolarum. Accedit,* XVII *Novembris, ut scheda habet, non esse octavam S. Martini, sed* XVIII. *Atque hæc de illa scheda meminisse sat est.*

imo et locum præsignasset.

1025 *Addendum est ex Ribera* (*lib.* IV, *cap.* III) *S. Matrem P. Mariano, ducissæ Albanæ aliisque prædixisse mortis suæ locum. Habemus de hac re ex processu remissoriali Salmanticensi testimonium Marianæ ab Incarnatione, Catharinæ a S. Angelo, Constantiæ ab Angelis et Catharinæ a S. Joanne Baptista, monialium Albanarum; quæ P. Marianum ante crates chori sui inferioris audierant hæc dicentem :* Cogitatisne, Matres meæ, huc adventuram Matrem Teresiam a Jesu? Ipsa enim quadam occasione mihi dixit revelatum sibi a Deo ante octo annos fuisse fore ut in oppido Alba moriatur. *Accedit ad has Anna a S. Stephano, attestans idem sibi*

F

fuisse narratum a P. Antonio a Jesu. Videtur et adjungi debere Petrus de Tablares, archidiaconus Abulensis, de quo Summarium MS. de prophetiæ dono S. Teresiæ *sequentia perhibet :* Idem audivit dici a magistro Daza presbytero (erat iste confessarius B. Teresiæ) quod antequam S. Mater decederet ex hac vita, sibi dixit quod moritura erat Abulæ, et quod ibi specialiter : ut in remiss. Abulen. fol. 101 a tsº. *Etenim mihi dubium non est quin hic pro* Abulæ *legendum sit* Albæ : *siquidem statim sub his verbis, quasi ad ea confirmanda, allegantur monialium Albanarum, quas modo nominavi, testificationes; et satis pronum erat ut scriba, sub oculis habens processum Abulensem, calami lapsum hujusmodi committeret.*

Votum Baïezii de S. Teresiæ *morte.*

1026 *Porro, si mihi hoc loco enarrandæ forent omnes felicissimi obitus S.* Teresiæ *circumstantiæ, non exiguo opus foret spatio. Verum id pensi exegit Ribera ac fuse idem quoque argumentum tractant Acta canonizationis. Quare, cum hæc infra legi possint, iis hic allegandis supersedeo. Pro epiphonemate ad hanc quam breviter descripsi S. Virginis mortem, unum addam e P. Antonio a S. Josepho* (*tom. IV, epist.* 8, *not.* 9), *nempe tali ejus fine satisfactum esse*

voto



Robustianus Boada del.t

Erin Corr sc.t

S. TERESIA

ex effigie Abulæ conservata et signata a F. Joanne de la Miseria.

(Vide Riberam. l. IV. c. 1.)

A *voto P. Dominici Bañez, qui aliquando dixerat optare se ut excellentem tanta sanctitate Virginem eo in statu vita defunctam sciret, quo scilicet tanti virtutum meritorumque thesauri in tuto positi essent, neque amplius dives ea anima, ceu pretiosissimis navis onusta mercibus, naufragii prædonumve periculis foret exposita.*

§ LIII. Corporis S. Teresiæ forma, ejusque effigies. Exequiæ ac sepultura.

Describitur forma et facies S. Teresiæ a Ribera et Yepesio.

R*ibera* (*l.* IV, *c.* I) *et Yepes* (*l.* II, *c.* XXXIX, *ac l.* III, *c.* XXVIII, § I) *notant quæ fuerit corporis S.* Teresiæ *forma, quæ oris facies; ne quid dicam de posterioribus ejus biographis, qui e binis illis primis hauserunt quod ea de re, solis variatis verbis, scripsere. Cum Ribera infra legi queat, tantum quod Yepes habet, referam, cujus concinna hic est styli elegantia, quam non imminuit usurpata a me latina*
B *versio Nicolai Antonii* (*Biblioth. Hisp. nova, art.* S. Teresia de Jesu). Justa, *inquit Yepes,* fuit corporis statura, pulchraque oris specie, cui nec provectior ætas multum, uti solet, inviderat; rotunda facie ac succo plena, eaque albo ac purpureo colore locis suis commodum distincta, quam quidem fundentis ad Deum preces venustissimus quidam rubor suaviorem ac splendidiorem reddebat; nigro capillo et crispo, decora et lata fronte, nigris etiam oculis læta quadam gravitate sub crassiore supercilio micantibus; breviori naso, cujus et solidior apex aliquantulum se demiserat osculum versus, quod quidem os breve, vultusque ad amussim exactum. Tres autem circa illud nævi sinistrum facici latus non inceleganter dispunxerant, aliud ad nasi mediam radicem, qua maxillæ committitur, aliud infra ipsum nasum, qua os protuberat, postremum vero ipsi ori subjectum. Denique sic omnibus semper gratus ac jucundus Teresiæ conspectus fuisse dicitur, ut, interlucentibus quandoque, aciemque ipsam oculorum et frontem veluti imbuentibus peregrinæ cujusdam lucis radiis, amorem pariter ac venerationem sui conspicientibus ingeneraret.

C *Inquiritur quando exhibita hic ejus effigies*

1028 *Memorat quoque Ribera* (*loco quo supra*) *ejus jam senescentis effigiem jussu provincialis Gratiani a Fr. Joanne de Miseria depictam, sed rudi, si artem spectes, penicillo. Hoc ego ductus indicio, amicos Hispanos in Castellæ provincia degentes percontatus sum an et ubi primigenia hæc tabula existeret, iisque supplicavi ut, sicubi esset, accuratum ejus exemplum mihi permitterent. Responsum tuli plura esse loca quæ possessionem ejus tabulæ sibi arrogent; cæterum oris speciem lineasque in diversis iis picturis vix discrepare. Ergo D. Robustianus Boada rogatus est ut probatam eam graphice imitaretur et exprimeret tabulam quæ, non ita pridem ex Abulensi Excalceatorum conventu abducta, in aula nunc pendet academiæ ejusdem civitatis, et quæ* (*ut scribit idem D. Boada*), *nomen gestans Fr. Joannis de Miseria, fertur esse primitiva. Atque hæc est S.* Teresiæ *effigies quam æri incisam a latere hic conspicis, et quæ minime abludere videtur ab ea forma qua Ribera Yepesque* Teresiam *describunt.*

picta fuerit :

1029 *Interim, etsi Yepes dicat provectiorem ætatem non multum formæ S. Matris invidisse, operæ pretium tamen est observare P. Gratianum* (*ut scribit Ribera*) *Fr. Joanni de Miseria mandatum ut eam pingeret, tum dedisse cum provincialis jam erat : ergo post annum* 1574, *cum a visitatore apostolico primum declaratus est provincialis* (*anno namque* 1581, *quo P. Gratianus ad id munus iterum promotus fuit suffragiis congregati Carmeli Excalceati, Fr. Joannes de Miseria ad Calceatos transierat*). *Atqui jam anno* 1574 *ipsa Sancta scribebat se adeo senuisse ut qui eam aspicerent, mirarentur esse ita mutatam* (*tom. III, epist.* 60, *num.* 3). *Porro sequentibus annis multo adhuc majorem oris ejus immutationem fuisse oportet. Ut enim scribit P. Antonius a S. Josepho :* Gravi ægritudine correpta fuerat, eo nempe catarrho qui eo tempore (*anno* 1580) per cunctas eas regiones est grassatus. Ex quo, ut annotavit P. Gratianus, ita mutata debilitataque S. Mater fuit ut ejus facies declivem proderet ætatem, quam eatenus junior vultus, annos fallens, texerat; tametsi continuis obnoxia fuisset ægritudinibus (*tom. III, epist.* 24, *not.* 10). *Et revera multæ hæ gravesque fuerunt. Quod ut pateat, non opus sane est recurrere ad octennem nescio quam infirmitatem quam J. B. Campadelli ex suo extudit cerebro* (*vide num.* 101); *sed, ne loquar de diutinis illis doloribus quos primis a suo in monasterium ingressu annis passa est, quotidianus ei erat vomitus, stomacho cibos non ferente; continuus in auribus sonabat strepitus; bis fractum brachium; frequens venæ incisio; primum remissior* (*tom. II, epist.* 72, *num.* 1), *postea gravior paralyseos accessus* (*tom. II, epist.* 96, *num.* 1) : *adeo ut mirum non sit eam se in suis epistolis crebro nominare vetulam seniculamque* (*v. g. tom. I, epist.* 20, *num.* 8 : pobre vieja, pauperem anum; *item tom. I, epist.* 25, *num.* 3 : pobre vejezuela, pauperculam seniculam), *et ut anno* 1579 *scriberet se stupendo modo consenuisse* (*tom. I, epist.* 58, *num.* 3 : Se espantaria quan vieja estoy).

AUCTORE V. D. M.

D

E

1030 *P. Joannes Interian de Ayala in suo opere, Madriti typis excuso anno* 1730, *sub titulo :* Pictor Christianus eruditus, *de S.* Teresiæ *forma et facie hæc habet :* Seraphica illa Mater, honor semper Hispaniæ, immo Ecclesiæ totius singulare ornamentum, Diva Teresia a Jesu, quam nullæ prorsus laudes æquant, ut in ore versatur omnium, ita illius imagines omnium cernuntur oculis, omnium teruntur manibus; sed raræ sunt quæ illam vel mediocriter exprimant : atque hoc est quod queritur illius Vitæ scriptor, omnium meo judicio longe gravissimus atque eruditissimus (*Ribera nempe*). Is enim (*l.* IV, *c.* I), postquam illam, quantum certe fieri potuit oratione aut scripto, vivis, ut sic loquamur, expressit coloribus, depingens corporis vultusque illius venustatem proportionemque usque ad ipsas minutias, hæc subdidit, de hispano idiomate ad latinum conversa : « Expressa est, inquit, » una tantum illius imago illa vivente atque su» perstite; atque hoc quia illi præcepit illius supe» rior seu provincialis, qui tum temporis erat » P. F. Hieronymus Gracian, ut scilicet se permit» teret et sineret depingi : expressitque imaginem » illius Ordinis, nempe Carmelitani Discalceato» rum, laicus quidam Dei servus, cui nomen erat » Fr. Joannes de la Miseria. Atque quod ad hoc » attinet, optime fecerat Pater Gracianus : sed non » item in eo quod non quæsierit excellentiorem » pictorum Hispaniæ, qui talem tantamque fœmi» nam felicius expressisset atque fidelius. » Pingitur autem, idque frequenter, venusta prorsus facie ac decora; neque id immerito : talis enim suapte natura fuit, ut notat et minutius describit laudatus illius Vitæ scriptor loco superius allegato. Sed præter id, cum Deus in ejus purissimam illabebatur animam, in extasimque rapiebat, eo quandoque impetu, ut corpusculum etiam a terra sublime, per-

citaturque locus Ayalæ de modo eam repræsentandi,

F

AUCTORE V. D. M.

inde ac si terrenæ molis esset expers, ferret in
A aerem, de quo ipsa, proprio experimento edocta, sæpius loquitur, tunc supra modum humanum ac morem venusta atque emicans videbatur. Quare, etsi senior nonnihil obierit (totos enim septem supra sexaginta annos, insuper sex etiam menses et dies in sæculo vixit, aut, ut ipsa melius loquitur, exulavit), optime faciet pius atque eruditus pictor, si eamdem semper venustam expresserit atque decoram (*lib.* VIII, *cap.* II, *num.* 6 *et* 7).

peciatim uoad columam

1031 *Exscribam et hic reliqua quæ idem auctor adjungit de divino qui sub forma columbæ appingi solet Spiritu, quamquam appicta hic columba non sit, quippe cum tabulam secutus sum vivente adhuc Sancta confectam. Sed quæ modo ex Ayala citaturus sum, applicari possunt ad alteram tabulam qua S. Mater cum insignibus doctoris theologiæ repræsentatur, et in qua columbam, Spiritus Sancti emblema, sibi additam habet. Itaque laudatum scriptorem sic pergentem audi :* Appingitur tandem Divinus Spiritus auri ejus, aut supra caput, sub specie candidæ columbæ. Quo non id intelligi datur quod illius scriptis, quamquam unctione quadam divina refertis et plane cœlestibus, certitudinem atque au-
B thoritatem divinarum Scripturarum velimus adscribere. Non id intenditur : sed neque ipsa, ut erat modestiæ atque humilitatis studiosa sectatrix, sibi pateretur attribui, quæ sæpe sæpius, cum de divinis rebus sublimiter disserit, veretur se nil aliud quam ineptias ingerere; immo quæ super Cantica Canticorum sublimissimam ac pene divinam scriptionem igni tradere, nil ambigens aut hæsitans, decrevit, quod ita jussisset pius fortasse, sed plane ineptus atque inscius confessarius : quam quidem jacturam ægre ferunt factam viri pietate ac doctrina celeberrimi, ut constat ex sæpe laudato Vitæ ejus scriptore P. Francisco de Ribera. Sed tamen si hujusmodi ratione pingendi denotari quisquam intelligat scriptorum illius celsa quædam dignitas aut sublimitas, quæ sæpe legentis mentem in sublime extollat, mirisque modis afficiat moveatque, ac fere supra humanum captum assurgat, nil corruptus aut ignarus judex statuet. Sin minus, quid est, obsecro, quod, cum Paulus Apostolus fœminam vetet in Ecclesia docere, ipsa postmodum Ecclesia uni Teresiæ (quod de alia nusquam prorsus legitur) magisterium attribuat atque doctrinam, eamque cœlestem appellans illis verbis : « Ita cœlestis ejus
C » doctrinæ pabulo nutriamur, etc. »

æ ei appingi let.

1032 Verum habet præterea hæc pingendi ratio, ut scilicet supra Teresiæ caput Spiritus Sanctus depingatur sub columbæ purissimæ specie, non vanum, sed firmissimum fundamentum : quod ut plenius cognoscatur, non aliis placet verbis quam ipsius Seraphicæ Matris exponere; . . . . . quæ verba ita latine sonant : « Dum hæc mecum ipsa » reputarem, en supra meum caput columbam » supervolitantem conspicio, non parum his quas » passim cernimus dissimilem; neque enim plumis » vestiebatur, sed veluti squammulis aut conchulis » majorem in modum splendentibus. Erat insuper » columbis usitatis major; ac mihi quidem vide- » batur memet sonitum quem alis edebat, perci- » pere : perseveravitque involitans spatio quo re- » citari posset Angelica Salutatio. Sed jam animus » ita erat absorptus, ut vix illam amplius videre » potuerit. Sedatus itaque spiritus est tam bono » hospite, etc. » Huc usque Seraphica Mater : ut satis ex his pateat quam bono jure ejus imagini Spiritus Sanctus sub columbæ specie soleat atque possit appingi (*ibid. num.* 8 *et* 9).

1033 *Post hæc mihi jam immorari fas non est referendis expendendisque pluribus S.* Teresiæ *post mortem apparitionibus, quæ, præter eas quæ infra in Actis canonizationis et in Ribera habentur, hic et illic narrantur. Sic, exempli causa, P. Angelus Manrique in Vita Ven. Annæ a Jesu prolixe exhibet qui Sancta eidem Annæ apparuerit, ex ipsius Annæ in Teresianæ beatificationis causa testimonio; ex quo sat mihi sit pulchra quibus Anna testimonium suum claudit, hæc exscribere verba :* Ut nuntium advenit sanctam Matrem nostram ad Deum abiisse, simul mihi in mentem venit esse ipsam quæ mihi apparuisset : et, cum præ dolore lineam illam quæ nuntium illud ferebat, perlegere nequirem, hæc mihi occurrit cogitatio : « Sicut S. Petri » morte non interiit Ecclesia, ita etiam nunc Ordo » noster non concidet, sed crescet potius, siquidem » Sancta e cœlo melius nos adjuvare poterit; » prout modo facit. » Inde per longum temporis spatium in recollectione mentis perstiti; atque adeo recreata et refocillata fui, ut omnes sorores meas verbis meis plurimum fuerim consolata (*lib.* IV, *cap.* IV).

Omissis multis visionibus morti Sanctæ subsecutis,
D

1034 *Redeo jam ad historicam relationem. Postridie mortis, antequam dilucesceret, insonuit per omnia templa multiplicis æris campani concentus, et una omnis populi, quin et parvulorum, vox audiebatur, Sanctam ad Superos emigrasse. Accurrit ad monasterii ecclesiam capitulum canonicorum cum reliquo clero Albano et Patribus Ordinis Minorum, ad celebrandas solemni Officio* Teresiæ *exequias. Intererant iisdem nonnulli ducum Albanorum consanguinei, quos inter marchio de Cerralvo, cum aliis nobilibus : totam demum ecclesiam conferta hominum multitudo impleverat; qui certatim ad sacrum corpus accedebant, vestimenta ac pedes religiosissime osculaturi. Erat autem corpus hoc visu pulcherrimum, tactu blandissimum, suavissimo insuper odore fragrans, prout latius evolvitur a Ribera; apud quem etiam legere poteris quo loco illud primo conditum fuerit, et quomodo Teresia Laiz, cœnobii Albani fundatrix* (*de qua vide* § XXIX), *juvantibus* (*ut ait Yepes, lib.* II, *cap.* XXXIX) *cunctis monialibus, ingenti lapidum, laterum ac calcis acervo loculum Sanctæ obruerit, quo pretiosissimus hic thesaurus minus facile inde posset auferri. Notari ad hæc velim, nihil fere de S.* Teresiæ *exequiis, cum a Ribera, tum etiam a me narrari quod non fulciatur plurium testium jurisjurandi religione obstrictorum declarationibus, quæ penes nos extant in MS. Summario, olim Romæ ad beatificationem adhibito. E quo, præter jam relata, etiam innotescit Albam e propinqua civitate Salmantica, vulgato ibi S.* Teresiæ *obitu, advenisse episcopum Giennensem, ducem de Huescar, ac multos alios viros nobili et equestri genere conspicuos, nec non Ordinum religiosorum sodales; atque ipso exequiarum die plurima Sanctæ vestimenta divisa fuisse et inter varias personas tam religiosas quam sæculares distributa. Speciatim fassa est Maria a S. Francisco se propriis manibus dedisse sandalium unum, fasciam et mediam veli partem cum parva quadam manica et aliis multis vestium partibus, ac certissime sibi constare de publice notis miraculis quæ per has S. Matris Reliquias Omnipotens operari est dignatus; id quod alii quoque plures testes confirmarunt. Laneam induculam, quam Sancta ægrotans gestaverat, nacta fuit, teste Yepesio* (*lib.* II, *cap.* XXXIX), *Maria de Fonseca, monialis Franciscana, quæ funebribus solemniis intererat; eamque illico misit ad Bernardinam de Toledo y Henriquez, ducissæ Albanæ senioris sororem, tum gravissimo morbo oppressam : quæ, postquam reverenter vestem osculata fuisset seque illa*

narratur exhibitus multiplex
E

F

A *illa induisset, vehementi mox sudore diffluens, pristinam valetudinem recuperavit.*

exuviis ejus honos.

1035 *Quæ hactenus commemoravi, nocte dieque obitum S.* Teresiæ *proxime insecutis contigerunt. Deinceps vero sacræ illius exuviæ, quamdiu Albæ remanserunt, numquam non fuerunt plurium magno pietatis sensu illuc undique adventantium veneratione frequentatæ. Inter hos, ut e Summario jam sæpius allegato accipimus, numerandus est Alphonsus Manrique, Burgensis archiepiscopus, qui in juridicis informationibus ipse testatus fuit se Albam adivisse visitandi ergo sepulchri Teresiani, et ante illud preces recitasse ea reverentia quæ Sanctorum lipsanis ex mente S. Ecclesiæ exhiberi a fidelibus solet. Idem jurejurando de seipso affirmavit Alphonsus Henriquez de Toledo, episcopus Sidoniensis, addens se ad S. Matris sepulchrum transmisisse lampadem argenteam cum tanta olei copia quanta per annum integrum opus foret, sed jam se cogitasse de mittenda alia lampade majore et oleo in perpetuum eidem assignando. Plures lampades ac votiva donaria eidem sepulchro appensa se conspexisse rite etiam testati sunt, non tantum omnes cœnobii Albani moniales, sed multi quoque ex utroque*

B *clero et nobilitate viri graves, inter quos speciatim nominandi Antonius Alvarez de Toledo y Beaumont, quintus Albæ dux, et Joannes Hurtado de Mendoza, sextus dux del Infantado; atque hic quidem, cum aliquamdiu post Sanctæ obitum Albam accessisset, nefas sibi duxit palatium ducum Albanorum amicitiæ causa adire, nisi prius congruo religionis officio erga S. Matris exuvias, et quidem per sat longum temporis spatium, fungeretur. Atque hæc initia fuerunt insignis venerationis qua Seraphicam illam Virginem, jam inter Cœlites receptam, omnium ordinum homines fuere prosecuti, et quam ipsa demum irrefragabili judicio Sancta Catholica Ecclesia comprobavit, prouti in sequentibus paragraphis referemus.*

§ LIV. De statu corporis S. Teresiæ a morte ejus usque ad annum 1591.

C *P. Gratianus corpus S.* Teresiæ *anno* 1583 *exhumat;*

Fluebat *mensis a S.* Teresiæ *obitu nonus, cum P. Gratianus provincialis Albam advenit, ac pro monialium precibus sacro ejus corpori exhumando operam navavit, prout narrat Ribera* (*lib.* V, *cap.* I), *cui adstipulantur Acta canonizationis et Yepesius* (*lib.* II. *cap.* XL). *Hic vero insuper memorat, ubi post quatriduanum laborem, cæmentis eruendis impensum, tandem die* IV *Julii* 1583 *loculus Sanctæ putrefactus, corpus vero incorruptum, tractabile et odoriferum apparuit, Gratianum omnesque qui aderant, venerabundos se in genua projecisse; ac, dum toti erant in corporis integritate ac fragrantia admirandis, tertium ab iis prodigium, aliis non inferius, minime fuisse animadversum. Oleum scilicet tam abundanter e sacris membris defluebat ut adhærens terra ac vestimenta eo imbuerentur : illi vero præ animi gaudio tam cæci erant ut æstimarent hunc esse quemdam ipsius terræ humorem. At brevi post ab erronea opinione fuerunt revocati, videndo quomodo terra, vestimenta et quidquid corpori adhæserat, suavissimum ex se stillarent oleum, illudque etiam communicarent quibuscumque involucris obtegerentur. Quod quidem per multos duravisse annos, testatum facit idem Yepes hisce verbis :* Hodiedum, post-

AUCTORE V. D. M.

D quam anni fere viginti quatuor elapsi sunt a S. Matris funere, visitur in monasterio Cæsaraugustano Carmelitanarum Excalceatarum cingulus quocum sepulta fuit; e quo ab eo tempore ad præsentem usque diem cernitur oleum guttatim scaturiens. Hunc cingulum ego ipsemet vidi, eumdemque viderunt plurimi alii homines; nec sane pauca per eum miracula Deus operatus fuit.

et sinistram ejus manum prius Abulam

1037 *Gratianus autem, abscissa læva S.* Teresiæ *manu, corpus ejus, novis vestibus indutum linteoque involutum, arcæ inclusit, et pristino loco, non tamen ita profunde, humavit, omnibus circumcirca ita dispositis ut nemo sepulchrum attigisse videretur. Quippe jam tum verebatur ne per duces Albanos, si hæc mirabilia rescirent, impediretur quominus S. Matris exuvias, uti propositum habebat, Abulam transvehendas curaret.* Decisam vero manum sinistram, *ait Yepes,* secum Gratianus tulit Abulam, camque arculæ bene clausæ et obseratæ insertam tradidit monialibus Abulensibus, iis significans hanc esse rem magni momenti, quæ ad se pertineret; sed omnino cavebat ne intelligerent quid reapse esset. Erat nimirum ei consilium vel sanctæ manus Abulensibus relinquendæ, ut eam solatii ergo in suo monasterio servarent, vel illius secum asportandæ : E prius, si corpus Albæ remaneret; posterius, si Abulam, ut ipse cupiebat, transferretur. Quocirca, ne animi earum sollicitarentur, noluit eis detegere depositum pignus. Accepere moniales arculam, eamque in chori angulo collocarunt. Cum autem quadam die Mater Anna a S. Petro, id temporis priorissa (*subpriorissam eam vocat Gratianus in instrumento mox citando*), nunc vero vita functa, chorum ingrederetur, vidit hunc locum resplendentem quam maxime, ac S. Matrem Teresiam visibili specie apparentem; quæ, arculam cui manus includebatur, indigitans : « Hujus, inquit, arculæ ratio » habeatur, quoniam corporis mei manus illi » inest. » Scripsit exin sæpius priorissa ad provincialem, sciscitans num manus S. Matris illic esset; at hic qua poterat dissimulatione utebatur, ne res innotesceret : nec diu post, per hoc cœnobium transiens, manum callide auferre sategit, monialibus, ne nimium contristarentur, suggerens se quid aliud ex arcula desumere. Etenim cunctæ, licet nihil ex eo audivissent, rem tamen pro certa habebant; et panni omnes serici quibus involuta erat manus, oleo maxime odoro perfusi erant.

F *ac postmodum Ulyssiponem defert,*

1038 Ulyssiponem dehinc provincialis detulit sacram manum, camque dedit Excalceatis hujus civitatis monialibus. Mansit ea ibidem ad præsentem usque diem, ac plurima per eam miracula patravit Dominus. Ipso tempore quo in monasterium illud illata fuit, cæteris monialibus halantem ex ea odorem persentiscentibus, sola Agnes a Matre Dei, quæ nullum per totam vitam suam odorem perceperat, dolens se non perinde ac reliquas sanctarum harum Reliquiarum fragrantia frui posse, atque in genua procumbens, sacram manum naribus admovit, magnaque cum fide dixit : « Utique non ante » hinc surgam quam olfactu percepero id quod so- » rores meæ odorantur, ut ipsa cum iis Dominum » laudem. » Continuo vividissimo vultus rubore perfunditur, cœpitque ipsa lacrymari, affirmans sibi per nares ascendere vaporem calidum, quo sibi odoratus aperiri videretur. Ac revera contigit hoc quod cogitabat; quandoquidem non tantum sanctam manum odorata est, verum etiam ex eo tempore olfactu æque perfecto ac cæteræ sorores semper gavisa fuit. *Hæc episcopus Turiasonensis* (*lib.* II, *cap.* XL); *quibus addam authenticum instrumentum a P. Gratiano confectum, quod P. Melchior a S. Anna*

AUCTORE V. D. M.

A *S. Anna in Chronico provinciæ Lusitanæ Ord. Carm. Exc. ex hispanico in lusitanicum vertit. Prænotari equidem velim P. Gratianum memoria lapsum videri, quando inibi scripsit se anno* 1584 *S.* Teresiæ *corpus exhumasse, aut mendosum factum esse id quod tantum manuscriptum habemus instrumentum; ni velis errasse ad unum omnes primarios Sanctæ biographos, qui id factum ad annum* 1583 *referunt.*

prout ipse authentico instrumento testatur.

1039 *En Gratiani verba :* Jesus, Maria. Ego Fr. Hieronymus Gratianus a Matre Dei, prior monasterii S. Philippi ac vicarius provincialis Ordinis B. M. de Monte Carmelo Carmelitarum Excalceatorum regni hujus Lusitanici, per præsentes litteras notifico et veritatis testimonium do omnibus has visuris, me anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto (*lege* 1583), cum essem provincialis in eodem Ordine Carmelitarum Excalceatorum, ac visitarem cœnobium Annuntiationis B. V. Mariæ monialium Excalceatarum oppidi Albæ, ubi erat corpus S. Matris Teresiæ a Jesu, fuisse rogatum atque appellatum ab ejusdem cœnobii monialibus, ut aperirem sepulchrum S. Matris ad bene componendum ejus corpus; quoniam illud collocaverant in cavo parietis qui est in choro inferiori, coopertum magna calcis
B copia, timebantque ne ea cremaretur. Quocirca cum socio meo Fr. Christophoro a S. Alberto ingressus in chorum inferiorem, retexi cum eo Sanctum Corpus, ex quo oriebatur fragrantia et odor suavissimus; et reperimus illud integrum et odoriferum elatisque ac plenis pectoribus, non secus ac si viveret, et sanguine recenti aspersum, itidem ac si illa modo exspirasset, quamquam jam duos annos (*lege novem fere menses*) sepultum jacuerat : licet vero vultum ac manus, quæ discooperta remanserant, calx aliquantum denigrasset, cæterum formosissimus erat color. Ac tum quidem ego decidi a dicto corpore manum sinistram, eamque mecum abstuli in pyxide chartacea; atque ex ea manabat species quædam olei, qua imbuebantur chartæ pannique quibus involvebatur. Postea illam collocavi in arcula, una cum clavi sepulchri, in quo corpus melius compositum reliqueram; et dedi arculam, clavi obseratam, monialibus Abulensis cœnobii asservandam, eo consilio ut hæ, si corpus penes ipsas non fieret, manu potirentur, sin autem corpus deferretur Abulam, huc ipse redirem eam ablaturus. Nescientibus autem monialibus quid arcula illa
C caperet, accidit ut Mater Anna a S. Petro, subpriorissa dicti monasterii, cum nocte quadam chorum ingressa esset, Deo se commendatura, eamdem Matrem Teresiam a Jesu multo splendore circumdatam in choro visibiliter conspexerit; quæ, manum arculam versus extendens : « Quod ibi extat, in» quit, magnopere mihi cordi est : est enim mea » ipsius manus », atque extemplo videri desiit. Exinde aliquoties etiam contigit ut Mater priorissa, Maria a S. Hieronymo, scyphum a se ebibendum tenens, et S. Matris, quasi præsentis, benedictionem petens, manum quamdam sibi benedictionem impertientem visibiliter cerneret; nec non ut aliquot moniales, tentationibus turbatæ aut afflictæ doloribus, ad dictam arculam accederent, redirentque sanæ et quietæ. Postmodum, cum anno MDLXXXV (*prout latius mox exponetur*) capitulum nostri Ordinis in oppido Pastrana celebraretur, statutum fuit ut corpus Alba transveheretur Abulam. Igitur Abulam me contuli, et petii arculam, ut auferrem clavem eidem inclusam; simulque manum extraxi, quam inveni odoriferam et oleo madefacientem serica sua involucra. Inde eam in Lusitaniam deportavi, atque in Ulyssiponensi nostro Carmelitanarum Excalceatarum cœnobio, cui a S. Alberto nomen est, deposui : digitus vero auri- D
cularis, qui ei deest, desectus fuit, ut ad Patrem nostrum provincialem, Fr. Nicolaum a Jesu Maria, mitteretur. Atque per hanc manum aliquot prodigia operatus est Dominus in S. Alberti monasterio. In quorum fidem dedi has litteras, manu mea subscriptas et sigillo officii nostri obsignatas, in hoc S. Philippi cœnobio Carmelitarum Excalceatorum Ulyssiponensium, die XII mensis Martii anni MDLXXXVII. Fr. Hieronymus Gratianus a Matre Dei, vicarius provincialis.

Anno 1585 sacrum corpus

1040 *Refert porro Ven. Anna a S. Bartholomæo* (*Vitæ suæ cap.* XVI) *toti fere Reformato Carmelo in votis fuisse ut sacrum* Teresiæ *corpus Abulam deferretur : quod ut tandem fieret, opportuna anno* 1585 *oblata occasio est, quando P. Nicolaus Doria, qui mense Majo illius anni, ante suum ex Italia reditum, a congregatis Ulyssipone Excalceatis in provincialem fuerat electus, hos iterum in diem* XVII *Octobris ad capitulum Pastranæ celebrandum convocavit. Eo in capitulo, postquam suam Excalceati provinciam in quatuor districtus seu vicariatus dispertissent, quorum singuli unius diffinitoris curæ concrederentur, ita ut Castella Vetus P. Gre-*
E *gorio Nazianzeno, Castella Nova P. Joanni Baptistæ, Andalusia S. Joanni a Cruce, Lusitania* (*quæ unum tantum virorum et unum monialium cœnobium adhuc habebat*) *P. Gratiano cederet, in cœtum suum admiserunt Joannem Carillo, thesaurarium ecclesiæ Abulensis* (*qui postea, teste Yepesio, fuit Toletanus canonicus*), *cui Alvarus de Mendoza, olim Abulensis, tum vero Palentinus episcopus, scripto in mandatis dederat ut corpus Seraphicæ Matris Abulensibus peteret; additque Vitæ Teresianæ synopsis anno* 1610 *Bruxellis excusa* (*de qua vide num.* 10) *civitatem quoque Abulensem expostulationem suam petitioni episcopi adjunxisse. Explicuit itaque Carillius magnum Palentini episcopi adversus S.* Teresiam *amorem, insignia ejusdem in Carmelum Reformatum merita, ardens studium quo sacrum pignus sibi exposcerent Abulenses; atque ut majorem orationi suæ vim adderet, protulit scriptam pactionem episcopum inter et P. Gratianum olim initam, qua hic Ordinis sui nomine sese adstrinxerat ad S. Matris corpus Abulensibus restituendum, si ipsa extra Abulam obiret, illudque condendum ad latus Euangelii in majori monialium sacello, quod episcopus extruendum curarat, et ubi ad*
F *Epistolæ latus sui ipse sepulchri locum designaverat. Hæc fere ex Yepesio* (*lib.* II, *cap.* XL) *et Chronico* (*lib.* VII, *cap.* I).

Abulam transfertur.

1041 *Ex alio autem ejusdem Chronici loco* (*lib.* V, *cap.* XXX) *patet P. Gratianum suam quoque de corpore S.* Teresiæ, *quod incorruptum se reperisse testabatur, Abulam transvehendo sententiam congregatis Patribus declarasse : indulgendum nimirum esse piorum benefactorum votis; contractui fidem habendam; Albanæ civitatis jura cedere juribus Abulæ, quæ S. Matris patria esset et Reformati Carmeli incunabulum; hanc esse sede episcopali insigniorem frequentioremque incolis, ac proinde magis illic Sanctam honoratum iri; ipsam præterea in via fuisse ut Abulam iret, quando Burgis egressa Albam advenit, adeoque Albæ hospitem tantum, Abulæ vero incolam reputandam esse, ubi priorissæ partes ageret; quod si duces Albani hanc translationem invite ferrent, spem esse fore ut acquiescant, postquam tot ac tanta audierint rationum momenta. Gratiani itaque et Carillii argumentatione permoti Patres, optatum decretum edidere; duobusque prælatis, ut dicitur in synopsi anno* 1610 *Bruxellis impressa, curam demandarunt transferendi Abulam corporis,*

A *corporis, relicto brachio in civitate Alba. Nomen alterius tantum ex hisce prælatis, nempe P. Gregorii Nazianzeni, enuntiat Ribera; verum Yepes, auctor Chronici, P. Fredericus aliique socium ei adjungunt P. Gratianum : quod hic notare volui, quoniam Acta canonizationis hanc translationem ab ipso provinciali factam asserunt; cujus erroris causa est, vel quod munus vicarii provincialis, quo PP. Gregorius et Gratianus insigniti erant, cum provincialis munere confusum fuit, vel quod æstimatus sit P. Gratianus etiam illo tempore toti Excalceatorum provinciæ præfuisse. Quomodo autem translatio illa peracta fuerit, Ribera satis luculenter exponit : addit autem Yepesius duos sacerdotes, qui sacrum onus comitarentur, a Palentino episcopo fuisse deputatos, nimirum Joannem Carillium, jam antea huic negotio promovendo adhibitum, ac Julianum de Avila, S. Matris confessarium et in multis fundationibus socium; adhæc Ven. Anna a S. Bartholomæo (Vitæ suæ cap.* XVI) *testatur sacras exuvias tanto honore tantaque lætitia Abulæ susceptas fuisse, ut præ cereorum ac luminum multitudine totum cœnobium videretur splendidissimum firmamentum.*

ubi anno sequenti fit solemnis ejus visitatio,

1042 *Kalendis Januarii anni proxime sequentis nova instituta fuit corporis visitatio, quam late explanatam videre est apud Riberam et in Actis canonizationis, gravissimorum testium multitudine nixis. Quoniam vero illic obiter tantum de Yepesii testimonio agitur, juverit non tantum lectorem remittere ad locum Vitæ ejus Teresianæ* (*lib.* II, *cap.* XLI) B *in quo hæc visitatio iisdem fere verbis ac apud Riberam describitur, verum etiam latina facere quæ idem ille præsul alio operis sui loco* (*lib.* IV, *cap.* II) *a se tum conspecta fuisse prodit :* Quando vidi hoc sanctum corpus anno MDLXXXV (*imo die* 1 *Januarii* 1586, *ut altero loco jam citato bene statuerat ipse Yepesius*), erat illud, sicuti etiamnum est, sua vestitum carne, eaque tam tractabili ut admoto digito cedat et resurgat. Carnis color palmulæ pomum refert; sed aliquibus in locis est albior. Vultus omnium maxime obscurus est; quia, cum velum ei inciderit ac feretrum fractum fuerit, terra ei et aqua fuere infusæ : unde color ejus deterior est quam aliarum partium. Est tamen vultus ille integer, ut ne in summo quidem naso, licet hic concussus fuerit, vestigium corruptionis inveniatur. Oculi sicci sunt, humoribus scilicet eorum consumptis; cæterum integri. Verrucis facici adhuc-
C dum adhærent pili. Os ita clausum habet ut aperiri nequeat; omnesque servat cæsarici capillos, quin vel unus desit. Mamillæ ejus plenæ sunt et candidæ : quippe, cum manus haberet iisdem impositas, hæ impedierunt quominus calcaria aqua eas macularet. Venter tam integer est quam cum exspiravit. Maxime autem succosa et oleosa est ea corporis pars unde decisum est brachium, quandoquidem ex ea plus olei quam aliunde scatet. Brachium dexterum, quod corpori adhæret, integrum sanumque perstat; manus perbene efformata atque in modum benedicentis composita. Pedes belli sunt et optime figurati. Totum denique corpus, carnibus vestitum ac plenum, tam rectum est, ut, si quis digitum scapulæ apponat, pedibus insistat non secus ac si non componeretur pluribus membris; illudque vestiunt et spoliant moniales perinde ac si vivum foret. Quod autem imprimis admirabile est, quæcumque pars a corpore decisa fuerit, eamdem atque ipsum corpus incorruptionem, odorem ac colorem servat, scatetque ex ea idem oleum; prout videre est non tantum in brachio apud moniales Albanas reposito et in manu sinistra apud moniales Ulyssiponenses, sed et in quavis particula carnis, quantulacumque sit : quæ quantumvis ad pectus inter magnos caloris æstus deferatur, non magis D corrumpitur quam si chalybea esset, nec ullam amittit e dotibus quibus sanctum corpus gaudet. *Hæc Yepesii verba si lector conferat cum testimoniis medicorum et aliorum oculatorum testium quæ in Actis canonizationis quam latissime referuntur, ea per omnia concordare reperiet. Idem dixerim de his quæ habet Ribera, sive cum ait se anno* 1586 *vidisse S. Matris exuvias atque adeo pedes fuisse exosculatum* (*lib.* V, *cap.* I), *sive cum exponit quo in statu sanctum corpus a se fuerit repertum, quando illud die* XXV *Martii* 1588 *per otium visitavit* (*lib.* V, *cap.* II).

AUCTORE V. D. M.

ac prope illud sepelitur Palentinus episcopus

1043 *Verum, quoties Ribera corpus illud vidit, Albæ id contigit; quandoquidem pretiosum hoc pignus ne integrum quidem annum Abulæ asservatum, sed ante finem mensis Augusti anni* 1586 *Albam relatum fuit : ut adeo perbreve extiterit spatium quo Palentinus, olim Abulensis, episcopus nactus fuit felicem sortem quam summopere in votis habuerat, nimirum ut sepulchrum Abulæ obtineret Teresiano sepulchro proximum; quem in finem curaverat corpus suum Vallisoleto, ubi anno* 1586 *e vita decessit, Abulam transferendum. Memorat Antonius Ponz in* E *suo Itinere Hispanico* (*tom.* XII, *epist.* X) *in templi Carmelitanarum Excalceatarum Abulensium præcipuo sacello extare ad latus Epistolæ monumentum sepulchrale præclari illius ac S.* Teresiæ *amantissimi præsulis, egregiam nempe genuflectentis marmoream statuam, supra quam hæc legitur inscriptio :* Alvarus de Mendoza, Dei gratia quondam episcopus Abulensis, deinde Palentinus, comesque Perniæ, hujus capellæ fundator, necnon ejusdem monasterii totiusque Ordinis benemerentissimus protector. Obiit XIX Aprilis MDLXXXVI. *Præterea etiam adverti hic per transennam potest solemne illud ab Yepesio aliisque institutum corporis examen non tantum publicam erga S.* Teresiam *venerationem auxisse, sed et occasionem fuisse publicandorum S. Matris librorum, ac fundandi etiam in urbe Madrito duplex Ordinis cœnobium. Nimirum Cardinalis Quiroga, archiepiscopus Toletanus, qui tam longas moras traxerat in danda copia erigendi domum Madriti, simul ut legit Yepesii de visitato S.* Teresiæ *corpore Philippo II porrectam narrationem, ultro et non rogatus permisit virorum virginumque Carmeli Reformati conventus ibi fundari.* F *Ad illum autem monialium auspicandum Ven. Anna a Jesu Granata excita fuit; quæ, ut primum Madritum appulit, colligere cœpit S.* Teresiæ *scripta, deprecataque est Cardinalem, qui supremam S. Inquisitionis præfecturam gerebat, ut sibi concederetur Vitæ ejus codex, qui a mense Majo anni* 1575 *penes Sacrum illud Tribunal erat : atque petitioni ejus factum satis. Vide reliqua alibi, ubi de libris S.* Teresiæ.

Sed ablatum sibi pignus brevi post recuperant

1044 *Die igitur* XXIII *Augusti* 1586 *corpus S. Matris Albam relatum est, quod ita juberet Summus Pontifex Sixtus V; atque huic solemnitati interfuit præclarus Sanctæ biographus noster Ribera : qui cum quæcumque huc faciunt, operose prosequatur, non est quod ipse diu huic translationi inhæream; proindeque satis fuerit unam hic circumstantiam, a Ribera prætermissam, ex Yepesio* (*lib.* II, *cap.* XLI) *retulisse. Nimirum, cum duo Patres quibus faciendæ translationis cura a P. Doria provinciali injuncta fuerat, summa cautela et quam poterat secretissime thesaurum sibi commissum deveherent, atque adeo nocturno incederent tempore, ipsum tamen sacrum pignus semet prodebat in via; ita ut in transitu per locum cui vulgare nomen* la Boveda,

AUCTORE V. D. M.

A *juxta oppidum Peñaranda, suavissima fragrantia sua agricolas noctu e suis horreis exciverit, eosque impulerit ad cursu sequendos sancti corporis bajulos, ut noscerent causam tam inusitati ac prodigiosi odoris. Hujus rei vadem Yepesius adducit comitem de Peñaranda, qui juratum de ea edidit testimonium. P. Fredericus insuper refert quemdam cœnobii Mancerani religiosum, cum illuc noctu S. Matris corpus ex itinere allatum fuisset, ejus intercessione e quartana febri in perfectam sanitatem fuisse restitutum* (*lib.* V, *cap.* VI). *Quæ autem ex eo tempore ad annum usque* 1589 *gesta sunt, a Ribera declarantur : neque adeo lis quæ Albam inter et Abulam de corpore in perpetuum asservando suscitata fuit, ab eodem biographo omittitur, licet liber suus prelo jam premeretur quando die* X *Julii* 1589 *per Breve Sixti V ea lis dirempta fuit.*

moniales Albanæ.

1045 *Manifeste idem scriptor innuit non satis reverenter sacrum illud corpus his temporibus habitum fuisse, aut, si mavis, reverentiam in piam quamdam cupiditatem abivisse. Et re quidem vera ad hæc circiter tempora referenda sunt quæ alter e Chronici continuatoribus* (*lib.* XXI, *cap.* XXXII, *num.* 7) *declarat. Etenim hic, postquam statuit*

B *Beatricem a Jesu, sororis S.* Teresiæ *filiam* (*de qua egimus num.* 51), *anno* 1584, *ætatis suæ* 24, *Carmeliticam vestem Albæ induisse et solitum ibi tirocinii annum explesse, perhibet his annis sæpius oblatam fuisse occasionem sacri corporis retegendi, jam quod arca mutanda et situs conditio melior facienda esset, jam quod corpus Abulam esset transvehendum, seu quod ita sollicita et inquieta esset monialium religio ut quotidie cadaveris vestes mutare vellent, quæ scaturiente oleo madebant; ac tum Beatricem pro sua cum S.* Teresia *consanguinitate sategisse ut sibi aliquot felicissimæ illius carnis reliquiæ concederentur : donec tandem superiores huic piæ carnificinæ finem imposuerunt. Ac tantum erat Beatricis studium, ut, quando priorissa cum aliis duabus monialibus noctu cadaveris sindonem mutabat, illamque corporis fragrantia evigilarat, continuo accesserit, novum sibi lipsanon efflagitatura. Cum igitur lector noverit hujusmodi tironum voluntati fuisse satisfactum, non stupebit sane, quando inferius audiet quam mutilum sit sacrum pignus. Postquam vero ætas et religiosæ vitæ usus Beatricem melius efformavissent atque etiam priorissæ muneri effecissent*

C *parem, monasteriis Ocaniensi, Toletano et Madritensi, in quibus prædictum egit munus, hæc sancti corporis pretiosa frusta reliquit. Aliorsum jam advocamur.*

§ LV. Prosecutio de statu corporis S. Matris ab anno 1591 usque ad ejus beatificationem anno 1614.

Incorruptum S. Teresiæ *corpus visitur anno* 1591 *ab episcopo Salmanticensi,*

In *Actis canonizationis* (*articulo de miraculis post mortem*) *alteram corporis S.* Teresiæ *visitationem referunt S. Rotæ auditores* (*nisi potius mendum sit typothetæ*) *ad annum* 1592. *Verum, cum hæc eadem sit cujus reminiscendum erit ubi de primis processibus ad Sanctæ beatificationem ab episcopo Salmanticensi confectis agetur, eam ex Yepesii et auctoris Chronici fide anno* 1591 *annectimus. Porro hæc visitatio a prædicto Salmanticensi antistite cum medicis et notario publico peracta atque authentico testimonio confirmata est, prout ex Actis canonizationis colligitur. Alia adhuc contigit corporis visitatio anno* 1594; *de qua Yepesius, auctor Chronici, P. Fredericus a S. Antonio aliique S. Matris biographi, excepto Boucher, qui tum in Vita ipsius S.* Teresiæ *tum in annotatis ad Vitam B. Mariæ ab Incarnatione de ea meminit, nullam mentionem fecerunt. De hac quædam in Actis canonizationis occurrunt; sed aliunde multo latiora documenta mihi suppetunt : nempe ex Vita Ven. Annæ a Jesu, conscripta a P. Angelo Manrique, et jam pluries antea a me allegata.* D

item anno 1594 *detegitur a Ven. Anna a Jesu,*

1047 *Insignis hujus Vitæ auctor, postquam retulit dictam Ven. Dei Servam anno* 1594, *comitibus PP. Joanne a Jesu Maria et Didaco a S. Josepho, Madrito Abulam venisse, indeque cum iisdem Patribus ac Ven. Anna a S. Bartholomæo Salmanticam profectam esse, ita deinde suam narrationem prosequitur :* Licentiam obtinuerat Ven. Mater per Albam transeundi sanctumque gloriosæ Virginis S. Teresiæ corpus venerandi, cum mandato recludendi ferream arcam in qua idem corpus servabatur, illudque transferendi in aliam divitem, quam ducissa Albana ei fabrefaciendam curarat, quamque P. M. F. Didacus de Yanguas, tunc ducissæ et olim S. Matris confessarius, inscriptionibus et versibus exornaverat. Itaque duodecim fere annis post S. Virginis mortem corpus e feretro extractum est, et repertum tam integrum, tam floridum tamque tractabile, ut in animum induxerint illud pedibus sistere; id quod reipsa factum fuit, non sine magno solatio, cum monialium Albanarum, tum duorum Patrum et utriusque hospitæ. Dum vero illud inspiceret Anna a Jesu, alteram e scapulis vidit inflammatam et quasi sanguine vivo ac mox erupturo oppletam. Petiit ergo linteolum, idque totum sanguine humectavit : petiit alterum, et idem rursus obtigit; ac forte tertium quoque ita imbutum fuisset, nisi Ven. Mater, in tanti prodigii contemplationem defixa, caput suum in ipsas S. Teresiæ scapulas reclinasset..... Ut autem meis verbis pondus addam, ipsa Ven. Matris cui id contigit, huc afferam verba, tum ex responsione ejus ad octavam quæstionem qua juridice de S. Teresia interrogabatur, tum ex epistola quam Madritum dedit ad dilectam suam filiam Mariam ab Incarnatione (*quam cave cum Beatis jam adscripta Maria ab Incarnatione confuderis*). E

quæ sanguinem ex eo fluentem

1048 Nempe in juridica declaratione ita loquitur Ven. Anna : « Abhinc anno, cum venirem ad F
» hanc Salmanticensem domum, et Alba transirem, ubi est S. Matris corpus, ita illud asservabant prælati nostri ut jam a multo tempore
» ejus inspiciendi facultatem nemini facerent :
» mihi vero permiserunt ut arcam ferream in qua
» jacebat, aperiendam curarem. Ipso tempore quo
» hæc reserabatur, mecum aderant omnes cœnobii
» moniales et Patres qui me deduxerant. Intuemur
» corpus cum magna reverentia, quam plurimum
» excitant integritas et odor illius, nec non color
» vividus ac mollities carnium, quippe quæ perinde
» tractari queunt ac si vivum corpus esset. Cœpi
» ego manum ei admovere oculosque accurate in
» illud intendere, et animadverti circa scapulas
» partem adeo coloratam ut sanguis vivus illic
» adesse videretur : quam cum linteo attigissem,
» hoc confestim sanguine tinctum fuit. Dixi id
» Patribus, alterum linteum petens; quod ad-
» motum, similiter sanguinem hausit. Ac tum
» quidem ego parti illi corporis, unde sanguis
» scaturiebat, incubui, cogitans de tanto hoc prodigio, etc. »

1049 In epistola vero ad Mariam ab Incarnatione :

duobus linteis colligit.

tione : « Magno, inquit, fruebar gaudio, filia mea,
A » dum intuebar ac venerabar corpus S. Matris
» nostræ, quod erectum tenebamus; ubi vero sca-
» pulas inspexi, valde eas inflammatas esse ani-
» madverti, ita ut sanguinem effusuræ viderentur :
» quare petii ut statim mihi darent linteum, quod
» cum scapulis admovissem, cruentatum inde re-
» traxi, etc. » Atque ut testata faciat quæ sibi in illo raptu contigerunt, ita pergit : « Quæ interius
» sensi, verba et alloquia erant quæ ad me fecit
» S. Mater, et quæ tam tenera et amore plena erant
» ut id significare non possim. Inter alia dixit
» suum se mihi dare sanguinem in grati animi
» testimonium de impensis a me curis et de fer-
» venti studio quo inter res gerendas arseram.
» Nihil amplius dicere queo, filia mea; sed hæc ad
» tuum solatium sufficiunt. » *Cum hæc anno* 1631 *conscribebat Manriquius* (*lib.* v, *cap.* vii), *hanc epistolam adhuc servabat ipsa Maria ab Incarnatione, tunc in Consaburensi agens monasterio, prout idem Ven. Annæ biographus testatur; qui deinde sequentia insuper verba e præcitata Ven. Virginis juridica declaratione adducit :* Dum his aliisque rebus (*ita modeste illa loquitur de suo mentis excessu*) occu-
B parer, oblita sum mihi expostulare lintea quæ adhibita fuerant. Ea Madritum secum asportarunt religiosi, et alterum ex iis ostenderunt Fr. Didaco de Yepes, confessario regis, qui ea sibi petiit, ut posset regi ea exhibere cum relatione omnium quæ acta fuerant. Hinc factum est ut mandatum de prosequendis informationibus ad canonizationem datum fuerit, quæ jam quinquennio ante auctoritate apostolica fuerant inchoatæ. *Lector dicta conferat velim cum iis quæ auditores S. Rotæ referunt, ubi agunt de incorruptione corporis S.* Teresiæ.

Sepulchrum Sanctæ anno 1598 *sublimius collocatur,*

1050 *Porro, licet Yepes testis coævus sit atque integerrimæ fidei scriptor, cum tamen narratio auctoris Chronici multo sit planior neque minoris ponderis, et per omnia cum ipsis Yepesii assertis consonet, malo ex eo haurire quæ anno* 1598 *iterum circa S. Matris sepulchrum gesta sunt; atque idem nos docebit quid etiam actum sit anno* 1604. *Hæc itaque ex Chronico* (*lib.* v, *cap.* xxxi) *latina facio :* Anno MDXCVIII (*in Chronico impressus est annus* 1588, *quem errorem jam correxerunt P. Fredericus, D. Boucher, etc.*), dum P. Elias a S. Martino Generalis Præpositus erat, et P. Thomas a Jesu, insignis S. Matris filius, Castellæ Veteris provinciam regebat,
C Ordinis moderatores, judicantes magnitudinem meritorum S. Virginis et erga illam Hispanorum religionem expostulare ut cultus magis externus quam qui eatenus usitatus fuerat, sancto corpori adhiberetur, quæstionem agitarunt de sublimiori sepulchro ei erigendo. Quam in rem elegerunt spatium sacelli majoris quod ad Euangelii latus assurgit, viginti duos pedes latitudine, altitudine vero triginta duos excedens, et in quo moniales duplicem antea habebant chorum, superiorem et inferiorem; atque cum locum hac disposuere ratione. Lapide albo præcellentis grani, alabastriten simulante et multa elaborato industria, extruxerunt fabricam quam ecclesiæ frontem diceres; cui assurgunt duæ ad utrumque latus columnæ, a se invicem ne quatuor quidem pedes remotæ : sed præcipuæ columnæ ad chororum claustra latius quam octo pedes inter se distant. Super quatuor columnis et epistyliis corinthiacis surgit corona, quam superat secundum fabricæ membrum, decem pedes latum, si annumerentur columnæ, et quatuordecim altum, si ad fastigium frontis usque mensura agitur : utrumque vero latus vario condecoratum est ornatu. Moniales contignationem inferiorem sibi in chorum elegerunt, superiorem cedentes arcæ in qua sanctissimum corpus asservatur. Ornarunt hunc locum velis ex ditissima D argentea tela, quam ducissa Albana D. Mencia de Mendoza donavit. In media hac ædicula, cui sacelli fere forma est, locata est lipsanotheca, puniceo panno serico et villoso vestita, et clavis cælaturisque deauratis, dono Mariæ de Toledo y Henriquez, olim ducissæ itidem Albanæ, decorata. Cooperta est arca umbella ex attalico textili, quod, jubente rege Philippo II, mittendum curavit hujus filia D. Isabella Clara Eugenia, archiducis Alberti conjux et Flandriæ comitissa (*imo totius Belgii gubernatrix*). Sic adimpleta est revelatio quæ Sanctæ facta fuerat in divino illo paroxysmo quem habuit antequam monialis fieret, et in quo, ut jam alibi diximus, vidit corpus suum supponendum esse panno pretioso.

AUCTORE V. D. M.

ac versibus hispanicis,

1051 Interius in arca incisi sunt tabulis deauratis aliquot versiculi, a P. M. F. Didaco de Yanguas Ord. Præd., viro doctissimo ac S. Virginis confessario, compositi in hæc verba :

« Arca Domini in qua erat manna, et virga, quæ
» fronduerat, et tabulæ testamenti. Hebr. ix. »
« En esta arca de la Ley
» Se encierra por cosa rara E
» Las tablas, maná y la vara,
» Con que Christo nuestro Rey
» Hace á su Virgen mas clara :
» Las tablas de su obediencia,
» El maná de su oracion,
» La vara de perfeccion,
» Con vara de penitencia
» Y carne sin corrupcion. »
» Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Prov. xxxi. »
« Aqui yace recogida
» La muger dichosa y fuerte,
» Que en la noche de la muerte
» Quedó con mas luz y vida
» Y con mas felice suerte.
» El alma pura y sincera,
» Llena de lumbre de gloria;
» Y para eterna memoria,
» La carne sana y entera :
» Dó está, muerte, tu victoria?

quorum versionem latinam hic adjicimus,

1052 *Qui versus sic latine ad verbum sonant :*
» In hac arca Legis
» Includuntur, ut res rara,
» Tabulæ, manna et virga,
» Quibus Christus Rex noster F
» Suam Virginem clarissimam efficit :
» Tabulæ obedientiæ ejus,
» Manna orationis ejus,
» Virga perfectionis,
» Cum virga pœnitentiæ
» Et carne absque corruptione.
» Hic jacet inclusa
» Mulier beata et fortis,
» Quæ in nocte mortis
» Prædita fuit maxima luce et vita
» Et felicissima sorte.
» Anima pura et sincera,
» Plena splendore gloriæ;
» Et ad æternam memoriam,
» Caro sana atque integra :
» Ubi est, mors, victoria tua? »

atque inscriptione latina et hispanica insignitur :

1053 *Quis porro locus his carminibus assignatus fuerit, ex diplomate authentico, alibi allegando, patescet. Jam pergo cum auctore Chronici :* Ab interiore cœnobii parte obseratum erat hoc sacellum, ad quod per exiguam tantum portam aditus erat ad curandum ornatum et nitorem. Ex parte ecclesiæ collocatum erat ferreum claustrum affabre factum

et

AUCTORE V. D. M.

et deauratum; et e regione totius fabricæ appensa
A argentea lampas, quæ magnitudine sua et elegantia liberalitatem D. Antonii ducis Albani, qui eam dono dederat, testabatur. In intervallis duarum columnarum insculptæ lapidi erant duæ inscriptiones, altera latina, hispanica altera, quæ notum faciunt quis illic asservetur thesaurus et quibus de causis tota fabrica constituta fuerit. Ita nimirum latina sonat : « Rigidis Carmeli Patrum restitutis » regulis, plurimis virorum fœminarumque erectis » claustris, multis veram virtutem docentibus libris » editis, futuri præscia, signis clara, cœleste sidus » ad sidera advolavit Beata Virgo Teresia IV nonas » Octobris CIↃIↃXXCII. Manet sub marmore, non » cinis, sed madidum corpus, incorruptum, pro- » prio suavissimo odore ostentum gloriæ. » Cujus in vulgare idioma interpretatio hæc est : « Resti- » tuida a su aspereza la regla de los Padres del » Carmelo, fundados muchos conventos de Frayles » y Monjas, escritos muchos libros, que enseñan la » perfeccion de la virtud, profetizadas cosas futu- » ras, y resplandecido en milagros, como celestial » estrella voló á las estrellas la Beata Virgen Teresa » á IV del mes de Octubre del año MDLXXXII.
B » Ha quedado en su sepultura, no su ceniza, sino » su cuerpo fresco y sin corrupcion, con propio » olor suavisimo por señal de su gloria. »

dein anno 1604 clavis ferramentisque occluditur.

1054 *Sub hæc tempora multis, tantum prodigium inspicere cupientibus, pluries satis fuisse factum videtur, donec anno* 1603 *improvidæ huic curiositati cautum fuerit, sicut refert jam allegatus Chronici auctor; cujus stylum eo libentius iterum mutuor quod rei modo enarrandæ oculatus ipse fuerit testis.* Anno MDCIII, *inquit,* R. P. F. Franciscus a Matre Dei, tertius Generalis, commonefactus graves quosdam et pios viros largius interpretari excommunicationes quas Sixtus Papa V, ut sanctum corpus semper integrum remaneret, litteris apostolicis hac de re specialiter datis enuntiaverat, adeoque monialis urgentibus eorum petitionibus adigi ad carnis frusta iis concedenda, P. Thomæ a Jesu, diffinitori generali et canonizationis S. Matris procuratori, in mandatis dedit ut arcam ita clavis figeret ut nemo eam nisi rumpendo aperire posset. Ergo P. Thomas Salmanticam accessit, ubi ego tunc temporis regendo nostro collegio eram præpositus; et postquam sibi validos ex ferro circulos laminasque ac clavos comparasset, me secum Albam deduxit. Ubi, monitis D. Antonio duce Albano ejusque
C uxore D. Mencia de Mendoza, necnon D. Antonio de Toledo, dynasta de la Horcajada, consanguinitate iis proximo, cœnobium ingressi, cum omnibus monialibus in chorum perreximus; atque arcam, e sacello seu loculamento extractam scamnoque impositam, P. Thomas aperuit. Cum autem, genibus provoluti, sacro corpori quanta par erat decentia ac veneratione sindonem e subtilissima tela confectam detraxissemus, olfacere mox non sine gaudio cœpimus cœlestem fragrantiam e carne et sindone oleo imbuta exorientem. Aliquamdiu hoc prodigio contemplando divinisque misericordiis dilaudandis occupati fuimus. Petiere dein nobiles illi viri aliquas virgineæ carnis reliquias, quas negare non licuit. Atque etiam monialibus particulas P. Thomas impartiebatur, sibique assumebat non modica frusta; dum ego non audebam tanta mihi arrogare, sed uno contentus eram carnis segmento quod magnitudine fere manus volam æquabat. Pater vero ille, pro sua devotione magis quam pro debita Sanctæ reverentia, dolentibus nobis omnibus, costam evulsit. Post hæc arca validissimis clavis occlusa fuit, totiusque rei memoria scripto commendata sub nostram omnium præsentium fidem, D atque id instrumentum missum ad P. Generalem. *Quam hisce verbis auctor Chronici describit sancti corporis visitationem, non dubito quin eadem sit quam Acta canonizationis exhibent* anno 1604, et sic elapsis viginti duobus annis a felici transitu Servæ Dei, in præsentia ducis et ducissæ Albæ et ducis del Infantado et aliorum equitum et virorum religiosorum *factam fuisse; ac proinde, ut narratio Chronici cum Relatione auditorum S. Rotæ quoad annorum designationem componatur, recte sentire mihi videtur D. Boucher, dum ait mandatum P. Generalis anno quidem* 1603 *P. Thomæ a Jesu fuisse impositum, sed executioni ab eo mandatum anno sequenti.*

§ LVI. Beatificatio promota atque obtenta.

Prima informatio conficitur ab Ordinario loci, E

Uno hactenus tenore prosecutus sum quidquid ad statum corporis S. Virginis spectat usque ad tempus quo beatificationis honores consecuta est. Interea luculenta prodigia quæ Deus, patrocinante Teresia, *operatus fuerat, impulerant Ferdinandum de Toledo, filium Ferdinandi, tertii ducis Albani, priorem Ordinis S. Joannis in Castella et Legione, ut promovendæ ejus canonizationi summam* 14,000 *aureorum horumque reditus per suum destinaret testamentum, prout liquet e testimoniis juratis Antonii Alvarez de Toledo y Beaumont, quinti ducis Albani, ejusque uxoris Menciæ de Mendoza, qui id notorium ac publicum esse declararunt, nec non duarum monialium quæ suis oculis testamentum illud viderant; quæ quatuor testimonia ex processu Toletano adducuntur in Summario nostro MS. jam sæpius allegato : idem testamentum Ludovicus Ariz se inspexisse profitetur in opere suo de Magnitudine civitatis Abulensis* (*part. I, pag.* 50), *ubi tamen in designando nummorum numero memoria lapsus videtur, dum scribit* 16,000 *aureos. Tota quoque Teresiana religiosa familia, summis votis et adhibitis potentium virorum patrociniis, Matri suæ sollicitabat altaris honores, dictitante Anna a Jesu exoptare se ut modica quæ conferre ad id poterat symbola, multiplicarentur in decies centena millia. Interea crescebat indies fama sanctitatis et miraculorum, ac pari passu erga S. Matrem ejusque sacras exuvias hominum pietas et veneratio : monasteria quoque quæ condiderat, late virtutis spargebant odorem : uberes et ejus scripta quotidie fructus pariebant. Qua de causa episcopus Salmanticensis Albam, in suæ diœcesis oppidum, se transtulit anno* 1591, *et incorrupti corporis, virtutum ac miraculorum S. Matris tum Albæ tum Salmanticæ testimonia, gravissimorum virorum auctoritate fulta, collegit. Brevi autem post, nempe anno* 1595, *rogatu Philippi II, apostolicus Nuntius Camillus Cajetanus, per omnem Hispaniam, ubi vel degisset illa vel nota esset, informationem fieri jussit; quod quidem munus non nisi virorum gravissimorum solertiæ credidit.*

et dein a sedecim aliis, a Nuntio delegatis :

1056 *Hoc commisit Madriti doctori Marmol Zapata; Vallisoleti, doctori Sobrino, theologiæ cathedratico primario, Vallisoletanæ ecclesiæ canonico et Sacri Officii consultori; Cæsaraugustæ, doctori Gabrieli Sora, ejus ecclesiæ canonico et Sacræ item Inquisitionis consultori; Abulæ, doctori Petro Tablares, archidiacono Abulensi; Toleti, doctori Armunia, regiæ capellæ capellano; Palentiæ, doctori Castillo, ejus ecclesiæ canonico; Salmanticæ, magistro Curiel, cathedratico*

A *cathedratico vespertino; Hispali, doctori Joanni Hurtado, ejus ecclesiæ canonico; Valentiæ, doctori Alphonso de Abalos, archiepiscopatus visitatori; Segoviæ, doctori Ludovico Cabeza de Villegas, canonico cathedralis; Methymnæ Campi, doctori Bernardo Velez, ejus ecclesiæ canonico; Hueti, licentiato Roderico de Castillo y Arcas, archipresbyteratus vicario; Petrahitæ, Petro Rengifo, archipresbytero; Villanovæ de la Xara, licentiato Petro de Vilches; Malagone, licentiato Ferdinando Gonzalez, Ordinis S. Joannis; Cueviæ, doctori Alphonso de Alcocer.*

quorum informationes Romam mittuntur, favente rege,

1057 *Sedecim hæ informationes missæ fuerunt Romam anno* 1597 *ad Clementem VIII, iisque Philippus II et imperatrix Maria, Caroli V filia, litteras addidere, quibus* Teresiæ *canonizationem enixe postularunt. Insuper Philippus duci de Sesa, suo apud S. Sedem legato, rem illam serio promovendam commendavit, data ad eum sequenti epistola :* Doctor Marmol Romam petit, ut quædam negotia archiepiscopi Toletani expediat, et secum fert factas super vita M. Teresiæ a Jesu informationes, in quibus res reperiuntur sanctissimæ : adhæc institutrix ipsa est et reformatrix Ordinis quæ tanta perfectione floret. Quamobrem magnopere tibi injungo ut causam canonizationis ejus valde strenue amplectaris, B eamque promoveas apud eos ad quos pertinet, quo meliore potueris modo. Quidcunque hac in re præstiteris, gratissimum mihi erit; ac certiorem me fac de progressu quem hæc causa fecerit. Madriti, XXI Martii 1597. Ego Rex.

additisque a congregatione ecclesiarum commendatitiis, quæ hic

1058 *Eodem fortuito tempore Madritum convenerant omnium ecclesiarum Castellæ et Legionis deputati, ut quasdam diœcesium suarum res pertractarent. Commune suum et ipsi postulatum missis informationibus addiderunt, quod juvat hic transcribere, quia composite admodum et eloquenter* Teresiæ *laudes in eo prædicantur :* Congregatio ex universis ecclesiis metropolitanis et cathedralibus regnorum Castellæ et Legionis, Madriti cum Sedis apostolicæ beneplacito convocata et collecta, sempiternam felicitatem Sanctissimo ac Beatissimo Patri et Domino nostro, Domino Clementi Octavo, Pontifici Maximo. Ea est Beatitudinis tuæ eximia religio et summa pietas, Sanctissime ac Beatissime Pater, ut quæ ad Ecclesiæ Dei ornamentum pertinent, grato recipias animo et amplectaris. Christus autem Dominus, a quo bona cuncta derivantur, domui suæ Teresiam de Jesu his iniquis temporibus cœlitus C concessit, ut solidam ac pulcherrimam ejus sanctitatem novo decoraret splendore. Hæc in causa est ut ad Beatitudinem tuam quam accurate scriberemus; quod a sacra voluntate tua et ab officio nostro alienum minime judicavimus. Teresia illa est, Beatissime Pater, quæ nobili genere nata, terrena despiciens, admirandæ supra humanam conditionem puritatis et cœlestis perfectionis vitam, nostra memoria, egit in Hispania : cujus mirificam et numeris omnibus absolutam virtutem, certissimis experimentis comprobatam, miraculis indubitatis, qui hujusmodi facem accendit, ut mundum illustraret, voluit esse consignatam. Ad tantum divinæ contemplationis culmen pervenit, ut purissima mens, nubes, sidera, ipsos Angelos transcendens, de fontibus Salvatoris aquam largiter hauriret. Quam pulchra veniens a Libano reverteretur, et qui mellis ac lactis rivi ex lingua ejus fluerent et virtutes mortalibus instillarent, cœlestis doctrinæ libri testantur; in quibus non verborum lenociniis, neque stylo elaborato, sed gravi, puro ac proprio, quæ contemplata fuerat, scripta nobis reliquit. Mira sunt quæ fecit et dixit; utpote quam Christus elegit, quæ fortes milites piasque copias adversus hostium ingruentes procellas Ecclesiæ subministraret. Quæ omni disciplina et bellandi invicta duritie veteres D illos sacros milites qui orbem subegerunt, æquaret. Suo enim exemplo ac divinarum rerum fide, plures virgines et viros commovit, ut, ad altissimum perfectionis fastigium assequendum, arctissimam difficillimamque vitæ rationem alacriter ac fortiter expeterent : quam, Christo adjuvante, qui jugum suum semper suave efficit, factis exhibent; multaque inhabitant monasteria, quæ immenso labore et incredibili patientia illa construxit. Postquam autem Dominus illam ad cœlestem gloriam, ad quam semper aspiraverat, evocavit, ejus corpus, uti accepimus, incorruptum persistit; et super omnia aromata divinum odorem, haud similem terrenis, spirat, ac multa edit miracula.

AUCTORE V. D. M.

exhibentur, litteris.

1059 Itaque in dubium revocari non posse videtur, Sanctissime Pater, Teresiam jam cum Christo regnare ac beato sempiternoque ævo in cœlo frui, atque eximia beneficia a Deo hominibus ejus intercessione præstari, ut memores et grati ad eam properemus venerandam. Quamobrem Virginis memoriam templis altaribusque consecrare, votis nuncupare, diebus festis celebrare ipsius sectatores majorem in modum exoptant, quos sibi E a Deo præpositæ meminisse, et conversationis exitum intuentes, fidem oportet imitari. Neque nos minori desiderio tenemur. Existimamus namque, Sanctissime Pater, domesticum exemplar ad mores nostros formandos ac divinum amorem excitandum maxime profuturum. Beatitudinem tuam igitur vehementer etiam atque etiam rogamus et obsecramus ut Teresiam in Sanctarum Virginum numerum adscribas. Quod ut solemni more constet, quam primum, ne manifesta temporis injuria obscura fiant, prælatis delegare gravissimis dignare. Interim vero dum hæc rite peraguntur, maximo studio a Beatitudine tua petimus atque contendimus ut sectatoribus Virginis anniversarium diem, quo in cœlum migravit, agere concedas in solatium. Digni enim sunt qui a te rebus omnibus ornentur, cum plurimum adjumenti Ecclesiæ Dei afferant, et non sine magna Christiani nominis gloria extremos Indos, Hispania et Italia peragrata, penetraverint. Ita tuo summo beneficio magnus cumulus accesserit. Quæ quidem omnia pro tua divina auctoritate et prudentia multo facilius ipse judicabis, cum causa potius justa apud te valere debeat quam nostra gratia. Illud vero F nobis est persuasum, quoscumque maximos honores Teresiæ decreveris, hos Deo gratissimos et magnæ Ecclesiæ ac Beatitudinis tuæ laudi futuros. Vale, Sanctissime Pater. Christus, qui est corona Sanctorum omnium, te, ut eorum nobis salutaria exempla proponas imitanda, quam diutissime servet incolumem. Madriti apud monasterium Sanctissimæ Trinitatis congregationi nostræ destinatum, sub trium nostrorum chirographis, septimo Idus Maji, anno a Nativitate Dominica 1597. Sanctitatis Vestræ humillimi Servi. Doctor Gabriel Suarez de Toledo, archid. Madritensis et canonicus. D. Antonius Pimentel, cantor Hispalensis. Doctor Josephus Alderete, canonicus Cordubensis. Joannes Alphonsus de Cardova, abbas de Alabanza, secretarius (*Hist. Congr. S. Eliæ, tom. I, lib.* II, *c.* XIII).

Multæ porro aliæ supplices litteræ Pontifici porriguntur :

1060 *Dum receptas informationes totamque rem Clemens VIII considerate pro rei gravitate expendit, tot undique ex Hispania preces id apud S. Sedem negotium urgent, ut Chronicum* (*lib.* XIV, *cap.* I) *diserte dicat omnes Hispaniarum ecclesias, principes, regna, episcopos, academias et civitates ad sacrum Servæ Dei* Teresiæ *honorem impetrandum*

AUCTORE V. D. M.

A

conspirasse. Prætereo supplices litteras quas academia Complutensis anno 1601 *et concilium provinciale Tarraconense ac congregatio ecclesiarum Castellæ et Legionis anno* 1602 *Clementi VIII porrexerunt; quamquam eas, si per spatium liceret, ob summas quas continent* Teresiæ *laudes hic integras exscribere percuperem. Ast, cum prolixiores sint, legique possint in Chronico, unas dumtaxat eas afferam quas suprema in Hispaniis academia Salmanticensis misit, et quas ideo potissimum seligo quod cum S. Matris encomiis præclara simul continet encomia inclyti ab ea reformati Ordinis.*

e quibus transcribuntur illæ

1061 *Sic hæ litteræ sonant :* Beatissime Pater. Cum ad reipublicæ Christianæ salutem divino munere, his corruptissimis sæculi nostri moribus, orbis terræ gubernationi præpositus fueris, et in eam curam et cogitationem dies noctesque toto pectore incumbas ut commissus tibi a Christo Domino grex in viam redeat et ad sanitatem reducatur, nihil Beatitudini tuæ gratius fore existimamus quam ut multæ sese offerant occasiones quibus vitæ sanctitas eorum qui in cœlestem cœtum recepti perenni gaudio perfruuntur, mortalibus innotescat. Nullis enim præceptis aut institutis facilius et certius homines ad vitæ rectitudinem excitantur quam heroicarum virtutum ad imitandum propositis exemplis. Quæ cum ita sint, Sanctitati tuæ jucundissimum hæc tua Salmanticensis academia futurum existimavit, si, quæ de hoc genere ipsa assequeretur, litteris ad te missis consignaret, et præcipue quæ de sanctissima fœmina Teresia a Jesu, quæ jam Hispaniam totam atque adeo universam Europam sanctitatis suæ fama complevit, cognovisset : de qua ea dicemus, non solum quæ auribus percepimus, sed etiam quæ oculis ipsis quotidie videmus, et fere manibus nostris contrectamus. Nam, dum hæc lectissima fœmina vixit, ea per annos multos excellentissimarum et clarissimarum virtutum ostendit signa, ut singularis ejus præstantia latere potuerit nemini, cum etiam fuerit miraculis non minus confirmata. Quæ, postquam excessit e vivis, plura et majora sunt consecuta, quæ in dies ad Dei Omnipotentis gloriam augentur et cumulantur. Castum ejus et inviolatum corpus integrum et incorruptum conspicitur, ex cujus artubus quidam suavissimi odoris hodieque liquor

B

stillat.

C

quas tum academia Salmanticensis

1062 Hæc religiosorum virorum et fœminarum Ordinem instituit, quem sanctissimis legibus et institutis ita firmavit ut in eo illos ad omnem perfectionem erudiri et informari experiamur; qui numero sacrarum ædium, religiosorum utriusque sexus frequentia, Christiani populi studio et gratia, paucis Ordinibus inferior est : adeo ut vero maxime simile esse videatur tantum tam brevi temporis spatio incrementum a divina voluntate mirabiliter esse profectum, non sufficiente rei tantæ humana imbecillitate. Hinc factum est, Beatissime Pater, ut Hispania universa propensissima sit in hunc Ordinem, et voluntate summaque pietate et observantia clarissimam Teresiam colat et veneretur, ardeatque cupiditate incredibili ut a Sanctitate tua in Divorum numerum referatur. Eodem animo academia hæc tua eo est quod videat horum religiosorum virorum et etiam fœminarum exemplo juventutem Hispanam multum ad omnem virtutem adjuvari. Cupitque ut ea mulier, cujus rara fortitudine tot tantaque bona assecuta Hispania est, a Sanctitate tua illustrata, ab universa Christiana republica colatur et celebretur. Quod dignissimum tuis sanctissimis curis existimamus, et speramus fore ut hoc a te, quæ tua benignitas est, facile impetremus. Deus Opt. Max. Sanctitatem tuam per multos annos summo Catholicæ Ecclesiæ bono conservare velit incolumem. Salmanticæ, IV non. Februarii anni 1602. Humilissimi servi Sanctitatis tuæ, qui sacros tuos pedes supplices osculamur. D. Franciscus Avila y Guzman, rector. Doctor Didacus Enriquez. Fr. Augustinus Antolinez. Joannes Alphonsus de Curiel. Balthasar de Cespedes. Salmanticensis academiæ jussu, Bartholomæus Sanchez, notarius secretarius.

D

tum B. Joannes de Ribera obtulere.

1063 *Nequeo his litteris non adjungere alias æque præclaras quas Beatus Joannes de Ribera, patriarcha Antiochenus et archiepiscopus Valentinus, eidem Pontifici Clementi VIII scripsit. Reperiuntur illæ in Anno Teresiano ad diem* XXII *Junii. Doleo eas e latino hispanice ibi esse conversas, et proin rursus a me ex hispano latine faciendas; ita ut non earum verba, sed tantum sensum exprimere valeam. Sic autem de S. Virginis virtutibus profatur idoneus ille earum testis :* Sanctissime Pater. Quamquam omnes ad pedes vestros se provolvere ac bene se exceptum iri sperare possint, nobis tamen nunc ingeminatur ea spes, Sanctorum apud vos causam acturis : quippe crebra certaque argumenta suppetivisti quibus constet magnam esse Sanctitati vestræ propensionem ad favendum iis qui amplectuntur et sequuntur virtutem; quod Sancti certe præstiterunt. Neque vestra ea mens provenit dumtaxat ex vehementi illo virtutis amore quem foves cum totius Ecclesiæ, cujus gubernium feliciter tenes, utilitatis augmento; verum etiam ex eo mens illa vestra procedit quod potestatem, auctoritatem et claves quas a Domino nostro Jesu Christo ut ejus in terra vicibus fungens accepisti, adhibeas ad extollendam et magis magisque amplificandam Sanctorum gloriam et splendorem : ita ut juremerito possis ac debeas vocari minister Sanctorum, quo etiam nomine S. Apostolus Paulus ipsum Christum appellat. At meum scopum jam explicem. Beatissime Pater, vita quam egit religiosissima et pientissima Teresia a Jesu, longe lateque per omnes Hispaniarum provincias resplendet : ac novi vestram id Beatitudinem non fugere, cum illud vobis testatum factum sit ex una parte certis luculentisque instrumentis quæ plures vobis exhibuerunt, et ex altera parte duobus libris quos par virorum, sapientia æque ac pietate insignium, in

E

lucem vulgarunt, et ita publice asseveraverunt

F

id quod nobis jam prius plane perspectum erat. Accedit nos omnes, qui Teresiæ supervixiimus, auritos oculatosque testes esse excellentissimæ prudentiæ (ut de cæteris ejus virtutibus taceam) qua præstantissima illa mulier eminuit et splenduit in suarum monialium gubernio. Atque sagacissimæ hujus fœminæ Institutum, profundis actis radicibus, hodieque firmum ac stabile perseverat. Iis igitur de causis ego, qui inter Hispanos episcopos ætate superior sum, licet meritis inferior, promovere istud negotium pro modulo meo velim, imprimis ob veterem eum amorem et affectum quo illam Christi famulam, dum in vivis agebat, prosecutus sum, et dein ob magnum meum desiderium quo feror ad videndam facem illam lumenque super candelabrum manibus Beatitudinis vestræ positum, quo latius luculentiusque splendeat. Certum namque est fore ut id negotium redundaturum sit ad majorem omnipotentis Dei laudem et gloriam. Accedit quoque ex nova hac canonizatione et fastis Sanctorum adscriptione unius præcipue e sequiore sexu multis additum iri calcar ad eam æmulandam sequendamque in heroicarum virtutum tramite.

Neque

A Neque dubium est quin Teresia, a vestra Sanctitate adornata et speciosissimo tali insigni magnificoque nomine cohonestata, fidenter apud Deum pro te sit deprecatura, petendo grateque efflagitando ut tibi vitam largiatur productissimam ad communem omnium utilitatem : quod Deus Omnipotens et Maximus votis nostris concedat! Valentiæ, XX Junii 1602. Sanctissime Pater, Vestræ Beatitudinis sanctissimos pedes exosculor, humilis servus, Joannes Antiochenus et Valentinus.

Ergo ad informationes in specie progredi jubet Pontifex : qui,

1064 *Multiplicibus justisque motus precibus ac rationibus, et causa a S. Congregatione Rituum examinata, biennio post, id est anno* 1604, *rescripsit in Hispaniam Pontifex, mandavitque Laurentio Otaduy, episcopo Abulensi, et Ludovico de Cordova, episcopo Salmanticensi, ut de fama sanctitatis et miraculorum* Teresiæ *in genere informationes instituerent. Hi, cum diligenter mandatum pontificium peregissent, confectas informationes Romam quantocius perferendas curarunt. Porro processibus his jussu Pontificis a Cardinalibus S. Congregationi Rituum præfectis mature discussis, sub initium anni* 1607, *Paulo V tum sedem Petri occupante, unanimiter ab eisdem firmata fuere quæ in prædictis informationi-*
B *bus continebantur, judicataque ea esse hujusmodi ut ad ulteriora procedi posset. Jussit itaque Paulus V ut de sanctitate et miraculis inquisitio fieret in specie, et id munus commissum fuit Cardinali de Rojas, archiepiscopo Toletano, atque episcopis Abulensi et Salmanticensi. Processus per hos in Hispania confecti Romam missi sunt.*

instante semper Ordine ad beatificationem impetrandam,

1065 *Mense Majo* 1608, *in secundo capitulo generali Romæ celebrato, P. Joannes a Jesu Maria, procurator totius congregationis Italicæ electus fuerat. Eo tempore* tota Reformatio nostra, *ait P. Isidorus a S. Josepho* (*cap.* XVII *Vitæ quam Florentinæ editioni anni* 1771 *operum P. Joannis præfixit*), conjunctis animis viribusque gravissimum negotium urgebat apud Deum et homines, ut nimirum ab ore Vicarii Christi Beata pronuntiaretur Teresia. Nam Matris præconio filiorum vita stabiliebatur, fervor accendebatur, ut illa via velocius ac levius tenderent ad cœlum, qua Fundatricem suam ad Sponsum prævolasse ab apostolico veritatis oraculo didicissent. In hanc ergo rem procurator noster totus incubuit, tum officii debito, tum pro tenerrimo dulcissimam erga Matrem affectu; ut paucis post mensibus elaboratum habuerit sanctissimæ vitæ
C compendium, quod elegantibus typis commissum ad annum MDCIX Summo Pontifici Paulo V dedicavit, obtulit : promeruitque sermonis gratia et claritate, gestorum magnitudine et sanctitate, ut a Sanctissimo perlegeretur, et virtutum tantæ Virginis splendore raperetur, Christo cor Vicarii sui urgente ad supremos honores sponsæ decernendos. Mox enim jussit S. Congregationem Rituum ulterius procedere, in qua XXIV mensis Octobris ejusdem anni ad examen testium super puritate ac sanctitate vitæ ac miraculis S. Teresiæ Romæ peragendum deputatus est Eminentissimus Dominus Cardinalis Pamphilius, Sanctissimi D. Papæ Vicarius, et decima Maji MDCX, ac deinceps usque ad finem mensis Maji, ad nostri procuratoris instantiam producti sunt et examinati Illust. ac Reverendiss. D. Fr. Didacus Alvarez Ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Tranensis, R. P. Bartholomæus Perez Societatis Jesu, Hispaniarum assistens, R. P. Dominus Petrus de Sayes de Torres, canonicus regularis Ordinis S. Augustini, Illust. ac Reverendus D. Augustinus Gudiellus presbyter, sacræ theologiæ doctor, hi duo Romæ in desperata infirmitate ad invocationem S. Teresiæ miraculose sanati, Rev. Mater Felix a Matre Dei, præfecta monasterii S. Joseph de Urbe, aliæque moniales, de D Reliquiæ S. Teresiæ fragrantia, ibidem supra naturæ ordinem percepta, et sanatione scrofularum ad ejusdem contactum in sorore Tecla, nepte Cardinalis Baronii. Auditæ sunt præterea depositiones trium e nostris Patribus, P. Fr. Thomæ a Jesu, P. Fr. Dominici a Jesu Maria, P. Fr. Josephi a Sancto Gabriele. Certe testium horum perspecta fides et debita reverentia, rerum quas deposuerunt gravitas et magnitudo, non solo meritorum cumulo processum impinguarunt, sed etiam stimulos addiderunt iis qui causæ præerant : siquidem in diligentiæ remunerationem sperare poterant præsentaneum gratissimæ Virginis auxilium, quod in urbe Roma jam percrescebat.

AUCTORE V. D. M.

recipit multas alias supplices litteras ; quales ecce habes e Belgio.

1066 *Instare interim etiam non cessarunt quotquot in Hispania auctoritate et dignitate valebant, quibus non pauci sese adjunxere exteri. Exhibet Chronicum* (*lib.* XIV, *cap.* I *et* II) *datas ad Paulum V litteras supplices anno* 1607 *a Margarita Hispaniarum regina, anno* 1608 *a Sigismundo rege Poloniæ, anno* 1610 *a Philippo III, anno* 1611 *a proceribus regnorum Castellæ et Legionis, item ab illis Arra-*
E *goniæ, necnon Cantabriæ, ut et litteras Belgii archiducum Alberti et Isabellæ. Inserui modo huic § postulata ex Hispania missa a rege, ab episcopis et ab academia; gratum puto lectori fore nunc Belgicam pro S.* Teresia *supplicationem offendere. En qui nobile piumque illud par, qui Belgarum deliciæ fuerunt et fons multiplicium perennantium etiam hodie bonorum, expetant a Supremo Antistite hoc novum religionis incrementum :* Beatissime Pater. Tenero devotoque venerationis et cultus obsequio ferimur erga M. Teresiam a Jesu, Fundatricem Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ob singularem sanctæ vitæ ejus integritatem, certaque virtutum ejus argumenta, unde fit ut per totam Hispaniam ipsa pro meritis celebratissima sit. Quare vehementer optamus ut quantocius in Sanctorum numerum referatur. Idipsum postulare videntur multa magnaque miracula quæ Deus per B. Teresiæ merita operatus est : et cum hæc tam illustria sint et palam testificata, fore confidimus ut V. Sanctitas suffragio judicioque suo infallibili ea comprobet. Sicut hæc nostra vota, pro affectu quo dictam Teresiam prosequimur, ardentia sunt, ita et vehemens nostra est efflagitatio ut V. Sanctitas
F canonizationem ejus non amplius differat, neque sinat ut quæ in cœlo triumphat choris inserta Sanctorum, in terra cultu fraudetur qui debitus est ejus meritis. Hoc in majorem Dei gloriam redundabit, in laudem V. Sanctitatis, in Ecclesiæ Catholicæ decus et in eximium nostrum solatium. Servet Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram incolumem ad Christiani orbis bonum. Datum Bruxellis III Augusti 1611. Sanctitatis Vestræ obsequentissimi filii. Albertus. Isabella.

Gradus processuum exhibetur,

1067 *Post congesta tot testimonia, lucidaque tot Romam missa causæ instrumenta, non latebat sane Summum Ecclesiæ Antistitem eximia Servæ Dei sanctitas. At, pro Romanæ Curiæ more, beatam eam pronuntiare non videbatur, donec consuetæ omnes examinationes et discussiones a S. Congregatione Rituum Rotaque ordine peractæ essent. Quibus autem gradibus res peracta sit, lucide exponit Benedictus XIV, in opere suo de Beatificatione et Canonizatione* (*lib.* I, *cap.* XXV, *num.* 7 *et seqq.*), *hoc modo :* In archivo conventus S. Annæ de Urbe PP. Carmelitarum Discalceatorum nationis Hispanicæ Acta integra extant beatificationis et canonizationis S. Teresiæ in duos tomos distributa, quorum

AUCTORE V. D. M.

quorum primus, pertinens ad beatificationem, subscriptus fuit a Joanne Paulo Mucantio, magistro sacrarum cæremoniarum et secretario Congregationis Sacrorum Rituum. In hoc primo tomo continetur commissio Clementis VIII, Sacræ Congregationi inscripta, ut inquirat in virtutes in genere; habetur commissio Summi Pontificis Pauli V, ut inquirat in specie; completisque processibus remissorialibus, extat decretum Sacræ Congregationis, demandans Cardinali Lancellotto ut processus exhibitos videret et examinaret. Causæ postulatores informationes tum facti tum juris una cum ditissimo documentorum Summario exhibuerunt Cardinali Lancellotto, qui prius retulit punctum validitatis processuum, deinde alterum punctum super virtutibus : transmisso autem ad unumquemque Cardinalem Sacræ Congregationis eo documentorum Summario, quod fuerat Cardinali Lancellotto exhibitum, ad ejus relationem Sacra Congregatio respondit, satis, sufficienter et abundanter constare de virtutibus, puritate, integritate vitæ et sanctitate Servæ Dei Teresiæ : tum, delegatis Cardinalibus a Monte et Lancellotto, ut Summo Pontifici referrent ea quæ acta fuerant in hac causa, cum Cardinalis Lancellottus subinde retulisset Summum Pontificem respondisse se velle ut omnes similes causæ tractarentur et discuterentur prius in Rota, postea iterum examinarentur in Congregatione Sacrorum Rituum, et ut reliqua omnia quæ ad miracula pertinebant in causa Servæ Dei Teresiæ, examinarentur in auditorio Rotæ, Sacra Congregatio delegit Franciscum Sacratum, Joannem Baptistam Coccinum et Alphonsum Manzanedum, Rotæ auditores, ut citra examen articulorum jam discussorum et resolutorum in Congregatione de validitate processuum et de sanctitate vitæ, viderent et diligenter examinarent processus, atque referrent quid in eis circa miracula invenirent. Auditores Rotæ mandatis paruerunt; editaque Relatione super miraculis, eademque transmissa ad Cardinalem Lancellottum et alios Cardinales Sacræ Congregationis, Summus Pontifex Paulus V jussit ut etiam suum judicium proferrent super validitate processuum et super virtutibus : prolato autem favorabili judicio ab iisdem super eodem argumento, et super eo quod tuto procedi posset ad canonizationem, Cardinalis Lancellottus, ordinem prosequendo ejusdem Relationis, quæ (uti dictum est) unicuique Cardinali tradita fuerat, miracula exposuit et luculenter narravit; sicque ad ejus relationem Sacra Congregatio censuit constare de virtutibus et de miraculis, et posse ad canonizationem procedi, atque interim concedi posse Officium et Missam pro non nullis determinatis locis. Tum denique Papa annuit petitis, et litteras apostolicas in forma Brevis expedivit super limitata concessione Officii et Missæ, in qua beatificatio consistit.

et simul beatificationis Breve.

1068 *Breve illud ex Bullario Carmelitano Monsignani ecce habes :* Paulus Papa V ad perpetuam rei memoriam. Regis æternæ gloriæ, qui fideles servos suos corona vitæ coronat, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis pastoralis officii debito, Christi fidelium ac præsertim catholicorum regum et principum nec non religiosarum personarum votis, quæ peculiarem erga eosdem Christi servos honorem et venerationem respiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Sane dilectorum filiorum omnium religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli nomine nobis nuper expositum fuit quod bonæ memoriæ Teresia de Jesu, dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Fundatrix, tam multis et eximiis virtutum et gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustrata fuit, ut magna idcirco erga ejus nomen et memoriam Christi fidelium devotio vigeat : quapropter, non solum universus Ordo prædictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus, ac omnium fere Hispaniarum regnorum archiepiscopi, episcopi, principes, necnon communitates, universitates et homines, nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honor ab apostolica Sede dictæ Teresiæ habeatur, quod ob ejus excellentia merita aliquando, divina inspirante gratia, futurum sperant, Sacrosanctum Missæ Sacrificium et Officium ab omnibus et singulis dicti Ordinis utriusque sexus religiosis personis de dicta Teresia tanquam de una beata Virgine, et alias ut infra, agi et recitari respective posset. Quare nos, re prius per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandavimus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps in futurum singulis annis in die depositionis dictæ B. Teresiæ, videlicet die quinta mensis Octobris, in omnibus monasteriis et ecclesiis dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus ejusdem Ordinis religiosis utriusque sexus Officium et Missa de Beata Teresia prædicta, tanquam de una Virgine, necnon in oppido Albæ Salmantinæ diœcesis in monasterio et ecclesia in qua corpus dictæ Beatæ Teresiæ asservari asseritur, ab omnibus presbyteris tam sæcularibus quam regularibus cujuscumque Ordinis in dicta die quinta Octobris tantum Missa in honorem ejusdem B. Teresiæ pro eorum devotione juxta regulas Breviarii et Missalis Romani recitari et celebrari respective possit et valeat, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus et indulgemus. Non obstantibus, etc.... Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV Aprilis 1614, pontificatus nostri anno nono.

Magno id decretum excipitur jubilo, in Hispania præsertim;

1069 *Refert P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* XV) *marchionem de Villena, Hispani regis apud S. Sedem legatum, adeo fuisse lætatum de felici hoc legationis suæ tempore obtento successu, ut, annuente rege, scuto suo gentilitio adscriptum voluerit notum B.* Teresiæ *lemma :* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Incolæ oppidi Albæ, qui felici sorte possidebant Beatæ corpus, ac civitas Salmantica, in cujus diœcesi sita Alba est, præ cæteris dedere suæ devotionis specimina. Die* VII *Octobris anni illius* 1614 *cleri Albani præfectus cum suo clero, oppidique gubernator cum suo magistratu, B.* Teresiam *elegerunt in protectricem, seseque obligarunt ad celebrandam anniversariam ejus diem, ut festum de præcepto : ac suum votum confirmarunt emisso juramento coram D. Ludovico Fernandez de Cordova, episcopo Salmanticensi, qui Albam venerat ut Beatæ sepulcrum veneraretur. Reversusque hic Salmanticam, duobus interjectis diebus, confirmavit in ecclesia Ordinis, quæ S. Eliæ sacra est, electionem qua nobilis ea civitas B. Matrem assumpserat in perpetuam suam patronam. Neque Albæ dumtaxat et Salmanticæ, sed totam passim per Hispaniam* Teresiæ *beatificatio, ut ait Chronicum* (*lib.* XIV, *cap.* III, *num.* 6), *tanto plausu jubiloque excepta est, ut nulla umquam festivitas celebrata fuerit majori. Si profanas spectes solemnitates, in præcipuis urbibus usurpati fuere equestres ludi hastis cannisve, habitæ* (*pro genio Iberorum, qui hæc spectacula in deliciis habent*) *taurorum*

A *taurorum pugnæ, visæque ardere nocturnis festis civitates præ luminarium tædarumque copia. Quod si sacras spectes pompas, ecclesiæ, academiæ, familiæ religiosæ multipliciter exaggeraverunt festivitatem altarium ornatu, musica, processionibus, decantatis in Beatæ laudem carminibus, habitisque orationibus panegyricis. Quin imo Madritum, Salmantica, Corduba, Barcino pluresque aliæ civitates typis ediderunt libros ubi festæ eæ cæremoniæ describuntur; ac P. Josephus a S. Maria, Ordinis Generalis Præpositus, dedicavit Summo Pontifici Paulo V volumen non exiguæ molis, in quo collegerat actas in multis oppidis solemnitates, miracula ea occasione a Beata patrata, selectosque a claris oratoribus in iis festis pronuntiatos panegyricos.*

ut et Bruxellis pie admodum et splendide.

1070 *Etiam extra Hispaniam quam plurimis locis festissime celebrata fuit ejus beatificatio. Eminuerunt præsertim Bruxellæ, ubi* V *Octobris* 1614 *in novo Carmelitanorum templo ab Ill. Matthia Hovio, archiepiscopo Mechliniensi, primum litatum est, perfecta tum primum, ut templi, ita et monasterii fabrica, cujus initia attribui debent piæ potissimum industriæ comitis de Añover, aulæ archiducalis præfecti, qui triennio ante, opiparis instructis dapibus,*
B *inductoque apposite de præstantia Teresiani Instituti sermone, e convivis* 22,000 *florenorum Brabanticorum una vice elicuerat: sicut legitur in archivo Carmelitanarum Excalceatarum Bruxellensium. Vide quoque Sanderi Chorographiam Sacram Brabantiæ* (*tom. II, pag.* 343) *et præcipue Hist. Gen. Fratrum Disc. Congr. S. Eliæ* (*tom. II, lib.* III, *cap.* XXXVI), *ubi fuse enarratur et primum ædium lapidem* VIII *Septembris* 1611 *solemni ritu positum a serenissimis Belgii principibus Alberto et Isabella, cæremoniarum pompam ducente Emin. Cardinale Guidone Bentivoglio, et, ipsa beatificationis celebrata solemnitate,* V *Octobris* 1614, *oblatum primo Sacrificium ab Ill. Hovio, et parem solemnitatem eadem die serenissimorum archiducum præsentia cohonestatam apud Carmeli Bruxellensis sanctimoniales, quæ illos, utpote cœnobii sui fundatores, juremerito sibi prævicerant, et pios hos principes suprema octavæ die egressos cum aulicis suis ad religiosorum ædem, ubi Sacram Liturgiam ea die celebravit Ill. Franciscus Buisseret, episcopus Namurcensis, in paramento quod numeris omnibus absolutum et auro argentoque contextum iidem archiduces ecclesiæ dederant, et celsissimam*
C *Eleonoram Borboniam* (*quæ Condæi principis conjux erat, ac soror Auriaci*) *elargitam fuisse paramentum non minus dives, confectum ex cyclade phrygio elaborata opere, qua ipsa olim exornata Galliarum regem Ludovicum XIII ad sacræ regenerationis baptismales undas portaverat. Ast hodie, heu, quæ nuperorum fuit temporum iniquitas, inclytum id cœnobium, regale opus, conversum est in carceres, et crimen est ubi virtus fuit.*

§ LVII. Promota item canonizatio, ac tandem impetrata.

Gressus paratur ad canonizationem,

Concessa *a S. Sede beatificatione, non expleta fuere fidelium vota, sed majus eos desiderium cepit impetrandi decreti canonizationis. Neque sine causa id se consecuturos sperabant. Nam missæ olim Romam informationes, quibus obtentum erat beatificationis Breve, adeo erant favorabiles, ut Chronici auctor* (*lib.* XIV, *cap.* I, *num.* 2) *non dubitet affirmare Romana tribunalia a pluribus sæculis non fuisse experta id genus informationes pleniores aut spectabiliores. Deus interim famulæ suæ apud se merita et gloriam crebris miraculis magis magisque mortalibus declarare non cessabat. Inter alia quæ ejus jam Beatis adscriptæ intercessione contigerunt, duo memorantur mortui ad vitam revocati: et simul cum miraculis gliscebat indies etiam extra Hispaniam sanctitatis ejus fama. Ergo Paulus V, ut æquis tot rationibus iteratisque multorum precibus faceret satis, causam commisit S. Congregationi Rituum. Deputavit hæc ad novos qui instaurandi erant processus Emin. Cardinalem de Rojas archiepiscopum Toletanum, et episcopos Abulensem et Salmanticensem. Confectos ab his processus, et approbatos a tribus palatii apostolici causarum auditoribus* (*Francisco Sacrato archiepiscopo Damasceno, J. B. Coccino decano, et Alphonso Manzanedo de Quiñones, qui postea patriarcha fuit Hierosolymitanus*), *voluit prudentissimus Paulus V ut ipsa denuo S. Congregatio Rituum examinaret. Interim morte abrepto* XXVIII *Februarii* 1621 *optimo huic Pontifici datum non fuit id negotium ad optatum finem perducere.*

AUCTORE V. D. M.

D

Beata multis in locis in protectricem assumpta,

E

1072 *Prius tamen quam vivere cessarat, multum faverat ampliando B.* Teresiæ *cultui. Anno* 1617 *concesserat facultatem Ecclesiæ Hispanicæ recitandi Beatæ Officium; hacque concessione animatæ tot in Hispania civitates eam sequenti anno elegerant in protectricem et advocatam, ut Ægidius Gonzalez Davila in primo tomo sui Theatri Ecclesiastici* (*qui tomus Salmanticæ prodiit anno* 1618) *hæc scribat:* Paulus V jussit de ea (*Officium et Missam*) recitari per regna Castellæ Veteris et Novæ, per regnum Legionense, Lusitaniæ, Gallæciæ et Algarviæ, ... eamque in Patronam habet pars major Hispaniæ civitatum. *Parimode in regno Mexicano omnes episcopi, præeunte archiepiscopo Joanne Perez de la Serna, una cum magistratu, alteram a S. Josepho patriæ suæ patronam B.* Teresiam *in ædibus suis cathedralibus ac in civitatibus proclamarunt læto adeo cum plausu, ut dixisses* Teresiam *inter Mexicanos natam et denatam. Religiosi quoque cujuslibet Instituti tanto affectu in solemnitate partem sumebant, ut B.* Teresia *Mater videretur fuisse et Fundatrix cujusque eorum familiæ. Eodem tempore Carmelus Mitigatus rogavit Summum Pontificem ut et sibi copia fieret recitandi Officium celebrandique Missam in Beatæ honorem,* quæ, *ut Pontifici dicebant,* in eorum Ordine professionem emisit regularem, devotionis spiritum hausit, atque usque ad extremum
F vitæ spiritum sub illius Prioris Generalis obedientia perseveravit. *Vide Indultum id eis concessum* XII *Septembris* 1623, *in Bullario Monsignani* (*tom. II, pag.* 382).

pronoque ad id Paulo V.

1073 *Certa fuerat spes fore ut Paulus V, ni morte fuisset præreptus, B.* Teresiam *fastis Sanctorum solemniter adscripsisset. Suam enim de sanctitate ejus mentem haud obscure pluries significarat: v. g. cum, sacro* Teresiæ *pede Romam apportato, percontantibus religiosis num Sanctitati suæ placeret ut ad palatium suum eæ Reliquiæ deferrentur, respondit se potius, ut eas veneraretur, ad eorum iturum monasterium: quo revera, ipso Corporis Christi festo sub vesperam, octodecim stipatus Cardinalibus totaque Romana curia, se recepit; ingressusque oratorium novitiatus, et in genua provolutus, manibus sumpsit incorruptum eum atque suaveolentum pedem, huncque tenera cum devotione osculatus, dixit carnem illam spirare sanctitatem, ac multa in* Teresiæ *laudem profatus est. Idipsum quoque egit, cum non exiguæ B. Matris destinatæ ei Reliquiæ ex Hispania advenerant. Ut enim hæ a generali ordinis procuratore ei traditæ fuerant, illas in capella sua*

AUCTORE V. D. M.

A *S. Mariæ Majoris inter S. Agnetis et S. Emerentianæ Reliquias deposuit : solitusque cum esset* XXIX *Maji, anniversaria coronationis suæ die, pretiosum quoddam cimelium Deiparæ offerre, eo anno illas B.* Teresiæ *Reliquias obtulit. Die dein* XXVII *Junii novum omen speratæ canonizationis acceptum est, quando, capellam pontificiam ibi, collegio Cardinalium cinctus, celebrans, præfatas B.* Teresiæ *Reliquias locavit in ipso in quo celebrabat altari.*

Ast tantum a Gregorio XV causa absolvitur.

1074 *At manebat successorem ejus Gregorium XV gloria eam Sanctorum fastis inserendi. Assiduis precibus cum id sollicitarent imperator Ferdinandus II, reges Hispaniæ, Galliæ et Poloniæ, archiduces Belgii et dux Bavariæ, multique alii principes et primores Hispaniæ, mandavit Pontifex S. Congregationi Rituum ut quantocius absolveretur quod antecessor suus illi præceperat. Ex quo sacrum id tribunal commissas sibi partes tam prompte explevit, ut, causa debito rigore examinata, prædicti Sacrorum Rituum Cardinales die* XXIV *Januarii* 1622 *per Cardinalem de Monte Capo retulerint B. Matrem merito in Sanctorum numerum referri posse. Dein kalendis Februarii consistorialis aulæ advocatus J. B. Mellini, coram sua Sanctitate in consi-*

B *storio publico perorans, et* Teresiam *dignissimam demonstrans cui insignium maxime heroum ecclesiastici conferrentur honores, ei supplicavit ut Christianum orbem peroptato solemni canonizationis decreto solaretur. Paulo autem post, nempe die ejusdem mensis* XXIII, *in consistorio semipublico omnes Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi et prælati vota sua declararunt, et B.* Teresiæ *canonizationem, nemine discrepante, efflagitarunt. Tandem piis horum votis annuens Gregorius XV, ad majorem Dei gloriam, ad totius Carmeli solatium, meritorumque Dei famulæ exaltationem, insigni solemnitate et summo omnium plausu* Teresiam *Sanctam esse definivit ac Sanctarum Virginum catalogo annumerandam decrevit anno* 1622 *die* XII *Martii, S. Gregorio Pontifici sacra; qua item S. Isidorum Agricolam, S. Ignatium Societatis Jesu Fundatorem, S. Franciscum Xaverium ejus socium, et S. Philippum Nerium Fundatorem Congregationis Oratorii, Sanctis adscripsit : inaudito eatenus exemplo canonizatorum tot simul Sanctorum, et nonnullis nequicquam reluctantibus, modo objiciendo novitatem rei, modo absolutam paratamque prius causam B. Isidori, modo debiliores quam ut multiplicatæ*

C *huic solemnitati sufficerent annosi Pontificis vires. Sed perstitit in proposito Pontifex, atque eodem quo decretum canonizationis pronunciarat solemnitatemque celebrarat die, canonizationis S.* Teresiæ *Bullam expedivit; dum cæteræ quatuor reliquorum Sanctorum nondum paratæ Bullæ in sequentem annum fuerunt dilatæ.*

Leviter et false locutus esse Bailletus

1075 *Ex his quæ hactenus dixi, judicet modo lector jurene an injuria Bailletus, ad* XV *Octobris in fine Vitæ S.* Teresiæ, *innuat paucos tantum processus et solummodo ad speciem fuisse præmissos canonizationi ejus. In hæc, e gallico in latinum idioma conversa, suas adversus Romanos Pontifices simultates prodit iste :* Paulus Papa V, post aliquot processus, confectos formas servandi ergo, Teresiam, actu beatificationis ad annum 1614 perfecto, Beatam declaravit; et Gregorius Papa XV eamdem solemniter canonizavit anno 1622. *Hæc in Vitarum Sanctorum editione anni* 1739. *In anteriore vero editione liberius adhuc locutus fuerit oportet, cum in epistola ad scriptores Memoriarum Trivoltianorum* (*ad annum* 1723, *pag.* 2199) *incusetur quod scripserit* Pontifices blande et remisse se gessisse erga S. Teresiam, cujus canonizationis processibus inerant defectus. *Rectius hic Villefortius* D *in Sanctæ Vita sic ait :* Publica ad canonizationem S. Teresiæ instrumenta summa accuratione confecta fuerunt.

demonstratur.

1076 *Et quoniam non inutile videtur aliquot hujus diligentiæ annotare signa, libet paucis universos concludere processus quos paucos fuisse innuit Bailletus, dicitque ad speciem tantum factos. Imprimis ex informationibus facti constat in processibus examinatos fuisse testes super quingentis miraculis et amplius : unde quisque suspicari potest quantus fuerit numerus testium de miraculis interrogatorum. Ex indice testium qui in manuscripto Summario nostro nominantur, liquet plures certe quam quadringentos testes super ejus vita, sanctitate et fama auditos. Insuper processus facti fuere plurimi : primum ab episcopo Salmanticensi; dein auctoritate Nuntii apostolici; postea auctoritate apostolica in genere tantum de fama sanctitatis, de devotione populi et de miraculis, per episcopos Abulensem et Salmanticensem : quibus Romæ in Sacra Congregatione Rituum discussis, alii de moribus, miraculis etc. in specie fabricandi mandati sunt archiepiscopo Toletano, et, quasi subdelegatis suis, prætactis episcopis seu eorum vicariis generalibus; ex his unus archiepiscopus* E *Toletanus per suos delegatos inquisitionem instituit (ut taceam vicos, quorum numerus me latet) in viginti et uno oppidis aut civitatibus. Eadem auctoritate facti dein sunt ab eisdem antistitibus tres processus compulsoriales alii, quos evolvere longum foret. Neque est quod denuo declarem quoties ea omnia a Sacra Congregatione Rituum et a Rotæ auditoribus examinata et revisa fuerint. Atque hæc solum spectant acta beatificationi prævia. Mitto dicere quæ dein canonizationi præcesserint. Sufficit notasse cunctos de virtutibus et miraculis processus (contra ac jam usus habet) ante canonizationem fuisse revisos et dijudicatos. Igitur adversus Bailletum conficitur atque patet causam beatificationis et canonizationis S.* Teresiæ *triginta et amplius annos, per omnium tribunalium gradus, in Hispania primum et dein Romæ, lentissimo et prudentissimo examine, ac prævio semper juramento, pertransiisse.*

Synopsis actorum, mox exhibendorum, proponitur,

1077 *Atque hoc adhuc magis patebit ex egregia prorsus, quam mox in medium proferemus, synopsi processuum beatificationis et canonizationis. Neque solum inde constabit de accuratissima quæ in ullo possit humano tribunali institui examinatione; sed et simul ea ratione declarabitur quam sublimem* F *Sancta illa Virgo scanderit sanctitatis gradum, ac quam copiosæ in ea fuerint gratiæ gratis datæ. Scilicet proximo ante canonizationem S. Matris anno, nempe* 1621, *Barcinone, cura P. Bernardi a Jesu Maria, qui prior erat conventus urbis illius, prodiit libellus quidam sub titulo :* B. V. Teresiæ vitæ, virtutum ac miraculorum Relationes SS. D. N. Paulo Papæ V per Sacræ Rotæ auditores deputatos factæ ad solemnem canonizationem. *A canonizatione dein, anno* 1625, *idem opusculum recusum est Lutetiæ Parisiorum, cum nonnullis additamentis, ut et anno* 1628 *Viennæ in Austria, mutata hoc modo inscriptione :* Acta authentica canonizationis S. Virginis et Matris Teresiæ a Jesu, Fundatricis Reformationis Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo. *Ejus quoque textum, sed aliquantisper decurtatum, inseruit P. Daniel a Virgine Maria suo Speculo Carmelitano* (*tom. II, pag.* 684 *et seqq.*). *Continet id opusculum* 1° *duas relationes, alteram de miraculis, alteram de virtutibus;* 2° *orationem J. B. Mellini, de qua supra memini;* 3° *responsionem Joannis Ciampoli, secretarii apostolici domestici, jussu Gregorii XV;* 4° *vota plurium Cardinalium et præsulum, in*

A *in consistorio semipublico* XXIII *Februarii* 1622 *a Sanctissimo Domino canonizationem B.* Teresiæ *efflagitantium;* 5° *brevem relationem cæremoniarum quæ habitæ fuerunt in solemnitate canonizationis ejus* XII *Martii* 1622; 6° *canonizationis decretum a Gregorio XV ea die pronuntiatum; ac* 7° *Bullam canonizationis, quæ eodem die publicata fuit.*

ac laudatur: 1078 *Binæ autem contentæ ibi primo loco Relationes tam præstantes sunt ut Actorum editor hæc libello suo præscribere non dubitaverit:* Prior ex his Relatio nimis (*id est* valde) erudita est, quippe quæ variis Sacræ Paginæ locis (et iis quidem rite adductis) illustratur, pluribus juris decretis ornatur, fulciturque gravium auctorum dictis, non modo jurisprudentum atque historiographorum, verum etiam et artis medendi principum, puta Hippocratis, Galeni, Avicennæ, dum de ægritudinibus agitur miraculose curatis, quæ alias naturalibus non subessent remediis. At secunda Relatio, quæ magis accedit ad theologicas quæstiones, styli Divi Thomæ adeo est æmulatrix, ut, lecta ea, ipsummet Angelicum Doctorem te auscultasse dicas. Aiunt proinde rerum curiæ peritiores et apostolici asseclæ, quod, una tantummodo Relatione excepta, quæ est Se-
B raphici Bonaventuræ, nulla alia excellentior adhuc visa sit hac quæ de Seraphica nostra Teresia agit. *Recte quoque notat idem editor compendiolum illud, quod coaluit e multis millibus foliorum, quibus processus canonizationis constant, magni esse faciendum ob gravitatem materiæ, ob auctoritatem loquentium et ob dignitatem audientis; siquidem quoad primum, ait, Sanctorum canonizatio pertinet ad res fidei, quæ inter graviora quæque gravissima est; et quoad secundum, loquela est judicum Romanæ Rotæ, per multorum testium depositiones juridice exceptas vera colligentium; ac denique quoad tertium, ipsummet supremum Ecclesiæ caput est, definitionem præcipue super hoc daturum. Neque unus fuit earum Relationum auctor, sed tres : nempe archiepiscopus Damascenus Franciscus Sacratus, J. B. Coccinus et Alphonsus Manzanedo de Quiñones, qui S. Rotæ auditores erant, et in mandatis habuerant has Relationes conscribere.*

dicitur que cur Relatio de miraculis præcedat. 1079 *Mirum autem forte videbitur, hic, contra consuetum morem Relationem de miraculis præcedere Relationi de virtutibus. Sed interversi ordinis ratio indicata jam ex parte fuit in eo loco quem supra* (*num.* 1067) *citavi e Benedicto XIV: adhucque magis*
C *illa ratio patebit ex loci istius complemento, quod modo exhibeo, et quod sic sonat :* Hæc habentur, *pergit Benedictus,* in primo tomo Actorum (*manuscriptorum nempe, existentium in conventu S. Anæ de Urbe*). Nunc vero transeundo ad secundum, qui componi cœpit a prædicto Paulo Mucantio, sed perfectus et subscriptus fuit a Petro Ciamaricono, ejus successore in officio secretarii, in eo continetur : primo, quod, prolato ab auditoribus Rotæ judicio super validitate processuum et super virtutibus, edita tamen Relatione tantummodo super miraculis, Summus Pontifex jussit ut Relationem ederent, prout etiam edita fuit, super validitate processuum et super virtutibus; secundo, quod, prævio consilio Sacræ Congregationis, Paulus Papa V annuit petitis pro extensione Officii et Missæ ad alios locos in prima concessione non comprehensos; tertio, quod, supervenientibus novis petitionibus pro canonizatione, delatoque summo Pontificatu ad Gregorium XV, per obitum Pauli V, et subrogato Cardinali Muto in locum Cardinalis Lancellotti, causæ ponentis interim defuncti, demandatum fuit eidem Cardinali Muto ut diligenter processus examinaret, ut in una congregatione ageretur de validitate processuum, in altera de sanctitate vitæ, et in tertia de miraculis : prout sane factum fuit, exhibita D unicuique Cardinali informatione juridica super unoquoque ex dictis argumentis, de quo in prædictis congregationibus tractabatur; quibus quidem favorabiliter resolutis, tandem ad canonizationem deventum est. *Addit dein doctissimus Pontifex memorabilem hanc annotationem :* Itaque ex hucusque dictis (ni fallimur) ad evidentiam colligitur olim in transitu a beatificatione ad canonizationem examinata iterum fuisse ea omnia quæ fuerant discussa et approbata ante beatificationem; id autem in more hodie non esse positum, sed in transitu a beatificatione ad canonizationem ea tantum examinari miracula quæ post beatificationem supervenerunt. *Prius autem quam impressam illam Actorum authenticorum synopsim lectori exhibeam, non abs re erit præmittere indicem præcipuorum testium qui in informationibus beatificationi præviis auditi fuerunt. Hunc indicem mihi suppeditat Summarium nostrum MS. de S.* Teresiæ *vita et virtutibus : aliquot tamen alios eidem inseram testes, qui mihi innotescunt ex altero MS. Summario, ad canonizationem S. Matris anno* 1615 *in S. Rota adhibito, in quo speciatim agitur de ejus dono prophetiæ et gratia discretionis spirituum.* E

Allegantur ex processibus remissorialibus testes præcipui, Abulæ, 1080 *Testes Abulenses, ex processu remissoriali:*

II. D. Ludovicus Pacheco de Espinosa, nobilis et rector civitatis Abulensis, et dominus oppidi S. Bartholomæi de Corneja, annorum 60 et ultra.

III. D. Didacus de Bracamonte y Avila, canonicus ecclesiæ Abulensis, annorum 60.

IV. D. Ægidius Gonzalez de Villalva, nobilis et rector civitatis Abulensis, annorum 61.

V. Didacus de Mexia, incola civitatis Abulensis, alcadius de Alcasar, annorum 45.

VI. Doctor Petrus de Tablares, archidiaconus ecclesiæ Abulensis, annorum 60.

VII. R. P. Antonius Romero Ord. S. Benedicti, prior conventus B. Mariæ del Antigua civitatis Abulensis, annorum 47.

X. D. Gabriel Pacheco, nobilis et rector civitatis Abulensis, annorum 32.

XI. D. Capitaneus Franciscus de Valderavano, nobilis civitatis Abulensis, annorum 67.

XVI. D. Licentiatus Joannes Ferdinandus Porcel, nobilis oppidi de Osuna, alcadius major civitatis Abulensis, annorum 50.

XIX. R. P. Alphonsus de Velasco Ord. S. Ber- F
nardi, annorum 64.

XX. D. Petronilla de Guzman, nobilis Abulensis, annorum 66.

XXIV. R. P. Joannes de Herrera Societatis Jesu, annorum 43.

XXVII. Laurentia de Velasco, incola Abulensis, annorum 44.

XXXI. D. Isabella de Vivero Ord. S. Bernardi, annorum 45.

XXXIX. D. Teresia de Flechilla Ord. S. Bernardi, annorum 64.

XLI. D. Francisca Coronel Ord. S. Claræ, annorum 45.

XLII. D. Mencia Roberto Carm. Calc., priorissa conventus Incarnationis, annorum 60.

XLIII. D. Maria Coronel Carm. Calc., ann. 50.

XLIV. D. Antonia de Guzman Carm. Calc., annorum 56.

XLVI. D. Agnes Quesada Carm. Calc., ann. 90.

XLVII. D. Catharina de Velasco Carm. Calc., annorum 60.

XLVIII. D. Anna Maria a Jesu Carm. Calc., annorum 72.

XLIX.

AUCTORE V. D. M.

A XLIX. M. Isabella a S. Dominico Carm. Exc., annorum 73.

LI. M. Isabella a S. Joanne Baptista Carm. Exc., annorum 58.

LIV. M. Anna ab Angelis Carm. Exc., annorum 46.

LV. M. Petronilla a S. Joanne Baptista Carm. Exc., annorum 70.

LX. M. Teresia a Jesu Carm. Exc., annorum 44.

LXV. R. D. Laurentius Otaduy y Avendaño, episcopus Abulensis.

Salmanticæ, Albæ, 1081 *Testes Salmanticenses et Albani, ex processu remissoriali Salmanticensi :*

I. R. P. Didacus de Guevara Ord. S. Augustini, visitator provinciæ Castellæ, annorum 43, *examinatus Salmanticæ.*

IV. R. P. Augustinus Antolinez Ord. S. Augustini, magister in sacra theologia universitatis Salmanticensis, cathedraticus primæ cathedræ, annorum 52, *examinatus ibidem.*

VI. R. P. Dionysius Jubero Carm. Calc., magister in sacra theologia universitatis Salmanticensis, cathedraticus jubilatus, provincialis sui Ordinis, annorum 51, *examinatus ibidem.*

B XII. M. Helena a S. Sacramento Ord. S. Augustini Exc., subpriorissa, annorum 50, *examinata ibidem.*

XIX. Doctor Alphonsus de Contreras Ribadeneira, presbyter civitatis Salmanticensis, commissarius S. Officii Inquisitionis, annorum 67, *examinatus ibidem.*

XXV. Magister Balthasar de Cespedes, cathedraticus primæ latinitatis et græcarum litterarum universitatis Salmanticensis, annorum 59, *examinatus ibidem.*

XXVIII. R. P. Blasius Ponce de Leon Ord. S. Augustini, magister in sacra theologia in universitate Salmanticensi et cathedraticus in cathedra substit. primæ sacræ theologiæ, annorum 39, *examinatus ibidem.*

XXXV. R. P. Gregorius de Lescano Ord. S. Bernardi, abbas collegii S. Vincentii, annorum 44, *examinatus ibidem.*

XXXVII. R. P. Bartholomæus Sanchez Carm. Calc., magister in sacra theologia, decanus universitatis Salmanticensis, cathedraticus jubilatus, provincialis sui Ordinis, annorum 67, *examinatus ibidem.*

C XXXVIII. M. Beatrix a SS. Sacramento Carm. Exc., priorissa conventus Salmanticensis, annorum 42, *examinata ibidem.*

XL. M. Agnes a Jesu Carm. Exc., annorum 57, *examinata Albæ.*

XLI. M. Mariana ab Incarnatione Carm. Exc., annorum 56, *examinata ibidem anno* 1592 *et iterum postea.*

XLII. M. Isabella a Jesu Carm. Exc., annorum plusquam 40, *examinata ibidem.*

XLIII. M. Catharina a S. Angelo Carm. Exc., annorum 60, *examinata ibidem.*

XLIV. M. Anna a S. Hieronymo Carm. Exc., annorum 50, *examinata ibidem.*

XLVII. M. Maria a S. Francisco Carm. Exc., annorum 63, *examinata ibidem.*

XLVIII. M. Constantia ab Angelis Carm. Exc., annorum 47, *examinata ibidem.*

XLIX. M. Catharina a S. Joanne Baptista Carm. Exc., annorum plusquam 60, *examinata ibidem.*

L. M. Anna a S. Stephano Carm. Exc., annorum 40, *examinata ibidem.*

LI. M. Isabella a S. Josepho Carm. Exc., annorum 50, *examinata ibidem.*

LVII. D. Marcus Gonzalez, scriba publicus, annorum 55, *examinatus ibidem.* D

LXIV. D. Franciscus de Medina Vasco, gubernator oppidi Albæ, annorum 70, *examinatus ibidem.*

LXXXIV. R. P. Simon de Feria Ord. S. Hieronymi, annorum 70, *examinatus Salmanticæ.*

XCVII. D. Isabella Benavides Bacan, incola Salmanticensis, annorum 33, *examinata ibidem.*

C. M. Isabella a Jesu Carm. Exc., annorum 71, *examinata ibidem.*

CII. M. Joanna a Jesu Carm. Exc., annorum 60, *examinata ibidem.*

CVII. M. Beatrix ab Incarnatione Carm. Exc., annorum 45, *examinata ibidem.*

CVIII. R. P. Petrus de Cornejo Carm. Calc., magister in sacra theologia universitatis Salmanticensis, et cathedraticus theologiæ, annorum 44, *examinatus ibidem.*

CXXI. R. P. Blasius a S. Alberto Carm. Exc., annorum 58, *examinatus ibidem.*

Madriti aliisque 1082 *Testes Madritenses, ex prima parte processus remissorialis Toletani :*

I. R. P. Bartholomæus Perez de Nueros Societatis Jesu, præpositus provinciæ Castellæ, annorum 61. E

VII. D. Joannes de Idiaquez, miles habitus S. Jacobi et commendator major Legionensis, de consilio status suæ Majestatis et præses consilii regii Ordinum, annorum 60.

IX. D. Joannes Fernandez de Velasco, præfectus rei bellicæ (*vulgo* condestable) regni Castellæ, præses consilii regii Italiæ, annorum 53.

XI. D. Antonius Alvarez de Toledo y Beaumont, dux de Alba et Huescar, præfectus rei bellicæ regni Navarræ, comes de Lerin et marchio de Coria, annorum 30.

XII. D. Mencia de Mendoza, ducissa de Alba, annorum 30.

XIII. D. Joannes Hurtado de Mendoza de Luna y la Vega, dux del Infantado, annorum 25 et ultra.

XIV. D. Anna de Mendoza de Luna y la Vega, ducissa del Infantado, annorum 25.

XVI. R. D. Petrus Manso, patriarcha Indiarum, præses consilii regii, annorum 47.

XVII. Magdalena a S. Hieronymo, a cubiculis serenissimæ Infantis, annorum 60.

XVIII. R. P. Franciscus del Barrio Carm. Calc., prædicator, et magister novitiorum, annorum 39.

XXIII. R. P. Ludovicus Ruiz Caballero Carm. Calc., prior conventus Madritensis et procurator generalis in curia Hispaniarum, confessarius S. Matris, annorum 64. F

XXVII. D. Thomas Gracian Dantisco, secretarius linguarum suæ Majestatis, annorum 50.

XXXVIII. R. P. Ludovicus de Valdivia Societatis Jesu, annorum 46.

XL. R. D. Alphonsus Henriquez de Toledo, episcopus Sidoniæ, annorum 54.

XLIV. D. Maria de Corella y Mendoza, comitissa de la Puebla, annorum 48.

XLV. D. Mencia de la Cerda, marchionissa del Valle, annorum 25 et ultra.

XLVI. D. Didacus de Castro, clericus minoris Ordinis, naturalis Montis Fonti de Lemos, annorum 26.

XLVIII. D. Franciscus Gomez de Sandoval, dux de Lerma, præfectus cubiculi regii (*vulgo* sumiller de corps) et a stabulo majori suæ Majestatis, annorum 58.

Testes Toletani, ex eadem prima parte :

IV. M. Teresia a Conceptione Carm. Exc., annorum 61.

A XIII. R. P. Alphonsus Pelaez Carm. Calc., annorum 42.

Testes Consaburenses, ex eadem prima parte :

I. M. Maria a S. Josepho Carm. Exc., annorum 48.

II. M. Maria ab Incarnatione Carm. Exc., annorum 48.

III. M. Francisca a SS. Plagis Carm. Exc., annorum 48.

Testes Malagonenses, ex eadem prima parte :

II. M. Isabella ab Ascensione Carm. Exc., subpriorissa, annorum 38.

III. M. Maria a Virginibus Carm. Exc., annorum 60.

Testis Calceatensis, ex secunda parte ejusdem processus :

I. R. D. Petrus Manso de Zuñiga, episcopus Calagurritanus et Calceatensis, confessarius S. Matris, annorum 68.

Testis Cæsaraugustana, ex eadem secunda parte :

I. M. Catharina a Conceptione Carm. Exc., annorum 80, *examinata anno* 1595.

Testis Turiasonensis, ex eadem secunda parte :

I. R. D. Didacus de Yepes, episcopus Turiaso-
B nensis, confessarius S. Matris, annorum 70 et ultra, *examinatus anno* 1595 *et iterum postea.*

Testes Segovienses, ex eadem secunda parte :

I. R. D. Petrus de Castro, episcopus Segoviensis, confessarius S. Matris, annorum 60, *examinatus anno* 1596 *et iterum postea.*

XX. M. Agnes a Jesu Carm. Exc., priorissa conventus Segoviensis, annorum 50.

pluribus in locis examinati;

1083 *Testes Burgenses, ex eadem secunda parte :*

II. R. P. Joannes de Miranda Ord. S. Augustini, prædicator et lector theologiæ civitatis Burgensis, annorum 48.

III. D. Petrus de Heredia, abbas S. Quirici, dignitas ecclesiæ Burgensis, annorum 63.

VI. D. Andreas de Melgosa, signifer major civitatis Burgensis, annorum 58.

VIII. R. P. Franciscus de Astudillo Ord. Carthus., prior domus de Miraflores.

IX. R. P. Antonius de Molina Ord. Carthus., theologus prior dictæ domus, annorum 52.

XIII. R. P. Joannes de Medina Ord. Præd., prior conventus S. Pauli Burgensis, visitator apostolicus provinciæ Quitensis in Indiis, annorum 60.

XVIII. Doctor Joannes Oliva, canonicus eccle-
C siæ Burgensis, presbyter et medicus, annorum 60.

XXXVI. R. D. Alphonsus Manrique, archiepiscopus Burgensis.

XXXVII. R. P. Melchior Rodriguez Ord. B. V. M. de Mercede, olim commendator et diffinitor sui Ordinis, annorum 52.

Testis Valerensis, ex tertia parte ejusdem processus :

IV. M. Agnes a Cruce Carm. Exc., annorum 51.

Testis Complutensis, ex eadem tertia parte :

VI. M. Josepha ab Incarnatione Carm. Exc.

Testes Vallisoletani, ex eadem tertia parte :

II. Doctor Franciscus Mendez de la Puebla, de consilio suæ Majestatis, ejusque auditor in regia curia Vallisoleti, annorum 49.

VII. M. Francisca a Jesu Carm. Exc., annorum 48.

IX. M. Maria a S. Joanne Baptista Carm. Exc., annorum 52.

XII. D. Antonius de Quinones, comes de Luna, annorum 39.

XVII. D. Maria de Toledo, ducissa Albana senior, annorum 54, *etiam examinata Pedrahitæ anno* 1595.

XXII. M. Stephania ab Apostolis Carm. Exc., annorum 58. AUCTORE V. D. M.

D

Maria a S. Joanne Bapt. jam fuerat examinata anno 1595; *quo etiam anno in testes adhibiti fuerunt :*

I. R. P. Angelus de Salazar Carm. Calc., confessarius S. Matris, annorum 70.

II. Doctor Didacus de Polanco, medicus, annorum 50.

Testis Malacitana, ex quarta parte ejusdem processus :

V. M. Catharina a Jesu Carm. Exc., annorum 64.

Huic proxime in nostro MS. subnectitur

R. D. Joannes de Orozco y Covarruvias de Leiva, episcopus Gaditanus, de consilio suæ Majestatis, *qui scripta ad Generalem Carmelitarum epistola testimonium dedit de spiritu prophetiæ quo prædita fuit S. Mater* (*ut vidimus num.* 606).

Testes Granatenses, ex eadem quarta parte :

III. Doctor Balthasar de Lorenzana, de consilio suæ Majestatis, præses regiæ cancellariæ Granatensis, annorum 59.

IV. D. Gaspar de Vallejo, licentiatus, de consilio suæ Majestatis, auditor in regia audientia Granatensi, annorum 50.

VI. M. Beatrix a S. Michaele Carm. Exc., prio- E
rissa conventus Granatensis, annorum 62.

VII. M. Anna ab Incarnatione Carm. Exc., annorum 55.

XXI. D. Bartholomæus Manrique del Prado, licentiatus, de consilio suæ Majestatis et auditor in regia audientia Granatensi, annorum 50.

Testes Methymnenses, ex eadem quarta parte :

VII. M. Agnes a Jesu Carm. Exc., annorum 40.

XI. M. Joanna a Jesu Carm. Exc., annorum 46.

XVIII. M. Anna a SS. Sacramento Carm. Exc., annorum 55.

XXI. M. Maria a S. Francisco Carm. Exc., annorum 64, *examinata anno* 1595 *et iterum postea.*

item testes nonnulli e processibus compulsorialibus.

1084 *Testes Pedrahitenses et Abulenses, ex processu compulsoriali Abulensi :*

I. R. P. Didacus de Yanguas Ord. Præd., confessarius S. Matris, annorum 56, *examinatus Pedrahitæ anno* 1595.

II. D. Maria de Toledo, ducissa Albana senior, annorum 40, *examinata ibidem anno* 1595, *et iterum postea Vallisoleti, prout supra annotatum est.*

V. M. Anna a S. Bartholomæo Carm. Exc., socia S. Matris, annorum 44, *examinata Abulæ anno* 1596. F

VI. M. Beatrix a Jesu Carm. Exc., annorum 49, *examinata ibidem anno* 1596.

IX. M. Teresia a Jesu Carm. Exc., *examinata ibidem anno* 1595, *et iterum postea.*

X. R. P. Julianus de Avila, presbyter, confessarius S. Matris, *examinatus ibidem anno* 1596, *et iterum anno* 1604 *qua quintus testis.*

XII. D. Quiteria Davila Carm. Calc., socia S. Matris, annorum 56, *examinata ibidem anno* 1595.

Testes Salmanticenses et Albani, ex processu compulsoriali Salmanticensi :

I. R. P. Dominicus Bañez Ord. Præd., magister in sacra theologia et cathedraticus jubilatus cathedræ primæ in universitate Salmanticensi, confessarius S. Matris, annorum 64, *examinatus Salmanticæ anno* 1595.

II. R. P Franciscus Ribera Societatis Jesu, annorum 56, *examinatus ibidem anno* 1595.

III. R. P. Henricus Henriquez Societatis Jesu, confessarius S. Matris, annorum 55, *examinatus ibidem anno* 1595.

IV. M. Anna ab Incarnatione Carm. Exc., annorum 56, *examinata ibidem.*

AUCTORE V. D. M.

V. M. Isabella a Jesu Carm. Exc., annorum 48, A *examinata ibidem anno* 1592.

VII. M. Maria a Sanctis Carm. Exc., annorum 41, *examinata ibidem.*

X. M. Joanna a Jesu Carm. Exc., *examinata ibidem.*

XIV. M. Mariana a Jesu Carm. Exc., annorum 22, *examinata Albæ anno* 1592.

XVIII. M. Joanna a Spiritu Sancto Carm. Exc., annorum 50, *examinata ibidem anno* 1592.

XXII. M. Isabella a Cruce Carm. Exc., annorum 49, *examinata ibidem anno* 1592.

XXVII. D. Francisca de Fonseca Ord. S. Francisci, annorum 50, *examinata ibidem anno* 1592.

XXX. D. Antonius de Zamora, presbyter, capellanus monasterii Carm. Exc. Albæ, *examinatus ibidem anno* 1592.

Testes Madritenses et Toletanus, ex processu compulsoriali Toletano :

I. M. Hieronyma a Spiritu Sancto Carm. Exc., *examinata Madriti anno* 1595.

IV. R. P. Ferdinandus de Medina Carm. Calc., prior conventus Toletani, annorum 52, *examinatus anno* 1596.

B X. R. P. Ægidius Gonzalez de Avila Societatis Jesu, confessarius S. Matris, annorum 63, *examinatus Madriti anno* 1595.

XIII. R. P. Joannes de Aguilar Societatis Jesu, confessarius S. Matris, annorum 55, *examinatus Madriti anno* 1595.

Testis Ulyssiponensis, ex eodem processu :

I. M. Maria a S. Josepho Carm. Exc., ann. 47.

Testis Malagonensis, ex eodem processu :

VII. D. Gaspar de Villanueva, licentiatus, parochus oppidi Malagonis, confessarius S. Matris, annorum 48, *examinatus anno* 1596.

PER AA. ROTÆ.

ACTA AUTHENTICA

CANONIZATIONIS

S. TERESIÆ.

C

§ LVIII. Auditorum Rotæ facta Paulo V PP. Relatio prima : de miraculis in genere : de tribus miraculis in vita Servæ Dei Teresiæ, deque aliis in ejus obitu.

Miraculis plurimis

Beatissime Pater. Certi juris est ad canonizationem Sanctorum claris et perspicuis probationibus ante omnia constare debere de vita, virtutibus et sanctitate canonizandi, et de miraculis intercessione illius a Deo operatis, juxta ritum S. R. E. et Sacrorum Canonum sanctiones : ut probat text. (et ibi doctores) in cap. 1 de Reliquiis et Venerat. Sanct.; et Glossa communiter approbata, in verbo « Sedis » Apostolicæ », in cap. 1, eodem titulo in sexto; Hostiensis in dicto cap. 1, num. 5, vers. « Oportet » etiam », et ibi Joannes Andreas num. 4; idem Hostien. in Summa in titulo de Reliquiis et veneratione Sanct., num. 3, vers. « Item quærendum est » de miraculis »; Silvester in Summa verbo « Canonizatio » num. 1, quæst. 2, vers. « Inquiritur D » etiam »; Bellamera in cap. «Venerabilis», num. 2, vers. « Quarto nota », de testibus; Archidiac. in dicto cap. 1, num. 5, et in cap. « Nec mirum», num. 6, 26, quæst. 5; Troilus Malvet. in tract. de Canonizat., Sanct. dub. 3, num. 1 et sequen., et num. 73, vers. « Sed dato »; et Castell. in eodem tract. quæst. 4 principali, et quæst. 5, vers. « Quinto necessaria esse »; Cassaneus in Catalogo gloriæ mundi, parte 3, considerat. 50; Pavin. in Relatione super canonizatione B. Bonaventuræ, parte 1, art. 8 et 9, et sæpius in canonizationibus aliorum Sanctorum. Ita tenuerunt auditores Rotæ, qui processus et acta illarum examinarunt et Sanctissimo retulerunt.

S. Teresiam

1086 Sed quia tam de vita, virtutibus et eximia sanctitate Servæ Dei Virginis Matris Teresiæ de Jesu, et de fide adhibenda processibus et actis super illa fabricatis, fuit jam per Illustrissimos et Reverendissimos Cardinales Sacræ Congregationis Rituum discussum et resolutum affirmative (prout de excellentia vitæ tantæ et tam sanctæ Virginis decuit), quin et Sanctitati Vestræ relatum, et tantummodo reliquum fuerat ad miracula devenire et de illis et illorum probationibus discutere, et hoc E solummodo a Sanctitate Vestra nobis fuerit in mandatis datum et commissum, ideo eidem præcepto obediendo de hac ultima parte, et sic de miraculis per intercessionem istius Servæ Dei per ipsum operatis et mundo nuntiatis egimus et discussimus, qua diligentia potuimus; et quæ circa prædicta miracula, tam in genere quam in specie, tam in vita quam in illius felicissimo transitu et post illum, in diversis temporibus et occasionibus, ea brevitate qua potuimus, recollecta Sanctitati V. referenda hic adjunximus.

tam in vita quam in morte

1087 Et quamvis non sit dubium quin pro canonizatione non sit opus probari miracula in vita canonizandi facta, sed sufficiat constare de factis post illius mortem (prout hanc sententiam tenet et docet D. Thom. 2. 2, quæst. 178, art. 2, in corpore articuli vers. « Secundo autem modo », et Pavin. ubi supra, parte 2 et 3, et Cassaneus ubi supra, parte 3, considerat. 49, in principio, et ita fuit firmatum in canonizatione Sancti Raymundi, parte 2, art. 7, vers. « Non licet », ubi adducuntur verba Diplomatis felicis recordationis Innocentii III circa canonizationem Sancti Homoboni Cremonensis hoc idem comprobantia; prout eamdem sententiam am- F plectitur Relatio in canonizatione Sancti Hyacinthi Poloni, pag. 34, vers. « Præmissis addimus », et pag. sequenti), nihilominus, cum omnipotens Deus elegisset istam suam Servam Teresiam de Jesu ad fundandam Reformationem Sacrosanctæ Religionis Fratrum et monialium Discalceatorum Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, ex qua tot uberrimi fructus Ecclesiæ Catholicæ et omnibus fidelibus per totum orbem erant proventuri (ut ex postfacto evidens et notoria experientia docuit illam futuram Fundatricem et quasi Patriarcham tantæ ac tam perfectæ et sublimis Religionis), sicut dignatus fuit tot virtutibus heroicis et excellentibus tantoque spiritu dotare, ardentissimoque ipsius Dei amore ipsius pectus et cor inflammare, ita et sua miseratione decrevit etiam viventem condecorare et miraculis illustrare, et orbi illius sanctitatem manifestare. Unde conveniens duximus a miraculis factis in vita istius Servæ Dei incipere. Attamen, ut debitus ordo servetur, et ab universalibus incipiamus, et sic melius possit ad specialia deveniri, ante omnia operæ pretium erit demonstrare in genere probari sufficienter omnipotentem Deum miracula plura operatum

A operatum fuisse intercessione suæ Servæ Teresiæ; et postea ad illorum aliqua particulariter et in specie devenire, et istam Relationem in quatuor præcipuos articulos dividere. Primus de miraculis in genere, secundus de miraculis in vita, tertius de obitu Servæ Dei Teresiæ et miraculis in illo, quartus de miraculis post mortem.

claruisse 1088 Articulus primus. Posset in hoc loco non abs re præsupponi quid sit miraculum, et quatuor illius requisita, et duos gradus miraculorum juxta sententiam canonistarum, tres vero juxta sensum theologorum assignare; et an illorum operatio debeat esse instantanea, an vero ex intervallo causata miraculo aliquid detrahat, et quomodo miracula probentur per indirectam probationem, cum directe et per vera principia et causas probari non valeant. Nihilominus, tum brevitati consulendo, tum etiam quia prædicta omnia particulari studio et lato sermone tam apud Divum Thomam quam apud Hostiensem, Archidiaconum et alios supra relatos discutiuntur, et in diversis Relationibus canonizationum Sanctorum particulariter per auditores Rotæ fuerunt notata (prout in Relatione Sancti Francisci de Paula per Jacobum Simonetum
B ejusdem Rotæ auditorem facta, et in illa Sancti Raymundi articulo quarto de natura miraculorum et qualitate illorum, et in alia Sanctæ Franciscæ, parte 3, art. 1 de miraculis in genere), unde, his ex consulto omissis, dicimus sufficienter probatum, per Servæ Dei Teresiæ de Jesu intercessionem, tam in illius vita quam in morte et post mortem, omnipotentem Deum quam plurima miracula operatum fuisse ubique terrarum, quodque plures et fere omnes testes, infra in ista Relatione miraculorum referendi, clare et verbis expressis deponunt, et non pauci illorum affirmantes etiam de publica voce et fama; quibus accedunt scriptores qui usque nunc illius vitam in scriptis redegerunt; prout sunt Reverendissimus Dominus Didacus de Yepes Ordinis Sancti Hieronymi, Catholicæ Majestatis Philippi II confessarius, et postea episcopus Tirasonensis, in libro de Vita istius Servæ Dei, in prologo lib. 4, fol. 2 et 3; Pater Doctor Franciscus Ribera Societatis Jesu, qui librum ejusdem Vitæ typis mandavit, lib. 5, cap. 8, fol. 333; Pater Magister Ludovicus de Leon Ordinis Sancti Augustini, cathedraticus Sacræ Scripturæ in universitate Salmantina, in quadam epistola dedicatoria pro initio
C librorum ab ipsa Serva Dei conscriptorum, circa medium; Thomas Bosius, in libro de signis Ecclesiæ Dei, tom. 1, lib. 12, cap. 23, fol. 569; Pater Frater Joannes a Jesu Maria Religionis Carmelitarum Discalceatorum, tunc procurator generalis, nunc vero Præpositus Generalis Congregationis Italiæ, in libro quem de eadem vita edidit, lib. 5, cap. 4 de miraculis.

certissime constat. 1089 Quæ comprobantur ex diversis et pluribus litteris Sanctitati Vestræ et felicis recordationis Clementi Papæ VIII non semel directis, instanter et suppliciter efflagitantibus adscriptionem istius Servæ Dei in numerum Sanctorum : prout sunt litteræ regis Catholici Philippi III et reginæ illius uxoris; item et litteræ archiepiscopi Tarraconensis et episcoporum illi suffraganeorum, in Concilio Tarraconensi expeditæ; quibus accedunt litteræ archiepiscopi Burgensis et archiepiscopi Valentini et archiepiscopi Mexicani, et episcoporum Abulensis, Salmantini, Conchensis, Palentini, Vallisoletani et Tirasonensis, præter aliorum quamplurium antistitum totius fere Hispaniæ, quæ propter brevitatem omittuntur; insuper et litteræ congregationis ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regnorum Castellæ et Legionis; quin et litteræ insignium universitatum Salmantinæ et Complutensis; D necnon litteræ regni Castellæ et Legionensis; et litteræ regni Arragoniæ; tum et litteræ regni Portugalliæ; item et litteræ dominationis Cantabriensis provinciæ; et aliæ excellentissimi ducis de Lerma et aliorum procerum, necnon quam plurium ecclesiarum, capitulorum et civitatum ipsiusmet Hispaniarum regni. Qui fere omnes testantur de miraculis intercessione istius Servæ Dei per ipsum tam in vita quam in morte operatis, et de illorum fama, ultra virtutem et sanctitatem ipsius Matris Teresiæ. Quemadmodum enim, quamdiu illa vixit, Dei gloriam virili ausu, virili corde propagavit, sic ipse Deus clementissimus eam in orbe toto miraculis honorari et illustrari, scriptis gravissimorum virorum et sermonibus laudari, principum et regum votis et supplicationibus apud Sanctitatem Vestram commendari misericorditer dignatus est.

PER AA. ROTÆ.

Inter miracula Sanctæ viventis eminent: 1090 Articulus secundus. Primum miraculum in vita. Evenit quod, cum anno 1580 Serva Dei Virgo Teresia de Jesu se contulisset ad locum de Villanova de la Xara Conchensis diœcesis, pro fundando ibi conventu Sanctæ Annæ, cujus fundationem novem devotæ mulieres pauperes, ibi recollectæ viventes, summo desiderio expectabant, et cum mense Februario dicti anni Villanovam jam venisset, dictæ fundationi et illis optatum finem imposuit, insimul cum aliis sex monialibus professis, selectis et adductis ad hunc effectum ex aliis monasteriis ejusdem Religionis; et eadem Serva Dei ibi illas novem devotas mulieres habitu Religionis induit et cum ipsis demorata fuit per aliquot dies. Adveniente vero tempore sui discessus, et videns moniales dicti monasterii afflictas, eo quod remanerent in oppido paupere et in monasterio omnino indotato et nihil prorsus in reditibus habenti unde tot moniales et servæ et ministri necessarii ali possent, ipsas sic consolata fuit, promittens illis in nomine Domini nostri Dei omnipotentis, quod si religiose vixissent, nihil eis unquam defuturum. Quam promissionem iterum post annum elapsum ratificavit, in occasione qua prædictæ moniales ipsam per litteras certiorem fecerunt quod advenerat tempus quod illæ novem novitiæ professionem emittere debebant; attamen dubitabant quid agendum, stante dicti monasterii summa paupertate. Quibus Serva Dei, cum esset Palentiæ, F attendens fundationi conventus illius civitatis, rescripsit : quod dictis novitiis professio daretur, et quod in nomine Sanctissimæ Trinitatis, in cujus Dominica illam epistolam scribebat, promittebat ipsis nihil sibi de necessariis defuturum, si religiosam vitam egissent. Qua littera per moniales recepta et lecta, maxima fiducia in Deo, ex intercessione Servæ Dei Teresiæ, illarum in Christo Matris, professionem dictis novitiis dedere; ipsæque illam alacriter emiserunt.

E

1° In monasterio Villanovano 1091 Cujus promissionis implementum per tempora continua experientia docuit; cum nunquam ex postfacto dictis monialibus quicquam necessarium defuerit : quin etiam, ultra illarum competentia alimenta et subventionem in omnibus necessariis, et eleemosynas quas frequenter pauperibus erogarunt, ecclesiam sumptuosam fabricarunt, et acquisiverunt in reditibus annuis ducatos quadringentos. Quæ semper omnia retulerunt miserationi divinæ et verbo et promissioni istius Servæ Dei et Matris illarum. De quo dicti verbi et promissionis implemento in genere, et prout supra specificatur, deponunt quinque testes moniales ejusdem

PER AA. ROTÆ.

ejusdem monasterii : nempe Elvira de Sancto Angelo super quadragesimo sexto, fol. 1257; Constantia de Cruce super quadragesimo sexto articulo, fol. 1284; Lucia de Sancta Anna super octuagesimo octavo articulo, f. 1272; Catharina de S. Angelo super octuagesimo octavo articulo, fol. 1275; et Anna de S. Augustino super octogesimo octavo, fol. 1186: omnes in tertia parte processus remissorialis Toleti, affirmantes sic vidisse prædicta fieri per spatium triginta annorum, et tres ex istis præsentes fuisse dictæ promissioni Matris Teresiæ.

gravis annona tempore

1092 Attamen in particulari probatur, quod in primo anno et in limine dictæ fundationis, et post primam promissionem Virginis et Matris Teresiæ dictis monialibus factam, evenit in illo oppido de Villanova quædam notabilis et summa sterilitas, ita ut nec prece nec pretio frumentum reperiretur, nec moniales habebant pecunias unde illud emerent, nec habitantes in illo loco poterant illis ullatenus succurrere, prout nec succurrerunt, nec alias eleemosynas per sex menses, quibus ista sterilitas duravit, habuerunt; sed de tempore sterilitatis et penuriæ frumenti, nempe Februarii, quo illa incepit, habebant in quadam capsa octo vel novem mensuras farinæ (hispanice fanegas), quæ nullatenus pro unico mense illis sufficiebant, cum opus illis esset quolibet mense decem mensuris pro alendis tredecim vel quatuordecim monialibus et duabus servis, quæ extra claustra illis ministrabant, et duobus Fratribus, qui illis fere per totum illud sterilitatis tempus astiterunt. Quo tempore toto prædictis monialibus et ministris congrua, solita et competens portio panis quolibet die fuit impartita, et pauperibus itidem panis eleemosyna larga manu ministrata; pro quibus supplendis erant necessariæ ad minus pro dictis sex mensibus sexaginta mensuræ tritici ex supra explicatis.

farinæ multiplicatio,

1093 Nihilominus omnipotens Deus, qui trans mare Galileæ ex quinque panibus hordeaceis et duobus piscibus satiavit quasi quinque millia virorum, et ex fragmentis quæ superaverunt, impleti fuere duodecim cophini (Joannis cap. 6), et iterum in solitudine septem panibus et paucis pisciculis saturavit quasi quatuor millia hominum, superatis de fragmentis septem sportis (Marc. 8), idem misericors Deus et mirabilis in Sanctis suis non permisit istas devotas moniales in tanta sterilitate illam experiri, nec aliquo modo defraudari verbo sibi dato et promisso in nomine ejusdem Deitatis per ipsarum Matrem Virginem Teresiam de Jesu; et ita, in ejusdem verbi et fidei adstrictæ Servæ Dei vim et integrum complementum, misericorditer operatus est, ut illæ octo vel novem mensuræ farinæ ita in prædicta capsa multiplicarentur, ut ex illis solis tota istius monasterii supradicta familia sufficienter aleretur, et pauperibus frequenter ad monasterium accedentibus eleemosyna panis large distribueretur per totos dictos sex menses : ita ut, quando farina a dicta capsa extrahebatur, non deficere, sed multiplicari videretur. Quod omnes moniales pro manifesto miraculo habuerunt, et plures pro illo gratias Deo reddiderunt, et usque in hodiernum diem illa vocatur capsa miraculi.

quæ plurium monialium

1094 Hoc factum probatur per supradictas quinque moniales ejusdem monasterii de visu; et inter ipsas est Anna de Sancto Augustino, quæ tunc temporis habebat curam providendi monasterio, quin et erat clavigera illius : quæ affirmat cum aliis nullas alias eleemosynas per dictum temporis spatium monasterium habuisse. Et omnes concludunt optime supradictum factum cum circumstantiis in eo narratis. Nec istis testibus, tanquam monialibus ejusdem Religionis, quicquam de fide subtrahitur; quin ex pluribus censentur idonei, ex regula generali : quod testes de universitate pro illa admittuntur testimonium dicere, quando de illorum singulari commodo non agitur. Baldus in cap. « Insuper », num. 3, et ibi Felinus num. 1, vers. « Est enim regula », de testibus; idem Bald. in cap. « Cum nuntius », eodem titulo, in 1 notabili, et ibi Butrio num. 3, et de communi pluribus relatis, tradit Conradus in praxi § 2 de testibus, rubr. « Personas testium aggrediendo », num. 55. Quæ regula magis procedit in religiosis, tam monachis quam monialibus : Glossa in Authentica de monachis, in § « Cogitandum », et Glos. in l. idonei ff. de testibus; Baldus in cap. « Tertio loco », num. 4 in verbo « Fratres » de probationibus; Decius cons. 62, in princ. « Afflictis », decisione 400, num. 2, vers. « Et ideo monachus »; Franc. Curtius de testibus, concl. 4 post num. 15; et loquens de monialibus, tradit Mandel. cons. 50, num. 25.

veraci

1095 Concurrit etiam maxima religio et sanctitas vitæ et perfectio istarum monialium, ex quo multo magis præsumuntur veritatem dixisse medio juramento, et sic facilius ad testificandum pro sua Religione admittuntur, ex notatis in dicto cap. « Insuper », et ibi Felin. num. 1; Butrio, notabili 1; Dec. num. 20, et idem Dec. in dicto cap. « Tertio loco », num. 10, ubi de communi, prout de illa testatur Viv. comm. opin. concl. 954, incipiente : « Testes de collegio », vers. « Interpretatur quoque ». Ulterius quia, cum istæ moniales deponant de gestis intra claustra monasterii, et quæ per alios ab extra probari non valent, illarum depositiones admittuntur, ad textum in cap. « Veniens » (il secondo) de testibus, et ibi Baldus, num. 9, et doctores notant communiter, et tex. in cap. « Super prudentia », ibi « Qui eadem negotia tractaverunt », ubi Glossa magna in verbo « Tractaverunt », 14, quæst. 2; Abbas dicto cap. « Insuper », num. 2; Decius num. 14 et 25; Glossa in dicto c. « Tertio loco », in verbo « Jurati », vers. « Et merito »; ubi etiam Abb. num. 5; et Felinus num. 3 ad medium; et Imola ante num. primum; et Butrio num. 1; Baldus num. 7; Bartolus in l. « In tantum », § « Universitati », num. 1 de rerum divisione; Menochius de Arbitrariis, lib. 2, casu 106, num. 1; et sic tenuerunt auditores Rotæ in canonizatione Sanctæ Franciscæ, parte 1, art. 7, vers. « Nec referre ».

legitimoque testimonio probatur,

1096 Nec minus depositiones dictarum monialium impugnari valent ex eo quod sine licentia superioris fuerint examinatæ, contra dispositionem textus in cap. « Quamquam » 14, quæst. 2. Contrarium enim, et quod tales depositiones teneant, affirmant Abbas in cap. « Cum nuntius », num. 4; et ibi Felinus num. 3, vers. « Si tamen testificarentur », de Testibus; idem Abb. cap. 1, de juramento calumniæ; Specul. in titulo de testibus § 1, num. 23 et 26. Quod fuerunt secuti auditores Rotæ in dicta canonizatione Sanctæ Franciscæ, dicto articulo 7, vers. « Sed nec propterea »; ubi fuit consideratum (prout in casu nostro considerari valet) esse valde verisimile dictam licentiam adfuisse, tum propter numerum monialium examinatarum ad instantiam superiorum, qui pro hac canonizatione instant, tum quia agitur de canonizatione Matris et Fundatricis suæ Religionis; ex quibus scientia et licentia superiorum satis induci potest. Unde cum Abbate tenent Corn. cons. 135, num. 33, lib. 1; Guido Pap. decis. 517; Silvanus cons. 16, num. 6 et 7. Aretinus in dicto cap. « Cum nuntius », num. 11, tenet quod opinio Abbatis in prædicta communiter servatur. Minus obstat suspicio

A spicio affectionis ad istam causam : illa enim purgatur per juramentum testis : Baldus in dicto cap. « Cum nuntius, » in prin. vers. « Sed isti »; Felinus in dicto cap. « Insuper », num. 1, vers. « Et » si dicatur », de probationibus. Ex quibus nobis visum fuit satis probari et illud esse in se miraculum maximum, operatum per intercessionem Servæ Dei Teresiæ de Jesu, et in vim promissionis per ipsam factæ suis monialibus in nomine Domini nostri, quod nihil eis esset defuturum si religiose viverent.

quamque Rotæ auditores

1097 Ad quem autem gradum et ordinem sit referendum hujusmodi multiplicationis farinæ miraculum, visum fuit quod (sequendo Divum Thomam, parte 1, quæst. 92, art. 3, in responsione ad primum, a quo non dissentit Bañez ibi, dubio 2, concl. 4, et illi expresse assentitur Valentia in suis Commentariis, tom. 1, disputatione 7, quæst. 1, puncto 2, objectione 5), quod nempe hujusmodi multiplicatio fiat (secundum probabiliorem sententiam) per creationem novæ materiæ, quæ forma farinæ informata, et præexistenti farinæ addita, illam multiplicat, referendum crit ad primum gradum, ad quem refert Divus Thomas (qui tres gra-
B dus miraculorum assignat et declarat in dicta parte 1, quæst. 105, art. 8 in corpore, versiculo « Uno modo »), actus quoad ipsius facti substantiam excedentes facultatem totius naturæ creatæ, qualis est in sui facti substantia actus istius farinæ multiplicatæ, ex supra adductis. Nec obstat quod ex aliorum sententia (quam refert Bañez ubi supra) ista multiplicatio farinæ non fiat a Deo per creationem novæ materiæ, sed per additionem alterius materiæ jam creatæ ejusdem speciei; ita ut illam separare ab alio corpore sit necesse, et huic farinæ adjungere, cum alterius corporis, a quo subtrahitur, corruptione. Quibus sufficiat respondere contrariam sententiam esse probabiliorem, teste Divo Thoma ubi supra, et aliis relatis ipsum sequentibus.

miraculis primi ordinis annumerant,

1098 Minus facit Bartolus in tractatu Testimoniorum, verbo « Qualitas », num. 56, ubi circa tres gradus miraculorum assentitur theologis, et in secundo exemplo, circa tertium gradum, dicit in his verbis, videlicet : « Cum non consueto processu » naturæ panis multiplicatur : potest enim homo » naturaliter facere panem; sed non illo ordine. » Hactenus Bartol. Quo exemplo et ratione assignata
C denotatur clare Bartolum non attigisse supradictam distinctionem theologorum inter creationem et additionem novæ materiæ, nec considerasse sententiam probabiliorem Divi Thomæ, nec animadvertisse (ut ipse dicit) hominem posse facere panem, attamen ex materia jam creata et superexistenti, non tamen posse multiplicare unammet quantitatem absque additione novæ materiæ jam præexistentis; de qua additione facta ab homine in casu nostro non constat, sed de contrario. Ultra quod nec consideravit istam additionem a Deo, non ab homine, esse faciendam, ut esset miraculum tertii gradus. Unde dicendum est, juxta Divum Thomam, istam multiplicationem factam fuisse a Deo per creationem novæ materiæ; et sic, ex supradictis, istud opus quoad facti substantiam excedere vires totius naturæ creatæ, et sic pertinere ad primum gradum, et in hoc puncto magis Divo Thomæ quam Bartolo esse deferendum.

quamvis ex Benedicto XIV secundi tantum sit ordinis;

1099 *Prætereunda hic non est animadversio Benedicti XIV; qui, de miraculosa rerum multiplicatione et in alias res conversione agens (De Beatif. et Canoniz. lib.* IV, *part.* I, *cap.* XXIII, *num.* 5), *in S. Thomæ sententiam etiam ipse inquisivit, eamque longe aliam esse demonstrat quam hic a S. Rotæ auditoribus perhibetur. Scilicet loco ab ipsis* D *citato S. Doctor expendit formationem Evæ ex costa Adami; statuitque hanc rei majoris e minori formationem non rarefactione (qua materia eadem majores accipit dimensiones), sed additione factam esse, atque idem dicendum esse de panibus a Salvatore in deserto multiplicatis : cum vero additio fieri possit sive per creationem novæ materiæ, sive per conversionem materiæ jam existentis, quæ addatur materiæ multiplicandæ, censet probabilius admittendam esse conversionem quam novæ materiæ creationem; eo quod, ut ipse alibi ait (in* 2 *Sent. dist.* XVIII, *quæst.* I, *art.* 1), omnia simul creata, ad minus in materia, Sancti communiter tradant. *Hanc esse genuinam S. Thomæ doctrinam, adducto etiam alio Summæ ejus theologicæ loco (part.* II, *quæst.* XLIV, *art.* IV, *ad* 4), *Benedictus XIV diserte evincit, et suam argumentationem hisce verbis concludit :* « Mirum. . . quod Rotæ auditores, qui, magnitudinem miraculi multiplicationis extollentes, nihil statuere voluerunt quoad modum, relicta unaquaque sententia in sua probabilitate, uti videri potest in Relatione causæ S. Franciscæ Romanæ. . . et in Relatione causæ S. Thomæ de Villanova. . ., in sequentibus deinde E Relationibus adhæserint sententiæ quæ in multiplicatione exposcit novæ materiæ creationem, uti videri potest in Relatione causæ S. Teresiæ. . ., sub obtentu potissimum quod sententia creationis novæ materiæ sit sententia D. Thomæ : quod utrum subsistat, unusquisque ex supra expositis nullo negotio colligere poterit. *Notandum ad hæc est, id quod doctissimus Pontifex prætermisit, erroneam hanc auditorum Rotæ aliorumque theologorum opinionem ex depravata lectione verborum Angelici Doctoris, quæ in vulgatas passim Summæ editiones irrepsit, ortum habuisse. Ita quippe inibi contexta sunt verba :* Unde, cum non appareat rarefactio in talibus multiplicationibus, necesse est ponere additionem materiæ, vel per creationem, quod probabilius est, vel per conversionem; *sed dicit ad hunc locum Sylvius :* Sciendum est hanc. . . germanam esse lectionem : « Necesse est ponere additionem ma- » teriæ, vel per creationem, vel (quod probabilius » est) per conversionem », ut ex sequentibus intelligi potest, ubi sententiam suam confirmat B. Thomas ex S. Augustino, dicente quod « hoc » modo Christus ex quinque panibus satiavit » quinque millia hominum, quomodo ex paucis F » granis producit multitudinem segetum : quod » (inquit) fit per conversionem materiæ. » Eamdem lectionem exhibet codex vetustissimus manuscriptus metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis, requiritque doctrina ipsius B. Thomæ, *etc. Cum igitur tota ea argumentatio qua Rotæ auditores relatum S.* Teresiæ *miraculum ad primi gradus miracula reducere contendunt, fundamento careat, amplectenda est potius Benedicti XIV sententia, dicentis multiplicationem ejusmodi probabiliter miraculis secundi generis (id est iis quæ excedunt vires naturæ, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit) adscribendam esse (loc. cit. num.* 12).

2° Ægrotæ monialis per tactum sanatio,

1100 Secundum miraculum in vita. Anna a Trinitate, monialis in conventu Metinæ del Campo Vallisoletanæ diœcesis, a pluribus annis, et antequam ingrederetur monasterium, patiebatur infirmitatem erysipelatis in facie, insimul cum febri, et fere quolibet anno hujusmodi accidens illi eveniebat semel aut bis; et tandem in ultima occasione illam ita oppressit ut febris esset nimia, et erysipelas maxima in naribus, quæ erant valde tumidæ et grossæ, ita ut medici, timentes ne in illis cancer

PER AA. ROTÆ

generaretur, vellent dictæ sorori fontes seu rotaria facere. Et adhibitis multis et diversis remediis, A nihil tamen proficientibus, accessit ad illam infirmam Serva Dei Teresia, et imponens illi manum in facie, dixit : « Ne timeas, filia; spero quod Deus » tibi sanitatem restituet. » Quibus tactu et verbis statim infirmitas cessavit, et patiens remansit sana ab erysipelate et tumefactione ac febri, et taliter quod nunquam amplius, dum vixit, hac infirmitate fuerit affecta, quamvis postea vixerit per viginti annos.

quam quatuor testes rite asseruerunt,

1101 Quod factum probant quatuor moniales ejusdem monasterii : nempe tertius, quintus et octavus super octogesimo quarto articulo, et undecimus super centesimo decimo quarto, in 4 parte remissorialis Toleti. Quæ omnes interfuerunt prædictis, et tres primi testes declarant, quod, cum doctor Polanco, medicus dicti monasterii, venisset ad visitandum dictam sororem Annam infirmam, et illam reperisset sanam, interrogavit quomodo se res habuisset; et illi facto narrato, ipse affirmavit fuisse miraculum, et aliter fieri non potuisse. Quod nobis probari et miraculum esse visum fuit, stante gravitate infirmitatis assidua, et a tot annis, B et illius ingravescentia, cum gravi febri, et attento maximo narium tumore et medicorum timore de cancro ibi generando, et quod erysipelas et tumefactio narium et febris insimul et in continenti cessarunt, accedente solummodo tactu Servæ Dei, et quod nunquam in futurum dicta infirmitas, prius assidua, illam molestaverit. Unde non solum cessavit infirmitas et accidens grave tunc temporis imminens; verum etiam et causa illius, quæ operabatur illam assiduitatem et continuationem annuam.

et quæ inter tertii ordinis miracula

1102 Quæ circumstantia recuperatæ salutis in instanti maxime concernit miraculum, juxta illud Matthæi cap. 8, de leproso per Christum Dominum mundato, ibi : « Et confestim mundata est » lepra ejus »; et Actuum Apostolorum cap. 9, ibi : « Et continuo surrexit »; et pluribus aliis locis Sacræ Paginæ, relatis per Archidiaconum in cap. « Nec mirum » 26, quæst. 5, num. 8, et per Jacob. Castellan. de Canonizatione, quæstione 6, principali vers. « Quæro an sit necesse », et per Troilum eodem tractatu, dub. 3, num. 24 et 26, et sæpius notarunt auditores Rotæ in diversis canonizationibus. Ponderavimus etiam modum operandi hujusC modi miraculum, nempe per contactum manus Servæ Dei super infirma, ad instar plurimorum miraculorum quæ operatus est ipse Dominus noster Jesus Christus per se ipsum et manus suorum Apostolorum, prout legitur Marci quinto, ibi : « Et » tenens manum puellæ, ait illi : Puella, tibi dico » surge : et confestim surrexit », et Matth. cap. 8, supra citato, de leproso quem Jesus extendens manum tetigit, et confestim sanatus est, et Luc. 22 : « Et cum tetigisset auriculam ejus » (scilicet servi principis sacerdotum), « sanavit eum »; et cap. 4 : « Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, » ducebant illos ad eum. At ille singulis manus » imponens, curabat eos. » Apostolis etiam, quando misit ad prædicandum, modum quo languores in signum Euangelicæ veritatis curare debebant, designavit, dicens : « Super ægros manus imponent, » et bene habebunt », Marci ultimo. Et Actuum Apostolorum cap. 5 dicitur : « Per manus autem » Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in » plebe »; et cap. 3, ubi dicitur de Beato Petro : « Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, » et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. » Et hunc modum operandi miracula fuisse Humanitati Sanctissimi Domini nostri communicatum, docet Divus Chrysostomus Homilia 5 in Marcum, et S. Cyrillus lib. 2 in Joannem cap. 4, ubi, de filio viduæ Naim loquens, ait quod « illum tetigit » Christus, dicens : Adolescens, tibi dico, surge », et concludit his verbis : « Non ergo verbo solo (ut » diximus) semper, verum etiam tactu mortuos » suscitavit; ut ostenderet suum quoque corpus » vivificare posse : quod in solo tactu suo corrupta » redintegrantur. » Et super illud Lucæ 4 : « Sin» gulis manus imponens », inquit idem Sanctus Cyrillus : « Quamvis, ut Deus, potuisset omnes » verbo pellere morbos, tangit tamen eos, osten» dens propriam carnem efficacem esse ad præ» standa remedia. » D

insigniora refertur;

1103 Sanctis etiam aliquibus hoc donum fuisse communicatum docet Divus Gregorius secundo Dialogorum, cap. 30; et, ut docet S. Thomas quæst. 3, de malo, art. 3, et 2. 2, quæst. 83, art. 1, ille modus dicitur excellentior operandi miracula, quia ad illa potestative seu tanquam instrumentum physicum concurrit. Cum ergo Deus per contactum manus suæ Servæ Virginis Teresiæ miraculum hoc perfecerit, ostenditur illi suam virtutem communicasse; ita ut ipsa illi per veram et E realem actionem contactus, tanquam instrumentum physicum, cooperaretur : unde, quamvis istud factum, quasi excedens vires naturæ, quoad modum sit referendum (prout censuimus) ad tertium gradum ex enumeratis, juxta Divum Thomam, dicta parte 1, quæst. 105, art. 8 in corpore, vers. « Tertio modo »; tamen, cum intra illum adsint diversi gradus, putavimus istud ex supradictis mereri excellentiorem gradum contentorum in tertio.

3ᵉ Sanatio priorissæ Methymnensis,

1104 Tertium miraculum in vita. Mater Alberta Baptista, priorissa ejusdem monasterii Metinæ del Campo, jacebat in lecto, magno dolore in uno latere correpta, et cum maxima febri, et sic patiens infirmitatem pleuritidis, ita ut in adventu Servæ Dei Teresiæ ad dictum conventum non potuerit surgere et illi obviam ire. Et cum Ancilla Dei non videret dictam priorissam cum aliis monialibus, interrogavit de illa, et audivit qualiter ægrotabat, et illico ivit ad illam videndam, et ingressa cellam ubi priorissa jacebat, dixit illi : « Jesu! filia, et tu ægro» tas in meo adventu? Surge, quia es sana, et me» cum descende ad cœnam ». Et simul, istis verbis prolatis, tetigit manu latus dolore affectum; et in continenti priorissa obedivit Matri Teresiæ, et F surrexit e lecto sana absque ullo dolore et febri, ac si nunquam talem infirmitatem habuisset, et interfuit cœnæ cum dicta Matre Teresia, et attendit aliis ministeriis sui officii. Et cum die sequenti venisset medicus doctor Polanco, et reperisset sanam, audivissetque dictum modum recuperatæ salutis, dixit esse miraculum; prout et illud omnes moniales judicarunt, gratias Deo agendo.

tactu ac voce effecta,

1105 Quod factum comprobant illæmet quatuor testes moniales in præcedenti miraculo adductæ, et super eisdem articulis ibi specificatis : et nos judicavimus probari, et pro miraculo esse habendum, attenta gravitate infirmitatis prædicti doloris cum febri, et quod, illa permanente, per contactum Servæ Dei fuerit in continenti dicta priorissa liberata a prædicto dolore et febri, et obediendo Matri Teresiæ surrexerit sana, et ambulaverit, et potuerit attendere incumbentibus ipsius officio; ponderatis eisdem in præcedenti proximo miraculo adnotatis circa gravitatem infirmitatis, et instantaneam salutis recuperationem, et modum tactus manus Servæ Dei. Hoc tamen addito, quod non solum in isto miraculo intervenerit manus contactus Ancillæ Dei,

A Dei, sed verba imperativa : « Surge, filia, quia » sana es » : quæ statim obedivit, et sana ac libera a febri et dolore surrexit, et ministravit Matri et sororibus.

et pariter ad tertium ordinem spectans.

1106 Modus quidem non parum similis modo quo Christus et Apostoli miracula operabantur; sicut de socru Petri dicitur in Euangelio Luc. 4, et in Actibus Apostolorum cap. 9, ibi : « Et ait illi » Petrus : Sanet te Dominus Jesus Christus : surge » et sterne tibi. Et statim surrexit »; et apud Matth. cap. 8, de leproso dicente : « Domine, si » vis, potes me mundare. Cui Jesus dixit : Volo, » mundare » (imperative), « et confestim mundata » est lepra ejus »; et Lucæ cap. 8, de cæco, cui dixit Dominus : « Respice; et confestim vidit. » Joannis cap. 4 et Lucæ cap. 7, de filio viduæ Naim in præcedenti miraculo relato, cui dixit Christus (quando illum tetigit) : « Adolescens, tibi » dico : surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit » loqui. » Et in resurrectione Lazari dixit Christus : « Lazare, veni foras : et statim prodiit qui » fuerat mortuus. » Joannis 11. Ex quibus et hoc miraculum censuimus mereri excellentiorem gradum inter miraculas tertii generis, ex notatis in

B præcedenti proximo miraculo.

Sanctissimus Seraphicæ Matris

1107 Articulus tertius. Acturi de mirabilibus quæ Deus Dominus noster in obitu suæ Servæ Teresiæ et in signum ejus sanctitatis dignatus fuit ostendere, operæ pretium esse duximus circa illius obitum et modum transeundi de hoc mundo ad æterna gaudia aliquid attingere; ut constet Ancillam Dei usque in finem perseverasse, non immemorem verbi Domini dicentis : « Qui perseveraverit usque » in finem, salvus erit. » Evenit itaque quod, cum Serva Dei Teresia Metinam venisset, et inde Abulam (cui monasterio præcrat) ire parasset, de mandato superiorum, et tanquam obedientiæ cultrix, quamvis morbo graviter affecta et valde adversa valetudine laborans, Albam pervenit circa finem mensis Septembris anni 1582. Ubi infirmitate jam ingravescente, pridie festi Sancti Francisci Sacram Eucharistiam postulavit, post Confessionem factam Patri F. Antonio a Jesu, provinciali (*seu potius vices absentis P. Gratiani provincialis agenti*) ac ipsius Servæ Dei tunc temporis prælato. Et interim, dum expectatissimum Viaticum afferebatur, suas moniales allocuta est, illis commendando observantiam regulæ, Ordinis constitutionum, obedientiamque

C debitam superioribus, et petendo ab illis ne ipsius indignæ monialis culpas pensitarent, sed potius illi ignoscerent. Ubi vero Eucharistiam in cellam inferri cognovit, quamvis velut paralytica jaceret, confestim se sine ullius adminiculo erexit, et summa cum veneratione et reverentia illud divinum Viaticum suscepit, et in illius præsentia amore languens dicebat : « O Domine, Sponse mi! Accessit tandem » tempus optatum : æquum est ut te videam. Tem» pus est, mi Domine, ut ex hac vita migrem : » fiat, obsecro, juxta placitum tuum. Evenit de» mum hora qua hoc exilio eripiar, et te fruar, » quem tam vehementer ardenterque expetivi. » Et semper gratias particulari affectu agebat Deo, quod eam in Ecclesiæ filiam adoptasset. Unde morti appropinquans sæpe repetebat verba hæc : « Sum » certe, Domine, Ecclesiæ filia. » In oreque habebat frequenter illos Prophetæ versus : « Ne projicias » me a facie tua : et Spiritum Sanctum tuum ne » auferas a me. Cor contritum et humilitatum » Deus non despicies. » Et tandem petiit Sacramentum extremæ Unctionis, illudque eadem reverentia et respondens precibus suscepit; et dum liniretur, easdem gratias Deo agebat quod illam in Ecclesiæ filiam admisisset. Quibus peractis, non desistebat sæpius prædictos versus David proferre.

PER AA. ROTÆ.

D

ex hac vita decessus

1108 Tandem sequenti die, quarto scilicet Octobris, hora septima matutina in latus incubuit, eo modo quo imago Sanctæ Mariæ Magdalenæ exprimi consuevit; et Christi effigiem manu tenens nec usque ad obitum deponens, vultu flagranti, orans, cum maxima quiete, et immota, quasi in ecstasim rapta permansit usque ad horam nonam noctis, in qua animam Deo reddidit, eadem die quarta Octobris ejusdem anni 1582, ætatis suæ sexagesimo octavo. De quibus deponunt testes quadragesimus primus et quadragesimus quartus super 94 in processu remissoriali Salmantino, et vigesimus primus super eodem articulo 94 in quarta parte remissorialis Toletani, et quadragesimus tertius super 6 interrogatorio in dicto processu remissoriali Salmantino; et decimus tertius, decimus quartus, decimus octavus, trigesimus, in processu remissoriali Salmantino; et quadragesimus septimus, quadragesimus octavus, quadragesimus nonus super 6 articulo in processu remissoriali Salmantino. Et ultra testes supradictos, ita reperitur scriptum apud supradictos scriptores vitæ istius Servæ Dei : nempe apud Reverendissimum Episcopum Tirasonensem, E lib. 2, cap. 39 et 40; et apud Patrem Doctorem Franciscum Ribera Societatis Jesu, lib. 3, cap. 16; et apud P. F. Joannem a Jesu Maria, ejusdem Religionis Generalem, lib. 3, cap. 15 et cap. 16.

cœlestibus signis

1109 In isto felicissimo transitu cœlum et terra exultarunt et suæ lætitiæ varia signa dederunt : aliquæ enim moniales spectatissimæ vitæ et sanctitatis, ejusdem Religionis et conventus Albæ, nocte qua Serva Dei ad cœlum migravit, et aliis noctibus proximis et obitum illius præcedentibus, viderunt diversa cœlestia lumina supra templi tectum et in choro et in cella ejusdem Ancillæ Dei, ipsumque cœleste lumen transiens per illius fenestram; et quædam religiosa maximæ virtutis et sanctitatis, ipsiusque Virginis Teresiæ familiaris socia, antequam Virgo animam efflaret, vidit Christum Dominum magno splendore præfulgentem, et multis Angelis comitatum, prope lectum suæ Ancillæ assistentem. Alia vero monialis, non minori sanctitate conspicua, puncto obitus Ancillæ Dei, audivit strepitum ingentem plurimorum, et vidit illos candidis vestibus amictos ingredientes cellam Virginis, et lectum ambientes; et statim ipsa ad cœlum migravit. Et omnes crediderunt istos fuisse illos decem F mille Martyres, erga quos Virgo Teresia maximam devotionem gerebat, et quorum festum religiosissime celebrabat, et qui ei polliciti fuerant hora sui obitus se accessuros, et eam in cœlestem aulam comitaturos. Alia vero monialis, ipso mortis momento, vidit quasi columbam albam ex ore Virginis prodeuntem. Alia vero lucem crystallo similem juxta cellæ fenestram intuita est.

prodigiisque

1110 Eadem nocte qua ad cœlum migravit Virgo Teresia, apparuit gloriosa diversis personis, præsertim Matri Catharinæ de Jesu, fundatrici et priorissæ conventus ejusdem Ordinis oppidi de Veas, in provincia Bætica, religiosæ spectabilis sanctitatis, quæ hoc confestim retulit provinciali istius Ordinis, priusquam de illius obitu aut infirmitate aliquid accepisset. Facies Virginis remansit pulcherrima, candida, et cute tensa, cum jam illam senectus contraxisset, membra omnia flexibilia et tractabilia. Et quidam odor mirificus aliis odoramentis absimilis, non modo ex corpore, sed ex vestibus et panniculis quibus ægra utebatur, exivit tam vehemens ut fenestras cellæ in qua dictum corpus jacebat, aperire oportuerit. De quo tamen infra

PER AA. ROTÆ. infra particulariter agetur. Et tunc accessit ad
A illam quædam religiosa, capitis et oculorum infirmitate valde laborans, et imponens sibi manus Virginis super caput et oculos, statim convaluit. Et alia religiosa, quæ antea quatuor per menses olfactum amiserat, audiens ab aliis suavissimum odorem quem sentiebant efflare corpus Virginis, accessit devote ad illam, et dum pedes deoscularetur, sensum læta recuperavit, et eumdem olfecit odorem.

minime dubiis 1111 De quibus omnibus testificantur plures moniales ejusdem Religionis et conventus, et illæ quibus dictæ visiones et apparitiones evenerunt : et inter alias potissime quadragesimus testis, et quadragesimus primus, et quadragesimus tertius, et quadragesimus octavus, et quadragesimus nonus, ac quinquagesimus, in processu remissoriali Salmantino, super articulo 95 : et decimus testis Vallisoleti; et vigesimus primus Metinæ; et vigesimus et quadragesimus nonus Abulæ; et nonagesimus secundus, centesimus decimus quartus, centesimus vigesimus primus Salmanticæ super 95 articulo. Quarum aliquæ contestantur super factis de quibus deponunt, aliquæ vero sunt singulares; attamen visum fuit non ex eo minorem fidem illis esse
B adhibendam : tum quia non desunt graves doctores tenentes miracula probari per testes singulares; ut Jacobus Simonetus, Rotæ auditor, in Relatione super canonizatione Sancti Francisci de Paula circa finem, § « Videndum est », et quam pluribus ornat, et refert eamdem tenuisse Franciscum de Pavino in Relationibus Sanctorum Bonaventuræ et Leopoldi de Austria. A qua sententia non omnino fuit recessum in Relatione canonizationis Sancti Raymundi, articulo 8, vers. « Nos tamen », neque in Relatione canonizationis Sanctæ Franciscæ, articulo 7, octavo miraculo, vers. « Et » quamquam in superioribus » : quin ibi illud miraculum unica teste fuit probatum; et difficultas in prædictis canonizationibus fuit sublata, et resolutum quod quoties ex miraculi natura illud non potest nisi unico teste probari (ut sunt revelationes et apparitiones, et similia), tunc illo unico teste probatur, dummodo persona sit alias fide digna. Et hic est noster casus; cum prædictæ moniales, quæ testificantur de dictis apparitionibus et visionibus, quælibet deponat de apparitione et visione sibi occursa, et quæ de sui natura per alios probari non
C valeant.

a Deo decoratur; 1112 Unde ex supradictis dicendum videtur de prædictis adesse sufficientem probationem; potissime cum de istarum testium monialium veracitate viris prudentibus non possit aliqua suspicio suboriri, ut late ex supra in primo miraculo adductis. Quibus accedunt supradicti scriptores in locis proxime citatis, qui hæc eadem sic scripta reliquere. Nihilominus, cum haberemus plura alia miracula per plures testes comprobata, judicavimus supradicta per singulares testes confirmata, tanquam mirabilia et notatu digna, et maxime ad sanctitatis istius Servæ Dei manifestationem conducentia, hic recensere, et ad alia miracula in ejusdem Virginis transitu et post illum per Deum omnipotentem operata, et plurium testium numero probata, transire.

inter quæ arboris siccæ in floridam mutatio 1113 Terra etiam in obitu istius Ancillæ Dei exultavit, et præ exultatione, et in honorem Virginis et Servæ Dei, prodigiosum signum mundo dedit. Evenit enim ut in quodam campo respondente ad cellam Virginis Teresiæ, et in qua sui obitus nocte ipsa mortua existebat, reperiretur quædam arbor parva et sicca, quæ nunquam flores nec frondes nec fructus dederat, circumdata acervo
D lapidum, calcis, terræ et laterum fabricæ quæ in illo conventu fiebat; et summo mane visa fuit cooperta, plena et referta floribus albis. Quod cum plures moniales vidissent, pro miraculo habuerunt, cum neque illa arbor antea nec postea unquam flores nec fructum dedisset; prout de visu attestantur testes quadragesimus primus, quadragesimus tertius, quadragesimus quintus super 95 articulo (omnes moniales ejusdem conventus Albæ), et quadragesimus secundus et quinquagesimus, de auditu a religiosis quæ interfuerant morti Sanctæ Matris, super 94 articulo, in processu remissoriali Salmantino.

ut secundi gradus miraculum notari meretur. 1114 Quod reputavimus miraculum evidens in honorem tantæ Virginis ab omnipotente Deo operatum, inspectis circumstantiis, quod arbor erat sicca, et nunquam antea nec postea flores nec fructum nec frondes reddiderat, et quod evenit quinta Octobris, et tempore quo juxta ordinem naturæ arbores floribus non solent fulciri, quia illo tempore etiam frondes amittunt, præcipue in illis partibus jam tunc frigori valde subjectis; item quod in instanti prædicta arbor floruit. Ex quibus istud
E miraculum referendum ad secundum gradum censuimus; cum istud factum excedat facultates naturæ, non quantum ad id quod fit, nempe arborem floribus vestiri (quod et natura facit), sed quantum ad id in quo fit, nempe in arbore sicca, quæ nec antea nec postea flores, frondes nec fructus dedit, et tempore autumnali : prout natura potest præbere vitam, sed non mortuo, et visum, sed non cæco. Divus Thomas, dicta parte 1, quæst. 105, art. 8, in corpore, vers. « Secundo aliquid ». Et non est novum, Deum similibus florum miraculis comas suorum servorum ornasse et honorasse. In Hispania enim, in urbe Arcitana, et die Martyrii Sancti Torquati, discipuli Sancti Jacobi Apostoli, florebat oliva, ut tradit Ado in Martyrologio die 15 Maji. Et Cordubæ juxta sepulchrum Sanctorum Martyrum Aciscli et Victoriæ, quintodecimo kalendas Decembris (quo die Martyrium passi sunt), ob commendationem eorum pretiosæ mortis, rosæ divinitus ortæ colligebantur : Usuardus, Ado et Æquilinus episcopus, in suis Martyrologiis. Sic Christus Dominus hanc Virginem ut sponsam, velut corona e floribus miraculose natis contexta, decorare voluit, et lætitiæ signum hominibus exhibere dignatus
F fuit.

§ LIX. Continuatio Relationis primæ : de duodecim miraculis post S. Teresiæ mortem.

Notabiliora post mortem Sanctæ miracula : Articulus quartus. Primum miraculum post mortem. Non solum illico post felicem obitum Ancillæ Dei Virginis Teresiæ odorem mirificum et vehementem et a cæteris absimilem corpus illius efflavit (ut in articulo 3 de miraculis in ejus morte operatis dictum reliquimus), sed idem corpus, postquam sepulturæ fuit traditum, post plura diversaque temporum curricula, semper fuit repertum incorruptum et integrum et eumdem conservans odorem, quem et ipsius sepulchrum insimul participavit; nec non idem corpus liquorem quemdam pretiosum et odorificum continuo de se dedit. Unde in hoc corpore potius tria miracula quam

unum

A unum reperiuntur, incorruptionis, odoris et liquoris. Et, ut de his clarius et facilius appareat, distinctione procedendum duximus, et in primis de incorruptione agendum, et pro illa concludenda incipiendum esse a sepultura huic corpori data, et de modo illud sepeliendi.

1° Incorruptio corporis ejus,

1116 Circa quod firmatur, quod, postquam Serva Dei animam efflavit, corpus illius, indutum suis vestibus et habitu, fuit sepulturæ traditum integrum, absque ulla interiorum extractione, et absque alicujus præservativi seu odoris applicatione, et quod sic appositum fuit in quadam lignea capsa. Sed quia fundatrix conventus Albæ, in quo Mater Teresia ex hac vita migraverat, formidabat ne istud inæstimabile pignus a sepultura extraheretur et surriperetur et ad conventum Abulæ portaretur (prout postea eventus docuit), curavit ut sepultura profundissima foderetur inter duas crates chori ecclesiæ, in qua supradicta capsa, ipso corpore incluso, fuit immissa, et supra illam terram, calcem, lapides et aquam in magna quantitate moniales projecerunt; et validissimis lapidibus per quemdam lapicidam sepultura fuit impleta, non minus ac si fundamentum fortissimum pro magno ædificio sustiB nendo construere voluissent. Quod factum probant testes sequentes, omnes de visu : Marcus Gonzalez, scriba et incola Albæ, quinquagesimus septimus testis super 97 articulo, in processu remissoriali Salmantino, fol. 744 a tergo; Agnes de Jesu, Carmelita Discalceata conventus Albæ, quadragesimus testis super sexto, fol. 488, et super 97 articulo ejusdem processus, fol. 502; Catharina de Sancto Angelo, monialis ejusdem conventus, quadragesimus tertius testis super 6, fol. 566, et super 97 ejusdem processus, fol. 570 a tergo; Anna de Sancto Hieronymo, ejusdem conventus monialis, quadragesimus quartus testis super 97 articulo ejusdem processus, fol. 588; Constantia de Angelis in eodem monasterio monialis, quadragesimus octavus testis super sexto articulo ejusdem processus, fol. 650. Quibus accedunt alii octo testes moniales ejusdem monasterii idemmet de visu deponentes: nempe 41, 42, 45, 46, 49, 50, 51, 52, super articulis 97, 98, 99 ejusdem processus.

quæ annis 1583,

1117 Prædictum corpus in dicta sepultura sic inclusum remansit per novem menses continuos; et quia tantus odor ex dicto sepulchro prodibat, moniales, cum interventu provincialis ejusdem C Ordinis, decreverunt dictum corpus exhumare, et videre quidnam tantus odor significaret, prout factum fuit non parvo labore : et capsa et vestes Servæ Dei corruptæ fuerunt inventæ; corpus autem illius incorruptum, integrum, flexibile, agile et tractabile, et dicto odorifero liquore suffultum et mirifico odore plenum, ita ac si hesterna die terræ mandatum fuisset. Et tunc, alio habitu et vestibus indutum, in alia capsa et in eodem sepulchro, non tamen ita profundo, fuit collocatum, abscissa sibi per provincialem læva manu, pro illa in monasterio ejusdem Religionis Ulisiponæ pro reliquia suæ Matris conservanda. Quod probatur ex depositionibus tredecim testium monialium ejusdem conventus supra proxime relatarum, et super eisdem articulis et processu ibi notatis.

1585,

1118 Deinde transactis tribus annis postquam Serva Dei ad cœlum migravit, provincialis istius Ordinis pervenit ad dictum conventum Albæ, et videre voluit corpus Matris Teresiæ, sicque illud exhumari fecit in præsentia priorissæ et aliquarum monialium (prout factum fuit); et illico priorissæ patentes litteras suorum superiorum intimavit, quibus præcipiebatur sub censuris ne transportationem istius cœlestis pignoris ullatenus impedirent : et sic, brachio manus abscissæ etiam amputato et in D dicto conventu relicto, corpus transportari ad conventum Abulensem provincialis fecit (*quæ hic de provinciali dicuntur, corrige ex num.* 1041 *hujus Commentarii*). Et quia tunc temporis communitas monialium reperiebatur in choro recitando Horas matutinas, cum omnes quemdam magnum et suavem odorem sensissent, ex hoc solo signo cognoverunt extrahi corpus suæ Matris et Servæ Dei Teresiæ, et derelicto choro, abierunt ad sepulchrum : attamen corpus jam erat extra claustra; et tunc in dicta secunda exhumatione idem corpus fuit repertum eodem modo integrum et incorruptum et tractabile, et cum eodem odore et liquore, ut in prima inventum fuerat. Super quibus deponunt de visu tres moniales ejusdem monasterii : nempe quadragesimus testis, quadragesimus tertius et quadragesimus septimus super eisdem articulis 6 et 97 ejusdem processus remissorialis Salmantini.

PER AA. ROTÆ.

1119 Transportato prædicto corpore Servæ Dei 1586, ad conventum civitatis Abulæ, fuit ibi ostensum in præsentia episcopi Abulensis, et de illius ordine et mandato, et præsentibus episcopo Tirasonensi, tunc E regis Catholici confessario, et Paulo Laguna, et Don Francisco de Contreras, a consilio ejusdem regis, et duobus medicis et aliis testibus et notario publico; fuitque recognitum per legitimos testes, qui Matrem Teresiam vivam cognoverant, esse ipsius illudmet corpus; et tunc fuit etiam repertum plenum carne, et cum eadem incorruptione et integritate, flexibilitate, odore et liquore, et cum quadam agilitate et levitate, ut nullatenus esset ponderis unius infantis duorum annorum : quin et caro erat ita tractabilis, quod digito percussa concava redderetur, et digito amoto, caro surgeret et elevaretur. De quibus deponunt de visu : primus testis episcopus Tirasonensis in secunda parte remissorialis Toleti, fol. 736; Don Franciscus de Contreras, regius consiliarius, quinquagesimus tertius testis super 97 artic. in prima parte ejusdem processus Toleti, fol. 197; Paulus Laguna, præses regii consilii Indiarum, decimus sextus testis super 9 articulo in processu compulsoriali Toleti, fol. 99 a tergo; Ludovicus Vasquez, medicus civitatis Abulensis, undecimus testis in processu compulsoriali Abulensi super 70 art., fol. 221. Qui de prædictis testatur quod dictum corpus non fuerat apertum F nec unctum balsamo; quia tetigit ejus ventrem plenum cum suis intestinis, et cum tanta carne in illis partibus, prout in vita exstare poterat : et declarat super incorruptione, odore et liquore; et quod via naturali, nisi miraculose, illud esse non poterat; et quod pro majori confirmatione prædictorum, diversis vicibus et horis, sine præventione monialium, ingressus fuit monasterium pro visitandis infirmis, et petiit et obtinuit sibi ostendi dictum corpus, et præcipue quando maximus calor vigebat, et semper illud vidit eodem modo quo a principio, et erat valde leve, et judicavit illud pondus carnis sanctificatæ. Et quamvis alius medicus una cum eo in præsentia dictorum episcoporum et aliorum in prædicti corporis visione concurrerat, tamen, quia tempore examinis testium obierat iste medicus, Ludovicus Vazquez ibidem testatur dictum medicum defunctum idem tunc declarasse circa dictam incorruptionem, odorem et liquorem, et quod non potuisset evenire via naturali, sed miraculosa. Et de eadem relatione, per dictum medicum defunctum tunc facta, deponit etiam supradictus Don Franciscus de Contreras, ubi supra.

PER AA. ROTÆ. 1591.

1120 Postquam vero intra novem menses, de mandato felicis recordationis Sixti Papæ V, fuit
A prædictum corpus istius Servæ Dei restitutum conventui Albæ, ex post facto diversis vicibus et temporibus idem corpus fuit visum, et repertum cum eadem incorruptione, odore et liquore, et aliis qualitatibus superius relatis; et in particulari anno 1592, et sic decem post annos ab illius obitu (*vel potius anno* 1591, *ut diximus num.* 1046), præsente episcopo Salmantino cum medicis et notario, in eodem conventu Albæ fuit discoopertum corpus, et visum ac repertum incorruptum, cum omnibus qualitatibus prædictis : prout deponunt de visu doctor Franciscus Ramirez, medicus dicti oppidi Albæ, vigesimus octavus testis super 6 articulo, deponens super prædictis, et quod videtur sibi dictam incorruptionem et conservationem dicti corporis integri per tantum tempus esse opus divinum et miraculosum; cum interiora, quæ sunt facillima ad corruptionem, a dicto corpore numquam fuerint extracta, ut in processu compulsoriali Salmantino, fol. 399. Licentiatus Martinus Arias, medicus ejusdem oppidi Albæ, vigesimus nonus testis super 6 articulo, contestatur cum præ-
B cedente teste medico circa omnia, et quod corpus totam suam carnem retinebat, consumpta tantummodo superflua humiditate. Quæ omnia et dictam incorruptionem habet pro miraculo et opere supernaturali, et quod naturaliter non potuerit evenire, præcipue in muliere plena carnibus, prout erat Mater Teresia; mulieres enim hujumodi abundant humiditate apta corruptioni : in eodem processu compulsoriali Salmantino, fol. 400 a tergo. Quibus accedit fides Joannis Casquer, notarii apostolici, qui prædictis præsens fuit, et corpus Servæ Dei integrum et incorruptum cum bono odore et liquore vidit; prout in eodem processu, fol. 410 a tergo.

1594

1121 Exinde anno 1594, et sic duodecim annis transactis ab obitu Servæ Dei, in præsentia Fratris Joannis a Jesu Maria, diffinitoris ejusdem Ordinis, et alterius Fratris, illius socii, et Annæ de Jesu, monialis dictæ Religionis, quæ ferebatur ad alium conventum, et præsentibus monialibus conventus Albæ, fuit iterum discoopertum idem corpus, visum et repertum integrum, incorruptum, et cum eodem odore et liquore; et cum prædicta Anna de Jesu illud attente inspiceret, vidit partem humeri tanto colore affectam, ut dixerit ibi apparere esse
C sanguinem vivum, et linteo illam partem tetigit, illudque remansit sanguine tinctum, prout et aliud quod illico eidem parti apposuerunt, non obstante quod pellis corporis esset sana et absque aliquo signo vel vulnere. Quod probant dicta Anna de Jesu, monialis ejusdem Religionis, primus testis super 9 articulo processus compulsorialis Salmantini, fol. 433; et dictus F. Joannes a Jesu Maria diffinitor, quartus testis in processu compulsoriali Toleti, fol. 54 a tergo; Agnes de Jesu, monialis ejusdem conventus, quadragesimus testis super 100 articulo in eodem processu remissoriali Salmantino, fol. 504 a tergo; Catharina de Sancto Angelo, etiam monialis dicti monasterii, quadragesimus tertius testis super 100 articulo in eodem processu Salmantino, fol. 572 : omnes prædicti testes deponentes de visu. Et F. Didacus de Guevara, Ordinis Sancti Augustini, primus testis super articulo 100, idem deponit de auditu a Matre Anna de Jesu, in eodem processu Salmantino; prout idem, de auditu a dicto Patre Joanne de Jesu Maria diffinitore, testatur supradictus episcopus Tirasonensis, in processu remissoriali Toleti.

et 1604,

1122 Postmodum autem anno 1604, et sic elapsis viginti duobus annis a felici transitu Servæ Dei, D
in præsentia ducis et ducissæ Albæ et ducis del Infantado et aliorum equitum et virorum religiosorum, fuit dictum corpus discoopertum et visum per supradictos, et repertum cum eadem incorruptione, odore et liquore. De quo testantur idem dux Albæ Don Antonius Alvarez de Toledo, undecimus testis super 97 articulo in processu remissoriali Toleti, prima parte, fol. 100; D. Mencia de Mendoza, ducissa Albæ, duodecimus testis super dicto articulo 97 et in eodem processu, fol. 112; Don Joannes Hurtado de Mendoza, dux del Infantado, tertius decimus testis super eodem 97 articulo in eodem processu, fol. 114, qui cum prædictum corpus Virginis Teresiæ alia vice post viginti annos ab ejus obitu integrum et incorruptum, ex eoque magnam odoris fragrantiam et liquorem in abundantia profluentem vidisset, affirmat quod, si tunc temporis non esset Christianus, solum hoc vidisse fuisset causa ad illum convertendum. Quibus accedit Alphonsus Sanchez, scriba publicus de numero oppidi Albæ, qui prædictis cum supranominatis testibus præsens adfuit, et vidit insimul cum ipsis dictum corpus integrum sine aliqua corruptione, et cum odore et liquore, de quibus E
fidem fecit in processu compulsoriali Salmantino, fol. 456 a tergo.

aliisque temporibus,

1123 Et denique ultra occasiones prædictas et tempora in quibus dictum corpus fuit discoopertum et recognitum, sese diversis temporibus diversæ occasiones obtulerunt, quibus diversæ ac plures personæ diversorum statuum magna cum devotione et admiratione similiter prædictum corpus viderunt integrum et incorruptum et cum odore et liquore. Prout fuerunt doctor Christophorus de Medrano, medicus et cathedraticus in universitate Salmantina, vigesimus tertius testis deponens de visu super dicto articulo 97, et quod particulari cura et diligentia vidit et palpavit dictum corpus integrum, molle et tractabile, habens uterum et ventrem, ubera ac mammas pectoris (partes quæ citius corrumpuntur et consumuntur in corporibus mortuis) tam integra et plena ac si Serva Dei viva esset, quod judicavit pro manifesto miraculo, prout etiam pro tali habuit levitatem et parvum pondus ipsius corporis, quod ipse sic vidit et manibus palpavit, ut in processu remissoriali Salmantino, fol. 350; doctor Joannes Garaña, me-
dicus civitatis Salmantinæ, octavus testis, fol. 274; F
Don Rodericus de Paz, gubernator civitatis Salmantinæ, trigesimus sextus testis, fol. 424; licentiatus Gonzalez de Benavente, septuagesimus quartus testis, fol. 842 a tergo; Antonius Bravus, presbyter Albæ, octuagesimus primus testis, fol. 887 a tergo; F. Antonius de Calahorra, Ordinis Sancti Hieronymi, octuagesimus quintus testis, fol. 924; Joannes de Almanza, presbyter de Alba, octuagesimus sextus testis, fol. 928 a tergo; Didacus Gonzalez, presbyter Albæ, nonagesimus secundus testis, fol. 966 a tergo; Don Joannes de Solis, presbyter Salmantinus, sacræ theologiæ doctor, nonagesimus nonus testis, fol. 1018; magister F. Augustinus Antolinez, Ordinis Sancti Augustini, cathedraticus primarius theologiæ in universitate Salmantina, quartus testis, fol. 254 a tergo; Don Joannes Brochero de Texeda, miles de Alcantara, centesimus decimus quartus testis, fol. 1183 a tergo. Omnes testes sunt de visu super dicto articulo 97 in processu remissoriali Salmantino. Ultra quos adsunt alii sexdecim testes de visu prædictæ incorruptionis, ultra alios plurimos de auditu publico et notorio deponentes.

1124

etiam in partibus a corpore separatis,

1124 Quibus accedit quod prædicta incorruptio, odor et liquor non solum reperiuntur in corpore
A Servæ Dei, sed etiam in illius brachio, corde, manu et aliis fragmentis carnis et Reliquiis ejusdem Virginis a corpore segregatis, quod probant testes sequentes : Marcus Gonzalez, scriba Albæ, testis quinquagesimus septimus super 97 articulo in processu remissoriali Salmantino, fol. 744 a tergo; Don Alphonsus Mexia de Tovar, nunc episcopus Mondonæ, vigesimus testis super eodem articulo in prima parte remissorialis Toleti, fol. 132 a tergo; episcopus Tirasonensis, primus testis in secunda parte ejusdem processus remissorialis Toleti, fol. 738 a tergo; Catharina de Sancto Angelo, monialis conventus Albæ, quadragesimus tertius testis, supra jam citata; Maria de Sancto Francisco, ejusdem conventus Albæ, quadragesimus septimus testis super 6 articulo ejusdem processus remissorialis Salmantini, fol. 622; licentiatus Joannes de Medina, quinquagesimus nonus testis super 99 articulo, eodem processu remissoriali Salmantino, fol. 765 a tergo; Maria ab Assumptione, ejusdem conventus Albæ, quinquagesimus secundus testis super 98 articulo, fol. 710; Ma-
B ria de Sancto Josepho, ejusdem Ordinis, et priorissa quæ fuit conventus Ulisiponæ, super 13 in processu compulsoriali Toleti, fol. 171; Paulus Gonzalez, presbyter Albæ, octuagesimus secundus super 99 articulo, in eodem processu remissoriali Salmantino, fol. 589 a tergo. Quibus accedunt et alii quadraginta quinque testes de visu et certa scientia super 99 articulo deponentes.

manifesto deprehensa fuit,

1125 Item apparet quod, cum per quindecim annos post obitum Servæ Dei quædam nobilis matrona Madriti haberet quoddam fragmentum carnis Servæ Dei, et illud vellet inter ipsius sorores dividere, petiit a quodam nobili ecclesiastico quod illud scinderet et divideret; prout fecit, et in prima illius scissione pars cecidit super chartam albam, et insimul gutta sanguinis vivi, qui ex dicta carne abscissa exivit. Et cum prius ille ecclesiasticus dubitaret an dicta caro esset Matris Teresiæ, viso eventu et sanguinis effusione, genuflexus perterritusque illam carnem veneratus fuit et esse carnem Servæ Dei Teresiæ de Jesu credidit et confessus fuit. Quod probant D. Isabella Sanchez Cuello, vidua D. Francisci de Herrera, vigesimus primus
C testis de visu super 97 articulo parte 1 remissorialis Toleti, fol. 137, et D. Maria Sanchez Cuello, vigesimus secundus testis etiam de visu super eodem 97 ejusdem processus, fol. 138.

ac luculentum

1126 Ex quibus judicavimus incorruptionem corporis Servæ Dei Teresiæ sufficienter probari et miraculo maximo referendam esse. Movebamur autem quia corpus humanum post mortem de sui natura est putrefactioni subjectum, quod provenit ex infirmitate naturæ illius, quæ non potest amplius corpus continere in unum : D. Tho. in 3 parte, quæst. 15, art. 3 in corpore : et ita statim post mortem incipit resolvi et ad putredinem disponitur; quia exhalante calido naturali supervenit calor extraneus, qui putredinem causat. Idem D. Tho. dicto art. 3, arg. 2, et in responsione ad illud dicit quod etiam corpus Christi, quantum ad conditionem naturæ passibilis, putrefactibile fuit; licet non quantum ad meritum putrefactionis, quod est peccatum. Adest alia ratio corruptionis corporis humani, adducta ab eodem D. Tho. in Opusculo 2, cap. 152 in principio, nempe, quod corpus humanum ex contrariis est compositum : omne enim hujusmodi naturaliter est corruptibile. Tum etiam quia corruptio et putrefactio provenit homini, ultra infirmitatem naturæ illius (ut dictum est), etiam in pœnam peccati primi parentis : sicut enim D mors fuit pœna illius peccati, ita et etiam incineratio. Dictum enim fuit primo homini : « Pulvis es, » et in pulverem reverteris »: Genes. 3, et refert D. Tho. in dicto art. 3, in principio. Unde sicut homo non potest evadere mortem, ita nec putrefactionem nec corruptionem, nisi sit aliquid prohibens, ut notat D. Tho. super 3 Sententiarum, dist. 21, quæst. 1, art. 2, ad 4. Quæ naturalis corruptio et putrefactio, corpori Virginis Teresiæ naturaliter conveniens, facilius in illo corpore verificari poterat, cum fuerit sepultum integrum cum intestinis, quæ sunt de facili corruptione et eadem facilitate cæteras partes corrumpunt, maxime in corpore carnium pleno de sui natura, prout erat corpus Servæ Dei, et sic magis participans de humiditate aptiori ad corruptionem, quam adjuvabant terra, lapides et aqua immissa supra corpus sepultum. Quibus stantibus, naturaliter istud corpus erat putrefactibile et corrumpendum.

PER AA. ROTÆ.

secundi ordinis miraculum

1127 Unde, cum ex probationibus supra relatis appareat non putrefactum, sed potius incorruptum fuisse repertum et conservatum, dicendum est
E aliquid prohibens adfuisse, nempe voluntatem divinam, quæ istud corpus, quod sibi vivens gratum famulatum præstitit, incorruptum manere voluit; ut D. Tho. dicto art. 3 in responsione ad secundum dicit in corpore Christi adfuisse illius virtutem divinam, quæ illud a putrefactione præservavit. Quod factum, cum sit ultra vires omnis naturæ creatæ, illasque excedens, necessario tribuendum est miraculo : D. Tho. 2. 2, quæst. 178, art. 1, ad 3, et in 1 parte quæst. 110, art. 4 in corpore, et in Opusculo 2, cap. 136; Glossa verbo « Sedis » Apostolicæ », in dicto cap. primo de Reliquiis et veneratione Sanctorum, et ibi doctores; Archidiaconus in dicto capite « Nec mirum », num. 6 et sequentibus, 26, quæst. 5, et ibi Bellamera. Quin etiam judicavimus istud miraculum tanquam excedens vires totius naturæ creatæ, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit (potest enim natura dare conservationem et incorruptionem, sed non homini mortuo) referendum esse ad secundum gradum : juxta D. Tho. dicta parte 1, quæst. 105, art. 8, in corpore, vers. « Secundo » aliquid ».

sanctitatisque indicium esse pronuntiatur;

1128 Et quod talis incorruptio sit sanctitatis signum et pro maximo miraculo habenda, satis
F apparet ex pluribus corporum Servorum Dei exemplis, quibus impartitus fuit hanc gratiam. Rodulphus abbas Sancti Trudonis scriptum reliquit se anno 1122 adfuisse una cum multis aliis, cum corpus Sancti Gereonis post annos 800 integrum et incorruptum est repertum. Alanus Copus testatur ætate sua perstitisse cadaver Cuthberti Lindisfarnensis nihil omnino mutilatum vel labefactum post annos 800 ab illius obitu. Surius tom. 5, duodecimo Septembris, refert corpus Sancti Antonini Episcopi et Martyris post annos ab ejus morte 200 non solum incorruptum, sed plane vividum cunctis apparuisse, sicque illud vidisse qui illius Vitam scripsit. Corpus Sancti Hilarionis Abbatis (ut scribit Sanctus Hieronymus) post fere decem menses ab ejus obitu integrum et incorruptum, quasi adhuc viveret, fuit inventum, tantisque fragrans odoribus ut delibutum unguentis odoriferis putaretur. Et satis est quod scriptis mandavit Gregorius presbyter Cæsariensis, commune fuisse episcopis Catholicis qui in Synodo Nicæna interfuerunt, ut eorum corpora per multa annorum curricula perstiterint illæsa. Præmium quidem dignum servi Dei,

PER AA. ROTÆ.

Dei, ut corpus, quod vivens immortali et æterno Deo servivit, immortalitati et æternitati, mortuum, integrum et illæsum conservetur. A

2° Suavissimus corporis odor,

1129 Secundum miraculum post mortem. Odorem autem mirificum et suavissimum concomitantem corpus incorruptum Servæ Dei, illiusque brachium, manum et cor (quamvis jam a corpore separata), quin etiam alias Reliquias ejusdem Virginis, satis probari nobis visum fuit ex testibus supra relatis, de incorruptione deponentibus. Et (quod magnæ considerationis est) quod non solum hujusmodi odorem ipsius corpus et panniculi quibus ægra utebatur, a puncto sui felicissimi obitus efflarunt (taliter quod ipsa nocte qua ad cœlum migravit, ex nimia fragrantia et odoris vehementia, opus fuerit, prout factum fuit, fenestram et portas cellæ Virginis aperire, sicque per totum conventum fuerit sparsus odor iste), verum etiam et sepulchrum in quo fuit sepulta, quamvis in magna profunditate, participavit istum odorem, cujus tanta erat vehementia, ut dictum sepulchrum adeo profundum, et tanta terra, calce, aqua et tot lapidibus obtusum, penetrarit, ita ut occasionem tribuerit primæ exhumationi Virigins et Ancillæ Dei, prout supra notavimus. Quod etiam probant de visu moniales ejusdem conventus Albæ, quæ adfuerunt morti Servæ Dei : et particulariter Catharina de Sancto Angelo, quadragesimus tertius testis super 6 articulo, fol. 567, et super 95 articulo, fol. 556 a tergo, in processu remissoriali Salmantino; Maria de Sancto Francisco, quadragesimus septimus testis super dicto sexto articulo in dicto processu Salmantino, fol. 623; alia Maria de Sancto Francisco, super nonagesimo quinto articulo secundus testis in processu remissoriali Toleti, 4 parte, fol. 1972; Catharina Baptista, quadragesimus nonus testis super nonagesimo quinto articulo in dicto processu Salmantino, fol. 627. B

qui ut miraculum ab incorruptione distinctum,

1130 Quem odorem, licet illum consideremus in abstracto a miraculosa corporis incorruptione, etiam per se miraculo insigni adscribendum fore censuimus; cum naturaliter ex defunctorum cadaveribus corruptioni et putrefactioni naturaliter subjectis (ut supra probavimus) non odorem, sed fœtorem potius oriri videamus. Unde semper isti suaves odores prodeuntes ex corporibus mortuis Sanctorum fuerunt ad miracula relati; quia (ut Sanctus Gregorius in Homilia 38 refert) ipsa corporis fragrantia et odor suavitatis ostendit in illo corpore Auctorem suavitatis existere, et isti odores sunt signa sanctitatis et insigne argumentum Divinitatis infinitæ. Odor enim spiritualis ex interna partium animæ contentione virtutumque debita connexione promanat, et internam pulchritudinem magnopere commendat. Et, prout ait D. Tho. 3. p., q. 83, art. 5, ad 2, bonus odor pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ; quia, sicut bono odore Christus plenus fuit (secundum illud Genes. 27 : « Ecce odor » filii mei, sicut odor agri pleni »), etiam a Christo derivatur ad suos fideles et amicos, juxta illud ad Corinth. 2 : « Odorem notitiæ suæ sparsit per nos in » omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. » Unde et Sancta Mater Ecclesia quasi exultans præ gaudio de gloria filiorum suorum canit : « Sancti » tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor » balsami erunt ante te. » Quod etiam plurium Sanctorum exemplis comprobari valet. C

et quidem primi ordinis, haberi potest;

1131 Nicephorus Calixtus, lib. 15, cap. 14, testatur e sacrario in quo reconditum fuerat corpus Sanctæ Euphemiæ Martyris et Virginis celeberrimæ, afflatos odores immensos erupisse, qui vim naturæ atque artis humanæ longe superarunt. Ex cadavere Sancti Othmari mirificus et ignotus odor accedentes prope jucundissimo sensu perfundebat, ut scribit abbas Walafridus. Idem contigit cadaveri Alberti episcopi Rothomagensis, Landoalti Maximi Regiensis, Edoardi Anglorum regis, aliorumque plurimorum, ut ait Surius tom. 6. Ex corpore Sancti Alberti Carmelitarum Ordinis, antequam humo traderetur, odor mirificus prodiit, ut legitur in Officio ejusdem Sancti, die 7 Augusti. De quo etiam meminit Surius tom. 3, eadem die 7 Augusti, in Vita ipsius Sancti. Quod miraculum ita insigne et vires totius naturæ creatæ excedens quantum ad substantiam facti (ut apparet ex supradictis) putavimus referendum esse ad primum gradum : juxta notata per D. Tho. dicta parte 1, q. 105, art. 8 in corpore, vers. « Uno » modo. » D

3° Liquor e corpore emanans,

1132 Tertium miraculum post mortem. Non minus probari credidimus liquorem odoriferum, ex brachio, corpore et aliis Reliquiis Servæ Dei adinstar olei emanantem, per eosdem testes de incorruptione deponentes. Et itidem judicavimus hujusmodi mirificum liquorem miraculo referendum esse ; cum ex se pateat quantum præter ordinem omnis naturæ creatæ hoc eveniat, quantum illius vires excedat et alienum sit a corporibus mortuis, quæ putrefiunt et incinerantur : et humiditate consumpta et carne omnino corrupta et incinerata, ossa arida et sicca remanent; ex quibus naturaliter nullus humor nec liquor generari nec prodire valet. Quod cum totum contrarium in corpore et Reliquiis istius Servæ Dei appareat, et istum liquorem conservatum, quin et continuo emanantem, necessario est fatendum esse opus supernaturale, et in facti substantia omnes naturæ creatæ vires excedere, et sic miraculum primi ordinis esse : ex D. Thom. ubi supra, dicto artic. 8, vers. « Uno modo. » E

item miraculis primi ordinis accensendus;

1133 Nec est novum, Dominum nostrum in corporibus servorum suorum hoc miraculum sæpius operatum esse : prout legitur apud Marcum Antonium Marsilium Columnam, de Vita et gestis Beati Matthæi, quod e corpore istius S. Apostoli (quod est Salerni) humor hujusmodi emanare solet. Ambrosius Leo, libr. 2 de situ Nolæ, in scriptis reliquit e corpore S. Felicis Nolani eumdem humorem emanare, et Reverendissimus Cardinalis Baronius, in Martyrologio, die 13 Aprilis, inquit quod Novariæ ex sacris ossibus Sanctorum Martyrum Laurentii presbyteri et puerorum, quos ipse susceperat educandos, medicus liquor emanare consueverit; idem Baronius, ubi supra, die nona Maji, de Sancto Nicolao episcopo Myrensi, dicit quod ex illius corpore, ut e perenni charismatum fonte, stillat liquor salubris, et idem testatur Emmanuel imperator, Novel. de Feriis, ubi etiam meminit similiter aquæ illius quæ defluit e corpore Sancti Andreæ, quod Amalphi asservatur. Idem Baronius, loco præcitato, die 26 Septembris, refert quod Chalcedone ex Reliquiis Sanctæ Euphemiæ Virginis et Martyris unguentum medicum jugiter manabat. Ex cadavere Margaritæ Ravennatis (ut Hieronymus Rubeus scribit) sudor quidam suavissimus effluxit. Ex cadavere Glyceriæ Martyris unguentum manasse, quod pelvi subjecta excipiebatur, refert Nicephorus, lib. 18, c. 32. Cromar. lib. 9, orat. 1. de ædific. just., scribit quod ex cadavere Hedwigis Polonicæ, jam diu defunctæ, liquor purus et clarus instar olei suavissimo mirabilique odore profluxit. Similiterque ex cadavere Solomeæ, quæ regis Boleslai soror fuit. F

4° Repentina pueri distorti reformatio,

1134 Quartum miraculum post mortem. Puer vocatus Franciscus, ætatis quatuor annorum, filius cujusdam pauperis mulieris, vicinæ conventui Incarnationis Carmelitarum Calceatarum civitatis Abulensis,

A Abulensis, a nativitate erat sic corpore contractus, contortus et inhabilis, ut videretur natus ad similitudinem unius litteræ S, ut nec pedibus subsistere valeret, nec humi jacens se movere; quamvis ex dicta contractione corporis nullo dolore afficeretur. Unde quædam religiosa dicti conventus, D. Mencia Roberto, pietate et charitate mota, petiit a matre pueri ut illum quotidie ad suam cellam portaret pro charitate illi impendenda; prout mater faciebat, et nocte illum domum suam reportabat: et sic dicta monialis, compassione plena, et cogitans quod illa infirmitas contractionis corporis istius pueri, cum esset a nativitate, videbatur incurabilis, decrevit cum dicto puero per novem dies cellam Servæ Dei Teresiæ, in illo monasterio existentem et in magna veneratione habitam, visitare; prout fecit, a Virgine Matre Teresia petendo quod dignaretur obtinere a Domino nostro sanitatem pro illo puero. Unde evenit ut ultimo die novenæ puer repente fuerit sanatus et liber a dicta contractione remanserit, ita ut propriis pedibus ambularet, publicando illum Matrem Teresiam de Jesu sanasse. Quæ verba optime proferebat, quamvis nulla alia integre proferre valeret, sed balbutienter, et tanquam tener puer. Quem eventum
B moniales pro miraculo habuerunt, et Deo gratias pro illo egerunt.

legitimis asserta testimoniis,

1135 Factum supradictum probant sex testes, moniales ejusdem monasterii: nempe 42, 43, 44, 45, 47 et 48, omnes super 114 articulo, in processu remissoriali Abulensi, deponentes de visu; et inter testes istas est dicta Donna Mencia Roberto. Quibus, quamvis essent moniales ejusdem Religionis, censuimus integram fidem adhibendam esse, ex adductis in primo miraculo de operatis in vita: quanto magis, cum revera non sint moniales Discalceatæ, sed regulam mitigatam Calceatarum profitentes in conventu illo, ex quo Serva Dei Teresia de Jesu ad fundandam novam Reformationem fuit egressa; et sic istud factum probari non dubitavimus.

atque in secundo miraculorum gradu ponenda;

1136 Et nos absque dubio putavimus prædictum factum pro miraculo esse judicandum; cum in illo concurrant circumstantiæ sæpius supra in aliis miraculis, quin et in aliis canonizationibus, consideratæ et ponderatæ: nempe gravitas infirmitatis, oratio præcedens et sanitas in instanti recuperata. Et ponderavimus in hoc miraculo particulariter hunc puerum ita contortum et contractum
C natum fuisse, unde nullum dolorem patiebatur; nec istam imperfectionem et contractionem, sic a nativitate provenientem, posse remediis naturalibus curari, teste Hippocrate, 3 de articulis, § « Opor- » tet autem et incurabilia cognoscere », num. 68, et Galeno, 3 Prognostic. 26; et sic illius curationem omnino excedere facultates totius naturæ creatæ, et per consequens secundo ordini miraculorum adscribendum censuimus (juxta D. Tho. ubi supra, parte 1, quæst. 105, art. 8 in corpore, vers. « Se- » cundo aliquid ») non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit. Unde, licet natura possit dare rectitudinem et aptam membrorum compositionem homini, non tamen contorto et contracto a nativitate. Et satis simile videtur illud Actuum Apostolorum, cap. 3, de claudo qui ex utero matris bajulabatur et portabatur quotidie ad portam speciosam templi, cui eleemosynam petenti Petrus dixit: « In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et » ambula. » Et aliud simile de Sancto Abundio refert D. Gregorius lib. 3 Dialogorum, cap. 25.

3° Monialis liberatio a triplici cancro,

1137 Quintum miraculum post mortem. Soror Anna de Sancto Michaele, monialis ejusdem Religionis in conventu de Malagon, per duos annos passa fuit gravem infirmitatem trium cancrorum in pectore, quorum unus erat major aliis, et ex illis maximis doloribus cruciabatur: quin et illi causarunt in collo et brachiis quamdam retractionem, ut brachiis uti non posset nec illa super caput levare; eratque impedita, ut vacare non valeret ministerio sui officii et servitio monasterii. Et cum valde afflictum animum haberet, quæsivit et invenit Reliquiam, nempe modicum carnis Matris Teresiæ. Et eadem nocte ipsa fecit orationem genuflexa Deo Domino nostro, petendo a dicta Serva Dei Teresia ut intercederet pro illius salute impetranda, et non permitteret quod illa infirmitas progrederetur ulterius, cum ob illius prolixitatem ipsa evasisset inutilis, et non posset satisfacere ministerio ad quod habitum assumpserat, et esset magno sumptui monasterio habere religiosam cum infirmitate adeo diuturna et molesta. Et apposuit dictam Reliquiam super pectus, et ivit ad lectum et dormivit (cum per plures alias noctes præ dolore dormire non valuisset), et mane surrexit sana omnino, non solum ex dictis cancris, qui e pectore evanuerant, sed etiam ex alio morbo cordis, quem usque tunc temporis patiebatur; nec amplius dictas infirmitates sensit. Et illico, cum primum se sanam et liberam a dictis infirmitatibus cognovit, hilaris ivit ad cellam priorissæ, et narravit illi prædictum eventum, et omnes pro miraculo illud habuerunt.

PER AA. ROTÆ.

D

E

rite item probata,

1138 Supradictum factum probatur per quinque testes, moniales ejusdem monasterii, de visu: nempe primus testis Catharina de Trinitate, priorissa ejusdem conventus, super nonagesimo septimo articulo, prima parte remissorialis Toleti, fol. 485; Isabella ab Ascensione, subpriorissa, secundus testis super eodem, fol. 493; Maria de Virginibus, tertius testis super eodem, fol. 505 a tergo; ipsamet infirma, soror Anna, decimus testis super eodem, fol. 525; Brianda de Sancto Joseph, infirmaria, undecimus testis super eodem, fol. 529: omnes deponentes de visu, et tam priorissa quam tertius testis deponunt de virtute et religione prædictæ Annæ et de ejus veracitate.

pariterque ad secundum gradum pertinens;

1139 Et nos supradictum factum probari et miraculum esse judicavimus, attenta infirmitatis gravitate, quæ de sui natura est incurabilis, teste Hippocrate, 6 libro Aphorismorum, aphorismo trigesimo octavo, dicente: « Cancros occultos (id » est magnos) habentes melius est non curare; cu- » rati enim cito pereunt. » Paul. libro quarto, cap. F vigesimo sexto, dicit: « Hoc malum propter succi » crassitiem non consanescit. » Galenus secundo de Crisibus, duodecimo secundo, prognost. quadragesimo sexto, secundo ad Glauconem, cap. 10. Avicenna in tertio quarti, tractat. 2, c. 16. Accedit et præcedens oratio et instantanea salutis recuperatio. Ex quibus putavimus hoc factum totius naturæ creatæ vires excedere, non tamen quoad facti substantiam, sed quoad subjectum in quo evenit: nam, quamvis natura possit corpori infirmo sanitatem restituere, non tamen infirmo ægritudine incurabili laboranti; prout potest dare lumen, sed non cæco, et dare vitam, non tamen mortuo. Et sic secundo gradui adscribendum esse censuimus, cum Sancto Thoma, dicta parte prima, q. 105, art. 8 in corpore, vers. « Secundo aliquid ».

6° Manus contractæ redintegratio,

1140 Sextum miraculum post mortem. Cum Annæ Gonzalez, incolæ oppidi Albæ, ex quadam infirmitate remansisset manus sinistra inhabilis, propter contractionem nervorum et digitorum, ita ut illam aperire non valeret, nec minus illa aliquo modo uti nec digitos extendere, et sic per annum stetisset, medicinisque adhibitis et non proficienti-

PER AA. ROTÆ.

A bus, monitu Mariæ Rodriguez, ipsius vicinæ, se commendavit Servæ Dei Teresiæ de Jesu, et una cum dicta Maria Rodriguez accessit ad monasterium Incarnationis Discalceatarum dicti oppidi Albæ (ubi corpus, et brachium ab ipso divisum, istius Ancillæ Dei servatur), ibique illæ orationem fecerunt, et a quodam sacerdote capellano ejusdem monasterii petierunt quatenus deferre voluisset aliquam Reliquiam Servæ Dei Teresiæ ad prædictam Annam infirmam; prout prædictus sacerdos fecit, et brachio Matris Teresiæ manum contractam Annæ tetigit, quæ statim manum aperuit, et remansit libera et sana a dicta infirmitate, prout per sex annos, quibus supervixit, permansit cum dicta sanitate, exercendo dictam manum et illa bene utendo tanquam sana. Et actis Deo gratiis, redierunt domum hilares et exultantes de salute dictæ Annæ, misericordia Dei ac meritis et intercessione Virginis Teresiæ, per medium contactus suæ Reliquiæ sibi restituta.

juridice relata a testibus de visu

1141 De quo deponunt tres testes, 94, 95 et 119 super articulo centesimo quartodecimo processus remissorialis Salmantini. Quorum primus est ipsa Maria Rodriguez, vidua ætatis quadraginta annoB rum, quæ comitata fuit Annam ad dictum monasterium, et interfuit præsens omnibus supradictis. Secundus vero Franciscus Vasquez, privignus ejusdem Annæ, ætatis viginti duorum annorum, qui deponit de dicta infirmitate et de diuturnitate per annum, dicitque medicinas illi non profuisse, et vidisse ipsam Annam cum Maria Rodriguez egredi e domo cum manu sic contracta, quando se contulerant ad dictum monasterium, ut Missam audirent et se commendarent Matri Teresiæ de Jesu, et quod postea, intra duas horas, ipse testis vidit eamdem Annam revertentem a monasterio, cum manu omnino libera et sana, ita ut illam aperiret et clauderet et moveret, ac si nullum malum habuisset, et quod deinceps in futurum cum illa bene laboravit. Et ipsa ac Maria Rodriguez ipsi retulerunt qualiter per contactum brachii Servæ Dei extemplo sanitatem recuperaverat, quam semper, dum vixit, habuit. Et hujus testis depositionem censuimus contestari cum præcedenti: nam, quamvis non interfuisset in ecclesia tempore recuperatæ salutis et operati miraculi, satis esse nobis visum fuit quod circa infirmitatem et tempus quo duravit, esset contestis cum primo. Et dum vidit C dictam Annam cum manu sic contracta euntem ad monasterium cum Maria Rodriguez, ad effectum audiendi Missam et commendandi se Servæ Dei Teresiæ, et postea, post spatium duarum horarum, vidit Annam redeuntem a monasterio cum eadem manu sua et omnino libera a dicta infirmitate, videtur satis probari dictum miraculum; cum tam brevi tempore infirmitas adeo gravis, et quæ duraverat per annum, non poterat mediis naturalibus curari.

et auditu,

1142 Quibus accedit tertius testis, vicinus ejusdem Annæ, hoc idem factum referens de auditu, die sequenti quo evenit, ab eadem Anna, quam vidit suis manibus bene laborare, et antea eam viderat dicta infirmitate oppressam et ad laborandum inhabilem, et interrogavit eam quomodo res se haberet: quæ illi narravit factum supradictum miraculosum. Et omnes isti tres testes deponunt hoc factum habuisse habitumque fuisse pro miraculo operato ab omnipotente Deo meritis et intercessione suæ Servæ Teresiæ de Jesu. Et concludunt de supradictis fuisse et esse publicam vocem et famam in illo oppido Albæ. Ex qua fama publica juvari dictam probationem, non fuit dubitatum.

et tertii ordinis miraculum dicenda;

1143 Ex quibus nos etiam censuimus istud factum probari et miraculum esse, ejusdem meritis et intercessione Servæ Dei per ipsam operatum, D considerata qualitate, gravitate et diuturnitate infirmitatis, et oratione præcedenti (quæ regulariter miracula præcedere assuevit, juxta Divum Thomam, 2. 2, quæst. 178, art. 1, ad primum argumentum), et etiam recuperatione salutis integræ in instanti assecuta per contactum brachii istius Virginis Matris Teresiæ de Jesu, prout de instantanea sanitate et per contactum supra in aliis miraculis plene annotavimus; et tandem quod amplius infirmitas hæc illi non rediit, quamvis vixisset postea per sex annos. Putavimusque istud ad tertium gradum miraculorum referendum esse.

7° Excitatio pueri lethargici et febricitanti,

1144 Septimum miraculum post mortem. Puer D. Antonius de Villarroel, ætatis quinque annorum, filius D. Didaci de Villarroel, equitis Sancti Jacobi, et D. Mariæ Alvarez de Luna illius uxoris, incolarum Medinæ del Campo, incidit in infirmitatem periculosam, lethargus dictam, cum gravi febre, quæ illum sensibus privabat; et nullatenus a somno excitari poterat, quantumcumque illum chordulis in brachiis et cruribus constrinxissent: minus autem ad se redibat, nec proficiebant illi ulla me- E dicamenta ex pluribus applicatis per multos dies, quibus infirmitas duravit. Unde a medicis jam derelictus et ab aliis pro fere mortuo et sine spe vitæ habitus erat; quin et omnia signa illum quasi mortuum indicabant. Et tunc dicta D. Maria, mater illius et devota Virginis Teresiæ, misit ad conventum monialium Discalceatarum Carmelitarum ejusdem oppidi, ut aliquam Reliquiam dictæ Matris Teresiæ transmitterent; et illi transmiserunt quoddam linteum album habens aliquas maculas olei seu liquoris qui emanat e corpore Virginis Teresiæ. Et supplicavit dictam Matrem Teresiam pro salute et remedio sui filii, cum maxima fiducia illam consequendi, et apposuit dictum linteum super caput infirmi; et statim, aut infra unum quadrantem horæ, rediit dictus puer in se, tam hilaris et sanus ac si non fuisset passus aliquam infirmitatem, et vocavit matrem et fratres, et non fuit opus aliis medicinis nec remediis, quia etiam febris simul cessavit, et numquam amplius reincidit in dictam infirmitatem: et omnes qui hoc viderunt et sciverunt, judicarunt fuisse miraculum, et mater habuit istum filium quasi resuscitatum a dicta Virgine Matre Teresia, unde illum vocavit et vocat filium F Matris Teresiæ; et die sequenti doctor Mercado et doctor Polanco, medici qui curabant dictum puerum, accesserunt ad illum, et audientes successum sunt admirati, et illum publicarunt pro certo et claro miraculo; et licentiam petierunt, dicentes quod jam ibi non habebant quid facerent.

de qua extat matris ac medici testificatio,

1145 Factum istud probatur per eamdem D. Mariam, matrem dicti pueri, tertium testem in 4 parte remissorialis Toleti, fol. 1762 et 1810, et Joannem Baptistam Polo super prædictis et articulo 110, fol. 1913, deponentes de visu. Quibus accedunt vigesimus primus et tertius testis, moniales ejusdem Religionis, super dicto articulo 110 deponentes de auditu, et omnes de publica voce et fama. Et alii tres testes, nempe primus, secundus et tertius, super 4 et 5 articulis in eodem processu declarant dictam Donnam Mariam Alvarez esse bonæ vitæ et morum et famæ et nobilitatis, et talem cujus depositionibus potest et debet adhiberi integra fides in judicio et extra; quæ qualificatio testis per alios testes sic deponentes satis illius dictum adjuvat.

et quæ declaratur miraculum tertii ordinis,

1146 Ex quibus nobis visum fuit istud factum probari et miraculo adscribendum per intercessionem

A nem Virginis Matris Teresiæ et contactum illius Reliquiæ. Concurrunt enim conjecturæ alias consideratæ, de gravitate et periculo infirmitatis lethargiæ, et de extremo vitæ ad quod patientem reduxit, ita ut a medicis pro derelicto haberetur, et a cæteris pro quasi mortuo, cum amissione sensuum et loquelæ et aliis signis lethalibus. Item et præcessit oratio matris pueri Virgini Teresiæ facta. Et tandem accedente contactu Reliquiæ prædictæ, successit instantanea curatio et sanitas, ita ut nec unquam amplius dicta infirmitas isti puero redierit. Censuimus istud miraculum ad tertium genus esse referendum.

8° Sanatio sacerdotis, apostemate

1147 Octavum miraculum post mortem. Franciscus Perez, rector ecclesiæ Sancti Petri Turris de Lobaton, diœcesis Vallisoletanæ, ex quadam infirmitate remansit cum quodam apostemate et duritie super os pectoris, et cum uno brachio ita contracto et debilitato ut illud minime movere potuerit per quinque menses nec Missam celebrare. Hac ex causa confugit ad medicos et chirurgum, qui illi plura et diversa medicamenta applicarunt, quibus nihil melioratus fuit; immo in pejus tendere videbatur, et apostema semper durum et rebelle ostendebatur, nec
B ullatenus mollificabatur. Ex quibus omnibus ingentes dolores patiebatur, et in lecto jacere astringebatur, absque eo quod nec ibi absque adjutorio moveri valeret. Unde monitu cujusdam religiosi Carmelitæ Discalceati, qui illi dixit quod haberet magnam fidem erga Servam Dei Teresiam de Jesu, et imponeret pro sanitate recuperanda super partibus offensis quamdam Reliquiam dictæ Virginis Teresiæ, quam illi dedit, nempe epistolam scriptam et subscriptam manu et nomine ejusdem Ancillæ Dei, quam infirmus magna cum devotione accepit, et super pectus et dictam duritiem apposuit; et intra dimidiam horam somnum cepit fere usque mane, quamvis per alias noctes præteritas nullatenus somnum sumere potuisset. Et quando a dicto somno evigilavit, dicta durities, cui apposita fuerat Reliquia, ei non dolebat; brachium autem sic contractum, quod Reliquia non tangebat, illum dolore afficiebat : et expertus fuit quod in parte dolore affecta cui Reliquia imponebatur, dolor cessabat, et redibat ad partem ubi Reliquia non erat, et sic vicissim dolor, prout Reliquia, mutabatur et cessabat in parte appositæ Reliquiæ. Et quatuor vel sex diebus postquam
C cœpit apponere dictam Reliquiam, dictum apostema et durities ostendit signum puris et materiæ, quod non potuerunt operari medicamenta maturativa per medicos et chirurgos antea applicata. Et sic dictum apostema per chirurgum fuit apertum, cum magna effluxione puris.

et brachii contractione laborantis,

1148 Ex quo infirmus ita gratus remansit erga Virginem Matrem Teresiam, ut decreverit ire Albam pro visitando illius corpore; et relictis medicamentis quæ pro brachii curatione ei præparabantur, et tempore ad id apto iter arripuit, et Albam petiit. Et quamprimum illuc pervenit, quadam die sero ad conventum monialium (ubi dictum corpus servatur) se contulit, et a Matre Priorissa petiit et obtinuit sibi ostendi brachium Virginis Teresiæ. Quod fuit appositum super unum altare ecclesiæ, et illud veneratus fuit tam ipse quam Christophorus de Torres presbyter, qui dictum Franciscum in hoc itinere associavit. Et ambo fecerunt ante dictum brachium orationem, et ante sepulchrum corporis Servæ Dei, et inde se in hospitium receperunt. Et cum essent in lecto, priusquam dies lucesceret, dictus Franciscus vocavit alta voce dictum Christophorum, dicendo quod surgeret, quia movebat brachium quod habebat contractum, eodem modo quo aliud brachium sanum. Et Christophorus respondit quod erat imaginatio vel debebat somniare. Et cum mane assurgerent, dixit Franciscus : « Christophore, inspicito » quod est verum quod ista nocte tibi dicebam. » Et coram ipso movebat, ducebat et elevabat brachium prius contractum, sicut aliud. Et abierunt ad dictum monasterium, et Franciscus ibi celebravit Missam, quam per quinque menses celebrare non potuerat; et finita novena, gratias reddendo Deo et ejus Servæ Teresiæ, reversi sunt domum suam, patiendo in itinere maximam pluviam et ventum, quæ nihil offecerunt Francisco, quamvis antea a quocumque aere offenderetur. Et nunquam amplius (quamvis vixerit per aliquot annos) aliquem ex dictis doloribus sensit; quin obiit ex alia et diversa infirmitate pleuritidis.

PER AA. ROTÆ.

D

quæ, a gravissimis affirmata viris,

1149 Istius facti veritas probatur per sex testes; quorum unus est idem Christophorus de Torres presbyter, rector parochialis Sancti Petri Turris de Lobaton et commissarius Sanctæ Inquisitionis, qui omnibus prædictis interfuit, et tanquam testis oculari et de visu deponit, et est decimus octavus super articulo 114 in 3 p. remissorialis Toleti, fol. 1536. Alius est doctor Polo medicus, cathedraticus medicinæ in universitate Vallisoletana, testis decimus E
quartus super eodem artic. 114 ejusdem processus, fol. 1517 : qui istum infirmum curavit, et de illius infirmitatibus deponit, et qualiter plura remedia applicata non profecerunt; et quod per litteras et relationem ejusdem Francisci habuit notitiam de supradicta instantanea sanitate, ipsi per intercessionem dictæ Virginis Teresiæ restituta, prout in facto dicitur; et quod illud habuit et habet pro evidenti miraculo, et quod non erat possibile mediis naturalibus dictum effectum consequi. Et relatione facta ab eodem doctore Polo, de dictis infirmitatibus et illarum statu, doctori Vega, medico famoso Vallisoletano, ipse etiam deposuit fuisse notorium miraculum, et est vigesimus quintus testis super art. 116 ejusdem processus. Cum quo concurrit doctor de Sancta Cruce, sacerdos cathedraticus in eadem universitate, testis vigesimus quartus super eodem art. 114 ejusdem processus. Quibus accedunt alii duo testes : Donna Antonia Perez, testis decimus nonus, neptis ejusdem Francisci Perez, et existens in domo illius, fol. 1540, et Magdalena del Castello, vigesimus testis habitans etiam in eadem domo, super eodem 114 articulo, fol. 1542, deponentes itidem de eisdem infirmitatibus et remediis pluribus applicatis et non F
proficientibus, et de prædicta instantanea salute sic miraculose recuperata, et quod Franciscus ivit Albam visitare corpus Matris Teresiæ, et redivit in domum suam intra paucos dies incolumis et omnino sanus, prout perseveravit usque ad mortem, et illis narravit modum prædictum suæ recuperatæ salutis. Et fere omnes prædicti deponunt de publica voce et fama.

tertii pariter ordinis miraculum reputatur;

1150 Ex quibus simul junctis reputavimus hoc factum probari et adscribendum esse miraculo tertii generis, operato per Dominum nostrum meritis et intercessione suæ Servæ Teresiæ de Jesu. Constat enim de infirmitatum gravitate et diuturnitate, et de rebellione illarum, et quod plura remedia per medicum et chirurgum expertos fuerunt applicata, et nihilo deservierunt; quin malum in dies augebatur. Item et constat de præcedente oratione et tactu Reliquiæ istius Virginis ad pectus et apostema, et qualiter dolor recedebat accedente Reliquia; et quod illa dictum apostema maturavit, et ex eo effluxit pus in magna quantitate, quod nunquam potuerunt operari remedia naturalia adhibita. Constat de accessu infirmi ad visitandum corpus istius Virginis, et de devotione

PER AA. ROTÆ.

devotione et oratione illi facta; et qualiter sequenti nocte in instanti fuit sanatus a brachio contracto, ita ut illico illud moveret et duceret quo volebat, ac si nunquam aliquod malum in illo passus fuisset: et ita integre sanitatem recuperavit ut postea nunquam amplius aliqui ex dictis doloribus redierint.

9° Cessatio dolorum viri nobilis Abulensis,

1151 Nonum miraculum post mortem. Don Gabriel Pacheco de Espinosa in civitate Abulensi habens nubeculam in oculo, intentavit a quodam chirurgo curari; et dum pro illius curatione magister acum in oculum immitteret et per dimidiam horam intra oculum retineret, in præsentia trium medicorum, qui, videntes quantum damnum oculus patiebatur in dicta curatione, jusserunt acum extrahi; prout factum fuit : et patiens remansit magno dolore in illa parte affectus. Ex quo non solum dolor oculi crevit, sed etiam ex ista causa correptus fuit gravissimis doloribus a pede usque ad verticem capitis, ita ut loquelam amitteret, et opus fuerit quod domestici illum tenerent, ne pugnis caput laceraret. Et isto medio tempore per medicos quam plura remedia et medicamenta illi fuerunt adhibita, et nihilominus dolores non minuebantur, quin potius videbantur augeri. Unde ipse Don B Gabriel devotione erga Ancillam Dei Teresiam motus, et illi valde devote se commendans, petiit sibi aliquam ejus Reliquiam portari; quæ ab ejus patre Ludovico ex monasterio monialium Discalceatarum allata fuit. Soror quippe Teresia, monialis et neptis Ancillæ Dei Teresiæ, partem tunicæ illi dedit, et cum illa domum reversus pater filio infirmo prædictam Reliquiam dedit, et celebrata Missa a Patre Herrera Societatis Jesu, ejus confessario, in privato oratorio domestico, et sumpta Sacra Eucharistia (vigentibus doloribus et infirmum valde cruciantibus), idemmet confessarius dicto Don Gabrieli super caput et oculum dictam Reliquiam imposuit; et statim infirmus dixit dolores omnino cessasse, et taliter ut remanserit ex illo puncto liber a dictis doloribus et sanus, et exinde amplius dolores non senserit.

ab ipso ejusque patre, confessario ac medico contestata,

1152 Probant istud factum idemmet Don Gabriel, decimus testis super art. 114 in processu remissoriali Abulensi, fol. 117, Ludovicus ipsius pater, secundus testis, fol. 78, Pater Joannes de Herrera Societatis Jesu, vigesimus quartus testis super eodem articulo, fol. 188, omnes de visu. Quibus accedit Joannes Baptista de Alcozer, medi- C cus regius, testis decimus quintus super eodem articulo, contestans cum patre et filio super infirmitate et doloribus, et remediis applicatis et non proficientibus, et de auditu ab eodem infirmo, de applicatione dictæ Reliquiæ et de mirabili curatione et instantanea cessatione dolorum. Qui tanquam medicus et philosophus declarat dictam infirmitatem et dolores non potuisse tam brevi temporis spatio curari; quia, cum esset infirmitas causata cum fluxu et concursu humorum, et quasi habitualis, naturaliter debebat curari paulatim, et erant corrigenda accidentia longo tempore : et cum fuisset subito infirmus liberatus a dictis doloribus, concludit esse casum miraculosum et excedentem causas naturales. Et quod pro tali miraculo fuerit habitum, cæteri testes concordant.

et similiter ad tertium miraculorum genus referenda;

1153 Nos quoque absque difficultate censuimus prædictum eventum probari et miraculo tertii generis adscribendum esse, operato meritis et intercessione Servæ Dei Teresiæ et impositione prædictæ ejus Reliquiæ, inspectis gravitate infirmitatis et dolorum per tot dies graviter patientem affligentium, et remediis tot applicatis et non proficientibus, et præcedenti commendatione per infirmum Servæ Dei devote facta, et appositione Reliquiæ D capiti illius, et instantanea subsecuta liberatione a doloribus, et sanitate recuperata, et quod amplius non redierit. Quæ omnia inducunt miraculum, ex late superius circa alia miracula adductis.

10° Alterius viri nobilis sanatio,

1154 Decimum miraculum post mortem. Don Joannes de Leiva et Hermosilla anno 1609 cœpit magno gutturis morbo vexari, ita ut suffocaretur : et a tribus medicis curabatur; et applicata illi fuere plura remedia phlebotomiæ, ventosarum et unctionum et aliorum medicamentorum : nihil tamen proderant. Immo illis non obstantibus, ita a morbo premebatur ut non posset cibum ad stomachum mittere, nisi aliquid valde liquidum, et cum magna difficultate et labore : ita ut duo medici matri infirmi dixerint, quod, si aperiretur morbus gutturis, descenderet ad cor, et infirmus moreretur. Unde ipse cum celeritate confessus fuit sua peccata. Et videns mater illum ita in extremis laborare, et remedia humana non prodesse, misit ad monasterium monialium Carmelitarum Discalceatarum istius civitatis Vallisoletanæ (ubi habebat unam filiam religiosam), petendo ab illis ut suum filium Deo et Matri Teresiæ multum commendarent; quia in magno periculo esset constitutus. Et moniales sic E facere obtulerunt, et Matri Reliquiam quamdam, nempe sudarium Servæ Dei Teresiæ, miserunt, ut illud super infirmum apponeret; prout appositum fuit super gutture illius, ubi erat morbi vis, dicente matre infirmo : « Fili, habeto magnam fidem, et » commenda te multum Santcæ Matri. » Filius dormivit, et fere hora secunda post mediam noctem expergefactus, et stans in lecto, dixit matri : « Jam » sum sanus, quia Sancta Mater Teresia de Jesu » mihi apparuit cum alia religiosa, et suis manibus » guttur meum strinxit, et confestim convalui et » bene habui. » Mater aliquantulum incredula, et timens ne illa actio incorporandi se in lecto esset occasio quod plus morbi descenderet ad cor, et filius moreretur, ipsum monebat quod verteretur ore inferius, quod attenderet quod animam exhalabat. Ipse autem semper insistebat quod erat sanus, prout veritas demonstravit : quia ex tunc omnino salutem recuperavit, et comedit et bibit; nec amplius medicinæ fuerunt necessariæ. Et illa die vel sequenti surrexit e lecto, et nunquam amplius nec illa nec alia infirmitate fuit affectus. Et medici informati de isto successu mirabantur videre adeo sanitati restitutum dictum infirmum. F

ex ipsius matrisque ejus declaratione nota,

1155 Probatur supradictum factum per eumdem Don Joannem, testem decimum quintum super 114 articulo in 3 parte processus remissorialis Toleti, fol. 1523; et per Donnam Isabellam de Paredes, matrem ejusdem Don Joannis, contestem vigesimum tertium, fol. 1556, super qualitate infirmitatis, gravitate et periculo illius, et super remediis variis et medicinis adhibitis et non proficientibus, et super ultimo vitæ statu ad quem infirmus pervenit, et super recommendatione prædictis monialibus et Matri Teresiæ facta, et appositione dictæ Reliquiæ infirmo, et operatione instantaneæ salutis subsecutæ, et quod illud pro evidenti miraculo habuerunt, et talis fuit publica vox et fama. Quibus idem D. Joannes addit, sibi, apposita dicta Reliquia, Famulam Dei Teresiam de Jesu in somnis apparuisse, cum alia religiosa in suo conspectu prostrata, quasi ab ipsa exposcente sanitatem pro dicto infirmo; et dictam Dei Famulam suis manibus illi guttur strinxisse, et illico a sommo experrectum, se sanum et incolumem reperisse. Quibus accedunt alii duo testes, secundus et septimus, super tertio et quarto articulis ejus-

dem

A dem processus, deponentes de nobilitate, virtute et veracitate et aliis animi dotibus dictorum duorum testium, matris et filii, et quod merentur fidem illorum dictis adhiberi.

tertii item generis;

1156 Ex quibus nos etiam putavimus istud factum probari et miraculum fuisse meritis et intercessione istius Virginis et Ancillæ Dei operatum, et tertio generi miraculorum adscribi mereri. Movebamur autem ex gravitate infirmitatis et imminenti periculo mortis ad quod infirmus pervenit, et quod nec medici nec medicinæ plures quidquam profuerant, et quod præcessit recommendatio Famulæ Dei facta et appositio illius Reliquiæ in gutture patientis; et subsecuta fuit illius a morbo omnimoda liberatio et instantanea sanitas recuperata. Et non parum urgere videbatur apparitio Virginis Teresiæ in somnis isti infirmo facta, cum accessione manus Virginis ad guttur infirmi. De qua apparitione quamvis solus infirmus deponat, et mater de auditu ab ipso, stante qualitate istius equitis nobilis et admodum virtutibus ornati, visum nobis fuit dictam apparitionem probari; cum sit casus qui per alium probari non valet, et ex illis qui testibus singularibus probantur, ut supra com-
B probavimus circa mirabilia quæ in obitu Famulæ Dei occurrerunt.

11° Novitiæ graviter ægrotantis

1157 Undecimum miraculum post mortem. Novitia monasterii Discalceatarum Carmelitarum in oppido Metinæ del Campo, tunc vocata Joanna a Spiritu Sancto, ætatis quatuordecim annorum, incidit in febrim continuam, quæ illi duravit per annum cum dimidio, cui accesserunt aliæ infirmitates, nempe morbus arthriticus cum contractione nervorum, et quædam sciatica, et quoddam impedimentum omnium nervorum, ita ut nec in lecto moveri valeret nec propriis manibus manducare, nisi cum auxilio aliarum monialium, et cum vehementibus malis cordis et exanimatione et doloribus capitis. Et illi quam plurima remedia fuerunt ministrata, et ultra quadraginta vices fuit purgata, et totidem phlebotomiæ datæ a duobus medicis et uno chirurgo, qui illam curabant; et tandem dixerunt dictam Joannam non recuperaturam sanitatem, nisi rediret ad suum aerem naturalem. Et cum in die Circumcisionis peteret adduci ad chorum pro audienda Missa et assumenda Sacra Eucharistia (prout in brachiis monialium fuit adducta), accepta Sacra Communione, non potuit Missam au-
C dire : quin, dum illa duravit, exanimis remansit, et eam aliæ religiosæ portarunt ad cellam, non ausæ illam exuere, sed sic indutam vestibus super quodam parvo anaclinterio posuerunt. Et medici venientes dixerunt quod in motione prædicta et portando illam sic ad chorum constituerant ipsam in periculo amittendi vitam.

repentina curatio,

1158 Et sæpius per illam petita quadam Reliquia Ancillæ Dei Virginis Teresiæ, existendo in hoc statu, infirmaria Reliquiam illi portavit, quam cum maxima devotione recepit. Et erat quoddam fragmentum unius fasciæ, factæ ex quodam mantello dictæ Matris Teresiæ, et illud super collum imposuit. Et cœpit magnopere tremere interius et exterius, et doloribus angustiari; unde voluit Reliquiam a se amovere : attamen quædam religiosa ibi stans dixit illi : « Habeas fidem; et quiesce. Quid enim scis de » Dei operibus, quosnam limites habeant? » Quod evenit hora tertia post meridiem. Et infirma cœpit quiescere, et dolores minui; ita ut hora quarta proxima sequenti nullum haberet dolorem, et videretur nullum malum passa fuisse. Et surrexit absque adjutorio alterius; et supra pedes stetit cum maxima agilitate. Et tam ipsa quam monialis quæ ipsam comitabatur, invicem se amplectentes præ lætitia, exultatione et devotione flebant; ita ut aliæ religiosæ timerent aliquid pejus infirmæ accidisse, et ad rumorem venerunt. Et ipsa infirma exiliens descendit per quamdam scalam habentem viginti quatuor gradus, nemine illi opitulante, et cucurrit pro benedictione habenda a Matre Priorissa : quæ illam videns, perterrita interrogavit quid illud esset; et illa flendo respondit : « Sunt miseri- » cordiæ Dei, per nostram Sanctam Matrem ope- » ratæ. » Et aliquæ moniales illam videntes stupebant, et credebant visionem videre. Et omnes illam adduxerunt ad chorum pro gratiis Deo agendis. In quorum actionem hymnum « Te Deum lau- » damus » cantarunt. Quo audito per quemdam capellanum et confessarium illarum monialium et alias personas, credentes dictam Joannam obiisse, et pro illa moniales aliquod Officium facere, accurrerunt. Et audito miraculoso eventu, sunt admiratione repleti, et illam videre voluerunt; sicuti sanam et ambulare celeriter viderunt.

PER AA. ROTÆ

D

jurato ipsius ac plurium monialium

E

1159 De cujus facti et miraculosi eventus veritate deponunt ipsamet Joanna de Spiritu Sancto, nunc monialis Madriti, Ordinis Sancti Bernardi, et vocata (prout in sæculo) Donna Joanna de Torres, ætatis 41 annorum, et vigesimus octavus testis in prima parte remissorialis Toleti, super 116; et cum ipsa concurrunt de visu tertius, quintus, undecimus et vigesimus primus testis, moniales Carmelitæ Discalceatæ monasterii Metinæ, in 4 parte ejusdem remissorialis Toleti, examinatæ Metinæ del Campo, super articulo 112 : inter quas adest Maria de Sancto Francisco, tunc temporis infirmaria, et Joanna de Jesu, socia dictæ infirmariæ. Et ultra prædicta, ipsamet infirma testatur quod triduo ante dictum eventum, cum per plures vices petiisset dictam Reliquiam, et infirmaria omnino oblita fuisset, hora nona noctis dolores illam maxime vexarunt : et sic existens, et desiderans quod aliqua infirmaria accederet ad cellam, vidit introire tres religiosas, habuitque illas pro infirmariis; et tanquam obtusa a morbo, non dixit aliud nisi : « Soro- » res, vertant me, quia me sentio valde infirmam. » Ex quibus duæ accesserunt ad ipsam, et fecerunt munus infirmariæ, et illam verterunt; et tunc vidit quod erant tres. Et ex illis cognovit esse unam Matrem Teresiam de Jesu : quæ habens crucem in manibus, illam ei admovit ad faciem, et dixit : « Esto F » bono animo, quod cito tui cessabunt labores », et illico evanuerunt. Et sensit quamdam fragrantiam, quam solent habere Reliquiæ prædictæ Matris Teresiæ, et per istud triduum fuit maxime dicto morbo et doloribus oppressa.

testimonio confirmata,

1160 Et iterum eadem nocte post recuperationem salutis (existens, nescit an dormiens vel vigilans) iterum vidit dictam Matrem Teresiam de Jesu illo modo quo illam antea viderat, attamen solam. Et accessit ad dictam Joannam, et accipiendo ejus manu brachium sinistrum, ei dixit : « Ego te teneo » pro filia, et in omnibus occasionibus te adjuvabo : » enitere, et Deo veraciter famulare. » Et Joanna Servam Dei interrogavit an esset professionem emissura in Religione. Et Virgo Mater Teresia illi respondit : « In hac cogitatione voluntas Dei in » omnibus adimplebitur. » Et tunc Joanna excitata fuit a somno, et denuo cœpit sentire eamdem fragrantiam Reliquiarum prædictæ Matris Teresiæ de Jesu, et remansit confusa, et hoc communicavit cum priorissa et subpriorissa, quæ erat ipsius magistra : quæ illi responderunt quod poterat esse secura, fuisse Dei misericordiam et veritatem, quod ei apparuerit Sancta Mater, quodque taceret usque

PER AA. ROTÆ.

in tempus opportunum; prout tacuit usque in diem istius suæ depositionis.

A *cui genuinæ miraculi notæ inesse demonstrantur;*

1161 Quem miraculosum eventum a nobis fuit judicatum probari et notabili miraculo adscribendum esse. Ad quod facile inducere valent circumstantiæ : nempe gravitas et complicatio infirmitatum, et illarum diuturnitas, maxime in subjecto tenero et debili istius puellæ quatuordecim annorum, et tot medicinæ et remedia applicata absque ullo profectu, et devotio et petitio Reliquiæ Servæ Dei toties per infirmam, et Reliquiæ appositio (quæ denotant illius devotionem, fiduciam et spem), et tandem instantanea et repentina salutis recuperatio, absque eo quod infirmitas amplius rediret. Nec aliquid ab hoc miraculo detrahere nobis visum fuit, quod, apposita Reliquia ad collum patientis, dolores creverint et maximam anxietatem illi causaverint : ut notat Archidiaconus in dicto cap. « Nec mirum », num. 9, 26, q. 5; quem refert et sequitur Jacob. Castell. tractatu de Canoniz., qu. 6 in principio, vers. « Quæro an sit contra ». Et patet Marci 9, ibi : « Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab » eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi » dicerent : Quia mortuus est »; quidquid velit

B Troil. dicto tract., dub. 3, n. 54.

12° *Valetudo moribundæ moniali*

1162 Duodecimum miraculum post mortem. Soror Magdalena a Matre Dei, monialis monasterii Sancti Josephi Abulensis, hujusmet Religionis, cum sana ingrederetur Religionem, anno emissæ professionis cœpit diversis infirmitatibus vexari, prout per duos annos cum dimidio illis vexata fuit; et in particulari cœpit sentire quemdam dolorem in uno oculo quasi ramum carbunculi : cujus occasione illi sæpius e venis sanguinem extraxerunt. Quibus accessit quædam gravis infirmitas stomachi, quæ brevi tempore parturivit in parte superiori stomachi quoddam apostema durum et majus uno latere, et insimul correpta fuit magno dolore cerebri et cordis, junctis multis tremoribus et clamoribus, quæ augebantur prout apostema crescebat. Et cum medicinæ illi non proficerent, et medici timerent mortem infirmæ, dum apostema pervenisset ad cor, cui valde appropinquabat, decreverunt illi fontem seu rotarium facere. Facto tamen eo, multo magis creverunt dolor cordis et alia accidentia; ita ut quilibet tumor quem habebat, erat illi causa tremorum et clamorum, et remanebat veluti mortua. Quibus accesserunt magna animi deliquia, quin et

C morbus comitialis valde asper cum gravibus cordis palpitationibus : et deliquia animi illi durabant per tres vel quatuor vel quinque horas, et se ipsam percutiebat, tremens et clamans. Unde deventum fuit ad Sacrum Viaticum illi ministrandum et Sacramentum Extremæ Unctionis. Post quorum susceptionem supervenit illi ingens phrenesis. Et quando dicto nimio dolore cordis corripiebatur, opus erat ut quatuor vel plures moniales illi assisterent et illam tenerent, ne se laceraret et dilaniaret. Et pervenit ad statum quo nec manducare aliquid nec bibere nec quidem guttam aquæ deglutire poterat. Medici tandem decreverunt illam lacte muliebri nutrire. Et licet fuerit factum, non tamen quidquam proficiebat. Unde medici nesciebant jam quid facerent, nec præter mortem quid expectarent.

subito restituta,

1163 In quo statu ipsa petiit portari ad quoddam cremitorium existens in horto illius conventus, quod Virgo Teresia de Jesu ædificari fecerat, et ibi depingi imaginem Domini nostri Jesu Christi ad columnam, et quod ibi apponeretur quædam Reliquia, nempe quoddam linteolum sanguine tinctum dictæ Virginis; prout factum fuit, et infirma portata in brachiis religiosarum ad dictum cremitorium hora prima post meridiem. Et cum ad illius portam D accessisset, fixis oculis in dictam Reliquiam, cum magna fide recuperandæ salutis per merita et intercessionem dictæ Virginis Teresiæ, sensit magnum levamen et robur, ita ut peticrit a religiosis quæ illam portabant, quod dimitterent; prout fecerunt. Et tunc ipsa sine alterius adjutorio, cum magna celeritate, ac si non habuisset aliquod malum, ivit ad pedes dictæ imaginis Christi. Et eo ipso quod ad illam pervenit, remansit sana et cum integra salute; et astitit genibus flexis litaniis, quas pro illa aliæ sorores recitabant coram dicta sancta imagine, cum commemoratione Matris Teresiæ et gratiarum actione quas sorores faciebant. Et tunc surrexit, et statim porrexerunt illi cibum et potum; et comedit ac bibit, prout si non habuisset aliquam infirmitatem. Et inde hora secunda post meridiem intervenit choro ad Vesperas cum aliis religiosis, et sequenti nocte Matutinis; et ex tunc secuta est chorum et communitatem, et post paucos dies omnem rigorem regulæ et pœnitentiæ Ordinis. Et quamvis apostema prædictum remansit, nihilominus ex tunc illam non affligebat. Et confidens in eadem misericordia divina, et meritis et intercessione Matris Teresiæ, quod erat sananda etiam ista infirmitate, prout ab aliis, E petiit ut supra stomachum applicarent sibi Reliquiam Matris Teresiæ; prout ipsi applicata fuit per manus sororis Agnetis de Jesu : et illico cœpit sentire maximum levamen in apostemate, ita ut dixerit sororibus quod absque dubio apostema erat resolutum; prout omnino intra paucos dies resolutum fuit, absque eo quod aliquæ reliquiæ nec signum dicti apostematis remanserit, ac si illud nunquam habuisset.

prout ipsa cum aliis testatum fecit,

1164 Istud factum comprobatur, ex depositione ejusdem sororis Magdalenæ a Matre Dei, quæ est testis quinquagesimus tertius, fol. 428; Agnetis de Jesu, quinquagesimus secundus, fol. 425; Annæ ab Angelis, quinquagesimus quartus, fol. 447; Petronillæ Baptistæ, quinquagesimus quintus, fol. 463 a tergo; Teresiæ de Jesu, sexagesimus testis, super 81 articulo, fol. 506, omnes moniales ejusdem monasterii; et Ludovici Amatoris, medici, qui istam infirmam curabat, super art. 114, fol. 137 : omnes in processu remissoriali Abulensi. Qui omnes dictum factum comprobarunt et miraculosum judicarunt; maxime dictus medicus, qui affirmat mediis aut medicinis naturalibus nec artificialibus non potuisse ita repente sanari, nisi miraculose. Quibus F adstipulantur Joannes Baptista, eques militiæ Sancti Jacobi, gubernator dictæ civitatis Abulensis, primus testis; et Michael Gonzalez Vaquero, clericus et capellanus ejusdem conventus, decimus tertius testis; et Joannes Fernandez Porcel, primus locumtenens Abulensis, decimus sextus testis : omnes super dicto articulo 114, in eodem processu remissoriali Abulensi, deponentes de auditu et de publica voce et fama in illa civitate. Prout etiam de auditu deponit Franciscus de Mena, trigesimus sextus testis, presbyter et capellanus ejusdem conventus, super eodem articulo 114; qui adjungit quod eodem die quo dictum factum miraculosum evenit, sero, testis vidit dictam sororem Magdalenam bonam et sanam : unde colligit sanitatem illi miraculose restitutam fuisse.

quod tertii ordinis miraculum fuit.

1165 Ex quibus nos etiam judicavimus prædictum factum probari et miraculum esse meritis et intercessione Virginis Matris Teresiæ a Domino nostro operatum, et tertio ordini adscribendum esse. Ad quod nos induxerunt circumstantiæ supradictæ : nempe gravitas, complicatio et diversitas infirmitatum, et tanta temporis diuturnitas, ac extremum

A tremum vitæ ad quod patientem adduxerunt; item et oratio præcedens, et Reliquiæ appositio, et sanitas in continenti recuperata. Quæ omnia pro miraculo concludendo, satis in superioribus miraculis probatum relinquimus sufficere. Nec de dicto miraculo aliquid subtrahere visum fuit quod curatio apostematis omnino non evenerit in continenti : tum quia respectu aliarum infirmitatum gravissimarum curatio fuit instantanea; et respectu illarum miraculum est evidens. Quoad vero dictum apostema, etiam videtur in instanti sanata; cum, licet ipsum remanserit, nihilominus non affligeret patientem. Ex quo elicitur malitiam illius cessasse; attamen tumor et durities licet per paucos dies duraverint, non ex hoc aliquid de miraculo diminuitur; prout in vulnere curato miraculose, quamvis cicatrix remanserit per aliquod tempus : ex traditis per Archidiac. dicto cap. « Nec mirum », num. 8, 26, q. 5; et ibi Bellamera, num. 7, et in cap. 1 de Reliquiis et venerat. Sanctorum; ubi et Collect. num. 7; Jacob. Castell. ubi supra, q. 6 principali, vers. « Quæro an sit necesse » per totum; et firmatum fuit in aliis canonizationibus Sanctorum.

Concluditur Teresiam *Beatis, imo et Sanctis, adscribi posse,*

1166 Ex quibus omnibus, supposita validitate processuum et sanctitate vitæ jam per Illustrissimos et Reverendissimos Cardinales Sacræ Congregationis B Rituum firmatis, concludendum judicavimus causam istam esse in tali statu ut juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum et Sacrorum Canonum dispositionem (si Sanctitati Vestræ placuerit) possit procedi, non solum ad concedendam facultatem de ista Serva Dei Teresia de Jesu, tanquam de una Virgine Beata, in toto Ordine Discalceatorum Carmelitarum ac in Hispaniarum regnis Officium recitandi Missarumque solemnia celebrandi, verum etiam ad illius solemnem canonizationem et adscriptionem in numerum Sanctorum, in forma Ecclesiæ consueta.

tum ob hæc miracula,

1167 *Post hanc de miraculis S.* Teresiæ *Relationem, priusquam Breve beatificationis ejus ederetur, iidem S. Rotæ auditores breviter de validitate processuum ac de virtutibus a Serva Dei in gradu heroico exercitis suam sententiam aperuere in hunc modum :* Beatissime Pater. Postquam de mandato Sanctitatis Vestræ et de illius speciali commissione discussimus circa miracula a Deo Domino nostro per intercessionem illius Servæ Dei Teresiæ de Jesu, novæ Reformationis Discalceatorum Carmelitarum Fundatricis, operata, et plura insignia, quæ tam in C vita quam in illius felicissimo obitu et post mortem facta invenimus, et pro miraculis approbanda censuimus, sicque Sanctitati Vestræ retulimus : a qua ex post facto cum in mandatis habuerimus quod etiam processus super ejusdem Ancillæ Dei vita, virtutibus, sanctitate et miraculis compilatos examinaremus, in quorum implementum, domi in præsentia Illustrissimi Cardinalis Lancelothi semel et iterum congregati, serio et ea maturitate ac diligentia qua potuimus, dictos processus tam remissoriales quam compulsoriales, in vim præcedentium opportunarum litterarum a Sacra Rituum Congregatione, virtute Brevis Sanctitatis Vestræ, emanatarum, coram Salmantino et Abulensi episcopis respective, et coram Illustrissimo Cardinali archiepiscopo Toletano et diversis judicibus ab eo delegatis, formatos examinavimus, illosque servatis servandis fabricatos esse in forma probanti judicavimus, et testes in illis contentos esse legitime examinatos, cum omnibus necessariis citationibus, juramentis aliisque de jure requisitis, et inter illos plures gravissimos viros tam genere quam dignitate ac perspicua sanctitate invenimus, quorum etiam dicta ponderavimus.

1168 Ex quibus dilucide censuimus constare etiam de virtutibus et de excellenti sanctitate istius Servæ Dei. Ita ut ex prædictorum inspectione, juncta supradicta miraculorum Relatione, duximus proculdubio resolvendum (prout in eadem Relatione judicavimus) causam istam esse in tali statu ut juxta S. R. E. ritum et Sacrorum Canonum dispositionem (si Sanctitati Vestræ placuerit) possit procedi, non solum ad concedendam facultatem Officium recitandi et Missarum solemnia celebrandi de ista Serva Dei Teresia, tanquam de una Virgine, in toto prædicto Ordine Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo et in Hispaniarum regnis, verum etiam ad illius solemnem canonizationem, in forma Ecclesiæ consueta. In quorum fidem hujusmodi Relationem manibus propriis subscripsimus. Romæ, II Januarii, anno Domini MDCXIV. F. Sacratus, archiepiscopus. J. B. Coccinus. A. Manzanedo.

PER AA. ROTÆ. *tum etiam ob virtutes suas eximias.* D

§ LX. Auditorum Rotæ facta Paulo PP. V Relatio altera : de processibus informativis, remissorialibus et compulsorialibus, deque vita B. Teresiæ et sanctitate ejus in genere. E

Post Relationem de miraculis,

Beatissime Pater. In Relatione per nos Sanctitati Vestræ facta circa miracula a Deo Optimo Maximo operata per intercessionem et merita Beatæ Virginis Teresiæ a Jesu, monialis ac Fundatricis novæ Reformationis Ordinis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, resolvimus, supposita processuum validitate et sanctitate vitæ ejusdem Beatæ Virginis, jam per Sacram Rituum Congregationem firmatis, causam in eo statu reperiri ut juxta S. R. E. et Sacrorum Canonum dispositionem (si S. V. placuerit) procedi possit, non solum ad beatificationem istius sanctæ Virginis, sed etiam ad illius solemnem canonizationem et in numerum Sanctorum adscriptionem. Posteaquam de mandato Sanctitatis V. et una cum Illustrissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Lancelotho, diligenter vidimus et examinavimus processus prædictos, et non solum illos juridice fabricatos et omnes testes legitime examinatos reperimus, verum etiam ex illis optime constare de virtutibus heroicis, excellentia fidei ac vitæ sanctitate prædictæ Beatæ Teresiæ declaravimus; sicque in primo voto superius relato persistendum censuimus. F

Beatis jam adscripta Teresia,

1170 Quibus peractis, de ordine S. V. iterum in eadem Sacra Rituum Congregatione prædictis omnibus ab Illustrissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus præfectis revisis et approbatis, et S. V. per eosdem Relatione facta, placuit eidem S. V. per suas litteras in forma Brevis licentiam et facultatem concedere ut deinceps in futurum singulis annis, in die depositionis istius Beatæ Virginis, in omnibus monasteriis et ecclesiis prædicti Ordinis Discalceatorum Officium et Missa de Beata Teresia prædicta, tamquam de una Virgine, ab omnibus ejusdem Ordinis religiosis utriusque sexus recitari et celebrari respective posset; nec non in monasterio et ecclesia oppidi Albæ Salmantinæ diœcesis (in qua corpus hujus Beatæ Virginis integrum et incorruptum

PER AA. ROTÆ.

ptum honorifice asservatur et colitur) posset etiam Missa de eadem Beata ut supra ab omnibus sacerdotibus sæcularibus seu regularibus celebrari, ut latius in supradictis litteris continetur; quarum dispositio quoad omnia suum fuit sortita effectum in omnibus fere regnis et provinciis in quibus fides Catholica viget, maximo cum gaudio ac incredibili et universali lætitia omnium fidelium, quin et cum ejusdem lætitiæ inenarrabilibus demonstrationibus, hymnis videlicet et canticis, solemnissimis processionibus aliisque lætitiæ signis, prout infra suo loco dicemus.

jussu Summi Pontificis

1171 Cùm vero pro parte regis Catholici Philippi III et totius Ordinis prædicti Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo postmodum fuisset facta instantia S. V. pro istius B. Virginis Teresiæ solemni canonizatione, placuit eidem Sanctitati V. per suam specialem commissionem nobis committere et mandare quatenus in ista causa ad illius examen necessarium pro integrali ejus complemento procederemus, ut latius in litteris commissionis continetur. Quamvis ex supradictis appareat jam resolutum ac firmatum fuisse per eamdem Sacram Rituum Congregationem, et per nos constare, etiam ad effectum solemnis canonizationis, de juridica processuum fabricatione et de legitimo testium examine, nec non de excellentia fidei et heroicis virtutibus ac vitæ sanctitate istius Beatæ Virginis Teresiæ, quin etiam de miraculis multis ac magnis in vita et in morte et postea ejusdem meritis et intercessione a Deo operatis; nihilominus, quia de prædictis tantummodo fuit Relatio completa per nos, juxta commissionem S. V. tunc nobis directam, circa miracula tantum, non vero circa validitatem et legalitatem processuum et sanctitatem vitæ istius B. Virginis, et in similibus canonizationis causis de omnibus prædictis Relatio extendi soleat, ideo ad hunc finem, ut integra Relatio concernens istam canonizationis causam fiat, et insimul cum Relatione prædicta miraculorum per nos facta conjungatur, ad illam sic extendendam devenimus: cujus occasione præfatos processus et examen testium circa virtutes et sanctitatem vitæ Beatæ Teresiæ de novo et qua potuimus diligentia, multis habitis congregationibus, iterum examinavimus; et quæ ex isto examine adnotanda judicavimus, S. V. referenda duximus.

confecta etiam fuit de virtutibus Relatio,

1172 Quæ quidem Relatio duabus partibus constabit. In quarum prima de processuum fabricatione et testium examine agetur; et tres articulos continebit: in primo enim de primis processibus informativis a Reverendissimis Nuntio Hispaniarum et Episcopo Salmantino respective factis, et de aliis super inquisitione generali auctoritate apostolica in partibus fabricatis, erit agendum; in secundo vero articulo de processibus remissorialibus, super inquisitione speciali in partibus etiam auctoritate apostolica compilatis, tractabitur; in tertio denique articulo de processibus compulsorialibus erit sermo. Secunda autem pars continebit concernentia sanctitatem vitæ Beatæ Virginis Teresiæ, illiusque miras virtutes, gratias et dona, quæ, dum in humanis ageret, ab omnipotenti Deo sua divina miseratione obtinere meruit. . . . Miracula autem, quæ denique pro tertia parte venirent in ordine cum præmissis connectenda, ne illa iterum repetamus, ad late exposita et firmata in præfata alia Relatione Sanctitati Vestræ super illis particulariter facta nos remittentes, illam quoad omnes suas partes confirmamus.

1173 Prima pars. Articulus primus. Post felicem obitum in Domino Beatæ Virginis Teresiæ sub 4 Octobris 1582, undique fama illius sanctitatis et miraculorum ejusdem meritis et intercessione ab omnipotenti Deo operatorum, tam in diversis Hispaniarum partibus quam in quamplurimis aliis Christianæ reipublicæ regionibus, adeo celebris sparsim resonare et divulgari cœpit, ut, excrescente indies magis magisque devotione et veneratione illius nominis et Reliquiarum, etiam apud gravissimos viros, Reverendissimi Præsules, patriarcha Camillus Cajetanus, in regnis Hispaniarum Nuntius, per se et per sexdecim alios judices in dignitate ecclesiastica constitutos, ab eo delegatos, et episcopus Salmantinus (in cujus diœcesi, nempe in monasterio Albæ, corpus istius B. Virginis integrum et incorruptum reperiebatur colebaturque) ex officio, et ad perpetuam rei memoriam nec non sempiternam Dei gloriam et honorem Beatæ Virginis Teresiæ, primo loco processus formare cœperint super ejusdem Virginis sanctitate et miraculorum operatione.

tum ex institutis a Nuntio et Salmanticensi episcopo

processibus informativis,

1174 Quibus ad curiam transmissis, ad instantiam R. P. Generalis præfati Ordinis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, et ad supplicationem tam regis Catholici Philippi II quam Philippi regis Catholici III et Margaritæ reginæ uxoris ejus, plurimorum atque gravissimorum præsulum, procerum, ecclesiarum, universitatum, regnorum et civitatum illarum Hispaniarum partium pro canonizatione istius Beatæ Virginis coram felicis recordationis Clemente Papa VIII instantium, idem Pontifex, per suum in forma speciali Breve, causam istam Illustrissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus Sacræ Rituum Congregationis præfectis commisit; prout latius in ipso Brevi, in processu compulsoriali Abulensi, fol. 226: cujus vigore, eadem Sacra Congregatio per litteras commisit Reverendissimis Episcopis Abulensi et Salmantino respective, ut supra præmissa fama sanctitatis, devotione populi ac miraculis diligenter in genere formarent inquisitionem; prout factum fuit, et processus Romam ad eamdem Sacram Congregationem transmissi: illisque de ordine S. V. mature discussis, sub die 16 Januarii 1607, bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio referente, unanimiter per eosdem Illustrissimos Cardinales ejusdem Congregationis fuit resolutum et firmatum omnia in prædictis inquisitionibus contenta talia esse ut ad ulteriora in ista canonizationis causa juste et rationabiliter procedi posset; ut habetur in Brevi S. V. in prædicto processu compulsoriali Abulensi, fol. 4 et 5.

tum e remissorialibus tribus,

1175 In quo etiam apparet, quod, prævis interim instantiis S. V. a prædicto rege Catholico Philippo III et ab universis Hispaniarum regnis, nec non pro parte Religionis præfatæ Discalceatorum, S. V. eidem Sacræ Congregationi Rituum commisit ac injunxit quod ad ulteriora in ista causa procederetur. Et in vim istius Brevis eadem Sacra Congregatio expedivit litteras remissoriales, una cum rotulo articulorum formiter in curia per eamdem Sacram Congregationem admissorum, et interrogatoriis per advocatum fiscalem fidei datis super speciali inquisitione de prædictis facienda. Illasque direxit tribus judicibus respective in partibus: nempe Illustrissimo Cardinali de Rojas, archiepiscopo Toletano, cum facultate subdelegandi in quos judices sibi bene visum fuisset; et Reverendissimis Episcopis Abulensi et Salmantino, seu illorum vicariis generalibus. Et a quolibet dictorum trium judicum, in vim prædictarum litterarum apostolicarum, processus remissoriales et compulsoriales juridice, et servatis servandis, fuerunt fabricati; prout ex sequentibus apparebit.

1176

quorum unum archiepiscopus Toletanus

1176 Articulus secundus. § I. In primis eidem Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali de Rojas, A archiepiscopo Toletano, præfatæ litteræ remissoriales cum dicto rotulo articulorum et interrogatoriis advocati fiscalis fuerunt præsentatæ per procuratorem legitimum R. P. F. Ildephonsi a Jesu Maria, Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum. Qui D. Cardinalis, accepta jurisdictione apostolica sibi commissa, cum testes viverent examinandi diversis in locis, tam intra eamdem Toletanam diœcesim quam extra illam, diversas personas in dignitate ecclesiastica constitutas pro examine testium in judices subdelegavit : nempe Reverendissimum Episcopum de Ciapa pro oppido Madriti et pro toto archiepiscopatu Toletano. Deputavitque in notarium principalem hujus causæ Franciscum Ortiz de Salcedo, notarium apostolicum, et in nuntium cursorem Joannem Scaron; a quibus juramentum de fideliter exercendo recepit. Posteaque ob impedimenta ejusdem episcopi de Ciapa, loco illius idem D. Cardinalis subdelegavit doctorem Don Joannem de Almaraz, archidiaconum de Villaviciosa in ecclesia Ovetensi, cum facultate deputandi notarios et nuntios, etc., et cum ordine expresso remittendi omnes processus a B se fabricatos in quolibet loco prædictæ diœcesis Toletanæ ad præfatum D. Episcopum de Ciapa et dictum Franciscum Ortiz de Salcedo notarium, Madriti commorantes et ab eodem D. Cardinali primo loco deputatos.

per viros graves a se deputatos

1177 Per quos duos judices, videlicet episcopum de Ciapa et doctorem Joannem de Almaraz, respective fuerunt examinati quamplures testes in septem oppidis : nempe Toleti, Madriti, Ocaña, Yepes, Consuegra, Malagon, Daymiel. Cæterosque alios judices subdelegavit idem Ill. D. Cardinalis de Rojas, cum eisdem facultatibus et ordine supradictis : nempe D. Gabrielem Suarez de Toledo, archidiaconum et canonicum ecclesiæ Toletanæ, et D. Alvarum de Quiroga, canonicum etiam ejusdem ecclesiæ, et quemlibet eorum in solidum, pro examinandis testibus in oppido de Cuerva ejusdem Toletanæ diœcesis, qui præfatus D. Alvarus de Quiroga hanc informationem fecit; Reverendissimum P. F. Petrum de Villanova, priorem monasterii S. Hieronymi, pro oppido de Talavera Toletanæ diœcesis, et pro oppido de Arenas Abulen. diœcesis; et D. Martinum Manso, archidiaconum de Bilbao in ecclesia Calceatensi ac vicarium generaC lem ejusdem diœcesis, pro civitate Calceatensi; et pro civitate Cæsaraugustana D. Christophorum Blancas, cantorem ecclesiæ Cæsaraugustanæ; et pro civitate et episcopatu Tirasonen. D. Petrum de Gottor, cantorem et canonicum ecclesiæ Tirasonen. et vicarium generalem ejusdem episcopatus; et pro civitate Segovien. D. Ludovicum Cabeza de Villegas, canonicum pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis ejusdem civitatis; et pro civitate Burgensi D. Garciam Portocarrero, vicarium generalem archiepiscopatus Burgensis ; et pro oppido Compluti R. P. Philippum de Tarsis, abbatem monasterii S. Bernardi Ordinis Cisterciensis; et pro civitate et episcopatu Conchensi D. Fernandum de Granada et Venegas, cantorem ecclesiæ Conchensis; et pro civitate Vallisoleti D. Franciscum Sobrino, canonicum magistralem ecclesiæ cathedralis Vallisoletanæ; item pro civitate Malacitana D. Didacum de Trejo, archidiaconum in ecclesia Malacitana; et pro civitate Granatensi doctorem Montoya et D. Petrum de Molina, canonicos Granatenses, et quemlibet illorum in solidum; et quamvis ambo insimul jurisdictionem acceptaverint, ac deputaverint notarium et cursorem, et ab eis receperint juramentum solitum, nihilominus dictus doctor Petrus de Molina tantum prosecutus fuit informationem; pro oppido vero Metinæ del Campo P. Balthasarem de Leon, priorem conventus S. Dominici ejusdem oppidi.

PER AA. ROTÆ.

D

rite confiriendum

1178 Qui omnes sic subdelegati judices a dicto Illustrissimo Cardinali Toletano, requisiti per legitimos procuratores Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, cum litteris subdelegationis, quibus insertæ erant litteræ remissoriales Sacræ Rituum Congregationis, quilibet ipsorum jurisdictionem acceptavit, et notarium et nuntium deputavit, et ab ipsis juramentum solitum de fideliter exercendo recepit; locum, dies et horas pro testibus examinandis designavit; et testibus citatis ad se subjiciendum examini, et a quolibet ipsorum juramento de veritate dicenda formiter recepto, processit ad dictorum testium examen, quemlibet illorum in primis juxta tenorem interrogatoriorum advocati fiscalis interrogando, et illis satisfactis, juxta tenorem articulorum rotuli illos examinando : et tandem tam per testem qui scribere sciebat, quam per judicem et notarium, quælibet dictorum testium depositio fuit subscripta. Et omnibus testibus in unaquaque prædictarum civitatum et oppidorum E sic examinatis, eorum descriptiones una cum actis clausæ et sigillatæ in suis propriis originalibus fuerunt transmissæ ad eumdem episcopum de Ciapa et Franciscum Ortiz de Salcedo notarium, ad effectum conjungendi et in unum compilandi omnes præfatos processus, juxta ordinem præscriptum in litteris subdelegationis præfatorum judicum directis.

et Romam destinandum curaverat,

1179 Qui episcopus de Ciapa, transportatis ad eumdem et Franciscum Ortiz de Salcedo notarium præfatum omnibus supradictis processibus remissorialibus, ab eisque receptis et adjunctis ac continuatis una cum illo ab ipso episcopo in oppido Madriti fabricato, et instante legitimo procuratore dictæ Religionis, processit coram dicto Francisco Ortiz notario ad dictorum processuum in unum sic copulatorum transumptionem illorumque auscultationem et collationem, quin etiam ad illorum clausuram et remissionem ad Sacram Rituum Congregationem, et ad hunc effectum ad nominationem fidelis delatoris, receptoque ab ipso juramento solito; prout fideliter transportatos fuisse ipse eventus docuit. Siquidem processus præfatus, cujus titulus est : « Remissoriales Toletani », sic F clausus ac sigillatus, in urbemque transmissus, et coram Sacra Rituum Congregatione præsentatus, de ejusdemque ordine apertus, a fideli et legitimo interprete, nempe Joanne Hieronymo Ravasa, bene et fideliter de hispano in latinum sermonem translatus apparet. Ex quo autem processu sic interpretato copias authenticas per notarium hujus causæ a nobis deputatum, videlicet Joannem Baptistam Martelum, unum ex Sacræ Rotæ notariis, pro majori commoditate transumi fecimus; quarum una cuilibet nostrum fuit tradita, quatuor continens partes seu volumina, nempe primam, secundam, tertiam et quartam partem processus remissorialis Toletani. Omnes vero quatuor prædictæ partes 1985 foliis complectuntur. Quæ prænotanda judicavimus pro clariori intelligentia eorum quæ circa processum istum, partes et folia ejus passim in præsenti Relatione repetita invenientur.

alteros vero miserant episcopi Salmanticensis et Abulensis,

1180 § II. Prædictæ litteræ remissoriales Sacræ Congregationis directæ Reverendissimis Episcopis Salmantino et Abulensi respective illorumque vicariis, cum clausula « et cuilibet », fuerunt per legitimos procuratores dictæ Religionis Discalceatorum

PER AA. ROTÆ.

torum prædictis episcopis, unicuique in sua diœcesi residenti, præsentatæ, insimul cum rotulo et interrogatoriis advocati fiscalis : et acceptata per ipsos jurisdictione, unusquisque deputavit notarium et cursorem, præstito juramento de fideliter exercendo, designatique fuerunt dies et horæ pro munere ipsis injuncto adimplendo. Et Reverendissimus Episcopus Salmantinus, tam in civitate Salmanticæ quam in oppido Albæ ejusdem diœcesis, quo se transtulit per se ipsum, commissionem sibi directam executioni mandavit. Episcopus vero Abulensis impeditus illam suam commissionem ad vicarium generalem ejusdem episcopatus remisit; qui etiam testes examinavit. Et uterque episcopus in executione dictarum litterarum servavit eumdem ordinem expressum et servatum in examine testium coram judicibus subdelegatis ab Illustrissimo Cardinali Toletano, prout dictum est supra § proxime præcedenti, et in collationando et claudendo dictos processus, et delatori fideli illos tradendo, et etiam in recipiendo ab ipso juramentum de illos ad urbem fideliter transportando; prout adimpletum fuit. Constat etiam de præfatorum processuum coram Sacra Rituum Congregatione præsentatione, nec non de eorum apertione et per legitimos interpretes de hispana in latinam linguam translatione. Qui autem processus remissorialis Salmantinus inscriptus duas continet partes, primam et secundam; ille vero remissorialis Abulensis unico volumine complectitur. Quorum copiæ etiam authenticæ nobis fuerunt traditæ, prout dictum est de processibus remissorialibus Toletanis.

tum denique e tribus compulsorialibus.

1181 Articulus tertius. Tres alii processus compulsoriales auctoritate apostolica fuerunt etiam fabricati in partibus. Primus Toleti, per Illustrissimum Cardinalem de Rojas judicesque ab ipso subdelegatos; secundus vero Salmanticæ, per Reverendissimum Episcopum illius diœcesis; tertius vero Abulæ, per Reverendissimum illius ecclesiæ Præsulem et ejus vicarium generalem : et omnes visi nobis fuerunt sufficienter compulsati ac juridice fabricati. Judices enim prædicti habuerunt jurisdictionem sibi concessam per litteras Sacræ Rituum Congregationis, vigore Brevis S. V., cum facultate expressa Illustrissimo Cardinali Toleti concessa subdelegandi quos sibi placuisset ad hunc effectum; prout fecit. Quin et vicario generali Abulensi litteræ commissionis insimul cum episcopo et eorum cuilibet fuerunt directæ. Unde de jurisdictione dictorum judicum non potest dubitari. Qui postquam per procuratorem legitimum Religionis Discalceatorum Carmelitarum fuerunt cum prædictis litteris requisiti, jurisdictionem acceperunt; notarios et cursores deputarunt, ab ipsisque juramentum de fideliter exercendo receperunt; locum, dies et horas designarunt pro actibus faciendis et testibus examinandis. Archivistæ et aliæ personæ privatæ, penes quos scripturæ compulsandæ reperiebantur, citati, prædictas scripturas penes se existentes exhibuerunt : et illarum et archivorum facta per testes legitime examinatos recognitione, prædictas scripturas compulsari judices decreverunt; et compulsatas auscultari, sigillari, claudi et tradi nuntio fideli cum solito juramento, ad effectum transmissionis illarum ad urbem : prout cum effectu adimpletum reperitur. Et constat similiter circa illos prædictos processus compulsoriales eadem observata esse in curia ac in aliis processibus remissorialibus; prout dictum est supra, art. 2.

Teresia, *a teneris annis pietati*

1182 Secunda pars. Articulus primus. Nata fuit Beata Virgo Teresia in Hispania, in civitate Abulæ, anno Domini 1515, Martii 28, ex nobilibus parentibus, Alphonso de Cepeda et Domna Beatrice de Ahumada, Christianis et legitimis conjugibus; et juxta ritum S. R. E. baptizata, pieque a parentibus educata : ita ut ex ipsa puerili ætate facile conjectari potuerit qualis esset sanctitas futura istius Beatæ Virginis. Cum enim circiter septimum annum ageret, incredibili mentis maturitate cœpit æternam gloriam et pœnam meditari ac mirari; adeo ut sæpius hæc verba repeteret : « In æternum, in » æternum, in æternum. » Quo Dei sensu invalescente, non solum orationi et solitudinis amori fuit intenta, sed (quod in ætate tenella omnino rarum et mirabile est) cum historias Martyrum legeret, in Martyrii desiderium ita exarsit, ut ex pacto cum Roderico puero, ejus fratre germano, a paternis ædibus et de civitate egressa, Africam (*confer num.* 66 *hujus Commentarii*), ut a Saracenis pro Christo jugularetur, petitura, per pontem urbi proximum alacriter iter inchoavit. Quod prosequi statim prohibita a patruo quodam suo fortasse obvio, domum mœstissima rediit. Cæterum redire coacta, quod Martyrii successu obtinere non potuit, multis piis actionibus piisque lacrymis et eleemosynis, quas in suo statu et ætate tenera elargiri poterat, supplere curavit.

atque orationi

1183 Cum vero annum duodecimum impleret, matre orbata, humiliter et enixe deprecata est Beatissimam Virginem et Matrem unigeniti Filii Dei, quod illi loco matris esse dignaretur; quod feliciter obtinuisse creditur. Hoc ipso tempore orationis primitias delibare cœpit, cujus futura erat insignis magistra. Hac ipsa puerili ætate, cum vidisset in tabula pictam Samaritanam sic Christum rogantem : « Domine, da mihi hanc aquam », illius aquæ cœlestis desiderio flagravit, eamque sæpe a Christo Domino efflagitavit, et, ut ab effectibus apparet, copiose obtinuit. De quibus omnibus ut supra deponunt quam plures testes : præsertim sextus testis, fol. 96; et undecimus, fol. 120; et quadragesimus tertius, fol. 225; et quadragesimus nonus, fol. 332 : omnes in processu remissoriali Abulensi super articulis 2 et 3; et testis quadragesimus septimus in remissoriali Salmantino, fol. 625.

se devovendo,

1184 Ex quibus actibus et exercitiis piis Beatæ Teresiæ in sua puerili ætate, facile dignoscitur Dominum nostrum Jesum Christum Ancillam suam, quam ad sublimem sanctitatis gradum promovere decreverat, in pueritia ipsa prævenisse; ut ex his quæ meditabatur et agebat tenera, futuræ sanctitatis excellentia præsagiri valeret. Quod familiare est divinæ Sapientiæ, ut eos quos ad eximiam sanctitatem provehere statuit, ab ineunte ætate peculiari gratia præveniat, et futuram pietatem ab ipsa inchoatione præmonstret. Quod non solum in S. Joannis Baptistæ recessu in eremum, S. Alberti in monasterium Drepanense, sed in aliorum quoque Sanctorum primæva ætate perspicitur. Unde etiam in illa ætate Beatæ Teresiæ considerata, posset apte de illa dici quod de Sancta Virgine Agnete canit Ecclesia : « Infantia computabatur in annis; sed » erat senectus mentis immensa » (*in ejus Officio ad diem* XXI *Januarii, Noct.* 1, *resp.* 1).

Deoque deinde in religioso statu,

1185 Cum autem vigesimum annum his piis exercitiis tradita attingeret, et spiritus sitim in sæculo explere non posset, monasticam vitam aggredi constituit. Et cum ob intensum amorem quo eam pater suus prosequebatur, diffideret ab ipso licentiam obtinere posse, decrevit etiam inscio patre se conferre in eadem civitate ad monasterium monialium Incarnationis Ordinis Mitigati Beatæ Mariæ de Monte Carmelo : prout fecit, ibique habitum ejusdem Religionis

Religionis induit; et maxima cum laude observantiæ et pietatis, post annum expletum, solemnem professionem emisit. Et indies exercens se in virtutibus omnibus, mirifice in illis profecit. Gravissimis namque vexata morbis per aliquot annos, in patientia incredibili laudabiliter se exercuit. Et cum inter alia per decem et octo annos molestissimam spiritus ariditatem invicte pertulisset, quadam die coram vulnerati Christi imagine prostrata, tam fideliter oravit ut ex eo tempore miram in se ipsa mutationem et robur cœperit experiri; ita ut postea, orationi et altissimæ contemplationi dedita, revelationibus et visionibus divinis familiarique Dei conversatione illustrata, felicissimos progressus in virtute fecerit. Cum autem ipsa dubitaret de suo spiritu, qualisnam esset, illum humiliter cum multis viris pietate ac doctrina clarissimis communicavit; quorum accuratissimo examini, ne deciperetur, se subjecit : a quibus omnibus spiritus quo ducebatur fuit unanimiter approbatus.

præsertim vero in restauranda primigenia Carmeli regula,

1186 Cum ergo Beata Teresia divino lumine ac robore in spiritualibus exercitiis aucta mirifice fuisset, et cuperet austeriorem vitæ modum, ut Deo acceptior fieret, cœpit de primitiva Carmelitarum B regula cogitare. Quod ita Christo Domino fuit acceptum, ut die quadam post sumptionem Sanctissimæ Eucharistiæ ei præceperit ut operi cogitato serio incumberet : quod ipsa constanter executioni mandavit; et imprimis in eadem Abulæ civitate monasterium monialium Discalceatarum titulo Sancti Josephi erexit, non obstante turbulentissima commotione, eadem de causa in illa urbe (Deo permittente ad majorem operis perfectionem) excitata. In quo quidem monasterio eadem Beata Teresia cum aliquot virginibus prædictam regulam primitivam professa fuit; regulæque ipsi, ad perfectiorem ejus observantiam, auctoritate apostolica, et in vim litterarum felicis recordationis Pii IV datarum decima septima Julii 1562 (*lege* 1565), statuta alia cœlesti prudentia et pietate plena adjunxit.

egregie famulando,

1187 Excitato autem ab omnipotente Deo in Beata ista Virgine quodam summo desiderio circa propagationem hujus Reformationis, illamque summis precibus ipsa a Deo postulante, post quinquennium ab erectione prædicti primi monasterii venit Abulam R. P. F. Baptista Rubeus de Ravenna, Carmelitarum Ordinis Generalis, qui Beatæ Teresiæ amplissimam facultatem ad nova monasteria tam C monialium quam Fratrum Discalceatorum erigenda concessit. Cujus vigore ex tunc Hispaniam pene totam Teresia Virgo virili animo peragravit, et septemdecim monasteria monialium erexit ac gubernavit : Fratrum vero quindecim fundata reliquit, ac mira prudentia direxit. Meritoque eam tam Fratres quam moniales Fundatricem et spiritualem Matrem totius hujus novæ Reformationis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo appellant, et tanquam talem venerantur.

ad summam pervenisse sanctitatem probatur :

1188 Quanta vero incommoda passa fuerit, quantosque labores et contradictiones in istis itineribus pro fundandis monasteriis sustulerit, quot mirabilia, Deo favente, præstiterit, late describitur per gravissimos viros, qui historiam vitæ hujus Sanctæ Virginis accurate scripserunt. Quæ omnia etsi grandia et mirabilia, maxime in una Virgine paupere et maximis morbis gravata, ita ut quot monasteria fundavit, tot miracula patrasse videatur, nihilominus majora sunt quæ in excellentissimæ planeque divinæ sapientiæ ac heroicarum illius virtutum actionibus divinisque donis eminent: quæ consulto hic omittuntur, cum de illis sigillatim in discursu istius Relationis sit agendum.

1189 Articulus secundus. § I. Sex argumentis thema istius secundi articuli probari demonstrabimus, quæ dumtaxat proponemus, vitandæ prolixitatis gratia.

PER AA. ROTÆ. 1° *E publica populi voce et fama,* D

Primum argumentum. Recte dicitur : « Vox po- » puli, vox Dei » ; quod præsertim verum est in voce populi Christiani Sanctos venerantis, qui nullo humano affectu vel cupiditate boni alicujus temporalis, sed solo pietatis et divini honoris desiderio ductus, sanctitatem perseveranter acclamat. Constat autem Beatam Teresiam in universa Ecclesia, ab Europa usque ad Orientales et Occidentales Indos, jam pridem, et in vita et post mortem, ut Sanctam communi et perseveranti acclamatione celebrari; ut probant centum et septuaginta testes examinati super art. 115 et 116 rotuli : inter quos viri gravissimi, unus videlicet patriarcha, alius archiepiscopus, quinque vero episcopi, et alii in dignitate ecclesiastica constituti.

quam testes omni exceptione majores asserunt;

1190 Ex quibus primus testis Reverendissimus Episcopus Segoviensis, D. Petrus de Castro, confessarius istius Virginis, super eodem articulo 116 in processu remissoriali Toletano, fol. 807, dicit quod fuit habita pro Sancta, non quomodocumque, sed in gradu multum sublimi et superiore, nedum inter gentem gravem, sed etiam popularem : et isto nomine Sancta ab omnibus fuit vocata. Et Reverendissimus Episcopus Abulen. D. Laurentius de Otaduy, sexagesimus quintus testis in remissoriali Abulensi, fol. 534, super art. 116 ait quod habet et tenet dictam S. Matrem pro Sancta, cum sanctitate valde eximia et extraordinaria, et tamquam a tali a multis annis petit intercessionem ad Deum Dominum nostrum quotidie. Item inter proceres excellentissimus dux de Lerma et excellentissimus comestabilis Castellæ, et excellentissimi dux et ducissa Albæ, dux et ducissa del Infantado, comites de Lemos, de Luna, de Salinas, de Peñaranda, et alii equites et nobiles, regiique consilii præsidentes et consiliarii, et alii quamplurimi : qui eam ubique terrarum Christianæ reipublicæ cum generali veneratione et acclamatione Sanctam vocant, et vocari ab omnibus affirmant in suis depositionibus; et quod illius carnem, vestes, litteras ab ea scriptas, aliaque similia quæ istam Virginem Sanctam tetigerunt, pro Reliquiis Sanctæ venerantes et in magna æstimatione conservantes, universaliter illius intercessionibus apud Deum se ipsos commendant. Ex hac igitur universali ac perseveranti acclamatione F populi Christiani, credendum esse videtur hanc esse vocem Dei, qua Beatæ Teresiæ sanctitatem probat.

2° *Ex testimoniis S. Petri de Alcantara,*

1191 Secundum argumentum desumitur ex tot gravissimis vitæ et doctrinæ integritate clarissimis viris, qui Beatæ Teresiæ sanctitatem ipsiusque spiritum explorarunt. Constat enim quod inter alios fuerunt triginta octo, a quibus fere omnibus, post factam cum eis Confessionem, diversis in locis et temporibus, spiritus Beatæ Teresiæ divinus fuit judicatus. Nam cum Dei favores et beneficia in ea multiplicarentur, et Serva Dei magis formidaret ne a dæmone deciperetur, humiliter prædictos viros, qui in Hispania doctrina et sanctitate florebant, consuluit. Inter quos, brevitatis causa, tantum aliquos annumerabimus. Et in primis R. P. F. Petrum de Alcantara Ordinis S. Francisci, qui sanctitate vitæ, austeritateque incredibili et oratione sublimi nostra ætate in Hispania floruit, sicque Fratrum Minorum reformationem labore et industria sua mirifice promovit. Qui eo usque Beatam Virginem Teresiam coluit, ut duo multum mirabilia de illa dicere soleret : unum nempe, Teresiæ animum procul dubio esse unum ex his qui

in

PER AA. ROTÆ.

in universo terrarum orbe eximia sanctitate splenderent; alterum vero notatu dignius, quod, exceptis Catholicæ fidei assertionibus, nihil sibi certius quam quod Teresiæ spiritus esset divinus. Cujus quidem mirabilis censendi modus merito fuit ponderatus a gravissimis historicis illum referentibus, videlicet a R. F. D. Didaco de Yepes, episcopo Tirasonensi, et a R. P. Francisco Ribera Societatis Jesu, in libris de vita et virtutibus Beatæ Teresiæ editis.

S. Francisci Borgiæ, Ven. Joannis de Avila,

1192 Item P. Franciscum Borgia, Societatis Jesu Generalem, et prius ducem Gandiæ, genere clarissimum, tantoque magis rarum exemplum mundi contemptus, orationis et contemplationis magnum magistrum, vitæque sanctitate conspicuum : qui non modo spiritum Beatæ Teresiæ absque ulla exceptione probavit; verum adeo illam veneratus fuit ut frequenti litterarum officio devotissime salutaverit. R. P. M. Joannem de Avila, virum vere apostolicum, et hac tempestate per totum orbem vitæ sanctitate, discretione spirituum, doctrinæ gravitate celebrem : qui epistola quadam eruditionis divinæ plena spiritum Beatæ Teresiæ probat; quam refert præfatus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, ubi crebro verba hujusmodi repetit, nempe: « Nihil non tutum invenio : verba a Deo inspi- B » rata mihi videntur », et hujusmodi alia.

Bañezii, Medinæ,

1193 P. M. F. Dominicum Bañez Ordinis Prædicatorum, apud omnes notissimum ob scripta gravissima, Salmanticensis cathedræ primariæ theologiæ prælectorem : qui Beatam Virginem Teresiam (cujus confessarius fuerat, ipsiusque spiritum per annos circiter viginti quatuor accuratissime exploraverat) tanti fecit ut, cum in ejus funere concionem ad populum haberet, palam inter alia dixerit se existimare Beatam Virginem Teresiam Beatæ Catharinæ Senensi sanctitate æqualem esse, Catharinæ vero ipsi divina suorum librorum doctrina antecellere; ut probat vigesimus secundus testis super art. 74 in remissoriali Salmantino, fol. 345, et affirmat præfatus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis in sua historia, § 2 prologi : qua quidem laude vix ulla major ab homine gravissimo proferri potuit. P. M. F. Bartholomæum de Medina ejusdem Ordinis Prædicatorum, Salmanticensis item academiæ celeberrimum primariæ theologiæ prælectorem et S. Thomæ doctissimum commentatorem : qui, cognito spiritu diligentissimeque explorato Beatæ Teresiæ, ejusque scriptis perlustratis, ab eaque Confessione generali audita, et C miratus est et acerrimus defensor ipsius evasit, dicereque solebat, experimento convictus, nullam omnino aliam in orbe terrarum Teresiæ parem vitæ sanctitate reperiri; ut probant trigesimus sextus testis super art. 17 in remissoriali Abulensi, fol. 226, et Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, ubi supra.

Riberæ et Yepesii;

1194 Patrem supradictum doctorem Franciscum Ribera e Societate Jesu, virum doctissimum et inter Sacræ Scripturæ nostra ætate interpretes insignem : qui (ut ipse in sua depositione affirmat), facto prius diligentissimo examine spiritus Beatæ Teresiæ, dum viveret, et post ejus felicissimum obitum accuratissima adhibita diligentia, ejus vitam heroicis virtutibus refertam contexuit ac in lucem edidit; in qua illius spiritum plane divinum et summis laudibus extollit et efficacissimis argumentis demonstrat. Nec omittendus (inter alios amplissimos antistites, qui, facto periculo, Beatam Teresiam summopere laudarunt ejusque spiritum approbarunt) prædictus R. F. D. Didacus de Yepes, episcopus Tirasonensis, vir pietate atque doctrina illustris, ac pro tali a Philippo II rege Catholico in suum confessarium electus : qui etiam per annos D multos Confessiones Beatæ Teresiæ audivit; cujus spiritu explorato, tam in sua depositione sub juramento facta quam in libro prædicto de vita et miraculis Beatæ Teresiæ, illam ejusque spiritum divinum non minus docte quam pie et fideliter laudavit et approbavit. Cum igitur sanctitas Beatæ Teresiæ a supradictis aliisque pluribus sapientissimis et gravissimis viris explorata, valde laudata et approbata fuerit, necesse videtur firmandum hujusmodi sanctitatem fuisse veram et solidam.

3° Ex ipsa ejus Reformatione;

1195 Tertium argumentum deprehenditur ex eo quod divina providentia Ecclesiæ universalis Patres et Magistros, hoc est Apostolos, eximia sanctitate adeo provexit, ut juxta Sanctum Thomam in Epist. ad Eph. c. 1, lectio. 3, temerarium sit Sanctos alios Apostolis æquare; ita, proportione servata, monasticorum Ordinum Patres sive Fundatores insigni vitæ sanctitate exornat, quæ filiorum ipsorum perfectionem excedat. Quod multis exemplis, puta SS. Basilii, Benedicti, Augustini, Bernardi, Dominici, Francisci, Alberti et aliorum monasticæ disciplinæ Institutorum vel Reformatorum, notatur. Sic quippe perfici debent qui ad alios perficiendos electi sunt. Cum ergo Beata Teresia a Deo Domino E nostro electa fuerit ut Religionem istam ad perfectionem vitæ laudatissimam reformaret, ejusdemque Religionis novam Reformationem, Discalceatorum nuncupatam, introduceret, in qua multi utriusque sexus spectatæ sanctitatis claruerunt et clarescunt (ut omnibus est notum, et probant inter alios quam plurimos primus testis episcopus Calagurritanus in remissoriali Toletano, fol. 641, et trigesimus sextus testis archiepiscopus Burgensis, fol. 1056), ad divinam profecto providentiam pertinuisse dicendum videtur, ut Virginem Teresiam tali sanctitatis excellentia insigniret qua perfectorum filiorum digna Parens et Magistra esse valeret.

4° E libris ab ea

1196 Quartum argumentum elicitur ex quatuor libris spiritualibus et plane divinis, quorum aliquos confessariorum suorum jussu, aliquos etiam particulari Christi revelatione, Beata Teresia conscriptos reliquit, qui præ manibus habentur. Primus scilicet de Vita ejusdem Beatæ, suo confessario P. F. Garciæ de Toledo Ordinis S. Dominici directus; qui nihil est aliud quam ab ineunte sua ætate usque ad Abulensis primi monasterii institutionem quidam vitæ discursus, affectionibus divinis, quas patiebatur, refertus. Secundus Iter perfectionis inscribi- F tur; quem præcipiente præfato P. F. Dominico Bañez, suo confessario, scripsit. Tertius vulgo inscriptus Castellum interius sive Mansiones; quem ex mandato doctoris Velasquez, sui confessarii, episcopi postea Oxomensis et denique archiepiscopi Compostellani, Toleti incepit et Abulæ absolvit. Quartus de suorum monasteriorum Fundationibus; quem jussu sui confessarii P. Hieronymi Ripaldæ e Societate Jesu composuit. Quibus perlectis, clarissimi omnium Ordinum theologi Beatæ Teresiæ sapientiam admirantur, et facilem mysticarum passionum explanationem adeo obstupescunt, ut rarum genus sapientiæ eis videatur, quod de mystica theologia Patres obscure ac sparsim tradiderunt, a Virgine aliqua in methodum tam perspicue atque concinne fuisse redactum; meritoque illam quasi spiritualis doctrinæ Magistram Ecclesiæ a Deo datam prædicant, convicti scilicet experientia divinæ lucis et piorum affectuum quos ex illius libris hauriunt : ut probant octuaginta quinque testes super articulis 54 et 56, omnes fere gravissimi et doctissimi viri; qui testantur communiter doctrinam horum librorum non esse hominis, nec minus mulieris

A ris litterarum ignaræ, sed Dei, et ut aliqui subdunt, non acquisitam, sed infusam et a Spiritu Sancto dictatam, maximæque utilitatis fuisse et esse, mirosque effectus ex eorum lectione in Ecclesia Dei consecutos et indies consequi.

cum singulari Dei auxilio conscriptis;

1197 Inter quos testes, brevitatis causa, sufficiant tres supra nominati gravissimi præsules : nempe Reverendissimi Episcopi Tirasonensis, Calagurritanus et Segoviensis, super articulis prædictis deponentes. Et quod ipsa Beata Teresia sua propria manu, et non aliena industria seu alicujus alterius humano studio, istos libros scripserit, probant testis quadragesimus nonus in remissoriali Abulensi, fol. 354, et quadragesimus septimus in secunda parte remissorialis Salmantini, fol. 629 a tergo, et septimus testis in 4 p. Toleti, fol. 1689, addens quod, quando scribebat librum de Mansionibus, vidit illius vultum cum quadam luce valde clara, et quod ex eo exibant splendores, uti radii deaurati, per spatium unius horæ. Et vigesimus primus testis in eadem 4 p. dicit quod scribebat cum magna velocitate, non sistendo in aliquo; et quod quadam vice vidit illam scribere cum vultu inflammatissimo et formosissimo. Sunt et alii plures testes, addentes

B aliqui scripta originalia horum librorum in magna æstimatione ac veneratione fuisse et esse apud regiam bibliothecam Sancti Laurentii del Escurial, ibique Philippum II, regem Catholicum, devotione et pietate erga istam Beatam Virginem ductum, et illos libros, una cum originalibus quibusdam S. Augustini repositos, tanquam Sanctorum Reliquias fidelibus in veneratione esse. Constat etiam et est valde notum illos ad communem fidelium utilitatem ex lingua hispana, in qua a Beata Teresia fuerunt conscripti, diversis idiomatibus versos fuisse, videlicet latino, italico, gallico, germanico, flandrico et polono. Cum igitur Deus misericors Beatam Teresiam Ecclesiæ illuminandæ et pietate augendæ destinaverit, omnino sentiendum videtur Deum ipsum, qua solet sui communicatione, et illam prius excellenter illuminasse et sanctitate insigni condecorasse.

5° Ex miraculis;

1198 Quintum argumentum conficitur ex multis magnisque miraculis intercessione istius Beatæ Virginis a Deo operatis. Quorum aliqua Sanctitati Vestræ in Relatione miraculorum firmata et approbata proposuimus. Et cum miracula sint Dei sigilla, et licet illa nonnumquam Deus (malis utens

C bene) per peccatores operetur, numquam tamen ad confirmationem alicujus peccati vel erroris a Deo operantur. Sigillum enim Dei (qui est ipsa munditia et sapientia) peccato vel errori imprimi nequit. Unde D. Tho. 2. 2, quæst. 178, art. 2, docet miracula quæ fiunt ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis, non posse effici nisi a Sanctis. Cum igitur Deus tot et tam illustria miracula, in demonstrationem sive attestationem sanctitatis Beatæ Virginis Teresiæ ancillæ suæ, illius meritis et intercessione operatus fuerit, absque ulla hæsitatione affirmandum videtur ejus sanctitatem multis Dei sigillis obsignatam et probatam fuisse.

6° Ex gratiis gratis datis.

1199 Sextum argumentum adstruitur ex pluribus donis et gratiis gratis datis, huic Beatæ Virgini a Deo collatis : scilicet ex dono prophetiæ et gratia discretionis spirituum, ex divinis revelationibus ac visionibus, et ex raptibus frequentibus aliisque hujusmodi, quæ probantur per plurimos testes doctissimos et gravissimos. Quorum aliqui fuerunt confessarii Beatæ Teresiæ, et infra (suis propriis locis), cum de his donis et gratiis in specie agetur, referentur. Quæ quidem dona, licet seorsum accepta sanctitatem efficaciter non probent, ex circumstantiis tamen personæ et fructibus pictatis D subsecutis talem sanctitatis persuasionem generant, ut nullus mentis compos ac pius aliud quam excellentem sanctitatis gradum de Beata Teresia credere posse videatur.

PER AA. ROTÆ.

§ LXI. De sanctitate vitæ B. Teresiæ in specie. De virtutibus ejus theologalibus.

Sanctitate ad canonizationem requisita

§ II. Sanctitas dupliciter sumi potest. Primo (teste D. Thom. 2. 2, quæst. 81, art. 8) sanctitas est per quam mens hominis se ipsam et suos actus applicat Deo; nec tantum refert in Deum debitum famulatum in specialiter pertinentibus ad cultum divinum, sacrificia et oblationes, prout religio, sed etiam aliarum virtutum opera. Secundo sumitur sanctitas non ita stricte pro specie una dumtaxat, qualis est religio, sed pro excellenti gradu gratiæ E gratum facientis, virtutum et donorum Spiritus Sancti. Quæ omnia ad hominem justificandum, ac proinde ad eumdem sanctificandum, requiruntur, juxta Concilia et theologorum sententiam. Et perspici potest ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7; ubi justificatio appellatur sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Quæ sanctificatio et justitia augetur, cum augentur fides, spes et charitas cæteræque virtutes. Ad tradita in eodem Concilio, dicta sessione 6, can. XI, ubi de gratia et charitate fit mentio, quarum incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat dicens : « Da nobis, Domine, fidei, spei et chari- » tatis augmentum. » Et S. Thom. 1. 2 et 2. 2, pluribus in locis, accurate disserit de gratia et virtutibus ac donis, quæ homini, dum justificatur, infunduntur, et, succedentibus meritis, usque ad perfectam sanctitatem augentur. Et quamvis quilibet justus totam illam gratiæ, virtutum et donorum connexionem a Deo recipiat, non tamen quilibet justus ad eum pertingit gradum quem ad canonizationem Ecclesia requirit, sed qui multis progressibus excellenter heroicarum virtutum exercitio justus evasit. Itaque ad hunc effectum F virtutes heroicæ in canonizandis requiruntur; ut probatur in Relatione canonizationis Sancti Bonaventuræ, per Joannem Franciscum de Pavinis Rotæ auditorem facta, et habetur inter Opuscula Sancti Bonaventuræ in principio.

prædita fuit Teresia.

1201 His itaque suppositis, virtutes Beatæ Teresiæ adeo creverunt ut dictum heroicum gradum attigisse judicaverimus, et quod merito censeri debeant ex illo genere virtutum quas D. Thom. 1. 2, quæst. 61, art. 5, virtutes purgati animi appellat, his verbis : « Quædam vero sunt virtutes » jam assequentium divinam similitudinem, quæ » vocantur virtutes jam purgati animi : ita scilicet » quod prudentia sola divina intueatur, tempe- » rantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo » passiones ignoret, justitia cum divina mente per- » petuo fœdere societur, eam scilicet imitando. » Quas quidem virtutes dicimus esse Beatorum » vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. » Hæc S. Thom. In istarum vero virtutum excellentis vitæ Beatæ Teresiæ narratione servabimus ordinem in principio istius Relationis descriptum. Et cum jam de virtutibus in genere, necnon de

PER AA. ROTÆ.

A nativitate et de indiciis futuræ sanctitatis, progressibusque in virtute a sua tenera ætate, duobus præcedentibus articulis compendiose egerimus, nunc de virtutibus et donis istius Beatæ in specie erit sermo, incipiendo a tribus virtutibus theologalibus, fide, spe et charitate, et prius de fide.

Heroicæ fidei ejus indicia sunt

1202 Articulus tertius. Juxta D. Paulum ad Hebræos cap. 11 « Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. » Dicitur vero argumentum, quia per illud inducitur intellectus ad inhærendum alicui veritati, ut docet S. Thom. 2. 2, quæst. 4, art. 1. Et hinc est quod fides sit virtus intellectualis, qua firmiter et absque ulla dubitatione intellectus adhæret his quæ nobis sunt a Deo revelata, propter solam Dei auctoritatem, cui intellectum nostrum captivamus. Cum autem Beatæ Teresiæ intellectus rebus fidei adeo firmiter adhæserit, et propter solam Dei auctoritatem adeo enixe illi rebusque fidei intellectum suum captivaverit, ut ex sequentibus patebit, necessario erit affirmandum excellenti fide in gradu heroico præditam fuisse. Quod nobis suadetur.

constans erga Ecclesiam affectus,

B 1203 Primo, quia orta fuit a parentibus non solum nobilibus (ut diximus), verum etiam fidelibus et antiquis Christianis, qui et a talibus descenderunt; quod maxime interest ut facilius ac firmius filii eamdem fidem induantur. Quam Beata Teresia, dum vixit, firmissime habuit et credidit, et in ea usque ad ultimum vitæ spiritum perseveravit, tanti in suo felicissimo transitu Fidem Catholicam æstimans, ut in illo articulo mortis præ gaudio et consolatione interiori sæpius gratias Deo redderet, quod illam in Ecclesiæ suæ Sanctæ filiam adoptasset, hæc eadem verba proferens, et alia similia maximæ consolationis et fiduciæ, cum magna adstantium ædificatione, nempe: « Sum certe, mi Domine Deus, » Ecclesiæ filia »; ut probant plures testes de visu et certa scientia, quos in Relatione miraculorum art. 3, cum de illius felicissimo obitu ageretur, adduximus.

frequens fidei confessio exterior.

1204 Secundo, ad idem inducimur ex exteriori confessione fidei, sæpissime et enixe a Beata Teresia in discursu vitæ suæ facta. Quæ exterior confessio ordinatur ad significandum id quod corde concipitur. Unde, teste D. Tho. 2. 2, q. 3, art. 1, sicut conceptus interior eorum quæ sunt fidei, est proprius actus fidei, ita etiam et exterior confessio. Unde Apostolus, 2 Corinth. 4, dicit: « Habentes eumdem
C » spiritum fidei credimus, propter quod et loqui» mur. » Si autem consideramus quæ circa istam confessionem fidei sæpe sæpius in suis libris scripta reliquit Beata Teresia, satis illam probatam habebimus. Probat enim præfatus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, confessarius istius Beatæ Virginis, in prædicta historia vitæ illius, lib. 3, c. 28, affirmatque illam circa mysteria nostræ fidei habuisse maximam quamdam certitudinem; ita ut nihil, quantumvis clarum et evidens, adæquare valeret certitudini quam circa veritates infallibiles nostræ fidei ipsa habebat. Quod ipsamet in quadam relatione vitæ scriptum reliquit his verbis: « In » rebus fidei, meo videri, me ipsam invenio cum » multo majori fortitudine. Videtur enim mihi » quod contra omnes Lutherum sequentes ego sola » me opponerem, ut illos facerem intelligere erro» rem in quo ambulant: admodum enim sentio » perditionem tot animarum. » Et in exclamatione quarta sic loquitur cum Deo Domino nostro: « Velis tu, Domine mi, velis quod, licet sim mise» rabilis, firmiter credo quod tu potes quidquid » vis; et dum mirabiliora a te facta audio, et consi» dero quod ad magis tua se omnipotentia exten» dit, magis in me fides fortificatur, et firmius D » credo quod tu facies. Et quid mirandum, dum » Omnipotens faciat? Bene, Domine, tibi notum » est quod inter omnes meas miserias nunquam » defui in cognitione tuæ omnipotentiæ et miseri» cordiæ. Hoc, Domine, me adjuvet, in quo non » peccavi. » Et in alio loco sic loquitur: « Habeo » pro certo quod dæmon non decipiet (nec Deus » quidquam tale permittet) illam animam quæ de » se in nihilo confidit et est fortiter in fide munita, » et quæ in se ipsa cognoscit quod pro unico pun» cto fidem concernenti millies mortem subibit, et » quæ cum isto amore erga fidem quam Deus illi » infundit (quæ est quædam fides viva et fortis) » semper curat sequi quod tenet et sequitur San» cta Mater Ecclesia. » Et in cap. 33 Relationis suæ vitæ affirmat scire de se quod in rebus fidei pro quavis minima cæremonia Ecclesiæ vel quavis auctoritate Scripturæ Sacræ millies vitam tradere parata erat. Quod etiam verbo absque scriptis sæpius confessa fuit: ut probant primus testis, ipsius confessarius, in processu compulsoriali Abulensi super 4, fol. 19; et quadragesimus nonus testis in remissoriali Abulensi, fol. 369; et secundus testis in 1 p. remissorialis Toletan. super art. 75, fol. 491. E

desiderium ardens fidei propagandæ,

1205 Tertio, idem sumitur ex immenso desiderio propagandæ fidei, quo flagrabat, valde dolens vices hæreticorum et infidelium, qui carentes hac divina luce, damnabantur. Et cum huic zelo, et fidei exaltationi apud ipsos hæreticos et infideles, videret seipsam tanquam mulierem operam dare non posse, fecit quantum potuit, fundando et erigendo tot ecclesias et monasteria Fratrum et monialium istius sacræ Religionis (non absque divino consilio) tali intentione et fine, præcipue ut in illis regula primitiva Beatæ Mariæ de Monte Carmelo cum perfectione observaretur, et quod assidua oratione, jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus in præfata regula contentis Christus Dominus a suis religiosis summe coleretur, sicque divino servitio traditi magis acceptabiles et grati essent Deo; quorum deprecationes et pœnitentiæ opera offerebat ipsa et in sua Religione offerri curabat pro exaltatione Sanctæ Fidei, conversione hæreticorum et infidelium, et pro prædicatoribus ac defensoribus ejusdem Fidei Catholicæ. Et quanta efficacia et lacrymis hoc desideraverit, videre licebit scriptum in libro ab ipsa relicto, intitulato: « Iter perfectionis », c. 1, et in quadam exclamatione sic suas filias alloquitur: F « Peto a vobis amore Dei, ut ab ipso efflagitetis » quatenus dignetur in hoc nos exaudire. Id ego li» cet miserabilis ab ipso etiam peto, siquidem con» cernit gloriam suam et bonum ipsius Ecclesiæ: eo » enim mea desideria tendunt. » Et paulo inferius dirigens verba in Deum, sic alloquitur: « Domine, » quando a te petierimus honores, reditus aut divi» tias, aut quidquid sapit mundum, nullatenus nos » exaudias: sed quando petimus a te quæ concer» nunt honorem Filii tui, æterne Pater, quare non » exaudias nos, millies tradituras honorem et vi» tam pro te? » Et paulo inferius: « Respice, Deus » meus, desideria mea et lacrymas, quibus hoc a te » efflagito: et ob te ipsum operum obliviscere » meorum, et miserere tot pereuntium animarum, » et adjuva Ecclesiam tuam; nec amplius, Domine, » permittas damna in Christianismo. Illumina jam » tenebras istas. » Et quantum in hoc zelo propagandæ fidei salutisque animarum Beata Teresia præstiterit (ultra testes relatos, et maxime confessarios illius, præsules et viros gravissimos), late firmarunt ejusdem Beatæ vitæ historici, videlicet Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, in loco supra

A supra citato, et P. Doctor Franciscus Ribera, lib. 4, c. 9.

mirabilis amor et cognitio mysteriorum,

1206 Quarto, apparet Beatam Teresiam eo firmius et securius mysteriis fidei adhæsisse quo ea sublimiora et obscuriora sibi videbantur. Dicebat enim (ut in libro suæ Vitæ scribit) Dei sapientiam et potentiam eo altius demonstrari quo altiora essent mysteria; et ex hac consideratione quemdam affectum tenerum et devotionem excitatam in se cognoscebat : ut de prædictis deponunt testis trigesimus septimus in remissoriali Salmantino super art. 75, fol. 449; et in 2 p. remissorialis Toletani primus testis, Reverendissimus Episcopus Segoviensis, confessarius Beatæ Teresiæ, fol. 807; et in prima parte ejusdem remissorialis Toletani vigesimus tertius testis, confessarius etiam, fol. 141; et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus septimus, fol. 310, et testis quadragesimus nonus, fol. 369: omnes super articulo 75. Ex quibus patet firmissimam intellectus adhæsionem sive assensum fidei veritati præstitum a Beata Teresia, quin et voluntatem illius vehementer affectu pietatis inde exorto commotam : quale legitur de Sancto Augustino recenter converso et fidei veritatem considerante,
B in libro Confessionum cap. 6. Et simul cum ista fidei certitudine, erat tanta cognitio quam habebat Beata Teresia mysteriorum Catholicæ Fidei, quod (ut notat Reverendissimus Tirasonensis, ubi supra) quasi alter Moyses inspiceret Deum invisibilem, fide adeo viva ac si illum clare vidisset. Unde eadem Sancta sæpe dicere solebat se non invidere illis qui in hac vita oculis corporeis viderunt Christum Redemptorem nostrum : videbatur enim ipsi quod oculis fidei ipsum præsentem in Sanctissimo Sacramento altaris intuebatur, ita ut quantum ad hoc gaudebat illius præsentia corporali. Ex qua fidei certitudine et evidentia rerum illius, quasi illas oculis corporeis videret, desumitur habuisse gratiam gratis datam quam vocat D. Paulus (1 Cor. 12) gratiam fidei : et ex cognitione altissimorum mysteriorum fidei, et convenientiæ quam inter se habere intellexit, dignoscitur effectus doni intellectus, quod clarificat et perficit valde ipsam fidem; et quanto magis participabat donum istud, tanto magis in ea augebatur clara cognitio istarum fidei veritatum.

immunitas a tentationibus contra fidem,

1207 Quinto, facit ad idem ipsam Beatam Teresiam nunquam tentationem contra fidem habuisse.
C Sic testatur Reverendissimus Tirasonensis, ejus confessarius, loco supra citato. Timuit autem adeo ipsamet ne quid Catholicæ Fidei adversum vel parum consonum ex ignorantia diceret aut scriberet, ut sollicite suos confessarios et spiritus examinatores precaretur, admonerent ipsam, si quid ejusmodi animadverterent. Quin etiam aliquando se ipsam Sanctæ Inquisitionis officio examinandam offerre cogitavit, ut nihil non purum in fidei doctrina forsitan obreperet; ut probat nonus testis in compulsoriali Abulensi super quartum articulum, fol. 182, et affirmat præfatus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, loco supra citato.

excellens caritas.

1208 Sexto, ut ex infra dicendis suo loco apparebit, Beata Teresia excellenti charitate præstitit. Sed sic est quod charitas est forma fidei : per illam enim actus fidei formatur ac perficitur, juxta D. Thom. 2. 2, q. 4, art. 3. Actus etiam fidei ordinatur ad objectum voluntatis, quod est bonum, sicut ad finem; hoc autem bonum, quod est finis fidei (scilicet bonum divinum), est proprium objectum charitatis : et ideo charitas dicitur forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur et formatur, ut notat ipse D. Thom. ubi supra. Ex quibus elicitur Beatam Teresiam excellentissimam fidem habuisse, sicut et formam ejusdem virtutis, quæ est charitas, qua in gradu heroico (ut infra dicetur) fuit prædita. PER AA. ROTÆ. D

Spes ejus heroica fuisse ostenditur

1209 Articulus quartus. Spes est virtus theologica, qua homo a Deo, ut primario et præcipuo auctore, æternam beatitudinem sperat : S. Thom. 2. 2, q. 17, art. 1, 2 et 4; juxta illud Apostoli ad Hebræos 6 : « Habemus spem incedentem ad inte» riora velaminis », hoc est : « Incedere facientem » ad beatitudinem cœlestem », ut Glossa exponit. Quibus ex verbis patet hoc esse proprium spei ut hominem Deo fidentem per viam salutis incedere et erecto corde obstantia quæque superare faciat. Quod in Beatæ Teresiæ actibus apertissime dignoscitur, et apparet ex sequentibus.

ex perfecto modo sperandi,

1210 Primo, perfecta spes desumitur ex perfecto modo sperandi, qui consistit in duobus : scilicet quod sit in solo Deo, et ex toto corde. Unde dicitur Proverb. 3 : « Habe fiduciam in Domino » ex toto corde tuo. » Et ut significaretur esse in solo Deo sperandum, additur : « Et ne innitaris » prudentiæ tuæ. » Et Hieremiæ cap. 17 dicitur : « Maledictus homo qui confidit in homine. » Et hunc modum perfectum sperandi explicat D. Thom. 2. 2, q. 17, art. 4. Ut enim quis dicatur sperare in E solo Deo, oportet ut solum ipsum Deum speret tamquam finem; reliqua vero creata bona tantummodo amet et speret quatenus sunt necessaria vel magis conducentia ad bonum æternum consequendum. Sed quod Beata Teresia speraverit in solo Deo, et ex toto corde suo, nullatenusque innixa prudentiæ suæ aut viribus suis, probant quam plures testes, et bene ex ejusdem verbis descriptis in Relatione illius vitæ, pagina 195, demonstratur, cum dixit ipsa verba hæc : « Omnia mihi desint, mi Domine, » at si tu mihi non desis, ego tibi minime deero. » Omnes doctrina insignes mihi adversentur, creaturæ omnes me persequantur, dæmones me tor» quеant, dummodo tu, Domine, mihi adsis. Ex» perientia enim perspectum habeo quanto augeas » lucro eos qui in te solo confidunt. » Et tanta erat istius Sanctæ Virginis fiducia in solo Deo ut homines illorumque favores quasi nihilum reputaret; ut in alio loco Relationis vitæ suæ demonstravit his verbis : « Usque nunc mihi videbar habere » indigentiam aliorum, habebamque fiduciam » in adjutorio mundi; nunc vero clare intelligo » vanum esse in illis sperare : habeo enim experi» mentum, quod unicum et verum remedium est F » accurrere ad crucem, et confidere in illo qui in » ea passus fuit, quem invenio verum amicum. » Et in ultima suarum Exclamationum, fol. 769, his notatu dignis verbis eam et totum librum finivit : « Malo vivere et mori in spe et conatu vitæ æternæ » consequendæ, quam possidere omnes mundi » creaturas omniaque illius bona, quæ tandem » finem habitura sunt. Ne me derelinquas, quæso, » Domine, quia in te confido, ne spes mea confun» datur. Et dummodo ego semper tuo sim divino » servitio tradita, fac, Domine, cum famula tua » secundum tuum divinum placitum. » Quantumque ex toto corde in Deo solo confiderit Beata Teresia, late tradit præfatus Reverendissimus Tirasonensis, ipsius confessarius, ubi supra, lib. 3, cap. 11 et cap. 22 circa finem.

ex præclara in sperando securitate,

1211 Secundo, est efficax argumentum istius in Deo solo perfectissimæ spei, magna securitas absque ulla dubitatione aut hæsitatione, et certitudo excludens omnem timorem vanum et sollicitudinem superfluam, juxta S. Thom. 2. 2, q. 118, art. 4, et juxta illud Apostoli 2 Tim. 1 : « Scio cui » credidi, et certus sum quia potens est depositum » meum

PER AA. ROTÆ.

A » meum servare in illum diem. » Et ab hac vana sollicitudine procurabat Christus Redemptor noster liberare Apostolos suos (Matthæi cap. 6), fundando in illis spem perfectissimam, quando dicebat : « Ne » solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis », etc. Ex quibus quantum splenduerit Beata Teresia, in solo Deo perfectissimam suam spem collocando, satis deprehenditur ex quamplurimis locis prædictæ Relationis vitæ suæ, nec non ex historia de Fundationibus suorum monasteriorum; ubi mira et notatu dignissima circa hanc virtutem spei ac maximam ejus in Deum confidentiam sparsim inveniuntur : et probant plures testes, præsertim Christianus Pater Julianus de Avila, ejus confessarius et socius in itineribus, quando ad fundanda monasteria se conferebat, qui tamquam testis oculatus late et optime circa hæc deponit, ut in compulsoriali Abulensi, fol. 192, 202 et 203; et quadragesimus nonus in remissoriali Abulensi, fol. 370; et trigesimus septimus in remissoriali Salmantino, 1 p., fol. 449; et in compulsoriali Toletano decimus testis, confessarius Beatæ Teresiæ, fol. 77.

ex assiduo ad Deum recursu,

B 1212 Tertio, istius perfectæ spei indicium elicitur, si quis indigens aliqua re, statim ad illum in quem sperat, confugit, illumque interpellat : ut bene colligitur ex dicto cap. 3 Proverb. supra citato, ubi, postquam dicitur : « Habe fiduciam in » Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris pru- » dentiæ tuæ », statim subditur : « In omnibus » viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus » tuos. » Quod clarissime reperitur in Beata Virgine Teresia; quæ cum in solo Deo ex toto corde perfectissimam spem haberet, ad solum Deum in omnibus suis necessitatibus et laboribus accurrebat, ab ipsoque solo adjutorium in suis necessitatibus et periculis sperabat. Quod præter probationem multorum testium id affirmantium evidenter constat ex discursu totius vitæ Beatæ Teresiæ, et ponderatur optime ab ipsius gravissimis historicis, referentibus casus particulares, in quibus recursum ad solum Deum in majoribus periculis Beatam Teresiam habuisse dicunt, præsertim cum itinerum discrimina imminerent : ut, cum Abula Salmanticam pergeret, nox tenebrosa et obscurissima ad fluminis ripam supervenit; præsensque periculum itineris comites adeo terruit, ut, fluvium trajicere non audentes, attoniti hærerent. Tunc illa, firmissima in solo Deo spe roborata, ait : « Trajicite,

C » Deum orate. » Mox autem ipsa prima periculum aggressa est; statimque, quasi fax quædam aliquantulum distans, præire ac prælucere miraculose visa est, donec omnes incolumes transierunt. Quem et alios perfectissimos actus spei et confidentiæ in Deum referunt Reverendissimus Tirasonensis, loco citato, et P. Ribera, lib. 4, cap. 14; et probant de visu decimus nonus testis in remissoriali Toletano, fol. 129, et duodecimus in compulsoriali Abulensi, fol. 224 a tergo.

ex rerum speratarum difficultate,

1213 Quarto, perfectissimæ spei argumentum clarius desumitur, quantum difficilior est res quæ speratur. Unde Paulus (ad Romanos 4) probat spem Abrahæ fuisse excellentem, in hæc verba : « Qui » contra spem in spem credidit »; et infra : « Et » non infirmatus est fide, nec consideravit corpus » suum emortuum, cum jam fere centum esset » annorum. In repromissione etiam Dei non hæsi- » tavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans » gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque » promisit, potens est et facere. » Sed sic est quod Beata Teresia in difficillimis perfectissimam suam spem probavit. Id apparet primo in erectione cordis ad tentandam istius Religionis reformationem. Quod fuit proculdubio mirabile et opus summe D difficile, præsertim peragendum a muliere paupere, ægrota, sola et in monasterio clausa. Et tanto res fuit difficilior quanto validiora invenit impedimenta obstantia et contradictiones, maxime in erectione primi monasterii Abulæ, et postea fere in cæteris omnibus aliis fundationibus, omni humano auxilio destituta et pluribus periculis exposita, diversas provincias peragrando. Quæ omnia quam difficilia sint, etiam in homine potentissimo et viribus favoribusque munito, quis ignorat? Quanto ergo difficiliora in muliere paupere, ægra et sola, ut diximus? Nihilominus nunquam in medio tot difficultatum et contradictionum periculorumque huic Sanctæ Virgini defuit firmissima spes in solo Deo, et ex toto corde : nulla illam adversitas fregit, nihil nisi culpam timuit, et (encomio Abrahæ digna) in spem contra spem credidit; illaque sola spe munita, omnia prædicta tentavit, curavit agere, et omnino perfecit : ut de omnibus prædictis apparet in libro Fundationum prædictorum monasteriorum, ab ipsamet Beata conscripto; et deponunt quam plures testes de visu et certa scientia, inter quos aliqui sunt confessarii Beatæ Teresiæ : præser- E tim in compulsoriali Abulensi secundus testis super 4, fol. 22, et decimus, fol. 195 et fol. 203; et in compulsoriali Toletano quartus testis, fol. 52, et testis decimus tertius, fol. 95; et in prima parte remissorialis Toletani secundus testis, fol. 495, et tertius testis, fol. 502, et vigesimus tertius testis super articulo 69, fol. 146; et in compulsoriali Salmantino primus testis super tertio, fol. 265; et in remissoriali Abulensi quartus testis super art. 18, fol. 104. Et testatur Reverendissimus Tirasonensis, dicto libro 3, c. 11, quod existente Beata Teresia Toleti, ubi præsens adfuit idem Dominus Episcopus, ipsa recepit litteras provincialis Ordinis, in quibus referebat negotia Religionis et fundationes monasteriorum esse in maximo periculo, omniaque cœpta destructum iri, et quod ipsa Beata Virgo erat habita pro muliere inquieta et prava. Quibus litteris perlectis, nullatenus illius animus fuit turbatus nec spes diminuta; sed invicto animo altius se erigebat ac solabatur. In orationeque paulisper recollecta, statim, ac si oculis videret quæ postea evenerunt, prædicto D. Episcopo suisque monialibus (quæ aderant) hæc verba fuit locuta : « La- » bores quidem patiemur, sed Reformatio nostra erit F » permansura. » Sicque deinde propositum quod in animo conceperat, contra totius orbis impetum, feliciter successurum sibi persuasit. Res nova, fides nova certe videtur, cui bene possit acclamari : « O mulier, magna est fides tua! » Quanto enim spes progressus istius Reformationis decrescebat et minuebatur in omnibus aliis (etiam litteratissimis ac religiosissimis viris), tanto majorem fiduciam in solo Deo Beata Virgo Teresia habebat, dicens quod omnes illas perturbationes ordinabat Dominus noster ad meliorem finem : quod exitus comprobavit; ut ex multis locis Relationis ipsius vitæ et fundationum monasteriorum constat, et probant testes proxime citati, et comprobant supradicti episcopus Tirasonensis et doctor Ribera in suis historiis.

ex monasteriorum sine reditibus erectione,

1214 Quinto, ejusdem spei argumentum desumitur ex erectione istorum monasteriorum sine annuis reditibus : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus septimus testis, fol. 304, et quadragesimus nonus, fol. 340, super art. 19; et in compulsoriali Abulensi decimus testis, fol. 202; et in remissoriali Salmantino, trigesimus septimus testis super 61, fol. 443; et in secunda parte remissorialis Toletani Reverendissimus Episcopus Calagurritanus

A gurritanus super 61, fol. 642, et alii plures. Et quia non deerant qui Beatæ Teresiæ consulerent quod ordinaret ut monasteria ista haberent reditus unde viverent, occasione hujus ipsa in suis libris dixit hæc verba : « Invenio in me multoties quam- » dam adeo magnam in Deo fidem, in credendo » non posse Deum deficere suis servis, et non du- » bitando aliquo modo quod ullo unquam tempore » verba Dei deficiant, quod nullatenus potest mihi » aliud suaderi, nec possum timere. Sicque sentio » maximam molestiam, quando mihi consulitur » quod admittam in monasteriis annuos reditus; et » tunc me totam converto ad Deum. »

e sanctis magnisque operibus,

1215 Sexto, cognoscitur spem alicujus fuisse excellentem ab operibus sanctis quæ operatus fuit. Non enim videtur posse fieri quempiam magna opera facere absque magna spe, juxta illud 1 Corinth. 9 : « Debet in spe qui arat, arare, et qui » triturat, in spe fructus percipiendi. » Et quoad hoc eadem est ratio de fide et spe. Unde Paulus (ad Hebræos 11) definit fidem per spem, tanquam per effectum, dicens : « Fides est sperandarum substan- » tia rerum », etc. Unde, cum Beata Teresia ita recte, juste, sancte et excellenter operata fuerit (ut B ex toto discursu vitæ suæ apparet, et ex adductis superius et infra dicendis probatur), sequitur necessario dicendum habuisse excellentem firmissimamque spem in solo Deo, ex toto corde suo.

e desiderio moriendi ac Deo fruendi.

1216 Septimo et ultimo, arguitur quod istam excellentem spem habuit Beata Teresia, in illaque usque ad ultimum vitæ extremum perseveravit, ex ardentissimo desiderio ex hac vita migrandi, ut summo bono frueretur. Hoc probant in prima parte Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 449; et in remissoriali Abulensi quadragesimus secundus testis, fol. 249, et quadragesimus septimus, fol. 311, et quadragesimus nonus, fol. 370 : omnes super articulo 76; et in compulsoriali Abulensi primus testis, confessarius Beatæ Teresiæ. Qui et supradicti trigesimus septimus et quadragesimus nonus testes affirmant quod illa elevando sæpe oculos ad cœlum, et itidem cor, considerans bona quibus frui sperabat, extra se rapiebatur. Quod etiam Beata Virgo in Relatione suæ vitæ comprobat his verbis : « Majus servitium quod Deo offero, » illud est, quod, cum mihi sit adeo molestum ab » ipso separari, velim tamen pro ipsius amore vi- » vere. » Et in quadam alia relatione scripta suo C confessario sic dicit : « Aliquibus diebus recordor » pluries dicti D. Pauli, quod nec mihi videor vi- » vere nec loqui nec habere proprium velle; sed » residet in me qui me gubernat et fortificat, et » incedo quasi extra me, et sic mihi est maximæ » pœnæ et molestiæ ipsa vita. » Et in alio loco dicit : « Anxior quia vivo, et quia videtur mihi quod de- » siderium non vivendi nullum habet remedium, » et medium videndi Deum est ipsa mors, quam » non possum a me accipere. Et sic animæ meæ » videtur quod omnes fruantur consolationibus » præter ipsam, et quod omnes inveniant medelam » suis laboribus, illa tamen excepta. » Et hoc quidem clarissime et dulcissime diversis conceptibus exposuit in quibusdam versibus, lingua hispana ab eademmet compositis; quos ad litteram refert Reverendissimus Tirasonensis, dicto libro tertio, cap. 23 : digni quidem ut litteris aureis describerentur. Quorum sensus et scopus ille est, quod Sancta Virgo Teresia dicebat habere spem vitæ adeo excellentis (nempe æternæ) quod mortem tanto plus amplius sentiebat quanto illa dilatabatur, sicque cupiebat cum Apostolo dissolvi et esse cum Christo. Quod non tam ardenter cuperet, nisi firmissime Sponso suo se fruituram speraret. Quam perfectissimam spem morti proxima satis aperte monstravit, cum D mira securitate, coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, dum illud divinum Viaticum suscipere volebat, quasi amore languens dixit verba hæc : « O Domine, o Sponse mi, accessit tandem » tempus optatum : æquum est ut te videam : tem- » pus est, mi Domine, ut ex hac vita migrem : fiat, » obsecro, juxta placitum tuum. Venit demum » hora qua hoc exilio eripiar, et te fruar, quem » tam ardenter expetivi. » His et aliis dulcissimis verbis animum Deo reddidit, prout retulimus in Relatione miraculorum, art. 3, et probant testes quam plures, præcipue octo moniales, quæ in beatissimo illius transitu præsentes fuerunt.

PER AA. ROTÆ.

Deum heroice amasse probatur

1217 Articulus quintus. Teste D. Tho. 2. 2, q. 23, art. 3, D. Augustino lib. de moribus Ecclesiæ c. 11, charitas est virtus quæ nos Deo conjungit, et quæ attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Unde ista virtus est qua Deum summum bonum diligimus propter ipsius bonitatem, reliqua autem omnia in ipso et propter ipsum; sicque charitas inter omnes virtutes principatum obtinet, estque quasi cæterarum virtutum mater : ut Divus Thomas, ubi supra, art. 6, habet. E Ex qua excellentissima virtute duo filii nascuntur, nempe amor Dei et proximi. De quorum primogenito in hoc articulo sermonem facimus. Illum namque in Beata Teresia in gradu heroico ac eminentissimo reperiri constat, ut ex sequentibus clare patebit.

e virtutum ejus complexu,

1218 Primo, istius divini amoris indicium manifestum desumitur ex cæteris aliis virtutibus, quibus illam Deus condecoravit, ut ex superius adductis et infra dicendis constat : ut enim testatur D. Thom. supra, art. 8, charitas dat formam actibus omnium aliarum virtutum, sicque ipsa est forma illarum; cum per ipsam actus omnium aliarum virtutum ordinentur ad ultimum finem, nempe summum bonum. Et a charitate reliquæ virtutes vivificantur, juxta Apostolum ad Colossenses cap. 3, dicentem : « Super omnia autem hæc charitatem habete, quod » est vinculum perfectionis. » Et 1 ad Timotheum cap. 1 : « Finis autem præcepti est charitas. » Et 1 ad Corinth. 13 : « Charitas patiens est, benigna est, » omnia credit, omnia sperat. » Unde, cum (ut diximus) cæteræ aliæ virtutes in Beata Teresia adeo eminenter resplenduerint, sequitur forma illarum, nempe charitate ardentissima erga Deum, præditam F fuisse.

e continua mentis in Deum intentione,

1219 Secundo, hoc idem demonstratur ex mente intenta quam perseveranter Beata Teresia in Deum habuit, ut fere nunquam ab illius præsentia et divina consideratione vel contemplatione recesserit, ad instar ardenter amantium, qui die noctuque de persona dilecta fideliter intenseque cogitant. Qualiter Beatæ Teresiæ evenit, cum quadam perenni Dei præsentia semper illius menti impressa. Et probant plures testes : inter quos trigesimus septimus testis in processu remissoriali Salmantino, fol. 450, super art. 77, dicens quod amor quem habuit Beata Teresia, fuit adeo perfectus et immensus, adeo excellens, et in altissimo gradu, ut fuerit potius amor et dilectio Cherubim quam mulieris; et in remissoriali Toletano testis vigesimus tertius, confessarius Sanctæ Virginis, super art. 74, fol. 145; et in compulsoriali Abulensi testis decimus, etiam ejusdem Beatæ Virginis confessarius, fol. 211.

e studio majoris gloriæ Dei,

1220 Tertio, ad idem nos induxit quod dicta Beata Teresia Deum super omnia propter ipsum solum amavit, ut gloriæ ejusdem Dei omnipotentis desiderio semper arserit, eamque augeri summe

PER AA. ROTÆ. A summisque laboribus curaverit, tam in reformatione istius Ordinis illiusque propagatione, quam in mirabili doctrina librorum quos conscriptos reliquit, ac in omnibus aliis suis actionibus et virtutibus heroicis, quibus semper præluxit, ad majorem gloriam Dei et utilitatem animarum, non quærens quæ sua erant, sed quæ Jesu Christi. Quod ipsa in Relatione suæ vitæ dixit his verbis : « Videtur mihi » honorem meum consistere in eo quod Dominus » noster laudetur, et reliqua omnia parvipendo. » Ipse enim conscius est quod nec honorem nec » vitam nec gloriam nec bonum aliquod corporis » vel animæ volo, nec desidero nisi Dei omnipo» tentis gloriam. » Quod etiam monstravit affectio quæ animum ejus vehementer cruciabat e multitudine hæreticorum, et ardens desiderium quo erga illorum conversionem flagrabat, et continua sollicitudo qua pro prædictis semper Deum precibus exorabat, ut ipsius Dei gloria magis augeretur; sæpeque hoc idem suis monialibus valde commendabat, et ad hunc finem Deum illas in unum congregasse monebat : ut ex doctrina suorum librorum multis in locis constat.

e cura ac voto faciendi semper perfectissima, B 1221 Quarto, accedunt prædictis efficax propositum curaque continua sui ipsius suarumque actionum et cogitationum, quam habebat non offendendo Deum sibi adeo dilectum, nedum culpa veniali et levi, verum nec actu aliquo minoris perfectionis. Ex quo processit illud votum rarum ac notatu dignum quod emisit, nempe semper agendi quod inter multa quæ illi occurrerent, gratius et acceptius Deo sibi videretur : ita ut per talem voti emissionem non solum voluerit quod placitum esset Deo adimplere, quod amoris istius magnum signum fuisset, juxta illud Joannis cap. 14 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit »; sed etiam, tanquam illa quæ inter istas amoris flammas ardebat, voluerit et quod perfectius et quod Deo acceptius judicaret, illud exequi et ad id voto se astringere. Quod et Deo fideliter reddidit, præ nimio amore quo illum propter se ipsum prosequebatur; ut totius vitæ ipsius cursus probat, et affirmat in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, fol. 355, et quinquagesimus primus testis, fol. 404, et quinquagesimus quintus, fol. 454, omnes super art. 58.

ex intenso dolore de Christi absentia, C 1222 Quinto, quo istius amoris divini in Beata Teresia fortissima vis ostenditur, est molestia gravis quæ ob Christi absentiam cor ipsius tanquam sagitta transfixum affligebat, et ex qua animam exhalare sibi videbatur, ita ut voces (amoris signa), cum absentiæ dolorem ferre non posset, ederet. Sic probant in remissoriali Abulensi testis quinquagesimus primus, fol. 412, et testis quinquagesimus quintus, fol. 458, super art. 74; et in remissoriali Toleti septimus testis super art. 72, fol. 1694, et in compulsoriali etiam Toleti primus testis super art. 5.

ex ecstasibus, 1223 Sexto, signum istius heroici amoris in Beata Teresia desumitur ex eo quod sæpe ex ejusdem divini amoris impetu ecstasim passa fuit, ut infra dicemus latius. Pro nunc sufficiat illud quod contigit ei Salmanticæ, cum audiret canticum de Christo amatorium, et Toleti, dum matutinas preces persolveret. Utrobique enim prædicto amoris impetu extra se rapta fuit. Hoc probant testis quadragesimus septimus super 10 in secunda parte remissorialis Salmantini, fol. 626, et testis centesimus super tertio, fol. 1029, et testis centesimus secundus super eodem articulo, fol. 1063; et in compulsoriali Toleti primus testis super 2, fol. 17.

1224 Septimo, prædicta confirmantur ex multiplici fomento quo Christus in ancilla sua flammam vehementer ardentem multo amplius excitavit. Prout quando misit Angelum vultu decorum, qui jaculo ignito illius viscera trajecit et ineffabili amore æstuantia reliquit : ut probant testis quadragesimus nonus in remissoriali Abulensi super 13, fol. 373, et testis quinquagesimus primus, fol. 399, et testis quadragesimus secundus super 3, fol. 244; et ipsamet Beata Teresia illud confirmat in libro suæ Vitæ, cap. 29, fol. 230 : et ut ibidem, fol. 364, eadem scriptum reliquit quod Christus ipse ei manum dexteram porrigens dixit : « Aspice clavum hunc, qui te sponsam meam ex » nunc fore significat. Honorem deinceps meum » quæres, non modo ut Creatoris, Regis ac Dei tui, » sed ut vera sponsa mea. Jam meus honor tuus, » tuusque meus est. » Quæ verba incredibile divini amoris Seraphici incendium in corde Beatæ Virginis Teresiæ excitarunt. De qua certe, his et aliis divinis favoribus et gratiis necnon tot virtutibus heroicis condecorata et illustrata, loqui videtur D. Gregorius, homilia 34 in Euangelia, dicens : « Sunt nonnulli qui supernæ contemplationis faci» bus accensi, in solo Conditoris sui desiderio » anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo » æternitatis amore pascuntur, terrena quæque » abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, » amant et ardent, atque in ipso suo ardore re» quiescunt; amando ardent, loquendo et alios » accendunt, et quos verbo tangunt, ardere pro» tinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi » Seraphim dixerim, quorum cor in igne conver» sum lucet et urit? Quia et mentium oculos ad » superna illuminant, et eos compungendo in fleti» bus vitiorum rubigine purgant. » Hæc D. Gregorius.

e stupendis Dei in anima ejus operationibus, D E

ex impetu amoris quo mortua est. 1225 Octavo, quod apertissime amorem Dei inæstimabilem erga suam sponsam Teresiam arguit, fuit impetus amoris ultimus et maximus, quem morti proxima sensit; ex quo potius quam ex vi morbi se obiisse revelavit ipsa pro consolatione suarum monialium Matri Catharinæ a Jesu, priorissæ conventus oppidi de Veas, mulieri spectabilis virtutis, quæ suo Patri Provinciali ac confessario hanc revelationem enarravit : ut affirmant tres testes de auditu a prædicto Patre Provinciali, videlicet in 1 part. remissorialis Toleti primus testis, fol. 441, et tertius testis, fol. 445 a tergo; et in 4 part. vigesimus primus testis, fol. 1931, addens quod ultra quod hoc dixit prædictus Provincialis in conventu Albæ, etiam scripserunt moniales dicti conventus de Veas : affirmatque præfatus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis in sua historia, lib. 2, cap. 39, fol. 291; ubi aliqua verba Beatæ Teresiæ hoc idem comprobantia tradit. F

Heroicam ejus in proximos caritatem arguunt caritas in Deum, 1226 Articulus sextus. Ratio diligendi proximos est ipse Deus, juxta D. Thom. 2. 2, quæst. 25, art. 1. Unde, cum articulo præcedenti demonstraverimus Beatam Teresiam Deo perfectissime per charitatem adhæsisse, videtur etiam in proximos perfectissimam charitatem habuisse. Quod ex sequentibus facile constabit. Primo, quia, si probatum reliquimus ardentissimum amorem Beatæ Virginis Teresiæ erga Deum, ex eo necessario infertur observantia præceptorum illius, juxta illud Joannis supra relatum cap. 14: « Si quis diligit me, ser» monem meum servabit. » Unde, et cum inter alia præcepta illud sit maxime a Deo commendatum quod quis diligat proximum suum sicut se ipsum (Matth. 22), sequitur hoc præceptum ad unguem observasse Beatam Teresiam.

1227 Secundo, idem comprobatur ex immenso salutis

zelus salutis proximorum.

A salutis proximorum desiderio, quo illos Deo conciliare et hæreticos maxime ad ipsum convertere optavit; quæ propria charitatis nota est. Ut enim dicit S. Thom. 2. 2, quæst. 25, art. 1, hoc debemus diligere in proximo, ut in Deo sit. Quod quam excellenter præstiterit Beata Teresia, qualemque animum quasi apostolicum in proximorum salute procuranda ostenderit, vitamque propriam animarum saluti dicaverit, probant testis vigesimus tertius, ipsius confessarius, in prima parte remissorialis Toleti, fol. 146, et tertius testis, fol. 503; et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus secundus, fol. 249, et testis quadragesimus septimus, fol. 311, et quadragesimus octavus testis, fol. 325, et testis quadragesimus nonus, fol. 370, omnes super art. 79; et in compulsoriali Abulensi decimus testis, Pater Julianus de Avila, ejus confessarius, fol. 212 et fol. 214 a tergo.

Ordinis Carmelitici reformatio.

1228 Tertio, idem petitur ex adductis in præcedentibus articulis circa reformationem istius Religionis et illius propagationem et monasteriorum erectionem, suos suarumque filiarumque labores, pœnitentias et orationem continuam, quibus ad majorem gloriam Dei, salutem animarum pereun-

B tium, et maxime hæreticorum, zelo charitatis ardentissimo inflammata semper curavit : ut probant supra proxime relati, uberrimos fructus in Ecclesia Dei ex hac sic reformata Religione, tam Monialium quam Fratrum, vitæ exemplo ac doctrina subsecutos fuisse ac in dies sequi affirmantes. Et comprobatur ab eventu quamplurium animarum, quas ipsa Beata, dum vixit, suis orationibus efficacissimisque persuasionibus, et ab æterna damnatione et a purgatorii pœnis liberavit : ut in compulsoriali Abulensi probant secundus testis super 2, fol. 154, dicens se scire Beatam Teresiam, mediantibus suis orationibus, verbis et salutaribus consiliis, duas personas nobiles, virum et fœminam, in peccato cum scandalo per aliquod tempus perseverantes, ab illo peccati et scandali actu avertisse; et decimus testis, confessarius illius, fol. 214; et in compulsoriali Toleti decimus testis, P. Ægidius Gonzalez de Avila Societatis Jesu, etiam ipsius confessarius, fol. 77, sic ait : « Charitatem autem » illius scit iste testis in pluribus casibus particu- » laribus, nempe in religiosis perditis quos reduxit, » et in aliis animabus valde semotis et deviis. » Et

C ipsa in Relatione suæ vitæ, cap. 38, plura ejusmodi refert, et late ex prædictis historiis supra relatis constat.

lacrymæ ob mortem virorum apostolicorum.

1229 Quarto, argumentum in comprobationem prædictorum petitur ex lacrymis et dolore summo quo torquebatur, si aliquis egregius salutis animarum operarius e vita migrasset : quia illius morte (dicebat ipsa) proximorum adjutor et Ecclesiæ defensor deficiebat. Prout evenit in obitu sanctæ memoriæ Pii V, et viri illius apostolici Patris Joannis Avilæ : ut probant in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus super 79, fol. 370, et in 4 parte remissorialis Toleti testis sextus, fol. 1681, super eodem art. 79.

consuetudo solandi afflictos.

1230 Quinto, idem elicitur a consuetudine solandi afflictos. Ut cum Burgis in hospitali quodam moraretur, maxima charitate ægrotos visitare eisque favere consuevit. Quod et in aliis occasionibus plurimis afflictionum corporalium et spiritualium, tam suarum monialium quam aliorum, sæpius assuevit facere : ut probant in compulsoriali Abulensi quintus testis super art. 9, fol. 166, et in remissoriali Abulensi sexagesimus testis super articulo 79, fol. 449.

eleemosynæ.

1231 Sexto, prædictis accedat erogatio libentissime facta eleemosynarum. Et inter multa illud memorabile est, quod, cum Toleti pauperem nudis D brachiis incedentem vidisset, detractas sibi manicas ei largita est, imitata Sanctum Martinum, qui parte propriæ chlamydis inopem contexit : ut deponit in compulsoriali Abulensi sextus testis super 4, fol. 170, quæ erat socia Beatæ Teresiæ; et in 1 part. remissorialis Toleti vigesimus tertius testis, fol. 146, super 79.

PER AA. ROTÆ.

exercitium caritatis quotidianum.

1232 Septimo, hocmet confirmat (et tanto dignius laude dignoscitur quanto perseverantius est) propositum illud quo in animo suo decrevit nullum transigere diem sine peculiari aliquo charitatis actu proximis impenso. Quod adeo fideliter observavit, ut, si forte interdiu occasio prædicti propositi exequendi non se obtulisset, noctu, cum moniales a choro vel alio loco egrederentur, eis lucernam præferret, ne occasionem illam exercendi charitatem in proximos illo die amitteret : ut probant in remissoriali Abulensi testis quadragesimus secundus, fol. 249, et testis quadragesimus septimus, fol. 311, et testis quadragesimus octavus, fol. 325, omnes super art. 79.

dilectio inimicorum.

1233 Octavo, idemmet petitur a singulari dilectione inimicorum et persecutorum. Non enim de- E fuerunt (divina permissione) multi, et inter illos viri gravissimi, quorum persecutionibus Beatam Teresiam Deus tentavit et tanquam in fornace ignis probavit. Quos nihilominus affectu, verbis et operibus propter Deum dilexit, quod pertinet ad perfectionem charitatis (ut tradit D. Thom. dicta q. 25, art. 8), illisque omnia bona opera impendere curabat, et de illis in sua præsentia detrahi non permittebat; quin potius illorum defectus, quantum poterat, excusabat, et illos suis precibus Deo commendabat, exemplo Beati Protomartyris Stephani, qui (ut ait S. Augustinus, sermone 2 de Beato Stephano) « cum lapidaretur, non solum non expe- » ctabat de persecutoribus reportare vindictam, » sed eis potius a Deo veniam postulabat. » Novit igitur Beata Teresia (sicut de isto Sancto canit Ecclesia) pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum : ut probant in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 364, et testis quinquagesimus quartus, fol. 440, super art. 68; et in compulsoriali etiam Abulensi testis octavus super 4, fol. 176, et testis nonus super 5, fol. 184. Quod adeo verum et notum fuit ut Reverendissimus Dominus Alvarus de Mendoza, episco- F pus Abulensis, dicere soleret, quod, ut aliquis a Beata Teresia amaretur, medium efficax erat ei injuriam vel damnum aliquod inferre : ut deponunt in remissoriali Abulensi testis septuagesimus primus, fol. 209, et quinquagesimus quartus, fol. 440, super art. 68; et in compulsoriali Toletano primus testis super 8, fol. 163.

§ LXII. De ejus virtutibus cardinalibus, et circa solemnia Religionis vota.

Eximia Teresiæ prudentia liquet

Articulus septimus. Prudentia de qua agimus, est illa vera et perfecta quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, judicat et præcipit : ut notat D. Thom. 2. 2, q. 47, art. 13 in corpore, versu « Tertia autem », ubi dicit hanc solam simpliciter dici prudentiam, et reperiri in justis, non vero in peccatoribus. Et istius est invenire medium virtutum moralium; ipsaque ad communia omnia laudabilium

PER AA. ROTÆ.

dabilium actionum principia cognoscenda et ad A earum circumstantias dijudicandas lucem subministrat, cæterisque virtutibus in his quæ ad earum finem idonea sunt diligendis contrariisque repudiandis opitulatur : juxta eumdem D. Thom. dicta q. 47. Quam virtutem tanquam valde necessariam commendavit Dominus noster Jesus Christus Discipulis suis, quando illos misit ad prædicandum, dicens : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio » luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes » et simplices sicut columbæ » (Matth. cap. 10). Quantum vero idem Dominus noster, mittens Beatam Teresiam sicut ovem in medio luporum, hoc est in medio multarum contradictionum, difficultatum et periculorum, obire diversas provincias, pro erigendis monasteriis et propaganda Reformatione istius Religionis, illam hac prudentia munierit, ex sequentibus patebit.

e cæterarum virtutum ejus excellentia,

1235 Primo, bene in Beata Teresia ista perfecta prudentiæ virtus desumitur ex cæteris virtutibus quibus a Deo omnipotenti in excellenti gradu ornata fuit; ut ex toto illius vitæ decursu et ex superius adductis et infra dicendis clare probatur. Ad quarum virtutum assecutionem cum medium necessa- B rium attigerit per convenientem dispositionem (quæ proprie est prudentia, juxta D. Thom. q. 47, art. 7), sequitur necessario Beatam Teresiam istam divinam prudentiam habuisse, cum per illius medium et dispositionem cæteras virtutes assecuta fuerit.

e modo quo Reformationem suam inchoavit et perfecit,

1236 Secundo, hoc deprehenditur ex prudentia qua inchoavit opus istius novæ Reformationis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, adhibita matura consideratione præsentium et futurarum rerum quæ evenire poterant, prævidendo contradictiones contradictoresque plurimos vel specie pietatis vel prudentiæ futuros; ut revera illos invenit qui valide ipsi (cum bona tamen intentione) adversati sunt. Nihilominus Beata Teresia, quæ omnia prædicta præviderat ab initio, tanta prudentiæ dexteritate opus istud aggressa est, ut, mediis efficacibus inventis et summis difficultatibus superatis, finem quem optaverat, obtinuerit : ut probant in compulsoriali Abulensi decimus testis, confessarius, fol. 195; et in 1 p. Toleti vigesimus tertius testis, confessarius, fol. 144; et in compulsoriali Salmantino primus testis super tertio, fol. 266; et in remissoriali Abulensi testis quartus, fol. 282, et alii. Ad quem effectum ita se habebat cum principi- C bus et aliis viris gravissimis quos pati solebat adversarios, ut primo colloquio cum illis habito ita illos convinceret ut eosdem postea fidelissimos adjutores et defensores haberet : ut deponunt in compulsoriali Abulensi quintus testis super 5, fol. 184, et testis decimus, fol. 213; et in 3 p. Toleti nonus testis super 3, fol. 1419; et in 4 part. testis septimus, fol. 1697.

e conditis ab ea constitutionibus,

1237 Tertio, fundamentum summæ prudentiæ Beatæ Teresiæ elicitur ex legibus seu constitutionibus quas tulit ad istius Religionis regimen et gubernationem, adeo prudentes ut ex illis facile dignosci valeat illam divino lumine in illis condendis fuisse illustratam. In quibus inter alia illud valde notandum est (et de quo etiam sapientissimi viri mirantur), nempe illa temperies suavitatis et austeritatis qua istam Reformationem instituit : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 343, et testis quinquagesimus primus, fol. 552; et in 1 p. Salmantini quadragesimus primus testis, fol. 521, et testis quadragesimus secundus, fol. 540, et testis quadragesimus tertius, fol. 559, omnes super articulo 25; et in secunda parte testis centesimus vigesimus primus, fol. 1230; et in eodem remissoriali Abulensi testis quinqua- D gesimus primus, fol. 420, et testis quinquagesimus quartus, fol. 440 : omnes isti ultimi super art. 70. Et comprobat Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 2, cap. 38, in quo constitutiones præcipuas a præfata Beata Teresia suis monialibus traditas fideliter refert.

e consiliorum ac judiciorum in opus deductione.

1238 Quarto, hæc eadem divina prudentia Beatæ Teresiæ dignoscitur ex eo quod (ut notat D. Thom. dicta quæst. 47, art. 8) præcipere est actus prudentiæ consistens in applicatione consiliatorum et judicatorum ad operandum. Quo actu præcipiendi, quæ in suis constitutionibus consuluerat et quotidie in suis admonitionibus animadvertebat, Beata Teresia mirifice usa fuit, dum vixit ac suarum monialium monasteria rexit et Fratrum cœnobia direxit, adeo ut tanquam quoddam cœleste oraculum sæpissime a prælatis consuleretur : ut probant in 1 p. remissorialis Salmantini testis trigesimus septimus, fol. 448; et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, fol. 365, et testis quinquagesimus primus, fol. 410, et testis quinquagesimus quartus, fol. 440, omnes super articulo 70; et in compulsoriali Toletano primus testis super 6, fol. 561. E

e dono consilii quo prædita fuit.

1239 Quinto, argumentum istius mirabilis prudentiæ Ancillæ Dei Beatæ Teresiæ desumitur ex dono consilii quo fuit prædita, quod (juxta S. Thom. 2. 2, q. 52, art. 2) prudentiam adjuvat et perficit. Et in ista Sancta Virgine istud donum consilii satis deprehenditur ex illius responsis in rebus difficillimis et in monitis plane divinis verbo et scripto datis; quorum pars impressa circumfertur et in admiratione habetur : ut deponunt in secunda parte remissorialis Toletani primus tertis, episcopus Calagurritanus, illius confessarius, fol. 644; et in remissoriali Abulensi testis quinquagesimus quartus, fol. 440; et in remissoriali Salmantino testis trigesimus septimus, fol. 448, et testis centesimus vigesimus primus, fol. 1230, omnes super art. 70; et in compulsoriali Abulensi decimus quintus super 3, fol. 341.

Perfectissima ejus justitia elucet in immensa erga Deum et proximum caritate,

1240 Articulus octavus. Justitia, quantum est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, dividitur a D. Thom. 2. 2, q. 58, art. 5, et q. 61, art. 1, in legalem, distributivam et commutativam. Legalis autem est per quam omnium virtutum actus ad bonum commune ordinantur; distributiva dirigit distributionem communium bonorum in partes rei- F publicæ; commutativa vero dirigit mutuos actus inter privatas personas : idem Sanctus Doctor, dicta q. 61, art. 1. Quam virtutem perfectissimam in Beata Teresia reperiri probant sequentia. Primo, hoc docet ardens et immensa dilectio et charitas, quam habuit in Deum et proximum, prout efficaciter jam supra ostendimus. Et cum juxta Apostolum (Rom. 13) « Plenitudo legis sit dilectio », necessario dicendum est Beatam Teresiam, quæ plurimum dilexit, exacte et perfecte legalem justitiam coluisse.

in castissimo Dei timore,

1241 Secundo, idem desumitur ex timore filiali quo illa semper legis et mandatorum Dei transgressionem exhorruit. Quod adeo verum est, ut, quamvis ipsa culpas suas in Relatione suæ vitæ exaggerarit (quod profundam humilitatem arguit), nunquam tamen peccatum lethale commisisse, sed nuptialem gratiæ vestem in Baptismo susceptam fidelissime custodisse credatur, ut opera quæ fecit ab ineunte ætate, devotio quam habuit, timor Dei et odium peccati quibus semper fuit munita, amor divinus quo exarsit, virginalis castitas, consilia quæ dedit, opus istius Reformationis quod perfecit, verba

verba quæ semper de Deo fecit, scripta quæ reliquit, cæteræque ipsius virtutes et actiones piæ et excellentissimæ in progressu totius vitæ, satis denotant. Et deponunt in prima parte remissorialis Toleti vigesimus tertius testis, ipsius Beatæ Teresiæ confessarius, dicens quod in tota vita ipsius non fuit visa macula aliqua peccati mortalis in ea; et in secunda parte remissorialis Toletani primus testis, episcopus Calagurritanus et confessarius, fol. 642 et fol. 636; et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus octavus, fol. 322, et alii plures : et tradunt Reverendissimus Tirasonensis et R. P. Franciscus de Ribera, in historia quam scripserunt de vita istius Beatæ.

in voto faciendi semper perfectissima,

1242 Tertio, idem comprobatur ex illo raro quodam voto, divinitus (ut creditur) inspirato, quo in superiorum suorum manibus promisit se numquam consulto peccatum veniale vel imperfectionem cognitam commissuram, sed in omnibus quod perfectius et Deo gloriosius esset quæsituram : ut superius in art. 5 de charitate in Deum diximus, et deponunt iidem testes proxime supra adducti. Ex quibus merito inferri valet illam quæ sic se ipsam adstrinxit, longissime a legis transgressione abfuisse.

in accuratissima regularum sui Ordinis observatione,

1243 Quarto, hocmet suadetur ex illa accuratissima observantia regulæ suæ Religionis, cui ipsa in victu et vestitu cæterisque omnibus deditissima fuit usque ad mortem. Cui cum propinqua esset, monialibus instantibus ut in illa hora eas aliquid moneret, quod illarum cordibus impressum maneret, ipsa Beata Teresia nihil aliud respondit nec illis magis commendavit quam observantiam regulæ et constitutionum : ut deponunt in 1 p. remissorialis Salmantini testis quadragesimus primus, fol. 528, et testis 44, fol. 583, et in 2 p. testis quinquagesimus primus, fol. 696, omnes super art. 94. Unde, cum ex D. Thom., dicta q. 58, art. 6, justitia legalis in principe sit quasi architectonice, in subditis vero quasi administrative, videtur merito posse inferri in Beata Teresia quasi architectonice istam justitiam legalem fuisse, cum vivens ac moriens exemplis et verbis subditas suas ad legum et constitutionum custodiam impulerit.

in distributione officiorum inter suas moniales,

1244 Quintum argumentum distributivæ justitiæ quam etiam habuit Beata Teresia, desumitur ex officiis quæ distribuit in sua Religione, quibus, omni ratione humana et acceptatione personarum neglecta, semper præfecit moniales quas aptiores judicavit; nec per modicum tempus toleravit quas inutiles vidit, ne communi bono nocerent : ut deponunt in compulsoriali Toletano primus testis super 7, fol. 162, et in compulsoriali Salmantino sextus testis super 4, fol. 294. Quod servavit in acceptandis ad Religionem absque respectu carnis aut sanguinis, illudque aperte monstravit in repulsa cujusdam neptis suæ, quæ jam fuerat habitu Religionis induta, quam cum ineptam Religioni censeret, ab illa expulit, non obstantibus enixis precibus monialium pro illius retentione, ut in prædictis historiis vitæ istius Beatæ legitur.

in exequendis contractibus solvendisque debitis.

1245 Sexto, argumentum pro justitia commutativa desumitur ex omnibus contractibus per Beatam Teresiam celebratis in fundationibus monasteriorum, et solvendis debitis, in quibus justissime egit, nec cuiquam occasionem querelæ dedit, ut ex ipsius vitæ Relatione et ex libris Fundationum monasteriorum apparet. Ex quibus omnibus, et cæteris virtutibus quibus Beata Teresia præstitit, potest jure optimo inferri justitiam habuisse : non solum quatenus ipsa significat aggregatum quoddam ex iis omnibus quæ hominem coram Deo justum efficiunt (quæ justitia Christiana appellatur, juxta illud D. Pauli ad Rom. 6 : « Liberati a » peccato, servi facti estis justitiæ »), verum etiam perfectissimam justitiæ virtutem, et ex illarum genere quas dixit D. Thom. 1. 2, q. 61, art. 5, esse Beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.

Invictam ostendit fortitudinem

1246 Articulus nonus. Secundum D. Thom. (quem in ista materia virtutum secuti sumus), 2. 2, q. 123, fortitudo est tertia virtus cardinalis, animum in gravibus et maximis periculis firmans, cohibens timorem, audaciam vero moderans. Juxta quam moderationem audaciæ, aggredi pertinet ad fortitudinem, sustinere autem, id est immobiliter sistere in periculis, pertinet ad repressionem timoris, et hic est principalior actus fortitudinis, juxta eumdem D. Thom. ubi supra, art. 2, 3 et 6. Quod autem Beata Teresia hac fortitudine mirabili fuerit munita, ex sequentibus convincimur.

perseverando in servitio Dei usque ad mortem,

1247 Primo, ex eo quod in bono quod incepit ab ineunte ætate in servitio Dei, usque ad mortem perseveravit, cum ingenti indies incremento, et imminentia pericula evadens; ut ex tota serie illius vitæ clare apparet. Quam perseverantiam seu firmitatem vocat fortitudinem D. Thom. 2. 2, q. 139, art. 1, donumque Spiritus Sancti. Et magis specialiter ista perseverantia considerari valet in opere ab ipsa inchoato ingressus Religionis, emissionisque professionis in illa, et postea in aggressione Reformationis hujus Religionis, illamque ad finem perducendo, et in illa tandem virtutibus clara spiritum suum Deo reddendo, et tanquam fortis athleta dimicando pro gloria Dei et pro regno illius consequendo. Quod cum (juxta Sanctum Matthæum cap. 11) vim patiatur, et violenti rapiant illud, Beata Teresia sua fortitudine et perseverantia hanc vim regno cœlorum intulit, et eadem fortitudine violenter illud rapuit.

superando omnimodas in monasteriis erigendis difficultates,

1248 Secundo, idem elicitur ex erectione primi monasterii in civitate Abulæ, ubi pericula, tumultus et graves indignationes imminebant; prout in effectu evenerunt. (tota enim civitas commota fuit), quibus se ut firmissimum murum opposuit, ut sanctum opus ad Dei gloriam perficeret. Prout etiam in reliquorum monasteriorum fundationibus, præsertim in illa Hispalensi, pericula et difficultates gravissimæ non defuerunt, quas omnes ista Virgo fortis virili animo superavit : ut deponunt in prima parte remissorialis Toletani primus testis, Reverendissimus Episcopus Calagurritanus, super art. 50, fol. 604, et episcopus Tirasonensis, fol. 730 et 736, et episcopus Segoviensis, super art. 65, fol. 806; et in 1 p. ejusdem remissorialis Toletani testis vigesimus tertius Madriti super 66, fol. 144; et in 1 p. remissorialis Salmantini testis trigesimus septimus super 65, fol. 445; et in compulsoriali Abulensi decimus testis, fol. 191 et 194 et 215.

intrepide potentes adversarios alloquendo,

1249 Tertio, hoc idem comprobatur ex quodam forti et intrepido animo, quo viros gravissimos et suo sancto intento adversos alloqui pro Religionis negotiis gerendis assuevit. Ut contigit Toleti, ubi ex eadem causa graviter egit cum gubernatore archiepiscopatus, D. Gomesio Tello Giron, qui, ob contradictionem aliquorum, in dando licentiam ad inibi fundandum monasterium se difficilem reddebat; quem nihil verita corripuit, exponendo se periculo temporali quod sibi evenire poterat, et sequendo illud Matth. 10 : « Nolite timere eos qui occidunt » corpus » : illum Beata Teresia allocuta fuit his verbis : « Intolerabile est quod illi qui in deliciis » degunt, velint impedire pauperculas quasdam mo-

 » niales,

PER AA. ROTÆ.

» niales, quæ nihil aliud prætendunt nisi cum omni
A » rigore et clausura, consilia euangelica servan-
» tes, Deo inservire. Considera quanta civitas hæc
» posset amittere, si hæc non exequerentur; deni-
» que quod de hujusmodi impedimento redditurus
» sis Deo rationem. » Et alia similia verba illi dixit, tali scilicet vi spiritus et efficacia ut ab eo statim licentiam impetraverit; ut ipsa in libro Fundationum scripsit, et deponunt in prima parte remissorialis Toletani nonus testis super art. 33, fol. 30, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis super eodem art., fol. 346, et in secunda parte remissorialis Salmantini quadragesimus septimus super eodem articulo, fol. 623, et in compulsoriali Abulensi decimus testis, illius confessarius, fol. 204.

cacodæmonem devincendo,

1250 Quarto, idem comprobatur ex eo quod S. Petrus Apostolus Epist. 1 canonica, cap. 5, nos admonet, dicens : « Vigilate, quia adversarius
» vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit
» quærens quem devoret : cui resistite fortes in
» fide. » Et cum Beata Teresia bene cognosceret astutias istius communis inimici, vigilavit ipsique se opposuit, illiusque tentationibus ita fortiter in
B fide restitit ut illum omnino devicerit, pugnando viriliter contra ipsum, dum vixit, induta armatura Dei, mediantibus operibus charitatis, justitiæ et humilitatis cæterarumque virtutum, quas mirabiliter (ut dictum est) exercuit; quin et mediante ista Reformatione et monasteriorum erectione, tendens ad hunc finem, ut scilicet diabolum et opera ejus impugnaret, de illoque quotidianas victorias reportaret, relinquendoque in hoc eodem exercitio filios filiasque quos in Deo generavit, qui fortes ipsi succederent in hujusmodi pugna : in qua adeo frequenter inimicum superabat, ut mirabili, forti ac piissimo ausu illum jam ad certamen provocaret, quasi illum non timens, juxta illud Jacobi 4 : « Re-
» sistite diabolo, et fugiet a vobis »; ut legitur in ipsius Vita, fol. 196, his verbis : « Si ego serva Dei
» sum, quare mihi non aderit fortitudo ad bellan-
» dum contra omnes tartareas potestates? Acci-
» piebam crucem in manu, et vere videbatur
» Deum talem mihi fortitudinem tribuere, ut
» absque timore ullo cum dæmonibus luctari non
» dubitarem. Videbatur enim mihi quod illa cruce
» omnes dæmones facile vincerem, sicque dixi :
» Venite modo omnes, quia cum Serva Dei sim,
C » volo videre quid in me possitis. Et absque dubio
» videbatur mihi quod ipsi metuerent me. Et quod-
» dam dominium, vere donatum ab universorum
» Domino, contra omnes illos mihi remansit, taliter
» quod non pluris eos quam muscas faciebam » : et probant in prima parte remissorialis Salmantini testis trigesimus septimus, fol. 445, et in 2 parte testis quadragesimus septimus, fol. 631; et in 4 part. Toletani sextus testis Granatæ, fol. 1679, et septimus testis, fol. 1693 : omnes super artic. 65; et in compulsoriali Salmantino nonus testis super 5, fol. 185.

pericula fortiter subeundo.

1251 Quinto, non minus fortis evasit Beata Teresia in periculis corporalibus quantumcunque gravibus, dum nec adversa valetudo, quam per plures annos graviter passa fuit, nec paupertas summa, nec sexus fœmineus, nec labores itinerum, quos perpeti in istis fundationibus ut plurimum ipsi contigit, illam exanimarunt; quia nihil horum timuit, nihilque ex prædictis potuit ipsam ab opere inchoato retardare. Prædicta enim omnia adversa et corporis incommoda fortiter subivit, omniaque æquo animo superavit : ut deponunt supradicti testes proxime citati, et specialiter de quodam peri-culo, cui in difficillimo fluminis transitu, cum Bur- D
gos peteret, prima se fortiter opposuit; ut affirmant prædictus Reverendissimus Episcopus Calagurritanus, 2 part. Toletani, fol. 640, et trigesimus testis in remissoriali Salmantino, fol. 445 a tergo. Et alius similis casus ei contigit, cum Abula Salmanticam pergeret, de quo supra art. 4. Ex prædictis patet quam recte possimus Salomoni respondere nos recte mulierem fortem invenisse, Beatam scilicet Teresiam, quam Deus animo virili tanquam virorum ductricem munivit.

Singularis ejus temperantia probatur

1252 Articulus decimus. Virtus temperantiæ versatur circa delectationes moderandas, et sic circa concupiscentias bonorum sensibilium et tristitias ex illorum absentia procedentes, juxta D. Thom. 2. 2, q. 141, art. 3. Præsertim tamen consistit in moderatione delectationum gustus, sicque illi est annexa virtus abstinentiæ, jejunii et sobrietatis. De quibus D. Thom. 2. 2, q. 146 et 147 et 149. Differt autem abstinentia a temperantia, quia hæc resecat superflua victus, et circa illum ponit ordinem rationis servandum; abstinentia vero subtrahit de cibo convenienti, et quanto magis, tanto erit perfectior : sobrietas autem versatur circa potum vini. Ita D. Th. locis supra citatis. Quas virtutes quantum E
coluerit Beata Teresia nobis constat, et facile ex infra dicendis apparebit.

e parcitate ciborum et mortificationis studio in iis sumendis,

1253 Primo, ex assueta temperantia sive ciborum parcitate, qua utebatur : non enim ad panem aliud præter unum ovum aut paucos pisciculos adhibere consuevit, quantumvis infirmitate assidua laboraret. Sic deponunt in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, fol. 360, et in 1 part. remissorialis Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 434, et in 2 part. testis quadragesimus septimus super 4, fol. 610, et alii. Secundo, idem desumitur a studio et usu mortificationis in cibo sumendo. Omnia enim quæ gustui placere possent, respuebat : ut cum quadam die coctum quid manducaret gustui gratum, buccellam ex ore subtraxit; rogataque cur eo cibo bene condito non vesceretur, respondit se ob delectationem quam ex prædicti cibi sumptione percipiebat, non fuisse ausam buccellam illam deglutire : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 642, et alii.

e modo quo ad mensam accedebat et accumbebat,

1254 Tertio, hocmet elicitur aperte ex eo quod quoties ad corporis refectionem accedebat, eique cibus sumendus erat, toties sibi (ut de Sancto Bernardo legitur) tormentum subire videretur. Sic de- F
ponunt in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus super art. 62, fol. 360, et in 1 part. remissorialis Salmantini testis trigesimus septimus, fol. 444, et in 4 part. remissorialis Toletani sextus testis Granatæ, fol. 1678, et septimus testis, uterque super art. 62, fol 1691. Quarto, idem probatur ex lacrymis quas vescens effundere solebat, considerans se corporis alendi necessitati subjectam, ut deponunt testes proxime citati. Quin et pro majori mortificatione gustus in cibo sumendo consuevit uti patinis ac scutellis, non solum humilibus, sed sordidis, repugnantibus naturali inclinationi ipsius ad munda et nitida, ut deponunt iidem testes. Ex quibus patet cogitationes quibus Beata Teresia, dum cibum sumebat, pascebatur, non sinere illam ex cibo aliquam delectationem percipere.

e sobrietate et fideli observatione jejuniorum.

1255 Quinto, quoad sobrietatem abstinentiæ sociam, quæ corpori et animæ salutifera est, juxta illud Ecclesiastici 31 : « Sanitas est animæ et cor-
» pori sobrius potus. » Hanc virtutem coluisse Beatam Teresiam clare desumitur ex perpetua vini fuga et solius aquæ usu : ut deponunt in 3 part. remissorialis Toleti octavus testis Vallisoleti super 5, fol.

A fol. 1413, et Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 3, cap. 6. Sexto, prædicta comprobantur a fideli observatione jejuniorum, tam Ecclesiæ quam regulæ primitivæ suæ Religionis. Hoc probant in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 360, et in 1 part. Toletani vigesimus tertius testis Madriti, fol. 444, omnes super articulo 62; et in 2 part. Salmantini quadragesimus septimus testis super 4, fol. 620, et alii plures. Quod tanto majoris æstimandum fuit quod illa eodem tempore ægrotabat, et juste carnibus etiam juxta regulam, illas ægris permittentem, vesci potuit, et quod jejunia regulæ ecclesiasticis jejuniis plura addita sunt: siquidem a die Exaltationis Sanctæ Crucis usque ad Dominicam Resurrectionis regula jejunium indicit, et præter omnes sextas ferias sunt etiam alia non pauca jejunia per constitutiones imposita. Quæ omnia Beata Teresia ad unguem observavit, et in his omnibus, sicut in aliis mortificationis operibus, se suis perfectissimam perfectionis magistram præbuit.

Absolutissima ejus obedientia deprehenditur

1256 Articulus undecimus. Obedientiæ virtus habet objectum superioris præceptum tacitum vel expressum, sicque in illius præceptis obediendo
B consistit, juxta D. Thom. 2. 2, q. 104, art. 2. Et inter cæteras virtutes morales obedientia primatum tenet; ut notat idem Sanctus Doctor ubi supra, art. 3. Per illam namque voluntas propria, quæ inter suprema bona humana reponitur, abnegatur et contemnitur propter Deum; per alias autem virtutes morales bona exteriora et corporis, quæ inter infima et media bona humana connumerantur, contemnuntur. Unde D. Gregorius, lib. ultimo Moralium, cap. 10, dicit « quod obedientia sola » virtus est quæ virtutes cæteras menti inserit et » insertas custodit. Illa namque victimis jure præ» ponitur : quia per victimas aliena caro, per obe» dientiam vero voluntas propria mactatur. » Et hac excellenti virtute Beatam Teresiam adeo fuisse condecoratam ut vera obedientiæ cultrix dici valeat, sequentibus argumentis clare demonstrabimus.

ex omnimoda animi subjectione erga superiores et confessarios,

1257 Primo, in hanc sententiam nos induxit illa universalis consuetudo, qua Beata Teresia suis superioribus et confessariis tanquam Deo ipsi obtemperavit, ita ut nunquam eis repugnaverit vel difficilem se præbuerit, nec quidquam sine illorum consensu egerit; quod non modo in rebus externis, verum etiam in internis ad animæ directionem spec-
C tantibus, fidelissime observavit : ut probant triginta octo testes, et inter illos decem confessarii Beatæ Teresiæ, præcipue in 2 part. Toletani primus testis, fol. 805, et in 1 part. remissorialis Salmantini trigesimus septimus, fol. 441, et in 2 part. testis centesimus vigesimus primus, fol. 1226, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 357 : omnes super art. 59; et in 1 part. remissorialis Toletani vigesimus tertius testis super art. 58, fol. 142.

ex obediendi promptitudine,

1258 Secundo, idem desumitur a promptitudine obediendi etiam in rebus difficillimis, ut cum ad jussum confessarii combussit librum quem super Cantica Salomonis conscripserat, mirabili doctrina plenum : ut probant in prima parte remissorialis Salmantini trigesimus septimus testis super 59, fol. 441, et in 2 part. testis quadragesimus septimus super eodem, fol. 427, et in compulsoriali Toletano primus testis, fol. 274. Prout iterum se paratam exhibuit ad exurendum Vitæ suæ librum, quem gravissimorum confessariorum mandato scripserat. Quod sane fecisset, nisi Pater Dominicus Bañez, qui ad tentandam ejus obedientiam illud præceperat, id prohibuisset : ut probant idem Pater Dominicus Bañez in compulsoriali Salmantino, qui est primus testis, super 4, fol. 268, et in prima parte remissorialis Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 441, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis Ulisiponæ super 10, fol. 165. Prout et alias, cum ei in suo monasterio Metinæ del Campo commoranti imperatum fuit a quodam superiore, ob quasdam rationes humanas irato, ut statim ab illo monasterio recederet. Cui Beata Teresia non solum in recedendo, verum etiam in statim recedendo obedivit, licet paralysi laboraret, et hora præcepti nocti esset proxima; nihilominus illico ab illo loco recessit. Et licet frigore (nam hiems erat), incommodis et morbis vexata, magnam illius noctis partem in itinere consumpsit, quantumcunque moniales offerrent prædicti præcepti revocationem se impetraturas. Id probant in remissoriali Salmantino supradictus testis trigesimus septimus, et in Abulensi quadragesimus nonus, supra relati, et quinquagesimus quintus testis, fol. 459, omnes super art. 59. PER AA. ROTÆ.
D

e simplicitate et cæcitate in jussis exequendis,

1259 Tertio, evidenter apparet de simplici et cæca obedientia istius Beatæ Virginis ex eo quod, cum Christus illi apparere cœpit, et confessarii ad cautelam illi jusserunt ut apparentem signis irrisionis (quæ hispanice dicuntur higas) despiceret, id illa ad unguem præstitit; ob quod et a Christo fuit laudata. Hoc probant in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 336, et quinquagesimus primus testis, fol. 399, omnes super duodecimo; et in compulsoriali Toletano primus testis super decimo, fol. 165. E

e mirabili obedientiæ æstimatione,

1260 Quarto, hocmet petitur a mirabili æstimatione obedientiæ. Nam cum plures divinas revelationes haberet, nihil revelatum exequebatur, nisi a superioribus et confessariis prius approbatum fuisset. Quin etiam si superiores contraria his quæ per revelationem acceperat, præciperent, tam prompte eis parebat ac si nihil revelatum habuisset; dicebat enim se in revelationibus decipi posse, in obedientia vero superioribus reddenda non posse. Quæ quidem sententia quasi cœleste oraculum celebratur, et in praxi illi contigit in oppido de Veas, ubi illi a prælato injunctum fuit ut Hispalim ad monasterium condendum pergeret; quod illa præstitit, licet per revelationem haberet ut potius Madritum peteret. Quod et alias etiam evenit, cum de primi monasterii erectione ageret. Ita deponunt in 2 part. remissorialis Toletani primus testis, episcopus Tirasonensis, illius confessarius, fol. 733, et in 1 part. primus testis, fol. 429, et tertius testis, fol. 472, et vigesimus tertius testis Madriti, confessarius ejusdem Beatæ, super 58, fol. 141; et in prima parte Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 441, super articulo 59; et in compulsoriali Toletano decimus testis, etiam confessarius, fol. 75; et in compulsoriali Salmantino quintus testis super 4, fol. 285. F

e studio parendi priorissis a se ipsa constitutis.

1261 Quinto, hoc idem elicitur a raro exemplo obedientiæ, quam ita Beata Teresia coluit, ut, cum Mater esset ac Fundatrix, nihilominus in monasteriis ubi ad tempus morabatur, priorissis, quas ipsa constituerat, tanquam subdita humiliter et prompte obediret, memor Christi, qui Matthæi cap. 20 dicit : « Non veni ministrari, sed mini» strare »; et ut in Epistola D. Pauli ad Hebræos, cap. 5, legitur : « Cum esset Filius Dei, didicit ex iis » quæ passus est, obedientiam. » Ita deponunt in remissoriali Abulensi sexagesimus super 59, fol. 490, et in 1 parte Salmantini quadragesimus primus testis super 4, fol. 517, et in 3 parte Toletani quartus testis, super 5, fol. 1397, et septimus testis

PER AA. ROTÆ.

testis super 5, fol. 149. Ex quibus apparet quantum in hac virtute obedientiæ Beata Teresia resplenduerit, et quam alte ejusdem virtutis solemne votum interius ac exterius obedientiæ actibus perfectissimis excoluerit, et quam idonea fuerit obedientiæ magistra, quæ prius et perfectius cœpit facere quam docere.

Castitatem ejus purissimam ostendunt

1262 Articulus duodecimus. Castitas, ut D. Tho. 2. 2, q. 143, art. 1, docuit, est pars subjectiva temperantiæ, hoc est, quædam illius species : estque virtus per quam, ut dicit idem Sanctus Doctor, 2. 2, q. 151, art. 1 et 2, concupiscentia juxta rationis modum castigatur. Quæ virtus maxime grata est Christo, qui ejus candore delectatur, et maxime accedente virtute virginitatis, quæ in genere castitatis dicitur excellentissima virtus, teste D. Thom. ubi supra, q. 152, art. 5; quæ consistit in integritate corporis et immunitate a delectationibus, et magis formaliter in proposito perpetuo a talibus abstinendi : juxta D. Thom. dicta q. 152, art. 1 et 3, ubi docet quod hoc propositum redditur laudabile ex fine, in quantum scilicet fit ad vacandum rebus divinis. Quibus virtutibus Beatam Teresiam mirifice ab omnipotenti Deo in excellenti gradu fuisse condecoratam constat, ut ex sequentibus facile est videre.

aversio quasi naturalis ab impudicitia,

1263 Primo, ex proposito firmissimo, quod ab infantia habuit, perpetuo colendi istam virginalem castitatem, simul cum quodam odio sibi impresso et quasi a natura insito contra quidquid impuritatem verbis aut factis sapere posset, prout eadem Beata Teresia in Relatione suæ vitæ multis in locis de se affirmat; et Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 3 suæ historiæ, cap. 4, optime comprobat, mira in confirmationem istius veritatis et notatu digna adducendo, et Pater Ribera, lib. 1, cap. 7.

testimonia directorum ejus spiritualium,

1264 Secundo, hoc ipsum comprobant confessarii ejusdem Beatæ : inter quos Pater Rodericus Alvarez e Societate Jesu, admodum spiritualis et sapiens, qui generalem illius Confessionem audivit, dixit quadam die, manu tenens conspicilia, quibus utebatur ob debilitatem visus, adeo esse impossibile quod Beata Teresia turpes cogitationes pateretur, ob singulare Dei privilegium, ac illa ipsa conspicilia quæ ostendebat. Pater quoque Magister Didacus de Yanguas, e gravioribus ac doctissimis Ordinis Sancti Dominici viris, et istius Beatæ confessarius, illam non quovis modo virginem, sed thesaurum virginitatis appellare solebat : ut probant in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 358, et in 1 parte Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 442, et in 1 part. Toletani vigesimus tertius testis Madriti, fol. 142, et in 4 part. septimus testis Granatæ, fol. 1690 : omnes super 6 art. Unde et idem Reverendissimus Tirasonensis, in dicto c. 4, affirmat quod ipse et omnes qui cognoscebant et tractabant Beatam Teresiam, illam aspiciebant non tanquam personam quæ carne constaret et sanguine, sed tanquam Angelum viventem in hoc mundo absque infectione et macula immunditiæ nostræ carnis. Et ipse notavit et experimento cognovit in ista Sancta, toto tempore quo cum illa tractavit, hoc unum inter alia, quod, quamvis in ipsa omnes virtutes resplenderent, attamen virtus castitatis et puritatis animæ illius clarius manifestabatur in illius vultu illiusque compositione, qua attrahebat ad hanc virtutem illos qui cum ipsa loquebantur et tractabant; taliter quod in facie portaret impressam imaginem castitatis et interioris puritatis.

immunitas a tentationibus carnis,

1265 Tertio, idem suadetur ex eo quod nunquam Beata Teresia tentationes carnis experta fuit illasque omnino ignoravit, particulari gratia et privilegio Dei : ut idem Reverendissimus Tirasonensis, ipsius confessarius, ubi supra, testatur. Ex quo non semel evenit quod, cum aliquæ moniales carnis stimulis vexatæ illam pro remedio consequendo consulerent, illis respondere soleret aliam personam consulerent; se enim in hac materia consilium dare non posse, cum hujusmodi motus, Dei misericordia, nunquam passa fuisset, ac proinde cujusmodi essent, ignoraret. Sic deponunt in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, fol. 358, et testis quinquagesimus primus, fol. 405, et testis quinquagesimus quintus, fol. 455, et in prima parte Salmantini testis trigesimus septimus, fol. 442, et in 1 part. Toletani tertius testis, fol. 498, et in 2 p. primus testis, episcopus Calagurritanus, etiam confessarius, fol. 642 : omnes super art. 60.

mirus cum in ipsa tum in monialibus ejus pudicitiæ splendor,

1266 Quarto, idem convincitur ex circumstantiis summæ honestatis, modestiæ, circumspectionis, aliisque similibus, quibus et quoad se ipsam et quoad moniales suas ornata fuit, ita ut castitatis ornatum filiabus suis verbo et exemplo impressisse videatur; ut ex earum moribus et mirabili pudicitia apparet, necnon ex constitutionibus quas pro perfectiori castitatis observantia suis monialibus tradidit : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 358, et quinquagesimus primus testis, fol. 405; et in 1 p. Salmantini testis trigesimus septimus, fol. 442; et in prima parte Toletani vigesimus tertius testis super 60, fol. 142, et in 4 part. septimus testis super eodem articulo, fol. 1690.

corporis post mortem incorruptio, odor et liquor.

1267 Quinto, perpetuam castitatem et virginitatem istius Beatæ Virginis Teresiæ eumdem Dominum nostrum dignatum fuisse comprobare non dubitamus mirabili illius corporis integritate et incorruptione, mirificoque odore et liquore suavissimo, cum quibus hodieque conservatur et colitur, prout in Relatione miraculorum late ostendimus. Quæ quidem videntur quædam præmia, puritati corporis istius Sanctæ Virginis Teresiæ correspondentia.

Excellentis paupertatis ejus indicia sunt

1268 Articulus decimus tertius. Divi Ambrosius et Hieronymus (quos refert et sequitur D. Thom. 2. 2, q. 19, art. 12 in corpore) dicunt quod paupertas spiritus est abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est, propria voluntate per instinctum Spiritus Sancti. Et hinc est paupertatem istam esse virtutem pertinentem ad temperantiam : nam abdicatio rerum temporalium velut abstinentia quædam est ab iis quæ nocere possunt animæ. Quantum vero ab ipsis temporalibus bonis Beata Teresia ad imitationem Christi abstinuerit, quantumque excellenter istam virtutem paupertatis spiritus amaverit coluerit, sequentia demonstrare facile valent.

vota circa hanc virtutem emissa,

1269 Primo, hoc desumitur ex solemni voto paupertatis, quod in emissione suæ primæ professionis in manibus superioris voluntarie fecit, et ex illo quod postea ad majorem perfectionem sub primitiva regula emisit, illorumque strictissima observantia, quam verbis et operibus semper demonstravit, dum dicere solebat paupertatem esse quoddam bonum continens in se omnia bona mundi, et quod pauperem se non habebat, nisi quando sibi aliquid necessarium deficiebat : ut in 1 part. remissorialis Salmantini deponunt testis trigesimus septimus super art. 61, fol. 443, et alii plures.

regulæ de eadem scriptæ et in opus deductæ,

1270 Secundo, operibus ac doctrina Beata Teresia idem confirmavit, quatenus non solum in suis constitutionibus hanc paupertatem spiritus monialibus summe commendavit, et easdem summo studio

studio ad amorem et observantiam ejus in communi et in particulari retinendam vehementer hortata fuit; ut deponit in 1 p. Toletani vigesimus tertius testis, fol. 443, et quadragesimus primus testis, fol. 524, et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, fol. 360, et alii : sed hoc idem docuit in erectione suorum monasteriorum absque annuis reditibus, spe in Deo tantummodo collocata; ut in 2 p. remissorialis Toletani deponunt primus testis, episcopus Calagurritanus, super 61, fol. 642, et in Salmantino proxime relatus testis trigesimus septimus super eodem, et alii plures usque ad triginta quinque testes.

labor manuum, victus vestitusque vilitas,

1271 Tertio, idem comprobatur ex labore manuum suarum, quo ad imitationem Divi Pauli necessaria parabat : ut deponunt in 1 p. Toletani vigesimus tertius testis super 61, fol. 143, et in 1 p. testis quadragesimus nonus, fol. 670, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 360, et testis quinquagesimus primus, fol. 406. Quarto, idem elicitur ex paupere victu et lecto quibus utebatur, et ex vilitate vestium, quam tanti ipsa fecit, ut, si aliquam monialem vilioribus vestitam videret, cum illa vestes commutaret : ut deponunt in 1 p. remissorialis Toleti vigesimus tertius testis super 61, fol. 143, et in 1 p. Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 443, et testis quadragesimus primus, fol. 524, super eodem art. 61, et in remissoriali Abulensi nonagesimus nonus testis super eodem art., fol. 360, et alii plures.

apostolica iter faciendi ratio,

1272 Quinto, hoc idem deprehenditur ex apostolico modo iter faciendi, cum ad erectiones monasteriorum tenderet, sæpe sine pecunia; ita ut necessaria ipsi deessent : ut deponunt in prima parte Salmantini trigesimus septimus testis, fol. 443, et in 2 p. quadragesimus nonus testis super 61, fol. 670, et alii. Prout etiam illi evenit, cum in erectione monasterii Toleti pro se et sociis unum dumtaxat operimentum haberet, et vix cibus necessarius suppeditaretur; quod ipsa summo gaudio passa fuit : ut deponunt in 1 p. Toletani vigesimus tertius testis super 61, fol. 143, et in 3 p. nonus testis Vallisoleti super 8, fol. 148, dicens quod quadam die Sanctissimi Sacramenti, deficiente in conventu alimento, cum non haberent moniales quidquam præter panem, tanta fuit consolatio Beatæ Teresiæ, ut in gratiarum actionem processionaliter duxerit imaginem Jesu, cantando illi devotas laudes : ut deponunt in 1 p. Salmantini quadragesimus primus testis super 61, fol. 524, et in 2 p. quadragesimus nonus testis, fol. 670, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 360, cum aliis.

odium rerum pretiosarum.

1273 Sexto, prædicta confirmantur ex odio auri et rerum pretiosarum, quod habebat; ut demonstravit, cum a ducissa Albæ quamdam gemmam magni pretii (propter reverentiam ducissæ) accepisset, quam retinere noluit, immo potius statim cuidam ejusdem ducissæ famulæ dictam gemmam restituit : ut deponunt in prima parte Toletani vigesimus tertius testis Madriti, fol. 143, et vigesimus quintus testis, fol. 270, et in 3 p. decimus sextus testis Vallisoleti, qui est eadem ducissa Albæ : omnes super 61, fol. 1528; et in 4 p. Toletani septimus testis Granatæ super eodem articulo, fol. 1691.

§ LXIII. De cæteris virtutibus illius.

Articulus decimus quartus. Religio inter finitimas justitiæ virtutes numeratur, quas D. Tho. 2. 2, q. 80, partes justitiæ potentiales appellat, et est quædam virtus per quam homines debitum cultum et reverentiam Deo exhibent : idem Sanctus Doctor, ubi supra, q. 81, art. 1. Aliis virtutibus moralibus præeminet ex propinquiori accessu quem habet ad Deum : juxta sententiam ejusdem Sancti Doctoris, dicta q. 81, art. 6. Et infra, art. 8, docet quod, licet religio et sanctitas essentialiter sint idem, ratione tamen differunt, quia sanctitate mens hominis se Deo applicat, religione vero ei debitum exhibet famulatum in his quæ specialiter ad illius cultum spectant. Quarum Beatam Teresiam perfectissimam se cultricem ostendisse censuimus, ut ex sequentibus demonstratur.

PER AA. ROTÆ. *Religionis virtutem præclare* Teresia *exercuit*

devotione,

1275 Primo, hoc desumitur ex actibus religionis interioribus et exterioribus, quibus hæc virtus religionis perficitur, ut notat D. Thom. ubi supra, art. 7, et latius q. 82 et sequentibus, ubi inter actus interiores religionis describit devotionem et orationem. Quorum primus, nempe devotio, est quidam actus voluntatis ad facienda prompte quæcumque ad Dei servitium et famulatum spectant, ut in dicta quæst. 82, art. 1, notat idem Sanctus Doctor. Quam voluntatem promptissimam ad exequenda quæ ad Dei cultum spectant, habuit Beata Teresia; ut efficaciter docet promptitudo et celeritas in monasteriis fundandis, et sollicitudo in præparatione eorum quibus Deum fore honorandum credebat. Prout in erectione monasterii Metinæ del Campo, ubi propriis humeris gestavit partem apparatus requisiti ad altare ornandum, et omnia necessaria pene miraculosa brevitate absolvit, ut Deo Sacrificium altaris summo mane offerretur : ut legitur in libro Fundationum, cap. 3, et in compulsoriali Abulensi deponit decimus testis, illius confessarius et socius in illa fundatione, fol. 199, et confirmat Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 2, cap. 16, ubi dicit hanc fundationem fuisse miraculosam, quia sic illud a Deo accepit Beata Teresia.

oratione,

1276 Secundum argumentum istius perfectissimæ religionis fuit oratio, quæ (juxta D. Thom., ubi supra, q. 83), est actus virtutis religionis, et internus, sicut et devotio : et cum per actus excellentes feratur judicium de excellentia cujuslibet virtutis, videtur dicendum quod hanc virtutem in excellenti gradu Beata Teresia habuit, quia actum illius, nempe orationem sublimissimam, assecuta fuit, ut Ecclesia universa ex ejus libris novit, et infra suo loco dicemus.

pia Officii divini recitatione,

1277 Tertium argumentum habetur ex actibus externis istius virtutis, nempe ex divini Officii persolutione, quo divinæ Majestati laus et cultus redditur, in quo Beata Teresia fuit perfectissima Dei cultrix, sive seorsim sive in choro Officium divinum recitaret aut caneret; ita ut ob divinæ Majestatis reverentiam, si minimus etiam error in choro committeretur (ut solet accidere), diligentissime illum corrigi curaret : ut deponunt in 1 part. remissorialis Toletani vigesimus tertius testis, confessarius illius, fol. 145, et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis, fol. 367, et testis quinquagesimus primus, fol. 411, et testis quinquagesimus quartus, fol. 441, et testis sexagesimus, fol. 492, omnes super art. 82.

cultu Sanctorum,

1278 Quarto, idem comprobatur ex honore quem semper detulit Sanctis et iis rebus omnibus quæ peculiari aliqua ratione (puta sanctitatis vel consecrationis) ad Dei venerationem referuntur. Multos enim Sanctos summo studio coluit, et præsertim gloriosissimam Virginem Mariam et Sanctum Joseph

PER AA. ROTÆ.

seph illius sponsum; adeo ut prolixa oratione explicari non valeat numerus prædictorum Sanctorum, quos refert in sua historia Reverendissimus Tirasonensis, lib. 3, c. 21. Imagines etiam Christi et Sanctorum a pueritia floribus ornare, vestesque sacras singulari studio et munditia ob Dei et Sanctorum cultum tractare consuevit. Quam munditiam et ornatum circa sacras vestes, altare et alia ad cultum divinum pertinentia, et ipsa in vita sua curavit summo studio, et in sua Religione valde commendata reliquit : ut deponunt iidem testes supra proxime citati, et ultra illos in compulsoriali Abulensi decimus testis, confessarius illius, fol. 211.

affectu erga SS. Eucharistiam,

1279 Quinto, mirifice hoc comprobatur ex mirabili affectione quam Beata Teresia habuit ad cultum Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, ut dicere soleret se ad fundanda summis cum laboribus monasteria excitari, ut adderet Ecclesiæ novum aliquod templum in quo Sanctissimum Altaris Sacramentum collocaretur et coleretur. Et hoc solatio sibi proposito, fiebat ad labores animosior : ut deponunt in compulsoriali Abulensi decimus testis, fol. 197, et in remissoriali Abulensi quinquagesimus primus testis, fol. 911, et in 1 part. Toletani vigesimus tertius testis, fol. 501, et in 4 p. septimus testis, fol. 1694, omnes super articulo 73; et comprobatur ex late scriptis a prædicto episcopo Tirasonensi, ubi supra, cap. 20 et 21.

quotidiana Communione,

1280 Sexto, ad idem firmandum nos induxere mira incrementa in anima istius Beatæ Virginis ex augmento cultus Christi causata, per quotidianam Communionem viginti trium circiter annorum, ex doctissimorum virorum consilio et suorum confessariorum licentia : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus secundus testis, fol. 249, et quadragesimus sextus testis, fol. 296, et testis quadragesimus septimus, et quadragesimus octavus, et quadragesimus nonus, et quinquagesimus primus : omnes super art. 73. Quo divino pastu mirifice roborata, in cultu et fide Jesu Christi in Sacramento existentis maximos fecit progressus, ita ut per plures annos per fidem vivam non secus ad sumendam Eucharistiam accederet quam si Christum ipsum corporeis oculis cerneret : ut deponunt in 2 p. Toletani primus testis super 4, fol. 673, et historiæ supra citatæ istius Beatæ, et particulariter Pater Ribera, lib. 4, cap. 12. Quam vero fuerit gratus Christo Beatæ Teresiæ hic cultus, clare apparet ex eo quod frequenter post Communionem cum fulgore vultus ecstasim patiebatur. Et propter interna Dei solatia corporis etiam dolores ei fuerunt remissi. Et ex quo Communionem frequentare cœpit, cessavit in illa quidam vomitus, quem quotidie mane passa fuerat, et illam quotidianam Eucharistiæ sumptionem impediebat : ut deponunt in remissoriali Abulensi testis quadragesimus secundus et quadragesimus octavus; et in remissoriali Toletano vigesimus primus testis, episcopus Tirasonensis, et testis vigesimus tertius, illius confessarius; et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus et testis sexagesimus : omnes super articulo 73. Et cum quadam Dominica Palmarum, post Communionem, antequam Eucharistiam deglutiret, in ecstasim rapta fuisset, paulo post in se reversa, visum fuit sibi os pretioso Sanguine Christi plenum totumque corpus eodem Sanguine tinctum habere; ubi intima cum suavitate hæc verba a Jesu Christo audivit : « Filia, volo ut » meus Sanguis tibi prosit; nec timeas meam tibi » aliquando misericordiam defuturam. Ego illum » multis cum doloribus effudi, et tu ipso (ut vides) » magna cum voluptate perfrueris. » Quod ipsa refert in libro Vitæ suæ, fol. 359, et deponunt in remissoriali Abulensi testis quadragesimus septimus, fol. 296, et testis quadragesimus octavus, fol. 325, super art. 73.

reverentia in sacerdotes.

1281 Septimo et ultimo, prædicta confirmantur ab honore et reverentia quibus venerata fuit sacerdotes, tamquam ministros Sanctissimi Sacramenti, ita ut coram ipsis genua flectere consueverit : ut deponunt in remissoriali Toletano vigesimus tertius et sextus et septimus testes, et in remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus et quinquagesimus primus, omnes super dicto art. 73; et comprobat Reverendissimus Tirasonensis, ut supra.

Profundissimam coluit humilitatem

1282 Articulus decimus quintus. Humilitas est virtus qua animus firmatur ne inordinate extollatur. Et est quædam species modestiæ et pars temperantiæ, juxta D. Thom. 2. 2, q. 161, art. 1 et 4. Hanc virtutem maxime commendavit Christus ad sui imitationem (Matth. 11), et plures illius gradus ponuntur in regula Sancti Benedicti, ut refert D. Thom. ubi supra, art. 6. Et quantum præstiterit Beata Teresia in hac virtute, et qualiter ad ejus perfectissimum gradum pervenerit, ex sequentibus argumentis plane constat.

sui contemptu,

1283 In primis hoc suadetur ex sui ipsius cognitione, quam in adeo excellenti gradu fuit assecuta, ut, licet heroicis virtutibus et donis cœlestibus ornata esset, se ex animo maximam mundi peccatricem crederet; ita ut sæpe diceret optare se aliquando omni sensu carere, ne tanta in se mala conspiceret. Et inter tot mirabilia quæ illam celebrem fecerunt, inanis gloriæ stimulos non sensit, et sæpius dicebat gratias sibi a Deo collatas, ut raptus, visiones, revelationes, esse quasi torrentes raptim transeuntes, peccata vero sua quasi cœnum quod semper præ oculis habebat. De quibus deponunt plures testes, inter quos quatuordecim illius confessarii : sed sufficiat exprimere in 2 part. Toletani primum testem, episcopum Calagurritanum, et episcopum Tirasonensem, et episcopum Segoviensem, omnes super 63; et in 1 part. vigesimus tertius testis Madriti super eodem art.; et in remissoriali Abulensi quinquagesimus quartus et quinquagesimus quintus testis; et in compulsoriali Toletano primus testis Ulisiponæ super 7.

desiderio aliis vilescendi,

1284 Secundo, hoc idem desumitur a desiderio quo flagrabat ut aliis ejus culpæ innotescerent, iis præsertim a quibus se magni fieri sciret. Qua in re a confessariis cohibita fuit, quibus sponte licentiam dedit ut omnibus ejus culpas manifestarent, cum e contrario curaret ne beneficia divina ei impensa publicarent : ut deponunt plures ex testibus supra relatis, et in 4 part. Toletani septimus testis Granatæ; et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis : uterque super art. 63.

fuga honoris,

1285 Tertio, hoc idem comprobatur ex fuga honoris. Nam cum ejus sanctitatis fama cœpisset extendi, optavit e monasterio in quo tunc degebat, in aliud migrare, ubi a nemine cognosceretur. Et postulavit a superioribus ne in monasteriis quæ erexerat, appellaretur Fundatrix. Et cum revera esset talis, nihilominus tamen subditam se reputabat, semper se subjiciendo et humiliter obediendo priorissis, quas ipsamet in suis monasteriis elegerat, ut diximus supra art. 11; et e contra habebat sitim contumeliarum, voluptatemque sentiebat, dum a superioribus objurgaretur : ut deponunt testes proxime relati. Quarto, idem docet quædam fuga pia divinorum beneficiorum, qua visiones et revelationes divinaque solatia, suam indignitatem agnoscens, detrectabat, ad imitationem Sancti Petri dicentis (Luc. 5) : « Exi a me, quia homo peccator » sum,

A » sum, Domine » : ut patet ex ejus verbis, in Relatione suæ vitæ, fol. 124 : « Vide, Domine, quid » facias : ne tam cito gravium peccatorum meorum » obliviscaris. Et licet, quod attinet ad veniam, tam » eorum oblitus fueris, recordare, precor, illorum, » ut beneficiis in me tuis metam præfigas. » Hæc ipsa.

actibus externis humilitatis

1286 Quinto, hocmet petitur ab externis humilitatis actibus, quos ut magistra istius virtutis exercuit : ut cum refectorium ingressa, prona, et clitellam tergo impositam ferens, a monialibus veniam culparum postulavit; et cum, se habitu monastico indignam credens, a superiore impetravit ut per dies aliquot eo exueretur, iterumque ut novitia indueretur. Quod dum fieret, ex magno devotionis sensu ecstasim passa fuit : ut deponunt in 2 part. Salmantini testis decimus octavus; et in 1 part. Toletani secundus testis; et in 4 part. sextus testis Granatæ, et vigesimus primus testis Metinæ : omnes super 64 art.; et in compulsoriali Toletano primus testis super vigesimo, et secundus testis Madriti, fol. 40. Qui multos alios etiam humiliationis seu humilitatis exteriores actus prædictam B Beatam Teresiam fecisse affirmant.

et officiis abjectis obeundis.

1287 Sexto, ad idem nos inducunt exercitia inserviendi aliis in culina et refectorio, et in abluendis sordidis vasis; in quibus ministeriis intime delectabatur. Quibus accedebat quædam consuetudo agendi cum subditis quasi cum æqualibus, exposcendo ab eis consilium de rebus gerendis, illudque sequendo mirabili cum animi demissione : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis et quinquagesimus primus; et in 1 part. Toletani primus testis Consuegræ, et secundus testis in oppido de Malagon : omnes super artic. 63; et in 4 part. Toletani septimus testis Granatæ super 64, et alii plures.

Invictam exeruit patientiam in morbis et laboribus,

1288 Articulus decimus sextus. Juxta D. Augustinum, in libro de Patientia, cap. 2, quem refert et sequitur D. Thom. 2. 2, q. 136, art. 1 in corpore, patientia est virtus qua mala æquo animo toleramus, id est, sine perturbatione tristitiæ; ut ibidem exponit S. Thom., qui infra, art. 4, affirmat patientiam esse virtutem fortitudini adjunctam. Quam virtutem Beatam Teresiam eminentissime habuisse constat et probatur primo, ex ardore patiendi quem illa semper ostendit in illis verbis, quibus frequenter utebatur : « Domine, aut mori C » aut pati »; quasi frustra viveret, nisi propter Deum mala pateretur : ut deponunt in 1 p. Toletani vigesimus tertius testis Madriti, confessarius illius; et in 4 p. septimus testis Granatæ; et in prima parte Salmantini trigesimus septimus testis : omnes super art. 66, et alii. Cui patiendi desiderio ut Christus satisfaceret, gravissimis eam laboribus exercuit. Nam ab emissa professione in conventu Incarnationis per triennium tali nervorum contractione vexata fuit ut acutissimos dolores illi causaret. Jacebat in lecto ita impedita ac inhabilis ut nec unum tantum digitum manus movere posset. Reliquo etiam tempore vitæ suæ semper fuit male affecta. Sæpe enim epilepsiam, pleuritidem, paralysim, corporis tremores, vomitum per singulas noctes, febres valde frequenter passa fuit; ita ut per quadraginta annos afflicta, nullum diem absque aliqua hujusmodi molestia duxerit. Quibus gravata infirmitatibus, per viginti annos Hispaniam peragravit, nivibus, pluviis, summis solis ardoribus, paupertate maxima innumerisque incommodis se exponens, ut monasteria erigeret. Quæ omnia admirabili ac incredibili patientia pertulit; ita ut in molestissimis ægritudinibus ac acerbissimis doloribus nullum aliud verbum ex ore ejus egrederetur nisi illud Job 2 : « Si bona suscepimus de manu D » Dei, mala autem quare non sustineamus? » ut deponunt in 1 p. Salmantini trigesimus septimus testis super 66, et in 2 p. quadragesimus septimus super 67, et centesimus tertius testis super 5; et in remissoriali Abulensi quadragesimus secundus testis et quadragesimus sextus et quadragesimus septimus, omnes super 4; et vigesimus octavus testis, et quadragesimus nonus et sexagesimus testis, omnes super 66; et in 1 p. Toletani secundus testis Toleti super 53; et in compulsoriali Abulensi decimus testis et vigesimus quintus super quinto.

in insectationibus dæmonum,

1289 Secundo, eamdem patientiam exercuit in doloribus et percussionibus quibus dæmones illam excruciarunt. Sæpe enim, cum aliqui Beatæ Teresiæ intercessione a gravibus peccatis resipiscerent, dæmon illam rabide torsit. Aliquando eam cerea face percussit, corpusque nonnunquam graviter læsit. Abulæ illam e choro egredientem (*vide num.* 786 *hujus Commentarii*) a summitate ejusdem scalæ præcipitem egit, ex quo brachium ei confractum fuit, in cujus curatione acerbissimos pertulit dolores; et nihilominus ita remansit debile ut deinceps illo uti nunquam potuerit. Quadam autem vice per E quinque horarum spatium interius et exterius valde a dæmone excruciata fuit, taliter ut jam illi animus deficere videretur. Et cum illa inter alios patientiæ ac resignationis actus usque ad mundi finem diceret libenter se passuram, si id Deo placeret, apparuit ei dæmon deformis Æthiops; in quem cum Beata Teresia aquam benedictam projiceret, protinus aufugit, magno fetore relicto : ut ipsamet in Relatione suæ vitæ scripsit, c. 31, fol. 245, ubi multos alios casus similes refert. Quæ omnia alacri animo et mira patientia Beata Teresia sustulit : ut deponunt in 4 p. remissorialis Toletani decimus testis Metinæ super 66; et in 3 p. nonus testis Vallisoleti super 4; et in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis et quinquagesimus primus et sexagesimus testis, omnes super 67; et testis quinquagesimus quintus super 68; et in compulsoriali Abulensi primus testis super 60, et quintus testis super quarto, et nonus testis super quinto, et alii.

in interna desolatione;

1290 Tertio, eamdem mirabilem patientiam exercuit Beata Teresia in interna desolatione quæ per viginti annos illam (sic Deo disponente) acerbissime afflixit. Quæ inter prima et gravissima tormenta enumeratur; cum sit quasi perenne martyrium. Hujusmodi, imo et graviores derelictiones, postquam Dei benignitatem cœpit experiri, ad tempus toleravit. Multis quoque annis anxio fuit animo, timens ne a dæmone esse delusa : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus sextus testis super decimo, et quadragesimus nonus testis super 69 et super 74; et in 2 part. Salmantini centesimus testis super 4, et testis centesimus quartus super 5. F

nec unquam patiendo satiabatur.

1291 Quarto, prædicta confirmantur ex ingenti affectu majora patiendi. Cum enim tot tantaque mala sustulisset, ut aliquando præ immensa animi anxietate corporis compages solvi viderentur, nunquam tamen saturata fuit, dicereque solebat se ad patiendum non indigere alio fine quo moveretur, quam ipsa patientia : ut in remissoriali Abulensi deponunt quadragesimus nonus testis super 69; et in compulsoriali Abulensi primus testis, confessarius illius, super 6; et in compulsoriali Salmantino septimus testis super 4.

Pœnitentiam egregie exercuit

1292 Articulus decimus septimus. Pœnitentiæ virtus (ut docet D. Thom. 3 part., q. 85, art. 2) est qua

PER AA. ROTÆ.

A qua homo operatur ad præteriti peccati destructionem et detestationem. Et ista virtus est species justitiæ, ut idem Sanctus Doctor, ubi supra, art. 3. Exigitque hujusmodi virtus quamdam justitiæ compensationem, quæ fit mediis actibus pœnitentiæ. Horum aliqui sunt interni, ut contritio sive peccati detestatio et dolor : alii externi, qualis est carnis maceratio et alia opera quæ ad vindictam et satisfactionem peccati fiunt. Quæ operata fuit insigniter Beata Teresia, ut facile ex sequentibus apparebit.

actibus internis contritionis.

1293 Primo, hoc desumitur ab actibus internis contritionis, quorum mensura est amor Dei. Qui quantum in anima ejus crevit, tantum peccati odium fuit auctum. Quod bene demonstrant ea quæ in suorum levium peccatorum detestationem scripta reliquit in libro suæ Vitæ, cap. 7, fol. 47, et cap. 8, fol. 50 : et probant in 1 part. remissorialis Toletani vigesimus tertius testis Madriti, confessarius, et in 2 part. primus testis, episcopus Segoviensis, confessarius, uterque super 63 articulo; et in remissoriali Abulensi quadragesimus sextus testis super art. 62, et alii plures.

afflictationibus carnis,

B 1294 Secundo, hoc idem elicitur ex actibus exterioribus pœnitentiæ, nempe ex acerrimis flagellis, non modo duriorum funium, sed etiam urticarum et clavium, quibus usque ad sanguinis effusionem se verberare consuevit, cum reiteratione super plagas præcedentes nondum curatas; tum ex ferreis catenis acuminatis, quibus cincta incedebat, et a vepribus in quibus se (ut de Sancto Benedicto legitur) aliquando volutabat. Quibus et similibus pœnitentiæ operibus corporis valetudinem destruxit, nec ægra unquam cilicia et verbera deseruit; et nonnunquam ex febri in lecto decumbens, ad solitam cum aliis monialibus disciplinam surgebat : ut deponunt in prima parte remissorialis Salmantini trigesimus septimus testis super decimo, et in 2 p. quadragesimus septimus testis super quarto, et quadragesimus nonus testis; et in remissoriali Abulensi quadragesimus sextus testis et quadragesimus nonus super 62; et in prima parte remissorialis Toletani vigesimus tertius testis, confessarius, et in 4 parte septimus testis Granatæ et vigesimus primus Metinæ, omnes super 62; et in compulsoriali Abulensi sextus testis super 4; et in compulsoriali Salmantino quintus testis super eodem, et alii plures.

C

observatione jejuniorum, et austeræ Reformationis institutione.

1295 Tertio, idem petitur ab observatione jejuniorum Ecclesiæ et regularium, quæ sunt plurima (ut supra art. 10 de temperantia diximus), et a carnium abstinentia, cum ob continuos morbos juxta regulam carnibus vesci posset. Quibus accedit durus lectulus paleis stratus, et subucula lanea rudesque vestes, quibus usa fuit; licet juxta regulam posset aliquid de ista austeritate (morborum causa) remittere. Cum quibus concurrit modicus somnus duarum vel trium horarum, ut reliquis noctis horis orationi vacaret. Quod etiam dum iter faceret, observavit. Majoresque pœnitentias fecisset, nisi a suis confessariis fuisset prohibita. Dicebat quippe se (cum vehementem impetum Deum videndi patiebatur) nulla re magis quam corporis maceratione quiescere, ægreque ferebat quod confessarii eam reprimerent : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis; et in 1 part. Salmantini trigesimus septimus testis super 10; et in 2 part. quadragesimus septimus testis super 4; et 1 part. Toletani vigesimus tertius testis; et in 2 primus testis, episcopus; et in 4 part. sextus et septimus testes : omnes super 62 art.; et vigesimus primus testis super eodem; et in compulsoriali Abulensi primus testis, confessarius, super 5, et sextus testis super 4, et decimus testis, confessarius, fol. 190. Quarto, supradicta confirmantur ab istius Religionis Reformatione quam instituit, cujus austeritas ex multiplicibus pœnitentiæ actibus composita Ecclesiæ notissima est, et illius regula indicat, et plures testes affirmant, quos referre hic, quod sint notoria, superfluum duximus. D

Admirandæ dedit mansuetudinis specimina.

1296 Articulus decimus octavus. Mansuetudo est virtus per quam secundum rectam rationem affectum iræ moderamur, juxta S. Thom. 2. 2, q. 157, art. 2; ubi et art. sequenti affirmat istam virtutem esse partem adjunctam temperantiæ. Estque ista virtus una ex duabus quas Christus Redemptor noster plurimum commendavit Matth. 11, dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Et ut declarat D. Augustinus, lib. 1, c. 2, de Sermone Domini in monte : « Mites sunt qui » cedunt improbitatibus et non resistunt malo, » sed vincunt in bono malum. » Hanc virtutem qualiter in sublimi gradu consecuta fuerit Beata Teresia, ex dicendis clare apparebit.

quando pro energumena et deceptrice habita fuit,

E 1297 Primo, ex eo tempore quo aliqui illusam eam existimarunt, magna ob eam causam procella excitata, cum alii dicerent illam esse a dæmonibus obsessam, et exorcismis uti vellent, alii eam fallacem mulierem crederent Sanctæque Inquisitionis censuram minarentur. Quo tempore ita ab omnibus derelicta fuit ut nemo ejus Confessiones audire vellet. Quibus in contumeliis et injuriis miram mansuetudinem semper exhibuit : ut deponunt in remissoriali Abulensi testis quinquagesimus primus super art. 68, et in compulsoriali Abulensi secundus et tertius testis super 5; et comprobant supradictus Reverendissimus Episcopus Tirasonensis et P. Doctor Ribera, in suis historiis.

quando ob monasterii sui Abulensis erectionem calumnias passa est.

1298 Secundo, ex tractatu de erectione primi monasterii : cujus occasione (Deo sic permittente ad suæ ancillæ Teresiæ probationem, eam apud aquam contradictionis et persecutionis probando, et tanquam aurum in fornace illius patientiam et mansuetudinem examinando) multa in civitate Abulæ et in ipso monasterio in quo tunc morabatur, de illa maledice et ignominiose sparsa sunt; quin etiam coram suo provinciali in judicium fuit vocata, ubi plura ei objecta fuere, et (quod gravius est) in concionibus prædicatores aliqui in eam invehebantur adeo aperte ut tantum ex nomine Teresiam non appellarent. Quod fuit continuatum in prædictæ novæ Reformationis institutione : quam dum inchoare tentaret, graves et indignati testes adversus illam insurrexerunt, qui multa falsa crimina contra eam sparserunt, et contumeliosa verba jactarunt; et multæ et graves contumeliæ de illa scriptæ fuerunt, quæ in multorum etiam gravissimorum manus devenerunt. Quæ omnia mitissime audivit et toleravit : et inter tot et tam acria indignationis incitamenta, nullum iræ aut impatientiæ verbum protulit; nullus locus iræ in ejus animo, sed admirabilis mansuetudo et tranquillitas fuit : ut deponunt in compulsoriali Abulensi primus testis, confessarius, super 5 et 6; et in remissoriali Abulensi quadragesimus sextus testis et quadragesimus septimus super artic. 21, et trigesimus primus, et quadragesimus nonus, et quinquagesimus quartus, et quinquagesimus quintus testes, omnes super articulo 68; et in 2 part. remissorialis Toletani primus testis, episcopus Tirasonensis. Et comprobatur ex late scriptis per ipsam Beatam Teresiam in Relatione suæ vitæ, c. 36. F

1299 Tertio, ex responso per istam Beatam dato Patri Dominico Bañez, non semel in hac Relatione

quando comparata fuit cum pessima Magdalena a Cruce.

tione nominato : qui cum Beatæ Teresiæ referret quod in quodam virorum gravium consessu unus ex illis adversus eam injurias et probra congesserat, eamque cum quadam Magdalena illusa, tunc vivente et toti Hispaniæ nota, comparaverat, respondit tranquille : « Heu me miseram! Non me » cognoscunt. Si enim Pater ille me cognovisset, » majora in me probra et maledicta merito contu- » lisset »: ut idem Pater Dominicus Bañez, primus testis in compulsoriali Salmantino, sup. 5 art. deponit. Quin et cum Hispali moraretur, ipsa et ejus sociæ Sanctæ Inquisitionis officio, multa eis imponendo falsa, denunciatæ sunt; aliaque multa injuriosa sese illi obtulerunt. Quæ omnia tam leniter et mansuete accepit, ut scripserit cuidam religiosæ in hæc verba : « Benedictus Deus; in hac enim » civitate vere me agnoscunt »; et subdidit idcirco curaturam se ne ex ea civitate egredi posset : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus, quinquagesimus primus et sexagesimus testes, omnes sup. 42 et 68 articulis; et in compulsoriali Salmantino secundus testis, confessarius, super 50; et in compulsoriali Toletano primus testis Ulisiponæ super 8; et Reverendissimus Episcopus Tirasonensis in sua depositione 2 part. remissorialis Toletani, fol. 461; qui etiam illud confirmat in prædicta historia, lib. 2, cap. 28, fol. 205. Alia plura contigerunt quibus Beata Teresia excellenter exercuit istam virtutem mansuetudinis, imitata Christum mansuetissimum, « qui » tanquam agnus coram tondente se obmutuit »: Isai. 53.

Admirabilis ejus magnanimitas elucet ex heroico virtutum ejus gradu,

1300 Articulus decimus nonus. Magnanimitas est virtus quæ modum rationis ponit quoad magnos honores; et proprie versatur circa illos, juxta D. Thom. 2. 2, q. 129, art. 2 et 3. Estque virtus ista (ut idem Sanctus Doctor docet ibidem, art. 5) pars fortitudinis, eique adjuncta ut secundaria virtus principali; perficitque omnes virtutes, addens eis magnitudinis ornamentum, dum eas majores facit, ut notat idem S. Thom. ubi supra, art. 4, ad 3. Qua virtute maxime Deus omnipotens Beatam Teresiam ornavit, ut ex sequentibus apparebit. Primo, a summo vereque heroico virtutum magnanimitate crescentium gradu, quem adepta fuit; ut clare ex superius in ista Relatione de principalioribus virtutibus notatum videri potest, et ex testium ibidem adductorum depositionibus et historiis de illius vita compilatis apparet.

ex operum ejus præstantia,

1301 Secundo, idem petitur a magnitudine animi quo opera plane magna ob Dei gloriam præstitit, qualis fuit istius Reformationis institutio: maxime quod, cum mulier esset, ita se gesserit ut non solum mulierum, sed virorum digna Fundatrix evaserit, cum alias res tanta neque sperari quidem posse videretur; maxime cum hoc opus valde arduum et difficile aggressa fuerit et absolverit tanta eventus securitate et fiducia : quod admirandæ magnanimitatis argumentum est. Quia secundum D. Thom., dicta q. 129, art. 6 et 7, fiducia et securitas magnanimitatis proprietates sunt. Accedat prædictis multitudo operum grandium quæ patravit, nempe triginta duo monasteria, quæ fundata reliquit, septemdecim monialium, quindecim vero religiosorum, prout supra in primo articulo istius secundæ partis ponderavimus.

e voto de rebus perfectioribus agendis,

1302 Tertio, idem elicitur ab illo admirabili voto quod emisit agendi semper non quæcumque bona, sed quæ meliora ac gratiora Deo crederet, prout demonstravimus supra, art. 5 de charitate erga Deum. Si ergo (juxta D. Thom., dicta q. 129, art. 2 in corpore) magnanimitas non versatur circa mediocria, sed circa grandia, Beata Teresia magna aggrediens in emissione dicti voti rari et maximi et in cæteris aliis magnis supra relatis, dicendum necessario est illam evidens argumentum istius virtutis magnanimitatis dedisse.

PER AA. ROTÆ.

ex ardentissimo studio diligendi Deum et proximum.

1303 Quarto, hoc ipsum evidenter demonstratur ab ardentissimo studio diligendi Deum super omnia et proximum sicut semetipsam, quo hujusmodi præcepta adimplere curavit. Nam quoad amorem Dei, non quovis modo, sed seraphico illum amavit, et omnes (quoad potuit) ad Deum converti non solum desideravit, sed curavit; ut latius diximus supra, in dictis articulis 5 et 6 de charitate erga Deum et erga proximum : istiusque amoris Dei talem magnitudinem optavit, ut dicere soleret bene se accepturam quod alii sublimitate gloriæ ipsam antecellerent, at nescire quo animo acceptura esset quod alii ardentius Deum amarent; ut legitur in libro 4 Patris Riberæ supra citato, cap. 10. Quo vero ad amorem proximi, habuit apostolicum animum ac desiderium omnes Christo lucrandi, et ultra metas muliebris sexus circa conversionem hæreticorum et aliorum infidelium, et fidelium peccatorum, rarum exemplum in universo orbe fuit; ut superius in dicto art. 6 ostensum est: quæ christiana et in eo genere excellens, non solum charitas, sed magnanimitas est.

Gratissimum animum gessit,

1304 Articulus vigesimus. Gratitudo (quæ et gratia a S. Thom. 2. 2, q. 106, vocatur) ad partes justitiæ pertinet, et est virtus qua acceptum beneficium animo quidem large, re autem pro viribus recompensatur. Habetque hæc virtus vim quamdam efficacem ad novorum beneficiorum copiam e fonte divinæ bonitatis hauriendam; sicut e contrario ingratitudo fontem divinæ misericordiæ (ut ait Sanctus Bernardus, serm. 51 in Cantica) arefacit. Quantum vero hac virtute erga Deum et homines Beata Teresia claruerit, sequentia demonstrant.

tum erga Deum,

1305 Primo, desumitur gratitudo Beatæ Teresiæ erga Deum a pondere divinorum beneficiorum, quo se premi et ad bene agendum incitari sentiebat, et ab illorum recognitione et continua gratiarum actione tam verbis quam factis. Quod bene elicitur ex his quæ scripsit c. 15, fol. 110, in Relatione suæ vitæ per hæc verba : « Anima quæ suo ingenio » est grata, acrius incitatur ut ad Deum redeat » accepti beneficii memoria, quam repræsentatis » omnibus inferni suppliciis »; et ex illis quæ operata fuit in obsequium et servitium Dei, ac laudem et majorem gloriam ipsius, satis ostenditur : ut historiæ de illius vita referunt, et testes in ista causa examinati confirmant, et superius in ista Relatione ostendimus, et ex infra dicendis magis patebit. Quæ omnia vere possunt gratitudini accepta referri, tamquam operata ab ista Beata Virgine adeo divinis beneficiis illustrata : et nullum majus gratitudinis indicium, quam servitium, non solum verbis, sed operibus pro viribus compensare. Quod et clarius arguitur ab effectu beneficiorum de novo et indies majori cum incremento receptorum, quorum augmentum est effectus gratitudinis, ut supra diximus.

cui se debitas non reddere grates anxie reputabat,

1306 Secundo, idem petitur ab odio quo ingratitudinem prosequebatur. Cum enim videretur sibi divinis beneficiis ingrata, non audebat coram divina Majestate sistere, timens stimulum conscientiæ ingratitudinem accusantis. Quo nullum majus tormentum, ut judicari potest ex his ejus verbis, in prædicta Relatione scriptis, cap. 7, fol. 47 : « Animo » quidem meo (ait) tanto erat durius beneficia po- » tius quam supplicia accipere, quo tempore ego

PER AA. ROTÆ.

A » culpas admiseram, ut vel uno beneficio efficacius » quam multis morbis aliisque laboribus consumi, » pudefieri et fatigari mihi viderer. » Quæ confirmat in cap. 39 suæ Vitæ, fol. 339; ubi fatetur sibi majorem animi fortitudinem fuisse necessariam ad beneficia Dei recipienda quam ad labores maximos perferendos : quod notatu dignissimum est. Judicabat enim tantis beneficiis se ingratam, ex quo eisdemmet beneficiis cruciabatur, et beneficiorum magnitudine se valde gravari sentiebat : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis; et in 1 part. Toletani primus testis, episcopus Tirasonensis, et episcopus Segoviensis, illius confessarii : omnes super 63 articulo.

tum erga benefactores,

1307 Tertio, eadem gratitudo erga homines, etiam ob exigua beneficia, dignoscitur ex eo quod, cum iter faceret, sitiens accepit vas aquæ a quodam homine, cujus tam exiguum beneficium adeo impressum fuit animæ Beatæ Teresiæ, ut per aliquot annos pro illo perseveranter orare meminerit; quin ipsis monialibus ob familiaria obsequia quæ aliis passim præstantur, vix credi potest quas gratias ageret : ut deponunt in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis super 63; et in 2 part. B Toletani episcopus Calagurritanus super 63; et in compulsoriali Toletano primus testis Ulisiponæ super 5. Quod magis notatu dignum videtur, cum moniales omnes tamquam filiæ Matri et Fundatrici plurimum deberent, nihilominus ipsa tamquam extranea quædam, quæ gratuitas eleemosynas acciperet, eis se gratissimam exhibebat.

præsertim spirituales, inter quos reponebat offensores suos.

1308 Quarto, hoc idem confirmatur a gratitudine erga illos a quibus spiritualia beneficia recepit, quales fuerunt confessarii; quibus in oblatis occasionibus fidelissime servivit : ut in remissoriali Abulensi deponit quadragesimus testis super 63. Quod tamen non ita mirandum est ac illa gratitudo demonstrata ab affectu quem gessit erga offensores, tamquam erga benefactores maximos, conferendo in eos omnia quæ poterat officia, ut superius art. 8 de charitate in proximos deduximus : et deponunt in compulsoriali Abulensi primus testis, confessarius, fol. 19 a tergo; et in compulsoriali Salmantino primus testis, confessarius, fol. 268, et alii plures. Unde bonum quod ei injuriam patienti proveniebat, distinguere consuevit ab injuria ipsa, ut injuriæ immemor, boni spiritualis ex illa occasione accepti memor et grata esset. Quæ Euangelica perC fectio est, juxta illud Christi Domini docentis (Matth. cap. 5) : « Diligite inimicos vestros, et be» nefacite his qui oderunt vos. Orate pro perse» quentibus vos. »

§ LXIV. De divinis ejus donis in oratione; de gratiis gratis datis; de donis S. Spiritus; deque fama sanctitatis ejus tam in vita quam post mortem.

Sublimi orationis dono insignitam fuisse Teresiam,

Articulus vigesimus primus. § I. Oratio, juxta communem sententiam, est elevatio mentis in Deum : quod incidit in idem cum eo quod docuit D. Thom. 2. 2, q. 83, art. 17, dicens quod oratio est ascensus intellectus in Deum. Habetque diversos gradus, quos optime ipsamet Beata Teresia expressit et declaravit in libro inscripto Castrum interius seu Mansiones spirituales, quas septem, quasi tot D orationis gradus, reperire docuit, et de una in aliam devenire, usquedum ad unionem perfectissimam cum Deo, sive ad matrimonium spirituale, anima perveniat, quæ est sublimior hujus vitæ perfectio. Tunc enim tota anima cum omnibus suis potentiis et viribus in Deum recollecta unus spiritus fit cum eo, ita ut jam nihil reminiscatur nisi Deum, nihil sentiat aut intelligat nisi Deum, et omnes affectus, in amoris gaudio uniti, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant, juxta Sanctum Bonaventuram in Opusc., lib. 2 de processu Religionis, cap. 72. Iste autem orationis status habet etiam in se diversos gradus, prout et amor Dei habere dignoscitur. Unde qui majori amore majorique charitate in Deum flagraverit, sublimiorem gradum istius divinæ unionis consequetur, prout Beatam Teresiam assecutam fuisse non dubitamus. Siquidem a juventute sua, et a die quo Religionem fuit ingressa, per quinquaginta annos et amplius continuos, in hoc sublimi orationis studio per omnes illius gradus se exercuit, usquedum ad sublimem et perfectiorem gradum prædictum perfectissimæ unionis pervenit.

E

tum e scriptis ejus et testimoniis confessariorum,

1310 Quod si velimus a testibus fide dignis petere, habemus ipsiusmet Beatæ testimonium in iis quæ de sua propria oratione et contemplatione divina in suis libris scripta reliquit. Frequentissima enim ejus mentis suspensio, altissima quies, arctissima unio, creberrimi raptus, intimæ charitatis vulnera, vehementissimi amoris impetus, suavissima Dei colloquia, tenerrima blandimenta, quibus ipsius scripta respersa sunt, sublimitatem orationis proculdubio angelicæ, atque ad alios erudiendos absolutissimam peritiam cœlitus infusam facile demonstrant. Habemus etiam testes majores omni exceptione, et de hac re optime per diversa temporum curricula instructos, nempe graves, doctos, spirituales et pios. Quorum plures confessarii ejusdem Beatæ, et inter illos aliquos dignissimos antistites, quos non semel in ista Relatione nominavimus, qui super hoc articulo optime et latissime deponunt; quibus ipsa suam orationem, gradus et effectus illius, gratias et favores divinos, et statum ad quem medio orationis studio ascenderat, fidelissime, pro majori animæ suæ securitate et directione, semper communicare curavit. Qui omnes, facto periculo de spiritu ac doctrina librorum hu- F jus tantæ Virginis, eam non immerito quasi spiritualis doctrinæ magistram a Deo Optimo Maximo Ecclesiæ suæ datam fuisse affirmant; ut jam supra art. 2 diximus. Sed ultra prædictorum testimonia, ad hoc ipsum sequentia nos induxerunt argumenta.

tum ex orationis ejus causa

1311 Primo, quia, cum (teste D. Thom. dicta q. 83, art. 14) causa orationis sit desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, et Beata Teresia hoc maximo desiderio, quin potius ipsa charitate, adeo arserit (ut in art. 5 ostendimus) ut ipsa mirabiliter dicere soleret non sibi molestum fore quod alius majori gloria frueretur, ægre tamen laturam quod alius majori amore Deum prosequeretur : quibus verbis desiderium istius charitatis, quin et ardentissimam charitatem, qua erga Deum flagrabat, mirifice demonstravit. Unde, cum assecuta hunc igneum amorem in gradu valde heroico per medium orationis et divinæ contemplationis fuerit, dicendum videtur gradum sublimem orationis quoque assecutam fuisse, sicque potuisse dicere cum Regio Propheta, Psal. 38 : « Concaluit » cor meum intra me, et in meditatione mea » exardescet ignis. »

et effectibus

1312 Secundo, istius sublimitatis gradus, ad quos

A quos in oratione Beata Teresia (Deo dante) pervenit, effectus illius clare demonstrant. Per istud enim medium orationis, quæ dicitur regia via ducens ad vitam, Beata Teresia assecuta fuit tot tantasque excellentes et heroicas virtutes, non solum ardentissimam charitatem (de qua supra), sed etiam fidem vivam et spem firmissimam, obedientiam altissimam, virginalem castitatem et paupertatem euangelicam, humilitatem profundam, patientiam fortitudinemque incomparabilem, nec non divinam prudentiam et alias admirabiles virtutes, quarum unamquamque in suis locis recensuimus. Istamque gratiam assequendi virtutes ita excellentes, et in gradu summe perfecto, Beata hæc semper et continuo a Deo in oratione flagitavit, tanquam illa quæ bene cognoscebat substantiam perfectionis Christianæ et Religionis consistere in perfectione charitatis et aliarum virtutum; ut ex doctrina librorum quos scripsit, constat, et confirmat ejus confessarius, episcopus Tirasonensis, in sua historia. Tertio, hoc idem desumitur ex alio mirabili effectu per orationem in Beata Teresia secuto, nempe quadam mira adhæsione mentis in Deum, continuaque illius præsentia; ita ut omni loco
B omnique tempore orationi vacasse dicendum sit : quibus ita anima ejus immersa erat ut corpus quodammodo amando consumeretur, cum divinæ præsentiæ intenta nec cibo refici nec somnum tempore nocturno capere posset; ut deponunt in remissoriali Abulensi quinquagesimus primus testis, fol. 412, et in compulsoriali decimus testis, confessarius et comes ejus individuus, fol. 211.

demonstratur. 1313 Quarto, per orationem assecuta fuit perseverantiam et continuationem in illa, ita ut per quinquaginta annos (ut diximus) ab illa non destiterit; nec ariditates et desolationes animæ, quas per primos viginti annos circiter (Deo sic disponente ad ipsius probationem) passa fuit, ab oratione illam removere valuerunt. Quam quidem qualitatem continuationis in orationis exercitio requiri docet D. Thom. loco proxime citato, adducens D. Augustinum, epist. 121 ad Probam, c. 9, dicentem : « In » ipsa fide, spe et charitate continuato desiderio » semper oramus. » Elegerat autem Deus Beatam Teresiam spiritualem Matrem ac Fundatricem prædictæ novæ Reformationis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo : et cum assidua in lege Domini meditatio et oratio sit potissimus
C finis illius Regulæ (ut ex illa constat), oportebat ut talis esset Mater quæ tot filios filiasque suo mirabili orandi ac meditandi continuato studio ac desiderio erudire valeret.

Huic dono conjunguntur raptus, 1314 § II. Postquam Deus omnipotens huic Beatæ Virgini donum orationis et contemplationis concessit, alius effectus mirabilis ejusdem doni secutus fuit, nempe quod (oratione mediante) devenit Beata Teresia ad quosdam maximos violentosque impetus amoris Dei, et sic ad frequentes elevationes in ecstasim. Sæpissime enim in oratione positam extra se raptam fuisse constat; et quod aliquando adeo vehementibus spiritus elevationibus rapiebatur ut corpus etiam ipsius a terra in altum levaretur : ut deponunt in remissoriali Abulensi vigesimus testis super 15; et in 2 part. Salmantini quadragesimus septimus testis super decimo, et quadragesimus nonus super tertio, et centesimus et centesimus secundus testis super eodem; et in 1 p. Toleti primus testis, confessarius, super 2; et in 2 part. primus testis super 74, et vigesimus testis super 2, et trigesimus super 70; et in 3 p. primus testis et secundus super 2, et alii plures. Inter quos in specie de raptibus et elevationibus corporis a terra deponunt de visu in remissoriali Abulensi quadragesimus nonus testis super 15; et D in prima parte Toletani tertius; et in tertia parte nonus; et in 4 parte septimus et vigesimus primus testes : omnes super eodem articulo decimo quinto. Quæ confirmantur ex late scriptis per supradictos episcopum Tirasonensem lib. 1, cap. 15, fol. 51, et Patrem Ribera lib. 1, cap. 15, fol. 105, necnon ex iis quæ supradicta Beata scripsit in Relatione suæ vitæ, cap. 20, ubi quid sit ecstasis, et in quo ab unione differat, docet, et aliqua ex multis bonis spiritualibus ex hac divina ecstasi animæ provenientibus mirifice explicat. Et in septima Mansione, cap. 3, fol. 732, ubi, cum Deus animam ejus ad ultimum perfectionis promovisset, tunc exteriores raptus sibi abfuisse affirmat, remanentibus tamen iisdem, immo excellentioribus, effectibus orationis ac familiaris cum Deo communicationis, quam cum dictos raptus patiebatur.

PER AA. ROTÆ.

splendores divini, 1315 § III. Hoc idem elicitur ex alio effectu mirabili istius orationis, nempe quod facies Beatæ Teresiæ, dum orationi vacaret, ex colloquio Dei (ut de Moyse legitur) sæpius resplenduit : ut de visu deponunt in prima parte Toleti tertius testis super 10; et secundus, super 47, dicit quadam die se E vidisse Beatam prædictam emittere splendorem quemdam ex facie sua ad instar solis; et in 2 part. primus testis, et in 3 quartus testis, super 14; et in 4 part. Salmantini octuagesimus secundus et nonagesimus secundus testis; et in prima parte Toleti vigesimus tertius testis : omnes isti tres super art. 37, fueruntque confessarii istius Beatæ, qui ministrantes illi Sanctum Sacramentum Eucharistiæ, illius faciem resplendentem viderunt; et in 3 part. Toleti septimus testis super 93; et in 4 part. septimus super 54, dicens se quadam nocte vidisse quod habebat vultum luce clara præmicantem, et ex illo exibant splendores uti radii deaurati, et hoc duravit illi per tempus unius horæ, et quod, quando cessavit prædictus splendor, videbatur existere in tenebris. Sunt et alii testes de visu, affirmantes quod, quando Beata Teresia scribebat libros, facies ejus splendebat (ut supra art. 2 de sanctitate in genere diximus); et in compulsoriali Abulensi quintus testis, super 9, affirmat se vidisse splendorem vultus Beatæ Teresiæ illustrare totum capitulum, dum in eo exhortationem spiritualem ad moniales faceret.

F *visiones* 1316 § IV. Hoc idem suadet ille mirabilis effectus ex quo præsentia Dei cœpit magis Beatæ Teresiæ manifestari, per divinas nempe visiones intellectuales ac imaginarias, necnon Christi Domini revelationes, divinasque locutiones, quibus Deus clemens Beatæ Teresiæ secreta cœlestia patefacere dignatus fuit, ipsamque familiariter alloqui cum ingenti amore mirabilique dulcedine. Quarum divinarum visionum et revelationum hic aliquas annotare visum nobis fuit; quia omnes, cum sint quamplurimæ, enarrare esset difficile et prolixum. Et primo de visionibus divinis erit sermo, deinde de revelationibus.

tam intellectuales 1317 Primo, flagrante Beata Teresia desiderio videndi pulchritudinem animæ in gratia constitutæ, evenit ut in quadam vigilia Sanctissimæ Trinitatis illud Deus illi concesserit, ostendendo illi quemdam globum sive quemdam orbem pulcherrimum crystalli, ad instar unius castri cum septem habitaculis : in quorum septimo, nempe in centro, assistebat Rex gloriæ, cum miro splendore illustrante omnia illa habitacula. Quæ tanto majori lumine perfundebantur, quanto magis centro appropinquabant. Hæc lux ultra dictum globum non se extendebat;

PER AA. ROTÆ.

extendebat; quin omnia extra illum erant tenebræ, A viperæ et alia animalia venenosa. Et cum Beata Teresia miraretur hujusmodi pulchritudinis magnitudinem, quam Deus animabus in gratia constitutis communicat, illico lux evanuit, et (Rege gloriæ nequaquam ab isto castro absente) crystallus fuit obscuritate obruta, et remansit turpis et quasi carbo, cum quodam intolerabili fetore, et per illa venenosa animalia, quæ existebant extra globum, statum animæ in peccato existentis significari ipsi fuit ostensum. Quam quidem mysteriosam visionem communicavit uni ex suis confessariis, nempe episcopo Tirasonensi sæpe nominato, dixitque illi magnos effectus spirituales in anima sua ex hac visione provenientes. Inter quos unus fuit quod ex illa Deo remansit adeo humiliata ut ex illa hora nunquam sui fuerit recordata in opere bono; quia vidit quod omnis pulchritudo proveniebat ex illo splendore, et omnis virtus ex illa potentia, et omnes vires animæ et corporis erant vivificatæ ex illa essentia existenti in suo centro, et quod inde omne bonum emanabat: et sic omne bonum quod ex illo tempore gessit et operata fuit, retulit in Deum, tanquam auctorem et motorem principa- B lem; ut ipse episcopus in sua depositione affirmat, 2 p. remissorialis Toleti, fol. 729. Secundo, per annum et amplius Beata Teresia obtinuit gratiam a Deo videndi Christum Redemptorem nostrum a latere suo dextro illam concomitantem, alloquentem et docentem, consolationemque in suis laboribus præbentem, ac ipsam in altissima oratione recolligentem, aliosque mirabiles et salutares effectus in anima ipsius relinquentem : prout late eadem scriptum reliquit, libro suæ Vitæ, cap. 28 et 29, et in sexta Mansione, cap. 8; et confirmat prædictus episcopus Tirasonensis, lib. 1, cap. 13, et P. Ribera, lib. 4, cap. 4.

quam imaginariæ,

1318 Tertio, postea vero idem Dominus noster non solum huic Virgini concessit illum videre visione intellectuali supradicta; sed etiam quadam alia visione inter imaginarias altissima, sibique (ut ipsa ait) valde proficua. In ea namque paulatim Christus suæ sponsæ videndum se præbuit. In primisque illi tantummodo manus suas divinas, quæ cœlum et terram fabricarunt, demonstravit. Et paucis elapsis diebus illi videre concessit suam divinam faciem, quam Angeli prospicere desiderant. Et tandem in festivitate Sancti Pauli, dum Missæ C Sacrificium audiret, tota illa Sanctissima Humanitas (prout Jesus Christus resuscitatus ac gloriosus depingi solet) ipsi fuit ostensa. Cujus incredibili pulchritudine ita capta fuit, ut ab ipso Christo Domino suavia hæc verba : « Filia, jam tota mea es, » et ego totus tuus », hisque similia, magno cum amoris indicio proferente, audire meruerit. Et hanc gratiam istumque divinum favorem pluries spatio duorum annorum cum dimidio ab omnipotenti Deo habuit; ut ipsa refert in cap. vigesimo octavo et vigesimo nono supra citatis, et in supradicta sexta Mansione, cap. 8. Quarto, cum jam primum monasterium novæ Reformationis in urbe Abulæ Beata Teresia construxisset, mentali orationi instanter vacans, a Jesu Christo Sponso suo, ob varios in ejus et Genitricis suæ Sanctissimæ obsequio passos labores, corona fulgentissima fuit redimita, et tanquam sponsa decorata, ut ipsa in lib. Vitæ suæ, cap. 36, scriptum reliquit.

eaque altissimæ

1319 Quinto, insuper Dominus noster aliam maximam admirandamque gratiam Ancillæ suæ Teresiæ concessit, nempe quamdam visionem trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis, in qua gaudebat tanta illuminatione et penetratione veritatis istius mysterii, quanta in hac vita mortali obtineri D potest; ut eademmet scripsit in septima Mansione, capite primo, et tradidit Pater Ribera ubi supra, dicto cap. quarto. Qui alias plures ac mirabiles visiones hujus Sanctissimæ Trinitatis deificæ mysterii, a Deo Beatæ Teresiæ collatas, et ab ipsa propria manu in quibusdam chartulis conscriptas, se vidisse affirmat. Sexto, pluries etiam et fere semper videbat Christum Redemptorem nostrum in Hostia consecrata, et sæpius cum maxima et miranda majestate; ut ipsa scripsit in libro suæ Vitæ, cap. 38, fol. 322, et in Itinere perfectionis, cap. 34, fol. 512. Septimo, et cum alia vice orationi vacasset, fuit spiritus illius in ecstasim raptus, viditque iterum per quamdam certam et claram notitiam Sacratissimam Christi Humanitatem, excessiva maximaque gloria. Quam visionem non semel, sed pluries habere meruit, et (ut illa fatetur) ex illa uberrimos fructus spirituales fuit consecuta; ut in prædicto libro suæ Vitæ, cap. trigesimo octavo, fol. 321, et tradit prædictus Pater Ribera, ut supra.

et plurimæ,

1320 Octavo, altera autem die orationi intentæ evenit illi quidam magnus raptus spiritus, in quo vidit se ipsam elevatam et in cœlum immissam : ibique genitores suos ante alios conspicere meruit. E Et brevissimo temporis intervallo tam magna et mirabilia vidit ut verbis nullatenus exprimi possent. Quod et alias illi evenit. Et quoties Deus illi hanc gratiam communicabat, toties denuo majora et mirabiliora secreta illius æternæ Beatitudinis magna cum lætitia et exultatione illi demonstrabat. Et particulariter una vice rapta mens ejus fuit in cœlum, ubi per unius horæ spatium, magno solatio perfusa, habuit Deum juxta se stantem et demonstrantem illi mirabilia et altissima mysteria secretaque cœlestia, dicentemque : « Vide, filia, quibus » bonis se privent peccatores. Hoc dices illis. » Ut latius ipsa in prædicto capite trigesimo octavo scriptum reliquit. Nono, quamplures aliæ visiones Jesu Christi Domini nostri et Sanctissimæ Trinitatis, Beatæ Virginis Mariæ et Angelorum, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Joseph et multorum aliorum Sanctorum Beata hæc Virgo habere meruit, pluriesque illam allocuti fuerunt Christus Dominus et illius Sanctissima Mater et alii Sancti, ut in libris per ipsam scriptis variis locis legitur; et particulariter in sexta Mansione, cap. 5, scriptum reliquit quod, cum quadam die coram Christo cru- F cifixo esset desolata, considerans nunquam habuisse quid quod pro Christo offerret, nec quidquam propter ipsum relinquendum, ipsemet Crucifixus illam consolando dixit quod ei dabat omnes dolores et labores quos passus fuerat, quodque illos ipsa habere posset tanquam proprios, ad offerendos illos Patri æterno.

nec non revelationes de se

1321 § V. De revelationibus divinis, quæ, sicut et visiones, ad prophetiam spectant, ut docet D. Thom., aliqua dicemus infra art. 22, cum de dono prophetiæ agemus. Nunc vero, ad corroborationem prædictorum, nonnullas ex multis, quas in oratione habuit Beata Teresia, breviter prosequemur. Primo, cum quadam die Beata Teresia cogitasset maxima cum anxietate an esset in gratia Dei (quia nihil ipsi adeo grave evenire poterat quam cogitare si forsan Deum offensum haberet), humiliter Deum efflagitabat talc quid non permitteret. Tunc Deus misericors illi revelavit esse in sua divina gratia, dicens quod similis amor Dei quem ipsa habebat, et beneficia et favores quibus illius anima illustrabatur, non compatiebantur cum anima existente in peccato lethali; ut in lib. suæ Vitæ, c. 34, ipsamet affirmat. Secundo, revelavit etiam ei Dominus

A Dominus quod antequam ab hac vita migraret, visura esset maximum progressum Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, per hæc verba : « Esto forti animo, quandoquidem meum in te » auxilium vides. Coronam hanc te obtinere volui : » Ordinem Beatæ Mariæ, quoad vixeris, magnos » progressus facere videbis. » « Hoc a Domino ac- » cepi ad dimidium Februarii anno 1571 », ait ipsa in prædicto libro, fol. 365. Quam quidem revelationem (ut est notum) exitus comprobavit, et probat Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 2, fol. 148.

suaque Reformatione, etc.: 1322 Tertio, alia quadam die eidem fuit revelatum a Domino prædictam Reformationem Discalceatorum, tunc magnis persecutionibus afflictam, non dissolvendam; immo potius augendam. Quam revelationem suo confessario ipsa manifestavit his verbis : « Labores quidem patiemur, sed Reforma- » tio non retrocedet. » Et ita evenit, ut ipse confessarius episcopus Tirasonensis affirmat. Quarto, iterum cum fundationi monasterii Segoviæ operam daret Beata Teresia, ei Dominus per medium Sancti Alberti revelavit ejusdem Ordinis separationem a Patribus Mitigatis. Quod ipsa dixit Patri Magistro
B de Yanguas, suo confessario, sex annis antequam separatio fieret : ut affirmat prædictus episcopus Tirasonensis, lib. 2, cap. 25; et deponunt trigesimus sextus testis in remissoriali Salmantino, et testis quadragesimus nonus in remissoriali Abulensi, fol. 371. Quinto, revelavit etiam eidem Beatæ Dominus noster obitum cujusdam religiosi sui Ordinis, et quod in cœlum illius anima ascendisset via recta, absque eo quod per purgatorium transisset. Quam revelationem habuit eadem hora qua ille religiosus obierat, ut ipsa scripsit in libro suæ Vitæ, c. 38; prout etiam aliorum obitus et illorum animarum ascensus in cœlum eidem revelati fuere : nempe cujusdam Magistri Ibañez, Ordinis Sancti Dominici, ipsius confessarii, quin et alterius Fratris istiusmet Religionis, et cujusdam religiosi Societatis Jesu et aliorum plurimorum, in cap. 38 suæ Vitæ ab ipsa relatorum.

de quibus visionibus ac revelationibus 1323 Quod autem hujusmodi visiones et revelationes, et cæteræ omnes quas Beata Teresia habuit, prout in suis libris scriptæ apparent, fuerint veræ et a Spiritu Sancto processerint, nihilque habuerint illusionis nec participationis spiritus maligni, facile nobis persuasum fuit : primo ex sanctitate excellenti
C et virtutibus heroicis istius Beatæ Virginis, ut ex omnibus articulis hujus secundæ partis clare constat; item ab effectibus resultantibus ex eisdem visionibus et revelationibus, nempe humilitate profunda et incremento amoris divini et reliquarum virtutum, necnon utilitate et ædificatione proximorum; tum etiam ex approbatione tantorum gravissimorum virorum, tam litteris quam prudentia, virtute et pietate conspicuorum, quos superius non semel nominavimus, præsertim art. 2, cum de sanctitate in genere ageremus, inter quos præsules, magistros sacræ theologiæ illiusque publicos professores, et fere omnes ejusdem Beatæ Virginis confessarios reperimus : quibus eadem Beata favores et gratias quas in oratione et raptibus Deus illi conferebat, semper exponere ac manifestare curabat, ut ipsi omnia illa examinarent et consilium præberent ac dijudicarent an in dictis favoribus divinis aliquid illusionis fugiendum reperirent. Quos consulebat cum determinatione et resolutione potius insequendi consilium ipsorum illisque fidem majorem adhibendi quam prædictis revelationibus. Dicebat enim quod in obediendo suis confessariis errare non poterat, prout in credendo revelationibus et visionibus. Unde ex prædicto tam exacto examine istius spiritus hujus Beatæ Virginis ipsiusque visionum ac revelationum, et illarum approbatione a tot viris insignibus et eruditis, non videtur dubitandum prædictas revelationes et visiones esse veras et procedere a spiritu bono et vero, non autem ab illusorio et falso. PER AA. ROTÆ. D

dubium esse nullum potest; 1324 Nec eo minus istæ revelationes et visiones probari videntur, quod de illis potissimam attestationem desumamus ab ejusdem Beatæ Virginis Teresiæ scriptis, in prædictis ipsius libris, et a decem confessariis illius, qui de auditu ab eadem deponunt : qui sunt episcopus Calagurritanus D. Petrus Manso, et episcopus Tirasonensis D. Didacus de Yepes, et episcopus Abulensis Fr. Don Joannes de las Cuevas, et episcopus Segoviensis D. Petrus de Castro, et Magister Fr. Bartholomæus de Medina et Magister Dominicus Bañez et Magister Didacus de Yanguas Ordinis Prædicatorum, et Pater Ægidius Gonzalez de Avila et P. Henricus Henriquez et P. Hieronymus de Ripalda Societatis Jesu; præter alios insignes viros sæpius nominatos : quia, ut jam probavimus in Relatione miraculorum, art. 3, revelationes et visiones unico teste fide digno probantur. Et cum ex natura rei alii testes dari non possint, E nec ab alio quam ab ipsomet quem Deus similibus favoribus prosequi dignatus est, probari possunt, materia subjecta facit ut eisdem Beatis quibus contigerunt, et illorum confessariis de auditu ab ipsis, standum sit : ut in terminis fuit declaratum in Relatione Sanctæ Franciscæ, part. 2, art. 12 de visionibus et revelationibus; et conducunt plurimum declarata in Relatione Sancti Raymundi, p. 2, art. 8, versu « Nos tamen » : et eo maxime cum ex supradictis clare et evidenter constet de eximia sublimique sanctitate, nec non de miraculis multis et magnis a Deo operatis per merita et intercessionem Beatæ Virginis Teresiæ, quæ fiunt præter alia ut illius dictis et scriptis major fides sit adhibenda.

eæque Teresiæ cum multis Ordinum Fundatoribus communes sunt. 1325 Et quod Deus tam familiariter per modum visionum et revelationum cum suis fidelissimis amicis loquatur illisque sua secreta manifestet, non est novum neque inusitatum. Divina enim Majestas, civitates illas funditus eversura, his verbis amico suo Abraham loquitur, Genes. c. 18 : « Num celare » potero Abraham quæ gesturus sum? » Et in Amos Propheta cap. 3 sic legitur : « Non facit » Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum » suum ad servos suos Prophetas. » Apostolos F etiam Dominus (Joannis cap. 15) his verbis est affatus : « Jam non dicam vos servos, quia servus » nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi » amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre » meo, nota feci vobis. » Et omnes fere Sanctos, maxime Ordinum Fundatores, divinis visionibus et revelationibus illustratos fuisse legimus; ut videre est in libris Historiarum Sanctorum Benedicti, Bernardi, Dominici et Francisci, et aliorum, qui præ manibus habentur. In quibus innumeræ visiones ac revelationes aliique favores divini, tam ipsis Sanctis Fundatoribus quam aliquibus eorum discipulis collati, scripti reperiuntur. Absque dubio itaque Deus cum suis amicis familiariter loquitur, et his maxime favere solet quos ad opera grandia eligit, qualis fuit Beata Teresia, quam et Fundatricem unius perfectissimæ Religionis et Magistram spiritualis doctrinæ a Deo Optimo Maximo Ecclesiæ datam fuisse constat, ut supra art. 2 de sanctitate in genere probavimus.

Prædita quoque fuit gratiis gratis datis : 1326 Articulus vigesimus secundus. Gratia gratum faciens est per quam homo ipse Deo conjungitur : gratia vero gratis data est illa per quam unus

PER AA. ROTÆ.

homo cooperatur alteri ad salutem, illum instruendo et ad Deum reducendo. Ita distinguit D. Tho. 1. 2, q. 111, art. 1; et de hac gratia gratis data dicit Apostolus 1 ad Corinth. 12 : « Unicuique datur » manifestatio spiritus ad utilitatem » (scilicet aliorum) : « alii quidem per spiritum datur sermo » sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum » eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, » alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio » virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, » alii genera linguarum, alii interpretatio sermo- » num. » Homo autem ad affectum hunc operari non potest interius movendo (hoc enim solius Dei est), sed solum exterius docendo vel persuadendo. Unde gratia gratis data continet sub se supradicta ab Apostolo expressa, et a D. Tho. ubi supra, articulo quarto, adducta, quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis. Quibus fere omnibus mirifice fuisse Beatam Teresiam a Deo condecoratam, probatur ex sequentibus.

videlicet gratia fidei.

1327 § I. Primo, gratiam fidei habuisse constat ex summo desiderio quo flagravit lucrandi animas Deo, ad quem finem gratia gratis data dirigitur. Quod supra, in articulo 6 de charitate erga proximum, ostensum est. Et de excellentia fidei satis etiam supra demonstratum est quali firmitate gratiam fidei habuerit, et quantum curaverit conversionem hæreticorum et infidelium, quantaque fidei certitudine ac rerum illius evidentia fuerit prædita.

sermone sapientiæ et scientiæ,

1328 § II. Et quod habuerit sermonem sapientiæ, hoc est sublimem cognitionem rerum divinarum et humanarum ad aliorum eruditionem, satis docent libri quatuor quos scriptos reliquit, de quibus supra articulo 2 de sanctitate in genere; qui variis linguis ex hispano idiomate versi, per omnes status Ecclesiam Dei recognoscentes in manibus circumferuntur, quorum doctrina, tanquam vera et catholica et a Deo infusa, communiter ab omnibus est approbata et laudata : præsertim ab octoginta quinque testibus super articulis 54 et 56 deponentibus; inter quos sex sunt Reverendissimi Præsules, pietate et doctrina insignes : nempe D. Alphonsus Manrique, archiepiscopus Burgensis; D. Petrus Manso, episcopus Calagurritanus; D. Petrus de Castro, episcopus Segoviensis; D. Joannes Alphonsus de Moscoso, episcopus Malacitanus; D. Laurentius Otaduy, episcopus Abulensis. Alii vero septem sunt magistri et cathedratici sacræ theologiæ in universitate Salmantina : nempe Pater Magister F. Dominicus Bañez Ordinis Prædicatorum, celeberrimus theologiæ prælector; Pater Magister Augustinus Antolinez Ordinis Sancti Augustini, provincialis, et cathedraticus etiam primarius theologiæ; Magister Joannes Alphonsus de Curiel, cathedraticus etiam primarius theologiæ; et Magister Fr. Basilius Ponce de Leon Ordinis Sancti Augustini, et Magister Pater Fr. Petrus Cornejo Ordinis Carmelitarum Calceatorum, et ambo cathedratici sacræ theologiæ; et Magister Fr. Bartholomæus Sanchez ejusdem Ordinis Carmelitarum Calceatorum, cathedraticus proprietatis et decanus theologiæ in dicta universitate; et Magister Frater Ludovicus Bernardus, Ordinis Sancti Bernardi Generalis, et cathedraticus Sacræ Scripturæ; et Doctor D. Rochus de Vergas, archidiaconus de Monte Leon et canonicus doctoralis in ecclesia Salmantina, ac in eadem universitate Sacrorum Canonum cathedraticus primarius; et P. Franciscus Suarez Societatis Jesu, cathedraticus primarius theologiæ in universitate Conimbricensi. Reliqui vero 64 testes alii sunt canonici magistrales et lectorales, alii religiosi valde litterati et graves Ordinum Sancti Dominici, Sancti Francisci, Sancti Augustini, Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Sancti Benedicti, Sancti Bernardi, Sancti Hieronymi, Carthusianorum, Societatis Jesu, Sanctissimæ Trinitatis, Sanctæ Mariæ de Mercede. Alii vero sunt præsidentes consiliorum regis Catholici et consiliarii eorumdem. Qui omnes doctrinam dictorum librorum non solum tanquam sanctam et catholicam approbant, illamque miris encomiis extollunt; sed (quod magis est) aliqui eorum divinitus infusam et a Deo Optimo Maximo doctam, per medium orationis et conversationis adeo familiaris quam Beata Teresia cum divina Majestate habebat, judicant et reputant. Et inferunt aliqui ex eisdem testibus quod ex altitudine mysteriorum supernorum et divinorum nostræ fidei et aliorum arcanorum cœlestium quæ scripsit prædicta Beata Teresia mirabili cum scientia et claritate (cum tamen illa litteris nec in scholis nec alibi operam dedisset, quin potius esset mulier divinarum litterarum omnino ignara; cumque tota doctrina sit madefacta igne charitatis, quo inflammantur corda hos libros legentium), concludunt magnam utilitatem magnumque fructum spirituale ex eorumdem lectione in Ecclesia Dei subsecutum; quia animæ fidelium removentur a vitiis et excitantur ad virtutes, et hoc quasi miraculose, ob efficaciam qua cor legentium illos, quantumcumque durum, compunctione et devotione mollificatur : cujus multi ex prædictis testibus in se ipsis experimentum fecisse affirmant. Unde plures testes subdunt merito istam Beatam Virginem, ratione prædictæ scientiæ divinitus infusæ, depingi cum columba super illius caput, sub cujus specie Spiritum Sanctum sibi apparuisse in quadam vigilia Pentecostes, suumque spiritum magna cum fruitione gloriæ in ecstasim raptum fuisse, ipsa Beata Teresia affirmat in Relatione suæ vitæ, c. 38. Accedit quod (ut supra art. 2 probavimus) sæpe, dum istos libros scribebat, visa fuit vultu splendere, illosque maxima cum celeritate scribere, quod est signum maximum præsentiæ Spiritus Sancti ipsi tunc dictantis. Ex quibus, et ex tot gravissimorum et doctissimorum virorum gravissima censura, merito ipsos libros eademmet censura dignos judicavimus.

gratia miraculorum, dono prophetiæ,

1329 § III. De gratia vero sanitatum et operationis virtutum, quæ ad miracula pertinent, jam late egimus, et illam habuisse Beatam Teresiam probavimus in Relatione miraculorum.

§ IV. De prophetiæ autem dono quod ei Dominus omnipotens communicare dignatus fuit, patet tum ex visionibus et revelationibus divinis, de quibus supra art. 21, quas quidem visiones et revelationes ad prophetiam spectare docet D. Thom. 2. 2, q. 171, art. 3 in corpore (juxta illud Isaiæ 6 : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum » et elevatum); » tum etiam ex futuris contingentibus quæ Beata Teresia prædixit, circa quæ propriissime prophetia versatur, juxta D. Gregorium, hom. 1 in Ezechielem, quem refert et sequitur idem D. Thom. loco proxime citato. Et licet ex eisdem Beatæ Teresiæ libris et testium depositionibus constet de quam pluribus casibus in quibus Beata Teresia spiritu prophetico futura prænovit et prædixit, tamen, quia omnes recitare esset nimis longum, ideo aliquos tantummodo in comprobationem istius assertionis enumerabimus.

in cujus doni confirmationem

1330 Primo, prænovit Beata Teresia illius magni viri (supra nominati) Patris Fr. Petri de Alcantara mortem per annum ante illius obitum, ut ipsa in libro suæ Vitæ, cap. 27, expressit in his verbis : « Anno

A « Anno antequam obiret, apparuit mihi absenti et » novi ipsum moriturum; de quo per aliquas leu- » cas absens illum monui. Et cum efflaret animam, » apparuit, dixitque mihi se ad requiescendum » ascendere. Quod ego cum aliis communicavi; et » post dies octo venit nuntius illius mortis seu (ut » melius dicam) æternæ vitæ quam inchoaverat. » Secundo, etiam præcognovit per revelationem divinam quod D. Maria de Cepeda, ipsius soror, morte subitanea esset obitura : quod illius confessario aperuit, et iter paravit ad oppidum ubi soror morabatur; tacitaque revelatione, cœpit illam admonere ut Sacramentum Pœnitentiæ frequentaret, seque ad incertum diem quo a Deo vocaretur, præpararet. Quod illa fecit, pie vivendo; et evenit casus, dum post quadriennium repente dicta D. Maria obiit : cujus animam paucis exinde diebus e purgatorio exeuntem Beata Teresia vidit, ut ipsa refert in prædicto suo libro, cap. 34. Tertio, cum D. Catharina de Mendoza, marchionissa de Mondejar, scripsisset Beatæ Teresiæ binas litteras, petens ut sibi a Deo postularet successionem legitimam, illi Beata Virgo respondit quod voluntas Dei erat quod non haberet talem successionem. Et quamvis
B postea eadem marchionissa peperisset filium, qui per viginti annos vixit, nihilominus prophetia prædicta fuit adimpleta; quia ille (comes vocatus de Tendilla) obiit, et post eum prædicta marchionissa, absque filiis, nullaque relicta successione : ut deponunt quadragesimus quartus testis, comitissa de la Puebla, in prima parte remissorialis, de auditu ab ipsa marchionissa; et quadragesimus quintus et quadragesimus sextus testis de auditu a supradicta comitissa, et de publica voce et fama.

insigniores quædam prædictiones

1331 Quarto, præcognovit etiam laborem quemdam quo prædictus episcopus Tirasonensis, ejus confessarius, quadam vice vexabatur; misitque ad illum sociam, Matrem Annam de Sancto Bartholomæo, quæ illi ipsius nomine diceret quamdiu labor ille esset duraturus : prout evenit, quia labor prædictus tempus designatum a Beata Teresia non excessit; ut deponit ipsemet episcopus in secunda parte Toletani. Quinto, item prædixit cuidam nobili D. Mariæ de Guzman, quod, postquam matrimonio collocaretur, monialis esset futura, non tamen Carmelita Discalceata, sed in alia Religione, quodque similiter duo filii, quos ex illo matrimonio erat procreatura, futuri essent religiosi. Quæ
C omnia ita contigerunt : nam nupsit, et duos habuit filios, et tam ipsa quam illi, defuncto marito, facti fuerunt religiosi; ut probat in 4 parte Toletani duodecimus testis, comes de Luna, de auditu ab ipsamet D. Maria. Sexto, cuidam suæ nepti D. Beatrici de Ovalle, quæ valde ornate incedebat et a statu Religionis animo longissime aberat, prædixit monialem Discalceatam futuram esse, ad illamque hæc verba facere solebat : « Nunc, Beatrix, discurre » ut libet; nam denique monialis Discalceata fu- » tura es. » Quod exitus comprobavit, ut refert idem episcopus Tirasonensis in sua historia, et confirmat eadem Beatrix, priorissa conventus Toleti, in prima parte remissorialis Toletani.

ab ea factæ referuntur,

1332 Septimo, per annos ultra viginti antequam D. Sebastianus, rex Lusitaniæ, in Africam cum exercitu transiret ibidemque periret, vidit Beata Teresia Angelum, sanguinolentum ensem manu tenentem super regnum prædictum. Quæ visio indicabat copiosum sanguinem ex illo regno fundendum; prout in effectu evenit : ut probat quadragesimus nonus testis in remissoriali Abulensi, fol. 371, de auditu ab ipsamet Beata, et episcopus Tirasonensis, loco citato. Octavo, prædixit etiam Beata Teresia suum obitum, illumque Patri Fratri Mariano, ejusdem Ordinis religioso, ante octo annos D manifestavit : ut deponunt in remissoriali Salmantino quadragesimus testis, et quadragesimus primus, et quadragesimus tertius, et quadragesimus octavus, et quadragesimus nonus, et quinquagesimus, omnes super art. 95. Aliorumque multorum mortem præscivit, pluraque alia spiritu prophetico prædixit, quæ a supradictis historiis et ab ipsamet Beata in prædictis libris referuntur, et brevitatis causa hic omittuntur.

PER AA. ROTÆ.

discretione spirituum,

1333 § V. Discretio autem spirituum, quæ etiam est species prophetiæ, versatur circa dignoscendum spiritum quo quis movetur et discernendum Angelum lucis ab illo tenebrarum, cum non omni spiritui sit credendum, juxta illud 1 Joannis 4 : « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, » si ex Deo sint. » Et etiam versatur circa cognoscendum occulta cordium, juxta illud Hieremiæ 17 : « Pravum est cor hominis et inscrutabile : » qui cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, » et probans renes »; et docet D. Thom. super primam Epist. D. Pauli ad Corinth. cap. 12, lect. 2, et 1. 2, q. 111, art. 4 in corpore circa finem. Quæ gratia est maximæ excellentiæ et utilitatis, E præcipue in personis habentibus curam et regimen animarum spiritualium, prout Beata Teresia habuit : rexit enim ac direxit per viam spiritualem tam suas moniales quam multas alias animas; sicque et illi non defuit ista gratia : quin potius illam mirifice a Deo obtinuit, ita ut in discernendo spiritum quo quis vel moveretur vel in orationis studio procederet, fuerit Magistra, et in cognoscendo et penetrando secreta cordium excellens; ut docent clare consilia quibus suas moniales in vita spirituali direxit, illis, prout occasio eveniebat, affirmando spiritum quo ducebantur, esse sanctum et verum, alias vero de contrario admonendo, revelationes et visiones veras ab illusionibus discernendo, secreta et occulta cordium pluribus (prout expedire videbat) patefaciendo, non minus ac si propriis oculis eorum corda et in eis recondita prospiceret : ut affirmant idem episcopus Tirasonensis in sua depositione, et scriptum reliquit in Historia vitæ istius Beatæ, lib. 3, cap. 28, § 3; et R. P. Franciscus Ribera, in eadem Historia, lib. 4, cap. 25; et testis trigesimus septimus in prima parte Salmantini; et in remissoriali Abulensi testis trigesimus primus, trigesimus nonus et quadragesimus nonus; et in prima parte Toletani primus et tertius testis; et in 4 parte Toleti sextus testis et alii plures : omnes super artic. 80. Et prædicti scriptores diversos casus ad hunc articulum spectantes referunt, quorum (brevitatis causa) tres vel quatuor tantummodo, notabiles quidem, hic referendos decrevimus. F

quæ item selectis aliquot casibus probatur,

1334 Primus evenit eidem Reverendissimo Episcopo Tirasonensi, cui Beata Teresia quamdam epistolam scripsit, tradiditque priorissæ sui conventus Toleti, et illi injunxit ut post ejusdem Beatæ obitum illam prædicto episcopo legeret; prout factum fuit. Et idem episcopus affirmat quod Beata Teresia in eadem epistola penetraverat interiorem statum ipsius episcopi et necessitatem ipsius animæ curandæ aperte significaverat, non secus ac si ipsa intra cor suum extitisset. Secundo, cum P. Gaspar de Salazar Societatis Jesu distaret per plures leucas a loco in quo Beata Teresia commorabatur, cognovit ipsa statum interiorem illius Patris; et ex particulari Dei ordinatione illi apparuit, realique præsentia illius cubiculum clausis januis ingressa fuit, ac illi dedit quædam documenta ad salutares effectus

animæ

PER AA. ROTÆ.

animæ suæ : ut probat tertius testis P. Doctor Henriquez ejusdem Societatis et confessor Beatæ Teresiæ, de auditu tam ab ipsa quam ab eodem Patre Salazar; et refert idem episcopus Tirasonensis, ubi supra. Tertio, Vallisoleti quidam sacerdos in præsentia Beatæ Teresiæ Missam celebravit; quem ipsa post Sacrum ad cancellos vocavit, et dixit nefas esse quod sacerdos peccato mortifero obnoxius celebrare auderet : ac ipse perterritus veritatem agnovit, gratiasque Sanctæ Teresiæ egit; ut probat idem Tirasonensis, confessarius Beatæ Teresiæ, loco supra citato. Quarto, in conventu Fratrum ejusdem Ordinis oppidi de Pastrana, quidam Frater novitius gravissimam tentationem patiebatur, quam nemini propalare audebat. Illucque Beata Teresia accedens, statim ac prædictum novitium aspexit, cognovit id quod intus patiebatur; illoque seorsum vocato, terque interrogato quidnam haberet, renuenteque suam tentationem manifestare, ipsa Beata illi eamdem tentationem et afflictionem qua ipse cruciabatur, clare demonstravit, et modum quo liberari posset, talem docuit, ut ex illa hora religiosus ille incolumis et tali molestia liber remanserit : ut probat quadragesimus nonus testis, qui prædictis adfuit, in remissoriali Abulensi, et sextus testis in 4 part. Toleti, de auditu ab eodem religioso; et firmant supradicti scriptores Vitæ istius Beatæ.

ac demum gratia interpretationis sermonum :

1335 § VI. Gratia autem interpretationis sermonum, quamvis videatur spectare ad doctores et in divina lege peritos, nihilominus, quia gratis data, Deus omnipotens (cujus non est abbreviata manus) illam Beatæ Teresiæ ad multos edocendos et erudiendos tribuit; ut constat. Nam cum esset mulier quæ nunquam latinum sermonem didicit, aliqua Sacræ Scripturæ loca interpretata est sensu sano, catholico et utili; ut inter alia apparet in libro quem in Orationem Dominicam edidit, et in illo super Cantica Canticorum : ut probat Reverendissimus Episcopus Tirasonensis, lib. 3, c. 28, § 2 et 3; in quo late et docte demonstrat qualiter a Deo Beata Teresia hac et cæteris aliis supradictis gratiis gratis datis fuit insignita : ita quod in omnibus gratiis ab Apostolo enumeratis (prout supra) ipsa Beata Teresia omnes (excepta tantummodo gratia quæ genera linguarum vocatur) obtinuisse meruerit a Deo Optimo Maximo.

quibus accedunt Spiritus Sancti dona et fructus, ac beatitudines.

1336 Articulus vigesimus tertius. Secundum D. Th. 1. 2, q. 68, art. 2 et 3, dona Spiritus Sancti sunt habitus quibus anima perficitur ad prompte instinctum et motionem Spiritus Sancti sequendum. Quæ quidem dona sunt septem : scilicet donum Sapientiæ, Intellectus, Consilii, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis et Timoris Dei; quibus quasi quibusdam perfectionibus homo disponitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto. Quibus donis ex superioribus virtutibus (quas demonstravimus Beatam Teresiam habuisse) resultare videtur eamdem ornatam fuisse et promptissime secutam instinctus Spiritus Sancti; et maxime quia charitatem erga Deum et proximum in heroico gradu habuisse ostendimus. Unde sequitur, cum D. Thom. ubi supra, articulo quinto, quod qui habet charitatem, habet omnia dona Spiritus Sancti, quæ omnia sibi invicem in charitate connectuntur. Et cum eadem Beata plures actus egregios virtutum et donorum produxerit, qui sunt veri fructus Spiritus Sancti, videtur eisdem fructibus maxime præstitisse. Ut enim docet idem Sanctus Doctor ubi supra, q. 70, art. 1, fructus Spiritus Sancti dicitur operatio hominis, quasi cujusdam divini seminis, juxta illud 1 Joannis 3 : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, » quoniam semen ipsius in eo manet. » Videtur dicendum operationes virtutum istius Beatæ Virginis, quasi ex divino semine provenientes, fructus Spiritus Sancti fuisse. Quæ operationes virtutum cum in illa fuerint perfecte excellentes (ex superius adductis), sequitur non solum posse dici fructus Spiritus Sancti, sed etiam beatitudines, juxta eumdem S. Thom., dicta q. 70, art. 2, ubi dicit omnia opera virtuosa in quibus homo delectatur, fructus dici, non autem beatitudines, nisi perfecta excellentiaque fuerint. Unde ex tot tantisque operibus perfectis et excellentibus, quibus Beata Teresia resplenduit, sequitur habuisse non solum fructus, sed etiam beatitudines, quibus in hac vita gaudere conceditur; quod veluti quædam inchoatio æternæ beatitudinis reperitur in viris perfectis, ut notat idem Sanctus Doctor, dicta quæst. 60, art. 2 in corpore.

Maximam sanctitatis famam in vita

1337 Articulus vigesimus quartus. Tanta fuit ac talis istius Beatæ Virginis sanctitas, tantusque in ea ardor amoris Dei et proximi, adeoque orationi et contemplationi altissimæ vacavit, assiduis jejuniis, ciliciis aliisque corporis macerationibus ita fuit dedita, in cæterisque aliis virtutibus assequendis ita fuit sollicita, ut non solum tot tantisque virtutibus in gradu perfecto ac heroico a Deo Optimo Maximo condecorari meruerit, verum etiam quamplurimis gratiis et favoribus, visionibus, locutionibus et revelationibus divinis aliisque cœlestibus donis mirabiliter, etiam dum viveret, honorari ac illustrari digna facta fuerit; ut supra suis locis retulimus. Quæ omnia adeo indies creverunt, ut, quantumcunque eadem Beata Virgo, sua profundissima humilitate, opinionem sanctitatis mundo celare curasset, illud minime assequi valuerit : imo potius Deus misericors et sapiens, qui illam ad istius Ordinis reformationem erigendam et ad tot fidelium animarum utilitatem ac conversionem elegerat, et cui tam sublimem sedem in cœlis præparaverat, illius sanctitatis (etiam ipsa vivente) famam publicari et per omnem Christianum populum taliter extendi voluit, ut vivens ab omnibus fuerit habita et reputata pro Sancta, atque hoc eodem nomine (Sancta) vocata et nominata, et non utcumque, sed cum fama sanctitatis eximiæ, tam apud reges Catholicos et præsules proceresque illorum Hispanorum regnorum, præsides et consiliarios regios, quam etiam in universum apud omnes cujuscumque status et conditionis : ut ultra viginti quatuor testes, moniales istius Ordinis, quæ tanquam magis familiares et sociæ hujus Beatæ Virginis et suæ Matris plene de his omnibus testantur, deponunt; et probant concludenter plusquam centum alii testes super art. 115, inter quos viri gravissimi jam supra art. 2 de sanctitate in genere nominati.

et post mortem,

1338 Qui etiam cum aliis testibus usque ad numerum 170 super art. 116 de ejusdem sanctitatis fama et opinione, illiusque cum perseverantia incremento, post felicem transitum istius Beatæ Virginis Teresiæ ad gloriam sempiternam, latissime et concludenter testantur; istamque famam communiter sparsam fuisse et esse apud eosdem reges et proceres, undique tam in prædictis Hispaniarum regnis ac provinciis quam in aliis Galliæ, Italiæ, Flandriæ et Poloniæ, et apud Indos; ac denique Beatam Teresiam ubique terrarum Christianæ reipublicæ pro Sancta, cum sanctitate valde eximia, communiter reputari et honorari universali cum acclamatione ac veneratione et magna æstimatione illius sanctitatis; vestesque illius, litteras ab ipsa scriptas, panniculos oleo ex ejus sancto corpore manante tinctos, aliaque similia, pro Reliquiis venerando

A venerando et in magna æstimatione conservando, illiusque sepulchrum (ubi ejusdem corpus incorruptum cum odore mirifico ac liquore miraculose conservatur et colitur) frequentando, et ipsius intercessionem apud Deum in necessitatibus et afflictionibus magna cum fiducia postulando, effigiem ipsius cum radiis tanquam Sanctæ depictam maximo cum honore et reverentia tenendo, illamque observanter colendo ac venerando, commemorationes cum Antiphonis et Oratione propria ad recitandum typis mandando, item legata nobilia in canonizationis subsidium eroganda relinquendo, monasteria in Dei ipsiusque ancillæ Teresiæ honorem erigendo, multos libros de illius vita, sanctitate ac miraculis, per gravissimos auctores conscriptos, typis mandando, nomen Teresiæ, ob illius devotionem, etiam apud Indos remotissimos, propriis filiis in Baptismatis fonte imponendo, conciones et orationes in ipsius laudem in die ejus depositionis prædicando, aliaque permulta ad opinionem maximam et famam sanctitatis hujus Beatæ conducentia præstando: ut in particulari probant viginti duo testes super art. 116. Quibus accedunt quæ superius art. 2 notavimus, cum de sanctitate in genere istius Beatæ Virginis
B Teresiæ egimus.

ac præsertim post beatificationem,

1339 Quæ quidem fama et communis opinio sanctitatis omnimodum augmentum recepit ex approbatione istius Sanctæ Sedis Vestræque Beatitudinis, cum dignata fuerit per suas in forma Brevis litteras facultatem concedere Officium et Missam de ista Beata Virgine Teresia celebrandi ac recitandi, tanquam de una Virgine, singulis annis, in die ejus depositionis, in omnibus monasteriis et ecclesiis istius Ordinis Discalceatorum Carmelitarum ab ipsa fundati et ab omnibus illius religiosis utriusque sexus. Qua facultate mediante, annumerata fuit ista ancilla Dei inter Beatas, et Ecclesiæ ac populo Christiano tanquam talis proposita. Qua de causa ubique terrarum apud animos fidelium sanctitas hæc Beatæ Teresiæ omnino confirmata ita remansit, ut non solum regi Catholico, sed etiam Christianissimo, aliisque principibus Christianis illorumque regnis ac provinciis, valde gratum et acceptabile beneficium hoc a V. Beatitudine collatum fuerit habitum, omnesque, illo accepto, summa et inenarrabili lætitia fuerint affecti, ac illam manifestis et publicis signis ostenderint, non solum confluendo una cum religiosis ejusdem Ordinis ad eorum
C monasteria (quæ in Congregatione Hispaniæ sunt septuaginta sex Fratrum, quinquaginta vero monialium; in ista vero Italiæ triginta octo utriusque sexus) ad istius festi celebrationem, in unoquoque dictorum monasteriorum solemnissime factam, verum etiam omnes tam ecclesiastici status quam sæcularis, ultra prædicta, ipsi suis propriis sumptibus, hujus tantæ Virginis devotione permoti et accensi, hunc diem festum quadam incredibili, maxima, universali communique lætitia, gaudio ac exultatione celebraverint, laudando et magnificando Dominum Deum nostrum in sua Sancta Teresia in sono tubæ, in psalterio et cithara, in tympano et choro, chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus et in cymbalis jubilationis; omnisque spiritus videtur laudare Dominum: ita ut illa animorum fidelium universalis ac pia commotio fere posset quid miraculosum judicari.

apud populos et principes adepta est;

1340 Et quia esset nimis prolixum in specie enarrare solemnissimas processiones ornatissime ac sumptuosissime celebratas, templa religiosorum munificentissime et accuratissime ornata, variaque carmina in omni genere poetico ac ænigmata plurima ingeniosissime composita, inventiones summo ingenio et arte adinventas, maximasque expensas in supradictis festivitatibus liberalissime factas; D hæc (inquam) et alia omnia remittenda duximus, libris multis de hujusmodi festivis gaudiis compositis et typis mandatis, qui præ manibus habentur. Ubi nonnulla miracula pluraque mirabilia, inter illa festiva gaudia, auxilio istius Virginis Beatæ invocato, occursa, passim referuntur; nec non vota Deo emissa ab aliquibus civitatibus et populis, colendi in perpetuum diem festum Beatæ Teresiæ, illam apud Deum in Patronam et advocatam illorum populorum eligendo, præsertim a civitate Abulæ, ubi nata fuit, et ab oppido Alba, ubi ipsius sanctum corpus requiescit, totaque ejus communitate, et a civitate Salmantina, in cujus diœcesi Alba sita est: prout in eisdemmet libris etiam videri poterunt conciones quam plurimæ, variæ et doctissimæ, tam coram rege Catholico quam præsulibus gravissimis et proceribus illorum regnorum, a regiis doctissimis concionatoribus aliisque eruditissimis viris habitæ, doctrina Euangelica ac Sanctorum Patrum ornatæ, in laudem et honorem istius Beatæ Virginis, quam merito mirabilem prædicant mirisque laudibus et encomiis extollunt.

PER AA. ROTÆ.

ejusque canonizatio summis votis postulatur.

1341 Unde non mirum, si apud Sanctitatem Vestram pro ejusdem Beatæ Virginis Teresiæ canonizatione instantiam faciant, non solum rex Catholicus, E qui iteratis precibus hoc a Sanctitate Vestra efflagitavit, verum etiam Cæsarea Majestas et reges Christianissimi, rex Poloniæ et archiduces Austriæ, duo Concilia provincialia, Tarraconense scilicet et Cæsaraugustanum; archiepiscopus Cardinalis Toletanus, archiepiscopus Hispalensis, Burgensis, Compostellanus, Valentinus, Tarraconensis, Cæsaraugustanus, Ulisiponensis, Granatensis et Mexicanus; et fere omnes episcopi Hispaniarum, pluraque capitula ecclesiarum cathedralium Hispaniæ, et status ecclesiasticus regnorum Castellæ, in sua congregatione congregatus; quin et regna ipsa Castellæ, Legionis, Lusitaniæ, Arragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, et provincia Cantabriæ; item et universitates Salmantina, Vallisoletana et Complutensis, simul cum fere omnibus civitatibus magis insignibus illorum regnorum. Qui omnes, una cum tota Religione prædicta Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ab ipsa Beata Virgine fundata, sanctitate, meritis ac intercessione istius Beatæ Teresiæ confisi, ac illius devotione ac beneficiis adstricti, ingenti desiderio a Sanctitate Vestra, pro ultimo complemento consolationis et lætitiæ totius populi Christiani, ac pro majori gloria Dei, favorabile responsum suppliciter efflagitant, sicque istius Beatæ Virginis solemnem canonizationem et adscriptionem in numero Sanctorum. Ad quam, in forma Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consueta, et juxta ipsius ritum et Sacrorum Canonum dispositionem, stantibus superius in ista Relatione et in alia miraculorum firmatis, si Sanctitati Vestræ placuerit, deveniri posse judicandum duximus, prout prius non semel in eadem sententia fuimus, sicut in principio hujus Relationis notavimus. Franciscus, archiepiscopus Damascenus. Joannes Baptista Coccinus, decanus. Alfonsus Manzanedo de Quiñones.
F

Testificatio J. P. Mucantii, S. R. C. secretarii.

1342 *Huic Relationi in excusis Actis canonizationis proxime subjungitur sequens testificatio:* Hæc omnia quæ in præsenti volumine continentur, fideliter hic extracta et scripta fuerunt ex proprio originali, quod ego infrascriptus Sedis apostolicæ notarius, et secretarius Sacræ Congregationis Rituum, compilavi et rescribi curavi in alio simili volumine, quod Sanctissimo in Christo Patri et Domino nostro D. Paulo Papæ V præsentavi: et concordant

PER AA. ROTÆ. A cum ipso originali quod est apud me, et cum alio prædicto Sanctissimo Domino nostro præsentato. Et in fidem veritatis manu mea propria me hic subscripsi, et solito meo notariatus signo, quo in publicis documentis utor, firmavi. Romæ, anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo decimo sexto, die quinta Octobris, Pontificatus vero ejusdem Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Pauli Papæ V anno duodecimo.

Pro ✠ signo. Ita est, et pro veritate attestor ego Joannes Paulus Mucantius, presbyter Romanus, juris utriusque doctor, Sacrarum Cæremoniarum magister, Sedis apostolicæ notarius, et secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, manu propria.

EX ACT. CANON.

§ LXV. Oratio J. B. Millini, consistorialis aulæ advocati, coram Gregorio PP. XV 1 Februarii MDCXXII; et hujus Summi Pontificis responsio per secretarium domesticum J. Ciampoli.

B

In consistorio publico laudantur

Oratio Si rei quam tractaturus sum, dignitas et amplitudo verbis explenda et orationis meæ finibus concludenda est, frustra impositam mihi provinciam susceperim, frustra animi corporisque vires intenderim, Beatissime Pater. Ea enim Teresiæ Virginis claritudo, ea sanctimoniæ præstantia est, quæ non oratorum facundiam, quippe dicendis ejus virtutibus imparem, sed tacita plenam reverentia postulet admirationem. Faciam itaque quod solent qui terrarum situs pingunt : in brevi quasi tabella totam ejus imaginem amplectar, id verissime præfatus, quantum brevis pictura a terrarum orbis magnitudine distat, tantum ingenii mei vires a Teresiæ virtutibus distare. Interea vero dum ego injunctum onus exequor, et nomine Philippi quarti, Hispaniarum regis potentissimi, Sanctorum numero a Sanctitate Vestra clarum hoc sæculi sui lumen adscribi postulo, ejusque vitam ac miracula breviter perstringo, quæso obtestorque Sanctitatem Vestram
C ut faciles dicenti aures præstare non gravetur.

S. Teresiæ vita,

1344 Progenita est Teresia in illustrissimi regni Castellæ civitate cui Abulæ nomen est, anno post Christum natum quintodecimo supra millesimum et quingentesimum, nobilibus parentibus, qui non religione minus quam generis splendore conspicui, pari eam pietate ab infantia instituerunt. Effulsere in tenella virguncula orationis fervor, probitas ævo maturior, recessuum et contemplationis amor singularis. Septem annos nata, Sanctorum Martyrum res gestas assidue perlegens, Martyrii et ipsa inflammata desiderio, parvulo fratre in comitem assumpto, urbem egressa est, Africam, ut a Mauris pro Christi fide jugularetur, petitura. Sed interim dum properaret ad mortem, divinitus reservabatur ad vitam, serius quidem, sed cumulatius coronanda; fit obviam patruus festinanti, ex itinere retrahit, parentibus gemebundis restituit : illa deinceps præpeditum Martyrii votum jejuniis, lacrymis, afflictione carnis, dum viveret, nunquam deposuit, semper implevit. Vigesimum annum agens, quo certius mundi laqueos et insidias evitaret, monasticam vitam cogitans, ad cœnobium Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, Ordinis quem Mitigatum vocant, se contulit, ibique religiosum vitæ institutum professa est. Cæterum visa est in agonem D concertatura descendere : nam, quia modicum erat generosæ Virgini regularis observantiæ pensum, instaurabantur illi morborum certamina; ut quæ tenerum semel corpusculum Africano carnifici objectura processerat, jam adultum assiduis incommodæ valetudinis cruciatibus porrigeret divexandum.

præclari labores

1345 Alia adhuc ratione disquirenda erat Teresiæ constantia. Insistebat illa, cum cæteris religiosi Instituti exercitiis, tum multo maxime orationi; ac nihilominus tanta spiritus, ut sic dicam, ariditate vexata est, ut integro duodeviginti annorum spatio nullo cœlestis rore solatii sit respersa. Verum suavitatis ac dulcedinis largitor Dominus perseverantem et indefessum Ancillæ suæ spectavit affectum; et supernæ consolationis affluentiam, quo diutius distulit, eo cumulatius impertivit : tanta enim postea contemplationum sublimitate excelluit, tanta cœlestium visionum voluptate perfusa est, ut purissimis illis mentibus proximior quam humanitati videretur. His et aliis prærogativis aucta, primævam Carmeli disciplinam, afflante Deo, æmulari, mox restituere aggressa est. Plurima ejus Instituti mulierum virorumque cœnobia (rem a sæculis in E fœmina inauditam) generoso ausu excitavit : siquidem septemdecim monasteria monialium erexit ac gubernavit, virorum vero quindecim fundata reliquit, miraque prudentia direxit, omniaque sanctitatis exemplo constabilivit. Quæ itinerum incommoda, quos labores, quas pugnas eo in opere peragendo perpessa non est? Humanis plerumque destituta præsidiis, ægrota, pauper, sola, Deoque dumtaxat freta, reclamantes locorum præsides, proceres præsulesque imperturbata sustinuit. Dulcia sane incommoda, dulces labores pro amantissimi Sponsi nomine indefesse a Teresia exantlatos; quippe quæ tam fuit patiendi avida ut sæpissime in hæc verba prorumperet : « Domine, aut pati aut » mori! »

ac virtutes

1346 Quid singularem in Deum charitatem cloquar? Quæ tam fuit eximia ut votum ad eam diem inauditum prima emiserit, semper se quod perfectius et divino cultui convenientius esse intelligeret, effecturam. O amorem inauditum! O nobilem generosissimæ Virginis et sæculis prædicandam omnibus magnanimitatem! O sponsam vere dignam cui Christus, porrecto clavo, tanquam arrha divina, quandoque dixerit : « Tu, Teresia, deinceps ut F » vera mea sponsa anxie de honore meo sollicita » eris : jam ipse totus tuus sum, tu tota es mea. » Neque vero semel tantum vel iterum ei se Christus Dominus videndum præbuit, sed creberrimis familiarissimisque apparitionibus sponsam suam dignatus est; ut quæ ardentissimo Sponsi amore flagraret, ejus quoque præsentia velut gratissimorum irrigatione fontium recrearetur, imo ut amoris ardor validius augeretur in Virgine, et ubertas gratiæ affluentius conferretur a Creatore. Prætermitto frequentem Teresiæ ecstasim. Seraphinum sibi cernere visa est præcordia ignito amoris jaculo trajicientem : quin etiam ipsamet post mortem revelavit divino amoris impetu vita excessisse. Quid insignem proximi dilectionem consecter? Quam egregie demonstrant animarum anhelata salus, tot extructa laboribus cœnobia, effusæ pro persecutoribus preces, quos adeo dilexit ut vulgo jactaretur quisquis diligi a Teresia vellet, aut detrimentum ultro conferret aut injuriam. Sileo fidei ac spei magnitudinem, castissimæ virginitatis excellentiam, quam præclarissimi hujus Virginis confessarii nulli vel minimæ impuri hostis suggestioni fuisse obnoxiam

A obnoxiam testati sunt, paupertatis et obedientiæ præstantiam, cœlestis sapientiæ sublimitatem, quam egregie docent libri quatuor ab ea conscripti, qui in varias linguas ex hispano idiomate versi, toto Christiano orbe celeberrimi, non sine magna legentium admiratione et utilitate circumferuntur. Sileo cæterarum virtutum egregia decora : dies enim me deficiat, si singula prosequar; deficiat, inquam, si vel summatim attingam. Tot ac tantis exornata virtutibus, tot perfuncta laboribus Teresia, anno salutis humanæ millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, quarto nonas Octobris, susceptis incredibili cordis affectu ac demissione Sacramentis, suisque alumnis salubriter commonefactis, amatoriis votis et collocutionibus in Deum exæstuans, purissimam animam Sponso tradidit Creatori.

referuntur quædam miracula, quibus in vita,

1347 Nunc ad miracula, quibus multis et magnis in vita, in morte ac post obitum Teresia refulsit, mea se convertat oratio : quæ cum singula recensere longum sit, temporisque angustiis intercludar, pauca tantummodo delibanda existimavi. Illud primum se offert quod apud Villam Novam de la Xara Conchensis diœcesis patratum est : ubi cum ingens annonæ caritas misere populum opprimeret, ac in
B Teresiæ monasterio vix tantum farinæ superesset ut monialibus per mensem alendis satis esse posset, illius precibus sic adaucta est ut integro sterilitatis tempore, hoc est sex mensium, abunde suppeteret. Monialis quædam nomine Alberta apud Medinam del Campo febri ac pleuritide pene ad interitum laborabat, quam Teresia eo adveniens complexa : « Et tu, inquit, in meo adventu ægra » decumbis? » Quæ cum dixisset, illa protinus sanata surrexit. Anna a Trinitate, monialis in eodem conventu, erysipelate in facie gravique insuper febri laborabat. Accessit ad ægrotam Teresia, manuque faciem ejus attrectans : « Ne timeas, inquit, filia : » spero sanitatem tibi a Deo restituendam. » Quo peracto, nulla intercedente mora, ab erysipelate et febri Anna liberata est.

in morte

1348 Felicissimum Teresiæ obitum hæc maxime comitata sunt. In ejus ubi defuncta est cœnobii tecto et ipsiusmet decumbentis cella apparuit cœlestium luminum multitudo. Una ex religiosis circumstantibus Christum Dominum eximie refulgentem, et longo Angelorum ordine stipatum, lecto Virginis adstantem vidit. Alia candidatorum agmen cellam ingressum et lecto pariter circumfusum
C aspexit. Alia e Virginis ore columbam evolantem, alia lucem crystallinam fenestra pertranseuntem contuita est. Quo etiam tempore prope Teresiæ cellam arbor, quæ antea arida diu permanserat, subito flores emisit. Monialis quædam, diuturno capitis et oculorum morbo vexata, sacro corpori appropinquans, ejusqu emanus capiti oculisque propriis admovens, repente incolumis facta est. Altera odoratum per quadrimestre amissum, deosculatis defunctæ pedibus, illico læta recuperavit, et cœlestis odoris particeps fieri, Beatæ imploratione, meruit. Accedunt insuper egregiæ defuncti corporis prærogativæ. Remansit Virginis facies pulcherrima, candida, et cute tensa, cum jam illam senectus contraxisset; membra omnia flexibilia et tractabilia. Quemdam odorem mirificum, aliis odoribus absimilem, non corpus modo, sed vestes etiam et panniculi quibus ægra utebatur, vehementissime exhalabant. Idem corpus post multa annorum curricula pluries exhumatum, semper triplici miraculo claruit : semper enim incorruptum suavissimique odoris fragrantiam ac cœlestem liquorem effundere conspectum est, hodieque conspicitur.

1349 Pergo ad alia miracula obitum Teresiæ consecuta : quæ cum plurima sint, nonnullis breviter enarratis, dicendi finem facio. Franciscus puer quadriennis, filius mulieris Abulensis, toto corpore a nativitate contortus ac miserabiliter deformatus, post peractam in cella hujus Beatæ novenam, perfecte sanus discessit. Franciscus etiam Perez, rector ecclesiæ Sancti Petri Turris de Lobaton, Vallisoletanæ diœcesis, apostemate ad os pectoris et brachii contractione jam quintum mensem a Sacrorum celebratione præpeditus, cum medicamenta non proficerent, epistolam manu hujus præclaræ Virginis exaratam apostemati religiose applicans, liberatus est. Qui cum grati animi causa Albam profectus, sepulchrum ipsius visitasset, ejusdemque brachium (quod separatum a corpore summa reverentia illic asservatur) proprio brachio sic contracto applicuisset, ex illa quoque contractione convaluit : unde postridie ejus diei Missam ibidem celebravit. Joannes de Leyva, qui lethali angina fere jam præfocatus interibat, perquisito hujus Beatæ sudario, et collo circumligato, somno correptus, et brevi post expergefactus, cognovit se Teresiæ meritis incolumitate donatum. Anna a S. Michaele, monialis, triplici cancro in pectore per biennium exulcerata, sævissimis doloribus cruciata, collo brachiisque contracta, corde etiam afflictata, carnis Teresiæ particula adhibita, ipsaque Teresia implorata, nulla interposita mora, cancris cæterisque morbis liberata est. Antonius a Villarroel, puer quinquennis, lethargo mortifero correptus gravique exæstuans febri, cum a medicis derelictus esset, applicato capiti linteo, et quibusdam ejus liquoris stillis qui ex Teresiæ corpore promanat, consperso, a lethargo febrique liber evasit. Anna Gonzalez, cum ex infirmitate manu sinistra contracta esset adeo ut nec digitos posset explicare, ad monasterium in quo Teresiæ corpus et brachium ab ipso divisum asservatur, processit; ibique ipsius Virginis brachii contactu integræ sanitati statim restituta est.

EX ACT. CANON. *et post mortem effulsit;* D

E

et canonizatio ejus expetitur.

1350 Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ ad Teresiæ vitam et miracula leviter adumbranda satis esse existimavi. Reliquum est ut Sanctitas Vestra publico Christianæ reipublicæ gaudio et exemplo Virginem hanc tam insigni sanctitate conspicuam Sanctorum catalogo adscribat, et universali Ecclesiæ venerandam proponat ac decernat. Hoc a felicis recordationis Clemente VIII et Paulo V, F Sanctitatis Vestræ prædecessoribus, postulavit claræ memoriæ Philippus III, hodieque a Sanctitate Vestra postulat Philippus IV, Hispaniarum reges vere Catholici; hoc novissime Cæsarea Ferdinandi II Majestas; hoc Ludovicus XIII, Galliarum rex Christianissimus; hoc Sigismundus, Poloniæ rex potentissimus; hoc complures Christiani orbis principes; hoc totus Carmelitarum Discalceatorum Ordo; hoc Hispania tota; hoc omnes boni votis omnibus efflagitant : eamque Sanctitati Vestræ atque huic Sanctæ Sedi tanti beneficii memoriam quam nulla unquam vetustas obruat, pollicentur.

Benigne petitioni respondet

1351 Responsio. Spectaculum Deo gratissimum atque hominibus admirandum præbuit Hispanæ Virginis fortitudo, in ipso vitæ semper militantis tirocinio omnium imperatorum laudes supergressa. Atque in id mentis oculos libentissime convertit S. D. N. Qua ætate vel ipsas materni cubiculi tenebras plerique formidamus, puella septennis, jam micans splendoribus Sanctorum, a parentum complexu divellitur, monstrorum feracem Africam petitura, deducente pietate ac periculis invitantibus, ubi ferox amore martyrii tyrannorum sævitiam provocaret,

EX ACT. CANON. provocaret, clamitans plaudente Cœlo : « Quis nos
A » separabit a charitate Christi? Tribulatio, an an-
» gustia, an periculum, an gladius? » Compendiarium illa quidem iter institerat, ut violenta raperet regnum Dei; verum opportunis id sepsit impedimentis misericordiarum Pater, quo tanta virtus orbi profutura per longiores divinorum mandatorum ac consiliorum semitas ad æternitatis palmam properaret. Id autem ita cumulate præstitit ut non iisdem quibus vitam finibus opera suæ pietatis concluserit. Vivit adhuc Teresiæ sanctimonia in religiosis virginibus ac viris Carmelitanis, quos voluntariis suppliciis edocuit vires corporis, id est arma vitiorum, continenter expugnare : et modo principes juvat sapientium magistra; modo divini eloquii voce tonans, et gladio salutis armata, in aciem prodit de impiorum sententiis triumphatura.

per secretarium suum Gregorius XV. 1352 In his cæterisque laudibus, non præsenti solum oratione, sed totius Christianæ reipublicæ plausu celebratis, in principum populorumque, ac præsertim Philippi IV Catholici regis, precibus, triumphalia sanctitatis ornamenta Beatæ Teresiæ postulantium, divinæ clementiæ magnitudinem agnoscit S. D. N. atque admirabilem Hispaniæ
B gloriam, Sanctos non minus religiose venerantis quam feliciter progignentis. Sed tanta in deliberatione cœlum jejuniis, precibus atque eleemosynis petendum est, ut per hos bene hærentes scalarum gradus in tertii cœli altitudinem Pontificiæ mentis pietas ascendat, mortalibus renuntiatura quæ sponte non licet homini loqui. Proinde rogat omnes Sanctitas Sua ut his pietatis officiis secum Patrem luminum imploretis. Ipse autem Venerabiles Fratres suos S. R. E. Cardinales, tum patriarchas, archiepiscopos atque episcopos in consilium adhibebit, ut in cœlestibus honoribus decernendis Divinitatis jussa capessat et Catholicæ Ecclesiæ laudibus inserviat. In hanc sententiam respondere me jussit Sanctissimus Dominus noster.

§ LXVI. Vota Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum, canonizationem B. Teresiæ a Gregorio PP. XV efflagitantium, in consistorio semipublico XXIII Februarii MDCXXII.

C

Vota Cardinalium de Monte, Sfortiæ, Votum Francisci Mariæ Cardinalis de Monte : Teresia honestis parentibus Abulæ in Hispania nata, ab ipsa pueritia futuræ sanctitatis, martyrium expetendo et quantum illi sexui et ætati licuit, procurando, insigne et admirandum specimen cum dedisset, suavissimo postmodum Religionis jugo Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo se subdidit; ubi, divino Spiritu afflante, opus nedum fœmina majus, sed omni viro superius est aggressa : nempe ut Carmelitani Instituti rigorem, non solum æmulari ac perficere, sed aliis, ut id facerent, auctrix fuerit, erectis ad id quam plurimis, non fœminarum solum, sed virorum etiam, ipsa suadente, monasteriis, nullo humano auxilio, sed in Deo spe firma, qua sola nitebatur. Charitate ac vitæ sanctitate fuit admodum insigni, cœlestique ac divina sapientia, quam ipsius libri testantur, ac prophetiæ spiritu ornata, miraculisque insignibus locupletata, crebrisque cum Domino nostro Jesu D
Christo ejusque Sanctis visionibus ac collocutionibus assueta. Hæc me adducunt ut existimem inter Sanctas Virgines per Sanctitatem Vestram esse connumerandam Virginem hanc tot tantisque virtutibus fulgentem, generosoque ac virili animo præditam.

Francisci Card. Sfortiæ : Beata Teresia a Jesu, Beatissime Pater, a Sanctitate Vestra dignissime inter publica sanctimoniæ exempla amplissima auctoritate proponetur.

Montalti, Bandini, 1354 Alexandri Card. Montalti : Beatissime Pater, ea fuit Beatæ Teresiæ, Virginis castissimæ, Christianæ pietatis excellentia, ea fidei sinceritas et charitatis ardor, is fervor devotionis, ea demum totius vitæ sanctitas, ut Deus optimus charissimam sibi illam fuisse signis apertissimis declaraverit, et præclara ejus intuitu miracula ediderit : ex quibus plane intelligere possumus piissimam ejus animam, in cœlestem patriam receptam, æterna beatitudine frui. Ob ea quæ jam relata sunt amplissima miraculorum et virtutum merita, quantum mihi licet et humana in tanta re permittit imbecillitas, in Sanctarum Virginum catalogum Beatam Teresiam adscribendam existimo, si ita Sanctitas Vestra Sancti E
Spiritus ductu duxerit statuendum; cujus judicium, ut est certissimum, sic reverenter sequar atque amplectar.

Octavii Card. Bandini : Quæ in fœminis, Beatissime Pater, in Sanctarum numerum relatis, priscis Ecclesia temporibus admirata est, ea omnia in una Teresia evidentissime conspicimus. Nam candorem virginitatis, charitatis ardorem, constantiam fidei, rerum humanarum despectum ac divinarum perpetuam contemplationem, communia illi fuisse cum aliis plerisque omnes fateri possunt : cum etiam martyrium aut certe martyrii præmium illi non defuerit; quæ adhuc puella Africam hoc animo cogitavit; quæ tot ac tantis afflictata morbis ac doloribus, vitam duxit Martyrum cruciatibus pene parem; quæ denique ignea sagitta Angeli ministerio transfixa, ad cœlum purissima evolavit. Quod vero Ordinem suum jam collapsum ac pene extinctum restituerit, quod Magistram quasi novi Instituti Deo famulantium se præbuerit, quod non solum fœminis, sed viris etiam arctioris disciplinæ documenta præbuerit, hoc illi proprium ac peculiare censendum est; in fœmina vero adeo novum, ut F
cæteras quamvis sanctissimas hoc uno longe superasse videatur. Hæc vero talia sunt, Beatissime Pater, ut eam non solum cœlestibus gaudiis potiri ac frui, sed in altissimo gradu apud Deum Opt. Max. collocatam fuisse non sit dubitandum.

Peretti, Gymnasii, Madrutii, Burghesii, 1355 Andreæ Card. Peretti : Si quid est, Beatissime Pater, quod Teresiam a Jesu inter Sanctos referendam esse suadeat, tot ubique terrarum ab ea proseminatæ religiosorum familiæ hoc imprimis efflagitant. Magnam ejus mulieris sanctitatem fuisse existimandum est, cujus tam viri quam fœminæ imitatores existant.

Dominici Card. Gymnasii : Mulier fortis inventa est, Beatissime Pater, non procul, sed prope : etsi procul, quamvis terrena a terrenis. Digitos suos ad fusum ponebat, ne otiosa panem comederet; os suum sapientiæ aperuit; scripta ejus relata judicant; manum suam misit ad fortia, ut fortem debellaret in terra : quocirca sibi Fratres et Sorores sub Religione Discalceatorum ab ipsa fundata ac auctoritate amplissima confirmata adscivit, associavit. Hanc virginem, quam sibi Dominus in cœlis sponsam elegit, utique venerandam declaremus in terris.

Caroli

A Caroli Card. Madrutii : Beata Virgo Teresia adeo sanctitate ac miraculorum gratia floruit in diversis reipublicæ Christianæ partibus, ut ad ejusdem reipublicæ Christianæ decus fideliumque consolationem procedendum sit ad illius solemnem canonizationem.

Scipionis Card. Burghesii : Beata Teresia a Jesu, Beatissime Pater, aucta titulo sanctitatis, et grande cœlo decus additur, et salutare terris præsidium comparatur : quare merito eam censeo Sanctorum albo adscribendam fore.

Barberini, Millini, 1356 Maphæi Card. Barberini : Beatissime Pater, obtinet inter Beatæ Teresiæ virtutes principem locum charitas eximia, qua Deum coluit et omnibus prodesse mortalibus ardentissime concupivit. Hæc in animis hominum singularem excitat admirationem, et eam quæ prodit e tot insignibus ab ea patratis miraculis, longo videtur intervallo præcedere : quid enim mirabilius quam ut adhuc Ancilla Domini non exuta mortalitatem, sit ab ipso Christo ob dilectionis excessum sponsa pariter habita et nuncupata? Probationibus in auditorio Sacri Palatii et in Concilio Sacrorum Rituum inspectis, illi Sanctorum venerationem esse exhibendam delibe-
B ratum est; quod Vestræ Sanctitatis auctoritate confirmandum censeo : nam decet ut Carmeli gloria efflorescens in omnes orbis Christiani partes odorem suavitatis diffundat.

Joannis Garsiæ Card. Millini : Beatæ Virginis Teresiæ sanctimoniam non nostra tantum Europa, sed remotissimæ quoque nationes admirantur. Carmelitarum Discalceatorum disciplina veteri normæ restituta Teresiæ opus est. Hujus Ordinis, qui protectioni meæ commissus est, quam sit egregia pietas, quam constantes pro animarum salute suscepti labores, magno reipublicæ Christianæ commodo experimur et intuemur. Multis præterea et præclaris Teresiam prærogativis ornavit Deus, quam et sponsam suam appellavit et creberrimis apparitionibus dignatus est, tantisque virtutum laudibus cumulavit, ac tam insignibus in vita, in morte et post obitum miraculis illustravit, ut eam universali Ecclesiæ venerandam proponere voluisse omnino videatur. Quapropter eam Sanctarum Virginum numero adscribendam censeo.

Lantes, Lenii, Veralli, 1357 Marcelli Card. Lantes : Beatissime Pater, divinam Virginem Teresiam, quam Excalceatorum Carmelitarum Ordo Parentem ac Ducem agnoscit,
C nemo est qui privatis Beatorum honoribus non merito a Paulo V nuper decoratam existimaverit et publicis debere augeri aliquando non affirmet. Nam cujus castitas, sapientia, humilitas cæteraque pietatis et charitatis studia a Sacri Palatii auditoribus et a Patribus ex hoc Senatu ad id delectis abunde comprobata sunt, quæque familiæ Christiano cultui tam arcte mancipatæ et in hujus sæculi nocte tanto cum proximorum fructu laboranti veluti columna spirans et ignea hactenus illuxit, digna est mea sententia, Beatissime Pater, quæ in sublimi Ecclesiæ Catholicæ specula ad ejusdem perenne præsidium atque ornamentum Sanctitatis Vestræ decreto quam primum collocetur, etc.

Joannis Baptistæ Card. Lenii : Mulierem fortem Teresiam, spectatissimæ virtutis fœminam, Angelorum alumnam, euangelicæ vitæ Magistram, miraculorum gloria clarissimam, merito in Sanctarum Virginum numerum a Sanctitate Vestra referendam censeo.

Fabricii Card. Veralli : Ut in Superum cœtum homines coaptentur, humana quærere solemus testimonia admirabilium operum ac virtutum. Merito quidem in cœtum Sanctarum Virginum reponi potest Beata Virgo Teresia, cum de ejus sanctitate et miraculis, non solum humanum, ipsiusmet Christi habeamus testimonium, qui manifesta in luce ei dixit : « Ego sum totus tuus, et tu tota mea. » Regnum igitur cœlorum possidet Teresia, quæ Christum ipsum possidet Regem cœlorum, etc. EX ACT. CANON. D

Rivarolæ, Philonardi, 1358 Dominici Card. Rivarolæ : Teresiam, Beatissime Pater, in hoc mortalitatis ergastulo commorantem impolluto corpore Virginem extitisse, ac voto Martyrem, cœlestis sapientiæ dono Cherubin, comprobatum est. Dum enim a sensibus evocata, ad supremi domicilii gaudia rapiebatur, familiaribus cum Christo collocutionibus fruebatur; in quibus arcana plurima edocta alios edocebat : ea enim magistra usos se esse Carmeli Ordinis alumni merito gloriantur. Ad hæc Teresiæ merita et virtutes accedunt miracula, et numero et præstantia quam maxima, quibus jure optimo in Sanctarum numerum referendam esse censeo, etc.

Philippi Card. Philonardi : Versamur hodie, Beatissime Pater, in arduo et difficili negotio, imo in negotio omnium maximo. Licet enim Sanctorum ingens sit numerus, ita ut B. Joannes in Apocalypsi dixerit : « Vidi turbam magnam, quam dinu-
» merare nemo poterat », nihilominus pauci sunt E quos Deos sua providentia elegit ut eis per Vicarium suum in terris publici decernerentur honores. Neque enim ad hanc excellentiam satis est ut coram Deo Sancti sint, sed oportet ut certissimis documentis probetur, eos, dum viverent, sanctitatis gloria aliis præluxisse et in eadem sanctitate diem extremum clausisse, et demum post mortem carnis animas eorum ad æternam beatitudinem pervenisse. In eorum paucorum, sed felicissimorum hominum numerum Beatam Matrem Teresiam referri posse merito jureque optimo credimus : nam ex documentis et pluribus atque idoneis testibus, quibus lux veritatis assistit, legitime et evidenter probatur Deum omnipotentem ejus intercessione ac contemplatione, dum in hac vita permansit, in morte et post mortem, multa magna et admiranda miracula fecisse. Quamobrem ego ejus sum sententiæ ut hæc nobilis Virgo, tam humilis et sublimis, divinis dotata muneribus et virtutibus, a Sanctitate Vestra in numerum Sanctarum debeat referri, connumerari et rite et recte canonizari, ut finis huic tanto negotio omnino imponatur, etc.

Ubaldini, de Trejo, 1359 Roberti Card. Ubaldini : Inter agmen fortium et sanctarum mulierum Beata Virgo Teresia F merito censeatur; quæ omnem virtutis laudem cumulate complexa, nostro sæculo testatum reliquit quoniam etiam in sexu fragili divinæ potentiæ digitus operetur, prodigia dixerim, non miracula, quæ de ejus gestis legitime probata, et ab ipsamet cœlesti plane calamo exarata, nobis ostendunt delicias Dei esse cum filiis hominum. Per hanc flos ille Carmeli, qui arescere videbatur, refloruit, species agri formosissima rediit quæ perierat, et admirabilem ubique terrarum dedit odorem suavitatis. Quod si magnitudo charitatis mensura est sanctitatis, profecto sanctissima dici debet : sic tam fortis fuit dilectio, ut non dissolutionem sui corporis, non effundendi sanguinis desiderium, sed ipsammet operata sit internecionem vis amoris exæstuantis. Digna omnino Virgo, quæ quatuor fortissimorum virorum comitatu prodeat, et cui de debellato mundi principe triumphalia decernantur, etc.

Gabrielis Card. de Trejo : Fuit Teresia Virgo velut speciosa inter filias Jerusalem, speciosa virtutum ornamentis, austerioris disciplinæ zelo, miraculorum varietate : una fuit perfecta, una decora, in deliciis cœlestibus. Quoties Sponsi divini cor

EX ACT. CANON.

A vulneravit in uno voluntatis affectu! Quoties apprehendit ipsum et quasi intra se conclusit! Quid igitur morandi locus? Quidni extemplo Sanctorum albo describatur? Non potest alterna fluctuantis animi propensio ibi esse, ubi adeo probata Virginis, vel potius hujusce Viraginis, perfectio comperitur inesse. Eia igitur, Pater Sancte, ecce universus terrarum orbis hoc a te reclamat. Quod si suffragium a me requiratur, ecce ultro tibi offero : urget enim Virginis prædictæ vita immaculata, et cum suffragio animum quoque meum sibi exposcit, etc.

Borgiæ, Bentivoli, Valerii,

1360 Gasparis Card. Borgiæ : Beatam Virginem Teresiam a Jesu, invicti animi exemplum, divinæ charitatis vivam ac spirantem facem, sanctissimorum virorum ducem, mulicbris denique virtutis culmen altissime supergressam, Sanctis Virginibus annumerari non solum posse, sed etiam debere censeo, Pater Beatissime, etc.

Guidonis Card. Bentivoli : In iis quæ relata sunt de vita et miraculis Beatæ Virginis Teresiæ tanta elucet heroicarum omnium virtutum præstantia, ut dubitari possit in qua magis ipsa excellucrit et magis se admirandam præbuerit. Quæ dixit, quæ fecit, quæ scripsit, omnia sunt miraculorum ejus

B velut præconia. Id quod uno ore prædicat, non sola tantum Hispania, quæ illam genuit, sed universus Christianus orbis, qui illam sibi præcipuo cultu et veneratione ubique jam vindicavit. Quapropter existimaverim Beatitudinem Vestram facturam esse rem sua singulari pietate ac sapientia dignam, si tam sanctam Virginem inter Sanctos rite et solemniter sua auctoritate quamprimum referre voluerit, etc.

Petri Card. Valerii : Mulierem fortem jam invenimus, Beatissime Pater, imo et fortissimam Virginem simul atque sponsam et ancillam Christi Teresiam, quæ virili pectore manum misit ad fortia et de fructu manuum suarum plantavit vineam, quæ non timebit a frigoribus nivis. Hanc igitur jam sanctitate et miraculis toto orbe clarissimam filii ejus undique Beatissimam prædicaverunt. Quid amplius superest modo, Beatissime Pater, nisi ut Sanctitas Vestra pro sua prudentia decernat, quod, sicuti hæc invictissima Christi famula jam in Ecclesia triumphanti coronam accepit sibi a Domino præparatam in æternum, ita in hac militanti, ad Dei omnipotentis laudem, hodierna die collegio Sanctarum Virginum solemniter pro meritis adscri-

C batur?

de Zolleren, Pignatelli, Ludovisii,

1361 Itelii Frederici Card. de Zolleren : Res ante faciem omnium populorum et in conspectu gentium posita vociferatur in Beatissimam Virginem Teresiam proprie convenire quod in Sancti Lucæ Euangelio legimus : « Beatæ steriles et ventres qui non » genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. » Cui proinde Prophetæ verbis acclamare et beatitudinem suam gratulari possumus: « Lætare sterilis, quæ non » paris : erumpe, et clama, quæ non parturis : quia » multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet » virum. » Totidem profecto sunt Virginis hujus filii ac filiæ, quot sanctissimi ejus Instituti per orbem Christianum sectatores ac sectatrices cum ingenti Ecclesiæ Catholicæ gloria inveniuntur, quotque ipsorum horum, partim doctrina, partim exemplo, filios parturiunt, donec formetur in illis Christus. Si ergo filiorum carnalium turba in mensæ circuitu istam Psalmi gratulationem meretur : « Ecce sic » benedicetur homo qui timet Dominum », quanto justius nos Teresiæ gratulari : Ecce sic benedicetur ancilla quæ timet Dominum! Cum vero hoc amplius quod tot beatitudinis argumentis hanc suam servam Deus glorificaverit, quot per eam miracula patrata esse testatissimum habemus, merito San- D ctitas Vestra, cujus agit in terris Vicarium, ejus in glorificanda Teresia imitatur exemplum. Sic fiet ut quod Mardochæo in figura contigisse legimus, in Teresia vere impletum agnoscamus : « Hoc ho- » nore condignus est, quemcunque Rex regum » voluerit honorare. »

Stephani Card. Pignatelli : Super muliere qualem Sacrarum Litterarum testimonio veteres illi Patres non invenerunt, merito nunc lætatur Sancta Mater Ecclesia. Hæc enim, solutis de pedibus calceamentis, involucrisque positis carnalium cogitationum, ad Christum Dominum accedere concupivit, et meruit consilium Sanctitatis Vestræ nunquam satis laudatum.

Ludovici Card. Ludovisii : Beatam Teresiam, cui virginitas Sponsi omnipotentis nuptias confecit, solitudo Angelorum societatem conciliavit, paupertas divinæ gratiæ divitias congessit, obedientia cœlestis beatitudinis regna comparavit, templis atque aris rite colendam esse censeo. Neque enim suæ pietatis opera angustis humanæ vitæ spatiis conclusit; sed regnans in cœlo terras tuetur, atque in religiosis familiis vivit, quas suæ sanctitatis hæ- E redes instituit, non minus Christianæ reipublicæ quam sibi ipsis fructuosas, etc.

Sacrati, Gozzadini et Aldobrandini;

1362 Francisci Card. Sacrati : Beatissime Pater, quæ Catholicis parentibus orta adhuc septennis Christi Martyr effici concupivit atque etiam tentavit, quæ vigesimum agens annum virginitatem suam Deo vovit ac dicavit, quæ provectiori ætate novam instituit seu restituit Religionem, quæ libros miræ doctrinæ scriptos reliquit, quæ toto vitæ suæ tempore omni heroicarum virtutum genere claruit, ad cujus preces ac merita Deus Optimus Maximus plura insignia miracula patrare dignatus est, cujus honori ex hujus Sanctæ Sedis facultate recitantur divina Officia, Missæ celebrantur, aræ ac sacella eriguntur, pro qua in Sanctorum numerum referenda contendunt potentissimi reges, orant sacri virorum mulierumque cœtus, exposcit universus fere populus Christianus, digna profecto videtur quæ a Sanctitate Vestra Sanctarum catalogo adscribatur, etc.

Marci Card. Gozzadini : Eximiæ fuere virtutes Beatæ Teresiæ, et mirabilia, quæ, dum viveret et post ejus mortem, fecit Deus illius intercessione. Unde, cum Virgo hæc meruerit accipere benedictio- F nem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, judico illam esse referendam in numerum Sanctarum Virginum, quæ cum Christo regnant in æternum, etc.

Hippolyti Card. Aldobrandini : Manum suam plane misit ad fortia Beata Teresia, quæ, pietatis ac pœnitentiæ operibus dedita, primævum Instituti Carmelitani rigorem suo ductu restituit. Hinc sanctimoniæ laude, morum integritate et multis ante et post obitum patratis miraculis cum toti orbi mirifice illuxerit, censeo ad solemnem ejus canonizationem deveniri posse, etc.

patriarchæ Hierosolymitani; archiepiscoporum Barensis, Taurinensis,

1363 Deiphobi Farnesii patriarchæ Hierosolymitani : Teresiam a Jesu sibi Christus, exhibito passionis suæ clavo, miro quodam modo propriæque vocis præconio veram sponsam ac totam suam promulgavit. Cujus ergo canonizationi Altissimus dedit vocem suam, vocem ego quoque meam humiliter adjungo, etc.

Galeatii S. Vitalis archiepiscopi Barensis : Vitæ innocentia Beatæ Teresiæ, innumeris miraculis illustrata, digna est prorsus quam velut absolutissimum sanctitatis exemplar Ecclesia nobis proponat ad imitandum. Quod cum per solemnem canonizationis

A tionis ritum consequi possit, haud illa quidem a Beatitudine Vestra diutius differenda est; quia mortalibus innotescet in ipsa etiam mulieris imbecillitate eam se virtutem promere potuisse ut ad Superum usque fastigium niteretur.

Philiberti Millecti archiepiscopi Taurinensis : Beata Teresia, Beatissime Pater, divino ardens amore, crucem continuo in corde ferens, solum vivere cupiebat ut pro illo pateretur; et vivendo non aliud agere quam quod perfectius et Dei majoris gloriæ esse intelligeret, voto se obstrinxit. Facta tandem Christi sponsa, præ nimio illius amore languens, animam dilecto suo dedit. Hæc tot tantisque heroicis virtutibus ac miraculis illustris inter alias Sanctas Virgines canonico ritu mihi videtur adnumeranda, si ita Sanctitati Vestræ placuerit.

Genuensis, Amalphitani,

1364 Dominici de Marinis archiepiscopi Genuensis : Beatam Teresiam nostris temporibus omnes tanquam novam lucem elapsam de cœlo admirati sumus, et quotidie non sine admiratione ipsius alumnos intuemur. Innumerabilia sunt signa et virtutes quibus Dominus Ancillæ suæ sanctitatem manifestare dignatus est, et fere incredibilia ea quæ ipsa Virgo pro Sponsi sui amore, honore et gloria
B perpessa fuit. Sanctamne hujusmodi fœminam dixerim? Imo vero Sanctissimam, et dignam prorsus quæ Sanctis quatuor viris in canonizatione associetur. Sancta igitur sanctas preces quas pro Sanctissimo fundimus, excipiat, et Sancto Sanctorum, Deo scilicet Optimo Maximo, repræsentet.

Pauli Æmilii Philonardi archiepiscopi Amalphitani : Coronam, Beatissime Pater, tam præstanti florum varietate sibi ab ætatis initio Serva Dei Teresia concinnavit atque contexuit, ut ex Hispania, quæ Christi sponsam protulit, in omnes Christianæ reipublicæ partes atque in cœlum ipsum, tum virginitatis et charitatis, tum pœnitentiæ et obedientiæ omniumque virtutum fragrantissimus odor Deoque acceptissimus penetrarit, ac illustrissimæ sanctitatis nomen illi fecerit. Hinc est quod non modo plurium regionum ac principum concursus, imprimisque Hispaniarum reges invictissimi, verum etiam cœnobia reformatæ militiæ per eamdem Teresiam fundata et aucta, libri quos de mystica theologia supra modum accurate conscripsit, miracula quæ (ipsa deprecante) Deus præstitit, vehementer a Sede apostolica petierunt ut Beatam nostram sacris Virginum choris inserat, et catholico ritu
C canonizationis inter Cœlites adscribat. Quæ omnia sic plane constant, ex processibus auctoritate ordinata fabricatis, et amplissimo jussu per sapientissimos viros, hoc est auditores, repetitis et recognitis, tandem Sacra Rituum Congregatione expendente comprobatis, ut facile adducar atque impellar ad consentiendum posse Sanctitatem Vestram sine dubitatione Beatam Teresiam in Sanctorum album Christi fidelibus venerandam referre.

Lancianensis, Compsani, Naxiensis et Rhodiensis;

1365 Andreæ Gervasii archiepiscopi Lancianensis : Beatissime Pater, vitæ innocentia, cum Deo familiaritas, lux hausta de cœlo, res egregie gestæ, miracula in vita ac post mortem edita, quæ omnia in Beata Teresia semper admirata est Hispania, et Sanctitas Vestra ex relatione sibi facta suo præconio probavit, merentur ut cultus qui Sanctis debetur, huic Dei Ancillæ ab hac Sancta Sede tribuatur.

Fabii Leonissæ archiepiscopi Compsani : Paulus Doctor egregius, cum ad justitiæ cultum nos hortatur, tria nos docet, ut pie, juste ac sobrie vivamus. Hoc triplici officio semper usa fuit Beata Teresia : nam pia erga Deum, justa erga proximum ac sobria erga se ipsam semper fuit. Non solum igitur inter Sanctarum catalogum adscribendam esse censeo, si Sanctitati Vestræ placuerit, sed D iteratis precibus a Sanctitate Vestra hoc exposco atque deprecor.

EX ACT. CANON.

Sebastiani Quirini archiepiscopi Naxiensis : Felix Virgo Teresia, quæ, ut moriens viveret, vixit ut moritura, ut vestes Beatorum indueret, de quibus Salomon ait : « Omnes amici ejus induti sunt » duplicibus. » Linum et lanam quæsivit, ornamenta scilicet contemplativæ et activæ vitæ sibi adjunxit; panem otiosa non comedit : ea enim pro Christo Domino egit atque passa est quæ sempiternæ memoriæ sempiterno tempore sunt tradita. Jure igitur merito, Beatissime Pater, Sanctarum numero adscribenda.

Alphonsi Gonzagæ archiepiscopi Rhodiensis : Pater Beatissime, Virginem Teresiam Christi alloquio, miraculis, prophetico spiritu, religiosissimi Ordinis fundatione, virtutum omnium ornamentis admirabilem, lampadis suæ acerrimam custodem, inter Cœlites si Sanctitas Vestra connumeret, maximam Christiano populo patrocinii lucem aperiet, et Dei partes in terrarum orbe supplebit.

episcoporum Zacynthini, Grossetani,

1366 Raphaelis Invitiati episcopi Zacynthi et Cephaleniæ : Beata Teresia, a terrenis animi cogitationibus fidei et puritati adversis nunquam aut læsa E aut afflicta aut levitur tacta, Abulæ nata est, ejusque aurea sanctitatis luce et nativitatis aurora Abula accrescit; roseo et ipsa divinæ lucis colore amicta comparuit, cum septennis candorem infantiæ desiderati martyrii sanguine conspersisset : non obtinuit quod optavit, sed non perdidit quod amisit, compensans longa afflictæ carnis asperitate quod brevi impedita non poterat finire martyrio. Ob id in Religionem cui a Carmelo nomen, adscripta, religiosam disciplinam ad antiquum arctioris vitæ splendorem mirum in modum revocavit. Charitate et zelo salutis animarum maximopere urgente, incredibiles vicit difficultates et superavit angustias. Octodecim annis, summa spiritus oppressa ariditate, non aruit, imo annuit et arrisit et magis arescere concupivit (purior enim ignis in arido), ut tanto puriores hauriret divini ardoris flammas quanto magis aruisset; sed ipsa etiam ab amore combusta ariditate, ineffabilibus deliciis affluens, quotidiano fere Christi colloquio fruebatur et lætabatur aspectu, Cœlitibus familiaris effecta : ignito jaculo a Cherubino transverberata, non obiit fortasse cuspidis ictu, sed divino igne calefacta revixit; ve- F rumtamen vehementioris amoris spiculo succubuit. Licet enim e vita excesserit ægra in lecto decumbens, mortua tamen est (ut ipsamet revelavit post obitum) non infirmitate corporis, sed vulnere charitatis. Candidus enim color aridæ cutis, mortua caro mollis et incorrupta, cecidit non victa, sed victrix : roseus odor et roscidus liquor manantes e corpore signa sunt adeptæ gloriæ et spolia mortis devictæ. Justum est ergo, Beatissime Pater, ut huic beatæ mulieri Sanctis debiti deferantur honores, quæ fortissime moriendo vivæ carnis exuvias, veræ sanctitatis insignia, adhuc in extincto corpore virentes detinens, de manibus mortis evolavit et involavit in gloriam.

Julii Sansedonii episcopi Grossetani : Cum, juris ordine servato, ea pateant, Beatissime Pater, quæ canonicis constitutionibus requiruntur, nempe vitæ sanctitas et divinum de ea testimonium supernaturali signorum ostensione prolatum, convenio Beatam Teresiam, quæ primævum Carmelitarum rigoris Institutum restituit et urgente divini amoris incendio vita excessit, catalogo Cœlitum adscribendam esse.

EX ACT. CANON. *Pistoriensis, Brixiensis, Ariminensis, Vercellensis,*

1367 Alexandri Cacciæ episcopi Pistoriensis : Beatissime Pater, ex jam relatis coram Sanctitate Vestra per Illustrissimos et Reverendissimos Patres Congregationis Sacrarum Rituum de Beatæ Virginis Teresiæ virtutibus, vitæ sanctitate ac excellentia fidei, ob cujus propagationem adeo fuit sitibunda martyrii, ut ejus præclara gesta divino favore meruerint miraculorum gloria illustrari, eam procul dubio ad Christianæ reipublicæ decorem et divinum cultum augendum in Sanctarum Virginum cœtum describendam censeo, si Sanctitas Vestra, divino sibi communicato consilio, ita decreverit.

Marini Georgii episcopi Brixiensis : Beatæ Teresiæ virginalis integritas, Beatissime Pater, singularis ejus innocentia, mentis a sensibus corporis in cœlestibus mysteriis contemplandis alienatio, divina quædam rerum futurarum atque arcanarum cognitio, sui denique despicientia, ita lucent ut eam jure merito in Sanctarum Virginum cœtum referendam esse censeam.

Berlingerii Gypsii episcopi Ariminensis, gubernatoris Romæ : Beatissime Pater, Beata Teresia, Virgo integerrima, virtutibus et donis cœlestibus ornatissima, diu multumque Christi ac Cœlitum familiaritate, in mortali corpore dum viveret, usa, virile demum aggressa facinus, religiosorum virorumque familiæ legibus datis, celeberrima decessit, cum sanctitatis et miraculorum fama; quæ post obitum magis increbuit et prudentissimis inquisitoribus est approbata. Censeo igitur iis esse decorandam, etc.

Jacobi Goriæ episcopi Vercellensis : Hæc Virgo sterilis peperit plurimos : quis auditas faciet laudes ejus? Sanctitatis et miraculorum testimonia credibilia facta sunt nimis, et cum Christo ad nuptias introisse docent, etc.

Carpentoractensis, Adurensis, Volaterrani,

1368 Cosmi Bardi episcopi Carpentoractensis : Beata Teresia adeo virtutibus conspicua fuit, ut modo solum agendum videatur quæ corona sit decernenda illi quæ legitime certavit, quæ una de numero prudentium astitit a dextris Sponsi in vestitu deaurato, circumdata varietate : quæ corona erit decretum Sanctitatis Vestræ; si ita illi expedire visum fuerit; ut quæ cum lætitia et exultatione manet in conspectu cœlestis Regis, cum lætitia et exultatione a Christi fidelibus honoretur in terris, etc.

Sebastiani Buthillerii episcopi Adurensis : Beatissime Pater, quanto vaniores constat esse ex cœli situ de rebus humanis conjecturas, fallaciusque ex astrorum inspectione de futuris judicium, tanto magis licet admirari Ecclesiæ auctoritatem, ex eis quæ in hominum vita intuetur atque observat, certo pronuntiantis de his quæ superne decreta ad nostram salutem hic sciri debuerunt. Hoc nunc merito præstat in Beata Teresia, quæ delicato tenelloque in corpore tolerantia, patientia rerumque caducarum contemptu, vitæ integritatem asseruisse non contenta, ausa est divinius et expectatione humana grandius facinus collapsam vitæ monasticæ disciplinam restituendi : unde habent etiam principes ipsi Ecclesiæ quod in fœmina imitentur singulare sanctitatis exemplum. Obstupuit Christianus orbis ad Virginis sanctam audaciam. Sed imprimis Gallia ab æmula etiam gente inchoatam pietatem complexa est; paucorumque annorum lapsu ipsis suis in visceribus supra vingintiquatuor hujus Instituti monasteria numerat et veneratur : Gallia, inquam, pro candore suo ubique memor undecunque monstratam virtutem sequendi, et acutam Religionis puritatem retinendi augendique semper studiosa. Quoniam ergo tanti boni auctricem agnoscimus Beatam Teresiam, justissimæ sunt causæ cur divinis honoribus colendam censeamus, et profiteamur esse sæculi felicitatem, hominum salutem, Ecclesiæ triumphum, quod a Summo Pontifice Cœlitum pro nobis interpellantium numerus unanimi hodie sanctorum Patrum voto et suffragiis augeatur, etc.

Lucæ Alemanii olim episcopi Volaterrani : Qualis quantæque sanctitatis futura esset Teresia Virgo, facile fuit dignoscere, cum adhuc septennis tanto martyrii desiderio flagraret : qualis Virgo fuerit, testantur tam multa, eaque præclarissima, quæ gessit in vita sua; de quibus in actis legitime constat. Quare hanc Christi sponsam, miraculis claram et quam plurimis prærogativis a Deo Optimo Maximo decoratam, inter Sanctas Virgines Sanctitatis Vestræ auctoritate et decreto connumerandam censeo, etc.

Cabellionensis, Niciensis, Brugnatensis,

1369 Octavii Mancini episcopi Cabellionensis : Virgo sapiens Christi sponsa Teresia insigni fulget sanctitate; cujus ab infantia imprimis specimen præluxit : ita ut nedum in Hispaniarum regnis, sed in remotis etiam regionibus sanctimoniæ illius nomen fuerit deinceps divulgatum et concelebratum. Insuper cum miraculorum gloria itidem præfulgeat, ac ingens in eam exstet devotio populorum et procerum existimatio, Sanctitatem Vestram, quæ Dei vices gerit in terris, puto posse eam in Sanctarum Virginum numerum referre, ad Ecclesiæ suæ Sanctæ exaltationem, quæ Sanctis veluti deaurato amictu decoratur, ad ejusdem Beatæ Teresiæ Virginis honorem nostramque salutem; ut pro nobis intercedat in cœlis, qui illius memoriam colimus in terris; ut ipsa terra, novi hujus luminis illustrata splendore, lætetur; gaudeat cœtus Angelorum; Virginum adauctus numerus exultet; glorificetur Deus in Sanctis suis, qui est corona Sanctorum; denique fremant et tabescant hæretici; vigeat Pontificia auctoritas, et Sanctitatis Vestræ dignitas jugiter crescat et amplificetur, etc.

Petri Francisci Maletti episcopi Niciensis : Teresia a prima ætate usque ad diffluentis vitæ occasum lampadem suam, lucido fidei elychnio sanctarumque actionum refertam nec non virtutum floribus ornatam, ita portavit ut nunquam vel spiritualis pabuli defectu vel hujus sæculi ventorum procellis extincta ingemuerit, sed divinis semper radiatam splendoribus custodierit. Ob id, veniente Sponso, ad nuptiarum solemnia sibi promeruit ingressum, multimodis ante subarrhatum visionibus. Quapropter, cum certo gaudiis perfruatur æternis, et nunc in cœlis, sicut tunc in terris, pro felici S. R. E. statu Omnipotentem precibus exoret, grati animi ergo dignum, laudabile ac justum esse censeo, ut inter prudentes Deum videntes et Sanctas Virgines publico Sanctitatis Vestræ decreto conscribatur ac dignificetur.

Francisci Mutini episcopi Brugnatensis : Sic elucet, Beatissime Pater, sanctitatis veritas ac miraculorum claritas in Virgine Beata Teresia, ut, quemadmodum perspicuis meritis mirabilis extitit in terris, sic etiam ejus natalitium diem in cœlis a S. V. jure debito designari posse sentiam.

Adriensis, Casertani, Tagastensis,

1370 Ludovisii Saregi episcopi Adriensis : Ex actis et relatis, Beatissime Pater, de vita, integritate ac sanctitate hujus Beatæ Teresiæ, de cujus agitur canonizatione, elicitur ac probatur mulierem hanc fortem virili pectore nedum fœminarum vitia exuisse, sed fortium virorum ac heroum virtutes induisse totoque vitæ suæ curriculo exercuisse. Nam ab ineunte ætate virginitatis ac puritatis votum vovit servavitque semper. Adhuc adolescentula pro Christi amore martyrium affectavit ac quæsivit.

Adolescentior

A Adolescentior religiosam illamque arctam vitam est ingressa atque professa, Ordinis Carmelitarum scilicet, quem etiam tam in viris quam in mulieribus melius reformavit. Adulta novum ac inusitatum aliud votum emisit, explevit, nimirum suscipiendi semper ac assequendi ea quæ essent perfectiora et quæ ad majorem Dei gloriam tenderent ac facerent. Idcirco adhuc in vivis meruit a Christo Domino sponsa sua dilecta, honorem suum maxime zelans, nuncupari. Præterea multa nec vulgaria in vita et post mortem in virtute Dei edidit miracula. In loco et hora mortis suæ signa et corruscationes apparuere. Post obitum corpus ejus semper incorruptum quasi vigens et suavissimum odorem exhalans continuo est repertum. Concludendum est igitur virginem hanc prudentem, quæ in vita sua sumpsit secum oleum, jam in æthereum thalamum ad regales nuptias cum suo Sponso ingressam, æterna beatitudine perfrui. Unde nihil est hæsitandum quominus a Sanctitate Vestra apostolico suo decreto ac solemni ritu possit hic in terris uti Virginem Sanctam nobis colendam ac invocandam pronuntiari ac renuntiari.

Antonii Diaz episcopi Casertani : Mulierem forB tem invenimus Beatam Teresiam; quam ut pœnitentiæ operibus insignem, ut miraculis claram, ut plurimis in toto orbe Christiano sanctioris vitæ magistram, jure B. V. numero Sanctarum aggregabit.

F. Joannis Vincentii Spinulæ episcopi Tagastensis, sacristæ S. D. N. : Beata Virgo Teresia ab ineunte ætate tam vehementi amore Christum Sponsum suum diligebat, ut adhuc septennis, Sanctorum Martyrum æmula, una cum puero fratre, pro Sponso sanguinem effusura in Africam properaret. Unde Christus, ut splendidius sponsam in domum Patris introduceret, pluries in vita ei totique familiæ annonam multiplicavit, et procedens de thalamo suo multa Angelorum serie stipatus illam morientem recepit : quæ omnia, ut in cœlis cum ipso Sponso vivere et regnare certo suadent, ita et debitis honoribus in terris cumulandam esse nullum dubitandi locum judicio meo relinquunt, etc.

S. Agathæ, Balneoregiensis, Marianensis et Vigiliensis.

1371 Hectoris Diotallevii episcopi Sanctæ Agathæ : Sanctissime Pater, Virgo Deo devota Beata Teresia cœlesti Sponso juncta in cœlis renuntianda videtur, quem in terris positam tota cum devotione dilexisse, martyrii desiderium, Religionis professio, C innocentis vitæ cursus, generosa parta Deo Discalceatorum Carmelitarum Reformatorum soboles et votum selectissimum optionis perfectionis testantur, cum aliis in Summario relatis; quibus etiam accedunt miracula clarissima in vita, in obitu et post dormitionem.

Caroli Bovii episcopi Balneoregiensis : Beata Virgo Teresia septennis martyrium expetivit : Carmelum in spiritu Eliæ restituit : per igneam charitatem demum cœlo est invecta. Ideo Sanctorum cultu per Sanctitatem Vestram decoranda. Id Christianus orbis flagitat, id etiam ego probo.

Hieronymi de Puteo episcopi Marianensis : Cum domus Dei, quæ Ecclesia Romana est, repleta sit odore suavissimo, qui ex virtutibus, castissimis moribus et vita innocentissima Beatæ Virginis Teresiæ diffusus est, et adhuc toto orbe diffunditur, existimo, Beatissime Pater, posse illam in Sanctarum numerum cooptari. Quod ut fiat, Sanctitatem Vestram humili demissione, qua debeo, rogo et obtestor, in honorem Christi et sponsæ ejus, etc.

Antonii Albergati episcopi Vigiliarum : Beatissime Pater, Beatam Matrem Teresiam, vitæ sanctitate et heroicis virtutibus insignem ac miraculorum gloria illustrem, in Sanctarum numerum referendam censeo. Nam præter virtutes theologicas, in D quibus se continuo exercendo mire excelluit, considero ex his quæ prudenter ante me dicta sunt, heroicam B. Virginis fortitudinem, dum vix septennis ad martyrii coronam evolare tentavit. Prudentiam etiam admiror, dum virguncula super viros intellexit, et plurima tum virorum tum virginum monasteria partim reformavit, partim de novo extruxit; ita ut tot insignes viros ac fœminas qui ex 225 illius Ordinis monasteriis prodiere ad multa centena millia ascendentes, B. V. Teresiæ pietati ac studio accepta referre debeamus. Adhæc in studio orationis se ipsam exercendo, aliosque docendo, quantum profecerit, libri ab ipsa editi passim demonstrant; ita ut, cum fecerit et docuerit, magna jure merito vocanda sit in regno cœlorum. Quam vero Deo grata extiterit, et miracula quibus tum vivens tum mortua claruit, et suavissimus ex ejus corpore spirans odor abunde testantur. Quapropter honorandam nunc a Beatitudine Vestra in terris illam censeo, quam prius a Deo in cœlis coronatam credo.

EX ACT. CANON.

E

§ LXVII. Brevis Relatio cæremoniarum in solemni canonizatione SS. Isidori, Ignatii, Francisci Xaverii, Teresiæ a Jesu et Philippi Nerii.

« Sapientiam Sanctorum narrent populi, et laudes » eorum nuntiet Ecclesia. Nomina autem eorum » vivent in sæculum. » Eccl. 44. Catholica Ecclesia, ab Spiritu Sancto edocta atque illuminata, magna quidem sapientia ordinavit ut qui in hoc sæculo piam coluerunt vitam, veramque legem Euangelicam in perfecto Dei et proximi amore observavere, essent, quemadmodum in cœlo scripti in libro vitæ, ita pariter inter nos mortales præclaro æternoque nomine connotati; verificans dictum illud Prophetæ dicentis : « In memoria æterna erit » justus. » Et hoc illa præstat, præter gloriam quæ Deo exhibetur, ut nos miserrimi peccatores, F qui terrenis rebus earumque affectibus annexi, a quibus nisi per Sanctorum exemplum pene separari nescimus, animadvertentes et considerantes quod illi Christi amore operati sunt, confundamur in corde nostro, non præstantes similia opera nec eorum vestigia sequentes; cum videamus ipsos pariter non fuisse minus fragiles, tentatos, nec minoribus affectos persecutionibus, nec alterius naturæ quam nos. Ista igitur de causa, inter alia, pia Mater Ecclesia proponit nobis horum quinque Sanctorum sequenda vestigia, declarando et definiendo illos veræ sanctitatis exemplaria hac celebri canonizatione : nempe Isidorum, nobilissimi oppidi Madriti Patronum, qui circa annum 1150 natus fuit, agriculturamque professus, obiit anno 1170 (*de anno mortis S. Isidori vide quid statuat Papebrochius ad diem* XV *Maji, pag.* 514); Ignatium de Loyola, Hispanum, Institutorem Societatis Jesu, qui ortum habuit Aspeitiæ in nobilissima Guipuzcoæ provincia in Cantabria Pampelonensis diœcesis anno Domini 1491, et ad superos evolavit die ultima mensis Julii anni 1556; Franciscum Xaverium, qui natus fuit in parte illa regni Navarræ quæ ad

Gregorius XV, quinque Sanctos canonizaturus,

EX ACT. CANON.

A Hispaniam pertinet, anno 1497, obiit deinde in insula deserta nomine Sanciano; Teresiam a Jesu, Carmelitarum Discalceatorum Fundatricem, quæ orta in urbe Abulæ anno Domini 1515, animam Deo reddidit die 5 Octobris 1582; Philippum Nerium, Florentinum, Fundatorem Congregationis Patrum Oratorii nominatorum ecclesiæ novæ, qui ortum habuit Florentiæ anno Domini 1515, et obiit anno 1595 : qui omnes conspectui mundi apponuntur tanquam lucidissima sanctitatis specula, a quibus poterunt sacerdotes sæculares et regulares, laici et mulieres particularem imitationem desumere. Itaque ut illorum desiderio satisfacerem qui huic solemni festivitati interesse non potuerunt, peroptant tamen, quamvis non integram, tamen particularem cognitionem de ejus descriptione habere, brevem hanc et summariam Relationem promere deliberavi, attingens, ut commodius potero, præcipua quæque ad ritus et cæremonias pertinentia.

basilicam Vaticanam ingreditur.

B 1373 Locum tantæ solemnitatis celebrandæ præbuit basilica ipsa Sancti Petri in Vaticano, toto orbe longe celeberrima. Immensum foret singula recensere quæ ad apparatum et pompam ingeniose fuerunt excogitata, ut nihil omnino omissum fuerit quod ad decorem ac magnificentiam tantæ festivitatis conducere videbatur. Ne ergo iis minutatim recensendis diutius immoremur, ad cæremonias, quæ in hoc solemni actu principaliorem partem obtinent, specialiter recensendas sermonem convertemus. In dicta igitur canonizatione die illo ad hunc effectum præscripto, qui fuit duodecimus Martii, hora decima quarta, cum jam omnia præparata essent in dicta basilica, et omnia theatri et altaris luminaria accensa essent, et cerei Sacrosanctum Christi Vultum circumstantes nec non reliquiarium Sanctæ Lanceæ, et innumerabilium candelarum ante cæteras Sanctorum Reliquias accensarum copia esset, descendit Sanctissimus Dominus noster Gregorius XV Pont. Max. a palatio suo Sancti Petri in Vaticano, præcedentibus Illustrissimis Dominis Cardinalibus, humeris hominum allatus, sedens solemni pompa in sede; a qua prope altare descendens genua flexit ad pedem faldistorii : ubi primas preces fudit ad Deum, ad hoc ut ejus cor et animum dirigeret circa actionem quæ sperabatur ad Dei gloriam et dictorum Beatorum in catalogo Sanctorum adscribendorum honorem.

C

Ad instantem Cardinalis procuratoris petitionem

1374 Hoc facto, sedente iterum in sua pontificali sede, venerunt Illustrissimi Domini Cardinales, et accesserunt ad eum adorandum et reverentiam et obedientiam Suæ Sanctitati præstandam : et postea, sedente unoquoque suo proprio loco, fuerunt præsentati coram Summo Pontifice per magistrum cæremoniarum Illustrissimus Dominus Cardinalis Ludovisius, nepos Suæ Beatitudinis ac procurator pro dictis Beatis, et advocatus Reverendissimus Dominus Zambeccarius, ambo ad hoc deputati; qui pro parte Cæsareæ Majestatis, regum et principum Christianorum primam protulerunt instantiam in hunc modum : « Beatissime Pater, » Cardinalis Ludovisius hic præsens nomine Suæ » Cæsareæ Majestatis, regum ac principum Catholicorum instanter petit per Sanctitatem Vestram » pronuntiari Isidorum Agricolam, Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, Teresiam de Jesu » ac Philippum Nerium catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribendos, et tanquam Sanctos venerandos ab omnibus Christi » fidelibus. »

1375 Ad hanc primam instantiam nomine Suæ Beatitudinis respondit ejus secretarius, dicens : « Quoties ex ætherea mundi regione insolitum » aliquod lucis spectaculum effulget, novum re- » pente in cœlo sidus pullulare vulgus arbitratur, » fallaci oculorum indicio atque incerto coloris » testimonio credens. At enim cœlestium rerum » periti auxiliaria instrumenta adhibent; aliorum- » que sententiis perspectis, novitii splendoris itinera » sæpe ac diligentissime ipsi metiuntur, nihil tam » metuentes quam ne temere sempiterno stellarum » cœtui inserant evanidum aliquod ignescentis » acris ludibrium. Consimilem ferme rationem in » Ecclesia Dei, quæ Regnum cœlorum appellatur, » licet agnoscere. Enituit aliquando in his mortalitatis tenebris alicujus hominis pietas super communes humanæ virtutis fines evecti : nonne » videmus quam non difficulter populi religione » imbuti cum fama ac voluntate in cœlum tollant, » ac tanquam cohæredem Christi et domesticum » Dei venerentur? Verum lubricos illos assensus » sustinet apostolica auctoritas, penes quam supremum sanctitatis judicium est. Neque enim solum- » modo vilis terrarum vapor alieno lumine aut » percunte igne coruscans cœlestes stellarum ful- » gores, sed etiam Angeli tenebrarum Angelos » lucis imitantur. Quare sapienter constitutum est » ut hominis in Sanctorum numerum referendi » res gestæ accuratissimis quæstionibus explorentur, jurati testes adhibeantur, rogentur eccle- » siasticorum principum sententiæ, miracula ipsa » examinentur, quæ videntur esse Angelorum » linguæ et testimonia Divinitatis, denique jejuniis, » orationibus, veritas conquiratur; ut Deus ipse, » qui numerat multitudinem stellarum et singulis » eis nomina vocat, et nobis astra indicare videatur » quæ sanctimoniæ radiis firmamentum Ecclesiæ » illustrantia fulgebunt in perpetuas æternitates. » Hæc omnia rite ac more majorum confecta esse » gaudet Sanctissimus Dominus noster; ita ut, » hominibus consentientibus, et Spiritu Sancto » docente, explorata jam sit eorum quinque Beatorum virtus, quibus Sanctorum nomina atque » insignia imperatoris, regum, principum populorumque precibus petuntur in præsentia.

respondens domesticus Summi Pontificis secretarius,

D

texto brevi canonizandorum elogio,

1376 » Quis enim de Beati Isidori meritis » hodie dubitaverit, cui quingentos prope annos » famulatur illa in utroque Orbe dominans Hispa- » nia? Triumphalis agricola, regum obsequio et » provinciarum patrocinio clarissimus; qui, dum » glebas inopia cogente subigeret, thesauros di- » vinæ gratiæ effodit, quibus cœlestis gloriæ prin- » cipatus emercaretur. Ignatius Loyola, in cujus » meditatione divini amoris ignis æternus exarsit, » universas terrarum regiones cunctasque sæculo- » rum ætates animo complexus, in quas Christia- » num Imperium propagaret, Societatem instituit, » quæ, pietatis ac sapientiæ armis communita, no- » men Jesu portaret coram gentibus, impiosque » hæreticorum conatus continenter infringeret. » Jam vero cæteris orbis finibus excedendum est » ei qui Francisci Xaverii laudes velit populorum » utilitate metiri. Cum enim Euangelii luce Orien- » tis tenebras illustraverit, patuit majora Christia- » norum sacerdotum charitati quam salutarium » siderum conversionibus beneficia ab Indiis de- » beri, cœlumque quod Dei gloriam enarrat Ca- » tholicam Ecclesiam esse, unde alienigenis in mor- » tis umbra habitantibus sol justitiæ oriatur. » Teresia, virginitatis liliis coronata et voluntariis suppliciis cupiditatum arma in proprio corpore contundens, semper de viribus dæmonum » in militante Ecclesia triumphavit : cui æterna

E

F

» Sapientia

A » Sapientia loqui videbatur, sanctiora Divinitatis
» arcana patefaciens; quæ martyrii palmam con-
» secuta esset, nisi cœlestis Sponsus, perpetuo vir-
» ginei cordis holocausto delectatus, victimam
» hanc incruentam servasset sacris Carmeli pa-
» scuis in pristinum decorem restituendis. Demum
» cujus bellatoris triumphos non obscurat inex-
» pugnabilis Philippi Nerei pax atque tranquillitas?
» Ejus cor, Angelorum præsidio et Dei excubiis
» custoditum, inferi æternus hostis, cum tanquam
» cœlestis fortitudinis turrim a se expugnari posse
» desperaret, sacrilegis armis aggredi vix audebat;
» scilicet ne in perpetuis ejus victoriis sua dede-
» cora semper agnosceret.

solemnes precationes faciendas indicit.

1377 » Hi autem omnes, cum in terris commo-
» rantes animo in cœlestem patriam demigrarent,
» nunc regnantes in cœlo præsentiam opemque
» suam orbi terrarum quotidianis miraculis te-
» stantur. Quare totius Christianæ reipublicæ vo-
» tis gratificaturus Sanctissimus Dominus noster,
» diem hodiernum, Beati Gregorii splendoribus
» illustrem, illuxisse putat in omnem posteritatis
» memoriam celebrandum; quo Rex gloriæ hos
» Beatos, in cœlestis regni consortium jam pridem
B » adscitos, humano generi palam adorandos imi-
» tandosque apostolica auctoritate proponi velit.
» Sed judicia Dei abyssus multa, atque Omnipo-
» tentis fulgorem non ipsa Cherubim virtus audet
» oculis irretortis intueri. Quamobrem nunc po-
» tissimum Religionis supplicationibus adeundus
» est Dominus Sanctorum principatum tenens; ut,
» Beatissima Virgine ac Sanctis omnibus suffra-
» gantibus, præcipue vero faventibus Beatis Apo-
» stolorum Principibus, quorum corpora in hoc
» augustissimo orthodoxæ Religionis domicilio co-
» ram veneramur, Spiritus Sancti lux Pontificiæ
» menti affulgeat, et negotium hoc, quo generis
» humani gloria, divini cultus incrementum atque
» ipsius æternitatis gaudia continentur, tandem,
» terra cœloque plaudentibus, pie ac rite perficia-
» tur. In hanc sententiam respondere me jussit
» Sanctissimus Dominus noster. »

Fit instantior petitio, et denuo preces funduntur.

1378 Quibus verbis prolatis, Summus Pontifex descendit a sua sede et genua flexit, capite mitra cooperto; accessitque ad faldistorium, ubi per aliquod tempus oravit : et in choro decantatæ fuerunt Litaniæ Sanctorum cum aliis precibus. Quibus terminatis, redivit Papa iterum ad suam sedem; et
C jam secundo accesserunt idem Cardinalis et advocatus ad secundam ferendam instantiam eadem forma qua primo; quibus idem secretarius respondit in hæc verba : « Solemnes sanctitatis titulos
» atque triumphos apostolica auctoritate homini-
» bus decernere omnino nihil aliud est quam cœli
» Principes et terrarum Patronos declarare, ac
» Pontificiis laudibus arcanum Divinitatis san-
» ctuarium patefacere. Quod quidem tanti est ut
» Sanctissimus Dominus noster, ejusmodi opus mox
» absoluturus, iterum in hoc ecclesiasticæ Hierar-
» chiæ senatu et variarum nationum frequentia
» Spiritus Sancti lumen implorandum hoc temporis
» momento arbitretur. In hanc sententiam respon-
» dere me jussit Sanctissimus Dominus noster. »
Quibus dictis, secundo descendit Papa a sede, mitra capiti imposita, et accessit ad faldistorium; ubi Cardinalis diaconus assistens plebem versus alta voce dixit : « Orate » : et ablata mitra, flexit genua Papa cum omnibus Cardinalibus et aliis, et orationem fuderunt tacitam. Postea, dicto ab eodem Cardinale : « Levate », cum starent omnes, præsentato libro per prælatos assistentes Summo Pontifici, alta voce ipse intonuit hymnum : « Veni, Creator Spiritus »; et postea genua flexerunt omnes tanto tempore ut chorus primum versum absolverit. Postea rediens D Sua Beatitudo ad sedem, reliquis stantibus, fuit terminatus a choro musica præclara dictus hymnus cum versiculo : « Emitte Spiritum tuum », etc. : et Sua Beatitudo dixit orationem : « Deus, qui
» corda fidelium », etc.; et sedit iterum.

Tandem ad petitionem instantissimam, annuente Pontifice,

1379 Tunc jam tertio accesserunt idem Cardinalis et advocatus, tertiam instantiam proferentes, supplicantesque eadem forma qua primo et secundo; quibus secretarius idem nomine Suæ Beatitudinis respondit in hunc modum : « Audite cœli
» quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Cum e
» re Christiani nominis esse sibi pie persuadeat
» Sanctissimus Dominus noster cœlestes honores
» quinque hisce Beatis tribui, divino Numine in-
» stinctus, ex altissima hac Christianæ Sapientiæ
» Cathedra, quam divinæ veritatis oraculum Deus
» ipse constituit in terris, Isidorum Agricolam,
» Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, Hi-
» spanos, Philippum Nerium Florentinum, in San-
» ctorum Confessorum catalogum, Teresiam de
» Jesu Hispanam in Sanctarum Virginum nume-
» rum, referendos esse decernit. » Quibus peractis, idem Cardinalis Ludovisius et advocatus prædictus, E
referens Sanctissimo debitas et perhonestas gratias, sic tandem affatus est : « Beatissime Pater, idem
» Cardinalis Ludovisius hic præsens nomine Cæsa-
» reæ Majestatis, regum ac principum Catholico-
» rum acceptat pronuntiationem per Sanctitatem
» Vestram factam, et ei immortales gratias agit, ac
» eodem nomine supplicat ut Sanctitas Vestra di-
» gnetur decernere litteras apostolicas super hac ca-
» nonizatione facta. Rogantur etiam omnes et sin-
» guli protonotarii aliique notarii hic præsentes ut
» super hujusmodi solemnis canonizationis actu
» conficiant unum vel plura publica instrumentum
» vel instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. »
Tunc Sanctissimus, ipsos benedicens manu dextra facto signo crucis, respondit : « Decernimus. »

promulgatur Decretum canonizationis,

1380 Et statim unus ex prælatis assistentibus legit alta voce sententiam Sanctissimi et Decretum canonizationis : « Ad honorem Sanctæ et Individuæ
» Trinitatis et exaltationem Fidei Catholicæ ac
» Christianæ Religionis augmentum, auctoritate
» ejusdem Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spi-
» ritus Sancti, Beatorum Apostolorum Petri et
» Pauli, et nostra, de Fratrum nostrorum consilio
» decernimus et definimus bonæ memoriæ Isido- F
» rum Agricolam, Patronum Madriti, Ignatium
» Loyolam oppidi Aspeitiæ, Societatis Jesu Funda-
» torem, Franciscum Xaverium ejusdem Societatis
» Jesu, Teresiam de Jesu de Ahumada Abulen-
» sem, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Fun-
» datricem, et Philippum Nerium Florentinum,
» Congregationis Oratorii Fundatorem, Sanctos
» esse ac Sanctorum catalogo adscribendos; ipsos-
» que catalogo hujusmodi adscribimus, statuentes
» ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die
» obitus Isidori, Ignatii, Francisci et Philippi fe-
» stum ipsorum et Officium sicut pro uno Confes-
» sore non Pontifice, Teresiæ vero sicut pro una
» Virgine tantum, devote et solemniter celebretur.
» Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœni-
» tentibus et confessis, qui annis singulis eisdem
» diebus festis ad sepulturam eorumdem devote
» accesserint, unum annum et quadraginta dies,
» accedentibus vero annis singulis in octavis di-
» ctorum festorum ad sepulturam, quadraginta dies
» de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxa-
» mus. »

ac læto plausu excipitur.

1381 In quo instanti, cuncta plebe hilaritate commota,

EX ACT. CANON.

commota, diversarum tubarum sonus auditus fuit magno jubilationis applausu et erga dictos Sanctos reverentia, et statim extra basilicam fistulæ dulces, tympana et tubæ quam plurimæ pulsabantur. Tunc etiam custodiæ Helvetiorum militum tonitrua et ignem per varia bellica tormenta miserunt in signum canonizationis dictorum quinque Sanctorum, præcipue in castello Sancti Angeli. Sonitus etiam campanarum totius almæ Urbis magna omnium alacritate et gaudio audiebatur. Totumque hoc non parum ad laudandum et benedicendum Deum in Sanctis suis corda omnium fidelium in ea habitantium excitabat. In principio hujus harmoniæ et lætitiæ Summus Pontifex intonavit : « Te Deum » laudamus : » quo a choro usque ad finem dulcissimis vocibus perducto, Cardinalis decanus intonavit versiculum « : Orate pro nobis, Sancti » Isidore, Ignati, Francisce, Teresia et Philippe »; et respondit chorus : « Ut digni efficiamur promis- » sionibus Christi. » Quo dicto, Summus Pontifex dixit orationem appropriatam omnibus dictis Sanctis; et hoc facto, Cardinalis diaconus dixit : « Con- » fiteor Deo », etc., adjungens suo loco : « Atque » Beatis Isidoro, Ignatio, Francisco, Teresiæ, Phi- » lippo, et omnibus Sanctis », etc.

Sub Sacro afferuntur oblationes

1382 Post hoc Summus Pontifex intonavit Tertiam; et dum chorus illam ad finem perducebat, induit se more solito ad solemnem Missæ celebrationem, quæ fuit Doctoris Ecclesiæ Sancti Gregorii Papæ, cum secunda oratione dictis quinque Sanctis appropriata, et prosequens Missam usque ad Offertorium. Sedente postea ipso, fuerunt a Cardinalibus et deputatis ad hunc effectum accepta munera; eaque Suæ Beatitudini obtulerunt, hac servata cæremonia quod offerens osculabatur primum donum et in ipso offerendi actu osculabatur manum et genua Suæ Beatitudinis : quæ fuerunt frequentia et sane mysterii plena et magna consideratione digna. Decem cerei magni, Sanctorum insigniis perpoliti, nec non Summi Pontificis et regis Catholici; ita ut duo pro unoquoque Sancto offerrentur. Quinque canistra inaurata, in quorum unoquoque erant duæ albæ turtures retibus sericis coopertæ : unum canistrum pro unoquoque dictorum Sanctorum. Decem panes magni, quinque inargentati et quinque inaurati; ita ut unus inargentatus et alter inauratus pro unoquoque Sancto præsentaretur. Quinque alia canistra inargentata, in quibus singulis afferebantur duæ albæ columbæ, reti cooperta serico; ita ut unumquodque canistrum deserviret pro unoquoque Sancto. Decem vasa lignea vino plena, quinque inaurata et quinque inargentata, quemadmodum panes. Quinque alia canistra colorum varietate ornata auroque et argento perpolita, plena diversis avibus, retibus cooperta sericis; quibus a Papa solutis, altiora ac diversa templi loca volantes petivere, cum magna omnium spectantium alacritate.

a quindecim Cardinalibus.

1383 Illustrissimi Domini Cardinales qui obtulerunt dicta munera, fuerunt infrascripti : nempe pro Sancto Isidoro obtulit Dominus Cardinalis de Monte duos cereos, Cardinalis Perettus panes duos, Cardinalis Madrutius duo vasa vini; pro Sancto Ignatio eadem obtulerunt munera Cardinales Millinus, Lenius, Crescentius; et pro Sancto Francisco Xaverio Cardinales Mutus, Sabellus, Valerius; pro Sancta Teresia Cardinales Zollerensis, Gherardus et Scaglia; et pro Sancto Philippo Cardinales Pignatellus, Sacratus et Gozzadinus. Fuerunt assistentes cæremoniæ Domini Cardinales de Monte episcopus Portuensis, Boncompagnus et Aldobrandinus. Advocati qui actui canonizationis astiterunt et de ea curaverunt, fuerunt pro Sancto Isidoro advocatus Caffarellus, pro Sanctis Ignatio et Francisco Reverendissimus D. Zambeccarius, pro Sancta Teresia advocatus Millinus, et pro Sancto Philippo advocatus Spada. Cæremoniarum magistri fuerunt D. Paulus et D. Joannes Baptista Alaleoni, D. Carolus Antonius Vaccatius et D. Petrus Ciammariconus. Hac peracta cæremonia, prosecuta fuit Missa secundum morem solitum : qua ad finem perducta, S. D. N. dedit benedictionem. Et publicata indulgentia plenaria, fuit solemniter in sede ad suum palatium pontificale portatus, præcedentibus omnibus Illustrissimis DD. Cardinalibus.

Postridie instituitur processio.

1384 Die sequenti 13 Martii ejusdem anni 1622, quæ fuit Dominica Passionis, facta fuit solemnis processio a Sancto Petro in ecclesias (*supple :* cum quatuor vexillis) ipsorum quinque Sanctorum; quia in uno eorum, nempe Societatis Jesu, erant depictæ duæ imagines Sancti Ignatii et Sancti Francisci Xaverii. Quorum primum fuit relictum et positum in ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella; secundum in ecclesia Sancti Jacobi Apostoli Hispanorum; tertium in ecclesia dicta del Gesù ejusdem Societatis; quartum in ecclesia dicta della Scala Carmelitarum Discalceatorum.

Descriptio theatri canonizationis

1385 *Ad hanc cæremoniarum Relationem, a Stephano Salucio, protonotario apostolico, conscriptam, quædam appendicis loco adjungimus de apparatu basilicæ Vaticanæ. Fatetur Papebrochius in Vita S. Isidori* (*ad diem* XV *Maji, pag.* 549) *se hæc non potuisse consequi. Ego vero ea reperi in Anno Teresiano, conscripta a P. Josepho ab Incarnatione, qui omnium primus Anno Teresiano concinnando aut certe parando navavit operam, seque hanc de ornatu illius basilicæ relationem confecisse e documentis Roma missis ipsemet fatetur in prologo. Eam dein P. Antonius a S. Joachim, ejus in opere perficiendo successor, edidit tomo III ad diem* XI *Martii; unde illam, seposito prologo, in hæc verba latinam facio :* Templum S. Petri in Vaticano, quod præ opulenta sua architectura primas tenet inter basilicas et tanquam pulchritudinis artisque miraculum a toto orbe suspicitur, tantæ solemnitati destinatus fuit locus. In ejus sacello majore erectum fuit plurium mensium labore tabulatum dignitate ac majestate conspicuum; quod, quinquaginta palmos altum, centum passus in longitudinem et sexaginta in latitudinem porrigebatur. In planitie editæ hujus fabricæ spatium quindecim passuum circumquaque occupabant varii ordines graduum, validis spectabilibusque circumdatorum dorsis, atque ita compositorum ut nullius assistentium visus impediretur. Aditum huc dabant plura ostia et scalæ, tali distributa ordine ut propatula commodaque spatia et calles aperirent, quibus facilis pateret accessus ad varia sedilia, non modo multifariis assignata insignium virorum classibus, sed quibusdam quoque destinata principibus fœminis, quæ post modestas transennas, decentiæ ergo, celebritati interesse avebant. Ad reliquam theatri partem, quæ vacua supererat, liber patebat ingressus per tria ostia : quorum unum, Orientem versus, præcipuas templi fores spectabat, duobus reliquis ad ejus consurgentibus latera. Licet ordo Corinthius, unde theatri petebatur forma, postularet ut ornatus in columnas educeretur, tamen, quo omnibus liber esset conspectus, ars in auxilium vocata est, et locus tantum datus variis parastatis, quæ multifarias sustinerent effigies et aptis coronarentur inscriptionibus : quo in opere celeberrimorum pictorum penicilli suam effuderant industriam. Spatia composito vacua relicta pluribus instructa erant candelabris, quorum pars

A pars in communem formam, pars in formam Seraphim, multa cum arte sculpta erant; singula vero tres sustinebant faces, lucem decoro ordine spargentes. Interponebantur alternatim diversæ statuæ eximiæ magnitudinis insignisque picturæ; quibus pulcherrimum albi viridisque coloris impositum erat discurrens circumcirca ornamentum.

et ornatus templi Vaticani.

1386 In fronte decori hujus theatri spectabantur octo magnificæ statuæ, communi hominis proceritate duplo majores, Corinthiis nixæ stylobatis. Ex ære cælatæ videbantur, licet tantum siccis radicibus et albario opere constarent, arte materiem superante. Eis perinsigni artificio pictæ interponebantur tres tabulæ, in quibus penicillus singulares eleganter exhibuerat historias. Universæ vero huic sumptuosæ fabricæ quatuor impendebant inauratæ coronæ; quarum ea erat magnitudo ut medius diameter duodeviginti palmos longus esset. Atque hæ, versicoloribus funibus in aere suspensæ, toti fabricæ majestatem dignitatemque aspergebant; quo etiam conferebant brachiata candelabra non pauca, partim argento, partim auro obducta, ac tot redimita cereis ut supervacaneam prope lucem emitterent : tantus scilicet tamque singularis splendor
B omnia circumdabat, ac præsertim altare Principum Apostolorum, quod totius elegantis structuræ centrum erat (quippe cum ibi celebrandum esset Missæ Sacrificium), radiis quoque convergentibus ad solium Pontificium, quod e regione erat inclytæ multitudinis spectatorum. Demum, assistentium cœtum versus, terminabatur fabrica septo, quod, dum superioris decoris ornatui favebat, positis de more custodibus sinebat impedire quominus tumultuans vulgus, si constitutos transgrederetur fines, cæremoniarum solemnitatem turbaret; ne remitteretur suspensorum animorum attentio, quam rerum adjuncta merito imperabant. Namque, præter stupendam theatri exornationem (quam brevissime hic delineavi), parietes et columnæ vastissimæ illius navis vestiebantur exquisitis tapetibus, quos plures donarunt Pontifices, quosque ecclesia illa in pretiosissimo suo thesauro asservat : unde tantus is procul excurrens ornatus usque ad celeberrimi hujus toto orbe templi portas et atria pertingebat; ubi gloriosæ imagines horum quinque novorum Sanctorum et familiarum eorum insignia, conjuncta insignibus Vicarii Christi eos canonizantis, indicabant et læte proclamabant tantæ solemnitatis
C argumentum.

§ LXVIII. Bulla canonizationis S. Teresiæ.

GREGORIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Teresia, *novissimis temporibus a Deo suscitata,*

Omnipotens Sermo Dei, cum de sinu Patris ad hæc inferiora descendisset, ut erueret nos de potestate tenebrarum, completo dispensationis suæ tempore, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum orbem electorum suorum Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, eamque verbo vitæ erudiendam, ad confundendam sapientiam sapientium et destruendam omnem altitudinem quæ adversus Deum extollebatur, non multos nobiles elegit nec multos sapientes, sed contemptibiles mundi; qui non in sublimitate sermonis nec in humanæ sapientiæ verbo, sed in simplicitate et veritate ministerium suum, ad quod a diebus æternitatis prædestinati erant, adimplerent. In sequentibus vero generationibus, cum juxta præordinata tempora plebem suam per servos suos fideles visitare dignatus est, plerumque parvulos et humiles assumpsit, per quos Catholicæ Ecclesiæ ingentia præstaret beneficia : quibus ipse, juxta verbum suum, abscondita a sapientibus et prudentibus regni cœlestis mysteria revelaret, eosque supernorum charismatum donis adeo illustraret ut omnium virtutum ac bonorum operum exemplis Ecclesiam foverent ac signorum gloria clarificarent. In diebus vero nostris fecit salutem magnam in manu fœminæ : suscitavit enim in Ecclesia sua, veluti novam Debboram, Teresiam Virginem; quæ postquam mirabili victoria carnem suam perpetua virginitate, mundum admirabili humilitate, et cunctas adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus superasset, excelsiora moliens et virtutem sexus animi magnitudine supergressa, accinxit
D fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium E suum, et instruxit exercitus fortium, qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege ejus et pro mandatis ejus armis spiritualibus decertarent : quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter implevit spiritu sapientiæ et intellectus, et thesauris gratiæ suæ adeo illustravit ut splendor ejus, tanquam stella in firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas æternitates.

ut Sancta coli meretur.

1388 Dignum igitur et congruum existimavimus, ut quam Deus et unigenitus Filius ejus Dominus noster Jesus Christus, quasi sponsam ornatam corona et decoratam monilibus suis, in gloria miraculorum plebi suæ manifestare dignatus est, nos quoque pro pastorali sollicitudine nostra in universali Ecclesia, cui, licet meritis minime suffragantibus, præsidemus, tanquam Sanctam et electam Dei colendam et venerandam apostolica auctoritate decreverimus; ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus ejus, et cognoscat omnis caro quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes ejus : qui, quamvis, peccatis nostris exigentibus, visitet nos in virga indignationis suæ, non tamen continet in ira sua misericordias suas; dum in afflictionibus nostris
F novis nos præsidiis munit, et amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum et intercessionum suffragiis protegant ac defendant. Atque ut universi Christi fideles intelligant quam abunde in Ancillam suam effuderit Deus de Spiritu suo, ac propterea erga ipsam devotio in dies augeatur, insigniores quasdam ejus virtutes et aliqua ex magnalibus quæ in manu ejus operatus est Dominus, his litteris duximus inscrenda.

Divino obsequio se generose devovit.

1389 Nata est Teresia Abulæ in regno Castellæ anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quinto decimo, parentibus, ut genere præclaris, ita etiam vitæ integritate conspicuis; a quibus in timore Domini educata, admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit. Nam cum Sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeo Sancti Spiritus igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre germano, etiam puero, domo aufugerit, ut in Africam trajiceret, ubi sanguinem ac vitam pro testimonio Jesu Christi profunderet. Sed occursu patrui revocata, cum optimam sortem sibi creptam esse jugibus lacrymis deploraret, ardens martyrii desiderium eleemosynis aliisque

A operibus compensavit. Sed cum ad vigesimum ætatis annum pervenisset, Christo se totam despondit, et vocationem, qua ab eo vocata erat, aggressa, ad moniales Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinis Mitigati se contulit, ut plantata in domo Domini in atriis domus Dei nostri floreret. Professione itaque in eo monasterio emissa, cum per duodeviginti annos gravissimis morbis ac variis præterea tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeo invicte, adjuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius omni pretiosior auro, quod per ignem probatur, inventa fuerit in laudem et gloriam et honorem, in revelationem Jesu Christi.

Eminuit fide, spe,

1390 Et quoniam ad erigendum sublime Christianarum virtutum ædificium fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeo stabile ac inconcussum Teresia collocavit, ut juxta verbum Domini comparanda sit viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Ea etenim firmitate Sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta cæteraque Catholicæ Religionis dogmata credebat et venerabatur, ut majorem, ut ipsa sæpius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset. Hac fidei lucerna

B illuminata, Domini nostri Jesu Christi Corpus in Sacratissima Eucharistia mentis oculis adeo clare intuebatur, ut assereret nihil esse quod invideret eorum beatitudini qui corporeis oculis Dominum conspexissent. Tantum autem vivæ spei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret quod tamdiu in præsenti mortali vita detineretur, quæ sibi impedimentum afferret quominus semper cum Domino esset; nec raro, dum in corde suo cœlestis patriæ gaudia recogitabat, mente excedebat, et ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

caritate in Deum

1391 Sed inter cæteras Teresiæ virtutes præcipue emicuit dilectio Dei; quæ adeo in corde ejus exarsit, ut confessarii ipsius Teresiæ caritatem, tanquam non hominis, sed Cherubin propriam admirarentur et celebrarent : quam etiam Dominus noster Jesus Christus multis visionibus ac revelationibus mirabiliter auxit. Quandoque enim data dextera, clavoque ostenso, illam in sponsam suam adoptavit, atque his verbis alloqui dignatus est : « Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem : » jam ipse sum totus tuus, et tu tota mea. » Aliquando etiam Angelum vidit ignito jaculo sibi præcordia transverberantem. Ex quibus cœlestibus

C donis divini amoris flamma in ejus corde adeo exæstuabat, ut maxime arduum votum a Deo edocta emiserit efficiendi semper quidquid perfectius esse et ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret. Quin etiam post mortem cuidam moniali per visum manifestavit se non vi morbi, sed ex intolerabili divini amoris incendio vita excessisse.

ac proximum,

1392 Sed quam perpetua caritate proximum dilexerit, multis argumentis manifestum fuit, sed præsertim ex ardenti desiderio quo animarum salutem desiderabat. Infidelium enim et hæreticorum tenebras perpetuis lacrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non solum juges ad Deum preces fundebat, sed et jejunia, flagellationes ac alias carnis macerationes offerebat. Proposuit etiam Sancta Virgo in corde suo nullum diem sine caritatis officio transigere; in quo etiam Deus ipsi auxilium præstitit : nunquam enim ei defuit, ipso largiente, exercendæ caritatis occasio. Mirabiliter autem imitata est Dominum nostrum Jesum Christum in dilectione inimicorum : nam cum ingentes pateretur persecutiones et adversitates, diligebat tamen persequentes et orabat pro his qui oderant se. Quin imo detrimenta et offensiones, quas per-

petiebatur, amoris et caritatis ipsi escam ministrabant; adeo ut viri graves dicere solerent, qui amari a Teresia vellet, damno aut injuria ut eam afficeret oportere. D

votorum monasticorum observatione,

1393 Vota vero quæ in professione Religionis Deo voverat, maxima cura ac diligentia reddidit : nec enim tantummodo omnes exteriores actus superiorum arbitrio maxima cum humilitate spiritus perficiebat, sed firmiter etiam in corde suo constituit eorum voluntati omnes etiam cogitationes suas subjicere; cujus etiam rei egregia exempla reliquit : nam Dominum Jesum Christum sibi sæpius apparentem, aliquando a confessariis jussa, qui delusam ab Angelo tenebrarum suspicabantur, humiliter irrisit sprevitque, sed non sine magno tam profundæ obedientiæ præmio. Quin etiam volumen quod in Cantica Canticorum insigni pietate refertum scripserat, ut confessario obtemperaret, flammis injecit. Dicere autem solebat se in discernendis visionibus decipi posse, in obedientia vero superioribus præstanda falli non posse. Paupertatem adeo dilexit, ut non solum labore manuum suarum victum sibi compararet, sed, si quam monialem vilioribus indutam vestimentis conspexisset, illico

E sua cum illius commutaret, ac si quando sibi necessaria deficerent, mirifice lætaretur et exultaret gratiasque Deo ageret, tanquam insigne aliquod consecuta beneficium. Sed inter cæteras ejus virtutes, quibus quasi sponsa a Deo ornata mirifice excelluit, integerrima effulsit castitas : quam adeo eximie coluit, ut non solum propositum virginitatis servandæ a pueritia conceptum usque ad mortem perduxerit, sed omnis expertem maculæ angelicam in corpore et corde servaverit puritatem.

aliisque virtutibus, et divinis charismatibus.

1394 Quas adeo insignes virtutes mirifica humilitate cordis ornabat : cum etenim in dies divinis charismatibus anima ejus impinguaretur, sæpius exclamabat ad Dominum ut beneficiis in eam suis terminum statueret, nec tam cito ingentium scelerum oblivisceretur. Contumelias vero et irrisiones ardentissime sitiebat; ac non solum humanos honores, sed nosci quoque ab hominibus abhorrebat. Invictam autem hujus Sanctæ Virginis patientiam illa vox attestatur qua sæpius ad Dominum exclamabat : « Domine, aut pati aut mori. » Præter hæc omnia divinæ beneficentiæ munera, quibus hanc dilectam suam quasi pretiosis monilibus decoratam esse voluit Omnipotens, aliis etiam gratiis et donis abunde

F ipsam locupletavit : adimplevit enim eam spiritu intelligentiæ, ut non solum bonorum operum in Ecclesia Dei exempla relinqueret, sed et illam cœlestis sapientiæ imbribus irrigaret, editis de mystica theologia aliisque etiam multa pietate refertis libellis; ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, et ad supernæ patriæ desiderium maxime excitantur.

Præclarum Reformationis Carmelitanæ opus exegit.

1395 Quibus cœlestibus instructa ac illustrata muneribus, opus agressa est maximum quidem et cuicumque difficillimum, sed Ecclesiæ Christi perquam utile ac proficuum. Reformationem enim exorsa est Ordinis Carmelitani; illudque non solum in mulieribus, sed et in viris egregie præstitit, ædificatis, non modo per universas Hispanias, sed et per alias etiam Christiani orbis partes, tam virorum quam mulierum monasteriis, sine pecunia, sine proventibus, de sola Dei misericordia præsumens, nec modo omnibus humanis destituta auxiliis, sed adversantibus plerumque ac contradicentibus principibus et potestatibus sæculi : quæ tamen, Domino opus suum confirmante, radices miserunt, incrementum susceperunt, et demum in domo Dei uberes proventus fructificarunt.

1396

Miraculis in vita,

1396 Tantas virtutes Teresiæ plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illustravit; quorum nonnulla præsentibus litteris duximus inserenda. Cum in Conchensi diœcesi maxima esset frumenti penuria, atque in monasterio de Villanova de Xara vix tantum farinæ reperiretur ut per integrum mensem ad victum decem et octo monialium satis esset, hujus Sanctæ Virginis meritis et intercessione Deus omnipotens, qui sperantes in se enutrit, eam adeo abundare fecit, ut, quamvis per sex menses ex ea affatim panes ad refectionem ancillarum Dei fierent, nunquam tamen usque ad novas fruges diminueretur. Gravi erysipelate in vultu ac febri afflictabatur Anna a Trinitate, monialis conventus Medinæ de Campo; cui Teresia primum blandita, deinde læsa membra leviter attrectans : « Bono animo, inquit, sis, filia : Deus, » ut spero, te hoc morbo liberabit »; statimque febris omnisque morbus ab ea abscessit. Alberta, ejusdem monasterii priorissa, pleuritide ac febri non absque vitæ periculo laborabat; at Sancta Virgo Teresia, tacto latere quod morbo urgebatur, eam sanam esse pronuntiavit ac surgere jussit : illa perfecte sanata statim e lecto exiliit, laudans Deum.

in morte

1397 Adveniente demum tempore quo pro tot laboribus pro divino honore exhaustis ac tot bonis operibus in Ecclesiæ utilitatem perpetratis coronam decoris de manu Dei esset receptura, gravi morbo Albæ decumbens, cum toto infirmitatis tempore frequentes ac plene admirabiles de divina caritate cum sororibus sermones habuisset, sæpius gratias Deo agens quod se Catholicæ Ecclesiæ aggregasset, commendans tanquam præcipua bona paupertatem ac debitam præpositis obedientiam, accepto humillime ac cum cœlesti prorsus caritate Sacro peregrinationis suæ Viatico ac extremæ Unctionis Sacramento, Christi crucifixi effigiem manu tenens, ad cœlestem patriam evolavit. Pluribus vero signis manifestavit Deus quam sublimem gloriæ gradum Teresiæ elargitus in cœlis esset : multæ etenim moniales religiosæ ac timentes Deum viderunt decorem gloriæ ejus. Alia etenim conspexit supra tectum ecclesiæ et in choro et super decumbentis cubiculum multitudinem cœlestium luminarium; alia Christum Dominum magno corruscantem splendore et ingenti Angelorum frequentia circumdatum, ejus lecto assistentem; alia plurimos albis amictos vestibus ipsius cellam ingredientes ac cubili circumfusos; quædam etiam in ipso transitus momento candidam columbam ex ipsius ore in cœlum evolantem; alia splendorem, crystalli instar, fenestra egredientem vidit. Quin etiam quædam arbor calce ac macerie obstructa ac jamdudum arida, quæ cubiculo proxima erat, præter omnem temporis et naturæ rationem repente floribus onusta in ipsa transitus hora apparuit.

ac post mortem

1398 Corpus exanime speciosissimum ac nulla ruga contractum ac miro decoratum candore apparuit, ac una cum vestibus ac linteolis quibus ægra usa erat, omnibus admirantibus, mirificum spirans odorem. Multa etiam magnalia quæ meritis Ancillæ suæ operatus est Deus, ipsius in paradisum transitum exultabilem reddiderunt. Quædam etenim monialis dudum capitis et oculorum infirmitate laborans, apprehensa mortuæ Virginis manu ac capiti oculisque admota, statim convaluit : altera item, ejus exosculatis pedibus, sensum odoratus amissum recuperavit, et corporaliter odorem unguentorum quo sacrosanctum ejus corpus a Domino perfusum erat, percepit. Corpus ejus absque ullo prorsus medicamine, ligneo loculo inclusum, alte effossa ad sepulturam humo ac ingentibus lapidibus et calce oppleta scrobe sepultum est. Sed e sepulcro ejus odor adeo ingens ac mirificus emanabat, ut decretum fuerit sacrum corpus exhumare : atque illud sane integrum ac incorruptum ac flexibile, ac si nuper tumulatum fuisset, repertum fuit, odorato liquore circumfusum; quo perenniter usque in præsentem diem, Deo Ancillæ suæ sanctitatem jugi miraculo attestante, desudat. Quare aliis vestibus indutum novaque arca inclusum, cum priora computruissent, eodem loco conditum fuit; lapsoque triennio, cum rursus ipsius monumentum aperiretur, ut sacrum pignus Abulam asportaretur, ac deinceps frequenter jussu delegatorum apostolicorum inviseretur, semper incorruptum ac tractabile eodem odore ac liquore perfusum apparuit.

a Deo fuit illustrata.

1399 Sed et procedentibus temporibus manifestavit Deus hominibus gloriam suam, præstitis per intercessionem Ancillæ suæ frequentibus beneficiis his qui se fideliter ejus precibus commendassent. Puer etenim quidam quadriennis adeo contractus ac detortus erat, ut nec pedibus insistere, nec, cum jaceret, corpus movere posset; eaque infirmitas, cum illi a nativitate fuisset nullumque afferret doloris sensum, incurabilis prorsus videbatur : cumque per novem dies ad cubiculum quod vivens Sancta Virgo inhabitaverat, allatus fuisset, sensit in se virtutem venientem, ac repente sanus ac validus ac suis pedibus ambulans, stupentibus cunctis, cœpit diffamare se a Matre Teresia de Jesu perfectam sanitatem fuisse consecutum. Sævissimis doloribus per biennium cruciabatur Anna a Sancto Michaele monialis, tribus cancris pectus ejus adeo affligentibus, ut non solum somni expers esset, sed nec collum flectere nec brachia posset attollere; cumque particulam Reliquiarum Sanctæ Teresiæ super pectus apposuisset, et toto cordis affectu se ejus patrocinio commendasset, non solum omnis evanuit plaga a corpore ejus, sed et alia etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate libera momento temporis effecta est. Adeo vexabatur Franciscus Perez, parochialis ecclesiæ rector, apostemate quod in os pectoris insederat, ut, brachio etiam contracto, a celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii per quinque menses impediretur; humanisque remediis deficientibus, ad divina confugit, et ad montes Dei elevans oculos salutem consecutus est : epistolam enim Virginis Teresiæ manu exaratam pectori admovens, consecutus est ejus partis sanitatem; cumque deinde sepulcrum Virginis visitasset, ejusque brachium, quod Albæ asservatur, proprio brachio, quod adhuc contractum erat, admovisset, in eo etiam divinam virtutem expertus est, restituta sibi perfecta valetudine. Joannes de Leyva magno gutturis morbo adeo affligebatur ut omnis respirationis via fere interclusa esset : jamque morti proximus animam agebat, cum sudarium, quod Sanctæ Teresiæ fuerat, ad morbi locum magna cum fiducia apposuit; somnoque captus ac paulo post experrectus, se meritis Beatæ Teresiæ curatum esse repente sanus exclamavit.

Paulus V eam Beatis adscripsit;

1400 Cum igitur per universas jam gentes et nationes sanctitas Teresiæ celebraretur, et nomen ipsius apud Christi fideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem ejus tot mirabilia, quæ etiam in dies una cum ipsius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate apostolica in multis Hispaniæ partibus formati processus, ac ad Sanctam hanc Sedem transmissi : et instanter agente claræ memoriæ Philippo III, Hispaniæ rege Catholico, negotio tam in Sacra Rituum Congregatione quam in Rota diligenter discusso, felicis recordationis

recordationis Paulus V prædecessor noster indulsit ut in ejus honorem, tanquam de Beata Virgine, divinum Officium in toto Fratrum Carmelitanorum Ordine posset celebrari.

ac viam stravit ad ejus canonizationem

1401 Cumque idem Philippus rex iterum apud prædictum Paulum similiter prædecessorem nostrum pro canonizatione B. Virginis Teresiæ supplicasset, idem Paulus iterum negotium commisit Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationis; qui novos processus auctoritate apostolica conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum bonæ memoriæ Bernardum Cardinalem de Rojas archiepiscopum Toletanum et Venerabiles Fratres episcopos Abulensem et Salmanticensem eadem auctoritate deputarunt: qui cum diligenter demandato negotio perfuncti essent, omnia acta eidem Paulo V prædecessori nostro transmiserunt. Qui tribus apostolici palatii causarum auditoribus, Francisco archiepiscopo Damasceno locumtenenti, nunc S. R. E. Cardinali, Joanni Baptistæ Coccino decano et Alphonso Manzanedo, dedit in mandatis ut summa cum diligentia dicta examinarent, et quæ eorum sententia esset ad ipsum referrent: qui, omnibus accurate, prout rei magnitudo postulabat, perpensis, eidem Paulo V prædecessori retulerunt plene justificari vitæ sanctitatem ac miracula Beatæ Virginis Teresiæ, omniaque abunde constare quæ pro canonizatione ejusdem a sacris canonibus requiruntur, posseque ad ulteriora procedi. Utque ea maturitate quæ rem tantam decebat, negotium transigeretur, idem Paulus dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus præfectis ordinavit ut prædictos processus quam diligentissime rursus inspicerent, ac de tota causa accurate cognoscerent.

quam Gregorius XV,

1402 Cum vero idem Paulus humanæ peregrinationis viam complevisset, nosque (nullis licet nostris meritis) sola divinæ gratiæ dignatione ad Ecclesiæ gubernacula vocati essemus, ad augmentum divini honoris et Sanctæ Ecclesiæ utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut hujusmodi negotium promoveretur: plurimum etiam ad præsentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si Christi fidelium devotio erga Sanctos et electos Dei, qui pro nobis in tantis necessitatibus intercederent, augeretur. Mandavimus itaque prædictis Cardinalibus, ut quod illis a prædecessore nostro prædicto fuerat injunctum, quam primum exequerentur. Quod cum illi ea diligentia qua decebat, perfecissent, ac pro Sanctæ Virginis canonizatione omnes unanimiter censuissent, Venerabilis Frater noster Franciscus Maria episcopus Portuensis Cardinalis a Monte totius processus summam ac suam collegarumque sententiam coram nobis in consistorio nostro exposuit: quibus auditis, reliqui Cardinales qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronuntiarunt.

præmissis de more consultationibus,

1403 Igitur, cum in publico consistorio dilectus filius Joannes Baptista Millinus, consistorialis aulæ nostræ advocatus, pro ejus canonizatione perorasset, ac nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis Catholici, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset, nos de re tanta Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales et episcopos in curia præsentes consulturos esse respondimus; atque interim Cardinales atque episcopos præsentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in jejuniis et eleemosynis animas suas coram Deo nobiscum humiliantes, preces * a Deo Patre luminum exposcerent ut ex alto super nos lucem suam et veritatem suam emitteret, quæ nos ad voluntatem et beneplacitum ejus cognoscendum et perficiendum deduceret. Itaque cum semipublico consistorio, quod consequenter celebratum est, vocatis non modo Cardinalibus, sed patriarchis, archiepiscopis et episcopis in curia nostra existentibus, præsentibus etiam nostris ac Sedis apostolicæ notariis ac sacri palatii apostolici causarum auditoribus, cum plura a nobis de eximia sanctitate Ancillæ Dei ac miraculorum frequentia et celebritate populorumque erga eam per universas Christianas nationes devotione commemorata fuissent, expositis etiam instantiis quæ coram nobis non modo nomine maximorum regum, sed etiam carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi aliorumque complurium Christianorum principum fiebant, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos suos honorificantem, Beatam Teresiam canonizandam esse atque inter Sanctas Virgines adscribendam censuerunt: quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, et jubilavimus in salutari ejus, gratias agentes Deo et Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam suam misericorditer respexisset ac tanta gloria illustrare decrevisset. Canonizationis itaque publicavimus diem, eosdemque fratres ac filios nostros monuimus ut in orationibus et eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret.

solemni ritu die XII Martii 1622,

1404 Demum, peractis omnibus quæ ex sacris constitutionibus ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hodie in sacrosancta Principis Apostolorum basilica cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanæque curiæ prælatis, officialibus et familiaribus nostris, clero sæculari et regulari ac maxima populi frequentia convenimus: ubi repetitis pro canonizationis Decreto petitionibus, nomine ejusdem carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Catholici, a dilecto filio nostro Ludovico tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ Cardinali Ludovisio nuncupato, nostro secundum carnem nepote, per Nicolaum Zambeccarium, consistorialis aulæ nostræ advocatum, decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis et Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romana curia præsentium consilio ac unanimi consensu, bonæ memoriæ Teresiam Virginem de Abula, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate et miraculorum excellentia plene constabat et constat, Sanctam esse definivimus ac Sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus; prout præsentium tenore definimus, decernimus et adscribimus; illamque universos Christi fideles tanquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesia in ejus honorem ecclesiæ et altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari et consecrari, et singulis annis die quinta Octobris, qua ad cœlestem gloriam translata est, ejus Officium, ut de Sancta Virgine, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari possit.

cum solita indulgentiarum largitione,

1405 Eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulcrum in quo corpus

* *an* supplices?

A corpus ejus requiesc.t, visitandum accesserint, unum annum et unam quadragenam, iis vero qui in ejusdem festi octava, quadraginta dies de injunctis eis seu quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus. Postremo, gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus esset, decantata in Sanctæ Teresiæ honorem solemni Sanctarum Virginum oratione, ad altare Principis Apostolorum Missam celebravimus cum ejusdem Sanctæ Virginis commemoratione; omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

ad honorem omnipotentis Dei

1406 Decet igitur ut pro tam insigni beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus et glorificemus eum quem decet omnis benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum, assiduis precibus ab eo postulantes ut per intercessionem electæ suæ, a peccatis nostris faciem suam avertens, misereatur nostri et respiciat nos, et ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, et immittat timorem suum super gentes quæ non cognoverunt eum, ut cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster. Cæterum, quia difficile foret præsentes
B nostras litteras ad singula loca ubi opus esset deferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

a se perfectam fuisse declarat.

1407 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, quarto idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

✠ Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Antonius Cardinalis Saulius Decanus.

† Ego Franciscus Maria Cardinalis a Monte Episcopus Portuensis.

† Ego Franciscus Sfortia Cardinalis Episcopus Tusculanus.

C † Ego Alexander Cardinalis Montaltus Episcopus Albanensis, S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Octavius Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus.

† Ego Andreas tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Perettus.

† Ego Joannes Baptista tit. SS. Petri et Marcellini Presbyter Cardinalis Detus.

† Ego Dominicus Cardinalis SS. Apostolorum Gymnasius.

† Ego Carolus tit. S. Cæsarei Cardinalis Madrutius.

† Ego Scipio tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius.

† Ego Maphæus tit. S. Onuphrii Presbyter Cardinalis Barberinus.

† Ego Joannes Garsia tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.

† Ego Marcellus tit. SS. Quirici et Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.

† Ego Fabricius tit. S. Augustini Presbyter Cardinalis Verallus.

† Ego Joannes Baptista tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Lenius.

† Ego Dominicus tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Rivarola. D

† Ego Gaspar Cardinalis Borgia tit. S. Crucis in Hierusalem.

† Ego Robertus tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis Ubaldinus.

† Ego Tiberius tit. S. Priscæ Presbyter Cardinalis Mutus.

† Ego Gabriel tit. S. Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Trejo.

† Ego Scipio Presbyter Cardinalis S. Susannæ, S. R. E. Bibliothecarius.

† Ego Guido tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Bentivolus.

† Ego Petrus tit. S. Salvatoris in Lauro Presbyter Cardinalis Valerius.

† Ego Itelius Fredericus tit. S. Laurentii in Panisperna Cardinalis de Zolleren.

† Ego Julius tit. S. Mariæ supra Minervam Cardinalis Roma.

† Ego Fr. Desiderius tit. S. Clementis Cardinalis de Cremona.

† Ego Stephanus tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Pignatellus.

† Ego Franciscus tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Sacratus. E

† Ego Marcus Antonius tit. S. Eusebii Presbyter Cardinalis Gozzadinus.

† Ego Alexander tit. S. Mariæ in Via Lata Cardinalis Estensis.

† Ego Carolus Emmanuel S. Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis Pius.

† Ego Mauritius S. Eustachii Diaconus Cardinalis de Sabaudia.

† Ego Carolus S. Mariæ in Dominica Cardinalis Medices.

† Ego Ludovicus tit. S. Adriani Cardinalis de la Vallette.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Boncompagnus.

† Ego Hippolytus S. Mariæ Novæ Cardinalis Aldobrandinus.

§ LXIX. Visitatio corporis S. Matris anno 1616.

AUCTORE V. D. M.

F

Anno 1615 *S.* Teresiæ *feretro novi accedunt ornatus.*

Duplici jam paragrapho, nempe LIV et LV, sermo fuit de corporis S. Teresiæ *statu, in quo remansit ad usque tempora beatificationis. Anno sequente, id est* 1615, *prævie adornatum est sacellum, in quo sacræ illæ exuviæ reconditæ sunt; et altero anno, sive* 1616, *ea ab ipso Congregationis Hispanæ Generali fuerunt discoopertæ. Quod sacellum attinet, id auctor Chronici sequenti modo refert :* Temporibus quinti Generalis (erat is noster Pater F. Josephus a Jesu Maria), anno MDCXV, quo majori veneratione haberetur et custodiretur melius, aliter sepulcrum compositum fuit. Locus qui antea in duas contignationes diremptus erat, tunc distinctus fuit in tres. Infima dedicata fuit in sacellum, in quo Missæ Sacrificium offerretur; quam in rem e choro desumptum est quod congruum videbatur altitudinis spatium, et pro reliquo, quantum oportebat, humus cavata est. Parietes hujus sacelli ornavit idem Præpositus egregiis picturis, quibus Sanctæ gesta referebantur. Prius loculamentum cui sanctum corpus insertum fuerat, tabulis marmoreis fuit munitum, ast hac ratione ut rosaria et numismata in illud demitti possent. Super hoc sacello

AUCTORE V. D. M.

A chorus monialium factus est sat spatiosus, ut illic divinum Officium peragere possent. Super choro, qui pars superior et secundum fabricæ membrum erat, sacrum corpus repositum jacebat in arca nova, quam urna ex lapide albo alabastriten referente secta, et auratis floribus ornata, capiebat. A parte vero cœnobii ita occlusa erat ut accessus non pateret; ex anteriori parte obstabat deauratum claustrum quod jam olim existebat (lib. v, c. xxxi, n. 7).

Anno vero 1616 corpus visitatur, amputaturque pes.

1409 *Hæc quoad sacellum. Dein anno* 1616 *Sanctæ Virginis corpus discoopertum est. P. Generalis scilicet, ut Patribus Congregationis Italicæ gratiam faceret, et canonizationis causam aucto Romæ S. Matris cultu promoveret, pedem S. Matris cœnobio Carmelitarum Romano S. Mariæ de Scala, et frustum carnis Supremo Pontifici Paulo V destinare voluit. De ipsa horum lipsanorum translatione alibi dictum jam fuit* (*num.* 1073) : *hic vero tantum de his quæ tum Albæ gesta sunt. Cum itaque anno* 1615, *ut habet Chronicon* (*lib.* xvi, *cap.* i), *manus admota fuisset extruendo sacello* (magnificum *illud nuncupat P. Fredericus a S. Antonio lib.* v, *cap.* vi), *et anno* 1616 *huic fabricæ finis impositus esset* (*ut idem P. Fredericus loc. cit. testatur*), *Albam venit laudatus Præpositus Generalis cum suo secretario. Die* xi *Julii anni* 1616 *coram eo aperta est lipsanotheca, et die sequenti pedis abscissio facta fuit; quemadmodum colligitur ex authentico instrumento quod P. Antonius a S. Joachim in Anno Teresiano ad diem* xxv *Maji his totidem verbis edidit :* Fr. Didacus a S. Joseph, diffinitor generalis V. M. de Monte Carmelo, et ejusdem Ordinis a secretis, notum facio et attestor coram Deo et Angelis ejus, quod anno a Nativitate Domini 1616, die vero duodecima mensis Julii, in præsentia R. P. N. Generalis P. F. Josephi a Jesu Maria, accipiens ego cultrum de manu dicti P. N. Generalis, genuflexus, indignus et contremiscens divinum hunc attingere thesaurum, pedem dextrum dicti sacri corporis amputavi; a quo quidem duos digitos defuisse apparuit : alterum qui minor est, alterum vero qui pollici proximior. Quam quidem sanctam Reliquiam dictus P. N. Generalis, reverenter accipiens genibusque flexis devote deosculatus, in gratiam amplissimæ ac religiosissimæ Congregationis Italicæ in optima capsella præparata custodivit, ut opportuno tempore pretiosum munus hoc decentius Romam transferatur. *Hæc die* xii *Julii. Eadem sane die dissectum fuerit frustum quod Paulo Papæ V missum fuit.*

Atque ea visitatio causa fuit instituti postea festi translationis.

1410 *Quid die sequenti fuerit actum, iterum ex instrumento authentico ea occasione confecto, collegisse juverit. Dicit P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* v, *cap.* vi) *eadem die permagnam solemnitatem illic celebratam fuisse, frequentem affluxisse populum, et omni Albano clero locum datum in sacello quod S. Matris corpori colendo exstructum erat. Atque hæc ea translatio est cujus memoria ritu duplici minore quotannis a Carmelitis agitur die* xiii *Julii. Quemadmodum Benedictus XIV* (*de Beatificatione et Canonizatione, lib.* iv, *part.* ii, *cap.* vii, *num.* 3) *et P. Fredericus* (*loc. cit.*) *testatum faciunt, concessit Clemens XII id officium* xiii *Septembris anni* 1732. *Præter Orationem propriam et Lectiones secundi Nocturni, ex Actis canonizationis desumptas, idem est hoc Officium ac illud quod in ipso S.* Teresiæ *præcipuo festo recitatur. Id autem instrumentum de quo jam memini, et quod tradit Annus Teresianus ad diem* i *Julii* (*tom.* vii, *pag.* 29 *et seqq.*), *repertum fuit in ipsa sacra urna, cum anno* 1750 *retecta est; illudque denuo insertum fuit diplomati quod dicto anno* 1750 *conditum et sancto corpori appositum est. Bina hæc instrumenta, atque etiam tertium super statu corporis anno* 1760, *cum momenti sint maximi, utpote quibus authentice constat de statu quo pretiosæ hæ exuviæ inventæ sunt annis* 1616, 1750 *et* 1760, *pro rei gravitate operi huic nostro in perennem memoriam inserenda judicavi.*

Dicitur quæ tum visa et acta sint

1411 *Hic igitur primum ex illis instrumentis accipe :* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Pontifice Romano S. P. N. Paulo V; et in Hispania imperante Philippo III rege Catholico; duce Albano D. Antonio Alvarez de Toledo, præfecto rei bellicæ regni Navarræ; episcopo Salmanticensi D. Francisco de Mendoza; Præposito quinto nostræ Carmelitarum Excalceatorum Religionis P. F. Josepho a Jesu Maria; provinciali P. F. Petro ab Angelis; et priorissa hujus domus Matre Catharina a Sancto Angelo : in præsentia D. Antonii de Toledo, domini de Horcajada (qui, quoniam dux præ devotione averet interesse, nec tamen ad hunc actum venire posset, ejus loco ejusque personam repræsentans adstitit), sanctum corpus nostræ Fundatricis, gloriosæ Virginis Sanctæ Teresiæ, fuit translatum ad hunc locum; cum antea fuisset sepultum in ima parte loculamenti hujus parietis infra clathra chori, a die gloriosi sui transitus, quæ E fuit dies v Octobris, quando felicis memoriæ Gregorius Papa XIII anni correctionem fecit, decem dies transiliens, qui annus 1582 fuit, regnante Philippo II, usquedum, quoniam tanta erat fragrantia et bonus odor qui e sepulcro exibat, exhumatum fuit et repertum integrum, incorruptum et stillans oleum suavissimi odoris, idque tanta abundantia ut perfusio sindonum et linteorum quibus involvebatur, multos annos duraverit : et idem faciunt hodie omnes ejus virginalis carnis Reliquiæ, quantulæcumque sint; atque adeo iidem panniculi, oleo madentes, hoc communicant chartæ qua involvuntur.

et qua urna corpus sit inclusum,

1412 Nunc ultimo in honorem Sanctæ fecit Religio nostra sacellum, quod sub choro est : composuit sepulcrum, qualiter cernitur, in gratiam fidelium qui pro sua devotione aut pro voto sanctum corpus visitatum veniunt; fecitque hanc urnam lapideam, cui sanctum corpus imponeretur (prout factum est), ad majorem diuturnitatem et contra ulteriorem ejus mutilationem : quoniam elapsis temporibus tanta carnis copia ab eo dissecta est, ut exstiterint atque existant innumerabiles ex eo Reliquiæ. Præcipuæ sunt brachium et cor, quod F utrumque argento insertum hæc domus servat, et manus quæ Ulyssipone est. Perlatæ sunt hæ sanctæ Reliquiæ per omnia regna et provincias orbis Christiani cum singulari æstimatione et extraordinaria omnigenorum hominum devotione, propter multa quæ Deus Dominus noster per ea patravit miracula.

ac coram quibus testibus.

1413 Beatificata fuit hæc gloriosa Virgo sabbato die xxiv Aprilis anni 1614; ut constat ex Brevi beatificationis. Quotidie speratur canonizatio, quoniam omnis requisita præparatio facta jam est, et satisfactum est Rotæ in omnibus quæ præstari debent; ita ut unum Pontificis « Fiat » desit. Facta fuit hæc ultima translatio, præsente Patre nostro Generali, feria quarta, die xiii Julii anni 1616, testibus dicto domino de Horcajada D. Antonio de Toledo, et P. F. Joanne a S. Angelo, socio et secretario Patris nostri Generalis. Et ut perpetua hujus rei exstet memoria, ego Fr. Didacus a S. Josepho, diffinitor generalis et secretarius dicti Ordinis, qui prædicto actui præsens fui simul cum memoratis testibus, qui hic chirographa sua apposuerunt, ex peculiari jussu et expresso mandato Patris nostri Generalis, qui chirographo suo his litteris authentiam

A tiam dedit, has scripsi mea manu, signavi meo nomine, et sigillavi sigillo principali et primitivo nostræ Sacræ Religionis. Datæ Albæ ad Tormim, die, mense et anno prædictis, quibus testor hanc translationem factam esse. Ex hac provincia S. P. N. Eliæ in regnis Castellæ Veteris et Navarræ. Fr. Joseph a Jesu Maria, Generalis. D. Antonius de Toledo. Fr. Joannes a S. Angelo. Fr. Didacus a S. Josepho, diffinitor generalis et secretarius.

Non videtur tum exstitisse Breve quo carnis vetaretur desectio;

1414 *His temporibus immensus jam erat populorum ad S.* Teresiæ *sepulcrum concursus. Neque deerant primores, tum ecclesiastici tum laici, quorum religio nimiam quamdam aviditatem nonnumquam sapiebat. Jam Yepesii temporibus æstimabatur a pluribus, et quidem ab ipso P. Francisco a Matre Dei, tertio Excalceatorum Generali Præposito, per Sixti V litteras in forma Brevis datas sub excommunicationis pœna fuisse prohibitum quidpiam de carne S. Matris auferri. At hæc sane non omnium fuit mens. Nihil dico de P. Gratiano desecante manum, de P. Gregorio Nazianzeno amputante brachium, de moniali Albana cor sibi diripiente, aliisque minora lipsana sibi ante præfatum Sixti V Breve accipientibus. Ast asseverari potest piam carnificinam etiam postea in S. Matris corpus fuisse institutam. Specimen esto quæ P. Thomam a Jesu peregisse supra legimus* (*num.* 1054). *Atque adeo vere inane fuit Breve Sixti V, si tamen umquam aliud fuerit datum quam illud quo lis inter Abulam et Albam de corpore asservando dirempta fuit. Præterea nuspiam mihi contigit reperire hoc Breve, neque in Bullario Ordinis Carmelitanorum, neque in corum Annalibus, neque in Anno Teresiano, omnigenorum diplomatum archivo. Et quidem video ex ipsis Carmelitis nonnullos eodem similive dubio expertes non fuisse. Quidquid sit, recte obstructus est anno* 1616 *omnis ad lipsanothecam aditus, ita jubente P. Josepho a Jesu Maria, quinto Generali Præposito.*

sed tale rite postulatur anno 1688.

1415 *Verum neque id videtur fuisse satis : quare, ut tandem aliquando S. Matris corpus tutum undique foret, cautum est decreto quod Patres Carmelitani in generali suo Pastranensi capitulo anno* 1688 *sanxerunt, quodque P. Antonius a S. Joachim in suo Anno Teresiano ad diem* XX *Maji ad verbum enuntiat. Quod, hispanico ibi idiomate prolatum, sic apud me latine sonabit :* Feria quinta, die vigesima Maji, cum propositum foret necesse esse pecu-
C liare adhibere studium ut conserventur absque ulla diminutione (quantulacumque sit) sanctum corpus, brachium et cor nostræ S. Matris Albæ, et corpus S. Patris nostri (*intelligunt S. Joannem a Cruce*) Segoviæ, statuit capitulum neminem ex Religione, cujusvis status et conditionis sit, posse concurrere aut permittere ut quævis pars supra dictarum Reliquiarum auferatur absque expresso mandato capituli generalis; et quo firmius sit hoc statutum, supplicavit capitulum Patri nostro Generali ut curaret quam primum a Pontifice Romano obtinere Breve quo omnibus intra aut extra Religionem nostram viventibus res prædicta sub præcepto et censura prohibeatur. *Ut adstruam Patrum Carmelitarum postulato a Pontifice Maximo satisfactum esse, unum argumentum mihi in promptu est : scilicet quod ex relatione postea citanda de visitatione sepulcri anno* 1750 *facta innotescit tum nihil carnis dissectum fuisse; quoniam, ut in relatione dicitur, vigebat excommunicatio, Summo Pontifici reservata, et in eos lata qui id attentaverint.*

AUCTORE V. D. M.

D

§ LXX. Visitatio corporis S. Matris anno 1750.

Fontes unde corporis integritas, anno 1750 *recognita, innotescit.*

Priusquam de hac visitatione agam, expedit indicare fontes unde quæ dicturus sum, hauserim. Præter instrumentum publicum, quod id temporis in perpetuam gestorum memoriam juridice confectum est, et quod late prosequitur quæcumque acta fuerunt, præ manibus mihi sunt ecgrapha trium epistolarum, a monialibus Albanis paulo post Reliquiarum visitationem scriptarum. Prima exarata est a sorore Clementina a S. Josepho, quæ illis temporibus, ut ex epistolarum appendice constat, junior Carmelitana professa Albani cœnobii erat, antea vero cubicularia reginæ Hispaniarum. Data vero est die XXX *Octobris* 1750, *postridie finis solemnitatum, et missa ad religiosum quemdam, qui per sororem Joannam Mariam, Segoviensem monialem atque olim sororis Clementinæ in reginæ comitatu sociam, rerum in cœnobio Albano gestarum* E *explanationem et status corporis descriptionem expostulaverat. Altera epistola continet litteras ipsius Albanæ priorissæ, Matris Alphonsæ Mariæ a Præsentatione, quæ eas destinarat ad cœnobium quoddam Carmelitanarum cujus nomen reticetur et ad quod aliquot simul brandea mittenda erant. Has litteras epistolam secundam nuncupabo. Porro hæ relationes communicatæ fuerant moniali ex Ursulanarum cœtu, in Galliis degenti callentique hispanice; quæ cum hos narratus in gallicum vertisset idioma, misit eos ad Carmelitanarum cœnobium : unde multis in Gallia viris innotuerunt; quin etiam utramque paulo serius impressam reperio in libello gallico, cui nomen :* Neuvaine en l'honneur de la glorieuse mère Sainte Thérèse de Jésus, *denuo edito et aucto anno* 1770, *et Ludovicæ Mariæ, filiæ Ludovici XV Galliarum regis, apud Carmelitanas Sandionysianas novitiæ, dicato. At dubia nonnullis creata sunt : quocirca unus e superioribus apostolicis Carmelitanarum Galliæ sciscitatus est ex ipsa priorissa Albana, Alphonsa Maria a Præsentatione, quid veri subesset quibusdam suis et sororis Clementinæ, quæ circumferebantur, epistolis; tulitque responsum ab ipsa priorissa die* I F *Maji* 1751. *Atque hanc epistolam deinceps nominabo tertiam. Hæc autem quæ modo dixi, partim ex ipsis litteris, partim ex harum litterarum appendice, desumpta sunt; placuitque hoc notare, ut unicuique constet de dicendorum authenticitate, cui adstipulatur omnimoda earum litterarum convenientia cum instrumento publico superius laudato. Hoc instrumentum, uti jam dictum fuit, hispanico idiomate exstat in tomo VII Anni Teresiani* (*pag.* 25 *et seqq.*); *qui tomus excusus est anno* 1758, *octavo nempe postquam illud confectum erat anno, et proin tum quando permulti qui illi subscripserant testes adhuc vivebant. Latine id ego reddam, eique subdam annotationes quasdam, plerumque e descriptis supra litteris congerendas.*

Occasio apertionis tumbæ,

1417 In nomine Domini. Amen. Notum sit omnibus quomodo anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCCL, die II Octobris, SS. Angelis Custodibus sacra, S. P. N. Benedicto XIV Summo Pontifice, D. Ferdinando VI et D. Maria Barbara de Portugallia Hispaniæ regibus, Excellentissima Domina D. Maria Teresia Alvarez de Toledo etc. ducissa Albæ, Reverendissimo nostro Patre F. Nicolao a Jesu Maria Præposito Generali sacri

AUCTORE V. D. M.

A sacri nostri reformati Ordinis, P. F. Joanne a Matre Dei præposito provinciali hujus provinciæ S. Eliæ, et Matre Alphonsa Maria a Præsentatione priorissa nostrarum Excalceatarum monialium cœnobii Incarnationis in hac civitate Alba, occasionem et causam subministrante consilio quo memoratæ Catholicæ Majestates statuerunt Albam venire, ut viderent et venerarentur sanctum corpus nostræ Seraphicæ Matris S. Teresiæ a Jesu, ad diem ejus festum xv prædicti mensis, aperta est urna ex lapide albo, quem a Villamayor nuncupant (ablata desuper magna massa, composita ex lapidibus ejusdem generis), cui urnæ inclusa erat arca capiens dictum sanctum corpus mysticæ nostræ Magistræ. Omnis hæc moles inclusa erat cavo parietis altaris majoris dicti Incarnationis cœnobii, inter duo magna clathra, quorum alterum versus ecclesiam, alterum versus cœnobium positum est, et divisum est duas in partes, quarum una aperitur tribus clavibus. Ex his unam servabat et servat excellentissima domus Albana, alteram Generalis Præpositus Ordinis, et tertiam Mater Priorissa memorati cœnobii.

eximii testes,

B 1418 Ex dicta urna extracta fuit arca cum assistentia Excellentissimi Domini D. Ferdinandi de Silva Alvarez de Toledo, ducis de Huescar, filii primogeniti dictæ Excellentissimæ Dominæ ducissæ Albanæ, memorati Præpositi Generalis Ordinis, et prædictæ Matris Priorissæ : in præsentia Patris Fr. Bartholomæi a Spiritu Sancto, primi diffinitoris generalis; Fr. Paulini a Sancto Josepho, procuratoris generalis Ordinis apud curiam Madritensem; Fr. Josephi a Jesu Maria, prioris cœnobii S. P. N. Joannis a Cruce ejusdem civitatis; Fr. Joannis a S. Paulo laici, conventualis Madritensis; et totius communitatis dictarum monialium prædicti cœnobii Annuntiationis; D. Alphonsi de Oviedo, gubernatoris castri et præfecti territorii excellentissimorum ducum; et quatuor cæmentariorum, qui accersiti prædictæ inservierunt operæ, appellanturque Rochus Sotino, Petrus Rodriguez, Josephus Rodriguez, omnes ejusdem civitatis Albæ incolæ, et Joannes Antonius Barros, incola S. Laurentii de la Guardia in Gallæcia; inque mea infrascripti secretarii præsentia.

status exterior sepulcri,

C 1419 Est dicta arca ex ligno, longa paulo minus quam duas ulnas, alta sesquipalmum et paulo plus, et aliquanto latior quam duos quadrantes. Exterius vestita est puniceo panno serico et villoso, distincta ornatibus deauratis, decorata quatuor draconibus bicipitibus, æreis deauratisque, et quatuor laminis similiter æreis deauratisque et formæ orbicularis; quarum duæ super arcæ operculo sunt : altera ad latus cervical versus, in quo incisa sunt et picta sequentia verba : « Arca Domini in qua » erat manna et virga, quæ fronduerat, et tabulæ » testimonii. Hebr. IX », et deinde hæc pentestichia : « En esta arca de la Ley » (*et cætera ut num.* 1051 *hujus Commentarii*). . . .; altera lamina adhæret lateri pedes versus, ubi similiter inscripta sunt hæc verba : « Non extinguetur in nocte lu- » cerna ejus. Prov. XXXI », et deinde hæc pentestichia : « Aqui yace recogida » (*et reliqua ut num. cit.*). . . . In fronte arcæ, ubi seræ impositæ sunt, exstant aliæ duæ paris formæ laminæ deauratæ, quæ continent eosdem textus eademque pentestichia, cum hac differentia quod textus et pentestichia quæ in operculo ad caput sunt, in fronte arcæ collocantur ad pedes; ac textus et pentestichia quæ in operculo ad pedes sunt, in fronte arcæ collocantur ad caput. Ambitur tota, si excipias tegmen seu operculum, duabus commissuris deauratis concavæ formæ, quæ ad arcam aperiendam claudendamque aptæ sunt. In operculo exstant tres vectes, similiter deaurati et formæ quoque concavæ, ac duos fere palmos longi; et is qui medius est, terminatur lamina cui scuti forma est cum ambiente ornatu, et in ejus campo incisa apparet littera majuscula F. Singuli e quatuor angulis ornantur duobus æreis munimentis deauratis; et ad imum unumquemque angulum fulcimenti loco exstat deauratus globulus. Inferius firmata est arca sex vertebris ferreis deauratis, quæ simul ornatui sunt; et super duabus, quæ ad cervical et ad pedes sunt, posita est crux ex eadem materia deaurata. Erat clausa novem vertebris ferreis deauratis et similiter sera ex eadem materia deaurata : et quoniam clavis non reperiebatur, neque ubi esset cognoscebatur, ablata fuit sera; et arca, in præsentia omnium prædictorum aperta, inventa est interius vestita panno serico damasceno puniceo valde pulchro, et tam eleganti quam si continuo a tela nova decisus foret : quod itidem de panno serico et villoso, quo exterius vestita erat, notatum fuit. D

et conditio corporis, cui additum diploma, exponuntur.

1420 Repertum fuit sanctum corpus integrum et incorruptum, carens pede dextro quem Romæ venerantur in nostro cœnobio S. Mariæ de Scala, manu sinistra quæ est Ulyssipone, brachio sinistro et corde quæ separatim in duabus pretiosis lipsanothecis ejusdem cœnobii Incarnationis venerantur, frusto maxillæ dextræ superioris quod est in nostro Romano S. Pancratii collegio, oculo sinistro, aliquot costis, aliquot frustis carnis et ossibus quæ ei ablata sunt et per orbem Christianum dispertita. Reliquum corpus servatur cum pelle, carne et ossibus. Caput divisum est a trunco, quoniam ablata est potior pars colli; cæterum asservatur integrum cum pelle et carne, adeoque in oculo dextro distinguitur acies seu pupilla et palpebræ. Quod omnium maxime mirabile est, brachium dextrum tam flexibile est quam si vivum foret. Videtur frustatim avulsa esse manus; et solum os medium, quod albissimum et pulcherrimum est, fuit relictum cum quibusdam nervis. Similiter in pede sinistro distincti cernuntur digiti et ungues. Opertum erat sanctum corpus subtili linteo batavico, et super illo tela bombycina subtili rubra. Ad latus corporis in eadem arca obvia fuit pyxis plumbea quadrangula, duos digitos alta et larga, et medium palmum longa, ac in ea pergamena charta, in qua reperitur bellissimis litteris exaratum diploma, quo, per omnes notas proprias, identitatem corporis Sanctæ Matris nostræ, quod in eadem arca collocatum jacebat, testatus est P. F. Didacus a S. Josepho, diffinitor generalis et secretarius, et quod signatum est a R. P. Generali Fr. Josepho a Jesu Maria, a D. Antonio de Toledo et a P. F. Joanne a Sancto Angelo; quodque sequentis tenoris est : « In no- » mine Domini nostri Jesu Christi. Pontifice Ro- » mano S. P. N. Paulo V, etc. » (*prout superius recitatum est*). . . . E F

Corpus cultui exhibetur;

1421 Facta est præsens apertio sepulcri centum viginti octo annis et sex mensibus post solemnem canonizationem prædictæ S. Matris nostræ Teresiæ, quæ contigit anno 1622 die XII Martii, cum Summus Pontifex esset Gregorius XV, ut constat ex Bulla quam expedivit Romæ dicto die, mense et anno idem Pontifex, et quæ incipit : « Omnipotens » Sermo. » Omnes præsentes venerati sunt et coluerunt magna cum pietate et jubilo sanctum corpus; et accersitum fabrum ferrarium jussimus apponere seram : qua obserata arca, ejusque clavi relicta penes memoratum Excellentissimum Ducem, exivimus omnes e cimeliarchio, ut nemo dictæ

A dictæ arcæ appropinquare posset; et interea jussus est idem ferrarius faber clavem facere supradictæ seræ deauratæ, et duas seras exemptiles validissimas, quibus omnino tuta facta est arca : et relicta est clavis dictæ seræ penes Excellentissimum Dominum Ducem; et clavis seræ exemptilis quæ ad cervical est, penes R. P. N. Generalem; et clavis seræ exemptilis quæ ad pedes est, penes Matrem Priorissam. Mansit dicta arca sic obserata exposita in eodem cavo parietis altaris majoris, inter duo clathra supradicta, die festo Sanctæ et per totam ejus octavam. Cum vero adventus regum effectu caruit, quoniam Domina nostra regina, itinere jam suscepto, in Escuriali infirmata est, statutum est arcam, dicta octava transacta, denuo memoratæ urnæ sepulcrali inclusum iri, superpositis iterum iisdem lapidibus qui ablati fuerant, ita tamen ut ponderosior ille lapis cui insculptus est versiculus Isaiæ : « Et erit sepulcrum ejus glo- » riosum », serraretur et divideretur in tria fragmenta; ut, si alia occurrat occasio qua necesse fuerit corpus Sanctæ retegere, id fieri possit minori

B difficultate et labore.

et denuo, præsentibus testibus, feretro includitur,

1422 Quam in rem, cum maxime conveniens esset, quo magis confirmaretur identitas sacri corporis Seraphicæ nostræ Magistræ, ut assisterent inclusioni corporis in dicta urna sepulcrali illi omnes qui ejus extractioni et retectioni adstiterant, et cum inter omnes maxime specialis dignitatis et auctoritatis esset memoratus Excellentissimus Dominus dux de Huescar D. Ferdinandus de Silva Alvarez de Toledo, qui tunc a Domino nostro rege in Escuriale palatium accersitus erat, is, ut futura sua absentia suppleretur, die XVIII dicti mensis Octobris ingressus est claustrum memorati cœnobii Annuntiationis, cum assistentia prædicti R. P. N. Generalis Fr. Nicolai a Jesu Maria, et mea, necnon Bernardi Gonzalez de Luis, scribæ publici hujus civitatis Albæ, et plurium testium quos collegerat Excellentissimus Dux; et in præsentia omnium, et itidem Matris Priorissæ et totius suæ communitatis, aperta est arca : et detecto sancto corpore, declaravit Excellentissimus Dux cum jurejurando, posita manu in regio Vellere, hoc corpus quod illic cernebatur, idem esse ac illud quod cum eadem arca supradicta die secunda currentis mensis et anni in præsentia sua ex memorata urna extractum fuerat; et quoniam a rege Domino nostro

C accerseretur et assistere non posset actui quo dicta arca et corpus suæ urnæ restituerentur, se dare, ut reapse dedit, D. Antonio de Oviedo, patri D. Alphonsi de Oviedo supra memorati, et qui itidem erat præsens, cum omni amplitudine potestatem assistendi suo nomine dicto actui quo arca et sanctum corpus suæ urnæ restituerentur, firmandi diplomatis de quo stipulandum esset, et faciendorum omnium quæ faceret Excellentissimus Dux, si præsens foret : quocirca tradidit ei coram clavem dictæ arcæ, quam ipse Excellentissimus Dux habebat; et similiter memoratus D. Antonius de Oviedo accepit eam in præsentia omnium dictorum, et immediate dicta arca tribus clavibus obserata est. Omnia constant ex instrumento confecto a dicto scriba et testibus in eodem instrumento indicatis, memorata die XVIII currentis mensis; ut liquet ex dicto instrumento, quod intus in arca simul cum hoc includetur.

et pristino reponitur loco,

1423 Hoc supposito, cum omnia jam parata essent ad dictam sancti corporis inclusionem, ingressi sunt, die XXIX supradictorum mensis et anni, hora secunda vespertina, claustrum memorati cœnobii Annuntiationis Reverendissimus P. F. Nicolaus a Jesu Maria et omnes religiosi et sæculares supradicti qui fuerunt præsentes (ut superius memoratum est) extractioni et retectioni sancti corporis, excepto Excellentissimo Domino duce de Huescar, cujus loco et nomine ingressus est supradictus D. Antonius de Oviedo. Ascenderunt simul in cimeliarchium superius, ubi est urna sepulcralis in cavo parietis altaris majoris, et erat similiter arca obserata sua sera et duabus seris exemptilibus; eaque aperta in præsentia omnium et Matris Priorissæ et communitatis ejusdem cœnobii, recognitum est eamdem esse arcam et in ea idem corpus S. Teresiæ a Jesu, quæ prædicta die II currentium mensis et anni ex memorata urna sepulcrali extracta fuerunt : et affirmantibus omnibus esse eamdem dictam arcam cum sola additione duarum serarum exemptilium (quæ confectæ ex ferro deauratæque appositæ fuerunt, quo major esset securitas), atque idem in ea contineri corpus, id est, corpus S. Teresiæ a Jesu, hoc pro majori decentia (quandoquidem sublata fuerant sindon ex tela batavica et pannus sericus subtilior coloratus, quibus coopertum fuerat, ut in Reliquias dispertirentur) tectum fuit sindone ex linteo batavico triplicata, et E super illa imposita est alia sindon ex linteo batavico, variis figuris intexta, et deinde tapes ex tela aureis floribus distincta confectus assutusque panno serico subtiliori rubro aureisque ornatibus interpuncto.

AUCTORE V. D. M.

D

bene ornatum et obseratum:

1424 Caput Sanctæ coopertum mansit amictorio e tela batavica confecto, et super eo duo hujusmodi alia addita vela, uno quo vulgo teguntur Excalceatæ, altero quocum ad Sacram Communionem accedunt, utroque e panno serico subtiliori, nigro, argento intertexto; et sub dicto capite stratum est pulvinar e tela batavica variis inscriptum figuris, et arca coram omnibus obserata est tribus clavibus : relicta ea quæ ad seram exemptilem caput versus appositam pertinet, penes R. P. N. Generalem; illa quæ ad seram mediam spectat, tradita D. Antonio de Oviedo, loco Excellentissimi Domini Ducis; et tertia, pertinente ad seram exemptilem pedes versus, data memoratæ Matri Priorissæ : atque insuper dictæ arcæ septem vertebræ ferreæ deauratæ, quibus occluderetur, affixæ sunt clavis; et continuo in præsentia omnium prædictorum (excepto Fr. Joanne a S. Paulo, qui, quoniam ægrotabat, assistere non poterat) inclusa est memoratæ urnæ sepulcrali, ei superpositis omnibus superius indicatis lapidibus.

F

quæ omnia complures testes confirmant.

1425 Et ut omnium perpetua memoria in futura tempora remaneat, ego Fr. Franciscus a S. Antonio, secretarius R. P. N. Generalis Fr. Nicolai a Jesu Maria, qui præsens fui prædicto actui simul cum testibus superius memoratis, qui hic chirographa sua posuerunt, per speciale jussum et expressum mandatum quod accepi a Reverendissimo Patre Generali, qui his litteris sua subscriptione authenticitatem addidit, has mea manu scripsi, et meo nomine signavi, et sigillavi sigillo officii dicti R. P. N. Generalis, Albæ ad Tormim, in hac provincia S. P. N. Eliæ in regno Castellæ Veteris, die, mense et anno prædictis : quibus omnium quæ in his litteris expressa sunt fidem et verum testimonium do. Fr. Nicolaus a Jesu Maria, Generalis Præpositus. Fr. Bartholomæus a Spiritu Sancto, diffinitor primus. Fr. Paulinus a S. Josepho, procurator generalis. Fr. Josephus a Jesu Maria, prior. D. Alphonsus de Oviedo, gubernator castelli. Loco Excellentissimi Domini Ducis, ego Antonius de Oviedo subscribo. Alphonsa Maria a Præsentatione, priorissa. Catharina a SS. Trinitate, subpriorissa. Maria Teresia a SS. Sacramento. Teresia a S. Jo-

AUCTORE V. D. M.

A sepho. Josepha Bernarda ab Annuntiatione. Agnes Francisca a S. Josepho. Emmanuela a Jesu. Narcissa a Spiritu Sancto. Hieronyma a S. Anna. Francisca a S. Joachim. Antonia a SS. Trinitate. Teresia Joachima ab Assumptione. Rosa a Matre Dei. Antonia a Christo. Maria Clementina a S. Josepho. Anastasia a S. Teresia. Teresia Maria a S. Josepho. Hieronyma a Jesu, Maria et Josepho. Josepha a S. Teresia. Fr. Franciscus a S. Antonio, secretarius.

Referuntur aliæ nonnullæ

1426 *Quoniam nihil magis fidem imperat quam minimarum circumstantiarum expositio, non abs re erit, id quod me facturum prædixi, quædam ex epistolis supra laudatis excerpere. Dux Albanus, a rege missus, postridie sui adventus, cum Generali Ordinis et diffinitore aliisque Carmelitis Excalceatis et magnatibus Hispaniæ, perrexit ad sepulcrum; sed, cum multi viderentur adesse obices, sepulcri apertio in sequentem dilata est diem. Quo die, cum denuo idem dux cæterique ad sepulturæ locum venissent, architectus qui eos comitabatur, murum diruendum esse pronuntiavit; atque opus intra sesquihoram, nempe a secunda cum dimidia usque ad*

B *quartam pomeridianam, confectum est. Hæc e prima et tertia epistolis; quarum illa sex operarios adhibitos fuisse memorat, dum tamen in authentico instrumento modo allegato quatuor tantummodo nominantur : sed oppositio inter duo hæc monumenta tollitur, si dicantur quatuor cæmentarii et duo adjutores operati fuisse. Porro, quæ de statu corporis S. Matris in prædicto instrumento consignata fuere, pariter in tribus illis epistolis celebrantur. In singulis annotatur non minor carnis flexibilitas quam si corpus vivum foret : item laudatur suavissimus odor et cætera illius adjuncta jam sæpius memorata. In oculo dextero claritatem prædicant epistola prima et tertia. Caput a trunco separatum omni sua carne vestitum esse refert epistola prima, quæ dexteræ manus digitos abscissos esse queritur; notatque pectus tam album tamque vivum esse, et ita totum consistere, ut sine ingenti religionis sensu aspici nequeat. In eadem epistola tribuitur capitis separatio brevitati loculi; in quo nonnihil plicatum et incurvatum jacebat corpus, et sinister qui adhæret corpori pes, non rectus, sed in arcæ angulo oblique extendebatur : attamen probabilior est hujus separationis causa in instrumento authentico allegata, nempe*

C *quod potior colli pars olim ablata fuerit. Ne vero deinceps caput separatum a corpore appareret, amictorium cui involvebatur, quodque a se adornatum fuisse testatur Clementina a S. Josepho, pulvinari assutum fuit. Nihil autem hac occasione fuit a sacro corpore decisum; quoniam excommunicatio lata erat in eos qui id ausi fuissent, ut epistola secunda et tertia affirmant. Verum e tribus epistolis colligitur lintea quæ in lipsanotheca suavissimo ex membris defluente oleo imbuta erant, discerpta fuisse, et partim ad regem missa, partim data duci Albano cæterisque præsentibus. Brandea etiam corpori admota sunt, atque adeo vulneri pectoris (per quod scilicet cor ablatum erat) a monialibus inserta; eaque deinde per Hispaniam sparsa fuerunt.*

hujus visitationis circumstantiæ.

1427 *Ex præambulo quod ad frontem prædictæ epistolarum collectionis est, et ex harum epistolarum tertia, colligitur reginam Hispaniæ primo itineris sui die correptam fuisse febri tertiana : quare statutum fuit ut Carmelitæ Excalceati qui se jam pridem Albam contulerant, ibidem morarentur, donec, cessante reginæ morbo, ipsa iter cum rege perficere posset. Et verisimile est hanc esse causam ob quam integer fere mensis effluxerit antequam corpus assueto loco denuo reconderetur. Interim, ut narratur in epistola prima, nonnulli, forte impatientes quod* D *ipsum sacrum pignus oculis populi non exponebatur, spargebant in vulgus corpus Albæ non servari, sed illic puros putos lapides coli, et alia hujus furfuris. Qui rumores testimonio ducis Albani compescendi visi sunt : proindeque dux, priusquam Alba excederet, solemni equitum Velleris aurei more jusjurandum fecit de quo mentio fit in instrumento. Monet insuper epistola prima ducem accersitum fuisse a rege ut coram declaratum veniret quæcumque circa S.* Teresiæ *corpus acta ac gesta viderat; eumdemque ante suum abitum dedisse sanctuario monasterii Albani tapetem et vela auro intertexta latisque limbis aureis fimbriata, in decorem Teresiani tumuli. Alia item pretiosa tumuli hujus ornamenta late inibi describuntur, atque etiam referuntur nomina monialium quæ iis conficiendis allaborarunt.*

§ LXXI. Postremum corporis examen anno 1760.

E

Cum a rege donata esset nova urna sepulcralis,

Cum dux Albanus exposuisset regi Ferdinando VI ejusque conjugi quo in statu esset sacrum S. Teresiæ corpus, quo asservaretur pacto, qualique arca, lignea scilicet, includeretur, statuerunt pii Hispaniæ reges digniorem lipsanothecam de suo concedere. Totius operis confectio demandata fuit dicto duci; quo curante, novum est e selectis lapidibus sepulcrum sculptum, pretiosissima urna nero ex argento fabrefacta, altare majus de novo inauratum, et alia duo minora exstructa quæ pristinis substituerentur. Ut vero moniales deinceps non sine animi sui solatio S. Matris suæ sepulcrum viderent, conditus est ad imam templi partem novus chorus : pavimentum insuper cimeliarchii, et arcus quo cooperitur locus sacro corpori asservando destinatus, egregiis jaspidibus ornata sunt; demum novus splendor toti templo additus est. Verum dum hæc peragerentur, supremum diem obierunt Ferdinandus VI et uxor ejus. Cum autem Neapoli Madritum advenisset Ferdinandi frater et successor Carolus III, totam probavit rem, et urnæ dedicationem die XV Octobris 1760, S. Teresiæ sacra, celebrandam indixit. Ergo ante eam diem Albam se contulere episcopus Salmanticensis cum suo coadjutore et clericis aliquot domesticis ac F *Generalis Carmelitarum Excalceatorum cum diffinitorio suo aliisque Ordinis sui Patribus, quos inter erat ipse auctor Anni Teresiani : qui omnes vespere diei XIII, claustrum monialium ingressi, cellam adierunt in qua S.* Teresia *mortem obierat, et in qua sacrum ejus corpus, dum sepulcri fabricæ renovandæ allaboraretur, depositum erat; illudque, in cimeliarchium inferius reverenter translatum, legitime recognoverunt : prout patescet ex authentico instrumento, quod modo ex Anno Teresiano latinum faciam, et e quo simul videre erit quid die proxime sequenti actum fuerit.*

sacrum corpus anno 1760 coram multis testibus

1429 In nomine Dei Omnipotentis. Notum ac manifestum sit omnibus has visuris quod anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCCLX, die XIII Octobris, Ecclesiam gubernante S. P. N. Clemente XIII fel. mem., et hisce regnis Hispaniæ imperante Augustissimo Monarcha D. Carolo III, episcopo Salmantinæ civitatis Ill. D. Josepho Zorrilla a S. Martino, hujusque coadjutore Ill. D. Fr. Francisco a S. Andrea episcopo Zelensi, Albano duce Excellentissimo Domino D. Ferdinando de Silva Alvarez de Toledo, proximo ejus successore ac

A ac primogenito D. Francisco de Paula duce de Huescar, Præposito Generali Sacræ Reformationis Carmelitarum Excalceatorum R. P. F. Paulo a Conceptione, provinciam S. Prophetæ Eliæ in Castella Veteri moderante R. P. F. Josepho a S. Francisco, prioratum in cœnobio Carmelitissarum Excalceatarum hujus civitatis Albæ ad Tormim gerente R. M. Teresia a SS. Sacramento, in dicta hac civitate Alba, memoratis die, mense et anno, ob rationem maxime specialem, quod illic transportata erat urna argentea, opulenter ectypis item argenteis ornata, duas ulnas longitudinis habens, latitudinem urnæ sepulcrali idoneam, ac tres fere quadrantes altitudinis, interius tota vestita panno serico villoso puniceo, quod monumentum ad augendum cultum ac venerationem Seraphicæ Matris S. Teresiæ a Jesu conficiendum curarant, dum viverent, augustissimi et Catholici reges D. Ferdinandus VI et D. Maria Barbara de Portugallia (qui sancta gloria fruantur), prædicti inclyti monarchæ nostri hodie regnantis antecessores, ut effectum haberet voluntas gloriosum corpus dictæ S. Matris Seraphicæ in ea pro voto memoratorum regiorum donatorum collocandi, dicti Ill. Domini
B et RR. PP. Generalis ac Provincialis claustrum dicti cœnobii ingressi sunt, stipati a toto sancto diffinitorio, quod componunt RR. PP. Fr. Augustinus a Conceptione, Fr. Franciscus ab Incarnatione, Fr. Josephus ab Incarnatione, Fr. Joannes a S. Gregorio, Fr. Benedictus a S. Bernardo et Fr. Emmanuel a S. Joanne Euangelista, assistentibus etiam R. P. F. Ferdinando a S. Josepho, procuratore generali Madritensi, ac Fr. Antonio a S. Joachim, scriptore Anni Teresiani, aliisque pluribus Patribus tam hujus provinciæ quam provinciæ Castellæ Novæ, itemque comitantibus memorata Matre priorissa, MM. Josepha Bernarda ab Annuntiatione subpriorissa, Teresia a S. Josepho et Emmanuela a Jesu, clavigeris dicti cœnobii, et reliquis quibus hoc cœnobium constat monialibus.

recognitum et populo ostensum est,

1430 Qui cum recognossent urnam in qua reperiebatur dictum sanctum corpus, eamdem apparere quæ in instrumento designabatur, et eadem ei adesse signa, eamque positam esse in sacello in quo tanquam depositum collocata fuerat, quod sacellum ipse locus est qui S. Matris in vivis degentis habitatio fuerat, dicta arca, quæ urnæ vices supplebat, a sex religiosis quos hunc in finem deputavit
C R. P. Generalis, pio agmine delata est inter omnium assistentium accensos cereos ad cimeliarchion inferius dicti cœnobii : ubi coram jam citatis comparuerunt D. Alphonsus de Oviedo, procurator Excellentissimi Domini ducis Albæ, et D. Jacobus Marquet, architectus regiæ Majestatis, ad aperiendam dictam arcam, in qua reperiebatur corpus Seraphicæ Matris S. Teresiæ a Jesu; et remanentibus omnibus assistentibus cum accensis luminibus, omni pietate et affectu transitum est ad dictam apertionem : ad quam faciendam præstitit dictus R. P. Generalis suam clavem, quæ respondet seræ exemptili ferreæ deauratæ quæ in parte superiori citatæ arcæ est; dictus D. Alphonsus de Oviedo, nomine dicti Excellentissimi Domini Ducis, exhibuit clavem quæ respondet seræ ferreæ quæ in medio est; et memorata Mater Priorissa clavem quæ respondet seræ exemptili ferreæ deauratæ existenti ad partem inferiorem pedum. Sic igitur aperta dicta arca sepulcrali, recognitum est sanctum corpus S. Matris Teresiæ a Jesu eodum modo et statu esse quos habere visum est anno MDCCL, ut minutatim constat ex testimonio, atque eodem esse situ, cumque iisdem velis, sindonibus et tegminibus quæ in eo exprimuntur : quorum recensio hic omittitur, quia illic singillatim omnia declarantur. Atque hoc pacto dictum sanctum corpus ab omnibus assistentibus recognitum, honore, cultu et veneratione, qua decet, habitum est; eique admota sunt per manus plurium religiosorum variæ reliquiæ, rosaria, vittæ et panni. Quibus peractis, denuo clausa est arca usque ad hodiernam diem decimam quartam hujus memorati mensis et anni: qua die, propter solatium tam hujus oppidi quam multorum accolarum, consilium initum est collocandi sancti corporis in choro inferiori, cujus clathra respiciunt templum dicti cœnobii; quo convenerunt memorati, penes quos sunt claves dictæ urnæ. Aperta est, et corpus relictum est manifestum; et his qui ex æde sacra per dicta clathra inspicerent, caput visibile fuit, non item reliquum corpus, quod coopertum erat, ut antea fuit dictum.

AUCTORE V. D. M.

D

ac deinde solemni ritu

1431 Quo in statu mansit spatio septem horarum; et deinde, cum hora fere quarta vespertina esset, assistentibus testibus initio hujus instrumenti indicatis, nec non Eminentissimo Domino D. Francisco de Solis, archiepiscopo Hispalensi, S. R. E. Presbytero Cardinali, a sex monialibus quas R. P. Generalis et Mater Priorissa jam citati deputarant, cum E
iisdem sindonibus et reliqua compositione, dictum sanctum corpus S. Teresiæ translatum est et collocatum in dicta urna argentea nova; ubi honore et veneratione habitum est ab assistentibus : qui omnes hanc urnam pio agmine comitantes, accensosque cereos gerentes, transtulerunt ad cimeliarchion dicti cœnobii, eamque collocarunt in altari majori, imposueruntque dictam urnam argenteam in alia egregie sculpta e marmore quod Sancti Pauli dicitur, decorata ornatibus æreis deauratis, et inserta arcui magnificentissimo ex eodem marmore et duos in sua superficie Angelos ex eadem materia habenti. Et ut horum omnium perpetua memoria in posterum remaneat, ego licentiatus D. Emmanuel Franciscus Gutierrez, notarius et secretarius curiæ Ill. D. Episcopi Salmanticensis et ejus diœcesis, qua civitas Alba capitur, qui præsens fui prædictis actibus, et ego Fr. Franciscus a Præsentatione, secretarius generalis dicti Sacri Ordinis, qui similiter præsens fui, simul cum testibus superius memoratis, qui hic sua chirographa apposuerunt, confirmamus et signamus, et roboramus respectivis sigillis nostrarum secretariarum, et subscribimus, et fidem facimus ac verum testimonium. Item ego F
Fr. Antonius ab Incarnatione, secretarius generalis et notarius apostolicus, qui relatis similiter præsens fui, pariter attestor quæ in hoc actu continentur, et quod e quatuor clavibus, ad dictam urnam novam argenteam pertinentibus, duæ manserunt penes R. P. Generalem et R. M. Priorissam hujus dicti cœnobii, et duas alias recepit dictus D. Alphonsus de Oviedo, loco Excellentissimi Domini Ducis. Fidem facio Fr. Franciscus Cardinalis de Solis. Joseph episcopus Salmanticensis. Fr. Franciscus episcopus Zelensis. Fr. Paulus a Conceptione, Generalis. Fr. Augustinus a Conceptione, diffinitor primus. Fr. Franciscus ab Incarnatione, diffinitor secundus. Fr. Josephus ab Incarnatione, diffinitor tertius. Fr. Joannes a S. Gregorio, diffinitor quartus. Fr. Benedictus a S. Bernardo, diffinitor quintus. Fr. Emmanuel a S. Joanne Euangelista, diffinitor sextus. Fr. Josephus a S. Francisco, provincialis. Fr. Ferdinandus a S. Josepho, procurator generalis. Fr. Franciscus a Præsentatione, secretarius. Frater Antonius a S. Joachim, scriptor sui Ordinis. Maria Teresia a SS. Sacramento, priorissa. Josepha ab Annuntiatione, subpriorissa et clavigera.

AUCTORE V. D. M.

A clavigera. Emmanuela a Jesu, clavigera. Teresia a S. Josepho, clavigera. Licentiatus D. Emmanuel Franciscus Gutierrez Varona, secretarius. In testimonium veritatis, Fr. Antonius ab Incarnatione, notarius apostolicus et secretarius generalis.

loco suo repositum;

1432 *Reperitur hoc instrumentum tomo* X *Anni Teresiani* (*pag.* 315 *et seqq.*), *qui tomus sexto anno post novissimam hanc corporis S.* Teresiæ *detectionem Madritensibus typis excusus prodiit. Præterea P. Antonius a S. Joachim, vastissimi hujus operis auctor, eidem instrumento adjunxit accuratam narrationem eorum quæ ipse viderat et egerat. Ex his jam aliqua initio hujus paragraphi attigi : nunc cætera accipe. Ut die* XV *Octobris dedicatio celebrari posset, corpus novæ urnæ imponendum erat die* XIV. *Cardinalis de Solis se eo mane Albam venturum nuntiaverat; sed cum is frustra expectatus fuisset, veterem arcam usque ad ejus adventum denuo occludere visum est. Venit tandem Cardinalis hora tertia pomeridiana, ingressusque est claustrum cum his qui in diplomate memorantur viris. Sanctum itaque corpus, a choro inferiori ad cimeliarchium superius delatum, pretiosis monialis vestibus indutum est, eique circumdatus est torques qualem fere aurei Vel-*

B *leris equites gestant, cum additis tot cordibus quot numerabantur Carmelitanæ in cœnobio S. Annæ Madritensi, quæ pia hæc dona simul cum pretiosa ab iis composita palma S. Matri dicarant. Urnæ novæ impositum est virgineum cadaver, jacens super culcita ex punicea tela serica rasa levique confecta, et limbis aureis fimbriata, et super pulvinari perpulchro ex purpureo panno serico levi, donato ab iisdem Madritensibus Excalceatis, quarum uniuscujusque signum ei insertum erat. Urnæ quoque inclusum est idem diploma quod præteritas Reliquiarum visitationes recensebat, addita in posteriore ejus pagina mentione visitationis quæ tunc facta erat.*

festivoque triduo celebrata fuit urnæ dedicatio.

1433 *Actas autem sequentibus diebus in S.* Teresiæ *honorem solemnitates ita prosequitur laudatus P. Antonius a S. Joachim :* Cum virgineum S. Matris corpus parato loco, prout in diplomate declaratum est, collocatum foret, illuxit dies XV Octobris, prima assignatæ triduanæ dedicationis. Episcopo Salmanticensi in votis quidem erat Missæ celebrare Sacrificium; verum cum labefacta impediretur valetudine, sibi substituit D. Julianum Dominguez, canonicum lectoralem sanctæ ecclesiæ Salmanti-

C censis, graduatum et cathedraticum illius universitatis, cui ministrarunt D. Joannes Emmanuel Zorrilla a S. Martino, canonicus dictæ sanctæ ecclesiæ, et D. Petrus de Rubalcaba, ejusdem præbendarius. Orationem panegyricam habuit D. Fr. Franciscus a S. Andrea, episcopus Zelensis; qui duabus quoque sequentibus diebus solemniter litavit. Die secunda concionatus fuit R. P. M. Antonius Gutierrez ex Ordine Calceatorum S. Mariæ de Mercede, doctor theologus et in dicta universitate artium professor; die autem tertia hoc implevit munus P. F. Joannes a S. Josepho, Carmelita Excalceatus et Durvelensis cœnobii prior. Hominum concursus tantus fuit quantus forte umquam in Castella Veteri visus est. Affuere per totum triduum sacris solemnitatibus D. Episcopus Salmanticensis, diffinitorium nostrum generale, capitulum ecclesiasticum, prætor cum municipali senatu, et immensa fere hominum multitudo, quos inter primores plurimi, tum ex urbe Salmanticensi tum ex vicinia congressi. Musici ecclesiæ cathedralis Salmanticensis itidem interfuere. Verbo, nihil defuit ex iis quæ tota regio subministrare poterat ad hujus dedicationis solemnitatem augendam. Urna autem seu arca pristina, quam anno 1588 in S. Matris honorem de suo elargita est Excellentissima Do- D
mina D. Maria de Toledo y Henriquez, ducissa Albæ, quantumvis sacris Reliquiis spoliata foret, digna tamen remanebat singulari veneratione, quandoquidem centum et septuaginta duos annos in ea requieverat sanctissimum Seraphicæ Magistræ cadaver (*Potuit quidem hæc urna anno* 1588 *dari; sed sanctum corpus anno tantum* 1594 *ei impositum fuisse, superius suo loco vidimus*). Quæ ratio, momenti sane inæstimabilis, bene multis, speciatim vero pluribus nostri Ordinis cœnobiis, ardentia ingessit studia ejus adipiscendæ, debitoque prosequendæ cultu. Verum cum Generalis noster ejusque diffinitorium perpendissent regia attentione dignissimum esse hujusmodi cimelium et novum tumulum regiis sumptibus fuisse confectum, duci Albæ supplicatum est ut eam regi offerret. Mandata suscepit excellentissimus dux; et ipse augustissimus rex religiosa mente gratanter munus admisit, se filium amantissimum cœlestis hujus Dominæ profitens. Atque ut constaret quanti tumbam hanc faceret, eam in suo oratorio collocandam mandavit; ubi etiamnum, dum hæc scribuntur (*anno nempe* 1766), asservatur cum reverentia. E

Exhibetur S. Teresiæ *sepulcrum et Albana Carmeli ædes.*

1434 *Ad extremum ecce additam hic a latere tabulam habes quæ S.* Teresiæ *sepulcrum, quale hodie exstat, exhibet, quod recens Albæ delineandum curavimus. Nigro id constat marmore cum deauratis ornamentis. Angeli ex marmore sculpti sunt albo, insigni cælatura. Clathri vero argentei sunt, in longitudinem non modicam excrescentes. Porro D. Antonius Ponz, quem in suo Itinerario Hispaniæ potissimum delectat memorare exstantia in locis quæ describit, picta sculptave monumenta, postquam notarat Albanum oppidum continere domos trecentos ac septem monasteria, nempe virorum quatuor et fœminarum tria, pluresque parochias, de sola tractat Excalceatarum Carmelitissarum æde. Hæc, ut ipse ait, ad architecturæ regulas constructa est; et altaria, tum medium tum lateralia, elegantia sunt satis. Præter alias tabulas, binæ sunt in utroque templi latere, pictæ a D. Josepho Filipart, et dono missæ a Ferdinando VI, cum proposuerat sibi cum uxore visitare Sanctæ sepulcrum. Altera earum refert S. Ferdinandum, altera S. Franciscum de Paula. In parte Euangelii monstratur locus ubi olim depositæ fuerunt Sanctæ exuviæ, quæ hodie sunt in medio altaris majoris. Duæ autem lipsanothecæ, quarum altera continet brachium ejus dexterum, altera* F
ipsius cor, seorsim habentur. Præterea tria exstant in ea ecclesia sepulcralia monumenta. Unum ex his cineres tegit monasterii fundatorum, Francisci Velasquez et Teresiæ Laiz, qui in summo tumulo exsculpti jacent; ut et in altero Simon Galarza, qui ibi legitur conventus benefactor et patronus fuisse. In ima ecclesia tertium est, repræsentatque sculptum D. Joannem de Ovalle, ac uxorem ejus Joannam de Ahumada, S. Teresiæ *sororem, cum filiolo ad eorum pedes. Quod spectat exteriorem templi faciem, quæ Annuntiationem exhibet inferne, et Deum Patrem æternum superne, quamvis sat ornamentorum habet, ad artis præscripta parum est exacta. Hæc laudatus auctor* (*tom.* XII, *epist.* 10).

Pulchra Carmelitissarum Tornacensium sollicitudo de S. Teresiæ *corpore.*

1435 *Litteris hic consignare non abs re est nuperam Carmelitissarum Tornacensium sollicitudinem vindicandi S. Matris suæ exuvias a periculo injuriæ ac interitus. Ut enim in Belgio percrebuerat decretum esse ab iis qui in Hispania rerum potiebantur, ut monasteria exstinguerentur, justa correptæ anxietate de futura cum sororum suarum tum corporis S. Matris suæ sorte, dum illis succurrere non valerent, hoc tamen in tuto ponere et ad tempus, donec meliora redirent*



Robustianus Boada Del.

Car. Onghena Sc.

SEPULCRUM S.TERESIÆ, ALBÆ.


TERESA DE JESÚS
JESÚS DE TERESA

A *redirent tempora, ceu sacrum depositum Belgio nancisci studuerunt. Neque est sane quod miremur eam in piis hominibus formidinem amittendi talia pignora tempore belli et subversionis rerum religiosarum. Nam, ne vicinis locis egrediamur, Nicolao de Guise teste* (*in libro cui titulus : Mons Hannoniæ metropolis, cap.* XVI) *cum annis* 880 *et* 881 *Normanni irruerent, Tornacenses corpus S. Eleutherii detulerunt Noviomum, Atrebatenses Reliquias S. Vedasti Bellovacum, monachi Elnonenses corpus S. Amandi Lutetiam, dum illud S. Amati delatum est ad Suessiones, sacra vero pignora Walarici et Richarii ad S. Audomari castellum, corpus S. Remigii Spernacum, corporaque SS. Gisleni, Vincentii et Landelini ad Castrilocum : ac demum nostro prope ævo, pari ratione, ab ipsis Carmelitissis Belgis, cum anno* 1783 *intentata Ordini suo ruina esset, corpora S. Alberti ac Venerabilium Annæ a Jesu et Annæ a S. Bartholomæo in Galliam asportata sunt. Ergo, deprecatore prænobili viro D. Olislagers de Meersenhoven, supplicarunt regio administro D. Comiti de Theux ut ea qua optima poterat via rem hanc apud Carmeliticum Ordinem clerumve Hispanum tentandam curaret. Id cum præstitisset D. de Theux,*

B XXVI *Martii* 1840 *certior factus est ad eum usque diem stare Albanarum Carmelitissarum cœnobium et justam foveri spem fore ut perstet etiam imposterum, tuteque custodiatur S.* Teresiæ *corpus; quoniam non modo oppidum Alba Carmelique Ordo, verum universa qua late patet Hispana gens est indigenæ Sanctæ suæ* Teresiæ *amantissima et sacrarum exuviarum ejus tenacissima. Interim, ut aiebant responsoriæ quæ ex Hispania venerunt litteræ, laudatissima Tornacensium monialium sollicitudo et præstitum a proceribus Belgis pio earum studio obsequium haud parum moverunt Hispanum clerum, ac in eo magna Belgicæ nationis æstimatio hocce nostratum conatu adhuc fuit aucta*

§ LXXII. De conservatione, cultu, miraculis cordis S. Teresiæ, et de Officio transverberationis ejus.

C *Cordis vulnus* Quandoquidem nil jam superesse videtur quod de corporis sorte statuque memorandum sit, gradum facio ad cæteras S. Matris Reliquias describendas. Ergo jam de ejus corde sermo esto. Præter ea quæ in hoc Commentario (*num.* 223 *et seqq.*) *dicta fuere ex ipso testimonio S. Matris, narrantis a se visum fuisse Angelum qui cor ejus jaculo igneo terebrarit, P. Fredericus* (*lib.* I, *cap.* XVII) *plura habet de portentoso illo charismate et de hodierno statu sacri illius pignoris, quod apud Carmelitanas Albanas asservatur et singulis annis publico cultui exponitur, magnaque cum pietate et pompa, simul cum Sanctæ brachio, per urbis plateas eleganter et sumptuose ornatas circumgestatur. Thecam qua includitur, quam nuperrime a D. Robustiano Boada in ipso Albano monasterio delineandam et in Belgio æri insculpendam curavi, hic insertam conspicis. Exhibet P. Fredericus plura documenta, quæ prodigia in corde S.* Teresiæ *ad suum usque tempus perennantia asseverant atque explicant. Hæc et ego ex eo referam, iis dumtaxat pauca adjiciens alia de hodierno præsertim habitu sanctarum harum Reliquiarum. Malo enim unum, utpote qui hoc argumentum recte tractat, P. Fredericum hac super re in testem continuo accire, quem diversorum centones operose consuere. Idque eo lubentius sic præsto, quod ea ratione, spectanda scriptoris hujus auctoritate nitens, cum illo et ex illo narratis quibusque factis meum appositum habeam vadem. Nam, si stupenda ille in sacris his Reliquiis patrata memorat prodigia, gravium ea communit testium auctoritate.* AUCTORE V. D. M.

D 1437 *En itaque ejus verba :* P. Josephus a S. Spiritu, qui sæculo decimo septimo typis supposuit Cursum mysticæ theologiæ et qui considerate intuitus erat cor S. Matris suæ, testatur (*tom. IV, disp.* XXIV, *n.* 41) cerni id fuisse ictum et transadactum, ac labia fissuræ ejus ambusta videri. *testantur plures,*

« Obstupui dum veneratus sum in corde illo sa-
» cratissimo vulneris labia usque in hodiernum
» diem nedum (*id est : non tantum*) patentia, ve-
» rum etiam semiusta. Nec intelligas jaculum illud
» cor sacratissimum solummodo vulnerasse, sed
» firmiter tene reipsa trajecisse; utraque enim
» ipsius parte scissura cum labiis semiustis inspi-
» citur. » Paulum aliter de eo vulnere loquitur Josephus Lopez Esquerra, sacerdos Cantaber, scriptor doctus æque ac pius. Hic in opere suo Lucerna mystica (*tract.* V, *cap.* XXVI, *num.* 280) ita fatur :

E « Seraphim flammanti cuspide cor Teresiæ repe-
» titis ictibus trajiciebat; quæ quidem visio vera
» et realis fuit, sicut et etiam vulnus, ut in ejus
» corde, Albæ honorifice recondito, ocularitер in-
» spicitur; cujus in eo labia vulneris ab ignito
» Seraphim telo semiusta conspiciuntur : ubi non
» solum miraculosa fuit, illæso et integro thorace,
» vulneratio cordis intrinseca, sed etiam quod,
» illo profundo vulnere corde transfosso, naturalis
» vita posset conservari. »

1438 *Inclytæ magis atque authenticæ probationes de eo prodigio Romæ collectæ fuerunt, et ibi publicatæ anno* 1726, *Audi qua occasione hoc factum sit, e Benedicto XIV* (*de Beatif. et Canoniz. lib.* IV, *part.* II, *cap.* VIII, *num.* 3) : Inter cætera charismata quibus Deus patefacere dignatus est S. Teresiæ sanctitatem, celeberrimum illud est, quod tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit ut Angelum viderit ignito jaculo sibi præcordia transverberantem; uti legitur in Bulla canonizationis § VI, et in secundis lectionibus propriis quæ in Officio dictæ Sanctæ in Ecclesia universali recitantur die XV Octobris. Dum munere fungebar fidei promotoris, Patres Carmelitæ Excalceati utri- F usque familiæ, Hispaniarum videlicet et Italiæ, Sacræ Congregationi supplicarunt pro facultate recitandi die XXVII Augusti quolibet anno sub ritu duplici secundæ classis Officium transverberationis cordis S. Teresiæ, exhibitis lectionibus propriis. Opposui autem, admissa veritate charismatis, cum petitio inniteretur actuali conservationi cordis in ecclesia monialium Sanctissimæ Incarnationis Albæ, in quo cicatrix apparere dicebatur, opus esse ostendere cor S. Teresiæ, quod ad publicam venerationem exponebatur in Hispaniis, cicatricem adhuc retinere immissione jaculi formatam; et multa attuli exempla charismatum Sanctorum, quæ utique vera erant, at in quorum tamen memoriam peculiare Officium non recitabatur. Postulatores vero, judicialibus congestis probationibus, vulneris impressionem adhuc extantem et visibilem in corde ostenderunt, exemplaque attulerunt charismatum aliorum Sanctorum, quæ peculiari Officio in nonnullis ecclesiis colebantur, licet ipsorum mentio haberetur in lectionibus secundi Nocturni quæ die festo dictorum Sanctorum recitabantur. Itaque die XXV Maji MDCCXXVI, approbante Summo Pontifice Benedicto XIII, facta est Ordini Carmelitarum *et præ cæteris processus anni* 1726;

AUCTORE V. D. M.

A Excalceatorum utriusque familiæ concessio Officii proprii transverberationis cordis S. Teresiæ cum lectionibus propriis.

e quo excerpta medici testificatio allegatur.

1439 *Ad hunc Benedicti XIV locum adjicit P. Fredericus* (*loc. cit.*) *explicationem quamdam, haustam e juridicis factis eo tempore in Hispania processibus. Nimirum, cum, juxta postulatum promotoris fidei, S. Congregatio demonstrationem exigeret actualis conservationis cordis Teresiani, apparentisque in eo cicatricis,* XXV Januarii MDCCXXVI, *ut ait P. Fredericus,* Franciscus Antonius Espinosa, vicarius generalis Salmanticensis, Albæ in juridica forma sacrum cor visitavit. Post diligentes et minutas observationes quas illic fecit cum duobus medicis, chirurgo, hominibusque qui tunc temporis ætate provectiores erant, nullus fuit qui non recognosceret prodigia incorruptionis et sensibilis vulneris, aut qui recusaret sub jurisjurandi sacramento ea testari. E pluribus seligo testimonium chirurgi Emmanuelis Sanchez. Is itaque affirmavit cerni in hoc corde aperturam seu scissuram transversalem in parte anteriore et superiore dicti cordis, cujus fissuræ latitudo modica est et superficies nitidissima; ac constare intimam partem et
B cavitatem dicti cordis penetrata fuisse; et liquere ex forma hujus aperturæ eam summo cum artificio et instrumento subtilissimo valido nec parvo factam esse, et tantum circum eamdem aperturam aliquot signa ignis aut combustionis animadverti. *Licet igitur directa et authentica documenta non existant de ipsa cordis extractione, quæ quasi furto ab aliquot monialibus facta videtur, attamen ipsa S. Matris narratio, continua populi fides, plurium scriptorum auctoritas, ac præsertim institutum post juridicam informationem speciale festum transverberationis, hanc realem physicamque fuisse sufficienter probare videntur : sicut jam ante præmonui* (*num.* 227).

investigatur quando excisum fuerit cor.

1440 *Scire insuper cupiet lector quæ sacri illius pignoris fuerint fata, et quæ ejus virtus, sive quæ per illud aut circa illud patrata miracula. Quod cordis excisionem attinet, D. Boucher* (*tom.* II, *pag.* 459) *censet hanc referendam esse ad annum* 1594, *quo coram Ven. Anna a Jesu discoopertum est feretrum. Suæ autem opinionis non aliud fundamentum promit quam quod D. Franciscus Ramirez, medicus Albanus, triennio ante, nempe anno* 1591, *coram episcopo Salmanticensi corpus*
C *examinans, dixerit interiora, quæ sunt corruptu facillima, a dicto corpore numquam fuisse extracta* (*vide Acta canonizationis, num.* 1120 *hujus Commentarii*). *At Ramirez recte affirmare potuit intestina corpori immansisse, etsi inde extractum esset cor. Ergo videtur D. Boucher infirmo hoc argumento fuisse hallucinatus : ita ut aut opinio amplectenda sit P. Antonii a S. Josepho, qui, tacens quo nitatur fundamento, dicit fuisse anno* 1591 *excisum S. Matris cor, et simul vulnus quod in eo fecerat Angelus, tum animadversum cum episcopus Salmanticensis primam de corporis statu juridicam informationem instituit* (*t. IV, epist. seu script.* 76, *not.* 4); *aut sequenda sententia P. Philippi a SS. Trinitate, qui in sua Mystica Theologia* (*part.* III, *tract.* III, *art.* VIII) *affirmat, cum mense Novembri anni* 1585 *e decreto capituli generalis Alba auferendum esset sacrum corpus, et cum abscinderetur a P. Gregorio brachium Albæ permansurum in aliquantulum spoliatarum reliquo corpore solatium, monialem quamdam audax concepisse propositum retinendi sibi cor amantissimæ suæ Matris, eamque monialem longo tempore apud se servasse inclytum illum thesaurum, donec tandem, morsu vellicata conscientiæ, pium suum furtum confessa, illud restituit uni e superioribus suis : ac censet P. Fredericus plenam hic fidem adhibendam P. Philippo a SS. Trinitate, licet multo post eventum tempore hic auctor scripserit. Ex una enim parte, ait, in anterioribus historicis non reperitur relatio de modo quo cor a corporis trunco separatum custoditumve fuerit, et ex altera parte nil a verisimilitudine in ea narratione est alienum, cum facilitas quam P. Gregorius in abscindendo brachio expertus fuerat, facile animos addiderit moniali, ut idem tentaret in abscindendo corde.* D

quæ quæstio e vetusto musæi nostri codice

1441 *Dum P. Fredericus fugere se hic fatetur omnem de cordis excisione anteriorem P. Philippo mentionem, felici sorte inspicere nobis obtigit codicem manuscriptum coævum, qui compendium continet processus quem episcopus Salmanticensis anno* 1591 *ad parandam beatificationem instituit et in quo de exciso corde sermo fit. Vetus hoc de quo loquor instrumentum, Roma nobis nuper permissum et jam pluries sub nomine Summarii a me citatum, in exteriore codicis parte sic inscriptum est :* Sacræ Rituum Congregationi Hispaniar. Beatificationis : pro Serva Dei Teresia de Jesu Carmelitar. Discalceator. Fundatrice. Facti etc. Summarium; *continetque* 1° *ea quæ de heroicis virtutibus et sanctitate vitæ Ven. Servæ Dei Teresiæ a testibus prolata sunt, addita subscriptione Alexandri Falciani, et* 2° *ipsum facti Summarium, præviis nominibus, cognominibus et ætate omnium testium qui in eo Summario citantur. Atqui in posteriori hac parte, ad num.* 23, *hæc leguntur :* 43 testis (*quæ erat Catharina a S. Angelo, Carm. Exc. Albæ,* 60 *annorum*) examinata Albæ super 95, quod personæ spirituales dixerunt, et intellectum fuit S. Matrem obiisse ex magno impetu percussam dilectionis divinæ : et videtur testi id magnum esse indicium quod ita sit, sicut articulus illud dicit, videns quod, quando post multos annos extraxerunt cor S. Matris pro reliquia, et hodie extat in hoc conventu, existebat ex uno latere crepatum, sicut ipsa testis illud vidit, quia suis in manibus illud posuerunt, quando illud extraxerunt (In p^{a} par. Salam. fol. 569). E

multum dilucidatur.

1442 *Ergo secundum vetus hoc certumque documentum standum est narratione P. Philippi aut ea P. Antonii. Neque est cur quis absterreatur a prioris sententia ob verba Catharinæ a S. Angelo, dicentis extractum fuisse cor post multos ab obitu* Teresiæ *annos, quibus verbis prima fronte major quam trium* (1582-1585) *annorum numerus innui videtur. Hispana enim vox* muchos, *qua usa probabiliter est testans monialis, interpretationem triennis spatii non excludit. Si vero cum P. Antonii opinione hoc Catharinæ testimonium conciliare velimus, necesse est dicamus cordis excisionem factam brevi valde tempore antequam episcopus Salmanticensis, eo quoque anno* 1591, *corporis visitationem instituerit. Ex ea Catharinæ testificatione patet plures excisioni interfuisse; quod verbis P. Philippi contrarium non est, cum monialis, dux facti, adjutrices et spectatrices habere potuerit plures. Interim transfixi cordis status eo testimonio multum confirmatur, moniali cum jurata fide asseverante in hæc verba :* Existebat cor ex uno latere crepatum, sicut ipsa testis illud vidit, quia suis in manibus illud posuerunt, quando illud extraxerunt. *Tandem constat versus annum* 1614 *notum fuisse sacri illius cordis statum. Nam, ut legi potest in Actis canonizationis, Sacræ Rotæ auditores in Relatione prima, quæ Paulo V facta est* II *Januarii* 1614, *hoc modo loquuntur :* Prædicta incorruptio, odor et liquor non solum reperiuntur in corpore Servæ Dei, sed F

etiam

A etiam in illius brachio, corde, manu et aliis fragmentis carnis, et reliquiis ejusdem virginis a corpore segregatis.

Pluries cor calore suo tubum crystallinum findit: aliaque mira notantur,

1443 *Nacti igitur superiores Ordinis S. suæ Matris cor, incluserunt illud theca ita conflata e pellucida valde crystallo ut forinsecus rite conspici posset. At, fissa cum hæc crystallus reperta esset, ruptæ nova substituta est, quæ et ipsa crepuit. Pluries hoc ut evenerat, id consilium approbatum est ut superior thecæ pars maneret aperta, qua calor abiret. Istius facti testem citat P. Fredericus Præpositum Generalem Congregationis suæ, P. Philippum a SS. Trinitate, qui in sua Theologia mystica (loc. cit.) ait,* non semel tantum, sed sæpius crepuisse crystallum : unde, necessitate cogente, opus fuit in superiore parte custodiæ foramen relinquere. *Atque in processu anni* 1726 *citatus testis sub juramento asseveravit se quadam occasione vidisse eam ruptionem crystalli qua cor capiebatur, ac se audivisse ab hominibus omni exceptione majoribus, illam fissionem exhalatione sacri cordis effici. Aliusque testatus est ea crystalli fragmina, aut tota aut ex parte, Salmanticæ asservari apud Josephum Gonzalez. Hæc pariter confirmantur epistola priorissæ Albanæ,*
B *Alphonsæ Mariæ a Præsentatione, scripta* 1 *Maji* 1751, *et superius a me pluries laudata* (§ LXX). *Quod addit P. Fredericus de pari in rumpendo tubo efficacia particulæ cordis, quæ apud Lucronienses Carmelitanas asservatur, prætermitto, quia de Reliquiarum harum authenticitate, ut ipse fatetur, non constat. Nec tamen quis inde concludat, et hic et passim alibi, talia quæ omitto, me habere pro falsis, dum ea tantum habeo pro non sufficienter probatis. Porro in supra memorato anni* 1726 *processu plura, quæ refert P. Fredericus, continentur testimonia de exhalatione manante ex* Teresiæ *corde.*

v. g. bonum id spirare odorem, et interdum inflari,

1444 *De alio autem prodigio jam pauca dicam, de bono videlicet odore, quem cor Teresianum spirasse jam affirmarunt anno* 1614 *citati superius auditores Rotæ. De hoc Philippus Lopez, capite* XLIII *concinnatæ a se ex authenticis manuscriptis Vitæ Teresianæ, quam P. Fredericus (Introduct. pag.* XIV) *dicit maximi esse pendendam, asseveranter scribit,* licet quævis particula carnis S. Matris magnam fragrantiam spiret, eam tamen quæ a corde efflatur, esse maximam, et quidem solemnibus potissimum festis talem, ut cui comparetur, nesciatur; quin
C hanc cordis fragrantiam aliis rebus odoriferis quæ juxta id apponuntur, suum odorem communicare, eisque auferre naturalem illarum spirandi qualitatem. *Illius quoque formam quandoque augescere testantur plures, quos adducit P. Fredericus. Inter hos P. Philippus a SS. Trinitate (in Decore Carmeli) dicit* se certa relatione didicisse, cor illud, virtute magnum et etiam ordinarie magnum mole, crescere aliquando. *Cumque illud anno* 1650 *Præpositus Generalis manibus reverenter teneret, subito duplo majus quam assolet, apparuit, aliisque luxit mirabilibus visis, qualia modo referam.*

ac in eo varias imagines conspici;

1445 Scilicet in insignioribus S. Teresiæ Reliquiis, *ait P. Joannes a S. Ludovico in Vita sua Teresiana (lib.* VI, *cap.* V, *in append.),* conspiciuntur subin variæ imagines Christi, B. Virginis vel Sanctorum. Singulare id est prodigium quo Deus S. Teresiæ Reliquias honorat, et cui in dies experientia fidem facit majorem, quoniam visi illius innumerabiles fiunt testes (*hispanice :* se multiplican a millones los testigos). Inter hos sunt episcopi, Ordinis Generales, prælatique majores, integræ communitates, virique cujuslibet gradus et ordinis, qui id ostentum tam asseveranter confirmant quantum id genus rerum confirmari potest, et qui simul testificantur sensus quos in se gignit tale spectacular, ingentemque admirationem, dum norunt inter multos, eamdem Reliquiam intuentes, alios alias videre repræsentatas sibi imagines, et quidem divinitus ita sculptas, ut conspicientes idem in se experiantur ac si reapse ille adesset cujus figura apparet. *Exemplis rem confirmemus ac stabiliamus.*

AUCTORE V. D. M.

D

quod testantur Generalis et historiographi Ordinis,

1446 *Imprimis, teste eodem P. Joanne a S. Ludovico, et Anno etiam Teresiano (tom.* VII, *pag.* 311), *ubi dicitur ipsius instrumenti subscriptum originale Madriti in Ordinis archivo servari, P. Hieronymus a Conceptione, Præpositus Generalis, cum visitasset veneratusque esset cor S. suæ Matris, manibus illud tenendo, et cum postea jussus esset a successore suo litteris mandare ea quæ fuerat expertus, præmisso jurejurando contestatus est se sociumque suum P. Gregorium varias Christi Beatæque Virginis Mariæ species in eo fuisse contemplatos. Item P. Emmanuel a S. Hieronymo, Ordinis historiographus, in Chronico hæc de se scribit :* Quando anno MDCCV diffinitor generalis eram, Albamque perrexeram S. Matrem veneraturus, mihi, quantumvis indigno, concessum est videre in corde S. Teresiæ perfectam et ex toto proeminentem E
imaginem Mariæ Sanctissimæ, brachio sinistro pretiosum suum Filium et manu dextera aureum sceptrum gerentis. Meus socius, qui similiter diffinitor erat, vidit eodem tempere in eodem Sanctæ corde imaginem nostri Patris S. Josephi. Et hæc ostenta toties repetuntur, ut, quamvis prodigium esse non desinat, evidentiam gignat morali evidentia majorem (*lib.* XXVI, *cap.* XXIII, *num.* 10).

auctor Musæi Picturæ, aliique.

1447 *En rursus a P. Joanne a S. Ludovico aliud exemplum haustum ex Musæi Picturæ tomo I (ubi agitur de tabula Jesu Christi quam S.* Teresia *Abulæ collocandam curavit)* : D. Antonius Palominus, ob suam in ingenuis artibus habilitatem longe lateque celeber, refert quid coram se contigerit inclyto pictori D. Francisco Rici, hujusque discipulo Alphonso de Villaseca, in civitate Abula. Binos hos secum duxerat, conspecturos Reliquiarum thesaurum ibi asservatum, inter quas digitus habetur S. Teresiæ, pyxide crystallina conclusus. Cum hi attento oculo hunc considerarent, dixit D. Franciscus Rici se non digitum videre, sed effigiem S. Teresiæ cum altera supra eam B. V. Mariæ; atque id quoque se videre asseverabat ejus discipulus. Mirati circumstantes vim sinceritatemque qua id affirmabant, cum veraces haberentur et dignissimi quibus plena præberetur fides, id inierunt consilii, siquidem uterque erat pictor, ut in dirempto ab invicem loco morarentur, et citra communicationem ullam ostentum penicillo referrent. Dictum factum : et magna omnium qui ad noscendum eventum concurrerant admiratione, dictas superius imagines eadem plane forma uterque produxit. *Simile portentum frequenter etiam hodie (id est ad annum* 1813) *conspici, narrat idem P. Joannes a S. Ludovico, in Turiasonensium Carmelitanarum S. Annæ cœnobio, quod pretiosis gaudet S. Matris suæ Reliquiis : additque idem Pater, multiplici observatione super variis iis quæ oculis ibi objiciuntur imaginibus, persuasum esse talia repræsentari visa quæ accommodata sint interiori aspicientis necessitati, ejus cum Sancta relationi, aut cœnobii illius utilitati.*

F

Atque id contigit aliquando etiam in parvis particulis.

1448 *Quinimo minor nonnumquam sacri cordis Teresiani particula hujus privilegii expers non fuit. Argumento est id reliquiarium quod, apud P. Fredericum, ab Hispanæ Congregationis Generali, P. Josepho a S. Matre Dei, anno* 1614 *missum legitur*

AUCTORE V. D. M.

A *legitur Angelopolim* (*vulgo* Puebla de los Angeles, *in America*), *et in quo pias se conspexisse figuras pleræque Carmelitanarum cœnobii civitatis illius sub juramenti fide sunt testatæ. Isque erat apparitionum illarum numerus ac varietas, ut, sicut jam citatus P. Emmanuel in Ordinis Chronico scribit, ea Reliquia vulgo appellaretur* quædam cœli fenestra. *Aliquot ante annis quam P. Emmanuel suum Chronici volumen scriberet, doctissimi et ubivis terrarum probatissimi Salmanticenses theologi, agentes de debito Sanctorum Reliquiis cultu* (*tom. II de Incarn., tract.* XXI, *disp.* XXXVIII, *dub.* I, *num.* 6) *ponderosa hæc verba veriti non sunt exarare, digna profecto quæ pro coronide citem post allatam tantam nubem testium :* Caro Matris nostræ S. Teresiæ post 105 annos mirabilem suavemque incorruptionem conservat, et ipsius cor est quasi miraculosum omnipotentiæ speculum, in quo mysteriose et plane supra naturam, imaginum apparitiones occurrunt. *Supersedeo enarrandæ e P. Joanne a S. Ludovico conversioni duorum incredulorum, qui ad fidem frugemque redierunt, postquam, id prodigium in conventu Turiasonensi S. Annæ suis experti oculis, omnimodam in perscrutanda veritate adhi-*

B *buissent diligentiam et cautionem. Ast, cum P. Ludovicus horum virorum, quos ad insignem familiam pertinuisse dicit, et qui fortassis anno* 1813 *in vivis adhuc erant, taceat nomen, compendio hæc attulisse sat esto.*

Fides adhibenda videtur memoratis hactenus prodigiis,

1449 *Prodigia quæ hactenus dixi in S. Matris corde contigisse, aut silentio præteriissem, aut, postquam exposuissem, commenta et mera inania phantasmata ea esse pronuntiassem, nisi multæ et ponderosæ testificationes, quales aliquot attuli, me, e justæ critices regulis, coegissent narrata ea prodigia conspectaque visa pro veris habere, et qua talia lectori proponere; quamquam non diffiteor in hujusmodi rebus, illæsa generatim prodigii substantia, veritati falsa quædam subinde posse subrepere, ludificante imaginatione. Atque eo cautiorem et suspiciosiorem me reddunt ea quæ, ut mox dicam, aliqui hodie in corde* Teresiæ *falsa comminiscuntur. Sed, iterato fateor, testimonia tot proborum et doctorum virorum, quales sunt Ordinis superiores, adeoque ipse Præpositus Generalis, et æstimatissimi Salmanticenses theologi, minime sinunt ut pristina rite probata facta ob sparsas hodiernas fabulas rejiciantur: quin potius, cum populi ita proclives sint ad admit-*

C *tenda nova in Teresiano corde miracula, non alia propensionis illius causa esse videtur, quam quod constiterit constetque vera in eo aliquando fuisse patrata. Falsus ille cujus memini rumor de recentibus in corde S.* Teresiæ *portentis pervenit ad me diversis e locis, et potissimum innotuit mihi ex epistola scripta ab ipsa priorissa Albana, cujus conventus non tantum corporis S. Matris, sed et excisi ex eo cordis possessione gaudet.*

non tamen recentioribus quæ feruntur, et quale unum exponitur.

1450 *Per fidum et obsequiosissimum amicum, R. P. Puyal S. J., percontandam priorissam rogaram, primum utrum mira talia visa, qualia olim animadversa retuli, adhuc hodie subinde in corde animadverterentur, et deinde utrum verum esset aliud portentum, quod mihi Madrito affirmatum erat et quod in Italia noram percrebescere, nempe utrum herbulæ quædam, ceu alba spinarum puncta, ab anno hujus sæculi trigesimo sexto, in reliquiaria theca ex deciduis cordis particulis subcrescerent. Ecce R. M. Priorissæ acceptum a me responsum, quod exscribo ex autographa, quam penes me habeo, ejus epistola, sub data* IX *Julii* 1843 *et cum subscripto nomine* Ramonda de S. Teresa. *Sic verbotenus id sonat :* Parece que se han dedicado a esparcir noticias de la Santa, sin pies ni cabeza. Escriben de las Andalu- D
cias, de Murcia, Valladolid, Francia, Italia ecc., paraque los aseguremus de mil bobadas que dicen (en cada parte distintas) se advierten en el santo corazon : unos lo dicen de un modo, y otros de otro; y nada es cierto. *Id est latine :* Existere videntur homines qui se devoverint serendis inconditis de Sancta rumoribus. Scribitur ad me e Bætica, e Murcia et Vallisoleto, e Gallia etiam et Italia, aliisque e locis, ut rationem reddam mille nugarum, e quoque loco diversimode propositarum, quæ feruntur notari in sancto corde. Alii ex iis hoc modo loquuntur, alii illo; et nihil certi habetur. *Nec quis suspicetur has voces :* Y nada es cierto, *aliquod relinquere dubium : nam R. P. Angelus Praxedes Hijosa, qui Ordinis Teresiani in Castella Vetere, quando monasteria supprimebantur, provincialem agebat, et per quem illa priorissæ Albanæ epistola ad R. P. Puyal et dein ad me pervenit, sic in adjuncta epistola scribit :* Con ella (carta) creo que se destruye todo cuanto sobre el particular me leyó V. en la de allende : y no podia ser otra cosa. Inclusa hisce litteris meis M. Priorissæ epistola refutantur quæcunque inde perscribuntur (*scilicet ea quæ ego inaudieram, et de quibus Hispanos percontabar*) : neque aliter esse poterat. *Provincialem autem sane non fefellisset portentum adeo mirabile, quale illud fuisset excrescentium in arido cordis pulvere spinarum, cujus incertus vel solus rumor non modicam remotorum Italorum Belgarumque curiositatem excitabat. Atque hac ratione, quidquid demum fuerit, partes meas exsolvi : nil enim quidquam ulterius facere valeo quam referre relata. Porro* (*quod obiter notare liceat*) *id pro specimine sit quanta sit difficultas et errandi periculum in indaganda dissitarum rerum veritate, cum investigatio unius hujus rei constiterit scriptione vel septem epistolarum.*

Per effigiem cordis S. Teresiæ *plura facta sunt miracula,*

1451 *Tot portentosi cordis Teresiani mirabiles effectus induxerunt Albanos cives ut e serico chartaque conficiant ejus imagines. Hæ coloris rubri plerumque sunt, et, sancti cordis contactu sacratæ,* corda S. Teresiæ *vocantur, ac magno numero etiam extra Hispaniam circumferuntur. Imo indulgentiæ aliquando annexæ his videntur fuisse : præ oculis enim mihi est chartacea istiusmodi effigies Teresiani cordis, subter quam hispanice leguntur impressæ hæ voces :* Illustrissimus Dominus Joannes Saez y
F Burnaga, archiepiscopus Cæsaraugustanus, concedit octoginta dies indulgentiarum recitantibus semel « Pater Noster » et « Ave Maria » coram hac imagine S. Teresiæ a Jesu. *Sæpe Deus dignatus est illarum iconum ope mirabilia patrare. Apud Honoratum a S. Maria, in opere inscripto Animadversiones super regulis critices* (*tom. III, lib.* V, *diss.* VI, *art.* VII), *miraculosa hujusmodi legitur sanatio, quam anno* 1699 *testificati sunt tres medici sequenti instrumento, quod ex latina Venetiis anno* 1768 *excusa P. Honorati traductione hic exhibeo.*

quorum unum probatur.

1452 Nos infrascripti, ad majorem Dei gloriam, atque de veritate interrogati, testamur, cum vocati fuerimus a Jacobo comite Aliberti, ut consilium haberemus super morbo filiæ ejus, sanctimonialis in monasterio septem Dolorum, vulgo ducissæ de Latere, quæ viginti septem annos nata, laborabat jam pridem hydropisi, anasarca dicta, reperisse nos feria sexta, eadem sexta die mensis hujus, præter tumorem utriusque cruris partiumque superiorum, obnoxiam fuisse illam respirationi tam difficili, admodumque suffocanti, ut censeremus ægrotam indigere magis remediis cœlestibus quam humanis;

DIGITUS ABULÆ.



DIGITUS
BRUXELLIS.





MANUS
ULISSIPONE.



THECA RELIQUIARUM.
PARISIIS.

Car. Onghena Sc.

RELIQUIÆ S. TERESIÆ.

A humanis; quippe non poterat ob perpetuas convulsiones œsophagi atque asperæ arteriæ vel unum juris cochlear exsorbere. Interea tamen, dum super hac re deliberationem haberemus modica cum spe vitæ illius dimidia hora ante occasum solis, extemplo nuntiarunt nobis sanctimoniales lætantes ac sollicitæ, ægram repente convaluisse meritis S. Teresiæ, cujus Reliquia ejus pectori admota fuerat. Nos itaque statim ad ægram properavimus, reperimusque omni morbo sanatam, ut posset e lecto surgere : immo suis quoque manibus juris partem hausit coram nobis, et testata est optime se valetudini jam restitutam esse. Quod fieri nullo modo poterat sine remediis, nullaque prævia vel minima crisi, nisi miræ gratiæ cœlestis virtute : multo vero magis, cum decimaquinta dici posteræ hora nobis ad eam invisendam accedentibus obviam ipsa venit in janua monasterii præclara facie omnibusque bonæ valetudinis signis, narravitque se præcedenti nocte recumbentem in lecto octo continenter horas quievisse; quod multos ante annos nullo modo potuerat. Quare non dubitamus asserere sanationem hanc miris modis accidisse : judicium tamen nostrum sacro huic Tribunali subjicimus, ad quod
B attinet miracula confirmare. In quorum fidem, etc. Datum pridie idus Feb. Joannes Maria Lancisius, medicus. Emmanuel Lopez, etc. Testor ego quoque super his quæ dicta sunt, atque ægram a symptomate convulsionis et suffocationis, quod nobiles vitæ partes vexabat, non artis ope, quæ ictu oculi sanare nequit, sed gratiæ divinæ miseratione liberatam fuisse. Ægidius Raspinus, med. *Hucusque ex diplomate italico; in quo, quod sacra Reliquia dicitur, nihil aliud est quam unum ex descriptis S.* Teresiæ *cordibus. Constat id ex epistola quam diffinitor generalis Romanus dedit ad Carmelitam Excalceatum Tolosanum, hac de re sciscitantem. Ille quippe, a monialibus admonitus ægrotam in extremis jacere, sericum illud cor præmiserat, perrexeratque dein ad infirmam, cum S.* Teresiæ *pede, quocum ei, licet jam sanatæ, benedixit. Hanc quoque diffinitoris epistolam legesis apud laudatum P. Honoratum eodem loco. Similia plura beneficia divinitus per hujusmodi Teresiana corda impetrata exhibentur a P. Antonio a S. Joachim in Anno Teresiano* (*tom IV, pag.* 47, *et tom V, pag.* 51.)

Officium ac Missa transverberationis conceduntur.

C 1453 *Ergo copiosa adeo tantaque inter prodigia quæ Deus in Teresiano corde operabatur, ad instantias totius Carmeli Excalceati, et, ut ait citato a me supra loco Benedictus XIV, postquam postulatores, judicialibus congestis probationibus, vulneris impressionem adhuc extantem et visibilem in corde ostendissent,* XXV Maji MDCCXXVI, approbante S. P. Benedicto XIII, facta est Ordini Carmelitarum Excalceatorum utriusque familiæ concessio Officii proprii transverberationis cordis S. Teresiæ cum lectionibus propriis. *Duobus vero annis post, die scilicet* XVII *Martii* 1728, *idem Pontifex concessit in hoc Officio non tantum orationem et lectiones, verum etiam proprium fieri reliquum Officium et totam Missam. Adverto in hoc ita innovato Officio sextam lectionem his claudi verbis :* Cum autem illius cor incorruptum, ac transverberationis signis decoratum, in ecclesia Sanctissimæ Incarnationis monialium Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Albæ repositum, frequenti et pio concursu Christi fideles in præsentem usque diem venerentur, iis omnibus perspectis, Benedictus XIII Pontifex Maximus solemnitatem hanc, ad recolendam insignis prodigii memoriam, in eodem Ordine quotannis celebrari concessit. *Atque, ut notat P. Fredericus, in honorem hujus prodigiosi vulneris recitatur etiam Officium a PP. Carmelitis Observantibus; et sub pontificatu Clementis XII, decreto S. Rituum Congregationis, dato* XV *Septembris anno* 1732, *extensum id fuit ad imperialem civitatem Vindobonensem, et dein altero decreto, emisso* XV *Decembris* 1733, *concessum illud est omnibus Hispaniarum regnis.*

AUCTORE V. D. M.

D

et etiam indulgentiæ : quæ omnia communia sunt Carmelo Calceato.

1454 *Tandem Benedictus XIV litteris quibus initium est :* Dominici gregis, VIII *Augusti* 1744 *in forma Brevis datis, indulgentiam plenariam concessit, in perpetuum lucrandam ab omnibus Christi fidelibus qui a primis Vesperis festivitatis transverberationis Teresiani cordis usque ad solis occasum ecclesias Carmeli Excalceati visitarent. Hæc quidem Hispanæ Congregationi concessa : verum, cum Clemens VIII in Bulla :* In apostolicæ dignitatis culmine, *data* XIII *Novembris* 1600, *Italæ Excalceatorum Congregationi omnia privilegia, indulgentias, etc. Congregationi Hispanæ quomodocumque concessa aut concedenda communicarit* (*vide Bullarium Romanum, tom. III, pag.* 112, *edit. Luxemburg.*), *liquidum est hanc indulgentiam ad Italum quoque Carmelum extendi. Atque idem dixerim de Carmelitis Calceatis, quoniam Clemens X, Bulla :* Ad uberes bonorum operum fructus, XXXI *Octobris* 1670 *data, communicavit aut confirmavit his B. M. de Carmelo Fratribus usum omnium privilegiorum, indulgentiarum, etc. quæ concessa fuerant aut quæ in posterum concederentur Excalceatis* (*vide Bullarium Carmelitanum, tom. II, pag.* 577). *Nec mirum est, post tot in sacris iis cordis Reliquiis ostenta, totque divinitus a piis earum cultoribus impetrata beneficia, pretiosissimas et affabre factas lipsanothecas pluries fuisse destinatas. Hujuscemodi theca legitur in Anno Teresiano* (*ad* XXI *Aprilis*) *donata anno* 1667 *a Generali Præposito Ordinis B. Mariæ de Mercede, Petro de Salazar, qui postea S. R. E. Cardinalis fuit, et qui cum provinciali ejusdem Ordinis, Antonio Isasi, visitans sacri cordis Reliquias, plura quæ in Anno Teresiano referuntur, prodigia suspexerat. Illius thecæ meminit quoque Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*p.* 368). *Item hujusmodi altera, eodem Anni Teresiani opere* (*ad* XVI *Decembris, num.* 3), *oblata consignatur ex P. Joanne a S. Josepho, qui in relatione de mirabili lampadum in Albano sacello motione* (*de qua ibi sermo*) *habet sequentia :* Anno 1671 die festo S. Matris nostræ Teresiæ... Missæ Sacrificium pontificali ritu litavit Ill. Dominus D. Fr. Alphonsus de Balmaseda, episcopus Cosanus in regno Neapolitano; advenerat scilicet secum ferens lipsanothecam ex auro, adamantibus aliisque gemmis, quam pro Matris nostræ S. Teresiæ cordis custodia fabrefaciendam mandaverat Excellentissimus Dominus Joannettus Doria, dux de Tursis. *Non dubito quin ea sit theca quæ in adjuncta huic paragrapho tabula sculpta conspicitur.*

E

F

§ LXXIII. De S. Teresiæ manu et brachio sinistro, de digitis manus ejus dextræ, de pede item dextro, deque aliis minoribus ejus Reliquiis.

Sparsæ S. Teresiæ Reliquiæ multæ sunt.

D*escripto sacri corporis cordisque statu, nunc ad cæteras S. Virginis Reliquias per orbem sparsas gressum facio. Ex authentico instrumento in po-*

AUCTORE V. D. M.

A *strema tumbæ apertione desiderabantur partes hæ : pes dexter, manus læva, brachium item lævum, cor, fragmentum maxillæ, oculus sinister, aliquot costæ et ossa, potior pars colli, pluraque ex carne segmenta, quæ decisa esse non pauca aut saltem non exigua patet ex anterioris visitationis anno* 1616 *factæ instrumento, quod testatur tantam esse a sancto corpore resectam carnis copiam ut ex ea innumeræ Reliquiæ per Christianum orbem existant. Jam retuli superius multorum intemperantiam in dissecando corpore ad arroganda sibi aliquot pretiosarum exuviarum illarum spolia, non parcente, ut P. Fredericus ait, sacræ carni piorum manu, cui edax voracissimæ mortis pepercerat dens. Specimen habes illius aviditatis in P. Thoma a Jesu, qui, cum delegatus esset a R. P. Generali ad modum ponendum, occluso bene sepulcro, piæ illi rapacitati, sibi ipse temperare non potuit ab evellenda costa decidendisque frustis tam immodicis ut magnitudine sua volam manus æquarent aut etiam superarent; sicuti scribit P. Franciscus a S. Maria, testis ipse præsens, imo spoliorum particeps* (*vide supra n.* 1054). *Præterea Ordinis præsides sagaciore studio, nempe ut S. Matris suæ cultus causaque canonizationis*

B *promoverentur, moti aliquoties fuere ad truncandum corpus, v. g. cum destinatus Romam fuit pes ad Patres Congregationis S. Eliæ, largumque carnis segmentum ad Paulum PP. V* (*vid. num.* 1073).

Decisa manus ejus sinistra :

1456 *Num.* 1037 *et seqq. fuse a me narratum est quomodo avulsa fuerit manus sinistra in prima corporis visitatione. Nil est quod hic addam præterquam* (*ut notat P. Fredericus lib.* V, *cap.* VII) *quod P. Gratianus, rogatu suorum in Lusitania fratrum et sororum, eam Ulyssiponem anno* 1585 *detulerit, sperans se rem gratissimam facturum tum principi Cardinali Alberto archiduci Austriaco, qui fundationi monialium ibi impense faverat seque illarum protectorem declararat, tum Lusitanis, qui pro sua in Deum pietate maximi faciebant amicorum Dei Reliquias. Cum hanc manum etiamnum in ea urbe existere percepissem, ad supplices meas preces Excellentissimus Raphael Fornari, archiepiscopus Nicænus, et S. Sedis tunc apud Belgarum, nunc apud Gallorum regem Nuntius, dignatus est curare ut sacrum id lipsanon delinearetur, quale id hic in ære sculptum conspicere est. Hierotheca illa ex deaurato ligno quadrangulari forma fabrefacta est. Latera singula crystallinis muniuntur speculis, e quibus ma-*

C *nus in centro posita super deaurati metalli basi, pretiosis gemmis ornata, quatuor e partibus aspectabilem sese præbet. Spatia alba, quæ in secundis et tertiis digitorum phalangibus cernuntur, foramina sunt, per quæ ossa apparent. Quatuor item alba spatia digitos inter et volam manus exhibent quatuor annulorum circulos, quorum unus a latere digiti auricularis hinc inspicitur.*

item brachium sinistrum :

1457 *Brachium sinistrum tum cum Alba S.* Teresiæ *corpus Abulam transferendum esset, fuisse abscissum Albæque in aliquale monialium solatium relictum, videri potest num.* 1041 *et* 1118 : *atque in hoc oppido hodiedum asservatur cum Sanctæ corpore, seorsim tamen; quod hic annoto, quia Baillet, ad* XV *Octobris in fine Vitæ S.* Teresiæ, *innuit illud brachium corpori, Albam relato, fuisse appositum et quodammodo insertum : in quo etiam Collet ansam aliquam fallendi præbet annotatione* VII *ad Vitam S. Joannis a Cruce* (*p.* 481 *edit. Paris.* 1826). *Scribit D. Robustianus Boada id brachium prope cordis thecam exstare conspiciendum per fenestram trans argenteos cancellos; nec tamen id delineavit, cum theca id nulla concludatur, sed quasi naturali suo situ innitatur basi argenteæ.*

1458 *Singulos dexteræ manus amputatos digitos asservari reperio Bruxellis, Parisiis, Romæ, Abulæ et Hispali. Hic postremus non aliunde mihi innotuit quam per epistolam inde initio anni* 1840 *scriptam, qua certior fio penes Carmelitissas Hispalenses simul cum digito permanere autographum Mansionum codicem, decemque epistolas et vasculum quoddam quo in extremo morbo Sancta usa est. Altero digito Roma gaudet; de quo P. Fredericus* (*loco quo supra*) *sic meminit :* D. Julius Rospigliosi, qui postea Cardinalis ac demum Summus Pontifex sub nomine Clementis IX evasit, quando Nuntium agebat in Hispania, principissæ Annæ Columnæ Barberinæ digitum indicem misit, inclytum videlicet illud instrumentum quo cœlestia sua scripta exaravit; atque pientissima ea domina illum elargita est recenti nostro cœnobio quod in Urbe exstruxerat sub titulo Reginæ cœli. *Abulensem quod spectat digitum in ecclesia Excalceatorum asservatum, quem nuper a D. Boada delineatum hic intueri est, sic de eo R. P. Angelus Praxedes Hijosa, Carmeli Excalceati in Castella Vetere olim provincialis, scribit in epistola* XXV *Julii* 1843 *ex ipso oppido Abula data ad R. P. Marianum Puyal S. J., et ab humanissimo hoc viro una cum plurimis aliis utilissimis documentis ad me permissa :* Peculiari attentione digitum S. Matris inspexi. Color illius cinnamomum refert non admodum flavum (*hispane :* de canela clara). Formosus est, minime obscurus, nedum ater, ne nigricans quidem. *Tubo inclusus stat crystallino, qui pedi probe cælato inhæret.* *item digiti dextræ; qui Hispali, Romæ, Abulæ,* D E

Parisiis

1459 *Denique digito medio* (*non vero indice, ut aliqui dicunt*) *ille etiamnum gaudet Parisiensis Excalceatarum conventus qui primus in Gallia olim erectus est titulumque habet Incarnationis. Qua via hæc domus eam Reliquiam adepta sit, rectius ac fusius quam P. Fredericus, narrat D. Boucher in Vita S.* Teresiæ (*tom. II, pag.* 465, *sive lib.* IX, *nota* n). *Scilicet anno* 1625 *digito illo ab Elisabetha, Henrici IV filia, et Hispaniarum regis Philippi IV conjuge, donatæ fuere moniales illæ quæ tum habitabant in suburbio vulgo S. Jacobi. Religiosi hujus thesauri bajula fuit domina de Fargis, quæ jussa erat lipsanothecam Parisiis conficiendam curare, et utrumque dein id donum porrigere Matri Magdalenæ a S. Josepho, illius cœnobii priorissæ* (*cujus virtutes fuisse heroicas declaravit Pius PP. VI*). *Adjunctæ huic digito erant litteræ testimoniales, quibus Julius Sacchetti, in Hispania Nuntius, fidem* F *faciebat medium S.* Teresiæ *dextræ manus digitum coram se a regina fuisse traditum dominæ de Fargis. Comites erant et alteræ litteræ, quibus regina Elisabeth perscribebat Magdalenæ a S. Josepho se donum illud ei elargiri. Quæ cum ita sint, non bene capio qua ratione P. Fredericus pluresque Galli asserant munus illud proxime deberi Mariæ de Medicis, quasi nata ejus regina Elisabeth, non prius Carmelitissis, sed matri suæ Mariæ illud præbuisset. Thecam sive arculam quam hic incisam æri cernis, ipso in loco graphice delineare dignatus est R. P. Art. Martin S. J. Capit insuper hæc arcula carnis S.* Teresiæ *particulam, quædam vestis ejus segmenta, autographum nomen, et acceptam primitus ex Hispania ejus effigiem.*

et Bruxellis sunt.

1460 *Quintus est auricularis digitus apud moniales Excalceatas Bruxellis, hic lamina ærea expressus cum theca sua cælaturæ perelegantis, cujus basis e cupro et encausto est, tubus vero cylindraceus e crystallo cum aureo ornatu. Sacrum hunc digitum pluries mihi datum fuit intueri, venerari religiosoque affectu deosculari. Breviter dicam statum illius, dicturus dein paulo fusius quomodo in Belgium venerit.*

A *venerit. Scribit Antonius Sanderus in sua Chorographia sacra Brabantiæ (quam anno* 1659 *Bruxellis edidit duobus tomis in folio) digitum S.* Teresiæ *ibi haberi cum carne sua incorrupta et oleo manante. At quod hic Sanderus de oleo affirmat, intelligendum esse duco de anterioribus temporibus quibus recens abscissus fuerat, eo quod in recitandis inferius a me documentis, quæ quadraginta circiter annis Sanderi elucubratione priora sunt, nulla illius prodigii fit mentio; quæ tamen facta sane fuisset, si ad ea tempora perdurasset. Postmodum auctor Chronici qui anno* 1706 *tomum V Madriti procudit (lib.* XIX, *cap.* XLVI, *num.* 2) *affirmat digitum Bruxellensem eousque perennare integrum, incorruptum, vividam lucidamque præ se ferentem speciem, cum alba carni inhærente ungue. Dein D. de Montis in sua Ven. Annæ a Jesu Vita (Parisiis* 1788, *l.* VIII, *p.* 280) *scribit illum formam suam conservare naturalem, et pelle obductum esse subobscura, cum ungue integro. Hodie vero color ejus est similis colori digiti Abulensis (vide num.* 1458); *inferne tamen tantillum nigrescit: cæterum integer est suaque vestitus carne, quæ videtur exsiccata, cohæretque rite carni unguiculus.*

Postremus hic, allatus a P. Gratiano,

1461 *Fallitur P. Emmanuel a S. Hieronymo,*
B *auctor tomi V Chronici, cum (loco paulo ante citato) affirmat Isabellam, Philippi II filiam, in Hispania in juvenili sua ætate adhuc degentem adeptam jam tum fuisse illum S.* Teresiæ *digitum; falluntur et plures alii qui id e Chronico exscribunt, v. g. P. Fredericus (lib.* V, *c.* VII). *Sed ecce vera illius Reliquiæ fata, hausta ex authenticis documentis quæ coram me habeo, mutuo accepta ex archivo Carmelitissarum Bruxellensium. Scilicet moriens P. Gratianus in Bruxellensi Carmeli Mitigati cœnobio, legarat sorori suæ, Hispali in Hispania Carmelitissæ, hunc digitum, quem olim, cum provincialis erat, de S.* Teresiæ *corpore absciderat, et quem exinde semper ad extremum suum usque diem e collo pendentem gesserat: narrante Andrea del Marmol in Gratiani Vita (capite* XX) *hunc aliquando in Africa reculis suis spoliatum a barbaris fuisse, et etiam hoc lipsanon amisisse, sed quasi per miraculum recuperasse (vide Annum Teresianum, tom. IX, p.* 342). *At sacrum id demortui peculium sibi arrogabat et superior Carmeli Mitigati et provincialis Carmeli Excalceati, variis uterque nominibus.*

attribuitur a Paulo V Belgii principibus:

1462 *Interim (quod horum neutri displicuisse*
C *videtur) serenissimi principes Albertus et Isabella, pro sua in res sacras pietate specialique in B.* Teresiam *religioso affectu, per Guidonem Bentivoglio, apostolicum in aula sua Nuntium,* XX *Octobris* 1614 *a S. Sede impetrarunt ut pretiosa ea Reliquia in Belgio maneret sibique cederet. Ergo juridico de ejus authentia facto* XIV *Novembris ejusdem anni a Nuntio processu, ex hujus manu* XXI *Februarii* 1615 *pii principes sacrum digitum acceperunt; quem octavo post mense, scilicet* XIII *Octobris, consignarunt Annæ a Jesu, Bruxellensium Carmelitissarum priorissæ. Sic per compendium habes præfata authentica instrumenta. Unum tamen illorum, quod majoris est momenti, verbotenus hic recitabo, nempe Breve Pauli V, archiducibus eam Reliquiam tribuentis: cætera vero ad pontificii jussi executionem pertinentia præbebo summatim. En igitur Breve, inscriptum Nuntio Bentivoglio:* Paulus PP. V. Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, quondam Hieronymus Gratianus, dum vixit, Ordinis Fratrum Carmelitarum professor in domo regulari dicti Ordinis oppidi Bruxellensis, Mechliniensis diœcesis, nuper diem extremum obierit, et ante obitum ordinaverit ut Reliquia unius digiti Beatæ Teresiæ, quam habebat, sorori suæ Ordinem Carmelitarum Discalceatarum in monasterio ejusdem Ordinis Ispalensi professæ consignaretur, dilecti autem filii Prior et Fratres dictæ domus prædictam Reliquiam eidem domui acquisitam esse prætendant, et insuper dilectus filius nobilis vir Albertus et dilecta in Christo filia nobilis mulier Isabella, infans Hispaniarum, archiduces Austriæ et Belgii principes, pro eo quem erga B. Teresiam ejusque Ordinem gerunt devotionis affectu, Reliquiam hujusmodi apud se habere plurimum desiderent; nos, singularem Alberti ac Isabellæ prædictorum pietatem in Domino plurimum commendantes, fraternitati tuæ per præsentes committimus et mandamus ut Reliquiam prædictam per Priorem et Fratres prædictos ac alios ad quos spectat, dictis Alberto et Isabellæ tradi et consignari facias, seu forte a dictis Priore et Fratribus Alberto et Isabellæ prædictis donatam ab eisdem Alberto et Isabella licite retineri posse apostolica auctoritate decernas. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domus et Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die XX E Octobris MDCXIV, pontificatus nostri anno decimo. S. Cobellutius.

AUCTORE V. D. M. D

quibus, facto legitimo prius processu, consignatur;

1463 *Hoc recepto Brevi, ipse Nuntius ad instantiam serenissimorum archiducum informationem canonicam instituit super veritate sacræ illius Reliquiæ, et sub juramento more sacerdotali solemniter præstito testimonia excepit,* 1° *a R. P. Inaco de Brizuela Ordinis S. Dominici ac serenissimis principibus a consilio status et archiduci a S. Confessione,* 2° *a R. P. Andrea de Soto Ordinis S. Francisci et serenissimæ archiduci a S. Confessione et commissario Ordinis sui generali in provinciis Belgicis,* 3° *a R. P. Ferdinando a S. Victore provinciali Carmeli Calceati per Germaniam inferiorem ac priore conventus Bruxellensis,* 4° *a R. P. Thoma a Jesu priore conventus Excalceati Carmeli Bruxellis. Postremus hic testis est excellens ille vir qui (ut num.* 1054 *dictum est) anno* 1603 *vel* 1604 *corpus S.* Teresiæ *visitavit tumbamque ejus firmiter occlusit, et qui, præter plures monialium conventus, conventus Fratrum suorum erexit Bruxellis, Lovanii, Coloniæ, Duaci, Insulis, Antverpiæ, Leodii, Namurci; ne quid dicam de Cæsaraugustano conventu in Hispania et de Dolensi in Burgundia, de missionum seminario S. Josephi Lovanii, de primis eremis (quas Carmelitæ dicunt deserta) ultra Pyrenæos in loco vulgo de las Batuecas, citraque Pyrenæos in silva Marlania prope Namurcum. Inter alia attestatus est P. Thomas a Jesu a triginta prope annis notum sibi fuisse P. Gratianum, perspectum sibi esse digitum quem ille penes se gerebat, ad S.* Teresiæ *pertinuisse corpus, et eo digito patrata fuisse plura miracula; quale est illud quod Ribera contigisse refert in Isabella a S. Hieronymo (lib.* V, *cap.* III). *Absoluto juridico hoc examine, Nuntius legitimas litteras confecit, quibus, apposito suo nomine appensoque intra pyxidem in cera rubra suo sigillo, sacram hanc Reliquiam consignavit serenissimis archiducibus.* F

sed mox ab eis ceditur conventui Excalceatarum.

1464 *Alterum denique authenticum instrumentum habent moniales Bruxellenses, quo Ven. Anna a Jesu* XIII *Octobris* 1615 *declarat conventum suum hacce Reliquia ejusque theca donatum fuisse a serenissimis Alberto et Isabella, sub ea conditione ne umquam ea Reliquia alienetur ullave particula ex ea decerpatur. Cum imperator Josephus II Carmeli prolem una cum aliis plurimis religiosis ascetis ex suis asylis dispelleret,*

AUCTORE V. D. M.

dispelleret, non alienatus, sed magis in tuto positus est digitus ille (ut legi potest apud Proyart ad calcem Vitæ Ludovicæ Borboniæ, quæ filia erat Ludovici XV, regiamque aulam regalesque delicias cum Sandionysiano asceterio felicibusque religiosæ vitæ asperitatibus commutarat, mutato etiam Francicæ principissæ titulo cum nomine Sororis Teresiæ a S. Augustino). Scilicet priorissa Bruxellensis fidissimo prænobili viro de Villegas d'Estaimbourg concredidit hanc Reliquiam, una cum spina coronæ Jesu Christi, et cum parte colli magnoque brachii osse S. Elisabeth Thuringiæ (quod Sanderus pro integro corpore, loco quo supra, non accurate habet). Exin spectabilis quædam domina e Belgio tute in Galliam intulit sacrum digitum, quem deposuit in abbatia Fontis Ebraldi, ut inde ad Sandionysianas Carmelitissas, inter quas postea extorres Bruxellenses victuræ erant, transferretur. Paucis iis diebus quibus abbatissa Fontis Ebraldi hunc thesaurum tenuit, sacros ei honores, quantos potuit, cum tota religiosa familia exhibuit. Cerei diu noctuque ante illum ardebant; et, cum tunc Sanctæ festa dies intercurreret, processionaliter circumlatus fuit, decantatumque solemniter Sacrum. Ut autem pius A

B *is thesaurus hora recreationi destinata ad Sandionysianum claustrum attigit, priorissa cum Teresia a S. Augustino aliaque moniali, non sine palliorum suorum ornatu tædisque accensis, inter confertas pioque plenas gaudio sorores eum intulit. Hoc lipsanon septimo post anno in Belgium relatum est a reducibus in patriam Bruxellensibus monialibus.*

Pes dexter Romam defertur;

1465 *Inter ea quæ adhuc memoranda restant, eminet pes dexter, qui Romæ apud Excalceatos in monasterio S. Mariæ de Scala colitur, et quem hic ex vetere icone repræsentatum habes. P. Fredericus (lib.* V, *cap.* VII) *enarrat quo modo Romani Patres insignem hanc Reliquiam impetrarint; quod latius adhuc videre est in Chronico (tom. IV, lib.* XV, *cap.* XXXVI, *et tom. V, lib.* XIX, *cap.* XI). *Prioris verba retulisse sat erit, sic inquientis :* Ven. P. Ferdinandus a S. Maria, Generalis Congregationis S. Eliæ, vir canonizationis S. Matris suæ promovendæ studiosissimus, animo recogitans et celebritati illius et honori Italicæ suæ Congregationis non parum augmenti accessurum, si qua insignis ejusdem Reliquia in Urbe coleretur, litteras dedit ad R. P. Generalem Congregationis Hispanæ, et submissis precibus validisque argumentis Sanctæ pedem ex-

C oravit. Æquam ac piam esse petitionem agnovit P. Generalis Hispaniæ, qui tunc erat P. F. Joseph a Jesu Maria, Romæ primum procurator generalis; ac de capituli generalis consensu ad P. Ferdinandum rescripsit ut in Hispaniam mitteret qui exoptatum donum reciperet. Ergo hic duos e subditis sibi Fratribus in Hispaniam direxit; utque gratus animus et filialis communem erga Matrem amor jugiter constaret, speciosam et divitem ex argento lampadem misit, quæ Albæ ante sacellum ubi corpus Sanctæ quiescit, semper arderet. In Hispaniam duo illi commissarii pervenientes, e manibus P. Josephi sacrum pedem authenticis munitum instrumentis acceperunt. *Qui porro Romæ excepta fuerit ea Reliquia, jam dictum fuit num.* 1073.

aliamque Reliquiam gratanter accipit Paulus V.

1466 *Nactus opportunam occasionem R. P. Generalis Congregationis Hispanæ, simul cum pede carnis particulam de S. Matris corpore desectam misit ad Paulum PP. V; qui quantopere sibi gratum esset id munus, sequentibus significavit litteris, quæ in Chronico recitantur (lib.* XV, *cap.* XXXVI, *num.* 11) : Paulus PP. V. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus quam ad nos misisti B. Teresiæ Reliquiam; quæ et pro merito tam illustris Christi Ancillæ, et pro nostra in eam devotione, D gratissima nobis fuit : eoque cum honore eam asservabimus quem promeretur. Laudamus vero pietatem tuam, qui Beatæ Parentis tuæ venerationi tantopere studes; quod et muneris tui est et religionis qua te decoravit Altissimus. Nos quidem quidquid tua et Ordinis quem regis causa facere in Domino poterimus, ubi opus erit, non omittemus. Interim invigila, ut facere te confidimus, gregi tibi credito, ut ab æterno Pastore retributionem accipias; quod tibi Dominus concedat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI Maji MDCXVIII, pontificatus nostri anno decimo quarto. Scip. Card. Sanctæ Susannæ.

Plures memorantur S. Teresiæ *cruces,*

1467 *Neque ipsi Patres Itali, deputati ad sacrum pedem Alba Romam afferendum, indonati rediere; sed, dum alteri altera donabatur S. Matris Reliquia, P. Benigno a S. Michaele donata est lignea ea crux qua olim S. Mater ad lacessendos retundendosque dæmones usa est et quæ sepeliendæ manibus implexa fuit. Cessit ea postea, ut ait P. Fredericus, Bononiensi Carmelitissarum cœnobio cui a S. Gabriele nomen est. Præter crucem hanc est et Bruxellis lignea S.* Teresiæ *crucicula, quæ ex una parte plane cupro obducta est, et sic inscripta :* Esta cruz llevó E ñra Sta Madre Teresa de Jesus en vida, y despues de muerte se alló en su cama. *Id est :* Hanc crucem gerebat S. Mater nostra Teresia a Jesu vivens, et reperta fuit in demortuæ lecto.



F

ac nominatim Bruxellensis.

1468 *Anna a S. Bartholomæo, quæ tumulandum Sanctæ cadaver composuit, eam crucem aliquamdiu penes se servavit, donec illam fuerit elargita Annæ a Jesu. Memoriale id amatissimæ suæ Matris pignus hæc, dum vixit, gestavit : Annaque vita functa, convenit inter moniales Bruxellenses ut quæ inter eas priorissæ munus obiret, pendulum hoc e cingulo gestaret pium insigne. Atque ille mos hodieque perdurat. Imo, ut de Montis narrat in Vita Annæ a Jesu (lib.* VIII, *pag.* 309, *secundum editionem Parisiensem* 1788), *ut primum anno* 1783 *exules Carmelitissæ Bruxellenses Sandionysianum conventum ingressæ erant, earum priorissa crucem hanc manibus imposuit Ludovicæ Francicæ, quæ eam tradidit Matri Juliæ quæ tunc ibi priorissæ officium habebat. Et quod narrat laudatus auctor, mihi confirmant Carmelitissæ hujates, quarum in gremio, me hunc Commentarium scribente, una diem clausit quæ sexagesimo abhinc anno præsens ibi aderat. Opportuna hic quoque mentio fiet alterius crucis de qua Annus Teresianus (tom. IX, p.* 343) *ex Vita Joannis Palafoxii*

SANDALIUM ABULÆ.



CLAVICULA
BRUXELLIS.





ROSARIUM
ABULÆ.



PES DEXTER
ROMÆ.

Car. Onghena Sc.

RELIQUIÆ S. TERESIÆ.

A *lafoxii* (*auctore Rosende, lib.* II, *c.* XVIII) *sequentia habet, excerpta de Palafoxiano codicillo :* Tibi marchioni de Aytona, vero amico dominoque meo, tam digno omnis reverentiæ multiplici ex nomine, lego ac dono unam crucem quam S. Teresia secum gerebat, et quam ego quoque, per certas mihi traditam manus, ad pectus meum gessi. Fer ergo eam et tu ad tuum pectus. Est digna quæ tuo majoratui annectatur, quippe cum ad tantam pertinuerit Sanctam. *Demum etiam hic memoranda est crux lignea, quæ S.* Teresiæ *gemmea apparere diu consuevit, et de qua alibi* (*num.* 221) *jam egimus.*

Os ex scapula Bruxellis.

1469 *Insignis altera quoque Reliquia, os integrum ex scapula quod claviculæ nomen habet, apud Carmelitissas Bruxellenses hodie asservatur, quale hic in vicina lamina cernis. Hæc Reliquia a Patre viceprovinciali, in hac urbe anno* 1833 *mortuo, iis legata fuit ea conditione ut Excalceatis viris restituatur, si forte Bruxellas postliminio regrediantur. Ecce authenticas de ea testimoniales litteras, quæ charta pergamena rite exaratæ exstant cum ipsius Thomæ a Jesu chirographo :* Jesus, Maria. Ego Frater Thomas a Jesu, vicarius generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum in superiori et inferiori
B Germania, ac prior conventus Bruxellensis ejusdem Ordinis, fidem facio et attestor me reliquisse in prædicto conventu quoddam os quod ego ipse ex corpore Beatissimæ Matris nostræ Teresiæ excerpseram, cum definitoris generalis officio in Congregatione Hispaniæ ejusdem Ordinis fungerer, prædictumque corpus sanctissimum de mandato admodum Reverendi Patris nostri Præpositi Generalis in quadam arca recluderem. Sicque os ipsum inter Reliquias conventus supradicti in perpetuum in theca argentea includendum curavi. In quorum fidem præsentes dedimus manu propria ac sigillo nostro munitas, hac die prima Aprilis 1617, in prædicto nostro conventu. Fr. Thomas a Jesu, vicarius generalis.

Aliæque Reliquiæ plures in Hispania, quarum



C 1470 *Quæ memorandæ adhuc restant S. Matris Reliquiæ, ordine regionum nunc exequar. In Hispania : Abulæ, in eadem Excalceatorum ecclesia S.* Teresiæ *in qua sacer digitus habetur, habetur et ejus baculus, rosarium et sandalium. Ecce hic formam baculi qui pro sacra Reliquia colitur. Sandalium inter duas servatur crystallos, sericis ornatum floribus. Corrigia ex auro est, et planta seu inferior sandalii pars tecta lamina argentea. Istud calceamentum longum est pollices novem et lineas tres, largum pollices tres lineasque novem. Rosarium concatenatos habet trajecto argenteo filo globulos. Ea quæ duplicata est pars, longitudinis est ulnæ unius cum quadrante; reliqua pars ad extremam crucem usque novem extenditur pollices. Hæc de rosario, baculo et sandalio hausta sunt ex D. Boadæ adjectis ad delineatas a se tabulas annotationibus. Madriti, ut epistola inde mihi* XXIV *Martii* 1840 *missa scribitur, in Carmelitissarum cœnobio quod a S.* Teresia *titulum habet, in argentea apprimeque fabrefacta theca Reliquia colitur de carne S.* Teresiæ : *decisa autem est sacra hæc caro in cordis formam, et longa est pollices fere quatuor. Cæsaraugustæ cingulum servatur e corio. Isabella a S. Dominico, anno* 1588 *in ea civitate monasterium fundatum iens, illud eo attulit. P. Fredericus plura refert portenta quibus id fuit insignitum. Inter alia dicitur pluries inde stillasse sanguinem : quod omen fuit rerum calamitosarum. De eo cingulo loquitur Yepes lib.* IV, *cap.* II, *ubi plura signat miracula per id patrata. In eadem civitate, teste Chronico* (*tom. VI, lib.* XXVI, *cap.* VII, *num.* 9), *Reliquia e carne S.* Teresiæ *mirabiliter obtenta fuit a Feliciana a S. Joseph Carmelitissa; multaque a Deo per sacrum id pignus facta narrantur prodigia.*

AUCTORE V. D. M.

D

aliquot enumerantur.

1471 *Calagurri velum asservari tradit Annus Teresianus* (*t. IV, pag.* 265), *quod est theca argentea inclusum. Litteræque testimoniales ibi recitantur R. P. Provincialis Joannis a Matre Dei anni* 1733, *quibus constat id in sepulcro M. Isabellæ a Jesu anno* 1716, *decimo a morte ejus anno, repertum fuisse, inter putrefacta reliqua lintea integrum. Nimirum monialis quæ ægrotanti Isabellæ a Jesu illud velum applicuerat, cum demere neglexisset, simul cum cadavere insertum illud fuit sepulcrali loculamento. Idem Annus Teresianus refert* (*t. VII, p.* 311) *servari apud Carmelitissas Malagonenses particulam carnis S. Matris, asseritque plura circa id conspecta prodigia. Compluti, in Excalceatorum Carmelitanorum collegio quod S. Cyrilli nomine appellatur, S. Virginis costam haberi tradit P. Fredericus citato sæpe a me eo capite ubi de Reliquiis agit. Ibidem apud Excalceatas tria S.* Teresiæ *intra vitreum tegumentum existunt ossa, luculentis clara ostentis, ut habet Annus Teresianus* (*t. I, p.* 472 *et segq.*). *Granatæ illa asservatur sindon cui S.* Teresiæ *cadaver, dum Abulæ remansit, involutum jacuit. Venerat primitus ille pannus in manus archiepiscopi Granatensis Martini Carillo de Alderete, qui eum cessit Excalceatis suæ civitatis Patribus.*

E

Item aliæ in Italia.

1472 *Italia, præter eas quas jam recensui, sequentibus gaudet S.* Teresiæ *Reliquiis. Romanum S. Pancratii monasterium, quod missionum Carmeliticarum seminarium est, non modicum possidet dextræ maxillæ fragmentum, cui aliquot cohærent dentes. Genuensis S. Annæ conventus jure in Italia primigenio, licet proles posthuma, monstrat venerabile signum pignusque amoris et sollicitudinis S. Matris suæ* Teresiæ. Cum enim spiritu prævideret propediem futurum ut in Italiam inferrentur Reformationis primitiæ, voluit suæ charitatis et amoris monumentum Italicis fundationibus non deesse, atque in hunc finem velum quoddam calicis non inelegans sericum reticulatim contextum propriis manibus elaboravit, ac expresse jussit cedere in subsidium sacræ supellectilis primi conventus qui in Italia
F fundaretur (*Historia Congregationis S. Eliæ t. I, l.* II, *c.* XI). *Hujus quoque Reliquiæ meminit P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* VII) : *qui mihi suppeditabit ea quæ nunc sequentur; quamvis me fugit quid a P. Frederici temporibus evaserint sacra hæc Itala S.* Teresiæ *pignora.* In Carmelitica Lombardiæ eremo, *ait,* costula existit S. Matris; Venetiis vero in Excalceatorum templo dens una frustumque carnis. *Item :* Placentiæ apud nostros Patres de Observantia in ampla decentique theca ab anno 1625 non exiguum servatur linteum quod totum ejus cruore respersum est, et quod festa ejus die venerandum publice exponitur. Plures conjiciunt Sanctam eo usam post asperam flagellationem; verisimilius mihi videtur ejus post mortem cruore imbutum fuisse. *Item :* Mediolani in conventu nostro authentica exstat memoria qua liquet Madrito ad illum anno 1667 missam fuisse dentem molarem, quam P. Generalis Hispanæ Congregationis olim e Sanctæ maxilla evellerat. Eidem domui cessit cordis particula, quam a Balthasare, Philippi IV filio, e collo gestatam, ipso vita functo, D. Franciscus Rojas ejus sacellanus ad se receperat. *Item :* Florentiæ apud nostros corona

AUCTORE V. D. M.

A sive rosarium in divite hierotheca reposita est pretiosa; dum e contrario ipsa corona, diversis valde globulis constans, deprædicat S. Matris in paupertatem amorem ejusque in hujusmodi pietatis instrumentis ornatiuncularum neglectum. *Item :* Neapoli in nostra S. Matris Dei ecclesia cappa et simul scapulare quo S. Teresia per noctem utebatur, conservantur. *Item :* Nostræ S. Josephi Neapolitanæ Excalceatæ possident baculum, particulam carnis et molarem dentem. *Item :* In celebri sacello, vulgo del Tesoro, particula carnis S. Teresiæ inest argenteæ ejus effigiei, quæ inter effigies Sanctorum urbis Neapolitanæ tutelarium ponitur.

Item aliæ in Gallia.

1473 *In Gallia : Parisiensis idem conventus qui digito gaudet S. Matris, gaudet quoque ejus pallio, illuc apportato a monialibus quæ ex Hispania primam eam in Gallia domum fundatum venerunt. Refert D. Boucher in Vita B. Mariæ ab Incarnatione* (*lib.* III, *p.* 367) *acerrimos aliquando hujus dolores, ut sacra hac veste tegebatur, fuisse lenitos. Solent illius cœnobii novitiæ, solemnia vota profitentes, indui hoc pallio : narratque D. Proyart in Vita Ludovicæ Borbonicæ, filiæ Ludovici XV, hanc, cum in Sandionysiano asceterio Deo solemniter se*

B *devotura erat, sollicitasse ut et sibi hæc concederetur gratia; et piis ejus votis fuisse satisfactum, atque apostolico in Gallia Nuntio sacrum illud paludamentum fuisse creditum, qui id in S. Dionysii ferret Parisiosque referret. In altero dein Parisiensi conventu, platea olim* de Grenelle, *nunc* de Vaugirard (*ut certior factus sum litteris* XVIII *Novembris* 1840 *ex ea domo ad R. D. Tresvaux metropoleos Parisiensis canonicum missis, mihique ab obsequiosissimo illo viro communicatis*), *exstant hodieque eæ Teresianæ Reliquiæ quarum P. Ludovicus a S. Teresia in suis Carmeli Excalceati Gallici Annalibus* (*lib.* I, *cap.* XI) *meminit, sic scribens :* Maximam ibi ex deaurato ligno hierothecam habemus, duobus fultam ab Angelis, in qua S. Teresiæ carnis particulam (*quam recens præfata epistola consumptam dicit*), ossiculum unum ac panniculum eo quod de corpore ejus stillat imbutum oleo, veneramur. *Additque is annalista deberi Reliquiarum illarum adeptionem Beatrici a Conceptione, uni e sex Carmelitissis Hispanis de quibus mox sermo fuit, et fuisse ex præhabitis attestationibus publicam iis venerationem permissam ab anno* 1627. *Litteræ autem anni* 1840 *jam citatæ notant facultatem illam datam* (*id est renovatam*) *esse*

C *ab archiepiscopo Christophoro de Beaumont. Non hic loquor de epistola S.* Teresiæ *ad P. Marianum a S. Benedicto, quæ duas cum dimidia paginas capit, in eodemque colitur monasterio, ut nec de tribus aliis epistolis quas tenet altera Parisiensis domus. Prolixum enim esset nomenclaturam facere eorum locorum quæ hoc Reliquiarum genus possident. Quædam tamen alibi nominabo, ubi de Sanctæ epistolis sermo erit. Demum Baillet* (*num.* 16 *Vitæ suæ Teresianæ*) *ait festo annuo recurrente ejus die exponi solitas fuisse quasdam Reliquias illius in ecclesia B. Mariæ a Victoria, item in altera quæ Vallis gratiæ appellatur. Extra vero Parisios celebrandum venit Sanctæ velum, cujus altera pars servatur apud Carmelitissas Burdigalenses, altera apud Rothomagenses; ut legere est in Vita B. Mariæ ab Incarnatione auctore Boucher* (*l.* III, *p.* 211), *qui et scribit id velum ex Hispania anno* 1594 *apportatum in Galliam fuisse a D. de Bretigny.*

Item in Polonia; præter multas alias.

1474 *Neque longinqua Polonia exsors est Teresianarum Reliquiarum. Ut enim tradit P. Fredericus, anno* 1609 *Cracovia compos facta est duorum haud exiguorum frustorum carnis ejus, prodigiosum spirantium odorem. Eas Reliquias patriæ suæ compa-*

ravit P. Andreas a Jesu, qui e Polonorum gente primus Excalceati Carmeli Reformationem professus est. Tandem præter memoratas hactenus insigniores S. Teresiæ *Reliquias, plurimæ aliæ minores existunt, præsertim in Hispania, de qua fidus amicus, cum plures majores nominarat, sic loquitur :* Alias inferioris ordinis quod attinet Reliquias, ut sunt vestes, lintea, chartulæ et similia, longum esset omnia percurrere quæ enarrari possent. *Atque hæc quæ de Reliquiis S.* Teresiæ *disserui, eadem claudam animadversione a qua P. Fredericus suam de eodem argumento disputationem auspicatur, scilicet ad specialis divinæ providentiæ decreta esse referendam tantam Reliquiarum ejus distributionem, qua Deus sane voluerit sponsæ suæ exuvias latissime piis honorari obsequiis, illasque ceu instrumenta reputari quibus ipse patret prodigia et elargiatur gratias.* D

§ LXXIV. De scriptis S. Teresiæ in genere; de libris ejus deperditis aut falso ei attributis, ac de Sanctæ autographis. E

S. Teresia *composuit libros, quot et quos.*

De S. Matris libris, quos paucis dumtaxat verbis delibat Ribera, acturus, arrogo mihi verba Chronici, quod idem argumentum sequenti exordio aggreditur : Nihil ad propositum cognoscendi S. Teresiam conducere magis potest quam si intelligamus præcellentiam librorum ejus. Hic detegitur animi ejus capacitas, hic produnt se seraphicæ ejus virtutes, hic sine fictione docemur quantum Deus eam habuerit in gratia,... hic tota Teresia in se ipsa cernitur (*lib.* V, *cap.* XXXV).

S. Teresia *intra* 21 *ferme annorum spatium, præter opera deperdita, composuit scripta quæ edita habemus, undecim. Sunt autem :*

Vita *ejus, capitibus constans* 40.

Adjuncta ad Vitam, *aliquot paginis* (*quibus adde breviores tres* vitæ Relationes).

Via Perfectionis, *capitibus* 42.

Castellum animæ, *seu* Septem Mansiones.

Liber Fundationum, *capitibus* 31 *ultra Fundationem Granatensem, quam descripsit Ven. Anna a* F *Jesu.*

De ratione visitandi conventus monialium Ord. Carm. Excalc.

Conceptus amoris divini super quædam Cantici Canticorum verba, *capitibus* 7.

Exclamationes vel Meditationes animæ ad Deum suum.

Monita S. Teresiæ ad moniales suas, 69.

Monita alia, 19.

Poemata spiritualia, *sub hispanico nomine* Glosa, Villanicos *aut* Coplas.

Epistolæ, *hispanice quatuor voluminibus vulgo contentæ.*

Quod autem ad Constitutiones *a Sancta ad monialium suarum regimen compositas scriptasque spectat, dicetur paragraphis secuturis.*

Aliquot Sanctæ opuscula interiere : v. g. liber fabularis,

1476 *Aliquot minoris molis S. Matris volumina periere, de quibus pauca hic prælibabo.* 1° *Testatur P. Joannes a Jesu Maria* (*lib.* I, *cap.* VI) *eam vanissimæ equestrium librorum lectioni una cum fratre Roderico ita se dedisse, ut, sermonis proprietates et tropos brevi perdiscens, ejus generis librum elaboraverit; quo tam insolito puellæ labore multorum linguas*

A *linguas excitavit. Ergo adhuc virguncula composuit fabulare sive romanticum de heroibus opusculum, quamvis non ex genere eorum quæ hodie factitantur, et deliræ plerumque imaginationis sunt fœtus, non minus noxii quam grati malesanis et leviculis lectoribus. Nihil quidem inhonesti virgo, obscœnitatem semper perosa, carmini illi insperserat: attamen, cum postea adeo detestata sit hujusmodi lectas a se fabulas, sine dubio doluit tales a se compositas; ac conjici potest ipsammet has suas pagellas destruxisse.*

libellus de melancholia, cantiones quædam, prophetia de Lusitania,

1477 2° *In libro Fundationum* (*cap.* VII, *num.* 1) *meminit Sancta libelli in quo egerat de melancholia.* 3° *Plura quam exstant carmina spiritualia ab ea novimus composita ad piam magnis Ecclesiæ solemnitatibus excitandam lætitiam. Hujusmodi cantionum meminit tom. I, epist.* 31, *citatque tres strophas. Chronicum quoque* (*lib.* XIII, *cap.* XX, *num.* 2) *exhibet intercalarem versum odes cujusdam quam Sancta fecerat celebratura ingressum in Religionem nobilissimæ Helenæ de Quiroga. Item* (*lib.* VI, *cap.* X, *num.* 2) *dicitur in cœnobio suo Methymnensi hujusmodi cantica pepigisse.* 4° *In Hagiologio Lusitano Georgius Cardoso, ad* XV *Januarii, scriptam refert* Teresiæ *de regno Lusitano prophetiam, cujus ipsum*
B *manu ejus exaratum exemplar conservari ait in deserto Ordinis Batuecano. Chronici vero continuator* (*lib.* XXIV, *cap.* XIV, *num.* 1) *authenticum periisse et solum apographum conservari existimat.* 5° *Epistola sua ad Laurentium fratrem suum meminit Sancta libelli a se scripti de oratione quæ dici solet quietudinis* (*tom. I, ep.* 33, *num.* 4). 6° *Interiit et canticum super nomine Jesu* (*tom. I, ep.* 30, *num.* 14).

monita ad Philippum II,

1478 7° *Sanctam monita spiritualia, cum anno* 1569 *Madriti esset, Philippo II transmisisse narrat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 1, *not.* 2, 3 *et* 4) *secundum ea quæ Ven. Isabella a S. Dominico,* Teresiæ *illo in itinere comes, ex hujus ore audierat: et inter alia ait Sanctam nostram eum monuisse de cura salutis habenda, intrepide scilicet ei dicendo recordaretur Saulis electi et uncti et tamen se perditum cuntis; ita ut rex, meditatus chartam, suspenso aliquamdiu steterit animo, ac demum dixerit:* Quidni coram videam hanc fœminam! *Sed* Teresia, *cum acciebatur, jam urbe discesserat. Conjici autem potest qua pia audacia humilis virgo potentem monarcham porro compellaverit, ex zeli impetu quo capite* XXI *Vitæ suæ aliquot ante annis, regibus et*
C *principibus apprecans altissimum orandi donum, exclamavit:* Hoc si habeant, parati sint vel mille amittere regna, ut aut fidem paululum adaugeant et propagent, aut hæreticis vel tantillum lucis præbeant.... O Domine, si eo me statu posuisses quo plena voce hoc eis proloqui fuisset datum, non mihi crederent quidem, sed satisfacerem ego mihi. . . Equidem videor mihi vitam parvi pensura, ut unam hujusmodi veritatem eis declarem. . . Esto sim quæ sum, tantus ad hæc illis qui in alios imperium exercent, dicenda, in me fervet impetus, ut tota consumar. Ast ad te, Domine, cum plus non valeam, me converto, supplicans ut remedium malo tu ipse adhibeas. Nosti quippe me, modo eo statu sim quo te non offendam, libentissime velle exspoliari gratiis quas in me contulisti, ut in reges illæ transferantur. Nam scio impossibile tum fore ut tolerent ipsi res quas modo tolerant; ac magnum inde bonum sequeretur. O mi Deus! tu ipse instrue eos, ut intelligant officium suum. *Verum abrumpendum mihi est, ne Sanctæ eloquentia ultra præscriptos mihi fines proripiar.*

1479 8° *Constat plures Sanctæ epistolas edax rerum tempus aut male consultam pietatem aliasve causas nobis invidisse. Non solum enim nulla ante* 1560 *ab ea scripta epistola præ manibus est, sed et nulla ad S. Joannem a Cruce directa, nulla ad Annam a S. Bartholomæo, nec ad Annam a Jesu, præter unam et aliquot fragmenta. Deest illa quam ad Nuntium Segam misisse se dicit* (*tom. IV, epist.* 26). *Desunt plures earum quas R. P. Generali Rubeo scripsit, teste epist.* 13 *tomi I. Evanuit alia ad canonicum Moyam missa, de qua latius sermo erit postea. Atque aliæ periere plures de quibus ipsa loquitur in præsentibus suis litteris. Quod si causas cur epistolæ eæ interierint, quæramus, varias invenimus. Interdum mandabat Sancta ut receptæ suæ litteræ statim destruerentur; sicut jussisse legitur tomo I, epist.* 25, *num.* 3 : *quæ tamen epistola felici sorte servata fuit. Ita quoque paulo ante mortem suam rogavit Annam a Jesu, ut omnes quas ei scripserat epistolas, cremaret; quia, ut aiebat, maxime arcana et momentosa ei aperuerat, quæ nefas esset a morte sua evulgari. In instrumentis enim quæ in archivo Carmelitissarum Bruxellensium super causa beatificationis Ven. Annæ a Jesu etiamnunc asservantur, legitur monialis quædam, nomine Maria a SS. Trinitate, esse testata se illud ex ipsius Annæ ore audivisse* (*in responso ad quæst.* 40 : An Teresia Annam a Jesu pro Sancta habuerit). *Sic denique tom. II, epist.* 39, *num.* 6, *rogat Sancta Gratianum ut notabiliora loca excerpat, litterasque comburat, eo quod salebroso eo rerum statu potuisset illis divulgatis non leve damnum enasci.*

AUCTORE V. D. M. *ac tandem plures epistolæ. Causæ earum jacturæ*

D

E

1480 *Ea similiter de causa S. Joannes a Cruce, in continuis fere persecutionibus versans, videtur missas sibi a S. Matre lacerasse litteras. Saltem hoc eum fecisse versus finem anni* 1577 *narrat P. Marcus a S. Francisco in Vita ejus* (*cap.* XXVI), *cum jussu Tostati capiebatur, eo quod partes S.* Teresiæ *qua confessarius monasterii Incarnationis tenere crederetur. Conducto nempe ad priorem monasterii Mitigatorum Joanni in sacristia morandum cum esset, donec prior actionem gratiarum Deo post Missæ celebrationem absolvisset, recordatus Joannes relictarum domi chartarum, quas raptim captus destruere non potuerat, proripuit se e sacristia, et celeri pede domum cucurrit; atque ablata e sera clavi, domo includens se, alias chartulas dilaceravit, mandit alias : quo completo, fores pulsantibus emissariis ultro aperuit, sinens se, quo vellent, abduci. Hæc autem idcirco paulo latius retuli, ut pateat P. Antonium a S. Josepho* (*in prologo ad tomum III Epistolarum, et nota* 5 *ad epist.* 40 *tomi II*) *a vero devium esse, cum ait S. Joannem a Cruce omnes S. Matris epistolas ex heroica mortificatione abolevisse. Alia denique ratio cur plures epistolæ exciderint, est quod truncarentur subscriptione, abscisso* Teresiæ *nomine, quod thecis reliquiariis inserebatur : unde facile dissipabantur. Si namque aliena manu* (*quam infirma* Teresia *sæpe mutuari cogebatur*) *epistola erat exarata, nomine abscisso, pretium omne cum subscriptione amittebat; si vero exarata erat manu ejus, dubius nihilominus facile evadebat auctor manuscripti, cum e solo jam styli et apicum charactere posset dignosci.*

S. Joannes a Cruce destruxit plures, sed non ex mortificatione, ut fert P. Antonius a S. Josepho.

F

1481 *Sunt qui affirmant multas adhuc hodie epistolas ineditas delitescere. Clarum est hic rationem non habendam P. Frederici a S. Antonio, dicentis aliquot hujusmodi nos fugere; siquidem ipse edidit S. Matris Vitam anno* 1752, *et exin, anno scilicet* 1771, *duo adhuc volumina epistolarum lucem aspexerunt. Sed attendo ad id quod in ipso duplicis posterioris voluminis prologo dicitur, nempe multas superare quæ detegantur, item ad id quod habet D. Boucher* (*lib.* IX), *ubi ait compertum sibi esse penes*

Existere etiamnum multas ineditas, ut vult D. Boucher, falsum videtur.

AUCTORE V. D. M.

penes Carmelitanas Burgenses plures adhuc existere, seque suspicari latere multas in monasteriis. At non videtur hoc veritate niti. Equidem ut conscribendæ Vitæ S. Teresiæ *mihi manus admovenda fuit, harum epistolarum venam et thesaurum noscendi cupiditate ductus, nil moratus Madritum me illico verti ad diligentissimum et obsequentissimum virum P. Ignatium Lerdo; qui* XXIV *Martii* 1840 *mihi sequentia respondit :* Inficiandum videtur quod D. Boucher affirmat de existentia plurimarum epistolarum ineditarum in cœnobio Burgensi et aliis tum ejusdem tum alieni Ordinis. Saltem ignoratur hujusmodi litterarum hodierna existentia ab uno etiam ex præcipuis illius Ordinis hominibus, qui, licet in illa domo Burgensi nuper per semestre degerit, a secretis existens Reverendissimi P. Generalis, et rerum omnium S. Matrem attingentium plurimum amans sit, nil tamen unquam de hujusmodi litteris audivit. Dicitur certe vulgari voce, multas ejus generis epistolas extare tum apud pias aliquot familias tum apud moniales tum inter alias religiosas domos. At plerumque tantum subscriptiones sunt; aut, si epistolæ sint, jam editas credere licet : siquidem ineditæ post prolixas sæculi ante- B acti indagines certe paucæ remanent. Nullam equidem inveni, etsi a monialibus Complutensibus quoque, quæ plurimas servare dicebantur, exquisivi. *Atque hæc de scriptis* Teresiæ *deperditis. Jam vero de quibusdam ei falso adscriptis.*

Spuria quæ Sanctæ tributa fuere scripta : prophetia excidii Societatis Jesu; atque ode : No me mueve, etc.,

1482 *Taceo spurium epistolæ fragmentum quo* Teresiam *Societatis Jesu excidium prædixisse mentiti sunt calumniatores quidam Hispani, qui Ordinis hujus ruinam sæculo præterito machinabantur : de quo postea latius. Porro hodierni quidam, quos secutus est auctor Gallus in nuperrima S.* Teresiæ *Vita, huic adscribere veriti non sunt famosum illud canticum cujus initium sic sonat :*

No me mueve, mi Dios, para quererte
El cielo, que me tienes prometido :
Ni me mueve el infierno tan temido
Para dexar por eso de ofenderte.

Sive juxta latinam versionem quam P. Franciscus Garcia anno 1676 *fecit :*

O Deus! Ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Æterno punis igne.

Edita sæpissime fuerat hæc ode, jam S. Ignatio, C *jam S. Francisco Xaverio inscripta : utri autem eorum jure, disceptari poterit in Vita S. Francisci Xaverii ad* III *Decembris. Ast eorum qui S.* Teresiæ *eam adscribunt, tam recens est commentum et absque ullo vel minimo fundamento, ut ipse laudatissimus Carmeli Ordo, cum concinnabat anno* 1752 *plenissimam Teresianorum operum editionem, aut ignorarit hanc opinionem, probabiliter tunc nondum natam, aut judicarit eam carere omni specie veri; ita ut ne vel refutandam aut etiam memorandam illam duxerit.* Novum quidem certe, *ait* (*p.* 231) *editor Epistolarum S. Ignatii quæ Bononiæ anno* 1804 *prodierunt,* sed sane mirum id mihi non accidit; quandoquidem non puduit nonnullos Xaverium ipsum Carmelitana veste et insignibus ostentare graphice depictum, ipsa licet meridiana luce, orbis Christiani consensu ac certissimis ejusdem Xaverii testimoniis nequicquam reclamantibus. Nempe in hæc incidimus tempora quibus apertissima quæque veritas contemnitur. Ast me tædet in re adeo perspicua diutius immorari. *Ita doctissimus editor.*

1483 *Tractatu autem dignior est quæstio utrum liber cui titulus :* Septem Meditationes in Orationem Dominicam, etc., *Teresianus sit necne. Dicit Bibl. Hisp. nova Nicolai Antonii, Madriti edita anno* 1788 (*art. S.* Teresia), *id opusculum jam anno* 1615 *Madriti prodiisse una cum Conceptibus S. Teresiæ in Canticum Canticorum; ac Chronicum* (*lib.* V, *cap.* XLII, *num.* 7), *affirmat id jam aliquot annos a pluribus typographis pervulgatum fuisse, quando Balthasar Moretus anno* 1630 *id pulchræ magis quam fideli hispanæ suæ operum Teresianorum editioni inclusit cum præeunte hac præfatiuncula :* Meditationes istæ in Orationem Dominicam repertæ sunt inter fragmenta Conceptuum in Canticum Canticorum S. M. Teresiæ, quæ apud D. Isabellam de Avellaneda, D. Dionysii de Cardenas, quondam præsidentis consilii Ordinum, uxorem, asservabantur; quarum in Vita ipsius nulla fit mentio, quia in perditis habebantur. *Sed non a Moreto profectum hoc est proœmium, ut Chronicum male innuit, illi imputans propagatum inde errorem quo* Teresiæ *liber haberi cœpit : jam enim id reperitur in latina S.* Teresiæ *versione anni* 1626 *quam ex hispano Martinezius adornarat; imo verisimiliter illud idem est in priore illius versionis editione anni* 1620, *quæ mihi ad manum non est, sed quæ per* E *omnia secundæ similis fuisse videtur. Ex male consuto hoc prologo factum est ut Meditationes illæ passim Teresianæ haberi cœperint. Ut tales eas propugnat P. Martialis a S. Joanne Baptista in sua Bibliotheca Ord. Carm. Exc., ac tales quoque æstimarunt Arnauld d'Andilly et Emery, quorum ille eas inseruit versioni suæ gallicæ, hic vero gallico suo operi :* Esprit de S. Thérèse. *Teresianas quoque eas habent du Serre-Figon* (*in annotationibus ad suam S.* Teresiæ *Panegyrin*) *et P. Joannes a S. Ludovico in sua Vita Teresiana* (*lib.* VI, *cap.* VIII). *Ac narrat P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* IV, *cap.* X, *in nota*) *auctorem prologi Placentinæ editionis anni* 1631 *falsis adeo argumentis contendere id opusculum a* Teresia *profectum esse, ut non tantum stylum male dicat Teresiano similem, sed et ut e S. Scripturæ congestis in eo libro locis probare velit S. Matrem, ut alterum S. Bernardum, continuo aut uti Sacrarum Litterarum vocibus, aut verbum non proferre quod iis non innitatur. Ast quis, præter perspicacem istum phraseologum, in S.* Teresiæ *scriptis tantam ejus cum S. Scriptura familiaritatem advertere usquam potuit?*

ac etiam 7 meditationes in Orat. Domin. Error a multis admissus circa hoc, D

1484 *Anceps videtur aliorum sententia, v. g. Patrum Carmelitanorum qui editionem operum S. Matris anno* 1752 *paraverunt, revulgatam anno* 1793. *Quamvis enim valde propendeant ad opusculum illud S. Matri abjudicandum, portam tamen dicunt se apertam relinquere exploratiori criticæ. Dubia quoque hæret Bibliotheca Carmelitana* (*art. S.* Teresia). *Dubius item Butler* (*in notis ad Vitam S.* Teresiæ). *Dubius tandem, et ab hispano textu dissentiens, imo non satis sibi consentiens, P. Gabriel a Cruce, auctor gallicæ versionis Chronici, qui tom. II, pag.* 664, *sibi non plene perspectum esse ait librum esse a S.* Teresia, *dum p.* 645 *dicit eum non videri sibi ad* Teresiam *pertinere ob rationes quas promittit se allaturum, et quas tamen, in hispanum textum infidelis, celat toto a se verso volumine. Ast, præter P. Matthiam a S. Arnoldo, qui Opera S. Matris germanica fecit,* Teresiæ *librum illum abnegant P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* IV, *cap.* X) *et auctor Chronici* (*lib.* V, *cap,* XXXV, *num.* 8, *et cap.* XLII, *num.* 6 *et seqq.*); *ac etiam P. Joseph a S. Teresia, Chronici continuator, in quarto tomo* (*l.* XV, *c.* VII, *n.* 8) *conjicit Meditationes istas non a S. Matre, sed a quodam P. Carmelitano scriptas esse. Ex quo perstitisse videtur in Ordine ea traditio seu persuasio, cum*

dum alii dubii hærebant. F

A *cum quartus Chronici tomus quadragesimo post primum tomum anno lucem aspexerit.*

Fundamentum illius opinionis caducum est: nec propendet in eam Carmeli Ordo. Argumentum negativum contra eam.

1485 *Præcipuum autem fundamentum cui superstructa olim fuit vulgata hodie satis opinio qua is libellus S.* Teresiæ *adscribitur, videtur fuisse allegata jam præfatiuncula, nescio a quo primum confecta : cujus si pendantur verba, nil probabile sonare intelligitur. Caduca quoque est ratio quæ obtenditur, nempe has pagellas consutas fuisse cum opere quodam Teresiano, et quidem cum fragmentis* Conceptuum in Canticum Canticorum, *quem librum,* Teresiæ *manu scriptum, novimus ab ea ex integro igni fuisse traditum, ita ut nobis dumtaxat pars supersit a moniali quadam prius exscripta. Si quis autem stricte concludere velit geminum esse S. Matris fœtum, eo quod bini libelli una essent compacti, eodem fere jure dixerit ille binos esse fratres, simul ac duo viri idem contubernium occupant. Imo etsi dictum et demonstratum esset inventas eas Meditationes propria Sanctæ manu fuisse scriptas, minime fuisset confecta res, cum dubitari potuisset utrum Sancta eas aliunde non exscripsisset. Quin universalis Ordinis sensus, ut ait Chronicum, non propendet ad id opus S. Matri attribuendum; eo quod, ut additur ibi,*

B *filii ejus, assiduæ operum ejus lectioni intenti, detegunt in eo dictionem et quoad substantiam et quoad formam S. Matri plane inusitatam. Præterea, si quid argumentum negativum valet, P. Antonius a Jesu, S. Joannes a Cruce, Hieronymus Gratianus, Anna a Jesu et Anna a S. Bartholomæo, qui omnes S. Matri familiarissimi fuerunt et pernoverant scripta, ut et ejus biographi Ribera, Yepes ac Joannes a Jesu Maria, suo de hoc libello silentio demonstrant elucubrationem non esse Teresianam, cum scriptum hoc super tali argumento tot ac tales viros fugere non potuisset. Demum, quid S. Virginem induxerit ut Orationem Dominicam de novo tractaret, quam tam feliciter tractarat in* Via perfectionis?

P. Fredericus a S. Antonio demonstrat eum librum spurium e stylo minime Teresiano,

1486 *Juvat pro coronide duo egregia loca excerpta hic proferre, alterum e Chronico (lib.* V, *cap.* XLII, *num.* 9), *alterum e P. Frederico a S. Antonio (lib.* IV, *cap.* X) : *ubi hic ita loquitur :* Scripta S. Teresiæ distinctum habent characterem. Stylo politissimo purissimoque exarata sunt ejus scripta, nulla tamen affectatione inspersa, ut fatetur quotusquisque Castellani idiomatis aliquantum peritus est. A lepidis salibus non abstinet Sancta Virgo, et continuo demittit se, seseque proclamat magnam peccatricem, ignaram mulierem, et ad nihil utilem. Licet

C Deus eam sublimaverit ad insigniter implendum altissimorum arcanorum magisterium, non alios tamen quam suas filias in participationem suorum documentorum vocare audet, et vix sustinet filiorum comminisci. Divino dein œstro abrepta, sæpe admittit digressiones, frequenter exclamationes et grates Deo actas; quodque maxime singulare est, quotiescumque humilitas atque caritas sermoni implicatur, nequit non esse diffusa. Similis vero character non apparet in Meditationibus de Oratione Dominica. Sunt hæ scriptæ valde methodice; inscriptæ uni homini; videntur dictatæ a docto scholastico; et absque ulla perturbatione servatur orationis ordo, introductio, materia et clausula. Sapiunt verba Teresiæ sanctum troporum neglectum et ingenuum leporem, cum amabili simplicitate conjunctum; ars vero et studium aperte se produnt in harum Meditationum auctore. Legatur, si placet, expositio Orationis Dominicæ, inserta a S. Virgine libro suo de Via perfectionis, conferaturque cum anonymi Meditationibus : manifeste ex hac comparatione elucescet mira dissimilitudo.

1487 Non nego Sanctam Matrem præditam fuisse dono Sacras Paginas interpretandi. . . Verum ejus notitia constringebatur inter versiculos quos e suo Breviario lectitabat, et Sancta Euangelia, quæ non sine magnis animi motibus volvebat. Sed numquam hoc donum in publicum prodidit. Sacra Biblia ex ipsis fontibus non legit, et Toleti renuit admittere novitiam ob id solum quod ex hac intellexerat talem librum penes eam esse. Sacra Salomonis Cantica explicuit; sed quantum ex paucis reliquiis apparet, aberat methodus, et tantum aliquot versiculos, e Breviario et concionatorum orationibus haustos, evolvendos susceperat. Contra in Meditationibus, quæ minusculum tractatum constituunt, observatur homo in lectione Sacrarum Scripturarum versatus. Citantur in eis gesta et textus e Genesi, Deuteronomio, Ecclesiastico et Apocalypsi. Expresse immiscetur prologo caput sextum Levitici; quod Teresia fecisset numquam, etiamsi ei nota fuisset lex illic memorata, qua sacerdoti incumbebat focum altaris novis lignis semper fovere. In tertia petitione scripturisticæ phrases adhibentur, et dicitur : « Atque propterea monet Hierosolymam » fornicariam et adulteram, invitans eam ad agen- » dam pœnitentiam, ut ad se redeat. » Qui termini

E a Sanctæ Virginis stylo prorsus alieni sunt. In quarta petitione, ad explicandum verba : « Panem » nostrum quotidianum da nobis hodie », et adstruendum primo loco quærendum esse Regnum Dei, explicatur eadem petitio alterius Euangelistæ verbis : « Atque illud declarare voluit per S. Mat- » thæum, docens nos rogare illum ipsum panem : » Panem nostrum supersubstantialem da nobis ho- » die. » Quid plura? In septima petitione perhibetur in Sacra Scriptura exstare aliquot devotissimas orationes, compositas a sanctis hominibus, motis a Spiritu Sancto; quales publicanus Euangelii, Anna mater Samuelis, Judith, rex Manasses, Daniel, Judas Machabæus : et summatim subditur : « Orationibus » vocalibus his similibus plena est Scriptura Sacra.» Sitne talis indoles et dictio Teresiæ, aliis me peritioribus dijudicandum relinquo.

quod simili fere modo probat Chronicum.

1488 *Chronicum vero sic inquit :* Si mediocri attentione inter se conferantur ambæ explicationes, tanta patet differentia ut ambigam extentne scripta magis dissona quoad dispositionem, expositionem, concludendi modum atque stylum. Et quidem videtur fieri non posse, ut, cum reliqui S. Matris libri inter se tam similes sint, hæ Meditationes a cæteris in tantum discrepent. Utitur auctor hujus F libri sive tractatus dispositione valde methodica et speculativa, stylo artificioso et culto, accurata collocatione clausularum verborumque, textusque Scripturæ Sacræ allegat non vulgares, eosque elucidat explicationibus formam sapientibus theologicam. Quæ omnia distant et aliena sunt ab his quæ in reliquis gloriosæ nostræ Sanctæ libris videmus : hic quippe stylus et dispositio muliebri simplicitati magis quadrat. Attamen modo prorsus superiori, non humano artificio, sed illustratione et sapientia divina, transcendit optimos præcellentia tam superni fervoris ut nemo humano consilio eam imitari queat. Et re quidem vera, quantumvis tentaverit ille auctor, minime valuit; et tanto intervallo posterior fuit, ut nemo unus, mediocriter in Sanctæ Virginis libros legendo versatus, si legat has Meditationes, id non continuo clare intelligat; quod quidem optima probatio erit nostri propositi : atque idcirco superfluum foret diutius inhærere rei tam manifestæ.

Nonnulla in Teresiæ *autographis deleta esse menda.*

1489 *Assertis modo suis* Teresiæ *libris, investigemus quænam supersint scripta ejus autographa. Prius tamen quædam prænotanda sunt, et refellenda*

AUCTORE V. D. M. *et e citata ibi sæpe S. Scriptura, ac e dispositis ordinatim ibi argumentis :* D

AUCTORE V. D M.

A *nonnulla clarorum scriptorum dicta. Imprimis affirmat Yepes tam facilem fuisse* Teresiæ *manum et tam certum calamum, scribentis licet velociter, ut nulla in scriptis ejus reperirentur deleta menda. Ast P. Franciscus a S. Maria, qui, conscripturus Ordinis Chronicum, anno* 1634 *et iterum anno* 1641 *quatuor MSS. quæ in bibliotheca sunt palatii Escurialis, sedulo inspexerat, pro rei veritate asseverandum sibi esse ait, non solum quædam in iis autographis mutata esse verba, sed et tres nonnusquam aut etiam plures lineas a scribente esse correctas, non quidem ut sententiam mutaret, sed ut dicendi modum emendaret. In chartæ margine quoque, qui plerumque in* Teresiæ *scriptis arctus est, quædam ejusdem manu sunt adjecta, ut et nonnulla medias inter lineas* (*lib.* v, *cap.* xxxv, *n.* 2 *et* 3).

ac firmam nitidamque esse ejus manum notatur.

1490 *Dein P. Fredericus* (*lib.* iv, *cap.* xiv) *perspicuam esse negat S.* Teresiæ *scripturam; et, postquam Annæ a S. Bartholomæo characterem lectu perdifficilem dixit, affirmat characterem* Teresiæ *vix meliorem esse, sed alterum alteri similem; atque comprobat tum Caramuelem, qui in Vita Ven. P. Dominici a Jesu Maria* (*num.* 1097) *asserit Annam, cujus manum inelegantem fatetur, non aliter scri-*

B *psisse quam* Teresiam, *tum Henriquezium, qui in Vita ejusdem Annæ* (*lib.* ii, *cap.* xviii) *pariter tenet Annæ scripturam, lectori valde ingratam, ejusdem esse formæ et characteris ac scriptura est* Teresiæ. *His ego auctoribus, relicto in medio Annæ scribendi modo, contradicere cogor quantum attinet* Teresiæ *manum; ac plane adhæreo P. Francisco a S. Maria, in examinandis volvendisque* Teresiæ *scriptis versatissimo, qui in Chronico* (*lib.* v, *cap.* xxxv, *num.* 3) *contrarium prorsus judicium fert de charactere scripturæ Sanctæ suæ Matris, dicens hanc esse claram, distinctam, bene formatam, ita ut inter quorumlibet manuscripta pronum cuique sit Teresiana distinguere :* Es su letra conocida entre todas, clara, distinta, bien formada. *Verum ipsi P. Francisco assentiri non possum in eo quod addit,* Teresiæ *scripta manum referre fœmineam :* Su letra. . . no sale de la esfera de las mugeres. *Nam in iis* Teresiæ *manuscriptis quæ datum mihi fuit inspicere, tornatæ apparent firmo stylo litteræ, masculi utique animi in virgine indices, si verum est in scripturæ charactere prodere se animos scribentium. Judicent ipsi lectores num quid muliebre*

C *sit in forma litterarum laminæ ad Riberæ l.* iii, *c.* i, *inserendæ; quæ professionem ejus exhibet, quam* xiii *Julii* 1571, *cum priorissa facta esset monasterii Incarnationis, pronuntiavit, et cujus autographum Madriti asservatur in monasterio S. Annæ. Nec supervacaneum est annotare epistolarum quas vidi Teresianarum characterem characteri incisæ illius formulæ esse consimillimum.*

Quinque, ultra multas epistolas, notantur autographa.

1491 *Ex* Teresiæ *libris, præter epistolas, aliquot conservantur manu ipsius scripti; reliqui periere, qui eo facilius exciderunt quod sunt e minoribus ejus tractatibus. Eos recuperandi spes medio sæculo decimo septimo adhuc affulgebat auctori Chronici* (*lib.* v, *cap.* xxxv, *num.* 11), *eo quod quidam e magnatibus Hispanis alteri aperuisse diceretur quædam penes se solerter conservari S.* Teresiæ *autographa, quæ non nominarat tamen. Ac revera, toto post sæculo, Annus Teresianus* (*tom. VII, p.* 152, *Madriti* 1758) *ait inventa nuper fuisse duo autographa minora, nempe partem Exclamationum apud Carmelitissas Granatenses, et codicem Cantionum in eremo Carmeli Genuensis. Quatuor hujusmodi volumina, scilicet* Vitæ, Viæ perfectionis, Fundationum *et* de Ratione visitandi monasteria, *una cum atramentariis quibus Sancta usa fuit, adhuc hodie eodem statu et loco quibus olim, asservantur in regia bibliotheca* D *palatii Escurialis, unica repositorii clavi permanente penes unum e PP. Hieronymianis : sicut certior factus sum litteris ex ipso Escurialensi monasterio* iii *Martii* 1842 *datis. Tempore tamen dominationis gallicanæ sub Napoleone hæc cimelia cum aliis Madritum delata fuerunt. Magna cum veneratione habentur, et reposita sunt post cancellos ferreos in armariolo e pretiosis lignis affabre subtilique opere confecto et sua obserato clavi* (*Yepes, lib.* iii, *cap.* xix, *et Chronicum lib.* v, *cap.* xxxv, *num.* 11) : *quam quidam* (*v. g. Becchetti in italica Hist. Eccl. 4 ult. sæc., lib.* xxii, *num.* 109, *ac Butler not.* d) *dicunt Philippum II semper penes se tenuisse. Mihi vero probabilius videntur Yepesii voces :* un escritorio mui rico, y cerrado continuamente con su llave, *quibus videntur ii auctores niti, dumtaxat significare fuisse armariolum istud propria sibi clavi clausum. Utut sit, hi S. Virginis codices olim, Yepesio teste, atque etiam hodie ut gaza sacra exhibentur. Eadem theca custodiuntur duo veterrimi libri, quorum alter exemplar est tractatus de Baptismo parvulorum, quod perhibent S. Augustini autographum esse, quantumvis litterarum forma illud nil minus quam Africanum esse prodat; alter vero* E *scriptum est græcum, quod non meliori jure dixerunt manu esse S. Joannis Chrysostomi exaratum, dum alii simpliciter tenent librum esse qui ex bibliotheca ejus perennat.*

Autographa Fundationum *ac* Rationis visitandi,

1492 *Narrat autem Chronicum* (*lib.* v, *cap.* xxxv, *num.* 9 *et seqq.*) *quomodo duo e quatuor iis manuscriptis,* Liber Fundationum *scilicet et* de Ratione visitandi, *eo pervenerint. Cum undique conquireret Philippus II sacra cimelia quæ congereret in suum recens exstructum palatium Escuriale, a vicario generali Ordinis petivit manuscripta* Teresiæ, *cujus fama sanctitatis jam percrebuerat et cujus eloquentiæ vim ipse rex pluries fuerat expertus. Scripsit itaque vicarius generalis doctori Sobrino, qui anno* 1588 *primam operum Teresianorum editionem Salmanticæ, mortuo Ludovico de Leon, curarat, sequentem epistolam, cujus authenticum exemplar in Ordinis archivo P. Franciscus a S. Maria conservatum dicit :* Pax Christi, etc. Avet regis nostri Majestas collocare in regio S. Laurentii monasterio libros originales bonæ Matris Teresiæ a Jesu; unde multum gavisa est nostra Religio. Et quoniam tu binos tenes, mandavit mihi ut te litteris invitarem ad eos credendos viro quem R. P. F. Didacus de Yepes, F prior S. Laurentii, indicaverit, ut regiæ Majestatis consilium impleatur, et libri serventur, ubi tam bene et cum tanto bonæ Matris honore servabuntur. Quod quoniam cupiisti atque cupis, persuasum mihi habeo id tibi gratissimum futurum... Madriti, iii Junii anni MDXCII. Fr. Nicolaus a Jesu Maria, vicarius generalis. *Ergo* xviii *Augusti ejusdem anni doctor Sobrino duo præfata manuscripta tradidit Garciæ de Loaysa, pædagogo tum regii principis et postea archiepiscopo Toletano, qui et ipse ea tradidit Didaco Yepes, confessario tunc temporis Philippi II. Quomodo autem aut quando duo alia autographa,* Vitæ *scilicet ac* Viæ perfectionis, *in eam bibliothecam fuerint delata, me præterit, dubitantem fuerintne a vicario generali vel ab Anna a Jesu, an vero ab Inquisitorum præfecto aut alio quocumque.*

ut et illud Vitæ,

1493 *Auctor Chronici formam horum manuscriptorum, quæ inspexerat anno* 1641, *ita refert* : Illud Vitæ exemplar scriptum est integro folio, valde exiguis relictis marginibus, et ducenta tria folia capit. Aliquot lineas, interdum duas tresve simul, oblitteratas habet, atque in linearum intervallo aut aliquando ad marginem aliquot voces suppletas. Sic incipit :

A incipit : « Quisiera yo que como me han mandado » y dado larga licencia » etc.; quod nunc prologi vices gerit, licet Sancta hunc aliumve terminum studium sapientem minime adhibuerit, ubique simplicitatem humilitatemque præ se ferens. Unde sequitur titulum primi folii ad textum non pertinere, eumque mutaverunt typographi. Quod præcedit hunc prologum non magis ad textum spectat, atque adeo manu a Teresiæ manu diversa exaratum est; nam, ut dictum fuit, prima Sanctæ vox sonat : « Quisiera yo ». Post hunc ingressum sive prologum venit caput primum, quod manu Sanctæ scriptum est, ut et id quod sequitur, nempe totum libri corpus et tituli capitum. Clauditur totum opus his verbis : « No permita se pierda esta alma que » con tantos artificios y maneras y tantas vezes ha » sacado su Magestad del infierno, y traido á sí. » Amen. » Sequitur deinde epistola ipsius S. Matris manu exarata, qua mittit librum ad virum quo mandante eum scripserat. . . .; quæ ad finem Vitæ impressa exstat, et incipit : « El Espiritu Santo sea » siempre con V. M. Amen. » Atque clauditur his verbis : « Para siempre jamás le alabemos. » Aperit in hac epistola quam parum temporis sibi affue-
B rit ad hunc scribendum librum, et sibi non licuisse eum integrum relegere. Et, me judice, hæc fuit causa cur non mutaverit annum MDLXII et mensem Junium; quod, ut animadversum fuit, et nos monuit P. Magister Bañez, intelligitur de priore scriptione, nondum ulla fundatione facta, non de posteriore scriptione, cum jam unum fundasset monasterium. In fine totius libri exstat approbatio P. Magistri Bañez, duobus et medio foliis concepta, integre hujus manu scripta VII Julii anno MDLXXV. Judicandum est hanc eamdem esse ac illam quam jussu supremi consilii Inquisitionis condidit, cum hoc tribunal anno MDLXXIV (*imo* 1575), S. Matre Veasi versante, librum recognoscendum mandavit. Cum enim P. Bañez anno MDLXXV librum approbaverit, atque hæc approbatio libro assuta fuerit, non infirma conjectura est hac occasione dictam approbationem datam fuisse. *Hactenus Chronicum* (*lib.* V, *cap.* XXXVI, *num.* 9). *De eo autem quod hic dicitur, epistolam ad P. Garciam de Toledo esse, ac* Teresiam *erronee mensem et annum exscripsisse, agam* § *sequenti.*

ac Viæ perfectionis,

1494 *Dein codex* de Via perfectionis *qui in regia bibliotheca reperitur, est volumen in* 4°, *ac totus*
C Teresiæ *manu scriptus, lineasque aliquot habet deletas. Liber quoque* Fundationum, *ut cæteri omnes, est absque inscripta voce* Prologus, *sed incipit a vocibus proœmii :* Por experiencia he visto, *etc. Constat* 133 *paginis in folio, vix marginatis; titulo caret, et fuit correctus non secus ac duo præfati libri. Pariter quartus* de Ratione visitandi conventus monialium *caret præfixo vulgo titulo, et inchoatur a vocibus :* Confiesso (*sive, ut nunc scribitur,* confieso) lo primero la imperfeccion que he tenido, *pergitque sine divisione capitum. Paginas habet viginti quatuor, nec ulla reperitur in codice vox emendata. Ad calcem habetur epistola quædam, quæ cum libro non solet vulgari et in qua alloquitur Sancta personam cujus jussu tractatum composuerat. Scitur autem e quibusdam P. Hieronymi Gratiani ad Sanctæ* Vitam *additamentis, ipsum hoc jussisse Gratianum eo tempore, ut innuit, quo provincialatus munere fungebatur, et inchoato jam aliquantum anno* 1581.

atque Castelli animæ.

1495 *Porro quoad quintum* Teresiæ *scriptum autographum, quod* Castellum animæ *continet, id P. Gratianus, possessor illius thesauri, monasterium Hispalense visitans, dono dedit Petro Cerezo Pardo, cui et Ribera suam* Teresiæ *Vitam dedicavit. Fundum ille in Carmelitanarum monasterium sexcentis aureis coemerat, trecentos largitus fuerat in fundationem alterius domus, tres novitias dotarat, aliaque bona magnifice contulerat domui Hispalensi. Dein unica hujus filia et hæres Catharina illud S. Matris scriptum in monasterium Hispalense, in quo Religionis habitu donata est, detulit; atque id postea Joanna de Mendoza, ducissa de Beguiar, in eodem monasterio novitia, tabulis argenteis ac smaragdis vestiendum curavit. Quod pretiosissimum munus, ibidem etiam hodie servari, certior sum factus litteris* XXVIII *Aprilis* 1842 *Hispali missis a R. P. Nicolao Montemayor S. J., quibus mandat se illud manu tenuisse, perlegisse pluries, sæpeque fuisse osculatum.* AUCTORE V. D. M. D

1496 *Tandem supra Escurialense, plura, aut a* Teresia *scripta, aut ejus manu correcta, extant exemplaria* Viæ perfectionis. *Eorum quatuor memorat P. Antonius a S. Joseph in suis notis ad epist.* 5 *tomi IV, quæ conservari ait Toleti, Salmanticæ, Vallisoleti et Madriti. Quoad hoc postremum, R. P. Puyal S. J. litteris ad me* XIV *Martii* 1842 *Madrito datis dignatus est sequentia scribere :* Id quasi originale exemplar Viæ perfectionis hic conservatur in cœnobio Carmelitissarum Excalceatarum, dicto S. Teresiæ, et Ordinarii regimini subjecto . . . . E Et quidem in præsentia pro monialium benevolentia præ oculis illud exemplar habeo. Tomus est quem in 4° dicimus; integumenta argentea, affabre facta, similesque uncinos habet. In illorum umbilico insignia scutumve Ordinis cælata sunt, et subtus (in utroque scilicet integumento) legitur sequens inscriptio : « Este libro es del convento real » de Santa Teresa de Jesus de Madrid, año 1755 » (« Est hic liber conventus regii S. Teresiæ a Jesu » Madritensis, anno 1755 »). In dorso libri, quod argenteum quoque est, scriptus aut cælatus pro ejus longitudine est titulus : « Camino de Perfeccion ». In toto hoc MS. codice, qui manu aliena et incognita exaratus est, nihil singulare advertitur : in ultimo tamen folio et post libri finem sequens notatur testimonium, integre S. Teresiæ manu scriptum, atque sic sonat : « Tiene este libro ciento y ochenta y tres » ojas; está aprobado y visto por el P^e. Fray Garcia » de Toledo de la Orden de Santo Domingo, y por » el Dotor Ortiz vecino de Toledo : es trasladado » de uno, que yo escribi en S^n. Josef de Avila, que » vieron los que digo, y hartos mas : y por ser » verdad le firmo de mi nombre. Teresa de Jesus » Carmelita ». (« Capit hic liber centum octoginta F » tria folia; approbatus visusque fuit a P. F. Garcia » de Toledo Ord. S. Dominici, et a Doctore Ortiz, » cive Toletano. Desumptus est ex altero quem » scripsi in S. Josephi Abulæ, quem dicti viri vide- » runt, et alii plures. Et quoniam hæc vera sunt, » confirmo ea apposito meo nomine. Teresia a Jesu » Carmelitana »). Nequeo cum omnimoda certitudine tibi affirmare in corpore libri nihil propria S. Teresiæ manu correctum fuisse. Insunt certe aliquot emendationes non ab ipsa, sed a scriba factæ. *Hæc ille. De autographo autem Vallisoletano dicemus* § LXXVII, *ubi de hujus libri editione. Item de* Constitutionum *autographo* (*secundum Annum Teresianum, t. VII, p.* 159) *agemus ubi de* Constitutionibus *ex professo.*

Plura extant Sanctæ autographa Viæ perfectionis.

§ LXXV. De editis S. Teresiæ libris, deque versis in varias linguas.

Affirmat Yepes (*lib.* III, *cap.* XVIII), *viva adhuc* Teresia,

AUCTORE V. D. M. *Editus primum liber* Via perfectionis *cum* Monitis, *consentiente Sancta:*

Teresia, *ab archiepiscopo Eborensi Theotonio de Braganza fuisse editum librum ejus* de Via perfectionis : *ac revera videmus ex num.* 1 *epistolæ* 5 *tomi IV,* XXII *Junii* 1579 *Theotonio missæ, Sanctam illi misisse manuscriptum, ut vulgaretur; ad quod ipsa sane, quæ tantopere amabat nesciri et pro nihilo reputari, non alia ratione inducebatur quam facta sibi spe magnæ utilitatis. P. Antonius a S. Josepho in notis suis ad eam epistolam dicit librum illum Eboræ tantum anno* 1583 *prodiisse, licet cum concessis jam anno* 1580 *censorum approbationibus, factaque jam tum copia edendi. Ei volumini, quod forma est, ut dicitur, in octavo, præter doctum Theotonii prologum, annexa quoque erant Sanctæ* Monita, *ut et S. Alberti brevis Vita, quam P. Didacus de Yanguas Ord. Præd. rogatu* Teresiæ *e latina hispanam fecerat. Liber ille, qualis tunc est editus, si unum caput demas, quod, nescio qua de causa, ex integro ab editore omissum est, omnino conformis est manuscripto quod Toleti asservatur, et quod a* Teresia *quidem scriptum non est, sed quod e forma litterarum et ex comparatione cum aliis Sanctæ autographis constat multis in locis correctum esse ipsius manu. Atque videtur illud ipsum exemplar esse ad*

B *quod corrigendum, priusquam Theotonio mitteretur, Hieronyma a S. Spiritu in informationibus testata est se a S. Matre adhibitam. De his consule P. Antonium a S. Josepho, loco supra citato.*

et a morte ejus editi reliqui, cura præcipue Ven. Annæ a Jesu,

1498 *Quod ad reliquos Sanctæ libros attinet, ut Chronicum narrat (lib.* V, *cap.* XXXV, *num.* 5) *videns Ordo a morte S. Matris illos domi forisque avide exscribi et quocumque disseminari, timebat ne integritati fideique eorum id damnosum fieret. Quare P. Nicolaus Doria, qui provincialis munere tum fungebatur, ex Ordine Augustiniano doctorem (ut omnem a suo Ordine suspicionem amandaret), celeberrimum Ludovicum de Leon, rogavit ut in se sumeret partes edendi S. Matris opera. Attamen in* Teresiæ *libris vulgandis plus laudis Annæ a Jesu tribuendum videtur. Si enim Patri Manrique fides est, qui in Vita Annæ a Jesu (lib.* IV, *cap.* XII) *ex authenticis documentis et informationibus in causa beatificationis S.* Teresiæ *plura hac super re habet notatu digna, Anna, ut primum, fundatura conventum, Madritum appulerat, inquisivit de libro* Vitæ *S. Matris suæ, qui a duodecim prope annis penes Sacrum Tribunal alte latebat. Numquam quidem toto eo tempore dubitarat Anna quin opus*

C *prodiret aliquando in lucem, et quin examen ab Inquisitoribus institutum libro verteretur in bonum successum, prout* Teresia *olim sibi a Deo revelatum esse aperuerat, quando, delato Inquisitioni libro* Vitæ, *totam suasu Annæ Deo commendarat rem. Inquisitor generalis percontanti Annæ declaravit librum non tantum probatum, sed et esse in votis omnibus consiliariis ut in lucem emitteretur, adeoque ipsos sumptum ad id libenter esse collaturos. Ea ratione ab Anna, sed interventu utique Doriæ, atque Annæ rogatu ab ipsa imperatrice Maria, filia Caroli V et vidua Maximiliani II, commendatum manuscriptum est Ludovico de Leon, non quidem ut librum censeret, quippe qui jam anno* 1575 *a Bañezio et Ferdinando del Castillo examinatus erat,*

et opera Ludovici de Leon,

sed ut compararet cum autographis tradenda typis manuscripta tum Vitæ *tum aliorum qui inveniri possent* Teresiæ *librorum. Etenim Doria, ratus se non posse opportunam adeo prætermittere occasionem, mandarat Annæ a Jesu ut colligeret sparsa varia* Teresiæ *scripta, traderetque ea P. Ludovico.*

1499 *Hic ad propositum negotium suscipiendum se paratissimum præstitit, modo accederet consilii regii mandatum : quod cum illico obtentum esset, operi ille tam strenue se accinxit, ut libris, quos* D *acceperat Octobri* 1586 (*non* 1587, *ut habet D. Boucher*), *transcriptis et cum autographo collatis nomen suum, ut ederentur, apposuerit. Sed morte præventus, codices doctori Sobrino consignavit; donec tandem, a Nicolao Doria suo Ordinisque nomine imperatrici dicato opere, scripta Guilielmo Foquel, optimo qui tum Salmanticæ florebat typographo, concredita sunt, qui ea publici juris fecit anno* 1588. *Complectebatur editum id volumen sex* Teresiæ *opera, scilicet tria majora, quibus singulis minus annexum erat,* Vitæ *libro* Adjuncta, Viæ perfectionis Monita, *et* Castello animæ Exclamationes : *quorum omnium autographa attestatur Ludovicus de Leon se præ manibus habuisse, licet illa trium minorum operum postea non amplius fuerint reperta. Inspexerat quoque et contulerat librum* Fundationum; *sed nondum vulgandum duxerat, eo quod e memoratis illic hominibus multi in vivis adhuc erant : qua de causa liber ille publicatus non fuit usque ad annum* 1610, *quo typis Bruxellensibus a Rogerio Velpio fuit impressus.*

qui epistolam eis præfigit ad Ven. Annam a Jesu, cui Sancta apparet gratulabunda.

1500 *Imperatrici Mariæ sub die* XIV *Aprilis a provinciali Doria dedicata fuit ea Foquelli editio, et insuper præfixa ei est altera epistola Ludovici de Leon ad Annam a Jesu reliquasque conventus Madritensis moniales. Quia autem Anna a Jesu magnam operam navarat ut typis mandarentur* Teresiæ *libri, hæc ei apparuit, et gratissimo colloquio dignata est Annam gratificari; sicut in manuscripta informatione (quæ Bruxellis penes Carmelitanas custoditur) Beatrix a Conceptione* XV *Dec.* 1641 *emisso juramento testata est se ex ipsius Annæ ore audivisse. Ex ea Ludovici ad Annam prolixiore epistola satis est quædam hic exhibere excerpta, quibus ille explicat quantam in Teresianis libris edendis operam posuerit. Ecce ejus verba :* E

Diligentia et sinceritas editionem parantis Ludovici.

1501 Teresiæ scripta, quoniam mihi a regio consilio eadem recensere ac relegere injunctum est, quo in lucem prodire possint, jure meritoque sancto vestro conventui dedicare posse mihi videor, uti et reipsa dedico, ob magnum quem in iis recensendis cepi laborem : non solum enim in illis deligendis et examinandis, prout mihi consilium imperarat, verum etiam cum suo autographo (quod multos dies penes me fuit) conferendis, et primævo suo nitori et puritati, prout Sancta Mater sua manu illa scripsit, restituendis, nihil ut in iis, nec quoad verba nec quoad materiam, immutarem, sudandum F fuit; quæ enim ex autographo descripta erant exemplaria, vel negligentia vel audacia vel ignorantia describentium, nimium quantum interpolata erant. Nam nimis quam magna fuit audacia illa mutare quæ scripsit illa, in cujus pectore Deus habitabat, et quam ipsamet divina Majestas (ut quidem verisimile est) hæc ut scriberet movebat; quin et stupor sane intolerabilis verba illius velle corrigere : si enim Castellanæ linguæ probe callentes fuissent, vidissent indubie S. Teresiam ipsammet illius esse elegantiam. Nam esto quibusdam in locis scripti sui, antequam sententiam et periodum cœptam absolvat, alias interserat, et inchoatæ narrationis filum non raro per rem aliquam extra propositum incidentem abrumpat, tamen usque adeo dextre et scite frustillum hoc assutum interserit, ut hoc ipsum vitium orationi venustatem etiam quamdam conciliet, uti subnigra faciei pulcherrima macula : adeo ut hoc ad primigeniam integritatem et puritatem reduxerim.

Refutantur qui dicunt Sanctæ libros laudari, non legi, e numero editionum

1502 *Multiplicem operum Teresianorum editionem paucis tantum attingerem, nisi refellendi hic essent plures inter hodiernos qui cum Emery, Boucher,*

A *cher, du Serre-Figon etc., non quidem malitiose, sed inconsulte, nec sine damno posthumæ in Sancta Virgine gloriæ, continuo repetunt non satis honorificum effatum, quo* Teresia *Platoni comparatur, cujus scripta, aiunt, exaltantur quidem, sed non leguntur. Hoc autem quantum a vero abhorreat, cerni potest e numerosis vicibus quibus opera ejus prelo submissa fuere et etiamnum submittuntur. Ut ergo constet, non solum laudari, sed et ab innumeris legi terique, aliquot e multis hic notatas habe editiones, et quidem primo mihi obvias : nam plenum earum catalogum texere nec volo neque etiam possum. Quomodo enim me hodie scribentem non fugiat quoties* Teresiæ *opera in variis mundi partibus recusa fuerint, si Yepes, qui anno* 1606 *scribebat, testatur jam tum fuisse multoties, dicitque auctor Chronici* (*lib.* V, *cap.* XXXV, *num.* 7) *statui facile non posse quoties ea tum intra tum extra Hispaniam prodierint. Quod si itaque medio sæculo decimo septimo ita loqui fas fuit docto S. Matris filio, qui functus fuerat præclaris in Ordine muniis et qui volvebat qua historiographus quidquid ad Ordinem spectabat, nedum a me expeti potest ut silvam hanc ingrediar, enumeremque accurate vices quibus totis duobus subsequen-*

B *tibus sæculis* Teresiæ *opera reproducta fuerint. Pauca tamen compendio accipe, quæ sufficiant ad demonstrandam falsitatem memorati supra effati. Prodierunt itaque :*

hispanicarum, 1503 *Hispanice. Eboræ* 1583; *Salmanticæ* 1588; *Neapoli* 1594 (*in hujus editionis prologo, teste auctore Anni Teresiani, tom. VII, pag.* 175, *jam tum multoties scripta Teresiana dicuntur excusa hispanice, latine, gallice, italice et germanice*), *item Neapoli* 1604; *Madriti* 1597, 1611, 1615, 1622, 1627, 1635, 1636, 1661, 1662, 1670, 1678, 1752, 1778 *et* 1793; *Bruxellis* 1610, 1612, 1674, 1675, 1684 *et* 1740; *Valentiæ* 1613 *et* 1623; *Cæsaraugustæ* 1623; *Barcinone* 1724; *denique Antverpiæ* 1630, 1649, 1661; *et pro certo dictum mihi aliquando est pluries adhuc quam ter, imo forte vel septies, cum Belgium Hispanicæ ditioni connexum erat, unius Antverpiensis Plantini, sive successoris ejus Moreti, prelo hispanice edita fuisse opera* Teresiæ. *Quamquam prænobilis vir Moretus, clarissimi nominis hæres et etiam hodie artis typographicæ cultor, quærenti mihi id plene affirmare non est ausus, deficientibus sibi tabulis, non improbabile tamen id videbitur*

C *considerant hinc famam Teresianorum operum, illinc repetitis vicibus ampla opera, v. g. septenis ingentem molem Baronianorum Annalium, ex ea una officina exiisse : sicut asseritur in Præfatione ad Annalium Ecclesiasticorum Apparatum Lucensis editionis anni* 1738 (*pag.* 4).

latinarum, 1504 *Latine. Si Sanctæ* Vitam *a Kerbekio ex italico in latinum translatam excipias, non vidi equidem* Teresiæ *latine opera quæ anteriora sint versione Matthiæ Martinezii de Vaulcquier, Middelburgensis, quam Nicolaus Antonius in Biblioth. Hisp. nov. perperam, ut puto, Antverpiæ typis Joannis Kinckii anno* 1619 *dicit prodiisse. Reperio enim ab illo ipso typographo bis ea fuisse edita Coloniæ Agrippinæ* (*vid. Prologum Vitæ B. Teresiæ auctore Ribera, ab eodem Martinezio versæ*). *Attamen ab anno* 1607 *in latinum sermonem transferendos* Teresiæ *libros curarat Anna a Jesu, teste P. Petro a S. Andrea* (*Hist. gen. Congr. S. Eliæ T. II, p.* 222).

belgicarum, 1505 *Belgice seu flandrice. Idem quem citavi P. Petrus a S. Andrea eodem loco refert eamdem Annam jam anno* 1607 *etiam procurasse traduci in vernaculam Belgarum linguam* Vitam *operaque Teresiana; ut Anna ipsa testatur in quadam sua epistola, anno sequenti exarata, ubi dicit jam tum ea opera belgice typis exiisse. Ac revera tale exemplar penes me est. Nec multo post, pergit idem Petrus, eadem solers Virgo totam S. Matris vitam et actionum gratiarumque seriem laminis æneis insculpi, chartisque impressam evulgari ac venum ire, industriose prospexit : quemadmodum ipsamet in alia epistola ad Hispanias directa memorat, dicens :* Quamprimum vobis Sanctæ Parentis Vitam variis imaginibus expressam una cum revelationibus ac miraculis ejus transmittam. Integrum enim horum omnium librum excudi curavimus. *Plura hujusmodi exemplaria a præstantissimis iconographis Gallæis* (*belgice* Galle) *socioque Adriano Collaertio incisa, præ oculis habeo, et etiamnum a curiosis chalcographiæ cultoribus expetuntur. In Prologo autem Vitæ S.* Teresiæ *quam PP. Joannes a S. Hieronymo et Joannes a Jesu Maria compendiose fecerunt, et quam P. Gratianus Bruxellis anno* 1610 *edi curavit, dicit hic ad Nuntium Guidonem Bentivoglio* Patres Societatis Jesu collegii Bruxellensis accurato labore effecisse ut ipsa Theresa de ore flandro loqueretur. *Foppens quoque in sua Bibliotheca Belgica, art.* Rolandus Overstratius, *ait hunc bis Sanctæ Vitam vertisse annis* 1619 *et* 1632. *Hocque eodem anno eam pariter* E *flandrice edidit Antverpiæ P. Elias a S. Teresia, quem præ cæteris omnibus, quos variis vidi idiomatibus,* Teresiam *plerumque accuratius tractasse comperio. Demum P. Servatius a S. Petro effecit ut belgice lucem denuo aspiceret anno* 1697 *et iterum anno* 1711.

germanicarum 1506 *Germanice. In prologo ad editionem operum S. Matris quæ Neapoli hispanice prodierunt anno* 1594, *ut ex Anno Teresiano jam dixi* (*n.* 1503), *jam tunc germanica quoque lingua versa erant : quamvis adverto P. Fredericum* (*lib.* IV, *cap.* X) *hoc referre ut assertum in editione Neapolitana anni* 1604. *Quidquid sit, suo saltem idiomate Germania* Teresiæ *opera translata certo vidit Herbipoli anno* 1649, *et iterum* 1701; *atque anno* 1756 *Matthæus Rieger, edens Augustæ Vindelicorum* Teresiæ *opera, a P. Matthia a S. Arnoldo olim versa, affirmat quinta jam vice hæc typis patriis submitti. Alia me prætereunt, præterquam quod Cl. Gallus Schwab anno* 1831 *Sulzbachii Sanctæ scripta sex voluminibus in* 8° *in lucem de novo emiserit.*

et gallicarum : primæ hac lingua versiones 1507 *Gallice. Devius a vero est P. Martialis a S. Joanne Baptista in sua Bibliotheca Ord. Carm. Exc. contendens primos qui extra Hispaniam S. Matris libros in proprium suum idioma transtulerint, Gallos fuisse, siquidem de Bretigny primam editionem gallicam tantum anno* 1601 *elaboravit, dum Ribera jam* 1590 *sibi relatum esse affirmat tres præcipuos* Teresiæ *tractatus in italicum conversos esse sermonem. Nec sibi satis constat Annus Teresianus, dum tom. VII, pag.* 175, *prologum secutus Neapolitanæ editionis* 1594, *narrat hocce jam anno latine, gallice, italice et germanice vulgata pluries esse S.* Teresiæ *scripta, et dum nihilominus pag.* 208 *Gallos cæteris nationibus in vertendis Teresianis libris præcurrisse inde probat quod anno* 1601 *D. Bretigny suam jam adornasset versionem. Quod D. Bretigny attinet, commiserat R. P. Duchevre, priori Carthusiæ Burgifontensis, suam versionem majori cura elaborandam. Hinc titulus refert eam factam ab I. D. B. P. et L. P. C. D. B. : cujus editionis duplex exemplar penes me habeo simul cum alio exemplari* Viæ perfectionis, *quartis vicibus anno* 1623 *recuso, quod easdem præ se fert initiales litteras* (*quarum tres ultimas conjicio significare :* Chartreux de Bourgfontaine). *Bretigniensem hanc pluries revulgatam alia, ait P. Martialis, subsecuta*

AUCTORE V. D. M.

D

F

AUCTORE V. D. M.

A *est versio duobus tomis in* 8°, *in fronte capitales litteras habens I. D. B. P. et I. F. C. D. B.; quam exploravi, invenique esse primævam versionem Bretignii, sed recognitam ab alio Carthusiano Burgifontensi, non secus ac illam anni* 1645, *quæ juxta D. Boucher in Vita B. Mariæ ab Incarnatione* (*p.* 214) *litteras habet I. D. B. P. et P. G. D. C. C.*

ac subsequentes, præsertim Arnaldi,

1508 *Dein anno* 1630 *traduxit* Teresiam *P. Elisæus a S. Bernardo duobus tomis in* 4° : *quam versionem laudat ipse Antonius Arnaldus in libro de Traditione Ecclesiæ. Tertiis denique vicibus versa, anno* 1644, *a P. Cypriano a Nativitate opera S. Matris tomis duobus in* 4° *Parisiis sunt vulgata, pluriesque deinceps revulgata annis* 1650, 1657, 1667. *Quæ versio, ait Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*art.* Cyprianus), quamvis antiquis et fere insolitis verbis scateat, in pretio tamen habetur apud plurimos. *Ante Channut, qui successive plerosque Sanctæ libros vertit ab anno* 1681 *ad* 1691, *Robertus Arnauld d'Andilly, hispanam editionem Antverpiensem anni* 1649 *secutus, primum transtulit quatuor* Teresiæ *tractatus anno* 1659, *ac dein, præter Epistolas et Glossam, varia ejus opera : quæ Parisiis prodierunt annis* 1670, 1671 *et* 1672, *in fol., in* 4° *et in* 12°,

B *iterumque in* 4° *anno* 1687, *et Antverpiæ in* 12° *anno* 1688, *atque, ut ad recens veniam tempus, Lemovicis* 1836 *in* 12°, *Bruxellis* 1839 *in* 8°, *et Parisiis* 1840 *duobus tomis in* 4°, *quibus adhuc promissa deest pars altera Epistolarum quæ hactenus gallice nondum prodierunt. Tandem DD. Grégoire et Collombet, præter Sanctæ Vitam quam conflaverunt anno* 1836, *eodem et sequente anno etiam verterunt fideliter et eleganter* (*sed floridiori modo quam fert inaffectata* Teresiæ *simplicitas*) Viam perfectionis, Castellum animæ *et quinque minora Sanctæ opuscula. Non ausim tamen in omnibus eorum judicio subscribere quod ferunt tum de quibusdam auctoribus tum de additamentis quæ* Teresiæ *Operibus visum illis fuit appendere.*

qui generatim laudem meretur, licet non sincerus sit in uno

1509 *Cum autem illa Arnaldi versio frequenter fuerit recusa, concludi jure potest minime esse improbam, quamvis stylus in ea frigere dicitur, ætatemque redolere traductoris. Summam certe profitetur Arnaldus in vertendo fidem, et plerumque servat. At non desunt tamen loca in quibus amor sectæ prævaluit veritati et fidelitati. Pro exemplo sit* Fundationum *cap.* x, *n.* 2, *ubi* Teresia *ait sibi a Christo esse revelatum mortuum quemdam* in magno amittendæ

C salutis periculo fuisse, *sed Deum tamen ejus esse misertum ob præstitum Ordini suæ Matris obsequium* (Dixome el Señor que habia estado su salvacion en harta aventura, y que habia habido misericordia dél, por aquel servicio que habia hecho a su Madre en aquella casa que habia dado para hacer monasterio de su Orden). *Quod Arnaldus media phrasi truncat, dicens tantum* Deum ejus miseratum ob præstitum obsequium, *et celans quod* de periculo salutis *habetur* (Notre Seigneur me dit qu'il lui avait fait miséricorde, en considération du service qu'il avait rendu). *Incolæ scilicet Portus Regalis, et fratri Antonii Arnaldi, durum fuisset eructare catholicam hanc veritatem quæ Jansenianis circa prædestinationem non satis quadrabat placitis : quare infide ea verba resecare ausus est, non ausus* Teresiæ *contradicere.*

et altero loco.

1510 *Parimode, ut parceret mori gallicano quo monasteria indefinitum numerum capiunt monialium, insincere finem reddit capitis* XXXVI Vitæ. Teresia, *loquendo de filiabus suis, quibus unice gaudendum est Sponso suo Christo, hispanice ibi habet :* Esto es siempre lo que han de pretender, y solas con él solo, y no ser mas de trece; porque esto tengo por muchos pareceres sabido que conviene, D y visto por experiencia, que para llevar el espiritu que se lleva, y vivir de limosna, y sin demanda, no se sufre mas. *Quod latine sonat :* Id numquam non ipsas quærere oportet, scilicet ut solæ cum ipso solo loquantur, et non sint numero plures quam tredecim: Novi namque multorum judicio et sententia id convenire; et experientia quoque didici plures esse non posse, ut spiritus qui jam viget, perseveret, et ut eleemosynis, iisque non petitis, vivatur. *Arnaldus autem partem hujus periodi ita vertit :* . . . treize qui est le nombre que je sais . . . être très-propre pour conserver l'esprit de la règle et vivre d'aumônes; *resecatque voces :* no se sufre mas . . y sin demanda. *Rectius id germanice traducit P. Matthias a S. Arnoldo :* Dasz ihrer nicht mehr seyn mögen, habe ich ausz vieler personen meynung und urtheil, *etc.; ut et anglice Woodhead :* It is requisite, they should be no more. *Æquo igitur et sat favorabili judicio quod de Arnaldiana versione tulit Cl. Emery, ego sine aliquo temperamento subscribere non ausim.*

Accedunt editiones polonicæ et anglicæ,

1511 *Polonice et anglice. Joannes a S. Hieronymo in sua* Teresiæ *Vita, Bruxellis* 1610 *edita, jam tum polonice factos Sanctæ libros testatur; iterumque* E *fuerunt anno* 1662 *a P. Irenæo ab Assumptione. In Prologo autem illius Vitæ anni* 1610 *dicit P. Hieronymus Gratianus latentes aliquot Catholicos Londini tunc incumbere ut et anglice* Teresia *ibi labia solveret : quod utrum effectum sit, me præterit. Abraham Woodhead omnia, demptis Epistolis, Sanctæ opera anglice edidit annis* 1669, 1671 *et* 1675, *occulte tamen et sine vertentis nomine. Utrique hujus versionis volumini elegans præit proœmium, alterum quo* Teresiæ *spiritus vindicatur, alterum quo refutatur Stillingfletius. Elegans ex* Teresiæ *operibus historicum compendium fecit Ill. Challoner anno* 1757, *secutus Woodheadii versionem, quam in multis præstare gallicæ versioni Arnaldi affirmat.*

ac italicæ : primæ hac lingua versiones,

1512 *Italice. Jam anno* 1590 *tres tractatus memorat Ribera* (*lib.* IV, *cap.* III) *ab episcopo Novariensi versos; atque Yepes* (*lib.* III, *cap.* XIX) *narrat alteram eorum editionem dedicatam fuisse Clementi VIII. Quid posthac in recudendis* Teresiæ *libris Itali præstiterint, accipe ex Italo et accurato P. Frederico a S. Antonio, qui* (*lib.* IV, *cap.* X) *ita loquitur :* Ill. Joannes Franciscus Bordini Romanus, unus e primis ferventibus S. Philippi Nerii filiis, Congregationis Oratorii alumnus, et qui ad infulas F Cabellionenses, et deinde ad Avenionenses (quibus decoratus obiit) promotus fuit, in italicum nostrum idioma vertit Vitam a S. Matre conscriptam; atque vir eruditus mihi affirmavit eam anno MDCI Romæ sic editam fuisse forma in 8°. Ne quid proferam quod ipsismet meis oculis non vidi, affirmo tantum penes me esse reimpressum exemplar, confectum Venetiis anno MDCIV apud Unitos, et alia duo exemplaria similiter Venetiis confecta, alterum anno MDCXIII apud Petrum Bertano, alterum anno MDCXVIII apud Joannem Alberti. Ad calcem hujus Vitæ exstant Additiones, Monita et Exclamationes animæ ad Deum, italice facta ab equite F. Julio Zanchini a Castiglionchio, hospitalari Sanctæ Mariæ Novæ Florentinæ anno MDXCVIII, ut ipse profitetur ad eorumdem finem. Via perfectionis et Castellum animæ translata fuere a Francisco Soto, presbytero Congregationis Oratorii Romani, fundatore primi monasterii nostrarum Excalceatarum monialium S. Josephi in hac civitate; atque hic quoque primum hæc scripta typis credita sunt anno MDCIII (*et rursus anno* 1604), dicataque Eminentissimo Cardinali Baronio, cujus

A cujus tres cognatæ religiosam vestem in memorato monasterio susceperunt. Fundationes autem primum Romæ excusæ sunt anno MDCXXII, secundum versionem religiosi cujusdam anonymi e nostro Excalceatorum Ordine; atque hic idem forte est ac Excalceatus ille qui vertit Conceptus in Canticum et supposita Meditationes de Oratione Dominica, separatim recusas Placentiæ anno MDCXXXII, dicatasque a nostris hujus civitatis Patribus serenissimæ illius regionis ducissæ.

et subsequentes. 1513 Omnia hæc opera postea collecta sunt, et edita uno tomo in 4° Venetiis anno MDCXXXVI apud Petrum Mariam Bertano; qua in collectione reperio quoque Tractatum de visitandis monasteriis, translatum a quodam Excalceato; cujus libelli quæ prima editio sit, non habeo unde edisseram. Curis similiter unius e religioso nostro cœtu typis Romanis anno MDCXLI in lucem prodierunt, limata aliquantum versione, omnia S. Matris Opera, præter Epistolas, duos in tomos in 4° divisa, cum nonnullis laude dignis additionibus, præfationibus et indicibus. Atque hanc Operum editionem deinceps secuti sunt omnes typographi Itali. Gratiam debemus R. D. Horatio
B Quaranta, consultori Congregationis Indicis, quod elapso vix biennio post editionem prioris partis Epistolarum factam Cæsaraugustæ in Hispania anno MDCLVIII, easdem italice versas, dicatasque Cardinali Julio Rospigliosi, postmodum ad Romanum pontificatum cum nomine Clementis IX promoto, Romanis typis anno MDCLX subjecit; verum haud scio num multis gratum accidat, quod, ut ipse profitetur, tam scrupulosa diligentia atque fidelitate usus est in transferendo ut ne apicem quidem e suo penu addere ausus fuerit, etiam cum major sententiarum claritas id postularet. Equidem mihi, hanc versionem legenti, videor potius libro hispanico quam italico uti; et reapse aliquando sententiæ tam tenebrosæ sunt ut is mihi præclarus sit interpres qui eas assequi valeat. Carolus Sigismundus Capece Romanus, cujus fortuna in vertendo melior fuit, italicas fecit Epistolas secundæ partis, et annotationes adjectas primæ et secundæ parti. Lepor ille atque dulcedo quæ originali scriptioni inhærent, plene servari nequeunt, cum versio elaboranda est; quoniam inter scriptum primitivum et translatum magna semper intercedit
C differentia : verumtamen fateatur unusquisque oportet versioni italicæ Operum S. Teresiæ dextram piamque manum apponendam, eamque plurium castigationum non impatientem esse. Licet vero æstimare novæ versioni, his ultimis temporibus confectæ secundum dictam editionem hispanam, quæ Barcinone anno MDCCXXIV quatuor tomis in 4°, suam operam conferentibus Patribus nostris, excusa fuerat, palmam assignari posse.

Annotationes quædam super italicis versionibus, 1514 *His quæ addam, nonnulla, sed pauca, habeo. Scilicet* 1° *Non dubium, sed certum est Bordinium* Teresiæ Vitam *vertisse ante annum* 1604, *siquidem Kerbekius, cujus liber prodiit anno* 1603, *notat se ex italico Bordinii hanc* Vitam *traducere.* 2° *Ut notat P. Martialis a S. Joanne Baptista in sua Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*pag.* 320), *etiam P. Petrus a S. Maria circa annum* 1640 *in etruscum sermonem opera S. Matris transtulit typis Romanis : quæ versio cum quibusdam non placeret, a generali diffinitorio Ordinis suppressa fuit.* 3° *Insuper, juxta eumdem P. Martialem* (*pag.* 382), *P. Marcus a S. Josepho novam versionem italam edi curavit Venetiis* 1689. *Tandem* 4° Supra duodecim editiones vulgatas in sola nostra Italia, *dicebat P. Fredericus anno* 1754 (*lib.* IV, *cap.* XII), numerare ego possem : ea est ementium aviditas et legentium assiduitas! Et quod exteras nationes D spectat, testem ex auditu accipe unum e nostris, P. Arnoldum a SS. Petro et Paulo (*Solit. Loq. tom. II, confer.* X, *resp.* III), qui ita loquitur : « Novi ego bibliopolam Lugduni in Gallia notis- » simum, qui mihi, non semel tantum, sancte af- » firmavit, se ex sola Operum D. Teresiæ sæpius » repetita impressione, ultra 40,000 scutorum » francicorum fuisse lucratum. » *A P. Frederici temporibus verisimile est pluries ea recusa fuisse. Mediolani prodiere anno* 1840, 6 *tomis in* 12°.

AUCTORE V. D. M.

atque super aliis passim editionibus, una cum conclusione. 1515 *Ergo octoginta prope enumeratas hic vices habes quibus non multum indaganti, et proin non paucas verisimiliter prætermittenti, mihi edita occurrerunt* Teresiæ *opera, neglectis compendiis quæ* Teresiæ *spiritum aut doctrinæ historiæve ejus medullam continent : qualia pluries a Robyns, ab Emery, a Challoner aliisque vulgata sunt. Atqui paucissimis auctoribus obtigit, maxime si naturam amplitudinemque spectes, ut toties scripta sua recudenda fuerint. Luculenter igitur contra D. Emery* (*Præf. p.* IX) *demonstratur meliorem* Teresiæ *quam Platonis sortem esse, cum inexpleta semper aviditate ubicumque per Europam locorum illius libri distra-* E *hantur leganturque, non sine perenni gloria ejus posthuma et magno totius Christianæ reipublicæ emolumento. Unum jam monendum restat : memorans hactenus excusa* Teresiæ *opera, silentio præterivi elegantiam typorum ac formam voluminum, quamquam laudare potuissem nitidam Plantinianam seu Antverpiensem editionem hispanice* 3 *vol. in* 4° *anno* 1630, *grandem Bruxellensem item hispanice* 2 *vol. in fol. anno* 1675, *ut et polonicam patrio idiomate* 1662, *similique forma Parisiensem gallice* 1670; *multo autem maxime, sin ob typorum venustatem, saltem ob diligentiam Ordinis jussu positam in recognoscendis ad autographorum fidem S. Matris libris potuissem impertiri laudem editionibus Madritensibus* 1752, 1778 *et* 1793 : *quod tamen pari ratione dictum non velim de duobus posterioribus Epistolarum voluminibus, quæ anno* 1771 *primum sunt edita, et dein iterum anno* 1793, *ut annecterentur recusis reliquis Sanctæ operibus : de iis enim specialis sermo fiet paragraphis sequentibus, tum ubi de Epistolis singillatim, tum ubi de perpetuo S.* Teresiæ *erga Societatem Jesu amore.*

F

§ LXXVI. De libris S. Teresiæ singillatim, ac primo de Vita ejus deque additionibus ad Vitam, ac etiam de tribus quas scripsit brevioribus vitæ suæ Relationibus.

Sancta non scripsit Vitam *suam nisi jussu, Ibañeziine an Garciæ de Toledo.* Quamvis Christus S. Virginem ad scribendam Vitam suam incitasset, ut ipsamet in prologo testatur; attamen, quia magis ductui confessariorum fidebat quam factis sibi revelationibus, et quia his præferebat virtutem et exercitium obedientiæ, id opus aggressa non est donec id ei a P. Petro Ibañez Ord. Præd. injungeretur. Ribera quidem et Yepes innuunt a P. Garcia de Toledo id mandatum fuisse; sed P. Dominicus Bañez, qui testis est omni exceptione

AUCTORE V. D. M.

A *ceptione major, utpote qui tum Abulæ degebat, rebusque Teresianis totus immixtus erat, in informationibus testatus est præceptum scribendæ Vitæ primo ab Ibañezio exiisse. Attamen, sicut antea plures cum Gaspare Daza convenerant ad S. Virginis spiritum dijudicandum, probabile satis est sic quoque plures ejus confessarios conspirasse ad hanc ei scriptionem mandandam, eo magis quod ipsa in* Vitæ *suæ epiphonemate illum ad quem librum suum destinat, roget ut, si scriptum suum visum fuerit igni esse tradendum, id non tradat nisi postquam id legerint* tres personæ quæ sunt, *ait,* et fuerunt confessarii mei (Son y han sido confessores mios). *Quod non recte vertunt Arnauld et Channut, dicentes :* Qui sunt vel fuerunt. *Quisquis autem primus scribendi* Vitam *auctor* Teresiæ *fuerit,* eo usus est prætextu vir prudentissimus, *ait P. Martialis in Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*pag.* 371), ut cum gravioribus sui Ordinis Patribus probare posset spiritum ejus, si ex Deo esset; at in rei veritate, ut tot prodigia ac mirabilia mysticæque theologiæ arcana quæ in Teresia admirabantur, nulla oblivione delerentur. Obtemperavit illico; at quia Virgo prudentissima optime noverat Sacramenta Regis

B absondere bonum esse, commendavit impensissime sigillum ac secretum circa ea quæ ipsam commendare poterant, omnimodam facultatem relinquens peccata defectusque omnibus manifestandi. Initium operi dedit Abulæ anno 1561 : quod Toleti perfecit mense Junio anni sequentis, in palatio D. Ludovicæ de la Cerda.

Refertur epistola Sanctæ, quacum mittit Vitam *suam*

1517 *Vix librum absolverat, aut saltem totum non relegerat, cum missus a confessario bajulus scriptum expetivit, sicut ipsa notat in epistola cum libro missa, quæ adscripta est exemplari Escurialensi* Vitæ *ejus, et quæ non tantum cum hac edi solet, sed et adhuc ponitur, in hispanicis saltem editionibus, tomo I Epistolarum, ubi decimum quintum locum occupat. Hanc ego quoque hic exhibebo ad meliorem dicendorum intelligentiam :* Spiritus Sanctus sit cum Reverentia Vestra semper. Amen. Non abs re foret, si, quem in hoc scriptionis officio laborem suscepi, verbis apud Rev. Vestram exaggerarem, ut hac te ratione obstringerem. Et merito sane hoc facere possem, cum viva hæc mei delineatio et descriptio ac tot miseriarum mearum in memoriam revocatio mihi perdifficilis fuerit et multarum pressurarum occasio. Quanquam (ut ingenue confitear) longe

C mihi fuerit gravius gratias quas a Domino recepi, quam quas adversus illius Majestatem admisi offensas describere. Feci quod R. V. injunxit, scilicet quod hac conditione me in scribendo diffuderim, ut tu vicissim a parte tua præstes quod mihi spopondisti : laceres, inquam, quod tibi displicebit. Nondum totum quod scripseram relegeram, cum id R. V. sibi mitti postulavit. Occurrent hic fortassis quædam non satis declarata, alia etiam bis posita : tempus enim quod habui, ita breve et angustum fuit ut scripta relegere ac revidere non potuerim. Rogo R. V. illa emendet et corrigat, simul et transcribi jubeat, si ad R. P. M. Avilam ea mittenda sint : aliquis namque manum meam et characterem agnosceret. Vellem sane omnimodis hæc ipse videret, cum hac intentione primum ea scribere cœperim. Permagnæ quippe mihi consolationi futurum est, si ipse me bonam ambulare viam judicarit : cum aliud mihi jam faciendum non supersit, quantum in me, R. V. in omnibus faciat prout ipsi expedire videbitur, et obligatam se norit ei quæ animam suam ipsi totaliter concredit. Tuam autem, quoad vivam, Domino identidem commendabo : quare illius Majestati quantocius servire conare, quo mihi auxilio esse possis. Ex iis ergo quæ hic refero, facili D negotio R. V. advertet quam suam quis laudabiliter et bene operam impendat, cum se (uti R. V. jam cœpit) totum offert ei qui ita sine mensura ac modo se nobis dat : sit ipse in æternum benedictus. Spero namque nos (quæ ejus misericordia) simul futuros, ubi R. V. et ego clarius magnas illas quas fecit nobis gratias visuri eumque in perpetuas æternitates laudaturi simus. Amen.

ad Ibañezium, non vero ad Garciam.

1518 *Carmeli Ordo, quoties S. Matris Opera edit, mavult hanc epistolam, cum Palafoxio, ad Ibañezium, quam, cum Chronico, ad Garciam missam supponere : et ejusdem ego quoque sententiæ sum, ratus ei missam esse qui* Vitam *primis vicibus scribi jusserat, id est Ibañezio. Si autem ratio quæratur cur hæc epistola a* Teresia *codici* Vitæ *suæ secundo scriptæ et ad Garciam destinatæ fuerit adscripta, videtur esse quod hæ litteræ censeri poterant* Vitæ *prioris pars; atque eo forte fine illas huic apposuit, ut legentibus melius constaret quo animo* Vitam *suam primitus chartæ mandasset. Porro, simul ac ad Ibañezium missa esse hæc epistola admittitur, hoc ipso admittitur etiam ea priorem* Vitam *fuisse comitata, et non posteriorem, siquidem in hac* (*capite* XXXVIII) *de Ibañezii morte ejusque a morte apparitionibus sermo fit : de quo passim omnes, licet Ibañezii nomen non exprimatur, conveniunt, v. g. P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* IV, *cap.* X) *et Echardus in Script. Ord. Præd. Quod autem Echardo videtur, nempe ea quæ S. Mater eo* Vitæ *suæ capite de Ibañezio habet, inserta ab ipsa postmodum fuisse, nullatenus mihi probatur. Quomodo enim aut quare absoluto jam suo codici has triginta circiter lineas ipsa intercalasset?*

Dupliciter erat circa hoc Chappe de Ligny, ut et alii circa ultimas libri Vitæ *voces.*

1519 *Per transennam hic noto, D. Chappe de Ligny in gallica sua hujus epistolæ versione dupliciter errare, et ubi affirmat tantum anno* 1568 *Garciam jussisse ut Sancta* Vitam *suam secundo scriberet, cum jusserit anno* 1562, *et ubi præfatam epistolam ponit anno* 1568 *ad Ibañezium missam, cum hic ex hac vita migrasset toto ante triennio. Igitur cum admittendum videatur epistolam quæ anno* 1562 *scripta fuerat, secundæ suæ* Vitæ *appendicis loco annexam a* Teresia *fuisse, concedendum pariter est eam recte apposuisse ad postrema epistolæ hujus verba, et eadem quidem linea, has voces :* Hic liber perfectus est Junio 1562. (Acabóse este libro en Junio, año de 1562). *Miror proin cunctos hactenus,* F *tam intra quam extra Carmeli Ordinem, et Chronicum, et utramque Bibliothecam Carmelitanam, et P. Fredericum a S. Antonio, et Boucher, aliosque ad unum omnes S. Matris biographos et interpretes, hoc pro errato, sive, ut dici solet, pro lapsu calami habuisse. Quis præterea credat bonam eousque dormitasse* Teresiam, *ut illo loco ubi longam libri scriptionem solemniter quodammodo claudebat, calamus ejus tam inscite aberraverit?*

Sancta quomodo Vitam *suam secundo scripserit.*

1520 *Paucis deinde a confecta priore* Vita *mensibus, eodem adhuc anno* 1562, *quo die* XXIV *Augusti fundatum fuit Abulense monasterium S. Josephi, sicut Sancta testatur in prologo Fundationum suarum, P. Garcias de Toledo illi mandavit ut libro* Vitæ *suæ adderet* fundationem illius domus multasque alias res (*confer ea quæ diximus num.* 365). *Atque insuper, juxta Bañezium, idem Pater injunxit ei ut librum, qui prius uno orationis filo currebat, distinctis capitibus dirimeret. Chronicum ait titulos capitum manu* Teresiæ *appositos esse : quod tamen de summariis capitum intelligi non posse clarissime patet ex Teresianæ doctrinæ laude quam ea summaria continent. Periit prioris* Vitæ *manuscriptum, sed extat posterioris* (*prouti paragrapho* LXXIV, *num.*

A *num.* 1491, *dixi*) *in Escurialensi bibliotheca. Præterea videmus tom. II, epist.* 33, *n.* 6, *cura P. Bartholomæi de Medina, primarii theologiæ in universitate Salmanticensi professoris, descriptum aliud fuisse* Vitæ *exemplar, ad usum ducum Albanorum. Hoc Teresia tum unicum noverat, quamquam forsan ipsa inscia adhuc alia extarent. Sin autem tum, saltem antequam liber anno* 1588 *ederetur, plura exemplaria confecta sunt, testato id Bañezio in informationibus, idque etiam dicente Yepesio* (*lib.* III, *cap.* XVIII).

Sancta libri Vitæ *suæ sollicita, quidquid Chronicum dicat :*

1521 *Devium nonnihil est Chronicum, cum* (*lib.* V, *cap.* XXXVI, *num.* 8) *affirmat* Teresiam *libri sui apud Inquisitionem depositi nullam habuisse curam, nec unquam repoposcisse eum, ac toto sexennio quodammodo ejus oblitam fuisse, donec Cardinalis de Quiroga librum ipsemet coram* Teresia *memorasset. Etenim ex editis a composito Chronico S. Matris epistolis patet eam, Deo licet etiam in hac re omnino fretam, non modice libri sui sollicitam fuisse. Sic epistola ad fratrem suum Laurentium* XVIII *Januarii* 1577 *data, ait se repetivisse librum ab episcopo,* propterea quod, *ait,* mens mihi fortassis obveniet illum perficiendi, addendo divina beneficia ab ejus
B confectione mihi collata, quæ, si Deus scribentem me adjuverit, grande volumen complere poterunt (*tom. I, epist.* 32, *num.* 12). *Sic etiam anno, ut videtur,* 1580, *quando P. Gratianus ei significarat exaratum jussu P. Medinæ alterum* Vitæ *ejus exemplar, summopere gavisa est, et ea de re adhuc certior petivit fieri, quo magis constaret hanc suam elucubrationem non iri perditum. Tantum aberat ab oblitterando aut negligendo* Vitæ *suæ libro, ut scribens D. Aloisiæ de la Cerda eum* animam *suam appellarit, ob reserata in eo cordis sui penetralia expositosque cœlicos favores* (*tom. II, epist.* 10, *num* 2).

licet in eo fuerit ut combureret, ac pluris fecerit alios suos libros.

1522 *Antea quidem ultro copiam fecerat Ibañezio eum vixdum lectum, aut ne lectum quidem, igni tradendi : imo, sicut Acta canonizationis habent* (*num.* 1258 *hujus Commentarii*), *in eo fuerat ut, ad nutum confessarii, ipsa propriis manibus librum suum in flammas immitteret; quod revera fecisset, nisi Bañezius, qui ad tentandam ejus obedientiam id præceperat, confestim jussum retractasset. Quod si deinde scriptum suum conservatum voluerit, ratio fuit quod omnes, quotquot in rebus spiritualibus versati id legerant, judicarant ad profectum animarum maximopere proficuum fore* (*tom. I, epist.* 19,
C *num.* 10). *Attamen semper ipsa pluris fecit* Viam perfectionis, *et præsertim* Castellum animæ, *seu quia magis ordinate tractatæ hic res erant, seu potius quia uterque hic liber compositus expresse erat ad instructionem aliorum; ubi e contrario* Teresia, Vitam *suam chartæ mandans, de publico publicive utilitate ne cogitarat quidem, sed propriam dumtaxat animæ suæ rectoribus aperire conscientiam intenderat, ut ipsamet ab iis instrueretur et gubernaretur, Deo interea aliter rem disponente et volente ut e libro* Vitæ *ejus patescerent thesauri in felice illa anima depositi, et alii ex hujus libri lectione proficerent.*

Dolendum quod Sanctalibrum ad finem vitæ suæ non produxerit :

1523 *Et reipsa, simul atque ex eo scripto cernebatur, non tantum naturalis ingenii ejus subtilitas, sed et eminens supernaturalis scientia, prospiciebaturque fructus qui inde in Ecclesia Dei percipi posset, paulatim liber divulgari cœpit, et clam S. Matre plura, quamdiu ineditus erat, fiebant ejus apographa* (*vide Yepesium, lib.* III, *cap.* XVIII). *Nec describentes remorabatur voluminis amplitudo, quæ altero tanto major est quam amplitudo aut* Castelli animæ *aut* Viæ perfectionis : *unde* Teresia *hunc passim appellat suum* libellum, Vitæ *vero* librum *suum* magnum. *Sicubi titulum ei indit :* Opus misericordiarum Domini (*v. g. tom. IV, epist.* 8, *num.* 1), *est ob narrata ibi æternæ damnationis pericula quibus divina bonitas eam eripuerat. Cum autem hic memorem Dei in* Teresiam *misericordias, opportune verba citabo Yepesii* (*lib.* III, *cap.* XVIII) *ita loquentis :* Id ego quamdiu vixero plorabo, quod S. Mater non scripserit quas a Deo misericordias receperat postremis viginti vitæ suæ annis, de quibus novi res altissimas scribi potuisse. Etenim, si divina beneficia quæ descripsit tribus annis postquam Dominus noster incepisset suis blanditiis eam recreare, talia fuere, qualia, quæso, fuerint deinceps ejus virtutis incrementa, cum magis in dies stabilita esset et in amore cœlestis sui Sponsi crevisset? At hæc communicari non potuisse arbitror; quoniam ultimis vitæ suæ annis tantopere cum Deo erat conjuncta, et rebus spiritualibus divinisque assueta, ut fere hic in terris corpore tantum viveret : quæ enim in sua anima agebantur, tam sublimia erant ut ne essent communicabilia; et dicebat se de eis non tractare, quia sibi deesset tempus ad ea declaranda.

AUCTORE V. D. M.

D

nam præstantissimus est

E

1524 *Rectissime hæc quidem Yepesius. Verumtamen* Teresiæ *liber qualem super priori vitæ ejus parte modo habemus, post Confessiones S. Augustini, ut bene dicit Baillet, præstantissimum opus est quod in eo genere extat : et, secundum Arnaldum, in cœlestis planeque divini amoris argumento* Teresia *adeo Augustino conformis est ut eodem utrumque animatum fuisse spiritu jure dixeris. Quis autem fuerit ille spiritus, scitur ex ipsa* Teresia, *fatente* (*Vitæ cap.* XIV) *sæpe se successive positam a Deo in illum orationis statum quem erat descriptura. Liquet itaque Deum intervenisse vel ex hoc solo quod indocta mulier sublimioris theologiæ arcana dilucide facilique stylo evolverit; solummodo id temporis, sicut ipsa in fine libri affirmat, insumpserit, quantum fuit necesse ad scribendum; neque ei licuerit, ut ait in epistola libro subjecta, per otium revidere quæ chartæ cursim mandarat. Abstineo ab expendenda doctrinæ eo libro contentæ altitudine, cum illius sola lectio id magis suadeat quam quod eloquentius dici potest. Hic mirabilis codex, a paupere conscriptus fœmina, quæ invita et solo mota confessarii jussu colum identidem cum calamo mutabat, in deliciis fuit non tantum gravibus theologiæ cultoribus vel claustrorum piis incolis, sed et innumeris mundanis hominibus, duroque vel ipsi militum subinde generi, qui non raro, ut librum delibarant, simplicis dictionis cœlestisque doctrinæ gustu abripiebantur et simul emendabantur.*

F

et magni æstimatus, v. g. a magno duce Albano, quocum S. Teresiæ *amicitia intercessit, ut et cum ducissa.*

1525 *Pro exemplo sit Ferdinandus Alvarez de Toledo, magnus ille Albanus dux, qui* (*uti jam diximus num.* 874), *cum Ucedæ captus detineretur, hunc librum versabat, et inde tanta in* Teresiam *æstimatione ferebatur* (*teste Gratiano, qui, ducem consolaturus, plures dies cum eo Ucedæ transegerat*) *ut nil gratius accidere sibi posse profiteretur quam tantam mulierem coram intueri, parato etiam longi itineris molestias subire, ut sibi cum ea agendi felicitas obtingeret. Vicissim* Teresia, *cum a Gratiano audisset magnas ducis laudes, sciretque eum rebus spiritualibus vacare, magni eum fecit et se facere testata est. Unde ducissa aliquando* Teresiæ *questa est, non minorem sibi quam marito partem in ejus amore laudabili invidia expetens. Eo tempore pluries* Teresiæ *ad utrumque scribendum fuit, tum ad consolandum ducem, tum ad pios humanosque ducissæ questus componendos. Utebantur* (*ut ibidem diximus*) Vitæ *exemplari quod P. Bartholomæus de Medina curarat pro iis describendum ex originali quod penes*

AUCTORE V. D. M.

A *Inquisitores erat depositum; cumque* Teresia *aliquando id sibi petivisset, ægre tantum a ducissa videtur impetrasse, nec sine onere restituendi.*

Humilitas Sanctæ, cupientis peccata sua manifestari, tegi vero gratias.

1526 *Pro coronide et ad confirmationem eorum quæ dixi de fine quem S. Mater in* Vitæ *suæ scriptione habebat, deque auxilio divino quo indiguit ad talem librum componendum, ut et de negotiis quibus, cum hunc scripsit, obruebatur, quædam hic cum Yepesio subjiciam excerpta e capite decimo* Vitæ *ejus, ubi ita loquitur :* Ego quid mihi factum sit enarro, sicut mihi injunctum est : in quo si errem, lacerabit hoc is cui ipsum mitto; quia melius, quid sit malum, sciet intelligere quam ego. Quem ex amore Dei rogo ut quidquid hactenus de mea improba vita et peccatis commemoravi, omnibus enarret ac divulget : et jam inde ex hoc tempore plenam ad hoc ei facultatem facio, uti et omnibus confessariis meis, de quorum numero is est cui scriptum hoc mittitur; et quidem, si velint et ita expedire judicent, jam inde ab hoc momento, interim dum adhuc in vita sum, ne amplius hominibus, qui aliquod in me bonum esse cogitant, fucum faciam, id faciant rogo : et certe (cum veritate dico), prout quidem de me nunc sentio, permagnæ id mihi consolationi
B erit. At quoad ea quæ posthac commemorabo, facultatem hanc eis non facio; imo nolo ut, si cui ea ostendant, dicant quis quæve sit cui ea facta sint, vel quis quæve hæc scripserit : nam propterea nec meipsam nec alium quempiam hic nominavi; sed omnia scribam quam potero optime, ut non cognoscar a quopiam : quod ut fiat, Deum supplex rogo.

Impedimenta quæ habuit in scribendo.

1527 Porro viri adeo litterati et graves satis sunt ad aliquid quod bonum est, auctoritate sua stabiliendum, si quidem Dominus mihi gratiam dederit ad tale quid dicendum; si enim bonum id fuerit, ipsius erit, non meum. Nam ego nec scientiam nec virtutem habeo, nec virum aliquem doctum aut alium quempiam a quo instruar : etenim soli ii qui hæc me jubent scribere, sciunt quid scribam, et in præsentiarum hic non adsunt. Præterea scribo hæc quasi tempus ad hoc suffurando, et magna cum molestia; cum hæc scriptio impediat quominus neam, cum tamen in paupere domo vivam : satis multis denique distineor occupationibus. Quod si Dominus majorem mihi ingenii habilitatem ac memoriam dedisset, possem earum adminiculo ea quæ hactenus vel audivi vel legi, aliquo cum fructu huc adferre; at ea quam habeo, nimis quam parva et
C tenuis est : adeo ut, si quid boni attulero, id Dominus ad bonum aliquod inde eliciendum dici a me velit; quod vero malum erit, sit futurum meum, et id R. V. delebit. Porro nec quoad hoc nec quoad illud expediens est nomen meum prodi : certum quippe est alicujus, dum adhuc vivit, bona divulganda non esse; in morte vero non est cur dicantur, nisi forte, ut suam, quod bonum est, auctoritatem sic amittat et apud neminem fidem inveniat, quod id a persona adeo vili et improba, qualis ego sum, dictum sit. Et quia R. V. hoc facturam puto (quod etiam per Dei amorem, et omnes qui hæc visuri sunt, rogo) hinc libere scribo : alioquin non nisi magno cum conscientiæ scrupulo hæc scriberem, excepta forte ipsa peccatorum meorum enarratione; nam quoad illam prorsus nullo scrupulo moveor : quoad reliqua vero satis est, ut me dimittam et alas contraham, me mulierem esse; quanto vero magis me mulierem esse et simul improbam!

Omnia submittit judicio confessarii;

1528 Quocirca, quod ultra simplicem vitæ meæ enarrationem hic scriptum R. V. inveniet, sibi sumat et servet, cum hactenus tam importune me urserit ut aliquid de gratiis a Domino inter orandum acceptis chartæ in posteritatis gratiam com-
D mitterem, si modo id cum Fidei nostræ Catholicæ veritate usquequaque conveniat; sin minus, quamprimum id igni tradat : nam totam me quoad hoc submitto. Sincere porro dicam quidquid circa me sit, ut, cum id veritati Catholicæ Ecclesiæ conforme inventum fuerit, aliquam R. V. utilitatem et commodum inde eliciat; sin minus, animam meam ab illusione omni liberet, ne, ubi me lucri quippiam relaturam spero, inde diabolus lucrum reportet. Novit enim Dominus (uti postea uberius ostendam) quanta semper in hoc cura et contentione incubuerim ut aliquem invenirem qui me illuminaret et edoceret. Verum, esto ea quæ ad orationem spectant, quam maxima possum claritate et perspicuitate exponere conata fuero, scio nihilominus ea nimis quam obscura fore illi qui nullam horum experientiam habebit.

dicitque quid tractet, et quare. De Adjunctis ad Vitam.

1529 Referam itaque impedimenta quædam quæ (ut mihi quidem videtur) hominem impediunt quominus in hac via progressum faciat, nec non alia quædam in quibus aliquod periculum situm est; prout quidem longa multorum annorum experientia didici, quam tum e doctrina Domini tum e frequenti cum viris doctissimis et ob longam ætatem in rebus spiritualibus versatissimis collatione col-
E legi : qui ad oculum vident me solis viginti et septem annis, quibus orationi vaco, tantam a Deo experientiam harum rerum accepisse (esto per viam hanc tam imperfecte tantaque cum respiratione et toties impingendo ambularim) quantam alii qui in assidua mortificatione et continenti virtutum studio viam hanc ambularunt, vix 37 vel 47 annis colligere potuerunt. Sit ipse pro omnibus benedictus, meoque pro eo quod Majestas ejus est, obsequio utatur. Scit enim Dominus meus aliud nihil me in his omnibus spectare quam ut ipse vel modicum laudetur et magnificetur, ex eo quod (uti videre est) in adeo fœtido et malolenti fimario tam vernantium et odoriferorum flosculorum hortum constituere voluerit. *Demum adjici solent ad libri* Vitæ *finem quædam propria S.* Teresiæ *manu exarata, quæ in manus Ludovici de Leon inciderant. Narrantur ibi nova et stupenda gratiarum charismata, eo ordine quo a Sancta scripta fuerunt, sive ad memoriam beneficiorum recolendam, sive ad ea quæ in* Vita *non continentur, confessariis exponenda.*

Sancta Vitam *suam secundo non tam cito absolvit ac vulgo perhibetur :*

1530 *Opportunus modo locus est quærendi quandonam S. Virgo* Vitam *suam secundo scripserit. Certum imprimis est, ex ipsius* Teresiæ *verbis in prologo ad Fundationes suas, scriptionem illam ad* F *finem anni* 1562 *ei fuisse mandatam. Certum pariter, ex eodem loco, quando Sancta anno* 1573 *prologum illum scribebat, jussum Garciæ penitus fuisse completum. Dein valde probabile est obedientissimam Virginem accepti jussi non magis procrastinasse executionem quam inchoati recens monasterii negotia cogebant. Adhæc adverti potest S. Matrem toto quinquennio ab instituto suo Abulensi monasterio unum solum monasterium regendum habuisse, ipsamque fateri otium tunc sibi non defuisse, cum cap.* I *Fundationum dicat quinque eos annos sibi videri fuisse totius vitæ suæ omnium minime negotiosos. Notandum denique est iisdem illis annis sat ei temporis fuisse ut adimplere potuerit alterum jussum, a Bañezio sibi datum, scribendi prolixum satis opus* de Via perfectionis, *quod forte decuplo amplius est quam* Vitæ *ejus secundo scriptæ additamenta et appendix de fundato Abulæ conventu. Hinc ergo statui potest :* 1° *eam, sin anno* 1562, *incepisse saltem anno* 1563 *alteram* Vitæ *suæ scriptionem;* 2° *ita illam continuasse anno* 1564, *ut caput* XXXVII *absolverit*

A *absolverit ante* XXVIII *Martii* 1565, *quandoquidem ibi dicit se* (*quæ nata erat* XXVIII *Martii* 1515) *nondum habere quinquaginta annos;* 3° *ultima* Vitæ *capita non fuisse perfecta ante* 1565, *si verum est eam c.* XXXVIII *memorare mortem Ibañezii, qui anno* 1565 *obiit juxta Echardum* (*ut vidimus num.* 291). *Omitto a* Teresia *ad finem capitis* XXXVI *sat exprimi non tam cito ac dici solet scriptum illud absolutum fuisse, quum Sancta illic exponat quid sit experta iis annis* (*quæ verba plus spatii inter fundatum conventum et scriptam* Vitam *denotant quam Chronicum, P. Fredericus aliique passim perhibent*) *quibus vixerat in reformata Abulensi domo :* En estos años que estamos en esta casa.

absolvit tamen citius quam Montoya contendit.

1531 *Contra vero nequeo assentiri Patri Montoya, qui* (*diss.* I, *cap.* V, *num.* 61 *et seqq.*) *contendit S. Matrem, occupatissimam, ut ait, gravissimis Reformationis suæ negotiis, nondum absolvisse* Vitam *anno* 1573, *aut saltem eam ultima capita tunc necdum in illum statum redegisse quo sunt in Escurialensi bibliotheca. Præter excogitata ab eo argumenta minora, quæ plausibilia ipsi videntur, mihi vero minime, et quæ referre longum foret ac longius refutare, palmare Montoyæ argumentum est locus Palafoxii* (*tom. I, epist.* 15, *not.* 9), *qui ait* Teresiam *decimo a scripta priore* Vita *anno mandatum Garciæ necdum explevisse. Ast ex allatis supra rationibus evidenter admittendus est aut error in Palafoxio aut mendum in typographo; atque hoc probabilius puto, cum hic facile ponere potuerit voculam* diez (decem) *pro* dos (duo). *Quod si quis post hæc adhuc hæreret, continenter perlegat velim ultima quatuor capita, et convincetur hæc una cum præcedentibus e* Teresiæ *calamo fluxisse : adeo v. g. quæ cap.* XXXVIII, *num.* 4, *et cap.* XXXIX, *num.* 6, *habentur de Aloisia de la Cerda, cohærent cum iis quæ dicta sunt capitibus* XXXIV *et* XXXV.

B

Liber Vitæ *a pluribus examinatus, inter alios a Joanne de Avila. Hujus judicium.*

1532 *Hic porro* Teresiæ *liber, et, ex hoc libro,* Teresiæ *spiritus examinatus et probatus fuit ab Ibañezio, Garcia aliisque. Sed non contenta cautissima Virgo tantorum virorum rigido examine, atque adhuc anxia de suo statu, nec sibi satis persuadens librum a nævis immunem, hunc commisit D. Francisco de Soto y Salazar, qui tunc forte Abulæ moras trahebat, ac simul ei reseravit omnia conscientiæ suæ arcana. Soto nihil quidem in ejus spiritu reprehensibile, nec in libro spongia dignum arbitrabatur; consuluit tamen ut hunc adhuc subjiceret judicio Magistri Joannis de Avila, qui ob pietatem et doctrinam Andalusiæ Apostolus et Hispaniarum oraculum habebatur. Licet hujus consilii, quod tam conforme erat suo intento, executionem maturare cuperet, non potuit tamen usque ad annum* 1568, *quo D. Aloisiæ de la Cerda, Toleto in Andalusiam eunti, librum concredidit* XXI *Maji, ut constat e tribus ad eam* XXI *et* XXVII *Maji ac* XXIII *Junii missis epistolis* (*non vero* XXIII *Junii, ut Chronicum dicit*) : *ac tandem* XI *Septembris* (*et non* X *Sept., ut iterum mendose habet Chronicum*) *a Magistro de Avila responsum obtinuit, in quo hic dicit se post serium examen approbare ejus orandi modum, spiritum quo ducebatur,* Vitæ *librum, in quo nil invenerat quod conforme non esset S. Scripturæ et doctrinæ Ecclesiæ, visiones denique, quas a Deo immissas existimat : atque ei suadet ut qua cœperat via pergeret, caute tamen, ac lumen petendo a conscientiæ moderatoribus. Ex illo tempore habuerunt duæ illæ candidissimæ animæ litterarum commercium, ut constat ex altera Magistri epistola* XII *Aprilis* 1569 : *et cum hic aliquantum post e vivis excessisset, ei* Teresia *solemniter parentavit, dicens cum lacrymis filiabus suis, id fas esse, eo quod collapsa esset una ex firmissimis Ecclesiæ columnis.*

C

1533 *Non valuit hoc Magistri judicium* Teresiam *inducere ut* Vitam *suam aliis communicaret quam selectissimis quibusdam viris, præcipue animæ suæ rectoribus et paucis quibusdam e suis filiabus. Aliquid tamen de libro hoc inaudiit Anna Eboli principissa, et tum prece tum minis effecit ut Sancta non posset ei, quæ duorum monasteriorum fundatrix erat, id obsequii juste denegare. Ast ut codicem fœmina adepta est, pro innata sua levitate, hunc ilicet aliis communicavit : nec parvus, ob insuetum libri argumentum, rumor de tota illa re sparsus est. Atque hæc fuit ea calamitas de qua* Teresia *in sua epistola ad P. Rodericum Alvarez loquitur, et quam dicit sibi fuisse gravissimum tormentum et crucem et multarum causam lacrymarum* (*tom. I, epist.* 19). *Nam cum vulgaretur magis magisque liber, celari amplius non potuit Inquisitionem, ad cujus tribunal delatus est vere anni* 1575 (*non* 1574, *ut Chronicum semel et iterum affirmat*). *Cum enim Sancta, conventum erectura, in oppidum Veasum mense Februario advenisset, certior tum facta est de quæsita ab eo tribunali* Vita *sua.*

AUCTORE V. D. M. *Percrebescit liber, et ad Inquisitionem defertur.*

D

Turbatam inde Sanctam Deus solatur, ac fausta prædicit.

1534 *Hoc nuntio, ut narrat auctor Chronici* (*lib.* III, *cap.* XXXIII, *num.* 9), *aliquantum turbata fuit, quod æstimabat simile consilium non ineundum fuisse ab hoc justissimo tribunali, nisi sufficiens causa adesset; atque se sane aliqua in re errasse, quoniam talis consilii ineundi causa in libro reperiebatur. Hujus rei rationem reddidit Matri Annæ a Jesu, dicens a se quidem absque ullo timore librum scriptum fuisse, se vero nunc timere ne ineptias aliquot protulisset quas Sacrum Officium corrigere posset; attamen nullatenus sollicitam se esse, quia Deus sinceritatis qua egerat testis erat. Respondit Mater Anna :* Reverentia tua Deum oret ut te bene inde expediat, notumque faciat te nulla impulsam fuisse malitia : certa quippe sum Deum nostri miserturum esse. *Pro consiliis egit, et die sequenti dixit :* Filia, grates Deo habe, quoniam jam impletum est quod mihi heri vespere dixisti. Scito quod Divina Majestas me ad se recurrentem consolatione recreavit, dixitque : « Noli angi, quo- » niam hæc causa mea est. » Atque sic intellexi, non tantum rem in malum non abituram, sed examen factum augendæ æstimationi utilitatique libri profuturum.

E

Revera favorabile Teresiæ *est judicium censorum*

1535 Teresia *itaque dedit volens librum suum Bañezio, ut illum traderet Inquisitoribus. Duo ab his designati censores sunt Bañezius et Ferdinandus del Castillo, uterque ex Ordine Prædicatorum. Videtur prioris censura ea fuisse quæ lata est septima Julii* 1575, *et quæ implet duas cum media paginas, consutas cum ipso autographo Escurialensi. Brevi novit S. Virgo librum suum bene exceptum fuisse a censoribus, et postea experta est supremum Inquisitorem, Cardinalem Quirogam, tam benevole affectum ut Madriti erectum cuperet filiarum ejus monasterium : sicut ipsa læta perscripsit* XXVII *Februarii* 1577 *fratri suo Laurentio* (*tom. II, epist.* 50). *Atque* VII *Decembris ejusdem anni mandabat Sancta ad unum e confessariis suis, codicem suum permanere penes magnum Inquisitorem, qui scriptum illud plurimum laudabat, et continua ejus lectione delectabatur, non missurus, aiebat, volumen, nisi ejus satur esset.*

F

et magni Inquisitoris.

1536 *Quin imo anno* 1580, *cum de domo Madriti erigenda ageretur, meruit Sancta ex illius prælati ore audire sequentia, quæ præsens Gratianus testatus est suis se auribus excepisse :* Valde ædificatus sum, intelligens plurimas quas tibi Deus fecit misericordias. Multas ei grates habe, quoniam omne donum ab ejus provenit manu. Scito Inquisitioni oblatum

AUCTORE V. D. M.

oblatum fuisse librum quem a te compositum perhibent. Sed legi eum totum, et viri doctissimi legerunt eumdem examinaruntque, et nihil quod castigatione dignum foret, in eo repererunt. Atque hoc pacto liber tuus non tantum tibi non noxius fuit, sed contra ob eum deinceps me obsequiosissimum tibi servum profiteor : jam tu vide qua in re tibi tuoque Ordini prodesse queam, quoniam promptissima voluntate facturus sum quidquid necessarium fuerit. (*Chronic. lib.* v, *cap.* xxxvi, *num.* 8). *Licet autem liber in eo examine nil nisi laudem meruisset, reliquit tamen Bañezius traditum a se exemplar penes Inquisitores; ne, si denuo circumferretur, novi strepitus a malevolis excitarentur.*

Præter Vitæ *librum scripsit Sancta tres vitæ suæ* Relationes : *de quibus hic plura.*

1537 *Adhæc scripsit S. Mater tres vitæ suæ* Relationes, *quæ inter Epistolas locari solent, duæ priores tom. II, epist.* 11 *et* 12, *posterior tom. I, epist.* 19. *Habentur quoque in Ribera, illæ lib.* IV, *cap.* XIII *et* XIV, *hæc lib.* IV, *cap.* IV. *Pauca de singulis notabo. Prima* Relatio *scripta est, cum in monasterio Incarnationis adhuc erat, anno, ut videtur,* 1560. *Secundæ prior pars composita fuit anno sequenti; pars vero posterior nono adhuc serius mense, sicut post num.* 7 *notatur : ita ut finita fuerit initio circiter* 1562. *P. Antonius a S. Josepho affirmat primigenium utriusque* Relationis *exemplar non ita pridem repertum fuisse penes D. Josephum de Tapia Osorio, municipem Bejarensem, codicemque esse duodecim paginarum in* 8°, *quarum sex priores et dimidium septimæ aliena manu scriptæ sunt, reliquæ vero manu* Teresiæ : *quod et ipsa notat in fine secundæ* Relationis. *Ambæ scriptæ videntur ad P. Petrum Ibañezium, eo quod Sancta dicat confessarium suum binas has communicasse cum P. Mancio : atqui Yepes in Prologo suo narrat* Teresiam *ope Ibañezii P. Mancio vitæ orationisque suæ rationem dedisse. Quod si prior* Relatio *destinata primitus fuerit S. Petro de Alcantara* (*quod passim affirmatur, sed de quo, ob clausulam posterioris* Relationis *et ob utriusque* Relationis *in originali scripto conjunctionem, vehementer ego dubito*), *dicendum videtur priorem eam* Relationem *una cum altera etiam Ibañezio postea fuisse a Sancta traditam. Tertiæ* Relationis *autographum dicit P. Matthias a S. Arnoldo* (*in nota ad germanicam suam versionem*) *extare in Viterbiensi Excalceatorum monasterio. Scripta videtur anno* 1576, *fuitque destinata P. Roderico Alvarez S. J. Hic antea* Teresiam *jusserat summatim explanare modos orandi supernaturaliter* (*tom. I, epist.* 18); *at paulo post adhuc expetivit ut præsenti hac sua* Relatione *scripto mandaret quinam fuissent orationis ejus gradus, quomodo se in iis rexisset, et quinam conscientiam ejus fuissent moderati : ut utraque hæc expositio tribunali Inquisitionis porrigeretur.* Relatio *illa tertia est admirabile vitæ spiritualis documentum, breve, simplex, facundum, lucidimissimoque in sublimi argumento ordine.*

§ LXXVII. De cæteris Sanctæ scriptis, præter Epistolas ejus.

Via perfectionis. *Hujus libri forma et finis,*

Secundus ordine temporis venit liber Viæ perfectionis, *quem S.* Teresia *composuit, cum priorissa erat in claustro suo Abulensi. Ergo jam ultimam ei imposuerat manum, quando anno* 1567 *Abula Methymnam abiit domum fundatura. Id opus aggressa est jussu Bañezii, qui e* Teresiæ Vita *dijudicans quantum ipsa valeret ad spiritualia documenta aliis tradenda, injunxit ei ut librum conscriberet qui ad usum esset filiarum suarum, conscriptumque examinavit et probavit. De hoc suo libello, qualem appellat,* Teresia *pluries loquitur, eum ubivis præferens libro* Vitæ *suæ, quamquam in hoc major est dicendi vis stylique vehementia; at forte ideo præfert quod pluribus accommodatus sit : sicut enim ipsa notat capite* XXV, *convenit animabus quæ communem orationis viam sectantur; dum illas quæ contemplationis dono fruuntur, instruendas magis dicit libro* Vitæ *suæ, si illum, ait, a sua scribentis morte impetrare potuerint. Hoc itaque libro amoventur primum perfectionis obices; via dein ad eam sternitur : qua plana facta, ducitur homo ad summum pietatis fastigium, studio orationis, ut loquitur P. Joannes a Jesu Maria, cum virtutum cultura usque conciliato. Modo dixi viva adhuc* Teresia *factam hujus libri editionem; sed, quæ anno* 1583 *et iterum* 1588 *prodiit, non obstante cura Ludovici de Leon, mendosa erat, imo toto capite trunca. Qua de causa Ribera* (*lib.* II, *cap.* I) *dicit se Sanctæ manuscriptum potius allegaturum quam præfatas editiones. Correcti postmodum hi errores fuerunt.*

variaque autographa.

1539 *Annus Teresianus* (*tom.* VII, *pag.* 181 *et seqq.*) *fuse demonstrat hunc librum, qualis vulgatus exstat, exactum esse secundum autographum quod possident Carmelitissæ Vallisoletanæ, non vero secundum illud quod asservatur in bibliotheca Escurialensi. Hoc Sancta prius scripsit, illud posterius, in quo plura correctiora sunt, melliusque divisa capita. Illa observatione capitur quomodo in argumento quod libro præfigitur, dici possit Sanctam hic instruere filias fundatorum a se monasteriorum, cum tamen, ubi primitus exarabat hunc librum, unum dumtaxat erexerat conventum, Abulensem S. Josephi : item capitur qua ratione ab auctore Chronici dici possit protestationem quæ præit libro, in autographo, Escurialensi nempe, abesse, dum ab aliis dicitur in autographo adesse, scilicet in Vallisoletano, et verisimiliter etiam in utrisque ejus ecgraphis a Sancta, quæ ea genuina esse declarat, subsignatis; quorum alterum est Madriti, alterum Salmanticæ, utrobique apud Carmelitissas. Interim multis hujus separatim libri editionibus recensendis supersedeo, quomodo et supersedebo postea singulorum aliorum recensendis : enumerantem enim me dies spatiumque deficerent. Interim doleo me ob spatii angustias adferre non posse libri prologum et epiphonema, ubi scopus modusque scribentis pulchre indicantur, patente inter alia Sancta imparem se, ni Deus docuisset, fuisse tractando res adeo sublimes quas ad filiarum suarum commodum, adacta jussione, ausa fuerat proloqui.*

Castellum animæ. *Hujus libri forma et finis, aliæque circumstantiæ.*

1540 Castellum animæ *seu* Mansiones *compositas fuisse jussu doctoris Velasquez, dicunt Ribera, Yepes et Acta canonizationis. Chronicum vero habet id jussum fuisse a Gratiano, qui, teste P. Frederico a S. Antonio* (*lib.* IV, *cap.* X), *ipsemet hoc affirmat, ita inquiens :* Cum Toleti eram, S. Matrem vehementer hortabar ut librum conscriberet quem postea fecit sub nomine Castellum animæ sive Mansiones. Ipsa rationes quas sæpe in libris suis adducit, mihi opponebat his ferme verbis : « Quem » in finem volunt ut ego scribam? Scribant docti » qui studuerunt. Barda ego sum, nec scio quid » dicam. Unum vocabulum pro alio ponam, forte » cum damno. Jam affatim librorum est agentium » de oratione. Per amorem Dei sinant me coli » pensum absolvere, et chorum sequi, aliaque » Religionis officia obire, sicut reliquas sorores » meas. Ego enim inepta sum ad scribendum; ne- » que ad hoc valetudinem habeo neque cerebrum. »

Institit

A *Institit nihilominus Gratianus, imo illi id in mandatis dedit. Igitur uterque, et Gratianus et Velasquez, ut conjicio,* Teresiam *induxerunt ad hunc librum formandum; ita ut male neget Baillet confessarii mandatum hic intervenisse, cum duo id magis jussisse videantur confessarii quam unus. Insuper Yepes in informationibus testificatus est certiorem se a* Teresia *factum, ipsummet Deum hanc ei scriptionem mandasse : quod illa innuit epistola* 44 *tomi II.*

Hunc Sancta invita scripsit, sed obediens, et adjuta a Deo :

1541 Teresia *itaque, sui victrix, lubens jussis obsecuta est, sicut pulchre fatetur initio illius libri, ita inquiens :* Inter ea quæ mihi superiores mandarunt, pauca sunt quæ adeo mihi ad adimplendum difficilia fuere atque modo est aliquid de oratione conscribere, tum quod mihi ad hoc faciendum Dominus spiritum vel animum dare non videatur, tum quod jam inde a trimestri caput meum ita perturbatum ac debile fuerit ut vix ea quæ scriptu pernecessaria sunt, queam conscribere. Sed, cum non ignorem eam obedientiæ vim esse ut etiam quæ factu impossibilia videntur, levia et facilia reddere ac velut complanare soleat, voluntas hoc quam libentissime exequi et aggredi statuit; tametsi natura et exterior homo ab hoc ipso maxime alienus ac propterea
B non parum affligi videatur. Neque enim tantum adhuc mihi Dominus robur dedit, ut istos cum assidua invaletudine et infirmitate nec non diversorum generum occupationibus conflictus sine magna illius repugnantia ac contradictione queam sustinere. Faciat id ille qui alia longe difficiliora, quo mihi gratiam faceret, facere est dignatus; in cujus etiam misericordia confido. *Incepit itaque Toleti anno* 1577 *festo SS. Trinitatis, quod eo anno incidebat in secundam diem Junii* (*non vero Julii, ut habent DD. Boucher, Collombet etc.*); *dein prosecuta est Segoviæ, finemque ejus fecit Abulæ profesto S. Andreæ, sex nondum ab inchoata scriptione elapsis mensibus : quod temporis spatium pro tali opere brevissimum censeri debet, eo magis quod gravis tunc persecutio vigeret, ipsaque multis premeretur angustiis et infirmitatibus. Ast mulier obediens locuta est victorias. Deus enim ei ita præsens adfuit, ut, sicut Yepes* (*lib.* III, *cap.* XVIII) *testatur, ipsemet subministraverit ei libri argumentum, suggesseritque methodum atque ipsum libri titulum. Imo, sicut Acta canonizationis* (*Relatione secunda, art.* II, § I, *argumento quarto*) *ex jurato teste referunt, visus est vultus ejus, cum scribebat, illuminatus, exeuntibus inde*
C *splendoribus sicut radiis deauratis, per spatium unius horæ. Atque ipsa fatente, eo tempore quo hunc librum componebat, aliquando decem vel duodecim dies in Deum ita absorpta fuit, ut ad scribendum, præ spiritualibus deliciis quibus inundabatur, mentis esset impos; scribitque se ad eum statum pertigisse quem describit Mansione septima, nimirum ubi anima, unita Deo, rebusque mortalibus major, stupendis fruitur charismatibus* (*tom. II, epist.* 100).

unde liber ille est valde præcellens.

1542 *Cum librum perfecerat, tradidit hunc Gratiano, rogans ut, postquam ipse vidisset, communicaret eum P. Didaco de Yanguas, confessario suo ex Ordine S. Dominici. Igitur uterque, S. Matre præsente, ad monasterii crates volumen perlegerunt, mysticam* Teresiæ *doctrinam ad rigorem formæ scholasticæ trutinantes, sed et experientes, post longum sæpe examen, divina mysteria a versatissimis theologis exprimi rectius non potuisse quam expresserat mulier simplex et indocta. Hoc autem ei, omnia ad Deum referenti, quanto gaudio fuerit, scribit alteri e confessariis suis; quod videri potest epistola* 44 *tomi II : ubi simul videre est Sanctam longe has* Mansiones *præhabere* Vitæ *suæ; quia, ait, a peritiore artifice conflatum est opus illud et e puriore auro, atque incrustatum lapidibus pretiosioribus : quæ enim de se in* Vita *describenda, ut loquitur P. Joannes a Jesu Maria, luculentius profert, alio consilio in* Mansionibus *tradit in methodum redacta et in commune proposita. Atque hoc feliciter adeo executa est, ut sive ob doctrinæ profunditatem, sive ob styli puritatem, sive tandem ob dictionis, sublimia inter contemplationis arcana, facilitatem, hoc opus juremerito cæteris cunctis Sanctæ elucubrationibus præponendum videatur. Admirabilis ibi doctrina est, ait Yepes, et anima, primum extra se per orationis portam egressa, plures gradatim trans aulas sublimatur, usque in gremium ipsiusmet Divinitatis, quæ animæ centrum est, et ubi septima est* Mansio. *Hanc postremam libri partem cum P. Rodericus Alvarez S. J. anno* 1581 *vidisset, magnum doctrinæ et spiritus* Teresiæ *elogium ipsi autographo inscripsit* (*vide tom. II, epist.* 100, *notasque ad eam P. Antonii a S. Josepho*). *Tandem P. Andreas a Jesu explicationem hispanam ejus composuit, ac P. Balthasar a S. Catharina hunc S. Matris librum illustravit toto volumine in folio, edito Cremonæ anno* 1671.

AUCTORE V. D. M.
D

Fundationes *jussa scribit, et primo quidem novem,*
E

1543 Liber Fundationum. *Hunc librum* Teresia, *quomodo reliquos suos omnes, conscripsit superiorum suorum jussu. Jam ipse Deus illi, cum Malagone erat, secunda quadragesimæ die revelarat sibi gratum ipsam facturam instruendo relationem fundationis erectorum ab ipsa monasteriorum. Deinde accessit jussum confessarii sui, P. Hieronymi Ripaldæ S. J., rectoris collegii Salmanticensis; qui, lecta relatione fundationis Abulensis, judicavit ad Dei obsequium fore, si et reliquorum septem fundationem, primordiaque reformati virorum Carmeli, litteris mandaret.* Quod cum mihi impossibile, *ait Sancta initio libri illius,* videretur ob plurima quæ me distinent negotia, tum litterarum scribendarum, tum aliarum occupationum necessario peragendarum, quod circa res a superioribus mihi injunctas eæ versentur, Deo rem per preces commendabam : cumque nonnihil in me ipsa affligerer, quod ad tam pauca ipsa essem utilis et habilis, tam tenuis insuper valetudinis ut etiam sine hoc laborem aliquem sustinere posse non viderer, prout quidem naturalis mea imbecillitas erat, dixit mihi Dominus : « Filia, obedientia dat vires. » *Ergo, divino freta auxilio, Salmanticæ* XXIV *Augusti* (XXIII *Augusti habent antiquæ editiones*) 1573 *orsa est describere septem sororum duasque fratrum fundationes, nempe Methymnensem, Malagonensem, Vallisoletanam, Durvelanam, Toletanam, utramque* F *Pastranensem, Salmanticensem et Albanam : quæ cum Abulensi S. Josephi conficiunt numerum denarium. Particularia quædam de nonnullis harum domorum monialibus referre quoque cœperat; sed, timens ne qua sibi pars attribueretur virtutum quas Mater in filiabus suis laudaret, præ modestia abstinuit, ut et a pluribus aliis enarrandis factis* sive quæ illarum per preces Dominus manifeste fecerat, sive quæ miraculose contigisse a nemine poterat negari qui iis interfuerat. *Post hæc, fassa se forsan in computandis fundationum annis leviter errasse, adimpletoque Ripaldæ præcepto, opus tunc intermisit.*

dein quatuor alias,

1544 *At tertio post anno, jussu Gratiani, addidit Segoviensem, Veasensem, Hispalensem et Caravacensem, medias scribens inter sævissimæ tempestatis procellas, quas in epistola ad P. Gratianum* (*tom. IV, fragm.* 17) *comparat Ægyptiacæ insectationi in Moysen et populum Israeliticum. In hac ipsa epistola, scripta vere anni* 1576 *et ipsa quidem die qua hanc libri* Fundationum *prosecutionem inchoarat, significat Gratiano esse sibi a Deo revelatum fore ut*

AUCTORE V. D. M.

A *hæc scriptura conducat ad multarum animarum utilitatem; attamen addebat se etiam absque hac Dei significatione, pro facto sibi jusso, ad rem aggrediendam in procinctu modo stare. Scripsit Toleti hanc alteram* Fundationum *seriem, eamque finiit ibidem* XIV *Novembris ejusdem anni. Cum autem deinceps horrida toto quadriennio æstuaret in Ordinem vexatio, spemque* Teresia *amisisset ulteriorum fundationum, librum claudere sibi visa est scripto capite* XXVII. *Hinc est quod huic tertio post anno in suo autographo pro coronide apposuerit quatuor momentosa ea monita quæ poni iterum solent inter* Vitæ *ejus additamenta, imo et tertio ad calcem primi voluminis Epistolarum, ubi inter reliqua* Monita *agmen ducunt.*

ac tandem quatuor postremas, præter Granatensem.

1545 *Reddita sibi anno* 1580 *pace, erexit quatuor novos conventus : Villanovæ, Palentiæ, Soriæ et Burgis. Eodem itaque præcipiente Gratiano, texuit et harum fundationum historiam, finem operi imponens, non anno* 1580, *ut utraque Bibliotheca Carmelitana et Bibliotheca Hispana nova mendose habent, sed* 1582, *paulo post positam Burgis domum, et quarto ante mortem suam mense. Facta autem est Granatensis fundatio initio anni* 1582, *curis quidem et consiliis S. Matris, sed, cum præsens non*

B *adfuisset, noluit eam enarrare. Quare hæc, jussu P. Gratiani, descripta fuit a Ven. Anna a Jesu, soletque assui Teresiano* Fundationum *libro, non adeo indigna eo loco, sive rem narratam spectes, sive modum dicendi. E dictis itaque sequitur, dempta fundatione Granatensi, sed computata Abulensi,* Teresiam *recensuisse fundationes octodecim, Fratrum duas, et sexdecim sororum, complexam scilicet omnia illa monasteria quorum erectioni ipsa præsentior interfuerat.*

Gravis culpa truncantium Fundationum *librum;*

1546 *Nescio autem quo nixus fundamento D. Boucher in Vita B. Mariæ ab Incarnatione* (*lib.* III, *not.* b), *dicat ab Anna a Jesu, præter Granatensem, alteram jussu* Teresiæ *adhuc erectam esse domum; neque valeo conjicere de qua domo loquatur. Si tamen hanc similesque culpeculas, quarum ipse me mihi minime exsortem esse blandior, in sinceris scriptoribus subinde notem, absit ut censoria virga velim continuo eos percutere. Ast severioris objurgationis flagro perstringendi sunt qui malæ fidei possunt jure argui, de industria truncantes vel corrumpentes auctorum loca. Hujus criminis reus iste, quicunque fuerit, haberi debet, quem non puduit totum caput*

C *undecimum mediumque decimi et plures alibi lineas a libro* Fundationum *abscindere, sive quia Sancta ibi dicit bene se ominari de moniali quæ postea Ordinem deseruit, sive quia plura ibi vergunt in laudem Societatis Jesu, in quam olim non minus quam hodie adeo quidam extitere infensi, ut, ubi eam maledicentia afficiendi occasio non erat, irrogatam ei a Sanctis laudem suffurarentur. Interea tamen fatendum mihi est me suspicari non tam in culpa fuisse eos qui librum excuderunt totiesque recuderunt, quam qui primitus ex autographo transcripserunt.*

cui, licet emendato, non raro adhuc deest sesquicaput.

1547 *Ut autem mancus ille liber anno* 1610 *Bruxellis lucem primum aspexit, ait bibliotheca Ord. Carm. Exc.,* a Patribus nostris in Hispania collatus est cum autographo, et tot nævis scatere deprehenderunt ut emendare necesse fuerit. Stupuerunt post aliquot annos Cæsaraugustæ cum iisdem mendis prodiisse, quæ remanserunt etiam in editione Antverpiensi anni 1630. Novis curis cum originali liber collatus, usui historicorum Ordinis destinatus est. Franciscus Sobrinus, episcopus Vallisoletanus, Religionis nostræ amicissimus, editionem Bruxellensem contulit etiam cum manuscripto fidelissimo autographi, donoque dedit monialibus nostris Vallisoletanis; et inde repositum est in archiviis Ordinis. In editionibus subsequentibus ad primævam puritatem restitutus est. *Ita P. Martialis a S. Joanne Baptista anno* 1730. *At, cum in Gallia ipse scriberet, optandum fuisset ut popularibus suis denuntiasset esse et permanere Arnaldi versionem, quoties recusam, toties sesqui illo capite truncam. Ea enim ratione adhuc hodie in omnibus quæ prodeunt gallicis versionibus, atque adeo in Parisiensi anni* 1840, *lectores non privarentur notabili hac libri parte. Conspicio hanc et germanicæ anni* 1756 *deesse, dum ex adverso reperitur sedulus Woodhead in anglica jam anno* 1675 *hæc loca restituisse.* D

Sancta recte historiæ intermiscet orationis præcepta et suspiria ad Deum.

1548 *Species quoque injuriæ cujusdam censeri potest, dum hodierni censores audent conqueri quod Sancta historicam* Fundationum *narrationem identidem interrumpat, jam docendo orationem, jam suspirando ad Deum. Sed advertant, velim, hi Aristarchi, Sanctæ a confessario injunctum fuisse, non solum ut facta proderet, sed etiam, sicut ipsa initio libri* Fundationum *notat, ut, ubi occasio erat, nonnulla dissereret de oratione, deque illusionibus quæ orationis dono jam gaudentibus impedimento esse possent. Præterea, artificialis ea quam vellent in* Teresiæ *scriptis symmetria præplaceatne nativæ eloquentiæ* E *aut magis inspirationi divinæ, qua S. Mater libere quandoque exspatiatur, jam amoris æstu abrepta, jam per occasionem interserens spiritualis disciplinæ cœlestisque doctrinæ monita? Affectatos hos periodorum incisorumque computatores optime refellit Arnaldus in versionis suæ proœmio, de libro* Fundationum *sensate non minus quam succincte scribens :* Quamvis hæ Fundationes plurium negotiorum inter se similium relatio sint, miscentur tamen variis rebus tanta amœnitate expositis, et narratio tam candida est atque pura, ut paucæ exstent historiæ suavius animum delectantes. Itidem utilissimæ sunt, quoniam S. Mater nullam prætermittit occasionem præcellentia quæque animadvertendi circa virtutum exercitia, ut hoc pacto suas excitet moniales ad magis in dies in divino servitio progrediendum.

Ratio visitandi monasteria.

1549 Ratio visitandi monasteria religiosarum. *R. P. Alphonsus a Jesu Maria, ut fuit electus Præpositus Generalis, hujus libri exemplar ex autographo Escurialensi transcribi jussit : compositoque, instar epistolæ, ad Ordinis sui religiosas proœmio, quod pluribus editionibus, v. g. hispanis, latinis et germanis, præfigitur, opusculum illud publici juris Madriti fecit anno* 1613; *quod solet exinde reliquis Sanctæ operibus annecti. Prudentia, judicium, sanctitas, aliæque dotes quibus his libellus insignitur, efficiunt ut in suo genere nulli secundus sit. Jam memoravi plura de hoc opusculo, ubi de ejus autographo* (§ LXXIV). F

Conceptus amoris divini. *Pars tantum sunt libri qui interiit;*

1550 Conceptus amoris divini super quædam Cantici Canticorum verba. *Hi* Conceptus *scripti videntur anno* 1577 *vel* 1578, *eo quod quater vel quinquies lectorem remittit ad suos de rebus mysticis tractatus, qui non alii esse possunt quam* Vita *sua et* Castellum animæ, *quod composuit anno* 1577, *et cujus continuatio* Conceptus *illi censeri possunt. Hi autem tantum exordium sunt majoris operis quod Sancta alteri confessario obediens composuerat, alterique obediens flammis tradiderat, posteriore hoc judicante rem novam et periculosam esse, si fœmina* Canticum Canticorum *interpretaretur : ita ut id quod modo præ manibus habemus, prædicti operis tantummodo pars sit, quam una e monialibus, antequam combureretur, exscripserat. Videri infra potest Ribera* (*lib.* IV, *cap.* III) *dicens certissime sibi compertum esse* Teresiam, *quamvis in ea parte quæ nobis residua*

A *residua est stetisse videatur, produxisse hunc libellum; et quod Ribera tam indubitanter affirmat, confirmant quicunque* Teresiæ *ævo proximiores fuerunt, Yepes, uterque Joannes a Jesu et a S. Hieronymo, Acta canonizationis, et præ cæteris Gratianus in prologo quem illi* Conceptuum *fragmento, Bruxellis anno* 1612 *a se primum edito, præfixit.*

quidquid dicat auctor Chronici.

1551 *Quare nulla ratio videtur habenda esse P. Francisci a S. Maria, qui, medio post sæculo Chronicum scribens, in dubium id revocat, uno nixus argumento quod diserte respuerat Ribera, nempe libellum eum claudi videri ad ea quæ nunc extant verba. Nam quod clausulæ speciem præ se fert, non semper vera libri clausula est; ut videre est in Epistola S. Pauli ad Romanos, qui capite* XV *eam claudere videtur, additurus tamen caput* XVI. *Atque id* Teresiæ *non infrequens est, aut quia per intervalla scribebat, aut quia jubebatur pergere, cum metam attigisse credebat. Quis autem ille fuerit qui pœnitendum hoc comburendi libri jussum dederit, affirmatur in Teresianæ Vitæ compendio, cura Gratiano edito plurimumque ab eo laudato, fuisse P. Didacum Yanguasium, illum ipsum qui cum P. Gratiano singula* Mansionum *verba ad trutinam*
B *coram* Teresia *revocarat. P. Franciscus a S. Maria id pernegandum duxit ob plures quas congerit plausibiles rationes, v. g. quia Ribera ait prorsus nesciri quis hoc jusserit, et quia omnino improbabile est a circumspecto adeo viro præposterum tale mandatum exisse. Verum P. Antonius a S. Joachim (in Anno Teresiano, tom. VII. pag.* 157) *litem dirimit, dicens se Madritense Ordinis archivum perscrutando invenisse rem confirmatam testimonio trium monialium quas nominat et quæ in juridicis canonizationis informationibus affirmarunt id se ex ipso Yanguasii ore audiisse; quamquam tamen non expressum hic jussum dedisset, et tantum ad obedientiæ ejus experimentum, plurimumque ipse mœreret codicis jacturam. Pariter ducissa Albana, Maria Henriquez de Toledo, in informatione facta Vallisoleti, articulo* 80, *dixit se exemplar illius scripti accepisse ab Albanis monialibus, quando P. Yanguasius destruendi præceptum dederat. Meminisse juvat P. quoque Bañczium* Teresiæ *obedientiam tentasse, jubendo ut* Vitæ *codicem flammis daret, sed illico retinuisse obedire properantem.*

Hujus libri argumentum et editiones,

1552 *Certe luctuosa jactura est non exiguæ, ut videtur, partis libri, qui, sicut P. Fredericus*
C *rite advertit, non commentarius in S. Scripturam, sed explanatio dumtaxat haberi debet aliquorum locorum quæ vel in concione audierat vel in Breviario legerat. Porro Gratianus, hunc librum editurus, aliquot notas subjunxit : et cum his, ut latius refert Nicolaus Antonius in Bibl. Hisp. nova, hispanice prodiit Bruxellis anno* 1612, *Valentiæ anno* 1613, *Madriti anno* 1615, *et iterum Valentiæ anno* 1623; *quo etiam anno editus est Papiæ italice, in sua ab editore divisus capita, præfixoque contentorum argumento. Ast illæ notæ e posterioribus editionibus exularunt, Inquisitorum Hispanorum providentia, ne in regulam offenderetur a se post S.* Teresiæ *scriptionem latam, qua Canticum Canticorum hispanice commentari omnes vetabantur.*

atque præstantia.

1553 *Tandem, ad formandum de eo libro judicium, audi quid in proœmio gallicæ versionis suæ recte de eo proferat Arnaldus.* Fateor, *inquit,* nihil umquam a me lectum fuisse quod mihi videretur pulchrius, aut animum magis extolleret ad mirandum infinitam Dei magnitudinem ejusque gratiæ miracula. Quocirca hic tractatus eo æstimabilior est quo sublimiores cogitationes utilioresque instructiones circa virtutum exercitium immiscentur : et, nedum lectoris animum, exposita tanta perfectione, ad quam aspirare non auderet, minuit, imo potius D eum solatur, patefaciens necesse non esse tam eminentibus cumulari gratiis, ut quis prorsus cum Deo conjunctus et hoc pacto perfecte beatus sit; sed satis esse, ut superius dixi, si quis voluntatem suam omnimode divinæ voluntati subjiciat, eamque subjectionem suis actis prodat.

AUCTORE V. D. M.

Exclamationes animæ ad Deum, *et* Monita 69, *aliaque* 19.

1554 Exclamationes animæ ad Deum suum : *quæ melius ita inscribuntur, quam, sicut Arnaldus eas inscribit,* Meditationes post S. Communionem. *Sunt numero septemdecim, et diversis diebus post S. Communionem fuerunt conscriptæ anno* 1579, *non vero* 1569, *ut Emery, Nicolaus Antonius aliique habent. Sermo illic vivus, clarus, efficax : quod experti sunt, ait Chronicum, innumeri qui illius libri lectione fuerunt ad Deum conversi. Partem autographi nuper apud Carmelitissas Granatenses inventam dicit Annus Teresianus (tom. VII, p.* 152).

Monita S. Matris ad moniales suas. *Habentur sexaginta novem, aut, quot in postrema editione* 1793 *numerantur, sexaginta octo, quia conjunguntur quadragesimum et quadragesimum primum. Autographum eorum periit, aut numquam extitit : quod*
E *P. Frederico probabile videtur, quia, ait, potuit fieri ut a S. Matre fuerint dictata, vel ut a monialibus auditu primum identidem excepta sint et successive chartæ mandata. Extitisse tamen probabilius mihi videtur, tum quia, Sancta vix mortua, cum libro* Viæ perfectionis *anno* 1583 *prelo subjecta fuerunt, tum quia Ludovicus de Leon innuit se omnium operum quæ publicavit, autographa inspexisse. P. Alphonsus de Andrade S. J. doctissima commentaria in ea hispanice edidit Madriti anno* 1647, *quæ Barcinone recusa fuere anno* 1695. *Eadem anonymus Carmelita italice vertit et Venetiis vulgavit anno* 1720. *De his ait P. Fredericus :* Si verba mea aliquod pondus aliquamque auctoritatem haberent, vehementer hortarer quemcunque fidelem ut quotidie nonnulla ex iis legeret, et in examine conscientiæ videret quomodo lecta sint observata. Equidem non dubito quin ita agendo experientia cum doceret optimam inde derivari instructionem et utilitatem. Monita *novemdecim alia, ex dictis scriptisque* Teresiæ *hausta, commentatus est Palafoxius, eaque publicavit ad calcem primi voluminis Epistolarum. Verum innumera hujusmodi* Monita *sive spiritualia consilia decerpi possent.*

F

Carmina *a Sancta composita, quot et qualia :*

1555 Carmina spiritualia. *S. Mater magnis anni solemnitatibus, ad recreandos filiarum suarum animos, sæpe cantilenas genialiter ludebat. De hujusmodi cantilenis pluribus Epistolarum suarum locis mentionem facit (v. g. tom. I, epist.* 31 *et* 32). *Præter ea quæ deperdita sunt vel quorum tantum superant fragmenta, extare hodie quatuor tantum* Carmina *integra dicit P. Fredericus (lib.* IV, *cap.* X), *inter quæ tres glossas ponit (id est, ut vox hispana sonat, odas in quibus thema carminis post singulas strophas intercalari versu recinitur) : quartum carmen cantio brevis est de transfixione cordis, quam retuli num.* 226. *Adhæc Annus Teresianus (tom. VII, Madriti anno* 1758 *edito, pag.* 152) *ait recens tunc inventum esse in eremo Carmeli Genuensis autographum cantionum S.* Teresiæ *codicem. Me latet utrum inter has reperiatur glossa cujus meminit Chronicum tom. II (lib.* VI, *cap.* XIII, *num.* 3); *item alia in honorem S. Andreæ, quam tradit Annus Teresianus (tom. XI, pag.* 560). *Neutrius saltem mentionem facit P. Fredericus. Qua autem vena S. Virgo carmina profuderit, ipsa videtur declarare capite* XVI *Vitæ suæ; ubi, agens de tertio orationis gradu, in quo anima præ divini amoris affectu ardet in Dei fruitionem, ita loquitur :*

AUCTORE V. D. M.

loquitur : Novi quamdam personam quæ, esto poeta non esset, ex tempore tamen lugubres quosdam versus promebat, quibus eam quam patiebatur pœnam commode exprimebat : non quod eos ipsa ex ingenio suo componeret; sed, quo magis frui posset illa gloria quæ tam suaviter eam excruciabat, apud Deum suum de illa pœna expostulabat : ac simul cupiebat totum corpus totamque animam suam discerpi, quo suum eo dolore mixtum gaudium ei significaret. *Ergo non ingenii, sed amoris fœtus sunt quæ sic fecit carmina.*

inter quæ habetur celeberrima glossa,

1556 *Inter hæc longe celeberrima ea est glossa quam jam latine relatam invenio a Martinezio in versione quam fecit operum S.* Teresiæ, *ubi et hispanice exhibet quatuor ejus strophas quæ nunc inter variantes vulgo lectiones ponuntur; sed desunt illæ tredecim quibus vulgata glossa constat. P. Josephus de Castro S. J. hujus odes, ut et cantici super cordis sui transfixione, paraphrasim adjecit ad italicam suam Yepesii traductionem, quæ publicata fuit anno* 1730, *recusaque anno* 1733. *In celebriore glossa amplificanda P. Josepho præluserat anno* 1698 *Jacobus Martellus libro tertio de Arte amandi Deum. Elegantissimi hujus poematis vertendi periculum fecerunt inter alios, latine, ut dixi, Martinezius, belgice P. Elias a S. Teresia, germanice P. Arnoldus a S. Matthia, gallice P. Cyprianus a Nativitate, D. de la Monoye, ac nuper D. Collombet. At, si hujus cæteris multo meliorem versionem excipias, quam istorum dictio est decolor et elumbis, quantumque mutata ab illa hispana! Ignita* Teresia *in iis friget, tersa sordet.* Equidem, *ait Arnaldus in versionis suæ proœmio,* ausus non sum aggredi explicationem cogitationum quas S. Spiritus ei inspirarat, farique docuerat eloquio tam sublimi et tam efficaci, ut, si Teresiæ non crederetur neganti eos versus suo partos esse ingenio, e divino illorum stylo pronum esset judicare ab ipsa non fuisse compactos. *Cœlestis ibi profecto poesis est, et ineffabiles animæ ad dilectum Sponsum amoris impetus. Æstuans S. Virginis desiderium, cupientis dissolvi et esse cum Christo, tanta suavitate exhalatur, ut, si excipiantur quæ S. Franciscus Assisias, S. Joannes a Cruce et alii quidam Sancti fuderunt de amore Dei carmina, quæ Teresianis aliqua ratione conferri possunt, nihil adeo sublime, nihilque simul adeo simplex et teres ab hominis ingenio profectum esse existimem. Si Sanctorum pectora Deo plena fuerint, quid mirum nullius quam eorum fuisse plectrum grandius, nulliusque os divinius? Atque eo quidem magis quod* Teresia *jam ex naturæ dotibus facundissima esset et ingeniosissima? Proin verissimum est effatum Memorialium Trivoltianorum* (*ad annum* 1729, *pag.* 852), *ubi, sermonem faciendo de lyrica poesi S. Francisci Assisiatis, dicunt ordinariam poesim, cum talia Sanctorum carmina imitari audet, desipere prorsus et insanire. Ego quoque in eo eram, ut, Arnaldum imitatus, carmen illud latine redditum hic non exhiberem : at ne ejus intelligentia lector hispane non doctus omnino frustraretur, illius latine qualitercumque vertendi periculum feci.*

quæ hic exhibetur hispanice

1557 Vivo sin vivir en mi;
Y tan alta vida espero,
Que muero porque no muero.
Aquesta divina union
Del amor con que yo vivo,
Hace á Dios ser mi cautivo
Y libre mi corazon.
Mas causa en mi tal pasion
Ver á Dios mi prisionero,
Que muero porque no muero.
Ay! Qué larga es esta vida!
Qué duros estos destierros,
Esta carcel y estos hierros
En que el alma está metida!
Solo esperar la salida
Me causa un dolor tan fiero,
Que muero porque no muero.
Ay! Qué vida tan amarga
Do no se goza el Señor!
Y si es dulce el amor,
No lo es la esperanza larga.
Quiteme Dios esta carga
Mas pesada que de azero :
Que muero porque no muero.
Solo con la confianza
Vivo de que he de morir,
Porque muriendo el vivir
Me asegura mi esperanza.
Muerte, do el vivir se alcanza,
No te tardes, que te espero,
Que muero porque no muero.
Mira que el amor es fuerte.
Vida, no me seas molesta.
Mira que solo te resta,
Para ganarte, perderte;
Venga ya la dulce muerte,
Venga el morir muy ligero :
Que muero porque no muero.
Aquella vida de arriba
Es la vida verdadera :
Hasta que esta vida muera,
No se goza estando viva.
Muerte no me seas esquiva :
Vivo muriendo primero;
Que muero porque no muero.
Vida, qué puedo yo darle
A mi Dios, que vive en mi,
Sino es perderte á ti,
Para mejor á él gozarle?
Quiero muriendo alcanzarle,
Pues á él solo es el que quiero,
Que muero porque no muero.
Estando ausente de ti,
Qué vida puedo tener?
Sino muerte padecer
La mayor que nunca vi.
Lastima tengo de mi,
Por ser mi mal tan entero,
Que muero porque no muero.
El pez que del agua sale,
Aun de alivio no carece :
A quien la muerte padece,
Al fin la muerte le vale.
Qué muerte habrá que se iguale
A mi vivir lastimero?
Que muero porque no muero.
Quando me empiezo á aliviar
Viendote en el Sacramento,
Me hace mas sentimiento
El no poderte gozar.
Todo es para mas penar,
Por no verte como quiero :
Que muero porque non muero.
Quando me gozo, Señor,
Con esperanza de verte,
Viendo que puedo perderte,
Se me dobla mi dolor :
Viviendo en tanto pavor,
Y esperando como espero,
Que muero porque no muero.
Sacame de aquesta muerte,
Mi Dios, y dame la vida.

No

A No me tengas impedida
En este lazo tan fuerte.
Mira que muero por verte,
Y vivir sin ti no puedo;
Que muero porque no muero.
Lloraré mi muerte ya,
Y lamentaré mi vida,
En tanto que detenida
Por mis pecados está.
O mi Dios, quando será
Quando yo diga de vero :
Que muero porque no muero?

ac latine, 1558 Vivo quin vivam in me;
Et tam altam vitam exspecto,
Ut moriar quia non morior.
Divina hæc conjunctio
Amoris quocum vivo
Efficit ut Deus sit mihi captivus
Et liberum cor meum.
Tanto autem ardore inflammor
Videndo Deum captivum meum,
Ut moriar quia non morior.
Heu! quam longa est hæc vita!
Quam dura hæc exilia,
B Hic carcer et hæc vincula
Quibus anima constricta tenetur!
Sola exitus mei exspectatio
Tam sævo me afficit dolore,
Ut moriar quia non morior.
Heu! quam amara vita est
Ubi mens non fruitur Domino!
Et si dulcis est amor,
At longa expectatio non est dulcis.
Tollat Deus a me hoc onus
Ferri pondere gravius :
Nam morior quia non morior.
Tantum me fiducia
Sustinet futuræ mortis,
Quoniam morienti vitam
Mihi asserit spes mea.
Mors, qua vita obtinetur,
Ne cuncteris : nam te exopto,
Et morior quia non morior.
Vide quam fortis sit amor.
O vita, ne mihi molesta sis.
En solum tibi superest
Ut te amittam ad te consequendum.
Veniat jam dulcis mors,
C Properet citatissimo gradu :
Nam morior quia non morior.
Vita illa superna
Vera vita est;
Qua, donec hæc vita moriatur,
Frui viventi non licet.
O mors, ne me dedignare :
Vivo moriendo prius;
Nam morior quia non morior.
Vita, quid aliud possum dare
Deo meo, qui in me vivit,
Quam tui jacturam,
Ut melius illo fruar?
Cupio illum moriendo adipisci,
Quippe eum unum desidero,
Ita ut moriar quia non morior.
Absens a te, Domine,
Quam vitam possum vivere?
Imo vero mortem patior
Omnium quam vidi maximam.
Me mei miseret,
Quia tanta mali mei vis est,
Ut moriar quia non morior.
Piscis qui ex aqua emergit,
Mortis non caret lenimine : AUCTORE V. D. M.
Cui mors patienda est, D
Hunc denique mori juvat.
Quæ vero mors æquet
Vitam meam miserandam?
Morior enim quia non morior.
Quando relevari incipio
Te in Sacramento videns,
Augescit mihi dolor
Eo quod te frui nequeam.
Hinc fit ut magis patiar,
Quia te non video quomodo cupio :
Hinc morior quia non morior
Quando me oblecto, Domine,
Spe tui intuendi,
Videnti fieri posse ut te amittam,
Mihi geminatur dolor.
Tanto vivens in pavore,
Licet sperans quantum spero,
En morior quia non morior.
Erue me ex hac morte,
Mi Deus, ac da mihi vitam.
Ne me irretitam teneas
Hoc tam forti laqueo.
En morior desiderio tui, E
Nec vivere sine te queo;
Nam morior quia non morior.
Plorabo modo mortem meam,
Et vitam meam lamentabor,
Quamdiu hæc producetur
Ob mea peccata.
O mi Deus, quando fiet
Ut possim vere dicere :
En morior quia non morior?

et cujus componendæ occasio ex Yepesio affertur.

1559 *Narrat Yepes* (*lib.* III, *cap.* XXIII) *quæ S. Virgini occasio fuerit hos faciendi versus.* In suo, *ait,* Salmanticensi conventu, primo a fundatione ejus anno, agebat festum Paschatis diem (XV *Aprilis* 1571), cum decantata ibi fuit cantio quæ hos habet versiculos : «Videant te oculi mei, dulcis bone Jesu! » Videant te, deturque protinus mori! » Ad has voces, quæ eam percellebant ob ideam mortis, quam, ut Deum videret, tam vehementer exoptabat, tantus invadebat eam mentis raptus ut quasi mortua deferenda esset ad cubile suum inque lecto collocanda : et nondum sui plane compos videbatur postero die, quo ad unum e confessariis suis scripsit quid tunc persentisceret. *Affert deinde Yepesius ipsa Sanctæ ad confessarium illum verba* (*quæ ego, quia etiam a Ribera afferuntur, lib.* IV, *cap.* V, *hic prætermitto*); *iisque hæc subjicit :* Inter hosce impetus Sancta strophas quasdam composuit, enatas ex ardore interni illius ignis, quibus inflictum sibi vulnus et animi sui sensa manifestat. F

§ LXXVIII. De Epistolis S. Teresiæ.

Epistolæ *S.* Teresiæ, *quot.*

Exiguam nobis Epistolarum *S. Matris restare partem, multoque majorem periisse, patet consideranti, si quatuordecim ultimi negotiosæ vitæ ejus anni generatim sumantur, singulos annos nobis tantum suppeditare triginta circiter epistolas; cum tamen in ejus litteris quæ supersunt, passim videamus eam epistolari commercio fuisse occupatissimam. Epistolæ hispana lingua hactenus editæ habentur* 342, *et epistolarum fragmenta* 87. *Complent quatuor tomos in* 4°; *quorum primus continet epistolas* 65, *secundus* 108, *tertius* 82, *et quartus* 77, *præter fragmenta. Insuper D. Migne anno* 1840 *gallico*

AUCTORE V. D. M.

A *idiomate protulit tres eatenus ineditas, quas revulgatis a se Operibus Teresianis adjecit. Illas esse traductas ex autographis quæ in Parisiensi Carmelitissarum cœnobio asservantur, novi e litteris priorissæ illius domus ad R. D. Tresvaux, canonicum Parisiensis ecclesiæ cathedralis,* XVIII *Nov.* 1840 *datis, et ab eo, pro benignitate qua doctissimus vir cœpta nostra prosequitur, perhumaniter mihi communicatis. D. Migne unam earum, graphice exaratam, etiam hispanice exhibet, manum* Teresiæ *in scribendo referentem. S. Matris* Epistolæ, *si unam demas quæ est anni* 1560, *cæterœ omnes postremis viginti vitæ ejus annis scriptæ fuerunt, id est ab initio anni* 1562 *ad* XII *Septembris* 1582 : *imo, si demas litteras quinque vel sex, scriptæ sunt omnes ultimis quatuordecim annis. Plerarumque harum autographa adhuc hodie in Hispania conservantur, præsertim Hispali, Vallisoleti et Madriti; multæque earum, pro authenticis Reliquiis probatæ, pio ritu juste coluntur.*

Notatu digna de singularibus quibusdam epistolis, intra

1561 *Inter alia refert Chronicum* (*lib.* XX, *cap.* XXXIV), *et P. Antonius in notis suis, qui epistola* 15 *tomi II anno* 1614 *Abulæ reperta fuerit. Scilicet in animo habebant religiosi, priusquam occupabant*
B *illum locum ubi nata est* Teresia, *domicilium extra civitatem struere; et ad eum finem coemerant plures domos derelictas a Mauris qui quadriennio ante Hispania fuerant pulsi. Cratitius quidam paries ab ædificaturis cum destruendus esset, ecce præ manibus habent integram præfatam epistolam, in qua ne vel exesum erat id glutinis quo claudi solent litteræ. Nimirum spem foventes propediem redeundi, Mauri quæcunque pretiosa auferre non poterant, condebant in domorum suarum penetralibus vel humo infodicbant. Ex ea autem cura qua occultaverunt scriptum illud, conjici potest vel inter ipsos Mauros epistolas* Teresiæ *magni fuisse pensas.*

et extra Hispaniam.

1562 *Etiam extra Hispaniam aliquot ejus epistolæ, sed paucæ, habentur. Omissis tribus Parisiensibus, de quibus supra, penes Carmelitissas Bruxellenses existit pars prior epistolæ* 43 *tomi II, verso* (*ut dici solet*) *mediæ paginæ desinente ad eas numeri quarti voces :* no hallaba; dixo. *Si rationem amissionis posterioris partis conjectura indagare liceat, facile crediderim hanc ab ipso Gratiano, de posthuma sua fama non male sollicito, fuisse destructam; quia seria morituræ* Teresiæ *ad eum monita continebat. Restantem eam autographam Sanctæ pagellam* VIII
C *Maji* 1842 *dignatus est Excellentissimus Archiepiscopus Nicœnus, Raphael Fornari, in aula regis Belgarum Nuntius, sigilli sui robore munire, ac decernere tribuendum illi Sacrarum Reliquiarum honorem. Atque id eo gratius Carmelitanis Bruxellensibus accidit quod primus esset actus quo potestatem suam qua recens auctus erat, exereret. Tandem in conventu Bononiensi extat altera quæ poni solet quinquagesima sexta tomi II. Hanc Vallisoletanæ moniales Benedicto XIV obtulerunt, qui vicissim eam dono misit Bononiam, addito Brevi ubi scriptam asserit* Teresiæ *manu tum ex addito Vallisoletano documento tum ex conformatione litterarum et apicum, siquidem, ait, Sanctæ manus tota Hispania sufficienter nota est. Cum autem Sancta nomen loci unde mittebatur epistola, pro more suo neglexisset apponere, non dedignatur Supremus Ecclesiæ Pontifex ratiocinando demonstrare missam esse Toleto.*

Quando et quomodo primum Epistolarum *volumen prodierit;*

1563 *Primum* Epistolarum *volumen collegit R. P. Didacus a Præsentatione, Generalis Congregationis Hispanæ : quas cum Ill. Palafoxius notis unum intra mensem confectis stipavisset, dicavit ille Philippo IV, et prodierunt Cæsaraugustæ anno* 1658. *Placuit regi ut sub auspiciis suis ederentur, eo quod nativitatem ejus precibus Carmeli attribuendam ipsius* D *mater existimarat; sicut refert Philippi historiographus. Tanta autem aviditate S. Virginis litteræ exceptæ fuerunt, ut intra octo annos quater fuerint recudendæ, et ut* in omnes fere Christiani orbis linguas, *ut ait Bibliotheca Ord. Carm. Exc.,* fuerint translatæ. *In gallicam vertit hoc primum* Epistolarum *volumen D. Pellicot, Salmanticensis academiæ doctor, et Galliarum reginæ ab eleemosynis. Sed, ut notat præfata Bibliotheca, cum hujus versionis autographum in quasdam infideles manus depositum fuisset, illud Parisiis anno* 1660 *apud Georgium Josse edi curavere, tota epistola* 65, *S. Matris Monitis, aliisque passim pluribus omissis : ut monuit etiam Franciscus Foppens, typographus Bruxellensis, qui integrum exemplar hispanum gallice versum edidit anno sequenti* 1661. *Alteram versionem hujus tomi confecit D. Chappe de Ligny, dispositis epistolis ordine chronologico, decurtatisque notis Palafoxii.*

item quando secundum; quod gallice non sat fideliter versum fuit,

1564 *Alterum* Epistolarum *volumen hispanice prodiit cum notis P. Petri ab Annuntiatione. Fusiores autem eis addidit P. Antonius a S. Josepho, ille idem qui notas confecit tertii et quarti tomi. Opera P. Petri a Matre Dei gallice Insulis hæ prodierunt anno* 1698. *Aliam versionem pararat biennio ante* E *Mater de Maupeou, priorissa Sandionysiana, mortua anno* 1727. *Illam edendam curavit Ill. de la Taste, episcopus Bethlehemensis, præmisso a se prologo. Mirum est tantis encomiis cum elegantiæ tum fidelitatis donatam fuisse hanc traductionem, in eaque extollenda unum fuisse omnium concentum. Ut taceam D. Franciscum Lamy Ord. S. Bened. et Ludovicum Ellies Dupin* (*de quibus sermo fit in prologo voluminis*) *ipsumque Ill. de la Taste, laudant eam F. X. de Feller in Dictionario historico, gallica Biographia universalis, du Serre-Figon in notis ad suam S.* Teresiæ *Panegyrin, aliique ad unum omnes quos vidi mentionem de ea versione facientes. At, veri partes cum propugnandæ sint, nequeo non turbare chorum laudantium, et, dum alter alterius auctoritate nititur, repetentium audita elogia, ac deprædicantium jam toto fere sæculo versionem Matris de Maupeou. Ut autem invicte demonstretur sensus esse mutilatus sæpe, et in rebus non semper levibus male versus, inter primo obvias, adeas velim hispani secundi voluminis epistolas* 80, 81 *et* 82, *quæ gallice ponuntur loco* 21, 22 *et* 26; *comperiesque ibi resectas esse lineas jam tres aut quatuor, jam octo vel* F *novem, imo alicubi duodecim et quatuordecim. Et ita porro.*

sicut demonstratur ex uno et altero loco.

1565 *Dein quod errores attinet, ne de frivolis solum mendis agi pateat, epistolam indigitabo quartam* (*gallice octogesimam*), *in qua* (*num.* 5) *habetur :* No reyna en mi con fuerza asimiento de ninguna criatura, ni de toda la gloria del cielo, sino amar á este Dios. *Quod latine sonat :* Nullius creaturæ regnat in me magna adhæsio, neque ipsius etiam gloriæ cœlestis tenet me vehemens desiderium : in unum Dei amorem feror. *At Mater Maupeou id vertit :* L'amour des créatures ne règne pas dans mon cœur, et je ne sens d'attachement pour aucune, pas même pour toute la gloire du ciel : tout mon désir est de voir Dieu. *Ubi non solum* amar á este Dios (amare Deum) *male ita versum est, quasi Sancta tantummodo desiderasset Deum videre; sed et, quod pejus est, illa dicitur affirmasse nullo se totius cœlestis gloriæ affectu teneri : dum solum negat se in eam ferri impetuoso desiderio. Aliud autem est :* nullus affectus; *aliud :* vehemens adhæsio. *Equidem hæc tacitus præteriissem, ni pejus quid haberetur epistola* 11, *quæ gallice est prima* (*num.* 29), *ubi dicitur :* Ni honra, ni vida, ni gloria, ni bien alguno,

A guno, ni en cuerpo ni alma, hay quien me detenga, ni quiera, ni desee mi provecho, sino su gloria. *Id est :* Nec honor, nec vita, nec gloria, nec ullum in anima aut corpore bonum est cui adhæream; neque volo aut desidero meam utilitatem, sed solam Dei gloriam. *Verum traductrix, Sanctam Molinosismo quodam afficiens, ait :* Sans me soucier ni des biens, ni des honneurs, ni de la vie, ni de la santé, ni de ce qui concerne les avantages du corps ou de l'âme, ni même de la félicité des bienheureux, je borne tous mes désirs à sa seule gloire. *Ac dein, postquam Mater de Maupeou ita commenta fuisset* Teresiam *nullam rationem habuisse felicitatis Beatorum, bonus editor, cum umbra strenue digladians, in prolixa valde nota multa disserit, ad Sanctam a Molinosii errore purgandam. Ast hæc pauca sufficiant ut constet ab accuratis cæteroquin scriptoribus perperam dici rara esse quæ in aliam linguam versa sint opera tanto cum studio tantoque cum successu. Incerta næ et iniqua sæpe humana laus qua immerentes aliquando donantur, frustrantur vero sæpius merentes!*

Tertium et quartum volumen

1566 *Restat modo agendum de tertio et quarto volumine* Epistolarum, *quod utrumque anno* 1771 B *Madriti, dicatum regi Carolo III, in lucem venit cum notis P. Antonii a S. Josepho, et ibidem recusum est anno* 1793. *Jam anno* 1775 *apparuerunt hæ* Epistolæ *Florentiæ, italica veste indutæ. Sed in aliud idioma non novi hactenus versas fuisse. Traductionis tamen nuper a diversis promissæ expectatio Gallos tenet, qui hodiedum frustrantur spe quam sibi fecere D. Boucher* (*præfat. ad Vitam S.* Teresiæ, *pag.* XVI), *DD. Grégoire et Collombet* (*epistola dedicatoria ante traductam gallice Sanctæ Vitam, pag.* XIV) *et D. Migne* (*in diario* l'Ami de la Religion, *tom. CXI, pag.* 192). *Quæ in postremis iis litteris, adjectisque ad eas notis, quantum ad Societatem Jesu attinet, advertenda habeo, hæc reservabo in eos paragraphos ubi de perpetuo S.* Teresiæ *in Societatem Jesu amore specialiter agam : nam ea ratione ab editore nec charitati nec veritati satis consultum fuisse demonstrandum mihi erit. Ast nonnulla adhuc alia non possum non carpere : ex quibus patebit dolendum esse quod purissimo* Teresiæ *auro nonnihil scoriæ in hac voluminum conflatione editor injecerit.*

in quibusdam carpi possunt: quod probatur

1567 *Taceo in fronte libri, anno* 1771 *regi dicati, infra S. Matris imaginem positos esse quatuor abnormes versus, quos pudet referre. Leviora hæc.* C *Sed, quod pejus est, cur pro arbitrio celavit editor plures epistolas epistolarumque fragmenta, quæ fatetur sibi ad manum fuisse? Ne quid dicam de epistola ad Moyam, aliisque ad Societatem Jesu spectantibus, de quibus postea sermo erit, nescio quo jure editor, qui affirmat omnes omnino Sanctæ epistolas valde proficuas, fas esse putarit nos privare iis epistolis de quibus ipsemet loquitur tom. III, epist.* 48, *not.* 13, *et epist.* 52, *not.* 20, *ac tom. IV, epist.* 42, *not.* 14, *et epist.* 44, *not.* 11 *et* 12, *etc. In his autem saltem aliquæ habentur quæ relatu dignissima continebant, v. g. epistola illa quam ait editor de captivitate S. Joannis a Cruce agere; aut si quædam ex iis res familiares solum spectabant, non hæc erat ratio cur negligerentur, ipso editore teste, quippe qui plures hujusmodi S.* Teresiæ *epistolas vulgavit.*

variis argumentis.

1568 *Adhæc nonnulla male sunt posita, divisa, addita vel dempta : quæ propositi mei non est hic referre. Qui hos aliosque nævos pretiosissimæ cæteroquin illius collectionis singillatim vult nosse, consulat secundam Montoyæ Dissertationem. Varias illic quæstiones agitatas videbit super epistolis* 11, 13, 18, 22, 27 *et* 28 *tomi III, ac super epistola* 25 *tomi IV, ut et super notis quas hispanice adjecit P. Antonius a S. Josepho et italice P. Valerius; dolebitque quibusdam se, ubi tot nitent, offendi maculis. Facili autem venia dignus foret editor, si attentæ non satis menti imputari ea possent. Ast demonstrat Montoya consilio quædam ideo esse resecta, aut quia questus continent in Calceatos, aut quia laudem Societatis Jesu : quod magis adhuc locum habet in italica traductione quam P. Valerius Florentiæ concinnavit anno* 1775. *In hac, inter alia, ut parcatur Calceatis, omissa est tota fere epistola* 76 *et triginta lineæ ex epistola* 77 *tomi III, atque e tomo IV fragmenta* 41, 43, 44 *et septem lineæ e* 32. *Qua occasione opportune advertit Montoya annotatorem male neglexisse monitum patroni sui, archiepiscopi Burgensis Rodriguez de Arellanos, qui in famosis suis anni* 1769 *encyclicis ita loquitur :* Quo jure aut qua ratione supprimantur ea fragmenta? Singulæ S. Matris litteræ lapides sunt pretiosi. Nil prorsus ab illis demi debuisset. Qui autem secus agit, contrahit malæ fidei notam : atque iniqua talis actio a nemine minus quam a religioso patrari oporteret.

AUCTORE V. D. M. D

Præstantia Epistolarum *S.* Teresiæ:

1569 *Quædam modo dicam de excellentia* Epistolarum *Teresianarum, quas S. Joannes a Cruce, una cum S. Scriptura pera inclusas, secum semper ferebat. Bene advertit P. Antonius a S. Josepho* (*tom. IV, ep.* 41, *not.* 10), *si Carmeli Ordo reformatus fuit, id deberi* Epistolis *S.* Teresiæ. *Alii Ordinum Institutores Italiam petebant, Romæ versabantur, agebant cum Cardinalibus, Summum Pontificem informabant, aliaque diligenter et pro sua persona decenter præstabant. At nil hujusmodi S. Mater præstabat aut congruenter præstare poterat. Quomodo igitur ipsa condidit Ordinem suum, remque adeo portentosam inops Virgo perfecit? Næ ibi est quod stupeamus! Nam variam eam aliorum Institutorum diligentiam et industriam supplebat* Teresia *sola scriptione litterarum. Neque egit dumtaxat de vita spirituali cum hominibus omnis generis, aut de religiosa Ordinis disciplina cum suis utriusque sexus alumnis, aut tandem de rebus familiaribus vitaque civili, quoties humanitas vel charitas id exigebat, cum sæcularibus; sed et frequenter, et quidem de gravi non raro argumento, cum selectissimis fere quibusque viris qui tunc temporis in Hispania excellebant sanctitate, doctrina, et ecclesiastica vel civili dignitate. Si enim recenseas elenchum eorum quibuscum Sancta habuit litterarum commercium, vel legens epistolas annotes quibuscum coluerit amicitiam, invenies Philippum II, magnum ducem Albanum Ferdinandum de Toledo, hujusque uxorem et filium, Nuntios Ormanetum et Segam, Cardinalem Quirogam, S. Petrum de Alcantara, S. Joannem a Cruce, S. Franciscum de Borgia, Magistrum Joannem de Avila, Ludovicum Granatensem, Dominicum Bañez, et quam plurimos alios qui vel episcopalibus infulis vel theologicis cathedris vel fama sanctitatis insigniores erant ea magnorum in Hispania virorum fœcundissima ætate.* F

judicium de iis latum ab episcopo Accitano, a Montoya,

1570 *Quod si modum spectes quo Sancta res quasvis tractat,* Epistolæ *ejus* omnes, *ait episcopus Accitanus, citatus a P. Antonio a S. Josepho in prologo ad tomum III,* gratiam spirant, ac tanto prudentiæ sale condiuntur ut vel fastidiosos lectores utiliter delectent. Videri illic potest, *inquit P. Montoya* (*diss. II, cap.* VI, *n.* 1), animus ille generosus qui mediis in gravissimis infirmitatibus, horrendis calumniis et persecutionibus, atque in mediis omnigenis laboribus internis externisque, pacatus et tranquillus permanebat; ardens ille zelus quo fervebat ad B. Mariæ de Carmelo Ordinem propagandum regularemque observantiam promovendam,

AUCTORE V. D. M.

A vendam, et quem ubique dulcedine, suavitate atque discretione temperatum cerminus; profundissima illa humilitas et sui nihili cognitio, quibus magnanimitas et fiducia in Dei omnipotentia comites ibant; pectus illud vere maternum erga filias filiosque, et sollicitudo illa qua omnimode animorum eorum perfectioni prospiciebat, quin umquam tamen obliviscetur minima quæque spectantia ad res temporales conservationi et augmento monasteriorum necnon solatio et quieti incolarum necessarias: hæ, inquam, omnes et plures aliæ gratiæ singulares propriæque S. Teresiæ, quæ in antiquis Sanctæ Epistolis admirationem provocant, in recentibus quoque patescunt.

a du Serre-Figon.

1571 *Nec minus vere quam pulchre sequentia dicit D. du Serre-Figon* (*part.* II *Panegyris suæ, pag.* 39) : Etiamsi nil aliud Teresiæ deberemus quam Epistolas, bene profecto de orbe Christiano merita esset insigni tali beneficio! Epistolis, inquam, æque utilibus ac amœnis, quas non minus ob animi sensa quam ob cogitationum lepores laudaveris; quæ, etsi gallico idiomate minus quam originali scriptione sapiunt, gallice tamen ita grato suo candore mentem adhuc delectant, ut, postquam

B quis eas legerit relegeritque, novæ semper videantur. Quid plura? Incitant atque erudiunt animum ad pietatem; et inter eas aliquot absolutissimæ elucubrationes sunt de rebus spiritualibus, de oratione mentali et religiosa perfectione. Universalis est earum utilitas, quoniam omnigenis hominibus deque rebus omnigenis sapientissima ibi dantur consilia, necessitatibus adjunctisque aptissima. Teresia, alloquens in eis cœnobitas, exhibet se sanctimonialem scientiæ Sanctorum apprime peritam; alloquens sæculares, apparet mulier probe noscens eorum studia, negotia, usus, ambitionis artes, numquam tamen religiosæ decentiæ stylique oblita; agit cum doctoribus, tamquam ipsa perdocta, sed absque superbia et vanitate, ita ut doctrinæ præcellentia eos non deprimat; summa observantia, vitatis tamen assentatiunculis, colit magnates aulicosque, atque ita ad eos scribit ut inter ipsius aulæ urbanitates vitam egisse videatur; ubi cum propinquis agit, monita sua amore condit, placetque devotæ consanguineæ affectus, zelo Sanctæ Virginis immixtus. Quis præterea hic non agnoverit civiles in ea elucentes virtutes? Vides hic Seraphinorum æmulam, ad Divinitatis thronum

C sublatam, a monte sancto descendentem, non ut Moysem, tonitribus fulguribusque armatum paratumque ad tabulas Legis frangendas, verum ad docendum et comprobandum Legem Euangelicam a nullis hominum conditionibus abhorrere. Ad minuscula quæque societatis civilis officia demittit mentem : in dilecti fratris pectus et in amicitiæ sinum effundit sensa candidissimi animi, *etc.*

ab Ill. Palafox et a D. Emery.

1572 *Atque similia harum* Epistolarum *encomia legi possunt in Palafoxii epistola quæ præmitti solet primo volumini. Ibi inter alia ita loquitur :* Quantum S. Mater in Epistolis suis promit zelum animarum! Quantam prudentiam peritiamque rerum mysticarum et moralium artisque gubernandi! Quantam in persuadendo efficaciam! Quantam styli claritatem! Quantam gratiam vimque latentem ad capiendum animos eorum quos scriptis suis erudit! *Advertitque Ill. Palafox* (*epist.* 10, *not.* 3) Teresiæ Epistolas *magnam habere affinitatem cum iis Isabellæ Catholicæ, qua inter eos qui regnorum gubernacula tenuerunt, vix extitit major. Atque D. Emery in operis sui de S.* Teresia *prolusione ait unumquemque post* Epistolarum *ejus lectionem ultro fassurum esse Sanctam hanc* (*quæ in semetipsam valde rigida erat, et rerum cœlestium contemplationi adeo* D *dedita ut terras liquisse prope videretur*) *nulli secundam fuisse in commendanda virtute suaviter juxta ac potenter. Atque refert ibidem auctor cordatum quemdam protestantem, lecto suo de Spiritu* Teresiæ *libro, scripsisse ad amicum suum Genevensem, D. Carolum Bonnet, eam e scriptis ejus sibi videri* Teresiam *quæ totius regni habenas rite fuisset moderata. Imo P. Ægidius de la Sante S. J. in oratione :* An tribuenda Gallis rei litterariæ palma (*Parisiis,* 1741, *in* 12°), *in qua conatur probare contribules suos eam posse cunctis Europæ gentibus præripere sibique vindicare, præponit dominam de Sévigné extraneis quibuslibet qui arte epistolari claruerunt, una tamen excepta hispana* Teresia, *quam ipsi præfert dominæ de Sévigné :* Non paucæ sunt quas Hispanis invideamus, Epistolæ. Tuas, dico, pia Teresia, quas licet currente calamo exaraveris, et ingeniosius et elegantius et suavius conscriptas fateor quam vel e nostris optimas. Nec mirum : has e cœlo prius acceperas quam terris dares; has Deus ipse afflaverat; his ultro cedimus : cedere afflanti Deo, gloriosum est Galliæ. *Egregia quoque* Epistolarum *laus legi potest in prologo quem Ill. de la Taste annexuit gallicæ secundi voluminis versioni.* E

Sed ipsæ Epistolæ *maxima sui commendatio sunt: quod probatur*

1573 *At multo magis quam cuncta hæc clogia ipsæ S. Matris* Epistolæ *se commendant; quod facile probarem, si varia epistolaris eloquentiæ illius specimina afferre per spatium mihi liceret. Pro exemplo sit epistola ad R. P. Rubeum, cujus latinam versionem exhibui num.* 669 *et seqq. Nescio num quidquam, pro difficillimo quod tractat ibi argumento, humana eloquentia comminisci possit melius. Profundam ibi humilitatem et religiosam obedientiam mirabili modo conjungit cum legitima, non tam sui quam suorum, qui rei erant, Reformationisque suæ defensione : nec solum summa dexteritate sibi et alumnis suis captat Præpositi benevolentiam, ac diluit culpas aut extenuat; sed et molitur infensum illum in Reformationis defensorem transmutare. Tandemque repetit, quod initio dixerat :* Videbis olim in supremo Dei judicio atque æternitate quid debeas tuæ Teresiæ a Jesu. *Si videre velis qui S. Mater exerat quandoque et animi et styli robur, lege epistolam ultimam tomi I ad Annam a Jesu, ubi læsæ obedientiæ detrimenta fortiter reparat, et nova suaviter prævenit, ut* § XLIX *ostendi; aut lege vigesimam ejusdem tomi, a me relatam num.* 787 *et seqq., in* F *qua, dum magnum suum erga Societatem Jesu amorem probat, summa tamen energia pro necessaria sibi fama decertat, et sibi ab amico provinciali impactam per errorem culpam repellit duplice jurejurando, altero Deum suæ innocentiæ testem invocans, altero, si in culpa sit, volens deleri de libro vitæ.*

pluribus exemplis.

1574 *Religiosa in humillima moniali observantia, sed et mascula simul in fœmina libertas cernitur in ejus epistolis ad Philippum II, quibus pauper virgo simplice sua eloquentia potentem monarcham sibi devincit, eumque adipiscitur patronum et columen disjectæ pene Reformationis suæ. Brevitatem vis? Experire num vel una demi possit vox a prudenti instructione quam num.* 683 *latinam feci, de modo ineundi possessionem monasterii Caravacensis; aut adi epistolam* 16 *tomi I ad P. Dominicum Bañez, qua multas magnasque res compendiose exhaurit. Pluribus epistolis salse et prudenter æque ac libere instruit et corrigit Gratianum, v. g. fragmento* 14 *tomi IV. Ex epistola* 51 *tomi I, cujus versionem latinam vide num.* 819 *et seqq., comperies qui condolere possit mœrentibus. Consolatoriæ illæ, missæ afflictis filiabus suis Hispalensibus, aptissimæ sunt ad leniendum dolorem et ad excitandum amorem Crucis. Pariter epistola* 14 *tomi*

A *tomi IV, ut et* 35 *et* 39 *tomi I,* Teresia, *fide plenissima, rationes solatii in morte sibi charorum exhibet arte magistra aut potius sine arte, et eo eloquentius quo simplicius. At omnium maxime hic laudatam velim (a qua tota afferenda ægre abstineo) epistolam* 8 *tomi I ad episcopum Oxomensem, Alphonsum Velasquez. Egregium illud documentum probat quanta S. Mater esset vitæ spiritualis magistra, et simul ostendit quam esset humilis, quam obediens, et quam excelsa tamen liberaque mente. Nam, jussu sibi facto, orare docet ibi filia prælatum, pœnitens confessarium, ac* Teresia *educit discipulum suum ab abecedario, ut ita loquar, orationis, et a primo limine scientiæ Sanctorum, ad altissimam cœlestium rerum contemplationem et ad intimam cum Deo unionem. Atque hic absoluta esto omnis de* Epistolis *tractatio.*

§ LXXIX. De S. Teresiæ modo scribendi.

Quæ super Teresianis libris dicenda restent.

B *Recensitis singulis* Teresiæ *operibus, modo, ut a levioribus incipiam, primum perpendam eloquentiam S. Virginis : dein considerabo doctrinæ ejus profunditatem; ac demum inquiram utrum a Deo in scribendo adjuta perhiberi possit. Eam quam hic amplectar sententiam confirmabo clarorum virorum testimoniis, atque ipsiusmet Ecclesiæ non obscure significata mente. Tandem investigabo num recte Ecclesiæ Doctor nuncupetur : quem Doctoris titulum plures illi indere non dubitant. Quibus omnibus expensis, hisce de* Teresiæ *libris paragraphis finem imponam indagando quid de plurium hodiernorum judicio censendum sit, qui, non raro post exaggeratam* Teresiæ *laudem, collatumque Ecclesiæ Doctoris nomen, sibi parum constantes ac prope dixerim injuriam Ecclesiæ irrogantes, lectionem laudatorum adeo operum ejus nihilominus dissuadent ac pene proscribunt.*

Ratio cur agam de Sanctæ eloquentia :

1576 *Sanctæ facundiam et styli ejus eloquentiam, agendo de Canticis et Epistolis, modo delibavi; atque existimarem cætera illius scripta tantum obiter hoc respectu censenda mihi esse, nisi scirem ævum nostrum maximi facere illam in scribendo venustatem formamque dicendi. Eo enim usque hodie hæc adamantur, ut, modo aures mulceantur periodis bene*

C *fluentibus, aut stimuletur gustus aculeis dictorum, non pauci abesse facile patiantur argumentationis soliditatem, et commendabiliorem fere æstiment hominem qui pure scribere novit aut belle dicere, quam qui eminet sanctitate vitæ et infusis gratiæ donis. Ergo, quantum fas est hagiographo, accommodabo me genio multorum, et edisseram breviter S. Matris eloquentiam. Si tamen ostendo eam recte audire poetriam (quo nomine Gallorum hodie mos est* Teresiam *deprædicare), si in arte epistolari principem, si scientem jam familiari naturalique stylo convenientissime tractare levia et domestica, jam sublimiori mystica et theologica; ea id ego mente facio, non ut me distineam eloquentiæ disciplinis rhetorumve præceptis, sed ut in S. Virgine spectabiliora fiant Dei dona, et ut ii qui humanis istiusmodi rationibus ducuntur, inde æstimare incipiant heroicam ejus virtutem et honorare sanctissimam religiosi Ordinis Reformatricem.*

de qua judicium exhibetur Ludovici de Leon,

1577 *Variorum itaque primum judicia excipe de S.* Teresiæ *eloquentia. Postmodum exemplis rem confirmabo. Agmen ducat Ludovicus de Leon, idoneus quam qui maxime judex, quippe qui inter Hispanos scriptores de palma contendat, non verente Nicolao Antonio in Bibl. Hisp. nova ei applicare quod Lucanus de Cicerone habet :* Hispani maximus D auctor Luisius eloquii. *Hic autem in epistola dedicatoria Operum S.* Teresiæ *ita eloquitur :* Ipse Spiritus Sanctus S. Matrem in scribendis libris haud dubie incomparabile et rarissimum quoddam voluit esse exemplum. Nam in rerum quas tractat sublimitate, et qua eas declarat subtilitate et perspicuitate, multorum ingenia longe antecellit. Quoad puritatem vero sermonis et facilitatem styli verborumque gratiam, scitam structuram et inaffectatam elegantiam, quæ legentibus quam gratissima est, nihil esse puto in vernaculo nostro idiomate conscriptum quod hisce Sanctæ Matris scriptis queat conferri. Unde quoties illa lego, non possum non, tamquam si jam de novo ea legerem, summopere eadem mirari; et in plurimis diversisque illorum partibus non hominis spiritum loquentem audire mihi videor, sed Spiritum Sanctum multis in locis per eam et in ea locutum, manumque ac calamum ejus direxisse, certissime mihi persuadeo : quod tum e lumine et claritate qua res obscurissimas elucidat, tum ex igne qui per verba ipsius in legentium cordibus accenditur, apertissime patet. . . . Stupor intolerabilis est verba illius velle corrigere; qui enim E Castellanæ linguæ probe callentes sunt, vident S. Teresiam esse ipsammet elegantiam. *Atque Ludovico de Leon consonat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 70, *not.* 11), *dicens :* Hispanismus S. Teresiæ talis est, ut etiam ubi aberrat a grammatices constructionisque legibus, summum in ea artificium sit et lepor.

Nicolai Antonii,

1578 *Nicolaus Antonius, in Bibl. Hisp. nova* (*art.* Teresia) : Singulari quadam, *inquit,* sermonis castitate ac perspicuitate, inaffectataque elegantia, theologiæ illius, quam mysticam vocant, hoc est, veræ sapientiæ, arcana, non nisi sanctissimis reserata, totis velut laxatis carceribus foras emisit, cunctisque mortalibus patefecit. Res difficillimas, vereque sensum et ingenium etiam litteris instructissimorum virorum superantes, simplex virgo et illitterata ea claritate ac dexteritate in his libris explanat, ut fateri necessarium sit, quod nec ipsa diffitetur, infusam divinitus menti doctrinam per aurcum ejus calamum ad nos tanquam per traducem promanasse. *Demum videmus inter quinque selectissimos Hispanos scriptores qui a tempore formati primum Castellani idiomatis ad sæculum usque decimum nonum floruerunt, S.* Teresiæ *ab idoneo hodierno judice locum assignari. Sic enim in proœmio libri cui titulus :* Tesoro de los prosadores Espa-

F ñoles, *Parisiis anno* 1841 *editi, ait D. Eugenius de Ochoa, qui elegantiora ea hispanæ linguæ fragmenta collegit :* Quam locuples profecto est pulchrum idioma nostrum! Ac simul quam lene et quam nervosum! Quanta, in flexura verborum, naturæ æmulatio! Quam grata in pronuntiandi sono conjunctio roboris et dulcedinis! Lectores judicent de lingua nostra, postquam excerpta legerint quæ porrigimus ex operibus Guevaræ, S. Teresiæ a Jesu, F. Ludovici Granatensis, Marianæ ac Cervantes.

D. Viardot

1579 *Neque tantum Hispani aut ex religiosis Ordinibus viri* Teresiam *numerant inter primarios gentis suæ scriptores, sed et aliarum nationum litteraturæ Ibericæ periti sæculares præclare de* Teresia *eo respectu sentiunt. Unum audi D. Viardot, qui in libro Parisiis anno* 1835 *edito* (*sub titulo :* Études sur. . . l'Espagne) *sequens de ea fert judicium :* Una ex Hispana gente mulier libros composuit. Et mirum! non futilia scripsit, quæ fœmineo calamo fere sola competunt, sed ascetica. Ergo communem excessit nationis suæ ordinem, quia mulier

AUCTORE V. D. M.

calamo usa est, sed et excessit ordinem aliorum populorum ob tractatarum a se rerum naturam. *Dein* (*postquam non bene affirmarat ejus libros Vitæ, Fundationum et Castelli animæ fuisse ea vivente editos*) *sic pergit* : S. Teresia ob gesta negotia scriptosque libros numerari potest inter Ecclesiæ Patres. Et, cum in vita sua habita fuerit ut ævi sui oraculum, atque a morte inserta sit albo Sanctorum, duplici honore condecorata est; nam et ejus vita pro sanctitatis exemplo proposita fuit, et libri ejus pro norma styli enthei ac scientiæ orthodoxæ. *Quæ porro habet ille auctor, utpote pro Catholico valde deformia et a D. Collombet male excusata, non affero, quamquam et ibi dicat* Teresiæ *ingenium aliqua ratione comparari posse cum ingenio SS. Bernardi et Hieronymi. Id unum hic adverto : si qui* Teresiam *despicere male audeant, quod exponat ac propugnet Ecclesiæ Catholicæ dogmata, ab innumeris aliis* (*ut postea videbimus*) *laudatur, quod rectissime id faciat, et quidem eloquentia tam suaviter persuasoria ut omnino abstineat argumentis terrorem incutientibus.*

A

aliorumque :

1580 *Hac occasione accipe vel ex ipsis politicis et non undequaque catholicis ephemeridibus quid etiam hodie Hispani sentiant de civis suæ libris, post tria fere ab eorum scriptione elapsa sæcula.* Cuncta Europa totusque mundus, *ait* el Correo (*Madriti* III *Februarii* 1840), miratur Teresiam in libris suis, qui ob raras dotes quibus præditi sunt, pro norma et exemplo habentur cultoribus non minus linguæ Castellanæ quam altioris philosophiæ. S. Virgo, perquam gnara humani cordis, non adhibet severa argumenta, quæ, dum improborum terrefaciunt conscientiam turbantque intellectum, impediunt quominus homo persuadeatur : sed, cum amore disserens, demulcet cor, ac tanta verborum dulcedine tamque vivis coloribus depingit delicias quæ animæ puritate etiam corpori communicantur, ac tam moderate et caritate tanta repræsentat vitii horrorem, ut conteratur iniquus, justus vero sibi videatur in æternæ vitæ mansiones translatus. Gratissimus verborum sententiarumque flexus, proprietas jucundarum frequentium comparationum, nisus ejus et continua sollicitudo ut etiam a mediocribus ingeniis capiatur, tersaque quædam muliebris styli subtilitas, quæ inaccessa viris est, cuncta hæc ita legentis occupant intellectum ut fructum inde hauriat uberrimum.

B

C

ipso Leibnitzio magni faciente S. Teresiæ *libros.*

1581 *Quod si quidam, de claris Hispaniæ scriptoribus agentes,* Teresiæ *nomen celent et imitentur Sismondi de Sismondis, in suis passim libris contumeliosum Romanæ Fidei spretorem, qui in suo opere de Australis Europæ Litteratura ne vel una vocula de inclyta catholicisque carissima scriptrice mentionem facere dignatur, malim id oblivioni attribuere, ne imputare debeam ignorantiæ, aut, quod pejus foret, vilipendio Religionis vel librorum de Deo rebusque divinis tractantium. Ecquid enim etiam protestans erubescat memorare ac laudare* Teresiæ *ingenium et scriptos libros, cum ipse Leibnitzius non erubuerit coram tota Europa profiteri, non modo se illos legisse, sed et inde lumen se hausisse ad condendum altioris philosophiæ fundamentum. Andreæ enim Morellio scribebat anno* 1696 : Jure æstimas Teresiæ libros. Equidem reperi illic aliquando pulchram hanc sententiam : Animam hominis concipere res debere non secus ac si in mundo nil esset nisi ipsa et Deus. Quam ideam non modice juvat ante oculos in philosophia habere : atque hanc utiliter adhibui in Hypothesibus meis.

1582 *Quod hactenus de S.* Teresiæ *eloquentia auctoritate idoneorum testium stabilitum est, ratione et exemplis modo confirmetur. Itaque de Sanctæ scriptis judicium laturus, inter alia eorum decora, animadvertat velim crebras ejus ad Deum allocutiones, jucundissimas narrationes, ac naturales comparationes quæ in S.* Teresiæ, *non secus ac in S. Joannis Chrysostomi, scriptis abundant, iisque summam amœnitatem simul et claritatem afferunt. Præfatæ illæ librorum Teresianorum dotes conjunctæ cum sint cum tersissimæ Castellanæ linguæ idiotismis et cum inaffectata simplicitate, nemo mirabitur Sanctam nostram ab omnibus litteraturæ hispanicæ peritis recenseri inter primarios nationis suæ scriptores. Quoad Sanctæ ad Deum apostrophas, ut bene notat Bossuetius, numquam homo eloquentior est quam quando Deum alloquitur aut de rebus agit divinis. Id patet ex locis ipsius S. Scripturæ, quæ ibi maxime conjungit simplicitatem cum magniloquentia et vim cum unctione, ubi homo Deo offert* hostiam vociferationis (*Psalm.* XXVI). *Idem in* Teresia *evenit, quæ ex intensissimo quo æstuabat in Deum amore, sæpe, quasi inscia, medium inter sermonem, ad dilectum animæ suæ Sponsum se convertit, et cordis sui sensa copiosissime effundit. Prorumpentes amoris flammas diceres ex cordis fornace. In uno Vitæ ejus libro numeravi quadraginta quatuor hujusmodi ad Deum allocutiones, plerumque satis prolixas. Hisce autem animæ cum Sponso suo colloquiis nihil tenerum magis, et subin nihil sublimius, nihil fidei, spei et amoris plenius, ex humano corde expromi potest.*

Sanctæ eloquentia probatur ex ejus ad Deum allocutionibus :

D

E

quari exempla afferuntur,

1583 *Si narrat v. g. capite* XXXVI *Vitæ suæ prohibitum sibi aliquando fuisse quominus surgenti suo Abulensi monasterio allaboraret, ad Deum se convertens :* Domine, *inquit,* ea domus non est mea; propter te erecta est. Hodie nemo est qui negotium illud curet. Tu, Domine, curam ejus habe. *Aut unius ex fratribus suis animam novit in periculo versari? Deum compellat, dicens :* Si ego, Domine, tuum fratrem in tali discrimine viderem, quid non facerem? Nulla mihi videtur esse res tam gravis quam ego lubens eo casu pro fratre tuo non subeam (*in Addit. ad Vitam, num.* 14). *Ariditatem passa est in oratione?* Ausa hodie sum, *ait c.* XXXVII *Vitæ suæ,* de divina Majestate conqueri, eique confidenter dicere : Quid hoc est, Domine? An non plus satis est quod in hac ærumnosa et misera vita me detineas, et ego hanc propter te sustineam et vivere in terra cupiam, cum tamen in ea nihil sit aliud quam multiplicia tui non habendi aut fruendi impedimenta : necesse quippe est me comedere, dormire, cum omnibus agere et tractare; et hæc omnia tui causa æquissima mente perfero, quanquam non ignoras, Domine, id mihi maximum ac gravissimum tormentum esse. Tene tamen interea, in parvo illo quod mihi ad te fruendum suppetit tempore, faciem tuam a me abscondere? Quomodo hoc cum immensa tua consistat misericordia? Quomodo id ferat amor quo me prosequeris? Putem equidem et credidero fore ut, si me a te possem abscondere, uti tu faciem tuam a me abscondis, propter amorem eum quo erga me fereris, id minime patereris : sed ipse mecum es ac semper me intueris; unde non est quod hoc tolerem. Obsecro, Domine, ut consideres magnum hoc pacto gravamen irrogari ei quæ te ita diligit. *Inundatur cœlestibus deliciis? Deum, ut iis ponat modum, sic compellat* (*ibid. cap.* XVIII) : Cave, Domine, quid agas! Tam cito peccatorum meorum enormium noli oblivisci, esto eadem, quo mihi illa ignosceres, oblitus sis; et ut aliquem beneficiis tuis et gratiis modum ponas, peccata mea in memoriam, quæso, revoca. Noli, mi Creator, tam pretiosum liquorem in

F

A in vas ita pertusum et tenue infundere, cum jam alias sæpe videris quod toties eum ipsa effluere et perire siverim. *Et sic longo varioque sermone pergit; nam ibi diffusa esse solet, ubi aut de amore Dei loquitur aut de sua vilitate.*

et quidem unum maxime sublime.

1584 *Non immoratur autem solis hujusmodi blandis cum Deo confabulationibus; sed in altissimas aliquando exurgit Creatoris laudes, quarum consimiles vix usquam, extra Sacrarum Litterarum paginas, reperire est. Eo modo capite* XXII *Viæ perfectionis, postquam filiabus suis gratulata est de relicta mundi vilitate* (*ubi justissime dicit non tam hominem pensari quam caducam fortunam ejus*) *ac postquam eas lepide hortata est ut recreationis tempore risu explodant fallaces mundi nugas, talibus Deum compellat vocibus* (*quarum sublimitatem innata Castellanæ linguæ gravitas plurimum adauget*) : O Imperator noster! Suprema potentia! Suprema bonitas! Ipsa principii et finis expers sapientia! Cujus perfectionibus nulli sunt termini, utpote quæ infinitæ sunt et incomprehensibiles! Mirabilium abyssus! Pulchritudo continens in se omnem pulchritudinem, et ipsamet fortitudo! Proh Deus! quis in uno se omnium mortalium conjunctam habeat

B eloquentiam et sapientiam (quantum quidem hic sciri potest; quod perinde est ac nihil scire), ut ea ratione multarum illarum rerum quæ in Deo considerari possunt, aliquid valeat nuntiare, quo aliquantillum cognoscamus quid sit ille Dominus noster et supremum Bonum nostrum.

Sancta pulchre quoque res narrat ac graphice describit,

1585 *Doleo me huic Commentario inserere non posse alias ejus ad Deum allocutiones, v. g. illas quæ capitibus* III, XXXIII *et* XXXIV *Viæ perfectionis aut Mansione* VI *Castelli animæ, cap.* VI, *habentur, aliasque complures. Ast non tantum quando cum Deo agit,* Teresia *eloquens est, licet tum sit maxime, sed etiam quando cum hominibus. Lege exempli causa priora libri Vitæ ejus capita; ubi inimitabili candore juventutem suam describit, ut et pugnam quam introrsum passa est, quando mundo erat valedictura. Inter argumenta aut comparationes haustas a purgatorio, morte et inferno, pulchre narrat quomodo, cum paterno limine ultimum egrederetur, quasi eluxata præ dolore membra ei visa fuerint, animaque sua in ea naturæ lucta quasi agonizaverit : ac dein memorat secutam pacem et animi gaudia, quando domum verrebat eo tempore quo solita fuerat commoda ornatumque corporis sectari. Sed et ingentem*

C *brevi post depingit dolorem, cupiens sanguineas fundere lacrymas et dissilire sibi cor, eo quod anima sua fidem non melius servasset desponsato sibi Deo. Modis autem lætioribus, capite* X *Viæ perfectionis, non tam describit quam ludit eos qui indiscretis pœnitentiis corpus suum vexant.* Risu dignum est videre, *ait,* quomodo nonnullæ hoc quod sibi ipsæmet inferunt, tormento gravatæ incedant. Interdum quidem eas impetus, ne dicam vesania, corripit ad indiscretas et immoderatas austeritates, quæ nonnisi biduo (ut ita loquar) durant, subeundas. Exinde diabolus ipsis suggerit has valetudini et cerebro ipsarum nocuisse, ac propterea suadet ut nullas austeritates posthac amplius subeant, ne eas quidem quas Ordo præscribit, cum jam sint expertæ quantopere eæ noceant. Ne parvas quidem Ordinis regulas (uti est silentium, unde nullum nobis provenire damnum potest) observamus; et ecce, statim ac somniavimus caput nobis dolere, chorum diu adire omittimus, cum nec hoc nos enecaturum sit : primo quidem die quia caput dolebat; altero quia doluit, et tribus aliis diebus ne denuo doleat. Et interea e nostro ipsæ cerebro austeritates novas comminisci volumus, ut tandem nec has nec alias præstare valeamus : et subinde malum ipsum nimis quam exiguum est; et ipsæ nobis persuademus ad nullam omnino austeritatem faciendam nos teneri, sed satis nos facere ad eas omittendas facultatem petendo.

AUCTORE V. D. M.

D

aptis utens allegoriis et comparationibus, tum in majoribus,

1586 *Res etiam abstrusissimas frequenti usu comparationum declarat et exornat. Sic de sublimiori oratione cap.* XI *Vitæ suæ actura, festiva humilitate hæc præmittit :* Aliqua hic me similitudine uti oportebit, esto eam omittere (quod mulier sim) mallem, et simpliciter quæ mihi injuncta sunt scripto committere : sed hæc spiritus locutio tam ægre et difficulter declarari potest ab iis qui indocti sunt (qualis ipsa sum) ut certum aliquem ejus declarandæ modum me conquirere oporteat; et licet fortassis similitudo hæc rarissime ad propositum futura sit, ad hoc saltem utilis erit ut Reverentiam Vestram recreet, cum meam in illa stupiditatem videbit. *Ac dein a capite* XI *ad* XXIII *producta allegoria quatuor modos evolvit quibus Deus hortulani more animam hominis ceu hortum quemdam gratiis irrigat. Alibi* (*Vitæ cap.* XL, *num.* 7) *expositura Creatoris omniscientiam, Deum concipit ut immensum et lucidissimum quemdam adamantem, mundo majorem et clariorem sole, qui repercussas radiorum instar in se cernit hominum mentes, sin-*

E *gulaque eorum cogitata, defectus et virtutum gradus.*

tum in levioribus rebus.

1587 *Aut si minora velis, vagantem hominis mentem, variis phantasmatis abreptam, facete modo comparat papilioni qui incerto fertur volatu, modo cuidam mente capto qui domum continuo turbat* (*cap.* XIII *et* XVII *Vitæ*); *dum alibi* (*cap.* XXVII) *S. Petri de Alcantara exesum pœnitentiis corpus dicit videri contextum ex arborum radicibus. Non vacat hic referre qui Mansione* VII (*cap.* I) *peccatorem depingat miserrime ligatum et fame prope enectum; aut qui* (*cap.* XL, *num.* 4) *comparet animam peccatoris speculo obnubilato et nigrescenti, quod Deum, licet præsentem, repræsentare aut videre nequit, dum animam hæretici comparat speculo fisso et rupto; aut qui affirmet Deum vix alios solere spiritualibus consolationibus remunerare quam qui strenuos prævie conatus adhibuerint : cum enim, ait, Deus videt animam voluntate et intellectu, ceu alis quibusdam, ad sese totis viribus eniti, tandem capit aviculam illam, eamque in nido reponit, ut refocilletur et jamjam in hacce vita præmietur; quod fere post productiorem orationem mentalem fieri solet. Sed finiendum est, ne totos exscribam S. Virginis libros.*

F

Ratio cur in Sanctæ scriptis non omnia artificiose cohæreant,

1588 *Attamen, cum historiæ non liceat meræ esse panegyri, fatendum est in Teresiano stylo quemdam cohæsionis defectum aliqua veri specie carpi posse, præsertim a lectore qui solet phrases phrasiumque verba ex grammatices rhetoricesve legibus ad amussim commensurare ac singula concatenare ordine et numero. Non novit enim Sancta humanum id grammaticorum artificium, neque scit, aut magis non dignatur, studiose adeo verba digerere, præsertim quando amoris in Deum impetu abripitur seseque in ejus laudes effundit. Supernaturali cordis affectione tum sæpe in ea prævalente, absorptus est quodammodo ejus intellectus, et memoria vix recordatur rei quam tractandam inceperat : unde fit ut filum sermonis ejus abruptum interdum sit, nec sequantur ordine ratiocinia. Fateor itaque esse quibus sancta hæc artisque expers libertas inconcinna videatur. At plerique cum Ludovico de Leon* (*cujus verba num.* 1577 *attuli*) *summopere probant liberum illum inartificialemque scribendi modum.*

et cur quædam obscurâ videantur.

1589 *Dein aliud S.* Teresiæ *vitio vertitur. Plures, dum in S. Virginis scriptis confitentur multa captu esse facilia, quæruntur non pauca esse obscura.*

AUCTORE V. D. M.

A *scura. Quamquam et hoc a vero prorsus alienum non sit, multo tamen minor est hæc obscuritas quam multi contendunt, uti ostendit D. Chapelain in gallica S.* Teresiæ *Panegyri. Porro si spectetur argumentum quod in objectis libris librorumve partibus tractat (nempe mediis Vitæ capitibus, Castello animæ et quibusdam epistolis), nemo est qui neget etiam illic talem reperiri perspicuitatem, ut, pro natura abstrusarum adeo rerum, nequeat esse major. Exponit namque ibi supernaturalia arcana, de quibus ipsi theologi vix aliter loquuntur quam cæci de coloribus, utpote quæ solo auditu eis nota sunt.* Teresia *vero, quæ sæpe divinis fruebatur communicationibus, ut testis de visu plura eloquitur (vide Vitæ ejus capita* XXVII *et* XXXIX, *Mansionis* VII *cap.* I, *num.* 6, *ac tom. II, epist.* 13), *atque minus obscure hæc evolvuntur ab illustrata divinitus Virgine quam a theologis humana tantum studioque acquisita sapientia instructis; etsi et ipsa Sancta, ad inaccessa ea humanæ comprehensioni proloquenda mysteria, nova cupiat vocabula, velitque cuncta sua membra in linguas transformari (Vitæ cap.* XXV, *num.* 9).

B

§ LXXX. Quæritur cœlitusne adjuta S. Mater fuerit in scribendis libris. Gravissima testimonia de auctoritate librorum et doctrinæ ejus.

Ipsamet Sancta pluries fatetur

E*rgo de sublimioribus etiam Christianæ Religionis mysteriis S. Virgo locuta est lucide et accurate. Tamen rudem se, qualis revera erat, fatetur cap.* X *Vitæ suæ :* Ego nec scientiam habeo nec virtutem nec aliquem virum doctum qui me instruat : et scribo hæc quasi tempus suffurando et magna cum molestia, eo quod hæc scriptio impediat quominus neam, cum tamen in paupere domo sim, et multis distinear occupationibus. *At simul ipsa quoque non uno in loco apertissime profitetur non tam sua se sponte, quam Spiritu Sancto impellente, in manum calamum sumpsisse, quin et quæcunque scripsit, nonnisi illo dictante et instillante a se esse scripta. Audi eam cap.* XII *Vitæ suæ loquentem, naturalemque suum hac super re stuporem confitentem :*

C Per multos annos multa legi, sed lectorum nihil intelligebam; et etiam fui satis diu, quod, esto Deus id mihi daret, verbum unum ad illud declarandum proferre non possem : quod certe non modico mihi labore constitit. Cum vero Majestati illius lubet, uno nos in momento omnia edocet; quod sane magnam in me admirationem excitat. Unum hoc in veritate dicere possum, tametsi cum plurimis viris spiritualibus agerem, qui mihi exponere et declarare studebant id quod Dominus mihi impertiebatur, quo illud dein aliis declarare possem, tantam tamen meam esse hebetudinem et stuporem ut parum inde juvarer : eo quod Dominus nollet (ejus namque Majestas semper meus præceptor et magister exstitit : sit ipse pro omnibus benedictus; etenim magnæ mihi confusionis materia est quod hoc in veritate dicere possum) ut cuipiam alteri hoc attribuerem aut acceptum referrem; adhæc quod id mihi, nec volenti, nec petenti (quia in hoc neutiquam curiosa fui, et, si fuissem, virtus fuisset et bonum; sed in aliis vanitatibus consectandis) momento Dominus omni qua posset claritate, et ita ut aliis id declarare valerem, patefaceret : adeo ut omnes obstupescerent, et ego magis quam confessarii mei, quod stupiditatis meæ plus quam ipsi essem conscia. Quod vero Dominus me non edocuit, ipsa scire et nosse non laboravi, præterquam ea quæ ad conscientiam meam pertinent. D

se a Deo in scribendo adjutam.

1591 *Capite vero* XIV *plurimas occupationes suas refert, nec non particularem illam lucem quam illi Dominus ad hæc ipsa scribenda communicabat, idque hisce verbis :* Exiguum quod habeo tempus parum me juvat; unde Majestatem ipsius omne id facere necesse est. Sequi namque me oportet communia reliquarum sororum opera et aliis occupationibus intendere; quod in domo agam quæ nonnisi recenter fundata est. Hinc iis quæ scribo totam me impendere et tota vacare nequeo, sed per intervalla et abruptim. Et hoc satius est : nam Domino spiritum suggerente, omnia tum facilius tum melius fiunt; perinde ac dum quis exemplar quoddam ante oculos habet, ad quod suum quod efformat opus componit et dirigit : at, si spiritus desit, non magis quis hanc intelligere linguam valet quam si (ut ita dicam) hebraicam aut aliam exoticam audiat; tametsi multis etiam annis orationi vacarit. Unde magnopere mihi conducere videtur, me, dum scribo, in oratione agere. Ad oculum quippe video E non esse me quæ hæc dico : neque enim ea intellectu meo disposui, nec postea scio quomodo ea scripserim aut scribere noverim. Atque hoc sæpius mihi contingit. *Idem quoque habet et repetit cap.* XVIII *his verbis :* Nihil vero dicam quod non multo et vario ipsa usu sim experta. Et certe, cum de ultima hac aqua loqui cœpissem, tam impossibile mihi videbatur de ea quidquam scribere quam græce loqui : adeo id scilicet difficile et arduum est. Quare scriptionem abrupi, et ad Communionem Sacram percipiendam me disposui. Benedictus autem sit Dominus, qui ignorantibus sic opitulatur. O obedientiæ virtus, quæ sic omnia potes! Deus namque intellectum meum illuminavit, alias quidem per verba, alias mihi velut objiciendo et proponendo quo id modo exponerem : quia, sicut in superiore oratione factum est, Majestas illius id velle dicere videtur quod ipsa nec possum nec scio dicere. Quod autem dico, ipsissima est veritas : itaque quidquid hic bonum est, ipsius est doctrina; quod vero malum, certum est a malorum pelago, quod ipsa sum, derivari. *Et capite* XXX *hunc in modum loquitur :* Tunc namque meipsam intelligere non poteram, F uti quidem intelligo modo, quo id aliis possem exponere : at postea Dominus mihi dedit ut possim intelligere, nec non gratias quas mihi præstitit, referre.

Id quoque affirmatur in Actis et Bulla canonizationis, item in Officio ejus.

1592 *At, præter hanc apertam iteratamque Sanctæ confessionem, ex idonea insuper aliorum auctoritate recte quæritur fueritne in scribendis libris a Deo speciali modo adjuta. Ad hoc igitur adstruendum, et simul ad Sanctæ libros et doctrinam multis nominibus commendandum, gravissima aliquot seligam testimonia, sed e multis pauca. Si enim cunctorum, non dico verba, sed sola nomina congerere velim eorum qui ejus libros deprædicaverunt, et magno labore et prolixo valde opus mihi sit spatio. Primum itaque pro dignitate locum occupet S. Ecclesiæ de Teresianis libris sensus. Cumprimis auditores S. Rotæ in posteriori sua Relatione, agentes de sanctitate* Teresiæ *in genere (vide supra num.* 1196 *et* 1197), *probant et excellentiam scriptorum ejus et cœleste juvamen quo in eis componendis gavisa est. Eadem quoque Relatione, ubi sermo est de gratia gratis data sermonis et scientiæ (num.* 1328), *non minus diserte id affirmatur. Item J. B. Millinus in oratione qua in publico consistorio Gregorio PP.*

A *PP. XV supplicavit ut B. Virginem in Sanctorum numerum referret, cœlestem* Teresiæ *sapientiam a libris ejus deprædicat* (*num.* 1346). *Atque ipse demum Gregorius in canonizationis Bulla magnificis verbis Sanctam ea ratione extollit* (*num.* 1394), *similique modo Ecclesia in Officio festi Sanctæ, lectione* V, *nominat doctrinam ejus cœlestem, et iisdem fere verbis, quibus Summus Pontifex, affirmat* S. Teresiam multa cœlestis sapientiæ documenta conscripsisse, quibus fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium excitantur.

Neque aliter senserunt primi Sanctæ biographi : v. g. Yepes, semel

1593 *Post gravissima Ecclesiæ pronuntiata citabo nunc aliquot singularium virorum testimonia, et primum quidem eorum qui Sanctæ Vitam conscripserunt ac proin existimandi sunt illius libros et doctrinam penitius introspexisse. Omisso Ribera* (*cum infra, lib.* IV, *cap.* III, *legi possit quid de S. Matris scriptis censuerit*), *ordior ab Yepesio, qui in prologo Vitæ suæ Teresianæ ita loquitur :* Ut de donis ac dotibus naturalibus (quæ sane plurima fuere) quibus eam Dominus cumulavit, nihil dicam, divina certe et supernaturalia tot et tam eximia in ipsa fuere ut in nulla umquam majora apparuerint. Etenim, præter tantam virtutum per-
B fectionem ac vitæ sanctimoniam (per quam operibus et factis in perfectæ et heroicæ virtutis ratione eo pervenit quo fortissimi quique ne cogitatione et desiderio quidem pertingunt), tot tamque extraordinarii Dei favores, tanta item cum suprema illa Majestate familiaritas et communicatio, ac si de Seraphinorum, illius amore quam maxime incensorum et illi intimorum, numero fuisset, tanta quoque rerum cœlestium notitia, tanta cum Cœlestibus ipsis familiaritas et conversatio, quasi ipsa de illorum societate fuisset, tam sublimes rerum divinarum conceptus et sensus, tantum in absconditis secretis et arcanis mysteriis declarandis lumen quantum in ullo vix quisquam notavit, tam eminens et sublimis doctrina quam libris suis comprehensam ad posteros transmisit (in quibus e rerum quas scribit subtilitate, magna qua easdem penetrat intelligentia, singulari qua ipsas exprimit perspicuitate, styli quo ea quæ dicit, propinat, elegantia et divino artificio, et quo facit ut qui legunt, Spiritus Sancti ignem, qui istis in scriptis inclusus est, notabiliter percipiant, nec non manifestam illam lucem ac calorem, quem ipsa passim spirant), ad oculum demonstrant hanc doctrinam a Deo esse
C inspiratam, e cœlo profectam et non sine speciali Spiritus Sancti assistentia et ope conscriptam.

et iterum illud enuntians,

1594 *Item lib.* III, *cap.* XVIII *et* XIX, *ait Yepes :* Scripsit S. Mater omnes hos libros, revelante Domino nostro. Verum mera revelatio satis non fuisset, quoniam nulla in re, hanc solam ducem secuta, agebat, nisi confessariorum mandatum accessisset. De libro Vitæ suæ sic in prologo loquitur : « Conficio hanc relationem, quoniam id mihi a » meis jubetur confessariis, et ab aliquot diebus » novi id placere Domino; verum id suscipere ausa » non sum ». Mandavit item Dominus ut librum Fundationum scriberet : quod ipsa refert in Additionibus ad suam Vitam. Librum Mansionum exaravit, subministrante Domino materiam, ordinem et libri nomen. Et quemadmodum Deus scribendi mandatum ei dedit, videtur quoque voluisse ostendere se horum voluminum auctorem esse. Modus quippe quo S. Mater hæc scripsit, monstrat eam instrumentum tantum fuisse, et præter manum et calamum nihil ab ea fuisse commodatum. Sæpius, cum hos libros scriberet, raptus patiebatur, et cum ad se rediret, reperiebat quædam suis apicibus similia, non sua manu scripta. Cernebatur manu calamum tenens, vultum notabili suffusa splendore, qui nihil aliud esse videbatur quam quod lumen animæ in corpore transfigurabatur. Tantopere ejus mens in Deum absorpta erat, ut interdum multo tumultu ejus cellula perstreperet quin turbaretur aut strepitum adverteret. Cum scribebat, circumdata erat occupationibus curisque, gubernio tot domorum ei incumbente; et æque accurate ac reliquæ moniales choro intererat. Propere scribebat et velociter : sed quid mirum? Ut enim Davidis verbis utar, cum moveretur ejus calamus ab illo mystico scriba velociter scribente, videbatur tantum ejus menti inesse quidam modulus, ex quo verba tam composita et apta rebus dicendis profluebant, ut inter tot exarandas paginas numquam hæserit ad expendendum quæ scribenda essent : spiritus enim dictabat ei tanta abundantia, ut, si plures ei fuissent manus, facile eas adhibuisset fatigassetque, quin dicendorum fons inaresceret. AUCTORE V. D. M.

D

ac nitens Sanctæ testimonio.

1595 Utriusque hujus asserti validum testimonium ipsa subministrat : explicat quippe in fine Vitæ suæ quare non meditaretur quæ sibi scribenda forent. Hæc ejus sunt verba (cap. XL) : « Ausa sum describere inordinatam meam vitam, » licet huic opellæ non impenderim plus curæ et E » temporis quam quod ad scribendum opus fuit; » sed mere chartæ credidi quæ in me occurrerunt, » omni candore et veritate, qua potui, usa. » Et alibi sic loquitur : « Sed initio tractatus de hac via » quot res obviant menti etiam meæ, quæ tam » male in hac via incessi! Utinam multæ manus » mihi præsto essent, ne unum scribens, alterum » obliviscar! » Hæc notat ipsa S. Mater. Et similiter testatur in sua Vita se tanta scripsisse facilitate quanta qui exemplar præ oculis habet illudque imitatur (cap. XIV). « Quando Dominus, ait, dat » spiritum, hæc facilius et perfectius fiunt. Videtur » idem esse ac si quis exemplar præsto haberet, » et ad ejus similitudinem quid effingere vellet; sed » si spiritus deficit, hunc sermonem componere » non facilius est quam arabice dicere »... Nam cum antea S. Mater fuerit maxime rudis et ignara ad intelligendas explicandasque res spirituales et mysticas, et nequaquam curiosa, tanto clarius elucet sapientia divina, quæ in ea eminuit, quanto magis ab ejus principiis aliena erat. Id bene intelligi potest ex iis quæ capite XII Vitæ suæ prodit (*vide n.* 1590).... Quocirca quidquid superstructum fuit huic S. Matris hebetudini, quam ipsa fatetur, id omne datum F et infusum a Deo fuerat; et imprimis peculiaris assistentia ei præsto fuit, cum suos libros scriberet, quemadmodum ipsa plurimis in locis profitetur. Capite XIV Vitæ suæ sic loquitur : « Magnopere mihi » conducere videtur, me, dum scribo, in oratione » agere. Ad oculum quippe video non esse me quæ » hæc dico : neque enim ea intellectu meo disposui, » nec postea scio quomodo ea scripserim. » Et capite trigesimo nono hæc habet : « Multa quæ » hic scribo, e meo capite nata non sunt; sed Ma- » gister meus cœlestis hæc mihi dicebat. Et quia » in iis de quibus expresse dico : Hoc intellexi, vel : » Hoc mihi Dominus dixit, scrupulus mihi magnus » est vel unam qualemcumque syllabam addere » vel demere; hinc, cum usquequaque exacte cir- » cumstantiarum omnium non recordor, id acci- » piendum velut a me dictum, vel quia quædam » etiam de meo addita sunt. Meum autem non » voco quod bonum est, quia jam tum scio nihil » in me boni esse nisi quod adeo immerenti Do- » minus contulit : sed id a me dictum voco quod » per revelationem a Domino non accepi. » Quando scripsit librum Vitæ suæ, et venit ad gradus ora-

AUCTORE V. D. M.

tionis, quos in eo explanat, mirum erat quomodo Dominus noster, cum in scribendo ab uno gradu transiret ad alium, eam poneret apprime in hoc orationis modo; et præter experientiam qua gaudebat, conferebat ei facilitatem commoditatemque dicendi, ingerens ei comparationes aptissimas ad melius id declarandum. *Hactenus Yepesius.*

Consentit P. Joannes a Jesu Maria in suo Vitæ Teresianæ uno

1596 *Ei plane consentit Ven. P. Joannes a Jesu Maria, qui in sua Vita S.* Teresiæ *paucis verbis multas librorum ejus laudes complexus est, dicens :* Laudatur sermo castus, non comptus, gravis, lepidus, efficax. Admirationem excitat rerum sublimitas, quam ne theologi multi, nisi affectionum divinarum consulti, assequi possunt. Doctores hac ætate celeberrimi mysticarum passionum facilem ac leniter decurrentem explanationem adeo obstupescunt, ut rarum sapientiæ genus eis videatur, quæ de mystica theologia Patres obscure ac sparsim tradiderunt, a Virgine una in methodum tam perspicue atque concinne fuisse redacta. Quod vero ad doctrinæ soliditatem pertinet, nihil non theologicum, tametsi scholastico more prematur, exprompsit. . . . Vita B. Virginis Teresiæ et Mansiones doctrina cœlesti multis experimentis comparata ad res internas dignoscendas affluunt. . . . Mira sunt sane quæ suavissimo magisterio B. Virgo Teresia digessit : quæ animo demisso, ut prosint, legenda sunt. Sed quantopere tam pia lectio jam orbe toto Christiano in varia idiomata versa profuerit, multa in singulis urbibus argumenta convincunt (*lib.* IV, *c.* IV). *Et initio ejusdem Vitæ, in undecim agmina discernens S.* Teresiæ *elogia* : Septimum, *inquit,* agmen libris cœlesti sapientia plenis armatur. Patet quippe mentem quæ toti Ecclesiæ cœlo luce adeo mira præluxit, purissima divinæ mentis luce minime caruisse. Accedit huc præstantissimorum theologorum, qui B. Teresiæ libros discusserunt, admiratio et præconia verbis ac scriptis celebrata, quæ latere non possunt. Etenim, ut paucos e plurimis commemorem, summis theologis P. F. Dominico Bañez, P. F. Bartholomæo de Medina, Dominicanis, P. F. Luysio Legionensi Augustiniano, diligentissimis librorum Teresiæ exploratoribus et præconibus, neque ignoratio neque incogitantia neque ratio aliqua politica objici potest. Ignoratio quidem, quia scholæ pene universæ illorum trium scripta venerantur. Incogitantia vero, quia ut acres critici ex professo libros perlustrarunt. Ratio demum politica, quia neque ejusdem professionis erant, neque sibi aliquam laudem aut lucrum ex scriptorum approbatione conflabant (*lib.* I, *cap.* I). *Dein exponit præclarus hic scriptor quomodo, theologo quodam carpente plura S. Matris dicta, Paulus V P. Didaco Alvarez Ord. Præd. et P. Joanni de Rada Ord. Min. curam demandarit pervidendi ea quæ objiciebantur, et quomodo ambo hi objecta argumenta penitus diluerint; quod in extenso legi potest in Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*pag.* 386 *et seqq.*).

et altero compendio;

1597 *In altero vero Teresianæ Vitæ compendio, ab eodem P. Joanne a Jesu Maria et P. Joanne a S. Hieronymo composito* (*ut dixi num.* 10), *hæc de libris Sanctæ leguntur* (*num.* 54) : Hos libros dum scripsit, sæpe visa fuit vultu splendescere et alia signa præsentis Dei exhibere clarissima : quippe ejus spiritus tunc totus in Deum immersus, festinanter scribebat, absque ulla prævia meditatione; neque semel scriptum abolebat aut corrigebat. Verum, quod majus omnibus est, in hisce libris scribendis aliquando illi contingebat ut in ecstasim rapta, in se deinde reversa, multa inveniret suis characteribus conscripta, sed non sua manu. . . . Manifestum autem est horum librorum doctrinam (et ex sui eminentia apparet, talisque communiter et publice de iis habetur opinio) non fuisse humana industria acquisitam aut edoctam, sed a Deo infusam orationis interventu. Hanc ergo ob causam fuit picta, et pingi imposterum æquum est Virginem, cum columba capiti ejus imminente, quam ipsa supra se conspexit die quadam Spiritus Sancti. Doctrina vero horum librorum non solum est sana et Catholica, sed utilis admodum Ecclesiæ : istorum enim librorum lectione ingens fructus in animabus factus est, insignes conversiones et morum mutationes visæ sunt; adeo ut juste hi libri legi soleant, ut a Sancta conscripti, et maximo prætio et æstimatione habendi, habitique apud viros gravissimos et doctissimos.

ut et Croiset ac Butler,

1598 *P. Joannes Croiset S. J., in gallicis Vitis Sanctorum, ad* XV *Octobris, de S.* Teresia *ait :* Numquam exstitit aliqua Sancta quæ tantopere in divinis viis fuerit illustrata, quæ scientiam Sanctorum perfectius calluerit, et pluribus luminibus, majori sapientia et simul profundiori humilitate prædita fuerit. *Item Butler :* Si attendatur doctrina sparsa in S. Teresiæ scriptis, apparet prorsus conformis doctrinæ Ecclesiæ, spiritui Sanctorum, documentisque sapientissimorum, qui, ipsimet piæ contemplationi dediti, de rebus ad hanc spectantibus scripserunt. Atque adeo in oratione qua Ecclesia die ejus festo utitur, nuncupatur hæc doctrina cœlestis. Altissima arcana sanctuarii divini amoris in ea panduntur tali claritate quali paria non videntur; et quidquid in oratione sublimissima maxime reconditum est, quæ longa solum experientia cognosci possunt, et quæ humanus sermo non videbatur dicere posse, hæc omnia tanta luce coruscant et tanta vi declarantur ut nullus queat divinam illic non agnoscere operationem, præsertim si animadvertitur Teresiam illitteratam fuisse mulierem, studiorum auxiliique expertem. Constat quidem eam plurimo naturali ingenio, plurimo judicio et imaginaria vi lepida æque ac fœcunda præditam fuisse; verum etiamsi quis totius mundi ingenio polleret, in sola tamen Dominica schola disci potest tam digne de similibus materiis sermocinari. Præterea quantopere abhorrebat vitam suam describere! Quanta humilitate illic loquitur de cœlestibus quibus abundabat donis! Quam sæpe atque integre sua dicta subdit spiritualis sui magistri et maxime Ecclesiæ judicio! Quam candide animi mœrorem pandit, quod tempus tereret noceretque pauperi domui in qua tum habitabat et quam multo potius nendo sublevasset! Demum quidquid ad opera sua spectat, narrandi modus, et, ut perbene notat doctus quidam traductor ejus Vitæ (*Woodhead in præfatione traductionis*), crebræ ejus digressiones, pii animæ nisus, amoris impetus, colloquia cum Domino nostro, in quæ abripitur sua in orando consuetudine, verbo omnia (ne parentheses quidem, tam frequentes in sua narratione, nec excusationes quas de his tam candide suo confessario affert, excipio), omnia, inquam, vergunt ad narrationi suæ fidem conciliandam.

nec non Palafoxius,

1599 *Biographis accenseo Palafoxium, qui in epistola ad P. Didacum a Præsentatione, Generalem Congregationis Hispanæ, quæ præfigi solet tomo primo Epistolarum Teresianarum, sic loquitur :* Nemo legit S. Teresiæ opera, quin continuo quærat Deum; et nemo, motus lectione ejus operum, quærit Deum, quin devotus remaneat atque amore erga Sanctam inebriatus : quod non credo esse tantum peculiarem quamdam gratiam styli et mirabilis virtutis spiritus, occulte eum roborantis, verum

et

A et divinam quamdam providentiam. Tantopere enim eam amat Deus ut quos imitatione virtutum ejus perficit et luce tractatuum ejus spiritualium illustrat, securos facere dignetur per gravem ejus intercessionis virtutem. Non vidi hominem erga S. Teresiam devotum qui spiritualis non sit; neque vidi hominem spiritualem qui ejus opera legat et devotissimus non sit erga hanc Sanctam. Atque ejus scripta non tantum communicant amorem rationalem, interiorem et supernum, sed et practicum, naturalem, sensibilem, et talem ut mihi persuasum sit, pro mea ipsius experientia, neminem fore qui eam amet, quin in longinquissimas abiret provincias, si in terris esset Sancta, ut eam videret, alloqueretur et cum ea ageret.

atque ipse Baillet.

1600 *Biographorum agmen claudat Adrianus Baillet, cujus testimonium eo ponderosius est quod Sanctorum sit parcissimus laudator, imo iniquus sæpe detractor. Hic autem ita ad* XV *Octobris ait :* Felici necessitati qua Sancta obedire tenebatur moderatoribus suis, debita est Vitæ historia, et (quod primi hujus laboris consequens fuit) cætera præcellentia scripta quibus ditavit Ecclesiam. In his, si in comparationem inducas sublimitatem, extensionem et vim ingenii in cogitatis eminentis, B ipsa styli puritas, facilitas in dicendo, elegantia aliæque dotes, quibus inter optimos Hispanos scriptores reponenda est, minimi facienda videntur. . . In præsentiarum S. Teresiæ opera omnibus manibus teruntur, et solis instar gignunt bona infinita in his qui bona oculorum acie fruuntur; infirmos vero et debiliores oculos perstringunt percelluntque.

Doctrina S. Teresiæ invocari solet contra pseudomysticos;

1601 *Auditis jam biographis, pleraque aliorum elogia, quæ præponi solent Sanctæ Operibus, quantumvis pulchra et nervosa, non adfero, sive quia notiora sunt, sive quia huic meo Commentario alibi inserta. Selecta quædam alia modo excipe.* Stolidi sequaces Michaelis Molinosii, *inquit P. Fredericus* (*lib.* IV, *cap.* XI), confessi sunt cum magistro suo eximiam æstimationem qua Ecclesia Romana Teresiæ doctrinam prosequitur. Quocirca oblique conati sunt circumvallare falsa sua dogmata auctoritate nostræ Sanctæ. Atque hoc modo nonnihil S. Matris honorem auxerunt, non secus ac tot hæretici non minuerunt magni Augustini pondus et pretium, sed hæc plurimum ampliarunt, cum sublimissimi Doctoris auctoritate errores suos C fulcire conati sunt. Error, natura sua deformis, erubescens de ingenita turpi specie, non prodit in publicum nisi veneranda cujusdam magni Doctoris majestate personatus. Jam vero, quemadmodum tot hæreses eisdem S. Augustini disciplinis recte intellectis attritæ fuerunt, sic impia documenta recentium Quietistarum, eadem S. Teresiæ qua inique abutebantur auctoritate, mendacii et perfidiæ convicta jacuerunt; et quoties deinceps proterve suum caput erigere auderent, toties immaculata magnæ nostræ Magistræ instituta æterno opprobrio cos afficerent. Quocirca silendum mihi non est pulchrum testimonium cujusdam scriptoris (*P. Arnoldi a SS. Petro et Paulo, Solitar. loquent. tom. II, confer.* X, *resp.* III) : « Hinc fit quod » hodie, quoties aliqua circa mysticæ theologiæ » dogmata exorta fuerit difficultas, illico ad ea » quæ de hac materia scripsit et docuit Teresia, » habeatur recursus : et haud secus ac olim Romæ » in rebus dubiis celebres illi Sibyllini libri con- » suli solebant, ita pariter in hujusmodi dubiis » Ecclesia hodie Teresiæ libros solet consulere; » atque ita factum fuisse sub Innocentio XI in » famosa illa impii Molinos causa, probe norunt » quotquot processus contra eumdem factos lege- » runt : quinimo non ita pridem sub felicis me- D » moriæ Clemente XI, hodierni Summi Pontificis » Innocentii XIII immediato prædecessore, in aliis » quoque pseudomysticorum justissimis condem- » nationibus ad Teresiæ doctrinam semper habitus » fuit recursus; ideoque quotquot hodie (idque » dictum sit ad majorem Dei gloriam et vere » singularem Teresianæ doctrinæ laudem), quot- » quot, inquam, hodie de mystica theologia agen- » tes in lucem prodeunt libri, omnes protinus » cum illis quæ in similibus materiis Sancta hæc » Virgo scripsit, conferuntur, ac juxta ea quæ » docuit, vel approbantur ab examinatoribus vel » rejiciuntur. » *Atque id revera factum videmus tum ab Ill. Bossuet in egregio suo opere :* Mystici in tuto, *tum a P. Scaramelli S. J. in laudatissimo libro cui titulus :* Il Direttorio mistico.

AUCTORE V. D. M.

ac laudatur a S. Francisco Salesio,

1602 *S. Franciscus Salesius in præfatione ad primam partem Tractatus de divino amore :* Beata Mater Teresia a Jesu, *inquit,* tam bene scripsit de sacris dilectionis motibus in omnibus suis libris quos nobis reliquit, ut quisque rapiatur, considerans tantam eloquentiam, conjunctam cum tanta humilitate, tantumque spiritus robur cum tanta E simplicitate; et sapientissima ejus imperitia imperitissimam arguit scientiam plurium doctorum qui post peractum longum studiorum curriculum adhuc erubescunt quod non intelligunt quæ tamen bene ipsi scribunt de exercitio sancti amoris. Sic Deus erigit thronum suæ virtutis in theatro nostræ infirmitatis, utens infirmis hujus mundi ad confundenda fortia. *In secunda parte epistolarum spiritualium, scribens ad quamdam abbatissam* (*epist.* 47), *propriam experientiam in testimonium adducit; et hortatur ad sequendum modum ipsius S. Matris adhuc tirocinium orationis ponentis, id est, legentis et dein meditantis : eidemque abbatissæ suadet* (*epist.* 48) *ut legat e Via perfectionis locum ubi S. Mater de humilitate agit. In prima vero earumdem epistolarum parte sic breviter S. Virginis scripta dilaudat* (*epist.* 65) : Bene agis cum familiares tibi facis libros S. Matris Teresiæ, quoniam revera ejus opera thesaurus sunt spiritualium documentorum. *Atque ita quidem hi libri ei familiares erant ut* (*quemadmodum advertit P. Honoratus a S. Maria in opere mox citando*) *secutus aliquo modo videatur ordinem S.* Teresiæ *in explicandis rebus spiritualibus, et desumpsisse ex magnæ nostræ Sanctæ operibus substantiam doctrinæ quam libris* VI *et* VII *Tractatus de amore divino explanat.* F

a F. T. de Choisy,

1603 *Audiendus etiam F. T. de Choisy in Historia Ecclesiastica ita loquens :* Præjudicio laboravi fere generali quo fingebam mihi S. Teresiæ scripta esse imaginationis fervidæ fœtum, ubi multa non intelligibilia. Sed legenda mihi fuere, cum de iis tractare deberem; ac comperi in iis tantum ingenii, rationis, sapientiæ et humilitatis, ut inductus fuerim ad pluries ea relegenda. Orationes, ecstases, raptus miranda mihi visa sunt, sed non impossibilia, quando, humanæ debilitatis oblitus, tantum divinæ recordatus sum potentiæ et bonitatis.

a P. Honorato a S. Maria,

1604 *P. Honoratus a S. Maria Carm. Exc. in gallico opere de Traditione SS. Patrum circa contemplationem* (*tom. I, p.* 74) : Quotquot sunt eruditiores, *inquit,* obstupescunt facilitatem qua S. Teresia evolvit res ad orationem spectantes, quæ præcipuum argumentum sunt librorum quos nobis reliquit et qui sufficienter in omnibus terræ plagis noti sunt. Stylus ejus simplex et solidus est. Reperiuntur in ejus libris termini tam apti, comparationes tam naturales, metaphoræ tam feliciter selectæ

AUCTORE V. D. M.

ctæ ad evolvenda mysteria et declaranda theologiæ mysticæ arcana, ut nemo non debeat fateri ejus opera transgredi humani intellectus vires. Non sine gratia et eximia dexteritate, inter altissima sua lumina, instructiones inserit omnibus utiles. Ejus documenta quam maxime conformia sunt doctrinæ S. Thomæ; neque umquam recedit a rectis principiis.

ab Emery,

1605 *D. Emery in prologo gallici sui operis de Spiritu S.* Teresiæ (*pag.* XIV) : Non modo inclyta fuit virtute, sed et a Deo extraordinarie suscitata videtur ut homines doceret altissimam sanctitatis perfectionem. Singularia ejus lumina magis adhuc quam ejus virtutes tam gloriosam ei famam in Ecclesia adepta sunt. Tam splendida erant hæc lumina ut doctissimi ejus spirituales magistri vicissim ejus disciplinam et ductum subirent; atque adeo episcopi, doctrina et sanctitate præminentes, ejus audiebant et filiali docilitate sequebantur consilia, ut se ipsos recto itinere ducerent. Ejus opera, tantopere expetita, tanti æstimata, et tam authentice, cum viveret, approbata, perenniter inter ditissimos Ecclesiæ thesauros censebuntur. Quam longam testimoniorum cuderemus catenam, si colligeremus honorifica effata quibus celeberrimi theologi et minime suspecti scriptores hos libros celebravere.

B

a J. B. du Serre-Figon,

1606 *Quod ad alteram § hujus partem spectat, nempe ad probandam auctoritatem librorum et doctrinæ ejus, J. B. du Serre-Figon, in gallica S.* Teresiæ *Panegyri* (*part.* II, *pag.* 33) *sic inquit :* Volve Sanctæ Virginis scripta, scrutare hanc inexhaustam spiritualium divitiarum fodinam; et miraberis prodigiosum sacrarum notitiarum thesaurum quem capiunt. In eis cernes signatam a duce certissima et peritissima viam perfectionis; in eis invenies artes omnes quibus a vulgari oratione assurgitur ad sublimissimam contemplationem; elucet illic quidquid divini inhæret specialibus gratiis quibus Dominus suos amicos exornat; illic commoda et officia religiosæ vitæ explanantur; patet illic quanta sapientia et arte monasteria gubernanda et visitanda sint, et quam acres sint stimuli quibus excitamur ad zelum, humilitatem, paupertatem, obedientiam et mortificationem sensuum colenda, ac quis modus in eis tenendus sit. Quam suaves Christi Domini imagines! Quam nobiles Divinitatis effigies! Quanta in cogitatis magnificentia! Quanta vis in describenda omnipotentia, sapientia, providentia, immensitate, paternitate divina! Hic penicillus validus, hic masculus stylus Chrysostomi, Leonis, Cypriani. Quanta porro in tonis varietas! Jam sublimis, jam simplex est; jam in altum volat, jam premit pennas pro rerum natura. Quam felix in detegendis relationibus, in inveniendis inter varios hujus mundi ornatus imaginibus comparationibusque, quibus declaret obscurissima quæque supernaturalium cognitionum! Imaginaria ejus vis, æque florida ac fœcunda, res abstrusissimas corpore vestit ornatque coloribus quibus lucidæ sensibilesque fiant.

C

ab Ill. Guillon, aliisque.

1607 *Ill. Guillon, in gallica Bibliotheca selecta SS. Patrum* (*in Supplemento ad scriptores sæculorum* XIV, XV *et* XVI) : Tota persuadendi arte summe pollebat, ore styloque eloquentissima. De illustri illa Sancta dictum fuit Angelos, si eis hispanice loqui daretur, Teresiæ sermonem locuturos. *Hoc idem effatum affertur a P. Antonio a S. Josepho, qui id attribuit erudito Mayans* (*tom. IV, epist.* 8, *not.* 6). *Narratque idem P. Antonius* (*tom. IV, epist.* 9, *not.* 15) *ex informationibus ad beatificationem, Petrum Manso, episcopum Calagurritanum, dicere fuisse solitum, malle se cum quibuslibet theologis disputare quam cum una Matre Teresia a Jesu.*

D

§ LXXXI. S. Teresia inter Ecclesiæ universalis Doctores locari non potest. De utilitate legendorum ejus Operum.

Quidam Teresiam *vocant Ecclesiæ Doctorem,*

Cunctis iis a me allatis aut indicatis S. Virginis encomiis majus adhuc encomium aliqui addere non verentur, donantes eam nomine Ecclesiæ Doctoris. Non utique culparem eos laudatores, imo me iis adjungerem, si cum Ill. Bossuetio (*Instruct. de diversis stat. orat., lib.* IX, *n.* 3) *ab illis solummodo diceretur Ecclesia S.* Teresiam *propemodum in classem Doctorum suorum evchere, dum cœlestis doctrinæ ejus sublimitatem celebrat, eamque doctrinam nuncupat animarum pabulum. Verum in prologo Operum S. Matris* (*Antverpiæ* 1630, *Bruxellis* 1740, *Madriti* 1752 *et* 1793, *aliisque passim editionibus*) *sequentia habentur :* Elogia quibus multæ personæ doctæ et sanctæ virtutem et spiritum S. Teresiæ a Jesu celebrarunt, summatim complectitur S. P. N. Urbanus VIII, duabus vocibus approbans et doctrinam qua Sancta illa Virgo Ecclesiam illustravit, et pietatem ac mirabilem devotionem quibus spiritus ejus resplenduit. Quod totum continetur Oratione quam confecit recitarique jussit in Officio ejus proprio. Sic illa sonat : « Exaudi nos, Deus salutaris noster : ut, sicut de » B. Teresiæ Virginis tuæ festivitate gaudemus, » ita cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, et » piæ devotionis erudiamur affectu. » Qua Oratione Summus Pontifex S. Teresiam agnoscit et approbat ut Doctorem, quippe qui vult Ecclesiam petere ut ab ea, qua tali, instruamur. Titulus autem ille Doctoris hodiedum nulli Sanctæ concessus aut in Officio divino datus fuit. *Atque adhuc magis explicite S.* Teresiam *Ecclesiæ Doctorem esse affirmant Emery in prologo gallici operis :* Esprit de S. Thérèse (*pag.* XV), *auctor articuli* S. Thérèse *in gallica Biographia universali, du Serre-Figon in Sanctæ Panegyri* (*p.* 33), *P. Antonius a S. Joachim in titulo Anni Teresiani, Boucher in prologo Vitæ S. Matris* (*p.* IX), *P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 36, *not.* 4) *ac plures alii hodierni; qui diserte dicunt Gregorium XV et Urbanum VIII S.* Teresiæ *contulisse Doctoris titulum, qui, ut addunt, nulli fœminæ collatus fuerat.*

E

F

sed perperam, quia deest Ecclesiæ decretum.

1609 *Verumtamen, ut quis Ecclesiæ Doctor habeatur, tria requiruntur : insignis sanctitas, eminens doctrina et Ecclesiæ decretum. Insignem sanctitatem in Sancta nostra nullus diffitebitur adfuisse. Suppono quoque eminentem ejus in theologia mystica doctrinam id præstare quod Bonifacius VIII in cap. un.* Gloriosus, *de Reliq. et venerat. Sanctor. in* 6, *dicit doctrina requisita in Ecclesiæ Doctore præstari debere, nempe ut per eam errorum tenebræ fuerint profligatæ, obscura dilucidata, dubia declarata, Scripturarum ænigmata reserata. Ast desideratur Ecclesiæ, id est, Summi Pontificis vel Concilii universalis, decretum quo S.* Teresiæ *Doctoris cognomentum collatum fuerit. Neque id decretum supplere potest laus quantumvis magna a Summis Pontificibus S. Virginis doctrinæ impertita. Si enim ita res esset, Sancti plures Ecclesiæ Doctoribus annumerari*



Erm Corr delt et sculp.

S. TERESIA

insignibus ornata doctoris Theologiæ.

A *merari deberent, v. g. S. Franciscus Salesius, de quo Lectione* VI *Officii ejus proprii dicitur :* Suis scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum et planum demonstrat. *Certum itaque et explicitum requiritur Ecclesiæ scitum, nec e quibusdam probabilibus præmissis ratiocinari aut per analogiam procedere hic licet. Sed nec unius alteriusve nationis vel Ordinis est, nedum privatorum aliquot hominum, aut etiam episcoporum, alicui decernere honores Doctoris Ecclesiæ universalis : sed tantæ collatio dignitatis simul et auctoritatis soli necessario competit Ecclesiæ, id est, ut dixi, Summo Pontifici vel Concilio generali. Non solet autem Ecclesia hujus tituli decus, quod selectissimis tantum inter ipsos Sanctos viris dispensat, dimidiatis vocibus, sed solemni decreto annuntiare orbi Christiano : ut nuper fecerunt Leo XII et Pius VIII, ille S. Petrum Damianum, hic S. Bernardum declarans Ecclesiæ Doctorem.*

Imo quæritur num ille titulus fœminæ competere possit.

1610 *Tandem aliud examinandum est impedimentum quominus fœmina Doctoribus universalis Ecclesiæ umquam accenseatur, utrum nempe publicum docendi in Ecclesia magisterium, quod S. Paulus* (1 *ad Timotheum cap.* II, ℣. 11) *mulieribus vetat,* B *cum universalis Ecclesiæ Doctoris titulo connexum non sit. Multum luminis ad dirimendam hanc quæstionem affert Benedictus XIV, sic inquiens :* Quærit S. Thomas, 2. 2, quæst. 177, art. 2, an gratia sermonis sapientiæ et scientiæ pertineat etiam ad mulieres; et respondet pertinere ad unum privatim vel paucos familiariter alloquendos, non autem ad totam Ecclesiam alloquendam : ita ut, si mulieres gratiam sapientiæ aut scientiæ habeant, eam administrare valeant secundum privatam doctrinam, non autem secundum publicam. Juxta Dei ordinationem conditio sexus fœminei est ut sit subditus viro, atque mulieres in ecclesiis taceant, ut habetur Genesis III et 1 ad Corinth. XIV. Quare 1 ad Timotheum II, ℣. 11, legitur : « Mulier in silentio discat » cum omni subjectione : docere autem mulieri » non permitto. » Ex quibus bene infertur gratiam sermonis sapientiæ et scientiæ non convenire mulieribus ad utendum ea publice, totamque fidelium multitudinem de rebus fidei et salutis alloquendam. Mater Salomonis, ut est Proverb. IV et ult., Salomonem puerum docuit. Similia habentur de Anna matre Samuelis 1 Regum II, de Abigail 1 C Regum XXV, de muliere Thecuitide 2 Regum XIV. Judith et Esther atque aliæ quædam mulieres non vulgarem habuerunt gratiam sermonis. « Tribue » sermonem compositum in ore meo in conspectu » leonis », oratio est Esther, cap. XVI, ℣. 13. Ex quibus omnibus deducitur gratiam sermonis sapientiæ et scientiæ pertinere ad mulieres, ut familiariter alloquendo unum vel plures erudiant : atque ita gratiis gratis datis sermonis sapientiæ et scientiæ S. Teresiam a Deo fuisse illustratam, late demonstrarunt. . . Rotæ auditores in Relatione causæ ipsius super virtutibus art. XXII, § II (*de Beatif. et Canoniz. lib.* III, *cap.* XLIII, *num.* 7). *Atque hæc de Doctoris Ecclesiæ universalis titulo. Quod autem ad aureolam Doctoris attinet, censent, inter alios, Salmanticenses, quamvis eam regulariter consequantur viri, fœminis tamen non esse denegandam, si eidem muneri vel verbo vel scripto incumbant.* Habet, *inquiunt,* Doctricis aureolam Matriarcha nostra Teresia (*Cursus theolog. Salmant. tract.* IX, *disp.* III, *dub.* III, *num.* 33).

Doctoris tamen theologiæ titulus ei rite indi potest :

1611 *Interim nihil obest quominus pro doctore theologiæ colatur in universitatibus, et doctoris theologiæ insignia gestet, quibuscum revera ubivis per Hispaniam, atque in ipsis adeo ecclesiis, repræsentatur eo ferme modo quo exhibet eam inserta hic* D *lamina. Nimirum, sin in omnibus, saltem in præcipuis regni illius universitatibus constans mos fuit, qui hodieque perseverat, ut doctores graduati annulum habeant in digito, in capite vero sericum e solutis filis apicem qui, cinnorum more, birretum doctorale cingit, habeantque præterea amiculum humerale item sericum, quod retrorsum acuminatum est, pileoli in speciem. Utrumque posterius hoc insigne* (*quod Hispani nominant* la borla y el capirote) *ejusdem est pro omnibus facultatibus formæ, sed colore diversum. Theologia colore gaudet albo, Sacri Canones rubro, Jus civile viridi, Medicina flavo. Quare S.* Teresia, *quæ theologiæ salutatur magistra, in obviis passim per Hispaniam iconibus doctorale gestat in capite humerisque insigne album. At, quæres, unde hæc ei doctoris insignia cesserunt? An, ut multi perhibent, decreto universitatis Salmanticensis, quæ honoris causa Sanctam nostram medio fere a morte ejus sæculo in cœtum doctorum suorum cooptarit? An vero communi solummodo paulatim invalescente æstimatione Hispanorum, qui post inclyta tot Summorum Pontificum, universitatum clarissimorumque virorum de S.* Teresia *au-* E *dita encomia, eam doctorali laurea non indignam censentes, illo proin habitu depinxerunt? Hic autem Ecclesiæ jura non interveniunt, neque ullum utique periculum est irrogandi injuriam doctoribus supremæ in Hispania universitatis Salmanticensis, ut e contrario honori illis vertendum sit, si talem qualis S.* Teresia *est, nacti fuerint collegam.*

pluresque perhibent Salmanticensem universitatem

1612 *En qui P. Antonius a S. Joachim in Anno Teresiano* (*tom. V, pag.* 204 *et seqq.*) *affirmet S.* Teresiam *Salmanticensis doctoris titulum solemni decreto fuisse adeptam. Prænotat ex quodam diffinitorii generalis libro quem manuscriptum penes se habebat, fuisse* XVII *Maji* 1701 *permissum ut Salmanticæ festo S.* Teresiæ *e Carmelitanorum collegio* (*quod D. Didacus de la Serna, regni Castellani consiliarius, fundarat*) *duodecim religiosi tendant ad oratorium scholarium, solemni illic altaris sacrique pulpiti ministerio ea die functuri, confluentibus ad Sanctæ panegyrin audiendam universitatis doctoribus et magistris. Hoc itaque præmisso, fatetur detegere se non potuisse instrumentum quo doctoris titulus ei decretus fuerit : contendit tamen decretum tale fuisse aliquando latum, iis quos citaturus sum, subnixus testibus. Natalis Alexander* (*in correcta a Dominico Mansi editione anni* 1778, *tom. IX, pag.* 158) : Eam (*S.* Teresiam) Salmanticenses doctorali sua lauro cingere decreverunt et revera cinxerunt. *Liber cui titulus :* Paradisus Carmelitici decoris (*pag.* 424) : Ex toto orbe celeberrima Salmantinorum academia doctorali lauro eam cingere decrevit et cinxit. *In Bruxellensi anni* 1674 *Operum Teresianorum editione quoddam reperitur emblema, adscriptumque lemma :* Doctoratui, *cum hac adjecta ei explicatione :* Ob librorum editorum excellentiam, pro merito, et ab alma Salmanticensium academia, annuente Urbano VIII, solemni ritu concesso. *Ac demum allatorum scriptorum dicta confirmat citato adhuc loco ex Aphorismis D. Alexii de Boxados, Inquisitoris. Non secus ac auctor Anni Teresiani, P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 81, *not.* 12) *asserit Sanctam suam Matrem graduatam esse in Salmanticensi corpore academico.*

doctoris nomen et insignia ei contulisse.

1613 *Id quoque repetit P. Emmanuel a S. Thoma Aquinate in libro* la Muger grande, *ad diem* XVII *Januarii. Longiusque adhuc procedit P. Joannes a S. Ludovico, qui in sua Vita S.* Teresiæ (*lib.* VI,

AUCTORE V. D M.

cap. VIII) *ita loquitur :* Universitas Salmanticensis, speciali Bulla Urbani VIII, gradum doctoralem consueta solemnitate S. Teresiæ impertita est, eamque numeravit inter academici sui corporis membra, collatis ei congruis gradui suo insignibus, annulo, toga et pileo cum laurea.... Multæ quoque aliæ universitates festum ejus celebrant, et eam doctorali habitu ornatam venerantur. Conventum hæ agunt festa ejus die, et honorarium quod iis distribui solet qui universitatis actis assistunt, etiam porrigitur S. Teresiæ, qua uni e suis collegis. *Hæc arbitratus sum a me alleganda esse testimonia, ut rem, quantum possem, dilucidarem. Interim fateor me mirari prætensum decretum universitatis prætensamque Bullam Urbani VIII non reperiri in archivo Carmelitano nec memorari in Ordinis Chronico; cum tamen hujusmodi instrumenta Ordini semper videri debuerint cedro dignissima. Utcumque autem res sit, cum passim in Hispania S.* Teresia *occurrat doctorali habitu insignita, nec quidquam in eo habitu sit quod ullum offendere valeat, judicavi oculis, extra Hispaniam spectandæ tali formæ parum assuetis, placiturum singulare id quod matrona gestat, doctorum virorum paludamentum. Quare eo indutam hic sculptam habes Sanctæ effigiem : in qua si non omnino eadem primo forte intuitu appareant oris delineamenta, quæ in altera ejus, quæ vera est, effigie, animadversum velim non hic obliquam, ut in altera tabula, sed plenam ejus faciem repræsentari, atque totam sculpturam aliter adumbrari ex dispari prorsus habitu, frontem præcipue ex pileo doctorali.*

A

B

Quidam dissuadent Operum S. Teresiæ *lectionem;*

1614 *Indagandum jam venit utilisne ac suadenda sit lectio Operum S.* Teresiæ, *num vero damnosa ac dissuadenda. Otiosa, ne dicam scandalosa, hæc quæstio aliquibus videri poterit post explicatum tam aperte Ecclesiæ sensum allataque tanta librorum et doctrinæ Teresianæ encomia. Attamen necessaria est hujus quæstionis tractatio : non pauci enim hodierni, et quidem nonnulli ex iis ipsis qui non verentur ei Doctoris Ecclesiæ nomen irrogare, omnibus prope interdicunt lectionem Operum Teresianorum, ita ut censere videantur plus inde damni quam utilitatis hauriri posse. Duri hi censores perspicaciores certe sibi videntur quam tot sancti et docti viri qui S.* Teresiæ *Opera impense commendarunt, atque ipsamet Ecclesia prudentiores, cum animarum pericula et damna fingant se in doctrina detegere quæ Ecclesiæ visa fuit* cœlestis *et quam Supremi animarum Pastores judicarunt continere salutare fidelibus pabulum. Quod si critici illi solummodo adverterent lectionem eorum librorum in quibus Sancta de sublimioribus gratiæ donis agit (quod fere facit mediis* Vitæ *capitibus,* Castello animæ *et aliquot ad confessarios suos epistolis) iis potissimum convenire qui, egressi via, ut theologi loquuntur,* purgativa, *versantur in via* illuminativa *vel* unitiva; *si dein monerent a nemine hæc legi posse ea mente ut ambiantur talia charismata, cum dona Dei sint gratis data; si demum notarent reperiri aliquando homines pios quidem et religiosos, sed cerebri infelices, quibus tales libri damno esse possint, eo quod, imaginandi vi in illis prævalente lumini rationis, ut rara ea cœlestia dona alicui concessa esse audiunt, primum gustare ea et ipsi cupiunt, et postmodum nonnumquam sibi mentiuntur se iis esse donatos; si, inquam, sola hæc illi animadverterent, non excederent sane prudentiæ et veritatis fines, atque cordati omnes iis assentirentur. Ea ratione S. Matri ipsive Ecclesiæ non fieret injuria, sed sua staret Teresianis libris laus; et, si quid detrimenti ex eorum lectione singularibus quibusdam immineret, id non imputaretur doctrinæ quam S. Virgo propinat saluberrimam, sed insincero vasi cui infunditur.*

C

D

quæ quidem in quibusdam circumstantiis dissuaderi potest, e mente ipsius Sanctæ;

1615 *Atque ipsa* Teresia *non eliter de libris suis sensit. Prophetica revelatione norat magnam aliquando utilitatem e libris suis haustum iri; sicut Yepes testatur* (*lib.* III, *cap.* XIX), *dicens :* Novi completam esse prophetiam quam Deus S. Matri, atque ipsa mihi aliisque personis, manifestavit, libros suos uberes fructus a morte sua esse progenituros, *et sicut ipsa Sancta* (*tomo IV Epist., fragmento* 17) *de scriptis a se* Fundationibus *a Domino significatum sibi esse fatetur. Nihilominus tamen* (*Monito* IX, *num.* 5, *ad calcem tom. I Epist.*) *a morte sua apparens Ven. Catharinæ a Jesu, huic jussit ut Gratiano significaret dolere se quod suæ filiæ legerent libros suos, maxime quod librum* Vitæ. *Ratio autem cur S. Mater tunc dissuaserit hanc lectionem, hæc fuit : imprudens Gratianus nimium quantum pronum se ostenderat ad fovendum revelationum desiderium; subditæ ergo ei moniales eas avide sectabantur, credebantque in talibus perfectionem consistere. Ergo in illis rerum adjunctis damnum monasteriis perniciemque creare potuisset illorum ipsorum librorum lectio quibus potissimum Ordo postea adscribere debuit immensa quæ sumpsit incrementa. Ut enim de sola Gallia loquar, uti legi potest in Vita B. Mariæ ab Incarnatione auctore D. Boucher* (*lib.* III, *pag.* 223, 234 *et* 235), *D. Marillac, qui Carmelitanis in patriam suam acciendis multam operam dedit, ad id excitatus fuit fortuita libri Tersiani lectione, pariterque ea excitatæ fuere primæ novitiæ quæ hanc vitæ rationem sub ductu B. Mariæ ab Incarnatione amplexæ fuerunt. Præterea nonne Carmelitana familia iis ipsis S. Matris suæ libris, quos versat nocturna diurnaque manu, adscribere potissimum debet suum Sanctæ disciplinæ religiosæque perfectionis spiritum, qui genuinus et vegetus usque permanet? Quid porro dicam de innumerabili multitudine utriusque sexus hominum, qui, Carmelo quamquam non adscripti, librorum Teresianorum ope ad magnam sanctitatem pertigerunt? Unum pro cunctis, non ita pridem, anno nempe* 1806, *Beatorum fastis annumeratum, nominare juvat Josephum Orioli, sacerdotem Barcinonensem, qui S.* Teresiæ *Opera una cum libello Exercitiorum S. Ignatii ad rite orandum sequebatur : ut legi potest in auctis Butleri Vitis Sanctorum, ad* XXII *Martii.*

E

F

sed, si generatim, contraitur prudentiæ regulis ac menti Ecclesiæ :

1616 *Ast non iis quos ipsa* Teresia *posuerat, prudentiæ finibus circumscribuntur prædicti critici. Nam ob paucorum abusum laudata S.* Teresiæ *Opera in Indicem prope redigunt librorum prohibitorum. Qui rigor morem quemdam redolet qui hodie apud plures invaluit, proscribendi generatim res optimas et utilissimas ex nimio timore accidentis effectus mali qui aut remotus est parumque probabilis aut paucis imminet. Isthæc autem periculorum damnorumque in rebus morum et pietatis exaggeratio minime conformis est prudentiæ regulis ac sensui Romanæ Ecclesiæ, et plurimum nocet bono animarum, cum eo modo multi, quos non oportet, arceantur modo lectione probatissimorum librorum, modo usu salutarium valde exercitationum, atque ipso nonnumquam accessu ad Sancta Sacramenta. Nec satis advertunt inconsulti hi morum magistri, cautique magis quam par est animarum medici, dum ipsam Ecclesiam sagacitate superare velle videntur, et dum sana pabula spiritualiaque nutrimenta fidelibus subtrahunt, non advertunt, inquam, se in causa esse cur animæ tabe prope conficiantur atque enecentur, seque non absimiles esse iis corporum*

A *rum medicis qui, ut mali humores aut exhauriantur aut præveniantur, in quovis fere ægritudinum genere, negato cibo apertaque continuo vena, vires adeo imminuunt ut tandem æger concidat atque emoriatur.*

imo plures præsules sacras indulgentias concesserunt legentibus ea.

1617 *Aliter prorsus quam singulares isti magistri, senserunt Cardinales ac archiepiscopi et episcopi qui ad propagandam Teresianorum librorum lectionem indulgentias elargiti sunt. Sequentes ex proœmio primi voluminis Operum S.* Teresiæ *excerpo oculisque lectorum submitto :* Iis qui legunt vel legi audiunt aliquod caput vel epistolam ex Operibus ejus, concedit Emin. Cardinalis D. Ludovicus Belluga, episcopus Carthagenensis, 100 dies indulgentiarum in perpetuum (*vide decretum concessionis in Anno Teresiano, t. III, p.* 269); Emin. Cardinalis D. Carolus de Borgia, Indiarum patriarcha, item 100 dies; Excell. Dominus D. Didacus de Astorga y Cespedes, archiepiscopus Toletanus, 40 dies; Excell. Dominus D. Joannes de Alencaster, dux de Abrantes, Conchensis episcopus, 40 dies; Ill. et Rev. Dominus D. Joannes Camargo, Pampilonensis episcopus, Inquisitor generalis, 40 dies; Excell. Dominus D. Philippus Antonius Gil
B Taboada, Hispalensis archiepiscopus, 40 dies, modo Deum rogent exaltationem S. Fidei Catholicæ, felix regimen ecclesiæ et archiepiscopatus Hispalensis, exstirpationem hæresium, pacem et concordiam inter principes Christianos, et victoriam adversus S. Religionis hostes.

Votum ut recudantur et propagentur S. Teresiæ *libri.*

1618 *Metam jam, quod S.* Teresiæ *doctrinam attinet, contingens, unum facio votum, scilicet ut quæ Hispani propria sibi lingua possident, Sanctæ Opera cæteris nationibus sic versa recusaque denuo porrigantur ut ad ea lectitanda fideles magis ac magis alliciantur. Summa fide reddatur S.* Teresiæ *genuina scriptura et sensus : naturalis ejus sermo calamistris non inuratur; quod nulli minus convenit quam simplici virgineoque loquendi ejus modo : et, dum vitatur spumeus verborum ambitus turgidique styli fastus, quo plures obtegere conantur rationis egestatem vagantisque mentis deliria, retineatur dictionis perspicuitas facilitasque, quæ in* Teresia *summa est et quam Plutarchus alicubi dicit germanum esse atticismum. Hoc modo S. Virginis libri, quos Ferdinandus magnus dux Albanus* (*vid. num.* 1525), *Christina Sueciæ regina, Ecclesiæ præsules, monasteriorum incolæ et innumerabiles cujusvis generis promiscue fideles in deliciis habuere, novum*
C *producent in Ecclesia Dei pietatis divinique amoris augmentum. Etenim, ut dicit Breviarium Ambrosianum in Officio Sanctæ proprio,* conscripti sunt, non persuasibilibus humanæ, sed divinæ sapientiæ verbis, et rerum divinarum experientia magis quam lectione magistra, mentesque hominum ad orationis studium rerumque cœlestium desideria inflammant; *sive, ut loquitur Breviarum Romanum,* fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium multa *ejus* cœlestis sapientiæ documenta maxime excitant. *Jam stylum convertamus ad ulteriora.*

§ LXXXII. Corrupti alicubi S. Teresiæ libri in iis quæ spectant ad Societatem Jesu. Omissa olim genuina quædam loca : nuper scripta ejus perfide interpretata, et spuria quædam ipsi supposita.

AUCTORE V. D. M.

D

S. Teresiæ *corrupta scripta : nomenque ejus adhibitum ad excidium Societatis Jesu;*

In *his quos absolvi de S.* Teresiæ *libris paragraphis materiam pro modulo meo et quantum per præscriptos mihi fines licuit, exhausi : ita tamen ut disserere distulerim de iis locis quæ de Societate Jesu agentia, non raro in editis Sanctæ Operibus prætermissa, mutilata aut male interpretata fuerunt. Horum nonnulla, tametsi S. Matris genuina esse constaret, toties quoties ejus libri sive hispanice sive in alias linguas conversi prodibant, amplius sesqui sæculo desiderata fuerunt. Imo aliquando eo usque infidia processit, ut non jam pauca quædam, sed frequentissima ea prope omnia quæ S.* Teresia *scripsit de Societate Jesu elogia, e medio tollerentur. Quare Romæ in capitulo generali Excalceatus Carmelus anno* 1650 *solemni decreto* (*quod mox citabo*) *professus fuit inscio se et invito ac valde dolente eam injuriam, cum socio religioso Ordini, tum S. suæ Matri esse illatam. Verum non in sola librorum truncatione locorumque aliquot omissione stetit infidelitas et gliscens in Societatem Jesu odium.* E *Ætas parentum tulit progeniem vitiosiorem : et sæculo præterito eo deventum est ut religiosæ illius familiæ hostes mendacio atque calumnia S.* Teresiam, *quæ habita eatenus fuerat summa perpetuaque ejus cultrix, auxiliatricem sibi adsciscere non erubuerint ad ferale parandum excidium quod in Hispania consummatum fuit anno* 1767, *atque in universo orbe anno* 1773, *et ad quod* (*quis credat?*) *innocentissimum* Teresiæ *nomen, in Hispania saltem, non parum contulit. Nimirum, ad luctuosam Societatis in Lusitania anno* 1757 *ruinam, ejus in Hispania adversarii, cum nossent quantæ apud contribules suos Abulensis Virgo esset auctoritatis, cum aliis perfidis artibus et has quas enumerabo, adhibuerunt.*

quod factum est quatuor præcipue modis, qui enumerantur,

1620 1° *Fabricarunt et disseminarunt spurium epistolæ fragmentum, quo viri mendaces comminiscebantur S.* Teresiam *Ordinis illius necem ob immania sua ad hæresim usque flagitia olim præsagiisse. Eique fragmento junctum ibat alterum quod S. Joanni a Cruce imponebatur et quod pariter Societati valde erat injuriosum.* 2° *Archiepiscopus Burgensis, Josephus Rodriguez de Arellanos, prolixas vulgavit litteras encyclicas, sub titulo :* Doctrina F expulsorum extincta, *in quibus aiebat Sanctam initio quidem familiariter fuisse usam Societate Jesu, sed postmodum, cum Ordinem pernosset, ei dorsum vertisse* (*verba sunt Illustrissimi*); *ita ut, sicut ipse paragraphum suum trigesimum quintum claudens ait, regulares isti non sibi favorabilem ac benevolam, sed totam plane sibi adversam habeant Seraphicam* Teresiam a Jesu. 3° *Intra et extra Hispaniam innumera sparsa sunt exemplaria cujusdam epistolæ* (*quinquagesimæ tomi IV*) *a S.* Teresia *quidem profectæ, sed quæ, præterquam quod plura in ea adulterata erant verba, contumeliosis stipata erat interpretationibus, quibus Societatis Jesu fama graviter deturpabatur.* 4° *Anno* 1771 *duo volumina Epistolarum quæ typis nondum subjacuerant, et quas Ill. Burgensis in præfata sua encyclica propediem edendas prædixerat* (*ut taceam plura ad honorem Societatis Jesu conducentia videri inde de industria exclusa*), *prodierunt cum prolixis commentationibus, quarum plures natæ erant lectorum animos magis ac magis imbuere iis odiis quæ tunc in proculcatum a malevolis Ordinem grassabantur.*

1621 *Ut autem fusa hæc tam procaciter in Societatem*

AUCTORE V. D. M. *et quorum refutandorum ordo præmittitur.*

tatem Jesu convicia ordine refellam, postquam egero de mutilationibus quæ in editis Sanctæ libris pridem commissæ fuerunt et de quibusdam ad eos annotationibus non sat accuratis, recentiorum notabo perfidiam, non jam in omittendis genuinis, sed, quod pejus est, in supponendis falsis, aut in dolose ad Societatis damnum et ruinam commentandis veris Sanctæ locis. Quod posterius quadruplici subdividam capite. Ac primo quidem elidam prætensa S. Matris de futuris sceleribus infelicique fato Societatis Jesu prognostica, quæ post duo prope a morte Teresiæ *sæcula nescio quis circulator jactavit se ex umbris evocasse; atque falsæ cuidam prophetiæ, quæ* Teresiæ *supposita fuit et per vulgus disseminata, opponam unam et alteram Societati honorificentissimam e capitibus* XXXVIII *et* XL *Vitæ ejus, quam utramque demonstrabo genuinam esse et ad hunc Ordinem pertinere. Prior quidem ex his ad annum usque* 1752 *inter tot repetitas editiones in nulla earum ipsi Teresiano textui proprie fuit inserta : constabat tamen* Teresiæ *manu fuisse exaratam, cum ex Riberæ aliorumque testimonio atque ex ipsius Ordinis Carmelitici solemni confessione, tum ex patente cuique S. Matris autographo quod* B *in Escurialensi bibliotheca asservatur. 2° Explicabo rectum sensum epistolæ quinquagesimæ tomi IV, qua conviciatores tam valide abusi sunt ad perdendam in Hispania hominum de Societate æstimationem. 3° Redarguam nonnulla loca tomi III et IV Epistolarum in quibus Societas Jesu a commentatoribus male lacessitur. Quæ cum præstitero, sole clarius patebit S. Matris erga Societatem Jesu amorem nullo umquam tempore fuisse interruptum. Tandem 4° confutabo Burgensis archiepiscopi famosam pastoralem epistolam, hauriendo ex ipsius Sanctæ libris præcipua propriis sæpe verbis argumenta.*

Mutilatus capitis XXXVIII *Vitæ locus*

1622 *Jam anno* 1590 *Ribera notabat in prima Vitæ Teresianæ editione quemdam capitis* XXXVIII *truncatum esse locum. Scilicet habetur in Escurialensi autographo :* De los de la Orden deste Padre, que es la Compañia de Jesus, de toda la Orden junta he visto grandes cosas. Vílos en el cielo con vanderas blancas en las manos algunas veces; y, como digo, otras cosas he visto dellos de mucha admiracion, y ansi tengo esta Orden en gran veneracion, porque los he tratado mucho, y veo conforme su vida con lo que el Señor me ha dado dellos
C á entender. *Id est :* Magnas de Ordine illo e quo Pater ille erat, Societate nempe Jesu, res vidi, imo de universo illo Ordine simul. Vidi quippe eos in cœlo, et quidem sæpius, alba in manibus vexilla gestantes; necnon alia, uti dico, mirabilia vidi. Quare Ordinem hunc summa veneratione prosequor : frequenter namque cum ejus sectatoribus tractavi et egi; et, quantum video, vitam agunt conformem eis quæ mihi Dominus de ipsis significavit. *At in impressis libris, ab anno* 1588 *ad annum usque* 1752, *sic positum fuit :* De los de cierta Orden, de toda la Orden junta, he visto grandes cosas : vílos en el cielo con vanderas blancas algunas veces, y, como digo, otras cosas de admiracion. *Quod latine ita sonat :* Magna vidi de religiosis Ordinis cujusdam, atque adeo de universo illo Ordine simul : vidi quippe eos in cœlo, et quidem sæpius, alba in manibus vexilla gestantes, necnon alia mirabilia, uti dico.

jam notatus a Ribera;

1623 *Audi qui Ribera* (*lib.* IV, *cap.* III) *hanc truncationem apertis denuntiet verbis, quæ, pro loci illius momento, ex Salmanticensi ejus originali editione ad litteram prius exhibebo hispanice, et dein latine e correcta a me Martinezii versione :* Otra vez estando en oracion con mucho recogimiento y suavidad y quietud, vio en el cielo muchos de la Com- D
pañia de Jesus con unas vanderas blancas en las manos. Y estando ella maravillada y contenta por la mucha devocion que tenia a esta Religion, la dixo nuestro Señor Jesu Christo : « Pues si tu su-
» pieses quanto han de ayudar estos á la Yglesia en
» los tiempos venideros. » Esta vision dize ella que vio algunas vezes, y aunque en la Vida que se imprimio, no se declare el nombre de la Religion, esta declarado en el libro mismo que ella escrivio, y en los demas que andan de mano. Las palabras que la dixo nuestro Señor, puso despues mas adelante en el capitulo quarenta, sin el nombre de la Religion : pero es cosa certissima y sabida de su boca todo lo que he dicho. Alio tempore, cum in oratione maxima mentis recollectione, suavitate et quiete ageret, hominum Societatis Jesu in cœlo multitudinem vidit, candida manibus vexilla gestantium. Quod illam spectaculum cum in stuporem raperet, simul et voluptatem ei afferret, quod erga hunc ipsa Ordinem peculiari quodam studio ferretur, a Redemptore Jesu illico audivit : « Si
» vero ipsa scires quas futuris temporibus Ec-
» clesiæ suppetias sint laturi! » Hanc sibi ait visionem etiam sæpius oblatam. Etsi vero in illa E
Teresiæ Vita quæ typis edita circumfertur, suo hæc familia singillatim nomine non indicetur, in ipso tamen autographo, et in omnibus quos videre contigit calamo exaratis libris, illius aperte nomen proditum est. Hæc quidem Redemptoris Jesu verba infra cap. XL rursus repetit, non tamen declarato Religionis ipsius nomine. Atque id totum quod modo dixi, certissimum est et ex ipsiusmet Teresiæ ore acceptum. *Is autem capitis* XL *locus sic sonat :* Estando una vez en oracion con mucho recogimiento, suavidad y quietud, pareciame estar rodeada de Angeles y muy cerca de Dios; comencé á suplicar á su Majestad por la Iglesia. Dióseme á entender el gran provecho que habia de hacer una Orden en los tiempos postreros, y con la fortaleza que los della han de sustentar la Fé. *Quod Martinezius ita latine vertit :* Quadam die magna cum attentione, dulcedine et quiete in oratione agens, ab Angelis mihi undequaque circumdata Deoque quam proxima esse videbar. Incipiebam ergo illius Majestati pro Ecclesiæ incolumitate supplicare. Dicebatur porro mihi qualem novissimis temporibus Ordo quidam religiosus fructum F
esset facturus, et quo ardore et generositate ejusdem sectatores Fidem essent propugnaturi.

circa quem locum artes explicantur Arnaldi.

1624 *Adverto hic per transennam illum capitis* XXXVIII *locum etiam in nuperrimis editionibus gallicis vitiosum permanere. Imo aliquid pejus in usitatissima Arnaldi versione commissum est, quam si voces quæ demi solent, dumtaxat omitterentur : nam totus is apud eum locus ita tortus est ut omnis mutetur sensus. Expendamus singula Arnaldi verba, et videamus lepidum spectaculum Jansenistæ quasi malleum inter et incudem, hinc pressi magna Societati a S.* Teresia *aperte data laude, et illinc sua ab inviso Ordine aversione. Consulere ut veritati velle videatur, in fine periodi nomen Societatis quidem ponit; sed fucum magis facit quam declarat verum : atque ejus arte revera deceptus fuit P. Martialis, qui in Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*pag.* 373) *dicit ab Arnaldo eum locum restitutum esse ad originalis fidem. Sed ecce quomodo restitutus.* J'ai vu, *ita sonat gallica viri versio,* des choses admirables des religieux d'un certain Ordre, qui me paraissaient, sans parler du reste du même Ordre, porter en leurs mains dans le ciel des étendards blancs : et comme j'ai une grande communication avec ceux de

A de cet Ordre, et que je reconnais que leur vie est conforme à ce que notre Seigneur m'a dit d'eux, j'ai une grande vénération pour cette sainte Compagnie. *Ibi Arnaldus voces supprimit quibus indicandum erat de Ordine agi Societatis Jesu, et quæ eum minime præteribant, ut ex clausula ejus patet. Tacet S. Matrem pluries habuisse eam visionem :* algunas veces, *hispanice. Enervat omnem visionis vim, dicendo :* Ut mihi apparebat, ferebant; *ubi Sancta ait :* Vidi eos ferentes. *Transilit aliquot verba* Teresiæ *dicentis se res grandes vidisse et res alias admirabiles; quod pleonasmo majus est. Demum nominat quidem Arnaldus religiosos, sed, perfide magis quam amphibologice, addit cæterum missum se facere quod reliquum est Ordinis; ubi Sancta ait, non sine vi, grandes se conspexisse res et de religiosis Ordinis et de toto conjunctim Ordine. Nœ esset cur Arnaldi liber e manibus abjiceretur, nisi majori alibi fidelitate, styloque, sin culto, saltem simplice et Vitis Sanctorum congruo, commendabilis foret. Quare male feriatus foret ille qui ob pauca infideliter versa loca ex integro damnaret Arnaldi versionem, quæ a nonnullis hodie perperam temnitur, quod sine pigmentis sit. Ultimo tandem*
B *advertam mutilum, eo modo quo olim in hispanicis editionibus, esse præfatum capitis* XXXVIII *sensum in utraque gallica versione P. Cypriani a Nativitate et Chanuti ac in anglica Abrahami Woodhead, sed correctum esse in germanica quæ anno* 1756 *Augustæ Vindelicorum prodiit. Belgica vero anni* 1697 *Arnaldianam eo loco male sequitur.*

Kerbekius magnæ fraudis insimulatur

1625 *Verum Antonius Kerbekius in latina versione Vitæ S.* Teresiæ, *edita Moguntiæ anno* 1603 *typis Joannis Albini, longius processit, ac omisit fere omnia loca quæ sunt a S.* Teresia *in commendationem Societatis Jesu scripta : uti notat P. Nicolaus Lancicius in opusculo de Gloria S. Ignatii (quod primo editum fuit Cracoviæ anno* 1622, *dein Wilnæ anno* 1624, *tum Antverpiæ anno* 1629, *sine nomine eatenus auctoris; donec sub Lancicii nomine anno* 1650, *una cum reliquis ejus opusculis, duobus tomis in folio, ubi id decimo octavo loco ponitur, iterum Antverpiæ cusum fuerit). Capite* XIX *hujus opusculi Lancicius plura loca in honorem Societatis Jesu latine citat, desumpta ex italica Bordonii versione anni* 1601 : *ex quo patet culpam infidelitatis conjiciendam esse in unum Kerbekium, qui fatetur*
C *se ex italica Bordonii versione* Teresiam *in latinum transtulisse. Inter alia autem loca allegat Lancicius illum locum capitis* XXXVIII *de quo supra egimus, repetens quod Ribera dicit circa ejus mutilationem. Sed cum ea quæ Lancicius in tribus prioribus opusculi sui editionibus de Societate retulerat loca a quibusdam in dubium vocarentur num authentica essent, ideo ante quartam suam editionem Antverpiensem anni* 1650 *eam ad discutiendum illud dubium diligentiam adhibuit quam ad calcem capitis* XIX *narrat sequenti modo.*

a P. Nicolao Lancicio,

1626 Etsi ego hujus opusculi scriptor in omnibus editionibus hispanicis et italicis Vitæ S. Teresiæ, et Romæ aliquoties et Neapoli, ab ipsamet scriptæ et postea impressæ, legerim hæc omnia quæ in hoc capite recensui; hoc non contentus, cum rescivissem aliquos religiosos (quorum nominibus parco) in hoc regno non semel coram sæcularibus suis confidentibus sparsisse hæc quæ recensui, non esse vera, post felicem electionem admodum R. P. N. moderni Præpositi Generalis Vincentii Caraffæ rogavi R. P. Petrum de Mendoza, tunc quoque a nobis electum Assistentem Hispaniæ, ut committeret alicui Patri in Hispania ut adiret bibliothecam celebris in Hispania monasterii regii S. Laurentii, dicti Escurial, in qua bi- AUCTORE V. D. M.
bliotheca tamquam pretiosus thesaurus conservatur D
Vita S. Teresiæ propria ipsius manu scripta. Commisit hoc negotium R. P. Assistens uni e nostris Patribus; qui adiit hoc monasterium, et diligenter curavit ex Vita originali S. Teresiæ fideliter transcribi hispanice omnia illa quæ in hoc capite ex Vita ejus Romæ bis impressa recensui. Hac re confecta et authentice in publicum instrumentum relata coram testibus, misit mihi R. P. Assistens hoc instrumentum authenticum a quatuor notariis apostolicis juratis subscriptum, cum solitis clausulis et solemnitatibus. Scripsit hoc instrumentum notarius apostolicus Hector de la Bartera et Montenegro, tamquam is qui coram testibus aliquot religiosis illius monasterii in illa bibliotheca hæc omnia in hoc capite a me narrata descripsit ex Vita S. Teresiæ propria ejus manu scripta. Scripsit autem authentice hoc instrumentum anno 1646 decima die mensis Septembris, ad instantiam R. P. Fr. Ambrosii de S. Maria, coram testibus Josepho de Penalber et Dominico Gonzalez de Argumoza et Alphonso Gomez, religiosis dicti monasterii. Porro textus hispanicus ab hoc notario transcriptus plane ad verbum congruit cum mea versione E
latina in hoc capite a me posita. Accedit quod dictus notarius apostolicus in principio sui instrumenti expresse facit mentionem hujus capitis deciminoni et paginæ 174 opusculi de Gloria S. Ignatii Antverpiæ impressi anno 1629; et asserit textum hispanicum S. Teresiæ cum latina mea narratione concordare. Nullus ergo, nisi malignus et invidus, hæc a me scripta in dubium vocare potest.

cujus dicta confirmat capitulum generale Congregationis Italicæ Carm. Exc.

1627 *Neque solum P. Lancicium commovit agitata hæc quæstio; verum etiam capitulum generale Congregationis Italicæ Carmelitarum Excalceatorum, Romæ congregatum anno* 1650, *edidit sequens decretum, relatum a P. Joanne Pinio (tom. VII Julii, pag.* 850), *qui id a fratre suo Ignatio Pinio Roma acceperat, erutum e tabulario nostræ Societatis, ubi originale asservatum dicit cum apposito sigillo et subscriptione F. Joachimi a Jesu Maria, capituli generalis secretarii :* Accepimus scripta S. M. N. Teresiæ edita esse truncata quoad illa omnia quæ spectant Societatem Jesu : ita ut, cum et in manuscriptis codicibus plerisque et in plerisque exemplaribus pridem editis ac in ipsomet Matris contextu originali omnia illa quæ notan- F
tur in libro cui titulus : « Gloria S. Ignatii » exarata inveniantur, tamen in ea editione de qua dictum est, omnia fuerint erasa. Hanc infidelitatem editionis, non tam Societati Jesu quam S. Matri injuriosam, omnino improbamus, et a nobis non esse profectam testamur. Quin immo, si quis ex Ordine nostro deprehenderetur tale quid admisisse aut fieri curasse, impunitum non debere esse decernimus. Ipsam quoque editionem truncatam in usu nostrorum esse prohibemus. Propositionem hanc capitulo nostro generali propositam et per acclamationem omnium approbatam testamur. Die XVI Maji 1650. Fr. Franciscus a SS. Sacramento, Præpositus Generalis. *Hoc decretum iisdem verbis latine tradit P. Fredericus l.* IV, *cap.* X. *Sed sedulus cæteroquin vir in commentatione quam ei decreto subdit, dormitasse videtur. Hanc autem commentationem ad trutinam revocabo, et ipsis P. Frederici verbis qualia e prima ejus editione anni* 1754 *Montoya exhibet, inhærebo. Quod prævie me notare oportuit, quia in posteriore anni* 1837 *Vitæ Teresianæ editione, si Montoya recte citat priorem, plura eo loco tacite immutata sunt, licet non ex omni*

AUCTORE V. D. M.

parte feliciter, sicut post recensitam hic priorem editionem videbimus.

A *Capituli hujus decretum nec rite interpretatur prior P. Frederici editio,*

1628 *Ecce quam P. Fredericus primitus adjecit ad decretum illud interpretationem. Hanc, subnectens ad singula ejus membra parenthesim, corrigam aut explicabo.* Lamentatur P. Bartoli (*dic :* Jure conqueritur), quod in quibusdam operum S. Teresiæ editionibus (in una, *habet Bartoli*) aliqua (omnia : *Bartoli*) dempta sint quæ in magnam laudem cedant inclytæ Societatis Jesu. Ego nescio quænam sit illa mutila et reprehensibilis editio (*mirum quod diligens scrutator Fredericus, qui in toties a se citato Yepesio Kerbekii mentionem non potuit non videre, hujus versionem talibus furtis aperte scatentem non inspexerit. At mirum magis quod ignorare potuerit esse Kerbekium infidelitatis alte accusatum a P. Lancicio in opusculo de Gloria S. Ignatii, cujus nominetenus meminit ipsummet, quod totum allegat, capituli generalis decretum*), nisi forte indicetur illic is defectus qui communis est omnibus editionibus a prima retro Salmanticensi anni 1588 (*omitto hanc, juxta Yepesium, lib.* III, *cap.* X, *factam fuisse anno* 1587 : *sed decretum capituli excludit P. Frederici hypothesim, cum loquatur de difformi una a cæteris editione*). In ea revera reperitur cap. XXXVIII error (*decretum non unum errorem notat, sed resectionem omnium aut prope omnium locorum ubi sermo est de Societate*) qui postea irrepsit in omnes editiones (*taceo editionem Madritensem anni* 1661 *et Bruxellensem anni* 1740 *in margine hanc habere notam :* Sancta plura scripsit exemplaria unde hæc hausta sunt; at in exemplari quod asservatur in Escuriali declarat se hic loqui de Societate Jesu. *Posterior notæ hujus pars vera est, at falsa prior. Ubi enim existunt ea exemplaria de quibus nota loquitur? Præter Escurialense noscitur nullum*) . . . . Hujus errati deprehensio attribui debet diligentiæ P. Francisci a S. Maria (*hic primum volumen Chronici edidit anno* 1644; *sed quinquagesimo ante anno compegerat Ribera Sanctæ Vitam, in qua erratum illud revelat : præterea Lancicius quoque id indicarat annis* 1622, 1624 *et* 1629). Unde liquet Excalceatos, qui conscii plane erant illius quem S. Mater erga Societatem Jesu profitebatur, gratissimi affectus, nedum quidquam dempsisse de ejus in Societatem elogiis, verum diligentes sollicitosque se præstitisse ut in aperto denuo starent

B

C quæ typographorum oscitantia aut nescio cujus malevolentia tentarat obscurare (*Grata erga Carmelitarum Ordinem sit oportet Societas ob generosam satisfactionem sibi in capitulo generali anno* 1650 *præstitam, et ob seram licet correctionem in editione Madritensi anni* 1752). Si quæ forte fuerit editio ubi aliquod e Societatis deletum sit encomiis quibus S. Matris scripta scatent, persuasum cuique sit tale factum ab Ordine nostro reprobari (*Nec singulare P. Frederici dubium num existat mutila istiusmodi editio, mirabitur quicunque legerit capituli decretum quo congregati Patres solemniter testatum faciunt se truncam talem editionem, ubi erasa erant cuncta Societatis elogia, examinasse, cum aliis editis scriptisque Sanctæ libris contulisse, et eam editionem se improbare ac prohibere uno omnium suffragio, una omnium acclamatione. Præterea difficile captu est qui P. Fredericus potuerit non legere vulgatissimum librum in decreto commemoratum, in quo mutilatus capitis* XXXVIII *locus denuntiatur, et ubi tacite Kerbekius taxatur indigne expunxisse omnem laudem quam* Teresia *Societati Jesu creberrime impartitur*).

nec posterior. 1629 *Pauca modo addam de Romana P. Frederici anni* 1837 *editione. Cum adverteret is qui* D *eam accuravit, claudum illic in pluribus auctoris ratiocinium, multa inde verba amputavit, sed non citra quemdam in iis quæ adjecit anachronismum.* Si rite conjecto, *ait emendator,* culpabilem eam truncationem (*de qua agit Bartoli*) reperire fuerit in aliqua editione gallica, et commissa ea noxa fuerit a quodam in pontificias contra Jansenium Bullas refractario. *Sed si veritatem expiscemur, fontes successive adeundo, ex Bartolo noscimus decretum capituli; in eo decreto remittimur ad P. Lancicii opusculum de Gloria S. Ignatii; et in hoc opusculo legimus Kerbekium fuisse qui anno* 1603 *temeravit Vitam S.* Teresiæ : *quo tempore Cornelii Jansenii nondum prodierat secta auctoritatis pontificiæ contemptrix. Quod si præterea latius Jansenii historiam scrutemur, invenimus adolescentulum Jansenium, qui Lovanii sub disciplina Societatis rhetoricæ operam dederat, nomen dare voluisse Ignatianæ familiæ : tantum aberat ut eo tempore Societati esset infensus. Adi Memorialia Trivoltiana ad annum* 1731 (*pag.* 1775), *ubi de Historia Baianismi, auctore Duchesne.*

Nævi quidam in iis quæ ad Societatem attinent, in editione Operum S. Teresiæ *anni* 1752 *deprehenduntur,* E

1630 *Porro pervolvere singulas editiones et versiones Operum S.* Teresiæ, *ut indagem num quid in iis de laudibus Societatis deletum sit, nec placet nec vacat. De una vernacula editione anni* 1752, *sive anni* 1793, *cum hæc illi persimilis sit, pauca respectu Societatis annotabo; quia pro normali vulgo habetur ea nunc editio. Quippe R. P. Generalis Nicolaus a S. Maria in præfixa ei epistola dedicatoria ad Ferdinandum VI affirmat proferri illic* Opera S. Matris restituta primævæ suæ puritati et diligenter purgata ab erroribus quos negligentia aut ignorantia invehere solet in monumenta quæ pluries recuduntur; ad quem finem, *ait,* revisa fuere exactissimo examine et firma amussi, quin ulla fuerit diligentia prætermissa quæ juvaret ad illa collocanda in sphæra sui originalis splendoris. *Fateor tamen mihi nonnihil dubii permanere, præcipue circa Fundationum librum, ob sequens Montoyæ* (*prol. ad diss.* I, *p.* 28) *ratiocinium :* In nonnullis, *ait,* libri illius locis mihi notis (*quæ indicabuntur quando agetur de epistola* 50 *tomi IV*) et verisimiliter in multis aliis quæ inter se non contuli, duæ præclaræ editiones, Bruxellensis anni 1684 apud Franciscum Foppens, et Madritensis anni 1752 apud Josephum de Orga, non sunt æquales et cædem, quamvis utraque appositam F habeat ad finem capitis XXXI hanc notam : « Omnia » contenta hoc libro usque huc sunt scripta manu » propria ejusdem Matris Teresiæ a Jesu in codice » quem ipsa scripsit de suis Fundationibus : qui » codex cum aliis ejus manu exaratis reperitur in » bibliotheca Escurialensi. » Utraque etiam dedicata fuit regi Hispaniæ, Bruxellensis Carolo II, et Madritensis Ferdinando VI. Unde concludi deberet utramque convenire cum originali. At unam, sin utramque, cum eo non concordare inde patet quod binæ illæ inter se discrepent. Plerumque hæc quidem verborum differentia sensum non immutat; corrumpit tamen alicubi : et cum in utraque editione declaretur omnia quæ iis continentur, scripta fuisse manu propria S. Matris, mirum est qualecunque discrimen aut diversitas, quoties admitti non potest typographorum esse errata.

omissio imprimis epistolæ ad Moyam,

1631 *Quidquid sit de eo dubio, plane secutus ego sum in hisce commentationibus editionem anni* 1793, *in qua pauca tantum, Societatem Jesu respicientia, considerabo, nempe omissam illic esse notabilem quamdam epistolam, et in nonnullis locis Societati Jesu non sat æquas positas esse annotationes,*

A *tiones, quas primo volumini Epistolarum inseruit Palafoxius, alteri P. Antonius a S. Josepho. Quod autem ad harum ultima volumina spectat, in peculiarem, ut dixi, ea paragraphum reservabo. Mirum itaque dico celebrem epistolam S. Matris ad Christophorum Rodriguez de Moya, quæ olim, et ante quidem quam primum Epistolarum volumen ederetur, typis pluries jam seorsim in pluribus operibus fuerat vulgata, et quæ in maximam Societatis laudem vergit, nullo inter publicatas epistolas dignatam fuisse loco, cum tamen postremus editor diligenter conquisivisse se affirmet quotquot reperiri potuerint. Epistola illa magnam partem jam inserta fuerat Vitæ S. Ignatii quam P. Andreas Lucas anno* 1633 *latine vulgavit Granatæ* (*lib.* v, *cap.* xxvi). *Reperitur item in Imagine primi sæculi Societatis Jesu* (*pag.* 675), *in Lancicii opere de Præstantia Instituti S. J.* (*lib.* ii, *cap.* iii), *in Gomezii Elogiis S. J.* (*part.* i, *class.* vii), *in Fastis S. J. auctore P. Joanne Drews* (*ad diem* xxviii *Julii*). *Totam quoque exhibent Nierembergius tomo III de Viris illustribus S. J., in Vita S. Ignatii* (*cap.* xl), *P. Andreas Mendo in Crisi de Societatis Jesu pietate, etc.* (*num.* 160), *Montoya* (*diss.* i, *cap.* ii, § ii, *num.* 11)

B *et verisimiliter plures alii qui me fugiunt, et quos negligo, eo quod, e regulis critices, non semper numerus idem repetentium, sed pondus unius aliquando testis, si omni exceptione major fuerit, auctoritatem habet maximam. Atqui talis utique testis censeri hic debet Ven. P. Joannes Eusebius Nieremberg, qui, duodecim annis post P. Andream Lucas scribens, non solum hujus narrationem confirmat, sed et asseverat illius epistolæ se autographum vidisse, ac penes se habere ejus transcriptum, tabellionis publici testimonio et fide comprobatum :* Que yo he visto de su misma letra, y mostraré autenticado con fee y testimonio de escribano. *Hanc ego referam fideliter a me in latinum traductam ex hispanico Nierembergii textu, qualem etiam P. Mendo exhibet et cui italica Montoyæ versio consonat. Prænotant PP. Lancicius, Mendo aliique, scriptam fuisse Abulæ* xxviii *Julii anni* 1568 *ad Christophorum Moyam, cum ille Seguræ de la Sierra percupeperet claustrum erigere Excalceatarum virginum, in idque suas filias inducere, ea tamen lege ut Patrum Societatis Jesu directioni tam filiæ suæ quam reliquæ cœnobii abs se fundandi moniales subjacerent. Sat probabile est hunc eumdem esse Moyam*

C *qui postmodum Caravacæ monasterium fundavit* (*vide* § xxxviii *hujus Commentarii, et Montoyam, diss.* i, *cap.* vii, § i, *num.* 20).

quæ hic refertur. 1632 *Sic igitur ad illam Moyæ propositionem responsoriæ S. Matris sonant :* Convocat Dominus noster in has domos filias quæ admirationi mihi sunt et quæ magnopere me confundunt; quandoquidem tales nobis sunt eligendæ quæ sint orationi deditæ et ad nostram vivendi rationem aptæ : alioquin non recipiuntur. Deus dat illis satisfactionem et lætitiam adeo continuam ut paradisus hic in terra videatur. Ita est : et poteris te certiorem reddere de ea re per plurimos, maxime si illac transeant aliqui e Societate Jesu, qui hic fuerunt et me cognoscunt et illud viderunt; quia Patres ipsi mei sunt et quibus post Dominum nostrum anima mea totum illud bonum debet quod habet, si quod habet. Atque unum illorum ob quod multum erga illas dominas afficior, est quod sciam eos Patres fuisse ipsarum directores : unde et obsequi tibi parata sum in omnibus quæ facere valeam. Non omnes enim personæ spirituales pro nostris monasteriis mihi placent, nisi eæ sunt quarum Confessiones isti Patres excipiant; atque tales fere dumtaxat in nostris reperiuntur monasteriis. Equidem non jam recordor vel unam esse ex illis quas recepi, quæ spiritualis filia illorum Patrum non fuerit; hujusmodi enim nobis conveniunt : nam, cum ipsi animam meam excoluerint, Dominus concessit mihi gratiam ut in hisce monasteriis illorum spiritus sit insertus; quare si illorum regulas nosti, perspicies nostras constitutiones multis in rebus esse illis conformes. Etenim Breve a Papa obtinui quo illas conficiendi mihi datur facultas, et R. N. Generalis hac nuper transiens quas feci approbavit et observari jussit in omnibus monasteriis quæ fundarem. Mandatum quoque reliquit ut Patres Societatis concionarentur, neque ullus superior hoc impedire posset, et ut pariter, si velint, excipere Confessiones nostras possint. Sed constitutionem ipsi habent quæ hoc ipsis interdicat; neque, nisi aliquoties, obtinere illud ab iis possumus. Itaque et nobiscum agunt, et consilia dant frequentissime, et magna in nos bona conferunt. Idem desiderium quod hæ dominæ fovent, et ego fovi, hanc nimirum domum Patrum illorum directioni subjiciendi; et operam in eo posui. At pro certo scio eos non admissuros monasterium, etsi a principe erectum esset : alioquin jam multa haberent in hoc regno; atque proin effici id nequit. Laudo Dominum E nostrum quod nullus Ordo facultatem habeat adeo amplam cum illis agendi ac noster; neque ea qua jam potimur facultas unquam a nobis auferetur.

AUCTORE V. D. M. D

Adhuc alia quædam in ea editione notantur. 1633 *Non solum integræ hujus epistolæ omissio, sed et alia quædam, etiam in postrema editione, respectu Societatis notari adhuc possunt. Nolim equidem, ut P. Montoya, dicere male omissum nomen P. Francisci Borgiæ, Generalis Societatis Jesu, in libro Viæ perfectionis* (*cap.* xxxi, *num.* 5), *tametsi Ribera* (*lib.* i, *cap.* v) *asserat ea verba apponi in S. Matris scriptis. Non enim ibi certa criminandi causa est; quoniam, existentibus illius libri pluribus autographis exemplaribus, potuit Sancta adscribere uni id nomen, non adscribere alteri : quemadmodum Annus Teresianus* (*tom. VII, pag.* 200) *asseverat revera ea vocabula abesse et ab exemplari Vallisoletano et ab Escurialensi; quod de hoc, cum protographum sit et exaratum priusquam S. Franciscus de Borgia electus esset in Generalem, sine controversia P. Montoyæ constare debuisset. Meliori jure notat P. Montoya mire truncum esse Catalogum præcipuorum confessariorum S.* Teresiæ, *qui præfixus fuit in hac editione secundo volumini Epistolarum. Ut enim præteream e Societate Jesu PP. Joannem Padranos, Franciscum de Borgia, Martinum Gutierrez, Rodericum Alvarez, Franciscum Riberam, Hieronymum Ripaldam, qui accenseri potuissent, mirum saltem est non numerari eo ordine P. Balthasarem Alvarez, quem Sancta tantopere dilaudat, et quo se conscientiæ instructore totum sexennium primis emendationis vitæ temporibus usam affirmat* (*tom. I, epist.* 19, *num.* 6), *et quem præterea adhuc postmodum adhibuisse sæpe e pluribus Epistolarum locis conjectari potest. Nec sane accuratum est quod dicitur tom. I, epist.* 15, *nota* 3 *et* 4, *P. Balthasarem prohibuisse quominus Sancta reformationi Ordinis sui operam daret. Taceo* Teresiam *tunc temporis ne vel cogitasse eam reformationem, siquidem constat ex Yepesio* (*lib.* ii, *c.* xiv) *et e libro Fundationum* (*cap.* i, *num.* 3, *et cap.* ii, *num.* 3) *illam tantum quinto vel sexto ab erecto Abulensi conventu anno eo appulisse animum, postquam diu intenderat dumtaxat unius monasterioli erectionem in quo inter paucas primigenium servaretur institutum. At, quod ad propositum meum spectat, ipsamet Sancta capite* xxxii *Vitæ suæ, num* 6, *de eo Patre agens, aliter loquitur.* Hic, *inquit,* plane et prompte mihi

AUCTORE V. D. M.

A mihi dicere non audebat ut ab hoc proposito desisterem : aperte tamen videbat rem, naturaliter loquendo, prorsus impossibilem esse. . . Dicebat autem ut cum superiore meo hac de re agerem, et quodcumque ille suaderet faciendum, id exequi satagerem. *Ac, sicut e reliqua capitis illius parte liquet, probante* Teresiæ *cœpta provinciali, probavit et P. Balthasar; illo vero improbante, improbavit et hic : ita ut, si res consideretur vestita suis circumstantiis, nemo cordatus judicarit eum Patrem ita agendo vel minimum recessisse a prudentiæ norma. Quod si quis ampliores P. Balthasaris vindicias velit, adeat Montoyam* (*diss.* I, *cap.* V, *num.* 1 *et seqq., ac cap.* VI, § II).

§ LXXXIII. Prophetia de Societatis Jesu excidio, S. Teresiæ afficta, falsa esse demonstratur. Tres genuinæ aliæ Ordini S. Dominici applicandæ videntur.

B

Exaratur commentum illius prophetiæ.

Laudem qua S. Teresia *Societatem Jesu ornarat, vidimus fraude subtractam. Post occultatam veritatem ecce deformata facta, post furta ecce calumnias. Nempe Sancta præterito sæculo dictitata est Ordini illi ultimis vitæ suæ temporibus fuisse infensa, atque fuit affirmatum id e scriptis ejus constare. Inter alia argumenta proferebatur pseudoprophetia quædam, S. Matri supposita, de qua memini jam initio superioris paragraphi, et quæ, præcipue in Italia, ope ephemeridum seu diariorum circumquaque spargebatur aliquot ante annis quam Ordo a Clemente XIV abrogaretur. Nihilominus nullum ejus exemplar ad manum haberem, nisi Montoya* (*diss.* I, *cap.* VII, § III, *num.* 29) *illam chartæ mandasset. Quippe ea sors est obtrectantium istiusmodi pagellarum, ut dies eas deleat, dum tamen immensorum quæ perennant, germina sunt malorum. Neque inutile erit id monstri denuo hic litteris consignare, ad demonstrationem jugemque memoriam perversitatis qua valuerunt ii qui Societatis Jesu ruinam sunt machinati. Sic autem illud sonat :* Fragmentum epistolæ a S. Teresia XX Februarii 1579 ad P. Hieronymum Gratianum Carmelitam Excalceatum scriptæ. Cum die quadam in

C oratione essem, Deumque precarer conservare vellet et augere Ordinem nostrum, Dominus mihi dixit : « Videbis in diebus tuis Ordinem Beatæ » Virginis valde auctum. » Hoc e Domino audiebam, et collecto alte animo meditabar Ordinis restaurationem; atque animum ad alios Ordines eorumque principia reflectens, perpendebam Ordinem Ignatii ejusque quotidiana ac stupenda incrementa. Incidi tunc in magnum mentis raptum, in quo Dominus mihi dixit : « Multum falleris, o filia » mea, super religiosorum illorum profectu. Prin» cipium eorum bonum est; magnaque Ecclesiæ » præstabunt obsequia : sed cupiditas eorum et » dominia quæ acquirent, taliter inflabunt eorum » vanitatem, ut magis magisque deviantes, usque » ad ipsam hæresin sint degeneraturi, taliter ut » necesse sit futurum eos destruere. Hæc omnia » evenient, antequam trecenti elapsi fuerint anni. »

Vindicata Societate,

1635 *Antequam falsa hæc de excidio Societatis vaticinia dispellam, fas mihi sit ab horrendis quæ illic inferuntur criminibus ambitus, cupiditatis atque ipsius hæreseos Societatem paucis vindicare. Ut primævis S. Ignatii, ita et secutis S.* Teresiæ, *ipsius-que adeo Clementis XIV temporibus, Societatis Jesu professi jurejurando obstringebant sese, non secus ac hodie se obstringunt, ad nullo unquam tempore, nullo unquam modo dignitatem prælationemve aucupandam, aut etiam extra Societatem admittendam, nisi eo acti ab illo qui præcipere potest sub pœna peccati. Pari modo ut in Ordinis principio, ita et secuto omni tempore, vi emissorum votorum solemnium, sub sacrilegii reatu ineptum se quisque tota vita sua reddit ut suum habeat vel unum obolum, adjecto etiam peculiari voto de non immutandis constitutionibus circa paupertatem, nisi quando ex causa justa rerum exigentium videretur restringenda magis. His ergo circumscripta finibus, numquam, quidquid crepent adversarii, probari potuit Societas Jesu suis finibus excessisse, aut fregisse datam solemniter Deo fidem : nisi forte ad violata ab ea vota et ad ambitionem cupiditatemque quis referat auctum per Societatis viros ornatum ecclesiarum ad Dei cultum,* D *amplitudinem gymnasiorum ad discipulorum frequentiam, bibliothecas instructas conquisita undique scientiarum penu ad defensionem veræ Religionis, bonorum morum et ingenuarum artium atque disciplinarum, desiderium denique et conatum acquirendi doctrinam ad cognitionem amoremque Dei doctis et* E *indoctis toto terrarum qua late patet orbe infundendam. Quod si hæc ambitus reputentur et cupiditas, ultro in confesso erit hæc studia, ex instituto Patris, in filiis vigere, non eo tamen scopo ut vane inclarescat Ordo, sed ut Dei gloria proximique salus omnibus promovcatur modis, et vi eloquentiæ præconum cuangelicorum in suggestu, et profunditate doctrinæ in academiarum cathedris, et exercito stylo in conscribendis libris, et omnigenis artibus atque industriis ad alliciendos pueros ad catechismum, adolescentes ad ludos litterarios, fideles omnes ad frequentanda templa, ad fundendas Deo preces et ad recipienda Sanctissima Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta. Nec est quod dicam de imposito per calumniam Societati flagitio hæreseos. Universus novit orbis non ab aliis hactenus Ordinem hunc insimulatum fuisse læsæ Catholicæ Fidei, quam ab errorum sequacibus qui ipsimet a Romana Ecclesia, supremo controversiarum judice, declarati sunt hæretici, sive, ut cum Tertulliano loquar, interfectores veritatis; dum e contrario Societas Jesu ob propugnatam Fidem præstitaque Ecclesiæ obsequia laudem promerita est a viginti et amplius supremæ Romanæ Sedis Pontificibus. Atque ob hanc ipsam causam odium incurrit* F *perduellium Ecclesiæ hostium, qui in Societate, ceu in devotis Catholicæ Religioni filiis atque athletis, matrem impugnant Ecclesiam et Jesum Christum patrem,* qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5). Nec sane, *ut cum S. Augustino loquar* (*contra Petilianum cap.* VI), parva est parumque gloriosa consolatio cujusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminemur.

et accommodato huic Ordini loco S. Augustini,

1636 *Ad prophetiam quod attinet, sicut gratis in medium projecta est, pari modo gratis et sine argumentatione negari posset, donec suis munita fuerit probationibus, prolatumque ejus autographum, aut saltem exemplar idoneorum testium fide comprobatum. Ultro tamen rem succincte examinabo. Unum quod allegari possit ut prophetia fuisse adstruatur, Ordinis est destructio, quæ contigit tribus circiter annis a vulgato eo epistolæ fragmento. Ast, ut taceam præfixum vage spatium trecentorum annorum atque redivivam jam Societatem, quæ rursus suo stat pede, non ob enormia illa ad hæresin usque crimina quæ fragmenti auctor comminiscebatur, Ordo abrogatus fuit; sed impetitus fuit ex odio adversus Ecclesiam, in cujus castris militabat. Porro eo tempore non solus*

A *solus ille pseudopropheta, sed et magna in Societatis ruinam conjuratorum turba necem Ordini vaticinabantur : attamen isti omnes non magis prophetæ haberi debent quam latro qui stricto jam pugione mortem prædicit illi cujus transadacturus est cor. Detur hic mihi, qui impactas optimæ Matri Societati Jesu enormes calumnias avertere cogor, diram ejus, furori impiorum luctuosis temporibus immolatæ, sortem simul et quam abrogata Societas tenuit agendi rationem, depictam referre ex S. Augustino, qui apposite ad rem nostram ita loquitur :* Sæpe etiam sinit divina Providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu et quanta sinceritate Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est aut sedatis remeare turbinibus, aut, si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque
B cesserunt, sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes et testimonio juvantes eam fidem quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus; sed tamen exempla non desunt : immo plura sunt quam credi potest. Ita omnibus generibus hominum et exemplorum ad animarum curationem et ad institutionem spiritualis populi utitur divina Providentia. (*De vera Religione, cap.* VI, *num.* 11).

puta fabella esse demonstratur, præsertim ex opposita vera prophetia.

1637 *Refutato argumento quod ex abrogatione Ordinis allegari specietenus posset, pauca animadvertam in eo fragmento quæ plane demonstrent putam fuisse fabellam. Imprimis ineptus prophetiæ fabricator, quem talpa cæciorem fuisse oportet, affirmat S.* Teresiam *vidisse quotidianum ac stupendum Societatis Jesu progressum, et Deum ei revelasse, non tantum bona Ordinis illius fuisse principia, sed et magna eum obsequia Ecclesiæ esse præstiturum; et nihilominus statim adjungit Deum dixisse plurimum eam decipi super Ordinis illius progressu, quem tamen progressum et* Teresia *suis oculis viderat, et ipse Deus, ut ita loquar, affirmarat, laudando magna quæ Ecclesiæ collaturus erat Ordo*
C *ille obsequia. Dein, sicut postea probabitur, S. Mater Societatem Jesu maximi fecit ad finem usque vitæ, ergo toto amplius triennio ab habita ea quæ objicitur prophetia : unde conficitur ipsam minime cælitus dedoctam fuisse religiosæ illius familiæ æstimationem. Tandem ipsa Sancta prædixit quam strenue Ordo ille futuris* (*ut Ribera habet*) *et postremis* (*ut habet ipsa S.* Teresia) *temporibus prœliaturus sit prœlia Domini : quod utique consistere nequit cum hæresi et apostasia quibus vatidicus fragmenti auctor eum contaminandum voluit. Lege loca quæ initio paragraphi superioris e S.* Teresia *et ex Ribera citavi; et concludendum tibi erit, si ea loca vera sint, ut sunt indubitate, esse et spurium epistolæ fragmentum, et falsam contentam eo prophetiam. Nam clare patet* 1° *Ordinem de quo Sancta loquitur capite* XL, *licet Ordinis nomen non exprimat, illum tamen ipsum esse de quo loquitur capite* XXXVIII, *ubi nomen exprimit* Societatis Jesu. *Patet* 2° *utraque illa occasione Deum S.* Teresiæ *notum fecisse homines Societatis plurimum profuturos esse Ecclesiæ, siquidem Ribera, agens de revelatione cap.* XXXVIII, *ait Deum S. Matri dixisse :* O si scires quantas futuris temporibus religiosi illi suppetias Ecclesiæ sint laturi! 3° *Concludi etiam inde potest fuisse utrobique eorum locorum a Sancta visos Ignatii* D *filios vexilla alba in cœlis gestantes; ipsa enim affirmat pluries se eos ita conspexisse, et ex omnibus circumstantiis pronum est judicare revelationem capitis* XL *ad eas vices ubi hoc conspexit, et ubi simul vidit de Societate res grandes et valde mirabiles, esse referendam. Cernitur itaque id quod hactenus diximus* (*pertinere nempe revelationem illam num.* 8 *capitis* XL *ad Societatem*) *inniti verbis* Teresiæ *et auctoritati Riberæ, quæ summa est hujusmodi in rebus et præcipue in hacce, quippe qui suam hanc relationem claudit dicendo :* Certissima res est, et id totum quod hic memoro, haustum est ex ipsius Teresiæ ore. *Hic in transitu cum Montoya* (*diss.* I, *cap.* VII, § I, *num.* 21 *et* 22) *noto duorum auctorum errorem circa hunc locum. Videlicet P. Franciscus Xaverius Fluvia in Vita S. Ignatii edita Barcinone anno* 1753 (*tom. I, lib.* V, *cap.* XI), *confundens numerum* 10 *capitis* XXXVIII *cum numero* 8 *capitis* XL, *hallucinatus est, et male affirmavit nomen Societatis Jesu hoc posteriore loco exprimi : quod quam falsum sit, liquet non tantum ex emendatissimo etiam Teresiano textu, sed et e Ribera, qui* (*lib.* IV, *cap.* III) *explicite dicit nomen Societatis ibi* E *non enuntiari, atque etiam e S.* Teresia, *quæ suis ibi de religiosis Ordinibus vaticiniis numero* 10 *subjungit :* Si Domino placuerit ut noscantur ii Ordines, ipse eos declarabit : ego illos non exprimo, ne ægre ferant cæteri. *Similis habetur error in libro academici Calliado :* La verità difesa col disvelarsi, *edito Florentiæ anno* 1759. *Dicta igitur abunde probant hinc falsitatem prophetiæ prænuntiantis Societatem S. J. pessum ituram in extrema usque scelera, et illinc sinceritatem atque authenticitatem alterius Teresiani vaticinii quod Societati maximo est honori atque consolationi, quo nimirum Deus S.* Teresiæ *significavit, et quidem cum emphasi, Ordinem illum religiosum postremis mundi temporibus pro Catholica Ecclesia fortiter esse pugnaturum.*

AUCTORE V. D. M.

Tres genuinæ S. Virginis hic referuntur hispanice et latine :

1638 *Scriptores rerum S.* Teresiæ, *ubi de ejus circa Societatem prophetiis agunt, agunt simul de iis quas habuit circa alium Ordinem. Ego eos imitabor, ut illa affinia sibi argumenta absolvam, et ut actum postea non sit ex parte denuo agendum. Posteriores hæ prophetiæ ternæ sunt, et traduntur a S. Matre num.* 9 *et* 10 *capitis* XL *Vitæ suæ. En verba quibus eas enuntiat :* Estando una vez rezando cerca del F Santisimo Sacramento, aparecióme un Santo, cuya Orden ha estado algo caída : tenia en las manos un libro grande, abrióle, y dixome que leyese unas letras, que eran grandes y muy legibles, y decian ansi : « En los tiempos advenideros florecerá esta » Orden, habrá muchos Martyres. » Otra vez estando en Maytines en el coro, se me representaron y pusieron delante seis ó siete, me parece serian desta mesma Orden, con espadas en las manos. Pienso que se dá en esto á entender, han de defender la Fé; porque otra vez estando en oracion, se arrebató mi espiritu, parecióme estar en un gran campo, á donde se combatian muchos, y estos desta Orden peleaban con gran fervor. Tenian los rostros hermosos y muy encendidos, y echaban muchos en el suelo vencidos, otros mataban : pareciame esta batalla contra los hereges. A este glorioso Santo he visto algunas veces, y me ha dicho algunas cosas, y agradecidome la oracion que hago por su Orden, y prometido de encomendarme al Señor. No señalo las Ordenes, si el Señor es servido se sepa, las declarará, porque no se agravien otras. *Sive latine :* Cum coram Ven. Sacramento Altaris preces meas
120 funderem,

AUCTORE V. D. M.

funderem, quidam Sanctus, cujus Ordo aliquatenus deciduus fuit, mihi apparuit, manibus tenens librum grandem; quem ipse aperiens, aliqua me verba, litteris magnis et valde legibilibus in eo exarata, legere jubebat : erant autem hæc : « Futuris tempo- » ribus hic Ordo florebit, et multos habebit Marty- » res. » Alio die, dum Matutinarum tempore in choro agerem, apparuere mihi coram me stantes sex aut septem (toi enim mihi esse videbantur) ejusdem Ordinis viri, gladios manibus præferentes; quo signo designari existimo illos Fidem propugnaturos : cum enim alio tempore orationi instarem, rapta in spiritu me vasto quodam in campo putabam constitutam, in quo multos invicem certantes et pugnantes vidi; qui autem hujus quem dico Ordinis erant, magna contentione et fervore præliabantur : facies eorum mire radiabant et velut flammis inardescebant; alios quidem ad terram prosternebant, alios necabant : hic porro conflictus contra hæreticos mihi iniri videbatur. Gloriosum hunc Sanctum adhuc aliquoties conspexi; qui quædam occulta mihi declaravit, et gratias de ea quam pro Ordine ejus fundo oratione egit, simul pollicitus se me Domino commendaturum. Ordinem porro B hunc non nomino (si Dominus eum innotescere velit, ipsemet eum indicabit), ne reliquos Ordines offendam.

quas Yepes applicat Carmelo Reformato, Ribera Ordini Prædicatorum.

1639 *Hæ prophetiæ diversimode applicantur. Yepes* (*lib.* III, *cap.* XVII) *eas asserit Reformato Carmelo, sequentibus verbis* : Ostendit Teresiæ Dominus non tantum quid planta ea evaderet tempore vitæ ejus, sed etiam augmentum quod caperet ab ejus morte, ac magnum fructum quem futuris temporibus in Ecclesia faceret (atque id erat quod S. Mater tantopere exoptabat, cratque præcipuus finis ac scopus ejus in monasteriorum erectione), sicut in Vita sua ipsa cap. XL refert (*hic habes num.* 9 *et* 10, *qui supra*). Tacuit S. Mater nomen Ordinis sui ob justas aliquas rationes : equidem scio illam hic loqui de fundata a se nova Reformatione; atque id norunt quoque aliquot sociæ S. Matris quæ etiamnunc in vivis sunt. Porro pro eo quo procedit Ordo ille gressu, sperari certe potest magnus in Ecclesia fructus et emolumentum. Undecim post annis obiit S. Mater, et Religionem conditam in utroque sexu et perfectione et numero cumulatam intuita est. *Ribera vero* (*lib.* IV, *cap.* III) *prophetias illas asserit Ordini S. Dominici, hoc modo* : Religiosorum quo- C que familiis eventura multa prævidit, eaque insignia. Illi siquidem haud procul a Sanctissimo Altaris Sacramento precibus insistenti apparuit quidam e Dominicanæ familiæ Sanctis, ingentem manu gestans librum; quem ille aperiens, grandes quasdam ac facile legibiles litteras in eodem exaratas ut legeret, suasit. Scriptura autem erat ejusmodi : « Futuris temporibus hic Ordo florebit, multosque » habebit Martyres. » Vidit quoque sex septemve ejusdem Instituti monachos gladios manu vibrantes : quo illa signo Fidem ipsos didicit propugnaturos. Cum rursus in oratione versaretur, mente in excessum rapta, vastum conspexit campum, in eoque plurimos decertantes, et ejusdem Ordinis viros singulari quodam mentis ardore in hostem ruentes. Horum singulis decori erant vultus et inflammati : manu vero strenui hostium plurimos solo affligebant; alios etiam obtruncabant. Intellexit autem conflictum hunc adversus hæreticos institui. *Ex hoc Riberæ loco deducitur eas prophetias ad Ordinem Prædicatorum pertinere; nam e* Teresiæ *verbis constat in iis revelationibus agi de eo Ordine cujus erat Sanctus qui apparuerat.*

1640 *In collisione ergo duorum scriptorum quorum uterque non cœvus solummodo fuit, verum Sanctæ etiam familiaris, imo confessarius, et quorum sinceritas in dubium vocari nequit, una verum indagandi est ratio, scilicet considerando uter præjudicio abripi facilius potuerit : an Yepes, ut staret pro Carmelitanis; an Ribera, ut pro Dominicanis. Cum enim sibi contradicant, oportet alteruter erret, alteruter verum dicat : nam utrumque errasse nemo hactenus suspicatus est. Ergo ante omnia diligenter inquirendum est utrius hic auctoritas prævaleat; et cum ab eorum testimonio totius argumentationis cardo multum dependeat, subsidiaria pro hac illave opinione argumenta aliquantisper in medio relinquam. Patebit autem e dicendis Yepesium facile potuisse imbui erronea in gratiam Carmeli opinione, contra vero difficulter Riberam comminisci potuisse agi in iis prophetiis de Ordine Dominicano. Imprimis certum est Sanctam noluisse secretum hoc in libro Vitæ suæ divulgare, ne alii Ordines, ut ipsa ait, offenderentur. Certum tamen quoque est ipsam hoc alicui (nisi uterque biographus rem quam affirmat, temere ausus fuerit divinare) revelasse aut uni aut pluribus animæ suæ moderatoribus, quibus nihil non aperiebat, sive Bañezio sive cuicunque alii : quæ agendi ratio plane conformis est notæ S. Matris erga confessarios suos fiduciæ, sicut et prudentiæ ejus conforme est eam noluisse tanti momenti rem mandare chartæ, quam prævidere poterat pervolitaturam esse multorum lectorum manus.* E

Examinatur uter hic prævaleat : D

et indigitata erroris ansa quam habuit Yepes.

1641 *Dein verisimile admodum est, cum Sancta Vitæ suæ librum, quo prophetiæ illæ continentur, absolvisset anno ferme* 1564, *plures ac præ cæteris filias suas, pro familiaritate qua cum optima Matre agebant, et pro fide quam ejus vaticiniis adhibebant, pluries eam octodecim annorum spatio quo supervixit, percontatas esse quis felix ille Ordo esset qui præclara adeo pro Ecclesia Christi facinora esset patraturus. Imo a vero minime abhorret illas fœminea quidem, sed justa hic curiositate apud eam investigando institisse, jam unum jam alterum proponendo, ut verum expiscarentur, ac* Teresiam, *cui fixum erat non promiscue suum aperire arcanum, ad earum interrogationes vage respondisse, ut nil affirmando, ita nec quidquam negando. Quippe non adeo obesæ naris ipsa erat ut suum sibi secretum excidere non advertisset, si læve sciscitantibus respondisset rem acu eas non tangere, tacuisset vero cum recte conjectarent. Neque ab hac prudentiæ lege recedere poterat, siquando interrogabatur de suone* F *ageretur in iis prophetiis Ordine. Quid, si forte, pro suo zelo ac blanda affabilitate, ad animandam prolem suam, adjecerit (ut adjicere potuit citra mendacium aut restrictionem mentalem) illum Ordinem in spiritu sive sub vexillo Eliæ, qui reputabatur Carmeli Institutor et Patriarcha, ultimis temporibus esse pugnaturum? Ergo, qui est homini innatus amor sui rerumque suarum, et quæ est ei pronitas ad credendum quidquid sibi arrideat vel faveat,* Teresia, *suos hortans ad Elianum zelum et ad perseverantiam in bono, aut etiam tacens ad interrogationem sibi factam, videri potuit affirmasse illic de Carmelo agi : qui rumor invalescere potissimum potuit a morte ejus, cum quisque pro arbitrio dicta ejus interpretari posset, nec ipsa præsens esset quæ falsam eam interpretationem temperaret. Quis igitur neget hoc aut simili modo tale præjudicium nullo negotio et absque ullo mendacio enasci potuisse, et paulatim ita extendi ac radicari, ut vigesimo quarto a* Teresiæ *morte anno, quo Yepes scribebat, plene illud in Carmeli Ordine vigeret, atque non ore tantum, sed etiam calamo atque penicillo propagaretur? Adeo ut ea Yepesio causa esse potuerit*

A *tuerit cur trinas eas prophetias Carmelo expresse attribuerit. Ast nulla hujusmodi errandi occasio Riberæ fuisse detegitur. Quin imo non facile capitur quomodo sine probabili causa excogitare ille potuerit Dominicanum Ordinem quem sine jure donaret tanto vaticinio. Taceo simplicem ejus loquendi modum quo indicat rem se narrare certam et quæ extra omnem controversiam videbatur. Adhæc iisdem fere ac* Teresia *verbis Ribera utitur, præterquam quod hic nil dicat de defectu Ordinis de quo loquitur* Teresia, *et quod Ribera dicat Sanctum illum fuisse ex Ordine Dominicano. Ast non est difficile conjectare cur Ribera non memoret Ordinis defectum : quippe pro ea qua erat moderatione, cum, dicendo Dominicanum esse qui apparuerat, jam indicasset de quo ageretur Ordine, ideo hunc defecisse tacebat. Nam, sicut modo notavi, constat e S.* Teresiæ *dictis illa vaticinia spectare ad Ordinem cujus erat Sanctus qui apparuerat : ita ut, juxta Riberam, prophetiæ illæ pertineant ad Dominicanam familiam, quam Sancta ait aliquantum defecisse.*

ostenditur Ribera talem non habuisse.

1642 *Ægre autem fides Riberæ denegabitur, si consideretur talem eum tantumque esse scriptorem* B *qualem eum initio hujus Commentarii depinximus, atque attendatur eum id adstruere in opere in cujus exordio se veracissimum et diligentissimum, etiam in minimis, fore profitetur, et quod nil nisi verissimum continere sub jurisjurandi sacramento affirmavit. Insuper quis facile credat virum hunc in re profecto valde momentosa, ubi, si fallat, gloria e magnis S.* Teresiæ *vaticiniis resultante spoliet Carmelum, donetque immerentem Ordinem Dominicanum; quis credat, inquam, Riberam leviter id asseverasse, nec impensa prævie diligenti opera ad investigandam veritatem, aut ullum ei dubium fuisse, quando simpliciter affirmabat esse Dominicanum qui S.* Teresiæ *apparuerat? Aut quid movere eum potuisset ad illam injustitiam? Num amor quo S.* Teresiam *ejusque Reformatum Ordinem prosequebatur? Num beneficia quæ per eam cœlitus se recepisse agnoscebat, et quæ eum induxerant ad mediis in seriis occupationibus senilique ætate celebrandam inclytæ benefactricis suæ virtutes et gloriam? Ergo tanta hic videtur scriptoris illius auctoritas ut refragari ei, præfracte rem asserenti juratoque, nemo possit, nisi rationes opponendas afferat omni exceptione majores. Attamen P. Fredericus, qui Yepesii opinionem* C *tenet, tam parum tentat refutare Riberam ut ne vel verborum ejus mentionem faciat.*

Argumenta pro Carmelo exhibentur;

1643 *Ad rem erit hic P. Frederici locum citare ubi conglobata argumenta exhibentur contra opinionem Riberæ.* Prophetica ista visio, *ait ille* (*lib.* IV, *cap.* V), si attendatur ad ea verba : « Ordo qui » fuit aliquantum deciduus », et ad constantem traditionem quæ inter nostros permansit, familiam spectat Carmelitanam; et ille Sanctus innominatus qui multis vicibus Sanctæ nostræ Matri apparuit, fuit celeber Siciliæ Thaumaturgus S. Albertus, cui ipsa erat devotissima. Id comprobatur ex antiquis picturis, in quibus Sanctus refertur cum emblematis Carmeli et cum libro in quo ipse Teresiæ indigitat hæc verba : « Futuris temporibus florebit » hæc Religio, multique erunt Martyres ex ea », aut alia non minus clara. Testimonium scriptoris S. Matri coævi, qualis erat Yepes, non potest non esse magni ponderis. Ipse itaque, postquam capite XVII libri III allegavit dictas Sanctæ voces (*tres eas revelationes scilicet*), addit : « Tacet Mater » ob justas quasdam rationes nomen Religionis » suæ; at scio ego eam ibi loqui de reformato » quem fundarat Ordine : quod verum esse per- » noscunt aliquot etiam hodie superstites sociæ » ejus. » In archivo provinciæ nostræ Viennensis D asservatur testimonium quod vir integerrimus P. Joannes Ludovicus ab Assumptione sub fide juramenti reliquit : in eo asseverat se ex ore virginis servæque Dei Annæ a S. Bartholomæo, cujus erat Antverpiæ confessarius, audivisse S. Matrem, cujus fidelis socia erat, cum fiducia ei aperuisse visionem, capite XL Vitæ suæ relatam, intelligi debere de Carmeli Religione. Insuper gratiarum actio quam Sanctus Teresiæ fecit de fusis ab illa pro suo Ordine precibus, idipsum confirmat; quippe cum negari nequeat nullum sane a Teresia Deo commendatum adeo fuisse Ordinem ac suum ipsius, eo quod rationi consentaneum erat ut illum præ cæteris omnibus adamaret cui primigenio suo splendori religiosæ perfectionis restituendo tantopere allaborarat.

AUCTORE V. D. M.

1644 *Has P. Frederici rationes singillatim ordine pensemus, omissa quarta, a testimonio deducta Yepesii, quam modo examinavi. Prima certe perimbecilla est, quippe cum ea non militet pro solo Carmeli Ordine, sed et pro omni alio qui circa medium sæculum* XVI *erat aut fuerat aliquantum deciduus :* algo caida, *ut Sancta ait. Atqui plures* E *tunc ejusmodi fuisse oppido notum est : neque ægre ferent PP. Dominicani modicam hanc notam antecessoribus suis inuri, ut inclyta quam quæ maxime S.* Teresiæ *vaticinia successoribus suis valeant arrogare. Quod attinet secundam, tertiam et quintam rationem, absit ut in dubium revocem quod Yepesius aliique affirmant, nempe suo tempore traditionem illam jam exstitisse. At ostensum fuit quale videatur fuisse ejus initium ac fundamentum. Quod si pictores tali traditioni adstipulati dicantur, leve huic pondus addunt; quoniam ipsi, non secus ac poetæ, quidlibet audendi sibi arrogant potestatem, ideoque non raro ansam præbent ut falsa enascatur traditio. Porro quoad P. Joannis Ludovici testimonium, subnixum testimonio Ven. Annæ a S. Bartholomæo, huic objectioni jam factum est satis, quantum scilicet pro probabilitatis gradu fieri potest; etenim etiam S.* Teresiæ *proles potuit non immunis esse a præjudicio ea qua dixi ratione. Tandem ad sextam P. Frederici rationem adverto nullum argumento illi inesse robur : non enim dicit Sancta eas revelationes pertinere ad Religionem pro qua magis orabat, sed pro qua orabat. Non est autem dubium quin S.* Teresia, *beneficiorum adeo memor, orarit pro Religione Dominicana, quæ tanto auxilio ei fuerat sive ad animæ culturam sive ad promovendam Reformationem. Ergo, his omnibus consideratis, Ribera, qui quinto a morte* Teresiæ *anno Vitam ejus se composuisse ait* (*in præf.*), *anteponi hic debet Yepesio, qui scripsit anno* 1606, *sive decimonono a Riberæ scriptione.* F

tiisque respondetur.

Nova argumenta pro Dominicanis :

1645 *Hac itaque lite, quod Riberæ et Yepesii testimonium spectat, discussa, aliud habeo quod addam ad confirmandam eam quam amplexus sum sententiam, non leve, ut mihi videtur, argumentum. Scilicet Sancta, si de suo ipsius Ordine sermo fuisset, majorem habuisset rationem nomen ejus promendi quam si de alieno fuisset actum : nam prophetiæ illæ magno fuissent proli suæ solatio et valido incitamento in famulatu Dei et ad currendam viam perfectionis. Præterea, si Sancta Annæ a S. Bartholomæo aut alii e monialibus suis aperuisset eas prophetias respicere reformatum suum Ordinem, vix fieri posse videtur, cum tot testimonium dixerint in causa canonizationis, ut nulla de hac interpretatione, titulo* prophetiæ, *mentio in Actis extaret. Denique ex iis ipsis Actis noscitur Sanctam præscivisse futurum ut* bini ordines SS. Dominici et Ignatii,

AUCTORE V. D. M.

Ignatii, ultimis Ecclesiæ temporibus maximo charitatis vinculo ligati, contra Antichristum pugnarent. *Quidni ergo cum binis his etiam Carmeli Ordo conjunctus hic fuerit, si notum fuisset exaratas a* Teresia *capite* XL *prophetias ad eum spectare?*

quibus accedit decretorium e MSS. canonizationis Actis;

1646 *Prophetia hæc de pugna adversus Antichristum, e jurato testimonio P. Bartholomæi Sanchez, trigesimi septimi testis in processu remissoriali Salmanticensi, inseritur Summario manuscripto nobis Roma transmisso et olim in processu canonizationis S.* Teresiæ *adhibito : quod Summarium, jam pluries hinc inde a me allegatum, paginas complectitur quinquaginta in folio, suoque involucro hæc verba superscripta habet :* R. P. D. Decano. Hispan. sive Ordinis Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmelo. Canonizationis B. Teresiæ. Facti et Juris. — In Rota . . . XV Junii 1615. Constare B. Teresiam habuisse donum prophetiæ ac gratiam discretionis spirituum. *Dum autem authenticum hoc documentum attente inspicio, speciatim notanda esse animadverto sequentia quæ ibi de Ill. Didaco Yepes, qua teste, habentur :* Postquam dixisset suam depositionem, nunc de novo dixit quod similiter dictus D. Episcopus produci fecit in lucem unum B librum de vita, virtutibus et miraculis d. Venerabilis Virginis Teresiæ de Jesu, quem imprimere fecit in civit. Cæsaraug. sub impressione Angeli Tabani, et illum dedicavit Sanctis. D. N. Paulo Papæ V anno MDCVI; quem etiam nobis ostendit : et, prout ex d. libro constat, dixit et declaravit in eo valde et per extensum totum id quod d. D. Episcopus scit et intellexit et ad ejus notitiam devenit circa vitam, virtutes et miracula dictæ Virginis Teresiæ de Jesu, et quod omnia quæ in d. ejus libro continentur, sunt vera, et illa scit et affirmat pro talibus, et affirmat de novo sub d. juramento. *Post quæ* (*ut etiam num.* 502 *annotavi*) *transcribitur caput* XVII *libri* III *Vitæ S.* Teresiæ : De sublimissimo prophetiæ dono quo S. Mater illustrata fuit, *totum et in extenso, sicut in impresso Yepesii opere extat; præterquam quod in medio capite* (*post narratam revelationem quam Sancta anno* 1571 *habuerat, de videndo a se progressu sui Ordinis*) *hæ phrases uno nexu et tenore conjunguntur :* Quo Teresia uberiorem consolationem acciperet, ostendit illi Dominus non modo successum Religionis, quem ipsa vivens intueretur, sed incrementum post ejus mortem accessurum. Exa- C ctis undecim annis obiit S. Mater, et Religionem conditam in utroque sexu et perfectione et numero cumulatam intuita est. *Ex quo patet mediam fere paginam in Summario MS. non reperiri quæ reperitur in impresso Yepesii libro, nimirum quidquid de prophetiis a Sancta num.* 9 *et* 10 *capitis* XL *Vitæ suæ relatis in impresso habetur : atque ita reapse melius cohærent Yepesii phrases, siquidem dicit Sanctam obiisse undecimo anno post narratam a se revelationem; id quod ad revelationem anni* 1571 *referendum est, non vero ad illam capitis* XL *Vitæ, quam Sancta diu ante annum* 1571 *descripserat. Aperte autem dicitur in manuscripto Yepesium hæc post impressum anno* 1606 *librum suum testatum fuisse; atque affirmat Nicolaus Antonius in Bibl. Hisp. nova eum decessisse anno* 1613, *ætatis* 83. *Quod hic ideo noto, ne quis credat ipsummet Yepesium id de prophetiis additamentum alteri libri sui editioni, quæ Ulyssipone anno* 1616 *facta est, inseruisse. Doleo quod neutra hæc mihi ad manum sit Yepesii editio, præsertim prior. Scire enim percupio num in hac editione desint, non secus ac in allegato Summario, viginti ferme illæ lineæ, sive omnia verba illa quæ hanc de qua agimus S.* Teresiæ *prophetiam Ordini Carmelitano adjudicant, abjudicantque Dominicano. Si enim hæc verba in prima Yepesii editione non reperirentur, ut ob manuscriptum, quod iis caret, suspicor* (*minime interim certum me professus*), *non leve sententiæ meæ accederet robur, et quidem, meo judicio, tantum, ut opinio quæ prius valde erat verisimilis, novi hujus argumenti accessione certissima evaderet. Quis enim explicet qui posterioribus Yepesii editionibus ea verba accreverint?* D

ita ut negligi possit objectio e concione Yepesii.

1647 *Nec operæ pretium duco animadvertere plura quæ in fine concionis Yepesianæ ad calcem libri* III *corripi possent; ubi hæc, saltem secundum editiones quæ penes me sunt, habentur :* S. Mater vidit, uti ipsa narrat (cap. XL Vitæ suæ), egregiam visionem qua multi religiosi oculis ejus sese offerebant, albis vestibus indutos, enses manibus tenentes, militum more; ac ei fuit significatum Ordinem illum religiosum Fidem Catholicam defensurum esse adversus inimicos suos. Quamvis non declararit quænam ea esset Religio, scio equidem suam fuisse ipsius. *Dicerem pro vexillis albis poni hic vestes albas, et pro capite* XXXVIII *caput* XL, *nisi constaret autographa Sanctæ scripta illam visionem Societati Jesu attribuere. Sed tædet hos furfures diutius discutere. Lubentiore animo, in* E *aliqualem dictorum confirmationem, memoro decreta Sacræ Rituum Congregationis edita diebus* XIX *Junii* 1840 *et* IX *Julii* 1843, *quibus constat S. D. N. Gregorium XVI propria manu signasse duplicem commissionem super introductione causæ beatificationis et canonizationis septuaginta Venerabilium Dei Servorum, qui nostris temporibus in imperio Sinarum ac regnis Tunquini et Cochinchinæ sanguinem pro Fide Catholica profuderunt; inter quos ex Ordine Prædicatorum numerantur duo episcopi et plures sacerdotes. Interim, huic disputationi quam vitare non bene pro officio potui, finem impositurus, declaro me in re dubia eam quidem sententiam præelegisse quæ mihi, plausibilibus utrinque argumentis ponderatis, plausibilior videtur; quin tamen velim aut ausim omnem contrariæ opinioni probabilitatem adimere aut aliis aliter opinandi licentiam interdicere. Neque enim partium studio ducor; sed nil aliud intendo quam ut suus sit veritati locus. Cæterum multis hujusce Commentarii locis abunde patefeci quanta quamque sincera æstimatione ferar in Carmelitanum, non minus quam in Dominicanum, Ordinem; qui uterque de Ecclesia Dei benemerentissimi fuerunt hodieque sunt, ac,* F *seposita etiam omni prophetia, certam spem faciunt fore ut non deficiant venturo ævo.*

§ LXXXIV. In epistola quinquagesima tomi quarti Sancta non invehitur in Societatem Jesu.

Male interpretata hæc epistola undequaque spargitur :

Jam ante summatim enumeravi perfidas artes quibus S. Teresiæ *scripta et nomen usurpata fuerunt ad convellendam prius in Hispania et dein per totum orbem Religionem Societatis Jesu; et singillatim demonstravi spuriam esse eam quæ S. Matri attributa fuit, prophetiam de Ordinis illius excidio. Nunc ad reliqua mendacia contundenda propero, adhibiturus potissimum dissertationes Montoyæ, cum selectu tamen argumentorum, et prolixitatem illarum contrahendo, ne longior sim quam sinit operis nostri ratio. Attamen seriam neque adeo brevem disquisitionem impendam*

A *impendam genuino investigando sensui epistolæ quinquagesimæ tomi quarti : nam ex una parte constat a S.* Teresia *eam esse exaratam, utpote cujus autographum exemplar in cathedrali ecclesia Palentina conservatur debitoque sacris Reliquiis cultu honoratur; et ex altera parte negari non potest ad primum conspectum videri illic Sanctam amaros questus promere, sin de universa Societate Jesu, ut multi volunt, saltem de aliquibus ejus hominibus, ut epistolam illam interpretando olim censuit P. Fredericus, qui, deceptus corrupta qua utebatur italica traductione, intellectum epistolæ illius assecutus non est. Adhæc illi qui, post editum P. Frederici librum, Ignatianæ familiæ ruinam meditabantur et moliebantur, seorsim hanc epistolam anno* 1759 *ediderunt, et quidem pluribus in ea vocibus ad excitandum in Societatem odium mutatis : atque ita corruptæ ejus innumera sparserunt etiam extra Hispaniam exemplaria. Intendebant nempe populo persuadere S.* Teresiam *execratam aliquando fuisse Jesuitas, et proin hos dignos esse quos omnes catholici execrarentur, judicium secuti honoratissimæ et perspicacissimæ S.* Teresiæ.

inserta quoque encyclicis Burgensibus et causæ Palafoxianæ :

B 1649 *Dehinc Burgensis archiepiscopus anno* 1769, *in publicis ad suos diœcesanos encyclicis litteris, valide usus est hujus epistolæ argumento ad idem populo imponendum, nimirum S.* Teresiam *in fine vitæ suæ aversatam fuisse Jesuitas : quod et P. Antonius a S. Josepho asseverare conatus est, acribus quibusdam, licet ad speciem temperatis, in Societatis viros scommatis suas ad illam epistolam annotationes aspergens, prout ex indice quarti voluminis apparet, ubi, ad verbum* Jesuitas, *suarum annotationum compendium ita exhibet :* Veram intentant illi inimicitiam S. Matri. Cicunt in illam multa falsa testimonia. Sine ambagibus dicit Sancta eos mentiri. Conantur prohibere benefactores a congressu Teresiæ, ne hæc eorum animos sibi afficiat sua filiarumque suarum oratione. Sancta cupit ut dissidia amice componantur et ut habeant illi Patres rationem veritatis et æquitatis. Dolet Sancta graves id genus viros nugis adhærere. *Præterea in causa beatificationis Joannis Palafox etiam hæc allata est epistola simul cum prophetia a me paragrapho superiore refutata, et cum aliis epistolis S. Carolo Borromæo et S. Joanni a Cruce falso adscriptis, aut saltem male intellectis (super quibus vide Montoyam, Append. ad diss.* 1). *D. Camillus*

C *Blasius, advocatus Romanus, in libro cui titulus :* Sacra Rituum congregatione coram SS. D. N. Clem. Papa XIV. Oxomens. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis de Palafox et Mendoza. . . Restrictus Responsionis ad Animadversiones R. P. D. S. Fidei Promotoris, una cum Summario additionali super dubio : An constet de virtutibus, etc. 1771, *inseruit omnes prædictas epistolas, hunc titulum præfigendo numero* 15 *Summarii :* S. Carolus Borromæus, S. Teresia et S. Joannes a Cruce in suis epistolis Jesuitarum abusus exaggerant. *Ratio inserendi huic Summario tales litteras videtur fuisse ut probaretur impedimento esse non debere beatificationi Palafoxii ea quæ hic aliquando adversum Societatem scripserat; quippe cum similia in Societatem scripta non impediissent canonizationem trium illorum Sanctorum.*

quam proin expendere necesse est.

1650 *Ex his igitur patet brevem hanc epistolam, sed qua Societatis hostes vehementer abusi sunt, dignissimam esse cujus sensus accurate investigetur, et quis verus sit, luculenter demonstretur. Nec tamen tempus teram refutando falsarium quemdam qui, anno* 1759 *hanc epistolam edens, veritus non est ejus verba mutare sensumque adulterare (quamvis in pagellæ inscriptione jactaret se fideliter transcripsisse), atque ea loca charactere typorum, ut dicitur, italico spectatiora reddere quæ Societati Jesu, adeo tunc temporis afflictæ et pessumdatæ, prævidebat posse nocere magis. Hæc, repeto, non attingam, quia vilia istiusmodi folia ventus rapit tempusque delet. Verum serio discutiam interpretationem P. Frederici, et multo adhuc magis P. Antonii, qui posteriora Epistolarum volumina edidit notisque auxit, ac P. Valerii a S. Laurentio, qui eamdem epistolam italice vertit. Quo melius lector discernat justumne sit meum quod adhibebo ratiocinium, ejus oculis hanc quam disserturus sum epistolam latine simul et hispanice subjicio. Desumpsi hanc e tomo quarto Epistolarum, ubi conformis esse dicitur autographo Palentino : atque revera eam consonare invenio traductioni ejus italicæ quæ est apud Montoyam (diss.* I, *cap.* I, § 1), *et quam ipse fecerat ex apographo quod sub fide notarii publici Palentia acciverat; excepta tamen voce* dice *pro* dicen.

AUCTORE V. D. M.

D

Exhibetur ejus textus hispanice

1651. Jesus. La gracia del Espiritu Santo sea con Vmd. Siempre que veo carta suya, me consuela, y dá pena no poder descansar muchas veces con hacer esto. Yá sé que Vmd. lo tiene entendido, y con todo me pesa de no poder mas. Por esa carta E que ahí vá, que amosará (*lege* mostrará) á Vm. la Madre Priora, que escribo al Padre Retor Juan del Aguila, verá Vm. algo de lo que passa de la Compañia, que verdaderamente parece comienzan enemistad formada; y fundala el demonio con echarme culpas por lo que me habian de agradecer, con testimonios bien grandes, que de ellos mesmos podrian dar testigos en algunos (todo vá á parar en estos negros intereses) que dice (*vel* dicen) que quise y que procuré; y harto es no decir que pensé: y como yo creo que ellos dirán mentira, veo claro que el demonio debe andar en este enriedo (*i. e.* enredo). Ahora dixeron á Cathalina de Tolosa, que porque no se les pegasse nuestra oracion, no querian tratassen con las Descalzas. Mucho le debe ir á el demonio en desavenirnos, pues tanta priessa se dá. Tambien la dixeron que venia acá su General, que era desembarcado. Héme acordado que es amigo del señor Don Francisco : si por aquí se pudiese deshacer esta trama, y poner silencio con enterarse en la verdad, seria gran servicio de Dios; porque para gente tan grave tratar de niñerias de tal suerte, es lastima. Vmd. lo verá, y conforme á lo que le pareciere, porná remedio. Ya ternán á F Vmd. bien cansado essos papeles : suplico á Vm. me los embíe, en hallando cosa muy segura en todo caso, y me encomiende á nuestro Señor. Su Magestad guarde á Vmd. como yo le suplico, amen. Son hoy xx de Mayo. Al señor Don Francisco y á essas señoras tias de Vm. beso las manos de sus mrds : Indigna sierva de Vmd. Teresa de Jesus.

et latine :

1652 Jesus. Gratia S. Spiritus sit tecum. Quoties litteras tuas accipio, solatium sentio, et grave mihi accidit quod illis me sæpe levare nequeam. Jam novi te id intelligere, et tamen mihi dolet id contingere tam raro. Ex hacce mea epistola quam tibi ostendet Mater Priorissa, quæque destinata est Patri Rectori Joanni del Aguila, intelliges aliquid ejus quod fit de Societate : nam revera apparet seriam eos incipere inimicitiam; hancque fundat dæmon conjiciendo in me culpas ob res de quibus mihi alte et aperte gratificari deberent, utpote cum inter eas sint de quibus ipsi testes esse possint (redeunt cuncta ad nigrum illum amorem privatæ utilitatis); dicunt enim quid intenderim, quid procurarim, multumque est non dici quid cogitarim : et cum credam fore ut ipsi mentiantur, perspicue

AUCTORE V. D. M.

A video dæmonem debere se immiscere illis tricis. Dixerunt modo Catharinæ de Tolosa, ne bene afficiantur ob nostram orandi rationem, nolle se ut cum Excalceatis agant. Multum debet dæmonis, ut nos disjungat, interesse, cum tantopere id urgeat. Dixerunt ei etiam venire huc suum Generalem jamque navi exscendisse. Memini illum amicum esse Domino Francisco : si ea ratione dissolvi posset ea techna, silentiumque imponi instruendo verum, ex obsequio divino id summopere foret. Dolendum namque est quod homines tam graves istiusmodi nugis occupentur. Dispicies, et, quod videbitur, remedium afferes. Hæ chartulæ te utique jam fatigatum tenent. Rogo certa via eas expedias, ac me Deo commendes. Deus te custodiat : quod ego ab eo precor. Amen. Est dies xx Maji. Saluto Dominum Franciscum et Dominas amitas tuas. Indigna tua famula, Teresia a Jesu.

ac vocula indicatur qua abutuntur Societatis inimici;

1653 *Præcipuus ad rectam hujus epistolæ intelligentiam rei cardo versatur in bene interpretanda amphibologica voce* de, *quæ in hac phrasi reperitur :* Verá Vm. algo de lo que passa de la Compañia; *et hæc vocula germen fuit tantarum disceptationum et occasio maximarum in Societatem Jesu injuriarum.*

B *Nimirum detractores hujus religiosi Ordinis volunt verba illa denotare Societatem agentem, non patientem; molestias alteri excitantem, non vero eas ab altero sibi excitatas perferentem : sicque traducunt ea verba :* Intelliges aliquid ejus quod fit a Societate; *ita ut querelæ omnes quas in epistolæ decursu* Teresia *congerit, in Societatem cadant. Atque his ita versis et intellectis superstruunt multas et magnas in Societatem calumnias, avaritiæ, duplicitatis, repetundarum, etc. : quodque pejus est, has criminationes in ore ponunt S.* Teresiæ, *uti videre est in encyclicis archiepiscopi Burgensis, in notis hispanicis P. Antonii a S. Josepho, ac præsertim in notis italicis P. Valerii a S. Laurentio. Hi enim omnes hac occasione vela pandunt orationis, invehunturque in S. Ignatii familiam. Inter alia sequentis flagitii hanc insimulant.* Jesuitæ, *inquiunt hi epistolarum interpretes,* vexabant Catharinam de Tolosa, quia Burgensi Carmelitanarum domui partem donatura erat fortunarum suarum, quas ante testamento applicuerat eorum collegio; et confessarii ejus, qui ex hoc collegio erant, torquebant conscientiam piæ fœminæ, dicentes invalidam esse posteriorem illam Carmelo factam donationem,

C dum Teresia, quæ theologia plus valebat quam isti, in animo Catharinæ refellebat domi opinionis commentum, quo, in tribunali Sacramenti Pœnitentiæ, Jesuitæ, indecora moti cupiditate, conabantur eam imbuere. Volebat Catharina, *ait archiepiscopus Burgensis* (*numero* 522 *litterarum suarum encyclicarum*), bona sua elargiri pauperi Burgensium Carmelitanarum domo. At Jesuitæ, rati, eo quod Catharina sua esset pœnitens, debere et sua esse ejus bona, tantis apud matronam illam infecerunt S. Teresiam calumniis, et circa ejus doctrinam, et circa ejus orandi modum, et circa vivendi ejus rationem, ut nil pejus proferri posset de illusa infamique maxime fœmina. *Ni disculpanda foret Societas, puderet hujusmodi sarcasmos afferre quibus illi gratis impetebant religiosum Ordinem, male nitentes una epistolæ Teresianæ clausula, quam perperam interpretabantur, ut palam fiet, cum demonstravero S.* Teresiam, *eo præsertim tempore quo hanc scripsit epistolam, de Societate Jesu nec conquestam esse nec ullam conquerendi habuisse rationem, contra vero eam, pro optima sua indole, gratissimam se præbuisse Societati Jesu ob præstita sibi in fundatione Burgensi officia.*

ejusque sensus ostenditur ab exemplo.

1654 *At, prusquam demonstrem Sanctæ tunc, ut semper, cum Societate bene fuisse, et proin ejus illic questus non versari circa Societatem, sed a S. Matre significari ea epistola Societatem Jesu, quæ tantopere Reformationi favebat, secum et sui causa Burgis a Reformati Carmeli adversariis impeti* (*quid enim usitatius quam ut adversarii alicujus in hujus quoque fautores iracundiam evomant?*), *priusquam, inquam, id demonstrem, probabo, ab uno paris constructionis in qua particula* de *eodem sumenda sensu est obvio primum exemplo, relictis multis aliis similibus exemplis, interpretationem quam tueor, genuinam esse nec recedere ab usitato* Teresiæ *loquendi modo et ratione. En exemplum. Angelus Salazar, Carmelita Calceatus, sed Excalceatorum utriusque sexus vicarius, in mandatis anno* 1579 Teresiæ *dederat ut Abula Malagonem tenderet, virginum Excalceatarum illic præfecturam gestura, non tam id exigente monasterii necessitate quam* Teresiæ *longius abs se ablegandæ causa : provinciam illam* Teresia, *jam senio fatiscens, scriptis ad vicarium litteris deprecata est; ejusque mandatum ad Hieronymum Gratianum epistolæ quam ad illum scripsit inclusum misit. Est* D

E *hæc epistola* 25 *tomi I, ubi de sua Malagonem ablegatione loquitur his verbis :* Por essa carta verá V. P. lo que se ordena de la pobre vejezuela : Per adjunctas litteras cognosces quid statuatur de paupere vetula. *Quis adeo sit imperitus, ut ea verba sic vertat :* Quid a paupere vetula statuatur? *Rogatum deinde quemvis velim, an non tantumdem dictura fuisset* Teresia, *si, omissa voce* ordena, *usa fuisset hac phrasi :* Por essa carta verá V. P. lo que se passa de la probre vejezuela. *Jam vero verba hæc procul dubio sic vertenda sunt :* Per adjunctas litteras cognosces quid fiat de paupere vetula. *Cur ergo non et hæc :* Verá Vm. algo de lo que passa de la Compañia, *ad hunc modum :* Intelliges aliquid ejus quod fit de Societate?

Probatur Teresia *de Societate non queri e circumstantiis loci et temporis,*

1655 *Probabo modo eos questus nullatenus spectare aut spectare posse Societatem Jesu :* 1° *e temporis locique circumstantiis quibus illa epistola scripta fuit,* 2° *e pluribus hujus clausulis,* 3° *e genio viri ad quem destinabatur. Quoad primum, Montoya solide demonstrat* (*diss.* I, *cap.* I, § III) *scriptam esse eam epistolam anno* 1582 *ex civitate Burgensi. Sed opus mihi non est hic ejus evolvere ratiocinium, cum P. Antonius a S. Josepho cæterique utrumque hoc admittant, et tempus scilicet et locum. Atqui* F *constat Sanctam tunc questam non fuisse de Societatis hominibus : nam paulo ante, id est sex ante scriptas eas litteras hebdomadis, die* IX *Aprilis consummata fuerat fundatio Burgensis, ad quam et parandam et perficiendam Societas tam valide S.* Teresiæ *auxiliata fuerat. Non solum hoc affirmat Yepes* (*lib.* II, *cap.* XXXIII), *dicens Societatis viros toto sexennio instigasse* Teresiam *ad fundandam Burgis domum, et P. Fredericus, qui* (*lib.* II, *cap.* XLII) *confitetur Patres Societatis, bene de S.* Teresia *usque meritos, una cum pia matrona Catharina de Tolosa non cessasse urgere eam de Burgensi fundatione tractationem; sed ipsamet S. Mater cap.* XXIX *Fundationum suarum, ubi de Palentina agit, disertis verbis testatur se a P. Ripalda e Societate Jesu* (*cujus consilium se pro divino ait habuisse*) *et a P. Balthasare Alvarez ejusdem Societatis inductam fuisse ad promovendam utramque fundationem, et Palentinam et Burgensem; quamvis* (*quod notari meretur*) *utramque eam improbaret Gratianus. Atque adhuc disertius suam tunc temporis cum Societate Jesu consensionem declarat cap.* XXXI, *ubi de Burgensi fundatione sic ait :* Jam sexennium et amplius effluxerat,

effluxerat, ex quo quidam e Societate Jesu viri cumprimis religiosi, senio, litteris et spiritu commendabiles, mihi dixere non mediocriter ad Domini gloriam et obsequium futurum, si quoddam Sacri hujus Ordinis cœnobium in civitate Burgensi erigeretur. Aliquot ad hoc quoque depromebant rationes, quæ me ad id ipsum desiderandum non parum impellebant. Verum, quod et Ordo ipse diversimode exagitatus et ego aliis fundationibus distenta essem, commodam rei hujus perficiendæ occasionem non habueram. *Adverti autem debet hanc fundationis Burgensis relationem scriptam esse post* IX *Aprilis* 1582, *quippe cum hac tantum die ea perfecta fuerit, adeoque eo fere tempore fuisse scriptam quo missa est epistola ad Reynosium. Quis ergo credat tam acrem a Sancta factam esse in Societatem invectionem eo ipso fere tempore quo cum laude de ipsa loquebatur? Neque ulla occurrit ratio suspicandi Sanctæ mentem tam subito fuisse mutatam.*

auctoritate invocata Chronici,

1656 *Audi denique P. Franciscum a S. Maria, qui in Chronico* (*lib.* V, *cap.* XXV, *num* 1 *et* 2) *hæc habet :* Burgensis quidam e Societate Jesu Pater viam stravit ad eam fundationem. Hic noscebat præcipuam quamdam ac ditissimam matronam, Catharinam de Tolosa, quæ vidua erat cum filiabus quinque ac filiis duobus, religiosam vitam cogitantibus; persuasitque ei ut quinquies mille aureos e suo adhiberet ad cœnobium Carmelo parandum, ubi Deo serviretur in spiritu et veritate. Placuit propositum, rogavitque Catharina ut Pater scriberet ad S. Teresiam : quod et præstitit hic anno MDLXXVII. Cumque Sancta non sat celeriter responderet, idem P. Ripalda iterum, calamo usus Matris Mariæ Baptistæ, priorissæ Vallisoletanæ, institit apud Sanctam, quæ respondit in vernum rem differendam esse, quam bene successuram sperabat, si moræ traherentur turbato hoc rerum statu.... Quando autem Deus et Ordini pacem et S. Matri plenam fundandi libertatem dederat, hæc infirma valetudine aliisque impedimentis Vallisoleti retinebatur. Interim tamen etiam atque etiam rogabatur a D. Alvaro de Mendoza fundationem Palentinam, et a Patribus Societatis Jesu Burgensem. *Quam tandem utramque S. Mater, jussu Dei illi apparentis, revera admisit. Ergo singulare nec leve est molimen æmulorum Societatis, qui persuadere mundo volunt S.* Teresiam *amaris eis querelis quibus scatet epistola ad Reynosium, impetere Societatem, dum ipsa Sancta, illustres ejus biographi Ordinisque æstimatissimus historiographus unanimi consensu Societatem laudibus cumulant ut strenuos promotores faciendæ Burgis fundationis.*

et e qualitate viri ad quem scribebat,

1657 *Neque temporis et loci dumtaxat circumstantiæ obsunt quominus Sancta in ea epistola de Societate queratur, sed et viri ad quem scribebat. Erat enim Reynosius Societatis amantissimus, ut testatur P. Ludovicus de Ponte in Vita P. Balthasaris Alvarez* (*cap.* XXXVII); *ferturque collegio Palentino S. J. liberalitate ac munificentia sua diu et sæpe succurrisse. Crasse ergo imprudens fuisset celebrata adeo prudentiæ laude* Teresia, *si Reynosio, obsequentissimo beneficentissimoque Societatis amico, acrem adeo in eum Ordinem dedisset epistolam; atque eo crassius fuisset imprudens, quod ipsa* Teresia *obstricta esset Reynosio ob plura ab ipso sibi præstita obsequia in fundatione Palentina, ut testatur tom. II, epist.* 45, *num.* 6, *ac Fundationum cap.* XXIX, *num.* 4 *et* 5, *ubi eum appellat servum Dei virumque sanctum. Non fallebat sane sagacem cautamque* Teresiam *Reynosium facile vindicaturum fuisse dilectos suos Jesuitas ab ejus criminationibus, suum ab ea ejusque Instituto favorem retrahendo. Ergo et inde conficitur Sanctam illic in alios quam in Societatem invehi.*

AUCTORE V. D. M.

1658 *Ast hoc adhuc certius constabit perpendenti plures epistolæ illius clausulas, quarum paucas attigisse sufficiet. Præteribo injuriosam dictæ epistolæ interpretationem, qua plures duris contumeliosisque verbis traducunt Societatis homines ut aucupatos pinguem Catharinæ hæreditatem, dum S. Ignatii Institutum filiis suis severe vetat, non tantum admittere legata confidentialia aut in se sumere testamenti executionem* (*Constit. S. J. part.* VI, *cap.* III, § VII, *et Congr.* XII, *decr.* XXXVIII), *sed etiam suadere ulli externo ut Societati potius quam aliis pauperibus det eleemosynas* (*Congr.* II, *decr.* LVI); *hæc, inquam, præteribo, quamquam certe crimen quod S. Pater Ignatius tam severe vetuerat, e charitatis justitiæque legibus asseri non debet a filiis ejus commissum, quamdiu benigna interpretatio eos valet excusare. Verum, obtestor, qua ratione* Teresia *dixerit sacra auri fame eos ipsos Jesuitas motos, qui Catharinæ persuaserant ut collatis quinque millibus aureorum curaret erigendam Burgis Carmeliticam domum? Quod citato loco Chronicum sic affirmat :* Un Padre de la Compañia, morador de Burgos, le persuadió que segregando de su hacienda cinco mil ducados, hiciesse un convento de la nueva Reforma. *Ad hæc plus vice simplici Sancta experta fuerat Societatem ita sibi obsequentem. Ejusmodi facti mentionem facit Sancta tom. II, epist.* 22, *num.* 5. *Dein non magis verisimile est beneficii memorem Virginem has in Societatem intorsisse voces :* Credo eos dicturos mendacium (Yo creo que ellos dirán mentira), *duraque alia quæ epistola illa continet verba. Nam in libro Fundationum, cap.* XXXI, *num.* 25, (*quod caput, ut dixi, eodem fere tempore scriptum est quo epistola ad Reynosium*) *Sancta de Societate loquitur omnino aliter, dicens Ordinem suum Ordini S. Ignatii semper valde fuisse obstrictum. Sinceritas autem S. Matris, si aliunde nota non esset, proderet sese sufficienter eodem Fundationum capite : de archiepiscopo enim Burgensi, qui Carmeli in sua urbe fundationem percupere se, licet continuos ei obices opponeret, dictitabat, sic ait Sancta :* Id equidem credo; nam tam bonus erat Christianus ut nil nisi verum protulisset. *Demum quæ veri species ut Patres Societatis noluerint Catharinam agere cum Carmelitanis quas eorum suasu matrona hæc accierat? Atque id eo magis mirum foret quod nulla afferatur causa cur illi ipsi qui tamdiu omnem moverant lapidem ut Burgis domus erigeretur, et qui induxerant Catharinam ad requisitam fundationis summam suppeditandam, cur, inquam, illi tam subito fuissent alienato animo ab omnibus quæ* Teresiam Teresiæque *familiam spectabant. Rem satis una hac argumentatione in patulo positam ratus, omitto alia argumenta, quantumvis probabilia, quæ facile ex aliis circumstantiis hauriri possent.*

ac e pluribus epistolæ clausulis.

De Calceatis vero ibi queri Sanctam probatur e circumstantiis Teresianæ historiæ;

1659 *At, dicet forte quis, e dictis fatendum quidem est rerum adjuncta pluresque dictæ epistolæ phrases in Societatem Jesu non apte quadrare; nihilominus tamen Societatem non ponit plene extra causam, nisi demonstretur in quem magis Ordinem ea* Teresiæ *invectio cadere possit. Ad id, invitus licet, et percupidus parcendi religioso cuicumque Ordini, ac præ cæteris Carmelitano, qui tanto cum decore fructuque Europam aliasque mundi partes virtutibus suis et apostolicis laboribus complevit, ad id, inquam, ut suus veritati sit locus, cogor respondere eam S.* Teresiæ *invectionem incidere in Carmelum Calceatum. Atque id facile cuicumque mecum persuasum erit consideranti Sanctam sæpe in*

AUCTORE V. D. M.

A *in scriptis suis, præsertim in epistolis, queri de prisci Carmeli Patribus, ac speciatim de Ordinis in Hispania superioribus, et quidem eodem pluries modo ac iisdem prope verbis quibus utitur in sua ad Reynosium epistola. Quod superiores attinet qui in Italia degebant, hi de rerum statu male instructi, iis initiis specie recti decipi facile potuerunt; excusabilemque fuisse eorum errorem, vel inde patet quod ab ipsa S. Matre magnis encomiis celebrata sit præclara virtus tum Generalis Præpositi Rubei tum plurium aliorum e Calceatis superiorum : qui ipsimet primum favebant Reformationi, donec incauta quædam dicta aut facta PP. Mariani et Gratiani ac visitatoris apostolici Vargas nonnullorum zelotypiæ ansam præbuerint carpendæ Reformationis; ne quid dicam de involuntario ipsiusmet S. Matris errore, quæ conventum erexerat in oppido Veasensi, quod nesciebat situm esse in Andalusia, ubi condendi domos sibi a Generali non fuerat facta copia. Ea ratione e levibus aliquot scintillis magnum prorupit incendium, ac infelici rerum concursu vehementiores animorum excitati sunt motus. Igitur, dum revereor Ordinem prisci Carmeli et facile excuso agendi modum Præpositi Generalis, particularia magis aliorum facta criminabor; quorum auctoribus vix aut ne vix quidem excusationi potest esse locus. Quo autem brevior sim minusque inhæream gratæ parum materiæ, solummodo indicabo pauca quædam e pluribus loca, ubi lector talia facta recensita inveniet, si forte libuerit illa adire : v. g. Fundationum cap.* XXVII, *num.* 10 *et* 11; *tom. I, epist.* 13, 17 *et* 51; *tom. III, epist.* 84 : *ubi, inter alia multa, mentio fit, juxta ipsiusmet Sanctæ verba, et de bello a diabolo in Excalceatos excitato, et de conatu adversariorum,* Teresiam *ad Indianas partes relegare volentium, et de tanto malevolorum in Reformatum Carmelum impetu ut multæ legiones dæmonum hunc una assilire velle viderentur. Neque ab hoc argumento aliena sunt quæ tum ex ipsius* Teresiæ *narratione tum ex aliis documentis retulimus de Nuntio apostolico Sega; cui, antequam Roma discesserat, quidam insusurrarant multas adversum Excalceatos insimulationes, quasi perturbarent hi pacem sui Ordinis atque in ipsum Ordinem rebelles essent sub specie ejus reformandi : unde sævissima secuta est sub hoc Nuntio in Sanctam ejusque Excalceatos vexatio, Calceatis nonnullis exitium Reformationis Teresianæ per summam vim et injuriam machinantibus* (*vide* § XL *et seqq.*).

C *ita ut illic non impetat alium religiosum Ordinem.*

1660 *Multis aliis argumentis afferendis supersedeo, quale illud est quod ea tempestate sub Everardi Mercuriani, Societatis Jesu Præpositi, generalatu numquam actum fuerit ut ille, relicta Roma, in Hispaniam abiret; dum ex adverso rumor ille aliqua cum veri specie de Generali Carmelitarum spargi potuerit, et ob institutum tunc temporis ab eo Genuam versus iter, et ob plausibilem rationem sedandorum in Hispania Carmeli dissidiorum, et ob simile in Hispaniam iter aliquot ante annis a Generali Rubeo susceptum. His, inquam, relictis, argumenta quæ supra collegi, luculente sane demonstrant quam violenta fuerit illa in Excalceatos persecutio, quæ grassata est non solum inter monasteriorum septa, sed quæ et divulgata fuit, ac quodammodo deducta ad forum contentiosum, modo ad tribunal Nuntii in Hispania, modo ad Congregationem Regularium Romæ, modo ad magnum consilium Castellæ, ad Philippum II, ad Summos Pontifices Pium V et Gregorium XIII, etc. Unde consequens est, quoties in epistolis Teresianis acres querelæ reperiuntur contra religiosos qui non nominantur, judicari posse toties de Calceatis agi. Leves enim et paucæ quas Sancta passa est ab aliis Ordinibus querendi ra-* D *tiones, præ illis gravioribus, evanescunt quodammodo, neque dissidii nomen merentur. Quippe raræ dissentiones hæ proveniebant a privatis religiosis, erantque circa particulares res et a paucis cognitæ, ac brevi amice componebantur : uti bis aut ter cum viris e Societate Jesu factum est, videlicet cum provinciali P. Joanne Suarez super transitu P. Gasparis de Salazar e Societate ad Carmelum Reformatum, cum P. Olea super admittenda novitia, et cum tertio quodam super simili negotio.*

Quare nauci faciendæ sunt objectæ Gratiani notæ, ac supersederi potest omni alii explanationi.

1661 *Demum, quod P. Antonius a S. Josepho* (*tom. IV, epist.* 50, *not.* 6) *asserit, nempe P. Gratianum in margine exemplaris operis Riberiani exarasse additiones quasdam in quibus ipse quoque notat malam eam agendi rationem Jesuitarum respectu* Teresiæ *in fundatione Burgensi, id subruere minime valet solida quæ conglobavi argumenta. Imprimis enim non constat de additionum illarum authenticitate, et quamvis dicatur magna cura eas asservari in archivo diffinitorii generalis Carmelitarum Excalceatorum Madriti, id movere nos parum debet; quia idipsum dicebatur de prophetia S.* Teresiæ *adscripta, quam refelli* § LXXXIII, *et* E *quæ reperiri affirmabatur in epistola ad Gratianum destinata. Hæ igitur additiones, non secus ac illa epistola, possunt esse opus confectum alia manu. Sed ponamus eas revera esse scriptas a P. Gratiano : num auctoritas Gratiani eam vim habeat ut elidat invicta quæ congessi argumenta? Ne quid dicam de posterioribus Gratiani defectibus quos historia ei exprobrat, jam ante fundationem Burgensem in eo notarat perspicax* Teresia *id vitii ob quod solum plenus non deberet adhiberi assensus relationi ejus : de defectu loquor* non dicendi veritatem in omnibus, *circa quem S. Mater tam suaviter ac diserte eum admonet epistola* 74 *tomi IV* (*vide num.* 842). *Meum igitur thema sat demonstratum ratus, alium interpretandi hanc epistolam modum missum facio, quo scilicet hispanicæ illæ voces :* de la Compañia, *intelligi posse perhibentur de familia Calceatorum, quasi Sancta dixerit :* Intelliges aliquid ejus quod fit a Carmelo Calceato. *Quamvis illa interpretatio P. Montoyæ non displiceat, arbitror ea magis infirmatum quam confirmatum iri causam, quam priore ratiocinio plene me jam dilucidasse confido.*

F

§ LXXXV. Reprehenduntur plura in editionibus hactenus factis tertii et quarti tomi Epistolarum, speciatim quoad Societatem Jesu et quoad P. Hieronymum Gratianum.

In iis tomis, quod Epistolas attinet, quædam sunt male addita,

Maculas quasdam quæ reperiuntur in utraque earum Epistolarum Madritensi editione anni 1771 *et* 1793, *et præcipue in versione italica anno* 1775 *a P. Valerio a S. Laurentio Florentiæ facta, carptim indicabo, tum quia exemplaria harum editionum, magno circumlata numero* (*neque enim aliæ existunt*), *lædunt aliquibus locis veritatem et ipsum etiam S.* Teresiæ *honorem, tum ut, si quando hæ epistolæ rursus prelo subjiciantur seu vernaculе seu in aliud conversæ idioma, maculæ illæ abstergantur : quod levi conatu facilique negotio potest effici. Primum itaque*

A *itaque varia congeram exempla quibus constet non-nulla esse in ipsis epistolis male ordinata et omissa ac truncata, imo forte quædam non esse authentica. Dein plura redarguam in adjectis ad epistolas illas a PP. Antonio et Valerio annotationibus. Quod epistolas attinet, observo sequentia. Imprimis, dum alia, ut mox dicam, desiderantur, alia ibi nimia sunt. Titulus v. g. editioni hispanæ præfixus hic est:* Epistolæ S. Teresiæ a Jesu... cum annotationibus, *etc.; proin nil præter hæc, epistolas nempe et annotationes, inseri debuisset : epistola tamen* 81 *tomi III annexum habet numerum* 9, *eisdem quibus epistolæ typis cusum, licet a* Teresia *non sit, sed a P. Doria.*

alia omissa, 1663 *Omissa vero plura sunt, et speciatim talia quæ Societatis Jesu laudem continent. Pro exemplo sit epistola ad Moyam, de qua ante et ob argumenti momentum et ob probabilia aut potius certa authenticitatis argumenta operose egi. Hanc, a Ven. Nierembergio exhibitam cum testificationibus fide dignissimis, editores novarum epistolarum non admiserunt, etsi admiserint alias multas quarum autographa non extant, sed quas referunt ex scriptoribus probatis. Adhæc Burgensis archiepiscopus* (*num.* 517 *encyclicarum*
B *suarum*) *cum questos dixisset Jesuitas Pozam, Baezam, Pinedam et Salazar, quod in prioribus tomis suppressa essent multa encomia Societatis, fatetur ipsemet reapse suppressa, quamvis ludificando adjiciat id factum fuisse sine malitia et sine magno Jesuitarum damno. Cum autem pauca Societatis elogia reperire sit inter* 87 *tomi quarti fragmenta, sequitur plura etiamnum manere suppressa. Dein, ipso fatente P. Antonio, dempta est epistola ad equitem quemdam Salmanticensem* (*not.* 13 *ad ep.* 48 *tom. III*); *demptæ tres ad Rochum de Huerta* (*not.* 20 *ad epist.* 52 *tom. III*); *item duæ ad Joannem Ovallium, in quarum altera agitur de incarceratione S. Joannis a Cruce sociique ejus* (*not.* 11 *et* 12 *ad epist.* 44 *tom. IV*); *item aliæ duæ ad Joannam de Ahumada* (*not.* 14 *et* 16 *ad ep.* 42 *tom. IV*). *Et tamen P. Antonius proclamat* (*not.* 8 *ad ep.* 41 *tom. IV*) S. Matris epistolas compendio esse omnibus, dispendio nullis, *et archiepiscopus Burgensis* (*num.* 537 *encyclicæ suæ epistolæ*) quasque S. Teresiæ litteras lapidem esse pretiosum, nec demi e scriptis ejus debere vel unum iota; deficere secus bonam fidem, impingique in malam : quod omnes, multo vero maxime
C religiosos, dedecet! *Ecce jam alios editionis hispanæ nævos.*

et alia male ordinata : 1664 *Epistolæ* 28 *tomi III annectuntur novem fragmenta a numero* 8 *ad* 17, *eo quod, ait P. Antonius, ad eumdem P. Gratianum eodemque tempore scripta sint. Hac ratione quam plurima e* 87 *fragmentis tomi quarti debuissent aliis adjungi epistolis. Præterea epistola* 56 *tomi IV tres complectitur epistolas quæ nullo respectu sibi cohærent, seu tempus spectes quo scriptæ sunt, seu argumentum quod tractant, seu eos ad quos destinantur. Denique inter recensita tomo quarto fragmenta plures integræ sunt epistolæ, v. g.* 1, 2, 3, 52, 60, 62, 69 *aliaque, quibus nil deest quam clausula :* Gratia Spiritus Sancti tecum sit semper, *aut alia huic similis, quam utique apponere licuisset, siquidem plura adduntur verba ad fragmenta* 33, 34, 65 *et* 66. *Contra vero inter epistolas ponitur undecima tomi III, quæ pars tantum est epistolæ, et quidem in tria fragmenta temporis edacitate redactæ. Tandem dubitat Montoya an quædam quæ P. Antonius novis hisce litteris inseruit, sint genuinus S.* Teresiæ *fœtus, aut quia loquendi modus ea non sat dignus est, aut quia discordare videntur ab aliis ejus scriptis. Consulat lector, si velit, secundam Montoyæ dissertationem* (*cap.* VI), *pendatque ipse rationes quas auctor ille partim dubitanter partim asseveranter opponit contra au-* AUCTORE V. D. M.
D *thenticitatem epistolarum* 11, 13, 18, 22, 27 *et* 28 *tomi tertii, et* 25 *tomi quarti. Infinitus enim ego sim et plus quam par est recedam a commentatoris Vitæ Teresianæ partibus, si hæc aliaque ejusmodi singillatim edisseram.*

quibus novi in versione italica accedunt defectus. 1665 *Hisce addo pauca quæ spectant Florentinam anni* 1775 *editionem, in cujus proœmio P. Valerius semel et iterum jactat suam in vertendo fidelitatem : num autem promissis steterit, habes ex paucis hisce meis animadversionibus. Scilicet tomus III italice habet epistolas* 81, *dum hispanice habet* 82; *eo quod P. Valerius totam fere epistolam* 76 *resecuit, quinto tantum ejus numero conservato, quem alteri epistolæ ad pag.* 193 *affixit, dicens* fragmentum esse eodem quo illa epistola tempore scriptum, et proin rite ei appendi. *Ab epistola quoque sequente, id est a* 77 *tomi III, utrumque fere integrum numerum* 3 *et* 4 *abscidit, ac totum fragmentum* 44 *subtraxit, ideo nimirum quod his locis describatur Calceatorum in S. Joannem a Cruce aliosque reformatos sævitia. Demit insuper fragmenta* 33, 41, 43, 44, 87 *et septem lineas e* 32.
E

Quod vero attinet annotationes, male ibi quidam excusantur, 1666 *Hactenus de omissionibus, truncationibus et male observato in disponendis epistolis ordine. Alios jam nævos detegam quæ annotationes epistolis iis adjectas inficiunt, sed paucos, et summatim. Primum itaque cum P. Antonius tum P. Valerius passim æquo severiores, imo non uno in loco sese dicaces ac malevolos in Societatem Jesu exhibent, ut vidimus proximo paragrapho, ubi de interpretata epistola* 50 *tomi IV. Idque eo magis invidiosum est, quod plura quæ in aliis qui de Societate Jesu non erant, pro fide historica et ut suum cuique in rebus aliunde notis tribueretur, carpere oportuisset, aut silentio premant, aut male excusent, imo aliquando in laudem vertant, tametsi exstent ipsius* Teresiæ *verba quæ male feriatam eorum charitatem prædamnat.*

præsertim Calceati 1667 *Hoc modo P. Antonius a S. Josepho, epistolam* 14 *tomi III commentans, excusat prælatos Calceatos qui anno* 1578 *in monasterio Incarnationis, post electionem S.* Teresiæ *in priorissam, omnia susdeque vertebant.* Conceperint utique, *ait nota* 3, ii Patres justas ita agendi rationes, quas nos tam procul ab iis dirempti comprehendere modo non valemus; *dum e contrario Sancta, quæ coram erat et pars magna causæ, num.* 1 *et* 2 *illius epistolæ suæ acta eorum amare dolet et improbat,* F *ita suam ad Gratianum epistolam orsa :* Jesus tecum sit, o mi Pater, et te ab illa gente (*Calceatorum*) liberet! Nam stupor me tenet videntem quomodo tractarint miseras illas moniales. *Et paulo post, similem lugens sortem S. Joannis a Cruce, adversus quem, ait, nullum adfertur crimen, pressa dolore exclamat :* Næ terribili modo tentat Deus amicos suos, sed sine injuria tamen, quoniam similiter tractavit Filium suum! *Si quis eos qui ita agebant Calceatos excusare voluerit quoad causam intentumque finem, fas tamen non est eos excusare quoad adhibitum modum. Par judicium fertor de notis* 13 *et* 18 *ad epistolam primam tomi IV, ubi Sancta a rege efflagitat patrocinium Reformationi suæ, quæ sæve adeo a Calceatis oppugnabatur ut cum publico scandalo nec sine vitæ periculo S. Joannes a Cruce Abulæ et P. Antonius a Jesu Toleti in carcere premerentur, patientes dira absque ulla sua culpa. Hæc autem, quidquid S. Mater dicat contra, commentator non solum excusat, sed et* bonum zelum sanctamque intentionem (*verbis utor P. Antonii*) *laudat eorum qui innocuos optimosque religiosos tam misere torquebant.*

AUCTORE V. D. M. *ac P. Gratianus :*

A 1668 *Denique annotatores, ubi de P. Hieronymo Gratiano sermo est, pluries expresse probant laudantque quod S. Mater non minus expresse improbat et damnat. Exemplo sit numerus* 3 *epistolæ* 25 *tomi IV. Sancta ibi Gratianum monet ne in iis rerum adjunctis per Andalusiam discurrat concionans, addens id quod magnus zelus videtur, meram quandoque esse tentationem. At P. Antonius, not.* 6 *ad eam epistolam, laudat eum Gratiani discursum, habetque pro imitatione Christi, Judæam concionando peragrantis, eumque nota* 2 *ad ep.* 13 *tomi III nomine nuncupat zeli apostolici. Tandem claudicat ratiocinium P. Antonii notis* 2 *et* 25 *ad ep.* 20 *tomi III. Sancta exhibet argumenta aliquot quibus probet P. Gratianum prudenter se gessisse in usu facultatum a Nuntio Ormaneto sibi concessarum. P. Antonius vero, contra logicæ placita a particulari ad universale transgrediens, plenissimam vitæ actionumque Gratiani apologiam ibi invenit, ubi ipsa defensionem ejus solum suscipit in causa jurisdictionis usum spectante.*

contra quem

B 1669 *Hæc dum refero, ostendoque P. Antonium interdum verba S.* Teresiæ *non recte interpretari, ne judicet lector me petere Gratianum, licet ea quæ hic noto, adversari ei videantur. Non enim in animo mihi est super viro hoc pronuntiare sententiam, scienti auctores auctoribus opponi in judicio quod de eo ferunt, imo eumdem nonnumquam auctorem in laudando aut reprehendendo Gratiano sibi ipsi non constare. Quod si ante judicum tribunal agenda esset implicatissima illa causa Gratiani, viri scilicet S.* Teresiæ *acceptissimi, sed et ab ipsa pluries moniti ac correpti, postea ex Ordine expulsi, vinculis in Africa retenti, Carmelo Mitigato adscripti, ac tandem, postquam ore et calamo Religionem et pietatem strenue propugnasset, pientissime vita decedentis; si, inquam, controversia hæc disceptanda esset, accusator inter alia in reum sequentia proferret : S. Mater oretenus et per litteras ultimo vitæ suæ quadriennio, adeoque etiam a morte sua per apparitionem monitis ei dandis, serio ac sæpe eum corripuit ob defectus haud sane leves, qui, ut eventus demonstravit, cum ipsi tum toti cui præerat Ordini perniciosi fuerunt... Pluries S. Mater eum monuit, ne gravissimum suum provincialis munus postponeret habendis oppidatim concionibus : quod S. Matris consilium male aliquando excepit, præfracte ei respondens ne ipsa judicaret prælatum suum, interjecto etiam juramento*

C *affirmans unò se Dei animarumque zelo moveri; adeo ut S. Matri in memoriam ei revocandum fuerit illum olim sibi copiam fecisse judicandi actiones ejus, addideritque non oportere eum aurigæ instar juratorem agere (tom. III, epist.* 16, *num.* 1)*.. Questa fuit S. Virgo quod celaret eam nonnulla quæ nosse oportuisset (tom. IV, epist.* 74, *num.* 4)*.. Eum arguit quod neglexerit P. Antonium a Jesu certiorem facere de dempta ipsi Gratiano a Nuntio jurisdictione (tom. IV, epist.* 27)*. . . . Tarditatem ejus exstimulat (tom. IV, epist.* 26)*. . . Monet eum cautius agat cum monialibus, neque secreta sua cuique obvio detegat (tom. IV, fragm.* 14).

opposita ei argumenta afferuntur;

1670 *Qua correptione emendasse se Gratianum falso affirmat P. Antonius (nota* 2 *ad id fragm.). Prima enim Septembris* 1582, *id est trigesimo quarto ante mortem suam die, S. Virgo eum adhuc corripit, quod male a se removeret P. Doriam, a capitulo sibi in socium datum, et quod, conciones passim habendo, in Andalusia longiores quam oporteret, traheret moras; addente* Teresia *seria verba hæc :* Id me minime delectat; non enim dormit diabolus. Quamdiu illic hærebis, valde anxia ero. Neque scio quo fine hæreas Hispali. Andalusius cave evadas : non ea est tua conditio ut degas illic (*tom. IV, epist.* 43, *num.* 5). *E quibus posterioribus monitis patet Gratianum, ut vult P. Antonius, prioribus monitis non fuisse emendatum. Atque hoc multo adhuc magis constat ex monitis quæ Sancta a morte sua danda ei curavit per Catharinam a Jesu, cui apparuerat. Videlicet Monito* IX *ab ipsa carpitur quod majoris faciat quæcumque perhibentur revelata, et quod hujusmodi res mandari chartæ præcipiat :* Etenim, *ait* Teresia, si multæ veræ sint revelationes, sunt et multæ falsæ, neque facile est unam veram distinguere inter centum falsas. *Dein Monito* XII *Sancta arguit eum quod, uti sinistra fama jam propagarat, mortificationem negligat, et quod plura sibi permittat adversus regulam cum magno subditorum suorum dispendio; atque eum commonefacit ut magni pendat laudetque pœnitentiam, et ut quemlibet excessum reprimat, maxime in cibis; denique ut rigorem adhibeat, ubi non sufficit suavitas, ad arcendum quidquid regulam vel constitutionem relaxat; quippe cum talia in principio quidem parva sint, at in secuturis effectibus maxima. Tandem, adderet expostulator, eo Gratianus devenit ut sacra Carmeli veste fuerit spoliandus Ordineque expellendus : de qua ejectione moderatus P. Fredericus (lib.* II, *cap.* XXV) *non veretur hæc scribere :* Qui dixerit Gratianum injuste ab Ordine amandatum, injustos pariter dicat necesse est prælatos Ordinis, imo et judices illos binos suæ causæ, alterum exgeneralem Ordinis S. Hieronymi, alterum exprovincialem Dominicanum, deputatos a Philippo II, atque ipsum adeo Romanum Pontificem Clementem VIII, qui pœnam illam ratam habuit. *Omitto ea quæ ultimo afferrentur ab accusatore crimina ex iis quæ capitulum Gratiano improperavit. Nam, præterquam quod plura sint quam ut ea hic enarrem aut etiam enumerem, et quod legi possint in Chronico, ea non ita connexa sunt cum actis S.* Teresiæ, *cujus vitam dissero, non autem Gratiani.*

sed et pro quo afferuntur argumenta favorabilia :

1671 *Contra vero hujus defensor allegaret egregia illa encomia quibus S.* Teresia *multis scriptorum suorum locis celebravit ejus virtutem, pietatem, doctrinam, zelum et in agendo dexteritatem. Citaret Fundationum cap.* XXIII, *ubi vix quidquam addi potest insigni quam Gratiano tribuit laudi. Allegaret numerum* 6 *epist.* 3 *tom. I, num.* 2 *epist.* 4 *tom. I, num.* 2 *epist.* 7 *tom. III; ubi illa ipsa* Teresia, *quæ familiariter egerat cum S. Petro de Alcantara, cum S. Ludovico Bertrando, cum S. Francisco de Borgia aliisque illustris sanctitatis viris, non veretur affirmare Gratianum esse e candidissimis animabus maximisque Dei servis quibuscum umquam ipsa tractasset, ac stupere se ejus perfectionem, grandemque anima illa inclusum esse Dei thesaurum. Diceret Gratiani causidicus S.* Teresiam, *in epistola scripta* VI *Januarii* 1581, *fateri se non mirari magnos illum concionibus suis gignere fructus, quippe qui tanta sanctitate præditus esset (tom. II, epist.* 99, *num.* 1). *Diceret Sanctam* XVII *Februarii* 1581 *(tom. III, epist.* 27, *num.* 6) *exoptasse ut in provincialem eligeretur, quod et revera factum est majori suffragiorum numero. Ac tandem adderet, sicut scribit P. Antonius (nota* 4 *ad epist.* 7 *tom. IV), S.* Teresiam *continuasse, quamdiu vixit, sua Gratiani elogia. Et quoad monita quæ ei S. Mater a sua morte danda curavit, non auderet quidem (quod audet Ill. Lataste in sua ad gallice versam epistolam* 108 *dissertatione de Gratiano) cum contemptu de iis loqui et ea pro spuriis habere, sed diceret minime saltem constare peccatum grave in tantis illis dissidiis objectisque criminibus a Gratiano fuisse contractum, ut ipsimet auctori*

A *auctori Chronici* (*lib.* V, *cap.* XI, *num.* 2) *in confesso est; allegaretque omnia illa argumenta quæ Ill. Lataste* (*loco supra citato*) *late evolvit, et quæ plurimum saltem extenuant culpas Gratiano injectas : adderetque ea quæ, fidem fortiter confessus, Tuneti passus est; ac pro coronide memoraret reliquos vitæ ejus annos, sancte impensos propugnandæ Religioni propagandæque pietati et acciendo in Belgium ibique stabiliendo illi ipsi Excalceatorum e quo fuerat pulsus Ordini, patrocinio gaudens archiducum Alberti et Isabellæ, cui erat a Sacra Confessione, donec tandem sanctitatis fama diem supremum clauserit, cohonestantibus ejus funus quotquot Bruxellis viri erant dignitate illustres, ac magna facta relictaque post se spe, sicut dicit P. Antonius* (*nota* 12 *ad epist.* 19 *tom. III, et nota* 2 *et* 25 *ad epist.* 20 *tom. III*), *fore ut aliquando albo Sanctorum inseratur : quod tamen Montoya minime admittit, non ratus virum illum propositum iri in exemplum vere pœnitentium et sincere contritorum; eo quod enormia, ut ait durus ille hoc loco censor, data olim a se scandala humili, publica milliesque repetita confessione non expiaverit.*

et utut fertur judicium.

B 1672 *Hæc de Gratiano necesse fuit memorare, eo quod spectant quoque ad S.* Teresiam, *quæ eo potissimum adjutore usa est ad plantandum reformatum suum Ordinem, quæ etiam a morte sua communicanda ei curavit plura monita, et quæ paulo ante suum ex hac vita exitum prædixisse fertur illum aliquando sacra sua familia abscissum iri* (*Chron. lib.* VIII, *cap.* LV, *num.* 8). *At et pauca hæc, licet presse a me exhibita, sufficere debent, ne secus aberrem a proposito mihi in hoc Commentario argumento, quod unam spectat S.* Teresiam. *Interim ipsi jam lectori judicium relinquo in perplexa valde causa. Nolim equidem culpas Gratiani adeo, ac Montoya* (*diss.* II, *cap.* II, § III), *exaggerare, neque ausim, quod ipse audet, in dubium vocare authenticitatem plurium epistolarum laudem ejus continentium* (*diss.* II, *cap.* VI, § IV) : *at nec velim cum Ill. Lataste* (*memorata jam dissertatione*) *duriter vellicare omnes fere Carmeli Excalceati primarios illius ævi Patres, neque contemptui habere et declarare commentitia ea Monita quæ hactenus ab omnibus æstimata sunt venisse a S.* Teresia. *Id tamen affirmare non dubitem, utpote quod sponte fluit ex ipsius S. Matris litteris, Gratianum actum fuisse nimio subinde quam per munus ejus licebat, zelo ani-*

C *marum, ac nimia etiam quam prælato par erat, aliquando laborasse mansuetudine; quæ versa tunc est in exulcerationem, cum, officio provincialatus defunctus, absque indulgentia ab iis correptus fuit, qui parcere non noverant neque Ven. Annæ a Jesu neque ipsi adeo S. Joanni a Cruce : taliter ut, si in Gratiano fuit amor emolliens, fuit et in adversariis ejus rigor exasperans, utrisque interea certantibus pro bono Ordinis, etsi ratione plane diversa. Atque sic factum est ut longius æquo ab utraque parte processum fuisse videatur. Neque in sanctissimis etiam viris id quispiam miretur : nam, ut recte advertit D. Boucher* (*lib.* V, *not.* h), *vel in optima sodalitate familiave religiosa, penes quam sua ipsius est gubernatio, ut oritur dissensio, hæc vehementissime sæpe commovet corpus magnasque edit strages; atque in ea commotione ditissima aliquando oneraria e levi primum rima in periculum venit ut vortices eam absorbeant. Accedit utrique bellantium parti nonnumquam bellum posse videri et esse justum, ut S. Casimiro principi Polono ac Matthiæ Hungarorum regi contigisse legitur, cum in hujus regnum ille invaderet. Atque id pariter non raro evenit in privatorum dissidiis.*

1673 *Sed ne diutius immorer excutiendis iis epistolarum Teresianarum annotationibus, mitto nonnulla alia quæ carpi in iis possint : v. g. cum affirmatur* gravem cuilibet Christiano esse obligationem eligendi confessarium qui præ cæteris sit doctus et eruditus (*not.* 7 *ad epist.* 24 *tom. IV*); *aut cum victoria Bethuliæ relata adscribitur orationibus Judithæ* et sociarum ejus, *quarum sociarum S. Scriptura non meminit* (*not.* 8 *ad epist.* 1, *tom. III*). *Neque P. Antonio litem intentabo de stylo ejus inflato vagaque eruditione prolixo. Novi enim hunc scribendi modum, qui olim usitatus fuit apud omnes fere nationes, et permansit viguitque apud alias longiori, apud alias breviori tempore, scribenti ita habenas laxare ut, papilionis instar, dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum pro arbitrio ferri possit, ac quibuscunque obviis flosculis insidere, omniaque petere præter scopum. Quam divagandi licentiam non ita pridem* (*anno nempe præteriti sæculi trigesimo tertio*) *censores Anni Teresiani tam late præbebant, ut, tametsi opus id constet duodecim voluminibus in* 4°, *non dubitarent in sua primo tomo præfixa censura affirmare auctorem ejus tam presse scribere ut una ejus subinde sententiola adhuc protendi posset in totam justæ longitudinis dissertationem. Verum* E *(quamquam et id communis fere olim fuerit mos) quod in P. Antonio magis reprobem, est quod nominibus falsorum deorum continuo nuncupet veri Dei servos et amicos. Horruissent certe aures Patrum primorum sæculorum hæc audire, multoque magis refugisset eorum calamus talia scribere. Adeoque nec hodie decet a Christiano religiosoque homine Sanctam Jesu Christi Sponsam* Teresiam *vocari modo* Cererem (*not.* 3 *ad epist.* 15 *tom. IV*), *modo* Junonem (*not.* 14 *ad epist.* 5 *tom. IV*), *modo* veneratam Palladem adoratamque Minervam (*not.* 15 *ad epist.* 48 *tom. III, et not.* 9 *ad epist.* 15 *tom. IV*), *modo denique* Sirenen (*not.* 14 *ad epist.* 8 *tom. IV*) *ac* Amphiona (*not.* 22 *ad epist.* 59 *tom. III*); *ac præcipue Jesu Christo,* qui est super omnia Deus benedictus (*Rom.* IX, 5), *nomen dari* supremi Jovis (*not.* 7 *ad epist.* 37 *tom. IV*). *Maxima enim Deo Optimo Maximo usque debetur reverentia, et, ut Salvianus loquitur* (*lib.* I *de Prov.*) cavendum est ne idipsum quod pro honore Dei dicitur, injuria Dei esse videatur. *Injuria autem est, imo, si recte sentiamus, fas omne excedit, vero Deo dare nomen falsi dei, id est spurcissimi dæmonis, quandoquidem et Jupiter et Juno et Minerva et* omnes dii gentium F dæmonia (*Ps.* VC, *v.* 5).

AUCTORE V. D. M. *Prætermissa critice alio respectu.*

D

§ LXXXVI. Graves contra Societatem Jesu vulgatissima pastorali Instructione archiepiscopi Burgensis anni 1769 contentæ calumniæ refelluntur ex ipsius potissimum S. Teresiæ testimoniis.

Coactus eam Instructionem expendere

Ut *Societatis, ita et honos hic iterum vindicandus est S.* Teresiæ, *cujus nomen, non minus quam Societatis, grave ex ea Instructione detrimentum capit. Etenim si, quod præsul asseverat,* Teresia *Societatem Jesu insimulaverit avaritiæ, duplicitatis, ambitus*

AUCTORE V. D. M.

A *bitus aliorumque vitiorum haud sane levium, ineluctabiliter et ipsa* Teresia *convicta est insinceritatis, fallaciarum atque mendacii. Tabulas quippe habemus, ejus, inquam, litteras et genuina alia scripta, in quibus sæpe ac continuo et ad ultima usque vitæ suæ tempora alte et luculenter prædicat in Societate Jesu virtutes iis prorsus contrarias vitiis, quæ, si fides sit archiepiscopo, S. Virgo eidem Societati in aliis suis litteris imputat : adeo ut prorsus sit necesse ut aut mendax sit S.* Teresia *aut mendax archiepiscopus. Ergo, quoniam, ut ait S. Augustinus* (*contra Cresconium lib.* I, *cap.* VII), puto nequaquam juste reprehendi ministerium nostrum, si contra quoslibet adversarios veritatis ferventi spiritu pro veritate certemus, *in serium examen vocabo præfatam Instructionem, pro criminatoris nimirum dignitate, pro impactorum facinorum gravitate, pro data solemni calumniæ publicitate. Facili tamen negotio causa informabitur lisque dirimetur; quandoquidem, citatis accusatoris verbis, citabo ipsam S.* Teresiam, *inducamque quodammodo hanc loquentem, ut ipsa Sancta refutet crimen id multiplex quod nomine* Teresiæ *archiepiscopus Societati exprobrat. Ingrata profecto necessitas conviciatoris sublimi in Ecclesia*

B *dignitate fulgentis calumnias retegere; sed tali etiam viro potior veritas, potior S.* Teresia, *potior religiosa familia.* Non sane parva est, *dicit S. Augustinus* (*contra Petilian. cap.* VI), parumque gloriosa consolatio cujuscumque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminemur. *At ex adverso durum nec tolerabile est ab Ecclesiæ præsule reatu urgeri multorum scelerum, ac tanta lacessi injuria ut vel asseveretur perspicacissima S.* Teresia *in fine vitæ suæ Societatem Jesu ob comperta in ea crimina fuisse perosa. Multum interim doleo sat tempestive ad manus meas venire amplius non posse ineditum opus P. Josephi de Isla S. J., quod, hac qualicunque mea refutatione composita, inaudio Madriti latere in scriniis optimi viri, quem novi ultro eas paginas commodaturum mihi esse, si per locorum spatia aut magis per temporum circumstantias liceret. In eo opere, quod inscriptum est :* Anatomia de la Pastoral del Ill. Arzobispo de Burgos, *refellit P. de Isla valide et extense omnia argumenta quæ contra Societatem continentur in litteris illis encyclicis.*

ob atrores quas continet in Societatem Jesu calumnias,

1675 *Cum autem ea encyclicarum pars ubi de* Teresiæ *a Societate aversione sermo est, prolixa sit, pauca tantum inde excerpam, sed quæ sufficiant*

C *tamen ad declarandum quanto impetu præsul illic in Societatem invadat. En quomodo in dictis encyclicis temeretur Societatis gubernatio, institutum, doctrina, religio, fides. Proposito hoc dilemmate :* Aut Teresia aut Societas condemnanda, *Illustrissimus* (*num.* 517) *millenas Deo gratias acturum se dicit, si in ea quam panget argumentatione argui possit inconsequentiæ, et si Jesuitæ, dum ipse erroris convincitur, victores e luctatione illa abire possint. Dein* (*num.* 518) *dicit non esse cur Jesuitæ habuisse se jactent S.* Teresiam *in spirituali vita discipulam, cum Deus præcipuus fuerit ejus magister, et quidem immediatus. Concedit tamen* (*num.* 519) *fuisse in Societate viros aliquot frugi; quod mirum non est, ait, siquidem tum cum juxta S. Scripturam* omnis caro corruperat viam suam, *in familia Noe reperire erat qui ab universali illa propositione essent excipiendi, ita ut sub Ordinis Jesuitici primordia etiam exceptioni locus esse potuerit. Verum brevi, subjungit* (*num.* 521), *Jesuitæ* Teresiam *multo affecere dolore, ferientes intimum ejus cor, accusando eam quasi allectasset Jesuitas ad Carmeli Ordinem, et pro somniis venditando commentitias quas S. Matri attribuebant revelationes. Dein* (*postquam num.* 522 *valde odiose locutus est de accusatione Burgensi ex epist.* 50 *tomi IV*) *exclamat* (*num.* 523 *et* 524) : Quanta ergo fuerit Jesuitarum adversus Teresiam persecutio! Quantaque vilitate responderunt ei, si mulier hæc adeo sancta, adeo grata, et quæ de nulla umquam religiosa familia seu scripto seu verbo vel minimam animi ægritudinem præ se tulit, in amaros hos de Societate questus coacta fuerit prorumpere! *Sancta quidem, ait* (*num.* 527, 528 *et* 529), *cum Jesuitis diu tractavit; sed, quia id vitare nequibat, cedebat necessitati, probavitque ob eamdem causam ut etiam a quadam e filiabus suis talis simularetur gratitudo. Hæc multaque alia congerit præsul. Ast piget et pudet istiusmodi contumelias, etiam ipsi S.* Teresiæ *dedecorosas, exscribere. Sufficiat præbere hoc præsulis epiphonema :* Ergo isti regulares totam adversus se habent Seraphicam Doctricem Teresiam a Jesu; *quod totius pastoralis Instructionis aliquatenus succum jure dixeris.* D

probo has esse sine fundamento,

1676 *Præmissas autem indagemus e quibus præsul hanc suam conclusionem deducat : sique compertum fuerit eas deficere, vana erit illius conclusio; et qui minaciter stabat cataphractus argumentator, inermis jacebit. Imprimis itaque* (*ad num.* 518) E *plane concedo Deum esse gratiarum omnium fontem; quis enim, nisi summa blasphemia, id neget? Concedo pariter, neque ullus Jesuita id hactenus in dubium revocavit, S.* Teresiam *ab ipso Deo plura edoctam. Attamen recte Palafoxius* (*nota* 17 *ad epist.* 19 *tom. I, ubi Sancta vel decem Patres Societatis Jesu enumerat qui ei initio extraordinariarum ejus gratiarum auxilio fuerunt : quem locum citatum inferius vide apud Riberam, lib.* IV, *cap.* IV), *recte, inquam, Palafoxius advertit non modico esse honori Societati Jesu quod hic Ordo S.* Teresiam, *quæ ipsa fuit illustris spiritualis vitæ magistra, habuerit discipulam.* Novi equidem, *ait ille,* edoctam eam fuisse immediate a Deo : attamen examinatio spiritus ejus, præbita ei instructio, atque asseveratio qua illam a Deo motam esse declarabatur, eorum fuit qui spiritum ejus moderabantur. Ideoque Sancta multoties confitetur quantum deberet Societati Jesu, nec sine ratione; quandoquidem nullibi majus contrahitur debitum quam in spirituali commercio, in comparato animæ præsidio et in complanata via vocationis. Insuper illinc videre est quantus numerus et quam excelsus spiritus esset primævorum operariorum Sacri illius Ordinis; F quippe cum Sancta solo hoc loco decem numeret Patres quibus fructuose admodum animam suam aperuit, pateatque insuper, ex iis quæ Sancta ibi innuit, eam adhuc cum aliis tractasse pro locorum in quibus degebat opportunitate. *Hæc Palafoxius.*

ac speciatim illas quæ rem spectant P. Gasparis de Salazar.

1677 *Quod spectat numerum* 521, *ubi agitur de negotio P. Gasparis Salazarii et de unica alicujus momenti, et quidem ad speciem tantum, querela quam Sancta de Societate Jesu aut potius de uno Societatis viro protulit, id Patris Salazarii negotium exposuisse refutasse est quod præsul hac occasione Societati exprobrat. Videlicet P. Gaspar de Salazar discessurus erat a Societate ad Reformationem Carmeli : pervenit hæc notitia ad aures P. Joannis Suarez, provincialis Societatis Jesu, et pervenit valde immutata in pejus; cum dictum illi esset S.* Teresiam *agere de tali discessu, et Dominum ei revelasse ut Salazar discederet. Provincialis valde obstupuit et de ipsa re et de modo quo dirigebatur, atque ad S. Matrem per rectorem collegii Abulensis ea de re querens litteras misit. S. Mater respondit se de tali discessu non egisse, neque scire se aliquid de tali revelatione, et reliqua quæ contenta sunt epistola* 20

tomi

A *tomi I. Hoc* Teresiæ *responso provincialis omnino contentus quoad ea quæ spectabant ad Sanctam ipsam, præcepit rectori ut et ipse quoad ea quæ scripserat, Sanctam placaret, illique insuper diceret, videri sibi litteras suas posse intelligi diverso modo ab eo quo S. Mater illas intellexerat. Rector Abulensis quod sibi præceptum erat, perfecit, eodemque tempore rogavit S.* Teresiam, *ut ad conventus suæ Reformationis scriberet, ne reciperent Patrem Salazarium. Indicavit præterea rector timere se ne discessus ille Patris Salazarii causa foret gravium dissidiorum inter Reformationem et Societatem, Societate actura cum Salazario tanquam cum apostata, si discederet debita facultate Romæ non obtenta. Ad epistolam rectoris respondit S.* Teresia *epist.* 16 *tomi II, ubi dolet parum ingenue secum agi in epistola provincialis, et in illa tanquam certum supponi quod ne sibi quidem in mentem venerat. Insuper Sancta ob graves rationes negavit scripturam se ad suos conventus, paratam se exhibens ad ærumnas omnes quas Deus submittere sibi dignaretur. Atque hic res stetit, nec P. de Salazar propositum executus est. Quid ergo dignum hic sit cur tanto hiatu adversus totum Ordinem clametur? Næ multo rectius contrariam*
B *ex ea epistola consequentiam deducit Palafoxius* (*not.* 26 *ad epist.* 20 *tom. I*). *Cum enim Sancta ibi dixisset se ita erga Societatem affici ut vitam pro ea profundat, nec æstimare se fore ut umquam Ordo Societatis Jesu adversetur Ordini Matris Jesu, quandoquidem ille huic reformando tantopere inserviat, subjungit commentator :* Illustris certe Teresiæ testificatio de præsidio quod in reformando Carmelo a Societate accepit, et quod allegat in argumentum perpetuandi jugis illius amoris quo uterque Ordo tunc conjungebatur.

cæterasque omnes :

1678 *Pro num. autem* 522, 523 *et* 524, *non est cur retractem ea quæ dixi de epistola* 50 *tomi IV, ex cujus mala interpretatione hausta sunt ea fictitiarum S.* Teresiæ *de Societate querelarum scommata quæ jam* § LXXXIV *dilui, ostendens illic de Carmelo Mitigato agi, non vero de Societate Jesu. Denique, si num.* 528 *archiepiscopus dicat S.* Teresiam *tempori serviisse et ad speciem præ se erga Societatem tulisse æstimationem et amorem, quibus vacuum ejus erat cor, sive, ut congruo verbo utar, justam, fortem sanctamque Virginem mentitam fuisse, atrocior est in ipsam Sanctam calumnia quam ut ego decenter hanc refutare possim. Porro ea quæ hactenus dis-*
C *serui, plenissime confirmabuntur ex iis quæ, duce præsertim P. Montoya, modo demonstraturus sum, nempe S. Matrem, nedum ullo umquam tempore aversatam fuisse Societatis Jesu Ordinem, contra vero propensissima semper in illum fuisse voluntate.*

proboque Sanctam alienato a Societate non fuisse animo ab anno 1557 *ad* 1567,

1679 *Venio jam ad conclusionem encyclicarum Illustrissimi, ita dicentis :* Ergo isti regulares totam adversus se habent Seraphicam Doctricem Teresiam a Jesu. *Ad majorem claritatem tempus quo Sancta cum viris Societatis egit dividam in quatuor partes; et in his omnibus et singulis inveniemus luculenta argumenta eximiæ illius existimationis quam S. Mater de viris illis habuit. Prima pars complectitur decem illos annos qui efluxerunt e quo Sancta anno* 1557 *manibus se tradidit Joannis Padranos S. J. usque ad annum* 1567, *quo ea egressa est Abula ad incipiendas alias fundationes. Quoad hanc primam partem sufficit inspicere Sanctæ Vitam ipsius manu scriptam; quandoquidem in ipsa, præter magnificas laudes quibus celebrat particulares illos Patres Societatis qui gratiam habuere illam dirigendi, nempe Joannem Padranos, S. Franciscum Borgiam, Balthasarem Alvarez et Gasparem de Salazar, plurima alia occurrunt loca ubi S. Mater cum laude loquitur non modo de hoc illove particulari Jesuita, sed de omnibus simul, sive de ipsa Societate Jesu. En aliquot loca ex autographa Sanctæ Vita. Cap.* V : Septemdecim et amplius annos, ut puto, in illa cæcitate mansi; donec quidam vir apprime doctus ex Ordine S. Dominici mihi aperuit oculos in aliquibus rebus, et Patres Societatis Jesu omnino mihi magnum timorem incusserunt (*scilicet ne parvi faceret quædam peccata, quæ rudes quidam confessarii dicebant non esse peccata*) aggravando mea adeo mala principia, sicut postea dicam... *Cap.* XXIII : Intellexeram Patres Societatis Jesu huc nuperrime venisse : erga quos, tametsi neminem eorum in particulari nossem, mirifice affecta eram, solum quod eorum et vivendi et orandi modum intellexissem; sed indignam me reputabam quæ eos alloquerer, nec validam satis ad illis obediendum..... Jam video id omne ad majus animæ meæ bonum factum et directum esse, ut sic in notitiam venirem virorum ita sanctorum, ut sunt religiosi Societatis Jesu.... Benedictus sit Dominus, qui mihi confessariis meis obediendi, tametsi satis imperfecte, gratiam dedit. Et hi pene semper fuere e benedictis illis Patribus Societatis Jesu.... *Cap.* XXIV : Pergratum mihi erat non procul ab eorum collegio E habitare, quo major esset cum ipsis identidem agendi occasio : magnum siquidem animæ meæ etiam e nuda sanctitatis, quam in omni conversatione sua præferebant, fama et commemoratione commodum accedebat.... *Cap.* XXXIV : Mirum in modum me consolabatur quod in civitate ad quam me conferebam, collegium Societatis Jesu esset.

AUCTORE V. D. M. D

nec a 1567 *ad* 1576,

1680 *Secunda pars includit alios novem vel decem annos, quibus Sancta plures fecit fundationes, donec, Hispalensi ad finem perducta, PP. Calceati illam cogerunt ut se reciperet in certum conventum, neque alia monasteria erigeret. Jam vero in fundationibus illorum novem vel decem annorum quantam operam S.* Teresiæ *præstiterunt Patres Societatis! Quantam in Methymnensi, ubi, pro obtinendis necessariis facultatibus, utilem fore fundationem, etsi redditibus destitutam, quo erigendi licentia obtineretur, jurejurando asseverarunt! Quantam in Toletana, quæ debetur magno P. Pauli Hernandez S. J. erga Sanctam ejusque Reformationem affectui; cui Patri, ut et rectori collegii S. J. illius civitatis, S. Mater misit honorificas procurationes! Quantam in Salmanticensi, quæ debetur pietati et* F *ardenti zelo P. Martini Gutierrez, rectoris collegii Salmanticensis Societatis Jesu; uti dicit P. Fredericus a S. Antonio, qui pariter ponderat obsequia a rectore ejusque subditis Sanctæ et filiabus ejus præstita! Quantam in Segoviensi, ubi, juxta eumdem historicum, S. Mater, se in periculo constitutam videns ne vicarius generalis fundationem pessumdaret, Sanctumque Joannem a Cruce carceri manciparet,* ad Societatem Jesu illico confugit, ubi pronæ semper ei præbebantur aures! *Quantam in Veasensi, cujus fundatrix ad illam faciendam inducta est Patrum Eraso et Bustamante S. J. consiliis ac summe honorificis de S.* Teresia *ejusque filiabus datis testificationibus! Quantam eo tempore quo S. Mater versabatur in fundatione Hispalensi! Cum enim contra recens illud monasterium valida tempestas exorta esset, ac S. Mater ejusque filiæ coram tribunali Inquisitionis per maximam calumniam accusarentur illorum quæ Sancta refert epistola* 47 *tomi I, Sacrum Tribunal examen illius causæ commisit P. Roderico Alvarez; qui multis jejuniis, fervidis precibus aliisque industriis singularia e cœlo lumina cognitionemque accepit sublimis*

AUCTORE V. D M.

A *spiritus S.* Teresiæ, *et tam strenue veritatis patrocinium suscepit ut magnus ille tumultus protinus cessarit, et ut illius Patris opera atque opera P. Didaci de Acosta provincialis et P. Henrici Henriquez magis nota plurisque* pensa fuerit sanctitas Matris Teresiæ probaque vita filiarum ejus. *Quantam denique operam contulere Jesuitæ ad fundationem Caravacensem! In cujus relatione S. Mater de fundatricibus loquens dicit :* Noverant quidnam in horum monasteriorum fundationibus Dominus fecisset; etenim Patres Societatis Jesu, qui rei huic semper auxilio et subsidio, qua poterant, fuere, hæc eis declaraverant. *Certissime igitur illis novem vel decem annis S.* Teresia *Societatem minime aspexit torvis oculis, quoniam tantas Ordo hic suppetias ipsi eo tempore attulit. Præterea id quod S. Mater in civitate Abulensi, quam diu inhabitavit, cernebat atque experiebatur, piæ zelosæque mulieri Societatis amorem mirum in modum apta erant conciliare. En quid* (*tom. I, epist.* 30, *num.* 7) *fratri suo Laurentio mandet :* Fugit me antehac tibi referre quam facile Abulæ pueri rite institui possint. Habent Patres Societatis Jesu collegium in quo eos grammaticam docent, excipiuntque singulis hebdomadis

B eorum Confessiones, ac reddunt eos tam probos ut profecto sit quare Deo grates referantur. Traditur quoque philosophia et theologia ad S. Thomæ; ita ut alibi quærendæ non sint nec litteræ nec pietas : atque in toto oppido adeo viget Christiana disciplina ut advenis sit ædificationi. Frequens est precandi usus, frequens confitendi peccata : atque ipsos inter sæculares reperiuntur qui vitam ducunt apprime perfectam.

nec a 1576 *ad* 1579, 1681 *Tertia temporis pars quo S.* Teresia *cum Jesuitis egit, reduci potest ad illud spatium quo Sanctæ novis fundationibus supersedendum fuit.* Hispalensi fundatione jam constabilita, *ait S. Mater* (*Fundat. cap.* XXVIII), a fundando per quadriennium et amplius cessatum est. Causa fuit quod magnæ ac graves derepente adversus Excalceatos et Excalceatas exortæ sint persecutionum procellæ. . . . In Excalceatos, ac præsertim superiores ipsorum, gravis hæc falsorum testimoniorum et obloquiorum (quia omnes pene Patres mitigatæ regulæ illis se opponebant) procella desæviit. *Præcipue haud dubie alludit ad infamem illam litem Hispalensem, continentem* atroces calumnias (*verba sunt P. Frederici a S. Antonio, lib.* II, *cap.* XXIX)

C contra P. Gratianum, contra monachas Hispalenses, et denique contra magnam nostram Sanctam. Lis fuit illa tanto magis iniqua, quod in illa accusarentur angelicæ illæ personæ in re delicatissima, et, pro virginali illarum puritate, tam scrupulose custodita. *Cum interim PP. Calceati adeo persequebantur S.* Teresiam *ejusque Reformationem, quam arcta tunc extitit communio inter S. Matrem et Societatem! Ad illam penitus declarandam plurima loca essent exscribenda e litteris quas Sancta eo tempore exaravit. Pauca eligam quæ ad illam patefaciendam sufficiant. Anno* 1578 *Sancta scripsit epistolam* 3 *tomi I ad Theotonium de Braganza, atque in ea declarat magnam existimationem quam de Jesuitis fovebat, dicens :* Multum me recreat quod Dominatio vestra tantopere ut suam diligat habeatque Societatem, quia ad omnia maximæ est utilitatis. *Epistolæ quoque quæ plane manifestant qualis fuerit eo de quo hic loquimur tempore* Teresiæ *animus erga Jesuitas, sunt illæ in quibus agit de dissidiis cum Patribus S. J., præsertim de dissidio ob Patrem Salazarium, quod eodem tempore evenit. Denique in suo Castello animæ, quod medio scripsit anno* 1577, *præclarissimum edit encomium ipsius S. Ignatii de Loyola,* D *cujus nomen conjungit cum nominibus S. Dominici et S. Francisci, dicens illum, non secus atque hos, innumeras dæmoni evellere animas.* Næ, *ait,* est quod plurimum Deum laudemus, dum perpendimus ab una aliquando anima salvari millenas alias, sicut per Martyres factum est, et per tenellam subinde fit virginem, puta per S. Ursulam. Cuique manifestum est, atque libri id testantur, Deum tale privilegium e dæmone eripiendi animas quamplurimas gratificatum fuisse S. Dominico et S. Francisco aliisque Ordinum fundatoribus, imo ipsis nostris diebus Patri Ignatio, Societatis Jesu institutori (*Mans.* V, *cap.* IV, *n.* 4). *Hæc Ignatii laus dempta fuit in editionibus anno* 1752 *anterioribus.*

nec denique reliquis vitæ ejus annis, 1682 *Transeamus modo ad ultimam annorum S.* Teresiæ *partem, quæ annos complectitur* 1580, 1581 *et* 1582, *quando S. Mater, egressa carcere suo Toletano, extremas suas fecit fundationes. Die* VIII *Maji* 1580 *misit Sancta epistolam* 9 *tomi I ad ducissam Albanam; et de hac epistola Palafoxius sic ait :* Scribit Sancta ad magnam hanc matronam, petens ab illa litteras commendatitias pro Patribus Societatis circa fundationem Pampelonensem. . . . Ardenterque Sancta id urget, quia ardenter ama- E bat ferventem eum Ordinem, compensare sic volens in illorum fundationibus auxilium quod ejus filii in Carmeliticis fundandis præstiterant. Obsecrat autem illam validissimis rationibus, ita ut ea intercessio non pro forma tantum fiat, cum amor ejus desideriumque non vacua fuerint tantum forma. *Anno eodem die* XXV *Julii obiit P. Balthasar Alvarez : refert autem nobis Ven. Ludovicus de Ponte fletum S.* Teresiæ *ultra horam productum, verbaque hac occasione ab ea prolata :* Fleo, *ait Sancta,* quia probe novi magnam jacturam quam Ecclesia Dei per ejus mortem facit atque etiam postea factura est. *Eodem anno, cum S. Mater Vallisoleti degeret, quo venerat ob fundationem Palentinam, se adeo derelictam sensit ut diceret :* Tanta mea erat imbecillitas, ut et fiduciam quam mihi, dum aliqua harum fundationum inchoanda est, Deus Opt. Max. dare solebat, perdidissem. Omnia quippe mihi impossibilia videbantur. Unde si tunc in aliquem qui me animando corroborasset, incidissem, is sane quam maxime mihi profuisset. . . . Contigit forte ut quidam Societatis Jesu sacerdos Vallisoletum veniret, Pater ac Magister Ripalda, . . . F vir doctrina æque ac pietate in Deum eximia. Huic ipsa animæ statum aperui, eumque me in Dei locum accipere velle dixi; declararet proinde mihi quid sibi videretur. Is ergo multum me exstimulare et animare cœpit, . . . edixitque ut nullatenus cœpto desisterem : idem quoque paulo ante Toleti mihi dixerat P. Balthasar Alvarez, Societatis ejusdem provincialis (*Fundat. cap.* XXIX). *Ita ut fundatio Palentina* (*idem est de Burgensi*) *magna ex parte Jesuitis debeatur. Quare et P. Fredericus a S. Antonio dicit :* Magni duo viri Societatis Jesu, Balthasar Alvarez et Hieronymus Ripalda, alter Toleti, Vallisoleti alter, stimulos Teresiæ addiderant ad opus aggrediendum; sed cum aliter sentiret P. Gratianus, Sancta amborum illorum consilio plene acquiescere non potuit (*lib.* II, *cap.* XXXVII). *Perfecta fundatione Palentina ad finem anni* 1580, *S.* Teresia *commorata est ibi quinque primos menses anni* 1581; *et* IV *Martii, scribens ad D. Annam Henriquez, ita loquitur :* In rebus animæ solitudinem reperio, quia nemo hic est illorum quos novi e Societate. Hanc equidem ubique invenio; quia, etsi absit noster Sanctus (*P. Balthasar Alvarez*), Societas tamen mihi adesse videtur, cum saltem litteris

litteris communicare quædam liceat (*t. IV, epist.* 15, *num.* 3).

quod præcipue constat e fundatione Burgensi.

1683 *Palentia transiit S.* Teresia *ad fundationem Soriensem, de qua* (*Fund. cap.* XXX) *ipsa dicit* fuisse celebratum primum Sacrum magna cum solemnitate, et concionatum Patrem quemdam Societatis. *Anno denique* 1582, *ultimo vitæ suæ mortalis, Sancta fecit fundationem Burgensem, ad quam tantopere illam excitarunt PP. Alvarez et Ripalda ut ejus relationem S. Mater memorandis illis verbis exorsa sit :* Jam sexennium et amplius effluxerat, ex quo quidam e Societate Jesu viri cumprimis religiosi, senio, litteris et spiritu commendabiles, mihi dixere non mediocriter ad Domini gloriam et obsequium futurum, si quoddam Sacri hujus Ordinis cœnobium in civitate Burgensi erigeretur (*Fundat. cap.* XXXI, *num.* 1). *Et cum de die illa agit qua, magnis tandem superatis difficultatibus, fundatio fuit perfecta, ita loquitur :* Doctori Mansio archiepiscopus potestatem fecit. . . . Sacrum apud nos celebrandi et Sanctissimum Christi Corpus illic collocandi. Ipse ergo primam Deo Hostiam obtulit, et Pater Prior monasterii S. Pauli Ordinis Dominicanorum (cui Ordini, uti et Societati Jesu, permultum semper debui) Sacrum summum celebravit (*ibid. num.* 25). *Hæc sola verba funditus evertunt et destruunt omnia argumenta Ill. Archiepiscopi. Cum enim S.* Teresia *in numero* 25 *de Jesuitis non ageret, neque de iis a viginti et amplius numeris mentionem fecisset, verba illa :* uti et Societati Jesu, *non videbantur necessaria, imo nequidem opportuna. Sed Sancta etiam importune asserit* se multum semper debuisse Societati Jesu.

Conclusio probationum :

1684 *Cum igitur S.* Teresia *multis in scriptis multisque modis crebro testata fuisset eximium amorem quo in Societatem ferebatur, gnavamque operam quam viri Societatis toties illi præstiterant* (*dicendo hos esse suos Patres quibus post Deum debebat omne bonum quod habebat; Deum elegisse Societatem ut instrumentum quo repararetur ac renovaretur Ordo Carmelitanus; Patres Societatis semper promovisse et adjuvisse suas fundationes; Reformationem suam multum semper debuisse Societati; magna hanc se veneratione prosequi, quia multum egerat cum Jesuitis, et viderat ipsorum vitam respondere iis quæ Dominus de ipsis sibi patefecerat; res se Societatis cordi habere, seque paratam esse ad vitam pro iis dandam*), *post hæc, inquam, omnia S.* Teresia *ultimo capite suarum Fundationum, in libro quem postremum composuit, et quidem ultimo vitæ suæ anno, referens suam ultimam fundationem, quasi rata cuncta habens quæ prius circa Societatem scripserat, et quasi relinquens responsum anticipatum iis qui olim in dubium traherent aut Societatis erga Sanctam et ejus Reformationem meritum aut Sanctæ erga Societatem perpetuam benevolentiam et gratitudinem, dicit clare* se semper multum debuisse Societati Jesu. *Ecquis igitur maledicus S.* Teresiam *arguat mendacii? E verbis porro S. Matris infertur, contra archiepiscopum Burgensem, Sanctam amasse non tantum aliquos Jesuitas, sed Societatem Jesu, et multum amasse, et semper amasse. Nam cum Sancta maxime grata fuerit, utique non potuit non multum amare illum Ordinem cui multum debebat : et adhibendo vocem* debere *magnam se agnoscit erga Societatem Jesu debitricem, et fatetur habere se hanc suam gratitudinem pro actu justitiæ. Quæ cum ita sint, Sanctaque diserte hæc affirmarit paulo ante mortem suam, quid jam Ill. Burgensis mutiet, qui intrepide adversus* Teresiam *affirmare non dubitavit, ipsam, quæ primis quidem initiis aliquot Societatis viros æstimarat et amarat, meliora postmodum edoctam fuisse et palinodiam cantasse? Esset profecto, si Illustrissimus adhuc in humanis ageret, cur rueret in faciem, terramque fronte pulsaret, ac, pro suo, si refutaretur, voto, millenas Deo ageret gratias.*

AUCTORE V. D. M.

quibus ex abundanti adduntur visiones quas Sancta habuit de Societate Jesu.

1685 *Sat modo ex allatis argumentis probatum videtur hujus paragraphi thema. His tamen adde quod ea quæ de Societate Jesu S.* Teresiæ *cœlitus revelata fuerant, vix sinerent ut Ordinem illum aversaretur. Taceo* Teresiam *vidisse mortuum Fratrem quemdam S. J. magna cum gloria in cœlum evehi* (*Vitæ cap.* XXXVIII, *num.* 21), *eamque bis vidisse in ecclesia ejusdem Societatis Fratres, dum ad Sacram Mensam accedebant, coopertos pallio ditissimo* (*ibid. cap.* XXXIX, *num.* 18). *Sed alia generalia magis totumque spectantia Ordinem fusius evoluta videri possunt* § LXXXIII; *ubi demonstratum est Sanctam de Societate agere, quando narrat se religiosos conspexisse qui candida vexilla in cœlo gestabant* (*cap.* XXXVIII, *num.* 10); *item quando ait revelatum sibi fuisse quam strenue sub finem mundi religiosa quædam cohors esset pro Ecclesia Dei certatura* (*cap.* XL, *num.* 8). *Atque hæc e scripto Sanctæ testimonio. Insuper et aliæ sunt de Societate Jesu habitæ ab ipsa visiones quas testes spectatæ fidei se ex ejus ore accepisse affirmarunt. Sic novit martyrii laurea donatum fuisse P. Martinum Gutierrez* (*uti retuli num.* 557 *et* 558). *Sic in spiritu vidit necem anno* 1570 *ab hæreticis illatam P. Ignatio Azevedo ac sociis ejus* (*uti latius evolvi* § XXVII). *Sic denique, ut narrat Ven. Ludovicus de Ponte in Vita Balthasaris Alvarez* (*cap.* VI), *S.* Teresia, *audiens quadam die hujus Sacrum, vidit eum toto tempore quo Sacrum durabat, habere in capite diadema quoddam magni splendoris. Agnovit quoque eum fore salvum, et celsissimam in cœlo occupaturum sedem* (*ibid. cap.* XI). *Ac, ut cognovit eum mundo ereptum, tota hora planxit, eo quod, ut interrogata fatebatur, Fides Ecclesiaque Catholica magnam illius occasu jacturam patiebatur. Denique mœstæ cuidam apparens Dei famulæ, quam in magna ejus afflictione solari volebat, inter alia multa ei significavit etiam se in cœlo colere et venerari pristinum suum confessarium P. Balthasarem Alvarez* (*ibid. cap.* LIII). *Mitto aliam de S. Ignatio visionem, de qua, ut Montoya* (*diss.* I, *cap.* VII, § I, *num.* 19) *affirmat, P. Ludovicus Carnioli capite* XXI *Vitæ suæ Ignatianæ loquitur, et in qua S.* Teresia *vidisse perhibetur S. Patriarcham Ignatium primas in circumgestatione Sanctissimi Sacramenti tenentem, eo quod frequentiorem divinarum harum epularum usum in orbe Catholico propagasset.*

Memoratur visio de animabus morientium in Societate :

1686 *Tandem occasio hic sese mihi offert mentionem faciendi cujusdam visionis, quæ refertur in Imagine primi sæculi Societatis Jesu* (*pag.* 648 *et* 649) *et hinc descripta fuit a P. Lancicio in opusculo de Præstantia Instituti S. J.* (*lib.* II, *cap.* I) *atque a Cardinali Cienfuegos in Vita S. Francisci Borgiæ* (*lib.* V, *cap.* X, § V). *In ea visione perhibetur S.* Teresiæ *Cordubæ agenti fuisse divinitus revelatum religiosos Societatis Jesu gaudere privilegio ut cuique eorum, simul ac animam exspiravit, obviam eat Christus, animam ejus excepturus. Ita citati scriptores. Quod si quis me percontetur quid de veritate tantæ tamque optabilis prærogativæ censendum sit, id responsum a me feret quod prudens P. Joannes Pinius* (*tomo VII Julii, pag.* 852) *olim dedit post narratas non absimiles visiones de beato exitu omnium in Societate Jesu morientium, sic inquiens :* Istius prærogativæ veritati tantum tribues quantum rationibus pro ea allatis deferendum esse censueris.

AUCTORE V. D. M.

censueris. Et vero erunt sine dubio qui pro re adeo paradoxa, dicam pene incredibili, majora credibilitatis motiva requirant. Quæ cum mihi non sint in promptu, superest ut me contineam intra solos simplicis narrationis fines, relicta cuilibet in utramque partem sentiendi plenissima libertate. Hoc interim longe certissimum est, unicuique e Societate sedulo enitendum ut digne ambulet vocatione qua vocatus est, et satagendum ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciat.

suggeriturque dubitandi de ea visione ratio.

1687 *Porro alia adhuc ratio est in dubium vocandi prætensam eam S.* Teresiæ *visionem de excipiendis ab ipso Christo animabus omnium eorum qui in Societate Jesu moriuntur. Nam in Chronico* (*lib.* XVI, *cap.* XXXII *et* XXXIV) *fuse narratur percrebuisse anno* 1594 *in Excalceato Carmelo opinionem de prærogativa a Deo S.* Teresiæ *concessa, qua nullus sacra sui Ordinis indutus veste damnaretur. Ast Sancta, Annæ a S. Augustino apparens, mandavit ei ut id pernegaret, dicendo destinatum esse infernum cuicunque sua non explenti munia, cœlum vero aut purgatorium destinatum esse cujusque merito. Cum autem refugeret Anna vulgare se dignatam fuisse apparitione S. Matris suæ, iterum et tertio* B *idem Sancta ei injunxit, atque trina loca quorum unum singulos manet, nempe cœlum, infernum et purgatorium, ejus oculis objecit, minaci vultu significans eam in stagnum projectum iri, ni morem gereret suosque dedoceret noxiam istam fiduciam. Cumque tandem Anna visionem acceptumque a S. Matre mandatum confessario plene aperuisset, hic de tota re prælatos certiores fecit : atque prælati per totam Congregationem publicarunt datum cœlitus monitum, quo obviam iretur damno, et, ut ait Chronicum, recordarentur omnes non salvari per vestem, sed per bona opera quæ in religiosa veste præstantur. Quod si vaticinium quoddam de religiosorum salute aut arctiori ipsique Euangelio conformiori limite aut conditione quadam restringeretur, ei acquiescerem, modo probis synchronisque testibus asseveratum esset; quemadmodum Stiltingus ad diem* XXVIII *Augusti in Vita S. Augustini* (*n.* 821) *dubitandum non censuit de prophetia quam hic Sanctus S. Norberto fecit, sic inquiens :* Si sub conscripta a me regula Fratres tui, filii mei, bene militaverint, securi Christo adstabunt in extremo terrore judicii.

Epiphonema e P. Lancicio, oppositum epiphonemati Ill. Burgensis.

1688 *Si quid igitur ratio, si quid auctoritas valeat, dum Illustrissimus Burgensis, inanibus nixus paralogismis, pronuntiat S.* Teresiam *fuisse Societati adversam, lectores, ut spero, calculum suum adjicient P. Lancicio, qui caput* XIX *opusculi sui de Gloria S. Ignatii his verbis claudit :* Si gloria patris est filius sapiens, teste Scriptura, magnæ S. Ignatii gloriæ causa fuit Virgo Sanctissima Teresia, PP. Carmelitarum Discalceatorum illustrissima Fundatrix, excellentissimis virtutibus ac plane heroicis splendida, intimam Christi consuetudinem per evectissimæ contemplationis gradus experta, mysticæ theologiæ scriptione mirabilis, summorum laborum patientia clarissima, Carmeli reformatione orbe toto laudata, a Christo in sponsam accepta, præ divini amoris impetu sæpe extasim passa, ignito Cherubini spiculo præcordia trajicientis admirabilis, inexplebili salutis animarum siti accensa, intemeratæ virginitatis flore candida, divinis visionibus, prophetante spiritu ac multiplici gratia sanitatum in vita et post mortem toto orbe celeberrima : hæc, inquam, S. Virgo magnæ S. Ignatii gloriæ causa fuit, quia Societatis Jesu per S. Ignatium institutæ se filiam agnovit, ejusque opera et in Confessionibus Sacris et in spiritualium C rerum magisterio usa est; et multa, Deo revelante, in commendationem Societatis Jesu cognovit, verboque atque scripto testata reliquit. D

§ LXXXVII. S. Teresia composuit monialium suarum Constitutiones.

Prima causa magnæ disceptationis ea super re,

Gravissimam *nunc ordior tractandam quæstionem de Carmeli Excalceati Constitutionibus, quæ radix sunt pulcherrimæ illius a* Teresia *plantatæ arboris, cujus fructus alunt Ecclesiam Dei. Sed et quæstio simul intricatissima est, cum de iis Constitutionibus et præsertim de una alterave earum adeo disceptatum fuerit, ut ipse Ordo totus inde aliquando fuerit vehementer commotus : sicut legi potest in Chronico* (*lib.* VIII, *cap.* XXXV) *et in Vita S. Joannis a Cruce, auctore P. Marco a S. Francisco* (*cap.* XLVII). *Nimirum facultate consulendi viros spirituales, quam S. Mater filiabus suis a priorissis præberi voluerat, et quam primum capitulum* E *generale anni* 1581 *confirmaverat, nonnullæ, adhuc* Teresia *vivente et multo magis ea mortua, sub molliori Gratiani regimine fuerant abusæ, non sine regularis disciplinæ gravi detrimento. Igitur, cum invalescenti malo obviam eundum esset, successor Gratiani P. Nicolaus Doria, zelosior quam prudentior, totam fere regiminis Carmeli Reformati faciem studuit immutare, neque dumtaxat temperare nimiam in monialibus a Gratiano fotam licentiam eligendorum pro libitu confessariorum, sed et eam quoque adimere iis libertatem quam S.* Teresia *sanctam dicere non dubitaverat. Ergo multos inter dolores et questus, S. Matris auctoritas a filiabus inclamata est, et allegatæ quæ, dum in vivis ipsa erat, prodierant Ordinis leges : atque, ut de his passim magis constaret, illas ipsas Constitutiones quæ, consiliante* Teresia, *paulo post primum capitulum generale anno* 1581 *Salmanticæ editæ fuerant, moniales anno* 1588 *Madriti ad litteram revulgandas curarunt. Duce potissimum Ven. Anna a Jesu, tunc temporis priorissa conventus Madritensis, quæ, virago prudentia non minus quam fortitudine insignis, meruerat a S.* Teresia *se potior digniorque Ordinis institutrix et rectrix nuncupari, habebaturque a cunctis Teresianarum virtutum ex asse hæres, hac agente, inquam, itum Romam est, obtentumque fuit a Sixto V, ut quod ipse e mente P. Nicolai Doria* X *Julii* 1587 *ediderat Breve, e mente jam Annæ a Jesu revocaret, novoque Brevi* V *Junii* 1590 *dato pristinam ferme gubernandi Ordinis formam restitueret ac ratas haberet primævas Constitutiones quæ mense Martio anni* 1581 *in primo capitulo generali, dictante aut saltem afflante* Teresia, *conditæ fuerant. Vehementer hoc displicuit multis e Carmeli Patribus, ita ut paulo post decreto capituli generalis valere jusserint moniales, negata eis deinceps omni spiritualis regiminis cura. Ast, cum Philippus II, rogatu Annæ a Jesu, quæ sævo hoc Ordinis decreto perculsa erat et conterrita, apud Gregorium XIV pro monialibus intercessisset,* XXV *Aprilis* 1591 *providus Pontifex mandavit ut Ordo monialibus denuo impenderet curam, et ut provinciales per districtum suum moniales earumque monasteria gubernarent ac visitarent, nonnullis in Sixtino Brevi mutatis. Ergo composita qualitercumque pax est, ac sequenti anno* 1592 *Patres editionem Constitutionum anni* 1581 *verbotenus* F

A *verbotenus Madriti typis Petri Gomez Arragonii recuderunt, his inserentes quæ Gregorius XIV addiderat vel mutaverat, notata asterisco (vide P. Ludovicum a S. Teresia in gallica Synopsi erectionis Carmelitissarum in Gallia, cap.* XLVIII).

quam, cum silentio præterire non liceat

1690 *Ea ratione in Hispania residens vicarius generalis, factus anno* 1593 *Præpositus Generalis, rexit aucta indies inibi monasteria ac simul etiam duo anno* 1590 *Genuæ condita, donec bina hæc cum erecto tertio Romæ sejuncta fuerint* XX *Martii* 1597 *a Congregatione Hispana, subditaque primum, cum* XIII *Novembris anni* 1600 *in distinctam Congregationem evaderent, commissario generali, ac dein anno* 1605 *creato alteri Præposito Generali, una cum reliquis extra Hispaniam fundatis fundandisque domibus sub nomine Congregationis S. Eliæ, dum Hispana Congregatio titulo S. Josephi insignita manebat. Utriusque hujus Congregationis Excalceatarum domus sub suo quæque capite usæ fuerunt iisdem prope Gregorianis Constitutionibus. Quod si forte singularia quædam tractu temporis iis accreverint, non est mei propositi hæc disquirere, nedum (quod absit!) arguere. Verumtamen hæc aliaque silentio tunc præterire minime possum,*

B *quando* Teresia *in jus vocatur; quippe qui omnia quæ ad S. Institutricem pertinent, assumpserim pertractanda. Inquirendum idcirco mihi est ipsane fecerit Reformati Carmeli Constitutiones necne; et, si fecerit, an immediate per se, an vero mediate per capitulum; dein an copiam monialibus suis voluerit factam deligendi sibi confessarios animæque directores; et utrum ad mortem usque eam libertatem quam ipsa introduxerat et quam confirmaverat capitulum generale anni* 1581, *voluerit sartam tectam, utrum vero lapsu temporis, præsertim cum sub Gratiano enasceretur abusus, eam cupiverit restrictam magis; ac tandem an malucrit sequioris sexus Carmelum subesse Generali provincialique ejusdem Ordinis, an vero ei perinde fuerit, sive filiæ suæ subessent immediate Ordini, sive immediate Ordinario loci aliisve apostolica auctoritate delegatis. Nam cuncta hæc, quantumvis discrepantia, audiens promiscue pro cujusque libitu affirmari et negari, non possum non de his disserere, cum Teresianæ vitæ pars sane magna sint, reponique inter potissima Sanctæ gesta certissime mereantur, utpote spectantia ad reformati ab ea Ordinis non tam disciplinam quam fundamentum. Enimvero truncum nimis opus*

C *erudito orbi porrigerem, si, insueto antecessoribus meis more, contrarias has gravissimorum virorum de Sancta cujus Vitam scribo, assertiones negligerem atque præterirem mutus, dum confusis mihi undique circumstrepitur vocibus, parique fronte asseveratur,* Teresiam *Constitutiones scripsisse, et non scripsisse; consilium de copia confessariorum filiabus suis facta mutasse, et non mutasse; Constitutiones quæ in uno regno servantur, esse primævas genuinumque S. Institutricis fœtum, dum de contrariis quæ alibi vigent, idem non minus præfracte affirmetur; ubi tamen ex oppositis alterutræ saltem spuriæ sint oportet.*

ob conflictum sententiarum,

1691 *Et ne quid temere a me asseri suspiceris, ut summam inter auctores super his discrepantiam videas, conferas, velim, sequentes auctores, quos doleo me non posse ob prolixitatem per excerpta hic proferre : P. Ambrosium a S. Angelo in epistola proœmiali Cæremonialis monialium, apud P. Fredericum a S. Antonio (lib.* IV, *cap.* X, *num.* 11); *P. Ferdinandum a S. Maria, Præpositum Generalem Congregationis S. Eliæ, in encyclicis anni* 1630; *R. P. Honoratum a S. Teresia, item Præpositum Generalem ejusdem Congregationis, in litteris suis* XIII *Martii* 1835 *ad moniales Carmeli Belgici, annexis novæ editioni Constitutionum;* D *P. Josephum a Jesu Maria, Præpositum Generalem Congregationis S. Josephi, in prologo Constitutionum anni* 1616; *P. Franciscum a S. Maria in Chronico (lib.* I, *cap.* L, *num.* 5 *et* 6), *ac plurimos alios ex utraque Congregatione S. Josephi et S. Eliæ; e Gallis vero Boucher, in Vita B. Mariæ ab Incarnatione (lib.* III, *not.* b), *qui ingenue dicit Constitutiones in Gallia esse ex integro conservatas, in aliis vero regionibus mutatas; ac potissimum Tabaraud, in Vita Cardinalis de Berulle (tom. I, lib.* II, *cap.* V, *n.* 7) *ita loquentem :* Jure timebat Berullius ne in Gallia eveniret quod factum fuerat in Hispania, ubi PP. Carmelitani exegerant Constitutiones Teresianas, ut spurias substituerent : ita ut non amplius in Hispania moniales Reformationis S. Teresiæ jam existant, et ut cogantur Flandriæ, Italiæ et Germaniæ conventus qui Regula S. Reformatricis potiri cupiunt, accedere ad magnum conventum Lutetiæ Parisiorum. *Quod ex Tabaraud haustum et allegatum invenies in ephemeridibus gallicis quibus titulus :* L'Ami de la Religion (*tom. LXXXI, pag.* 406). *Simili modo loquitur Marillac in libro de Erectione et institutione monialium* E *S.* Teresiæ *in Gallia, edito Parisiis anno* 1622 : *ubi (pag.* 74) *affirmat quoque Constitutiones quæ viva S.* Teresia *factæ sunt, in Gallia et melius observari et majoris æstimari quam ubivis terrarum, ac cœnobiales S. Matris virgines ad earum normam fideliter, imo fidelius quam alibi, illic institui. Quod si quis aveat scire quantum et quibus in rebus Carmeli Reformati Constitutiones inter se discrepent, comparet necesse est varias earum editiones hispanicas, italicas, belgicas, gallicas, etc. : quarum plures inspicere mihi licuit, v. g. Madritensem anni* 1592 *et Bruxellensem anni* 1607; *ne quid loquar de manuscripto authenticato Brevi Sixti V dato* V *Junii* 1590, *quod reperitur in Bruxellensi bibliotheca regia Manuscriptorum, sub num.* 7398.

AUCTORE V. D. M.

circumspecte et solide tractare conabor.

1692 *Ista igitur omnia,* Teresiam *certe proxime attinentia, a me ita disserenda sunt ut investigem quidnam S. Mater voluerit, fecerit, scripserit, sanxerit. Aliam interim omnem dissertationem, quæ non biographi S. Institutricis sit, sed historiographi Ordinis, plane devito. Atque insuper, cum hæc pro officio tractaturus accedo, procul a me abesse profiteor ut ullam hisce in rebus damnare aut taxare velim consuetudinem quæ usquam pro varietate tem-* F *porum aut locorum in laudatissimo Ordine viguit vigetve. Nec judicii hoc sit in me temeritas, imo nefas sit, vel minime improbare omne id quod potestate apostolica (quæ fundatoribus Ordinum cunctisque religiosis Ordinibus longe major est) in hac illave forte alicubi mutatum fuit constitutione modove regiminis, tametsi regiminis modus inter reliquas omnes Constitutiones Constitutio princeps dici mereatur. Ergo in nullarum inclinatus partium studium, S.* Teresiæ *facta simpliciter refero, et quæ dico, probabilibus conor munire historicis argumentis, nitens potissimum testimoniis scriptorum qui Sanctæ coævi vel suppares fuerunt, ac multo maxime, ubicumque potuero, auctoritate ipsius* Teresiæ. *Porro, cum in facto probando citatus testis plus polleat quam ratiocinium, quo clarius de afferendorum a me valore constet, plerumque allegabo ipsa auctorum quos testes invoco, verba, ut quodammodo lectores mei, ceu judices una mecum pro tribunali sedentes, ex allatis tabulis collectisque testimoniis dicendi juris compotes fiant pro elicita perspectaque sibi veritate, aut, ubi hæc dubia mansit ob incerta instrumenta litis, ut judicium mecum*

AUCTORE V. D. M.

A *suspendant, imitando Areopagum, qui in causa ubi jus inextricabile erat, litigantes redire jussit post centum annos.*

S. Virgo, licet non intenderit novum erigere Ordinem,

1693 *Prænotare convenit* (*ex Chronico, lib.* III, *cap.* XXXIX, *num.* 2) *modestissimæ Virgini ne vel in mentem unquam venisse ut novam Religionem conderet* (*contra ac innuit Emery pag.* XL), *sed suam dumtaxat instaurare voluisse. Nam, ut testatur Gregorius XIII in Brevi* V *Junii* 1580, *studuit S. Reformatrix juxta primitivam regulam suum componere Institutum; atque, ut ait P. Joannes a Jesu Maria,* regulam Alberti, ab Innocentio modice temperatam, et sub ipso temperamento pro primitiva habitam, tam cupide amplexata est ut primævam illam observationem quæ Innocentii mitigationem antecessit, excelluerit (*lib.* I, *cap.* II). *Quod si quis Ordinis successiones nosse cupiat, legere poterit in Chronico* (*lib.* I, *cap.* XLVIII) *qui B. Albertus, ex episcopo Vercellensi creatus ab Innocentio III patriarcha Hierosolymitanus, circa annum* 1209 (*vide Acta SS., tom. I Sept., pag* 576) *primam Carmeli regulam compegerit; deinde quomodo anno* 1248 *Innocentius IV, ad instantias capituli generalis, sub B. Simeone Stock in Anglia celebrati,*

B *priorem regulam leniendo et in meliorem formam redigendo confirmarit; ac tandem quantum Eugenius IV anno* 1432 *hanc Religionem mitigarit, cujus ubere Sancta nostra in monasterio Incarnationis sequenti sæculo lactata et educata fuit. Speciales autem articulos reformati a* Teresia *Instituti nitide exhibet Ribera* (*lib.* II, *cap.* I).

composuit tamen Constitutiones :

1694 *His præmissis, primo jam loco inquirendum mihi occurrit utrum* Teresia *fecerit reformati a se Ordinis Constitutiones. Extra controversiam, quod ad moniales attinet, hoc quidem esse oporteret, cum, ut brevi videbimus, multiplicia et certissima testimonia unanimi prope consensu Sanctam eas fecisse adstruant; attamen ratio agitandi hanc de tanta re et pro Ordine et pro ipsius S. Matris gloria minime sane otiosam quæstionem, est quod non sat sibi constent graves nonnulli Ordinis Carmelitici scriptores, quando de primævis reformati sui Instituti Constitutionibus loquuntur. Ad unum quidem omnes, tunc præsertim cum exaltant legum suarum* (*quæ eximiæ plane sunt*) *præstantiam et sanctitatem, aut cum urgent earum executionem, dicunt has a S. Matre immediate profectas primitus esse, atque illas ipsas ex ejus mente et consilio apo-*

C *stolica auctoritate anno* 1581 *a capitulo generali sancitas : ast, quando de libertate agitur monialibus in hoc capitulo concessa consulendi viros spirituales acciendique confessarios, negant Constitutiones anni* 1581 *S.* Teresiæ *proprie adscribendas, et insuper affirmant eam, meliora experientia doctam, pœnituisse concessæ aliquando a se hujus quoad confessarios libertatis. De posteriori hoc articulo circa confessariorum delectum postea acturus, nunc refutabo eos qui S. Matri Constitutiones denegant. Quod ut præstem, aliquot ex his, non infimi certe subsellii viros, qui dixere proprie Teresianas non esse priscas monialium Ordinis sui Constitutiones, prius citabo, referens ipsa eorum verba.*

quas male quidam Sanctæ eo prætextu abjudicant

1695 *Primus itaque prodeat hujus sententiæ assertor P. Nicolaus Doria, qui in Memoriali quod anno* 1590 *compegit, quando totius Ordinis commissarius generalis erat, ita scripsit :* Cum moniales (*quæ cum Ven. Anna a Jesu ei, plura molienti et mutanti, obnitebantur*) ad corroborandam suam opinionem prætendebant Constitutiones a S. Matre factas fuisse, sin malitia, apertissima saltem inscitia erat. Tametsi enim constet haustam esse majorem partem materiæ Constitutionum ex ejus annotationibus, libris ac consiliis, vis tamen legis et virtus D obligandi, quæ Constitutionum anima dici potest, non a Sancta, sed ab Ordine, ut a capite, derivabatur. *Hæc ille, quem rerum ad Constitutiones Ordinis sui pertinentium gnarum esse oportebat; quippe qui cum Sancta Institutrice de penitiori Ordinis regimine tractaverat, qui interfuerat capitulo Complutensi ubi sancitæ fuerant Constitutiones, et qui, utpote commissarius generalis, fungebatur primario Ordinis sui munere. Similibus ferme verbis loquitur gravissimus scriptor Chronici* (*lib.* VIII, *cap.* XXXVII), *ita inquiens :* Concepta condendarum Constitutionum prima idea magnam partem a Teresia erat (*sed, ut rectius lib.* II, *cap.* L, *num.* 3, *dicit, nil restringens :* Teresiæ erant in Constitutionibus res dictatæ, spiritus verbaque), legis vero robur ab Ordine, quia hoc legi tribuere ipsa nequibat : taliter ut diversimode Constitutiones et a Sancta sint et ab Ordine, qui etiam potuit ac subinde debuit eas immutare, prout revera, exigentibus rerum adjunctis, immutavit. Quare moniales quæ eas uni Teresiæ adscripserunt, muliebri errore illuserunt sibi, et Religionem affecerunt injuria. *Demum P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist* 39, *not.* 15) E *et auctor Chronici* (*lib.* V, *cap.* XII, *num.* 11) *referunt Ven. Annam a S. Bartholomæo in quadam epistola anno* 1621 *scripta* (*de cujus authentia ob acerbitatem styli plus quam dubium est*) *inter alia dixisse :* Illi qui ad tuendum liberum confessariorum delectum inniti volunt Constitutionibus capituli Complutensis, contendunt a Teresia eas esse factas; sed non est ita.

quod Ordo eas confirmarit.

1696 *Ast multo magis falsum esse patet ipsum prædictorum ratiocinium quo* Teresiæ *attribui posse negant Constitutiones non aliam ob causam quam quia Ordo eas confirmavit. Ullane enim hæc est ratio, ut Teresianæ proprio verborum sensu esse desierint, ex eo quod capitulum eas ratas habuerit novamque vim legalem eis adjecerit? Certe simili omnino in casu ac pari ratione decem Constitutionum partes a S. Ignatio pro Societate sua compositæ Ignatianæ permanserunt et ut tales ab omnibus prædicantur, licet tantummodo post S. Patris obitum congregatio generalis statuerit eas ratas ac firmas habendas esse, adeoque legali eas vi donarit qua ante carebant* (*vide Institutum S. J. Congr. I, decr.* XV *post elect., et Orlandinum Hist. S. J. lib.* X, *num.* 51 *et* 52) : *idque eo magis verum est, quod, si Ordinum religiosorum Constitutiones habendæ essent illius qui* F *eis legale robur confert, non tam capitulis generalibus attribuendæ essent quam Summis Pontificibus, qui apostolica auctoritate ipsas condi aut jam conditas muniri permittunt, sive interveniente sive non interveniente Ordinis capitulo. Quare mirum profecto est P. Nicolaum Doria, P. Franciscum a S. Maria, et* (*saltem ut perhibent*) *Ven. Annam a S. Bartholomæo, trinam hanc S. Matris spectatissimam prolem, insigne id sertum factarum ab ea Constitutionum de capite ejus velle demere, atque factum constans et patens negare imbelli adeo ratiocinio, quasi non composuisset eas, ex eo quod Ordo ipsas confirmarit, et quasi omnes qui dixerunt conditas a S. Matre Constitutiones, aliud asseverare in animo habuissent quam eam Constitutiones excogitasse et exarasse, sive earum subministrasse materiam et essentialem formam; quamvis admitterent capitulum generale, verba redigendo, dolandove suggestum a* Teresia *sensum, addidisse forsitan accidentalem, et sanciendo eas novo vestiisse robore.*

Fecisse Sanctam Constitutiones quæ in usu fuerunt ante annum 1581, *probatur*

1697 *Ergo, non obstante hac Constitutionum a capitulo ratihabitione, modo demonstraverim* Teresiam *aliquando pro sequiori sexu Ordinis sui Constitutiones,*

A *stitutiones, non solum eas quæ viguerunt in primo suo conventu Abulensi et in fundatis postea a se ante annum* 1581 *aliis monasteriis, composuisse, sed illas quoque quæ in generali capitulo confirmatæ sunt, ordinasse, sin quoad verba, saltem quoad substantiam, confecta res erit, neque ulli alteri quam S. Matri obvio verborum sensu adscribi hæ poterunt, ac Teresianæ summa verborum proprietate erunt nuncupandæ.* Teresiam *autem revera fecisse monialium suarum Constitutiones imprimis pro suo conventu Abulensi et dein pro reliquis a se ante capitulum generale anni* 1581 *erectis conventibus, nec clarius nec aptius referre possum quam ipsis Chronici verbis. Postea quæram utrum S. Matri etiam illæ Constitutiones attribui possint aut debeant quæ prodierunt ex capitulo generali anni* 1581. *Audi igitur jam Chronicum :* Spiritus quem Deus communicavit gloriosæ nostræ Reformatrici, tantopere illustratus fuit ad docendum, tanto robore auctus ad operandum, ut, cum exiguus ei videretur rigor regulæ primitivæ, ei superaddiderit pedum nuditatem, cibi vestiumque vilitatem, strati duritiem, asperitatem disciplinarum, orationem mentalem ad duas horas protractam, et huic præviam lectionem spi-
B ritualem, examen conscientiæ, aliasque observantias; quæ Regulæ (*S. Alberti*) additæ constituunt vivendi modum multo rigidiorem, arduum et perfectissimum : atque hæ observantiæ, quas Excalceatus noster Ordo fundamentales vocat (sustentant quippe pondus omnium reliquarum, vigorem tribuentes animæ), in tantum Sanctæ adscribendæ sunt ut religiosi et primi ejus in Ordine reformando coadjutores ab ea ipsas susceperint, ipsæque etiamnum servari pergant integre prorsus, prout eas S. Mater in suo Abulensi conventu plantavit. Et quoniam decebat ut non minus in modo observandi regulam et hæc gravia documenta, quam in conventus gubernio, uniformitas, quæ animos in vinculo pacis conjungeret, haberetur, addidit alia monita, prudentia et sagacitate conspicua. Porro prudentiæ atque experientiæ præceptum est, ut annotat Cassiodorus, res magnas et momentosas non uni credendas esse memoriæ, quæ, si gesta conservat, mutat verba et pedetentim utraque obscurat; et propterea eas recte litteris mandari, quo certius uno semper modo intelligantur. Quæ considerans S. Mater statuit scribere quæcumque sibi ad hanc uniformitatem conducere viderentur. Intendit hac in re divina
C Providentia (nam Dei consilio id factum est) ut imago hujus sanctæ animæ, translata in librum et inde in suas filias, has ad ejus amussim ordinaret et normam, reddens eas puras, spirituales et sanctas. Communicavit sua de Constitutionibus scripta cum P. M. F. Dominico Bañez, suo pro tempore confessario, eoque jubente illa obtulit Ill. D. Alvaro de Mendoza, episcopo Abulensi hujusque conventus prælato, ut per ejus approbationem consequerentur meritam auctoritatem. Hæc scilicet est universalis uniformisque traditio monialium et Fratrum, testantibus omnibus veteranis a S. Matre nostra Constitutiones conditas fuisse, ut conventui S. Josephi primum usui forent. Quod et constat ex Brevi Pii IV, expedito Roma XVII Julii MDLXV (quo tempore unus conventus Abulensis penes eam erat), quo Pontifex, petente S. Matre, confirmat Constitutiones ab ipsa factas. Ambo gravissimi ejus biographi, qui eam noverunt, cum ea egerunt ejusque exceperunt Confessiones, P. Doctor Franciscus Ribera S. J. et R. D. Episcopus Turiasonensis Fr. Didacus de Yepes, in singularibus capitibus affirmant Constitutiones a Sancta factas fuisse; et posterior has late prosequitur. Ac pro ejus testimonio idem asserunt auditores Rotæ in Relationibus a se confectis pro canonizatione nostræ Sanctæ. AUCTORE V. D. M.
D

1698 Anno MDLXVI venit in Hispaniam R. P. Joannes Baptista Rubeus Ravennas. . . . Dedit hic Sanctæ licentiam plura monialium monasteria fundandi, adjecta conditione ut Ordini subessent, novumque postea mandatum dedit condendi novas Constitutiones, communes pluribus conventibus, et addendi Constitutionibus pro monasterio Abulensi conscriptis quidquid sibi in hunc finem necessarium videretur. Loquens nostra Reformatrix de multis bonisque officiis quibus P. Gratianus Excalceato Carmelo profuerat : « Fecit, inquit, Consti- » tutiones pro Fratribus; nam nos moniales a » Reverendissimo Patre Generali jam Constitutio- » nes acceperamus. » Quoniam hæc verba occasionem dare possent cogitandi Constitutiones a nostra Sancta non fuisse conditas, verum aliunde acceptas, advertenda est non tantum magna ejus humilitas, qua cupiebat non se, sed prælatum, earum auctorem agnosci, sed et alia magis legitima facienda est consideratio. In legibus scilicet inventio, verba, dispositio et inter eas servatus ordo probe distingui debent ab auctoritate et vi obli- E
gandi. Illud subditi opus esse potest, hoc opus est solius prælati. Sic videmus pragmaticas sanctiones et leges regias communiter consiliariorum opus esse, sed vis et auctoritas ex approbatione et subscriptione regis nascitur. Ad hoc absque dubio attendit S. Mater, quando non humilis tantum, sed et sapiens, dixit Constitutiones monialium a R. P. Generali confectas fuisse; quoniam is eas fecit qui eis auctoritatem addidit. Quocirca non nego inventionem, verba, ordinem, et quidquid reliqui per inferiorem fieri poterat, Teresiana esse. Præterea, ut ait P. Gratianus in prologo Constitutionum anno 1588 Madriti impressarum, hausit S. Mater quædam, suæ Reformationi non adversa, ex antiquis Constitutionibus generalibus, quas R. P. Generalis ad reformandos suos subditos fecerat. *Ita hactenus Chronicum* (*lib.* I, *cap.* L). *Atque Ribera* (*lib.* II, *cap.* I), *postquam enumeravit notabiliores Reformati Carmeli regulas, idem sequentibus dicit verbis :* Has omnes Teresia Constitutiones digessit et decrevit, accepta ad hoc per Pii IV diploma, XVI kalendas Augusti anno 1565 concessum, potestate : qui Summus Antistes, cum per hoc concessisset ut Constitutiones conciperet, easdem post digestas ni- F
hil moratus approbavit.

e Chronico; cui subjungitur testimonium Riberæ.

1699 *Hic tamen Ribera, una cum P. Montoya* (*diss.* III, *num.* 62) *aliisque multis qui Riberam exscripserunt, corrigendus est : nam in primigenia etiam editione anni* 1590 *erronee dicitur Pius IV die* XVII *Julii* 1565 *permisisse ut Constitutiones fierent. Pius enim designato hoc tempore approbavit quidem modo factas; facultas vero eas faciendi data jam erat* VII *Februarii* 1562. *Simili quoque, sed contrario errore, P. Helyot in sua Historia Ordinum religiosorum dicit Constitutiones Teresianas jam* XI *Julii* 1562 *a Pio IV approbatas. Idque habetur non solum in variis operis illius editionibus, sed etiam in versione italica. Idem quoque error occurrit in coacervata ista impietatum et mendaciorum farragine quæ gallice* Encyclopédie méthodique *inscribitur. At non vacat refutare ineptias quæ isthic pro more reperiuntur, et ubi de Jurisprudentia* (*art.* Carmélite), *et ubi de Historia* (*art.* Thérèse). *Ibi exempli causa dicitur* Teresia *jam anno* 1536 *inchoasse Ordinis reformationem, hic vero plura de Sancta nostra proferuntur vel falsa, vel quæ certa sunt, sceptico modo.*

In hoc notatur error, ut et in Helyot, at multo maxime in Encyclopædia gallica.

1700

AUCTORE V. D. M. *Illud quoque probatur e Diplomatis pontificiis, atque aliunde :*

1700 *Operæ pretium est hic paucis repetere utriusque pontificii Diplomatis excerpta, prioris nempe quo datur facultas condendi statuta, et posterioris quo condita approbantur. Scilicet dicit Pius IV anno* 1562 : Super his quæ felix regimen et gubernium ejusdem monasterii concernent, quæcumque statuta et ordinationes licita et honesta et juri canonico non contraria condendi, et postquam condita et ordinata fuerint, illa in toto vel in parte juxta temporum qualitatem in melius mutandi, reformandi, alterandi, et etiam in totum tollendi, eaque abrogandi, ac alia similiter condendi, licentiam et liberam facultatem impartimur. Ac tam condita quam mutanda, reformanda, alteranda et de novo condenda statuta et ordinationes hujusmodi apostolica auctoritate ex nunc pro tunc et e contra confirmata fuisse et esse ac inviolabiliter observari debere . . . decernimus. *Anno vero* 1565, *cum postulatum esset ut omnia quæ eatenus acta fuerant, confirmarentur, respondet Pontifex :* Nos igitur vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, erectionem monasterii, indultum, voluntatem, statuta, obedientiam eidem Ordinario ex indulto prædicto super dicto monasterio ac dilectis in Christo filiabus Teresa de Jesu nunc moderna Abbatissa, seu Matre forsan nuncupata, Maria Elisabeth et Anna de Angelis, olim in monasterio monialium Incarnationis extra muros Abulenses, nunc vero in dicto monasterio S. Josephi degentibus, ac aliis dicti monasterii monialibus pro tempore existentibus, debitam dandam, et decreta ac omnia et singula alia in eisdem litteris contenta et inde secuta quæcumque, licita tamen et honesta, sicut rite et provide gesta sunt, rata et grata habentes, illa apostolica auctoritate confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. *Atque idem innuit Breviarium Romanum, dicens :* Severiorem veterum Carmelitarum regulam, Deo afflante et Pio IV approbante, primum mulieribus, deinde viris observandam proposuit. *Adhæc in Vita Ven. Balthasaris Alvarez, mortui anno* 1580, *ait Ven. Ludovicus de Ponte* (*cap.* XI, § II) *eum in faciendis Constitutionibus* Teresiæ *auxilium præstitisse. Quod autem ad recentiores attinet, unus pro omnibus esse potest P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* IV, *cap.* X), *cujus verba in numerum mox secuturum citanda differimus, ubi uno ictu duplici quæstioni amputandæ subservient.*

et quæ in speciem contraria sunt, explicantur.

1701 *Ex iis omnibus sequitur manifestum esse S. Matrem saltem pro primo suo Abulensi et subsequentibus a se erectis conventibus Constitutiones scripsisse : ita ut mirandum sit Marillac et Boucher in libris jam citatis affirmare* domos quæ sectantur Reformationem S. Teresiæ, anno 1580 necdum Constitutiones habuisse, sed Sanctam eatenus fuisse vivam regulam domorum Reformationis suæ. *Verum Boucher in Vita S.* Teresiæ (*tom. I, pag.* 393) *rectius loquitur, et Constitutiones antea fuisse factas agnoscit. Neque quis dicat primas eas Abulenses Constitutiones auctorem habuisse Præpositum Ordinis Generalem, non vero* Teresiam. *Dicit quidem ille, in suo ad* Teresiam *die* XVI *Maji* 1567 *misso diplomate, Constitutiones illas esse* suas; *ac ipsa Sancta ait* (*Fund. cap.* XXIII, *num.* 8) *moniales, priusquam Gratianus primas Constitutiones pro Fratribus compingeret, jam sibi proprias tenuisse a R. P. Generali acceptas. Sed hic, ut advertit auctor Chronici in iis quæ supra ex eo allegata sunt, humilis* Teresia *factarum Constitutionum honorem tribuit R. P. Generali qui eas approbarat, ibi vero idem Præpositus in publico diplomate pro dignitate nuncupat* suas *quas sanxerat leges, quamquam a* Teresia *erant compositæ ex facta sibi ab apostolica Sede potestate. Atque hoc diserte affirmat Sancta in sua ad Moyam epistola* (*quam vide num.* 1632), *dicens :* Brevi papali adepta sum facultatem condendi Constitutiones; et cum huc venit R. P. Præpositus Generalis, approbavit illas : ac modo per omnia quæ fundavi cœnobia observantur.

Denique res conficitur e superstite Constitutionum illarum autographo.

1702 *Hactenus dicta e multis quos volvi libris Carmelitanis operose et studiose collegeram, atque hæc mea manuscripta typographo proxime excudenda tradideram, ut locus qui me hucusque præterierat, occurrit mihi in Anno Teresiano* (*tom. VII, pag.* 159), *quo omne hac super re dirimitur dubium. Videlicet P. Antonius a S. Joachim, auctor illius tomi* (*qui a congregato Madriti diffinitorio Ordinis* XIV *Februarii* 1757 *approbatus est, et sequenti anno ex Madritensi officina vulgatus*), *Madriti S.* Teresiæ *autographum primigeniarum earum legum codicem exstare affirmat sequentibus verbis :* Originales quales S. Teresiæ manu exaratæ sunt leges, quas ad usum primi sui Abulensis S. Josephi conventus condidit, hodieque existunt in Madritensi Ordinis nostri archivo. Codex est forma, ut dicitur, in quarto, numeratque viginti quatuor paginas. Duabus ante scriptum a Sancta textum paginis duæ habentur aliena manu formatæ lineæ, hæc exhibentes vocabula : « Constitutiones nostri Sancti » Ordinis Carmelitissarum Excalceatarum. » Et dein tertia adhuc manu subscriptum est : « Erant » in conventu Carmelitissarum Excalceatarum » Methymnæ del Campo. » Venit deinceps scriptura S. Fundatricis, hoc modo : « J. M. Constitu- » tiones ad usum sororum Ordinis Dominæ Nostræ » Montis Carmeli primitivæ Regulæ, sine relaxa- » tione, datæ a Rev. Generali dicti Ordinis, anno » 1568. » . . . Postremæ voces illarum Constitutionum hæ sunt : « Nemo ampliorem sibi arroget » licentiam, nec ullam agat pœnitentiam sine fa- » cultate. Deo gratias. » Codicis volumen compactum tectumque est levi africano corio, non sine aureo ornatu. Anguli obducti argento sunt, et fabrefactis ex eodem metallo fibulis clauditur. Utrinque in plana codicis parte scutum exstat, quorum alterum hanc fert inscriptionem : « Con- » stitutiones originales N. Matris Sanctæ Teresiæ a » Jesu »; alterum vero : « Ex pietate Reverendorum » Patrum generalium Indiarum procuratorum. » *Mirum profecto tam altum duobus fere sæculis de momentoso eo autographo silentium. Mirum Constitutiones illas postremis etiam Operum Teresianorum editionibus exulare.*

Sancta dicenda est eas quoque fecisse anni 1581,

1703 *Probata ergo priore positionis meæ parte, scilicet saltem Constitutiones monialium pro conventibus ante capitulum anni* 1581 *fundatis factas esse a* Teresia, *probanda superest posterior, ostendendo quid ipsa præstiterit in condendis iis quas capitulum anni* 1581 *ratas habuit. Jam supra de his loquens, citavi verba auctoris Chronici, diserte dicentis in Constitutionibus a capitulo confirmatis* a Teresia fuisse res dictatas, spiritum verbaque : El dictamen, espiritu y palabras fue de la Santa. *Atqui, ut jam observavi, si in iis res dictatæ, spiritus et voces a S. Matre proveniebant, quis neget ei, atque ei soli, jure meritissimo, si verborum proprietati inhæreas, illas adscribi posse ac debere? Nec quid obstat* (*quod ille auctor subjicit*) auctoritatem et vim obligandi ac verborum ordinationem *a capitulo fuisse; siquidem hoc non imminuit veritatem assertionis* Teresiam *suppeditasse Constitutionum materiam et formam essentialem : quod abunde sufficit ut genuina Constitutionum parens ipsa habeatur. Quamobrem censendus est Chronici auctor omnino perperam alibi dixisse,*

A *dixisse, moniales quæ allegaverant ut a sola* Teresia *factas Constitutiones, fuisse muliebriter deceptas et ipsi Religioni injuriatas. Atque hoc utrumque eo magis a vero abhorret, tum quia id quod moniales asseverabant, perspectum esse debebat toti familiæ Carmelitanæ, tum quia ab earum causa stabant doctissimi et probissimi viri, quales erant archiepiscopus Eborensis, Ludovicus de Leon, Dominicus Bañez, ac ipse S. Joannes a Cruce, qui, uti in Chronico* (*l.* VIII, *c.* XLV, *n.* 6) *dicitur, monialium, ob notam sibi earum innocentiam et veracitatem, semper fuit pater et patronus, imo qui autumabatur a consiliis fuisse Ven. Annæ a Jesu, antesignanæ sororum suarum, quæ sartam tectam cupiebant eam accersendi confessarios libertatem quam concesserat S. Mater, et quam firmam habuerat generale capitulum anni* 1581.

quod probatur ex Ribera, Yepesio et Actis canonizationis,

1704 *Ast, ne dicta repetam, cum jam supra argumentatus sim de præfato Chronici loco, recenseamus modo alios qui etiam posteriores has Constitutiones* Teresiæ *asserunt. Alter igitur opinionis quam tueor, vas, factique quod refero, testis sit Ribera, qui immediate post locum quem num.* 1698 *ex ipso attuli, ita prosequitur :* Constitutiones a Teresia conceptæ et digestæ atque a Pio IV approB batæ, etiamnum ipsa superstite, eadem apostolica auctoritate fuerunt confirmatæ Compluti in quodam Patrum Excalceatorum capitulo tempore quadragesimæ anni 1581, per P. Joannem de las Cuevas Ord. Præd., ad hoc speciatim negotium a Summo Pontifice delectum, et P. Hieronymum Gratianum a Matre Dei, eorumdem Excalceatorum provincialem, ac per ipsos diffinitores. Has ipsas septennio post sanctiones singillatim, facta singulorum titulorum qui capitibus illarum præfixi erant, mentione, probavit auctoritate sua Reverendissimus Cæsar Specianus episcopus Novariensis, Sixti V P. M. in Hispania Nuntius, deditque eis in perpetuum firmitatem die x Octobris MDLXXXVIII (*non* 1584, *ut in Ribera per mendam habetur, neque* 1585, *ut in P. Joanne a Jesu Maria et in pluribus passim*). *Nec minus aperte quam Ribera, id Yepesius enuntiat, libro secundo ita inscribens titulum capiti* XXXVII : Ubi ponuntur præcipuæ Constitutiones quas Teresia fecit pro regimine monasteriorum filiarum suarum. *Et antequam statuta ejus verbotenus referat, præmittit sequentia verba :* Constitutiones quas hic dabo, iisdem enuntiabo verbis quibus ipsa eas scripsit, C non tamen eodem ordine, quia tantum volo adducere præcipuas. Illas autem extraxi ex antiquis Constitutionibus quæ vivente adhuc Teresia typis editæ et observatæ fuerunt. *Ergo, teste Yepesio, illæ Constitutiones quas ipse eo capite exhibet et quas* præcipuas *jure appellat, a S. Matre ipsissimis exaratæ fuerunt verbis quibus anno* 1581, *paucis post capitulum generale mensibus, instante* Teresia *et curante Gratiano, Salmanticæ vulgatæ sunt. Quæ omnia sedulo sunt notanda; nam in gravi de libertate circa delectum confessariorum secutura disquisitione serio agendum erit argumento ex his verbis deprompto. Porro Acta canonizationis consonant dictis Riberæ et Yepesii. Relatione enim secunda auditores Rotæ sic habent :* Fundamentum summæ prudentiæ B. Teresiæ elicitur ex legibus et Constitutionibus quas tulit ad istius Religionis regimen et gubernationem, adeo prudentes ut ex illis facile dignosci valeat illam divino lumine in illis condendis fuisse illustratam. In quibus inter alia illud valde notandum est (et de quo etiam sapientissimi viri mirantur), nempe illa temperies suavitatis et austeritatis qua istam Reformationem instituit (*num.* 1237 *hujus Commentarii*).

1705 *Quin Patres Excalceati illi ipsi qui putant S. Matrem mutavisse mentem circa copiam adhibendi confessarios, innumeris locis affirmant eam fecisse Constitutiones. Præter Chronicum jam citatum audi unum alterumve e multis, imprimis P. Fredericum, qui* (*lib.* IV, *cap.* X, *num.* 11) *sic ait :* Constitutiones pro monialibus compositæ fuerunt a S. Matre Abulæ, examinatæ a P. Dominico Bañez ejus confessario, approbatæ a R. D. Alvaro de Mendoza episcopo hujus civitatis, et confirmatæ generali formula a Pio Papa IV, dato Brevi die XVII Julii MDLXV. Deinde R. P. Generalis J. B. Rubeus, cum dedisset S. Reformatrici amplam licentiam erigendi nova monialium monasteria, ei mandavit ut Constitutiones ordinaret quæ omnibus conventibus aptæ essent, easque approbavit. Deinde revisæ fuerunt in primo capitulo provinciali Reformatorum, congregato Compluti anno 1581, approbatæ firmatæque subscriptione provincialis et diffinitorum, quorum unus erat S. Joannes a Cruce. *Additque aliquot post lineas :* Secundum P. Ambrosium a S. Angelo, in epistola procemiali ad Ordinarium seu Cæremoniale monialium nostrarum, supponuntur Constitutiones monialium nostræ Congregationis juxta originalem E S. Matris scriptionem editæ esse. *Item audi P. Ferdinandum a S. Maria, Præpositum Generalem Congregationis S. Eliæ, in suis ad moniales anno* 1630 *datis encyclicis, quæ præfixæ sunt Constitutionibus cum licentia Præpositi Generalis Honorati a S. Maria gallice editis anno* 1835 *in Belgio* (*sed innominatis typis*), *ubi inter alia dicit sequentia, quæ cogor e gallico in latinum vertere, cum desit mihi primigenius textus :* Scietis ergo, dilectissimæ Matres, has ipsas Constitutiones, quæ in hac Congregatione a XII Decembris MDXC in usu sunt, et quas quatuor moniales Genuam, ubi primum conventum fundarunt, secum tulerunt ex Hispania, scietis, inquam, eas esse illas ipsas Constitutiones quas S. Mater nostra composuit, docuit et observavit a tempore quo primæva introducta fuit observantia. Hæ Constitutiones proin Ordinis capitulo non fuere propositæ et datæ monialibus nomine S. Matris aut ut ab ea compositæ, sed publicatæ sunt nomine ipsius capituli ob magnam viventis tum adhuc Sanctæ humilitatem, et etiam quia ei videbatur, si a capitulo proficiscerentur, plus ipsis auctoritatis et æstimationis accessurum, meliusque ipsas observatum iri. Atque ea ratione ca- F pitulum has Constitutiones auctoritate apostolica approbavit. *Dein probat e Riberæ loco supra citato, illas ipsas a S. Matre esse et factas et observatas : notatque Nuntium apostolicum Specianum, eas singillatim approbando, dixisse :* Hæ sunt Constitutiones a S. M. Teresia factæ, *atque Sixtum V Brevi* V *Julii* 1590 *dato itidem dixisse esse a S. Matre compositas, seque eas qua tales confirmare. Quibus autem verbis usus sit Gregorius XIV, ignoro; non enim mihi, quantumvis multa perscrutato, contigit Brevis illius compoti fieri. Eo autem magis miror id exulare tum a Chronico* (*præter excerpta quædam*) *tum ab Ordinis Bullario, quod pro fundamento habeatur et allegetur introductæ circa confessarios disciplinæ. Citari quoque peropportune posset P. Ludovicus a S. Teresia, ex Appendice ad Annales Carmeli Excalceati Gallici, ubi de monialibus* (*cap.* XLVII *et* XLVIII); *sed, ne longior sim, abstineo his aliisque afferendis, eo magis quod tantum repetitæ e Chronico eorum plerumque voces sunt : adeo sibi sunt similes.*

AUCTORE V. D. M. *atque ex Patribus Excalceatis,* D

1706 *Post talia igitur testimonia tot tantorumque virorum, aperte dicentium a* Teresia *exivisse Con-*

AUCTORE V. D. M. *ipsisque Sanctæ epistolis : ita ut res hæc extra controversiam esse debeat.*

stitutiones, non jam amplius locus relinquitur dubitandi de iis uni S. Matri adscribendis. Hoc tamen adhuc confirmatur e pluribus ejus epistolis. Scilicet, ut dicitur epistola 27 *tomi III* (*numero* 7, *ac nota* 21) *et epistola* 28 *ejusdem tomi* (*numeris* 1 *et* 8, *ac notis* 1, 3 *et* 12), *a Gratiano per* Teresiam *corrogatæ fuerant ex omnibus conventibus annotationes de mutationibus in Constitutionibus faciendis, quæ annotationes recensendæ veniebant ad* Teresiam : *hæc tum eas videbat et revidebat, atque emendabat, propriasque sibi faciebat; ita ut quidquid ad capitulum deferretur, ipsius Sanctæ postulata essent : tamque sedulo parva æque ac magna in Constitutionibus ponenda S. Mater Patribus capituli suggerebat, ut nil fugisse perspicax ejus judicium dicendum sit, utque ejus memorialia, prout loquitur P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 28, *not.* 3), *complecterentur omnia quæ in Constitutionibus innovata fuere. Proin eæ Constitutiones Teresianæ sunt quæ in Complutensi capitulo redactæ fuerunt, typisque Salmanticensibus eodem anno* 1581 *vulgatæ, ac Madritensibus ope Ven. Annæ a Jesu anno* 1588 *revulgatæ, ac tertio Bruxellensibus anno* 1607; *atque illic S. Matris mens, qualem versus finem vitæ suæ circa varias Ordinis sui res habuit, cerni potest. Absit tamen ut inde concludam S. Matrem, si tempore Sixti V et Gregorii XIV in vivis fuisset, vel minimam animi aut judicii aversionem naturalem* (*de ejus obedientia in exequendo, utpote quæ perfecta erat, non loquor*) *habituram fuisse a mutationibus quas illi Pontifices in Teresianis Constitutionibus fecerunt. Nam tempori accommodare se norat, tenax quidem propositi, sed sapienter, ita ut ipsamet in iis quæ primum statuerat, nonnulla mutarit : v. g. circa conventuum reditum, ad quem omnes propendebant; circa monialium numerum, quem ultimo non quidem magnum volebat, sinebat tamen majorem quam personarum in quoque conventu tredecim, quot prius fixerat; circa sorores veli albi seu laicas vel conversas, quales ante Ven. Annam a S. Bartholomæo, quæ prima admissa talis fuit, noluerat, etc.*

§ LXXXVIII. Quid S. Mater senserit circa delectum et copiam confessariorum pro monialibus suis, et num sententiam suam hac super re aliquando mutarit.

S. Mater initio voluisse suis illam confessariorum copiam,

Diluta jam difficultate de primario unde Constitutiones emanarint fonte, hisque Teresiæ *assertis, enucleanda venit quæstio altera de facta a S. Matre filiabus suis copia accersendorum etiam extra Carmeli Ordinem confessariorum spiritualiumque magistrorum. Hæc quæstio connexa est cum præcedente, siquidem agitur de una e primævis Constitutionibus, et quidem de ea quæ potior causa fuit cur de genuino Constitutionum auctore disceptatum sit, et cur quidam S. Matri abnegarint propriam legum Carmelitanarum genituram. Proin eo attentius a me agitanda est hæc controversia, quod occasionem olim præbuerit multis in Ordine concertationibus, in quibus inclamata fuit S. Matris auctoritas. Ejus ergo super hoc articulo mentem pro munere indagabo solerter, cum e testimoniis præcipue Riberæ et Yepesii, tum ex ipsius Sanctæ scriptis. Prius tamen, sicut initio paragraphi superioris feci, hic iterato profitendum duco, me mero facto historico scrutando unique pangendæ Teresianæ historiæ immorari velle, nolle vero exspatiari in campum non meum, neque excurrere in subsequentem Ordinis historiam, multoque adhuc minus improbare vigentem hodie disciplinam. Omnes, quamcumque pro secutis temporibus amplectantur sententiam, fateri coguntur S. Matrem initio reformati a se Carmeli magnam circa hoc libertatem filiabus suis non solum concessisse, sed et illius voluntatem fuisse ut perpetuo hæc concederetur. Nimis aperte quam ut in dubium revocetur, hanc suam mentem manifestavit in libro ad usum Abulensis suæ domus anno circiter* 1565 *conscripto.*

probatur ex decretorio libri ejus loco,

1708 *Nempe cap.* IV *et* V *Viæ perfectionis, consilium dans iis e filiabus quæ sentirent confessarium suum sibi esse noxium, declarat ipsis plurium confessariorum factam esse copiam, quin tamen hæc se extendat ad eorum permultos assumendos.* Consultissimum tunc foret, *inquit,* præpositæ indicare non bene animæ suæ cum isthoc confessario esse, atque alium confessarium deligere. Hoc porro securissimum et tutissimum est, si modo sine aliquo honoris ipsius detrimento fieri possit. Hoc autem in casu et aliis ei similibus, in quibus magnarum molestiarum et malorum pedicas homini nectere diabolus posset, et in quibus quid facto opus sit, non satis constat, longe optimum fuerit cum aliquo erudito viro satagere conferre (ad hoc enim, si quando opus est, facultas et libertas apud nos cuivis datur) nec non ei confiteri, ac quidquid ipse hoc in genere præscripserit, facere. Nisi enim aliquod remedium daretur et concederetur, gravissimis erroribus janua panderetur. Quam multi enim in mundo errores committuntur, quod in rebus agendis sine consilio procedatur, præsertim cum de damno alicui inferendo res est! Nullatenus ergo omittere debemus consilium et remedium aliquod hac in re suggerere : etenim, cum hac nos via diabolus adoriri incipit, magna haud dubie inde mala consequentur, nisi quam celerrime filum hoc præcidatur. Quapropter, quod de alio confessario deligendo dixi, longe optimum videtur, si modo ulla ad hoc faciendum sit commoditas, quam cum Dei gratia minime defuturam spero. . . . Quod si autem confessarius sit vanitati deditus, hoc profecto satis est ad omnes moniales perturbandas, cum conscientiæ ipsarum aliter ipsis faciendum dictent quam confessarius ipsis indicet : et, si unum et solum dumtaxat confessarium habere cogantur, quo se vertant nesciunt, aut quomodo, pulsis molestiis, ad quietem sint perventuræ; quia ille damnum iis infert, cujus erat ipsum tollere et prævenire. Multas id genus difficultates et molestias in nonnullis locis occurrere credo; quorum me miseret : quare nolite mirari, si tanto vos impendio hujus periculi commonere satagam.

ubi damna secus oritura,

1709 Non sinat, obsecro, per misericordiam suam Deus, ut aliqua de domo hac monialis in eam quam dixi molestiam incidat, ita ut et quoad animam et quoad corpus angustiatam se inveniat; quod fiet si præposita et confessarius ita bene inter se conveniant ut nec huic de illa nec illi de ipso quid moniales indicare audeant : unde contingat ipsas tentari, ad gravissima etiam peccata inter confitendum subticenda, quod vereantur ne aliquam sibi inquietem accersant. Quantum, Deus bone, damni inimicus hic inferre potest, et quam caro ipsis mala hæc restrictio et honor constat! Religionem et monasterii sui honorem permultum se promovere putant, quod unum dumtaxat confessarium habeant : interim tamen diabolus hac via

A via animas inescare et capere satagit, cum alia id facere nequeat. Si enim afflictæ sorores alium confessarium petant, mox omnis ipsis Religionis observantia ac disciplina penitus pessum ire videtur; aut si alterius is Ordinis sit, tametsi singularis vir sanctitatis, magnam se universo Ordini, quod vel dumtaxat cum illo subinde conferatur, infamiam et probrum inferre credunt. Singulares Deo gratias agite, filiæ, et eum ob libertatem qua jam fruimini, laudate; quæ esto se ad permultos assumendos confessarios non extendat, cum aliquibus tamen, præterquam ordinariis confessariis, vobis agere et conferre concessum est, ut in omnibus vos illuminare et instruere possint. Et hanc ipsam sanctam libertatem semper ut procuret et ab episcopo aut provinciali instanter petat, quæcumque futura superior est, per amorem Dei rogo : ut scilicet præter ordinarios confessarios interdum tam ipsi quam aliis omnibus cum aliis viris doctis conferre et agere intimumque animæ suæ sinum iis aperire liceat; præsertim si confessarii eruditi non sint, quantumvis boni et sancti.

maxime si confessarius non sit doctus, exponit,

B 1710 Non permittat Deus ut in omnibus dirigi seipsas patiantur ab aliquo qui doctus non sit, quemcumque demum habere spiritum videatur vel de facto etiam habeat. Doctrina et eruditio permagni sunt momenti ad omni in re lucem dandam; et erunt fortasse nonnulli in quibus utramque hanc dotem invenire sit : et, quo majorem vobis in oratione gratiam Dominus elargiatur, eo opera et oratio vestra firmius habere fundamentum et magis solida esse debent. Hoc saltem scitis, primum hujus fabricæ lapidem bonam esse debere conscientiam, et omnibus vos viribus conniti oportere ut puram, etiam a venialibus, habeatis conscientiam, et semper quod perfectissimum est sectemini. Omnes vulgo confessarios isthoc scire putabunt; sed graviter errant. Contigit quippe me cum aliquo qui universum theologiæ cursum absolverat, de rebus ad conscientiam spectantibus agere; qui per ea quæ mihi dicebat, utpote quæ valde parvi momenti erant, non parum mihi nocuit : scio autem illum ex industria decipere me noluisse; et ut deciperet, nulla eum movebat ratio. Sed quid? Melius non sciebat. Idem deinde etiam cum aliis duobus aut tribus mihi accidit. In hoc vero omne nostrum bonum situm est ut veram lucem habeamus ad Dei legem quam perfectissime observandam. Illius

C basi optime superstruitur oratio; et sine forti ac solido hoc fundamento omnis superstructio collabetur : adeo ut cum viris et spiritu Dei et doctrina donatis vos agere necesse sit. Siquidem fieri non possit ut confessarius utramque hanc dotem habeat, procurate ut saltem subinde per annum alteri liceat confiteri; et, si forte vetemini aliis quam ordinario confiteri, illis quales dixi, etiam extra confessionem animæ statum aperire et de rebus ad eam pertinentibus cum iis agere procurate. Plura etiam dicere audeo, scilicet, tametsi omnes omnino confessarius dotes haberet, nihilominus id quod dico, subinde usurpari et locum habere debere. Fieri quippe possit eum errare; unde consultum est præcavere ne per unum eum universæ in errorem trahantur : semper tamen ad obedientiam respectus habeatur, ne quid in ipsam peccetur. Nam nullum est malum, quin aliquod adversus id sit remedium : et vel anima una digna est ut illius bono et incolumitati omnimodis prospiciatur; quanto vero magis multarum animæ?

et magna bona, si delectus is concedatur, promittit,

1711 Quidquid hic dixi, ad præpositam spectat : unde eam iterum atque iterum rogo, ut, cum nulla alia in hac domo quam animæ consolatio quæratur, hujus quoad hoc consolationem procuret : varias namque Dominus habet vias quibus D animas conducat, et unus confessarius non novit universas. Hoc porro vobis promitto, nunquam viros spirituales defuturos, qui libenter vobiscum agere et animas vestras consolari volent, dummodo sitis quales esse debetis, esto sitis pauperes. Qui enim corpora vestra sustentat, etiam aliquos excitabit quibus desiderium inspiret ad animabus vestris lumen aliquod quam libentissime instillandum et hoc (quod maxime vereor) malum avertendum. Et si forte contingeret ut diabolus confessarium per falsa aliqua dogmata decipere tentaret, ubi tamen is videbit etiam alios vobis confessarios suppetere, sibi cavebit, et in omnibus quæ facturus est, longe erit circumspectior. Hac ergo janua diabolo præclusa, nullam aliam, qua ingrediatur, in hac domo illi futuram in Domino confido. Quocirca ex amore Dei episcopum vel superiorem quemcumque futurum rogo ut hanc monialibus libertatem indulgeat, ut, cum viri fuerint qui doctrina et virtute dotati erunt (hoc namque tantillo in oppido, quale hoc ipsum est, facile intelligitur), ipsas non impediat aut prohibeat quo minus his subinde confiteantur, esto alios ordinarios confes- E sarios habeant. Ad multa enim id expediens esse scio, et, quod inde promanare damnum potest, nullius prorsus momenti esse, et cum summo illo occultoque omniaque pene remedia longe superanti malo, quod in alia illa re situm est, nequaquam posse comparari. Hoc quippe monasteriis proprium est, ut ipsorum bonum, nisi summa cura et sollicitudine foveatur et alatur, quam citissime intercidat; malum contra, cum semel locum ceperit, nonnisi summa cum difficultate tollatur, et quæ in rebus vitiosis et imperfectionibus semel introducta est consuetudo statim in naturalem quodammodo agendi morem et habitum transeat.

inhibens ne confessarius superiorem monasterii agat.

1712 Quidquid hic dixi, reipsa vidi et intellexi et cum doctis sanctisque viris contuli; qui satis perspexerunt ecquid huic domo potissimum congrueret, ut ipsius perfectio promoveri et adaugeri posset. Inter omnia autem pericula (nam in rebus, quamdiu hic vivimus, ea occurrunt) illud esse minimum comperimus, nullum scilicet vicarium unquam constitui qui liberam exeundi, intrandi ac jubendi quidlibet facultatem habeat, non etiam confessarium qui hanc libertatem habeat, sed ut hi dumtaxat clausuram et honestatem domus et F profectum tam internum quam externum cordi et curæ habeant, quo prælatum, si quando hac in re aliquis defectus erit, commonefaciant. At ipsimet superiores esse et præesse non debent. Atque hoc est quod jam hac in domo servatur; idque non meo unius judicio et arbitrio : nam episcopus quem jam habemus, et cui subsumus (multas enim ob causas Ordinis obedientiæ nos subjicere noluimus), qui omnis religionis sanctitatisque amantissimus est, insignisque Dei famulus, Alvarus Mendozius nomine, illustri genere ortus, hujusque domus omnimodis promovendæ perstudiosus, virorum doctrina, spiritu experientiaque multa donatorum, ad hujus solius rei tractationem, conventum indixit. Hocque tandem, post multas, tum aliorum plurimorum, tum meas, tametsi indignæ, orationes, ita statutum ac decretum est. Æquissimum ergo fuerit postea secuturos prælatos hoc decretum et opinionem amplecti, cum id et a viris tam bonis statutum et permultis sit precibus a Domino petitum, lucem ut dare dignaretur ad id quod optimum est dignoscendum; et, prout quidem hactenus intelligere licuit, hoc certe optimum est. Det Dominus

ut

AUCTORE V. D. M.

ut id semper ulterius promoveatur et crescat, sicuti ad ejus gloriam magis futurum est. Amen.

A *Sunt qui contendunt mutatam circa hoc S. Matris mentem.*

1713 *Igitur ex prolixo claroque hoc fragmento constat aliquando decretoriam S. Matris voluntatem fuisse ut filiæ suæ gauderent ampla facultate acciendi, cum consensu tamen priorissæ, animæ suæ directores. Videndum nunc est utrum in hac perstiterit sententia, utrum vero eam mutarit, sive anterioribus ante Complutense capitulum annis, sive post illud, ultimis vitæ suæ mensibus. Interim nemo sensatus, nisi gravissima afferantur argumenta, sibi persuadere poterit S. Matrem abrogasse illam libertatem quam sanxerat post multas ad Deum, ne in re tanti ponderis sineret se in errorem labi, fusas preces, postque multa e doctis sanctisque viris quæsita consilia; quam et ponderosis adeo verbis declararat, ut sat ei cautum non videretur condita super ea re Constitutione, nisi instanter commendasset ejus executionem, veris coloribus depingens optimos ex ejus adimpletione effectus, pessimosque ex ejus neglectu : nemo, inquam, credet S. Matrem revocasse, quam decreverat tam clare, tam solide, tam energice, tam impense, argumentis et a ratione et ab auctoritate deductis, libertatem, nisi revocationis*

B *illius exhibeantur potentissimæ et authenticæ probationes. Dicit quidem cum aliis multis P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 73, *not.* 17) de mutata Teresiæ circa confessariorum delectum mente non magis dubitari posse quam de albedine nivis, *et* (*ibid. epist.* 79, *not.* 18) id ex multis litterarum ejus locis non minus clare quam ipsam lucem patere. *Ast, cum in auctorum, præsertim recentiorum, verba jurare non liceat, in disquisitionem rem vocantes, interrogemus antiquos, ut, postquam exceperimus testimonia priorum, fundatum judicium feramus de assertionibus posteriorum. Hi enim, quotquot concinant* Teresiam *aliam induisse mentem, nisi id probent vel ex S. Matris scriptis vel ex antiquis exactisque historicis, causa cadunt, nec fidem merentur.*

At contra est decretum capituli 1581, *quod e mente ejus est conceptum,*

1714 *Præludii loco auctoritatem capituli Complutensis invocamus. Nam, si, ut paragrapho superiore ratiocinati sumus, Constitutiones quas id capitulum confirmavit, proprie Teresianæ erant, sequitur illam quoque, non secus ac reliquas, ex ejus mente conceptam esse Constitutionem quæ super libertate confessariorum ibi edita est sequentibus verbis :* Priorissa cum provinciali vel visitatore quærat cleri-

C cum, de cujus ætate, vita et moribus adsit conveniens satisfactio. Qui ergo habuerit istas qualitates, poterit esse confessarius monialium de consensu provincialis. Nonobstante tamen illo confessario provincialis. Nonobstante tamen illo confessario ordinario, poterit priorissa non solum tribus iis vicibus quas permittit Concilium Tridentinum, sed etiam aliis, admittere aliquos Carmelitanos Excalceatos et alios religiosos cujuscumque Ordinis ad audiendas monialium Confessiones, modo ipsi priorissæ constet de eorum probitate et doctrina. Idem poterit facere quoad concionatores. Ac provincialis qui nunc est et qui pro tempore fuerit, non poterit ab ipsis auferre istam libertatem. *Novi equidem P. Antonium a S. Josepho* (*t. II, epist.* 39, *not.* 15) *nonnullosque alios perhibere id saltem decretum, non a S. Matre, sed a solo capitulo factum. Ast gratis id ipse affirmat, cum duarum quas adfert rationum altera, nempe ingrata multa ex ea Constitutione orta esse negotia multasque in Ordine ærumnas, nullius prorsus valoris sit, altera vero, scilicet Ven. Annam a S. Bartholomæo dixisse* (*ut perhibet Henriquezius in hujus Vita*) *non a* Teresia *venire id decretum, admittenda omnino non videatur, ut paragrapho sequente dicemus. Multo igitur rectius alibi idem auctor, de earumdem* D *Constitutionum compositione loquens, contrarium affirmat, dicens omnino credendum esse nil a Gratiano aut a capitulo fuisse factum nisi quod optimum et quod conforme esset sententiæ S. Matris. Porro, num verisimile est congregatos Patres, qui, pro sua erga S. Reformatricem reverentia et observantia, ad eam omnia priorissarum memorialia miserant, judiciumque ejus super his exceperant, num, inquam, verisimile est illos, S. Matre inscia aut etiam invita, edidisse talem summi momenti Constitutionem, qualem tunc, ut adversarii contendunt,* Teresia *improbabat et repudiabat? Quod si qui dixerint eo quidem tempore Sanctam idem ac capitulum de re confessariorum sensisse, sed tantum post id capitulum, ultimis vitæ suæ mensibus, animum mutasse, scilicet quando vidit grassantem ex ea libertate sub Gratiano abusum, jure requirimus ut argumenta afferantur mutati ejus animi, neque solum citentur nobis quædam S. Matris querelæ adversus Gratianum, qui, in exteriora diffusus, laxabat sibi aliisque plus æquo habenas, ac, quod confessarios attinet, limites prætergrediebatur cautæ illius libertatis quam Ribera* pretiosam *appellat et Yepes* sanctam, *et qua servata, ut ait* Teresia, *con-* E *servanda erat et religiosa perfectio.*

et cui semel facto ne vel licuit Sanctæ postea se opponere.

1715 *Uno Montoyæ argumento* (*diss.* III, *num.* 154) *confici res posset, quo ille demonstrat S. Matrem ne vel potuisse mutare Constitutionem istam, sequenti ratiocinio :* Quærunt theologi et canonistæ (Sanchez lib. VII de Matrim. disp. num. 30; Barbosa de Potest. Episc., II part., alleg. IV, n. 7) num statutum synodale, latum ab episcopo in sua synodo et a Summo Pontifice confirmatum, abrogari possit ab eodem episcopo, et num statutum, in quadam provincia a prorege latum et a rege confirmatum, a prorege queat abrogari : et negant, nitentes capite » Si apostolicæ » de Præb. in 6, in quo Pontifex ait : « Illa nostra facimus » quibus authoritatem impertimur », et lege I, § « Sed neque » (Cod. de veter. jur. enucleand.), quo loco dicitur : « Ubi princeps confirmat, idem est » ac si sententiam ferat. » Et quandoquidem omnium sententia est statuta superioris non posse abrogari ab inferiore, patet in dictis casibus ab episcopo et prorege non posse abrogari statuta confirmata a Pontifice et rege. Atqui S. Teresia, ut ipsa nobis perhibuit, condidit Constitutiones, atque inter has Constitutionem de qua quæstio est : et F hæ Constitutiones a principio clausula generali a Summo Pontifice approbatæ fuerunt et a R.P. Generali Carmelitarum confirmatæ, ac dein variis occasionibus a vicariis R. P. Generalis, et demum a commissario apostolico et a Nuntio apostolico in forma specifica anno 1581. Unde consequens est S. Teresiam non potuisse abrogare dictas Constitutiones. Poterat quidem in quibusdam casibus declarare talem vel talem Constitutionem, v. g. illam de confessariis, non obligare, vel in his aut illis circumstantiis ejus usum non expedire : sed hæc declaratio non idem sonat ac annihilatio vel revocatio vel abrogatio Constitutionis; et ad summum idem esset ac id quod auctores juxta Aristotelem dicunt : legem corrigere per epikeiam.

Atque alia argumenta afferuntur,

1716 *Ergo serio considerent adversarii num injuriam impingant obedientissimæ Matri, quæ voluntatem et judicium suum studiose semper conformavit voluntati et judicio superiorum suorum. Adhæc, post collectas monasteriorum super Constitutionibus consultationes, post consilia a S. Matre capitulo communicata* (*in quibus ne vel iota unum aut unus apex apparet de alteranda mutandave Constitutione circa*

A *circa confessarios), post diligens de his omnibus a capitulo Complutensi institutum examen, applausu maximo et auctoritate apostolica cum reliquis cunctis Constitutio de confessariis publicata est, ut una eademque esset in omnibus monasteriis gubernandi ratio. Præterea ea erat novi provincialis Gratiani tunc erga S. Matrem observantia ut P. Fredericus* (*lib.* II, *cap.* XXXVIII) *eum sequentibus verbis laudarit :* Pastoralem suam curam cum tribus aliis quos viceprovinciales fecit, participavit, ac laudabiliter se gessit erga S. Matrem, deferendo ei supremam in omnia monialium monasteria auctoritatem, et majorem quidem illa qua potiebantur viceprovinciales. *Quæ cum ita essent, S. Matrem quis credat a decretarum Constitutionum norma gubernando recessisse, vel coacte solummodo et quoad speciem eis se accommodasse; dum tamen notum est illam et vivam et morientem omnes semper fuisse ad regularem Constitutionum observantiam adhortatam?*

præsertim ex Ribera et ex Yepesio : 1717 *His, quia cum paragrapho superiore connexa sunt, præmissis, audiamus modo Riberam, qui eo loco quem jam indicavi et quem infra in Vita Sanctæ integrum legi velim* (*lib.* II, *cap.* I), *inter Constitutiones quas dicit a Sancta factas, approbatasque*

B *a Pontifice, ac confirmatas a capitulo, iterumque approbatas singillatim a Nuntio apostolico, numerat sequentem quam declarat his verbis :* Noluit ut moniales solis sui Instituti Fratribus subessent, nec ut solis his illas aut verbo divino pascendi aut in Confessione audiendi jus esset; quin omnibus loqui et aures dare iis concessit quos ad animarum suarum regimen directionemque nossent aptiores, et cum his ipsis de interioribus rebus suis, nulla præsente aut conscia, libere conferre. *Eamdemque deinde ita dilaudat :* Quo suas ab omni humana consolatione et colloquio magis avocabat, eo majorem ad divinam familiaritatem comparandam ipsis libertatem indulgebat. Nam præter eximiam ac magni faciendam illam libertatem quam ad audiendas conciones et noxas aperiendas et cum viris spiritualibus quibusque communicandum suis B. Matrem dedisse nuper diximus, unde magnum ad animas bonum et consolationis præsidium et maxima verborum divinorum pabuli abundantia derivatur, . . . mortificationis . . . et SS. Sacramentorum frequentem usum induxit. *Ita Ribera. At non minus articulate loquitur Yepes, qui ipsa Constitutionis verba, qualia superius a me citata sunt, exhibet, et dein addit :*

C Magnopere cupiebat ut moniales suæ gauderent libertate circa Confessiones; ac quamdiu vixit, procurabat, injungebat, et etiam atque etiam prælatos qui tunc temporis erant, rogabat, ut eis concederent sanctam eam libertatem, et ut eis quærerent viros doctos sincerosque servos Dei, qui filias suas ad majorem perfectionem evehere possent. Nam S. Mater sentiebat, dum hoc servaretur, conservatum et iri perfectionem (*lib.* II, *cap.* XXXVII, § V).

speciosa ex Yepesio objectione 1718 *Clarius enuntiari nequit* Teresiæ *de confessariis mens quam fit tum in ea Constitutione tum in verbis quæ Yepesius adjicit. At immediate subjungit ille idem Yepesius plura quæ ab adversariis graviter nec sine specie veri objiciuntur, sed quæ tamen explicando dilui possunt, dum e contrario allata jam pro nostra sententia argumenta et testimonia nullum prorsus adversariis effugium aut plausibile responsum relinquunt. Objecta autem Yepesii verba sunt sequentia :* Verum, cum non existat ulla res, quamtumcumque bona, quæ multis generandis malis obnoxia non sit, prolabente tempore detexit S. Mater in venenum converti posse quæ in medicinam suarum monialium ordinaverat. Nam cum spiritus, non secus ac reliquæ res, fluentibus annis, minueretur, timere cœpit ne sub colore spiritualium communicationum confabulationibus et colloquiis portam apertam relinqueret. Alias quoque rationes in considerationem vocabat; quæ omnes simul ei metum creabant ne hæc Constitutio occasio relaxationis cujusdam in suis monasteriis foret : quod et aperuit alicui priorissæ etiamnum viventi, quæ sanctissimis sui Ordinis monialibus annumerari potest. Sancta quippe hæc ei dixit verba : « Hoc punctum, » quod Constitutionibus inserui, me valde confun- » dit : etenim, licet spiritus et sinceritas florerent, » cum hæc Constitutio facta est, timeo tamen ne in » posterum ex ea nostræ non proficiant; quoniam » frequentantur, et agunt de mœstis suis rebus » quas potius nemo, nisi ex nostro Ordine sit, » rescire deberet. » Quare Prælati illius Ordinis restrinxerunt hanc Constitutionem secundum S. Matris intentionem, dementes priorissis hanc licentiam, injungentesque provincialibus ut ex decreto Concilii Tridentini monialium cœnobiis prospicerent. Quocirca, quod vivente S. Matre in usu fuit atque etiamnum est, prælatus, consulta prius priorissa, præter confessarios ordinarios nominat in locis, ubi monasterium Ordinis est, tres quatuorve viros gravissimos, doctos spiritualesque ex his locis, E qui eas in Sacro Tribunali audiant, et qui, si quæ monialis in aliqua necessitate versetur, ei auxilio sint.

AUCTORE V. D. M.

D

soluta a Montoya. 1719 *Speciosa, fateor, objectio est : at non male solvitur a Montoya* (*diss.* III, *num.* 218) *sequenti modo :* Circumstantiæ in quibus scribebat Yepes tales erant ut ea de re suam sententiam prodere non posset neque enuntiare sententiam S. Matris, quin aliquid adderet quod hujus libertatis revocationem sonaret. Scribebat ille viginti annis post Sanctæ funus : cernebat Constitutionem de qua agimus, a superioribus Carmelitanis revocatam : cernebat moniales jam subditas voluntati superiorum : cernebat hos animo paratos ad tuendam quam proclamarant revocationem Constitutionis illius, asserendumque S. Matrem id voluisse : noverat strepitus turbasque quæ inde jam ortæ erant. . . Ex una parte timebat ne ipse discordiæ faces adderet, si hanc S. Matris Constitutionem recenseret inter reliquas præcipuas et nullum apponeret signum mutati ab ea consilii, quod PP. Carmelitani multis monialibus suaserant. Ex altera parte adigi non poterat ad omittendam hanc Constitutionem, quoniam bene noverat voluntatem S. Teresiæ eam F semper fuisse ut exacte hæc lex servaretur, ac ipse judicabat maximi interesse ut in usu maneret. In his rerum adjunctis usus est consilio enuntiandi Constitutionem et aperte declarandi sententiam S. Reformatricis ac suam ipsius; quam tamen temperavit, adjiciendo id quod PP. Carmelitani dicebant super sententia S. Matris, quod adornavit decreto Concilii congruentibusque rationibus e mente eorumdem Patrum. *Pergit dein Montoya allatas a se rationes pro more suo copiose explicare; quas, utpote prolixiores, brevitatis causa contractas hic subjiciam. Expressius, ait, nequierat Yepesius affirmare S. Matrem in voluntate perstitisse ut condita de confessariis Constitutio observaretur, quam facit iis verbis quæ adjicit citatæ illi a se Constitutioni. Qua de causa, cum postea scribit eam e mente S. Matris ab Ordinis prælatis fuisse restrictam, omnino dicendum est illum loqui de mente Sanctæ secundum filiorum ejus interpretationem, minime vero secundum proprium suum Yepesii intellectum. Secus sibi apertissime contradiceret; quippe qui paulo ante scripserat S. Matrem, quamdiu vixit, voluisse ut larga confessariorum copia concederetur. Porro fa-*

AUCTORE V. D. M.

A

teor ab Yepesio quoque scriptum esse, timuisse Sanctam ne tale remedium in venenum verteretur. At constat etiam ab eodem Yepesio esse dictum, Sanctam, non obstante hoc timore, mentem suam nullatenus mutasse : nam, ut ipsa inquit, hæc libertas multas ob causas expediebat, ac damnum quod ex ea concessa poterat oriri, nullius erat ponderis præ grandi, occulto et prope irremediabili detrimento quod e negata capi potuisset. Sic explicat Montoya longo ratiocinio hunc Yepesii locum apparentemque contradictionem. Quod ample legi apud eum potest.

Atque ultimum tandem argumentum affertur e Chronico.

1720 *Postremo demum argumento pro sententia S Matris est ejus apparitio facta Annæ a S. Augustino, cum P. Alphonsus a Jesu anno* 1622 *minuerat confessariorum numerum in conventibus religiosorum. En qui ea apparitio in Chronico referatur :* Sollicitudinem suam non posuit S. M. Teresia in hac occasione; verum considerans e cœlo mœrorem in sua familia ortum, apparuit dilectæ suæ filiæ et acceptissimæ Christo sponsæ Annæ a S. Augustino, quæ, Villanovæ de la Xara versans, sanctitatis suæ radiis totum Ordinem collustrabat : eique dixit hæc verba, quæ eadem Ven. Virgo cum juramento deposuit in ultima Relatione quam de sua vita nobis

B

reliquit : « Mone prælatos ut caveant ne quoad » Confessiones tantopere restringant regulas; quo- » niam hac occasione, non secus apud religiosos » quam apud moniales, plurimi fiunt errores »... Atque eadem Ven. Mater sequentia narrat in jurata sua Relatione : « Quando obiit P. Angelus a » Jesu Maria, præpositus hujus provinciæ, eadem » die oranti mihi apparuit, dixitque se mortuum » esse et in purgatorio detineri, ac petiit ut eum » orationibus meis juvarem nec omitterem præ- » latis dare id circa confessarios monitum quod » mihi mandaverat S. Mater nostra; quoniam mul- » tum expediebat : atque sic evanuit ».... Huc usque Ven. Virgo; quæ licet obedire statuit, et monere ejus successorem, cum nihilominus ille venit Villanovam, tam frigidum eum reperit ut maluerit tacere quam adire discrimen ea dicendi quæ non bene a provinciali receptum iri et quibus debitam fidem addendam non esse præsumebat. Quare permisit Dominus ut a dæmonibus cruciaretur, uti dicemus in singulari et miraculosa ejus Vita. Atque tum hæc dixit id suis confessariis, et hi suis prælatis. *Ita Chronicum* (*lib.* XVI, *cap.* IV, *num.* 5 *et* 6).

C

§ LXXXIX. Prosecutio ejusdem materiæ : ubi solvuntur objectiones pro contraria opinione allatæ.

Plura ex Sanctæ epistolis loca objiciuntur :

Objiciuntur imprimis loca quædam Epistolarum S. Matris, e quibus P. Frederico a S. Antonio (*lib.* III, *cap.* XII) *in tantum persuasum est eam postremis vitæ suæ annis de delectu confessariorum aliter sensisse, ut nulla alia probatio illi desideranda superesse videatur. Longus essem, si examinarem singulas annotationes Epistolis per quatuor tomos appositas, ubi idem a P. Antonio a S. Josepho et a P. Petro ab Annuntiatione adstruitur. Sat mihi erit sola ea loca pensare quibus P. Fredericus a S. Antonio fulcit suam sententiam, ita loquens :* Valeant mihi probationes desumptæ ex Epistolis S. Matris, quoniam in his ipsa nobis quam manifestissime suam declaravit voluntatem. In monasterio Malagonensi inter moniales orti erant varii questus adversus monialem quæ absentis priorissæ locum supplebat. D Confessiones audiebat sacerdos bonus servus Dei; sed quoniam virtutibus non adjunctam habebat experientiam rerum quæ in religiosis cœtibus solent contingere, sopire nesciebat has fœmineas querelas. S. Mater, scribens ad P. Gratianum (*tom. II, epist.* 25, *num.* 2), defensionem suscepit impugnatæ præsidis, illique dixit : « Pater mi, etiamsi S. Clara » illic partes superioris ageret, credo in ea defectus » inventum iri, quamdiu iste sacerdos confessarius » illic erit. » Magis adhuc mentem suam aperuit adversus parochum Malagonensem in epistola scripta anno 1579 (*tom. II, epist.* 30, *num.* 2) : « Ne per- » mittas (non permitto *habet textus hispanicus*), » inquit, hunc virum cum aliqua loqui aut ali- » cujus Confessionem excipere. Cæterum multam » gratiam ei ostendo; id enim decet. » In epistola 63 tomi primi promptum remedium proposuit procurandæ quieti monialis Hispalensis, dicens : « Ne » ei permittatur aliis quam Ordinis nostri Fratri- » bus confiteri, et omnia ordinata erunt. » Atque adeo, ut prospiceret communi quieti omnium Hispalensium monialium, in epistola 61 tomi item primi Matri priorissæ tale præceptum imponit : « Tan-

E

» tum te rogo procures ut quam minimum com- » mercium sit cum his qui Excalceati non sunt : » quod dico ne istæ moniales neve tu cum illis de » animarum vestrarum statu agatis. Non magni » faciendum est si interdum Excalceati eis desint » et spirituales communicationes parciores sint; » quoniam multo magis expedit, ne iterum laba- » mur in turbas quales ante fuerunt. »

imprimis locus ex epistola 25 *tomi II, qui hic solvitur :*

1722 *Objicitur itaque primum epistola* 25 *tomi II. En hispanice locum de quo agitur :* A mi mi parece, mi Padre, que aunque vaya alli Santa Clara (estando el que esta, y la tema que ellas tienen), hallaran hartas faltas. *Circumstantiæ autem erant hæ : Moniales Malagonenses, amota ob ægritudinem dilecta sibi priorissa, minus diligebant vicariam, probam quidem, sed ad conciliandos sibi animos non adeo dexteram; ac P. Antonius a Jesu, qui jussu Gratiani conventum illum tunc visitabat, auxerat malum, auscultando et favendo queritantibus. In illo æstu confessarius, sive attrita ejus esset auctoritas, sive aliqua ejus culpa intervenisset* (*nuncupatur tamen ab ipso P. Antonio a S. Josepho vir idoneus, litteratus et probus*), *capita illa male agitata sedare motosque fluctus componere nequibat. His præmissis, jam ad disquisitionem veniamus. Hispanicæ voces :* Estando el que esta (*quæ litteraliter significant :* Illo manente qui adest; *et quas P. Fredericus vertit per :* Quamdiu confessarius quem jam habent, illic manet) *æqualiter referri possunt sive ad confessarium sive ad P. Antonium a Jesu, qui visitatorem in eo conventu tum agens, vicariæ nullatenus favebat; qua etiam de causa* Teresia *hic eam apud Gratianum defendit. Suppone tamen certo designari confessarium; et ultro finge eum revera inexpertum, sicut P. Fredericus eum appellat, circa ea quæ monialibus solent obvenire; quin dato hanc ejus imperitiam in causa partim fuisse cur monialibus non bene cum superiore sua conveniret : quæ tamen logica vis ex hoc particulari facto exprimat S. Matrem per consequentiam voluisse ut soli Carmelitani filiabus suis a Confessionibus essent, easque soli dirigerent? Si tale staret ratiocinium, ipsos Excalceatos ad hoc esse inhabiles conficeretur vel ex ipsa hac S. Matris epistola, ubi ipsa dicit P. Antonium a Jesu talentum dirigendi moniales a Deo non accepisse* (*P. Antonius a S. Josepho, nota sua* 15, *detorquet quidem hanc phrasim ad confessarium Malagonensem, sed ipsemet hunc suum errorem*

F

A *rorem corrigere videtur in Indice, verbo* Antonius a Jesu). *Fasne autem esset hunc unius P. Antonii Excalceati defectum ad totum extendere Ordinem, et inde concludere moniales regimini et spirituali directioni Patrum Carmelitanorum non posse subesse? Igitur infirmum reputari debet hoc primum P. Frederici argumentum. Atque vix magis solida est annotatio P. Petri ab Annuntiatione, ad hunc epistolæ locum subnectentis sequentia verba :* Considerari hæc possunt, ut videatur malum quod monialibus parit directio confessarii qui ex Ordine non sit. *Adverti tamen, in ultima anni* 1793 *et penultima anni* 1778 *hispanica Epistolarum editione, quas præ manibus habeo, hanc P. Petri ab Annuntiatione notam in notis P. Antonii a S. Josepho omissam esse.*

ut et solvuntur objecta loca ex epistola 30 *tomi II, ex epistola* 63 *tomi I*

1723 *Objicitur deinde a P. Frederico epistola* 30 *tomi II. Judico hic me supersedere posse prolixæ disputationi quæ a me instituenda esset, si vellem totam de qua hic agitur rem exponere cum rerum ac personarum circumstantiis. Nam, ut judicium ea de re quis formet, sufficere mihi videtur simplex epistolæ illius aut etiam solius a P. Frederico objecti loci lectio. De particulari enim moniali, a bono tra-*

B *mite devia, ibi S. Mater hæc habet :* Non sino ut ea cum aliquo (*extraneo*) loquatur huicve peccata confiteatur. Cæterum ei me valde benignam præsto : convenit enim. *Cui loco adjungi potest duplex ad eam epistolam annotatio, altera P. Petri ab Annuntiatione, dicentis :* Audiant istud qui religiosas dicunt debere habere multos (*pone, pro S.* Teresiæ *mente :* plures) confessarios, nec solis PP. Carmelitanis debere esse contentos, *et altera P. Antonii a S. Josepho, ex eo similique loco hanc conclusionem colligentis :* Solus ergo ille qui de albedine nivis ambigit, ambigat et de Teresiæ mente. Licet enim verum sit eam aliquamdiu alios quam Ordinis sui confessarios filiabus suis indulsisse, tristis tamen experientia docuit eam expedire contrarium. *Equidem, quamvis de albedine nivis non dubito, fateor, ni talpa oculis captus sim, me ibi non videre mutatam* Teresiæ *de confessariis mentem, dicente mihi nequicquam P. Frederico id ibi aperte declarari, et annotatoribus id adhuc fortius frustra asserentibus. Objicitur tertio epistola* 63 *tomi I, ubi S. Mater dicit priorissæ Hispalensi :* Si feceris ut Isabella a S. Hieronymo noxas confiteatur solis Fratribus Ordinis nostri, res finita erit. *Sed dic, quæso, quid hujus epistolæ*

C *locus is, ubi de una moniali agitur, ad thesim generalem probandam? aut an Isabella a S. Hieronymo totus monialium complexus erat? Insuper annotator margini hic adscribit :* S. Mater ob filiarum suarum pacem prohibet quominus aliis quam Excalceatis suis confiteantur. *Ast hic adhuc magis a vero deviat, siquidem S. Mater ne vel Isabellæ a S. Hieronymo, nedum pluribus aut omnibus, vetat apud alios quam apud Excalceatos conscientiam exonerare; siquidem immediate post subjungit :* Si aliquoties agat cum P. Roderico Alvarez (*Societatis Jesu*), dic illi Patri quid de ista pœnitente ego sentiam. *Unde sequitur claudicare et affirmationem annotatoris et argumentationem P. Frederici. Atque hic cernitur a* Teresia *id fieri quod priorissas facere peroptabat, nempe ut quem incongruentem sibi animæ moderatorem monialis petierat, ille a priorissa huic denegaretur.*

et ex epistola 61 *tomi I.*

1724 *Objicitur quarto epistola* 61 *tomi I. Adverte hic prius duplicem persecutionem vehementissimam Hispali in moniales sæviisse. Prior fuit, cum aliqua inter illas, ab ignorantissimo confessario incitata,* Teresiam *cum filiabus suis deferre voluit ad S. Inquisitionis tribunal; posterior vero, cum Carmelitani Calceati deposuerunt priorissam, et alteram subrogarunt, ac juridice procedere tentaverunt in Gratianum, in S. Matrem et in aliquot e filiabus ejus : ita ut in extraordinariis circumstantiis versaretur is conventus. Præterea forsan tunc ad manum non erant docti et pii sacerdotes, quales Teresianæ Constitutiones requirunt, ita ut pro illis rerum adjunctis soli Carmelitani essent adhibendi; dum interim constat Sanctam numquam generaliter hoc jussisse, sed e contrario adhibitos in ejus conventibus fuisse pluries alios confessarios qui Excalceati non erant, etiam posteriore ejus ætate. Sed, quod elidit objecti hujus loci vim, non agitur ibi proprie de confessariis, sed de familiaritate cum non Excalceatis. Insuper* Teresia *non vetat illic omne cum extraneis commercium, sed tantum optat ut quam rarissimum sit. Rursus itaque sequitur nec hoc esse solidum P. Frederico argumentum ad thesim generalem probandam, quasi* Teresia *unice voluisset Carmelitanos confessarios. Atque etiam sequitur adhuc minus accuratum esse lemma quod annotator in margine ponit, dicens :* Sancta attribuit persecutionem quam filiæ suæ Hispali passæ sunt, Confessionibus quas instituerant aliis extra Ordinem suum, ac rogat ne id amplius faciant.

AUCTORE V. D. M.

D

E

Dein objicitur locus e Vita Ven. Annæ a S. Bartholomeo,

1725 *Alia deinde objectio desumitur ex Henriquezio in Vita Ven. Annæ a S. Bartholomæo* (*lib.* IV, *cap.* XIX), *qui locus etiam legi potest in Chronico* (*lib.* V, *cap.* XII). *Dicit scilicet ille auctor :* S. Mater in suis scriptis multum commendavit ut superiores concederent monialibus majorem in confitendo libertatem quam quæ in aliis Ordinibus in usu est : et in suis Constitutionibus facultatem illis reliquit advocandi varios viros doctos et spirituales, quibuscum conscientiæ suæ negotia communicare possent, æstimans perfectionem quam in suo Ordine stabilire cupiebat, servatum iri, quamdiu hæc sancta libertas servaretur. Verum deinceps plures ei obviarunt rationes quæ ei creabant metum ne hæc Constitutio in suis monasteriis relaxationis causa foret. Sancta itaque in omnibus se accommodante menti superiorum Ordinis, ut et hi accommodabant se intentioni S. Matris, Constitutioni illi, cum ipsa adhuc in vivis erat, derogatum est; sicut asserit episcopus Turiasonensis, lib. II, cap. XXXVIII (*sive* XXXVII, *pro menda*), his verbis : « Prælati arcta» verunt eam Constitutionem juxta mentem S. Ma» tris, dementes priorissis eam facultatem », etc. Ac paulo inferius : « Is itaque tempore S. Matris F » usus fuit, viguitque postea in Ordine, ut prælatus » (audita prævie priorissa) in locis ubi non est con» ventus, præter confessarios ordinarios, designet » tres quatuorve e gravioribus, doctioribus et san» ctioribus illius loci presbyteris qui eas audiant in » S. Tribunali, et qui ad eas accedant, quoties mo» nialis quædam auxilio indiguerit », etc. Nihilominus ex quo S. Teresia vitam mortalem cum æterna mutavit, inquietæ factæ sunt aliquot moniales; et, licet spirituales et bona intentione ductæ, studebant suam circa prætensam libertatem sententiam fulcire dicendo eam esse secundum spiritum S. Matris, et, quod ei oppositum erat, esse merum commentum inductum a Patribus Carmelitanis, qui moniales ultra modum sibi subjectas volebant. Constabat de contrario; et ad eas placandas non semel, sed sæpius, petierunt Carmelitani a Ven. Anna ut declararet quæ mens S. Matris fuisset; quoniam hæc nulli melius nota esse poterat. Petitis annuit Ven. Virgo, dicens sententiam a S. Matre mutatam fuisse, quia censebat posterius esse magis tutum quam prius. Hoc pacto quies aliquamdiu parta est; sed identidem exurgebant novæ difficultates, quas

ab

AUCTORE V. D. M.

ab aliquot externis fotas fuisse arbitror, et quæ præcipue auctæ sunt, cum Ven. Anna Parisiis versaretur. Aliquantum turbati sunt superiores, et videntes sibi non esse oraculum a quo certius quam a Matre Anna a S. Bartholomæo responsum exspectare possent, litteras ad eam dederunt, mandantes ut iterum declararet scripto quid circa Confessionum libertatem sentiret Sancta Fundatrix. Ad hæc quæsita respondit Anna epistola (cujus ecgraphum habeo) sequentibus verbis :

cujus epistola

1726 « Quod spectat ad confessarios, jam dixi » quibusdam e nostris Patribus quid viderim, ac » retuli me aliquoties audivisse S. Teresiam dicen- » tem : in principio scilicet cum non haberet Ex- » calceatorum provincialem, et ad sua peragenda » negotia amicis sibi opus esset, a se impediri non » potuisse quin secum et suis cum monialibus, » quando id illis placebat, consuetudinem habe- » rent, ac se iis amicis valde affabilem exhibuisse; » sed deinde, cum provinciam suam fundatam » videret, paulatim mutasse sententiam, et in qui- » busdam adjunctis non tam suaviter esse actum : » quandoquidem magna erat ejus fortitudo, et » neminem timebat. Et si videret minimum defe- B » ctum, etiamsi optimi sui forent amici, eos dese- » rebat », etc. Et aliquot lineis inferius : « Qua- » dam die, inquit, eam inveni valde mœstam, et » mihi secum loquenti hæc dixit verba : Anna, » video nos pessumeuntes, cum januam aperimus » multis confessariis : nam licet in alia fuerim » sententia, nunc laudo Franciscanos, qui tutius » incedunt, quoniam, si quid bonum aut malum » est in suo Ordine, latet hoc sæculares; id mul- » tum religiosorum Ordinum honori prodest. Hæc » dixit; et credo, si viveret, ab ea scriptum iri » res valde diversas ab his quas scripsit. Non ego » cupio animas angi, sed firmiter teneo nostras » moniales reformatas esse debere contentas im- » plendis nostris officiis; atque eis qui nos guber- » nant, multum esse attendendum vocationem no- » stram non esse ut gaudeamus libertate, sed ut » vivamus in hoc mundo tamquam mortuæ esse- » mus. »

et apparitio prætenditur.

1727 *Dein narrat Henriquezius S. Matrem Ven. Annæ a S. Bartholomæo apparuisse in Gallia, sicut ante ei apparuerat in Hispania, eique, cum cuperet hoc terreno exilio liberari et Matrem sequi, dixisse adhuc morandum, quia olim faciendum erat ab* C *Anna, quod* Teresia, *si viveret, fecisset. Hæc autem quæ ab Anna facienda erant, confidenter judicat Henriquezius fuisse efficacem ejus cooperationem ad restringendam inter moniales libertatem confessariorum. Et demum sic prosequitur :* Quando confessariorum delectus decretis capituli coarctabatur, non ut Anna, alii quidam religiosarum conventus sese eis submittebant, sed magis obluctabantur, cum magno in Ordine tumultu. Verum tunc Ven. Mater Eliano cum zelo exequebatur id quod ei S. M. Teresia in Gallia dixerat. Cordi scilicet habuit partes ejus defendere, asserens S. Matris mentem non fuisse tantam libertatem monialibus relinqui, addensque, si tantæ Matris filiæ esse vellent, potius ducerent illi obedire quam superiorum voluntati repugnare. Hæc verbo et scripto declaravit. Et ad melius adimplenda quæ ei dederat S. Teresia mandata, cum vices suas ei dedit, eamque vicariam suam constituit, scripsit memoriale in quo rationibus valde firmis probat quam tutum sit gubernium Patrum Carmelitarum Excalceatorum, quam conforme spiritui et menti S. Matris, instans ut in omnibus et per omnia eis obediant, decreta capituli amplectantur, et non se regant alienis consiliis. Nihilominus aliquot parere noluerunt, et ab Or- D dine sunt recisæ. Vehementer dolendum est quod quæ S. Mater tanto labore procuravit et, postquam procuravit, tanti fecit, ita immerito hæ vilipendant.

Sed locus is infirmatur, quia falsa continet :

1728 *Gravis profecto objectio est. At perpendamus singillatim validiores adhuc rationes quæ vim illius elidant. Prævie autem notemus immota nec refellenda stare ea argumenta quæ jam attuli ex facta in capitulo anni* 1581 *Constitutione et ex Riberæ ac Yepesii testimoniis. Quæ si invicta sunt et conciliari nequeunt cum Henriquezii assertionibus, necesse est dicatur aut falsus Henriquezius, aut spuria ejus narratio, vel saltem hæc aliena manu esse temerata. Imprimis dicitur ab Henriquezio :* Teresia se in omnibus accommodante menti superiorum Ordinis sui, ut et hi accommodabant se intentioni S. Matris, Constitutioni illi, cum ipsa adhuc in vivis erat, derogatum est; sicut asserit episcopus Turiasonensis. *Ast, edic, ubi aut quando, viva S.* Teresia, *Constitutio super libertate confessariorum mutata fuit? Et num ab ipsa Sancta mutata? Num vero a superioribus Ordinis? Quod tamen utrumque perperam innuitur per illa verba :* Teresia se in E omnibus accommodante menti superiorum Ordinis sui, ut et hi accommodabant se intentioni S. Matris suæ. *Procul sane abfuit ut hoc contingeret sub regimine Gratiani, qui in illo ipso capitulo electus fuit provincialis in quo Constitutio de libertate confessariorum est condita, et qui provincialis mansit diu post* Teresiæ *obitum. Nam qua ratione dempsisset hanc Constitutionem ob largiorem ibi datam copiam, ipse qui ultra moderatam libertatem quæ ea Constitutione concedebatur,* talem, *teste Chronico* (*lib.* v, *cap.* xii, *num.* 2), dedit monialibus licentiam ut unaquæque posset communicare suum spiritum quocum volebat, sive Carmelitanus esset sive non esset : taliter ut plures tunc numerarentur confessarii quam pœnitentes. *Cedo itaque nomina illorum superiorum Ordinis quibus* Teresia *se accommodavit et qui se intentioni S. Matris suæ accommodarunt, ut Constitutioni illi tunc temporis derogaretur. Ergo procul abest ut Yepesius hoc dicat quod Henriquezius eum dicere contendit. Contra vero is S. Matris biographus ante affirmarat,* eam, quamdiu vixit, procurasse, commendasse, et etiam atque etiam sui temporis prælatos rogasse, ut filiabus suis sanctam eam libertatem non denegarent. *Quod si quid adjicit his quoad speciem contrarium, censendus est, ut supra notavimus, loqui secundum mentem, non suam, sed Carmelitanorum. Ex quo sequitur incohærentia et veritati historicæ contraria verba esse quibus Henriquez affirmat S. Matrem se commodasse superioribus suis et vicissim superiores S. Matri suæ ad simul coarctandam Constitutionem de libertate confessariorum.* F

insuper mala in eo fit interpretatio Yepesii,

1729 *Cæterum illo ipso loco ubi Yepes aliquid concedere videtur menti Carmelitanorum, modus eligendi confessarios quem jam sub S.* Teresia *viguisse ait, satis largus est, et, si bene attendatur, vix arctior est asserta ibi ab Yepesio monialium circa confessariorum copiam libertas quam ea quam inculcatam a S.* Teresia *vidimus capitibus* iv *et* v *Viæ perfectionis. Quod enim rite notandum est, et quod ipse Montoya non satis explicat, Yepes ibi loquitur de monialium monasteriis quæ in eodem loco ad manum habent monasterium Patrum ejusdem Ordinis, ex quibus ut confessarii ordinarii desumerentur, supra diximus Sanctam semper desiderasse. Præter hos autem confessarios Ordinis sui, Yepes ait nominari solitos fuisse tres quatuorve alios, quos Carmelitanos non esse satis indicant eæ voces :* personas

A personas . . . . en aquel lugar. *Ergo moniales in illis locis habebant sufficienti numero confessarios, quibuscum, cum consensu priorissæ, agere poterant. Ac de aliis locis de quibus Yepes nihil dicit, et in quibus monialium domus sola existebat sine existente in eodem pago vel civitate domo Patrum, plane probabile est, sin majorem, saltem non minorem numerum sacerdotum iis concessum fuisse. Ergo in utrisque locis, si supponas duos et forte tres confessarios fuisse ordinarios cum tribus aut quatuor de quibus Yepes loquitur, extraordinariis, pervenis ad numerum sex ferme sacerdotum, qui sane sufficit ad eam cuique moniali copiam faciendam delectumque præbendum quem Sancta præberi vult initio capitis* v *Viæ perfectionis; ubi quippe dicit illam libertatem ad multos assumendos confessarios extendi non debere.*

cujus, tum ibi tum in Chronico, verba gravissime mutata videntur.

1730 *Annotare hic omnino oportet, ad citatum supra Yepesii locum, ubi modum nominandi confessarios tradit, adjectam esse in Chronico (ut et in hujus gallica versione, atque in Henriquezii textu) particulam, ut dicitur, negativam, quæ totum sensum non parum immutat. Videlicet Yepes (saltem in hispana editione anni* 1776, *qua utor) dicit :* In locis ubi conventus habetur (en los pueblos donde hay
B convento) solent, præter ordinarios confessarios, nominari tres vel quatuor viri spectabiles, etc. *Atque idem habet anglica versio Woodhead (part.* II, *pag.* 58). *Ast Chronicum ponit :* En los pueblos donde no hay convento; *quod significat :* In locis ubi non habetur conventus, *nempe* Excalceatorum. *Quem sensum gallica Chronici traductio exprimit, dicens :* Dans les lieux où il n'y a point de couvents des Pères. *Illa autem addititia vocula* non *gravissimam Yepesiani dicti immutationem inducit, quippe qua lectoribus innuatur dici ab Yepesio, in iis locis ubi Excalceatorum conventus est, acciendi alios confessarios copiam primis iis temporibus non esse factam. Ex gallica quoque Yepesii anni* 1643 *traductione concluditur genuinum textum habere :* donde hay convento; *quamvis inepte vertitur gallice :* dans les lieux où elles ont un couvent : ubi moniales habent conventum. *Improbabilis enim pleonasmus ille est quo gallice id refertur ad monialium monasterium : nam quando Carmelitanæ existere dicuntur in aliquo loco, insipide additur eas illic habere monasterium, quippe quæ vagari non solcant.*

Atque alia plura in objecta Annæ epistola sunt suspecta,

1731 *Quæri per transennam quoque posset qui factum sit ut superiores Ordinis pluries, et quidem viginti jam et amplius a morte S. Matris elapsis annis, adhuc ad Annam a S. Bartholomæo judicarint recurrendum, si ipsa S. Mater tam aperte, ut perhibent, in variis suis epistolis declararit eam de confessariis mutandam esse Constitutionem. Neque enim ullum pondus tribuo dictis P. Ludovici a S. Teresia, qui in Synopsi de Erect. Carm. in Gallia (cap.* XLVIII) *dicit præfatam Annæ epistolam scriptam ante quartum capitulum generale anni* 1594. *Nam Henriquezio ille contradicit (quo uno nititur), qui affirmat Annam, cum consulebatur, jam Parisiis degisse, ac proin non respondisse ante annum* 1604, *quo Parisios venit : ne quid dicam de defectu reverentiæ decreto apostolico debitæ, si verum foret, quod ait P. Ludovicus, capitulum prius Annam consulere voluisse quam corpori Constitutionum monialium id insereret. Ast, hoc prætermisso, scrutemur modo præfatam istam Annæ epistolam (vide num.* 1726) : *mira enim continet. Quis scilicet credat Annam ita, ut in epistola est, fuisse locutam? Iste ejus sermo nonne dedecori est et S. Matri et filiabus ejus et illustribus illis viris qui Sanctæ in Ordinis reformatione auxiliatrices manus præbuerunt? Næ sola ista bene perpensa verba abunde sufficiunt, ut nemo credat tale ab Anna datum fuisse responsum. Dein dissonum prorsus ab historia est quod citatis verbis innuitur,* AUCTORE V. D. M.
D *nempe Gratianum* Teresiæ *animos addidisse, et juvisse ad viriliter, seposito timore, abrumpendam omnem familiaritatem inordinatam et periculosam. Quod quam parum verisimile sit, liquet ex omnibus quæ super mitiore illo et de disciplina non sat sollicito provinciali referuntur. Insuper quid hoc refert ad probationem mutatæ* Teresiæ *mentis circa libertatem confessariorum?*

v.g. irreverens in S. Teresiam *stylus, aliaque.*

1732 *Neque minus me ferit alter jactatæ epistolæ illius locus ubi Anna a S. Barth. ait :* Credo S. Matrem, si viveret, longe alia scripturam esse quam quæ scripsit. *Quis enim sibi persuadebit inclytam hanc S. Matris filiam ita proterve locutam et tam parvi pendisse ejus scripta? eo magis quod hic de Constitutionibus agatur, de quibus Acta canonizationis dicunt :* Fundamentum summæ prudentiæ elicitur ex legibus seu Constitutionibus quas tulit ad istius Religionis regimen et gubernationem, adeo prudentes ut ex illis facile dignosci valeat illam divino lumine in illis condendis fuisse illustratam; *et de quibus Yepesius (lib.* II, *cap.* XXXVII) *sequenti modo non veretur loqui :* Sunt plus quam humanæ Constitutiones illæ, aptaque sunt instrumenta ad E
tales sanctitatis gemmas perpoliendas : et consilia quæ viam aperiunt cœlum versus tam divinam, tam securam, tam planam, certo non sunt a viro aut fœmina, neque ab ulla creatura humana aut angelica. *Atque hæc verba in suis ad moniales anno* 1630 *datis encyclicis allegans P. Ferdinandus a S. Maria, Præpositus Generalis Congregationis S. Eliæ, monet ut primævæ eæ Constitutiones decretorum mandatorumque divinorum, a Deo per* Teresiam *datorum, loco ponantur, non secus ac Lex vetus populo Israelitico per Moysen data; imo dicit habendas esse ut rem vere sacram et ut Euangelii textum, juxta quas aliquando super ipsis a Deo judicium feretur : dum interim ab ipso P. Ferdinando, immediate post tanta Constitutionum encomia, dicitur S. Mater experta unam e præcipuis istarum non fuisse bonam, ideoque improbandam, et esse alium usum introducendum qui non sit contrarius consuetudini Ecclesiæ Romanæ et judicio omnium fere episcoporum, existimantium istiusmodi Constitutionis praxi laxitatem induci, subvertique et moniales et monasteria. Omitto quod in prætensa Annæ epistola ut a S. Matre dictum jactatur :* Anna, video nos ire perditum
F reserando januam tot confessariis. *Hoc enim, si revera ab Anna scripta fuisset epistola, ad nimiam sub Gratiano copiam referri deberet, non ad eum confessariorum delectum quem S. Mater filiabus suis concedi volebat. Et recte utique tunc sic questa fuisset Sancta, quoniam plures confessarios videbat quam pœnitentes et passim gloriæ ducebatur uno plures uni sanctimoniali esse confessarios (Chronicum lib.* V, *cap.* XII). *Quare mirandum non esset morem inter Franciscanos usitatum Sanctæ visum fuisse tanto abusui anteponendum; quin tamen, teste Ribera (lib.* II, *cap.* I), *unquam judicarit* esse sibi mutuandum usum a S. Francisci Ordine, ut moniales solis sui Instituti Fratribus subessent. *Certissime autem ad revocandam tanti momenti Constitutionem qualis erat illa de confessariis, et ad manifestandam suam mentem in re quæ filiabus suis non parum cordi erat, opus erat explicitis magis et disertis verbis, nec magis ad hoc sufficiebat laus quædam consuetudinis Franciscanorum, quam querelæ de Gratiano aut generalia quædam alia S. Matris dicta.*

Imo authenticane sit ea epistola, jure dubitatur.

1733 *Interim non abs re erit notare Henriquezium tantum descriptum exemplar, non vero authenticum,*

AUCTORE V. D. M.

A *illius epistolæ Annæ a S. Bartholomæo fateri se habere; ita ut nesciamus quis illud descripserit, per quorum manus transierit, et quomodo ad Henriquezium pervenerit. Neque huic meæ annotationi officit (quasi tota ista Henriquezii narratio disputationis seges esse deberet) quod in gallica hujus traductione a Gaultier dicatur Henriquezius habuisse authenticam ipsius Annæ manu scriptam hanc epistolam : nam hispanicus ipsius Henriquezii textus, qualis in Chronici loco jam citato habetur et repetitur in gallica Chronici versione et in italica Montoyæ citatione, contrarium dicit, nempe factum aliena manu dumtaxat fuisse exemplar. Adhæc adverti potest ea quæ Henriquezius ex præfata Annæ epistola dicit a S. Matre prolata, cum querebatur de relaxatione quam nimia in confessariis concedendis Gratiani indulgentia genuerat, multum discrepare ab iis quæ eadem de re Yepes habet. Quod autem ad dissertationem quam Henriquez ait ab Anna a S. Bartholomæo compositam, censenda est non continuisse efficax aliquod argumentum quo probari potuisset retractatam a S. Matre fuisse libertatem accersendorum confessariorum. Secus fuisset indubie hoc insertum Vitæ Annæ a S. Bartholomæo ab Hen-*

B *riquezio, Chronico a P. Francisco a S. Maria, prolixis variorum annotationibus ad Epistolas Teresianas, aliisque passim Excalceatorum libris. Atque hoc aliæque quas jam attuli rationes in causa sane fuerunt cur Gaultier in eo videatur fuisse ut in gallica sua versione Vitæ Annæ a S. Bartholomæo totum hoc caput omitteret, quippe qui suo loco id non posuerit, sed ad calcem libri rejecerit. His itaque perpensis, judicet æquus lector utrum illud ex Henriquezio depromptum argumentum tale sit ut subvertere queat argumenta supra proposita. Quemadmodum jam dixi, ad primam respondens objectionem : Si valeant tria argumenta a Constitutione, ex Ribera et ex Yepesio, necesse est ut aut falsus fuerit Henriquezius, aut spuria ejus narratio, aut saltem aliena manu multum temerata. Sed addo nunc : Si tot sint in eo capite ac præsertim in prætensa epistola Annæ a S. Bartholomæo res incohærentes et improbabiles, peremptoria altera adest ratio totum illud caput non admittendi. Atque hæc dicta sunto de tota hac ex Henriquezio super confessariis quæstione.*

Ultimo objicitur altera Annæ epistola :

C **1734** *Postrema demum objectio, quæ pariter reperitur in Chronico* (*lib.* V, *cap.* XII), *altera est epistola Ven. Annæ a S. Bartholomæo ad consobrinum suum Manzano, Antverpiæ scripta anno* 1621; *cujus fragmentum quod ad rem facit, hic accipe :* Scripsi priorissæ conventus nostri Parisiensis litteras, quibus ei suadeo ut monialibus, sibi libertatem quæritantibus, dicat, si maneant cum suis clericis, tale propositum in Ordine reformato, qualis noster est, non permittendum esse, et me primam futuram quæ eis bellum illatura sim. Aptane sunt tempora ad fovendas moniales hujus furfuris? Nequaquam revera, nequaquam nobis id expedit. Jam aliquantum conata sum hæc componere, et scripsi quidquid ab initio in nostro Ordine actum est, a tempore scilicet quo S. Mater nostra primum fundavit monasterium, usque ad tempus quo religiosos habuit, recensens persecutiones quas ipsa sustinuit, magnosque ejus conatus ad obtinendos religiosos. Sincere dico quod vidi, ut nunc sciatur et ut post meam mortem intentio noscatur nostræ Sanctæ, quæ valde aliena est a libertate quam nunc sibi volunt moniales; et hoc ex ejus ore audivi, et idem post suam mortem patefecit. Penes me habeo aliquot ex iis Constitutionibus in quibus concedebatur ea libertas, et in quibus dicitur factas eas esse a nostris Patribus in primo capitulo in quo D P. Gratianus provincialis electus est, ac perhibetur, ita ipsorum manu compositas, missas ab eis esse ad nostram Sanctam. Quique nunc illis inniti volunt, dicunt ab ea illas factas esse; at non est sic. Sed Deus bonus est, et prælati quos nobis dedit Deus, boni sunt, et promovebunt perfectionem. Deum precor ut eos custodiat, suamque gratiam in dies in eorum spiritu magis ac magis augeat. Corpore bene me habeo, et animus sat fortis mihi est ad resistendum his in rebus toti Galliæ; quoniam arbitror gratum me Deo præstare obsequium, eis veritatem indigitando, quæ tota est in his quæ scripsi. Deus e vivis sustulit M. Annam a Jesu, quæ a me in his dissentiebat, et dixi quibuscumque potui (inter alios Patribus nostris ac monialibus), ei a Deo non datum fuisse cœlum quia prælatis contraria fuerat, sed quia suum purgatorium in terris passa erat.

quæ paucis diluitur.

1735 *Epistolam illam transilire hic possem, cum sermo videatur esse non tam de confessariis quam de monialium ab Ordinis regimine exemptione* (*quæ quæstio tunc temporis in Gallia vehementer agitabatur, et quæ, si epocham spectes, non ad Vitam Sanctæ, sed ad Ordinis historiam pertinet*). *Ast,* E *cum hæc epistola etiam invocetur ut argumentum pro mutata S. Matris mente circa libertatem confessariorum, paucis saltem agendum de ea mihi hic est. Breviorem autem et simul tamen pleniorem ejus refutationem præbere me non posse reor, quam invitando lectorem ad attentam illius lectionem, ut ipse, ea perlecta et perpensa, dijudicet num imperiosa istiusmodi dictio stylique acerbitas quadret pietati, humilitati et charitati sanctissimæ fœminæ, et inter alia num vel minimum verisimile sit ut Ven. Anna a S. Bartholomæo talia scripserit de Venerabili consorte sua Anna a Jesu, cujus non tantum virtutes, sed et miracula, patrata ope ejus, vixdum a mense, cum epistola scripta dicitur, mortuæ, per totum Belgium celebrabantur. Certe, si talis, ut adagium fert, est vir qualis est viri stylus, magis ab implacabili et minace quadam fœmina hanc epistolam scriptam dixeris quam a mitissima sanctimoniali, quæ, agitato jam sæculo* XVII *et* XVIII *beatificationis processu, gradum aliquando, ut spes est, faciet ad altaris honores. Has igitur ob causas, sive, post argumenta pro contraria sententia stabilita, assertorum in ea epistola veritatem inquiras, sive spectes totam ejus formam ac tenorem, non videtur isthæc epistola non* F *posse non haberi aut ex integro aut ex magna parte falsa.*

Utriusque hujus paragraphi epiphonema.

1736 *Sat itaque a me jam probatum esse confido S. Matrem semper talem voluisse confessariorum libertatem, qualis in libro ejus de Via perfectionis, qualis a congregatis Patribus in Constitutione anni* **1581**, *et qualis tandem a Ribera et Yepesio in Sanctæ Vita memoratur. Ast et justas posuit illi libertati* Teresia *limites. Nempe eam quæ ad perfectionem conduceret, scripto commendavit, exemplo docuit usuque stabilivit; illam vero noluit et abhorruit quæ a perfectione abduceret profanasque affectiones apta esset generare. Ut dixi, media stetit prudens* Teresia *inter immodicam quosvis acciendi a Gratiana factam copiam, et inter nimium rigorem Doriæ, qui, dum cum sex consultoribus suis operoso et insueto modo monialium res tractabat, illis solitum confessariorum ex mente et usu S. Matris delectum pernegabat. Scilicet, ut sæpe fit, contraria contrariis curaturus, longius processit, et grassanti malo remedium æquo fortius applicuit, adinstar illorum qui, cum declinatam in unam partem corrigere volunt arborem, nimis in alteram inclinant; ac, pro amore Gratiani*

A *Gratiani, qui disciplinam emolliebat, vir cæteroquin optimus adhibuit rigorem qui primarias plures moniales, Teresianarum Constitutionum tenacissimas, exasperavit. Quos autem consultissima Reformatrix libertati terminos fixerit, et quæ ejus circa confessarios mens fuerit, e sequenti paragrapho adhuc clarius patescet.*

§ XC. An et quousque S. Mater cupiverit filiarum suarum cœnobia a reformatis Carmeli Fratribus gubernari, illasque ab his in spiritualibus dirigi.

Cupivit Sancta filias suas subesse Ordini, et dirigi a Fratribus:

Acerrima a morte Teresiæ *totos fere quadraginta annos circa utrumque hoc caput lis fuit, primum in Hispania, multas moniales inter et Patres Carmelitanos, ac dein in Gallia, hinc inter indigenas potissimum qui a partibus stabant eorum qui, priusquam in id regnum admissi fuissent Patres Carmelitani, monialibus præfuerant, et illinc inter sorores quæ ex Hispania in Galliam venerant Ordinem fundaturæ, et quas PP. Carmelitani sustentabant nec paucæ e monialibus Gallis sectabantur. Licet sane meum non sit in* Teresiæ *Vita sequentem tractare historiam, nedum ullos corripere, subin tamen, quantumvis illubenter, cogor, S. Matris gesta et ordinationes dilucidando, attingere aliquos e posteris, et inter duos contendentes, qui opposita tuentur, alterutrum, etiamsi Ordo sit aut natio, indirecte perstringere: quod agendum mihi præsertim tunc est in rebus magni momenti, quando* Teresiæ *auctoritas ab una aut ab utraque parte invocatur. Atqui hoc in Carmelo factum esse circa Ordinis regimen et circa confessariorum delectum, cum Hispania et Italia, tum Gallia et Belgium locuples testis est: ita ut ardua hæc viscosaque tractatio vitari a me neutiquam possit. Proin exhibebo hic circa utrumque hoc caput S. Matris sensa, quantum valui ex attenta Operum ejus lectione assequi: quæ cum exposita probataque fuerint, facile cuique*
C *erit examinare opiniones multorum, contraria non raro sentientium in disputata adeo utraque quæstione de subdendis Ordini monialibus et de assumendis ex solis PP. Carmelitanis earum confessariis. In dubium revocari nequit quin S. Mater in reformandis viris eum sibi scopum proposuerit, ut cuncta filiarum suarum cœnobia subjecta essent majoribus Ordinis et ut filiæ suæ a Fratribus Excalceatis acciperent regularem et ordinariam instructionem ac directionem; ut ea ratione monasteria sua majori uniformitate gubernarentur, ac filiæ suæ propria sibi disciplina melius instruerentur, a viris quippe eodem Instituto formatis eodemque spiritu imbutis. Sic Fundationum capite* II (*num.* 5) *perspectum sibi dicit necesse esse, si erigenda sunt monasteria sororum, ut Fratres quoque habeantur ejusdem Instituti:* Considerando yo quan necesario era, si se hacia monasterio de monjas, que hubiese Frayles de la misma regla. *Sic epistola* 28 *tomi III non levis momenti sibi videri ait ut Reformati Carmeli Fratres Confessiones excipiant monialium suarum:* Con serlo tanto el confesarse con los Frayles, como V. P. dice, y lo veo. *Atque hanc suam mentem etiam in pluribus casibus particularibus S. Mater manifestavit, sicut videre est in variis Epistolarum locis, quorum aliqua attuli paragrapho superiore,* AUCTORE V. D. M.
D *dicens ea quidem non valere ad generatim probandum S. Matrem nullos alios magistros spirituales filiabus suis dari voluisse quam Excalceatos; sed hæc nihilominus demonstrant eam existimasse sui Instituti viros in certis circumstantiis melius quam alios remedium afferre posse sive afflictis rebus alicujus monasterii sive turbatæ menti particularis cujusdam monialis: prout res se habuit Hispali* (*vide tom. I, epist.* 61, *num.* 7, *et epist.* 63, *num.* 7, *ac tom. III, epist.* 79, *num.* 9).

aliqua tamen, quoad hoc posterius, moderatione, ut probatur e S. Joanne a Cruce,

1738 *Attamen, quidquid multi dicant, certum omnino videtur S. Matrem non eo animo extendisse Reformationem ad religiosos ut soli hi in particularibus quibuslibet casibus filias ejus instruerent, cum nil in S.* Teresia, *nil in Ribera, nil in Yepesio, nil denique in pontificiis Constitutionibus reperiatur quod illud adstruat, sive quod vel minimum innuat S. Reformatricem solos Carmelitanos, exclusis aliis, in spirituales filiarum suarum magistros voluisse; sicut et e contrario, quidquid olim dixerint nonnulli, præcipue Galli, nil usquam in Sanctæ scriptis, ne vel indirecte quidem, indicat eam consultius duxisse*
E *ut filiæ suæ Carmelitanis qua confessariis abstinerent, vel ut ab Ordinis regimine eximerentur. Qualis autem fuerit potior S. Matris finis in reformando virorum Carmelo, aperte significavit S. Joannes a Cruce in oratione quam habuit in capitulo generali anni* 1591, *et quæ memoratur in Chronico* (*lib.* VIII, *cap.* XLV, *num.* 6). *Improbavit scilicet in ea oratione Sanctus Ordinem manum suam retraxisse a gubernatione et directione monialium, ac* gravibus verbis, *ut ait P. Marcus a S. Antonio in Vita ejus* (*cap.* XLVII, *num.* 4), tum disserens, ostendit quam parum charitati conforme esset punire omnes ob paucarum, si deliquissent, excessum; et quam alienum ab æquitate præterire in re tam momentosa præcipuum finem ob quem S. Teresia Reformationem inter religiosos induxerat, qui nempe erat ut moniales gauderent directoribus eodem spiritu imbutis; et denique quam evidens esset discrimen, ne, carentes Ordinis influxu, moniales prorsus ab observantia deciderent.

et ex epistola 28 *tomi III,*

1739 *Epistolæ S.* Teresiæ *adhuc melius id explicant. In epistola* 28 *tomi III, in qua S. Mater monitis suis instruit P. Gratianum ut in Complutensi capitulo negotia Reformationis ad moniales spectantia firmiter stabilirentur, sic loquitur:* Mea
F sententia maximi faciendum est ne confessarii monialium perpetuo sint vicarii; quod tantopere harum domorum interest, ut, licet tanti referat Excalceatos nostros eis confessarios esse quanti tua Paternitas ait atque ego video, potius admitterem res in præsenti statu manere et moniales nostris non posse confessariis uti, quam quemcumque confessarium esse vicarium. Inde non pauca exurgunt incommoda, prout Reverentiæ tuæ declarabo, cum eam coram videbo. Mihi, precor, fidas: nam, cum monasterium S. Josephi conditum fuit, plurimum id fuit expensum, atque hæc una ex rationibus fuit ob quas a me et aliquibus aliis æstimabatur hanc domum bene Ordinario subjectam esse, ne scilicet ad hos vicariatus deveniretur. Ubi id obtingit, novi magna illic exstare incommoda; et unum, quod bene vidi, apud me sufficit: nempe, cum aliqua monialis vicario illi satisfacit, non poterit priorissa impedire ne loquatur cum ea, quoniam ipse superior est; et inde mille incommoda scaturiunt. Eam ob causam et ob alias multas necesse etiam est ut prioribus subditæ non sint. Si enim accidat ut aliquis parum peritus sit, jussa dabit

AUCTORE V. D. M.

A dabit quæ omnes perturbent; quia non omnes operantur sicut Pater meus Gratianus (*nota Sanctam hæc ei gratulatam esse ante capitulum anni* 1581) : ac futuris temporibus prospiciendum est, cum jam tantis experimentis docti simus; et præscindendæ sunt occasiones, quoniam maximum quod priores monialibus creare queant bonum, est ut inter eas et confessarios non aliud commercium existat quam ut hi earum homologeses audiant.

quæ explicatur.

1740 *Ex hac epistola constat consilium S.* Teresiæ *quoad moniales Ordini subjiciendas hujusmodi fuisse ut immediate subditæ essent provincialibus, minime vero prioribus, licet conventus religiosorum in loco ubi monialium monasterium esset, extaret. Et in provincialium gratiam scripsit mirabilem tractatum de Ratione visitandi monialium monasteria; quæ si bene servetur, absque dubio Ordinis influxus in moniales maximus erit, et apud eas semper florebit observantia. Constat similiter ex ea epistola S. Matris consilium quoad confessarios fuisse ut Carmelitæ Excalceati ordinarii confessarii forent suarum monialium, sed hoc pacto ut his non aliud cum suis confessariis commercium esset quam quod necessarium est confessarii officio; ita ut directio,*

B *instructio et magisterium, quæ Sancta Reformatrix cupiebat per Carmelitas præberi monialibus, ad munus confessarii assueti et ordinarii restringerentur. Et evidens sane est confessarium eamdem regulam professum et bene doctum Constitutiones quas S. Mater præscripsit monialibus, rectissime posse suo officio fungi; sed nolebat Sancta hos confessarios gaudere in hæc monasteria auctoritate qua in aliis pollent vicarii. Atque hac in re reperiebat pia Virgo tanta incommoda ut mallet Carmelitanos non esse confessarios quam confessarios simul et vicarios, et ut satius duceret in capitulo stabiliri ut filiæ suæ tali rerum statu non confiterentur apud Excalceatos, sed* (*quod usque ad hoc tempus in usu fuerat*) *adhiberent in confessarios ordinarios sive sacerdotes sæculares sive religiosos alios quam e Reformato Carmelo. Atque, ut ait P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 28, *not.* 17), *et quoad immediatam subjectionem monasteriorum provincialibus, et quoad confessarios non constituendos vicarios,* Ordo satisfacit S. Matris menti duabus iis rebus, quas tam ardenter S. Mater avebat, firmissime servatis tamquam inviolabilibus Constitutionibus. *Porro de Excalceatis Carmelitis in ordinarios monialium*

C *confessarios assignandis in dicto Complutensi capitulo nihil mandatum est; quoniam facta ibi ea de re Constitutio his tantum constat verbis :* Priorissa cum provinciali vel visitatore quærat sacerdotem qui ætate, vita, moribus suis convenienter satisfaciat; et, si vir idoneus sit, assentiente P. Provinciali, poterit monialium confessarius esse. *Quo pacto nec jubetur nec vetatur eum regularem Calceatum vel Excalceatum esse; res tempori, ut maturescat, relinquitur; votum Sanctæ Matris approbatur; et penes prudentiam provincialium et priorissarum manet dijudicare sintne Excalceati designandi confessarii ordinarii necne.*

Hæc moderatio etiam probatur ex Ribera et Yepes.

1741 *Dein ad declarandum num S. Matris, extendentis suam Reformationem ad religiosos, scopus fuerit procurare ut suæ moniales reciperent ab ipsis solis instructionem in casibus particularibus, satis est in memoriam revocare hæc pauca quæ Ribera et Yepes ex S. Matris scriptis hauserunt.* Sancta, *ait Yepes* (*lib.* II, *cap.* XXXVII), in sua Constitutione statuit posse præter ordinarium confessarium a priorissa admitti ex iisdem Excalceatis vel ex aliis Ordinibus religiosos aliquot de quorum doctrina et virtute sibi satis constat, ut monialium Confessiones audiant, non tantum ter in anno, ut permittit Concilium Tridentinum, sed etiam sæpius; et eam- D dem potestatem penes priorissam esse circa conciones sacras. *Ac Ribera :* Nolebat, *inquit,* S. Mater suas filias Fratribus ita subdi ut his solis competeret ad eas concionari earumque peccata pro Confessione audire; sed ita ut ipsis liceret audire et consulere quoscumque qui magis ad suam salutem proficui esse possent, et ut cum illis animæ suæ res tractare fas esset. *Ibi autem Ribera minime loquitur de prima solum* Teresiæ *sententia, quam adversarii postea mutatam dicunt; siquidem in binis locis, quorum unus* (*de sororibus conversis*) *immediate præcedit, et alter* (*de numero admittendarum*) *immediate subsequitur, ille auctor explicite dicit quid mutationis* Teresia *in utraque ea Constitutione admiserit : quod sane in media* (*de confessariis*) *non neglexisset Ribera notare, si statutum illud S. Mater non reliquisset integrum. Yepesii dein, loquentis de prædicta Constitutione, verba sunt sequentia :* Cupiit, *inquit ille,* multum S. Mater suis monialibus esse libertatem in confitendo, et, quamdiu vixit, eam procuravit, injunxit, et multo ardore prælatos qui tunc præerant, oravit ut eis concederent hanc sanctam libertatem : *ita ut sancta libertas quam S.* Teresia

E *suis filiabus quoad confessarios extraordinarios e suo Ordine vel extra suum Ordinem assumendos reliquit, perbene componatur cum fine quem S. Mater habuit in extendenda Reformatione ad religiosos.*

Neque ullam hæc involvit contradictionem.

1742 *Sed sciscitari quis posset quomodo inter se conveniat priorissas provincialibus esse subditas, hasque tamen sine prævia eorum venia admittere posse, in monialium confessarios et concionatores, viros de quorum doctrina et virtute satis illis constat. Respondeo primo, hoc ratiocinium cum ipsis S. Matris statutis pugnare; nam ex his solis quæ modo diximus, evidenter constat ejus de utroque voluntas. Quisquis igitur æstimat et veneratur sanctas et graves ejus ordinationes, debet curare ut eas inter se conciliet. Respondeo secundo, certum sane esse S. Matrem noluisse priorissas digladiari cum provincialibus de jurisdictione : ita ut, quotiescumque hi eas monerent, v. g. tempore visitationis, sibi non placere talem esse monialium confessarium vel concionatorem, hunc priorissa non admittere aut prudenter deberet amovere. Sed et provincialis erat relinquere priorissæ libertatem admittendi eos adversus quorum doctrinam et virtutem nihil ei perspectum erat. Si itaque*

F *monialis manifestaret priorissæ votum agendi de animæ suæ negotiis, v. g. cum P. Dominicano qui in civitate ut vir spiritualis et doctus habebatur, nolebat S.* Teresia *priorissam adstrictam esse, priusquam subditæ suæ annueret, ad petendam licentiam a provinciali qui forte quinquaginta leucis abesset Si veniret in civitatem, exempli causa, missionarius Franciscanus sanctitate doctrinaque celebris, et cuperent moniales eum pro concione audire illive confiteri, nolebat Sancta priorissam teneri ad recurrendum ad provincialem, ut suis monialibus hoc solatium impertiretur. Similiter fingi possunt plures alii casus practici : et in his omnibus, ac multo magis in adjunctis vere urgentibus, judicabat Sancta valde expedire ut priorissa in præsenti non subjaceret dispositioni provincialis, ubi de admittendo concionatore vel confessario extraordinario, litteris et virtute ornato, ageretur; quin tamen hæc facultas debitam submissionem tolleret. Verbo, hæc subjectio atque hæc libertas valde bene concordant, dummodo spiritus regnet Teresianus. Atque hæc præcipue ex Montoya* (*diss.* III, *p.* 62).

1743 *Cum opportuna hic sit occasio, sine animadversione prætermitti a me nequit quod ex prætensa*

Non placet causa quædam quæ affertur aversionis S. Teresiæ *a vicariis adhibendis in suis monasteriis.*

tensa quadam Annæ a S. Bartholomæo epistola narrat P. Antonius a S. Josepho (tom. III, epist. 28, not. 16), videlicet S. Matrem non aliam ob causam tam alienam a vicariis fuisse, et in primordio majorem libertatem circa confessarios indulsisse, quam quod, convivens in juventute sua monialibus Augustinianis, viderit has uno premi vicario qui strictissime amovebat quemvis alium confessarium. Ast prorsus a vero abhorret Ven. Annam a S. Bartholomæo scripsisse istiusmodi, qualis refertur, injuriosam Augustinianis monialibus epistolam, et eam crudo inconditoque stylo ausam fuisse dicere S. Matrem puellaribus laborasse in re gravissima præjudiciis; dum ipsa Anna toties ex ore S. Matris suæ exceperat, in libris ejus legerat atque usu ab ipsa inductam viderat laudatam eam circa confessarios libertatem quam supra retuli ex capite v Viæ perfectionis. Neque enim præjudiciis sese actam probat Teresia, quæ citata supra epistola 28 tomi III exerit solidissimas rationes cur nolit ut confessarii vicarii sint (id est, cur nolit ut aliquod hi exerceant imperium, quod solis priorissis competere vult sub Generali et provinciali), et quæ capitibus IV et V Viæ perfectionis magna argumentorum vi nec minore styli claritate doctrinam suam tradit super patrum spiritualium delectu.

Certa Sanctæ mens ut filiæ suæ subessent Ordini:

1744 S. Matris mente de confessariis et monialium regimine modo exposita, quæri congrue hic potest quam alte sua hæc ei mens inhæserit seu quos casus exceptitios vel revera admiserit vel parata videretur admittere in his suis statutis aut propositis, quantum scilicet id e scriptis ejus agendique ratione hauriri aut conjici potest. Supersedeo quæstioni de confessariis officio vicarii donandis, cum plane dicat malle se ut abstineant Carmelitani exercendo ullo inter moniales munere quam ut confessarii sint earum vicarii. Ordo in hoc S. Matri morem gessit, nec etiam in Gallia confessarii umquam administrarunt monialium conventus. Fixa quoque ei omnino videtur fuisse voluntas ut sub Ordine starent hi conventus : nam recusavit oblatas plurium fundationes, eo quod conditio esset apposita ne ab Ordine dependerent. Neque hoc mirum est : ut enim prius illi a Deo jussum fuerat ut Abulense monasterium eatenus episcopo subjectum sub Ordinis ditionem redigeretur, sic et Deus ei apparens, ut narrat ipsa Sancta, ipsi injunxerat ut quas fundaret imposterum domus Ordini submitterentur. Non est tamen quod ipsa probabiliter non liquisset hoc suum propositum, non dico, si Dei vel Ecclesiæ nutus id exegisset, sed si graviores supervenientes rationes suasissent ut separati ab Ordine erigerentur monialium conventus, nec obstitisset nota Dei voluntas.

ita tamen ut cessisset, maxime ad nutum Summorum Pontificum,

1745 Nam quæ Abulensem primam suam domum ob justas causas Ordinario subjecerat, ob alias graves causas haud sane recusasset novas erectas domos subjicere sive locorum Ordinariis sive commissariis apostolicis, nec pro spuriis utique Teresia habuisset filiarum suarum cœnobia quæ Summi Pontifices pro temporis et rerum adjunctis satius judicassent subjacere rectoribus extra Carmeli Ordinem assumptis. Etenim, cum cæce semper superioribus pareret, etiam in hoc ad nutum supremi Ecclesiæ Moderatoris, relicto suo sensu, illico sensisset aliter. Norat enim Teresia, obedientiæ filia, Ecclesiam, pacis religiosis Ordinibus procurandæ perstudiosam, nonnumquam tempori prudenter servire, ac demere vel addere Ordini constitutionem, ne totus Ordo aut notabilis ejus pars grave aliquod detrimentum patiatur.

qui, ea mortua, varia tentarunt.

1746 Qua ratione, cum in Hispania Reformata Carmeli sequioris sexus Religio ob regimen variamque circa confessarios Ordinis disciplinam dissidiis intestinis agitaretur, intra decem ferme annos quatuor Constitutionibus apostolicis, quarum aliæ aliis erant derogatoriæ, pacare hunc conati sunt, diversa remedia tentantes, Gregorius XIII anno 1581, Sixtus V annis 1588 et 1590, ac demum Gregorius XIV anno 1591. Imo, quod hic apte ad rem facit, siquidem ad ipsum quoque Excalceatarum regimen attinet, tulit Ecclesia ac probavit, aut magis sancivit, ut in ipsa urbe Roma Ordini subesset alterum monialium Teresianarum monasterium (S. Ægidii nuncupatum, quod in tabella Ordinis impressa erectum dicitur XXIX Julii 1610), alterum vero Ordine eximeretur (S. Josephi, fundatum juxta prædictam tabellam XIV Aprilis 1598). Pari ratione tulit et probavit ut olim in Gallia subessent pleraque monialium monasteria tribus viris a Sede apostolica delegatis, dum similiter probavit (quod Teresiæ præplacuerat) vulgo alibi extra Galliam constitutas domus Ordini subesse, v. g. in Hispania, Italia, Belgio, Polonia, in comitatu etiam Avenionensi et Lotharingia, etc. Longissime autem abfuisset humillima et obedientissima Virgo ut tota mentis pronitate diversas has de Ordine suo ordinationes non admisisset, si latæ fuissent se viva. Nam, quamtumvis fortis in agendo, tam parum judicii sui erat tenax ut non raro æqualium et subinde etiam inferiorum sententiæ cederet, sicut tomo III, epist. 28, num. 9, in re quæ ei, utpote paupertatis amantissimæ, cordi summopere semper fuerat, cedere videmus, sinendo scilicet resecari e Constitutionibus quidquid monasteria sua vetabat donari censibus.

In re confessariorum auctoritas Sanctæ in contrarium invocatur.

1747 Quæri tandem ultimo potest quam immotum S. Matri propositum steterit ut Patres Carmelitani essent sororum suarum confessarii. Solet in hac, ut in pluribus aliis rebus, Teresiæ sensus ad opposita utrinque detorqueri. Taceo indignas honesto, nedum religioso viro, truncationes Operum S. Matris, v. g. in prima Epistolarum ejus gallica versione quæ anno 1660 Parisiis prodiit, ubi plura resecta sunt quæ editori Gallo displicebant. Taceo quoque nonnulla variorum dicteria, ubi non sat parcitum fuit reverentiæ S. Matri debitæ (v. g. nota 27 ad epistolam 89 tomi III edit. hispanicæ). Sed sufficiet, pro specimine discrepantium circa hoc opinionum, citare binam sincerorum cæteroquin scriptorum diversam ea de re sententiam; quarum altera solos PP. Carmelitanos in monialium confessarios volebat adhibitos, altera vero hos malebat eo ministerio exclusos, dum tamen uterque jactabat sententiam suam Teresiæ auctoritati inniti. Scilicet P. Fredericus a S. Antonio (lib. III, cap. XII,) sequentia habet verba : Ultimus S. Matris sensus fuit ut in secreto Confessionis tribunali nulli alii quam Fratribus Carmelitanis filiæ suæ conscientiam aperirent. Atque ita passim loquuntur scriptores Carmelitani. Marillac autem (pag. 56 operis sui de Erectione et Institutione Carmelitissarum Excalceatarum in Gallia) ita habet: Ex eo quod expresse dicatur in Constitutionibus, viva Teresia conditis, facilitatem communicandi religiosos inter et moniales maximæ mundo offensioni esse, et quod religiosis prohibeatur fœminarum adire monasteria, non male concluditur decreta hæc prohibentia non posse melius servari, nec posse quid conformius fieri spiritui S. Matris, quam si interdicatur religiosis quodvis erga sorores sacrum ministerium. Atque in hanc plerique inclinantur auctores Galli opinionem, quam etiam in praxim redegerunt.

Sancta ob scopum suum, qui erat maxima perfectio,

1748 In tali itaque sententiarum diversitate, antequam meam proferam mentem, quo plenius S. Matris sensus agendique ratio investigetur et

AUCTORE V. D. M.

AUCTORE V. D. M.

A *vindicetur, considerare plane oportet temporum et rerum circumstantias. Ut jam dixi, certum est ipsam filiabus suis dari generatim maluisse confessarios sui Ordinis; sed et certum quoque eam numquam in universum vetuisse quominus alii qui Carmelitani non essent, in confessarios adhiberentur. Ut autem relictæ hujus libertatis in eligendis confessariis ratio capiatur, considerandus est finis quem* Teresia *sibi in monialium reformatione proposuit, ac etiam considerandæ rerum et temporum circumstantiæ in quibus egit et scripsit. Finis ille erat ut ad summum perfectionis apicem virgines suæ educarentur : ac revera tanta virtutis magistra discipulas suas ad sublimem adeo sanctitatem evexit ut non paucæ earum a Deo donarentur visionibus, raptibus aliisque gratiis gratis datis; sicut ipsa scribebat anno* 1573, *capite* IV *Fundationum suarum, num.* 7, *sic inquiens :* Tam multas ac tam singulares Dominus gratias hisce in domibus præstat ut omnes eas ad meditationem evehat; nonnullæ porro ad perfectam pertingant contemplationem; aliæ vero usque eo evehantur ut et raptus et ecstases patiantur; aliis quoque alio modo gratias Dominus elargiatur, nec non revelationes et visio-

B nes, quas a Deo provenire quam manifestissimum est. Nullum namque hodie monasterium est in quo non duæ aut tres quibus hujusmodi gratiæ fiant, reperiantur.

qualem reipsa filiæ ejus attigerant,

1749 *Imo ob maximum erga ferventissimas* Teresiæ *sodales cœlitus concessum favorem necesse fuit ordinari ut vota non jam amplius publice ad cancellos, sed intra chori penetralia emitterent, ne scilicet, quod anno* 1571 *Annæ a Jesu contigerat, ecstasi ter pro Carmeli more repetendam votorum pronuntiationem absolvere impedirentur. Vide P. Angelum Manrique in Vita Annæ a Jesu* (*lib.* II, *c.* IV, *num.* 6 *et* 7), *de Montis in gallica ejusdem Vita* (*lib.* II, *pag.* 40), *Emery in Vita S.* Teresiæ *compendiosa* (*pag.* XLVII), *gallicas S.* Teresiæ *Epistolas a Matre Maupeou versas* (*t. II, nota ad epist.* 101). *Ac denuo Sancta, Vitæ suæ cap.* XX, *num.* 15, *memorat prodigia quæ Deus operatur in iis qui ad quartum* (*id est ad sublimissimum*) *orationis et contemplationis gradum jam eluctati sunt; et postea de domo sua Abulensi, quæ a brevi tantum tunc tempore erecta erat, addit :* Causa vero cur me quoad hoc ita explicem et declarem, hæc est, quod sciam hodie nonnullas superesse, etiam hoc in monaste-

C rio, quibus id genus gratias Dominus confert : unde, si, qui ipsas dirigunt et regunt, in hisce rebus minime versati sint, putabunt fortasse eas in raptu debere ceu mortuas videri, præsertim si non sint docti. Et certe dolenda res est quod tam multa a confessariis harum rerum imperitis, uti postea dicam, pati homo debeat.

sapientissimos iis undequaque peroptabat confessarios,

1750 *Hoc autem ipsum ab imperitis confessariis periculum potior sane causa fuit cur S.* Teresia *judicarit optimum quemque, id est doctissimum et sapientissimum, filiabus suis concedi debere ducem spiritualem, sive Carmelitanus esset sive non esset, et cur, sollicita semper ad auxilium et solatium familiæ suæ procurandum, cap.* IV *et* V *Viæ perfectionis tam diserte voluerit ut acciri possent, e judicio priorissæ, quicumque sacerdotes in discernendis spiritibus versati. In ardua enim perfectionis via et inter rara hujusmodi Dei dona experta ipsa erat non affatim esse idoneorum consiliariorum, ut negligi posset aptior qui inveniretur pater spiritualis, ex quocumque obvius esset Ordine aut Clero. Secundum hoc ergo S. Matris principium, quo meliorem spiritualem directionem suis comparare studebat, initio Reformationis quidem frequentius, post-*

D *modum vero rarius, semper tamen aliquotics, utile esse potuit iis virginibus excipere consilia etiam aliorum quam Carmelitanorum.*

quales pedetentim plures Ordo suus suppetebat.

1751 *Enascente primum sua Reformatione,* Teresia *non tam inducta quam compulsa fuit ut facilem se prorsus præstaret in admittendis desumptis extra suum Carmeli Ordinem confessariis. Non hic loquor de sexennio quo erecta sunt quatuor priora monialium monasteria et quo nullum existebat reformatum virorum, sed de reliquo usque ad mortem ejus tempore. Si enim spectes hæc primordia, Reformatus virorum Carmelus ornabatur quidem primariis eximiæque sanctitatis et doctrinæ religiosis; attamen quatuordecim quibus ab ortu suo usque ad* Teresiæ *mortem Reformatio extitit annis, non eum certe numerum formatorum virorum habuit quem habuit postea, cum altiores radices egerat ramosque circumquaque extenderat, et cum in numerosiore et adultiore Ordine plures reperiebantur iis instructi dotibus quas S. Mater in spirituali filiarum suarum rectore peroptabat. Interim non abs re erit Reformationis sub* Teresia *progressum uno conspectu intueri, ac considerare quot, ubi et quando utriusque sexus cœnobia tempore S. Matris fundata fuerint; et patebit plura fuisse fœminarum quam virorum, nec bina hæc utri-*

E *usque sexus ubivis fuisse in eadem civitate.*

Dictorum conclusio.

1752 *Atque hæc sunt quæ meditato mihi S. Matris acta et scripta videntur in ea intricatissima re probabiliora. Quare temperanda utrinque sunt, non minus veritatis quam pacis amore, extrema quorumdam sibi oppositorum effata : ac fatendum, ut dixi, S. Matrem ita generatim maluisse confessarios Carmelitanos ut numquam tamen excluserit alios, etiam ordinarios. Præterea æstimandum omnino est illam, quæ summa non minus animi temperantia quam prudentia prædita erat, et hic quoque, ubi fas fuisset, tempori serviturum, cessuramque ob æquas rationes fuisse in re confessariorum opinioni desiderioque suo, et quidem, ut videtur, multo facilius quam in subtrahendis omnimode Ordini filiarum suarum monasteriis. Satis itaque me fecisse ratus ostensis regiminis et spiritualis directionis principiis quæ S. Mater ut fundamentum habuit reformati a se Carmeli, aliis relinquo dijudicandum num bene semper hæc interpretati sint tum* Teresiæ *posteri tum qui res Carmelitanas tractarunt. Nam hoc inquirere, sicut prius adverti, spectat magis ad Ordinis historiam quam ad Sanctæ Vitam. Interea tamen, sicubi de* Teresia *a quibusdam sermo fiat,* F *ejusque auctoritas in discussa jam materia a contraria non raro sentientibus invocetur, jure lectorem rogatum velim, ut, nisi falsum quod exhibui ratiocinium deprehenderit, varia illa variorum effata conferat cum sensis Teresianis quæ supra conatus sum enucleare; variisque iis dictis ad nota probataque S. Matris sensa, ceu ad lapidem lydium, examinatis, pronuntiet ipse lector quænam e tam diversis sententiis veræ sint aut falsæ. Equidem in acerrima lite et multorum conflictu, contentus informasse causam, cæterum malim judicium sententiamque aliis pronuntiandam relinquere quam ipse proferre.*

§ XCI. Ecstases, raptus, visiones, revelationes in S. Teresia a Dei spiritu profecta sunt.

Hanc tractationem orsurus, verba usurpo auctoris Chronici,

Ea S. Matris charismata, de quibus plures egerunt,

A *Chronici, sic loquentis :* S. Teresiæ et S. Joannis a Cruce doctrina de visionibus et revelationibus timidum me reddit tamque parum audentem ut de his tacerem, nisi de narrandarum authentia rerum mihi constaret. Ast authenticæ cum sint, non ausim eas celare, eo quod gloriæ Dei intersit ut dona ejus noscantur (*lib.* VIII, *cap.* VII, *num.* 10). *Ipsa S. Virgo in libro Vitæ suæ, in Additionibus ad Vitam suam et in epistolis suis ad Rodericum Alvarez* (*tom. I, epist.* 18 *et* 19) *enarrat hæc quæ toties experta fuerat cœlestia munera, simulque explanat quid ea sibi velint. Pariter Ribera, postquam initio libri* IV *Vitæ suæ Teresianæ sublime orationis ejus genus declaravit, ea dona, tamquam orationis effectus, fuse, docte et accurate capitibus sequentibus describit. Idem præstant lucide et breviter Acta canonizationis* (*Relat.* II, *art.* XXI). *Id insuper argumentum tractant Yepes, Joannes a Jesu Maria, auctor Chronici, aliique scriptores bene multi, etiam recentiores. Interim, ut ecstaseon, revelationum aliarumque de quibus hic sermo est rerum justa habeatur idea, lectorem remitto præ cæteris ad Benedictum XIV* (*de Beatif. et Canoniz., lib.* III, *cap.* XLIX *et seqq.*), *tum quia nullum, ut antecessores nostri pluries fassi*

B *sunt, invenire est scriptorem certiorem seu cui tutius fidatur, tum quia ea quæ tractat, sæpe ad S.* Teresiam *refert et non raro auctoritatem ejus invocat ad stabilienda posita a se principia. Porro Ribera initio Vitæ Teresianæ multa congesta eruditione egregie disputat ad vindicandas ab incredulorum assultu Sanctorum revelationes. Visum tamen mihi est ad dicta Riberæ adjicere hic quædam pro ævi nostri conditione, quo melius contundatur audacia eorum de quibus loqui videtur S. Judas versu* 10, *sic dicens :* Quæcumque quidem ignorant, blasphemant : quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

judicanda sunt ei a Deo fuisse tributa,

1754 *Proficiscitur id genus rerum a spiritu aut divino aut diabolico aut humano. Ergo investigandum mihi est quænam, quod attinet Sanctam nostram, mirabilium sit eorum effectuum causa. Primis quidem quibus extraordinaria hac via incedebat temporibus, dubitatum a nonnullis fuit Deine an diaboli spiritu ipsa ageretur; sed brevi eorum qui in discernendis spiritibus minus versati erant eamque a malo spiritu agi autumabant, relicta opinione, omnes amplexi sunt sententiam S. Petri de Alcantara, S. Francisci de Borgia, Magistri Joannis de Avila,*

C *P. Petri Ibañez, P. Balthasaris Alvarez, P. Dominici Bañez, P. Roderici Alvarez aliorumque multorum piissimorum virorum et excellentium theologorum, qui, S. Virginis conscientiam moderati, asseveranter edicebant Dei esse spiritum qui raris his donis animam ejus gratificabatur et exornabat : eoque id in dies firmius credebatur, quo magis elucescebat constanti solidarum virtutum exercitio humilis Virginis sanctitas, omnimodaque in ea concurrere videbantur signa e quibus tute judicari posset dona ea esse divina. At id maxime patescebat ex effectibus, juxta datam a Christo Salvatore regulam, qua spiritum Prophetarum dicerni voluit :* Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 16). *Cui regulæ consonant pulchra quæ S. Catharina Senensis sibi a Deo dicta refert verba :* Pro certo, inquit, noveris, quandoquidem ego sum veritas, ex mea apparitione semper in anima majorem existere veritatis notionem; ex veritatis autem cognitione id præstatur animæ ut et me et se rectius cognoscat : unde porro consequitur ut se contemnat ex animo, meque honoret ac veneretur. Ita fit ut ex meis visionibus anima seipsam suamque vilitatem penitius intelligat, eamque intelligendo se contemnat magis, humiliorque efficiatur. Cujus contrarium accidit ex satanæ visionibus (*apud Eusebium Amort, tractatu de Revelationibus etc., part.* I, *cap.* XX, *num.* 3).

AUCTORE V. D. M.

D

secundum regulas quas evolvit

1755 *Certe nil magis perspicuum, nil tutum magis ad spirituum discretionem potest assignari indicium, quam hæc a S. Catharina aut potius a Deo mirabili brevitate et nexu statuta regula. Neque alio collineant multiplicia ea bonarum revelationum indicia quæ pulchre evolvit Cardinalis Bona capite* XX *libri de Discretione spirituum, ubi ab Eminentissimo scriptore S. Catharinæ verba explicata diceres et applicata revelationibus S.* Teresiæ. *Postquam scilicet eos qui animas regendas susceperunt, monuit ne facile credant mulierum revelationibus, illis exceptis quas longa experientia et diligenti examine probaverint a Deo esse, sic ait :* Ab hominibus humana et divina sapientia præditis S. Teresiæ visiones et revelationes approbatæ fuerunt variis judiciis et argumentis; quæ operæ pretium est hic summatim referre, ut ad hæc veluti ad lydium lapidem oblatas revelationes examinare bonumque spiritum a malo discernere valeant quicumque huic curæ incumbunt. Spiritum igitur Teresiæ bonum esse et veras revelatio-

E nes hæc signa demonstrarunt. Semper timebat diabolicas illusiones, ac propterea numquam visiones petiit aut desideravit : imo potius Deum exorabat ut eam duceret per viam consuetam, hoc solum optans ut fieret in ea divina voluntas. Cum soleat dæmon præcipere ut quæ revelat nemini dicantur, illa semper a spiritu sibi apparente audiebat ut communicaret cum viris doctis, ne forte tacens deciperetur : ideo se virorum illustrium examini subjecit, qui tunc doctrinæ et sanctitatis laude in Hispania florebant, quales fuerunt Petrus de Alcantara, Franciscus Borgia, Joannes Abulensis, Balthasar Alvarez, Dominicus Bañez et alii. Suis directoribus exactissime obediebat, et post visiones magis in charitate ac humilitate proficiebat. Libentius cum illis agebat qui minus creduli et magis timidi erant; eosque magis amabat a quibus persecutiones patiebatur.

Cardinalis Bona.

1756 In ejus mente summa tranquillitas et jucunditas erat, exsuperans omnes mundi consolationes : ardentissimus in ea zelus salutis animarum, purissimæ cogitationes, magnus candor, fervens desiderium perfectionis. Si quæ in illa imperfectio, si quis defectus erat, de illo semper reprehendi ab

F eo solebat qui intus illi loquebatur. Dictum est ei, ut, si quæ justa sunt a Deo peteret, ea indubitanter obtineret : multa autem petiit, et semper obtinuit. Quicumque cum illa versabantur, nisi prava dispositio obstaret, ad modestiam, ad pietatem, ad amorem Dei ex ejus consuetudine excitabantur. Visiones ut plurimum ei contingebant post longam et ferventem orationem sive post Communionem; et in illa accendebant ardentissimum desiderium pro Deo patiendi. Carnem suam jejuniis, flagellis, ciliciis castigabat; et gaudebat in tribulationibus, murmurationibus et infirmitatibus. Solitudinem amabat, abhorrens ab hominum conversatione, et ab omni rerum terrenarum affectu prorsus avulsa. Tam in prosperis quam in adversis eumdem semper tenorem, eamdem animi tranquillitatem servabat. Nihil unquam in ipsius revelationibus earumque adjunctis viri docti observarunt quod a regulis Fidei et Christiana perfectione alienum esset : nec erat in illis quod posset reprehendi. Hæc signa si in aliquo deprehensa fuerint, nullatenus dubitandum quin ejus revelationes a Deo sint. *Etiam timoratissimis illudit quidem interdum dæmon, sicut ex adverso Deus aliquando nequissimis gratias confert quæ dicuntur*

AUCTORE V. D. M.

A *cuntur gratis datæ (quo modo prophetaverunt Balaam et Caiphas); ast ex fine quem revelationes ultimato causant, ut ait S. Thomas, veræ a falsis dignoscuntur (in* 2 *ad Cor. cap.* XI, *lect.* III, *ad illa verba :* Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis).

potissimum ob tributam eis ab Ecclesia laudem,

1757 *Quamplurimum autem non tam convaluit quam propagata est acceptissima illa opinio de visionibus aliisque divinis S.* Teresiæ *donis, cum post felicem ejus mortem patrarentur ad ejus invocationem prodigia et maxima et plurima, et cum vidissent atque attrectassent testes innumerabiles incorruptum, lentum atque odoriferum ejus cadaver. Extra controversiam vero habita est hæc res, quando,* Teresia *fastis Sanctorum inserta, Ecclesia, honorificis verbis tum in Bulla canonizationis tum in Lectionibus Breviarii de ejus ecstasibus, visionibus et revelationibus mentionem faciens, visa est suum iis calculum adjicere; quamvis decretoriam non edebat sententiam, non solita quippe hujusmodi res definire. Quare, ne in his quæ super S.* Teresiæ *donis asserturus sum, fines quos Ecclesia sibi ponit, excedere videar, atque etiam ne quis parum æquum judicium sibi effingat de loco sive numero quo Ecclesia ecstases, raptus,*

B *visiones, apparitiones aliaque hujusmodi in canonizandis Sanctis habet, sed ut menti qua Romana Sedes talia examinat, sensuique quo talia laudat aut etiam approbat, inhæreatur, utile duco quædam præmittere, ut nulli saltem qui sit Catholicus, habear aut in defendendis Teresianis visionibus nimius, aut in refellendis earum detractoribus iniquus.*

in sensu scilicet quo, juxta Benedictum XIV,

1758 *Quod æstimationem attinet qua Ecclesia pensat raptus, apparitiones, revelationes et cætera id genus, imprimis animadvertendum est cum Benedicto* XIV (*de Beatif. et Canoniz., lib.* III, *cap.* XLII, *num.* 5 *et seqq.*) *ea omnia, non secus ac gratias gratis datas, quibus connexa quodammodo censeri debent, communia esse peccatoribus et justis; quoniam per se a Deo pendent, et non ab homine aut a rectitudine humanæ voluntatis. Imo S.* Teresia *dicit* Deum quandoque velle hominibus qui in malo sunt statu, tantum conferre favorem ut ad orationem contemplationis ascendant, cum nimirum ob finem ut eo modo e dæmonis manibus eripiantur (*Via perfectionis, cap.* XLVI, *num.* 4). *Advertit Benedictus in canonizandis Sanctis nullam mirabilium*

C *earum rerum haberi rationem, si non adsint virtutes heroicæ aut non constet de bona morte; ast, si de utroque hoc constet, earum rationem haberi, eo quod hæ res dispositive hominem Deo gratum facere possint. Nec tamen necessarias eas esse ait ad canonizationem, siquidem ad hanc duo dumtaxat requisita substantialia exiguntur, virtutes nempe et miracula. Porro notat non omnibus justis ea dona conferri, quia ad communem Ecclesiæ utilitatem non necesse est ut justi omnes ministrent aliis vel subleventur iis gratiis ad operandam aliorum salutem : quod confirmatur ex eo quod Bullæ canonizationum reperiantur ubi nulla mentio de talibus est; unde arguitur Sanctos illos iis caruisse. Subjungit denique laudatissimus auctor, quod visiones et apparitiones attinet, non posse quidem has probari nisi verbo aut scripto ejus cui facta fuit visio vel apparitio Deive locutio; sed, cum in quavis canonizationis causa quæ abundat visionibus et cæteris ejusmodi, omnino requiratur ut spiritualium magistrorum accedant de qualitate visionum et apparitionum testimonia, et ut simul constet de eorum magistrorum probitate, prudentia et experientia (sicut revera factum fuisse ait Benedictus in causa S.* Teresiæ, *cujus spiritum probaverunt doctissimi et probissimi viri), hac ratione,* D *quod unicum quidem primitus fuit testimonium, illius nempe qui gavisus iis fuit visionibus, communitur quam maxime testimoniis illorum qui Servi aut Servæ Dei conscientiam moderati sunt : ne quid dicam de testibus aliis qui testimonium deponunt super heroicitate virtutum.*

Ecclesia solet talia facta laudare.

1759 *Deinde, quoad examen visionum et quoad valorem tributæ his ab Ecclesia approbationis,* sciendum est, *ait idem Pontifex,* approbationem istam nihil aliud esse quam permissionem ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem post maturum examen : siquidem hisce revelationibus taliter approbatis, licet non debeatur nec possit adhiberi assensus Fidei Catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas, juxta quas nempe tales revelationes sunt probabiles et pie credibiles. *Explicat dein Benedictus quomodo a Congregatione Rituum de visionibus, revelationibus et apparitionibus triplex instituatur examen : primum, ut videatur num quid in iis insit quod reprobari mereatur, v. g. aliquid contra Fidem aut bonos mores aut aliqua doctrina nova et peregrina atque a communi Ecclesiæ sensu*

E *aliena; secundum, ut judicetur utrum is cui illa contigerunt, fuerit a Deo illustratus gratiis gratis datis; tertium, ut sciatur an illæ visiones, revelationes et prophetiæ sint approbandæ, generatim scilicet : nam vix umquam hæc aut illa singillatim visio, revelatio aut apparitio approbatur. Quare bene ait Cardinalis Bona (loco supra citato, num.* 1), *quæ circumferuntur revelationes a sanctis viris et mulieribus scriptæ, eas non ideo approbatas censendas esse ut illis certitudine fidei assentiamur, sed ut eas tamquam probabiles recipiamus. E dictis itaque conclude, cum S.* Teresiæ *visiones, apparitiones et prophetiæ a Congregatione Rituum (ne quid dicam de multorum scriptorum et testium auctoritate) examinatæ fuerint, et modo quo dictum est, approbatæ, conclude, inquam, secundum prudentiæ regulas assensum fidei humanæ iis deberi; ita ut qui hunc iis assensum denegat, non læsæ Catholicæ Fidei, sed mali aut insinceri critici notam contrahat, et quidem tanto pejorem quanto pluribus probabilioribusque argumentis Teresianæ visiones sunt communitæ.*

Librorum ejus præstantia contulit quoque ad bene de donis illis sentiendum.

1760 *Præter allata modo argumenta alia adhuc ratio haud parum contulit ut generalis certaque evaderet Catholicorum persuasio non humanum, nedum diabolicum, sed divinum fuisse spiritum qui eas quibus scatet vita ejus ecstases aliaque mirabilia in anima ejus operatus sit. Scilicet excellentia scriptorum ejus et magna æstimatio quam libri illius ubivis terrarum nacti sunt, eo usque increverunt ut quas ipsa posuit ad discernendas veras a falsis revelationibus regulas, hæ habeantur certissimæ ac tutissimæ, et ut vix ullum reperias inter eos qui post S.* Teresiæ *tempora has res scribendo tractarunt, quin ejus, præ cæteris omnibus, auctoritatem invocet, tum quia lucide hæc abstrusa extricat, tum quia ipsamet divinis, ut Lectio sexta Breviarii Romani loquitur, locupletata fuit charismatis. Porro cernere est quanta cum æstimatione, et prope dixerim, quanta cum veneratione auctoritatem verborum ejus inclament J. B. Scaramelli quaque fere pagina Directorii sui mystici, Bossuetius in libro :* Mystici in tuto, *Cardinalis Bona in libro de Discretione spirituum, ipseque adeo, ut alios multos omittam, Benedictus XIV, qui honorificis verbis mentionem frequenter facit operum et judiciorum S.* Teresiæ. F

A

§ XCII. Refutantur varia adversariorum argumenta.

Alii ab omnibus illis gratiis alieni plus minusve sunt,

Exposita igitur sententia quam Ecclesia de immissis divinitus S. Teresiæ *visionibus et revelationibus non obscure manifestavit, quamque Catholici generatim sequuntur, recenseamus modo atque refellamus eos qui contra sentiunt. Quandoquidem sermo mihi hic, ut confido, est cum iis qui inter cætera Sanctæ Fidei nostræ dogmata credunt Jesum Christum Deum de Deo, et consubstantialem Patri, natumque ex Maria Virgine, passum et crucifixum, animadvertere in antecessum mihi fas est Christianos etiam homines non sufficientem quandoque in judicando habere rationem divinæ bonitatis et potentiæ. Sicut enim probe notat auctor Chronici Carmelitani, ubi vindicare conatur a severiorum criticorum assultu mirabilia cœlitus S.* Teresiæ *collata beneficia, non debent præstita talia sanctis animabus charismata esse creditu difficilia illi qui credit Jesum*
B *Christum, e suo erga hominem amore, incarnatum, natum, passum ac saturatum opprobriis. Præterea sibi parum quoque constare videntur nonnulli qui faciles sese præbent in admittenda circa animam hominis malorum spirituum actione, difficiles vero in admittenda circa eam operatione Dei et bonorum Angelorum.* Videntur nonnulli, *ait S.* Teresia *cap.* VIII *Fundationum,* vel ad solum visionum revelationumve nomen consternari. Quid tamen in causa sit nescio, aut cur adeo periculosum putent hac animam via a Deo conduci, aut undenam hæc eorum consternatio ortum habeat... Neque haud pauci confessarii tam percelluntur et consternantur, dum e pœnitentibus audiunt diabolum multa blasphemiæ genera ipsis repræsentare, nec non alia fœda et turpia suggerere, quam percelluntur et consternantur, dum illi se Angelum aliquem aut vidisse aut allocutos esse, vel etiam Dominum nostrum Jesum Christum in Cruce positum sibi apparuisse dicunt. *Quare assentiri non ausim religioso cuidam viro, qui in gallico edito nuper opere tam raras censet hodie esse familiares illas Dei cum homine communicationes ut regula pene generali repellendas velit quaslibet personas quæ in sacro Pœni-*
C *tentiæ Tribunali tales aperiunt acceptas a Deo sibi gratias. Impendenda sane est magna cautela et prudentia; non eo usque tamen circumscribenda ullo tempore est divinæ bonitatis largitio : sicut late videbis inferius apud Riberam* (*lib.* I, *cap.* I), *et sicut Theophilus Raynaudus scite explicat in sua tractatione de Stigmatismo sacro et profano, divino, humano, dæmoniaco* (*sect.* I, *cap.* XIV).

justissima Theophili Raynaudi

1762 *Videlicet doctus ille vir, postquam rememorarat monitum Apostoli de satana sæpe se in Angelum lucis transfigurante, et postquam multis jam humanæ jam diabolicæ fraudis haustis e fidis probatisque scriptoribus exemplis ostenderat quam necesse sit ut monitum illud, quoties personæ occurrunt quæ insolitis gradiuntur viis, oculis obversetur, aurea sequentia subjicit verba :* Qui cœlestes hos favores aliis collatos accipiunt... non esse adeo credulos oportet ut illico bibula aure excipiant omne quod jactatur in hoc genere, præsertim circa mulierculas, quæ imposturæ, ob cordis inopiam, facilius patent. Est vero etiam hæc cautio eidem sexui molliori maxime necessaria : ob judicii namque imbecillitatem et cordis levitatem credendi facilitate laborant, et facilius etiam implanantur. Ipse sane Spiritus Sanctus citam credulitatem levitati cordis adscribit Eccli. XIX. Non
D est quidem adeo obdurandum pectus ut nihil prorsus velit admittere narratum in hoc genere, etiam quod ævo nostro accidisse feratur. Deus quippe etiam nunc adest Ecclesiæ suæ, habetque in ea sub modio variis locis personas nitentissimas, quibuscum pignora benevolentiæ suæ et sanctimoniæ argumenta, cœlestes hosce favores, communicare haud indigne potest, si ita ferat ejus beneplacitum. Itaque non est putandum cœlum nostrum usquequaque æneum esse, nec posse in aliquas ævi hujus personas depluere cœlestia munera, qualia in anteriores Sanctos defluxere.

AUCTORE V. D. M.

monita non sequentes :

1763 Removendum igitur est robur et æs triplex quod nonnullorum pectoribus insedit ad respuenda omnia hujusmodi charismata, tamquam ab his sæculorum finibus aliena. Fortius etiam repellenda sunt ea fortia ingenia quibus fortitudo censetur inficiari anteriores ullos Sanctos (ne Sancto quidem Francisco dempto) insignitos esse sacris stigmatibus... Omnia hæc extrema studiose sunt declinanda. Tamen alterum quoque extremum nimiæ in credendo facilitatis cavendum est in hoc negotio, et quidem sollicitius, cum ex hoc extremo E
grande omnino immineat discrimen. Qui enim cito et omnia quæ pia et ex Deo videntur, credere adducuntur, nec morose nec attente ac caute probant spiritus si ex Deo sunt, juxta Apostoli monitum, facillime impingunt, hallucinationum alienarum participes fiunt, bibentes de calice erroris, qui est calix dæmoniorum, ac propinata alteri per satanam falsitate improvide inebriantur. Media igitur via itur tutissime : si nimirum neque omnibus in hoc genere temere in vulgus sparsis fides cito adhibeatur, neque ad omnia credenda quæ nostra quoque ætate in hoc negotio vulgari contigerit, obdurescamus, sed tarde ac lente habeatur fides talibus narrationibus; admittantur tamen, cum ex regulis prudentiæ videbuntur non aspernandæ. (*Vide hæc egregie novisque argumentis probata ab anonymo scriptore § sequenti. Qua de causa ea fusius hic non tracto*).

alii, dum quoad multa creduliores sese præstant,

1764 *Ast nigro calculo sunt notandi nec raro contradictionis rei sunt increduli ii homines qui cachinnis solent excipere quæ S.* Teresiæ *piisque aliis hominibus divinitus factæ leguntur visiones, dum tamen parcunt sequacibus suis, mirabilia visionum monstra narrantibus, v. g. Luthero, non modo multis* F
librorum suorum locis dæmones crepanti et eructanti, sed et fatenti ab apparente sibi spectro sæpe se vexatum. Mitto alios multos tum veteres tum recentes heterodoxos et incredulos, qui serio narrant aut animas vita defunctorum spectabiles sibi factas aut se suosque dignatos fuisse apparitione spirituum, quamquam non semper iis constitit bonine essent an mali, atrine an albi. Quare verum est sensati cujusdam viri effatum, affirmantis, quo plura quis probata rite facta, et maxime quo plures a Deo revelatas veritates neget, eo etiam procliviorem illum esse ad nænias fabulasque admittendas : ita ut, rejectis factis sinceris riteque probatis, quoddam assumere videantur symbolum credendarum multarum nugarum, non modo Fidei Christianæ, sed rationi sanoque hominis judicio contrariarum.

incredulos se jactant quoad collata a Deo Sanctis dona :

1765 *Istiusmodi homines Sanctorum visiones, apparitiones ac revelationes generatim omnes, et quidem illas S.* Teresiæ *nominatim, non tam impugnant quam præfracte negant aut etiam ludibrio habent, haud aliam ob rationem quam quia visiones vel revelationes sunt, decretumque ipsis est nil quidquam ejusmodi quod in Ecclesia Dei contigerit, agno-*

AUCTORE V. D. M.

A *scere. Verumtamen, uti rite probat ipse Petrus Bayle in Dictionario suo historico et critico* (*art.* Spinoza, *notis* q, r *et* t), *nemo unus, non Spinozista, non Pantheista, non Pyrrhonista, negare a ratione valet existentiam apparitionesve spirituum, ut nec existentiam dæmonum, nec infernum, nec miracula; quæ omnia a fortiori negare nequeunt Deistæ. Sicut enim fatetur ipse scriptor libri de Miraculis quæ Pythagoræ etc. tribuuntur, quo nemo in Catholicos iniquior et intemperantior est :* Tam præclare, tam magnifice de Deo sentimus ut firmiter credamus nihil eorum quæ sub ingenium humanum cadunt et quæ possibilia vocantur, ejus vires atque potentiam superare (*cap.* II, *pag.* 7). *Absurdum namque foret cogitare hominem phantasia sua plus valere quam Deum omnipotentia, sive nos concipere res posse quæ Deus non posset efficere. At non vacat ampliori ratiocinio rem prosequi : non enim tractatum pango theologicum aut polemicum. Sed apparitionum negatores rem componant cum Baylio, viro adversariis non inaccepto, quippe qui patriarcha est incredulorum et causidicus scepticorum; tententque ipsius, si valeant, convellere ratiocinia, et appari-*

B *tionum demonstrare impossibilitatem. Quare istiusmodi mitto obstrigillatores, inermes cum de sua probanda thesi agitur, simul et ineptos ad logice et solide negandum quod nos et fieri posse ratiocinio adstruimus et revera factum fuisse auctoritate certisque testimoniis comprobamus. Prætera inutilem et quodammodo incongruam operam præstaremus, si iis qui revelationes repudiant in Sacris Libris contentas, persuadere vellemus veritatem revelationum privatis hominibus factarum; quæ, utpote humano tantum assertæ testimonio, assensum tantum exigunt fidei humanæ, ubi illæ, assertæ ab ipso Deo, assensum exigunt fidei divinæ.*

alii illa humano conatui adscribere videntur;

1766 *Ex adverso aliquos, et quidem inter ipsos nonnumquam S. Virginis defensores et admiratores, reperire est qui parum exacte et humano nimis modo de divinis ejus contemplationibus et ecstasibus loquuntur. Sic dum nuperus Gallus Sanctæ biographus poetice magis quam theologice* (*quod hodie in rebus sacris non infrequenter fieri dolendum est quam maxime*) *ait eam tanta luce cœlitus donatam esse ut nullum ei amplius existeret mysterium, scriptores alii supernaturalia S. Virginis dona uni humano ejus conatui adscribere videntur, quasi solo suæ voluntatis nisu et naturali apprehensiva sui*

C *intellectus vi illa Deum tam intense meditata et tam alte contemplata fuisset, ut mentem ejus, extra se positam, fugissent omnes res præsentes. Potest quidem e consideratione rerum supernaturalium oriri ecstasis mere naturalis, ut cum theologis tenet et Leibnitzius in sua Theodicea* (*num.* 255) *et Zacchias in suis Quæstionibus medico-legalibus* (*lib.* IV, *tit.* I, *quæst.* VI); *sed accurate distinguenda est naturalis ecstasis quæ naturalem habet causam, ab ecstasi supernaturali quæ a Deo immittitur, et quæ annumerari debet gratiis gratis datis, in quibus Deus est primus præcipuusque auctor et motor. Sic S.* Teresia (*cap.* V *Fundat.*) *non humanis viribus, sed divinæ bonitati et potentiæ explicite adscribit illas contemplationes, ecstases, visiones et revelationes quibus multæ e filiabus suis a Deo donatæ fuere :* Tantæ sunt gratiæ quas Deus confert his monasteriis, ut stuporem cieant : omnes enim ille ducit via meditationis; et sunt quæ perveniant ad perfectam contemplationem. Aliæ vero tam alte evehuntur ut vel ad ecstases et raptus pertingant : aliisque gratificatur Deus de locutionibus, visionibus et revelationibus; quæ evidenter auctorem habent Deum. Hodieque nullum est monasterium quod non numeret aut unam aut duas aut tres ejusmodi moniales. D

qui error radix est pseudomysticismi,

1767 *Quia elati nimiumque sibi fidentes homines non sat distinxerunt humanos nisus a supernaturalibus Spiritus Sancti operationibus, exortus identidem est in Ecclesia Dei pseudomysticismus, qualis hodieque in pluribus Europæ regionibus grassatur. Quippe hi sectarii, freti naturæ humanæ viribus, ad cœlestium rerum phantasticamque cum Deo unionem sese attollunt, sibique arrogant cœlestia divinæ benignitatis pignora quæ Deus pro suo beneplacito humilibus tantum quibusdam amicis suis vult sponte conferre. Idcirco in pœnam superborum ausuum procacisque impietatis quæ sub pietatis et larva et nomine delitescit, isti divinæ Majestatis scrutatores et cœlestium donorum usurpatores, Deo sinente, incidunt plerumque aut in graves fidei errores aut in fœda morum vitia, atque in horrenda aliquando scelera quæ etiam lex humana carcere plectit aut capitali pœna. Fictitio quidem pietatis sensu tum in vivendi ratione tum in scriptis libris fucum facere conantur : at si eorum vitam, conventicula vagamque doctrinam consideres, nil illic invenies nisi Christianæ Fidei pericula castorumque morum damna, et concludes in tali mysticismo* E *adulterataque pietate nihil supra, sed cuncta esse infra humanæ naturæ dignitatem.*

quocum plures male confundunt a Deo collata Sanctis dona,

1768 *Operæ pretium non duco istos insectari mysticos, nec varia eorum systemata aut magis somnia et deliria evolvere. Etsi enim imitari velle videantur Sanctos quos Deus cœlestibus donis locupletavit quique in Ecclesia Catholica coluntur, ac licet S.* Teresiæ *auctoritatem subinde allegent ejusque scripta citent, sole clarius apparet istiusmodi homines nil cum S.* Teresia *cæterisque Sanctis commune habere. Interea dolendum plane est quod plures hodie scriptores, inter Protestantes præcipue, dum juste carpunt deviorum mysticorum commenta et nœnias, proborum simul mysticorum vitam et scripta censura sua involvant. Ne quid dicam de splendidis verborum pigmentis inflatoque stylo, qui tale argumentum quam maxime dedecet et rem non tam dilucidat quam obscurat, cernere est quemque fere temerariorum eorum criticorum ad diversum fictum a se systema supernaturales Spiritus Sancti operationes inflectere, Deique actionem analytica ratione examinare et ceu anatomia dissecare, non raro intermixtis suæ de ignotis sibi rebus tractationi multis erroribus.* F

quæ S. Teresiam *aliosque multos Sanctos*

1769 *Horum errorum unum pro specimine hic notabo, sed solemnem, et haud paucis qui recens de hoc argumento tractarunt, communem. Contendunt nempe vitam mysticam* (*quo nomine vitæ orationisque contemplativæ consuetudinem comprehendunt*) *vix aut ne vix quidem vivi sine crimine posse, eo quod, ut ipsi fingunt, homo tali vita inhabilis reddatur ad debita societati humanæ præstanda obsequia. Qua ratione impetunt et haud levi probro afficiunt quamplurimos Dei servos qui rebus cœlestibus intenti prærogativam meruerunt supernarum communicationum. Verum perspicuum cuique est prudentem nullum conscientiæ moderatorem, multoque minus Sanctam Dei Ecclesiam, probatam habere velle aut posse cujusquam vivendi rationem qua a debitis societati humanæ, familiæ ullive homini officiis præstandis avocetur. Sed, hoc misso argumento, ut simul cum vita contemplativa S.* Teresia *ab illatis injuriis vindicetur, satis est notasse frequentes ecstases vitamque mysticam non impedivisse quominus Sancta hæc Virgo absolutissime adimpleverit exhibenda a se debita quibuslibet hominibus officia, insuperque reformarit Carmelitanum utriusque sexus Ordinem*

A *Ordinem, libros admirabiles et vel centies omnibus fere Europæ linguis recusos composuerit, principem inter eloquentissimos Hispanos scriptores locum adepta sit, non modo ob theologiæ mysticæ explicata arcana et ob egregia morum præcepta, sed et ob suum vernaculæ linguæ atticismum incomparabilemque styli leporem, quin imo ob altissimam philosophiam, qua, mirante vel ipso Leibnitzio, de anima cordeque humano disseruit.*

non impedivere debita præstare hominibus obsequia,

1770 *Hoc uno ecstaticæ* Teresiæ *allato exemplo, ad prædictum cœlestium rerum contemplationi divinisque donis impactum probrum refellendum opus non est nominare Moysen, populi Israelitici ducem omnibusque omnium temporum Lycurgis nomothetam præstantiorem, qui* ex consortio sermonis Domini (*Exod.* XXXIV, 29) *exiens, navam publicis rebus dabat operam; aut Paulum citare, qui in tertium cœlum raptus ac solitus sine intermissione orare, convertendo terrarum orbi nihilominus insudabat; aut memorare Benedictum, Franciscum, Dominicum, Norbertum, Ignatium cæterosque Sanctos religiosarum familiarum Institutores, quorum cor, multiplicia inter negotia ad Dei honorem animarumque bonum suscepta, divini amoris incendio*
B *conflagrabat, mensque affixa erat meditationi rerum supernarum. Si quis porro infinitis prope exemplis dedoceri voluerit mendacia eorum pseudocriticorum qui neglectorum officiorum reos habent pios illos homines quos rerum divinarum considerationi intentos Deus insuetis donavit gratiis, nostri operis volumina aperiat, et obvios ubique habebit, non modo ascetas et cœnobitas, sed et imperatores, reges, belli duces, pontifices, presbyteros, patres matresque familias, ac cujusvis ordinis et status homines, quibus ea cœlitus accepta charismata impensumque considerationi rerum æternarum studium, non impedimento, sed adjumento fuerunt ad sua qualiacunque erga proximum munera omnibus numeris exequenda.*

quamquam eorum multi latuerint.

1771 *Quod si multi rebus se non immiscuerint humanis, menti obversari oportet non omnes obligari ad vitam vivendam actuosam, atque ipsi etiam reipublicæ conducibilius esse posse ut a nonnullis, pro actuosa vita, vita ducatur contemplativa. Publica profecto quies et prosperitas nil quidquam detrimenti passa fuissent, si ea monstra quæ in multis regionibus a medio sæculo patriam cæde ac terrore impleverunt, sub Franciscano Carmelitanove cucullo medias inter ecstases et animi raptus*
C *vitam egissent cœnobiticam. Unde perspicuum est dicaces istos scriptores ineptissime invehi in vitam multorum Servorum Dei inque mystica gratiarum dona quibus Sancti a Deo cohonestati fuerunt. Illi iniqui sunt Aristarchi, qui suo pede alios, meliores se, metiuntur, et qui de rebus loquuntur divinis quæ ipsis familiares non sunt. Norint ergo, e monito S. Hieronymi, fabrorum esse fabrilia tractare ac medicorum esse promittere quæ medicorum sunt, ac præsertim applicent sibi effatum S. Pauli pronuntiantis animalem hominem non percipere ea quæ sunt Spiritus Dei.* Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur (1 *Cor.* II, 14).

Protestantes male inficiari ea dona

1772 *At paucis disputemus cum iis Protestantibus, qui, SS. Biblia tuentes ac reverentes, in fabulam hæc non commutant, ut hodie fit a multis qui pro libitu genioque suo per sacrilegum nefas detorquent obvium et genuinum Scripturarum sensum, quoties de miraculis aut revelationibus sermo est. Igitur sinceros eos adversarios compello qui productissimam illam admittunt seriem visionum, revelationum et apparitionum quæ referuntur in SS. Scripturis a primis Geneseos capitibus ad extremam usque Apocalypsim, aut qui saltem eas admittunt quæ in Libris*
D *habentur protocanonicis, ac contigisse leguntur Adamo, Noemo, Abrahamo, Agari, Isaaco, Jacobo, Moysi, Prophetis, Petro, Paulo, Ananiæ, Cornelio aliisque prope innumerabilibus : ac sciscitor ex illis Protestantibus, quo illustrati lumine, quave moti ratione, Sanctorum, ac nominatim S.* Teresiæ, *visiones rejiciant ludibrioque habeant, si modo hæ nitantur, ut revera nituntur, justis solidisque probationibus. Baylium vidimus adstruentem ne vel scepticum aut materialistam demonstrare posse impossibilitatem apparitionum. Adeoque nil antagonistæ, qualiscunque tandem sit, restat, si nos non solum accusare, sed convincere ac damnare velit erroris, quam ut subruat argumenta testimoniorum quibus apparitiones et visiones muniuntur, sed et quibus, si justa sint, assensus fidei debetur humanæ. Neque exaratis in Bibliorum codice verbis dictum invenitur abruptum et diremptum iri post Apostolorum tempora supernaturale ejusmodi Dei cum hominibus commercium; neque ullus ex refragatoribus ausit sane perhibere peculiari sibi revelatione revelatum fuisse revelationem nullam post Apostolos ulli mortalium factam fuisse aut factum imposterum iri, aut affirmare valeat se ulla alia ratione scire hunc*
E *exsiccatum esse divinæ benignitatis fontem.*

demonstratur,

1773 *Attamen nemo, quantum novi, inter eos qui S.* Teresiæ *revelationes rejiciunt, adhibet hanc unicam quam adhiberi fas est methodum, sive nullus justa tali argumentatione tentat subruere illas Teresianarum visionum probationes ex idoneis testimoniis confectas, quales hic reperiuntur tum in allegatis Actis canonizationis, tum in Riberiana* Teresiæ *Vita, tum denique pluribus passim hujus Commentarii locis; ast solo arbitrario velut e tripode oraculo edicunt id genus rerum nil esse aliud quam farraginem inanium fallaciarum : qua ratione non verentur e Catholicis taxare alios turpium fraudum, alios stolidæ credulitatis. In confesso utique nobis quidem est testimonia hominum, ut ait S. Thomas, non habere infallibilem certitudinem, sed probabilem : æqua tamen ratio non tam suadet quam jubet ut probabili tali certitudini cedamus, vetatque quominus testimonia ob id solum repudiemus quod non placeat argumentum assertum. Ita tamen peccare in omnem æquitatem solent ii qui data in canonizationum processibus de miraculis, revelationibus aliisque hujusmodi rebus testimonia ob præconcepta judicia globatim respuunt. Quos recte Gravina in*
F *suis Catholicis Præscriptionibus* (*tom. IV, p.* 333) *severo, sed justo, perstringit hoc effato :* Quicunque testes graves, multos, districte examinatos in Actis canonizationis repellit, et infirmare nititur eorum testimonium, cum ipsa etiam natura pugnat, omnia tribunalia evertit, hierarchicum ordinem pessumdat, humanumque commercium tollit.

diluta præcipua eorum objectione,

1774 *Pro omni ratiocinio solent adversarii, ut veras negent, obtendere, inter revelationes et visiones quæ passim venditantur, esse falsas multas : et inde inepte concludunt omnes esse rejiciendas. Ast, quia falsam monetam mihi ostendis, num ideo demonstratum est nullam esse probam ac genuinam? Num omnia falsa, quia falsa multa? Aut an certa nulla, quia non omnia æque probata? Parcissime et cautissime, per me licet, admittantur talia, nec nisi examinatis pensatisque testimoniis : imo cuique auctor sum ut ita agat; vetat enim sagax judicandi credendique ratio quominus cunctis ejusmodi quæ circumferuntur rebus faciles præbeamus aures. Atque ipsa Beata Virgo Maria, dum ab Angelo salutabatur, non continuo assensum præbuit, sed* cogitabat qualis esset ista salutatio (*Luc.* I). *Dixitque ipse ethnicus Cicero*

AUCTORE V. D. M.

Cicero rectissime : Cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime in quo judicandum est quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuatur. Est enim periculum ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur (*de Divinat. lib.* I, *cap.* IV). *Verum eadem pariter sagacitas vetat quominus omnia generatim sola negandi prurigine rejiciantur, tametsi perspicaces et sinceri scriptores ea ob plausibilia quibus stipantur argumenta, vera esse judicent. Nœ enim, illœsis sanœ critices regulis, pro anuum nœniis delirorumque somniis cuncta globatim haberi ea nequeunt facta quibus adstipulati sunt Origenes, Tertullianus, S. Augustinus, totque alii Sancti Patres et Doctores, Pontifices et Concilia, innumerabilesque scriptores gravissimi simul et doctissimi.*

eversoque inepto quo nituntur principio.

1775 *Si quem igitur ex Teresianarum visionum adversariis cupido invadat non modo facta præfracte inficiandi, sed hœc facta ratiociniis oppugnandi, sive si non jam neget apparitionum possibilitatem (quam frustra quis negare simul et demonstrare aggredietur, ex ipsius Baylii judicio), sed negare ausit ipsa facta, ipsos eventus, seu ipsas quæ contigisse adstruuntur apparitiones; meminerit, non speculative et theoretice esse disserendum de natura apparitionum, sed ipsa facta sive factorum probationes esse impugnanda. Ac serio meditetur hic refragator velim has breves voces quas e Memorialibus Trivoltianis* (*ad annum* 1724, *pag.* 889) *latine facio :* A recta ratione enormiter devii sunt increduli qui de veritatibus Religionis judicare volunt ea methodo quæ solis congruit scientiis mere speculativis, non advertentes in Religione agi de factis, de examinandis factorum probationibus, deque cognoscenda eorum factorum evidentia et infallibilitate. Quippe alia quæcumque methodus non convenit naturæ examinandarum illarum rerum : et quilibet philosophus qui aliam adhibere voluerit, inepte non minus aget quam qui de coloribus ex auditu vellet judicare aut de sonis ex visu. Attamen, *pergunt prædicta Memorialia,* ita egere Protestantes, qui se a Catholica Ecclesia avellerunt : imo veræ Ecclesiæ adhuc adhærerent, nisi veritates Religionis cognoscere voluissent methodis philosophicis, dum standum erat evidentia quam pariunt testimonia certa, ad quæ, si secundum rationem agimus, recurrere semper debemus, quando de factis quæstio est; sicut e contrario abstractis solum ratiociniis uti oportet, quoties investigandæ sunt res speculativæ.

Meta paragrapho ponitur repetita ejus summa.

1776 *Huic ergo paragrapho meta esto. Nam ex una parte certis argumentis abunde demonstratum est dilectam Deo* Teresiam *divinitus donatam fuisse omnibus illis ecstaseon, visionum revelationumque copiis quarum ipsa in scriptis suis meminit, et quas in ea eluxisse integerrimi oculatique magno numero testes in canonizationis processu asseverarunt; et ex altera parte correpti confutatique sunt contra sentientes, sive illi critici fuerint qui se œquo difficiliores in fide talibus factis adhibenda præstant, sive increduli qui indiscriminatim cuncta præfracte negant quæ negare in antecessum stulte decreverunt, sive malesani quales hodie multi sunt scripturiones qui mystica Dei dona discernere nesciunt a sacrilegis pravi mysticismi et pietismi ineptiis, sive denique fuerint heterodoxi qui exsiccatum post primæva Ecclesiæ tempora esse volunt illum divinæ benignitatis fontem, chronologicum, ut ita loquar, Deo ponentes limitem quo ipsi pro libitu et arbitrio suo ejus omnipotentiam infinitamque bonitatem circumscribunt, spernendo summa cum temeritate et contra omnes critices regulas, Sanctorum Patrum et probatissimorum cujusvis ævi scriptorum certissima testimonia. Re igitur cum his absoluta, ad eos refutandos propero qui ad imaginationis vires recurrunt ut divina S.* Teresiæ *charismata humana faciant. Illorum autem antesignanus reputari potest Ludovicus Antonius Muratori. Quare cum hoc potissimum congrediar, sed alienum, quem obvium habui, mutuatus calamum.*

§ XCIII. Vapulat Ludovicus Antonius Muratori, in italico suo opere de Viribus humanæ Phantasiæ, c. IX, inepte S. Teresiæ visiones imaginationi attribuens.

Probe refutata jam ista Muratorii opinio olim fuit.

Acturus eram de singulari hac Muratorii opinione, cum incidi in anonymi scriptoris dissertationem in qua egregie opinio ista refellitur. Reperitur ea dissertatiuncula, appendicis loco et nomine, ad calcem Controversiarum scholastico-polemico-historico-criticarum, auctore Liberio a Jesu Carm. Disc. (*Mediolani,* 1755, *tom. VII, pag.* 725). *Præstantis illius tractatiunculæ auctorem non tam conjicere quam dignoscere mihi videor e sequentibus P. Frederici verbis :* Ævi nostri scriptor, non ignobilis eruditione laudatisque moribus, sed, meo judicio, subin inconsideratus in promendis suis opinionibus, justum mihi dubium injecit sentiretne recte, et non præpostere, de S. Matris meæ revelationibus, has, saltem ex parte, pro fœtu habendo ludificantis phantasiæ. Occasio id mihi fuit componendi dissertationem latinam, ubi demonstrare intendi unam causam omnium prodigiosorum effectuum quos in Sancta nostra miramur, esse supernam Dei omnipotentiam, minime vero eos adscribi posse deceptioni, imaginationi, artificio humano ullive alteri causæ naturali (*Proœmium ad Vitam S.* Teresiæ, *pag.* XXXII).

Non nisi caute quidem visiones admittendæ;

1778 *Sic ergo ait anonymus :* Quoniam Seraphicam Parentem Teresiam mihi vindicaturo, de visionibus revelationibusque præclaris, quibus largissime ditata fuit, instituendus est sermo, initio præmonitum volo candidum lectorem ne me injuria reprehendat, atque inter nimium faciles credulosque homines reponat. Non ego is sum qui pronus fidem præstem omnibus quæ vulgo venditantur narrationibus, fœminarum præcipue, quæ, ut corpore, ita et mente pariter imbecilles existunt. Aliud sane est ut genuinas asserere atque a Divino Spiritu enatas propugnare Divæ Teresiæ revelationes, atque aliud singulas hominum, nullo habito delectu, amplecti ac venerari. Novi (Eccli. XIX, 4) levem esse corde eum qui cito credit. Me quoque non latet Apostoli monitum (1 Jo. IV) : « Nolite » omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex » Deo sint. » Sed insuper me non fugit in Ecclesia Dei donum esse discretionis spirituum, quod certe non falsàs solum ac inanes, sed et aliquando veras supernaturalesque revelationes supponat necesse est. Admonet insuper D. Paulus (1 ad Thessal. V, ℣. 19 et seqq.) : « Spiritum nolite extinguere. Pro- » phetias nolite spernere. Omnia autem probate : » quod bonum est tenete. Ab omni specie mala » abstinete vos. » Meminisse etiam juvat longe ante ab Joele (cap. II, ℣. 28) de Euangelicis temporibus

A ribus fuisse prophetatum, atque ab Apostolorum Principe (Act. II, v. 17) confirmatum : « Et erit in » novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de » spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; et juvenes vestri » visiones videbunt; et seniores vestri somnia somniabunt. » Nullo igitur pacto a catholico viro negari potest caute quidem incedendum esse, ubi quis divina colloquia enarrat aut revelationes exponit; sed neque damnabili licet Pyrrhonismo adhærere, adeo ut singula ad pueriles nænias anilesque fabulas amandentur. Separandum est pretiosum a vili, secernenda sunt vera a falsis.

Tamen aliquæ sunt veræ, maxime in sanctis animabus.

1779 Porro ubinam vera potissimum reperiemus, nisi apud eas felices animas quæ singulari sanctitate floruerunt, sincero ardentissimoque in Deum flagrarunt amore? Neque est quod reponas gratias quas theologi gratis datas appellant, a Deo vel ipsis peccatoribus non semel concessas fuisse. Non inficior id contigisse ac contingere posse; verum fateri insimul quisque debet communiter non nisi amicis suis Deum secreta sua revelare. Hinc D. Thomas (3 p., quæst. XXXVI, art. III) non improbat id quod in argumentatione secunda sibi
B objecerat, dicens : « Manifestatio divinæ veritatis » præcipue debet fieri ad amicos, secundum illud » Job XXXVI : Annuntiat de ea amico suo. » Jam pridem vero (2. 2, q. CLXXII, art. IV), inquirens utrum bonitas morum requiratur ad prophetiam, postquam statuit in corpore articuli quod prophetia potest esse sine charitate, potest esse sine gratia gratum faciente, et per consequens sine bonitate morum, scite animadvertit : « Si vero considere- » remus bonitatem morum secundum passiones » animæ et actiones exteriores, secundum hoc » impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam. Nam ad prophetiam requiritur maxima » mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, » quæ quidem impeditur per vehementiam passio- » num et per inordinatam occupationem rerum » exteriorum; unde de filiis prophetarum legitur » 4 Reg. IV, quod simul habitabant cum Eliseo, » quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis » occupationibus impedirentur a dono prophetiæ. » Atque in resp. ad 1 non minus scite observavit quod « donum prophetiæ aliquando datur homini, et pro- » pter utilitatem aliorum, et propter propriæ men- » tis illustrationem » (quod frequentius est, atque
C in Diva Teresia apprime adimpletum); « et hi sunt » in quorum animas Sapientia Divina per gratiam » gratum facientem se transferens, amicos Dei et » prophetas eos constituit. » Experientia ipsa plane nos edocet plerumque non nisi sanctos viros, eosque pietate insigniores atque præcipuos, hujuscemodi divinis muneribus illustrari (*dein confirmat id auctor verbis auditorum Sacræ Rotæ, ad num.* 1325 *recitatis*).

Muratorius Teresianas visiones pro phantasmatis habet,

1780 Hisce præmissis, Muratorium aggrediamur, qui in tractatu italice edito de Viribus humanæ Phantasiæ, cap. IX, a D. Teresiæ ecstasibus ac revelationibus omnem supernaturalem virtutem subdole (meo quidem videri) eliminare studet, rejicitque in naturales intellectus contemplantis effectus. Utrum jure an immerito, prudens lector ex his quæ paulo fusius subnectam, judicabit. Audire præstat quid ipse statuat principii loco : « Quoties » piæ aliquæ inveniuntur virgines aut quivis alius » recte admodum de Deo sentiens, qui totis lacertis » intendant animum in jugi meditatione aut Christi » Servatoris aut aliarum Fidei nostræ veritatum, » eorum ita jam gravidam mentem supponere » debemus sacris doctrinis piisque ideis, quas ex » assidua lectione aut auditione asceticarum re- » rum hauserunt, ut facillime ex præconceptis sa- D
» cris phantasmatibus studiosa quædam colloquia » interius, eaque varia et ad uniuscujusque affectum aut contemplationem magis apta, elaborare » valeant, effingentes divina quædam opera, aut » Angelorum aut quorumlibet ex Beatis, quæ omnia sane et intra naturæ vires et sine ullo peculiari Divini Numinis influxu accidere posse quis » non videt? Sufficit ipsa sibi anima tot referta » ideis, sufficit talia sibi comparare. Nonne, ut palmari res firmetur exemplo, nonne profani ipsi » creaturarum amatores, tot tantaque secum ipsi » animo agitantes, plerumque mutuis se otiari » confabulationibus, licet absentes, arbitrantur, » variosque jucundissimos fortunæ casus effingunt, » ac si de facto ad invicem alloquerentur? Cum » vero mulieres, maxime adolescentulæ, ab exci- » tatissimis corripiantur phantasiis, necessario ve- » hementes erga Deum ejusque Sanctos insunt » animi sensus virginibus aut mulieribus singu- » lariter pietati addictis; quo fit ut paulatim medi- » tandi vis apud illas ita intendatur, ut, dimissa » sensuum consuetudine, sola tandem exspatietur » anima in tam jucunda ac sacra contemplandi se- E
» gete, quam ecstasim vocitare malunt. Restituto » denique sensibus usu, si forte litteris meditata » concredantur, quot syllabis constet sermo, mox » veluti totidem oracula Cœlituum aut Deiparæ aut » Angelorum excipiuntur. » Principium hocce Muratorii ingeniosum plane est, atque, si iis solum accommodasset qui numquam divina passi sunt ac numquam supernas experti revelationes, refragari non auderem : verum jure displicet quod pag. 120 illud Seraphicæ Matris Teresiæ visionibus adaptaverit. Postquam statuisset non reprehendendas esse sacras virgines quæ vividioris phantasiæ excessus tamquam supernaturalia opera reputant divinaque effata, utpote quia, quamvis non aliud sint ipsarum narrationes quam ferventis imaginationis lusus, pios tamen continent conceptus atque ad informandos Christianorum mores conducere valent, ova tandem exclusit, subdens : « Propter quam » laudem plurimi præ cæteris facienda sunt scripta » admirabilis Dei famulæ D. Teresiæ a Jesu, utpote » ab perspicaci parta ingenio, singularique Sancti » Spiritus unctione referta. » En tota Muratorii textura, ut D. Teresiæ revelationibus fucum faceret. F

contra ac sentiunt doctissimi et sanctissimi quique.

1781 Si ita est, quot miseros compellare possem, dignitate, eruditione virtuteque insignes viros, qui Teresiæ volumina admirati, non ea solum ratione tanti fecerunt quia a perspicaci parta ingenio singularique Sancti Spiritus unctione referta, verum etiam quia mysticæ theologiæ arcanis explicandis aptissima deprehenderunt! Tune, eminentissime vir Joannes Cardinalis Bona, tuque, præexcelse summissimeque vir Benedicte XIV, qui modo ad Ecclesiæ clavum feliciter sedes, qui, de revelationibus agentes (primus quidem in tractatu de Discretione spirituum, alter libro III de Canoniz. SS.), eas quas Teresia passa est, proposuistis, ut tamquam ad lydium lapidem cæteræ probentur vel reprobentur, Muratorio doctore indigebitis? Quid de te dicam, sanctissime vir Petre de Alcantara, qui dicere solebas quod, exceptis Catholicæ Fidei assertionibus, nihil tibi certius quam quod Teresiæ spiritus esset divinus? Quid de vobis proferam, o accuratissimi sapientesque Romanæ Rotæ auditores, qui non semel in ea verba erupistis : D. Teresiam cœlestis doctrinæ Magistram a Deo Ecclesiæ fuisse datam? O cur non potuistis audire Muratorium,

AUCTORE V. D. M.

A rium, arcanæ doctrinæ virum, subtilem adeo philosophum, qui potuerit sinceram, eamque ex naturali ratione petitam, originem tradere tot Sanctæ Virginis revelationum, quas vos singulari divinæ pietatis dispensationi adjudicatis!

Ipsam Teresiam apprime discrevisse visiones veras a falsis,

1782 Sed age, jurgia seponamus, ipsamque Teresiam advocemus egregie se ipsam defensantem. Ipsam sane non latuit Muratorii systema; illud in medium protulit, reprobavitque, quoties iis adaptetur qui veras aliquando experti sunt revelationes. Audiat quid in rem hanc diserte satis docuerit Fundat. cap. VIII (ital. edit. cap. XIII) : « Animad» vertendum satis infirmam esse naturæ habitu» dinem, maxime in mulieribus, quod longe digno» scitur in hoc orationis itinere. Quapropter opus » est ut caute incedamus, nec adeo facile existime» mus omne id quod nobis apparet aut menti objici» tur, illud visionem esse. » En Muratorii systema. Accipe vero improbationem : « Quoties vera est » visio, credite mihi, optime se ipsam novit mani» festare. » Prosequitur vero excellens Magistra : « Ubi quem melancholica infirmitate paululum » laborantem offenderis, majori animadversione » opus est; siquidem ad me nonnulli accesserunt, B » hujusmodi phantasiæ illusiones narraturi, ut non » leviter admirata fuerim qui fieri possit ut tam » serio quidam se cernere arbitrentur id quod non » vident. » Patet ex his haud ignaram fuisse Sanctissimam Parentem multipliciter posse aliquem imaginationis æstu corripi simulque decipi : patet insuper veras visiones satis se ipsas prodere. Credibilene est, hisce non obstantibus, voluisse humillimam Virginem nobis visiones suas enarrare tamquam Deo auctore prognatas, cum non nisi nimium ferventis phantasiæ existerent? Cautos nos esse præcipit, ne aliquod nos cernere arbitremur quod reapse non videmus; ipsa vero nihilominus nos illudet, se vidisse certo affirmans quod de facto non vidit? Quæ alios ab errore, ipsa teste (ut patet ejus opera legenti), non semel subduxit, num dicere poterimus ita misere deceptam ut nequiverit se ipsam dignoscere?

probatur e pluribus librorum ejus locis.

1783 Testimonium alterum expendamus, ex Mansione sexta, capite IX, Castri interioris : « Con» tingit nonnullos (novique hoc verissimum esse; » percepi siquidem, non ex tribus vel quatuor » tantum testibus, sed ex multis qui mecum hac de » re pertractarunt) debili adeo præditos esse ima» ginatione, vel adeo præpotenti intellectione, aut C » alia nescio qua vi, adeoque imaginando efferv» escere, ut totum id quod cogitant, clare, ut » ipsi putant, se videre asserant. » Quid clarius magisque apposite ad Muratorianam institutionem? Nativo hispanico Teresiæ idiomate textum profero, ne videar falsa proferre : « Acaece á algunas per» sonas (y sé que es verdad, que lo han tratado » conmigo, y no tres ó quatro, sino muchas) ser de » tan flaca imaginacion, ó el entendimiento tan » eficaz, ó no sé que es, que se embeben de manera » en la imaginacion, que todo lo que piensan, » dicen claramente que lo vén, segun les parece. » Quid hic subnexuit Seraphica Virgo? Num semper igitur refellendas esse visiones, num semper dubitandum? Absit. « Verum, inquit ipsa, si vera ali» quando visione donati fuissent, errorem sine ulla » prorsus dubitatione (sin quedarles duda) satis » manifeste dignoscerent : enimvero in hujusce» modi lusibus ipsi illud componunt quod sibi ima» ginatione sua perspicere blandiuntur; nullum » postmodum salutarem effectum percipiunt, ma» gisque divino amore se calere sensissent, si piam » imaginem intuiti essent. Satis apparet hæc nihili » ducenda esse, atque talia esse ut facilius somniis D » ipsis memoria elabantur. Ubi vera contingit » visio, diversa sane experimur. Cum anima lon» gissime distet ab hac cogitatione aut spe visione » fruendi, repente totum junctimque ante mentis » oculos habet visionis objectum cum magna po» tentiarum ac sensuum perturbatione ingentique » timore, post quæ illico magna succedit quies » felixque tranquillitas. »

Neque Muratorius logice ac decenter hic est locutus,

1784 Hactenus nervose satis D. Teresia in sui defensionem. Quibus positis, ita pergo argumentari : Per ipsum Muratorium D. Teresia aliquando veris donata fuit visionibus (cum etenim ipse ut unum inconcussum signum statuerit contingentium rerum vel futurarum vel longe dissitarum cognitionem, Diva autem Teresia insignita non leviter fuerit hujuscemodi cognitione, ut ipsa capite XXXIV Vitæ suæ atque alibi fassa est, necessario consequitur visionibus auctore Deo fuisse illustratam); atqui ipsa Teresia firmiter asserit eos qui veris fruuntur visionibus, phantasiæ errores sine ulla prorsus dubitatione satis manifeste dignoscere, novitque discrimen satis latum assignare quod intercedit naturales inter ac supernaturales visiones : ergo dubio procul omnino est eam numquam ita E phantasiæ illecebris commentisque deceptam fuisse ut ea Divini Numinis colloquia supernaque beneficia reputarit. Ut quid mihi Muratorius obtrudit amatoria exempla profanorum hominum, qui jucundissimas aliquando confabulationes se conferre, cum tamen adstet nemo, arbitrantur? Itane demisse de supernis donis sentire licet? Jurene divinorum charismatum felicitatem jucunditatemque cum terrenis voluptatibus comparabimus? Adeone sanctos viros, qui cœlestia bona gustaverunt, Dei pace, quæ exsuperat omnem sensum, inebriati sunt, Beatorum Civium consortio potiti sunt, paradisi gaudia, obiter licet, contemplati sunt, hebetes rudesque judicabimus, ut æquam putent reperiri similitudinem a mundanis amatoribus desumptam? Sane D. Teresia de se ipsa testata est sibi cuncta viluisse, omnia arbitratam esse ut stercora, ut tenebras, ut inania, quæ in mundo sunt, licet ab hominibus tanti fiant, ut semel intueri licuit cœlestis Sponsi pulchritudinem : non ergo fieri potuit ut æstuantis cerebri ludificationes tamquam divina oracula supernaque spectacula venditarit. Audiatur salubre monitum Thomæ a Kempis (lib. III de Imitat. Christi, cap. LVIII) : « Taceant carnales et F » animales homines de Sanctorum statu disserere, » qui non norunt nisi privata gaudia diligere. De» munt et addunt pro sua inclinatione, non prout » placet æternæ veritati. In multis est ignorantia, » eorum maxime qui parum illuminati raro ali» quem perfecta dilectione spirituali diligere no» runt. Multum adhuc naturali affectu et humana » amicitia ad hos vel illos trahuntur : et sicut in » inferioribus se habent, ita et de cœlestibus ima» ginantur. Sed est distantia incomparabilis inter » ea quæ imperfecti cogitant, et quæ illuminati viri » per revelationem supernam speculantur. »

et male negat visiones distingui a phantasmatis posse.

1785 At enim, inquit Muratorius : « Quousque » mystici plene non probent hasce visiones omnino » phantasiæ influxu excitatisque ab anima imagi» nibus esse expertes, eas semper suspectæ fidei fore » quis prudens non dubitaverit? Nec plus movet, » si dixeris hasce visiones omnino ab intellectu » esse, secluso omni corporearum imaginum admi» niculo; ex quo novum non est dari Sanctas » Virgines quæ, cum sublimiori ingenio magnam » theologicarum rerum notitiam nactæ, in hac » mentis elevatione subtilissimos confingere cogi» tatus

A » tatus possunt, præsertim si in sublimi illo » mysticæ theologiæ studio aliquantulum profece- » rint. » Respondeo mysticos optime probare visiones existere omnino phantasiæ influxu exper- tes. Perpendantur extrema D. Teresiæ verba ex cap. IX Mansione sexta Castri interioris superius allata, patebitque non vacuas esse ipsorum ratio- nes. Sed rursus confirmare juvat altero ejusdem D. Teresiæ eoque validissimo testimonio, ex cap. XXVIII suæ Vitæ deprompto : « Hanc visionem esse » lusum phantasiæ inter impossibilia impossibilius » est, nullamque obtinet probabilitatem. Etenim » sola pulchritudo et albedo alterius ex manibus » ejus » (scilicet Humanitatis Christi, quam sibi narrat ostensam) « longe omnem imaginativæ » potentiæ vim exsuperat. Absque ullo memoriæ » usu, absque ullo studio aut cogitatione, obviam » habentur tot ac tanta uno ictu, quæ neque per » longum temporis intervallum imaginatione com- » ponere valeremus. Ergo impossibile est hanc ab » imaginatione posse produci. Sed dato etiam quod » nos aliquid huic visioni adjicere per phantasiam » possemus, ex altera ratione quam subjiciam, » manifeste evincitur nullum hic phantasiæ opus B » posse intercedere. Etenim si hæc visio per intel- » lectum fuisset efficta, præterquam quod nullum » ex magnis illis effectibus produceret, qui tamen » in hac visione sentiuntur, insuper, qui hanc » pateretur, instar illius esset qui necessitate somni » capiendi ob capitis infirmitatem correptus, cum » nullo modo dormire posset, vigilans tamen se » dormire effingeret. Hic sane, quoniam vere non » dormit, tantum abest ut levamen aliquod aut » utilitatem ex effecto illo sopore afferret, quin » potius aliquando longe vanidior infirmiorque » capite laboraret. Ita ex parte accideret in casu » nostro; siquidem animæ nulla tunc virtus obve- » niret, robur nullum, sed potius infirmitas et » amarities : cum ex adverso tot divitiis locuplete- » tur, quas satis verba exponere non sufficiunt, et » vel ipsum corpus sanitatem et vigorem inde » acquirat. » Hucusque Seraphica cœlestis doctrinæ Magistra. Seposito partium studio, ejusdem ratio- num vis perpendatur, atque in spem adducor facile vel ipsos acutiores philologos mihi concessuros egregie ab ipsa id propugnatum quod scriptis con- signavit.

Duo signa veræ visionis dat, sed non accurate;

1786 Nondum vero Muratorius se victum fate- bitur. « Duo unice (inquit ipse) certa signa mihi C » esse videntur quibus hujuscemodi ecstases au- » ctore Deo fuisse probentur. Primum quidem, si » divina hæc patiens, nedum mente, sed corpore » pariter per idem tempus in sublime ferri ac » elevari se sentiat : hoc enim virtutis genus, quod » naturæ vires omnino prætergreditur, in Deum » ipsum proxime erit refundendum; cum alias » optima vivendi ratio ipsius personæ divina hæc » patientis omnem diabolici influxus suspicionem » omnino avellat. Alterum vero, si inde contingen- » tium rerum futurarum aut longe dissitarum » hauriatur notitia, quam nonnisi summum atti- » git principium illud cui locorum ac temporum » omnes prostant intercapedines. Demptis igitur » duobus hisce indiciis, quorum primum ægre » adhuc nonnulli admittunt, a quibuslibet aliis » ventilatis visionibus aut revelationibus in quibus » præterita aut attinguntur aut Religionis mysteria » explicantur, eædem dubiæ omnino fidei esse de- » bent; quippe quia prudens judicium non habet » unde evidenti decernat certitudine eas potius » cœlesti afflatu quam naturali fuisse causa exci- » tatas. » Principio reprehendendus est Muratorius, quod eos non improbaverit qui imperite dubitarunt an naturali vi corpus in aera sine ullo fulcimento elevari ac diu subsistere non possit. Hosce merito irridet Zacchias in Quæstionibus medico-legalibus (lib. IV, tit. I de miraculis, quæst. VI, num. 10) inconcussa hac ratione : « Sunt ecstatici qui a » terra in ecstasi elevantur, ut quasi in aere librati » permaneant. Hoc autem, quidquid conati fuerint » nonnulli affirmare in naturali ecstasi, est ab » omni veritate alienum : contra naturæ enim » propensionem omnino est corpus grave a centro » propria virtute sublevari et in aere sustineri. »

AUCTORE V. D. M.

D

1787 Dein, quod caput est, in judicium vocan- dus, quod alterum, illudque præcipuum, genuinæ supernaturalis visionis indicium prætermiserit. Ab effectibus D. Teresia sinceræ visionis characteres deducit, atque non semel de iis sermonem instituit, quos ne leviter quidem Muratorius attigit. Porro quinam sint effectus isti, quos magnos Diva Virgo appellat, scire licet ex Venerabili P. Joanne a Jesu Maria, qui in tractatu de Discretione spirituum (num. 13) eos hausit recitavitque ex ipsa Teresia, hisce verbis : « Primum est Dei, animam alloquen- » tis, potentia ac imperium; quia loquitur simul » ac operatur. Unde exempli causa uno verbo E » (puta : Noli timere) magnam nonnumquam per- » turbationem ipse quietat, animaque hoc auditu » tranquillitatem summam experitur. Signum hoc » Sanctæ Matri nostræ cæteris visum est securius. » Secundum est pax, quies et recollectio interior, » devotio et magna in laudibus divinis promptitudo. » Tertium, si anima, quando loquentem Dominum » audiit, longo verba ejus tempore, et nonnulla » etiam quoad vivat, memoriæ insculpta gestet. » Quartum est magna de futuro eventu impressa » securitas, etsi illi de foris difficultates objiciantur. » Præter hæc signa aliquot alia S. M. N. annotavit, » quæ in quodam Dei ad animam loquendi modo » consistunt, ut scilicet ei per aliquam visionem » intellectualem in intimis ipsius animæ penetrali- » bus tam secreto loquatur ut ne ipse quidem » diabolus hæc intelligat. Primum horum signorum » est ipsa verborum et locutionum Dei claritas, » quæ supra omnem claritatem mirabilis est; nec » non tenacitas memoriæ, qua anima verba illa » comprehendit et retinet, ut illorum etiam stylum » et voculas et syllabas annotet. Alterum est, si » sæpe nulla de illis rebus præcedat cogitatio, » divinaque verba ex tempore efformata alicui F » cogitationi tunc per mentem magna velocitate » transeunti, vel alicui cuidam cogitationi ante illud » tempus habitæ, respondeant. Tertium, quod hæc » verba intimis auribus anima percipiat ad diffe- » rentiam illorum quæ ipsa sibi imaginatur; cum » imaginatio proprie sit quædam compositio. Quar- » tum, si ad horum verborum vel unum magna in » anima lux oboriatur, quod secus fit quando vel » ipsamet operatur vel diabolus. Quintum, si una » cum illis verbis sublimiora quædam animæ reve- » lantur quam verba ipsa significent. »

potissimum- que omittit si- gnum, nempe ab effectibus,

quod in San- cta nostra expenditur,

1788 Deficeret mihi dies, ac plus æquo eruditum lectorem fatigarem, si cuncta D. Teresiæ testimo- nia recensere vellem, quibus valido rationum pon- dere firmi principii loco statuit veram discernen- darum visionum rationem ab effectibus potissimum repetendam esse, scilicet a singulari qui inde pro- manat in Deum amore, a generosa passionum cohibitione, a mira animæ contemplantis quiete ac securitate divinæ in se operantis virtutis, etc. Lege- sis Ambrosium Ansanum Tantuccium Ord. Præd. in Dissertatione critico-dogmatica adversus cen- suram quam abbas Fleury inverecunde protulit de

AUCTORE V. D. M.

de Divæ Catharinæ Senensis revelationibus; ac perspicue deprehendes mire Angelici Præceptoris doctrinam cum D. Teresiæ effatis convenire. Ab effectibus quos sane admirabiles in Teresia deprehenderunt, rationem deduxerunt qua ipsius Teresiæ revelationes tutati sunt D. Petrus de Alcantara, D. Franciscus Borgia aliique clarissimi viri; neque reticendum eamdem adhibitam esse rationem a Romanæ Rotæ auditoribus. Non abs re erit in medium proferre Petri Nicole auctoritatem, qui in libro quem gallice inscripsit : « Essais de morale », nos vero Specimina moralia nuncupare possemus, postquam tractatu IV de hominis finibus, cap. X, de quadam D. Teresiæ visione sermonem habuisset, hæc pronuntiavit : « Illud audeo dicere quod si » quis ad hanc narrationem vehementer non ex- » terreatur, sed potius in solius imaginationis lu- » sum illam refuderit, merito ille stolidioribus esset » accensendus. Ut enim jure narratio illa con- » temni posset, opus esset ut certi essemus de » ipsius vanitate et fallacia. Porro longe admo- » dum ab hac certitudine habenda hic distamus, » relate ad visiones quas illa refert : quinimmo e » regione libere fatendum est, quod, cum duo in » dubium vocari possint in visionibus, primum » quidem an persona quæ illas enarrat, fidelis ac » sincera sit, alterum vero an phantasiæ lusu » producantur, qui æquo judicio ad trutinam vo- » caverint scripta hujus sanctissimæ fœminæ, non » poterunt non illico sibi persuadere de summa » scribentis fide ac sinceritate; multo vero minus » judicabunt vim tantam imaginibus quæ phantasiæ » obveniunt, tribui posse ut per ipsas animæ pro- » vehantur ad elevatissimos sanctitatis gradus, in » quibus constituit Deus Teresiam per easdem » quas refert visiones. Quin absonum omnino vi- » detur Deum ipsum tot prodigiosos effectus con- » junxisse commentitiis illusionibus. » Hæc Nico- lius; quæ si attentius perpendisset Muratorius, forte cautior de mysticæ theologiæ inviis mysteriis sententiam protulisset. Visionum autem certitudinem ad duo tantum, vel, ut melius dicam, ad unicum signum concludere, periculosa res est, a veritate aberrat, ac quodammodo divinæ beneficentiæ minus æqua coarctatio.

et quod ad approbandas ejus visiones maxime valuit.

1789 Hucusque audivimus ipsam Teresiam egregie scriptis doctrinisque suis se ipsam propugnantem : ast quid si nihil ipsa conclusisset? Quid si nihil posteritati tradidisset? Anne liceret revelationes ipsius contemnere, quia non omnes characteribus gaudent a Muratorio prædicatis! Nonne sufficeret tot illustrium præsulum, tot clarissimorum doctorum, tot sanctissimorum virorum calculus, qui nihil non genuinum, nihil non divinum, post accuratissimum examen, in ipsa deprehenderunt? « Constat quod inter alios fuerunt triginta » octo, a quibus fere omnibus, post factam cum » eis Confessionem, diversis in locis et temporibus, » spiritus B. Teresiæ divinus fuit judicatus » : verba sunt hæc Romanæ Rotæ, art. de sanctitate in genere. Pluribus in locis ipsamet Diva Parens testatur nullum non motum lapidem reliquisse ut apud sapientiores totius Hispaniæ viros sua vivendi ratio et cœlestia quibus affluebat dona probarentur an ex Deo essent : et nemo eorum, post accuratissimam censoriam virgam adhibitam, ausus est Teresiæ dona reprobare, aut in dubium revocare, aut alteri quam auctori Deo tribuere. Consulat lector epistolam quam Teresia dedit ad P. Rodericum Alvarez e Soc. Jesu, quæ incipit, suppresso nomine proprio : « Hæc sanctimonialis quadra- » ginta abhinc annis habitum sumpsit », cujusque autographum propria manu conscriptum Viterbii apud Carmelitas Discalceatos asservatur. Ibi Sancta Mater longum indicem retexit theologorum doctrina ac pietate celeberrimorum, qui jam tum ejus probaverant ecstases ac visiones. Eos inter recensentur duo Romanæ Ecclesiæ decreto inter Divos relati, Petrus scilicet de Alcantara et Franciscus Borgia : alii vero qui publici juris fecerunt egregia quædam volumina, scilicet Dominicus Bañez et Bartholomæus Medina, ambo ex inclyta Prædicatorum Familia, et sacræ theologiæ in Salmanticensi universitate publici professores : alii denique fuerunt ex his qui onus sibi adjudicarunt etiam scripto Teresiæ spiritum divinamque in ipsa operantem virtutem illustrandi vindicandive, nempe P. M. Petrus Ibañez apostolicusque vir Joannes de Avila. Quo tandem pacto tot inter sublimes cordatosque viros Muratorii dubitationes stare poterunt? Ipsiusque auctoritas tantorum hominum sententiis ac definitionibus prævalebit? Credendumne est ipsis non innotuisse eos characteres quos præferre debent genuinæ revelationes?

Objectioni de majorum credulitate respondetur.

1790 Ignorabant sane, reponit hic Muratorius; siquidem (ut ipse putat) antiquitus plus æquo homines ad credendum proni erant : tanquam divinum cæco impetu venerabantur id quod unice humanam causam obtinebat; atque theologi peripateticæ scholæ addicti erant, quod idem apud ipsum est ac indoctos fuisse atque præjudiciis plurimis obnoxios. Perbelle sane : tanquam si pervetusta hominis definitio : « Animal rationale », non nisi hoc sæculo adimpleta fuerit; donumque discretionis spirituum ad hæc usque tempora Deus distulerit, ne Spiritus Sanctus se peripateticum agere anteactis sæculis cogeretur. Ego, ut quid sentiam, aperte proferam, homines ad credendum perdifficiles omnibus sæculis extitisse censeo; atque ex adverso homines etiam numquam defuturos nimium ad credendum pronos. Legenti historiam vitæ D. Teresiæ manifeste patebit quantum eam initio homines divexarint, utpote plus æquo nescientes ipsi fidem præbere. Num phantasiæ æstus, ludificationes, atque, ut ita dicam, mira, veteres latebant atque a peripati notitia exulabant? Num D. Bonaventura, num Cardinalis Turrecremata, num Gerson, num D. Joannes a Cruce, num Franciscus de Sosa, Hieronymus Platus, Joannes a Jesu Maria, Thomas a Jesu, Antonius a Spiritu Sancto, aliique sexcenti qui de revelationibus sermonem habuerunt, phantasiæ vires ignorabant? Perlegantur ipsorum opera, veritasque satis in aperto erit. Sæculo etiam duodecimo D. Hildegardis revelationes ad inania phantasmata fœmineaque spectra amandabantur : aliter tamen D. Bernardus judicavit. En quid in rem hanc scripserit Joannes Trithemius tom. I Annal. Hirsaugiensium ad an. 1147 (pag. mihi 415) : « Erat D. Bernardo Sancta Chri- » sti famula et scriptis nota et relatione multorum » in Domino comprobata : ad quam cum perve- » nisset, post orationes consuetas et salutationis » obsequia, præcepit sibi volumina exhiberi quæ » illa divinitus inspirata conscripsit; quibus dili- » genter ex parte revisis, ultra quam dici potest » admirans, dixisse fertur ad socios : Hæc scripta » non sunt humanitus adinventa, nec potest ea » mortalis homo capere, nisi ad similitudinem Dei » intus et in anima fuerit reformatus per amorem. » Ad hæc præpositus virginum monachus devotus » et sanctus, nomine Heribertus, viro Domini re- » spondit : Reverende Pater, vera quidem sunt » quæ dixisti; sed multi homines docti et indocti » religiosi et mundani animam famulæ Christi » quotidianis

A » quotidianis oblocutionibus cruciant, dum cerebri » phantasmata aut fallaciter per dæmones indoctæ » fœminæ garrulantur immissa. Cui vir Dei : Non » miramur, inquit, frater carrissime, si dormien- » tes in peccatis divinas revelationes existiment » somnia, cum sciamus verum dixisse Sanctum » Apostolum : Animalis homo non percepit ea » quæ sunt Spiritus Dei ». Absit ut hanc melliflui Doctoris censuram velim Muratorio plenius appingere, atque invidis ansam præbere ut claram ejus famam dilacerent : testor unice mihi animo esse ostendere non adeo rudes fuisse veteres homines, ut ipse non satis modeste censuit. Propius accedam, hominemque perquam abunde peripateticis subtilitatibus pastum in medium adducam. Is est Joannes Caramuel : virumne facillimæ credulitatis dicam phantasiæque imbecillitatis ignarum? Nihil sane. Accipe quid de se testetur in prologo Vitæ Ven. Servi Dei Dominici a Jesu Maria (edit. Vienn. 1655) : « Quo tempore Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Domini mei clementissimi, nomine gubernavi Bohemiam, plurimas ecstases et revelationes plurimas Numinis, Deiparæ, Angelorum, Divorum, et frequentius animarum purga-
B toriis ignibus detentarum apparitiones ex officio cognovi; universas rejeci, ne unam quidem tamquam veram, aut probabilem etiam, admittens. Vides hic plane nimio non credulam indolem. Hisce tamen nihil obstantibus, acta Venerabilis Dominici scribendi provinciam aggressus est, nihil territus tot visionibus quibus ejus Vita referta est : talesque revelationum Dei famuli insignes mirandosque characteres deprehendit ut in hæc verba erumpere non dubitaverit : « Si decredere criticus » pergat, nec velit illustrium virorum testimoniis » acquiescere, paucis verbis me expediam. Dicam » sic : Hæreticis nec lineam scribo, nihil viris odii » aut invidiæ præjudicio præventis. . . . . Et quid » mea, si unus aut alter impius et indoctus reji- » ciet quæ eximia pientissimorum et doctissimo- » rum hominum approbat multitudo? »

exemplumque citatur severæ adhibitæ in Teresiam *critices.*

1791 Verum quid opus est exempla emendicare? Habemus inter viros D. Teresiæ spiritum seculo XVI approbantes, qui certe usque ab illis temporibus non minus Muratorio scrupulosus erat in fide revelationibus adhibenda. Bartholomeum Medinam intelligo, qui in commentariis ad 3 partem Summæ theologicæ Angelici Doctoris (quæst. XXV,
C art. III) præter morem satis fuse calamum acuit in eos qui passim se visiones habere venditant. Statuit igitur prima conclusione (pag. 324 et seq. edit. Venetæ 1602) : « Nonnunquam istæ operationes » sunt veræ; nam Christus Paulo apparuit Jerosolymis; sed illico adjungit : Veruntamen hu- » jusmodi veræ apparitiones sunt rarissimæ, ideo- » que sunt admodum suspectæ, et potius putandæ » sunt delusoriæ dæmonis apparentiæ, qui sæpe » se transfigurat in Angelum lucis. » Idem repetere non dubitavit assert. V, hisce verbis : « Re- » gulariter et communiter istæ apparitiones et » visiones veræ non sunt. » Quod postquam multiplici probaverit ratione, subdit : « Idem probatur » ex strage horribili quam fecit dæmon in personis » utriusque sexus quæ his visionibus fidem adhi- » buerunt, quæ sine lacrymis referri non potest. » Quia vero cogebatur aliquas admittere ut veras, admodum caute pergit supra viginti regulas recensere ad veras revelationes ab falsis distinguendas, præter eas quas ex Tractatu de Vita spirituali S. Vincentii Ferrerii recitat. Æque sapienter animadvertit aliquando excitari visiones posse corporis habitudine contemplantis personæ, dicens : « In- » genium, et judicium hominis diligentissime » considerandum est. . . . . Æstimanda est quoque D » corporis temperatura, sanitas, judicium. . . . . In » somno potissimum periculum est ne his visio- » nibus decipiamur. . . . . Inspiciendum est diligen- » ter an qui patitur visiones, sit nigro humore » affectus, id est, melancholico, vel nimium macie » confectus. » Ex his facile intelligere potest quilibet Medinam hominem non fuisse aut ad credendum nimium præcipitem aut ad omnes revelationes temere excipiendas proclivem, quin potius rigidissimum spirituum censorem. Porro quam sententiam ipse protulerit de revelationibus D. Teresiæ audiamus ab ill. Tarasonensi (*dic* Turiasonensi) antistite Didaco de Yepes in prologo ad Vitam S. Teresiæ, § II : P. M. F. Bartholomæus de Medina, jam primæ antecessor in Salmantina universitate, cum audisset tot tamque mira de B. M. Teresia narrari, flocci eam faciebat, nullamque his quæ de illa prædicabantur, fidem adhibebat. Accidit autem ut Sancta Virgo Salmanticam veniret novum conditura monasterium. Sedulo ipsa curavit illum convenire : amabat enim præ ceteris illos alloqui, suaque eisdem communicare, quos sibi magis ad-
E versari intelligebat suæque orandi rationi, ex spe qua incedebatur fore ut illam magis magisque examinarent, probarentque an cum Deo ambularet. Iniit igitur cum Medina colloquium, et generali secum habita peccatorum Confessione sinceram reddidit rationem suæ orationis et omnium donorum in ea perceptorum : insuper ostendit quæ de se ipsa scripserat. Quibus omnibus rite perpensis, Medina animum mutavit; et factus ipsi Teresiæ conjunctissimus, eam certam reddidit omnia quæ patiebatur, divino muneri esse tribuenda; professus inposterum Teresiæ in sanctitate parem in universo orbe non existere. Hanc ingenuam Medinæ confessionem refert vel ipsa Teresia in superius laudata epistola ad P. Rodericum Alvarez, quam exscribere omitto, ut brevitati consulam : satisque mihi est conclusisse non incautos indoctioresque minusve acutos veteres fuisse; sed forte modestiores minusque graculorum sectatores.

Perperam quoque Muratorius generatim improbat revelationes conscribi :

1792 Aliud sequitur in Muratorio castigandum. Pagina 125 pergit eas sacras virgines tanquam audaces carpere quæ visiones ac revelationes commentariis tradidere : « Cum ipsi (inquit) San- » ctissimo Gentium Apostolo Paulo ex cœlesti » munere plurima fuerint reserata mysteria quæ F » tamen, ut ipse testatur, non licet homini loqui, » percunctari libet quid juris sit apud eos qui » mysticis incumbunt rebus, ut in medium passim » adducant impervia pariter arcana sibi revelata, » ubi Paulus ipse id sibi ullatenus licere negavit? » Ita Christianæ pietatis reformator. O plane festivum delicati philosophi scrupulum! Itane, bone Muratori, omnes revelationes sanctis viris factæ idem obtinuere objectum, eamdem attigere excellentiam sublimitatemque eorum quæ Paulo Apostolo ad tertium usque cœlum evecto manifesta fuerunt? Si logices sectari leges velimus, vana omnino est generalis consequentia ex singulari propositione deducta. « Vidi arcana verba, inquit Paulus, quæ non » licet homini loqui » : ergo (proh amœnam illationem!) omnia occulta cæteris Sanctis manifestata non licet exponere... Ipsa D. Teresia experientia abunde edocta, ita edisserit cap. IV Mansion, VI : « Quando anima in hac suspensione reperitur, » placet Deo ostendere illi arcana quædam cœlestia » et visiones imaginarias, quas postea refert, cum » alte in ejus memoria defixæ remanserint. Cum » vero visionibus fruitur intellectualibus, eas mi-

AUCTORE V. D. M.

» nime referre valet ob sublimitatem cognitorum
» mysteriorum quæ non expedit, ut relata attin-
A » gantur ab hominibus adhuc mortalibus..... Jacob
» quidem vidit scalam; præter ipsam tamen eum
» vidisse arbitror secretiora alia quæ referre non
» valuit. Etenim ex sola visione scalæ, per quam
» ascendentes et descendentes Angelos vidit, nequa-
» quam potuisset tot tantaque mysteria intelligere
» nisi illustriori luce fuisset donatus.... Neque vero
» Moyses ipse omnia litteris consignavit ex his
» quæ in rubo viderat, sed ea solum quæ Deus
» voluit ut scriberentur. Quod si Deus longe plura
» non ostendisset secretiora mysteria, et quidem
» certissima, præter exposita, ut facile percipere
» posset Deum esse allocutum, in tot sane discri-
» mina et angustias minime sese conjecisset. »
Quid ad hæc inquiet Muratorius? Non vult ipse (exorta Divi Pauli auctoritate) arcana in visione intellecta litteris concredi posse : habet Teresiam quæ hoc aliquando fieri posse adstruit, aliquando non posse nec expedire fatetur; ipsane reprehendenda? Si ipsa exscripsit, concludendum potius est : Ergo quæ exscripsit, et poterat et expediebat ut exscriberentur. Nonne quædam sunt revelationes
B ad humanum captum accommodatæ, ad concutienda peccatorum corda aptissimæ, ad insinuandam propriæ infirmitatis cognitionem virtutisque amorem satis efficaces? Quidnam igitur absurdi esse potest, si manifestentur? Re enim vera, ubinam reperies ipsum Doctorem Gentium omnes suas revelationes alto silentio obduxisse? Ipso capite Epistolæ 2 ad Cor., quo, de raptu suo sermonem habens, asseruit : « Non licet homini loqui, » statim subdidit unius revelationis narrationem. « Ter Dominum, inquit, » rogavi ut discederet a me (stimulus carnis meæ), » et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. » Juxta Muratorium aperte in hoc capite reprehendit ac prohibet Apostolus ne quis revelationes describat : ipse vero sine mora revelationem subnectit. Carpendus igitur in primis est ipse Paulus, quasi legem a se latam primus atque illico violaverit : vel potius, genuina apposita interpretatione, reliquos sanctos piosque viros, revelata sibi manifestantes, lacessere desinat; nisi velit ipsum quoque dilectum Christi Discipulum Joannem Euangelistam tanquam apostolicæ legis violatorem criminari, qui Apocalypseos volumen, tot visionibus refertum, ad annum reparatæ salutis nonagesimum septimum, post Pauli
C mortem, descripsit.

quod Teresia *fecit coacta jusso, et quidem prudenter dato.*

1793 Verum, gratis etiam concesso incongruum esse ut revelationum narrationes fiant, quamvis ex iis non sint quæ sublimissimo D. Pauli raptui valeant comparari, non video quo jure succensere possimus iis qui eas experti eas scripto reliquerunt; cum potius illi unice corripiendi essent præsides atque animarum rectores quorum imperiis ut fieret satis, ad revelationes conscribendas compulsi sunt. Sane de Sancta Teresia indubiæ fidei est quod nonnisi gravissimis superiorum mandatis adigi potuerit ad supernaturalia dona litteris concredenda, cum e regione ab ipsis humillime expeteret ut sibi libera facultas fieret, veluti alteri Augustino, culparum suarum amplissimam texendi historiam. Profecto, si quis locus objurgationi esset, num in eam refundendus esset, quæ, licet secus suaderet profundissima animi modestia, perfectissimam adhibuit erga prælatos obedientiam? Absit; sed potius in præcipientium cervicem tota criminandi licentia erit rejicienda. Quanquam neque ipsis conscientiæ moderatoribus ulla, etsi minima, imprudentiæ aut levitatis nota inurenda, si non nisi perpensis omni- D
bus circumstantiis, causaque serio cauteque examinata, vel peculiari Divini Spiritus afflatu adducuntur ad hujuscemodi præcepta imponenda; quemadmodum Copezius judicat de D. Teresiæ rectoribus. Hic postquam efficaci oratione suasisset omnes conscientiarum moderatores ne qualibet prætensa occasione permittant ut ab iis, quos dirigunt, litteris commendentur supernaturalia dona a Deo recepta, Seraphicæ tamen Parentis nostræ perpensis quæ occurrebant argumentis, eximia præsertim animi demissione, quæ in limine ipso enarrationis Vitæ suæ maxime elucet, subdidit in Lucerna mystica (tract. v, cap. xxxi, num. 355) : « Hi sunt veri spiritus fructus, ex quibus dignoscere poterunt directores non solum utilitatem » quam Deus ex Vita et scriptis hujus mirabilis » heroinæ et mysticæ doctricis volebat comparare, » sed etiam magnam rationem qua ducti sunt ejus » prælati et directores qui tale tamque strictis- » simum scribendi mandatum imposuerunt : et » quandoquidem (ut nefas erit dubitare) divina » inspiratione ducti sunt, nihilominus magna pen- » satione et mora processerunt, antequam Teresiæ » hoc præceptum imponerent. » *Cumque anonymus* E
non pertimescendum esse hoc a voluntate Dei esse alienum, probasset exemplo Raphaelis, dicentis bonum esse opera Dei revelare et confiteri honorificum, sic claudit : Eccur conscientiarum moderatoribus historicisque permittere nefas erit ut in lucem aliquando prodeant splendida quædam divinæ beneficentiæ dona in fideliores suos effusa, cum vel maxime ex eorum parta notitia tepidiores et imbecilliores (utut sit de malesanis quibusdam qui nimium terrena sapiunt) excitari valeant ad bonorum omnium fontem appetendum ardentius, et prævaricantium corda ad meliorem frugem revocari?

Animadversio Joannis Havelange in Muratorium.

1794 *Hactenus doctus anonymæ Dissertationis auctor, qui ut genuinus* Teresiæ *filius egregie Sanctæ suæ Matris honorem cœlestiaque ejus dona adversus infidam interpretationem vindicat. Ad solidam hanc Muratorii refutationem adjiciam brevem in eumdem celeberrimum scriptorem animadversionem eruditissimi Joannis Josephi Havelange, professoris quondam in Seminario regio Luxemburgensi, qui in præstanti suo opere de Ecclesiæ infallibilitate in factis doctrinalibus demonstrata et a Jansenianorum impugnationibus vindicata, edito Trajecti ad Mosam anno* 1788, (*pag.* 194 *et seq.*) *damna ostendit nascentia ex prolatis obliquis hujusmodi ab eo et ab aliquot aliis incautis Catholicis in Ecclesiam conviciis. Scilicet, postquam dixisset nolle se inquirere* qua mente quove zelo, Jansenianone an Christiano, ab his dissertatoribus hæc arma cudantur et Ecclesiæ inimicis subministrentur, *gravia in Muratorium hæc addit verba :* Erroris virus suis lectoribus propinat eo periculosius quo veritatis fuco illud illinit accuratius. Solet quoque quod dextera dedit, sinistra illico retrahere, aut ea quæ certa sunt, in dubium revocare (*pag.* 204). *Si cui fors censura hæc severior videatur, certum tamen est male ominatis talibus disceptationibus prima sæculi decimi octavi parte prolusum ab improvidis scriptoribus fuisse secuturæ altera ejusdem sæculi parte incredulitati pseudophilosophorum. Consule ita ratiocinantem eximium Franciscum Xaverium de Feller in gallico suo Diario* (Journal historique et littéraire, 15 Mars 1790 pag. 531), *ubi meminit opinionis nonnullorum, æstimantium has Jansenismum olentes maculas Muratorianis libris superjectas fuisse a falsariis.* F

§ XCIV.

A

§ XCIV. Perperam aliqui S. Teresiæ ecstases magnetismo animali adscribunt. De magnetismi hujus existentia et natura controvertitur inter scriptores.

Iis scriptoribus

Præter eos quos hactenus refutare conati sumus, quique divinas in sanctis animabus operationes vel prorsus negant vel humani ingenii conatibus aut phantasiæ perperam adscribunt, non ita pridem aliud genus prodiit hominum, qui novam et præteritis sæculis inauditam causam iisdem assignant, magnetismum nempe quem dicunt animalem : quo nomine quidam eorum non solum insolitas omnes naturæ et animæ, sed etiam cunctas Dei ac diaboli in hominibus operationes comprehendunt; adeoque hujus vocis præsidio explicant, aut magis negant,

B *cum præstigias quæ a cacodæmone fiunt, tum prophetias, revelationes, apparitiones, visiones, miracula cæteraque divinæ sapientiæ, bonitatis atque omnipotentiæ opera. Is quippe incredulorum plerorumque hodie mos est ut quæ patrata a Jesu Christo et Sanctis mirabilia olim a veritatis osoribus negabantur, eadem contigisse quidem jam non negent, sed ita contigisse asserant ut non aliam causam habuerint quam naturalem. Cujus rei specimina passim occurrunt apud plerosque qui novam exegesim, ut vocant, Sacrarum Litterarum profitentur; dum scilicet sanctissimas Christi Salvatoris actiones ita interpretari non dubitant ut admirabilis illa Religionis Christianæ institutio jam non opus dextræ Altissimi, sed fraus et dolus esse videatur. Verum hæc exempli causa obiter attigisse sat esto, ne propositos mihi limites, cum de solo hic magnetismo animali quædam me dicere necesse sit, latius divagando excedam.*

qui magnetismo animali

1796 *Quoniam autem historia magnetismi animalis, quem nonnulli organicum vel vitalem dicere malunt, quique ab Antonii Mesmer auctoris sui nomine interdum etiam Mesmerismus appellatur, vulgo satis nota est, ab ea hic enarranda jure abstinere possum, aliqua tantum, ubi ipsa disputatio id*

C *exiget, facta historica relaturus. Dumque hanc quæstionem mihi tractandam assumo, profiteor non eum me esse qui quidquid ad eam pertinet, ita prosequi velim aut possim ut integram absolutamque de magnetismo animali dissertationem instituam et proposita de eodem capita singillatim perpendam; cum id potius ad eos spectet qui in rerum naturalium et præprimis physiologicarum studio, non omissis utique psychologicis, diu multumque versati, haberi debent legitimi hujusmodi rerum judices. Neque mihi disceptandum est cum universis magnetismi animalis propugnatoribus, inter quos et doctos et probos non paucos esse libens profiteor, qui divina charismata a phænomenis magneticis religiose secernant; sed cum iis tantum, qui, uti jam supra innui, S.* Teresiæ *illam non sane levem injuriam irrogaverunt ut asserent eam non supernaturali divinaque motione actam fuisse, sed magnetica ac proin naturali prorsus correptam potentia et impetu quodam quem oriri ex organorum compositione elicique arte perhibeant.*

S. Teresiam *correptam fuisse*

1797 *Nimis longus forem ac lectorem frequenti earumdem rerum repetitione defatigarem, si singillatim afferrem quæ hujus asserti propugnatores de S.* Teresia *in suis elucubrationibus comminiscuntur. Quare speciminis gratia e pluribus idem adstruentibus unum solummodo allegabo, qui non suam tantum, sed et simul magistrorum suorum de hac re doctrinam videtur propalasse, dum nuper Lutetiæ Parisiorum, ut doctoris insignia obtineret, diatriben seu thesin de re medica edidit a se solemniter propugnandam; ubi capite* IV, *quod inscribitur :* De effectibus magnetismi, *postquam descripsit somnambulismum, insensibilitatem, magnetizati cum solo magnetizante communicationem, idearum cogitationumque unius in alterum immissionem, transpositionem sensuum et id genus alia, tandem agit de ecstasi, de qua sic ait :* Finge summam quam potes insensibilitatem organorum, sensuum et motus, conjunctam cum summa vi sentiendi et cogitandi, vitamque omnem cerebrum versus contractam, atque animam quodammodo exutam materialibus organis; sic formam conceperis ecstaseos. Is status, licet quam maxime extraordinarius, in dubium tamen, ut alia magnetismi phænomena, non revocatur, eo quod idem status identidem adhuc alibi naturaliter se exerat... Atque cognovi plures per Europam homines, qui multis abhinc annis gaudent eo habitu imperturbate. Illo in statu partem vitæ suæ trans- E egit S. Teresia; cumque ad summum magnetismi apicem evecta erat, Deum videbat vel Jesum Christum vel Angelos qui eam affabantur protracto familiari cum ea colloquio, cujus ipsamet plura allegat specimina. Elapsa media vel integra hora, raptu illo emergebat, in lacrymas effusa, et veluti queribunda, eo quod, inquiebat, id quo fruebatur bonum sibi excidisset.

AUCTORE V. D. M.

D

F

calumniantur,

1798 *Pudet referre quas idem scriptor adjicit prolatæ a se sententiæ probationes et turpia dicta quibus contendit S. Virginem amore prosecutam fuisse non illum infinitum et invisibilem Deum, sed corporalem sive humana specie indutum, qualem iste vult S.* Teresiam *sibi imaginatam fuisse. Verum audenti procaciter affirmare Sanctam hanc Virginem in suo quem scripsit Vitæ libro pluries sibi exprobrare terrestres nimium neque puros satis quibus in Deum ferebatur animi motus, asseveranter respondeo plenissime tum e libro Vitæ tum ex cæteris omnibus ejus scriptis constare nihil quod purissimum castissimumque non fuerit, ejus affecisse spiritum. Id ipsa, de se loquens, aperte fatetur :* Jamas con cosa de su espiritu tuvo cosa que no fuese toda limpia (*tom. I, epist.* 19); *id est, ut habet Arnauld d'Andilly, ad cujus versionem auctor theseos suos lectores remittit :* Il n'est jamais entré dans son esprit une chose qui ne fût toute nette et toute chaste; *aut, ut adhuc expressius reddit Chappe de Ligny :* Jamais son esprit ne lui a rien représenté qui ne fût pur et chaste... *Neque felicior est idem scriptor, cum potissimam istiusmodi affectuum quales in S.* Teresia *notari perhibet, causam conjicit in exuberantem ætatis vigorem, inque juvenilem, luxuriantem ac sui impotentem phantasiam : quippe eum præterivit S.* Teresiam, *quæ nata erat annos amplius quadraginta ut illa via a Deo duci cœpit, in dies magis ac magis in ea progressum fecisse, donec in senili ætate et fere septuagenaria vita excesserit.*

opponitur

1799 *Equidem, si ita res ferret, plura id genus asserta in medium proferre nec difficulter certis historiæ Teresianæ monumentis discutere possem; sed, relicta reliqua errorum congerie, sat mihi sit probasse S.* Teresiam *in suis ecstasibus, raptibus, visionibus, revelationibus ac prophetiis magnetismo animali neutiquam fuisse actam : id quod etiam pari ratione valere poterit ad alios quamplures utriusque sexus Sanctos adversus similia in eos congesta probra*

AUCTORE V. D. M.

A *bra defendendos. Instituendæ autem hujus probationis duplex est ratio. Aut enim, ut existimant non pauci, magnetismus animalis cunctaque ejus phænomena, tota quanta sunt, nihil sunt aliud quam inane commentum, mera fabula, phantasiæ lusus sensuumque fascinatio; atque horum certe opinione, ut negatur magnetismi animalis existentia, ita omnis magnetica in S.* Teresia *operatio neganda est. Aut admittitur, quæ aliorum sententia est, vel omnium vel certe aliquorum phænomenon magneticorum veritas; qua admissa, facile ostenditur nullam esse Teresianas inter ac magneticas ecstases paritatem, sive causam utrarumque spectes, sive naturam, sive effectum. Unde consequens est, utramlibet probaveris hypothesim (neque enim meæ sunt partes agitatam de re adeo adhuc intricata litem dirimere), Seraphicam Virginem nihil habere cum magnetismo commune.*

magnetismum hunc,

1800 *Priusquam longius progrediar, notatum velim magnetismum animalem strictiore quodam sensu a multis ita accipi ut admittatur naturalis quædam communicatio sive attractio et repulsio inter nonnulla corpora animata, non secus atque inter nonnulla inanimata, et cujus ope singularia*

B *aliqua produci quidem possint phænomena, sed homine naturaque non majora. Hac ratione non negatur existentia somnambulismi artificialis, multique non adeo mirantur delicatas puellas, sensibus, mente, fiducia et affectu alte defixas in unum e regione assidentem, gesticulantem, tangentem, et, si ita loqui fas est, voce, nutu, imperio animam earum suffurantem, non mirantur, inquam, tales personas, quasi absorptas uno magnetizatore, dum cætera omnia respectu earum silent et quodammodo absunt, sopori ad somnambulismum usque immergi illasque tunc temporis, ut ait L. Rostan in articulo de Magnetismo animali qui insertus fuit Dictionario medico Parisiis anno* 1825 *vulgato (tom. XIII, pag.* 421–469), *idem ac suum magnetizatorem sentire ac cogitare, atque ea ratione unum fere cum ipso evadere individuum, quippe quem unum, cum indormiscerent, videbant, audiebant, sentiebant et cogitabant. Unde et somnambulismus artificialis, et abolitio, eo durante, sensuum externorum, et oblivio eorum quæ tempore somnambulismi contigerunt, et excitatiores subinde eo in statu animæ facultates, præsertim phantasiæ ac memoriæ, atque alia ejusmodi plura naturæ possibilia esse videntur, et eo quidem magis quod somnambulorum magneticorum status statum fere refe-*

C *rat somnambulorum naturalium. De quo videatur Tractatus de somnambulismo, auctore A. Bertrand, Parisiis editus anno* 1823 : *ubi inter alia exponitur (pag.* 242) *quomodo tempore somni, adeoque et tempore somnambulismi, viva sæpe perduret cogitatio cui indormivimus. Ac præprimis consulatur Cl. E. Tandel, universitatis Leodiensis professor, de eo argumento docte disserens in suo Examine novo phænomeni psychologici somnambulismi; quod insertum exstat tomo XV Commentariorum laurea donatorum ab Academia regia Bruxellensi, et cujus analysin tomo X Diarii historici et litterarii quod Leodii editur (pag.* 90 *et seqq.) exhibet Cl. P. Kersten, qui jam pridem alio tomo de eadem re egerat (tom. V, pag.* 497 *et* 556*). Ac de hoc quidem magnetismo seu somnambulismo disputationem instituere mihi propositum non est.*

qualem ipsi intelligunt,

1801 *Verum alius est magnetismus animalis qualis multo latiori significatione a Mesmeri sectatoribus accipi solet, et cujus ope prodigia quam maxime extraordinaria patrari contenditur; quorum, ut ait quoddam vulgatissimum hodie in Germania Lexicon, tanta est admirabilitas ut suffocandum et exstinguendum prius videatur quidquid hactenus super mundi hominisque natura acquisitum est* D *luminis quam intellectus suam convertere aciem audeat ad magnetismi animalis mysterium penetrandum. En quædam a Rostan in citato Dictionario enumerata phænomena, quæ, licet sane prodigiosa, e numero tamen eorum sunt quibus reliqui magnetizatores adstipulantur, etiam ii qui a jactantia præ cæteris sibi temperare dicendi sunt. Videlicet affirmat ab ecstaticis somnambulis res discerni trans opaca corpora (pag.* 435); *in iis sensum visus transferri ad epigastrium (pag.* 431); *sola interna magnetizantis voluntate absque ulla actione externa ullove externo signo magnetizati membra paralysi constringi (pag.* 436); *si qui inter spectatores animo sint in magnetismum malevolo vel incredulo, eorum præsentiam nocere efficaciæ magnetismi, quod quidem prorsus inexplicabile esse fatetur, sed et quod asseverat magnetizatores omnes fuisse expertos (pag.* 443); *somnambulos futura prædicere modo plane stupendo et incredibili : id quod crebro se ait animadvertisse; quamvis addat se iis quæ oculis suis vidit auribusque audivit, fidem præstare non audere, at non aliam ob rationem quam quod id phænomenon omnem excedat sapientiam omnemque humanum intellectum (pag.* 439).

E

negari a multis

1802 *Hunc porro magnetismum animalem reapse existere negant haud pauci nec infimi subsellii viri, qui hæc omnia prodigia attribuunt aut circulatorum artibus aut secretæ plurium in fraudem conspirantium collusioni. Quantus autem sit horum magnetismi adversariorum numerus, concludi potest vel ex ipsis verbis quibus magnetistæ aperte declarant quam parvi pendatur ars cui se devovent. Sic L. Rostan, quem nonnulli existimant cæteris omnibus artis illius propugnatoribus doctiorem, in ampli memorandique quem jam citavimus articuli exordio hæc fatetur :* Difficilem sane suscipimus provinciam. Magnetismi defensores inter et ejus refragatores violenta orta est lis. Prioribus rari annumerantur qui scrutati sint naturam, homines, scientiasque quas dicimus exactas. Tacite prope conventum est ut scientiarum medicæve artis cultor qui fidem præbet magnetismo, ludibrio afficiatur indelebili. Contra vero inter posteriores non invenio alios quam viros maximi meriti, quorum approbatio summa est merces, quorumque calculus albus in scientiis pro lege habetur, niger vero pro irrevocabili condemnatione. *Pari modo sincerus magnetismi*

F *animalis encomiastes J. B. L. presbyter, in opere quod Parisiis anno* 1844 *gallica lingua edidit sub hoc titulo :* Magnetismus et somnambulismus coram academiis, curia Romana et theologis, *profitetur magnis opus esse animis ut sectator magnetismi exponere se audeat tot contradicentium telis.* Tametsi, *inquit,* nitatur ille et captis ab ipso se experimentis et gravibus aliorum testimoniis, negari non potest eum nonnisi illata sibi vi propugnaturum esse magnetismum humanum et somnambulismum artificialem. His enim phænomenis, simul atque denuo apparuerant, ut fieri solet quoties detecta recenter veritas multis damnosa accidit, haud pauci eorum qui scientiarum clavum tenent, cum magnetismi fundamentum subruere non valerent, ludibrio hunc verterunt et pro circulatorum lusu habuerunt, dictitaruntque esse omnes promiscue defensores ejus aut lusos et deceptos aut lusores et deceptores. Unde oportet mens putet certo se esse veri consciam, ut ultro objicere se velit istiusmodi scommatis et sarcasmis (*pag.* 43). *Atque idem reliquorum fere omnium planctus est.*

tum academiarum sociis

1803 *Imprimis quod ad academias facultatesque medicas attinet, tota Europa pervulgatum est quid hac*

A *hac de re illæ senserint, cum alibi, tum præsertim in Gallia, quoties ad earum judicium appellatum fuit. Ex Austria anno* 1777 *excessit Mesmerus non alia de causa quam quia ejus inventa non modo non probabant, sed etiam explodebant academici Vindobonenses; Londinenses vero ac Berolinenses, quos per litteras appellarat, ne responsione quidem eum dignati fuere. Nec melius ei cessit Parisiis apud academiam regiam scientiarum; quæ anno* 1784, *instituto per selectos viros examine, declaravit fluidum magneticum non existere, magnetismum animalem esse inane nomen, et quæ ad hunc ciendum adhibebantur tentamina periculosa esse : a quo judicio non dissonat alterum per medicos a Ludovico XVI deputatos circa idem tempus latum. Exinde per annos quadraginta nulla amplius in virorum doctorum sodalitiis de hoc argumento mota quæstio est, donec anno* 1825 *academiæ medicæ Parisiensi propositum fuit ut ad novam de magnetismo animali, qui jam nonnulla subiisse temperamenta asserebatur, investigationem deveniretur. Facta igitur eodem anno a medico Husson relatione, convenerunt qui experimentis magneticis explorandis operam darent academici novem; horumque illa fuit conclusio, ejusdem*
B *Hussonii ore anno* 1831 *pronuntiata, fovendas esse ab academia inquisitiones de magnetismo animali, utpote rerum psychologicarum et physicarum cognitioni nonnihil incrementi allaturas. Sed anno demum* 1837, *audita novem aliorum medicorum relatione, quam conscripserat doctor Dubois Ambianensis, supremam tulit eadem academia sententiam qua prorsus ab ea confictus fuit Mesmerismus. Non vacat censoria illa hic referre decreta; neque id facto admodum opus est, cum extent passim in obviis quibusque de magnetismo tractatibus : quanquam illius sectatores adversus ea decreta reclamant, contendentes non judicio, sed præjudicio contra novam inexploratamque scientiam processum esse, nec dubitantes affirmare academias haud fuisse ductas studio indagandæ veritatis, sed potius cupidinis studio voluisse artem medicam intra vulgares consuetosque continere limites. Vide sic in prologo suo* (*pag.* 27, 28 *et* 29) *ratiocinantem J. B. L. jam supra allegatum; nec non J. P. F. Deleuze, qui in Defensione magnetismi, Parisiis anno* 1819 *vulgata* (*part.* I, *cap.* III, *pag.* 48), *dolet Parisiensem scientiarum academiam regiamque medicorum societatem facta*
C *a se admissa anno* 1784 *attribuisse phantasiæ, attactui vel imitationi; item J. J. A. Ricard, qui in prologo Tractatus theoretici et practici de magnetismo animali* (*pag.* VII *et seqq.*) *acerrime academicos Parisienses ob latas annis* 1784 *et* 1837 *sententias insectatur.*

tum aliis viris doctis,

1804 *Quod si, extra academias, illos speciatim homines qui scrutandis magnetismi animalis secretis operam navaverunt, percontemur, occurrunt quam plurimi qui in eamdem propendent opinionem. Inter hos R. D. Vincentius Tizzani in dissertatione quam* XXI *Julii* 1842 *coram spectatissima corona in Academia Catholica Romana super magnetismo animali prælegit, valide eum impugnavit.* Discussit, *ait Diarium Romanum* (VI *Septembris* 1842), et docta analysi membratim explicuit varia ejus phænomena. Ope luminis quod a medicæ artis disciplinis mutuabatur, exertaque justissimi ratiocinii vi, ac multiplicibus quoque celeberrimarum in Gallia Academiarum quæ pluries quæstionem hanc maxima qua potuerunt diligentia sunt perscrutatæ, allatis testimoniis, in evidentem eam tandem devenit conclusionem ut magnetismus animalis tam in iis rebus quæ crises magneticæ dicuntur quam in somnambulismo mera sit chimæra, splendidum mendacium ac fraus inimica non minus hominum societati quam perniciosa castitati morum. *Haud* D *aliter P. J. C. Debreyne, medicinæ doctor et monachus Cisterciensis e Congregatione Trappensi, tum in scriptis a se Cogitatis viri Catholici* (*gallice :* Pensées d'un croyant catholique, *pag.* 259 *et seqq. edit. Brux.* 1840), *tum in Tentamine super theologia morali* (*gallice :* Essai sur la théologie morale, *part.* IV, *cap.* I), *æstimat magnetismi animalis ostenta vanam esse ludificationem : ac memorata incredibili systematis nervosi mobilitate stupendaque phantasiæ humanæ vi, adscribit ostenta illa subdolis artibus et fascinationi quam adhiberi contendit, dum viri vegeti et validi gesticulationibus, attactu, imperio elicitisque multifariam affectibus vehementer agunt et corripiunt imaginationem morbidarum plerumque aut debilium et arcanæ artis præjudiciis occupatarum puellarum. G. G. Lafont-Gouzi, scholæ medicæ Tolosatis professor, eadem opinione ductus, Tolosæ anno* 1839 *edidit de hoc argumento commentarium quo demonstrare nititur magnetismum animalem nil aliud esse quam veteris magiæ simulacrum, phantasiæ ac sympathiarum naturalium humanæque debilitatis lusum, rationi et rerum naturalium scientiæ contrarium, valetudini æque ac moribus et juribus* E *hominum nocivum. Item Cl. Kersten tomo V Diarii supra citati inseruit quatuor articulos seu paragraphos* (*pag.* 402-409, 445-452, 497-505 *et* 554-565), *quibus de hac materia disserit, simulque in dubium revocat veritatem omnium illorum mirabilium phænomenon quæ fines humanæ potentiæ excedere videntur.*

AUCTORE V. D. M.

ob perpetuas ejus tenebras.

1805 *Multæ sunt rationes quæ virorum hactenus citatorum aliorumque complurium, quos inter præstantes numerantur medici, a fide magnetismo animali præstanda abalienant. Quarum aliæ summam spectant totius rei magneticæ obscuritatem multiplicemque in ejus usu incertitudinem atque instabilitatem; aliæ vero pertinent ad jactata ejus phænomena, quæ adeo prodigiosa sunt ut nulla hactenus proba eorum explicatio vel interpretatio excogitari potuerit, quamquam id problema jam a septuaginta annis in omnibus Europæ academiis fuerit agitatum, dum interim aliæ quæ in dies prodeunt scientiarum artiumque inventiones certis experimentis testatæ fiunt et brevi extra controversiam ponuntur. Atque ut primo quidem densas quibus magnetismus premitur tenebras pensemus, non meus sit hic sermo, sed artis magneticæ patroni J. B. L., qui illam de qua supra memi-* F *nimus concinnavit ejusdem apologiam, et cui in agnoscenda hac caligine consonant scriptores cæteri prope omnes. Candide itaque ille affirmat decem annorum studium uni illi argumento impendendum esse ut plenus de magnetismo tractatus absolvi possit; quin imo inter præcipuos ejus examinandi obices reputat magnum librorum de eo argumento tractantium numerum, æstimans scripta ejusmodi in Gallia prodiisse vel septingenta, totidemque in Germania, præter alia in aliis regionibus, quin tamen completum absolutumque hodiedum ullum de magnetismo opus lucem aspexerit* (*pag.* 25 *et* 31). *Neque id mirum est, si* (*quod putare se scribit idem auctor*), *ut quæstio hæc serio et convenienter tractanda assumatur, nil requiritur minus quam ut in antecessum conferatur physica cum physiologia, physiologia magnetica cum psychologia, ac tandem physiologia, psychologia et theologia, ut ex conflatis adunatisque cunctis his scientiis alia ad speciem nova creari possit scientia, nempe physiologia et psychologia theologica, quam theanthropologiæ nomine insignit.* Quam vero, *ait,* longo annorum spatio, quam arduo labore, quantis animis opus foret, ut magnetica

AUCTORE V. D. M.

disciplina eo modo promoveretur ac perficeretur! Ignoro equidem quemnam inter mortales tale maneat pensum, ob quod neque humanis præmiandus sit plausibus nec humana mercede. Pulcher sane labor, sed adeo ingratus ut nemo sit cui eum apprecemur, rati usquedum sterili immanendum esse voto (*pag.* 435).

A

ob immanem potentiam

1806 *Nec minor apud multos negandi magnetismi ratio est stupenda quæ humanæ voluntati attribuitur efficacia, tum in magnetizante ad fluidum in cerebro suo excitandum indeque ejaculandum, tum in magnetizato et in ipsis etiam adstantibus ad fluidi a magnetizatore emissi vim repercutiendam, aut, si fluido magnetismus non constet, alia incomperta ratione, nec tamen minus efficaci. Fatetur ipse Georget hominum mentes alienas esse a credenda hac humanæ voluntatis potentia. Interim tamen, dum magna est inter magnetismi animalis sectatores multis in rebus dissensio, omnium, sive admittant fluidum sive negent, una sententia est qua cuncta magnetismi phænomena oriri e suæ voluntatis efficientia velint.* Magnetismus, *ait Rostan,* vi voluntatis producitur : quare, ut effectus procreetur, in magnetizante firma voluntas, intensum desiderium

B

certaque persuasio insit necesse est (*Dict. med. tom. XIII, pag.* 441). Ubi mederi volo ægroto, *inquit Deleuze,* vi meæ voluntatis in eum dirigo effluvium quod ex me elicio et quo ille penetratur (*Defens. magnet., pag.* 172). Somnambuli, *infit rursus Rostan,* inerti modo obediunt magnetizatori. . . Ei pro instrumento esse videntur. . . Eo solo aguntur. . . Omnimode subjacent ejus voluntati. . . Quin demit ille magnetizato facultatem agendi ac loquendi. . . Nec ullum est phænomenon quod facilius obtineatur (*tom. cit. passim*). *Dicit etiam Georget :* Absque magnetizatore nequit magnetico statu somnambulus exire. Septem aliquando dies cum illi immersum reliqui (*Physiologia systematis nervosi, Parisiis* 1821, *tom. I, pag.* 293 *et* 294). *Et rursus Dupotet in Prælectionibus magneticis* (*vulgo* Cours de magnétisme, *sect.* II, *pag.* 97) : Effectus magnetismi nunquam cessant nisi voluntate magnetizatoris. *Atque ea est omnium magnetizatorum mens et loquendi modus.*

quam humanæ voluntati tribuunt magnetistæ,

1807 *Ergo magnetizatoris est voluntas quæ in magnetizato gignat pandiculantem oscitantiam, somnum, somnambulismum, ecstasin; quæ membris ingerat rigorem; quæ varium pro libitu imperet ejus corpori situm, quietem, incessum; quæ ex tali somnambulo sermonem eliciat responsaque ad propositas ei quæstiones de rebus occultis, dissitis, futuris; quæ efficiat ut somnambulus percipiat vel non percipiat quæ coram eo a magnetizatore vel aliis proferuntur; quæ inter somnambulum et tertiam personam instituat magneticam relationem per corporis contactum, si præsens ea sit, vel, si absens, per præbitum somnambulo capellitii ejus cirrum vestisve particulam aut aliud quodcumque contrectatum ab ea objectum. Voluntas denique magnetizatoris est quæ magneticum effluvium interrumpat, et, ut magnetizatus sibi restituatur, dispellat. Quin adstantium etiam voluntas, si magnetismo adversetur et obnitatur, impedimentum affert : quare Georget* (*lib. cit. tom. I, pag.* 270), *ex Rostanii sententia monet ut summopere caveatur ne male in magnetismum affecti homines circumstent; quod sæpe expertum se dicat id damno fuisse sibi suisque somnambulis, qui ob incommodam talium spectatorum præsentiam in tormentis fuerint ac sæpe mala perpessi sint gravissima. Operæ pretium videtur de hac re adducere verba Cl. Kersten, quæ saltem illos feriant oportet qui paritatem quamdam inveniunt vim electricam inter et vim magnetismi*

C

animalis, ac fluidum quoddam particulare admittunt quod agens magneticum *vocant.* Generatim, *inquit ille,* magnetismus nihil valet in incredulos et invitos; nec tantum hos non somno immergit, sed vel mera eorum præsentia impedimento est quominus et aliis magnetizatores somnum incutiant. Hoc quidem omnibus doctrinæ magneticæ asseclis in confesso est; aitque Rostan : « Recte assertum fuit præsen- » tiam hominum qui animo sint in magnetismum » male affecto et alieni a præstanda ei fide, objicere » producendis effectibus obices. Me latet qua ra- » tione id fiat : attamen ab omnibus magnetizato- » ribus observata res est. Equidem dilucidandæ » illius rei periculum nullum faciam. » Merito sibi cavet is scriptor a ferendo judicio super facto adeo singulari. Si enim fluidum magneticum agnoscatur, necessario quodammodo agnoscitur phænomenon istud explicari non posse. Agedum, ratiocinio rem agamus. Corpus tuum fluido magnetico scatet : intra te est facultas et voluntas id circa te effundendi : adest physice et moraliter aptus qui id recipiat : ille e regione tui stat, contingisque illum. Edic, quæso, quo pacto tuum istud agens, si quod in te est, coerceatur incredulo spectatoris cujusdam animo. Num vis electrica vel galvanica, num lapidis

D

E

magnetis aut fluidi luminosi actio legitur cohibita aliquando fuisse incredulitate aliave quavis mentis affectione? Num a fulmine tutus est qui fulmen ridet? Ergo usquedum ob incredulum inhabitantis animum cœlestes ignes a tectis nostris resilient, esse pernegabimus corpora quorum actio impediatur sola hominis cujuspiam abdita voluntate (*tom. V, pag.* 499 *et* 500).

ob variorum de magnetismi natura

1808 *Adhæc, etsi inter magnetismi præcones summus est consensus circa ejus causam efficientem, quam non aliam esse declarant quam hominis voluntatem, ex adverso summus est inter eos dissensus circa magnetismi causam materialem. Hanc enim alii putant fluido constare, alii attractiva innataque entibus animatis vi quæ congener sit cum magnetica vi entium aliquot inanimatorum, de qua sub exordium hujus paragraphi locuti sumus; alii arbitrantur causam materialem phænomenorum magneticorum nullam existere, sed magnetismi naturam consistere in actione nescio cujus spiritus qui operetur absque materia et instrumento, seu, ut vocabulo dicam magnetizatoribus usitato, absque agente; quamquam, uti candide fatetur Deleuze, nulla earum opinionum hactenus potuerit demonstrari* (*Introduct. ad instruct. de magnetismo*). *Tandem alii, si non melius, certe prudentius, simpliciter dicunt magnetismum esse ignotæ naturæ ens, quod intellectu nec conjicere nec assequi, nedum explicare, valeas. Infinitus prope sim si tot sibi contradicentium non tam opiniones quam dissidia singillatim exponere velim. Pauca attulisse sat erit. Sæpe jam citatus J. B. L. longam exhibet seriem medicorum ac magnetizatorum qui stant pro fluido, additque se plura ita sentientium millia indicare posse* (*pag.* 70); *censet autem ipse id fluidum tenue adeo ac subtile esse ut spiritum id nominare ausit materialem* (*pag.* 662). *Quod si quis modum scire cupiat quo fingitur magnetizans suum excitare cerebrum ad fluidum conflandum, modumque quo id in corpora ob naturæ suæ affinitatem ad id capiendum idonea ejaculetur, item qua ratione saturata fluido corpora edant cuncta ea phænomena quæ passim edi jactantur, quo denique pacto per contractam magnetizatorem inter et magnetizatum relationem bini hi, multarum licet leucarum intervallo disjuncti, secum invicem communicare iisdemque affici sensibus perhibeantur, hæc, inquam, si quis cupiat scire, adeat ipsos magnetici fluidi patronos.*

F

Prætermitto

A *Prætermitto quoque sententiam aliorum, volentium tota dispersum esse natura magneticum quoddam fluidum, quod ferunt Joannem Baptistam van Helmont sæculo jam decimoseptimo* magnalis magni *nomine insignivisse et nuper Mesmerum nomine* fluidi universalis. *Horum opinione magnetizans nil procreat voluntatis suæ vi, sed motum dumtaxat infert magnetico illi fluido versus hoc illudve corpus quod ejus præ cæteris capax sit, et quod, cum saturum plenumque istius fluidi evaserit, magnetica valet edere phænomena (vide Relationem D. Husson coram Parisiensi Academia medica). Interea, dum hinc affirmatur pro fluido vulgo stari, illinc contra affirmatur fluidum magneticum hodie pro chimæra haberi.*

varias abnormesque opiniones,

1809 *Qui fluidum respuunt, in varias abeunt sententias, totque fere eorum sunt sensus quot numerantur capita. G. P. Billot, in suis gallice conscriptis Quæsitis de magneticis phænomenis, hæc ministerio tribuit Angelorum. Carolus Josephus Windischmann, in Tentamine conjungendi artem medicam cum Christiana philosophia, quod Lipsiæ anno* 1824 *iteratis typis vulgavit sub titulo :* Ueber Etwas das der Heilkunst Noth thut (*p.* 203, 305, *alibique*
B *passim*), *efficientem magnetismi causam ita collocat in intensa adeo potentique voluntate hominis ut hic, vi innatæ sibi connaturalisque facultatis, imperare naturæ valeat, ratus nimirum Deum semper præsto esse ad præbendam tali voluntati efficaciam. Aliud magnetismi systema condit J. v. Görres, tomo III (pag.* 301-335) *ampli sui de Mystica Christiana operis; sed per contractum mihi spatium ne vel primas complicatæ hypotheseos illius dare lineas licet : sufficiat notasse eum in hanc venire conclusionem ut in ecstaticis somnambulis centralis enascatur intuitio visioque quæ cognoscat ubivis locorum inque ipsis rerum, licet remotarum, visceribus quæcunque sibi affinis sunt naturæ (pag.* 334). *Præter hæc laudatorum scriptorum systemata non desunt qui magnetismi naturam commententur ex placitis pantheistarum, habentium totum universum pro massa divinitatis et singulas ejus partes pro divinitatis fragmento, quique negent verum Deum ac fingant nescio quem spiritum magneticum universalem quo sint cuncta confusa atque permixta et quodammodo animata.*

ob sæpe compertam somnambulorum fraudem,

C 1810 *Alia denique quæ multos ad omnem magnetismo fidem abnegandam inducit ratio est comperta sæpe somnambulorum fraus, quam vel ipsi ardentiores artis magneticæ encomiastæ fateri coguntur, inter quos numerandus certe est J. J. Ricard, cujus ex ore hæc veritas excidit. Scilicet in Tractatu theoretico et practico de magnetismo animali, quem Parisiis edidit anno* 1841, *postquam asseruerat se homines plurium leucarum spatio a se distantes solo voluntatis suæ actu somnambulismo affecisse, et ut ad ipsum accederent, effecisse (pag.* 328); *seque, quoties tentasset, quemdam in atmosphæram dominatum exercuisse, cogendo nubes, eliciendo prohibendove pluviam, et produxisse phænomena nulli adhuc audita aut comperta (pag.* 335); *cæterum nondum opportunum quidem tempus adesse ut quæ magnetismus ipsum docuerat arcana divulgarentur (pag.* 313), *denique in Gallia quartam minimum ægrotorum partem conjici in somnambulismum posse, et inter viginti quinque somnambulos numerari ferme viginti duos qui extraordinaria edant phænomena, decemque qui lucidum maxime visum acquirant (pag.* 234); *ita tandem profatur :* Inter somnambulos ad quos consulendi gratia concurritur,si unus dormiat, vel quinquaginta sunt vigiles qui somnum mentiantur (*pag.* 535). *Si ita res est, concludunt magnetismi negatores, quidni facile et unus ille etiam mentiatur? Ac simul inde deducunt tanta illa magnetismi encomia esse maxime incerta.*

AUCTORE V. D. M.

D 1811 *Neque etiam fidem magnetismo conciliat quod multi artis magneticæ patroni, dum magnetismum laudibus efferunt, certam jam historiæ, jam Christianæ Religionis veritatem lædere non verentur. Hos inter numerandi imprimis sunt multi illi qui cunctorum temporum historias dolosa interpretatione contorquent ut eliciant extundantque inde magnetismum, et ut artem quam ætas nostra porrexit, adscititia vetustate nobilitent. Specioso scilicet argumento hi contendunt, cum magnetismus animalis, ut perhibent, a natura sit, eum nullo non tempore, nullo non loco exstitisse : unde fit ut innumeris locis se ejus vestigia deprehendisse jactitent, nec quemquam vel in libris legant vel in pictis sculptisve monumentis videant protendisse manus, quin continuo velint eum magnetizatorem egisse. Quod contigit ipsi Deleuze interpretanti signa zodiaci Tentyræ (hodie Denderah) inventa, ubi, secundum eum, Isis magnetizat natum suum Horum, quem genibus suis insidentem tenet. Contra vero adversarii qui nugatoriam æstimant hanc commentationem, cum non*
E *modo non certa, sed nec probabilia magnetismi vestigia omnibus retro actis sæculis appareant, concludunt eum a natura non esse, ac volunt omnia illa vetera prodigia quæ splendido magnetismi nomine hodie a quibusdam decorantur, fuisse aut mere naturalia facta, aut histrionum fallacias, aut opera technasque diaboli.*

ob frequens in multorum scriptis mendacium

et impietatem,

1812 *Omnem præterea veritatis speciem magnetismo adimunt abnormes impiique illi ejus laudatores qui miracula, prophetias et quidquid prodigiosum memoratur in sacra non minus quam profana historia, per consopitos magnetismo somnambulos actum fuisse scribunt. Ex opinione multorum id genus laudatorum, magnetizatores appellandi sunt una cum Apolline, Jove, Minerva, Serapide, reliquoque vaticinantium deorum et dearum grege, et Druidæ, et Sibyllæ, et Marcionitæ, et Montanistæ, et dæmoniaci, et magi, et sortilegi, et tremuli Cevennates, et convulsionarii Jansenistæ : quibus isti scriptores consociare non verentur Moysen, Samuelem, Prophetas, Apostolos, Sanctos Sanctasque omnes qui miraculis aut supernaturalibus donis claruerunt, inter quos S.* Teresiæ *non infimus assignatur locus. Horret calamus enarrare teterrimas*
F *blasphemias quas eorum plures in Jesum Christum, verum Deum et hominem, absurda non minus quam impia interpretatione, proferunt. Si adorandus hominum Salvator manuum impositione ægros sanarit, si, divina ex eo exeunte virtute, mulier attactu fimbriæ vestimenti ejus e vestigio convaluerit, si innumera qualiacumque alia miracula patraverit; infando sacrilegio dicunt eum illa omnia arte operatum esse magnetica. Adhæc, ut in somnambulismi Historia, auctore Albino Gauthier (tom. I, pag.* 97), *legere est, prisci magnetismi vestigia hodiedum reperiri asseruntur in impositione manuum patrisfamilias super filios, sacerdotis super fideles, episcopi super confirmandos, necnon in exorcismis Baptismi atque in sparso super Christianorum caput initio quadragesimæ cinere; in quibus cæremoniis, ut dicitur ibi,* nil ad magnetismum deest, dempta sola forte operantis intentione : *adeo ut, si is qui manus imponit, robustam habuerit voluntatem, invadat benedicendos, baptizandos, confirmandos incinerandosque sopor magneticus, ac Christianorum templa transformentur in templa Delphica antraque Pythonissarum.*

1813 *Accedit quod coram facultatibus medicis scientiarumque*

AUCTORE V. D. M. *ob impotentiam edendi coram academiis præcipua magnetica ostenta,*

A *scientiarumque academiis, ut ipsis magnetismi patronis in confesso est, edi non possint ea prodigiorum magneticorum specimina quæ edi in dies jactantur coram privatis.* Ut primum, *ait Virey,* somnambula per epigastrium in aperto libro coram scientiarum academia legerit, fas erit istis prodigiis fidem adhibere (*Dict. medic. scientiarum, tom. XXIX, Parisiis,* 1818, *art.* Magnétisme animal). *Ad quod in sua Defensione magnetismi* (*part.* I, *cap.* VII, *p.* 140) *respondet Deleuze :* Nunquam id præstabit somnambula coram corona hominum qui eo convenerint ut illam observent : nam ejus luciditas tali in cœtu non una impediretur affectione animi; atque ipsius quoque magnetizatoris mens nec sat tranquilla foret nec satis intra se collecta. *Ac reapse, cum anno* 1838 *Burdin junior, Parisiensis medicinæ doctor, palam solemniterque promiserat se ter mille francorum præmio donaturum somnambulam quæ tale suæ luciditatis experimentum daret, in medio relictum fuit præmium. Quo factum est ut magnetismi negatores non parum in sua confirmarentur sententia.*

et potissimum ob incredibilia quæ jactantur phœnomena;

B 1814 *Ast palmare argumentum quo multi inducuntur ad omnem magnetismo animali fidem denegandam, incredibilia sunt phœnomena quæ perhibentur patrari ejus ope, et quorum nonnulla jam supra a Rostanio enumerata videre fuit. Nempe plura ex his phœnomenis judicant præfati magnetismi adversarii esse naturæ hominique plane impossibilia; adeoque negant et jactatos magnetismi effectus et ipsum magnetismum, qui non aliter probatur vel probari potest quam ab effectibus. Non vacat longa ratiocinia referre quibus singula impugnant phœnomena. Ecce tamen unum alterumve quod ipsi pernegant, asserunt vero magnetizatores etiam moderatiores. Tale imprimis est præsagium quo ecstatici quidam somnambuli pluribus aliquando ante hebdomadis aut mensibus vaticinari feruntur diem, horam ipsumque temporis articulum quo vel morbus ingruat vel recuperanda sit sanitas. Ut omittam innumeros fere alios, id asseverant Husson in Relatione facta anno* 1831 *coram academia medica Parisiensi* (*num.* 25), *Georget in Physiologia systematis nervosi* (*tom. I, pag.* 287), *J. B. L. in opere sæpius allegato* (*pag.* 289 *et* 374, *ubi complacita benignitate verba Hussonii et Georgetii citat*), *C. A. F. Kluge in germanice scripto Tentamine super magnetismo animali* (§ 138, *pag.* 195 *versionis batavæ Amstelodami anno* 1812 *excusæ*), *Joseph Ennemoser in Historia magnetismi animalis* (*part.* I, *introduct., pag.* 13, *edit. Lips.* 1844) : *demum A. M. J. Chastenet de Puiségur in suis Quæsitis de homine somnambulo, quæ Parisiis vulgavit anno* 1811, *affirmat se per triginta annos observasse hoc respectu lucidos somnambulos et ne vel semel editis ab illis paroxysmorum prognosticis fuisse deceptum* (*pag.* 53 *et* 55); *adjicitque clausulam qua nefas sibi videri ait ut humanus intellectus investiget qua ratione hæc adeo mira præsagia fiant.*

C

qualia sunt distincta circa valetudinem præsagia,

1815 *Verum opponunt adversarii : Humanæ scientiæ datum profecto non est ut facta pathologica adeo accurate pronuntientur; nec valet sagacissimi et perspicacissimi ingenii acies tam clare diu ante præsagire tempus quo paroxysmus ingruat, neque intensitatis morbi gradum, neque spatium quo duret momentumque quo desinat. Quippe id genus res, si naturaliter oriantur, dependent a plurimis quæ sibi succedunt causis, a rerum quæ percipi nondum potuere viribus, a fortuitis eventibus, ab influxu rerum adhuc usquequaque latentium. Nam varietas aeris, frigidi calidivi cœli temperatio, enascentes animi affectiones, superveniens intellectus commotio, animi quies vel inquies, gaudium vel dolor, motus* D *situsve corporis, alimentorum quantitas ac qualitas, improvisa negotia varia, cuncta, inquam, hæc, quæ magna ex parte casu veniunt, non possunt non afficere corporis œconomiam : adeo ut pathologici paroxysmi initium et finis, modusque item et intensitas, dependeant ex incertarum illarum causarum multitudine; quod medicis plane perspectum est. Inepte igitur quidam magnetizatores hoc phœnomenon ita interpretantur ut ecstaticus somnambulus tam præcise possit ex latente in corpore germine conjicere bonam vel malam pro futuris temporibus valetudinem, cum hæc multis fortuitis rebus retardari vel accelerari possit.*

ac notitia cogitationum et affectionum, aliaque id genus,

1816 *Aliud est jactatum ab omnibus passim magnetizatoribus prodigium quo adversarii inducuntur ad fidem ipsi magnetismo detrectandam. Nimirum convenit inter hujus præcones de facultate qua ecstatici magnetici gaudeant detegendi latentem omnino mentem ac scrutandi voluntatem cunctasque affectiones animi tum magnetizatoris sui tum illorum quibuscum relationem, ut dicunt, inierunt per corporis attactum, si præsentes hi sunt; si vero absentes, per contrectatos horum crines vel vestes. Ast, ne de generali humani generis persuasione,* E *imo de necessaria naturæ lege loquar, Sacræ Litteræ omnesque earum interpretes una cum SS. Patribus atque omnium sæculorum theologis pronuntiant intimum hominis cor uni patere Deo, adeoque latere mortalem quemvis hominem.* Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? (1 *Cor.* II, 11). Cogitationes et spirituales affectiones mentis humanæ nullo externo signo manifestatas solus Deus novit, ut dicitur 2 Paralip. VI : « Tu » solus nosti corda filiorum hominum » (*Suarez, de Relig. tom. I, tract.* III, *lib.* II, *cap.* VII, *num.* 9). *His accedit quod plerique hodie artis magneticæ propugnatores pro certo habeant ac docant magnetismo affici posse etiam inscium, v. g. dormientem, quin ipsum quoque invitum et reluctantem, modo actor, quam patiens, validiore gaudeat magnetica vi. Ex quo, ut notant adversarii, absurda ea flueret consequentia ignotum fortassis hominem, cum minime cogitas, magnetica sua vi ingressurum esse penetralia tui cordis, inopinatoque revelatum iri intima tua desideria animique affectiones omnes, atque ab alio rimanda esse voluntatis tuæ arcana penitissima.*

quæ variis rationibus

F 1817 *Volui præ cæteris bina hæc phœnomena memorare, quia omnes passim artis magneticæ patronu ea adstruere solent, dum magnetismi negatores ea plane æstimant homine ac natura superiora. At, præter hæc, jactantur et alia multa quæ hi putant vix magis esse possibilia; adeoque illorum prodigiorum assertores modo ratiociniis, modo jocis impugnant. Hoc pacto, cum prædicantur magnetizati absque oculorum ope posse per extremos digitos vel per epigastrium discernere objecta ac legere scripta, secreta detegere, futuros eventus lucido intuitu præsagire, remota locorum spatia habere ut præsentia, penetralia cordium scrutari, aliaque patrare hujusmodi prodigia et portenta, petunt cur, ubi sortes mittuntur, eorum ope meliores præmiandique numeri in urna non seligantur; aut cur campsoribus et trapezitis præsago suo consilio non adsint; cur denique, si tali industria polleant gaudeantque prærogativa perspiciendi abstrusa, remota et futura, magneticæ artis magistri non Cræso ditiores evadant : adhæc, si, ut contenditur, magnetizati sua aliorumque intestina introspicere, si morborum sedes et causas dignoscere, si apta ad valetudinem recuperandam pharmaca designare valeant, advertunt antagonistæ mirandum plane esse, cum*

A *cum sanitatis vitæque cupidissimus homo sit, tam raros ad laudatam eam panaceam recurrere.*

refutantur; 1818 *Certe, aiunt iidem adversarii, si ex attrectato capillitii cirro vestisve particula aut scripta charta ecstaticus somnambulus revelare magnetizatori suo valeat quæ illius ad quem eæ res pertinent, membrorum viscerumque sit status, quales ejus in domus suæ penetralibus actiones, quæ animi illius dispositiones, quæ consilia ac sensus, quæ denique alia ejus et thesaurorum et litterarum et commercii secreta; nemo est qui non videat quantus possit esse talium notionum per magnetismum nanciscendarum usus. Quos inter v. g. est aut futura est mercaturæ, matrimonii aliarumve rerum societas, quos inter concertatio, lis aut bellum vel instat vel jam agitur, hi omnes, ope somnambulæ, explorare et detegere facile valeant arcana complura quorum notio maximo eis possit esse usui. Unde, si ita res esset, consectaneum esse deberet ut magnetizator cum sua somnambula primas ubivis fere partes ob magna præstanda obsequia haberet, non modo in quotidiano hominum commercio et in medici comitatu, sed et in gravissimis quibuslibet suscipiendis negotiis, atque adeo in ipso regum sanctiori consilio.*

B *Hæc autem cum in tanta hominum sciendi aviditate et necessitate nullatenus fiant, conficiunt magnetismi adversarii cuncta ea magnetica prodigia aut ficta esse aut exigui saltem momenti. Atque in sua non parum confirmantur sententia, quod eo pacto omnis prope in humano genere ordo subrueretur. Finge enim ex una parte hanc aliquando disciplinam inter homines propagatam passimque et a probis et ab improbis adhibitam, et ex altera parte portenta quæ ea effici feruntur, reapse patrari; non modo privatorum hominum habitum familiarumque statum, sed et commune commercium, imo totius humanæ societatis faciem haud modice, et quidem in deterius, immutatum iri plane est agnoscendum.*

missis aliis adhuc magis incredibilibus, 1819 *Adhæc plurima alia singularia phænomena quibus scatent nominatissimorum etiam magnetismi præconum libri, rejiciunt adversarii : quamquam ex his alii rejiciunt plura, alii pauciora; neque omnes eadem ratione a singulis admittendis sunt alieni, sed prout cuique illa a verisimilitudine remota et certis repetitisque experimentis destituta apparent. Ex illorum phænomenon numero non paucis videtur esse transpositio organi visus ad varias corporis partes; nec multo facilius eis persuaderetur hominem*

C *absque consueto præsidio oculorum videre posse objecta, eaque discernere per epigastrium vel per occiput, quam eum cibos digerere posse sine stomacho aut olfactum habere in pedibus : refugit quoque eorum mens credere corpora quæ vigili opaca sunt, magnetico somnambulo diaphana fieri. Ad id genus phænomenon referri quoque debet tanta illa somnambulorum quorumdam insensibilitas ut carcinoma quod mulieris ventrem exedebat, aliquando potuerit durante magnetico raptu exscindi, quin ægra signum ederet doloremve sentiret; quod coram Parisiensi academia* XXI *Junii* 1831 *retulit Husson, designatus qui nomine delegatorum secum sociorum rei magneticæ rationem et statum exponeret. Talis pariter est auditus simul et tactus exstinctio, quæ tanta subinde esse perhibetur ut possit non solum somnambuli caro pungi, incidi et uri, sed et ad illius aures sclopetum laxari et genæ ejus laxati sclopeti ictu lacerari, quin vel minimum sentiscat. Item talis est intima ea magnetizati cum magnetizante conjunctio ut feratur prior posse linguam loqui sibi ignotam, sed notam socio magnetico; quod legere est apud J. B. L.* (*ubi supra, pag.* 95). *Talia denique adhuc portentosiora magisque incredibilia sunt multa, quæ audacioribus magnetismi encomiastis celebrare solemne est, sed quæ nata sunt nauseam creare lectori. Si quis forte hæc nosse voluerit, passim ea prostant, ac nominatim apud Jos. Ennemoser, qui non veretur affirmare somnambulos selectiores lucido suo visu trans densum terrarum orbem pertingere ad ipsos usque antipodas ac persentiscere quid ultra immensa cœli spatia in luna et in remotissimis planetis fiat, etc., etc.* (*Hist. magnetismi animalis, loc. cit.*). *Quin imo nondum hic meta consistit magneticorum prodigiorum. Dicit namque J. J. Ricard in suo Tractatu de magnetismo se phænomena conspexisse omnibus hactenus ignota hominibus, diemque vaticinatur venturum quo magnetismus vigentia hodie principia et systemata sus deque sit versurus* (*pag.* 313 *et* 335).

AUCTORE V. D. M.

D

quæ venditantur non sine summa aliquando insania

1820 *At, quod cætera superat, ex pantheistarum placitis tenent non adeo rari magneticæ scientiæ proselyti suum quod dicunt* agens *universalem esse naturæ motorem et velut omnium rerum animam, nec multum abest quin expresse dicant auctorem.* Etenim, *ait D. Frere,* nihil istis sacrum est : Deum confundunt cum dæmone, ac dæmonen cum agente suo magnetico sive cum cæca naturæ vi; ita ut ipsorum judicio nullus sit spiritus, nec creatus nec increatus, nec bonus nec malus, sed quidquid appareat seu intellectuale seu morale, seu ordinarium seu miraculosum, seu verum seu falsum, id effici contendant agente suo magnetico (*Examen magnetismi, Parisiis* 1837, *pag.* 168). *Atque hæ sane impiorum assertiones, quamvis certe non omnium magnetizatorum sint, cum tamen sint multorum, magnetismi commendationem minime habent, neque animos disponunt ad fidem ei præstandam. Interim adversarii, cum incidunt in eos magnetismi præcones qui* agenti *suo magnetico non modo paganismi oracula mediique ævi magiam et sortilegia, sed et S. Scripturæ Historiæque ecclesiasticæ miracula ac divinas Prophetias attribuunt, compellant eos et etiam atque etiam rogant ut et ipsi aliquot miraculorum specimina edant, et ut, exempli causa, mortuum vel unum ad vitam revocent, aut, si egressam corpore animam arripere inque sedem suam reducere arduum nimis reputetur, magnetica sua industria saltem efficiant ut cæci videant, claudi ambulent, mutorumque lingua aperiatur. Etenim, ut advertit P. Perrone,* si possent magnetismi patroni (*ii scilicet qui miracula magnetismo adscribunt*) quinque panibus ac duobus piscibus quinque hominum millium multitudinem satiare, prout præstitit Christus (*Matth.* XIV, 17, *et Joan.* VI, 6), vel aquam in vinum convertere, ut factum est in nuptiis Canæ (*Joan.* II, 8), valde commendanda esset eorum imaginationis vis, ac libenter ab omnibus exciperentur. Hactenus tamen hæc non præstiterunt (*Prælect. theolog. tom. I, part.* I, *num.* 189).

E

F

atque horrendis blasphemiis.

1821 *Atque ita porro ab illis qui scribere audent Patriarchas, non aliam ob rationem quam quod manus imposuisse legantur, artem exercuisse magneticam, et qui Moysis, expansis brachiis in monte orantis Amalecitasque dissipantis, miraculum ita enodant ut a valido illo viro, quem fidei plenissimum dicunt,* agens *magneticum in adversos hostium cuneos emissum fuisse velint, et qui benignissimum Redemptorem nostrum Jesum Christum asseverant Apostolos suos, injecto iis per manuum impositionem fluido magnetico, thaumaturgos effecisse, petunt adversarii ut aliquod saltem hujusmodi prodigium operentur quo assertis suis fidem concilient. Hæ igitur potissimæ sunt rationes ob quas complures spectatæ auctoritatis viri magnetismum animalem, eo quo a multis ejus præconibus intelligi solet sensu, ut verum admittere recusant. Quorum sententia si*

AUCTORE V. D. M.

A *admittenda sit, evidens plane est, uti initio dixi, S.* Teresiæ *charismata attribui non posse causæ quæ in rerum natura non existat. Reliquum est ut inquiramus num magnetismo, si reapse existat, adscribi illa charismata ullo modo queant.*

§ XCV. Admissis licet magnetismi animalis phænomenis, etiam mirandis, demonstratur nulla esse analogia Teresianas inter et magneticas ecstases.

Supposita existentia magnetismi animalis.

P. *Perrone Prælectionibus suis theologicis* (*tom. I, part.* I, *num.* 193) *annotationem adjicit, in qua ita loquitur :* Animadvertendum porro hic nonnullos scriptores catholicos, non solum in Galliis, sed in Germania præsertim, non habere magnetismum animalem ut merum præstigiatorum inventum,
B sed agnoscere atque admittere veram ac realem insitam vim producendi quosdam effectus, quorum causa inter naturæ vires nos latet in tota sua extensione. At præterquam quod isti scriptores simul fatentur magnetismum obnoxium esse dæmonis artibus, absolute negant effectus supernaturales, quos in miraculis vel mystica Sanctorum vita cernimus et admiramur, quidpiam habere commune cum effectibus magneticis, imo istos ab illis toto cœlo differre fatentur nec posse ulla ratione magnetismi ope explicari. *Ill. Bouvier, episcopus Cenomanensis, in sua Theologia morali pariter dicit non contemnendos auctores plura magnetica facta ut vera admittere. Ac revera, inter Germanos præcipue, probi clarique sunt viri qui aliquot saltem mirandorum illorum phænomenon veritatem tueantur et ipsi in medicandis corporibus magnetismum adhibeant. Nec absque justis sane causis in plerisque septemtrionalis Europæ regnis lege cautum est ut ars magnetica statis tantum sub conditionibus exerceatur. Quod si porro magnetismi sectatorum auctoritatem invocare liceret, citarem selectiores quosdam qui magna sinceritatis specie asseverant multiplici longaque experientia sibi mira illa phænomena constare,*
C *nominaremque DD. Windischmann, Georget, Rostan, J. B. L., et præter alios Deleuze, qui in sua magnetismi Defensione testatur se millies et amplius, triginta duorum annorum spatio, ea signa observasse, et speciatim advertisse somnambulos mentalibus magnetizatoris sui jussis obedientes esse, asserendo insuper nosse se in sola urbe Parisiensi homines vel mille quibus id captis experimentis persuasum sit. Taceo complures magnetismi antagonistas qui nec ipsi quædam ex iis phænomenis inficiari ausint, rati tot ea repetita esse vicibus, tot asserta testibus, talibus stipata adjunctis, ut omnem circulatorum ludum, omnem cum subornatis fraudis sociis collusionem, omnem physica chemicaque arte paratam industriam censeant certissime exclusam.*

cujus usui hactenus

1823 *Verum nec in hac hypothesi qua vera habeantur magnetica phænomena, ulla ratione per magnetismum ratio reddi potest supernaturalium S.* Teresiæ *donorum. Quod priusquam argumentis ex ipsis rei visceribus desumptis demonstrari aggrediamur, Catholicis lectoribus, qui in rebus fidei et morum Sanctam Romanam Ecclesiam pro duce ac magistra habent, in memoriam revocare juvat Teresianas ecstases, visiones, revelationes, etc., jam dudum esse Ecclesiæ probatissimas; prout evidenter patet ex* D *Actis canonizationis et speciatim ex ipsa canonizationis Bulla necnon e Lectione* VI *Officii ejus in Romano Breviario. Quod vero ad magneticas ecstases attinet, momento non carent quæ non ita pridem vulgata fuere ad propositas de magnetismo animali quæstiones Sacræ Congregationis Inquisitionis responsa : quamquam fatendum sit ea hypothetica tantum esse, adaptataque postulatis quæ magnetica exercitia supponebant in fidem et mores noxia vel periculosa, et nil proin responsa ea habere absolutum sive decretorium. Cum tamen illas quas prædicta postulata supponunt inesse magnetismo qualitates, illa adjuncta illosque effectus multi artis magneticæ sectatores et præcones agnoscant, imo efferant, operæ pretium erit responsa ea Romana una cum postulatis hic exhibere. Terna hactenus prodiisse testatum est, quæ hic subjicio oculis lectorum; quos tamen præmonitos velim secundi responsi petitionem latine e gallico mihi vertendam fuisse. Responsum primum emanavit e Sacra universalis Inquisitionis Congregatione* XXIII *Junii* 1840; *secundum pronuntiatum fuit* XXI *Aprilis* 1841; *tertium denique* I *Julii ejusdem anni.*

E *Ecclesia minime favit,*

1824 *Postulatum primum.*

BEATISSIME PATER,

N. N. supplicat S. V. quatenus pro conscientiæ suæ instructione et tranquillitate necnon pro directione animarum, sibi significare dignetur an licitum sit pœnitentes participes esse posse in operationibus magnetismi.

RESPONSUM.

Feria III, loco IV, XXIII Junii 1840, in congregatione generali S. R. universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus etc. proposita supra dicta instantia, iidem Em. ac Rev. Domini dixerunt : « Consulat probatos » auctores, cum hac advertentia, quod remoto omni » errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmo» nis invocatione, merus actus adhibendi media » physica aliunde licita non est moraliter vetitus, » dummodo non tendat ad finem illicitum aut quo» modocumque pravum. Applicatio autem princi» piorum et mediorum pure physicorum ad res aut » effectus vere supernaturales ut physice explicen» tur, non est nisi deceptio omnino illicita et hære» ticalis. »

F

Postulatum secundum.

Cum observetur in operationibus magneticis occasio proxima incredulitatis et malorum morum, ut tranquillitati conscientiarum consulatur, desideratur quæ sit Sanctæ Sedis circa eam rem sententia.

RESPONSUM.

Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.

Postulatum tertium.

Eminentissime D. D.

Cum hactenus responsa circa magnetismum animalem minime sufficere videantur, atque magnopere optandum sit ut tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro incidentes; infra signatus Eminentiæ vestræ humiliter sequentia exponit. Persona magnetizata quæ plerumque sexus est fœminei, in eum statum soporis ingreditur (dictum : *somnambulismum magneticum*) tam alte ut nec maximus fragor ad ejus aures nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud ecstasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusve,

A busve, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat. Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, hæc persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat; eorumdem progressus, variationes, complicationes evolvit, idque propriis terminis; sæpe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte prænuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima præcipit. Si adest persona de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utramque per contactum instituit magnetizator. Cum vero abest, cincinnus ex ejus cæsarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatæ admoto, confestim hæc declarare quid sit (quin aspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona ad quam pertinent, quid rerum agat; circaque ejus morbum omnia supra dicta documenta ministrare, haud aliter atque si, medicorum more, corpus ipsa introspiceret. Postremo magnetizata non oculis cernit.
B Ipsis velatis, quidquid erit, illud leget legendi nescia, seu librum seu manuscriptum, vel apertum vel clausum suo capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Hoc autem statu educta, vel ad jussum etiam internum magnetizantis, vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se prænuntiato, nihil omnino de rebus in paroxysmo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit : quænam ab ipsa petita fuerint, quæ vero responderit, quæ pertulerit; hæc omnia nullam in ejus intellectu ideam nec minimum in memoria vestigium reliquerunt. Itaque orator infra scriptus, tam validas cernens rationes dubitandi an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissimeque vestram Eminentiam rogat ut ipsa, pro sua sapientia, ad majorem Omnipotentis gloriam, nec non ad majus animarum bonum, quæ a Domino redemptæ tanti constiterunt, decernere velit, an, posita præfatorum veritate, confessarius parochusve tuto possit pœnitentibus aut parochianis suis permittere : 1° Ut magnetismum animalem, illis caracteribus aliisque similibus præditum, exerceant
C tanquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam; 2° ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant; 3° ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas; 4° ut unum de tribus prædictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito vel implicito, omni etiam satanicæ interventioni, quoniam hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo vel iidem vel aliquot effectus obtenti jam fuerunt.

Eminentissime D. D., Eminentiæ vestræ, de mandato reverendissimi episcopi Lausanensis et Genevensis, humillimus obsequentissimusque servus Jacobus Xaverius Fontana, can. cancell. Episc. Friburgi Helvetiæ, ex ædibus episcopalibus die XIX Maji 1841.

RESPONSIO.

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet : Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 1 Julii 1841.

C. Card. Castracane, M. P.
P. H. Pomella, S. P. Secretarius.

Concordat cum originali. Friburgi, XXVI Julii 1841. AUCTORE V. D. M.

D

De mandato. J. PERROULAZ, Secretar. Episc.

quamvis quæstionem non absolute diremerit,

1825 *Ad tria hæc responsa apponam quartum, quod, simul cum præfixo ei monito, latine vertam ex Ill. Gousset, archiepiscopi Rhemensis, Theologia morali* (*tom. I, in appendice* § 2, *pag.* 472 *edit. Bruxellensis* 1844). Cum responsum illud (*scilicet tertium*), *ait Ill. auctor,* non esset absolutum, anno 1842 visa nobis est de eadem quæstione consulenda Sancta Sedes, ac roganda utrum « sepositis rei » abusibus rejectoque omni cum dæmone fœdere » liceret artem exercere magneticam, vel eam adhibere in remedium quod conducere æstimetur ad sanitatem. Nihil ad id nostrum postulatum responsum est quam quod sequentes continent litteræ, quas Emin. Cardinalis de Castracane, Magnus Pœnitentiarius, gallico idiomate nobis permittere dignatus est 11 Septembris 1842 : « Illustrissime » Domine, audivi ex D. Brimont expectari a me » epistolam qua certior fias num S. Inquisitio » controversiam de magnetismo diremerit. Te, » Illustrissime Domine, rogatum habeo ut pen- E » sare digneris eam quæstionem illius non esse » naturæ ut citum de ea feratur judicium (si modo » feratur unquam); eo quod nil subsit periculi in » trahenda mora, ubi, e contrario, immaturum » responsum honori S. Sedis obesse posset. Ecclesia, » sicut publicata ejus responsa testantur, numquam » in respondendo hæsitavit, quoties de magnetismo » in particulari casu agebatur. At modo non id » inquiritur an in singulari casu usus ejus sit » licitus; sed petitur generatim an ejus usus stare » possit cum fide et moribus. Quæstionis ita positæ » quantum sit momentum, sagacitatem tuam ma- » gnamque tuam eruditionem fugere nequit, etc. » Cardinalis Castracane. »

facile ostenditur

1826 *His in antecessum prolatis, nunc causam, naturam et effectus ecstaseon aliorumque charismatum Teresianorum opponamus phœnomenorum magneticorum causæ, naturæ atque effectibus. Ad pleniorem rerum intelligentiam, præter ea quæ jam pridem* §§ XCI, XCII *et* XCIII *allata sunt ad demonstrandum ecstases, etc. S.* Teresiæ *a Deo esse profectas, hausta potissimum probatione a virtutum incremento quod in ea post accepta hæc charismata observatum fuit, hoc loco operæ pretium fuerit ex ejus scriptis, maxime e libro Vitæ, divinorum donorum quæ ipsamet se expertam fuisse profitetur, compendiariam exhibere relationem. Qua occasione notari hic potest ecstaseon descriptionem quam indocta hæc fœmina velociter et ex mera obedientia chartæ mandavit, æstimari ab eruditis præstantiorem cæteris omnibus ecstaseon descriptionibus, atque adeo etiam illis quas clari scriptores medici et philosophi concinnaverunt : quod observatum invenies in Dictionario medicarum scientiarum* (*tom. XV, vulgato Parisiis anno* 1815, *art.* Extase). *Sic itaque ipsa, pro sua experientia, cap.* XVIII *Vitæ suæ, exponit quid soleat supernaturales ecstases antecedere, comitari et subsequi, allegoria utens qua hominem fingit esse hortulanum, animam ejus hortum, gratuitaque Dei dona imbres quibus hortus irrigetur:* Cœlestis hæc aqua, *ait,* subinde delabitur, cum hortulanus minime id exspectat. Principio quidem id fere semper non nisi post longam et frequentem orationem mentalem constat accidere solere. Dominus quippe aviculam hanc ex uno gradu ad alium sustollit, et sic in nido collocat ut quietem tandem inveniat : nam postquam vidit eam longo jam tempore volitasse, et identidem, tum intellectu et voluntate, tum

AUCTORE V. D. M.

A tum omnibus viribus suis Dominum quærere, eique placere fuisse conatam, suum ei pro labore suscepto præmium etiam hac in vita dare vult. Ecquod autem præmium? quod scilicet vel unicum momentum, quo illud habetur, satis sit ad omnem laborem qui in hac vita esse potest, quam cumulatissime compensandum. Anima ergo hac Dei quæsitione occupata, summa et suavi quadam cum voluptate sentit, se prope totam a seipsa per modum quemdam deliquii excedere; nam paulatim eam deficit et halitus et simul omnes vires corporales, ut nequidem manus sine magna pœna movere possit; adhæc oculi ipsius sponte clauduntur: quos si apertos teneat, nihil propemodum videt; et si legat in libro, ne quidem unam litteram designare potest, imo vix eam dignoscere : videt quidem esse litteram, sed, quia intellectus eam non juvat, tametsi vellet, legere nequit. Præterea audit quidem, at quæ audit, non intelligit. Adeo ut sensus in nullo eam juvent, nisi forte ad quietem ejus interturbandam; unde magis ei obsunt quam prosunt. Loqui si velit, incassum ad id connititur, quia ne unum quidem formare potest verbum; et, si id

B etiam posset, vires ei desunt ad ipsum efferendum: nam omnis vis exterior deperditur. Internum autem robur adaugetur animæ, quo hæc melius gloria sua frui possit. Exterior delectatio quæ sentitur, etiam est et magna et satis perceptibilis. Illa porro oratio quantumvis longo duret tempore, nihil valetudini nocet : mihi saltem numquam nocuit; nec memini, etsi subinde adhuc male valerem, cum hanc mihi gratiam Dominus daret, ullam me pœnam tum sensisse; imo vero malum meum et infirmitas inde multum minuebatur. Ecquod vero malum e tam eximio nasci possit bono?

ecstases S. Teresiæ

1827 *Quas autem anima in sua hac penitissima cum Deo omnium potentiarum conjunctione delicias sentiat, dicit* Teresia *non intelligi, nedum dici posse. Anima, inquit, tunc non vivit in se, sed vivit in ea Dominus. Voluntas amat; sed quomodo amet, non intelligit : intellectus, si quid intelligat, non intelligit quomodo intelligat; saltem nil potest comprehendere eorum quæ intelligit. Memoria, quæ secus papilionis instar facile divagatur, se ipsam movere nequit, cum alæ ejus ad divini amoris ignem sint adustæ* (*cap.* XVIII). *Ab hac oratione sentit homo suavibus se irroratum et humectatum lacrymis. Nec tamen scit quando vel quomodo eas effuderit.*

C Porro magnum, *ait,* inde anima robur et generositatem concipit, adeo ut, si hoc ipso temporis puncto propter Deum in frusta minutatim concideretur, permagnæ hoc ei consolationi foret. Hic quoque grandia quædam promittit, heroica proposita concipit, ardentia desideria efformat : hinc mundum abhorrere et odisse ejusque vanitatem clarius perspicere incipit; ad hoc longe hic robustior et valentior reddita est quam in præcedentibus orationis gradibus, et in humilitate dejectioneque sui fundatior : liquido enim perspicit, ad excessivam illam et sublimem gratiam accipiendam, diligentiam suam nihil penitus contulisse, neve ad eam alliciendam aut etiam conservandam, sese potentem fuisse : simul etiam ad oculum videt se illa plane indignam esse, quod suam miseriam intime perspiciat (nam in loco quem multus sol illuminat, nulla aranei tela abscondi potest), et tam ab omni vana gloria remota est ut ab illa tentari se nullatenus posse putet. Jam quippe ad oculum videt et manu prope tangit quam parum aut nihil ipsa possit (*cap.* XIX). *Sancta, postea explicans sublimiorem adhuc ecstaseos gradum, in hæc loquitur verba quæ per compendium refero :* Si de ingenti hujusmodi orationis beneficio Deo gratos nos exhibeamus, bonis operibus non segnem navando operam, ille animam nostram ad se colligit, eam extra se sustollens secumque rapiens et incipiens ei regni cœlestis gaudia ostendere. Anima tunc quasi corporis expers est, sentitque nativum ejus calorem deficere, quamquam interea magnam experitur delectationem. Quasi ab aquila, sub cujus alis delitescit, anima in sublime effertur, frustra obnitens. Equidem, omni adhibita contentione, raptui sæpissime conata sum reluctari, præsertim quando is me impetus coram aliis invadebat; sed quasi luctabar cum valido et robusto gigante... Aliquoties, raro tamen, totum corpus meum de terra sursum elevatum est. Quod semel contigit mihi in choro cum reliquis monialibus agenti et genua jam flectenti ut Sacram Eucharistiam acciperem... In eo statu anima, pendens cœlum inter et terram, veluti crucifixa est mundo præ vehementissimo Dei, quem nosse cœpit, amplius possidendi desiderio. Atque hujus possessionis dilatio tantam illi parit pœnam ut ei ferendæ homo vix sit par. Equidem interdum cogito, si pœna hæc duret et increscat, Dominum, quæ ejus bonitas est, facturum aliquando ut simul cum vita hæc pœna finem accipiat; ea enim, ut mihi E quidem videtur, ad hoc plus quam satis est : sed hoc ego non mereor. Nihil adeo exoptans quam mortem oppetere, non recordor tunc purgatorii nec gravium quæ commisi peccatorum, propter quæ infernum promerita sum. Omnium scilicet obliviscor præ vehementia desiderii Deum videndi (*cap.* XX).

a Deo esse;

1828 *Quem autem divina hæc charismata spiritualem in anima gignant fructum, ex S.* Teresia *numero proximo jam indicavi : atque id ipsa multis locis repetit, aperte declarans, nisi in tali anima crescant virtutes et nominatim humilitas et abnegatio sui, ecstases raptusque, non Dei donum, sed magis dementiam quamdam reputari debere* (*cap.* XX). *Ea ratione de se ipsa inquit :* Simul atque mihi Deus magnam illam gratiam præstitit, media inter impedimenta peccandique occasiones mens mea Deo adhærebat et cunctæ me ferebant res ad eum cognoscendum et amandum (*cap.* XXI). *Apte igitur hoc donorum genus solet orationis nomine designari, quippe cum in oratione intellectus, voluntas et memoria Deo occupentur : et siquidem, ut ipsa ait, vera conjunctio tunc fit, quando duæ res in unam coalescunt et una fiunt, summus raptuum gradus est quædam animæ in Deum transformatio.* F *Atque hæc contracta* Teresiæ *verba sunt quibus suas ecstases describit et e quibus cernitur Deus esse qui fuerit earum causa efficiens et qui eas in anima ejus operatus sit, ac fuisse fructus, inde ab ipsa perceptus, altior Dei cognitio ardentiorque ejus dilectio.*

dum magneticæ vel naturalibus causis,

1829 *Jam vero si suavissimæ illæ in castæ Christi sponsæ anima operationes cum magneticis ecstasibus, de quibus plurium testimonia jam attulimus, conferantur, harum longe aliam esse rationem nemo non videt. Imprimis causam harum efficientem, ut dictum fuit num.* 1806 *et* 1807, *magnetismi præcones non aliam esse declarant quam hominis voluntatem, quæ intensa insitaque sibi vi magnetismum aut gignat aut eliciat; ipse vero magnetismus animalis vel fluido constare asseritur vel alia quapiam ignota re materiali aut etiam non materiali, prout n.* 1808 *et* 1809 *latius exposuimus : ubi contra S.* Teresia, *citra ullius hominis operationem, ac plerumque dum sola cum solo Deo ageret, extra se rapta, jure affirmat eas quas habuit ecstases a Deo esse, hoc inquiens modo :* Dominus est qui tunc in homine operatur. Ratio autem cur operetur, est quod velit : et modus quo operatur est ille qui ei placet (*c.* XXI).

Quare

A *Quare merito dici potest tantum ecstaseon magneticarum naturam a natura distare Teresianarum quantum res divinæ ac supernaturales a terrenis naturalibusque distant.*

vel, ut quidam 1830 *Sed et alia inter magnetismi adversarios exstat sententia, qua inter utrumque ecstaseon genus multo adhuc major statuitur intercapedo. Quippe censent nonnulli Deum aliquando hic frœna laxare diabolo, ac sinere ut novo quodam oraculorum genere qui seduci voluerint, seducantur, hac scilicet nostra ætate, qua multi, fide in Salvatorem Jesum Christum abjecta, concultatoque Sanguine Novi Testamenti, a Christiana Religione apostatarunt. Unde ipsi contendunt quædam quæ in magnetismo notantur ostenta dæmoni esse tribuenda; sicut videri potest apud P. Perrone in suis Prælectionibus theologicis (loco supra citato ad num.* 1822), *apud Illustrissimum Gousset in sua Theologia morali (Tractatu de Decalogo, capite* IV, *art.* 2), *apud celebrem magnetismi promotorem Deleuze in Defensione magnetismi (parte* II, *capite* IV, *pag.* 227), *multosque apud alios. Rationes autem quibus opinionis illius assertores nituntur, potissimum sunt*

B *sequentes.*

variis rationibus 1831 *Imprimis, aiunt, ipsa multorum magnetismi præconum jactantia ansam præbet ad ita de magnetica arte sentiendum; nam eorum complures aperte declarant se successores esse priscorum vatum paganismi magorumque medii ævi, quos fingunt sequestros olim fuisse arcanæ magneticæ artis, qua usi sint sive in promendis oraculis sive in patrandis signis atque portentis. Unde adversarii illi deducunt, si magnetizatores talium avorum sunt nepotes, eos e genere esse illorum quibus adsit aliquando collusor dæmon. Atque in hac sua opinione confirmantur, quod, sicut dæmoni proprium est tegere se velle, ita multis magnetizatoribus solemne sit, ex mente ejus, pronuntiare modo dæmonem inter et hominem nullum haberi commercium nullamque umquam exstitisse magiam ac dæmonem in humana corpora agere non posse, modo dæmones esse nullos; ne quid dicam de aliis qui jam tectis jam apertis verbis docent non tantum non dæmones, sed non alium existere Deum quam pantheisticum seu vagum quoddam numen. Adhæc, secundum prædictos magnetismi adversarios, Deus juste sinit ut dæmon in quædam magnetica phænomena interveniat, tum ad pœnam eorum qui,*

C *vanis observationibus sese implicantes, effectus habere notionesque haurire volunt e causis quæ gignendis iis effectibus procurandisque iis notionibus impares sunt (de quo vide S. Thomam* 2. 2, *q.* XCVI, *art.* III, *ad* 2), *tum ad pœnam artificialium eorum somnambulorum, qui, non alia ducti causa quam curiositate experiendi in se mira aut quæstus faciendi stultæve gloriæ cupiditate, abdicant non alienandum sui jus, exuentes se usu sensuum, voluntatis, intellectus et memoriæ, atque hæc omnia totosque se tradentes et committentes potestati alterius hominis qui disparis sæpe est sexus ignotusque ac incertæ malæve haud raro famæ.* Quippe, *ut ait Rostan,* magnetizati vivunt in suo magnetizatore. Voluntas eorum adeo hujus voluntati subjecta est ut merum instrumentum esse videantur. Solius magnetizatoris ope agunt; valetque hic movere ipsa eorum desideria et cogitata, ac eorum membra omnemque motum paralysi cohibere : ita ut tota eorum anima corpusque totum quasi vinculata sint. *Atque, ut comparationem qua utitur idem scriptor, usurpem,* magnetizator adeo compos est animi sensuumque somnambuli sui ut hic instar canis eum sequatur. Desideria, voluntas cogitatioque confunduntur : bini unum sunt, simul sentiunt et cogitant, sed ita ut alter alteri omnino subsit (*Dict. medic. tom. XIII, pag.* 439 *et* 450). *Adhæc tamdiu somnambulus eo in statu perdurat seu perdurare cogitur quamdiu lubet magnetizatori, fatente D. Georget se septem aliquando dies somnambulam in tali statu reliquisse, ut vidimus supra, num.* 1806.

AUCTORE V. D. M.

D

contendunt, 1832 *Verum præcipua ratio qua ad eam amplectendam sententiam præfati magneticæ artis adversarii inducuntur, sunt stupenda illa prodigia quæ magnetismi ope patrari perhibentur et qualia plura enumeravi num.* 1814 *et seqq. Quippe censent illi de aliquorum saltem mirorum istorum prodigiorum veritate taliter constare ut fidem eis nulla ratione negare ausint; siquidem, aiunt, non hic agitur de aliquo præstigiatoris in compitis theatrisve plebeculam fallentis transitorio ludo, sed de factis quæ a septuaginta jam annis per totam Europam percrebuerunt et quæ multi medici atque philosophi doctique academiarum socii asseverant se conspexisse, examinasse, patrasse. Nec moratur eos frustraneus ille successus, quo, ut dictum fuit num.* 1813, *magnetizatores causa cadunt quoties coram selectis testibus designatisque ab academiis judicibus experimenta edere volunt. Nimirum existimant illi esse a*

E *bonitate et sapientia Dei alienum ut sinat publice et quodammodo authentice edi talia ostenta, quæ tamen coram privatis edi Deus sinere juste potest; eo quod hic soli decipiantur ii qui deceptioni sese exponunt, dum ibi cordatis etiam hominibus, nil tale merentibus, ansa præberetur erroris, adempta iis potestate prudenter refragandi factis in doctorum virorum corona testatis.* Justa namque Dei providentia et bonitas, *ait Fr. Xav. de Feller,* non sinunt ut dæmon talem veritatis speciem assumat tamque speciosa opera edat ut Christiani etiam probi rectique corde ac veritatis amantes seducantur; quia non patitur Deus suos tentari supra id quod possunt (*Catech. philos., ad num.* 322). *Observatque idem auctor Deum voluisse ut causa naturalis, quoties in iisdem est circumstantiis, eodem semper agat modo, et ut effectus ejus non dependeat a varia hominum intentione.* Quod Deus ita ordinavit, *inquit,* ne mendacium eamdem ac veritas obtinere valeat firmitatem, dicente Deo apud Isaiam XLIV, 25 : « Ego » Dominus. . . . irrita faciens signa divinorum, et » ariolos in furorem vertens » (*Dict. biograph., art.* Aymar Jacques). *Unde ipsi deducunt divinæ œconomiæ esse consentaneum ut magnetizatorum ostenta*

F *omni tunc frustrentur successu, quando edendorum experimentorum solemnitate atque selectorum testium ac judicum præsentia et auctoritate plenum certitudinis gradum essent assecutura.*

diabolo 1833 *Admissa igitur ab iis adversariis veritate extraordinariorum aliquot phænomenon, sic ipsi pergunt : Cum ad mira hæc prodigia humanæ stupeant scientiæ, eorumque explicandorum tentatis et exhaustis nequicquam modis omnibus, desperetur de problematis hujus solutione, iia ut physici, medici ipsique magnetizatores hodie confiteantur stupenda illa phænomena non modo hactenus permansisse inexplicita, sed et esse inexplicabilia, concludendum est necessario recurri debere ad vires supernaturales; atqui sane non ad divinas : ergo ad diabolicas. Neque fas putant, ut asseri mirissima hæc phænomena possint naturæ, ad ignotas hujus vires recurrere. Etenim, inquiunt, etsi non omnes notæ sint naturæ vires, tamen aliqui earum certi perspectique sunt limites et fines, quos non modo omnis ætas jugisque experientia ac sensus hominum communis fixos habuit hodieque habet, sed et quos dicenda est natura, sibi relicta, præterire nulla ratione posse, nisi omnis rerum notio subvertatur,*

AUCTORE V. D. M.

A *humanumque genus, talibus pulsatum doctrinis nihilque certi amplius habens, ruat in pyrrhonismum extremamque dementiam. Tandem qui dæmonum in quædam magnetismi ostenta interventum tuentur, non leve opinioni suæ robur accedere autumant ex noxiis sæpe multiplici sub respectu magnetismi effectibus, de quibus mox sermo erit, et quos ea ratione enti quod homini inimicum sit, censent adscribi rectissime posse.*

adscribendæ sunt.

1834 *Ob has ergo causas ipsi contendunt illa extraordinaria phænomena dæmoni esse tribuenda, atque adeo hodiernum magnetismum non esse nisi continuatam magiam medii ævi et priscorum sæculorum. Negari quidem non potest dæmonem arte magica sæpe usum esse ad hominis perniciem, ut dictum fuit num.* 92, *et demonstratum videri potest apud auctores, v. g. apud S. Thomam* (2. 2, *quæst.* XCV *et* XCVI), *Franc. Suarez* (*tom. I, tract.* III, *lib.* II *de Superstit., cap.* XI), *Ill. Bossuetium* (*Serm. in* I *Dominic. Quadragesimæ*), *Fredericum Hoffmannum* (*Diatribe de diaboli potentia in corpora*) *et alios innumeros, qui invicte demonstrant unanimi omnium sæculorum, omnium populorum omniumque religionum consensu creditam fuisse dæmonum exi-*

B *stentiam eorumque* (*quantum Deus sinit*) *in res humanas actionem : adeo ut ipsamet gallica Encyclopædia fassa fuerit certissimam hanc veritatem, quam congrua verborum vi sic enuntiat :* Amens profecto is sit oportet qui negare ausit dæmones eam cum hominibus quam magiam appellamus, societatem habere (*art.* Sorciers). *Sed de his satis esto. Ex iis enim quæ hactenus disserui super causa naturaque ecstaseon Teresianarum et magneticarum, tametsi posteriores hæ tales revera contingerent quales contingere jactantur, evidens plane est nullam haberi inter utrasque analogiam, neque eas citra absurditatem aut etiam impietatem ullo modo inter se æquiparari posse; quandoquidem magneticæ elici perhibeantur a natura, ab arte vel a dæmone, dum Teresianas a Deo provenisse demonstratum est congestis superius rationibus* §§ XCI, XCII *et* XCIII, *atque hoc ipso* §, *num.* 1826 *et seqq. Id autem adhuc magis elucescet, cum de utrarumque effectu pauca dixerimus.*

Adhæc adjuncta in Teresia *prorsus alia erant*

1835 *Non ferat sane lector ut serio demonstrem procul a Sancta moniali* Teresia, *dum sublimibus illis donabatur charismatibus, abfuisse adjuncta illa omnia quibus artificiales ecstases efficiuntur et*

C *stipantur. Non aderat apud eam magnetizator, qui voluntatis suæ nisu ac contentione, sine qua tamen magnetica phænomena produci non posse magnetistæ conveniunt, fluidum in eam ejacularet aut ignotam illam vim cieret, in qua, uti num.* 1808 *et* 1809 *latius exposuimus, magnetismum animalem situm esse magna opinionum varietate contenditur. Citra ullius hominis operationem vel auxilium* Teresiam *non paulatim et quasi cum sopore quodam, sed subito ecstasis invadebat, ac plerumque in exercitio orationis et post longum tempus impensum meditationi cælestium rerum et contemplationi perfectionum divinarum; idque sæpissime in solitudine, solo actionum ac cogitationum suarum teste Deo, in quem ut in summam veritatem et summum bonum rapiebatur intellectus ac voluntas ejus : neque alio, toto tempore ecstaseos, mens et affectus divagabatur; sed omnes potentiæ animæ illius absorptæ erant alta consideratione et ardenti amore Dei. Porro non legitur ipsa in suis ecstasibus fuisse interrogata vel compellata ut responsa ederet : quin potius ipsa fatetur se non tantum ea quæ audiret, non intelligere, sed ne unum quidem, etiamsi loqui conniteretur, edere posse verbum; eo quod omnis vis exterior præ interno mentis gaudio ac robore prorsus defice-* D *ret. Et quando eo statu emergebat, suæ memoriæ, secus ac in magneticis ecstaticis locum habere plerumque asseveratur, retinebat clare ac vivide insculpta quæcumque sibi in mentis raptu contigerant; ut patet ex multis librorum et epistolarum ejus locis, quibus visiones suas distinctim enarrat, non secus atque Ezechiel aliique Sancti Dei Prophetæ, dum suas describunt visiones. Ergo, ut paucis complectar, non videre erat spectacula oscitantiæ, pandiculationis, soporis, somnambulismi; non automaticus ad alienum nutum incessus; non jussa motio membrorum; non transpositio organorum sensuum; non frivola descriptio rerum procul dissitarum, non ad jocum evocatio rerum præteritarum, non incerta conjectura futurarum, non obliteratio earum quæ durante ecstasi evenerant.*

quam in ecstaticis magneticis.

1836 *Verumtamen ea adjuncta magnetismum animalem comitari solere affirmant ad unum prope omnes qui ejus laudes celebrarunt; ut, omissis aliis, videre est ex multis hac mea dissertatione allegatis auctorum locis : v. g. num.* 1806, *ubi habes DD. Rostan, Deleuze, Georget et Dupotet, adstruentes efficacem in gignendis singularibus effectibus magnetizatoris voluntatem; num.* 1801, *ubi ex Rostanio agitur de transpositione* E *sensuum et de præsagitione rerum a somnambulis prævisarum; num.* 1814, *ubi DD. Husson, Georget, J. B. L., Kluge, Ennemoser et de Puiségur affirmant ab ecstaticis magneticis accurate prædici bonæ malæve valetudinis tempora; denique e secuturo mox num.* 1841, *in quo Alphonsus Teste affirmat omnimodam corporis animique magnetizatorum a magnetizantium voluntate dependentiam : quamquam, hoc quod attinet, sciantur, inter nuperiores præsertim artis magneticæ patronos, esse aliquot qui contendant magnetizatos compotes esse moralis suæ libertatis, hosque, si quid mali tentetur, expergefieri; at judicent alii num hæc illorum assertio auctoritati prævalcat cæterorum.*

Demum effectus in Teresia *erant excellentissimi;*

1837 *Si porro diversissimum utrarumque ecstaseon fructum pensemus, immensa earum differentia adhuc fiet evidentior. Quando tribus proximis §§ e Benedicto XIV, Card. Bona aliisque demonstratum fuit* Teresiæ *ecstases divinitus ei fuisse immissas, præcipuum haustum est argumentum ab incremento quod ipsa inde cepit virtutum, et speciatim humilitatis, qua, cælestibus licet cumulata donis, amabat nesciri et pro nihilo reputari, omnibus se postponens* F *et nulli se præponens, ac moderatoribus suis obsequens infantis instar. Quod plane constabit legenti, inter alias* Teresiæ *scriptiones, pulcherrimam illam totius suæ conscientiæ vitæque anterioris rationem quam reddit animæ suæ moderatori P. Roderico Alvarez S. J.* (*tom. I, epist.* 18 *et* 19) *et quam a lectore perlegi velim, imo hoc ipso loco insererem, ni prolixior esset et in Ribera infra* (*lib.* IV, *cap.* IV) *magna ex parte haberetur. Consulatur et totus Riberæ liber* IV, *ubi amplissime de S.* Teresiæ *orandi modis ac virtutibus agitur, ac speciatim libri illius caput ultimum, necnon quæ Riberianæ lucubrationi subnectemus virorum doctorum ac sanctorum de S. Virgine testimonia ab Yepesio collecta. Adhæc notatum supra est non uni* Teresiæ *hæc profuisse charismata, sed et illam per ea egregie promovisse animarum bonum et Dei gloriam, tum reformato Carmelitico Ordine, tum excellentissimis conscriptis libris, aliisque multis modis. Quare, dijudicatis jam superius* Teresiæ *charismatis ex effectibus eorum, ceu bona arbore e bonis fructibus, cum illis modo conferamus effectus magnetismi. Constat scilicet ex multarum academiarum medicarum plurimorumque sagacium virorum judicio tales e magnetismo gigni solere fructus, ut,*

si

A *si rite æstimentur, parum habeant commendationis, multum vero periculi et dispendii. Ac tametsi prima fronte phænomena ejus aliquam utilitatis speciem subinde præ se ferant, ad extremum tamen non verum emolumentum, sed magis detrimentum homini sæpe pariunt. Modo enim per ea inquinatur morum castitas, modo revelantur secreta familiarum, modo diruitur valetudo, modo denique in animis hominum Christiana quassatur fides. Etenim, ut de solo hoc postremo malo loquar, magneticorum prodigiorum spectatores, ad exemplum majoris partis magnetistarum, vana nugatoriaque ista ostenta facile æquiparant sanctis divinisque miraculis et prophetiis quibus Christianæ Religionis veritas demonstrari solet. Atque ad id audendum summa facilitate indocta non solum inducitur plebs, sed etiam viri litterati, qui tam rudes hodie non raro sunt in scientiis sacris quam periti in profanis, et qui necessaria et æterna plerumque ignorant ac negligunt, quia sola supervacua et fluxa didicerunt et colunt; dum nihilominus, ut primum naturalistarum vel philosophorum nomen sibi arrogarunt, fas sibi putant certissima Catholicæ Religionis dogmata et miracula cum contemptu*
B *rejicere.*

magnetismi vero effectus sæpe sunt nocentissimi,

1838 *Si quis autem censoria adversus magnetismum quorumdam judicia nosse velit, obvia ea passim habebit in multis de eo argumento tractatibus. Ex iis unum alterumve hic accipe, quæ pro specimine sint cæterorum. Imprimis Ill. Episcopus Molinensis in pastoralibus ad diœcesanos suos datis anno* 1836 *super Jubilæo litteris sic profatur :* In tenebrosa illa insurgemus inventa et arcana hodiernorum pseudosapientium, qui materialismo favent moresque evertunt... Illam speciatim profligabimus funestam magnetismi animalis scientiam, cujus vel nomen improbos prodit mores sectatorum scientiæ istius, quæ perturbare nata est hominum corpora animosque. *Item P. Debreyne, altero suo opere de quo num.* 1804 : Infames, *inquit,* hic scopuli sunt in quos horrendum in modum impingere potest morum puritas. Silere velim, nec tanti probri et ignominiæ meminisse; at silere omnino vetat conscientia. Si morum perditio quæ mihi nuper relata est, sit vera (et, heu! neutiquam mihi de illa dubitare fas est), perspicuum mihi quam evidentissime est magnetismum animalem fœdam adeo perdendorum morum occasionem præbere ut fœdior numquam inferno prodierit (*part.* IV, *cap.* I). *Parique*
C *modo loquuntur magno numero alii, v. g. Parisiensis academia medica in Relatione, quam, instituto a se de magnetismo examine, præter alteram vulgandam, alteram* (*quæ* secreta *dicitur*) *ob argumenti obscœnitatem non vulgandam composuit, sed quæ non multis post annis publicata tamen fuit.*

ut non modo ex adversariorum,

1839 *Porro non modo artis magneticæ adversarii in noxios illius effectus invehuntur, verum ipsi quoque acerrimi ejus præcones. Inter hos solers sincerusque magnetismi tractator Rostan sequenti modo* (*resectis tamen pluribus, licet ad rem facientibus nec levis momenti verbis, sed quæ castam operis hagiographici rationem non satis deceant*) *loquitur de magnetismi sequelis :* Ex eo vidi aliquando corpus acutissimis percelli doloribus, cephalalgias gigni obstinatas, cardialgias quoque violentas, prætereuntes quidem, sed non sine magno incommodo et dolore; quassatum vidi totum nervorum systema cum periculo orituri cujuslibet inde mali, lassitudinem item nimiam, magnam debilitatem, extremam maciem, suffocationem et asphyxiam; nec dubito quin mors sequeretur, si magnetizator paralysin immitteret in respirationis organa : mentis denique alienatio et melancholia natæ inde sæpe sunt. Atque hæc lugenda quæ e magnetismo frequenter oriuntur damna corporis dumtaxat valetudinem afficiunt. Verum alia sunt mala formidanda magis. Qui sive vir sive mulier magnetizatus est, penitus subjacet arbitrio magnetizantis, nec aliam generatim quam hujus habet voluntatem : quinimo, etsi reniti vellet magnetizanti, valet hic pro libitu, quoties voluerit, magnetizato facultatem adimere agendi etiam et loquendi; nullumque phænomenon est quod faciliori producatur negotio. Quid ex ea omnipotentia consequens esse non possit? Quæ fœmina.....? Ex magnetismo, dico aperte, familiarum honori damna impendent ingentia. Quare noverit oportet Respublica sibi ab eo esse cavendum. Libido, finge, comprimatur:..... quot alia superant discrimina! Valet magnetizator gravia elicere secreta, hisque abuti. Notum autem est domorum bonum non raro dependere a quibusdam quæ premi debent arcanis, v. g. circa originem, fortunam, membrorum infirmitatem, intentum quemdam scopum, etc.; quæ si revelentur, toti perniciem afferre possunt familiæ. Adhæc sexus disparitas..... Ergo magnetismus damnosus esse potest sanitati; damnosus quoque est publicis castisque moribus : easque ob causas, qui Rempu- E
blicam moderantur, severe ejus prohibere deberent usum, aut iis permittere solis qui censeri possint ab omni ejus abusu remotissimi.

AUCTORE V. D. M.
D

sed et ex patronorum ejus

1840 *Haud aliter fere loquitur Carolus Josephus Windischmann, philosophiæ et medicinæ in universitate Bonnensi quondam professor. Nimirum in suo Tentamine conjungendi artem medicam cum philosophia Christiana* (*pag.* 215), *postquam magnetismi vehementer exaggerarat vim* (*præsertim pag.* 196 *et* 199), *largas ejus laudes hoc claudit epilogo :* Magnus plangendorum hominum numerus adhibito magnetismo aut male curati sunt aut in imam projecti perditionem, varia diruti ratione, et eo quidem magis quo magis ipse incantator (*magnetizator*) variis quateretur et abriperetur indomitis animi cupiditatibus. Perspecta nobis sunt ex iis temporibus quibus politici grassabantur motus, horrifica exempla hominum extremam ruinam passorum, idque ob detestatissimos sæpe quos magnetizator intendebat fines, exempli gratia, ut latentium naturaliter rerum, aut gravium clam contingentium factorum, et politico quidem nominatim sub respectu, notitiam e lucidis somnambulis
F elicceret. Multi horrendum in modum mactati ea ratione sunt ut victimæ; hodieque hominum hostis in tenebrosis penetralibus perniciosas suas factitat artes.

judicio constat.

1841 *Pari quoque modo Alphonsus Teste, ardens magnetismi propagator, in suo de magnetismi usu Enchiridio, vulgato Parisiis anno* 1840, *sic infit :* Ad humani generis opprobrium facta de quibus impossibile mihi est dubitare, promulgare non morabor... Cum dolore vaticinor ex magnetismo familias plures esse desolandas et turpandas. Magnetizatam inter et magnetizantem fateor intimam existere necessitudinem et hujus in illam plenissimum imperium. Ipsa physicos omnes suos motus cogitur ejus accommodare arbitrio. Vicissim nescit magnetizator num magnetizata omnia cordis sui penetralia perscrutetur, et num suos sensus, suos affectus voluntatemque suam omnem commisceat cum suis magnetizantis sensibus, cogitatis, affectibus et voluntate. Illa in suo somno videt, audit, agit per suum magnetizatorem; nihilque in magnetizatæ corpore vel anima est residuum quod magnetizatoris imperio subditum non sit... Liquido ergo constat quam tetram inde pestem libidinosus operator

AUCTORE V. D. M.

rator haurire, quoties voluerit, possit. *Atque ita alii quam plurimi.*

A *Ex dictis concluditur S.* Teresiam *nihil habuisse cum magnetismo commune.*

1842 *Huic tandem dissertationi finem impositurо rursus mihi profitendum duco me magnetismi problema, quod a tanto tempore doctos indoctosque occupat, in medio, quod ad me spectat, relinquere. Judicent ergo alii utrum disputata, quæ a multis asseruntur, magnetica ostenta attribui debeant circulatorum præstigiis ac dolo, utrum vero naturæ vel dæmoni. Donec lux e tenebris oriatur, aut Sancta Romana Ecclesia ob ea quæ magneticis exercitationibus fidei morumve damna insunt vel inesse possunt, absolutam sententiam ferat, disceptationi campus manet apertus. Ast, ut meas hagiographi partes explerem, non potui non vindicare et a calumniis et a ludibrio Sanctam cujus vitam commentatus sum. Cum enim cernerem* Teresiam *adhibiti magnetici artificii a pluribus hodie insimulari, ut quæ Deus ei contulit charismata naturæ artisve ludus haberentur, et ut ea ratione in contemptum ac probrum veniret Ecclesiæ et fidelium mens, quæ laudatas Sanctorum ecstases non naturales aut artificiales esse reputat, sed supernaturales et divinas; ad confutandos istos S.* Teresiæ *simul et Ecclesiæ detractores*

B *necesse omnino mihi fuit hanc exarare dissertationem, qua ad oculum ostenderem Teresianas ecstases cum ecstasibus magneticis non modo nihil habere commune, sed alteras ab alteris quam maxime abhorrere.*

§ XCVI. Demum neque hysteriæ aut catalepsi S. Teresiæ ecstases adscribi possunt.

Plures qui hysteriæ vel catalepsi visiones S. Teresiæ *imputant,*

Reliquum est ut, post refutatam absurdam opinionem qua magnetismi præcones aliquot, malesano et nonnumquam etiam perverso animo, ecstaticam S. Teresiam *sibi in discipulam adsciscunt, aliam adoriamur ecstaseon S.* Teresiæ *interpretationem, eorum nempe qui fingunt eam non divino donatam charismate, sed correptam fuisse morbo hysterico vel cataleptico. Sic, ut alios taceam, auctor Nosographiæ philosophicæ (prima libri sui editione, prout*

C *citatur in Encyclographia medica, Bruxellis recusa* 1837, *art.* Extase, *tom. XIII, pag.* 12) *ait S.* Teresiam *laborasse mystica, ut ipse vocat, catalepsi, quam se asseverat exhibere graphice ipsis Sanctæ verbis descriptam, dum tamen quæ citat ejus verba tam male consuta et ita adulterata sunt ut infidelem prorsus ecstaseon Teresianarum picturam referant planeque absimilem a genuina illa earum pictura quæ superius hic exstat num.* 1826 *et seqq. Item scriptor articuli* Hystérie *in Dictionario scientiarum medicarum (Parisiis,* 1818, *typis C. L. F. Panckouke), postquam inter potissimas hysteriæ causas numerarat juniorum virginum mulierumque corruptam phantasiam et memoriam, quarum ope earum intellectus visis a se antea obscœnis formis auditisque turpibus colloquiis pascitur, veritus non est dicta sua confirmare exemplo S.* Teresiæ, *quam afflictam fuisse scribit hysteria melancholica* (telle était Ste Thérèse, qui nous représente un exemple d'hystérie mélancolique). *Item alter in eodem Dictionario auctor (tom.* XXIX, *pag.* 539, *art.* Magnétisme animal) *non minus asseveranter hæc exaravit verba :* S. Teresiam identidem invadebat catalepsis hysterica, quæ vel totum durabat quatriduum. In mysticis suis ecstasibus, quæ jejunio succedebant orationique contemplativæ, ipsa credebat se in mentis esse raptu, mirabaturque res grandes quas tum videbat. Omnes tunc illam, quam alio quovis tempore ignaram hebetemque censebant, stupebant ita esse subito illuminatam. Eo minus sentiebat illam corporis ægritudinem quo mens ejus altius sese efferebat. Ac latinæ linguæ secus indocta, norat tum latinas preces explicare. Percipiebatque voces internas quæ eam in anima sua alloquebantur. D

redarguuntur suismet potissimum verbis,

1844 *Si hi scriptores admitterent patrata divinitus miracula, crederentque a Deo pro suo beneplacito amicis suis supernaturalia subinde communicari dona, illos remitterem ad canonizationis Teresianæ Acta, in hocce Commentario exhibita, ubi ex plurimis gravissimisque testimoniis cernere est illam cœlitus ditatam fuisse talibus privilegiis. At cum omnem supernaturalibus donis fidem derogare videantur, audeatque citati posterioris articuli auctor pronuntiare solorum esse dementium credere miracula, ideo aliis mihi cum iis congrediendum est armis. Hæc autem potissimum depromam ex eodem armamentario, Dictionario, inquam, scientiarum medicarum, et quidem magnam partem ex ipsis eorumdem scriptorum articulis quibus tractant de* E *hysteria et de catalepsi; quo suammet auctoritatem recusare minus valeant. Ergo dum hoc pacto demonstravero nullo niti fundamento ea quæ S.* Teresiæ *affingunt, sive utriusque prædicti morbi causam spectes sive ipsum utrumque morbum, confecta mihi erit res, nec erit quod adversarii ultra mihi opponant.*

imprimis quoad hysteriam,

1845 *Prioris articuli auctor non erubescit comminisci S.* Teresiam *turpissimis incaluisse affectibus, e quibus progenitum fuerit malum hystericum. Cum similis huic calumnia convulsa jam fuerit num.* 128, *ubi castissimæ Virginis legi possunt vindiciæ, non est cur eas hic repetam. Sed nec ipse morbus in ea magis exstitit quam mentiti mali causa, sive illc hysteria dicatur sive catalepsis. Imprimis enim hysteria, quæ strangulatio uterina esse scitur diris adeo cum doloribus ut et nervi horrendum in modum contrahantur et mens haud raro sui impos fiat, hysteria, inquam (ut testantur qui de medicis disciplinis scripserunt, imo ille ipse auctor articuli ubi hæc S.* Teresiæ *irrogatur injuria, pag.* 233, 245 *et* 257), *juvenilem vexat ætatem. Verum S.* Teresia *anno primum quadragesimo ætatis suæ, ut probatum fuit in hoc Commentario num.* 119, *crebris illis gau-* F *dere cœpit ecstasibus, quæ usque ad mortem ejus perdurarunt, ita ut ipsa obitus sui die mentis raptu gavisa fuerit, eique immortua dici possit. Ergo qui non modo adulta vel declivi jam ætate fœminam, sed anum seniculam ac prope septuagenariam hystericæ affectioni sive strangulationi uterinæ fuisse obnoxiam affirmare ausit, spernere ille dicendus est aut certissima vitæ ejus documenta aut medicorum placita ac ipsa quodammodo naturæ jura. Quod si, junior cum erat, ægritudinem passa sit in qua visionem quamdam habuisse perhibetur, nullus est qui in tali morbo qualis cap.* V *Vitæ ejus (ut et* § VI *hujus Commentarii, et a Ribera lib.* I, *cap. apud nos* IV, *alias* VII) *describitur, inque exhausto tunc temporis diris longisque doloribus corpusculo hysteriam suspicetur. Mirabitur præterea quicunque S.* Teresiæ *scripta volverit Vitamque ejus legerit, a præfati articuli auctore eam dici afflictam fuisse melancholia, quæ causa fuerit hysteriæ : ex adverso namque constat læto festivoque illam fuisse genio atque perosam adeo fuisse melancholiam ut ne vel nomen ejus ferre posset, enixeque cuperet ut malum illud suis longe exularet monasteriis; quod nativa sua eloquentia*

A *quentia pulchre declarat capite* VII *Fundationum suarum.*

et dein quoad catalepsin; nec modo secundariis,

1846 *Dein catalepsi vel catalepsi hysterica, quod posterioris articuli vult auctor, S.* Teresia *laborasse non magis dici potest quam hysteria, imo adhuc minus. Taceo novam hanc ecstaseon Teresianarum explicationem seriuscule inveniri, tertio nimirum a morte ejus sæculo, adversus omnia historiæ vitæque ejus documenta. Posset insuper justum forsan contra eam interpretationem concipi præjudicium ex eo quod, teste ipso Dictionario medico* (*art.* Catalepsie, *pag.* 280), *illa ægritudo sit maxime infrequens. Quinimo, si Danieli Stenertio, sæculi sui cognominato Hippocrati, fides sit,* catalepsis tam rarus affectus est ut credant inter centum, imo sexcentos, vix unum medicum reperiri qui catalepticum aliquem viderit (*tom. III, lib.* I, *part.* II, *cap.* XXX, *edit. Lugdun.* 1676).

sed etiam decretoriis argumentis, iisque pluribus.

1847 *At contra impactam S.* Teresiæ *catalepsin* (*quam sane non modicam fuisse auctor velle videtur, quoniam quatriduum durasse asserit*) *palmare ac decretorium est argumentum quod præcipua symptomata ac signa quæ ad eum morbum ipsum illud Dictionarium medicum* (*art.* Catalepsie) *requirit, a*

B *Sanctæ nostræ ecstasibus absint, ut patet ex ipso Dictionarii citato superius loco. Ac primo quidem Dictionarium* (*art.* Catalepsie) *affirmat, cum æger malo illo urgetur, suspensas, aut magis nullas esse animæ facultates* (les facultés intellectuelles sont nulles); *contra vero* (*art.* Magnétisme), *ut patet e loco a me excerpto, non modo negat animæ ejus facultates fuisse intermissas, sed etiam asseverat eam præter morem intellectu fuisse multo acriore atque illuminatiore, taliterque excitatam tunc fuisse mentis ejus aciem, ut, quæ secus latine indocta erat, latinas eo tempore preces explicare valeret* (Subitement éclairée, elle frappait d'étonnement les autres personnes, qui la trouvaient comme stupide et ignorante en tout autre temps. . . Elle parvenait alors à expliquer le latin des prières, sans avoir appris à le traduire). *Dein, ipso rursus Dictionario teste, catalepsi obnoxius non conservat memoriam eorum quæ tempore paroxysmi sibi evenerunt* (le malade ne conserve pas le souvenir de ce qui lui est arrivé): *contra vero S.* Teresia *multa articulatim descripsit eorum quæ, cum ecstasi abrepta erat, sensit, vidit, audivit; idque exaravit tam dilucide, tam exacte, tantaque cum eloquentia, ut ipsummet*

C *idem Dictionarium* (*art.* Extase) *fateatur a nemine forte descriptam esse disertius ecstasin quam a S.* Teresia, *et ut complacitum fuerit illius articuli auctori bina ex autographa Sanctæ Vita allegare loca, his præmissis verbis :* Nulle part l'extase n'est peut-être mieux décrite que dans la vie de Ste Thérèse par elle-même. En voici les principaux traits, etc. *Demum tertio, ut habet Dictionarium, quamdiu catalepsi urgetur æger, hujus nervi contracti sunt* (les muscles sont dans une contraction permanente), *non secus ac in hysteria, de qua ait Georget* (*art.* Hystérie, *in altero medicinæ Dictionario, Parisiis edito, anno* 1824) : Signum quo a cæteris morbis dignoscatur hysteria, convulsio est; quæ ni adfuerit, hysteria non habetor. *Ast illa ipsa quæ Dictionarium* (*art.* Extase) *excerpta e S.* Teresia *fragmenta præbet, ostendunt eam summa tempore ecstaseon suarum fruentem quiete :* Gaudet tunc homo, *inquit ipsa cap.* XVI *Vitæ suæ,* genere quodam somni omnium animæ potentiarum, intellectus, memoriæ et voluntatis.

AUCTORE V. D. M.

D

Exploditur unus eorum, qui S. Teresiam *pro hebete habet,*

1848 *Ejus porro quam articuli auctor cæteris suis commentis adjicit affirmationis, videlicet S.* Teresiam *fuisse æstimatam extra tempus suarum ecstaseon* (*sive, ut ipse intelligit, hystericæ catalepseos*) *stupidam hebetemque, non est quod tempus teram aperta falsitate coarguenda. Certe mirabitur Hispania, mirabitur Christianus et litterarius orbis, tale quid hodie de Sancta hac pronuntiari, cujus libri tria jam sæcula et theologis pretiosissimum sacræ doctrinæ tractatum, et eloquentiæ cultoribus perfectissimum styli exemplar, et ipsi Leibnitzio optimum philosophici systematis nucleum continere visa sunt* (*sicut ample demonstratur ubi de libris Teresianis sermo est*). *Interim non est quod miremur istius articuli scriptorem ita tractare quæ ad S.* Teresiam *pertinent supernaturalia charismata : nam nihilo secius quælibet in Sacris Codicibus disertissime com-*

E *probata miracula procaciter aspernatur et inepte ad alienum sensum detorquet. Sic pag.* 511 *fabulatur Ananiam et Saphiram fuisse S. Petri incantamentis necatos; sic pag.* 540 *exaltationi mentis, concentrationi et tensioni cerebrali ac somnambulismo adscribit donum linguarum in Apostolis; sic denique, ut multa ejus scommata taceam de miraculis, de prophetiis, de Sanctorum Reliquiis, de dæmonibus etc., pag.* 543 *insipida simul et horrenda blasphemia, quæ adorandus hominum Redemptor de efficacia fidei protulit promissa joculatoriis sagarum næniis æquiparare non veretur.*

et sancta quæque blasphemat.

1849 *Ineptissime sane is quocum agimus scriptor comminiscitur catalepsin, tensionem cerebralem ac somnambulismum in* Teresia; *dum tria jam sæcula sapientissime ab ea reformatus virorum ac mulierum floret religiosus Ordo, dumque centies et amplius æstimatissima ejus scripta prelo subjecta fuerunt. Sed multo adhuc magis carpendus est quod tales quoque vesaniæ morbos in Apostolis comminiscitur; dum ad purissimam, sanctissimam altissimamque Christianam Religionem conversus orbis demonstrat divinum esse Christianæ Religionis ædificium, cujus*

F *fundamentum fuere Apostoli et Prophetæ,* ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 19): *adeo ut intelligi plane nequeat esse in mortalium numero qui præfracte asseverare ausint excelsa illa et divinissima opera a catalepticis, a somnambulis, ab affectis tensione cerebrali hominibus patrata fuisse. Lubuit autem paulo fusius prosequi gravem S. Virgini* Teresiæ *illatam calumniam, ut e luctuoso uno hoc exemplo viri docti, profanam quidem scientiam lectoribus suis propinantis, sed et historicam veritatem Christianamque Religionem et pietatem infide subvertentis, patescat qua fronte quæcumque sacra sunt, a veritatis osoribus impetantur.*

AUCTORE RIBERA.

A

VITA MATRIS TERESIÆ,

AUCTORE P. FRANCISCO RIBERA S. J.

Ex prima editione Salmanticensi anni 1590, *secundum versionem Coloniensem Matthiæ Martinez anni* 1620.

Summa quinque librorum.

I. Teresiæ primordia usque ab fundat. Abulæ.
II. Sequentes fundationes usque ad Albanam.
III. Reliquæ fundationes. Ejus obitus.
IV. Dona illius naturalia et supernaturalia.
B **V.** De Teresiæ corpore. Miracula per eam patrata.

Hæc librorum apud Riberam partitio servata est, sed nova facta est capitum. Antiqua erat hoc modo :

Lib. I. Prologus. De fructu e Vitis Sanctorum.
Cap. I. De revelationibus.
II. Nominatim de iis hoc libro contentis.
III. Sanctæ patria, parentes, ortus.
IV. Infantia et educatio.
V. Pericula quibus se exponit.
VI. Ingressus in Religionem. Professio.
VII. Morbi. Oratio neglecta et resumpta.
VIII. Num peccata ejus gravia.
IX. Emendata vita, adhibitis PP. S. J.
X. Agit cum P. Francisco Borgia.
XI. Obnititur donis cœlestibus; quæ crescunt.
XII. Tractat cum P. Petro de Alcantara.
XIII. Prima de erigendo Abulæ cœnobio mens.
XIV. Plures hanc ei dissuadent.
XV. Sed tamen id erigitur, volente Deo.
XVI. Teresia Toletum it, reditque Abulam.
XVII. Ædificium absolvitur. Primæ moniales.

C **Lib. II.** Prol. De servando in monasteriis spiritu.
Cap. I. Teresiæ scopus in cœnobiorum erectione.
II. De primitiva Carmeli Regula.
III. Non vult censu stabiliri conventum suum.
IV. Procella commota in Teresiam.
V. Quies redit.
VI. Ei copia fit fundandi alias domos.
VII. De virorum domibus. Methymnam cogitat.
VIII. Ubi fundat alteram domum.
IX. Quid illic contigerit.
X. Fundatio Complutensis.
XI. Item Malagonensis.
XII. Item Vallisoletana.
XIII. Item Toletana.
XIV. Quid ibi evenerit.
XV. Fundatio Pastranensis.
XVI. Item Salmanticensis.
XVII. Item Albana.
XVIII. Teresiæ itinerandi modus.

Lib. III. Prol. De Ordinis Constitutionibus.
Cap. I. Teresia Incarnationis domum petit.
II. Fundatio Segoviensis.
III. Item Veasensis.
IV. Fundatio virorum Manceræ et Pastranæ.
V. Item monialium Hispali.
VI. Quid ibi contigerit.
VII. Fundatio Caravacana.
VIII. Quid subsequenti quadriennio evenerit.
IX. Fundatio Villanovana.
E
X. Item Palentina.
XI. Item Soriensis.
XII. Item Granatensis.
XIII. Item Burgensis.
XIV. Quæ inibi facta sint.
XV. Teresiæ mors.
XVI. Circumstantiæ mortis et sepultura.

Lib. IV. Prol. Selectu opus in admittendis novitiis.
Cap. I. Naturalia Teresiæ dona.
II. Gradatim a Deo evehitur in oratione.
III. Modus orandi ejus declaratur.
IV. Inde nacta est rerum cœlestium notitiam.
V. Spiritum prophetiæ obtinuit.
VI. Composuit libros spirituales.
VII. Examinatus ejus spiritus.
VIII. Quem orandi modum præscriberet.
IX. Eximia ejus fides.
X. Item in Deum amor.
XI. Item in proximum.
XII. Pietas ejus erga S. Eucharistiam.
XIII. Devotio erga Sanctos.
XIV. Fiducia ejus in Deum.
F
XV. Ejus humilitas interior.
XVI. Item exterior; ac mortificatio.
XVII. Patientia in laboribus.
XVIII. Maceratio corporis.
XIX. Amor paupertatis, junctus cum largitate.
XX. Singularis obedientia illius.
XXI. Potentia ejus in verbis.
XXII. Gratia sanitatum qua pollebat.
XXIII. Summa ejus erga beneficos gratitudo.
XXIV. Maxima ejus prudentia.
XXV. Item discretio spirituum.
XXVI. Quædam Relationes factæ confessario.

Lib. V. Prol. Cur de virtutibus hic latius.
Cap. I. Corpus Teresiæ Abulam transfertur.
II. Albam reportatur.
III. Describitur status brachii et corporis.
IV. Teresia a morte sæpe apparuit.
V. Miracula per corporis ejus Reliquias.
VI. Item per contactum vestium ejus.
VII. Item per ejus imaginem.
VIII. Item ad ejus invocationem.

Atque hæc est antiqua Vitæ a Ribera editæ partitio; nostra vero sic se habet.

LIBER

A AUCTORE RIBERA. D

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Quem afferant fructum Vitæ Sanctorum, et quod hujus sit libri argumentum.

Vitas Sanctorum Ecclesiæ Patres

Sanctorum Dei visione in cœlo perfruentium vitas scripto consignandi labor adeo semper jucundus ac suavis visus est Sanctis etiamnum in hoc mundo viventibus, ut eumdem quam libentissime subierint, non modo quibus majus erat otium, verum etiam alii, quibus ob assiduas cum in commissarum sibi ecclesiarum regimine, tum ad acceptum a Patre luminum Jesu Christo lumen
B mortalibus per scriptas in Sacram Scripturam commentationes communicandum, occupationes et onera, vix ullum ad aliud quidpiam agendum tempus superesse posse videbatur. S. Clemens Pontifex
a et Martyr *a* Apostolorum principis Petri, quem doctorem atque institutorem habuit, iter omne ac peregrinationem scripto complexus est : S. Athana-
b sius *b* Magni Antonii gesta conscripsit : S. Doro-
c theus Martyr Tyriorum antistes *c* breve quoddam Prophetarum veterum et Apostolorum vitæ mortisque texuit compendium.

aliique viri sanctitate conspicui,

2 Epiphanius Constantiæ in Cypro episcopus *d* Prophetarum etiam elogia, tametsi succincte, concinnavit : S. Hieronymus Pauli Protoanachoretæ, Hilarionis et Malchi monachi vitas posteris scriptas reliquit : Nyssenus Gregorius Gregorii alterius, cognomento Thaumaturgi, id est, mirabilium patratoris, vitam evulgavit : S. Theodoretus Cyrensis
d
e episcopus *e* Historiam religiosam edidit, qua piam Sanctorum aliquot in orientali plaga monachorum, quorum vitas admirandas et inclyta facta litteris mandavit, memoriam ab interitu vindicatam nobis etiamnum vivam præstat : Magnus Pontifex Gre-
C gorius in Dialogis non satis habuit S. Benedicti vitam scribere, nisi et illustria plurimorum per Italiam Patrum facinora sparsim recenseret : S. Isi-
f dorus *f* denique Sanctorum qui Deo in utroque Testamento vitæ sanctimonia placuere, vitam et mortem in scriptum breve redegit. Quid vero in re adeo liquida et manifesta probanda diutius immoror? An non ipsum fecerunt SS. Joannes Damascenus, Beda, Bernardus, Bonaventura, Antoninus aliique viri sancti, tam qui olim in Ecclesia Dei claruerunt, quam qui nostra ætate vixere, quorum hic nomina producere operosum non foret?

divino amore moti,

3 Ad hanc vero scriptionem duæ hos omnes potissimum causæ impulere, ab uno eodemque ambæ fonte promanantes, ab ardentissimo, inquam, quo in Redemptorem nostrum Jesum Christum ferebantur amore et illius continenter amorem ac gloriam promovere satagebant. Primo namque videbant quantopere earum lectione mortales excitarentur, et quam potenter Sanctorum exemplis ad vitam sancte pieque traducendam inflammarentur, illorum præsertim qui eadem cum ipsis ætate vixerunt; et efficacius hos iis moveri quam tractatibus aut eximiam doctrinam aut consilia salutaria spirantibus aut ad vitam honestam adhortantibus. Deinde, ut indubitatum habebant, magni hujus Domini, quem ex intimis diligebant præcordiis et quem ab omnibus passim agnosci colique tam ardenter desiderabant, gloriam et magnitudinem nulla posse re hominibus planius manifestari quam si integerrimæ Sanctorum vitæ et præclaræ illorum victoriæ iis ad mentem et oculos revocentur. Certi insuper erant, Christo ductore et auspice hæc eos magnalia operatos, inque illius virtute humanarum E ita longe virium limitem transiliisse superando.

ad gloriam Dei conscripserunt.

4 Hinc, quod nemo negarit, secum ipsi etiam statuebant, inclyta e Sanctorum vitis facta commorare aliud non esse, quam hominibus reapse ostendere quanta sit gratiæ a Redemptore Jesu Christo conferri solitæ magnitudo, quanta potentia, quamque pretiosissimi illius Sanguinis vis et efficacia admiranda; quod hæc in Sanctis mira quadam ratione, et longe magis quam in reliquis hominibus eluceat : sicut et ipsa Dei Omnipotentis magnitudo ac sapientia in cœlis illorumque splendore ac decore et ordinata motus illorum harmonia magis et clarius quam in terra rebusque reliquis inferioribus patescit. Hinc ut plurimum in Sacris ii Litteris ita cœlorum dicuntur nomine, uti peccatores terræ, ut bene notat S. Augustinus : (lib. II de Serm. Dom. in monte cap. IX). Atque eodem loco hoc ille modo uti et S. Ambrosius, (lib. V de Sacram., cap. IV), exponit illa Orationis Dominicæ verba : « Pater noster, » qui es in cœlis; » et non aliter etiam S. Augustinus intelligit illa pene sequentia : « Fiat voluntas » tua, sicut in cœlo, et in terra : » et ante illum S. Cyprianus hanc etiam sic exponit et declarat Ora-
F tionem (de Orat. Dom., circa medium). Hos itidem cœlis Regius Propheta designat, dum ait : « Cœli » enarrant gloriam Dei; » quod in iis ad oculum pateat quanta sit gratiæ Salvatoris nostri potentia, quanta efficacia : licet plurimi e contrario Christianorum (ea nostra inertia et animi est ignavia) sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, et ejusdem Redemptoris gratiam et passionem, quod exiguarum illa in ipsis sint virium, quadamtenus dedecorent.

Quos Ribera imitatus,

5 Merito quidem hic subvereri debere videor, ne, qui hanc, quam texere aggressus sum, sanctæ Matris Teresiæ a Jesu vitam legerint, alicujus me forte temeritatis accusent, meque hoc potissimum carpant nomine quod hujus conscriptione aliquod cæteris meis lucubrationibus, quas idcirco cogar intermittere, et alia quæ præ manibus habeo opera, quæ majora dignioraque cuipiam videantur, interrumpere, ex parte afferam detrimentum. Sed tot tantorumque nixus exemplo Sanctorum ac Doctorum, quos in gloriæ Domini nostri Jesu Christi enarrandæ, mirabilium, quæ suis in Sanctis operari dignatur, celebrandum studio quam maxime velim imitari, nihil est quod metuam, quin imo primarium

AUCTORE RIBERA.

rium meum studium, etsi idem sit quod fuit ipsorum, Sacras scilicet Litteras interpretari, cum longe per me minorem quam per illos fructum pariat atque illorum sit studio longe inferius, majorem sane mihi alterius illius quem significavi laboris suscipiendi occasionem subministrat. Ut vero juxta communem hominum sensum loquar, sicut hac in parte infelix quodammodo Mater Teresia dici queat, quod tam ineptum, puerilem infantemque sit nacta præconem, digniorem longe promerita, ita ipse vicissim extiti felicissimus, cum mihi sanctissimæ generosissimæque heroinæ scribere vitam gestaque obtigerit, quæ sane patientissimus latissimusque quidam est campus, in quo se præstans, insignis ingenioque pollens scriptor exerceat.

præclara S. Teresiæ gesta,

6 Sanctitatis quidem illius hic nullam comparationem cum aliorum instituam (hoc namque judicium ad sola Dei spectat arcana; et hæc etiam quanta in ipsa exstiterit, cognosci quadamtenus poterit ex iis quæ toto hoc opere prosequar); at quæ eam abhinc annis plurimis animi generositate et magnitudine superavit, aut legi, aut novi neminem : adeo ut, quemadmodum Alexander Macedo edicto vetuit ne quis se præter Apellem pingeret, aut præter Lysippum, in sua quemque arte eximios, sui statuam effingeret (Val. Max. lib. VIII, cap. II; et Cic. lib. V ad Famil., cap. XII); ita mihi hæc quam scribere aggredior, de manibus historia excutienda videatur, et nonnisi maximi nominis historiographo consignanda, qui singularem sanctæ hujus Virginis virtutum magnitudinem pari verborum stylique sublimitate consequatur. Illinc vero me plurimorum sanctitatem illius, ut quidem æquum et rationi consonum est, magni facientium et erga eam singulariter affectorum, id a me pro jure suo efflagitantium consilium ac judicium consolatur; hac accedente præsertim cogitatione, sinceram puramque intentionem ac bonam voluntatem Deo Sanctisque longe esse, quam sublimia ingenia et oratorias verborum facultates, acceptiorem. Ut vero quod res est dicam, nihil hoc meum scribendi desiderium magis animavit, quam eximia solidaque in Deum Opt. Max. fiducia : spero namque ab illo, qui mutorum aperit ora, et linguas infantium facit disertas, os etiam meum apertum iri, et sanctæ ejus ancillæ suffragiis calamum dirigendum, ut ad id ipse scriptis mandandum pertingere queam quod gratiæ ipsius adminiculo adeo illa perfecte operando adimplevit. Ex dictis hactenus perspicere quivis potest quibus ad hanc vitam pertexendam rationibus sim impulsus, cum ejus in familiis viri non deessent et auctoritate et doctrina præstabiles ad has longe me dignius scribendi partes implendas, qui Societatis Jesu sum membrum, quem id proinde scriptionis genus minus tangere videatur.

plures ob rationes

7 Quoniam autem singularem aliquam nonnemo forte a me rationem rei hujus petiturus est, huic paucis, Societatem Jesu ad Dei gloriam et salutem animarum jam inde ab initio fundatam esse, respondeo; hinc illius sodales ac membra minime indecens esse huc spectantia ac facientia litteris tradere. Altera ratio sit, in hanc ipsam Societatem non minimam Matris Teresiæ a Jesu laudum partem transferendam videri, utpote quæ illius auxilio non mediocriter, ubi primum spiritualis ædificii fundamenta posuit, ac semper deinde, profecit. Tertio, quia quidquid ad Sanctos, cujuscujus demum familiæ conseantur, pertinet, id ipse velut proprium ac meum duco, cum invicem omnes fratres simus et eidem universi Domino famulemur, quo etiam simul omnes in cœlo perfruituros nos speramus, quemque in terra pariter quam maxime extollere ac glorificare par est. Hinc etiam plerique eorum qui Sanctorum vitas scripto consignarunt, non semper, sui num forent, spectarunt, cum rationibus quas ante produxi, velut efficacissimis moti, tum proprium affectum et divinum, quo ad hoc faciendum se sentiebant impelli, instinctum secuti. Hinc sanctus præsul Antoninus, Ordinis sui Sanctorum elogia dum texeret, S. Francisci ejusque collegarum præconia celebrare sibi turpe non duxit. Neque exspectavit Athanasius ut Magni Antonii vitam anachoretæ socii et discipuli conscriberent; sed eam ipse monumentis consignavit. Nec de solo Benedicto præposito suo scripsit Gregorius, verum etiam de aliis plurimis sanctitate excellentibus : quem etiam Ven. Beda, qui ejusdem fuit Ordinis, post est imitatus. Ut autem de veteribus illis taceam, duos ipse hodie viros *g* et auctoritate et eruditione conspicuos novi, qui, quoniam spectabiles sunt et singulares, in omnium oculis versantur, et aliud ambos vitæ institutum professos; quorum primus, uti mihi quidem narratum est, hanc ipsam historiam vitæ Matris Teresiæ modo adornat, alter vero se haud ita pridem mihi dixit ad idem scriptionis genus animum, ubi primum per negotia liceret graviora, applicuisse.

et ex grato erga Sanctam animo,

8 Quarto, quia cum ejusdem Religionis viri necnon alterius eamdem quoque conscribere queant, ad Dei magis gloriam facere videtur ab alterius hanc instituti viris litteris mandari, ut eo scriptis major accedat auctoritas quo ad scribentem res minus videtur spectare. Quinto *h*, quia piam hanc mihi mentem Dominus videtur inspirasse, quod insignes ipse sanctæ hujus Matris virtutes ac sanctimoniam quam maxime suspiciam, et singulares illius patrocinio a munifica Majestatis ejus dextra gratias obtinuerim. Nec vero est quod arrogantiam aliquam redoleat, hanc mihi mentem cœlitus datam esse prædicare, quod plurimis usque manifestissimis ad hoc credendum argumentis compellar. Adeo ut, cum hac mea scriptione nec sui Ordinis nec aliorum sodalibus ad eamdem, etiam magis ex dignitate, historiam pangendam januam præcludam, minime videam cur novum cuiquam aut insolens videatur, in re adeo salutari pio me meo satisfacere desiderio, uti suo aliis in re simili aut dissimili evulganda satisfecisse vitio nemo vertit. Etsi vero nullum quæ dictæ sunt rationes locum haberent, mihi tamen sufficiens ad hanc scribendam historiam causa videatur quod ita ampla et illustris scribendi materia in mea inciderit tempora, dein quod cum ea ipse familiariter sim conversatus, sæpius sermones miscuerim, rerumque illius plurimarum conscius fuerim, in quas, ut singulari mei ipsius desiderio facerem satis, diligenter diu ante inquisivi quam aliquam ejus quod modo molior, operis cogitationem in animum admisissem.

integra fide

9 Cum ergo, ut ad cœptum sermonem revertar, qui Deum glorificare commemoratione eorum memorabilium quæ Sanctorum suorum opera edere dignatus est desiderat, idipsum mentiendo fingendove haudquaquam facere possit, dein cum natura ipse detester omne id quod commentitium esse novi, atque a viro sapiente alienissimum eoque indignissimum censeam dubia pro veris indubitatisque obtrudere; quidquid non certissimum erit, omittam; quæque dicturus sum, cum veritate ipsa usquequaque constabunt : atque hanc ob causam personarum singillatim nomina adscribo et ad minutias sæpe descendo, liquido ut constet qua in veritatem reique certitudinem diligentia, in iis etiam quæ exigui ponderis alioquin videbantur, inquisierim. Hinc fixos semper in narrationis veritatem oculos habebo,

habebo, quæ ab ipsis etiam ethnicis scriptoribus ut prima et potissima historiæ pars semper fuit judicata (Cic. lib. II, de Oratore). Quæ de se ipsa scripto prodidit, obiter perstringam, quod ea malim in illius quam meo libro perlegi : adeo ut, sicuti qui hocce meum volumen lecturus est, illius idcirco scriptum negligere minime debet, quod, præter ipsam historicam narrationem, sublimem divinamque quamdam complectatur doctrinam, ita et qui in illud incidet, si sanctæ hujus Matris vitam et institutum nosse voluerit, hunc etiam librum evolvat oporteat, ut qui ad plurimarum ipsius commentario proditarum rerum lucem enodationemque mirifice faciat, et quæ ipsa subticuit aut omisit, suppleat.

ac non raro e scriptis ab ipsa libris,

10 Quod hac in historia melius quam in alia quapiam fieri poterit : nam, cum ad hunc quo scribo diem nonnisi quinque a decessu sanctæ Matris effluxerint anni, et etiamnum plurimi qui eamdem jamdudum novere ac familiariter cum ipsa versati et locuti sunt, supersint, non deerunt tum qui de quibus dubitem, me abunde instruant, tum qui, sicubi a veritate historica deflectere me contingeret, id manifestent, meque coarguant. Non parum huc etiam opis mihi attulerunt privata illa, quæ sedulo pervolutavi, scripta et commentarioli quos superiorum jussu ipsa conscripsit, quibus complura de suis singillatim rebus complexa est : ex his mutuabor suo loco quæ ad historiam hanc necessaria fore existimem. Inter alia scriptum quoddam *i* exstat quo vitam scribentis contineri volunt, quod sæpius ipse adhibebo, quamquam suam in eo vitam sancta Mater non descripsit, sed ea dumtaxat quæ præpositorum imperio scriptis mandare jussa fuit, ipsum nimirum iter per quod eam Altissimus in rebus spiritualibus deduxit, necnon permulta quæ ab eodem est dona, ad usque erectionem monasterii Abulensis quod a S. Josepho cognominatur et omnium fuit primum, consecuta. Suas autem hic ipsa virtutes minime refert nec ingentia quæ Deo præstitit obsequia, sed ea solum quæ a liberali supremi largitoris manu ad annum usque sæculi currentis alterum et sexagesimum dona accepit : ea enim tenus historica libelli illius narratio tantum extenditur; ipsa vero dein viginti amplius annis supervixit.

litteris mandare decrevit.

11 Hoc porro nos volumine complectemur universa cunctorumque monasteriorum illius fundationes, ut plena ac perfecta omnibus suis sit numeris historia; et in lucem ac publicum proferemus quæ ipsa adeo studiose supprimere semper elaboravit. Illius hic vivam, quoad poterimus, effingemus imaginem, eam coloribus veris atque illustribus quibus enituit virtutibus depingendo : quam deinde etiam expoliemus, illustre ac pretiosum omnium, quæ tum vivens tum post mortem operata est et etiamnum sæpenumero operatur, prodigiorum, quibus opus suum summus artifex perficere voluit et quibus imago hæc futura est et perfectior et longe spectabilior, decus addendo ac lumina. Idque ad Redemptoris nostri Jesu Christi, qui tot ancillam suam virtutibus heroicis condecorare est dignatus ac fœmineo in pectore viriles et masculos animos inferre, gloriam, necnon ad gloriosissimæ Dei parentis Mariæ honorem, quam Teresia ut matrem numquam non est venerata, utpote ejus cultui mirum in modum devota, cujusque ipsa Ordinem ac familiam restituit; deinde ad gloriosi Josephi, quem ut patrem est reverita, cujusque ope et intercessione tot tantaque a Domino munera obtinuit, exaltationem; tum vero in sanctæ hujus Matris laudem, ut nimirum nomen illius ubique locorum innotescat et celebretur, neu tempus rerum omnium edax illustrium operum ejus destruat memoriam; quin etiam ad filiorum ejus ac filiarum spiritualium consolationem, ut cum ipsi tum ipsorum posteri perfectum quod imitentur omnis religionis et sanctitatis exemplar et imaginem habeant; denique ad commune totius Ecclesiæ Christianæ emolumentum, cui hæc adeo illustria virtutum omnium exempla ad imitandum prælucebunt et magnos dabunt animos. Spiritui ergo divino supplicantes ut propitium nobis auxilii subsidiique sui favorem aspirare dignetur, jam portu solvemus et magna cum fiducia ventis vela laxabimus, in nomine Patris et Filii et ejusdem Spiritus Sancti. Amen.

AUCTORE RIBERA.

ANNOTATA.

a *Itinerarium S. Petri a S. Clemente conscriptum non exstat. Libri vero Recognitionum, e doctorum sententia, S. Clementem auctorem non habuerunt. Vide de his tom. V Junii, ad diem* XXIX (*pag.* 398).

b *Bollandus ad diem* XVII *Januarii hanc S. Antonii Vitam contra novatorum quorumdam scrupulos* (*ut ait Papebrochius ad diem* II *Maji, p.* 245) *S. Athanasio vindicat.*

c *De S. Dorothei scriptis agitur ad diem* V *Junii* (*pag.* 436); *ubi Synopsis de Prophetis, Apostolis et Discipulis Christi, fabulis referta, atque a Baronio, Possevino, Bellarmino, Raynaudo, Labbeo aliisque nigro obelo notata, ei Sancto abjudicatur.*

d Liber de Vita Prophetarum, *ait Papebrochius in synopsi marginali ad diem* XII *Maji* (*pag.* 49), licet non demonstretur certo supposititius esse,. . . malim tamen non recipiatur, ut non satis dignus S. Epiphanio et ex Rabbinicis figmentis consutus, sicut etiam is qui S. Dorotheo fuit latine suppositus.

e *Lectu digna sunt quæ de Theodoreti Historia religiosa, quæ* Philotheus *inscribitur, annotavit Garnerius capite* V *Dissertationis de libris Theodoreti, editioni Operum ejus adjectæ.*

f *Disquiritur ad diem* XXV *Julii* (*pag.* 83 *et seq.*) *et tomo* VI *Septembris in Dissert. de Fratribus Domini* (*pag.* XXI) *utrum de Sanctis opusculum id attribuendum sit S. Isidoro Hispalensi necne. Affirmantem sententiam, in quam nostri Decessores saltem propendisse videntur, multis rationibus propugnat Nicolaus Antonius in Biblioth. Hisp. veteri* (*l.* V, *c.* IV, *n.* 114 *et seq.*), *et in nova hujus Bibliothecæ editione plura in eamdem sententiam argumenta affert Franciscus Perez Bayer.*

g *P. Fredericus in Proœmio ad Vitam S.* Teresiæ (*pag.* XV) *memorat quatuor inclytos viros qui animo conceperunt vel tentarunt, sed non absolverunt, scriptionem illius Vitæ.* 1° Dominicus Bañez Ord. Præd., professor theologiæ in universitate Salmanticensi et confessarius S. Matris, ab hujus morte chartæ mandare cœpit spiritualia illius dona, quorum fuerat testis oculatus : at quominus pergeret, impeditus fuit gravissimis a se agendis negotiis. 2° Suasu imperatricis Mariæ Austriacæ, sororis Philippi II, lubens ad idem opus se accinxit P. Ludovicus de Leon Ord. S. Aug., inibi lector Sanctæ Scripturæ : sed vix quinque vel sex pagellas complerat, ut vita cessit (Yepes, Introd. § IV). 3° Julianus de Avila, sacerdos sæcularis et comes itinerum S. Teresiæ, longius rem promovit, testante doctore Vaquero in Vita Mariæ Vela : « Scripsit » Julianus historiam vitæ et fundationum Sanctæ; » in qua ego aliquantisper eum juvi. Mihi legavit » hæc sua scripta, quæ ego maximi facio. Ex eo » protographo apographum Romam missum est. » 4° Legere est in Vita Benedicti Buonmattei, composita ab abbate J. B. Casotti, præclarum hunc italicæ linguæ cultorem orsum fuisse scriptionem Vitæ Teresianæ et eam feliciter perduxisse ad fundationem usque Toletanam. *Verisimile est a Ribera in-*

AUCTORE RIBERA.

nui duos priores, nisi fors P. Didacus Yepes inter binos illos fuerit.

A h *De his quæ sequuntur, plura vide in Commentario prævio* § I, *num.* 3.

i *Vide de hoc scripto* § LXXVI *Commentarii prævii.*

CAPUT I.

De visionibus ac revelationibus quæ multis Sanctis aliisque Dei servis contigerunt.

CAP. I. *Visiones ac revelationes*

Antequam narrationis seriem aggrediar, non mihi abs re alienum, imo pernecessarium videtur, hoc loco præmittere quod tum iis quæ post dicenda sunt miram lucem afferet, tum vero magno me

a post suis locis labore levabit *a*. Narrandæ mihi hinc inde variæ sunt visiones et revelationes Matri Teresiæ factæ, non quidem omnes quas aut illa habuit aut ipse novi, sed eæ solum quæ rei quam

B prosequor magis quadrare videbuntur; nam præterquam quod optime cum ipsa coincidant, salutarem ac perutilem doctrinam continent et lectorem imprimis ædificabunt. Atque ut revelationes SS. Brigittæ, Gertrudis, Catharinæ Senensis, Angelæ de Fulginio aliarumque innumerarum maximo lectores suos et fructu beant et exemplo juvant, sic quæ Matri Teresiæ contigerunt atque a superiorum Sanctarum apparitionibus ac visis nequaquam discrepant (ab uno enim eodemque omnes venerunt spiritu), eosdem dubio procul gignent effectus. Quoniam autem minime defuturos arbitror qui narrandis fidem abrogaturi sint, vel quod rerum prope rudes sunt et ne fando legendove quidem ea audiere quæ in omnibus Sanctorum vitis passim obvia sunt, vel quod quam familiariter suos dilectos suavis ille animarum Sponsus habeat, numquam experti sunt, siquidem, ut probe Magnus monet Gregorius, « carnales quique, quia » illa invisibilia scire non valent per experimen- » tum, dubitant utrumne sit quod corporalibus » oculis non vident » (Dial. l. IV, c. I); consultum fuerit illo in quo versantur errore, jam inde ab initio eos educere, et ad ea quæ post dicenda sunt

C iter illis complanare, ut sine omni prorsus metu ne a quoquam narratio in deteriorem partem accipiatur, historiam meam et exordiar et prosequar, et eam ipsi sine omni prorsus remora aut scrupulo ad calcem usque decurrant.

multis contigisse Dei servis,

2 Futuri sunt alii qui doctiorum litteris imbutorum ac spiritualia sectantium esse credent nullam penitus revelationi cuicumque fidem adhibere velle, at eas quotquot sunt explodere, et illi quo eæ enarrantur, libro auctoritatem derogare. « Non credent forsan (inquit Gerson, de Distin- » ctione verarum visionum, Signo V, circa me- » dium) mundani sapientes talem fieri illumina- » tionem; quoniam verissime pronuntiatum est » ad Deum per Prophetas : Illuminans tu mira- » biliter a montibus æternis; turbati sunt omnes » insipientes corde : qui non sapiunt videlicet quæ » cordis sunt et spiritus, qui nec secum habitant » in corde suo, sed foris in plateis vanitatum. » Doctissimus juxta ac spiritus magister versatissimus abbas Ludovicus Blosius tractatum evulgavit, cui Monile spirituale nomen indidit, divinis revelationibus tamquam præclaris quibusdam gemmis exornatum, cujus in exordio sic præfatur : « Præ- » monendus lector est, ne perversum quorumdam D » hominum judicium sequatur, qui revelationes » ac visiones divinas ceu vanissima somnia con- » temnendo se parum spirituales et humiles esse » ostendunt : neque enim parvi pendendæ sunt » revelationes divinitus exhibitæ, quibus Ecclesia » Dei mirifice illuminatur. . . Dominus semper » potuit semperque poterit operari quod vult in » mundis animabus electorum suorum. » Plura hac de re habere qui volet, apologeticam Joannis Lanspergii Carthusiani consulat epistolam, quam S. Gertrudis Revelationibus præfixit. Utrosque autem rogatos velim ut quæ hic scripturus sum, omni sinistro affectu exuto legant, nec ante de iis judicium sententiamque ferant quam omnia ad calcem usque perlegerint, seque a veritate non invitos nec rationi obluctantes duci sinant, eique indivulse adhærendo faveant.

non solum in Veteri Testamento

3 Primo enim, si mature rem perpendere voluerint, a Scripturis tam divinis quam humanis se redargui convincique comperient. Porro de Sacrarum Litterarum scriptoribus jam non necesse loqui : fide namque magistra edocti sumus has esse verba divinitus ipsis inspirata, et Deo inspirante, quidquid E scripserunt, eos didicisse. Moysen sæpius Deus est allocutus; quin etiam plura illi revelavit quam is scripto commisit, cum de se ipse testatum reliquerit : « Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad » faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum » (Exod. XXXIII, 11). Unde et Maria soror ejus et Aaron frater invidiose de ipso jactant : « Num » per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne » et nobis similiter est locutus? » (Numer. XII, 2). Adhæc, si suas dicat Deus « delicias esse cum filiis hominum », quomodo non loquitur iis quibuscum adeo sibi volupe est conversari? Idem ipse Salomon, cujus ore superiora verba locutus est, alio quodam loco scribit : « Cum simplicibus sermo- » cinatio ejus » (Prov. III, 32), id est, cum sinceris, neminem decipientibus, nemini malum irrogantibus. Hoc ipsum porro jam inde a mundi exordio declaravit, multoties cum Adamo, Eva priscisque illis Patribus loquens, atque imprimis cum familiarissimis suis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Josue, parentibus Samsonis, Samuele, Jobo ejusque amicis, Davide, Salomone, cum omnibus denique Prophetis. Tanta autem Veteris Testamenti tempore Prophetarum erat multitudo, ut etiam ingens illorum turba Sauli obviam prodierit, eum cum plausu F exceptura; quibuscum ille divina oracula effundere cœpit, occasionemque vulgari illi adagio dedit : « Num et Saul inter Prophetas? » (1 Reg. X, 11). Multa de hac re in libris Regum et Paralipomenon legere est. Ipsius etiam Moysis tempore palam dixit Deus : « Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, » in visione apparebo ei, vel per somnium loquar » ad illum » (Numer. XII, 6).

et ævo apostolico,

4 Quid deinde de Legis Euangelicæ dicam tempore, de qua jam olim Joel prædixit : « Et erit post- » hæc : Effundam spiritum meum super omnem car- » nem : et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ : » senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri » visiones videbunt » (Joel. II, 28)? In illa siquidem sponsus Deiparæ Josephus a Deo revelationes accepit et monita; nec non Ananias, a quo ipse gentium Doctor sacro Fonte est ablutus; tum quoque, uti etiam post, idem ipse Doctor tot tamque sublimes revelationes habuit, ut illi Angelus Satanæ, a quo colaphizaretur, ne magnitudine forte ipsarum extolleretur, dandus fuerit, uti de se ipse scriptum reliquit; Apostolus quoque Petrus, cæterique cum eo Apostoli, Cornelius Centurio, etiam antequam

quam Christo nomen per salutare lavacrum dedisset, Stephanus item Protomartyr, Agabus Propheta, nec non Philippi diaconi filiæ, aliique eo tempore permulti, uti primam ad Corinthios Epistolam legenti non obscure patebit. Dei denique cum amicis suis familiaris communicatio et congressio adeo semper nota inter homines fuit, ut et ipse Homerus viris præstantibus atque heroibus aliquem prope semper Deum, qui illis adhæreat ac cum ipsis loquatur, affingat : hinc Ulyssi et Telemacho Minervam præsidem ac tutricem nec non Tydeo filioque ejusdem Diomedi assignat; quod ipsum et in Æneide sua Latinorum Homerus imitatur Virgilius. Dicturos forsitan olim quidem crebras hujusmodi Dei visiones et familiaritates fuisse, at longe secus hodie se rem habere, equidem percontabor, num, quod e Salomonis Proverbiis jam ante produximus, Dei nimirum esse delicias cum mortalibus familiariter agere et cum simplicibus illum sermocinari, ad solos ejus ætatis homines dictum censeant, an vero in nostri sæculi mortales etiam quadret? Cum autem Dei dextra minime abbreviata sit, sed tam hoc quam superioribus sæculis, ad insignes amicos sanctosque sibi
B comparandos, æque late pateat, cur misericordiam et charitatem ejus erga ipsos ita restrictam coarctatamque censebimus, ut nec cum iis, uti cum priscis amicis, tractando familiarius loquatur, nec solita eos benevolentia complectatur? Quæ porro major potiorque hujus objiciendi ratio sit nostri sæculi hominibus quam fuisset iis qui idem abhinc trecentis aut quadringentis, quin imo a centum tantum annis objectassent? Quanto vero, si qui id tum dictitassent, pudore hodie suffunderentur, videntes tot, medio illo temporis intervallo, toto orbe Christiano passim Sanctos exstitisse, quibus tam præclara tamque varia a Domino legimus interea fuisse revelata?

sed secutis etiam temporibus,

5 Et sane hoc ipso quo vivimus sæculo, quot vixisse sanctos utriusque sexus homines constat quibus se mira quadam Deus ratione communicavit? Sane Magister ac Dominus Joannes Avila, eximius ille Dei servus, de id genus arcanis loquens, quæ e plurimis ipse quibuscum tractabat, noverat, hoc ipso Deum tempore cum creaturis suis adeo miranda quædam aiebat agere, ut, si evulgarentur in publicum, fidem vix invenirent. Constat autem cum amicis suis Deum peramice versari, et,
C quamquam valde apparet absconditus iis quibus non videtur, se tamen clare spectandum illis exhibere qui suum illi sincere cor offerunt, magnaque illis arcana solere communicare. Quamobrem cui hujusmodi negatur prærogativa, Deo idipsum non adscribat, neu persuasum habeat posse nemini eam concedi, quia sibi forte non datur; cum id nullo non tempore datum sit, et etiamnum quotidie permultis concedatur : quin sibi ipsi id potius imputet, si, secum ut Deus loquatur, se non disponat. Monentem ergo audiat Richardum de S. Victore scriptorem et gravem et veterem : « Quamdiu » (inquit) gratiæ hujus excessus in nobismet ipsis » minime sentimus, quid aliud de nobis sentire » debemus nisi quod minus diligimus? Si enim, » quisquis es, plene perfecteque diligeres, forte » dilectionis tuæ nimietas æstuantisque desiderii anxietas in ejusmodi te abriperet excessum. Item, si divina dilectione plene dignus » exstitisses, si tantæ dignationi te idoneum » exhibuisses, forte tanta luminis sui claritate » intelligentiæ tuæ oculos inundaret, tanta dulcedinis suæ suavitate cordis tui desiderium » inebriaret, ut teipsum super teipsum raperet » et per mentis excessum in superna elevaret » (de Arca mystica, lib. v, cap. v). Atque huc etiam D eodem in libro paulo post (ibid. cap. VIII), refert quod de Abrahamo in Genesi memoratur, trium Angelorum sibi apparentium in occursum properante : quod cum in ipso fervore diei factum Scriptura testetur (Gen. XVIII, 1), per hunc ipse fervorem divini vult amoris ardorem repræsentari, ac tum potissimum sancto huic Patriarchæ eximiam hanc visionem obtigisse, dum veri summique boni amore ac desiderio cor illius interne vehementer æstuabat; qua forte dignus redditus non esset, si suo in tabernaculo rerum terrenarum occupatione distortus hæsisset.

AUCTORE RIBERA.

6 Quis vero non videt ecquod sit orationi rerumque divinarum contemplationi addictorum et ab eadem alienorum discrimen? Quotnam in oratione Deus veritates revelat, quantum inter meditandum luminis instillat, quantum cautelæ ad nusquam impingendum suppeditat! Qui autem orandi precandique studio non vacant, vix quidquam horum experiuntur. Dein, quod inter hos est discrimen, idem, quin etiam majus, reperire est inter eos qui, præterquam quod precationis studiosi sunt, vitam honestam probamque, sed nonnisi juxta vulgarem E hominum consuetudinem ducunt, et illos qui magno animi robore rebelles affectuum passiones edomant, nullum cum rebus creatis habent commercium, soli Deo corde colligati et uniti sunt, atque præ omnibus et desiderant et amant, ipsum solum qui, quo se hi a rebus creatis magis alienant, eo se illis communicat amicius, aperit planius; quin fieri potest tam illos Deo fideliter famulari ut adeo se vicissim illis familiarem exhibeat, ut non raro cum iis blandos, amicorum se mutuo alloquentium ritu, sermones misceat, sicut cum Moyse fecisse constat : adeo ut, si consideremus quanta sit Dei cum hisce familiaritas, ea quam cum communem vitam agentibus aliquando habet (uti dixi), nulla prorsus et vix ullius meriti ac numeri esse videatur. Quare, secundum S. Bonaventuram, « hanc » visionem nullus habet, nisi sit vir desideriorum; » nec potest habere nisi per magnum desiderium. » Unde ait Propheta : Gustate et videte quoniam » suavis est Dominus (Ps. XXXIII, 9). Primo dicit : « Gustate »; gustus enim suavis non est, nisi » præcedat appetitus gustabilis ad gustabile susci» piendum » (Illuminat. Eccl., Sermo XX). Varii autem Deo sunt loquendi modi, prout singulos F quibuscum agere vult, dispositos videt. De qua re late tractant Didymus (lib. II de S. Spiritu) et S. Augustinus (lib. XVI de Civ. Dei, cap. VI), latius vero et pereleganter S. Gregorius (lib. XXVIII Moralium, sub initium). Tametsi non ignorem Deum non omnes amicos suos per hancce viam deducere, ea tamen multos omni ætate deduxit hodieque deducit. Quod qui plenius et apertius videre voluerit, S. Bonaventuræ tractatum quem de septem Contemplationis gradibus conscripsit, et Richardi a S. Victore Arcam Mysticam, aliosque id genus libros permultos a rerum spiritualium magistris compositos consulat; qui frustra editi libri fuissent, si non iis exstitissent temporibus plurimi quos similibus prærogativis beasset Deus. Quapropter credere olim quidem amicis suis loqui Deum consuevisse, hodie vero conticescere, et priscis quidem temporibus ac majorum ætate permultas plurimis revelationes ab eodem factas, sed eas modo penitus desiisse, non id quidem in homines judicio sapientiaque præditos, sed in prorsus ignaros rerumque aut lectarum aut visarum pene expertes arbitror posse cadere.

negari non potest.

7 Hanc

AUCTORE RIBERA. *Afferuntur nonnulla*

7 Hanc ob causam minime rationi dissentaneum fore existimo, omnibus, tam quibus hic error jam insedit quam quos is occupare deinceps posset, eum penitus eximere, quam potero brevissime ostendendo, non Apostolorum solummodo ætate, sed etiam postea ad nostra usque tempora revelationes has in Ecclesia fieri solitas et quantam eis auctoritatem fidemque adjunxerint qui iisdem floruere doctores et Sancti. Dionysius Areopagita *b*, Apostoli Pauli discipulus, non minus vitæ sanctitate quam scientia apud veteres notissimus, Demophilo (epistola VIII) narrat, se, dum in Cretam trajecisset, Carpi viri sanctissimi domo exceptum fuisse; quem adeo divinæ ait Majestati exstitisse familiarem ut non ante ad Sacra celebranda Mysteria accederet quam propitium ei aliquod a Deo visum obtigisset. Refert deinde Dionysius harum visionum unam, tunc temporis ipsius Carpi ore exceptam, longam illam quidem et admirabilem, in omnibus tamen iis quas in sequentibus ipsi recensebimus, similem. Vidit is namque cœlum apertum atque in eodem Redemptorem Jesum Christum multis Angelorum millibus stipatum : inferne patentem tartarum, ac duos in eumdem prope præcipitantes, quorum crura immanes circumplectebantur angues, ut stare nescii in patulam voraginem ruerent; exinde ad eosdem descendentem cum Angelis Redemptorem Christum, manibusque illorum apprehensis, discrimine eos educere satagentem; ac dein ad Carpum iis ipsis indignantem, conversum dixisse : « In » me sævi, si videatur, Carpe; paratus enim sum » mortem denuo, humani generis redimendi causa, » subire. » Si de quoquam hoc tempore viventi idipsum referremus, quam multis, licet doctrina et spiritualium rerum scientia eximiis, id in risum ac fabulam verteretur? Cum tamen S. Dionysii, viri et litterarum et spiritualis scientiæ cognitione clarioris, tempore res evenerit, illam ipse ut inauditam non rejecit neu ut nugacem explosit, quin potius narrationem hoc epiphonemate concludit : « Hæc » ipse audivi, et vera esse mihi persuadeo. » Tertullianus, auctor vetus, utpote Apostolorum ætatem proxime secutus, scripsit in hæc verba : « Nam quia » spiritualia charismata agnoscimus, post Joannem » quoque prophetiam meruimus et consequi. Est » hodie soror apud nos revelationum charismata » sortita, quas in ecclesia inter Dominica solemnia » per ecstasin in spiritu patitur : conversatur cum » Angelis, aliquando etiam cum Domino. Et videt » et audit sacramenta, et quorumdam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit. » Jam vero, prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi » canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus » subministrantur. Forte nescio quid de anima » disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. » Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu » solet nobis renuntiare quæ viderit, » etc., (lib. de Anima, cap. IX).

in hanc rem exempla,

8 Quod Græci ecstasin, Latini raptum dicimus : cui vero similia contingunt, hunc rapi dicimus vel extra spiritum raptum esse. Placet autem magis propriis terminis modisque loquendi uti quam alienis, ne cui forte ii novi aut peregrini videantur. Paulus, primus eremi cultor, postquam multas easque admirabiles revelationes cœlitus habuisset, quas per tot quibus in spelunca ignotus delituit annos factas illi indubitatum est, tandem Deo revelante didicit S. Antonium eodem quo ipse in deserto solitariam vitam agere, et hujus se conspectu, priusquam de vita migraret, recreandum. Unde et Antonius alio in loco Deum vicissim monentem audiit, Paulum ut adiret. Ergo alter in alterius conspectum cum venisset, suis invicem compellarunt nominibus, cum ea tamen ante ignorarent. Suæ mortis eum certiorem reddidit Paulus, et acceptum olim a S. Athanasio corpusculo involvendo pallium ab ipso postulavit : ad quem reversus Antonius, animam illius multis Angelorum, Patriarcharum et Apostolorum agminibus stipatam in cœlum subvehi conspexit. Nec vero solas has, sed et alias multas præstantes S. Antonio revelationes contigisse ex S. Athanasio, Palladio aliisque qui de ipso scripsere, discimus. Etsi vero nihil harum a quoquam proditum esset, sufficientis testimonii loco foret quod apud Cassianum in Collationibus his verbis refert abbas Isaac : « Et ut ora- » tionis veræ percipiatis effectum, non meam vobis, » sed B. Antonii sententiam proferam : quem ita » nonnumquam in oratione novimus perstitisse, ut, » in excessu mentis ipso frequenter orante, cum » solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in » fervore spiritus proclamantem : Quid me impedis » sol, qui ad hoc jam oriris ut me ab hujus veri » luminis abstrahas claritate? Cujus etiam hæc » quoque est super orationis fine cœlestis et plus- » quam humana sententia : Non est, inquit, » perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc » ipsum quod orat, intelligit, etc. » (Collat. IX, cap. XXXI). Quam is extra potestatem sensuum erat, qui hoc ritu precabatur? Quis deinde referat monachorum illorum in Ægypti, Palæstinæ aliisque solitudinibus agentium ecstases, qui nimirum cum Angelis familiariter tractabant, et videbant abscondita ab hominibus sæcularibus, dum tamen (quanquam multas referat Cassianus Collat. XIX, cap. IV) illæ pars minima sint quæ ad hominum notitiam pervenerunt? Hoc nobis sufficiat, quod, illo testante, septem secum panimaciorum paria in sporta, juxta septem dierum hebdomadis numerum assumerent, ut hoc indicio, si forte sui ipsorum obliti essent, admonerentur, quando expletus jam hebdomadis esset cursus, quo ad Sacra solemnia Dominicis diebus solita celebrari convenirent : alias enim per crebros illos excessus, raptus et mentis alienationes fiebat ut ignorarent num de pane gustassent necne, neu quot in oratione versati essent dies. Eodem de se abbas Joannes loco testatur : « Pio Domini nostri munere memini me in hujus- » modi raptum frequenter excessisse, ut oblivi- » scerer me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, » mentemque meam ita omnes exteriores sensus » subito respuisse, et a cunctis materialibus rebus » omnimodis exulasse, ut neque oculi neque aures » meæ proprio fungerentur officio; et ita divinis » meditationibus ac spiritualibus theoriis animus » replebatur, ut sæpe ad vesperam cibum me per- » cepisse nescirem, ac sequente die de hesterna » solutione jejunii penitus dubitarem, etc. »

cum ex antiquioribus

9 Tam ii quos memoravimus quam plures alii quos suo adferemus loco, viri erant; ne solis id fœminis datum a Deo ter Maximo donum quis opinetur. Quam sæpe id quod tractamus, S. Martino Turonensi concessum sit, pro dignitate ac sufficienter nemo explicet, quum singulari cura tales ipse gratias celarit ac studiose suppresserit. Ex iis tamen quæ de ipso notavit Severus Sulpicius, harum nonnullæ erui possunt. Refert is in Vita ejus, cap. II, illi etiamnum catechumeno ac nondum Ecclesiæ inserto de nocte visum esse Salvatorem Christum, media illa tectum chlamyde quam egeno propter se Martinus erat pridie elargitus, atque adstantibus Angelis Christum dixisse : « Martinus hac me veste contexit. » Aliam factam illi visionem eodem libro

libro prodit capite VIII. Capite autem XXIV indubitatum ait esse multos sæpenumero Martino apparuisse Angelos et cum eo locutos. Non raro etiam cacodæmona et quidem variis in figuris vidit (Epist. ad Bassulam). Cum Valentinianus imperator Martinum regia arceret, apparuit pio viro Angelus, et quid futurum esset, prænuntiavit. Alio quoque loco (Dialogo II) profitetur multoties ad eumdem præsulem descendisse Angelos : alias quoque SS. Agnetem, Theclam ac Deiparam auditas revera cum ipso colloqui : cæterum id sibi frequens esse, ipsum Martinum referre solitum, ac gloriosos Apostolorum Principes Petrum ac Paulum crebro sibi visibiles adesse. Dialogo tertio de alio meminit Angelo cum viro sanctissimo clara voce loquente, et alio qui ad eum consolandum cœlo erat dilapsus. Ipsemet qui hæc scripsit Sulpicius duas sibi obtigisse narrat visiones : prima apparuisse sibi a morte Martinum specie conspicuum ac venerabilem, manu librum quo Sulpicius vitam illius complexus erat, gestantem, sacraque eum benedictione signantem; alia conspexit Clarum, ejusdem Martini discipulum, in cœlum ab Angelis subvehi (Epist. ad Aurelium). Neque enim novum vel insolens est suas ab ipsismet Sanctis aut narrari aut conscribi revelationes, Deo sic ad nominis sui gloriam disponente : has enim ipsi si tacerent, ecquæ earum noscendarum esset ratio?

plurium Sanctorum c

10 His affinia, magna tamen et præclara in vita S. Nicolai *c* commemorat Simeon Metaphrastes. S. Methodius Martyr et Patarensis antistes non plurimas modo accepit revelationes, sed eas ipse etiam scripto ad posteritatem transmisit, atque etiamnum in manibus versantur. Cum S. Ambrosius *d* divini verbi sementem spargeret, quidam adstantem ei conspexit Angelum, auribus inserentem quæ in populum effunderet. Ab illo conspecti quoque sunt Gervasius et Protasius Martyres, atque ei, quo sui reconditi essent cineres loco, revelarunt : nec non deinde SS. Vitalis et Agricola, ac tandem Nazarius et Celsus, itidem Martyres. Qua ipse e vita migraturus esset dies divinitus illi etiam innotuit, et quis sibi in Ecclesiæ gubernatione dandus esset successor : atque utrumque ipse suis enuntiavit. Supremo in morbo ab illo ei Sacra Mysteria sacerdote data sunt, quem ad pium hoc officium peragendum divina bonitas per visum exciverat. S. Joanni Chrysostomo *e* pie credimus multa ab Apostolo Paulo in revelatione dictata, quæ aut in scripta referret aut ad populum pro concione proferret. Is ipse, referente Nicephoro (Hist. Eccl. lib. v, cap. II), cum ad sacros esset assumendus Ordines, candida illi advolitare est conspecta columba, capitique initiandi insidere. Paucis antequam vita defungeretur diebus, cum insomnem precando noctem ageret, adstantes sibi vidit Petrum et Joannem Apostolos, qui familiariter cum ipso sermonem miscentes, et propediem corporis illum ergastulis solvendum, et ad quam esset apud cœlites gloriam evehendus, prænuntiarunt : quo dicto, cœleste quoddam cibi genus illi porrexere. Ejus autem diei quo ex hac vita excessit, nocte prævia apparens illi S. Basiliscus Martyr, postera eum decessurum luce et in ea cui præfuerat ecclesia humandum prædixit. S. Hieronymus *f* etiamnum adolescens in spiritu rapi se coram Christo judice et Angelis vidit, ab iisque acriter vapulare, quod plus æquo profanis gentilium scriptis lectitandis incumberet. Quas autem illi jam canescenti et ad præsepium Bethlemiticum commoranti visiones obtigisse credendum est, cum juvenem adhuc, in deserta solitudine agentem, medios inter Angelorum choros se versari sæpenumero crederet? Idem (ut quidem a pluribus advocatur *g*, vel, quod mihi videtur potius, Sophronius, ejusdem Hieronymi collega) sermone de Assumptione insignem miramque S. Paulæ oblatam visionem recenset; nec ea vel prima vel postrema foret, nisi eas Hieronymus omnes silentio involvisset.

AUCTORE RIBERA.

g

historiis.

11 Eadem tempestate vivebat sanctus ille anachoreta Joannes, cum ob divinas quibus illustrabatur revelationes, tum ob spiritum quo donatus erat prophetiæ, notissimus : quem, ut testatur S. Augustinus (lib. de cura pro mortuis, cap. XVII), de futuro belli civilis eventu imperator Theodosius Magnus supplex consuluit. Hujus quoque meminit in Historia sua ecclesiastica Nicephorus (lib. XI, cap. XXXIV), nec non et aliorum per Orientem monachorum, uti Beni, Theonæ, Eulogii, Marci (cap. XXXV), Sacram Eucharistiam nonnisi ex Angelorum manibus accipientis, Silvani (cap. XXXIX), cui famulorum ritu ministrabant Angeli, Viti (cap. XL), qui priusquam corporeis imperatorem Constantinum coram spectaret oculis, sæpius eum spiritus luminibus in visione conspexerat. Plura nosse qui volet, historias adeat, Lausiacam Palladii, et Theodoreti Religiosam. Ad S. Benedictum veniamus, de quo nihil dicere est necesse, cum toto secundo Dialogorum libro Gregorius tot et tam illustres illius visiones referat, aliisque eorumdem Dialogorum libris alias aliorum tum quidem in Italia, tam virorum quam fœminarum, florentium sanctitate, quas omnes ipse et credit et confirmat et approbat. Illas autem S. Gregorii aliorumque ejusdem monachorum, libris quatuor de Vita ejus complexus est Joannes Diaconus. Finem nunquam facerem, si omnes quas plurimi sanctissimæ illius familiæ monachi ac monachæ divinitus habuere in spiritu apparitiones et incognitas inquirere et inquisitas recensere velim. Producam tamen nonnullas, atque illis potissimum factas viris quorum sunt a Ven. Beda (in Vitis Sanctorum passim) conscripta elogia, cum quod aliquot illorum familiariter ipse noverit et sæpe sit cum iis locutus, tum quod tantam iis adjungat fidem et maximi ponderis ipsius sit auctoritas, propterea denique quod sanctorum illorum gesta vitæque non adeo passim omnibus innotuerint.

tum ex Vitis

12 Sanctus Cuthbertus episcopus Angeli ope sanitatem est consecutus, et aliorum sæpe operam et opem variis in concertationibus expertus. Nocte etiam quadam ab innumeris Angelorum turbis ingenti lumine coruscantibus animam S. Ardani episcopi in cœlestem vidit requiem deportari; uti et post Hadwaldi pastoris animam. Multa illi summis de rebus post eventuris, quas multis capitibus complectitur Beda, miro quodam sunt revelationis genere cœlitus detecta. Eodem prope tempore Boisilus multa per visionem divinitus didicit. Felix presbyter Nolanus (cujus vitam primo Paulinus, civitatis ejusdem episcopus, stricta, post Beda soluta est oratione complexus) in spiritu carcere quo tenebatur egressus est, Maximumque episcopum suum, cui illius etiam erat adventus a Deo declaratus, adiit, et toto illo quo delituit semestri sæpe et ab Angelis et ab Angelorum fuit Domino frequentatus. S. Columbani abbatis mater, cum eum utero gestaret, splendidum sibi visa est videre ventre suo solem egredi, qui Columbanum ipsum designabat; cui in deserto agenti abbas quidam de cœlo commonefactus cibum misit, uti et duo post episcopi piaque quædam matrona, divinitus item moniti. Ipse quoque Columbanus Deo insinuante cognovit cibum sibi ab illo, tametsi longius distaret, mittendum.

AUCTORE RIBERA.

Hac etiam ipse ratione suorum ægritudines fratrum absens perspectas habuit, ac multa alia, quæ eventura longe ante prædixit. Ab Angelo in somnis præmonitus fuit ne in Sclavoniam, quo properabat, concederet : in somnis itidem de bello Theodoricum inter et Theodebertum reges suscitato, deque ejusdem successu factus est Deo revelante certior. Columbano superioris Columbani discipulo morti proximo conspectus fuit ipse Redemptor Jesus, a quo narrante didicit quibus vitam illius prorogari votis magister in cœlo a se contenderet. Attalæ, cœnobii in quo Beda monasticam profitebatur, abbati, mortis fuit dies prænuntiatus; et is ipse, priusquam animam ederet, multarum horarum spatio cœlos apertos spectavit.

insignium sanctitate

13 S. Patricius, Hibernorum et Apostolus et episcopus primus, etiam juvenis et compedibus vinctus, secundo Dei voce excitus, in patrium se conferre solum jussus est. Significavit illi exinde peramice quanta ob divinum esset nomen præsturus obsequia, quæque passurus adversa. Multa illi in spiritu in patria revelata sunt a Patre luminum : unde ad nulla se conferebat loca nisi Angeli ad ipsum cœlo descendentis suasu et consilio, atque id prope semper. Vidit is in mentis excessu absentem se a pueris materno in utero reclusis in Hiberniam evocari, ac rogari ut properaret, quo illius opera salutis redderentur consortes. Cum vero nec Angeli suasu iter hoc vellet ingredi, ipsemet Salvator Jesus apparens, in viam ut se daret, imperavit, ac mira illi ultro est pollicitus. Multa eaque gravia vaticinando sæpe suis prædixit : occultas regis Hibernorum aliorumque cogitationes perspexit. Quothebdomadis Angelus eum compellabat; adeoque hæ frequentes illi revelationes erant ut fidem pene exsuperet narratio. Vidit inter alia cœlos apertos, et ipsum Dei Filium majestate magna considentem multisque Angelorum millibus circumdatum. Quadraginta ipsis diebus in montis cujusdam vertice commorabatur, continenter orationi intentus; quo tempore plures et stupendas revelationes habuit. Angelicæ porro aliæque visiones perfrequentes ei fuere; quæ quia numero plurimæ sunt, hic tacitus præteribo : unum hoc dixero, apparuisse illi, non secus atque olim Hebræorum ductori Moysi, Angelum in rubo ardenti, quem tamen flamma non adureret; nec non nocte a mortis ejus die proxima Angelos illi funebres exequiarum ritus suavissimo vocum concentu persolvisse, et Angelum omnibus qui ad exequias illius undique confluxerant, clara esse voce locutum.

virorum

14 Eustasius abbas, S. Columbani discipulus, cœlo monente didicit fore ut adversarius ipsius anno evoluto ex hac vita tolleretur; rursus, priusquam ex hoc mundo migraret, alia illi facta revelatio. Bertulphus abbas ex ægritudine decumbens accedentem ad se conspexit Petrum Apostolum, et repente sospitatem est consecutus. Agibodus monachus, S. Attalæ discipulus, in raptu mortem sibi imminentem cognovit, et qua inter cœlites donandus esset gloria. Stephano cuidam S. Arnulphi episcopi ortum ac futuram vitæ sanctimoniam Deus præsignavit : eidem quoque Arnulpho, quæ post eventura erant, patefacta cœlitus sunt; sic et monacho cuidam factum a sancto hoc viro miraculum innotuit. In Vita porro abbatissæ Burgundophoræ cœlestes plane refert visiones, quas nonnullæ de virginibus monasterii illius viderunt. Harum una S. Eustasium abbatem ad se brevi accessurum in spiritu cognovit, ejusque ope et precibus oculorum sibi usum, quo jam dudum caruerat, reddendum. Alia, Sisintrudis nomine, post quadragesimum se morituram prænovit diem: et ecce, septimo et trigesimo post die duo ad eam delapsi de spiritibus cœlestibus animam illius ad superna gaudia subvexerunt; sed ipsa, ad corpus denuo reversa, visa ex ordine narravit sodalibus, et post triduum se e vita excessuram. Tum vero rursus iidem ad ipsam accessere Angeli, animam ad cœlestia deportaturi. Quotquot autem illius præsentes adfuere exequiis, canentes audierunt Angelorum choros, a quibus carmen suave modulantibus intra æterna tabernacula invecta fuit.

ac fœminarum

15 Gibitrudis cum pro præpositæ suæ Burgundophoræ sospitate Deo supplicaret, ex eo didicit tam se quam cæteras sanctimoniales ante illam hinc emigraturas : hinc anima ejus Angelorum ministerio extra corpus educta, intra ipsum denuo rediit, et certum decessus sui diem designavit. Erkentrudi de nocte apparens Angelus monuit ut Sacra Eucharistiæ Mysteria susciperet. Hæc morti propinqua alterius monachæ arcanum, quod corde premebat, divina revelatione cognovit, ac modulantes coram se Angelos quam frequentissimos audiit. Idipsum harmoniæ angelicæ melos et alii cuidam virgini a Deo submissum testatur, cujus et ad aliorum adstantium aures symphonia accidit. Alia a Deo se cœlis patentibus evocari conspexit, et cum quam mater pro delictis actura post esset pœnitentiam prædixisset, venientem ad se Salvatorem tum vidit, cum jamjam in manus ejus suam esset animam consignatura. Domnæ, dum sacrosanctam Eucharistiæ mensam accessisset, in ore igneus quidam est globus a duabus dumtaxat visus puellis, quæ id visi miraculum non nisi in mortis suæ hora evulgarunt; qua veniente, diem hæ integrum suavissime jucundissimeque cantantes, et locum in quo decumbebant, odoris fragrantia replentes, innoxias animulas Creatori suo reddiderunt. Quilisinda de excessu suo e vita aliisque rebus post futuris facta certior, Pentateuchum Moysis, sacrum Euangeliorum contextum nec non aliquot e S. Pauli aliorumque Apostolorum Epistolis in mortis hora exacte recitavit, cum tamen nihil horum, dum viveret, memoria teneret : simul etiam omnium qui in eo vixerant monasterio, monialium cœlo jam receptas animas ad se descendentes conspexit, quarum in comitatu cœlos peteret. Auditus dein, non eo dumtaxat, sed remotis etiam in locis Angelorum concentus. Leudebertam in revelatione monuit Deus ut sacris præsidis suæ consiliis acquiesceret, quod propediem corporeis esset vinculis exsolvenda : migrationis vero cum jam tempus instaret, Principis Apostolorum Petri fuit visione et alloquio recreata. Landebertæ jamjam vita egressuræ lectulo splendida quædam nubecula visa est incumbere, et Angeli auditi modulari. De solis cœnobii illius virginibus hæc Beda, de quorum est fide minime ambigendum.

a Venerabili Beda scriptis

16 Idem quoque Beda in Justini pueri et Martyris Vita, quam carmine descripsit, hunc prophetico donatum spiritu et revelante ait Deo scivisse quo frater esset carcere conclusus, et hunc ante sibi de facie ignotum protinus agnovisse, et multa alia suis eventura temporibus inspirante Dei spiritu prænovisse. S. Malachiæ episcopo (cujus, utpote amicissimi, Vitam S. Bernardus contexuit) revelatum est quo sororis nuper defunctæ res in alio mundo essent loco. Hic Edanum e discipulorum suorum numero in episcopum assumpsit, quod eum in visione vidisset annulum digito præferentem : quare eum ipse ad hanc dignitatem sacravit. Sicarus presbyter, qui et ipse prophetiæ donum acceperat, cum forte per locum in quo Malachias agebat,

A agebat, transibat, eum, tametsi antea invisum, digito commonstrans omnibus : « En, inquit, sanctus » ille præsul, quem in Hiberniam venturum vobis » prænuntiavi, quique hominum novit cogitata. » Malachiæ porro multa, tum sua tum sociorum quibuscum venerat, arcana revelando detexit : prædixit quoque paucos illorum qui aderant, secum unde venerant redituros; nec caruit eventu prædictio. Sanctus hic episcopus, quoddam moliens templum, cujus ædificium plane, prout ipse conceperat, fieri ab operariis non posse videbatur, illius ipse ideam in spiritu vidit et insignem et capacem, et ejus prorsus formæ quali exstrui id ipse cupiebat : quare manus operi admoveri jubet, et secundum impressas in raptu notiones et exemplar sibi cœlitus monstratum structura assurrexit. Alias simile quid illi contigit, in quo non templum solum, sed et monasterium integrum illi per visionem exhibitum fuit; ad cujus formam illa ipse construi jussit. Per confertam quamdam hominum multitudinem dum transiret, adolescentem vidit inter alios qui efflictim eum videre connitebatur : tum sancto fuit viro cœlitus indicatum quid adolescens hic se vellet et quid huic futurum esset. Multa id genus alia
B huic obtigerunt, eximiaque sunt per visum ostensa et de futuris eventibus revelata : S. Malachiæ ergo merito S. Bernardus, e quo hæc mutuati sumus, nec prophetiæ donum ac miraculorum nec cœlestes defuisse revelationes testatur.

ANNOTATA.

a *Vide de eodem argumento* § XCI *et seq. Comment. prævii; nostra passim Acta Sanctorum; Dissert. de SS. Perpetua, etc., auctore Card. Orsi; illamque Dodwelli in epist.* VIII *S. Cypriani, ubi de visionibus per prima Ecclesiæ sæcula; Benedictum* XIV *de Beatif. SS.* (*lib.* II, *cap.* XXXII, *et lib.* III, *cap.* LIII), *etc.*

b *Adisis Cornelium Byeum, ad diem* IX *Octobris* (*pag.* 802), *ubi ostendit scripta, S. Dionysio Areopagitæ a sæculo septimo ab omnibus fere adjudicata, fuisse post sæculum sextum decimum a plerisque abjudicata.*

c *Ad diem* XX *Junii* (*p.* 5) *advertit Henschenius noster Card. Bellarminum et Philippum Labbe æstimare eas Revelationes S. Nicolao esse supposititas.*

d *Hæc hausta sunt e Vita S. Ambrosii, quam non Paulinus episcopus, ut Ribera in margine posuit, sed Paulinus S. Ambrosii notarius conscripsit.*

e *Stiltingus egregie disputat de collato hoc Sancto*
C *Joanni Chrysostomo a S. Paulo juvamine, ad diem* XIV *Septembris* (*pag.* 687), *item de prænuntiata illius morte* (*pag.* 663).

f *Consule denuo Stiltingum, ad diem* XXX *Septembris* (*pag.* 439), *ubi ita de hac S. Hieronymi visione tractat ut refellantur hominum malorum ludibria et corrigatur inepta quorumdam Catholicorum interpretatio.*

g *Illum sermonem de Assumptione B. Mariæ inter pseudepigrapha docta computat Erasmus apud Martianay* (*Oper. S. Hier., Parisiis,* 1706, *tom. V, col.* 1169), *eumque Sophronio attribuendum esse suspicatur* (*ibid. col.* 82).

CAPUT II.

Prosecutio ejusdem materiæ : quid de visionibus S. Teresiæ censendum sit.

Constat itidem S. Bernardum,

Non minora porro quoad hæc de ipso S. Bernardo dicenda occurrunt, si illius quam Guilielmus et Bernardus *a* abbates conscripsere Vitam consulamus. Ejus namque mater, uterum dum ferret, vidit in somnis quemnam enixura esset filium, ut D illi ante pius quidam vir, cui id divinitus ostensum erat, indicarat (lib. I, cap. I). Ipsi etiam juveni revelatum fuit fratrem Gerardum lancea feriendum, ac deinde ad meliora conversum monasticen secum professurum. Idem vero Gerardus voce quadam divina monitus fuit ut loco quo vinctus tenebatur, egrederetur et cum fratre abiret (cap. III). Vidit quoque adstantem sibi de nocte puerum miro fulgore conspicuum, ac magna sibi auctoritate præcipientem ut sine ullo prorsus metu et fiduciæ plenus diceret quæ sibi dicenda occurrerent (cap. VI). Alia nocte ingentem Angelorum vidit multitudinem, qui in suos distincti choros suavissime eo modulabantur loco quo deinde cœnobii constructa fuit ecclesia (cap. VII). Multæ quoque illi animæ defunctorum apparuere, deque suo eum statu ac salute docuerunt (cap. X). Gravi ex morbo cum decumberet, in spiritu ad thronum Dei raptus accusantis se diaboli calumnias evasit et illusit. Alia exinde illi visio missa, qua cognovit non se tum, cum cogitabat, demoriturum : et alia rursus haud ita multo post, in qua Deipara, Martyre Laurentio et S. Patre E Benedicto comitata, manu caput et partem corporis male affectam tangente, sanitati pristinæ fuit restitutus (cap. XII). Revelabantur identidem illi fratrum etiam longius remotorum tentationes, lapsus, morbi ac denique interitus. Fuit cum videre sibi visus est duos qui cum morte instante luctantes paternam a se benedictionem efflagitarent (cap. XIII). Multa alia id genus inter orandum illi innotuerunt per visum. Ut alia omittam, universos Sacræ Scripturæ libros subtus se expansos vidit et explicatos (lib. III, cap. III). Piaculare vero pro S. Malachiæ anima Sacrificium celebranti indicatum est illam cœlicis perfrui gaudiis, et quam de fidelibus defunctis lecturus erat, Collecta omissa, eam quæ de Sanctis Episcopis legi consuevit, legere orsus est (lib. IV, cap. IV). Quos præter hæc raptus et mentis excessus pateretur, hinc fit manifestum, quod sæpe extra sensuum potestatem ac suiipsius impos esset. Unum huic rei testandæ exemplum satis sit : cum enim die toto in lacus Lausannensis ac Genevensis ripa iter habuisset, oculos ad eumdem, etsi longum ac latum, non reflexerat, donec tandem, sociis inter sese de illo loquentibus, ex iis percunctatur ubinam locorum agerent (lib. III, cap. F I). Plura qui nosse volet, tam quoad S. Bernardi quam aliorum ea tempestate virorum sanctorum revelationes, quartum simul et quintum de vita illius libros adeat.

AUCTORE RIBERA. *a*

18 Eadem tempestate florebat S. Elisabetha, cœnobii Schonaugiensis antistita *b*, sanctitate illustrationibusque divinis notissima : intervisebant eam namque frequenter et ipse Redemptor Jesus ac cœli terræque Regina nec non Sanctus Ordinis auctor Benedictus et potissimum Angelus tutelaris. Erat illi solemne Dominicis festisque diebus extra se rapi, et obscurissima S. Scripturæ sensa clarissime exponere. De S. Elisabetha Spalbecensi hæc scriptis prodidit abbas Blosius : « Purissima hæc » virgo septies quotidie ita rapiebatur in Deum, » ut nullus sensus, nullus motus, nullus flatus in » ea appareret : totum enim corpusculum illius » prorsus obrigescebat, nec ulla pars ejusdem sacri » corporis tunc moveri poterat, quin in totum cor- » pus moveretur » (Monile spirit., cap. II). Illuxerunt deinde splendida illa orbis luminaria Dominicus et Franciscus, in quibus admiranda etiam divina operata est manus; quæ quod plerisque nota

S. Dominicum. b

AUCTORE RIBERA.

nota sint, nonnulla paucis attingere satis fuerit. Dominicum mater cum enixeretur, cœlitus edocta
A fuit ecquis futurus aliquando esset: nam etiamnum prægnans divino in somno gestare sibi visa est catulum facem ardentem ore præferentem, qua universum ille orbem videbatur succendere: quæque eum de sacro fonte suscepit matrona, vidit in jam abluti fronte stellam collucere, a qua totus qua patet orbis illustrabatur. Romana is in curia cum ageret, Ordinis ab se instituti confirmationem ab Innocentio ejus nominis tertio petiturus, vidit in somnis Pontifex Basilicæ S. Joannis Lateranensis jam collabescenti humeros subjicientem Dominicum. Idem Patriarcha cum in Vaticana S. Petri Basilica Romæ precibus vacaret, venientes ad se conspexit gloriosos Apostolorum Principes Petrum et Paulum, a quorum illo baculum, ab hoc codicem accepit, et ad Euangelium per orbem divulgandum missus est, ad hoc ipsum singulari quadam ratione a Deo segregatum dictitantibus. Eodem quoque loco suos in spiritu vidit Fratres binos per orbem ad euangelizandum gentibus discurrere. Atque ut quoad sacri hujus Instituti (quod hactenus semper Ecclesiæ rem adeo
B gnaviter fideliterque gessit) confirmationem revelatione quadam a Deo fuit illustratus, sic, dum de vestis assumendæ genere secum ipse deliberaret, ipsa Deiparens Maria Reginaldo viro religioso se spectandam dedit, ipsi tum amissam valetudinem reddens, tum habitum quo etiamnum hodie Ordo universus utitur, deferens. Futura adhæc multa prophetice præscivit et prædixit. Quodam etiam in itinere Angelum habuit comitem. Noctes cum precando insomnes duceret, infestum sæpe cacodæmona patiebatur: tum quoque multa illi revelata sunt. Quoties salutaris in Sacrificio Missæ elevabatur Hostia, sæpius extra sensuum potestatem abripiebatur. Morituro denique ipse Christus ejusque Mater clementissima adstitere: tum quoque Fratribus duobus qua divinus hic ipsorum Pater in cœlo perfruebatur gloria fuit manifestata (S. Antonin. in 3 p. Chron. tit. XXIII).

S. Franciscum Assisiatem,

19 S. Francisco sub vitæ suæ spiritualis primordia videre datum est amplum quoddam speciosumque palatium, militaribus armis cruce signatis refertissimum; petentique quorum omnia futura essent, Christus respondit: « Tua et commilitonum
» tuorum. » Non multo post tempore oblata illi
C nova revelatione, prior illa fuit ei visio declarata, et ab itinere quod instituerat, insigni quadam pollicitatione sibi a Domino facta, fuit revocatus (S. Bonavent. in ejus Vita, cap. I). In alio raptu cruci confixum Redemptorem conspexit, cujus deinde amara passionis recordatio animæ illius quodammodo insculpta mansit. Apparens illi etiam e cruce Redemptor, suam ut domum fatiscentem repararet, imperavit (cap. II). In ecclesia sua, quam S. Mariæ de Angelis vocavit, jam inde ab ejus exordio, frequentissime ab ipsis fuit compellatus (cap. III). S. Bonaventuram cœperam percurrere, Francisco factas revelationes, ab eodem conscriptas, inde deprompturus; sed eas adeo frequentes et eminentes, et non ipsi modo, sed et sociis ejus oblatas comperio, ut in rebus passim cuique notis adeo prolixus esse non ausim. Celebres illæ duæ instar erunt omnium: prima, qua apparens illi Seraph Dominicorum Stigmatum corpori ejus impressit vestigia *c;* altera, qua plenariam peccatorum Indulgentiam illi apparens Salvator indulsit omnibus templum Portiunculæ adituris *d:* ut alias, quæ hoc afferri loco possint, permultas prætermittam. Verum quid eas necesse est afferre, cum sui eum collegæ sæpe in ecstasibus sublimem in aera etiam D
corpore sublatum viderint. His porro S. Bonaventuræ verbis huic de S. Francisco tractationi finem imponam: « Suspendebatur multoties tanto con-
» templationis excessu, ut supra semetipsum ra-
» ptus et ultra humanum sensum aliquid sentiens,
» quid ageretur circa se exterius, ignoraret. Trans-
» iens namque semel per Burgum S. Sepulcri,
» castrum utique populosum, pro debilitate cor-
» poris subvectus asello, obvias habuit turbas in
» eum præ devotione ruentes. Tractus autem et
» detentus ab eis, compressus quoque et mul-
» tipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad
» omnia; et velut exanime corpus de iis quæ
» fiebant circa ipsum nihil penitus advertebat.
» Unde cum jam diu transito castro, turbisque
» relictis, pervenisset ad quoddam domicilium le-
» prosorum, quasi aliunde rediens, cœlestium con-
» templator, sollicite requisivit quando propin-
» quarent ad Burgum. Mens quidem ipsius in
» cœlestibus fixa splendoribus varietates non sen-
» serat locorum, nec temporum, nec occurrentium
» personarum. Quod ipsi accidisse frequentius
» sociorum ejus experientia multiplex compro-
» bavit. » Hactenus quidem Bonaventura capite x; E
capite vero proximo plurimas illi factas de futuris rerum eventis revelationes ex ordine recenset.

pluresque ex Ordine Prædicatorum

20 Si vero de utriusque hujus Patris filiis sermonem texere vellemus, ecquando tandem finem haberet narratio? De S. Petro Martyre, inquam, cujus in cubiculum frequenter sanctæ de cœlo virgines illabebantur, quicum de ligno loquebatur Christus, et cui rerum arbiter Deus facienda præsignabat. De illustrissimo quoque ac sanctissimo Doctore Thoma Aquinate, cujus S. Antoninus (in 3 p. Chron. tit. XXIII, cap. VII) animam ita in Deum absorberi solitam scribit, quasi corpore ille carnali caruisset, quod remoram raptui injiceret: sæpe quoque illum inter tremendorum Mysteriorum celebrationem in ecstasin rapi consuevisse; ad hæc SS. Petrum et Paulum illi perobscuri alicujus in Scriptura loci sensum declarasse; quin etiam e cruce manifeste a Domino Jesu illum compellatum, confirmatumque bene se de augustissimo Sanctissimi Corporis et Sanguinis ipsius Sacramento scripsisse; permultas quoque beatas illi mentes apparuisse: cui nimirum, ut summatim complectar omnia, adeo facile et solitum erat in oratione extra se ferri et a sensu avocari, ut quotiescumque aut vellet aut videretur, F
hunc mentis excessum pateretur. Vincentii Ferrerii sanctitas futura parentibus, etiam antequam in lucem ederetur, a Deo fuit declarata. Ipse autem Deiparam vidit Virginem, quæ quasdam cacodæmonis technas illi detexit. Hunc ægrum Redemptor Jesus multis succinctus Angelis, et SS. Patribus Dominico et Francisco stipatus, invisit, utque per orbem euangelizaturus discurreret, indixit, necnon præter redditam valetudinem multis eum gratiis cumulavit. Fuit cum et S. Dominicus illi apparuit, miro fulgore resplendens, deque multis eum rebus magni momenti edocuit. Matris et mortem et gloriam a morte absens ipse cognovit, uti et defunctæ deinde sororis. Revelata insuper illi multa sunt eorum quæ post erant eventura, et ea quidem momentosa (Petrus Ranzanus in Vita ejus). De S. Catharinæ Senensis Virginis revelationibus longe fuerit satius penitus tacere quam pauca dicere; imo nec pauca quidem afferenda sunt, cum in pene omnium manibus versentur Dialogorum illius libri, quibus factæ a Deo illi revelationes continentur, et in vitæ ejus historia tot tamque admiranda, tum de illius cum Domino Jesu familiaritate, tum de iis

quas

A quas ab eo recepit gratiis et prærogativis, conscribuntur, ut apud mundanum spiritum habentes fidem vix inventura sint. Qui vero de gloriosæ sanctæque illius familiæ Sanctorum visionibus illustrationibusque scire plura volet, Elogia quæ
e Leander *e* de illustribus Ordinis hujus viris fœminisque concinnavit et quæ Joannes Gerson scripto prodidit, consulere ne gravetur, atque imprimis generalem illius Historiam, quam pietate et doctrina
f magnus F. Ferdinandus del Castillo *f* non minus religiosam quam eloquentem, veram et omnibus numeris absolutam evulgavit.

et Ordine Minorum,
g 21 Si vero gloriosi Patris Francisci familiam *g*, in paupertate quidem et humilitate Christi opulentam, sed tot virorum sanctitate et scientia illustrium altricem excutiam, quamprimum et ante omnes occurret B. Antonius de Padua (Chron. Ord. Min. l. v.), in quo prophetiæ spiritus adeo manifeste eluxit ut multa futura prædixerit intimaque multorum arcana patefecerit, quæ nonnisi divina illi innotescere revelatione poterant. Redemptor Jesus, in pueruli rutilantis specie, libro illius insidere non dubitavit, nec amplexus ulnarum ejus est dedignatus; quin et revelatione deinde
B Antonius cognovit, hospiti suo ea omnia patuisse. Huic quoque epistolam quamdam attulit Angelus, et responsum ad eamdem retulit : mortuus vero abbati Vercellensi se videndum dedit. S. Bernardus, primus S. Francisci discipulus, sæpenumero per montium avia solus ferebatur, a Spiritu Sancto conductus inque Deum raptus; ac tam iter faciens quam domi agens, illustres animi patiebatur excessus. Hinc de rebus piis et ad Deum spectantibus cum illo perlibenter Franciscus agebat : unde et factum est ut sæpe ambo intra silvarum abdita reperti sint præ sanctorum colloquiorum dulcedine a corpore abstracti. Sancto Missæ Sacrificio quadam vice cum adesset, ad horam usque nonam ita extra se raptus fuit, nullus ut in eo sensus et motus appareret (ibid. lib. VI, cap. IV). F. Leoni, ejusdem Patriarchæ socio, hujus fuit sanctitas multis visionibus indicata; hinc et a morte gloriosum illum conspexit : utque alias silentio prætream, ostensum illi in spiritu extremum et generale fuit judicium, cui Redemptor Jesus ut judex, innumeris Angelorum adstantibus myriadibus et gloriosissimo Patre præsente Francisco, præsidebat (ibid. lib. VI, cap. XVI). Quid de FF. Junipero, Christophoro,
C Ægidio dicam? Ad quorum visiones et apparitiones singillatim enarrandas cum temporis hujus brevitas non sufficiat, de horum postremo satis fuerit dicere illustrem illi quamdam de Deo visionem, quæ admirabiles in animo ejus effectus impressit, obtigisse. Inde enim factum est, ut, si quis illi de divino amore faceret aut de cœlesti gloria mentionem, illico extra se raperetur, ac sensus omnis expers manens ceu mortuus haberetur. Quod cum in vulgus jam emanasset, illi, quoties in publicum prodibat, pastores et pueri periculum facturi acclamabant : « Cœlum, F. Ægidi, cœlum »; ad quæ ipse verba velut attonitus ac stupens, quietus in loco hærebat et sui impos : ut, quoties de rebus piis sermo incidisset, sedulo caverent Fratres ne qua cœlestis gloriæ apud illum mentio a quoquam fieret, ne amica illius conversatione ac præsentia in superna illo sermone rapiendi frustrarentur (ibid. lib. VII, cap. XI).

SS. Claram et Coletam,
22 Urbe in qua S. Clara cum suis commorabatur, ab hoste obsessa, cœlo ipsa revelante cognovit, nullum sibi aut monialibus, nullum urbi ab hoste malum illatum iri (ibid. lib. VIII, cap. XIII). Nocte Natalis Dominici visus illi in mentis excessu parculo in præsepio Jesus parvulus reclinatus (cap. XVI). Sermonem quoque cum S. Francisco dum
D miscet, alter ex alterius fuit colloquio in Deum præ consolationis ubertate abreptus. Nefas hic fuerit silentio præterire (tametsi brevitatem secter) B. Coletam Ordinis a S. Clara olim instituti Reformatricem. Hæc cum in oratione versaretur, visa sæpe est in aere sublimis et igneum ore vaporem exhalare, ut universum illius conclave æstuare et scintillare videretur. Vidit illam Vincentius Ferrerius Deo quam ferventissime pro hominibus supplicantem, atque hunc illi familiariter ad postulata respondentem : quam ut coram videret et alloqueretur, ex Aragonia in Galliam transire non dubitavit. Huic etiam S. Anna cum filiis ac nepotibus apparuit. Hanc etiam alias pro se vidit orantem et suas aureo in vase Deo orationes offerentem. Sacrum quoties Eucharistiæ Mysterium sumeret, deliquium animi sensuumque patiebatur : idipsum quoque illi frequens erat, cum pius aliquis de Deo sermo apud ipsam incidisset. Sacerdos cum illi Communionem, hostiam consecrandam assumere nolens, negaret, descendens cœlo Christus suum illi Corpus sumendum porrexit. Horrendas easque frequentes spirituum malignorum specie visibili infestationes passa E
est. Spiritu donata prophetico multos edocuit quæ ipsos scire intererat, multos etiam futura. Notus erat illi, eodem operante spiritu, omnium quibus præerat monasteriorum status et occultæ suarum a dæmone impugnationes : denique mortis illi fuit dies, priusquam adesset, præsignificata (in Vita ejus). Sicut autem de utriusque Religionis Sanctis, si modo temporis id sineret brevitas, et id ipse necessarium existimarem, dici plura potuissent, ita de aliarum viris illustribus similia dicenda occurrerent, si ipsarum evolveremus annales et prisca monumenta; sed ea quam dixi, quo minus id fiat, impedit ratio.

necnon SS. Gertrudem, Mechtildem, Angelam,
23 Pedem ergo nonnihil referamus, et ad SS. Dominici et Francisci tempora, a quibus parumper deflexeramus, ut de ipsorum filiis aliquid proferremus, retro rursus delabamur. Haud multis post ipsorum ætatem annis floruere S. Gertrudis abbatissa, ex inclyta S. Benedicti familia, et S. Mechtildis, quæ uno eodemque vixit tempore et loco : quibus multæ eæque singulares obtigere revelationes, quibusque sæpius a Redemptore Christo, familiariter apparente, e corporea præsentia communicata consolatio, uti licet animadvertere e libris F
ea de re editis, qui etiamnum hodie exstant, et magnum attente matureque legentibus fructum afferunt. Illustris vero abbas Blosius illarum revelationes tanti facit, uti ex illis, ceu auro et gemmis pretiosis, non minimam libri quem Monile spirituale nominavit, partem contexuerit. S. Gertrudis præsertim revelationes tam sunt frequentes tamque sublimes et familiares ut eodem ipse Blosius libro dicere non vereatur, nisi scirent homines infinitam Dei esse potentiam et bonitatem, vix fieri posse videri familiarius Salvatorem Jesum cum Matre sua in terra et amicius esse conversatum. In Gertrudis hujus etiam cœnobio plurimæ virgines clarebant sanctimonia insignes, quibus non paucas factas revelationes colligere est e primo Insinuationum libro cap. III, IV et aliis, libro sequenti cap. V et XIII, et libro V plurimis jam inde ab initio capitibus. Non est autem cur curiosus aliquis temporum et rerum indagator miretur quod Sanctas hasce Virgines Dominico et Francisco coævas faciam. Sciat enim non eamdem hanc esse Gertrudem *h* cum illa cujus ad XVI Aprilis diem in Martyrologio memoriam consignat Beda, neu cum illa *h*

AUCTORE RIBERA.

cujus festum Surius et Martyrologium Romanum ac Usuardinum in XVII Martii diem volunt incidere. Nam quam Surius et Usuardus designant, in cœnobio Nivellensi (Brabantiæ id oppidum est) antistitam egit; hæc vero quam hic noto, in cœnobio Helffediensi Islebii (comitatus Mansfeldici civitas est) abbatissa præfuit, claruitque Rodulphi imperatoris temporibus : quo enim ille die et hora ad imperium electus fuit, hanc ipsa, quamquam distaret longius, præsignavit, uti e tertio primi de vita ejusdem libri capite legere est. Imperare autem Rodulphus cœpit anno Redemptoris MCCLXXIII, ut quidem Matthæus Palmerius Florentinus in sua supputat Chronologia : decessit vero ex hac vita Franciscus ejusdem sæculi anno XXVI, et triennio ante hunc S. Dominicus. Denique post Dominici et Francisci tempora illam vixisse, liquido colligitur e quarti Revelationum ejus libri capite LII *i*. Iisdem etiam temporibus claruit S. Angela de Fulginio, e tertio B. Francisci Ordine, Dei donis notissima, ut patet ex ejus Vita quam F. Arnaldus ex Ordine Minorum conscripsit et quæ lingua etiam Castellana exstat, quamque ingenti nemo sine admiratione legat *k*.

i

k

Lutgardem, Brigittam,

l

24 S. Dominico in universali Ordinis regimine successit F. Jordanus, vir sanctitate celebris, eique æqualis fuit S. Lutgardis *l* ex S. Benedicti Ordine, cui etiamnum parvulæ apparens Dominus, sacri lateris sui plagam velut sanguine stillantem ostendit : visa illi deinde S. Catharina Virgo et Martyr, quæ eam est majorem in modum consolata. Sæpenumero se Redemptor illi spectandum dabat, et cum ea sermonem conferebat, et quæ illi facienda erant, manifestabat. Deiparæ quoque aliarumque Sanctarum pio sæpe est conspectu recreata. Non raro illi etiam apparuerunt animæ igni purgatorio adjudicatæ vel eodem ipsa deprecante egredientes, aliæ item cœlo receptæ : multa quoque illi circa futuros casus e cœlo sunt manifestata. E morbo quo etiam exstincta est, decumbens, quinta ante augustissimæ Trinitatis festum feria cœnobium ipsum Angelis multisque Sanctorum ac sanctimonialium quæ in eodem olim vixerant, animabus cœli jam gloria fruentibus repletum conspexit : unde factum est ut die sequenti toto miram sit mentis alienationem passa et sabbato proximo soluta fuerit corporeo hoc carcere (Thom. Cant. in Vita ejus). Successit his Sancta Brigitta vidua *m*, cujus revelationes numero plurimæ sunt, et familiaritas cum divina Majestate fuit maxima. Testimonio sit ingens illud volumen in quo revelationes illa suas et raptus omnes ex ordine commemorat. Haud multo eam post secuta est Catharina filia, quæ etiam miris decorata fuit visionibus et prophetiæ dono. Porro de harum quatuor Sanctarum, quarum jam ante memini, Gertrudis, Mechtildis, Catharinæ Senensis ac Brigittæ revelationibus hocce perhibet Blosius ad Monilis spiritualis calcem testimonium : « Revelationes prædictis fœminis factæ toti orbi » innotuerunt, et a piis eruditisque viris jam olim » fuerunt approbatæ : nam et Sancti Patres passim » eas citant in scriptis et libris suis. »

m

Lidwinam, etc.,

n

25 S. Lidwina virgo *n* Angelum custodem aliosque de cœlestibus spiritibus persæpe alloquebatur, eosque de nomine singillatim noverat, et quorumnam ipsis esset concredita custodia. Apparuit illi quoque diversis in figuris ipsemet Salvator Christus : revelatum illi adhæc fuit permultas se deprecante animas in supernam gloriam e purgatorio invectas, patrem quoque suum eadem jam potiri. Secreta cordium in plurimis ei innotuerunt : sæpe etiam in spiritus excessum rapiebatur, ac tum ita sensum omnem amiserat ut quodam tempore hujusmodi in raptu carnem et partem costæ adusserit, nec adustionen senserit. Alios quoque passa est mentis excessus, quibus durantibus Romam, Hierosolymam aliaque ad loca sanctitate illustria in spiritu ferebatur; dein ad se reversa singillatim et accurate quæ in iis viderat mira adstantibus referebat. Hanc, priusquam de ærumnosa vitæ statione decederet, Redemptor Jesus una cum Matre sua carissima Apostolisque intervisit : illius denique jam demortuæ gloria et salus tam confessario quam aliis nonnullis a Deo fuit patefacta (Joan. Brugman in Vita ejus). Eadem tempestate pius in Ægypti eremo anachoreta floruit, Gerardus *o* nomine, cui etiam mirabilia cœlitus revelabantur : item in Italia S. Laurentius Justinianus *p*, Venetorum Patriarcha, cui adhuc puero divina se Sapientia per visum, in speciosissimæ virginis specie, spectandam dedit, se ut in sponsam seligeret, invitans. Prophetiæ præterea nactus est spiritum, et multa longe ante quam contingerent, eventura prænuntiavit. Ipsa Natalis Dominicæ nocte parvulum Jesum in præsepio conspiciens diuturnum excessum passus est, uti et prope semper, quoties divinum Missæ Officium celebrando sacrosanctum Consecrationis opus jam peregisset. Quodam tempore in ecclesia cathedrali divinam rem faciens, alienatus a spiritu, sanctimoniali cuidam venerandum Christi Domini Corpus detulit (Bernard. Justinian. in Vita ejus). Beatus quoque Franciscus de Paula, Minimorum auctor, propheticis fuit revelationibus donatus (Leo X in Bulla canonizationis).

o

p

denique S. Ignatium de Loyola,

q

26 Ut vero alios non ita celebres ac notos omittam et ad nostra tempora propius descendam, sanctus Pater noster Ignatius de Loyola *q*, Societatis Jesu auctor et parens, etiam sæcularem agens vitam, æger in lectulo decumbens, Apostolorum Principem Petrum in visione conspexit, atque exinde in alium cœpit paulatim mutari virum (Ribadeneira in Vita ejus, lib. I, cap. I). Apparuit eidem haud multo post Deipara Mater parvulum suum Jesum ulnis gestans, miro splendore nitens : quæ quidem visio utcumque diuturna fuit, et in eadem castimoniæ ipse est gratiam a castorum Regina consecutus (cap. II). Manresæ mirificum de augustissimo SS. Trinitatis mysterio lumen menti illius affulsit, nec non magnus pietatis rerumque divinarum sensus inditus, qui tota deinceps vita illi perpetuus fuit. Alias Sacra Missarum Mysteria dum auscultat, clare animo illius repræsentatum est quo sub speciebus panis modo verum Redemptoris nostri Jesu Christi Corpus contineretur. Eodem quoque modo sæpius sacram Jesu Christi Humanitatem, et interdum gloriosam ejus mortem coram se spectavit. Alia in ecstasi magnam illi rerum tum fidei nostræ tum ad scientias humanas spectantium notitiam Deus inspiravit. Atque hæc quidem sub conversionis illius exordia, ac tum etiam octo ipsis continenter diebus a sensibus avocatus mansit, divina se interim præsentia illi commodante, idque multis inspectantibus (quippe in templo publico exanimis jacebat), ita quidem sui impotens, ut, nisi de adstantibus quidam, venarum pulsum explorans et levem in corde palpitationem percipiens, vivere virum asseruisset, terræ velut exanimem mandassent (cap. VII). Romam cum sociorum nonnullis dum peteret et in proximo urbi sacello preces funderet, Pater illi æternus apparens suo illum et socios Filio crucem humeris bajulanti quam diligentissime commendavit, a quo velut ratam commendationem habenti illico audiit : « Romæ vobis » propitius

A » propitius ero »; unde et familiæ abs se institutæ Societatis Jesu nomen deinde imposuit (cap. XI). In monte Cassino cum ageret, animo a sensibus alienatus vidit unius e sociis animam luce clarissima circumfusam, eamque inter Angelorum manus evectam ad paradisi gaudia pervolare. Cumque ad Missæ Sacrificium aliquanto post se conferret, atque in concipienda generalis Confessionis formula omnes rite Cœlites, « et omnibus Sanctis » dicendo, invocaret, splendidissimum Beatorum agmen ejus repente se aspectibus obtulit, socio (Hozius ei nomen) sic coruscante ut exuperantia fulgoris ac lucis secerneretur a cæteris (cap. XII). Eventura suis post temporibus plurima divina illi providentia patuerunt, ut et arcana ita abdita ut nulla naturali ea ratione cuiquam perspecta esse possent. Præter eas quas dixi revelationes multa tum illi revelata sunt, cum Societatis Constitutiones et vivendi formulam conscriberet.

S. Franciscum Xaverium aliosque recentiores

27 Francisco Xaverio de primoribus Ignatii sociis uni videndum se dedit B. Hieronymus, qui et virum est consolatus, et quid sibi futurum erat, declaravit. Inter precandum quoque tanta interdum illi de cœlo consolationum affluentia affundebatur, ut, cum eam humani cordis non caperent B angustiæ, gaudio absorptus et ebria mente exclamaret : « Aut vitæ filum, Domine, abrumpe, aut » consolationum ubertatem inhibe : neque enim » has ferre possim, et te coram non cernere. » Spiritus propheticus illi sicut unquam datus est amplissime : mira multa prædixit : interdum etiam cogitationum abdita perspexit. Inter celebrandum, Deo declarante, cognovit quemdam magno locorum intervallo disjunctum animam agere : quare ad adstantem populum conversus, precibus omnium exspirantem commendavit. Inter dicendum ad populum Malacensem absens Christianorum vidit ex Saracenis navali bello victoriam. Alia quoque id genus non pauca de ipso circumferuntur. Si vero Societatis nostræ hominibus oblatas hic visiones referre propositum haberem, quorum aliquos ipse etiam familiariter novi, novam contexere opus esset historiam; quod permultæ eæ sint et variis in orbis partibus contigerint. Qui factas Beatis Patribus F. Ludovico Bertrando *r* et F. Petro Nicolao Factori *s* revelationes illorumque prædictiones nosse desiderat, ipsorum vitæ historiam jam abhinc paucis annis contextam adeat : illius quidem cap. XV, hujus C vero a capite XXXII usque ad XLIII. Nemo vero in animum inducat credere hic eas desiisse et cessasse; cum hodie multa id genus admodum frequentia sint. Quin nonnullis ipse novi non minus commemoratione digna obtingere quam quæ de aliis supra singillatim exposui. In his porro recensendis opinione fui prolixior; tametsi nimis quam pauca attulerim, si quæ dici possent, consideremus. Nulla namque prope Sancti alicujus edita est vitæ historia, in qua non simile quid occurrat; adeo ut quæ dicta sunt hactenus, nihil esse videantur, tametsi ea ipsa extendere longius potuissem : nam studio ac data opera multa succincte comprehendere sum conatus. Quod vera plus æquo varia sim per exempla exspatiatus, id ejus quod initio proposueram, probandi studio factum puta, nunquam scilicet jam inde ab Apostolorum temporibus, et postea ad hodiernam usque diem hæc Dei dona in Ecclesia Catholica defecisse aut desiisse. Etsi vero plurimi tot tamque variis argumentis et exemplis ad hocce credendum opus non habeant, ea tamen nonnullorum in non credendo futura pertinacia ut etiam illos mihi verisimile sit suum post tot tamque aperta testimonia errorem non deposituros.

r s

28 Ex iis porro quæ hactenus produximus, duo eruere licet : primum erit, neminem umquam Sancti alicujus vitam scripto prodidisse, qui non quas nosset iis cœlitus oblatas revelationes et privatas a Deo gratias acceptas litteris mandarit. Hinc si in Vita B. Matris Teresiæ a Jesu scribenda id ipse omitterem, a communi solemnique cunctorum SS. Patrum, et omnium quotquot hoc scriptionis genus usurparunt, consuetudine deflecterem, tum vero historiæ fidei et integritati aliquid defuisset, multoque magis in Deum ipsum injurius exstitissem, mirificas illas prætermittendo gratias, quas sanctæ huic Matri visum est communicare, hacque illum frustrando gloria ac laude, quam hoc in eum nomine non injuria effudissent quotquot harum aliquam notitiam habuissent. Ita etenim id ipse Redemptor Jesus famulæ suæ Gertrudi revelavit. Nam cum quas ei communicarat gratias, scripto ut ederet, in mandatis daret, ipsa vero satis esse censeret eas oretenus ad proximi utilitatem enarrasse, etsi scripto non comitteret : « Dominus, inquit, » objecit verbum illud, quod ipsa nocte ad Matu- » tinas audieram lectum : Si Dominus doctrinam » suam præsentibus tantum dixisset, dicta tantum » essent, non scripta; sed nunc etiam scripta sunt E » propter plurimorum salutem. » Et addidit Dominus : « Certum divinæ pietatis meæ testimonium » volo habere in scriptis tuis his novissimis tem- » poribus, in quibus dispono benefacere multis. » Cum vero alias eadem secum Gertrudis animo volveret ecquem hæc sua afferre scripta fructum hominibus possent, cogitationibus suis respondentem Dominum audiit : « Et quid tibi utilitatis videtur » provenire ex iis quæ de Sanctis meis leguntur, » nisi ut legentium audientiumque augeatur de- » votio, et erga humanum genus pietas mea revele- » tur? » Subjungensque : « Pari, inquit, modo » aliquorum potest accendi devotio ad eorumdem » desiderium, quæ de te legunt, accepisse ex me, » considerantium gratiam ac liberalitatem boni- » tatis meæ, qui subinde studebunt suam mutare » vitam ad meliora. » Alias cum non parum secum ipsa miraretur cur hæc litteris mandari tantopere Deus vellet, quod defuturi non essent permulti qui non modo nihil inde sumerent ædificationis, verum etiam vilipenderent et calumniarentur, respondit illi Altissimus : « Ego meam gratiam tali » modo in te posui, ut magnum inde fructum » exigam. Quare vellem eos qui similia dona ha- F » bentes per negligentiam parvipendunt, cum de » te hæc audierint, admonitos fore, quo etiam ipsi » collata sibi dona agnoscant, atque in gratitu- » dine (unde mea in illis gratia augetur) crescant. » Porro, si qui maligno corde maluerint ea calum- » niari, peccatum illorum sit super eos, te im- » muni perseverante, etc. »

AUCTORE RIBERA. *cœlicis revelationibus* D

a Deo illustratos fuisse.

29 Alterum quod e dictis colligitur, est, nemini aut nova aut peregrina videri debere quæ de revelationibus, visionibus, raptibus, ecstasibus vel prophetiis hic traduntur; cum tempore Apostolorum adeo fuerint hæc ipsa frequentia, nec ab eo die ad usque hodiernum in iis umquam defecerint qui vel majorem in divino obsequio fervorem vel eminentiorem in vita sanctitatem prætulerunt. Nec etiam mirari quempiam debere nostris eadem fuisse crebra temporibus et etiamnum esse, cum eadem Deo modo sit liberalitas ac bonitas quæ fuit semper, nec minus eosdem possit hodierna die concedere favores, et concessurus sit iis qui iisdem recipiendis per gratiam illius se disponunt, quam olim. Hinc etiam anathematis diras Sacra Tridentina Synodus imprecatur illi qui certissime ac sine dubio

AUCTORE RIBERA.

bio ullo habiturum se perseverantiæ donum asserit, nisi speciali id ipse a Deo revelatione didicerit (Sess. VI, can. XVI). Sanctissimus quoque Pater Sixtus Papa V damnat ac rejicit eos qui futura a libero nostro arbitrio dependentia quocumque demum modo prædicere conabuntur, nisi hæc illis Deus ante patefecerit (in Motu proprio contra astrologos). Quamobrem nisi hoc tempore revelationes et esse possent et revera essent, superfluum meo judicio et absurdum foret velut clausulam restrictivam et exceptivam addere : « Nisi id illi » Deus revelasset » aut : « Nisi speciali id Dei illi » esset revelatione declaratum. »

CAP. II. *Porro, ex regulis a mysticis doctoribus traditis,*

30 Hæc quamquam ita se habeant, non idcirco tamen sibi quisquam persuadeat, omnibus quæ sparguntur, temere esse revelationibus fidem adjungendam; cum falsæ ac mendaces esse plurimæ queant et de facto etiam sint. Nam esset non minor, imo intolerabilior error, omnibus indiscriminatim credere, quam nullis omnino. Examinandæ primum sunt, ut constet cujus illæ sint spiritus : ait namque Joannes : « Charissimi, nolite omni spiri- » tui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint » (1 Joan, IV, 1). Quare non hoc agimus num omnibus in genere revelationibus credendum sit, sed num eæ quæ B. Matri Teresiæ obtigerunt, hoc contentæ libro, fidem mereantur. Eas ergo jam examinemus et ad coticulam probemus : si enim moneta hæc non sit proba nec genuina, nec ejusdem aurum sublime vel purgatum, ad lapidem lydium ubi revocaverimus, statim patebit. Aliquot in Sanctorum libris notæ et signa traduntur e quibus hoc evidenter cognosci poterit; quæ e D. Bonaventura peti potissimum poterunt (in processu relig. processu 7, cap. XVIII, XIX, XX). Nullus tamen de iis scripsit accuratius quam Joannes Gerson cancellarius Parisiensis, magna doctrina, prudentia et auctoritate vir, qui duos ea de re tractatus edidit : primum de spirituum probatione; alterum de verarum et falsarum visionum discrimine. Doctissimus cardinalis Turrecremata libro apologetico pro S. Brigittæ revelationibus etiam probe docteque rem hanc est prosecutus. Qui duo eodem prorsus tempore singulari quæstionem hanc studio in Concilio Basileensi versantes (quod in eo de sanctæ illius viduæ revelationibus comprobandis disceptaretur) pertractarunt. Hos, et Gersonem imprimis, secuti sunt, ne latum quidem ab eis unguem deflectentes, qui eamdem deinde materiam tractarunt, ut Magister Avila, C libro qui vulgo « Audi, filia » dicitur, nec non R. P. F. Magister Bartholomæus de Medina, qui doctrinæ nomine tam in cathedra lectæ quam libris editis traditæ notissimus est (in 3 p. q. 25, art. III, lib. I, cap. XV et seqq. usque ad XXIV), quin etiam doctissimus licentiatus Joannes de Orozco archidiaconus Cuellariensis, in tractatu lectissimo et elegantissimo quem de vera ac falsa prophetia elucubravit : quorum omnium medullam ad quinque redigere capita possumus.

S. Teresiæ revelationes,

31 Primum ipsasmet spectat revelationes, num eæ scilicet veræ sint, num Sacræ Scripturæ et Ecclesiæ Romanæ doctrinæ consentaneæ, num quid contra eidem dissentaneum, num quid in se falsi complectantur, quamvis cætera cum veritate coincidant. Alterum ad ipsas revelationum materias refertur; num circa ea quæ nullum ad salutem fructum afferunt, sed circa curiosa vel vana, quæ scire nihil interest, vel quæ citra revelationem aliunde percipi possint, versentur. Tertium, quosnam in iis quibus contingunt, gignant effectus : ex illis namque potissimum apparet num a Deo aut potius a cacodæmone deriventur. Quartum ad ipsum pertinet cui quid revelatur; ante omnia D enim considerandum ecquæ ejus sit animi corporisque constitutio : num videlicet judicio polleat ac discretione uti norit; num ratio in ipso morbis debilitateve aliqua turbata sit, quibus liber ejusdem usus impediatur (qualis haud dubie vehemens quædam est melancholia aliique morbi similes); num facile ac temerario impetu ad amandum odiove prosequendum aliquid feratur; num in imaginando sit nimius; num in Dei obsequio recens aut nuperus tiro, rerumque divinarum ac spiritualium exiguam notitiam usumve habeat. Deinde quod ad ejus mores : num arrogans sit, num gloriam famamve e suarum narratione rerum captet, de iis alios loqui cupiat; num suas pluribus revelationes referat; num libenter et non interrogatus in earum commemorationem feratur; num eas celari ac supprimi velit; num suum malit judicium opinionemque quam eorum quibus easdem communicat, sequi; num fidem adjungat iis quæ in his sibi revelationibus dicuntur, atque eadem exequatur, tametsi viri docti et spirituales contrarium ei consulant et asserant; num quempiam de iis consulere nolit quæ sibi revelata credit; num ex curiositate quaE dam ad orandum concedat, exhiberi sibi revelationes desiderans; num a Domino sciscitetur curiose ea quæ ad se vel alios spectant, ipsum rogando, revelare ut dignetur ea quæ se aliis respondere oporteat; num in vitæ ratione, externa conversatione ac vestitu ab aliis suæ conditionis ac status hominibus discrepet. Quintum, num a viris earum peritis ac probe judicare gnaris hujusmodi revelationes examinatæ sint et approbatæ. Circa horum singula plurima mihi dicenda occurrebant, probaturo scilicet B. Matri Teresiæ a Jesu factis revelationibus omnia illa signa et notas inesse quæ ad revelationem aliquam ut veram admittendam eamque a Deo factam censendam requiruntur. Verum, quod omnia prope quæ in hac re declaranda afferre opus erat, sparsim in variis historiæ hujus locis inveniuntur, paucis ea perstringam, ad ea lectorem loca remittens in quibus singula horum singillatim ac studio pertractantur.

quarum veritas,

32 Primum signum est num veræ hæ sint. Harum porro revelationum B. Matris Teresiæ aliæ de rebus sunt futuris, aliæ continent aut documentum aliquod illi traditum aut aliquod rei quam agere jubetur mandatum. Si quidem circa res futuras eæ versentur, ipsemet Dominus clarissimum nobis F signum proponit, quo manifeste cognoscamus num ab ipso venerint necne, dicens : « Quod si tacita » cogitatione responderis : Quomodo possum in- » telligere verbum, quod Dominus non est locu- » tus? hoc habebis signum : Quod in nomine Do- » mini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, » hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem » animi sui Propheta confinxit, et idcirco non » timebis eum » (Deut. XVIII, 21, 22). Quidquid autem ipsa venturum prædixit, jam reipsa adimpletum est (uno excepto, cujus nondum tempus advenit) : cujusmodi illud est, quod suis diebus Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo magna incrementa prædixit facturum; Deum illi quoque auxiliaturum; mira se visuram quæ ejus esset causa Deus editurus opera, neve omni suo conatu et contentione eadem adversarii ut subverterent unquam fore; atque alia plurima quæ libri IV capite V (*hic cap.* III) pluribus deducentur. Quæ vero doctrinam et documenta spectant, ea sunt omnia sacrorum voluminum et Ecclesiæ Catholicæ ac Sanctorum doctrinæ conformia, ut quæ toto legentur libro, abunde fidem facient. Quidquid vero in iisdem facere

A facere ipsa jubebatur, erat et salutare et utile : puta, monasteria fundare, eaque de causa, aut alia ad Dei obsequium cultumque spectante, varia itinera suscipere; nulla vero illi facta dabitur revelatio, quin sit hujuscemodi. Quod vero dixi, vel de omnibus his est revelationibus vel de aliqua earum parte intelligendum. Monendum autem (quod probe recteque Gerson consulit Tract. de distinct. verarum visionum a falsis, nota 5), si quam similes homines vel in totum vel ex parte falsam revelationem haberent, hanc quidem ut a Deo non profectam habendam, nullum tamen ab eadem aliis eidem personæ factis debere revelationibus damnum accedere, quasi, quia sola hæc a Deo minime descendit, ita aliæ nihil cum Deo haberent commune. Probationis loco sit, quia non perpetuo prophetiæ spiritum, uti evidenter id ostendit et docet Papa Gregorius (Dial. lib. II, cap. XXI), Prophetæ habebant, et, quod verbo Dei audiendo assuevissent, fieri potuit interdum illos Deo adscripsisse quod humanum erat et a se descenderat : uti Nathani Prophetæ accidisse testatur idem qui supra Gregorius (Hom. I in Ezech.), cum Davidi indixit templum Deo ut construeret, quod tamen illi Deus
B non injunxerat (2 Reg. VII). Non id eo dico quod hocce in libro quid simile inveniatur; sed quod, si forte tale quid occurreret, non id esse sufficiens causa debet ut idcirco aliis revelationibus fides abrogetur.

utilitas ac solidi fructus liquido patent,

33 Alterum est, num circa res vanas aut curiosas hæ revelationes versentur. Multis trium priorum librorum locis, ac præsertim lib. IV, cap. IV et V (*hic cap.* II *et* III), liquido patebit quam omnes sint utiles et quam nullam penitus curiositatem vanitatemque redoleant. Tertium erit perpendere quosnam in animis producant effectus. Solum hæc, etsi deessent alia, sufficiat ad unicuique persuadendum revelationes has a bono esse profectas spiritu, quod in illarum abscessu novum semper spiritus ipsa emolumentum sentiret, ferventiorem Dei amorem, majorem criminum detestationem, majorem suiipsius neglectum, intensius Deo famulandi desiderium : uti e quotidiano illius fructu colligere licebat, cum nimirum indies in virtutum exercitio proficeret. Patebit id libro hoc a cap. VIII (*hic cap.* V) deinceps, et iis quæ de ea confessarius scripta reliquit, sicut id lib. IV, cap. VIII (*hic cap.* IV) redditur, et iis quæ confessario suo ibi-
C dem et cap. ultimo tradita transmisit. Tanti vero S. Gregorius signum hoc faciebat, ut de monacho quodam, cui Petro nomen, quem in sæculo adhuc agentem ita in anima elevatum scribit ut damnatorum supplicia coram contemplaretur, sic testetur : « Hic deinde assiduis jejuniis ac vigiliis ita » corpus affligebat ut, etsi lingua ejus tacuisset, fa» cile vitæ clamaret institutio, infernales illi visos » esse cruciatus et timorem inde ipsum salutarem » concepisse » (Dial. lib. IV, cap. XXXVI). Ait etiam Redemptor : « A fructibus eorum cognoscetis eos : » numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis » ficos? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : » mala autem arbor malos fructus facit » (Matth. VII, 16, 17). Est porro signum hoc evidentissimum, et, si mature examinetur, numquam, quantum equidem mihi persuadeo, nos fallet.

quæque tum ipsius Sanctæ dotibus

34 Quarta nota, quæ ex natura, moribus et qualitatibus ejus cui revelationes exhibentur, sumitur, ita causæ B. Matris Teresiæ ancillatur et favet, ut ne majus quidem patrocinium optari queat : nam quotquot conditiones et partes necessarias exigunt ii qui enucleatius ac minutius hac de re scribunt, ut alicujus revelationes ceu veræ genuinæque habeantur, junctim et simul omnes in Teresia locum habuere. Judicium in primis sanum, subtile, maturum, insignis discretio ac singularis prudentia, hilaris, suavis et blanda in conversatione ratio, corporis constitutio bona et a melancholia quam maxime remota, uti tum dicemus uberius, cum de naturalibus ejus dotibus dicendi locus erit, libri quarti capite primo, et norunt omnes quotquot illam tractarunt et familiariter cum ipsa sunt conversati. Deinde, quem non excellens ejus sanctitas, maturitas, morum gravitas, nec non eximia, quam in omnibus etiam minimis rebus maxime spectabat, veritas, et maxima rerum omnium spiritualium et quas cacodæmon texere solet fraudum experientia et usus, uti non obscura ex iis quos ipsa concinnavit, tractatibus conjectura ducitur, in pia opinione confirmabit et ab omni prava suspicione eximet? Quid vero de illa dicam humilitate, quæ in ea adeo manifeste relucebat ut eminus etiam conspici et procul posset, et quæ in hac parte omnem viris prudentibus et judicio præditis metum anxietatemque eximere debet? « Si unum hoc » humilitatis signum, inquit Gerson, bene excu» teretur et pateret, alias inquirere notas necesse » non foret : nam ex humilitate et superbia in E
» rebus spiritus facillime quis dicat quænam veræ » sint, et quænam falsitatem oleant » (lib. de distinct. verarum visionum a falsis, nota 4).

AUCTORE RIBERA.

D

et profunda animi demissione,

35 Nunquam Teresia aliquam a Domino revelationem petiit vel optavit, ne quidem ullam sua in oratione consolationem, præterquam semel : qua etiam tum petita se ipsa illico reprehendit, et ecce post reprehensionem e cœlo consolatio submissa est, tametsi minime eam quæreret. Supplicabat ipsa identidem Domino, et illa postulante etiam alii, alio ut eam itinere deduceret, quin etiam magno quoad hoc ipsa conatu elaboravit; sed quo tales ipsa Dei magis a se gratias amoliri satagebat, eo ipsæ influebant uberius ac frequentius : ut legenti manifestum fiet in libro I, cap. IX et X (*hic cap.* V). Et hoc velut indubitatum Gerson duobus supra indicatis commentariis ponit signum e quo de revelationum quasi a Deo proficiscentium sinceritate judicium feratur. Nulli adhæc suas ipsa revelationes enarrabat, nisi aut consilium petitura et directionem, aut ut, si qua forte in iis lateret diaboli fraus, ab eadem per viros prudentiores expediretur : cui vero eas communicabat, summum huic ipsa silentium indicebat, ne cui dein has ipse pate- F
faceret; a quo si quid evulgaretur, id ipsam quam maxime affligebat. Denique ad hoc probandum sufficiat, quod in scripti quo suam ipsa vitam confessarii jussu complexa est, primis capitibus quidquid se umquam admisisse compererat mali, haud dissimulanter prodat, et, cum revelationum gratiarumque a Deo Opt. Max. receptarum narratio jam exordienda esset, capite scilicet decimo, confessarium ipsa magna animi demissione roget ut quæ in sequentibus scriptura esset, horum ipse neminem conscium faceret : hanc ob causam et proprium, et monasterii in quo tum agebat, et eorum quibuscum conversabatur, nomen studiose supprimit, ne forte a quopiam per ea quæ libro illo exarata cerneret, agnosceretur. Culparum vero, tam quas scripto credidit quam quas toto dein vitæ tempore commisit, confessariis plenam libere jam inde ab illa hora et momento divulgandarum potestatem fecit, nominisque sui manifestandi. Plura de hoc nosse qui cupiet, libri IV capita XV et XVI (*hic cap.* VIII) evolvat. Revelationes porro ipsa flocci pendebat, passimque eas nec optandas aiebat nec desiderandas; sed toto homines studio ac conatu

AUCTORE RIBERA.

in verarum solidarumque virtutum exercitia malebat incumbere : uti ejusdem libri caput vigesimum declarabit. Omnium revelationum suarum confessario rationem sedulo reddebat, nihilque in iis auditorum umquam ad opus et effectum, nisi ejus quem Dei in terris loco acceperat, accedente consilio perducebat; qui si refragaretur, etsi alias revelationes eadem de re ingeminarentur, parvi eas ipsa faciebat, uti eodem legetur capite in quo ejusdem fit obedientiæ mentio. Quamvis vero tot tantaque illi a Domino revelarentur, ab illo tamen nec sibi nec aliis quid umquam privatim postulavit. Vestitus et communis vitæ ratio penitus sancta erat, vitæque illius instituto ac religioni admodum consona.

tum virorum gravium approbatione commendantur,

36 Quintum signum, confirmatio ac comprobatio scilicet eorum qui aliqua hac in re auctoritate valent, sufficere non raro solet. Teresiæ vero oratio, spiritus et revelationes a viris gravissimis, doctissimis spiritualiumque rerum maxime gnaris in Castella aliisque quæ ipsa frequentavit locis, sunt insigni cum testimonio approbata, sicut cap. VII libri IV videbimus. Ex his ergo liquidissime patebit has M. Teresiæ revelationes esse a S. Bonaventura, Cardinali Turrecremata, Joanne Gersone, Magistro Joanne de Avila, Bartholomæo de Medina, et a Joanne Horozcio archidiacono Cuellariensi, ut alios præteream, quorum supra indicato capite seriem texam, approbatas et luculenta commendatione laudatas. Imo Horozcius (lib. de vera et falsa prophetia, cap. VIII), non eas in genere modo, verum etiam singillatim, idque verbis admodum honorificis, comprobavit. Nec minus eas approbavit ac laudavit R. P. Magister F. Ludovicus de Leon Ordinis S. Augustini, sacrarum litterarum apud Salmanticenses professor; de cujus eximia eruditione ingeniique acumine nihil hic attinet dicere, cum ejus id scripta apertissime loquantur. Hic a regio consilio ad B. M. Teresiæ opuscula scriptaque quæ prælo subjicerentur, examinanda destinatus, non ea modo censura sua ac judicio digna prelo censuit, verum etiam elegantem admodum iis præfixit epistolam, qua de illis tale dedit testimonium quale a viro et litterarum scientia et judicii maturitate magno erat expectandum, quamquam Teresiam ipse ante nec vidisset nec convenisset, sed e solis scriptis eam velut e speculo perspexisset. Quibus omnibus hoc ipse demum adjungo, diligenter me ac studiose multa de Sanctis quarum nuper meminimus quæque de revelationibus scripsere, legisse, et eas ipsas a viris doctissimis et gravissimis esse examinatas et comprobatas, atque illas et B. Matris Teresiæ revelationes adeo invicem similes existere ac si ab una eademque essent universæ manu conscriptæ; quin imo in illarum plurimis majores legentibus haud dubie scrupulos quam in his Teresiæ occursuros.

non minoris faciendæ sunt

37 Dicet forte quispiam eam nonnisi fœminam fuisse, ac proinde fœminæ factas revelationes non tanti esse faciendas. Huic ipse respondebo plura superiori me capite virorum quam mulierum exempla attulisse : at si fœminæ quibus eæ contingunt, vitæ sunt inculpatioris et Deo acceptiores, quam qui hæc objiciunt viris, cur fœminis ea miranˉtur concedi, quæ sibi, quod Deo non ita intime sese conjunxerint, vident denegari; præsertim cum nulla apud Deum sexus sit distinctio, nullum virorum aut fœminarum discrimen, et omnes illius sint creaturæ, quique illi se communicat liberalius, erga hunc etiam se ille vicissim liberaliter refundat? Parum etiam morabor hæc illos objicere, si modo advertant ad ea quæ dicunt : quia quæ violenter ac generose effrenos passionum motus comprimunt mulieres, easque Deo subjiciunt ac parentes reddunt, inclyto virorum dignæ sunt nomine; qui vero ab iisdem expugnantur et reguntur viri meræ sunt fœminæ. Neque vero hoc in corporis sexusve diversitate, sed animæ situm est robore. Videant porro num is Christianæ sit Ecclesiæ sensus, cum Virginum hæc generosarum ac fortium memoriam, quales Agnes, Agatha aliæque, solemni Martyrum Officio cohonestet, ut hoc nos illa pacto edoceat eas ceu viros generosos et invictos a nobis habendas. Hoc adeo quidem evidenter patet, ut non sit illi adstruendo diutius immorari necesse, cum et ipsa Ethnicorum scripta sint plena, canatque de virgine quadam priscus Romanorum Poeta Ennius :

» Vos etenim, juvenes, animos geritis muliebres;
» Illa virago, viri. »

nec minori fide dignæ;

38 Quamobrem fixum illud maneat, fœminarum, id est, imbellium et passionibus obsequentium revelationes parvipendendas, sed mulieris quæ longe viriliores quam multi illustres viri animos prætulit, et mulieris adeo generosæ et strenuæ et aliarum illi similium revelata magno esse numero habenda. Si Deo Optimo Maximo perquam sit volupe cum hominibus conversari, necnon certissimum quoque sit Nabuchodonosor regis ariolos perperam censuisse, negando omnem cœlitus cum hominibus conversationem; cum quo demum ille familiariter aget ac loquetur, si non cum eo qui ejus nomine omnia abdicat, suamque illi animam penitus dedicat et immolat, et solo illo delectatur ac pascitur? Vereor autem ne quis stupidus ac rerum ignarus in medium prodiens mihi calumniando objiciat, hæc quidem repertura fidem, si alius quispiam ea enarraret, sed, quod de se ipsa Teresia hæc referat, fraude et dolo suspecta censenda. Satis, meo judicio, foret, non aliter hisce respondere quam objectas calumnias surda aure præterire. Dico tamen hoc potissimum nomine viros cordatos et prudentes ad iis credendum assentiendumve invitari, quod hæc de se ipsa commemoret. Sane si alio quopiam narrante fidem hæc invenirent, quanto magis cum tantæ fidei et auctoritatis testis, omni exceptione majoris, adeo a propria gloria aucupanda remotæ, quæque omnem semper vanitatem tanta contentione ac studio fugit, testimonium accedat? Pervolvamus, quod variis in locis de Sanctorum gestis S. Hieronymus, S. Augustinus aliique, atque imprimis suo in Dialogo S. Gregorius, produnt; atque ad oculum patebit quam illi plenam hujuscemodi in rebus multo minoris auctoritatis testibus fidem adhibuerint, cum quod sanctimonia hi spectabiles essent, tum vero quod scirent quid suis cum Sanctis Deus agere soleat, et præterea quod permagni interesset fidem illis adjungere.

præsertim cum eas ipsa nonnisi jussa conscripserit.

39 Non animadvertunt autem hæc interiora quædam esse et illis solis nota quibus revelantur; qui si eadem tacerent, numquam fore ut ulli innotescerent. Quidquid enim revelatorum aut ad hominum notitiam venit aut scripto commissum est, id eo factum quod ipsi ad divini nominis gloriam ac proximorum utilitatem vel hæc sua descripserint manu vel aliis scribentibus patefecerint : adeo ut, si hanc ob causam hisce revelationibus auctoritas denegetur, pari ratione omnibus prope aliis quæ ab ipsis sunt Sanctis conscriptæ, neganda esse videatur. Undenam enim omnes quæ exstant SS. Birgittæ, Catharinæ Senensis, Gertrudis, Mechtildis, Angelæ Fulginatis aliorumque Sanctorum ac Sanctarum revelationes ad nos, nisi unica

A unica hac via, pervenerunt? Si vero aliis easdem commemorantibus credimus, etsi vel auditu tantum acceperint et testes sint auriti, quanto magis ac potius eæ nobis credendæ sunt, cum qui eas a Deo accepit, et non testis auritus, sed oculatus est, enarrat? Tum vero maxime et potissime, quod quidquid quoad hoc Mater Teresia conscripsit, non suo id instinctu arbitratuque, sed Dei, qui id ab ea fieri volebat, ac confessariorum, quos Dei vicarios habebat, jussu sit aggressa.

Merito igitur Ribera de iis,

40 Hinc factum est ut multo plura silentio involverit, quæ dicere alioquin potuisset, uti ipsa testatur, satis esse rata ea scripto tradere quæ ad jussis superiorum parendum aliquatenus sufficerent. Quodam tempore dixit illi Dominus (ut sua id ipsa manu notavit) : « Quæ tibi do monita, con- » scribere ne negligas, ne forte eorum te capiat » oblivio. Cum hominum consulta ac monita in » scriptis habere velis, cur tempus male impen- » dendum arbitraris in iis quæ ipse tibi propono, » conscribendis? Veniet aliquando dies, qua omni- » bus opus habebis. » Alia in schedula hæc exaravit verba : « Dedit mihi Dominus quodam tempore
B » lucem in re quapiam quam intelligere peropta- » bam; sed ejus statim haud multo post penitus » sum oblita, adeo ut ejus in mentem mihi deinde » numquam venerit; quam cum memoriæ refri- » care satagerem, illico vocem audivi : Cum jam » noris me tibi interdum loqui, noli negligere ea » scripto committere : quia, licet tibi inde nulla » accedat utilitas, aliqua inde aliis poterit acce- » dere. » Dictum igitur hic semel esto, nec post in cæteris quæ dicturus sum, repetendum, me, cum Sanctæ hujus vitam ac gesta scribere constitui, gratias illi et charismata divinitus communicata silere nec potuisse nec debuisse; quod unicam Dei hic spectem gloriam : ad quam mirifice facit quod suis se creaturis sincere et ex animo sibi obsequentibus adeo amice ac familiariter exhibeat. Fecerunt id olim SS. Athanasius, Hieronymus, Gregorius, et omnes tam veteres quam nuperi Vitarum Sanctorum scriptores. Nec vero me latet intimam hisce in rebus sanctitatis substantiam minime sitam esse : unde nec idcirco eas ipse litteris trado, tametsi eam aliquo modo declarent et quadamtenus spectandam dent, præsertim cum eos quos supra indicavimus in animis effectus et pietatis motus relinquant; nec quid aliunde appareat quod ipsis
C contradicendo adversetur, earumve auctoritatem imminuat.

sed brevius quam de ejus virtutibus, acturus est.

41 Quocirca revelationes nonnisi per transennam atque obiter, prout in Vitæ ejusdem filo occurrunt, enarro : de veris porro genuinisque virtutibus, in quibus omnis consistit sanctimonia, singillatim et data opera libro IV sum locuturus, qui et ideo duos alios magnitudine æquabit. Quod hisce temporibus magis etiam necessarium atque opportunum censeo, ut verarum revelationum signa ac notas propius dum intuemur et humilitatem illam atque amorem divinum quem in animis gignunt, falsæ et quæ a patre mendacii et fraudis immissæ sunt, evidentius pateant, nullaque iis fides vel auctoritas addatur, nemoque per has in fraudem inducatur : cum, quibus hæ objiciuntur, arrogantia eos et privato suiipsorum amore palam videamus turgescere, et soli honori, nomini, existimationi auctoritatique apud homines parandæ totos intendere. Atque ut albor nigrori comparatus et oppositus magis enitet et quodammodo albior apparet, nec non nigredo furvior et obscurior, sic, si falsæ cum veris revelationes conferantur et simul spectandæ proponantur, et illarum evidentius patebit falsitas, et harum fulgor ac splendor effulgebit magis. An non eo quo veri Prophetæ exsti- AUCTORE RIBERA.
D terunt tempore, etiam fuere pseudoprophetæ, et una cum Apostolis Jesu Christi surrexere apostoli satanæ? At non idcirco verorum Prophetarum imminuta est aut fracta auctoritas : quin potius eo claruerunt magis et majori habiti sunt numero. Denique cum hisce famulam suam prærogativis exornare visum sit Deo, cur eas ipse divulgare verear, cum Raphael Archangelus unumquemque nostrum doceat : « Sacramentum Regis abscondere » bonum est, opera autem Dei revelare et confi- » teri honorificum » (Tob. XII). Quod vero virtuti per alios qui ficta ejus specie mortalibus imponere sunt conati, infamia quodammodo irrogetur, ingens idcirco mihi fore nefas visum est veræ virtutis patrocinium ac tutelam non suscipere *t*. *t*

ANNOTATA.

a *Super his S. Bernardi biographis consule nostra Sanctorum Acta ad diem* XX *Augusti* (*pag.* 250).

b *Merito, ait Papebrochius ad diem* XVIII *Junii* (*pag.* 605) *de his revelationibus dubitatum est. Quare earum mentio, quam Molanus in prima sua* E *Usuardina editione fecerat, omissa fuit in Martyrologio Gregorii XIII. Eas egregie discutit Eusebius Amort in suo de Revelationibus tractatu* (*part.* II, *num.* IX).

c *Consule super S. Francisci stigmatibus tomum* II *Octobris* (*pag.* 648).

d *Vide amplum tractatum de Indulgentia Portiunculana eodem tomo* II *Octobris, parte* III *Analectorum de S. Francisco* (*pag.* 879). *Vide etiam Addenda ad diem* IV *Octobris* (*postrema tomi ejusdem pagina*).

e *F. Leander Alberti scripsit de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum* opus accuratum et puriori elegantiorique latinitate nitens, *ait P. Echardus* (*Scriptt. Ord. Præd. tom. II, pag.* 138).

f *Hujus Historiæ Ord. Præd. obiter memini in Commentario prævio, num.* 746.

g *Hæc de Sanctis Franciscanis Ribera hausit e Chronicis Ord. Min., lusitana primum lingua scriptis a F. Marco Ulyssiponensi et in hispanam translatis a F. Didaco de Navarra.*

h *In Bedano Martyrologio fit mentio S. Gertrudis Virginis, non ad* XVI *Aprilis, ut hic dicit Ribera, sed ad* XVI *kalendas Aprilis seu* XVII *Martii : estque proinde eadem illa Gertrudis Nivellensis de qua Surius, Martyrologia Romanum et Usuardinum,* F *aliique passim fasti sacri eadem die agunt.*

i *Agitur videlicet illo capite de meritis SS. Francisci et Dominici, qui S. Gertrudi* apparuerunt... in præfulgenti gloria, consimiles in meritis glorioso Patri Benedicto, amœnitate florentium rosarum ac rutilantis sceptri venustate decorati, *etc.*

k *Edidit hanc S. Angelæ Vitam Bollandus ad diem* IV *Januarii* (*pag.* 186).

l *S. Lutgardis Vitam habes ad diem* XVI *Junii* (*pag.* 231).

m *De S. Birgittæ revelationibus late disseruit Bueus ad diem* VIII *Octobris* (*pag.* 406). *De S. Catharina, ejus filia, vide ad diem* XXIV *Martii* (*pag.* 503).

n *Vitam S. Lidwinæ, auctore J. Brugman, edidit Papebrochius ad diem* XIV *Aprilis* (*pag.* 267).

o *De hoc Gerardo agitur in Vita S. Lidwinæ. Eum Prætermissis annumerarunt Majores nostri ad diem* XX *Septembris* (*pag.* 105), *Sancti titulum, quo a nonnullis donatus fuit, ei abjudicantes.*

p *Quam Bernardus Justinianus descripsit Sancti patrui sui Vitam, habes a Bollando editam ad diem* VIII *Januarii* (*pag.* 551).

q *S. Ignatii Vita a Ribadeneira composita inserta est operi nostro ad diem* XXXI *Julii* (*pag.* 655).

r *Indicat hic Ribera Vitam S. Ludovici Bertrandi anno*

A *anno* 1582 *et iterum anno* 1583 *hispanice editam Valentiæ a Vincentio Justiniano Antistio; quam latinitate donatam Majores nostri edidere ad diem* x *Octobris* (*pag.* 305).

s *De Nicolao Factore, quem Pius PP. VI anno* 1786 *inter Beatos adscripsit, disserendum erit ad diem* XXIII *Decembris. Vitam ejus Christophorus Moreno publici juris fecit Compluti anno* 1588.

t *Non possum hic non profligare exaggerata ab Edgaro Quinet in Sanctam nostram elogia, quibus divinam visionem singulari modo intermiscet. Protulit illa in Parisiensi dicto* Franciæ *Collegio mense Majo* 1845, *cum meos de Teresianis ecstasibus et visionibus paragraphos prelo jam submiseram. Sane, si viri scriptiones momento suo ponderentur, in Actis Sanctorum spongia eas haud dignas quisque mecum ultro fatebitur. Ast, cum illæ e genere earum sint quæ dedita opera a Religionis hostibus late sparguntur et ficta mendacique fama alte deprædicantur, quo valeant apud incautos lectores, non modo* (*quod Quinetio solemne est*) *odium excitare in Societatem Jesu, sed et labefactare auctoritatem Romani Pontificis et episcoporum, imo omnem subruere Religionem Christianam; non abs re duco hominem paucis reprehendere qui profari sequentia ausus est verba:* Verus Reformationis adversarius fuit Teresia.

B Ordinem erexit qui pugnaret oratione, dolore, lacrymis et amore. Plus ipsa adversus Reformationem valuit quam Philippus II, quam Inquisitio et quam Jesuitæ. Ejusmodi gemitus auditus non fuerat a temporibus descensus Golgothæ. Neque Reformatio eam vincere potuit, eo quod cor ejus inhæreret visioni amoris divini. Teresia relevavit Ecclesiam, sed mox de novo ruituram. *Ita novus* Teresiæ *encomiastes inter atroces quæ hunc locum præcedunt et subsequuntur adversus Catholicam Ecclesiam calumnias splendidaque contra historiæ veritatem mendacia. Igitur* Teresiam *ab Ecclesiæ hostibus ideo invictam permansisse tenet ille,* quod cor ejus inhæreret visioni amoris divini; *ita ut, si verba grandiloqui doctoris assequar, magnos* Teresiæ *animos dotesque fateatur adscribi debere divinis iis charismatis de quibus hic sermo fuit. Attamen, utut sit et de inaudito illo Teresiano gemitu, et de descensu Golgothæ, et de validiore adversus protestantismum* Teresiæ *obnisu præ obnisu Philippi II, Inquisitionis et Societatis Jesu* (*quæ omnia doctori qui ea profatus est, seu nova interpretatione enucleanda seu justis argumentis comprobanda relinquo*), *non eo quo Quinetius vult modo ante* Teresiæ *tempora prostrata jacuit Ecclesia, neu a* Teresia *erecta est, neu post* Teresiam *est collapsa. Sed trina hæc assertio trinam continet cum historiæ tum Catholici dogmatis gravissimam offensionem. Neque lubet mihi tantas has in Ecclesiam simul et in* Teresiam *injurias sine correptione tacito præterire, eo quod apud multos hodie sit moris, ut Ecclesiam Catholicam despicabilem reddant, eam ut caducam fluxamque traducere, imo ejus funus asseveranter annuntiare aut etiam in præsenti celebrare; sed operæ pretium duco hos vivæ et immortalis Ecclesiæ humatores castigare paucis, et errorem quem e suggestu inque libris loquaciter docent, strictim dedocere. Noverit igitur Quinetius et totus ille pseudomagistrorum chorus Ecclesiam Catholicam æternum esse ædificium et miraculum immutabilitatis consiliorum Dei. Volventibus sæculis videt illa et morituras hæreses enasci et aviæ humanæ rationis deliria oblitterari. Sexcentæ sectæ una cum octodecim sæculis coram ipsa evanuere : atque imperatorum et regum in ejus ruinam conjuratorum collapsis thronis, sospes Ecclesia in Romanis Pontificibus, ceu in dynastia Christi, perstat et æternum perstabit. Vixdum enata, contra orbis dominos longa trium sæculorum pugna certabat, pluresque e pugilibus suis milliones cædebantur : ast sub gladiorum crescens acie, Sponsa Christi e tanta lucta victrix evasit. Adhæc et alterum haud raro in Ecclesia oriebatur bellum, domestica scilicet discordia cum hæreticis, qui, ut ait Tertullianus, veritatis sunt interfectores hostiumque genus* D *tanto atrocius, quod ipsa Religionis viscera discerpant, animamque perimant, intactis corporibus Sed Ecclesia Dei vivi, quotiescumque impetebatur, contra hæreticorum tela invicto Apostolicæ traditionis clypeo illæsa sua dogmata obtegebat; et erroris impatiens, quia vera, illos damnabat desertæ Religionis, dissectaque de magno corpore membra in putredinem jubebat abire. Sic Petri navicula, cum jactabatur procellis, eo sublimius semper fuit evecta quo vehementiores eam subvertere fluctus tentabant : siquidem Religio nostra non minus flexibili hæreseon pravitate quam doctorum scientia firmatur, non minus hostium assultu splendescit quam Martyrum confessione, præconum zelo et gentium accessione. Enimvero, opinionum commenta delente die, dum hæreticorum filii recoquunt damnatas pridem patrum suorum fabulas, Catholica Ecclesia, ab infidelibus oppugnata, ab hæreticis impugnata, expugnanda a nullo, veritatis stabilem tenuit tenetque principatum. Docet quod ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Fides Gregorii XVI, fides Petri; fides hodierna, fides omnium sæculorum usque ad consummationem mundi. Quotquot igitur nequam doctores in columnam et firmamentum veritatis, in Dei, inquam, Ecclesiam, furibundi irruerunt hodieque irruunt, deciderunt hodieque decidunt enecti,* E *contrita turpiter fronte. Sed hæc satis sunto de isto Quinetii elogio, quod malus laudator non aliam ob causam quam ut Ecclesiam impeteret, S.* Teresiæ *affixisse videtur. Atque hic clauditur longa de visionibus et ecstasibus tractatio, qua Ribera binis his capitibus adversarios pro ævi sui conditione confutavit, et qua ego* (§§ XCI—XCVI) *pro conditione ævi hujus confutare conatus sum alios qui Sanctorum charismata adscribere non verentur phantasiæ, magnetismo animali, hysteriæ vel morbo cataleptico.*

CAPUT III.

S. Teresiæ nativitas, pueritia, adolescentia et in Ordinem Carmelitanum ingressus.

CAP. III. *S.* Teresia,

Mater Teresia a Jesu Teresiæ de Ahumada nomine antea est vocitata; hoc vero A JESU cognomentum eo assumpsit tempore quo monasteriorum suorum primum a S. Josepho denominatum Abulæ fundatum est. Exinde enim Teresia a Jesu dici F cœpit, id ipso exterius indicans nomine quod intimo clausum corde tenebat : non se jam nimirum amplius mundi nec suorum nec demum suiipsius, sed totam solius Jesu esse, cui se toto animo et corde jam penitus consecrarat. Quod salutare piæ matris exemplum filiæ æmulantes, quo sacram Religionis vestem assumunt die, novum cognomentum, vel a Jesu vel ab illorum quopiam qui Domino nostro Jesu Christo fidelius ac ferventius servierunt, pro suo quæque affectu ac pio sensu induunt, ipsum familiæ ac generis, tametsi illustrissimi, et quem in sæculo tenuerant honoris ac dignitatis titulum exuentes. Etsi vero aliquot intercesserint anni, antequam hoc A JESU cognomento diceretur, hoc tamen nos eam nomine jam inde a principio donabimus, cum hoc illi præ patrio et gentili longe fuerit gratius et carius. Teresiæ nomen nec Græcorum est nec Latinorum, uti quidem nonnullorum est opinio, sed Hispanorum proprium, et quidem antiquum, qualia Elvira, Sanchia, Urraca aliaque similia mulierum nomina. Sic et in Hispania permanserunt Sanchius, Gutierrus, Garcias, Mendus, Alphonsus, Fernandus aliaque virorum cognomenta,

cognomenta, quorum aliquot in Canone Missæ Mozarabicæ, cujus olim in Hispaniis usus erat, videre est, cæterorum Sanctorum nominibus permista. Unde et Teresia alicujus Sanctæ Hispanæ nomen esse mihi verosimile fit, et forte filiæ illius regis Bermudi cujus Rodericus archiepiscopus me-
a minit in IV rerum Hispaniensium libro, cap. XVII *a*, quo loco Alphonso Legionis regi, Bermudi filio, sororem refert fuisse Teresiam nomine (qui vero Latine historias hasce conscripsere, Tarasiam appellant). Hanc pater invitam Toletano regi Abdallæ in conjugem dedit, quod sibi hunc propter affinitatem adversus Cordubensem regulum suppetias speraret laturum. Quæ cum Mauri amplexus et tactus pati renuisset, illique, nisi ab impuris conatibus desisteret, Domini, cui ipsa serviret, ultionem comminaretur, nihil minas moratus barbarus violenter illius pudorem imminuit; sed extemplo vindicem Angeli cœlestis manum sensit. Unde, cum mortem sibi propterea imminentem cerneret, Legionem eam egregio cum comitatu et multis dotatam muneribus remisit. Hæc deinde monasterii septis se includens insigni in sanctitate vitam traduxit : tandem cum ad cœnobium a Sancto Petro cognominatum ve-
B nisset, in eodem et diem clausit et sepulturam in-
b venit *b*.

Abulæ die XXVIII *Martii* 1515

43 Abula, Castellæ Veteris civitas et nobilis et vetus, prima nascentis Teresiæ vidit incunabula : quæ civitas cum non inter postremas regni illius censeatur ac celebretur, posthac tamen longe fu-
tura est notior, quod beata et pulchra hæc arbuscula ibidem et orta sit et educata : quæ, quanquam sua sub initia exilis videretur, jam paulatim suos per universum qua patet Hispaniæ regnum ramos extendit; et modo etiam eosdem in alias trans mare provincias cœpit extendere (exemplo sit Genua), quin et ad Indos usque, et, quantum Deo dante spero, etiam remotiora ad loca suas propediem stirpes emittet. Parentum in ædibus illius ortus contigit, e regione ædis Dominicanæ sitis et ædi S. Scholasticæ contiguis : quas suo vir nobilis Didacus Bracamontius jam ære comparatas paternis irredimibilibusque suis possessionibus adjecit. Has ipse, simul et locum in quo nata, et conclave haud procul inde in quo quindecim annorum spatio et amplius dormivit, sum ingressus et contemplatus. Si vero qui harum jam dominus est ædium, tanti quanti fieri
C revera deberent, eas faceret, e duobus illis cubiculis oratorium, ad rei adeo solemnis memoriam conservandam, construeret; et spondere ipse ausim nihil his pietatis operibus rebus illius derogatum iri aut diminutum, sed eam fortassis in causa futuram, ut domestici omnes, tum qui hanc hodie domum incolunt, tum qui post futuris temporibus
c incolent, divina benedictione compleantur *c*. In feriam quartam natalis illius incidit, V kalendas Aprilis ac profestum S. Bertholdi Confessoris, qui ejusdem fuit Ordinis, anno post partum Virginis MDXV, regnante in Castella Joanna Caroli V imperatoris matre, et patre illius Ferdinando rege Catholico absentis filiæ loco regni gubernacula moderante, Ecclesiæ universali præsidente Leone X Pontifice Maximo, Romani imperii habenas tenente Maximiliano I Caroli imperatoris avo, biennio antequam funesta illa Ecclesiæ pestis Martinus Lutherus impium Romanæ Ecclesiæ bellum nefariis suis dogmatis indiceret. In quo divinam mirari licet providentiam, ut, cum sacrilegus hic sponsas Deo sacras monasteriorum septis eductas impiis copulaturus erat nuptiis, tum paulo ante sancta hæc virago ederetur in lucem, qua monente et facem præferente, multi passim intra eadem cœnobiorum claustra se arctarent suamque Deo castimoniam voto sacrarent.

AUCTORE RIBERA.

44 Orta est nobili et claro imprimis genere. Patrem habuit Alphonsum Sanchez de Cepeda, Joannis Sanchez de Toledo et Agnetis Cepediæ filium, et Alphonsi Sanchez de Toledo et Teresiæ Sanchez nepotem. Matrem Beatricem de Ahumada, Matthæi de Ahumada filiam, de genere Ahumadiorum, quod et nobilitate et antiquitate inter Abulenses familias numeratur, uti et familia Tapiarum, e qua oriunda erat hujus Beatricis mater, Joanna de Tapia. Quæ autem de Teresiæ nostræ avis et proavis huc attulimus, e priscis de illorum nobilitate fastis ac tabulis deprompta sunt; quæ adeo quidem evidens erat ac manifesta, ut, licet Alphonsus Sanchez de Toledo Abulensis non fuerit, sed advena, suas tamen proles nobilissimis ac primariis urbis illius matrimonio elocarit. Cepedii e Tordesillis originem ducunt, quorum nota est claritudo et splendor. Porro Alphonsus Sanchez binas iniit nuptias : primas cum Catharina del Peso, quæ illi filiam peperit Mariam Cepediam; alteras deinde cum Beatrice de Ahumada. Felix autem et beatum id utriusque connubium fuit : ut enim generis
E natalibus, sic et virtutibus ambo illustres fuerunt : testimonio sunt liberi, quos genuere, octo vel novem; inter quos tertio nata loco fuit Teresia nostra, cum mater nondum primum supra vigesimum annum explesset. Ex his etiamnum hodie aliqui sunt superstites.

D) *parentibus tum genere*

CAP. IV. *tum pietate præclaris nata,*

45 Ut B. Teresiæ nihil, quo minus ad eam sanctitatem ad quam post pervenit, pertingeret, omnino deesset, de tam piis providisque Deus illi parentibus prospexit, ut, cum bono quod ab ipsis promanabat exemplo, tum quam ejus habebant sollicitudine adjuvante, sanctimoniæ calcare ipsa semitam etiamnum parvula cœperit. Mater quippe honestissima erat matrona, quæ etsi forma utcumque æqualibus præstaret, nullam tamen cuiquam suspicionem movit aut se formæ colendæ studio teneri aut ob eam insolescere. Quamquam enim tertium supra trigesimum nondum superasset annum, cum de vita migraret, provectiorem tamen mores vitæque ratio ætatem redolebant. Non minor etiam in patre elucebat honestas morum ac sanctimonia, quem nemo vel temere jurantem vel aliis detrahentem audiit. Sanctorum is lectione librorum mirifice capiebatur, quorum et magnam domi vim
F habebat, ut liberis quod legerent minime deesset. Dabat is operam ut precationi hi quotidianæ statis horis vacarent; præ cæteris vero elaborabat ut singulari omnes erga Deiparam Matrem aliosque Cœlites studio et affectu ferrentur. Horum autem librorum lectione et quam pius parens tenellæ instillabat ætati pietate factum est ut Teresiæ animum tangere jam tum de cœlo Dominus cœperit et ad sese pellicere, cum vix septimum ipsa attigisset ætatis annum. In studio pietatis socium habebat e fratribus Rodericum Cepedium, qui deinde in Novo Orbe in fluvio cui ab Argento *d* *d* cognomentum est, mersus interiit, cohortis eo missæ ductor constitutus. Hinc cum Teresia ut martyrem *e* habebat, quod fidem Christianam pro- *e*
pugnando occubuisset. Peculiari erga hunc præ cæteris fratribus amore ferebatur, quod ejusdem prope ambo ætatis essent, et eodem uterque mense et die in lucem editus (quamquam hic quatuor ante Teresiam annis, ut fidem is facit liber cui filiorum pater solitus erat inscribere nativitatis diem) : unde et magno cum gustu affectuque ambo historias et gesta Sanctorum pervolutabant.

46 Non mediocrem vero tenellis ejus præcordiis

AUCTORE RIBERA.

A *in ipsa pueritia martyrium desiderat,*

ardorem injiciebant lecta Martyrum nonnullorum supplicia ac cruciatus. Quocirca luce cœlesti illustrata, secum ipsa puellula reputabat, vili admodum exiguoque a Sanctis hisce æternæ quietis divinique conspectus possessionem pretio, etsi acerbissimis toleratis cruciatibus, comparari; quare eamdem ipsa laborum mercedem perceptura ac præmium, eodem etiam mortis genere occumbere summopere desiderabat. Quoniam vero etiam tum ingenti excelsoque erat animo et insignem erga divinum obsequium generositatem præ se ferebat, non satis illi fuit mortis hujusmodi ardorem concepisse, verum etiam cum fratre Roderico tractare accurate cœpit ecquænam desiderii illius opere exequendi tamque gloriosæ mortis illico oppetendæ ratio suppeditaret. Acribus illum verbis ita puella commovit ut, tenui secum sumpto viatico, paterna ambo domo sint egressi, proxima Maurorum petituri regna, a quibus pro divini nominis gloria cervices tenellæ ipsis præciderentur. Egressi jam portam erant ab Adaja (flumen id est Abulam perfluens) dictam, et pontem superarant, cum longius progressis occurrens patruus, ambos, magno matris cum gaudio, quæ illos tota conquiri urbe

B jusserat mœrore confecta ac metuens ne forte in puteum quemdam domesticum prolapsi interissent, domum confestim reduxit. Hic purgare se Rodericus, et omnem in parvulam sororem, a qua ad hoc suscipiendum iter esset incitatus, culpam congerere. Percellebat autem utrumque non mediocriter quod tam gloriam in cœlo quam cruciatus apud inferos æternos fore passim in libris lectitarent : qua etiam de re ambo identidem inter sese colloquebantur, et vocem Æternum accurate ponderantes, magno ipsum animi sensu sæpius repetebant : Æternum, Æternum, Æternum! Hac assidua de æternitate commentatione factum est ut magnum animo illius Dominus desiderium illius sectandæ viæ injiceret quæ ad perpetuo et æternum duraturam gloriam sectatorem perduceret.

aliaque plura præbet

47 Cernens porro coronæ martyrii, ad quod subeundum tam vehementem in se ipsa ardorem et animum persentiscebat, obtinendæ sibi esse iter obstructum, illa suadente, eremiticum ambo ac solitarium vitæ genus consectari decreverunt. In horto ergo domestico qua poterant arte casulas ac cellulas sibi construunt, non adinstar aliorum puerorum e voluptate aliqua per ludum, sed ut

C suum in iis animum in solitudine recolligerent. Sed frustra : extemporaneum namque hoc opus diuturnum non fuit, ut suo satisfacere desiderio piisque votis nequaquam possent. Nondum quippe id venerat tempus quo solidiores et capaciores ipsa casulas construeret, et quo in orbem eam sanctitatem vitæque rationem induceret quam veteres eremicolæ et Patres in montis Carmeli solitudine inierunt. Solitudinem ergo, quantum sibi fas erat, sectabatur, ut in ea suæ pietatis exercitiis, quæ plurima erant, vacaret, ac præsertim suam Deiparæ inibi coronam legendo. Mater namque ejus, Virginei Rosarii studiosa, hujus usum suis liberis familiarem reddiderat. Mirifice vero erga illam ex Euangelio historiam afficiebatur in qua Redemptor ad puteum cum Samaritana loquens inducitur (Joan. IV) : quare rei hujus imaginem suo semper in cubiculo, quo perpetuo ob oculos versaretur, depictam habebat, hac addita epigraphe : « Domine, da mihi » aquam » (cap. XXX Vitæ ejus). Nesciens autem quam ingens sibi bonum peteret, Deo identidem supplicabat ut sibi aquam illam vivam impertiret, magnum hac in petitione illi vicissim gustum Domino inspirante, ut qui postea eam aqua hac cœlesti tam copiose esset inebriaturus. Hinc et conti- D nenter illam in mente habebat, et in iis quæ scripsit, non parum ex illa hausit, quo orationis magnalia declararet.

futuræ sanctitatis specimina.

48 Egentibus, quantum poterat, stipe data succurrebat. Si quando cum æqualibus luderet, monasteriolis struendis mire delectabatur, ut jam tum hoc Dominus præmonstraret argumento, iis qui idipsum intelligere potuissent, quæ deinde cum tanta divini nominis ac sanctissimæ Matris gloria Teresia fundatura esset. Ita quoque in omnibus se gerebat quasi jam revera monasticam vitam professa esset, ipsamque etiam profiteri desiderabat, tametsi non eo fervore ac studio quo alias ad martyrium et vitam solitariam aspirarat. Hæc tum quidem Teresia, cum Beatrix mater illius ex hac vita tollitur, duodecimum ferme puella tum annum agente. Cum talis matris illa decessum pro eo ac debebat peracerbe ferret, mœrore prostrata, ante quamdam Deiparæ imaginem sese abjecit, multisque cum lacrymis illi supplicavit, ut, cum matre jam orbata viveret, sui ipsa deinceps ut mater curam gereret, seseque in filiam haud gravate admitteret. Tam opportuno fuit hæc oratio tempore et tam sincero ardentique fusa pectore, ut ejus E reipsa effectum senserit, a clementissima illa Matre ex eo tempore in filiam suscepta, uti post tum ipsa in omnibus necessitatibus, tum et mundus universus in mirabilibus rebus quas ejus opera Deus sanctissimæ Matris suæ interventione operari est dignatus, quam clarissime perspexit.

CAP. V. *Deinde in virtute tepescit*

49 Non ferebat sancta hæc piæ virginis principia humanæ salutis hostis satanas : neque enim eum latebat quam ipsius natura ultro in virtutem propenderet. Notabat adhæc perspicax et acutum in illa ingenium, maturam sedatamque prudentiam, animum ad ardua et excelsa suscipienda generosum, necnon industriam ad hæc ipsa exequenda singularem, perseverantiam quoque et infractum adversus omnem languorem qui obrepere posset, constantiam, tantam denique dicendi efficaciam et vim ut, si majores in ea virtutum radices agere sineret, multas ejus opera animas Deo vindicandas formidaret. Hæc, inquam, cum videret, omni sibi ope enitendum putavit ut bona subrueret quæ dotes illæ singulares jam tum pollicebantur. Quare omni qua potuit ratione conatus est eximia illa naturæ dona a Deo Creatore accepta pravo eorum inducto usu corrumpere. Commoda ad hoc ipsum F faciendum nupera illius in adeo imbecilli ætate materna vigilantia et cura destitutæ orbitas videbatur. Duplicem ad hoc adhibuit machinam.

lectione futilium librorum

50 Prima fuit persuasa veterum per Hispaniam heroum bellorum et armorum, carmine conscriptorum, lectio. Hæc haud dubie inventionum ipsius una est, qua ille multas solitudinis et honestatis amantes animas in perniciem pertraxit : quod persæpe in familias a quibus alioquin impudicæ et castitatis expugnatrices mulieres arcentur, illorum librorum introducatur lectio, quos nonnulli otio abundantes et vanitate, magna quidem elegantia ac lepore, sinistra tamen voluntate composuerunt, ut hostis inde noster, velut e pharetra, prompta ad nos oppugnandos tela depromeret; et clam et occulte id afferre animabus damnum assoleant quod fortasse illæ administræ et parariæ diaboli minime afferrent. Hos igitur non heroum, sed vanitatum panegyricos ipsa perstudiose et assidue evolvebat, eorumque lectioni multas bonas horas impendebat; utque ingenio excellebat, ita hanc phrasin et elegantiam tam profunde in animum dimiserat ut paucis post mensibus ipsa et Rodericus Cepedius frater

A frater similes componere ipsi odas, heroum gesta fictione poetica deducendo, non dubitarint, ita quidem ætatis illius captum superantes ut apud multos etiam laudem invenerint. His ipsa e studiis non alium sane fructum tulit quam qui semper inde referri solet, etsi non tam depravata prodiret quam cæteri harum nugarum lectores; quod eam Dominus, a quo ad tam magna et excelsa reservabatur, nonnisi modicum a sua aberrare manu permittebat. Cœpit proinde corporis ornatui studere, peregrinos nidores circumferre, comam struere, manus curare et compta in publicum prodire velle; etsi sinistra omnis abesset intentio, et nemini ullam in Deum offendendi occasionem dare vellet. Quamquam autem in hisce similibusque vanitatibus consectandis ipsa quam maxime incumberet, nihil tamen tum quidem admittebat quod noxam aliquam putaret includere.

et noxiis consortiis;

51 Alterum invidi adversarii stratagema quod adversus hanc Dei famulam produxit, fuit hoc ipsum quo multos non raro tum ætate tum virtutum studio majores expugnavit, pravorum nempe contubernium. Cum enim domum illius cognati quidam frequenter adirent, paris cum illa ætatis,
B vanitatibus mundanis jam tum addictissimi, et sæpe cum illa de iisdem sermonem sererent, hos ipsa non illibenter audiebat, et vicissim quæ illis grata fore noverat, de suo ipsa in medium afferebat, non sine illorum voluptate. At fuit de consanguineis quæ longe illi exstitit damnosior. Hæc magno patris cum dolore illius ad ædes accessum habebat: quod enim moribus esset non sat gravibus, domo quidem eam excludere voluisset; negare tamen aditum non poterat, quod arcta illi secum sanguinis intercederet cognatio. Hæc et alia eorumdem morum sodalis, cui illa nota erat, cum Teresia quartumdecimum explente vel aliquantum excedente annum familiariter tractantes, hanc paulatim sui similem reddiderunt, ut omnis Dei timor ejus ex animo sensim evanesceret atque illius loco sæculares inaniæ et affectus terreni et noxiæ familiaritates mentem illius subreperent; tametsi, ut de se ipsa scripto testata est, non usque adeo prono in malum ferretur affectu. Ipse vero Dominus, cui singulariter ipsa curæ erat, duos illi velut frenos injecit, ne in hoc lubrico laberetur, animæque hic jacturam faceret. Primum fuit naturalis quædam ab omni impudicitia ac sordibus
C carnalibus aversio, quam etiam ipsa numquam exuit; alterum, tantus honoris amittendi metus, ut violentum quidem illi, salutare tamen fuerit retinaculum. Et licet ipsa (utpote quæ in omnibus mira ingenii dexteritate valebat) sexcentas excogitaret artes ut quæ agebat, patre clam fierent nullumque honor suus detrimentum caperet, impedire tamen non potuit quin deterior aliqua de ipsa suspicio nonnullorum animis insideret et aliquod nomini ejus probrum affricaretur. Arridebant læta hæc cacodæmoni initia, jamque sibi majorem ex illa victoriam spondebat: sed excelsus ille ac potens Dominus, Teresiæ non obliviscens, et mirabilia magna per ipsam aliquando ad ampliorem nominis sui laudem operaturus, tum cum nihil minus opinaretur, e manibus satanæ prædam hanc excussit.

sed bona in monasterio educatione

52 Cum ergo nonnisi trimestri has ipsa vanitates sectata esset, virginum in monasterio Ordinis S. Augustini, quod a B. Maria de Gratia nomen habet, in quo id genus puellæ alebantur, a patre collocatur, quamquam sæcularem habitum non deposuerat. Ipse etiam Dominus, cum jam ante ejus esset sollicitus, effecerat ut nunc ei hæc vana nauseam afferrent, et, si quod crimen consciret, in-
D solitus repente Dei timor menti illius oboriretur, ipsumque quamprimum confessarii in sinum abjicere satageret, animum compositura. Hoc ergo loco Dominus eam ad se reduxit: atque, ut omne ferme malum quod animam hanc eatenus purissimam occuparat, promanarat a pravo malorum consortio, sic omne vicissim bonum in eam e sancto sanctæ cujusdam virginis hoc in cœnobio agentis contubernio voluit derivari. Hujus namque e familiaritate ac colloquio ita immutata est, ut pravos quos imbiberat mores paulatim exueret, et ad bonos, quos ante exuerat, postliminio reverteretur, atque ut paulatim quod in religiosum Institutum conceperat odium deponeret, et de æternis assidue bonis meditari ac tota ad eadem animi contentione aspirare inciperet; multas ad Deum funderet et ipsa preces, et ab virginibus omnibus pro se fundi peteret; ut vitam denique quotidie in melius commutaret, etsi nondum plane monasticen profiteri animo constituisset. Nec vero, quod intra monasterii hujus septa conclusam Teresiam cerneret, ab ea pro more infestanda spiritus malignus destitit: quin imo et hic grave illi indixit bellum, tam internum pravis suggestionibus, quam externum mittendis ad eam aliorum nuntiis. Sed cum inanis omnis ejus cona- E
tus foret, illico cuncta in ventos abiere, et quam ille ejus inescandæ spem conceperat, penitus tum evanuit et concidit. Hoc in monasterio sesquiannum commorata, tum demum paternas ad ædes redire compulsa est, cum gravis illam afflixit infirmitas.

CAP. VI. *piisque libris legendis ad frugem redit:*

53 Confirmatis jam e superiori ægritudine nonnihil viribus, Teresia ad sororem Mariam Cepediam in pago commorantem a suis mittitur, ut ad dies aliquot apud ipsam animum relaxatura diversaretur. Sed dum ei alius, Hortigosa nomine, quatuor ab Abula passuum millibus distans pagus pertranseundus esset, in quo patruus ejus, Petrus Sanchez Cepedius, jam uxore viduatus, ea tempestate habitabat, apud hunc pauculis diebus diversando hæsit: cujus honesta sanctaque vitæ conversatio miros Teresiæ ardores injecit. Spiritualium namque librorum lectioni sese dedere, eo hortatore, cœpit; erga quos licet ipsa parum afficeretur, ut patruo tamen morem gereret, eos frequenter volutabat. Unde factum est ut non ita multo post illam pernosse veritatem cœperit quam illius tenero cordi Deus olim insculpserat, esse videlicet cuncta hæc mortalia vere nihil, et in ictu oculi subito ad nihi-
F lum redacta evanescere: hinc in statum religiosum magis animo propendere, quod tamen a se ipsa hactenus impetrare haud potuerat ut firmiter statueret. Tres hic menses anceps hæsit et nutabunda, assidue secum ipsa pugnans; demum ita secum ratiocinando, sui victrix exstitit: religiosæ vitæ acerbitates et gravamina majora esse non posse iis quæ in purgatorio ab animabus feruntur; quare, cum delinquendo infernales ipsa cruciatus promeruerit, parum videri, si, quod reliquum esset vitæ, in purgatorii quodammodo pœnis traduceret. Legebat tum Teresia S. Hieronymi Epistolas, quarum illam lectio ita concitavit ut secum statueret Religioni sese vovere: quod cum patri decretum animi indicasset, ad hoc exequendum ab illo impetrare facultatem minime potuit; quod ipsam mire præ reliquis liberis diligeret. Porro cum jam reapse Dei famula esset experta quam sibi hominem parum fidere oporteret, et cum etiam quadamtenus didicisset quanta mundi esset vanitas, uti in omnibus quæ aggrediebatur, ingentem semper et excelsum animum præferebat, sese in tuto collocare, et quod proposuerat, perficere secum ipsa statuit.

54 Quare quadam die summo mane, postridie kalendas

AUCTORE RIBERA.

A *ac demum vitam monasticam* *f*

kalendas Novembris, qua fidelium animarum anniversaria in Ecclesia recolitur memoria, anno post natum Christum MDXXXV *f*, cum jam post exactum annum ætatis vigesimum septem effluxissent menses, nemine propositi conscio, præterquam Antonio de Ahumada fratre, qui ipsam est comitatus, clanculo se domo paterna proripuit, rectaque ad primarium Abulæ monasterium ab Incarnatione cognominatum, Ordinis B. Mariæ de Carmelo, properat. Huic ipsa Antonio iis ipsis diebus quibus non ita pridem fugam meditabatur e mundo, persuaserat, sæculo ut valedicens religiosam vitam iniret. Par scilicet erat ut per quam tot post animæ in viam cœlicam revocandæ erant, jam tum quoddam zeli ardentissimi erga proximos specimen daret. Ambo igitur paterna se domo subducunt, ut Religionis in portum se recipiant; tametsi impari eventu. Teresia namque jam intra Incarnationis cœnobium recepta, Antonius inde recta ad S. Thomæ Ordinis S. Dominici contendit, admissionem postulaturus. Admittere illum tum quidem illius domus superiores noluere, nisi de parentis, quem familiariter noverant, voluntate ac mente ante facti certiores : quare post in familiam S. Hie-
B ronymi cooptatur; at, cum nondum expleto tirocinio in morbum incidisset, cœptum vitæ cursum minime tenuit. Redeamus ad neophytam nostram, cui novas majoresque de cœlo indies gratias Redemptor imperticbatur, quantoque eam amore ac studio complecteretur, jam tum aperte satis declarabat. Ab initio hoc illi præ cæteris monasterium placuerat, quod in eodem ageret Joanna Suarez, cui Teresia animo conjunctissima erat, cujusque necessitudo et contubernium illi postea non parum utilitatis attulit, ut suo reddam loco : verum cum jam reipsa religiosa vita esset assumenda, ita in omnem æque propendens se indifferenter habebat ut non invita ad aliam transisset familiam, si hanc e divino magis futuram obsequio existimasset : plus namque de animæ incolumitate et quiete quam de corporis consolatione ac recreatione erat sollicita.

generoso animo

55 Porro e parentis terreni domo in Patris cœlestis habitaculum tanta animæ suæ obluctantis contradictione transiit, et tam vehementem in illa separatione doloris est experta sensum, ut singula prope sua ossa sede moveri, ipsa quoque anima de corpore violenter avelli sibi videretur. Verum, divina auxiliante gratia, et sui qua excellebat animi
C magnitudine et generositate superante, e duro hoc certamine tenera virguncula victrix abiit, et excelsa quadam mentis constantia et robore ad cœnobium properavit, Religionisque vestem supplex petiit, tanta quam sentiebat luctam dissimulatione tegens, itaque mentis serenitatem ac quietem mentiens, omnes ut illam existimarent maximo, quæ peteret, desiderio et ardore petere. Extemplo igitur Dominus (qui nihil optat magis quam ut quæ in suo obsequio occurrunt difficultates generose perrumpamus, quo suam in nobis misericordiam patefaciat) tanta mentem illius voluptate ob status hujus electionem delinivit ac perfudit, ut hæc numquam illi postea defuerit. Mutata ergo quamprimum animæ ariditas est in tenerrimi amoris sensum; et rerum sæcularium gustus ad religiosarum deliciarum sensum cœpit desipere. Viso itaque se jam prorsus ab hisce vanitatibus adeo gravibus esse liberatam, internum animi capere ipsa gaudium vix poterat. Non cessabat tamen toto ipso tirocinii anno variis servam suam Dominus exercere rebus, quæ licet in se molestæ non essent, ipsam tamen non mediocriter affligebant et vexabant. Quotidie vero magis et magis de cœlo Dominus ostendebat non temere hanc aut fortuito ab ipsa esse Religio- D
nem susceptam, sed mirabili quadam providentiæ suæ nutu ac directione, ut nimirum reipsa jam impleretur quod multis ante annis prænuntiatum erat futurum. Fama tum erat plurimis abhinc annis fossorem quemdam *g* thesaurorum inquirendorum *g*
gratia eo venisse (hoc monasterium ruri est haud procul a muris civitatis), cumque hinc inde per domum aurum indagaturus fodiendo vagaretur, præsagis prophetæ oculis alium pretiosiorem longe thesaurum ac pignus præ illo quod suis fossoris oculis quærebat, detexisse, et vaticinando prædixisse futuris hoc in monasterio temporibus monacham quamdam sanctimonia illustrem fore, nomine Teresiam.

56 Sunt qui prædictionem hanc in sanctimoniali *amplectitur.*
quadam pietate inclyta, quæ sub prima fundationis exordia ibidem floruit, adimpletam volunt. Fieri autem potest ut tam hi verum quam ille dixerint, ut nimirum in duorum testium ore hoc adeo verum verbum consisteret. Certissimum porro est vaticinium hoc enuntiatum fuisse; nam Teresia nostra, utpote comis et jocosa, per risum a religiosa quadam quæ ibidem tunc ejusdem secum erat nominis,
petere solebat num ipsarum alterutra illa futura E
esset Teresia, quam oraculum designaret. Hoc igitur pacto tirocinii tempus traduxit, multis quidem illa quoad corpus morbis vexata, sed incredibili animi hilaritate et gaudio cumulata : quo tandem decurso, vota professionis illico nuncupavit. Etsi vero iis ipsis diebus vehementer eam tartareus hostis exagitaret, et in votis ipsa concipiendis tantam senserit spiritus repugnantiam ut postea exaggeratura quamdam quam experta erat in re aliqua difficultatem, similem umquam se sensisse negarit, ne tum quidem cum vota emisit monastica, nisi forte tum cum domum paternam descreret, monasterium primum ingressura, uti postea suo loco narrabimus; tamen, nequidquam omni obnitente carnis contradictione, ita in ipsa divinæ vis prævaluit gratiæ, ut vota hilari generosaque mente conceperit, toto ex corde illi se Domino in sponsam tradens qui tam potenti eam manu eduxerat vanitatibus, fraudibus et periculis in quibus aliquo versata erat tempore.

ANNOTATA.

F

a In Roderici Toletani editionibus quas nos habemus, hæc Tarasiæ sive Teresiæ, Alphonsi regis germanæ, historia occurrit lib. v, *cap.* XVIII : *nempe inter Rerum Hispanicarum Scriptores Francofurti anno* 1579 *in lucem datos ex bibliotheca Roberti Beli Angli* (*pag.* 222), *tomo II Hispaniæ illustratæ ibidem excuso anno* 1603 (*pag.* 90), *et tomo III PP. Toletanorum a Francisco Card. de Lorenzana editorum* (*pag.* 110).

b *Nominare insuper Ribera potuisset S. Teresiam Lusitanam, de qua Papebrochius noster egit ad diem* XVII *Junii* (*pag.* 471 *et seqq.*) *et quam nos quoque memoravimus in Commentario prævio, n.* 54. *Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana Veteri* (*lib.* II, *cap.* III, *n.* 89) *plures fœminas enumerat olim hoc nomine appellatas, quod e græco etymo derivandum esse asserit.*

c *Qui tandem pio huic Riberæ voto factum fuerit satis, vide in Comm. præv., num.* 55. *Quem ibi promisimus monasterii ac templi S.* Teresiæ *Abulensis conspectum, exhibebimus ultimo de gloria Sanctæ posthuma paragrapho. Præcipuum vero illius templi altare e regione hujusce paginæ delineatum vides.*

d Rio de la Plata *hispanice hic fluvius nominatur, e Peruvia Paraquariam præterfluens, et se immittens*



Robustianus Boada Del.

Car. Onyhena Sc.

ALTARE S. TERESIÆ IN ECCLESIA EXCALCEATORUM, ABULÆ.

A *tens in mare Atlanticum : ab eo nomen accepit respublica quam Argentinam dicunt.*

e *Rodericum fratrem S.* Teresia *pro martyre habuit eo sensu quo S. Ludovicus, Gallorum rex, in Epistola de captione et liberatione sua profitetur se pro certo credere et sperare fratrem suum Atrebatensem comitem, qui in bello occubuerat,* cum corona Martyrii ad cœlestem evolasse patriam et ibi cum SS. Martyribus perenniter congaudere (*Gesta Dei per Francos, tom. I, pag.* 1197); *quo item sensu S. Joannes a Capistrano* (*apud Waddingum ad an.* 1456) *Martyres sæpius vocat milites in prœlio a Turcis interfectos. Verum hæc non de vero Martyrio, sed quodammodo de Martyrio similitudinario intelligi oportere docet Benedictus XIV in opere suo de Beatif., lib.* III, *cap.* XVIII, *ubi plura de hoc argumento reperies : nec prætereundum quod ibidem Benedictus annotat* (*n.* 17) *martyrium esse posse aliquando coram Deo quod non sit coram Ecclesia.*

f *In Commentario prævio, num.* 82, *exponuntur rationes ob quas magis videtur probabile Sanctam monasterium fuisse ingressam anno* 1533, *quando septem supra duodevigesimum ætatis annum explerat menses. De ipso monasterio vide num.* 76 *et seq.*

g *Hispanice* Zahorí, *thesaurorum et metallorum in terræ visceribus aliarumque rerum latentium in-*
B *dagator.*

CAPUT IV.

Initia vitæ monasticæ S. Teresiæ : culpæ ab ea commissæ; quas non graves fuisse ostenditur.

CAP. VII. *Ægrotans* Teresia *rus abducitur,*

Corporis quotidie in Teresia infirmitates deliquiaque assidua, accedente maximo cordis languore, aliæque ægritudines invalescebant, e quibus fiebat ut sæpe omnis expers sensus ac motus videretur : cumque medicorum Abulensium in ipsa sananda ne hilum proficeret industria et scientia, pater, cui ipsa erat carissima, monasterio eam compulit egredi, comitante sanctimoniali illa quam habebat amicissimam, quo mulieri cuidam quæ variis mederi malis ferebatur, in loco cui nomen Becedas, valetudinis curandæ ergo traderetur. Porro anno pene toto tunc a monasterio abfuit.
C Brumæ sub initium eo egressa est : quoniam vero nonnisi ineunte æstate medicæ tradenda erat, in loco cui a Castellanis de la Cañada nomen est et in ipso situs est itinere, tantisper apud Mariam Cepediam sororem, quam patri Catharina del Peso prima conjux peperit, Martino de Guzman y Barrientos nuptam, commorata est. His ipsa conjugibus ac præsertim sorori Mariæ erat carissima. In eo loco dum versatur, ad orationis studium famulam suam efformare Dominus cœpit, viam illi ad hanc præmonstrante pio quodam quem a patruo acceperat libro, tertio scilicet Abecedario Osunæ. Dedit Deus statim id illi orationis genus quod a quiete contemplativi scriptores denominant; quin etiam interdum unitiva illi orandi ratio communicabatur, cum tamen nec hanc nec illam ipsa intelligeret. Quoniam autem, ut ante monui, iis quæ de se in libro Vitæ Teresia scripsit, diutius immorari non est animus, sed ea breviter perstringere, eo dumtaxat animo ut historiæ contextum deducam ac cætera planius suo loco legantur, hoc solum dicam, in his orationis ejus principiis evidentissime Dominum demonstrasse quot quantaque illi communicaturus post esset dona, quin imo in tam gravibus diuturnisque morbis illorumque medicatione maximam illi et perfectissimam contulit tolerantiam.

AUCTORE RIBERA.

58 Trimestre una cum sorore in Becedas hæsit, muliere quam dixi ejus valetudinem curante. At quoniam quæ adhibebantur medicamenta vehementiora erant quam ut imbecillis illius corporis constitutio ea ferret, major fuit illius inde redeuntis quam accedentis infirmitas : quare Abulam paternas in ædes remissa est, ut a medicis inspiceretur, qui omnem ejus curandæ spem abjicientes phthisi eam consumptum iri ajebant. Ipsa porro Assumptionis Virgineæ nocte tantum tamque diuturnum passa est paroxysmum ut quatriduo ipso omnem amisisse sensum et velut exanimis videretur; unde et Sacro fuit Oleo velut suprema in lucta versans inuncta, ac Symbolum illi Apostolicum sæpius prælectum, quod singulis expirare momentis videretur. Nihil penitus horum Teresia percipiebat, ut ne liquefactam quidem ceram in carnem decidentem sentiret : nam exinde ad se reversa in oculos eam decidisse comperit. Jam tumulum illi suo in cœnobio pararant, et cadaver in horas exspectabatur terræ mandandum. Circumstabant jacentem religiosæ ex Incarnationis eo emissæ ut
E funebrem pompam comitarentur. Et sane sepulchro eam intulissent, nisi, omnibus tamen secus sentientibus, sæpe parens, quod magnam venarum pulsus explorandi peritiam haberet, sibique persuadere non posset illam exspirasse, impediisset. Quare dicentibus eam sepeliri sineret, respondebat : « Nequaquam; nondum enim eo redacta est filia » ut sepelienda sit. »

D *et inde in domum paternam; ubi paroxysmum patitur,*

59 Tum quidem et aliud discrimen, hoc non inferius, adiit. Frater ejus Laurentius Cepedius quadam ex illis quatuor noctibus apud ægram cum vigilias duceret, somno gravatus in somnum incidit : et ecce, candela quæ supra Teresiæ lectum collocata erat, ad extremum redacta, ignem illico concepit cervical, stragula et linteamina : quem nisi evaporans fumus somno excitasset, ægra aut incendio perisset, aut certe, uti jam quidem cœperat, exspirasset. Quatriduo elapso, ad sese rediit; atque, ut a viris et auctoritate et religione spectabilibus (quibus plurimum credo, quod mihi sint notissimi, et quos scio quam veritatis sint amantes, quique ex ipso Teresiæ ore id acceperunt) audivi, quærere ab adstantibus cœpit quamobrem se evocassent; se enim in cœlo tum fuisse, necnon ad infernale barathrum in spiritu delatam esse; quin patrem suum
F et Joannam Suarez familiarem suam sanctimonialem in Incarnationis, sua intercessione æternæ salutis compotes futuros; vidisse tum quoque quæ a se fundanda erant monasteria, et quid in Ordinis ipsa gratiam factura esset, quot sua opera salutem essent animæ consecuturæ, seque sanctitatis opinione ante comparata ex hac vita migraturam; denique corpus suum, priusquam terræ mandaretur, aureo integendum panno. Nihilominus fateamur necesse est, quoties hac de re Mater interrogaretur, dicere solitam mera hæc fuisse deliria et phreneticorum somnia, seque, comperto deinde patrem hæc tunc narranti adfuisse et hæc illum suo ex ore audisse, pudore non modico illius causa suffundi, quod ipse vir gravis esset. Cæterum ii quos supra indicavi viri satis intelligebant hoc nonnisi rei dissimulandæ gratia ab illa dici : quid-

sub quo res futuras præ-noscit.

quid enim tum prædixit, post reipsa completum est, uti videre legenti licebit. Et sane ipse anno MDLXXXVII R. P. F. Magistrum Dominicum Bañez, primarium sacræ Theologiæ apud Salmanticenses professorem, pro concione in festo quodam Patrum Excalceatorum dicentem audivi, multis annis se

AUCTORE RIBERA.

Teresiæ a Confessionibus fuisse, et testantem quatriduo illo quo avocata a sensibus velut mortua habebatur, inferorum illi pœnas a Christo monstratas, idque ex ejus se ore accepisse. A

Refertur in suum cœnobium, ibique ope S. Josephi convalescit.

60 Deinde vero sorori suæ Joannæ de Ahumada aperuit se eo quo tum erat loco optasse manere, quod in bona tum via esset. Mihi saltem verisimile fit tum quidem illi monasteriorum fundationes revelatas fuisse, uti colligere poterit lector ex iis quæ libri sequentis capite III narrabo. Et sane reliqua quæ tum illi visa fuerunt, non tanti mihi videntur momenti; et forte quædam in imagine fuerit repræsentatio cui et ipsa Mater parum fidei attribuebat, atque ideo deliramenta ea dicere solebat. Exinde, prout potuit, Confessionis sacræque Synaxeos Mysteria celebravit multis cum lacrymis. Gravissimos, qui intolerabiles videbantur, patiebatur dolores; sed eos ipsa excelso quodam animo et singulari patientiæ exemplo ferebat. Ad ferias Paschales, quia id illa maxime urgebat, semianimis ac velut mortua ad suum delata cœnobium est. Octo ipsis mensibus omni membrorum usu destituta jacuit; triennio autem toto gravis ac diuturnus hic morbus ipsam confecit. Morbi tamen
B gravitatem ac molestiam piis de Deo rebusque divinis leniebat colloquiis; quibus magis capiebatur quam ullo de re alia sermone. Sæpe quoque Confessionis et Eucharistiæ Sacramenta usurpabat; librorum spiritualium lectione mirifice delectabatur; si quam contraheret noxam, hanc et concepto protinus dolore et pœnitentiæ lacrymis expiabat. Et ita quidem gravis is dolor erat (etsi vitio id potius ei verti debeat) ut ad orationem redire denuo non auderet, quod gravissimam quam in eadem ex offenso Numine sensura erat, perhorresceret pœnam. Nec vero e metu aliquo hæc in ipsa pœna nascebatur, sed quod recogitaret ecquas sibi inter orandum gratias munificus Dominus communicaret, videretque quam exigua ingentibus illius beneficiis gratitudine responderet : quod ipsum æquo animo ferre non poterat; adeo ut et ob lacrymas, quibus culpas suas eluebat, non parum postea contristaretur, cum ad oculum cerneret quam parva vitæ inde sequeretur emendatio. Sed gloriosi Confessoris Josephi, cujus illa perstudiosa cliens erat, cujusque quotannis qua poterat solemnitate festum celebrabat, intercessione, lectulo tandem surgere et pedem figere ambulando
C cœpit.

E nimia cum sæcularibus familiaritate

61 Quamvis autem hæc novi hominis indicia cerneret humani generis inimicus, nondum tamen omnem ejus recuperandæ spem abjecerat, sed qua poterat, laqueos illi et insidias struebat. Multi ea tempestate sæculares cœnobium illud frequentabant : et quoniam Teresia perhumana erat, inque conversatione suavis et blanda, censebatque turpe sibi bene natæ fore, si non vicissim eos a quibus ipsa benevole habebatur, reciproco amore ac benevolentia foveret, ad id genus familiaritates sectandas impellere eam satanas cœpit; nec irrito conatu : ita namque iis sese dedit ut ipsa orationis exercitia paulatim intermitteret, tum quod sua culpa solitis inter orandum deliciis frustraretur, tum quod familiariter et amicorum ritu cum Deo erubesceret in oratione conversari, quippe quæ hominum contubernia adeo vane consectabatur : atque ipsa hæc orationis intermissio majoris illi esse humilitatis videbatur argumentum. Ad illas autem frequentandas confabulationes eo magis alliciebatur, quod has ab aliis quas ut præ cæteris religiosas suspiciebat, usurpari passim cerneret. Non parum huc etiam faciebat quod tales ipsa tum nacta esset confessarios, qui, rerum ignari, libere D assererent licite contrahi quod veniale esset; quod vero mortale, id nonnisi veniale esse illi persuaderent. Unde factum ut in sua ipsa vanitate permaneret atque ignorantia, iis salutem exponens occasionibus, quæ, etsi nullum ipsa metueret, summum discrimen involvebant; unde sæpe etiam ipsa sauciato animo ac læsa inde decedebat. Non tamen idcirco clementissimus Dominus eam deseruit : cum enim quodam tempore familiare colloquium inciperet (quod colloquium ipsam maxime inquietabat), internis animi oculis Redemptorem nostrum Jesum conspexit in specie severe increpantis et indignantis; unde aperte intellexit quantopere hæc illi conversatio displiceret. Visio hæc clarior et evidentior longe fuit quam si corporis eam oculis excepisset; ejusque imago et species animo illius adeo infixa hæsit, ut etiam multis post annis hanc sibi semper velut præsentem habere videretur.

nonnihil damni spiritualis patitur.

62 Non tamen propterea solitas, quibus affixa penitus erat, deserebat familiaritates. Interim cum jam elapsus esset annus ex quo orationis exercitationem omiserat, hortatore Vincentio Baronio, S. Theologiæ lectore, Ordinis S. Dominici, cui jam E conscientiæ committere arcana cœperat, ad orationis usum denuo rediit, non abruptis licet istis colloquiis. Non parum porro ipsam angebat, quod inter precandum suos quidem ipsa errores agnosceret, eosque deserendi ardens desiderium persentisceret, nec tamen, ex pristina consuetudine, abrumperet assueta consortia. Cum deinde in cœnobii ab Incarnatione dicti vestibulo cum aliquo illorum quos indicavimus, ageret, saucium ac convulneratum illi Dominus brachium ostendit, e quo non minima carnis pars revulsa videbatur, scilicet eo tempore quo ad columnam vinctus fuerat, plangebatque quodammodo quod ad hunc ejus causa esset redactus statum, et quod nihilominus, sic agendo, tam ingratam se præstaret. Monitos autem hic lectores velim, ignorare me nec commode distinguere aut discere potuisse eademne hæc visio atque illa anterior fuerit an diversa. Haud parum id juvit ad confabulationes istas imminuendas, etsi nondum penitus iis nuntium remitteret. Adeo ut viginti propemodum illi effluxerint anni, dum alternando ac velut ludificando modo præcipitat, modo se in pedes post lapsum erigit; ut nec plene divinis consola-
F tionibus potiretur, quod ad easdem recipiendas non quo par erat modo sese disponeret, nec etiam mundanæ illi plane saperent aut placerent. Nam cum his se applicaret, quominus eisdem absorberetur, impedimento erat eorum quæ Deo debebat obsequiorum et gravium quas in ipsum contractabat culparum recordatio, qua quasi frigida superfusa intepescebant. Interim tamen, dum sic nutabunda nunc huc nunc illuc propendet, aliquot interdum menses et etiam annum solidum quam diligentissimam dabat operam ne in Deum offenderet, orationique assidue incumbebat : ita ut toto illo tempore quam paucissimi præterirent dies quibus non longo temporis spatio cum Deo per orationem locuta sit. Quare, quod tandem plane mundanis vanitatibus inanibusque sollicitudinibus Deus famulam suam expedierit sibique penitus secreverit, uni adscribendum orationis assiduitati censeo.

CAP. VIII. *Interim tamen peccata nulla*

63 Antequam de suprema B. M. Teresiæ a Jesu conversione sermonem instituam, qua tandem aliquando sincerius et magis ex animo potenti illi Domino, a quo tot tamque diversis invitabatur modis, manus dare vocanti cœpit, visum est nonnulla

AUCTORE RIBERA.

A nulla de delictorum ejus, de quibus hactenus multa commemoravimus ac de quibus ipsa toties tanto cum doloris sensu et exaggeratione meminit, gravi-
a tate *a* præmittere. Equidem probare non possum eos qui Sanctorum Vitas evulgantes, eorum subticere et celare peccata defectusque, in quos, utpote homines, aliquando impegerunt, omni ratione student : quod hoc pacto immensam quodammodo tegere et obscurare videantur magnitudinem bonitatis, misericordiæ et sapientiæ Dei, qui ipsos in eisdem tamdiu volutantes benigne toleravit, sed inde tandem per potentissimas, efficacissimas ac vere admirabiles rationes eduxit, et ex iis qui erant prius, tales effecit deinde quales postea comparuere. Hinc, si Teresiæ nostræ singillatim ipse peccata nossem, equidem ea vulgare non dubitarem, quod et ipsamet eadem minime supprimebat, sed evulgari cupiebat, ut divina hoc pacto bonitas clementiaque magis innotesceret illiusque magis per eadem gloria eniteret. At quod nefas et iniquum sit hæc illi peccata affingere quæ revera non admisit, et quod qui hanc ejus Vitam legent, facile sibi persuaderent eam insigniter in corporis castimoniam pudoremque virgineum delinquere opor-
B tuisse, quantum quidem hoc ipsa verbis exaggerat; ideo hunc ipse præsenti hoc capite errorem iis eripere conabor. Sæpe et ipse mecum cogitavi et alios quibus hoc notum esse poterat, consului ecquænam esse potuerint peccata quorum illa recordatione continenter in lacrymas et planctus erumpebat : ac nisi ipsa capite XXXII Vitæ suæ palam testata esset monstratam sibi apud inferos sedem sibi præparatam, in animum ipse meum inducere non potuissem ullum ejus peccatorum in lethalium gradum videri referendum. Imo ne hæc quidem ejus assertio omnem mihi dubitationem eximit. Potuit quippe hæc illi in gehenna sedes ostendi, non quod ipsa eam tunc revera promeruisset, sed post facile, cœptum iter prosequendo, mereri potuisset, nisi eam inde Dominus revocasset.

contra castitatem,

64 Quæ autem me in hanc sententiam impulerunt rationes sunt hæ. Prima, quod a culpis ac nævis quibus reliquæ mulieres obnoxiæ sunt, contentionibus, inquam, rixis, litigiis, æmulationibus, detractione similibusque nimis quam fuerit aliena. Qua de re sic ipsa superius indicato Vitæ suæ capite locuta est : « Quandoque mecum ipsa perpendo, in
» me, licet miserrima ac pessima essem, semper ali-
C » quam Deo serviendi curam ac desiderium exsti-
» tisse, et ab aliquibus abstinendi continenter de-
» lictis, quæ non aliter a mundanis passim obbibi
» et deglutiri video ac si nihil penitus essent; de-
» nique gravissimis me divexatam fuisse morbis,
» et singulari illos patientia, quam mihi Dominus
» elargiebatur, tulisse, non fuisse etiam ad detra-
» hendum proximo aut calumniandum maledicen-
» dumve proclivem. Videbar adhæc nulli prorsus
» malum optare; avaritiæ sordibus infecta minime
» eram, neu memini suam cuiquam me unquam
» sortem ita invidisse ut hoc pacto in Deum gra-
» viter offenderim; denique nec aliis fui vitiis
» addicta : etsi enim adeo essem misera, uti revera
» eram, timor tamen divinus mihi ut plurimum ob
» oculos versabatur, » etc. Omne ejus delictum in eo situm erat quod familiariter et amice nimis cum viris conversaretur. Exploratum porro et indubitatum est nullum in omni hac conversatione ab ipsa lethale crimen quo corporis honestas ac puritas vel minimum inquinaretur, admissum esse, imo ne consensum in similia carnis inquinamenta dedisse; nec modo postquam jam monasticæ vitæ professionem ediderat, utpote jam secum ipsa collectior et modestior atque in sui custodiam intentior, verum etiam tum cum et ætas erat imbecillior et ad lapsum
D pronior nec non peccandi libertas major et ad sui defensionem minus judicii ac prudentiæ. Quocirca de hac ipsa ætate sic Vitæ suæ capite II scribit : « Numquam graviter in malum propendi, quod » naturaliter abhorrerem quidquid inhonestatem » redoleret, captans solummodo nimia ad tempus » fallendum honesta cum aliquibus colloquia. » Ante vero præmisit : « Non videor mihi ob culpam » ullam lethalem Deum derelictura fuisse, nec illius » timorem animo meo proscriptura, tametsi majori » honoris amittendi metu tenerer. Timor hic in » causa fuit ut non eum penitus amitterem. Nec » sane videtur me res ulla in mundo ab hac sen- » tentia revocatura fuisse, nec alicujus demum » ipsa amore eo pertrahenda. Utinam vero pares » mihi fuissent vires ad honorem Dei in omnibus » integrum inviolatumque conservandum, quales » mihi natura suggerente suppetebant, ne quid » agerem, aut paterer, quo honori meo apud » homines vel minimum decederet! »

imo nec ullum quodcumque

65 Sed audi etiam plura. Scio, cum apud illam jam seniorem e filiabus quædam quoad tentationes carnales sermonem intulisset, illico B. Matrem
E respondisse : « Nihil horum intelligo, filia; hanc » mihi quippe benignus ille Deus gratiam dedit, ut » toto vitæ tempore non meminerim me quidquam » hoc in genere admisisse quod confessario expo- » nendum esset. » Narravit hoc mihi aliquoties præposita unius e primariis Ordinis hujus monasteriis, quæ tum verax, tum religiosa cumprimis, cui nimirum hoc Teresia tum respondit. Quibus si adjungamus, quod illa quinto ejusdem libri capite scriptum reliquit, se videlicet, etiam tum cum vanitates mundanas consectaretur, nullam unquam, etiam venialem ac levem, noxam omisisse quam non sacerdoti aperiret, liquebit ad oculum quam singulari Deus animam hanc, quam ad res adeo arduas et excelsas reservarat, gratia prævenerit, dum ei miseratione quadam inaudita corporis simul et animi puritatem integram illibatamque conservavit, ut post hanc vitam videlicet immortalem ipsa virginitatis coronam consequeretur. Equidem, quantum conjectura assequi possum, non alia ejus fuisse crimina existimo quam quod præsenti peccandi graviterque in alia impingendi se exponeret periculo, quod hujusmodi conversatio, colloquia, commercia et familiaritas, cum id genus præsertim
F hominibus, creabant : erant namque aut ætate juvenes aut virtutibus destituti, ac proinde ad lapsum proni; ipsa vero natura ad amorem alliciens et blanda, et nata ex animo bene velle iis quibuscum amicitiam contraxerat. Hoc ex ipsius colligi potest verbis : quo enim loco testatur numquam ad malum se multum propendisse, quod natura omnem immunditiam et probrum carnale abhorreret, sed solis honestis recreationibus se ac remissionibus deditam fuisse, hæc statim subdit : « Verum cum » occasiones non evitarem, præsens erat lapsus » periculum, cui et patrem et fratres exponebam; » sed ab hoc me Dominus vindicavit ac protexit. » Unde manifestum fit Deum, etiam invita me, » providisse ne penitus ipsa perirem, » etc.

mortale peccatum,

66 Ac licet tanta esse queant discrimina adeoque præsentia ut peccatum lethiferum includant, in ea tamen, quæ adeo hoc in genere circumspecte et provide ambulabat, cujusque voluntas ab omni carnis contagio adeo remota et aliena erat, vix crediderim mortalia esse potuisse, præsertim cum nullum tale ipsa unquam admittere constituisset, et quos tum quidem nacta erat confessarios, mortalia

AUCTORE RIBERA.

talia ejus esse delicta negarent. Quod etiam libere de se ipsa confitetur eodem capite II : « Edocta ab A » illo qui conscientiæ meæ rationibus præerat, et » ab aliis etiam, qui in Domino mihi asseruere, in » multis me, quæ ceu crimina habebam, in Deum » non offendere. » Capite vero V de eo quod ab imperitis sibi confessariis accedebat damno sic ait : « Eruditus omnis et scientia conspicuus numquam « me decepit, uti nec illi alii me circumvenire vole- » bant; sed ignorabant potiora, licet ipsa eos ut » gnaros et peritos haberem, neve ad plura me, » quam ad iis credendum, teneri existimarem : uti » erat quædam, quod mihi consulebant, relaxa- » tionis indulgentia, et quæ majorem mihi liber- » tatem spondebat : si enim mihi libertatis habenas » constrinxissent, ea mea erat nequitia ut alios » ipsa mihi confessarios quæsivissem. Quod ve- » niale commissum erat, adeo peccatum non esse » suggerebant, ut etiam licitum dicerent; quod » vero lethale et gravius, inter venialia ab ipsis » annumerabatur. Tantum hoc mihi in spiritu » nocuit, ut parum sit hoc me id loco ad multorum » utilitatem referre, » etc. Capite vero VIII ita de se loquitur : « Exprimere equidem et effingere B » velim, in qua tum quidem anima mea versaba- » tur, captivitatem : facile namque intelligebam » eam velut captam detineri, sed in quo illa ser- » vitus et captivitas consisteret, intelligere haud » poteram : neque enim percipere penitus valc- » bam, quomodo, quod confessarii non adeo exag- » gerabant neu reprehendebant, tam malum id esset » ut in animo ipsa meo sentiebam. Alius, quem » scrupulis divexata consilii petendi gratia adibam, » salutare mihi et utile esse dixit id genus angu- » stiis divexari, etsi in sublimes ipsa raperer con- » templationes. Hæc quidem circa finem, quando » jam, adjuvante Dei gratia, majora ipsa peccandi » declinare incipiebam pericula, licet occasiones » nondum penitus evitarem. » Ac paulo inferius : « Miseret me jam mei, dum recolo quanta passa » sim, et quam parum mihi aliunde affulserit » auxilii nisi a solo Deo, et quantam mihi darent » in captandis recreationibus ac relaxamentis li- » bertatem, ea mihi licita esse asserentes. »

sed, quantumvis suas ipsa culpas exaggeret,

67 Ex iis quæ dicta sunt hactenus, perspici licet peccatorum ejus maximum fuisse quod peccandi se periculis temere exponeret, quæ visitationes et compellationes illæ sæcularium, quibus tenebatur, af- C ferre poterant. Idcirco autem eadem postea adeo exaggeravit, seque mille gehennas promeruisse dicebat, quod eadem aliis tunc intueretur oculis quam cum olim admitteret. Nam quod vehementi erga Deum amore ferretur, nulla offensarum illi exigua videbatur, sed quodcumque demum facinus conscisset, gravissimum illi apparebat; illa vero omnium gravissima ac teterrima, quæ in hujusmodi se discrimina conjiciendo patrarat; tum vero quod, Domino eam ad sese misericordia et prærogativis amicabilibus alliciente, id genus ipsa occasiones, a quibus et distrahebatur, et impediebatur, quo minus Domino qua par erat gratitudine ac gratiarum actione responderet, fugere noluisset. Hoc illius e verbis colligi posse videtur; capite namque III sic de se scribit : « Intelligere tum illius cœpi veritatem » rei, quam etiamnum in puerili ætate ex parte co- » gnoram, esse nimirum omnia quæ mundo conti- » nentur, merum nihil, ejusdem quoque vanitatem » et inanias, quodque brevi omnis ejus gloria in » nihilum recideret; simul etiam vereri, ne, si » mortua forem, ad tartara detruderer. » Si revera hæc peccata ut lethalia habuisset, non dixisset haud- dubie, metuere se ne infernalibus suppliciis addi- ceretur. Verum sic locuta est, quod hac in parte D non adeo sibi constaret, sed adhuc anceps nutaret. Deinde capite VII, cum diceret quare conversationem et necessitudinem quam cum quodam contraxerat, non desereret, licet per unum atque alterum visum a Domino ad hoc ipsa allici monerique videretur, hæc adjungit : « Hæc eo dixi ut mea » manifesta fiat nequitia et eximia immensaque » Dei benignitas, quamque ob hanc ipsa ingrati- » tudinem inferorum digna sim cruciatibus. »

non nisi venialia,

68 Hæc porro ingratitudo lethiferum includere scelus non videtur : at, quæ Deum tam ardenter amabat, ob hanc ipsam tartaro quæ adjudicetur, dignam se existimat. Hoc quoque sensu capienda sunt quæ de aliis ipsa peccatis profitetur. Conversationes quoque et visitationes, tam quas aliorum ipsa excipiebat, quam quibus alios adibat, adeo quidem longe tum aberat ut noxam eas mortalem involvere crederet, ut et quæ similes frequentarent monachæ, verbis ipsa velut rem honestam usurpantes in opinione confirmaret. Quare illico subnectit : « Tum etiam, ut, si, Deo disponente, forte ali- » quando religiosa aliqua hæc legerit, mei exem- » plum imitetur. Equidem eas per amorem Domini » nostri Jesu Christi obsecro ut similes recreationes E » devitent. Utinam vero divinæ placeat Majestati, » ut quas ipsa in fraudem pertraxi, id negans ma- » lum esse et in tanto eas periculo securo esse » animo jubens, quod mentem meam tum obscura » teneret cæcitas (neque enim data opera eas in- » volvere in errorem volebam), harum vel una in » rectam, me revocante, viam reducatur! » etc. Et, si nec hæc sufficiant, multo id etiam clarius capite VII significat hisce verbis : « Missa sum ut » a morbo illum suo curarem; sed majori anima » mea morbo tenebatur, utpote vanitatibus obcæ- » cata, quam illius corpus; non ita tamen ut (quan- » tum ipsa conjectura tum assequi poteram) mor- » tali in culpa toto illo tempore exulceratissimo de » quo loquor, versarer : si enim illam me quoquo » modo existimassem consciscere, illico me inde » proripuissem. »

Deo illam in periculis protegente,

69 Et, si aliis interdum locis e B. Matris verbis colligi clare posse videatur lethalia aliqua illam commisisse peccata, ideo equidem fieri credo quod illi tum, cum hæc scriberet, talia hæc aliquoties esse viderentur. Non propterea tamen constat talia hæc fuisse, dum admitterentur, spectatis scilicet omnibus quas proposui circumstantiis, quas numquam F non, si modo rectum ac defæcatum futurum sit judicium, circumspicere et attendere necesse est, siquando de re quapiam, peccatumne sit, necne, judicandum est. Cæterum Deo id dirimendum relinquo, cui rei hujus veritas perspectissima est, quod nulla mihi, cur in hanc potius quam in illam partem totus propendeam, ratio suppetat. Porro hoc dumtaxat loco illud visum est afferre (commoda ejus dicendi se offerente occasione) quod sæpe mihi hac de re cogitanti in mentem venit, ne omnino tacerem de hoc dubio, de quo et ipse dubitabam et quotquot hanc ejus Vitam lecturi sunt, dubitare forsan possent. In quo et Dei gloriam spectavi, qui quæ in immensum extolluntur, rejicit, dum nimirum plus ipsi dicimus quam revera subsit aut animo sentiamus. Et mea quidem sententia satis id jam evidens est ex iis quæ huc allata sunt. Constat enim non minus ejus misericordiam ac magnitudinem decere quempiam corporis animique puritate sospite, et virginitate ita integra, e tot tamque periculosis peccandi occasionibus eripere nec eum in præceps ruere sinere, quam post ruinam iis ipsis peccatis educere.

70 Adhæc

committit. A 70 Adhæc etiam, postquam hæc jam scripto mandassem, quo certior redderer, verioraque proderem, virum gravissimum quem Teresia et plurimum amabat et cui sua arcana committebat, hac super re per litteras consulendum putavi; a quo id demum accepi responsi : « Peccata ejus, quantum » quidem et ipse audivi et prope ut indubitatum » teneo, fuerunt pauca, et vix ulla gravia. Magna » namque et animæ et corporis illius erat puritas : » neque enim aut carnales motus aut cogitationes » inhonestas, quales aliis naturaliter occurrere » solent, in se sentiebat; imo ne noverat quidem » quidnam essent motus impuri. Quod autem in » tantum suas extolleret culpas, id eo fecisse credo » quod, cum in Incarnationis cum aliquot viris » gravibus, qui tum temporis devoti dicebantur » eamque diligebant, ageret familiariter, et reci- » procæ hinc inde frequenter instituerentur visita- » tiones et conversationes, eas et ipsa sectari cœ- » perit, etsi divinum semper timorem præ oculis » haberet, rectaque intentione procederet. A parte » illorum forte sincera non fuit intentio, cujus » rei cum Teresia causa et occasio foret, hinc ita » suas ipsa culpas extollit. » Idipsum et alius vir B gravis mihi perscripsit, qui insuper addidit : « In » rebus omnibus et actionibus exacta erat, in » vestitu scita et elegans : narravit se ipsa mihi, » cum vespera integra ad claustri cancellos cum » externis collocuta inde ad oratorium suum re- » vertisset, totam in lacrymas resolutam fuisse, » quod ex id genus conversatione nonnisi insi- » gnem totius temporis illius jacturam retulisset. » Hæc quidem hoc referre loco volui, ut melius veritas patesceret.

ANNOTATUM.

a *Vide super gravitate peccatorum S.* Teresiæ § VIII *Commentarii prævii.*

Caput V.

Sanctæ ad meliora conversio, et magni in via spirituali progressus.

C Cap. IX. *Sancta, orationi magis magisque intenta* Jam a peccatis digredientes, ad historiæ contextum et ad postremam vel potius pene postremam Teresiæ conversionem redeamus. Sanctis hæc est adscribenda imaginibus, quarum aspectu multas Redemptor animas ad sanctiorem viam vitæque emendationem provocavit, et quas proinde non sine ratione S. Ecclesia et servat et veneratur. Teresia igitur quodam die suum ingressa oratorium (nam tale sibi ubique conclave deligebat, ut in ejusdem latebris et solitudine colligeret mentem orationique insisteret) in vulnerati confossique Salvatoris Jesu Christi imaginem forte oculos conjecit : qua conspecta, insolito ipsa introrsum turbari motu in animo repente cœpit, tot illum oppletum plagis et livoribus cernens. Inde secum ipsa mente cogitare quam huic post tot plagas Domino ingrata hactenus exstitisset, atque adeo vehementi cordis dolore compungi ut ipsum dissecari medium ac distringi videretur. Hoc pii doloris sensu ante imaginem supplex sese prosternit, cum magnam lacrymarum vim effundens, tum Dominum quam poterat maxima animi demissione obtestans tantam sibi daret fortitudinem ut numquam in ipsum deinceps peccando delinqueret. Adeo sincera ac fervens prostratæ fuit deprecatio, ut, singulari in Deum accedente fiducia, cujus hactenus clementiam indulgentiamque variis erat in casibus experta, et desiderio quo jam tota ipsius esse percupiebat, plena, audacter non se ante inde surrecturam diceret quam votorum reddita compos foret. Nec vero suo pia illius et humilis deprecatio fructu caruit : nam exinde majora quotidie spiritus incrementa fecit, et auctiore in dies et intensiore, quam fecerat hactenus, amore se ei conjunxit. AUCTORE RIBERA. D

72 Non parum tum quidem emolumenti illi attulit S. Augustini Confessionum liber, in quo velut pellucido in speculo se suamque se contemplari vitam existimabat. Cum ad ipsam Augustini conversionem et ad illam quam in horto audivit vocem sub finem libri octavi pervenisset, sibi illam factam quodammodo credebat, et lacrymarum habenas laxabat. Exin cœpit orationi insistere frequentius, rarius vero se dedere iis quæ oranti officerent : nondum enim penitus ea exuerat. Ipse vicissim Deus, qui et ipsam de suo aliquid præstare volebat, manum aperuit, et majores quam solebat, illi orationis tempore gratias est elargitus, ut suo tempore, cum de oratione ejusdem dicendi erit locus, E ostendemus. Omnes has illa aliasque id genus, quæ post narrabuntur, gratias, intercedente ac deprecante Deipara ejusque sponso Josepho potissimum est consecuta. Ita namque id illi Dominus quadam in visione, quam suis ipsa manibus in schedula separata exaravit, significavit. Ait enim : « Intellexi singulari me in Deiparam Matrem ac » sponsum ejus Josephum ferri affectu obsequio- » que debere : cum enim in extremum sæpius » interitum ipsa ruerem, illorum patrocinio fa- » ctum est ut, qua pene excideram, salutem mihi » Deus clementissimus reddiderit. » Inter reliquas quas tum ab ipso cœlitus obtinuit gratias, fuit hæc quod novum illius in anima exoriri timorem permitteret, ne, quam magnam in oratione experiebatur, dulcedo hæcque animæ in eadem suspensio diaboli foret illusio et impostura, qui eam hoc pacto ab oratione mentali et passionis Dominicæ meditatione divertere vellet, et impedire ne quem solebat, inde fructum eliceret. Nec vero hac de re dubitabat, dum jam orationi intendebat; sed tum cum mentem aliena distraheret cogitatio, hic subrepebat timor. Timendi causam augebat quod mira iis forte diebus de diaboli præstigiis, fœminis præ- F sertim illudentis, certa fama spargerentur, et imprimis de Magdalena a Cruce *a*, quæ universam Hispaniam et sanctioris vitæ fama et imposturæ detectæ nomine percelluit. Salutaris hic timor vehementer et diutius quidem eam torsit, sed insignem illi attulit proventum, occasioque fuit a mundo sese penitus avertendi. His porro angustiis et anxietatibus liberari sibi non aliter posse videbatur quam cum viris spiritualibus, harum rerum peritis et gnaris, qui sincere, quod sentirent, exponerent, rem propius communicando. *ac de gratiis in ea acceptis anxia,* *a*

73 Illis forte diebus Societas Jesu Abulæ sedem ac domicilium fixerat, erga quam ipsa, licet singillatim neminem de sociis nosset, mire afficiebatur, quod præclara de ejusdem functionibus et institutis inaudiebat. Quamvis vero apud illam inventuram se quod desiderabat, speraret, numquam tamen suum inducere animum poterat ut in collegium sese conferret. Hinc namque se credebat indignam quæ cum iis, quos tantopere suspiciebat, coram loqueretur, illinc quoque non eam experiebatur in se constantiam ac robur ad monita ipsorum sequenda. Nam ea sibi ab his ablatum iri prævidebat erga *consulit Franciscum Salcedium*

AUCTORE RIBERA.

quæ ipsa adhuc non modico affectu ac studio rapiebatur; quod ipsa deponere posse minime sibi A videbatur. Crescebant indies divina charismata et dona, crescebat et salutaris hic timor. Cum videret autem nihil se solam posse hac in re efficere, virum quemdam nobilem, de primariis civitatis Abulensis civibus, Franciscum Salcedium (quem sanctum ipsa equitem identidem vocitare solebat) ad se evocavit. Salcedius, etsi matrimonio junctus, sese jam abhinc annis multis orationi dederat impensius, virtutumque erat exercitio et sanctioris vitæ exemplo optimo cuique notissimus; et qua poterat ratione, saluti animarum consulebat. Hic, uxore demortua, sacros sumpsit Ordines, et vitam sanctam sancto concludens fine, Abulæ in sacello quod sibi propter templum monasterii a S. Josepho cognominati construi jusserat, est sepultus.

ac Gasparem Dazam;

74 Hujus ergo viri opera, cum quodam Theologiæ magistro, viro ob virtutes sanctitatemque, quam multos dein coluit annos, claro ac divino obsequio addictissimo, animarumque zelatore acerrimo, agere sæpius Teresia aggressa est. Huic et orandi rationem et omnia animæ arcana cum patefecisset, ipseque ad oculum perspiceret quas in B oratione a Deo reciperet gratias, et ad quantam inde esset obligata gratitudinem, eam illico inducere est conatus ut suis de reculis et minutiis aliquid abjiceret; sed nondum id ipsa mentis nacta erat robur ut iisdem prompte se exueret. Non ferebat enim tantam sui tum rationem haberi, quod imbellis et imbecillis adhuc esset; quod deinde in majus animæ illius bonum (ut de se ipsa testatur) vertit, ut hoc nimirum pacto in Patrum Societatis Jesu notitiam veniret, et cum iisdem suis de rebus conferret. Interim Salcedius eam sæpius intervisebat, animum simul addens, et quod poterat subsidium afferens. Verum quod hinc illius videret in orando spiritum, et illinc imperfectiones quas nondum ipsa a se penitus abjecerat, sibi persuadere plane non poterat a bono sanctoque ea dona spiritu proficisci. Addebat tamen plane se in eam non transire sententiam, donec se ipsa, cum bene matureque omnia quæ de sua oratione dicenda erant, librasset cogitando, minutius de eadem edoceret. His auditis, non mediocriter Teresia animo affligebatur, et lacrymis penitus conficiebatur, in incertum et anceps fluctuans, cum hinc sibi persuadere nequaquam posset, talia, quæque tantam illi utilitatem afferebant, a peccati auctore dæmone proficisci, illinc vero metueret ne ob suas se Deus sineret culpas in tantam caliginem et intellectus cæcitatem prolabi. Accedebat ad exteriorem hanc mentis afflictionem alia non inferior, quod nimirum verbis ipsa exprimere non posset quid rerum secum in spiritu ageretur. Utque se utraque liberaret angustia, ad spirituales, quibus legendis assueverat, recurrebat libros, num quid in iis scriptum occurreret quod ad sensa animi sui clare exponenda conferret, consultura.

C

hisque suadentibus,

75 Quod quærebat, invenit in libro cui Ascensus in montem Sion nomen est, auctore quodam ex Ordine Franciscano. Locum ipsa signaculo notavit, eumque Francisco Salcedio exhibuit, ut eum cum suo spiritus magistro communicaret, illius responsa dein ad se referret. Addebat, si dæmonis his imprefecisset. Interim dum responsum exspectabat, in D summo versabatur metu : illo jam habito, angores perplexitatesque spiritus invalescere augerique cœperunt. Asserebant quippe illi, quantum quidem conjectando assequi possent, omnium horum fontem ac causam cacodæmonem esse : proinde consultum sibi videri, si cum quodam e Societate Jesu hac super re conferret, apud hunc omnium jam inde ab eo tempore quo primum ratione uti cœpisset, commissorum homologesin ederet, illi se totam, tam bona quam mala quæ fecisse meminisset exponendo, committeret, demum quæ facere ipse suaderet, exequi ne gravaretur.

confessarium e Societate Jesu eligit,

76 Nec vero temere illi Dei famuli hoc de ipsa judicium ac censuram tulere : videbant enim quod ipsi inter orandum contingebat, nonnisi perfectissimis quibusque communicari solere; hanc vero a perfectione longissime distare, quod imperfectiones in ea permultæ se proderent : censebantque tam sublimia Dei dona et tam vulgarem vitam bene simul non posse consistere, ac proinde a Deo illa non venire sibi videri. Huc quoque non parum faciebat, quod, cum viginti elapsi jam essent anni ex quo orationi se ipsa dedidisset, si hæc a Deo dona proficiscerentur, a multo jam illam tempore vitam E in melius commutare penitus oportuisset. Deo autem dante, factum ut quod quærebat, quamprimum id in Societate inveniret : agere quippe primum cœpit cum quodam e nostris, viro et apprime religioso et prudenti, etsi non usque adeo provectæ ætatis. Hic, quantum quidem auditu accepi, per solita orandi præcepta quæ in Exercitiis B. Ignatii præscribuntur, eam exercuit, etsi non per omnia : cui cum suam ipsa vicissim vitam per Confessionem penitus aperuisset, animavit illam, et vere Dei esse spiritum confirmavit; sed denuo opus esse ut ad orationem se applicaret. Neque enim bona solidaque jecerat fundamenta; neu sensuum hactenus aut affectuum motus effrenos edomuerat. Ante omnia illi in mandatis dedit ne ab orationis studio umquam defatigata deficeret, sed vim quamdam sibi faceret, cum tam singularibus eam Altissimus gratiis præveniret. Cumque per os illius Dominus loqueretur, addebat : « Quid scis an forte multorum per te » Deus velit saluti consulere? » et alia his non absimilia quæ recte deinde visa sunt contigisse.

a quo multum juvatur.

77 Consuluit adhæc ut quotidie aliquod passionis Dominicæ membrum orando meditandoque excuteret, ut illius consideratione mortificationi studere institueret, itaque paulatim ad perfectionem contenderet; solam humanitatem Salvatoris nostri perpetuo ante oculos haberet, et, quoad poterat, solitis spiritus recollectionibus ac suavitatibus resisteret, donec aliud illi suaderet. Hisce Teresia consiliis non mediocriter profecit; quod ejus mentem probe prudens Pater intelligeret, illiusque naturam et conditionem, et per quam esset viam deducenda, perspiceret. Insinuavit illi quoque clam nonnulla quæ animo ejus deinde semper insculpta manserunt. Hac vitæ superioris detectione facta, majorem opinato in anima tranquillitatem ac quietem persensit, multisque in rebus alios cœpit mores inducere, ea mentis generositate eas a se abdicans, ut non domesticis modo, sed et exteris prodigii simile videretur et extremum, ita penitus deserere adeoque contemptim ducere quæ paulo ante tantopere suspexerat. Magnam hic Societatis sacerdos in ea dirigenda gubernandaque adhibebat prudentiam ac discretionem, nec eam violenter urgebat, quin potius parvi omnia pendere videbatur, exspectans donec divina Majestas in anima illa pro placito operaretur, eamque immutaret. Teresia quidem jussa

F

A jussa ejus omnia quam exactissime exequebatur, at quos ipse orationi præfixerat limites transgredi compellebatur : quo enim magis divinis obluctabatur consolationibus, eo uberiores cœlitus immittebantur. Unde bimestri illo (tantum enim spatium intercessit) longe pluribus eam Deus visitationibus prævenit, quam solebat. Injecit adhæc pius hic Pater affectum illi ad spontaneas de corpore pœnas sumendas, quibus ipsa ob frequentes infirmitates hactenus non assueverat, imo neglexerat : asserebat enim, si extremas asperitates assumere in corpore non posset, at posse eas a quibus nullum sanitas pateretur dispendium; atque ideo forsan hisce illam morbis a Deo affligi, quod se ipsa ultroneis cruciatibus non affligeret, quasi sua id ille suppleret manu quod ipsa negligebat. Multis proinde ultro susceptis mortificationibus sese ut exerceret, illi auctor erat. Unde fiebat ut solidis duabus jam ejus oratio niteretur basibus, pœnitentia, inquam, et mortificatione : has enim habeat necesse est, si esse velit qualis debet. Qui vero inde resultabat fructus nimis quam erat manifestus : aperte quippe agnoscere cœpit quæcumque in Deum admisisset peccata, tametsi levissima, eorumque malitiam perspi-
B cere, ac, si quid superflui gestaret, non ante mentem componere aut colligere posse quam idipsum procul a se abjecisset.

CAP. X. *S. Franciscus de Borgia approbat spiritum* Teresiæ.

78 Non multo post Abulam appulit R. P. Franciscus de Borgia, qui Gandiensi ducatu repudiato abhinc annis aliquot in Societatem Jesu sese receperat. Cujus adventu cognito, confessarius illius simul et Franciscus Salcedius ipsam induxerunt ut hunc convenire ne gravaretur, illique orationum suarum quam poterat exactissime rationem redderet. Dictum, factum. Hanc ergo ut Borgia audivit, respondit extemplo Dei hic spiritum habitare; quare consultum videri diutius illi non obluctari : quidquid sibi contigerat hactenus, sincerum ac verum fuisse ; cæterum deinceps ab aliquo semper passionis Salvatoris articulo orationem auspicaretur, tum, si contingeret in spiritu a Deo sustolli, nequaquam refragaretur, sed libere rapi se sineret. Magnopere porro eam Borgiæ colloquium recreavit; nam cum de multis eum percunctaretur rebus, illius ipse interrogatis, quod multo valeret usu et rerum harum experientia, abundantissime satisfecit. Quodam in tractatu calamo exarato, quem Viam perfectionis inscripsit, capite XXXI, hæc Teresiæ
C manu scripta verba reperi, quibus seipsam haud dubie denotat : « Novi quamdam quam sæpenu-
» mero Deus eo sustollebat; ipsa vero nihil penitus
» capiebat : quare virum contemplationi mire de-
b » ditum, P. Franciscum *b*, Societatis Jesu, olim
» ducem Gandiensem, consuluit : a quo didicit id
» fieri haud difficulter posse, imo id sibi nonnun-
» quam evenisse, » etc. Interim contigit alio Patrem spiritualem cui se ipsa crediderat, ablegari : unde non mediocriter animo est contristata; namque illi similem nusquam se credebat reperturam : sed in hoc ipso Societatis Jesu collegio alius ejusdem plane spiritus non defuit. Quod vero sanctimonialibus illius loci liberum esset, quoties alluberet, foras prodire, ad multos ipsa dies apud matronam viduam, non parvi nominis, sibique perfamiliarem, haud procul a collegio Societatis commorantem, est diversata. Hinc factum est ut sæpius illi cum Patribus S. J. loquendi agendique daretur ansa; quos unice complectebatur et quorum e consortio nonnisi doctior et melior abibat.

Deus illam jubet amicitiis humanis renuntiare,

79 Quamquam autem sic eam Pater blande admodum et leniter ad majorem perfectionem satagebat provehere, nihil illi, quo penitus Deo satisfaceret, omittendum, sed quidlibet etiam faciendum D asserens; hic tamen ipsa non mediocrem difficultatem sensit, persuasa nimirum ab eo aliquorum familiaritates et necessitudines omnino sibi rejiciendas, non tam quod iisdem in Deum offenderet, quam quod nimiopere erga easdem afficeretur. Quoniam vero generosa erat indole, et nullum in amicitiis illis fovendis delictum suberat, insignem ingratitudinis effugere non posse notam se arbitrabatur, si easdem jam dudum contractas dissolveret; et hoc suo ipsa confessario declarabat. Respondit ille, rem Deo inter comprecandum aliquamdiu commendaret, et Spiritus Sancti lucem, qua illustrata introrsum, utrum foret consultius, agnosceret, recitando hymno « Veni Creator Spiritus », continenter deposceret. Fecit quod jubebatur : cumque quodam die diutius in oratione perstitisset, Deum obtestans ut sibi lumen immitteret, quo illustrata illi in omnibus posset satisfacere, ecce hymnum solitum exordienti subito raptus adeo vehemens insedit, ut prope sui impos videretur. Hactenus simile quid nondum experta erat. Interea hanc in intimis animæ penetralibus vocem audivit : « Nolo posthac cum hominibus, sed cum Angelis
» converseris. » Evidenter colligi licuit hanc a Deo E gratiam factam esse; et tum liquido patuit, quod multis ipsa annis maxima a se diligentia nunquam impetrare potuerat, tametsi summa contentione anniteretur et sanitatem non parum læderet, unico id momento a Domino cordium fieri posse. Exinde ergo ita immutata est, nulli ut posthac esse familiaris aut consolationem alicujus admittere potuerit, quam ejus quem Deo familiarem nosset; quin grave illi atque acerbum fuerit cum quopiam agere qui orationem familiariter non usurparet.

atque mœstum ejus animum

80 Hoc quidem sermocinationum Dei cum ipsa initium fuit *c* : quod deinceps illi solemne admodum fuit et frequens. Quis vero harum sit modus, et quo dignoscatur signo a Deone hæ proficiscantur an a patre mendacii, luculenter id ipsa capite XXV Vitæ suæ est prosecuta. Non idcirco tamen a vano eam timore complendo cessabat cacodæmon, cum nullus aliunde ad eam pateret accessus. Quinque vel sex Dei servi, permagnæ illi omnes apud Teresiam auctoritatis, hac super re tractaturi unum in locum convenerant : qui omnes, ut quidem confessarius apud illam affirmavit, in eam pariter venere sententiam, ut quod ipsa in oratione persentisceret, a F dæmone id proficisci assererent : quamobrem consultum videri tam frequente illi vivifici Corporis Domini Communione interdicere, ipsamque in externas se functiones, solitudinis evitandæ gratia, effundere. Confessarius vero, quo illius exploraret constantiam, in eamdem cum sex illis censoribus propendere videbatur sententiam. Teresia ergo, tum quidem vano pavore consternata, et quodam etiam cordis languore, qui eumdem fovebat, divexata, ut sæpe etiam soli sibi in cubiculo secura fidere non auderet, a Sancto Ægidio (est id nempe collegio Societatis Abulensis nomen), magno mœrore oppressa, ad suum rediit cœnobium. Ipsa ergo probe monentibus parendo jam ad multos dies Sacra se abstinuerat Communione, et solitudinem, quæ unicum tamen ei erat solatium, declinarat, nec habebat quibuscum suis de rebus ageret (omnes enim illi adversari videbantur); nondum tamen hic illius exagitandæ fuit finis. Erant namque qui confessario consulerent ut ab ea sibi caveret. Alii addebant sole meridiano clarius esse diabolicum hoc commentum esse. Solus illi confessarius addebat animos, cum diceret, etsi diaboli fraus et impostura foret, nihil ab hac illi posse damni accedere, modo

AUCTORE RIBERA.

modo in Deum peccando non offenderet. Has inter angustias et animi afflictiones pia Dei famula gemens quam enixissime eidem supplicabat ut alia sese via deduceret; quod ipsum ab aliis etiam fieri petiit. A

consolatione replet et erigit.

81 Nec vero ulla interim consolatione cœlesti perfundebatur, sed maxima cordis amaritudine, dum secum recogitabat fieri omnino posse diabolum secum loqui. Biennio toto iis in angustiis duravit. Ergo, cum angore vehementissimo oppressa in quodam oratorio versaretur, nulla vel e cœlo vel ab hominibus consolatione percepta, ecce post quatuor horarum laborem, qui numquam illius oblitus fuerat Dominus, introrsum eam in cordis penetralibus allocutus est, dicens : « Noli timere, » filia, noli metuere; quia numquam te deseram : » nam ego sum. » Ad hæc porro verba momento, omnibus doloris et turbationis quæ animum inobscurabant nubilis evanescentibus, cœlestis quædam lux illi et confidentia exoriri visa est, tantaque securitas ut adversus omnes, quotquot in mundo erant, doctores atque eruditos rationibus evincere posse sibi videretur hunc qui sibi loqueretur, Deum esse. Serenatum posthæc omnino cor illius B erat; ex oculis vero assidui suavissimarum lacrymarum rivi quasi e fontibus prorumpere; ipsa se exinde mirari, quod tanta in se mutatio dextræ Excelsi appareret. Et facta animosior adeo contra cacodæmonas sese animavit, ut, omni inani pavore seposito, arrepta eos cruce in certamen generosa virago provocarit, dicens : « Prodite jam in aciem, » quotquot estis; videre namque volo, cum fida » Dei ancilla et cliens sim, quid facere possitis. » Tali vero post quiete mentis perfruita est, ut, etsi suis eos interdum oculis præsentes cerneret, minime exhorresceret ac flocci duceret. Et qua erat in Deum benefacientem gratitudine, donum hoc fortitudinis tanti fecit ut inter primarias a Deo acceptas hanc se referre diceret gratias. Exinde, cum hujusmodi divinarum gratiarum præsidio ab omnibus rebus esset terrenis dissoluta et libera, divinæque se providentiæ ac directioni totam committeret, non minus prospero per spiritualis vitæ viam ferri cœpit cursu, nec minus celeriter, quam per oceanum secundis tum ventis tum æstu refluo propulsata navis, ut omnia illius cursum accelerare viderentur. Quotidie enim novas illi Redemptor gratias infundebat, quotidie favores ingeminabat, partim C variis eam rationibus alloquendo, et profundissimas veritates aperiendo, partim magnas ac sublimes illi visiones exhibendo.

Boni interim viri

82 Admirabiles porro motus et effectus eximios hæc ciebant, quibus quotidie in melius vitæ suæ rationem mutabat. Hic illarum sermocinationum et visionum dicendarum esset locus, nisi ipsa eas Teresia a capite XXV referret, quo loco legere eas omnes possunt. Referam tamen quæ singularia sunt quæque ad historiæ quam scribo filum connectendum non parum faciunt. Non deerant qui ei timorem creare pergerent atque omnia quæ divinitus illi accidebant, dæmoni esse adscribenda dicerent, a quo turpiter illuderetur. Ad hanc eos sententiam potissimum movebat, quod Mariam Diaziam, cujus sanctimonia erat et notissima et ab omnibus approbata, quæque eodem vivebat in loco, via viderent communiori a Domino deduci, neu id genus illi visiones colloquiaque contingere : quasi una Deo dumtaxat sit via qua animas deducat, et non eadem qua Teresiam a Jesu dirigebat, hactenus Sanctorum et Sanctarum conduxerit plurimos. At ipsa, quæ velut arrhis acceptis de summo illo erat hospite, qui eam familiariter visitabat, securissima, præsertim cum et eorum quos supra memoravi D Patrum eam confirmaret opinio, non jam, uti quidem solebat, hisce male opinantium oblocutionibus turbabatur; sed magnum illum Dominum pretiosa sibi in manus, quæ antea non habuerat, in amoris signum monilia tradere, seque jam opulentam et ornatam, cum antea pauperrima esset, videri asserebat : se quoque videre, necnon confessariis suis manifestissimum existere, quam sua anima mutata et in melius conversa esset; id se proinde credere non posse, tametsi quidem vellet, neu sibi persuadere, ab eo qui animas omni conatu ad tartara pertrahere allaborat, jam ad hoc ipsum exequendum tam contrarias rationes, puta peccatorum detestationem, virtutum exercitationem et constantiam continenter suam in animam inserendo, adhiberi. Ipsum identidem idem ille Societatis Jesu sacerdos quem ipsa animæ suæ præposuerat, aliis contradicentibus respondere solebat; nam solus hic illius patrocinium partesque susceperat. Et sane hac ipsa sacerdoti huic erat virtute et fortitudine opus ad tantas adversariorum injurias et calumnias, quæ ad ipsum referebantur quotidie, infringendas. Consulebant illi siquidem amici, sibi ut ab illa caveret, videret ne sibi dæmon imponeret, illi in re quapiam, E quam diceret, fidem adjungendo : quam in rem illi cum vetera tum nova afferebant exempla illorum qui per similes dæmonis imposturas et illusiones tandem in fraudem illecti essent.

non parum S. Virgini adversantur.

83 Qui vero Teresiæ familiares erant, animæque ipsius bonum optabant, de multis eam sæpe rebus consulebant; quibus illa quam simplicissime satisfaciebat, nec satis quæ diceret advertendo : hinc ipsam jactabant arroganter docendi doctiores officium velle assumere et doctrinæ nomen aucupari, et hoc ipsum non adeo bonum sibi signum videri. Si quod in ea notabant erratum vel minimum, hoc adeo in immensum extollebant ut quidquid demum in ipsa cernerent, id vel in sinistram partem interpretarentur, vel ad confessarium illius extemplo referrent. Hic vero eam solabatur et confirmabat, hic turbatum illius animum tranquillabat, simul etiam mandans ut nihil sese posthac celaret. Verum enimvero nimia ipsius humilitas anxiæ huic Dei ancillæ magnorum laborum post fuit seminarium : quamquam enim semper in ea ipse opinione fuerat omnia hæc a Deo descendere, quod tamen tum eruditione tum spiritu Dei conspicuos viros longe aliter de hac re tota sentire cerneret, dubitare et F ipse ac nutare cœpit, metuens ne forte, quod sua unius ipse niteretur magis quam tot aliorum judicio majori donatorum sententia, delinqueret. Tam igitur ipse quam Teresia triennio et amplius propter hæc et similia, quæ quotidiana prope erant, non parum a malevolis exagitati sunt; ut taceam exagitationes, persecutiones et alia quæ sine ulla prorsus causa ac subito in illam insurgebant : quamprimum enim ad confessarium illa omnia referebantur. Nihil porro B. Matrem cruciabat magis quam cum eos qui Dei obsequium cordi quam maxime habebant, sibi etiam cum aliis videret adversari. Et sane tanta hoc in genere pertulit ut post ipsa confessa sit, quamvis acerbissimos toto vitæ tempore labores subiisset, nullum tamen hoc majorem exstitisse. Eo demum res processit ut non unus ab ea, ceu energumena, sacris Ecclesiæ exorcismis rite pellere satanam decreverit : quam tamen illa infamiam ac probrum parum morabatur. Maxime autem illam, uti jam dixi, vexabat quod viros adeo bonos ac probos tam vehementer tamque diu sibi adversari cerneret, ipsos quoque nonnumquam confessarios nonnisi dubios ac suspicaces ad sua

A sua excipienda peccata accedere; demum quod metueret ne tandem eo res deveniret, ut, qui sibi confitenti aures dare vellet, nullus reperiretur. Verumtamen omnibus his sinistris de Teresia opinionibus fieri non poterat ut ob frequentes hasce de cœlo sibi immissas visiones aliquam animo tristitiam conciperet. Adeo namque hæ mentem illius recreabant ac delectabant ut ne unam quidem earum visionum cum omnibus bonis ac voluptatibus quibus homines in mundo frui possunt, commutare voluisset.

ANNOTATA.

a *Præter ea quæ de Magdalena a Cruce in Comm. prævio* (*num.* 491) *referuntur, legatur quod Theophilus Raynaudus super ea refert in suo libro de Stigmatismo sacro et profano* (*Sect.* I, *cap.* XIV), *adeanturque auctores quos inibi indicat. Non Corduba solum, inquit, ubi res contigit, sed universus Christianus orbis novit eam deceptricem; simulque enumerat alias huic similes sive illusas a dæmone sive artificiose fucum facientes mulierculas, quarum una vel ipsi Ludovico Granatensi, viro per omnia summo, imposuisse deprehensa est. Simon Majolus quoque* (*libro Dierum canicularium, tit.* Sagæ)

B *ejusdem Magdalenæ a Cruce meminit, quam in prima pueritia Cordubæ ingressam refert S. Claræ cœnobium, quod ipsa postea ex collata stipe de fundamento extruxit. Dæmon, ait,* per orbem.... quæcunque memoratu digna acciderent, Magdalenæ renuntiabat. Sic de Francisci I Galliarum regis captivitate, sic de Romanæ Urbis direptione certior facta, divinitus sibi hæc ab Angelo revelata dictitans, in principum virorum dignationem summam pervenit et abbatissæ dignitatem, ultro cedentibus tantæ sanctimoniæ reliquis monialibus, maxima totius Ordinis Seraphici cum lætitia, qui ad se quoque, tamquam ad præceptores et institutores, partem gloriæ hujus pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, sed inanibus atque ludicris. In solemni pompa festorum dierum ad tres et amplius cubitos in sublime efferebatur. Sæpe etiam imaginem Jesu recens nati manibus gestans, imbre lacrymarum profuso, comam ad talos usque repente enatam producebat, quæ sensim evanesceret. Quotiescunque monachæ statis diebus sacra Communione uterentur, sacrificulo ex enumeratis prius diligenter panis mystici orbiculis unus semper decerat, quem Magdalena, ministerio Angelorum acceptum, se in ore habere palam ostendebat. Hinc tanta ei sanctitatis fama accrevit, ut Pontifices,

C Imperatores, Reges per litteras ejus sese precibus commendarent; atque adeo Caroli V uxor Philippum filium iis fasciis quas Magdalena suis precibus consecrasset, primum excipi curarit et involvi. Exactis ita annis fere triginta,... sub annum 1546 ad seipsam Magdalena redire cœpit, . . . et visitatoribus Ordinis præter omnem expectationem scelus ingenue aperit, auxilium implorat, carceri includitur, cognitaque ex integro causa, excluditur cœnobio. *Atque hæc per compendium ex Eusebii Amort tractatu de Revelationibus* (*part.* II, *num.* III). *Neque abs re fuerit hæc attulisse, cum pluries in Vita S.* Teresiæ *mentio fiat de hac Magdalena a Cruce, quacum tum plures improvidi moderatores tum principissa de Eboli aliique Sanctam nostram comparabant.*

b *Vide num.* 1633 *Commentarii prævii, ubi hoc P. Francisci S. J. nomen in uno alterove quod* Teresia *hujus libri fecit autographo omissum esse notatur.*

c *Innuit quidem hic Ribera, et aperte dicit Yepes* (*lib.* I, *cap.* XI), *allatas mox voces fuisse primas quas a Deo* Teresia *excepit. Non adverterunt Sanctam claris verbis capite* XIX *Vitæ suæ asserere primas fuisse illas quas citat Ribera sequenti hic numero :* Noli timere, filia, noli metuere; quia numquam te deseram : nam ego sum.

AUCTORE RIBERA.

D

CAPUT VI.

Præclara Teresiæ in re difficili obedientia; insignes ei oblatæ visiones; colloquia cum S. Petro de Alcantara; tentationes variæ.

CAP. XI. *Sancta a P. Balthasare Alvarez in virtute promovetur.*

Non ita ancillam suam Dominus angustiari affligique permittebat ut eam vel consolari, vel verbis quibus mirabiliter eam interne in anima alloquebatur, confirmare, vel amorem denique suum quotidie magis magisque in ipsa adaugere oblivisceretur. Ipsa vero, quæ adeo eximiis a Deo se cumulari donis videbat, his omnibus de rebus apud pientissimum Dominum expostulabat, apud quem solatio erat omnia magna amoris significatione et teneriore quodam animo commemorasse. Numquam ab oratione, nisi nova cœlitus consolatione accepta novisque ad patiendum collectis viribus, surgebat. E
Nihil omnino horum aliis dicere audebat, quod qui audiebant, arrogantiæ id illius libenter sua commemorantis adscriberent; soli vero confessario, quem ex eadem sibi Societate Jesu tum selegerat, arcana quælibet revelabat, qui vicissim illi continenter animos addebat, mœrentem consolando. Erat is Balthasar Alvarez *a*, vir insigni probitate *a*
præditus, prudentiæ singularis et rerum spiritualium magister experientissimus; qui tum quidem in Abulensi S. Ægidii collegio ministrum agebat. Hic aliquot post annis, in Dei obsequio indefatigabilis, quod orationi mortificationique passionum mire deditus esset et tum suis tum externis perutilis exstitisset, quia potens erat in verbis quibus corda hominum concitabat et in animabus ad Deum perducendis mira dexteritate præstabat, sancto fine, qui vitam instituerat sanctam, in collegio Bellomontano, cum universam Toletanam provinciam præpositus regeret, diem clausit. Hic ei Balthasar plus cæteris ad perfectionem adjumenti attulit, quod mortificationibus eam assiduis attereret, ita ut non raro alium seligere constitueret. Verum quoties hoc secum ipsa statuebat, semper introrsum in anima quemdam velut dissua- F
dentem audire videbatur ne hoc faceret, simul et magnæ se levitatis coarguentem : quare et ipsa miro posthac erga ipsum affici amore cœpit. Unde et mihi ipsa postea subridendo dixit : « Hunc con- » fessarium meum, tametsi austeriorem et immi- » tem, diligo et complector. » Austeriorem, inquam, et severum, quod intra disciplinæ limites illam mortificando contineret, uti et continebat Mariam Diaziam, illustre sanctitatis exemplum, et clarum speculum mirabilium gratiarum quas Deus in animabus sui sincere diligentibus sibique adhærentibus operatur.

Obedit cuidam confessario mandanti ut visiones cum contumelia repellat.

85 Etsi vero Alvarez rerum ad spiritus disciplinam spectantium mire gnarus esset et peritus, Teresia tamen adeo sublime evolabat ut magna illum celeritate contendere oportuerit, ipsam ut consequi posset. Memini, cum Salmanticæ cum eo versarer et de spiritualibus scriptis variis deque horum cujusque fructu et utilitate sermo incidisset, dixisse mihi Balthasarem : « Hos omnes ipse libros » evolvi, ut Teresiæ a Jesu spiritum intelligam. » Cum autem frequentiores jam illi visiones acciderent, alius ex eodem collegio Pater, qui antea

AUCTORE RIBERA.

illam direxerat, et jam etiam interdum illius, P. Balthasare aliorsum impedito, confitentis excipiebat peccata, dicere non est veritus dæmonis fraudem hic subesse; cui cum jam ipsa resistere non posset, se salutifero saltem crucis signo, si quid adhuc cerneret, communiret, et apparentem, ostendendo pollicem *b*, irridens exciperet, quod dæmonis essent ludibria, dicens hoc pacto fore ut non amplius reverteretur. Grave et abominabile hoc illi videbatur; ut quæ plane sibi jam et indubitanter persuaserat sibi Deum, et non alium, apparere. Verum ea ancillæ Dei fuit obedientia ut quidquid præciperet director animæ, id quam promptissime exequeretur. Interim multis ipsa cum lacrymis Dominum obsecrare, ne se ullo pacto decipi sineret, seque ex animo gloriosis Apostolorum Principibus Petro et Paulo commendare; erga quos peculiari quodam affectu ac studio rapiebatur, quod, cum primo se illi visibilem Redemptor dedit, id eorum in feriis natalibus contigisset: quin etiam illi Dominus fidem dedit, sedulo hos ipsos invigilaturos ne qua umquam deceptionis illi fraus obreperet.

Videt gemmas in cruce sua;

86 Non raro quoque illos clarissime ad latus suum adstantes vidit, idque modo quodam visionis sublimiori quam ordinario. Si quando etiam hæ illi occurrebant visiones, dubitare non poterat quin revera se Deus ipsi spectandum daret: ut tamen confessarii consiliis acquiesceret, apparentem subsannabat ludificans; non tamen semper: erat id namque illi acerbissimum. Signo tamen crucis se signabat; et si quando signando defatigaretur manus, crucem in manus accipiebat, ut hoc pacto jussa confessarii compleret. Sed non poterat non rogare facti veniam ab eo ipso cui hanc injuriam irrogabat, non aliter id a se fieri asserens quam ut morem servis ejus, qui illius supplebant vicem, gereret. Cui deinde apparens Dominus optime illam facere affirmavit quod illis obtemperaret; se vero effecturum ut veritas tandem patesceret: uti dein hi ipsi intellexerunt, et errorem quem imbiberant, deposuerunt. Hinc quadam die, cum, apparente sibi Domino, manu crucem quæ ad coronam precatoriam dependebat, cepit, Dominus crucem, quam minime timebat, sumpsit, sumptamque mox reddidit, at longe aliam quam acceperat. Videbatur ea namque e quatuor gemmis majoribus, adamante longe rutilantioribus, compacta, in quarum una cleganter sciteque ex arte quina sacra Domini Stigmata insculpta videbantur. Ac Dominus talem ei hanc posthac crucem semper visum iri confirmavit. Nec vana ea fuit sponsio; non enim jam amplius lignum e quo compacta erat, ipsa conspicabatur, sed gemmas. At soli ipsi gemmea apparebat; aliis vero non alia quam qualis ante fuerat, videbatur. Idem propemodum S. Catharinæ Senensi contigisse referunt F. Raymundus et S. Antoninus (3 p. Chron., tit. XXIII, cap. XIX, § VI): aureum quippe Virginis hujus digitis annulum, gemmis conspicuum, pius Virginum Sponsus Christus inseruit, quem exinde numquam ipsa exuit, ac sola videbat, cæterorum vero nullus. S. Cæciliæ quoque, ut Simeon Metaphrastes in Vita ejus litteris prodidit *c*, duas attulit Angelus de cœlo corollas e lectissimis floribus consertas, quas etiam sola ipsa cum sponso Valeriano conspiciebat.

quæ crux miraculo postea inclaruit.

87 Ut S. Gertrudis *d* de se ipsa refert (lib. II, cap. XXI), cum insignis cujusdam sponsionis a Domino sibi factæ pignus ac fidejussionem peteret, suum ille ei Cor spectandum dedit, ipsa vero manum suam eidem inseruit: qua inde educta, aureos septem in digitis circulos, ceu annulos, conspexit, in singulis quidem digitis unum, in medio vero tres. Sic et Clemens Papa et Martyr fertur vidisse agnum qui sublato pede fontem illi commonstraret, quem tamen e tot Christianorum adstantium millibus nullus videre potuit, uti in ejus Vita Metaphrastes *e* scriptum reliquit. Adeo ut novum minime sit singulares Deum servis suis prærogativas et gratias concedere quibus soli ipsi, alii nulli, gaudeant ac fruantur. Martinus Turonensium præsul, referente Severo Sulpicio in ejus Vita (lib. II), cum in basilica sua Missarum celebraret officia, magnaque hominum vis iisdem præsens adesset, ignitus capiti illius imminere visus est globus, quem quædam virgo unusque sacerdos et tres dumtaxat monachi conspexerunt. Hanc porro ab ipsa Teresia crucem Joanna de Ahumada soror, quæ hodie Albæ commoratur, multis precibus dissimulanter extorsit, quasi nihil penitus eorum quæ de ipsa ferebantur, scivisset: penes Joannam hæc hodie est *f*, mihique hanc ipsa aliquoties ostendit, et, uti revera par est, ceu pretiosum pignus permagni facit. E quatuor hæc constat ebeni granulis minime exiguis, quales appendi vulgo usitatis majoribus rosariis solent. Albani monasterii sanctimonialis quædam Magdalena de Toledo nomine, illustris viri Francisci Fonsecæ, toparchæ in Coca et Alacjos, matertera, cum post oculorum usum ex humorum suffusione amissum, medicorum industria denuo recuperatum, et eumdem rursus ter postea subito perditum, Teresia jam defuncta, Joannam de Ahumada adiisset, rursus jam videns; monstratam a Joanna crucem hanc oculis apposuit, et ecce numquam deinde amplius aliqua oculis offusa caligo est. Quod ipsa miraculum omnibus ex se id percontantibus passim certa fide enarrat; quin imo signatum nomine suo rei hujusce testimonium Nicolao a S. Cyrillo, Excalceatorum tunc Manceranorum præposito, tradidit.

Jesu et Mariæ apparitione sæpius fruitur, et utriusque imaginem pingendam curat.

88 Nec vero propterea visionum aliarumque Dei gratiarum erat finis, quin imo major illarum indies accessio et incrementa: cumque animum alio divertere satagebat, numquam ab oratione cessabat. Sæpius autem Dominum Jesum Christum coram conspexit, atque eum ut plurimum a resurrectione et gloria donatum. Duas ipse vidi icunculas quas continenter penes se habebat; in quarum una Redemptor Christus a mortuis resurgens, in altera vero Beata illius Mater spectabantur. Has Joannes de la Peña, tum præbendarius Salmanticensis, et deinde Societatis nostræ, in qua et diem extremum clausit, delinearat secundum datam a Teresia notionem figurarum quas ipsa memoriæ impressas tenebat: nam et pingenti adfuerat et quomodo exprimendæ essent, ipsa suggesserat. Ea quidem in his imaginibus elucet ars et elegantia, ut, licet omnium pictorum industria longe sit inferior quam ut pulchritudinem quæ in similibus visionibus relucet, aliquatenus penicillo æmuletur, nihil tamen crediderim umquam ab eo depictum quod cum his conferatur. Præsertim Deiparæ icon blandissima est. Multas quas ille pictor delineavit tabulas vidi; tantum tamen harum duarum a cæteris omnibus operibus illius, meo judicio, est discrimen ac differentia, ut, nisi qui rem norat, mihi id certo certius asseruisset, vix ab illius eas esse perfectas manu credidissem. Ipsarum alteram, in qua Redemptor expressus, hodie asservat Maria de Toledo, Frederici de Toledo ducis Albani vidua: at comitissa de Alba Alistana aliam ad illius imitationem sibi exprimi jussit. Altera vero penes quemdam de Excalceatis Patribus, insigni virtute virum, asservatur.

89 Ne quidem hæc satis Domino fuerunt; sed ut evidentius

Angelum videt transverberantem sibi cor.

A evidentius claresceret, quidquid in ancilla sua conspiciebatur, non a cacodæmone, sed a sese proficisci, illius in animo, sicut promiserat, confestim tam ardentem vehementemque amoris divini ignem excitavit ut Dei videndi desiderio absumi et prope emori videretur, nec penes seipsam manere posset. Ac revera tantus erat motus ut animam sibi violenter avelli putaret : vulnerata siquidem erat ac velut emoriens, et morte quidem longe suaviori optatiorique quam omnis hic est vita. Neque hanc tamen a se tolli plagam velle poterat, ut huic ipsa tormento ac vulneri omnes mundi voluptates ac delicias posthabendas censeret. Unde illud Psalmistæ amantis carmen identidem repetebat : « Quem- » admodum desiderat cervus ad fontes aquarum, » ita desiderat anima mea ad te, Deus »; quod vere id ipsa in se locum habere cerneret. Iis ipsis diebus oblata illi aliquoties est admirabilis quædam et divina visio. Adstantem quippe ad latus sinistrum sibi vidit perexiguum Angelum forma corporea indutum; quem ob ardorem ejus de Seraphinorum, præ amore æstuantium, numero fuisse Teresia credebat. Hic aureum manu jaculum oblongum, et, loco cuspidis, flammula obarmatum vibrabat;
B quod ipse cordi illius infixum cum educeret, simul evelli sibi præcordia credebat et ingenti divini amoris æstu cor penitus flammescere. Ea autem doloris erat vehementia ut in concisos interruptosque gemitus interspiraret; intensius enim gemere dolor prohibebat. Et simul dolor hic animo dulcedinem afflabat talem ut nec desiderare finem intermissionemve valeret, nec præter Deum quidquam ei posset satiem afferre. Quibus id contingebat diebus, velut sui impotens erat; optasset quoque neminem tunc videre vel alloqui, sed sapidam illam pœnam continenter persentiscere, quæ illi longe majoris gloriæ erat seges quam quæ omnibus junctim e creaturis poterat dimanare. Pluries deinde in mentis excessus rapta est, et adeo quidem frequenter et vehementer ut etiam cum aliis agenti acciderent et ut resistere ultro se oggerentibus non posset. Ex quo vero iis habendis assuevit, hæc paulatim vehemens adeo pœna cœpit evanescere.

Ribera visionis hujus veritatem confirmat

90 Quoad hanc Seraphini vel Angeli apparitionem nonnulla necesse fuerit advertere, tum quod præ reliquis hæc visionibus quid peculiare continere videatur, tum vero quod non desint qui a se impetrare vix possint ut in hisce spiritus negotiis quid-
C piam credant quod in se non experti sunt vel conspicati, et quod sæpe etiam contingat ut risu et ludibrio excipiant ea quibus ad bonitatem Dei admirandam illiusque laudes deprædicandas, quod creaturis se suis adeo amice impertiri dignetur, potius excitari deberent. At quoniam secundo libri hujus capite de Teresiæ revelationibus ac de fide quæ illis adjungenda est, generatim sum locutus, impræsentiarum tantum ea prosequar quæ ad hanc spectant visionem. Nefas igitur et absurdum fuerit dicere meram hanc vanæ imaginationis chimæram ac muliebre commentum fuisse, cum ante statuerimus quæ virgini adeo sanctæ ac veraci habenda sit fides. Ipsa enim, quæ tantum jam cum hujus generis rerum, tum etiam earum quæ a maligno spiritu proficiscebantur, usum habebat et experimentum, quæque ter cum ac quater, dum illam alloqui in Angelum lucis transformatus instituit, haud difficulter e vestigio agnovit, non adeo facile pellici in fraudem poterat.

allatis rationibus aliquot

91 Porro si semel tantum hæc illi Seraphini visio oblata fuisset, major omnia in dubium revocantibus aliquatenus subdubitandi hic esset occasio; verum cum sæpius neque obiter Angelicum id visum ancillæ Dei objectum sit, quis credet impositum hic illi a cacodæmone fuisse? Idque eo magis D quod meticulosa esset, imo ne sibi quidem ipsa crederet, et quod sæpe in rebus clarissimis anceps hæreret. Accedit quod hanc ipsa visionem, eodem plane modo quo nos, sine ulla hæsitatione aut dubitatione commemorarit. Neque id eo quo contigit die scripto commisit, sed aliquot post annis, cum accurate considerasset, sciretque certissime minime se decipi. An non (ut alia argumenta taceam) ex ipsis effectibus quos visio hæc semper in illa ciebat, colligere liceat illam minime deceptam fuisse? Ea siquidem Dei amorem in ipsa vehementius succendebat, simul et ingentem in illius anima doloris amaritudinem nec minorem suavitatem Deique videndi desiderium excitabat, ut nihil quod Deo esset minus aut inferius, satiare illius anhelantis pectus posset. Equidem novos hosce rogare academicos velim credantne non alia quam quæ vel manu tangunt vel oculo cernunt, et dum in omnibus donis quæ Deus animabus confert, semper de quo vel ambigant inveniunt, utrumnam, cum Deus hic solus agens sit omniaque efficiat, ejus attributum certis constringere limitibus velint, ejusne potentiam, an vero bonitatem? Si potentiam certis E ipsi definere terminis non possunt (est namque omnipotens), cur bonitatem, cum illa potentia minime sit inferior? Cur non plura et majora divinam bonitatem operaturam credent in animabus huc sese multo melius quam ipsi disponentibus, quam in ipsis? Si quidnam hoc sit, nesciant, faciant quod illæ fecerunt, et propter Deum laborent, uti laborarunt quæ id sciunt, ac tum fiet ut et ipsi id non sint ignoraturi.

et exemplis S. Catharinæ Senensis

92 Anne Deus forsitan in gratiis in animas Sanctorum effundendis ita futurus est parcus, ut scioli hi in illis ipsis credendis restrictiores? Hoc saltem iis dixerim (quod et Teresia ipsa persæpe dicere solebat), qui Dominum hæc et id genus alia aut etiam his majora in animabus penitus illius obsequio devotis operari negabit charismata, eadem hunc in se numquam perspecturum. Qui autem horum quidpiam experimento comperit, et vere gustare cœpit Dominum perquam suavem esse, non ægre his omnibus fidem adjuncturus est. Hinc et universa quæ ipsa de se Teresia narravit, apud Franciscum Borgiam, quicum primum sua charismata communicavit, facile fidem habuerunt; uti et apud Petrum de Alcantara, nec non apud Magi- F strum Joannem de Avila, ad quem quæcumque de vita sua scripto concredidit, Teresia transmisit : qui etiam, ut suo dicemus loco, cuncta ex ordine miro assensu approbavit. Itaque, cum illi horum prorsus sint expertes, quamobrem ea tractare satagunt quæ vere ignorant? Quos dixero, ut vulgo dicitur, ceu cæcos judicare de coloribus. Anne hoc novum quid et hactenus inauditum vel invisum? Quotnam harum non absimiles sunt de aliis Sanctis scriptæ visiones, quas tamen viri prudentissimi et quibus infinita Dei bonitas quoquo modo perspecta ac nota est, gratanter et crediderunt et ut veras admiserunt? Quid, obsecro, dicent, cum S. Catharinæ Senensi, ut illius prodidit spiritualis Pater F. Raymundus nec non post eum S. Antoninus (p. 3 Chron., tit. XXIII, cap. XIX, § X), tam ingentem aliquando amoris divini copiam ac vim infusam legent ut quatuor horas illius anima a corpore exulans mirificis visionibus potiretur? Eadem, ut iidem eo quo supra loco testantur, cum Dominum ex intimis cordis penetralibus rogasset ut suum sibi cor et voluntatem auferret, eorumque loco cor et voluntatem sibi conformem redderet, videre sibi visa

AUCTORE RIBERA.

visa est descendentem ad se Dominum, et, latere sinistro reserato, cor inde sibi auferentem sibique reservantem, adeo ut tantisper excors existeret; donec tandem rediens Dominus rursus latus adaperiret, et quod manu præferebat cor elegantissimum alterius loco corpori insereret. Et nondum in Sanctorum catalogum erat relata Catharina, cum S. Antoninus hæc legit, credidit, scripsit.

aliorumque Sanctorum.

93 Nec Serenus abbas Sanctis adscriptus erat : eum tamen Cassianus (Collat. VII, cap. II) scribit, cum integram animæ a Deo castimoniam impetrasset, simul etiam quam cnixissime corporalem postulasse; et tum illi de nocte sequentem visionem fuisse oblatam. Venit scilicet ad ipsum Angelus, qui aperto ventre quamdam carnis partem æstuantem exemit et foras ejecit; et priori formæ ventrem hiantem restituens, perpetua puritate posthac ut niteret fore promisit. Non absimile est quod de Equitio abbate refert S. Gregorius, scribens ei apparuisse Angelum, qui eum castrando, omnem ad illicitas carnalesque cupiditates motum, quoad viveret, e corpore abstulit (lib. I Dial., cap. IV). Idem et S. Joannes Baptista in sancti cujusdam sacerdotis anima et corpore fecisse visus est, cum ventrem illius ter repetito crucis signo consignavit, ut in Prato suo spirituali (qui et vetus est et approbatus liber) capite III tradit Sophronius patriarcha Hierosolymitanus. Bis (lib. II, cap. IV et XXIII) S. Gertrudis commemorat quina sua Christum cordi suo vulnera insculpsisse *g*. Quin et aliis duobus ejusdem libri locis (cap. V et XXIII) sese in corde a Domino vulneratam prodidit. S. Angela de Fulginio *h* apparuisse sibi ait Christum, jussisseque ut os suum laterali vulneri applicaret; se vero pretiosum illum Sanguinis qui e patenti Domini latere profluceret, liquorem exsugendo obbibisse sibi visam. Eadem etiam Gertrudis a Christo se vidit aurea quam manu tenebat sagitta transadigi, itaque ex eo se vulnere sauciari ut ad pristinam exinde sanitatem numquam redierit; quod idem pene est cum eo quod hic de Teresia prosequimur. Alio scriptum loco (lib. III, cap. LXVII) cor illam a Domino rogatam fuisse, et hoc ipsam quam libentissime tradidisse; hoc deinde Christum acceptum suo applicuisse. Alia his affinia de aliis feruntur Sanctis. Potentia namque et bonitas Dei, et quas servis ipse suis adfert delicias, longe profecto majores sunt, quam ut humana ad easdem ingenia, nimis quam debilia et infirma, aspirent. Quamobrem hæc etiam de aliis hoc in genere post enarrandis dicta sunto : nos vero historiam quam cœpimus, prosequamur.

CAP. XII. *Securam* Teresiam *esse jubet S. Petrus de Alcantara.*

94 Illæ ergo visiones eam ancipitem reddebant; cumque omnino non intelligeret qui fieri posset ut tantus dolor spiritus cum tanta suavitate consisteret, simul etiam reipsa experiretur Dei se donis resistere nequaquam posse, et nullum videret hæc intelligere (quam ob causam non parum ipsa affligebatur), visum est Domino ad Petri de Alcantara, Excalceatorum Franciscanorum tum commissarii, adventum dolorum nebulam disjicere. Igitur Guiomara de Ulloa, rerum Teresiæ imprimis conscia eique carissima, a Carmelitarum provinciali petita licentia, Teresiam suas in ædes eduxit. Interdum ergo partim hic, partim in variis locis sacris sanctum hunc virum Teresia convenit, illique sui rationem reddidit. Etsi vero in rebus istis adeo spiritualibus commode ipsa explicare mentem tunc non posset, ipse tamen, ut erat vitæ asperitate et orationis dono conspicuus, ejus quamprimum mentem cepit, ac multum ei lucis afferendo securam reddidit ac certiorem, spiritum Dei hunc esse ejusque hic digitum operari; et adeo quidem vere, ut, una dempta fide, nihil ipse aut verius aut indubitatius haberet. Cumque evidenter perspexisset quænam in animam Deus illam beneficia contulisset, quantaque in ipsa ad eadem majora indies excipienda esset dispositio, mire erga eam affici, sæpiusque cum per literas tum in familiari colloquio ab eo tempore cum illa cœpit agere, simul et obnixe rogare ut sui apud Deum causam ageret.

Nondum tamen ipsa interioribus angustiis

95 Addebat is jam tum quidem laborum anxietatumque omnium quæ fingi potest maxima, contradictione, inquam, bonorum, illam superiorem evasisse, verumtamen alia non pauca illi subeunda restare. Ad hæc P. Balthasarem Alvarez convenit, ut quam ille de spiritu Dei hic operante opinionem conceperat, nova sua ipse opinione et testimonio confirmaret; simul et Franciscum Salcedium, qui eam præ aliis quidem maxime diligebat, attamen gravissime infestabat, dum in ea is semper opinione versaretur diabolicis ipsam præstigiis fascinari. Et adeo quidem alte hæc illi opinio insederat, ut, tametsi luculentam sanctissimi viri Petri super ea re testificationem audiret, numquam a se impetrare potuerit ut quam conceperat mentem penitus exueret; licet alioquin in ea exagitanda paulo se gereret mitius. Quamquam hæc dolenti Teresiæ animo consolationem uberrimam afferrent, a dæmonis tamen tentatione plane immunis non erat : nam is subinde eam infestabat, redibatque formido : unde et intellectus obscurabatur, ipsaque anceps animo nutabat. Occursabat identidem aut non recte se forsitan Petro mentem explicare aut ejus respondentis sensum intelligere non potuisse; ac proinde sufficere ipsam solam deceptam esse, ut necesse non esset ipsos Dei servos in fraudem pertrahere. Volebat nimirum ancillam suam Dominus, quo puriorem sublimioremque eam redderet, duro tribulationis igne persæpe probari, et talis quidem tribulationis qua nulla infligere majorem homini pœnam potest. Nec vero brevis ea tentatio erat; quin vehementer ad duas tresve hebdomadas interdum perseverabat, ita ut suffocari sibi videretur.

externisque molestiis caret.

96 Alias ad superiorem retro ipsa vitam oculos reflectebat, sibique omnibus fucum facere videbatur : suosque adeo confessarios adibat et præmonebat, viderent ne sibi a se imponi sinerent. His eam porro timoribus, afflictionibus aliisque omnis generis tentamentis probari voluit et explorari Dominus, quod tot filiarum post esset futura mater et tot animarum auxiliatrix. Quin per ipsos etiam confessarios eam non mediocriter exercere placuit : nam cum frequenter summis cum corporis tum animi laboribus ac molestiis opprimeretur, ipsosque solatii accipiendi ergo adiret, acribus ipsam verbis objurgabant, et adeo non recreatam abs sese dimittebant, ut etiam asperius duriusque corriperent : ut et ipsi non raro deinde mirarentur. Ipsam, quod consolatione indigere quam maxime videbant, consolari quidem et delenire verbis volebant (unde sæpe etiam metuebant, ne, sic eam desolatam abs se ablegando et increpando, noxam inde aliquam contraherent); sed id in sua negabant manu fuisse. His sanctitas ejus rebus mirifice celebrari atque evulgari in vulgus cœpta est; et, quamquam obstaret, quin imo maxime abhorreret, insignem nemo non de ea æstimationem concepit. Cum enim suis confessariis clare exponeret omnes quas a Deo recipiebat gratias, idque faceret aliis interdum etiam spiritualibus viris et litterarum eruditione conspicuis (nam vehementissima erat tentatio qua metuebat ne a fraudis mendaciique architecto diabolo descenderet id quod manifestissime a Deo venire videbat,

A videbat, quamdiu ab illa tentatione libera erat, et multo adhuc magis cum cœlestibus illis deliciis affluebat), hi deinde eadem cum aliis communicabant; unde fiebat ut nominis ejus fama quotidie per hominum ora magis magisque crebresceret. Hoc etiam in causa fuit cur a primariis interdum matronis summis precibus suas in ædes invitaretur, ut apud ipsas aliquamdiu conversaretur : in quo R. P. Provincialis auctoritatem invocabant : unde, cum iis id negari ob nominis splendorem non posset, factum est ut suo sæpe Teresia egredi monasterio cogeretur.

ANNOTATA.

a *Require quæ de P. Balthasare Alvarez retulimus in Comm. prævio, num.* 184, 185 *et* 880. *Iis tamen quæ num.* 880 *diximus, addere juvat egregiam illam Dei ancillam cui S.* Teresia *apparens dixit :* Et ego sum filia Societatis, *etc., esse Marinam de Escobar, virginem Vallisoletanam; ut liquet e prima parte Vitæ ejusdem Marinæ* (*lib.* IV, *cap.* XXVII, § II), *quam P. Ludovicus de Ponte, ipsa adhuc vivente, descripsit, quæque anno* 1766 *typis Madritensibus simul cum altera parte a P. Andrea Pinto Ramirez*
B *adornata in lucem prodiit.*

b *Hispanice* dar higas. *Vide n.* 207 *Comm. præv.*

c *Acta martyrii S. Cæciliæ, quæ Metaphrastes e latino græca fecit, et quæ e Metaphraste Lipomanus et Surius latinitati reddiderunt, non magnæ apud eruditos auctoritatis sunt.*

d *Consule Eusebium Amort de Revelationibus, Visionibus et Apparitionibus* (*part. II, n.* VIII, § LIII, *loco* 8), *ubi congesta exquisitæ eruditionis doctrina expendit quidquid ad S. Gertrudis Islebiensis revelationes spectat.*

e *Scribit Card. Baronius Metaphrasten Acta martyrii S. Clementis e priscis monumentis edidisse, eaque exstare apud Lipomanum et Surium, atque iis adstipulari S. Gregorium Turonensem; quæ vero latine olim scripta habemus, valde esse depravata* (*Martyrol. Rom., not. ad* XXIII *Nov.*).

f *Vide num.* 221 *Comm. prævii quo hæc crux postea evaserit; ut et num.* 1467 *et* 1468 *de aliis S.* Teresiæ *cultis crucibus.*

g *Vide Eusebium Amort, libro quo supra* (*num.* VIII, § LIII, *loco* 2).

h *Vide latum ab eodem Amort judicium de revelationibus B. Angelæ de Fulginio* (*libro quo supra, num.* X).

C

CAPUT VII.

Propositum fundandi Abulæ monasterii in honorem S. Josephi, non sine remoris in opus deduci cœptum.

CAP. XIII. Teresia, *dum ferventius in dies Deo in Incarnationis cœnobio famulatur,*

Quæ Teresiæ tunc vitæ fuerit ratio, constare aliquatenus e quadam ad alterius Ordinis religiosam missa ab ipsa epistola potest. Sic igitur habet : « Antequam hæc fundari inciperent cœno- » bia, quinque ac viginti annis in quodam vixi in » quo centum octoginta virgines sacræ mecum » commorabantur. Quoniam vero plura narrandi » mihi otium non suppeditat, hoc unum dixero, » hæc Deum diligenti omnia crucis cujusdam loco » futura, et in non tenue animæ commodum cessura, » nullum vero salutis inde illi eventurum dispen- » dium, si modo tecum serio cogites Deum ac te » solam in illa domo versari. Interim vero dum » ab omni munere vacas, nulliusque tibi rei cura AUCTORE RIBERA. » a superioribus concredita est, reliqua curare ne- D » glige; sed soli virtutis quam in unaquaque per- » spexeris, comparationi incumbe, ut ob hanc » singulas virtutem diligas, eamque in usum tuum » convertas : si quos vero in iis defectus notaris, » ab eisdem longissime removeare. Tantum hæc » mihi consideratio fructum peperit, ut, quam- » quam is monialium esset, quem dixi, numerus, » non magis mihi is officeret quam si nulla penitus » fuisset : quin potius quæstum inde mihi non me- » diocrem eliciebam. Omni quippe loco, carissima, » magnum hunc Deum amare possumus. Sit ipse » benedictus, quod omnino nullus ab illius nos » possit caritate separare. »

de novo sub arctiori disciplina monasterio

98 Licet vero sodalibus suis domi virtutis exemplo prodesset, et insignes in illarum animis motus, vitæ probitate et quod ex operibus ipsius emicabat lumine, quo id ipsa magis supprimere connitebatur, eo magis excitaret, parva tamen hæc erant, si cum iis quæ illius post opera magnus proficere Dominus decreverat, comparentur : hinc ad majora eam paulatim excitare ac vocare incipiebat. Ut vero ad oculum pateat quam suis in operibus Deus sit mirabilis, quamque tenuibus interdum e E principiis res moliatur ingentes, visum est monasteriorum a Matre Teresia a Jesu postea erectorum exordia paulo hic altius repetere. Habebat ipsa consanguineam, quam singulari semper est amore prosecuta, Mariam Ocampiam *a*, quæ deinde Ex- *a* calceatarum etiam Institutum complexa, a S. Joanne Baptista cognomentum assumpsit, et post monasterio Vallisoletano multis annis, vitæ religiosæ omnibus præbens exemplum, præfuit. Hæc tum quidem vestium consectabatur elegantiam, quam etiam conquisitis et ab ingenio et industria ad stuporem usque excogitatis artibus fovebat. Ergo cum sæculari schemate in Incarnationis ageret cœnobio, et quadam ipsa nocte cum sorore aliisque consobrinis ac cognatis Teresiæ, partim sæculum adhuc sectantibus, partim Religionem professis, simul et Joanna Suarez, magna illa B. Matris amica, de qua jam superius nonnulla tetigimus, in materteræ cubiculo versaretur, per ludentium ac jocantium speciem dicere omnes inter se cœpere, permolestum imprimis id vitæ genus quod in hocce monasterio viverent, ob maximam inhabitantium copiam videri. Ad quæ Maria Ocampia confestim respondens, ait : « Quin igitur quotquot hic præsentes F » convenimus, aliud vitæ institutum inimus, quod » veterum anachoretarum more, majorem solitu- » dinem spiret? » Cum vero hic a Deo sermo proficisceretur, tametsi id tum ipsa ignoraret, in terram eum prolabi minime est passus, sed in omnium mentes ac voluntates dilabi. Cumque is placuisset universis, et mutuis hac de re colloquiis noctem traherent, disceptari cœptum quæ iniri monasterii alicujus minoris, in quod pauciores admitterentur sodales, ratio posset, et quæ in ipsum construendum expensæ requirerentur.

extruendo cogitare incipit.

99 Tum Maria Ocampia mille aureos de hæreditate sua deducendos hoc se in opus spopondit collaturam; quod et cordi ipsa habere et serio urgere videbatur. Placuit offerentis animus piæ Matri, dum tanto hanc ardore de novo hoc vitæ genere inchoando audit disserentem, vanitatibus sæculi etiam tum penitus absorptam. Ipsa tum Teresia novis austerioris vitæ ineundæ solitudinisque sectandæ ac Deo se de novo dedicandæ desideriis majorem in modum æstuabat, assiduoque secum ipsa recogitabat ecquod dignum ipsa præstare Domino posset obsequium, qui ardentes has animo

AUCTORE RIBERA.

suo faculas subjiceret. Hos in ipsa motus horrenda
A illa et admirabilis concitarat visio, qua, exhibente Domino, locum simul et tormenta apud inferos conspexit sibi, si, quod alias cœperat, iter insistere perrexisset, parata. Etsi vero visio hæc et narrari et sciri digna sit, eam ipse tamen silentio involvo, quod Vitæ suæ capite XXXII pluribus eam B. Mater
b prosequatur *b*. Secum ipsa jam constituerat nihil esse sibi debere antiquius quam vocationi suæ respondere et quam poterat maxima integritate Instituti suscepti præscripta observare : ac quamquam suo in cœnobio multæ fideles Dei ancillæ versabantur, ad id tamen quod in animo habebat, arctiora longe claustra majoremque solitudinem necessariam arbitrabatur. Cum ergo hoc quo diximus ritu disponere eam Dominus jam cœpisset, et ipsa nuperum illarum virginum sermonem præsens audisset, incredibilem in animo voluptatem sentiebat et omnia suo in corde conservabat. Haud ita multo post ipsam quædam matrona de maxime familiari-
c bus *c* adiit, cui velut per speciem ridentis dicere instituit : « Nuperrime virgines illæ de novo a
» nobis cœnobio ad Franciscanarum Excalceata-
» rum imitationem instituendo multis sermonibus
B » agebant, variaque hac super re proposita conci-
» piebant. » Quod velut joco dictum Guiomara non putavit; sed serio rem cordi accepit, eam executioni mandandam, seque ut necessaria vitæ subsidia non deessent, elaboraturam addens.

Deus confirmat hoc illius propositum,

100 Quamquam vero id ipsum Teresia non mediocriter exoptaret, ab eo tamen erat alienior, quod in qua commorabatur domo, optatissima lætissimaque mentis perfrueretur quiete illiusque hæc erat exercitiis studiisque pietatis aptissima; quam ob rem non adeo ad hanc ipsa mutationem propendebat. Ambæ demum assiduis statuerunt negotium Deo precibus commendare. Postera vero luce, postquam vivificum Eucharistiæ jam epulum adisset Teresia, in mandatis illi Dominus dedit ut qua posset contentione in monasterii hujus excitationem incumberet : cumque ipsum ad exitum feliciter perductum iri et sibi rem fore quam gratissimam atque ad nominis sui gloriam non parum collaturam spopondisset, S. Josepho ipsum voluit dedicari; quem ad unam portarum et ad alteram Sanctissimam Matrem suam excubituros, se vero diligentissimum ipsarum custodem futurum nec ipsas umquam deserturum, denique monasterium
C hoc, stellæ in morem, insignes radios quaquaversus evibraturum affirmavit. Hanc ob causam ad vestibulum illius cum Deiparæ, tum dilectissimi sponsi ejus Josephi, collocari B. Mater imagines postea etiam curavit. Addidit adhæc Dominus : « Neque
» est quod tibi ipsa persuadeas parum mihi in
» cœnobiis, tametsi a primævo fervore degeneran-
» tibus, cultus obsequiique deferri. Quid enim
» mundo esset futurum, si auxiliares religiosi ma-
» nus ei non afferrent? Hæc tuo confessario dicas
» velim, quem tibi hocce in negotio refragari aut
» impedimento esse nolim. » Ea horum verborum vis fuit, tamque mirabiles in animo illius motus produxere, ut a supremo ea Domino provenire sibi plane persuaderet. Verum enimvero hæc animum illius res maxime lancinabat, ut quæ jam tum innumeros illos quos postea in ejus executione est experta labores difficultatesque sibi proponeret. Tum vero grave illi imprimis videbatur, studiis suis atque exercitationibus animi adeo commodum domicilium relinquere. Huc accedebat quod non jam a suo res amplius nutu arbitrioque, uti quidem ante, dependeret, sed eodem ab Altissimo impelleretur; demum quod magnarum se turbationum atque oblocutionum in populo causam fore D prævideret : adeo ut quo se verteret, prorsus nesciret.

quod et a Salazario provinciali ac S. Petro de Alcantara approbatur.

101 Dominus porro, qui cœpta intermitti negligique penitus nolebat, rursus eam, et post etiam crebrius, hoc de negotio est allocutus, multis etiam ad ipsum persuadendum productis rationibus, quibus illa quod objiceret, nihil habebat. Quocirca manifesto ita Deum statuisse perspiciens, minime ausa est refragari, sed scripto quidquid transactum erat, concredidit, et Balthasari Alvarez, cui tum animum suum regendum dabat, tradidit. Quod autem hic prudentia atque eximia Dei reverentia excelleret, plane quidem ab hoc eam opere revocare noluit, tametsi ejus ad exitum deducendi perficiendique nulla appareret ratio (res nummaria quippe perangusta erat) : at auctor illi fuit ut Angelum de Salazar provincialem suum hac super re consuleret, et hujus sententiam sequeretur. Tum vero illa matrona quam supra significavimus, provincialem convenit, hoc se construere ac dotare monasterium paratam indicans. Hic pium illius consilium probavit, et quam oportuit in eodem opem ei addicens, hoc sese monasterium ratum habiturum spopondit. Verum antequam etiam hæc agerentur, ad Petrum E de Alcantara, quidquid tractarent, ex ordine perscripserant. Respondit hic ut in re concepta minime deficerent, et quo in hac se gererent modo, consuluit; qui et ad Abulensem episcopum, ut deinde commemorabimus, rem omnem retulit *d*. Læta negotii initia videbantur, cum humanæ salutis adversarius, jam tum quod inde sibi immineret, præsagiens dispendium (etsi non tantum hunc sibi credam finxisse damnum quantum dudum jam sensit et post etiam sentiet), turbulentam excitare cœpit toto oppido tempestatem.

d

Oriuntur hinc in Sanctam obloquia :

102 Ut enim primum res hæc vulgari cœpit, varii in circulis omnibus sermonis materiam dedit, nec non malevolis cavillandi ansam ac subsannandi. Omnes namque stultitiæ passim Teresiam insimulabant; hanc illam suo in cœnobio agere jactitabant; demum tam de illa quam de socia ejus multa id genus in vulgus spargebant : adeo ut non mediocriter hac de causa malignæ plebeculæ linguis vapularent. Sed hac in tempestate Dominus ancillam suam animabat, hinc illam haud obscure perspecturam asserens, quanta qui prima sanctarum Religionum fundamenta jecissent, essent adversa et contradictiones perpessi; verum longe etiam F vehementiorem quam crederet persecutionem suis sciret cervicibus impendere. Jam plena illius rumoris erat civitas, nullusque prope in eadem erat aut civis aut religiosus quem non ipsæ operi adversantem experirentur. Eo demum res processit, ut, cum Guiomara ipso Natalis Dominici die manc noxas declaratura confessarium (quem ipse novi) adisset, is absolutionem ei dare noluerit, nisi ab hac ipsa sententia propositoque discederet, quod scandali proximo passim dandi occasionem ei diceret præcidendam videri. Patrum Societatis Jesu hac in re operam adhibere quidem ipsæ per se cupiissent; sed aliter id Guiomaræ, ob singularem quo erga ipsos ferebatur amorem, visum est. Cum enim haud ita pridem Abulam illi venissent, et, quia res ipsis domi satis angusta erat, omnium auxilio subsidioque opus haberent, censebat, si huic se nostri negotio immiscuissent, omnium facile odium indignationemque fore ut incurrerent : quapropter longe satius videri (ut post ipsiusmet ego ex ore accepi) alterius cujuspiam viri magni industriam implorare.

103 Ambæ ergo ad insigne S. Thomæ cœnobium

quæ licet nihil moranda censeat P. Petrus Ibañez Ord. Præd., e

A bium Ordinis inclyti Patris S. Dominici se conferunt, et Petrum Ibañez *e* præsentatum, virum et scientiis clarum et religiosis virtutibus spectabilem, de rei totius successu edocent illiusque sententiam explorant. Teresiæ porro quas hac in negotii directione habuerat revelationes minime hic visum est patefacere; quia nec hoc negotium nec alia post perficienda ex revelationibus dijudicari voluit. Hinc rationes quibus ad hoc faciendum movebatur, et bona quæ inde promanare poterant, solummodo proponebat; dein aliorum super hoc sciscitabatur judicium, perinde ac si sola humana id sapientia consilioque niteretur, quin Deus intervenisset. Ita quidem in hoc negotio sese gessit. Ibañezius vero, uti prudentia pollebat, atque ipsum rei etiam pondus exigebat (tametsi huic, non minus quam aliis, fatuum id molimen videretur, secumque ipse decrevissset rem penitus intervertere, ut post ipse ingenue est confessus), responsum in præsens distulit, octiduumque sibi dari petiit, quo rem Deo commendaret ac rationum momenta in utramque partem libraret maturius. Haud ita multo post missus ad eum a principe viro nuntius, significans videret quid ageret, ac mulierculis his auxi-
B lium et opem omnem denegaret; aliaque his non absimilia. Cæterum Ibañezius, ut penitus excutere rem aggressus est, illico in alia omnia transiit, censuitque e divino eam obsequio non parum fore, ac proinde nefas videri ab inchoato desistere. Quamobrem ut maturarent, suasit, ac simul rei rite perficiendæ rationem præscripsit: adhæc, tametsi nummorum copia modo non suppeteret, Domino confiderent; ac, si quem disturbare negotium velle scirent, ad sese hunc mitterent: se abunde rationibus ei facturum satis. Hæc illis verba animum dederunt, tum vero quod hosce Dei famulos quos antea adversarios expertæ erant, adeo jam ab iis cernerent oppugnandis desistere ut ope etiam consilioque adjuvarent.

Teresia *tamen, provinciali suam approbationem revocante*

104 Quocirca domum ante omnia coemerunt, exiguam eam quidem (quo loco etiam hodie monasterium est), quæ tamen Teresiæ tum quidem satisfecit, tametsi iis quæ animo volvebat, impar. Mandarat illi namque Dominus ut quocumque posset modo rem exordiretur: visuram enim illam subinde quid facturus ipse esset. Jam de emptione inter partes convenerat, et postera erant die rei tabulæ conficiendæ, cum tanta per civitatem
C contradicentium orta est contentio, et in ipso Incarnationis adeo varius rumor atque oblocutio, ut provincialis, tempori serviendum ratus, tot scopum in unum conspirantium opinionibus refragari velle rem duram judicaret. Quare Guiomaræ hanc se negavit fundationem posse ratam habere, cum quod tenues ad vitam essent census, iique parum stabiles, tum vero quod multorum obtrectationibus esset obnoxia. Teresia vero, quæ gravissimos et labores subierat et afflictiones, antequam eo rem loci quo modo erat, perduxisset, ipsam in his remoris etiam plane deposuit, non minori quidem promptitudine animique sui quiete ac si ne unum ejus causa pedem movisset; quod provinciali invito et Balthasare Alvarez confessario secus sentiente nihil omnino exequi vellet aut constituere: hic enim, cognito provincialem resistere nec rem approbare velle, huic ipsam vetuit curæ ulterius insistere.

et monialibus Incarnationis obmurmurantibus,

105 Multa quidem antea sermonum fuerat materia; jam vero multo etiam major, quod quæ de levi mulierum suo e cerebro hocce comminiscentium proposito dicta ante fuerant, per hoc confirmari viderentur. In Incarnationis quoque malevolarum proscindebatur linguis, non modicam sibi ab ea irrogari injuriam jactantium: non minus hic D illam quam alibi accurate famulari Deo posse, cum aliæ etiam ipsa meliores ibidem commorarentur. Hæc et id genus alia ab obloquentibus cum spargebantur, non deerant etiam quæ eam in custodiam compingendam suaderent. Pia vero Dei famula insigni tolerantiæ significatione ferebat universa, suas, quibus ad hoc faciendum incitabatur, in medium afferens rationes; quamquam primariam, hanc sibi nimirum cœlitus rem injunctam esse, minime attingeret. Cumque a parte sua quidquid demum poterat opis ad perficienda sibi a Domino concredita negotia attulisse videretur, secura quietaque mente hanc penitus curam seposuit: attamen rem suo tempore executioni mandandam sperabat; quamquam ejus adeo tenuia apparerent principia, et tanta contra subversio, ut qua demum id via esset futurum, minime perspiceret.

CAP. XIV. *jussu Alvarezii confessarii a cœpto opere,*

106 Nihil vero Teresiam dejecit magis quam quod ab eo se affligi cerneret a quo consolationem expectabat. Balthasar enim Alvarez per litteras illi significavit jam non obscure ex iis quæ facta erant videri posse mera esse somnia quæ conceperat: E proinde posthac meliora saperet, inania hæc molimina amplius nec aggrederetur nec de iis cum quoquam ageret; præsertim cum magnam populi, cujus ipsa causa exstiterat, offensionem cerneret. Contristavit hæc piam virginem epistola; quod metueret ne ipsa forsan causa violati ab aliis divini Numinis exstitisset, ac secum ipsa judicaret, si quæ sibi quoad hanc rem cœlitus contigerunt visiones, falsæ fuere, omnem etiam quam instituebat orationem imposturis patere debere. Qua occasione diabolus eam solita tentatione timoris vehementer infestavit. Sed post tetras hasce afflictionis nebulas ingens mox ad vocem consolantis Domini serenitas menti oborta est. Ait quippe illi Dominus non esse quod angeretur; ingens namque sibi ab ea præstitum esse obsequium nec se ab ea offensum fuisse: sequeretur porro monita confessarii, donec rei rursus aggrediendæ tempus afforet. His verbis ita recreata B. Mater mansit, ut quidquid adversitatis esset passa, in nihilo poneret: nec vero tum, sed et deinde sæpius verbis illam quam suavissimis est consolatus, ut grave illi et peracerbum ex amoris erga illam teneritudine videretur ancillam suam diutius anxiam et desolatam F sinere. Hoc porro ex hac afflictionum acerbitate consecutum est, ut amor Dei aliaque mentis charismata mirificos in ea facerent progressus, et his amoris torrentibus longe ipsa quam antea obrueretur vehementius, et raptus sublimiores experiretur.

quod interim ab Ibañezio promovetur, desistit.

107 Interim Ibañezius, cui semper ut certissimum insederat rem hanc optatum ad finem perducendam, cum pia illa vidua mira eam sedulitate tractabat, quod ab ea curanda Teresia, ne confessarii jussis adversaretur, modo desisteret: atque etiam Romam de eadem perscripserunt. Teresia vero Ibañezio orationis ac revelationum et eorum omnium quæ sibi a Domino communicabantur, rationem dabat, etiam atque etiam rogans eadem examinaret, sibique libere indicaret num quid Sacris Litteris repugnans continerent: is autem, cum hæc omnia ei viderentur optima, quietam eam esse jubebat. Ita quinque vel sex elabebantur menses, quin Teresia de cœpto monasterii negotio quidquam audiret aut loqueretur, et quin ei Dominus quidquam ad rem hanc pertinens aperiret. Iis forte diebus P. Gaspar de Salazar,

AUCTORE RIBERA. *f*

lazar *f*, qui hodie in Bætica agit provincia, collegio S. J. Abulæ præficitur; cujus, ut quidem postea
A compertum est, adventus videbatur, ut denuo res indicata resumeretur, necessarius. Cujus opinionis meæ hanc rationem statuo. Præerat tum P. Balthasar nonnisi cum secundaria ministri potestate collegio; et, quoniam in Societate nostra viget consuetudo ut negotiorum quæ ab inferioribus geruntur, superioribus reddatur ratio, nihilque illis inconsultis aut insciis cuiquam aggredi liceat, hanc Balthasar consuetudinem secutus, ad rectorem ipse suum ea de re retulerat : qui, quod eamdem etiam minime probaret, ab ipsa Alvarezium revocarat, ejusque cura penitus illi interdixerat. Hinc, quamquam summopere rem perfici optabat, sese prodere aut quidquam de eadem decernere non audebat. Paucis vero antequam P. Salazar Abulam veniret diebus, Teresia, cum mœrens admodum et dejecta, quod confessarium sibi minime fidere perspiceret, in oratione sese coram Deo totam effunderet, audiit ab eo : « Noli » timere aut turbari, filia : brevi hac animi amari- » tudine liberaberis. » Id per mortem futurum sibi persuadebat, et se propediem ærumnoso hoc e
B carcere educendam lætissima cogitabat. At longe alia et altiora spectabat Deus, qui aliis ad majorem sui nominis gloriam spectantibus operibus ancillam suam reservabat; ac tum, cum jam depositam prorsus et finitam rem putabat, denuo eam jussit ordiri.

Tandem iterum, hortantibus P. Gaspare de Salazar

108 Qui vero rei secutus est successus, quo modo intelligenda prædictio hæc foret, satis patefecit : ex eo namque didicit afflictionem suam hujus rectoris Abulam adventu finem habituram. Is ergo cum appulisset, P. Balthasar Alvarez Teresiæ consuluit ut quam clarissime ac liberrime de omnibus rebus suis cum illo conferret. Fecit id ipsa perlibenter, et magnam inde animo consolationem et commodum cepit. Horum omnium certior factus rector Balthasarem noluit ab hoc negotio divertere : quin imo suasor et auctor illi fuit ut mœrentem Teresiam solaretur : nihil esse quod metuere oporteret; neve per arctum adeo angustumque posthac eam iter dirigeret, sed exspatiari pia mentis vota sineret; spiritum denique Dei in ipsa operari non impediret. Mox rursus monasterii hujus excitationem urgere apud ancillam suam per visum Dominus orsus est, ac mandare ut aliquas apud confessarium ac re-
C ctorem rationes afferret, quibus persuasi rem minime impedirent. Sedulo accurateque ipsam rector examinabat, rationumque momenta librabat; unde non dubitavit quin huc illam Dei spiritus impelleret : quare nec ipse nec Alvarezius ei ullatenus repugnare sunt ausi.

et ipso, cujus animum Deus immutarat, Alvarezio,

109 Dei porro voluntatem hoc pacto Alvarezius cognovit. Ancillæ suæ Dominus quodam die dixit : « Confessarium tuum mone ut crastina die mane » hunc Prophetæ versum : QUAM MAGNIFICATA SUNT » OPERA TUA, DOMINE ! NIMIS PROFUNDÆ FACTÆ SUNT » COGITATIONES TUÆ, meditando ruminet. » Verba sunt hæc e Psalmo nonagesimo primo deprompta. Teresia ergo voluntatem Domini scripto ad eum quamprimum cum transmisisset, is illi morem gerere non dubitavit. Atque ut stellæ apparitione Deus tres Magos stellarum cursus peritissimos edocuit, omnia suaviter disponens et ordinans, sic per orationis præsidium multum ipse infundere lucis solet eam frequentantibus et exercentibus. Exemplo sit Pater hic Balthasar, cui hunc versiculum meditanti manifeste adeo patefactum est hanc Dei esse voluntatem, et fœminæ ope illum mirabilia sua perfecturum, ut a meditatione surgens dixerit non esse jam de negotio hoc amplius dubi- D
tandum, sed serio diligenterque de monasterii novi erectione agere instituerit. Hoc ex ore Patris fide dignissimi accepi, cui ea ipsa vespera Alvarezius transmissam a Teresia schedulam monstravit. Hoc responso accepto, Teresia, quæ omnem erectionis cogitationem jam animo abjecerat, sed soli animæ culturæ bonoque intendebat, veris eam quotidie divitiis locupletans et pretiosis virtutum monilibus exornans, tota denuo in eam curam incubuit, tametsi magnam gravaminum molem in caput se suum arcessere cerneret, tum quod ardua esset rei hujus susceptio, tum quod ipsa sola, omni ope destituta, et a rebus ad molitionem monasterii necessariis maxime esset imparata. Quocirca ante omnia magno labore quod potuit argentum sibi comparavit, ad domum illam quæ modo in monasterium conversa est, coemendam : quoniam vero res occulte erat peragenda (provincialis enim si quid intellexisset, in nihilum mox conatus omnis recidisset), commodissimam optimamque, qua erat prudentia, rationem ad hoc excogitavit; qua etiam utendum censuit.

in monasterii sui ædificationem incumbit.

110 Habebat Teresia sororem Joannam de Ahumada, Joanni Ovallio nuptam et Albæ tum commorantem. Ovallium ergo Abulam evocatum jubet E
eam domum velut in usus suos emere : quem post non multos dies secuta est uxor. In quartum idus Augusti anni MDLXI is dies incidit. Tum demum cœpta manus est operi admoveri. Aliquis jam tum ejus progressus erat : quoniam vero soror jam Abulæ versaretur, per speciem ejus intervisendæ B. Mater interdum foras prodeundi facultatem petebat, revera autem coram inspectura quid ad fabricæ molitionem requireretur, quomodo assurgeret, illius quoque perfectionem maturans. Porro jam inde a fundationis hujus initio ad finem usque, insigni sua prudentia, sanctitate, ac præsertim Dei Optimi Maximi, qui ipsam numquam deserebat, cooperatione, ita semper omnia direxit ut structuræ ergo ne latum quidem unguem ab obedientiæ, quam juxta Instituti sui leges præpositis suis exactissimam debebat, præscripto deflecteret; etsi alioquin ejus perficiendæ magno desiderio teneretur, et jam toties hanc illi supremus rerum arbiter Deus imperasset : quod certe admiratione non vacat. Aliquid quidem opis matrona quædam, B. Matris amica, conferebat, sed perexiguum; ita ut tota rei moles in illius solius humeros recideret : quod F
sane sanctimoniali adeo in Deum recollectæ, quamque aut clam facere aut penitus omittere opus id oportebat, intolerabilis quodammodo labor erat. Interim vero dum moles assurgeret, nonnulla ad memoriam digna contigerunt, quæ post recensebo. Horum de numero est quod jam affero. Cum majorem operarum ac fabrorum Teresia hoc in ædificio maturando desideraret copiam, et eos ipsa conducere præ rei nummariæ tenuitate non posset, gloriosus sponsus Deiparæ Josephus, erga quem peculiari studio ferebatur, illi per visum apparens, cum fabris ipsa de mercede stipularetur edixit : nam quod in mercedem persolveret, ei minime defuturum. Alio tum quidem instigatore opus non habuit, accedente magna qua nitebatur fide; quare omnes ad unum conduxit : interim Dominus de pretio ipsis persolvendo prospexit, illius ad liberaliter sumptus necessarios præstandos animum movens a quo id ipsa minus exspectasset : quæ res omnibus ad quorum dein cognitionem pervenit, non parum stuporis injiciebat : sed illi propter eminentem quam in Deum conceperat fiduciam facile id fieri posse videbatur.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

a *Maria de Ocampo filia erat Didaci de Cepeda, patruelis S.* Teresiæ, *ut in Comm. præv. num.* 52 *dicitur.*

b *Visionis hujus descriptionem vide* § XV *Comm. prævii.*

c *Guiomara de Ulloa, quam Ludovicus de Ponte in Vita P. Balthasaris Alvarez hisce verbis dilaudat :* Undevigesimo ætatis anno orbata viro, cum forma spectabilis esset, spectari ob eam laudarique ab aliis, addito etiam muliebris mundi suffragio, cupiebat. Adire cœpit hæc affarique Balthasarem; atque hic tantum in eam valuit auctoritate verborum, ut, quod fieri vix posse putaret, illius animum ab humanarum rerum, pomparum ineptiarumque oblivione, ad sincerum etiam ac serium Christi Domini amorem obsequiumque perduxerit : cujus instinctu atque ope in nobilem venit mundanæ pompæ contemptum; pueros ab se famulosque dimisit; provectoque dein ævo, incomitata templum adibat, sellula in qua consideret, subvecta sibi sub stolam. Largis porro muneribus aucta a Deo est, honoribus illos afficiente qui sese habent ipsius causa despectos, eosque divinis illecebris perfundente qui ab se delicias repulere terrarum (*cap.* XI).

d *Diximus in Comment. prævio, num.* 283 *et* 284, *etiam S. Ludovicum Bertrandum et forte S. Franciscum de Borgia hac occasione a* Teresia *consultos fuisse.*

e *Vide quæ de P. Petro Ibañez in Comm. prævio retulimus a num.* 287 *ad* 294.

f *Plura de P. Gaspare de Salazar afferuntur in Comment. prævio, num.* 301, *item num.* 787.

CAPUT VIII.

Fundatio primi monasterii virginum Carmelitanarum Excalceatarum.

CAP. XV. *Animatur Sancta divinis alloquiis*

Paulatim moles assurgebat; sed Teresiæ domus hæc exilis nimis apparebat : ea namque ejus erant angustiæ ut dormiendi comedendique necessitatibus apta nulla in ea perspiceret loca, imo prorsus nullam habere monasterii speciem eadem videretur. Adhæc ad templum aptandum necessaria videbatur domuncula contigua; sed deerat ad coemendum pecunia, et unde comparari eadem posset, nulla se offerebat ratio. Has ergo inter angustias ac perplexitates pia virgo dum fluctuat, his illam a Sacra Synaxi redeuntem Dominus verbis compellavit : « Jam ante te monui ut quo possis modo in » domum hanc commigres. Proh generis humani » cupiditatem, ut etiam terram tibi putes defu» turam! Quoties ego sub dio somnum cepi, non » habens ubi caput reclinarem! » Hæc eam verba cum mire percellerent, domum illam adiit; quam cum curiosius explorasset, in monasterii formam redigi commode posse, etsi perangusti et exigui, visum est : quare de ampliore spatio minime laboravit, hoc unum spectans, ut hoc ipsum, rudi licet atque incondito, quoquo modo et in quantum habitationi sufficeret, perficeretur. Hanc illi potissimum mentem nova dedit visio festo S. Claræ Virginis die ad Eucharisticam Mensam accedenti oblata. Scilicet gloriosa hæc Virgo pulcherrima specie se ei spectandam dedit, hortans ut animum sumeret ac cœpta promoveret, seque auxilio ei futuram spondens. Nec sane fidem fefellit : nam moniales quæ in cœnobio a S. Maria de Jesu dicto Institutum S. Claræ profitebantur, necessaria vitæ subsidia novis Excalceatis aliquamdiu subministrarunt.

ac visionibus.

112 Exhibita illi deinde et alia visio, qua magis etiam in proposito fuit confirmata. Agitabat tum animo cuinam post monasterii erectionem obedientiam præstare expediret; et quidem ipsa propendebat in Ordinis sui provincialem : sed ab hoc eam consilio Redemptor divertit, affirmans conveniens esse ut non alteri quam episcopo monasterium subjiceretur, et injungens ut certa quadam via, quam ipse designabat, Romam Teresia mitteret : se porro curaturum ut litteræ apostolicæ inde afferrentur. Cum autem per idem tempus die Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ in templo cœnobii S. Thomæ PP. Prædicatorum Teresia ageret, atque animo revolveret peccata quæ olim eodem in templo confessa fuerat, tantus eam occupavit raptus ut prope a sensibus avocaretur : quo in raptu candidissima ac splendidissima veste se videbat circumdari. Initio non videbat a quonam indueretur; sed deinde adstantem sibi a dextra Deiparam, a læva S. Josephum conspexit, et ab his se vestiri. Intellexit inde se jam a peccatis suis purgatam esse : viditque manus suas a Sacratissima Virgine apprehendi. Ac tum quidem hæc Teresiæ dixit pergratum sibi esse quod S. Josepho sponso suo peculiari famularetur affectu. Spopondit præterea, monasterium hoc perfectum iri, et magnum inde in Filium suum ac se sponsumque honorem et obsequium redundatura : nec vero hac de re dubitaret; certissime namque ita eventurum, etsi non usque adeo obedientia episcopo deferenda arrideret : adhæc a se et Josepho sponso moniales conservatum iri; Filium quoque suum cum ipsis futurum et ambulaturum, uti et is ante apparens se facturum receperat; in quorum fidei signum hoc illi se tradere monile : aureum namque videbat monile, cui par nullum terra ferebat, et pretiosissimam inde dependentem crucem suo tum collo a Deipara injici per visum : quos dein pariter in cœlum, innumera comitatos Angelorum multitudine, invehi in spiritu cernebat. Hæc illam visio inusitato piæ consolationis sensu et interiori cumulavit gaudio; ut omnis expers motus et in verba laxare linguam impotens, ad horas aliquot velut alienata a sensibus videretur, et incredibiles ardores et motus ad se totam pro Dei gloria impendendam experiretur.

Alteri sororis suæ filiolo

113 Dum ædificium paulatim paratur et cum Joanna sorore Teresia versatur, nonnulla, quæ ipsa quidem silenter præterit, contigerunt; quæ hoc loco prosequi visum est. Adierant ambæ S. Thomæ ædem, cum prædicator qui ad populum tum verba habebat, adeo acerbe in Teresiam, tacito tamen nomine, invehi cœpit, velut si publicum aliquod probrum contraxisset, adeoque in ipsam contumeliosis ac virulentis verbis ferri ut rubore soror præsens suffunderetur. Quam ille peteret, adeo liquidum erat ut sola digito monstratio deesse videretur. Ita hisce probris et injuriis Teresia mota non est, ut, quo erat pro Christo patiendi desiderio, in animo sibi veluti de præclara relata victoria congratularetur, et præ gaudio non secus rideret ac alia quæ se deprædicari extollique coram audiret. Soror vero tantam, his auditis, animo indignationem concepit, ut non ante quiesceret quam beatam Matrem in suum monasterium reduxisset : quam præeuntem hæc illico consecuta est, ne vel minimum stomachata. Verum cum eam fabricæ quæ surgebat, adesse præsentem oporteret, per sororem a provinciali facultatem petiit ut domo abesse liceret; quo facto, unde venerat, reversa est.

AUCTORE RIBERA.

Hic cum ageret, illustre per ancillæ suæ merita miraculum operari dignatus est Deus. Joanni Ovallio filiolus erat nomine Gonzalvus *a*, quem ego optime novi, et qui paucis abhinc mensibus in ætate juvenili tam sanctum piumque vitæ exitum habuit ut facile appareret sanctam illi in cœlo materteram esse. Hunc pater, domum quodam die rediens, in limine sensu destitutum ac rigido corpusculo jacentem comperit. Statim ergo ad pectus applicitum compellat, sed frustra : nullum quippe in puero vitæ apparebat indicium. Unde hoc contigisset aut quidnam esset, hactenus nemo novit, imo nec an vere mortuus fuerit : hoc constat eo jacuisse quo dixi modo. Nec mora : ad Teresiam Gonzalvulum defert pater.

vitam restituit;

114 Interim Joanna mater alio in cubiculo versabatur. Audiverat hæc quidem aliquem strepitum, quo excita turbari cœperat; at matrona quædam, quæ eam tum salutatum venerat, prudenter factum dissimulans (nam uterum ferebat Joanna et erat partui proxima; unde et aliud forte incommodum secutum esset), mentem verbis serenaverat. Verum, ingredientibus domesticis, non ita clam res esse poterat, quin, cognito quid rerum actum esset, mater foras illico ejulans prorumperet, filium inclamans ac quæritans et ad Teresiam sororem ocius evolans. Habebat hæc puerum genibus insistentem, sorori comploranti silentium, uti et reliqui, indicens; omnes vero rei eventum cum stupore exspectabant. Statim ergo, velo una cum capite puerum versus demisso, nullum prolocuta verbum, de intimis cordis penetralibus, Moysis ad imitationem, ad Dominum clamavit ne contristaret eos quos ipse in operis a se designati cooperatores selegerat. Hoc illa situ mansit, usquedum puer, vitæ redditus, per materteræ faciem manus in speciem ludentis amice ac suaviantis ita prompte circumducere cœpit ac si nihil insolens illi accidisset, sed placido e sopore experrectus esset. Quem Teresia matri afflictæ reddens, ait : « Deus bone! quanto- » pere ob filiolum angebaris! Eccum, et tecum » tolle. » Nondum quidem firmus consistere in pedes puer poterat præ virium defectu; sed his sensim redditus, perque cubiculum cursitans ad suam identidem materteram recurrendo, eam quam blandissime constringebat. Rei hujus etiamnum hodie testes oculati et fide digni supersunt, quorum ex ore rem omnem accepi. Idem Gonzalvus mihi narravit se Teresiæ materteræ dicere fuisse solitum eam teneri efficere ut cœlestis gloriæ compos redderetur, cum per ipsam stetisset quominus jam dudum ad eamdem admissus esset. Quin etiam aliquoties e matrona quadam, beatæ Matris amica, audivi petiisse se ab illa interdum : « Qui fieri hoc » potuit, carissima? Puerne hic jam exspirarat? » Tum illam, placide subridendo, nihil respondere consuevisse : cum tamen, si quando similia alias ab illa peterentur quæ vere negare poterat, illico curiositatem illius blande castigando rogare soleret quare hæc adeo præter rem et propositum adferret. Ad hoc vero interrogatum nihil prorsus respondere solita erat.

alterum ab Angelis in cœlum ferri videt.

115 Haud multis post diebus peperit Joanna filium, cui Josephi nomen imposuit, quod Teresia erga S. Josephum magno devotionis sensu raperetur. Puero huic, cum brachiis eum interdum constringeret, dicere beata Mater solebat : « Utinam » te, pusio, si e virtute vitam instituturus non sis, » hinc ante præmaturo Deus obitu in statu hoc » angelico præripiat quam in eum offendas! » Vix tres effluxerant hebdomades, cum hunc vita defecit; quem morti jam vicinum in manus Teresia sumens, eum fixis est oculis intuita. Dum vero in illum obtutum defigit, attente eam Joanna soror est contemplata : tum illi repente vultus mutari, exardescere, et tantam induere pulchritudinem ut Angelo similis videretur. Cum jam puer exspirasset, et cubiculo se Teresia proriperet, ne sororem contristaret, ab hac confestim audiit : « Ne te hinc, » germana, auferas; video namque jam puellum » decessisse. » Tum blando ore ac stupenti similis Teresia : « Laudemus, inquit, oportet Deum, viso » quot Angelorum descendant millia, ad animas » parvulorum talium angelorum, si quando e vita » emigrant, excipiendas. » Unde manifestum fit illos Teresiæ tum conspectos, cum pueruli hujus anima a corpusculo decessit.

CAP. XVI. *Solidus novi monasterii murus*

116 Redeamus ad cœptum et intermissum nonnihil de domus constructione sermonem. Dubitarat jam ante Teresia cuinam potissimum obedientiam deferret, ac durum illi videbatur, uti supra demonstravimus, alii cuipiam præterquam sui Instituti superioribus subesse. Ab hac tamen illam dubitatione suo Redemptor præcepto eripuit, monens ut Abulensi episcopo sese subjiceret. Erat is per id tempus Alvarus de Mendoza, qui deinde Palentinus antistes decessit : Abulæ tamen, quod beatæ Matris perstudiosus esset, primarium novi hujus monasterii sacellum *b*, in quo sua demortui ossa post conderentur (quod et Teresiam eo condendam loco putarat), ære suo construere decrevit. Ut vero ea qua oportebat firmitate negotium perficeretur, curavit Teresia ut diploma apostolicum a Summo Pontifice obtineretur. Quo autem cœptum cœnobii opus indies magis excresceret, eo novam hanc fundationem cacodæmon exosiorem habebat, quam sibi nimirum adeo damnosam fore metuebat, et quo poterat studio et conatu ei se opponebat. Solidus jam et ingens eductus erat murus, cujus fundamentum e saxo constabat, pars reliqua cæmentitio opere lapidibus lateribusque valde firmis structa erat; nec modico pecuniæ magnis laboribus collectæ pretio steterat.

a dæmonibus dejicitur.

117 Is ergo, quantus erat, nocte ad terram deturbatur, etsi peritis a fabris constructus esset. In hos Joannes Ovallius cum insurgeret, quasi artis suæ parum gnaros, et suis eos impensis restaurare murum vellet, quod id ipsi opus ex fide suscepissent, Joannam sororem ad se Teresia advocat, dicens : « Marito dicas velim ne hasce operas adeo inse- » ctetur aut increpet : neque enim ipsorum culpæ » ruina hæc adscribenda est, sed cacodæmonum » invidiæ, qui magna vi murum solo afflixerunt. » Taceat igitur, et tantumdem quantum prius, » ipsis persolvat. » Post rursus eidem sorori ait : « Quam huic Satan operi adversatur! Quanta con- » tentione connititur! Sed frustra erit. » Hæc ruina Guiomaræ animum etiam non parum prostravit; quæ subtristior Teresiam adiens, negavit e voluntate Dei esse videri opus hoc suscipi, cum adeo solidus ac firmus murus ita repente ad terram concidisset. Cui Teresia serena mente ac vultu : « Si collapsus est, inquit, surrigendus est. » Ut vero aliquod nummorum subsidium corrogaretur, Guiomara a matre sua *c* Tauri commorante certum per virum, Teresiæ jussu, nummos aureos postulavit triginta; quamquam metuebat ne id irrito conatu fieret. Plus biduo non transierat, cum Teresia Guiomaram bono esse animo jubet : triginta enim illos aureos jam in viri missi manibus esse, et quidem in atrio quadrilateri inferno numeratos. Nec vana verba : ut enim nuntius Abulam rediit, compertum est ea ipsos hora illi traditos Tauri qua Teresia id Abulæ prædixerat; ut nihil horum generosum

A rosum B. Matris animum aut dejicere aut contristare potuerit. Non tamen mediocriter illam angebat, quod, tametsi res quam poterat occultissime perageretur, suspicari nonnemo cœperit id quod erat : hinc ipsa metuere, ne, si provincialis ad aures ea veniret, is pergere in cœptis prohiberet; cui ipsa parere in omnibus erat paratissima. Sed huic timori hac est ratione occursum.

Provincialis sui jussu

118 Per id tempus ex hac vita Toleti emigravit Arias Pardo, vir genere nobilis, Malagonis aliorumque locorum dynasta : cujus uxor Aloisia de la

e *d*

Cerda *d*, ducis de Medina Celi *e* soror, casum adeo tulit peracerbe ut de valetudine illius timeri cœptum sit. Acceperat illa jam dudum non dubia fama quæ de Teresiæ virtutibus passim spargebantur, simul et tali eam in cœnobio agere e quo potestate facta egredi foras liceret. Statuit ergo hanc ad se evocare, ut dierum aliquot alloquio quam e morte conjugis nuper conceperat tristitiam leniret. Quamprimum igitur, quibus poterat rationibus, ad Angelum de Salazar provincialem, etsi procul inde absentem, litteris missis rem retulit. Negare hanc illi provincialis non potuit, quod spectatissima esset magnæque auctoritatis fœmina. Ergo pridie festorum Na-

B talium eodem anno MDLXI Teresiæ in virtute obedientiæ per litteras præcepit ut una assumpta comite ad viduam ocius sese conferret. His illa perlectis, ad matutinas Horas abiit, Deoque se enixissime commendavit; quod Abulæ commorari maluisset. Matutinis durantibus, aut certe magna earum parte, novam rapta est in ecstasin, in qua sic sibi loquentem Dominum audivit : « Noli negligere » huc abire, filia, et aliorum de hac re sermones » contemne : pauci enim id tibi sine temeritate » consulent. Etsi labores minime tibi sint defuturi, » ii tamen in nominis mei gloriam cedent; et in » monasterii inchoati rem futurum est te ad tempus » abesse, donec apostolicum diploma transmittatur : » ingentem namque telam orsus est dæmon, quam » in provincialis adventum differt. Ne metuas : eo » equidem tibi loco adero. »

Sancta proficiscitur Toletum;

119 His illa verbis animum resumpsit et mœrorem posuit; et, tametsi iter hoc dissuaderent non pauci, id dæmonis esse commentum affirmantes, utque ad provincialem ea de re referret, contra suaderent, nihil omnino mota est nec mentem mutavit; sed, re cum rectore collegii Societatis Jesu communicata, ab illo didicit iter hoc nequaquam

C esse intermittendum. Ad ipsum ergo se accinxit, comitante Joanne Ovallio sororio; qui, Teresia Toleti relicta, Abulam, unde abierat, revertit. Hoc ex itinere nullam Teresia jacturam fecit : nam Aloisia talis hospitæ adventu et luctum ponere et aliam vitæ rationem inire cœpit mirificeque erga Teresiam affici; quo factum est ut Malagone ipsa monasterium, ut suo narrabitur loco, deinde Excalceatis fundaret. In ipsam quoque Teresiam eo loco diversantem singularia cœlitus charismata collata sunt : ipsa etiam familia aliam longe faciem induit, mores alios. Nam quotquot in eadem numerabantur, Patribus Societatis Jesu animi sui arcana per homologesin credere, Sacramenta capessere frequentius et crebra in pauperes subsidia erogare inceperunt. Omnes domestici Teresiam in oculis ferebant, et excellentem ejus sanctitatem indies suspiciebant, illorum percupidi videre specimen quæ in ipsa operari Deum consuesse audierant. Hinc, si quando intra conclave ipsam agere scirent, per januæ rimas illam interdum sublime raptam furtim conspicabantur, inde vero foras ita re dissimulata prodire mirabantur, ac si nihil divinitus sibi accidisset. Habitabat tunc eadem in domo Maria de Salazar, virgo honestissima. Hæc maximum ex novæ hospitis congressu aspectuque quæ- AUCTORE RIBERA.

D stum fecit : nam vivo illo quod ob oculos versabatur exemplo mirum in modum permota, solitudinem captare orationique sese crebrius dare instituit, et vitæ totius noxas sacerdoti, vitæ melioris auspicandæ ergo, aperuit. Denique iis rebus quas modo in Teresia viderat, quasque iterum postea vidit, quando ad Malagonensem fundationem Teresia Toleto transivit, effectum est ut Maria Carmelitanarum Excalceatarum Institutum susceperit; in quo sub nomine Mariæ a S. Josepho *f* etiamnum agit, *f*

olim per plures annos Hispalensi, hodie vero Ulyssiponensi monasterio præposita : de cujus laudibus multa dicere possem, nisi propositum mihi esset de superstitibus nonnisi pauca admodum referre.

120 Sub id tempus pia quædam virgo, ejusdem *unde*

cum Matre Teresia Ordinis, excellenti sanctitate et austeritate in corpus suum singulari, cœlitus ad simile monasterium excitandum inspirata, et eodem quidem anno ac mense quo hanc beata Mater cogitationem induit, tum primum nostram nosse Teresiam cœpit. Virgo illa hanc ob causam quidquid possidebat, divendiderat, ac nudis pedibus Romam abierat, Sedis apostolicæ auctoritatem impetratura; E

cum ante illi sacratissima Christi Mater per visum apparens, eam ad id monasterium excitandum impulisset. Magno quidem intervallo a Toleto distabat; sed in itinere constituta multis viarum ambagibus deflexit, quo Teresiam Toleti agentem conveniret. Quindecim illis diebus quibus mutuo fruebantur conspectu, de monasteriorum suorum excitandorum ratione pluribus inter se contulerunt, altera alterius colloquio recreata, ac divinas gratias et mirum mutuarum voluntatum consensum agnoverunt. Nomen huic Dei ancillæ erat Mariæ a Jesu, quæ novum Compluti dein Excalceatis virginibus cœnobium erexit; in quo illa cum ad annos aliquot insigni cum probitate omniumque approbatione vixisset, mira sanctitatis opinione exspiravit. Unum hoc monasterium fundavit, quod anno sæculi hujus octogesimo quinto ipse adii, eque præposita multa tam de Maria a Jesu quam de rebus ad ipsum monasterium spectantibus sum percontatus. Multa mihi de Mariæ hujus sanctimonia narrabat, quorum utinam meminissem, quo hisce insererem : nec illa etiam præposita communem mihi spirare vitæ sanctitatem videbatur. Servabant hæ virgines F

omnia B. Matris Teresiæ a Jesu statuta, eaque sequi exactissime volebant, etsi Patribus Carmelitis non subessent, sed soli antistiti Toletano.

121 Semestri circiter Teresia Toleti apud Aloi- *post sex fere menses*

siam de la Cerda est versata; quo pene tempore Joanna de Ahumada Albam, ineunte Junio, anno MDLXII revertit. Joannes quoque Ovallius, longiores Teresiæ Toleti pertæsus moras, Toletum excurrit, eidem vale dicturus; unde reversus, Abulam rediit, postero inde, uti cum Teresia statuerat, die decessurus, sua posthac præsentia in domo erigenda minime opus esse arbitratus. At quoniam huic eadem pernecessaria erat, et hoc Deus opus jam perfectum cupiebat, aliter longe quam is secum decreverat, supremo rerum arbitratori visum est. Ut enim primum civitatem est ingressus, et domum, ubi modo est monasterium S. Josephi, subiit, illico inopinatum membra frigus incessit, quod acris mox secuta est febris; ut hærere præter opinionem Abulæ sit coactus. Quindecim jam evolutis diebus, Toleto rediit Teresia, nulla ante de reditu cogitatione suscepta. Repentini Toleto discessus causa fuere missæ a provinciali ad ipsam litteræ, quibus eam et ab injuncta ibidem manendi

AUCTORE RIBERA. manendi obedientia exemit, et liberam aut redeundi ad suas aut diutius ibidem morandi, prout videretur, copiam fecit. Verum, quod aliquot post dies nova in suo Incarnationis monasterio eligendæ antistitæ causa futura essent comitia, et de se assumenda Abulæ jam deliberatum esse intellexisset, non ante Toleto movere se voluit quam comitiis inaudisset finem jam impositum esse, ne ad hunc magistratum eligeretur.

Abulam redit. 122 Hæc animo dum volutat, sic illam Dominus est affatus : « Abulam redire nequaquam negligas, » carissima; cum enim crucem secteris, non exigua » sane tibi præparatur : hanc tuis noli humeris » excutere; tibi siquidem auxilio futurus sum : » perge interrita, et quidem ocius. » His compertis, animi sui rectorem quemdam de Societate Jesu adiit subtristior, cruce hac dignitatem antistitæ designari existimans. Consuluit ille quidem discessum, sed non adeo properum; ut Toleti adhuc ad dies aliquot hæreret, donec intensiores per æstatem calores deferverent : satis esse ratus, si comitiorum eo tempore appelleret. Parere monenti constituerat; sed nullam illi Dominus quietem indulgebat : tanta namque animum interne exagi- B tabat inquies ut orationem interturbaret; et apertæ se voluntati Dei refragari, et, quod Toleti utcumque in deliciis ageret, idcirco se incommoda atque ærumnas quæ sese Abulæ manerent, subterfugere censebat : aliaque his similia menti obversabantur. Illius quoque tum confessarium ita Deus emovit ut abeundi ei Toleto potestatem faceret. Ergo, cum Aloisiæ ægre ipsam dimittere volenti multas discessus sui causas retulisset, læta tandem inde abiit, persuasa hoc in majus Dei obsequium fore : cætera nihil esse penitus videbantur. Adeo porro celer illius inde discessus fundationis monasterii sui interfuit, ut, si diutius abfuisset, ipsum forte opus impeditum aut minime suum ad finem inchoata perducta fuissent, ut sequenti sumus capite ostensuri.

CAP. XVII. *S. Petrus de Alcantara* 123 Cum jam Petrus de Alcantara manifeste perspiceret quas Teresiæ dotes et gratias Christus communicasset, excelsam quoque animi illius magnitudinem et ardens ad perfectionem pertingendi desiderium, et quam quod præ manibus erat opus Dei obsequio gloriæque promovendæ idoneum futurum esset, qua poterat ope ac studio continenter et institutrici et institutioni pro viribus auxilia- C batur. Unde etiam, Teresia absente, Alvarum Mendozium, Abulensium antistitem, missa epistola, inducere est conatus ut novi monasterii obedientiam admitteret. Hanc epistolam ad plurimos dies mea in potestate habui, vix medium chartæ folium implentem, sed tantum dumtaxat quantum scriptioni quam continet, sufficiat, ita ut totam eam repleat. Cujus hæc est epigraphe : « Illustrissimo » ac Reverendissimo Domino Episcopo Abulensi, » quem Dominus sanctificet. » Quæ cum a viro adeo sancto tantæque auctoritatis sit perscripta, visum est eam hoc loco attexere. Initio nulla præfert parerga aut captationes benevolentiæ; sed duorum dumtaxat digitorum relicta in summo vacuitate, in hæc verba auspicatur :

scriptis ad episcopum Abulensem 124 « Spiritus Christi repleat mentem Dominationis Vestræ, cujus sanctam benedictionem postulo. Ita me nupera prostravit invaletudo, ut » negotium quoddam ad Domini nostri obsequium » cumprimis spectans tractare minime potuerim. » Quod cum sit hujusmodi, utque per negligentiam » nostram minime intervertatur, paucis Dominationem Vestram de eodem visum fuit commonere. Abhinc diebus aliquot ardens quædam » pietatis cultrix, vero animarum inflammata zelo, D » hoc ipso in oppido quoddam molitur monaste- » rium, in quo et summa religio et integra flori- » tura sit perfectio, et virgines aliquot primam » Regulam et Ordinem B. Mariæ de monte Carmelo » profitentes admittantur. Hujus rei ergo, ad obser- » vationis prædictæ primæ Regulæ finem ac re- » medium melius obtinendum, visum fuit hujus » civitatis Ordinario obedientiam præstare. Domi- » nationis igitur Vestræ sanctitate et eximia bonitate » nixæ, siquidem hanc Deus ipsis in præsulem de- » derit, eo negotium hoc hactenus perduxerunt ut » quadringentos et amplius aureos in rei impen- » sam insumpserint et eamdem ad rem Romanæ » Sedis etiam diploma impetrarint. Res ipsa talis » est ut mihi perplaceat : quam ob causam per » viscera misericordiæ Domini nostri D. V. etiam » atque etiam rogo ut ipsam amplectatur et in » tutelam accipiat, quod eam in divini cultus » incrementum ac civitatis hujus commodum ces- » suram intelligam.

litteris 125 » Hanc si D. V. approbet, cum sanctam be- » nedictionem vestram coram petitum ire ne- » queam, nec apud vos de re hac agere, abunde » mihi satisfactum putaro, si D. V. ad me miserit E » magistrum Dazam, quicum eadem de re coram » loquar, aut alio quolibet, quem ad me mittere » visum fuerit. At, quantum conjectura colligere » possum, committi res hæc tuto concredique ma- » gistro Dazæ poterit : quod si fiat, non mediocri » id mihi consolationi ac caritati futurum est. » Ipsum igitur cum magistro Daza, Gonzalvo de » Aranda ac Francisco de Salcedo, quos omnes » D. V. perspectos habet, et plura hac de re » meipso norunt, D. V. agere communicareque » poterit : tametsi abunde satis mihi faciant ac » perplaceant primariæ quæ in novam hanc Re- » formationem dare nomina volunt virgines, qua- » rum omnium mihi perspecta est virtus, et in » quarum principe ac ductrice spiritum Domini » nostri Jesu Christi inhabitare confido; quem » spiritum divina ejus Majestas Dominationi V. ad » majorem gloriam suam et universale Ecclesiæ » suæ bonum elargiatur et conservet. Amen. Amen. » D. V. indignissimus servus et sacellanus, F. » Petrus de Alcantara. » Hæc invicem cohærebant, nullo a cæteris intervallo disjuncta, uti et eadem ipse hic exhibui. Diploma apostolicum cujus memi- F nit, illud ipsum est quod ad Guiomaram de Ulloa quoad monasterii fundationem transmissum erat : quod quoniam erat restrictius nec plenam absolutamque facultatem continebat, nec non et aliquam difficultatem involvebat, visum est aliud apertius postulandum. Vidi quoque epistolam quam idem Petrus Matri Teresiæ a Jesu proximo mense Septembri transmisit : quatuor tantum lata est charta digitos, quantum scilicet ad ea quæ scribebat, spatium necessarium erat. Ejus hæc est inscriptio : « Magni- » ficentissimæ ac religiosissimæ Dominæ, Dominæ » Teresiæ de Ahumada, Abulæ, quam Dominus san- » ctificet. » In hac magno eam rogat affectu ut de sua valetudine se certum reddat, et quo res monasterii sui sint loco, significet, Deoque se in oratione commendet, utpote continentibus morbis divexatum : denique nonnullarum suarum illi rerum rationem familiariter reddit.

et alia qua potest ope Teresiam *juvat :* 126 Causa igitur ob quam Toleto adeo celeriter Teresiam Dominus juberet recedere, fuit quod litteræ apostolicæ jam Abulam appulissent, quibus dabatur facultas construendi monasterii et obedientiæ episcopo præstandæ; adeo ut qua nocte Teresia Abulam pervenit, eadem et veniret diploma, et

A et ea quidem via quam jam ante illi Dominus significarat. Aderant quoque tum Abulæ episcopus ipse, Petrus de Alcantara et Franciscus Salcedius, cujus in ædibus F. Petrus diversabatur : qui ambo apud antistitem ita rem transegerunt ut non invitus monasterium admiserit. Quod sane parvi momenti non erat, quod tenuia admodum monasterii essent vectigalia : quamquam episcopus piis operibus et hominibus numquam, qua poterat, deerat. Potissimam porro hac in re operam præstitit pius ille senex F. Petrus, pro ea qua pollebat apud cives auctoritate, illam verbis approbans ac dilaudans, tum quod apud præsulem civitatis et alios qui huc opem attulerunt, permultum valeret; qui si Abulæ iis diebus non fuisset, nihil forte actum esset. Nonnisi ad octiduum ibidem ipse est commoratus, et quidem imbecilli valetudine. Inde vero haud ita multo post eum e vita hac ærumnosa Dominus eduxit, ut pro adeo sanctis illi laboribus et diuturna vitæ austeritate sensuumque mortificationibus mercedem in cœlo persolveret; ut nonnisi ad sanctum hoc opus perficiendum tamdiu eum vivere Dominus sivisse, et eo demum confecto, ad se eum voluisse evocare videatur.

quæ tandem,

B 127 Hanc igitur ob causam illo temporis articulo Abulæ Teresiam adesse oportebat, et Joannem Ovallium ante in morbum incidere, ne, uti statuerat, Albam concederet : cum enim hic Abulæ æger decumberet, et solus quidem, Joanna uxore aliquot ante diebus Albam reversa, Teresiæ ad eum curandum abeundi, simul etiam inchoatæ fundationis fabricæ promovendæ, facta potestas est. Hoc enim ni fuisset, sufficientem Toleto abeundi causam non habuisset; præsertim absente Guiomara de Ulloa, quæ Taurum etiam concesserat, quod hoc, quo res melius per dissimulationem occultaretur, ita necessarium videretur. Joannes porro Ovallius toto eo tempore æger decubuit quo beatam Matrem extra Incarnationis, ad sua perficienda cœpta, agere oportuit. Facile tum ipse perspexit quamnam sibi ob causam febrim Dominus immisisset; quamobrem, iis quæ necessaria videbantur a Teresia jam peractis, illi ait : « Jam amplius me morbo hic detineri non est » necesse. » Quocirca pristinam, Deo dante, illico valetudinem, magno cum suo tum aliorum stupore, recuperavit. Interea temporis ædificii opus urgebat Teresia, utque in cœnobii formam adaptaretur,

C elaborabat : videbat namque longiores æquo moras non mediocriter illi posse officere. Quare curavit ut soror ejusque conjux inde excederent, et aliquam domus particulam in oratorium convertit; ac locum in quo moniales Sacra Missarum spectarent Mysteria, parvis quibusdam e duplici crassoque contextis ligno cancellis secrevit, angusto quoque addito vestibulo, per quod et in templum et in domum aditus patebat : quæ omnia tam angustia quam tenuitate stabulum Bethlehemiticum repræsentabant.

rebus omnibus rite paratis,

128 Etsi vero hæc eo provecta essent hactenus, et jam ipsa opus perfectum videre percuperet, pedem tamen non movebat, nedum quid majus auspicabatur, nisi lectissimos ante theologos in consilium adhibuisset, quibuscum rem omnem communicabat; ut, quod studebat imprimis, ita actiones suas dirigeret ut ab ea quam superioribus debebat obedientia ne latum quidem unguem deflecteret. Qui unanimi consensu adeo nullum in hoc crimen subesse asseruere, ut et in maximum Dei obsequium Ordinisque sui decus id cedere affirmarent. Si enim vel minima in hac re delicti apparuisset suspicio, eadem hanc animi tranquillitate ac pace penitus abrupisset, qua jam ante, dum primum inchoaretur, seposuerat. Et quamquam tum quidem beata Mater de ædificio terreno ac materiali domo summopere laborabat, in vivis tamen lapidibus, qui in firmum et immobile domus spiritualis, quam moliebatur, fundamentum coaptarentur, seligendis conquirendisque majorem multo adhibebat industriam. Undique ergo quæritans, in quatuor pauperculas virgines, parentibus orbas, Dei tamen obsequio mire deditas (ut eas Petrus de Alcantara in iis quas supra produxi litteris appellat), oculos conjecit, easque sine ulla dote primas domus hujus esse bases voluit.

AUCTORE RIBERA.

D

quatuor pauperes virgines

129 Quarum hæc sunt nomina. Primæ Antonia de Henao, quæ deinde Antonia a S. Spiritu dicta est, ac Petri de Alcantara consilio ductuque locum hic invenit. Hanc ille instituerat, sæpeque cum eadem familiariter egerat (erat enim insignis spiritu fœmina); et cum in remota aliqua, Religionis incundæ gratia, abire loca constituisset, hanc illi ipse profectionem dissuasit, quo nimirum in recens hoc monasterium nomen daret : unde et beatæ Matri hanc commendavit. Altera Maria de Paz vocabatur; quam jam inde, cum in Guiomaræ adhuc familia versaretur, Teresia noverat, et cujus erat virtu- E tibus semper delectata : hæc a Cruce cognomen sumpsit. Tertia Ursula a Sanctis, quæ hoc etiam dicebatur nomine antequam nomen Religioni dedisset, nec in ipsa post est aliter cognominata : nuper elegans et ornatus studiosa fuerat; at talem dein modestiam induit ut permagni ab omnibus sanctitatis nomine existimaretur : potissimum vero ejus celebrabatur simplicitas, candor, humilitas et mira in morbis sine ullo prorsus solatio nec querule ferendis tolerantia. Hæc e magistri Dazæ disciplina prodierat, qui eam Teresiæ indicavit. Quarta demum Maria de Avila, quæ deinde a S. Josepho fuit vocitata. Sola Ursula a Sanctis ex quatuor his in hocce monasterio, anno sæculi currentis quarto et septuagesimo, demortua est, Teresia Albæ versante; quam etiam gloria circumamictam in cœlum abeuntem absens conspexit, uti Abulam reversa post ipsa suis narravit : quare, die et hora qua expirarat, cum ea qua ipsam Teresia (uti jam diximus) gloria donatam est contemplata, diligenter collatis, nonnisi quatuor eam horis igne purgatorio expiatam esse compertum est. Aliæ vero hoc ipso quo hæc evulgamus tempore adhuc sunt superstites, sanctitate et bono exemplo F notissimæ, Antonia a S. Spiritu Malacæ, Maria a Cruce Vallisoleti, Maria a S. Josepho Abulæ.

in cœnobium S. Josephi introducit.

130 Instabat jam sacer Apostolo Bartholomæo dies, quem Teresia monasterio suo inchoando faustum fore præceperat : quare opus urgere quam poterat maxime instituit, ut cuncta essent in eam diem parata. Quam ejus mentem et Redemptor Christus ratam habuit. Unde hac ipsa Apostolo glorioso sacra die, quæ in IX kalendas Septembris diem incidit, anno partæ salutis MDLXII, magister Daza, qui opus hoc numquam non cordi habuit, Sacratissimum Altaris Sacramentum in sacellum intulit; atque hoc demum pacto sub S. Josephi titulo dedicato monasterio, uti id Christus imperarat, finis est impositus. Quo etiam die idem Dei famulus Daza sacram primis illis quatuor quas dixi virginibus Religionis vestem, inspectante Matre Teresia una cum aliis duabus ex Incarnationis monialibus, quæ tum fortuna foras prodierant, quarum altera erat Agnes de Tapia, de qua sequenti narrabimus libro, contulit. Hisce cum novitiis Teresia habitabat, interim ad suum monasterium redeundi et non ante egrediendi quam ad

AUCTORE RIBERA.

A id sibi a provinciali potestas fieret, opportunitatem exspectans.

ANNOTATA.

a *De Gonzalvo de Ovalle egimus num.* 50 *Commentarii prævii.*

b *Recurre ad num.* 1040 *et* 1043 *Commentarii prævii, ubi de sacello hoc et sepultura Mendozii episcopi aliqua memoravimus.*

c *Guiomaræ mater, teste auctore Chronici Carm. Exc.* (*lib.* I, *cap.* XLII, *n.* 1), *erat Aldonza de Guzman; cui simul et Guiomaræ filiæ inscribuntur litteræ S. Pœnitentiariæ quas in Commentario prævio num.* 334 *descripsimus.*

d *Aloisia de la Cerda, uxor Antonii Arias Pardo de Saavedra, anno* 1561 *defuncti, filia erat Joannis de la Cerda, secundi ducis de Medina Celi, adeoque genus suum repetebat a SS. Ferdinando ac Ludovico regibus. Videlicet cognomen de la Cerda, a magno pilo quem a nativitate in dorso habuit* (cerda *quippe hispanice* pilum *designat*), *primus accepit Ferdinandus, regis Alphonsi Sapientis filius natu maximus, cui nupsit Blanca, S. Ludovici Gallorum regis filia. Porro Ferdinandi Blancæque proneptis Isabella de la Cerda conjugem habuit Bernar-*
B *dum Fuxiensem sive de Foix, Gastonis Phœbi comitis Fuxiensis et vicecomitis Bearnensis filium, ab Henrico II Castellæ ac Legionis rege insignitum titulo comitis de Medina Celi, qui titulus anno* 1491 *a Ferdinando et Isabella Catholicis in ducis titulum commutatus fuit. Cfr. J. F. F. de Rivarola y Pineda in Monarchia Hispanica* (*tom. I, lib.* II, *cap.* I), *Imhof in Stemmate Desideriano* (*tab.* VIII, XXV *et* XXVI) *et in Hist. geneal. Italiæ et Hispaniæ* (*pag.* 368 *et seqq.*), *P. Anselmus in Hist. geneal. et chronol. regiæ domus Francicæ* (*tom. III, pag.* 351 *et seqq.*).

e *Erat is Joannes de la Cerda, quartus dux de Medina Celi; qui, postquam Siciliam primum, dein Navarram prorex administrasset, aliisque muneribus functus fuisset, anno* 1570 *in ducis Albani locum designatus fuit Belgii gubernator : sed, ubi Bruxellas biennio post devenit, rebus Belgicis præesse detrectavit; unde in Hispaniam revocatus, præfecturam domus Annæ reginæ gerendam suscepit.*

f *Frequenter in Comment. prævio a num.* 735 *Mariæ a S. Josepho occurrit mentio; speciatim vero a num.* 816 *ad* 824.

LIBER SECUNDUS.

C

PROLOGUS.

De delectu in admittendis inter Carmelitanas Excalceatas fœminis habendo.

Extollit Ribera

Admirabilia profecto et excelsa sunt magni illius Domini ac Dei nostri opera, ut qui unico disponat, efficiat et perficiat in momento, quod hominibus, etsi alioquin sapientibus et navis, fieri penitus non posse videtur, ac nemo illius aut se opponere potentiæ, aut quæ potenter ipse operatur, ullo modo valeat evertere : quod secundo hoc libro pluribus exemplis spectandum dabimus. Consilia quippe illius sublimia sunt ut quæ maxime, profundissimæ plena sapientiæ illius molimina, quibus vel sapientissimos magistros percellit atque aciem perstringit, et ad altissimos quos propositos habet fines, quorumcumque tandem visum fuerit opera adhibita, pertingit; demum eos ex iis quæ in oculis hominum nihil esse videbantur, elicit effectus qui incredibilem universis mortalibus stuporem et admirationem incutiant. Mature autem mirari incipio : majora et plura longe nobis restant videnda. In omnibus siquidem quæ hucusque commemoravimus, divina sapientia non nisi quasdam veluti locandis fundamentis aperuit fossas, quamquam humilitate profundas et charitate latas, et ita ut ex iis jam facile colligi possit quanta iis inædificanda sit substructio. D

Instituti Teresiani præstantiam;

2 Atque ut prisci illi Hebræi qui primum Salomonis templum in juvenili ætate viderant, in lacrymas, visis secundi, quod post reditum e captivitate Babylonica condebatur, fundamentis, prorumpebant, quod e jactis principiis haud difficulter conjicerent, referente Esdra (1 Esd. III, 12), id quod jam ædificandum erat, magnitudine ac splendore primo longe fore inferius, imo ne quidem comparandum; sic contra qui Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo primordiorum vel aliquam nactus fuerit notitiam, ac primævæ illius sanctitatis atque austeritatis, ubi læta hæc perspexerit initia, secum ipse merito gaudere posset, et in Domini nostri Jesu Christi, a quo omne bonum nostrum descendit, laudes prorumpere, quod hæc jam inde a primo suo exordio spem suggerant primigeniam illam pietatem et summam E **vitæ severitatem tandem aliquando postliminio restitutum iri. At quemadmodum, tametsi solidissima atque optima sint fundamenta et altissimum ac sublimissimum ædificium, si qui post inferuntur lapides primis haud quadrent, et ambo non recte symmetriceque inter sese connectantur (dum nimirum calcis loco recte singula ferruminantis et convincientis lutum aut inepta in cæmentum argilla adhibetur), ad terram tandem concidere idipsum consuevit; sic hæc quam Dominus construxit domus paulatim fatiscens collabascet, si non quam diligentissimus admittendarum habeatur delectus : non quod quotquot huc animum applicant perfectas jam esse velim, sed ut bonæ sint indolis et ductiles; ut quamcumque eas in formam flecti velis atque aptari, eam non invitæ subeant, et quem demum locum iis censueris optimum ædificioque convenientissimum, eo se transferant et statui velint.**

in eoque nonnisi morigeras

3 Si juvenes et tenellæ sunt, uti lapides molles et arenosi, si quando malleum tunsionis applicueris, destruentur et perdentur; si vero provectiores, novaculam et scalprum non ferent. Ad formam tamen hæ accipiendam non adeo ineptæ sunt et inutiles : sed aliquæ dumtaxat, quæ rerum spiritua- F **lium expertibus magnam tum in corpore tum in animo aptitudinem quidem præ se ferre videntur, cæterum adeo obstinata sunt mente, adeo corde præfractæ, ut multarum eæ novacularum et runcinarum aciem obtundant; ut, cum eas operi jam idoneas et ad formam necessariam accipiendam paratas judicaris, in frusta dissiliant et frustra sint. Hæ sunt scilicet quæ parere nesciunt, sed proprio suiipsarum judicio plenissimæ, quod se vel prudentes vel genere illustres credant, vel quia multis per eas possessionibus sit aucta Religio, se præesse et in suam alias sententiam transire et a superioribus se coli sibique in omnibus fieri debere satis existimant. Ille porro bonus aptusque est lapis, qui formam admittit nec formanti obluctatur, et quemcumque se fabri spirituales in locum velint inserere, facile in eum se coaptandum illico sibi persuadet, eo quod sine ullo prorsus negotio in quam velis formam et figuram transeat. Cum boni sunt lapides, facile cum reliquis combinantur; quod tum demum fit, cum aliis se conformes reddunt et ad eorum se mores et consuetudines accommodant.**

4 Atque ut lapides jam ædificio insiti et coaptati nullam

et veræ perfectionis studiosas fœminas,

A nullam amplius dolabram aut malleum experiuntur, ut qui de novo accedunt, jam locatis adaptentur, sed illos dolari aptarique oportet, ut prioribus æquentur et quadrent; ad eumdem plane modum, quæ primum monasterium ineunt, ad suos pellicere mores ac vitæ formam non oportet eas quæ jam diutius in eodem egerunt : sed novam illæ formam admittant itaque concinnari se sinant necesse est, ut senioribus ac veteranis conveniant, in virtutum in ipsis relucentium decora continenter oculos conjiciendo, easque pro viribus imitando. Hinc veteranis, si modo recte id intelligere velint, non plus honoris auctoritatisve, sed oneris incumbit et obligationis : cum enim aliarum ipsæ exemplum, norma et prototypus sint constitutæ, diligentiorem eas sui habere rationem est necesse, et, quoad quidem fas fuerit, quaslibet imperfectionum superfluitates resecare, ne ad juniores eæ promanent, et perfectissimo exemplari quod ipsarum Deus oculis objecit, sanctæ, inquam, Matri Teresiæ a Jesu, sese reddere quam simillimas. Porro in adeo excelsum opus et in lapides adeo bonos, non lutum aut argillam, per quam invicem connectantur et cohæreant, quærere studeant, eas, inquam, admittendo quæ
B aut majores opes invehunt aut nobiliores, opulentiores potentioresve nactæ sunt parentes, aut alias id genus mundi dotes adeptæ. Hæc enim nonnisi cœnosa sunt terra, ædificiisque ætatem facturis inepta.

seposito omni mundano intuitu,

5 Lecta autem quærenda calx est, quæ arcte juncta conglutinet et convinciat, id est, vera sensuum interiorum exteriorumque mortificatio, quæ utrisque pernecessaria est : hanc ob causam conquirendæ potius sunt quæ ad obediendum et sensus edomandos optime sunt dispositæ, quin etiam, si necesse sit, eædem, quamquam tenues et ignobiles, orandæ, quam aliæ allegendæ, quibus superiora spiritus charismata desunt, etsi complures illarum apud superiores causam enixe agant ac luculentos census spondeant. Argentum siquidem expendetur et minuetur, inepta vero præfractaque monialis in loco manebit; harum vel una sufficiat quæ cæteras exagitet et fatiget. Calx quamdiu viva est, ædificando est inepta; at ubi aquæ injectu subacta et emortua, aptissima est ac pernecessaria. Sic, in quibus indomitæ passiones adhuc vivunt, societati reique publicæ maxime officiunt, et fieri omnino non potest ut aut cum aliis aut secum ipsæ recte
C conveniant : at si passionum impetus generose retundant, excellens quædam in domo efflorescet unio, caritas, concordia, quæ ad religiosi Instituti bonum, confirmationem incrementumque cumprimis necessaria est.

cooptandas esse demonstrat.

6 Nihil quidem eorum quæ dicta sunt hactenus, dicere constitueram : at, quod unice hoc Dei opus cupiam excrescere quotidieque inaugeri, ad hæc præmittenda sum incitatus; et, si id impræsentiarum minime sit necesse ob mirificum quod in hisce monasteriis viget perfectionis studium, fieri fortasse poterit ut ætate labente id sit necessarium futurum. Si vero libro huic dare ætatem Deo visum fuerit, volupe mihi futurum est me etiam jam demortuum aliquem hisce scriptis meis posse effectum operari, quem et dum vivo, voce jam facio et post etiam sum facturus. Atque hoc pacto sanctæ Matri Teresiæ a Jesu aliquatenus pro omnibus quibus ipsi obstrictus sum nominibus satisfaciam : quod, qui ejus constitutiones et scripta legerit, facile perspecturus sit quantopere id ipsa desiderarit et faciendum etiam suaserit quidquid hic ipse scripto sum prosecutus. Hunc quoque laborem meum utilem esse velim iis qui nullam ad ea quæ dicta sunt, aut natura propensionem aut animi generositatem præferent; ut nimirum hæc ingredi monasteria non præsumant : neque enim iis bene hic succedet; sed alia genio suo convenientiora, et in quibus melius agant, conquirant.
D

Caput I.

Scopus S. Teresiæ in fundandis monasteriis; Constitutionum ab ea conditarum summa.

Cap. 1. Sancta Reformationem suam

Præter decorum mihi videtur fore ulterius hujus in historiæ contextu provehi, nisi ante desiderio satisfecerim scire cupientium quem sibi in hujus monasterii fundatione Teresia a Jesu proposuerit finem, quas leges, quod vestis genus, quam denique vitæ formam in ipsum induxerit : quod cum de uno hoc dixerimus, de reliquis omnibus de quibus suo loco agemus cœnobiis id intelligi dictum vo-
E lumus. Primo quidem aliud non spectavit quam aliquod condere monasterium in quo cum ipsa tum reliquæ illius sequaces arctiori in solitudine et claustro factam Deo sponsionem, juxta Instituti sui et Ordinis præscriptum, possent exactius servare : de nova enim Religione instituenda ne cogitavit quidem, veterem dumtaxat suum B. Mariæ de Monte Carmelo Ordinem ad primævæ institutionis perfectionem revocare contendens. Deinde vero maximas Ecclesiæ perspiciens necessitates, et quantum poterat, suppetias defensoribus ejus, pro singulari sua qua ardebat charitate, ferre gestiens, etiam sublimius cogitata mentis extulit, et ad pœnitentiam ac paupertatem hæc ipsa addidit quæ ante excogitarat, et alia ratione rem omnem direxit.

ad plura monasteria extendit,

2 At quia hæc omnia illius malo verbis quam meis describi, quæ hac ipsa occasione libro quem Viam perfectionis nuncupat, est prosecuta, haud invitus adferam; non quidem ut hactenus Eboræ ac Salmanticæ excusa exemplaria præferunt, sed ut ea ipsius beatæ Matris autographo continentur, unde ea ipse deprompsi : atque hoc dictum esto de omnibus quæ hoc e libro suis afferam locis. Ait igitur : « Principio quidem cum hocce S. Josephi F
» monasterium Abulæ excitaretur,..... non mihi
» propositum erat tantam, quoad exteriorem vitæ
» rationem, asperitatem ac rigorem inducere, aut
» omnes ab eo prorsus annuos proventus ac vecti-
» galia excludere; at vero possessionibus id dotari
» cupiebam, ne quid ei de necessariis opportuni-
» tatibus ac subsidiis deesset : tandem, etsi misera
» et impotens, cum aliqua bona desideria proposi-
» taque haberem, ea ipsa longius efferebantur
» quam reipsa exequi poteram. Eadem vero tem-
» pestate, dum auditu acciperem quæ in Gallia
» Lutherani patrarent mala, quæ Ecclesiæ inferrent damna, et quomodo virulenta hæc propago
» indies magis ac magis sese diffunderet, animo
» affligi cœpi, et perinde ac si aliquam ipsa afferre
» opem possem aut aliquo essem numero, coram
» Domino plangens, suppliciter illum sum depre-
» cata tanto ut exterminio auxiliares supponeret
» manus : et mille ipsa vitas impendere velle mihi
» videbar ut vel uni de tot millibus ibi pereuntium
» possem animæ succurrere.

ut saluti animarum procurandæ

3 » Comperto autem me mulierem esse eamque
» admodum imbecillem, et nullum me valere in obsequio

AUCTORE RIBERA.

» obsequio Domini promovendo præsidium quod
» cupiebam afferre, cum quod inimici essent plu-
A » rimi, tum amici paucissimi, in hoc ipsa potissi-
» mum incubui, et etiamnum incumbere allaboro,
» ut qui amici dicerentur, ii sinceri ac perfecti
» essent. Statui igitur pauxillum illud quod pote-
» ram præstare, omni nimirum qua possim per-
» fectione euangelica sequi consilia, et eniti ut
» pauculæ illæ quæ mecum hic versantur, idipsum
» sequendo æmularentur : summa scilicet Dei bo-
» nitate freta, qui numquam ferre suppetias ne-
» gligit illi qui ejus amore terrena omnia abji-
» cere grave non ducit; simul etiam sperans, cum
» tales hæ sint quales eas in animo meo fingebam
» et esse cupiebam, præ virtutum illarum fulgore
» vitiorum meorum caliginem absconditum iri,
» atque hoc pacto aliquatenus me Domino Deo
» satisfacturam : ut, cum omnes, quotquot sumus,
» pro iis qui Ecclesiæ partes naviter defendendas
» susceperunt et pro concionatoribus aliisque viris
» eruditis eamdem omni ope tuentibus sedulo in-
» stanterque oraverimus, huic Domino meo qua-
» damtenus pro viribus auxiliemur, quem contra
» ii in quos ille beneficia contulit, tam indigne
B » tractant ut hi illum proditores denuo vere cruci-
» figere velle videantur, vixque ipse habere possit
» ubi suum caput reclinet. » Inde vero subjungit :
« Auxilio mihi estote, meæ in Christo sorores, ut
» hoc a Domino deprecer : ob hanc enim causam
» divina ejus Majestas nobis facta est persimilis;
» atque hæc vestra est vocatio, hæc sunt quæ tra-
» ctare debetis negotia, hæc sunt desideria quibus
» vos necesse est repleri, hic vestræ sint lacrymæ,
» hic vestrorum petitionum sit finis. » (Via per-
fectionis, c. 1).

pro sexus sui ratione

4 Ex hisce beatæ Matris verbis evidenter quis perspiciat quis illius in hac renovatione ac nova monasteriorum erectione fuerit scopus, quæ in illis viventium religiosarum vocatio. Et quamquam primum illius magnæ perfectionis laude clareret monasterium, tot id tamen ipsa gradibus promovit et ad tantum nova hac intentione et fine quem spectavit valorem elevavit ut vix in ullo fœminarum cœnobio possit major haberi perfectio et sublimior vocatio. Nam, prout S. Thomas (2. 2, q. 188, a. 1 et 6) inculcat secundum veritatem, non eo una Religio dici alia potest perfectior aut sublimior quod austerius illius quam hujus vivant membra ac cul-
C tores, sed quod illa præ hac altiorem propositum habet scopum, simul et convenientiores ad scopum hunc pertingendi continet rationes. Unde efficit eas aliis omnibus Religiones et digniores et excellentiores esse quæ ad docendum verbumque divinum hominibus annuntiandum sunt institutæ; proximum tamen illis locum occupare quæ contemplationi totæ vacant, animamque propriam orandi meditandique exercitiis perpetuo excolunt. Nam, ut quid dignius est et excellentius accendere quam dumtaxat collucere, ita majus in alios ea quæ contemplatione privata collegeris, publice effundere, quam uni contemplationi rerum divinarum intendere. Cum igitur mulierum Religiones ad docendum prædicandumque minime sint institutæ, ea profecto cæteris erit sublimior quæ ad Ecclesiæ propugnatoribus per orationis ac severioris vitæ præsidia succurrendum fuerit excitata : cum id cæteris longe sit perfectius quod ad id quod est perfectissimum accedit propius. Nulla vero monialium habere familia finem sublimiorem potest quam si propter Ecclesiæ Catholicæ conservationem protectionemque nec non animarum salutem procurandam continenter orationi, jejunio aliisque corporis austeritatibus vacet : quarum in exercitationum usu unum D
hoc spectant ut et Christi fideles ad Christiani nominis et vocationis suæ præscriptum vitam instituant et infideles ad procreatoris sui cognitionem pertingant; cum omnium ex sententia id S. Gregorii (Hom. XII in Ezech.) dictum sit verissimum, non esse animarum zelo Deo holocaustum acceptius.

quam posset plurimum allaboraret.

5 Unde et hoc necessario sequitur, quod Instituti hujus sectatricibus semper insculptum sit oportet, numquam se, etsi gravissimos asperitatum rigores usurpent, diutissime precationi vacent, Psalmorum cantui sedulo intendant, denique quam perfectissime exequantur quæ religiosissimas atque optimas agere moniales par est, universas vocationis tamen suæ partes et quæ ab ipsis Deus Optimus Maximus exigit, adimplesse, nisi singulari quodam studio et proposito orationes, jejunia et rigores de quibus meminimus, eum ad scopum dirigant ut in eorum illa proventum et adjumentum cedant qui in Ecclesiæ palæstra naviter desudant, et pro Omnipotentis Dei gloria gregisque ejus universi incolumitate, salute, incremento generose decertant, in eorum denique qui totos se et impense saluti et procurationi animarum devoverunt. Hinc quod E
aliis forte monialibus facere sufficeret, hisce minime est satis, et quod ad perfectionem assequendam sufficere aliæ forsitan existimabunt, eo ipsæ contentæ esse minime possunt, si modo ad summum perfectionis apicem pertingere velint; secus enim a vocationis et Religionis suæ fine declinarent. Gaudeo quoque non mediocriter hæc a me hoc esse loco conscripta; nam quotiescumque hoc a quopiam legetur, post mortem id ipse quodammodo inclamabo, uti jam id vivens inclamo. Sibi vero familiæ hujus sectatrices, hæc dum legunt, persuadeant Deiparam Virginem Mariam, quæ horum est monasteriorum mater, nec non B. Josephum, qui pater, ac sanctam Teresiam a Jesu, illorum fundatricem, desiderare ut hæcce in illis doctrina prædicetur. Sane si illius diligenter scripta evolverint, haud dubie comperient, quidquid a me hactenus quoad has religiosas dictum est et post etiam suo dicetur loco, aliud non esse quam beata ipsa Mater illis maxime in mandatis dedit. Adeo ut hæc ipsa de quibus modo agimus, postquam hanc in rem complura salutaria capite tertio libri Viæ perfectionis ipsa attulisset, his tandem verbis concludat : « Fixum ac statutum vobis sit, si orationes, F
» vota, corporis castigationes ac jejunia demum
» vestra non eum ad finem quem dixi referantur,
» non facere vos aut adimplere ea ob quæ hocce
» vos Dominus in loco congregavit; ipsum vero
» Dominum precor ne vestra sinat hæc umquam
» memoria elabi. »

CAP. II. *Primitivam Ordinis Carmeli Regulam*

6 Teresia igitur, ut sublimem illum quem spectabat finem consequeretur, itaque in via Domini filiæ se suæ gererent ut illarum preces in divino conspectu valde efficaces essent, statuit ut primigenia illa Regula quam prisci Patres qui religiosorum in morem in monte Carmelo vivere primum incepere, observarunt, in suo hoc monasterio ad unguem servaretur. Quoniam vero illius austeritas Pontificum indultis ad mitiorem redacta fuerit formam, ideoque a primævo suo rigore permultum degenerarit, visum ei fuit pretium operæ se facturam, si pristinam illam severitatem denuo ad usum revocaret, ac de B. Maria Virgine optime se merituram, si Religionem illam quæ ipsius est cultui devota, ad primum Instituti vigorem reduceret, talemque in eam vitæ duritiem sanctitatemque postliminio inveheret, qualem prisci illi et sancti Eremitæ coluerunt.

runt. Hanc primum Regulam patriarcha Hierosolymorum Albertus in ordinem digessit; quam dein Innocentius IV quinto pontificatus sui anno confirmavit, correxit et meliorem in formam redegit anno MCCXLVIII, kalendis Septembris.

restituens,

7 Hæc, præter ista quæ religiosorum Congregationibus communia sunt (puta, quemdam e suo numero constituere cui omnes pareant, tribus se castitatis, paupertatis et obedientiæ votis Deo devovere, statuto tempore silentium servare), in his quæ sequuntur, ab aliis Institutis peculiariter distinguitur. Suis in cubiculis aut non procul inde Fratres in lege Domini die ac nocte meditantor; inque oratione, nisi honestis debitisque distineantur exercitiis, assiduo vigilanto. A die Exaltatæ Cruci sacro, qui in XIV Septembris diem incurrit, ad usque ferias Paschales jejunanto, nisi aut morbo aut legitima aliqua ratione impediantur. Carnem numquam degustanto, nisi id morborum exigat violentia. Continuo aliquod manuale opus, cui diligenter incumbant, exercento. Statutum porro Teresia jejunium et a carne abstinentiam ad litteram exactissime servari voluit : uti et silentium summo in rigore, jam inde a Completorii Officio
B pridie peracto, usquedum postridie Prima recitetur. Ipsum quoque reliquis per diem horis accurate custodiri volebat, etsi non adeo stricte atque horis designatis; præterquam forte a prandio et cœna, quo ipsum tempore præposita relaxare poterit, ut per horam scilicet moniales honeste invicem recreentur.

diurnum nocturnumque ordinem

8 Præceptum vero de diurna nocturnaque in lege Domini meditatione ac de exercitio manuum hoc ritu suis in Congregationibus statuit servari : ut nimirum post nonam horam vespertinam Matutinum Officium persolvatur; quo penso decurso, per quartam horæ partem animi quæque sui latebras, diurnas actiones examinando, excutiat, et mysterii postera luce meditandi materiam perlegat, ita tamen ut ad usque undecimam aut circiter hæc omnia extendantur : tum signo dato, quæque cubitum concedat. Ineunte vere, hora quinta e somno surgant, inde ad sextam usque meditationi insistant : hibernis vero diebus sexta lectum deserant, ad septimam in oratione permaneant. Qua peracta, statim sacrarum pensum Horarum persolvant, antequam Sacro Missæ Mysterio intersint. Operis vero manualis nomine nullum operosum aut industrium intelligi voluit, sed simplex ac quietum,
C puta nere ac similia mulierum exercitia, quibus operantis mens non ita distrahatur quominus interim pii aliquid ruminare libere possit. Noluit adhæc ullum monialibus pensum præstitui, ne, dum plus nimio operi intentæ ac de penso decurrendo sollicitæ sunt, in oratione mens divagetur aliorsum distracta. Nec vero in ergasterio communi, pro aliarum monacharum more, sed in suo quasque operari voluit cubiculo, ne cuipiam hoc pacto silentii violandi daretur occasio, aut mentis ad Deum libere sustollendæ præriperetur opportunitas. Paulo ante prandium signum dari jussit ad exacti eatenus diei horas coram Deo examinandas. Hora post meridiem secunda Vesperarum Officium decurri; quibus persolutis, aliquid e libro quopiam spirituali coram omnibus ad horam usque tertiam legi : hoc item tempus, si cui ita videatur, orationi poterit impendi. Inde ad cubiculum unaquæque se conferat, donec Completorii signum detur : post Completorium horam integram orationi incumbatur. Ipso etiam recreationis tempore manuali operi intendere suas volebat. Tam porro exacte paupertatem coli jubebat, ut nulli, quod apud alias nonnullas monachas obtinet, ullum proventum annuum sineret, sed omnia esse communia præciperet, et cuique quod ei opus foret, suppeditari, D æque vestem ac reliqua quæ ad usum necessarium requirentur; ne de ulla hoc in genere re sollicitæ sint aut anxie laborent, vel suis a parentibus notisque quid horum exigant : ita namque gravia præcaventur incommoda atque ingens tentationibus satanicis janua obstruitur.

et victus ac vestitus normam

9 Nihil vero cuiquam seu in victu seu vestitu præcipuum aut proprium permittebat, ne arcam, ne scriniolum quidem. Quin imo, si quam superiores alicujus reculæ notarent nimium amore teneri, tam libri quam cubiculi vel alterius rei cujuspiam, hanc illi ab his auferri. Habitum suis præscripsit paupertati, quam ipsa imprimis adamabat, maxime consentaneum, eumque e panno rudi et aspero ac nativi laneique coloris, nulla tinctura imbuto, cujus manicas voluit esse angustas et ejusdem tam inferne quam superne latitudinis; illum non sinuosum, non rotundum, non antrorsum quam retro longiorem, at in talos usque demissum. Scapulare ex eodem constare jubet panno, quatuor digitis veste interiori brevius. Pallium album, quod indutæ chorum adibunt, simili sit etiam e panno, et ejusdem cum scapulari longitudinis, quod lignea E superne committant fibula. His omnibus in vestibus quam posset minimum adhiberi voluit materiæ, quo sint angustiores. Tunicas interiores esse voluit laneas levidenses, vittas cannabinas aut e lino secundario ac spissiori, sine ulla plica, quas nigrum cooperiat ac vile velamen; quod solæ gestent religiosæ, non vero laicæ aut novitiæ. Calceamenta e sparto vult esse aut funibus contexta. Lectus non lana sit, non pluma, sed palea suffultus; stragula vero interiora, uti et cervical, lanea, at superiora et lodices ex panno rudi ac nautico. In veste aut lecti instrumento nihil appareat coloratum, ne minima quidem fasciola. Suffartam pellibus nulla vestem habeat; at si quæ ob necessitatem suffarta indiguerit, rudiori illam materia farciri permisit. Denique insigni cum prudentia, quod in cæteris fœminarum familiis institutum laudabiliter erat, id ipsa accurate dispiciebat, atque ex iis quod suæ commodum videretur, omissis communibus, derivabat. Vallisoleti Excalceatarum cœnobium a B. Virgine de Pietate denominatum (est id Ordinis S. Francisci, insigni regularum observantia ac religione illustre) ingressa, mensarum tenuitatem, singularem victus frugalitatem F ac paupertatem aliaque singularia notavit, atque in suam deinde familiam transtulit.

aliaque ad spiritualem profectum utilia

10 Principio quidem consultum videbatur nullas operum domesticorum administras admittere, sed sorores ipsas vicibus suis culinæ aliaque domestica obire officia; sed postea id visum mutare, quod tanto corporis labore spiritum diceret suffocari. Ne id quidem in aliis monialibus visum imitari ut solis sui Instituti Fratribus *a* subessent, solis his *a* illas aut verbo divino pascendi aut in Confessione audiendi jus esset; quin omnibus loqui et aures dare iis concessit quos ad animarum suarum regimen nossent aptiores, et cum his de interioribus rebus suis, nulla præsente aut conscia, libere conferre *b*. Censebat enim iis quibus nulla aliunde *b* accederet consolatio quæque per orationis ac mortificationis iter tot offendiculis ac tentationibus obnoxium incederent, quam maxime concedi oportere ut cum illis communicarent viris quibus se totas aperiendo in spiritu juventur, ne qua forte in re decipiantur. Unde et sæpenumero ipsis suadebat ut semper viros doctos atque in spiritualibus rebus versatos consulerent. Ipsa namque experien-

AUCTORE RIBERA.

tia noverat quantum inde animabus bonum, et, secus si fieret, quantum inde dispendium accederet. A Monialium quoque exiguum esse statuit numerum, ut majori inter se unione et caritate jungerentur et ut minori confusioni paterent : ultra decimumtertium vel decimumquartum extendi eum nolebat, comprehensis sub eodem etiam tribus laicis. Postquam vero ordinatum est ut suæ annuo censu dotarentur domus, ne tum quidem vigesimum excedi voluit, rursus tres illas adjutrices eodem includendo.

monialibus suis

11 Aliarum porro familiarum moniales recipi vetuit, ne quidem de Carmelitarum Mitigatorum. Quod autem hoc permagni referat, et illud ipse quam exactissime servari velim, ob multas quas experientia docuit rationes, hoc loco producam quod alterius cujusdam Instituti monachæ in Excalceatarum admitti poscenti Teresia perscripsit. Hanc ipse epistolam *c* illius manu penitus exaratam vidi in hæc verba : « Quoad primarium litte- » rarum tuarum caput tibi morem gerere nulla- » tenus possum; quod in familiam nostram, me » petente, statutum introductum sit ne qua ex » alio Ordine monialis ad hasce se domos trans- B » ferat : tanta enim fuit et est huc transire volen- » tium multitudo, ut, quamquam gauderemus non » mediocriter aliquam harum admittere, plurima » tamen quæ hinc sequerentur incommoda impe- » diant quominus rei huic januam aperiam. Quare » paucis sic habeas velim id fieri penitus non » posse; et hocce meum tibi in hoc gratificandi » desiderium nonnisi molestiam et pœnam mihi » gignit. » Id autem ante omnia cautum voluit, ut quotquot in Ordinem cooptarentur, orandi imprimis studio tenerentur, ad summam perfectionem mundique contemptum aspirarent, bonæ essent valetudinis, ingenio pollerent, et septimum ac decimum ætatis annum attigissent. Si quæ autem prædictis animæ ornata esset dotibus (quam et præmisso examine diligenter vult explorari, accurateque inquiri num eas quas exigit dotes habeat), tametsi nullam temporalem adferret, non eam propterea ab Ordine vult excludi (quod et ipsa numquam non observavit); inque admittendo nullum emolumenti atque opum, sed solius probitatis personæque qualitatis jubet intuitum haberi : ut ubique manifestum fiat, ejus ad quam voto se obstrinxerunt, amore se paupertatis teneri, et spem in Do- C minum conjecisse, semperque præ oculis habere, non opibus sese terrenis, sed fiducia ac perfectione et in solo Deo spe sustentari debere. Claustrum suis esse arctissimum voluit, et quam potest haberi maximum : adeo ut nonnisi rarissime cancellos in locutorio aperiri et sine velo monachas loqui permittat, et non aliter quam ubi patres, fratres aut alii boni exempli ac spirituales ad loquendum accesserint; et in hac detectione magis ad ædificationem ac fructum spiritualem quam ad recreationem spectari vult. Cum consanguineis agere suas voluit quam rarissime, nec alios ad intervisendum admitti quam quales descripsimus : aliis vero, et qui nonnisi confabulandi deque vanis rebus agendi causa accedunt, aditum omnem interdicit.

c

sapientissime præscripsit

12 Novitias liberam alloquendi facit copiam, quo libere declarent num placeat ipsa Religio; quæ si displiceat, quamprimum egrediendi potestatem concedit. Quo vero ab omni humana suas consolatione ac colloquio magis avocabat, eo majorem ad divinam familiaritatem comparandam ipsis libertatem indulgebat. Nam præter eximiam ac magni faciendam illam libertatem quam ad audiendas conciones et noxas aperiendas et cum viris spiritualibus communicandum suis Teresiam dedisse D nuper diximus, unde magnum ad animas bonum ac consolatio et maxima verborum divinorum pabuli abundantia derivatur; ut taceam quoque liberum mortificationis cum publicæ tum privatæ, quæ non exigua est, usum, ultra singulares austeritates, tam eas quæ singulis ex Instituti legibus præscriptæ sunt, quam quæ ab unaquaque ad libitum frequenter, permissu tamen superioris et confessarii, suscipiuntur, et admirabile illud humilitatis exercitium, dum singulis hebdomadis errata sua in capitulo palam enuntiant, in quo altera alteri insigni cum caritatis argumento auxilio est, edicendo etiam ea quæ ipsæ non commiserunt (quibus omnibus mirum in modum spiritus vigor corroboratur ac gaudio interno repletur); non modo suis ipsa licentiam et potestatem fecit, sed et præcepto jussit, omnibus Dominicis et Jesu Christi ac Deiparæ festis, die item BB. Josephi et Alberti, feria item quinta in Cœna Domini, sacrosanctas Eucharistiæ epulas adire, necnon diebus omnibus quibus prudentis confessarii arbitrium id expedire judicaverit, accedente tamen venia superioris.

cum Sedis apostolicæ ap probatione.

13 Has omnes ipsa leges digessit et decrevit, accepta ad hoc potestate per diploma Pii IV, datum E XVII Julii MDLXV : qui Summus Antistes cum per hoc concessisset ut Constitutiones faceret, eas post digestas nihil moratus approbavit *d*. Eæ etiam deinde, etiamnum superstite beata Matre, eadem apostolica auctoritate confirmatæ fuere Compluti in Patrum Excalceatorum capitulo in Quadragesimali jejunio anni MDLXXXI *e*, per Joannem de las Cuevas Ordinis S. Dominici, ad hoc singillatim negotium a Summo Pontifice delectum, et per P. Hieronymum Gratianum a Matre Dei, eorumdem Excalceatorum provincialem, et per Ordinis diffinitores. Has ipsas septennio post sanctiones singillatim, facta singulorum capitibus illarum præfixorum titulorum mentione, sua probavit auctoritate Reverendissimus D. Cæsar Specianus, episcopus Novariensis, Sixti V Pontificis Maximi in Hispania Nuntius, Madriti x Octob. MDLXXXVIII *f*, atque in perpetuum confirmavit; quin et edicto vetuit ne aut Generalis ejusdem Ordinis aut ejus consultores in iis quidquam immutare, revocare vel derogare ausint, et hanc ipsam revocationem derogationemque irritam fore decrevit. Quam ob causam perpetuos harum sanctionum conservatores esse jussit archiepiscopos Toletanum et Hi- F spalensem necnon episcopum Abulensem. Ex dictis hactenus evidenter colligi licet : primo, quam hoc Institutum sit sublime et perfectum, quia Religionis alicujus prærogativam et perfectionem (uti jam ante dicere memini) in eo sitam S. Thomas asserit, quod primo sublimiorem præ aliis sibi scopum præfixum habeat, deinde quod constitutiones ac media ad hunc consequendum finem convenientiora in eadem sint stabilita. De finis sublimitate superiori egimus capite; admirabilis vero mediorum huc tendentium excellentia et congruentia ex iis quæ præsenti capite sumus prosecuti, erui potest. Eruiturque secundo, ex hisce Constitutionibus, etsi de Teresiæ sanctitate nihil aliud aut hactenus dictum esset aut posthac dicendum, illius et prudentiam et admirabilem sapientiam et ingenii sublimitatem et perfectionis magnitudinem quam manifestissime patescere : nam, ut de S. Benedicto S. Gregorius (lib. II Dial., cap. XL) asserit, qui ejus vitam et vitæ rationes exactius scire voluerit, illius Constitutiones consideret. Neque enim tam sancta mulier aliter quam vixerat, docere potuit.

d

e

f

14 At

AUCTORE RIBERA.

CAP. III. *Monasteria sua absque reditu fundare,*

14 At nondum hic finis est ejus quam suis in monasteriis Dei ancilla Teresia voluit elucere perfectionis; cum primaria ad ejus complementum
A pars, paupertas, inquam, deesse videatur : quam adeo servari ipsa exactam a suis voluit, nulla ut annua in eadem unquam induci vectigalia, census assignari nullos, sed solis piorum subsidiis vivere suas juberet. Ab initio quidem non ea beatæ Matris erat mens, uti e verbis illius primo libri hujus capite a me allatis clare patet; quin imo eadem certis dotanda proventibus censebat, ne qua temporalium rerum cura suis incumberet : donec, cum Toleti ageret, e colloquio congressuque beatæ illius mulieris, ejusdem secum Ordinis, quæ Complutense Excalceatarum cœnobium fundavit, didicit, si modo primæva Carmelitarum regula institutioque servaretur, reditibus annuis penitus carendum esse. Hoc quamquam B. Matri mire probabatur, et, si sui solius dumtaxat habenda fuisset ratio, ita jam tum haud dubie statuisset, verebatur tamen ne aut aliter ei peritiores consulerent, aut, si non eadem aliis, quæ sibi dederat, Dominus paupertatis desideria sanctimonialibus forte inspiraret, in hoc sibi ipsæ statu minime
B satisfacientes, longe alia spectarent, ipsaque rerum necessariarum penuria magnæ fieret (uti in cœnobiis nonnullis videre fuit) distractionis occasio. Quamobrem, ne in tanti ponderis negotio graviter erraret, doctiorum virorum et confessariorum suorum sententiam petiit. Unanimi quidem omnes consensu permultis ei suadere rationibus sunt conati, quod ipsa spectabat, minime expedire ac consentaneum videri : attamen, cum et ex regulæ præscripto pauperiem observandam ac longe hanc majorem perfectionem cerneret involvere, illorum ut sententiæ accederet, haud facile a se ipsa impetrare potuit.

Deo ita volente,

15 Quamquam vero interdum illorum cedere rationibus debere videbatur, cum tamen ex altera parte Redemptorem Jesum sua in cruce inopem et nudum videret, animum ipsa suum inducere ad stabiles possessiones admittendas non facile poterat. Hinc iis aiebat, ad non sequendam vocationem suam et Jesu Christi Domini nostri consilia summa perfectione non amplectenda, ulla se theologiæ placita sensaque nolle admittere. Denique, antequam Toleto ipsa abiret, Aloisiam de la Cerda a piæ memoriæ Petro de Alcantara intervisi con-
C tigit. Hunc igitur per occasionem Teresia cum convenisset, et super re quam agitabat, consuluisset, illius accedente consilio, firmiter statuit census omnes excludere, nulliusque posthac quoad hanc controversiam sententiam explorare. Cum deinde quadam vice enixe illam in precibus Deo commendaret, insignem passa raptum, in eodem ab ipso audiit : « Monasterium tuum, charissima, nullis » censibus dota : id namque et Patris mei et mea » est voluntas : ipse tibi præsto futurus sum. » Alias miris paupertatem modis apud ipsam deprædicavit, et magnam certis in proventibus consistere dixit confusionem; quin imo nihil illis opportunitatum ad vitam necessariarum defore spopondit, qui sibi sincere et ex animo servirent. Placuit hæc illi responsio atque adeo satisfecit, ut, cum e corrogata collataque vivere stipe jam penitus animo sederet, omnes mundi facultates et thesauros sibi possidere videretur. Quamquam vero jam tota in sententiam hanc transierat, postea tamen nonnihil in aliam visa est nutare, etsi nondum prorsus propenderet. Quod enim non mediocriter metueret, ne, Abulensibus summa vi connitentibus ut inchoata monasterii molimina evanescerent, tota rei domesticæ moles in suum caput prorueret, si ex eleemosynis suas vivere oportuisset, visum illi fuit
D tum quidem vectigal stabile admittere, quod deinde, rebus compositis ac tranquillatis, haud difficili negotio abjiceret. Nocte autem ejus diei qua tale a se pactum ineundum esset, cum jam orationi insisteret, apparuit illi Dominus, dicens : « Id pacti genus » inire noli, filia : si enim semel reditus annuos » possidere cœperis, eos non ita facile post poteris » repudiare. »

primum decrevit;

16 Ut vero de hac Dei voluntate securior ac certior esset, eadem ipsa nocte, qui haud ita pridem e vivis excesserat, beatæ memoriæ Petrus de Alcantara illi sese exhibuit : qui etiam morti jam proximus, comperto quæ tota urbe hoc nomine essent turbæ, quæ commotio, ad ipsam perscripserat et in mandatis singillatim dederat ne ullos quoquo modo census admitteret; hoc enim pacto fore ut, omnibus ex animi sententia, et prout optabat, rebus confectis, superior tandem evaderet. Ingenti porro tunc virum sanctum gloria circumdatum vidit, licet vultu ad severitatem ac rigorem nonnihil composito (quem tamen alias, cum jam aliquoties illi visus esset, non prætulerat), iteratoque suadentem audiit ne reditibus inducendis ullo
E modo consentiret, petentemque qui fieret cur sibi bene suadenti ac consulenti credere cunctaretur? Hisce dictis, repente ex oculis evanuit. Postera ergo luce Franciscum Salcedium Teresia adiit, ut quidquid de certa stabilienda possessione agitaretur, se dissuadente, penitus concideret : qui etiam piæ Matri morem gessit. Nec vero hæc ante quievit quam apostolicum obtinuisset diploma, quo hæc inops et reditibus destituta vita confirmabatur; quibus tandem controversiæ huic finis est impositus. Nec unas modo, sed et binas super eadem re impetravit litteras; quas ego ipse vidi. Primas Illustrissimus Ranutius tit. S. Angeli Cardinalis destinarat, anno MDLXII, qui tertius Pii IV pontificatus erat annus : quibus, accepta ex ore Pontificis potestate, sanctimonialibus S. Josephi Abulæ facultatem sine reditibus, sed collatitia vivendi stipe impertit. Alteras idem Papa tertio post anno XVII Julii concessit, quibus et ante datum de construendo monasterio diploma confirmavit, et de eleemosynis oblatis vivendi episcopoque Abulensi sese summittendi copia facta, iisdem omnibus gaudere jussit favoribus ac privilegiis quibus reliquæ ejusdem Ordinis familiæ gaudent.
F

sed postmodum non sine Dei nutu

17 Aliquot vero post annis Teresia mentem mutavit, non suo quidem ad id judicio propendens, sed virorum doctissimorum atque in rebus spiritus versatissimorum, identidem monentium, ac præsertim Dominici Bañezii, consilio verbisque efficacissimis, ad hanc mutationem adducta. Cum enim S. Tridentina Synodus monasteria censibus annuis stabiliri consentaneum judicasset, ac de sanctimonialium præsertim congregationibus id intelligi oporteret, nefas videri ipsam Concilio, quod a Spiritu Sancto illustratum erat, plus velle sapere. Fas etiam credere est (tametsi de rei veritate usque adeo mihi certo non constet) ipsummet Redemptorem Christum illi, ut servorum suorum consiliis acquiesceret, in mandatis dedisse, et hoc ipsam quam libentissime esse amplexam, ut quæ Deo ejusque ministris perquam diligentissime pareret, illorumque sententia numquam non suam posteriorem duceret. Non tamen propterea revelationibus illius, quasi minus constantibus sibique invicem consentientibus, minor adhibenda fides est : quin imo insignis hic Dei apparet, primum sic, deinde secus suadentis, providentia. Si enim suum non ante monasterium

AUCTORE RIBERA.

nasterium Teresia fundasset quam certus illi fuisset
A in perpetuum census attributus, nulla ejus umquam perficiendi spes extitisset, quod ne minima quidem illius habendi ratio affulgeret; et rem hanc ante evulgatam oportuisset : qua sane jam cognita, tam provincialis singillatim quam universa simul civitas totis ei obstitissent viribus. Hoc vero non fundato, de reliquis, quæ facili deinde negotio, non exspectato ut census assignaretur, fundabantur, fundandis nulla cuipiam penitus spes fuisset : etenim si exspectato fuisset opus, numquam ullum fundatum esset; nam qui annuum redituum vectigal attribueret, nullus erat.

reditus admitti posse statuit.

18 Adhæc, cum tot deinde construenda cœnobia essent, quia hæc ipsa Deus ad tot animarum magna in iisdem perfectione ac religione viventium salutem reservarat, haud facile, cum imbelles mulieres essent tamque arcto conclusæ claustro, nullo annuo habito censu, constitissent; vel si forte constitissent, a magna illa perfectione et integritate, qua modo vigent, non mediocriter degenerassent : adeo ut illud initio pernecessarium fuerit, hoc vero successu temporis non minus visum sit expedire. Addo ex ipso quoque usu manifeste satis jam patere, tametsi
B annuæ assignatæ iis sint possessiones, eam tamen quam in iis desideres perfectionem integram et inviolatam perstitisse, simul et insignem quamdam in singulis elucere pauperiem; cum nullam prorsus sanctimonialium invenire sit cui aliquid quotannis pendendum, uti in cœnobiis nonnullis fieri consuevit, aut pecuniarum quidpiam aut vestem, imo ne condimenta quidem aut tragemata privatim possidere concessum sit : sed omnibus necessaria abunde ex iis quæ domi fuerint, suppeditantur, prout cuique expedire superior censuerit. Unde fit ut nec a parentibus aut consanguineis dependeant, nec amicitias inire cum externis necesse sit, aut familiaritates alienas contrahere, quo sibi de necessariis prospiciant. Hæc igitur quam dixi experientia beatam Matrem non parum ad hoc faciendum impulit. Franciscus ergo Salcedius, cognito monasterio annuos licere proventus possidere, a morte sua ex testamenti tabulis centum ac triginta frumenti sextarios, nec non triginta aureos de prato quodam quotannis deducendos, uti et lignosas quasdam montis partes, ipsi ultro obtulit. Hos deinde census ipsemet Dominus adauxit, piorum corda emovens, et operi huic adeo suo mirabile post incrementum
C addidit.

ANNOTATA.

a *Num voluerit S.* Teresia *filias suas solis Instituti sui fratribus subesse, examinatur* § XC *Comm. præv.*

b *Item examinatur* § LXXXVIII *et* § LXXXIX *quid senserit S. Mater de delectu et copia facta filiabus suis eligendi moderatores animæ suæ.*

c *Epistola hic citata refertur tomo II, ep.* 48.

d *Vide num.* 1699 *Comm. prævii cespitare hic Riberam. Pius IV approbavit anno* 1565 *Constitutiones modo factas; sed facultas eas condendi jam data erat anno* 1562.

e *Hæc fusius tractata habes in Commentario prævio,* §§ XLVII *et* LXXXVII *passim.*

f *Cavendum hic est a menda qua in prima Riberæ editione ponitur* 1584, *loco* 1588; *quæ menda ab ipso auctore corrigitur ad calcem sui voluminis.*

CAPUT II.

Turbæ ob fundatum a Teresia monasterium Abulæ coortæ, sed feliciter demum sedatæ.

D

CAP. IV *Gaudio Teresiæ de monasterii fundatione*

Jam ad cœptam monasterii novi fundationem redeamus. Teresia itaque gaudio exultavit, viso vota sua et (quod pluris longe ducebat) Salvatoris nostri promissa executioni esse mandata, et novum accessisse oppido templum in quod Venerabile Altaris Sacramentum illatum esset, atque hoc templum suo protectori Josepho esse dedicatum, a quo nullum aliud Abulæ nomen traheret; demum quod videret quatuor illis puellis orphanis quæ se tam serio in Salvatoris nostri brachia fidentes conjecerant, abunde prospectum jam esse. Maximum vero in animo gaudium sentiebat divinam erga se misericordiam considerans, quod sua esset opera ad negotium adeo arduum auspicandum uti dignatus. Hinc sui velut impos erat, alta gaudens oratione. Interim autem dum præ lætitia gestit, veteranus ille generis humani hostis, invidia ac dolore tumens, occasionem explorabat, ut, facta sibi a Deo potestate, quam poterat vindictam de illa sumeret a qua
E tantam sibi irrogari injuriam cernebat. Equidem illum censeam (si modo ea a Deo facta sit potestas) ad divinum tribunal ultro citroque commeasse sæpius (sicut fecisse constat, cum sanctum Job exagitavit), ut sibi in Teresiam sæviendi copia fieret. Igitur ea crux quam illam manere Dominus prædixerat, paulatim accedebat : nam omnibus quæ nuper commemoravimus, jam ex voto absolutis, post tres quatuorve horas plenam satanæ Deus facultatem dedit illius, quoad posset, suis exagitandæ artibus.

succedit ingens mentis obscuritas;

20 Tanto is ergo cogitationum ingruentium atque inanium terriculorum turbine mentem occupat, tantamque ei afflat tristitiam, ut, quæ ante adeo hilaris fuerat, jam prorsus alia videretur, seque ipsa adversus impetum oppugnantis tueri non valeret. Igitur metuere cœpit ne forte hac monasterii erectione in debitam prælato suo obedientiam peccarit, ne recentes moniales tantam austeritatem non ferrent, denique ne alimentorum deficerent subsidia. Deinde cogitare animo institit quis ipsam ad hoc opus aggrediendum perpulisset, cum sanctum adeo haberet in quo agebat monasterium; num ad in tam concluso restrictoque vivendum loco sibi vires sufficerent, tam gravibus, quibus
F indies opprimebatur, morbis afflictæ; quanam ipsa ratione tantam subire vitæ austeritatem posset. Recurrebat identidem bonam se reliquisse domum, in qua et cubiculum haberet et socias ad mentem suam factas; et quas in novo hoc habitura esset, non ita fortassis ad placitum futuras; adhæc forte diabolicum hoc ad animæ qua fruebatur pacem et quietem interturbandam commentum esse, qua si careret, nullam commode ipsa posthac peragere orationem posset : quarum duarum rerum si jacturam faceret, salutis contingere posse ut forsitan faceret. Hostis ergo cum spissas unico momento animæ tenebras offunderet, tanta spiritus caligine opplebatur ut ad pauxillum luminis admittendum ne minima quidem patere rima videretur. Ita namque omnia, cum quæ sibi a Domino quoad monasterii constructionem dicta erant, quæ item ab eodem promissa, tum quæ in horum confirmationem a variis Dei servis acceperat consilia, et quæ illi Deus hactenus exhibuerat mirabilia, denique pacem mentis, tranquillitatem ac gaudium quod ante paulo persenserat, et quidquid demum illi opitulari hic poterat, tum oblivioni tradiderat, quasi nihil horum omnium vel audisset vel percepisset.

21 Hoc

AUCTORE RIBERA.

A *quam ipsa orando dispellit :*

21 Hoc temporis momento vix ullum ipsa toto vitæ tempore passa est aut tristius aut acerbius, quia hac in desolatione ejus anima conjecturare videbatur quanta se adhuc ærumnarum tempestas maneret. Cæterum per densam hanc offusamque caliginem pauxillum illi lucis radiolumque subtenuem Pater luminum suboriri fecit. Hoc irradiante, illico vidit quis tantarum sua esset in anima tenebrarum causa, qui mendacibus illis terriculamentis unum hoc intendebat ut consternatam animam a cœptis moliminibus abduceret. Hac in luce oculos in ea quæ ante cogitare consueverat, et in ea quæ Deo quam perfectissime serviendi proque nominis illius gloria patiendi hactenus in se senserat desideria, reflexit. His aliisque id genus cogitationibus factum est ut quæcumque animo occurrerent incommoda generose perfringere statueret, quo Deo fieret vicinior. Cumque magnam dein in se ipsa contradictionem persentisceret, magno eam mentis robore superavit, et coram augustissimo Eucharistiæ Sacramento prostrata supplex, omni se ratione enixuram spopondit ut sibi ad novum suum transeundi monasterium potestas fieret, et quidem quam citissime, ut primum ejus tuta conscientia
B perficiendi se daret occasio; simul etiam eam quæ rite modo observatur restrictionem claustrumque se servaturam Deo est pollicita. Qua ex animo facta sponsione, ingens menti oborta lux est et serenitas, versutus tenebrarum princeps illico se subduxit, tantumque Teresiæ ex iis quæ fecerat voveratque innatum est gaudium ut toto vitæ tempore ipsum sit experta.

deinde in Incarnationis cœnobium revocata,

22 Mox igitur ut in vulgus emanavit monasterium hoc perfectum esse, cives pariter omnes in Dei laudes prorupere; sed breve id gaudium fuit : nam rem omnem non multo post cacodæmon invertit, et primariis civium persuasit, nisi inchoati rebus monasterii obstaculum objicerent, toti inde civitati extremam perniciem obventuram. Hinc passim indignari ac stomachari populus, et sinistris actus rumoribus quaquaversus tumultuari. Teresia vero secura cum ageret, utpote concitationis per oppidum motæ penitus inscia, et pauxillum a prandio capere quietis constituisset, quod superiorem noctem insomnem traxisset multisque ante diebus ac noctibus nullam sibi a laboribus quietem indulsisset, minime illi licuit somnum pacifice carpere. Ut enim in Incarnationis cœnobio ac reliqua
C civitate cognitum est quod matutino peractum erat tempore, non exiguus utrobique oriri tumultus cœptus est : hinc illam antistita quamprimum ad se evocavit. Ut superioris suæ jussa vidit Teresia, illico deserens omnia, ad pristinum cœnobium, vale quatuor suis novitiis maximo mœrore prostratis dicto, rediit. Redemptoris ergo Jesu et gloriosi illius nutritii Josephi supplex opem deposcens, sibi ut adessent et ad dilectum gregem brevi sospitem se reducerent, Ursulam a Sanctis tantisper cæteris præfecit. Jam se credebat in carcerem compingendam et miris modis divexandam : hinc cum magno adversa pro Deo patiendi desiderio abibat, simul et gaudens quod tam commoda ferendi tristia se modo obtulisset occasio. Ut præpositæ in conspectum venit, facti sui rationem apud illam reddidit, et placidis eam verbis nonnihil serenavit. In eam autem ambæ venere sententiam ut Angelum de Salazar provinciæ præpositum evocandum, et rem omnem ad ipsius arbitrium referendam pariter censerent.

superiores ac sodales suas placat.

23 Provincialis ut adfuit, Teresiam coram se sistere jussit ut facti sui rationem redderet. Referre post ipsa non raro solebat, se, cum hoc tribunal adeundum sibi foret, tanto lætitiæ sensu delibutam fuisse, quod aliquid Christi causa sibi
D adversi ferendum esse cerneret, ut vix a risu temperaret, et qua ratione gaudium ac risum hunc coram provinciali dissimularet, penitus nesciret. Multa quidem et gravia in illam piacula coram provinciali moniales depromebant; quam propterea ipse acerbius perstrinxit : subdebant ipsæ faces increpanti, instigando et delictum aggravando : ipsa contra supplex veniam petens, dignis ut in se pœnis animadverterent, suggerebat, nec quidquam in sui defensionem afferebat; quod firmiter secum ipsa statuisset nulla sese ratione purgando defendere. Quo viso, provincialis edixit ut suam causam coram monialibus omnibus tueretur. Fecit id ipsa magna animi tranquillitate ac pace (nam hactenus nec minimum turbata fuerat), ut quod deinde objicerent, neu provinciali neu monialibus occurreret. Inde omnem illi clarius rem aperuit, productisque rationibus adeo satisfecit, ut, civitate pacata, plenam se illi daturum mox ad cœptum monasterium redeundi spoponderit veniam. Jam quidem Incarnationis monachæ et Carmelitanus Ordo quiescebant; cæterum non minus concitata omnis erat
E multitudo quam si ingens illi derepente accidisset calamitas, cui illico toto esset conatu occurrendum.

P. Dominicus Bañez Teresiam coram magistratu defendit.

24 Ac præterquam quod varia hinc inde spargerentur, et libere de hoc quisque negotio passim loqueretur, ecce triduo post civitatis præfectus et rectores ac nonnulli de capitulo, et postridie primaria Ordinum religiosorum capita, magistratus, eruditi ac reliqua populi multitudo unum in locum de rei summa deliberaturi convenerunt, quasi jamjam extrema oppido immineret pernicies. Quo in conventu magna contentione et ardore hoc super negotio, necnon summa malorum quæ hoc e monasterio in civitatem redundatura videbantur, exaggeratione disceptatum est. In eam tandem pariter omnes ivere sententiam, quod magnum e domicilii hujus fundatione damnum civitati esset accessurum, ipsum impediendum, et sublato inde Eucharistiæ Sacramento, evertendum videri. Nemo non rem hanc cordi habebat, itaque in eam serio incumbebatur, ut, nisi Dominicus Bañez ex Ordine S. Dominici, S. Theologiæ magister et ejusdem modo in academia Salmanticensi professor primarius, universis viriliter esset obluctatus, quæ in senatu decreta erant, illico opere essent executi. Qui
F quamquam auctor et suasor exstiterat ne sine annuo possessionum censu id monasterium conderetur, reipublicæ primoribus modo palam dicere non est veritus non esse in tanti momenti negotio tam præcipiti utendum consilio, sed maturius ipsum ponderandum videri : numquam ad hoc exequendum temporis occasionem defuturam : adhæc episcopi partes esse de eodem disceptare; aliaque in hanc rem complura ea prudentiæ significatione in medium attulit, ut quod in conventibus adeo præcipitanter decretum erat, quominus opere cives exequerentur, sua solus ipse auctoritate impedierit *a*.

a

Deus illam consolatur et animat.

25 Ingens interim toto passim oppido motionis exoritur procella, et nullo non loco hac de re sermo pro vario cujusque judicio miscetur, quo æque Teresiæ atque omnium huc cooperantium nomina in compitis traducebantur. Ad Incarnationis et provincialem varii ultro citroque commeabant, sparsos in populum rumores et quidquid inaudiebant nuntiantes. Satanas quoque suis hic partibus minime defuit, sed acres undequaque faces miscebat, ne quo modo res componeretur, quin potius quam jam concitarat in populo, procella

AUCTORE RIBERA.

validius ingrueret. Ipsa interim Mater minime ad
A instar Jonæ in carina navis dormitabat segnescens, sed ex intimis cordis penetralibus ad Dominum clamabat, tantaque animi etiam tranquillitate perfruebatur, etsi quæcumque dicerentur pernosset, perinde ac si nihil penitus diceretur. Indicio sit quod postridie quam illa civium conventicula indicta essent, ad Guiomaram de Ulloa, Tauri tum agentem, rem omnem quæ per urbem agitabatur, perscripsit, ac tum, cum de opere demoliendo consentiens omnium Abulensium erat sermo, illi in mandatis dedit ut sibi Sacris dicundis librum destinatum, et campanulam, qua opus imprimis habebat, mitteret. Recurrebat nihilominus identidem tentator, ipsamque miris torquebat modis, simul etiam occasionem ingerebat metuendi ne cœptum tandem opus everteretur. Quadam igitur vice hancce ob rem contristatæ Redemptor Jesus, qui semper ad consolandum illi erat proximus, apparens ait : « An omnipotentem me esse ignoras? » Quid igitur metuis? Ut certissimum habeto num- » quam hoc monasterium dissolvendum : quæ tibi » sum pollicitus, reipsa præstabo. » Interim cives ac magistratus, quibus hæc res adeo cordi erat, omni
B in eam contentione ferebantur. Præfectus quoque loci, viso neminem omnino sese opponere, et jam rem confectam esse ratus, ad monasterium S. Josephi abit, ac quatuor illis religiosis edicit ut illico foras prodeant; sin minus, ostia se violenter perrupturum. Illæ insigni mentis constantia respondent non dubitare se quin qui ipsas hoc loco collocarat, cum necesse fuerit, etiam ediceret ut egrederentur : nihil illi secum esse negotii, nec ad forum ejus se spectare, cum suum ipsæ præsulem haberent.

Juridica instituitur

26 His auditis, præfectus moderatius se gessit, ac nemo asseclarum ejus intemperantius quid ausus fuit moliri : sed omnes re infecta abiere. Visum illis ergo longe fore satius violentia abstinere et rem jure prosequi. Hinc statim in utramque partem varia interrogata et responsa deprompta sunt. Quia vero præfectus et magistratus actionem movebant, hinc nullus omnino in civitate vel causidicorum vel scribarum repertus est qui monasterio patrocinari vellet. Quocirca P. Julianus de Avila,
b Mariæ a S. Josepho frater *b*, præfecto supplicem offerre libellum aliaque judiciorum propria actitare coactus fuit. Quod enim clericus esset ac Dei
C honoris studiosus ac neminem metueret, ultro citroque cum litteris responsisque ad Incarnationis commeabat; et ejus opera industriaque suam Teresia causam propugnabat. Hinc eum interdum causidici, interdum tabellionis sustinere personam oportebat. Monasterii vero nomine ad regium fuit consilium appellatum; a quo in favorem monialium missus est Abulam commissarius, qui in negotium sedulo accurateque inquireret. Non defuit suo hic utraque pars officio; nam cum in rem monasterii, tum etiam adversus eam multa utrimque scripta sunt et examinata. Jam cœpta plena et formata lis erat : jam suo nomine in curiam actores respublica destinarat; quales et suo monasterium mittere oportebat, nisi causa cadere vellet. Sed nemo voluit ejus nomine proficisci, et quod actoribus persolveretur, deerat argentum : quare quo se verteret, Teresia nesciebat. Accedebat ad hoc, quod, absente provinciali, illi quoad hoc negotium antistita silentium indixisset. Undique ergo angustiis oppressa (quod superioris sui reluctari præcepto nollet), ad solitum suum rebus in afflictis asylum, Deum videlicet, confugit, et ait : « Domine, non mea hæc domus est, sed tui unius » in gratiam condita : quamobrem, cum ejus nemo D
» tutelam suscipiat, tuum est illius defensorem » agere. » Quo dicto, tanta mentem illius opplevit lætitia, tanta consolatio, quasi a se omnes mortales stetissent, exitus rei plane secura.

CAP. V. *per sex fere menses*

27 Vix dies aliquot intercesserant, cum ad oculum patuit quanti essent ponderis stabilis in Deum fiducia ac spes : statim namque pii aliquot viri rem cordi habere ac promovere cœperunt; quos inter fuit magister Daza, Franciscus Salcedius, Gonzalvus de Aranda, sacerdos magni ob virtutem suam nominis apud Abulenses et alios. Non minori hi in eam rem contentione incubuerunt quam si suam actitassent, imo majori, quod Dei esset causa. Arandius Madritum ad curiam Teresiæ nomine est profectus. Jam frequentissimus denuo Abulæ conventus celebrabatur, cui etiam Daza ab episcopo delegatus interfuit. Omnibus monasterium evertendum censentibus intrepide Daza se solus opposuit, et id ne fieret, insigni sua prudentia tum impedivit : sed mox rursus omnes quo poterant conatu in illius demolitionem intenderunt. Semestre circiter hæc duravit tempestas; qua durante, illam haud dubie beata Mater portavit crucem quam illi impendere Dominus prædixerat. E
Nec ab illa immunes fuere servi Dei qui ejus defensores sese præbebant. Quare beata Mater dicere merito potuit (quod subridendo de hac re multo cum lepore postea mihi dixit) voluisse se ut die Apostolo Bartholomæo sacro hocce monasterium fundaretur, ut se ille protegeret et a maligno spiritu tueretur : omnes namque, tartaro laxato, ad sese exagitandam cacodæmonas emissos videri.

de S. Josephi monasterio

28 Quam autem interim quatuor illæ tirunculæ vitæ rationem inirent, hæc fuit : Antistiti Abulensi Teresia monasterium hoc, uti et piis illis viris qui negotium illius agebant, commendarat. Suis hi minime partibus defuere, dum ancillis Christi de sacrificante ac Sacramenta ministrante prospiciunt, nec raro ipsas illimet intervisunt, atque ut in inchoatæ vitæ ratione pergerent, verbis ardentissimis animos addunt. Daza præsertim, cui ad id suas singillatim episcopus vices delegarat, utque sedulo rem hanc curaret, injunxerat, in spiritualibus ad ipsas exhortationibus habendis orationisque ac vitæ totius ratione a singulis exigenda erat assiduus et navus. Errata palam ipsæ invicem enuntiabant, in quo etiam alteri altera magna amoris
F significatione auxilio erat. Huic quoque pœnitentias ac mortificationes corporis indicenti omnes quam exactissime morem gerebant. In choro Officium B. V. Mariæ dumtaxat decurrebant, quod majores Breviarii Horas ex Ordinis præscripto recitandi rationem a quo ediscerent, non haberent; nec ante eas usurpare cœperunt quam ad ipsas se Teresia postea referret.

controversia : qua dirempta,

29 Interea horrenda illa tempestas assiduis B. Teresiæ ejusque filiarum orationibus ac piis exercitiis dispulsa paulatim desævire quidem cœpit : sed, ecce, aliunde inopinus quidam turbo insurrexit, qui aliquam malaciam spondere videbatur, sed quæ nondum penitus detumuerant undæ, rursus illo flante attolli præter opinionem cœpere. Nam vir quidam pius bono impulsus zelo suasit ut eruditorum arbitrio res omnis committeretur, ut quod illi arbitrati essent arbitrium, eo partes starent. Hæc optima quidem dissidii componendi ratio videbatur, et nonnullis etiam Teresiæ defensoribus probabatur; sed eam ipsa penitus improbabat, quod universam prope civitatem sibi adversari non ignoraret : quare maximis eam conniti viribus oportuit ut hæcce arbitratio rescinderetur. Eodem porro

A porro tempore Abulam, Deo dirigente, venit Petrus Ibañez, quem ob præsentem dumtaxat necessitatem tum potissimum eo adduxisse divina providentia videbatur : nam nulla eum Abulam negotia vocarant. Hic tamdiu ibidem est commoratus quamdiu ad multorum componendos animos opus esse videbatur; et, quod auctoritate cum ob litterarum eruditionem tum ob sanctimoniam vitæ apud plerosque civium valeret, multos in suam sententiam pertraxit. Abula vero cum recessisset, qua potuit ratione (ac præsertim episcopi Mendozii, quem quatuor illæ tirunculæ totis ad hujus causæ promotionem viribus incitabant, opera) apud provincialem Carmelitarum egit ut Teresiæ a Jesu copiam ad novum S. Josephi monasterium transeundi suasque edocendi regendique filias in Christo genitas faceret. Is quidem tum rerum erat status ut hæc tam cito impetrari facultas penitus non posse videretur : tandem tamen votorum ipsa compos facta est.

Sancta, cum venia provincialis, eo redit. c

30 Ergo anno MDLXIII sub mediam Quadragesimam *c*, lætitia exultans et facultate ac benedictione a superioribus accepta, ad novas filias suas, quæ illius adventum continenter a Deo efflagitarant,

B transiit; a quibus tanta gestientis animi significatione fuit excepta quantis fuerat lacrymis ac suspiriis expetita. Facta illi insuper potestate aliquas ex Incarnationis cœnobio moniales secum ducendi, ducem secutæ sunt Anna a S. Joanne, Anna ab Angelis, Maria Isabella et Isabella a S. Paulo Teresiæ consobrina, quæ quidem ad annos aliquot in Incarnationis commorata sacrum jam habitum ibidem assumpserat, sed solemnia nuncupare distulerat vota, quo eadem in S. Josephi, Teresiam secuta, conciperet. Ex hisce unam in cæterarum delegit præpositam, Annam a S. Joanne (quod id ipsa onus a sese excuteret); illius vero vicariam Annam ab Angelis constituit. Verum antistes æquum esse ratus illam aliis præesse quæ omnium reapse mater erat ac magistra, munus id Teresiæ concredidit, tametsi longe illi foret subesse acceptius quam præesse. Quocirca, ne superiorum adversari jussis videretur, regendi eam partes accipere oportuit. Peramanter quidem a suis monialibus Teresia excepta fuit, multo tamen adhuc magis amice eam habuit cœlestis Sponsus, a quo se, cum extra sensus raperetur, ea ipsa die insigni cum gratulatione excipi et pretiosissimo diademate redimiri conspe-

C xit; qui illi immensas etiam visus est gratias agere, quod suæ esset Matri hoc in opere tantos per labores gratificata. Alia etiam die, cum, Completorii Officio persoluto, Dei famulæ omnes in choro precibus insisterent, Deiparam vidit miro splendore nitentem candidoque amictam pallio, quo cunctas ex ordine moniales visa est complecti ac protegere. Eodem quoque tempore, Deo revelante, cognovit ad quam celsum gloriæ gradum monasterii illius sanctimoniales essent evehendæ.

Cives Abulenses favent novæ domui;

31 Erga ipsum porro monasterium mox universa mire affici civitas cœpit, et illius paulatim sectatrices numero augeri : Deo namque corda tangente, ita repente omnium mutata voluntas, ut quos ante acerrimos expertæ erant adversarios, jam benevolentissimos experirentur fautores ac munificentissimos adjutores, et hi jam laudarent et deprædicarent quod ante vellicassent. Paulatim quoque a litigando disceptandoque cessatum est, cum jam nemo non evidens esse diceret opus hoc a Deo proficisci, ut quod, nequicquam frendentibus et obluctantibus adversariis, quotidianis semper incrementis medias per adversitatum procellas auxisset. Nec vero post ardens hic affectus refrixit, cum longe secus se rem habere optimus quisque perspiceret quam sibi principio persuaserat : viso præsertim quæ quantaque ab hoc monasterio bona profluxerint, quantumque illud divini nominis gloriam atque honorem promoverit. Et sane ea illius hactenus fuerunt incrementa, ut novena ferme abhinc sexennio aureorum in chori, sacellorum lateralium ac domus fabricam, nullo tamen inde a domesticis ære alieno contracto, insumpta sint millia. Unde manifeste patet divinarum id manuum opus esse, et reipsa jam Deum ostendere quod ante Teresiæ perobscure dixerat : « Ingredere prout potes : videbis » enim quænam ipse facturus sim. »

D

In eamque duæ S. Matris consanguineæ

32 Omni eo tempore quo in S. Josephi beata Mater est commorata, quinquennio scilicet (ut suo infra significabo loco), cum Dominico Bañezio, S. Theologiæ magistro, perfrequenter egit; dum nimirum non eruditionem modo ac doctrinam (quo ille ob doctissimos in lucem editos libros nomine hactenus claruit et posthac clarebit), sed et insignem discretionem ac prudentiam nec non eximium pietatis ac religionis spiritum cœlitus illi cerneret communicata. Ex illius ipsa directione tota pendebat, suaque cum illo cum exteriora domus tum interiora mentis negotia integre com- E municabat; unde non vulgarem et sibi et suis frugem ipsa cepit. Turbis ergo compositis, extemplo varias ad hocce cœnobium cogere virgines Redemptor instituit, quæ in opere hoc Dominico auxiliares manus attulere : inter quas facile fuit princeps Maria Ocampia, Teresiæ consanguinea, quæ miram suo huc ingressu (incidit is in diem quo S. Joannes ante portam Latinam oleo injectus colitur, sesquianno circiter a condito monasterio) notis omnibus et pietatem et stuporem movit. Quam illa huc contulit dotem, ea et debitum quoddam annuum quod jam monasterium contraxerat, dissolutum est, et solitarias quasdam Teresia construi jussit cellulas, in quibus collecta in se mente orationi moniales vacarent quietius. His eas appingi jussit imagines quæ in intuentibus pios animorum excitarent motus; nec aliud ab illius patre argentum quam hunc in usum postulavit. Proxime sequente Septembri alia Teresiæ cognata loco huic nomen dedit, Maria de Avila, Alphonsi Alvarez de Avila (qui, quod generis claritatem virtutum ornamentis magis nobilitaret, Sancti cognomentum invenit) filia.

F

Aliæque insignes virgines admittuntur.

33 Venit illa quasi de mundo proculcato triumphum agens, egregie ornata, bysso auroque operta et quibuslibet elegantiis condecorata, universa procerum stipante caterva; quod primarios civitatis sanguinis necessitudine attingeret. Hos illa omnes stupore complevit, quod unica paternarum esset opum hæres, et haud ita multo ante tam de se sublimia præsumpsisset ut quæcumque illi offerrentur matrimonia ut se indigna rejiceret. Hanc non ita pridem manu potenti Dominus tetigerat : hinc, cum multos in mentis afflictione et lacrymis anxia hæsisset dies, cum vocante Deo luctata, et hinc ille ipsam ad Religionis quietem sevocaret, et ipsa illinc obniteretur trahenti, tandem victas manus dedit et monasticen profiteri decrevit. Ac tum quidem tantam ipsa in animo experta quietem et tranquillitatem est, perinde ac si tota vita hoc votum desideriumque habuisset. Principio gravissimas quidem variorum obtrectationes passa est; sed eam mentis prætulit virgo generositatem ut ipsæ etiam adversantium calumniæ voluptatem illi facerent. Non longo post admissionem temporis intervallo publice in templum producta est, omnibus mundum redolentibus vestibus depositis, ac vili spissoque panno, quæ

AUCTORE RIBERA.

quæ ante bysso auroque radianti fulgere solebat, induta, et S. Hieronymi cognomine patrii ac gentilitii loco donata. Quo illa schemate nonnullos ad pietatem, alios ad commiserationem sui excitavit, eam jam pauperem conspicatos et humilem quam paulo ante comptam ornatamque conspexerant. Hæc uti Deo sese ex animo devovit, ita et quidquid possidebat, illi quam libentissime detulit : cujus pecunia sacello cuidam annuus attributus est reditus et templi sunt limites dilatati. Multis illa deinde annis monasterio huic præfuit et etiamnum præest. Per idem quoque tempus eidem cœnobio annumerata est Mater Isabella a S. Dominico, de qua suus erit postea loquendi locus, ut quæ ad Ordinis incrementum dein mirifice profuit; nec non aliæ complures, quarum accessione domus hæc paulatim cœpit impleri.

ANNOTATA.

a *Idem de P. Bañezio narrantem audivimus S.* Teresiam *num.* 351 *Commentarii prævii. Notat autem scriptor Chronici* (*lib.* I, *cap.* XLV, *n.* 4), *in autographa S. Matris Vita, quæ in bibliotheca Escurialensi asservatur* (*Cfr. num.* 1491, 1492 *et* 1493 *Comment. prævii*), *ad marginem hujus narrationis adscriptum fuisse ab ipso Bañezio :* Accidit hoc anno 1562, et ego hanc sententiam protuli. Fr. Dominicus Bañez.

b *Julianus de Avila* (*frater Mariæ a S. Josepho de qua Ribera loquitur num.* 129, *non illius de qua num.* 119), *honestis parentibus Abulæ natus, mercaturam adolescens fecerat; dein, inchoatis anno ætatis circiter vigesimo studiis, piissime se præparat ad sacerdotium : ad quod cum fuisset ab Alvaro Mendozio episcopo promotus, sedulam gnavamque operam S.* Teresiæ *præstare cœpit, tum in gerenda lite de qua hic sermo est, tum in spirituali directione monasterii S. Josephi Abulensis, tum denique in itineribus pro Sancta vel cum ipsa susceptis ad novas procurandas perficiendasque fundationes. Quin et postea Julianum jam senem Garcias de Loaysa, archiepiscopus Toletanus, fama zeli ac virtutum ejus permotus, ad reformanda diœceseos suæ cœnobia felici cum successu adhibuit. Obiit Abulæ vir S. Matri* Teresiæ *carissimus* XXV *Februarii* 1605; *sepultusque fuit in sacello quod amicus ejus Gaspar Daza in ecclesia S. Josephi construendum curaverat. Hæc a me breviter dicta auctor Chronici* (*lib.* II, *cap.* V, *n.* 2 *et* 3), *P. Fredericus* (*lib.* I, *cap.* XXXIV) *et Boucher* (*lib.* IV, *not.* m) *aliquanto prolixius referunt.*

c *Putat auctor Chronici id contigisse mense Decembri* 1562; *de quo vide num.* 365 *Commentarii prævii.*

CAPUT III.

Adventus Generalis Carmelitarum in Hispaniam; facultas fundandi plura monasteria ab eo Teresiæ concessa. Iter Sanctæ Methymnam Campestrem.

CAP. VI. *Primarum S. Matris filiarum fervor,*

Quæ scripta sunt a me hactenus, ejus commentarium quodammodo dicas libri quo Teresia suam vitam ex parte complexa est; quibus equidem plurima, ab ipsa ibi studio et data opera suppressa, adjeci. Idipsum jam deinceps in libro quo suorum ipsa domiciliorum fundationes comprehendit, sum facturus. Jam Teresia in tenui suo, si sæculi rationibus rem libres, pauperculoque, sed magno coram Deo ac donis cœlestibus opulento monasterio, incredibili pace et animi tranquillitate perfruens, agebat. Nam tempestatibus compositis, illi, ut paulisper requiesceret, clemens Deus indulserat; quin ipsas Jerusalem filias animæ ejus dilectus adjurarat, ne eam ante excitarent aut evigilare facerent quam ipsa vellet. Jam quoque sibi maximæ in voluptatis agere paradiso videbatur, et sanctas illas animas inter quas versabatur, ut Angelos quosdam suspiciebat. Nec vero id mirum erat ipsam sentire, cum ipsemet Dominus illi in oratione versanti hanc sibi esse domum paradisum quemdam voluptatis dicere non dubitarit. Jam tredecim universum erant (quem ipsa numerum volebat) et quidem sanctimoniales in choro cantantes; nondum enim ea tempestate administrarum adlegendarum usus increbuerat. Et licet inopia premerentur, stipem non corrogabant, sed non petentibus de omnibus necessariis Dominus ultro prospiciebat. Quæ si interdum tamen deesse contingebat, tum demum beatissimas sese atque optime secum agi putabant. Tam parum enim omnes de temporalibus rebus laborabant, ut ne ipsa umquam Mater, etsi præposita et cui ex officio hæc curare incumbebat, de his sollicita esset. Sed orationis omnes studio tenebantur, cui quo quietius vacarent, solitudinem sectabantur. Compellationes, tametsi a consanguineis intimisque factæ, graves ipsis accidebant et molestæ.

mira simplicitas,

35 Vigebat mira in singulis parentia mundique despectus, simul et sanctæ paupertatis studium et amor. In illud vero tota cogitatione ferebantur, ut, quænam Deo magis ac perfectius placendi esset ratio, invenirent : nova etiam quotidie Teresiæ anima charismata a Sponso accipiebat proficiebatque in melius : unde fiebat ut et illius sodales, obviis ac frequentibus illius exemplis ac sermonibus animatæ, divino amore vehementius inardescerent, et excelsa pro Deo opera aggredi desiderarent, quod suis ipsa dux ac magistra in omnibus semper antecederet, instar aquilæ provocantis (ut Scriptura loquitur Deut. XXXII, 11) ad volandum pullos suos et super eos volitantis, ut volantem sequantur matrem. Verarum solidarumque ipsas virtutum exercitio assidue exercebat ac probabat; e quibus quantus animabus fructus accederet, nemo non videbat. Illarum hic aliqua specimina producam. Contigit in mensa ante Matrem cucumerem parvulum atque introrsum putredine scatentem apponi. Hunc ipsa, evocata ad se ex omnibus illa quæ reliquis ingenii dexteritate excellere videbatur majoribusque dotibus donata erat, Matre Maria a S. Joanne Baptista, cujus facere periculum obedientiæ volebat, in exiguo illo quem domi habebant horto terræ inseri jubet. Maria nihil cunctata, jussumque ulterius non examinans, petit erectumne an vero in latus jacentem telluri cucumerem committeret. Teresia jacentem seri jubente, illico ipsa hortum adit, mandata factura, nequaquam secum ipsa disceptans anteane siccandum illius necne foret semen, sed cæca obedientia in mandatum ruens. Ab ea autem se ait dubitatione adeo tum remotam fuisse ut etiamnum hodie eadem animi sit simplicitate, atque ita fieri debere sibi persuadeat.

obedientia singularis

36 Alteri cuipiam sex septemve uno simul tempore peragenda imperabat, et talia quidem imperia quorum unius executio alterius impediebat : hæc tamen ipsa, ne verbo quidem secus sentiens, gratanter admittebat, se omnibus rata, cum a superiore eadem injungerentur, haud difficulter posse simul

A simul satisfacere. Si vero singillatim omnes primarum illarum, imo etiam earum quæ hodie ibidem degunt, monialium virtutes dicendo persequi vellem, novum de illis solis concinnare volumen opus foret. Unum tamen penitus admirabile nefas fuerit silendo prætermittere, quod Teresiæ per id tempus contigit, in quo et suam alicujus ex filiabus fides etiam laudis partem habeat necesse est. Coemerant moniales non ita pridem aream quamdam domui suæ vicinam. Habebat hæc puteum altissimum, sed hic aquam adeo insipidam ac putiscentem ut ne ipsis quidem aquandis sufficeret animalibus. Hanc per subterraneos tuberum meatus in quamdam monasterii areolam derivare Mater volebat, eam rata, si profluens fieret, potabilem reddi posse : sed quoniam maxima putei erat altitudo, fieri non posse videbatur ut in aream derivaretur. Advocat ergo rei aquariæ peritos; quibus insanire et argentum profundere casso labore velle visa, quod illi tum quidem valde erat exiguum. Suas deinde in consilium adhibet : quarum una, Maria scilicet illa a S. Joanne Baptista, tentandam fossionem suasit. Hoc illa consilium hac, quam viva efficaxque in Deum fiducia suggessit, ratione constabilivit : « Vi-
B » rum, inquit, Dominus nobis dabit qui aquam » aliunde afferendo nobis procuret, simul etiam » cibum quo eum alamus : igitur viliori pretio » domi eam nostræ daret; unde mihi persuadeo » hanc ipsum nobis non denegaturum. »

et viva fides, quam prodigiis

37 Ratio hæc, quæ sapientibus et prudentibus hujus sæculi risum fortasse moveat, ita Matri satisfecit, utpote fiducia plenæ et altioribus quam soleat mundus res omnes rationibus libranti, ut eam extemplo et approbarit et executioni mandari præceperit, renitente licet peritissimo aquilege, qui tum forte aderat, et frustra rem hanc suscipi asserente; tum quod aqua plane desiperet, tum quod post sumptum omnem ac sudorem nonnisi tenuissima in monasterium venula per meatus illos tubales fluxura videretur. Aquæductum igitur effodi Teresia præcipit; nec fefellit eventus : nam per meatum hunc tam sapida decurrit unda, ut qui gustarent, fontanæ nihil eam assererent concedere, et gustatam in potum adhiberent. Ipse etiam, qui puteum ante viderat, antistes Mendozius, aquæductum hic parari potuisse summopere miratus, multos eamdem gustaturos secum huc adduxit. Hæc inde aqua fons Mariæ a S. Joanne Baptista dici
C cœptus est, et octennio eoque amplius potum monialibus dedit, quamdiu scilicet is necessarius videbatur : qui deinde etiam non sine prodigio fluere desiit. Cum enim limpidissimum in horti irrigationem puteum a civitate obtinuissent (quod prior ductus nonnisi in postica domus area prorumperet), fontis illius prodigium cessavit. Quamvis enim hactenus numquam plane defecerit, ab illo tamen tempore nonnisi subtilissima fluit venula; quod peritorum ante fuerat judicium, plus deduci per venam posse negantium.

comprobare videtur Deus.

38 Eisdem diebus aliud accidit quod plerisque etiam prodigii simile visum est. Ingentes domus erant angustiæ, ejusque dilatandæ nulla ratio suppetebat, nisi forte vicinis coemptis ædibus : at illas dominus nullo dicebat ære se vivo redimibiles, nec inde se nisi mortuum emigraturum. Adeo scilicet caram domum suam habebat, quod amœnus eam hortus recrearet, quem occultus quidam aquæductus irrigabat, ab ipso e ponte fossarum civitatis, nemine prorsus a tot annis conscio, derivatus. At postquam de domo divendenda cum ipso agi cœptum est, res tandem patuit. Quare vena aquæ a republica intercisa, omne illius erga hortum studium et amor refrixit : neque enim aliter quam hoc aquæ meatu irriguum eum facere poterat. Inde et domus illum capere cœpit nausea, ut monasterio eam venumdare jam grave non duceret. Hujus accessione illius ampliata ac producta sunt pomœria.

AUCTORE RIBERA.

D

Zelo S. Teresiæ

39 Nullum umquam hoc Teresia tempus quietius, nullos experta dies est tranquilliores : ut quæ jam reipsa et usu experiebatur quam a diabolo afflati et menti objecti pavores, quibus in perangusta illa domo optata perfrui quiete se non posse videbatur, utpote quibus in alio monasterio assueverat sodalibus jam carens, inanes et mendaces essent. Et jam demum pervidebat quantam quietis suæ fecisset jacturam, si aures invido præbuisset tentatori, et quam se præsenti exponant periculo qui hisce timoribus consternati animum despondent. Sed animi magnitudo et quod in corde ejus æstuabat divini amoris incendium nullam ipsi quietæ quietem indulgebant. Ingens namque animarum quoquo modo juvandarum desiderium continenter ad alia atque alia piam illius mentem exstimulabat. Plura quidem quæ hanc in causam ageret, non habebat; non tamen propterea majora semper animo agitare cessabat. Cum enim tam eximias in filiabus suis virtutes et generositatem non vulgarem E
perspiceret, sibi non poterat non persuadere quin ob majus aliquod bonum tantis cœlitus illæ charismatibus donarentur. Se quoque dicebat persimilem esse viro ingentem possidenti thesaurum, et in omnes eumdem dispertiri optanti, sed cui arcte colligatæ sint manus, ne cui ipsum communicet. Quocirca cum aliud non posset, ad hoc saltem pia ipsam rapuere desideria, ut continentes pro incremento Ecclesiæ funderet preces et ad hoc ipsum suas sectatrices exstimularet, et qua poterat ope in ipsis excitare zelum animarum satageret.

novos addit stimulos P. Alphonsus Maldonatus Ord. Min.

40 Inter hæc quadriennium, uti jam indicavi, elapsum est; cum quinto labente anno, Alphonsus Maldonatus, Excalceatus Ordinis Minorum, qui paucis abhinc diebus ex India in Hispaniam redierat, Teresiam convenit, et quot in remotis illis regionibus animæ salutarem doctrinam propinantium defectu perpetuum ruerent in interitum, tristi narratione commemoravit. Recreavit piam Matrem ardens in viro religiosissimo ad animas proximorum adjuvandas flamma, utpote quæ eadem flagrabat : unde sancta quadam æmulari Alphonsum cœpit invidia, quod suos illi quidem animæ exerere
F ardores proximum ad meliora instigando et quoquo modo adjuvando liceret, sibi vero id possibile non esset. Audito igitur infinitas doctrinæ defectu animas pessum ire, tantum animo concepit dolorem ut se prope ipsa continere præ ardore mentis non posset. Quamobrem extemplo in solitarium quemdam recessum (quales in horto domestico construxerat) se abdidit, ut ibidem majori in quiete mentem colligeret. Hic lacrymas oculis ac gemitus corde imo exciens, ad summum animarum Creatorem incessanter clamabat ut aliquam sibi rationem suggereret qua vel ad unius salutem animæ posset cooperari, cum tot cacodæmon sibi illarum vindicaret myriadas, et, cum alia ipsis auxiliari via sibi non liceret, suæ huc saltem lacrymæ aliquam conferrent opem. Hic illi ardor continua orandi erat materia, donec nocte quadam in oratione vigilanti, qua solitus erat forma, se illi spectandum Redemptor magna amoris significatione dedit, et per speciem consolantis hæc illi verba locutus est : « Exspecta paulisper, carissima, et mira videbis. » Hæc verba intimis illius insculpta medullis hæsere, ut sua eadem e memoria delere non posset.

41 Recurrebat namque identidem animo ecquæ-

AUCTORE RIBERA. *R. P. Rubeus, Generalis Carmelitarum,*

nam hæc tandem mira essent, et quonam pacto eventura. Sed nihildum eruere cogitando poterat : hoc unum dumtaxat certum erat, quæ sibi a Domino prædicta erant, aliquando eventura, quamquam quo id modo futurum esset, haud intelligeret. A Paucis post diebus id demum cœpit cognoscere : cum opportunum nimirum jam tempus erat, quo fulgentissima illa lucerna, quam intra exiguas septorum monasterii illius angustias conclusam quodammodo et coarctatam Dominus continebat, magis exereretur, et undequaque rutilos fulgoris sui radios diffundendo illuminaret omnes qui in domo Dei, id est, Ecclesia, versarentur. Quam ob causam, Deo statuente ac dirigente, factum ut non in Hispaniam modo, sed Abulam quoque delatus sit R. P. Joannes Baptista Rubeus, Ravennas, Carmelitarum Ordinis Præpositus Generalis. Numquam id visum fuerat, nec deinceps etiam visum est : nam Generales Ordinis hujus in Italia, ac potissimum Romæ semper agere solent. Teresiæ, quam tum quidem latebat quidnam divina moliretur Sapientia, longe acceptius fuisset, si is Abulam non venisset. Verebatur namque, ne, quod non Ordinis superioribus, sed civitatis episcopo obedientiam addixisset, ipse B secius id interpretatus atque stomachans se ad Incarnationis denuo reverti compelleret. Non mediocriter nova hæc illam transmigratio affecisset, neque aliam sane ob causam quam quod primævæ regulæ rigorem cœptamque austeritatis, paupertatis ac coarctationis, quam tanto animi gestientis sensu hic jam servari videbat, exercitationem sibi priori in loco interdicendam prævideret.

facultatem Sanctæ impertit

42 Abulam Rubeus cum appulisset, conscientiæ sinceritate freta Teresia, cum nec in debitum præpositis honorem deliquisset, nec præter Domini ac Sanctissimæ ejus Matris gloriam quidquam hocce in opere spectasset, se minime subduxit, neve Adæ peccantis exemplo (Gen. III, 8) latebram petiit, cum neutiquam offendisset; sed eum ipsa, ut venire ad S. Josephi ne gravaretur, verbis officiosissimis invitavit. Quo cum venisset, exactam non hujus modo fundationis, sed vitæ fere universæ apud illum rationem reddidit, eo mentis sinceræ candore et genuina veritate, perinde ac si Deo, cujus ille vices gerebat, hæc reddenda ratio fuisset. Hinc ipsa causæ æquitate ac justitia nitebatur, illinc etiam æquissimus erat judex et religionis promovendæ pietatisque studiosissimus : et Deus in defendentis C corde et lingua residebat. Ea namque partes suas gratia, eloquentia rationumque momentis adeo efficacibus est tutata, ut magnopere Generalis eam consolatus, animos ad majora addiderit, fide insuper data illam inde jussu suo minime egredi cogendam. Cum videret autem vivum nascentis Ordinis sui hocce in monasterio exemplar et primigeniam sine mitigatione ulla hic regulam observari (quod nullo alio in cœnobio fieri norat) et ingenti ipsam animarum Christo asserendarum desiderio succensam, mirifice novo hoc est spectaculo recreatus, simul et ex animo hancce rem et perfici et indies provehi longius optavit. Quapropter amplissimam illi, datis ad hoc litteris, potestatem fecit plura, sicubi posset, condendi monasteria : quin etiam obedientiæ præcepto injunxit ut quam posset plurima erigeret; provinciales vero, si qui forte remoram piis machinationibus injicerent, gravissimis esse voluit pœnis obnoxios.

plura monialium,

43 Jam tum igitur Teresia videre mira illa cœpit quorum in visione nupera Dominus mentionem fecerat. Hactenus namque hoc unum tantum spectarat ut quiete sibi suo in monasterio agere liceret; et ne in mentem venerat quidem aliorum erigendorum domiciliorum facultatem a superioribus exposcere. Etsi vero non ignoraret quam res nummaria atque optimatum benevolentia ad monasteriorum constructionem essent peropportuna (quod utrumque illi deerat), cum tamen generosa esset mentis ad ardua excelsaque perficienda constantia, et ardentissimo divinæ gloriæ provehendæ animarumque salutis procurandæ studio æstuaret, maximaque in Deum fiducia niteretur, simul etiam perspecto quam propensa Generalis esset, ut plura id genus moliretur cœnobia, voluntas ac nutus; eadem jam constructa ac parata sibi videre videbatur, hæcque mira illa augurabatur fore quæ sibi alias per visum Dominus spoponderat. Ipse etiam Generalis adversus obtrectationem omni in re eam tutabatur, eique qua poterat variis in casibus gratificabatur, et quoties per negotiorum quietem licebat, ipsam familiariter convisebat, de rebus spiritus et ad Ordinis totius regimen spectantibus cum illa amice conferens : hinc tanto ferri in eam amore cœpit, ut quoties de ipsa loquendi daretur occasio, suam dicere filiam non dubitaret; donec tandem Romam revertit. D

CAP. VII. *virorum vero* E

44 Quæ visura erat magnalia, non monialium Excalceatarum dumtaxat propagationem et incrementum indicabant, sed Carmelitarum Excalceatorum etiam per ipsam fundationem initiaque Altissimus moliebatur : quod novum adeo et inusitatum in fœmina, ut ab Ecclesiæ primordiis simile vix umquam vidisse contigerit. Hoc ergo res transacta modo. Abulensium præsul Alvarus Mendozius, pro singulari suo erga omnes Deum in summa perfectione sequi satagentes studio, Carmelitanorum Præpositum Generalem, antequam inde abitum moliretur, rogarat ut sua in diœcesi quædam viris primum regulæ rigorem servare cupientibus construendi cœnobia facultatem daret. Forsitan id ipsi primum in mentem venit, vel (uti equidem censeo, et mecum aliquot summæ auctoritatis moniales, quæ per id tempus in monasterio illo vivebant) nonnisi beata Matre ante suggerente id proposuit. Quod cum et alii ab illo summopere contenderent, morem quidem piæ ipsorum postulationi P. Generalis gerere volebat; sed aliquam suo in Ordine contradictionem reperiens, tum quidem minime id concedendum censuit : non enim episcopo, sed ancillæ suæ Dominus id opus reservarat. Haud multo ergo post tempore agitare animo ipsa cœpit pernecessarium videri, cum monialium essent congregationes, etiam virorum quædam, qui idem et institutum et vitæ genus profiterentur, excitari domicilia, ut hoc pacto et ipsi suo in vigore permanerent. Hoc ipsa cum negotium Deo in oratione accurate commendasset, Generali id Præposito jam Romam abeunti per epistolam significavit, pluribus illi quæ ex hac monasteriorum Carmelitarum Excalceatorum erectione sequerentur commoda perscribens; ac nefas videri ut ob ea quæ hoc in opere prima fronte se ostenderent incommoda, adeo divinæ gloriæ promovendæ idoneum propositum intermitteretur. F

duo cœnobia erigendi.

45 Redditæ hæ Generali Valentiæ sunt litteræ : quarum ea fuit vis, quod gratiam et vim sermonis illi Dominus communicasset, ut haud difficulter, quæ efflagitabat, sit consecuta, et duorum monasteriorum excitandorum ab ipso scripto facultatem impetrarit. Universum tamen negotium provincialis, tam ejus qui modo munus obibat, quam qui eodem nuper defunctus erat, arbitrio potestatique commisit. Arduum quidem id ac difficile videbatur; at cum quod omnium censebatur gravissimum, jam ex voto confectum Teresia cerneret, statim etiam

A etiam reliqua pari conficienda facilitate sperabat. Nec fefellit eam eventus. Episcopus enim sua rem auctoritate provehere aggressus, utriusque provincialis assensum et approbationem impetravit. Auxit ea res piæ Matris gaudium, sed auxit et sollicitudinem : cum ex omnibus sui Instituti Fratribus quos quidem noverat, neminem inveniret, qui, ut ad novum hunc rigorem a mitiori transiret regula, vellet animum adjicere, nedum qui e mundanis hominibus primus sancto inauditoque operi huic principium dando viam aliis huc sterneret. Deerat et domus, et nulla ejus habendæ ratio ad manum erat : solas habebat ad hoc facultatis litteras et vehemens rei desiderium nec non infractam quamdam mentis generositatem et constantem in Deum fiduciam, qua nixa sperabat, qui unum dederat Dominus, etiam alterum haud illubenter concessurum. Quocirca maximo fervoris sensu illi supplicabat, ut, si videretur, vel unum uspiam suo excitaret arbitrio, qui operis fundamentum et initium jaceret.

Methymnam Campestrem,

46 Hæc dum animo assidue volutat, mentem illi Dominus ad nova monialibus cœnobia construenda injicit. Consultum ergo illi videbatur a Methymna Campi (oppidum id erat vicinum ac locuples) exor-
B dium operis sumere. Movit huc illam fortasse non parum quod Balthasar Alvarez, Societatis nostræ sacerdos, quo magistro tantum ipsa olim in spiritus palæstra profecerat, illa tempestate collegio Methymnensi cum potestate præesset. Quoniam autem Patribus Societatis perfamiliaris ac studiosa erat, Alvarezio quam a Generali suo acceperat facultatem perscripsit; simul obsecrans ut ab abbate Methymnensi monasterii ibidem fundandi facultatem exposcat. Nam litteris Generalis sigillo munitis instructa, nulla præter Ordinarii locorum consensum re alia opus habebat. Hisce cum litteris Julianum de Avila, Sacris in monasterio suo dicundis præpositum, de quo jam ante locuti et post etiam locuturi sumus (quod beatæ Matris ad nonnullas fundandas domos abeuntis et comes et adjutor fuerit), Methymnam destinat. Non facile facultas obtinenda videbatur, eo quod sine stabilibus monasterium hoc fundandum esset proventibus; attamen qua potuit Julianus contentione apud abbatem, juvante Alvarezio, enixus est, ut nonnulla jam veniæ impetrandæ spes affulgeret. Verum ante senatus auctoritate inquisitum est et scripto committi jussum ecquæ illo ex monasterio in civitatem
C essent commoda proventura. Julianus id cum laude sufficienterque præstitit, variorum fide dignorum testimoniis productis. Inter ecclesiasticos quidem testes præcipui collegii nostri Patres censebantur : cum enim Teresiam et nossent et diligerent, scirentque quantum Dei id gloriæ promovendæ momentum afferret, si illo in oppido id genus cœnobii construeretur, suum non gravate testimonium ferebant. Inter laicos primarios e magistratu viros in testes adduxerat nec non de primariis civibus nonnullos.

monasterium inibi fundatura,

47 Quindecim in his consumpti erant dies, cum, venia, uti optaverat, ab abbate concessa, suadente Teresia, domum e præcipuis civitatis, ut ibidem monasterii initia ponerentur, haud procul a S. Augustini cœnobio, quinquaginta et uno in singulos annos maravediorum millibus conduxit. Interea et aliam Teresia rei conficiendæ rationem inierat. Carmelitis Methymnensibus præerat ea tempestate Antonius Heredius, quem et Salmanticæ olim in studiis, et postea Abulæ Carmelitarum præpositum novi. Hunc Teresia per epistolam commonuit ut sibi Methymnæ domum coemeret. Matronam igitur is, quam noverat, hac super re convenit, et domum ab ea, nullo exacto qui fide juberet, cum de pretio inter ipsos convenisset, emit. Erat hæc commodo satis urbis loco, in via quam Sancti Jacobi dicunt, et ea ipsa est in qua modo morantur : sed potissima illius pars ruinam jam agebat, unde et habitari commode non poterat. Itaque necesse fuit ut Julianus interim alias ædes conduceret, dum illæ instaurarentur. Placuit et harum conductio et illarum coemptio B. Matri, etsi quo et locatori et venditrici satisfaceret, obolum non haberet : erat enim magnitudine animi eximia et mira in Deum fiducia. Adauxerat hanc non mediocriter perspecta jam toties paterna illius singulis in difficultatibus, in quas, dum primum erigeretur monasterium, inciderat, protectio. Hinc de pecunia ne hilum laborabat, nec illius defectu, eorum quæ conceperat, quidquam intermittendum verebatur. Quamobrem necesse erat eum qui reliqua curarat hactenus, etiam pecuniaria modo subsidia submittere; cum Matri Teresiæ etiam in viaticum necessaria deessent et ad commodato accipiendum auctoritas. Sed, quoniam cœlestem huic operi deesse largitorem, uti non defuerat hactenus, minime par erat, ecce tibi, dum Teresia secum de pecuniæ comparandæ rationibus deliberat, honestissima quædam virgo, quæ, E quod tertiusdecimus completus monialium jam esset numerus, in S. Josephi cooptari pro voto non potuerat, cognito de alio construendo cœnobio agi, in illud ipsum admitti postulat, et aliquod in illius erectionem quod habebat argentum offert.

cum sex monialibus

48 Hanc igitur Teresia voti fecit compotem, nempe primam omnium quæ hoc vitæ genus Methymnæ iniere. Nomen ei est Isabella a Jesu. Sed tam tenues illius erant facultates ut quæ emptæ erant ædes eisdem redimi non possent, conductionis dumtaxat pretio persolvendo satis futuræ. Hac Teresia pecuniola instructa itineri se non minori promptitudine dedit, multos tamen secum trahens comites quos alere oportebat, quam si ingentes secum convexisset thesauros. Duas e S. Josephi et quatuor ex Incarnationis assumptas sodales secum duxit : facultatem namque habebat eas quæ inde egredi vellent, in suam familiam transcribendi. E S. Josephi prodiere Maria a S. Joanne Baptista, Teresiæ cognata, de qua jam supra memini, et Anna ab Angelis præpositæ vicaria : ex Incarnationis autem Agnes de Tapia, quæ postea a Jesu cognomentum assumpsit et hodie Palentiæ priorissam agit; deinde Anna de Tapia, ejusdem F soror, quæ ab Incarnatione post appellata est, et per multos annos Salmantinis ac deinde Methymnensibus monialibus fuit præposita : erant ambæ Teresiæ cognatæ. Adhæc Isabella Arias, quæ, cum Vallisoletanum domicilium erigeretur, eidem a Teresia præfecta fuit, et Isabella a Cruce nunc appellatur : quarta denique Teresia Quesada. Harum postremæ duæ etiamnum pristinum quem in Incarnationis assumpserant habitum gestabant : quem priores duæ jam exuerant, quod paucis ante diebus cum Matre Teresia ad S. Josephi concessissent *a*. Moniales quæ remanebant Abulæ, de discessu ejus dolebant, quod singulari amoris sensu erga eam raperentur, et nulla non optaret Matrem abeuntem comitari.

a

aliisque comitibus

49 Ante vero quam in viam se daret, eas, uti matrem decebat amantissimam, ex parte voluit consolari, de domo et horto, quo imprimis opus habebant, ipsis prospiciens : quam in rem, cum rei nummariæ penuria laboraret, alienum novies mille regalium æs contraxit, Dominum confidens de pecunia qua ipsum dissolveretur, prospecturum. Nec spes beatam Matrem fefellit : neque enim post multum

AUCTORE RIBERA.

multum temporis intervallum, ipso haud dubie corda movente, lectæ aliquot virgines, a re nummaria optime instructæ necnon Deo famulandi studio incensæ, in Ordinem ut allegerentur, summis precibus institerunt. Quod profecto, eo præsertim tempore, permagni faciendum est; cum scilicet, Teresia jam absente, monasterium ipsius funditus interiturum et æmuli crederent et pii metuerent. Paulo antequam iter ingrederetur, in solitaria quadam domus illius cellula, in qua ad columnam vinctus Redemptor depictus conspicitur, magno ipsum pietatis sensu est obtestata ut eo in statu incolume monasterium reduci sibi sisteret in quo ipsum abiens relinqueret. Audiit vero precantem Christus, piisque ejus votis annuit. Inde ipsa singulis suarum magna cum doloris significatione valedicens, hunc solita animi magnitudine facile tegebat, ne quam iis tristitiæ occasionem daret. Comites etiam ejus insignem mentis constantiam et acre adversa patiendi studium præ se omnes ferebant, hac se duce sperantes quidlibet posse perfringere et superare. Tribus quatuorve curribus tum ipsæ tum tenuis, qua pauper qua egrediebantur domus haud ægre carebat, ac qua opus forte haberent Methymnæ, supellex vehebantur: pedibus alii multi comitabantur, atque imprimis Julianus de Avila.

Teresia *proficiscitur.*

50 Quinto post anno ab ædificato S. Josephi monasterio, biduo ante festum assumptæ in cœlum Virgini diem, anno MDLXVIII, hæc Methymnam deducta colonia est. Teresiæ namque in votis erat ut novum cœnobium ipso die Assumptionis Deiparæ, ad quam quod moliebatur monasterium et quæ ipsum fundaturæ erant virgines spectabant, habitari inciperet. Non potuit clam civibus hæc fieri digressio, neque etiam abeuntes suum supprimere abitum studebant; quod se credebant ad rem quæ jam confecta erat, abire. Ut ergo primum in vulgus ea innotuit, graviter toto passim oppido tumultuari cœptum. Erant qui Teresiam ut fatuam ridebant; alii quem res adeo temeraria habitura esset exitum, taciti secum exspectabant; qui vero ejus rebus studebant, multis ab hoc ipsam consilio verbis divertere, magnis propositis difficultatibus, satagebant. Sed generosum Teresiæ animum adeo hæc non dejecerunt ut ea ne quidem difficultatum nomine digna censeret. Nam quod alii ut periculosum et anceps habebant, id generosa virgo ita ducebat facile ut plane persuasum haberet, quæ ordiretur, prospero exitu terminanda. Ipse quoque antistes Mendozius prorsus hoc fieri non posse censebat; Teresiæ tamen id indicare noluit neu a proposito eam deterrere, ne quem illi, quam carissimam habebat, mœrorem afferret.

Iter agens, difficultates

51 Primo die Arevalum perventum est; a quo cum occidente jam sole quarta leucæ parte abessent, Alphonsus Estevan, sacerdos religiosissimus et caritatis eximiæ officiis clarus, quique pias apud fœminas commodum venientibus pararat hospitium, obviam processit, et Juliano de Avila missas ab Alphonso Alvarez, qui Methymnensem domum elocarat, litteras tradidit. His ille significarat ut non ante Abula discederent quam cum Patribus Augustinianis, in hac vicinia agentibus, negotium confectum esset. Non ferebant enim hi aliud suo adeo vicinum cœnobium erigi. Quibus cum amicus et familiaris existeret, in eos nefas putabat offendere: proinde ante se negabat ædes consignare in manus illarum velle quam boni hi Patres assensum dedissent. Idipsum et Teresiæ Estevanius privatim significavit. Non parum inopinus hic nuntius piam Matrem perculit, quæ tanto cum comitatu hanc in viam sese dederat, summisque desiderabat votis ut ipso Deiparæ assumptæ festo, quod post biduum instabat, novæ fundationis celebrarentur primordia. Verumtamen non idcirco generosa virago animum contraxit; sed, quantum in ipsa fuit, majorem concepit fiduciam, sibique firmiter persuasit, cum tam mature tartareus obluctaretur adversarius, magna inde fore ut in Deum gloria aliquando redundaret.

quæ forte orituræ nuntiantur,

52 Estevanium igitur hac de re jussit tacere, ne inopinus hic nuntius eas quas ducebat comites contristaret; ac nominatim duabus illis quæ ex Incarnationis jam recenter exierant, id clam volebat esse, Isabellæ Arias et Teresiæ Quesadæ: cæteras enim noverat sui causa quodlibet ærumnarum ac laborum genus quam libentissime subituras. Isabella Arias subpriorissa erat, cum ex Incarnationis exiret, ac gravia multorum impedimenta, quibus exitum hunc remorari conabantur, perfregerat; atque ambæ primarios quosque in civitate sanguinis necessitudine attingebant genereque illustres erant, et refragantibus consanguineis Teresiam secutæ: quare et illarum hæc potissimum causa angebatur. Ut in præparatum diversorium ventum est, audiit illuc appulisse P. M. Dominicum Bañez. Hic illam nuntius non minus erexit quam prior dejecerat: illius enim consilio quin ex voto succederet res, minime dubitabat. Ipsum illico advocavit, et quid rerum ageretur, clanculo aperuit. Spem fecit ille brevi ac facile cum Augustinianis sodalibus negotium confectum iri. At Teresiæ, quæ tantum secum comitum trahebat numerum, videbatque quantum omnis mora sibi noceret, cum jam usu nimirum comperisset, superioris fundationis difficultatibus edocta, quantæ, nisi possessio nondum conscio populo adiretur, inde excitandæ essent procellæ, Bañezii sententia minime satisfecit.

sapienti consilio prævertit.

53 Magnam noctis partem agitando examinandoque ea quæ decreverat, cum traduxisset, ecce postridie mane Antonius de Heredia, Carmelitarum superior, appulit, illam dicens domum quam ipse coemerat, utcumque commodam videri, et propylæum Sanctissimo exponendo Sacramento, additis ad cohonestandum peristromatis, peridoneum habere. Placuit hoc Matri consilium, quod minus ad hoc temporis requireretur. Visum est igitur ut Agnes a Jesu et Anna ab Incarnatione, ejusdem germana, necnon Isabella Arias et Teresia Quesada in proximo subsisterent oppido, cui Villanova de Azerale nomen est, et ubi Vincentius de Ahumada, Agnetis a Jesu et Annæ ab Incarnatione frater, curionis partes agebat. Huc eos is de quo egimus, Alphonsus Estevan deduxit. Sed quindenis hauddum hic moratæ erant diebus, cum Methymnam eas Teresia evocavit. Apud ipsam vero remansere dumtaxat Maria a S. Joanne Baptista et Anna ab Angelis: cum quibus etiam Olmedum, ubi tum antistes Abulensis agebat, statuit concedere; quod hoc in itinere illa habitaret matrona quæ ædes ad quas properabant, vendiderat. Hanc Teresia cum convenisset, impetravit ab ea litteras quibus qui in ædibus agebat œconomus et provisor confestim se subducere monialibusque eas cedere jubebatur. Huic insuper illa in mandatis dedit, ut, si opus fore videret, eos qui domi erant tapetes atque e cæruleo damasceno panno stragula Teresiæ consignaret. Quod sane consilium divinitus illi fuisse inspiratum docebunt sequentia.

ANNOTATUM.

a *Hinc satis patet duas illas priores moniales, nempe*

A *nempe Agnetem et Annam de Tapia, jam reapse Excalceatis aggregatas fuisse ante profectionem Methymnensem, ita ut proprie ad Incarnationis cœnobium non amplius pertinerent : cæteræ duæ ex eodem cœnobio S. Fundatricem comitatæ sunt pro licentia a Rubeo Generali his verbis concessa :* Permittimus ei secum ut abducat in singulum quod erigi contigerit monasterium duas moniales nostri Incarnationis cœnobii Abulensis; nimirum quæ voluerint, et non alias (*vide Commentar. prævi. n.* 398). *Quæ quidem hic notavi, ne cui forte videatur S.* Teresia, *pluribus ex Incarnationis monialibus abducendis, præcepta superioris sui prætergressa.*

Caput IV.

Fundatio cœnobii virginum Methymnensis.

Cap. VIII. *Advecta Methymnam,*

Eadem vespera Olmedum cum pervenissent, peramanter ab episcopo Abulensi exceptæ sunt; at diutius hic beata Mater noluit commorari, ne quam jam in manibus habere se putabat, occasio elaberetur. Rhedam illi, qua commodius ac decentius B cum suis monialibus veheretur, instrui jussit antistes, addiditque qui eas comitaretur, sacerdotem domesticum. Unde et eadem die, pervigilio scilicet Assumptionis B. V. M., Methymnam Campi concubia nocte advectæ sunt. Julianus de Avila paulo ante jam præcesserat, et Carmelitas S. Annæ de proximo Teresiæ adventu certiores reddiderat, et quid hac ipsa nocte exequi decrevisset. Præparaverunt hi ergo sacrum ad Mysteria celebranda apparatum et omne altaris instrumentum. Haud multo post subsecuta est cum suis Mater, utque minori res strepitu perageretur, ante ejusdem monasterii januam exscensionem fecerunt. Nec mora, ipse Heredius et duo alii religiosi necnon duo illi sacerdotes et moniales suos in humeros sumpsere quæ ad ea quæ diximus necessaria erant. Urgebat eos beata Mater, magna cæteros animositate et constantia præcedens, generosum imitata ducem ad magni momenti expeditionem cum lecta militum manu pergentem, quæ ut feliciter succedat, prius ea executioni mandata sit oportet, quam qui eamdem aggressuri sunt, ab hoste detecti.

ipsa adventus sui nocte

55 Extra urbis jam properabant muros, et eo C quidem noctis tempore quo tauri, quorum postridie Assumptionis exhibenda erant spectacula, includebantur. Itaque crebro obvios alios atque alios habebant : quod per noctis tenebras incedentes non mediocriter etiam angebat. Longe vero is angor fuisset major, si in publicos lictores incidissent : ea namque cum sarcinis de nocte itantium erat species, ac si templum aliquod expilassent. Varii occurrentium (ut fit) erant hac de re sermones, dum religiosos, sacerdotes et mulieres sera viderent nocte simul convasatis rebus raptim incedere : quisque pro eo ac sentiebat, libere loquebatur, accedente præsertim ea quam opaca ad similem verborum licentiam dare nox solet, libertate. At, quoniam de publicis apparitoribus non erant, neutiquam euntes remorabantur. Illi miro in silentio gressus ingeminare, rectaque ad designatum locum properare. Quo cum perventum jam esset, ejusdem custodem dormientem ac nihil minus opinantem excitant. Hic cum moras in surgendo traheret, illi ingeminato clamore perurgent, ingredi gestientes, dum scilicet a quoquam videri de nocte nolunt, ac metuunt ne quod longiori e mora ipsis damnum accidat. Ergo lecto se custos proripit, fores aperit; et lectis dominæ litteris, rem omnem imperatam ex ordine exequitur. Læti ergo omnes in aream admittuntur, D quam circumspiciens Teresia, videt hinc inde collapsos parietes; etsi, cum jam lucesceret, longe illorum ruina major apparebat quam per tenebras videri potuerat.

AUCTORE RIBERA.

paratam sibi domum

56 Locus in quem Venerandum Altaris Sacramentum inferendum erat, terra oppletus erat, quam egeri ante oportebat : dein adeo hic cœli patebat injuriis, tecto hianti ac rimoso, ut altari instruendo atque Eucharistiæ decenter collocandæ prorsus eum ineptum Teresia judicaret. Parietes incrustati non erant, iisque convestiendis nihil penitus ad manum erat; tres enim dumtaxat secum tapetes habebant, qui ad locum satis capacem insternendum minime sufficiebant. Quid agerent, ignorabant, quod necessaria omnia deessent. Cæterum heræ suæ peristromata domus custos, uti et stragula lecti e damasceno cæruleo, uti suis ipsa designarat litteris, Teresiæ obtulit : quod illam oblatum et sodales reliquas non mediocri complevit lætitia. Jam affigendis peristromatis deerant clavi, et his coemendis pecunia, importuna quoque ad emendum erat hora; quod ipsas magis etiam cruciabat. Cum enim noctis sub conticinium ad Car- E melitarum cœnobium Teresia appulisset, ac reliquo deinde tempore iter egisset, et cætera quæ commemoravimus, fecisset, noctes quoque per Augusti dies utcumque breves sint, facile quis colligat non multum ipsis ad auroram potuisse spatii superesse. Per omnes ædium parietes sedulo clavis conquisitis, sacerdotes ac religiosi vestibulum informe vestire tapetibus, moniales certatim terram egerere, pro se quisque festinant. Inter hæc Mater non quiescebat, sed hisce in rebus inter primos apparebat, cum huic naviter operi incumbens, tum aliis diligentia atque acri studio prælucens. Antequam vero lucesceret, provisorem *a* imprimis opus *a* videbatur præmonere, ut bona illius cum venia tabellio quispiam tabulas conficeret, hoc abbatis cum facultate et auctoritate monasterium erigi, fidem facturas, ne quis postea ulli contradicendi impediendique esset locus. Confestim ergo tabellionem adeunt, et, provisore mandante, surgere unaque cum ipsis pergere jubent. His ex voto confectis, ut primum dies eluxit, signo ea quam secum sumpserant nola dato, ad prima audienda hocce in loco Sacra populum convocant. F

mira celeritate

57 Omnes ea res vicinos admiratione complevit, necnon universos ad quorum aures ea pervenit, quod eo quod vesperam inter et auroram intervallum est, civitatem monasterio auctiorem factam cernerent. Quid ad hæc dicerent, non habebant; stupore dumtaxat perculsi, alter alterum defixi intuebantur. Extemplo tanta huc populi confluxit multitudo ut sacellum extemporaneum eam omnem non caperet, ac necesse fuerit, interim dum sacra celebrarentur Mysteria et sacrosanctum Eucharistiæ ferculum proponeretur, inde se moniales subducere. At quo se converterent, nesciebant; quod et reliqua domus male materiata, diruta prope et solo afflicta jaceret, ipsa quoque augustissimi Domini Corporis theca sub dio in platea pene consisteret. Sed hac est ratione necessitati consultum. Erant e regione altaris gradus scalares, quibus ad porticum quamdam, quæ sola reliqua in domo ruinæ supererat, ascendebatur. Hos cum monachæ subiissent, illorum januam occludunt, perque ejusdem rimulam ipsa Sacrorum spectarunt Mysteria. Hi gradus et chori et locutorii et exedræ confessionalis vicem supplebant. Porro Sanctissimo Christi Corpore huc illato, et Sacrorum solemniis peractis,

AUCTORE RIBERA.

jam reipsa loci adita erat possessio; itaque monasterium Methymnense a S. Josepho itidem denominatum (nam ab eodem quo Abulense id tutelari Teresia voluit nominari) ipsa evectæ in cœlos B. Mariæ anniversaria die XV Augusti MDLXVII fundatum est.

atque prud.-tia

58 Sane si, ut propositum modo mihi est hancce exarare historiam, ita in eadem prosequenda, facinori adeo excelso, ipsum laudibus celebraturus, inhærere vellem et id præstare pro rei dignitate possem, egregia se hic eloquentiæ exerendæ offerret occasio, et patentissimus, in quo libere exspatiarer, campus aperiretur. Modo namque eximiam ejus extollere possem prudentiam, cujus adminiculo vel unius id diei ipsa perfecit spatio quod ne pluribus quidem alii vel exercitatissimi perfecissent; modo generosam fidei ejus constantiam, quam tot subvertere obstacula nequiverunt; modo etiam animi celsitudinem, qua tam virile est opus aggressa et ad finem feliciter citius perduxit quam alius quispiam, num vel fieri posset, animo agitasset. Taceo laborem itineris, quem, ne minima corpori indulta quiete, suscipere non dubitavit : taceo quod nullodum ad seram usque noctem sumpto cibo ac jejuna iter inierit, atque ipsum etiam pedestre et properum, omnis defatigationis expers, et quidem sarcinulis toto itinere onusta mulier, jam tertium et quinquagesimum ætatis annum agens; denique male affecto et parum firmo corpore : tum quod cibi omnis et somni hic fuerit immemor, solo Dei gloriæ quæritandæ studio incensa, quodque per illam ipse exorsus erat opus, id perficere summopere desiderans : adhæc quod, etsi variis distineretur negotiis, illorum ita numquam multitudine obrueretur, ut iis velut immersa, singulis pro eo atque oportebat, vacare non posset : tum quod nullum umquam prætulerit metum; denique quod privata e domo ac semiruta trium dumtaxat horarum spatio tanta tamque frequenti in civitate monasterium, ipsis etiam civibus rei non ante consciis quam suis eam confectam oculis cernerent, construxerit.

in monasterium convertit.

59 Fertur Julius Cæsar, cum quinto postquam in Pontum pervenisset die, unico Pharnacem ejusdem regem prælio debellasset, hoc signis suis inscripsisse belli quam celerrime confecti testimonium : « Veni, vidi, vici » (Sueton. in Vita, cap. XXXV et XXXVII). Quanto id Mater Teresia a Jesu potius usurpet, quæ non quinto, sed secundo postquam Abula egressa esset die, etiam priusquam Methymnam oculis videret (nox namque impedimento erat), exiguis illis quas ductabat copiolis, non quatuor, sed trium horarum spatio, tam illustre et heroicum facinus patravit, et inclytam adeo retulit victoriam! Quam benignis ipsam e cœlo a Christo Domino oculis conspectam esse credere fas est, quamque illum merito de Teresia sua pronuntiare potuisse : « Inveni mulierem secundum » cor meum, quæ faciet omnes voluntates meas »! Hinc cum deinceps ipse illam Salomonis dubitantis interrogationem : « Mulierem fortem quis inve- » niet? » (Prov. cap. ult.) in mentem revoco, congrue mihi apteque illi respondere posse videor, in sancta hac Matre sibi Dominum id genus mulierem quæsiisse et invenisse; meritoque de illa proinde dici posse : « Procul et de ultimis finibus pretium ejus. »

CAP. IX. *Dein animi anxietate*

60 Idipsum nunc Teresiæ in monasterii Methymnensis erectione contigit quod jam olim in Abulensis. Etenim incredibile tum ipsa in animo gaudium sentiente, cum quod novum civitati accessisse jam perspiceret templum, in quo pretiosum Venerabilis Eucharistiæ pignus asservaretur, tum quod omnia ex voto, nemine prorsus sese opponente, confecta jam cerneret, cacodæmoni potestatem Altissimus in Teresiam fecit, quo sancta hæc anima omni ratione exerceretur, et nullo non in adversitatis camino probaretur : paulisper ipse igitur sese subduxit, certamen desuper contemplaturus, cujus hæc fuere præludia. Sacris Missarum jam absolutis, per fenestram Teresia in subjectam domus aream despexit, cujus aliquibus in locis muros penitus in terram prolapsos vidit, atque ita quidem prostratos ut nonnisi complurium dierum opera erigi posse viderentur. Deinde, Sanctissimum Altaris Sacramentum sub dio prope expositum esse conspicata, angi animo ac insolito secum ipsa modo contristari cœpit. Quod enim ea temporum esset ob nefariam hæreticorum licentiam iniquitas, subvereri pia Mater cœpit ne qui forte occulti inter alienigenas hæretici laterent, qui hierothecam impie surriperent, et Sacrum Angelorum Panem indignis modis tractarent. Hac spiritus tartareus in Teresiam subingressus est janua, simul et universas quas qui maxime ob illius Methymnam adventum insurgendo insanierant, objicere potuissent difficultates, menti illius objecit; quas etiam, uti solet et novit, in immensum auxit, e musca effingens elephantem : inde tetram intellectui offudit caliginem necnon universarum quas a Domino acceperat gratiarum oblivionem, atque propriam vilitatem dumtaxat imbecillitatemque ob oculos mentis objecit; imo etiam longe se minus esse ut crederet, illi persuadere conabatur : ita denique ejus mentem turbavit ut ulterius se posse progredi omnino desperaret.

et mœrore aliquamdiu torquetur;

61 Jam suas ad comites, quas Incarnationis cœnobio elicuerat, oculos convertebat, secum ipsa reputans quanta omnium sodalium et consanguineorum contradictione inde essent egressæ, ac præsertim duæ illarum; quam vero turpe foret easdem remittere. Ad hæc, gravi hoc ipsum sub initium a se errore admisso, ulterius sibi aliis in fundationibus progrediendi nullam rationem suppeditaturam. Ex quo fieret ut quidquid hactenus e Domino revelante se audivisse crederet, præstigiarum et illusionis diabolicæ loco habendum esse videretur : inde vero consequi se etiam hactenus fœdo in errore quoad vitæ rationem versatam. Incredibilem hæc cogitatio dolorem animo illius pariebat, simul et metum : quo metuebat videlicet ne non hac forte vice solum illi diabolus illusisset, sed etiam hactenus in reliqua vitæ serie sibi ab eodem esset veteratore impositum. Et sane non possum (et mecum omnes, quotquot hæc legunt) non magnopere mirari, animam Deo adeo caram, quæque tot tamque evidentibus jam dudum testimoniis secura esse poterat non esse ut vel minimum timeret, tanta formidine percelli. Quam porro id novum et insolens, tam spissas ibi modo videre tenebras ubi tanta semper ante fulserat lux, et ipsam quæ paulo ante tam intrepida nitebat, in tantum modo dejici atque animo frangi! At qui incrementa decrementaque gratiarum, quæ in Sanctorum contingere animis nonnumquam solent, cognoverit, insignemque Dei notarit providentiam, qui hac in illis vicissitudine alternatim ludere vult, partim ut clarius perspiciant quasnam præsente et auxiliante Deo vires possideant, quam vero sibi relicti sint imbecilles et languidi, partim vero ut hinc ejus a quo robur accipiunt, magnitudinem potentiamque, et illinc vilitatem suam melius agnoscant, hacque cognitione prælucente, ad alia majora charismata et favores, quibus eos cumulare decrevit, accipienda disponantur, hanc mirari varietatem ac vicissitudinem desinet. Quis crederet eumdem esse

esse Paulum qui dicebat : « Certus sum, quia » neque mors, neque vita, neque Angeli, neque » principatus, neque virtutes, neque instantia, » neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, » neque profundum, neque creatura alia poterit » nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo » Jesu Domino nostro » (Rom. VIII, 38, 39), et qui alio loco de se scribit : « Non volumus vos igno- » rare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta » est in Asia : quoniam supra modum gravati » sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam » vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mor- » tis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, » sed in Deo, qui suscitat mortuos » (2 Cor. I, 8, 9)? Unus et idem utrumque scribit Paulus : sed priora scribit Deum præsentem habens, posteriora vero quasi sibi relictus.

timeique ne surripiatur SS. Eucharistia.

62 Hæc igitur Teresia animo tum quidem volvebat; quamquam cuncta dissimulabat interea apud suas, et dolorem corde premebat, ne nova hac desolatione ipsas opprimeret. Hæc angustia ad pomeridianum usque tempus tenuit, quoad quidam a Balthasare Alvarez submissus Pater eam inviseret, qui mentem prostratam verbis erexit et mœrentem
B est animum consolatus. Ab hoc sibi de laxioribus ædibus prospici petiit, in quibus commodius habitarent, quod in his quas modo incolerent, in publico quodammodo diversarentur; de illarum pretio nihildum esset sollicitus. Magna sunt cura ac studio hujusmodi ædes tota civitate conquisitæ; sed frustra : cum enim Methymna tum habitatoribus esset frequens et mercatoribus abundaret opulentis, nullæ vel maximo pretio redimibiles fuere. Hæc dum fiunt, Teresia interdiu ingentibus curis atque anxia sollicitudine emoriebatur, noctu vero etiam majore : singulis quippe noctibus custodes adhiberi oportebat, qui hierothecam asservarent, ut feria sexta majoris hebdomadæ in Ecclesia fieri consuevit. A se ipsa tamen impetrare ne tum quidem potuit ut non vigilaret : verita enim ne, excubitoribus forte dormitantibus, pretiosum hoc sibi pignus auferretur, identidem de nocte surgebat, ut per fenestram dispiceret num vigilarent, in quo fulgens per eos dies luna illi ancillabatur.

Tandem vero res monasterii,

63 Octo jam transierant dies, cum Blasius de Medina, mercator probus et honestus, qui haud procul ab æde principe satis amplam domum habebat, in duas eam partes habitationi commodas
C distinxit; in quarum ipse unam cum universa re familiari transiit, superiorem vero illius partem, una cum atrio vicino deaurato et amplo satis, quod templi vicem interim suppleret, donec eæ quas coemerant ædes munirentur, monialibus cessit. Tum demum Teresiæ reddita pristina mentis serenitas; quod in hac ad quam transierant domo majori agerent in solitudine et claustro, et jam sacras canere Horas quiete inciperent. In eodem S. Jacobi vico, in quo domus quæ instaurabatur, sita erat, honesta quædam et locuples commorabatur vidua, divinis obsequiis addictissima, et eximiæ in egenos caritatis officiis spectabilis : Helenæ de Quiroga
b erat ei nomen *b*; quæ, audito quantum divinam Teresia gloriam promovere satageret, ipsam adiit, utque quamprimum sacellum aliquod Venerabili Eucharistiæ decenter asservandæ excitaretur, pecuniarium se subsidium allaturam spopondit, necnon in munimentum ac fabricam domus in qua moniales suis officiis quietius vacarent. Hoc comparato subsidio, admovere manum operi aggressa est Teresia; quod accurata diligentia et eximia caritate Antonius Heredius Carmelitarum prior mirum in modum provexit, dum nimirum assidue operas urget et maturarent hortatur. Ex quo factum est ut bimestri ita instaurata sint omnia ut
D eodem redire monialibus licuerit. AUCTORE RIBERA.

Deo juvante,

64 Non deerant alii qui vitæ necessarias opportunitates insigni pietate summitterent; sed cæteris Helena frequentius et copiosius. Nihil porro hac illi in Dei servas liberalitate deperiit, quin hanc longe copiosiori fœnore illi Deus rependit : primo namque de filiabus illius unam, Hieronymam ab Incarnatione, eamdem in familiam cooptavit, in qua et multis olim et nunc etiam non paucioribus illam cumulat gratiis. Deinde vero ipsammet Helenam, jam ab omni liberorum ac rei familiaris cura omnino expeditam, in eamdem, in quam olim filiam, domum transcripsit; in qua non vulgarem sane et sibi ipsa bonorum collegit messem, et omnibus quotquot eam novimus et cum ipsa tractavimus, eximiæ religionis exempla præbet : quæ hoc ipso quo hæc commentamur tempore Toletano domicilio præposita est, in quod una cum filia destinata est. Hæc, sacra jam assumpta veste, Helena a Jesu vocatur. Ubi ad hoc domicilium rediere, ita jam ipsum restauratum erat ut commode satis ad annos aliquot in eodem sint commoratæ. Deus autem non
E hæc nutu suo modo provexit principia, sed argentum quoque postea, quo venditrici satis tandem fieret, submisit. Unde factum ut post in meliorem longe formam et commodiorem transierit, et aliquot aureorum millibus illius impensa steterit. Porro Teresia, etsi pecunia nulla suppetebat, non idcirco a necessariis comparandis desistebat : nam simul ac aliquid perfectum esset, excitabat illico quosdam Deus, qui sumptum præstarent; ut evidens nimirum fieret opus hoc a divina dextra proficisci, quantaque illorum esse debeat fiducia qui Dei ejusque Sanctissimæ Matris cultui gloriæque amplificandæ sese totos et serio devoverunt.

prospere componuntur.

65 Quocirca novos semper, nihil diffidens, in hunc Domini hortum beata Mater surculos inserebat, eas omnes quæ hisce convenire initiis videbantur et quas Dominus huc evocarat, haud gravate adscribendo : in quas tam singularia interdum cœlitus ipse effundebat gratiarum dona, ut, iis visis, non mediocriter Dei ancilla obstupesceret. Huc porro ipsas imprimis invitabant primarum illarum virginum exempla : unde fiebat ut non minus hæ quam illæ ad Abulensium sese institutum ac normam componerent, et permagni omnes a civibus
F vulgo fierent *c*. Nec vero hic ærumnarum et laborum B. Matris fuit finis : nam et ipsa et quas Abula advexerat comites dierum aliquot invaletudine prostratæ decubuerunt. Quoniam autem in hujus fundationis historia enarranda jam versor, ejus mihi rei in mentem hic venit, quam legisse alias memini, ipsius B. Matris exaratam manu, uti ex iis quæ dicta sunt hactenus, æquus lector videat quam ipsa fuerit a Domino benedicta. Quodam tempore, cum in Malagonensi monasterio sacram adiisset Synaxeos mensam, Redemptorem Jesum præsentem vidit, sibi tum inter alia mandantem ut cœnobiorum suorum fundationes scripto consignaret. Hic cum ipsa mente volveret quare in erectione domus Methymnensis sibi nihil penitus (quod in aliis facere solebat) Deus aperuisset, confestim ab illo audivit : « Quid amplius declarari tibi vis, cum illa » Methymnensis fundatio non sine prodigio perfe- » cta sit? »

c

ANNOTATA.

a Provisor *ab Hispanis appellari solet quem usitatiori nomine* vicarium generalem *dicimus*.

b *De*

AUCTORE RIBERA.

b *De Helena de Quiroga, cognata Gasparis Cardinalis de Quiroga et vidua Didaci de Villarroel, agitur in Comm. prævio, num.* 562 *et* 933.

c *Cfr. Chronicon Carm. Exc.* (*lib.* II, *cap.* VI, VII *et* VIII), *ubi lectu dignam invenies epistolam a R. P. Rubeo Generali datam anno* 1569 *ad moniales Methymnenses, cum multa ipsarum et S.* Teresiæ *laude.*

Caput V.

Fundationes Malagonensis et Vallisoletana.

Cap. x. *Ad inchoandum virorum cœnobium*

Dum Teresiæ res Deus promovebat, ipsa in Dei vicissim negotiis perurgendis sedulo laborare non cessabat : quanquam nec prima illa ipsa pro suis habebat, nec eum quem illis impendebat laborem impendisset, nisi ea ad Dei gloriam referri comperisset. Igitur cum jam omnia quæ in Methymnensi excitanda domo occurrerant incommoda superasset, et nulla jam amplius restarent subeunda, neu arduum aliquod se offerret opus in quod se pro B divina gloria totam impenderet, generosus illius quiescere non poterat animus, sibique insigne aliquod opus avebat dari in quod nervos omnes posset intendere. Visum illi est non parum in Dei cessurum gloriam, si Excalceati etiam exsurgerent monachi, qui eamdem quam monachæ vitæ rationem inirent; cumque (uti demonstravimus) neminem haberet quem ad hoc primum Institutum perduceret, Antonio Heredio clam sui animi sensa aperire constituit, exploratura quidnam hic sibi consuleret. Teresiæ mentem ut Heredius perspexit, perfundi cœpit gaudio; et, Deo adspirante, hoc sibi perplacere, ac primum qui Institutum hoc auspicaretur, fore se respondit.

S. Teresiæ *se offerunt P. Antonius de Heredia*

67 Hæc quidem B. Mater verba parvipendit : quamquam enim eum et virum bonum et religione, studio ac solitudine monastica singularem fuisse hactenus non ignorabat, delicatioris illi tamen naturæ, nec ad austeritates factus, et qui subeundus erat quemque ipsa servari imprimis cupiebat, rigori severitatique vitæ continenter ferendæ impar videbatur. Atque ut animo id sentiebat, sic et illi coram aperire minime dubitabat. Cui ille jam dudum se, Deo suggerente, ad vitam asperiorem aspirasse, et C idcirco Carthusiensium Institutum amplecti in animo habuisse. Placuere Teresiæ rationes quas afferebat; penitus tamen huc ipsa non propendit, et nihildum publice illum auspicari volebat, nisi privatim sui ante fecisset periculum. Permagni quippe interesse videbat ædificii hujus spiritualis solidum ac stabile fundamentum locari. Suasit ergo ut rei hujus tantisper consilium suspenderet, dum privatos intra parietes assuesceret agere quæ post voto obstrictum continenter eum servare oportebat. Fuit illud huic Dei famulo velut tirocinium; cujus probatio et legitima fuit et integra, quia annua. Interim vero dum se ipse domi probaret, illius etiam facere Deus periculum exactius voluit, ut qui tanti erat operis futurus principium et fundamentum. Multis namque illum verberari permisit calumniis, frequentibus exagitari laboribus et persecutionibus : e quibus omnibus adeo viriliter emersit, tantaque inde cumulatus est in animo fruge, ut melius optari non posset ad futuram professionem tirocinium; quod B. Matri longe gratissimum accidit.

et S. Joannes a Cruce.

68 Per idem tempus Deus alium ejusdem Instituti religiosum, Joannem a Cruce, adolescentem Salmanticæ tum litteris operam dantem, eodem D perduxit. De cujus probitate socius ejus luculentum reddidit apud B. Matrem testimonium. Hunc ipsamet convenit, exploratura num huic Instituto idoneus videretur. Placuit ita B. Matri ut jam tum hunc illi quod moliebatur monasterio insitum optaret. Quod cum et Deo videretur, commoda rei hujus perficiendæ sese dedit occasio. Cum enim sermones varios inter se miscerent, et Joannes de Carthusiensi Instituto assumendo se jam constituisse diceret, illico Teresia, quid animo agitaret, declarans, rogat non ante ad novum illud Institutum amplectendum animum adjiceret quam aliquod ipsa monasterium constituisset; et hoc ipsum illi longe futurum utilius : si enim ad majorem perfectionem aspiraret, in majorem Dei gloriam ac multo fore certius, si in prima, ad quam a Deo vocatus erat, sese Religione perficeret, quam in alia quapiam. Fidem adolescens dedit, modo diutius æquo illius monasterii erectio non differretur. Recreabant læta hæc piam Matrem initia, quod duos jam vivos reperisset lapides in domus quam dilectissimo Sponso suo construere decreverat, fundamento collocandos; etsi Antonius satis usquequaque illi non faceret : quocirca non omnino displicuit rem trahi E ac differri; præsertim cum deesset locus ad instituendum idoneus.

S. Fundatrix

69 Eodem quoque tempore, quatuor nempe aut quinque ante mensibus quam ad Malagonense fundandum monasterium (de quo proxime loquemur) abiret, ad illam adolescens genere nobilis, Deo ducente, accessit, etsi quod inde sibi esset bonum secuturum ipse tum ignoraret. Beatæ Matri hic, si modo Vallisoleti erigere monasterium vellet, domum quam ibi habebat, una cum horto satis amplo et commodo, qui late patentem complecteretur vineam, obtulit. Nec ficta aut inanis hæc fuit oblatio, etsi domus ingentis esset pretii. Voluit autem quamprimum illius possessionem adiri : permagni quippe illius intererat rem urgeri, etsi id tum quidem ipse nesciret. Adolescenti huic nomen erat Bernardinus de Mendoza, comitis de Ribadavia filius, et Alvari Mendozii episcopi Abulensis ac Mariæ Mendoziæ frater *a*. Hic cum Abulæ apud *a* germanum antistitem ageret, sæpe cum monialibus Excalceatis egerat, et consiliis quæ ab iis acceperat, permultum profecerat. Erat is peculiari in Teresiam ejusque moniales affectu, illarumque sacrario sacerdotalem apparatum e serico villoso nec non F pluviale et antependium altaris est elargitus. Hoc ex amore natum illi domus hujus ipsis donandæ desiderium. Hæc a flumine Ulmorum dicebatur, et in ea olim commendator major Cobos animum a curis gravioribus relaxare solebat. His de rebus Abulæ, etiam antequam Methymnensis domus excitaretur, agi cœptum : hinc apud beatam Matrem, cum per Olmedum illam fundatura proficisceretur, tam Bernardinus ipse quam comes de Ribadavia instabant ut ad Vallisoletanam prius fundandam animum adjiceret.

Complutum sese confert.

70 Methymnensibus rebus constitutis, Maria Mendozia, Ubedam cum fratre Bernardino concessura, Teresiam etiam atque etiam rogavit, secum Complutum usque venire ne gravaretur; quo alioquin etiam ipsa Mater, rei quam post narrabimus, conficiendæ causa, properare intenderat. Hoc in itinere hanc suam Bernardinus, signatis ea de re tabulis, donationem ratam esse jussit. Teresia, illis digressis, Compluti substitit. Etsi vero locum construendo cœnobio parum idoneum esse cerneret, quod quarta circiter leucæ parte urbe distaret, perspecta tamen donantis pietate ac sinceritate voluntatis,

luntatis, tum vero quod, suburbani loci illius possessione semel adita, facile inde in civitatem se commigraturam præsagiret, oblatum admisit, eo sese conferendi ac monasterii in urbe adeo frequenti, quæque inde non mediocre commodum caperet, fundandi animo : etsi, ut paulo post videbimus, non id ea qua sperabatur celeritate confici potuerit. Causa itineris Complutensis B. Matri fuit hæc. Rogarat illam summis precibus Eleonora Mascarenas, nobilissima juxta ac religiosissima fœmina, ut Excalceatas Complutenses propriam sui Ordinis formulam edoceret, et quæ corrigenda censeret, suo ea judicio arbitrioque tolleret : idipsum quoque petierat quam ardentissime Mater Maria a Jesu, quam jam olim, ut primo diximus libro, hoc ut monasterium construeret, Deipara Mater per visum admonuit *b*. Bimestri eoque amplius Compluti hæsit; unde, confectis rebus, et nonnullis quæ necessaria ad directionem ejus videbantur, institutis, Toletum atque inde Malagonem concessit.

b

CAP. XI. *Dein Malagone*

71 Qui felicem secundumque rerum suarum habere voluerit eyentum, Altissimo easdem concredat, hujus vero ipse vicissim negotia quam potest diligentissime promoveat : divina namque illius Majestas omnipotentem manum suam admovebit, ac longe quam quis sperare forsan ausit, plura præstabit. Teresiæ ita contigisse jam videbimus : cum enim majori Dei gloriæ quærendæ omni studio incumberet, Deus monasteriorum fundationes illi quodammodo ultro obtrudebat. Jam pauci ab oblato domicilio Vallisoletano elapsi erant menses, cum Malagonem ut abiret novum monasterium excitatura, rogata est, oblatis omnibus ad hanc fundationem necessariis. Hunc illi nuntium misit Aloisia de la Cerda, ducis Methymnæ Celi soror, cujus in ædibus Toleti multos hæsisse B. Matrem dies jam supra quintodecimo libri superioris capite commemoravimus. Hæc namque, pro singulari sua pietate, cum audisset Teresiæ alia fundandi monasteria factam esse copiam, illamque usu familiari jam nosset et mirifice erga eam afficeretur, summis precibus urgere aggressa est ut ad se Malagonem excurreret, cœnobium ædificatura. Etsi vero piis hujus matronæ desideriis facere satis Teresia percuperet, distulit tamen ac fundationem admittere detrectavit. Prævidebat enim, cum exiguum id esset oppidulum, necessario annuis domicilium stabiliendum proventibus, quo vitæ necessaria subsidia compararentur; a quibus ipsa tamen maximopere abhorrebat.

sumptibus Aloisiæ de la Cerda

72 Hac de re cum viris eruditis, uti solebat, si quando difficultas se aliqua offerebat, communicabat, ac nominatim cum Dominico Bañezio, qui beatæ Matri tum a Confessionibus erat. Visum illis hanc intermitti fundationem sine piaculo non posse : ac, cum Sacri Concilii Tridentini auctoritate monasteriis stabiles census concedantur, nefas videri hanc ob causam illius erectionem cœnobii omittere, in quo de Dei honore tam insigniter promovendo ageretur. Teresia igitur, quæ e virorum eruditorum semper consilio pendebat, suum vero nusquam sequebatur, ipsum, etsi perinvita, quod id Aloisia efflictim flagitaret, admisit. Huic Aloisia quæ ad vitam necessaria erant quam abundantissime singulos in annos attribuit. In eam namque semper beata Mater sententiam propendit, ut vel nullis monasteria sua censibus dotanda censeret, vel, si admittendi forte essent, ii sufficerent, ne a quoquam vitæ necessaria emendicare moniales cogerentur. Fundationis tabulis confectis, nonnullas Abula evocavit moniales, quæ Malagonensis cœnobii initia ponerent; ac domus Methymnensis præfectura Agneti a Jesu commissa, ejusque vicaria constituta Anna ab Incarnatione, quas ex Incarnationis egressas cœnobio et cum beata Matre Methymnam ad domus primordia constituenda advectas diximus, Annam ab Angelis, Mariam a S. Sacramento (quæ deinde morbis et senio gravis, insignis patientiæ et religionis editis documentis, Albæ decessit) necnon Mariam Magdalenam, Isabellam a Jesu et Isabellam a S. Josepho Malagonem secum duxit : quarum ultimæ quatuor in monasterio Incarnationis aliquando vixerant.

AUCTORE RIBERA.

monasterium virginum

73 Sub media verni temporis jejunia anno MDLXVIII Toletum, ubi eam Aloisia præstolabatur, pertransiit, Malagonem petens. Hujus in familia cum versaretur, præ ea qua erat animi demissione, acceptas a Deo gratias supprimere, quoad ejus fieri poterat, satagebat; sed easdem, quod in suam illæ gloriam tenderent, Deus in lucem voluit proferre. Bis namque, aliis adstantibus et inspectantibus, mentis passa est excessum, quem ne celare quidem potuit. Ut discedendi Toleto commodum fuit tempus, una cum illis Aloisia Malagonem petiit. Quo cum perventum esset, octiduo eoque amplius cum ipsa in secreto castelli ejus loco moniales egere, quod nondum esset designata domus habitationis religiosæ usibus, prout oportebat, parata. Dominica Palmarum proxima suam primum domum adiere. Universum in supplicantium specie oppidum ad arcem Aloisiæ cum effusum accurrisset, hoc præeunte, illæ palliis suis albis indutæ et velis faciem opertæ templum petiere : unde, sacris Missarum solemniis ac divini verbi prædicatione audita, ad suum, Sanctissimo Altaris Sacramento et quæ paulo ante ad templum usque eas deduxerat supplicatione prægrediente, cœnobium perductæ sunt, et insigni cum pompa ac totius populi pietate sacrum Eucharistiæ pignus huc illatum. Hunc autem in populo pietatis sensum excitarat pium religiosarum hoc ritu possessionem suam adeuntium schema. Hoc igitur modo tertium est monasterium, S. Josepho item dedicatum (quod in hunc Sanctum Teresia peculiari ferretur affectu), constitutum. Quod autem domus hæc haud procul a foro abesset, hinc postea visum est, cum melius paterent incommoda, eamdem commutare : strepitus namque popularis aliæque difficultates monialium quietem interturbabant. Quare de alia haud procul ab castello excitanda domo placuit cum Aloisia agere. A quo consilio cum nec illa abhorruisset, aliam eo quo beata Mater designarat loco excitare, insignis munificentiæ exemplo, non dubitavit : in qua quod conditum est templum et cœnobium monialium usibus optime conveniunt; et hæc ipsa est quam etiam modo incolunt.

constituit;

74 Sed nefas fuerit silentio hic præterire quod in secundæ domus hujus fabrica, cum prope ei fastigium esset impositum, contigit. Nempe cum Teresia sub vesperam advenisset, jamjam huc cum monialibus transmigratura, negarunt operæ ante semestre id perfectum opus atque habitationi commodum fore. Hæc in S. Catharinæ Virginis ac Martyris pervigilio ab illis dicta sunt. Malagonem porro Teresia cum pergeret, tristes et peracerbas experta erat noctes et iter durum : unde tam affecto exhaustoque huc pervenerat corpore ut nullum sibi esse censeret membrum quod non gravem illi dolorem incuteret, ut lecto surgere præ virium imbecillitate haud posset. Illa nihilominus, ubi primum illuxit, strato se corripit, et domum visens, comperit vera sibi operas dixisse : quibus tamen edixit decretum sibi esse in festo immaculatæ

AUCTORE RIBERA.

Conceptionis Deiparæ, quod in tertiumdecimum post diem incidebat, huc transire. His auditis, operæ non parum obstupuere, remque fieri plane non posse judicabant : nec vero minus mirata est socia quam adduxerat, diligentiam atque in opere perurgendo sedulitatem, cum superiori eam nocte ægram adeo et confectam vidisset. Denique, re prout constituerat perfecta, illo quem designarat B. Virginis festo die moniales, solemni totius oppidi vicinorumque pagorum concursu, ac præeunte supplicatione, in qua Sanctissimum Domini Corpus moniales stipabant, in novas suas transmigrarunt ædes. Quotidie vero, quamdiu structura duravit, summo mane operas adibat, easque, ut ipsum urgerent, identidem cohortabatur, simul etiam quæ facienda erant præscribens : ipsa quoque sordes prima ante alios everrere ac rudera, ipsasque sporta die toto sedula exportare, ut quotidie ad undecimam noctis horam sacrum Officii pensum persolveret. Omnibus porro jam peractis, ipsa Conceptionem Dei Matris præcedente nocte, eadem quæ illam, cum primum huc appulit, tenebat infirmitas, denuo membra corripuit, ut omnium prope illorum usu privata dolores pateretur gravissimos, nec ullum toto in corpore expers doloris esset membrum; unde videbat non aliter se, Domino miserante, a morbo solutam fuisse quam ut operi huic promotrix invigilaret : quo demum ad fastigium perducto, morbus postliminio rediit, et diebus aliquot eam lecto affixit.

ubi paupertatem rite servandam curat

75 Ut primum haberi cœpta domus est, dedit beata Mater operam, ut, quam tantopere diligebat, paupertas ne minimum quidem infringeretur, etsi vectigal ei cœnobio annuum esset contributum, cum id illa incommodum evitare minime potuisset. Quare, quantum in ipsa fuit, curavit ne quid singulare monialium aliqua privatim possideret, sed ut quas decrevisset Constitutiones integre, uti in aliis domibus paupertatem colentibus fieri solebat, servarentur. Quoniam vero illi usquequaque non placebat exactam hac in domo ad exemplum aliarum paupertatem non coli (quamquam suum hac in re doctiorum judicio posthabuit), consolari ancillam suam Dominus, antequam inde recederet, est dignatus, nec non planum facere quam sit laudabile atque utile proprio nos alienum judicium præferre, cum præsertim in illorum opinionem concedimus quorum dictis merito credere nos oportet. Quadam die, cum ab Eucharistica surrexisset mensa et orationi ferventer instaret, ex hac domo insignem sibi proventuram gloriam Dominus illi aperuit. Quod haud multis post annis reipsa videri licuit, uti illius testimonium propria exaratum in charta manu fidem faciet.

et cœlica visione recreatur.

76 Ait igitur : « Postridie diei cinerum, cum in » S. Josephi Malagone vivificum Eucharistiæ Panem » sumpsissem, imaginaria in visione se mihi spe- » ctandum Dominus, uti consuevit, exhibuit : quem » cum intuerer, spinei serti loco aliam mirifici » splendoris in capite illius vidi radiare coronam, » a qua totum etiam ambiebatur, idque, ut mihi » quidem apparebat, in ipso plagarum quas spinæ » infixerant loco. Atque, ut erga hoc mysterium » semper mire affecta fui, permagnam inde vo- » luptatem hausi, ac mecum ipsa cœpi perpendere » quantum hæc ipsi corona tormentum attulisset, » cum id genus plagas illi inflixisset; cumque hoc » me majorem in modum affligeret, tum Dominus : » Non est, inquit, ut hasce ob plagas mei commi- » seratione tangaris, sed ob innumeras illas quæ » hodierna die mihi infliguntur. Petii igitur ec- » quonam modo rei huic mederi possim, et ad » omnia idcirco subeunda me paratissimam esse » declaravi. Negavit ipse jam quiescendi tempus » esse, sed ut in domibus condendis pergerem, est » adhortatus, cum animabus in iisdem degentium » se pacem habiturum ac quietem spondens. Sua- » sit insuper ut quotquot mihi offerrentur, illas » admitterem : permultas namque animas, quod » quo sese recipiant non habeant, ideo minus ob- » sequio se divino dedicare. Addidit ut quas exiguis » in oppidulis erigerem, ad hujus eæ exemplum » erigerentur, non minus in his quam in aliis » moniales asserens posse proficere, modo eadem » quæ in aliis observantur, servare non renuant. » Simul etiam monuit pro viribus contenderem ut » unius superioris auctoritate omnes regerentur, » quin etiam operam darem ne ob nimiam corpori » necessariorum curam interna animæ pax turba- » retur ac periclitaretur. Denique procuraturum » se ne quid nobis umquam deesset, spopondit. » Bimestri circiter Malagonensi in cœnobio B. Mater est morata; cui cum Annam ab Angelis præfecisset, inde demum abiit, quod nullam ei mens quietem, ob eam quam proxime narrabimus rationem, concederet.

CAP. XII. *Bernardini Mendozii animam*

77 Jam duo propemodum effluxerant menses, ex quo Bernardinus de Mendoza suam beatæ Matri obtulit domum et scripto donationem consignavit, ut Vallisoleti monasterium construeret, cum repente acri symptomate opprimitur, et adeo quidem præcipiti, ut omni linguæ privatus usu, ne expiare quidem vitæ maculas Confessione potuerit, etsi interni ob offensum Numen doloris plurima daret argumenta. Igitur celeriter admodum e vita abripitur, Teresia procul inde agente : mors namque illum Ubedæ oppressit, dum hæc Compluti versaretur; quo demum loco tristem de illius excessu nuntium accepit. Quo cum non mediocriter angeretur, metuens ne tartareis forsitan anima hæc suppliciis excruciaretur, ideoque pro viribus eam Deo commendaret, per visum illi Dominus indicavit in summo quidem discrimine salutem Bernardini versatam *c*, at se ejus misertum, quod clementissimæ Matri suæ, hanc illi offerendo domum, e qua Ordinis illi dedicati sodalibus monasterium pararetur, gratissimum obsequium præstitisset; atque hunc non ante purgatorio liberandum igne quam prima in eodem Deo offerretur ad altare Hostia. His auditis, Teresia, ut incredibili caritate æstuabat, quiescere nequaquam poterat; quod præsentes sibi continenter graves haberet cruciatus quibus anima illa torqueretur.

c

e purgatorii pœnis

78 Omne itaque illi tempus nimis quam longum videbatur, quo urgentibus negotiis impediebatur quominus Vallisoletum quantocius evolaret, et quoquo modo poterat, suum conderet monasterium. Atque hoc in causa fuit cur Malagone diutius non hæserit, nec Toletum, uti quidem optabat, contenderit. Non tam cito tamen ac quidem volebat, Vallisoletum se potuit conferre, quod Abulense eam domicilium suæ curæ concreditum invisere necessario oporteret. Ergo ad dies aliquot Abulæ substitit, uti et Methymnæ, quo deinde concessit. Ut vero planum fiat quanta Dominum animarum purgatorio detentarum capiat miseratio, quamque sit illi acceptum omne quod in ipsarum solutionem impenditur officium, ipse quodam tempore, cum beata Mater ad ingruentes difficultates expediendas moras hinc inde necteret, illam inter orandum commonefecit ut abitum maturaret, quod acerrimis anima hæc tormentis cruciaretur. Miserat ante id tempus Julianum de Avila Vallisoletum Mater, quo abbatis ad hoc fundandum cœnobium facultatem impetraret.

A impetraret. Hoc in itinere Julianus Olmedum contendit, ut hac de re Alvarum Mendozium Abulensem episcopum ibi tum agentem conveniret, et illius auctoritate eam citius obtineret. Antistes hoc in negotio, uti et in aliis quæ B. Matri occurrebant, quantum potuit studii atque operæ præstitit, unaque cum Juliano Joannem Carrillium, qui sibi tum a secretis erat, et modo ecclesiæ Abulensis thesaurarius est *d*, misit. Etsi vero impetrari facultas non nisi ægerrime potuit, quod reditu annuo monasterium id carere deberet, et domus e qua tum quidem constituendum erat, urbe procul distaret, Teresia tamen, cum Domino Jesu excitante, tum sua ipsa sponte non mediocriter incitata, prout potuit, itineri se non multo post dedit, etsi ad ipsum parum instructa, et IV idus Augusti an. MDLXVIII, B. Martyri Laurentio sacra die, Vallisoletum est ingressa.

d

fundando Vallisoleti monasterio

79 Ad constituenda cœnobii primordia delecta est a B. Matre Isabella Arias, quam aliis tum præposuit, et Antonia a S. Spiritu, quam Malagone secum eduxerat, et Maria a Cruce, quæ de quatuor primarum fuerat numero. Ex Incarnationis vero subsecutæ sunt Juliana a S. Magdalena et Maria a
B Visitatione; ad quas quinto post mense accessit Maria a S. Joanne Baptista, quam Maria Mendozia singillatim expetierat. Ut primum Teresia domum inspexit, magnopere dolere cœpit : etsi enim amœna et animis relaxandis accommoda foret, quod peregregium annexum haberet hortum, tamen facile perspiciebat non sine ingentibus ibi suas posse commorari sumptibus, et, quod propter flumen sita erat, insalubrem haud dubie fore. Sed nullum ea de re Teresia verbum apud suas, ne eas forte contristaret; Deoque nixa sperabat hunc, cum eo se evocasset, de loco etiam ubi commode agerent, prospecturum. Inter hæc ipsa fabros clanculo evocat, murosque jubet resarciri, ut, solitudini parata domo, externorum accessus aspectusque arceretur. Nec interea Juliani de Avila in facultate obtinenda cessabat industria; quæ antequam concederetur, Dominica jam dies aderat.

liberat.

80 Verum cum jam provisor eam ad Sacrum eo quem ad hoc pararant loco offerendum concessisset, Julianus, haud cunctandum ratus, Sacrorum primitias ibidem Deo obtulit. Qui cum Sacrosancti Teresiam Sacramenti participem facturus accederet, in admirabilem, prout ante vel post Dominici Corporis
C sumptionem illi solemne erat, mentis excessum eam vidit abreptam. Hujus causa fuit apparens ante divinam Synaxin Bernardinus Mendozius, domus hortique quem incolebant olim dominus, ore decoro vultuque hilari ac splendido; qui complicatis manibus immensas illi agebat ob acceptum per ejus operam liberationis e purgatorii cruciatibus beneficium gratias : quo facto, in Superorum lætus evolavit tabernacula. Mirifice hocce Teresiam visum recreavit; idque eo magis quod dicta sibi a Domino nonnisi perfecto plane cœnobio adimplenda crederet, ac tum demum, primis celebratis Sacrorum solemniis, Bernardinum pœnis purgantibus solvendum. Jam assumptæ in cœlos Virginis festa dies aderat, cum, facultatis impetrato diplomate, domus eo ritu adita est possessio quo nuper Methymnensis, eique a Conceptione B. Virginis de monte Carmelo visum est nomen imponere. Ad dies aliquot in eadem moniales diversatæ sunt : quam etsi haud multo post deseruerint, ad aliam commigraturæ, reticulatos tamen Teresiam inibi cancellos atque versatilem orbem parari jussit, quo perfectam claustri formam locus referret, perinde ac si longior ibidem futura esset commoratio.

81 Idem sub tempus omnes sodales ex loci intemperie morbus prostravit. Quo perspecto, Maria Mendozia, non genere minus ac facultatibus quam præstanti pietate et in egenos liberalitate conspicua fœmina, magni commendatoris Cobos uxor et marchionis Camaraseni mater, quod B. Matrem longo jam usu nosset (erat enim episcopi Abulensis soror) et esset in ipsam, erogandis non raro eleemosynis, propensa, singulis necessaria adhiberi curationis officia imperavit. Quod autem vitæ religiosæ usibus domus hæc parum commoda videretur, cum quia ab urbe erat remotior, ut propterea non ita facile necessaria vitæ trahendæ subsidia comparanda viderentur, tum quia insalubris et morbis obnoxius is locus erat, Teresiæ facili ipsa negotio persuasit ut hanc sibi cederet, aliam ejus se loco coempturam spondens. Ut dixit, fecit. Nec vero satis habuit domum illis simul et templum Instituti apta rationibus attribuisse; sed cuncta etiam necessaria, insigni cum liberalitate, exinde assiduo eis impertiri grave non duxit. In novas hasce ædes III nonas Februarii anni MDLXIX, festo S. Blasii Episcopi et Martyris, solemni supplicantis populi ritu et mira omnium congratulatione migratum est. Quæ deinde eo majora cepit incrementa, quod hanc E
in domum eæ adlectæ sint moniales quæ mira sanctitate claruerunt, ac de quibus multa scribenda forent, si suus esset hic locus. His peractis, allatæ haud multo post ad Teresiam Toleto sunt litteræ, ut et illuc cœnobium erectura (quod quidem ipsa jam dudum percupiebat) concederet. Diutius ergo hic commorari cum minime licuisset, Isabellam Arias, quæ post a Cruce nomen est mutuata, monasterio præponens, illiusque in regimine vicariam Mariam a S. Joanne Baptista constituens, Abulam summa celeritate contendit, inde Toletum abitura.

AUCTORE RIBERA. Alteras ibidem acquirit ædes.

D

ANNOTATA.

a *Bernardinus, Alvarus et Maria de Mendoza nati erant e Joanne Hurtado de Mendoza et Maria Sarmiento, filia Bernardini primi comitis de Ribadavia. Frater eorum natu maximus Didacus comitatum Ribadaviensem, quem a matre sua hæreditaverat, reliquit filio suo Ludovico, cui successit Eleonora filia, Didaco de los Cobos nupta. Cum vero hæc improles obiisset, titulum comitissæ de Ribadavia extrema ætate obtinuit Maria de Mendoza, Ludovici amita, de qua hoc capite et pluries in* F *sequentibus Ribera loquitur, et quam non raro in Comment. prævio laudatam invenies. Conjux Mariæ fuit Franciscus de los Cobos, commendator major Legionensis, et filius Didacus de los Cobos, Didaci modo nominati parens, qui primus marchio de Camarasa factus est per matrimonium cum Francisca Aloisia de Luna contractum. Cfr. Imhof in Genealogiis viginti illustrium per Hispaniam familiarum* (*pag.* 192, 193 *et* 208).

b *Vide lib.* I, *num.* 120, *et Commentar. prævium, num.* 325.

c *Consonat orthodoxa hæc Riberæ dictio cum dictione S.* Teresiæ, *quam ab Arnaldo in versione gallica suppressam fuisse ostendimus num.* 1509 *Commentarii prævii.*

d *Est hic idem Carillius de quo in Commentario prævio num.* 1040 *agitur.*

CAPUT VI.

Fundatio Toletana.

CAP. XIII. Fundandi ergo virginum cœnobii

Pauculis illis quibus Abulæ Teresia hæsit diebus, uti et illis quibus inde Toletum profecta est, minime

AUCTORE RIBERA.

A nime otiosa fuit; sed omni quo potuit studio connixa est ut aliquod Fratribus Excalceatis excitaretur monasterium. At quoniam continua serie de illis agere fundationibus animus est, quidquid vero ad Teresiam spectat, conglobatim et ordinatim reddere, cœptum de virginum monasteriis narrationis filum nolo abrumpere, donec de Excalceatorum cœnobiis sit narrandi locus ac tempus. Toletani monasterii fundandi hæc fuit occasio et initium. Commorabatur Toleti vir honorabilis ac divini Numinis reverens, Martinus Ramirez negotiator; qui, quia illiberis erat (nullum enim connubium inierat), suis ex opibus illustre aliquod monumentum in pios usus excitare decrevit, atque imprimis (quo semper propenderat) aliquot in ecclesia quadam parochiali Toleti sacerdotia suis dotata censibus constituere. Hunc morti jam vicinum Paulus Hernandez, Societatis Jesu sacerdos, vir doctus ac pius imprimis (Teresiam hic noverat, et illi Toleto Malagonem ad excitandum monasterium properanti in culparum Confessione operam dederat; quo unico ex congressu tantam de eximia illius sanctitate et prudentia opinionem concepit ut hoc de ea dare testimonium non dubitarit :

B « Mater Teresia a Jesu magna quædam est fœ» mina, a tecto usque ad imum et a tecto rursus » usque ad summum, imo etiam major »), invisit; et, quod Toleti Excalceatis virginibus condi cœnobium cumprimis optaret, auctor fuit, ut, si aliquod Deo obsequium e suis pecuniis præstare ac dignum nomine suo monumentum superesse vellet, oblata jam commoda occasione, Excalceatis domum ac templum construi juberet : quod videlicet opus in maximam asserebat Dei cessurum gloriam, et in quo quæ cogitarat sacerdotia possent fundari.

Teresia *Toletum venit;*

83 Ea porro Ramirezii fuit imbecillitas adeoque se morti putabat vicinum, ut, cum sibi vires et tempus ad hæc constituenda necessaria minime suffectura crederet, rem omnem fratri Alphonso Alvarez Ramirez, viro prudenti, religioso, sincero atque in egenos profuso, commiserit, ut hoc ille in negotio pro sua exequeretur prudentia quod Dei Opt. Max. obsequio convenientissimum judicaret. Martinum autem tum ex hac vita excedere contigit, cum Vallisoleti Teresia ageret : ubi etiam Pauli Hernandezii necnon Alphonsi Alvarezii litteræ illi sunt redditæ, quibus suum illi animum significarunt, eamque Toletum, si hanc admittere fundationem vellet, extemplo se ut conferret, invitarunt.

C Hanc illa ob causam festine Vallisoleto, uti dictum est, discedens, IX kalendas Aprilis anni MDLXIX, pridie festi Incarnationis, Toletum pervenit. Divertit ad Aloisiam de la Cerda, Malagonensis domus fundatricem, a qua amanter excepta fuit, quod ab illa in oculis ferretur. Duas secum socias duxit, Abulensi e cœnobio evocatas, Isabellam a S. Dominico et Isabellam a S. Paulo : quibus secretum confestim attributum de more cubiculum, in quo, prout in monasterio solebant, religiosis exercitiis sine turba vacarent. Teresia, nihil cunctandum rata, cum Alphonso Alvarez quamprimum suis de rebus agere instituit; quem suas illico in partes haud invite sequentem pertraxit. Verum secunda hæc et prospera initia tristioribus temperare Dominus casibus volens, per Alphonsi generum, cujus ille consilium hac in re permagni faciebat, aliquam rei cœptæ difficultatem movit.

ubi plura offendit obstacula.

84 Generi suasu Alphonsus multas B. Matri conditiones parum æquas proponebat. Interim tamen alia pretio elocanda domus sedulo tota urbe conquirebatur, ut aliqua saltem capiundæ possessionis fierent initia, et pedem Excalceatæ Toleti figerent; sed irrito conatu. Teresia inter hæc lo- D candi domicilii ab urbis gubernatore sibi facultatem fieri enixe postulabat. Ea namque tempestate archiepiscopum urbs non habebat, et archiepiscopatum cum potestate vicaria moderabatur licentiatus Gomez Tello Giron. In cassum omnis B. Matris conatus erat : nam nullis obtineri a præfecto ea facultas precibus poterat, etsi eam quam studiosissime efflagitarent hinc Aloisia de la Cerda, illinc Petrus Manrique, supremi Castellæ præfecti filius et canonicus Toletanus; qui haud multo post cum Societati Jesu se dicasset, in eadem vitam religiosam morte sanctiori conclusit. Etsi vero jam gubernator videretur quodammodo mitigatus, archiepiscopalis tamen consilii assessores summa contentione sese opponebant. Jam cum Alphonso Alvarez transigenda res haud lætiorem exitum habuit : nam quidquid effectum erat hactenus, simul penitus concidit. Ergo, cum et itineris labores et expensæ non vulgares, sudor item omnis et contentio et diuturnior temporis mora (bimestre namque hoc in negotio curando transactum erat) frustra essent, deesse sibi Teresia vidit et argentum et domum et facultatem superiorum ad fundationem inchoandam.

E

Urbis præfectum

85 Quo igitur se verteret, ignorabat; retro tamen, re irrita, reverti pigebat. Omnia ergo nova illi pœnarum materia erant. Nihil vero eam affligebat magis quam denegata facultas superiorum : hac namque habita, Deo freta, reliqua ex voto sibi cessura sperabat. Non jam igitur aliorum amplius in hac impetranda operam adhibere (comperit namque non deesse qui præfectum ab hac re clanculo deterrerent), sed per se rem omnem statuit peragere. Quamobrem in templum ædibus præfecti vicinum concedens, misso illum nuntio ad secum colloquendum invitavit. Ille ut constituto adfuit loco, Teresia, etsi in sermone placida ac perbenigna, ipse contra vir princeps esset et dignitate tanta conspicuus, sancta tamen libertate in hæc eum verba compellavit : « Jam duo et amplius, domine,
» elapsi sunt menses, ex quo in hanc urbem veni,
» non ejus videndæ aut animi remittendi, sed
» solius Dei gloriæ quærendæ ac salutis animarum
» procurandæ causa, et quod in nonnullis aliis Hi» spaniæ civitatibus divinæ ejus Majestati præstiti
» obsequium, id in illustri hac etiam urbe, qua
» possim, præstandi, Excalceatis videlicet monialiF » bus primigeniam B. Virginis de monte Carmelo
» regulam observantibus monasterium excitando.
» In quam rem etiam aliquot mecum sodales
» sumpsi.

sancta dicendi libertate

86 » Erat hoc singulari doctrina, virtute ac
» dignitate tua dignum aliquam miseris hisce fœmi» nis in sancto adeo proposito opem afferre, easque,
» ut in eo alacriter progrediantur, cum hunc di» gnitatis tibi Deus locum dederit, exhortari. Nul» lum tamen horum hactenus vidi documentum.
» Tanto enim tempore nec facultatem a te petentium
» auctoritas nec evidentissima causæ nostræ æqui» tas hanc a te ulla ratione impetrare potuere. Est
» sane durissimum, neminem tota reperiri urbe
» qui religiosarum omni ope destitutarum ac so» lius Dei causa tantam vitæ severitatem, perfe» ctionem, solitudinem et adeo sinceram a rerum
» mundanarum commercio alienationem sectan» tium patrocinium suscipiat; quin etiam eos qui» bus nihil curæ est, sed qui contra commode agunt
» vitæque delicias assectantur, opus Dei gloriæ in
» tantum promovendæ institutum omni animi stu» dio ac contentione subvertere conari. Non desunt
» nobis in quibus commoremur domus, ad quas
» si

A » si redierimus, non multum sane amiserimus, cum » quod in hoc mundo amittamus, vix quidquam » nobis sit reliquum : sed consideres velim quantum inde potius urbi huic sit accessurum dispendium, et quam minime id e re ejus futurum. Si » vero tua hæc res opera intercidat, nec ad exitum » quem sperabamus, perducatur, quid in tui apud » supremum mortalium judicem Christum, cujus » unius causa et ductu huc venimus, purgationem » allaturus sis, tecum velim cogites : prægnantem » quippe quam tunc producere queas rationem » non video, si rem hanc Deo, a quo ad hanc ideo » es dignitatem electus ut omni studio quidquid ad » ipsius tendit obsequium provehere satagas, acceptissimam impedias. »

ad æquiorem erga se mentem traducit.

87 His aliisque id genus rationibus, quas mira quadam verborum libertate ac generositate, quam tum quidem Deus illi indidit, B. Mater in medium attulit, ita præfectum permovit, ut, antequam templo digrederetur, facultatem obtinuerit, etsi non eam quam volebat : hanc enim ille conditionem interposuit, ut novo nollet monasterio aut vectigal annuum aut tutorem fundatoremque ullum attribui. Hæc tamen Teresiæ ita fecit satis ut jam summam se votorum consecutam judicaret. Quam in B monasterii fundationem possidebat pecuniam, tribus ea quatuorve ad summum constabat aureis : ipsa tamen, donec alii conferrentur, non exspectans, nec hos etiam asservare volens, duas in tela pictas coemit imagines in altari collocandas, qui templi futurus erat ornatus, duas item culcitas stramineas ac lodicem, quæ futuri erat cœnobii supellex. De domo invenienda nulla omnino spes erat; quæ etiam cum Alphonso Alvarez ineunda erat conventio jam prorsus conciderat.

Opera pii juvenis

88 Habitabat Toleti negotiator religiosus, Alphonsus de Avila cognomento, officiis caritatis addictissimus. Hic Teresiæ notus erat, eique ædes se comparaturum spoponderat : at, quia iis ipsis diebus lecto æger decumbebat, illi, prout volebat, opitulari non poterat. Sed qui numquam ei deerat Dominus, alia illi ratione, quæ cuipiam ne in mentem quidem veniat, de domo prospexit. Sub id tempus Toletum venit Martinus a Cruce, ex cœtu Franciscanorum, vir religione inclytus Teresiæque adjuvandæ percupidus. Antequam in viam se daret, adolescentem ad illam misit, Andradium cognomine, non opulentum illum quidem, cui confitenti C ipse Crucius operam dare solitus erat : huic in mandatis dedit ut quidquid illi B. Mater injungeret, sedulo exequeretur. Is ergo Teresiam cum accessisset, et promptæ quidem suæ voluntatis edidisset documentum, sed quantum ex ipsius poterat verbis colligi, non alia se illi re quam semetipso usui esse posse declarasset, ipsa (quæ illius erat gratitudo) immensas illi ob pium hocce desiderium gratias egit. Sed illo digresso, apud se subridere ipsa et sodales illius cœpere ob tam inutilem sibi a Crucio adjutorem submissum; cum neque ob exteriorem vestitum videretur ad colloquium cum Excalceatis monialibus admittendus, imo nulla penitus instructus dote qua usui futurus videri posset : ut et subvereri Isabella a S. Dominico cœperit ne quis sinistri quid opinaretur, viso adolescentem hunc laicum cum Teresia colloqui. Cui lepide Mater : « Tace, obsecro, in præsens : quid enim de nobis » quis cogitet pravi, quæ pauperculis peregrinatri- » cibus haud absimiles videmur? » Cum deinde habere se videret neminem qui clam, prout oportebat, domum sibi conquireret, Andradio hoc placuit negotium committere. Quod illa sociis consilium cum aperuisset, ridere non modice incipientes, hoc consultum videri negarunt, quod suum hoc pacto in vulgus emanaturum propositum ac penitus collapsura quæ moliebantur opera arbitrarentur.

AUCTORE RIBERA.

D

89 Parum hoc morata Teresia illarum consilia floccipendit, ut quæ altioribus duceretur rationibus. Credebat enim, cum a sancto illo sibi Andradius destinatus esset viro, non posse non utilem aliquatenus fore, nec frustra ab illo missum videri. Huic igitur advocato, et rem quam poterat maxime supprimere jusso, negotium conquirendarum ædium injungit, dato in conductionis pretium qui fidejuberet : cui rei Alphonsum de Avila animo jam tum destinabat. Habuit rem cordi Andradius, et postridie mane Teresiæ, in templo Patrum Societatis Jesu Sacra Missarum audienti, domum se in vicinia reperisse nuntiat (quod haud procul a Sancti Benedicti abesset) et illius se deferre claves, ut, cum alluberet, eam inspiceret. Inspecta placuit beatæ Matri; ut etiam integro dein anno eamdem incoluerint. Hoc porro ipsa non parum tum obstupuit : quin etiam postea, quotiescumque fundationis hujus recordabatur, nova semper hoc illi stuporis erat occasio, quibus Deus mediis uteretur, consideranti; cum, quod trimestri pene spatio tota passim quæritantes urbe ditiores reperire non potuere, E medio id die adolescens hic repererit : cumque sine ulla prorsus molestia monasterium fundari potuisset (uti quidem poterat, si Alphonso Alvarez assensum esset), hunc idcirco conatum intercidisse videri, ut nonnisi cum paupertate et difficultate propositæ fundationis opus perficeretur, adeoque Dei providentia clarius elucesceret. Teresia, ut numquam tergiversabatur nec vel momentum effluere sinebat quo quæ necessaria erant, non promoveret, ad has se transferre ædes quam maxime cupiebat, ac sui monasterii ante possessionem auspicari quam in eis quidquam adaptaretur, ne quod aliunde impedimentum incideret.

domum aliquam conducit;

90 Tametsi hoc ipso tempore permulti tum auctoritate tum pietate spectabiles viri, a quibus identidem intervisebatur, temerarium dicerent aliquod sine majori certitudine cœnobium fundare velle, atque id perinde esse ac domicilium in aere locare, quin imo indecens censerent conductitiis in ædibus Sacrum Altaris Sacramentum exponere, nec non alia id genus complura in medium afferrent, quæ, si humana prudentia res metienda foret, consulto spectanda videbantur, hæc tamen Teresiam, divinæ prudentiæ innixam, nec moverunt F nec a proposito urgendo deterruerunt. Quin potius magna diligentia suis domum usibus centum illis quos ab œconomi Aloisiæ de la Cerda uxore mutuo sumpserat argenteis, quod quidquid Toletum attulerat nummorum jam absumptum esset, instruebat. Nec vero Andradii hic conquievit industria, quod gratum aliquod Deo præstare obsequium omni contentione desideraret, et hoc illi in negotio, si quam posset, opem afferre. Effecit itaque ut qui eamdem incolerent domum, brevi se inde subducerent. His migrantibus, B. Matri significavit suam ut huc supellectilem conveheret. Cui renidens atque ore blando Teresia : « Brevi hoc fecerimus, An- » dradi : ubi namque duas invexerimus culcitas » et lodicem unam, universum nostrum instru- » mentum adduxerimus. » Non placuit sodalibus hoc Matris responsum, mirantibus cur huic ita se suaque manifestasset. Verebantur enim, ne, perspecta ipsarum paupertate, a præstando sibi posthac obsequio fieret alienior. Sed ab hisce timoribus et longe aberat B. Mater et ipse propter hanc causam Andradius ab eo quod poterat præstando nequaquam deterritus est obsequio; quin adeo se navum

AUCTORE RIBERA.

sedulumque exhibuit, operas fabriles adducendo et domum concinnando, ut in illius jam perfectæ videndæ desiderio ne ipsis quidem monialibus quidquam videretur concedere.

A

CAP. XIV. *in qua monasterii initia*

91 His ad votum constitutis, jam qui ad Missæ Sacrificium celebrandum necessarius videbatur, apparatum Teresia conquisivit. Ergo post solis occasum cum quodam fabro, parva præsonante nola, quarum est ad elevationem salutaris Hostiæ in Missa usus (quod aliam non haberent), domum adeunt, ejusdem possessionem capturæ. Totam eidem accommodandæ noctem impenderunt. Sed qui in sacrarium pararetur locus deerat, nisi forte atrium quoddam amplum, in quod nonnisi per domunculam vicinam, quæ etiam pretio ab ipsis conducta erat, patebat aditus. Aliquot hanc incolebant mulierculæ, quibus nihildum hactenus dicere ausæ fuerant, ne rem prius propalarent quam ex voto esset confecta. Omnibus ergo jam paratis, cum primum diescere inciperet, parietem quemdam interjectum demoliri orsi sunt, ut in templum destinatum aditus pateret. Quæ etiam tum dormiebant fœminæ et nihil hujusmodi cogitarant, ut primum cuneorum auditi strepitus, consternatæ et indignabundæ strato se corripiunt, vix ullis ut verbis mitigari sedarique potuerint. Etsi vero principio alieniores viderentur, post tamen, viso quod res erat, oblata præsertim illis a beata Matre pecuniola, promittente simul alias se ipsis conquisituram ædes, sese præbuere moderatiores nullumque exhibuere exinde negotium. Ut primum illarum muliercularum procella conquievit, Joannes a S. Maria Magdalena, Carmelitarum præpositus, ad Sacrorum celebrandas primitias haud importune sese obtulit; ad quas suo monachæ tintinnabulo signum dedere, et in rei hujus testimonium tabulas confici jussere. Hoc itaque pacto, S. Bonifacii Martyris festo, pridie Idus Maji, eo quo diximus anno, domus hujus facta sunt principia : quam eodem quo alias hactenus, S. Josephi nomine denominandam beata Mater censuit.

B

non sine novis obstaculis

92 Hoc ipso vero die plurimi timuerant ne urbs funditus interiret; quod ita paucis ante diebus sciolus quidam agyrta inani præsagio civibus persuasisset. Unde fiebat ut multi suas Confessione noxas aperirent et sacras Eucharistiæ inirent epulas, futurum eventum præstolantes. Oratione vix consequar quis omnium mane fuerit Toleti, novo hoc viso monasterio, stupor et admiratio, quis tota urbe hac de re sermo, et quam in pietatem plurimorum pavor transierit, videntium adeo civitatem non interisse ut etiam novo aucta esset monasterio. Verum ante omnes ipsa ædium domina, viri majoratu gaudentis uxor, ut primum domum suam repente, se ignara, in monasterium transisse comperit, non modice mirari ac stomachari cœpit : at, spe injecta illam, si usibus religiosis accommoda foret, quo demum vellet pretio redimendam, turbari desiit. Nec minus ipsi consilii archiepiscopalis assessores, viso monasterium cujus condendi negarant potestatem, reipsa jam coaluisse, indignati sunt. Unde, quod præfectus urbe abesset (facta namque jam Teresiæ cœnobii fundandi copia, extra civitatem eum concedere oportuerat), rem in immensum illi extollere, et tantam mulierculæ mirari se dicere audaciam, quod novum se invitis monasterium urbi invexisset : quare magnas in eam minas jactarunt. At quidam de canonicorum numero, illius suscepto patrocinio, id ipsum aliis etiam locis eam fecisse commemorabat; nec vero credibile videri ipsam sine necessariis ad hoc litteris id opus inchoasse. Has ergo sibi petunt exhiberi; et pauco interjecto tempore, sub excommunicationis anathemate sacra in eo peragi vetant Officia, nisi potestatis factæ litteras promat.

C

D

ac summa cum paupertate

93 Nihil hæ B. Matrem comminationes perterruere; sed eadem eos qua antea præfectum allocuta libertate, illorum se jussis spopondit parituram, etsi iis alioquin morem gerere hac in re minime obligaretur. Ergo Petrum Manrique obsecrat ut assessores adeat, et quas a suis olim superioribus hunc in usum acceperat litteras exhibeat. Verumtamen non parum illam angebat quod præfectus, a quo non scripto, sed ore dumtaxat facultatem obtinuerat, iis ipsis diebus abesset. Sed Vincentius Varonius e sodalibus S. Dominici, cui Teresia notissima erat, quique de hujus fundatione cœnobii cum præfecto aliquoties egerat et hujus erat rei non omnino nescius, nonnullos ex canonicis convenit; quorum cum opera et aliorum etiam patronorum intercessione, tum quod negotium jam confectum esset, factum est ut assessores mitius agerent. Pacifica igitur monialium erat angustis in ædibus commoratio, etsi rebus necessariis destituta : nam duæ culcitæ stramineæ et lodix una universam domus constituebant supellectilem. Major de nocte quam interdiu patiendi erat materia : cum enim immite frigus ureret, et illi pellendo lignum non suppeteret, culcitis incubantes, se, prout poterant, stragulis et palliis spissioribus cooperiebant. Quin ea ipsa die qua adita primum domus, non alia in festivum epulum instructa fercula quam aliquot sardæ, et coqua non habebat quod ageret : namque supellex nulla domi erat, et ne ligni quidem frustillum, quibus hæ assarentur; donec in sacrarii angulo fascis apparuit ligneus, quem a Domino submissum haud inanis conjectura est : undenam enim et a quo illatus esset, non apparebat. Inde haud multo post, cum ovo coquendo sartago deesset, hanc illas mutuo sumere oportuit; salem vero chartæ ingestum saxo comminuere. Idem de rebus reliquis esto judicium.

E

ponuntur.

94 Nocte etiam quadam Teresia frigore rigens cooperiri se a filiabus cum petiisset, illæ leniter inter sese ridentes dixere plura ut stragula frigori arcendo non requireret, cum quæcumque domi suppeterent, sibi instrata essent, pallia scilicet quotidiana : quod et Matri post subinde risum movit. Non poterit qui hanc Teresiæ paupertatem legerit, meo judicio, non admirari undenam egere Toleti re quapiam ipsa potuerit, cum opulenta illa matrona, cui erat acceptissima, ea in urbe commoraretur; nec immerito. Cum nimirum suas Deus ancillas reipsa experiri vellet ecquasnam nomine ipsius suscepta paupertas divitias involveret, ut hominibus harum divitiarum ignaris documento essent, factum ut et Aloisiam Teresia nihil rogaret (erat enim a petendo alienissima) et illi ne in mentem quidem veniret qua ancillæ Dei penuria laborarent. Si enim illius fuisset conscia, quam liberalissime aliquod subsidium attulisset; uti etiam attulit, quotiescumque aliqua re illas indigere comperisset. Videbat hæc quidem e cœlo Dominus, at præterire eas videbatur, ut hac eas inopia divites redderet : unde et incredibili illæ cum interius tum exterius gaudii sensu perfundebantur, ut se ipsæ vix caperent. Insolita autem iis diebus Teresiæ animum gaudiorum copia inundabat, et mirus illam adeo pietatis ardor corripiebat, quem quotidiana excitabat paupertas, ut suavi perpetuo in contemplatione versari videretur. Verum hæc rerum inopia, ne dicam opulenta copia, diuturna non fuit.

F

Demum moniales

95 Alphonsus enim Alvarez aliique liberalitate noti longe in illas plura quam quidem optabant, erogarunt :

A erogarunt : rebus quippe terrenis affluentibus, spiritus defecere voluptates, quas indigentia pariebat; ut hunc gaudiorum defectum vel in vultu ipsarum Teresia legeret, insolitæque tristitiæ ab ipsis causam petens, audierit communi omnes voce dicentes : « Quid faciemus, Mater, cum jam pauperes » esse desierimus? » Alphonsi porro Alvarezii, cum tantam indies et oculis et auribus ancillarum Domini acciperet inopiam, Deo inspirante excitari de novo erga easdem cœpit affectus, ut cum beata Matre intermissum jam dudum negotium denuo tractare velle se diceret. Verum Teresiæ visum est primarium illi in sui suorumque sepulturam sacellum cedere dumtaxat, at a reliqua illum fundationis gloria excludere, utpote quæ jam utcumque sine illius ope confecta esset. Sed hac in re non paucos adversarios habuit, nefas esse dicentes hoc singillatim illi posterisque sacellum attribuere : etsi enim honesta essent oriundi familia, haud tamen equestri et illustri; non defore scilicet tam frequenti et copiosa in civitate virum aliquem insignem, cui cum honore princeps assignari ædicula posset. Et quæ illorum jam de sacello, eadem jam ante fuerat de fundationis initiis sententia, ne ob eam videlicet
B quam jam attulimus rationem Alvarezium ut fundatorem admitteret. Sed quamquam hanc Teresia oblocutionem parum morabatur, ut quæ nobilitatem generis numquam non virtutibus posteriorem duxisset, hac tamen de re jam ante plurimi ad præfectum urbis retulerant, et tantum apud eum effecerant, ut, cum ille copiam beatæ Matri faceret domus fundandæ, hanc inter cæteras conditionem interposuerit ut non aliter hanc quam alias alibi fundaret. Hac ergo super re cum secum ipsa deliberaret, et cuinam princeps esset ædicula consignanda, ecce vir quidam genere conspicuus hanc sibi præ aliis petiit attribui : unde et longe quam ante acrius a beata Matre amici insistebant, ut quid faciendum censeret, illico definiret. Verum ipsa in eo quod sibi faciendum esset, anceps hærebat.

stabilem nanciscuntur sedem,

96 Hanc autem nutantis animi fluctuationem apparens Dominus facile discussit, dum illi planum fecit quam exiguo apud Deum numero esset natalium splendor, ipsamque increpuit acrius, quod pro nobilitate loquentibus propensius auscultasset. Hujus illa revelationis seriem chartæ commisit, quam in manibus aliquoties habui, et cujus hæc
C forinsecus erat inscriptio : « Hæc sunt quæ tum » mihi sunt revelata, cum persuadere mihi conabantur ne cui in sacello Toletano sepulturæ jus, » qui non de equitum esset classe, concederem. » Introrsum vero hæc præferebat verba : « Ingens » tibi onus arcessis, filia, et plurimis laboribus » obrueris, si mundi spectare leges velis. Me potius respice pauperem et inopem et ab ipso con» temptum. Forte mundi hujus magnates magnos » coram me futuros arbitraris, vel vos ob generis » claritudinem potius quam ob virtutum decus » æstimandos? » Alvarezio igitur soli tandem sacellum assignavit. Quod quam consulto factum fuerit, licuit haud obscure post animadvertere, cum illius potissimum ope et subsidiis ingens illa coempta sit domus in quam primo vertente anno commigrarunt; cui paucas Toletum habet pares, ut quæ duodenis aureorum steterit millibus. Idem quoque plurimas quotannis celebrandas Missas aliaque pietatis hic exercenda munia, quæ cum populo tum monialibus ipsis in magnum solatium cedunt, fundavit. Huic igitur Deus monasterio singulari quadam ratione esse voluit prospectum, cum curando ut de temporalibus subsidiis nihil illi deesset, tum vero tales huc adlegendo sodales quas spiritualibus suis esset opibus ditaturus.

AUCTORE RIBERA.

D

et numero augentur.

97 Teresia itaque, suam ut primum possessionem stabilivit, alias aliunde socias evocavit. Ex Incarnationis ad eam accessere quatuor hæ : Catharina Yera et Joanna Yera, cui modo a S. Spiritu cognomen, sorores germanæ et illustribus Abulæ familiis prognatæ; nec non Antonia del Aguila et Isabella Suarez. Quarum e numero sola Mater Joanna a S. Spiritu in nova hac mansit familia : reliquarum, uti et aliarum nonnullarum quæ ex Incarnationis successerant, hæ quidem ob invaletudinem, illæ quod necessariæ ad tantam vitæ novæ quam assumpserant severitatem tolerandam vires deessent, eodem rediere. Quocirca suis deinde Teresia in Constitutionibus cavit ne qua posthac aliis e cœnobiis in suam familiam adlegeretur, ne quidem ex iis quæ eodem in Ordine laxiorem regulam servant. Unde fiebat ut, cum sui Instituti suppeterent sodales, ex Incarnationis alias transcribere desineret. Malagone item evocavit Annam a Jesu et Isabellam a S. Josepho; ut, annumeratis novitiis duabus, septem universum Toleti numero forent, cum inde Teresiam recedere oportuit. Vix a cœpta fundatione annus effluxerat, cum novo se E
Instituto aggregavit Anna a Matre Dei, quadraginta nata annos. Hæc in summa rerum opulentia innutrita, Dei se obsequio ferventer manciparat, etsi parum secunda hactenus usa esset valetudine : at ut primum carere his cœpit et austeritate et rigore monastico atterere corpus, optata rediit sanitas. Tanta illius erat pietatis vis, ut, omnibus a se, etiam antequam vota Deo nuncuparet, abdicatis facultatibus, illarum dominium penitus in monasterium transcripserit. Nec vero beatæ Matri hæc abnegatio opum placuit, quin imo hanc ab ipsa fieri vetuit, illius probandæ causa deliberaturam se asserens num ut idonea in Ordinem foret cooptanda; ac tum demum, si facto periculo utilis judicaretur, hanc abdicationem faceret. Cui Anna, si quidem post Ordine excluderetur, Dei se amore stipem vitæ trahendæ ostiatim emendicaturam, magnitudine animi singulari respondit; cæterum quocumque res demum recideret, factam jam a se fortunarum suarum (quæ sane vulgares minime erant) monasterio donationem ratam habere se : unde et nullo, eam ut deinde revocaret, potuit modo suasuque adduci.

F

Jesus S. Matri spondet

98 Tam prompta porro et hilaris hacce in domo (idem et de aliis censendum est) relucebat parentia, ut, si vel per risum quidpiam fieri juberet antistita, nullo alio expressiori imperii verbo exspectato, ab inferioribus id quam celerrime executioni mandaretur. Hinc cum monialis quædam, haud procul a palude consistens, superioris, ut in ipsam se conjiceret, imperium audisset, extemplo in eamdem insiliit. Hic quoque Teresiæ res accidit, ad memoriam posteritatis quæ transmittatur dignissima. Monialis quædam jamjam de vita emigratura, incredibili ob instantem vitæ finem gaudio perfundebatur. Hanc cum Teresia, ex oratione in choro ante augustissimum Altaris Sacramentum fusa, qua felicem illi a Deo exitum petierat, reversa conviseret, ad medium caput lectuli Redemptorem Jesum conspexit, in speciem desuper incubantis atque ulnis aliquantum apertis eam protegentis, uti S. Gertrudi (lib. v, cap. II) quodam tempore ad extrema redactæ olim adstitisse visus est. Tum ad Teresiam Dominus conversus, ut certissimum eam habere jussit, eo se omnes, quotquot ipsius in cœnobiis defungerentur, moniales modo protecturum, ut nullas in mortis articulo sint tentationes formidaturæ.

AUCTORE RIBERA.

turæ. Quæ nonnisi de illis quæ secundum Instituti præscripta ac leges victuræ sunt, intelligatur sponsio oportet *a*. Similiter non aliter eas a tentationibus novissimis immunes fore spondet, quam quod extremo in agone ab iis ipsas sit liberaturus oppugnationibus quæ mentem obruant, aut magnis inquietudinibus interturbatum exitum afferant.

se filias ejus morientes protecturum.

99 Ab illo vero tempore accurate Teresia observavit, tam hanc de qua jam agimus, quam reliquas quibus morientibus adfuit, egregiam quamdam suprema in vitæ hora animi tranquillitatem præferre solitas, perinde ac si placidissima quiete ac recollecta mente orationi incumberent. Idipsum quoque paucis abhinc diebus, et quidem cum hæc scribo, videre haud obscure licuit in celebri illa Dei ancilla Maria a Cruce, vera ac genuina Matris Teresiæ a Jesu filia, quam ad primi libri calcem de primis quatuor B. Matris sectatricibus fuisse commemoravi. Demortua illa est Vallisoleti e pleuritide VII kalendas Martii, hoc ipso anno MDLXXXVIII, cum insigni virtutum omnium, ac præsertim charitatis, obedientiæ, animi demissionis ac patientiæ exemplo omnibus quinque et viginti in vita monastica annorum spatio præluxisset : quotquot enim cum ipsa maxima temporis illius parte sunt commoratæ, testaturæ sunt non meminisse se ullum eam cuiquam offensionis aut alienandi animi occasionem umquam dedisse. Tanto porro moriendi æstuabat desiderio ut vix crederet mortem sibi instare, seque solo ob dilatam mortem languore ac vitæ longioris tædio emorituram diceret. Mira animi tranquillitas ad extremum usque in ægrotante enituit; ut nullo mortis instantis in vultu edito signo, ne quidem oscitationis, quoad quidem licuit advertere, placidissime Creatori animam reddiderit. Etsi vero, dum viveret, utcumque deformis esset, a morte tamen tantam pulchritudinem vultusque candorem induit ut prorsus alia videretur, manifestissima Deo in corpore ipsius excellentis qua donata in cœlo anima erat pulchritudinis indicia ac notas exerente.

ANNOTATUM.

a *Plures hujus sponsionis affines prærogativæ disceptantur in Comment. prævio num.* 1686 *et seq., ubi et adoptatur sententia huic Riberianæ similis.*

Caput VII.

Fundationes Pastranensis et Salmantina.

Cap. xv. *Pastranæ, principis Ebolensis liberalitate,*

Jam pervigilium erat Pentecostes, et quintusdecimus a fundato monasterio Toletano dies. Hoc temporis intervallo Teresia templo instruendo et cancellis ferreis adaptandis aliisque id genus operibus perficiendis multum operæ impenderat, cum ad mensam in cœnaculo accumbenti tanta subito oborta est consolatio, quod omnia jam perfecta cerneret sibique curis solutæ hisce Pentecostes feriis Domino nostro Jesu Christo penitus vacare liceret, ut omnis quasi edendi appetitus evanesceret præ gaudii animo insidentis magnitudine. Inter hæc adesse nuntiatur missus ab Anna Mendozia, principissa Ebolensi, Roderici Gomez de Silva conjuge, puer. Ex hoc Teresia invitari se a principissa didicit, ut Pastranæ, suo in municipio, prout inter ipsas convenerat, Ordinis sui cœnobium erigeret; tametsi id non adeo celeriter perficiendum beata Mater arbitraretur. Porro parum consultum fore judicabat, Toletani monasterii rebus hauddum satis constabilitis, tam cito inde recedere, præsertim cum tantis hactenus adversarii conatibus huic obstitissent; etsi quam enixissime id famulus ab ipsa contenderet, jam illuc suam appulisse heram, et quidem non alia de causa, affirmans. Teresia ergo, videns Roderici Gomez et ejus conjugis postulatis fieri satis debere, quod ad divinæ gloriæ augmentum non parum id facere censeret (cum enim regio favore imprimis opus hic haberet Ordo, quo nimirum subnixus, adversariorum, a quibus jam tum convellebatur, calumnias revinceret, horum idcirco captanda principum benevolentia videbatur), coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento supplex se abjecit, eaque sibi inspirari petiit, quæ, cum principissæ perscripta essent, eam minime offenderent.

cœnobium virginum suarum

101 Illico vero vox ad illam dilapsa : « Huc te » conferre ne negligas, filia; nam longe alia huc » te vocant negotia quam sola cœnobii fundatio. » Regulam et Constitutiones tecum porta. » His a Domino confirmata verbis, ad solitum simili in negotio asylum anxia Mater confugit, ad Patrem, inquam, spiritualem; et suis utramque in partem allatis rationibus, percontabatur ecquid Dei gloriæ promovendæ expedientius fore is judicaret, etsi a Domino sibi dictorum nihil illi indicaret : ita namque sibi melius satisfactum iri putabat. Simul etiam assiduo dari sibi a Domino lumen, quo illustrata rectum dispiceret, postulabat. Itaque, confessario suadente, Toleto altera Pentecostes die, III kalendas Junias anno MDLXIX, assumptis secum comitibus Isabella a S. Paulo et Antonia del Aguila, discessit; cum Toletanæ sedis antistitam Isabellam a S. Dominico constituisset. Pastranam cum appulisset, benevole a principe Roderico et conjuge excepta, apud illos est secluso a reliqua familia in conclavi cum sodalibus diversata. Sed opinato hic diutius hæsit : quam enim principissa illi assignarat domus perangusta erat, et multas ejusdem ipsa demoliri jusserat partes, ut quam oporteret formam monasterii indueret. Trimestri et amplius Pastranæ commorata est; et, licet nullo id aut perexiguo ei labore, qualem in aliorum excitatione experta erat, domicilium constiturum videretur (quia jam res omnis confecta videbatur), non vulgarem tamen subire hic ipsam fuit necesse, nonnullis illi a principissa propositis conditionibus, a quibus, utpote suo Instituto dissentaneis, cum plane abhorreret, re infecta reverti Toletum jam decreverat. Verum cum principissa pro suo erga divinum obsequium studio cœnobium id summopere cuperet, et maritus votis illius haud invitus annueret, transacta denique ex voto res est, et monasterium a Conceptione Virginea denominatum, fundari cœptum VII idus Julii, octavo *a* Visitatione Deiparæ die, eodem quo dixi anno MDLXIX *a*.

a Teresia *erigit.*

102 Nonnisi duas illas quas supra nominavi moniales Teresia assumpserat : unde Isabellam a S. Hieronymo et Annam a Jesu Methymna, ubi sacrum induerant habitum, visum est avocare; et ex Incarnationis aliam adlegit. His ita constitutis, Toletum remeavit, quod suæ domus hæc potissimum opus haberet subsidio præsentiæ, cum nuperrime esset excitata. Hinc aliquot ibidem commorata est mensibus, quoad illæ quas diximus ædes coemerentur : in quibus ex legibus Instituti cuncta rite constituit. Pridie igitur festi S. Magdalenæ Toletum appulit, et ea qua venerat rheda Isabellam a S. Dominico Pastranam remisit, ut domicilio ibidem constituto præesset : Annam vero ab Angelis, Malagonensibus

A Malagonensibus præpositam, Toletanis posthac voluit imperare; quod illa munus cum annos plurimos hic exercuisset, modo ipsum Conchæ cum laude exequitur. Hujus in locum Malagone Matrem Mariam a S. Sacramento suffecit, Pastranæ vero Isabellam a S. Paulo subpriorissam creavit.

CAP. XVI. *Deinde,*

103 Sub idem tempus Martinus Gutierrez, collegii Societatis Jesu Salmanticæ rector, insigni sanctitate ac judicio vir, necnon præstanti eruditione conspicuus et habendis ad populum concionibus præclarus (cujus opera permultas Deus animas ad suum invitavit obsequium, quoque uti administro placuit ut tandem firmiter ipse mecum, inspirante Numine, post multam fluctuationem, ad *b* hanc me Societatem adjungere constituerem *b*), Teresiæ per litteras significat pretium operæ facturam videri, si Salmanticæ monasterium suarum virginum constitueret; ad quod multis illam est rationibus efficacibus cohortatus. De eadem re Teresia ante menses aliquot secum ipsa cogitarat; sed illam civitatis deterruerat pauperies, quam novo Mendicantium cœnobio alendo imparem fore credebat. Interim vero cogitare cœpit Abulam Salmantica ditiorem non esse, et nihil tamen suis hactenus B Abulæ defuisse. Ergo Abulam sese statuit conferre, ut inde Salmanticam transiret. Una porro dumtaxat cum comite Salmanticam abiit, Maria a S. Sacramento, de qua jam alias memini. Ex quo enim semel Methymnensem in coloniam cum pluribus monialibus profecta rem difficultate non caruisse animadvertit, secum exinde statuit (quod et postmodum visa est in reliquis fundationibus servasse) nonnisi paucissimas, puta unam atque alteram, initio secum assumere, quoad fundationis primordia fulcirentur, et, iis demum constitutis ac possessione stabilita, alias accersere.

juvantibus Martino Gutierrez S. J. aliisque, *c*

104 Abulæ igitur cum adhuc moraretur, Martino Gutierrez perscripsit ut sibi ab episcopo Salmanticensi (erat is Petrus Gonzalez de Mendoza *c*) rei hujus facultatem impetraret : quem ipse cum de instituto talibus in monasteriis observari solito coram edocuisset, haud difficulter rei perficiendæ potestatem obtinuit. Jam sibi Teresia rem constitutam videre, jam monasterium fundatum, hac antistitis impetrata facultate, videbatur. Domum igitur viri nobilis, Gonzalvi Yañez de Ovalle, in rivo a S. Francisco denominato, haud procul a S. Elisabethæ monasterio sitam, ab amicis jubet C conduci. Hanc tum quidem academici nonnulli incolebant; sed ii sunt emigrare jussi, ubi primum qui eamdem de novo conduxerant, appulissent. Teresia namque semper propositum habebat cavere ne quid rerum ante in vulgus emanaret quam possessionem iniisset : usu siquidem perspectum habebat quam sua satanas monasteria exosa haberet, quibusque eorumdem erectionem impedire viribus niteretur. Abula igitur pauculis cum nummulis, sed in divinam misericordiam fiducia plena, discessit : prævidebat enim plurimis sibi ad domum instaurandam fore opus, et neminem Salmanticæ qui auxiliarem sibi huc operam adferret, se inventuram. Pridie ergo kalendas Novembris sub prandium Salmanticam invectæ sunt, cum potissima superioris noctis parte summum per viam essent frigus multaque aliunde incommoda perpessæ; non idcirco tamen, ne quidem etsi graviores subeundæ fuissent molestiæ, ab eo, quod ad Dei gloriam non mediocriter facturum prævidebat, opere peragendo fervida Dei ancilla deterrebatur.

Salmantino item monasterio

105 Diversorium vix ingressa erat, cum Nicolaum Gutierrez mercatorem, quem noverat (nam duæ illius filiæ in Incarnationis monasticen profitebantur) quemque virum pium esse inaudierat, advocavit; cujus etiam operam multis in rebus hac in fundatione adhibuit. Huic ergo in mandatis dedit ut e conducta domo eodem ipso die emigrare academicos juberet. Quod ille cum naviter præstitisset, eodem die ante vesperam res confecta est : unde factum ut ingruentibus primum tenebris eo Teresia cum suis se conferret. Dederunt tum pia sedulitate pro se quæque operam ut postridie rei sacræ peragendæ idonea domus appareret. Quem in usum P. Martinus Gutierrez sacrum illis instrumentum, pictas tabulas, ornatum altaris aliaque huc facientia mutuo dedit, simul etiam Fratrum duos eo destinavit, qui in domo sacelloque adornando monialibus auxilio essent. Quo fiebat ut summo mane, instructis jam omnibus, Sacra celebrata sint, et domicilii hujus, a S. Josepho etiam appellati, festa omnium Sanctorum die anni MDLXIX *d* firmata sit possessio. His confectis, *d* statim aliquot Methymna moniales accersendas curavit, quarum adventu domus illico in monasterii cœpit formam coalescere. Hæc porro illarum sunt nomina : Anna ab Incarnatione, quam domui cum imperio præposuit, Maria a Christo, quæ illius vicaria est constituta, et Hieronyma a Jesu, hodie E præposita Veasensis. Abula porro duas evocavit novitias, quas eodem adlegerat, Annam a Jesu, hodie Madritensem priorissam, et Joannam a Jesu; necnon Mariam a S. Francisco, quam Toleti suum in cœtum adscripserat, quæque in præsens Albanis monialibus præfecta est.

AUCTORE RIBERA. D

dat initium;

106 Proxima se nocte Teresia ejusque comes Maria a S. Sacramento, quæ ætate Matrem anteibat, solæ in vasta illa et parum instructa domo commorantes, in conclave quoddam abdiderunt, palea invecta constratum. Hanc namque primam sua in monasteria ante omnia Teresia supellectilem invehebat : censebat namque, palea illata, jam sibi abunde de cubili prospectum esse. Tum quidem, præter hanc paleam et duas lodices, quas Societatis Jesu collegium submiserat, nulla domi supellex suppetebat. Sed postera luce S. Elisabethæ moniales venturis aliunde sodalibus necessaria, quin etiam cibum, magna benignitatis significatione subministrarunt, insignisque in eas toto illo quo in vicinia habitarunt tempore harum eluxit munificentia : nam et tum quidem, et etiam semper antea, excellentes sanctitate et caritatis in proximum officiis ac religione præstantes sodales monasterium F hoc habuit. Hac ipsa igitur quam dixi nocte magnus Mariam a S. Sacramento invasit timor ne quis forte domi delitesceret. Ut primum conclavis occlusæ fores, timere quidem aliquantulum desiit; attamen circumspicere pavida hinc et illinc cœpit, ut ne illo quidem se loco tutam crederet. Diabolicum id fuisse commentum constat, quo non tam Mariam quam beatam Matrem turbare connitebatur. Etsi enim nihil illa metueret, quod tamen esset corde languido, pauca illi ad ingens afferendum dispendium satis erant. Huc accedebat quod, cum postridie fidelium ageretur defunctorum commemoratio, in omnibus tota civitate templis ingens ac lugubris ære campano de nocte excitaretur sonus, qui cordis illius debilitatem non modice adaugebat.

quod post annos tres,

107 Teresia igitur percontatur ecquid respectaret. Cui Maria : « Agitabam animo, Mater, » ecquid, si hoc me emori loco ac tempore con» tingeret, sola hic ageres? » Hæc Teresiam responsio cogitabundam nonnihil reddidit, et aliquem etiam timorem rei dictæ illi injecit : etsi enim mortuorum corpora nullum illi timorem incuterent, aliquem tamen cordis languorem ei afferebant.

AUCTORE RIBERA.

Sed quod facta esset et mentis robore præstans, inania hæcce terricula flocci faciens, Mariæ timorem hoc est responso opprimere aggressa : « Hoc » ubi evenerit, carissima, tum demum quid facto » mihi opus sit, deliberabo; at in præsens quiete » dormire me, obsecro, permitte. » Triennio prope in hac commorantes sede, non mediocria perpessæ sunt incommoda : erat enim, utpote vasta et male materiata, hiberno frigori exposita, et ob flumen quod a S. Francisco nomen habet et ejus fores præterlabitur, humida et malesana inhabitantibus. Unde factum ut gravissimas toto illo tempore tulerint ærumnas, tametsi animi pacem numquam exuerent et non vulgari consolatione perfunderentur. Teresia vero inde digressa (quod non multo post advenit), longe gravior incubuit tribulationis procella, ob eam quam post dicemus causam. In digressu autem Annam ab Incarnatione domicilio recens inchoato præfecit; quod illa munus multis annis cum laude gessit. Non mediocriter quoque illas affligebat gravis illa solitudo quod Eucharisticum apud se Panem non haberent : toto namque triennio tam suavi carendum fuit hospite, quod, quo honeste decenterque collocaretur hierotheca, locus deesset.

Sancta iterum Salmanticam

108 Ut vero quidquid illa in domo Teresia præstitit, uno simul complectar fasce, uti in aliis feci, dicam, tribus illis quos ante posui annis jam evolutis, aliam filias suas in domum, priori hac deserta, longe commodiorem opportunioremque, etsi non sine magna molestia, transtulisse. Cum enim illæ ædibus commodioribus maximopere indigerent, eæque tota civitate inquirerentur, tandem cum nobili equite Petro de la Banda stipulatæ sunt ut quamdam sibi domum, quam possidebat, venumdaret. Hoc cum Abulam Teresiæ Incarnationis regenti monasterium, uti suo reddemus loco, per litteras perlatum esset, statim cuidam e Societate Jesu, viro gravi ac probo, quem ipsa permagni faciebat, rem enarravit, simulque petiit sibine consuleret Salmanticam ut properaret, has ædes coemptura, quas in usum monialium omni re necessaria instrueret. Is ergo (uti post ipse mihimet narravit) id sibi negavit conveniens videri : si enim virilis esset sexus, aliquam concionando, egrediendo visitandoque frugem in proximos eam posse afferre; at a fœmina, quam claustrum monasticum deceret, quid sperari commodi posse? Teresia vero magna qua erat in Deum fide, et ardenti in suas charitate flagrans, secum rem maturius cum expendisset, eo se conferre apud animum statuit, assumpta in itineris comitem Quiteria de Avila, ejusdem cœnobii Incarnationis monacha, quæ etiam post eidem cum potestate præposita est.

veniente,

109 Multis porro per hoc iter exagitata fuit incommodis, quod ipsum Augusto esset mense ineundum. Nam cum solis per diem æstus illi esset noxius, per densas noctis tenebras aspera via incedendum ei erat. Nec vero hic molestiarum fuit finis : cum enim quos ad domum instruendam mutuo corradere potuerat nummulos jumento imposuisset, ipsum, nocturna fallente caligine, de via deflexit et diligenter quæsitum minime comparuit. Sera igitur et intempesta nocte in diversorium perveniunt, sed sine jumento et argento. Illucescente die, emissus qui jumentum conquireret puer ipsum haud procul a via regia prostratum tandem reperit, integris sarcinulis, ut ne vel obolus deesset. Sequenti nocte, non jam nummi, sed Teresia ductrix disparuit, de via cæco errore digressa : quod longe gravius comites afflixit. Cum enim mutuo per tenebras frustrarentur conspectu, ab invicem distrahi omnes contigit. Unde, qui eodem properabat Pater, in pagi cujusdam quem pertransibant vico B. Matrem et Quiteriam subsistere tantisper jussit, donec alios ipse per viam comites conquireret : quos ille inventos cum præstitutum in locum, in quo Teresiam ante reliquerat, vellet conducere, ad eum unde abierat locum redire non potuit. Quare ulterius cum adductis comitibus progredi orsus est, idem Teresiæ consilium incidisse ratus : nemo quippe non existimabat Teresiam cum reliquo comitatu subsequi, eo prorsus modo quo Jesum duodennem Jerosolymis amitti contigit. Viso autem post longiorem exspectationem beatam Matrem non accedere, magnopere indolentes denuo ab invicem separari cœperunt : hi quidem ut viam relegentes in ipsam inciderent; illi vero ut sublata voce illam quaquaversum inclamarent. Ecce, tandem post anxiam horarum aliquot exspectationem visa adesse Teresia cum comite sua et agricola, quem quatuor conductum argenteis, ut per tenebras errantibus viam monstraret, inde a suo tugurio assumpserant. Itineris hujus inter alios comites erant F. Antonius a Jesu et Julianus de Avila, qui sua B. Matri opera in omnibus prope domiciliis fundandis perutilis exstitit.

in alias ædes

110 Salmanticam cum pervenisset, e vestigio domum quæ venalis erat, adiit, ipsam coram inspectura. Optimo quidem hæc sita erat loco, inter comitum de Fuentes et de Monterey domus media : sed bina habebat incommoda. Primum quod feudalis esset ac nonnisi regiis impetratis litteris a possessore posset divendi. Alterum quod adeo quassata ac diruta appareret, ut, quo in formam monasterii aliquatenus instrueretur, mille et amplius aureis expensa staret. Huc quoque illa accedebat difficultas, quod, cum circa festum S. Michaelis diem domus Salmanticæ locari solemne sit, et medio Augusto huc Mater appulisset, tempore illo medio vel structuram omnem perfici, ut ad statutum Archangeli diem huc commigrare liceret (perbreve autem munitioni id tempus erat, cum multa restauranda occurrerent), vel alias in reliquum anni tempus ædes conducere oportebat. Teresia vero, cui ad omnes difficultates superandas robur infractum Deus attribuerat, cum equite paciscens domum ea conditione ab illo comparavit ut ejus vendendæ ipse a rege potestatem impetraret. Manum ergo operi confestim admoveri jubens, atrium sacello assignat atque alia monasterio futuro necessaria loca distinguit; nec non vicinæ domus partem, quo capacius esset sacrarium, coemit. Julianus de Avila operi præsidebat, et ejus designatus inspector, fabros, ut maturarent, urgebat, magna pecuniæ vi in ipsum insumpta. Dies statuta ut adfuit, nondum quidem id plene perfectum erat, sed multa hinc inde adhuc restabant sarcienda, tametsi plures hactenus in ipsum operæ insudassent, et insudarent etiamnum : huc tamen ipsas commigrare fuit necesse, quod ædes in quibus commorabantur, in sequentem annum non conduxissent, et illarum dominus, ut quamprimum demigrarent, instaret. Ergo pridie dedicationis Archangeli Michaelis summo mane huc transiere; in diem vero sequentem indicta erat Venerabilis Eucharistiæ in locum hunc illatio cum sacra ad populum concione et apparatu solemni.

translatum fuit,

111 Verum enimvero Teresiæ ante hanc solemnitatem nonnihil probare Redemptor voluit constantiam. Quo enim die ad has mane convenere ædes (factum id anno MDLXXIII), tanta a prandio cœlo decidit pluvia ut maxima in necessario ex una in aliam domo comportando instrumento subeunda

A eunda fuerit difficultas, et templi jam recenter erecti ædiculæ tectum rimosum aquam transmitteret. Unde fiebat ut qui indictus erat apparatus non quo constitutum erat ritu celebrari posse visus fuerit, nec tamen in alium commode differri diem, quod illo celebrandum jam passim publicatum esset. Non parum ea res Teresiam afflixit; quæ confestim ad eum qui ex omnibus illam solebat adversis eruere, se convertit, et amice cum eo expostulans, aut se hujusmodi in operibus ministram non adhiberet, aut importunæ huic ipse necessitati prospiceret, insigni cum fervore Domino dictitabat. Ut primum festivus illuxit dies, inopinato cœlo toto sol fulgore cœpit nitere; unde summus omnium ordinum factus concursus, et solemni cantu verbique divini prædicatione præmissis, inusitata Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum pompa, magno B. Matris monialiumque gaudio (quæ eodem carentes hactenus tristi quodammodo in solitudine
e vixerant), huc demum illatum est *e*. Quod autem optimo domus hæc esset loco sita, frequentari sæpius a multitudine et populus solito magis erga ipsam affici cœpit : imprimis autem Maria Pimentel, comitissa de Monterey, miro in ipsam ferri studio,
B et subsidiis quibus poterat liberaliter præsto esse. Erat hæc matrona religiosissima et in egenos Deique famulos copiosa eroganda stipe notissima. Nec defuit e cœlo sua submittens auxilia Deus, aliquot statim virginibus hujus sectandi Instituti mentem aspirans.

et cui plures natalibus

112 Unde, etiamnum Teresia Salmanticæ agente, duæ genere illustres sorores (etsi pium altera alterius propositum ignoraret) in hanc cooptari petierunt familiam. Uni nomen erat Francisca de Luna, alteri Eleonora de Ledesma, generosi civis Martini Davila Maldonado filiæ, cujus demum in hæreditatem Joannes de Solis Davila filius successit. Erga ambas affici Teresia singulari amore cœpit, quod de ipsarum probitate, pietate, modestia ac judicio ætatem longe superante (erant enim juvenculæ) multa aliorum e sermonibus comperisset. Has quidem ambas ipsa suum in Ordinem adscripserat; sed cognito deesse Franciscæ (quæ primo aditum sibi fieri postularat) oneri ferendo necessarias corporis vires, sororem illius Eleonoram dumtaxat adlegit, quæ a Jesu est cognomen sortita, et ante biennium illa in domo exactum, magno sui sororibus relicto desiderio, e vita decessit : erat namque
C insigni morum suavitate, humilitate et comitate omnibus cara; et pauxillo illo tempore adeo in via Domini festinavit ut merito in ipsam Sapientis quadret elogium : « Consummata in brevi explevit » tempora multa. » Hæc eo retuli quod beata hæc Jesu Christi sponsa universam a parentibus acceptam hæreditatem una secum in usum cœnobii attulerit; cujus illi fructus hactenus perutilis fuit et etiamnum manet.

ac sanctimonia insignes puellæ

113 Ante has et non ita multo post aliæ in eamdem sunt cooptatæ familiam virgines nobiles, et inter cæteras Anna Solisia, Sueri Alphonsi Solisii filia, quæ in tenera ætate reliquum vitæ cursum generosa mentis constantia ac voluptate Deo libens consecravit. Nomen illi in religiosa vita fuit a S. Trinitate impositum. Illius vero singillatim eo libentius hic memini quod vocatio ejus mira fuerit et singularis. Cum enim jam inde a septimo ætatis anno ad sextumdecimum usque incredibiles in corpore dolores sustinuisset, dum ulcerosum e brachio apostema, quod quodam e lapsu sibi contraxerat, tollere medici allaborant, et eo jam devenisset res, omni deficiente arte et industria, ut eo quo dixi ætatis anno eam chirurgi intermorituram plane affirmarent, nisi a corpore brachium præcideretur, et hunc jam ipsa subire cruciatum sanitatis re- D cuperandæ studio decrevisset, Catharina de Añaya matertera, quæ in S. Elisabethæ monacham agebat et divino erat obsequio addictissima, refragante, res dilata est : hanc enim ipsa fieri sectionem debere insigni animi magnitudine negans, spem potius omnem in Deum conjiciendam, a quo sua esset haud dubie virgini restituenda sanitas, aiebat. Nec multo post id ipsa sibi a Domino cœlitus dixit manifestatum. Tum quoque tam ardens languenti virgini Deo serviendi injectum est desiderium, et firmum adeo perfectionis in Excalceatarum cœtu sectandæ concepit propositum, ut emori prope præ desiderio videretur : quamquam huic corporis debilitas obstare voto videbatur, ut quæ ne feria quidem sexta, ob virium imbecillitatem, carnium esu abstineret. Nemo non, re hac comperta, spem illi votorum adimebat, atque inter reliquos id ipse desperabam; quod, si quidem naturalibus res rationibus metienda esset, nulla affulgere admissionis in hanc familiam spes videretur. Sed tantum quadam die menti illius afflavit robur de cœlo Deus, qui solus hanc perficere rem volebat et poterat, ut illico tum Deo tum Sacræ ejus Matri Instituti hujus E amplectendi votum, si modo valetudinem amissam redderet, nuncuparit. Et eodem etiam spiritus fervore addidit in hujus se rei signum omnem exinde in medicorum ope spem sepositurum, ut soli Deiparæ patrocinio reddita salus adscriberetur.

fuerunt adscriptæ.

114 Ut promisit, sic et medicis valedixit; et quanquam tabe ac sanie brachium fore ut computresceret, videbatur, illorum tamen posthac operam adhibere noluit. Nec sane frustra fuit : sospitatem namque tandem est consecuta, tametsi gemina in brachio plaga superesset. Quocirca apud consanguineos vehementius institit ut sibi liceret per ipsos huic disciplinæ se tradere, ad quam tantopere aspirabat; brachii namque secundum eam quam in Deiparam Matrem conceperat fiduciam sanitatem sibi esse restitutam. Sed fidem apud suos pia virgo non invenit; imo ne patruus quidem Petrus Solisius ante voluit hac de re antistitam cœnobii convenire quam suis esset brachium oculis conspicatus : quod illa cum insigni animata fide haud gravate patruo exhibuisset, sospes id et nullis deforme abscessibus esse comperit; quæ carnis integritas ita quidem constitit, ac si nullum in eodem ulcus ante exstitisset. Tum ergo de illa F admittenda demum agi cœptum est; et ipsa in illam est transcripta familiam, in qua etiamnum magno sui cum solatio vivit. Ut ad cœptam narrationem redeat oratio, cum, Teresia e vivis jam sublata, cum viro illo nobili monialibus minime conveniret, hanc illi cedentes domum, aliam sibi coemerunt, in qua tum nosocomium (a Rosario id nomen habebat) erat; atque hæc ipsa est in qua modo diversantur : in qua singularem Dei opem indies experiuntur, dum de majoribus domicilii commoditatibus ancillis suis illi tota animi contentione famulantibus abunde prospicit. Qua de re plura in præsens possem referre (utpote mihi comperta), sed de superstitibus quam paucissimis semper agere mihi propositum est; tum vero quod de aliis scribere monialibus minime decreverim (singularis quippe de illis texenda esset historia, et prolixa admodum), sed de sola ipsarum parente ac duce Teresia, cujus concinnare Vitam constitui.

AUCTORE RIBERA.

ANNOTATA.

a *Quando Ribera Vitam suam Teresianam edidit, etiamnum*

AUCTORE RIBERA.

A *etiamnum in vivis degebat principissa Ebolensis : cui ne pius scriptor injuriam faceret, plura fundationis Pastranensis adjuncta prudenter omisit, quæ nos* § XXVI *Comm. prævii retulimus.*

b *Quod hic obiter de sua ad Societatem Jesu vocatione Ribera meminit, latius evolvit Ven. Ludovicus de Ponte in Vita P. Balthasaris Alvarez, cap.* XXXI; *ubi etiam plura in Riberæ laudem affert. Plura et nos attulimus in Comment. prævio,* § I.

c *Petrus Gonzalez de Mendoza, e ducibus del Infantado natus, Salmanticensis episcopus factus est anno* 1560, *et non vulgari floruit doctrina, eloquentia ac morum integritate. Tridentini Concilii sessionibus sub Pio IV interfuit, deque earum historia* curiosum formavit commentarium, *ut testatur Nicolaus Antonius in Bibl. Hisp. Nova.*

d *Toto hic anno a vera chronologia aberrasse Riberam, num.* 510 *Comm. prævii demonstravimus.*

e *Prolixius hæc e jurato Ven. Annæ a Jesu testimonio narrata habes in Comm. præv., num.* 571.

CAPUT VIII.

Fundatio Albana. S. Teresiæ iter agendi ratio.

B

CAP. XVII. *Albæ Tormesiæ*

Ut igitur ad inchoatam de cœnobiorum fundationibus narrationem revertamur, ecce, etiam priusquam Salmantinum constitutum esset domicilium, Franciscus Velasquez, ducis Albani quæstor, et Teresia Laiz, illius uxor, Joannis Ovallii et Joannæ de Ahumada uxoris (soror hæc Teresiæ erat, uti diximus) intercessione apud B. Matrem omni contentione institerunt ut Albæ etiam suarum sedem stabilire ne gravaretur. Hanc ob causam cum aliquot Teresia sodalibus Methymna egressa est : sed cum pacisci pro voto non posset cum iis a quibus evocata erat, quod iniquas Institutoque minime congruas conditiones interponerent, resque proinde in longum traheretur, Methymnam, aliis poscentibus negotiis, ipsa revertit; inde vero Vallisoletum, post Toletum, demum Salmanticam, uti jam ante significavimus, profecta est. Vix duo a Salmantina fundatione effluxerant menses, cum rursus Albam ut properaret, importunis ii ipsi instant litteris. Cæterum in hanc illa sedem non usque adeo propendebat, quod, cum nonnisi oppidulum sit Alba, certis stabiliendum id cœnobium reditibus videretur. Sed
C ab hac illam opinione omni quo potuit studio divertere conatus est, uti et alias, Dominicus Banez, qui tum Salmanticæ agebat et Teresiæ a Confessionibus erat, nefas esse hanc ob causam monasterii fundationem intermittere dictitans : neque enim, etsi dotatum id esset proventibus stabilibus, eo minus quæ in eo degunt monachas et paupertatem posse colere et ad perfectionem aspirare. Cujus sententiæ morem gerens Teresia secum statuit Albam cœnobii erigendi gratia excurrere.

Teresia Laiz,

116 Nec vero hic tacendum est quid ad hoc a beata Matre monasterium efflagitandum fundatores moverit; inde enim haud obscure perspici poterit non sine miraculo hanc esse fundationem inchoatam. Teresia Laizia, illustres nacta parentes, toto vitæ tempore summa fuit in Deum religione et moribus Christiana dignissimis; cujus aliquod dare prognosticon jam olim voluisse visus est Deus. Cum enim tertio a nativitate die (quod non adeo gratus illius ortus parentibus accidisset, ut quibus aliæ filiæ non deessent) solam illam in cunis vagientem ab aurora ad vesperam insigni negligentia deseruissent, mulier cui concredita erat, cum compertum haberet quam parum proli cautum esset, aliis nonnullis comitantibus, in conclave irruit, D coram inspectura utrum nondum exspirasset. Ergo pupam in ulnas accipiens, quærere ab ea lacrymosa voce cœpit : « Quid? Christiana non es, filia? » de crudelitate parentum adversus ipsam quodammodo conquesta. Infans illico sublato capite fari cœpit, ac omnibus audientibus dicere : « Christiana sum » : nam quo edita in lucem erat die salutari tincta fuerat lavacro. Exinde vero nullum amplius verbum protulit, donec statam loquendi in pueris ætatem nacta esset. Quo prodigio factum ut erga eam mater vehementius cœperit affici ac sedulam ejus haberi rationem jusserit, diceretque unum hoc a Deo se exposcere, eatenus ut sibi vitam extenderet, quo cernere liceret quid huic puellæ futurum esset.

S. Andreæ Apostoli

117 Jam nubilem parentes collocare in matrimonio dum volunt, refragari Teresia initio et hunc suscipere statum nolle; donec, cognito Franciscum Valasquez suas ambire nuptias, cum illo quam primum contrahere, etsi antea de facie inviso, non abnuit, licet fortasse cur aliis eum procis anteferret, ignoraret, ad hoc connubium introrsum impellente Deo, qui hac monasterium Albanum excitare decreverat via. Post annos non ita multos Salmanticam domicilium transtulerunt; qua in ci- E
vitate Velasquezius opimum ac laudabilem magistratum gerebat. Academiæ quippe erat quæstor et omnium illius censuum curator; unde et sua professoribus stipendia quotannis persolvebat : quo illum munere ibidem fungentem ipse cognovi. Opulenta ac beata conjugii hujus sors erat, sed deerat fortunarum hæres : quam illi orbitatem acerbe ferebant. Prolem ergo summis a Deo precibus ac variis pietatis obsequiis obtinere Teresia satagebat. Sobolis vero desiderandæ alia non erat ratio quam ut sibi defunctæ hæres superesset qui suo nomine ac loco continenter Deum dilaudaret : neque umquam ipsa aliud in hoc hæredis desiderio spectavit. Cognito vero Apostolum Andream suo patrocinio steriles uteros fœcundare, miro erga hunc studio rapi eique orbitatem suam commendare cœpit. Audiit vocantem, intercedente S. Andrea, Deus, non quidem prolem quam poscebat, sed aliam, quæ longe melius ac diutius faceret quod ipsa fieri cupiebat, ut exstaret nimirum aliquis qui sui loco Deum celebraret, petenti elargiturus. Nam hoc ipsa condidit monialibus, uti statim videbimus, cœnobium, in quo inde ab initio ferventes Dei ancillæ
sunt commoratæ, et hodie quoque plurimæ com- F
morantur : de quarum sanctimonia luculentum dare possem testimonium (quod plurimas illarum perfamiliariter novi), nisi duæ me illæ quas superiori produxi capite rationes impedirent. Quin etiam illud ipsum ab aliqua de cognatione illius fieri perpetim Deus concessit. Perpetuo namque jure uni suæ stirpis puellæ nec non uni de mariti progenie esse hoc in domicilio stabilem voluit locum, ut, si cui ea cœlitus mens inspiraretur, sine ullo prorsus censu huc continenter admitteretur.

apparitione

118 Quadam ergo nocte in lecto decumbens auribus vocem accepit : « Noli de prole esse solli- » cita; per hanc enim fieret ut salutis discrimen » adires. » Hæc quidem matronam vox mire perculit, at non propterea a solita deprecatione destitit, cum ea quam in hoc voto habebat intentione fieri non posse sibi persuaderet damnationem ut incurreret : hinc suas pro more preces ingeminat, et pro sobole Deo, patrocinante B. Apostolo Andrea, ferventer supplicat. Hoc ergo dum rogare assiduo pergit, vigilantine an dormienti incertum, oblata visio; sed a Deo illa quidem profecta, uti secutus declaravit eventus. Versari sibi quadam in domo videbatur,

videbatur, sub cujus areæ porticu puteum cernere se putabat. Haud procul inde vernantissimum conspexit pratum candidis perfusum flosculis, adeo quidem elegantibus ut vidisse se similes non meminisset, et quo elegantiam illorum modo explicaret, nesciret. Puteo adstantem Apostolum vidit Andream, forma venerabili ac decora, et ita quidem spectabili ut Apostolum esse clare perspiceret. Magna illius aspectus videntem voluptate perfudit; e quo mox audiit : « Longe alii hi sunt liberi quam » quales ipsa exposcis, » lectissimos illos (ut mihi quidem est verisimile) flores designans. Exinde omne illi sobolis habendæ abiit desiderium, nec jam amplius liberos a Deo expetiit; sed agere cum marito instituit, cum prolem sibi rerum arbiter negasset, dignum Deo opus facturos, si suis e facultatibus monasterium construerent, in quo assidue piæ Deo monachæ famularentur.

aliisque divinæ voluntatis

119 Pio conjugis studio maritus annuit; at displicuit locus in quo ipsum illa erigere in animo habebat : erat is haud procul Alba, Tordillos nomine, natale mulieris solum. Per idem tempus Maria Henriquez, ducissa Albana, Velasquezium ad se evocat, Ferdinandi de Toledo ducis simul et
B suum illum quæstorem creatura. Quem ille magistratum cum inisset, et domum Albæ comparasset, suam huc per litteras conjugem invitavit. Venit illa quidem, etsi perinvita, quod Albana illi displiceret civitas, multo vero magis illæ quas maritus coemerat ædes. Erant namque parum commodæ et paucis cubiculis distinctæ, tametsi optimo sitæ loco ac capaciores. Ut ergo luce postera in aream descendit, et porticum et sub eadem puteum conspexit, statim animo recurrebat hunc ipsum sane esse locum quem per visum jam ante, Apostolo Andrea sibi apparente, conspexerat. Hinc secum ipsa mirari quomodo horum omnium ignarus conjux in hanc incidisset fortuito domum quæ tanto ante sibi esset tempore exhibita. Nec plura inquirens, hoc demum loco monasterium exstruere decrevit. Atque exinde Albana tædio esse desiit commoratio: ac numquam inde recedere statuit. Unde et contiguas comparavit ædes, ad ejus quod moliebantur cœnobii terminos dilatandos. Cogitabat autem secum ipsa assiduo cujusnam potissimum Instituti monialibus locum attribueret : volebat enim eas et numero pauciores esse et studiosissimas solitudinis sectatrices.

indiciis permota,

120 Hac ipsa de re cum variorum Institutorum
C sodalibus communicavit deliberans, ut quod rei divinæ maxime consentaneum foret, ex ipsis disceret : nec minor Velasquezii hac in re erat sedulitas. Verum ii quos consulebant satius asserebant fore suas in alia caritatis opera facultates impendere; et a cœnobii fundandi studio ipsos abducere multis sunt verbis conati, allatis ad hoc parvi momenti rationibus. His ergo rem dissuadentibus, animum etiam ipsa mutavit : se namque satanas, jam tum quod inde sibi dispendii immineret providens, qua poterat ope interponebat. Quamobrem cum a monasterio eam fundando religiosi ipsi essent dehortati, cum marito in eam venit sententiam, ut, potissima fortunarum parte in dotem sororis suæ filio cognatam Velasquezii ducturo tradita, reliquam in mutuum animarum post hanc vitam subsidium piis operibus dedicarent. Id quidem etsi utriusque menti diu insedisset decretum, frustra tamen fuit; cum Deus id constituisset quod nominis sui gloriæ promovendæ et propriis illorum commodis adaugendis magis conduceret. Vix deni et quini effluxerant ab hoc proposito dies, cum is de quo dixi adolescens in gravem adeo derepente incidit ægritudinem ut haud multo post eum mors oppresserit. Hæc ipsam cum non mediocri stupore ac timore complevisset, simul animo recogitabat, AUCTORE RIBERA
uti Jonas Propheta ultricem Dei sensit manum, D
quod illius esset jussis obluctatus, non secus sibi Deo vindicante carissimum hunc cognatum morte sublatum, quod divina exequi monita neglexisset.

monasterium

121 Hinc denuo animum ad inceptam de monasterio condendo cogitationem revocat, etsi quo illam opere perficeret modo, plane ignoraret; tum quod, quales ipsa optabat monachas et Deum optare sibi e viso persuaserat, nullas usquam inveniret, tum quod deesset qui aliquam talium habendarum sibi spem faceret : non tamen deerant qui ipsam irridebant anxie quæritantem quod invenire non posset. Maxime ab hoc illam opere dehortabatur Pater quidam e S. Francisci familia, vir doctrina ac caritatis officiis præstans, cui ipsa Confessione noxas aperire assueverat. Mire quidem hoc illa dissuasu angebatur; sed perbrevem hanc ejus esse desolationem voluit Deus. Cum enim sacerdos hic foras concessisset, et multa de cœnobiis a Teresia a Jesu constitutis inaudisset, et quod in iisdem vitæ servaretur institutum, accurate per se ipse inquisisset, Albam reversus Teresiæ Laiziæ se re-
perisse significat monachas quas adeo sollicite E
quæreret et quales sibi effingeret, cuncta quæ de beata Matre ac sodalibus illius acceperat, illi enarrans. Suasit proinde ut cum ipsa hac de re per litteras conjuges conferrent. Igitur nihil cunctati cum ea quam initio significavi occasione ad ipsam scripsissent, quod jam commemoravi, contigit. Albam igitur Teresia rursus excurrit; sed æquo diutius res trahebatur, ac varia ultro citroque proponebantur incommoda, nec fundatores futuri, ut ea qua oportebat liberalitate proventus assignarent, adduci posse videbantur. Ejus namque semper Teresia fuit sententiæ, ut iis diceret monasteriis quæ piorum non victitarent eleemosynis, vel necessaria omnia in vitæ tutelam suppeditanda, ne quid ab externis in usus suos postulare cogerentur, vel eorum penitus fundationem intermittendam videri.

S. Teresia attribuit.

122 Tandem re transacta, certos illi proventus utcumque sufficientes assignarunt. Itaque, nemine omnino adversante, id domicilium, ab Annuntiatione Deiparæ *a* cognominatum (namque id illi *a*
nomen imponi cupiebant fundatores), VIII kalendas Februarii, anno MDLXXI, die Apostoli Pauli Conversioni sacro, in illis in quibus commorabantur F
ædibus, e quibus ipsi ad alias commigrarunt, fundatum est. Adimpleta igitur hoc pacto fuit Teresiæ Laiziæ facta visio, simul et S. Andreæ Apostoli prædictio : atque id demum esse perspexit viridarium in quo lecti illi et odoriferi excrescerent flores, quales jam tum, Deo dante, excreverunt, suavissimum odorem exhalantes; quin etiam, primoribus occidentibus, novi futuris temporibus succrescent. Hoc ipso loco insigne postmodum fundatores construxere domicilium et ædem sacram non contemnendam, quæ etiam hodie conspicitur *b*; cujus in sacello principe corpora illorum *b*
honorifice condita sunt, et sacerdotia ibidem ab iis instituta : unde Missis abunde illi est ædi prospectum; sacerdotes porro ipsi ut præ cæteris probitate excellant, sedulo advigilatur. Hujus in primordia domus constituenda Agnetem a Jesu, Palentini domicilii jam moderatricem, necnon Joannam a S. Spiritu, quam Toleti reliquerat, B. Mater conduxit; quacum venere Guiomara a Jesu et Maria a S. Sacramento : Methymna vero Thomasinam Baptistam, Burgensi cœnobio hodie præpositam, et Salmantica Mariam a S. Francisco, quæ in

AUCTORE RIBERA.

A præsens Albanum hoc cœnobium regit, evocavit. Joanna porro a S. Spiritu prima conventum hunc ex B. Matris præscripto est moderata, vicariam illi operam præstante Maria a S. Sacramento.

CAP. XVIII. *In itineribus suis*

123 Albano domicilio constituto, biennium circiter abiit ex quo nullum de novo monasterium alibi conditum a Teresia est; cujus rei illæ fuere causæ quas sequentis libri exordio depromam. Quare minime abs re mihi fore visum est, si illius ad novas fundationes properantis itineris rationem prosequendo, huic finem imponam. Si quando aliquo illi erat cœnobio egrediendum, non alias secum sodales conducebat (nisi forte singularis aliqua necessitas singularem aliquam evocandam suaderet) quam quas non illibenter norat secum suaderet) quam quas non illibenter norat secum venturas; quibus deinde verbis amicabilibus ac benevolentiam spirantibus gratias agebat, quod gratanter hoc ad iter se offerrent. Die quo discedendum erat, sacrum ut Eucharistiæ viaticum acciperent, satagebat. Ut autem major proficiscentium quies atque interior recollectio esset, rhedis aut lecticis illas, si commode haberi possent, semper vehi optabat, ne per viam vel in hospitiis monachæ malignorum paterent contemptui, et obscœnis ser-
B monibus hoc pacto libertas præcluderetur, quibus aliæ passim fœminæ, præsertim inopes et nullius auctoritatis, ab impuris excipi per iter solent : atque hanc ob causam exteriori schemate esse eas matronis spectabilibus similes volebat. Si rhedæ commoditas non suppeteret, curribus eas, sed clausis undequaque, subvehi curabat : unde non minus in iis ab aliorum conspectu arcebantur, quam si cœnobiorum claustris arctarentur.

modestiæ, recollectionis

124 Acriter item increpabat, si quam videret velo os vultumque non satis obtegere, quotiescumque ab externis conspici posset. Ipsa vero licet vel mulierem alloqueretur, velamen semper demittebat, nisi forte cum id genus homine sermonem conferret, cum quo ita ne fieret, justa aliqua suaderet ratio. Tintinnabulum semper assumebatur, quo orandi et silendi suo tempore signum dabatur, prout domi fieri solebat; nec non clepsydra ad horarum spatia interstinguenda. Toto autem illo tempore omnes itineris socios, tam religiosos et sacerdotes quam laicos, cum dominos tum famulos, silere oportebat; nec pia hæc quemquam consuetudo offendebat. Ubi vero signum dabatur invicem confabulandi, jucundum erat videre ecquo famuli
C gaudio gestirent, quasi jam vinculis soluti. Quibus etiam, quod accurate siluissent, aliquid pia Mater amplius in cibum dari præcipiebat. In carpento curruve quo ipsa non vehebatur, aliam quamdam designabat cui socias non secus ac sibi parere volebat. Hoc illa facto non obedientiæ dumtaxat aliarum periculum faciebat; sed etiam talenti illius quam inspectricem crearat, quod ad alias regendas præ se ferret. In diversorium simul ac appulissent, conclave quoddam secretum occupabant, in quod se solæ ipsæ includebant, reliquis comitibus exclusis : illius ipsa ostiariam constituebat, quæ cibaria cæteraque necessaria inferret. Si tenue in diversorium aut domunculam pervenissent quæ secretum non haberet cubiculum, rudi quodam panno intermedio suarum distinguebat cubilia, ne ab alio quopiam curiosius conspicerentur; atque inde necessaria inferebantur. Ipsa mane socias prima somno excitabat, postrema vero cubitum concedebat.

ac pietatis

125 Numquam non sacerdotem in comitatu habebat, qui et confitentibus operam daret et rem sacram faceret. Hoc quotidie operum ipsi erat primordium; sub Sacrificium autem sacras Eucharistiæ epulas inibat : idque, etsi maximopere festinaret, nunquam, modo necessarius adesset apparatus, intermitti patiebatur. Aquam lustralem per viam continenter habebat, non raro etiam pueruli Jesu effigiem ulnis gestabat. Ex quo fiebat ut nullam ei iter afferret animi distractionem nec magis eam turbaret profectio quam commoratio, negotiorum tractatio quam quies, labores quam tranquillitas : imo vero spirituales sensus ac charismata quibus illius animam Pater cœlestis opplebat, adeo copiose affluebant ut iis ferendis aliquatenus mentem diurnis nocturnisque laboribus atque negotiis distrahi oporteret. Nec vero itineris causa spiritus collectione aut Dei præsentia frustrabatur : quem nimirum adeo sibi semper præsentem habebat ut vix umquam eum ex animi oculis amitteret; non tamen eo quo reliqui contemplativi modo, sed alio quodam longe sublimiori. Ibi namque, in intimis animæ penetralibus, trium Personarum divinarum præsentia perfruebatur, easque admirabili quadam ratione in se persentiscebat, ut ubique sibi adesse eas et comitatum præstare sibi persuaderet. Hinc nullam sentiebat solitudinem; imo neminem unquam alloqui optasset, sed jucunda hac Dei societate continenter potiri D

126 Si quando tamen se cum aliis loquendi daret occasio, mira cum lætitia id faciebat, quasi hoc illi colloquium jucunditatem afferret, ut nimirum hoc pacto itineris sui comites solaretur : quorum ea erat lubentia et in proficiscendo alacritas, nullis ut viarum molestiis deterrerentur, et nulla eos illius, quæ in colloquio comis imprimis ac jucunda erat, audiendæ caperet satietas. Si quando per viam dabatur occasio, de Deo rebusque divinis sermonem inferebat, quo suos comites amice detinebat. Qui vero vel execrari vel jocari per viam soliti erant, majorem illius e verbis voluptatem hauriebant quam ex omnibus quibus tum mentem remittere potuissent recreationibus; uti id ipsi interdum asserebant. Etsi vero placida adeo ac quieta itinerum illius esset ratio, præoptasset tamen illa, si fieri aliquatenus potuisset, intra sui monasterii latebras delitescere, ut inibi orationi totam se dedicaret. Sed hinc Generalis Præpositi, illinc ipsiusmet Christi urgebat imperium, ut quotquot liceret cœnobia construere ne cunctaretur. Jam supra in Malagonensis domicilii erectione vidimus quodam illi tempore a sacra cœlestis Sacramenti sumptione reversæ apparentem Salvatorem inter reliqua dixisse non esse jam requiescendi tempus, sed ut F in monasteriorum erectione festinaret, esse cohortatum, quod in animabus ibidem commorantium quietem ipse captaret, itaque ad hoc illam opus non parum animasse. E

summam curam Sancta habet.

Sæpe hortatur illam Deus

127 Anno quoque MDLXXI, medio prope Februario, sic illam Redemptor est affatus : « Con» nitere et elabora, cum ad oculum videas quanto » ipse tibi sim auxilio : hanc te volui coronam » acquirere : hisce diebus Ordinem Virgineum mi» rifice propagatum videbis. » Sequentia verba in quadam scheda illius exarata manu reperi : « Co» gitanti mihi quadam die quanta in puritate viva» tur ab iis qui procul negotiis quiete gaudent, » et quotnam me proinde consciscere noxas opor» teret atque in varia errata impingere, quod ne» gotiis me immergerem, allapsa de cœlo vox est : » Aliter fieri nequit, filia; rectam dumtaxat habere » intentionem allabora, teque ab omnibus prorsus » denudare : meque respice, ut quidquid agas, » conforme sit illis quæ ipse egi. » Qui horum conscii non erant, nec Teresiam noscebant, neve charitatem qua cor illius ad Dei ac Sanctissimæ Mariæ Virginis gloriam quærendam animarumque salutem

A salutem promovendam flagrabat, perspectam satis habebant, sæpenumero iniquis ipsam calumniis proscindebant, et hæc illius itinera secus atque oportebat interpretantes, liberius quam fas erat de illis loquebantur; cum non adverterent nec intelligerent quid loquerentur, vel potius quid, se insciis, suo ore dæmon efferri ac spargi juberet, omni contentione elaborans ne hæc cœnobia erigerentur, unde sibi quotidie tantum detrimenti accedere comperisset.

ut plura fundet monasteria.

128 Verum probra hæc B. Mater parum morabatur : ut enim Salmanticæ ipsa mihi aliquando dixit, Jesum Christum ut regem habebat, cui se famulari oportere credebat; cumque perspectum haberet Dei hæc voluntate fieri, nullum penitus sibi a quoquam obstaculum posse objici aiebat, quo minus hanc exequeretur. Quodam tempore, quæ illius erat humilitas ac prudentia, hanc ipsa rem agitare animo cœpit ac mature cogitatione expendere; unde et hæc verba in schedula exaravit : « Quadam die, cum mecum ipsa reputarem num » quibus nefas videbatur me domo ad monasterio- » rum fundationem egredi, justa aliqua ratione » niterentur, ac satiusne foret continenter me ora-
B » tioni insistere, hæc ad aures meas vox accidit : » Interim dum vivitur, non in eo situm est bonum » ut suavius ac frequentius quis me potiatur, sed » in voluntate mea præstanda. » Unde etiam subnectit : « Cumque mihi videretur, quod Apostolus » Paulus de mulierum solitudine loquatur, ut haud » ita pridem a nonnemine intellexi et etiam ante » audieram, hanc forte Dei voluntatem fore, statim » audivi : Dic illis non uno se dumtaxat sacrarum » litterarum testimonio niti oportere, sed alia in- » super consulere : simul et percontare num forte » in illorum sit potestate manus meas ligando con- » stringere. »

ANNOTATA.

a *Alias etiam Albanum hocce monasterium* Incarnationis *dicitur, v. g. in instrumento visitationis corporis S.* Teresiæ *anno* 1750 (*Comment. prævi. num.* 1417).

b *Num.* 1434 *Commentarii prævii brevem exhibuimus hujus ecclesiæ descriptionem ex Itinerario Antonii Ponz.*

C

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

De excellentia Constitutionum Teresianarum earumque conservatione.

Præstantissimæ sunt S. Matris regulæ;

Quando primæ regulæ quam Mater Teresia a Jesu induxit, simul et constitutionum ac decretorum quæ quo prima regula observaretur accuratius, magna cum prudentia ac Dei spiritu ipsa de suo condidit, perfectionem considero, simul et itinerum frequentiam, labores, incommoda, molestias, quas in erigendis domiciliis suis perpessa est, non possum non summopere velle ut prima hæc statuta atque additæ constitutiones numquam non quam accuratissime observentur, et ut filiæ quæ illis in domibus agunt, plenam notitiam habeant maximi illius beneficii quo pede sicco et sine labore ad tanto sudore renovatum et conditum Ordinem a Deo sunt evocatæ. Neque enim id aliud est quam ad mensam lectissimis spiritualibusque ferculis instructam accedere. Et sane quo hæc instructio epuli minori constitit iis quæ ad hoc vocantur, eo ad majores domino hominique huic qui cœnam hanc magnam instruxit et ad eam plurimos invitavit, gratias agendas a parte sua obligatæ sunt. AUCTORE RIBERA. D

quas mutari nefas :

2 Nec vero solis verbis, verum etiam operibus hæ grates agendæ sunt, utpote in quibus illarum actio magis ac vivacius elucescit. Operum nomine intelligo constitutiones has in suo vigore semper conservare, easque velut quid sacrum et summa veneratione dignum honorare, nec aliud insistere aut sectari iter velle quam quod illæ indigitant. Est namque certissimum id iter et ad cœlum quam rectissime perducet. Tum vero in vigore conservantur et venerationem accipiunt, quando ita inviolatæ custodiuntur ut nihil in iis a quoquam immutari sinatur; siquidem tam maturam in illis condendis considerationem et experimentum ac tot precationes illarum concinnatrix magno cœlitus adjuta lumine adhibuerit. Quis porro adeo cæcutiat ut non ad oculum videat, cum Deo beatam Matrem Teresiam a Jesu in horum domiciliorum fundatricem potius deligere placuerit quam aliam quamlibet, etiam majorem illi rerum ad ipsa regenda conservandaque necessariarum notitiam concessisse E quam aliis quibuscumque? Nam Dei semper perfecta sint opera. Cum vero harum constitutionum præsidio hactenus cœnobia effloruerint et continenter majora incrementa acceperint, inde colligi licet eas Ordini congruere : si has immutari contingeret, nec scimus quid esset futurum. Quin potius si aliqua in iisdem mutatio fieret, aliquid auctoritatis ac reverentiæ ipsis debitæ decederet; nec servaretur quod mutatum esset, utpote jam ablatum, nec quod recens statueretur, quia auguraretur id nullo negotio demptum propediem pariter iri. Quod sane incommodum serio pensari et considerari oportet.

quamobrem curent priorissæ

3 Sua autem ire via est nec e libris spiritualibus quos legere continget, nec ex iis quæ audientur concionibus, nec e confessariorum consiliis, ad praxim quidpiam mutuari quod regulæ huic ac constitutionibus, etsi de cætero saluberrimum videatur, quoquomodo adversetur : nam, licet id aliis fortasse conducat, non tamen familiæ hujus monialibus, si spiritui procedendique rationi ejus id conforme non sit. Quoniam vero Teresia decrevit suisque in libris inculcavit ut sui Instituti sectatrices de iis quæ ad spiritus sui directionem spectant, cum viris eruditione et spiritualium rerum experientia præstantibus communicarent, et quoniam non sine ratione ad hoc fortiter suadendum commonendumque multoties ferebatur (quod ingentia et manifesta, id ni fieret, inde sequerentur incommoda), præpositæ omnem quam possunt adhibere diligentiam debent ut hi qui consuluntur viri non sint docti modo et experientissimi spiritualium disciplinarum magistri, sed et ut norint hi quis Instituti hujus sit scopus quæque aptissimæ illius assequendi sint rationes, atque ut bene affecti sint ad Ordinis disciplinam. Non de illis hæc dicta volo quos nonnisi semel aut iterum consilii petendi gratia convenire contingit, sed de illis quos vel sæpius vel continenter consulere oportebit. F

ne virorum ignarorum

4 In iis autem quibuscum frequens sermo fit, is facile notari affectus poterit : imo nec incongruum fuerit aliquando de his studio per speciem dubitantis sermonem miscere, ut illi libere quod sentiant, exponant; et si is quem dixi affectus atque æstimatio minime reluceant, confestim, cujuscujus status sint aut Instituti, loco sunt movendi. Notandum autem hanc quam significo dotem ac studium non in hoc illove sacræ vestis genere situm esse, sed

AUCTORE RIBERA.

sed quod huic quam dico rei studuerint, et parum referre hujusne an illius Instituti sint sectatores, modo ætate, rerum usu ac scientia valeant; etsi hæc eo non dicam quod velim impedire quominus cum viris probatis, religiosis æque ac sæcularibus, de rebus suis conferant : ita enim per speciem, dum constitutiones exacte servari ab illis volo, tacite et dissimulanter ipsis constitutionibus adversarer, adimendo monialibus eam quam statuta illis spondent (ut e sexto statutorum capite cernitur) libertatem et præsidium. Trium prædictarum dotium in consultoribus si vel una defuerit, multum inde consulentibus accidere detrimenti poterit. Si enim illi ignari sint, peccatum invenient ubi nullum erit, et contra, ubi suberit, nullum subesse asserent, et quod illusio mentis est, velut rem exploratam approbabunt, quod vero securum est, pro meris habebunt præstigiis.

noxiis consiliis

5 Si vero exiguum harum rerum habuerint usum, nec a dubiorum ac perplexitatum pedicis animas expedire nec consolationem mœrentibus afferre poterunt; demum quod est tentatio, pro Dei venditabunt spiritu : unde nec idoneum morbo pellendo remedium afferre, nec convalescentibus præscribere salutaria sive ad vires recuperandas sive ad sanitatem conservandam poterunt monita. Duo quidem hæc nemo non perspecta habet; tertium vero non tanti referre forte quis existimat, imo forsitan nullam ejus habet rationem, tametsi id necessarium sit quam maxime. Si enim quis consuetudinum in Ordine observari solitarum ignarus aut qui eas magni non pendat, dirigat animas, fieri poterit ut brevi alienus quidam et peregrinus spiritus eam Religionem sit occupaturus, ita ut plures constitutiones vel minime serventur vel quid aliud convenientius esse sibi moniales persuasum habeant.

moniales ab his regulis devient.

6 Hoc pacto fiet ut, quæ laudabiliter hactenus vixit monialis, post futura sit non magis Ordinis hujus quam alterius cujuslibet sectatrix, una excepta veste, quæ tamen monacham non constituit. Eatenus cum rem diabolus perduxerit, non parvum quid se fecisse reputabit; nec immerito : postquam enim negligere monacha cœperit quæ suæ sunt Religionis, jam religiosa esse desinet, tametsi et vestem deferat et Ordinem profiteatur, id est, nonnisi exterius religiosæ schema habebit, et ne hoc quidem perfecte : adhæc constitutiones suas violabit, et ut eas aliæ ad ejus exemplum violent, in causa erit, atque domesticam quietem perturbabit. Utinam hæc, uti pernecessaria sunt, ita cordibus infigantur earum quæ cœnobiis præfuturæ sunt moderatrices; si enim suis illæ desint partibus, tandem quod inde sequetur dispendium reipsa comperient. Ex iis vero quæ partim secundo diximus libro, partim quæ tertio hoc prosequemur, intelligi poterit quis Religionis hujus sit finis, quæ media et quæ illius procedendi ratio; atque id e quarto erui melius adhuc poterit, in quo universa hæc in perfectissimo quod exhibebimus exemplari ad amussim executioni mandata conspicientur.

CAPUT I.

Prioratus cœnobii Incarnationis Abulensis Sanctæ commissus. Fundatio Segoviensis.

Sub idem, de quo modo dicebamus, tempus, annum scilicet MDLXXI, Albano jam domicilio fundato, Teresia una cum Agnete a Jesu Salmanticam revertit, suas illic moniales, commoda tecti opportunitate destitutas ac rerum necessariarum penuria laborantes et nondum in vulgus cognitas, dierum aliquot spatio coram consolatura et erectura. Hoc cum substitissent loco, Methymnam ambæ deferuntur, turbas quæ ibidem inter novitiam ac parentes ejus enatæ erant, Teresia ut componeret. Illa fortunæ suæ partem in monasterium pauper transcribere cum vellet, obstabant parentes, id sibi potius donarium deberi asserentes. Hoc loco pro divino honore susceptos Teresiæ labores Deo visum fuit aliqua ratione remunerari, animæ illius lucrum addendo. Hujus rei penitus cognoscendæ ergo dicamus oportet unum Abulensem conventum Ordinario loci paruisse, reliquos vero postea erectos Patrum Carmelitarum Calceatorum imperio subjectos fuisse; quo Teresia etiam propenderat, cum primum Abulæ conderet cœnobium. Cum autem hac in controversia Teresia et Agnes neophytæ partes, uti par erat, tenerent, Carmelitani vero parentibus faverent, hanc commodam ipsi ejus quam moliebantur rei occasionem fore sibi persuadebant, ad eas scilicet civitate movendas. Adhæc non parum eos Teresia offenderat, quod Agnetem a Jesu, cum Methymnæ præpositam ageret, suo injussu inde evocatam, Albam ad novi cœnobii primordia constituenda avexisset. Omni hac in re Teresia vacabat culpa, utpote quæ inadvertenter in eadem processerat : cum enim a superioribus facultatem fundandorum monasteriorum obtinuisset, et solam proficisci minime decens fuisset, eas in comites suas assumebat quæ sibi rei quam aggrediebatur et præ manibus habebat, commodiores viderentur.

CAP. I. *Sanctam, a Carmelitis Calceatis male habitam,*

2 Ergo ambabus nihil minus opinantibus litteras provincialis destinat, gravibus propositis pœnis et anathematis interminationibus, ut illico et eodem quidem die ambæ Methymna excederent, ac Teresia de Quesada monasterii illius moderamen susciperet. Id minime diuturnum fuit; cum enim hæc parum commoda uteretur valetudine, haud multo post ad Incarnationis rediit : unde factum ut semestri circiter Methymnensis domus præpositam non habuerit. Ad has ambæ litteras nihil objectantes, gratanter maxima animi demissione parent, et nihildum cunctantes, convasatis dumtaxat iis quæ sibi ad iter faciendum et in commeatum necessaria erant, eadem ipsa vespera civitate excedunt, Albam concessuræ. Eo prope tempore cum sanctæ memoriæ Pius Papa V quosdam Ordinum religiosorum visitatores constituisset, familiæ Carmelitarum tam Calceatorum quam Excalceatorum inspector obtigit Petrus Hernandez præsentatus e Dominicanis sodalibus, insignis auctoritatis, prudentiæ ac sanctimoniæ vir. Huic jamdudum Teresia nostra perspecta erat; cum enim initio de illa non pie satis sentiret, utpote cum illius sanctitatem famæ quæ de ipsa jam omnium animis insederat, respondere minime arbitraretur (etsi maximæ auctoritatis viri longe secus sentirent et ejus spiritum magni facerent, imprimis Dominicus Bañez, S. Theologiæ lector, utpote cui res hæc notissima erat), cum ipsa conferre statuit et coram quæ de ipsa spargebantur, cognoscere. Ita porro illi beatæ Matris satisfecit narratio ut multa de ejusdem virtutibus sæpe dein ipse referret, et eximius ejusdem fieret

visitator apostolicus

præco; etsi alioquin nihil ipse nimis extollere nec quod res non erat, commemorare soleret. Unde et Bañezio post familiari in sermone dicere non dubitavit : « Dictum mihi erat mulierem esse : at » mulier

FORMULA PROFESSIONIS S. TERESIÆ.



Digo yo tereſa de Jeſus, mõja de ñra ſr.ª del carmen, profeſa, en la encarnaçion, de avila, y agora de preſente, eſtoy en ſan Joſeph, de avila, adonde ſe guarda la primera ffegla, y oſta agora, yo la e guardado, aqui, con liçençia de ñro ff.mo p.e general Fray Jn.º bautiſta, y tambie me la dio, para q̃ aunq̃ me mandaſen, los pre lados, tornar a la encarnaçion alli la guarde ſe, eſtuj bolunta de guardarla, toda my vida, y anſi lo prometo, y ffennnçio, todos los bene ſ, gayan dados los ponti fiçes, para la mjtiga çion, de la dicha primera affegla, q̃ con eſta bor de ñro ſr.º la pie ſo y prometo guardar, aſ ta la muerte, y por q̃ ſea verdad lo firmo, de my nonbre, eſta a xnj dias, del mes de Junio, año de JUDLXXJ,

tereſa de Jeſus,

Vid. Riberam, lib. III. Cap. I.

A » mulier non est, sed barbatus quidam vir. » Inque ea opinione apud ipsum Teresia erat, ut, cum eo præsente viri aliquot graves ejus nomen carperent et calumniis impeterent, insigni cum libertate dicere illis objurgando non vereretur : « Tam san- » ctæ virgini verbis detrahi minime feram; atque » illico me, si hisce in sermonibus ulterius pro- » grediamini, hinc subducam. »

cœnobio Incarnationis Abulensi præesse jubet.

3 Abulæ igitur Teresia cum postea versaretur, Petrus Hernandez, apostolicus visitator, forte eo deportatur : cui tum ait minime illam domui huic necessariam videri, sed satius longe fore, alio si concederet, ubi illius opera esset magis necessaria. Methymnam ergo abire jubet, quod, cum Calceati Carmelitani illam lustrassent domum, ea priorissa quam Teresia inibi constituerat loco mota, aliam Teresiam, cognomento de Quesada, substituissent, uti jam me dixisse memini. Inde monialibus nonnihil accidit inquietudinis. Hernandez, ut his occurreret incommodis, beatam Matrem Methymnensi domicilio, suffragantibus eidem monialibus, præposuit, et ab Abulensi S. Josephi domo, cui etiam tum præerat, submovit. Duobus tribusve mensibus tantum in eo munere egit. Cum enim is ipse
B Hernandez Incarnationis Abulæ itidem cœnobium lustrasset, consultissimum illi atque e re monastica non parum futurum videbatur huic Teresiam præponere, ut virtutum ejus exemplis aliam domus illa formam induceret. Grave id famulæ Dei imperium accidebat, quod suis in cœnobiis versari mallet, in quibus majori se tranquillitate potiri majoremque Domino serviendi opportunitatem habere existimabat. Eo vero ab hoc jusso alienior erat quod se suis maxime necessariam monasteriis ad ea coram inspicienda ac dirigenda esse cerneret, quibus, ibidem agens, non adeo commode se posse consulere persuasum habebat.

Quod illa jussum divino monitu,

4 Quem enim ad modum concreditas sibi domos provincialis moderatur, sic Teresia suas gubernabat, et singularum ad illam unam negotia per litteras referebantur, atque vicissim ipsa quid faciendum videretur, respondendo rescribebat; et ipsa religiosas tam spiritui vacantes quam destinatas operibus domesticis adlegebat distribuebatque per sua domicilia, ac iis omni in re præsto erat : ita ut sane prodigii simile videatur mulierem adeo imbecillem, tot excruciatam morbis, solam tot negotiorum pertractationi suffecisse, et ad eum per-
C fectionis ac sanctitatis gradum suas perduxisse, ac tot domiciliorum temporalibus æque ac spiritualibus commodis prospicere potuisse, ita hæc curando ut tamen illa non negligeret, idque procellosis temporibus quibus exagitabatur a malevolis. Hanc quoque in parendo huic mandato difficultatem augebat amor quo in moniales suas ferebatur, dum illæ in magna solitudine ac velut orbitate, matre absente, versaturæ viderentur. Quocirca cunctabatur, nec rem qua oportuisset celeritate urgebat : unde nec ante huc concessit quam id acciderit quod ipsa manu sua scripto commisit in hæc verba *a* : « Cum post octavam festi Visitationis Dei-
a *b* » paræ *b* in quodam Carmeli secessu agerem, Deo » commendabam unum e fratribus meis, qui in » loco versabatur in quo periclitabatur ejus salus, » eique (nescio an animo dumtaxat) dicebam : Si » ego, Domine, tuum fratrem in tali discrimine » viderem, quid non facerem? Nulla videtur mihi » esse res tam gravis quam ego lubens eo casu » pro fratre tuo non subeam. Ad quod respondit » mihi Dominus : O filia, filia! Incarnationis mo- » niales sorores meæ; et tu tergiversaris. Macte » igitur, ac cogita id me velle neque id tam ar- » duum esse sicut tute tibi fingis; atque unde » putas domos tuas detrimentum passuras, inde » commodum accipient simul cum illa Incarna- » tionis. Noli igitur obluctari; magna enim mea » est potentia. »

AUCTORE RIBERA.

D

edito prius regulæ primitivæ servandæ voto,

5 His illa rationibus ita mota est ut nihil cunctata visitatoris jussis quamprimum paruerit. Quatuor post diebus in S. Josephi Abulæ cœnobio solemni ritu mitigati Ordinis regulam a se abdicans, ad primigeniæ observationem voto se adstrinxit. Hic lectorem moneamus oportet, Teresiam, ut sua in S. Josephi commoratio nullis malevolorum pateret calumniis, ab apostolicæ Sedis legato Alexandro Cribello Cardinali litteras, Madriti die XXI Augusti anni MDLXIV datas, quas et ipse vidi, impetrasse : quibus copia illi fit, accedente provincialis sui consensu, ex Incarnationis cœnobio, in quo vota jam olim conceperat, egrediendi et ad suam S. Josephi domum transeundi; quibus illam ab omni etiam jure quod Incarnationis moniales in ipsam exercere possent, penitus exemit. Etsi vero has ipsa litteras a legato obtinuisset et jam inde ab initio mitigatæ regulæ rite nuntium remisisset, ut ex ipsis quæ mox afferam formulæ renuntiatoriæ verbis colligi licet, tamen, quod E Hernandezius decretum tulerat ut quæcumque a Calceatis ad primitivum Excalceatarum transire rigorem vellet, solemni formula coram populo mitigatæ regulæ se valedicere profiteretur, prima hanc concipere Teresia reliquarum dux voluit. Abdicationis verba schedæ inarata, ac chirographo suo consignata, quæque ipsa publice multis gravissimis adstantibus viris prælegit, sunt hæc *c* : « Ego Teresia *c* » a Jesu, Carmelitani Ordinis B. Mariæ in mona- » sterio Incarnationis professa Abulæ, et quæ » modo sum in S. Josephi Abulensi conventu, in » quo prima regula servatur (quam hactenus hic » secuta sum cum venia Reverendissimi Patris » nostri F. Joannis Baptistæ Rubei, qui et mihi » copiam fecit ut eamdem in Incarnationis quoque » sequi possem, si superiores me illuc redire ju- » berent), coram omnibus testor me toto vitæ tem- » pore servare illam velle, simul etiam voto ad hoc » me obstringo, ac renuntio omnibus quæ Ponti- » fices ad prædictæ primæ regulæ mitigationem » concessere diplomata. Et divina favente clemen- » tia hanc ad mortem usque inviolatam servare » cogito ac spondeo. Quod quia veritas est, meo » id ipsa nomine firmavi. Decima tertia Julii die, F » anno MDLXXI. TERESIA A JESU. »

obedienter exequitur.

6 Hæc illius IX Octobris ejusdem anni a P. Visitatore admissa fuit abdicatio, et pro ea quam ab apostolica Sede receperat potestate ab Incarnationis illam jure exemit et sub conventuum primæ regulæ jura redegit, ac Salmanticensi conventui eam adscripsit, etsi Incarnationis monialibus tunc præesset. Porro Hernandez ipsam in Incarnationis cœnobio præpositam constituendo maxima, uti et in reliquis quas gessit rebus, usus est prudentia. Magnæ namque per id tempus hac in domo rei familiaris erant angustiæ, cum nemo cibariorum subsidia monialibus suppeteret, nec domi haberent quo sustentarent sese; ita ut petendam sibi licentiam dicerent adeundi ædes suorum a quibus necessaria vitæ alimenta acciperent. Cum autem tantus ibi esset monialium numerus tantaque domi penuria, magna præbebatur occasio imminuendæ recollectionis et disciplinæ monasticæ. Quibus mederi incommodis ille nullam melius posse quam Matrem Teresiam a Jesu persuasum habebat. Ergo pro ea quam habebat ut visitator apostolicus potestate, rem perfecit, etsi de illa prius cum Carme-

AUCTORE RIBERA.

litanis Fratribus mitigatis in unum vocatis locum deliberasset; quorum omnium atque etiam diffinitorum accedente consensu, id visum est expedire et justum fieri : ita ut non electione monacharum Incarnationis ad id munus Teresia assumpta sit, sed magis multis earum invitis. Quare dum huc primum Teresia suum exercitura officium transiret, parum amice excepta fuit, etsi a provinciali ejusque sociis eo conducta esset.

Subditarum animos sibi conciliat,

7 Magnæ illius adventu in cœnobio excitari cœperunt turbæ, monachæque viritim se Teresiæ opponebant, et quas iracundia suggerebat injurias, large evomebant. Adhæc illarum partes tenebant proceres aliqui incolæque civitatis. Ut provincialis illis in chorum inferiorem convocatis prælegit suæ auctoritatis fidem facientes litteras, illico sorores aliquæ quæ severioris erant vitæ ac cæteris religiosiores, crucem arripuerunt, ut Teresiam exciperent, atque Fratres fortiter eam introduxerunt. Tum quæ contra nitebantur, vocem tollere et lamentis ac lacrymis cuncta complere. Primæ, magno mentis jubilo, hymnum « Te Deum » in gratiarum canere actionem, posteriores contumeliosa in ipsam convitia evomere. Sed has beata Mater, insigni cum tolerantia atque animi prudentia, illarum factum, quoad poterat, excusando, sensim delinitas suas in partes pertraxit, ut tandem ipsam in præpositam assumere minime dubitarint. Quæ autem cæteris pervicaciores majori antea illam contentione ac conatu domo excludere studuerant, sequc difficiliores in ipsa assumenda præbuerant, pacari paulatim ac mitius agere postea cœpere, ut nulla non domi fuerit quæ filiali in ipsam amore non ferretur, ac diutius apud se eam habere quam licuit, non optaret. Tum vero Vallisoleto Teresia evocat Isabellam Arias, quo eam loco antistitam jam ante crearat, quod id illi esse necessarium itaque expedire videretur : hanc igitur dissimulanter ac velut aliud acturam Abulam evocatam sociam sibi in regendi officio in Incarnationis esse jussit; illius vero in locum Vallisoleti Mariam a S. Joanne Baptista, quæ multos eidem loco annos cum laude præfuit, subrogavit. Illico autem tam in monasterio quam in monachis haud difficulter perspici potuit quam sancta probataque ab antistita regerentur.

earumque profectui spirituali

8 Insignis enim apparere cœpit rerum ad spiritus exercitationem spectantium ordo, ac suaviter blandeque eæ ipsæ ordinari ac dirigi, ut nova indies in singulis morum eluceret correctio atque emendatio : qua delinitus temporalium etiam rerum moderator ac largitor Deus de necessariis vitæ opportunitatibus ac commodis abunde adeo ancillis suis prospexit ut nulla exinde illarum laborarint angustia; sed re familiari laudabiliter atque ordine certo constituta, nihil hactenus illis umquam defuisse compertum est. Atque ut Labani, ad Jacobi introitum, benedictione sua Altissimus familiam complevit, et Putipharem, quod Josephum haberet famulum, omnigenis cumulavit bonis, amborumque in immensum adauxit substantiam, ita suam huic est gynæceo benedictionem elargitus, ex quo illius sua famula Teresia regimen directionemque suscepit, et in aliam longe id formam ac faciem, quam etiamnum hodie retinet, admirabili potentiæ suæ virtute commutavit. Non sine prodigio id factum dicas : sub prima enim quæ hic Teresia egit Quadragesimæ jejunia tam crebro in cœnaculo mortificationes capessebantur, aliaque pia quæ sancta Mater pietatis fovendæ causa excogitabat exercitia adeo erant frequentia ut quæ in Excalceatarum domibus usurpabantur, his non dico æquari, sed cedere debere viderentur. Hoc etiam pietati ac fervori adaugendo prudenter instituit, ut duos iis attribueret, visitatoris bona cum venia, e Patribus Excalceatis, qui illis confitentibus operam darent et animarum curam haberent, quorum opera et industria permagno fuit ad monasterii reformationem præsidio. His per civitatem cognitis, fiebat ut permulti Deum deprædicare ejusque nomen mirificis præconiis efferre instituerint. Interim Teresia suis non deesse domiciliis, illorumque necessitatibus omni qua poterat ope prospicere, atque Apostolum Paulum e carceribus, in quibus constrictus coercebatur, scriptis Epistolis sparsas per orbem ecclesias consolantem et regentem imitata, hoc e monasterio, in quo superiorum jussu velut conclusa tum tenebatur, ad sua monasteria scribere, suasque filias quaquaversus dispersas consolari et ad perseverantiam animare. Ante omnia instituit ut in cathedra priorali, in choro constituta, quædam Deiparæ Matris effigies collocaretur, cui tum ipsa domum et ejusdem claves concredidit : exinde nullius se esse numeri apud suas dicens, Sanctissimam Virginem, cujus in tutela familia hæc versabatur, veram ejusdem esse præpositam quæ ipsas gubernatura esset, pronuntiavit.

egregie consulit.

9 Quam hoc acceptum Dei Matri fuerit obsequium, haud multis post diebus id ipsa Teresiæ manifestavit, quæ hanc ab illa factam sibi apparitionem scripto etiam commisit in hæc verba *d* : « In » Sebastiani Martyris vigilia, primo mei in Incar» nationis cœnobio prioratus anno, cum vesper» tinæ Sanctissimæ Dei Matri Laudes cantari jam » inciperent, in antistitæ exedram, in qua Deiparæ » imago collocata erat, benedictam Dei Matrem » vidi innumera Angelorum stipatam multitudine » descendere, ac prout mihi videbatur, eodem in » sedili considere. Effigies quam posueram, tum » abesse inde videbatur, sed ejus loco sola B. Virgo » Maria apparebat : quæ facie aliquatenus similis » illi videbatur imagini quam a comitissa acceperam; quamquam subitum id ac repentinum » visum fuit, unde descrimen id non adeo certo » potui notare, quod illud me in momento suspensam admodum teneret. Plurimos item videbar in » summis sedilium coronicibus ac pulpitis videre » insidentes Angelos, etsi non specie corporea; » erat enim visio hæc intellectualis. Toto illo quo » Laudes decantabantur tempore hunc beatissima » Virgo locum occupavit, et mihi tandem ait : » Optime fecisti quod hoc me loco constitueris. » Equidem quæ hic Filio meo laudes decantabun» tur, præsens adero easque illi offeram. » Inde de se ipsa his verbis scribit : « Dominica post Pen» tecosten proxima quamdam a Domino accepi » gratiam, spemque eo dante concepi, domum » hanc, animas, inquam, ejus, in melius emenda» tum iri. » Effigies porro illa quam a comitissa se accepisse scribit, illa ipsa est quæ jam Abulæ in S. Josephi monasterio conspicitur, qua nullam unquam aut pulchriorem aut majoris dignitatis vidisse memini. Dedit hanc illi Maria de Velasco y Aragon, Osorniæ comitissa. Ex his aliisque post suo loco narrandis evidenter perspiciamus licet, sicut monialibus Incarnationis beatæ Matris regimen et quotidiana vigilantia frugifera ac salutaris exstitit, ita nec hanc ipsimet commorationem inutilem plane fuisse : magnam quippe sibi hic meritorum segetem coacervavit, et eximiis a divina est dextera beneficiis ac gratiis donata. Eadem itidem opera haud obscure perspexit ecquæ obedientiæ sint commoda, quanta sincere obtemperantes maneant lucra, et unde sibi quis persuadet dispendium accessurum,

accessurum, inde illum proventus animi uberiores colligere.

CAP. II. *Segoviæ*

10 Biennium jam antistitæ in Incarnationis domo Teresia munus egerat, cum Salmanticenses Excalceatæ summis apud P. Petrum Hernandez, ibidem tunc agentem, precibus agere cœpere, Teresiæ ut pro sua auctoritate præciperet Salmanticam ut excurreret alterius domus comparandæ causa, quam suis ipsæ usibus adaptarent. Hernandez igitur, viso quanta tecti laborarent angustia, Teresiam per litteras illuc evocandam censuit. Eo porro res omnis peracta modo quo libri superioris capite XVI (*hic* VII) narravimus. Per idem quoque tempus ipsa inter precandum mandatum cœlitus accepit, Segoviam ut concederet novum ibidem monasterium conditura. Hoc illi fieri penitus non posse videbatur, cum quod Hernandezii injussu Abula discedere sibi nefas esset, tum quod alia ipse tum quidem fundari per illam domicilia haud æquis animis pateretur, sed magni hujus illam mallet administrationi cœtus præesse : neque vero id ipsa sine ratione ab eo sibi negandum arbitrabatur, quod condictum triennium nondum exspirasset. Hæc agitanti rursus illi Dominus significavit ut facultatem ab Hernandezio exigeret; nam ab eo hanc haud dubie concedendam. Quare misso epistolio paucis sic illi perscribit : Cum amplissima sibi jam olim a Generali Præposito facta sit ad ubivis locorum, si quando daretur occasio, constabilienda cœnobia potestas, et jam commoda alicujus in civitate Segoviensi excitandi sese offerat opportunitas, quod loci episcopus simul et respublica ab eo consilio ita non abhorreant ut etiam promptissimis in ipsum animis propendeant, non posse se hoc illi non significare, ut quidem suæ ipsius conscientiæ paci consuleret; in ea tamen omnia quæ ipse statuisset, haud invitam se transituram.

cum episcopi ac magistratus venia

11 Hisce lectis litteris, plenam ille rei perficiendæ potestatem dedit. Movit inopinatus hic illius assensus beatæ Matri stuporem, quod longe secus sentientem haud multo ante eum perspexisset. Reipublicæ porro et episcopi Didaci de Covarruvias, qui regii deinde consilii constitutus est præses, assensum procurarat honestus quidam eques Segoviensis Andreas Ximenius, Isabellæ a Jesu, quæ modo Salmanticensibus Excalceatis præest, frater. Cum autem cerneret civitatem nec non episcopum adeo pronis in hanc rem animis propendere et cito adeo facultatem elargiri, satis esse Andreas existimabat hanc ore tenus ab episcopo concedi : unde in aliud non incubuit. Dies aliquot ab potestate hac accepta elabi beata Mater passa, Segoviam distulit concedere, cum Abula commode recedere hactenus nequaquam potuisset. Verum ut primum visitatoris datæ litteræ sunt, confestim viduæ cuidam quam noverat, Annæ Ximeniæ per nuntium significat ut quoddam domicilium in usum suarum conduceret. Jam quippe usu didicerat longe esse ad fundationis initia ponenda satius domum conducere quam emere, etsi alioquin argentum suppeteret : cum quod minori res strepitu ac facilius longe sic conficeretur, tum quod dein per otium seligi commodus possit locus et domus, quæ pretio comparetur.

Excalceatarum suarum monasterium fundat

12 His confectis rebus, Teresia iter arripit, etsi vehementissima divexata febri et stomacho imbecilliori aliisque malis languens, quibus ad trimestre oppressa jam fuerat, et a quibus ne Segoviæ quidem sexto post mense immunis fuit. Ad hæc corporis mala accedebant et mentis, cum jam in viam dare se cœpisset, quibus etiam longe gravius fuit exagitata : nimirum spiritus ariditas et caligo. Verum, cum nulla eam dejicerent adversa, neve ab iis quæ ad Dei gloriam facere norat, intermittendis quidquam generosam deterrere viraginem posset, Salmantica ineunte vere excessit, Isabellam a Jesu, de qua paulo ante sum locutus, secum ducens, quod Segovia esset oriunda, nec non Mariam a Jesu, domesticis rebus curandis destinatam, quæ una cum Isabella inde profecta erat. In itinere Albam cum pertransiit, Maria Henriquez ducissa in quoddam illam conclave rebus lectissimis refertissimum deduxit, quas deinde in alium longe digniorem ac meliorem usum ipsa convertit, ut in libro cui Castellum animæ nomen est, id Teresia ipsa commemorat (Mans. VI, cap. IV). Albano e monasterio Guiomaram a Jesu elegit, quam secum Segoviam conduceret. Abula vero transiens Isabellam a S. Paulo consanguineam suam assumpsit. Hæc illi quidem in locandis hujus fundationis initiis non parum opis attulit : verum Segoviæ non mansit; nam eam inde regrediens beata Mater in comitem itineris sui rursus delegit. Quamquam vero (uti jam ante significavi) episcopi facultatem et civitatis assensum impetrasset, non tamen ante pervigilium ejus diei quo ineunda loci erat possessio, S. Josephi profestum, oppidum subire instituit. Anna Ximenia domum interea conduxerat, et rebus ipsam necessariis instruxerat, nec non suam sacrario supellectilem compararat. Unde et proxime insequenti die ejus adiri potuit possessio : cujus etiam ipsa Christi nutritio sacra die mane, maxima Teresiæ cum voluptate, quod in hanc illa diem incidissent, data sunt initia, anno MDLXXIII, Juliano de Avila Deo Sacrorum hic primitias offerente et Sanctissimum Altaris Sacramentum eodem loco constituente. Inditum huic quoque cœnobio ab S. Josepho cognomen.

non sine aliquibus difficultatibus;

13 Cum autem, cujus bona cum venia cœnobii ducta erant fundamenta, episcopus forte Segoviæ tum non adesset, vicarius qui nihildum horum intellexerat, eodem ante prandium die, re comperta, acri concitatus ira ad cœnobium advolat. Sacrificabat forte tum in eodem quidam de canonicis *e*, qui dum suum petens templum hac transiret, omniaque rite decenterque in sacrario instructa cerneret, ad hoc in loco Sacra facienda est animatus. In hunc quoque vicarius acriter invectus, satius futurum fuisse confestim ait, si hoc in loco non sacrificasset. Tum quibuscumque poterat viis indagavit ecquis horum auctor exstitisset ac sacrum Eucharistiæ pignus hoc statuisset loco. Sed qui responderet petenti, aderat nemo : moniales siquidem intra claustrum latebant, Julianus autem sub scalis se abdiderat. In illius enim si incidisset manus, in custodiam haud dubie ductus fuisset. Aderat forte Joannes a Cruce, qui Teresiam cum aliis huc erat comitatus, quem, nisi per Religionis, quam indutus erat, stetisset vestem, in carcerem abduci jussisset. Inde ad altare demoliendum et omnem templi ornatum exuendum conversus, lictorem ad valvas constituit, qui ingredi ad Sacra audienda volentem multitudinem arceret loco, nec non sacerdotem de suis destinat, qui propositum Angelorum Panem sumeret. Hilari fronte adversa hæc ferens Teresia in lætis ea numeravit, quod jam possessio prope adita erat : nam de iis quæ forte post eventura erant, ne vel minimum laborare solebat, sed ante eam initam interdum metuere.

e

eoque Pastranenses suas, dissoluto earum cœnobio,

14 Illico igitur misso ad collegium Societatis Jesu (quam numquam non faventem senserat) nuntio, Garciam de Zamora rectorem enixe obtestatur ut suo nomine vicarium adiret. Id ipse onus quamquam haud invite admisisset et tam hac quam aliis etiam in rebus B. Matri præsto, si qua poterat, esset,

AUCTORE RIBERA.

set, nihil tamen apud hunc nimisquam concitatum potuit efficere. Suam huc etiam operam contulere nonnulli de optimatibus, Isabellæ a Jesu consanguinei : quorum omnium ingeminatæ preces denique vicarium perpulerunt ut inquiri permiserit verene facultatem episcopus fecisset. Qua inquisitione facta, placari ipse cœpit et Sacrorum dicendorum potestatem dedit, at Sanctissimi Sacramenti custodiam negavit. Hac tempestate composita, confestim Teresia Julianum de Avila et Antonium Gaytan, Alba oriundum, virum et natalibus et in Deum pietate præstantem, qui in hac etiam fundatione Teresiam erat comitatus, Pastranam destinavit, ut quotquot ibi agebant sodales Segoviam conduceret. Pastranensis autem domicilii dissolvendi ratio hæc fuit. Videbat Teresia monialibus aliquot quotidie inquietudinum occasiones esse *f*, quæ ne indies accrescerent, metuebat : namque animæ pacem omnibus bonis mundi censebat antiquiorem esse. Quamobrem consultum illi videbatur suas inde in alium transferre locum, quo agerent quietius. De hac illa emigratione cum prælatis aliisque viris doctis et spiritualibus ante contulit. Hinc Segoviensi constituto domicilio, eadem animi pace ac liberalitate qua id olim admiserat, Pastranense cœnobium dissolvit, omnibus quæ hominum erant liberalitate donata, ibidem relictis. Adeo quidem nihil rerum abduxit, ut etiam moniales aliquot sine ulla dote in familiam transcriptas Segoviam advexerit.

deducendas curat.

15 Tantam quidem hac in re Teresia animi æquitatem experta est, ut propter hujus dissolutionem domicilii ne primum quidem doloris se post non raro diceret motum in animo percepisse. Cujus rei hanc rationem dabat, quod videlicet vereretur ne, ubi humanæ quædam rationes spectantur, ibi fieri vix possit quin ad ea interdum descendatur quibus Religionis integritas paulatim subvertatur. Hanc ergo ob causam duo illi quos diximus, Pastranam missi, cum Isabella a S. Dominico, quæ domui erat præposita, quam fieri poterat secretissime hac de re communicant. Qua constituta, quinos monialibus ac tenui quam secum eo attulerant supellectili avehendis (e donata namque re, uti modo declaratum est, penitus nihil abstulerunt) currus compararunt. Omnibus ergo ad discessum comparatis, Sacrosancto Eucharistiæ Pane a sacerdote sumpto, concubia nocte Pastrana egressi sunt. In valle quadam declivi oppidum id situm est : quo egredientibus montis erat clivus ascendendus, cujus in fastigio constituta vehicula egressos opperiebantur; ut huc usque eos pedibus incedere oportuerit. Segoviam tertia vel quarta Hebdomadæ Sanctæ appulerunt feria; quas Mater benigne amanterque et insigni animi congratulatione excepit, quod apud se carissimas sorores jam versari cerneret. Semestri hic spatio est commorata : neque enim ante domicilio quod moliebatur, egredi solebat, quam in propria suas domo relinqueret deque rebus esset necessariis abunde illis prospectum.

Quibus rebus confectis,

16 Hoc illi Segoviæ perfacile fuit. Anna enim Ximenia quidquid in templum ac rem domesticam necessarium erat, insigni cum liberalitate erogabat. Hanc porro illi Deus egregie haud multo post rependit. Ut enim domus stabilita est, ipsa una cum filia Maria Bracamontia in hanc familiam transiere. Matri filia virtutum erat ornamentis et recollectionis studio simillima; et quam in mundo ambæ invenire hactenus pacem et lætitiam non potuerant, intra perangusta et tenuia murorum septa invenerunt. Matri cognomentum a Jesu et filiæ ab Incarnatione inditum; atque etiamnum hodie ambæ hocce in cœnobio cum laude vivunt. Harum duarum, et aliquot aliarum quæ interdum allegebantur, dotibus ædes sunt post commodiores comparatæ, etsi plurimas illarum emptio lites Dei ancillis pepererit. Hinc enim acri se studio opponebant canonici, quibus emphyteuseos in domum hanc jus erat; illinc vero vicini Patres Ordinis B. V. M. de Mercede, quod hac ædis vicinia suis derogatum iri commodis vererentur. Canonicis quidem ære dato satisfactum est; bonis vero illis Patribus occulto monialium ingressu silentium impositum : ut enim eas huc jam transisse compererunt, mitius agere cœperunt. Tum demum, duobus tribusve ante festum Archangeli Michaelis diebus, Sanctissimus Angelorum Panis huc primum illatus.

prioratu Incarnationis abit.

17 Hæc dum fiunt, multa ultro citroque dicta ac relata sunt, et in his varias molestiarum ærumnas pia Mater assidue patiebatur; sed hæ leniebantur consolationibus quas Deus identidem submittebat : qui hanc insuper sibi domum maximo futuram obsequio et cultum inde suum mirifice auctum iri spopondit. Cruciabat illam imprimis, quod, cum nonnisi septem sibi octove a triennio præfecturæ Incarnationis exacto dies decessent, Abulam inde ipsam digredi muneris causâ oporteret. Omnibus igitur, uti paulo ante commemoravi, constitutis, et Segoviensi cœnobio Isabellam a S. Dominico, quæ Pastranensem ante erat domum moderata et hanc etiam diu administravit, antistitam, illius vero vicariam Isabellam a Jesu constituens, inde digressa, debito tempore Abulam pervenit. Operam hic dedit ut suum in locum Isabella a Cruce in Incarnationis præfectura eligeretur; quæ illi electio mire satisfecit. Interim Abulenses Excalceatæ, quæ suam apud se Matrem habere imprimis optabant, summo conatu institerunt ut ad se diverteret. Quam ob causam in præpositam ipsam elegere eo ipso tempore quo Incarnationis præfectura defungebatur. Regebat eas tum temporis Maria a S. Hieronymo, Teresiæ consanguinea, uti et multis post annis rexit ac nunc etiam regit. Hæc per id quod diximus tempus Alvarum Mendozium Abulensem antistitem, superiorem suum, adiit, tantumque apud ipsum effecit, ut, ipsa regendi muncre absoluta, alia moniales instituerint comitia; quibus Teresiam ad se revocarunt.

ANNOTATA.

a *Hæc visio refertur quoque in additamentis quæ P. Ludovicus de Leon apposuit Vitæ S.* Teresiæ (*num.* 14).

b *Plura de hoc festo, quod Carmelitanus Ordo cum octava celebrat, vide apud liturgicos scriptores atque etiam apud Benedictum XIV* (*de Festis, lib.* II, *cap.* V).

c *Hujus scriptionis hic a latere habes ectypon, Madrito nobis permissum ab ipsius autographi sequestro. Dicit Chronicon* (*tom. III, lib.* X, *cap.* IV, *num.* 10) *id nomine suo subsignasse P. Petrum Hernandez visitatorem apostolicum, Ambrosium Marianum, Joannem de Miseria, Franciscum de Salcedo et Julianum de Avila, hancque Reliquiam Carmelitissis Calagurritanis donatam fuisse a Josepho Gonzalez de Uzqueta, et in quadrum ebeno esse munitam ac utrinque crystallo coopertam.* Pretiosum næ documentum, *ait auctor Chronici,* quippe quod continet principium reformatæ nostræ Religionis et sunt primigeniæ Ordinis nostri tabulæ, quæ eo nobis sunt loco quo mundanis hominibus fidem facientia nobilitatis diplomata. *Adverto professionis formulam qualis hic æri incisa est, ab illa quam hispane Ribera habet et quam Chronicon* (*lib.* II, *cap.* XLIX,

A *cap.* XLIX, *num.* 5) *et Annus Teresianus* (*tom. VII, pag.* 267) *e Ribera exscripsisse videntur, in sequentibus differre. Demptæ sunt in Ribera duæ voces :* estoy (*lin.* 3) *et* general (*lin.* 6); *contra vero additæ sunt tres :* Rubeo (*lin.* 6), que (*lin.* 9) *et* Carmelita (*in subscriptione*). *Præterea Ribera habet* (*lin.* 6) que *pro* y, *et vice versa* (*lin.* 12) y *pro* que.

d *Hanc eamdem visionem pariter vide in additamentis ad Vitam* (*num.* 7).

e *Erat is Joannes Orozco de Covarruvias, episcopi Segoviensis consanguineus, factus postmodum episcopus Gaditanus, ut num.* 606 *Comment. prævii notavimus.*

f *Vide Comment. prævium a num.* 596 *ad* 600. *Eadem hic Ribera circumspectione utitur ac supra* (*lib.* II, *cap.* VII) *in narratione fundationis Pastranensis.*

CAPUT II.

Fundatio Veasensis. Virorum Carmeli Teresiani initia.

CAP. III. *Veasi domicilium S.* Teresiæ *offert*

Salmanticæ Teresia dum versaretur, Incarnationis cœnobii præpositam agens, ut jam diximus, antequam Segoviensis domicilii fundamenta poneret, honesta quædam virgo Veasensis (est id oppidum in finibus Bæticæ) Catharina Godinez, misso illam nuntio, nec non litteris quas curionis aliorumque mittebat nomine, invitavit ut suo in oppido cœnobium conderet; jam enim de illo comparando sibi curæ fuisse, et dumtaxat monialium requiri præsentiam, quæ illud incolerent. Videbatur id Teresiæ fieri omnino non posse : quamquam enim ea regio commoda et non contemnenda videbatur, magno tamen locorum intervallo distabat. Accedebat quod Petrus Hernandez, ab apostolica Sede creatus commissarius et visitator, ab id genus fundandis cœnobiis abhorreret. Quare Teresia nuntium irrita re remittere cogitabat : ne tamen Præpositi Generalis imperio refragaretur, acceptas Veaso litteras ad Hernandezium misit. Respondit hic se hominum illorum pietate ac benignitate valde recreatum; ac nefas videri morem piæ illorum voluntati non gerere : quare missis litteris significaret se quamprimum, accepta a loci Ordinario potestate, Veasum venturam; verum hanc ipsam minime sibi a piis illis viris obtinendam indubitate crederet : C quod enim id equitum S. Jacobi oppidum esset, ab universo Ordinis illius equestris conventu facultatem concedendam videri; aliunde vero sibi constare id genus facultates ne multorum quidem spatio annorum ab aliis impetrari potuisse. Verisimile est, si veniam aliquo modo obtinendam aut jam reapse impetratam Hernandezius nosset, hanc ipsum denegaturum forsan fuisse. At, cum perfici rem Pater cœlestis vellet, hic falli illum passus est, ut, impetrata jam equitum licentia, nullus ei post superesset negandi locus.

pia virgo,

19 Adeo quidem prodigiosa ac mira domicilii hujus primordia fuere, ut, quamquam æquo longior futura ea sit narratio, eam nequeam omittere, primaria saltem illius capita perstringendo. Commorabatur Veasi illustris quidam eques, nomine Sancius Rodriguez de Sandoval, qui ex uxore Catharina Godinez plurimorum factus filiorum et duarum filiarum pater, harum natu majori Catharinæ Godineziæ, minori vero Mariæ Sandovalliæ cognomentum dedit. Sunt hæ monasterii hujus fundatrices. Catharina jam quatuordecim annos nata, cum adeo a mundo nuntium remittendo esset aliena ut quascumque illi pater suggereret nuptias velut se indignas ac minores repudiaret, tantam divinæ dextræ potentia e tituli Crucis Dominicæ lectione in anima lucem accepit ut uno in momento penitus aliam mentem induerit. Splendida siquidem menti illius oborta lux est, intimaque vilitatis ac miseriæ propriæ cognitio, nec non ingens propter Deum patiendi desiderium, quin et profunda quædam animi humilitas et maxima sui detestatio, æstuans denique austerioris vitæ inchoandæ desiderium. Hoc ipsa momento castimoniæ ac paupertatis vota concepit; tantumque mentem illius incessit alienæ voluntati se subjiciendi desiderium, ut vel hac sola de causa haud gravate se in Mauricam captivitatem, alieno paritura imperio, abduci sivisset. Hæc animo dum versat, ingens ab imis cubiculi in quo agebat penetralibus strepitus, ut omnia illi subrui viderentur, nec non terrificus quidam exaudiri ululatus cœpit; qui quod aliquo temporis spatio duraret, patrem, qui proximo in cubiculo versabatur, terrore complevit. AUCTORE RIBERA. D

20 Hæc diabolo auctore cuncta fiebant, indignante scilicet quod aliam hæc virgo ac meliorem mentem induisset, illustrique æqualibus plurimis exemplo in mundi deliciis proculcandis videretur fore. Nata Catharinæ mens vitæ monasticæ profitendæ; cujus tamen desiderio per tres annos, quamvis precibus ab ipsa fatigarentur, parentes satisfacere noluere. Ab hoc tempore aliquot quotidie horas orationis studio orsa est impendere, et qua poterat effrenos corporis motus compescere. Non raro in aream domesticam prodiens, vultum frigida perfusum solaribus radiis siccandum, ut, formæ facto dispendio, omnes a sui conjugio deterreret, exponebat. Cæterum cum nullis adduci patrem posse rationibus videret, triennio illo transacto, simplici in S. Josephi festo induta veste, templum cum eadem petiit, ne hanc sibi parens deinde auferret : quatuor autem annorum spatio insolitis carnem asperitatibus attrivit, quod clam omnibus eas usurparet, nemoque esset a quo modum servare juberetur. Per quadraginta jejuniorum dies continuos ferreis contextam hamis loricam patris nudo accinxit corpusculo : orationi porro integras prope dicabat noctes, quod interdiu a parentibus aliarum rerum tractatione distineretur. Fuit non raro cum a decima vespertina ad auroram usque in precando Numine perseveraret. Cacodæmon ipsam vanis identidem illusionibus exagitabat. Ipse etiam Deus gravibus illam, hoc transacto tempore, afflictari F morbis est passus, continenti scilicet febri, hydrope, cardiacis doloribus nec non gangræna, quæ incisione sublata est. Septemdecim ipsis annis hæc piam virginem ita detinuit invaletudo ut nonnisi dierum aliquot sanitate usa fuerit. *quæ ad vitam monasticam* E

21 Cum quintus morborum ageretur annus, patrem contigit intermori. Soror vero Maria, cum, uno postquam Catharina vestium ornatum deposuit anno, etiam sæculi posuisset exuvias (etsi ante perdite ornatum splendoremque consectaretur), exinde, sororis exemplo, insistere piis mentis exercitiis cœpit. Huc illas non modice mater exstimulabat, et qua poterat ope aderat : a qua etiam ambabus data facultas, mundano fastu et nobilitatis proculcatis insignibus, teneras puellarum manus gratis ad muliebria opera edocendi, ut interim illarum mentes ad pietatem ac morum honestatem erudirent. Denique etiam matre hoc e mundo sublata, de monastica vita alio in loco assumenda cum suis agere Catharina instituit. Sed huic consanguinei (etsi quid dicerent, tum quidem ipsi nescirent), cum fortunis affluerent, in majus Dei cessurum affirmarunt obsequium hoc ipso in loco novum condere cœno- *se per plures annos*

AUCTORE RIBERA.

bium, in quo ambæ Deo famularentur. Placuit Catharinæ hoc consilium; unde quamprimum de ejusce rei ab equitum concilio facultate impetranda agere aggressa est; sed irrito conatu : quatuor enim annis nihil penitus actum fuit. Quo viso, consanguinei, rem hanc ut animo poneret, suadere instituunt, utpote cujus obtinendæ nulla spes affulgeret. Addebant insuper, cum tam attrita esset valetudine, nullo in monasterio locum ei datum iri. Si humanarum momentis rationum libranda res foret, non sine ratione ita ipsi sentiebant : tum quippe semestri eoque amplius, prostrata valetudine, lecto affixa jacuerat, et octennio omni membrorum destituta usu vixerat. Toto illo tempore continuis jactata fuerat febribus; interiora adederat phthisis ac marcor hecticus; accesserat hydrops, et tam vehemens hepatis inflammatio ut etiam trans stragula adstantes afflaret : demum articulari in manibus ac pedibus morbo laborarat.

religiosissime præpararat,

22 Etsi vero his morbis assiduo discruciaretur, suis ipsa tamen confidenter pronuntiabat, si unius mensis spatio sibi a Domino sanitas restitueretur, certissimum eam documentum divinæ voluntatis fore, qua hoc condi cœnobium vellet; ac tum se, confirmatis viribus, illius ergo regiam adituram. Hoc, naturam si spectemus, omnino non posse fieri videbatur; sed ipsa ad hoc pronuntiandum cœleste quoddam pignus acceperat. Hæc enim cum IV kalendas Januarii agerentur, Augusto ipsa mense proxime elapso dum orationi incumberet, Deum comprecata ut vel ingens hoc vitæ religiosæ ineundæ cœnobiique condendi a se auferret desiderium vel aliquam ejus perficiundi rationem suggereret, interna ad ipsam facta Dei vox est, dicentis certam spem conciperet fore ut, confirmato corpore, per quadragesimales jejunii dies facultatem impetratura in regiam abiret. Dum ille quem suis præstituerat mensis agitur, ecce in gloriosi Martyris Sebastiani pervigilio tanto introrsum tremore occupari cœpit ut in supremo eam vitæ agone versari crederet soror. Verum momento perfectam sibi sanitatem redditam viresque totius corporis restitutas sensit, et insignem in anima ad meliora propensionem experta est. Cupiebat quidem hanc Dei silere gratiam, sed id cum confessarius tum medicus fieri vetabant; et revera celari res ea minime poterat. Ut ergo quadragesimales advenere feriæ, regiam petiit, exploratura num cœnobii sibi erigendi concederetur facultas. Trimestri autem hic hæsit, nihil impetrans; donec suis ipsa manibus supplicem regi libellum obtulit : qui, cognito Excalceatis Carmelitanis erigendæ sedis copiam peti, eam statim est impertitus. Quod autem Excalceatis, non autem alterius Instituti sanctimonialibus, construere potissimum cœnobium vellet, prodigioso cuidam viso adscribendum est, quod obtigit Catharinæ nocte quadam, viginti ante annis quam domicilium hoc condere in animo habuisset.

et cœlica visione prænorat

23 Cum enim (ut post ipsa narravit), ad quietem se nocturnam componens, animo sollicite versaret ecquodnam Institutorum omnium religiosorum in mundo maximam vitæ sectaretur perfectionem, ut huic se ipsa devoveret, et vicissim Omnipotens illi aperire cœtum vellet qui ipsi magis conveniret et cui eam hactenus reservarat, somnianti illi hocce visum exhibuit. Angustissimum per callem incedere se putabat, præcipitiis et voraginibus horrendis undique obnoxium. Inter hæc religiosum de Excalceatorum cœtu conspicit, sibique dicentem audit : « Huc adsis, soror, et veni mecum »; quo dicto, ab illo quamdam in domum conducitur in qua ingentem monialium conspexit numerum. Nulla porro domum hanc illustrabat lux quam quæ a candelis ardentibus quas manu illæ gestabant, promicabat. Confestim ab eisdem percontatur ecquodnam ipsæ Institutum profiterentur. Nulla verbum respondit; donec, omnibus velamen capitis attollentibus et ore blando ac renidenti ridentibus, reliquarum præfecta, ipsius arrepta manu, ait : « In hunc » te cooptare cœtum volo, filia », simul vitæ quam profitebantur leges et constitutiones exhibens. Interim ipsa tanto animi gaudio delibuta somno expergiscitur ut se inter Cœlitum choros versatam crederet. Multum porro effluxit ante temporis quam horum quidquam alicui mortalium aperiret. Et sane neminem noverat a quo de hoc Instituto quidquam disceret. Cæterum, quidquid ex ostensis sibi in viso legibus memoriæ insculptum hæserat, ad animum revocatum scripto commisit.

se Excalceatam Teresianam fore.

24 Hoc itaque in oppidum cum de Societate nostra sacerdos quispiam, qui omnium illius desideriorum probe conscius erat, appulisset, huic ipsa quidquid in scriptum retulisset, ostendit, seque beatissimam fore significavit, si hanc sibi invenire Religionem contingeret : huic enim se quamprimum dedicaturam. Cui sacerdos : « Quæ modo » passim Teresia a Jesu excitat in Castella mona- » steria id vitæ institutum sequuntur. » His igitur compertis, beatæ Matri, uti supra significavi, misso nuntio indicavit ut suum ad oppidum, sedem novam constitutura, excurreret. Quo autem tempore Teresiæ responsum accepit, jam secundo adeo gravi morbo laborabat ut spiritualis illi Pater persuaderet, hac ut cura seposita, de isto Instituto amplectendo loqui posthac desineret : nam, tametsi jam hunc in cœtum adlecta esset, si meliori non esset valetudine, ex eodem dimittendam videri. Hæc illam cum dehortatio non parum affligeret, ferventes in preces effusa, supremum eodem quo ante modo est medicum deprecata ut vel hoc a se desiderium amoveret vel ejus adimplendi sibi viam ostenderet. Hæc intensius oranti introrsum in anima hæc vox accidit : « Crede et exspecta : ego enim sum qui » possum omnia. Sanitatem recuperabis : qui enim » efficere potuit ne tot tantæque ægritudines, quæ » ex se mortales sunt, ullum vitæ tuæ detrimentum » inferrent, multo minori eas negotio a te auferre » poterit. » His verbis recreata et in spem erecta est, fiduciaque plena alias Teresiæ litteras misit, quibus sibi ab equitum congregatione facultatem concessam indicavit. Unde dein factum ut nec datam jam ante potestatem revocare posset visitator Hernandez, nec tantæ virginis pietati refragari Teresia. Hæc igitur causa fuit cur a Segoviensis domicilii erectione reversa, nonnisi pauculis diebus Abulæ sit commorata. Ineunte enim Octobri anno MDLXXIII Abulam redierat, et anni sequentis mense Martio Veasum delata est, e Toletana in transitu sede secum Mariam a S. Josepho, quæ in præsens Ulyssiponensi domui præest, et Isabellam a S. Francisco, quæ Hispalense cœnobium moderatur, nec non Annam a Jesu, Mariam a Visitatione, Eleonoram a S. Gabriele et Beatricem a S. Michaele ducendo.

Sancta domus illius possessionem

25 Primo quo Malagone Veasum abitura exierat die, cum ferventissimæ febris ardoribus jactata, aliisque ægritudinibus afflicta, quam sibi adhuc magna restaret via conficienda, quamque imbecilli esset valetudine, secum ipsa reputaret, Eliam Prophetam a facie Jezabelis profugum in mentem revocans, Domino queritabunda dictitabat : « Quo- » modo hæc feram, Domine, tecum ipse despice. » Et ecce, subito omnis febrium ardor et universæ quibus exagitabatur ægritudines evanuere. Veasum ingredienti

A ingredienti permulti obviam prodiere, atque inter alios non pauci equites; qui ante currus quibus moniales vehebantur, ludicra quædam equestria exhibentes, ad templum usque proximum eas sunt comitati, in quo plurimi eas opperiebantur. Inde egressas clerus linteatus excipiens, cruce prævia, supplicantium ritu ad duarum illarum sororum, a quibus tot erant votis expetitæ, ædes, in quibus cœnobii novi ponenda erant initia, deduxit. Ecquod et venientium et excipientium fuerit gaudium, animo fingi potius quam exprimi verbis potest. Ut primum Catharina monachas conspexit, has ipsas esse comperit quarum in visione notarat vultus; ita namque id ipsa postea commemoravit. Interim dum hic Teresia commoratur, accessit illam visitandi gratia Frater quidam laicus de Excalceatorum numero, de quo infra suus erit narrandi locus, Joannes de Miseria : quem ut Catharina aspexit, eumdem ipsum esse ait qui sibi inter somniandum tum quoque visus erat.

rite adit. 26 Hoc igitur pacto, ingenti omnium cum voluptate, ipso gloriosi Apostoli Matthiæ natali die, anno MDLXXIV, cœnobii hujus posita sunt initia et nomen illi a S. Josepho Salvatoris impositum. Cui duæ illæ sorores suas tam integre, adeoque nulla
B interposita conditione, fortunas assignarunt, ut, si deinde in ipsum non cooptarentur, nullum sibi easdem repetendi jus esset. Eadem ipsa die sacrum ambæ Religionis assumentes habitum, major Catharina a Jesu, minor Maria a Jesu est appellata. Catharina iis ipsis diebus, prout Redemptor Jesus id illi erat pollicitus, confirmata erat valetudine, quæ etiam increscebat, uti suum virtutes in dies incrementum accipiebant, atque imprimis mira animi demissio et parendi voluntas promptissima. Summis hæc apud Teresiam precibus contendebat ut se in ministrantium sororum, non vero in chorum frequentantium, numerum adscriberet; donec illi suam sententiam Mater rescripsit, et sub obedientiæ præcepto eam suscipere injunxit : quin imo eisdem in litteris eam acriter increpuit, quod non ea qua oportuerat promptitudine hac sibi in re paruisset. Tandem non ita multo abhinc tempore, cum hanc ipsa domum moderaretur, virtutibus illustris decessit : soror vero illius Maria superstes est, et hodie Cordubensis domus, quæ non ita pridem instituta est, præpositam agit. Annam vero a Jesu Veasensi sedi voluit præesse, quæ modo Madritanæ præest : illi vero vicariam dedit Mariam a
C Visitatione.

CAP. IV. *Carmelitæ Excalceati* 27 Cogitaram mecum num continua serie monacharum cœnobia eorumque institutiones ante prosequi possem quam ad Excalceatis Fratribus excitatorum fundationes devenirem; verum ita hæc illis connexa sunt ut quæ deinceps sum narraturus, commode nequeant intelligi, nisi de virorum cœnobiis nonnulla præmisero. Verum id sum quam brevissime facturus, ea dumtaxat recensens quæ ad historiæ meæ contextum spectare videbuntur, ea, inquam, quæ ipsorum occasione Teresia executa est, e quibus evidentissime patebit tam Excalceatorum ipsam quam Excalceatarum vere fundatricem exstitisse. Jam supra libri secundi cap. x aliquid hac de re tetigimus, dum de duobus illis Fratribus Carmelitis quos Methymnæ Teresia ad operis hujus adeo salutaris ac sancti initia constituenda invenit, loqueremur, Antonio de Heredia, qui deinde a Jesu nomen est mutuatus, et Joanne a Cruce. Verum, cum domus in qua duo hi Patres rei fundamenta ponerent, habendæ nulla suppeteret opportunitas, maxima animi contentione rei hujus successum Domino in oratione commendabat. Anno MDLXVIII, antequam ad Vallisoletanam sedem erigendam abiret, cum Abulæ versaretur, accessit illam Raphael de Avila Mexia, illustris eques, Abula oriundus. AUCTORE RIBERA.
D Audito enim de Excalceatis etiam Fratribus primum regulæ rigorem servaturis domicilio instituendo sermonem esse, ruralem hunc in usum domum illi obtulit, quam in Durvelo, Abulensis diœcesis pago perexiguo, habebat : hanc villicus incolebat, qui quod Raphaeli quotannis ab agricolis circumsecus pendebatur frumentum in domini usum colligebat. Ex hoc domus usu facile Teresia colligebat qualis ea demum esset : attamen hoc ipsa oblato imprimis læta, hoc ob beneficium immensas Deo gratias egit. Quod autem hic pagus in ea occurrebat via quæ Methymnam et Vallisoletum ducebat, huc ipsa cum sedem erectura pergeret, eam per occasionem inspectum ivit.

Durveli primum degunt : 28 Sera nocte ad hanc cum appulisset et undequaque eam esset contemplata, talem quidem esse comperit ut illa se ei nocte minime credere auderet. Nihil enim illa integri habebat præterquam vestibulum spatiosum, geminum conclave et culinam satis angustam. Illius ut situm inspexit Teresia, confestim suum ex ea designavit monasterium, vestibulum templo, anteriora cubiculi choro, cubiculum cellulis, culinulam denique cœnaculo destinans. Methymnam ergo delata, extemplo Antonium Heredium ursit ut in tenui illa domuncula rem auspicari ne gravaretur : nam præterquam quod in
E præsens melius nihil suppeteret, id peropportunum imprimis videri ad facilius a superioribus facultatem impetrandam; de cætero Deo fideret, opem illico sibi affuturam, nec divinam usquam sibi benignitatem defuturam : incepto dumtaxat opus esse. Hæc dum diceret, tantam fiduciam præferebat, quasi jam tum adimpleta ea cerneret omnia quæ hodie videmus et postea etiam videbimus. Igitur Antonius, egregie huc animatus, rem auspicari decrevit; cui interim Mater in mandatis dedit ut quidquid domui necessarium foret, sedulo conquireret : Joannem vero a Cruce secum ad Vallisoletanam domum cum abduxisset, paucis illis quibus ibidem hæsit diebus, quod suis in cœnobiis vitæ genus servaretur, quæ asperitates in usu essent, quæ corporis mentisque edomandæ iniretur ratio, pluribus illum edocuit; denique quæcumque illi ex Ordinis præscripto servanda essent, cum ut ea penitus ipse perspecta haberet, tum ut illorum suas ipse in congregationes deinde usum induceret. Unica deerat ad rei auspicium superiorum facultas : nam iis
F quas a Generali Præposito acceperat litteris cautum erat ne quod in Fratrum usum cœnobium, nisi provincialis accedente consensu, erigere præsumeret. Erat is tum Alphonsus Gonzalez, qui Angelo de Salazar in munere successerat. Hunc igitur Teresia tanto est animi robore allocuta ut rei facultatem extemplo sit impertitus; a Patre autem Angelo hanc ipsam, opera et intercessione Mariæ Mendoziæ, cujus, sic Deo disponente, Angelus tum præsidio opus habebat, impetravit.

inde Manceram se transferunt; 29 Itaque, nihil cunctandum rata, omnemque rescindens moram, ne quod illaberetur obstaculum, Joannem a Cruce Durvelum præmittit, qui domum instrueret et adornaret : qua demum instructa, Heredius, sua se abdicans præpositura, primigeniæ se regulæ voto obstrinxit; inde Durvelum concessit. Prima aut secunda Adventus Dominica *a*, anno MDLXVIII, primum illic Deo ad aram litatum est. Hoc ergo loco duo hi Patres, juxta ejus quam a Teresia acceperant formulæ præscriptum, summa cum mentis jucunditate vitam in quiete agebant : in oratione erant assidui, inusitatis carnem atterebant asperitatibus, suaque doctrina vitæque

a

AUCTORE RIBERA.

vitæque sanctioris exemplo vicinis circumquaque locis salutares imprimis existebant. Inde non ita A multo interjecto spatio Manceram concessere : nam Ludovicus de Toledo, Alhanjensis commendator et quinque oppidorum dynasta *b*, illorum sanctitate perspecta, hoc illis loco oratorium attribuit, in quo illustris quædam Deiparæ Matris imago e Belgio advecta, magnæ illa venerationis et pulchritudinis, conspiciebatur *c*; necnon cœnobiolum illis construxit. At non exigua fuit merces qua hocce illi beneficium Deus Optimus Maximus est remuneratus : ut enim alia divinæ in ipsum benevolentiæ signa taceam, hanc ipsam in familiam filiam ejus Isabellam de Toledo pertraxit, quæ mundanum fastum proculcans et paupertate Christi paternæ domus delicias posteriores ducens, Salmanticæ, ubi modo etiam commoratur, Excalceatarum est Institutum amplexa *d*. Decrat porro in novo illo cœnobio aqua; quam unde ducerent, nesciebant Fratres. Hac ergo de re dum cum ipsis Antonius a Jesu, qui præpositus erat, in monasterio loqueretur, et eo quem manu tenebat scipione terram feriret, hoc ut loco effoderent imperans, ecce fons copiosissimus simul et sapidissimus inde promanavit. B

b

c

d

nec diu post

30 Sequenti vero anno, qui fuit MDLXIX, cum Pastranam Teresia ad domum constabiliendam abiret, Madritum pertransiit, et cum omnibus quas secum ducebat comitibus in quodam monacharum Franciscanum Institutum sectantium monasterio, apud Eleonoram Mascareniam, quæ ipsum fundarat et in eodem commorabatur, diversata est. Fuerat Eleonora Philippi II Hispaniarum regis nutrix, mulier cum religiosissima tum omnium bonorum amantissima : hinc fiebat ut beatam Matrem semper, quotiescumque hac transiret, hospitio exciperet. Tum quidem opportune admodum advenisse illam Eleonora dictitabat : Madriti siquidem in præsens anachoretam quemdam versari, qui miro illius videndæ desiderio teneretur, cujus et sociorum vitæ ratio cum ejus quam ipsa ex regulæ præscripto tenebat, tenore optime quadrare videbatur.

Pastranæ quoque

31 Anachoretæ huic nomen est Mariano a S. Benedicto : genere erat Italus, jurisprudentia conspicuus, magni vir nominis, laboris amantissimus et austeritatum sectator acerrimus. Socium habebat adolescentem, qui Joannes de Miseria vulgo dicebatur, rerum terrenarum imprimis ignarus, at cœlestium apprime gnarus. Vixerant hactenus ambo haud procul Hispali, in solitudine quam Tardoniam dicunt : at quoniam omne anachoretarum genus quod religiosæ familiæ speciem non habebat, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi auctoritate abrogabatur, Romam adire Marianus constituerat, ejus quam hactenus duxerat vitæ prosequendæ facultatem a suprema Sede petiturus. Hunc Teresia cum convenisset suamque illi vitæ formulam prælegisset, ita illum primo colloquio perpulit ut ipsam sectari vir decreverit, non sine magno suiipsius stupore (uti post ipse narrare solebat) quod suas mulier in partes adeo se celeriter pertraxisset. Narrabat hic tum beatæ Matri, a Roderico Gomez Pastranæ sibi accommodum imprimis locum datum esse, a S. Petro cognominatum, ut in eo anachoreticam cum suis vitam ageret; verum se, habitu Excalceatorum assumpto, ibidem monasterium velle constituere. Quamprimum ergo Teresia Alphonso Gonzalez, Carmelitanorum provinciali, necnon Angelo de Salazar rem perscripsit (eorum enim sine pace excitari cœnobium nefas erat), tamque naviter eam gessit ut Alvari Mendozii C episcopi opera et intercessione haud difficulter eam ab illis obtinuerit. D

cœnobium acquirunt,

32 His ex animi sententia confectis, interim dum Teresia monialium domui erigendæ incumbit, Pastranam (uti Teresiæ condixerant) venere Marianus atque ejus collega : mox vero ipsa Mancera Antonium a Jesu, ut novi cœnobii initia Pastranæ poneret, evocat; atque duobus illis, ne qua intercederet mora, habitum parari jubet. Methymna quoque tum monachas alias evocarat, quæ quod illis adornabatur Pastranæ cœnobium incolerent; duas enim dumtaxat secum habebat itineris socias. Aderat tum etiam alius e familia Carmeli, habendis ad populum concionibus notus et ætate venerandus, Balthasar a Jesu : qui, cognito recens hocce Pastranæ domicilium fundari, una cum monialibus huc venerat, ut veste mutata ad novum Excalceatorum cœtum transiret; uti etiam haud ita multo post transiit. Hic Marianum ejusque socium sacra veste induit, sed ea qua Fratres laici utuntur : neque enim adduci præ humilitate Marianus poterat ut sacerdotalem sumeret, donec tandem Præpositi Generalis jussum accederet, inter altaris eum ministros cooptari imperantis. Atque hæc fuit causa cur Teresiæ Pastranam concedere detrectanti, uti jam supra, dum monasterii ibidem excitati primordia referrem, dixisse memini, hoc iter Dominus injunxerit, ad majora siquidem quam ad monialibus excitandam domum illo properaturæ, regulamque et constitutiones secum sumere jusserit; quas dein Mariano ipsa prælegit. E

in quod plures eximii viri cooptantur.

33 Hoc deinde in cœnobium adlecti sunt permulti viri magni et sanctimonia illustres; atque inter reliquos Magistri Joannes a Jesu et Hieronymus Gratianus a Matre Dei. Hunc nempe in rudia illa sanctæ illius renovationis primigeniæ Carmelitarum regulæ primordia Deus Optimus Maximus reservarat, ut ipsam constabiliret, augeret, congruo ordine digereret ac perficeret : quod ipse pro ea qua valebat, et cœlitus acceperat, vitæ sanctitate, prudentia ac doctrina egregie præstitit. Dabat hic tum sacris studiis Compluti operam, vitæ probitate æqualibus omnibus prælucens; neque id tum dumtaxat adolescens, verum etiam jam inde a pueritia. Pastranam ipse cum peteret, apud Isabellam a S. Dominico, quæ tum ibidem præpositam agebat, virginem quamdam commendaturus, ut in Excalceatarum familiam assumeretur, adeo tum huic tum reliquis sodalibus hocce F e congressu placuit, ut jejuniis, corporis castigationibus ferventibusque a Deo orationibus institerint ut hunc Ordini suo virum attribueret. Nec vana fuit deprecatio : ab eo namque tempore huic se ipse cœtui dedicavit. Exinde, cum Malagonem beata Mater pertransiret, Veasum petens, domicilium ibidem erectura, sacerdos quidam Malagonensis mire silentio deditus orationisque ac corporeæ macerationis oppido studiosus, ipsam ut vidit et quid moliretur didicit, erga illius affici Institutum incredibiliter cœpit; unaque cum ipsa Veasum abiens, ab Hieronymo Gratiano solemni apparatu publice in templo monastica veste donatus est, simul et nomine Gregorii Nazianzeni. Fuit hic haud ita pridem provinciæ Castellanæ mira omnium ordinum approbatione vicarius; modo vero id muneris in Lusitania exercet. Duo hæc cœnobia reliquorum fuere veluti fontes ac seminaria : nam brevissimo tempore plurimæ hinc sunt coloniæ dimissæ, conscia beata Matre, adeo ut decem eoque amplius, priusquam vita excederet, domos Excalceatorum conditas ipsa viderit. Nec vero solius Hispaniæ limitibus eæ comprehenduntur,

A duntur, cum etiam Genuæ, Nicolai a Jesu Maria Genuensis opera, non ita pridem cœnobium sit excitatum, necnon ad Occidentis regiones sese familia hæc extenderit et in Mexicanam provinciam penetrarit.

ANNOTATA.

a *Num.* 441 *Commentarii prævii ostendimus id contigisse prima Dominica Adventus.*

b *Loca quorum dominium penes Ludovicum de Toledo erat, et quorum primus dynasta fuit hujus Ludovici proavus Petrus de Toledo, filius Garciæ primi ducis Albani, ita a J. W. Imhof enumerantur: Mancera, Salmoral, Naharros, San Miguel, Montalvo et Gallegos. Postmodum vero Ludovici filius Petrus de Toledo primus marchio de Mancera creatus fuit.*

c *Testatur S.* Teresia, *ut num.* 445 *Comm. prævii videre est, se nihil umquam vidisse hac imagine melius aut elegantius; atque huic S. Matris testimonio calculum suum adjicit auctor Chronici* (*lib.* II, *cap.* XXXIX, *num.* 3). *Cernebatur inibi Deipara puerulum Jesum brachiis sustinens et duobus Angelis stipata. Latet nos ad quem pictorem Belgam hujus tabulæ laus pertineat.*

B d *Sororis exemplo, anno ætatis suæ decimo octavo, Salmanticæ* (*teste Chronico, lib.* II, *cap.* XXXIX, *num.* 6) *Carmelitis Excalceatis nomen dedit Henricus de Toledo, laudati Ludovici filius natu maximus, exinde dictus Ludovicus a Jesu, et anno* 1598 *Segoviæ sancte defunctus, cum paucos tantum annos egisset in Religione; cui probabile est eum nondum adscriptum fuisse eo tempore quo Ribera Vitam S.* Teresiæ *edidit: secus enim hic de eo non siluisset.*

CAPUT III.

Fundatio Hispalensis.

CAP. V. *Jubente P. Gratiano visitatore apostolico,*

a

C

Hispalim Sancta contendit.

Cum Excalceati Patres æque ac moniales privato a provinciali non regerentur, sed Carmelitis Mitigatis simul omnes parerent, illorum in Bætica commissarius et visitator apostolicus constitutus est Hieronymus Gratianus *a*. Etsi enim a paucis hoc Institutum esset amplexus annis, ea tamen in ipso religio, prudentia aliorumque virtutum decora et ingenii navitas relucebant ut hac provincia aliisque honoribus etiam amplioribus dignus fuerit judicatus. Hic Veasensem cum visitaret domum, in qua Teresia tum agebat, illius ipsa dotes ac agendi rationem non potuit non quam maxime probare, et assiduas Deo ob egregium hunc virum suis datum gratias agere. Ibidem hunc versantem ad se apostolicus Nuntius evocavit, simulque Castellanæ eum provinciæ, uti Bæticæ erat, visitatorem esse voluit. Verum antequam hæc fierent, Teresiæ in Castellam redire constituenti Gratianus suggesserat e divino honore fore, si Hispali sedem constitueret; cum quod nonnulli, domum quamprimum consignaturi, id a se enixe petiissent, tum vero quod archiepiscopo, qui singulari cœtum hunc studio complectebatur, eam rem quam gratissimam fore nullus dubitaret. Erat quidem animo a sedibus in Bætica constituendis Teresia alieniore, quin etiam rationes validas habebat cur Hispalim concedere detrectaret; Gratiani tamen sententiæ acquievit.

35 Quoniam vero æstivi calores ingruebant, festinato opus fuit. Abiit ergo ad Nuntium Gratianus Madriti agentem; Teresia vero, cum tribus Veasi hæsisset mensibus, sex secum assumptis sodalibus lectissimis et orationis ac sensuum mortificandorum studiosissimis, quales hauddubie requiri Dominus videbat, pares nimirum iis quæ ibidem post erant subeundæ adversitatum procellis, utque reliquarum per eamdem provinciam ceu matres forent, Hispalim deportatur. Hæc illarum sunt nomina: Maria a S. Josepho, Isabella a S. Francisco, Maria a Spiritu Sancto, Isabella a S. Hieronymo, Eleonora a S. Gabriele, Anna a S. Alberto. Itineris adhæc comites fuere F. Gregorius Nazianzenus, qui Veasi haud ita pridem in Ordinem aggregatus erat, nec non P. Julianus de Avila et Antonius Gaytan. Magna hocce in itinere, cum ob intensos eorum dierum æstus, tum ob diversoria importuna, denique quod a nefariis ea hominibus non raro inside-rentur, tulerunt incommoda. Accessit ad hæc omnia illud longe gravissimum, quod pridie Pentecostes Teresiam soporifera quædam et ardens occuparit febris, ut sui prope impos videretur. In mali lenimentum aliud subsidium non suppetebat quam frigidæ conspersio; sed solis ita æstuabat ardore ut nullum inde sentiret refrigerium. In hospitio ad quod appulere, exiguum quoddam ipsis fuit assignatum cubiculum, obnoxium solis ob tenue tectum ardoribus, ac nulla eis pellendis fenestra instructum; cujus si ostium aperiretur, tantus eodem penetrabat æstus ut intolerabilis videretur. Lecti ea erat inæqualitas, ut, cum hinc in altum tumeret, illinc deprimeretur profundius, acutissimis constratus e saxis videretur. Cum hic quietem B. Mater capere non posset, illico inde discessum est: malebat quippe solares aperto in campo fervores pati quam angusto illo in loco.

AUCTORE RIBERA.

D

E

In Bæti flumine periculo exponitur.

36 Erant hi Teresiæ materia meditandi quam vehementia damnati apud inferos incendia patiantur, utpote fixi in loco manere coacti ac mutare situm prohibiti. Perculit ea mali in Matre importunitas ita monacharum omnium animos ut eam pro se quæque sedulo per preces Deo commendarint: eaque orationis vis fuit ut nonnisi diurnum id malum fuerit, cum alias nonnisi multorum spatio dierum ipsum finiretur. Longius progressis navigio Bætis fuit transmittendus: sed cum recta cum curribus, ubi funis ducebat, trajicere non possent, ad latus aliquantum deflectere oportuit. Cum portitores, incertum quo casu, funem ductilem e manibus dimisissent, ecce ponto secundo cœpit flumine, nullo retinente fune, remis nullis ferri, unum secum quem continebat currum raptans. Omnes extemplo trepidi vocem tollere; monachæ vero in corde suo ad Deum clamare. Videbat hæc eminus ex arce sua vir nobilis, submisitque de suis qui laborantibus suppetias ferret. Deo autem dante factum ut, in vado subsistente pontone, periclitantibus auxilio esse alii potuerint. Qui porro e proximo castello venerat, in regiam eos viam reduxit, a qua proculdubio noctu aberrassent. Nihil vero B. Matrem afflixit gravius quam quod prima Pentecostes festivitate contigit. Summa celeritate tota nocte usi fuerant ut, ante lucem, Cordubam cum pervenissent, ita adessent Missæ Sacrificio ut a nemine mortalium conspicerentur. Nam maxime illam cruciabat ante alios apparere et conspici. Hinc, quotiescumque extra civitates oratoria reperiebat, ad hæc se subducebat, rei sacræ adfutura. Idem Cordubæ agere constituerat, et ædiculam quamdam extra muros civitatis trans pontem quemdam sitam adire.

F

Cordubæ in magnas

37 Sed non sine maxima difficultate huc pertingere potuit. Etenim sine gubernatoris Cordubensis facultate transire pontem curru nefas erat, et hanc ab eo impetrare perdifficile futurum dicebatur. Missus tamen Antonius Gaytan facili eam negotio obtinuit. Sed hic molestiarum nondum fuit finis; at novus subortus labor. Cum enim currus essent latiores et pontis porta admodum angusta, nulla

AUCTORE RIBERA.

corum trajiciendorum apparebat ratio, nisi illorum compages solverentur. Sed ita demum vehicula disposita sunt ut pontem transmissa sint. Cæterum tum hic tum in priori molestia trium amplius horarum illis spatium effluxit. Interea ita undique obducti currus erant, ut, licet permulti curiosius inspecturi ecquod genus hominum veheretur, affluerent, in nullius tamen oculos monachæ incurrerent. Postquam vero ad oratorium perventum esset, molestia etiam major nata est : cum enim locus a Spiritu Sancto nomen haberet, permulti huc confluxerant : solemnis namque de more futura erat supplicatio, dein verbi divini prædicatio et tripudia. Nisi vero hoc in loco Sacrum audissent, ad urbem reversas aliam oportuisset conquirere ædem, ubi id audirent. Vexabat hoc beatam Matrem ita gaviter, ut, si sine piaculo Sacri intermittere auditionem ea die licuisset, ipsum omisisset, ne cum monialibus in confertam adeo se hominum multitudinem daret. Verum secus fieri cum non posset, per modum supplicantium ad ædem eas concedere voluit, palliis albis amictas ac velis demissis, non sine magna cunctorum admiratione, utpote quibus hactenus nihil ejuscemodi visum erat. Tum demum Teresiam, tanta vi mortalium adeo tumultuantium, inter quos se videbat, nonnihil turbatam, pridiani febris ardores deseruere.

incurrit difficultates.

38 Huic tamen malo quoquo modo profuit officiosa viri cujusdam honesti caritas, qui in ipso ædis vestibulo Teresiæ obvius processit, seque ducem viæ constituens turbam ingruentem submovit : qui etiam a B. Matre rogatus ut in sequestratum a populi strepitu sacellum sese conduceret, pie roganti morem gessit, nec ab iis ante recessit quam extra ædem eas deduxisset. Non multo post viro huic nihil minus opinanti opima obtigit hæreditas, quam ob exhibitum hoc Dei ancillis officium sibi cœlitus submissam plane persuasum habebat. Hoc in sacello rem divinam fecit Julianus de Avila, et moniales omnes Eucharistiæ fecit participes. Quæ quam fieri poterat citissime inde digressæ, dici æstum, sub ponte quodam parum commodo apricantes, declinarunt. Hæc aliaque ejusdem generis per viam incommoda tum monachæ subiere maxima animi æquitate. Teresiæ namque tam blanda et comis erat conversatio, ut omnem itineris, si qua erat, molestiam sermonibus suis leniret, interdum de maximi ponderis rebus loquens, alias ad durorum tolerantiam suas animans, denique de passim occurrentibus et obviis jucundissima miscens colloquia. Tandem itaque, quinta ante Dominicam Santissimæ Trinitatis feria, Hispalim perventum est; ubi jam tum Marianus a S. Benedicto domum ipsis conduxerat. Hanc beata Mater ingressa, statim ejus inire possessionem se posse sperabat, uti aliis in oppidis facere solebat, et rem omnem jam ex voto confectam esse; quod urbis illius archiepiscopus Christophorus de Rojas miro erga Excalceatos studio raperetur, et interdum hac de re ad beatam Matrem perscripsisset, insigniter erga ipsam animatus. Ipsi quoque Gratianus et Marianus pergratum illi se fecisse opinabantur, quod huc Teresia appulisset. Verum longe secus ac cogitarat res contigit : hanc quippe, uti reliquas hactenus, sedem cum difficultate parari et Teresiæ labore constare Dominus volebat.

Hispalensem archiepiscopum

39 Archiepiscopus namque a monialium erat cœnobiis quæ certis non constarent proventibus, maxime alienus : singularis porro in hoc Dei elucebat providentia quod nihildum præsul e quoquam didicisset eorum quæ Teresia Hispali erat molitura. Si enim eorum, antequam ipsa illuc appulisset, fuisset conscius, facultatem ejus rei haudquaquam esset elargitus et monasterii fundatio penitus non successisset. Cupiebat quidem eam venire et moniales secum ducere, non tamen sedem illis e fidelium benignitate victuris constituere. Statuerat namque has ipsas per suæ curæ credita monasteria dispertiri, ut hæc illarum quotidiana consuetudine ad mores religiosiores conformarentur. Itaque Teresiæ Marianus potestatem ab archiepiscopo concedendam ad cœnobii pauperis constructionem negabat, neve hanc illum cuiquam hactenus aut Hispali aut Cordubæ (cui ante civitati episcopus præfuerat) concessisse; quamobrem non abs re futurum reditibus cœnobium hoc annuis stabiliri. Ab hoc ipsa consilio plane erat aliena : neque enim dotata condere monasteria solebat quam in oppidis minoribus, in quibus vel eadem penitus non constituenda vel proventibus ita dotanda dictitabat ut nihil necessariorum deesset. Tum vero ad certos Hispalensi domui attribuendos proventus adeo parum a re nummaria instructa erat ut solum teruncium secum haberet.

æquo difficiliorem experitur.

40 Tandem tamen præsul, importunioribus Mariani postulatis cedens, rei divinæ faciendæ facultatem est impertitus; quæ primum facta Dominica SS. Trinitatis proxima, in IV kalendas Junias incidente, anno MDLXXV. Vetuit tamen ne ære campano ad Sacra signum daretur nec ipsum de loco superiore suspenderetur; sed jam ante suspensum erat. Misit adhæc quemdam e sacerdotibus domesticis qui Sacrorum hic Deo offerret primitias. Atque hoc pacto loci hujus inita possessio est, et divina ibidem recitata sunt Officia. Inditum cœnobio a S. Josepho de monte Carmelo cognomen. Domui porro aliqualiter instruendæ necessarias opportunitates Marianus urbe tota conquisivit : monachæ enim, præter ea quibus currus obtexerant velamina, secum non tulerant supellectilem. Plenam porro fundationis locandæ potestatem antistes minime fecerat, sed dumtaxat Sacrificii peragendi. Cæterum Teresiæ adeo non hæc imperfecta potestas aliæque rationes fecere satis, ut, nisi verita fuisset ne quam Hieronymo Gratiano visitatori et P. Mariano molestiam attulisset, propere inde se cum sodalibus subduxisset. At Marianus cum paulatim blandioribus archiepiscopum verbis leniret, brevi se dispecturum hic aiebat quid in beatæ Matris agendum foret negotio.

Placat Carmelitas Calceatos.

41 Sub idem tempus accessere ad Teresiam Carmelitæ Calceati, sciscitantes ecqua tandem auctoritate monasterium hoc conderet : quibus cum acceptas olim a Præposito Generali litteras ostendisset, ulterius inquirere desierunt. Deo autem disponente factum est ut prorsus illos lateret quam parum erga hoc esset archiepiscopus cœnobium animatus : si enim alienum hunc animum comperissent, ipsum hauddubie, si modo voluissent, subvertere potuissent. Haud longo interposito tempore ipse Teresiam præsul adiit : quem illa ea animi vehementia est allocuta, ut, qui in ipsa loquebatur, Deo is resistere haud valeret; insuper adderet eo cuncta peragerentur modo quo ipsa vellet. Hinc deinceps, si qua se dabat occasio, se benevolum declaravit ac partium ejus fautorem.

CAP. VI.

Plurima patitur incommoda,

42 Etsi Hispalis adeo opulenta sit civitas et tam luculenta egenis benignitate succurrat, nec ibi defuturus videretur qui Excalceatis in domo comparanda statim suppetias ferret et necessaria subsidia submitteret, ita tamen hac in urbe beatam Matrem ejusque socias exercere Domino placuit ut nullo in oppido majori hactenus rerum laborarint inopia. Neque enim tantum ad menses aliquot tecto caruerunt

runt opportuno, verum etiam vitæ trahendæ necessaria ægerrime admodum suppetebant. Domus adhæc instructa non erat, et supellectile destituta : in quibus defatigata membra reclinarent, culcitæ deerant, nec non cibaria fami pellendæ; quin dum ova aliquot coquenda essent, vetera illis per domum funium detritorum scruta quæritanda erant, quibus ignem foverent. Læta tamen mente has patiebantur ærumnas. Nullidum notæ erant, nemo eas adibat *b*. Adhæc gravis Matrem ipsam infirmitas, cæteras etiam omnes cœli novi prostravit intemperies; tum quod per æstivos huc appulissent fervores, tum quod iis quæ dixi premerentur incommodis. Nullæ item se, quæ in familiam cooptarentur, virgines offerebant; et quæ ante Teresiæ adventum ei se adjungere in animo habuerant, hoc vitæ rigore deterritæ, se prodere non audebant. Sed paulo post, cum nonnullæ Deo inspirante in cœtum hunc adlegerentur, aliquatenus domesticæ penuriæ subventum est, atque imprimis honestæ cujusdam viduæ liberalitate; quæ cum ad hoc Institutum amplectendum animum adjunxisset et secundo cum B. Matre hac de re ageret, nullo postulante, bis mille septingentorum aureorum summam attulit, quæ ex aureis lamellis et argenteis nummis redacta est. Cum vero ingressum tantisper differret, quousque rem domesticam composuisset, ex hac eam quidem vita migrare contigit; sed testamenti tabulis rerum suarum ex asse hæredem domum hanc esse voluit.

ac calumniis proscinditur;

43 Verum alia quædam virgo, sub ipsa principia in familiam hanc cooptata, plus cæteris ad reliquarum patientiam et virtutes probandas contulit. Tantum enim illis molestiarum peperit, et tum beatam Matrem tum socias in eas exagitationis redegit angustias, ut beata Mater merito postea diceret eas quæ Hispalim secum adirent, studiose seligendas fuisse, ut nempe pares essent ferendis adversis quæ iis fuere subeunda. Qui vero de eadem in Excalceatarum cœtum adlegenda apud B. Matrem egerant, tam eximia de illa prædicabant, ut Teresia, si hæc monialis prodigia non patraret, magnam illos honoris sui facturos diceret jacturam. Hæc ad menses quidem aliquot in Religione vixit, sed, quod alteri vitæ generi ab hoc discrepanti assuevisset, hanc deseruit et ad pristinam reversa est normam. Erat Hispalensibus nota, et apud omnes sanctitatis opinionem collegerat : cujus proinde egressio variis in populo sermonibus ansam dedit. Nam nemo non Teresiam et socias sugillando traducere, nemo non calumniari et gravis illi affricare infamiæ maculam. Sed victrix tandem emersit veritas, ut cui prævalere mendacia, etsi hanc acriter exagitarent et divexarent, minime potuere. Nam quæ vere virtutum erant sectatrices, ut tales reipsa agnitæ sunt; ipsarumque religio et virtus cum purior apparuit, tum magis in populo innotuit : et qui temere calumniis crediderant viri graves sinistram opinionem deposuere.

sed his ad Sacram Inquisitionem delatis,

44 Per idem tempus de hac ipsa re longe Teresia manifestius quam eam ipse tango, cuidam suarum præpositæ in hæc verba scripsit : « Litteras » hasce ad Methymnensem priorissam mitte, quæ » non mediocriter angetur ob quædam a me nuper » illi perscripta, etsi nonnisi quam poteram minime » eas quibus exagitamur molestias verbis extulis- » sem. Noris igitur jam inde ab Abulensis domus » erectione nullo esse numero universa quæ tuli » adversa, si cum iis quæ hic ferenda mihi fuere, » comparavero : quæ qui norint, non immerito me » hæc scribere comperient. » Addit deinde : « Tan- » dem patebit commentitia esse omnia quæ sparsa » sunt : hic porro de nobis vulgo ferebatur acribus » nos in monachas, pedibus manibusque vinctas, » flagellis animadvertere; atque utinam alia in » vulgus sparsa non essent et ejus generis fuissent » universa! Erant enim præter rem hanc adeo » gravem alia sexcenta ejuscemodi, ut jam tum » manifeste appareret Deum idcirco duris adversorum flagellis in nos animadvertere velle ut optato » tandem omnia fine concluderentur. Atque ita » revera mihi persuadeo. Vestrum proinde est » animo propterea non dejici; quin potius spero in » Domino brevi nos hinc sospites digressuras *c*. » Non sine ratione hæc scribere B. Mater potuit : eo namque devenit calumnia ut ad sacros Inquisitores una cum sociis delata sit, et in ipsarum sit vitam studiose inquisitum, ac testes auditi. Sed unde probrum secuturum æmuli sperabant, inde ancillarum Dei patuit innocentia ac sanctimonia, et quam iniquis opprimerentur modis; atque ita tandem negotio huic finis est impositus.

innocens declaratur.

45 Habebant ad hæc sacerdotem qui noxas confessis operam dabat, adeo anxium et imperitum ut ne latinis quidem verbis eas sibi sineret crucem imprimere, quibus tamen passim omnes assueverant. Ita vero mordicus alterius cujusdam monachæ, quæ ante huic se dicarat monasterio, agendi consuetudinem approbabat, ut reliquas omnes hanc non imitantes errare, solam ipsam sapere, et hujus imitari exemplum reliquas debere dictitaret. Aliquo illius temporis ac molestiarum spatio non solum Teresiam cruciabant homines, sed ipse etiam Deus, ad ancillæ suæ experimentum et tolerandi materiam, sese videbatur subducere : unde ipsa affirmabat numquam sibi obrepsisse inertiam vel spiritus languorem parem ei quem tunc experiebatur; adeo ut se ipsa vix agnosceret. Licet enim insignem in Deum numquam non præferret fiduciam, ita tamen erat dissimilis ab ea quam se fuisse senserat ex quo primum ad cœnobia constituenda animum cœpisset adjungere, facile ut in se sentiret jam suam Deum nonnihil manum subduxisse; ut videret nimirum quam hactenus declararat animi magnitudinem, non a se, sed ab eodem Domino promanare.

Demum, juvantibus Laurentio Cepedio fratre

46 Jam inde ab exeunte Majo, fere ad usque solemnia sequentis anni jejunia, Hispali egerat, ac nulladum ædium comparandarum fiebat a quoquam mentio, nullum iis comparandis suppetebat argentum, nullus denique qui mutuo ipsum daret, quales aliis in oppidis illi minime defuerant. Cum autem videret aliorum negotiorum ingruentium occasione propediem in Castellam sibi redeundum fore, non mediocriter animo angebatur; neque enim indę ante abire constituerat quam de domicilio suis esset sodalibus prospectum. Iis ipsis diebus Hispalim delatus est ex Novo Orbe redux Laurentius Cepedius, beatæ Matris frater, qui sorori suæ incredibili quadam ratione præsto fuit, et quam potuit diligentissimam attulit operam ut ædes stabiles coemerentur. Interim ad Deum ipsa confugit, consuetum suis in necessitatibus asylum, necnon ad S. Josephum : monachæ etiam assiduis ad Dominum precibus clamabant ut suis ancillis de domo prospiceret. Quadam ergo die de hoc Teresia negotio cum Domino inter precandum agens, ab ipso audiit : « Jam te ipse exaudivi : mihi rei ejus cu- » ram committe. » His illa verbis erecta, jam sibi domum in manibus habere videbatur. De unius coemptione jam prope inter partes convenerat, quæ ad omnium quidem facere gustum videbatur, quod optimo sita erat loco; quamvis illarum e re minime esse videbatur, quod esset præ vetustate ruinosa et velut de novo a fundamentis excitanda : quam in structuram multa pecuniæ vis requirebatur.

AUCTORE RIBERA.

batur. Dominus itaque, qui hanc domum monialibus non convenire videbat (non enim nisi multorum annorum spatio concinnari poterat, et pecunia ad sumptus necessarios deerat), pro cura quam in se susceperat de domicilio ipsis prospiciendi, effecit ut venditor ipse, cum stipulationis tabulæ conscribendæ jam essent, quasdam proponeret incongruas conditiones et venditionis contractum rescindi non inique ferret.

et piis aliquot amicis,

47 Atque ita, Deo adjuvante, aliud domicilium sex aureorum millibus comparatum est, etsi non sine contradictione : nam monachi in vicinia commorantes, auctoritate publica interposita, institerunt ne huc ipsæ commigrarent. Sed nihil hoc morata Teresia dedit operam ut tum ipsa tum Maria a S. Josepho, quam præfectam Hispalensem constituerat, et aliæ duæ secum monachæ summo in silentio nocte quadam huc transirent; quo semel jam facto, non fuit qui se deinceps opponeret. Laurentius porro Cepedius, qui hoc in negotium hactenus naviter incubuerat, cibaria illis quotidiana subministrabat : nam domus hæc monasterii loco non habebatur, nec solitis piorum sustinebatur subsidiis, nisi unius prioris Carthusianorum, quorum domus hic de las Cuevas appellabatur; qui sane vir miro tum erga Deum tum erga has ancillas ejus studio afficiebatur. Mensem ferme integrum hoc in statu egere. Interim Laurentius Cepedius in ædem sacram adaptandam et alia domus membra insarcienda magnam nummorum multitudinem insumpsit : qui si iis Hispalim diebus non appulisset, nihil horum penitus per se monachæ præstare potuissent.

domum apprime bonam,

48 Omnibus ergo jam concinnatis, optasset quidem Teresia sine apparatu ullo Venerabile huc Sacramentum inferri; verum Carthusiensi priori et Garciæ Alvarezio sacerdoti Hispalensi, viro integerrimo (qui rem hanc non secus ac suam curabant), placuit, quo cœnobium magis in populum innotesceret, festiva pompa encæniorum diem celebrari : qua super re cum archiepiscopum consuluissent, ipse haud invitus sententiæ eorum accessit. Edixit itaque ut universo clero et nonnullis sodalitatibus convenientibus, et viis publicis adornatis, e quadam parochiali æde Christi Corpus huc transferretur. Ut dictum, factum : nam Garcias Alvarez cum templum tum novi monasterii claustrum rite instruxit, scitas hinc inde aras adaptavit, multas denique elegantiarum varietates ad voluptatem compositas induxit; atque inter cæteras aquam e malorum aureorum cytinis expressam in fontis modum fluere fecit : etsi hunc B. Mater fontem omitti voluisset. Viæ, uti statutum erat, mundatæ et adornatæ sunt, magnaque solemnitate, festivo symphoniacorum et instrumentorum musicorum concentu, Augustissimus Angelorum Panis ab archiepiscopo huc delatus est Dominica ante Pentecosten, quæ in III nonas Junias incidit, anno MDLXXVI. Quo etiam die prodigiosum quid contigit, quod omnibus ante quorum oculos factum est, stuporem movit.

cui tamen postea melior

49 Plurima missilia ignea jacta erant, et crebro bombardarum fragore omnia reboarant, cum, jam supplicatione finita, sub vesperam, dum denuo festivi ignes et boatus tormentorum repetuntur, casu nescio quo in pulverem sulphureum, tametsi exiguum, ignis illapsus est : is tamen qui pulverem habebat, non sine miraculo a flamma immunis fuit; et cum ad cœnobii fastigium flamma repens ascenderet, cujus laqueare subflava et coccinea bysso adornatum erat, fornicis quidem lapides tetram a fumi fuligine nigredinem induerunt, ipsa tamen extima byssus tenuissima, quæ omnium judicio prima concipere flammam debuisset, ita integra et inviolata apparuit uti cum primum laqueari appensa fuit. Miram B. Matri, quæcumque acta essent, voluptatem attulere et solatium, tum vero magis quod in propria, et adeo quidem bona, suas monachas domo relinqueret, in qua decennio prope toto dein sunt commoratæ. Postea Isabella a S. Francisco, cum ibidem præpositam ageret, anno MDLXXXVI, aliam septingentis supra duodena millia aureis coemit, quæ ea ipsa est quam modo incolunt, pio scilicet aliquot proborum virorum adminiculo, atque imprimis Petri Cerezo Pardo, viri cum genere tum virtutum splendore, atque imprimis omnium principe caritate notissimi, qua stimulante suas in pia opera facultates assidue erogare non dubitat *d*.

d

ex liberalite Petri Cerezo substituta fuit,

50 Horum ille in operum exercitio adeo non defatigatur umquam, ut quidquid assiduo conquirit labore, in eadem magna animi alacritate impendat. Is in domus hujus monialium coemptionem aureos sex mille insumpsit; ædi vero sacræ multiplicem est apparatum et supellectilem ex argento clargitus, atque inter alia ducenum aureorum lychnum et argenteam crucem Sanctorum Reliquiis decoratam, quæ tricentenis nummis aureis stetit : et cum primum domum hanc adiit, quadringentorum illi honorarium contribuit. Ut vero de aliis religiosis domibus, in quas ille profusus admodum exstitit, nihil dicam (constat namque mihi illum uni inter alias, etsi non simul una vice, tria aureorum millia insigni benignitate contulisse), erga hanc sane Excalceatarum et Excalceatorum familiam munificentissimum se semper præbuit; et ita quidem eminenter ut paucis hanc benignitatem complecti verbis non possem. Omissis enim iis quæ in Madritanum, Granatense, Veasense, Burgense, Salmantinum, Albanum aliaque Instituti hujus domicilia liberaliter profudit, ipsa sane Ulyssiponensis sedes illius potissimum adminiculo ortum habuit : nam in illius erectionem ter mille contribuit aureos, et etiamnum quotidie nova illi submittit subsidia. Ipsum profecto Excalceatorum Hispalensium cœnobium bina simul aureorum millia ab ipso accepit, ut taceam ea quæ quotidianos in usus ab illo suppeditantur. Etsi vero tantum in pia opera elargiatur, plura tamen dandi voluntatem et animum præfert : ita namque prompte et gratanter hæc exequitur ac si exiguam et quotidianam stipem erogaret. Credo equidem parum æquis illum accepturum animis quod hæc a me scripto consignentur; sed unius Dei gloriæ promovendæ studio, et ut bono quod hujusmodi ex operibus ad proximum emanat exemplo lectori utilitatem afferam, hæc a me litteris mandata sunt.

monialibus suis procurat.

51 Laurentio porro Cepedio eam quam huc attulit opem Deus egregie rependit; nam inter cætera sibi parvulam quamdam e filiabus ejus, Teresiam nomine, adoptavit. Mirifico erga hanc beata Mater affectu rapiebatur, quod eam suavissima indole et aliis ad Deo ancillandum dotibus instructam cerneret. Hæc hodie in Abulensi conventu degit, et Teresia a Jesu nominatur. Dum Dominica die, solemnitate omni peracta, etiam molestiæ et labores omnes finem accepissent, et jam aliquam sibi B. Mater indulgere quietem debuisset, postridie ejus diei sine cunctatione inde discessit, cum quod sua præsentia reliqua per Castellam domicilia opus haberent et cœli calores magis invalescerent, tum quod aliquod afferre longior mora discrimen potuisset. Lætam igitur festivitatis quam moniales senserant jucunditatem diluit, velut aqua offusa, inopinatus Matris

suæ

A suæ carissimæ discessus, cujus præsentia omnes maxime recreabat. Verum tum ob eas quas jam diximus rationes diutius hærere Hispali ei nefas fuit, tum vero quod dicatas Spiritui Sancto ferias, quæ proxime sequenti hebdomade recolebantur, Malagone celebrare constituisset. Hispalensi itaque domui præpositam dedit Mariam a S. Josepho, quæ hanc tamdiu rexit donec ad Ulyssiponensem constituendam sedem est evocata : illius vero vicariam Mariam a S. Spiritu constituit.

ANNOTATA.

a *Quæ de gestis a P. Gratiano muneribus ac generatim de rebus virorum Institutum Teresianum sectantium Ribera admodum compendiose refert, nos aliquanto copiosiore narratione in Commentario prævio prosecuti sumus inde a* § XXXII *et passim in sequentibus; quod hic ita lectorem monitum velim ut deinde singula quæque Commentarii loca citare non sit necesse. Varium quod de celebri illo viro a multis latum est judicium sedulo expendimus* § LXXXV *a num.* 1668.

b *Opulenta matrona, nomine Eleonora de Valera, Henrici Freyle Lusitani uxor, piæ cuidam*
B *mulieri* (*ex iis quas* beatas *Hispani appellant*) *clanculo aliquid pecuniæ dederat ad moniales Teresianas deferendum; sed hæc, moniales eo subsidio non indigere rata, commissos sibi nummos aliis distribuerat : quod nonnisi post plures dies Eleonoræ innotuit. Ita Chronicon* (*lib.* III, *cap.* XXXVII, *num.* 5). *Elapsis exinde aliquot mensibus, P. Gonzalvus Pantoya, Carthusianorum prior, monialibus auxilio esse cœpit, ut mox Riberam narrantem audiemus* (*num.* 47) *et ex ipsa Sancta jam didicimus in Comment. prævio* (*num.* 702).

c *Scripsit hæc Sancta die* XXIX *Aprilis* 1576 *ad consanguineam suam Mariam a S. Joanne Baptista, priorissam Vallisoletanam* (*tom. I, epist.* 47).

d *Viro huic in familiam Teresianam aliosque religiosos Ordines liberalissimo Ribera epistolam nuncupatoriam Vitæ suæ Teresianæ cum multa amicitiæ atque æstimationis significatione inscripsit.*

CAPUT IV.

Fundatio Caravacensis. Dissidia Calceatos inter et Excalceatos Carmelitas, eorumque exitus. Fundatio Villanovana.

C

CAP. VII. *Monasterium Caravacense*

Dum Abulæ Teresia ageret, jamjam Veasum concessura, venit ad ipsam missus Caravaca nuntius cum litteris Catharinæ de Otalora, de primariis loci illius matronis (fuit hæc licentiati Muñozii, consilii Indici olim, ac deinde consilii regii assessoris, uxor), quibus beatam Matrem rogabat ut illa in civitate sedem suarum erigeret. Rei hujus illa fuit occasio. Dixerat ibidem pro concione quidam e Societate nostra, ea verborum vehementia, ut his tres e primaria nobilitate virgines, sanguine invicem junctæ, commotæ, rebus mundanis nuntium remittere seque Deo in religioso Instituto dicare decreverint; quarum hæc sunt nomina : Francisca de Saojosa, Francisca de Moya et Francisca Tauste. Harum prima Catharinæ de Otalora consanguinea erat et illius in familia commorabatur, quo et aliæ duæ post commigrarunt : quæ si hoc in oppido constituere ex se cœnobium vellent, illius in fundationem Catharina bis mille nummos aureos spopondit, tum etiam omnem qua usui esse poterat opem uti ab Ordinum equestrium consilio ejus rei facultas obtineretur. Quod enim oppidum id equitum S. Jacobi juris esset, illorum injussu novum in illo erigi monasterium nefas erat. Hac porro in domo illæ non minori in solitudine agebant quam si monasterii claustro continerentur : nam in una ædium parte, quam pia illa vidua ipsis assignarat, ædiculam privatam habebant nec non confessionalem exedram et orbem versatilem cœnobiorum in morem. Dubitabant autem quodnam demum hoc in cœnobium Institutum inducerent; nec ullam hactenus in partem penitus propenderant : donec eo quidam appulit e Societate Jesu cognomento Leyva, a quo audiere in regno Toletano illustrem quamdam sanctitate mulierem, Teresiam a Jesu cognominatam, nova Carmelitanarum erigere cœnobia, in quibus et Religionis vigeret integritas et claustrum servaretur arctissimum. AUCTORE RIBERA. D

53 His compertis, animum pariter huc induxerunt, et apud Catharinam effecere ut omnium ipsa nomine ad Teresiam scriberet, ipsarumque trium ad sedis primordia constituenda hæreditatem offerret. Hac illius postulatione B. Mater mirifice recreata, Abula discessit, statuitque, Veasensi domo E constituta, Caravacam etiam concedere : atque hanc ob causam plures secum sodales duxit quam Veasensis initia sedis requirerent. Idipsum et Catharinæ de Otalora per litteras spopondit, illam regiam interea jubens rei inchoandæ potestatem exigere. Nec vero eam difficile fuit obtinere : cum enim ipsa Teresia regi Philippo hac de re scripsisset, quamprimum hic ejus copiam fecit. Verum, quod Ordinario loci hoc domicilium subesse rex jussisset, denuo ad regiam curiam hac de re opus fuit referre; quod hanc ad reliquarum exemplum Ordini subjici domum Teresia mallet. Interim dum hæc aguntur, Hieronymo Gratiano visitatori apostolico placuit illam Veaso, ubi tum commorabatur, ad Hispalensem sedem constituendam proficisci. Hinc maximo virginum illarum cum dolore hæc res diutius dilata est; quæ jam ad templum ornandum spectantia summa diligentia compararant et rem velut confectam habebant. Annam a S. Alberto, quam secum B. Mater duxerat ut Caravacensi domui illam præficeret, Hispali interea reliquit; reliquas quas in monasterii ejusdem initia ponenda advexerat, Malagonem remisit. Ut optatæ facultatis regiæ litteræ advenere, illæ Dei ancillæ Teresiam assidue, ut Caravacam ad cœptum monasterii negotium conficiendum excurreret, urgebant. Cum autem pia admodum et æqua illarum videretur postulatio, et Hispalenses res æquo longius traherentur, placuit beatæ Matri nec non Patri visitatori aliquot Caravacam monachas mittere, quæ illius loco nova jacerent domus fundamenta. *Sanctæ absentis nomine* F

54 Hanc ob causam Hispali missa est Anna a S. Alberto, quam præfectam Teresia crearat : hæc recta Malagonem reversa, quatuor inde alias selegit, Barbaram a S. Spiritu, quæ primas a superiore teneret, Annam ab Incarnatione, Joannam a S. Hieronymo et Catharinam ab Assumptione; quæ simul omnes Caravacam die Exspectationi partus Deiparæ Matris sacro appulsæ sunt, et peramanter a tribus illis Dei ancillis exceptæ, non quidem in Catharinæ de Otalora, sed in Roderici de Moya, Franciscæ de Moya patris, ædibus. Hic enim suarum illis ædium partem mutuo dederat, in qua dein ipsæ elegantem admodum ædiculam cum odeo concinnarunt, additis reticulatis cancellis et orbe versatili. Dum necessaria comparantur, et tabulæ fundationis conficiuntur, et domestica supellex con- *instituit Anna a S. Alberto.*

AUCTORE RIBERA.

vehitur, December mensis effluxit : primo vero die anni MDLXXVI Sanctissimum Altaris Sacramentum huc illatum est et loci inita possessio, illique data a S. Josepho appellatio. Eodem die religiosum sumpsere amictum fundatricum duæ; nam tertiam aliquot apud sororem suam commorari diebus oportuit. Hanc suis in Fundationibus Teresia ait foris tum fuisse : et revera fuit, cum de hac ipsa fundatione scriberet; sed non multo post, duorum aut trium mensium intervallo, vestem illi contulit Hieronymus Gratianus, cum hanc domum visitator lustraret. Hæ suo quæque tempore rite vota Deo nuncuparunt, et Francisca a Matre Dei, Francisca a Cruce, Francisca a S. Josepho sunt appellatæ. Eo porro singulas hic ordine recenseo quo eas initio capitis produxi; quæ etiamnum, magnæ probitatis et religionis dantes omnibus exempla, Caravacæ commorantur.

CAP. VIII. *Carmelitæ Calceati*

55 Hispali Teresia Malagonem, inde Toletum concessit, ubi aliquot mensium spatio hæsit. Quoniam vero qui divini obsequii studio animas Deo plurimas lucrantur, salutis nostræ adversario imprimis exosi sunt, et eos ipse qua potis est ratione exagitat, satis illi non fuit Hispali se Teresiæ adversarium præbuisse, verum etiam multas alias excogitavit rationes ad impediendum ne qua de novo cœnobia conderentur, quod sibi eadem permolesta essent. Quin omnem jam moverat lapidem, nisi illi Deus obstitisset, ut quæ jam in monacharum monachorumque usum constructa erant, penitus dissolverentur. Cum itaque in his Teresia fundandis progrederetur, hujus ipsa rei Generalem Præpositum certiorem reddebat; a quo vicissim litteras recipiebat quibus hunc ipse sibi esse progressum longe acceptissimum testabatur. Quo illius applausu incredibiles Teresia ærumnas quas in singulis prope fundationibus experiebatur, non parum lenichat. Quod enim Dei hunc ipsa teneret loco, quam illi afferebat lætitiam, Deo se afferre existimabat. Hinc, cum per litteras illum rogasset ut sua juberet auctoritate ne qua nova exinde a se cœnobia excitarentur, hoc se is nequaquam facturum respondit : desiderare se namque ut tot erigerentur quot in capite haberet capillos. Hæc quidem tum ille; verum paucis inde post annis Carmelitæ in congregatione generali collecti Teresiam, antequam Hispali discederet, per litteras monuere, non modo ut nullas posthac erigeret sedes, verum etiam ex omnibus jam erectis eam sibi quam vellet eligeret, in qua deinceps quiete viveret nec ea amplius egrederetur. Hoc beatæ Matri imperium ex voto accidit : quod enim sibi reliquum erat vitæ, in quiete id monastica traducere peroptabat; simul etiam a tanto discursu erat alienissima : etsi aliud longe spectarent a quibus id mandatum promanabat. Producti tum quoque in illam testes a veritate alienissimi.

in S. Teresiam,

56 Interim tamen Teresia miro perfundebatur gaudio, quod irrefragabilem innocentiæ suæ testem haberet Deum. Sed maxime illam cruciabat quod harum delationum ac testimoniorum velut instrumento usi nonnulli Præpositi Generalis animum a se paulo alieniorem reddidissent. Ut vero finitarum fundationum ratio penitius intelligatur, res altiori a principio arcessenda est. Cum Abulam Toleto Teresia venisset, triennio præfecturæ ejus quæ in Incarnationis cœnobio Teresiæ eo in munere successerat, jam evoluto, ejus domus monachæ, quæ initio ab ipsa fuerant alieniores et omni eam ratione excludere studuerant, ita pronis jam in ipsam animis rapiebantur ut tam illæ quam reliquæ omnes denuo eam in rectricem eligerent, tanto quidem suffragantium consensu, ut, licet ingens earum esset numerus, e quatuor suffragiorum partibus tres eoque plures in ipsam ferrentur. Per idem quoque tempus Petri Hernandez visitatoris munus exspirabat : itaque, ut novæ huic electioni pondus accederet, a Carmelitarum Calceatorum provinciali eam ratam haberi oportebat. Verum hanc ipsi confirmare, ob aliquot quibus huc adducebantur rationes, noluere. Cæterum ita ejus cupidæ illæ monachæ erant ut judicio rem disceptare statuerint, et, Nuntii apostolici et regii consilii auctoritate interposita, magnam pecuniæ vim expenderint, provincialem quoque suum adierint, litteras quas a senatu regio quoad hoc acceperant, illi traditurae; sed aurem ipse postulatis ipsarum accommodare nolebat.

P. Gratianum

57 Eo ipse tempore Abula pertransiens, beatam Matrem in S. Josephi adii; e qua quid rerum ageretur intellexi : metuebat scilicet ipsa ne monachæ quod insistendo ardenter postulabant, a superioribus consequerentur, et imprimis optabat ut sibi quiete sua in domo agere liceret. Votorum illam Dominus compotem reddidit; cum numquam electæ confirmationem a provinciali impetrare Incarnationis moniales potuerint. Antequam autem hæc fierent, Hieronymus Gratianus, Pastranæ priorem agens, pro suo gloriæ divinæ semper adaugendæ atque Instituti sui longius promovendi studio ab apostolicæ Sedis Nuntio fieri sibi copiam petierat Fratribus Excalceatis domicilii Hispali excitandi. Qua in re benevolos tum ipsum Nuntium tum Christophorum de Rojas archiepiscopum Hispalensem expertus, illud fundaturus Hispalim tetendit. Ubi dum versatur, ab Romano Pontifice est injunctum Nuntio ut Carmelitarum utriusque sexus Calceatorum visitatores constitueret. Hac de re cum ad regem is retulisset, Catholicæ hoc Majestati gratissimum fuit, et universæ Bæticæ visitator Hieronymus Gratianus est declaratus. Hic ergo cum integritate singulari nec non caritate et prudentia suum exercere munus cœpisset, atque omnibus quæ correctione opus habere norat, prospiceret, Excalceatarum Hispalensium e domo Isabellam a S. Francisco, Villacastinensem, de qua alias memini, evocatam, Paternense in oppidum jussit concedere, ut quod in eodem monialium erat cœnobium Ordinis Mitigati suo ipsa exemplo meliorem ad formam revocaret. Quo in munere ipsa singulare Deo præstitit obsequium atque incredibilem monialibus fructum attulit.

cæterosque Excalceatos

58 Id autem Gratianus munus exercebat, cum Teresia Veasum et Hispalim, uti supra significavi, abisset sedem constitutura. Inter hæc nonnulli Carmelitarum Calceatorum auctoritatem ac nomen non parum lædi censebant, quod adolescentem non sui Instituti et tironem quodammodo religiosum in visitatorem nacti essent; præsertim cum sibi non deessent, uti revera non deerant, alii et ætate et religione et vitæ probitate spectabiles Patres, quibus eæ committi partes cum honore potuissent. Id quidem Gratianus a se onus haud gravate abjecisset, et hac ipsos molestia, quantum quidem in ipso erat, libens admodum liberasset (quæ etiam aliarum post fuit origo); verum adeo non ab hoc eum munere Nuntius voluit absolvere, ut etiam, quando cum Teresia Veasi agebat (quemadmodum in loco indicavimus), eum ad se evocatum apostolicum Excalceatorum et Excalceatarum per Castellanam provinciam visitatorem constituerit. Hoc autem ipse munere dum fungeretur, vitæ probitate et eruditione singulari omnibus ad quæ concedebat locis exemplo erat; unde factum ut nonnullæ civitates Excalceatorum utriusque sexus apud se condi domicilia

A domicilia postularent. Vallisoletum porro cum venisset suæ Fratribus disciplinæ cœnobium erecturus, ob eam quam diximus causam Mitigati ab alio Nuntio, prioris successore, Philippo episcopo Placentino, diploma obtinuerunt quo Excalceati sibi parere jubebantur : sibi nimirum obedientiam deberi, utpote antiquioribus, quin etiam illos excommunicationis pœnas incurrisse et Generali Præposito refractarios auscultare nolle, dictitabant.

sæviunt. 59 Quo comperto, Gratianus ad Nuntium opis causa confugit; a quo cum objurgaretur, humi prostratus reprehendentem audiit, nihil in causæ suæ defensionem, insigni animi humilitate, afferens. Interim quodam eum in monasterio Nuntius hærere jubet, donec quid statuendum suo in negotio foret, maturius decerneretur. Cum in Excalceatorum itaque disciplinam sedulo inquiritur, ad regis et Præpositi Generalis aures examen devenit. Hic vero ita inde de re hac judicavit ut et ad Dei gloriam et ad Ordinis sui tranquillitatem facere censeret, si hæc nupera Excalceatorum monasteria irritarentur et eum ad statum res redigeretur in quo erat antequam de hisce fundandis esset sermo: quin et in Teresiam ipsam concitari cœpit, quod
B nullum huc ipsa auxilium afferret; cum tamen antea eam tam benevole fovisset, fundandique illi quam poterat plurima cœnobia potestatem concessisset. Variis hanc ob causam exagitati sunt modis Excalceatorum primarii, Gratianus scilicet, Antonius a Jesu, Marianus a S. Benedicto et alii; atque adeo omnes ubique adversus ipsos insurgere et illorum domus omnes penitus subvertendæ videbantur. Nuntius quippe apostolicus in ea erat sententia ut censeret expedire imprimis plura id genus cœnobia non excitari; et hoc ipse negotium omni studio promovebat. Hinc nonnullos ex hisce Patribus in exilium pellere, alios in custodiam abducere et variis affligere pœnis; quin etiam anathematis pœna proposita edicere ne quis verbum illa de re amplius faceret; denique horum nec non Excalceatarum e Mitigato Ordine virum, Angelum de Salazar, visitatorem creare.

Elucet interim Sanctæ patientia. 60 Res pene ad extremum redacta jam erat et Excalceatorum Institutum ruinam minari videbatur. Quid tum agebat Teresia? Quid sentiebat? Persuasum scilicet habebat sui unius causa turbidam hanc tempestatem coortam, seque una in mare ad Jonæ exemplum conjecta, fore ut brevi
C universa procella detumesceret. Ipsa nempe in omnibus patiebatur, in omnibus crucem sentiscebat; adhæc variis impetebatur calumniis : quas flocci pendens, bonorum illorum Patrum sortem miserabatur, quos norat culpæ omnis expertes. Interea ipsa continuas et ferventes suis in domiciliis preces, jejunia, corporis castigationes indicere, necnon suos in cœlum oculos convertere, unde certum illi erat subsidium venturum. Quadam ergo die, dum inter orandum animo versaret verene hi quos ante nominavimus, novam hanc Excalceatorum Reformationem destructam vellent, illico respondentem sibi Dominum audiit : « Ita quidem nonnulli cu» perent; verum id minime continget, sed longe » secus. » Etsi vero hæc divina adhiberet præsidia, humana tamen minime sibi negligenda putavit. Magnatum itaque benevolentiam captavit, majoris auctoritatis religiosos adhibuit deprecatores, verbisque demum ita efficacibus regi perscripsit ut iis magis illius sit Majestas, causæ ut se propitiam exhiberet, quam omnibus aliorum patrociniis emota. Interim a Dei id profecturum ipsa censebat manu, singulari cum patientia exspectans quidquid in hoc tandem negotio decerneretur. Hinc, licet interdum rei non eum quem volebat, interdum etiam longe deteriorem successum cerneret, non idcirco vel minimum ab ea desciscebat. Sæpe, cum optato res exitu jam concludenda videbatur, subito mutato eventu, pessimo erat loco; ipsa vero solita sua patientia et viva in Deum fide nixa, successum semper lætum exspectabat.
D

Regis ac Summi Pontificis ope 61 Tandem itaque Catholicum illum regem impulit Deus ut servis ille suis, qui adversis exagitabantur, suppetias ferret, cum non solum apostolicum Nuntium hujus esse causæ judicem voluit, sed quatuor ei sua sponte designavit assessores, viros graves; et horum tres esse religiosos jussit, atque inter hos Petrum Hernandez, qui Carmeli olim fuerat visitator et rem omnem perspectam habebat. Quod cum Teresia inaudisset, negotium ut confectum habebat. Et est sane secundo lætoque id successu terminatum. Cum enim Generalis visitatorem Roma misisset, qui, comperta delationum veritate, sua in Excalceatos auctoritate animadverteret, quin illorum etiam penitus molimina subverteret, sua illum uti potestate Philippus rex vetuit. Longius etiam provecta regis benignitas : quippe tum suo tum Excalceatorum nomine a felicis recordationis Papa Gregorio XIII instanter petiit, multis
E hanc in rem propositis rationibus, ut Excalceatos atque Excalceatas a Mitigatorum obedientia absolveret, quo singulares sibi hi possent constituere provincias, solum Generalem totius Ordinis Præpositum in superiorem agnoscentes.

dissidia illa Carmelitana 62 Veritate rei diligenter excussa, Pontifex, ærumnas quas hi Dei servi subierant, miseratus, insigni cum liberalitate hanc ipsis potestatem, illorum Institutum et vitæ rationem amplissimis verbis deprædicans, est elargitus, æquum esse dictitans ut suus unicuique familiæ superior obtingeret. Copiam adhæc fecit novas passim ubivis locorum tum Fratribus tum monialibus sedes excitandi. Hæ quidem x kalendas Julii MDLXXX ab Antistite supremo missæ litteræ sunt : verum, quod nulli earum esset exequendarum facta potestas, denuo de eadem re Romam perscribere oportuit. Demum rei executorem Pontifex nominavit Petrum Hernandez. Illico igitur Salmanticam apostolicas ad Hernandezium litteras rex misit : at, quod ad mortem usque ex morbo tum ipse decumbebat, has nondum resignatas ad regem remisit. Quare tertio demum hac de re Philippus rex ad Urbem
F cum scripsisset, ac duos designasset, ut, si alterutri interim quid accideret humanitus, alter saltem rem exequeretur, executio tandem concredita F. Joanni de las Cuevas Ordinis S. Dominici, Talaverensis cœnobii S. Genesio dedicati tum præposito, postea vero Castellanæ provinciæ moderatori, viro insigni, religione et auctoritate magno. Missum hoc diploma XII kalendas Decembris anni ejusdem : cujus vi Excalceati, F. Joanne de las Cuevas præside, primam suam Compluti congregationem Dominica IV Quadragesimæ anni insequentis indixere; in qua, provinciæ facta divisione, provincialis illius primus constitutus est Hieronymus Gratianus.

feliciter demum componuntur. 63 Exinde omnia in pace fuere, universaque Excalceatarum cœnobia proprio subjecta mansere provinciali. Abulense quidem decem ac septem circiter annorum spatio episcopo subditum fuit; sed, evolutis his, cum Alvarus Mendozius hinc ad Palentinum episcopatum transmigrasset, Teresiæ Toleti agenti significavit Dominus ut operam adhiberet ut quæ in S. Josephi Abulæ agerent monachæ obedientiam Ordinis superioribus etiam præstarent : hoc enim ni fieret, fore ut domus illius religio propediem interiret. Quo illa de negotio cum doctore Velasquez,

AUCTORE RIBERA.

Velasquez, qui ea tempestate illi a Confessionibus erat et canonicum Toleti agebat, deinde vero ad episcopatum Oxomensem ac tandem ad Compostellanum archiepiscopatum est evectus, communicans, illius hunc suasorem habuit. Abulæ quoque cum episcopo eadem super re contulit, item cum sodalibus. Tandem, ita ut constituerat, res confecta est, atque exinde domus hæc in aliarum numero recenseri cœpit. Septem post annos aliud iidem Patres a Sanctissimo Domino nostro Sixto Papa V diploma VI idus Julias MDLXXXVII datum obtinuere, quo potestatem fecit ut quæ jam excreverat in domos plurimas provincia in plures distingueretur, et suus cuique provincialis assignaretur, eæque omnes eligendo postea Vicario Generali subjicerentur. Litteræ hæ VIII idus Maji MDLXXXVIII executioni cum mandarentur, quinque constitutæ sunt provinciæ : Castellana duplex, in Veterem et Novam distincta, Granatensis, Catalana et Lusitana; et singuli singulis dati præpositi provinciales : in Generalem vero Vicarium electus est Nicolaus a Jesu Maria, qui tum provincialem agebat.

CAP. IX. *Ut ardentissimis votis*

64 Ex iis quæ supra commemoravimus, evidenter satis patet ecquæ fuerit ratio cur quadriennio illo toto nullum excitatum sit Excalceatarum cœnobium; cum quæ jam ante erecta erant, summo ipsa essent in periculo ne penitus subverterentur, et etiam vivere multum esset. Primum itaque post has procellas cœnobium fuit Villanovæ de la Xara excitatum, quod jam ab anno MDLXXVI postulatum erat, cum Toleti ageret Teresia Hispali reversa. Tum scilicet ad eam sacerdos ab eo oppido venit, qui nuntiavit jam abhinc annis aliquot in eremitorio a S. Anna denominato *a*, cui vicina erat domuncula, novem ibidem virgines coaluisse, tanta in sanctitate et solitudine viventes ut universam oppidi permoverint multitudinem ad piis ipsarum desideriis satisfaciendum. Teresiæ ea res operæ pretium non videbatur, ob nonnullas quibus ad hoc adducebatur rationes : quarum ea princeps erat quod virgines jam certæ vitæ rationi assuetas suos ad religiosum Institutum mores minime accommodaturas crederet; tum quod exigua illarum esset domuncula et vix ulla supellex; denique, tametsi illarum se respublica necessitatibus prospecturam sponderet, minime ea ad perpetuitatem stabilis promissio futura videretur. Accedebat quod, quamvis harum virginum probitas omnium sermone extolleretur, cum eæ sibi visæ non essent, ignoraret num quæ suis in sodalibus posceret talenta ipsæ præferrent. Itaque cum doctore Velasquez, quem Toleti illi confitenti operam dedisse nuper diximus, rem communicavit. Respondit ille spem illis aliquam per litteras faceret; cum enim tot simul corda in unum, Deo movente, scopum collinearent, evidens id signum esse Dei hæc voluntate fieri. Interim oppidani continenter insistebant. Hæc dum fiunt, dumque patroni adhibentur qui negotium apud beatam Matrem conficiant, et ipsa assensum tandem præbet, Ordinis inchoati negotium variis procellis exagitatur : quare ad annum usque MDLXXX res protracta est; quamquam etiam toto illo temporis spatio hujusce monasterii fundationem admittere semper parum congruum Teresia judicaret. Si quando tamen ad postulata oppidanorum responderet, numquam omnem rei spem illis poterat adimere.

piarum aliquot virginum

65 Erat tertio ab Villanova lapide quoddam Excalceatorum Fratrum cœnobium, quod a B. Maria de Subsidio nomen habebat, cujus præpositus Gabriel ab Assumptione cum P. Antonio a Jesu, qui eodem in cœnobio aliquamdiu est commoratus, interdum Villanovam verbi divini prædicationis ergo excurrebat. Hi cum illas Dei ancillas identidem alloquerentur, ita ipsarum sunt sanctitate moti ut summis Teresiam precibus inducere sint conati ut huc domum erectura concederet; atque imprimis P. Gabriel, qui inde Malagonem sex et viginti leucarum itinere abiit, ut hanc beatæ Matri rem coram persuaderet. Non immerito ipsarum virtus Patribus illis placuit : quinquennio enim toto eoque amplius quo in eremitorio illo sunt commoratæ, insigni sanctimoniæ exemplo vicinis præluxere. Summa licet rerum penuria premerentur, stipem tamen petere noluere, sed suarum opere manuum victitabant : e lucro vero quotidiano subtrahebant corporis sustentationi, quo nuntiis ad beatam Matrem mittendis subsidia suppeterent. Multis membra rigoribus ac crebris jejuniis macerabant. Noctes et dies ad Dominum clamabant ut B. Matrem ad se dirigeret, a qua religiosi Instituti formulam ediscerent. Unaquæque adhuc vestem quam huc initio tulerat, induta erat; nec ante eam quam in monachas cooptarentur, mutare decreverant. Vultus ipse pœnitentiæ æque respondebat : nulla inter eas cæteris præerat, sed sororia inter se caritate junctæ erant. Domus non clavi claudebatur, sed pessulo dumtaxat; et hunc sola quæ cæteris ætate anteibat, obducebat. Duæ aliis ætate provectiores rem familiarem curabant et de necessariis prospiciebant : reliquæ nemini externorum loquebantur. Exiguus omnibus erat somnus, oratio prolixa; dies vero festivos totos in precibus traducebant.

faciat satis,

66 Hæc Gabrieli commemoranti suas Teresia adversus illarum virginum admissionem rationes afferebat : sed cessit tandem importunioribus illius precibus, id tum ejus tum P. Antonii conscientiæ se committere dictitans, et facturam se quod illis, re maturius examinata, convenientissimum videretur. Cernens autem in hujus ipsum domicilii erectionem admodum propendere, et fore ut de hac ad prælatum quem tunc, Nuntio apostolico designante, nacti erant, Angelum de Salazar ex Ordine Mitigato, referret, eum ipsa prævertit, ac P. Angelum præmonuit ne rei hujus illi facultatem concederet. Quamquam vero Teresia adeo obluctaretur, assiduis tamen illarum Dei famularum orationibus rem confici contigit. Hanc ipsa quoque identidem Domino inter orandum commendabat, ut quod ad ampliorem illius cederet gloriam, id ipse fieri permitteret. Quadam autem die a sacro surgens Eucharistiæ epulo, dum eodem super negotio cum Altissimo tractaret, acriter est ab ipso objurgata, petente quibusnam reliqua hactenus domicilia thesauris fundata essent, et mandante ut domum admitteret : hanc enim suum in obsequium et in plurimarum salutem animarum cessuram. Ad hanc demum vocem victa manus dedit : simul etiam gravem se credebat noxam contraxisse quod humanis rationibus plus æquo nixa fuisset, cum quidquid hactenus per eam Dominus fecisset, adeo omnem rationem transcenderet. Videbatur illi necessarium ut huc se ipsa conferret, etsi valetudo iter hoc dissuaderet, quod ægra admodum Malagonem pervenisset et ægritudo indies ingravesceret. Sed quod e re divina id fore prævideret, suo id superiori indicavit, petens ut ipse faciendum præscriberet quod expedire magis judicaret. Is ergo non modo illuc eundi potestatem fecit, verum etiam jussum dedit, ac monacharum conducendarum optionem illi permisit.

S. Fundatrix,

67 Re ergo Domino per preces communicata, ut quæ illis Dei ancillis erudiendis maxime convenirent,

A rent, sanctimoniales seligere posset, e Toletana
b domo Annam a Matre Dei præpositam futuram *b*, et e Malagonensi Elviram a S. Angelo vicariam ejus selegit, hisque adjunxit Annam a S. Augustino et Constantiam a Cruce. Tum quoque comes ejus exstitit Anna a S. Bartholomæo, quæ nec ab ejus postea latere umquam ad mortem usque recessit, sedulamque ejus curam gerebat, et quibus poterat caritatis illi succurrebat auxiliis, ut quæ illi ministrando gratificari Domino summopere desideraret, et sciret quam gratum illi hocce famulatu præstaret obsequium. Has accersitum ivere Patres Antonius a Jesu et Gabriel ab Assumptione, omnibus secum donariis quibus eos respublica instruxerat, assumptis. Itaque Malagone sabbato ante quadragesimale jejunium, idibus Februarii, discessum est. Confirmatam eo in itinere sibi Teresia valetudinem experta est perinde ac si nullam hactenus ægritudinem sensisset. Quam illa vicissitudinem mirata, simul etiam considerabat quanti referret exiguas corporis vires parum morari, cum divini cultus amplificandi sese offert occasio. Hoc in itinere, quod Patres in regione illa, Mancha cognominata, notissimi essent, ut primum increbuit beatam Ma-
B trem adesse, in omnibus locis ad quæ commeabant, tanta ejus visendæ studio hominum affluebat multitudo ut eam compescere non valerent. Cum quodam in pago, cui nomen Robledo, apud probam matronam diversaretur, tanta huc confestim mortalium vis confluxit ut duos ante januam collocare lictores fuerit opus, qui ingruentem multitudinem, dum ipsa cum suis pranderet, submoverent : sed ne ii quidem compescere affluentium ardorem poterant, cum muros extimos domus transcenderent.

visitatis ex itinere

68 Unde, ut populus coerceretur et ipsæ commode inde possent recedere, nonnullos abducere in custodiam fuit necesse : omnes namque incredibili ejus saltem videndæ desiderio tenebantur, cum nulla alloquendæ daretur facultas. In alium haud procul inde pagum cum primum inveheretur, tanta hominum turba, ipsam ut videret, obviam prodiit, ut postridie, ejus compescendæ ergo, tres ante auroram horas in viam se dederit. Inde cum adeo tempestive recederet, rheda qua ipsa vehebatur, confracta est; sed quia nondum dies illuxerat, ejus fracturam nemo ante advertit quam tria provecti milliaria ad alium pervenissent locum : tum demum, visa rhedæ jactura, mirari omnes quomodo tantum conficere
C itineris potuissent; ipse etiam lecticarius asserere id miraculo non vacare. Omnes porro incredibili hisce in pagis erga ipsam affectu tenebantur : hinc in illorum uno agricola quidam locuples imprimis, cognito hac illam pertransituram, lautum illi domi suæ paravit convivium, suosque filios et generos ex aliis pagis adesse jussit, ut Teresia eis præsens benediceret; nec non universa armenta unum coegit in locum, ut et his benedictionem cœlestem apprecaretur. Hunc tamen ad pagum cum delata esset, subsistere noluit, ne rheda quidem descendere, tametsi instantissime rogaretur. Hinc ad currum adesse suos pius agricola jussit, ut eam hic alloquerentur singuli et benedictionem ab ea acciperent. Inde ad B. V. M. de Subsidio, quo nomine Excalceatorum domicilium nominatur, perventum est. Sed antequam huc ingrederetur, omnes illi Fratres in speciem supplicantium obviam prodiere. Quod B. Matri officium mire placuit ac singulari pietatis sensu illam affecit, quod primorum Ordinis sui eremitarum ea re diceret imaginem referri. Omnes in genua prostrati, supplices illius benedici manibus postulabant : quam deinde surgentes agminatim ad ædem sacram deduxere; eamque ingressi, hymnum « Te Deum laudamus » congratulando concinuerunt.

AUCTORE RIBERA.

69 Cœnobium porro hoc intra silvarum est abdita, a Catharina de Cardona, insigni pietate et insolita et incredibili vitæ asperitate notissima muliere, conditum : unde factum ut in multis Manchæ partibus Excalceati Patres vulgo Bonæ mulieris Fratres dicantur. Subterraneus templi est aditus; qui illa ipsa caverna fuit in qua multis annis sancta illa mulier in mira vitæ asperitate vixit. Cui cum condendi monasterii desiderium incidisset, et cujus illud Instituti potissimum excitaret, anceps nutaret, pallium illi album est a Domino exhibitum, necnon vox illapsa id Excalceatis Carmelitis parandum monuit, etsi ipsa tales in rerum natura existere ignoraret. Cognito deinde Pastranæ tales agere, eo se contulit, ut in cœnobium quod construere in animo habebat, aliquod subsidium colligeret; ibidemque B. Mariæ vestem sumpsit, etsi non ea mente ut monasticen profiteretur : anno vero MDLXXVII de vita migravit. Porro Teresia hic agente, plurimi vicinis e locis ejus videndæ studio confluxere. Cum autem die quodam, post sumptum hoc in templo Angelorum Panem, sensuum alienationem pateretur, ipsam Catharinam glorioso in E
corpore, nonnullis comitatam Angelis, conspexit, dicentemque audiit : « Noli in hisce cœnobiorum » fundationibus defatigari, carissima; sed semper » ulterius progredere : equidem tibi apud Domi- » num præsto futura sum. »

D
Fratribus cœnobii B. V. M. de Subsidio,

Villanovam de la Xara advenit,

70 Inde non multo post, prima Quadragesimæ Dominica, IX kalendas Martias anni MDLXXX ante summum Sacrum Villanovam de la Xara pervenit. Multo antequam oppido accederet tempore, campanis sonantibus, ingens puerorum agmen mira pietate illi obviam prodiit : qui ut ad currum quo ipsa vehebatur, accessere, submisso eam sunt poplite venerati, et nudato capite incedentes, antecessere, donec ad templum eam deducerent. Omnis item senatus et loci curio multique alii viri spectabiles eam excepturi foras prodiere; nec ante exscensionem fecere quam ad S. Annæ templum, quod ab priori longius distabat, perventum esset. Festiva totius populi erat congratulatio; templumque subeuntibus omnibus, clerus universus, intermodulantibus organis, cantare cœpit « Te Deum lauda- » mus ». His peractis, accepto Venerabili Altaris Sacramento, cui tensam honorabilem adaptarant, et Deiparæ Matris effigie, quæ alio feretro gestabatur, F
nec non crucibus cum vexillis, supplicantium ritu ad S. Annæ eremitorium, quo monasterium futurum erat loco, simul omnes processere. In medio agmine, haud procul a sanctissimo Eucharistiæ ferculo, suis cum sodalibus, pallia alba indutis et velis ad ora demissis, Teresia gradiebatur *c*, nec *c*
procul inde Fratres Excalceati, quorum huc plerique excurrerant, quod in vicinia commorarentur. Erectæ per viam erant aræ, apud quas, paulisper agmine quiescente, pium aliquod in Carmelitani Instituti laudem carmen symphoniaci modulabantur. Demum solemni ritu Sanctissimum Christi Corpus illuc est illatum, et loci adita possessio *d*, *d*
relicto illi a S. Anna cognomine, quo ante vocabatur.

ibique monasterio dat initium.

71 Novem porro illæ Dei ancillæ introrsum janua reclusæ latebant, et venientem Matrem, quam ardentissime exspectabant, miro gestientis animi sensu ac lacrymis exceperunt : quibus tum Excalceatarum collatus est amictus. Quas ut Teresia ejusque sociæ viderunt et allocutæ sunt, tantam in eis vitæ notarunt sanctimoniam et ad parendum promptitudinem, ut miram inde voluptatem hause-

AUCTORE RIBERA.

A rint et sibi bene cum illis conveniret; et quo magis eas quotidiano usu perspectas habuerunt, eo etiam magis de suo Villanovam adventu sibi sunt gratulatæ : dicebatque Teresia, quanticumque demum sibi exantlandi fuissent labores, noluisse se ab afferenda piis hisce animabus consolatione abstinuisse, ac majori domum hanc thesauro locupletatam sibi videri quod hujusmodi eam animæ incolerent, quam si amplissimis dotata esset proventibus. Statim ergo, instructis ædibus, in cœnobii eas formam redegit. Quadam vero die, cum apud fabrum qui vasto cuidam puteo rotam adaptabat versatilem, ageret, hæc illi de manu excidens eo in Teresiam impetu prolapsa est ut eam solo affligeret. Turbatus faber cum eam solo levare non auderet, ea Teresia animositate surrexit ac si nihil illi accidisset. Adeo tamen ingens orbitæ cadentis fuit vis ut eam vivere prodigio omnes adscriberent. Hæc in pervigilio S. Josephi facta sunt : unde cunctis insedit opinio illam Sancti hujus intercessione sospitem evasisse.

ANNOTATA.

B a *Originem hujus eremitorii S.* Teresia *ad calcem capitis* XXVIII *hisce verbis, quæ in Commentario prævio omisimus, describit :* Habitabat Villanovæ de la Xara sacerdos quidam Zamorensis, nomine Didacus de Guadalajara, qui olim Ordinis Carmelitani fuerat, et singulari erat erga S. Annam devotione : unde juxta domum suam hoc eremitorium erexit necessario ad Sacrum celebrandum apparatu instructum; quin et pro magno suo pietatis studio Romam profectus, litteras apostolicas obtinuit quibus huic ecclesiæ et eremitorio plurimæ addicebantur Indulgentiæ. Quando autem pius ille et collectæ mentis homo moriebatur, testamento suo jussit ut ea domus ac res suæ omnes in monasterii virginum Carmelitanarum fundationem cederent : quod si hoc executioni non mandaretur, idem locus attribueretur presbytero qui quothebdomadis inibi Sacra aliquoties celebraret; ubi vero monasterium erectum jam foret, ea Sacri faciendi obligatio finem haberet. Plus quam viginti annos eremitorium penes presbyterum fuit, nec parum collapsæ erant ejusdem res : adeoque, virginibus illis domum jam incolentibus, alteram ad idem oratorium spectantem domum presbyter ille occupabat; quam modo deseret, uti et reliqua omnia, quæ admodum quidem exigua sunt : sed magna Domini misericordia gloriosæ aviæ suæ domum utique non deseret. Faxit
C ut ei in illa semper serviatur, et universæ eum creaturæ perpetuo dilaudent. Amen.

b *De electis a S.* Teresia *ad fundationem hanc sociabus vide num.* 872 *Comment. prævii; ubi notavimus Riberam hic errasse, dum Annam a Matre Dei nominavit pro Maria a Martyribus.*

c *In hac supplicatione Ven. Anna a S. Augustino vidit cum S.* Teresia *loquentem Jesum Christum sub specie formosissimi pueri, qualis fere in effigie quam ipsa Anna a P. Gabriele ab Assumptione acceperat, repræsentabatur. Quod cum illa S. Fundatrici deinde narrasset, vetuit hæc ne id visum propalaret, commendavitque ut ad eam Salvatoris effigiem in quibuscumque necessitatibus certam opem consecutura confugeret. Mandatis Sanctæ obtemperantem Annam numquam fefellit eventus, prout pluribus exemplis demonstrant Yepes* (*lib.* II, *cap.* XXX) *et auctor Chronici* (*lib.* V, *cap.* V) *necnon J. M. Salvatori in Vita laudatæ Ven. Annæ, e processibus ad ejus beatificationem institutis descripta* (*lib.* I, *cap.* VI) : *quamobrem moniales Villanovanæ puerum Jesum Fundatorem et Provisorem suum vocitare consueverant; atque his aliisque prodigiis, quorum unum perinsigne narratur in Actis canonizationis S.* Teresiæ (*Comment. præv., num.* 1090 *et seqq.*), *ad oculum videbant quam vere S. Mater prædixerit nihil illis unquam rerum necessariarum defuturum, modo religiose viverent.* D

d *Possessionis ineundæ facultas, teste Chronico* (*lib.* V, *cap.* III, *num.* 9), *data fuerat ab Ordinario loci, Roderico de Castro, episcopo Conchensi, qui postea fuit Hispalensis archiepiscopus.*

CAPUT V.

Fundationes Palentina, Soriensis et Granatensis.

CAP. X. *Palentinum monasterium*

Villanova Toletum Teresia concessit, atque inde, superiore suo suadente, Vallisoletum. Alvarus namque Mendozius, qui episcopatum Abulensem cum Palentino commutarat, in urbe sua cathedrali monasterium erigi summopere desiderans, rogarat ut Teresia eo mitteretur. Vallisoleti vero tam vehemens eam oppressit ægritudo ut de vita passim omnes desperarent : sed ubi habere meliuscule cœpit, Maria a S. Joanne Baptista, quæ præpositam ibidem agebat, omni qua potuit contentione eam perpellere est conata ut Palentiæ sedem constitueret. Ejus autem postulatis cedere Teresia mi- E nime poterat, quod, cum sine reditibus annuis hoc domicilium fundandum esset, id illi oppidum tenue nimis et alendis pauperibus impar videretur. Agebatur eisdem etiam diebus de Burgensi domo fundanda; sed tam ab hac quam ab illa alieniore Teresia erat animo, nec eam quam in cæteris hactenus prætulerat, sentiebat fiduciam : diabolus enim, quoad ejus fieri poterat, fundationes has interpedire satagebat. Consulentium alii animos addebant, alii propositis difficultatibus formidine eam complebant.

a S. Fundatrice

73 Eo tempore Vallisoletum appulit Hieronymus Ripalda Societatis Jesu, quem confessarium Salmanticæ habuerat. Huic ipsa animi sui statum aperiens, Dei se illum loco accipere velle significavit : proinde quod expedire censeret, candide depromeret. Ripalda itaque suasor exstitit ut abiret Palentiam (nam de hac illum profectione potissimum consuluerat); simul etiam animum addidit tergiversanti. Idipsum Toleti ei suaserat Balthasar Alvarez, quo olim confessario ac magistro fuerat usa, quique per id tempus Toletanam provinciam moderabatur. Hæc quidem dubitantem animum aliquatenus inclinabant; verum nec Ripaldæ consilium F nec urgentes Matris Mariæ a S. Joanne Baptista preces Teresiam huc penitus perpellere valuerunt. Redemptor vero clarius illi ostendere voluit se esse qui rem omnem dirigeret : quare, cum quadam die, Sacra Synaxi peracta, lumen ad exequendam divinam voluntatem sibi cœlitus infundi peteret, eam velut increpans sic est allocutus : « Quid » metuis? Ecquando tibi umquam defui? Idem qui » hactenus fui, sum modo. Noli has fundationes » intermittere. » Hæc illam reprehensio ita exstimulavit ut ab illo ipsam proposito nihil potuisset divertere. Hinc, etsi dissuasores tenuitatem oppidi objectarent, et fore ut stipe collata suæ ibidem vivere non possent, nihil hæc ipsa morabatur, quod ejus niteretur potentia a quo fundandi accepisset imperium.

in conductitia domo inchoatur,

74 Quamquam vero nondum plane confirmata uteretur valetudine, ipso SS. Innocentium die Vallisoleto discessit anno MDLXXX. Quoniam vero eques quidam, alio profectus, domus a se conductæ usum ad S. Joannis Baptistæ festum usque monialibus concesserat, Teresia per epistolam monuit ut vacua habitatoribus domus illa foret. Secreto

A creto hocce negotium canonicus Palentinus Reynosius peragebat, cui, etsi de facie ignoto, Teresia, audito dumtaxat divini eum obsequii promovendi studio teneri, hac de re scripserat. Nec modo in domo vacua præstanda navum hic se præstitit, verum etiam in lectulis et aliquibus ad vires recreandas facientibus rebus (quæ sane pernecessariæ fuere, quod aspero itinere valetudo esset aliquantulum detrita) nec non iis quæ ad rem divinam postridie faciendam in sacrarii usum necessaria videbantur, comparandis. Itaque postridie festi SS. Innocentium sacrificatum est ac loci inita possessio, et de S. Davide Rege Officium magno cum
a Teresiæ gaudio cantatum *a*, quod erga hunc Sanctum ipsa miro studio afficeretur. A S. Josepho cœnobium hoc cognomentum habuit. Postridie mane Alvarum Mendozium episcopum de suo reddidit adventu certiorem : qui statim eodem se contulit, et insigni cum liberalitate necessarium se illis suppeditaturum cibum spopondit; simul etiam de multis rebus domui prospexit. Universo porro oppido magnæ nova hæc domus voluptati fuit : vicissim quoque oppidanorum indoles et quotidianæ vitæ usus ita Teresiæ satisfecit ut indies magis
B et magis huc se Excalceatarum Institutum invexisse lætaretur.

et hinc in domum

75 Ut primum adita possessio est, in hoc Teresia incubuit, ut proprias suis ædes compararet. Hinc, canonicis Reynoso et Salinas, quo amico utebatur, allaborantibus, eas oppido toto conquirere cœpit; qui eximia cum caritate et omni quo poterant studio eam adjuverunt. Est illo in oppido ædicula cui B. V. Mariæ de Platea nomen est, religione et pio cultu celebris, quæ tum a civibus tum a vicinorum incolis locorum frequentatur. Visa hæc est episcopo monialibus convenire; nam, tametsi adjunctam domum non haberet, duæ in vicinia sitæ erant, quæ si conjungerentur, opportunæ esse poterant. Ædiculæ conferendæ jus penes capitulum cathedralis ecclesiæ et sodalitatem quamdam cum esset, eam haud inviti tum canonici tum sodales illi dederunt : cæterum, cum domuum possessores enormi eas pretio divendere vellent, eæque Teresiæ et canonicis displicerent, placuit ab earum emptione mentem avertere. Hinc de alia, quæ visa commodior, comparanda agi cœptum; statueruntque ad ejus dominum, qui inde non procul aberat, scribere, et quidquid ejus postularet pretium, illi
C solvere. Postridie vero cum Sacro Teresia interesset, agitare animo cœpit meritone domus illas priores emere omitteret : quæ ipsam cogitatio ita torsit ut mente rei sacræ adesse vix posset. Cum autem Sacrosanctam Eucharistiæ Mensam adiret, hanc vocem audiit : « Hæc tibi quadrat »; quæ de ædicula B. Mariæ atque domibus eidem adjunctis intelligenda erant.

juxta templum B. V. M. de Platea

76 Durum vero cum illi videretur ea quæ canonici, quibus tantum ipsa debebat, conceperant, dissolvere, ait illi Dominus : « Ignorant illi quam » multis illo in loco delictis offendar : quibus » per vestram illic habitationem via præcludetur. » Nimirum plurimi eo convenientes per nocturnas nonnumquam vigilias graviter in Deum peccabant. Reputare secum Teresia cœpit verene ea vox a Deo profecta esset, etsi ex iis quos in se experta erat effectibus liquido satis perspexisset a Patre luminum eam dimanasse : quocirca, ut omni vacaret dubio, illico idem Dominus dixit : « Ego sum. » His auditis, serenata quidem mens est, sed non modice aliunde turbata, quod ignoraret quomodo cum bona canonicorum pace rem cœptam rescinderet; præsertim cum et ipsa ædes illas antea plurimum carpsisset. Tandem canonico Reynoso, quo confessario utebatur, mutatæ mentis causam in
D Confessione aperire constituit : qui statim in Teresiæ sententiam abiit. Alteram quoque ad dissolvenda inchoata opportunissimam viam Deus subministravit. Is enim quem ad posterioris domus possessorem miserant, ut soluto quantum hic petierat pretio emptionem perficeret, renuntiavit, nisi trecentos ultra condictum aureos adderent, domum venalem non fore; cum tamen ipse in pretio exigendo et monachæ in offerendo plus æquo excessissent : atque ita irrita fuit stipulatio.

ab ea coemptam

77 Quamprimum igitur vili satis pretio coemptæ sunt ædes juxta ædiculam B. Virginis de Platea sitæ : in quarum instaurationem duo illi canonici argentum subministrarunt; in quibus singillatim, uti in omnibus omnino Palentinis, tantam B. Mater caritatem reperit ut obstupesceret, et eam nullo non tempore extolleret tamquam rem non hujus temporis, sed nascentis Ecclesiæ. Sacratissimæ Virginis effigies cum incommodo sita esset loco, episcopus ei collocandæ sacellum construi jussit *b*. Paulatim quoque alia omnia congruo ordine disponebantur. Ut primum domus adornata est, solemni pompa huc transire monachas antistes jussit, qui
E ea de causa Vallisoleto Palentiam revertit. Igitur intra octavam Corporis Christi, capitulo cathedrali, religiosis familiis et civibus in unum collectis agmen, Teresia cum sodalibus pallia alba indutis et faciem velo opertis, in modum supplicantium, læta perstrepente harmonia, ad vicinam ædiculæ Beatæ Mariæ Virginis parœciam deductæ sunt. Hic obviam illa quam dixi Deiparæ Matris effigies lata est, atque inde Venerabilis Eucharistia, magna omnium congratulatione, lætitia et pio plausu, in ædiculam Marianam invecta. Quia vero domus ante a S. Josepho nomen nacta erat, et ædes quam sibi adaptarunt, a B. V. M. de Platea vulgo cognominabatur, utroque simul nomine monasterium est appellatum.

b

transfertur.

78 In hujus sedis primordia constituenda secum Teresia duxit *c* Agnetem a Jesu, Catharinam a Spiritu Sancto, Mariam a S. Bernardo et Joannam a S. Francisco : Salmantica vero evocavit Isabellam a Jesu, quam priorissam designavit et quæ hodie Salmantino cœnobio præest, nec non Beatricem a Jesu, cui subpriorissæ munus concredidit et quæ modo Soriensem domum regit. Hæc dum fierent
F Palentiæ, facta pariter est Excalceatorum a Calceatis Carmelitis distinctio; ac primus Excalceatorum electus est provincialis P. Hieronymus Gratianus, uti supra jam indicavi. Fuit hoc unum ex iis quæ maxime hac in vita recreare beatam Matrem poterant, et quo nihil videre ardentius exoptabat, quod id ad divinum obsequium atque Ordinis sui bonum tranquillitatemque permagni facere intelligeret. Cum vero quadam nocte hoc in cœnobio Teresia scribendo occuparetur, ita mente absorpta visa est ut intrantem ad se monialem et sibi assidentem minime perciperet : quam hæc deinde curiosius intuens, calamum de manu ex intervallo deponentem, ductis imo pectore suspiriis, e vultu vero radios quosdam velut solares et ita fulgidum promicantem vidit splendorem ut eam reverentia quadam perculsa ulterius inspicere non auderet.

c

CAP. XI.

Brevi post Soriæ

79 Antequam Palentia Teresia digrederetur, a doctore Velasquez *d*, tum episcopo Oxomensi, deinde vero Compostellano archiepiscopo, quem canonicum Toletanum olim familiariter noverat et in confessarium sæpius adhibuerat (uti jam supra commemoratum est) ac cui exactam rerum suarum

d

ı ationem

AUCTORE RIBERA.

rationem non sine egregio proventu reddiderat, litteras accepit; quibus illam rogavit ut Soriam domicilii constituendi ergo veniret. Agebat tum ipse in eo oppido, quod diœceseos illius pars est. Causa scribendi fuit pium honestæ matronæ desiderium, Excalceatis monialibus sedem constituere percupientis. Huic ipse pollicitus erat se ita cum Teresia rem transacturum ut huc concedere illa non gravaretur : atque hanc ob causam hasce illi litteras misit. Quæ domicilium fundare desiderabat, vidua erat, nomine Beatrix de Beaumont *e* : quæ, quia fortunis abundabat et prolem non habebat, monialium ex iis construere cœnobium decreverat. Quo super negotio cum præsulis sui sententiam percontaretur, et ille eorum quæ a Teresia a Jesu passim erigebantur cœnobiorum ei mentionem fecisset, ipsa rogante, antistes ad Teresiam scripsit. In hanc fundationem ipsa ingentem, bene materiatam optimoque sitam loco domum contribuit, additis omnibus ad ejus instructionem necessariis, et quingentos aureos annuo reditu e regio ærario ad nummum vigesimum computandos : episcopus vero ædem in vicino positam, solida structura fundatam, illis addidit.

e

invitatu episcopi Oxomensis

80 Placuit ea res B. Matri necnon provinciali, qui Palentiam tum forte venerat. Illi porro eo id fuit acceptius quod bono præsuli gratificari hoc pacto posset, ipsiusque coram videndi cumque eo de animi sui rebus communicandi daretur occasio. Unde quamprimum eas episcopus ad se evocavit, et septem secum Teresia moniales, ita id petente pia fundatrice, adduxit : Catharinam a Christo, quæ antistita post domui præfuit, Beatricem a Jesu ejus vicariam, Mariam a Christo, Annam a S. Joanne Baptista, Mariam a Jesu, Mariam a S. Josepho, Catharinam a S. Spiritu, et laicam unam, nomine Mariam a S. Joanne Baptista, ferventem Dei ancillam, quæ non ita pridem Pampelonæ demortua est. Hanc ipse monacham familiariter novi, quod Villacastinensi esset oppido oriunda *f*; cumque ipsa jam inde a prima sua conversione frequenter egi : semper religione et humilitate ac silentio monastico fuit excellens, et tam ante quam post initam vitam religiosam bono æqualibus suis exemplo præluxit. Cum Teresia profecta pariter est fida illius comes Anna a S. Bartholomæo, cujus jam supra memini : de qua plura etiam commemoranda mihi essent, nisi mihi propositum esset de superstitibus nonnisi brevissime loqui. Huc etiam eam comitatus est Nicolaus a Jesu Maria, qui hoc ipso tempore quo hæc a me scribuntur, Generalis totius est Ordinis Vicarius, eximii vir spiritus ac prudentiæ, suæque familiæ cumprimis utilis, non modo postquam hoc illi munus concreditum est, verum etiam antea. Hic pro sua prudentia magno B. Matri in suis laboribus auxilio fuit; hinc etiam illi exstitit carissimus permagnique ab ea fiebat.

f

Sancta monasterium erigit:

81 Hoc porro in itinere pauca illis subeunda fuere incommoda; quod ab episcopo publicus esset apparitor submissus, qui itineris impensas suppeditaret et de commodo proficiscentibus diversorio per viam prospiceret. Maximam vero Teresia voluptatem cepit, auditis iis quæ passim de episcopi sanctitate in omnibus ad quæ concedebat oppidis dicebantur. Soriam tandem quinta post meridiem hora pervenere, et domum eas episcopalem prætervectas sua præsul, qui in fenestra eas opperiebatur, eminus est benedictione dignatus : quod Teresiæ maximum solatium attulit, quia a præsule viroque sanctissimo hæc benedictio descendebat *g*. Beatrix de Beaumont ardenti cum desiderio ante fores domus in qua erigendum erat cœnobium, venientes præstolabatur. Quo autem ædes subirent modo, vix apparebat; quod ingens hominum vis, earum videndarum studio, huc undequaque confluxisset. Domum ipsa omni necessario instrumento instruxerat, et atrium quoddam egregie adornarat, quod sacrarii tamdiu vicem suppleret, quoad ambulacrum per quod ad illam qua eas episcopus donarat ædem transirent, absolveretur. Igitur postera luce, Elisæo Prophetæ sacra, postridie iduum Juniarum *h* anni MDLXXXI, res divina primum ibidem peragi cœpta est, et inita possessio *i* : loco porro a Sanctissima fuit Trinitate nomen datum. Eo autem die quo Dominica recolitur in monte Transfiguratio, eodem anno, sacrosanctum Altaris ferculum insigni pompa in ædem ab antistite donatam invectum fuit : quam solemnitatem, quia jam inde antistes recesserat, habita ad populum concione cohonestavit P. Franciscus de la Carrera Societatis Jesu.

g

quo perfecto, Abulam pergit;

82 Inita jam possessione, sed antequam in oratorium ab episcopo contributum Eucharistia inferretur, Soriam ipse pertransiens, dum Roma reverterem, Teresiam maximo meo solatio adii; uti superiore eam anno, Romam abiens *k*, Vallisoleti, quo ipsa Palentiam concessura venerat, conveni. Verum hujus Soriensis visitationis magis memini, cum quod postrema fuerit (nam exinde eam videre mihi non contigit), tum vero quod etiam modo doleam me, cum quatuor illic commoratus essem diebus, non nisi ultimo eorum Teresiam ibidem versari comperisse; qui si id initio adventus didicissem, omni illo tempore multiplicem e sancta ejus conversatione fructum et consolationem capere potuissem. His jam Soriæ constitutis, cum Abulam ipsam redire oporteret, Anna a S. Bartholomæo comitante, profecta est. Hoc in itinere magnas ambæ passæ difficultates sunt, quod viæ essent incommodæ, ac præsertim curribus; quique illarum se ducem obtulerat, viam regiam ignorabat, callium dumtaxat gnarus. Hinc ipsas interdum exscensionem facere fuit necesse, et vehiculum velut in humeros, ob ingruentia viarum præcipitia, sustollere. Erat cum præsenti in periculo versabantur ne inversis rotis currus prolaberetur; ut taceam etiam vehementes quibus torrebantur calores. Pridie natalis S. Bartholomæi Apostoli Segoviam appulit, ubi perhumaniter a suis fuit filiabus excepta, metuentibus, quia jam vespera ingruebat, ne quod in via discrimen adisset : apud quas cum octiduo eoque amplius esset commorata, Abulam contendit.

k

CAP. XII.

unde ad auspicandam Granatensem fundationem

83 Abulam ineunte Septembri eodem anno MDLXXXI pervenit : cum vero filiæ ejus in S. Josephi domo commorantes magno ejus apud se retinendæ desiderio tenerentur, de illa in præpositam assumenda agere inter se cœpere; atque adeo Maria a Christo, quæ tum domum moderabatur, a provinciali obtinuit ut sui ab hoc munere amotæ in locum Teresia a Jesu eligeretur. Laborabat sub id tempus domicilium hoc magna penuria; verum tam provida ei præposita est moderatrix ut a primo electionis tempore ad præsens usque nihil temporalium subsidiorum illi umquam defuerit; imo vero eo provecta res sit, ut, quamvis ingenti domus ære alieno gravaretur, illa non modo exinde sint dissoluta nomina, verum etiam sufficientibus instructa sit opportunitatibus, ne ad similem inopiam posthac redigatur. Si vero insignis quoad temporalia per eam domui facta sit accessio, longe sane majus rerum ad animi decus spectantium singulis accessit incrementum, suos ob oculos quotidie perfectam virtutum omnium, quam a Deo acceperant, imaginem

imaginem habentibus. Nondum duos Abulæ Teresia substiterat menses, cum Joannes a Cruce, de primis Excalceatis Patribus unus, eo delatus est, equos et quidquid ad iter ineundum facere videbatur, conducens, quo Granatam ipsa ad sedem stabiliendam commearet. Censebat enim, quod primum id esset quod eo in regno hujus Instituti domicilium excitaretur, Teresiam hujus fundationis primordiis necessario adesse debere.

moniales emittit. 84 Videbat vero ipsa se huc concedere non posse, quod jam Burgensi fundationi, de qua sequenti agemus capite, esset destinata; idcirco duas suarum delegit, quæ rei huic Granatæ auspicandæ forent idoneæ : primam Mariam a Christo, quæ nuper præpositura, ut Teresiæ ea demandaretur, defuncta erat, et jam Malagonense domicilium gubernat; alteram vero Antoniam a S. Spiritu. Hæ in vigilia S. Andreæ iter ingressæ, Granatæ in ædibus Annæ de Peñalosa, qua poscente sedes hæc erigebatur, quæque suam huc opem naviter contulit, diversatæ sunt; et illius e benignitate toto illo quo necesse fuit tempore cibaria acceperunt. Sed brevi moniales huic adscriptæ cœtui præter eximias animi dotes ea etiam fortunæ adduxere bona quæ necessariis usibus sufficerent. Erat Granatæ quidam vir magni nominis *l*, acer Excalceatarum adversarius, in cujus domum brumali et insolito tempore fulgur decidit : quod illum ita perculit ut non modo rancorem animi posthac posuerit, sed etiam liberaliter de suo stipem contulerit. Hujus monasterii B. Mater in suo Fundationum libro non meminit, quod, ipsa de vita emigrante, nondum id perfectum esset nec proprias possideret ædes. Anna a Jesu, quæ modo Madriti præfectæ munus exercet, prima ejusdem fuit præposita constituta, et hujus vicaria Maria a Christo.

ANNOTATA.

a *Etsi dicit Ribera Officium S. Davidis a monialibus cantatum fuisse* (rezavan del Santo Rey David), *idque ipsius S.* Teresiæ *verbis* (por ser el rezado del Rey David) *confirmari videtur, tamen auctor Chronici* (*lib.* v, *cap.* vii, *num.* 6) *et P. Fredericus* (*lib.* ii, *cap.* xxxviii) *aliter id accipiendum putarunt, dicendo tunc celebratum fuisse festum S. Thomæ Cantuariensis et in Martyrologio occurrisse memoriam S. Davidis.*

b *Antonius Ponz in Itinerario Hispanico* (*tom.* XI, *ep.* 5, *num.* 31) *asserit imaginem B. V. M. de Platea translatam fuisse ad templum Societatis Jesu; quod factum verisimiliter fuerit postquam anno* 1591 *moniales Teresianæ ad alteras ædes se contulerunt.*

c *In enumerandis S.* Teresiæ *ad hanc fundationem sociabus auctor Chronici nonnihil a Ribera dissentit; namque dicit eas fuisse quatuor sequentes : Isabellam a Jesu, Beatricem a Jesu, Agnetem a Jesu et Mariam a S. Spiritu.*

d *Vide quæ de laudibus Alphonsi Velasquez diximus num.* 730, 731 *et* 732 *Comm. prævii. Plura de eo legere est in Descriptione historica episcopatus Oxomensis, anno* 1788 *hispanice edita a Joanne Loperraez Corvalan, canonico Conchensi* (*tom. I, pag.* 444 *et seqq.*).

e *Beatrix de Beaumont, vidua Joannis de Vinuesa, Pampelonæ nata patre Francisco de Beaumont, ductore prætoriæ cohortis Caroli V imperatoris, genus ducebat, ut S.* Teresia *ait* (*Comm. præv., num.* 922), *a Navarræ regibus. Nempe tritavus ejus Ludovicus de Navarra, comes de Beaumont-le-Roger, filius erat Philippi III, cui Navarrense regnum obtigit per uxorem suam Joannam Francicam, Ludovici X Galliæ et Navarræ regis filiam. Videsis P. Anselmum in Hist. geneal. domus regiæ Francicæ* (*tom. I, pag.* 281, 282, 291 *et* 292).

f *Eodem scilicet in oppido natus erat Ribera.*

g *Ad benedictionem hanc accipiendam cortinas vehiculi elevari Sancta jusserat, teste auctore Chronici; qui præterea narrat, non modo ingentem populi catervam, sed et plurimos e clero et nobilitate equis vectos S. Fundatrici obviam processisse : tum Sanctam, ubi ad paratas sibi ædes venit, a Beatrice de Beaumont deductam fuisse in atrium rei sacræ faciendæ destinatum; cumque ibi cum monialibus aliquamdiu orasset, viros fœminasque nobiles qui eam salutatum venerant, urbanissime fuisse allocutam; ubi vero viri recesserant, eam permisisse monialibus ut facies suas coram matronis remanentibus aliquamdiu detegerent; demum eadem die ad eam venisse episcopum ut prosperum ei adventum apprecaretur* (*lib.* v, *cap.* xx). AUCTORE RIBERA.

h *Errorem in assignando fundationis die a S.* Teresia *ac plerisque ejus biographis commissum notavimus in Comm. prævio, num.* 928.

i *Sacrum celebravit et SS. Eucharistiam monialibus porrexit ipse episcopus. Post Sacrum vero convenerunt S.* Teresia, *episcopus, Beatrix de Beaumont, P. Nicolaus Doria, Joannes de Castilla vir nobilis, Didacus Vallejo canonicus, Petrus de Ribera præbendarius Palentinus, doctor Cebrian Conchensis et Franciscus Truxillo scriba, ut tabulis fundationis conficiendis interessent; quæ quidem æquis utrinque conditionibus descriptæ sunt, et promisso jam ante reditui addidit Beatrix tria aureorum millia in domus instaurationem impendenda* (*Chron. loc. cit.*).

k *Deputatus Romam eo tempore Ribera fuerat ad quartam congregationem generalem Societatis Jesu, in qua Præpositus Generalis electus est P. Claudius Aquaviva.*

l *Vir ille cujus nomen Ribera hic reticet, erat ipse archiepiscopus Granatensis Joannes Mendez, uti liquet ex narratione Ven. Annæ a Jesu, de qua egimus* § xlix *Commentarii prævii.*

Caput VI.

Fundatio Burgensis.

Cap. xiii. *Hortationibus Patrum Societatis Jesu,*

Etsi jam tempus instaret quo ad beatiorem melioremque Teresia vitam transiret, in qua perpete quiete frueretur, nullam tamen illi hac in vita relaxationem Dominus indulgebat; ut eminentis illius gloriæ coronam in hoc mundo promereretur quæ in altero erat ei destinata. Hinc ad Burgensis illam domicilii fundamenta ponenda abire voluit, ut in eo nimirum purissimum illud caritatis illius aurum adversis patienti lætoque animo perferendis purius redderetur, sanctaque hæc anima penitus se gloriæ quæ ipsam manebat, disponere pergeret. Ipsam ergo Vallisoleti in fundationibus urgendis segnescentem Dominus coarguit, et ad Palentinam Burgensemque (quod tertio abhinc capite prosecuti sumus) inchoandas monendo exstimulavit. Teresia usu jam observarat, si quando singularia in fundandis domibus adversa sibi ferenda erant, a Domino, verbis eam operibusque, quod in aliis non consuerat, animante, semper se solitam præmoneri. Jam sex et amplius evoluti erant anni, ex quo graves aliqui e societate nostra Patres beatæ Matri scripserant e re divina futurum, si Burgis suarum sodalium sedem conderet. Huc quidem et ipsa animo ferebatur, sed plane id nondum apud se decreverat; donec tandem, Domino adhortante, uti jam diximus, hoc ipsa propositum exequi statuit. Interim tamen rem paulisper, dum Palentinam et Soriensem fundationes perficeret, scilicet usque ad id temporis ad quod modo pervenimus, differendam censuit.

promissis archiepiscopi Burgensis 86 Vallisoleti porro cum versaretur, antequam Palentiam tenderet, Christophorum Vela, olim Ca-

AUCTORE RIBERA.

nariensium præsulem, tum vero Burgensium archiepiscopum, qui prope Vallisoletum accesserat, sed oppidum non intraverat, per Palentinum antistitem rogavit ut facultatem sibi faceret suam in civitatem Excalceatarum Instituti invehendi. Hanc sc archiepiscopus, uti divini erat reverentissimus Numinis ejusque cultus amplificandi studiosissimus, quam libentissime elargiturum spopondit. Ipse deinde per litteras Palentinum antistitem commonuit, ac Teresiæ significari jussit ut a civitatis rectoribus eam sibi potestatem exigeret : debebat enim monasterium id vel annuis firmari proventibus vel a senatu ejus inducendi facultas concedi. Ergo ipsa Burgensem ad civitatem profecta est. Eo porro tempore hæc Vela scripserat quo ad Soriensem fundationem Teresia abierat; unde ipsa colligebat majorem opinato in reipublicæ facultate impetranda difficultatem fore. Ante vero quam Soriam peteret, ea quam archiepiscopus faciebat spe nixa, rem se in manibus jam habere arbitrabatur; et Palentiæ Catharinæ de Tolosa curam dedit ut sibi Burgis domum conduceret in qua possessio capi posset, utque in ea reticulatos cancellos et orbem versatilem suo nomine adaptaret.

et monitis divinis animata,

87 Erat Catharina nobili genere, pietate in Deum, liberalitate in pauperes et magnis opibus spectabilis, atque ita erga Excalceatarum Ordinem affecta ut duas jam filias Vallisoletano dedicasset cœnobio, et Palentino recens fundato alias duas, antequam inde Teresia recederet. Adeo porro Burgensem fundationem cordi habebat ut ægre ferret eam non illico fieri. Cum dein Abulæ Teresia hæreret et Burgos ire cunctaretur, facultatem Catharina, inscia beata Matre, a magistratu petiit, spondens se domum monialibus, si aliunde non suppeteret, procuraturam earumque victui prospecturam. Obtenta hoc pacto facultate, ad episcopum de ea retulit. Hæc dum fiunt Burgis, dumque Teresia octavo S. Martini die animo reputat quidnam ipsa, si a magistratu ea facultas daretur, faceret (e Catharinæ nimirum litteris intellexerat illam in hoc negotium incumbere), et parum illi tutum videretur brumæ tempore, corpore adeo attrito, cui frigida tempestas quam maxime officeret, in immite adeo terræ solum se conferre, simul etiam statueret Palentinam præfectam suo nomine mittere, dicentem sibi Dominum audiit : « Noli frigus exhorre-
» scere : ego namque verus sum calor. Omni ope
» diabolus connititur ut hanc fundationem distur-
» bet : tu etiam nomine meo connitere ut ad
» exitum perducatur. Ipsa huc te conferre ne
» negligas : magnum enim inde proveniet commo-
» dum. »

hiberno tempore,

88 Quibus e verbis facile intellexit jam rei copiam factam, inque animum induxit eodem proficisci : atque hæc fuit ratio cur Granatensem per se ipsa ordiri sedem non posset. Liquido post patuit Dei hæc fuisse verba : nisi enim Burgos ipsa adiisset, nulla rei conficiendæ fuisset spes, uti in sequentibus perspici licebit. Etsi vero perfrigida cœli illius sit tempestas, adeo tamen hanc ipsa non sensit ut sibi eam post dictitaret non magis acerbam fuisse quam frigus quod Toleti jam ante tulerat. Non multis interpositis diebus, e litteris a Catharina de Tolosa aliaque muliere illius vicina acceptis didicit optatam a magistratu domus erigendæ facultatem datam; festinato opus esse, et magnum in mora discrimen situm : appulisse enim Burgos recenter Patres Minimos, suam illuc familiam invecturos, et instare etiam ardenter Carmelitas Calceatos ut sibi in eam urbem aditus daretur : nec multo post monachi Basiliani se Burgos contulere. Hanc ob causam Teresia ad iter se celerius accingens, postridie kalendas Januarii anni MDLXXXII Abula recessit. Comitabatur eam, quæ solebat, Anna de S. Bartholomæo, et duæ aliæ sodales quas Alba evocarat. Post comitum auctus numerus, ita ut, dum Palentia egrederentur, novem universum essent, B. Matrem si connumeres *a* : harum quatuor, addita una laica, Burgis erant hæsuræ; duæ aliæ cum Matre sociaque redituræ. Illarum hæc sunt nomina : Thomasina a S. Joanne Baptista, Catharina a Jesu, Agnes a Cruce, quæ impræsentiarum Huetensi domui præest, Catharina ab Assumptione, Maria a S. Joanne Baptista et alia Catharina a Jesu, laica. Eodem quoque properabant P. Hieronymus Gratianus provincialis nec non alii duo de Excalceatorum numero.

difficili

89 Quo primum die ad hanc fundationem abiere, illius etiam cœpere ærumnæ. Nam potissima diei parte continuis pluviis, nive intermixta, perpluti sunt; unde, qua vexari aliquoties solebat, Teresiam paralysis invasit : tandem tamen magno cum labore Methymnam perventum est. Triduo *b* hic cum hæsisset, Vallisoletum concessit; ubi morbi eam vehementia ita prostravit ut dicerent medici, nisi quantocius inde se subduceret, eo progressuram ægritudinem ut opinato diutius hic manere illam oporteret. Quocirca inde digressa, Palentiam deportatur. Illius hic adventus tantos undique concursus ad spectandum et audiendum benedictionemque illius accipiendam excivit, ut locum omnem ad exscensum e rhedis monialibus obstruerent. Ut primum cœnobium ingressa est, hymno « Te Deum
» laudamus » a monialibus excepta est; quo, quoties aliquod suorum monasteriorum subibat, excipi a suis solebat. Monialium lætitiam prodebat festivus domus apparatus, erectis in area altaribus aliisque pietatem excitare natis. Omni quo hic Teresia mansit tempore pessima usa est valetudine; quam augebat immite anni tempus et fœdum imbribus cœlum. Nemo non illi iter dissuadebat, hac præsertim anni tempestate : metuendum enim esse ne per viam perirent. Verum nihil afferri potuit quod generosum illius animum a proposito deterreret. Visum igitur fuit hominem præmittere, qui viarum statum exploraret. Hic sinistra omnia cum renuntiasset, angebatur pia Mater animo; sed angorem divina vox discussit, dicens : « Ire potestis; noli
» metuere : ego namque præsto vobis futurus
» sum. »

periculosoque itinere,

90 His illa verbis animata, rursus in viam se dedit, etsi temerarium videretur tam prostrata valetudine itineri sese committere. Stetit porro promissis rerum moderator Dominus : etsi enim gravissima illis subeunda essent incommoda et discrimina, divina tamen eas providentia in tutum provexit. Cum secundum flumen eundum curribus esset, tam impeditæ cœno viæ erant ut exscendere omnes vectrices oporteret et pedibus progredi, quod luto infixa vehicula pergere nequirent. Inde cum clivum quemdam ascenderent, Teresia carpentum quo sociæ vehebantur, adeo vidit in latus vergere ut jamjam in aquam prolapsuræ viderentur; et ita quidem præceps is clivus erat ut ne multorum quidem manus vel eas periculo eximere vel proruentis impetum currus sistere potuissent. Hoc cum adolescens quidam de ductoribus animadvertisset, rotarum unam apprehendens, currus ruinam inhibuit : quamvis solus ille prolabentem morari non posse videretur; nisi quia suas Deus ancillas sospitare volebat. Hoc Teresia anxia discrimine, quod jamjam undarum vorticibus suas absorbendas crederet, suum reliquis anteire currum voluit,

A voluit, ut, si quod adeundum esset periculum, huic ipsa primo involveretur. Eo labore defunctæ, vespere diversorium ad quiescendum ingressæ sunt; ubi Matri Teresiæ lectus inveniri non potuit. Attamen e re futurum videbatur aliquot illic dierum moram trahere, quod ulteriora itinera etiam longe impeditiora futura nuntiarentur.

atque affecta graviter valetudine,

91 Transeundi erant pontones haud procul a civitate Burgensi, quos cubitali altitudine aqua supereminens transcenderat *c*; et horum etiam a dextris et sinistris omnia longe lateque aquis profundissimis stagnabant. Hos ut tuto pertransirent vehicula, hominem conduxerant qui pontones vadaret : sed illorum hæc erat angustia, ut, si vel minimum currus deliraret, in flumen præceps abiret. Monachæ, discrimen veritæ, Sacram Confessionem instituerunt, et, beatæ Matris benedictionem efflagitantes, Apostolicum decurrerunt Symbolum. Quibus intrepida et explicata fronte Mater : « Eia, » inquit, « ecquod, filiæ meæ, majus optatis bonum, » quam, si opus foret, hic Domini nostri Jesu » Christi causa martyrium oppetere? Sinite me; » nam prima ipsa transire volo : si vero me mergi » contigerit, ulterius ipsæ ne progrediamini, rogo
B » quam enixissime; sed ad hospitium redeatis. » Teresia igitur, ducem se præstans, reliquis viam securam reddidit. Cæterum pessima erat valetudine, et linguam illius insederat paralysis : ut tamen quodam in oratorio, ad quod concesserant, rei divinæ præsens affuit, et Sacra capessivit Altaris Mysteria, linguæ laxata sunt vincula et habere cœpit meliuscule; etsi febris eam non desereret.

Burgos Sancta festinat.

d

92 Hoc tandem die, qui in VII kalendas Februarias incidit, Burgos delatæ sunt. Ante omnia vero sanctum ab ipsis salutari Crucifixum *d* provincialis jussit, cum ut universum illi negotium commendarent, tum ut, nocte ingruente, minori cum strepitu invehi possent urbem : quam jam invectas amice benigneque excepit Catharina de Tolosa, a qua ardenter exspectabantur. Laborabat tum angina Teresia, quæ fauces ita constringebat ut nonnisi maximo cum dolore escam trajiceret : quod illam malum ad usque kalendas Augusti torsit, etsi non ea qua sub initium vehementia. Quod vero ab imbribus madescens urbem subisset, ea nocte diutius solito ad focum assedit; verum tantum inde secutum est malum ut ea ipsa nocte ingens illam capitis dolor occuparit, quem etiam
C tam crebri secuti sunt vomitus ut faucibus læsis sanguinem excrearit. Insequenti vero die surgere ad ea quæ opus erant peragenda non potuit; hinc lectulo, quo affixa jacebat, ad fenestram in porticum quamdam despicientem et cancellos habentem veloque obtenso tectam collocato, ipsam convenire volentibus forinsecus stantibus responsa dabat. Plurimi hic illam compellarunt, atque imprimis missi nomine reipublicæ qui nuntiarent adeo non cives concessæ facultatis pœnitere ut ejus etiam adventu mirifice exultarent, rogantes insuper videret quanam illi in re gratificari respublica posset. Volupe hæc Teresiæ fuit oratio, ut quæ nihil aliud verebatur quam ne quod a republica sibi obstaculum fieret. Quare hoc metu libera, rem ut plane confectam habebat.

CAP. XIV.
Ibi propter remoras

93 Antequam vero quid moliretur, archiepiscopum provincialis adiens, facultatem ab illo fieri sibi possessionis stabiliendæ petiit, quam omnes sine ullo negotio concessum iri arbitrabantur. Archiepiscopus post multa interrogata et responsa in eam tandem venit sententiam ut ante se potestatem facturum negaret quam domum propriam haberent et aliquatenus ipsis de stabili esset censu prospectum. Ita enim illi id expedire videbatur, cum quod ea tunc civitas tenuis esset, tum quod cœnobiis abundaret. Ac, tametsi Teresiam sese evocasse non negaret, non aliud voluisse tamen se aiebat quam ut sola ipsa ad tractandum negotium Burgos veniret, nec tot secum moniales, quasi jam confecta re, adduceret. Et sane utrumque non sine singulari Dei nutu factum est, ut hoc nimirum pacto monasterii res melius succederet : si enim non eo comitatu appulisset, non est ambigendum, quin, facultatem negante archiepiscopo, irrita re Teresia rediisset; deinde, si quamprimum eam, ut optabat, impetrasset, forte et domo et opportunitatibus quas nactæ dein sunt, caruissent. Hinc illi postmodum Palentinus episcopus scripsit Deum cum ipso quodammodo conspirasse videri ut prout oportebat monasterium fundaretur. Sub idem tempus Teresiam continens adurebat febris, et jugulum torquebat angina, nihil ut solidi cibi in stomachum trajiceret, sed dumtaxat sorbilia. Hanc ob causam, et quia tum sibi tum sodalibus permolestum erat foras prodire, archiepiscopum per alium rogavit ut bona illius cum venia sibi in quadam domus in qua commorabantur parte Sacra celebrarentur; quod huic esset rei peridonea, et hac aliquot annorum E spatio ædis vice Societatis Jesu Patres usi essent, cum primum Burgos advenissent.

AUCTORE RIBERA.
D

ab archiepiscopo fundationi objectas

94 Nec hoc quidem concedere voluit præsul, veritus, quantum quidem mihi persuadeo, ne ibi iniretur possessio et monasterium stabiliretur quin aut ædes proprias aut proventus in necessaria alimenta pares haberet. Atque hoc Sacrosancti Tridentini Concilii decretorum servandorum ergo faciebat : nam Teresiæ quidem morem volebat gerere, et amore quodam singulari ipsam complectebatur, illique Abulæ perfamiliaris ante exstiterat. Inter hæc, dum ultro citroque varia geruntur, trium effluxit hebdomadum intervallum; interim moniales Sacra Missarum non adierunt Mysteria nisi Dominicis festisque diebus, ac tum quidem summo mane templum lutulentas et cœnosas per vias adibant. De cætero abunde ipsis provisum erat : nam Catharina de Tolosa copiose satis ac benigne eas habebat; uti provincialem doctor Manso *e*, magistralis illius ecclesiæ canonicus, ad quam ille est dignitatem electus, cum in collegio archiepiscopali Salmanticæ collegialem ageret, sicut eum ante Compluti in theologorum collegio eo ipso egerat tempore quo Hieronymus Gratianus ibidem etiam F collegialem agebat. Ubi habere melius Teresia cœpit, statuit ipsa antistitem adire, atque interim domi sodales ejus continuata serie in corpus suum flagellis sæviebant, ut, quamdiu Mater foris monasterii rem urgebat, aliqua domi monacha corporis castigatione divinum propitiaret Numen.

e

in quodam nosocomio

95 Verum non utilius suam ipsa quam alii hactenus apud illum operam locabat, etsi, si quis ejus redeuntis vultum esset contemplatus, utpote ad hilaritatem compositum, aliter se rem habere censuisset. Jam provincialis, nihil hactenus hoc in negotio perfectum esse molesto animo ferens, decreverat re infecta cum suis reverti. Teresiæ hoc visum est peracerbum, quia eam Dominus fuerat exhortatus suo ut rem nomine auspicaretur : hinc ope cœlica negotium hoc conficiendum sibi persuadebat; nec quidquam ipsam affligebat magis quam quod Gratianum mœstum cerneret. Hanc itaque ob animi anxietudinem prostratæ Dominus ait : « Jam confortare, Teresia. » Quo illa animata monito, majori quam ante generositate provincialem cohortatur ut ipse abitum maturet, se vero cum suis Burgis relinquat : quippe Quadragesimales

AUCTORE RIBERA.

les feriæ imminebant, quibus illum Vallisoleti ad populum habere conciones (uti etiam habuit) oportebat. Dedit igitur ipse et doctor Manso operam ut aliquot in nosocomio a Conceptione denominato, in quo asservabatur Eucharistia et quotidie res divina peragebatur, ipsarum in usum cubicula converterentur. Verum dilata res diutius est et adversantium obtrectationibus patuit. Etenim vidua quædam, commodissimo ex illis conducto cubiculo (etsi nonnisi post semestre huc esset commigratura), non modo cedere ipsum noluit, quamvis assignatis monialibus cellis, quarum tectum rimosum erat, vicinum foret; verum etiam, quasi satis non esset ipsum forinsecus occludere, clavos trabales introrsum jussit infigi, ut usui ineptum foret.

commorantur aliquamdiu moniales;

96 Adhæc sodales quorum curæ id nosocomium concreditum erat, metuebant ne monachæ paulatim hic stabilem sedem figerent : quare eas admittere noluerunt, quoad coram scriba publico tum provincialis tum Teresia ipsa, factis tabulis, inde eas egressuras, quandocumque id sodalium præfectis videretur, sponderent. Attributa ipsis pars hospitii suprema, unde per fenestram cancellatam patebat ad Sacra audienda dispectus. Erat hæc habitatore vacua, quod nemo eam, quia semiruta, vellet incolere : cumque sub tenui esset tecto et loco eminentiore, hibernis erat infesta frigoribus; quod sane valetudini beatæ Matris apprime noxium erat. Dicebatur adhæc nocturnis spectris locus infestus esse : fidem fecere nonnulla quæ ibidem monialibus terricula oblata sunt. Cæterum non deerant Burgis qui egregie in ipsas animati liberaliter necessaria submittebant, atque inter hos enituit Catharina de Tolosa, a qua quotidie, etsi domus ejus distaret remotius, intervisebantur et necessaria omnia accipiebant, numquam deficiente ejus benignitate. Pridie natalis S. Matthiæ valetudinarium hoc subiere. Inter hæc tota civitate ædes conquirebantur pretio venales; ut, his demum comparatis, non ita se in facultate concedenda difficilem archiepiscopus præberet : verum ad S. Josephi pervigilium usque nulla commoda se obtulit domus; quod in oblatis hactenus semper plurima desiderarentur.

donec tandem,

97 Interim angebatur vehementer beata Mater, quod nonnisi ad usque Paschales, quæ instabant, ferias usum illius nosocomii sodales concedere se dixissent. Unde necesse erat eas, si interea se nullæ offerrent ædes, Burgis re infecta discedere. Demum exposita a diebus aliquot viri cujusdam patritii erat domus; et, quamvis plurimi tunc temporis religiosi sodales domicilium (uti jam ante diximus) quæritarent, Deo tamen providente factum ut nullis horum hæc arrideret : quod illi deinde non parum sunt mirati; quin imo eorum nonnullos eam non coemisse valde pœnituit. Jam de hac ad Matrem relatum erat; sed tot illius audierat esse incommoda ut omnem erga ipsam affectum jam dudum, imo etiam memoriam ejusdem, exuisset. Verum, quod alia in civitate non occurreret, nec alterius habendæ spes ulla affulgeret, animum denuo ad eamdem adjungens, eam coemi hoc in statu jussit : si enim dein displiceret, alteri facile revendi posse. Cum igitur eam spectatura adisset, ita sibi placentem reperit, ut, si duplum ejus quo venalem fore audierat, pretium emptor postulasset, ipsum non illibenter persolvisset, atque etiam tum vili eam sibi cessisse pretio credidisset; nam idem jam ante biennium domino ejus oblatum pretium erat, et eo vendere noluerat. Visa nihilominus nonnullis plus æquo carior : hinc, etsi Teresiæ infra condignum pretium id videretur, religioni tamen ipsa ducebat, quidquid exigeretur, offerre; quod non de ære proprio, sed communi Ordinis totius, id esset persolvendum : quare edixit se post Sacrum rursus ad pactionem venturam. Re interim Domino per preces commendata, hæc cœlitus verba audiit : « Quid? Ob pecunias moraris? »

empta

98 Tum demum, stipulatione inita, eodem S. Josephi pervigilio conventum est : omnes enim Sanctum hunc erant precatæ ut die ejus natali habere domum possent. Et ut conceptum, sic factum; etsi multis ante diebus nulla prorsus occurrisset, imo ne ejus quidem diei mane spes ulla aut indicium ejus inveniendæ fuisset. Ut primum id in vulgus innotuit, permulti accessere emptores : nemo quippe sibi persuaserat tam parvo eam ære venalem futuram fuisse; venditoremque aiebant domum gratis quodammodo elargiri voluisse, cumque adeo manifestus esset error, contractum rescindendum videri. At ædium dominus ejusque uxor, cognitis iis quæ in urbe transacta erant (aberant enim tum temporis) auditoque ædes suas in monasterium esse conversas, magno perfusi sunt gaudio pactaque conventa rata esse voluere. Venditionis igitur confectis tabulis, tertiam pretii partem illico Catharina de Tolosa insigni munificentia persolvit; reliquam vero summam non minori post liberalitate contribuit. Omnibus prodigio persimile videbatur tam luculentam domum ita vili pretio comparari, et aliorum Institutorum religiosos, a quibus et domicilium hoc inspectum erat, adeo cæcutiisse ut ipsum quasi sibi minime expediens neglexerint : quam illis imprudentiam nemo non probro vertebat. Ac præter religiosos illos quos domum Burgis quæsisse dicebamus, Minimos nimirum, Carmelitas Calceatos et S. Basilii monachos, duobus etiam aliis monialium cœnobiis necnon alii cuidam fundando monasterio domus idoneæ conquirebantur.

instructaque

99 Omnes illi hanc inspexerant, omnes item neglexerunt, suismet ipsi in rebus caligantes; etsi postmodum una singulos caperet pœnitentia. Insignem huc operam contulit licentiatus Aguiar, magna quadam caritate huic se negotio impendens, Teresiamque urgens ut confestim domus hujus possessionem iniret : qui ni institisset, nihildum peractum esset. Ipse mensem et amplius sedulus huc incubuit, adjuvando et quomodo ipsa instrueretur designando; in quo nec temporis multum nec argenti opus fuit. Ut primum eam Teresia ita instauratam vidit ut suos in usus inde a principio condita videretur, et quidem tantillo temporis intervallo, incredibili cumulata fuit lætitia, imo quasi somnium illi videbatur omnia adeo celeriter confecta cernere. Monialibus etiam mira inde secuta est consolatio : nam præterquam quod commodæ essent ædes, horto insuper erant et aqua amœnisque aspectibus instructæ.

ad monasticos usus domo,

100 Nec minor archiepiscopi fuit lætitia, ut cognovit de domicilio illis esse prospectum. Hinc bis Teresiam congratulaturus adiit, domumque inspexit : facultatem tamen sedis locandæ, imo et Sacri celebrandi (quam enixe monachæ ab eo contendebant, ne foras eundum sibi esset), negabat. Hinc, postquam ad has commigrassent ædes (quod biduo aut triduo a coemptione factum est), mense toto, ad Sacrum audiendum, proximum eas adire templum oportuit. Has tergiversationes Teresia pertæsa, ad Palentinum præsulem Mendozium scripsit ut sua ille auctoritate hanc ab archiepiscopo potestatem obtineret : quam cum in Pascha exspectarent, tribus primis Paschatis diebus spe sua frustratæ fuere; adeo ut ipsas, non sine magna molestia, quo Sacris adessent, foras egredi fuerit necesse. Die vero quarto Ferdinandus de Matanza, qui nullo eis loco deerat,

A deerat, facultatem optatam, quam, intercedentibus episcopo Palentino et doctore Manso, archiepiscopus concesserat, attulit. Ipsa vero Teresia, cui nulla umquam in re defuerat fiducia, superiore nocte aliquo cœperat modo diffidere; atque adeo omnes, imprimis autem Catharina de Tolosa, spem animumque abjecerant. Ferdinandus porro de Matanza, facultatis litteras afferens, nullo prolato verbo, campanam pulsare aggressus est; qui pulsus læti fuit eis nuntii significatio. Hinc die sequenti, qui fuit XIII kalendas Maji anni MDLXXXII, Augustissimum Christi Corpus hic rite collocatum est, inita loci possessio, et a S. Josepho et S. Anna monasterio cognomentum inditum.

fundatio perficitur.

101 Primam Deo hic obtulit Hostiam doctor Manso : summum vero Sacrum prior cœnobii S. Pauli Ord. Præd., magno apparatu, festo symphoniacorum et citharœdorum sua sponte venientium concentu, magno omnium ordinum consensu, celebravit. Catharina porro de Tolosa satis non habuit domus pretium venditori persolvere et necessaria subsidia suppeditare, nisi etiam instrumentum domesticum, lectulos aliasque opportunitates conferret. Promiserat insuper annuum vectigal, cujus

B sponsionis tabulæ jam confectæ erant; sed ob incommoda et lites turbasque hinc forte in Catharinam de Tolosa orituras, ab eo accipiendo provincialis et Teresia abstinendum censuerunt : quare paucos post dies clanculo admodum illud a se coram scriba publico abdicantes, suas Catharinæ

f tabulas reddiderunt *f*. Attamen, ubi duas illius filias, quas Teresia Palentiæ in familiam cooptarat, emittere vota contigit monastica, etsi suam ante legitimam portionem matri addixissent, hæc voluit ut in Burgensis monasterii jura hanc portionem transcriberent. Egregie vero hanc illi liberalitatem Deus Opt. Max. rependit. Nam Teresia etiamnum Burgis agens filiarum illius unam sacra veste donavit : quam etiam archiepiscopus solemnitatem concione ad populum habita cohonestavit, qua et suam erga hunc Ordinem voluntatem et de illius huc invectione gaudium testatus, dolere se ait quod tamdiu illius fuerit dilata fundatio. Quin etiam, eodem inspirante Deo, ipsamet post Palentiæ hunc Ordinem ingressa est, Catharina a S. Spiritu cognominata; et hoc ipso quo hæc scribo tempore ipsam Deo vota nuncupasse crediderim. Post etiam duo ejusdem filii in Excalceatorum Fratrum cœtum

C transiere; itaque in ipsa adimpletum quod regius cecinit Vates : « Generatio rectorum benedice- » tur » (Ps. CXI, 2).

Novum cœnobium affligitur aquarum inundatione.

102 Cum jam Teresia cum suis læte propria in domo et claustro monastico ageret, ipso Ascensionis Dominicæ die ita Burgense flumen aquis ingruentibus intumuit ut per omnia urbis loca late stagnans magnam ediderit stragem, ipsosque religiosos, suis exire compulsos domibus, alio migrare coegerit, ne in iisdem diutius commorantes subita aquarum vi opprimerentur. Is enim undarum erat impetus ut domorum fundamenta subruerentur conditaque terra cadavera enatarent. In summo imprimis discrimine nova hæc domus versabatur, cum quod plano esset loco, tum quod haud procul a flumine sita. Suadebant Teresiæ amici, ut, aliorum religiosorum exemplo, fuga sibi consuleret : sed cum nullis ad hoc faciendum adduci posset rationibus, Sacrosanctum Christi Corpus in supremam ædium partem deferri imperans, eodem suas voluit succedere atque ibidem Sanctorum Litaniis lectitandis opem implorare, quoad aqua detumesceret. Archiepiscopus autem plurimique cives idcirco Deum ab urbe eluvionis periculum aiebant avertisse quod in eadem tum commoraretur Teresia. Suis autem ipsa illic præesse voluit Thomasinam a S. Joanne Baptista, quæ Albano ante domicilio fuerat præposita; illi vero vicariam adjunxit, quam Vallisoleto acciverat, Catharinam a Jesu.

AUCTORE RIBERA.

D

ANNOTATA.

a *Non novem, sed octo tantum eas fuisse ex ipsius Sanctæ verbis ostendimus num.* 969 *Comm. prævii.*

b *Imo amplius quatriduo, ut demonstravimus loco jam citato.*

c Fluvius Alarzon, e Pinedanis montibus non amplius quinque aut sex leucis a Burgis exoriens, *ait Antonius Ponz* (*Itin. Hisp. tom. XII, epist.* 4, *num* 35), urbem ac suburbia pluviosis temporibus et dum nives, quæ in ea regione decidunt plurimæ, resolvuntur, aquis multis inundare solet.

d Sanctus Crucifixus *sive* Sanctus Christus *vulgo appellatur miraculosa Salvatoris in cruce pendentis effigies, quæ in templo PP. Augustinianorum extra muros Burgenses ad pontem S. Mariæ sito magna veneratione asservatur. De ea agunt libellus sæculis* XVI *et* XVII *pluries editus sub hoc titulo :* Libro de los milagros del S. Crucifixo de S. Augustin de la ciudad de Burgos, *et P. Henricus Florez in Hispania Sacra* (*tom. XXVII, cap.* VIII).

E

e *Est is Petrus Manso de Zuñiga, factus anno* 1594 *Calagurritanus episcopus, qui citatur inter testes in processibus ad beatificationem S.* Teresiæ *interrogatos* (*Comm. præv., num.* 1082).

f *Catharinæ de Tolosa erga Carmelitanas Excalceatas liberalitas ansam malevolis dedit Societatem Jesu calumniandi, ut videre est* § LXXXIV *Comment. prævii, ubi ostendimus Sanctam in epist.* 50 *tom. IV non invehi in eamdem Societatem.*

CAPUT VII.

Extrema ægrotatio, mors et sepultura S. Teresiæ.

CAP. XV. Teresia *Albæ, quo ex obedientia*

His compositis rebus, Teresia continenti a Domino supplicatione contendebat, ut, cum ejus directione felicia monasterii hujus fuissent initia, efficeret etiam ut non modo nihil ad victum, sed ne ad cæteras quidem vitæ commoditates illi deesset; hinc votorum ejus illa erat summa, ut, priusquam inde excederet, videret aliquas huic domui nomina

F dare virgines, quarum dote monasterii res firmarentur. Hæc agitanti ait illi Dominus : « Quid » dubitas? Jam enim constituta res est, ut tuto » digredi possis. » Hinc Teresia augurabatur fore ut, Domino illius sedis curam suscipiente, necessaria illi ciborum subsidia nullo umquam tempore deessent : itaque hæc illam sponsio securam reddidit, perinde ac si amplum illi vectigal annuum relictum esset. Quare, interpositis diebus non multis, de suo agere reditu cœpit. Videbatur quippe illi sua Burgis opera minime posthac necessaria futura. Omnibus itaque ad reditum comparatis, Burgis Palentiam, atque hinc Methymnam tetendit, cum in animo haberet inde recta Abulam, ubi præpositam agebat, petere, atque eodem loco Teresiæ a Jesu sacrum conferre velamen. Sed aliter rem Altissimus constituerat. Methymnæ siquidem P. Antonium a Jesu, provinciæ tunc vicaria cum potestate præpositum, reperit. Hic beatæ Matris reditum præstolabatur, ut eam Albam, Mariæ Henriquez ducissæ flagitatu, conduceret. Ut primum hoc ex Antonio didicit, magnam in se experta repugnantiam est; quod suam Abulæ præsentiam pernecessariam

AUCTORE RIBERA.

sariam esse crederet, et iter suum ducissæ causa impediri gravate ferret. Credi itaque non potest quantam in animo sit passa hic difficultatem. Verum, quod promptissime semper superiorum jussis paruerat, etiam hic quam poterat maxima obtemperare perfectione, morti adeo vicina, grave non duxit; hunc imitatura nimirum qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philipp. II, 8).

A

se contulit,

104 Lectica igitur Albam vecta est, non sine ingenti labore et pessima valetudine. Unde cum in proximum Peñarandæ pagum appulisset, tam ingentes passa dolores est viriumque languorem tantum, corpore exhausto, ut in deliquium animi inciderit; quo tristi spectaculo nemini non adstantium sui miserationem movit. Nihil quod languidæ ad virium restaurationem daretur, ad manum erat præter ficos, nec unicum quidem ovum toto reperiri potuit pago. Anna a S. Bartholomæo imprimis dolebat quod tantis in necessitatibus constitutæ piæ Matri lenimentum aliquod ferre non posset. Sed hanc ipsa consolata : « Noli, inquit, angi, caris- » sima; hi namque fici optimi sunt : multis pau- » peribus ne hujusmodi quidem suppetunt. »

B Postera die alium adeuntibus pagum pridiani prandii angustias nonnisi coctis oleribus cepa permixtis resarcire licuit : his illa tamen esurienti stomacho, ut potuit, fecit satis, etsi valetudini hæc esca adversaretur. Eadem nocte Albam defertur, in S. Matthæi Apostoli et Euangelistæ vigilia. Exhausto affectoque corpore huc cum pervenisset, Joanna a S. Spiritu præfecta et sociæ summis ab ea precibus postularunt ut se ad quietem paulisper componeret; quarum illa consiliis ac precibus paruit, dicens : « Quam, Deus bone, me defatigatam » sentio! Jam abhinc annis viginti tam tempestive » cubitum me concessisse non memini atque hodie. »

ultimo corripitur morbo.

105 Mane tamen strato se corripiens, domum universam accurate lustravit et templum petiit rei divinæ adfutura; ubi etiam insigni animi fervore et pietatis sensu sacras Eucharistiæ epulas iniit : atque ita alternatim in morbum incidens, alternatim lectulo surgens, dies aliquot trahebat; donec S. Archangeli Michaelis die, cum, Sacro audito et Eucharistiæ Sacramento (quod quotidie solita pietate frequentabat) percepto, lectum petiisset *a*, inde non amplius surrexit : sanguinis namque fluxu laborare cœpit, quo mortua creditur. Tribus ante-

a

C quam spiritum redderet diebus, integram prope noctem in oratione traduxit : ut vero illuxit, Antonium a Jesu ad se evocavit, qui sibi culpas confitenti operam daret. Fama est tum illi diem obitus a Domino revelatum fuisse. Moniales enim quædam P. Antonium, postquam delicta ejus excepisset, dicentem illi audiere ut Dominum precaretur ne se hac e vita tam mature educeret, neve suas ipsa adeo cito desereret : cui tum Mater amplius se hoc in mundo necessariam non videri respondit. Simul plurima filiabus salutaria depromere monita exorsa est; et licet hactenus numquam ea intermisisset, jam tamen, utpote termino proxima, majori hæc ardore evidentiorique amoris significatione deprompsit *b*.

b

Sacro Corporis Christi Viatico

106 Pridie ejus diei qua S. Francisci natalis celebratur, hora quinta vespertina, augustissimum Dominici Corporis Viaticum poposcit : ita enim imbecilli jam erat corpore ut se in strato movere non posset nec nisi alienis manibus in aliud latus convertere. Interim dum sacrum morientium affertur pignus, junctis manibus suas ita alloqui cœpit : « Obsecro vos in Domino, filiæ meæ ac dominæ, ut » primævas Instituti leges et constitutiones quam » integerrime observetis : pravum quod hæc parum D » diligens religiosa vobis exemplum dedit, nolite, » quæso, respicere; sed quidquid hoc ipso deliqui, » ejus a vobis mihi velim veniam dari. » Ut primum cubiculi sui januam subire eum vidit Dominum quem tam ardenter ipsa diligebat, etsi ante adeo prostrata esset valetudine et ita morbi obsessa angustiis ut loco se movere non posset, animosa lecto, nemine auxiliante, sese extulit, perinde ac si eodem exilire vellet; ita ut ipsam contineri oportuerit : facies autem ejus insolitam induere pulchritudinem ac flagrantiam et alia longe quam ante apparere cœpit, simul etiam majestatem quamdam verendam, et non eam vitæ ætatem qua erat, sed longe minorem præferre.

ingenti cum animi fervore refecta

107 Tum illa ceu candidissimus quidam olor, manibus junctis, maximo cum spiritu, et gaudio interiori repleta, vitæ instante termino, majori quam umquam hactenus vocis suavitate canere orsa est; et cum summo suo Bono, quem ante oculos habebat, colloquens, sublimia quædam, suavia et amica verba ex mentis abundantia eructavit. Atque hæc inter cætera : « Venit jam, Domine mi et » Sponse, optata illa quam toties expetivi hora. » Jam tempus est ut invicem conspiciamus. Jam E » eundi tempus est, Domine; quod felix faustum- » que sit : fiat voluntas tua. Venit tandem hora qua » hoc egrediar exilio et anima mea simul tecum » fruatur eo quod tantopere concupivit. » Tum immensas illi gratias agebat quod in Ecclesia sese genuisset et in eadem emori concessisset, atque illud identidem repetebat : « Tandem, Domine, « Ecclesiæ sum filia. » Simul etiam magno pietatis sensu commissorum a Domino veniam poscebat, ac per Jesu Christi se dicebat merita sperare fore ut æterna salute donaretur : filiabus quoque suis supplicabat ut sibi hoc a Domino precarentur; ac supplex eas veniam rogabat. Orantibus his vicissim Matrem ut supremum se compellaret, aliud dicere noluit quam ut regularum et constitutionum statuta ad unguem servarent, superioribusque suis numquam non obedientiam sinceram præstarent; quod ipsa monitum aliquoties repetebat. Inter hæc sæpius ingeminabat versiculos illos : « Sacrificium » Deo spiritus contribulatus : cor contritum et » humiliatum, Deus, non despicies. Ne projicias me » a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas » a me. Cor mundum crea in me, Deus. » Atque imprimis medius ille versiculus : « Cor contritum F » et humiliatum, Deus, non despicies », identidem in os recurrebat, donec illam loquela deficeret.

et Extrema Unctione munita,

108 Extremæ Unctionis Sacramentum cum poposcisset, nona id noctis hora, eodem in pervigilio S. Francisci, magna reverentia accepit, moniales Psalmos recitantes voce adjuvans et ad orationes singulas respondens. Sacramento suscepto, supremo denuo Numini gratias ex corde egit quod Ecclesiæ se filiam fecisset. Sciscitabatur dein ex ipsa Antonius a Jesu, suumne corpus Abulam transferri an Albæ id manere vellet. Quantum e vultu colligi potuit, hæc illi displicuit petitio; et ait : « Aliquidne » habere proprium me par est? Hiccine terræ » pauxillum corpori meo negabitur? » Integram illam noctem intensissimos passa dolores est, inter quos superiores illos Psalmi versus sæpius iterare non intermittebat. Postridie vero hora septima matutina in latus recubuit, eo prorsus situ quo S. Maria Magdalena exprimi vulgo a pictoribus solet, Christi crucifixi effigiem arcte manu stringens, quam ante non deseruit quam ejus jam tumulo inferendæ manibus eam moniales tollerent. Vultum interim præferebat inflammatum, utpote quæ, magna

A magna corporis quiete ac compositione, exinde se neutiquam movens, in contemplatione interna continenter versaretur.

placidissime moritur.

109 Postquam vero jam ad extremum vitæ venisset, attentius eam quædam de monialibus contemplata, certa in ea sibi visa est Christi loquentis illi et magnalia mira ostendentis notare indicia : Teresia namque evidentes cujusdam ob ea quæ videret admirantis gestus præferebat. Hoc illa pacto ad nonam usque vespertinam mansit, et ea ipsa feria quinta, S. Francisco sacra, IV nonas Octobres, anno MDLXXXII (fuit hic annus quo facta est
c Kalendarii correctio *c*, decem ex illo sublatis, qui excreverant, diebus; atque idcirco primus post ejus obitum dies fuit ejusdem mensis decimus quintus), suam Creatori reddidit animam, Cathedram Petri occupante gloriosæ memoriæ Pontifice Gregorio XIII, et regnante in Hispaniis Catholico rege Philippo illius nominis secundo. Natalis ejus, uti initio dixisse recordor, in V kalendas Apriles anni MDXV incidit : unde vixisse eam efficimus annos sexaginta septem, menses sex et dies septem. Quadraginta et septem in vita religiosa vixit annis; quorum viginti septem primos in Incarnationis cœnobio, posterio-
B res vero viginti in primigenia Carmelitanorum regula traduxit. Adeo mors ejus tranquilla fuit, ut quæ sæpius ipsam orantem viderant, etiam modo in oratione attentiori eam agere crederent.

CAP. XVI. *Odor suavissimus*

110 Cum sancta hæc anima corpore excederet, facies illius exstitit formosissima nullasque in rugas contracta, etsi, dum viveret, plurimæ senilem vultum ararent : universum quoque corpus mirum prætulit candorem, nec ullam rugam, ut levissimum id dixisses alabastrum. Caro non minus blanda ac tractabilis quam duorum triumve annorum pueri caro esse solet. In ipsa igitur videre licuit quod de S. Francisco refert S. Bonaventura (in Vita, cap. XV), carnem nimirum ejus nivis instar candidam apparuisse, hanc jam tum in terra præsignando gloriam qua post donanda est in cœlo. Membra item ejus tangentibus tam blanda et flexibilia cedebant ut puerilem teneritudinem exhibere viderentur; imo nescio quam pulchritudinem præferebant, quæ innocentiæ et sanctitatis foret argumentum. Totum quoque corpus suavissimum exhalabat odorem; qui qualem aromatum nidorem referret, dicere nemo poterat : cujus dein etiam ex intervallo suavitas crescebat, et tanta tandem exi-
C stebat vehementia, ut, quia caput præsentium feriebat, forinsecus, aperta fenestra, admisso fuerit aere temperandus. Hoc in aliquo inferiori monasterii cubiculo fiebat (in quo modo convenire quothebdomadis monachæ capituli celebrandi ergo solent) : multa tamen ad usque superius cubiculum etiam fragrantia dimanabat; imo vero per universam domum nocte illa ac sequenti die diffusa est, necnon ad vestes B. Matris et stragula et omnia quæ illi ægrotanti usui fuerant, et ita quidem odorate ut etiam multis inde diebus soror quædam, hanc in culina olfaciens fragrantiam, et undenam ea dimanaret, curiosius inquirens, tandem sub arca parvum quoddam repererit salinum, salem continens in quo digitorum B. Matris, dum ad ipsam ægrotantem is delatus est, reliqua exstabant vestigia, atque ab eodem illa proficisci comperta sit.

emanat ex ejus corpore;

111 Adhæsit hic etiam odor iis quibus usa fuerat lancibus et aquæ qua demortuæ corpus ablutum est : et si quo in angulo aut inter exutas vestes aliquid lateret quod ipsam tetigisset, eumdem id exhalabat odorem, atque inde conjicere odorantes poterant latere hic quippiam quod ejus aliquando cessisset usui. Illa quæ sacrum illius corpus terræ mandavit, cum mox a pio illo officio persoluto manus nihil minus cogitans abluisset, tanta ab iis-
D dem erumpere cœpit suaveolentia ut nonnisi cœlestis ea esse videretur, quod similem hactenus in terra non percepisset. Neque vero tam obstupesco quod tum spirare suavissimos cœperit odores, cum apertissima jam illius sanctitatis dare Deus documenta volebat, quam dum considerare incipio talem etiam, dum ægra lecto decumberet, ex intervallo odorem perceptum fuisse. Constat namque mirabilem sæpe ab ea fragrantiam, interdum quidem dum raptum patiebatur, nonnumquam etiam dum nihil tale suberat, idque tam ad externos quam ad domesticas, promanasse. Testatur hoc matrona quædam Palentina, apud quam Teresia semel est diversata : id genus enim illa odorem sentiebat, quoties ad ipsam accederet. Filiolus item ejusdem, illi factus benedictionis recipiendæ gratia vicinior, cum hanc fragrantiam percepisset, postea hoc de illa dedit testimonium : « Quam, mater, sanctæ il-» lius manus redolent! » Ipsa etiam Anna a S. Bartholomæo, quoties in supremo morbo illam aut loco moveret aut vestiret, hanc ipsam sentiebat fragrantiam.

AUCTORE RIBERA.

E

cujus attactu tres moniales sanantur,

112 Tota illa nocte et ad decimam usque antemeridianam sequentis diei apud sanctum hoc monachæ commoratæ sunt corpus, quod a tot jam annis Spiritus divini fuerat templum et sanctæ illius animæ socium, illius identidem pedibus et manibus pia figentes oscula. Agebat tum eo in cœnobio monialis, quæ, quia omnem odoratum amiserat, mœrore conficiebatur quod illam percipere non posset fragrantiam quam reliquæ se sodales dicebant sentire. Hinc cum pedibus illius pie osculum dedisset, extemplo sensu hoc recuperato, id olfecit quod cæteræ : qui etiam odor multorum intervallo dierum naribus illius inhæsit, necnon manibus adeo pertinaciter ut etiam sæpius ablutæ redolere non cessarent. Alia soror, quæ intolerabili capitis et alterius oculi dolore conflictabatur, illico ut B. Matris exosculata est pedes, sanitatem recuperavit. Alia gravi oculorum dolore laborabat; hinc, cum incederet, manum iis applicabat : ea namque mali erat vehementia, ut, nisi manu eos premeret, progredi nequiret. Continens quoque ipsam jam abhinc quadriennio cephalalgia cruciabat. Verum cum Teresiæ demortuæ arreptos digitos oculis applicuisset et manus capiti admovisset, nullo alio adhibito remedio, utriusque mali levamen sensit.

F

quodque honorifice sepelitur.

113 Postera luce, in feretro quod aureo erat panno constratum (uti multis id ipsa ante annis præviderat futurum, dum ad dies aliquot motus expers jaceret), corpus impositum, apparatu quam fieri poterat illo in municipio maximo et pompa honestissima conditum est in parietis fornicis cujusdam concavitate, quæ in choro inferiori ferreis obducta est cancellis et in templo etiam videtur, ut tam qui extra quam qui intra agunt, ejusdem conspectu potiantur. Sua corpus veste tectum loculo inditum est, qui tot injectis lapidibus, calce ac lateribus est obrutus ut non modicum terræ in eum confractum penetrarit. Hoc Teresiæ Laiziæ, domicilii hujus fundatricis, consilio nutuque factum; cum hoc se pacto sacri hujus pignoris huic loco possessionem tutiorem reddere crederet, nullius ut suasu hanc ipsa mutare sententiam voluerit.

Obitum Sanctæ præcedunt

114 Suo in sepulchro Teresiam nostram jam requiescere sinamus, donec eam inde producamus (quod libri quinti principio facturi sumus, cum scilicet prodigiorum quæ post mortem ejus contigerunt, erit narrandi locus); et mirabilia referamus quæ

AUCTORE RIBERA.

quæ mortem ejus præcesserunt et comitata sunt *d*. Interdum namque quædam Dominus, aliquo primariorum servorum suorum ex hac vita decedente, præmittere signa consuevit e quibus tum illius sanctitas tum gloria instans cognoscantur. Moniales aliquot, priusquam beata hæc Dei ancilla defungeretur, ingentem aliquoties et rutilantem sacrario imminentem conspexere stellam. Alia inter octavam et nonam horam matutinam, haud procul a fenestra loci in quo deinde beata mater demortua est, radium quemdam coloris crystallini formosissimum conspexit. Fuit quæ et duos alios fulgores ad eamdem cellæ fenestram eodem tempore est conspicata. Eodem quoque nonnumquam anno, cum vel Matutinum canerent vel in oratione versarentur, splendores quidam insoliti monialibus in choro visi sunt. Cæterum tam frequentia hæc erant omnibus spectacula ut singulare Ordini aut incrementum aut decrementum dicerent accessurum. Hac ipsa etiam æstate, antequam Albam Teresia veniret, cum in oratione moniales agerent, placidum quoddam et amicum haud procul a se quæque inaudiere suspirium; quo autem die ex hoc mundo beata Mater migravit, idem etiam gemitus est exauditus, ac tum in mentem singulis venit gemitus quem in oratione olim agentes perceperant.

A

d

B

et comitantur

115 Plurimis vero ejusdem generis omissis, alia illustriora addam. Quædam cognitæ sanctitatis monacha, quæ modo cum Deo agit in gloria, tum vero valetudinario præerat, cum in ejusdem cubiculi in quo Teresia jacebat, fenestra quadam inferiori, quæ in monasterium prospicit, sederet, confusum quemdam velut exultantis plaudentisque multitudinis strepitum audiit. Inde mox illi apparuerunt per cœnobium transeuntes plurimi, miro fulgore coruscantes et amicti stolis albis : qui idem cubiculum cum plausu ingressi, ita sua ipsum multitudine complebant, ut, licet universæ in eodem præsentes adessent monachæ, non apparerent. His dein ad lectulum in quo Teresia decumbebat, accedentibus, extemplo ipsa animam Creatori reddidit : unde haud obscure patet hos, ut animæ emigranti comitatum præstarent, ultimo eo momento ingressos esse. Quo autem tempore exspiravit, vidit de adstantibus sororibus una columbulam candidam ore jacentis evolantem : unde verisimile fit adstitisse tum illi Sponsum ac dixisse : « Surge, propera, » amica mea, columba mea, formosa mea, et veni » (Cant. II, 10). Eodem etiam mortis momento alia soror ingentem quamdam lucem crystallinam haud procul a cubiculi ejus fenestra conspexit. Ita porro S. Gertrudi morienti adfuisse legimus Redemptorem Jesum Christum, a dextris dilectissima Genitrice sua Maria, a sinistris vero Joanne Apostolo et Euangelista stipatum, hisque accessisse innumeros alios utriusque sexus Sanctos, ac nominatim ingentem virginum exercitum, quæ toto eo die albis vestitæ inter monachas in monasterio comparuere (Insinuat. lib. V, cap. II). Unde et mihi facile persuaderem multitudinem illam albatam copiosum quoddam fuisse virginum agmen, quæ virginem hanc adeo puram ac tot virginum parentem ad cœlestem deducturæ gloriam descenderint; nisi aliud longe exploratius mihi constaret.

C

signa et visa cœlestia; e

116 Ita porro se res habet. Cum quodam anno natalem decem millium Martyrum *e* diem magna pietate, pro eo quo erga eosdem animata erat affectu, Teresia celebraret, ingens illa athletarum Christi multitudo illi se in gratiarum signum spectandam dedit, et in mortis hora a se ad cœlestia ipsam gaudia stipandam et ad eumdem secum gloriæ gradum evehendam promisit; sicut etiam S. Gertrudi revelatum fuit (loc. cit.) eam sibi in cœlo paratam esse gloriam qua ibidem perfruuntur quæ ab Ecclesia Dei in Sanctarum Virginum relatæ sunt catalogum et suum pro Christo Jesu Sponso sanguinem fuderunt. Et sane videntur prædicti Martyres Teresiæ præsentes fuisse : est namque certissimum hanc ei visionem obtigisse, uti sequenti sum libro declaraturus. Quod autem hocce capite de mira corporis fragrantia aliisque prodigiis commemoravi, indubitata res est; atque ut talem eam litteris mando, quod id et oculis perspici et tangi manibus licuit. Quæ vero ante obitum ejus contigisse prodigia narravi, ex iis accepi quibus ea in viso oblata sunt, quarum magna est auctoritas et religio, et quæ nihil nisi verum testarentur. Cum vero revelationes quædam veræ sint, sane, si quibus est adjungenda fides, quibus ea melius poterit adjungi quam quæ tali tempore contingunt quo illustris sanctitate homo ex hac vita est discessurus; cum et ad sanctitatem illius declarandam hæ dirigantur, nec Dei servis dæmon favere, nec aliquo, dum hoc e mundo transeunt aut transiere, approbare sanctitatem eorum soleat signo?

D

qualia et in aliorum Sanctorum historiis

117 Plenæ sunt hujusmodi visionibus historiæ omnes Sanctorum. Refert quippe S. Gregorius juxta Martyris nostri Hermenegildi corpus suavissimos de nocte auditos Angelorum choros, quin etiam testatos nonnullos ibidem se faces quasdam vidisse accensas (lib. III Dial., cap. XXXI) : morientis item ex ore abbatis Spei nonneminem adstantium evolantem vidisse columbam, quæ, per tectum sibi quæsito exitu, recto in cœlos volatu contenderit (lib. IV, cap. X). In sequentibus vero scribit ad Ursinum presbyterum venisse Apostolorum Principes Petrum et Paulum, animam illius in cœleste habitaculum deducturos; ad Probum autem episcopum duos albis vestitos et solis instar fulgidos eadem de causa descendisse, SS. nimirum Martyres Eleutherium et Juvenalem. Quando Servulus mortali hoc e carcere exibat, auditum ab eo narrat in cœlo suavissimum concentum, et ejus in auditu animam illum Creatori reddidisse, et fragrantissimum mox eodem in loco ab omnibus perceptum odorem esse. Exspirante Romula, visam ejus in cubiculo mirificam quamdam ait lucem, et ingentem etiam exauditum velut turbarum ingruentium strepitum : exinde e loco gratissimam quamdam exhalasse suaveolentiam, quæ triduum omnium nares afflavit; ac quarta demum nocte haud procul inde cantantes auditos Angelos, qui Romulæ excedentis celebrarent exequias, et tum demum sanctam illam animam evolasse. Excedenti vero amitæ suæ Tarsillæ adstitisse prodidit Christum Dominum, et odore jucundissimo locum universum repletum fuisse; Musæ vero puellæ Deiparam adfuisse Matrem cum lecta aliarum Virginum manu.

E

F

passim narrantur.

118 Alia his affinia idem Pontifex commemorat; quibus omnibus ipse, tametsi judicio juxta atque eruditione summus, fidem adhibet : cum enim pariter sanctitate excelleret, novum illi non videbatur hæc Deum in suis servis mirabilia operari. Qui porro attentius hæcce in Gregorio evolverit, non plures ipsum ad his credendum, non certiores, non etiam fide digniores habuisse testes comperiet, quam ipsi in præsens habemus ad credendum iis quæ hic scribo. Quod autem de uno dicimus Gregorio, idipsum de aliis dici queat Sanctis, qui similes de viris illustribus conscripsere historias. Bathilda Instituti S. Benedicti monacha decedente, omnes ad eam moniales descendentem conspexerunt S. Genesium episcopum nec non Sanctos alios; quorum in comitatu sancta illa anima in cœlum

A cœlum modulantium Angelorum alis subvecta ducebatur. S. Elisabeth dum diem vitæ clauderet, in Ecclesiæ tecto visæ aves hactenus omnibus invisæ, quæ suavissime modulabantur. Quoniam vero finem non reperiret oratio, si singula huc afferrem, unum hoc addam, existimare me, quibus defæcatum modo est judicium, et qui verum esse norunt Aristotelicum illud dogma, pauca scientium esse eamdem omni in re certitudinem requirere (lib. II Met., cap. III), quæ a me dicta sunt, plusquam sufficere; quibus vero illud defuerit, nihil omnino sufficiens fore. Ut vero noverimus his nostris temporibus, morientibus piis hominibus, accidere posse et reipsa accidere similia illis quæ antiquitus facta audimus vel legimus, historias quibus sanctorum FF. Petri Nicolai et Ludovici Bertrandi vitæ continentur, et aliorum qui haud ita pridem ante illos excessere, percurramus; ac tum demum ea quæ ipsi hic diximus, admirari desinemus : cum nimirum tanta Teresiæ a Jesu fuerit sanctimonia, et gloriæ divinæ semper promovendæ et animarum saluti procurandæ tam naviter incubuerit.

ANNOTATA.

B

a *Deferri tum voluit Sancta in valetudinarium superius, unde per cancellos altare majus conspici et Sacrum audiri poterat* (*Yepes, lib.* II, *cap.* XXXVIII). *Nec solum moniales, et Anna a S. Bartholomæo præ cæteris, ægrotam Matrem sollicite curabant, sed ipsa etiam ducissa Albana Maria Henriquez, claustrum introgressa, escas suismet manibus officiosissime illi porrigebat* (*Chron., lib.* V, *cap.* XXVIII, *num.* 2).

b *Eadem die, malo ingravescente, medici* Teresiam *e valetudinario, frigori obnoxio, reportari jusserunt ad cubiculum in quo antea decubuerat : ubi dum cucurbitulæ corpori ejus adhibebantur, gaudio ipsa ob doloris vehementiam exultabat* (*Yepes, loc. cit.*).

c *Vide in Bullario Romano* (*tom. II, pag.* 487, *edit. Luxemb.*) *litteras apostolicas Gregorii XIII de hac Kalendarii correctione; de qua, cum sit orbi notissima, supervacaneum est plura hoc loco disserere.*

d *Cfr. Acta Canonizationis* (*Comm. præv. n.* 1109 *et seqq.*).

e *De his Martyribus extat Commentarius criticus Papebrochii ad diem* XXII *Junii* (*pag.* 175).

C

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

Quo selectu quantaque cautela in admittendis novitiis opus sit.

Ut præclarum S. Teresiæ Institutum

Ex iis quæ duobus superioribus libris dicta sunt, ex parte quis colligat quam merito in secundi proœmio a me dictum sit parva esse ea quæ tum mirabamur, si cum iis quæ post narranda occurrerent, conferrentur, quamque vere Psaltes dixerit : « Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus » (Ps. LXVII, 36). Hinc novæ illi et generosissimæ Judithæ, quæ tantum Assyriorum, id est, dæmonum, exercitui damnum intulit, non sine ratione dicere possumus : « Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob : quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel » (Judith XIII, 31). Hic videlicet ad oculum video, quod sæpenumero stuporem etiam mihi movit, quantum ab homine vere pio mundo emolumentum accedat, et quomodo is numquam solus ingrediatur, sed innumeros alios ad sui sequelam semper rapiat; ac merito dicere Salomonem potuisse : « Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum » (Sap. VI, 26) : cum evidentissime pateat quotnam animas mulier una sapiens verbis et exemplo persanarit et quot etiam mulieres ac viros sapientes post se reliquerit, qui sanitatem hanc quaquaversus diffundant et amplificent. Hoc sufficere nobis profecto deberet ut alacriter in perfectionis semita progrediamur, quo nimirum Domini salus multis per nos animabus communicetur et innumeri ægri quos passim omni in loco videmus, nostra opera sanitati restituantur, ad potentis scilicet hujus Domini honorem et gloriam, qui non nisi vitæ jactura salutem nobis comparavit.

AUCTORE RIBERA.

D

cæterique Ordines religiosi omnes

2 Ex hac mihi cogitatione nata confestim est alia : quantum videlicet, si Teresia olim in veste religiosa petenda repulsam fuisset passa et alia ejus in locum cooptata, inde tum nova hæc illius familia tum Ecclesia universa dispendium fecisset, quantique etiam referat hanc vel illam in sacras familias adlegere, quanto denique in illarum admissione opus sit judicio. Cæterum omnia religiosa Instituta sancta sunt, omnesque illorum leges et statuta nonnisi perfectionis euangelicæ disciplina nituntur, neve umquam ipsarum dissolutio et laxior disciplina monasteriorum ab ipsis oritur constitutionibus, sed quod qui in iisdem degunt, has ut oportet non servent. Primaria autem cur eæ non observentur causa et omnis disciplinæ dissolutioris principium est, tum quod in religiosas familias cooptentur ii qui a Domino ad eas non vocantur, tum quod qui admissi sunt, mature non pellantur, si hoc vitæ genus servare nequeant, nec alios id servare, prout oportet, sinant. Hanc ob causam sæpenumero in eam veni sententiam (et res est verissima), ut omne religiosorum Institutorum in eo bonum situm esse existimarem ut nulli in ipsa alii cooptentur quam quos certo a Deo constet ad hoc vitæ genus vocari; ac deinde, postquam jam adlecti sunt, sedulo probationis tempore advertatur num in iis ipsi admittendis decepti sint; ac, si deceptos se fuisse deprehenderint, eos expellant, non secus ac sanus stomachus ejicit, etsi non sine molestia, nimium quem admisit cibum, qui corpori detrimentum afferret.

E

F

suo in vigore perstent.

3 Non possum vero quin aliquid hac de re hoc loco dicam, cum quod hisce monasteriis bene velim, tum quod nihil illis a quoquam posse dici norim salutarius nec quod magis dicendum sit. Deinde, si, uti ante me dixisse memini, liber hic ætatem ferat, volupe mihi quam maxime futurum est numquam non clamare quod Deo docente disco expediens esse clamare nullo non tempore. Nec dubito quin id divinæ illius Majestati sit futurum gratissimum, ut non ea modo utilitatem inde eliciant monasteria quibus hæc dicuntur, verum etiam alia cum virorum tum virginum. Atque hanc ob causam dari mihi a benevolo lectore facultatem postulo longius me hac in re diffundendi, etsi ad historiam quam molior, parum facere videatur. Atque satis mihi erit, si quæ hocce in proœmio deinceps sequuntur, ab iis solum legantur qui se Religioni vel jam dicarunt vel dicare cupiunt. Alii interea ad primum, his omissis, libri caput transeant.

cavendum ne quis a Deo non vocatus

4 Principio itaque e monialium harum cordibus noxium quoddam pervelim auferri genus pietatis vel naturalis compassionis, quam honesto caritatis

AUCTORE RIBERA.

tegunt velo, et qua fit ut religioni sibi ducant, si vel quampiam quæ in ipsarum transire cœtum A velit, excludant, vel aliqua earum quas apud se retinere minime expediat, domo sit pellenda; eo quod sibi perperam persuadeant in causa se futuras quod tam eximio anima hæc bono caritura sit, sequc suis proinde partibus satis non fecere. Zelus hic animarum honorisque divini esse prima fronte videtur; tamen nonnisi mera tentatio est. Si enim hæ præferant necessarias Religioni dotes et partes, ipse etiam ut cooptentur suasor sum; at de his non agitur. Quod si vero iisdem careant, hoc ipsum argumento esto a Deo eas non vocari. Si enim is illas hujus Religionis esse vellet membra, etiam ea sine controversia illis dedisset quæ huic sunt necessaria. Qui enim quæ ad concionandum, Confessiones excipiendas aut docendum requiruntur, non prætulerit, quis sibi hunc persuadeat ad hæc ipsa munia a Deo esse appellatum? Illas igitur admittere quas Omnipotens huc non vocarit, quid, obsecro, est aliud quam Religionem destruere velle? Qui enim ad hanc ipsas disciplinam non vocavit Deus, ad aliam forte eas vel ad aliud vitæ genus vocabit; atque in hoc suam operari poterunt salu- B tem. Variæ enim ac multiplices Deo sunt viæ, et de hujusmodi animabus magis ipsi curæ est quam monialibus sit oportet. Igitur mature perpendant quam grave, has allegendo, consciscant crimen, et ad oculum videbunt quam vere censuerim meram id tentationem esse et eo quidem nocentiorem quo majorem charitatis præ se ferat speciem.

iis inseratur.

5 Primo namque in longe diverso animam illam constituunt statu ab eo in quem ipsam Deus reservarat, nec illic bene ei erit; atque adeo nullum ipsa commodum (uti quidem spes erat) inde referet, ut magnam potius sit ita jacturam factura. Secundo, majus illi revera imponunt onus quam ferendo sit, ut ipsa, sub onere fatiscens, defectura sit viribus et tam exteris quam domesticis malo futura exemplo. Tertio, noxia hæc commiseratio in causa erit ut in multis illius peccatis superiores conniveant, et ita paulatim Religionis sit vigor intermoriturus. Quarto, occasionem dabunt cur hoc loco sit suæ salutis jacturam factura, cum, si inde abfuisset, animam forte in tuto collocasset. Quinto, non est ipsis animæ alienæ cura concredita, nec has ipsis Deus partes imposuit, sed dumtaxat suarum ut rationem haberent ac suæ Religionis bono consulerent : C suæ domui ac monasterio nocere, quo huic vel illi mulierculæ consulatur, adeo caritas non est ut etiam veræ caritati adversum sit; caritas quippe majus spectat bonum, et ejus causa minus negligit: nam, ut docet Aristoteles (lib. I Ethic., cap. II), quo ad plures bonum diffunditur, eo ipsum et majus et divinius est. Sexto, si quod spectant bonum esset et salutare, suam admittere in familiam deberent mulieres quam habere possunt dissolutissimas; quod harum majori in discrimine versetur salus. Id porro spectandum, et hoc etiam Deus vult, ut solæ cooptentur quas vere huc ipse vocat, illæ, inquam, quæ necessarias huic Instituto conditiones habent.

Quare diligenti examine

6 Ad has vero noscendas examinandæ ante sunt, et quidem magna diligentia, qualis in negotio tanti momenti requiritur. Etsi enim admissionem suam, quæ recipi petunt, perurgeant et eam quam citissimam esse velint, antistitæ et trium aut quatuor e senioribus est eas sedulo inspicere et de diversis cum ipsis rebus interdum sermonem miscere; ut vocationem ipsarum penitius intelligant, explorantes nimirum quid ipsas potissimum ad hoc Institutum amplectendum impellat : simul etiam prudenti suo judicio rimantes indagent quas naturæ dotes a Deo acceperint, vultum simul et D corporis constitutionem, valetudinem et robur notent; denique celeriter nihil hic statuant, ne postea repentini hujus consilii pœniteat. Rationi consonum est ut, cum omnium sit dare suffragia, omnes etiam candidatam perspectam habeant, eæ saltem quæ aliis ætate et auctoritate præstant, per quas dein cæteræ in rei cognitionem veniant, et his fidem adjungant. Sunt enim permultæ quæ cum appareant optimæ ac prudentissimæ, deest tamen illis naturalis constitutio; contra aliis naturale robur suppetet, at decrit prudentia. Nec morentur auscultentque exaggerationibus quas ii a quibus commendantur, depromunt, nisi talis forte sit commendator de cujus sinceritate constet, quique non minus domus et Ordinis totius bonum quærat quam moniales ipsæ; sed tales perpauci futuri sunt. Tum vero id magis metuendum est, cum qui laudant, facile satisfieri patiuntur vel præter meritum rem extolluni, ac præsertim quando commendatas in Religionem cooptari, commendantium interest; quod plerumque fieri solet.

corporis animique dotes,

7 Quo vero major in illis ad votorum emissionem non admittendis et postea dimittendis esse E potest difficultas, eo accuratius instituendum examen, ut tales eligantur quas postea dimittere necesse non sit. De ætate provectioribus, morbidis adeove imbecillis valetudinis ut oneribus Instituti ferendis pares non essent, loqui non est necesse; quod illæ, etsi bonæ alioquin, penitus domibus sint excludendæ : nam jam inde ab initio cum ipsis dispensandum est; unde senioribus ejusdem dispensationis in similibus minoribusve necessitatibus exigendæ datur ansa : multæ vero relaxationes omnem statutorum et legum vim infringunt, simul etiam relaxationem secum trahunt. Videndum autem, et caute quidem, num quæ cooptari efflagitat, superba sit vel arrogans, suique judicii plus æquo tenax : quæ enim tales sunt, hæ Religionem non enervant, sed penitus destruunt, illamque dissensionibus et quæ inde sequi possunt partium studiis incendunt et vastant.

vitæ conditio

8 In viduis quoque quæ præfuere domui et familiæ (etsi generaliter omnes excludendæ non sint, modo requisita non desint) admittendis eadem non est facilitate utendum, quin potius illarum diligentius quam aliarum est examinanda vocatio, quod imperare, suæ voluntati obsecundare et prout visum fuerit vitam instituere longo jam usu consue- F verint; tum quod ægre admodum flectantur, valde difficulter pareant, suumque alieno judicium perinvitæ subjiciant, nec non grave illis sit iter quod insistebant relinquere, et novum quod edocentur inchoare. Tum vero etiam est accuratius res libranda, quando liberos illæ habent, et multo magis ubi hi nondum certum vitæ statum iniere : numquam enim illæ obliviscentur esse se matres, atque adeo perpetuo in metu atque angore versantur de liberorum sorte. Deinde si filia sit, etsi eam mater apud se eodem in cœnobio ante oculos habeat, tam huic tamen quam illi societas hæc noxia est : cum enim alterutra vel ægritudine vel tentatione opprimitur, opprimitur etiam altera. Si etiam contingat alterutram a præfecta corrigi vel reprehendi, fieri non potest quin se etiam alia castigari reprehendique putet. Si quando suffragiorum multitudine res aliqua decidenda est, ambæ jam unam in partem propendent; et in monasteriis in quibus adeo paucæ sunt monachæ, si vel unius amplius accesserit suffragium, permulta obtinere queunt. Deinde si eas tentari contingeret, ad manum semper haberent a qua defenderentur, itaque cœnobii statum inverterent.

A rent. Hoc hisce in monasteriis minime contingere pro explorato habeo : attamen consultum id est præmonere, ne id contingat posthac neve rei hujus ulla unquam detur occasio. Neque etiam id eo dico ne ullæ in hanc familiam viduæ cooptentur; sed ut illarum diligens præmittatur examen, et non nisi ægerrime iis detur locus.

et potissimum intentio

9 Hæc autem inde ab initio facile se manifestant; sed alia res est de qua sancta Mater Teresia insigni cum prudentia monet, et quæ sæpe etiam oculatissimos quosque exploratores fugit, quam tamen maximi interest bene et quidem summa cum cautela examinari atque e frequentibus interrogatis erui. Multæ nimirum animum non aliter ad vitam adjungunt monasticam quam ut alicui qua premuntur afflictioni in eadem remedium inveniant : tales autem hæc in cœnobia, tantum vitæ profitentia rigorem et severitatem, et in quibus magna pietate et insigni Deo famulandi et pro ipso patiendi desiderio opus est, cooptari minime oportet. Rei hujus ratio sole meridiano est clarior : vere enim non tam Dei amore vel cœnobiticæ vitæ studio actæ huc veniunt quam temporalis remedii inveniendi gratia. Dicere id volo manifestius : quod
B nimirum non inveniant sponsum cui nubant, vel quod non ea qua vellent in mundo auctoritate vel commoditate frui possint; adeo ut potius vano quodam honore vel infamiæ laborumve metu quam Dei amore huc alliciantur. Si ita se res habet, certum est a Deo illas non vocari. Quo igitur modo recipiantur quæ a Deo huc non adducuntur? Vel quomodo hoc vitæ genus ferre, et sine ulla tristitia et mentis inquiete, aut quin hanc æqualibus suis signo aliquo declarent, ad finem usque perdurare queant?

eorum qui admitti postulant,

10 Qui, quo vitæ ducendæ subsidia commodius suppetant, ad sacerdotium animum applicat, indignus est qui ad sacram hanc dignitatem assumatur : sic quæ mundano aliquo intuitu Religioni se dicat, non vero propter Deum, non meretur quæ in eamdem adlegatur. Hæ in aliis fortasse monasteriis manere poterunt, in quibus major sit horum apparatus; in his vero, etiam quæ sincere et vera cum vocatione ingrediuntur, sæpe magnum erit si possint tentationibus resistere et in perfectionis semita perseverare : quanto magis quæ non Dei amore, sed mundano dumtaxat impulsæ huc concedunt? Scio contingere ut Deus postea aliquando
C corda immutet et id genus novitias meliores reddat : verum cordatarum monialium est res suas fortunæ non committere; sed ubi viderint illarum scopum non esse sincere pureque Deo servire, januam illis occludere et introitum negare. Error in initio ingens est et apprime noxius; et quo procedit longius, eo majores gignit errores malaque offert graviora.

omnino sunt explorandæ.

11 Omnium igitur hactenus dictorum summa hæc est, uniuscujusque vocationem sedulo examinari debere; quæ si a Deo non venire certo comperiatur, nulla aditum inveniat (neque enim fieri non potest quin magnam talis inquietudinem turbationemque afferat domui in qua commoratur), etiamsi stirpe sit nobilis præstantique ingenio et eas afferat opes quibus universa provinciæ monasteria abunde queant ditari. Sed si vere a Deo vocata sit (quod non erit nisi eas habeat quas supra diximus dotes), si quæ fortunæ bona habeat, secum ferat : cuinam enim operi ea melius potiusque dedicet? Si vero nullam nacta sit dotem, non idcirco Religionis illi aditus occludendus : ejus enim unius causa adducet Dominus alias quæ tum in sui tum in aliarum sustentationem idoneos reditus adferent.

12 Quoniam vero ipso in ingressu esse deceptioni locus potest, quod importunius urgeant commendatores nimiisque admittendas extollant laudibus, necnon quod sine mora eas adoptari petant, ideo integer ecclesiastico jure præscribitur annus, quo admissæ exploretur vocatio, indoles et mores, atque utrum vere Ordini conveniat necne. Tum quippe omnium horum faciendum est periculum : quam etiam ob causam annus hic probationis annus dici solet. Quare præpositarum et novitiis præfectarum aliarumque est eas omnem in partem probare : nisi enim illæ tunc accurate has explorent, hæ illas postea vice versa diligenter probabunt. Sæpe etenim fit ut arrogans, male morata vel inobediens et mortificationis inimica indoles ipso tirocinii anno, quin etiam aliquo post tempore, sub latibulo subjectionis et novæ pietatis sese abscondat; sed ubi libertatem nacta et veteranis annumerata aut officio aliquo insignita fuerit vel pietas illa refrixerit, foras prorumpit, et tum sese demum indicat cum jam post votorum emissionem nullus erit remedio locus.

AUCTORE RIBERA. *Admissi vero ad tirocinium,* D

13 Quocirca, quo brevior huic malo noscendo et tollendo statutus est terminus, eo major ipso tirocinii anno habenda ratio ac diligentius dispiciendum. Idcirco Teresia hunc annum longius voluisset extendi, et prius multos annos effluere quam solemnia Deo vota nuncuparent (uti in Societate Jesu fieri noverat), ut quæ ad votorum erant emissionem admittendæ, melius cognoscerentur et probarentur. Non est porro rursus hic repetendum, si quæ comperiatur quæ nec sanitatem nec convenientem huic Religioni indolem habeat, quæ orationi non studeat vel ad eamdem facta non sit, quæ humilitatem non sectetur et rebus terrenis animo adhærcat, hanc confestim dimittendam esse; non est, inquam, hoc jam amplius repetendum, cum jam ante dictum sit. Adhæc ipsum probationis annum jura concedunt, tam ut ipsa Religio a se ineptiores ejiciat quam ut ex ea egrediantur tirones qui illam sibi minime fore convenientem judicabunt. Verumtamen sæpius id est inculcandum : diabolus enim, Religionum turbaturus pacem et quietem, intuitus aliquot humanos ob oculos superioribus ponit, pietatis, misericordiæ divinique obsequii specie coloratos, qui etiam prudentissimos quosque sæpe in errorem trahunt. Ecquæ namque major dari cogitarique fraus potest, quam, ut in
F privatam aliquam se pias ostendant, universæ ipsas domui et Religioni esse crudeles? Sed publicæ magis rei habenda ratio; quique vere Dei timorem habet, majorem hic etiam timorem præferat necesse est.

si per probationis annum non satisfecerint, E

14 Vereri porro ne qua parentibus ipsarum quæ dimittuntur, molestia nascatur, vel aliquorum hic oblocutionem anxie morari, et propterea in domo illam retinere, probrosum ac turpe est iis quibus vivum non solum pro ipso labores patiendi, verum etiam in gravissimis quos excogitare immanissimi tyranni possent cruciatibus ad finem usque vitæ permanendi desiderium Deus elargitur. Quo enim modo quæ se quotidie in oratione ad tam ardua subeunda offerunt, coram illo se sistere audeant, si in his parvis tolerandis deficiant? Quo illi modo supplicare audebunt ut sui Ordinis procuret incrementa, si hunc ipsæ hoc pacto evertant? Quod quæ fecerit, næ illa se veram Matris Teresiæ a Jesu vocare filiam nec potest nec debet, quod timoribus id demoliatur humanis quod precationibus et orationibus divinis beata illa Mater stabilivit. Deinde, si e pecuniæ cupiditate id fieri contingeret, ne videlicet fortunarum quas monasterio virgo hæc inferet,

sepositu omni mundano intuitu,

AUCTORE RIBERA.

oret, jactura fiat, profecto turpe foret eam quæ paupertatis fecit votum, tam efflictim hanc ipsam A a se excutere satagere, et eam quæ in Religione quam ipsa fiducia firmavit, et in monasteriis quæ tanta sunt fide condita et eadem fide hactenus conservata et propagata, moratur, tam exiguam fidem præferre. Equidem iis id responderem quod beatæ Matri Dominus cunctanti: « Quibus thesauris om- » nia hactenus condita sunt monasteria? »

e Religione dimittantur.

15 Hispalim Teresia ingressa est unum dumtaxat habens obolum ad monasterium fundandum; ante tamen quam inde digrederetur, sex aureorum millia in domus emptionem impendit: quin etiam annus aut alter abhinc non effluxit, cum aliæ ibidem comparatæ sunt ædes, quæ tredenis prope aureorum millibus steterunt; ejus autem filiæ in paupertate agere grave ducent, dum aliquam pecuniosam domo excludere verentur? Si hoc ipsæ observarent, hac proculdubio via ad paupertatem pertingerent, si modo Deum faventem haberent: quod si non admiserint ineptas Instituto earumque facultates rejecerint, majorem Domino ad subministranda omnia necessaria victus subsidia et ad illarum animas locupletandas sollicitudinem injicient. Quæ B vero hoc prosecuti sumus proœmio, pluribus confirmare possem rationibus, testimoniis atque exemplis: verum quia ad eas quæ rem norunt quæque rationi ac veritati haud difficulter obsequentur, est sermo, quæ dicta sunt, sufficere existimo.

Hæc monita

16 Revocare duntaxat illis in mentem volo nonnulla quoad hoc a Matre Teresia a Jesu scripto consignata; ut videant nimirum quam proposita a me documenta conformia sint iis quæ Dominus per sanctam Matrem filias edocuit. Sicut enim eam cœnobiorum fundatricem, sic et earum quas monialibus suis inesse par est virtutum fecit magistram, et veram certamque itineris quod insistere eas oportet, ducem. Teresia itaque capite XIII Viæ perfectionis in hæc verba scribit: « Hem quam » ingentem charitatem et eximium Deo præstaret » obsequium monialis illa, quæ, se eos qui hac in » domo vigent mores ferre non posse videns, et id » vere in se experiens, hinc ante abscederet quam » ad votorum nuncupationem admitteretur (uti » alias etiam dixi), cæterasque pace frui sua si- » neret! Imo nec in reliquis quidem omnibus mo- » nasteriis eam (si modo mihi fidem adhibeant) » retinebunt, nec ad professionem solemnem ullate- C » nus ante admittent quam per plurimos eam » annos probarint, ut videant nimirum num mo- » rum sequatur emendatio.

confirmat Ribera

17 » Cæterum non ea hic voco errata quæ in » pœnitentia jejuniisque peragendis committuntur, » quod, quamvis errata sint, non sunt talia tamen » quæ tantum damnum afferant; sed quosdam dico » pravos habitus, quales sunt videlicet: velle » magnifieri et laudari, in aliena errata et imper- » fectiones accurate intueri, sua vero numquam » considerare, aliaque his similia, quæ vere ab hu- » militatis enascuntur defectu. Nisi sua Deus gra- » tia illis adsit, abundantem illis spiritum commu- » nicando, donec etiam per plurium annorum » intervallum emendatio appareat, faxit Deus ne » qua hujusmodi vestro in contubernio maneat. » Certæ porro estote et illam pace carituram et » aliis etiam gravem fore. Unde me illorum misc- » ret monasteriorum quæ sæpe, ne quam talis » secum in dotem attulit pecuniam reddere cogan- » tur, vel ut honori amicorum illius consulant, intra » domum continent furem quæ ipsorum thesau- » rum diripiat. Vos honorem mundanum hac in » domo abjecistis (pauperculæ quippe nullo loco » sunt): alienus ergo honor tanti vobis non constet D » aut ita curæ sit. Honor noster, carissimæ, esse » debet Deo servire. Si qua autem in hoc vos im- » pedire vellet, honorem suum sibi habeat, et extra » maneat.

selectis quibusdam locis

18 » Hanc ob causam Patres nostri integrum » probationis annum instituerunt; ac velim ego is » mos invehatur ne qua ante decennium ad profes- » sionem admittatur: quæ enim vere futura est » humilis monacha, parum morabitur professane » sit necne; nam indubitatum habebit, se, si modo » proba fuerit, domo non exigendam: si vero secus » se gerat, cur huic Christi collegio obesse velit? » Voco autem non bonam, non eam quæ aliquam » vanitatem præferat (nam hoc Dei gratia longis- » sime existimo hac domo abfuturum), verum eam » dico bonam non esse quæ bene mortificata non » sit et rebus mundanis adhuc adhæreat aut sibi » ipsi in iis quæ supra dixi. Quæ ergo multum id » in se non viderit, hæc mihi fidem adjungat, pro- » fessionique sese non ingerat, nisi hic habere in- » fernum voluerit. Utinam avertat Deus ne et alium » postea experiatur; quod multæ in ipsa sint causæ » ob quas eo detrudenda videatur. »

e capite XIII

19 Infra vero hæc habet: « Iterum repeto, si E » rebus mundanis afficiatur, nullumque in se pro- » fectum experiatur, ipsam huic monasterio ine- » ptam videri, et ad aliud quodlibet libere, si modo » religiosam vivere vitam velit, posse transire: » sin minus, videbit quomodo sibi res successura » sit. De me vero illa quæ sic incipit, non conque- » ratur quod ante ipsam non præmonuerim. » Postea vero hæc subjungit: « Alio melius loco » suam operabitur salutem, fierique poterit ut sen- » sim ad perfectionem perventura sit; quod hic » ipsius vires excedit, eo quod statim perfectio » acrius intendatur: nam, quamvis multum tem- » poris sit impendendum ad sese penitus denudan- » dum et mortificandum, rebus tamen exterioribus » nonnisi breve tempus impendi potest, ob damna » quæ secus provenirent. Si autem novitia quæ » sodales suas strenue agere videat et quæ semper » in tam bono consortio conversetur, uno vel etiam » medio anno non proficiat, vereor ne etiam non » proficiat multis. Non dico novitiam valituram ea » perfectione qua valent professæ: sed intelligi » poterit eam convalescere; quod facile advertitur » in morbo lethali. »

F

et capite XIV *a*

20 Jam ante dixi *a* ea quæ e Via perfectionis affero, ex ipso Teresiæ autographo esse deprompta. Ergo ipsamet hæc capite XIV scripsit verba: « Cre- » diderim equidem Dominum minime deesse, sed » multum adesse illi quæ serio aliquid apud se » statuit. Unde diligenter inquirendum quæ sit in- » tentio dicantis se monasterio, et num sibi tantum » intendat illic invenire remedium, sicut crebro » hodie contingit; quamquam et hoc Deus perficere » possit intentum. » Postquam autem præmisisset quanti referat boni judicii virgines admittere, hæc subnectit: « Error hic pauculo temporis spatio sese » non manifestat: sunt enim plurimæ quæ loquun- » tur bene, et judicio non valent; aliæ e contrario » parum, tamen non nimis parum, loquuntur, et » insigni ad res plurimas pollent judicio. Concedo » quidem sanctas quasdam simplicitates esse quæ » in rebus negotiisque mundi parum, sed in agendo » cum Deo optime versatæ sunt. Hanc ob causam » accurate inquirendum antequam admittantur, » et jam admissæ diutius sunt probandæ, prius- » quam ad votorum emissionem transire permit- » tantur. Intelligat porro mundus liberum esse » vobis eas expellere: cum in monasteriis in qui-

bus

A » bus vitæ viget severitas, multæ ejus rei occurrunt
» occasiones; et ubi vobis id moris esse semel in-
» notuerit, injurium id esse nemini reputabitur.
Viæ perfectionis 21 » Hæc eo dico quod tam infortunata hæc
» sint tempora et tanta nostra imbecillitas ut satis
» non sit statuta habere Majorum quæ hoc prohi-
» beant; sed interire sinimus laudabiles consuetu-
» dines, eo quod timeamus levem alicujus offensam
» dictumve quod nihil reputari debet. Faxit Deus
» ut quæ tales in Ordinem admittunt, pœnas non
» luant in altera vita! Illis quas admittimus, num-
» quam honestus aliquis deest color quo nobis
» persuadeant id licitum esse; sed in tanti ponderis
» negotio nullus prætextus est bonus. Neque enim
» credo Dominum, si superior unicum sine ullo
» affectu intendat domus bonum, passurum eam
» labi et fallere; contra crediderim illas quæ ad
» hujusmodi pietatis frivolam considerationem ita
» attendunt, non posse non errare. Et est sane ea
» res hujusmodi ut ab singulis bene perpendi et
» Deo commendari digna sit, et debeat etiam præ-
» fectam quamque animare ut id exequatur; cum
» tanti momenti res ita singularum intersit. Quare
» et Deum ex corde rogo ut in hoc vobis lumen
B » submittere dignetur. »
nec non e capite XXVII *b* 22 Capite autem XXVI *b* Fundationum suarum
hæc scribit : « Si in Deum habeatis fiduciam et
» generosa sitis mente (illius enim Majestati gene-
» rositas gratissima est), nolite metuere ne quid-
» quam vobis sit defuturum. Nec umquam reji-
» ciatis eas quæ in Ordinem admitti postulant
» (dummodo illarum desideria et naturæ talenta
» vobis placeant), etsi forte illis necessaria ad hoc
» subsidia desint, modo intentio illarum sit ut
» majore hic cum perfectione Domino serviant;
» neque etiamsi fortunæ bonis careant, dummodo
» ab internis animæ bonis sint instructæ : alia
» namque via in duplum vobis Dominus repen-
» det id quo hanc ob causam opus habebitis. Ma-
» gnam ipsa rei hujus habeo experientiam. Novit
» quippe Majestas ejus, me, quantum recordor,
» nullam umquam ob rei hujus defectum in Ordi-
» nem suscipere prætermisisse. Testari id possunt
» plurimæ illæ quæ solo Dei ipsius intuitu et causa
» admissæ sunt, uti vos ipsæ non ignoratis.
libri Fundationum 23 » Et certe in veritate asseverare vobis pos-
» sum non tantum me gaudii in animo sentire
» solitam, dum opulentam aliquam admitto, quan-
C » tum, cum illas quæ solo Dei amore suscipiun-
» tur : imo vero locupletiores semper me timere
» faciebant; pauperculæ autem spiritum mihi et
» animum dilatabant, earumque admissio tanto me
» replebat gaudio ut mihi præ mentis jubilo la-
» crymæ erumperent. Est hoc quam verissimum.
» Si ergo cum domus aut emendæ aut restau-
» randæ erant, Dominus tam fideliter nos juvit,
» cur non facturus est idem habentibus jam nobis
» ubi vivamus et habitemus? Mihi credite, filiæ,
» per id vos facturas dispendium per quod factu-
» ras vos putaretis compendium. Quando autem
» quæ admitti postulat, facultates habet et bona,
» nullas tamen alias obligationes et debita, si bona
» hæc aliis relinquere velit qui fortasse iis opus
» non habebunt, consultius sane fuerit ut vobis
» eas in eleemosynam det : aliter enim si faciat,
» parvi id in vos affectus signum esse sentio. Sem-
» per vero illi quæ admitti postulat, proponite ut
» de facultatibus quas habebit, disponat et faciat id
» quod viri docti ad majorem Dei gloriam spe-
» ctare judicabunt. Malum namque foret, si ob
» alium quam eum quem dixi finem et scopum,
» ab aliqua quæ admittitur, facultates peteremus.
» Namque longe plus lucramur per hoc quod illa
» faciat quod Deo suo debet (majore, inquam, D
» cum perfectione) quam per omnes facultates
» quas secum ferre potest; cum aliud non specte-
» mus (nec ut aliud spectemus permittat Deus)
» quam ut Majestati ejus in omnibus et per omnia
» obsequium præstetur. »
et e Constitutionibus 24 Potuissem omittere quæ secundo Constitutio-
num capite prosequitur, quod omnium passim illæ
in manibus versentur : verum, quod hunc Ordinem
inire desiderantibus ea nosse perutile sit, non abs
re fore visum est eadem hic in ipsarum gratiam
afferre. Hæc igitur præcipit Teresia : « Diligens
» opera adhibeatur ut quæ recipiendæ sunt, ora-
» tionis sint studiosissimæ, ad omnimodam perfe-
» ctionem aspirent, mundanosque affectus exuerint :
» nisi enim penitus denudatæ sint, Religionis hujus
» leges ferre non poterunt. Et sane satius longe
» est id ante inquirere quam postea admissas emit-
» tere. Admittendarum ætas septemdecim annis
» non sit minor; corpore porro sint sano et mente
» sana et ad Officium divinum recitandum et
» chorum frequentandum idoneæ. Nullæ vero pro-
» fessionem edere permittantur, nisi illas ante,
» tirocinii anno, habere noscantur conditiones quæ E
» ad eam quæ hic servatur disciplinam necessariæ
» sunt. Ubi vero ipsa earum placuerit qualitas, etsi
» nummi quos afferant, illis desint, non propterea
» excludendæ sunt; quemadmodum hactenus fa-
» cere consuevimus. Videant proinde superiores
» ut privato aliquo intuitu nullam admittant no-
» vitiam; nam paulatim opum sese ingerere posset
» cupiditas, et ita sensim major eleemosynæ quam
» bonitatis conditionisque personæ ratio haberi.
» Numquam hoc ullo modo fiat; ingens enim id
» esset malum. Paupertatem semper ob oculos
» habeant, ad quam voto se Deo obligarunt, ut
» bonum omni in re a se odorem exspirent, no-
» tentque non esse divitias quo sustententur, sed
» fidem, perfectionem et in Deum solum fiduciam.
» Constitutio hæc diligenter observetur et execu-
» tioni mandetur, uti oportet, monialibusque præ-
» legatur *c*. »
c 25 Omnia hæc per vas hoc electum Spiritus *S.* Teresiæ;
Sanctus elocutus est verba; quæ etiam ipsamet non
aliter opere complevit quam calamo exaravit. Dili-
genter siquidem qualitates examinabat earum quæ
in Ordinem allegi satagebant; uti sæpenumero mihi
id videre datum est. Quin etiam, si ipso tirocinii F
anno exacto suum eas a rebus sæculi affectum
exuisse vel hoc illis vitæ genus arridere haud
videret, nullis ipsa adduci poterat rationibus ut ad
votorum nuncupationem eas admitteret; sed res
suas habere jussas in sæculum remittebat, negans
ad hoc vitæ ipsas institutum vocatas esse, quin
etiam asserens certissimum salutis damnum adituras si in hac familia permanerent, ac suam melius
in alio statu vel Ordine salutem operaturas. Hanc
ob causam quamdam de consobrinis sacra, quam
jam annum gestarat, veste privatam paternas in
ædes remisit, tametsi summis apud ipsam necessarii
instarent precibus ut hanc apud se retineret, fieri
posse dicentes ut ætate crescente mores aptarentur
ad hoc vitæ genus, quamquam alioquin multis
eximiisque naturæ hæc esset dotibus instructa. O
fœminam plusquam fœminam, mulierem fortem et
masculam, factam secundum cor Dei, pristinæ Religionis restauratricem, perfectum sanctitatis exemplar, veram mundi et omnium quæ in ipso spectantur rerum proculcatricem, veram divini Numinis
cultricem, quæ tantam, dum viveret, lucem diffudit,
et quæ etiam post mortem (vel potius meliori vivens

AUCTORE RIBERA.

vita, qualem nimirum illustria et heroica illius facinora promerucre) rutilos quaquaversum radios diffundit!

A

eisque Regulas S. Basilii,

26 Omnia porro hæc quæ suis Teresia a Jesu filiabus tradidit documenta mire cum omnium Sanctorum doctrina conveniunt, ut quæ ab eodem edocta esset magistro a quo suam ipsi etiam hauserant. Quod ut ad oculum pateat, paucis nonnulla de iisdem visum est depromere. Docet quippe imprimis S. Basilius Magnus (Regul. fusius tract., interrog. x) non passim et promiscue omnes religiosa esse donandos veste qui eam petunt, sed prius horum considerandos esse mores, num scilicet inconstantes sint ac leves necne; quos, si inconstantiam præferant, suadet exerceri ipsorumque constantiæ aliquamdiu a superioribus periculum fieri, molesta, gravia duraque illis præscribendo : quorum si robur et perseverantiam deficere viderint, dimitti, ne cæteris sint damnosi. Addit insuper dispici debere num magnum afferant peccatorum suorum pudorem ac promptum ab iis qui sibi peccandi fuere occasio, recedendi desiderium.

S. Pachomii

d

27 S. Pachomius in ea quam ab Angelo accepit constitutionum monasticarum Regula *d* hæc habet :

B « Si quis accesserit ad ostium monasterii volens » sæculo renuntiare et Fratrum aggregari numero, » non habebit intrandi libertatem, sed prius nun- » tiabitur Patri monasterii, et manebit paucis die- » bus foris ante januam, . . . et diligenter sui » experimentum dabit. . . utrum possit renuntiare » parentibus et propriam contemnere facultatem. » Si enim viderint aptum, . . . Fratribus copuletur. » Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, et » induent habitu monachorum. » Pluribus hæc declarat Cassianus, sic scribens : « Ambiens quis » intra cœnobii recipi disciplinam, non ante pror- » sus admittitur quam diebus decem vel eo amplius » pro foribus excubans, indicium perseverantiæ » ac desiderii sui pariterque humilitatis ac patien- » tiæ demonstraverit. Cumque omnium prætercun- » tium Fratrum genibus provolutus, et ab universis » de industria refutatus atque despectus, tanquam » qui non Religionis, sed necessitatis obtentu » monasterium optet intrare, injuriis quoque et » exprobrationibus multis affectus, experimentum » dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit in » tentationibus, opprobriorum tolerantia declara- » vit, atque ita fuerit explorato mentis ardore

C » susceptus », etc. (Institut. lib. IV, cap. III). « Cum » igitur quis susceptus . . . ac, depositis propriis » vestimentis, habitu monasteriali fuerit accinctus, » non statim congregationi Fratrum commisceri » permittitur, sed deputatur seniori, qui seorsim, » haud longe a vestibulo monasterii commanens, » habet curam peregrinorum et advenientium de- » putatam, eisque omnem diligentiam susceptionis » et humanitatis impendit. Cumque ibidem integro » anno deserviens absque ulla querela suum circa » peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per » hoc prima institutione humilitatis ac patientiæ, » atque in ea longa exercitatione præcognitus, ad- » miscendus ex hoc congregationi Fratrum », etc. (c. VII).

et S. Benedicti

28 Idem quoque in sua Regula fieri suasit S. Benedictus, nonnulla etiam addens signa e quibus constantia et bona tironis vocatio dignosci queat. Ait igitur in hæc verba : « Noviter quis veniens ad » conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus. » Sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus, si ex » Deo sint (1 Joan. IV, 1). Ergo si veniens perse- » veraverit pulsans, et illatas sibi injurias et diffi- » cultatem ingressus post quatuor aut quinque » dies visus fuerit patienter portare et insistere D » petitioni suæ, annuatur ei ingressus, et sit in » cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit » in cella novitiorum, ubi meditetur et manducet » et dormiat. Et senior ei talis deputetur qui aptus » sit ad lucrandas animas : qui super eum omnino » curiose intendat, et sollicitus sit, si revera Deum » quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedien- » tiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura et » aspera, per quæ itur ad Deum. Si promiserit de » stabilitatis suæ perseverantia, post duorum men- » sium circulum legatur ei hæc Regula, et dicatur » ei : Ecce lex, sub qua militare vis : si potes obser- » vare, ingredere ; si vero non potes, liber discede. » Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam » cellam novitiorum, et iterum probetur in omni » patientia. Et post sex mensium circulum relega- » tur ei Regula ; ut sciat ad quod ingreditur. Et si » adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur » ei eadem Regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta » sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Con- » gregatione, sciens lege Regulæ constitutum » quod ei ex illa die non liceat egredi de monaste- » rio, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, E » quam sub tam morosa deliberatione licuit aut » excusare aut suscipere » (cap. LVIII).

consonare ostendit.

29 Cardinalis porro de Turrecremata (in Reg. S. Bened., tract. XII), pluribus in hoc Regulæ Benedictinæ caput commentatus et plurimis id ipsum auctoritatibus Sanctorum rationibusque confirmans, insigni opus ait esse in monachis admittendis discretione : quemadmodum qui generosum habere vult vinum, magna vites conquirit discretione e quibus id colligat, sic etiam facere oportere qui novos in Religionem surculos adsciscit. Imo gravia interdum per recipientium cupiditatem censet hac in parte peccata committi. Sicut enim nautæ nonnumquam ægros in mare deturbant, antequam plene emoriantur, quo eorum possessiones occupent; ita nonnulli in Religionem veluti ejiciunt eos qui in mundo adhuc vivunt, spe bonorum quæ ex iisdem obtingent. Quam vero antiqui fuerint a cooptandis vel ad votorum emissionem suis in monasteriis opum et hæreditatis desiderio admittendis alieni, facile colligi ex eo potest quod, referente Cassiano (lib. IV, cap. IV), Ægypti monachi novitios nihil sinerent secum in monasterium inferre, nec hoc ipsum quantulumcumque admitterent. Id S. F Benedictus (cap. LVIII) in pauperes vult erogari, quando tirones professionem nuncupaturi sunt; tametsi etiam concedat ut, si illis inspiratum divinitus sit, facultates pro pio suo in monasterium affectu, donatione solemni facta, in ipsum transcribant. Ex his similibusque quæ in Sanctis leguntur rebus, quasque commode abbas Smaragdus, eamdem Regulam commentans (cap. LVIII), adfert, haud difficulter intelligitur quantus sit eorum qui in Religionem admitti petunt, delectus habendus, et quod, postquam jam cooptati sint, illorum sit faciendum periculum, ut ex eo colligatur num Instituto huic sint idonei; quam debeant esse a rebus mundanis alieni, quam mundo mortui, ut inde ad votorum emissionem transeant; quanta etiam libertate et fortitudine professio sit neganda iis qui tales non erunt; denique quam parva opum habenda sit ratio. Paucis hæc sunt quæ Teresia pluribus in suis Constitutionibus præscripsit.

ANNOTATA.

a *Ribera id dicit lib.* II, *cap.* I. *Plura de variis libri*

A *libri hujus autographis et editionibus vide in Comm. prævio ad num.* 1496 *et seqq.*

b *Notatu dignum est Riberam, ad normam truncarum editionum libri Fundationum, citare caput* XXVI *pro capite* XXVII. *Inde constat ecgraphum quo usus est, jam tum mutilatum fuisse uno alterove capite; de quo vide Comment. prævium* (*num.* 1546 *et seq.*). *Quod ergo ibi, cum hanc Riberæ citationem nondum advertissem, conjectavi, nunc pro certo affirmare ausim, nempe non eos qui primi excuderunt, sed qui primi ex autographo transcripserunt, truncasse Fundationum librum.*

c *Si demas aliquot voces quæ spectant ad ingredientes sine dote, hæc eadem verba reperire est in nuperioribus etiam Constitutionum Carmeli Excalceati editionibus, v. g. in illa quam R. P. Generalis Honoratus a S. Teresia anno* 1835 *adornavit et cujus gallica recens facta versio mihi præ manibus est. Hic per transennam adverto Riberam* Teresiæ *attribuere ipsa Constitutionum verba; quo confirmantur quæ dixi* § LXXXVII.

d *S. Pachomii Regulam legesis in Codice Regularum quas collegit Lucas Holstenius et illustravit Marianus Brockie* (*Augustæ Vindelicorum*, 1759). *Illa cujus compendium affert Ribera, habetur ibi tom. I, pag.* 28, *et tom. II, pag.* 47.

B

CAPUT I.

Naturales S. Teresiæ dotes, et sublimis illius oratio.

CAP. I. Teresia *a natura spectabilis erat*

Qui quæ hactenus a me dicta sunt, evolverit, jam vivam eam in iisdem se observasse Matris Teresiæ a Jesu putabit imaginem quam historiæ hujus initio exhibiturum me pollicitus eram; verumtamen eam in iis quæ hucusque commemoravi, nonnisi primoribus lineis descripsi. Hinc jam vivos ei addere colores et lineamentorum decora quam possum elegantissima apponere conabor: tametsi numquam, quæcumque demum dixero, ad illam sim pulchritudinem perventurus quam revera in se continebat; ut non minus hic quam inter rem pictam et vivam est, futurum sit discrimen, quin etiam majus, quod tam imperita eam sit depictura manus, qualis mea est. Verum antequam ad id quod ipsa erat, ad virtutes, inquam, illius donaque supernaturalia perveniam, de naturalibus, C quibus eam singulari quadam ratione decorarat Omnipotens, nonnulla visum est præmittere.

forma corporali,

2 Sicut in Angelis qui natura est excellentior, is etiam gratia æqualibus præcellit, ita sæpe etiam fieri in hominibus videmus ut quos ad altiorem gratiam et eminentiora charismata supernaturalia Deus elegit, iis etiam excellentiorem naturam elargiatur: uti in ea quam Teresia a Jesu accepit natura patebit. Erat siquidem *a* statura decora et in juventute forma liberali, cujus etiam in decrepita ætate apparebant indicia; corpore toroso et candido; vultu autem rotundo ac pleno, eoque debitæ magnitudinis: colorem hic habebat candidum apte sanguineo mixtum, qui, quoties in oratione versabatur, succensus flammescebat et mirum splendorem induebat. Tota facies nitebat et dulcedinem præ se ferebat. Capillo erat nigro et crispo; fronte lata, æquali et formosa; superciliis subflavis in nigrorem aliquatenus tendentibus, iisque majoribus et spissioribus, non tamen multum obliquis, sed quodammodo planis. Oculos habebat nigros et rotundos, modice protuberantes, nec tamen ingentes, sed optime locatos, vivaces et blandos; qui, ipsa ridente, toti etiam renidebant et comem suavitatem spirabant, miram nihilominus gravitatem, si quando ad illam vultum vellet componere. Nasus erat utcumque parvus nec admodum in medio tuberosus; illius vero extremitas rotundior et inferne nonnihil prominens: nares angustiores et incurvæ. Os nec magnum dixisses nec parvum: labrum superius delicatum et rectum, inferius vero utcumque crassius et superne provergens, in quo et mirus insidebat lepos et color decorus. Dentes nacta erat bonos admodum; mentum quale quis desideret; aures nec parvitatem nec magnitudinem debitam excedentes; jugulum vero latum et breve satis, et ipsum modice extrorsum vergens; manus denique exiguas et pulchras. In faciei parte sinistra tres parvas habebat verrucas, quæ naturalem oris pulchritudinem mire cohonestabant: unam paulo infra nasum medium, alteram nasum inter et os, tertiam denique infra os. Has ipse singulares corporis illius notas accepi ex iis qui diutius eam intuiti sunt quam ego. Tota, quanta erat, speciem præferebat insignem: qualem etiam ipse prodebat incessus. Tantam vero gratiam habebat ut quotquot eam intuerentur, mirifice erga ipsam afficerentur. Illius viventis, provinciali Gratiano jubente, a F. Joanne de Miseria, Excalceato laico, viro religioso, imago depicta fuit. Egregie hoc quidem consilio posteritati consuluit Gratianus, etsi in eo errarit quod non a lectissimo totius Hispaniæ pictore sanctæ adeo virginis ad vivum magis exprimi, ad multorum consolationem, imaginem curarit. Ad hujus prototypi exemplum reliquæ quæ bene aut satis bene eam referunt, imagines sint efformatæ. Notandum porro est in harum nonnullis, dum in vestis, quam, dum depingeretur, induta erat, manicis frustilla quædam laciniosa imitari conabantur pictores, acuminatas illi affictas esse manicas, quales nec ipsa gestavit nec Excalceatæ gestant: in velo quoque, ut exprimerent filorum reflexum, plicas aliquot eleganter factas illi additas videri; dum tamen in his nullo ipsa artificio utebatur.

AUCTORE RIBERA. D E

a

ingenii præstantia, b

3 Jam a corpore ad animam transeamus *b*. Bonum Teresia a Deo nacta erat ingenium. Hoc vel in multis ejus relucet opificiis quæ manu concinnavit *c* et in quibus multas tam ingeniose et tam pie repræsentat historias ut aspicientibus devotionem ingenerent et admirationem. Intellectum quoque præstantem nacta erat, acutum et multa simul complectentem; judicium sedatum, nullam levitatem præferens, sed maturitate et prudentia plenum. Quæ sibi facienda incumbebant, maturo examine librabat, et quæ introrsum in rei quam cogitatione expendebat, medulla latebant, inspiciebat; circa quam cum quid statuisset, id magna constantia exequi connitebatur. Prudentia, sive ad ea quæ moliebatur dirigenda animasque ad Deum deducendas, sive ad monasteria sua gubernanda, utebatur singulari; uti videre licet tam in domibus quas ipsa condidit, quam in monialibus quæ in iisdem degunt, quas ad tantam humilitatem, passionum victoriam spiritumque orationis erudiit. Magna pollebat in negotiis conficiendis dexteritate, cunctaque rite disponebat; ad quod semper corporis vires in se reperiebat. Litteras quoque ad optimates et alios ad quos necesse erat, scribebat, suisque epistolis sæpe magnas res ad felicem exitum perducebat. Facili etiam negotio ingenium, talentum et conditiones comprehendebat eorum quibuscum agebat: unde fiebat ut qua singuli deducendi essent via perspiceret.

c

F

generositate,

4 Magna quoslibet claritate et amore docebat, præstantesque theologos tanti faciebat ut nullum his

AUCTORE RIBERA.

his inconsultis magni momenti negotium susciperet. Animum habebat plusquam muliebrem, eumque generosum et masculum; quo fiebat ut quidquid vellet, exequeretur, et omnes naturæ motus, Deo adminiculante, compesceret. Facile id perspici dabatur, cum a suis monasteriis digredi cogeretur : licet enim nonnisi ægerrime a filiabus suis quas abiens relinquebat, divelleretur, præsertim cum exinde sibi numquam eas revisum iri prævidebat, tamen dolorem, ne ipsas affligeret, premebat, perinde ac si nihil in se sensisset. Cum pater in eam incidisset ægritudinem e qua decessit, etsi Teresia affecta admodum valetudine tum uteretur, apud ipsum tamen manere et verbis ipsum, qua poterat, consolari conata est, quem hic subibat laborem nihil morans : et tametsi mors illius ita ei gravis accideret, ut, sicut ipsa post referre non dubitavit, illo ex hac vita decedente, evelli sibi crederet viscera, nihilominus tantos animos prætulit ut nullum ei signum doloris ostenderet, et tam diu apud ipsum hæserit quoad exspiraret, non magis eum quem sentiebat dolorem exterius prodens quam si nihil sua interfuisset; cum tamen sciret, patre e vivis sublato, omne simul sibi gaudium et consolationem quam habere hoc in mundo posset, sublatum iri.

fortitudine, liberalitate,

5 Videre hoc etiam licet in patientia et fortitudine quam in magnis quotidianisque suis ægritudinibus præferebat; tum etiam quod insigni animi æquitate adversa, persecutiones sinistrosque rerum eventus pateretur. Magnanimitate porro erat tanta, ut grandia et extraordinaria suscipere non dubitaret, et ad exitum etiam perduceret *d*, idque summa quadam cum voluptate : quæ vero facilia erant et quotidiana, neutiquam hoc illi gaudium pariebant, nec ad ea æque ferebatur. Unumquemque colebat et debita prosequebatur reverentia : si quando tamen cum magnatibus agendum erat, nativa quadam majestate inter illos versabatur et sermocinabatur, perinde ac si una de illorum numero exstitisset; quibus etiam quidquid dicendum erat, dicebat, eorumque errata coarguebat. Si cujus horum dissolvenda amicitia videretur, magna id mentis generositate ac facili negotio præstabat; uti nonnumquam videre licuit. Etsi vero miro paupertatis studio teneretur, liberalis tamen cumprimis, et in sumptibus necessariis subeundis, quamvis nihil argenti suppeteret, erat generosa. Denique omnibus erat numeris absoluta.

conversatione blanda,

6 In sermone blanda erat, et in conversatione suavis, gravis, hilaris, aperta, prudens; unde de quacumque loquendum erat re, de ea loquebatur bene, et audientibus quibuslibet mire placebat. Atque hæc fuit ratio cur, ad quoscumque sese conferret, pari ab omnibus affectu exciperetur simul et æstimaretur. Parentes ejus illam plus quam reliquam prolem amabant, et quilibet fratrum ejus Teresiam sororem præ cæteris diligebat : moniales ejus in ipsam magis ferebantur quam in matrem : cara denique erat confessariis suis atque omnibus qui cum ipsa loquebantur; nam mirificam ad hominum animos sibi devinciendos potestatem nacta erat. Si quos magni nominis viros adversari sibi nosset vel malevolis ab iis se criminationibus impeti, eos ipsa adiens, nonnulla suorum cum ipsis negotiorum, prout expedire magis comperiebat, communicabat; imo prius nihil habebat quam pio ipsos obsequio devincire : unde fiebat ut meliorem de ipsa opinionem conciperent, atque deinceps majori in illam amore et voluntate ferrentur.

affabili ac modesta,

7 Pari omnes affabilitate et humanitate compellabat, nec non mira oris hilaritate, nullam in sermone austeritatem, sed sanctam et suavem præ se ferens libertatem; ut quotquot illam videbant resque illius perspectas habebant, obstupescerent, eam cui tam sublime orationis genus familiare erat et quæ cum Deo quam proxime agebat, non aliter cum hominibus agere ac si nihil horum donorum habuisset. Quo autem alii in ipsam amore erant, eodem etiam ipsa erga illos a quibus amabatur, amore agebatur, nec non erga omnes quos probos, sinceros, honestos nosset, ac nominatim eos quos peculiari cultus divini promovendi et proximorum salutis procurandæ studio videbat teneri. Hic porro illius amor ortum a mira animi gratitudine habebat : unde beneficiorum, tametsi minimorum, tum in se tum in filias collatorum, memoriam conservabat; eaque verbis extollere et agnoscere ac benefacientibus maximas cum verbis tum opere ipso, quomodocumque poterat, gratias agere numquam cessabat. Inerat illi et hoc animi nobilitatis genus (quod omnibus longe erat gratissimum) quod, etiam maximo suo dispendio, neminem non adjuvare, beneficiis afficere, et quoad ejus fieri poterat, recreare solemne haberet. Hinc in misericordiæ et charitatis opera impensius incumbebat, dissimulationis et obtrectationum, etiam minimarum, adversaria : hinc nullius nisi sui ipsius commemorabat delictum : hinc neminem non prout poterat laudabat : hinc alienas vulgabat virtutes et extollebat verbis, suas autem insigni celabat industria et imminuebat.

honestate, sobrietate,

8 Singularem colebat honestatem, et natura tam in verbis quam in operibus ab omni aliena erat immunditia; solitudinis erat amica et ad omnem bonitatem propensa. Honorem vero permagni faciebat, antequam eam Deus penitus sibi dicasset : unde hac honoris æstimatione velut freno quodam retinebatur ne quid ageret e quo is detrimentum caperet. Atque ut animæ et corporis munditiem colebat *e*, sic et vestium nitor illi cordi erat; unde eas scitas et bene compositas habere solebat : omnisque illi cum interior tum exterior dissolutio displicebat. In victu sobrietatem summam servabat, vini usum ignorabat, miram in vestitu paupertatem colebat, etsi nitidam. Commodi sui parca admodum erat, etsi ob quotidianas assiduasque ægritudines maxime eo opus haberet; in suarum vero recreationibus larga satis, ac tum pietatis viscera velut laxabat. Hinc, dum incommodum per viam obtigisset hospitium, maxime de comitibus erat sollicita, laborabatque ut his rite prospiceretur; ipsa vero vel minimo contenta erat.

veracitate.

9 Veritatis adeo studiosa fuit ut omnem fraudem perosam haberet. Hanc ob causam, cum eo tempore quo, orationis studio omisso, in aliena distracta erat, a patre ex intervallo viseretur, ferre non poterat ipsum in errore versari, credentem filiam orationi et recollectioni vacare; quare non ante quievit quam ab hoc eum errore liberasset. Deinde etiam nihil ipsam magis torsit quam assiduo recurrens cogitatio num suis confessariis fucum faceret, tametsi se nosset ab iis decipiendis animo esse alienissimo. Non necesse erat severo eam tractare modo : sed si suavi ritu dirigeretur, se præbebat ductilem. Atque idcirco, cum nondum totam Deo se dedicarat, quos ab eo accipiebat favores ut gravissimas delictorum negligentiarumque suarum castigationes ducebat; quia, quod tum se a Deo gratiis præveniri sentiret, cum reprehensionem promeruisset, videns nimirum quantopere in ipsum offenderet non magis se gratam præbendo illi a quo tam benigne haberetur, pudore suffundebatur ac se torquebat, magisque cruciabatur quam omnibus morbis, doloribus ac laboribus quibus afflictabatur.

A ctabatur. His enim sibi videbatur aliquatenus satisfacere suo erga Deum debito; gratiarum vero acceptio, cum illas minus promereretur, terribilis quidam cruciatus illi videbatur. His quæ dixi et aliis plurimis quæ dici queant ab illis qui melius uniuscujusque nosse indolem possunt, si familiariter eum aliquando tractarint, excellentem illam exprimere naturam volui quam huic Deus communicarat, simul etiam vas describere quod altissimis donis quæ in ipsum post inserturus erat, accipiendis destinarat. Verum, quod naturam perficiat gratia, hæc longe amplius in sequentibus capitibus, in quibus et gratiarum lumina et admirabiles quas illi Omnipotens communicavit virtutes deducemus, perspici poterit.

CAP. II. *Ejus oratio,*

10 Jam ad supernaturalem partem veniamus, in qua Dei se magnitudo adeo manifestavit, et perfectissimæ monachæ exemplar exprimamus; ut non illius modo filiæ, tam quæ sunt quam quæ post existent, verum omnes etiam moniales et quotquot animæ ad perfectionis pertingere fastigium desiderant, suos ante oculos habeant quam intueantur et imitentur, hoc exploratum habentes, quo illi se magis conformabunt, eo se perfectiores ac religio-
B siores fore. Plurimi præstanti ingenio viri maxima contentione connisi sunt perfectissimam mente sua ideam ac similitudinem ejus concipere rei quam exprimere contendebant; unde et verba conceptibus suis exprimendis paria invenere : verumtamen expresserunt, non id quod aliquando viderant vel norant, sed quo ingenii acumine et verborum eloquentia pertingere potuerunt. In suis de Republica libris Plato et in Politicis Aristoteles perfectissimam quamdam civitatem et rempublicam depinxere; sed eam hujusmodi ut similem terra nulla viderit. Stoici multa de viro sapiente prodidere; verum qualem eum volunt, nec ipsi sua viderunt unquam nec nos nostra ætate videmus. Quis in hac mortali vita eam unquam vidit felicitatem vel beatitudinem quam in primo et postremo Ethicorum libro depingit Aristoteles? Is item orator quem tribus de Oratore libris delineat Tullius, et aulicus quem tanta
f eloquentia describit comes Balthasar Castilionius *f*, intelligi quidem et optari, at nec videri possunt nec haberi. Equidem quæ perfectissima Excalceatæ aut alterius cujuslibet sanctimonialis sit imago, expressurus, meas unius imaginationes non sequar nec ingenium meum torquebo, nec rerum quas num-
C quam vidi exaggerationes afferam, uti nec illa quæ de hac materia tractantes spirituales viri videre optarunt; sed ea dumtaxat quæ magnus ille Dominus in hac sancta virgine spectanda dedit et quæ in illa et vidimus et cognovimus ipsi qui eamdem familiariter tractavimus, ea denique quæ ejus libris hodie vulgata produntur. Magna nos hoc in genere laboris parte ipsemet Deus liberavit, pluraque in eadem est potenti sua ipse manu operari dignatus quam divite et eloquente sua lingua quis posset extollere : adeo ut, cum verbis simplicibus puram ejus quod revera fuit dixero veritatem, promissa mea adimpleam, illorumque satisfaciam votis qui opere et reipsa perfecta videre volunt quæ de perfectionis religiosæ sublimitate in libris scripta passim leguntur. De illis igitur virtutibus locuturus quæ in beata illa anima magis eluxere, non inepte facturus videbor, si ab oratione exordium duxero; quæ penicillus quodammodo fuit quo pulcherrimam hanc picturam suam ad perfectionem Omnipotens perduxit, cuique uni admirabilium illorum est bonorum et gratiarum quas cœlitus habuit, communicatio adscribenda. Unde jucundum atque utile omnibus existimo futurum illos hic describere gradus quibus ad altissimum orationis genus ad quod pertigit, ipsam provexit. Hos e variis scriptorum ejus locis eruam, acervatim hic illa producens quæ ipsa sparsim produxit. Quibus porro rem ipsa verbis expressit, iisdem eam hic ego describam : hoc enim pacto ea melius explicabitur et majorem apud omnes auctoritatem inveniet, velut certior et securior; ac præsertim ex iis quæ Vitæ suæ libro complexa est, potissimam dicendorum partem mutuabor. AUCTORE RIBERA. D

11 Qui primus illi viam ad orationem ostendit, fuit tertium Abecedarium Osunæ; quem librum sequi penitus decrevit : nam hactenus quam hic inire rationem deberet, nescierat. Jam tunc lacrymarum illi donum Dominus communicarat, idque ejus ariditatis loco qua frigere solebat. Paucos post menses, quibus solitudinem sectari et orationem colere cœpit, quietudinis illi orationem dedit, et interdum etiam unionis; etsi quidnam utrumque esset, ipsa ignoraret : quam ille gratiam ne quidem post multorum annorum intervallum dare, et non nisi paucissimis, solet. Tam eximios porro in ipsa id orationis genus producebat effectus, ut, cum necdum viginti haberet ætatis annos *g*, jam universum sub pedibus premere sibi mundum videretur. Illius autem orandi ratio in eo potissimum versabatur ut E Jesum Christum in anima sibi præsentem quam posset frequentissime habere contenderet, ac, si quod mysterium meditatione pervolvebat, ipsum velut præsens sibi introrsum fingeret; quamquam spiritualium librorum lectione magis tunc temporis gauderet, eo quod intellectu in mysteria penetrandi et Christum interne sibi repræsentandi usum nondum haberet. Hinc orare non poterat absque libro, nisi forte cum a sacra Communionis surgeret mensa. Hoc orationis genus duodeviginti annis usurpavit, et sæpe quidem summo cum labore, mira spiritus ariditate *h* et incredibili cogitationum concertatione *i* : cum enim intellectu non ratiocinaretur, nec cogitare aliquid posset nisi simul ad amandum se voluntas daret, in oratione diu perseverare non poterat : hanc nimirum ob causam quid lectitabat.

ad quam initio se juvabat

g

h

i

12 Quocirca sine libro se ad orandum non aliter componebat quam si cum multis sine scuto pugnare oportuisset : in ipso siquidem libro diversarum cogitationum quibus oppugnabatur ictus quodammodo excipiebat. Non tamen semper ariditatem experiebatur, sed tantum quando librum ad manum non habebat. Ubi enim legere quid inciperet, cogitationes recolligebat, atque animam divagan- F tem veluti per blanditias reducebat; unde sæpe tantum libri apertione erat opus. Alias pauca, alias multa legebat, pro communicatæ illi a Domino gratiæ mensura. Hoc tempore orationis exercitium annum eoque amplius intermisit, idque per fictæ cujusdam humilitatis speciem qua illi diabolus imponebat; siquidem illi nefas videbatur, cum ita viveret, tam familiariter cum Domino agere : qua falsa persuasione plurimum sibi nocuit. Nova cœlitus illustrata luce, ad pristinum orandi modum rediit, Salvatorem interius sibi præsentem fingere allaborans : quem quo majori in solitudine magisque desertum videbat, eo majus inde ad animam ejus lucrum accedebat; cum se crederet nimirum ab eo ita solo et afflicto melius admittendam. Inde fiebat ut ex repræsentata illius in horto orantis imagine miram consolationem experiretur, atque ibi se illi soli sociam adderet : quare hunc illius sudorem et afflictionem animo dum volveret, eos quos poterat, ciebat in mente motus. Optasset hunc sudorem sua manu abstergere; verum cum flagitiorum subiret memoria, minime audebat id facere : atque hic hærebat, in quantum

lectione librorum spiritualium

AUCTORE RIBERA.

ingruentium cogitationum multitudo sinebat. Imo multis antehac annis hæc animo volvens singulis noctibus se ad dormiendum componere solebat : unde etiam permultum in spiritu profecit; nam inde, etsi id ipsa nesciret, orationis est exercitium paulatim nacta. Agrorum, aquæ florumve aspectus ingentem illi fructum attulit : eo namque excitabatur, ad se introrsum redibat et Creatoris inibi memoriam inveniebat; is denique illi libri instar erat. Cœlestia porro et alia admodum sublimia agitare animo non poterat, sed ea dumtaxat quæ sub aspectum cadebant.

et piis imaginibus,

13 Redemptorem Jesum, quantumcumque de ejusdem legebat pulchritudine, quotcumque eum expressum videbat imaginibus, numquam sibi fingere præsentem poterat nisi ut cæcus cum alio quopiam loquens, quem adesse quidem præsentem novit, sed minime videt, et nescit cujusmodi sit : ac propterea ut aliquam ejus in se efformaret imaginem, imaginum erat studiosissima. Inde cum se magis ab distrahendæ mentis occasionibus avocaret, orationique insisteret ardentius, majores illi Deus oranti delicias et sapidos mentis gustus dabat frequentiores. Verum numquam hos ipsa postulabat, uti nec cordis teneritudinem; neve eam data opera petere audebat. Unum hoc a Domino continenter flagitabat, sibi ut plenam delictorum veniam concederet, manumque auxiliarem porrigeret ne posthac amplius in ipsum delinquendo incurreret; utpote cum sciret maximæ illius misericordiæ adscribendum esse quod sineret suos illam ante oculos versari et sibi præsentem esse, licet omni alio sibi denegato favore. Semel dumtaxat, cum incredibili quadam mentis ariditate mens torperet, has animi delicias petiit : ut tamen animadvertit quid ageret, adeo sui ipsam puduit ut sola hac exiguæ humilitatis suæ consideratione hanc sibi dulcedinem quam petere a Deo ausa fuerat, conciliarit. Hoc ipso tempore et etiam ante interdum aliqua sentiebat principia rei illius quam jam dicam; etsi id nonnisi brevissime : verum exinde id multo est experta perfectius, cum paulatim ad id Deus ipsam eveheret fastigium ad quod sanctissimæ animæ pertingunt. Nimirum in illa repræsentatione qua se apud Christum versari fingebat, quin etiam interdum aliquid e libro lectitanti, efficax quidam nihil minus cogitanti occurrebat sensus præsentiæ Dei, ut nulla ratione dubitare posset hunc præsentem intra se versari seque intra ipsum esse absorptam.

deinde etiam corporis castigatione,

14 Nulla quidem hic erat visio; anima tamen suspendebatur et tota extra se versari videbatur : amabat voluntas; memoria prope perdita erat; intellectus multarum erat quas inaudiebat rerum admiratione velut perculsus, quod nimirum illi Deus manifestaret nihil eorum quæ divina ejus Majestas illi repræsentabat, ab ipsa intelligi. Quo interim se ipsa magis disponebat, eo plura illi Deus charismata communicabat; ut non aliud is velle videretur quam ut ipsa recipere eum vellet. Hinc illi ut plurimum orationem quietis, non raro etiam unionis, dare cœpit; quæ quidem valde diu durabat cum magna delectatione et suavitate, necnon cum incredibili securitate quod hæc gratia a Deo descenderet : semper porro hinc multo discedebat melior et majori mentis donata robore. Tandem, confessarii sui consilio, pœnitentiam mortificationemque suæ addere orationi cœpit, necnon quotidie aliquod Dominicæ Passionis mysterium evolvere, et quoad poterat, divinis saporibus ac deliciis resistere. Bimestri circiter hoc observavit; atque interim, quo suavitatibus spiritus magis obluctabatur, eo illæ dabantur frequentius, ut quotidie in spirituali stadio magis et magis progrederetur. Hoc evoluto tempore, suasor illi beatæ memoriæ Franciscus de Borgia exstitit ne Deo amplius resisteret, sed ab aliquo Dominicæ Passionis articulo orationem auspicaretur, et, si in ea mentem Dominus sustolleret, ab eodem se sineret abripi. Unde non multo post raptus pati et excessus mentis cœpit; in quorum pluribus cum illa Deus loquebatur. Hæc autem sermocinatio ingentes producebat effectus et insignem in ejus anima fructum.

per varios gradus

15 Exinde visionis genus illi obtigit qua Christum sibi sentiebat adesse præsentem, secum loqui (quamvis eum nec corporis nec animæ cerneret oculis) ac denique secum incedere, omnium actionum suarum testem : quem etiam, cum se paulisper recolligeret vel non multum ad exteriora effunderet, manifeste apud se sentiebat; atque hoc pacto fiebat ut multo altiores in se perciperet effectus quam catenus experta erat. Harum (inquit ipsa de se) gratiarum vel una ita animam immutare potis est ut nihil ipsa amet præter eum quem videt; qui, etsi nullam ipsa a parte sua adhibeat diligentiam, tam ingentium illam bonorum capacem reddit, adeo intima illi arcana communicat, et ita se illi familiarem præbet, ut scribi nequeat. Hæc illi visio ad aliquot continenter adhæsit dies, tantumque ei profuit ut interim orationem non intermitteret, daretque operam ne qua in re illum quem operum suorum adesse testem tam manifeste perspiciebat, offenderet. Haud multo post visiones imaginarias habere cœpit, in quibus sæpe se illi Jesus spectandum dabat; etsi sub initium totum se non manifestaret, sed per partes paulatim, donec tandem totus tanta illi apparuit pulchritudine ut nullis posset verbis exprimi.

tandem pervenit

16 Hoc visionum genus duobus annis cum dimidio illi frequens fuit; sed exinde ad aliquod temporis spatium eodem caruit, ut interim longe illi altiora Deus concederet, adeo scilicet ingentes divini amoris impetus ut desiderio emoreretur seque ipsa non caperet, necnon alias visiones admodum sublimes, quas ultimis Vitæ suæ capitibus ipsa descripsit. Hæc porro assidua Jesu Christi præsentia in trium divinarum Personarum est commutata præsentiam, ut ipsa quadam in scheda exaratum in hæc verba reliquit : « Illa trium Personarum quam initio dixi præsentia ad hunc usque » diem Commemorationi S. Pauli Apostoli sacrum » ut plurimum mihi præsens in anima exstitit. Et » quoniam hactenus semper solum Jesum Christum » habere præsentem consueram, tres cernere Personas mihi impedimento quodammodo esse videbatur, quamquam nonnisi unum esse Deum intelligam. Cumque hac de re mecum ipsa cogitarem, » dicentem Dominum audivi errare me in eo quod » quæ animæ sunt, eadem qua corporalia repræsentatione mihi imaginarer; scirem proinde ea » inter se admodum distare, et capacem esse ani» mam ut multa comprehendat. »

ad maximam sublimitatem.

17 Qua autem circa ultimos vitæ annos usa est orandi ratione, hæc ipsa est quam ad Mansionum calcem designat quamque Matrimonii spiritualis appellat nomine. Ita porro arcte Domino fruebatur ut ideo sibi gravem illum capitis dolorem quem patiebatur, a Deo dari diceret, ne hac in vita nimio abundaret gaudio. Hæc illi oratio numquam deerat, sed modo majori modo minori cum lumine. Interim dum ea fruebatur, nihil habebat quod confessariis diceret, nisi in rebus aliquot particularibus et negotiis

A gotiis occurrentibus. Verum qui aliquatenus ejus ad quam ipsa pervenit sublimitatem orationis videre voluerit, eum quem paulo ante laudavi librum, cui Castellum interius seu Mansiones nomen est, consulat; in cujus sexta et septima Mansione eam aliud nihil tractantem quam quæ huc spectant, videbit, atque in genere declarantem quæ sibi a Domino communicabantur, S. Paulum quodammodo imitando, dicentem : « Non enim audeo » aliquid loqui eorum quæ per me non efficit » Christus » (Rom. xv, 18). Notandum porro est raptus illos, qui admodum initio frequentes erant, postea, quo longius progrediebatur, præsertim in publico, non adeo crebro illi accidere solitos. Rei hujus causam quadam in charta sic scripto commisit : « Cogitanti mihi ecquæ causa sit cur modo in » publico numquam pene me contingat extra me » rapi, hæc facta vox est : Non est id in præsens » conveniens; jam quippe satis auctoritatis tibi » comparasti ad ea quæ specto : nefariorum homi» num imbecillitati consulimus. » Ex quo enim Sanctissimæ Trinitatis visiones, de quibus capite IV dicendi erit locus, illi exhiberi consueverunt, raptibus carere cœpit, nondum tamen omnino, usque-
B dum prioratum cœnobii Incarnationis adiit : exinde enim nonnisi rarissime, saltem coram aliis, extra se rapta fuit.

ANNOTATA.

a *Ampliora de forma corporis effigieque* Teresiæ *videre est in Comm. prævio* § LIII.

b Teresiæ *virtutes theologales laudantur in Comment. prævio* § LXI, *cardinales spectantesque ad Religionis vota* § LXII, *et cæteræ* § LXIII. *Benedictus XIV in suo opere de Beatificatione et Canonizatione, ad singulas fere quas libro tertio pertractat virtutes, citat Acta canonizationis S.* Teresiæ, *quorum hi* §§ *pars sunt. Quare supervacaneum duco lectorem continuo ad Benedictum remittere, cum vix quidquam ibi alleget aliud quam quod illis* §§ *continetur.*

c *In Comm. prævio, num.* 1472, *dictum est in Genuensi S. Annæ conventu asservari sericum velum calicis reticulatim Sanctæ manibus contextum et eleganter elaboratum.*

d Teresia *prudentiam simul et fortitudinem testatam facit reformatio Carmelitici Ordinis; quod magno verborum pondere enuntiat Gregorius XV in Bulla canonizationis ejus* (*vide Comm. prævium, num.* 1387). *Verum quoque non minus quam grave est hoc Anni Teresiani effatum :* Supremus Ecclesiæ
C Pontifex, Rex et Generalis Ordinis Præpositus, quæ trina est potestas in orbe maxima, commoliti fuerant Carmeli reformationem, sed incassum. Ad illam perficiendam Dei omnipotentia humilem adhibuit virginem Teresiam (*tom. I, pag.* 323). *Ob illas virtutes animique dotes Ill. Palafox non veritus est eam primam sæculi sui fœminam nuncupare. Legesis præsulis epistolam quæ præfixa est tomo primo Epistolarum Teresianarum.*

e *Cum ultima manus Constitutionibus in capitulo anni* 1581 *admovenda esset, in hæc verba scribit ad P. Gratianum :* Ob Dei amorem mundities servetur in lectis et mappis, tametsi expensa subeunda sint. Est enim quid terribile, si ipsa desideretur. Quin imo id vel insertum velim Constitutionibus. *Hanc quoque munditiei in* Teresia *amorem venuste narrat individua ejus sodalis, Anna a S. Bartholomæo, illo conscriptæ a se Vitæ suæ loco qui citatus fuit in Comment. prævio, num.* 1009.

f *Scriptor is Venetiis anno* 1528 *edidit librum de Aulico, sæpe recusum et in plures linguas versum.*

g *Ribera, hic scribens Sanctam nondum vigesimum annum attigisse, ut oratione quæ dicitur quietis, gaudebat, dissentit a sua ipsius chronotaxi qua supra* (*num.* 54) *statuit* Teresiam *monasterium fuisse ingressam anno ætatis suæ vigesimo primo; adeoque confirmat sententiam nostram qua in Comm. prævio* (*num.* 82) *et hic supra* (*not.* f *ad cap.* III *libri* I) *te-* AUCTORE RIBERA.
D *nemus* Teresiam *monacham factam esse biennio ante, cum annum agebat decimum nonum. Nimirum constat ex autographa ejus Vita* (*cap.* IV, *num.* 2 *et* 3) *orationis genus quod ex Osunæ Abecedario didicerat, eximios illos in ipsa effectus produxisse, quando jam erat monialis, et quidem a sesqui jam anno* (*quod probabilius saltem videri diximus in Comm. prævio, num.* 100); *ita ut censeamus Riberam nec hic accurate loqui, cum videatur scribere debuisse eam ætatis suæ vigesimo primo, potius quam vigesimo, nactam esse orationem quietis.*

h *E Vita ejus* (*cap.* IV, *num.* 3) *videmus Sanctam se eo sensu in oratione aridam dicere quod non posset intellectu ratiocinari aut phantasia sibi res sensibiles repræsentare, sed esset una sibi agendum voluntate et jugis orationis materia haurienda esset e lectitato libro.*

i *D. Sancium Davila, qui postea Giennensis episcopus fuit, inquietum ob distractam sæpe per orationem mentem, pulchre sedat* Teresia *suo ipsius exemplo, sic inquiens :* Quod recitationem attinet divini Officii, etsi forte multum desim, malim id imputare debilitati capitis, velimque ut pariter et tu id facias : etenim Dominus, siquidem oramus, perbene novit nos id apprime recte præstare velle. Idem ego E
hodie pro culpa confessa sum P. Magistro Dominico (*Bañez*), et respondit mihi ad hæc non attenderem. Supplico igitur tibi id habeas pro inevitabili malo (*tom. IV epist., fragm.* 2). *Alibi fatetur mentem suam orationis tempore haud raro abripi in fundationem qua occupabatur monasteriorum. Atque id sane ad solatium pacemque sit anxiis nimium animabus, quamquam non iis qui opus Dei fraudulenter* (*sive ut Septuaginta habent : negligenter*) *faciunt, de quibus Jeremias* XLVIII, 10.

CAPUT II.

Varii orationis supernaturalis modi, et rerum cœlestium Teresiæ data cognitio.

CAP. III. *In oratione supernaturali ex ordine notantur*

Etsi longior sim, tamen dicta clarius enucleare est animus, hic inserendo commentariolum *a* illius descriptum manu de modis orationis sibi a Deo communicatis; idque tum quia hic uno fasce complexa est ea qua in suis libris sparsim hinc inde F
scripserat, tum ne pereant neu in lucem edi negligantur verba illa adeo lectu et intellectu digna. Sane quæ superiori sum capite prosecutus et præsenti etiam prosequar, magna mihi laudandi Altissimi fuerunt occasio, quod tam eximias huic ancillæ suæ communicarit dotes, quodque gradus illos hic expressos videam per quos illam tam sublimem provexit. Qui vero hæc lecturus est, eamdem ea ob causam legat oportet; non vero ut se eadem plane intelligere et idem insistere iter et pares revelationes et raptus velle debere credat : stolidum quippe id et inane foret, uti capite VIII videre dabitur, quo quæ Teresia orandi tradebat præcepta prosequimur. Id quippe humanis comparari viribus non potest; sed a Deo, quomodocumque et quando illi allubuerit, concedatur necesse est : quod qui obtinere se posse alia via sperat, næ ille multum ab eo quod sperat, deflectit. Quocirca nemo inde superbiendi et errandi occasionem mutuetur, unde sui humiliandi Deique dilaudandi capere eum oporteat.

intimus divinæ præsentiæ sensus,

19 Hunc ipsa commentarium ad suorum confessariorum quempiam scribit; quem antequam incipiat, in hæc verba præfatur : « In omnibus quæ » deinceps

AUCTORE RIBERA.

» deinceps dictura sum, intelligere te velim non
» mihi propositum esse ut rem quam trado certam
A » esse cogitem; fieri quippe potest me eam ne
» quidem intelligere : verum unum hoc affirmare
» possum, nihil me hic allaturam quod non ali-
» quando vel etiam crebrius experta sim. Rectene
» vel secus id sit, R. V. dispiciet, meque certiorem
» reddet. » Inde ad rem hoc pacto descendit : « Vi-
» deor mihi rem gratam tibi factura, quod inde ab
» initio de rebus supernaturalibus agere incipiam :
» possumus enim hic, Deo dante, nobis comparare
» devotionem, teneras lacrymas et meditationes.
» Prima quam, quantum mihi videtur, sensi, oratio
» supernaturalis (ita enim id appello quod nostra
» industria et diligentia, quæcumque demum ad-
» hibeatur, comparari nequit; tametsi huc se quis
» disponere queat, Dei succurrente gratia, quæ huc
» imprimis necessaria est) est quædam Dei præsen-
» tia, quæ quidem nullatenus dici visio potest;
» quotiescumque tamen quis divinæ ejus com-
» mendare se Majestati desiderat (modo nulla
» mentis sit ariditas), etsi ore dumtaxat id fiat,
» hanc invenire videtur.» Omnis quidem oratio quæ
meritoria est, supernaturale est opus; quia super-
B naturali ope instituitur : eam tamen supernatura-
lem hic Teresia per excellentiam vocat, quam,
quocumque nisu connitamur, consequi non possu-
mus; quod nonnisi a Deo tota ipsa descendat, atque,
ut S. Dionysius scriptum reliquit, divina homo in
ea patiatur potius quam operetur. Eodem modo
hanc orationem declarat S. Angela de Fulginio
capite XXVI libri sui.

recollectio interior,

20 « Alter modus orationis supernaturalis in-
» terior est recollectio quæ in anima sentitur,
» ut non minus suos ea ibi habere videatur sen-
» sus quam in corpore habet exteriores. Nam
» in se a tumultu exteriori sese divertere velle
» videtur (hinc etiam interdum hunc post se re-
» jicit) et oculos occludere; nec quidquam audire
» vel videre vel intelligere aliud illi volupe est
» quam id quo tunc anima distinetur, soli scilicet
» Deo posse loqui. Nulla hic sensuum vel faculta-
» tum fit privatio : omnia enim integra manent;
» sed ea dumtaxat recollecta sunt, ut in Deo occu-
» pentur. Facile id intelliget is cui quid simile a
» Domino concessum fuerit; non vero ille cui id
» negabitur, nisi multis verbis et comparationibus
» adhibitis. » Secundum hunc orandi modum Te-
C resia primo posuerat loco : at quoniam in ejusdem
fine oblitam se alterius cujusdam ait quem ante
hunc frequentarat, ideo illum principe loco visum
est ponere. Pergit autem : « Ex hac recollectione
» nascitur in anima interdum quietudo et pax inte-
» rior admodum suavis; nihil ut sibi deesse putet,
» imo ipsum etiam loqui grave sibi existimet, et
» nonnisi amare vellet. Atque hoc aliquamdiu du-
» rat, imo quandoque satis diu.

potentiarum somnus et unio,

21 » Ex hoc orandi modo sequi sopor solet,
» quem potentiarum somnum dicunt, ut hæ nec ab-
» sorptæ penitus sint nec ita suspensæ ut raptum
» dicere possis, etsi etiam omnino non sit unio.
» Interdum, imo etiam sæpius, intelligit anima
» solam voluntatem unitam esse; facile quippe per-
» spicitur (ut quidem videtur) eam penitus in Deo
» occupatam esse, et animam ipsam videre unde
» proveniat quod alia tunc in re esse nequeat vel
» operari : aliæ autem duæ potentiæ liberæ sunt, ut
» aliis ad Dei obsequium spectantibus rebus et
» operibus vacare possint; Martha denique et Ma-
» ria simul junguntur. Percontabar P. Franciscum
» de Borgia, Societatis Jesu Generalem, num esset
» illusio : hoc quippe mihi scrupulum movebat.
» Roganti is respondit persæpe id posse contingere. D
» Quando vero omnium animæ potentiarum est
» unio, longe aliud est; nullum quippe tunc exter-
» num opus operari ipsa potest : intellectus siqui-
» dem quodammodo consternatus est; voluntas
» vero magis amat quam quid intelligat; ne quidem
» intelligit si amet, nec quid faciat, ita ut ipsum
» quid sit, dicere nequeat. Neque etiam, quantum
» mihi videtur, ullam tunc anima habet memoriam
» vel cogitationem : imo ne sensus quidem corporis
» tunc experrecti vigilant; siquidem is tunc ejus
» est status quasi eos omnes amisisset, quo magis
» vacet anima iis quibus tum fruitur : hi, ut ipsa
» quidem sentio, brevi illo temporis intervallo
» plane perduntur. Non admodum diuturnum id
» est : attamen ex humilitatis aliarumque virtutum
» ac desideriorum quibus tum anima locupletatur
» thesauris ingens apparet bonum quod illi per
» hanc gratiam accessit; sed quale id sit, verbis
» exprimi nequit. Etsi enim id animæ possidenti
» intelligendum detur, nescit tamen quomodo id
» intelligat, nec, meo quidem judicio, verbis hoc
» exponere potest. Si gratia hæc vera est, nullam
» sane majorem in hac via spirituali conferre Deus
» potest, aut saltem de maximarum illa numero E
» est, si raptum et suspensionem demas.

suspensio,

22 » Hæc, quantum intelligo, omnia idem sunt;
» vocare id tamen suspensionem soleo, ne raptum
» dicam, quæ vox stuporem movere audienti solet.
» Et sane hæc quam dixi unio etiam suspensionis
» nomine dici potest. Hoc vero inter illam et ra-
» ptum est discrimen quod raptus sit diuturnior
» et magis in his exterioribus sentiatur; quia et
» respirandi paulatim deficit facultas, adeo ut nec
» lingua laxari nec oculi aperiri queant. Etsi vero
» hoc in unione etiam fiat, in raptu tamen id fit
» vehementius; quod naturalis calor nescio quo
» recedat : imo quando raptus magnus est (nam in
» omnibus hisce orandi modis magis et minus
» habet locum), manus rigore congelascunt et in-
» terdum adinstar stipitum extenduntur; et corpus,
» si stanti vel flectenti raptus incidat, in eodem
» manet situ : anima vero illorum quæ a Domino
» ipsi repræsentantur, fruitioni adeo immergitur
» ut corpus suum animare oblivisci videatur
» ipsumque deserat; et si raptus diuturnus sit, ad
» nervos se sensus extendit. Censeam equidem
» Dominum velle ut in raptu potius anima intel-
» ligat ea quibus fruitur quam in unione. Hinc F
» etiam non raro in raptu nonnulla illi divina ar-
» cana revelantur; quosque tunc ipsa in se expe-
» ritur effectus maximi sunt, uti et suiipsius obli-
» vio, quod potentem illum Dominum ac Deum
» ab omnibus cognosci ac laudari velit. Non potest,
» uti equidem sentio, si a Deo is descendat, non
» perspicere nihil se hic penitus potuisse, necnon
» suam intelligere miseriam atque ingratitudinem,
» quod non pro eo atque oportuit illi Domino ser-
» vierit qui e sola bonitate tam singularem sibi
» contulit gratiam : nam hic sensus et suavitas longe
» excedunt omne id quod cum illis hic comparari
» queat; nisi enim sensim horum evanesceret me-
» moria, semper illi recreationes hujus mundi
» nauseosæ viderentur. Atque hinc quidquid ter-
» renum est, flocci facit.

raptus,

23 » Illud porro inter id quod suspensionem
» dixi et raptum est discrimen. In suspensione
» anima paulatim rebus hisce exterioribus mo-
» ritur, illarumque sensum amittit et Deo vivere
» incipit. Raptus vero cum una tantum venit no-
» titia quam divina Majestas in intima animæ in-
» fundit penetralia, ea velocitate ut ab illo ipsa
sibi

A » sibi in superiorem sui partem videatur sustolli : » nam, ut illi videtur, corpore se putat excedere. » Quare principio illi opus est generositate qua se » intra Dei manus consignet, ut ipsam ille quo- » cumque voluerit deducat. Nam quoadusque in » pace illam divina Majestas constituat, quo » eam trahere vult (trahere, inquam, eo ut subli- » mia intelligat), certum est initio promptam re- » quiri mortis pro ipso oppetendæ voluntatem : » nescit quippe misella anima (scilicet initio) quid » illud futurum tandem sit. Atque hoc pacto virtu- » tes, mea sententia, magis roborantur; quia magis » ipsa denudatur, et magni illius Dei potestas » magis manifestatur, ut timeatur et ametur : » quandoquidem aliud nil possumus, animam ra- » piente Deo qui illius dominus est. Inde ipsa » maxime dolet se eum offendisse, ac stupet se id » ausam fuisse in tantam Majestatem, vehemen- » tique premitur desiderio ut nemo in eam insur- » gat, sed laudent eam omnes. Crediderim equidem » ardentissima illa quibus animarum salus expe- » titur desideria, simul etiam singularem huc quo- » quo modo cooperandi voluntatem, atque ut » magnum illud Numen, prout meretur, colatur, B » ab hocce fonte proficisci.

spiritus volatus,

24 » Spiritus volatus est quid (quod quo dicam » nomine, nescio) ab intimo animæ penetrali ascen- » dens. Hujus solius comparationis recordor, quam » eo posui loco quo tu has aliasque orandi ratio- » nes pluribus a me deductas nosti : tam tenuis » namque mea est memoria ut statim me rerum ca- » piat oblivio. Anima et spiritus unum quid esse » mihi videntur; seu potius igni, si magnus est et » jam ad ardendum dispositus, similis est anima ex » dispositione quam ad Deum habet. Sicut namque » ignis, ubi jamjam ardet, flammam ejaculatur » quæ in altum sese attollat, neque tamen is ignis » differt ab eo qui inferius manet, nec, licet » flamma hæc sursum feratur, propterea inferne » ignis esse desinit; ita etiam in anima se res habet : » videtur namque hæc tam repentinum quid et » delicatum ex se producere ut ad superiorem id » partem evolet et eo properet quo Domino pla- » cuerit; quod apertius declarari nequit, adeo ut vo- » latus esse videatur : cui enim alteri rei comparem » nescio. Scio tamen id evidenter satis intelligi, et » impediri minime posse. Videtur scilicet avicula » illa ex hujus carnis miseria et corporis hujus C » carcere evolare, et ita magis iis quæ illi a Do- » mino communicantur, sese implere. Adeo id » quidem subtile ac pretiosum est, prout id anima » complectitur, ut nulla ibi esse videatur illusio, » quando locum habet. Exinde vero enascebatur » timor, quod cui hæc obtingebant, adeo foret » miserabilis ut merito sibi videretur posse timere » omnia; etsi in anima interiori magna quædam » lateret certitudo ac securitas, cum qua quidem » vivere poterat, non tanta tamen ut propterea » omnis illi non adhibenda esset diligentia ne quo » modo deciperetur.

impetus animæ

25 » Impetum vehemens voco desiderium quod » animam interdum occupat, quamvis nulla præ- » cesserit oratio (quin imo ut plurimum sic con- » tingere solet), sed repentina dumtaxat recordatio » qua a Deo se absentem esse ingemit, vel audi- » tum dumtaxat verbulum quod eo referri queat. » Adeo quidem potens et ejus interdum efficaciæ » hæc recordatio est ut uno momento animam » extra se rapere videatur. Atque quemadmodum, » dum subito triste nuntiatur infortunium quod » ante ignorabatur, vel dum repentina ingruit con- » sternatio, quæ intellectui ratiocinationem qua se » consoletur, auferre videatur, anima perculsa » hæret, ita quoque hic contingit, nisi quod pœna » nascatur tali ex causa ut in anima cognitio ma- » neat mortem quæ hoc nomine oppetenda esset, » gratam et optandam esse. Tale denique quid est » ut quidquid tum anima intelligit, majoris ei sit » pœnæ causa, et etiam Deus nolle videatur ut » illius esse illi prosit, nec recordetur unius illius » se voluntate vivere, sed in tanta se agere credat » solitudine et derelictione ut verbis exponi ne- » queat : universus siquidem mundus et res mun- » danæ ipsam torquent; ac nihil demum rerum » creatarum ipsam recreat, nec præter unum Crea- » torem aliud concupiscit : quem tamen habere » videt impossibile, nisi ex hac vita emigret. Cum » vero se ipsa enecare nequeat, desiderio emoritur, » adeo ut vere in moriendi versetur periculo, » seque suspensam quodammodo cœlum inter et » terram videat, ut quid de se factura sit, nesciat. D

Deum ardenter desideran tis,

26 » Paulatim quoque sui illi Deus communi- » cat cognitionem, ut videat quantum amittat, » idque modo tam mirabili ut dici nequeat : nullus » quippe in mundo modus est, saltem eorum quos » ipsa experta sum, qui hunc æquet. Hoc unum suf- » ficit, quod vel media qua durat hora corpus adeo E » debilitet et ossa ita enervet ut ne manus quidem » calamo characteres formare queant et gravis- » simos persentiant dolores. Nihil horum anima » sentit donec hic impetus pertransierit; nam inte- » riora persentiendo tota distinetur : imo ne di- » rissimos quidem mea opinione tunc persentisce- » ret cruciatus, cum tamen omnium sensuum » functionem exerceat, imo etiam loqui et obtu- » tum defigere queat, non tamen incedere; ingens » namque amoris ictus ad terram eam dejicit. Etsi » vero hujusce rei habendæ emoriatur desiderio, » frustra est, ni Deus dederit. Impetus hic maxi- » mos in anima relinquit effectus et lucra. Doctor » hic hoc modo, alter alio hunc impetum definit; » nemo condemnat. Quin imo Magister Avila per » epistolam me monuit rem bonam esse; atque ita » omnes sentiunt. Anima quoque insigne id Dei » donum esse intelligit. Quod si crebrius foret, » vita foret brevior. Impetus ut plurimum hoc so- » lemne habet ut hic Deo famulandi ardor magna » cum animi teneritudine nec non lacrymarum » copia et vehementissimis hoc egrediendi exilii » loco desideriis ingruat : ubi tamen libertatem » anima habuerit considerandi voluntatem esse F » Dei ut hac in vita permaneat, hoc se cogitatu » consolatur; suum quoque illi offert vivere, eum » obsecrans ut non alium quam majorem nominis » illius gloriam sua vita scopum respiciat : atque » ita res hæc transit.

denique interna animæ læsio

27 » Alia denique orandi ratio, satis revera fre- » quens, est genus læsionis qua anima suum cor, » imo seipsam, jaculo feriri credit, ut hæc illi læsio » ingentem afferat dolorem, quo in planctus que- » rula prorumpat : attamen dolor adeo sapidus est » ut numquam eodem carere vellet. Hic porro » dolor non est in sensu, nec adeo materialis est » plaga; sed in intimis animæ situs est penetrali- » bus, nullus ut corporalis dolor appareat. Verum » cum hoc nonnisi comparationibus possit intel- » ligi, hæ crassiores adhibentur : tales quippe » sunt, si cum hac re comparentur; aliter vero id » equidem exponere nequeo. Hæc proinde talia » sunt quæ nec verbis exprimi nec scripto debeant; » quod ea nemo possit intelligere, nisi qui idem in » se fuerit expertus, quatenus, inquam, hic se dolor » extendat. Spiritus quippe dolores a corporeis » permultum distant. Atque hinc eruo quomodo

 » animæ

AUCTORE RIBERA.

» animæ in inferno ac purgatorio plura patiantur
A » quam ex corporalibus hisce cruciatibus hic ab
» hominibus comprehendi queat. Alias hæc amoris
» læsio ab intimo animæ procedere videtur. Vehe-
» mentes porro illius effectus sunt : quam tamen si
» Deus concedere non dignetur, nulla ejus obti-
» nendæ, quantovis adhibito conatu, suppetit ratio;
» uti nec ejus avertendæ, si eam clargiri dignatur
» Deus. Sunt hæc veluti divina desideria, adeo viva
» ac subtilia ut explicari verbis nequeant. Quod
» autem anima se ligatam videat quominus Deo,
» uti vellet, fruatur, hinc fit ut ipsa corpus abhor-
» reat et ceu densum parietem esse censeat qui
» animam impediat quominus perfecte potiatur
» Deo, quo se tum intra se (uti sibi videtur) intel-
» ligit potiri sine impedimento corporis. Tum
» quoque perspicit ingens illud malum quod Adami
» prævaricatione nobis obvenit, quo scilicet hanc
» libertatem amisimus. Hoc orationis genus ante
» raptus et ante magnos eos quos dixi impetus
» haberi solet. Dicere omiseram non aliter subli-
» mes hosce impetus desinere solere quam raptu
» aut insigni aliquo charismate Domini, quo ani-
» mam consolatur et excitat ad vivendum propter
B » ipsum. Quidquid hactenus prosecuta sum, non
» potest esse inane commentum, ob aliquot, quas
» longum foret enumerare, rationes. An autem
» recte dixerim necne, novit Dominus. Effectus
» et qui inde ad animam redundat fructus non
» possunt, quantum mihi plane videtur, non per-
» cipi. » Hæc quæ attuli verba sunt Matris Tere-
siæ; et hæc me attulisse gaudeo, quod ea optima
declaratio mihi videantur illorum graduum per
quos ad tam sublimem orationem ipsam Deus de-
duxit. Atque hæc potissimum causa est cur ea ex-
scripserim, non vero ut quæ orandi sit ratio ser-
vanda, edocerem : neque enim hujus ea res loci
est aut temporis. Illa tamen ejus verba ceu breve
sunt compendium eorum quæ doctissimi quique de
his sublimibus orationis modis scripto prodidere :
quare ii quibus horum aliquid a Deo communica-
tum est, fructum sibi capere inde poterunt.

CAP. IV. *Sancta frequenter fruitur*

28 Quoniam de ejus orandi genere loqui exor-
sus sum, quidquid huc spectat, antequam provehar,
depromam; quamquam ad alias ipsius devenire
cupio virtutes, quod ad gloriam ejus qui usque eo
perfectas has illi tribuit et ad animarum perfectioni
C inhiantium utilitatem plurima dicenda erunt : sed
congruus dicendarum rerum ordo hoc quod pro-
posui suo a me jure videtur exposcere. Velim
autem ut qui hæc lecturi sunt, ea quæ prioribus
duobus libri primi capitibus prosecutus sum, de-
nuo relegant, necnon hocce libro capitis tertii exor-
dium : in iis enim quæ modo allaturus sum, aliud
non specto quam ut illa admiremus et divinum
propterea nomen celebremus, non vero ut eadem
æmulando assequamur; cum id fieri nequeat ac
stolidum foret id conari. Si quando duo arcta inter
se necessitudine juncti sunt, sua sibi invicem
aperiunt arcana; nam, juxta vetus adagium, ami-
corum omnia sunt communia. Hinc, dum nefan-
das illas civitates eversurus erat Omnipotens, ait :
« Num celare potero Abraham quæ gesturus
» sum? » (Gen. XVIII, 17); atque apud Amos
Prophetam hunc in modum loquitur : « Non facit
» Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secre-
» tum suum ad servos suos Prophetas » (Amos III, 7).
Apostolos etiam suos hoc modo Redemptor com-
pellat : « Jam non dicam vos servos : quia servus
» nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem
» dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a
» Patre meo, nota feci vobis » (Joan. XV, 15).

visione et alloquio

29 Sic diversis se Christus visionum generibus
Teresiæ spectandum dedit, ac sæpe cum ipsa fami-
liariter et amicissime est collocutus, insigniaque illi
arcana revelavit. Jam ante narratum est ostensum
illi ab eo infernum, ac simul etiam locum sibi
paratum, si in eo quod cœperat insistere iter, fuis-
set progressa, ac nisi, velut novus Abraham, præ-
potenti illius dextera a Chaldæorum fuisset igne
liberata. Fuit cum illi gloriam manifestavit cœle-
stem, et præ aliis animabus ibi parentem vidit
utrumque; et brevissimo temporis spatio res con-
spexit altissimas nec non profundissima intellexit
arcana quæ nullis exponi possunt verbis : quo e
conspectu tam uberi perfusa voluptate est ut ora-
tione nequeat comprehendi. Alias plusquam horæ
spatium apud ipsam Dominus egit, mirabilia illi
magna manifestans.

Jesu Christi.

30 Cum quadam vice seriem vitæ illi Dominus
in memoriam reduxisset, ita mente rapta est ut
extra corpus versari sibi videretur aut saltem
ignoraret verene esset in corpore, uti S. Paulus sibi
contigisse scribit (2 Cor. XII, 2, 3); ac Jesu Christi
Humanitatem majori quam hactenus gloria ful-
gentem conspexit. Videre tum sibi illum admirabili
notitia visa est in Patris considentem sinu; ut ta- E
men quomodo factum id esset, ipsa ignoraret, sed
dumtaxat sciret se tam sublimi mysterio præsentem
adesse. Ita tum abrepta fuit ut nonnisi multis post
diebus ad sese rediret semperque sibi præsentem
Filii Dei majestatem spectare videretur : e quo
conspectu summa ad animam consolatio et fructus
dimanavit. Eadem illi visio aliquoties oblata est;
quam omnium sibi a Domino communicatarum
excellentissimam esse dicebat.

Mysterii SS. Trinitatis notitiam habet.

31 Quodam tempore, cum ardens illi Sacrosan-
cti Eucharistiæ Panis sumendi desiderium inspira-
tum esset, sacram subiens ædem, in raptu cœlis
apertis quemdam in throno vidit considentem; et
sublimi quæ interim illi communicabatur notitia
cognovit præsentem illic adesse Divinitatem (tam-
etsi eam non videret) innumera Angelorum cir-
cumcinctam multitudine, et majori majestate quam
viderat hactenus. Tam eximiam in se sentiebat
gloriam ut nec verbis exprimi nec cogitatione com-
prehendi queat. Nihil quidem videbat; at quidquid
optari poterat, illic congregatum intelligebat adesse.
Dictum illi nihil hic aliud ipsam posse agere quam
intelligere nihil se hic posse intelligere, et perpen-
dere quam universa nihil essent, si cum hoc com- F
parentur. Ad duas horas in hoc raptu mansit. Cum
alia vice S. Athanasii Symbolum recitaret, subli-
mem illi Dominus SS. Trinitatis notitiam dedit,
quomodo nimirum unus dumtaxat esset in Perso-
narum Trinitate Deus, idque claritate quæ in hoc
exilii loco haberi potest maxima. Exinde illi semper
quoad hoc mysterium magna lux mansit et singu-
laris consolatio.

Videt quomodo Deus sit cum anima justa,

32 Quadam in charta hanc illius manu exaratam
visionem legi : « Postridie festi S. Matthæi, cum
» essem prout solebam ab eo tempore quo S. Tri-
» nitatis mihi oblata visio fuit, manifeste mihi reve-
» latum est quo illa modo in anima existat quæ
» in gratiæ versatur statu, ita ut certis quibusdam
» rationibus et similitudinibus id per visionem
» imaginariam viderim. Etsi alias mihi intellectuali
» visione apparuerit S. Trinitas, illius mihi veri-
» tas ad dies aliquot præsens non mansit, uti
» modo, ut nimirum ipsam cogitare et inde me
» consolari possem. Jam video me quidem a litte-
» ratis id olim sic audivisse, non tamen intellexisse,
» uti modo id intelligo, etsi semper id sine dubita-
» tione crediderim. » Alia vero in charta id scri-
ptum

ptum erat : « Feria tertia post Ascensionem Do-
» minicam, cum diutius essem in oratione post
» Sacram Synaxim versata, etsi non sine pœna,
» quod ita distracta essem ut uni alligare cogita-
» tionem rei non possem, cum Domino de misera
» nostra natura conqueri cœpi. Tum vero anima
» cœpit inflammescere, cum aperte mihi noscere
» videbar universam me in intellectuali visione
» Sanctissimam Trinitatem præsentem habere : in
» qua anima mea, quodam repræsentationis modo
» qui erat ceu veritatis figura, quo nimirum ingenii
» mei tarditas id caperet, intellexit Deum trinum
» esse et unum. Hic tres mihi simul Personæ me-
» cum loqui videbantur ac sese in anima mea re-
» præsentare, dicentes ab hoc die in tribus me
» rebus emendationem in meipsa percepturam,
» quarum singulas Personæ illæ singulæ mihi col-
» laturæ essent. Illarum una erat charitas et in
» tolerando æquanimitas. Sentiens hanc in me
» inflammari charitatem, intellexi verba quibus
» Dominus ait S. Trinitatis Personas mansionem
» facturas esse apud animam quæ in gratia est
» (Joan. XIV, 23); illas enim dicto modo intra me
» cernebam. » In alia scheda de eadem loquens ma-
teria in hæc verba scribit : « Ita mihi se exhibuisse
» visus est ut dum aqua spongiam penetrat et per-
» vadit : ita enim mihi anima mea Divinitatem
» hanc imbibisse videbatur, et tres divinas Perso-
» nas in se quodammodo complexa, easque in se
» habere. Simul etiam hæc intellexi : Noli eniti ut
» me conclusum habeas in te, sed te intra me conti-
» neas. Atque ita tres illas personas intra animam
» meam abscondi putabam, videbamque illas ita se
» rebus omnibus creatis communicare ut tamen a
» me numquam recederent. »

qua ratione tres Personæ divinæ unum sint,

33 Quando Salmanticam abiit ut suarum illic constitueret domicilium, hisce de rebus cum P. Martino Gutierrez, collegii S. J. eadem in civitate rectore, coram contulit; qui, præterquam quod esset eruditione et judicio eximius, magnam rerum spiritualium nactus erat experientiam. Ab illo igitur audivit hæc quæ commemoravimus de S. Trinitate ita sublimia esse ut altius ascendere in hac vita nemo queat. Hæc item de se ipsa scripsit, cum Hispalense cœnobium fundaret : « Quadam die cum
» orationi insisterem, sensi animam ita intra Deum
» esse ut nullus jam mihi superesse mundus vide-
» retur, sed mihi viderer in Deum absorpta. Tunc
» mihi versiculum e Deiparæ Matris cantico :
» EXULTAVIT SPIRITUS MEUS IN DEO SALUTARI MEO,
» sic exposuit ut nec modo oblivisci possim. »
Scriptum insuper erat : « In S. Augustini festo,
» cum a sacra surrexissem mensa, sublimi quadam
» ratione (nescio tamen quomodo, cum intellectui
» res repræsentaretur et repente pertransiret) mihi
» manifestatum est tres Sacratissimæ Trinitatis
» Personas, quas animo insculptas gestabam, ejus-
» dem plane in se essentiæ esse. Declaratum hoc
» mihi mirabili quadam conjunctione, et lumine
» adeo perspicuo ut aliam longe in me fecerit ope-
» rationem quam si sola dumtaxat credidissem
» fide. Hinc factum est ut numquam amplius exinde
» de aliqua singillatim Sanctissimæ Trinitatis Per-
» sona cogitare possim quin illico intelligam eas
» tres simul adesse : atque adeo, cum hodie mente
» agitarem, quomodo, cum tres illæ Personæ unum
» dumtaxat sint, Filius solus carnem humanam
» assumpsisset, declaravit mihi Dominus, quo-
» modo, etsi unum sint, tres nihilominus Personæ
» inter se distinctæ sint. Sunt talia scilicet hæc
» magnalia ut nova animæ ex hac vita emigrandi
» injiciant desideria, quod terrenum hoc corpus
» impediat quominus iisdem hæc penitus perfruatur.
» Quamquam vero nostra infirmitas nihil horum
» comprehendere posse videatur, multo tamen,
» licet hæc in momento pertranseant, inde majus
» ad animam emolumentum accedit quam sibi vel
» multorum annorum meditatione comparare pos-
» sit; quamvis, quomodo hæc fiant, intelligere
» nullo modo queat. »

AUCTORE RIBERA.

quid sit Deum amare

34 Eodem loco hæc scripserat : « Cum quodam
» tempore hanc trium Personarum quam animo
» infixam gero præsentiam haberem, tanta menti
» oborta lux est ut indubitate crederem Deum
» vivum ac verum illic adesse. Talia porro mihi
» manifestabantur ut ea post referre non possem,
» atque inter cætera quomodo Dei Filius solus
» carnem humanam assumpsisset, non vero reli-
» quæ duæ Personæ. Nihil tamen horum, uti dixi,
» referre possem : horum enim quædam tam pro-
» funde in animam meam penetrabant ut intelli-
» gere ea intellectus non aliter videretur quam
» dormiens vel semisopitus se putat intelligere quæ
» ab alio dicuntur. » Ultimo Vitæ suæ capite dicit :
« Talis mihi incidit raptus mentis ut eum explicare
» non valeam : videbar mihi repleta et obruta
» claritate illa quam alias senseram. Hac in gratia
» quædam mihi est declarata veritas quæ omnium
» est veritatum complementum : quo hoc conti-
» gerit modo, dicere non possum ; quia nihil vide-
» bam. Dictum mihi fuit, etsi non viderim a quo
» (quamquam facile intellexi hæc a Veritate ipsa
» verba proferri) : Quod pro te facio, non sane
» exiguum quid est, quin imo de horum est nu-
» mero ob quæ mihi multum debes : omne enim
» quod mundo accidit damnum inde ortum habet
» quod Sacræ Scripturæ veritates clara veritate
» non cognoscantur; cum ejus ne vel apex quidem
» frustra futurus sit. Equidem semper illa mihi
» credidisse videbar, et fideles omnes ita credere
» mihi persuadebam. Tum ille : Hem, quam pauci,
» filia mea, vere me diligunt! Qui si me sincere
» diligerent, mea illos secreta non celarem. Scisne
» quid sit me in veritate diligere? Id est, nosse
» quidquid mihi gratum non est, mendacium esse.
» Clare videbis illud quod modo non comprehendis,
» in profectu quem tua hinc anima hauriet. Atque
» ita id reipsa comperi : nam, Deo laus, quidquid
» ad divinum non tendere obsequium video, tanta
» mihi esse videtur vanitas ac mendacium, ut, sicut
» ipsum intelligo, nequeam exponere, uti nec
» commiserationem qua compatior illis quos hanc
» ignorare veritatem video. »

et quomodo omnia creata sint in Deo.

35 Mox quæ inde animæ emolumenta accesse-
rint, recenset. Paulo vero inferius hæc subdit :
« Quodam tempore oranti mihi repente, quin quid-
» quam formatum cernerem, in spiritu oblatum
» fuit quomodo creata omnia videantur in Deo,
» Deusque omnia in se comprehendat. Id qui descri-
» bam, nescio; sed animæ meæ intime insculptum
» mansit : atque hoc de maximorum quos mihi
» Dominus elargitus est favorum numero est,
» simul et eorum qui majorem mihi confusionem
» incussere, dum videlicet commissa in memoriam
» revoco flagitia. » Deinde visa, prout potest, de-
clarat, hac adhibita comparatione : « Dicamus Di-
» vinitatem esse ceu adamantem universo mundo
» majorem, et in quo quidquid agimus, perspici-
» tur *b*, ita ut omnia in se complectatur : nihil est
» quippe quod extra sit. Mirabile sane fuit in ful-
» gido hoc adamante tam brevi spatio tam multa
» junctim videre; quin etiam meminisse piget,
» quotiescumque res adeo fœdas, qualia videlicet
» peccata mea sunt, in pura illa claritate repræ-
» sentatas

b

AUCTORE RIBERA.

» sentatas fuisse memini. Et sane quoties recordor, A
» quomodo id feram nescio, atque exinde adeo
» plena pudore mansi, ut quo me abderem, nescire
» mihi viderer », etc.

Alia plura cœlitus ei manifestantur.

36 Vidit quoque permulta ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum spectantia, ut suo dicam loco. Profecto, si omnia illi a Domino communicata magnalia hic dicere aggrederer, numquam finem inveniret narratio. Certum illud habemus res magnas ipsam studiose suppressisse atque harum plurimas scripto committere noluisse; ut manifeste ipsa cap. XXVII ejusdem libri testatur, ubi hæc scribit : « Ea porro familiaritate et amicitia cum
» ipsa agit ut nullus id oratione consequi possit :
» nam interdum tam præstantes in ipsam confert
» gratias ut aliquam dubitandi materiam videantur
» includere, cum quod adeo illæ sint admirabiles,
» tum vero quia in illam collatæ quæ eas tam
» parum promeruerat; adeo ut, nisi adsit fides
» valde viva, credi nequeant : quapropter pauca
» admodum de illis referre decrevi quas mihi Do-
» minus est elargitus, nisi aliud mihi a superiori-
» bus injungeretur. » Capite vero XXXII, illa de inferno commemorata visione, in hæc scribit verba : B
« Postquam hæc aliaque magna secreta, quæ Do-
» minus mihi ex sua misericordia ostendere di-
» gnatus est, gloriam, inquam, quæ beatos, et
» supplicia quæ damnatos et impios manent, vidis-
» sem », etc. Capite autem XXXVIII : « Plura de
» his rebus dicere nolo, quia, uti dixi, id non est
» necesse; etsi plurima mihi Dominus singulari
» favore dignatus sit ostendere. »

ANNOTATA.

a *Id scriptum est P. Roderico Alvarez S. J. anno* 1576, *et habetur tomo I, epist.* 18, *et quidem magis integrum quam apud Riberam.*

b *Cl. Jacobus Balmes in præstanti suo opere, Barcinone edito anno* 1842, *quo, in iis quæ ad civilem Europæ culturam attinent, protestantismum confert cum Religione Catholica, visiones etiam memorat quæ utrinque habitæ perhibentur, ac nominatim illas S.* Teresiæ (*quas inter hanc citat de Deo sub forma immensi adamantis*) *comparat cum visionibus quas habuisse se jactarunt Lutherus, Zwinglius aliique multi sectarii; atque animadvertit ex venditatis his pseudoreformatorum visionibus effectum prorsus alium fuisse quam e visionibus S.* Teresiæ, C *quandoquidem hæ in causa certo non fuerunt ut funderetur vel una stilla cruoris ullave gutta lacrymarum, dum illæ populos vehementer commoverunt et ad horrida bella excitarunt. Vide præfatum Balmesii opus, tom. I, not.* 12 *et* 13 *ad cap.* VIII, *ubi hæc egregie evolvuntur.*

CAPUT III.

Propheticus S. Teresiæ spiritus, et libri ab ea compositi.

CAP. V. *Visiones ac revelationes aliæ,*

Quæ ad spiritum propheticum spectant, ita cum visionibus et magnorum arcanorum quas superiori capite tetigimus revelationibus connexa sunt ut separari nequeant. Quare mecum ipse statui nonnulla illius hic commendare vaticinia, ut ad oculum pateat quomodo in ipsa completa sit Joelis prædictio : « Effundam spiritum meum super
» omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et
» filiæ vestræ » (Joel II, 28). In Veteri Testamento celebres aliquot fuere Prophetissæ, quales D
Maria soror Moysis, et Debbora, et uxor Isaiæ, quam ipse capite VIII Prophetissam vocat, et Holda regis Josiæ tempore, et Anna filia Phanuelis. Apud Ethnicos vero viguere Sibyllæ, quarum non minus manifesta exstant de vitæ ac mortis Jesu Christi mysteriis et de supremo judicio oracula quam sunt Sanctorum Prophetarum apud Hebræos. In Novo vero Testamento longe major utriusque sexus vatum fuit numerus, quod in eo illud quod e Joele jam ante deprompsimus oraculum adimplendum erat. Philippus, de septem diaconorum ab Apostolis electorum numero unus, habebat quatuor filias virgines prophetantes (Act. XXI, 9). Eratque donum hoc illis temporibus adeo inter Christianos obvium ut monendi fuerint a S. Paulo Corinthii quomodo se gerere deberent mulieres, quando in Ecclesia prophetabant, quomodo viri (1 Cor. XI, 4, 5). Quin etiam e capite XIV Epistolæ primæ ad Corinthios liquido satis colligitur quam hæc prophetiæ gratia in eorum Ecclesia communis foret; quod ipsum et in aliis Ecclesiis locum habebat. S. Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone ad sua usque tempora prophetiæ gratiam in Ecclesia floruisse testatur. Etiam S. Thomas docet (2, 2. q. CLXXIV, art. ult.) E
ab Apostolorum temporibus semper hactenus fuisse qui prophetiæ habuerunt spiritum, et hanc in rem testem producit S. Augustinum, qui scribit (de Civ. Dei, l. V, c. XXVI) Theodosium imperatorem, in angustias ab hoste redactum, ad Joannem Ægypti monachum, prophetico donatum spiritu, misisse sciscitatum de belli eventu, et ab eo didicisse insignem se victoriam relaturum; quod etiam ita factum. Id Dei munus et charisma ad nostram usque ætatem in utriusque sexus Sanctis continua serie perpetuum fuit, ut primi libri capite primo pluribus declaravimus.

quæ ad spiritum propheticum

38 Villacastini (oppidum est Castellæ Veteris notum satis, et natale mihi solum) abhinc annis non ita multis, tempore scilicet regis Henrici Infirmi, quidam vere spiritu instructus prophetico nonnullas Castellæ impendentes calamitates, quæ etiam contigerunt, prædixit *a*. Ipsum quoque regem sancta *a*
quadam et prophetica libertate intrepide adeo coarguit ut linguam illi Segoviæ rex præcidi jusserit : qua abscissa, non minus locutus est quam dum eamdem haberet, atque ad suam, quæ publice in foro clavis affixa erat, conversus linguam, ait : F
« Ibidem confixa hærebis, quia veritatem loque-
» ris. » Ipse admodum puer illo in oppido anum quamdam honestam audivi, quæ, quantum recordor, hunc se novisse narrabat. Non deerant etiam illic cives alii rerum antiquarum studiosi et fide digni qui id ipsum referebant.

referri possunt,

39 Igitur ad institutum sermonem rediens, dicendorum occasione hoc S. Gregorii ab omnibus receptum et approbatum dogma primo præsuppono, qui hoc modo loquitur : « Prophetiæ tempora tria
» sunt, scilicet præteritum, præsens et futurum. »
(Hom. I in Ezech.). Quod ipsum sacrarum litterarum probans testimoniis : « Prophetia, inquit, de
» futuro est : Ecce Virgo concipiet et pariet filium
» (Is. VII, 14). Prophetia de præterito : In principio
» creavit Deus cœlum et terram (Gen. I, 1). De illo
» enim tempore dixit homo quo non erat homo.
» Prophetia de præsenti est, quando Paulus Apo-
» stolus dicit : Si autem omnes prophetent, intret
» autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab
» omnibus, dijudicatur ab omnibus : occulta cordis
» ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem ado-
» rabit Deum, pronuntians quod vere Deus in
» vobis sit (1 Cor. XIV, 24, 25). Cum igitur dici-
» tur :

A » tur : Occulta cordis ejus manifesta fiunt, pro- » fecto monstratur quia per hunc modum pro- » phetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, » sed ostendit quod est. » Unde S. Gregorius efficit, si præterita et præsentia ejusmodi sint ut naturaliter sciri nequeant, quemdam prophetiæ spiritum esse eadem nosse ac manifestare : scire enim vel aperire quæ ventura sunt, prophetare est, quia naturali via ea sciri non possunt. Juxta hanc Gregorii doctrinam apparet prope omnia quæ superiori dicta sunt capite, imo vero sine exceptione omnia, ad prophetiæ posse spiritum referri.

plures et insignes

40 Hujuscemodi fuit item visio illa qua in Assumptionis Deiparæ solemnitate modum conspexit qua in cœlestem ea est gloriam assumpta, plausum ac festivam congratulationem qua ibidem a Cœlitibus admissa fuit, nec non gloriæ quem obtinet locum (Vitæ cap. XXXVIII). Conspexit item ad quem gloriæ gradum beatæ aliquot animæ evectæ essent, et quale singularum esset in gloria discrimen. Vidit plures animas purgatorio egressas in cœlum ascendere, de quo illa viso capite XXXVIII Vitæ suæ scripsit : inter cæteras animam cujusdam e Societatis nostræ Fratribus, quam, cum in collegio B nostro Abulensi adesset Missæ Sacrificio ac pro ipsius salute Dominum deprecaretur, ut qui superiori nocte exspirarat, in cœlos magna circumdatam gloria, Christo comitante, abeuntem conspexit. Capitibus vero XXXI ac XXXIV aliorum id genus visorum mentionem facit. Vidit insuper ut ab innumera cacodæmonum vi divitis cujusdam cadaver raptaretur atque indignis haberetur modis, et quomodo ferratis ipsum uncis magno sibi quisque conatu vindicare contenderent. Jam supra, dum Vallisoletani cœnobii referremus primordia, visam ab ea diximus Bernardini Mendozii animam ad Superos evolantem, et quidnam antea de eodem ab ipsa conspectum esset.

S. Teresiæ factæ fuerunt.

41 Eo tempore quo in Incarnationis præpositam agebat, contigit Eleonoram Cepediam, Mariæ a S. Joanne Baptista sororem, beatæ Matris consanguineam, quam inde a teneris apud se habuerat annis, quamque ob eximia virtutum decora miro complectebatur amore (serio namque mundanis rebus se abdicarat, orationique ac rebus divinis sedulo studebat), ex hac vita decedere. Pridie quam hæc moreretur, vidit beata Mater felicissimum illius fore exitum eamque a purgatorio immunem fore. Hinc C cum virginis corpus sociæ ad inferius odeum, quo terræ conderetur, deferrent, Angelos vidit monialibus in bajulando auxiliarias dexteras dare, quin imo suis ipsum manibus ferre : quod ipsa visum deinde commemorans, addebat : « ut appareat ni- » mirum quantopere Deus illa honoret corpora » quæ sanctarum fuere animarum organa. » Itaque illud terræ mandandum curavit tempore summi Sacri, quod de SS. Eucharistia cantabatur (quia sepulturæ dies intra octiduum Corpori Christi sacrum occurrebat), idque festo organorum cantu et lætis multorum Alleluia carminibus ramorumque virore; ita ut sacra cum Christi Corpore supplicatio cadaver ambiret. Vidit etiam in cœlos ascendentem doctorem Honcalam *b*, canonicum Abulensem, insignis sanctimoniæ virum et theologica scientia præstantem, uti ex scriptis quæ ad posteritatem transmisit, legenti fit manifestum; audiitque propterea purgante ab igne illum immunem exstitisse quod illibatam virginitatem coluisset.

b

Multa prænovit de hominibus particularibus,

42 Joanna Brocheria, uxor Petri Alvarez Cimbron Teresiæ Abulæ versanti insigne quoddam Christi cruci affixi simulacrum dederat; et paucis illam a morte diebus Teresia purgatorio egredientem vidit, crucem hanc manibus gestantem, simul etiam gratias agentem quod pro sua apud Deum liberatione deprecatrix exstitisset, nec non declarantem hanc Crucifixi imaginem apud Deum causæ suæ plurimum profuisse. Futura multa prænovisse Teresiam, jam supra e multis revelationibus in primi sui cœnobii fundatione illi oblatis nec non aliis quibusdam videre licuit. Nonnullis quoque religiosis quæ eventura erant, prædixit, ac præsertim illi Societatis Jesu sacerdoti quocum ipsa de arcanis suis plurimum communicabat, cum Abulensis ille collegii moderatorem ageret : quæ deinde is ita contigisse comperit prout Teresia prædixerat. Cum Mariæ Cepediæ sororis ejus conjux repentina adeo ablatus esset morte ut ne noxarum illi quidem aperiendarum spatium esset, Teresia Deo revelante didicit etiam sororem defuncti uxorem subito lethi genere morituram; idque non semel, sed sæpius illi revelatum. Hinc illam adiens frequentem illi Confessionis et Eucharistiæ usum ac sedulam animæ suæ curam commendavit, de revelatione oblata tacens. Quæ deinde, quadriennio aut quinquennio exacto, peccatorum Confessione non præmissa, et nemine præsente, de vita migravit : et ecce octiduo post, cum ab Eucharistico Teresia surrexisset epulo, hanc illi Dominus, cum in cœlum conduceretur spectandam dedit.

AUCTORE RIBERA. D E

de Ordine Prædicatorum, de Societate Jesu,

43 Pariter, Domino revelante, plurima tum sua tum aliorum prænovit pericula tribus quatuorve antequam evenirent annis; atque hæc singulatim adimpleta comperit. Absentes etiam per litteras similibus de rebus præmonuit, ut sibi prospicerent et imminentia sibi damna averterent. Religiosorum quoque familiis eventura multa prævidit, eaque insignia *c*. Illi siquidem haud procul a Sanctissimo Altaris Sacramento precibus insistenti apparuit quidam e Dominicanæ familiæ Sanctis, ingentem manu gestans librum; quem ille aperiens, grandes quasdam ac facile legibiles litteras in eodem exaratas ut legeret, suasit. Scriptura autem erat ejusmodi : « Futuris » temporibus hic Ordo florebit, multosque habe- » bit Martyres. » Vidit quoque sex septemve ejusdem Instituti monachos gladios manu vibrantes : quo illa signo Fidem ipsos didicit propugnaturos. Cum rursus in oratione versaretur, mente in excessum rapta, vastum conspexit campum, in eoque plurimos decertantes, et ejusdem Ordinis viros singulari quodam mentis ardore in hostem ruentes. Horum singulis decori erant vultus et inflammati : F manu vero strenui hostium plurimos solo affligebant; alios etiam obtruncabant. Intellexit autem conflictum hunc adversus hæreticos institui. Alio tempore, cum in oratione maxima mentis recollectione, suavitate et quiete ageret, hominum Societatis Jesu in cœlo multitudinem vidit, candida manibus vexilla gestantium. Quod illam spectaculum cum in stuporem raperet, simul et voluptatem ei afferret, quod erga hunc ipsa Ordinem peculiari studio ferretur, a Redemptore Jesu illico audiit : « Si vero ipsa scires quas hi futuris tem- » poribus Ecclesiæ suppetias sint laturi! » Hanc sibi ait visionem sæpius oblatam. Etsi in Teresiæ Vita quæ typis edita circumfertur, suo hæc familia singillatim nomine non indicetur, in ipso tamen autographo, et in omnibus quos videre contigit calamo exaratis libris, illius aperte nomen proditum est.

c

de Lusitanorum in Africa clade,

44 Hæc Redemptoris Jesu verba infra cap. XL rursus repetit, non tamen declarato Religionis ipsius nomine. Atque id totum quod modo dixi, certissimum est et ex ipsiusmet Teresiæ ore acceptum. Cæterum de propheticis hisce visionibus

AUCTORE RIBERA.

mihi agere incipienti jamdudum in mentem venit futurum fortasse nonneminem adeo quidem ignarum ut hæc vaticiniorum digna nomine non habeat, quod a Domino per visum dumtaxat declarata sint. Sed qui hoc sibi persuaserit, næ ille ineptus foret : omnium siquidem Prophetarum prædictiones in eo consistebant quod visum aliquod Deus illis monstraret, et quid eodem signaretur, aperiret, ac tum ore suo tum per Angelum aliquid de rebus futuris vel adeo arcanis ut naturali eæ scientia sciri non possent, revelaret; quemadmodum omnia Sacrorum Vatum in Sanctis Libris oracula fidem faciunt : quod quia sole meridiano clarius est, eidem adstruendo diutius non immoror. Viginti et amplius ante annis quam funesta illa Lusitaniæ clades, qua rex Sebastianus cum Lusitanicæ nobilitatis flore in Africana expeditione profligatus occubuit, contingeret, Angelum Teresia conspexit, nudum et sanguine madentem ensem in idem Lusitaniæ regnum vibrantem *d*; nec non alium qui simili mucrone diras Galliæ minas intentaret (etsi non ea indignatione succensum qua priorem) et qui simul illi indicaret quam adversus hoc regnum Dei Majestas esset concitata, nec non copiosum qui postea ibi effusus fuit sanguinem exhiberet. Demum tempus cum advenisset, atque ipsa coram Domino non mediocriter ob Sebastiani regis ac suorum internecionem affligeretur, responsum accepit : « Si dispositos eos invenerim ut ad me » eos adducerem, quid tu affligeris? »

de Reformationis suæ progressu.

45 Cum in episcopum Oxomensem doctor Velasquez canonicus Toletanus electus esset, et in odeum hunc Deo commendatura Teresia concessisset, e re divina imprimis hanc electionem fore audivit. Cœlitus item didicit Excalceatorum familiam, quæ tum summa in angustia versabatur, adeo non dissolvendam ut indies magis magisque diffunderetur. Alias ob cœtus sui afflicti et periclitantis negotium summopere anxiæ dictum a Domino : « Quiesce, modicæ fidei fœmina; optime » enim res agitur »; et vere Dominum dixisse non multo post videre licuit. Facta illi etiam alia (sicut e scriptis ejus eruitur), quadriennio antequam contingeret, de exoritura quadam persecutionum procella visio : in qua cœlo declarante didicit, quemadmodum pelago mersi Ægyptii periere, cum Israelitas ad internecionem persequerentur, populus autem Dei sicco pede mare pertransiit, ita a se institutum Ordinem cum ab exagitantium furore liberandum, tum vero qui ipsum vexando persequerentur, debellandos et mergendos. Alias cum valde anxiaretur, quod de P. Gratiani ægrotantis valetudine nihil jamdudum intelligeret, illapsa animæ interius quædam lux est, in qua eum in via vultu hilari et confirmata valetudine venientem vidit; nec non facta tum ad illam vox : « Dic illi ut illico » rem auspicetur : penes illum namque futura » victoria est. » Abula quoque (uti libro primo dixisse memini) ad Taurum oppidum cum puerum misisset qui pauculos a quadam matrona nummulos postularet, ait illi voce clara Dominus : « Pecunia jam in tuto et penes puerum est : infe- » riori in atrio illi numerata fuit. »

Secreta cordium vidit.

46 Toleti cum in ædibus Aloisiæ de la Cerda commoraretur, Mariæ a S. Josepho, quæ modo Ulyssiponensis domus præfecturam administrat, tum vero ea in domo habitabat, Teresiam ejusque socias curiosius observanti ejusdem Instituti amplectendi desiderium inciderat : id tamen nec Teresiæ nec cuiquam mortalium aperuerat. Cum vero reliquas Aloisiæ pedisequas Teresia moneret ut Domino nostro pro suo quæque modulo famularentur, et, si a parentibus juberentur comptas adhibere vestes, id ex obedientia facerent, solam Mariam a S. Josepho, quoties eam videbat, carpebat de nimio ornatus elegantioris studio atque ejus exercitia aiebat minime monialem sapere. Ut primum aliquem videbat, statim ecquod orandi genus sectaretur, perspiciebat; aliorum etiam e vultu cordis arcana nec non occultos animorum discebat defectus aliaque quæ naturali ratione sciri non poterant. Beatrici item Ovalliæ, sororis suæ Joannæ filiæ, quam Excalceatarum aggregari cœtui optabat, etiam cum ipsa ab ea erat cogitatione alienissima, ait : « Nunc sectare, Beatrix, iter quod- » cumque volueris : tandem Excalceatarum instituta » suscipies. » Et reapse illa hodie sub nomine Beatricis a Jesu in monasterio Albano degit : de cujus in Religionem ingressu postea dicam. Cum matrona quædam Excalceatarum Institutum amplexa fuisset, prædixit Teresia illam in eo non perseveraturam : nec diu post illa inde recessit.

De mortis suæ loco et tempore,

47 Ducissæ Albanæ Mariæ Henriquez prædixit se Albæ demorituram : quod ipsum etiam aliis alibi retulit; atque nominatim F. Mariano a S. Benedicto octo antequam vita excederet annis plane affirmavit a Domino sibi esse revelatum fore ut Albæ vitam poneret *e*. De Abulensi S. Josephi templo hæc ipsius exarata manu legi : « Intellexi semel : Veniet ali- » quando tempus quo ob plurima quæ hac in æde » patranda sunt miracula ædes sancta appellabitur. » In S. Josephi Abulæ, anno MDLXXI. » Abulæ P. Petro de Alcantara diem quo ille de vita emigraturus erat, prædixit. Hispali versanti declaravit Dominus salutis eam æternæ compotem aliquando fore. Suam etiam mortem multo antequam de vita decederet tempore præscivit, uti et annum qui vitæ futurus erat ultimus. Nam cum Methymnæ Agnes a Jesu præposita ab illa peteret : « Reve- » rentiane vestra jam quinquaginta novem ætatis » annos habet? » Teresia respondit : « Etiam », ac deinde velut intra dentes mussitans : « A quinqua- » ginta novem ad duodeseptuaginta », nec plura. Quæ verba tacite notabat Isabella a Jesu, quæ tunc in tirocinio versabatur. Deinde aliquot post annis, cum Salmanticæ male affecta pro more valetudine utenti nonnulla medicus Tiedra, artis suæ callentissimus, necessaria remedia adhibenda præscriberet, nihil horum se illi respondit observaturam; causamque sciscitanti : « Quatuor illis, inquit, qui » mihi vitæ supersunt annis tam laboriosa mihi » cautione opus non est. » Hæc audiens Isabella a Jesu, quæ et priora audierat, utraque conjunxit, numeratisque annis qui a primis verbis ad illud usque tempus effluxerant, ad duodeseptuagesimum annum nonnisi hoc comperit quadriennium deesse. Re autem vera mori illam contigit, cum vitæ annos sexaginta septem ac medium et paulo amplius implesset.

deque aliis rebus pluribus

48 Salmanticæ dum cum Quiteria de Avila, moniali cœnobii Incarnationis Abulensis, Matutinarum pensum persolveret, per aliquod temporis intervallum mente alienata mansit : cum deinde ad sese mens redisset, obsecravit Matrem Quiteria instanter, dicere sibi quod interea passa esset, ne gravaretur. Tum Teresia : « Franciscus de Guzman » defunctus est. » Erat hic sacerdotio insignis et illustri editus progenie, sed humilitate vitæ divinoque obsequio illustrior. Et sane post compertum est eo illum temporis articulo hac e vita emigrasse. Deinde sororem ejus Franciscam Bracamontiam Abulæ consolata, his eam verbis appellavit : « Noli » fraterno angi decessu : optimo namque ipse est » loco; nam vidi quoddam corpus gloria donatum » et

A » et valde pulchrum : quamvis autem ille talis non » erat, ipsum tamen agnovi fuisse. » Primo sumus libro de Ursulæ a Sanctis, quæ de quatuor primarum Excalceatarum numero fuit, excessu locuti, et hanc a Teresia Albæ, quatuor horis postquam Abulæ de vita exiisset, gloria circumdatam visam fuisse. Segoviæ existens quadam vespera ad suas conversa ait : « Isabella ab Angelis defuncta est, » atque anima ejus aliquantisper in purgatorio » fuit »; et ecce biduo post Salmantica, ubi decesserat, allatæ sunt decessus illius nuntiæ Segoviam litteræ. Eadem in civitate cum pro viri nobilis graviter decumbentis salute Deum anxie deprecaretur, divina ad illam, biduo antequam is spiritum redderet, allapsa vox est, dicens : « Morietur quidem, » sed æternum vivet. » Nec fefellit eventus; nam ex hac vita emigravit. Filiarum autem suarum prius obitum nosse quam is per litteras nuntiaretur, sæpius illi cœlitus datum. Agnes a Jesu, quæ modo Palentinis Excalceatis præfecta est, cum, desperata plane valetudine, jam velut mortua haberetur, adstantibus Teresia ait : « Hæc illi ægritudo » lethalis non erit : ad majora enim ipsam Deus » reservavit. » Joannem etiam Ovallium sororis
B suæ conjugem, quem omnes moriturum ex morbo indubie credebant, sanitati reddendum affirmavit; et ut prædictum, sic factum.

quæ naturaliter sciri non poterant,

49 Chorus inferior templi Albani cum construeretur, et cancellos in templum respicientes quadrangulos, pro aliorum cœnobiorum more, fieri amici suaderent, Teresia ait : « Non aliud facien- » dum est quam fornix : eo enim loco aliquando » collocandum erit depositum. » Hoc igitur modo cancellis dispositis, moniales ideo dictum a Teresia credebant quasi arcam depositi quod fundatores ibidem pia quædam in opera erogandum reliquerant, huc ferri vellet : quod tamen depositum illatum in cryptam illam neutiquam est, sed aliud longe pretiosius, sacri, inquam, corporis illius pignus, quod ei loco ad aliquod temporis spatium velut depositum concreditum mansit, ut sequenti sum libro pluribus declaraturus. Opinio hinc est, etsi non usque adeo indubitata, ad corporis sui depositum Teresiam tum respexisse. In quadam narratione quam confessarius ejus (quem de Societate Jesu aliquem fuisse existimo) de illa deque ejus spiritu contexuit, hæc verba reperi : « Plura
C » mihi ipsa narravit quæ solum posse scire Deum » certissimum est : erant quippe res post eventuræ » atque ad animum interiorem et profectum spe- » ctantes, et prorsus scitu impossibiles videbantur : » omnia porro cum veritate optime coincidere » comperi. »

divinitus monita fuit.

50 Atque ut Prophetis olim Deus, quæ aliis significari ad animarum ipsorum salutem volebat, revelabat, sic et huic ancillæ suæ eum plurima patefecisse constat; etsi horum illi denuntiatio grata minime foret et a se hanc amoliri satageret. Hinc quodam tempore Domino ipsa aiebat : « Cur hoc » me, Domine, nuntio gravas? An non ea tumet » ipsis per te indicare potes? Cur, obsecro, me ho- » rum vis nuntiorum declaratione distineri? » Cui respondens Dominus : « Idcirco tua hic opera utor, » ut, cum majoribus in rebus usui esse nequeas, ali- » quatenus ipsa, ut alii mihi obsequantur, adjuves, » et quoniam minus homo ille dispositus est ut » egomet illum alloquar, demum quia, si id facere » ipse per me velim, mihi fidem, quia non adeo » orationis studiosus est, minime adhiberet. » Fuit cum etiam libere illi dixit : « Num alii desunt, Do- » mine mi, præsertim litterati ac viri, qui, si iis » injungeres, jussa tua me, quæ adeo sum nequam, » longe melius exequerentur? » Tum Dominus : « Eo quod eruditi viri se nolunt disponere ut me- » cum familiariter loquantur, hinc, velut indigus » et ab ipsis repulsam passus, ad mulieres solatii » quæritandi deque rebus meis agendi causa me » converto. » Idem quoque confessarius refert, sibi, cum quemdam commonuisset ut posthac ex animo se Dei obsequio dedicaret, et ipse, ratus eum sibi monenti auscultasse, ad illum redire nollet, dixisse Teresiam a magistro suo (ita namque Jesum Christum vocitabat) sibi injunctum esse ut illi ejus nomine nuntiaret ut hunc rursus virum compellaret atque id illi significaret ardenter quod ipsa tum huic depromebat : se vero nihil cunctatum ita serio eidem Dei jussa aperuisse ut iis ipse cujus causa hæc significabantur (cum vir esset gravis, magni judicii et reipublicæ administratione clarus) ad cordis usque intima tactus sit, et in lacrymas prorumpens, aperire monenti non sit veritus nondum se quæ facturum se receperat, facere cœpisse.

AUCTORE RIBERA.

D

51 Jam rerum necessarius ordo poscere videtur ut de libris quos Teresia composuit *f*, ac de præceptis quæ ad orandum dedit, nonnulla commemorem; quod universa hæc ad rerum spiritualium quam illi obtigisse diximus notitiam, et ad ea quæ E capite primo de orationum illius modis dicere cœpimus, aliquatenus spectare videantur. Porro, præter schedas quasdam sparsas hinc inde superstites, quibus eximia multa documenta traduntur, quinque ipsa commentarios, non sua sponte, sed jussu confessariorum (quibus illa non minorem quam ipsi Christo Jesu obedientiam præstabat, ut tum dicta hactenus tum plura post dicenda fidem facient) elucubravit. Primus est quidam de vita sua tractatus, qui ad usque primi Abulæ cœnobii fundationem se extendit. Hunc scripsit jubente Garcia de Toledo e Dominicanis sodalibus, ejus tum confessario, anno MDLXII, quo domus Abulensis jacta sunt initia; eumque mense Julio ejusdem anni absolvit, in nulla distinctum capita : exinde vero ei in capita digesto erectionem Abulensis domus adjunxit. Mirandum autem est Teresiam, dum hunc librum exarabat, solitam fuisse a Domino poni in eo orationis statu de quo scribebat, eodem modo quo hunc statum initio habuerat; atque ita porro constituebatur in omnibus ex ordine orandi modis quos inibi enumerat, usque ad illum in quo tunc temporis versabatur.

CAP. VI. *Librum Vitæ suæ* *f*

F

52 Alter liber fuit is cui Via perfectionis nomen : quem exaravit cum monasterii Abulensis præfecturam gereret, idque imperante P. Dominico Bañezio, quo tum confessario utebatur; et eo hunc anno quo priorem absolvit, auspicata est. Tertius aliarum sedium fundationes complectitur a Methymnensi ad Burgensem usque, quæ postrema fuit. Hoc illa scriptum Salmanticæ anno MDLXXIII exorsa est, suasore P. Hieronymo Ripalda Societatis Jesu, qui Salmanticæ illi a confessionibus erat, jam septem varia per loca constitutis domibus; cui deinde eas quæ deinceps condebantur, continua serie adnectebat. Quarto Castellum interius seu Mansiones nomen est. Hujus scribendi auctor illi exstitit doctor Velasquez, illius confessarius, qui, uti etiam me ante dixisse memini, ad Oxomensem cathedram, deinde ad Compostellanam sua ob præclara merita evectus est. Illis quidem diebus tam sublimem orationis passa excessum est, adeoque in Altissimi contemplationem fuit evecta, ut duodecim post diebus ne epistolæ quidem scriptitandæ præ mentis absorptione par fuerit. Exinde vero intolerabilis ipsam capitis vexavit dolor, uti hoc ipsa libro de se affirmavit. Hunc ipsa tractatum, anno MDLXXVII in

et quatuor alios

AUCTORE RIBERA.

in Augustissimæ Trinitatis festo Toleti inceptum, Abulæ eodem anno pridie festi S. Andreæ perfecit, quinque prope antequam demoreretur annis.

A

commentarios

53 Quintus denique commentarius fuit in Cantica Salomonis, quem suscepit scribere imperio eorum quibus (ut ipsa fatetur) obedire tenebatur. Hujus scripti non nisi pauca aliquot folia reliqua sunt : nam ut illud non nisi ex obedientia inchoavit, ita ipsum jussu imperiti cujusdam confessarii, qui scriptum etiam nondum visum damnare non est veritus, flammis injecit; quamquam satius longe fuisset, si huic viro ante non paruisset quam alios peritiores super ea re consuluisset. Illico autem morem gessit, ac summo studio nomen suppressit illius qui tam temere imprudenterque id mandare est ausus quod non intelligebat; adeo ut ne P. Gratiano quidem, cui factum tamen narravit, nomen illius indicare voluerit. Et licet illius quod superest calcem legenti vere hic scribendi finem Teresia fecisse videatur, certissime tamen nobis constat longius ipsam deinde scribendo progressam fuisse.

eloquentissimos

54 Hosce porro libros maximorum negotiorum frequentia obruta, temporis quoque laborans angustiis, sæpe etiam male affecto corpore, con-

B

scripsit, ut talia conscribi a tali minime posse viderentur : visum tamen est idcirco illi facile id fuisse, quod, cum ad scribendum se applicaret, tanta illi scribendarum affluebat rerum copia ut quid scriberet, minime illi præmeditandum esset, sed potius maxima in scribendo acceleratione opus; uti in plurimis librorum locis manifeste id ipsa declarat, atque imprimis sub finem libri cui Via perfectionis nomen est, hæc habet : « Mihi vero pro quantula-» cumque quam scribendo cepi molestia abunde » satisfactum est : nam quod scriberem, cogita-» tione ante volvere opus mihi minime fuit. » Et in manuscripto hujus libri autographo ad calcem capitis XX hæc leguntur : « Sed, eheu ! quam multa » de hac via agere incipienti occurrunt, imo etiam » illi qui viam hanc adeo male inivit, qualis ipsa » sum ! Utinam vero pluribus in scribendo uti » manibus possem, ne una res alterius rei oblivio-» nem induceret ! » etc. Hinc scriptorum ejus nec laboriosus nec apparatus est stylus, sed talis quali in vulgari colloquio utebatur; apertus tamen, purus, gravis, genuinus, legenti gratus, et rebus quas tractaret accommodus.

et utilissimis

55 De oratione, contemplatione et familiari Dei

C

cum animabus et animarum cum Deo commercio scribens, alta, subtilia sublimiaque profert, ac tali quidem modo ut etiam doctissimi, nisi simul rerum spiritualium callentissimi sint, admiraturi ea sint potius quam intellecturi : non quod ea ab ipsa non satis aperiantur (talium namque rerum exponendarum perita est imprimis, easque diversimode proponit, et quidem scitis ad hoc adhibitis comparationibus), sed quia adeo sublimia et spiritualia sunt ut se nonnisi ab iis qui aliquam horum nacti sunt experientiam, facile intelligi patiantur. Et propterea (præter Viam perfectionis, qui liber, demptis duobus tribusve capitibus, omnibus usuvenire potest) non est cur subtilia quæ in majori librorum ejus parte occurrunt argumenta ab omnibus legantur, sed ab iis dumtaxat in quorum gratiam scripta sunt, quales nimirum sunt quos hac deducere via Dominus dignabitur, vel ii saltem qui ipsorum lectione nonnihil in perfectionis semita proficient, nempe illum celebrando Dominum qui se adeo munificum ostendit erga eos qui ex animo illius sese dedicant obsequio, et hoc illum nomine impensius amando.

documentis

56 Reliquis vero satis sit historica aut didactica quæ facilia sint intellectu, evolvere. Qui vero ali- D

quem hisce e scriptis haurire fructum voluerint, pio eadem animo et ab sinistris purgato affectibus legant oportet, in sensum sanum interpretando aliqua verba quæ non eo rigore proferuntur quo eadem in scholis adhibent theologi, et quæ non ubique ad eam trutinam revocata sunt qua versatus aliquis theologus scribendo uteretur, accuratius dicta sua expensurus, ne quid oculatis Aristarchorum pateret calumniis. Nec vero id difficile est; cum ad oculum pateat quam sana intentione ea scripta sint, tum etiam quod ex iis quæ dicuntur, facile rectum sit colligere quem habent sensum. Nam qui hoc modo libros non legerint, oppido paucos invenient auctores, etiam e gravissimis et doctissimis, in quibus non inveniant quæ in sequiorem sensum detorqueri possint.

refertos

57 Vitæ liber, præter historiam, quæ lectori voluptatem adfert, multa admodum spiritualia continet, quæ quidem omnia ex iis sunt rebus quæ Teresiæ ipsimet contigere : salutaria adhæc suggerit documenta ad boni ac mali spiritus inspirationes dignoscendas, et monita quibus quæ a bono descendunt foventur et mali spiritus fraudes declinentur. Eamdem doctrinam complectitur liber E

Mansionum, sed magis ordinate et ad experientiam accommodatius, quod quindecim post prius annis scriptum id lucem aspexerit. Verum omnium sublimissima sunt quæ tribus ultimis Mansionibus continentur, ea scilicet quæ in se ipsa vidit et experta est; nisi quod in vitæ historia de se aperte, hic vero tacito nomine loquatur. Via perfectionis magis ad communem uniuscujusque usum facit : agit quippe de oratione, illam suis deducens initiis, loquens primo de virtutibus Religioni propriis quæ ad orandum maxime requiruntur; simul etiam præclara proponit ad orationem tam vocalem quam mentalem instituendam documenta; item quæ contemplandi sit ratio, quæ oratio quietudinis : denique Orationem Dominicam quibusdam propositis meditationibus exponit. Tres illos modo laudatos tractatus jam in italicum sermonem audio conversos ab episcopo Novariensi.

conscripsit.

58 Liber vero Fundationum plerumque historia est; interdum tamen hinc inde Teresia inseruit præclara monita ac doctrinam admodum salutarem et consentaneam ipsis in quarum gratiam hunc concinnavit sanctimonialibus. Dolendum vero com-

F

mentum illud in Cantica imperfectum esse : si enim plenum id esset opus, facem id lectori, ut equidem credo, præferret ad scripti illius obscurissimi sensum integre intelligendum. Nam quoniam Cantica eas proponunt gratias quibus Deus animam sanctam quæ penitus se ei dicat, demulcet, ac divinos quibus in ipsum hæc fertur amores, et tantum paucissimi horum quidquam experti sunt, non est profecto dubitandum quin ipsa quæ iisdem jam dudum assueverat, et horum maximum, si quis unquam, habebat usum, quæque jam crebrius gustarat quam suavis sit Dominus, multo intelligeret melius quæ sponsus ac sponsa sentiebant ac inter se colloquebantur.

ANNOTATA.

a *Mariana in Historia Hispaniæ harum calamitatum plura refert præsagia lib.* XXII, *cap.* XX.

b *De vita et scriptis Antonii Honcalæ consule Nicolaum Antonium in Bibl. Hisp. Nov.*

c *Hujusmodi plures ejus de religiosis Ordinibus prophetiæ expositæ sunt in Comm. præv.,* § LXXXII *et seq.*

d *De*

A d *De hac Lusitanorum clade mentio fit in Actis canonizationis* (*num.* 1332 *Comm. prævii*).

e *Eodem loco et etiam num.* 1021 *et seqq. Comm. prævii plura referuntur de præscientia quam* Teresia *habuit mortis suæ.*

f *De libro Vitæ S.* Teresiæ *actum fuse est* § LXXVI, *et de aliis ejus libris* § LXXVII.

CAPUT IV.

Examina de spiritu S. Teresiæ instituta, ejusque circa orationem monita.

CAP. VII. *Spiritum Sanctæ examinarunt*

Post tractatum de Teresiæ libris volebam paucis perstringere monita quæ orationi instituendæ præscribit : verum antequam illius proponam documenta, satius visum fuit præmittere quam a doctissimis et rerum spiritualium experientissimis totius Hispaniæ viris examinata et in magistram approbata fuerit; ut hoc pacto monita illius et præcepta eam quam merentur auctoritatem ac pondus accipiant. Nullus enim ea umquam S. Theologiæ doctor B Salmanticæ, Compluti ac Lutetiæ rigidius ac sæpius fuit examinatus. Jam libro primo nonnullos attulimus qui spiritum illius excusserunt, approbarunt et laudarunt, ut P. Franciscum de Borgia, dein F. Petrum de Alcantara et alios : produxi etiam ejusdem Petri ad Abulensem antistitem epistolam, qua suum ille de ipsa judicium aliquo modo depromit. Aliquo modo, inquam; nam alteri magnæ auctoritatis viro eodem is tempore dixit se animam Teresiæ annumerare lectissimis quas tunc Deus haberet in terra animabus, et licet cum variis id genus ipse tractasset, nullam tamen omnium hac sibi magis satisfecisse videri : Deum illam operibus ad magnum sui cultum spectantibus reservasse; neque adeo hoc Abulense cœnobium quod ipsa erigere volebat, solum ab ea fundatum iri.

et approbarunt

60 Addebat nihil se, excepta Scriptura Sacra ac reliquis quæ credenda Catholica præscriberet Ecclesia, certius habere quam Teresiæ spiritum a Deo esse : quam in rem etiam alii viri gravissimi ac doctissimi egregia multa affirmarunt. Verum, quia manu illius exaratam reperi relationem, quam ipsa anno MDLXXV Hispali Roderico Alvarez S. J., C cui tum animi arcana aperiebat (quod esset Dei cultor eximius et in discernendis spiritibus optime versatus), dedit, in qua id genus plurima referuntur, illa inde seligam quæ ad id quod tractamus facere videbuntur *a*. In illa de se velut de quadam tertia loquens, ait quadraginta elapsos esse annos ex quo monasticen erat professa, et primis viginti duobus magnam semper mentis se ariditatem expertam; cœptam exinde a Domino se compellari et visitari, ac vereri cœpisse ne hæc dæmone auctore fierent.

a

S. Franciscus de Borgia aliique e Societate Jesu,

61 Quibus præmissis hæc subnectuntur : « Tractare cœpit cum viris spiritualibus Societatis » Jesu; quos inter fuere P. Araoz, qui erat com- » missarius Societatis, quem contigit illuc accedere, » et P. Franciscus, qui dux olim Gandiæ fuit, » quocum bis communicavit : dein cum provin- » ciali, qui modo Romæ versatur et de quatuor » Assistentium numero est, cui Ægidii Gonzalez » nomen; nec non cum illo qui hodie Castellanam » provinciam moderatur, etsi non adeo frequenter » cum hoc egerit; et cum P. Balthasare Alvarez, » qui hodie Salmantini est rector collegii, et sex » annos illius Confessionibus præfuit; item cum » illo qui modo Conchensis collegii rector est, » nomine Salazar; cum Segoviensi quoque rectore » Santanderio; cum Burgensi rectore Ripalda (qui » etiam de ipsa non recte sentiebat, deceptus illis » qui de ipsa sparsi erat sermonibus, quoad tan- » dem cum ipsa coram tractare cœpit); insuper » cum doctore Paulo Hernandez Toleti, qui in » sacro Inquisitionis tribunali consultor erat; cum » P. Gutierrez, qui, cum ipsam alloqueretur, Sal- » manticensi præerat collegio; denique cum aliis » Patribus S. J. quos rerum spiritualium gnaros » noverat, quibuscum iis in oppidis ad quæ sedes » suas collocatura abibat, de suis colloqui rebus » satagebat. AUCTORE RIBERA. D

S. Petrus de Alcantara,

62 » Contulit item sæpius cum P. F. Petro de » Alcantara, summæ sanctimoniæ viro, de Excal- » ceatorum Franciscanorum numero; qui maximo » conatus est studio omnibus persuadere spiritum » ipsius rectum esse. Sexennio eoque amplius » varia illius facta pericula : quæ afflictionum et » lacrymarum assiduarum illi seges fuit. Quo au- » tem in ipsam inquirebatur amplius, eo suspensio- » nes et raptus patiebatur frequentiores, etsi sen- » suum interim maneret compos. Multis amici » apud Deum insistebant precibus et Sacrificiis E » ut per aliud ipsam iter deduceret. Non parum » interim ipsa metuebat, cum orationi non vacabat; » etsi alioquin in omnibus in quibus aliquis animæ » profectus consistebat, insignem in se ipsa muta- » tionem experiretur, nullaque inani gloria efferretur, imo ne minimam quidem ejusdem vel » superbiendi titillationem persentisceret, ut ma- » gno contra suffunderetur rubore quod res suæ in » publicum vulgarentur, quamquam de illis num- » quam nisi cum confessariis suis aut aliis a quibus » directionis sperabat subsidium, conferret : imo » his ea patefacere gravius illi erat quam si enor- » mia enuntiasset flagitia. Credebat enim passim » aliis se suaque innotescere, atque hæc nonnisi » muliercularum esse nugas, quas ipsi semper » acerbum fuerat audire. »

Ven. Joannes de Avila,

63 Paulo inferius de Francisco Salazario, qui deinde Salmantinus electus est antistes, loquitur in hæc verba : « Hic eam contristatam adeo et anxiam » cernens, suasor fuit ut sua universa nec non » vitæ seriem, ne vel minima quidem re omissa, » Magistro Avilæ, viro in iis quæ ad orationem » spectant exercitatissimo, exacte perscriberet, et » illius super iisdem responso acquiesceret. Paruit F » suadenti, et universam vitæ rationem nec non » peccata omnia illi perscripsit. Avila vero ad hasce » respondens litteras, securam ipsam esse jussit » eamque multum est consolatus. Hæc vitæ relatio » talis fuit ut quotquot eam inspexere viri docti, » ipsius, inquam, confessarii, permagnæ eam uti- » litatis esse dictitarent, utpote quæ multis in re- » bus spiritualibus documenti cujusdam esse loco » queat, imo etiam eamdem ab ipsa transcribi » jusserint, voluerintque ut alium libellum in mo- » nialium, quibus præerat, gratiam conscriberet, » in quo aliquot ipsis proponeret monita. Non » tamen propterea ipsa desinebat timere, utpote » cum illos etiam viros, rerum spiritualium licet » peritissimos, non minus quam se decipi posse » putaret. Quamobrem confessario potestatem fe- » cit, si expedire censeret, cum aliquot viris scien- » tia præstantibus, tametsi orationis non admo- » dum studiosis, de iisdem libere conferendi. Aliud » siquidem ipsa scire non studebat quam num » omnia arcana sua cum sacris voluminibus coin- » ciderent. Interdum se ipsa hoc modo solabatur, » quod, quamquam ob privata ipsa delicta decipi

 » promerebatur,

AUCTORE RIBERA.

» promerebatur, non permissurus umquam Deus
» videretur, ut tot sanctitate illustres viri, qui
A » aliquam illi afferre lucem contendebant, sui
» unius causa in errorem pertraherentur.

ac plures ex Ordine Prædicatorum

64 » Hac occasione cum Dominicanis sodalibus,
» quos etiam ante sibi confessarios adhibuerat,
» communicare cœpit. Quos autem exinde ex hac
» familia consuluit, sunt hi : P. Vincentius Varon,
» qui ejusdem Toleti confitentis director sesquian-
» num fuit, cum interim esset S. Inquisitionis con-
» sultor : hunc etiam ante per annos plurimos
» consuluerat; erat namque eruditione spectabilis.
» Hic illam securam plane esse jussit, uti et Socie-
» tatis Jesu Patres; qui uno pariter ore asserebant,
» si in Deum peccando non offenderet, suique
» vilitatem agnosceret, nihil demum esse cur me-
b » tueret. Contulit deinde cum P. Petro Ibañez *b*,
» qui lector erat Abulæ. Tum P. Dominicum
» Bañez, qui modo Vallisoletanum S. Gregorii
» collegium regit, per sex annos confessarium
» adhibuit, eumque, quotiescumque se dabat oc-
» casio, per litteras consuluit. Communicavit in-
» super cum Magistro Chavesio, et P. Bartholo-
» mæo de Medina, primariæ Salmanticæ cathedræ
B » lectore, quem ob auditos rumores pessime de se
» sentire noverat, adeoque rectius dicturum cen-
» sebat num aliqua hic subesset fraus, cum tam
» parvi sua ipse faceret. Ergo abhinc biennio et
» paulo amplius qua potuit ratione contendit ut is
» sibi confitenti aures daret, et accurate toto illo
» quo ibidem egit tempore suarum illi rerum
» rationem reddidit : cui etiam quidquid de se-
» ipsa scripserat, ultro legendum dedit, quo ma-
» jorem is rerum suarum notitiam assequeretur.
» Unde factum ut is magis quam cæteri omnes in
» proposito ipsam confirmarit et singularem se
» rerum ipsius fautorem præbuerit.

viri eximii.

65 » Aliquanto etiam tempore confessario usa
» est P. Philippo de Meneses, dum Vallisoletum
» ad sedem constituendam excurrisset. Præerat hic
» ibidem ea tempestate dicto S. Gregorii collegio,
» et antea Abulam, harum rerum audita fama,
» contendere grave non duxerat, ut eam magna
» cum caritate alloqueretur, et, si forte videret
» eam a dæmone deceptam esse, lumen erranti
» daret; sin minus, ut ipsius adversus obtrecta-
» tiones patrocinium susciperet : atque is quidem,
» re cognita, mirifice est recreatus. Familiariter
C » quoque admodum cum Dominicanæ familiæ pro-
» vinciali, Salinas nomine, viro in rebus spiritua-
» libus versatissimo, de rebus suis tractavit; necnon
» cum alio præsentato cœtus ejusdem, nomine
» Lunar, qui Abulensis cœnobii moderator erat :
» Segoviæ vero consuluit P. Didacum de Yanguas.
» Hos vero inter Patres Dominicanos non deerant
» qui orationis in studio exercitatissimi essent;
» imo forte omnes erant tales : uti et alii nonnulli,
» quales, tot præsertim annorum spatio, hanc in
» rem minime defuerunt, præcipue cum tam va-
» rias ipsa in civitates ad monasteria fundenda se
» conferret. Multa ejus facta sunt pericula; nemo
» siquidem non avebat occasionem lucis illi dandæ
» nancisci : quo factum ut non ipsam modo con-
» firmarent, sed in sua de illa opinione etiam con-
» firmarentur. Quidquid scriptum et dictum hac-
» tenus, P. Dominico Bañezio, qui est is qui modo
» Vallisoleti agit et quocum frequentissime de suis
» rebus locuta est, legendum dedit. Cæterum ab
» ei se facile subjicienda erat alienissima qui
» omnia penitus a Deo censebat descendere : con-
» festim quippe timebat ne ambobus cacodæmon
» fucum faceret. Hinc libentius sua conferebat
» cum eo quem meticulosum videbat. Sicubi ullum D
» errandi periculum erat, in eo ut penitus secura
» esset, a se ipsa impetrare non poterat. Verum
» quam poterat diligentissime cavebat ne qua in
» re Omnipotentis Dei Numen offenderet; quin
» imo ut in re omni majoribus obediret, sedulo
» procurabat. Quibus duabus rebus, divina juvante
» gratia, tutam se ac securam fore credebat, etsi
» sibi alioquin dæmon imponeret. »

Ex bonis effectibus

66 De effectibus porro qui inde in animam suam dimanabant, hunc in modum loquitur : « Ex
» quo supernaturalia pati cœpit, semper mens ejus
» in id quod perfectissimum erat, consectandum
» ferebatur; atque ut plurimum incredibili quo-
» dam patiendi inardescebat desiderio : quin etiam
» in maxima tribulationum quibus exagitata fuit
» multitudine numquam non singularem consola-
» tionem sentiebat, et peculiari quodam erga eum
» a quo exagitabatur, amore ferebatur. Pauper-
» tatis erat et solitudinis amantissima, optabatque
» assidue hac lacrymarum valle emigrare, quo
» Dei sui conspectu frueretur. In omnibus spiritus
» sui rebus nihil umquam habuit quod non puris-
» simum foret et castissimum : imo ne existimat
» quidem (si modo bonus sit spiritus, et superna- E
» turale aliquid habeat) tale quid in eo subesse
» posse, quod nullam corporis sui curam habeat
» nec ejusdem meminerit, cum Deo totus vacet.
» Semper quoque maxime metuit Deum Domi-
» num nostrum offendere, ejusque voluntatem in
» omnibus exequi studet. Hoc numquam non
» ipsum rogat; atque, ut sibi quidem videtur, ita
» eidem firmiter adhæret ut nihil confessarii a
» quibus gubernatur, ei dicturi essent quod ad
» majorem Dei gloriam cedere putet, quin id-
» ipsum, Dei juvante gratia, sedulo exequeretur,
» spe et fiducia freta divinam illius Majestatem
» præsto esse iis qui generose aggredi proponunt
» ea quæ ad ipsius facere obsequium et gloriam
» videbuntur. Hinc non majorem rationem sui vel
» commodorum suorum habet, si modo cum hoc
» comparentur, ac si nihil omnino hæc esset. In
» quantum intelligere de se ipsa potest et illius
» etiam confessarii intelligunt, quidquid hæc charta
» complectitur, veritati consonum est; quod et
» omnium illorum adstrui confirmarique potest
» testimonio qui ipsam jam abhinc viginti annis
» familiariter tractarunt. Spiritus siquidem ejus
» ut plurimum in divinas ipsam propellit laudes, F
» velletque omnes omnino mortales iisdem cele-
» brandis, tametsi maximo suiipsius dispendio,
» insistere. Hinc salutis animarum nascitur desi-
» derium; et, cum videat quanta rerum omnium
» terrenarum sit vanitas, quamque sine contro-
» versia interiora omnia pretiosa sint, illa paulatim
» didicit ceu quisquilias proculcare. » Ante hæc
vero illa verba præmiserat : « Semper se æqua
» mente subjiciebat his quæ injungebantur, adeo
» ut non modice contristaretur, si quando in rebus
» illis supernaturalibus parere non poterat. Hinc
» tam ejus quam monialium quas instituit, oratio
» eo potissimum spectat ut ad Fidei Catholicæ au-
» gmentum (quam etiam ob causam primum suum
» fundare orsa est cœnobium) necnon ad privatum
» Ordinis sui bonum referatur. »

et aliis notis

67 Hæc Teresiæ a Jesu sunt verba, etsi nonnulla omiserim quæ alio opportuniori depromam loco. Illius porro epistolæ quam Teresia sibi a Magistro Avila, viro docto æque ac religioso, qui tantum fructum semper lingua sua fecit et scriptis suis facturus est, missam scribit, partem potissimam conspexi; quam descriptam ad me P. Gratianus Ulyssipone

A sipone transmisit. Hac ille genus orandi Teresiæ approbat, eamque de illo securam esse jubet, seque vel e raptibus quos in hoc de vita sua tractatu refert, asserit colligere signum quo veri raptus a falsis dignoscuntur. Idem illius est de visionibus et colloquiis cum Deo judicium, nimiæ illos pervicaciæ coarguentis qui id genus rebus ideo fidem adhibere nolunt quod iis ipsi careant vel quod eum cui eædem obtingunt, ad tantam non videant perfectionem obtigisse. Idem quoque suo testimonio confirmat Venerabilis P. Ludovicus Granatensis sub primæ partis Vitæ Magistri Avilæ finem : ubi cum quæ Teresia huic perscripserat, uti dictum est, retulisset, hæc addit : « Is cum plane rei factus » esset certior, rescripsit illi ut quiesceret firmis- » simeque crederet nullum suis rebus fucum sub- » esse, quod a Deo omnia proficiscerentur. Hanc » ejus epistolam vidi, sed his non insero, quia » nimis longum foret de rebus adeo spiritualibus » et sublimibus agere quæ omnium non sapiunt » palato. » Hactenus Ludovicus Granatensis, agens de spirituum discretione, cujus donum Deus concesserat Magistro Avilæ.

perspicue ostensum fuit

68 Incidi quoque in scriptum ab uno confessa- B riorum Teresiæ concinnatum, etsi certo hactenus rescire non potuerim a quo sit illud auctore con- *c* textum *c*. Verum, quia a prudenti et docto profectum videtur viro, qui rem matura ante discussione diutius et penitius inspexerit necnon universas ejusdem librarit circumstantias, tum vero quod iis quæ hic scribimus, facem præferat (quod omnia hic signa quæ ad ejus cognoscendum spiritum conferunt, uno veluti fasce complectatur), hoc loco id producam integrum ut reperi, nihil immutando, addendo, imo ne vel apicem auferendo; etsi hæc antequam Incarnationis cœnobio egrederetur et nova conderet domicilia, contigerint : postea namque sublimius multo evolavit.

Deum esse,

69 In hæc ergo verba auspicatur : « I. Prima » ratio. Dei finis est ut anima ad ipsum perveniat; » dæmonis vero eam a Deo abstrahere. Numquam » tales cuiquam Deus injicit metus ut a se recedat; » nec etiam tales dæmon ut ad Deum is perveniat. » Omnes etiam visiones, etc. Deo illam viciniorem, » necnon humiliorem, obedientiorem, etc. red- » dunt. II. Doctrina est S. Thomæ et reliquorum » Sanctorum, Angelum lucis e pace et quiete quam » in anima relinquit, facile cognosci. Numquam C » hæc illi obtingunt quin magnam pacem et sola- » tium in se sentiat, in tantum ut omnes mundanæ » voluptates simul junctæ cum vel minima spiri- » tuali comparari non posse videantur. III. Nul- » lum errorem vel imperfectionem habet quam » non reprehendat is qui ipsam interne alloquitur. » IV. Numquam hujusmodi quid ipsa poposcit vel » desideravit, sed tantummodo in omnibus Dei » voluntatem adimplere. V. Quidquid dicit, divinis » conforme litteris, doctrinæ ecclesiasticæ consen- » taneum et in rigore omni scholastico verissimum » est. VI. Ingentem animæ puritatem et munditiem » habet, ferventissima quoque desideria Deo com- » placendi, et propterea quidquid terrenum est, » pedibus conculcandi. VII. Dictum illi, quidquid » a Deo postulaverit, modo æquum sit, ab illo ipsi » concedendum. Petiit proinde ipsa quamplurima, » et talia quidem quæ ob prolixitatem litteris » brevibus nequeunt includi; et hæc illi omnia » Dominus dignatus est elargiri.

et haudquaquam diabolum,

70 » VIII. Quando hæc a Deo proveniunt, sem- » per ad bonum privatum, publicum vel alterius » cujuspiam diriguntur. De privato suo profectu » experientiam habet, uti etiam de aliorum plu- » rimorum profectu. IX. Nemo cum ipsa agit (nisi AUCTORE RIBERA. » forte male sit dispositus) quin rebus ipsius ad D » pietatem excitetur, etsi nullum ipsamet de his » verbum faciat. X. Quotidie in virtutum exercitio » fit perfectior, et semper ea quæ ad majorem » perfectionem tendunt, docetur. Hinc ipsa omni » illo quo hasce visiones habuit tempore quotidie » majus incrementum accepit, eo prorsus ritu quo » S. Thomas id prosequitur. XI. Numquam illi » novitates significantur vel res impertinentes, sed » tantum ea quæ ædificationem spectant. Aliquos » illi dictum est dæmoniis esse plenos, sed idcirco » dumtaxat ut intelligat quo in statu versetur » anima quæ mortali aliquo scelere in Deum pec- » cavit. XII. Dæmoni solemne est, si quando cir- » cumvenire animam gestit, suadere ut quidquid » illi oggerit, nemini manifestet : sed huic dictum » est ut cum viris peritis Deique cultoribus super » iisdem rebus conferat, et fraudi diabolicæ locum » esse posse, si has celaverit. XIII. His ipsa e rebus » tam eximium animæ colligit fructum et tam » bono prælucet exemplo ut quadraginta et am- » plius domus suæ moniales agant de arctiori soli- » tudine sectanda. XIV. Hæc illi contingere solent » postquam diutius in oratione hæsit, profundius E » in Deum fuit absorpta, vel illius amore inæ- » stuavit magis, vel denique cum Sacram Synaxim » adit. XV. Hæc illi vehemens injiciunt deside- » rium ut bene agat et ut diaboli fraudibus non » decipiatur.

qui in anima Teresiæ

71 » XVI. Profundissimam producunt in illa hu- » militatem, ut quidquid recipit, a divina se reci- » pere manu et a se ipsa perparum habere agno- » scat. XVII. Quando iis caret, quidquid illi se » offert aliunde, molestiam ac dolorem afferre so- » let : ubi vero illa ingruunt, tum omnem aliarum » memoriam rerum amittit, quin potius ingens » carum loco succedit patiendi desiderium, e quo » tantam elicit voluptatem ut se ipsa præ stupore » non capiat. XVIII. Hinc fit ut in laboribus, oblo- » cutionibus, persecutionibus, morbis gaudeat et » voluptatem sentiat; et licet variis morbis exagi- » tetur, utpote cardiacis doloribus, stomacho nau- » seabundo aliisque ægritudinibus plurimis, ubi » visiones hæ accedunt, illico illa facessunt. XIX. In- » terim tamen insigniter carnem emacerat, jejunat » crebro, carnem flagellis aliisque mortificationum » generibus atterit. XX. Quidquid in hoc mundo » aliquam illi afferre voluptatem potest, et labores F » quos pertulit plurimos, æquali mente patitur, » nullam pacis tranquillitatisque interioris jactu- » ram faciens. XXI. Tam firmum Dei non offen- » dendi concepit propositum ut se voto obligarit » nihil se quod ipsa intelligat vel alius quislibet, » qui id novit, indicet ad perfectionem majorem » tendere, omissuram, sed ipsum pro viribus exe- » cuturam. Ac tametsi ut sanctos habeat Socie- » tatis Jesu Patres, et Deus opera illorum tantum » ei gratiarum contulisse videatur, mihi affirmavit » se, si majoris nosset perfectionis esse cum illis » non tractare, nec allocuturam nec visuram esse » illos, tametsi illorum ope animæ tranquillitatem » nacta et in his rebus directa sit. XXII. Certum » est gustus et Dei sensus quos assidue recipit, » et ipsius animæ ex amore divino liquefactionem, » stupenda esse. Inde toto die velut in raptu agere » videtur. XXIII. Si quando de Deo quempiam » audit cum pietatis sensu ac fervore loquentem, » sæpe in mentis excessum rapitur; cui tametsi » conetur obluctari, minime potest : ac tum qui- » dem tali in situ manet ut magnum cunctis vi- » dentibus pietatis sensum ingeneret.

AUCTORE RIBERA. *mira operabatur.*

72 » XXIV. Ægerrime fert sua errata ab illis quibuscum agit, sibi non declarari nec se coargui. » Horum castigationem magna humilitate admittit. A » XXV. Ferre nequit ut qui in perfectionis sunt » statu, ei juxta Institutum suum procurandæ sedulo non incumbant. XXVI. Erga consanguineos » affectum plane exuit : est item ab hominum conversatione sectanda alienissima, solitudinis vero » amica; miro erga Sanctos affectu tenetur; sedulo » colit festivitates ipsorum ac mysteria quæ ab Ecclesia repræsentantur; denique eximiis erga Redemptorem Jesum fertur sensibus. XXVII. Si quilibet Societatis Patres ac quotquot ubivis terrarum » Dei servi sunt, diabolicas has esse præstigias » sibi dicant vel dicerent, ante illas visiones formidat ac tremit; verum, cum jam in oratione et » mentis recollectione versatur, etsi mille esset in » frusta concidenda, sibi penitus persuadere non » posset quin qui loquitur sibi aut apparet, Deus » sit. XXVIII. Tam fortem et generosum illi animum elargitus est Deus ut mirandum sit. Olim » meticulosa esse solebat; sed modo cacodæmones » omnes pedibus premit. Abest procul a mulie- » bribus ineptiis et a scrupulis; et est sincerissima. B » XXIX. Dedit illi insuper Deus suavissimarum » donum lacrymarum, magnam erga proximos » commiserationem, et suorum delictorum cogni- » tionem, æstimationem bonorum et sui contemptum. Asseveranter dico ipsam multis, ac mihi » imprimis, profuisse. XXX. Dei assidue recorda- » tur, eumque sibi præsentem sentit. XXXI. Nihil » illi umquam in raptu dictum est quin id ita » revera fuerit et adimpletum sit; atque id maxi- » mum est argumentum. XXXII. Hæc insignem » adferunt intellectui illius claritatem et admi- » rabile in rebus divinis lumen. XXXIII. Dictum » illi est, si Scriptura Sacra inspiciatur, comper- » tum iri numquam animæ quæ Deo obsequi stu- » deat, tanto tempore a cacodæmone impositum » fuisse. » Hæc sunt quæ hac scheda continentur eo modo quo hic ea attuli: omnia porro hæc esse verissima patet tum ex iis quæ dicta sunt hactenus, tum etiam ex iis quæ in posterum commemorabimus.

CAP. VIII. *Docet Sancta*

73 De orationis ejus vi ac fructibus loquar infra. Jam qua potero brevitate ea proponam monita quæ ad orandum ipsa præscribebat : hunc quippe librum iis velim prodesse qui eumdem lecturi sunt. Neque enim fieri potest ut sapientissimæ et versatissimæ, atque imprimis tam a Deo edoctæ et selectæ quæ tot animas electas edoceret, magistræ præcepta ac documenta utilitatem non afferant singularem. Idipsum et in aliis ejusdem virtutibus, ubi utile futurum animadvertero et aliquid dicendum occurrerit, facturus sum. I. Dicebat orationem regiam esse ad cœlos viam, et magnum per eamdem incedentes sibi thesaurum comparare; ac proinde nec magnum nec multum esse quo illam nobis constare arbitremur : venturum siquidem tempus quo ad oculum patebit quidquid demum ad rem tam pretiosam comparandam impendimus, nihil esse (Viæ perf. cap. XXI). Addebat insuper animam sine oratione esse ceu corpus quoddam paralysi ac membrorum languore obtorpens : nam ut hoc nullum manuum pedumque habet usum, etsi eosdem artus habeat, ita et animas quasdam ita ægras esse et male affectas ut ad se ipsæ ingredi non possint, quamvis natura sua opulentæ sint et cum Deo conversari queant; nec ullam iis huc revocandis suppetere rationem. Has denique animas, si sedulo advigilare et suo mederi morbo nolint, velut in statuas salis commutari, quod caput ad sese ipsæ non reflectant (Mans. I, cap. I).

74 II. Magni refert (quin imo hinc omnia dependent) firmiter secum et generose statuere non ante quiescere quam sibi illa aqua vitæ quam Dominus dat, in potum detur (hoc namque nomine passim orationem vocat supernaturalem, quam nostra nobis industria ac diligentia comparare non possumus *d*; etsi cæteroquin non ignoraret quodcumque orationis genus quod meritorium est, opus esse supernaturale, uti capite III jam diximus); contingat quodcumque velit, succedat quodcumque successurum est, labore constet quo constare possit, murmuret qui murmurare velit, eo petens pertingat vel ipso in itinere moriatur, animusque laborum in itinere occurrentium onere fatiscens deficiat, denique mundus turbetur et fremat procellas objiciens. Hoc sæpe ipsa inculcat, et quidem acriter ac vehementer (Viæ perf. cap. XXI). III. Etsi oratio alia vocalis sit, quæ ore fit, et alia mentalis, quæ intellectu et voluntate sine voce peragitur, si tamen oratio vocalis sit qualis esse debet, in eadem mentalis includitur : qui enim cum Deo loquitur, spectare debet quicum loquatur et quis ipse sit qui loquitur, ut norit nimirum qua ratione debeat se gerere coram tam potenti Domino et cum illo tractare. In his duobus punctis permultum situm est. Spectandum item quis Christus sit, quisnam Pater ejus, quæ regio ad quam nos sustollet, qualia etiam nobis promiserit bona, cujus ille conditionis sit, quo illi potissimum modo placere valeamus, et quo denique modo facturi simus ut nostra conditio suæ conformis sit. Hoc pacto scilicet mentalis vocali conjungitur : mentalis siquidem orationis est hæcce perpendere (cap. XXII). Atque inde fit ut qui vocalem hoc ritu orationem instituunt, sæpenumero a Deo ad contemplationem, licet nihil sentientes, sustollantur (cap. XXV).

quæ in oratione tum vocali D *d*

75 IV. Mentalem orationem quoslibet sectari par est, etsi nullas possideant virtutes : ipsa quippe omnium virtutum procurandarum principium est; et de vita omnium nostrum agitur, nisi ipsam colere incipiamus : verum, nisi virtutibus comparandis quis studeat, non sine summo labore eam quis sectari poterit (cap. XVI). V. In oratione solitudo melior est, quam sectatum Redemptorem nostrum constat, nobis ut exemplo præiret. Neque enim par est cum Deo simul et cum mundo colloqui : quemadmodum faciunt illi qui, dum orant, aliorum sermonibus intendunt vel de rebus oblatis cogitant, nulla sibi facta violentia (cap. XXIV). Hoc facto, F ante omnia conscientia examinanda est, præmittenda oratiuncula Confiteor, et crucis efformandum signaculum. Ut ergo quis se solum esse videt, socium sibi quærat; atqui nulla haberi melior societas potest quam Jesu Christi : eum ergo nobis adstantem imaginemur. Hunc si nobis præsentem habere assuescamus et ipse nos id ex amore facere nosque sibi sincere gratificari velle viderit, semper illum apud nos habebimus : et sane permagni refert talem semper ad latus amicum habere (cap. XXVI). Multo autem adhuc magis ipsa suadebat ut Deum in animæ nostræ penetralibus quæramus et consideremus : hoc quippe majoris est emolumenti. Unde dicebat necesse non esse consideratione in cœlum ferri vel extra nos longe excedere, cum id defatiget spiritum et animam distrahat, idque exiguo cum fructu (Vitæ cap. XL).

tum mentali

76 VI. Qui vero inter orandum cogitatione discurrunt, passionem et vitam Jesu Christi recolentes, vel de morte aut judicio extremo aliisque rebus hujusmodi meditantes, per viam adeo facilem qualis hæc est, eos haud dubie Dominus ad portum luminis deducet : neque enim potest nisi bonus finis tam

servanda sit methodus;

A tam læta initia excipere. Quotquot autem hac via incedere poterunt, miram requiem ac securitatem experientur. Hanc passionis Domini considerationem dicebat esse orandi modum quo omnes debeant incipere, pergere et finire, idque iter tutum admodum esse et præclarum; donec ad alia supernaturalia eos Dominus deducat. Addebat quoque non semper esse intellectu ratiocinandum, sed nos præsentes Christo imaginari quoque debere et sine ulla intellectus defatigatione cum ipso loqui et deliciari, nos non discruciando in orationibus efformandis, sed solum repræsentando illi necessitates nostras causasque ob quas nos patiatur; et quidem hoc uno tempore, illud alio, ne grave sit animæ unum et eumdem semper cibum degustare (Viæ perfectionis cap. XIX).

quomodo qui intellectum continere nequeunt,

77 VII. Qui hoc orare modo nequeunt, quod uni rei alligare cogitationem non possint, sed hæc instar equi effreni qui lupatis retineri nequit, huc illucque feratur, Dominum nostrum apud se statuant, et cum humilitate efflagitent ut se non deserat, sed sibi comes adhæreat. Si uno anni spatio nancisci hoc nequeant, longior mora impendatur; nec doleant tantum se impendisse temporis rei in quam

B tam bene impenditur. Huic igitur modo assuescere elaborent, et omnem dent operam ut Dominum sibi præsentem habeant et contemplentur. Si enim animæ convertere oculos possumus ad fœdissima quæque intuenda, quare ad rem qua nulla fingi pulchrior potest, conspiciendam eosdem non convertamus? Eum quandoque aspiciamus a morte redivivum, alias cruci confixum, interdum etiam columnæ alligatum, etc. vel prout magis necessarium fuerit. Hanc ob rem non parum proderit piam aliquam penes se habere Redemptoris imaginem eamque sæpius aspicere et cum ea colloqui. Per hanc viam aiebat citius aliquem ad contemplationem pervenire solere, modo in cœpto perseveret; sed addebat viam esse laboriosam et molestam : si enim desit in quo se exerceat voluntas, nec amor præsentem habeat in quem amando feratur, anima quodammodo manet sine sustentaculo et exercitio, gravisque illi redditur solitudo et ariditas, ac cogitationum varietas illam lancinat. Quamobrem ex hoc orandi modo animam aiebat vel magnum elicere emolumentum vel magnum dispendium; et quotquot hoc iter insisterent, majori illis opus esse puritate (cap. XXVI).

C *in orando gerere se debeant;*

78 VIII. Atque ut eos qui per modum discursus in oratione se tenere non poterant, violenter cogere nolebat ut hanc orandi rationem sectarentur, ita nec etiam volebat eos orationi sese dedere et in eadem morari, nisi ante attente perpendissent quanam de re ea esset instituenda. Hanc ob causam singulis noctibus, Matutinarum perlecto Officio, in choro aliquid legi jussit eorum de quibus postridie mane instituenda erat meditatio. Ipsa vero, cum orationi vacare cœpit, primis illis annis adeo non mente discurrebat ut aliquo in libello qui de Domini passione et aliis id genus rebus tractabat, aliquid legeret; cujus lectione et animus recolligi et paulatim voluntas moveri et affectibus concitari inciperet. Libri vero lectionem his idcirco consulit, ut cogitationem sensim colligant et animam paulatim per blanditias et industrias assuefaciant ut sese contineat, quin illam intimident; atque sibi persuadeant, cum multis annis a Sponso suo anima recesserit, necesse esse ut, antequam is in domum ejus reverti velit, cum illo agatur et ab eo impetretur ut illic denuo se sistat : quod ni fiat, et quidem pedetentim, nihil succedet; sed, si sedulo huic se rei assuescant, tantum inde fructum percipient ut quantus ille sit, si verbis exprimere vellet, id neutiquam posset (cap. XXVI). Addit insuper se Euangelii verbis, quæ suo Jesus Christus ore protulit, magis quam libris optime compositis moveri et mentem recolligere solere (cap. XXI).

AUCTORE RIBERA.

D

quam utilis sit consideratio sui et Dei

79 IX. Nolebat animam, etiam perfectissimam et sublimissimum orandi modum nactam, sui ipsius considerationem intermittere et sui nihili oblivisci; quin potius suadebat ut in sui cognitione sese exerceret. Aiebat hanc sui ipsius et peccatorum a se commissorum cognitionem esse ceu panem qui in hac orationis via ad omnia etiam delicatissima addi debeat, et sine panis hujus præsidio sustentari neminem posse. Nolebat tamen hac una semper animam via incedere et idcirco considerationem Dei intermittere : quin potius hominem aiebat consideratione Dei melius ad sui ipsius cognitionem perventurum. Ubi enim divinas perfectiones consideraverimus, nostra peccata et imperfectiones melius perspiciemus; sicut albedo nigredini apposita longe apparet albior. Accedit quod intellectus noster et voluntas nobilitantur et ad omne bonum redduntur paratiores modo cum Deo modo secum tractando. Deinde si numquam miseriarum nostrarum sordibus emergamus, semper vanorum timorum, pu- E sillanimitatis inertiæque cœno flumen turbidum erit, atque animæ magnum damnum accedet (Mansione I, cap. II, et Vitæ cap. XIII).

necnon Humanitatis Christi;

80 X. Desiderabat adhæc ut omnes Jesu Christi Humanitatem meditarentur, et ejus consideratio numquam, etiam sublimissimo orandi modo acquisito, intermitteretur. Unde ipsam non parum pœnitebat quod aliquantulo spatio temporis hujus considerationem altiora meditatura neglexisset. Dicebat enim vitam esse longam et varios in eadem subeundos labores, ac propterea esse nobis ad exemplar nostrum Christum Jesum, quo eos perfecte feramus, identidem respiciendum. Atque adeo firme hoc sibi infixerat et tali aliis inculcabat vi ut diceret omnes, etiam in rebus spiritualibus versatissimos, esse impares ad aliud sibi persuadendum (Mansione VI, cap. VII). XI. Multum suadebat, et magna quidem vi, ne quis orationis exercitium linqueret sive ob falsam humilitatis speciem sive ob peccata commissa sive ob aliam quamlibet causam : dicebatque animam eo pacto extremam sibi accersituram esse perniciem; contra vero, si orationi sese applicet, saluti id sibi fore : sicut id in se ipsa experta erat, et cum orationem intermisit, et cum F eam resumpsit. Unde ait omnium tentationum quas umquam habuit, illam fuisse gravissimam quod orationem intermiserit (Vitæ cap. VII et VIII).

orationem non esse omittendam ob ariditates,

81 XII. Maxima etiam persuadere contentione nitebatur ne qui se ad orationem adjungunt, in ejus exercitio defatigarentur, neu ob mentis ariditatem in ea torperent, neu ad orationis apicem se aliquando posse pertingere desperarent. Dicebat enim Dominum interdum sero admodum venire, et non minus bene tum longiorem moram coacervata mercede compensare quam si jugiter multis annis aliquid dedisset : se namque quatuordecim et amplius annis non aliter quam e libro antea aliquid prælegendo meditari potuisse (Viæ perf. cap XVII). Commiserari se dicebat eorum qui hanc in orando perseverantiam non præferrent. Hos nempe similes aiebat iis qui vehementi cruciati siti aquam eminus conspicantur, sed cum ex eadem bibitum eunt, incidunt in inimicos qui et initio viæ et in medio et circa finem eos progredi vetant : sæpe contingit ut, cum laborando primos hostes debellarint, a secundis se superari patiantur, et siti emori malint quam bibere ex aqua quæ adeo caro stare debet; fit etiam ut, se-

AUCTORE RIBERA.

A cundis profligatis, a tertiis deinde se expugnari sinant, quod vires eos deficiant, cum fortasse vix duobus passibus absint ab illius aquæ vivæ fonte, ex qua, uti Redemptor Samaritanæ ait, qui bibiturus esset, non sitiret amplius (Joan. IV, 13); contingere demum poterit ut, cum eo pervenerint ut non nisi inclinandum corpus videatur ut e fonte bibant, sibi vires deesse et huic se rei ineptos esse rati, omnia quæ bene cœperant, momento simul intermittant. Aiebat omnes a Domino ad bibendum vocari et invitari, et omnibus illum aquam se daturum spondere, ac indubitate se credere aquam hanc vivam minime defuturam iis qui in via deficientes non hæserint. Adhæc diversimode ea aqua a Domino potari eos qui sequi illum volunt, ne quis ab eo non recreatus recedat neu præ siti moriatur. Nimirum e capaci hoc fonte varii profluunt rivi, alii magni, alii parvi, et interdum nonnisi quidam in parvulorum usum elices, siquidem aquula illa iis sufficit; qui si multum aquarum ante se viderent, nimium eisdem percellerentur. Cum in hoc itinere numquam desit consolationis aqua, cupit Teresia ut sibi bene consulenti credatur et nemo in oratione deficiat, sed quasi generosi pugiles decertent,

B ut vel in ipsa conquisitione vitam ponant (cap. XIX).

nec gustus in ea quærendos,

82 XIII. Malum ad ulterius progrediendum principium et rem profectui in oratione perquam noxiam reputabat, si quis eam capesseret ob suavitatem ac consolationem quam inde se putabat accepturum. Quin imo experientia se nosse aiebat, animam quæ hanc orationis mentalis viam bono cum proposito ingreditur et hoc a se impetrare potest ut parvi ducat et nec consolationem nec desolationem habeat, sive suavitas et teneritudo sibi adsit sive desit, jam magnam sui itineris partem confecisse, nec metuendum illi esse ut retrocedat, etsi interdum cespitet; eo quod solidum ædificii hujus positum sit fundamentum. Acerbum illi erat, si quos eruditos et boni ingenii viros expostulantes audiret sibi a Deo devotionem negari; atque hoc insignem imperfectionem et exiguam mentis libertatem esse aiebat : cujus hanc potissimam causam credebat esse quod orationis iter non eo quo dictum est proposito inchoassent (Vitæ cap. XI). XIV. Dicebat eum qui orationi se dare incipit, cogitare debere se hortum in sterili quodam solo nonnisi lolia proferente inchoare : quare illum, hisce evulsis et illorum loco bonis herbis insitis, instar seduli hortulani

C debere operam dare ut novæ illæ plantulæ crescant, et easdem irrigare, ut non exarescant, sed flores odoriferos emittant, e quibus qui easdem plantavit Dominus voluptatem hauriat et sæpe in hunc hortum sese oblectatum veniat. Quamobrem non alium orationis esse finem quam majorem Dei gloriam, obsequium et voluptatem volebat (Ibid.).

sed profectum spiritualem

83 XV. Tradebat præterea eum qui in oratione ariditatem mentis experitur, persimilem esse illi qui aquam e puteo ad hortum hunc irrigandum hausturus, puteum exaruisse comperit. Is tamen propterea languere non debet, sed impigrum hortulanum imitatus, omnibus quidquid potest nervis efficere. Quod si fecerit, hauddubie sine aqua Dominus has plantulas et flores fovebit, id est, virtutum germina sine lacrymis, sine teneritudine et sine devotionis sensu faciet excrescere. Atque ubi viderit sæpius se situlam in puteum frustra injicere, imo ne vel brachia se posse ad eam injiciendam attollere, id est, ne unam quidem habere bonam cogitationem posse, gaudeat et lætetur, singularis gratiæ loco ducens in tanti se posse Imperatoris horto operari; et expectans perseveret, ut qui probe perspectum habeat hoc ipso se summam illi voluptatem afferre. Nec vero tam spectare de- D bet ut sibi ipsi oblectationem pariat quam ut Deo : quin imo in illius laudes generose prorumpat, quod tantam de se conceperit fiduciam; cum se vel sine mercede ulla tam sollicite curare videat quæ sibi ipse injunxerit et in cruce ferenda auxilio illi sit, cum nimirum videat totam ipsius vitam in eadem transactam esse : nec hoc in mundo regnum suum habere velit; quin etiam secum statuat, quamvis tota vita hanc mentis ariditatem experturus esset, non sinere ut Christus cum cruce sua prolabatur : venturum siquidem tempus quo Omnipotens simul omnem mercedem ipsi persoluturus sit; ne vereatur proinde, quasi omnis labor incassum futurus sit, cum bono serviat Domino, a quo continenter observatur. Unde etiam alienas et pravas cogitationes parum moretur oportet, cum et S. Hieronymo easdem cacodæmon in deserto objecerit. Asserebat autem hunc laborem, etiam in hac vita, luculenta a Deo mercede aliquando compensandum, et se vel unius horulæ gustu a Domino communicato omnes quas diuturno temporis spatio, quo se in orationis exercitio contineret, passa erat angustias, affatim sibi persolutas credere : quin imo magna hic opus esse diligentia ad mala- E rum etiam minimarum herbularum quæ in anima remanserant, radices evellendas; et utile imprimis fore nostrum nihilum agnoscere, et quam parum a nobis ipsis tam hac in re quam in reliquis omnibus possimus, nosque coram præpotenti Deo humiliare (Ibid.).

vel ex ipsis ariditatibus eliciendum;

84 XVI. Dicebat item ariditates et tempestates has sæpe sub initium ejus temporis quo anima se primum orationis exercitio applicat, alias vero circa finem, cum multis tentationibus immitti, quod per illas probare Deus velit eos qui se diligunt, et scire num bibere suum possint calicem et sibi in cruce ferenda auxilio esse, antequam majores in ipsos thesauros effundat; simul etiam ut ipsi agnoscant quam parum ex se sint : quæ enim postea elargitur dona tantæ dignitatis sunt, ut, antequam hæc in eos effundat, suam ipsos velit miseriam per experientiam cognoscere. Addebat permagni interesse ut nemo se ob ariditates et distractiones cogitationum affligat, si modo spiritus nancisci libertatem velit et non perpetua in tribulatione versari; simul etiam ut crucem incipiat non timere : tum quippe videbit quomodo sibi in illa ferenda auxilio Christus futurus sit, quo ipse gaudio fruiturus, denique quodnam ex omnibus emolumentum percepturus (Ibid.). XVII. Experientia se nosse aiebat ariditates et distractiones has sæpe a corporis indispositione et temporum mutatione et humorum immissione ortum habere : cum autem hujuscemodi e rebus oriuntur, multo deterius esse dicebat animam violenter in oratione continere velle; id quippe nihil esse aliud quam eo ipsam cogere velle quo nequit pertingere, eamque suffocare : tum vero esse consultum orationem in aliud tempus rejicere, et lectioni aut exterioribus charitatis operibus insistere; ubi vero ne hoc quidem fieri potest, corpori esse ad Dei gloriam serviendum, ut id animæ postea serviat, et sanctam sanctæ conversationis aut alterius rei similis recreationem capiendam (Ibid.).

F

ad orationem supernaturalem consequendam

85 XVIII. Orationis hujus mentalis a supernaturali, id est, ab illa ad quam industria nostra pertingere non possumus, atque a contemplatione discrimen hac similitudine declarabat. Oratio quæ fit intellectus discursu, quantovis studio fiat, aquam per terram proserpentem haurit, eamque non bibit e suo fonte; nec unquam in hac via desunt res lutosæ

A lutosæ quibus detineatur adeoque non ita pura fiat : cogitando quippe incidimus in res mundanas, erga quas afficimur; quas tametsi fugere velimus, aliquod saltem nobis impedimentum adferunt, dum cogitamus quomodo factum sit, quomodo futurum sit, quid egerimus, quid facturi simus : sæpe etiam periculum est ne iis affectu adhærescamus. At in oratione supernaturali illico animam Deus apud se statuit, et momento unico plures ei revelat veritates et clariorem ei infundit ejus quod totum est cognitionem quam ne multis quidem annis hic habere posset; et vivam suo in fonte hic bibit aquam (Viæ perf. cap. XIX). Alio vero loco sic scribit : « Magnitudo illius ei loquitur, intellectum suspendens, cogitationem ceu vinculo retinens, et (uti » vulgo dicitur) verba ex ore auferens : nam » quamvis loqui velit, minime potest nisi summa » cum difficultate. Et intelligit sine verborum » strepitu divinum hunc Magistrum sibi loqui; ac » dum potentias ille suspendit, hæ fruuntur quin » sciant quomodo fruantur : anima amore inardescit, et nescit quomodo; amat, et nescit quomodo eo fruatur : etsi bene intelligat non talem » esse fruitionem ad quam ardentibus desideriis
B » pertingere intellectus queat. Voluntas denique » ipsum amplectitur, non intelligendo tamen quomodo : cum vero aliquid horum comprehendere » potest, videt non tale id bonum esse quod ullis » laboribus queat comparari, etsi vel omnes quotcumque in terra reperiuntur, ad ipsum lucrifaciendum juncti forent. Donum nempe est Dei, » cœli terræque Domini, qui ipsum concedit in » quantum Dominus est. Hæc, filiæ meæ, perfecta » contemplatio est. Jam intelligetis, puto, quod sit » hanc inter et mentalem orationem discrimen; » quæ, uti diximus, est cogitare et intelligere quæ » loquamur et cum quo loquamur, quales etiam » ipsi simus, quibus ea sit audacia ut cum tam » potenti colloquamur Domino. Hæc aliaque id » genus de exiguo quod illi præstitimus obsequio » et maxima quam ad ei serviendum habemus » obligatione cogitare, oratio dici mentalis potest. » Nolite putare id ceu linguam quamdam exoticam esse, nec ipsum vos nomen percellat : in hac » quidem aliquid ipsæ a nobis, Dei succurrente » gratia, possumus; sed in ea quam dixi contem» platione nihil plane. Illius siquidem Majestas » præstat omnia; cum illius solius opus, et ipsum
C » plane supernaturale sit » (cap. XXV).

humilitate

86 XIX. Ad hanc orationem supernaturalem neminem non invitat, et animum universis addit ut insigni generositate illi comparandæ insistant, etsi ipsos in ejusdem comparatione vel emori contingat, et spondet, si modo non defatigentur aut segnescant, eam hauddubie, ut jam ante vidimus, ab illis impetratum iri. Sed ut quis eam obtineat, eum serio vult ante comparationi virtutum insignium et imprimis humilitatis studere, nec non in laboriosis divini obsequii operibus sese exercere et magno ardore illi se offerre : quod qui non fecerit, toto vitæ tempore nonnisi in oratione mentali hærebit. Nonnumquam tamen ait contingere ut eos etiam Dominus qui in virtutibus imperfecti sunt, imo et eos qui in malo sunt statu, ad contemplationem sustollat, quo eos hoc pacto ad se pelliciat; verum id nonnisi rarissime fieri, neque id etiam diuturnum esse, nisi hanc Dei gratiam in suam utilitatem convertentes hoc e statu egrediantur, Deoque se totos devoveant, uti jam ante ostendimus (cap. XVI).

atque abnegatione

87 XX. Dabat et alia duo documenta, eaque certissima et utilia imprimis, iis qui orationem supernaturalem desiderant. Primum est, ne nostra sponte ad hoc orandi genus ascendere studeamus; hoc enim qui faceret, incassum sudaret, seque ipse perderet : Dei enim solius est huc nos sustollere (Vitæ cap. XII). Quin potius Redemptoris consilium secuti, infimum sectemur locum, nos etiam eo quod habemus, indignos arbitrati, nec postulantes ut nos altius evehat; sed potius totos nos in manus ipsius consignemus : novit siquidem ipse quid nobis conveniat. Verum mortificationi et humilitati veræque rerum omnium abdicationi impensius vacare studeamus : nam per hoc iter si ingrediamur, ad hanc ipse nos orationem sustollet. Potius eo semper contenti simus quod de nobis visum Deo fuerit statuere; atque hoc humilitatis est (Viæ perf. cap. XVII). Proinde suadebat ut bonitati Dei confideremus, qui numquam suis deest amicis, et, clausis oculis, non cogitaremus cur huic tam pauco tempore devotionem concedat, nobis vero eamdem per tot annos deneget : omnia enim ad nostrum bonum contingunt. Cum vero non amplius nostri simus, sed toti ipsius, quocumque nos demum ille conducere voluerit, haud inviti sequamur (Vitæ cap. XI).

AUCTORE RIBERA.

D

imprimis opus esse;

E

88 XXI. Alterum vero est, ut qui ad hanc orationem nondum pervenerunt vel pertingere nequeunt, non indigne id ferant neve animum despondeant. Neque enim eadem omnes Deus via conducit; et fortasse qui se omnium crediderit infimum, ante oculos Dei supremum occupabit locum : quin etiam supernaturale hoc orandi genus minime est ad salutem necessarium, neque hoc a nobis Deus requirit; nec propterea hi minus perfecti erunt, si modo virtutibus sedulo incumbant. Imo fieri poterit ut majora promerituri sint, quia majorem molestiam subeunt, et eos Deus veluti fortes deducit, et illa quibus hic non fruuntur, in futuram ipsis vitam omnia simul reservat. Considerent insuper veram humilitatem in eo sitam esse ut contenti sint eo quod de ipsis Deo visum fuerit disponere : neque enim bona ea humilitas est, si electionem ipsi faciamus; sed Deo omnia committenda sunt, qui exploratum habet quo unumquemque sit loco constituturus. Ecquod vero evidentius Dei erga se amoris habere argumentum volunt quam quod suæ eos crucis reddat participes; cum singulare id lucrum sit nostro nolle arbitrio jacturæ metu lucrari? Numquam enim jacturam incurrere sinet Deus illum qui bene mortificatus fuerit, nisi ut majus inde emolumentum sequatur (Ibid.).

F

omnem denique orationem

89 XXII. Aiebat denique orationem, etiam sublimissimam, semper ad operum praxin referri debere, quibus amorem quo erga Deum ferimur, testemur : non satis esse rati quod orationi incumbamus et frequentes consolationes et insignia Dei charismata habeamus; sed ea faciamus oportet quibus illi egregium obsequium præstemus et difficilia virtutum exerceamus opera : atque hæc demum veram esse notam qua colligas orationem bonam esse, et gratias quæ communicantur, a Deo descendere. Dicebat insuper eum qui mortificationi, humilitati reliquisque virtutibus non studeret, etsi vel diutissime orationi incumbat, parvum semper mansurum, et adeo non fore ut ad majorem altitudinem excrescat ut ea etiam quam habebat, minuenda sit; atque animæ profectum non tam situm esse in sæpe de Deo cogitando quam in eo ardenter diligendo : hunc porro amorem firmo pro Deo operandi et patiendi proposito comparari (Mans. VII, cap. IV).

ad practicum Dei amorem referri oportere.

90 De hac illa materia in quadam ad P. Gratianum epistola sic scribit : « Quod ad interiora illa » spiritus, illud sane certius et acceptius est quod » meliores in nobis relinquit affectus. Non hic » quædam

AUCTORE RIBERA.

» quædam intelligo desideria quæ illico nobis innascuntur : etsi enim illa bona sint, interdum tamen non sunt talia qualia nobis amor proprius depingit. Affectus dico operibus confirmátos, atque ut desideria quæ honoris ac gloriæ divinæ promovendæ sentimus, manifeste appareant in eo quod seriam gloriæ hujus rationem habeamus, memoriamque et intellectum nostrum in illi gratificando penitus occupemus. Hæc namque vera est oratio, non vero blandimenta aliqua quæ mentis palato arrideant. Equidem aliam orationem non desiderem præter illam quæ me in virtutibus faciat proficere. » Finem porro non reperiret narratio, si universa quæ oraturis præscripsit monita huc afferre velim. Hæc tamen religio mihi fuit prætermittere, quod perutilia sint iis qui orandi studio aut jam tenentur aut saltem teneri desiderant. Alia vero plurima quæ particulares orandi modos spectant, ac proinde nonnisi paucissimorum sunt, studio omisi, ut quibus necessaria sunt, in Vitæ ejus aut Mansionum libro ea legant, ne hic æquo sim prolixior.

ANNOTATA.

a *Pretiosum hoc documentum exstat integrum tom. I, epist.* 19.

b *In exemplo Riberiano (sphalmate, ut videtur, typographico) hic omissæ sunt sequentes voces, quæ in præfato integro exemplo reperiuntur et quæ necessariæ sunt ad justum conficiendum sensum :* que era lector en Avila. Con el P. Maestro Fray Domingo Bañez. *Ibañezius decennio antequam Sancta hæc scriberet, e Vita excesserat, ut patet e num.* 291 *Comm. prævii; Bañezium vero anno* 1575 *Vallisoletano collegio præfuisse docet Echardus in Script. Ord. Præd.* (*pag.* 352), *idque confirmant verba S.* Teresiæ *mox* (*num.* 65) *secutura. Quare genuinum textum Teresianum hic restituimus.*

c *De eo scripto, quod constat* 33 *articulis, egimus in Comm. prævio, num.* 292 *et* 293. *Ad argumenta quæ illic protulimus ut hi asserantur S. Petro de Alcantara, adjici potest decretorium ex Anno Teresiano* (*t. VII, pag.* 154); *ubi affirmatur repertum fuisse in monasterio Incarnationis id S. Petri scriptum, quod responsum continet ad exhibitam a S.* Teresia *præclaro huic moderatori vitæ suæ Relationem, eam nempe quam Ribera promit initio ultimi hujus libri capitis et quæ poni quoque solet inter Sanctæ Epistolas tomo II loco* 11. Ex hujus Relationis visceribus, *dicit Annus Teresianus,* hausit S. Petrus 33 rationes, doctrinæ subnixas S. Scripturæ et S. Thomæ, quibus S. Teresiæ spiritum approbat.

d Teresiam *hoc sensu orationem supernaturalem vocare etiam advertit Ill. Bossuet in sua Instructione de diversis orationis statibus* (*lib.* VII), *in qua contra pseudomysticos et Molinosii discipulos* Teresiæ *auctoritatem sæpe mutuatur; atque id pariter facit in suo opere cui titulus :* Mystici in tuto.

CAPUT V.

S. Teresiæ fides, spes et in Deum caritas.

CAP. IX. *Fides* Teresiæ

Attingendi virtutes ejus nunc tempus est, postquam fuse de oratione, quæ virtutum parens est, jam tractavimus. Cum vero omnium ipsarum fundamentum sit fides, ab ea ducamus initium : quamquam pluribus huic immorari non sit necesse; cum quæ a rebus mundi affectum omnem exuerat ac pro divino obsequio animarumque salute tam impigre laborabat, non id aliter facere potuerit quam per maximam et veritatibus ac bonis supernaturalibus confirmatissimam fidem. Etsi autem evidentem hanc rationem non haberemus, duo dixisse nobis sufficeret. Primum, tam singulariter hanc illi virtutem a Deo datam ut nullam umquam tentationem adversus eam in animo senserit, prout ipsius manu in scheda exaratum testimonium fidem faciet. Secundum, ipsam sua monasteria, tam primum quam reliqua omnia, ad fidei augmentum fundasse, et ut continenter in iisdem fierent pro hæreticos oppugnantibus et Fidem Catholicam propugnantibus preces, jejunia et corporis afflictiones. Tam ingens quippe illius erat fides ut crederet sese omnibus persuadere hæreticis posse a vera illos fide aberrare. Hinc dicere solebat, quo minus fidei intelligebat mysteria, eo illa se magis credere et majorem sibi pietatem ingenerare; quin imo se gaudio repleri quod ea intellectu non comprehenderet, atque se eo magis ad pietatem excitari.

firma,

92 Etsi cum viris eruditione præstantibus semper ageret, numquam tamen ab horum quopiam est percontata quomodo hoc vel illud Deus fecerit, vel quomodo id esse possit; imo talia ne scire quidem desiderabat. Nihil illi aliud opus erat quam cogitare : « Deus fecit omnia. » Hinc etiam non habere se dicebat unde obstupesceret, sed unde Deum laudaret. Dicebat adhæc, si quid eorum quæ orationis tempore videbat vel percipiebat, ad aliquid fidei contrarium vel legi divinæ repugnans ipsam perpulisset, minime sibi necessarium futurum doctores consulere aut examina adhibere; quia confestim collegisset a cacodæmone id suggestum fuisse. Capite Vitæ suæ XXXIII hæc scribit : « Magno cum tremore ad me veniebant, dicentes et periculosa esse tempora in quibus ageremus, et fieri posse ut apud Inquisitores me quis deferret et insimularet. Ineptum plane et ridiculum id mihi videbatur : numquam enim hac in re aliquid timui; sciebam quippe me, in rebus ad fidem spectantibus, potius millies etiam pro minima S. Ecclesiæ cæremonia aut aliqua S. Scripturæ veritate mortem subituram fuisse, quam me quis contra eam peccantem aut delinquentem vidisset : unde dicebam non esse quod quoad hanc partem de me metuerent. Vere quippe miserum animæ meæ fuisset, si quid in ea fuisset ob quod, ne in Inquisitorum manus inciderem, timere debuissem : nam si quid tale in me deprehendissem, ultro ad hos ipsa concessissem. » etc.

simplex,

93 Atque uti id de se scripsit, sic etiam præstitit sponte sua, non aliam ob causam quam quod, si a recto deflecteret, revocari in viam optaret; prout ipsa Hispali in commentario rerum suarum scripsit. Nimirum Franciscus de Soto y Salazar, de sacris Inquisitoribus unus (qui deinde Salmantinus episcopus decessit), cum Abulam perrexisset, hunc ipsa de omnibus spiritus sui rebus consuluit, idque ea quam diximus intentione : verum is, hoc ad suum tribunal spectare negans (cum quidquid ipsa videret et intelligeret, hoc ipso magis in Fide Catholica confirmaretur), suasit ut suis de rebus cum Magistro Avila conferret, et quod is censeret, eo ipsa acquiesceret. Quidquid etiam de vitæ suæ ratione et orandi modo scriptis crediderat, Dominico Bañezio tradidit, ut id ipse sacræ Inquisitionis consilio offerret : quod scriptum cum multo tempore apud Gasparem de Quiroga Cardinalem Toletanum, ejusdem consessus præsidem, mansisset, demum omnium qui id inspexere calculo approbatum, hoc ipso anno MDLXXXVIII lucem adspexit *a*.

a

viva,

94 Magna anima ejus consolatione perfundebatur, quotiescumque considerabat Ecclesiæ se esse filiam;

A filiam; uti liquido patuit, cum ad extremum vitæ terminum venisset : nam tunc sæpius id repetebat, uti libri tertii capite postremo dixi. Inde ortum habebat singularis illa reverentia qua ferebatur non erga Sacramenta solum, sed et erga sacras imagines et ecclesiasticum Officium, quod intimo pietatis sensu persolvebat, imo et erga omnes Ecclesiæ cæremonias, etiam minimas; quin etiam erga grana ac rosaria benedicta, qualia semper penes se habebat et a suis gestari volebat, utque Indulgentias tum Ordini proprias tum alias lucrarentur. Exprimi non potest quam mirabiles effectus ex aqua lustrali experiretur ob singularem qua in ipsam ferebatur fidem : de qua Vitæ suæ capite XXXI sic locuta est : « Sæpe probavi et vidi nihil esse quod » diabolos magis in fugam compellat ad amplius » non revertendum, quam aqua lustralis : a cruce » quidem fugiunt, sed quamprimum redeunt. Unde » efficio magnam haud dubie aqua lustralis virtu- » tem esse. » His tamen verbis efficere non vult nec statuere cruci minorem ad effugandos diabolos quam benedictæ aquæ efficaciam inesse, cum nimirum in aliis secus contingere queat; sed id tantummodo commemorat quod sibi interdum con- B tigit.

animosa,

95 Deinde vero sic scribit : « Mihi singularis » et patentissima quædam animæ consolatio est » eam sumere : hoc certum est, me communiter » et ut plurimum ex illius sumptione eam recrea- » tionem sentire quam verbis non possem expo- » nere, necnon internam quamdam delectationem, » quæ totam animam meam vegetat et recreat. » Non est hoc somnium aut res quæ mihi non » nisi semel accidit, sed quæ frequenter, et ad » quam serio animum adverti : dico id perinde » esse ac si quis, valde æstuans et sitiens, aquæ » frigidæ haustum biberet, unde totus homo re- » frigerari videtur. Mecum ipsa subinde perpendo » quam magni facienda sint omnia quæ ab Ecclesia » instituta et ordinata sunt; et summopere gaudeo, » cum tantam verba hæc vim habere video ut » eam etiam aquæ indant, quo tantum sit inter id » quod benedictum est et quod benedictum non » est, discrimen. » Si quando audiret dicentes optare se ut eo vixissent tempore quo Christus in mundo degebat, apud se dicebat, cum eum in Sanctissimo Altaris Sacramento præsentem haberent, quid aliam præsentiam exquirerent. Hinc ipsa spa- C tio plurimorum annorum, quoties augusta Eucharistiæ obiret Mysteria, ea non minori accipiebat reverentiæ sensu quam si corporeo schemate in cellam suam intrantem eumdem Dominum conspexisset.

humilis.

96 Quoad res fidei hoc ipsa documentum initio commentarii in Cantica præscripsit, quo loco de quadam libri illius sententia quam non intelligeret (quam etiam non intelligere magnam illi consolationem afferebat) in hæc scribit verba : « Quia, filiæ » meæ, non est necesse animam tam multa videre : » nam quæ curto ingenii modulo hoc in mundo com- » prehendere valemus, eam nec tantum videre nec » tam revereri Deum faciunt quam ea quæ nullo » modo valent intelligi. Quapropter serio vobis » commendo, ut, cum aliquem legeritis librum, » vel concionem audieritis, vel aliquod fidei nostræ » mysterium cogitatione perpenderitis, quod facile » percipere non potestis, vos non torqueatis nec » cogitatione intensa in intimum illius sensum » penetrare velitis. Multa siquidem sunt quæ a » mulieribus nequeunt intelligi, imo ne a viris » quidem. Si quando Domino visum fuerit ut in- » telligantur, Majestas ejus ea facit intelligere, » quamvis nullum laborem homines huc confe- » rant. Hæc tam de mulieribus quam de viris qui D » eruditione sua veritatem propugnare non debent, » dicta volo : nam eos quos Dominus ad id vocavit » ut nobis ea declarent, his studere debere per- » spicuum est; quod ipsis etiam in meritum cedit. » Nos vero mulieres simpliciter admittere par est » quæ Dominus nobis dignatus fuerit conferre; » quæ vero negavit, his mentem non discruciare, » sed lætari, ubi ad animum revocaverimus tam » potentem nobis Deum ac Dominum esse ut vel » unicum verborum ejus sexcenta in se mysteria » comprehendat, nos vero hujus ne initium qui- » dem percipere. »

CAP. X. *Spes ejus solida.*

97 Qualem habuerit spem et quam ea solide et firmiter radicata esset, pluribus opus non est ostendere : nam cum spei fundamentum, Apostolo testante (Hebr. XI), sit fides, jam videre est quam solide illa niteretur, tam bono fundamento inædificata. Deinde e magna illa lætitia quam in maximis sentiebat laboribus, sicuti post dicturus sum, necnon ex ingentibus atque arduis quæ aggrediebatur operibus, neminem non videre existimo quam viva in præcordiis ejus spes efflorescceret. Quamobrem satius fuerit de ejus erga Deum loqui charitate : E etsi (si verum est quod docet S. Gregorius et fatentur omnes, nempe opera esse amoris tesseram) quæ tantum præstitit, quæ usque eo elaboravit, quæ pro Dei gloria tam multa subiit, præsertim inter tot obstacula ac persecutiones, in tanta rerum penuria totque morborum incommodis, iisque gravibus admodum et prope quotidianis, quam illius amor succensus fuerit oportet! Libri quos scripsit (nam ex abundantia quam in corde habebat, non poterat non loqui) ardentibus scatent desideriis quibus divinam promoveri optabat gloriam. Hinc de bonis Dei pergaudebat, et quoties in Symbolo audiebat regni Christi non fore finem, maximo in seipsa gaudio perfundebatur.

Amor in Deum ardentissimus,

98 Repleti sunt libri ejus et aliis desideriis, imprimis moriendi, ut ad dilectissimi sui admitti conspectum posset : unde in hoc mundo quotidie moriebatur, cernens se vivere debere, et non ante fieri posse ut Dei conspectu frueretur quam mors ipsam hoc carcere educeret, neque hanc sibi procurare licere, sed tamdiu esse expectandam quoad Omnipotens eam mittere dignaretur. Unde moriebatur quod nondum moreretur, et vivere volupe illi esse non poterat, imo grave illi erat; nec aliter F vitam se ferre aiebat quam quod illam Deus ferret. Quare quoties horæ signum dabatur, apud se gaudebat quod tantillum Deo videndo se propiorem reddi crederet. Imo vero non poterat quin mortem ab Altissimo ardenter expeteret : hinc capite XLII Viæ perfectionis, in exemplari manu exarato, hæc (quæ in editis nonnullis desunt) habet : « Vos vero, » filiæ, petite ut quidem vobis videbitur; equidem » nullum vivendo remedium comperio : hinc a » Domino ardenter efflagito ut me ab omni malo » liberet in perpetuum. Ecquodnam, quæso, so- » rores, in hac vita bonum reperimus, cum tam » magno careamus bono et ab ipso absentes si- » mus? Libera me, Domine, ab hac umbra mor- » tis, » etc. Subnectit vero : « Libera me » jam, Deus meus, ab omni malo, ac dignare » me ad ea perducere loca quæ omnigenis re- » dundant bonis. Quidnam, obsecro, hic amplius » expectent illi quibus jam ex parte manifestasti » quid sit mundus, quique vivam habent fidem » eorum quæ ipsis a Patre tuo æterno reservata » sunt? »

99 His adscribam, utpote ad rem egregie fa- *quo sæpe ita abripiebatur*

AUCTORE RIBERA.

ciens, scriptum quod ipsa sua manu ad confessarium misit : « Tota hesterna die maxima in solitu-
A » dine animi versata sum : nam, præterquam Sacræ
» Communionis tempore, vix in me sensi festum
» fuisse Resurrectionis Christi. Vespere cum inter
» moniales versarer et cantari audivissem carmen
» quo dicebatur esse durum sine Deo vivere, in
» me, quæ jam premebar angore, tantum effecit id
» carmen ut manus rigescerent, nec impedire hoc
» valerem. Imo quemadmodum per excessum gau-
» dii extra me rapior, ad eumdem modum anima
» maximo dolore ita suspenditur ut alienata ma-
» neat; atque id hactenus non intellexi. Aliquot
» abhinc diebus mihi videbar non tantos illos im-
» petus experiri quantos solebam, et nunc mihi
» videtur hujus rei causa esse id quod dixi : nescio
» equidem an esse possit. Antea enim eo nondum
» pertingebat pœna ut me a meipsa egredi com-
» pelleret; et cum adeo ea intolerabilis esset et
» sensuum usum haberem, tantos me edere coge-
» bat clamores ut coercere eos non possem. Nunc
» vero, cum res ad terminum devenerit ejusmodi
» mortis, melius intelligo, quod non intellexeram
» ante, quid passa sit Deipara per cordis transfixio-
B » nem. Corpus autem adeo fractum inde mansit ut
» etiam hodie hæc non nisi maximo cum cruciatu
» scribam : manuum quippe articuli quodammodo
» loco moti sunt et cum dolore. »

ut ejus impetum ferre non posset

100 Hæc Salmanticæ contingere primo anno post constitutum illic cœnobium; quæ accepi ab ea *b* quæ et præsens adfuit et vidit et carmen ipsum cecinit, cujus id erat exordium : « Veante
b » mis ojos, dulce Jesus bueno » (id est « Videant
» te oculi mei, suavissime atque optime Jesu »), cum strophis sequentibus. Cum intimum animæ ejus hoc carmine feriretur desiderium, adeo sensus expers mansit ut velut exanimis ad cubiculum ferenda et in lectulum reclinanda fuerit; atque hic mentis excessus adeo diuturnus fuit ut etiam die postera sui quodammodo impos manserit. Inde ad confessarium suum hæc verba scripto misit : « Ve-
» hementia hæc moriendi desideria me jam reli-
» querunt, ac præsertim inde a festo S. Magdalenæ,
» quo firmiter in animum induxi libenter hac in
» vita superesse, ut majus Deo præstarem obse-
» quium; nisi quod adhuc interdum illius videndi,
» etsi totis obnitar viribus, desiderium recurrat. »
C Adeo in Deum absorpta erat, ut, cum quidam e confessariis ejus, vir eruditione spectabilis, quocum suis de rebus conferebat et quem nihil celabat, ex ipsa peteret quomodo suum tempus dimetiretur (credebat enim aliquot ipsam de die horas orationi dedicare ac deinde aliarum se rerum tractationi impendere), ipsa responderit non posse se animo fingere hominem ita alterius amore captum et qui ita ab amati latere ne vel uno quidem momento recedere posset, quomodo ipsa Christi Domini amans erat, sese cum eo consolando semperque cum eo et de eo loquendo. Una e causis ob quas
c maximo in imagines studio *c* ferebatur, hæc erat quod magno in Deum et Sanctos desiderio raperetur. Hinc cum aliquam Redemptoris vel Sanctissimæ Matris ejus imaginem in manus acciperet, jucundum erat audire quibus eamdem compellaret verbis, tantum amorem et cordis teneritudinem spirantibus ut anima ejus liquefieri videretur.

ac vita illam deficere videretur,

101 Sæpe eam tam vehementes amoris divini impetus occupabant ut deficeret animo nec sustentare se posset, nec se ipsa caperet, sed vita illam deficere videretur. Quin imo ut certum habetur quandoque illam præ magna vi illius amoris, cui ferendæ natura ejus par non erat, exspiraturam fuisse, nisi ecstaticis raptibus, quos tum illi com- D
municabat, Dominus hanc vim temperasset : per hos enim fiebat ut anima ejus gauderet quiete, et interdum videndo specimen rei ad quam anhelabat vel res alias audiendo delectaretur. Ac tum quidem abditissimum totius domus locum consectabatur. Fuit cum Matutino Officio egrediens in secessum aliquem clam concederet, in quo sine lumine, frigido corpore et velut emortua reperiebatur; atque in sua esse negabat potestate illud impedire. Jam hac de re deque admirabili pluriesque repetita visione Seraphini sagitta cor illius ferientis ac succendentis libro primo locuti sumus. Adeo autem immensus hic erat amor, ut, quamvis se in aliis rebus imperfectam crederet, sentiret tamen semper se in Deum ardenti amore ferri; et hic indies increscebat.

et ex quo nascebantur

102 Dicebat adhæc se quidem exultaturam, si alios in cœlo majori se gloria videret donatos; nescire tamen num gauderet, si alius magis quam ipsa Deum diligeret. Omnia laborum propter Deum susceptorum genera parva illi videbantur. Pœnitentias, tametsi gravissimas, nullo ducebat loco. Imo plures haud gravatim subiisset mortes, ut vel una dumtaxat anima Deo serviret. Etsi vero omnes E
homines quam maxime Deo cuperet famulari, si quos tamen videret singularibus a Deo talentis donatos, quos ejus obsequio aptos fore censebat, quam ardentissime eos desiderabat a Deo ad illud evocari et in peculium assumi. Nonnumquam adeo anxium illud erat desiderium ut se ipsa compescere haud valeret. Quare omnem quam poterat in hoc adhibebat diligentiam, et summo cum fervore preces ingeminabat, Domino sic supplicans : « Vide,
» Domine, aptum hunc esse qui in amicum tuum
» cooptetur. »

ingens gloriæ divinæ procurandæ

103 Bonorum ruina, hæresum propagatio et Ecclesiæ necessitates animum ejus mire excruciabant, et assiduas ejus oculis lacrymas exciebant, illamque animabant ad magnas corporis afflictationes frequentandas. Atque adeo (ut libro secundo diximus) hæc causa fuit cur in cœnobiis suis tantum rigorem vitæ voluerit observari. Nulla ei accidere mors poterat gravior quam cum cogitabat num forte Deum offendisset : quæ cogitatio ipsam sic afflige-
bat ut aliquando tota lacrymis madescens enixe dilectum sit deprecata ne quid hujusmodi umquam permitteret. A quo audivit non esse quod se anxie distorqueret; quin imo certo sibi persuaderet in F
ejus se gratia esse : neque enim talem amorem erga Deum quo ipsa inæstuabat, et eos pietatis sensus quos ejus animæ conferret, cum lethali posse scelere consistere. Si quid ageret quod sensibus esset grave valdeque ejus desiderio repugnaret, ubi ad animum revocabat illud ad majus Dei obsequium referri, tantam in se lætitiam sentiebat quod illi hoc modo gratificaretur, ut omnem quam patiebatur pœnam nihili faceret. Quo autem magis Dei causa consolatione sua se privari videbat, eo illi erat gratius eadem carere: adeo ut, quamvis ob consolationis jacturam dolere voluisset, minime potuisset. Quidquid occurrebat impedimentorum exterius, ipse etiam cibus, potus, somnus et quidlibet negotium intercidens, quo cum Domino esse ac suavi ejus conversatione potiri impediebatur, illi erat peracerbum. Idem tamen Dei amor, qui doloris hujus erat causa, ita ipsam adurebat vehementer ut omnibus sese negotiis læta adeo hilaritate exteriori impenderet perinde ac si gratissima illi exstitissent.

animarumque Deo lucrandarum zelus,

104 Semper magna in Dei obsequium opera efficere gestiebat; a quorum executione arceri et adferre non posse quod ad illa requiri censebat (qualia

A (qualia sunt corporis valetudo, vires, talentum et libertas ad animas Deo lucrifaciendas), animum ejus excruciabat. Si quando, prostrata valetudine, majora exequi se non posse videret, consolationi illi erat aliquid vel minimum facere, qualia sunt ramusculis ac floribus imagines convestire, oratorium everrere aut adornare, aliaque generis ejusdem. Ardentissime desiderabat Deum ab omnibus coli et laudari et ejus Ecclesiæ fines longius proferri : quin imo omnis ejus oratio huc fere tota referebatur, et rarissime pro se ipsa Deum orabat; ut quæ purgatorio igne cruciari parum moraretur, si vel modicum Ecclesiæ fieret incrementum. Ut majus cum Deo agendi sibi temporis suppeteret spatium, externorum, etsi consanguineorum, quam poterat maxime declinabat commercium; et cum solis illis ipsi volupe erat conferre qui orationi sese dabant quosque Dei amor, uti se, sauciasset : horum siquidem conversatio consolationi illi erat.

maxima conscientiæ puritas,

105 Cum Hispali domum fundaret, appulit illuc ex Indiis reversus frater ejus Laurentius Cepedius, qui tum sorori tum monialibus omnibus insignem in monasterii fundatione operam navavit. Scrupulis igitur agitari cœpit (etsi omnis nonnisi de rebus ad
B animæ ejus incolumitatem et rerum illius directionem spectantibus sermo esset) num Constitutionum decretum violasset, mandantium ut moniales ab omni se consanguineorum affectu sequestrent. Cogitanti igitur satiusne foret hanc cum fratre communicationem abrumpere seque divertere, respondit Dominus : « Nequaquam, filia mea : neque enim » aliter Constitutionibus tuis obstricta es quam » quatenus eæ legi meæ conformes sunt. » Amor hic in causa erat ut animam semper purissimam haberet; de qua confessarius cujus libri hujus capite v memini *d,* in relatione sua ita locutus est : « Religiosa hæc adeo puram habet conscientiam ut » quotquot ejus delicta in Confessione accipimus » et cum ea communicamus, uti et ejus sodales, » eam obstupescamus : dici namque potest quid- » quid animo volvit, quidquid agit, Deum esse, et » ad honorem divinum ac spirituale animarum » emolumentum referri; adeo ut ne minimum qui- » dem, quacumque de causa, veniale crimen con- » traheret, si sciret id esse hujusmodi : ita ut omne » illius studium eo referatur ut noscat quomodo » melior indies evadere et ad perfectionem perve- » nire queat. » Alius e confessariis (quem F. Petrum
C Ibañezium fuisse mihi persuadeo) vivendi ejus rationem Angeli videri potius ait quam creaturæ humanæ.

d

continuum summæ perfectionis studium

106 Prolixior æquo forem, si quidquid hoc in genere dici queat, huc afferre velim. Verum quoniam Christianæ vitæ perfectio in charitate potissimum consistit, duo hic aut tria depromam e quibus quadamtenus patescat ad quam sublimem perfectionis apicem Teresia pertigerit. Primum, cum ad Hispalensem fundationem abiens, secundam Paschatis feriam in oratorio quodam haud procul ab Astygis perageret, mente recolere cœpit qualem sibi alias hoc in festo gratiam Omnipotens communicasset : unde natum subito illi desiderium insigne aliquod ei obsequium præstandi. Cumque varia id genus obsequia cogitatione versaret, nullum occurrebat quod non alias a se factum esset. Tandem novum aliquod occurrens, etsi id difficillimum foret, opere ibi præstitit; quod commemorabo, cum de obedientia ejus dicam. Secundum, in omnibus quæ constabilivit monasteriis, a primo ad postremum, nihil umquam qua facto qua verbo, etiam minimum, quod ad divinum facere nosset obsequium, vel in fundatione constituenda, vel in necessitatibus prospiciendo, vel in fautorum gratia procuranda, prætermisit. Tertium denique, ab Abu-
D lensi sede constituta, quin et aliquot ante annis, quoad demum de vita decederet, nulla umquam tentatio impedire illam valuit quominus ageret id quod ad ampliorem Dei facere gloriam vel ipsa nosset vel ab aliis audiret. Nec vero vulgari quadam ratione id ab ipsa fiebat; cum etiam voto se obligasset ut faceret in omnibus rebus non modo quod Deo placeret, sed etiam ea quæ illi gratiora et ad majorem ejus tendentia gloriam et majoris perfectionis sibi fore intelligeret.

singulari voto confirmatum,

107 Id porro votum non ad nullius, sed ad alicujus momenti res (ut scrupulis occurreretur) referendum intelligebat. Cujusmodi ipse votum nec legi unquam nec audivi Sanctum quempiam emisisse : quod qui nude concipit, si modo sciat quid faciat, næ apertissimum eum altissimæ ac singularissimæ perfectionis signum edere censeo; eo magis cum quæ id concepit, conscientiam adeo haberet meticulosam. Non enim id sine maxima rerum omnium creatarum abdicatione, sitientissimo Creatori complacendi studio et singulari in animam ejusque affectiones dominio poterat fieri. Nec vero leviter id et temere ipsa nuncupavit, sed consulto
E admodum, et Generalis sui et commissarii apostolici assensu. Quanti vero fuerit hoc votum tam integre et per tot annos implevisse! Quantas inde divitias sibi comparaverit! Quem meritorum cumulum coacervaverit! Quam altam sibi acquisierit gloriam! Et quoniam Deus fidelissimus est et amantes se redamat, ac magnum amorem celare nonnisi difficillimum est, hinc vicissim ipsam plurimum recreabat et amicissimis persæpe compellabat verbis, quibus suum erga ipsam amorem testabatur. Libro Vitæ suæ quædam sibi a Domino dicta repetens verba, inter alia hæc refert : « At ne mihi persuaderem » ipsum mei memoriam deposuisse; quia numquam » ille mei obliviscebatur : sed necesse esse ut ego » facerem quod in me esset. Nec vero sine pietate » quadam et consolatione hæc a Domino mihi dice- » bantur, additis etiam verbis aliis, quibus tam in- » signem in me contulit gratiam ut dicere ea non » valeam. Sæpius mihi a divina ejus Majestate in » magni amoris testimonium dictum fuit : Jam mea » es, et ego sum tuus. Quæ vero identidem repetere » soleo, quæque meo quidem judicio verissima » dico, hæc sunt : Qua de re sollicita esse debeo,
F » nisi de te, Domine? »

nec non mira cum Deo,

108 Quadam vice cum ipsam reprehendisset Dominus quod id in quo versabatur dubium plane non deponeret, num scilicet quæ patiebatur, diabolo auctore fierent necne, maximopere contristata est; et ecce statim magna cum suavitate et teneritudine dixit ei Dominus ne se affligeret : scire se per illam non stare quominus se libenter objiceret iis quæ ad obsequium suum spectarent; et quidquid ipsa eo tempore vellet, ad exitum se perducturum (et ita revera contigit) : respiceretque amorem qui in corde ejus quotidie magis magisque erga Deum increscebat; et hoc illi argumentum fore illa dæmone auctore minime fieri. Addit insuper : « Qua- » dam vice suasit mihi, magno cum amore me con- » solando, ne contristarer; in hac enim vita fieri » non posse ut in eodem semper vivamus statu : » quandoque me fervore mentis exæstuaturam, » quandoque omni prorsus carituram, interdum » distractionibus turbandam, alias in quiete fu- » turam, interdum etiam tentationibus exagitan- » dam; verum spem in ipsum conjicerem, et nihil » formidarem. » Quodam die, cum affligeretur quod se corporeis videret necessitatibus obsecundare

AUCTORE RIBERA.

dare debere, apparens illi Dominus et consolando demulcens suasit ut quidquid corporeæ necessitati impenderet, sui causa id faceret et hanc molestiam æquanimiter perferret, eo quod vita ejus aliis necessaria esset.

qui suum vicissim erga eam amorem

109 Hæc porro in charta exarata ab illa verba exstant : « Ad hoc usque mane in hac afflictione » versata sum; cumque in oratione agerem, magno » quodam in raptu spiritum meum putavi ad » æterni Patris conspectum a Domino delatum, » atque hunc illi dicentem audire : Hanc tibi reddo, » Pater, quam mihi dedisti. Ac tum videbar illi » propius admoveri. Non est porro hoc imaginarium quid, sed res certissima, et tam spirituales » includit blanditias ut verbis exponi eæ non » queant. Tum ille mihi verba dixit quæ non recordor; quorum quædam eo spectabant ut gratiam mihi se communicaturum sponderet. Atque » hoc ille pacto me aliquanto temporis spatio apud » se detinuit. » Aliis in schedis hæc quinque quæ sequuntur, scripta reliquit. Primum quidem quod contigit primo quo Incarnationis monasterio præfuit anno : « Posthæc, inquit, perseveravi in eo » orandi modo quem modo servo, in quo nimirum B » anima cum SS. Trinitate versatur : ac videre » videbar Patrem æternum ad me accedere meque » amicissime compellare, hæcque inter alia mihi » dicere, suum erga me amorem patefaciendo : » Dedi tibi Filium meum ac Spiritum Sanctum et » hanc Virginem; quid dare mihi ipsa potes? »

eximiis charismatibus

110 Alterum id est : « Alias hæc ad me Dominus verba protulit : Ne timueris, filia; quando- » quidem nullus est qui queat te a me separare. » Ac tum quidem imaginaria visione mihi sese, uti » et alias facere solitus erat, valde intime spectandum dedit, ac dexteram suam mihi porrigens, » ait : Aspice clavum hunc, in signum quod ab hoc » die sponsa mea futura es : hactenus id non me- » rueras; posthac vero honoris mei curam geres, » non solum tamquam Creatoris, Regis ac Dei tui, » sed ut vera et germana sponsa mea : honor meus » jam est tuus et tuus meus. Hæc gratia tales in » me genuit effectus ut illos vix caperem et velut » mentis impos manerem, diceremque Domino ut » vel meam vilitatem propalaret aut talem gratiam » mihi non concederet : putabam namque naturam » meam illi ferendæ imparem esse. Unde tota die » ab ea velut imbibita et valde absorpta mansi. C » Magnum inde postea fructum sensi ac majorem » mei confusionem et animi dolorem, ex eo quod » nihil tantis gratiis donisque dignum me facere » viderem. » Contigit id secundo præfecturæ ejus in Incarnationis cœnobio anno, in octava S. Martini. Tertium est : « Postquam a Sacra Synaxi re- » vertissem, visus mihi est aperte admodum Re- » demptor Jesus ad latus meum assidere et me » verbis suavissimis consolari, his inter cætera : » Ecce me, filia mea : nam ego sum; tuas mihi » ostende manus. Quas acceptas suo ille lateri » videbatur inserere, dicens : Respice vulnera mea; » non es sine me : vitæ hujus brevitatem per- » transi. » Quartum factum est, cum ad Hispalensem fundationem abierat : « Dominus mihi ait : » Nosti jam quod sit te inter et me connubium; ac » proinde quod habeo, tuum est : unde tibi omnes » quos passus sum dolores et labores cedo, et ideo » hos a Patre meo velut proprium quid exigere » potes. Et tametsi jam dudum scirem esse nos » horum participes, jam tamen modo adeo diffe- » renti facta particeps sum ut magnum quemdam » mihi nacta viderer principatum : nam qua mihi » hanc gratiam familiaritate præstiterit, exponi hic » non potest. Videbatur hanc Pater donationem D » ratam habere. Ex illo tempore longe alia ratione » attendi ad ea quæ Dominus passus est, velut ad » proprium meum peculium; atque hæc me cogi- » tatio mira voluptate perfundit. »

ac solatiis cum spiritualibus

111 Quintum denique est quod, cum nocte quadam grates Domino ob acceptum ab eo beneficium persolveret, audivit ab illo : « Quid a me postulas, » filia mea, quod non præstem tibi? » Quorum verborum occasione sic in vitæ suæ historia scribit : « Cum importunis a Domino precibus postularem » ut cuidam de me bene merito oculorum usum, » quem prope totum amiserat, cujusque commise- » ratione tangebar, redderet, vererque ne ob » mea peccata non exaudirer, mihi, uti alias fre- » quenter, se spectandum Dominus dedit, ac ma- » nus suæ sinistræ plagam cœpit ostendere et dex- » tra ingentem sinistræ infixum clavum educere. » Videbatur porro una cum clavo etiam carnem » evellere; quod gravissimo cum dolore fieri vide- » batur, qui me ad ei compatiendum excitavit. Tum » mihi dixit ne dubitarem quin qui mei causa hæc » passus erat, multo potius ea concederet quæ ab » ipso petebam. Quin imo se recepit quidquid » umquam efflagitarem, id mihi concessurum; E » quod me nihil petituram nosset quin suæ id » esset gloriæ conforme : se proinde postulatis » meis modo morem gesturum. Monuit adhæc considerarem se, etiam cum nondum illi famularer, » nihil penitus eorum quæ ab ipso poposcissem, » umquam mihi denegasse, imo eadem longe quam » petere possem melius concessisse; quanto vero » magis modo, cum se a me diligi sciat : ac proinde » hac de re certa essem », etc.

tum corporalibus testabatur,

112 In rebus quoque corporalibus eam Dominus quandoque recreabat. Quodam die attrita valetudine ac marcenti stomacho Abulæ decumbens, infirmarum præfectæ ait se ob maximam oris ariditatem peponis gustandi desiderio teneri; sed si nullus domi esset, cum aliunde petere vetabat. Cum autem domi peponem non haberent moniales, nec foris eum quærere, Teresia id vetante, auderent, alios ei cibos attulerunt. Qui ubi, quod eos ægrota edere non posset, jam auferebantur, signum datum fuit ad orbem versatilem; et ostiaria eo accurrens dimidium inibi invenit peponem, quem quis attulisset, nec tunc videri nec postea resciri potuit. Plurima hujusmodi contigerunt, sed pleraque Teresia silentio suppressit. Ex hisce Domini favoribus et F incenso quem in se sentiebat genuinæ filiæ amore amica cum Deo in ipsa libertas nascebatur, tametsi reverentiæ plena, nec non candor quidam quo eum familiariter, et non minus confidenter quam patrem filia solet a quo se tenerrime diligi novit, compellabat. Hinc cum ipso se consolabatur, cum ipso expostulabat et deliciabatur; ut sæpius in Vita illius legere est.

familiaritas.

113 Exempli loco sit quod ejusdem capite septimo et trigesimo scribit : » Quid hoc est, Domine? » An non plus satis est quod in hac ærumnosa et » misera vita me detineas, et ego hanc propter te » sustineam et vivere in terra cupiam, cum tamen » in ea nihil sit aliud quam multiplicia tui non habendi aut fruendi impedimenta : necesse quippe » est me comedere, dormire, cum omnibus agere » et tractare; et hæc omnia, tui causa, æquissima » mente perfero, quanquam non ignoras, Domine, » id mihi maximum ac gravissimum tormentum » esse. Tene tamen interea, in parvo illo quod » mihi ad te fruendum suppetit tempore, faciem » tuam a me abscondere? Quomodo hoc cum immensa tua consistat misericordia? Quomodo id

» ferat

A » ferat amor quo me ipse prosequeris? Putem » equidem et credidero fore ut, si me a te possem » abscondere, uti tu faciem tuam a me abscondis, » propter amorem eum quo erga me fereris, id » minime patereris : sed ipse mecum es ac sem- » per me intueris; unde non est quod hoc tolerem. » Obsecro, Domine, ut consideres magnum hoc » pacto gravamen irrogari ei quæ te ita diligit », et alia his affinia. Dicebat adhæc amorem Dei omnia secum bona ferre, et oportere nos, quo ipsum obtineamus, ab omnibus nos rebus abdicare, quin et nosmetipsos abnegare; quia autem adeo invite sequimur et tam lenti in Deo nos totos dedicando sumus, Majestatem illius etiam se præbere in favoribus communicandis difficilem : hunc vero amorem non in lacrymis, gustibus ac tenero affectu consistere, sed in cultu ei deferendo cum justitia, fortitudine et humilitate; hunc denique non aliter quam firmiter secum statuendo propter Deum et operari et pati, atque, quando sese offert occasio, hoc propositum opere exequendo, comparari.

ANNOTATA.

B a *Vide de hac Vitæ S.* Teresiæ *editione n.* 1499 *Comm. prævii.*

b *Monialis quæ id Riberæ narravit, erat Isabella a Jesu. Vide tom. I Epist., fragm.* IV, *not.* 1.

c *Magno cultu Christi et Sanctorum imagines* Teresia *venerabatur; quas ab infantia ramusculis et floribus exornare solebat, ægre ferens si deformiter pictæ essent, ac dicens exoptare se ut quocumque oculos converteret, Dei et Sanctorum imagines spectaret* (*in Vita ejus a P. Gratiano Bruxellis edita an.* 1610, *p.* 77). *Duodennis, matre orba, ante iconem Deiparæ se provolvit, supplicans ut ipsa in filiam se admitteret* (*Comm. præv., num.* 59). *In Christi vulneribus confossi figuram forte oculos conjiciens, insolito repente turbata motu est præ commiseratione et peccatorum dolore, ac penitus exin ad Deum se convertit* (*ibid., num.* 134). *Christi et B. Virginis icunculas continenter penes se habebat* (*Ribera, l.* I, *c.* VI). *Amare deflet hæreticos imaginum usum, tantum id pietatis adminiculum, abjicientes; qui, ait, si Christum amarent, aspectu gauderent ejus effigici, quemadmodum amicus aspectu gaudet amici* (*in Vita sua, c.* IX, *num.* 5). *Monasterio Incarnationis præesse jussa, in sua præsidis sede collocavit statuam Deiparæ, appensis domus clavibus regendam ei committens domum* (*Ribera, l.* III, *c.* I). *Eadem in domo*
C *asservatam dicit Chronicum Christi imaginem, celebri quæ Burgis colitur Crucifixi imagini simillimam, item alteram qualem in raptu viderat, ac tertiam Deiparæ in choro ubi hæc ei apparuerat, et quartam S. Josephi quam futura priorissa eo intulerat* (*lib.* I, *cap.* IX, *num.* 4). *Plures quas penes se gessit sculptas Crucifixi imagines supra memoravi* (*not.* f *ad Riberæ l.* I, *c.* VI). *Doctam se a Deo dicit sacras imagines, utut pulchras, religiosam paupertatem non lædere, quamvis in hanc adjectitio earum ornatu peccari possit; censetque artificio dæmonis factum ut Lutherani earum usum tulerint* (*Additam. ad Vitam ejus, num.* 3). *Suadet ut quæque monialis aliquam qua pie afficitur sibi eligat Jesu Christi imaginem, quam secum ferat, quam crebro aspiciat et quam etiam alloquatur* (*Via perfectionis, c.* XXVI). *E parata sibi ad fundandam Toleti domum pecunia, quæ tribus quatuorve ad summum constabat aureis, in primam supellectilem duas in tela pictas imagines coemit* (*Comm. præv., num.* 460). *Magnæ cum venerationis et admirationis sensu meminit missæ e Belgio Manceræque a Ludovico de Toledo asservatæ perpulchræ tabulæ quæ Deiparam referebat* (*Comm. præv., num.* 445). *Tres picturas confici jussit quæ habitam a se S. Trinitatis visionem repræsentarent, corrigens ipsamet artificem, si manus ejus aberraret : quæ tres imagines penes Mariam ducissam Albanam primum fuerunt, earumque una dein ad manus pervenit Ferdinandi de Toledo, magni ducis Albani, soceri Mariæ, qui eam pectori applicitam secum semper gerebat, doctus conspectu ejus, ut ipse aiebat, orare medium etiam inter armorum strepitum. Quod ipsamet ducissa in Actis canonizationis testata fuit* (*tom. II, epist.* XIII, *not.* 6 *et* 7). AUCTORE RIBERA.

D d *Confessarius is est quem Ribera allegat ubi agit de prophetico S.* Teresiæ *spiritu* (*supra num.* 49 *et* 50). *Non animadvertit hoc Martinezius, qui tum hic tum alio loco brevi secuturo* (*infra num.* 117), *arbitratus Riberam perperam suum caput* V *citare, lectorem remittit ad caput* VII, *quasi ageretur de illo confessario qui* 33 *articulos de spiritu S.* Teresiæ (*supra num.* 69 *et seqq.*) *conscripsit.*

CAPUT VI.

Caritas erga proximum.

CAP. XI. *Salutis aliorum procurandæ studio*

Quoniam amor quo proximos complectebatur, non nisi propter Deum erat, quem in iis considerabat et amabat, is ad amoris erga Deum mensuram adaptabatur. Hic quippe eam coegit subire tot labores totque itinera, etsi detrita valetudine, per E frigora, pluvias, nives et intensos calores, ut sedes religiosæ ad plurium animarum salutem et perfectionem excitarentur, suscipere. Hinc sancta æmulatione concionatores et omnes animabus Deo asserendis intentos æmulabatur; utpote quæ id exequi etiam opus per se optabat, ac sibi concedi cupiebat regibus ac dynastis et omnibus omnino hominibus voce inclamare, ut, relicto errore, veram salutis semitam ingrederentur et Creatorem suum agnoscerent, etsi mille sibi propterea mortes essent subeundæ.

Teresia *viros apostolicos* 115 Sanctos omnes permagni faciebat, et volupe illi imprimis erat ipsorum gesta volvere : si quos vero horum legeret animas Deo asseruisse, intensiori afficiebatur devotione et animi teneritudine et magis hoc illis invidebat quam omnes quos passi erant cruciatus. Quare ad Deum clamabat, ut, cum tot animas sibi cacodæmon vindicaret, aliquam suis orationibus afferre opem (cum aliud præstare non valeret) et vel unam animam ad ejus obsequium allicere liceret. Magni faciebat et amabat omnes qui hisce studiis incumbebant et quos aliorum videbat utilitati studere vel lectiones habendo vel concionando vel alia ratione quacumque. Quo- F rum laboribus plurimum compatiebatur et omni ratione eorum volebat commoditatibus consultum, ac quoties sibi eorum recreandorum se dabat occasio, miram liberalitatem ostentabat : quidquid enim in eos expendebat, optime collocatum sibi persuadebat.

quibus poterat officiis juvabat; 116 Sciens tres quatuorve ex Ordine Dominicano claros eruditione Patres quemdam in locum venturos in quo ipsa versabatur, ubi, propter loci inopiam, pro eo ac tantæ auctoritatis viros adeoque Ecclesiæ utiles oporteret, excipi commode non possent, luculentam apud amicum cœnam nec non lectos quam fieri poterat benevolentissime et commodissime parandos curavit. Similia et aliis officia præstitit. Si vero viri tales male valerent, ipsa orabat et ab omnibus apud quas agebat monialibus orari volebat, ut ægri illi brevi pristinam valetudinem recuperarent, ne quod ab eis ad proximos dimanabat commodum imminueretur. Si quem vero horum mori contingeret, decessum ejus lacrymis tenerrimis deflebat; et quæ adeo omnem a creaturis affectum avulserat, tali in occasione, quod Creatori suo adeo arcte adhæreret, summum testa-

AUCTORE RIBERA.

batur mœrorem, et quidem longo post obitum ipsorum tempore. Jam ab aliquot annis P. Martinus Gutierrez S. J., magni vir nominis atque in animarum salute procuranda impiger, exspirarat, cum ipsa mecum Salmanticæ agens, et viri illius memoriam refricans, maximo occupari dolore cœpit ob viri in proximorum commoda tam strenue incumbentis discessum, et tenerrimo cum affectu mihi dixit : « Deus bone! nimio in Dei » servos amore feror, cum eorum absentiam tam » gravate feram. »

illisque morientibus, dolebat.

117 Dicta hactenus probare satis queat afflictio quam in Magistri Joannis Avilæ, inclyti Dei servi ac concionatoris excellentissimi, obitu sensit. Quem ut primum Toleti in ædibus Aloisiæ de la Cerda didicit, cum fundationis causa illuc iisset, maxima animi angustia in lacrymas prorupit. Mirabantur hunc luctum sodales, cum nullius in morte ullum dolentis animi edere signum soleret; imo cum fratris sui, quem unice complectebatur, obitus ei Segoviæ nuntiaretur, ne vel unam oculis ejus prosilientem lachrymulam viderunt, sed passis manibus Domino benedicebat. Hinc, cum tam insolito eam luctu confici viderent, petebant, cur, cum Magister Avila adeo sanctus fuisset et jam ad fruendum Deo abiisset, adeo sese affligeret. Quibus illa : « Hac de re quidem certissima sum, sed doloris » mei causa est quod in viro hoc Ecclesia Dei » magnam columnam necnon animæ plurimæ ma- » gnum sustentaculum amittant; et inter cæteras » mea, etsi abessem ab illo longius, multis illi erat » devincta nominibus. » Credi hoc facile de illa potest quæ tanto erga animas affectu ferebatur ut vel ob unius bonum millies se mori paratam assereret. Nec vero satis ei erant desideria, cum etiam ardentissimas pro iisdem preces effunderet, corpus afflictionibus emaceraret, et quidquid posset, pro earum incolumitate impenderet. Animabus etiam plurimis per se ipsa consuluit : de qua re a quodam illius confessario est scriptum : « Si aliquid de exi- » mio fructu spirituali quem ex illius congressu, » quotquot cum hac Dei serva colloquuntur, ca- » piunt, dicere voluero, numquam finem inveniet » narratio. Nam quæ quoad hoc contingunt, stu- » penda sunt et insigne Dei miraculum. Nihil de » me hic dicere volo, qui ob demerita mea non pro- » ficio; quamquam evidenter in me expertus sum, » ex quo cum ipsa agere cœpi, multis in rebus ita » singularem Dei mihi adfuisse opem ut liquido » viderem eam cœlitus venire. Quare in meipso » non magis eam ut sanctam habere non possim, » quam dicere interius me ipsam non nosse. » Hactenus confessarii illius verba; atque idem de se alius confessarius scripto testatus est, cujus verba ad longum capite v hujus libri deprompsi.

Peccatoribus

118 Numquam cum ea quispiam frequentius egit quin aliquod animæ suæ compendium hinc eliceret. Aliquot hujus rei afferam specimina, ac primum quidem ea de quibus in libro Vitæ suæ loquitur, ita tamen ut præcipua tantum rerum adjuncta perstringam; quia reliqua legi possunt in ipso illo libro, cujus ideo capita hic annotabo. Patri suo et monialibus Incarnationis verbis simul et vitæ exemplo mirifice profuit. Plurimis aliis persuasit ut orationis exercitium sectarentur, in quo ipsos etiam direxit et libellos iis ad hoc subministravit. Cum sub initia conversionis Becedas valetudinis curandæ causa concessisset, agebat ibi sacerdos qui septennio toto nefariam cum muliercula consuetudinem magno incolarum omnium scandalo habebat, nec tamen a re divina assiduo facienda cessabat, nullique monenti aures dabat; quia icunculæ cujusdam æneæ, quam mulieris illius suasu de collo gestabat, fascino tenebatur. Tantum porro Teresiæ apud eum valuit suasio ut hanc a se imaginem abjecerit : exinde mulierem illam detestari cœpit atque omnino deseruit; et ad Deum conversus, seria vitæ instituta correctione, intra annum obiit (cap. v).

ad Deum convertendis

119 Alius sacerdos ad illam accessit, qui biennium et semestre teterrimo scelere irretitus, quotidie Sacrum faciebat, et confessario id aperire præ pudore non audebat, etsi id a se abjicere jugum maximopere desideraret : sed deerat animi robur. Recepit in se Teresia Deo illum per preces commendare et litteras ad eum mittere. Ut primas ejus litteras recepit sacerdos, scelus suum per Confessionem evomuit; ac rescripsit Matri jam diebus non ita paucis in id se crimen non impegisse, sed, quod gravissime a cacodæmone ad illud incitaretur, videri se tartari cruciatus quodammodo ferre : orare proinde ut Dei sibi rursus opem deposceret. Teresia igitur Deo supplicavit ut tentationum procella a viro illo recederet et dæmonum rabies in se sæviret, ita tamen ne Deum suum offenderet. Illico igitur sacerdos torqueri desiit et gaudere omnimoda quiete cœpit, cum interim mense toto Teresia gravissimis tormentis exagitata fuit. Idem vir, quoties postea tentationum gravior eum afflaret procella, Teresiæ legebat litteras, et extemplo vis omnis evanescebat (cap. xxxi).

atque animabus plurimis

120 Duos etiam e Dominicanis sodalibus viros eruditione præstanti, Petrum Ibañez et Vincentium Varon, adhortata est ut orandi studium consectarentur; atque imprimis Varonium, cui etiam aliqua a Deo accepta monita illi aperienda retulit, et pro quo instantissime Dominum est deprecata. Tantum porro ambo in orandi exercitio profecerunt et ad tantæ perfectionis venere gradum ut etiam Teresiæ stuporem moverint, et id ipsa, nisi oculis videret, vix credere potuisset (cap. xxxiii et xxxiv). Sororem suam Mariam Cepediam (uti jam supra dixi, cum de prophetico ageremus spiritu) cum sciret repentina morte decessuram, quadriennio aut amplius monendo prævenit, atque hoc pacto factum ut animæ illius salus in tuto fuerit (cap. xxxiv). Joanna Suarez, Incarnationis monialis, intima ejus amica, jam vita functa Teresiæ se spectandam dedit, et ait : « Per te salutis æternæ facta » sum particeps. » Revelavit illi adhæc Dominus illius intercessione patrem salute sempiterna donandum. Capite xxxix alia id genus cum retulisset, in hæc verba concludit : « Quos mihi Dominus » favores contulit in animabus intercessione mea » a gravissimorum scelerum servitute vindicandis, » aliis ad majorem perfectionem adducendis, aliis » denique purgatorio educendis, aliisque id genus » subsidiis, adeo quidem ingentes sunt, ut, si eos » commemorare vellem, tum meipsam tum lectorem defatigarem. Atque id gratiarum genus in » animarum salutem magis quam corporum cessit; et rei hujus plurimos afferre testes queam, » cum nimirum fuerit notissima. »

in via virtutis promovendis

121 Vir quidam e regni hujus primoribus gravi peccato obnoxius erat; cujus quidem occasionem abjicere desiderabat, sed præ animi imbecillitate non poterat, quod ea quotidie ob oculos versaretur. Verum tam potens fuit beatæ Matris ad Deum deprecatio ut ille brevi turpe id jugum penitus excuserit, et libertatem, Teresia orante, monente et scribente, adeptus sit; atque ablata occasione et scandalo, deinceps mire in divino proficiens obsequio, gratum se erga Deum et ancillam ejus Teresiam semper præbuit. Quoad animas purgatorio precibus

A precibus suis ereptas aliquot ipsamet exempla ejusdem libri capitibus XXXI, XXXIV et XXXVIII commemorat. Si quis ipsam spirituali aliqua necessitate et afflictione pressus adiret, nullius negotii occupatione ita distinebatur quin illud quamprimum tantisper seponeret, quoad spirituale proximo subsidium dedisset; adeo ut etiam suarum necessitatum oblivisci videretur. Quodam die, cum Salmanticæ apud suas post meridiem animum oblectaret, a paupercula quadam evocabatur. Grave monialibus accidebat illius tunc conversatione frustrari, cum non nisi rarissime ipsius alloquio, ob crebras occupationes, fruerentur : quamobrem institerunt ne suas ita desereret. Quibus illa hujusmodi animarum consolationem dixit suam esse recreationem : quo dicto, illico hilaris ad illam adiit a qua vocabatur.

ac perficiendis

122 Plurimos etiam illius opera Deus a mundi vanitate ad Religionem et ad maximam perfectionem adduxit. Agmen hic ducet quædam mihi nota; cujus nomen, quod etiamnum superstes sit, quamvis invitus, silentio involvam. Hanc singulari Teresia amore complectebatur et apud se commorari aliquo tempore permisit : sed cum mundanis ea
B vanitatibus inanibusque sæculi fumis oppletum cerebrum haberet, hocque Teresiæ maximopere displiceret, eam ex animo Deo commendavit; etsi nihil horum ipsi indicaret. Dominus cor illius tangebat, sed ipsa ad pristinas inanias revertebatur; donec tandem die quadam, simul cum sancta Matre ad S. Synaxin se præparans, et e libello de Contemptu mundi caput ab ea indicatum legens, a Domino, quem interim Teresia pro illa precabatur, valide perculsa et magno ad cognoscendas præteritæ vitæ noxas lumine illustrata fuit : quas cum ipsi S. Matris confessario declarasset, inde anima ejus repleta consolatione, innovata et penitus alia facta, ita paulatim cœpit immutari ut magna illi perfectionis et religiosæ vitæ incundæ (a qua semper exstiterat alienior) nata sint desideria; et omnem mundi fastum, quo immersa erat, perosa, et orationi librorumque spiritualium lectioni sese dedens, tandem maxima beatæ Matris consolatione et omnium stupore civium in primum S. Josepho Abulæ consecratum monasterium sese receperit. Tam læta ejus fuere principia ut capite XXXIX Vitæ suæ de nonnullis suis, ætate quidem juvenibus, sed perfectione senilibus agens Teresia monialibus, in hæc
C verba scribat : « Quam libenter iis cedo palmam, » et quam me erubescere coram Deo oportet! Nam » quod divina ejus Majestas tot illis annis qui ef- » fluxere ex quo me orationi dedidi et gratias ipse » mihi communicare cœpit, adimplere in me non » potuit, in illis trimestri et in quadam triduo » etiam perfecit. » Quæ autem triduo ad hunc provecta gradum est, hæc ipsa est de qua modo agimus. Pares quoque fuere qui deinceps secuti sunt progressus; quos evolvere possem, si de vivis loqui instituissem. Atque illa fatetur, quidquid sibi hoc in genere contigit, unis Teresiæ precibus adscribendum videri; nec immerito : nam et ipsa Teresia per litteras aliquando innuit illam sibi uni suam debere salutem.

naviter sese impendebat.

123 Atque hic primus est modus quo ferventem suam erga proximum charitatem ostendit, dum se scilicet erga animas tam hoc in mundo agentium quam purgante in igne detentorum beneficam ostendit. Nec parvo hæc illi charitas stetit. Comperto enim animam quampiam in flagitio hærere, mox ardentius orationi insistebat. Præter hæc diabolus quam poterat gravissimis ipsam affligebat modis. Nonnumquam exterius ab eo affligebatur ita ut monialibus sui commiserationem moveret; nec minus interius discruciabatur, si quando ani- D mam aliquam dæmoni eripuisset. Sæpenumero etiam acriter ab eodem in suo corpore vapulabat, graviora etiam comminante et se de ea vindicaturum jactante. Unde, quoties Teresia aliquam ex illis animabus ad meliorem frugem redire videbat, mox experiebatur et dicebat hoc sibi caro constiturum.

Ægrotis

124 Alterum charitatis genus circa bona versatur corporibus proximorum impensa, atque de hoc jam dixi nonnulla in vitæ ejus historia. Cuidam qui oculorum prope omnem amiserat usum, hunc Dominus ad preces illius reddidit. De consanguineis ejus quispiam urinæ difficultate ita laborabat ut gravissimos bimestri toto dolores subiret, et ita quidem intensos ut totum lancinaretur corpus. Hunc beata Mater, confessario ita jubente, cum invisisset, et commiserata virum, ardenti deprecatione sanitatem illi a Domino petiisset, e vestigio æger plane dolore solutus est (cap. XXXIX). Infirmarum monialium singularem rationem habebat et affectum iis maximum exhibebat; quas etiam, prout per rei familiaris inopiam licebat, omni ratione recreabat : si vero nihil ad eas refocillandas domi suppeteret, E id ipsa foris quæri haud gravate ferebat, ne quid rerum necessariarum ægrotis deesset. Unde et ipse non raro hujusmodi necessitatibus Dominus mirabiliter prospiciebat.

pauperibusque

125 Quoad fieri poterat, ab aliorum se avocabat tractatione negotiorum, ut ægrotis adesset et alloquio eas recrearet. Lectulum illis substerni laneum jubebat, vel etiam plures, si necesse foret; optimam etiam et mundissimam omnium quæ domi erant lodicem præberi. Easdem et ab aliis visitari ac recreari jubebat sororibus. Quadam in scheda separata scripsit se aliquando Malagone a Domino sibi apparente mandatum accepisse ut ægrotantibus peculiari ratione consuleret : moderatricem enim quæ morbo postratarum curam non haberet easque non consolaretur, amicis Jobi persimilem esse; quod interim dum ipse eas ad bonum animarum flagellat, ægrotantium patientiam illa in discrimen vocet. Factum etiam nonnumquam sub domus Abulensis initia, ut, cum in totius cœnobii sustentationem nonnisi unum vel alterum ovum vel quid simile suppeteret, id ipsa præberi jusserit ei quæ maxime eo opus haberet. Quo dicto ipsammet designari ratæ moniales, quod morbis variis oppri- F meretur, id illi dare gesticbant; verum hoc admittere nolebat, id sibi necessarium esse negans, ac malebat id sociæ sumerent : quas ut laboribus sublevaret, omnem quem poterat laborem ipsa subibat. Cum ad Burgensem fundationem profecta in nosocomio ad dies aliquot commoraretur, morbo tentari cœpit et stomachum nauseabundum pati; quare a sororibus mala aurea dulcia sibi petiit conquiri. Eadem die hujusmodi mala aliquot matrona quædam pia submisit, eaque sapida cumprimis. Quæ] Teresia ut vidit, intra manicam ea abdens, descendere se velle ait, ut inopem qui suam sortem inclamabat altius, consolaretur. Omnia ergo, cum descendisset, mala in egenos dispertiit. Petentibus vero monialibus cur hæc sibi data aliis dedisset, magna quadam hilaritate, quam e vultu facile legere erat, respondit : « Aliis ea malim quam mihi » cedere : læta admodum inde redeo, cum eos di- » miserim recreatos. »

opem ferre gestiebat.

126 Alias poma citrea sibi allata ut vidit, ait : « Benedictus sit Deus, qui mihi contulit quod in » pauperculos meos rursus dispertiam. » Fuit cum in eodem nosocomio morbidus cui apostema incidebatur,

AUCTORE RIBERA.

debatur, ita vocem sustolleret ut cæteris infirmis molestus esset : cujus excita clamore Teresia descendit; ad cujus conspectum æger cum tacuisset, hunc ipsa deinde sic percontatur : « Cur adeo » vocem extollis, fili? Quin tu Dei nomine dolo- » rem æqua mente fers? » Tum ille videri sibi ait animam evelli. Verum cum aliquantisper B. Mater adstitisset, omnis repente dolor evanuit; nec deinde cum ulcus secaretur, querulæ ex illo voces auditæ sunt. Tam accepta porro pauperibus eo in valetudinario erat ut domus præfectam rogarent ut sanctam hanc fœminam sæpe ad se introduceret, cujus vel aspectus sibi solatium afferret. Teresia vero inde migrante, hospitii curatrix vidit illos in lacrymas prorumpere. Jam inde a suis initiis, dum adhuc in Incarnationis agebat cœnobio, apud animum suum statuit nullum diem elabi sinere quo non aliquod singillatim caritatis opus exerceret. Unde, cum impeditæ per diem minime sibi ejusmodi patrare licuisset, si forte de nocte monialem aliquam sine lumine gradus ascendentem audiret, suo cubiculo egrediebatur lumen alteri præbitura, ne illa dies sine ullo proximis exhibito caritatis opere sibi efflueret.

Singulari inimicos

127 Tertio demum in hoc illustris ejus caritas eluxit, et multo fortasse clarius quam in aliis duobus ante commemoratis modis, quod omnes persecutores et adversarios singulari dilectione complecteretur. Adeo enim immensa illius erat charitas, ut, cum injurius quis in ipsam exstitisset, hac de causa in ipsum peculiari magis amore quam in alios ferretur, huncque majori affectu Deo per preces commendaret. Cum audisset quosdam apud magni nominis viros graves adversum se calumnias deposuisse, nullam aliam hac pro injuria talionem rependit quam quod eosdem amaret ardentius et Deo commendaret crebrius. Nullius honorem verbis, ne joco quidem, lædi patiebatur, multo vero minus eorum a quibus erat injuriam passa : volebat quippe semper bene omnes de iis loqui ac sentire et illorum factum excusare. Quotquot suis fundationibus adversabantur vel ipsam qua factis qua verbis exagitabant, laudabat et quocumque poterat modo excusabat : quin imo nihil habebat antiquius quam omnia in bonum capere sensum; quod etiam ab omnibus suis observari volebat. Notatum est id charitatis genus in illa sæpius ab iis qui ipsam comitabantur et cum ipsa agebant : nam multæ quotidie hujus ostendendæ occasiones illi offerebantur. Nec verbis ea continebatur; cum quodcumque poterat amicitiæ ac benevolentiæ genus ipsis haud illibenter præstaret, donec tandem bonis eos operibus expugnaret, illud Apostoli secuta consilium : « Noli vinci a malo, sed vince in bono ma- » lum » (Rom. XII, 21).

et adversarios

128 Cum Abula Methymnam et Vallisoletum abiret, illi viæ comitem superiores addidere Fratrem quo nullum adversantiorem habebat, quique non aliter comitabatur quam ut oculate singula ejus opera contemplaretur et captaret quod in illis carpendo sugillaret. Hunc illa comitem velut a divina submissum providentia, quod eum sibi superiores assignassent, quam libentissime admisit et in itinere tam amice gratanterque est allocuta ut reliqui comites non parum obstupescerent; simul quibus poterat modis eum recreabat, icunculas quas in Breviario suo habebat, illi dando, et suam illi quam amplissimis verbis operam addicendo. Accepit is quoque ab ea quamdam S. Spiritus effigiem, quam cum ipsa haberet carissimam, aliis hactenus negarat : atque hanc ob singularem quo ipsum complectebatur affectum illi se dedisse significabat. Haud procul a via qua pergebant, ejusdem Instituti erat cœnobium, cujus incolæ rebus Teresiæ oppido refragabantur, quod tum (uti supra diximus) ob res non bene intellectas magna esset in Ordine dissensio, omnibus tamen (uti verisimile est) commune Instituti sui bonum ac divinæ gloriæ augmentum spectantibus. Quod cum perspectum haberet Teresia, eo sese devehi jussit, etsi nonnihil de itinere deflectendum esset.

dilectione prosequebatur.

129 Huc ergo appulsam ut adesse inter Fratres increbuit, nullus horum ad excipiendum comparuit. Singulos ergo ad se cum evocasset, singillatim tam amice eos compellavit ut sua intra viscera eos abscondere velle videretur, et eadem vultus comitate apud eos a matutino Sacro ad vesperam usque (qua reliquum confectura iter erat) mansit. Qua victi Fratres sunt et abeuntem extra locum comitati, celerem illius discessum sibi gravem accidere dictitantes : quos tanta sanctitas in stuporem rapiebat et confundebat. Ita etiam Patrem qui ipsam comitabatur, officiis sibi devinxit ut tam cito diurni itineris cursum esse dimensum non modice doleret, adderetque perjucundum sibi fore longius ipsam, si sua opera uti vellet, comitari. Si qui viri graves sinistro in eam essent affectu vel perperam de ipsa rebusque ejus sentirent, eos ipsa statim adibat, modo adiri poterant, cumque iis de illis conferebat rebus quibus magis adversabantur; atque illis abunde faciens satis, eos sibi propitios et benevolos linquebat. Verum quæ huc spectant alia tum melius intelligentur, cum de ejus patientia et hilaritate in laboribus ac persecutionibus dicendi erit locus.

CAPUT VII.

Pietas erga SS. Eucharistiam et erga Sanctos.

CAP. XII. *Summus erat Teresiæ erga SS. Eucharistiam affectus:*

Illius erga Sacrosanctum Altaris Mysterium pietas singularis fuit : quod quatuor e rebus colligere est. Prima est, quod, quoties novum moliebatur cœnobium, nihil illam in ejus erectione magis recreabat, nihil ad itineris aliosque labores perferendos magis exstimulabat, quam quod unum amplius extaret templum in quo Domini Corpus asservaretur. Unde et hæreticorum hujus ætatis cæcitatem maximopere deplorabat, quod templa ædesque sacras, in quibus illud adorabatur et suscipiebatur, demolirentur; et teneriore quodam dolore ipsam sauciabant quæcumque in illud inter fideles atque infideles irreverentiæ committerentur. In Methymnensis sedis fundatione de nocte somnum quiete capere non poterat, sed ex intervallo strato se corripiebat dispectura num Ven. Altaris Sacramentum suo esset loco, metuens nimirum ne quis forte inter convenas clanculo hæreticus indignis modis id tractaret. Hinc tamdiu cor ejus pavens erat pro arca Dei, ut de sacerdote Heli scriptum est (1 Reg. IV, 13), donec debito illud in claustro asservaretur.

unde quotidie,

131 Altera est, quod pleræque visiones sint illi oblatæ, cum aut ad sacram Eucharistiæ sumptionem se disponeret aut ab ea surgeret. Tertia, quod sæpius in salutari Hostia ipsummet aperte viderit Dominum, qui vere sub specierum ibi latet velamine. Quarta, quod jam antequam ex Incarnationis cœnobio ad fundandas sedes suas egrederetur, ut plurimum quotidie sacras epulas inibat, idque consilio auctoritateque plurimorum doctrina præstantium virorum, quibuscum de hac re contulerat. Nempe

A Nempe moniales illius domus tam frequenti Communione, quando eam Teresia incepit, uti non solebant, sed interdum tantum S. Eucharistiam sumebant; verum ejus exemplo solito frequentius Sacra Mysteria obire cœperunt. Placuit vero Domino per id tempus signis aliquot ostendere quotidianam hanc Corporis sui sumptionem sibi esse quam gratissimam. Cum enim inter cæteras ægritudines Mater bis per diem quotidie vomeret, mane et vesperi, a vomitu matutino illico tum liberata fuit, tametsi vespertinus ad mortem usque ei adhæserit. Divinum vero Mysterium tanta animi puritate capessebat, ut, etiam priusquam ad Deum se penitus converteret, numquam nisi prævia Confessione, si vel unum delictum veniale in anima latere comperisset, ad ipsum accederet. Ingentes porro id in ipsa effectus producebat. Sæpe tanta Dominum majestate spectabilem in S. Eucharistia videbat ut dubitare non posset quin vere ipse esset; eumque pietatis sensum tum in anima sentiebat ut præ amore et gaudio liquesceret.

nisi obedientia vel morbi obstarent,

132 Si quando tentationibus et afflictionibus mentis exagitabatur, ut plurimum sacris sumptis epulis, interdum quoque cum nonnisi ad ipsas capiendas accederet, omnis illico nebula ab animo B dispellebatur, suaque hic pace donabatur, corpus vero doloribus manebat immune. Atque corpus ejus ab omnimoda ægritudine liberari, cum mensam Eucharisticam accederet, nimis quam frequens fuit. Sæpe etiam tam intensum animo Dominici Corporis accipiendi innascebatur desiderium ut se ipsa compescere non posset; adeo quidem ut nulla in mundo res, nullum periculum, nullus labor illam impedire potuisset quominus ipsum reciperet : si vero vel superiorum jussu vel ipsiusmet Domini nutu ab Synaxi revocabatur, haud gravatim ac sine afflictione eadem abstinebat. Hinc, cum Abulæ quædam eam monialis rogaret num magna vivifici Panis fame teneretur, quod menstruo spatio ob morbi gravitatem eodem caruisset, ulla se teneri negavit : cum enim consideraret Dei nutu hæc fieri, non minus animam eo saturam esse quam si quotidie cœlesti hoc e ferculo gustasset.

ad Sacram Mensam

133 Dominica potissimum Palmarum sacrosanctum hoc epulum inire gestiebat, hac consideratione famem excitans quod intolerabilis die illo in Jesum exstitisset Judæorum inhumanitas, dum eum in Bethaniam tanto intervallo ab Hierosolymis C distantem abire impransum siverunt, præsertim cum tanto cum plausu eum ante excepissent. Unde pio quodam sensu ipsamet Dominum ad prandium invitabat, utque apud se diversaretur, instabat : hinc animam ei recipiendo quam poterat diligentissime ante comparabat. Et sane hocce die post trigesimum hujus exercitæ invitationis annum, contigit tam insolita mentem ejus suspensione Communionis tempore evehi ut Sacram Hostiam deglutire non posset : quam cum, ad sese paululum reversa, etiamnum ore contineret, os sibi sanguine vere oppletum habere videbatur, nec non faciem et universum corpus eodem etiam calenti et velut recens effuso respersum. Quam vero eo die experiebatur in se suavitas eximia adeo erat ut tum sibi quoque dicentem audierit Dominum : « Volo, filia, » ut meus tibi sanguis prosit; neque est quod per- » timescas ne mea tibi umquam defutura sit mise- » ricordia. Equidem eumdem magno cum dolore » profudi, tu eodem suavissime frueris; et, ut vi- » des, abunde tibi quod hodie mihi instruebas epu- » lum compenso. »

magno animæ suæ bono

134 Cum Hispali quadam die a sacro convivio surgeret, videre se vere putabat animam suam unum quid cum Domini Corpore effici : quem etiam tum manifeste præsentem conspexit. Hac D vero e visione admirabiles in anima sua percepit effectus, qui ad profectum in virtutibus faciendum mirifice contulerunt. Dicebat nonnumquam, cum tantam sub adeo parvæ rei, qualis est hostia, tegmine latere Majestatem consideraret, non posse se non magnopere tantam sapientiam admirari, ac nescire se quomodo animos sibi ac fortitudinem Dominus ad sese accedendi daret; ac nisi is qui tantas sibi gratias contulit, animum etiam sibi sui continendæ ac coercendæ dedisset, impossibile sibi futurum fuisse illud dissimulare vel elata voce tanta mirabilia non extollere (Vitæ cap. XXVIII). Præter hæc aiebat animam, quibuscumque comedere vellet modis, in divino hoc Sacramento saporem et consolationem reperturam; et nullam inopiam, laborem, persecutionem non facilem nobis visum iri, ubi hujus Sacramenti cœperimus delicias degustare. Quodam tempore Sacram suscipiens Hostiam, manifeste vidit omnes ad illius ingressum ab anima sua afflictionum nebulas dispelli, et permagnam in eadem claritatem exoriri. Iis quibus Abulæ commorabatur annis, antequam ad Methymnensis sedis abiisset exordia, quotiescumque E vivificantem illum Panem acciperet, ut plurimum extra se rapiebatur, sæpe quidem ut a fenestella per quam Sacra Synaxis illi administrabatur, avelli non posset nisi ab aliis inde auferretur. Toleti etiam contigit ut æditua, cum nesciret quid illi fieret, omni ipsam conatu, in pedes quidem consistentem, sed in raptu parieti adhærentem, aliqua in sella collocare voluerit, et dextera ipsius apprehensa, non aliter eam obriguisse viderit quam si saxum fuisset; donec tandem sensibus reddita est *a*.

a

135 Abulæ cum in choro, S. Josephi die festo, post Sacram Synaxim versaretur, duobus tribusve a terra palmis sublimis apparuit. Jam inde ab conversionis tempore, quoties Mysteriorum Sanctorum particeps fieret, ita Dominum fide sibi præsentem credebat ac si corporeis oculis ipsum suam subire domum conspexisset : hinc, quoad ejus fieri poterat, ab omni rerum externarum tractatione sese abstrahens, cum dilecto amanter tractabat interius, omnesque suos colligens sensus sola cum solo commorari gestiebat. Illius sese ad pedes consistentem fingebat, et cum Magdalena peccatrice non aliter plangebat quam si corporeis illum oculis in Pharisæi triclinio accumbentem vidisset. Et hoc F loco cum Domino loqui perseverabat, quamquam nullum pietatis sensum percipiebat. Suadebat ne, cum certo sciremus illum intra nos jam divertere, dum calore naturali accidentia panis consumpta non essent, tam bonam cum Domino tractandi occasionem prætermitteremus; quin potius ut tum ad illum accederemus, et cum hospite cœlesti, omni rerum aliarum cura diu satis seposita, ageremus : atque hoc illa monitum quam urgentissime inculcabat. Si enim, inquiebat, cum in vita hac mortali ageret, solo illius tunicæ contactu sanitatem morbidi sunt consecuti, minime dubitandum videri, quin, modo vivam habeamus fidem, cum intra nostra latet præcordia, miranda quædam opera patraturus sit, et quæ petimus, libenter nobis concessurus, hospes jam noster factus. Nec Majestatem illius tenuiter habitationem hanc apud nos, modo amice excipiatur, compensare consuevisse; neve etiam ita clanculo ad nos accedere, quin aliquo modo sese retegat ei qui novit qualiter recipiendus sit : plures namque ei sunt animæ sese patefaciendi modi. Addebat commodum imprimis hoc esse cum Domino tractandi et monita ab eodem

piissime accedebat.

AUCTORE RIBERA.

accipiendi tempus; cum illi deliciæ sint maximæ, si apud illum mancamus nec eum ullo modo a nobis effugemus : si vero, cum a sacra redimus mensa, eo deserto, aliarum nos rerum occupationibus involvamus, non est quod ob exiguum in anima profectum queruli expostulemus (Viæ perfectionis cap. XXXIV).

Sacerdotes plurimum venerabatur.

136 Sedulo etiam procurabat ut quidquid ad SS. Sacramenti cultum spectaret, rite paratum, nitidum ac mundum foret; qualia sunt templum, altare, antependia, sacer vestium apparatus, calices et corporalia : quemadmodum in omnibus ejusdem domibus, etiam pauperrimis, videre est. Quoties vero illustres matronæ varia illi donaria offerrent, nihil ei erat acceptius quam aromatici pastilli aliaque odoramenta quæ coram SS. Eucharistia adoleret : eaque conquirebat quam fieri poterat lectissima. Ex hac erga SS. Eucharistiæ Sacramentum veneratione nascebatur singularis illa intimaque erga sacerdotes reverentia, quod suo illi ore salutarem hanc Hostiam consecrent. Quamobrem sæpe coram ipsis in genua se provolvens, eorum osculandas manus ac benedictionem exposcebat. Malagonem quodam die cum venisset, ut B primum in medio plateæ in qua monasterium erat, exscensionem fecit, ejusdem sacellanum obvium habuit; cujus, quamquam ætate non esset spectabilis et plurimi externi adessent, ad genua accidens, ab eodem petiit benedici.

Frequentem Communionem suis monialibus præscripsit.

137 Ex insigni hac devotione, et quod nosset quales divinum hoc Sacramentum in iis operetur animabus effectus quæ bene dispositæ ipsum recipiunt, factum est ut toties illud recipere suas voluerit sectatrices quoties id eam velle libro secundo declaravimus. Mandavit insuper ut, præter statos illos Synaxeos dies, adirent singulæ quotannis mensem sacram eo die quo sacrum assumpserant habitum, nec non eo quo Deo sese per vota obligarant. Et quamvis hæc inter cæteras leges relata non sit, ejusdem hanc tamen esse voluit efficaciæ ac si in reliquarum esset relata seriem. Ut vero pateat hanc ejus mentem fuisse, quadam die rogata verene ita sentiret, atramentum petens et chartam, in scriptum eam retulit ac suo obsignavit nomine. Atque hoc certissimum est, et multæ id jam norunt; verum ne quæ futuris temporibus in hunc cooptandæ sunt cœtum, ignorent, hoc loco id visum C est significare.

CAP. XIII. *Sanctos*

138 Eximie erga Sanctos affici insigne sine controversia est Dei donum et gratia quædam singularis collata illi cui hunc ipse affectum concedit, nec non de certissimis salutis pignoribus quæ habere homines in terra possunt. Sancti quippe amicis suis peramicos se exhibent; Deus vero suis multo se exhibet amiciorem : non enim hi Deum deprecari in cœlo pro eorum salute negligunt qui ipsorum patrocinium exposcunt, neve Deus negligit suos adeo intimos et fideles amicos exaudire. Hoc porro Dei donum minime defuit beatæ huic animæ, cui alia multo majora contulerat; quin imo in ipsa jam inde a principio singulari quodam modo eluxit. Ipsorum namque Vitas quam libentissime pervolutabat, quarum lectione animum suum solabatur et exstimulabat; quin etiam suo in Breviario catalogum gestabat eorum in quos peculiari sensu ferebatur : quem hic eo prorsus describam ordine quo ipsa eosdem chartæ inscripserat; quod sciam non defuturos quibus gratissimum accidet peculiarem hanc seriem nosse. « S. Pater noster Albertus. » S. Cyrillus. Sancti omnes Ordinis nostri. Omnes » Angeli. Angelus meus Custos. Patriarchæ. S. Jo- » seph. S. Maria Magdalena. Decem mille Martyres. » S. Joannes Baptista. S. Joannes Euangelista. D » SS. Petrus et Paulus. S. Augustinus. S. Domini- » cus. S. Hieronymus. S. David Rex. S. Franciscus. » S. Andreas. S. Bartholomæus. S. Job. S. Gre- » gorius. S. Clara. S. Maria Ægyptiaca. S. Catha- » rina Senensis. S. Catharina Martyr. S. Stepha- » nus. S. Hilarion. S. Sebastianus. S. Ursula. » S. Anna. S. Elisabeth Hungarica. Sanctus sor- » tito datus *b*. S. Angelus. » *b*

miro studio coluit,

139 Deipara Mater, uti nec Dominus noster Jesus Christus, Sanctis hisce non annumeratur, quod minime opus esset hoc, utpote clarissimum, indicare. Nam in Deiparam studio peculiari et ardentissimo rapiebatur; atque id jam inde a tenella ætate. Ut enim primi libri initio narratum est, matre decedente, ipsa etiamnum parvula, coram Beatissimæ Matris effigie prostrata, petiit ut sibi matris posthac esset loco. Atque hic in ipsam affectus una cum ætate accrevit, quod maternam illius numquam non benignitatem experiretur. Teneriore in S. Josephum fuit affectu, ete libris ejus passim apparet quo gustu, qua gratitudine de ipso loquatur, et quam sedulo omnibus Sancti hujus cultum persuadere contendat *c*. Eorum San- *c* ctorum festis diebus particularem pietatem præ se E ferebat, et hos maxima jucunditate celebrabat; illorumque in laudem quandoque carmen aliquod pangere solebat quod moniales modularentur : ac gratum illi erat, si quæ illarum similem odam componeret; tametsi de consonantiis rhythmicis nec ipsa multum laborabat nec suas laborare volebat, ne hæc accuratio pium spiritus suffocaret affectum. Jam ab initio, cum in Incarnationis ageret domo, S. Josephi festum insigni et solemni apparatu quotannis recolebat. Porro quo erga B. V. Mariam et ejus sponsum fuerit animo, facile videre est e monasteriis quæ fundavit : omnia namque Ordinem B. Mariæ profitentur et in illius sunt honorem instituta; et pleraque a S. Josepho denominata. Nihilominus tamen intimo quoque erga priores illos Cœlites quos produximus, studio ferebatur : atque id patet ex eximiis gratiis quas per illos recepit.

et eximias gratias

140 De visionibus in quibus Deipara et S. Josephus illi apparuere, et quas illi grates Virgo ob insignem quo in hunc erat affectum egerit, jam primo libro pluribus locuti sumus. SS. Petrus et Paulus fidem illi dederunt advigilaturos se ne a cacodæmone illuderetur; et sæpius illi apparuerunt. S. Clara ei apparens illam adhortata est ut monasterii fundationem naviter urgeret, suamque ei promisit operam. Sæpe S. Albertum Carmelitam per visum conspicata est. Decem mille Martyres, quorum apprime studiosa erat, illi apparentes, in mortis hora se adfuturos spoponderunt et animam ejus comitaturos, ut eadem secum gloria perfrueretur, uti sub libri III calcem indicavimus; estque hoc ex ipso Teresiæ ore acceptum. Sanctus etiam vir F. Petrus de Alcantara sæpe illi a morte apparuit, et nonnullorum ipsam faciendorum commonefecit. F

per eos consecuta est.

141 Dum Segovia Abulam erat abitura, prius Fratrum Prædicatorum voluit invisere cœnobium a S. Cruce denominatum; quod ibidem locus sit in quo gloriosus Ordinis parens Dominicus vitæ severitatem exercuit et multum sanguinis corpore elicuit. Sacellum ingressa, comitantibus ipsam priore cœnobii et P. Didaco de Yanguas, quo tum confessario utebatur, ad aram in genua prostrata, diutius in oratione hæsit; ac tum quidem ad latus sinistrum illi apparuit S. Dominicus. Quo viso, P. Didacus ipsam compellavit : et ipsa ab oratione surrexit,

A surrexit, lacrymarum imbre perfusa; etsi, quoad poterat, rem dissimularet, sicut similibus in rebus facere consueverat. Illius tum Confessionem Didacus excepit, Sacrum fecit et eam S. Communione impertiit. Cum vero post in oratione perstaret, eo modo quo ante, S. Dominicum ad idem sibi adstare conspexit latus. Petentique cur ad hanc sese partem sisteret : « Aliud latus, inquit, Domino meo » reservavi. » Et illico sibi a dextra adstantem vidit Christum; qui, postquam aliquantisper apud ipsam mansisset, discessit, dicens : « Cum amico meo » oblectare. » Duabus prope horis hic Teresia mansit, et illi interim S. Dominicus adfuit, gavisum sese asserens quod hunc ipsa in locum venisset, simul etiam quos subiisset hic olim labores et quas ibidem a Domino gratias accepisset, pluribus aperiens. Deinde, illius arrepta dextra, summam illi opem in Ordinis ejus rebus promovendis spopondit, insuper addens alia quæ consolationem et gaudium illi attulere. Dicebat subinde Teresia, cum tantam a Deo in hoc sacello gratiam accepisset tantaque consolatione delibuta fuisset, gratissimum sibi futurum fuisse perpetuo in eodem manere. Hæc quoque verba in quadam epistola ejus legi :

B « Hodie S. Martini agitur solemnitas, cujus singu- » lariter studiosa sum, cum in hac octava pluries » multum gratiarum a Domino acceperim, quin » noverim rationem. »

ANNOTATA.

a *P. Fredericus* (*lib.* III, *cap.* VI) *citat seguens testimonium quod Julianus de Avila,* Teresiæ *in multis adjutor frequensque in itineribus comes, protulit in causa canonizationis ejus :* Ego quovis ferme die porrigebam ei S. Communionem, et plerumque in ecstasi remanebat. Eo tempore Dominus illam tanto cumulabat favore ut quidquid ipsa fassa fuerit, id parum sit præ gratiis receptis. . . Dei cum ipsa colloquium, quo plerumque donabatur a S. Communione, magis erat familiare quam alia quæ habita ad Sanctos referuntur Dei alloquia; et tunc multa ei Deus suggessit spectantia ad monasteriorum fundationem.

b *Moris est in nonnullis monasteriis, sodalitatibus ac familiis ut singulis mensibus schedulæ distribuantur Sancti alicujus nomine inscriptæ, et quisque eum qui sibi sortito obtigerit Sanctum illo mense piis aliquot exercitiis peculiariter colat. Atque hunc*

C Teresia *vocat* Sanctum sortito datum, *qui etiam* Patronus menstruus *dici solet. Ribadineira in Vita S. Francisci de Borgia* (*apud Majores nostros ad diem* X *Octobris, c.* I, *num.* 2, *et c.* XIV, *num.* 230) *notat in Borgiæ familia vetere instituto piam hujusmodi consuetudinem solemnem fuisse, et inde per S. Franciscum manasse in Societatem Jesu.*

c *Ad ea quæ de magna S.* Teresiæ *erga S. Josephum pietate et cultu ob servandum narrationis filum num.* 344 *Comm. prævii abrumpenda nobis fuerunt, juvat adjicere alia quæ certe momento non carent. Nam, ut recte ait P. Joseph Patrignani* (*Devot. ad S. Jos. l.* I, *c.* XI), S. Teresia fuit splendidissima stella qua S. Josephi diadema adornetur, eademque a Deo electa fuit ut cultui hujus Sancti per totum terrarum orbem promovendo perficiendoque summam quodammodo manum imponeret. *Postquam S. Mater cap.* VI *Vitæ suæ scripsisset se in ægritudinis molestiis et perfectioris vitæ desiderio in specialem patronum selegisse S. Josephum, sic pergit :* Liquido deinde perspexi hunc meum patrem et dominum non solum his angustiis, sed et multis me liberasse periculis in quibus versabatur meus honos ipsaque animæ meæ salus; idque majori meo bono quam rogare eum potuissem. Nec memini me hactenus ab eo petiisse aliquid cujus me compotem non fecerit. Et vero admiratione dignum est quanta beneficia intercessione gloriosi hujus viri mihi Dominus concesserit, quantisque a periculis, tam corporis quam animæ, me liberarit. Aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur ut in una necessitate invocantibus se opitulentur; sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adjutorem. Adeo ut Dominus nobis indicare velle videatur quod, quemadmodum illi in terra subditus fuit (nam quoniam pater illius dictus fuit et nutritius ejus erat, imperare illi potuit), sic ei in cœlo nihil eorum quæ petierit, deneget. Quod etiam alii nonnulli, quibus suaseram ut ei se commendarent, reipsa experti sunt. Unde jam plurimi sunt qui singulari affectu erga eum feruntur, compertam habentes hanc veritatem. Omni qua mihi possibile erat solemnitate festum ejus celebrare procurabam, esto vanitate plenior essem quam spiritu, quod cuperem omnia quam curiosissime fieri; tametsi bona ad hoc intentione moverer : nempe hoc mali habebam, quod, si cujus boni agendi mihi Dominus gratiam daret, id plenum imperfectionibus foret et in multis deficeret; contra in malo perpetrando et curiositate vanitateque adimplenda solertissima essem ac diligentissima. Ignoscat mihi Deus. Persuadere omnibus vellem ut mirifice erga gloriosum hunc virum afficerentur; quod sæpius experta sim varia illum bona nobis a Deo obtinere. Neminem

E novi qui, cum vere et ex animo illi devotus esset et particularibus obsequiis eum coleret, visus non fuerit per ejus opem in virtute profecisse : mirum enim in modum prodest illis qui ei se commendant. Jam aliquot (si bene memini) elapsi sunt anni quibus semper die ejus festo aliquod ab eo donum posco, ac semper id mihi datum fuisse comperio; et, si forte petitio mea usquequaque recta non sit, ipse eam ad majus meum bonum flectit. Si essem quæ aliquam ad scribendum auctoritatem haberem, quam libentissime me in beneficiis quæ gloriosus hic vir tam mihi quam aliis est elargitus, singillatim enarrandis effunderem : verum ne præscriptos mihi a superioribus scribendi terminos transgrediar neu plura quam jussa sim faciam, in multis futura sum brevior quam quidem vellem, in aliis quam necesse sit diffusior; utpote quæ in omni eo quod bonum est, parum discretionis habeo. Hoc solum ex amore Dei peto ut quisquis mihi dicenti non crediderit, experiri velit; et experientia sentiet quantum sequatur boni ex eo quod glorioso huic Patriarchæ se commendet et eum particulari obsequio colat : speciatim illi qui orationis studio tenentur, semper deberent erga eum affici. Nescio quomodo de Regina Angelorum meditari quis possit, præsertim de tempore illo quo tam multa cum

F puerulo Jesu pertulit, quin simul S. Josepho ob opem et obsequium eis tunc impensum gratias agat. Qui magistrum non habet a quo orandi rationem discat, gloriosum hunc virum in magistrum deligat; et, eo præeunte, haud errabit. Faxit Deus ut non errarim in eo quod de ipso ausa sum loqui : nam, licet ei me devotam esse fatcor, semper tamen in eo colendo imitandoque defeci, nec quod potui, præstiti. Ipse, pro eo atque est, effecit ut de lecto surgere et incedere potuerim nec amplius paralytica manserim; ego vero, pro ea atque sum, hoc ipso beneficio male sum usa. *Adhæc, præter illa quæ multis Commentarii prævii locis* (*v. g. num.* 238, 281, 305, 307, 344, 572, 615, 710, 831, 989) *notavimus, inter septemdecim virginum domos quibus fundandis S. Mater operam dedit, quinque tantum numerantur quibus inditus non sit S. Josephi titulus; et in informationibus juridicis ad Sanctæ beatificationem* (*teste P. Antonio a S. Josepho t. III, epist.* 58, *not.* 10) *P. Ludovicus Ruiz Caballero Carm. Excalc. affirmavit illam ad fores suorum cœnobiorum collocasse imaginem Deiparæ ac S. Josephi in Ægyptum fugientium, cum hoc lemmate :* Pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum (*Tobiæ* IV, 23). *Mitto referre e Chronico* (*lib.* VII, *cap.* XXIX, *num.* 6) S. Teresiam *a morte sua in festis S. Josephi et Incarnationis insigniori*

AUCTORE RIBERA.

D

AUCTORE RIBERA.

gniori modo quam aliis diebus conspiciendam se dedisse Catharinæ a Jesu; eamque Isabellæ a S. Dominico, cui etiam apparebat, significasse se velle ut provincialis suum Teresiæ *nomen a quatuor virginum cœnobiis demeret, restitueretque pristinum S. Josephi* (*lib.* XIV, *cap.* III, *num.* 8). *Suffecerit pro coronide advertisse, inter* 68 *Sanctæ Monita* (*quæ a Sancta, sin scripta, saltem fuisse dictata videri diximus in Comm. prævio num.* 1554), *sexagesimum quartum sic sonare :* Etsi multos colas Sanctos ut patronos, particularem tamen habe S. Josephum, qui multum pollet apud Deum. *Nec degeneravit unquam in hac parte a S. Matris præceptis atque exemplis Ordo Teresianus, vestigia relegens veteris Carmeli, quem ait Benedictus XIV* e communi eruditorum sententia ab Oriente in Occidentem transtulisse laudabilem consuetudinem præstandi amplissimum cultum S. Josepho (*de Beatif. et Canoniz., lib.* IV, *part.* II, *cap.* XX, *n.* 17). *Etenim sub sæculi præterlapsi finem in Carmelo Excalceato numerabantur plura quam* 150 *templa sub S. Josephi invocatione Deo consecrata. Quin et Summi Pontifices, et episcopi, et Ordines religiosi, et reges, et dynastæ, et respublicæ, et civitates, certatim S.* Teresiæ *vestigiis insistentes, cultum S. Josephi ita sunt amplexati ut non tantum toto orbe Christiano festum ejus solemniori celebretur ritu, sed et plures regiones, provinciæ atque urbes tutelari ejus patrocinio glorientur;* B *et vix non ubique reperiantur ecclesiæ, sacella, altaria, simulacra in ejus honorem erecta, maximo cum piarum familiarum singulorumque hominum fructu. Neque Belgium nostrum in hoc ulli cessit regioni jam inde a tempore quo, ut narrant decessores nostri* (*tom. III Martii, pag.* 9), promovendæ fidelium erga hunc Sanctum devotionis egregium affectum ex Hispania, ubi per S. Teresiæ asseclas magnus erat apud omnes, secum in Belgium deferens, laudatissimæ memoriæ princeps Isabella Clara Eugenia suo exemplo tantum effecit ut tota Bruxellensi urbe, officinis clausis, dies XIX Martii inter festivos haberetur multo prius quam novissimum ab Urbano VIII præceptum pronuntiatum esset.

CAPUT VIII.

Fiducia in Deum, animi generositas, humilitas et mortificatio.

CAP. XIV. *Deo plane confisa,*

C Visum mihi est non abs re fore, si fiduciam in Deum et generositatem uno hoc capite simul complectar, quod illæ invicem consocientur et alteram juvet altera et ab utraque mirabiles nascantur effectus. Præclaræ hæ virtutes singulari ratione in Teresia enituere, atque ex arduis illis quæ molita est operibus quæque perfici non posse videbantur, et ex animi celsitudine qua ea prosecuta est perduxitque ad exitum, facile apparent. Quis cogitasset umquam fore ut mulier monasterii septis conclusa, tot religiosi Instituti et obedientiæ nexibus devincta, sine humanæ opis reique nummariæ præsidio, adhæc tantis obtrectationibus impetita, bonarum tot filiarum fieret Mater, tot monasteriorum fundatrix, ejus denique Ordinis qui tanto tempore in statu illo in quo tum eum ipsa reperit, perstiterat, renovatrix? Quis vir eos animos prætulisset, id mentis robur, ut tanta sibi vel ausus fuisset polliceri? Quis ea aggredi? Quis non abjecisset animum, visis post cœptum opus tot tamque gravibus difficultatibus, impedimentis, obstaculis et persecutionum remoris *a*?

a *nihil metuens nisi peccatum,*

143 Primum eam Abulæ domicilium molientem a cœpto non deterruere totius in quo degebat monasterii et Ordinis oblocutio, nec quæ propter hoc illam manere poterant castigationes, nec toto concitata oppido procella, tam clero quam magistratu in eam conspirante. Nihil ipsa verebatur præter Dei offensam. Petentibus ab illa rem quamdam viris gravissimis, et, nisi morem sibi gereret, subsidium suum rebus illius negaturos se comminantibus, hunc in modum respondit : « Ut me ad postulatis » annuendum impellant, nisi mihi negare persi- » stenti religionem moveant, nihil umquam effi- » cient; cum enim nulla hic peccati subsit suspicio, » nihil metuo. » Nec mirum est hominum ipsi potestatem formidabilem non fuisse, cum ne vel paululum potentiam dæmonum vereretur. Dicebat, si ipsa Domino famularetur cui et diaboli et reliqua creata subdita sunt, cur horum quempiam timeret, et cur ad totum infernum lacessendum animum non haberet. Unde omnes dæmones in certamen provocabat, ut viderent num sibi nocere possent. D

144 Nullo labore vel difficultate deterrebatur quominus ullam rem aggredi vel perficere auderet quam ad ampliorem Dei spectare gloriam sciret : si vero fieret ut, cum diutius in ea jam desudasset, postea in majus Dei obsequium fore nosset si abrumperetur, haud difficilius ipsam intermittebat quam si nihil illius causa esset auspicata. Quibuscumque exagitaretur laboribus et persecutionibus, numquam in lacrymas prorumpebat (etsi mulieribus id solemne sit), imo nec in verba quæ afflictionem vel dolorem proderent. In erectione primi monasterii, ut suo vidimus loco, pro sua in Deum fiducia, agebat impensas quæ sine numerosæ pecuniæ vi fieri minime poterant; cum tamen nec haberet obolum, nec unde obtineret, affulgeret spes. Octussem unum habebat, cum primæ ecclesiæ (qua utebantur antequam hodierna pararetur) structuram ordiebatur, in quam tamen magna pecuniæ vis necessaria erat. Id ipsum contigit in ædibus Methymnæ coemptis, necnon in aliis quæ condidit monasteriis. *nihil spectans nisi divinam gloriam,* E

145 Hispalim deportata, ut sedis moliretur initia, teruntium dumtaxat unum habebat, nec amicum quidem noverat qui suppetias ferret. Non idcirco tamen animum despondit vel a cœptis destitit; et antequam inde digrederetur, senis aureorum millibus paratas ædes suis reliquit. Abula ad secundi cœnobii fundationem discedens, ut de horti et tecti opportunitate filiabus illic prospectum esset, novies mille aureos commodato accipere minime dubitavit. Tam firma in Deum ejus confidentia erat, qua norat eum non deesse iis qui ipsi ex animo famulantur et verba ejus numquam fallere, ut nullam metuere pauperiem posset. Hinc cum de stabili proventu monasteriis comparando moneretur, dolenti erat animo. Mundana subsidia flocci pendebat, nec aliquam in illis spem constituebat : hæc enim ceu sarmenta libanotidis aridæ dicebat esse, quæ aliquo gravata pondere confestim confringuntur; verum autem amicum in quo sperandum sit, Christum esse. Quare tantam confidentiam præ se ferebat ut universo mundo sibi adversanti se crederet posse resistere, si modo faventem sibi haberet Deum. Rebus Ordinis sui summe periclitantibus, et nuntio accepto eas pessumire, ut revera apparebat, tam interrita et fidens animo ipsa mansit ut non modo consolatore opus non haberet, sed alios etiam mœrore prostratos erigeret, dictitans non esse dolendum, sed omnia felicem habitura exitum : adeo ut, cum nulla spes affulgebat, tum novam ipsa præferret fiduciam, omniaque hæc nonnisi majus bonum paritura diceret. *sine ulla fere ope humana* F

146 Si quando pluvio niveoque cœlo magnisque cum molestiis et incommodis in itinere versabatur, novos *magnanimis* Teresia

A novos comitibus animos addebat, utque constantiam præferrent suggerens, adhortabatur; hujusmodi enim profectiones cœlo lucrando peridoneas esse. Si autem in via locus occurreret difficilior, eum prima ipsa perrumpere satagebat, uti jam ante in Burgensi fundatione dixi. Cum Abula Methymnam peteret, fuit cum nocturnæ ipsam tenebræ tam spissæ prope flumen opprimerent ut comites transire non auderent. Quibus illa dubitantibus ait : « Consultum non foret sub dio permanere : » ad transvadandum vos parate et Deo vos com- » mendate. » Aquam ergo illa ingrediente, prælucere lumen quoddam veluti facis aliquantum distantis cœpit, donec omnes transgressi flumen discrimen evasissent.

res grandes et arduas perfecit.

147 Ob generosam hanc in Deum fidem fiebat ut quidquid vellet, succederet, et res patraret sanc admirandas. Hinc, tametsi præpotentes pateretur adversarios et res agendæ maximis obseptæ periculis essent, nihilominus ipsa se aliosque animabat, tantam universo simul mundo inesse potentiam negans ut everteret quæ Deus moliretur vel fieri cuperet. Dicebat ingentium a Deo acceptarum gratiarum notitiam multum se juvisse ad fiduciam
B concipiendam : nisi enim hanc habuisset, nec ad magna illa quæ suscepit opera animum sibi fuisse. Aiebat proinde bonam humilitatem non videri acceptas cœlitus gratias agnoscere nolle. Quadam tempestate, cum pagum ingressæ arduum dubium incidisset ad quod dissolvendum magna esset eruditione et ingenio opus, et cum in eo versaretur loco in quo neutra dote juvari posset, quid ageret, ipsa nesciens, fiducia in Deum collocata, loci parochum consulere statuit, et quod ille suaderet, exequi; certissime confidens fore ut, quamquam doctrina is non præstabat, illi Deus inspiraturus esset quæ fieri a se vellet, cum alium quem consuleret, ad manum non haberet. Atque ut sperabat, ita contigit ; quod enim parochus consilium dedit, ipsum deinde et alii præstantes theologi dederunt.

CAP. XV. *Demississime de se sentiens,*

148 Ex sublimitate ad quam Teresiam a Deo evectam diximus, facile perspici potest quam ejus humilitas cum interior tum exterior profunda fuerit : soli enim profunde humiles ad tantam altitudinem sustolluntur. Hæc virtus tanta in ipsa fuit tamque manifeste semper eluxit ut qui quæcumque de illa dicenda essent, vellet prosequi, finem non inveniret. In duas proinde, quæ plurima de illa scio,
C partes distinguam. Primo de interiori et deinde de exteriori humilitate loquar. Interiorem voco humilem quam de se ipsa habebat opinionem, uti illius e verbis liquido apparet : exteriorem vero, quæ in aliis operibus ejus eluxit. Internæ humilitatis evidens id argumentum est, quod tam frequenter de suis peccatis *b* mentionem faciat, et magno quidem exaggerationis pondere, quamvis ea parva essent et variæ illi ad eadem excusanda rationes præsto essent. Nec satis illi est ea plangere et extollere, nisi etiam, cum acceptarum a Domino gratiarum narrationem ordiri vellet, hunc in modum (Vitæ cap. x) loqueretur : « Quem ex amore Dei rogo ut » quidquid hactenus de mea improba vita et peccatis commemoravi, omnibus enarret ac divulget : » et jam inde ex hoc tempore plenam ad hoc ei » facultatem facio, uti et omnibus confessariis » meis, de quorum numero is est cui scriptum » hoc mittitur; et quidem, si velint et ita expedire » judicent, jam inde ab hoc momento, interim dum » adhuc in vita sum, ne amplius hominibus qui » aliquod in me bonum esse cogitant, fucum faciam, id faciant rogo : et certe (cum veritate » dico), prout quidem de me nunc sentio, perma- » gnæ id mihi consolationi erit. At quoad ea quæ AUCTORE RIBERA.
» posthac commemorabo, facultatem hanc eis non D
» facio; imo nolo ut, si cui ea ostendant, dicant » quis quæve sit cui ea facta sint, vel quis quæve » hæc scripserit : nam propterea nec meipsam nec » alium quempiam hic nominavi; sed omnia scri- » bam quam potero optime, ut non cognoscar a » quopiam : quod ut fiat, Deum supplex rogo. »

amabat nesciri,

149 Quod vero se paratam ait peccata sua scripto committere, hauddubie etiam fecisset; sed id fieri animæ moderatores vetuerunt, ut libri Vitæ suæ initio prodit. Eamdem quoque facultatem numquam non confessariis ac superioribus, tam intra quam extra conscientiæ forum, concessit : idque eo a se fieri dicebat ut scirent qualis revera esset, et suis in rebus nullis fucus fieret, neve plus æquo sibi crederent. Ad libri ejusdem finem scribit asserere se audere gravius sibi fuisse acceptos a Deo favores scripto committere quam peccata sua. Ex humilitate etiam (quamquam ea justa non fuit; quæ tamen humili e corde humiliter de se sentientis procedebat) anni spatio orationis studium intermisit, indignam se rata quæ eam frequentaret et gratias a Deo reciperet, cui tam male obsequeretur. Initio etiam intelligere se videns quidquid libri E
spirituales de orationis etiam altissimæ modo scribunt, eos ipsa non legebat : id enim cum humilitate non stare putabat, quod ad orationis se pertigisse gradus qui iisdem declarantur, crederet. Hinc libentius Vitarum Sanctorum lectioni vacabat, quod illorum exemplis ruborem in se excitaret (Vitæ cap. xxx). Grave illi erat, cum se videret ab aliis, ac præsertim a magni nominis viris, magni fieri; cumque cœlestes suos favores aliis divulgandos nosset, cruciabatur quam maxime. Hanc ob causam aliquando Abula demigrare voluit, et alteri ejusdem Instituti cœnobio procul inde sese includere, in quo omnibus incognita delitesceret. Sed vetuere id confessarii, quod ad majora eam Deus reservasset. Nec hic illius stabat humilitas; verum etiam laicis aggregari petiit sororibus, ut hoc in statu infimis durissimisque domus ministeriis occuparetur. Et sane in hunc ordinem se redegisset, si modo assensum superiores præbuissent.

pro nihilo reputari

150 Quodam tempore assidue orationem eo direxit ut iis qui bene de ipsa sentirent, Deus vicissim manifestare illius peccata dignaretur, unde pateret quam sine merito suo tantis a Deo favoribus esset cumulata. Denique tecte vel quomodocumque poterat, sua patefaciebat peccata illi quem bene de se sentire nosset; nec ante quiescebat quam id præstitisset : atque in eo perrexit quoad religionem illi confessarii moverunt (cap. xxxi). Missas ad aliquem e confessariis litteras hoc epiphonemate concludit : « Scias velim insignem hoc in loco mihi » commoditatem esse quam multo tempore con- » sectata sum : nam quamvis exterior homo solus » sit, non habens qui illi afferre consolationem » solebat, anima tamen quiete perfruitur. Com- » moditas hæc est, non magis hoc in loco Teresiam » a Jesu notam esse quam si in mundo non foret; » atque hæc est ratio cur hinc abitura non sim, » nisi jubeant moderatores. Nempe desolationi in- » terdum mihi fuit tot audire ineptias : quam enim » istic dicunt Sanctam esse, Sancta sit oportet sine » pedibus et capite. Rident quia eis suadeo ut » aliam sibi Sanctam faciant, cum id pluris eis non » constet quam verbo. »

aliisque subesse

151 Toletum concedere ad Aloisiam de la Cerda consolandam jussa, magna cum confusione huc se abire dictitabat, viso quo titulo ipsam superiores mitterent et quam graviter fallerentur; atque hæc

AUCTORE RIBERA.

A fuit ratio cur importunis a Domino precibus contenderet ne se Toletum abire sineret (Vitæ cap. XXXIV). Si quando apud homines sanctimonia claros ageret, coram ipsis apparere erubescebat. Munia honorifica in Religione abhorrebat et quam poterat maxime subterfugiebat. Dicebat item vitam se longiorem desiderare non posse, cum non pro eo ac oporteret Deo viveret, quodque tam segniter Domino esset famulata et se tot imperfectionum nævis inquinatam cerneret ut sæpe optaret omni carere sensu, ne tantum de se malum intelligeret; querebaturque nonnumquam Dominum, quod in nonnullis triennio, in alia etiam triduo perfecerat, in se tot annorum spatio efficere non potuisse : hinc aliis libenter potiores partes cedebat, nescisse se dictitans ecquid esset obedientia, donec a suis eam edocta esset monialibus. Mirari etiam se dicebat eos qui operibus quæ ab ipsa patrabantur, fidem adjungerent; ac stolide facere censebat eos qui aliquo ipsam judicio donatam crederent ad recte aliqua in re sentiendum. Hinc etiam ab infima monacha consilium petere grave non ducebat. Adhæc quidquid ageret, nonnisi confessariorum nutu auspicabatur.

Exaggerabat suas imperfectiones.

B 152 Tot in se notabat imperfectiones et eas adeo exaggerabat, etsi perexiguæ viderentur atque essent, ut qui hoc audiret, haud obscure intelligeret has non modo insigni ex humilitate ac Dei amore, verum etiam illustri quopiam cœlesti lumine dispici. Numquam aliquod de se narrari malum audisse referebat, quin liquido eos qui illud narrarant, verbis id imminuisse cerneret. De monasteriorum fundationibus, in quibus tanta egit et pertulit, tali semper humilitate scribit ut sub libri quo eas complexa est initium hoc modo loquatur : « Qui hæc » legerit, caveat ne quid hinc in me laudis transfe- » rat; cum a veritate is nimium quantum delira- » ret : quin potius Deum roget ut mihi ignoscere » dignetur quod e cunctis gratiis ab ipso acceptis » tam exiguum collegerim fructum. Longe major, » filiæ meæ, de me conquerendi quam gratias mihi » ob ea quæ acta sunt referendi ratio est. Cæterum » ex amore Dei lectorem obsecro ut vel unam » Salutationem Angelicam pro me recitet, ut hoc » pacto purgatorio egredi valeam et ad Domini » nostri Jesu Christi conspectum admitti », etc. Et optabat imprimis ut manifestare Dominus omnibus dignaretur, quod ipsa fecisset, vix aliquid esse. Aiebat se magnas quidem omnimodis a Deo

C gratias recepisse, illam vero omnium maximam videri quod hauddum in tartara ipsam, prout peccatorum suorum mereretur gravitas, deturbasset : adhæc nescire se causam cur ut bona ab omnibus suspiceretur; ac mundo se fucum facere : si enim homines se perspectam haberent, fore ut omnes ipsam præ contemptu digito monstrarent et in faciem conspuerent.

Charismatibus cœlestibus indignam se æstimabat,

153 Filias suas humiliter rogabat ut sibi demortuæ Deum precibus propitiarent : dicebat enim metuere se, ne, quemadmodum stolide eam mortales ut sanctam haberent, ita et pro se mortua orare omitterent seque diuturnis in purgatorio suppliciis sinerent expiari. Primis viginti ac duobus annis magnas mentis ariditates passa est; nec tamen amplius quid a Deo poscere in mentem illi venit : quod se crederet indignam cui vel aliqua de Deo cogitatio concederetur; sed insignem Majestatis ejus gratiam videri quod ipsam ante suos oculos versari sineret. Numquam aliquam a Deo visionem aut revelationem petiit, nec speciale lumen, nisi quod ad illi serviendum, ac ne dolis diaboli pateret, necessarium erat. Et quamvis Deo perfamiliaris erat, numquam tamen curiose quid ex ipso scisci-

tabatur, etsi sæpius ab aliis id facere rogata. Confes- D
sarii interdum, periculi faciendi gratia, Sacra eam Communione arcebant; quam ipsa abstinentiam etsi permoleste ferret, tamen, magis de Dei quam de suo honore sollicita, ipsum assidue dilaudabat, quod, ut honoris divini rationem haberet ac caveret ne divina Majestas tam vili diversorio succederet, confessario inspirasset. Quibus illa cogitationibus mota, magna animi quiete illorum jussui acquiescebat, etsi non sine tenera quadam et amicabili pœna; imo quamvis cuncti mortales aliter suasissent, ne vel latum unguem ab illorum deflexisset imperio. Sæpe magna animi demissione superiorum reprehensiones tulit, et illorum ad pedes se supplex abjecit donec imperassent ut surgeret; nec ante verbum in sui purgationem adferebat quam facti sui esset rationem jussa reddere : quam tam paucis adeoque veracibus, planis et claris depromebat verbis ut non solum superioribus satisfaceret, sed etiam interdum pudorem injiceret.

eaque studiose alios celabat.

154 Prælatus quidam, ejus patientiam, ut videtur, exploraturus, acri in eam oratione invectus, sciscitabatur cur in litteris etiam sineret se Excalceatarum fundatricem appellari. Hunc illa rogavit ut hoc se nomine deinceps vocari prohiberet, ad- E
dens id non magis sibi placere quam si Teresia a Jesu diceretur. Tam sollicite acceptos cœlitus favores et quidquid aliquam sui opinionem concitare poterat, supprimere satagebat ut ne filiabus quidem suis id manifestari pateretur. Veaso ad Hispalensem fundationem profecta, Astygis in eremitorium æstus meridiani vitandi causa concessit : quo loco, uti et Hispali, etsi egregiis a Domino gratiis sit cumulata, et sociæ in eodem versarentur loco et semper illi adessent, eæque selectissimæ (uti quidem eas ipsa vocat, et quales revera ad labores qui subeundi erant, requirebantur), nihil tamen ex iis charismatis animadverterunt, donec longo post tempore in schedis illius scripta hæc reperere. Non tamen semper permittebat Dominus ut tam eximii thesauri delitescerent : nam, sui ipsamet oblita, sæpe quid manifestabat e quo audientes majorem virtutum ejus ad Dei laudem suumque ipsorum emolumentum haurire cognitionem possent. Fieri enim non posse evidens erat, nisi nimiam adhiberet curam, ut tantus quem corde fovebat ignis non aliquo se interdum radio per obviam rimulam proderet. Si quando tamen nec opinanter simile quid F
de se patefecisset, illico ad sese conversa, ipsum, quoad ejus fieri sine mendacio poterat, revocare vel aliter detorquere satagebat. Hinc quadam die vir pius idipsum notans : « Jam dictum est, in- » quit, Mater : diverticula noli quærere; nam quo » plura quæsieris, eo te prodes manifestius. »

Gaudebat de impactis sibi calumniis.

155 Quadam vice Communionis accessura mensam adeo se spiritu efferri sensit ut etiam corpus a terra extolleretur : quod persentiens, cratem ambabus manibus apprehendit quo se retineret. Dolebat enim hæc coram aliis fieri; Dominumque rogabat ut, si quos sibi communicare favores vellet, id publice non fieret : quod ut obtineret, multis precibus opus fuit. Grave quoque illi erat filiabus inspectantibus raptus pati; verumtamen, cum eos adeo frequentes experiretur, fieri haud poterat quin eos illæ perciperent. Hinc non adeo id illi acerbum erat quam dum coram aliis divina patiebatur : quæ tum quam poterat maxime dissimulabat; utque ea tegeret, infirmo se dicebat corde esse, et nonnumquam cibum sibi afferri petebat, ut quidnam passa esset, hoc modo dissimularet. Dum Hispali plurimis falsorum testium detractionibus impetebatur, dicere solebat : « Deo

» laus,

A » laus, quod hoc loco talis esse noscar qualis re-
» vera sum : alibi quippe omnes in errorem per-
» ducti sunt, meque habent qualem me sibi fin-
» gunt; hic vero prout mereor. » Alphonsus de Quiñones, eques illustris et pius, aliquando ad Teresiæ colloquium, quin nomen suum ei indicasset, admissus, et scire avidus quid illa responderet, monuit ut Magdalenæ a Cruce *c* meminisset, quam vulgus ut sanctissimam suspexerat, cum tamen esset diaboli ancilla et cliens. Nihil hac Teresia mota assimilatione est; quin potius magna cum humilitate respondit : « Numquam mihi ejus subit » recordatio quin contremiscam. »

c

Deum habuit humilitatis magistrum,

156 Denique virtus hæc et suiipsius contemptus ad mortem usque illi perpetuus fuit : in qua nimirum erratorum suorum a sororibus veniam petiit, et illas ad constitutionum ac legum observantiam est adhortata, simul obsecrans ne malam hanc religiosam (hoc enim se nomine designabat) ut exemplum intuerentur. Si quidquid de illius demissione animi dicendum esset, hic prosequi vellem, finem dicendi nullum facerem. Duo solum attulisse sufficiat. Primum, Teresiam singulari quadam ratione a Domino virtutem hanc esse
B doctam : ut mirum minime sit tantum in hac illam fecisse profectum; cum ipsemet Dominus suam illi vilitatem nec non errata manifestaret, et ita quidem ut, quoties illi singularem vellet favorem impertiri, errata illius, cum quæ tunc habebat, tum quibus olim fuerat obnoxia, ante acriter reprehenderet. Deinde vero, cum cœlestia in ipsam dona effundebat, ampliorem simul illi Dei cognitionem majoremque sui ipsius despicientiam communicabat. Hinc, dum secum die quadam cogitaret non tam intimam modo Jesu Christi præsentiam quam olim habuerat, in corde sese habere, intra se audiit : « Hic præsens sum : sed videre te volo » quam parum sine me efficere valeas »; aliaque id genus plura illi Dominus suggerebat. Cum igitur talis esset magister et discipula adeo docilis, mirumne docentis præcepta adeo perfecte ipsam adimplesse?

nec ulla unquam vana gloria laboravit.

157 Alterum id est, toto ipsam vitæ tempore, quocumque honorari se modo videret qua verbis qua rebus, tam præsentem quam absentem, nullam vanam gloriam vel simulationem in animum admisisse *d*; ac numquam quod de hisce confessario aperiret, habuisse. Dicebat proinde, cum
C plurima commisisset peccata, nihil umquam vanæ gloriæ in sese sensisse; ac manifeste se videre quæ in se erant, nonnisi a Deo venire atque adeo ipsius esse dona. Et quamvis hanc vanitatem studio consectari voluisset, id non potuisset; quod perfecte nosset quonam ante in statu sese vidisset : quin potius Dominum, cum eximias hasce sibi gratias conferret, majorem simul ad delicta agnoscenda lucem infundere; seque gratias ab illo semper accipere, quin ei serviret.

d

CAP. XVI. *In obeundis*

158 Non minus hic diffusa esset narratio, si ad finem usque pro dignitate exequerer quidquid ipsa humiliter gessit. Intelligi id saltem facile potest : quia tam profunda ac vera humilitas haberi nequaquam poterat quin simul forinsecus appareret; et fieri vicissim nequibat quin opera et exempla admiranda inde egrederentur. Jam ab eo tempore quo oculos illi aperire cœpit Dominus, virtutis hujus edere documenta cœpit. Si quando in odeo versanti circa Officium divinum vel cantum aliqua incideret dubitatio vel minima, licet rem non usquequaque ignoraret, illico consulebat novitias, etiam nuperrimas, sui humiliandi causa. Et quoniam cæteras omnes magnos in via spiritus progressus, se vero nullum facere credebat, choro egressarum omnium pallia complicare minime dubitabat.

D

domesticis ministeriis,

159 Constituta jam sede Abulensi, initio ei videbatur nullas sorores laicas admittere, sed ipsas moniales hebdomadatim officia Marthæ obire; verum postea, nimio illo dicens labore spiritum suffocari, mentem mutavit. Quamdiu tamen hoc viguit, suas famulandi vices insigni animi gaudio obibat, et vesperi secum dispiciebat quo ova, pisces aut jusculum sapore condiret qui a quotidiano discreparet, hacque condimentorum varietate Dei ancillas oblectaret : unde hebdomada illa bene domui prospectum erat. Hoc dum munere fungebatur, suo desiderio Dominum favere dicebat : cum enim ipsa monachis sapidum instruere percuperet prandium, liberaliter is submittebat unde parari id posset; adeo ut ipsam culinæ præesse etiam quoad corporis opportunitates compendiosum esset. His tamen ministeriis non usque eo immersa erat ut Dei sui oblivisceretur; et vicissim Omnipotens illam ancillantem mira mentis dulcedine consolabatur et pluribus donabat gratiis. Observata est ab aliis culinam ingressis, dum sartaginem igni applicabat, in mentis excessum rapta et abalienatis sensibus, facie fulgida, sartaginem tam arcte complectens ut violenter hæc extorqueri non posset.

E

etiam vilissimis,

160 In abjectis ministeriis semper prima erat : hinc, dum cæteræ alia domus loca purgarent, chortem ipsa sibi sumebat everrendam. Quo in ministerio suaveolentia quædam mira, quam aliæ non sentiebant, nares ejus afflabat. In omnibus ad quas concedebat domibus id genus obire officia illi solemne erat, nimirum lances abluere, sordes everrere, aliaque hujusmodi. Malagone, etsi afflicta valetudine, ea tamen mentis erat generositate ut ante alias lecto exsurgens, omnes domus sordes converreret. Cum ibidem domus illius in qua modo moniales commorantur, ædificium construeretur, ab aurora ac noctem usque fabris ipsa præsens adesse, prima sportam et scopas in manus sumere, ac deinde a præposita aliisque monialibus, cum advenissent, commissorum ea die tali in ministerio erratorum, pedibus earum advoluta, veniam postulare, perinde ac si omnium minima exstitisset. Nec vero solis priorissis ita se subjiciebat; verum etiam, si quam corripuisset monacham videretque hanc ægre id ferre et exulcerato ad dies aliquot esse animo, ad pedes ejus accidens, sibi
F petebat ignosci, non satis advertisse se dictitans quid effutiisset.

in petenda erratorum venia

161 Si quando in Lectionibus sacri Officii recitandis impingeret vel minimum, illico se medio in choro prosternebat, erratum suum fassa; quo submissionis exemplo sæpenumero sic adstantium monialium lacrymæ ciebantur ut cantum prosequi vix possent. Inter nuperas monachas semper sibi sedem deligebat; et si quæ sibi pronuntianda esset Lectio, posteriores præfectæ atque ejus vicariæ cedere pro more habebat. Domicilio Villanovæ de la Xara constituto, domesticis obeundis officiis vacabat ut cæteræ; cumque unius dumtaxat brachii usum haberet (altero male affecto), quomodocumque poterat, sordes everrebat et triclinio aut culinæ operam sedula navabat. Cum ad aliquod venisset monasterium, præfectas suo officio fungi sinebat perinde ac si ipsa non adfuisset, dignioremque iis semper locum cedebat. Si quando odeo evocaretur, facultatem exeundi reverenter a priorissa postulatum ibat. Et hanc si triclinium ingredientem Teresia accumbens conspiceret, exsurgebat, donec suo illa loco accubuisset. Cum Albæ guardianum

AUCTORE RIBERA.

A guardianum quempiam alloquerctur, et priorissam ad eumdem conveniendum intrantem videret, illico surgens illam considere voluit, atque aliquantisper in pedes constitit; donec tandem, videns hoc eam ægre ferre, ad morem ei gerendum resedit. Huic præpositæ nomen erat Joanna a S. Spiritu.

atque aliis humilitatis ac mortificationis

162 Si quæ monialis ex naturæ infirmitate quid haberet quod nauseam videnti faceret, ad hanc Teresia simul mortificationem et humilitatem exercitura accedens, eam recreabat, manus ejus exosculabatur aut de paratis illi cibariis degustabat, aliaque id genus faciebat. Fuit cum in triclinio suas culpas enuntiaret et humi comederet e patinis lancibusque sordidulis, quamquam munditiei naturaliter perstudiosa esset. Alias manibus pedibusque in morem quadrupedis reptando triclinium ingressa est, multis saxis gravata laqueoque collum insertum habens, quem soror quædam pone sequens manu tenebat, ac suas, ut credo, culpas ipsa profitebatur. Alias eodem ingressa est onusta palea, suas item magna humilitate culpas pronuntians, perinde ac si novitia fuisset quæ ad sui victoriam hujusce humiliationis exercendæ facultatem a præfecta petiisset : nulli enim fas est monachæ id genus mortiB ficationes subire, nisi moderatricis facultatem cum animi demissione et fervore postularit. De mortificationibus porro hic pauca dico, cum ex hoc specimine de reliquis conjecturam facere proclive sit, scientique quid sit mortificatio quidquam de hac dicere necesse non sit : cum in omnibus quas tractamus virtutibus facile appareat quanta sui victrix fuerit, quam absoluta sui domina, quantaque fortitudine superarit quidquid impedimento esse poterat quominus heroicos illos virtutum actus exerceret. Is namque vere mortificationi studet qui naturam expugnat, tentationibus obluctatur, Deoque omnia subjicit, nec propterea quidquam eorum quæ Dei obsequium et amor facienda exigunt, omittit.

actibus exercendis sedula erat.

163 Factum etiam est ut sacrum adituram convivium severa prælatus oratione, quo ipsam mortificaret, inde facessere jusserit; ad cujus vocem magna serenitate et humilitate illico paruit, quamvis numquam non maxima sacri hujus ferculi fame teneretur. Cum ultimis vitæ suæ annis adeo viribus esset exhausta ut communes sequi leges commode non posset, priorissa domus in qua tum versabatur, eam interpellavit eone esset die ad triclinium ventura. Quæ illam interrogatio adeo non commovit C ut omnibus quibus ibidem hæsit diebus triclinium frequentarit. Cum in alterius monialis cubiculo agentem præposita quædam cum libertate aliqua sic advocaret : « Jesu bone! tandemne, Mater, tecum » loqui poterimus, quæ tam diu ibi moraris? » illico januam vultu hilari et sedato, nullum proloquens verbum, aperuit. Quando cœnobio aliquo excedebat, pravi quod dederat exempli veniam petere a monialibus solebat; quod etiam fecit cum e vita decederet, ut supra diximus. Hoc vero tanta humilitate et animi teneritudine faciebat ut omnium oculis lacrymas excuteret. Virtutis porro hujus amantissima erat, et ipsum etiam Dominum ejusdem amore teneri asserebat : cujus asserti rationem si scire optarent, hanc esse aiebat quod amaret ipse veritatem, humilitas autem aliud non sit quam veritas, dum scilicet agnoscimus quam parum revera simus, et nihil nos a nobis ipsis boni habere.

Humilitatem monialibus suis

164 Cæterum virtutem hanc sodalibus suis impense commendabat, monebatque ne ea quæ domi agerent, externis patefacerent nec sanctitatis apud mundanos nomen affectarent neu placere hominibus studerent, quamvis id non alio fieret fine quam ut illi ad domui benefaciendum inducerentur; si D enim iter hoc insisterent, fore ut fame emorerentur : potius servare conarentur ea ad quæ voto se obligarunt; etsi enim mundo incognitæ essent, Deum illarum intra claustri latebras latentium nomen in plateis divulgaturum et curaturum ut homines necessitatibus ipsarum prospicerent. Hoc etiam suis injunxit (Viæ perf. cap. xv), ut, cum arguerentur vel accusarentur, nihil in sui defensionem afferrent neu se excusarent, nisi charitas vel alia causa justa id suaderet : partes enim ipsarum Deum susceptorum. Si quas autem hoc sequi monitum cerneret, singulari gaudio efferebatur easque majoris faciebat. Suadebat ut in rebus minoribus se exercere assuescerent, quo paulatim ad majores pervenirent : ut vero ab excusationibus afferendis abstinerent, permultum conferre dicebat, si cogitarent quantum inde quis per omnia lucrifaciat et quam parum hoc modo amittat. Nam, si rem bene consideremus, comperiemus non immerito nos castigari; cum culpa pleni simus : quod si forte hæ quas objiciunt culpæ nobis non insint, aliarum sane multarum rei sumus; imo vero summo nos honore afficiunt, cum eas quas habemus subticent. Verus porro humilis vere parvi fieri, persecutionibus exa- E gitari et condemnari velle debet, etsi nihil culparum admiserit : si enim imitari Dominum voluerit, qua illum in re potius quam in hac imitetur?

enixe commendavit.

165 Quapropter omne ipsarum aiebat studium in hac versari virtute debere : neque enim timendum hic esse quod aliquod animæ vel corpori damnum adferat; quin potius tantum inde emolumentum secuturum ut ne falsæ quidem visiones vel revelationes ullum sint allaturæ damnum ei qui vere humilis est. Nihil adhæc esse quod tam cito Deum vincat quam humilitas; hac quippe invitante eum in B. Virginis viscera descendisse, et per hanc a nobis illum in animas nostras summa facilitate esse pelliciendum : tum etiam qui plus habuerit humilitatis, plus etiam Dei; qui vero illius minus, etiam hujus minus habiturum; neque enim intelligere se posse quomodo vel sine humilitate amor vel sine amore haberi possit humilitas : demum duas illas virtutes sine insigni rerum omnium creatarum abnegatione non posse consistere. Cæterum illam humilitatem improbabat quæ donorum a Deo receptorum cognitionem nobis aufert. Salutare quippe est ea cognovisse, simul agnoscendo ea nos minime promeruisse : si enim dona hæc non agnoscantur, F semper anima ad quid heroicum aggrediendum iners erit. Nec illam laudabat humilitatem quæ nos ab orationis studio avocaret, qua ficta specie indignos nos dicamus esse qui in Dei præsentia versemur; uti nec illam quæ animam in bonorum operum exercitio languere faciat vel turbet. Unde ipsa, ut quæ miram horum omnium experientiam habebat, esse et falsas quasdam humilitates eruebat, quæ facile hominem decipere possent; et ab his sibi ut caverent, numquam non suas hortabatur.

ANNOTATA.

a *Pius Carmelita hac occasione sic de Sancta sua Matre proloquitur* : Infirma mundi eligere solet Deus, ut confundat fortia : sicque suam manifestam facit et potentiam et sapientiam. Hoc frequentissime fecit jam ab initio sæculi. Per tubas destruit Jericho. Per lagunculas in fugam vertit exercitum Madianitarum. Per ranas subigit Ægyptum. Per mandibulam Samsonis sternit Philistæos. Neque solum per firmiorem sexum acies suas instruxit; sed etiam mulieres belli sui duces constituit, ut per infirma mundi confunderet fortia. Sic per Jahel mulierem,

A mulierem, vincit Sisaram, exercitus copiosissimi et fortissimi ducem. Sic per Judith confundit Holofernem in fortitudine exercitus sui gloriantem. Sic suscitat Debboram, ut sit dux belli. « Cessave- » runt fortes... donec... surgeret mater in Israel. » Nova bella elegit Dominus, et portas hostium » ipse subvertit » (Judic. v, 7 et 8).

b *Recte non minus quam scite dicit Yepes* (*lib.* III, *cap.* XIX) Teresiam *in suis nominatim libris tantam spirare sanctitatem et præ cæteris virtutibus humilitatem, ut potissimum hoc eorum argumentum esse videatur; quod cuivis, licet etiam absque magna attentione eos volverit, facile patet, quandoquidem cuncta humilitatis respersa sint floribus, nec sententia in iis claudatur, imo nec verbum exaretur, quod non pararit stipetque humilitatis sensus. Mirum! Regia illa aquila quæ altum petit et emicat in divinum splendorem qui Seraphinorum aciem perturbat, illico demittit se in profundam sui peccatorumque suorum cogitationem. Alias expansis videtur velis sursum ferri et acerrimo spiritus impetu immitti in divinarum perfectionum abyssum, ut paulatim regreditur et ad suum inclinat sese nihilum. Atque illa, qua ratione aut arte nescio, semper meminisse novit vitæ suæ præteritæ : nec ullam de se in malam loquendi partem occasionem* B *elabi sinit; ac* (*quod magis mireris*) *illæ ipsæ res quæ lectori persuadent et spiritus ejus celsitudinem et magnum sanctitatis ejus gradum, ei pro argumento sunt suæ vilitatis suique torporis, atque reputat cuncta hæc rècepta esse ex parte Dei talenta sine reditu ex parte sua.*

c *Vide supra de ista Magdalena notam* a *ad cap.* V *lib.* I.

d *Numquam inanem gloriam sensit de probitate vitæ suæ, de aliis vero aliquando, ut patet ex his P. Frederici verbis :* Alteruter ex Excalceatis qui eam comitabantur ad fundationem Burgensem (Gratianusne an socius, nescio) loquebatur de sparsa ejus ubique sanctitatis fama. Quod inaudiens Teresia, facie subaustera protulit concisa hæc verba : « Tria mihi per vitam dicta sunt : 1° juvenili ætate » venusta me fuisse facie, 2° prudentem me esse, » 3° quod nunc quidam aiunt, me esse sanctam. » Aliquando nimiam adhibui fidem duobus prio- » ribus dictis; sed tantæ vanitatis peccatum con- » fessa sum. Ad tertium quod attinet, asseveranter » tibi declaro delusam me eo usque fuisse num- » quam ut vel semel aut tantillum id crediderim » (lib. III, cap. XXII).

C

CAPUT IX.

Tolerantia et patiendi amor.

CAP. XVII. *Patientissime pertulit in corpore*

Jam de obedientia, vera et legitima humilitatis filia, loqui me oporteret; sed nisi ante præmisero quantum ipsa propter Deum passa sit, hanc de humilitate materiam exhausisse non videbor. In hac enim multa sunt e quibus manifestum fiat quam radicata esset hæc virtus in anima ejus. Pluribus opus foret verbis ad enarrandum multa illa quæ passa est : hæc tamen multo dici queunt facilius quam insignis patientia et alacritas qua ea perpessa est. Passa autem est omnibus modis quibus pati quis posse videtur, in corpore, anima et honore. In corpore inde a pueritia gravissimas tulit ægritudines, adeo ut toto vitæ tempore nulli rei utilis futura videretur, uti primo enarravimus libro; vomitus quoque duos quotidianos, quorum licet matutinus ipsam deseruit, vespertinus tamen illi perpetuus fuit; et alios morbos acerrimos, eosque plurimos : quorum non pauci ad mortem usque illi adhæserunt, uti cardialgia, dolor colicus, et insolitus quidam, qui caput et brachium ut plurimum, quandoque etiam membra omnia occupabat, tremor, et vespertina illa de qua modo egimus nausea; adeo quidem ut quinto ante mortem anno in Mansionibus suis scripserit abhinc annis quadraginta nullo se die a dolore vacuam fuisse (Mans. VI, cap. I). AUCTORE RIBERA. D

167 In his omnibus, etiam cum vitæ spiritualis initia poneret, insignem exhibuit tolerantiam; atque forti animo se cohibuit ne exteriori signo dolorem quo conflictabatur interius, proderet, neu moniales quæ se ægram inviserent, contristaret. Hac in re permultum illi profuit S. Jobi exemplum, cujus historiam legerat; ac cum ipso dicebat : « Si bona » suscepimus de manu Dei, mala quare non susci- » piamus? » (Job II, 10.) Nihilominus eo quem e Mansionibus allegavimus loco testatur consideranti sibi pœnas quas promeruerat, hæc nullius ponderis visa fuisse. Quando vero dolores intolerabiles videbantur, quosdam patientiæ elicere actus assuescebat, suamque voluntatem cum Dei voluntate quoad poterat conformare, Dominum obsecrans, ut, si ita videretur, patientem sibi animum elargiretur et ad mundi finem usque hoc se in statu agere sineret. *morbos,*

168 In itineribus quoque inauditos labores pertulit, per frigora, quæ illius valetudini noxia imprimis erant, per imbres, nives et intolerabiles E calores itinera capessendo : quibus accedebant quotidianæ ægritudines, dolores intensi, pauperies, variaque incommoda subeunda in hospitiis, commeatu, lecto aliisque quibus corpus adeo imbecillum indigebat; accedebant et viæ asperæ ac periculis obnoxiæ. Non raro etiam contigit ut per plures dies continua cœlo pluvia vel nix decideret, ac multis passuum millibus nullus occurreret locus nullumve tectum quo cœli injurias evaderet, ac tandem post itineris molestias tenue adeundum esset hospitium, ubi nec ignem nec igni fovendo materiam nec cibos inveniret, et cubiculi tectum adeo esset rimosum ut, subintrante aere, tam frequens penetraret imber ut interdum essent vestes aqua perfusæ. His in rebus eam præferebat generositatem mentisque constantiam ut facile appareret quam libenter in ærumnis ageret. Hoc modo nocte quadam hospitium ita affecta subiit ut vix membra traheret; stillante enim e vestibus pluvia, colicus illam invaserat dolor et membrorum dissolutio : ac maximus artuum tremor. Quam ut sic affectam Anna a S. Bartholomæo ejus socia vidit, ignem quæsivit quo pannum illi aliquem calefaceret. Hoc videns vir insignis qui eodem in diver- F sorio erat, adversus ipsam in contumeliosa adeo prorupit verba ut ab id genus viro posse ea proferri non facile quisquam credat; nisi linguam ejus moverit diabolus, ut videret an eam ad impatientiam redigere posset. Hæc ipsa hilari mente pertulit, non alia merito de se dici posse credens quam quæ erant pessima. Sed quam ex iis aliisque id genus contumeliis hauriebat voluptas illi sanitatem afferre videbatur. *itinerum labores*

169 Cum Burgis ægerrime haberet, datum illi in valetudinario publico cubiculum cœli pervium injuriis et frigidum. Cujus cum filiæ commiserarentur, nimis locum hunc sibi commodum esse ait; neque enim tantum sibi deberi atque se non sua, sed illarum causa angi; habere se namque plus quam mereretur. Cum vero tenuem illi parabant lectulum, exclamabat : « Quam hoc delicatum cu- » bile est, Domine mi, cum ipse dura in cruce re- » cubueris! » Eo ipso tempore, quotiescumque sumebat cibum, sanguis illi e quodam quod in faucibus habebat vulnere prorumpebat; quem illius dolorem miserantibus monialibus aiebat : « Ne » vos, obsecro, mei tangat miseratio : plura namque *et incommoda,*

AUCTORE RIBERA.

» Dominus meus pro me pertulit, cum felle et aceto
» potatus est. » Enixe a Domino contenderat ut
A numquam sibi dolores deessent : unde nec umquam illi defuerunt. Testari id possunt qui assidue cum ipsa versabantur; qui nullo die eam integra gaudentem valetudine conspexerunt, nisi quod, cum nova inchoanda erat fundatio vel aliquid in maximam Dei laudem peragendum, infirmitates paululum minuebantur, tantamque sibi faciebat violentiam ut nullo premi malo videretur : atque adeo ipsa id dicebat, ac moniales similem offerri occasionem optabant, ut meliuscule habentem Matrem viderent.

vexationes dæmonis,

170 Et quoniam quidquid patiebatur, exiguum quid erat, si coronam quam illi præpararat Deus, intueamur, diabolo potestatem fecit Dominus ut ipsam interdum exagitaret, sicut cum ad S. Jobum vexandum cœlitus accepisse legimus (Job. II, 6). Propterea, uti supra commemoratum est, quotiescumque ope Teresiæ aliqua anima se diabolico jugo subduceret vel vitæ rationem meliorem iniret, in ipsam statim cacodæmon omnem suam evomebat rabiem. Quadam vice quinque horarum spatio tam diris ipsam divexavit modis tantaque afflictione tum
B interiori tum exteriori oppressit (quod corpore se toto, brachiis et capite impeteret, quin se coercere posset) ut duro jam se sub onere succumbere crederet. Interim patiendi gratiam a Domino efflagitabat, simulque paratam se declarabat, si ita illi videretur, ad afflictionem hanc ad judicii extremi diem usque perferendam. Elapso illo quinque horarum spatio, demum intellexit a quo tam miserum in modum fuisset torta : vidit enim adstantem sibi deformem quemdam Æthiopem, ringentem eo quod unde sperarat compendium, inde passus esset dispendium; quem aqua lustrali ab se fugavit.

quas inter speciatim notatur

171 Plura alia id genus perpessa est; sed unum dumtaxat commemorabo quod plus cæteris notatum fuit. Hispalensi sede constituta, Toleto Abulam rediit, ibique biennio toto mansit. Mire interea universus Excalceatorum cœtus exagitatus fuit, uti dictum est supra; ipsa vero missis Abulensi e domo litteris cœnobiorum suorum incolas consolabatur. Male hoc cacodæmona habebat, qui hanc opem hoc conatus est pacto interturbare. Ad Completorii Officium Teresia se conferens, ac lucernam manu gestans, jam scalas ad summum usque gradum ascenderat, cum jamjam odeum ingressura,
C derepente velut destituta sensibus, retro cedens prolapsa est, atque sinistrum sibi brachium fregit. Ingentem quidem hac in ruptura passa dolorem est, longe vero majorem postea, dum curabatur : multum quippe effluxit temporis antequam accederet qui ossa confracta restitueret; quod quæ confractis ossibus solidandis nota erat mulier, haud procul a Methymna, iis diebus ægra decumberet. Quæ cum adesse tunc non posset, tantisper malagmata quædam jussit applicari, quoad ipsa veniret.

brachii fractio;

172 Jam brachium coaluerat et enerve erat, cum tandem medica accessit. Nihilominus, pro suo patiendi desiderio, illius se arbitrio totam Teresia concredidit, ut quidquid videretur, id in se exerceret. Igitur a monialibus omnibus, templum adire jussis, se Domino per preces petiit commendari. Interim cum sola cum chirurga et alia quam hæc adduxerat rustica mansisset, duæ illæ, quæ robustæ erant et valentes, brachium jam coalitum tanta vi extendere cœperunt, ut, humeri junctura fragorem edente, intolerabilem passa dolorem sit. Hunc tamen illa leniebat meditatione cruciatus quem Dominus Jesus est perpessus, cum illius brachia in cruce extensa sunt. Ut rediere moniales, placido Matrem viderunt vultu, perinde ac si nihil D penitus pertulisset; quin potius adeo renidenti ut diceret hunc se dolorem ne omnibus quidem mundi gazis redimere velle. Diu brachium movere vix potuit, ac tandem ita illius usum amisit, ut, quoad vixit, nec vestem induere nec exuere, imo ne velum quidem capiti imponere potuerit. Lapsus vero fuit talis ac tam inopinatus, tam nulla prævia occasione, tamque magnus, ut quotquot domi fuere, dæmone impellente illam cecidisse censerent. Atque id inde colligitur manifestius, quod, cum monialis quædam illi diceret dæmonis id opera factum videri, ipsamet Mater exceperit : « Plura
» etiam et majora infligere vellet mala, si Deus id
» permitteret. »

in anima aridates ac desolationes diuturnas;

173 In anima vero viginti duorum annorum spatio maximas passa est ariditates et desolationes. Per alios aliquot annos gravibus oppressa timoribus est ne a dæmone sibi illuderetur, nec non continua acrique exagitatione illorum qui eam asserebant decipi. Non mediocriter hoc ipsam torsit, quod hujus vexationis et cruciatus auctores viri erant boni et de bono ejus solliciti. Perpessa quoque est horribiles a dæmone interius tentationes et afflictiones, et sæpe quidem ita graves, ut, E quantum videbatur, nullum prorsus in se Dei favorem sentiret, nullum erga ipsum amorem, imo non plus acceptorum ab ipso beneficiorum recordaretur ac si numquam ejusmodi quid cœlitus accepisset; adhæc nec quemquam mortalium videre nec cum quoquam se recreare posset; nauseam quoque illi afferret lectio et oratio; denique omnia et quotquot ipsam alloquebantur, summum illi mœrorem afferrent. Quid vero dicam de iis quæ in primi et in reliquorum prope omnium cœnobiorum erectione contigerunt? Quid de persecutionibus quibus exagitata est, dum Ordo ipsius maximo in discrimine versabatur? Nam quamvis libro tertio harum meminerim, tamen, si quidquid quoad hæc dicendum habeo, dicerem, plura hauddubie suppeterent hocce loco enarranda. Quidnam passam ipsam credimus propter incensum illud desiderium quo apud Sponsum suum esse illoque potiri cupiebat, idque tot annis dilatum; dum interim comedere, dormire, cum hominibus agere et litteras scribere cogeretur, cujus tamen unica voluptas erat in solitudine cum Sponso suo, quem tantopere diligebat, conversari et totam se illi cognoscendo amandoque impendere! Non parum etiam cruciabatur, F quotiescumque a filiabus suis, quæ tam amanter ipsam complectebantur, divelli easque relinquere cogebatur; quamcumque demum sibi vim ad dolorem hunc dissimulandum faceret, præsertim cum sciret eas non amplius a se conspiciendas.

in honore contumelias,

174 In suo quoque honore multum pertulit, etsi non alium quam Dei honorem et illum qui ad sancti illius Nominis gloriam et divinum obsequium erat necessarius, quæritaret. Jam ante vidimus quam multi illius orandi modos et revelationes exploserint, et quomodo illam ceu a malo spiritu actam conjurare exorcismis voluerint; quod non exigui doloris illi causa fuit. Die quodam cum in Manchensis provinciæ pagum cui la Puebla nomen est, appulisset, haud procul a templo ad Sacrum audiendum et S. Communionem participandam exscensionem fecit. Quotquot in hac æde convenerant, palam aiebant non recte mulierem hanc videri procedere; proinde consultum fore eam comprehendere. Ut vero cœleste eam viderunt epulum inire, offensi ipsam adiere, percontantes ecquanam audacia ad sacram se Eucharistiæ mensam ingereret : loco itaque se non subduceret; ante enim quam inde

A inde digrederetur, se inquirere velle ecquænam esset. Hac Mater contumelia gavisa, ne verbum quidem interrogantibus respondit. Tanta autem hac de causa in templo coorta commotio, itaque ab omni multitudine tumultuatum, ut, quamvis festum titulare ejusdem (Incarnationi autem dedicatum erat) die illa recoleretur et magna esset solemnitas, omnia tamen turbata viderentur. Et sane, nisi P. Antonius a Jesu, qui ea regione notissimus erat, eo appulisset, longius commotio progressa esset; et quamvis ille convenas verbis lenire conaretur, miserunt tamen qui eas pone sequeretur ac videret quonam concederent. Ad quæ omnia Teresia nullum verbum in sui defensionem attulit.

convicia, 175 Gravia in illam spargebantur probra ac calumniantium de omni prope re obtrectationes : sed has ipsa nihil morata, non minus iis movebatur quam si de alia quapiam sparsæ essent; nihilque proinde in his se habere dicebat quod Deo velut meritorium offerret. Quin et Isabellæ a Jesu (ut quæ noverat omnia hæc cum veritate pugnare) dicenti ferre se nequaquam posse talia de ipsa jactari, placido respondit vultu : « Nulla, carissima,
» auribus meis accidere musica potest gratior :
B » cum enim vera dicant, merito illa jactant; at
» cum fustibus me non excipiant, multumne tan-
» tilla hæc ipsos de me dicere? » Ita scilicet semper respondebat semetipsam insimulando, calumniantes vero defendendo et excusando. Pastrana Toletum abeunti principissa Ebolensis lecticam, qua veheretur, ei concesserat : quam Toletum hoc modo invectam sacerdos conspicatus mentis impos, ad monasterium abit, evocatæque ad januam ait : « Tune illa Sancta es quæ mundo illudis et rheda » veheris? » nec non alia quæcumque in buccam veniebant, effutiebat. Teresia vero ignorans illum mente captum esse, humiliter audiit, nihilque in sui purgationem adferens, cuidam viro probo ait : « Nullus est præter hunc qui meas mihi culpas » suggerat. » Etsi vero dicerent imminuti hunc esse cerebri, ab illo tamen tempore adeo abhorrere lecticas cœpit, ut eas, etsi ab illustribus matronis oblatas, adhibere exinde noluerit, sed communibus suas vehi curribus juberet.

injurias, 176 Quando ad Incarnationis cœnobium reducta est ut eidem præesset, vehementer est inibi tumultuatum (ut suo dictum est loco), quod major monacharum pars ei adversaretur : plura in eam
C congerebantur probra, nec verbis perquam injuriosis parcebatur, et eo demum processit indignatio ut quædam de numero earum quæ Teresiæ favebant, semper ei comes adhæreret, verita ne verborum injurias etiam manus injuriæ exciperent. Hac porro in tempestate ipsa insignem semper animi pacem præferre et sereno ore quoad poterat omnia in meliorem partem interpretari, non mirandum id videri dicens, cum difficile sit alienam cogere voluntatem, aliaque hujusmodi. Cæterum ea interim conscientiæ quiete fuit ut mane, non præmissa Confessione, divina participare Eucharistiæ Mysteria non dubitarit; quod monachas maxime ædificavit.

calumnias, 177 Ad Hispalensis domus constitutionem abeunti duo pii viri per iter dixerunt multis ipsam Hispali adversis exagitandam. Et sane tam diris illa in urbe exagitata fuit modis ut se, præ illis ærumnis, a primi fundatione cœnobii nihil umquam passam diceret quod hisce comparari posset. Hic siquidem falsa adversus eam de rebus gravissimis producta sunt testimonia, tantumque diabolus valuit ut etiam apud Sanctæ Fidei Inquisitores insimulata sit, illorumque jussu in ipsam ac sodales aliquot sit cœptum agi. Et quoniam qui hanc concitarat procellam, magnæ vir auctoritatis erat multumque
D apud omnes valebat gratia, illæ, quamquam omni se vacare nossent culpa, quotidie lictorem, a quo ad sacrum tribunal abducerentur, præstolabantur. Etsi vero tanti ea res momenti tantæque infamiæ esset, et unde tantum accedere monasteriis fundandis dispendium, denique tantum Dei obsequio et universo Ordini nuperrime enato poterat damnum sequi, Teresia, virilem exhibens constantiam, gaudebat se, nullo commisso crimine, propter Dei gloriam adversa posse pati; sicut e verbis huc a me adferendis, ex epistola ejus ad Mariam a S. Joanne Baptista depromptis, erui poterit : « Benedictus
» Dominus, qui ex omnibus eliciet bona : equidem
» jam summo perfusa sum gaudio, tanta simul
» congesta videns. Scias velim singularem mihi
» hic Dominum fecisse gratiam, cum veluti in
» deliciis versari mihi videbar : adeo ut, licet præ
» oculis haberem ingens quod inde domibus hisce
» oriri damnum posset, nihil tamen illo moverer;
» quod longe major esset quæ inde pullulabat vo-
» luptas. Magnum sane solamen est conscientiæ
» securitas et culpa vacare. Bene valeo, etsi hacte-
» nus incommoda satis usa sim valetudine. Scrupi
E » illi vitam mihi sustentant. Hui! qualem hic passa
» annum sum! »

malas suspiciones, 178 Inde in Castellam reversam aliis alii criminationibus impetiere; sed tam parum eas curabat deque iis tanta voluptate et quiete loquebatur ut audientibus stuporem moveret. Nec vero in solis calumniis sita injuria, sed ad manus etiam aliquando deventum est. Cum Toleti sedis erigendæ gratia ageret, antequam suis esset de proprii tecti opportunitate prospectum, ad cœnobium S. Clementis Missarum Sacra auditura cum sodalibus suis se conferebat : ut vero a nemine cognoscerentur, vestitum mentiebantur, et in matronarum piarum et honestarum comitatu eodem sese conferebant. Hic non procul a religiosarum craticula considebant, quod locus ille secretior esset. Interim Teresia cum quadam e comitibus fœminis Communionis ergo ad alium locum, ubi Sacrum celebrandum erat, sese contulit. Inde vero tanta hominum in ædem confluxit multitudo ut ad suas redire sodales minime potuerit, et in templi medio, oppressa a turbis ingruentibus, manere coacta sit. Cum vero turba diffluueret, mulier quædam vicina amissam quærens crepidam, ipsam a beata Matre furto surreptam
F inclamare cœpit, itaque illico effervescere, quod non satis cito loco surgeret, quo amissum illa calceum quæreret, ut eam pugnis magna vi onerarit, quo hoc ipsam pacto exsurgere cogeret : quod enim pallio satis vili undique obtecta esset, pauperculam eam de turba mulierculam credebat. His demum peractis, ad filias Teresia rediit, manibus caput sustinens, iisque ridendo dictitans : « Igno-
» scat illi Deus; nam satis male habebam. » Inde vero domum reversa lepidum hoc factum non sine risu recoluit.

reprehensiones superiorum. 179 In fundatione Burgensi simile quid illi accidit : cum enim feria quinta Hebdomadæ Sanctæ in æde quadam sacra versaretur, et quidam transire ad eum cupientes locum in quo B. Mater agebat, ipsam non pro eo ac volebant illico surgere viderent, eam calcibus impetere non dubitarunt, ut hoc modo in aliam concedere partem eam compellerent, et in terram propulerunt. Quam Anna a S. Bartholomæo, socia illius, relevatum abiens, ridentem comperit et hilari sedatoque ferentem animo illatam sibi injuriam. Eodem quoque modo pertulit quidquid in ipsam qua verbo qua facto injuriarum irrogabatur

AUCTORE RIBERA.

gabatur, nullus ut eam umquam idcirco vel tristiorem vel commotiorem viderit, sed hilari prope omnia risu excipientem. Tantum vero in omnibus his animi robur prætulit, ut, cum quodam tempore maximis conflictaretur laboribus, filiabus per jocum diceret videri se durum habere ante pectus asserem quo ita ictus eliderentur ut ad præcordia penetrare non possent. Cum eam vetarent superiores ad fundationes inchoandas amplius prodire, varias illi verborum contumelias, quibus eam apud Generalem Præpositum onerarunt, retulerunt : quibus auditis, tam insolitum ipsam occupavit gaudium ut id animo continere non posset; memorque quomodo David ante arcam Domini saltasset, idem ipsa coram SS. Eucharistia facere voluisset.

Cupiebat aut pati aut mori;

180 Quidquid autem reipsa perferebat, nihil sane erat comparatum cum eo quod perferre cupiebat. Unde, tametsi natura obluctaretur, animus tamen quibuscumque se objiciendi laboribus semper interritus erat; adeoque non raro Dominum compellabat ut imbecillitatis suæ sensus non respiceret, nec propterea quidquid sibi videretur, imperare ancillæ suæ cessaret : se namque, illius adjuvante gratia, imperata executuram. Dicebat non aliter vivere se oportere quam ut pro Dei nomine pateretur, hocque ex toto se animo a Domino postulare. Hinc interdum ad Dominum clamabat : « Domine, » aut pati aut mori : aliud mihi a te non peto. » Sanctos quoque qui majores pro Dei nomine labores pertulerant, sancta quadam invidia æmulabatur. Hinc factum ut, cum Toleti de SS. Petro et Paulo Matutinum persolvisset, ingens ipsam animi invaserit impetus, accedente tam insolito gemitu ut in supremo vitæ agone versari et anima corpore emigratura videretur. Durante vero æstu, ardentissimis verbis maximam Sanctorum illorum Apostolorum felicitatem, quod ipsos occumbere pro Domino contigisset, deprædicare exorsa est. In oratione nullas a Domino poterat spiritus consolationes petere aut desiderare, imo ne id quidem facere se posse dictitabat, etsi conniteretur, at solum ærumnas, quod Dominum semper in iis vixisse cerneret. Multis etiam annis a Deo petiit, ut, quoad viveret, vita sibi omnis laboribus persecutionibusque abundaret : dicebatque se, cum nullum in aliis fructum edere posset, velle saltem posse quidpiam pati, ac paratam se esse omnes qui fingi in mundo possunt labores perpeti, ut voluntatem Dei vel paulo perfectius adimpleret. Minus eæ illi placebant domuum fundationes quæ sine ulla oblocutione et labore erectæ erant; quæ autem plurimo illi sudore ac difficultate steterant, magis ipsam recreabant, easque fore diuturniores arbitrabatur.

idemque suis alumnis inculcabat.

181 Ad omnium quidem virtutum studia monachas suas plurimum adhortabatur, speciatim vero ad constantem propter Deum tolerantiam. Dicebat erubescere ipsas debere, aliud si iter insisterent quam per quod Sponsus ipsarum præivisset; et eam quæ hujusmodi in se desideria non experiretur, pro vera Excalceata non esse habendam : neque enim quietem debet, sed passionem desiderare, ut Jesum quadamtenus imitetur. Qui vero considerarit hanc singillatim virtutem non secus atque humilitatem a Domino ipsam edoctam fuisse, quæ jam commemorata a nobis sunt, non tantopere obstupescet. Quadam nempe vice his eam verbis Dominus compellavit : « Anne in fruendo consi- » stere meritum putas, filia? Non in hoc id situm » est, sed in operando, patiendo et amando. Non » audisti nonnisi semel Apostolum Paulum gaudiis » esse cœlestibus perfruitum, sed sæpius in labori- » bus fuisse? Vides adhæc omnem vitam meam » dolore plenam fuisse et semel dumtaxat me glo- » riæ scintillam in monte Thabor expertum. Noli » putare, cum me vides a Matre intra brachia » foveri, sine maximo dolore hac eam lætitia per- » fruitam esse. Nam ex quo tempore Simeon illam » commonuit, claram illi Pater meus lucem infu- » dit ad perspiciendum ea quæ postea in vitæ » decursu passurus eram. Sancti illustres qui in » desertis vixere, sicut a Deo ducti erant, ita ma- » gnas suscepere pœnitentias; et quamvis assidue » cum diabolo ac secummet ipsi præliarentur, » multo tamen tempore omni consolatione spiri- » tuali carebant. Crede, filia, quem majori Pater » meus amore prosequitur, hunc majoribus etiam » laboribus solere exagitari; et his respondet amor. » In quo vero id potius tibi ostendere valeo quam » id tibi cupiendo quod mihi ipse selegi? Respice » hæc vulnera; numquam enim eatenus dolores » tui pertigerunt : hoc iter est veritatis *a*. » Hinc, *a* si interdum natura ejus in patiendo obtorpesceret, Dominus uti bonus magister eam coarguebat; quemadmodum mense Februario anni MDLXXI eum fecisse constat, dum ait : « Semper quidem hinc » labores concupiscis, illinc vero eosdem a te ex- » cutere satagis. Equidem ita dispono res pro tua » voluntate quam novi, non pro tua sensualitate » ac debilitate. Ergo generose certa : vides enim » auxilium tibi meum affulgere. »

ANNOTATUM.

a *Verba hæc reperiuntur in principio Additamentorum ad Sanctæ Vitam.*

Caput X.

Austeritas vitæ, paupertas et liberalitas.

CAP. XVIII. *Corporis macerationi,*

Ut institutam de illius patientiæ et humilitatis magnitudine materiam absolvam, necessarium mihi visum de pœnitentia, paupertate et obedientia nonnulla subjungere. Pœnitentiæ semper amatrix fuit magnisque ad eam desideriis ferebatur, quemadmodum ex ejus constitutionibus et summa asperitate quam suis in familiis cupiebat observari, manifestum fit. Hanc ipsa, quamdiu superiores ob invaletudinem non inhibebant, inviolate custodiebat, ac sæpe etiam colebat impensius quam corporis vires permitterent; cum maxime ea delectaretur. Ea de causa sæpe de suis dolebat morbis, querens hos sibi impedimento esse, ne, prout cupiebat, vitæ rigorem sectaretur. Eo tempore quo in Incarnationis cœnobio agebat, aliquatenus a consuetis morbis libera, tam aspere in corpus suum animadvertebat ut frenos ei a confessariis injici oportuerit. Antequam domiciliorum suorum erectionem moliretur, triennio prope toto in familia cujusdam matronæ sibi amicæ agens, sæpius ab hac conspecta est dirissimis in corpus suum sævire flagellis, cilicium horridum ad carnem premere, animi munditiei tota studere, itaque orationi intendere ut toto die illius conversatione non frueretur nisi pauxillo post prandium et cœnam tempore. Cum in Abulensi S. Josephi domo ageret, sæpe se cædebat, imo non raro ad sanguinem usque. Sed hi dolores exigui ei videbantur : sæpe namque tam vehementia asperius in corpus suum sæviendi illam occupabant desideria, ut, si Deo fuisset placitum, suum discerpere frustatim corpus voluisset. Hanc ab causam urticis tergum

A tergum ferire solebat; ut sæpe, dilacerata cute, ulcera suppurarent, quæ deinde repetitis id genus castigationibus disrupta redintegrabantur. Hunc vero in corpus rigorem ne tum quidem intermittebat cum vexata doloribus jaceret. Hinc cum Segoviæ Hebdomade Sancta ex febribus decumberet, monachas omnes ab se in templum emisit, nulla omnino apud se retenta; omnibusque digressis, cubili surgens, egregie flagellis tergum cruentavit. Hanc porro flagellorum consuetudinem tamdiu servavit donec brachii mutilatio impedimento fuit : ex eo namque tempore magis corporeis eam obsecundare necessitatibus oportuit.

victus tenuitati

183 Cubile saccus erat palea suffultus, non lana. Semper exigui fuit cibi : vino semper abstinuit. Inde a primo stabilito domicilio, quando per valetudinem licebat, quotidianus prope illi cibus erant pultes farinaceæ et ovum unum, addito modico olusculo vel pisis aliove simili leguminum genere : inter hæc ut plurimum jejunabat. Fuit cum non nisi nuces, uvas passas et ovum vel frustillum piscis manducaret. Etsi vero medici carnis illi usum præscriberent, semper tamen ea abstinebat, nisi maxima compelleret necessitas. Salmanticæ cum
B ventri purgando catapotium bibisset, et illata illi esset gallina cocta, moniales, etsi summa contentione instarent dicerentque majori id sibi ædificationi fore, ab ea impetrare minime potuerunt ut aliquid inde degustaret; sed ovillæ elixæ paululum comedit.

atque asperitati vestium

184 Ut plurimum laneam gestavit tunicam : satis diu tam interula quam stragulæ lecti et cervical illius e panno illo fuere secundario quali insterni equi solent; atque eo tempore res illi accidit sane memoranda. Nimirum cum primum monasterium maximo fervore floreret, Maria a S. Joanne Baptista, audito beatæ memoriæ Pontificem Maximum Pium V interulas admodum spissas gestare, exiguum quid esse censebat, imo etiam quodammodo delicias, si similes ipsa gestaret. Quamobrem, cum suas in partes aliam monialem pertraxisset, ambæ Matrem accedunt veniam sibi fieri postulantes interulas e grossiori panno gestandi. Quibus Teresia primum id in se experiri se velle ait, dispectura num materia illa institutis conformis foret; atque uti dixit, sic etiam fecit. Itaque id genus panni allatum cum esset, omnes inde sibi indusia et alias vestes omnes, quæ e levidensa lanea materia
C hactenus solebant parari, maxima sua consolatione compararunt. Hæc ad aliquod quidem temporis spatium in usu fuit, sed deinde adeo omnium valetudini nocuit ut hanc tum medicorum tum confessariorum suasu a se postea proscribere coactæ sint. Quo primum die hasce induerant interulas, quodam omnes metu angi cœpere ne in spissiori hoc panno mundæ non essent neu tueri se a vermibus vestibus inasci solitis possent : hinc vesperi, supplicatione instituta et crucifixi Domini effigie prælata, ab odeo ad Teresiæ cubiculum procedere agminatim cœperunt, Dominum orantes ut hunc a se metum excuteret.

(quas Deus a vermibus immunes servabat)

185 Hoc peracto et singulis ad cubilia reversis, eas Teresia, quæ paucis idipsum a Domino haudubie petierit, consolatura singillatim adiit, spem illis faciens fore ut petita cœlitus concederentur. Et sane factum est ut tam in id genus quam in aliis tenuioris materiæ indusiis, uti et in vestibus reliquis, a die illo hactenus nullæ innatæ sint sordes, quin potius ea quoad hoc illis insit mundities quam nec vidit quis umquam nec audivit : quod donum non veteranis modo, sed etiam novitiis quam brevissimo tempore obtingit, nisi forte de reditu ad sæculum aliquam animo cogitationem foveant. Imo in domicilio Abulensi id observatum est longe
D mirabilius, novitias quarum vestibus sordes ingenerantur, tandem ab Ordine desciscere. Hic vero quem dico vestium internarum nitor in omnibus monialium cœnobiis locum habet : nam id ipse sedulo de nonnullis inquisivi, qualia sunt Abulense, Salmantinum, Albanum, Vallisoletanum, Hispalense, Ulyssiponense; uti etiam de nonnullis veteranis, quæ uno omnes ore fatentur planeque sibi persuadent in reliquis id omnibus domibus usu venire. Quin etiam auditu comperi, dum ad horum quæ jam dixi monasteriorum quodpiam aliquot alterius Instituti moniales pauperes ad dies aliquot divertissent, iis ipsis diebus hanc in lectis deficere munditiam cœpisse, sed illis inde digressis, eodem die priorem munditiem rediisse, et quæ tum conspectæ sunt sordes numquam exinde amplius comparuisse *a*.

a

addictissima fuit,

186 Studium autem quo erga asperitates ferebatur, immensum erat : cum enim divino flagraret amore et multa pro Deo facere et pati cuperet, insigne ardentium horum desideriorum refrigerium erat rigide in corpus suum posse animadvertere. Hinc quas exercebat asperitates maximopere ipsam
E consolabantur, laboresque ejus non parum leniebant; et si suo relicta quoad hoc fuisset arbitrio, horribilibus et extraordinariis in carnem modis sævisset. Verum cum hinc ipsa tam inflammato in asperitates et rigores ardore ferretur, illinc vero superiores et confessarii, cum ob assiduas quibus conflictabatur infirmitates, tum quod permagni eam vivere interesset, ab his illam arcerent, et ipsa non parum quoad hoc expostularet, Magister illius (ita enim Christum ipsa vocat) suam etiam circa hoc ei aperire voluntatem voluit; sicut e schedis illius manu conscriptis colligere licet. Quarum in una hæc continentur : « Quodam tempore » cogitanti mihi quam grave mihi esset carnem » gustare et severam in corpus non esse, significa- » tum est id interdum ex amore proprio potius » quam ex ejus affligendi desiderio procedere. » In altera hæc leguntur : « Quodam die animo versans » quam austeram vitam duceret Catharina de Car- » dona *b*, quodque ipsa etiam austeriorem ducere *b*
» possem, pro desiderio quod mihi Dominus ali- » quando dat, nisi confessariorum jussu a severiori » vitæ genere abstinerem, cogitare cœpi an non » satius esset illis in hoc morem non gerere; sed F
» mihi dubitanti de cœlo responsum est : Nequa- » quam, filia : bonum tu securumque iter tenes. » Viden omnem austeritatem quam ipsa consecta- » tur? Equidem pluris tuam facio obedientiam. »

servata tamen obedientiæ lege.

187 Exploratum etiam habeo P. Martino Gutierrez, collegii Societatis Jesu Salmanticæ rectori, aliquando Teresiam litteras scripsisse quibus dicebat apparuisse tum temporis sanctissimam fœminam vita severiore notissimam, puta Catharinam de Cardona, de qua modo meminimus. Cujus cum virtutum texuisset catalogum, illi se quidem singulas ait invidere, unam tamen excipere, quod de austeritate cœpta nihil vellet remittere, quamvis nimiam eam et immoderatam esse confessarii monerent. Quæ verba cum tantam sapientiam redolerent et a muliere essent sanctissima maximæque auctoritatis perscripta, omnibus illa domesticis ipse in recreatione prælegit. Etsi Teresia asperitatis vitæ perstudiosa sectatrix esset, eamque filiabus suis nullo non loco inculcaret, acriter eas tamen reprehendebat, si modum excederent, nec eam ab ipsis aliter quam confessariorum superiorumque nutu permittebat usurpari.

188 Nec

AUCTORE RIBERA. CAP. XIX.

Ex paupertatis studio

188 Nec verbis exprimere nec mente comprehendere possem quam sanctæ paupertatis semper fuerit amica, quantamque hæc illi voluptatem afferret. Nec enim minus eam oblectabat inopia quam alios copia : hinc quo domi majori rerum laborabatur paupertate, eo majus illius erat gaudium; cum vero multa suppetebant, major illius erat animi ægritudo quam dum penuria premebatur. Jam vidimus qua contentione laborarit ut in primo a se fundato domicilio e solis viveretur fidelium eleemosynis, ut et de hac re litteras Roma advocare non dubitarit. Et, si res a suo dependisset arbitrio, nec illud nec cætera quæ deinde erexit domicilia stabili dotata proventu fuissent; verum voluntatem ac judicium tam in hac quam in reliquis rebus omnibus superioribus subjecit. Hinc non parum iis obluctabatur domiciliorum fundationibus quæ annuos essent possessura reditus, dum contra animose iis quæ reditibus caritura erant, operam dabat.

malebat cœnobia absque reditu fundare,

189 Toletanam inchoaturæ sedem duodena aureorum millia addicta erant; sed hac pollicitatione deterrita nonnihil in cœptis refrixit et subdubitare cœpit : verum ubi hæc stipulatio rescissa fuit et urbis gubernator fundandi facultatem ea conditione fecit ut nullos stabiles census cœnobium possideret, non minori perfusa gaudio est quam quis alius divite reperto thesauro fuisset. Hinc exultans sic suas compellavit socias : « Quam modo, carissimæ, » secura est nostra peregrinatio, cum jam hoc ido- » lum a nobis amolitus sit Omnipotens! » In oratoriis domesticis non alias constituebat cruces quam arundineas et e ligno non dolato nec elaborato. Nihil umquam a quoquam exigebat nec suas exigere permittebat, nisi ea quibus ægerrime ad domum instituendam carere poterant. Hinc domestica et sacra supellex tamdiu illi curta erat quoad eam externi ultro e pietatis studio offerrent; sed, quo erat concinnitatis in omnibus studio, exigua quam haberet recula sacram ædem ita instruebat ut ea lauta videretur. Nempe in omni eo quod ad divinum spectabat cultum, imprimis accurata erat et industria. Quando proprio carebat domicilio, adeo non animo angebatur ut magnopere se gaudere diceret potius, quod talibus in ædibus agerent, unde, quotiescumque locatori alluberet, pelli possent : meminerat enim Salvatorem mundi numquam possedisse in terra domicilium quod suum esset.

vestibus detritis libenter utebatur,

190 Quoniam vero, dum fundationes domorum prosequebamur, dictum est ecqua in singulis cum rerum penuria conflictaretur quantoque eam gaudio ferret, paucis illam hocce capite commemorabo. Gaudebat imprimis vestes obsoletas, viles ac laceras gestare; attamen semper curabat ut mundissimæ forent : erat enim omnis tum corporis tum animæ nec non vestium nitoris perstudiosa, indignabaturque si quam suarum sordidulam in vestitu cerneret; ut interior illius animæ mundities etiam ad corpus et vestimenta pertingeret : quas enim exuebat vittas aut indusia, nullam sudoris aut alterius rei maleolentiam, uti aliorum exutæ vestes solent, sed suavem potius odorem spirabant. Sæpe etiam sumebat vestes quas aliæ jam usu detritas posuerant; in quo naturalis suæ munditiæ præscriptum excedere quadamtenus videbatur : quin etiam, cum detritam gestare vestem permittebatur, exultantem eam ac suis quodammodo divitiis plaudentem vidisses.

operibus manualibus sedulo vacabat,

191 Etsi assiduis infirmitatibus conflictaretur, laboris tamen cultrix erat indefessa; ac quoties per necessarias occupationes licebat, operi insistebat : hinc vel filum ducebat vel aliarum pensa discriminabat vel suebat vel aliud ejus generis exercitium usurpabat; adeo ut ne vel momento vacaret. Quando cum viris gravibus ac proceribus collocutura ad cancellos ibat, semper aliquod manuale pensum adducebat : quod nonnullis, cum rem notassent, non parum ædificationi fuit. Propterea perutile aiebat esse clausis cancellis externos affari, quod, interim dum cum ipsis sermo miscetur, aut vitta componi aut aliquod manuale opus peragi commode possit. Et quoniam hoc ipsa adeo sedulo observabat, nulla monacha erat quæ id non imitaretur et vel minimum auderet otiari. Hinc monialis quædam cum pensum jam absolvisset, fusi pleni filum in aliud glomus convolvit, ut hoc pacto occuparetur, et ignominiam quam incurrisset, si in conspectu Matris suæ otiosa apparuisset, evitaret : quæ sedulitas cum mire ipsi placuisset, monialem hanc laudando commendavit. Omnia porro hæc opera magna cum accuratione et perfectione exequebatur : viso vero aliquod e laboribus tum suis tum reliquarum monialium lucellum redactum esse, singulari perfundebatur voluptate. Jussa librum quempiam componere, grave id sibi esse aiebat, quod aliis occupationibus distineretur et a nendo per scriptionem avocaretur.

ædificiorum respuebat magnificentiam.

192 Volebat pauperiem omni in re enitere. Satagebat quidem ut monasteriis suis de horto, sanitatis causa, prospectum esset, nec non ut quædam in iisdem oratoriola excitarentur, in quæ interdum moniales animi colligendi ergo secederent; eadem tamen parva, omniaque simplicitatem volebat, nullam vero elegantiam redolere. Capite XIII Fundationum suarum sic loquitur : « Quam, o Deus » bone, hæc ædificia et deliciæ ac recreationes » exteriores ad pacem interiorem parum conducunt! Unde per ejus amorem vos obsecro, carissimæ, et vos Patres, ut in domibus magnis et » pretiosis semper omnem quam potestis moderationem adhibeatis. Versentur nobis ante oculos » veri nostri fundatores, qui sunt sancti illi Patres » a quibus descendimus, quos per hanc paupertatis » et humilitatis viam ad Dei fruitionem pervenisse » novimus. Et sane, ut fatear quod res est, semper » plus spiritus necnon gaudii interioris vigere » vidi, quando corporibus suæ deesse commoditates et recreationes videntur, quam postea cum » jam domum amplam habent suasque commoditates. Quantumlibet illa magna sit, quid nobis » inde boni aut fructus sequitur, cum unius dum- » taxat cellæ usum continuo habeamus? Si illa » capacissima sit et bene constructa, quid nostra » interest, cum parietes nos respicere et considerare minime oporteat? Si item consideremus non » esse domum quæ in perpetuum nobis durare » debeat, sed solum ad tam modicum tempus ac » vita nostra durat (quantumlibet illa longa sit), » omnia nobis quam suavissima videbuntur, scientibus, quo pauciora hic in terra habebimus, eo » plura nos in illa æternitate possessuros, in qua » nobis habitacula et mansiones dantur pro amoris, quo boni nostri Jesu vitam imitati fuerimus, » parvitate aut magnitudine. »

Cœlitus sibi commendatum paupertatis amorem

193 Idipsum etiam capite II Viæ perfectionis pluribus inculcat et a filiabus per amorem Redemptoris ac pretiosum illius sanguinem efflagitat; et addit optare se, si modo sine piaculo dici queat, ut quo die magnificas paraturæ sunt ædes, eodem illæ derepente corruant omnesque ruina involvant : quin etiam, modo tuta conscientia id fieri possit, hoc se a Domino petituram. Hæc aliaque id genus plurima dicebat; quia illam Dei esse voluntatem noverat. In qua ipsam sententia imprimis confirmavit sanctitate notus Petrus de Alcantara : qui dum

A dum in vivis ageret, paupertatem illi plurimum suasit; nec non vita jam functus, glorioso in corpore illi apparens, rei cujusdam exiguæ illam commonefecit, quam tamen, quia ad hanc spectabat virtutem, ipse ut exiguam non duxit. Dum nempe Abulensi cœnobio maceria circumstrueretur, apparens Matri auctor fuit ne calce eam incrustaret, paupertatis illi simul amorem injiciens. Respondentique sine calce fore ut is concideret, subintulit : « Si concidat, non deerunt qui lapsum restaurent. »

filiabus suis instillavit.

194 Dicebat sibi in filiarum gratiam a Deo declaratum esse quæ in paupertate sita sint bona, et hæc perspicienda aiebat ab iis quæ ipsam essent expertæ : « Paupertas enim, inquit, bonum est » quod universa mundi totius bona in se comple- » ctitur ; ipsa magnus dominatus, quam qui habet, » omnia illius bona pleno dominio possidet. Vera » paupertas, quæ propter Deum solum toleratur, » magnum secum fert honorem : pauper nullo » præterquam Deo indiget; et statim, cum nullius » opera indigeat, multi ei suppetunt amici. » Esse item hanc aiebat murum qui Religionem egregie tuetur; suasque continuo adhortabatur ne placere mundanis studerent, ut hoc illi pacto eo liberalius

B necessaria domui subsidia contribuerent (ita enim fore ut fame emorerentur), sed Deo satisfacere, Instituti præscripta ad unguem servare suæque respondere vocationi ante omnia contenderent : Deum quippe ipsis quamprimum præsto futurum; quin et eos qui minus ipsarum rebus studerent, licet invitos, in necessariis rebus subministrandis auxilio fore. Atque id suis nunquam non inculcabat, nec unquam ejus virtutis commemorandis laudibus saturabatur.

Liberalissima fuit in egenos et opis indigos.

195 Cum vero tanto in paupertatem affectu ferretur, in pauperes, quoad ejus facere poterat, non modo misericors erat, sed etiam effusa et munifica, sicut animi ejus celsitas postulabat. In eos vero qui pia animarum juvandarum negotia tractabant, quodcumque necessarium erat argentum libentissime insumpsisset, atque etiam, uti ante narratum est, reipsa insumebat. Cum obvium in via habuisset P. Didacum Yepes Ordinis Hieronymiani, quem peculiari affectu complectebatur, videri sibi dixit parum illi ad commeatum pecuniæ superesse, viæ vero adhuc permultum : quinque ergo illi de modico suo viatico argenteos est elargita, nonnisi

C commodato tamen, quoad facultatem dandi a superiore impetrasset. Hos quidem Didacus nummos, quod ab amica descenderent manu, accepit; deinde vero, gratiis actis, datrici reddidit, quod iis opus ipse non haberet. Cum a ducissa Albana Maria Henriquezia, eam amice invisens, mille argenteos in rerum temporalium subsidium accepisset, eos Incarnationis cœnobio, quod tum temporis moderabatur, consignavit; etsi Excalceatarum domicilia sat magna tum rerum penuria premerentur. Si quas ægras, atque etiam bene valentes, re aliqua vere norat opus habere, de hac illis illico prospiciebat, nec de sumptu ullo, etsi a re pecuniaria non admodum esset instructa, querebatur.

ANNOTATA.

a *Singulare hoc privilegium, a sensato verique studiosissimo Ribera tam asseveranter memoratum, confirmatur adhuc asseverantius a P. Francisco a S. Maria in altero Chronici volumine. Scilicet is Ordinis sui historiographus* (*lib.* VI, *cap.* XXIII) *fatetur noluisse se priore quod conscripserat volumine, illius facti, tametsi ordine temporum eo proprie spectabat, meminisse; quo morato sibi magis de eo constaret idque ipse securius vulgare posset. Verum,* AUCTORE RIBERA.

inquit, non est quod amplius id celem, cum testatum D *sit innumeris exemplis sive in processu canonizationis sive secutis temporibus. Quare id evolvit ac stabilit toto illo capite. Notat autem solam sequioris sexus* Teresiæ *prolem ea prærogativa gaudere; atque ait esse observatum hunc deficere,* 1° *si conventus vel monialis non subsit Ordini,* 2° *si qua monialis superioribus reluctetur,* 3° *si notabiliter se gerat contra disciplinam,* 4° *si mutare moliatur statuta S. Matris,* 5° *si, quæ novitia est, aliquando Religionem non sit professura. Atque hæc auctor Chronici. Addam ego percontanti mihi plures moniales quid rei hodie sit et quæ earum mens, ab iis responsum esse eamdem inter eas stare et omni retro tempore stetisse persuasionem, multis, ut aiunt, confirmatam exemplis.*

b *De Catharina de Cardona sermo fuit in Comment. prævio num.* 860, *item hic supra Riberæ lib.* III, *num.* 69.

CAPUT XI.

Obedientia, potentia in verbis et gratia sanitatum. E

In obedientiæ virtute Teresia singulari ratione enituit, quæ, ut S. Gregorius Papa loquitur, sola virtus est quæ virtutes cæteras menti inserit inser- CAP. XX. *Confessariorum consilia*

tasque custodit (lib. XXXV Moral., cap. X). In hujus rei declarationem duo dumtaxat summatim attulisse satis erit, quæ quidem ex iis quæ primo secundoque commemoravimus libro, satis manifesta sunt et procul dubio admiranda. Primum illud est, eam confessariis suis exactissime paruisse, etsi non alia illis parendi esset ratio quam quod ipsi confitenti operam darent. Nam non modo nihil sine eorum consilio faciebat, verum etiam, si illa quæ a Domino ipsi injungebantur (etsi minime dubitaret quin a Domino illa proficiscerentur) confessarius fieri vetaret, injuncta exequebatur; imo si confessarius contrarium imperaret, sine dubitatione ulla ei parebat, Dominum rogans ut ignosceret jussa ejus ideo negligenti ut illorum exequeretur imperia quos ceu ejus suspiciebat vicarios. Et eo quidem res processit ut etiam sibi vim faceret quo supernaturalibus quas a Deo inter orandum accipiebat gratiis resisteret, et crucis si- F gno ac pollicis ostensione apparentem respueret, voluntati et inclinationi suæ adversans. Atque Dominus talem ejus obedientiam laudabat, suadens ut quidquid confessarii faciendum præscriberent, perficeret, veritatem se illis pollicitus declaraturum : et uti promisit, sic etiam præstitit.

ac superiorum jussa

197 Alterum est, quod toto illo quo de Abulensi fundanda domo agebatur tempore, etsi hanc erigere maxime cuperet (quod id sibi a Deo imperatum esset), quamquam res protrahebatur longius variaque rerum intercedebant eventa, interim ne vel latum quidem unguem ab obedientiæ præscripto deflexerit; sed eruditos semper theologos consulebat, et quidquid illi sine piaculo fieri posse suaderent, id quam exactissime exequebatur : unde ab opere cœpto desistere jussa, sine ulla molestia opus abrumpebat; etsi quod eatenus perductum erat, maximo illi labore stetisset. Imo domo jam erecta, simul ac Incarnationis præposita eam revocabat, monasterium suum novitiasque relinquere non dubitabat, eoque se conferre, illius in omnibus imperio obsecutura. Nec ante hinc digressa est quam præpositi provincialis pacem ac benedictionem ad novam

AUCTORE RIBERA.

novam domunculam repetendam obtinuit. Hæc quotiescumque mecum ipse perpendo, non possum non mirari, utpote quæ summæ sunt perfectionis; quæ quisnam imitando assequatur, sane ignoro. Equidem plus omnibus mirandum censeo tertium id quod hoc libro sum prosecutus, quod ad unum confessarii imperiti verbum flammis tradiderit ea quæ in Cantica Canticorum erat commentata *a*. Nec vero arbitror hic opus esse illius in superiores reverentiam pluribus adstruere, cum Balthasar Alvarez S. J. cuidam matronæ hunc in modum locutus sit : « Viden Teresia a Jesu quid a Deo recc- » perit et qualis sit? Atqui puerulæ tamen more » exequitur quidquid ei præcipio. »

revelationibus divinis

198 Cum P. Hieronymus Gratianus provincialem ageret, ait illi beata Mater ad quoddam maximi momenti negotium faciendum se aliquanto adhuc tempore in domo in qua tum agebat, commorari oportere. Ille mox contra, sive ad illam mortificandam sive quod ita revera illi id satius esse videretur, respondit se aliter sentire adeoque mox inde digrediendum esse. Teresia, etsi a Domino intellexerat rem perficiendam esse, et hæc (prout quivis non ita morigero judicio præditus in iis adjunctis autumasset) illius discessu dissolvenda videbatur, tamen, ne verbo quidem aut argumento in contrarium adducto, Gratiano assensit seque statim cum eo in viam dedit. Cum diei biduive iter confecissent, quæsivit ex ea Gratianus : « Numquid ante nobis » non indicasti, Mater, cœlitus tibi revelatum esse » negotium hoc rite ad exitum deducendum? » Cui illa : « Revelatum quidem id fuit : sed in revela- » tione errare possem; at dum tibi morem gero, » qui meus es superior, me certo scio falli non » posse. » « Jam igitur, inquit Gratianus, dispice » et rem Domino per preces commenda. »

præferre solebat.

199 Insequenti ergo die petiit ecquid a Domino quoad hoc intellexisset. Cui Mater : « Significavit » mihi Dominus rem quidem, uti ante aperuerat, » confectum iri; verum hanc longe melius per » eam quam obedientia me docet, quam per illam » quam ego volebam inire rationem, perficien- » dam. » Non minus sane est id admirandum quam illa de quibus jam ante egimus, quod, quamvis tot revelationes haberet, ac sæpe illi etiam tenuia quædam Dominus circa res agendas declararet, sua tamen consilia non sequebatur nec revelationibus etiam apertissimis adhærebat, neu dicebat : « Majus mihi a Deo lumen communicatur, et ma- » jor mihi est iis quæ a Patre luminum significan- » tur, quam quæ mortalis mihi consulit homo, » credendi ratio »; sed unum se superioris confessariive verbum pluris aiebat ducere quam revelationes mille, illorumque se consilio, quos ut Dei suspiciebat vicarios, dirigi oportere. Atque id licet verbis apertissime declaravit, tamen multo adimplevit perfectius. Hinc etiam dicebat interdum, quidquid sibi confessarius injungeret vel quidquid ipsa illum velle intelligeret, eorum nihil se ullo intuitu omissuram, imo si quod illius mandatum perficere negligeret, deceptam se graviter crediturum.

Singulari voto se obstrinxit

200 Ad Hispalensem fundationem abeunti, et per sacras Pentecostes ferias in oratorio Astygensi agenti, ardens derepente incidit desiderium, insigni aliquo Spiritum Paracletum obsequio, idque in gratiarum actionem præcipui cujusdam favoris olim hac in festivitate ab eo accepti, honorandi. Ejus generis quidpiam apud se exploranti in mentem venit consultum fore singulari sese voto ad P. Gratiano, qui tum in Bætica Excalceatorum provincialis erat, in omnibus obsequendum obstringere. Magnam hac in re difficultatem sentiebat, uti colligere est ex iis quæ quadam in scheda exaravit : « Hinc quidem mihi videbar nihil hoc » faciendo præcipui agere, illinc vero durum id » imprimis mihi apparebat, cum quod superioribus » intimi animorum recessus non pandantur, tum » vero quod, si quis superior non bene res admi- » nistret, alius ei sufficatur; et aliud nihil inde » me consecuturam quam ut toto vitæ tempore » tum interiori tum exteriori libertate carerem. » Atque hoc me aliquantulum, imo etiam satis, » inducebat ne hujusmodi votum conciperem. Ita » me difficultas hæc oppressit ut toto vitæ tem- » pore fecisse aliquid non videar in quo majorem » mentis senserim luctam, ne quidem cum religio- » sis me votis Altissimo obstringerem, nisi forte » cum paterna domo ad cœnobium egressa sum. » Hujus vero rei alia causa non fuit quam quod » mihi illam amicitiam qua in ipsum ferebar, tum in » memoriam non revocarem, sed eum ceu extra- » neum mihi fingerem, imo nec ejus animi dotes » animo recurrerent, sed id tantum agitarem salu- » tarene esset hujusmodi quid in honorem S. Spi- » ritus suscipere. Crediderim porro omnia quæ » mihi remoram injiciebant, non nisi dubitationes » quasdam fuisse quæ mihi quoad hoc occurrebant, » idne in divinum cederet obsequium an contra. »

ad parendum P. Gratiano.

201 Hæc porro illi repugnantia ac nutatio ruborem injiciebat, dum videbat aliquid in mundo dari quod propter Deum aggredi dubitaret. Verum tandem omnem in ipsum cujus causa id faciebat, fidem conjiciens, protinus in genua procumbens, coram Deo votum concepit omnibus se vitæ diebus facturam quidquid Gratianus injungeret, modo id nec Dei jussis nec superiorum, quorum imperio continebatur, adversaretur. Utque Deo acceptum aliquod præstaret obsequium, omnem quam hactenus habuerat libertatem abdicavit et simul promisit nullam se culpam ac peccatum data opera illum celaturam. In charta vero cui superiora illa inscripsit, illico subnectit : « Ignoro vero num aliquod » hinc mihi accesserit meritum; videbar tamen » mihi eximium quid in Spiritus divini honorem, » quoad saltem intelligere poteram, fecisse. Itaque » factum ut magno inde perfusa sim gaudio et » voluptate, quæ et exinde perpetua fuit. Cum » vero metuerem ne in angore permanerem, ma- » jorem nacta sum libertatem nec non fiduciam » novis illum ob exiguum hoc quod præstiti obse- » quium a Domino gratiis cumulandum, ut ali- » quatenus harum fiam particeps, meque magis in » omnibus illuminet. »

Obedientiam religiosæ vitæ cardinem esse

202 Hanc quoque singillatim virtutem a Domino Jesu Christo edocta est; qui sæpe ei consuluit ut cum confessario de omnibus animæ suæ negotiis communicaret, cunctos quos ab se acciperet favores sincere illi aperiret, ipsique in omnibus morem gereret. Declaravit adhæc ab obedientiæ tramite illi nulla deflectendum esse ratione, etsi gravissima occurrerent incommoda, ei nempe dicendo : « Vere » non obedis, si non adversa pati tecum statueris : » respice quæ ipse sum in vita perpessus, et hac » tibi consideratione omnia videbuntur facillima. » Virtutem hanc ipsa permagni faciebat suisque filiabus esse volebat familiarem : cujus dignitatem ac necessitatem brevi hac declarabat gnoma : « Quæ- » cumque obedientiam non habet, non est vere » monialis. » Hancque proinde haberi volebat non in voluntate dumtaxat, qua exterius res injunctas exequi cuperent, sed etiam in judicio, eas sibi recte esse a superioribus imperata persuadendo. Quam ob rem, uti secundo narratum est libro, in judicii voluntatisque

A voluntatisque mortificatione potissimum monachas exercebat; uti dum cuidam injunxit ut allatum in cœnam cucumim terræ insereret, dumque alteri tot simul opera imperavit ut ea exequi non posse videretur, aliaque his similia.

et in voluntate divina per eam exequenda

203 Dicebat orationem et reliqua monialis exercitia (modo non sint obligatoria) libenter omittenda, quo superiorum pareatur imperio. Si quam vero contingat contristari quod non tantum quantum vellet orationi peragendæ tempus sibi concedatur, quod aliis interim illam operibus præposita vacare velit, non aliam aiebat tristitiæ hujus causam videri quam amorem proprium, occulte subtiliterque, vix ut percipiatur, huic orandi desiderio permistum; quo nimirum nobis ipsis potius quam Deo satisfacere velimus : quapropter nefas videri hanc ob causam monachas aliquo mœrore dejici; si enim operibus externis ab obedientia distringerentur, etiam culinæ et ollis purgandis, in iisdem Deum reperturas, qui interioribus exterioribusque in rebus ancillis suis præsto est futurus.

veram perfectionem consistere

204 Insuper aiebat animam ad perfectionis apicem nulla re pertingere citius quam obedientia; et hanc esse causam cur sub specie recti tot diabo-
B lus ab ea aversiones et difficultates oggerat. Neque enim in visionibus, revelationibus ac divinis favoribus vera sita est perfectio, sed in amplectendo tota voluntate et libenter quidquid vult Deus, sive amarum sit sive sapidum. Et, quoniam magna diabolus et sensualitas nobis propterea contentione resistunt, dicebat, quemadmodum ab hominibus in lite perplexa arbitri deligi solent quorum judicio actores litigando defatigati acquiescant, ita ab anima nostra, quo litem quam diabolus et sensualitas illi intentant, a se amoveat, superiorem aut confessarium velut judicem habendum esse, ac firmiter statuendum nihil facere aliud quam quod ille jusserit, Dominoque credendum dicenti : « Qui vos » audit, me audit » (Luc x, 16), atque ita consequi ut et a lite sese liberet et suam ipsius voluntatem obliviscatur. « Hæc, inquit, vera est unio, vo» luntatem meam cum divina unire. Hanc quæro, » hanc in omnibus esse velim; non vero nescio quas » inebriationes magnæ cujusdam consolationis, » quæ speciosо unionis nomine insigniuntur : et » vero talis deinde futura est, si præcesserit illa de » qua hic loquor. Verum si post suspensionem » hanc et obedientiæ parum et propriæ voluntatis
C » multum reliquum fuerit, mihi potius cum amore » proprio quam cum divina voluntate conjuncta » videbitur » (Fundat. cap. v).

suas moniales docuit,

205 Religiosos mancipia esse dicebat Dei, ut qui illius amore et sponte sua obedientiæ se vendiderint : eos proinde ipsiusmet Dei fruitionem, orationem ac solitudinem, quo obedientiæ se dedicent operibus, relinquere debere; et, licet in his major errandi, quin etiam impingendi, sit occasio, longe tamen majus ea afferre animabus ipsorum compendium solere quam solitaria mentis recollectio : in horum namque operum nos executione agnoscere quidnam simus et quousque nostra sese virtus extendat; qui autem in solitudine ac secessu obscurus delitescit, nescire, imo ne scire quidem posse, verene humilitate et patientia donatus sit : uti qui numquam in prælio versatus est, necesse est ignoret quibus præditus sit lacertis. Proinde aiebat optimum esse in obedientiæ sese operibus exercere, ut ad sui quis cognitionem perveniat; atque unum humilis cognitionis sui diem esse majorem Dei gratiam quam plurimos in oratione transactos : idque eo magis quod verus amans amet per omnia et in omnibus dilectique perpetuo recordetur, et in ipsis quæ peragit operibus queat orare suamque ad Deum mentem sustollere (Ibid.).

AUCTORE RIBERA.

D

uti id ipsa a Domino didicerat.

206 Quod autem veram unionem in eo sitam Teresia dicat ut voluntas nostra divinæ in omnibus conformis sit, ab ipsomet Domino docente didicit. Ut enim ipsa de se narrat, sic quodam illi die significavit : « Ne cogites, filia, unionem esse arcte » admodum aliquem mihi conjunctum esse (cum » etiam qui me peccando offendunt, mihi conjuncti » sint), uti nec favores et suavitates in oratione, » etsi illa in sublimi quodam sit gradu, percipi » solitas : quæ licet minus quid sint, sæpe tamen » media sunt ad animas lucrifaciendas, licet in » gratiæ statu non versentur. Tum intelligebam » unionem esse spiritum mundum et super omnia » terrena elevatum, nihil ut illorum reliquum sit » ob quod ille Dei voluntatem relinquere velit; sed » qui ita unus sit spiritus et una voluntas cum » illius voluntate congruens, et abrenuntiatio ita » Deo penitus occupata, ut nullo amoris suiipsius » vel rei cujuspiam creatæ ibi vigeat memoria. » Quod autem eos etiam qui in divinum suum Numen delinquunt, sibi conjunctos ait esse, ita debet intelligi quod ipse sit in omnibus; et generali hoc modo etiam in iis est qui adversus ipsum præ- E varicantur.

CAP. XXI.

Insigni pollebat potentia

207 S. Gregorius Pontifex hæc Marci Euangelistæ verba : « Illi autem profecti prædicaverunt » ubique, Domino cooperante et sermonem con» firmante, sequentibus signis » (Marc. xvi, 20), exponens ait : « Quid in his considerandum est, » quid memoriæ commendandum, nisi quod præ» ceptum obedientia, obedientiam vero signa secuta » sunt? » (Hom. xxix in Euang.). Et sane sæpe contingit ut qui exactissimi obedientiæ sunt cultores, alios etiam morigeros experiantur, nec modo creaturas illorum Deus parere velit imperio, sed ipsemet etiam voluntatem ipsorum implere gaudeat. Testatur hoc Vates regius : « Voluntatem timen» tium se faciet, et deprecationem eorum exau» diet » (Ps. cxliv, 19). Hac de causa, cum de Teresiæ obedientia modo simus locuti, non importunum videbitur de illius in verbis apud Deum et homines potentia agere. Vidimus hanc aliquatenus, dum declaravimus orationis illius efficaciam, quantumque apud Deum valeret, et quot tum corporum tum animorum morbos precibus suis depulerit.

F

ad mœstos consolandos,

208 Matrona Burgis jam annis aliquot prolem frustra desiderarat : verum intercessione Teresiæ, cujus precibus se commendarat, brevi votorum facta compos est; quod illa beneficium gratissimo semper animo recoluit. Inde fiebat ut verba illius mira pollerent in omnes energia et potentia. Sæpe eam consulebant tentationibus, perplexitatibus ac scrupulis divexati : quos ipsa, tametsi malum suum explicare minime poterant, a dubiorum vinculis exsolvebat ac quietos ab se dimittebat. Multi quoque, etiam remotis e locis, ad ipsam, de rebus spiritualibus communicaturi, accedebant; alii suis in afflictionibus solamen apud illam inventuri : neque vero indocti dumtaxat, verum etiam viri eruditione conspicui. Nec ullus erat qui non lætior et tranquillior ab ipsa recederet : eximiam enim ad mœstos consolandos a Deo nacta facultatem erat.

ad commonendos etiam magnates,

209 Proceres et matronas læta quadam candidaque simplicitate compellabat; et quoniam cum Rege cœlorum tam familiaris illi erat conversatio, cum terrenis magnatibus agere minime verebatur. Hos libere de rebus ad animæ salutem spectantibus commonefaciebat et quandoque eodem cum candore humiliter coarguebat. Verum simplicia humiliaque

AUCTORE RIBERA.

illius verba tantum habebant apud eos roboris ut non modo non indignarentur, verum etiam gratias agerent et exinde magno monitricem amore prosequerentur, vitamque in melius commutarent. Cum omnibus feliciter quidquid agendum erat transigebat; uti jam ante, dum fundationes enarrabam, ostendi : tam placida namque illius erat agendi ratio, verbaque loquentis adeo partim submissa, partim robusta et prudentia, ut quocumque demum vellet, audientium animos pertraheret. Hinc, dum de Ordinis sui rebus ad regem *b* perscripsit, majore apud hunc pondere ejus fuere litteræ quam præsens omnium qui rem hanc urgebant, commendatio.

ad pellendas ex animis tentationes

210 Jam supra declaratum est quam potentes essent ejus litteræ ad tentationes tollendas. Exempli loco sit monialis, quæ tantis opprimebatur angoribus, ut, etsi nulla impediretur infirmitate, per longum tempus Officium divinum recitare non valeret; quia, quoties id inchoabat, acri corripiebatur malo, quo recitationem abrumpere et choro excedere cogebatur. Teresia autem, cum venisset in cœnobium in quo monialis hæc degebat, re comperta, ei suasit bis terve privatim Horas suas ex intervallo recitaret : quod cum feliciter successisset, chorum cum aliis illico petere jussit; et ecce, statim evanescente tentatione, eo quo ante modo decurrere cum reliquis monacha illa pensum Horarum potuit. Fabros duos qui in domo in qua tum agebat, operando occupabantur, tam acri inter se contentione rixantes ut gravioris esset mali periculum, ipsa lenibus verbis ita composuit, ut, furore posito, agnorum instar mansuefacti sint.

malosque ad frugem revocandos.

211 Ad Hispalensem sedem stabiliendam digressa, patenti in campo, haud procul a taberna Alvinensi, cum suis in aliquot milites insolentes et aliquot alios, primum verbis, dein mucronibus inter se concurrentes, incidit. Quo ferali territæ spectaculo monachæ, non secus ac pulli sub gallinæ alas, ad Matris suæ gremium confugiunt. Quibus Teresia : « Considerate, obsecro, fratres, hic adesse » Deum, qui vos dijudicaturus est. » Quo dicto, illico reconditis in vaginam ensibus, nescio quo abierunt, nec deinde monachis visi sunt. Interdum nonnulli explorandi gratia illam adibant (neque enim iis quæ de ipsa fama spargebat, credebant), deliberato animo ut, si qua in re poterant, eam verbis constringerent. Ipsa vero communi suo loquendi modo, de rebus scilicet ad animæ salutem spectantibus sermonem miscendo, sciolos hos compellabat. Hac ipsam intentione cum accessissent adolescentes duo, horum animos, antequam loco se subducerent, ita Teresiæ oratione perculit Deus ut suam ipsimet culpam et sinistram qua illuc venerant mentem sponte ei aperire non dubitarint, indeque in melius mutati digressi sint.

CAP. XXII. *Gratia sanitatum*

212 Hæc porro potentia non in solis consistebat verbis, sed et manus ejus fuere virtute plenæ; et multa earum adminiculo Deus, ægris sanitatem restituendo, operatus est miracula : neque enim solas illi parere volebat creaturas ratione donatas sed noxios etiam et vitiosos humores. Initium ducamus ab illustri perspicuoque illo prodigio quo in ulnas acceptum sororis suæ filiolum Gonzalvum Ovallium, vel jam vere mortuum, vel eo in statu agentem ut omnium judicio exanimis haberetur, genibus suis insistentem, leniter illi inhalando, parentibus vivum et sanum reddidit. In ædibus Aloisiæ de la Cerda Toleti dum ageret, quædam e domesticis intolerabili dentium et unius aurium dolore jam dudum ita conflictabatur ut nulla hunc depellere medicorum ars valeret. Hæc de Teresiæ sanctitate multa cum inaudisset, ut partem male affectam signaculo crucis communiret, enixe ab ea petiit. Quam manu a se benigne Teresia repellens : « Quin tu, inquit, hinc recedis? Te ipsa consigna : » neque enim a manu mea virtutem crux accipit, » sed a se eam habet. » Inter repellendum vero hanc maxillæ partem tetigit quam tangi sibi laborans mulier petierat. Studione id factum an fortuito, incertum est; id constat, ad hunc repente contactum ab omni prorsus dolore fuisse liberatam. Nec vero brevis dumtaxat ea fuit liberatio, sed perpetua : exinde enim numquam amplius fuisse eo cruciatam dolore testantur omnes qui ipsam cognovere.

213 Laborabat forte Methymnensis cœnobii moderatrix ardenti febri et pleuritide, ut tenuis in ea spes appareret vitæ. Teresia ergo, comperto quanto in discrimine hæc versaretur, Methymnam cum venisset, confestim ægram invisit : quam dum amplectebatur, omni se morbo solutam præfecta sensit, et penitus sibi restituta postridie lecto surrexit *c*. Aliam graviter pectore laborantem et amplius tres annos male tussientem Teresia bono esse animo jussit, Deo sese valetudinem illius commendaturam pollicita : quo dicto factoque, integra valetudine convaluit. Cum Vallisoleto Salmanticam decrevisset proficisci, socia ejus Anna a S. Bartholomæo pridiano vespere repente in morbum incidit; quam cum post Matutinum adisset, ait illi : « Noli turbari, filia; jam enim aliam mihi itineris comitem » selegi, præfectæque in mandatis dedi, ut, simul » ac sanitati restituta fueris, eo te mittat ubi me » esse compererit. » His eam verbis delinire satagebat, quod in ipsam eximio ferretur amore. Quamvis vero eam consolaretur, grave illi tamen erat sine ea iter capessere. Igitur paulisper digressa, Domino illius valetudinem commendavit. Tum rursus cubiculum ingrediens, quo loco valetudinis negotium esset, percontatur. Anna lectulo insidens omnem ab se febrim depulsam testatur, ac se, si Mater vellet, ad eam accessuram, ut sanitatis suæ specimen daret. Annuente Teresia, confestim sospes cubili surrexit; ac postridie mane integris viribus lectulo se proripiens, cum ipsa in viam se dedit.

sive tactu sive voce

c

214 Eadem cum ex dentibus laboraret, et ita quidem vehementer ut ferre non posset, Teresiam rogavit ut crucis figura maxillam consignaret : cujus commiseratione tacta Mater crucem formavit, et repente dolor omnis evanuit. Ter quaterve idem Abulæ factum est paulo antequam ad Burgensem fundationem discederet. Burgis deinde cum idem eam dolor invasisset, sortem ejus miseratæ moniales Teresiam enixe rogarunt ut vexatam partem cruce signaret. Cui eo quo assolebat omnibus in rebus lepore aiebat : « Ito, ito, noli putare me » passim cruce omnia consignare »; neque tum crucem efformavit : sed omnium rogatu tandem adducta benedictionem illi impertivit. Quo facto, redonata salute est; nec, quoad Teresia vixit, umquam postea dolor hic Annam torsit : et illius demum post mortem, ut sequenti declarandum est libro, penitus ab eo est liberata.

operandarum

prædita fuit.

215 Monialis quædam Methymnensis erysipelate laborabat, ac præsertim in naso, quem adeo semper inflatum et inflammatum habebat ut eum tandem medici a gangræna crederent depascendum. Die quodam, cum malo accessisset febris, ut Teresiæ, quæ tum illa in domo versabatur, colloquio fruetur, cubili surrexit. Cujus sortem Mater miserata, manum per vultum duxit, dicens : « Quiesce, » filia : confido in Domino brevi te sanatum iri. »

Et

A Et ecce, melius monialis habere e vestigio cœpit; et antequam inde digrederetur, omnis penitus ita dolor abscessit ut deinde amplius non accesserit. Plura illi Teresia non injunxit quam ut multas Domino ageret gratias, quod se sanitate redonare
d dignatus esset *d*. Palentia digredientem sacerdos quidam pius e dentibus laborans rogavit ut sibi benedictionem impertiret; et subito omnis illorum cessavit dolor. Addere hic etiam aliud redditæ salutis, etsi non corporalis, exemplum libet. Cum postremum Salmanticensi cœnobio excederet, omnibus eam monialibus ad januam usque comitantibus, dum retrospicit, Isabellam a S. Hieronymo, quæ ab aliis aliquanto longius aberat, videns, eamque ad se evocans : « Huc adsis, inquit, filia; quid illic » hæres? » Quam dum inter valedicendum amplexatur, facieque faciem Isabellæ tangit, e vestigio acris qua tum exagitabatur tentatio eam deseruit, nec postea umquam impetiit.

ANNOTATA.

a *Legesis dicta in Comment. prævio num.* 1550 *et seqq.*

B b *De S.* Teresiæ *ad Philippum II epistolis mentio fit in Comm. prævio num.* 1574; *de monitis ad eumdem ab ipsa missis num.* 1478; *de præstantia et efficacia commercii ejus litterarii cum primariis sanctissimisque per Hispaniam ævi istius viris num.* 1569; *et insuper plures passim in Comm. prævio exhibitas habes epistolas ejus ad regem, ad Generalem Ordinis pluresque magnates et viros sanctitate ac doctrina conspicuos.*

c *Vide in Comm. prævio num.* 1104 *et seqq. in processu canonizationis admissum id esse ut tertii ordinis miraculum.*

d *Idem et de hoc vide miraculo ibid. num.* 1100 *et seqq.*

CAPUT XII.

Gratus animus, prudentia et spirituum discretio.

CAP. XXIII. *Beneficiorum a Deo*

Quas hactenus commemoravi virtutes in summo gradu maximaque perfectione Teresia habuit, ut norunt ac testantur quotquot cum ea egerunt frequentius : quamquam, quod non adeo, ut oportuisset, exacte hæ ab illis notatæ sint nec observatarum etiam tam perfecte ipsi meminerint, non pauca quæ fructum afferre potuissent, intercideC runt. Porro quam grato animo fuerit, adeo manifestum est ut nemo, si vel parum animum voluerit advertere, id non statim agnoscat : in omni namque vita accepta a quocumque beneficia grata mente recoluit; atque adeo in supremo vitæ articulo monialibus non minus impense agebat pro omnibus quæ sibi impendebant obsequiis gratias quam si externa aliqua mulier fuisset erga quam nullis obligatæ essent nominibus. Si quidquid de hac virtute dici potest, hic depromerem, omnem illius vitam et ab aliis in ipsam collata beneficia tam parva quam magna repetere deberem : sed paucula dumtaxat paucissimis complectar. Erga Deum, etiam antequam penitus illi famulari inciperet, adeo erat grata, ut, cum se non tanto in ipsum amore ferri quanto deberet, cerneret, favores quos ab ipso accipiebat, usque eo illam angerent ut ad angorem illum superandum ea qua donata cœlitus erat animi generositate maxime illi fuerit opus; ac ne sic quidem animum serenare poterat. Confessarios vero quos habuit, miro semper modo dilexit; inque animi grati argumentum numquam horum aliquem deseruit, nisi aut illi alio a superioribus amandarentur aut ipsa ad novam constituendam sedem discederet. AUCTORE RIBERA. D

217 Sæpenumero insigni cum grati animi sensu suis referebat omnia quæ ab aliis sibi collata erant beneficia, eaque semper memoria recolebat. Quemdam a quo haustum frigidæ aliquando per viam acceperat, impense Deo ad aliquot annos in oratione commendavit. Quando in cœnobio Incarnationis agebat, cum in Guiomaræ de Ulloa ædibus commoraretur, contigit sacerdotem apud quem ambæ delicta ponebant, in gravem diuturnumque morbum incidere : quem cum haud procul a Ledesma sanitatis recuperandæ ergo ambæ deduxissent, Teresia non minori hic illi sollicitudine ac caritate est obsecuta quam patri suo carnali fecisset. Cibaria quippe illi coxit, plurimas apud ipsum noctes vigilando traduxit, et tam officiose omnibus illi in rebus ministravit ut quamdam de turba mulierem dixisses; nec ulla umquam in hoc ministerio illam defatigatio occupavit : unde assiduos quibus postea afflicta fuit morbos his e laboribus et vigiliis ortum potissimum habuisse, plurimorum opinio est. Hispali cum antependium altaris accepisset in E quo rudi quodam modo depictum acu erat Abrahami sacrificium, ipsum, quod domus ædesque sacra a rebus necessariis non bene esset instructa, adhibere visum est. Quod cum æditua altari adaptaret, per jocum ait videri sibi Angelum adstantem gestus virgis seipsum cædentis referre. Ita quidem revera apparebat, et cunctæ moniales similitudinem hanc apte excogitatam aiebant; verum severiore in illam conversa vultu Teresia ridentem coarguit, petens hæccine esset ob acceptam a proximo eleemosynam gratiarum actio, aliaque in hanc rem plurima tanto verborum pondere adeoque serio depromens ut mirarentur universæ et simili posthac joco abstinere statuerint. *et hominibus acceptorum*

218 Multa alia hic dici possent, si illorum conservata esset memoria : quod enim maxime esset humilis, etiam minimum beneficium non minus grato recolebat animo quam summum, idque omni quo poterat modo, illo præsertim quo maxime pollebat, oratione scilicet. Unde factum ut quotquot ipsam consilio vel re juverunt, singularibus a Deo beneficiis affecti sint. Exempli loco unum instar omnium depromam, e quo de reliquis formari judicium poterit. Quodam in monasterio sacerdote F usque eo malevolo in Confessionibus sorores utebantur ut quibus poterat modis domui obesset et in omni re adversaretur. Hujus rei priorissa cum beatam Matrem commonefecit, rata illius loco alium in spiritualem Patrem ab ipsa deligendum, hoc illam modo Teresia excepit : « Per amorem Domini » nostri te obsecro, filia, eum ut sustineas, et ta» ceas : nec ulla domi de Patre illo pellendo ser» monem misceat, quibuscumque etiam modis vos » ille divexet, modo ad Dei offensam injuria non » pertingat. Neque enim patiar ingratas nos esse » erga illum a quo tantum recepimus boni. Me» mini enim illum, dum in coemendis ædibus cir» cumvenire nos emptores vellent, fraudem de» texisse : unde quod hoc pacto nobis contulit » beneficium nec non eum a quo per ipsum exem» ptæ sumus laborem memoria exuere non pos» sum. Cæterum semper mihi visus est Dei obse» quio addictus et bene erga nos animatus. Video » sane non esse in me ceu quoddam perfectionis » genus habendum quod ita beneficiorum memor » sim : id mihi innatum esse videtur; una quippe » halecula suas me quis in partes pertraheret. » *insigniter memorem se præstitit.*

219 De

AUCTORE RIBERA. CAP. XXIV. *Prudentia ejus in molienda Ordinis sui Reformatione,*

219 De Teresiæ prudentia hic quidquam loqui minime opus videbatur, cum tam ex iis quæ hactenus diximus quam ex iis quæ in ejus cœnobiis nemo non usurpari videt, sole meridiano sit clarius hanc in ea virtutem humana majorem exstitisse. A Quo enim modo tot fundari tanta in rerum penuria, totque obloquentium insurgentibus procellis, potuissent domicilia, nisi extraordinaria quadam ac prope divina prædita prudentia illorum fundatrix fuisset, idque eo magis quod mulier esset, paupercula, cœnobii septis inclusa et ex alterius nutu dependens? Quis tot perfringere difficultates, tot tamque varias hominum complexiones perferre, tot voluntates superare, tot incommoda exhaurire, denique tot ad adeo excelsa necessarias rationes excogitare potuisset? Omnia hæc, etsi tanta sint, tamen mihi videntur exigua, consideranti fœminam adeo morbidam aliarumque rerum tractatione impeditissimam, ita etiam inopem, jam stabilita monasteria conservare et dirigere potuisse. Plerisque horum monasteriorum erectionem humani judicii lance ponderantibus stolidum videbatur plura id genus stabilire; atque adeo censebant etiam jam erecta haud multo post in auras abitura. Unde B Joanna Suarez, illa intima ejus in Incarnationis cœnobio amica, dicere in speciem reprehendentis solebat : « Jam satis multa erexisti columbaria : » tandem aliquando desine, nec plura molire. » Verumtamen, tanta paupertate et austeritate in iis vigente, et tot ingruentibus persecutionibus, non modo ea quæ jam erexerat, integra perstiterunt et perstant, sed alia de novo etiam constituit.

in regulari disciplina

220 Maxime vero in admirationem me rapit ea quam in omnibus suis domibus præscripsit disciplina, quam bene suas ad orationis studium efformarit, quam ad idipsum compendiariam demonstrarit viam, quam ad veram obedientiam, mortificationem, humilitatem, silentium et recollectionem mentis atque adeo reliquas virtutes erudierit. Quod qui ignorat, videat quæ hodie in hisce domibus vigeat vitæ norma; atque inde haud difficulter colliget qualis fuerit magistra, cum tam bene institutas post se reliquerit discipulas. Unde manifeste colligere est quam eximio prædita fuerit ingenio, quam maturum nacta judicium, quam altam a natura acceperit prudentiam, quamque supernaturaliter a Deo fuerit edocta : neque enim video quomodo humana hisce par esse rebus pru- C dentia posset; ac propterea eam qua ipsa donata fuit, plusquam humanam fuisse non immerito censui. Magno in filias suas amore ferebatur *a*; quem modis omnibus consentaneis ipsis declarabat : unde fiebat ut ab illis etiam reciproco amore diligeretur, et quocumque eas ducere volebat, haud invitæ sequerentur. Quibuscumque opus habebant rebus, has iisdem procurare satagebat, ut, quoad ejus fieri poterat, nemini quidquam, ac præsertim ægris, deesset.

a

suaviter simul

221 Volupe illi erat eadem illas hilaritate videre quam ipsa in omnibus præferebat. Hos vero ridebat, qui, cum aliquem interioris pietatis gustum perceperunt, statim humana vitant commercia, et, prout ipsa aiebat, caperata repunt fronte, imo ne alios quidem alloqui audent, veriti ne hoc pacto pius ille sapor penitus intercidat. Hinc statum quotidie suis esse volebat animo remittendo tempus, et in præcipuis Sanctorum festis pia eas permittebat cantione animum oblectare atque in laudem ipsorum carmina pangere et eo quem statuta præscribunt modo sese recreare : religionis tamen limites non transgrediendo, neu latum quidem unguem ab observantia regulari deflectendo. Monialium vero erga ipsam amorem magna comitabatur D reverentia et singularis veneratio, quam eximia illa quam in ipsa notabant sanctitas, prudentia ac sapientia iis ingenerabat. Hinc, quamquam tam tenere ipsam diligebant, ipsaque natura etiam esset hilaris, fiebat ut quæ apud illam agerent, ne oculos quidem auderent ad eam intuendam attollere, quæque ab ipsa evocabantur, ipsam quodammodo tremiscentes adirent. Ita porro interdum obtutum componebat ut cogitationum arcana intueri videretur. In reprehendendo singularem adhibebat gravitatem, nec non rationes producebat quibus quæ deliquerat confundebatur melioraque spondebat; nullam vero indignationem vel alieniorem animum præferebat, sed potius benignitatem et amorem *b*.

b

et fortiter

222 In errata non nisi rarissime connivebat : peccantium vero has blande, illas aspere tractabat, mortificatione aliqua severiori ipsas probando, prout opus habere unamquamque observabat. Unam vero inter alias ut plurimum severiore austerioreque curabat medicina; petentique alteri cuidam cur monacham hanc adeo probam et tam bene erga ipsam animatam adeo rudi regeret lupato, ita quidem esse se credere respondit, cæterum neces- sario hoc illam flagello opus habere, ne ab aliarum E agendi consuetudine deflecteret. Interdum magna cum amoris significatione suam unicuique imperfectionem singillatim aperiebat : eratque erga humiles et morigeras lenis et benigna; austera vero adversum eam quam nimia videret libertate efferri. Si quam verbis castigarat, illico vultu quodam placido et læto ad eamdem redibat, quando aliqua humilitatis signa et erroris agnitionem in peccante cernebat. Nolebat eas quibus id ex officio non incumbebat, rerum domesticarum procurationi intendere; sed potius virtutes notare unamquamque alterius cupiebat, ut hoc pacto amor in illam crescceret et ex iisdem aliquod sibi commodum colligerent; aliarum vero sodalium nullam observare errata : atque inde sese aiebat non parum in spiritu profecisse.

omnibus in rebus

223 Non placebant illi quæ adeo sibi de sua perfectione plaudebant ut quidquid observarent in sociis, delictum crederent; atque illas aiebat omnium esse imperfectissimas quæ delicta in se nulla notarent, sed in aliis plurima : eisque aliarum commissa deferentibus fidem a superioribus ante adhiberi nolebat quam maturius rem examinassent. F Verumtamen pernecessarium esse aiebat defectus etiam ipsarum præpositarum cum charitate et prudentia prælatis declarari. Eas vero putide simplices rebatur quæ id nefas esse atque imperfectionem redolere censerent. Quas in oratione ita absorptas notabat ut valetudini corporis officerent, eas per alias recreationis tempore distrahi nec non iis officia injungi aut res similes jubebat. Ægrientes accommodata ad consolandum oratione animabat; si quas vero harum contristari cerneret, quod, sodalibus sui causa occupatis, ipsæ otiosæ lecto decumberent, leniter easdem corripiendo, lætari contra aiebat oportere quod æqualibus merendi operumque misericordiæ privatos intra parietes exercendorum ansam darent, cum in publicis nosocomiis eadem ab illis exerceri nefas esset. Vestitus et vittarum formam serio præcipiebat servari a suis eamdem quam in constitutionibus præscripserat. Si quando vero contingeret (quod Deus avertat) aliquam hac in re elegantiam affectare aut quidpiam minus decens sectari, hoc, inspectantibus omnibus, flammis dari jubebat, ut hoc cæteræ monitæ exemplo sibi caverent, factique hujus ad posteros transiret memoria. In sermone suas volebat esse simplices et candorem

A candorem religiosum spirantes, ipsumque magis cremicolarum et hominum recollectorum redolere phrasin quam aulicorum formulas; utque mallent hoc in genere stupidæ aliquantulum quam plus æquo curiosæ videri.

ad normam æquissimam

224 Nihil a moderatricibus ad statum precum pensum et statutas austeritates volebat addi, nisi aliqua forte fieri aliud suaderet necessitas, idque ad diem dumtaxat : nisi enim id moderamen hic adhiberetur, moniales dissimularent, tepidarum incursuras sese notam ratæ, si hac de re conquererentur; quæ, si onus hoc quotidie magis et magis gravaretur, valetudinis jacturam facerent, nec ferendis ad quos voto se obligarunt rigoribus pares forent. Officium divinum volebat tractim voceque depressa recitari. E voce enim contenta geminum aiebat sequi incommodum : primum, cantum altiorem ingratum auribus accidere, cum ad numerum non caderet; deinde, modestiam et spiritum vitæ a se initæ hoc pacto intercidere. In religiosarum admissione spectari magis volebat dotes animi quam dotem pecuniariam; nullaque de causa permittebat monasteriis adscribi illas quibus ea quæ Constitutiones exigunt, defuerint, præsertim si aliquod naB turæ corporisque vitium habeant, multo vero minus ad votorum easdem emissionem admoveri. Tantum aiebat damnum sequi admittendo plures quam constitutiones præscriberent, quantum si ipsa cœnobia destruerentur : imo numquam eum compleri numerum maluisset, ut, si qua admodum idonea allegi in cœtum peteret, huic in familiam admittendæ locus esset. Laicas etiam quam paucissimas esse volebat, et eas dumtaxat quibus ægre domus carere posset; atque hac in re præpositis occurrendum videri quæ laicas semper habere plurimas gestiunt, quibus domos suas gravant, et sæpe quidem ejusmodi a quibus parum illæ subsidii habere queunt.

urgenda.

225 Quæ natura melancholicæ erant, his aditum quam arctissime ad suas volebat occlusum; quod quæ sunt hujusmodi, aliis impedimento nec raro etiam domui damno sunt. Si quæ vero tales jam in Religionem cooptatæ erant, singularem haberi earum a præfectis rationem volebat, in illarum commoda prospici, de rebus necessariis provideri et aliquam eis animi relaxationem afferri. Non tamen inordinatis ipsarum imaginationibus has volC bat condescendere, uti nec confabulationes nimias nec libertatem immoderatam concedere, nec inobedientiam ferre, sed cum severitate et rigore eas compescere. Semper enim regulam et constitutiones integre observari volebat, et nulli prorsus, intuitu ullo, tam bene quam male valenti hac in re connivebat, etsi vel diutius in religioso cœtu vixissent vel in sæculo auctoritate valuissent; sed magna quadam constantia et rigore statutorum jura propugnabat.

in priorissis

226 In hoc incumbebat ut præpositæ eligerentur quæ prudentia et vitæ probitate cæteris præcellerent : quamquam ne hoc quidem illi satis erat, sed inferioribus etiam imprimis præcipiebat, ut, si quas in superioribus notarent imperfectiones, cum humilitate ac congrua veneratione has ipsis aperirent. Quam si præpositæ reprehensionem ægre ferrent et propterea alieniore in has redderentur animo, Domini causa hoc ut perferrent monebat : fore enim ut mercedem hoc nomine ab ipso recipiant. Præfectas nosse volebat potissimam ipsarum constituendarum rationem esse ut in constitutionum legumque observantiam serio excubarent, non vero ut iisdem pro arbitrio quidquam demerent vel adjungerent; et si secus facerent, commonendum superiorem videri. Credere se aiebat non bene suo officio fungi posse illam præsidem quæ domi quid D ageret quod provinciali clam esse vellet; quin potius gratum illi esse debere suarum ipsum rerum conscium esse : hoc enim pacto muneris impositi onus levius reddi. Cum iis potissimum agere moniales domi volebat quæ et rerum peritiam aliis majorem et prudentiam maturiorem haberent : verumtamen caverent ne peculiari aliquo in quampiam affectu se ferri, illius causa plus quam alterius faciendo, manifestarent; hoc enim pacto cæteras turbari.

ad officii sui munus instruendis,

227 Quotidiana sese discere magis magisque aiebat experientia universam domorum harum quietem in priorissis consistere; ubi enim hæ subditarum sibi animos obstrinxerint, sponte sua ipsæ, quidquid jubentur, exequuntur : sed superiores insignes suiipsarum victrices esse oportere, ad inferiorum imperfectiones et tentationes perfringendas. Nihil porro impensius in præfectis exigebat, nihil magis illis aiebat necessarium, quam regendi talentum, majoremque hujus haberi quam sanctitatis rationem volebat; plurimas namque sanctitate præstituras, quæ tamen ad gubernandum ineptæ futuræ sint. Prælati vero partes esse, si quam E ineptam nimio aliquarum studio sinistroque affectu electam viderit, creationem hanc irritare, aliamque illi cœnobio moderatricem assignare alia accersitam domo. Si qua vero priorissa aliarum gubernandarum dote caruerit, etsi vel religiosissima et virtutibus illustrissima foret, quamprimum in ordinem redigatur nec uno quidem præesse anno permittatur. Uno enim anno fore aiebat ut multum domui subditisque suis noceret; et, si triennio præesse sinatur, fieri forsitan posse ut, subingredientibus parvis consuetudinibus, domus in perniciem ruat. In hoc prælatos nullum commiserationi locum dare volebat; neque enim ubi tanta est mortificatio totque humilitatis exercitia, grave cuipiam videbitur ab officio deponi : « Si vero, inquit, ideo » indignari depositam contingat, inde manifesto » apparet huic ipsam muneri ineptam esse; neque » enim quæ adeo est imperfecta ut præfecturæ » inhiet, iis præficienda animabus videtur quæ » tanta contentione ad perfectionem anhelant. » Quæ sane tanto digna est ingenio ratio, digna quæ omnium religiosorum memoriæ insculpatur.

in rerum temporalium administratione,

228 Temporalium rerum administrationis magnam haberi volebat rationem : hanc enim ad spiritus negotiorum directionem imprimis esse necessaF riam. Hinc in domibus quæ censibus annuis dotatæ erant, majores fieri vetabat expensas quam proventus ferrent, etsi alioquin necessariarum commoditatum penuria laborarent; sumptus vero ornatusque nimios omnino præscindebat : si enim præpositæ multa in res inutiles impenderent, fieri inde posse ut nihil monialibus in prandium suppeteret. In domiciliis vero stabili censu carentibus nullum permittebat alienum æs contrahi : si enim tam hæc quam illa debita contrahere inciperent, paulatim utraque in nihilum redactum iri. Statim namque superioribus inhumanum fore videretur quod suis ipsæ manibus compararunt lucrum iis non concedere, et negare ut a consanguineis quæque suis subsidium peteret. Hinc multis se partibus malle dicebat monasterium id dissolutum quam hunc in statum redactum videre. Interim tamen necessaria cuilibet sufficienter præstari volebat : ad quæ nihil illis umquam aiebat defuturum, modo acri fiducia in Deum præposita nitatur et quam poterit adhibeat diligentiam. Visitatores volebat inspicere quid in quaque domo operum fieret, et

AUCTORE RIBERA.

A lucri uniuscujusque monialis rationem subducere, ut quæ multum erant lucratæ, iis gratiæ agerentur, et ad pergendum animarentur, illarumque nomen aliis in cœnobiis, in quibus adeo navæ operatrices non erant, deprædicari.

in deligendis ad novas fundationes sociabus,

229 Ad suas fundationes monachas secum ducebat lectissimas : quas si aliquid videret peccantes, acriter corripiebat, monebatque ut viderent ad quantam perfectionem obligarentur; cum non propriorum solum commissorum ipsis apud Deum ratio, sed et eorum in quæ aliæ post successuræ pravo illarum exemplo impingerent, reddenda foret. Rebus vero jam constitutis, de illo quem diximus rigore multum remisit, uti ejus e verbis Mariæ a S. Joanne Baptista perscriptis colligere est : « Scias » velim non eam me modo in gubernando esse » quæ solebam olim : jam ex amore omnia fiunt, » nescio an id ejus sit causa quod nulla mihi rigo- » ris exercendi detur modo occasio, vel quod in- » tellexerim hoc pacto tranquillius res peragi. » Omnibus viribus contendebat ut omnem erga consanguineos et creaturas reliquas affectum filiæ suæ exuerent; dicebatque suum erga dilectam aliquam amorem intepescere, si hanc rei cuipiam sæculari
B animo videret affixam. Novitias rigide regendas negabat, sed tali dumtaxat duce opus habere quæ suaviter ad constitutionum observantiam eas pelliceret.

in novitiis Ordini aptis admittendis,

c

230 Ingenio bono donatas unice diligebat; ac præter vocationem Dei, nihil in allegendis monialibus etiam laicis spectabat magis quam ut ingenio valerent *c*. Qui ejus perspectam habebant sanctimoniam quamque orationis esset amica, unice commendare pietatem et orationis studium solebant earum quas ab ipsa in familiam vellent cooptari; hoc enim pacto credebant illam suæ voluntati morem, hasce admittendo, gesturam : verum has illa tam parvi pendebat dotes ut in judicio ipsarum explorando omnis illius versaretur cura. Horum de numero etiam ipse fui; cumque admiratus rei causam ab ipsa postularem, confestim audivi : « Hoc illi loco, » Pater, pietatem Dominus elargietur; hic etiam » orationem edocebitur : sed quæ aliqua pietatis » studia in mundo exercuerunt, interdum etiam » necesse est ante dedoceri, ut quæ ibi didicerunt, » hic obliviscantur. At si ingenio non præstent, » ipsum illis hic dari non poterit. Adhæc si mo- » nialis aliqua pia et Dei ancilla ingenium non » habeat, sibi soli tantum bona est; si id felix a
C » natura nacta sit, aliis gubernandis et omnibus » quæ domi obeunda sunt ministeriis idonea est. » Quin et aliam rei hujus rationem dabat : quod quæ tenui donata ingenio est, eas quibus obnoxia est imperfectiones non consideret, imo nec easdem, etiamsi admoneatur, possit agnoscere; quin potius numquam non sibi videtur bene rem agere, et nullius suasu ab ea potest opinione dimoveri, vel ut suum subjiciat judicium, induci. Atque excellenti hac ratione, ea præsertim monasteria in quibus pauculæ agunt monachæ, se tam in iis quæ ad corpus quam quæ ad spiritum spectant, conservare hactenus et tueri potuerunt.

in consulendo quieti monasteriorum

231 Præcipue studebat ut perpetua moniales animi pace et tranquillitate potirentur; atque hanc ob causam, tum etiam ne cui offendiculo forent, lites omnes, quoad ejus fieri poterat, suadebat evitari, et nonnisi extremis jam tentatis, easdem moveri : alia enim via sibi redonandum a Deo quod judicio prosequi negligerent. Nolebat adhæc ante litem cuiquam intentari vel cœptam urgeri quam præpositus rei esset factus certior et ad hoc facultatem singillatim concessisset. Ejusdem quietis comparandæ causa nolebat monacham quampiam ab una domo in aliam transmigrandi copiam sibi D petere, imo ne quidem nosse hanc aliquando licere concedi; quod diceret intelligere neminem posse, nisi qui reipsa esset expertus, quanta hac in re lateant incommoda, quamque patens cacodæmoni ad tentationes injiciendas hoc pacto janua laxetur. Hinc cupiebat ut, si quæ harum ad aliam destinanda esset sedem, id per speciem alterius causæ fieret, migrans vero non ideo fieri sciret quod hoc ipsa postulasset. Atque hanc aiebat nullo in loco pacem quam quæreret reperturam, quin potius aliis damnum parituram; et quæ hanc migrationem petit, nullo prorsus apud alias in pretio esse vult. Quod si forte necesse esset quapiam de causa illam inde evocare, id tamen fieri vetabat ob ipsam illius petitionem; hocque ita servari exacte volebat. Nullis porro hocce sedis mutandæ desiderium aiebat innasci quam iis quæ tetricæ sunt vel indolem habent ad res præcipuæ cujusdam utilitatis minime idoneam.

et in bonorum confessariorum copia monialibus facienda

232 Ad spiritus pacem et serenitatem, atque ad operis quod per ipsam Dominus in Religione Carmelitana erat auspicatus, durationem ac incrementum, aliam rationem suggessit perquam salutarem, dum monialibus suis commendat et suis etiam in E libris serio inculcat, ut, sicut ipsa doctrinæ amore tenebatur, ita illæ semper de animi negotiis cum versatissimis Theologiæ magistris communicarent, quorum consilio regerentur; hoc namque pacto futurum esse ut semper tuto procederent : quos si simul etiam pietatis studiis addictos nanciscerentur, eo directionem meliorem fore; si vero haberi non possent quibus utraque dos simul obtigisset, eligendos tum eos qui doctrina excellerent : dicebat enim numquam sibi ab aliquo viro litterato impositum esse; et hanc opem omnibus quidem necessariam videri, maxime tamen moderatricibus. Cavere sibi suas volebat ab iis qui pauca scirent : se namque experientia nosse ecquod sibi a nonnullis semidoctis, qui cum rerum essent ignari, non minus tamen confidenter responsa depromerent quam si rem percalluissent, detrimentum accidisset. Ut vero tanti momenti negotium, adeoque orationis et rerum interiorum studiosis necessarium, perpetuo floreret, facultatem dedit hujusmodi de rebus cum quibuslibet religiosis sacerdotibusque communicandi, voluitque ut præpositæ hac in re semper se faciles præberent. Omne siquidem animæ bonum in eo aiebat consistere ut cum F Dei famulis interdum de rebus suis conferat (Vitæ cap. XXIII); et quo plura hæc a Deo dona reciperet, eo ipsam de iis cum illis communicare diligentius debere, a quibus, cum foret opus, dirigi, gubernari et a solitis diaboli imposturis liberari posset.

mire eluxit.

233 Atque ut ipsa aliis consuluit, ita etiam reipsa præstitit, ut paulo post ad libri hujus calcem manifestum fiet. Ita porro confessario, modo is vir doctus esset, credi a suis volebat ut libro Fundationum in hæc scripserit verba : « Super hoc necesse » est ut doctum ac prudentem confessarium con- » sulat, nec aliud opere exequatur quam quod » ille suaserit. Ad præpositam referre hoc ipsa » poterit, ut sibi eum assignet confessarium qui » hisce sit dotibus instructus. Hoc porro fixum sit, » eam quæ iis quæ confessarius suaserit, non au- » scultarit, nec se per eum dirigi sinat, a malo illudi » spiritu, vel gravi melancholia opprimi. Etsi enim » confessarius decipiatur, tamen ipsa nequaquam » decipietur, si illius præscripta non transgredia- » tur; tametsi vel Angelus Dei fuerit cum ipsa » locutus. Nam lumen illi Dominus communicabit, » vel ostendet viam qua ad exitum res deducenda » sit.

A » sit. Nullum vero inde sequetur dispendium; at » secus facere multis patere potest periculis, et » non pauca damna afferre » (cap. VIII). Suadebat adhæc verbis quam efficacissimis ut apertissime sensa mentis illis aperirentur. De qua re sic loquitur : « Maxime autem necessarium est, carissimæ, » sincere vos et candide cum confessariis vestris » procedere, non modo in delictis vestris aperiendis (est hoc siquidem clarissimum), verum etiam » in orandi ratione vestra declaranda. Hoc enim » nisi faciatis, affirmare non ausim vos recte incedere nec a Deo vos edoceri : is namque amat ut » ea claritate et veritate intima animæ illi pandantur qui illius vices in terra supplet, qua ipsimet, » si inter mortales ageret, aperirentur; simulque » vult etiam minimas vos cogitationes, nedum opera » vestra, illi manifestare » (Mans. VI, cap. IX).

Afferuntur casus aliquot

234 Nonnulla prudentia divina magis quam humana exequebatur, ut qui ipsius acta videbat, nullam eorumdem probandorum invenire rationem posset; sed ex illorum deinde apparebat successu quam congrue essent peracta. Novitiæ cuidam jam reliquarum monialium suffragiis ad votorum emissionem admissæ ait : « Hoc mane professionem

B » emittes. » Cui monacha : « In aliud hanc, inquit, » differam tempus, si Reverentiæ Vestræ videatur. » His auditis, excipit Mater : « Tibi dico » numquam te in Ordine vota nuncupaturam. » Quod tum verbis dixit, post etiam facto ostendit; cum nullis aliarum induci potuit precibus ut hanc vota sineret emittere. Unde eam paternas ad ædes redire oportuit; in quibus eam mox hectica occupavit tabes, e qua modico post tempore exspiravit. Alterius item novitiæ profitendi tempus prope erat : hanc tamen, impense licet insisterent moniales, et nullus in eadem notatus fuisset defectus, admitti vetuit. Cujus rei aliam dare rationem noluit quam (ut ipsemet ex ea audivi) defectum aliquem corporalem; qui nihilominus adeo erat nullus ut nulli domesticarum propter hunc a votorum emissione arcenda videretur. Censebant autem omnes divinitus illi esse manifestatum utramque illam ad hoc Institutum a Deo electam non esse. De postrema id quidem postea evidenter ex iis patuit quæ contigerunt; nec defuere etiam quibus revelare Deus est dignatus quidquid ab ancilla sua quoad hoc actum esset, optime esse actum. Idem severitatis genus erga cognatam suam exercuit; cum nec caro, nec

C sanguis, nec monacharum, illustria de novitia hac spondentium (erat namque revera præclaris dotibus instructa), preces impedire ipsam potuerint quominus anno evoluto veste sacra exutam paternas ad ædes remitteret.

e quibus patuit

235 Commendatam sibi alterius Instituti novitiam, ad perfectiorem vitam aspirantem, admittere nolebat; quia, uti jam diximus, ab aliorum Ordinum monachis inter suas cooptandis aliena erat. Cum vero ob hanc aliasque rationes fratrem illius, qui erat Societatis nostræ sacerdos, jam a se dimisisset, seque in cubiculum ad scribendum contulisset, mox ad orbem versatilem rediit visura num Pater ille abiisset. Quem ubi discessisse comperit, e vestigio revocari jussit; reversoque edixit ut ipsa hora sororem suam adduceret : se enim illam suis annumerare velle. Adductam ergo admisit; hæcque etiamnum hodie in Salmanticensi domo læta agit, sociarumque cum exemplo.

sæpe illam cœlitus

236 Alia id genus plura dicere possem, e quibus manifestum fit non humanis illam rationibus, sed aliis longe sublimioribus certioribusque duci consuevisse. Unum solummodo hic enarrabo, quod ad ea quæ probare intendo, efficacissimum futurum sit. Quodam in cœnobio agebant monialis quædam et laica, orationi ambæ addictissimæ, quam et mortificatione et humilitate suffulciebant, ambæ etiam singularibus a Deo favoribus ornatæ. His contingebant interdum vehementia Dei desideria, quæ reprimere non poterant, sed quæ Dominici Corporis sumptione retundi videbantur et imminui. Hinc a confessario quæque suo obtinuerant ut sæpe sibi divina frequentare Mysteria liceret. Exinde ita accrevit impetus, ut, nisi quotidiana ipsis permitteretur Communio, languore emorituræ viderentur. Visum proinde confessariis, tametsi magnam alteruter rerum spiritus experientiam haberet, tanta necessitate laborantibus nefas fore quotidianam Sacrorum participationem denegare. Sed eo demum res processit, itaque angor invalescebat, ut summo eas mane, ut vivere possent, Sacram adire Mensam oporteret. Præposita per litteras Teresiam de omnibus reddidit certiorem; sed litteris nihil respondit, quoad coram cuncta perspiceret (tametsi jam tum intellexit quid rerum lateret) et suas confessario rationes proponeret cur illius hac in re sententiæ non acquiesceret. AUCTORE RIBERA.

D

237 Ut ergo hunc in locum appulit, multis utrique monachæ ostendit rationibus nonnisi meram imaginationem esse, quod se, nisi quotidie divinas epulas obirent, morituras putarent : hæ tamen rationes ipsis minime satisfecere, uti nec alterutri e confessariis, ei scilicet qui minus habebat doctrinæ et rerum spiritualium experientiam minorem; etenim alter confestim veritati se subjecit. Inde Teresia perspexit alio has ægras esse medicamenti genere curandas, illisque magna cum constantia ait similia se habere desideria et tamen a Sacra Mensa abstinere : « Mihi credite, inquit, non sæpius com- » municabitis quam aliæ, atque ita tres simul » moriemur : crediderim equidem longe id expe- » dientius fore quam novam hanc in domos has » consuetudinem invehere, in quibus non desunt » aliæ quæ non minus vobis Deum diligunt quæ- » que idem pietatis genus exercere cupient. » Hoc illæ die Sacra Mensa abstinendo ingentem passæ sunt dolorem, ut vere exspiraturæ viderentur. Teresia, quæ etiam eo die Sacramenti sumptione abstinuerat, magnam ostendit severitatem; eo quod, quanto minus se obedientiæ subjiciebant (dum sibi persuaderent se non posse), tanto clarius intelligebat meram esse tentationem. Cæterum postero die, et rursus tertio, minorem expertæ molestiam sunt, quoad tandem ita ipse angor est imminutus, ut, licet jam Teresiam, a superioribus jussam, Sacram Communionem adire ipsæ viderent, in bonam id acciperent partem, et tam hæ quam reliquæ intellexerint maligni spiritus tentationem fuisse *d*. Factum id in cœnobio haud procul Salmantica; et quamvis quænam illæ fuerint monachæ, norim, earum tamen hic nomina prodere minime placuit. Harum una jam Dei visione fruitur, altera adhuc superstes est.

inspiratam

E

F

d

CAP. XXV. *et singulari dono*

238 Quod modo dicam de spirituum discretione quam huic ancillæ suæ communicare Deus dignatus est, qua nimirum dignoscebat in iis quos videret, utrum spiritus quem haberent, bonus esset an malus, vero consentaneus an dissentaneus, ad eam quam jam declaravi prudentiam, quæ lumine quodam cœlesti et cognitione supernaturali potius quam humanis rationibus conducebatur, aliquo modo pertinet; etsi ad prophetiæ etiam donum quam proxime interdum videatur accedere. Hoc illa in dono excellens fuit, percipiebatque accurate quemnam haberent spiritum qui cum ipsa agebant, et quousque pertingerent; itaque fiebat ut eos qui jam

se

AUCTORE RIBERA.

se in via perfectionis permagnum fecisse profectum putabant, ab errore mentis liberaret. Moniali cuidam aperuit egregiæ ipsam perfectionis viam insistere, sed permultum adhuc illi restare itineris antequam ad finem pertingeret. Alia quædam de re quapiam cum Teresia dum ageret et humilitatem verbis vultuque proderet quam in animo non habebat, id hæc statim agnovit, et blando illi ore : « Interius hoc, inquit, non sentis. » Internam etiam alterius tentationem agnovit; quam per litteras securam esse jussit, quod rectum per iter incederet.

discretionis spirituum

239 Rusticus quidam quem nemo non ut sanctum suspiciebat virum, nec plebeii modo, sed etiam litterati, suum illi spiritum cum aperuisset, a Deo sese compellari dictitans, multaque de aliis rebus spiritualibus apud illam disseruisset, illico bono cum spiritu non duci ipsa cognovit et suo aperuit confessario. Hoc tamen palam enuntiare noluit, ne is famæ jacturam pateretur; sed rem silentio premens, ipsum errore educere contendit, ad sanctos cum mittendo viros, qui in laboriosis cum operibus et obedientia exercerent. Verum cum in his ipse deficeret, facile non ita multo post patuit meras esse inanias ac stoliditatem. Suo etiam e cœtu (ut supra observavimus) quasdam proscripsit quas omni exterius carere defectu dixisses; quod eas ipsa suo videret Instituto parum idoneas : alias contra, ut in illud nomina darent, verbis animabat, omnemque illis metum adimebat quo ab hoc proposito deterrebantur.

a Deo

240 Alterius cujusdam Ordinis monacha, fervens Dei ancilla, crebrioribus flagellationibus ac jejuniis in maximum languorem incidit : quæ quoties divina adiret Mysteria vel novæ devotionis sese offerret occasio, protinus in terram prolabebatur; quo in statu cum octo horas et amplius perseveraret, tum ipsa sibi tum aliis monialibus mentis pati excessum videbatur. Jam civitatem raptuum horum fama pervaserat, quod frequentes essent. Agnovit Teresia quidnam rei sub his lateret, doluitque talia spargi : videbat enim quonam omnia hæc reciderent. Religiosæ porro hujus confessarius Teresiam cum adiisset, ea raptus id esse modum negavit, ac nonnisi temporis jacturam videri atque e debilitate ait provenire corporali : quapropter fore consultum ad tempus ei verberationes ac jejunia interdicere. A quibus cum abstineret, vires corporis recuperavit et nullum ei raptuum mansit vestigium (Fund. cap. VI).

ornatam fuisse.

241 Alius accessit ad ipsam sacerdos admirabundus, se Confessionem dictitans excipere personæ quam ex intervallo interviseret Deipara Maria, et cujus in lecto considens plus horæ spatio suavissima cum eadem misceret colloquia et futuros eventus aliaque plura aperiret; quorum nonnulla cum reapse contingerent, fiebat ut quidquid diceret, ut verum haberetur. Agnovit illico Teresia fucum, quem tamen certis quibusdam de causis tum quidem illi aperire noluit; dumtaxat suadens ut paululum expectaret, visurus num vere vaticinia illa contingerent, simul etiam alios quosdam ex ea sciscitaretur effectus, nec non in vitæ quam ducebat rationem inquireret. Tandem patuit meras omnia esse nugas (Ibid. cap. VIII). Plura alia ejusdem generis ei contigere; quin etiam compluribus illusioni obnoxiis prudentia sua remedium attulit.

ANNOTATA.

a *Id facile persuasum erit legenti Sanctæ epistolas : in earum enim fere singulis summa apparet matris sollicitudo de rebus etiam minimis cum ad corpus tum ad animam filiarum suarum spectantibus. P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 74, *not.* 19) *refert monialem quamdam in processu canonizationis testatam esse tale fuisse Sanctæ erga ægrotas studium ut pro illis ipsa etiam vasa sacra venumdari debere diceret.*

b *Notat ex Yepesio P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III, epist.* 8, *not.* 4) *Sanctam usam fuisse in principio severiore regendi modo quam postmodum, quo omnia cum amore fiebant.* Malebat, *ait P. Joannes a Jesu Maria,* collo subditarum injicere aurea charitatis vincula quam ferrea timoris.

c *Sancta* (*tom. II, epist.* 93, *num.* 2) *edicit* nullo se sinere modo ut novitia admittatur quæ sagax non sit, cum id sit contra constitutiones et malum adferat incurabile. *Ad quod scite advertit P. Antonius a S. Josepho* (*not.* 3) *Ordinem procurare novitiæ posse virtutem, quippe cum hæc ideo eum ingrediatur, defectum vero judicii a solo Deo suppleri posse.*

d *Id ipsum narrat Sancta capite* VI *Fundationum : quamdam porro rei circumstantiam non omnino accurate Ribera tradidit. Dicit scilicet ille :* Ita angor invalescebat ut summo eas mane, ut vivere possent, Sacram adire Mensam oporteret, *quasi utrique moniali hoc commune esset;* Teresia *vero ait :* Unius quidem angor tantus erat ut summo mane, ut vivere posset, Sacram se adire Mensam oportere sibi videretur; nec sane animæ eæ erant quæ fictione uterentur, nec pro ulla mundi re mendacium protulissent.

CAPUT XIII.

S. Teresiæ de rebus animi sui relationes scriptæ ad quosdam e confessariis suis.

CAP. XXVI. *Refert Sancta se in oratione a*

Non abs re mihi futurum videtur ad libri hujus calcem scriptum attexere quod suorum confessariorum cuipiam *a* Teresia transmisit; quoniam in eo aperte simpliciterque loquitur, utpote illi quem ut Dei habebat vicarium, et quid de sese sentiret, in eo manifeste declarat : hinc iis quæ hoc libro dicta sunt, confirmandis magisque declarandis utile imprimis esse poterit. Etsi vero non alia inde sequeretur utilitas quam quod hoc pacto sanctæ hujus verba ad memoriam posterorum transmitterentur, e re foret hoc illa loco afferre; quo non mediocriter me legentibus existimo gratificaturum. In hæc igitur verba auspicatur : « I. Quem in orando modum » nunc servo, is est. Cum orationi insisto raro per » intellectum discurrere possum, quod anima protinus sese colligere incipiat et quiete vel raptu » gaudere, et ita quidem ut sensibus meis in ulla » re uti neutiquam possim; ut frustra jam eos » habere videar, nisi forte ad audiendum, atque » id tum quidem non ad aliquid percipiendum. » II. Sæpe me contingit, quin velim, de rebus divinis cogitare, imo etiam dum de aliis rebus loquor; » cumque mihi videar, quantumvis connitar ut » orationi me dedam, ad eamdem me non posse » applicare ob magnam ariditatem quam sentio » (quo etiam corporis dolores non parum confe- » runt), tam repente mihi illam recollectionem et » mentis sublationem ingruere ut impedire ea » nequeam; hæc quoque in momento me deserere, » eos in me effectus et fructus relinquentia quos » afferre

» afferre secum solent, et quidem nulla habita » prævia visione nec re quapiam intellecta, et ut » ne quidem norim ubinam sim, nisi quod, cum » perire videatur anima, tam magnum e contrario » fructum eam videam colligere ut vel anno integro » eum colligere non posse videar, etsi vellem : » tantum scilicet inde mihi lucrum accedit.

magnos divini amoris impetus,

243 » Alias mihi impetus adeo ingentes adve- » niunt, una cum omnium rerum propter Deum » abnegatione, ut eos propellere nequeam, vitaque » mea jamjam finienda videatur, adeo ut tunc » exclamare et Deum invocare compellar, et me » occupet fortis concitatio mentis. Interdum ne » quidem considere loco valeo : ita scilicet angu- » stiæ et impetus me occupant. Hæc mihi pœna » ingruit quin eam procurem; et tam suavis est ut » ab eadem ne liberari quidem anima vellet, quam- » diu vivit. Quas vero tunc sentio angustias, eæ sunt » ut ad mortem inferendam satis esse queant, et ita » vivere videar ut iisdem non obsistere valeam; cum » unica Dei videndi ratio ac remedium sit mors, et » hanc ipsa mihi nequeo accelerare. Hinc anima » putat omnes homines maxima consolatione per- » fundi, se vero solam mœrore prosterni; nec non B » omnes remedium suis in malis, se sola excepta, » invenire. Hoc porro adeo ipsam divexat, ut, nisi » Dominus occurreret aliquo raptu quo omnia » placantur et anima magna quiete et delectatione » perfunditur, interdum videndo aliquid eorum » quæ desiderat, interdum alia quædam intelli- » gendo, ut, inquam, nisi quid hujusmodi inter- » veniret, anima ab hac pœna se expedire non » posset.

ardentia Dei desideria

244 » III. Quandoque ferventia mihi Deo famu- » landi incidunt desideria, et quidem hinc tam vehe- » menti impetu ut verbis ea exponere non valeam, il- » linc vero non minori cum dolore quod me tantillæ » utilitatis esse video. Tum quidem mihi videtur » nullus labor nec quidquam mihi objici posse, » non mortem, non martyrium, quod non facile » perpetiar. Atque hoc etiam nulla prævia consi- » deratione, imo in momento, mihi incidit, quo » tota immutor; ut nesciam unde mihi tantum » roboris accedat. Tum inclamare velle mihi videor, » et omnibus declarare quanti referat in rebus » frivolis voluptatem non locare, quamque ingens » bonum sit Deus nobis concessurus, si ad id nos » disposuerimus. Tam vehementia, inquam, hæc C » sunt desideria ut me ipsa intra me annihilem, et » velle videar id quod non possum. Videntur porro » corpus et status hic vinctam tenere me, ut ad » nihil prorsus in Dei obsequio utilis sim : si enim » talia me impedimenta non retinerent, res admo- » dum eximias præstarem quoad meæ vires sinunt. » Hinc cum impediri me videam ut Deo in nulla » re utilis esse valeam, adeo hanc pœnam sentio ut » exprimere non possim. Hæc tamen desinit in » dulcedinem, recollectionem et consolationem di- » vinam.

et affectum erga paupertatem ac solitudinem experiri;

245 » IV. Aliquando, cum mihi illa Deo ser- » viendi incidunt desideria, severitatem in corpus » exercere volo, sed non queo. Hæc mihi solatio » foret : et quoties eam usurpo, me recreat et sub- » levat; quamvis quod ago, nihil propemodum sit » ob corporis mei imbecillitatem : at si illa me » desereret, his accedentibus desideriis, modum » me excessuram esse credo. V. Interdum grave » mihi est cum hominibus tractare, atque hoc ita » me lancinat ut lacrymarum copiam oculis eliciat; » quod mihi in solitudine agere maxima sit volu- » ptas. Et licet aliquando nec legam nec orem, ipsa » tamen solitudo solatio mihi est : conversatio » vero cum hominibus, præsertim cum consangui- » neis, mihi videtur gravis, ut velut mancipium D » tum me esse credam; nisi forte cum illis collo- » quar quorum est de oratione et rebus ad animam » spectantibus sermo : nam tale me colloquium » consolatur et recreat; tametsi etiam hi interdum » mihi tædio sint, vellemque eos non videre, sed in » illa me conferre loca in quibus sola esse possem. » Rarissime tamen hoc contingit, et ipsi imprimis » me consolantur quibuscum de rebus animæ meæ » communico. Sæpe mihi acerbum est quod cibum » me sumere et somnum inire necesse sit; cum » vero videam me minus quam alium quemlibet » iis necessitatibus carere posse, ad Dei honorem » iis obsecundo eique easdem offero.

atque inde in se augeri

246 » VI. Omne mihi tempus videtur breve, et » numquam puto id ad legendum orandumque » sufficiens mihi suppetere; quod solitudo mihi » numquam tædio esset. Semper mihi tempus lon- » gius dari desidero quod lectioni impendam; erga » eam enim semper mire affecta fui. Lego admo- » dum pauca; ubi enim librum inspexi, statim » mentem recolligo præ oblectatione, atque ita » lectio in orationem transit; sed id rarissime fit, » quia multiplicibus obruor negotiis, quæ licet E » bona sint, non ita tamen delectant uti illud dele- » ctaret : atque ita fit ut semper temporis desiderio » tenear; hocque in causa est cur nihil me (ut » quidem credo) recreet, quod videam ea quæ volo » et desidero, minime fieri. VII. Omnia illa deside- » ria, et potissimum virtutum, ab eo mihi tempore » Dominus dedit quo orationem quietam cum ra- » ptibus illis mihi communicavit : et tantopere me » in melius profecisse comperio ut antea mera esse » viderer perditio.

puritatem conscientiæ,

247 » VIII. Post raptus et visiones mihi evene- » runt utilitates quas hic subnectam; ut fatear, » si quid habeo boni, ab hoc in me fonte dimanasse. » IX. Inde mihi accessit firmissimum propositum » Deum non offendendi, ne venialiter quidem; nam » mille potius oppeterem mortes quam venialem » culpam deliberate committerem. X. Deinde pro- » positum nullius rei quam ad majorem perfectio- » nem Deique majus obsequium, ex sententia ejus » qui animam meam curat ac dirigit, spectare nos- » sem, omittendæ, quæcumque demum ea esset : » quam etiam ob nullum mundi thesaurum inter- » mitterem. Si vero secus facerem, non auderem, » ut mihi quidem videtur, quidquam a Deo Domino F » nostro petere nec orationem instituere; tametsi » in his omnibus multos committam defectus. » XI. Accessit et erga confessarium obedientia, » quamquam imperfecta : cæterum cum quid illum » velle novi aut mihi is imperat, prout quidem » mihi persuadeo, ipsum implere minime negligе- » rem; nam si id omitterem, gravissime me crede- » rem deceptam. XII. Ardens etiam paupertatis » desiderium, quamvis et hoc imperfectum. Sed » ita quidem censeo, me, quamvis amplissimos » possiderem thesauros, nullum mihi privatim cen- » sum procuraturam esse, nullam in usum meum » pecuniam conversuram : nec de ea magnopere » laboro, sed vellem dumtaxat ut de necessariis » mihi prospectum esset. Verumtamen sentio plu- » rimum mihi quoad hanc virtutem deesse : nam, » quamvis mihi argentum nolim, habere tamen » vellem ad aliis impertiendum; licet nullum mihi » vel censum vel possessionem desiderem.

rerum terrenarum contemptum,

248 » XIII. Ex omnibus prope quas habui visioni- » bus fructus aliquis animæ meæ accessit; nisi forte » diabolus me deceperit : sed hoc confessariis meis » relinquo dispiciendum. XIV. Quando pulchrum

 » aliquid

AUCTORE RIBERA.

» aliquid splendidumve, puta aquam, campos, flo-
» res, odores, musicam aliaque hujusmodi per-
A » cipio, videor mihi eadem videre vel audire nolle:
» tantum scilicet est inter hæc et ea quæ videre
» soleo, discrimen; quare omni erga res illas af-
» fectu careo. Inde etiam factum est ut tam parvi
» eadem pendam, ut, nisi forte primus aliquis sit
» motus, nihil ejusmodi in me manserit; et hoc
» mihi mera videtur vanitas. XV. Si cum homi-
» nibus sæcularibus loquar vel agam, cum fieri
» aliter nequeat, etsi etiam de rebus ad orandi mo-
» dum spectantibus, si diuturna ea sint colloquia,
» etiam per modum recreationis, nisi id necessa-
» rium sit, violentiam mihi me aliquam facere
» oportet : est enim id mihi grave. XVI. Quidquid
» delectabile est, erga cujusmodi affici solebam,
» necnon mundana omnia cordolium mihi sunt et
» oculis gravia accidunt. XVII. Illa quæ habere me
» dixi Dei amandi, ei serviendi eumque videndi
» desideria, nulla consideratione secundantur, uti
» ante fiebat, cum devota mihi admodum esse vi-
» debar, cum item lacrymas assidue fundebam; sed
» inflammatione et fervore adeo intenso ut (iterum
» repeto), nisi raptu aliquo (in quo nimirum anima
B » contenta esse et quiescere videtur) mihi Deus
» succurreret, protinus ex hac vita emigratura
» viderer.

fervorem spiritus,

249 » XVIII. Quos majorem in perfectionis via
» fecisse progressum et similia concepisse propo-
» sita, quosque omnem a terrenis rebus affectum
» exuisse et generosos esse video, eos maximo-
» pere diligo; cum id genus hominibus tractare
» assiduo vellem, et e consortio talium proficere
» mihi videor. XIX. Illi vero quos ita meticulosos
» video ut iis in rebus palpare videantur quæ ex
» rationis præscripto hic fieri queunt, me affligere
» videntur, meque clamare compellunt ad Deum
» et ad Sanctos, qui ea quæ modo nos deterrent,
» exequi non dubitarunt : non quod ipsa ad aliquid
» sim utilis, sed quod juvari a Deo censeam illos
» qui propter ipsum magna arduaque aggrediun-
» tur, ac numquam illum deesse credam ei qui
» omnem fiduciam in ipsum conjicit. Et dari mihi
» optem aliquem qui mihi in hoc credendo auxilio
» sit, et ut de victu ac vestitu nihil laborem, sed
» omnem rei hujus curam Deo committam. » (His
adnexa erant sequentia verba ipsius Teresiæ manu
exarata : « Quod de cura rerum necessariarum
C » Deo relinquenda dico, non ita id intelligo ut
» mihi ea non procurem, sed ita ut de ipsis anxie
» non laborem et sollicita sim.) Et postquam hanc
» mihi ipse libertatem dedit, bene mihi cessit; ac
» mei ipsius oblivisci, quantum potuero, conor.
» Vix effluxisse videtur annus ex quo hoc primum
» a Domino accepi.

animi demissionem,

250 » XX. Deo laus, non est, quantum quidem
» ipsa novi, quod vana gloria me efferat; video
» namque manifeste nihil a parte mea me conferre
» ad ea quæ Deus mihi concedit; quin potius meas
» mihi Deus patefacit miserias : adeo ut omni
» eo quod cogitare possem, non tot agnoscere
» veritates possem quot in uno noto momento.
» XXI. Jam abhinc diebus aliquot, cum de his lo-
» quor rebus, de tertia quadam eas narrare videor;
» imo interdum jam ante pudebat me talia de me
» sciri : at modo mihi videor non propterea esse
» melior, quin imo deterior, cum tam parum e
» singularibus hisce favoribus proficiam. Et plane
» mihi persuadeo nullum me in mundo per omnia
» deteriorem dari posse, aliorumque virtutes ma-
» joris multo esse meriti, meque nonnisi favoribus
» cumulari; aliis vero uno in cumulo junctim
» Deum id daturum quod mihi hic in terra conce- D
» dere dignatur : ipsumque venerans precor ne
» mihi hac in vita mercedem ullam persolvat; unde
» credo per hoc Deum iter deducere me utpote
» miseram et imbecillem voluisse.

patiendi desiderium

251 » XXII. Cum in oratione ago, quin etiam
» prope semper, modo vel aliquam præmittere
» possim considerationem, meas petere consola-
» tiones nequeo, imo ne quidem a Domino eas,
» tametsi velim, desiderare; cum eum nonnisi in
» laboribus vixisse videam : quin potius hos mihi
» ut immittat supplico, modo prius gratiam eo-
» rumdem ferendorum concedat. XXIII. Videntur
» mihi omnia hujusmodi, eaque quæ maximæ sunt
» perfectionis, animo meo insculpi, cum orationi
» insisto; adeo ut non possim non mirari, ubi tot
» veritates adeoque manifestas video, ut mundana
» omnia mihi stultitia videantur. Hinc advertere
» me accurate oportet quo me ante modo in rebus
» mundanis gerere solerem : mera namque stultitia
» videtur esse de morte aliquorum et laboribus
» mundi anxie laborare vel saltem diuturnum
» propterea dolorem concipere vel inordinate pa-
» rentes ac necessarios, etc. diligere. Dico igitur
» me angi, cum qualis essem et qualia sentire so- E
» lerem, in mentem revoco.

et caritatem erga proximos :

252 » XXIV. Si quid in nonnullis noto quod
» aperte malum esse videtur, mihi persuadere non
» possum in Deum illos peccasse : si vero aliquan-
» tum considerando huic rei inhæream, quod est
» parum vel nihil, numquam judicium determina-
» tum formabam, etsi id manifeste viderem; quin
» imo putabam idem omnibus Deo famulandi inesse
» desiderium quod mihi inest. In hoc vero singu-
» larem mihi gratiam fecit, quod numquam me in
» re quapiam, animo postea recurrente, firmiter
» detineam; quæ si nihilominus menti obversetur,
» semper aliam quamdam in tali persona noto vir-
» tutem : adeo ut hæc numquam me crucient, nisi
» ea quæ publica sunt, necnon hæreses, quæ sæpe
» me affligunt, et prope semper, quoties de iisdem
» cogito, nullum mihi dari posse videtur malum
» ob quod magis aliquem dolere par sit. Affligit me
» etiam, si quos videam orationis studio deditos ab
» eodem desciscere. Hoc quidem me cruciat, non
» tamen adeo graviter; cum curem hujusmodi non
» inhærere cogitationi. XXV. Video me etiam in
» melius quoad curiositates quas sectari solebam,
» profecisse; etsi nondum penitus easdem exuerim : F
» neque enim me semper in his mortificatam video;
» quamvis tamen aliquando. XXVI. Hæc quæ dixi,
» sunt ea quæ ut plurimum in anima mea contin-
» gunt (quantum ipsa quidem intelligo), uti et as-
» sidua de Deo cogitatio. Atque, licet alia agam,
» quin ipsa nolim, uti dico, nescio a quo expergefieri
» me introrsum sentio : id tamen perpetuum non
» est, sed cum de aliquibus magni momenti ne-
» gotiis mihi agendum est. Et hac de re, Deo laus,
» identidem cogito; sed non semper in hac cogita-
» tione occupor.

hos vero aliosque orationis suæ fructus

253 » XXVII. Interdum accidit, etsi non adeo
» frequenter (idque tres, quatuor vel quinque dies
» durare solet), ut omnia bona, fervores et visiones
» mihi penitus auferri videantur, imo ipsa etiam
» plane illorum tolli memoria : adeo ut, licet ho-
» rum recordari velim, nesciam an aliquid in me
» boni umquam exstiterit, omniaque mihi videan-
» tur somnia, vel saltem nullum horum meæ oc-
» currat memoriæ. Tum quoque corporalia mala
» me opprimunt, et intellectus turbatur, ut nihil de
» Deo prorsus cogitare queam, neu sciam in qua
» lege vivam. Si quid lego, non intelligo, defecti-
» busque

A » busque plena esse videor et nullum animum ad
» bonum habere, et animi robur, quod semper
» præferre soleo, eo redactum esse ut ne minimæ
» quidem tentationi adversitatique obloquentium
» resistere posse videar. Tum quoque ad nihil pror-
» sus esse videor utilis : adeo ut, si quis me com-
» muni hominum numero eximat, doleam et in
» fraudem pertrahere videar omnes apud quos
» aliquo in pretio sum, meque eo abdere loco
» vellem in quo me nemo videret, nec tunc
» solitudinem virtutis causa secter, sed ex pusil-
» lanimitate, denique cum omnibus qui mihi
» adversarentur, tunc ligitare velle videar. Hæc
» quidem mea tum lucta; in qua tamen hanc mihi
» Deus præstat gratiam ut plus solito eum tunc
» non offendam, nec rogem ut hanc mihi amaritu-
» dinem auferat, sed, si modo illi placuerit, eadem
» mihi perpetua sit, suaque me teneat manu, ne
» eum peccando offendam et ut ex toto corde me
» illi conformem. Et insigne illius esse erga me
» beneficium credo quod non perpetuo hac me in
» anxietate esse sinat.

non sibi adscribendos esse,

254 » XXVIII. Unum vero hoc miror, cum hu-
» jusmodi in statu sum, unico eorum quæ audire
B » soleo verborum, unica visione aut parva quadam
» mentis recollectione, etsi vel ad spatium quo
» Angelica Salutatio recitaretur, vel cum ad sa-
» cram Eucharistiæ mensam me dispono, animam
» et corpus adeo quietum ac validum esse, et intel-
» lectum tam lucidum cum consueto suo faculta-
» tum et affectuum usu. Et sane longa id experientia
» cognovi : nam sæpenumero, præsertim cum di-
» vina ineo Mysteria, jam abhinc semestri eoque
» amplius, sanitatem corpori accedere sentio. Ipsos
» etiam per raptus, qui aliquando durant spatio
» trium horarum, quandoque die toto, magnam
» sanitatis experior emendationem. Et, quantum
» censeo, non est hoc imaginarium quid; nam di-
» ligenter ad id animum adverti et experta sum :
» adeo ut, cum hanc mentis recollectionem habeo,
» nullum morbum vereor. Verumtamen, cum ita
» oro uti ante solebam, hanc emendationem valetu-
» dinis non percipio. XXIX. Quæ hactenus dixi, me
» credere cogunt omnia illa a Deo proficisci. Nam
» cum noscam qualis fuerim, ut quæ perditionis
» iter insisterem, et qualis paulo post per hæc
» facta sim, certum est animam meam obstupuisse,
» cum non perciperet undenam hæ mihi accede-
C » rent virtutes. Vere me non cognoscebam, vide-
» bamque donatum quid esse, non vero labore
» comparatum. Verissime et manifestissime intel-
» ligo (et scio minime me falli) non modo id viam
» quamdam fuisse qua me Deus ad suum duceret
» obsequium, verum etiam qua me ab inferno
» retraheret : quod confessarios meos quibus ge-
» neralem Confessionem feci, minime latet.

sed eos a Deo proficisci

255 » XXX. Cum etiam quempiam video qui
» rerum mearum aliquid novit, vitam illi meam
» vellem exponere : honorificum quippe mihi esse
» censeo Deum Opt. Max. laudari; cætera omnia
» nihili pendo. Ut ipse bene novit et ego intime
» conscia sum, nec honor nec vita nec gloria nec
» ullum corporis animive datur bonum quod me
» retineat; nec commodum meum ambio vel
b » quæro, sed ejus gloriam *b*. Haud crediderim
» equidem diabolum in animam meam cum hujus
» lucro tot bona collaturum fuisse, quo eam postea
» in exitium pertraheret : neque enim adeo eum
» insanire putem. Neve ipsum etiam Deum credi-
» derim, etsi ob peccata mea decipi meruissem,
» tot virorum sanctorum preces fuisse rejecturum,
» quæ abhinc biennio ad ipsum nomine meo fusæ
» sunt. Omnes enim numquam non rogo ut Ma-
» jestatem illius pro me deprecentur, ut aperire D
» mihi Dominus dignetur num hoc ad gloriam
» ipsius spectet, aut alio me conducat itinere. Ne-
» que enim credo divinam ejus Majestatem per-
» missuram fuisse ut hucusque hæc procederent,
» nisi ab ipsa provenirent. Hæ rationes et tot san-
» ctorum hominum auctoritas animant me, quando
» ingruit timor num a Deo hæc mihi, quæ tam mi-
» serabilis sum, concedantur. Verum cum in ora-
» tione versor et iis diebus quibus quieta sum et
» cogitatio mea in Deum defixa est, etsi omnes
» theologi et homines sancti totius mundi modis
» omnibus me divexarent qui a quoquam excogi-
» tari possent, et id ipsa credere vellem, numquam
» mihi persuaderent hæc diabolo auctore fieri.
» Unde, cum, ut hoc putarem, me inducere vole-
» bant, timebam quidem, videns nimirum quales
» essent qui mihi hoc dicerent, credebamque et eos
» verum mihi dicere, et me, cum essem talis qualis
» eram, decipi et illudi debere : quidquid tamen
» mihi dixerant, illico ad primum verbum vel
» recollectionem vel visionem, evanescebat; et ipsa
» aliter facere non poteram, credebamque nonnisi
» a Deo hæc esse. XXXI. Cogitare equidem possum E
» diabolum se quandoque his permiscere, et ita
» revera res se habet, uti dixi et vidi; sed diversos
» hic producit effectus. Qui vero rerum habet ex-
» perientiam, decipi, meo quidem judicio, non
» poterit.

humiliter profitetur.

256 » XXXII. Nihilominus dico quod, tametsi
» firmiter mihi persuadeam Deum esse, nihil tamen
» omnino exequerer, nisi is qui mei curam gerit, hoc
» ad majus Dei obsequium spectare censeat : quin
» etiam semper in iis intellexi ut obedirem nihilque
» illum celarem, atque hoc mihi convenire. Sæpe
» mei defectus in iisdem reprehenduntur, et ita
» quidem acriter ut ad intimas usque medullas
» mihi castigatio penetret; nec non commonefio,
» quando in iis quæ ago, periculum subest vel
» subesse potest : quod permultum mihi hactenus
» profuit, dum sæpe præterita mihi peccata in me-
» moriam tunc revocantur, ob quæ ingens animo
» dolor innascitur. XXXIII. Fui in hisce commemo-
» randis æquo longior : verumtamen etiam certum
» est bona quibus affluo, dum oratione egredior,
» tanta esse ut nimis quam brevis fuisse hisce com-
» memorandis videar; quamvis me plurimis alio-
» quin imperfectionibus circumfusam comperiam, F
» omnis fructus expertem et valde miserabilem.
» Fortasse fieri potest ut bona non intelligam,
» quin potius decipiar : ipsa tamen vitæ meæ mu-
» tatio penitus evidens est, facitque ut ita sentiam.
» In omnibus autem quæ dixi, id dico quod revera
» mihi sensisse videor. Hæ sunt perfectiones quas
» in me adeo misera et imperfecta Dominum ope-
» ratum esse arbitror. Quæ omnia judicio tuo,
» cum universa animæ meæ arcana noris, dijudi-
» canda submitto. »

Quo ampliora dein charismata accepit,

257 XXXIV. Relatio hæc scripta erat aliena manu : eam tamen, ut postea videri poterit, Teresia suo testimonio affirmat conformem esse iis quæ in autographo suo erant. Quæ autem subnectuntur, illius manu scripta erant, in hæc verba *c* : « XXXV. *c*
» Annus eoque amplius effluxisse videtur, dum
» hæc scripsi. Toto illo tempore Deus sua me te-
» nuit manu, ut non in pejus ruerem; sed potius
» me multum quoad ea quæ dicam profecisse com-
» perio. Sit ille propter omnia benedictus. XXXVI.
» Visiones et revelationes non defecerunt, sed
» potius factæ sunt multo sublimiores. Dominus
» modum orandi me edocuit, quem ex quo usurpo,

» majus

AUCTORE RIBERA.

» majus mihi accessit lucrum, majoremque in
» anima mea rerum terrenarum experior abdi-
A » cationem et majorem mentis generositatem et
» libertatem. Raptus etiam increverunt; nam in-
» terdum ingruunt cum impetu, et quidem palam,
» ita ut me retinere nequeam et ab aliis notentur;
» imo id accidit mihi apud alios versanti : nec dis-
» simulare eos possum, nisi fortasse dicendo me
» solere animi pati deliquium, et simile quid tum
» mihi accidere. Et licet in principio oblucter ma-
» ximo conatu, tamen aliquando resistere non
» possum.

eo etiam magis in amore paupertatis,

258 » XXXVII. In iis quæ ad paupertatem spe-
» ctant, singularem mihi Dominus fecisse videtur
» gratiam; cum ea etiam quibus humanus carere
» usus non potest, habere non nisi ex eleemosyna
» velim : adeo ut eo in loco maximopere commo-
» rari desiderem ubi nonnisi mendicato vivitur.
» Cum vero hujusmodi in domo ago in qua certa
» sum nihil mihi quoad victum et vestitum defutu-
» rum, non mihi videor votum et Jesu Christi
» consilium adimplere tali perfectione quali in eo
» domicilio in quo nullis vivitur proventibus atque
» sæpe rerum necessariarum laboratur defectu.
B » Quæ vero per veram paupertatem acquiruntur
» bona, maxima mihi videntur, nec horum facere
» jacturam velim. Sæpe me tanta cumulatam fide
» reperio ut Deum non posse deesse existimem iis
» qui illi serviunt, et certa sim non esse nec fore
» tempus quo illius verba non adimplenda sint :
» ita ut aliter mihi persuadere non possim, nec
» timere quidquam. Quocirca mihi est pœna ma-
» xima, cum amici mihi consulunt ut stabiles in
» cœnobia mea proventus inducam; ac tum me ad
» Deum converto. XXXVIII. Majori in egenos mo-
» veri me commiseratione sentio quam antea sole-
» bam; majori scilicet compassione et ardentiori
» illis succurrendi desiderio : et sane, si meam
» facere possem voluntatem, has ipsas quas induta
» sum, illis elargirer vestes. Nullam nauseam con-
» cipio, etsi cum iis familiariter agam vel manus
» eorum tangam : quod ipsum modo Dei esse
» donum video. Nam licet antea ex amore ejus
» ipsis stipem conferrem, naturalem tamen eorum
» commiserationem non habebam. In hoc sane in-
» signiter me profecisse comperio.

in injuriarum tolerantia,

259 » XXXIX. Quoad tolerandas aliorum de me
» obtrectationes, quæ satis multæ sunt meumque
C » honorem non mediocriter sauciant, non parvam
» in me emendationem experior; adeo ut non ma-
» gis fere me afficiant quam stolidum aliquem
» afficerent : imo vero aliqua nonnunquam,
» quin etiam ut plurimum, ratione moveri adver-
» sarii mihi videntur. Adeo vero parum his moveor
» ut nihil quoad hoc habeam quod Deo offeram,
» utpote cum experientia norim hinc animæ meæ
» permultum lucri accedere; quin potius benefi-
» cium mihi hoc pacto conferri censeam. Hinc
» nulla inde animo hæret adversus illos inimicitia
» simul ac primum orationi me dare incipio. Cum
» vero primum hujusmodi obtrectationes audio,
» parvam quamdam in animo sentio contradictio-
» nem, sine ulla tamen inquietudine vel animi per-
» turbatione. Quin potius, cum aliquos mei com-
» miseratione interdum tangi video, mecum ipsa
» rideo : nam omnia vitæ hujus adversa tam pauca
» mihi videntur ut nulla eorum sentiendorum mihi
» esse videatur ratio; namque fingo me veluti quo-
» dam in somnio agere, et ubi hoc pertransierit,
» nihil omnino cuncta fore video.

in abnegatione

260 » XL. Ardentiora mihi Deus impertitur de-
» sideria, majorem erga solitudinem affectum, nec
» non majorem rerum terrenarum abdicationem, D
» uti ante dixi, idque visionum adminiculo, per
» quas intelligo quid sint cuncta terrena. Quamvis
» etiam omnes amicos et amicas et necessarios
» relinquam, id pro minimo reputo. Imo parentes
» et consanguinei me valde fatigant, quoties vel
» minimum me in servitio Dei impediunt. Cum
» omni libertate et gaudio eos desero; atque ita in
» omnibus pacem reperio. XLI. Aliqua quæ mihi in
» oratione versanti consulta fuere, comperta sunt
» esse verissima. Proin quoad favores quos a Deo
» recipio, magis me profecisse comperio; quoad
» obsequium vero quod illi a parte mea debeo,
» magis in pejus defecisse, quod majore donata
» sim consolatione quam promerebar : tametsi
» exiguus meus fervor et eximius quem mihi alii
» deferunt honor me sæpe valde crucient. »

261 Ducta hic erat linea, qualis hæc est : *amoris proprii ac mundani,*

Mox vero prosequitur : « XLII. Jam novem prope
» effluxere menses aut circiter, cum quæ hic manu
» mea scripta sunt, scripsi. Ex illo tempore, cum
» acceptis hisce a Deo favoribus ingrata non
» existerem, majorem longe mihi de novo (ut qui-
» dem intelligo) ab eo libertatem videor accepisse. E
» Hactenus alterius opera indigere mihi videbar,
» magisque mundanorum hominum niti præsidio.
» Modo vero perspicio non esse hæc nisi sarmenta
» quædam libanotidis aridæ, nec securum esse illis
» inniti : mox enim ut aliquod contradictionum
» ac murmurationum pondus incubuerit, illico
» confringuntur. Quocirca per experientiam edo-
» cta existimo nullum esse ad non cadendum ful-
» cimentum fortius quam cruci adhærescere et in
» ipsum confidere qui ei affixus fuit. Hunc quippe
» verum esse amicum comperio, et in hoc tam
» potentem me sentio ut universo resistere mundo,
» si mihi adversaretur, posse videar, modo me
» Deus non derelinquat. XLIII. Antea lætari sole-
» bam, si quando amicos homines experirer; verum
» modo, perspicua hac veritate intellecta, parum
» hoc curo : quin potius benevolentia hæc qua-
» damtenus me affligit, nisi illorum quibuscum de
» animæ rebus confero, vel illorum quibus prodesse
» me posse existimo : ab illis enim me amari per-
» velim, ut me sufferant; ab his vero, ut majori
» cum affectu mihi credant dicenti creata omnia
» meram esse vanitatem.

F

in animi æqualitate

262 » XLIV. Maximam mihi Deus in summis
» laboribus, persecutionibus et oblocutionibus, qui-
» bus hisce mensibus exagitata fui, constantiam
» dedit; et eam tanto majorem quanto vexationes
» acriores fuere, nulla ut ratione in patiendo defa-
» tigarer. Adversantibus vero mihi adeo non malé
» volui ut etiam nova in eosdem ferri dilectione
» viderer; quomodo tamen id fieret, nescio : a di-
» vina scilicet dextra id proficiscebatur. XLV. Si
» quid desiderem, natura mea maximo id deside-
» rare impetu soleo : jam vero desideria mea adeo
» quieta sunt, ut, cum ea impleta video, vix intel-
» ligam an gaudeam. Nam tristitiæ et lætitiæ affe-
» ctus, nisi in oratione, ita in me temperatus est ut
» ignara videar, atque ita dies aliquot agam.
» XLVI. Maximi autem sunt quos aliquoties expe-
» rior et experta sum austeritatis amplectendæ
» impetus : si quam vero exerceo, adeo mihi vide-
» tur exigua præ magno illo desiderio, ut inter-
» dum, ac prope semper, ea mihi peculiaris esse
» videatur recreatio; tametsi ea quam usurpo, ob
» corporis imbecillitatem exigua sit.

263 » XLVII. Sæpe mihi gravissima quædam est *ac generositate,*
» pœna, modo vero nimis quam maxima, quod
» cibum

A » cibum me capere oporteat : maxima vero sit
» oportet cum in oratione versor; quia mihi lacry-
» marum elicit copiam et expostulare me cogit,
» quin id percipiam, quod tamen fecisse me, etiam
» cum gravissimi in hac vita mihi subeundi fuere
» labores, non memini : hujusmodi enim in rebus
» muliebrem non habeo animum, sed virilem
» quamdam constantiam. Intensius etiam quam
» soleo, in me ipsa sentio desiderium ut Deo fer-
» ventes sint servi, qui maxima cum rerum om-
» nium abdicatione illi serviant et terrenis nullis
» adhæreant, cum videam omnia esse inanias; ac
» præsertim viri litterati, quod videam magnas
» Ecclesiæ esse necessitates (nam ita me hæ affli-
» gunt ut stultum esse censeam ob aliam rem
» quamlibet mœrore dejici) : propterea illos assi-
» duis precibus Deo commendo; quod magis Ec-
» clesiæ norim quempiam in summo perfectionis
» gradu constitutum vero amoris divini fervore
» prodesse posse quam tepiditate sua plurimos.

in fide, spe 264 » XLVIII. In rebus fidei (ut mihi quidem
» apparet) majorem me præferre video fortitudi-
» nem; nam omnibus Lutheranis me sola oppone-
» rem, ut suos ipsis errores patefacerem : et sane
B » tot animarum jacturam nonnisi dolenter aspicio
» et miseror. Video plures animas in via Domini
» profecisse mea opera; quod clare video Deum
» voluisse. Etiam percipio quotidie animam meam
» in illius amore magis magisque per illius beni-
» gnitatem proficere. Videor mihi, etsi vellem,
» vana efferri gloria non posse; nec video quomodo
» mihi persuadere possim harum virtutum aliquam
» meam esse : quod non multum effluxerit tempo-
» ris, cum me nullam annis plurimis vidi habuisse
» virtutem; atque etiam modo a parte mea aliud
» non ago quam gratias recipere, nullum vero
» præsto obsequium, non secus ac res quæ in toto
» mundo est maxime sterilis. Et sane ita interdum
» mecum ipsa perpendo, quomodo, omnibus in
» melius proficientibus, ipsa ad nihil penitus sim
» utilis. Et est profecto hoc non humilitas, sed
» veritas; quodque me adeo inutilem videam, non-
» nunquam timeo ne a dæmone illudar. Adeoque
» manifeste perspicio per eas revelationes et raptus
» hæc mihi lucra accessisse : a parte enim mea
» nihil sum, nec aliud huc quidquam confero quam
» inutilis truncus. Hoc vero fiduciam me concipere et
» securiorem esse jubet; ac proinde me intra divina
C » conjicio brachia meisque fido desideriis : scio
» enim certo ea esse hujusmodi ut pro ipso mor-
» tem oppetere omnemque quietem abjicere, quo-
» cumque meo dispendio, parata sim.

et caritate 265 » XLIX. Aliquoties sæpius per diem dicti illius
» S. Pauli mihi subit memoria (etsi certa sim non
» ita id in me fieri), ut jam mihi non ipsa vivere nec
» loqui nec aliquam habere videar voluntatem, sed
» esse in me putem quempiam a quo regar et con-
» forter, et me quodammodo extra me raptam esse,
» ipsum denique vivere mihi crux videatur acer-
» bissima. Quod vero maximum pro tali obsequio
» rependo bonum, id est, quod, cum acerbum adeo
» sit mihi ab ipso separatum esse, ob ejus amorem
» tamen vivere velim. Vitam autem hanc maximis
» obrui laboribus et persecutionibus cupio : nam
» cum ad nihil utilis sim, ad hoc saltem utilis esse
» velim ut pro ipso patiar. Et sane omnes qui in
» mundo sunt, libenter subirem labores, ut vel
» aliquantulo majus mihi meritum comparem, id
» est, ut magis illius voluntatem exequar. Nihil
» hactenus, dum in oratione versor, intellexi, tam-
» etsi etiam multi exinde effluxerint anni, quod
» non reipsa impletum viderim. Quæ vero de ma-
» gnalibus Dei video et intelligo, et quo ea modo
» ipse direxerit, tanta sunt ut vix unquam de D
» iisdem cogitare incipiam quin intellectus mihi
» deficiat, cum videam ea quæ ingenii captum
» transcendunt; et hinc animum meum recolligo.
» Ita porro sedulo me custodit Deus necubi ipsum
» offendam, ut aliquando obstupescam, videns qua
» de me ipse laboret cura, ita ut a parte mea huc
» vix quidquam conferam, utpote quæ iniquitatum
» et malitiarum pelagus, ante quam hæc mihi ob-
» tingerent, fui, ut ne me ipsam compescere qui-
» dem a peccando posse viderer. Cur autem ea ab
» omnibus sciri velim, ratio hæc est, ut hoc pacto
» ipsa magna Dei agnoscatur potentia. Sit ille be-
» nedictus in sæcula. Amen. »

profecit : 266 His finitis, dein præfixo nomine Jesu, uti id
pro more habebat in capite omnium scriptionum
suarum *d*, sic inquit : *d*

I H̄ S.

« Relatio ista quæ hic ante posita est, non mea
» scripta manu, est illa quam confessario meo
» perscripsi, et quam ipse, nihil demendo vel ad-
» dendo, sua manu descripsit. Erat hic spiritua-
» lium rerum gnarus in paucis et theologicis
» scientiis magnus; cum quo de omnibus animæ E
» meæ rebus contuli, et ipse de iisdem egit cum
» aliis viris eruditis, inter quos fuit Pater Mancio.
» Nihil ab his notatum in iis est quod Sacris Litte-
» ris non maxime sit consentaneum. Hæc porro
» illorum sententia magnam animæ meæ securita-
» tem adfert, etsi agnoscam non debere me, quam-
» diu per hoc me Dominus iter conducet, mihi ipsi
» aliquo modo confidere : atque ita semper feci,
» etsi id admodum grave mihi sit. Reverentia Ve-
» stra videat ut hæc omnia sub Confessionis si-
» gillo clausa mancant, uti id a te jam ante postu-
» lavi. »

itaque majores indies 267 Hactenus Matris Teresiæ a Jesu verba sunt,
in quibus describendis etsi aliquatenus me defati-
garim, hic tamen ea inseruisse summam mihi volu-
ptatem attulit; quod plura in iis contineri credam
quam hactenus toto dixi libro : adeo ut, quamvis
liber præter hæc aliud non contineret, ob hæc
tamen sola tolerari et legi mereretur. Unum porro
hic notandum venit, scilicet omnia quæ iis conti-
nentur, certo tum illi contigisse cum adhuc in In-
carnationis cœnobio ageret, antequam ad monaste-
riorum fundationes abiret; quin imo primam illam
Relationem, quæ alterius manu est descripta, sub F
initium conversionis illius factam esse, cum serio
et ex animo Deo se dare et supernaturalibus ab illo
gratiis præveniri cœpit, biennio, inquam, post (uti
colligere evidenter est e numeris VII, XXX, XXXII,
XXXVII et XLVIII, ne eadem hic cogar pluribus
repetere). Annus eoque amplius interea effluxit,
cum secundam Relationem scripsit; ultimam vero
novem post mensibus, uti ex ejusdem colligere
principio est.

faciendo progressus 268 Ex omnibus porro his junctim colligere est
ad quantam tantillo ipsa tempore perfectionem per-
venerit; quod sane stupendum est. Quæ ergo jam
inde a principio suo ad tam sublime perfectionis
fastigium pervenit, ad quodnam post tot eam annos
pervenisse verisimile fit, cum tot indies gratiis
cumularetur, tot sibi austeritatibus et laboribus
Deum deliniret, tot fundaret monasteria, tot ani-
mas Deo vindicaret, tam assiduo orationis et mor-
tificationis exercitia coleret, denique tam incompa-
rabili bonorum postea operum thesauro collecto?
Si ergo tam eximia ejusdem principia fuere ut ad
perfectissimorum etiam complementum pertingant,
ut locum hic videatur habere commune illud, quod,

AUCTORE RIBERA.

puero Quintiliano, in usu erat proverbium, magnorum fluminum etiam ortus esse navigabiles (Quintil. lib. VIII, cap. III), quanta illam modo in cœlo gloria donatam verisimile; cum ad illam post omnia hæc promerendam tanto majori fuerit opus perfectione, quam tanto studio ac labore tot annis sibi comparavit?

ad summam evasit vitæ perfectionem.

269 Hinc si quis in filiabus illius eximias aliquas spectarit virtutes resque supernaturales, norit is non propterea tamen posse eas nec debere cum Matre sua comparari, quod multum ab eo perfectionis absint termino ad quem illa pervenit; noritque tanto majori omnibus simul præire hanc intervallo, quanto mater aliqua sapientissima et prudentissima filiolas juniores superat sapientia, intellectu et corporis magnitudine. Quod omnes non invitas et ex animo existimo confessuras, quod eas ut humiles suspiciam : si qua vero id negaret, hanc id ante alias fateri oporteret, et hujus minor esset habenda quam aliarum ratio; atque hæc etiam maxime a scopo hoc aberraret, cum vel ingenio vel humilitate adeo esset destituta. Notandum hic insuper est quam singulariter beata ipsa Mater cautum voluerit ut hæ Relationes silentio premerentur, et quam e contrario has Dominus in lucem proferre studuerit, atque ut ad manus tandem meas post tot annorum intervallum venirent, permiserit; cum ipsæ etiam characterum notæ, utpote jam dudum exaratæ, legentium oculos prope fugerent. Illius porro magnitudo in æternum decantetur, quod ita honoret eos qui omnem ejus causa honorem proculcant.

ANNOTATA.

a *Ribera, Yepes et auctor Chronici nescierunt ad quem scripta esset prior hæc Relatio; et Yepes suspicatur destinatam fuisse ad Patrem quemdam e Societate Jesu. Ast, invento postea ipso S. Petri de Alcantara autographo, quod continet triginta tres articulos qui responsorii sunt ad hanc Relationem, evidens est ad S. Petrum missam hanc Relationem* (*vide Comm. prævium num.* 293, *item Riberam hic supra lib.* IV, *cap.* IV, *a num.* 68, *ac not.* c *ad id caput*). *Porro asserit P. Antonius a S. Josepho* (*t. II, epist.* 11, *not.* 3) *idipsum originale exemplum e quo binas has Relationes desumpsit Ribera, non ita pridem fuisse repertas penes D. Josephum Tapia Osorio. Ait id codicem esse qui duodecim constat foliis formæ, ut dicitur, in octavo, quorum priora sex cum dimidia septimi folii pagina occupat Relatio altera, altera vero quod reliquum est codicis; estque illa scripta manu aliena, hæc manu* Teresiæ; *sicut apud Riberam notatur. Neque abs re est meminisse has Relationes, quas Ribera primum vulgavit, dein in Antverpiensi Operum Teresianorum editione anni* 1630 *additas fuisse ad Sanctæ Vitam, nunc vero locari solere inter Epistolas* (*tom. II, epist.* 11 *et* 12). *Tandem advertit P. Antonius* (*loco quo supra*) *secundum Chronici auctorem scriptam fuisse priorem hanc Relationem anno* 1560, *tunc nimirum quando* Teresia *consuluit S. Petrum de Alcantara, ut ab ipsa narratum habes in Comment. prævio numero* 234 *et seqq.*

b *Ill. Bossuet in suo tractatu de nova Quæstione* (§ I : Mystici in tuto, *part.* II, *cap.* I, *et alibi passim*) *S.* Teresiam *vindicat a Molinosii erroribus, ostendens eam ita loqui solere ut significet se non famulari Deo spe mercedis tamquam hæc spes solum vel præcipuum motivum fuisset, sed ita ut tamen hæc mercedis spes fuerit motivum cohortans et invitans.*

c *De altera hac Relatione P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 12, *not.* 2), *postquam dixerat, ut mox retuli* (*not.* a), *ipsum ejus autographum exstare, sic proloquitur :* Ribera et Yepes (*lib.* III, *cap.* XXVIII) hanc transcripserunt, quin indicarent ad quem fuisset missa. Nos autem arbitramur missam ad P. Ibañez ob ea quæ Sancta apponit hic ad calcem, dicens nempe et priorem illam et posteriorem hanc Relationem a suo confessario communicatam Patri Mancio. Atqui certum est P. Ibañezium ejus vitam modumque orandi communicasse Patri Mancio, sicut testatur Yepes (in prologo ad Sanctæ Vitam). Quare nobis persuasum est a Sancta priorem illam Relationem, quæ destinata fuerat S. Petro de Alcantara, simul cum hac posteriore traditam fuisse P. Ibañezio, qui tunc temporis confessarius ejus erat. . . Posterior hæc Relatio scripta est uno a priore illa anno, id est sub initium 1562, sicut affirmat noster historiographus.

d *Id ei moris fuisse patet ex ejus quæ superant litterarum autographis. Insuper notari potest frequens earum a laude Jesu principium, frequens item per ejus scriptiones Sacrosancti Nominis illius repetitio, ac ordinaria epistolarum ejus clausula ab hac similive pia formula :* Sea alabado *etc.* (laudetur *etc.*). *Nimirum, quod ipsi cum aliis Sanctis, v. g. S. Paulo, S. Bernardo, S. Francisco Salesio etc., commune erat, ex abundantia cordis scribebat calamus.*

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

Cur auctor latius de Sanctæ virtutibus egerit.

Prolixe disseruit Ribera

Tot tamque eximia de admirandis Matris Teresiæ virtutibus enarranda occurrebant ut quartum librum valde longum esse oportuerit; et erat sane necesse imaginem illam quam suis hic exprimere coloribus proposui, expoliri perficique, quo naturalis et viva appareret, vel potius quadamtenus naturam repræsentaret : nam quamvis id studiosius quam aliis in libris facere contenderim ideoque fuerim prolixior, non tamen plus æquo inhæsi. Non idcirco tamen dicere ausim ita eam ut quidem oportebat a me delineatam esse; cum quod eo pertingere nequaquam potuissem, tum vero quod secretum suum sibi humilis hæc virgo servarit, et acceptos a Deo favores et labores quos illius opitulante gratia exantlavit, quantum sibi fas fuit, silentio premere semper sit conata. Eorum vero quæ tegere minime potuit, pars non exigua oblivione obruta periit; quæ vero reliqua fuere, maxima accuratione collegi, ne temporis injuria penitus excidant.

de heroicis S. Teresiæ virtutibus,

2 Lectores proinde obsecro ne ex pauculis his quæ huc afferre potui, de Matris Teresiæ virtutibus conjecturam faciant : norint potius plura multo exstitisse, et alia quæ forte longe sint sublimiora majoremque admirationem promereantur, adhuc dicenda restare. Reliquum est igitur ut suum imagini huic ornamentum circumsecus adjungam, miracula, inquam, et magnalia quibus eam condecorare et illustrare dignatus est Deus, in eorum præsertim gratiam qui persuadere sibi vix queunt sanctimoniæ vitæ quempiam fuisse conspicuum, nisi miraculis eadem patefiat et confirmetur. Accedit quod omnibus miracula prosunt : nam, ut asserit

A rit S. Gregorius, quemadmodum animæ corpore inclusæ vita per corporis motum cognoscitur, sic ejusdem corpore egressæ vis virtute miraculorum demonstratur. Quod ipsum quamprimum declarare incipiam : cum enim liber hic postremus brevis futurus sit, nec æquum est proœmium esse productius.

ut lectores ad earum imitationem animaret.

3 Cæterum eos qui hanc lecturi historiam sunt, quæ (demptis erroribus qui a parte mea intervenerunt) ab omnibus legi magnique fieri meretur, quod mirabilia Dei in hac opera elucescant, rogatos imprimis velim ut tam eximias diversasque virtutes admirari satis non habeant, sed easdem etiam divinæ gratiæ adminiculo imitari allaborent. Hanc enim ob causam eas hic deduxi, et quæ quoad eas Teresia monita consultaque dederit, attuli. Etsi vero omnibus ea dicta sint, quod multa in his imitanda omnes, cujuscumque demum sint ordinis et status, reperient, Religionem tamen professis, ac præsertim in eumdem Excalceatorum Ordinem cooptatis ea potissimum conveniunt; cum ipsorum ante oculos tam perfectum vitæ religiosæ exemplar proponere dignatus sit Deus, ipsosque edocere quomodo ad perfectionem hilariter pervenire et
B ejusdem parvo cum labore reddi compotes queant, qualem denique consolationem et quam admirabiles fructus degustent, ubi illam fuerint adepti. Hanc ob causam studio a communi Vitas Sanctorum scribentium stylo deflexi, cum plerique illorum potissimam historiæ suæ partem in miraculorum narratione consumant : ego vero, quamquam multa etiam hac in parte dicenda habeam, illius virtutibus enarrandis magis studui; quod non illa, sed virtutes facile quis possit imitari. Et sane, si virtutum Sanctorum fuerimus imitatores, eos etiam facili negotio in mirandorum patratione poterimus imitari; et hæc esto nobis defuerint, ea tamen qua in cœlis perfruuntur gloria nobis, si veri perfectique eorum simus æmulatores, haudquaquam defutura est.

Caput I.

Corporis S. Teresiæ translationes.

C Ad libri tertii finem narratum est quomodo sanctum Teresiæ corpus (quo velut instrumento Spiritus Sanctus in vita ejus tot prodigia operatus erat) in Albano Excalceatarum cœnobio, eo prorsus loco quo ipsamet depositum asservandum prædixerat, reconditum fuerit; ut de corpore suo eam hoc intellexisse declararit eventus. Nunc ad illud redeamus; si enim, dum ipsa viveret, Deus illustria per ancillam suam patrare opera dignatus est, uti jam narravimus, ipsum id non minus fe-
a cisse comperiemus, dum mortua erat *a*. Primo igitur illo anno moniales Matris suæ corpus pietatis ergo visitatum ibant; si quæ vero apud ipsum obdormisceret, strepitu interdum aliquo excitabatur ut orationi incumberet. Non raro suavis ab eodem emanabat odor, etsi densa saxorum esset moles et calx superinjecta. Hæc porro suaveolentia iis potissimum diebus sentiebatur quibus festiva Sanctorum quos Teresia peculiari studio coluerat, agebatur memoria : denique eadem in sepulchro ordinaria prope fuit. Erat hic odor suavissimus, nec semper idem : interdum liliorum, interdum iasmes et violarum referebat fragrantiam; alias cui similem diceres nidori, nescisses.

Cap. 1. *S.* Teresiæ *corpus*

2 Hinc ardens religiosas incessit corporis hujus inspiciendi cupido : quod enim tam suaviter id redoleret ut etiam ab externis is odor perciperetur, fieri non posse videbatur ut in putredinem difflueret. Hieronymus igitur Gratianus provincialis Albam cum venisset, illi moniales referebant quid rerum ageretur, rogantes ut inspici corpus permitteret. Id Patri consilium cum minime displicuisset, submoveri cœpti sunt lapides; sed tanta eorum erat copia ut ne quatriduo quidem ipse cum socio iisdem auferendis suffecerit. Cum vero horum lapidum aliquot in stramen decidissent, et ex hoc post plures dies novitiæ cujusdam in Ordinem admissæ lectum monialis suffarciret, ipsam etiam paleam redolere sensit : cujus rei causam indagans et admirans, tandem a lapidibus fortuito injectis eam stramento adhæsisse fragrantiam comperit. Igitur IV nonas Julias anno MDLXXXIII loculus apertus est, nono post sepulturam mense : erat autem ob nimiam humiditatem in parte superiori corruptus ac semiputris et muscosus, suavissime tamen redolens. Dum enim lapides imponebantur, calx ante injecta erat, cujus humor ad corpus usque penetrarat. Vestes omnes putredine diffluxerant et humidum redolebant. E
Corpus vero sanctum oppletum erat terra quæ per sarcophagum putrem penetrarat, nec non mucore plenum; cæteroquin sanum adeo et integrum ac si nuper terra conditum fuisset. Ut enim illud, dum viveret, ab omni turpitudine carnali integrum in perfectissima virginitate Dominus custodivit, ita etiam mortuum ab omni corruptione servavit; et vermes in ipsum sævire noluit in quod impudici ardores jus nullum exercuerant. Omnes prope illi ablatæ tum vestes (omnibus namque induta terræ mandata erat), corpus ablutum et a terra purgatum : inde vero per universam domum diffusus est odor ingens et admirabilis, atque ad dies aliquot inibi perceptus. Pauxillum terræ hujus ipse accepi : quæ tam novam spirabat suavitatem ut nemo huic similem odorem designare nosset, nisi quod quidam e Patribus nostris esse aiebat eumdem quem os quoddam ingens S. Laurentii Martyris in Abulensi collegio asservatum exhalabat. Verum odor quem corpus efflat, magnus est ac vehemens, et tam novus ut similem nemo umquam perceperit.

AUCTORE RIBERA. *incorruptum et suaveolens* D

3 Corpus porro, novis indutum vestibus et linteo *anno* 1585 involutum, eodem quo ante repositum est loco, arcæ inclusum, quæ omnium templum subeuntium F aspectui patet, quod locus patens sit et apertus. Verum antequam reponeretur, sinistram illi manum provincialis abstulit; quam deinde ipsemet Ulyssiponem detulit, in Excalceatarum cœnobio, quod haud ita pridem fundatum erat, asservandam. Hoc igitur loco corpus sanctum maximo monialium solatio mansit, ab iisque est sedulo asservatum et magno pietatis sensu visitatum. Post hæc Patres Excalceati XV kalendas Novembris MDLXXXV Pastranæ capitulum provinciale inchoarunt, in quo statutum fuit ut sanctum corpus clanculo Alba transferretur ad monasterium S. Josephi Abulense, in quo Teresia Reformationem suam auspicarat et cui mortis suæ tempore cum priorissæ munere præerat. Huc eos potissimum impulit Palentini antistitis Alvari Mendozii studium, qui se primarium monasterii illius sacellum constructurum inque optimo ejusdem loco sepulchrum Teresiæ et aliud deinde sibi se positurum spoponderat; quippe qui, pro pio in eam affectu, ne a morte quidem ab ipsa separari vellet. Piæ ergo voluntati illius morem gerere Patribus placuit. Decreta ea res P. Gregorio Nazianzeno, Castellæ provinciali vicario; nec

AUCTORE RIBERA.

nec non in mandatis ei datum ut brachium unum Albæ ad monialium solatium abscissum relinqueret. A Litteræ quoque additæ, quibus corporis avehendi illi potestas fiebat, eodem signatæ die, hora circiter septima cum dimidia vespertina : qua etiam res Albæ contigit stupenda, vera nihilominus; quam qui nosse singillatim volet, Albanas sanctimoniales consulat.

e monasterio Albano,

4 Hæ nempe cum hora hac in recreationis loco agerent, de iis inter se colloquentes rebus quas in capitulo agitandas putabant, tres alternatim pulsus satis sonoros haud procul a se inaudiere, eosque etiam postea ingeminatos; quibus ad orbem versatilem sacrarii ab aliquo qui forsitan inscius inclusus esset, signum dari credebant. Inde non multo post ostiaria, quam potuit diligentissime inquirens num quis in templo hæsisset, tres similes pulsus cum audisset, ad sorores retulit. Tum præfecta : « Ne » curemus hæc, carissimæ; diabolus enim forte » nostram interturbare quietem gestit. » Inde vero alia monialis hunc in loculo in quo sacrum reconditum erat pignus, haud dubie factum videri strepitum asserebat; nam haud procul ab orbe quem dixi versatili sepulcrum erat. Nec vero fefellit. Quidnam vero id esset, tum quidem ignorabant; B donec tandem P. Gregorio Nazianzeno rem declarantes, ex eo didicere, ea ipsa hora litteras suas quas tulerat obsignatas fuisse. Hinc ea omnibus insedit opinio Teresiam hoc indicio valedicere suis voluisse. Atque ita factum est : nam mense Novembri proximo Albam Gregorius venit, et in pervigilio S. Catharinæ, VII scilicet kalendas Decembris, monialibus ad odeum superius Matutinum recitaturis Officium concedere jussis, ipse cum moderatrice et duabus tribusque e provectioribus in inferiori manens, cum illis litteras suas prælegisset ac potestatem a capitulo acceptam aperuisset, secreto admodum et festinanter sacrum pignus educunt; quod non minus integrum tum erat quam ante et eumdem exhalans quem diximus odorem, etsi paulo jam aridius et exsanguius : vestes vero pene totæ computruerant.

relicto illic tantum brachio sinistro,

5 Tum etiam, meo judicio, manifesta duo eo in loco miracula apparuerunt, præter primarium illud quo corpus illud virgineum ac purissimum ab omni fuit corruptione immune. Primum id est, quod, cum Teresiæ morienti sanguis effluxisset, eoque palliolum laneum album et novum, quo induta fuit, repletum esset, triennio jam et bimestri evoluto, C sanguis jucundum spirarit odorem; et cum linteo pallioli hujus particula insereretur, id paulatim sanguine imbutum rubesceret. Hujus ipse panni vidi partem, uti et alios multos qui ab eodem tincti fuere, quin humectarentur et quin aliud circa eosdem fieret quam quod panno huic per diem unum applicarentur. Et est sane prodigio simile tam præstantem hoc in sanguine odorem notari. Alterum id fuit, quod, postquam sacrum id pignus loculo eductum esset, cum P. Gregorius Nazianzenus, satis quidem invitus (ut enim mihi ipse narravit, nullo in casu se Deo perfectius voluntatis suæ sacrificium unquam credidit obtulisse), ut superiorum pareret imperio, cultrum quem de zona pendulum habebat, ad brachium quod Albæ relinqueret, resecandum, eduxisset et jam brachio sinistro (cujus erat ablata manus, et quod luxatum fuerat, dum eam dæmon e gradibus dejecit) inseruisset, facili ipsum negotio, nulla facta vi, perinde ac si peponem vel caseum recentem incidisset (uti id ipsemet asseruit) ab humeri juncturis procidit, non minus expedite quam si diutius easdem tentando explorasset. Sic igitur brachium a corpore disjunctum fuit.

Abulam transportatur;

6 Acceptum itaque corpus et linteo involutum ad januam ipse illico detulit. At dum interim suavissimus eodem dimanabat odor, monachæ in odeo versantes suspicari cœperunt sacrum sibi pignus auferri; quare odoratus secutæ vestigia ad januam advolant. Sed cum jam Gregorius egressus et clausa domus esset janua, tristes ad sua rediere, solum habentes Matris brachium et panni sanguine imbuti partem. Illico igitur nihil cunctandum ratus Gregorius ea ipsa nocte Abulam discessit, ne re comperta oppidani Albæ tumultuarentur. Abulæ porro gratulanter acceptum pignus fuit et honorifice eo collocatum loco in quo id omnes monachæ inspicerent eoque se oblectarent. Positum id primo in capituli loco, appensis hinc inde ad feretrum cortinis. Deinceps illi longior paratus loculus in tumbæ formam, quem tenui bysso violacea introrsum vestierunt, inductis circumsecus e serico argentoque mixtim paratis funibus : exterius vero holoserico nigro instratus erat, quem auro sericoque intertextæ lineæ condecorabant. Porro loculi claviculi, seræ, claves et cardines auro nitebant; appendebant vero scuta duo, aureum et argenteum, in quorum uno Ordinis insignia, in altero Sanctissimum Jesu Nomen inscriptum erat : huic autem tumbæ in E stragula aurea hoc erat epigramma acu impictum : MATER TERESIA A JESU. Hoc ipse postea cenotaphium vidi; et licet corpus non includeret, odor tamen eidem inhærebat.

CAP. II. *ibique ab episcopo et medicis*

7 Sedulo illo tempore curabatur ne ullus in vulgus de corporis integritate neu de ejus Abulam avectione sermo dimanaret; quia interea ita convenire videbatur. Sed postea nonnullis rei consciis satius visum est futurum medicos et theologos aliquot advocare, qui, eodem curiosius inspecto, dispicerent fierine id naturali posset potentia, an vero prodigio ea integritas esset adscribenda, ut quæ hi judicassent, in tabulas deinde referrentur. Hanc ob causam a Maria a S. Hieronymo, domus hujus præposita, rei totius seriem scripto petiere consignari; verum ante nihil illa evulgare instituit quam a provinciali facultatem impetrasset. Ille vero adeo hanc diligentiam non improbavit ut litteras potestatis indices illico miserit, quæ pridie kalendas Januarii vespere appulerunt. Quoniam vero hæc celeriter fieri suaque magnalia innotescere Dominus volebat, eadem hora Abulam delati sunt P. Didacus de Yepes, Hieronymianorum Madritensium tum moderator, licentiatus Laguna, F regii consilii auditor, nec non Franciscus Contreras, hodie auditor Granatensis; qui rei hujus prodigiosæ dumtaxat videndæ causa Madrito non sine labore et cœlo frigido Abulam excurrere non dubitarunt *b*. *b*
Ad antistitis Petri Fernandez de Temiño exscensionem fecerunt, eique ecquod sua in civitate latens haberet pignus, declararunt. Is ergo cum ex quæstore suo Joanne Carillio, qui secreti erat conscius, rem omnem didicisset, præpositæ per nuntium significat postridie se hora nona cum prædictis viris adfuturum. Ut ergo dies postera illuxit, quæ erat prima dies anni MDLXXXVI, hora condicta episcopus cum consiliariis et medicis duobus aliisque, ut vigesimum explerent numerum, ad cœnobium accessit. P. Didacus de Yepes, Julianus de Avila sacerdos ac medici duo, claustrum introgressi, sacrum inde corpus eduxerunt *c*, et in vestibulo impo- *c*
situm tapeti, ostio exteriori diligenter occluso et plerisque accensas manu faces gestantibus, detexere; episcopus vero omnesque ejusdem comites ipsum, nudis capitibus et in genua provoluti, non sine summa admiratione et lacrymis venerabundi spectarunt.

8 Medici

incorruptio ejus declaratur miraculosa esse.

A 8 Medici curiosius cuncta inspicientes, nihil hic naturale subesse, sed rem esse vere miraculosam confirmarunt; uti et vesperi apud episcopum reversi, allatis in rei confirmationem rationibus aliquot, deposuere. Sed usque eo res hæc evidenter patebat ut multis opus non esset. Quis enim neget corpus numquam apertum nec balsamo conditum, cuique nullum condimentum aromatisque liquor additus erat, post triennium ac trimestre ita incorruptum manere ut nulla ei integritatis pars deesset, et odorem tam admirabilem exhalare, dexteræ Omnipotentis et omnem naturalem virtutem transcendens opus esse? Nec minus mirati sunt, cum lineum pannum sanguine adeo recenti atque odorifero imbutum conspexerunt. Tum ad monachas conversus antistes, thesaurum quem asservabant, vere pretiosum esse affirmabat, nec quid proinde in mundo amplius ab ipsis desiderandum videri. Simul etiam injunxit ut decenter eum haberent et tapetem cui instratum fuerat pignus sacrum, ad alios usus non amplius adhiberent. Deinde, anathematis interponens pœnam, visa quemquam divulgare vetuit; sed ii tacere non poterant, dicentes identidem : « Hui! » Quam admiranda et stupenda vidimus! » tan-
B toque rei patefaciendæ ardore inæstuabant, ut, coacto episcopo intentatas diras rescindere, toto ea res oppido innotuerit.

Verum jussu Summi Pontificis

d 9 Hoc in statu res Abulæ erant, sed Albæ longe alio. Dum enim inde sacræ reliquiæ tollebantur, Antonius de Toledo dux *d* nondum e Navarra redie-

e rat, et Ferdinandus de Toledo, prior S. Joannis *e*, ejusdem patruus, illa etiam tempestate oppido aberat. Hic, re comperta, indignari cœpit, cum quod beatæ esset Matris studiosissimus, tum quod videret quam pretiosæ rei civitas sua jacturam fecisset : censebat enim non tam duci quam sibi, cui omnem rerum suarum curam dux absens concrediderat, injuriam irrogatam. Inde ad monasterium cum scriba publico veniens, præpositæ ac monialibus, gravi interposita pœna, edixit ne cui quod sibi reliquum erat Teresiæ brachium ulla ratione traderent. Tum de corpore etiam ipso sollicitus, missis Romam litteris, apud Summum Pontificem tantum effecit ut Excalceatis is mandarit Patribus ut quamprimum Albam sacra lipsana referrent ipsaque præpositæ domuique Albanæ redderent, et si quid objiciendum haberent, coram se vel ipsimet vel
C procuratore misso id depromerent.

anno 1586 10 Ut primum Supremi Pontificis mandatum P. Nicolaus a Jesu Maria, qui tum provinciam administrabat, intellexit, nihil cunctatus Abulam se contulit, indeque secreto corpus a P. Joanne Baptista, priore Pastranensi, Albam deferendum curavit. Is autem ac P. Nicolaus a S. Cyrillo, Mancerensis domus tum præpositus, Albam cum sacris reliquiis pridie festi S. Bartholomæi anno eodem MDLXXXVI delati sunt. Adeo tamen clanculo eæ latæ sunt ut quidnam ferretur, nemo scire posset; quas deinde circa octavam matutinam monasterio reddidere. Haud dudum Albanam hi erant domum ingressi, cum eodem ego adveni, Abulam, corporis sancti videndi causa, cogitans, quia magno ejus conspicandi desiderio tenebar; adeo ut, si paulo citius advenissem, ante januam ipsum reperissem ac voto meo fecissem satis. Ut primum res in oppido vulgata est, solemni supplicatione et harmonico concentu suam testari gratulationem oppidani et clerus parabant : verum provincialis, quod non ut perpetuo illic mansurum, sed velut commodato corpus sanctum deponeret, Summi Pontificis dumtaxat pariturus imperio, adhiberi pompam inhibuit; sed solum ita monialibus id tradi voluit ut traditionis testimonium afferretur. Joannes igitur Baptista, accepta a præposito mandata sedulo exequens, ne latum quidem unguem a præscripto deflexit.

D

Albam refertur;

11 Exinde in choro inferiori venerandum pignus collocatum est, et, duce ad cancellos una cum matre comitissa Lerinensi versante, confertæ multitudini templum occupanti, multis accensis cereis, ostensum. Pastranensi vero præpositó e monialibus sciscitanti verene id Matris Teresiæ a Jesu corpus esse agnoscerent et hoc sibi traditum revera esse certo scirent, ab omnibus responsum est ipsum esse, et tota populi adstantis multitudo idem se corpus agnoscere asseruit : quorum omnium testimonium a scriba publico exaratum fuit. Et sane opus fuit corpus post cancellos sistere : tanta namque confluxit multitudo, tantus omnium videndi fuit ardor, is adfluentium impetus, ut, si sacrum in anteriori parte templi expositum fuisset pignus, vestium præsectis frustis, ne corpore quidem ipso populus abstinuisset. Omni vero pomeridiano tempore tam frequens confluxit turba miraculum hocce spectatura ut nec excludere eam possent nec ipsi qui in interiori agebamus parte, egredi, nisi sera nocte; quod nulla homines videndi caperet saturitas. E

ubi Ribera ipse illud videt.

12 Oppidani vero, dum non credunt sacras has Albæ reliquias a Patribus relinquendas, publicas adhibuere custodias, ne a quoquam eæ inde auferrentur : quin imo monachas auctoritate publica rogarunt ne eas cuiquam auferendas concederent, magnopere gavisi sacrum ad se pignus relatum esse. Horum omnium oculatus ipse sum testis, qui intra cancellos id per otium sum contemplatus, ac deinde pedes illius, tametsi raptim admodum, exosculatus : etsi enim jam advesperasceret et templi fores occluderentur, nobis tamen accessum externi prohibebant. Aliud hic non minus mirandum commemorabo, cujus idoneus sum testis; nam circa me ipsum contigit. Eadem vespera Excalceati Patres qui Teresiæ corpus Albam detulerant, cum cœnaturi ad idem divertissent hospitium quo ego cum socio successeram, ecce allata ad eos vestis qua corpus indutum fuerat, ut eam Abulam referrent; quod aliam Albanæ monachæ vestem illi dedissent : allata autem ea est complicata et stragulo ita involuta ut fartura forinsecus exstaret. Ad hanc propius accedens, suavissimum ab eadem prodire sensi odorem : tribus autem prope horæ quadrantibus hoc ipsa loco mansit. Digressis Patri- F
bus, ad illud me statim conclave proripui in quo ipsi diverterant; cui a pauxillo illo spatio quo complicata vestis in ipso hæsit, tanta adhæsit fragrantia ut eam illico perciperem et evidenter agnoscerem. Haud multo post eodem socius meus cum successisset, num quid sentiret a me rogatus, respondit sentire se et perbene odorem percipi. Quin ea ipsa nocte hoc in cubiculo decumbens, quoties somno evigilarem, eumdem odorem percipiebam et probe agnoscebam.

Litteris apostolicis decernitur

13 Ab illo tempore in præsens usque sacrum corpus Albæ hæsit, una cum brachio; sed nonnisi rarissime ejus inspiciendi fit copia. Nimirum cum Abulenses Excalceatæ cum universa civitate contenderent ut Abulam sacra lipsana referrentur, Antonius de Toledo, dux Albanus et præfectus rei bellicæ regni Navarræ, simul et Ferdinandus de Toledo, prior S. Joannis, cum partim sua partim cœnobii et oppidi Albani causa Albæ id remanere vellent, ad Sanctissimum Patrem Sixtum V Pontificem Romanum causam retulerunt : cujus auctoritate judex rei constitutus Cæsar Specianus, episcopus Novariensis, Nuntius apostolicus, anno

AUCTORE RIBERA.

MDLXXXVIII mense Decembri pronuntiavit Albam perpetuam Teresiani corporis sedem fore. Ab hac deinde sententia cum ad Pontificem appellatum esset, eam ipse omni qua necesse fuit verborum auctoritate et gravitate, nec non ea quæ desiderari posset firmitate, confirmavit VI idus Julii MDLXXXIX. Itaque in magnifica ibidem recondetur tumba, quam S. Joannis prior (qui corporis Albæ retinendi præcipuus auctor fuit) se paraturum spopondit.

ut corpus Albæ perpetuo maneat.

14 Neque vero hic omisero, quomodo, antequam Albam referretur corpus, id ipsemet de cœlo Dominus præmonstrarit. Uno enim ante mense quam rediret, eo ipso loco quo deinde repositum est et hodie quiescit, monacha quædam, cum in oratione versaretur in choro superiori, lucidissimam conspexit stellam; cujus is erat fulgor ut reliqua sidera cum hoc comparata carere luce viderentur. Eadem deinde in choro inferiori fulgentissimam conspexit lucem, quæ incomparabilem et admirabilem pulchritudinem præferebat. Unde intellexit singularem domui faustitatem imminere; et, postquam corpus postliminio rediit, tum demum perspexit hoc sibi prodigiis præsignatum.

B

ANNOTATA.

a *De iis quæ Ribera modo est narraturus, consule Commentarium prævium a* § LIV.

b *Procurarat sibi Yepesius litteras P. Nicolai Doria provincialis, quibus sibi sociisque suis copia fieret sancti corporis inspiciendi. Sociorum autem horum titulos paulo aliter designat quam Ribera : nempe Paulum de Laguna (qui postea factus est Cordubensis episcopus) ipse appellat præsidem consilii Indiarum, Franciscum vero de Contreras auditorem consilii regii; quibus titulis iidem quoque vocantur in Actis canonizationis (num.* 1119 *Comm. prævii). Consule Yepesium lib.* II, *cap.* XLI.

c *Yepesius sese cum Juliano de Avila in claustrum ingressum fuisse non memorat; sed tantummodo dicit corpus a monialibus allatum fuisse : cæterum narratio ejus cum Riberiana concordat.*

C d *Antonius de Toledo y Beaumont filius erat Didaci de Toledo et Briandæ de Beaumont e regio Navarrensi sanguine cretæ. Ex parte paterna, defuncto patruo suo Frederico (de quo obiter meminimus num.* 874 *Comm. prævii), adeptus est ducatum de Alba et Huesca, marchionatum de Coria ac comitatum de Salvatierra; ex parte vera materna comitatum de Lerin cum præfectura rei bellicæ regni Navarrensis. Cfr. Imhof in Genealogiis viginti illustrium in Hispania familiarum (pag.* 308 *et* 318).

e *Est is de quo n.* 1055 *Comm. prævii locuti sumus.*

CAPUT II.

Status brachii et corporis S. Teresiæ. Plures illius a morte apparitiones.

CAP. III. *Describit Ribera*

a

Quicumque hæc legent, peculiarius scire desideraturos arbitror quo id corpus in statu sit : quod non invitus hic ipsis descripsero, quandoquidem curiosius et attentius id inspexi, ut hanc quam modo daturus sum descriptionem depromere possem. A brachio *a* eam auspicabor, quod sæpius ipse tractavi; deinde corpus ipsum describam. Brachium plane inde ab humeri junctura integrum est, præterquam quod manu truncum sit, quam Ulyssiponem advectam esse jam ante dixi. Est D autem id, tum quia ipsum est quod in casu e gradibus olim luxatum et confractum erat, tum quia manu mutilum, unde aliquis ex eo sensim vigor evanuit, minus carnosum quam illud quod corpori etiamnum adhærescit; satis tamen habet carnis, quamquam ante plus habuerit, quia modo nonnihil exsiccatum est : color ejus idem plane qui dactylorum; caro ejus ceu caro arefacta; pellis in longum rugosa est, ut solet esse in hominibus ante obesis et dein macilentioribus. Verumtamen integrum est et sua lanugine convestitum; illudque sæpenumero vidi et tetigi. Mundo semper panno involutum a monialibus asservatur; qui pannus sensim unguine quodam ceu oleo indidem effluente madefit, et ita est pinguis ac si oleo aut simili cuipiam esset liquori intinctus : qui quidem liquor eumdem spirat odorem quem brachium ac corpus.

quid tum in sinistro brachio

16 Quamplurimi eodem imbuti sunt panni, ac veluti sacræ quædam reliquiæ variis hactenus dati : quin etiamnum modo dantur et imbuuntur; etsi jam aliquanto minori liquor hic emanet copia, quia caro evigoratur. Hanc porro carnem nulla devastare potest corruptio, perinde ac si ipsa ænea foret : quin etiam minima caruncula, vel medio ungue E spissa, ne quidem per intensissimos æstatis calores, licet etiam e collo vel in pectore vel alio loco summe calido gestetur, suum odorem, modo bene involvatur, amittet. Est hoc certissimum, utpote jam longo cognitum usu et visu quotidiano : adeo ut tam qui multum de carne Matris Teresiæ a Jesu quam qui exiguum habet, quoad durationem et incorruptionem perinde est ac si alterius Sancti os haberet. Quo primum brachium illud in meas accepi manus tempore, antemeridianum fuit; iisque is odor adhæsit quem caro exhalat : quo ita recreatus fui ut ne prandium quidem sumpturus eas abluere voluerim, ne hanc fragrantiam perderem. Sed frustra scilicet hoc verebar : nam cum eas postea lavi, eadem constans mansit; imo etiam postquam cubitum concessi, in manibus eamdem sum odoratus. Super hæc tam insolitus mihi tempore illo pietatis accessit sensus ut eum et liquido perciperem et animo quindecim inhæserit continenter diebus. Corpus autem VIII kalendas Aprilis, ipsa Incarnationis Christi Domini die, anno MDLXXXVIII per otium sum contemplatus : quod quoniam attentius inspexi, utpote qui rei ejusdem reddere testimonium, quod hic reddo, decreveram, F hinc apte ipsum describere potero.

tum in corpore S. Teresiæ

17 Est igitur corpus erectum, etsi paululum antrorsum provergens, qualis senum esse incessus solet; ex eo tamen facile conjici potest ipsam satis proceram fuisse. Ita porro solidum est, ut, si manu axillas suffulcias, stare in pedes possit et indui et exui, non secus ac si viveret. Coloris est dactylini, cujus et brachium esse jam dixi, etsi aliquibus in partibus magis ad candorem tendens. Pars corporis furvior est vultus; quod enim ei inciderit velum eique cum multo pulvere adhæserit, reliquis corporis partibus pejus habitus fuit : cæterum sua illi constat integritas, ita ut ne quidem extremum nasi sit imminutum. Capilli iidem sunt ac dum primum terræ mandaretur. Oculi sicci sunt, cum humor eorum paulatim exaruerit; cæterum integri. Verrucæ illæ quas in facie habebat, suis cum pilis perstant. Os habet ita clausum ut nullo aperiri pacto queat. Carnosi sunt præ cæteris corporis partibus humeri.

ipse observarit;

18 Pars illa unde brachium præcisum fuit, succosa est; et succus manui tractantis adhærescit eumdemque spirat odorem quem corpus. Manum habet

habet bene formatam, in benedicentis morem constitutam, etsi non integros digitos. Quos qui præsecuerunt, non laudo : quæ enim manus tam mirabilia patravit opera, quamque integram superesse voluit Deus, integra relinquenda erat. Pedes perbelli sunt justaque gaudent mensura. Universum corpus carne plenissimum est. Quem autem id exhalat odorem, non discrepat ab eo qui brachio prodit; tametsi sit vehementior. Equidem tantam ex penitiori absconditi hujus thesauri detectione consolationem hausi ut lætiorem toto vitæ tempore mihi illuxisse diem nullum credam et illo inspiciendo satiari oculus nequaquam posset. Cæterum non possum non dolere dum vereor ne ipsum olim, vel magnatum postulatu vel instantibus monasteriorum precibus, sit in frusta dispertiendum. Neque vero id meo judicio dividendum est, sed eo prorsus in statu relinquendum quo relinquere dignatus est Deus; cum ipsum magnitudinis divinæ nec non integerrimæ Matris Teresiæ virginitatis et admirabilis ejus sanctitatis sit indicium. Quod qui vel petierint vel concesserint, næ illi opinione mea genuini illius filii futuri non sunt.

CAP. IV. *et quomodo Sancta apparuerit*

19 Postquam de eximio illo incorrupti corporis miraculo jam egimus (quod alia etiam, uti jam vidimus, in se miracula involvit), consentaneum arbitror de aliis plurimis quæ tum per ipsum tum per alia quæ illud tetigere, operari dignatus est Altissimus, prodigiis paucula addere. Hoc enim ipse pacto hominibus declarat quanti fidelem ancillam suam ipse faciat et ab omnibus fieri velit, ac singularibus a se eos cumulatum iri gratiis qui salutarem ejusdem intercessionem efflagitaturi sunt. Hac de causa a visionibus inchoabo, dicamque quo post obitum modo ipsa variis apparuerit : quæ toties quidem se spectandam dedit, ut, si omnes ejusdem apparitiones enarrandæ forent, multa earum concinnanda essent capita, ac fortasse integer liber. Ut enim S. Gertrudem a morte Dominus monialibus luculenta gloria spectabilem exhibuit, et sæpius quidem, ob Matris suavissimæ mortem eas mœrentes consolaturus (Insinuat. lib. v, cap. III), ita etiam has ancillas suas, Matris suæ, quam adeo intime complectebantur, decessu prostratas, dignatus est consolari. Imo non per Gertrudem solam, sed et per filiarum ejus aliquot jam defunctas similia Dominus operatus est (uti e sequentibus aliquot ejusdem libri capitibus liquet).

Teresiæ Laiziæ

20 Aliquando splendor insolitus in sepulcro Teresiæ apparebat, ac præsertim cum monacham aliquam contingeret ex hac vita decedere. Si quæ vero silentii tempore inter se loquebantur, tres ad cellæ ejus januam ictus interdum audiebantur, quibus velut signum dabatur præsentem hic adesse Matrem et silentii filias commonere. Visa sæpius fuit splendens et gloriosa varia in specie plurimis utriusque sexus Excalceatis, quorum tanta est prudentia et pietas ut de hisce apparitionibus neutiquam sit ambigendum. Verumtamen, quod adeo eæ sint frequentes, et qui eos quibus eæ visiones contigerunt, non novit, non eam quam revera merentur fidem iis est adhibiturus, aliquas tantum utiliores et notiores hic commemorabo. Non multo post beatæ Matris obitum tempore, Teresia Laizia, Albani cœnobii fundatrix, cum in morbum incidisset, jam paulo melius medicorum judicio habens, adstantem sibi eam conspexit, pallio albo amictam et velatam : quæ vultu renidenti signum manu dedit ut ad se accederet. Cui Laizia : « Moriarne Mater? Horane jam venit? » Quo petito, beata Mater ex oculis evanuit. Exinde cum in deterius valetudo concederet, propediem sese morituram prædixit, utpote a Matre evocatam. Quare animæ rebus in tuto constitutis, haud multo post vita decessit.

AUCTORE RIBERA.

Patri cuidam Excalceato,

21 Vir quidam eximius de Excalceatorum familia (cujus nomini hic parco, quod etiamnum superstes sit) alii per litteras significavit se ob Teresiæ a Jesu decessum non amplius angi audere, quod eos ipsa acriter corriperet qui sua morte contristarentur quique ob labores subeundos expostularent: cum nullam ipsa ob rem luculentiorem in cœlo receperit mercedem quam ob eos quos in mundo perpessa fuit labores; et, si ullam ob causam in terram redire vellet, non ob aliam id factura esset quam ut amplius pateretur. Mox vero ipse subnectit : « Cuidam *b* non abhinc multo tempore ma- *b*
» xima eam in gloria et candidissima luce nescio
» unde promicante (nam id non videbat) circum-
» fusam videnti ait : Cœlites simul et mortales
» amore et puritate debemus esse uni : illi quidem
» divinam conspicientes Essentiam, hi vero San-
» ctissimum adorantes Sacramentum; erga quod
» vos ita gerere debetis uti nos erga Essentiam :
» nos quidem fruendo, vos vero patiendo; in hoc
» namque discrepamus : quo vero plura tuleritis,
» eo pluribus potiemini. Hoc filiabus meis enarra. »
Ejus cui hæc visio obtigit, insculptum memoriæ mansit : « Sacramentum et labores. » Cum e vita Teresia concederet, nonnullis insidebat opinio labores et celeritatem itineris quo Burgis Albam rediit, mortem illi attulisse. Verum a morte Excalceato cuidam monacho sese gloriosam exhibens : « Nemo, » inquit, aliam mortis meæ esse putet occasionem
» quam amoris divini impetum, qui adeo mihi
» potenter incidit ut eum natura mortalis ferendo
» non esset *c*. » *c*

Catharinæ a Jesu,

22 Tertio libro, cum de Veasensis domus fundatione ageremus, multa de duabus illis germanis, ejusdem fundatricibus, quæque eidem deinde se ambas devoverunt, diximus : quarum natu grandior Catharina a Jesu, illustri sanctitate monacha, ejusdem domus moderatrix cum esset, sanctissime demortua est. Hæc, cum morbida in lecto jaceret, postridie quam Mater de vita migrasset, duæ tresve de adstantibus monialibus, clam inter sese colloquturæ, inde se subduxere. Quibus illa dixit non esse cur secederent : si enim de Matre Teresia secreta esset communicatio, hanc se jam novisse. His illæ auditis, accessere rogantes quid rei esset. Tum illa respondit Matrem pridie obiisse et sibi apparuisse. Eidem et alias postea apparuit; et cum illa metueret, nec ad Matrem accedere propius auderet, dum vereretur ne forte vera non esset apparitio, Teresia ipsam confirmans ait : « Laudo equidem quod in
» credendo non sis facilis; malo enim hisce in mo-
» nasteriis pluris fiant solidarum virtutum studia
» quam visiones et revelationes : verumtamen ut
» videas visionem hanc falsam non esse, accede. »
Quo dicto, latens quoddam sub altero ubere ulcus vel vulnus, quod nulla chirurgorum curare potuerat ars, manu tetigit, nec non manuum alteram, in qua deformem quamdam, rotundam nigramque, quæ nulla tolli poterat industria, maculam habebat. Ut ergo Mater evanuit, Catharina et abscessionem et manus fœditatem ablatam vidit : quæ curatio magnam omnibus qui ipsam antea viderant morbidam et postea sospitem compererunt, admirationem movit.

Catharinæ a Conceptione,

23 Jam annus a Teresiæ obitu effluxerat, cum Albana quædam monacha, cui Catharinæ a Conceptione nomen, insignis caritatis officiis et pietatis studiis, morti propinqua decumbebat. Cum ergo reliquæ

AUCTORE RIBERA.

reliquæ in Matutinis precibus essent, earum uni in recollectione mentis visa est suo sancta Mater sepulcro egredi, insignem manu una ferens crucem tornatilem, alia vero monacham quam illa non noverat, ducens : ambarum porro facies rutilabant. Inde Matre cubiculum ingressa in quo ægra decumbebat, benedictionemque impertiente, ipsa non multo post animam reddidit. Optaverat imprimis Teresia ut Beatrix Ovallia, Joannæ de Ahumada sororis ejus filia *d*, in Excalceatarum se cœtum daret; sed hactenus huc ipsa animam adjungere non potuerat : donec per somnium materteram defunctam videre se putavit in loculo in quo sepulta fuit, medio erectam corpore seque amicabiliter invitantem, jamque proximam benigne, uti vivens assueverat, alloquentem. Inter alia porro hæc ab illa audire sibi visa est : « Quamdiu tandem » a vita monastica profitenda abhorrebis? » Tum Beatrix jam hoc sese agitare respondit ac brevi se monialem fore. Et vere jam de re hac egerat; non tamen eam adeo celeriter nec ante exequi statuerat quam id illi Deus desiderium inspirasset securitatemque dedisset fore ut bene sibi in Religione esset : unde etiam Teresiæ ait multum hac se angi cogitatione ac metuere ne forte male sibi res succederet. Respondit Mater id non esse metuendum; certissime enim bene illi fore : quare firmiter demum statueret propositum exequi. Inhibuit insuper ne cum ullo hac de re nisi cum viro quodam pio quem ipsa consulere solebat, communicaret. Atque ita somnium desiit; tametsi non una hæc Beatrici ratio fuit.

d

B

Beatrici de Ovalle

24 Equidem hoc non magni facerem nec hic commemorassem, nisi magni qui secuti sunt effectus credere me compulissent esse quid somnio majus; uti et alios compulere, quibus perspectum erat quam alieno animo a religiosa vita Beatrix esset. Immutata igitur est, atque in id quod ante exhorruerat, penitus propendens, ad ipsum quem ita metuebat locum toto anhelavit studio; in quo is quem consulere permissa est, maximo illi fuit adjumento : atque adeo intra paucos dies monasterio sese addixit; in quo semper quieta vixit, unum hoc dolens quod citius se ei non dedicasset. Quædam de monialibus, hoc impletum videre percupida, cum in sermone quædam inaudisset ob quæ minus illi ad exitum deducendum videbatur, ad beatæ Matris sese conferens tumbam, instanter hocce ei negotium commendavit. Ubi vero ad quietem se nocturnam composuit, Matrem eo vestitu quo uti vivens solebat, atque ore renidenti conspexit, ab eaque petiit : « Illane, Mater, pro qua te » deprecata sum, nostro nomen dabit Ordini? » Cui cum illa annuisset capite, illico disparuit. Monachæ vero huic penitus insedit rem pro voluntate perfectum iri; et sane paucis post diebus Beatrix Instituto accessit.

C

et moniali sui Ordinis

25 Quod modo subnecto, recentius est et certissimum, etsi studio nomen occultem. Excalceata quædam cum mœreret quod se non adeo integre ac oportebat Domino crederet famulari, quadam die, dum maxime affligebatur, ei magna mentis recollectio incidit cum perfecta suiipsius cognitione et timore quodam pace et amore pleno; et quamquam obluctari conabatur (quod esset in loco in quo ab aliis poterat notari), in mentis rapta est excessum, tam immensa repleta dulcedine ut par ulla dari illi in mundo non posse videretur. Splendida se luce vidit circumfusam, atque in illius medio Matrem Teresiam velut florido quodam in circulo conspicuam; quæ manibus librum apertum in sinu reclinatum tenebat, cujus characteres auro erant pulchriores, dicens : « Lege, filia. » Ipsa vero pudore suffusa oculos attollere non audebat ad legendum. Tum Teresia, velut subridens, manum extensam illius oculis admovit. Quo tactu adeo introrsum est recreata, ut, cum sibi videretur cæcutire, caliginem ab iisdem amoveri putaret. Illico ergo caput attollens, scripturam legere potuit.

D

in afflictione versanti :

26 Erat autem scriptum in hæc verba : « Sponsus meus voluntatem tuam habet, ut eadem pro » sua voluntate utatur, semper tibi adversando. » Cui monialis : « Quomodo, Mater, mihi futuras » putem vires ad rem adeo ingentem perficiendam, » cum etiam in minimis adeo me videam imbecillem? » Tum Teresia : « Cum minus cogitaris, has » ipse tibi dabit, et parva tolerando ad majora » superanda paulatim colligitur robur. » Petiit deinde rursus monacha : « Qua Domino meo ratione placebo, Mater? Iter quod insisto, anne » rectum? » Respondit Teresia : « Non per iter » quod ipsa cupis : singularitatem fuge, teque ab » eo qui tuæ director est animæ, gubernari sine; » ac bene feceris. » Eadem ipsam monialis alio tempore maximo amictam lumine conspexit, forma quam augustissima : quando etiam magna quadam cum potestate auctoritateque hostem tartareum, huic religiosæ nocere satagentem, fugavit, aliquam in hac illi esse partem negans; ipsam vero ad se invitans, animum illi addidit, ad majus animæ bonum id illi accidere spondens, quæque facienda essent ut pax et animorum conformitas in monasterio augesceret, illi præscribens. Simul eventum qui in domo illa erat futurus, quique postea reapse accidit, aperuit. Alii moniali in specie gloriosa visa est, cingulo multis pyropis fulgido accincta. Quam speciem religiosa illa demirata, et quid gemmata illa zona designaret, percontata, hanc illi ob ardentem illum quo semper animas zelata est zelum datam audiit.

E

hisque apparitionibus

27 Non deerunt, credo, qui ex me quærent cur iis adjungenda sit fides quæ hoc sum capite prosecutus; cum nonnisi e privatis hominibus hæc sciri queant, quibus forte ob peculiarem ipsorum erga Matrem affectum, hæc imaginatione dumtaxat ita videri potuerint. Quibus ut respondeam, suadeo ut non plura horum credant quam velint, cum ulterius eos nec velim nec queam compellere. Verumtamen, si, omni sinistro exuto affectu, rationes quæ hæc credere suadeant, perpendere voluerint, forte resipiscent et alia sentient. Hanc ob causam legant rogo quæ de hoc argumento ad tertii libri finem scripta sunt. Atque rursus hanc velim rationem expendant quæ permagni apud me est ponderis, cum indubitatum sit esse veras visiones aliquibus particularibus factas, ecquæ ut tales habendæ sint potius quam quæ ad eximio alicui Dei famulo vita functo auctoritatem conciliandam spectant; cum hanc parare cacodæmon non soleat, sed omnem contra, si fieri posset, eorum auctoritatem imminueret ac nomen inobscuraret, ut hoc pacto et divinæ gloriæ incrementum et animarum emolumentum impediret. Si vero ea ratio quam ad illis non credendum adferunt (non esse nimirum privatis testibus, quique affectu quodam decipi potuere, fidem adhibendam), alicujus sit momenti, dicam equidem infinitis aliis id genus rebus, quarum omnes historiæ Sanctorum tum novæ tum veteres plenæ sunt, fidem denegandam videri.

F

fidem denegandam non esse

28 Refert Gregorius magnus conspectam a S. Benedicto sororis Scholasticæ animam columbæ specie in cœlos evolantem (lib. II Dial., cap. XXXIV); ac visam eidem Germani episcopi Capuani animam eodem abeuntem (Ibid. cap. XXXV). Potuit haud-

dubic

A dubie Benedictus, etsi vitæ sanctitate illustris, quapiam in visione decipi; at nefas fuerit eum in his quæ ad sanctis illis animabus nomen auctoritatemque parandam spectabant, deceptum affirmare. Idipsum et de aliis sanctimonia illo inferioribus dicemus. Scribit idem S. Doctor duobus monachis viam quamdam fulgidam visam esse, inde a S. Benedicti cella in cœlos usque tendentem, illisque dictum fuisse hac Beati illius Patriarchæ animam in cœlorum habitacula penetrasse (Ibid. cap. XXXVII). Ex quibus autem id sciri potuit nisi ex his ipsis religiosis, qui suum in Patrem intimo quodam studio ferebantur? Vel quis dixerit privato eos affectu et imaginatione ad hocce credendum ductos fuisse? S. Bonaventura in S. Francisci Vita (cap. XIV) prodidit hujus recenter defuncti animam, stellæ cujusdam in candida nube transparentis specie, a quodam sodalium illius in cœlos abeuntem visam esse. Alii etiam monacho ægrotanti eumdem tradit conspectum Franciscum ad Cœlites properantem; qui, dum ut se præstolaretur rogitat, vita excessit et una cum ipso eodem evolavit. Addit eadem hunc nocte apparuisse episcopo Assisiati, significasseque
B in cœlos jam se abire gloria donandum.

ostendit. 29 Non inferiora de S. Dominico tradidit S. Antoninus; et aliquot singillatim Prædicatorii Ordinis Fratres gloriosi hujus viri animam corpore egressam ad paradisi gaudia rapi vidisse. Similia de S. Thomæ Aquinatis anima idemmet refert : quem conspectum esse a plurimis testatur, atque imprimis ab Alberto quodam, cui una cum S. Augustino apparuit; huic item fuisse revelatum pari ambos donatos in cœlo gloria. Idem auctor est Franciscum se discipulo suo Rufino, jamjam e vita emigraturo, spectandum dedisse : Bonaventura quoque sæpius eumdem variis post mortem asserit apparuisse, tam viris quam fœminis. Cyrillus Hierosolymitanus, in ea quam ad S. Augustinum scripsit S. Hieronymi Vita, aliquoties hunc se variis exhibuisse a morte gloriosum scribit. S. Martinum tradidit Sulpicius Severus visum esse gloria illustrem in cœlum ferri, et auditos in ejus funere cantantes Angelos. S. Paulinus Nolanus episcopus in Vita S. Ambrosii, quam ad S. Augustinum misit, a plurimis ait pueris nuper sacro fonte tinctis illius animam visam, ab aliis quidem sua in cathedra considentem, ab aliis cœlos conscendentem. Deinde narrat quomodo sæpius idem præsul privatis qui-
C busdam apparuerit, e quibus id ipse acceperit. In re porro adeo manifesta pluribus me nolo extendere : hoc unum addam, nihil dari posse quod sit manifestum illi qui pertinaciter nihil omnino credere in animum inducit. Hæc aliaque his similia, quæ in authenticis Sanctorum historiis occurrunt plurima, nonnisi a privatis quibusdam visa sunt, e quibus eadem postea ab aliis cognita sunt : nullus tamen vir sapiens dicet ob privatum illorum affectum dumtaxat ita illis hæc visa fuisse. Id quoque nostra ætate videmus contingere : uti in rebus gestis sancti Fratris Ludovici Bertrandi, quas Vincentius Justinianus ex Ordine Prædicatorum scripto prodidit, legere est; nec non in Vita sancti Fratris Petri Nicolai, quam Christophorus Moreno, Franciscanorum in Valentina provincia præpositus, litteris mandavit : in quibus similium incidit visionum mentio, quæ singularibus hominibus oblatæ sunt; in Vita quidem Ludovici Bertrandi
e cap. XX et XXI, et in Vita Petri Nicolai cap. L, LI et LII *e*.

ANNOTATA.

a *Pluries de hoc Sanctæ brachio sermo fuit in Comm. prævio, v. g. num.* 1041, 1118, 1457, *etc.*

AUCTORE RIBERA.

b *Etsi ex verbis hic a Ribera allegatis discerni nequeat virone an fœminæ hac apparitio facta sit, affirmat tamen Yepesius* (*lib.* III, *cap.* XXXIX) *eam factam fuisse Carmelitæ cuidam Excalceato : unde mihi satis probabile apparet hunc ipsum esse a quo ea descripta est.*

c *Vide quæ de hac re disseruimus in Comm. prævio, num.* 1017 *et seqq.*

d *De Beatrice Ovallia egimus num.* 51 *Comm. prævii.*

e *De Sanctorum Vitis et Historiis hoc loco citatis consule Annotata nostra ad capita* I *et* II *libri* I.

CAPUT III.

Miracula per corporis S. Teresiæ Reliquias et pannos sanguine ejus tinctos.

CAP. V. *Sanationes non paucæ*

Plurima hactenus operatus est atque quotidie operatur omnigena miracula Altissimus, quod honorare suam velit ancillam, quæ tantopere illum honoravit ac tam fideliter illi semper est obsecuta. Minoribus prætermissis, luculentiora solum depromam quæque magis videntur miracula dici posse : in quorum commemoratione ut certo procedam ordine, ad quatuor eadem visum est capita revocare. In primum referam illa quæ per ea quæ ad corpus ejus spectant (qualia sunt corpus ipsum, manus, sanguis) facta sunt; secundo complectar quæ vestium illius attactu contigerunt; tertio includam quæ imagine ejus sunt effecta; quarto denique ea continebuntur quæ ad ipsius invocationem, nulla alia accedente re, patrata sunt : etsi aliorum quoque plurima vel prope omnia ad illius invocationem sit patrare Altissimus dignatus, hic tamen dumtaxat ea intelligo quæ per solum orationis adminiculum evenere. Non est necesse ea hic denuo repetere quæ per corporis ejus nondum terræ mandati opem facta sunt; cum de illis facta sit mentio postremo libri III capite, quo et mortem ejus et sepulturam pluribus sum prosecutus : quocirca ea tantummodo hic proferam quæ per jam sepultum prodigia patrare Deus est dignatus.

Albæ per Sanctæ brachium,

31 P. Baeza Minorita Albanus aurem habebat e qua tam viscosus promanabat humor ut auditus sensum læderet. Hic cum post Vesperas ad Excalceatarum domum abisset et sacrum Teresiæ brachium auri magna cum fiducia admovisset, eodem ipso die ab utroque se malo liberatum percepit. Quod cum haud ita multo post aliis ipse referret, institit ut in signatas testimonio tabulas ut manifestissimum prodigium referretur. Franciscus Gomez, faber lignarius Albanus, sesquimense et amplius ita ex oculis laborarat ut nihil omnino agere posset; et adeo non malum medici malagmatibus abstulerant ut etiam adauxissent. Unius præsertim tormentum adeo erat vehemens ut jam non dolor, sed furor (ut ipse aiebat) videretur. Interea ad Excalceatas excurrit, et ad januam supplex rogavit ut sese Deo per preces commendarent et de reliquiis Matris Teresiæ sibi aliquid largirentur. Cui ostiaria suasit ut in templum illico se conferret, ubi tum beatæ Matris brachium spectandum dabatur, peteretque id suo capiti et oculis admoveri. Quod dum fiebat, eodem instanti, ut ipse nunc confitetur, minui cœpit dolor, et exinde quotidie magis et magis decrescere; ut quinque post dies ad

AUCTORE RIBERA.

opus abierit omni dolore liber, nullo alio adhibito remedio. Quique ante verebatur ne oculorum aciem penitus amitteret, per Teresiæ se merita jam oculos ait perspicacissimos et acutissimos nactum esse.

A

atque Ulyssipone

32 Ulyssiponensis Excalceata novitia omni prorsus olfactus sensu toto vitæ tempore caruerat, nec sciebat quid suaveolentia et maleolentia esset. Quadam die Maria a S. Josepho præposita coram omnibus monialibus produxit Teresiæ manum, quam Ulyssipone esse commemoravimus. Tam suavis inde prorupit fragrantia ut omnium corda tenerius afficerentur et nulla non singularem quamdam suavitatis novitatem in animo perciperet Deumque collaudare inciperet. Dolens novitia se frustrari beneficio quo sodales reliquæ potiebantur, sanctam illam manum naribus admovit, dicens : « Non ante hinc manum tuam amovebo, Mater, » quam id olfaciam quod reliquæ, ut una cum » ipsis Deum deprædicem. » Tum dicere adstantibus cœpit fumum calidum per nares sibi ascendere, quo cædem aperirentur; ac manus odorem percepit atque olfactum recuperavit. Ad cujus rei periculum faciendum varia illi odoramentorum genera allata; quæ singula potuit discernere, et hunc bonum, illum fœtidum dicere : nec umquam postea hoc est sensu destituta. Eidem jam professæ, nocte quadam, monialibus omnibus dormitantibus, tam insolitum symptoma incidit ut seipsam discerperet; adeo ut quatuor eam moniales omni conatu retinere non possent. Dicebat adhæc videri sibi ossa comminui et cor evelli. Diabolo porro hæc auctore fieri omnium erat opinio, quod nihil unquam simile passa esset. Omnibus ergo monialibus metu perculsis et mœrentibus, allata beatæ Matris est manus et illi applicata : quam ut contigit, confestim ita liberata est ac si nullum esset unquam malum passa.

B

per manum ejus

a

33 Principis Cardinalis *a* jussu religiosæ aliquot Belgicæ, quæ variis inter hæreticos exagitatæ erant modis, tamdiu apud Excalceatas Ulyssipone diverterunt quoad de commodiori illis esset tecto prospectum. Inter has erat una, natione Castellana, nomine Catharina a S. Spiritu, filia Ludovici Carrillo, et Cardinalis Granvellani *b* a parte materna consanguinea. Hæc ab annis viginti eoque amplius perpetuo stomachi dolore torquebatur, ut vix quidquam comederet nihilque ciborum stomachus ferret; cujus et moniales reliquæ et quotidiana corporis infirmitas reddebant testimonium. Ergo allata Matris Teresiæ manus pectorique applicita est, ipsa interim tam intensum patiente dolorem ut vix par esset ferendo : verum hic mox omnino evanuit, nec umquam rediit. Ut vero divinum omnes agnoscerent beneficium, cæteris inspectantibus, illos comedit cibos quos ante neutiquam stomachum ferre solere norant, qui jam nullum ei damnum adferebant.

b

C

suaveolentiam

34 Hæc vero manus suavissimum spirat odorem, at non semper æque intensum, modo minorem modo majorem, pro festivitatum discrimine : cujus rei esse testes domesticæ possunt. Imo vero cum aliquod patratura prodigium est, esse longe solet odor vehementior et suavior. In qua et hoc prodigiosum observatum est, quod, cum odoriferum aliquid illi applicatur, ipsum confestim omni suo privetur odore. Cujus rei facta periclitatio, præsente Alphonso Coloma, Inquisitore Ulyssiponensi *c* aliisque e familia Cardinalis principis proceribus. In cultri quippe cuspide acceptum muscum, etsi odoris vehementissimi, quodque omnia quæ tangit, illico afficit, manui admotum sanctæ, suum quamprimum odorem perdidit. Præposita vero, ut quæ ingenii acumine valet, scire cupiens num occulta quadam causa muscum rebus mortuis applicitum odore suo privaretur, Celsitudinis suæ medicum consuluit. Naturaliter hic id posse fieri negavit; sed e contrario ea quæ redolent, quo odor conservetur, mortuorum sepulcris maleolentissimis indi solere. Hujus etiam rei facere periculum medicus ipse volens, chirothecas succino odorifero imbutas producens, manum sanctam iisdem inseruit; et ecce omnis illarum odor momento disperiit. Quin etiam postridie, cum ægrotam quamdam invisisset, easdem chirothecas omni suo spoliatas nidore ostendit. Hoc porro periculum fieri modo nequit, quod argento manus inducta sit et non nisi per cancellulos quosdam transpareat; per quos tamen eximius quidam odor exhalat.

D

c

35 Ulyssiponenses miro erga eamdem studio feruntur; multique suis eam in necessitatibus viri conspicui exigunt. Ea ad duas matronas parturientes allata, facili ambæ negotio uterum posuere; et una quidem, ut postea grata commemoravit, sine ullo prorsus dolore. Eques Ulyssiponensis, zelotypia laborans, dæmone instigatore, uxorem nocte neci destinarat; per diem vero Excalceatarum domum adiens, præpositæ animi angorem et conceptum mente facinus aperuit. Rogavit illa virum nocte illa domum ne adiret, sed in Excalceatorum Patrum cœnobio pernoctaret, illorumque in omnibus consilio acquiesceret. Verum cum sibi bene monenti acquiescere et rancorem animi et destinatum scelus illum ponere nolle cerneret, Teresiæ manum protulit; quam suo ille pectori dum applicat, pessima voluntas repente evanuit, et mens tranquillata ac serena mansit.

patrantur.

E

Digitis quoque

36 Isabella a S. Hieronymo, Hispalensis Excalceata, quæ deinde Ulyssipone vicariam egit, tali frequenter corripiebatur ægritudine ut unum corporis latus fœda languere paralysi videretur ac non nisi aliena manu in aliud converti latus posset. In festo S. Michaelis brachium adeo male affectum fuit ut nocte dieque tota queritabunda ipsum movere et triduo prope toto in lecto in aliud sese volvere latus non posset. Aderat iis forte diebus Hispali Hieronymus Gratianus, penes quem unus Teresiæ digitus erat *d*. Hunc ipse eidem clam applicari jussit, ut tum morbida tum reliquæ domesticæ hunc Matris suæ esse digitum ignorarent. Mox ergo ut ægrientis manus digitum sensit, eam ipsa facili negotio movit, obstupescens qua celeritate sancti hujus membri virtus suum per brachium occulte serperet. Quocirca cum per universum male affectum latus ipsum circumduxisset, ab omni malo curata etiamnum hodie sospes est, nec deinceps hoc illam symptoma occupavit, cum tamen quinquennium jam eoque amplius a redonata salute effluxerit. F. Joannes de las Cuevas præsentatus, de quo ante etiam actum *e*, Methymna cum pertransiret, Excalceatarum præpositam adiit, eique digiti beatæ Matris particulam, quam velut sacrum pignus circumgestabat, ostendit. Petiit illa sibi fieri ejus monialibus ostentandæ copiam : quas inter Joanna a S. Spiritu, in qua jam olim aliud patratum erat prodigium (ut sequenti dicam capite), cum eam prioris ægritudinis denuo fatigarent reliquiæ, magna cum fiducia digitum sibi admovit et suæ reddita saluti est.

d

F

e

et carnis ejus particulis

37 Excalceatis e Carmelitis quidam cum Albam venisset et acceptum beatæ Matris brachium oscularetur, pelliculam quamdam aridam in tuber elatam dente præmomordit : quam chartæ impositam dum

A dum asservabat, ecce octo post dies eamdem inspiciens, a decidua recentis sanguinis gutta ipsam, tametsi triplicatam, permaduisse comperit. Quo prodigio obstupefactus, hac charta ablata, aliam circumponit; quam etiam alia cruoris gutta imbuit. Hujus rei plures moniales sunt testes, et charta in perpetuum miraculi monumentum asservatur. Agnes a S. Alberto Excalceata cum biennio Caravacæ lecto affixa decubuisset, ut alienæ ope manus in templum rei sacræ audiendæ et sacrosancti convivii adeundi causa portaretur, ardens eam incessit cupido aliquid de carne beatæ Matris habendi; cujus sperabat adminiculo, viva concepta fiducia, sanitati se restituendam. Ex Albano ea petita monasterio cum nondum advenisset, forte Caravaca transiit de Excalceatis Patribus unus, qui de Matris digitis unum habebat. Hoc admoto, incredibiles illa septem diebus sensit cruciatus, quos primo die sudor et maxima membrorum secuta concussio. Post hebdomadam, ablatis et digito et frustillo carnis Alba transmisso, sospes lectulo surrexit; ac sine ullo jam impedimento incedit, gradusque aliarum instar ascendit et descendit. Per pannos etiam cruore Teresiano imbutos prodigia operari
B Deus est dignatus. Abhinc biennio matrona quædam Albæ illustri stirpe oriunda (quam et Teresia vivens magno semper amore coluerat, et quæ vicissim rebus illius magna cum fide plurimum tribuebat) alterius auris usum penitus amiserat, quam et continuus tinnitus perstrepebat : huc accedebat vehemens cephalalgia. Cum autem linteolo beatæ Matris cruore tincto aurem communiisset, et audire cœpit et sospitatem est consecuta; atque a divino deprædicando beneficio, per ancillam ipsius Teresiam collato, numquam cessat.

necnon pannis

38 Monacham Albanam maxima occupavit melancholia et cordis amaritudo, quæ aliquot illi adhæsit diebus : etsi vero ea intermitteret interdum, continuo tamen recurrebat. Jam medici suas admoverant manus, sed frustra; donec tandem horum pannorum aliquo admoto prorsus convaluit. Licentiatus Joannes de Medina civis Albanus colico dolore ita torquebatur ut de salute desperarent medici. Ergo illi linteolum simile applicatur : tum vero pelli dolor cœpit, ac tandem penitus evanuit; cujus rei, ut et aliarum plerarumque, permulti sunt testes. Licentiatus Vallejo, ducis Albani consiliarius, filium biennem habebat adeo corpore imbecillem ut
C nulla vitæ spes superesset. Mœstus ergo pater, quod aliis careret liberis, Antonium de Zamora sacerdotem Albani cœnobii sacellanum advocat, ut, sacris Euangelii recitatis verbis, Deo ipsum commendaret. Tantisper ipse et mater templum adeunt, sacra Missarum audituri solemnia, ne filiolum emorientem videre cogerentur. Antonius itaque ut adfuit, linteolum illo sanguine imbutum super pueri caput imposuit; qui illico reviviscere visus, manum linteo admovit gaudens et institit ut lecto tolleretur : quem renidentem accipiens nutrix in ulnas, ad patrem retulit. Antequam vero pater templum peteret, quamdam filii vocem audiit; sed, dum alterius eam pueri esse vocem putat, pedem referre et respicere detrectat, ne, comperto alterius esse vagientis vocem, dolor increscerat. Ingressa ergo nutrix sanum eum ac sospitem patri reddidit. Pannum vero puer ita mordicus manu continebat, ut, si quis eum tollere satageret, ploratu reniteretur. Hujus rei plurimi Albæ sunt testes; neque enim multum temporis effluxit, et res in omnium gesta est oculis *f*.

f

sanguine ejus tinctis

39 Isabella Hernandez Albana ex latere laborabat acerrime; cumque desperarent meliora medici, Teresiæ a Jesu aliquid sibi reliquiarum illico petiit afferri. Allatus pannus e sanguine madefactus cum capiti esset admotus, habere meliuscule cœpit; et
D febris illico desiit, præsente eo qui linteum illi admoverat sacerdote. Ut ergo primum lecto surrexit, templum Excalceatarum petens, beatæ Matris brachium venerabunda salutatum abiit. Res hæc die festo Epiphaniæ anni MDLXXXVIII, multis inspectantibus, contigit. Alvari Bracamontii Albani triennem filiam dira cruciabat febris et vomitus sanguinis continuus. Cum nocte quadam ad extrema prope redacta esset, Antonius de Zamora sacerdos cruentum quod habebat linteum jussit afferri, et ipsum, parentibus aliisque plurimis præsentibus, capiti imposuit. Mox illa aperire oculos, adstantes affari, et de dolore suo queri desinere, et exinde rectissime, admirantibus omnibus, valere. Contigit hoc VIII idus Martii MDLXXXVII.

multa fiunt miracula. g

40 Magdalena de Toledo, in cœnobio Albano monialis *g*, biduo eoque amplius febri acerrima laborabat; sed uno id genus linteo collo obvoluto, extemplo eam febris reliquit. Quod jam narraturus sum, multo est recentius : nam ad hunc usque diem quo hæc scribo, vix mensis ab eo elapsus est. Anna a S. Trinitate Excalceata Salmantina incre-
E dibili laborabat, quali hactenus numquam (quod optima corporis esset valetudine), cordis dolore : adeo porro vehementer id ipsam malum torquebat ut prope deliquium animi pateretur, quod etiam invalescens febris inaugebat. Multa medicamenta nequicquam adhibebantur; donec tandem cordi applicitus est pannus sanguine Teresiæ tinctus : simul ipsa Dei ancillam rogavit ut sospitatem sibi a Domino posceret ipsoque cor suum repleret. Post paulo quam pannus admoveri cœpit, maxima ipsam invasit cordis angustia, ac sudor densus eodem prorupit loco; et ecce media vix elapsa fuit hora, cum omnis eam corporis descruit dolor, nec post unquam rediit. Simul etiam interius divinam misericordiam, ancillæ ejus deprecatione, sensit. Hoc testari ipse possum, utpote probe conscius : ego enim auctor fui ut sacrum ei hoc malagma applicaretur.

Narrat Ribera quæ sibi ipsi contigerint.

41 Quod sequitur, mihi ipsi contigit. Cum amplius mensem acerrimus pedum me torqueret dolor, ut nonnisi paululum et summo cum cruciatu incedere possem, et quæ adhibere malo solebam remedia frustra jam essent, pridie festi SS. Apostolorum Simonis et Judæ ad vesperam ad sacras statui
F Matris Teresiæ reliquias, medicorum corporalium ope intermissa, confugere; tametsi, quantum e superiori conjicere tempore poteram, omissis illis remediis, vererer ne me maximis cruciatibus nocte illa ferendis exponerem. A quo ergo tempore hoc decrevi, ad hanc usque diem, pridie scilicet idus Maji anni MDLXXXIX, qua hæc eadem litteris mando, vehemens me pedum dolor non corripuit : quoties enim is denuo ingravesceret, arculam qua pauxillum carnis B. Matris inclusum erat, adibam; et tum is extemplo evanescebat. Postea vero adeo integris fui pedibus ut ab omni prorsus fuerim pœna liber, et quocumque necesse foret, haud segniter me conferrem. Biduo etiam cum ex crure laborarem et malo levando quælibet adhiberem remedia, quod id me graviter divexaret, tandem, arculam meam adiens, omni vacuus cruciatu mansi. Hæc exeunte Aprili anno hoc eodem fiebant. Et, cum quindenis post diebus me crus denuo fatigaret, ad idem recurrens perfugium, plane sospes evasi; nec eumdem post sum dolorem, ad usque scilicet Julias ejusdem anni kalendas, quibus hæc typis excuduntur, expertus. Francisci Cardenas Albani civis

AUCTORE RIBERA.

civis jam duobus annis ita caput hiabat ut cranium interne putresceret, jamque mortuo quam vivo propior appareret. Adeo intensi ejus erant dolores ut diu noctuque querulus expostularet. Verum, cum panniculus oleo quod e sancto brachio promanat tinctus putrescenti esset calvariæ admotus, et os quoddam palmari magnitudine cranio excidisset, dolor omnis illico evanuit nec postea hominem torsit, et fieri plagæ melius cœpit. Noxius vero humor ille a capite in brachia diffluens cum novum Francisco dolorem afferret, iisdem linteo eodem tactis, nullum deinceps vel in capite vel in brachiis sensit cruciatum.

A

ANNOTATA.

a *Erat is Albertus Austriacus, Maximiliani II imperatoris filius, anno* 1577 *a Gregorio XIII in S. R. E. Cardinalium numerum cooptatus, anno* 1583 *a Philippo II Hispaniarum rege prorex Lusitaniæ creatus, dein factus Belgii gubernator, ac tandem per matrimonium, quod, abdicato cardinalatu (nam Sacris Ordinibus non fuerat initiatus), cum Isabella Clara Eugenia Philippi II filia iniit, Belgii*
B *ac Burgundiæ principatum adeptus. De cujus laudibus plura equidem, si longius hic a proposito digredi liceret, dicere possem : quas qui summatim enarratas legere velit, adeat recognitum ab Oldoino opus Ciacconii de Vitis Romanorum Pontificum et S. R. E. Cardinalium (tom. IV, col.* 51 *et seqq.).*

b *Antonii Perrenot Cardinalis Granvellani elogium pariter vide apud Ciacconium (t. III, col.* 925 *et seqq.).*

c *Fuit is postea episcopus Barcinonensis ac dein Cordubensis.*

d *Ex iis quæ in Comm. prævio num.* 1460 *et seqq. disserui, non tam conjectari quam certo deduci potest digitum cujus ope patrata ea sanatio est, illum esse qui hodie Bruxellis asservatur et colitur.*

e *De eo Ribera egit lib.* III, *num.* 62, *et nos in Comm. prævio num.* 879, 911, 916 *et* 918. *Principi Cardinali Alberto Lusitaniam administranti a Sacris Confessionibus fuit : inde vero promotus est anno* 1596 *ad episcopatum Abulensem, obiitque in oppido Oropesa anno* 1598; *ut notat Ægidius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiastico Hispaniæ (tom. II, pag.* 307 *et* 308).

f *Idem miraculum narrat Yepesius (lib.* IV, *cap.* IV),
C *additque eumdem puerum, anno ætatis suæ quinto, mane festi Corporis Christi, febri correptum, simul ac fronti suæ applicitus et ori pie admotus fuisset pannus oleo Teresiani corporis tinctus, integram valetudinem recuperasse.*

g *Vide supra, lib.* I, *num.* 87, *qui hæc monialis oculorum usum recuperarit per crucem illam prodigiosam quam Joanna de Ahumada a sorore sua S.* Teresia *acceperat.*

CAPUT IV.

Miracula per vestes S. Teresiæ.

CAP. VI. *Dolores morbique varii*

Per vestium sanctæ hujus Matris frustilla patrata miracula non pauciora sunt numero nec pondere inferiora; quia hæc et pluribus sunt et plura per loca communicata. Monialis Albana inflammatum habebat hepar, ut putiscentia ejiceret phlegmata; os quoque tanto calore succensum ut die nocteque assiduo frigida in os accepta caloris æstum leniret; putabatque non sibi os modo, verum etiam fauces D et interanea aduri. Incassum jám tentarat medicos, et diuturnum id malum erat. Sed cum pauxillum e manica B. Matris gutturi apposuisset, minui paulatim cœpit incendium, post vero etiam penitus restinctum, nec reversum. Eadem deinde graviter adeo ex capite cum laboraret, ut, vix sustinere valens corpus, in terram proruere videretur, interdum etiam sensuum usum præ doloris rabie amitteret, alium admovit pannum, et omnis prorsus ab ea evanuit dolor. Alia monialis cum os verbere percussisset, unde et ipsum et maxillæ confestim intumuere et acerrimus dentes dolor divexavit, frustillo pallii beatæ Matris applicito, expers doloris mansit.

per vestimenta Teresiana

43 Fuit quæ ex stomacho aliisque infirmitatibus adeo pertinaciter laborabat ut omnes dapes ingestas ad dies aliquot egereret, sæpe etiam triduo nihil penitus degustaret. Accedebat ad mali gravitatem quod festis potissimum diebus hoc ipsam malum invadebat, ut Sacræ ideo Communionis sumptione abstinere cogeretur : imo vero postremis duabus vicibus adeo vehemens id fuit ut, cum de vita actum crederet, ad æternitatis momentum se per Confessionem disponere cuperet. Ut vero fasciam E aliquam quam Teresia gestarat, sibi accinxit, ægritudo statim imminui cœpit. Cum primum hoc intellexi, triennium jam effluxerat ex quo nullam ipsa senserat in stomacho ægritudinem; tametsi a nociturisminime sibi cavisset, quin potius morbum, noxia usurpando, provocasset. Aliam uber hebdomada tota ita afflixit ut vereretur ne a cancro exederetur; quod ipsum jam occalluisset et ad brachia usque radios transmitteret. Sed, postquam aliquod e pallio Teresiano frustum applicuisset, et callus et dolor abiit, nec subinde rediit. Ophthalmia aliam quamdam lancinabat, ita quidem acriter ut alter oculorum aliquando ei capite videretur eximi. Cui applicita e reculis beatæ Matris quapiam, malum pelli quamprimum cœpit. Et id quidem frequens fuit : hinc aliquoties illam ultro adhibere oculo noluit, ut hoc pacto aliquid patiendo meritorum suorum segetem adaugeret : jam enim usu noverat, cum quid rerum Teresiæ adhiberet, malum amovendum.

Albæ et circa Albam

44 Cephalalgia acris aliam conflictabat sic ut legere in libro nihil pium posset (erat quippe hora lectioni spirituali destinata). Cum ergo fatigata in scrinium in quo Teresiæ vestes asservabantur, ca- F put reclinaret, dolor ipsum quamprimum reliquit. Tanta autem scrinio prodibat fragrantia ut facile intelligeret se illius contactu a pœna liberatam. Sacerdos Albanus Oviedo nomine a pustulis infestabatur adeo ut sensuum esset impos. Sed linteo quo sacrum Teresiæ corpus fuerat involutum, illi superposito, protinus sibi redditus est, perinde ac si profundo emersisset somno; et exinde nullum languorem est expertus. Joanna Pacheco de Mendoza, comitis de la Puebla de Montalvan filia et Alphonsi Bracamontii dynastæ de Peñaranda conjux, graviter annum amplius e faucibus laborarat; et per intervalla dolor increscebat. Incassum levamenta medica adhibita erant, sanguinis facta imminutio frequens, unguina denique varia. Cognito vero apud Mancerenses Excalceatos quoddam Matris Teresiæ asservari indusium, ipsum ad se deferri jussit; allatum gutturi admovit, nec nisi quindenis evolutis diebus abstulit. A primo vero quo id adhibitum momento mitigari cruciatus cœpit, et e doloribus quibus obnoxia erat, nullos postea persensit. Rei hujus tabulæ in ipso oppido Peñaranda a Michaele Perez scriba publico pridie idus Martii anno

anno MDLXXXVII confectæ sunt; ac tum hoc quod dixi miraculum Joanna jurata asseruit.

depelluntur. 45 Bernardina de Toledo in Albano monasterio monacha, ardenti æstuans febri, cum laneam subuculam albam quam beata Mater vivens gestarat, induisset, illico sudare cœpit; ac confestim febris cessavit, et, mirantibus medicis monialibusque omnibus, nihil minus opinantibus, sospitatem est consecuta. Major Mexia, ejusdem cœnobii monialis, podagra et ischiade iners erat et graviter torquebatur. Malagma crocatum applicuerunt medici; sed, cum post semihoram dolor inde ingravesceret, ipsum tollere conati, minime potuere. Induitur itaque scapulari beatæ Matris : et ecce e vestigio dolores minuti, et ita densus sudor corpore cœpit effluere ut mutanda fuerint lintea; denique commode emplastrum dimoveri potuit. Eadem de qua supra Bernardina de Toledo cum morbo e quo decessit, decumberet, tam gravis eam oppressit sopor ut excitari eodem nisi admotis stimulis doloribusque inflictis non potuerit : ubi vero evigilabat, sensuum omnium erat impos. Angebat monachas, hoc eam in articulo unde dependeret æternitas, eo impotentiæ redactam esse atque ita exspirare. Accedens deinde Major Mexia, ejusdem loci religiosa, quamdam Teresiæ vittam ægrienti dum applicat, expergefacta est et sensibus restituta; quorum etiam ad mortem usque compos fuit. Quæ omnia universæ loci ejus sorores etiam hodie testantur. Joannem Ovallium Albæ commorantem quadam die morbus torquebat articularis : hinc uxorem Joannam de Ahumada aliquid reliquiarum Teresiæ jubet afferre. Verum dum pedem exerit, ut ei reliquiæ adhiberentur loco qui maxime eum fatigabat, toto cœpit corpore contremiscere, et tremore quidem novo, non quali vulgo homines concuti consuevere. Ergo ut propius advertit et parum censet decens fore pedibus venerandum illud pignus applicare, capitique demum adjungit, tremor omnis primo minui, deinde penitus cœpit evanescere, uti et podagrici dolores; quibus quiescentibus, quievit et ipse ac placido somno obdormivit. Hoc idibus Januarii anni MDLXXXVII factum cum esset, sequentis anni mense Junio ex illius ore accepi non amplius podagra exinde eum laborasse.

Methymnæ Campi a

46 Anno vero MDLXXXVI kalendis Januarii illustre et insigne, ad ancillæ suæ intercessionem, operari voluit Altissimus prodigium *a*. Inter Excalceatas Methymnenses novitia agebat, Joanna a S. Spiritu cognomine, quam prope sesquiannum continua exagitarat febris. Accesserant ad hanc ultimo semianno et aliæ ægritudines graviores : paralysis nempe, quam ischiadica pepererat arthritis, nec non membrorum omnium languor, ut nec lancem manu gestare nec loco se movere posset, nisi duabus a monialibus suffulta. Cordis quoque deliquium illi prope quotidianum erat. Cum vero vehementius dolorum æstu opprimeretur, sæpe rerum beatæ Matris aliquid sibi præberi poscebat; sed infirmarum id curatrix adferre negligebat. Tandem diei Circumcisionis tertia post meridiem hora, aliqua fasciæ Teresianæ portione illi admota, ita intenderunt dolores ut jamjam animam efflaturam se crederet. Hanc igitur cum auferri post paulo jussisset, quod ferendo dolori impar esset, alia eam monialis adhortata : « Eia, inquit, soror, » fidem concipe et exsurgere connitere. » Vestita siquidem erat; quod eo die ad sacram esset Communionis mensam deducta. Vix verba finierat, cum manum ægrienti porrigens, erigere ipsam tentat. Ergo solo sese tenens, viresque sibi eundi redditas sentiens, sola per incommodos satis gradus descendit, præfectam evocans et tenero pietatis fletu sodales omnes ad Deo Opt. Max. ejusque ancillæ Teresiæ gratias persolvendas invitans, quod omnis jam esset infirmitatis expers. Mirabantur omnes viso prodigio, somnii fabulam se audire ratæ. Cæterum ipsa nulla exinde febri, nullo animi tentata deliquio est; et nullius nixa adminiculo, quocumque collibitum erat, sese conferebat. Octo post mensibus Methymnam ipse pertransiens, quo rei hujus redderer certior, Joannam conveni : a qua ea quæ ante sunt de reddita sanitate narrata, præsens accepi; eamque bene valere comperi. AUCTORE RIBERA.

ac Palentiæ 47 Eadem in domo Mariam a Conceptione novitiam semitertiana febris conficiebat, adeo quidem pertinax ut medicus, tentatis nequicquam omnibus artis suæ solatiis, nisi de cœlo sospitatem consequeretur, ullam de vita spem negaret superesse. Illius tamen suasu cum alvum purgasset, in deterius prolapsa est et continua æstuare febri cœpit; adeo ut æstuans tertianæ paroxysmus alter alterum continuo successu maximis cum angoribus excideret. Hoc se in statu cum Maria cerneret, de rebus beatæ Matris aliquid sibi petiit afferri. Allatum ergo frustillum manicæ ejus quam induta erat dum animam redderet. Ipsa hora qua id admotum (tum scilicet cum frigoris acredo accessura erat), ita omnis eam reliquit febris ac si ante non febricitasset; ut qui mane eam in extremo vitæ reliquerat discrimine medicus, post meridiem, eam sospitem videns, perspicue miraculum agnoverit, et in laudes proruperit ejus qui famulæ suæ patrocinio id esset operatus. Palentiæ cuidam febrienti cum vitta beatæ Matris applicata esset, illico is habere cœpit melius. Eadem vitta alium etiam graviter ægrotantem valetudini restituit. In Palentina Excalceatarum domo beatæ Matris reliquiæ duas a dolore dentium, aliam ab aurium liberarunt. Alia ejusdem Instituti monacha tam vehementer ex oculis laborabat ut quietem capere non posset. Lacinia aliqua e vestibus sacris applicita, dolor desiit, nec postea rediit.

similia contingunt prodigia; 48 Fuit quam decem prope annis humerus et brachium ita affligebant ut nullos hoc in usus librare posset. Hæc cum, sodalibus vestem a beata Matre olim gestatam adaptantibus, manicam ejusdem proxima nocte male affecto lateri applicuisset, postridie sibi reddita, periculumque factura num brachio uti posset, iisdem se pollere comperit viribus quibus ante; nec simile malum posthac secutum est. Excalceata Albana pedem in clavum induerat; qui dum e vulnere intumescit, advocatus chirurgus medicamenta malo sistendo, ne sursum proserperet, adhibet. Sed hæc ipsa, absente infirmariæ præfecta, cum abstulisset, insigni cum fiducia, sed non sine labore (quod maximo dolore torqueretur), in genua in lecto procumbit, atque hæc ipsa secum : « Si » fidem habeam, quid alia medicamenta præter » hanc requiro? » Extemplo igitur aliquem Teresiæ pannum pedi applicat : tum tumor evanuit, et pedis rediit usus. Hæc ipsa est quæ olfactus destituta sensu, ipsum moriente Teresia, ut in loco narravi, recepit. Eodem in monasterio quædam a tribus quatuorve diebus ex humero laborabat et humanæ opis medicamentis frustra usa fuerat; sed postquam Teresiæ vestem induisset, cruciari desiit. Ibidem alia, uno antequam Mater vita decederet anno, tam ardenti se æstuare in visceribus sentiebat flamma ut ferreo quodam cingulo ardenti ac lato lumbos crederet ambiri. Jam defecerant humanæ artis subsidia; quin etiam postquam ad superos jam Teresia abisset, gravius is ipsam ardor adussit :

AUCTORE RIBERA.

verum cum pallium ejusdem demortuæ sibi superposuisset, sanitatem recuperavit.

A *uti et in Cantabria*

49 Mense Junio anni MDLXXXVIII, cum de sociis nostris Salmantinis Martinus Gastiatigui Cantaber, in patriam abiturus, aliquas a me Matris Teresiæ poposcisset reliquias, modicum de ejusdem pallio et tunica accepit, nec non linei quo brachium fuerat involutum panni. Ad suos cum pervenisset, in Manaria pago, medio ab oppido Durango lapide, rogatus fuit num quas penes se haberet reliquias. Eo namque loco Joannes de Goytia quartana abhinc triennio febri semitabidus laborarat, et eo tum redactus erat ut spem vitæ medici abjecissent. Alias se negavit habere præter eas quas dono acceperat, et quidem eas Teresiæ esse, illiusque ut opem exposcerent, suadebat. His, cum febris accessus instaret, de collo languentis Joannis appensis, exinde febri non amplius correptus fuit, et sospitem illum Frater noster inde digrediens reliquit, atque optime erga beatam Matrem animatum. Ut primum in vulgus didita ea fama est, frequentes ad eum accessere aliquid sibi harum reliquiarum dari multis cum lacrymis et singulari pietatis sensu postulantes; atque ii potissimum qui ad scelestas sibi
B ipsis manus inferendas a cacodæmone instigabantur aut lemuribus infestabantur. Quorum ipse postulatis cum annuisset, quinque vel sex ad eum venere immensas pro impenso beneficio gratias agentes; atque hi quidem ab id genus se tentationibus, illi a spiritibus infestis se earum ope liberatos gratanter professi sunt. Hi porro spiritus puerorum vagientium exsugebant sanguinem, et variis eos infestabant modis; neque hos modo, verum etiam grandiores, qua poterant, exagitabant.

nonnullisque

50 Maria quoque de Galarraga, senatoris Durangensis uxor, ab eodem Martino instanter aliquid e lipsanis sanctæ hujus contendit, quod conjux jam a medicis derelictus de vita desperaret. Firmiter sperare sese aiebat fore, cum aliis salutaria hæc fuissent, etiam marito ut auxiliarentur. Præter frustillum vestis sibi nihil reliquum esse Martinus dum diceret, quod sibi servare decrevisset, multis id ipsa cum lacrymis rogavit : quibus ille motus tandem, quidquid habebat, matronæ impertiit. Triginta vero post diebus cum Durangum Frater ille revertisset, hæc in media illi occurrens platea, multis spectantibus, alta inclamat voce harum ope reliquiarum sanitati maritum redditum esse, et
C postridie ejus diei quo eas accepisset, et cibum sumere et loqui et melius habere, stupentibus medicis, cœpisse, et quinto tandem post die penitus convaluisse : quem Martinus etiam sospitem conspexit. Quicumque eas tractarant reliquias, suavem eas spirare odorem professi sunt; unde illæ in ea regione ardenter ab omnibus expetuntur. Idem vero Martinus, instantibus precibus popularium suorum motus, pannum mihi dedit lineum, ut, ubi ad dies aliquot brachium Teresiæ ei involutum fuisset, hunc illi in Cantabriam mitterem. Hæc porro eo majori procurat studio quod in se etiam quam reliquiæ hæ potentes sint, expertus sit. Cum enim ad oculum usque maxillarum altera illi intumuisset, tunicæ se Teresianæ particulam, quam Burgis acceperat, habere recordatus, sibi applicuit; et protinus gena detumuit. Ipse redux coram mihi narravit quidquid hic a me scripto mandatum est. Palentinum senatorem colicus tentabat dolor : quem frustra irritoque conatu cum depellere medicus nititur, de vestimento Teresiæ pauxillum, quod ab Excalceatis acceperat, cum corpori admovisset, e vestigio sanus factus est. Albana monialis, e dentibus ægrotans, e pannis beatæ Matris aliquem applicuit; sed cum ne sic quidem levamen sentiret, et D
præ doloris vehementia quiescere non posset : « Vult fortasse, inquit, Mater nostra me quidquam » pati » : quo dicto, pannum sustulit, et illico dens cum fragore disruptus et dolor pulsus est. Petri Rodriguez de S. Georgio uxor, eodem in oppido, triduo parturiens fœtum eniti non potuerat, etsi omni allaboratum esset ope et variæ Sanctorum de collo ejus appensæ reliquiæ. Maritus igitur ab Excalceatis pannum beatæ Matris petitum excurrit; qui postquam puerperæ corpus tetigisset, fœtum illico effudit sospes sospitem.

aliis

51 Mariæ Lopez, Alphonsi Lopez conjugis, in oppido Petrahita dirus satis diu mamillam cancer adeserat : ad humerum usque jam proserpens malum tam tetram abscessionem pepererat ut etiam hunc a cancro occupandum non inanis esset conjectura. Cassa erant omnia quæ adhibebantur medicamenta; quoad Teresianæ fasciæ pars membro male affecto admota, quam Albæ acceperat, omnem languorem dispulit. Eodem in oppido aliam pariendi difficultas ad extremum prope redegerat, quod, uno parto fœtu, adhuc alius utero lateret, quem, nequicquam tentatis omnibus, edere in lucem minime poterat. Sed cum eamdem ei applicuis- E
sent fasciolam qua alteram fœminam, quæ ejus cognata erat, feliciter enixam diximus, sine ullo negotio prolem peperit, et bene valuit. In pago las Navas territorii Peñarandensis, Francisci Blasquezii uxorem sesquiannum prope totum manuum tenuerat torpor, ut nonnisi alieno ministerio cibum in os inferre posset. Sed cum novies ex intervallo Teresiæ adisset sepulcrum, sospes ad suos rediit; et manuum nacta usum, numquam non id prodigium deprædicat. Anno MDLXXXVII Annam de Matanza, matronam pietatis studio nobilem et magnæ auctoritatis, Salmanticæ tam dirus tibiæ corripuerat dolor ut incedere non posset, vereturque ne amplius adire Sacrorum causa templa non posset nisi a bajulis delata. Sed e Teresiæ pannis a monialibus acceptum aliquem cum tibiæ obvolvisset, protinus languor pulsus est, nec postea recurrit : quin potius, etsi ætate gravis, et pedibus et corpore toto jam valet. Has ipsamet dein reliquias Mariæ de Salaya pleuritide ad dies aliquot laboranti cum dedisset, etiam hæc illarum adminiculo sospitatem invenit. Easdem quoque cum licentiato Guillenio, collegii ibidem a S. Æmiliano cognominati alumno,
F qui a gravi morbo surgens varios toto corpore, et præsertim capite, brachiis et tibiis, languores contraxerat, concessisset, has ille gestando sanitatem quamprimum consecutus est. Hac de causa in grati animi signum Albam delatus, magna pietate Teresiæ brachium salutatum venit.

Hispaniæ locis.

52 In municipio Cayo, haud procul a Compostella, cum anno MDLXXXVIII mulieri fœtum exanimem aliquot diebus utero continenti Beatrix Bermudez de Castro (cujus in ditione ea versabatur) pauxillum de reliquiis B. Matris misisset, his utero impositis, vix semihora effluxit, cum facili partu non sine prodigio (erat enim exstinctus) fœtum enixa est. Una de pedisequis Aloisiæ de la Cerda, odontalgia vexata, vittam beatæ Matris a domina sua poposcit. Sed hujus admotu dolor increvit usque eo ut vittam auferret. At cum aliquot post dies dolor idem recurreret, et majori sibi vittam fide adhiberet, momento is cessavit, nec rediit umquam. Joanni de Tapia apparitori primario Albano catarrhus diuturnus odoratus sensum sic occluserat ut nec bene nec grave olens quidpiam biennio continuo perciperet. Sed capiti dum obvolvitur linteolum quod Teresiæ brachium tetigerat,

quatuor

A quatuor evolutis quibus ipsum gestavit diebus, allatum thymum ac pulegium, mirantibus domesticis omnibus, perbene olfecit; atque ex eo tempore quoslibet interstinguere odores potuit. Bartholomæi Martinezii filia Isabella, in pago cui patrio vocabulo nomen Naharros del Castillo, altero a Peñaranda lapide, vehementi æstuabat febri; sed ejusdem loci inquilina mulier, quæ linteum simile habebat, illi ab ejusdem Instituti sectatrice filia transmissum, ipsum aqua abluit : quam febricitanti potandam cum dedisset, hæc, subito evanescente febri, postridie in agrum ad opus abiit.

Dum hoc Ribera caput claudit,

53 Possem hic et alia minora referre, uti et quædam quæ mihi contigerunt; sed studio ea visum omittere, ne quælibet velut prodigiosa habere velle videar. Huic igitur capiti finem imponam commemoratione rei quam ex eo ipso cui facta est, accepi, et quam alii permulti ex illo, quod eam non illibenter narraret, audivere. Carmelitarum Excalceatorum prior quispiam ad cæteras quas de collo gestabat reliquias, etiam quasdam Teresiæ addidit. Huic quodam tempore sacras Altaris vestes induenti scrupulus est illapsus, quod aliis Sanctorum legitime ab Ecclesia invocari jussorum reliquias alte-
B rius nondum Sanctis adscriptæ permiscuisset. Sed cum ad easdem inde tollendas aliquatenus animus propenderet, aliunde allato repente nuntio distractus, ejus rei non amplius est recordatus. Exinde in altari versantem anxietas animi adeo premere cœpit ut eas quamprimum inde tollere voluisset. Hæc dum animo volutat, magnam intra se sentit reprehensionem, hinc quidem blandam, inde vero asperam. Audire namque videbatur improperantis vocem, ingrati animi eum insimulantem et indignum dicentem qui tam pretiosa lipsana custodiret. Inde vero tam teneras prorupit in lacrymas, tamque excellens erga hasce reliquias et sanctam ipsam affectus animo inortus, ut suum haud gravate cor aperuisset, quo easdem huic includeret. Unde cum in Teresiam consecutus est amorem ut numquam non de ejusdem sanctitate sermonem misceret inque miracula illius sedulo inquireret : quorum cum non pauca collegisset, hæc deinde mihi insigni cum affectu ac pietatis sensu exhibuit.

monialis Salmantina per subuculam Sanctæ sanatur.

54 Huic jam capiti finem imposueram, cum IV nonas Maji anni MDXC, quo hæc prælo subjiciebantur, id quod modo commemoraturus sum, contigit; quod mihi religio fuit omittere, cum quod
C digna res sit memoratu, tum quod de ejus mihi veritate usquequaque constet, tum denique quod omnium hocce volumine traditarum sit nuperrima. Anna a SS. Trinitate, de qua alias dixisse memini, Excalceata Salmantina, pleuritide laborabat; quæ, cum nonnihil se dolor remisisset, quinto post die tam vehementer recruduit ut denuo ei venam incidi jusserit medicus, quo de novo curatio adhiberetur. Interea dum quæritur phlebotomus, sed non invenitur, ipsa subuculam quam induta Teresia erat cum Extremæ Unctionis Sacramentum illi administraretur, capiti imponit. Mox toto sudor fluere cœpit corpore; qui quo erumpebat densior, eo febris et pleuritis decrescebat magis : tandem sudore, qui sesquihoram prope tenuit, cessante, cessavit et dolor. Quibus interveniens medicus ab omni eam febri liberam comperit, atque ab eo die eadem magno cum medici tum omnium præsentium stupore non recurrit.

ANNOTATUM.

a *Refertur hoc miraculum in Actis canonizationis* (*num.* 1157 *et seqq. Comment. prævii*); *ubi plura ejus adjuncta singillatim enucleantur et testes in ejus confirmationem adducuntur.*

AUCTORE RIBERA.

D

CAPUT V.

Miracula per imagines et epistolam S. Teresiæ, item ad ejus invocationem.

CAP. VII. *Imaginibus Teresiæ dæmonum terricula*

Ferdinandus de Trejo Hispalensis, Dei virtutumque cultor impiger, hanc ipsam ob causam adeo pertinaciter a malignis spiritibus impetebatur ut etiam se visibiles exhiberent. Quadam die cum infestatio increscceret, quod ad multos jam dies molestiam continenter exhiberent nullamque quietem concederent, sculptam quamdam gloriosæ Deiparentis Mariæ imaginem, quam habebat, illis objecturus erat, hujus ad conspectum eos in fugam actum iri sperans; sed forte fortuna quamdam Teresiæ a Jesu effigiem inscius malignis spiritibus, quorum clamoribus obtundebatur, objectavit. Ad cujus primum intuitum tam repente vociferantes inde abacti sunt ac si violenter fustibus quis eos exegisset. Atque hoc ille pacto tam ab exterioribus illorum molestiis quam ab internis exagitationibus est liberatus; quam gratiam passim omnibus insigni cum gratitudine et devotione commemorat. Inde vero ita strenuus Teresiæ fa-
E ctus est cliens ut numquam ejus imaginem collo deponat. Cujus si uxor liberive aliquo vexentur malo, magna hanc illis fide superponit, illius ope sperans ipsos salute donandos.

animique mœrores et scrupuli fugantur.

56 Excalceata quædam terribili, quæ multos jam dies tenuerat, afflictione vexabatur; cumque frustra omnia adhiberet remedia, et quid faceret, ignoraret, nocte quadam mœrore oppressa gravissimo, effigie quadam Teresiæ ad solatium suum ante se posita, eam fixis intuens oculis, oblectare se non aliter cœpit ac si præsens Teresia adstitisset. Hæc dum fiunt, in animæ suæ intimo videre sibi visa est Teresiæ oculos Deo plenos; atque ipsam verbis charitatem spirantibus sibi persuadentem audire ut ad hanc se tribulationem Dei causa ferendam disponeret : quæ enim ipsam maneret merces, ingentem adeo esse ut nullius queat hominis cogitatione comprehendi. Tam efficax
F porro muta hæc fuit exhortatio ut omnes quas in animo experiebatur tenebræ dispulsæ sint, tantaque eam quiete et gaudio compleverit ut haud obscuris patuerit indiciis supernaturalem quamdam, Teresia intercedente, gratiam illius in animum illapsam esse. Sacerdotem Palentinum, divini reverentem Numinis, qui Teresiam vivam coluerat, diebus aliquot tanta vexavit mentis angustia et scrupulus ut triduo Sacris celebrandis idcirco abstinuerit. Hanc ob causam Teresiæ sese commendavit; quæ illi sacras Horas recitanti apparuit, dicens : « Rectum insistis iter, fili mi; porro » perge, et in eodem progredere. » Tum ille pedibus ejus advolutus, ab eadem petiit benedici. Excepit Teresia : « Benedicat te Deus »; dataque ei sculpta quadam sui imagine, illico e. oculis evanuit. Tanta porro sacerdoti indita quies ut sacrificare potuerit : qui datam iconem magna asservans fide et veneratione, etiamnum hodie eam habet et omnibus enarrat ea quæ retulimus.

Quædam ex ejus epistolis

57 Religiosus (ut aliquoties ipsiusmet ex ore accepi) postridie ad populum in concione acturus, cum nullum quod arrideret menti cogitatum occurreret,

AUCTORE RIBERA.

reret, nocte superiori ante beatæ Matris imaginem
A inambulabat : ad quam propius accedenti subito bonus utilisque de Euangelio diei occurrit conceptus, cujus occasione etiam multa ex aliis audivit, quique affatim materiæ exhortationi quam parabat, suggessit, et singularem auditoribus fructum attulit. Erant autem ea hujusmodi ut nunquam similia ipse vel legisset vel audisset vel cogitatione agitasset. Tam porro repente hæc illi indita ut facile colligeret donatum id esse, non præmeditando præceptum vel ab intellectu efformatum : qui quoties hac de re etiam postea cogitaret, permagni hanc inspirationem faciebat et nonnisi a beata Matre id sibi profectum haud obscure intelligebat. His simile addere possumus, quod non imaginis, sed epistolæ a beata Matre missæ adminiculo contigit. Quoniam vero ea cui hæc est gratia data, Deum timet fideque dignissima est, et ego, dum hæc scribo, quas ad præpositam Excalceatarum Palentinarum hujus rei testes litteras misit, asservo, integre rem hic commemorare potero; et est hæc sane certissima. Genovefa de Toledo, Clarissa Palentina, laborabat ex stomacho; cui salutare fore videbatur quasdam a Teresia a
B Jesu olim acceptas litteras sinui imponere. Has ergo produxit, suavissime redolentes (quem illa odorem non parum mirabatur, quod eo quo repositæ erant loco nulla res odorifera adesset), et in sinu gestavit. Post triduum lectulo cum surgeret, easdem quiete relegit, ut lectas in sacculo una cum aliis Reliquiis reponeret, nunquam eas quoad viveret a se depositura.

suavem spirat odorem.

58 Inter relegendum autem quædam notavit quorum neminem a morte sua conscium volebat : hinc lineæ, in qua hæc exarata erant, eradere initium cœpit. Dum autem eradit, angi intra se cœpit ac cogitare rectene id a se fieret; sed recta qua id faciebat intentione nixa, et nihil quare id omitteret esse censens, in obliterando pergit, et aliam lineæ delet partem. Tum de novo inaugeri angor, et aliud sequi prodigium. Quem enim hactenus perceperat in epistola odorem, prorsus evanuit. Hanc deinde cum de Minorum Ordine Pater intervisisset, et de rebus beatæ Matris ortus inter eos esset sermo : « Negare, inquit, non potes, carissima, quin ali- » quam Matris Teresiæ a Jesu habeas reliquiam : » nam et ad me odor ejus dimanat; atque is idem » est odor quo omnes res illius imbutæ sunt. » Tum
C religiosa unas se habere dicens litteras, eas, ut erant complicatæ, sacculo eduxit; sed has naribus dum applicat, nihil prorsus odoris percipit. Intellexit igitur ob suam se in pauculis illis epistolæ verbis eradendis audaciam hoc odoris, quem alii percipiebant, beneficio a Deo privari. Id vero tum patuit manifestius, cum idem non multo post monachus mirabilem quemdam odorem ait ab eadem epistola proficisci; quem tametsi alii percipiebant, haudquaquam tamen ipsa olfaciebat.

CAP. VIII. *Anna a S. Bartholomæo,*

59 Quæ ad invocationem sanctæ Matris contigerint miracula, numero esse crediderim plurima, si modo ipsa nossem; illorum tamen aliqua hoc loco commemorabo. Anna a S. Bartholomæo (quam a Teresia etiamnum in vivis agente jam supra narravi a dentium dolore aliisque malis liberatam) cum, corpore sancto Abulæ requiescente, die quadam ita male affecto et exhausto esset corpore ut se vix traheret et nihil agendorum, etsi eorum mole obrueretur, posset exequi, ad sanctum Matris confugit corpus, et coram eo aliquantisper in genua provoluta, ejus se precibus sedulo commendavit, obsecrans ut se juvaret et secum esset; quod nihil omnino valeret per invaletudinem agere. Confestim sana inde surrexit, et iis quæ sibi plurima agenda D erant negotiis mira promptitudine vacavit : quocunque vero sese locorum conferret, non aliter odorem qui ab Teresiæ exhalabat corpore, naribus præsentem habuit quam si ante oculos ipsam habuisset. Eas porro in se notavit vires, eam agendi facilitatem, ut quatuor se viris plura præstare posse censeret : quin si quid aggrederetur, ipsum velut jam ex voto confectum, vel perinde ac si alius quispiam suo id loco perageret, invenire sibi videbatur.

P. Antonius a S. Maria

60 Cum Albam corpus sanctum Abula referretur, in Mancerana Excalceatorum domo nocte una diversatum est. Decumbebat eo ibidem tempore e febri hemitritæa P. Antonius a S. Maria : quem prior Nicolaus a S. Cyrillo consolaturus, lecto surgere jussit, ut sanctum cum aliis stiparet corpus. Fecit ille imperata gaudens; et sacras comitatus reliquias, et ob magnalia in ancilla sua Teresia exhibita supremo Numini gratias agens, singularem quamdam sensit suaveolentiam, qua ille, velut stimulo, est ad magis divinam bonitatem deprædicandam animatus. Ejusdem dici vespera statum erat mitioris febris accedendi tempus; sed, tametsi ad multam noctem vigil ageret, illa non accessit. E Exinde prior ad cubiculum suum concedere Antonium jubet, ne quid nimia hæc ipsius valetudini vigilia officeret; in quo ille dum agit per aliquod temporis spatium, eumdem odorem percipit, atque inde rursus multo post tempore. Atque eadem omnino erat fragrantia quam Albæ haud procul ab ejusdem sepulcro perceperat. Mane, dum corpus produceretur avehendum, multis cum lacrymis vale illi dixit, ejusque se intercessioni ex animo commendavit, eique supplex fuit ut Deum oraret ne iis se e morbis quibuscum luctabatur, educeret, sed ut eos gratanter admitteret sibique in iisdem tolerandis subsidio esset; et ecce, eodem die vehementior quoque febris non accessit, uti nec postea umquam.

aliique intercessionis Teresiæ efficaciam experiuntur.

61 Senatoris Palentini mustum adeo effervescebat ut nulla humana compesci arte posse videretur. Rem ille conspicatus, vinum precibus Teresiæ commendat, Excalceatis se spondens monialibus donarium aliquod missurum. Subito ecce mustum turbulentum, industria nulla adhibita, detumuit, adeo ut ipsum vendere potuerit : qui postea fidem liberans cœnobio stipem misit et rem prodigiosam narravit. Multa hic, præter ea quæ supra narravi, F de me ipso referre possem, quod sanctæ hujus virginis intercessione plura in me Deus contulerit beneficia; sed ea supprimo : etsi enim mihi ea prodigiosa videantur, aliis fortasse talia non videbuntur, qui me dicent studio ac sine causa adaugere miraculorum numerum velle. Albanæ religiosæ faucibus piscis spina insederat. Huic tollendæ cum omnis humana insudans industria frustra esset (quod nimirum non appareret, imo profundius immersa diceretur) et ad liquidum ipsa videret quam præsenti in periculo versaretur, ad eum se conferens locum quo sanctum corpus depositum ante fuerat (Abulæ namque tum requiescebat), cum in genua provoluta sese beatæ Matri suæ commendasset, ori manu inserta, spinam eduxit, quod quidem antea sæpius tentarat, at numquam successerat.

Finem operi suo

62 In hoc igitur desinens, finem historiæ huic imponam; etsi ei jam in lucem editæ plura suo tempore miracula adjungi posse non ignorem, cum quod quæcumque evenerint, scire non potui (quamquam quam potui accuratissime in iisdem conquirendis elaborarim), tum vero quod Deum Opt. Max.

A Max. decrevisse videam sanctam hanc virginem honorare et illius nomen ab eo tempore quo primum vita functa est, celebrare. Hinc crebra novaque quotidie illius opera patrat miracula, quod fortasse brevi in Sanctorum eam referri catalogum velit, ut hoc pacto magis innotescat et celebretur, pluresque per eamdem animæ adjuventur : etsi, ut mihi videtur, Altissimus ipse, quoad universa Ecclesia eam honorandam decernat, quodammodo ut canonizatam habere videatur manifesto illo miraculo quod ejus in corpore elucescit, tametsi alia deessent argumenta. Quamobrem neminem adeo ignarum arbitror futurum qui vitio mihi vertat quod hoc in opere sæpius « sancta mater, sancta, corpus san- » ctum » aliasque id genus loquendi formulas passim de Teresia ejusque rebus loquens adhibui; cum in hoc mihi præiverint Sancti Ecclesiæ Patres et Doctores, etiam de superstitibus hoc modo locuti, necnon ipse Paulus aliique Apostoli.

Ribera imponit

63 Quod si quem forte illud aut simile quippiam torqueat (quamquam in hoc brevior potius quam prolixior dici queam), aliqua hic e S. Antonini archiepiscopi Florentini Historiis deprompta verba producam : « Quantum autem nobis (qui tenebris B » involvimur) permittitur judicare de Sanctis, per » conjecturas et præsumptiones, ex gestis eorum » arbitror ambigere neminem plurimos Beatos » utriusque sexus non canonizatos ab Ecclesia, » imo nec nominatos, non fuisse minoris meriti » et inferioris gloriæ multis catalogo Sanctorum » adscriptis. Non enim canonizatio adjicit ad me- » ritum vel præmium essentiale Beatorum, nec » decernit sanctitatis gradum, sed venerationem » temporalem et gloriam, ut post ipsam possit so- » lemniter Officium celebrari et festivari, quod alias » fieri non dicitur. » Hactenus S. Antonini verba : quibus et, Domine Deus, qui Sanctos et facis et coronas, Historiam termino quam de fideli ancilla tua scribere aggressus fui, ut cognoscat mundus quantos in ipsa constitueris thesauros, tuumque omnes Nomen in æternum extollant. Cumque tu sis, o mundi Salvator ac Domine, omnis sanctitatis et principium et finis, et cum egregii et odoriferi hi flores qui in sancto Ecclesiæ tuæ viridario olim enati sunt hodieque nascuntur, non rosæ, sed spinæ ac vepres semper exstitissent, nisi pretioso tuo Sanguine fuissent irrigati, in æternum in Sanctis tuis lauderis ac benedicaris, Sanctis, inquam, C qui perfectissima digitorum tuorum sunt opera.

invocatione ad Deum

64 Dignetur utinam infinita bonitas tua concedere ut exiguum hocce munusculum quod tibi offero, ante conspectum tuum in odorem suavitatis ascendat; et quod miser ipse ac vilis peccator de tam eximia ausus sim sanctitate loqui, non eo spectet ut mearum rursus iniquitatum tibi subeat memoria (quod opera mea ab his quæ hocce volumine commemoravi, nimium quantum distent), sed potius ut illius intercessione eæ mihi ignoscantur, novumque in visceribus meis cor et spiritus novus creentur, ut inveniar simillimus illi quam tu diligis et ego quoque diligo. Si vero temeritatem non sapiat, loquar ad Dominum meum, etsi pulvis sim et cinis, eumque venerans precabor ut quotquot e pio erga ancillam tuam studio ad fidelem et veram hanc Historiam, etsi male conscriptam, legendam accesserint, benignitate tua concedente, nova vivaque eliciant desideria tui in æternum ob magnitudinem operum tuorum laudandi et illustrium harum virtutum imitandarum tibique ex toto corde serviendi. Quæ hic mirabilia referuntur opera, Domine, tua sunt dona; et quocumque e loco vis ut se exerat veritas, ipsa a te proficiscitur. Illa certe opera ad emovendos homines potentia sunt, et revera multum eis dare efficaciæ soles. Ab illo me timore libera, Domine, quo uno affici possim, nempe ne sua ideo opera illa frustrentur efficacia quod hujus ego scriptionis fuerim instrumentum. AUCTORE RIBERA. D

65 Tuque, o Mater sancta, cujus ad honorem et memoriam posteris tradendam hunc laborem sum aggressus, etsi ut tuas referrem laudes minime promeruerim, nosti quam id ex animo fecerim et quale tu mihi adjumentum contuleris ut id præstarem. At vero non recte dico me laborem insumpsisse : nam nullum prorsus sensi; sed potius solatio mihi fuit ac voluptati hanc scribendi provinciam subiisse, etsi tempore quam impeditissimo. Hoc unum scilicet spectavi, ne illustrium operum tuorum intercideret memoria : atque idcirco omni quo potui studio contendi ut semper cognoscaris, lauderis et tuarum virtutum imitatores habeas, ac potens ille Dominus, quo dante adeo mirabilis evasisti, in te ac per te laudetur. Ignosce, obsecro, ingenii mei tenuitati jejunæque meæ eloquentiæ, cum noris meum tibi gratificandi studium nec tenue nec inops extitisse. Cum vero divina mihi bonitas concesserit ut in hoc mundo te familiariter nossem, ac tu me diligeres meque divinæ ejus Majestati commendare in te receperis; hoc mihi, obsecro, tu ab illo impetra quod ab ipso ego postulavi, ac numquam miseri filii tui obliviscere, qui tanto te studio affectuque complector, quoad meritis tuis ad beatum tandem Creatoris ac Domini nostri conspectum perveniam, ut ibi tecum et cum Sanctis omnibus eo fruar et in sæculum sæculi sanctum nomen ejus dilaudem. Amen. E

et ad S. Teresiam.

GLORIA SIT SANCTISSIMÆ TRINITATI.

Appendicis loco ad S. Teresiæ *conscriptam a Ribera Vitam annectemus Prologum quem Yepes pari suo de S. Matre præmisit operi. Prologus ille sylloge quædam est historica egregiis conflata authenticis documentis sive testimoniis quibus adstruuntur simul et elucidantur multa eorum quæ vel Ribera narrat vel quæ nos in Sanctæ Vitam commentati sumus. Accedit quod hoc pacto, nostro nimirum operi inserentes illa Yepesii prælegomena, quæ totius ejus libri summam quodammodo continent ac medullam, præstanti illi alteri S.* Teresiæ *biographo æquum præbeamus, atque injuriosæ oblivionis eximamur culpa quæ forte in nos conjiceretur, si omnis Yepesius opere nostro exularet.* F

TESTIMONIA

a viris doctrina et sanctitate illustribus de S. Teresia prolata, collecta a Didaco Yepes in Prologo ad Vitam Teresianam, atque in latinum translata a Matthia Martinez.

Singularibus

Infiniti amoris quo hominem prosequitur, nusquam Deus majora indicia et argumenta dedit

COLLECTA EX YEPES.

quam in cruce pendens : in illa namque sua plena amoris viscera patefecit, cujus magnitudinem nulla exprimat lingua, verba nulla satis exaggerent. At amoris teneri ac deliciosi, qui viscerum affectus et teneritudo est, quin et affabilis ac dulcis conversationis familiaritatisque qua suis sese amicis communicat, eæ tantum animæ possunt esse testes quæ per experientiam ipsam sentiunt, illæ, inquam, quæ per vitæ puritatem, contemplationis sublimitatem amorisque subtilitatem eo jam pervenere ut illius sponsas dilectissimas sese appellent et revera tales sint. Nullius quippe matris tanta est sollicitudo, nullius sponsæ tantum illicium, nullius item animus ita ab amore evictus et sublatus est, ut cum conversationis ac familiaritatis divinæ dulcedine et suavissimi illius amoris divini teneritudine comparari aut æquari possit. At quis, nisi qui de facto ea experitur et sentit, deliciosa amoris signa et suavitates quas erga hujusmodi animas Deus exhibet, verbis exprimat? Hoc constat, neminem umquam potuisse aut scivisse verbis exprimere quomodo illud sit; quamvis aliquid ex iis quæ ipsæmet de eo testantur et Sacra Scriptura docet, eruere aliquo modo nobis liceat. Christus quippe erga dilectissimas hasce sponsas suas est adinstar vivi fontis qui numquam exhauritur, et e quo continuo lux, suavitas ac deliciæ promanant; et quidquid demum ab illo fluit et descendit, amoris et ignis sunt flumina. Harum amoris deliciarum et teneritudinis plurima eaque clarissima in sacris litteris videre est testimonia, in quibus quædam velut imago deliciosi hujus amoris nobis proponitur. Alias namque Spiritus Sanctus eum vocat cellam vinariam, alias ipsummet vinum, alias liquorem vino longe suaviorem ac meliorem; alias denique uberum nomine eum indigitat : neque enim tam sunt suavia et sapida materna infanti ubera nec tantum vicissim mater cum parvulo suo deliciatur, quam Dei amores et deliciæ sapidæ et delectabiles sunt cum ipso tractantibus et conversantibus. Alias quoque ebrietatis, languoris, deliquii, pacis quæ omnem sensum exsuperat, ac sibili auræ tenuis nomine eum significat; et licet alia sexcenta ei darentur nomina, numquam tamen illa ad dulcem illum amorem quo amicos suos permulcet Deus, declarandum aut exprimendum sufficerent. Nam quod Deus infinitus sit amor et bonum bona reliqua transcendens, hinc anima quæ revera ipsum possidet, quamdam bonorum et deliciarum quæ ab infinito hoc amore nascuntur, collectionem hauddubie possidebit.

intimisque

2 Quamquam autem certum sit quoslibet justos qui in Dei gratia et amicitia sunt et vivunt, illius quoque familiaritate ac blanda suavique conversatione gaudere et plurimis aliis sinceræ amicitiæ titulis Deo suo conjunctos esse, hic tamen tener amor, quo animas quas suavissime amat et ut sponsas suas habet, afficit et perfundit, amoris ac conversationis arctitudine priorem illum longo intervallo transcendit ac superat. Etenim primi illi velut per fidem habent quod hi sentiunt per experientiam : unde tantum inter eos est discrimen quantum inter eum qui mellis dulcorem reipsa percipit et eum qui ipsum ideo nosset dulce esse quod ita ex aliis audierit. Primi ad summum aliquam suavitatis hujus partem (quod enim Deus animæ tam vicinus sit, hinc illius odorum fragrantia sexcentas quodammodo per rimulas sentitur et percipitur) olfaciunt : hi vero cœlestis Sponsi sui amplexuum dulcedinem gustant; atque hujus adminiculo sanguinem suum lac factum, id est, modo quodam suavi ac sapido, Deus ipsis communicat. Et sicut in regum aulis quidam sunt qui januam apertam tenent ad agendum et loquendum cum rege, alii vero qui interius penetrant, quibus sua ille secreta revelat et qui semper apud ipsum versantur ejusque intimi et familiares sunt, quibuscum proinde ille amice tractat et loquitur, ita se res in animabus cum Deo agentibus habet : quarum quæ arcto amoris vinculo ei unitæ et conjunctæ sunt, illius suavissima conversatione perfruuntur et absconditissimorum illius secretorum participes sunt.

Dei amicis,

3 Hæ item sunt quæ suavem hunc Dei amorem reipsa sentiunt et experiuntur; de quo nihil aptius aut convenientius dici potuit quam quod de eo S. Joannes ait, dum eum vocavit manna absconditum (Apoc. II, 17) : manna quidem, quia delectatio est supra modum dulcis ac suavis, et non uno solum saporis genere sapida, sed ad comedentis gustum, saporem, desiderium et conditionem se conformans; absconditum vero, quia nullus quomodo sapiat intelligit, nisi qui ipsum de facto comedit et gustat : ipsa quippe experientia linguam mutam reddit, et quæ in anima peragitur magnitudo illam quodammodo inceptam reddit ad eorum quæ gustavit minimam partem exprimendam. Atque hæc est causa cur hæ gratiæ ac deliciæ quas animabus Deus præstat, ita immensæ sint ut homines eas non credant, multi etiam ne intelligant quidem : nam, ut bene S. Bernardus ait (Serm. LXXIX in Cant.), hoc amoris idioma barbarum est non amanti et intellectu difficilius quam græca lingua ei qui ipsam non didicit. Cujus rei hanc S. Augustinus dat rationem : « In homine carnali tota » regula intelligendi est consuetudo cernendi : » quod solent videre, credunt; quod non solent, » non credunt. » (Serm. CXLVII de Temp.). Atque hoc est quod Apostolus dixit : « Animalis homo » non percepit ea quæ sunt Spiritus Dei » (1 Cor. II, 14). Ideo et S. Dionysius Areopagita cum quodam e discipulis suis de mystica hac lingua qua ad animas loquitur Deus, agens, ei consulit ut cum sapientibus hujus sæculi, nullam rerum divinarum ac cœlestium experientiam et scientiam habentibus, absconditam hanc sapientiam non communicaret (de Myst. Theol. cap. I). Et S. Augustinus de amoris hujus et deliciarum subtilitate loquens, sic ait : « Da amantem, et sentit quod dico : da fer- » ventem, da sitientem et fontem æternæ patriæ » suspirantem, da talem, et scit quid dicam; si » autem frigido loquor, nescit quid loquor. » (Tract. XXVI in Joan.). Ut ergo secreta et arcana amoris lingua intelligatur, aures Augustinus exigit amorosas; eum vero ut ineptum et ullius intelligendæ incapacem rejicit qui per frigiditatem et tepiditatem suam illius suavitatem ac dulcorem gustare non meruit.

maximos ab eo favores consecutis,

4 Tametsi vero plurimis ob sensus stuporem et hebetudinem amorosa hæc Dei cum animabus conversatio incredibilis videatur, ii tamen qui fidei lumen et veritatem habent, eximios illos favores et delicias quibus amicos suos Deum allocutum esse et affecisse Sacra Scriptura commemorat, non possunt non fateri et credere. De Moyse quippe ait eum cum Deo, ut amicus cum amico solet, facie ad faciem loqui consuevisse; et aliis quoque Prophetis gratiam hanc a Deo factam constat. Quin et Deus ipse in Veteri Testamento manifeste professus est delicias suas esse cum filiis hominum conversari : in Novo vero Testamento, in quo amorem suum in homines magis Deus patefecit, majores illius erga eosdem fuere amoris ac benevolentiæ effusiones; quemadmodum, si inde a temporibus Apostolorum

A Apostolorum ad nostra usque historias Sanctorum percurrere velimus, facili negotio videre erit. Ut autem multos viros sanctos quibus Dominus ipse apparuit et alios singulares favores præstitit, jam omittamus, certum est eum superioribus sæculis eamdem gratiam etiam multis sanctis mulieribus fecisse; quarum si hic texere catalogum et seriem vellemus, prius nobis tempus deficeret quam materia. Plenæ namque his exemplis sunt Sanctorum historiæ, atque adeo vix ulla est in qua non singulares et eximios quosdam Dei erga amicos suos favores legere sit.

S. Teresia a Jesu

5 Cum ergo ostendere vellet Dominus ingentem liberalitatem et effusionem suam, qua se adeo impense et sine mensura amatoribus communicat, eamdem esse modo quæ fuit sæculis prioribus, et ad bonum faciendum gratiam et ad malum naturalem propensionem (etenim eumdem Deum habemus modo, eamdem is quoque bonitatem habet quam prius, easdem quoque in Ecclesiam suam immittit influentias, eosdem denique ei favores et gratias facere paratus est) eamdem esse, hinc ultima hac ætate tam eximiam nobis sanctam dare voluit, sanctam, inquam, Matrem Teresiam a Jesu;
B cui gratiarum quas magnis Sanctis divisim dare solet, plurimas junctim et collectim dedit. Etenim favores et deliciæ quibus eam Dominus cumulavit, nec non amoris qua cum ipsa egit affabilitas et teneritudo, tam ingentes ac singulares sunt ut pares vix umquam legerim vel audiverim; ut taceam dona tam admirabilia ac virtutes adeo perfectas et in summo gradu collocatas, nec non alias eximias sanctitatis qua eam donavit prærogativas, quibus eam inter multas sanctas mulieres eminere, et (ut id sine ullius injuria dicam) inter reliquas omnes rarissimam ac perfectissimam esse voluit. Nam tametsi multas sanctas mulieres maximis eximiisque virtutibus præstantes fuisse, alias admirabiles cœlitus visiones et particulares quosdam a Deo favores accepisse, alias quoque inusitata quædam miracula patrasse, alias denique omnia hæc conjuncta habuisse legamus, nullam equidem Sanctam (tametsi accurate et diligenter rem excusserim) reperi cui magis extraordinarias et particulariores Deus Opt. Max. meo judicio contulerit prærogativas quam sanctæ huic Matri Teresiæ a Jesu. Ut enim de donis ac dotibus naturalibus (quæ sane plurima fuere) quibus eam Dominus
C cumulavit, nihil dicam, divina certe et supernaturalia tot et tam eximia in ipsa fuere ut in nulla umquam majora apparuerint.

jure meritissimo

6 Etenim, præter tantam virtutum perfectionem ac vitæ sanctimoniam (per quam operibus et factis in perfectæ et heroicæ virtutis ratione eo pervenit quo fortissimi quique ne cogitatione et desiderio quidem pertingunt), tot tamque extraordinarii Dei favores, tanta item cum suprema illa Majestate familiaritas et communicatio, ac si de Seraphinorum, illius amore quam maxime incensorum et illi intimorum, numero fuisset, tanta quoque rerum cœlestium notitia, tanta cum Cœlestibus ipsis familiaritas et conversatio, quasi ipsa de illorum societate fuisset, tam sublimes rerum divinarum conceptus et sensus, tantum in absconditis secretis et arcanis mysteriis declarandis lumen quantum in ullo vix quisquam notavit, tam eminens et sublimis doctrina quam libris suis comprehensam ad posteros transmisit (in quibus e rerum quas scribit subtilitate, magna qua easdem penetrat intelligentia, singulari qua ipsas exprimit perspicuitate, styli quo ea quæ dicit, propinat, elegantia et divino artificio, et quo facit ut qui legunt, Spiritus Sancti ignem, qui istis in scriptis inclusus est, notabiliter percipiant, nec non manifestam illam lucem ac calorem quem ipsa passim spirant), ad oculum demonstrant hanc doctrinam a Deo esse inspiratam, e cœlo profectam et non sine speciali Spiritus Sancti assistentia et ope conscriptam. Præterea quod religiosi Ordinis fuerit Mater et Fundatrix, quod mulier una et sola integrum tam mulierum quam virorum Ordinem ad tantam perfectionem et vitæ arctitudinem et ad eam sanctitatem reduxit ut quædam primævæ illius sanctitatis et innocentiæ quæ primitivæ Ecclesiæ temporibus inter sanctos illos Ægypti et Palæstinæ anachoretas viguit, imago et exemplar esse videatur; et hæc omnia, cum divina assistentia et ope, suis ipsa manibus et brachiis suique sudoris impendio perfecit; adhæc miraculosa corporis illius incorruptio et integritas, nec non plurima prodigia et mirabilia quæ illius opera tum in vita tum post mortem præstitit et quotidie adhuc præstat Deus : omnia, inquam, hæc tam extraordinaria, nova, magna, singularia, tamque ab omni eo quod secundum ordinarium rerum ordinem et cursum fit, longe remota, simul juncta, E
quædam miraculorum, prærogativarum et singularium gratiarum, quibus hanc Deus sanctam honoravit, coacervatio est, quæ universa ita simul juncta sanctæ ulli obtigisse numquam legi.

COLLECTA EX VEPES. D

annumeranda est.

7 Nolo autem hic aliquam inter sanctitatis et perfectionis uniuscujusque gradus ac qualitates comparationem instituere; sed soli Deo, qui uniuscujusque spiritum metitur et dignitatem novit, hujus rei judicium adscribo : solum hic loquor de illis quæ exterius de Sanctis hac in vita scire possumus. Nam tametsi in plurimis horum substantialiter et formaliter ipsa sanctitas non consistat, ut plurimum tamen Dominus maximis Sanctis majores conferre gratias, majorem impertiri lucem, eisque ut instrumento ad majora obsequii et gloriæ suæ opera efficienda uti consuevit; quemadmodum eum in beata Matre Teresia a Jesu fecisse constat : prouti, Deo propitio, latius exponam in commentario de ejus vita, quem scribere aggredior, non alium labori meo scopum præfigens quam ut Deus magis glorificetur in Sanctis suis, utque mortalium mentes, considerando quam suaviter quamque facile Deus se communicet iis qui ex animo eum quærunt, ad ei serviendum magis excitentur. In F
omnibus porro a me narrandis veritatem ac sinceritatem historicam studiose spectabo : mendacio enim nec glorificari Deus nec honorari Sancti queunt. Plurium rerum quas de sancta Matre scribam, oculatus sum testis, utpote qui per multos annos cum ea egi, Confessiones ejus excepi et cum ea communicavi. Cætera desumentur sive ex informationibus ad ejus canonizationem sive ex relationibus fide dignissimis. Ordiar a vitæ ejus serie, quæ sane mirabilis est, usque ad tempus quo orsa fuit Ordinis sui Reformationem. Secundo loco referemus Reformationis hujus initia, monasteriorum fundationes, ingentes quos sustinuit labores, gloriosum ejus ex hac vita decessum et res memorabiles quæ in eodem contigerunt. Virtutes ejus tertio describemus libro; quarto denique miracula. Ante vero quam Historiam hanc exordiar, exponere visum est vulgatam tota semper Hispania de admiranda ac singulari beatæ Matris Teresiæ a Jesu sanctitate, tam in vita quam post mortem ejus, approbationem eximiamque æstimationem.

§ I.

COLLECTA EX YEPES.

A

§ I.

De sanctitate et perfectione vitæ Sanctæ Matris Teresiæ a Jesu favens semper omnium sententia.

Vitam ac spiritum ejus

Quibus propositum est illorum Sanctorum et Sanctarum quibus Dominus particulares et extraordinarias gratias contulit, Vitas describere, solent, quo rite historiam suam auspicentur, et fidem atque auctoritatem, quam res tam sublimes ac divinæ requirunt, ei concilient, lectorem præmonere, ante omnia probantes visiones, revelationes et alias id genus gratias quas Sancti illi cœlitus recepere, certas, veras et indubitatas fuisse : possem equidem huic labori supersedere; cum generalis et communis quæ in universa Ecclesia est, sanctitatis ac doctrinæ B. Matris Teresiæ a Jesu, tot testimoniis confirmata, approbatio adeo sit evidens ut

B nullum (nisi forte sit qui solem lucere neget) reperire sit qui non idem debeat confiteri. Nihilominus, tum ut meæ consolationi et erga sanctam hanc virginem devotioni, nec non solatio illorum qui eamdem quoque devotionem habent, consulam, tum ut debita cum opinione et æstimatione lector ad vitæ ejus historiam legendam ingrediatur, quædam visum mihi est paucis præmittere testimonia quibus illius vita, libri, sanctitas et spiritus comprobata sunt. In quo et viris doctis faciam satis, et ignorantibus ac rudibus eos quos Dominus suis confert favores et gratias reddam credibiles : hi namque, velut animalia bruta et terrena, aliud non judicant quam quæ oculis cernunt et quæ oculorum fidem non excedunt, omni in re ad sensuum suorum judicium ac tribunal appellantes. Atque hac ratione me necesse non erit novo cum labore hic regulas ad spiritus discernendos tradere ac coacervare aut tractatum de visionibus, revelationibus aut raptibus (uti alii fecerunt) præmittere. Hac quippe in materia, aut in regulis illis consignandis iisque ad casus particulares applicandis, graviter errare possem : quod certe de tot tamque illustribus doctoribus quos hic producam, et qui

C spiritum ejus examinare sustinuerunt, nullatenus præsumendum aut opinandum est. Nam, sicuti jamjam videbimus, viri omnes gravissimi et tum doctrina tum vitæ sanctimonia illustrissimi, qui eadem qua sancta hæc virgo ætate floruere, hunc assumere laborem non dubitarunt; atque una manu lapidem lydium, Sacræ, inquam, Scripturæ regulas, alia vero Sanctorum doctrinam præferentes, vitam, revelationes et spiritum illius examinarunt et expenderunt : in omnibus porro illam hisce regulis et doctrinæ mire conformem viderunt, ut jamjam ex illorum testimoniis et dictis erit videre. Quæ autem hic producam, non ex incertis et dubiis quibusdam relationibus, sed ex authenticis ac probatis informationibus quæ ad sanctæ Matris canonizationem fiunt, deprompta sunt; et pene omnes quos hic adfero, testimonium suum jurejurando confirmant.

§ II.

Testimonia virorum gravium et doctorum qui Teresiæ a Jesu spiritum approbarunt.

D

Ut ergo de veneratione et æstimatione, simul et *approbarunt* de magna devotione quam erga sanctam hanc tum viventem tum mortuam varii habuere, aliquid dicam, exordium ducam ab his qui cum ea in vita conversati sunt, eam cognoverunt ac spiritum illius examinarunt, approbarunt et talem fuisse censuerunt qualem eum illa jam mortua omnes confitentur et agnoscunt *a*. Quod autem sancta Mater *a* ex una parte tam esset humilis ut sese indignam reputaret cujus Dominus ullatenus recordaretur, ex alia autem parte tot et tam singulares a Deo gratias ac favores reciperet, uti norunt omnes et in vitæ illius historia pluribus refertur, timens tamen ne forte sua ob peccata (quæ ipsa, utpote vero humilis, continuo plangebat, tamquam si gravissima flagitia fuissent) ei dæmon forsan illuderet, quieta non erat, nec, quamvis tot sibi Dominus gratias conferret, secura. Hinc cum suis confessariis hac super re conferebat : unde etiam illos et doctissimos et gravissimos semper habere satagebat; quin E et illorum jussu et præscriptione cum aliis ejus notæ viris et in Hispania tum temporis auctoritate ac doctrina celeberrimis communicabat. Insignem porro ad hoc faciendum occasionem et commoditatem sancta Mater habebat, quod Hispaniam prope totam, dum ad nova monasteria monialium fundanda eorumque jam fundatorum directionem et gubernationem abiret, peragraverit. In quo sane divinam providentiam licet admirari : ut nimirum, cum illius viventis spiritus ac sanctimonia a tam multis esset approbatus, ipsa jam mortua ab omnibus coleretur et suspiceretur; et ut hæc, quæ, quoniam tam admirabilia et rara sunt, aliquem forsitan remorari possent, tantorum et tam multorum testimonio jam comprobata et constabilita, communem omnium opinionem post se traherent. Initium ducamus a viris litteratis : hi quippe sunt qui majore cum rigore et exactius Sacræ Scripturæ regulas et Sanctorum Patrum doctrinam examinant, quique non sine prudentia in hisce credendis et approbandis ut plurimum esse solent tardiores quam illi qui solius pietatis oculo eadem considerant. Quos ergo viros doctos S. Mater, dum viveret, consuluit, et quibuscum tractavit, sunt sequentes.

F

10 Primus P. F. M. Dominicus Bañez, primarius facultatis theologicæ cathedraticus in universitate Salmanticensi jubilarius : quod sane ad magnam illius doctrinam testandam et colligendam satis est; ut taceam ejus summam rerum ad spiritum spectantium, quam per tot annos sibi collegerat, experientiam *b*. Hic ad multos annos S. Matri *b* a Confessionibus fuit, et jam inde pene a conversionis illius initio ad vitæ usque finem, quatuor nimirum ac viginti circiter annorum spatio, cum ea egit ac communicavit; quin imo illa etiam absens in omnibus suis difficultatibus ex illius directione ac nutu pendebat. Ipse quoque vicissim S. Matrem tanti fecit, tantamque de ipsius sanctitate opinionem concepit, ut, cum in illius exequiis in Salmantino Excalceatarum monialium cœnobio concionem haberet, illam S. Catharinæ Senensi in sanctimonia æqualem, in scriptis vero et doctrina ea superiorem esse aperte confiteri non dubitarit. Ut porro melius tam gravis ac docti viri opinio ac sententia intelligatur, ipsiusmet testimonium, quod, dum de illa in Sanctos referenda ageretur, ipse de eadem tulit, hic visum est verbotenus adscribere : « Nemo, » inquit,

PP. Bañez,

A » inquit, melius quam ego scire potest particula-
» res favores et gratias quas Matri Teresiæ a Jesu
» Dominus contulit; ad multos enim annos ejus
» Confessionem excepi, eamque tum in Confes-
» sione tum extra illam sæpius examinavi, variis-
» que eam modis exploravi, semper me erga illam
» valde asperum et rigidum præbens : quo autem
» illam magis humiliabam et despiciebam, eo ma-
» gis ipsa ad meum consilium amplectendum ani-
» mabatur, ita se securius tutiusque incedere
» existimans. » Et inferius de particularibus favo-
ribus et gratiis quas Dominus ei contulit, loquens :
« Hac, ait, in parte tam multæ occurrunt res
» notandæ, ut, nisi novus de iis conscribatur liber,
» per ordinarii testimonii viam dici eæ nequeant.
» Et forsitan ego, si necesse id erit, aliquem tra-
» ctatum conficiam e quo intelligatur et constet
» quam secura ac tuta Mater Teresia a Jesu in-
» cesserit via, longe secus ac spiritus illi joculato-
» res qui hisce nostris temporibus detecti sunt. » Et
post alia multa adjungit : « Toto illo tempore quo
» cum ipsa egi (egi autem multis annis) numquam
» in ea aliquid vidi quod virtuti contrarium foret;
» sed majorem candorem et humilitatem quam in
B » ulla alia persona observavi. In omni autem vir-
» tutis, naturalis æque ac supernaturalis, exercitio
» singularissimum omnibus cum ipsa agentibus
» erat exemplar. Illius porro oratio et mortifi-
» catio rarum quid erat, uti de ea testari ac re-
» ferre poterunt quotquot particularius cum ipsa
» egerunt. » Quod autem de illius candore et
humilitate asseverat, idem pene de omnibus
aliis ejus virtutibus fert testimonium. Præter hæc
alia multa de hac sancta ejusque libris, quos
ipse, antequam in lucem emitterentur, sanctæ
Inquisitionis jussu examinavit et approbavit,
adfert elogia. Pauculis illis verbis plura de ea
dicit quam cuiquam videatur; cum ait opus esse
libro in quo particulares quos Dominus sanctæ
huic virgini impertitus est favores et gratiæ con-
scriberentur : quam scribendi operam ipsemet
quam libentissime subiisset, si occupationes, quæ
non vulgares fuere, ei ad hoc opportunitatem de-
dissent *c*.

c 11 Antequam vero Ordine gloriosi Patris S. Do-
de Medina, minici egrediar, alios ex eodem hic viros adducam,
quorum testimonium auctoritate ac fide dignissi-
mum est et omni exceptione majus. Atque impri-
C mis P. F. M. Bartholomæum de Medina, primarium
d academiæ Salmanticensis cathedraticum *d*: qui cum
tam multa tamque extraordinaria de S. Matre ex
aliorum sermone inaudisset, parvi ea faciebat neque
fidem iis adjungere poterat; imo satis sinistre de ea
sentiebat ob ea quæ de his rebus audiverat. Cum
ergo Teresia Salmanticam monasterii sui fundandi
causa venisset, omnimodis curavit cum magno hoc
viro conferre : semper namque quærebat viros
quibus ipsius spiritus non usque adeo placebat et
qui majores ei movere difficultates poterant, ab his
melius eum credens excutiendum et examinandum
quam ab illis qui ad ipsi credendum facile induce-
bantur. Illum ergo adiit, et postquam generalem
apud eum Confessionem instituisset, suæ orationis
et viæ quam insistebat, ei rationem reddidit, simul
et quidquid de vita sua ipsa conscripserat, legen-
dum et examinandum tradidit. Unde non minus
confusus fuit quam certus jam et securus spiritum
Dei esse qui in sancta illa anima vivebat eamque
tam insolitis et extraordinariis favoribus visitabat;
ipseque adeo de numero fuit illorum qui beatam
Matrem maxime securam esse jusserunt, atque ex
eo tempore insignis illius amicus factus est, et di-
cere non est veritus nullum in terra Teresia san-
ctiorem esse.

COLLECTA EX YEPES.

D 12 P. F. M. Joannes de las Cuevas, qui in *de las Cuevas,*
illustri Dominicanorum Ordine provincialem egit
ac deinde ad Abulensem est episcopatum evectus *e*, *e*
familiarissime ac particulari quodam modo S. Ma-
trem cognovit; ipsa quoque vicissim eodem quo
solebat tenore, sinceritate et candore cum ipso de
spiritu et modo suo orandi egit, simul quoque uni-
versæ vitæ rationem ei reddidit. Qui mox facile
percepit quam insignes Deus Opt. Max. in anima
illa thesauros recondidisset : unde mirifice eam co-
luit, et amicitiam cum ipsa servavit. Atque in in-
formatione quæ de illius relatione in Sanctos facta
est, ait illam se ut insigniter sanctam et summarum
virtutum cultricem habere. Idem quoque testatur ac
de ea pronuntiat P. F. M. Didacus de Chaves,
Philippi II Hispaniarum regis confessarius *f*, qui, *f*
cum priorem in monasterio S. Thomæ Abulæ age-
ret, cum eadem egit et communicavit. P. F. Joan-
nes Gutierrez, regi eidem a concionibus, et F. Fer-
dinandus del Castillo, cujus quam de suo Ordine
composuit Historia eruditionem, doctrinam et spi-
ritum satis prodit *g*, ipsam quoque examinarunt et *g*
ipsius spiritum approbarunt. Magis vero in parti- E
culari P. F. M. Garcias de Toledo, generalis India-
rum commissarius *h* : hic enim magna cum particu- *h*
laritate cum illa egit et satis longo tempore cum ea
contulit; hic quoque ipsam Vitam suam scripto
jussit committere, et fuit is ad quem epistola illa
quæ in ejusdem fine legitur, scripta est *i*. *i*

13 P. F. M. Petrus Hernandez (quem Philippus *Hernandez,*
rex novæ Excalceatorum Reformationis visitatorem
et protectorem esse voluit, ut eam suo in exordio
tueretur et propugnaret), summæ vir doctrinæ,
magni spiritus et austeritatis, aliquot annis sanctam
Matrem cognovit et cum ipsa tractavit : illius
quippe prælati et confessarii vicem functus est.
Cumque eam initio magno cum timore et cautela
tractare cœpisset, postea tamen, quemadmodum et
cæteri omnes, manus dedit et cessit; ipsique exin
suis in fundationibus magno fuit adjumento : quin
et dicere non est veritus Teresiam a Jesu ejusque
moniales mundo reipsa declarasse fieri posse ut
et mulieres perfectionem sequantur euangelicam;
quasi diceret illam magno suo spiritu ac talento
facile et usitatum reddidisse quod hominibus vide-
batur arduum ac difficile. Non minus de sanctæ
Matris sanctitate ac spiritu alius ejusdem Ordinis F
provincialis dubitavit, F. Joannes Salinas dictus;
qui et P. M. Dominicum Bañezium (uti suo is testi-
monio affirmat) commonuit ne plus æquo mulie-
rum virtuti confideret aut crederet : quin imo male
eum habebat quod ille de Matris Teresiæ a Jesu
rebus tam eximie et præclare sentiret. Cui Domi-
nicus respondit illam prius alloqueretur et tractaret
quam aliquod de ea judicium ferret. Contigit porro
illum Toletum, ubi tum S. Mater agebat, concio-
num habendarum gratia mitti; ubi eam toto qua-
dragesimali tempore examinavit diversaque ejus
pericula fecit : quem illius mox sanctitas et virtus
ita rapuit et affecit, ut, quamvis ob multa negotia
perexiguum ei esset tempus, quotidie tamen ad
ejus Confessionem excipiendam eam adiret. Inter-
roganti eum deinde Magistro Bañezio quid ei de
Teresia a Jesu visum esset, respondit : « Decepisti
» me dicens mulierem esse : revera non est mulier,
» sed vir, et quidem de maxime barbatis *k*. » Quo *k*
loquendi modo heroicam ac magnam ipsius virtu-
tem, sanctitatem et valorem declaravit. P. F. M.
Didacus de Yanguas per octo annos S. Matris Te-
resiæ Confessiones excepit, vir ejusdem Ordinis

COLLECTA EX YEPES.

cumprimis gravis et eruditus. Hic illam confessus est magni spiritus mulierem fuisse, maximisque dotatam virtutibus; quin et particulares aliquot revelationes quas a Domino S. Mater accepit, refert, et suo in testimonio multas alias sanctitate S. Matris dignas laudes et excellentias congerit *l*.

l Ibañez

14 Idem quod isti Patres tam graves et docti, sensere de eadem alii plurimi ex eodem Ordine magistri, præsentati, regentes, et lectores. Præ cæteris P. F. Petrus Ibañez, qui postea collegii S. Gregorii Vallisoletani rector fuit, ei suis in principiis sexennio a Confessionibus fuit *m*; et particularem quemdam in undecim capita distinctum tractatum composuit, in quo permultas regulas et documenta e Sacra Scriptura ac Sanctis Patribus ad spiritus dignoscendos colligit et profert : quas omnes cum in spiritu sanctæ Matris locum habere videat, dubitare se non posse ait quin a Deo is sit. Equidem omnia hic referre cuperem quæ doctus ille Pater scripsit; sed pro hujus mei commentarii brevitate aliqua dumtaxat e tractatu illo desumam. « Omnia, ait, ejus verba, epistolas ac res omnes » plenas videbam humilitate, qua plurimum cupiebat ut errata sua miseriæque præteritæ omnium » paterent oculis ac vulgarentur sermonibus, » ægerrime ferens se ut bonam suspici. Quando » divinæ in ipsa gratiæ augebantur, conficiebatur » cura ne quis de se quidquam inaudiret neu » bonam inde de se opinionem conciperet. » Narratisque rebus quibusdam particularibus, ait : « Demum humilitas ejus est res incredibilis, uti » testantur quotquot plus cæteris cum ea agunt. » Inferius vero subdit : « Dico ad oculum patere Deum » huic mulieri favere et vera esse quæcumque » ad adstruendam ejus sanctimoniam dicere possumus. Domum S. Josephi erexit ex expressa » Dei revelatione; cujus vel magna illa quæ inibi » viget sanctitas evidens est argumentum. Religiosa hæc adeo puram habet conscientiam ut » quotquot ejus delicta in Confessione accipimus » et cum ea communicamus, uti et ejus sodales, » eam obstupescamus : dici namque potest quidquid » animo volvit, quidquid agit, Deum esse, et ad » honorem divinum ac spirituale animarum emolumentum referri. Itaque illam S. Josephi domunculam fundavit tanta perfectione instructam » quanta degentibus in terra mulieribus, imo et » viris, inesse possit. Quod si aliquid de eximio » fructu spirituali quem ex illius congressu, quot- » quot cum hac Dei serva colloquuntur, capiunt, » dicere voluero, numquam finem inveniet narratio. Nam quæ quoad hoc contingunt, stupenda sunt et insigne Dei miraculum. Nihil de » me hic dicere volo, qui ob demerita mea non » proficio; quamquam evidenter in me expertus » sum, ex quo cum ipsa agere cœpi, multis in rebus ita singularem Dei mihi adfuisse opem ut » liquido viderem eam cœlitus venire. Quare in » meipso non magis eam ut sanctam habere non possim quam dicere interius me ipsam non nosse *n*. » Multa mihi aperuit quæ solus Deus nosse poterat, quod essent res futuræ et quæ ad interiora » et profectum spiritus spectabant, quæque mihi » videbantur impossibiles : quas tamen quam verissimas fuisse deprehendi. » Et paulo inferius prosequitur : « Quidquid sanctæ huic revelatum » est, nonnisi in magnos et illustres spirituales » effectus, summam afflictorum consolationem et » singularem in divino amore profectum tendit. » Plus æquo prolixum foret, quidquid ei revelatum » est, narrare velle. Omnes quicumque haberi » Abulæ poterant aut illac pertransibant, viros doctos consuluit et cum iis suis de rebus contulit; atque inter cæteros sanctum quemdam hominem » ex Ordine S. Francisci, quem ipse novi, F. Petrum » de Alcantara dictum, virum singularis orationis » ac pœnitentiæ et zeli in professione sua. Sanctus » hic, esto non adeo magnis quæ eum excurrere » Abulam cogerent negotiis urgeretur, nihilominus a divina Majestate eo ut concederet impulsus est, ad hanc ancillam suam consolandam, » cum plurimos hisce in rebus haberet adversarios : » ille vero certam eam reddidit ac credere jussit » a Deo ea esse nullamque hic illusionem subesse; » ipsamque quoad modum quo Deum videbat, ac » revelationes et divinas quas habebat allocutiones, » plane illustravit et securam fecit. Quod autem » sanctus hic vir tantum illi tribueret ac deferret, » particularemque affectum et amicitiæ signa ei » exhiberet, factum est ut omnes ei contradicere » desinerent; atque exinde valde fuit quieta : adeo » ut quotquot ei ante adversabantur (erant autem » plurimi) et quotquot hac de re consulti fuere, » apertissime testentur spiritum hunc sine dubio a » Deo provenire, ita ut nulla in hoc subesset illusio. Et tametsi initio plurimi quam maxime » ei contradicerent et eam intimidarent, jam tamen omnes eam ut insignem Dei ancillam habent et quo possunt honore venerantur. »

alique viri docti Ordinis Prædicatorum;

15 Hæc et alia multa ille vir in hoc tractatu scribit; et aperte testatur, si omnia quæ de ipsa dicenda habet, dicere vellet, necesse sibi fore ingens volumen conscribere. Hæc ab eo relatio facta est sexennio postquam sancta Mater magis intime se Deo dare cœpit; et hodierna etiam die ipsiusmet Patris manu exarata in Excalceatarum monasterio S. Josephi Abulensi asservatur. Porro mirifice sancta Mater illi viro profuit : nam tametsi antea insignis Dei esset servus, postquam tamen cum ipsa egit, aliam vitæ rationem iniit et in virum sanctum evasit. Hujus Patris opera sancta Mater de orationis et vitæ suæ modo cum P. F. M. Mancio, primario Salmanticæ cathedratico, communicavit : et idem ejus quod aliorum omnium qui ipsam cognovere et tractarunt, de illa fuit judicium. Illius quoque Confessionem exegit et spiritum probavit P. F. Vincentius Varon, Officii S. Inquisitionis consultor et vir egregie doctus, qui illi Toleti agenti ad sesquiannum in Confessione et vitæ directione operam dedit *o* : quod illa obsequium sibi impensum egregie ei rependit; illius namque orationibus factum est ut ad magnam is vitæ perfectionem pervenerit. P. F. Præsentatus Philippus de Meneses, in collegio S. Gregorii Vallisoletano Theologiæ lector, cum tam multa de sancta Matre dici inaudisset, Vallisoleto Abulam venit, visurus annon cacodæmon ei illuderet, ut illam aut ab illusione liberaret et meliora edoceret, aut, si recta via incederet, illam, si quando alios de ea loquentes audiret, tueretur. Hanc ergo cum audisset, non potuit non honorifice de ea loqui. Confessa quoque est et contulit cum alio præsentato, cui nomen Lunar, et qui in monasterio S. Thomæ Abulensi priorem agebat. Hi omnes ejus spiritum et virtutes explorarunt, approbarunt et laudibus extulerunt : tantus namque ab eo splendor ac flamma emicabat, ut, tametsi tam singularia et extraordinaria ipsa haberet ut nemini non timorem incuterent, nemo tamen qui eam alloqueretur et cum ipsa conversaretur, de summa illius sanctitate, et quin omnes illi favores et gratiæ eximiæ a Deo provenirent, posset dubitare.

o

item PP. Ribera,

16 Non minus vero cum Patribus Societatis Jesu sancta Mater quam cum Dominicanis contulit. Quod

A Quod enim in duabus illis Religionibus tantam doctrinam nec non tantum orationis ac virtutum usum vigere cerneret, nullatenus sibi errare posse videbatur aut illudi, si illorum virorum doctrina, consiliis et monitis niteretur. Imprimis vero Matris Teresiæ a Jesu sanctimoniam divulgat et celebrat doctissimus Pater et Doctor Franciscus Ribera, qui cum magno omnium plausu in duodecim Prophetas Minores, S. Pauli ad Hebræos Epistolam et Apocalypsim S. Joannis Commentarium edidit; cumque aliis magni momenti rebus occuparetur, tanto tamen devotionis affectu et æstimatione erga admirabilem Matris Teresiæ a Jesu sanctimoniam et virtutes motus est, ut, nullo alio certe sibi scopo præfixo quam unica Dei gloria, utque tanta sanctitas illius in Ecclesia innotesceret, et ut ob particulares quasdam gratias quas ejus intercessione a Domino ipse receperat, gratum illi se exhiberet (quod ipsemet fatetur), jam senior et annis gravis de illius vita et miraculis integrum librum conscripserit : in quo, licet tam alta et heroica de sancta hac virgine referat, semper tamen pauciora quam rei dignitas exigit, atque infra ejus dignitatem se loqui existimat. Ut vero major scripto illius accedat auctoritas, tametsi ipsa scribentis auctoritas per se sufficeret, quod magnæ vir sit religionis et virtutum plurimarum, ipse in testimonio quod dat in informatione quæ de ejus canonizatione facta est, sub jurisjurandi sacramento confirmat quidquid a se libro illo descriptum est, verissimum esse. Quin imo quæcumque scripsit, serio et accurate inquisivit, omniaque quam potuit fidelissime scripto commisit; ut unicum hoc ejus testimonium ad tam singulari et admirabili virtuti fidem adjungendam sufficiat.

B

Henriquez, 17 Sanctam quoque Matrem diu cognovit et tractavit illustris ex eadem Societate Doctor P. Henricus Henriquez, eruditione et doctrina præstans, qui præclaros quosdam in Theologia morali libros composuit, multiplici scientia refertos. Huic magnum insedit desiderium vitam et revelationes hujus sanctæ examinandi; uti ipsemet in testimonio quod in informatione Salmanticæ circa ejus canonizationem instituta dedit, ingenue confitetur. Cum enim Hispali S. Matris, cum eo fundationis instituendæ causa profecta esset et ibidem anno integro moraretur ac magnis multorum exagitaretur afflictionibus, Confessiones toto illo tempore exciperet, eam per otium (uti ipsemet refert), præsente Roderico Alvarez, ejusdem Societatis sacerdote, viro sexagenario magnique spiritus et rerum experientiæ, qui et ipse tunc sibi persuadere non poterat tantas Dominum in sanctam Matrem virtutes et gratias contulisse, examinavit. Rodericum, ut dubitaret, movebat partim ipsa gratiarum magnitudo et singularitas, partim magna quam habebat ipse multarum deceptionum et illusionum diabolicarum, quas in multis, iisque notabilibus et quæ ut valde spirituales habitæ erant, personis compererat, experientia : unde etiam tractatum quemdam conscripserat, in quem multos casus particulares et varias spirituum discretionem edocentes regulas retulerat, et in quo primarium ejus intentum erat ostendere magnas ut plurimum hac in parte diaboli fraudes et illusiones, ac præsertim in mulieribus, subesse. Quocirca duo illi Patres pariter S. Matrem induxere (quod ita superior ejus tum mandasset) ut quidquid sibi hac in parte contigisset, scripto committeret ac sui rationem redderet, eam examinantes et interrogantes ac velut commentantes, omnesque illius libros, verba et scripta accuratissime perrimantes. Quam postquam toties et tam studiose singillatimque examinassent, mirifice ac per omnia eis placuit, et singularem ejus humilitatem, charitatem et admirabilem orandi modum magnamque discretionem et rerum spiritualium experientiam ad oculum perspexere. Itaque tandem supervacuum illum timorem quem hactenus habuerant, penitus deposuere. Omnia hæc expressa sunt P. Henriquezii verba, qui cœptum suum ad petita sermonem sic prosequitur : « Habuit Mater » admirabile donum in omnibus orationis gradi- » bus quos Sancti tradunt. Unde etiam Patres » Franciscus de Borgia, Societatis Jesu Generalis, » et Antonius Araoz, ejusdem Ordinis commissa- » rius, postquam cum ea egissent ejusque spiritum » examinassent, eum singulari et admirabili cum » elogio approbarunt, dicentes se, tametsi in multis » aliis personis multas cacodæmonis illusiones » experimento vidissent, quoad res tamen Matris » Teresiæ a Jesu plane certos et securos esse eaque » non aliter quam a liberali Domini manu data » amplecti. » Atque hoc esse ait quod ipse novit, nec non alia multa ad ejus perfectionem, vitam sanctam et eminens orationis genus spectantia. « Quæ, inquit, intellexi et sæpius referentes audivi » P. Gasparem de Salazar et P. Balthasarem Alva- » rez, Societatis Jesu sacerdotes, qui multis cum » ipsa annis communicarunt. Et, siquidem opus » foret, multas referre possem revelationes, et qui- » dem approbatas, quas sancta Mater Teresia a » Jesu insigni tum suiipsius tum aliorum pluri- » morum cum profectu habuit, quæ relatæ non » sunt in librum quem de vita illius quam ac- » curatissime et fidelissime Pater et Doctor Fran- » ciscus Ribera scripsit. »

C

COLLECTA EX YEPES.

D

E

Gonzalez, 18 Et hanc materiam prosequens, paulo inferius hæc addit : « Reperi in ipsa magnam et admirabi- » lem prudentiam et simul Christianam simplici- » tatem, animum generosum eumque excellenti » humilitate succinctum, adhæc simplicem in rebus » difficillimis erga superiores obedientiam. In acti- » bus charitatis aliarumque virtutum mire splen- » debat, et eos quibuscum agebat, ad similes vir- » tutum actus inflammabat et emovebat. Præterea » mortificationem et vitæ austeritatem cumprimis » sectabatur : adhoc pergratum illi erat quod » superiores et confessarii gravia, laboriosa sen- » sualitatique displicentia ei injungerent. Quin imo » in multis persecutionibus quas passa est (ut passa » est Hispali) animum præferebat invincibilem et » constantem, magnam quoque atque admirabilem » patientiam et in Deo fiduciam. Conscientiam ab » omni vitio et imperfectione purissimam conser- » vabat, magna cum animi pace et quiete conjun- » ctam, quam ei Dominus concedebat. Quin imo » cum ex ipsa tum ex P. Martino Gutierrez rectore » Societatis Jesu Salmanticæ didici dono prophetiæ » illam a Deo donatam fuisse. » P. Ægidius Gonzalez *p*, Castellanæ provinciæ præpositus et visitator Societatis Jesu, magni in ea nominis multisque virtutum ornamentis conspicuus, duodecim et amplius annis Matris Teresiæ a Jesu Confessionem excepit, familiariterque cum ea tractavit; et ipsa ei communicavit res sui spiritus, revelationes ac visiones quas in suo libro descripsit. Is de ejus sanctitate testimonium ferens sic loquitur : « Fuit » Mater Teresia a Jesu magni spiritus mulier, et » cum Domino Jesu Christo familiariter admodum » est conversata; in qua sublimissimam et altissi- » mam orationem, continuam cum Domino præ- » sentiam, simul et magnam quamdam erga ea » quæ humilitatis sunt propensionem adverti : » itaque permultæ fuere visiones et revelationes » quas

F

p

COLLECTA EX YEPES.

» quas a Domino accepit. » Et paulo post : « Per-
» spexi maximis illam virtutibus dotatam fuisse,
A » atque imprimis spe singulari : numquam enim
» eam de re ulla quam aggrediebatur et executioni
» mandare volebat, anxiam aut dubitantem vidi.
» Semper enim in Deo confidebat, idque per media
» quibus numquam ea ad exitum deducenda puta-
» batur; maximasque difficultates perfringendo,
» quidquid perficere decreverat, exitum sortie-
» batur. »

Perez,

19 Addam his alia id genus testimonia. Unum est alterius cujusdam provincialis ejusdem Ordinis, non minus prudentis et docti quam fuit superior ille, Patris, inquam, Bartholomæi Perez, qui plusquam decennio cum S. Matre communicavit, itaque de eadem testatur : « Mater Teresia a Jesu magni
» spiritus et orationis mulier fuit : quotiescumque
» enim cum illa egi, semper eam de rebus spiri-
» tualibus magno cum spiritu zeloque Religionis et
» animarum boni loquentem audivi; e quo colli-
» gere est illam Dominum sua in memoria quam
» præsentissimum habuisse. De eo autem tanto
» loquebatur cum fervore et sensu ut vere se
» summo Dei ac proximi amore æstuare ostende-
B » ret; ut, quoties cum ipsa agebam ipsamque lo-
» quentem audiebam, ita ædificatus essem et ad
» Deo serviendum animatus ut non sine ratione et
» tum mihi visum sit et modo etiam videatur illam
» ut sanctam habendam ac suspiciendam esse.
» Atque idem fuisse audio judicium omnium
» eorum qui cum ipsa agebant : nemini enim non
» mirum sanctitatis odorem afflabat. Multi viri do-
» ctrina, spiritu et vitæ sanctitate conspicui illius
» spiritum approbarunt. Et quæcumque sanctam
» Matrem tractantem negotia vidi, tanta eadem
» luce et cognitione ab illa notavi tractari ut
» magnam illam rerum notitiam et facilitatem
» effectum quemdam esse censerem continuæ illius
» communicationis et orationis quam cum Domino
» habebat. Quod et ab aliis qui eamdem explora-
» runt, notari observavi. » Et infra : « E conver-
» satione et communicatione quam cum sancta
» Matre habui, cognovi eo modo quo cognosci
» potest, eam in gradu heroico fide, spe ac caritate
» dotatam fuisse, et in particulari ingenti Dei et
» illius gloriæ et salutis animarum amore, nec non
» virili constantia ac generositate in iis quæ ad
» Domini nostri Jesu Christi obsequia spectabant
C » cœptis prosequendis, nullas ut persecutiones aut
» hominum obloquia curaret. Speciatim vero au-
» divi quædam illius apud religiosos qui ipsam
» visitationis causa adierant, colloquia de ingenti
» fidei zelo, cujus potissimum intuitu sua mona-
» steria fundare cœpit. Perspexi denique dictam
» Matrem omnigenis virtutibus, et quidem in
» summo perfectionis gradu, dotatam fuisse. »
Hactenus illius verba.

Ripalda

20 P. M. Hieronymus de Ripalda Societatis Jesu, cum Salmanticensis collegii rectorem ageret, ac prius cum Abulæ moraretur, quadriennii spatio beatam Matrem Teresiam a Jesu tractavit ejusque Confessiones excepit. Qui de illius sanctitate interrogatus sic respondit : « Mater Teresia a Jesu
» magni spiritus mulier fuit sublimeque orationis
» genus habuit; cujus adminiculo Dominus multa
» ad suum obsequium spectantia ipsi communica-
» vit, quæ ipsa dein mecum diversis temporibus
» contulit : atque inde magnam de alta ejus ora-
» tione et ea quam ei Deus communicabat luce
» opinionem concepi. Egit illa cum doctissimis et
» gravissimis quos tunc temporis hæc provincia
» habuit Societatis nostræ viris, uti fuere Doctor
» Araozius, commissarius Patris Generalis, P. Li- D
» centiatus Martinus Gutierrez, collegii Salmantini
» rector, P. Balthasar Alvarez, qui in Toletanæ
» hujus provinciæ administratione decessit, et quo,
» omnium dictæ Societatis religiosorum judicio,
» nullus erat in rebus spiritus tractandis eisque
» cognoscendis versatior ac peritior, atque ideo re-
» rum spiritualium præfectum prope semper age-
» bat. Hic prædictæ Matris Teresiæ a Jesu sexen-
» nio toto confessarius fuit, et de illius spiritu ac
» rebus cum P. Francisco de Borgia contulit.
» Omnes porro illi quos dixi Patres ipsum Matris
» Teresiæ a Jesu spiritum approbarunt et com-
» mendarunt. » Et inferius : « Mater Teresia a
» Jesu insigni fide, spe et caritate dotata fuit : no-
» minatim vero in ipsa observavi exactam et ex-
» traordinariam erga confessarios suos obedien-
» tiam in omnibus quæ ei mandabant, nec non
» singularem in Domino adversus omnigenas quæ
» occurrebant difficultates fiduciam, et insignem
» Dei timorem cum continua in rebus suis de se
» ipsa cautione, excellentem quoque humilitatem,
» qua sua et spiritum suum cum viris apprime
» doctis et spiritualibus conferebat, denique exem-
» plarem patientiam, qua omnes quæ sibi irroga- E
» bantur injurias æquissimo animo perferebat. »

et alii e Societate Jesu;

21 Alius ejusdem Societatis Pater, cui nomen Joannes de Aguila, qui sanctæ Matris confessarius fuit eamque tractavit, idem pene dicit; et addit se, præterquam quod in sancta Matre tres virtutes theologicas in summo gradu et maximo incremento notaverit, ex luce illa quam ei Dominus in oratione communicabat, magnam Fidei nostræ mysteriorum notitiam et Sacræ Scripturæ intelligentiam in ea observasse : esto enim indocta esset mulier, tamen multa ejusdem loca in sensu catholico et certo secundum Sanctorum Doctorum spiritum et mentem intelligebat; deque Deo tam sublimiter et alte sentiebat ut ad oculum pateret quam illi familiaris esset : atque inde, meo judicio, magna illa in rebus agendis et cunctis operationibus ejus circumspectio et prudentia proveniebat. Finem non invenirem, si omnes Societatis Jesu Patres qui ipsam novere ejusque Confessiones audiere et magna cum prudentia et cautela spiritum illius approbarunt, recensere vellem. Inter quos fuit P. Martinus Gutierrez, Salmantini collegii rector, vir doctus et concionator egregius, magnique spiritus et ora- F
tionis. Dein P. Salazar, rector collegii Conchensis, qui, uti P. Henriquez suo in elogio prodidit, multa et præclara de Teresiæ sanctitate retulit, cumque Abulæ rectorem ageret, mirifice eam adjuvit eique favorem præstitit *q*. Tum vero P. Santander, *q*
Segoviensis collegii rector; necnon Doctor Paulus Hernandez, Inquisitionis Toletanæ consultor, qui de ea dicere solebat : « Magna est Mater Teresia a
» Jesu quoad dotes naturales, sed major quoad
» supernaturales *r*. » Cum omnibus hisce Patribus, *r*
doctis æque ac gravibus, occasione fundationum suarum sancta Mater communicavit; qui omnes idem prorsus de ejusdem sanctitate, virtute et spiritu tulere judicium. Quin et aliis non paucis S. Mater confessa est; quorum nonnullorum, quid de ipsius perfectione et sanctitate senserint, testimonia hic depromam.

necnon Gaspar de Villanueva

22 Licentiatus Gaspar de Villanueva, multæ vir eruditionis et Malagonensis oppidi vicarius, sanctæ Matri, ibidem dum ageret, aliquot mensibus a Confessionibus fuit, hocque de illa testimonium dat : « Mater Teresia a Jesu maximi spiritus fuit mulier,
» nec non excellentis cum Deo conversationis, et
» quæ suiipsius ac commodorum suorum oblita, in
» omnibus

A » omnibus honorem et gloriam Dei quæsivit; ad-
» hæc fide, spe et caritate in heroico et sublimi
» gradu dotata fuit. Humillima erat et cumprimis
» obediens, summæque castitatis, et in aliis virtu-
» tibus mirum in modum provecta : omni enim
» tempore quo cum ipsa egi illique a Confessioni-
» bus fui, tantam vitæ puritatem prætulit ut num-
» quam aliquid tum opere tum verbo in ipsa
» vidisse me meminerim quod reprehensionem
» mereretur, sed omnia maximæ ædificationis et
» exempli; adeo ut mihi ipsa videatur fuisse unum
» e prodigiis illis quæ Deus in terra ostendit ut
» ab hominibus glorificaretur. »

et Christophorus Colon.

23 Magister Christophorus Colon, archiepiscopatus Valentini visitator generalis, sæpe sanctæ Matris Teresiæ a Jesu Confessiones excepit, cum ipsa communicavit et familiariter egit; atque in informatione quæ Valentiæ facta est, ait hæc verba : « Ego censeo Matrem Teresiam a Jesu fuisse unam » e maxime singularis spiritus mulieribus quas » umquam in terra vidi; esto cum aliis plurimis » variis in regionibus et provinciis tractaverim. » Etenim orationis adminiculo præclarissima a Do-
» mino obtinuit : habuit autem imprimis vivam
B » spirituum notitiam et discretionem, qua fiebat ut,
» tametsi cum varii status et conditionis hominibus
» ageret, quod tamen uniuscujusque spiritui conve-
» niebat et in status sui ordine postea ei eventurum
» erat, apertissime detegeret et attingeret. » Et infra : « Excellentem habuit fidem, spem et caritatem, » adeo quidem ut nihil timeret neu animum con-
» traheret, quantumlibet ei omne humanum auxi-
» lium deesset; unde etiam dicere solebat : Fideles
» simus ei qui datam fidem frangere non potest.
» Si quis vel solum eam intuitus esset, ipsa inte-
» rius respondere videbatur ad ea quæ mens scire
» desiderabat; adeo ut, si quod quis dubium habe-
» bat, eam necesse non esset interrogare ut illud
» resolveret. » Et addit deinde : « Illius humilitas
» erat sincera et candida; cui similem in nulla pura
» creatura, quantaslibet ipse toto vitæ meæ cursu
» tractavi, perspexi. Unde etiam omnem favorem
» ac laudem humanam et quidquid huc spectare
» videbatur, fugiebat. Illius circumspectio casta et
» honestas erat tam magna ut hoc a Domino con-
» secuta donum videretur ut quotquot eam intue-
» bantur, nescio quam iis ipsa honestatem affri-
» caret; adeo ut impossibile videretur aliquem
C » inordinato in ipsam amore ferri. » Omnes quos hactenus retuli, sanctæ Matris confessarii fuere.

§ III.

Testimonium virorum sanctorum qui Sanctæ Matris vitam et libros judicio suo approbarunt.

Quibus consentiunt S. Ludovicus Bertrandus,

Licet omnes quos diximus hactenus, multarum virtutum et sanctitatis eximiæ viri sint, jam tamen referre et depromere volo eos qui admirabili et nota sanctitate floruere, et quod horum de sancta Matre fuerit judicium, paucis perstringere : qui enim ea quæ Dei sunt, vere gustarunt et experti sunt, dono sapientiæ magna cum certitudine de sensibus et effectibus e spiritu divino natis judicant. Sicut is qui bonum habet gustum et palatum vino delicatissimo jam assuetum, si quis ei acetum aut aliud crudum vel factitium vinum porrigat, statim per gustus experientiam multo clarius percipit vini differentiam quam is qui solo visu aut odore vel gustum depravatum habens id vellet discernere. Multi ergo viri spirituales, qui plurima haud dubie a Domino acceperant similia iis quæ et in sancta Matre ipse operabatur, spiritum ejus approbarunt. Inter hos fuit imprimis sanctus P. F. Ludovicus Bertrandus, cujus sanctitas tam intra quam extra Hispaniam notissima est; prout liquet (ne de plurimis ejus miraculis loquar) ex eo quod canonizationis ejus causa jam admodum promota sit. Sanctus hic vir non sine divina revelatione permagni fecit sanctæ hujus virginis vitam admirandasque virtutes et propositum reformandi Ordinis ab ea conceptum; atque adeo ad opus hoc divinæ gloriæ promovendæ tam accommodatum inchoandum litteris Dei nomine scriptis eam animavit *s*.

COLLECTA EX YEPES. D

s

Ven. Joannes de Avila,

25 P. M. Joannes de Avila, habitus nostris temporibus vir vere euangelicus, et quo fideliorem ac zelosiorem jam abhinc multis sæculis Ecclesia Dei ministrum non habuit, cujusque virtutes et vita fuere tam singulares ut P. Ludovicus Granatensis E singulari eas libro descripserit. Ut ergo sanctus hic vir spiritum ac revelationes sanctæ Matris examinare posset, ipsa confessariorum suorum jussu suam Vitam scripsit *t*. Hanc ille accurate expendit; *t* scripsitque epistolam in qua aliquot rationibus sanctæ Matris revelationes et spiritum probavit. Imo vero religiosissimus P. F. Ludovicus Granatensis, sancti illius viri Vitam dum scribit, inter alia evidentia argumenta quibus illum spirituum discernendorum donum habuisse probat, hoc ut singulare producit, quod nimirum in Matris Teresiæ spiritu examinando et approbando scopum optime tetigerit. Hæc autem ejus sunt verba : « Contigit quoque ut insignis quædam religiosa, » cui nomen Teresia a Jesu, nostra hac ætate » notissima (etsi initio a multis qui ejus spiri-
» tum ignorabant, persecutionem pateretur), cum
» se ab aliquibus premi et exagitari cerneret,
» cujusdam e S. Inquisitionis officialibus consilio
» ad Patrem Avilam, ob magnam illius in rebus
» spiritualibus peritiam et experientiam, recur-
» sum haberet, eique totius vitæ suæ rationem
» redderet : qui cum quid rei esset, satis intellexis-
» set ejusque spiritum perdidicisset, in epistola F
» quadam ei respondit non esse quod se amplius
» inquietaret, at certa et secura esset nullam in
» rebus suis illusionem subesse, quod omnia a
» Deo proficiscerentur. » Quo testimonio et ipse Ludovicus Granatensis sanctæ Matris Teresiæ a Jesu sanctitatem confirmat ejusque spiritum approbat *v*.

v

S. Petrus de Alcantara,

26 P. F. Petrus de Alcantara, magni vir spiritus multæque orationis, qui sua industria et labore Patrum Franciscanorum Excalceatorum Ordinem reformavit et ad magnam perfectionem eduxit, fuit inter præcipuos qui singulari quadam ratione cum sancta Matre tractarunt; et in eo vicissim ipsa insignem spiritum et vitæ sanctitatem perspexit. Ille quoque fuit qui præ cæteris sanctam Matrem (uti ipsa in sua Vita scripsit) securam reddidit, eam ad Alvari Mendozii episcopi Abulensis notitiam perduxit, atque auctoritate et bono quod apud eum habebat nomine tantum apud episcopum potuit ut hunc ad facultatem primi monasterii fundandi concedendam permoverit. Quod vero majus, tanta apud Abulenses omnes P. F. Petri de Alcantara erat auctoritas, tamque bene de eo opinabantur

 universi,

COLLECTA EX YEPES.

universi, ut, cum in principio, dum primum Dominus tantas sanctæ Matri gratias conferre incipiebat, multi de illius confessariis, litterati alioqui et graves viri, spiritum Dei eum esse negarent, sola Patris hujus auctoritas suffecerit ut contrarium postea de ea crederent, eosque ipse mentem et opinionem priorem mutare coegerit. Imo vero sanctus hic vir dicere solebat inter eas animas quæ tunc temporis majore in mundo sanctitate florebant, sanctam Matrem Teresiam a Jesu referendam videri et primam pene existere; atque adeo, una excepta fide, nihil sibi esse certius ac manifestius quam spiritum illius a Deo esse. Unde etiam illi in ejus laboribus, difficultatibus et fundationibus insigni adjumento fuit. Hi duo quos dixi viri tam sublimis sunt spiritus tamque admirabilis sanctitatis, et eas habuere virtutes vitaque tam fuere conspicui, ut in Sanctorum referri numerum digni sint. Primi Vitam scripsit P. F. Ludovicus Granatensis; alterius vero, Petri, inquam, de Alcantara, ipsa sancta Mater paucis verbis heroicas virtutes perstringit *w*.

w

S. Franciscus de Borgia, P. Balthasar Alvarez,

27 In hunc virorum spiritualium et insignium Dei servorum numerum referre possumus P. Franciscum de Borgia, Societatis Jesu Generalem, sanctimonia vitæ imprimis conspicuum, nec non P. Balthasarem Alvarez, quorum jam supra mentionem fecimus. Hi quænam sanctitatis pignora Dominus in beata Matre Teresia a Jesu posuisset, satis superque et viderunt et testati sunt. Atque imprimis P. Franciscus de Borgia ita erga eam affectus mansit, itaque ejus spiritus illi satisfecit et placuit, ut de illa numquam nisi quam honorificentissime et magna cum laude loquerctur, et, postquam semel cum illa egit, semper exinde illi litteras miserit, ne tam sanctæ fœminæ communicationem amitteret. Porro P. Balthasar Alvarez, vir singulari dotatus spiritu multæque orationis et qui Toletanæ provinciæ præfuit, ad multos annos ei confitenti aures dedit, multisque eam mortificationibus exercuit, et alia ad ejus spiritus periculum faciendum tentamina præmisit; e quibus spiritus illius puritatem sinceritatemque indies magis et magis perspiciebat, idque cum insigni ipsiusmet profectu et admiratione, singularia dona in ipsa agnoscendo.

P. Rodericus Alvarez,

C

28 Inter hujusmodi viros numerabo quoque P. Rodericum Alvarez, virum heroicarum et illustrium virtutum, qui S. Matris spiritum (uti jam supra P. Henricus Henriquez testatus est) et examinavit et probavit. De qua re particulare quoddam testimonium dat licentiatus Ferdinandus de Mata, Hispalensium prædicator et vir cumprimis spiritualis; qui suo in elogio, postquam idem quod alii de illius spiritu testatus esset, addidit : « Audivi P. Rodericum Alvarez Societatis Jesu, qui » Matris Teresiæ a Jesu confessarium egit, dum » ipsa Hispali habitaret, spiritum illius laudantem » et approbantem quasi admodum certum : quod » ille Pater judicium de ea tulit, postquam eam » accurate explorasset et Dominum in oratione » rogasset ut lucem sibi et notitiam daret ad rei » veritatem intelligendam. Porro P. Rodericus » Alvarez habitus est pro viro cui Dominus spi» rituum discernendorum donum dederat; unde » et hujusmodi in rebus S. Inquisitionis asses» sores eum nonnumquam consulebant : semper » quoque eum ut virtutis ac religionis exemplar » ac magni spiritus virum tum domestici tum » externi suspexere. Quem nonnumquam audivi » dicentem, Dominum S. Matri multa ad suum » obsequium spectantia per orationem communi» casse, quæ in libris qui de illius vita perscripti » sunt nec non aliis chartis manu exaratis legi. D
» Quin et ex eodem P. Roderico, qui generalem » illius Confessionem exceperat, audivi ipsam par» ticulare quoddam castitatis donum habuisse at» que in virginitate æque integram et corpore » intactam fuisse ac S. Catharinam Senensem; et » quamdam perspiciliorum thecam producens, di» xit : Quemadmodum impossibile est ut theca hæc » habeat cogitationes aut sensum carnis, ita et » Teresiæ impossibile id erat ob particulare casti» tatis et puritatis quod a Deo acceperat donum. »
Hanc Pater iste, rerum spiritus adeo peritus et zelosus Dei famulus, approbationem de ea tulit, postquam multa jejunia, orationes et alia plurima examina hanc ob causam præmisisset. Cumque quadam die in collegii sui choro in oratione ageret, Dominus ei e variis Sacræ Scripturæ locis declaravit spiritum beatæ Matris esse bonum et sua manu profectum : unde ex illo tempore passim omnibus evulgare ipse cœpit spiritum illum a cœlo venisse; quin etiam provincialem suum, qui tum erat P. Didacus de Acosta et de hac re quoque dubitabat, revelationis sibi in oratione factæ certiorem reddidit. Provincialis porro sancti hujus Patris, adeo rerum spiritualium periti et spiritualis, testimonio E
et informatione motus, illico dubitationem suam deposuit, et tam recte de sancta Matre sensit, idem de illa testimonium tulit atque perinde quoad ejus spiritum securus fuit ac reliqui omnes quos dixi» mus hactenus.

Julianus de Avila,

29 Hunc quoque in numerum hic referam P. Julianum de Avila, majorem Excalceatarum Abulensium sacellanum, virum vitæ exemplaris et plurimarum virtutum, quem etiam ut talem omnes cives Abulenses habuere : quod satis in illius morte patuit, quando ejus jam defuncti corpus et reliquias ut Sancti alicujus (qualis et vere erat) coluere et venerati sunt. Fuit sanctus hic vir perpetuus sanctæ Matris socius, ac viginti annorum spatio cum ipsa egit, et in ejus fundationibus eam comitatus est; cumque admirabiles ejus virtutes assidua frequentatione et usu perspexisset, quemdam de iis quæ vidit et reipsa expertus est quoad ejus sanctitatem librum conscripsit *x*. Ex testimonio porro quod pro sanctæ Matris canonizatione tulit (amplum sane id est ac magnum) breves hasce quæ sequuntur sententias deprompsi : « Ego, inquit, cir» citer viginti annos sanctam Matrem frequentavi, » cum ea sum conversatus, ei confitenti aures dedi F
» et Sacram Communionem ei porrexi : quin et in » omnibus fundationibus quæ ei occurrerunt, » usquedum Dominus eam ex hac vita sustulit, » eam sum comitatus eique servivi. Habuit ipsa » fidem admodum vivam, spem tam claram et » raram quam alios Sanctos habuisse constat, et » charitatem adeo ferventem ut eam nec labores » nec contradictiones nec obloquia nec exiguus » hominum erga ipsam affectus neque aliæ res » ullæ, quas nimis quam longum foret referre, in » charitate et amore erga Deum, quem in omnibus » declarabat, frigescere facerent; adeo ut non sine » ratione dicere posset illud Apostoli : Quis nos » separabit a charitate Christi? Ego velut testis » oculatus dico nihil aut adversi aut prosperi, nihil » quod ad facultates, honorem aut vitam perti» neret, neque demum aliud quid satis fuisse ut » ab iis quas cœperat fundationibus perficiendis » desisteret; utpote quæ secura esset Deum sibi » minime defuturum. » Et paulo inferius : « In » rebus supernaturalibus quas in ea Deus faciebat, » et in ope quam illi in fundationibus præstabat, » superabat gratias illas quas multis Sanctis anti» quis

x

A » quis Deus præstitit; cum tam mirabilia et stu-
» penda illius opera Deus faceret. » Et alio in
loco : « Nemo negare poterit aut dicere audebit
» quin Dominus in Matris Teresiæ a Jesu rebus
» ita se eminentem præstiterit quantum in maxime
» insignibus et præstantissimis quos Ecclesia Dei
» habet Sanctis. Ego velut testis oculatus dicere
» audeo eam res æque supernaturales habuisse ac
» maxime a Deo amati Sancti habuere. Ego quo-
» vis ferme die porrigebam ei S. Communionem,
» et plerumque in ecstasi remanebat. Eo tempore
» Dominus illam tantis tamque eximiis cumulabat
» favoribus ut quidquid ipsa fassa fuerit, id parum
» sit præ iis quæ circa res supernaturales Domi-
» nus ei dabat intelligere. Inter hæc tam sublimia
» quæ eam Deus sentire faciebat, dabat et alia
» quædam quæ dici et aperiri poterant; atque hæc
» sunt quæ ipsamet tam vere scripto commisit.
» Equidem illo viginti annorum quo cum ipsa egi
» spatio numquam eam adverti aut intellexi ullum
» peccatum veniale scienter et volenter fecisse; et
» mihi constat numquam ipsam ullum facturam
» fuisse, esto quidquid in mundo est, per hoc
» lucrari potuisset. Scio præterea tantam et tam
B » continuam illi orationem Deique præsentiam
» fuisse, ut, quo illam ferre posset, per aliquot ex-
» terna negotia quæ ad monasteriorum suorum
» regimen et augmentum spectabant, diverti et
» occupari eam oporteret; ordinarium quoque illi
» fuisse cum Deo de suis rebus communicare et
» colloqui, et Deum vicissim illi loqui et multa
» quæ ad fundationes monasteriorum spectarent,
» majori ei cum familiaritate aperire quam de
» multis Sanctis legimus. Et hoc plerumque fiebat
» post sumptam Sacram Communionem. »

episcopi plures 30 Volo quoque hic commemorare episcopos et alios prælatos Hispaniæ, graves æque ac doctos, qui, postquam cum Matre Teresia a Jesu egissent, idem de illa vivente dedere judicium quod universa Ecclesia de illa jam mortua. Primus sit Theotonius de Braganza, archiepiscopus Eborensis, qui magnam cum S. Matre familiaritatem et notitiam habuit, ac identidem se ideo felicissimum reputabat quod eam in hac vita novisset, quique ante Teresiæ mortem, ipsa non mandante, librum de Via perfectionis, quem in monialium suarum usum sancta Mater conscripserat, in Lusitania typis excudendum
y C curavit *y*. Secundus sit doctor Velasquez, ex canonico Toletano episcopus Oxomensis, ac deinde Compostellanus archiepiscopus. Canonicum is cum ageret, expresso Domini jussu eum sancta Mater in suum confessarium delegit; et ipse postquam eam frequentasset ejusque Confessiones excepisset, tantam erga ipsam devotionem et affectum concepit, tamque præclare de heroicis ipsius virtutibus sensit, ut, cum Oxomensis episcopus esset, ipsam evocarit ut Soriæ in diœceseos suæ oppido monasterium constitueret, eamque primum in domum suam ingredientem, genu flexo exceperit : tanta scilicet is in sanctam veneratione ferebatur. Quo illa honore ita erubuit atque umquam alias in vita erubuerat *z*. Alvarus de Mendoza, episcopus Palentinus, beatam Matrem ut sanctam suspiciebat, et ut talia omnia quæ ad ipsam spectabant, reputabat; et, licet in principio illius fundationibus aliquod subjicere vellet impedimentum, ita tamen postea quoad spiritum Dei qui in sancta Matre commorabatur, securus et confirmatus fuit, ut exinde numquam se de re ulla, quantumvis impossibilis ea videretur, dubitasse dixerit, dummodo Teresia eam affirmaret. Cumque in principio omnes occlamarent ac dicerent stultitiam esse mulierem rem tam arduam, uti erat nova Ordinis reformatio, ordiri et suscipere velle, ipse vero e rerum successu videret ad oculum quam ipsi male sentirent, dicere solebat : « Sane » nos stulti sumus; ipsa vero et sapit et sancta » est. » Unde etiam summus beatæ Matris amicus exstitit, ipsamque, uti et Religionem ejus, quibuscumque potuit modis, tam in exordio quam omni eo quo vixit tempore, egregie juvit ac protexit. Archiepiscopus Hispalensis Christophorus de Rojas illius intimus ac familiarissimus exstitit, atque adeo et indefessus Religionis illius patronus et protector. Archiepiscopus vero Burgensis Christophorus Vela, qui Excalceatarum conventus Burgis erigendi, quem sancta Mater ibidem fundavit, fundationi ante totis viribus obstiterat, tam præclaram de ipsa postea opinionem concepit ut in quadam quam in hoc ipso conventu deinde habuit concione, magna cum animi teneritudine et pene cum lacrymis, multis eam laudibus cumularit, seipsum accusans quod in licentia illi ad hoc danda tam difficilem et tardum se præbuisset.

COLLECTA EX YEPES.
D

virique alii permulti

31 Didacus de Covarruvias, episcopus Segoviensis et Castellæ præses, inter viros doctissimos illius regni nominandus, maximo sanctam Matrem honore affecit et optime præclareque de illius sanctitate sensit : quæ etiam opinio cognato ejus Joanni Orozco de Covarruvias, episcopo Gaditano, insedit; quemadmodum videre est e libro quem hic de vera et falsa prophetia conscripsit. Quin etiam hodie in vivis sunt quatuor episcopi qui sanctæ Matris Teresiæ confessarii fuere : doctor Mansius episcopus Calagurritanus, doctor Sierra Palentinus *aa* et doctor Castrius Segoviensis; qui omnes, prout par est, virtutum quas in sancta Matre usu didicerunt et manibus prope palparunt, excellentiam et sanctitatem mire deprædicant : quartus ego sum, qui quid de illa sentiam, neque hoc libro nec multis aliis pro rei dignitate exponere potero; attamen ad solamen meum et ad mea erga hanc sanctam debita solvenda hæc lineamenta exaro, et quod intractabilis calamus meus attingere non potest, lingua suppleo : a multis quippe annis (id quod bene norunt viri tota Hispania gravissimi, quibuscum pro meo confessarii regis Philippi II munere me agere oportuit) jucundissima mea conversatio est virtutum hujus sanctæ præconem agere, sanctitatem ejus venerari ac filios filiasque ejus juvare; ad quod non alia me movent quam gloria Dei et zelus animarum, nec
F non ea quibus Teresiæ obstrictus sum nomina, uti et profectus meus spiritualis. Inter viros ecclesiasticos et religiosos referre quoque possumus Ferdinandum de Toledo, ducis Albani filium, magnum Ordinis S. Joannis priorem; qui, quod sanctam Matrem in vivis agentem vidit et cum ea versatus est, profundam ejus humilitatem, admirabilem sanctitatem et virtutes statim perspexit. Etiam inde ab eo tempore quo eam frequentare cœpit, eam ut sanctam in cœlo agentem et dignam quæ etiam in terra, publica Romanæ Sedis approbatione, ut talis coleretur, suspicere incepit. Unde ut insigne aliquod Deo obsequium præstaret utque ostenderet quo in sanctam Matrem affectu ferretur, cum ex hac vita decessit (triennio videlicet aut quadriennio post sanctæ Matris mortem), quatuordecim aureorum millia testamento legavit, qui in annuos reditus assignarentur atque in sumptus canonizationis impenderentur : quin et aliam facultatum suarum partem conventui in oppido Consaburano monialibus Excalceatis fundando dedicavit; atque hæc omnia in Dei honorem ac Teresiæ venerationem præstitit.

E

aa

dignitatibus ecclesiasticis

32 Quamvis vero eam in vita non noverint, mortuam

COLLECTA EX YEPES.

A mortuam tamen eam ut sanctam et canonizatione dignam, idque actis et testimoniis publicis, multi graves in Hispania viri censuerunt. Inter alios patriarcha et archiepiscopus Valentinus Joannes de Ribera, cum in fundatione cujusdam collegii quod instituit, notabiles duplices portiones et collationes legasset, quibusdam per annum festivitatibus et diebus quibus nonnullorum Sanctorum memoria agitur, percipiendas, inter Sanctos hos etiam refert Matrem Teresiam a Jesu, ut ei post canonizationem perinde ac cæteris celebritas institueretur : quippe jam tum illius canonizationem, de qua nemo dubi-

bb tabat, ut certam habebat *bb*. Laurentius de Otaduy, Abulensis episcopus, vir doctissimus et egregie pius, decem aureorum millia dedit e quibus Abulæ Excalceatis Fratribus monasterium construeretur; et in pactis quæ cum Ordine instituit, inter cætera hanc fundationem tum ad Dei Opt. Max. tum ad beatæ Matris Teresiæ a Jesu honorem et gloriam fieri ait. Neque vero mirum est ipsam ab illo beatam appellari, cum sæpius repetat et inculcet sanctam Matrem Teresiam a Jesu non minus apud se canonizatam esse quam S. Catharinam Senensem. Nam quod ejus loci in quo S. Mater nata et educata

B erat, episcopus esset, illius excellentes virtutes et sanctitatem optime perspectas habebat. Omnes ergo quos hactenus commemoravimus viri, nec non alii plures quos studio omittimus, tam graves, tam sancti et docti tantæque dignitatis et auctoritatis, cum sanctam Matrem Teresiam a Jesu cognovissent eamque frequentassent, sanctitatem illius ad unum omnes approbarunt. Nescio vero quod majus aut amplius excogitari (hac quidem in parte) de quopiam Sancto testimonium queat, aut quod exactius Ecclesia examen instituere, excepta illa approbatione quæ vel a Generali Concilio vel a Sede Apostolica proficiscitur, quod adeo sit sufficiens et efficax atque hoc quod de sancta Matre factum est; cum tot archiepiscopi, episcopi, provinciales, Religionum superiores, magistri et doctores S. Theologiæ, viri spirituales æque ac sancti, quibuscumque viis et modis multo tempore mulieris hujus sanctæ spi-

cc ritum examinarint *cc*. Illorum viro numerus, qualitates, elogia, dignitates nimis quam sufficientia sunt, non ad unum dumtaxat, sed ad multa provincialia Concilia digne instituenda; ut eis nec caput nec membra nec doctrina nec virtus nec numerus nec

C aliæ partes ad ipsum necessariæ deessent.

ac sæcularibus spectabiles. *dd* 33 Personarum sæcularium quæ sanctam Matrem cognoverunt et magni fecerunt *dd*, mentionem hic facere nolo; quod æquo longiorem ac prolixiorem prologum hunc facerem. Unum dumtaxat hic referam, qui instar sit omnium quos afferre possem, Philippum II Hispaniarum regem; cui sancta Mater, dum viveret, litteras scripsit, quemque de aliquibus rebus certiorem fecit, nec non alia quædam ab eo in gratiam Ordinis sui postulavit, quæ ipse ei magna cum liberalitate concessit. Atque adeo litteris et opinione quam de ipsa conceperat, motus, particularis Religionis illius pater fuit et

ee protector *ee*. Idem fecit imperatrix Maria, nec non principissa Joanna; cujus petitione et instantia Madrito sancta Mater pertransiit apud Excalceatas S. Claræ hospitatura. Non minor fuit erga eam devotio Christianissimi regis Franciæ, qui ad postulationem et preces cognatæ suæ ducissæ de Longavilla, et præsertim ob affectum erga sanctam Matrem, a Summo Pontifice Clemente VIII aliquot Ordinis ab ipsa fundati moniales postulavit; cui Sanctitatis Suæ jussu P. Generalis moniales misit, et anni spatio sub protectione et tutela regis Christianissimi quatuor primaria in Francia fundata sunt monasteria, et quotidie nova ab aliis civita- D tibus expetuntur *ff*. *ff*

§ IV.

Testimonia quæ de S. Matre jam mortua data sunt.

Post obitum Teresiæ

Sancta Matre jam demortua, omnes qui ea tempestate in Hispania floruere viri graves juxta ac docti, sancto et pio quodam zelo moti, calamum in manus sumpsere ad vitam illius conscribendam. Primus qui laborem hunc suscepit, fuit Pater Franciscus Ribera Societatis Jesu (uti jam supra significavimus), qui paucis post ejus mortem annis multa in unum volumen conjunxit quæ tum ipse tum alii de sancta Matre noverant. Et illo ipso tempore P. F. M. Dominicus Bañez ex Ordine Prædicatorum, primarius theologicæ facultatis Salmanticæ professor, cujus jam superius mentionem fecimus, idem facere decrevit, velut testis oculatus et tot per annos S. Matris confessarius; sed graves et plurimæ quas habuit occupationes pia hæc desideria ne exe- E queretur, impedimento fuere. Quod vero quotidie hominum de Teresiæ sanctitate opinio et æstimatio cresceret, simul etiam illorum erga ipsam crevit devotio. Maxime vero erga illam affecta fuit ipsa imperatrix, regis Hispaniarum Philippi II soror : cupivitque quam maxime ut P. M. F. Ludovicus de Leon Ordinis S. Augustini et SS. Litterarum in Salmanticensi universitate professor, vir per Europam tum ob ingenii præstantiam tum ob singularem doctrinam notissimus, vitam et miracula illius scripto committeret; quod neminem illo melius tunc quidem in Hispania id pro argumenti dignitate præstiturum suoque in hoc desiderio satisfacturum (nec immerito) putaret : unde ei hanc provinciam et laborem injunxit; qui illi sane fuit perquam jucundus. Operi ergo se accinxit, et multa quæ (postquam P. Franciscus Ribera illius gesta scripsisset) tempus et diligens inquisitio detexerat, in unum collegit; cui ego multa communicavi, quæ hoc in libro refero. At visum Deo illum in laboris principio, cum vixdum quinque aut sex paginas scripsisset, ex hac vita evocare; itaque omnes spe sua frustrati sunt. Verumtamen, esto optatum adeo partum hunc in lucem edere non potuerit, F prologum quemdam edidit (qui cum libro quem ipsa sancta Mater de Vita sua conscripsit, simul edi solet), in quo, licet quam brevissime, tamen erudite ac vere, sublimi stylo maxima quædam mirabilia quæ Deus Opt. Max. in hac Sancta et per illam operatus est, recenset et tradit *gg*. Ego vero, *gg* veritus ne aut tempus aut oblivio mirabilia Dei opera sepeliret penitus aut saltem immutaret, laborem hunc reassumere non dubitavi, omnia quæ hactenus de ejus vita et sanctitate edita erant, simul in unum corpus compingens.

totum terrarum orbem 35 Obiter vero hic notandum (quod et notarunt plurimi) singularem quamdam Dei gratiam et privilegium fuisse quod huic sponsæ suæ contulit, quod, cum particularis Ordinis religiosa fuerit, ab omnibus tamen religiosis ita universaliter amata et honorata fuerit ac si singulorum Religionem professa esset. Quodque magis mirandum est, cum viri egregie docti et summi theologi ut plurimum parum afficiantur erga illos (præsertim si mulieres sunt) qui extraordinarias visionum, revelationum ac raptuum vias consectantur, in sancta tamen Matre regula hæc locum non habet : imo vero per experientiam

A experientiam videre est, quo viri doctiores et majoris eruditionis sunt, eo hos pluris opera illius facere magisque erga ea affici; quod Sacræ Scripturæ luce spiritus illius subtilitatem et acumina penetrent. Et sane non sine singulari quadam Dei fit providentia, ut, quoniam ipsamet sancta Mater ita doctrinam delexit et magnorum doctorum tanta fuit cultrix et frequentatrix, numquam ut sibi a viro bene docto male consultum fuisse dicere soleret, ita ipsi vicissim eam jam mortuam honorent, colant et omnimodis venerentur, illius sanctitatem et vitæ perfectionem non solum verbis, sed etiam libris celebrare et extollere conantes. Omnium vero de sanctitate benedictæ hujus Matris testimoniorum generalissimum est communis totius Hispaniæ et aliorum regnorum, præsertim Italiæ, Galliæ, Germaniæ et Indiarum Orientalium et Occidentalium, acclamatio. Reges quippe Hispaniæ Philippus II et Philippus III varias ad Summum Pontificem scripsere litteras quibus illam in Sanctorum referri catalogum petiere, nec non regina Margarita nuper defuncta Philippi III uxor, quæ mirifice erga illam afficiebatur. Idem quoque ab eo petiere regni Castellani proceres in comitiis anno
B MDXCVI indictis, nec non Aragonii : adhæc omnes Ecclesiæ Hispanicæ in congregatione quam anno MDXCV indixere, item in alia quæ non multo post priorem illam congregata est; quæ omnes quam enixissime Summo Pontifici supplicarunt ut Teresiam Sanctorum fastis adscriberet. Idem quoque petiit provinciale concilium Tarracone celebratum. Imo vero vix ullus fuit in Hispania archiepiscopus, episcopus aut celebris universitas, uti sunt Salmantina et Complutensis, qui non hujus rei impetrandæ ad Sedem apostolicam litte-
hh ras miserint *hh*. Omnes enim ad unum benedictam hanc Matrem non modo sanctam, sed sanctissimam, perfectissimam et omni sanctitate ac virtute absolutissimam vocarunt. Denique ab omnibus ipsa vulgo culta est et Sanctæ nomine appellata.

fama sanctitatis ejus 36 Unde etiam gravissimi quique in Hispania de illius reliquiis aut habent aliquid aut habere procurant; plurimi quoque illarum virtutem et potentiam sensere, uti e vitæ illius historia videre est. Illius quoque corpus, tamquam mulieris sanctæ, a multis gravibus doctisque viris visitatur et colitur, et ad illius invocationem plurima scri-
C ptione dignissima contigere miracula; nec solum
ii in Hispania, sed etiam extra illam *ii* : nam adeo longe se devotio erga ipsam diffudit, ut P. F. Didacus de Soria, Philippinarum insularum episcopus, in extremis Indiarum finibus, in epistola quam ad Clementem VIII Pontificem exaravit, tantopere erga sanctam Matrem Indos affici scribat ut filiolas suas cum sacris Baptismi aquis abluuntur, illius in honorem velint Teresiæ nomine insigniri. Inter ea autem testimonia quæ extra Hispaniam de Teresiæ a Jesu sanctitate lata sunt, non postremum sibi locum vindicat illud doctissimi æque ac gravissimi viri Thomæ Bosii, qui in suo de Signis Ecclesiæ libro sic de illa loquitur : « Teresia » Hispana virgo admirandæ sanctitatis, incredibili » patientia, humilitate ac prudentia floruit. In » precibus sæpe extra omnes sensus rapiebatur, in » altumque aera toto corpore sustollebatur. Edidit » libros doctrinæ cœlestis plenos, quibus edocea- » mur vias Christianæ divinæque vitæ degendæ. » Sexaginta ac plura monasteria tum virorum » tum fœminarum fundavit auctoritate ac fide » cœlestium rerum quas illa patiebatur. Ejus ca- » daver incorruptum perstitit, et innumera mira- » cula edidit. Ratio vitæ quam suis monasteriis » præscripsit, est supra humanam conditionem, » magnæ perfectionis ac puritatis, quam factis » exhibuerunt ejus sectatores » (tom. I, lib. XII, cap. XIII, signo LVII). Eadem quoque veneratione et respectu de rebus sanctæ nostræ loquitur P. Antonius Possevinus Societatis Jesu, vir hac ætate doctrina sua celeberrimus; qui versioni latinæ libri quem ipsamet sancta Mater de Vita sua scripsit, illius in honorem et elogium epistolam præmisit *kk*. *kk*

pervasit. 37 Et sane nimis quam prolixum foret, si omnes qui tam latine quam hispanice scripsere, graves æque ac doctos et celebres viros referrem, qui eam sanctam vocitant ac sexcentis sanctitatem ac vitæ sublimitatem ejus encomiis extollunt. Ad gravia hæc quæ deprompsimus testimonia addere possemus quod sancta Mater Religionis tam virorum quam mulierum, quæ inter omnes quas hodie habet Ecclesia vitam austerissimam ducentes facile princeps est, fuerit reformatrix, dum eam jam prolapsam ad primævum suum spiritum et fervorem reduxit; nec non admirabilem librorum ipsius doctrinam ac singularem quem spirituales in Ecclesia ex illis fructum percepere; admirabilem corporis illius incorruptionem, et, quod amplius est, sanctum quod ex eo promanat oleum; innumera E
quæ ad illius intercessionem, tum in vita, tum post mortem, edita sunt miracula; labores et persecutiones quas animo plusquam muliebri passa est; virtutes heroicas quas habuit; denique particulares quas Dominus ei præstitit favores et gratias. Quibus e rebus omnibus tam magna et admirabilis componitur sancta, uti Mater Teresia a Jesu fuit. Unde fit ut eam Deus ipse jam ante canonizare et e cœlo ut Sanctam declarare videatur.

COLLECTA EX YEPES. D

ANNOTATA.

a *Virorum doctrina et sanctitate insignium quos Yepesius hic citat, plerosque indicatos habes in Actis canonizationis* (*Comm. prævii num.* 1191 *et seqq., ac* 1324 *et* 1328) *necnon in S.* Teresiæ *epistola ad P. Rodericum Alvarez* (*apud Riberam, lib.* IV, *cap.* IV).

b *De notissimo hoc Ordinis Prædicatorum theologo actum est num.* 351 *Commentarii prævii et sæpius alibi. In quo illud mirum fuisse notat P. Echardus,* quod, etsi in scholis continuo versatus, vitæ spiritualis vias reconditiores perspectas haberet omnes, nec mysticæ theologiæ minus quam scholasticæ F
peritus esset. Unde, *ait,* cum Abulæ ageret, ubi octo circiter annos stetit, sanctissima illa virgo, decus et ornamentum Carmeli, Teresia a Jesu confessarium eum sibi delegit, arcanorum cordis intimiorum conscium esse voluit et directorem; seque illi spirituali quodam incantamento ita devinctam professa est ut se nihil suscipere posse diceret nisi a Bañezio ante probatum (*Script. Ord. Præd., tom. II, pag.* 352). *Ac re quidem vera in quadam ad ipsum Bañezium epistola id Sancta hisce verbis profitetur :* Mirandum non est si quid fiat ex amore Dei; quandoquidem amor erga P. Dominicum tantum apud me valet ut quidquid illi probatur, et mihi probetur, ac quod ille vult, et ego velim : nescio equidem quo pertineat ista incantatio (*tom. I, epist.* 16). *Obiit Bañezius anno* 1604, *ætatis suæ* 77, *postquam quinquaginta circiter annos scholas theologicas rexisset.*

c *Idem ex P. Frederico jam notavimus nota* g *ad prologum libri* I *Riberæ. Ad ea autem Bañezii testimonia quæ Yepesius congessit, addere possumus votum ejus a nobis relatum num.* 1026 *Comm. prævii, necnon quod refert P. Antonius a S. Josepho* (*tom. III,*

A (*tom. III, epist.* 59, *not.* 20) *auditum aliquando fuisse Bañezium dicentem tanto se erga* Teresiam *ob insignia Dei dona ei collata reverentiæ sensu affici ut tremens ad Confessiones ejus audiendas accederet.*

d *Cfr. num.* 592 *Comm. prævii. Antonius a S. Josepho* (*loc. cit. not.* 22) *ex testimonio monialis cujusdam asserit doctum hunc theologum religiosis se interrogantibus quomodo adeo Matris* Teresiæ *amicus evasisset, respondisse :* Patres, dictum mihi erat mulierem esse; sed plane vir est virtute, sapientia et prudentia in discernendis bonis malisque spiritibus.

e *Vide not.* c *ad caput* III *libri* IV *Riberæ.*

f *Munus confessarii regii, quod humiliter detrectarat, Chavesius obedientia tandem adactus hisce accepit conditionibus ut ex æquo regni negotia perage-rentur utque reditus suo muneri addictos ipsemet non attingeret; prout testatur Ægidius Gonzalez Davila in opere cui titulus :* Teatro de las grandezas de la villa de Madrid (*pag.* 266). *Additque hic scriptor :* Plura grandiaque contigere regem inter et ipsum, quibus pœnitentis regis obedientia et confessarii virtus eximia claruit. Eum Gregorius XIII plu-
B rimi faciebat, eique Breve scripsit datum III Aprilis MDLXXXI, quod originale vidi, quo illum hortatur ut regi, si uxorem ducere libeat, nuptias suadeat cum Bragantini ducis filia. *Obiit Chavesius anno* 1592, *ætatis suæ* 85 *et Religionis* 68; *eumque ut virum religiosissimum ac regiorum confessario-rum exemplar in concione ad populum dilaudavit P. Joannes Gutierrez, qui ei proxime ab Yepesio subnectitur.*

g *De hac Historia, quam Ribera quoque valde commendat* (*lib.* I, *num.* 20), *vide num.* 746 *Comm. prævii.*

h *In Americam profectus est P. Garcias cum Antonio de Mendoza prorege Peruviæ, filio Inici Lopez de Mendoza, secundi marchionis de Mondejar; eumque hujus cognatum esse* (sobrino del virrey) *putavit S.* Teresia, *ad fratrem suum Laurentium in Peruviam scribens* (*tom. I, epist.* 30, *num.* 13). *P. Touron Ord. Præd. in gallica sua Historia generali Americæ, ubi multa præclara de P. Garcia legere est* (*part.* V, *lib.* III, *num.* 167 *et seqq.*), *narrat eum natum esse Oropesæ in Castella Nova, atque in ejus honorem idem Oropesæ nomen a prorege inditum fuisse novæ civitati quadraginta circiter a Lima leucis exstructæ. Auctor Chronici Carm. Exc.* (*uti num.* 316 *Comm. prævii notavimus*) *P. Garciam e*
C *comitibus de Oropesa ortum esse dicit* (*lib.* I, *cap.* XLI, *num.* 2); *sed alia est sententia P. Antonii a S. Josepho, qui ut rem certam ac probatam asserit eum fuisse fratrem Ferdinandi ducis Albani* (*tom. IV Epist., fragm.* 1, *not.* 5), *quod etiam admisit Boucher* (*lib.* IV, *not.* k).

i *Dedimus hanc epistolam num.* 1517 *Comm. prævii; ac num. sequenti stabilivimus opinionem secundum quam hæc epistola missa fuerit, non P. Garciæ, sed P. Petro Ibañez.*

k *Idem dictum tribuit Ribera* (*lib.* III, *cap.* I, *num.* 2) *P. Petro Hernandez; nec absimile est illud quod a P. Bartholomæo de Medina prolatum ad-struitur, ut supra diximus, not.* d.

l *Operæ pretium videtur aliqua ex Yanguasii testimonio hic transcribere, quæ reperire est fol.* 20 *Summarii MS. de quo num.* 786 *et* 1441 *Comm. prævii locuti sumus :* Adeo tenuit dictam Matrem dotatam fide quod gratia Dei numquam (ut dicebat) habuit primum motum contra fidem; et quod dele-ctabatur magis illud credere quod non videbat, erat solum quod diceret Deus et ejus Ecclesia : quoad spem clare apparet ex progressu ejus vitæ, et au-divit ab ea quod per plures annos desideraverat mori ob desiderium videndi Deum, et aliquoties D elevando oculos ad cœlum remansit exanimata et sine sensu : quoad charitatem semper tenuit pro valde dotata amore Dei, et ab ea audivit quod propter Dei amorem suscepit onus fundationum et pertulit omnes labores in illis, et ulterius quod per plures annos habuit magnam sitim pro Christi fide pati martyrium, quod non solum pro Christi fide, sed quod pro una sola cerimonia Ecclesiæ libenter vellet vita privari.

m *Yepes hæc legit in Riberæ textu, quem hiulcum esse demonstravi* (*lib.* IV, *cap.* IV, *not.* b). *Unde hic devius est, dum dicit Ibañezium rectorem fuisse Vallisoleti ac toto sexennio S.* Teresiæ *confessarium egisse : utrumque enim assertum Bañezio applican-dum est.*

n *Ribera lib.* IV, *num.* 105 *et* 117, *profitetur se nescire a quo confessario hæc verba sint prolata; imo num.* 105 *supponit alium esse quam Ibañezium.*

o *Cfr. num.* 316 *Commentarii prævii, ubi osten-dimus non convenire inter S.* Teresiæ *biographos utrum hæc capite* XXXIV *Vitæ suæ loquatur de P. Varonio an vero de P. Garcia de Toledo.*

p *Num.* 793 *Commentarii prævii demonstratur hunc Societatis Jesu virum, cujus laudes breviter* E *pandit Juvencius* (*Hist. S. J. part.* V, *lib.* XXIV, § XXII), *omnino distinguendum esse ab altero S.* Te-resiæ *confessario cui nomen Gonzalvus de Avila.*

q *De P. Gaspare de Salazar, qui pluries memo-ratur in Comment. prævio* (*speciatim num.* 301, 309, 787 *et seqq.*), *visionem se habuisse Sancta re-fert hisce verbis :* De rectore Societatis Jesu, cujus aliquoties memini, nonnulla vidi spectantia ad ma-gnas gratias quas ei Dominus impertiebatur, sed quas, ne longior sim, hic omitto. Quadam die, cum ei magnus obtigisset labor, in quo multas persecu-tiones et afflictiones patiebatur, mihi Sacrum au-dienti sub salutaris Hostiæ elevatione Christus cruci affixus se spectandum dedit, atque aliqua verba consolatoria aliaque mihi suggessit quæ Patri illi indicarem, præmonendo eum de iis quæ futura erant eique ob oculos ponendo quid Salvator pro ipso passus esset, atque hortando ut ad patien-dum sese præpararet. Ille ex hisce singulare sola-tium et animum sumpsit; et omnia ita acciderunt ut Dominus mihi prædixerat (*Vitæ cap.* XXXVIII, *num.* 9). *Præterea, P. Henricus Henriquez in pro-cessu compulsoriali Salmantino ita testatus est :* Quod scivit a P. Gaspare de Salazar S. J., qui scit F multa de prædicta Teresia de Jesu; qui cum distaret per plures leucas a loco in quo stabat, in ejus camera clausa sibi apparuit, antequam moreretur, dicta Teresia de Jesu, et illi dedit quædam docu-menta et monitiones; et quod iste testis postea desuper hoc interrogavit d. M. Teresiam, quæ cum humili modestia ostendit hoc ita exstitisse ex parte Dei Domini et ad certos salutares effectus. *Leguntur hæc in MS. Summario de dono prophetiæ et gratia discretionis spirituum, de quo num.* 1079 *Comm. prævii locuti sumus.*

r *Maluimus hoc loco sensum potius quam verba ipsa latine reddere allegoricæ phraseos hispanæ :* Grande es la Madre Teresa de Jesus de las tejas abajo, pero mucho mayor es de la tejas arriba; *quam iisdem fere verbis Ribera tradit lib.* II, *n.* 82, *ubi Martinezii versionem ad litteram dedimus.*

s *Propheticam hanc epistolam refert Yepes lib.* II, *cap.* I, *et nos retulimus in Commentario prævio, num.* 283.

t *Legesis Sanctæ epistolam ad Ibañezium, num.* 1517 *Comment. prævii allatam, in qua dicit omnino se cupere ut Joannes de Avila librum Vitæ suæ vi-deat,*

A *deat; se enim hac intentione eum scribere cœpisse. Adhæc num.* 426 *ejusdem Commentarii ostendimus quam sollicita Sancta esset ut suus liber ad Magistrum Avilam deferretur.*

v *Ut num.* 784 *Comm. prævii diximus, Sancta anno* 1577 *hortatu Theotonii de Braganza litteras scripsit ad Ludovicum Granatensem* (*tom. I, ep.* 14); *quibus testatur sibi maxime in votis fuisse, modo per statum et sexum id licuisset, eum adire ut res animæ suæ ei communicaret, seque illius precibus impense et humillime commendat. Coram autem videre P. Ludovicum* Teresia *exinde nunquam potuit; siquidem ille ab anno circiter* 1555 *ad mortem suam usque, quæ anno* 1588 *contigit, in Lusitania versatus fuit : neque adeo præter modo laudatam epistolam alia ratio suppetit ob quam Boucher eum spiritualibus S. Matris directoribus annumeret* (*lib.* IX, *not.* e).

w *Elogium S. Petri de Alcantara a S.* Teresia *concinnatum in Comm. prævio prætermisimus; quia aptior ei afferendo locus erit in opere nostro ad diem* XIX *Octobris, ubi de Sancto hoc viro ex professo agendum nobis erit. Quod ad approbationem spiritus Teresiani ab eo factam attinet, vide notam* a *ad caput ultimum libri* IV *Riberæ et alia loca quæ in*
B *eadem nota indicavimus, necnon epistolam ejus a Ribera allegatam lib.* I, *num.* 123, 124 *et* 125.

x *Vide not.* g *ad prologum libri* I *Riberæ, item not.* b *ad cap.* II *libri* II.

y *De hac Eborensi editione* (*cujus etiam meminit Ribera lib.* II, *cap.* I, *num.* 2) *iterum loquitur Yepes lib.* III, *cap.* XVIII; *et nos de ea ex P. Antonio a Jesu, qui quoad annum impressionis ab Yepesio dissentit, plura diximus num.* 1497 *Comm. prævii. En quid Sancta de hoc libro suo scribat in epistola* XXII *Julii* 1579 *ad præsulem Eborensem data :* Proxima hebdomade... misi tibi libellum meum... Oblita fui te rogare ut Vitam S. P. N. Alberti eodem codici inscriptam simul cum eo libello imprimendam cures : hæc enim magno nobis omnibus erit solatio; nec hactenus alio idiomate habetur quam latino, e quo eam in mei gratiam vernacule reddidit Pater quidam Ordinis S. Dominici (*nempe Didacus de Yanguas*), vir maxime litteratus et egregius Dei famulus (*tom. IV, epist.* 5). Teresia *Theotonii consilio, quod ei pro mandato erat, cessisse videtur ut suus liber vulgaretur in publicum.*

z *Ad Alphonsum Velasquez missa est epistola illa excellentissima et vere admirabilis de qua memini*
C *num.* 1574 *Comment. prævii et quæ octavum in primo Epistolarum volumine locum occupat.*

aa *Martinus de Aspi Sierra, natione Cantaber, fuit cathedraticus academiæ Salmanticensis, canonicus Burgensis ac demum episcopus Palentinus, qua in dignitate obiit anno* 1607; *uti refert Ægidius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiastico Hispaniæ* (*tom. II, pag.* 185). *De cæteris episcopis hic ab Yepesio laudatis satis dictum fuit sive a Ribera sive in Comm. prævio.*

bb *Lege num.* 1063 *Comm. prævii litteras quibus beatificatus ipse postea Joannes de Ribera beatificationem S.* Teresiæ *a Clemente PP. VIII efflagitavit.*

cc *Ad viros ecclesiasticos hactenus ab Yepesio allegatos addi possunt Sancius Davila episcopus* (*vide num.* 28 *et* 29 *Comm. præv.*), *qui, teste Palafoxio* (*tom. I, epist.* 6, *not.* 1), *panegyrin habuit in celebritate canonizationis S.* Teresiæ, *et, cum vix sacerdotio erat initiatus, ab ea in confessarium adhibitus fuit; Gaspar Daza, quem Sancta sub orationis suæ supernaturalis initia consuluit* (*Comment. præv. num.* 143 *et seqq.*), *quique, licet tum Confessiones ejus excipere recusarit, deinde tamen ejus confessarius videtur fuisse* (*Ibid. num.* 1025); *Franciscus de Salcedo, assiduus S. Virginis fautor, qui, ut P. Antonius a S. Josepho ex antiquis documentis asserit* (*tom. IV, epist.* 43, *not.* 13), *post uxoris suæ obitum presbyter factus circa annum* 1570, *multoties sacellani et confessarii vices egit apud moniales Teresianas Abulenses, obiitque anno* 1580; *P. Antonius de Segura, Franciscanus Excalceatus, S. Petri de Alcantara eximius socius, ad quem Sancta, ut n.* 34 *Comment. prævii diximus, litteras dedit, et quem illius Confessiones aliquando audisse putat P. Antonius a S. Josepho* (*tom. II, epist.* 15, *not.* 4); *Bartholomæus de Aguilar Ord. Præd., cui Hispali in emptione domus rescindenda* (*cfr. Comment. præv. num.* 698) *plurimum se debuisse profitetur Sancta, eum insuper ab eximia rerum ad vitam religiosam pertinentium experientia plurimum commendans* (*tom. II, epist.* 86); *P. Gonzalvus Pantoya Carthusianus et Garcias Alvarez presbyter sæcularis, de quibus in fundatione Hispalensi* (*Comment. præv.* § XXXVIII); *Hieronymus Reynoso et Salinas canonici, in fundatione Palentina memorati* (*Ibidem* § XLVI); *P. Franciscus Suarez, inclytus theologus S. J., qui, teste Nierembergio* (*Vita S. Ignatii c.* XL), *dixit S.* Teresiam *sibi communicasse res animæ suæ,*
E *seque has ut Spiritus Sancti opera reveritum fuisse; PP. Salcedius et Petrus Manrique S. J.* (*de hoc vide Comment. præv. num.* 459, *et Riberæ lib.* II, *num.* 84) *necnon Hieronymus Manrique episcopus Salmantinus et P. Ludovicus a S. Maria, vir litteratus et sanctus Ordinis Hieronymiani, quos omnes ut S.* Teresiæ *laudatores adducit Yepes in jurato suo testimonio quod in Summario nostro MS. de Sanctæ vita ac virtutibus reperitur* (*fol.* 43) : *ne quid dicam de S. Joanne a Cruce, de PP. Gratiano, Mariano, Doria, Heredia, Roca cæterisque Excalceatorum primariis, nec de pluribus aliis viris præstantibus quorum nomina recensentur in Comm. prævio num.* 1080 *et seqq.*

dd *Multa specimina singularis venerationis qua sæculares plurimi nobilitate generis insignes S.* Teresiam *prosecuti sunt, videre est in Comm. prævio et apud Riberam; ubi inter cæteros nominantur sequentes : Aloisia de la Cerda, filia secundi ducis de Medina Celi; Maria de Mendoza, comitissa de Ribadavia; Joanna de Toledo, marchionissa de Villena; Eleonora de Mascareñas; Maria Pimentel, comitissa de Monterey, cum filio suo Hieronymo de Azevedo et*
F *nuru sua Agnete de Velasco y Tovar; Ludovicus Hurtado de Mendoza, comes de Tendilla et marchio de Mondejar; Suerus de Vega cum uxore sua Elvira Manrique, filia comitis de Osorno; Beatrix de Beaumont y Navarra, e regia Navarrensi stirpe; Ferdinandus de Toledo, magnus dux Albanus, ejusque uxor Maria Henriquez, qui inter S.* Teresiæ *admiratores et amicos singulari ratione eminent, ut notavimus num.* 874 *et* 1525 *Comm. prævii. Addere hisce oportet summum politicum simul et bellatorem ac scriptorem Didacum Hurtado de Mendoza, a Carolo V imperatore et Philippo II rege ad negotia summa adhibitum atque a Nicolao Antonio in Bibl. Hisp. Nova inter litteraturæ hispanæ principes numeratum; qui non solum S.* Teresiæ *amicitiam coluit, sed et litteras ad eam scripsit ac responsorias ab ea accepit, quibus magnanima hæc virgo urbanissimis et ad persuadendum accommodatissimis verbis magnum illum virum ad pietatem atque adeo ad sanctitatem sectandam incitat* (*tom. I, epist.* 11). *Adhæc in juridica informatione testatus fuit Julianus de Avila, itinerum S. Matris comes, tantam fuisse* Teresiæ *adhuc viventis famam ut quocumque locorum accederet, concurrerent omnes omnium ordinum summorum infimorumque homines ad illam videndam*

A *videndam et cognoscendam, et matronæ primariæ contenderent illarum ut ingrederetur domos, quod magno illis esset solatio virginem adeo sanctam hospitio excipere. Idem declaravit Joannes Fernandez de Velasco, dux de Frias et præfectus rei bellicæ regni Castellæ, allegando nominatim matrem suam Annam de Guzman y Aragon et priorem uxorem suam Mariam Giron, utramque* Teresiæ *frequentandæ studiosissimam, et generatim dicendo maximam omnium pene hominum erga* Teresiam *reverentiam se manifeste deprehendisse in pluribus Hispaniæ provinciis, ac sibi demum ipsi* Teresiam *videri fœminam sanctam, perfectam et a Deo ad animas juvandas speciatim electam. Duci de Frias consentiebant plane dux et ducissa del Infandato aliique ex proceribus in causa beatificationis Teresianæ interrogati. Et Petrus de Castro, episcopus Segoviensis, affirmabat* quod est res valde notoria sanctitas vitæ et miracula sanctæ Matris etiam viventis : fuit et est habita et tenta pro sancta, non quomodocumque, sed in gradu sublimi et superante, nedum a principali gente, sed populari, qui omnes illam habuerunt pro sancta, et per istud nomen sanctæ fuit vocata, nominata et cognita;
B de quibus adest publica vox et fama, *etc. Hæc collegimus e sæpe dicto Summario* (*fol.* 42 *et* 43).

cc *Præter monita anno* 1569 *a* Teresia *ad Philippum II missa* (*quorum memini in Commentario prævio num.* 1478) *ac præter epistolam de qua ipsamet Sancta mentionem facit in libro Fundationum* (*cap.* XXVII, *num.* 4, *et apud nos in Comment. prævio num.* 681) *et quam etiam subintelligit in altera sua ad regem epistola* (*tom. II, epist.* 1, *num.* 3), *præter utrumque, inquam, hoc Sanctæ scriptum, quatuor superant hodie missæ a* Teresia *ad Philippum II epistolæ, quarum singulæ singulorum quatuor voluminum agmen ducunt cæterarum. Ordine temporum prima* (*tom. III, et in Comment. prævio num.* 563) *quæ scripta est* XI *Junii* 1573, *S. Virgo nostra a monarcha gratiam postulat, a fido ejus bajulo Joanne de Padilla proponendam; ac in ejus fine Philippo, quem strenuum Ecclesiæ defensorem et adjutorem appellat, cum Christiano orbi adeo opus sit, longos apprecatur annos. Altera* (*tom. II, et in Comment. prævio num.* 658), *data* XIX *Julii* 1575, *regi commendat Carmeli Reformationem, cujus sortem in manu ejus esse declarat; eique supplicat ut curet Reformatos subtrahi Mitigatis et*
C *subdi P. Hieronymo Gratiano. Tertia* (*tom. I, et in Comment. prævio num.* 764 *et seqq.*), *missa* XIII *Septembris* 1577, *Philippo commendat eumdem P. Gratianum, tunc temporis dire a Mitigatis vexatum, atque illam claudit dicendo fidenter regi Reformationem non aliud præter ipsum habere in terris fulcimen. Ac tandem quarta* (*tom. IV, citata in Comment. prævio num.* 776 *et seqq.*), *quæ diem adscriptam habet* IV *Decembrem* 1577, *parem ob causam, nimirum cum a Mitigatis pessime haberentur moniales Incarnationis et earum confessarius S. Joannes a Cruce, regis patrocinium inclamat, rursus ei declarans omni alio in terris auxilio destitutam esse Reformationem. Præterea Sancta, cum* XXV *Martii* 1579, *licet tertia persona utens, scripsisset* (*tom. I, epist.* 27, *num.* 4; *ut videre est in Comment. prævio, num.* 831) *Deum sibi dixisse ut Reformati ad regem Philippum confugerent, ac significasse hunc ipsis in patrem fore, libro Fundationum* (*cap.* XXVII, *num.* 15) *ipsa narrat, patrocinante rege, factam pro votis in capitulo Complutensi separationem Reformatorum : atque ob felicem hunc rerum exitum adeo se gavisam ait ut voluisset totus secum mundus de tanto beneficio Deum laudasset precesque fudisset pro rege*
D *Philippo, cujus opera Deus ad tam prosperum finem perduxerat ejus cœptum, adversus quod, ait,* dæmon tantis usus fuerat artificiis, ut, ni rex succurrisset, cuncta fuissent pessumdata. *Et revera, teste Chronico* (*tom. I, lib.* V, *cap.* X, *num.* 10, 11 *et* 12), *Philippus nulli pepercerat labori ut Reformatio suo staret pede, eumque in finem litteras miserat ad Nuntium apostolicum, ad præsidem consilii regii Castellæ, cunctosque insuper tulerat sumptus qui expendendi fuerant ad congregandum capitulum Complutense anni* 1581. *Ideo* VI *Martii* 1581 *decretum unanimi plausu ibi conditum est, quo statuitur* 1° *ut, recurrente annua ea die, in omnibus per Hispaniam cœnobiis Missæ Sacrificium pro rege familiaque ejus celebraretur,* 2° *ut exinde in omnibus successive per vices domibus pro rege perpetuo quotidie litaretur,* 3° *ut statis assignatisque per domos horis in Ordine de die et de nocte esset qui coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento pro rege preces funderet, et* 4° *ut hebdomadatim*
E *e tribus quibus corpus affligere solent flagellationibus unam Deo, ut regi propitiaretur, omnes offerrent. Quid præterea Hispaniæ reges contulerint sive ad impetrandam* Teresiæ *canonizationem, sive ad venerandas sacras ejus exuvias, sive ad eam in Hispaniarum patronam cooptandam, legi potest in Comment. prævio num.* 1055, 1057, 1069, 1074 *multisque aliis tum hujus tum Gloriæ posthumæ locis.*

ff *De Reformationis Teresianæ propagatione loquemur ex professo in Sanctæ nostræ Gloria posthuma.*

gg *Quid Ludovicus de Leon ad editionem Operum Teresianorum contulerit, exposuimus in Comm. prævio num.* 1498 *et seqq. De Vita S.* Teresiæ *ab eo inchoata sermo fuit in nota* g *ad prologum libri* I *Riberæ.*

hh *Quæ hic strictim ab Yepesio indicantur, latius explicata habes in Comm. prævio,* § LVI *et* LVII.

ii *Juvat et de his iterum aliquid adducere e juratis virorum gravium testimoniis. Petrus Manso de Zuñiga, episcopus Calagurritanus et Calceatensis, affirmat se scire* quod post obitum Matris Teresiæ a Jesu crevit ejus devotio, non solum in Hispania, sed extra; quia fuit tenta nedum pro sancta, imo et pro singulari et superata sanctitate, et sic communiter illam vocant et nominant sanctam Matrem cum magna veneratione sanctæ in omnibus locis
F ubi de illa habetur notitia : et hujusmodi æstimationem et opinionem scit quod habuit de dicta sancta Matre D. Rex Philippus II, prout illam habent Rex Dominus noster et Regina et multi Principes et Cardinales et Episcopi et aliæ personæ doctæ et graves, tam ecclesiasticæ quam sæculares, homines et mulieres; et est publicum et notorium quod multæ ex illius reliquiis sunt distributæ in Hispania inter personas tales quales retulit, et quod illam habent in veneratione et se commendant dictæ sanctæ : et quod habet ipse testis ossiculum ejus sancti corporis et litteras missivas sua manu, quas servat uti reliquias; quæ omnia viderunt judex et notarius, ut fidem faciunt : et notarius facit fidem quod vidit dictas reliquias in potestate dicti Domini Episcopi, et ossiculum existebat in cruce pectorali, quod Dominatio sua portabat in pectore cum magna veneratione et æstimatione, uti de magna sancta, et pro tali omnes adstantes illam reliquiam venerarunt. *Alphonsus Manrique, archiepiscopus Burgensis,* dixit vidisse quod crevit opinio sanctitatis in animis omnium in differentibus partibus; et quod cum diversis tractando de ea, audivit magna cum veneratione vocare illam semper

A per sanctam Matrem, utpote a Clemente VIII in occasione quod Dominatio sua Illustrissima tractavit cum eo super canonizatione; et recordatur idem audivisse ab Ill. D. Card. de Medices, postea Papa Leone XI, præfecto Congregationis Rituum illo tempore, qui affirmavit Ill. DD. Cardinales Congregationis venerasse illam, ut ipse faciebat, cum veneratione et opinione sanctæ : et illos prælatos et personas graves scit similiter fecisse, et quod reliquiæ sunt æstimatæ uti unius magnæ sanctæ; et quod Dominatio sua.... portat secum unam litteram scriptam manu dictæ Matris inter alias reliquias Christi et Sanctorum ejus. *Laurentius Otaduy y Avendaño, episcopus Abulensis, pariter profitetur se pro reliquia conservare epistolam S.* Teresiæ *et venerari quamdam ejus imaginem. Dux de Lerma testatur esse admodum æstimatas* Teresiæ *Reliquias et imagines, ab ipsis etiam rege reginaque Hispaniæ. Alii plures testes loquuntur de imaginibus quibus* Teresia *repræsentatur cum radiis et cum columba, de carminibus, antiphonis, et orationibus in illius honorem a multis recitari quotidie solitis, de concionibus plurium annorum spatio Salmanticæ ad ejus laudes publice prædicandas habitis, de nomine* Teresiæ
B *puellis imposito cum in Hispania tum in Indiis Occidentalibus; ac citatur nominatim marchio de Caracena, prorex regni Valentini, qui ex devotione erga S. Matrem illo nomine quamdam e suis filiabus vocari voluit* (*Summar. MS. fol.* 44 *et seqq.*).

kk *En approbationem Operum Teresianorum a Possevino scriptam, et a Martinezio præfixam latinæ eorumdem versioni :* Ad instantiam R. P. Magistri Sacri Palatii Bartholomæi Mirandæ legi et excussi Opera S. M. Teresiæ a Jesu; de quibus ita censeo : primum singulares me divinæ Majestati gratias agere, quod illorum tandem aliquando mihi inspiciendorum et legendorum occasionem diu optatam dederit; neque enim possum non eximios ex eorumdem lectione fructus percipere, si ad ea quæ tradunt præcepta patentes aures et patentem animum attulero : deinde in magnum divinæ gloriæ incrementum cessurum, si in quamcumque ex hispanica linguam translata prelo subjiciantur; quod Spiritus Sanctus sanctissimæ hujus virginis mentem et calamum hic ita dirigere videatur ut post lectionem non nisi summa ad omnes, præsertim religiosos ac religiosas atque adeo universos spiritualium rerum studiosos, dimanatura
C sit utilitas. Videtur quippe Deus Opt. Max. non sine singulari quodam munere hisce ultimis ac novissimis temporibus nostris, tam divinam doctricem et directricem in rebus spiritualibus mundo submittere voluisse, quæ quidquid ad diversos orandi modos, spirituum discretionem et internarum locutionum intelligentiam quoquo modo spectat, quam lucidissime exponeret, et omnes qui incidere hac in materia possent dubitationum nexus summa perspicuitate dissolveret; utpote quæ et orationi contemplationique fuit addictissima et immediate a Spiritu Sancto edocta et instructa, ut inter theodidactos non immerito referri posse videatur. Romæ xx Januarii anno MDXCII. Ita testor. Antonius Possevinus S. J.

Tandem post Riberam et Yepesium pro coronide pulcherrima S. Teresiæ *Apophthegmata sive placita aut monita* (*hispane* Avisos, *de quibus paucis prolocuti sumus in Comm. prævio num.* 1554) *hic apponemus, exemplum sequentes P. Pinii, decessoris nostri, qui ad diem* XXXI *Julii* § LXXXIV *et* § LXXXV D *idem præstitit in Vita S. Ignatii. Enimvero talia quæ a Sanctis traduntur monita regulæ censeri debent quas ipsi secuti sunt : dubitari quippe non potest quin humiles ii homines cœperint facere quod docuerunt alios. Neque pia hoc solum est conjectura; sed revera et ex testimoniis biographorum suorum et ex Actis canonizationis suæ secundum eas regulas vitam suam exegisse deprehenduntur. Quapropter asseverari merito potest compendiosa illa S.* Teresiæ *scriptione, non minus bene quam in utroque Riberæ et Yepesii prolixo opere, practicam ejus vitam delineari, imo vividius, sin accuratius : nam in illis ejus ad omnes actiones perfecte obeundas regulis mens ipsius adeo spirare videtur, ut, si quis sibi imaginetur fœminam ad hanc amussim sese componentem, reipsa coram se repræsentatam sibi* Teresiam *habeat, orantem, conversantem, incedentem, manducantem, omniaque æstimantem ac agentem ex tradita in iis Monitis euangelicæ perfectionis norma. P. Alphonsus Andrada S. J., qui bina sat spissa volumina in* 4° *in hæc Monita compegit, putat Sanctam successive et per partes ea chartæ mandasse,* E *eo quod filum in iis crebro abrumpat, quod nonnulla diversis locis retractet et quod graviora levioribus subjungat : qua de causa ipse in novum ordinem ea redegit, secundum quem, ab inferioribus exorsus et ad superiora progrediens, eorum singula commentatus est. Hanc Andradæ seriem, quia melior est et parum nota, et nos hic exhibemus. Si quis antiquam maluerit, obviam ille facile reperiet in vulgatis Sanctæ Operibus, ubi Monita illa exstant aut post Viam perfectionis aut ad Operum illorum calcem inter minores ejus scriptiones. Nos veterem illum Ordinem indicamus subjunctis intra uncos ad singula Monita numeris.*

COLLECTA EX IPSA SANCTA.

MONITA

a Sancta Matre Teresia a Jesu monialibus suis tradita.

I. F

Terra licet ferax, nisi colatur, tribulos et spinas profert : sic et spiritus hominis (1).

II.

Te humiliandi et omnibus in rebus ad mortem usque mortificandi ne umquam finem facias (51).

III.

Vitam præteritam præ oculis habe, ut ipsam deplores; ac cogita tuum teporem, et quantum tibi desit ut hinc ad cœlum tendas, quo sic in timore vivas : et hæc est radix multorum bonorum (48).

IV.

In timore Domini plurimum te exerce : id enim in anima compunctionem et humilitatem concitat (61).

V.

Memento te nonnisi unam habere animam, et tantum semel morituram esse, te nonnisi unam habere vitam et ipsam brevem, unum te manere judicium, et nonnisi unam esse gloriam et hanc æternam. Ea ratione multis nuntium remittes (68).

COLLECTA EX IPSA SANCTA.

Secutus hic sum textum Andradæ, qui sic habet : Acuerdate que no tienes. . . mas que una vida breve, y una cuenta particular; *dum in editis Sanctæ libris, pro voce* cuenta, *ponuntur voculæ* que es; *quod inanem pleonasmum sapit.*

A

VI.

Animæ tuæ negotia cum confessario tuo, qui spiritualis et doctus sit, pertracta; cui illa aperies et cujus opinionem in omnibus sequeris (63).

VII.

Superiori et confessario tuo tentationes, imperfectiones et quidquid tibi difficile occurrit, patefacies, ut ipse ad ea superanda tibi consilium et remedium suggerat (18).

VIII.

Da operam ut vesperi quotidie conscientiam tuam rite examines (57).

IX.

In omni opere et per singulas horas conscientiam tuam examina; et visis imperfectionibus tuis, operam da ut eas cum Dei gratia emendes : et hac via ad perfectionem pervenies (27).

B

X.

De iis quæ ad te non spectant, curiose nec loquaris nec inquiras (47).

XI.

Attente considera quam facile homines mutentur et quam parum ipsis fidendum sit : quapropter Deo, qui immutabilis est, arctissime te unito (62).

XII.

De omnibus rebus spiritualibus, v. g. de Religiosis, Sacerdotibus et Eremitis, nonnisi bene loquaris (2).

XIII.

De alio malum nec auscultes nec dices, nisi de te ipsa : et, dum in eo gaudebis, bene proficis (22).

XIV.

Numquam rem aliquam derideto (7).

XV.

Numquam multum verbis contendito, maxime de rebus quæ parvi momenti sunt (5).

XVI.

C

Numquam res exaggera, sed sententiam tuam cum moderatione propone (13).

XVII.

Numquam aliquid affirmabis quod non bene sciveris (15).

XVIII.

De nulla re temere sententiam tuam promas; sed tantum hoc facies si interrogeris aut caritas id exigat (16).

XIX.

Ab omnibus rebus cor tuum abstrahe, ac Deum quære, et illum invenies (36).

XX.

Ubi multi congregati sunt, ibi semper loquere tantum parum (3).

XXI.

Nihil umquam loquaris, quod non ante apud teipsam sedulo perpenderis, Dominoque studiose commendaveris; nihil ut dicas quod ei displiceat (10).

XXII.

In omnibus colloquiis et sermocinationibus semper res aliquas spirituales intermisce; et ita inania verba et detractionem impedies (14).

D

XXIII.

Alium de rebus spiritualibus loquentem audi cum humilitate et instar discipuli : quod ille bonum dixerit, tibi dictum putabis (17).

XXIV.

Numquam hunc inter et illum comparationem facito; id enim odiosum est (44). *In recentioribus Operum Teresianorum editionibus hoc Monitum conjungitur cum eo quod apud nos trigesimum est. Unde fit ut tantum Monita ibi numerentur sexaginta octo.*

XXV.

In mensa neminem alloquaris, neque oculos alicujus aspiciendæ gratia attollas (40).

XXVI.

De cibo, sive is bene sive male conditus sit, ne conqueraris; sed Jesu Christi fel et acetum recogita (39).

XXVII.

In cibo vestituque nihil tibi singulare petas, nisi id magna necessitas requirat (50).

E

XXVIII.

Singularitatem, quantum fieri potest, devita; nam communitati permultum illa nocet (33).

XXIX.

Non nisi statis horis edito ac bibito; et tum Domino multas gratias agas (20).

XXX.

Sed considera mensam cœlestem ejusque cibum, qui est ipse Deus, et convivas, qui sunt Angeli. Ad illam mensam oculos sustolle cum desiderio ei assidendi (41).

XXXI.

Cum lætaberis, in immoderatum risum ne te effundas; sed humilem, modestam, affabilem et quæ alios ædificat lætitiam præferes (24).

XXXII.

In omnibus quæ agis et tractas, modesta esto (4).

XXXIII.

F

Unumquemque moderata quadam cum hilaritate alloquere (6).

XXXIV.

Illius quicum ages, indoli, genio complexionique te attempera : cum læto læteris, cum tristi contristeris : denique ita singulis te accommoda ut singulos lucreris (9).

XXXV.

Erga omnes mitis esto, in te ipsam dura (55).

XXXVI.

Quod domestici tibi dicunt, hoc semper facere stude, dummodo obedientiæ non adversetur; et eis cum humilitate et verborum suavitate responde (49).

XXXVII.

Omnium te ancillam esse semper cogitabis, et in omnibus Christum Dominum intueberis; atque ita fiet ut omnibus et venerationem et honorem delatura sis (25).

XXXVIII.

Aliorum numquam tecum recogitabis defectus, sed virtutes eorum defectusque tuos (28).

XXXIX.

A

XXXIX.

Nihil umquam de te ipsa loquere quod in laudem tendat, uti de scientia, virtutibus et parentela tua, nisi aliquod hinc bonum secuturum speres; atque etiam tum id nonnisi cum humilitate fiat et considerando dona illa a Dei manu venire (12).

XL.

Interiorem devotionem, nisi id valde necessarium sit, ne ostendas : « Secretum meum mihi » aiebant SS. Franciscus et Bernardus (38).

XLI.

Externe numquam devotionem præferes quam interne non habeas. Bene tamen celare poteris ejus quo laboras defectum (37).

XLII.

Numquam te excusato, nisi adsit causa valde justa (11).

XLIII.

Si ab aliquo reprehenderis, cum interiore et exteriore humilitate reprehensionem admitte, et ora pro eo qui te reprehendit (45).

B

XLIV.

Indiscrete numquam aliquem reprehendes, sed cum humilitate et pudore tui ipsius (8).

XLV.

Si aliis præfueris, neminem in ira reprehende, sed tantum postquam illa præteriit; ac tum reprehensio tua proderit (59).

XLVI.

Semper prompta esto ad obediendum, tamquam si Jesus Christus id tibi per Superiorem aut Prælatum injungeret (26).

XLVII.

Coram Superiore tuo (in quo Jesum Christum intueri debes) nihil nisi quod necessarium est, loquitor, idque magna cum veneratione (42).

XLVIII.

Si quando Superior unus aliquid præcipit, ne dicas ab alio contrarium præcipi; sed cogita ambos sanctum finem habere, et in eo quod tibi jubet, illi obsequere (46).

C

XLIX.

Religionis tuæ statuta et regulam sæpe legito, eaque observare satagito (34).

L.

Sine causa cella non aberis vel egredieris; egrediens autem a Domino gratiam petes ad eum non offendendum (19).

LI.

Perfectioni ac devotioni studiose te applica; et omnia quæ ages, cum eo studio agito (60).

LII.

Sæpe cor tuum ad Dominum per amoris actus sustollendi usum habe; quia hi actus animam incendunt et teneritudinem excitant (52).

LIII.

Quotidie quinquagesies per diem te Deo offerto; idque magno cum fervore et cum ardenti ejus possidendi desiderio (30).

LIV.

Quod mane meditata fueris, hoc tota die cogitatione versabis; et hac in re eris valde diligens : magnum quippe inde bonum consequitur (31).

COLLECTA EX IPSA SANCTA.

D

LV.

Pios affectus quos Dominus tibi immittet, diligenter servabis; et desideria quæ in oratione tibi dabit, opere exequi stude (32).

LVI.

Sic et omnium reliquarum virtutum actus elice (53).

LVII.

Sic omnia tua agito, tamquam Dei Majestatem coram intueris; atque ea ratione anima permultum lucratur (21).

LVIII.

Nihil umquam facias clam quod coram omnibus facere non possis (43).

LIX.

In omnibus rebus creatis Dei providentiam et sapientiam considera, Deumque in cunctis lauda (35).

LX.

Intensum semper desiderium habe omni in re et occasione semper aliquid patiendi pro Christi nomine (29).

E

LXI.

Patri æterno omnia offer, cum Filii illius Jesu Christi meritis conjuncta (54).

LXII.

Singulas actiones tuas ad Deum dirige, illas ei offerendo, eumque rogando ut cedant ad ejus honorem et gloriam (23).

LXIII.

Tristitiæ et turbationis tempore consueta bona opera orationis et pœnitentiæ ne omittas : etenim dæmon te inquietare ideo satagit ut illa omittas. Contra plura facito quam solebas; et videbis quam cito Dominus tibi adfuturus sit (66).

LXIV.

Tentationes et imperfectiones tuas iis quæ in domo minus in virtute provectæ sunt, ne aperias; id enim et tibi noceret et aliis : sed tantum cum perfectioribus de iis loquere (67).

LXV.

F

Eo die quo sacra tibi Communio adeunda est, in oratione tua matutina recogitabis te, licet tam miseram, Deum tuum esse recepturam; vesperi vero, te eum recepisse (58).

LXVI.

Quoties sacram Communionem adibis, aliquod a Domino donum posce; idque per summam illam misericordiam qua ad pauperem animam tuam venire dignatus est (64).

LXVII.

In Sanctorum festis virtutes ipsorum recole, Deumque roga ut easdem tibi concedat (56).

LXVIII.

Etsi multos Sanctos in patronos habeas, S. Josephum tamen speciatim delige, eo quod multa a Deo ille impetrat (65).

LXIX.

Tuum desiderium sit videre Deum, tuus timor posse eum amittere, tuus dolor quod eo non fruaris, tuum gaudium quod aliquando eo frui possis; et sic in magna pace vives (69).

Compendium

A

Compendium chronologicum rerum Teresianarum.

Quod in commodum lectoris Stiltingus fecit in Vita S. Joannis Chrysostomi (ad diem XIV *Septembris,* § XCI), *aliique decessores nostri in aliis quibusdam Vitis prolixioribus, præstamus hic et nos, Vitæ S.* Teresiæ *brevem subnectentes chronotaxim.*

Anno 1515. XXVIII *Martii,* Teresia *nascitur* (*Comm. præv. num.* 53 *et* 54).

Circa an. 1522. *Maurorum terras adire parat* (*n.* 58.)

Circa an. 1529 *In bono languet* (*n.* 81).

1531. *Apud moniales Augustinianas resipiscit* (*ibid.*).

1532. *Ægrotans domum paternam repetit* (*ibid.*).

1533. II *Nov., fit Carmelitana* (*n.* 82 *et* 83).

1534. III *Nov., professionem facit* (*n.* 100).

1535. *Ægra rus petit et orationi mentali se dedit* (*ibid.*).

B 1536. *Ad domum paternam reducitur* (*ibid.*).

1537. *Ad cœnobium suum refertur* (*ibid.*).

1539. *Ope S. Josephi sanatur* (*n.* 101).

1541. *Orationem mentalem intermittit* (*n.* 109 *et* 117).

1542. *Eamdem resumit* (*n.* 114).

1555. *Sanctiorem vitam auspicatur* (*n.* 119).

1556. *Supernaturalibus cumulatur donis* (*ibid.*).

1557. *Cum S. Francisco de Borgia agit* (*n.* 163).

1558. *Sæpe audit divina alloquia* (*n.* 170 *et seqq.*).

1559. *Frequentiores habet visiones* (*n.* 203), *et ideam fundandi monasterii concipit* (*n.* 119 *et* 280) : *circa id tempus a S. Petro de Alcantara visitur* (*n.* 234).

1560. *Votum facit agendi quidquid perfectissimum norit* (*n.* 231).

1561. *In fundationem monasterii S. Josephi incumbit* (*n.* 309).

1562. *Mense Junio, primam Vitæ suæ scriptionem Toleti absolvit* (*n.* 115 *et* 1516); XXIV *Augusti, Abulæ S. Josephi monasterium fundat* (*n.* 343).

1563-1566. *In S. Josephi degens, Vitam iterato scribit* (*n.* 115, 1520, 1530) *et Viam perfectionis* C *componit* (*n.* 382 *et* 1538).

1567. *A Generali Ord. Carm. data* Teresiæ *facultas plura cœnobia erigendi* (*n.* 395 *et seqq.*) : *fundatio Methymnensis* (*n.* 403) : *iter Sanctæ Complutense* (*n.* 456).

1568. *Fundationes Malagonensis* (*n.* 422), *Vallisoletana* (*n.* 431) *et Durvelensis* (*n.* 441).

1569. *Fundationes Toletana* (*n.* 464 *et* 478) *ac Pastranenses* (*n.* 491 *et* 492) : *commoratio Sanctæ Toletana anno fere integro, aliquot itineribus interrupta* (*n.* 472).

1570. *Fundatio Mancerana* (*n.* 449) : *discessus Sanctæ Toleto* (*n.* 551) : *fundatio cœnobii virginum Salmantini* (*n.* 511) *et collegii Complutensis* (*n.* 499).

1571. *Fundatio Albana* (*n.* 537) : *Sancta cœnobio Incarnationis Abulensi ad triennium præposita mense Octobri* (*n.* 541) : *Altomirani virorum cœnobii erectio* (*n.* 564).

1572. *Fundatum cœnobium virorum B. V. M. de Subsidio* (*de quo n.* 859).

1573. *Fundationes virorum Granatensis et Rupeculensis* (*n.* 569) : Teresia *Salmanticam missa* D (*n.* 571), *ubi librum Fundationum orditur* XXIV *Augusti* (*n.* 572 *et* 1543).

1574. *Fundationes Hispalensis virorum* (*n.* 585) *et Segoviensis virginum* (*n.* 593).

1575. *Fundationes Veasensis virginum* (*n.* 613), *Almodovarensis virorum* (*n.* 616) *et Hispalensis virginum* (*n.* 631) : *decreta capituli Carmelitani Placentini adversus Excalceatos* (*n.* 634 *et* 635).

1576. *Fundatio Caravacensis* (*n.* 684) : *recessus Sanctæ in monasterium suum Toletanum* (*n.* 710), *ubi augendo Fundationum libro operam dat usque ad* XIV *Novembris* (*n.* 729) : *capitulum Excalceatorum* (*n.* 711) : *fundatio Montis Calvariæ* (*n.* 714).

1577. *Die* II *Junii, Sancta Toleti inchoat librum Castelli animæ* (*n.* 785 *et* 1541) : *Abulam mense Julio mittitur, ubi suum S. Josephi monasterium jurisdictioni Ordinis submittit* (*n.* 769) *et Castello animæ scribendo* XXIX *Novembris finem imponit* (*n.* 785 *et* 1541).

1578. *Reformatio Teresiana in summo discrimine versatur* (*n.* 794 *et seqq.*).

1579. *Kal. Aprilis, Excalceati a provincialium Mitigatorum jurisdictione eximuntur* (*num.* 832) : *mense Junio Sancta Toleto ad plura cœnobia mittitur* (*n.* 838 *et seqq.*) : *fundatio Biatiensis* (*n.* 832). E

1580. *Fundatio Villanovana* (*n.* 863); *varia* Teresiæ *itinera* (*n.* 871 *et seqq.*) : *litteræ apostolicæ de separatione Excalceatorum a Calceatis* XXII *Junii datæ* (*n.* 878) : *fundatio Palentina* (*n.* 891).

1581. *Inchoatum* III *Martii Complutense capitulum separationis* (*n.* 916) : *fundationes Vallisoletana et Salmantina virorum* (*n.* 919) *ac Soriensis virginum* (*n.* 927) : *Sanctæ in priorissam monasterii S. Josephi Abulensis electio* (*n.* 940).

1582. *Fundationes Granatensis virginum* (*n.* 946), *Ulyssiponensis virorum* (*n.* 942) *et Burgensis virginum* (*n.* 999) : Teresia XX *Septembris ægrota Albam advehitur* (*n.* 1015), *ibique* IV *Octobris moritur* (*n.* 1108) *et postridie, qui erat ex Kalendarii correctione dies* XV *Octobris, honorifice sepelitur* (*n.* 1034).

1583. IV *Julii, corpus ejus retegitur* (*n.* 1037).

1585. XXIV *Novembris, Abulam transfertur* (*numero* 1041).

1586. *Kal. Januarii, visitatur ab episcopo Abulensi* (*n.* 1042); XXIII *Augusti Albam reportatur* (*n.* 1044).

1589. X *Julii, Sixtus V decernit ut corpus* Teresiæ F *Albæ maneat* (*n.* 1044).

1591. *Episcopus Salmantinus illud visit* (*n.* 1046).

1595. *Informationes instituuntur de* Teresiæ *virtutibus ac miraculis* (*n.* 1055).

1598. *Sepulcrum ejus sublimius collocatur* (*numero* 1050).

1604. *Sepulcrum aperitur, ac dein firmius occluditur* (*n.* 1054) : *processus apostolici de* Teresiæ *vita et miraculis confici jubentur* (*n.* 1064).

1614. XXIV *Aprilis,* Teresia *Beatis adscribitur* (*n.* 1068).

1616. *Loculus Teresianus, tumbæ lapideæ inclusus, in novo sacello ponitur* (*n.* 1409).

1622. XII *Martii,* Teresia *in Sanctorum Album refertur* (*n.* 1373).

1629. *In natali ejus loco ecclesia exstruitur* (*n.* 55).

1750. *Tumba ejus aperitur* (*n.* 1417).

1760. *Corpus ejus urnæ argenteæ ex regia donatione includitur* (*n.* 1432).

A

EX VARIIS.
D

GLORIA POSTHUMA,

E MULTIS, QUA MANUSCRIPTIS, QUA TYPO EDITIS DOCUMENTIS.

CAPUT I.

Gloria posthuma ex miraculis.

§ I. Miracula S. Teresiæ multa et magna : e quibus primum ea quæ Yepes refert, sed quæ non habet Ribera, succincte exponuntur.

B

Multa Deus per mortuam Teresiam *miracula operatus est:*

Gloriam S. Teresiæ *posthumam capite primo illam exponemus quam ipse Deus ei contulit, operando, ipsa patrocinante, miracula; capite altero eam quam Ecclesia Sanctæ nostræ procuravit, concedendo in ejus honorem Officium et Festa atque Indulgentias; eodemque capite eam gloriam prosequemur quam varia hominum genera, a Summis Pontificibus ad promiscuum usque vulgus, et præsules et reges et viri pietate ac doctrina insignes, suo in S.* Teresiam *affectu et fiducia, illi comparaverunt; tertio demum capite ostendemus gloriam quam ipsa* Teresia *sibi peperit reformando Carmeliticum Ordinem, in quo spiritus ejus jugiter manet, hodieque ipsa vivit ac spirat. Quod primum igitur attinet, miraculorum quæ Deus per* Teresiam *viventem operatus est, alia in Commentario prævio jam exposuimus, alia in citatis a nobis Actis canonizationis habentur. Quare actum ageremus, si, exempli gratia, hic repeteremus a Sancta filiolum Joannæ sororis suæ ad vitam revocatum, de quo num.* 49 *et* 310,

C *et apud Riberam, lib.* I, *cap.* VIII; *si Annam a S. Bartholomæo scribere extemplo doctam fuisse, de quo num.* 846; *si multiplicatam fuisse farinam Villanovæ de la Xara, aut Annam a SS. Trinitate e gravi erysipelate in instanti solo tactu manus* Teresiæ, *aut Albertam Baptistam eodem modo e pleuritide gravique febri redditam salvam; quæ tria miracula in Actis canonizationis art.* II *superius recensentur. Idem dixerim de miraculis quæ in Sanctæ transitu aut paulo post evenerunt; de quibus ibidem art.* III. *Par quoque ratio est de apparitionibus, visionibus, multisque aliis divinæ bonitatis et potentiæ in* Teresia *ostentis, quibus vita ejus scatet, et quorum passim meminimus in Commentario nostro. De his ergo ibi, de aliis vero quibus Deus mortuam* Teresiam *illustravit, nunc dicam, sed de paucissimis dumtaxat. Neque inter miracula numerabo innumera illa spiritualia beneficia quæ S. Mater fusa oratione creberrime a Deo obtinuit, quæque tot ac tanta erant ut ipsa in vivis adhuc agens* omnipotens *appellaretur. Nimirum Deus illi pollicitus erat se præstiturum quæcumque postularet : sicut ipsa testatur initio capitis* XXXIX *Vitæ suæ, ubi plura impetratorum a se hoc modo beneficiorum allegat exempla, mirabilia hæc narrationi suæ verba adjiciens :* Multis factum est vicibus ut ad meam petitionem Dominus animas alias gravibus irretitas peccatis solveret, alias eveheret ad magnam perfectionem, liberaret alias e purgatorio, et singularia alia multa beneficia concederet, idque magis in sanitate animabus quam corporibus restituenda : taliter ut, si ea referre velim, et me ipsam scribendo, et lectorem legendo defatigem. *Hæc ipsa asseverat* Teresia, *et quidem ita loquitur decimo ferme octavo jam ante mortem suam anno. Neque magis inter miracula recensebo a fœmina etiam in viris patratam Ordinis reformationem, fundataque continuas inter contradictiones tot monasteria a virgine imbelli, inope et fere semper ægra : non dubitante ea de causa Cardinale Bentivoglio suo ad canonizationem ejus suffragio has voces addere :* Quæ dixit, quæ fecit, quæ scripsit, omnia sunt miraculorum ejus velut præconia. E

sed tantum pauca hic recensentur;

2 *Porro neque animus fert pervestigare silvam prodigiorum a S.* Teresia *patratorum quæ litteris consignaverunt multi ac fide digni scriptores; nimia enim sunt quam ut ego ea hic inseram. Jam octavo a morte* Teresiæ *anno, cum fama ejus nondum Christianum orbem pervolarat, Ribera enumerabat septuaginta miracula; atque Yepes, sedecim annis Ribera posterior, ad Riberiana adjicit alia fere totidem, ac insuper notat in prologo libri sui quarti, in quo de miraculis agit, se tantum notabiliora memorare et impossibile esse enarrare cuncta, additque postremo libri illius capite, non fore dicendi finem, si vel solas sanationes omnes patrocinio ejus obtentas velit chartæ mandare : etenim capite illius libri quarto affirmat vel ducenta certa miracula allegare se posse patrata per solos panniculos sanguine oleove ex corpore ejus manante tinctos. Similiter, altero ab Yepesio anno, nempe* 1608, *P. Joannes a Jesu Maria in sua S. Matris Vita* (*lib.* I, *cap.* I) *ait :* Si crebra Teresiæ miracula forent singula percensenda, et justum volumen exigerent et lectorem fortasse delassarent. *Neque aliter Sacræ Rotæ auditores ante Servæ Dei beatificationem Paulo V affirmabant* (*ut supra legere est in Actis, art.* I *de miraculis in genere*) *per ejus intercessionem Omnipotentem Deum quam plurima ubique terrarum operatum esse miracula. Demum Chronici scriptor* (*lib.* V, *cap.* XXIX, *num.* 1 *et* 2) *ait magnum numerum miraculorum S. Matris demonstrari et biographorum ejus assertionibus, et institutis ante canonizationem informationibus, et factis a Sacra Rota Relationibus, et editis Summorum Pontificum Bullis : quare supervacaneum se judicare ait excurrere in enarranda tot prodigia, evolvendasque tot revelationes et apparitiones quibus Sancta gloriam qua in cœlo fruitur, clientibus suis manifestavit. Quare chronista lectorem suum ad historias particulares quæ de iis agunt, remittit.* F

quin tamen ideo reliqua in dubium revocentur per hypercrisin,

3 *Hunc ego si imitandum mihi ratus, quamplurima ea Sanctæ nostræ miracula, ab omnium nationum scriptoribus celebrata, silentio præteream, absit fingat sibi ideo quis me fidem iis denegare aut denegatam ab aliis velle. Clare namque profiteor iis accenseri me nolle hypercriticis qui, Joannis Launoji, Joannis Clerici et Adriani Bailleti vestigiis insisten-*

 tes,

EX VARIIS.

A *tes, credulitati antiquæ nimia incredulitate sua mederi volunt. Scilicet quodammodo dixeris auctores istos, aliosque quos hodierna ætas adhuc nequiores tulit, quique operam navant miraculis undequaque per fas et nefas eliminandis, eos, inquam, quodammodo dixeris credere Deum operose miracula patrare, atque ejus, cujus misereri videntur, sive mundum creantis, sive Ecclesiam hominesque gubernantis, labori parcere velle, ut, amotis quotquot possunt miraculis, et creaturis ordinario suo cursui relictis, Omnipotenti omnia levius fluant. Vah! insani homunciones qui Deum suo pede metiuntur immensamque potentiam ejus sui cerebelli angustiis coarctant, summa imprudentia non advertunt viam se sternere ad procacem impietatem eorum qui omne commercium pernegant Creatorem inter et creaturas, et qui Factorem dicunt operis sui incurium, Deumque cœlo suo incarcerant, atque Numen comminiscuntur mutum, quod, ceu lethargia aut paralysi correptum, stertit, humani generis alte oblitum. Gressum, inquam, eo faciunt mali isti critici, qui ex congruis ad stabiliendam veritatem habendamque certitudinem testimoniis nacti cum fuerint sufficientem extraordinariarum*

B *Dei in Sanctis suis operationum notitiam, adversus hanc proterve inficias eunt, et crasso liberoque errore hariolantur Supremo Numini etiam erga amicos suos agendum esse immutato usque rerum ordine et fere ex humanæ politiæ legibus : quod ni faciat, superbi isti fidem Deo suam præbere non dignantur.*

quæ ad impietatem ducit. 4 *Atque eo modo illi e Sanctorum Vitis miracula demunt, continuo refugiente insana eorum sapientia credere visiones, apparitiones, prophetias aliaque prodigia, quantumvis rite probata; et sic noxio suo exemplo docent lectores suos in dubium revocare portenta non minus mira et magna quæ continent sacræ utriusque Testamenti paginæ, aliosque inducunt ut, quoties revelata a Deo facta non quadrant præconceptis suis ideis, recurrant ad allegorias, ad mythos et ad cætera pseudoexegeticæ somnia. Inde igitur fit ut ex nimia primitus in historia crisi auctoritas proborum auctorum historiæ ecclesiasticæ, ipsarumque Sacrarum Litterarum sensim minoris pendatur, et ut eo pedetentim, sin ipsi incauti hagiographi, saltem creduli eorum lectores deveniant, ut in omnibus passim rebus, spreta auctoritate, ducem sequentes solam suam rationem, in barathrum tandem ruant incredulitatis. Ast alia prorsus ra-*

C *tione fidelis Christianus prudensque rerum ponderator novit Deum ludere in orbe terrarum, mirabilem esse Deum in Sanctis suis, sermocinationem ejus cum puris animabus esse stupendam nimis, Deumque, ut S. Joannes Chrysostomus alicubi loquitur, per acervos miraculorum et in virtute prodigiorum manu sua suos conducere amicos. Nec tamen ideo prudens Catholicus omnia illico narrata miracula admittit; sed trutinatur argumenta quibus ea fulciuntur, eoque majoris fidei seu testes seu scriptores requirit quo proposita miracula fuerint magis prodigiosa crediuque difficiliora. His præmissis, ne quis sperni a me negarique suspicetur omnia miracula quæ S.* Teresiæ *adscribuntur, dum ea non ob aliam causam omitto quam quod iis recensendis amplæ molis liber vix sufficeret, aliquot modo, sed pauca, e certis plurimis probatisque miraculis proferam quæ speciminis loco sint cæterorum quæ prætermitto.*

Ea miracula quæ Sanctæ exuvias spectant, magna et certa esse 5 *Celebria imprimis et ex eo genere miraculorum quæ permanentia dicuntur, illa sunt miracula quæ a tempore quo Sancta vita functa est, in ejus corpore resectisque corporis partibus conspecta fuerunt. De his in Commentario nostro prævio pluries jam incidit sermo, præsertim* § LIV *et seqq. ubi actum est de statu sacrarum S.* Teresiæ *exuviarum; item in Actis canonizationis ejus, art.* IV, § I, II *et* III, *ubi* D *inter duodecim miracula quæ illic referuntur, tria prima spectant corporis incorruptionem et odorem ac emanantem inde liquorem. Sed ad ea quæ ibi dicta sunt, nonnulla adhuc sunt addenda ob magnam prodigii celebritatem et momentum : adeo enim divina hæc in Sanctæ exuviis ostenta Sacræ Rotæ auditoribus mirabilia videbantur, ut, etsi exhibita sibi probataque magno numero haberent patrata per S. Virginem miracula, confiterentur tamen* incorruptionem corporis Servæ Dei Teresiæ miraculo maximo esse referendam (*Relat. de miraculis, art.* IV). *Adhæc, quo magis hæc facta elucidentur, eo magis eorum apparebit certitudo, quæ tanta est ut quicumque scepticus esse et haberi noluerit, ea admittere cogatur. Nimirum adeo de his jam constabat Yepesii tempore, ut hic auctor, vigesimo quarto anno a S. Virginis obitu scribens, multiplex in ejus corpore prodigium (incorruptionis, effluentisque inde odoris, olei ac sanguinis) lib.* IV, *cap.* II, *Vitæ suæ Teresianæ coram tota Hispania asseveranter enuntiaret hocce modo:*

probatur ex Yepesio et aliunde : 6 Nostris, *ait,* ea miracula contigere temporibus, neque uno alterove die; sed viginti tres anni elapsi sunt ab exhumato illius corpore, totoque illo annorum spatio id prodigium contemplari potuerunt E quotquot in Hispania sunt viri graves, seu episcopi, seu magnates, seu alii viri in dignitate constituti. Quippe cum universitas Salmanticensis quatuor solummodo leucis Alba distet, nullus magister fuit, præclarusque nullus doctor, qui, celebritate portenti illius excitus, non quæsierit, quod fama perceperat, suis ipse oculis contemplari. Plures quoque tam Albæ quam Abulæ inclyti medici Sanctæ corpus examinarunt, ad unumque confitentur omnes esse ibi miraculum quo Deus Servam suam honorat, non sinens rodi a vermibus corpus quod concupiscentiæ ignes temerare non valuerunt. *Quare, cum dux del Infantado Joannes Hurtado de Mendoza Sanctæ corpus vigesimo ab obitu ejus anno intuitus fuisset, vidissetque non modo id esse sine corruptione, sed et bonum exhalare odorem et emittere copiosum quemdam liquorem seu oleum, adeo de miraculi veritate ei persuasum erat ut in hæc proruperit verba :* Ni Christianus jam essem, ob id solum prodigium Christianam amplecterer Religionem. *Quin veritus non est inclytus e S. Dominici familia theologus P. Gonet (in suo Clypeo Theol. tom. VI, tract.* X, *disp.* I *in digress. Edit. Colon.* 1672) *inter motiva adhærendi Ecclesiæ Catholicæ* F *ponere divina hæc in corpore S.* Teresiæ *ostenta.* Tota Hispania, *ait,* demiratur non integritatem solum et incorruptionem corporis Seraphicæ Virginis Teresiæ, sed et cœlestem liquorem omni balsamo puriorem ac suaviorem ex eodem sacratissimo corpore promanantem. *Mirum igitur non est triplex illud in corpore S.* Teresiæ (*incorruptionis, odoris et olei*) *prodigium pro triplici distincto miraculo ab Ecclesia, post rigidissimum pro more juridicum examen institutasque multas informationes, ad beatificationem Servæ Dei admissum fuisse : ac prudens certumque tanti Tribunalis judicium toties secutis temporibus confirmatum fuit quoties sacrarum earum Reliquiarum iteratum est examen.*

quod confirmatur e longitudine temporis quo duravit sancti corporis integritas, 7 *Nova itaque illis miraculis non tam certitudo quam evidentia accedit ex longitudine temporis quo duravere. Primum enim, quod mirabilem cadaveris incorruptionem spectat, hæc permansit toto illo annorum spatio quod interjacet inter Sanctæ transitum et ultimam anno* 1760 *factam corporis retectionem; imo verisimile admodum est integritatem illam hodieque perennare. In instrumento authentico anni* 1750 (*imo et anni* 1760, *siquidem in hoc posteriore affirmatur*

A *affirmatur idem esse cadaveris habitus qui fuerat anno* 1750), *sicut legi potest* § LXX, *dicitur fuisse* repertum corpus integrum et incorruptum; *et, enumeratis membris quæ inde ablata et per orbem dispersa sunt, hæc verba subjiciuntur :* Reliquum corpus servatur cum pelle, carne et ossibus. Caput divisum est a trunco, quoniam ablata est potior pars colli; cæterum, asservatur integrum cum pelle et carne, adeoque in oculo dextro distinguitur acies seu pupilla et palpebræ. Quod omnium maxime mirabile est, brachium dextrum est tam flexibile quam si vivum foret. Videtur frustatim avulsa esse manus; et solum os medium, quod albissimum et pulcherrimum est, fuit relictum cum quibusdam nervis. Similiter in pede sinistro distincti cernuntur digiti et ungues. *Adhæc in epistolis, laudatis* § *eodem, quibus moniales Albanæ referunt quæ in visitato nuper S. Matris suæ corpore suis ipsæ oculis conspexerant, testantur magnam ejus flexibilitatem, suavissimum odorem, oculi dextri claritatem, caput omni sua carne vestitum, pectorisque albedinem et pulchritudinem.*

Narratur qui vivus e cadavere pluries profluxerit sanguis :

8 *Non ut discretum ab incorruptione, sed ut ejus indicium et confirmatio, ab Ecclesia admissum est miraculum vivi illius sanguinis qui ex inciso, læso*
B *aut etiam dumtaxat presso cadavere pluries scaturivit. Juvat Yepesium de hoc, lib.* IV, *cap.* II, *audire loquentem :* Non solum corpus omnis incorruptionis est expers, verum etiam (quod magis mirabile est) sæpe ex eo profluere conspectus est sanguis, idque post tot a morte ejus annos. Aliquot hic referam casus, qui omnes contigerunt personis fide dignissimis quas pro nulla mundi re veritatem læsuras esse scio. Mater Anna a Jesu prioratu Madritensi defuncta, ad monasterium suum Salmanticense, comite P. Joanne a Jesu Maria, diffinitore generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, se conferens, atque Albæ, qua transibat, sacrum corpus visitans, dum illud attente inspiciebat, circa scapulas partem vidit adeo rubram ut sanguis vivus illic adesse videretur. Quam cum admoto linteo parumper pressisset, illico effluente sanguine linteum tinctum est. Dedit Anna hoc linteum P. Diffinitori, et petiit alterum; quod ubi similiter sancto corpori applicuisset, humectatum fuit perinde ac primum, interim illæsa et cicatricis vulnerisque experte manente cute. Hac re Mater illa ita in admirationem rapta et tanto devotionis sensu mota
C fuit, ut per non exiguum temporis spatium animo suspenso perstiterit una cum cæteris omnibus qui aderant. Ego postulavi ut mihi unum e linteis illis daretur cum relatione omnium quæ facta erant; de quibus regem Philippum II certiorem feci. Atque hæc prima occasio fuit qua rex mandarit ut Nuntius apostolicus Camillus Cajetanus juridicas informationes curaret instituendas. Miraculum autem hoc in sanguine S. Matris conspectum fuit duodecimo a morte ejus anno : quod sane tempus sufficiens erat ut sanguis corrumperetur ac putrefieret; quippe quod ad corrumpendum ferrum sufficit. Atque idem acciderat quando S. Mater primum exhumata fuit : nam lacerata inter vestiendum summa pectoris cute, tam vivus apparuit sanguis ac si vixisset ipsa Sancta. In brachio quoque cæterisque carnis ejus Reliquiis idem prodigium animadversum fuit. Quidam Carmelita Excalceatus, S. Matris examinans brachium, frustulum aliquod dentibus inde evellere tentavit; cumque vix aliud quam siccam pelliculam paululum e carne eminentem detraxisset, hanc lætissimus chartæ involvit : post octo vero dies eamdem inspiciens, guttam sanguinis vividissimi per tres chartæ plicas transmissam reperit; et ubi huic chartæ admirabundus alteram substituit, etiam in hac prodiit gutta sanguinis : quæ quidem res, a pluribus ejusdem Ordinis viris conspecta, magnum ac manifestum miraculum fuit. Nec minus stupendum est illud quod contigit Matri Hieronymæ a Spiritu Sancto, priorissæ Carmelitissarum Excalceatarum Madritensium; quæ, præsente monasterii sui subpriorissa, chartam explicans quæ particulam quamdam carnis S. Matris capiebat, linteolum quo illa involuta erat, quatuor guttis sanguinis penitus humectatum invenit, idque convocatis monialibus suis non sine admiratione videndum exhibuit. Ego autem postridie quam res ea acciderat, idem linteolum inspexi, cui tum alia adhuc guttula accesserat; illudque abstuli ut medicis ostenderem : hi vero nullam naturalem causam assignare noverunt hisce effectibus, qui e supernaturalibus divinisque causis nascuntur.

EX VARIIS. D

atque bonus Reliquiarum ejus odor,

9 *Fuse jam exposito miraculo incorrupti cadaveris, restat ut de duobus aliis miraculis, nempe de suaveolentia Reliquiarum ejus et de liquore sive oleo quod olim inde emanavit, quædam disseram quæ nec in Ribera habentur neque apte in Commentario nostro prævio inseri potuerunt. Quoad primum notandum est incorruptionem et odorem, juxta apostolicæ Sedis et S. Congregationis praxim, duo esse distincta miracula : idque argumentum apposite ad rem nostram tractat Benedictus XIV* (*de Beatif. et Canoniz. lib.* IV, *part* I, *cap.* XXXI, *num.* 28) *hisce verbis :* In Relatione causæ S. Teresiæ in secundo miraculo post mortem ita legitur : « Quem odorem, licet illum » consideremus in abstracto a miraculosa corporis » incorruptione, etiam per se miraculo insigni ad- » scribendum fore censuimus. » Concordant Acta ejusdem causæ collecta a Joanno Paulo Mucantio, Congregationis Sacrorum Rituum secretario, quæ sunt in conventu S. Annæ Patrum Carmelitarum Excalceatorum Hispanorum in Urbe degentium, in quorum Actorum tomo I, pag. 276, enarrantur Congregationes habitæ super examine Relationis rotalis : « Illustrissimus et Reverendissimus Car- » dinalis Lancellotus incepit examinare articulum » quartum ejusdem Relationis de miraculis post » mortem, et primo loco examinavit miraculum de » incorruptione corporis; quod miraculum per se » esse et inter alia miracula annumerandum Illus- » trissimi et Reverendissimi Domini judicaverunt. » Proposuit et examinavit secundum miraculum » de odore mirifico qui ex corpore ipsius Servæ » Dei emanabat; quod miraculum esse a prædictis » Illustrissimis et Reverendissimis DD. Cardinali- » bus conclusum fuit. » Concordat Relatio habita in Consistorio secreto de eadem causa S. Teresiæ a Francisco Maria Cardinali a Monte : « In eodem » corpore tria miracula computantur, incorruptio- » nis, odoris et liquoris perenniter desudantis. »

E

F

qualis jam in ea, dum adhuc vivebat, notatus fuit,

10 *Suavem fragrantiam* Teresiam, *dum adhuc vivebat, corpore suo emisisse narrat Yepes lib.* II, *cap.* XXXVIII, *sequentibus verbis :* Vivente Sancta, experiebar ex ore ejus prodire odorem ac fragrantiam haud modicam : unde aliquantulum hæsitare cœpi neque adeo bene de illa re, utpote parum mortificationi congrua, sentire; quoniam suspicio mihi nascebatur num forte pastillos dulciarios odoramentis conditos manducaret. Sciscitanti vero mihi dixit socia ejus Anna a S. Bartholomæo bona illa odoramenta ita conditioni atque invaletudini S. Matris esse contraria, ut, cum ei superiori nocte, quia propter infirmitates cœnare non potuerat, coptam porrexisset, ab hac comedenda abstinuerit non alia de causa quam quod aliquanto condita esset odore : adjecitque

EX VARIIS. adjecitque eadem Anna se etiam, quando S. Matri, A ex quo brachium ejus eluxatum erat, auxiliatrices ad vestes induendas præbebat manus, eamdem odoris suavitatem ac fragrantiam experiri fuisse solitam, quam etiam post obitum suum conservabat. Magnum sane miraculum est e corpore mortuo (quod ex se aliud non est quam sterquilinium atque omnium hujus vitæ rerum nauseosissima, utpote intolerabilem passim fœtorem exhalans, quo aer in tantum inficitur ut pestes aliæque lues contagiosæ inde generari soleant) odorem hunc longe suavissimum exire, qui, ut porro dicturi sumus, hodiedum in ejus corpore cæterisque Reliquiis perseverat : cujus rei plurimi sunt testes, cum vigesimus quartus a morte ejus jam labatur annus.

enarratur. 11 *Libro autem* IV, *cap.* II, *hanc demortuæ suaveolentiam latius explicat, sic inquiens :* Fragrantia illa quæ percepta fuit, cum primum cadaver ejus exhumaretur, et qua monialis quædam obtinuit sensum odoratus quo a nativitate carucrat, supra memorata est. Insuper eamdem suavcolentiam conservant cunctæ ipsius Reliquiæ, cunctæ vestes, chartæ, atque ipsi libri manu ejus exarati. Quippe, uti caro per peccatum corrupta et fœdata nequit ex B se non emittere tetrum odorem, ita sanctam ac puram carnem bene olere vult Deus in terra; quo ostendat limpitudinem carnis illius suis placuisse oculis, simulque testatum faciat sancta precationum ejus odoramenta ante conspectum Divinitatis suæ ascendisse, ac significet florida virtutum ejus serta, quæ coram Deo suavissime redolebant sicut ager plenus et floribus vestitus. Est porro is odor suavissimus ac fragrantissimus atque ita vehemens ut experientia constet alias quascunque res odoriferas, ubi quibuslibet Sanctæ Reliquiis apponuntur, proprium ac naturalem suum odorem amittere ac Reliquiarum illarum odorem contrahere. Quod mihi ipsi contigit, cum paululum illius terræ de qua locutus fui (*nempe terræ e tumulo S.* Teresiæ *desumptæ*) et quædam linteola pyxidi pastillorum perquam odoriferorum ac pretiosorum imposuissem : odor nempe Reliquiarum suum pastillis odorem ademit, quin ullus vicissim ex hisce in Reliquias transfunderetur, non magis quam si hæ fuissent in aquam immersæ. . . . Ad id ipsum comprobandum Ulyssipone, dum Sanctæ manus in domo Alberti Cardinalis et Austriæ archiducis, qui tum Lusitaniæ regnum gubernabat (*et qui postea Belgarum princeps fuit*), C asservabatur, D. Alphonsus Coloma, hodie Carthagenensis episcopus, aliique nobiles viri, principis cubicularii, cupientes miraculum hoc ad oculum videre, cultri mucrone aliquantum succi felis odoratæ sumpserunt : qui, tametsi olidissimus et lentus sit quam maxime, tamen, simul ac sanctæ manui fuit affrictus, illico odorem amisit. *Miraculosus ille odor adstruitur quoque in Actis canonizationis* (*art.* IV, § II); *in Bulla canonizationis* (*num.* 1398); *in Chronico* (*lib.* V, *cap.* XXX); *in opere P. Gonet* (*loco supra citato*); *in Decore Carmeli religiosi, a P. Philippo a SS. Trinitate Lugduni in Gallia edito anno* 1665 (*loco mox citando*); *inque plurimis aliis libris, variis locis et temporibus editis, ac demum in epistolis a monialibus Albanis anno* 1750 *conscriptis* (*de quibus vid.* § LXX). *Quod si instrumentum quod tumbæ inclusum anno* 1750 *fuit, de ea fragrantia sileat, notandum est præcipuum hujus documenti scopum fuisse ut posteris mandaretur quo loco habituque essent urna et inclusæ ea Reliquiæ. Mox videre erit quomodo P. Fredericus, qui medio sæculo decimo octavo scribebat, asseveret se eam fragrantiam persensisse in terrea Sanctæ imagine quæ composita erat ex humo sepulcro ejus vicina et probabiliter olim madefacta oleoso eo liquore qui e* D *corpore defluebat.*

Item qui miraculosus liquor e Reliquiis ejus manarit, explicatur : 12 *Distinctum quoque ab incorruptione alterum miraculum est oleosus hic liquor, atque e S. Virginis corpore diu et copiose manavit. Audi iterum Yepes lib.* IV, *cap.* II, *hac de re scribentem :* Permanens id fuit miraculum a tempore exhumati cadaveris ad usque hodiernum diem. Antequam exhumaretur (prout loco suo jam narratum fuit), cœlestis ille liquor abundantissime ex eo scaturiit; quandoquidem terram sibi in loculo adjunctam humectavit. Hujus terræ tantulum ego accepi quantula est nux avellana; et, licet videatur terra sicca instar arenæ, linteola tamen et chartæ quibus involvitur, perinde madefiunt atque inunguntur ac si in oleum immersa forent : idque jam ab aliquot annis continua experientia mihi constat, sicut et aliis qui nacti fuerunt partem terræ quæ sancto corpori in sepulcro adhæsit. Postquam vero inde extractum fuit, olei scatebra quædam id esse videtur : per tot enim annos mundis illud sindonibus ac linteis involvi sæpe oportuit, cum ad sacrum hoc oleum colligendum, tum ne in S. Matris arcam sepulcralem tumulumque effluat. Unde factum est ut plurimi panni oleo hoc imbuti in omnem Hispaniam fuerint dis- E pertiti et ubique pro magnis eximiisque Reliquiis habeantur. Dominus vero plurima per eosdem operatur miracula. Porro hoc oleum e sancto corpore scaturire æque notum vulgo ac manifestum est atque ipsa corporis incorruptio. Cum enim parva aliquot carnis frusta gravibus piisque personis nonnullis donata fuerint (quamquam a Summo Pontifice atque ab Ordinis moderatoribus, proposita anathematis pœna, vetitum fuerit ne quis sacrum corpus jam attingat), omnes sexcenties animadverterunt atque ad oculum viderunt ex hac sacra carne, quæ nec in vita nec in morte corrupta fuit, oleum effluere, quo significatur magna caritas qua Sancta, dum vixit, homines dilexit. Ac mihi quidem tertio quartove post mortem ejus anno obtigit articulus digiti manus sinistræ, quem exinde semper ad pectus meum gessi. Initio eum involvi linteolo e tela hollandica; quod postero die oleo fragrantissimo imbutum reperi : idem de altero quod priori substitui linteolo factum est; atque ita porro, cum per dies amplius quinquaginta novum quotidie linteum apposuissem, singula eodem liquore lintea maduerunt. Neque id hodiedum fieri desiit; ita ut articulus ille tanquam fons quidam F scaturiens esse videatur : si enim totus ex oleo constitisset, naturaliter pro sua parvitate jam dudum fuisset absumptus.

quamvis hoc miraculum tandem desierit. 13 *Præterea in Actis canonizationis id manantis olei miraculum probatum habes* (*Relatione de miraculis, art.* IV, § III). *Ejus quoque meminit Bulla canonizationis, quam Gregorius XV publicavit quadragesimo post Sanctæ obitum anno, sic inquiens :* Sacrum corpus. . repertum fuit odorato liquore circumfusum, quo perenniter usque in præsentem diem, Deo Ancillæ suæ sanctitatem jugi miraculo attestante, desudat. *Item Lectio sexta Breviarii Romani ad* XV *Octobris, miraculi illius mentionem facit, dicitque* ejus corpus incorruptum, odorato liquore circumfusum, pia veneratione *coli. Fatetur tamen P. Franciscus a S. Maria in Chronico* (*lib.* V, *cap.* XXX, *num.* 3), *tum cum scribebat, id est versus medium sæculum decimum septimum, id prodigium rarescere, minoremque quam olim, suo tempore esse liquoris copiam quam sacræ* Teresiæ *exuviæ stillabant. Attamen anno* 1665 *P. Philippus a SS. Trinitate, parte* II *sui Decoris Carmeli religiosi* (*ut ait P. Fredericus lib.* V, *cap.* VIII), *affirmat illud non-*

dum

A *dum ex integro cessasse.* Sicut corpus, *inquit,* repertum fuit incorruptum, odore suavissimo fragrans et odorato liquore perfusum, sic hactenus prædictæ ejus Reliquiæ (*nempe manus Ulyssipone et pes Romæ*) aliæque minores ubique dispersæ cum his privilegiis perseverant, ut quotidiana constat experientia. *Etsi mirabilis illa stillatio, postquam sexaginta aut etiam octoginta annos durasset, hodie desierit, id spatium abunde suffecit et excitandæ justæ admirationi, et, ob innumeros spectatores qui id viderunt ac testati sunt, demonstrandæ supernaturalis facti certitudini.*

Ex Yepesio miracula enumerantur quæ 1° ad Sanctæ corpus corporisve partes,

14 *Cætera S.* Teresiæ *miracula Yepesius ob multitudinem partitur hoc modo. Postquam exposuit illa quæ viva patravit, aliaque quæ in morte ejus acciderunt aut quæ spectant ad corporis ejus incorruptionem* (*de quibus nos hactenus egimus*), *prima dein classe* (*lib.* IV, *cap.* III) *illa complectitur quæ Deo operari placuit ad corporis ejus Reliquias; secunda* (*cap.* IV) *quæ ad pannos sanguine ejus oleove ex corpore manante tinctos; tertia* (*cap.* V) *quæ ad vestium ejus contactum; quarta* (*cap.* VI) *quæ ad Sanctæ epistolas scriptave; quinta denique classe* (*cap.* VII) *quæ ad ejus invocationem. Prima ergo*
B *series hæc est. Comes de Lemos, Gaspar Cortes qui marchionis del Valle filius erat, et comes de Salinas, applicito illis frusto carnis S. Matris, omnes tres sanitati restituti sunt. Aloisia de Alagon Excalceatam se fore voverat; incidit in morbum, a quo, impositis capiti orique S. Matris Reliquiis, convaluit, votumque in conventu Excalceatarum Madritensium deinde implevit. Villanovæ de la Xara Eulaliæ, Franciscæ Lopez filiæ, os ita occlusum erat ut aperiri vi ulla nequiret : ad extrema deductæ admotum fuit pauxillum e carne sacra; os aperuit, comedit, convaluit. Pari modo Maria a S. Hieronymo Malagonensis præposita, aliaque monialis, hæc a febri tertiana, illa a diuturno e naribus sanguinis fluxu, vicaria item Franciscanarum Excalceatarum Madritensium a capitis dolore immunes evaserunt. Comes de Triburcia, una cum marito ex Hispania in Belgium navigans, maris tempestatem, ex quo paululum e carne S. Matris in id projecerat, sedatam vidit. Vallisoleti ejusdem Reliquiæ Antonio de Tamayo febrem tabidam excussere; Cardenosæ* (*in diœcesi Abulensi*) *e muliere dæmonem expulere : quod et Mancerœ factum. Barbaræ de Tapia, Sanctæ Matris consanguineæ, fi-*
C *liam vehemens febris invaserat : admotis illi Sanctæ Reliquiis, abacta febris est, miraculum agnoscentibus medicis. Anno* 1603 *Isabella de Monroy, S. Mariæ Dominarum Salmanticensium professa, utroque oculo cæca, visum, monialis vero Segoviensis, a Conceptione dicta, fragrantiæ quam spirabat caro S. Matris percipiendæ cupida, olfactum recepit : admovit eadem alias pectori suo ejusdem Reliquias, et mox diuturna animi anxietate liberata fuit et posthac permansit. Civitate Regia in Castella Nova Hieronymam de Poblete solo repente prostravit, velut mortuam, ilium dolor : frustum carnis jam sæpe dictæ marito dedit P. Joannes ab Incarnatione, quod brevi admodum tempore dolorem omnem prorsus abstersit. Tauri* (*hispanice* Toro) *ad Durium fluvium in Hispania Tarraconensi Joanni Atalaya pictori S. Matris Reliquiæ dolorem dentium ademerunt. Laterum dolor ibidem ademptus fuit nobilis viri Francisci Deza filio circiter quinquenni, admovente ægro frustum carnis S.* Teresiæ *P. Francisco a SS. Trinitate. Vallisoleti D. Ludovica de Porras annis novem carcinomate laborarat; annis item quinque brachium e fistula male affectum gesserat : S. Matris manum sibi applicuit, et ex utroque malo convaluit. Ulyssipone licentiatus Thomas de Baeza Polanco ad* D *extrema deductus, nec de peccatis confiteri valens, ubi capiti ejus Sanctæ manum imposuit confessarius, rediit ad serenitatem mentis, et universa peccata confessus, cum animæ, tum corporis salutem obtinuit. Maria a S. Hieronymo, Malagonensium Excalceatarum præposita, oculum dudum inflammatum, imposito illi S. Matris digito, perpetuo sanum reddidit.*

EX VARIIS.

2° quæ adhibitis pannis, ejus sanguine etc. tinctis,

15 *Post hæc Yepes, miracula quæ adhibitis pannis S.* Teresiæ *vel sanguine vel quod ex ejus corpore dimanavit oleo tinctis facta sunt, relaturus, hujusmodi facile ducenta sibi in promptu esse præfatus, hæc tantum, quorum mentionem Ribera haud facit, singillatim refert : at unum dumtaxat, quod, adhibito panno ejus sanguine tincto, contigit Francisco Morales, haud procul Madrito habitanti, a quo istiusmodi pannus febrim quartanam gravissimam abstulit; verum plures enumerat qui, adhibitis quos proxime dixi pannis, quantum* Teresiæ *apud Deum intercessio posset, experti sunt : licentiati Vallæi, Albano duci a consiliis, filium a febribus liberatum; Joannam a Jesu, Excalceatam in S. Josephi monasterio Salmantino, a periculosissimo gutturis* E *seu colli apostemate; P. Balthasarem Ponce, Carmelitarum Mitigatorum provincialem, anno* 1588 *die* VI *Septembris a febri tertiana; D. Petrum, conventus de Miraflores priorem et Carthusiæ visitatorem, ab ingenti aurium dolore; Mariam Euangelistam, religiosam, ab affectis oculis; Eleonoram a Matre Dei, Excalceatam, a febribus; Agnetem a Jesu, Excalceatam Segoviensem, a pectoris callo; Mariam a Cruce, ejusdem conventus, a podagra; Annam a S. Josepho a paralysi; Franciscam ab Incarnatione ab erysipelate; subpriorissam conventus Excalceatarum Toletanarum, Agatham a S. Josepho, a febri tertiana; mulierem Pastranæ a diuturna defectione olfactus; duos obsessos Gironæ a dæmonis vexatione itidem liberatos. Meminit et aliorum aliquot ejus generis miraculorum; at quibus Sanctæ Reliquiis, haud æque explicate tradit.*

3° quæ ad contactum vestium ejus,

16 *Postquam e vivis abiit S.* Teresia, *vestimenta ejus, seu integra seu in partes secta, quaquaversum missa sunt, ad eorumque contactum plurima intercessione ejus meritisque contigere miracula, quæ partim saltem a Ribera pari diligentia ac fide collecta supra videre est lib.* V, *toto cap.* IV. *His Yepes sequentia addit. Spem vitæ propagandæ* F *nullam fecerat reliquam D. Joannes de Guzman, marchio de Ardales; relictum a medicis ducissa de Sesa Annæ a Jesu, Excalceatarum in conventu Granatensi antistitæ, precibus commendavit : misit Anna pusillum ex habitu S. Matris epistolæ inclusum, quod ægro admotum continuo salutem attulit. Grassante in civitate Granatensi peste, ipsamet Anna a Jesu, D. Catharina de Ronquillo aliique ea lue jam infecti eodem usi consilio incolumes evasere. Ferdinando de Toledo, S. Joannis priori, podagra laboranti, frustum veli S.* Teresiæ *moniales Excalceatæ Albanæ miserunt; quod ut sibi pie applicuit, convaluit illico, ac quatuordecim aureorum millia testamento reliquit convertenda in annuos reditus unde canonizationis S. Matris sumptus fierent. Methymnæ Campi Aloisia de Ordas, sedecim annorum puella, crebris membrorum tremoribus animique deliquiis agitata, ingenti item e violenta narium compressione respirandi difficultate laborabat : mali causam haud assecuti medici suadebant ut extremis morientium præsidiis muniretur. Ad Excalceatarum cœnobium ductæ impositum fuit S. Matris scapulare, et post horas*

EX VARIIS.

A *tres domum incolumis rediit. Relapsæ idem contigit quinquennio post. Hispali e stomacho laborabat Antonius de la Cueva adeo ut a diebus jam quadraginta quatuor nihil eo retineri potuerit : frustum illi indusii S. Matris impositum fuit, neque deinceps id mali sensit. Villanovæ de la Xara D. Joanna de Ervias ob difficilem partum in vitæ discrimen venerat : manicam S. Matris sibi imposuit, et, stupentibus cunctis, prolem enixa est illico. Parem inde opem in eadem civitate experta est D. Sperantia, Joannis Zapatæ uxor. S. Matris scapulare in cœnobio Excalceatarum Segoviensium servatum fuit, ejusque usu monialium plures variis e morbis ad sanitatem rediere : in his fuit Beatrix a SS. Sacramento, quæ dira phrenesi exagitata, mentis et corporis incolumitatem recepit. Madriti item in conventu Excalceatarum frustum indusii S. Matris servatum fuit, quod multis sive illius cœnobii monialibus sive externis salutem attulit; uti experta fuit sobrina sororis licentiati Varrii, et Stephana, Valderravani, priori Ferdinando de Toledo a secretis, uxor, adhibito S. Matris velo, cum a medicis utraque jam esset derelicta. Catapotium numquam sumpserat Aloisia a S. Dominico, conventus S. Annæ*

B *Madriti monialis, quin evomuisset : potionis sumptio, uti censebant medici, admodum erat necessaria; egestio vero non minus periculosa : potionem sumenti applicitum fuit S. Matris indusium : sumptam retinuit stomachus, quod numquam contigerat ante. Phthisi pene confecta erat Isabella a S. Dominico, Segoviensium Excalceatarum præposita : missum ad eam anno* 1585 *Abula pauxillum terræ fuit quæ S.* Teresiæ *digitis adhæserat : sexto ex quo accepit die omnino convaluit.*

4° *quæ ad ejus scripta,*

17 *Miraculis quæ tertio loco reposuit, quæque per imaginem et epistolam S. Matris facta sunt, addit Yepes sequentia. P. Lobo, concionator apostolicus, multis animi angustiis Romæ pressus, accepta S. Matris epistola, iis se expeditum sensit. Prior quidam Carthusianus, vir valde probus, in gravissimam tentationem incidit, cui prope aberat quin succumberet; at, ut epistolam S. Matris manu exaratam animo devoto exosculatus est ejusque subsidium imploravit, ea cessavit omnino. Licentiatus Petrus Fernandez Barragan, ecclesiæ S. Mariæ de Rosario Vallis Viridis in archiepiscopatu Hispalensi curio, cum multa de S.* Teresiæ *prodigiis ac sanctitate inaudisset, illi se commendare ac*

C *indies gestorum ejus quidpiam pervolvere assueverat : placuere ei imprimis hæc* Teresiæ *inter obtrectatorum calumnias apud Riberam* (*lib.* IV, *c.* VIII) *verba :* Deo laus, quod hoc ipsa loco (*Hispali*) talis esse noscar qualis revera sum : alibi quippe omnes in errorem perducti sunt; *tantamque in ea animi demissionem admiratus, verba illa transcripsit gessitque in sinu, præsidio sibi aliquando futura : cum enim Hispali in solario ædium archiepiscopalium una cum Bernardino Rodriguez, archiepiscopatus provisore, versaretur, isque sclopum minorem explodere frustra iterum atque iterum tentasset, dum sclopum Petro porrigit, explosione facta, globuli seu scrupuli plumbei in Petri pectus acti ipsum non modo non lædunt, sed et decem aut duodecim pedum spatio retroaguntur : ipse vero* Teresiæ *verbis, quæ, ut diximus, in sinu transcripta gerebat, salutem suam deberi dixit. Prodigii mox legitima instituta est inquisitio. Novem mensium febri vexata Agatha a S. Josepho, subpriorissa Toletana, postquam nocte una frustum habitus S. Matris et chartam in pectore gesserat, postridie a medico inventa est incolumis, neque in febrim relapsa est, quod Yepes lib.* IV, *cap.* IV *narrat.*

18 *Haud pauciora ad invocationem S.* Teresiæ *patrata fuere miracula : his quæ Ribera profert lib.* V, *cap. ultimo, hæc addit Yepes ad lib.* IV *cal-* D *cem. P. Joannes de Montalvo Ordinis S. Dominici, in conventu S. Thomæ Abulensi concionator, anno* 1595 *Vallisoletum tendens, ad locum quemdam* (Boecillo *dictum*) *tribus inde leucis dissitum progressus, jumentum quo vehebatur, ad aquarium duxit; quo illud eo se proripuit impetu ut in periculo Pater esset ne ad saxeam aquarii frontem sibi caput illideret : mox ergo S.* Teresiæ *auxilium invocavit; stupentibus vero cunctis, tamdiu jumentum substitit, donec P. Joannem e stapeda pendulum famulus periculo exemit illæsum. Marchio de Almazan, vir admodum pius, per binas horas magna animi ariditate et molestia orationi vacaverat, ut pium animi motum aut de peccatis dolorem conciperet; sed incassum. Tædio itaque captus, finem orandi facit; at dum surgit, oculos in* Teresiæ *iconem conjicit, altaque quadam edita voce eam rogat mœrenti sibi ut propitia esse velit : mox interna consolatione usque adeo delibutus fuit ut ex oculis magna lacrymarum vis foras eruperit, et referendis Deo ac S.* Teresiæ *gratiis, ut tum, ita et deinceps sese agnoverit imparem. Vallisoleti monialis* E *Cisterciensis, infirma admodum brachioque contracta, auditis S. Matris miraculis, ingenti erga illam devotione affici cœpit; cumque in choro enixe ejus patrocinio se commendasset, momento integram incolumitatem adepta, socias suas, ostenso quod sibi obtigerat miraculo, ad parem erga* Teresiam *devotionem incitavit. Villaregii ab apostemate laborans quidam Societatis Jesu non absque prodigio, uti postmodum domus illius incolæ testati sunt, sanatus est.*

5° *denique per ejus invocationem*

19 *Monialis quædam Excalceata conventus Abu-* *frequentissime*
lensis, adeo membris contracta ut neque incedere neque se vestibus induere neque cibum per se sumere posset, anno 1606 *die* XXIV *Junii ita sanitati S. Matris intercessione restituta est ut per se cibos sumeret, triclinium adiret et domum perinde circuiret ac ante. Novitiæ cuidam, Helenæ a Cruce, quies nulla, animi nulla tranquillitas fuerat : volvente tirocinii anno, Teresianis castris excedere statuit : condicto die cognatam accersiit, hortumque ingressa eremitoriolum subiit : ibi religiosis vestibus se exuere cœpit, anxie tamen Virginis Deiparæ ac S.* Teresiæ *favorem implorans; huic autem aiebat :* Jamne, Mater, me domo tua vis pel- F
lere? *Vix hæc elocuta, exutas vestes festinato resumpsit, et una cum vestibus mentis hilaritatem induit, quam, nuncupatis incunctanter votis, deinceps perpetuam habuit. Agneti a Jesu, Excalceatarum Segoviensium sacristæ, allatus fuit calix novus; quem, quo primum die usu fuit, mensæ minus caute imposuit : hunc ubi in pavimentum lapidibus stratum lapsum ac plane distortum vidit, primum ad præpositam, inde ad chorum mœsta se contulit, conjectisque in S. Matris iconem oculis, mœstitiæ abs illa solamen petiit. Ad sacristiam redux calicem ita pristinæ formæ restitutum offendit ut nullum servaret læsionis indicium.*

contigerunt.

20 *Persona quædam religiosa multæque auctoritatis Annæ a SS. Trinitate in conventu Excalceatarum Salmantino retulit gravi se pectoris humerorumque dolore multis diebus pressam, cum sæviret vehementius malum, S. Matris opem implorasse; hanc vero sibi a Sacra Synaxi apparuisse, valide simul ac suaviter et citra dolorem altera manu pectus, altera humeros pressisse, ac benedixisse : ex quo ab hujusmodi malo permansit immunis, sed et in divino obsequio evasit animosior. Albæ*

in

A *in conventu Excalceatarum soror Catharina a S. Joanne Baptista ex mandato præpositæ putres loculi in quo jacuerat Sanctæ corpus, tabulas igni tradidit; mox ignis caminum corripuit : at, ut invocata ab illa S. Mater fuit, nulla re combusta, restinctum fuit incendium. Alias eadem soror pedem clavo impegerat : ex neglectu vulneris pes intumuit adeo ut stare non posset : medicamentum utrique malo chirurgus apposuit, et pannis involvit; vix digressus hic erat :* Quid, *inquit,* hoc mihi opus est medicamento, modo in S. Matrem sat sit fiduciæ? *Simul hoc abjicit, simul illi se commendat. Die postero, depulso utroque malo, quasi nihil fuisset passa, incessit. Jam decennium febri quartana conflictata fuerat in conventu Excalceatarum Toletano Teresia a Conceptione; demum eam febris invasit, præ cujus vehementia sibi emoritura videbatur. Sanitatem, suo ut officio fungi posset, a Domino S. Matris intercessione petiit : visa sibi est S. Matrem mentis oculis ægra corporis sui membra signo crucis signantem intueri ac dicentem audire hoc illam in signo sanandam esse; quod et factum est. Bis itidem alias, a medicis derelicta, præsens S. Matris patrocinium experta est eadem.*

B *Ferdinando de Mata, ecclesiæ Hispalensis concionatori, soror erat, nomine Francisca, quam veterno ac febre tabifica laborantem S. Matri, quam sibimet propitiam non semel senserat, enixe commendavit. Morituram ex his malis non evasuram affirmabant medici : contra bene sperabat ægræ frater; nec irrita illi spes fuit : convaluit illico. Atque hæc contracta ex Yepesio.*

§ II. Antverpia patrocinio S. Teresiæ, simul et precibus Annæ a S. Bartholomæo, miraculose liberatur.

Plures utriusque miraculi hujus probationes

Præsidio fusarum ad Deum a Ven. Anna a S. Bartholomæo orationum Antverpiam summo discrimine ereptam fuisse, ex probationibus mox adducendis plenissime constat : sed et simul constat S. Teresiam *fuisse quæ cælesti monito Annam ad orandum excitarit; ita ut hoc prodigium interventui non minus S.* Teresiæ *quam Ven. Annæ attribui*

C *possit et debeat. De eo igitur hic agendum est : neque obiter id præstabimus; sed pro rei gravitate miraculosum factum inquiremus, et stabiliemus gravissimorum argumentorum sanctione. Non potuit utique iis de rebus agi in causa canonizationis S.* Teresiæ, *quippe cum hæc absoluta esset, quando illæ contigerunt; sed late de iis actum fuit in causa Antverpiensi Ven. Annæ, ut patet e Philippi a Sebastianis ad Animadversiones promotoris fidei Responsione* (*num.* 62—78, *pag.* 169 *et seqq.*); *cui Responsioni omnino concordant ipsæ, partim autographæ partim authenticatæ, monialium tunc temporis in Carmelo Antverpiensi viventium juratæ* (*quas penes me Antverpia acceptas habeo*) *depositiones. Ex his præcipua summatim contraham argumenta, certam fidem facientia, quibus passim interseram adjectitias quasdam annotationes quæ ea argumenta adhuc confirment. Ubi ipsa Actorum verba referam, typis utar romanis, italicis vero, ubi tantum contractum eorum sensum; atque uncis includam quæ ego inseruerim. En itaque quomodo laudata Acta loquantur.* EX VARIIS.

D 22 Duo præteriri non possunt miracula quæ plene probata reputamus, liberationem videlicet seu præservationem urbis Antverpiæ, secutam anno 1622, et liberationem seu præservationem arcis ejusdem urbis anno 1624. Utramque hanc, imo trinam præservationem, de mandato P. Joannis a Matre Dei, confessarii ejusdem Ven. Servæ Dei, narravit ipsamet in relatione facta hispanico sermone. *Verba dein afferuntur quibus testatus est is Annæ confessarius eam quam commissariis exhibebat relationem, esse ab Anna scriptam ad instantiam deponentis.* [*Ante oculos habeo hispanam eam Annæ autographam relationem, ad Antverpienses pertinentem Carmelitissas, quæ illam mihi, hæc tractaturo, inspiciendam permiserunt. Ex momentoso eo instrumento, cujus characterum signa, quantumvis lurida, evidenter referunt manum Annæ* (*cujus multa penes*

E *me commodato accepta habeo autographa ex archivo Carmeli tum Bruxellensi tum Antverpiensi*), *lineas hic in ima pagina positas insculpendas curavi. Voces autem quas exaratas cernis, hæ sunt :* Yo las dije : Vistanse, y vamonos al Santisimo Sacramento, que debe de haber alguna traicion, que parece ser nuestra Santa la que nos despierta. Y fuemos. Yo dije al Señor : Aqui os traigo vuestras siervas, que os piden lo que deseo * (*vide ad calcem paginæ*). *Quod latine sonat :* Conferamus nos ante Sanctissimum Sacramentum, quoniam debet esse aliqua proditio : apparet enim esse nostra Sancta Mater quæ nos excitat. Ivimus, et dixi Domino : Huc adduco famulas tuas, ut petant id quod desidero. *Ex analogia autem hispanæ cum latina lingua facile dignoscitur ad quas latinas supra voces hæ hispanæ respondeant. Quod si quis miretur intelligibilem vix esse hanc Annæ scripturam, advertat velim, præterquam quod manus ejus numquam concinna fuerit, scriptam esse eam relationem a fœmina senio confecta et quæ jam apoplexia correpta erat. Constat enim Annam hac laborasse biennio ante mortem, quæ contigit* VII *Junii* 1626 : *et cum in*

F *relatione sua mentionem faciat mortis Mauritii Nassovii, qui* XXIII *Aprilis* 1625 *e vivis excessit, consequens est eam quatuordecim postremis vitæ suæ mensibus hæc scripsisse, et proin eam paralysi jam fuisse tactam*]. *Sic autem ea relatio in latinum conversa sonat, quæ etiam in Actis Ven. Annæ reperitur.* *ex Actis in causa beatificationis Annæ a S. Bartholomæo hauriuntur:*

23 In his bellicis rebus aliqua notabilia mihi contigerunt. Ipso die quo Mauritius cum magnis copiis ac magna resolutione ad intercipiendam civitatem Antverpiensem accedebat, quadam nocte majorem sui militis partem naves conscendere jussit. Ipsa nox serena et tranquilla fuit. Suis porro dicebat : *citaturque autographa Ven. Annæ de revelatione anni* 1622

* 

EX VARIIS. dicebat : « Eamus alacriter ; solus Deus aut diabo-
A » lus me ab interceptione impediet », assecurando ipsos quod essent Antverpia potituri, ac eos inde multum divites reversuros. Accedendo autem propius Antverpiam, protinus exorta fuit tempestas ac magnus ventus frigidus, quo aqua congelata fuit; unde momento naves ac multi milites submersi sunt. Solus Mauritius liber, rependo per aquam, evasit cum maxima difficultate : ita ut ipsi corpus apertum fuerit, ac deinceps sanitatem non recuperaverit, ac tandem exinde mortuus fuerit. Hac nocte, proditionis hujus, cum qua veniebat, cum essem inscia, ab ipsa hora duodecima ingenti timore perculsa fui, ac magno cum impetu, elevatis in cœlum manibus, ad orationem recursum habui. Cumque brachia defessa demitterem, mihi visum fuit quod rursus ab aliquo elevabantur, dicebatque mihi nescio quis : « Jam non est hora; habe ele-
» vata. » Sic autem perstiti fere usque ad auroram. Tunc intellexi exauditam fuisse petitionem meam. Hæc est pura veritas.

item de altera anni 1624 relatio;

24 Alia vice, cum decumberem dormiens, evigilavi ad aliquos clamores qui e dormitorio emittebantur, quos etiam evigilans audivi; vocavi, et
B venerunt duæ religiosæ, quibus dixi : « Vadant per » cellas videre quænam se male habeat; quia » audio clamores. » Responderunt : « Omnes dor- » miunt, nulla infirma est. » Ego dixi ipsis : « In- » duant se, et conferamus nos ante Sanctissimum » Sacramentum; quoniam debet esse aliqua prodi- » tio. Videtur enim quod sit nostra S. Mater » quæ nos excitat. » Ivimus, et dixi Domino Deo : « Huc adduco famulas vestras, ut petant id quod » desidero : ego enim nihil possum. » Sic autem consentiebam huic veritati, coram Domino confusam me inveniens. Cum autem aliquantulum ibidem perstitissemus, statim, absque eo quod aliquid viderem aut audirem, intellexi quod poteramus discedere. E memoria effluxerat quod simul cum clamoribus quos audiebam, audiebam pariter in castello ad arma pulsari. Respexi autem per fenestras quas versus illam partem habemus, si forte aliquod lumen videre possem; nihil tamen vidi, omnia erant obscura : nihilominus intellexi aliquod mali subesse. A paucis abhinc diebus, evigilavi hora secunda post mediam noctem cum impetu sive interno instinctu quod opus esset orare. Cum autem somno opprimerer, redibam ad lectum; sed sentiebam tantam
C inquietudinem quod non poteram requiescere : ex quo intellexi Dominum velle quod orarem. Sic accessi ad orationem elevatis manibus cum impetu, sed instinctu petendi misericordiam. Ita ab hora secunda usque ad quartam, id est duabus horis, abstractâ a sensibus, et absque eo quod in mea potestate esset desistere, sic elevatis in cœlum manibus permansi; ac toto illo die mansi quasi mortua, corpore adeo rupto quasi baculis percussa fuissem. Nescivi quid esset; sed postea dictum mihi fuit quod hæretici quamdam proditionem præ manibus habebant, quam non potuerunt ad effectum reducere, etc. [*Revera autem fuisse ter, quoties Anna hic memorat, paratas in Antverpiam insidias dolosumque assultum scriptores plures referunt : v. g. anonymus auctor libri cui titulus :* Civilium apud Belgas bellorum initia, progressus, finis optatus; *qui* (*p.* 245 *et* 276), *de tertia contra Antverpiam expeditione agens, ait Batavos, cum integram prope noctem in ericeto a via errassent, cumque perpluti et madidi vix tandem sub arcem venissent, cœlesti quodam lumine perterritos et consternatos, ausos non fuisse eam aggredi. Hæc autem expeditio cum sine hominum naviumque jactura tentata fuerit, facile potuit celari aut digna non videri historiographis* D *quæ posteris traderetur*].

atque synopsis testimoniorum e § x

25 *Dein Acta asserunt totum hoc quod Ven. Serva Dei ex sui confessarii mandato scripsit, esse quoad primum et tertium in Relatione ejus casum confirmatum a testibus de visu; atque referunt prolata a juratis iis testibus verba, quorum summam lectoribus hic exhibeo.* § x. Nonum miraculum. Præservatio urbis Antverpiensis (*anno* 1622) ab incursu hæreticorum. *Decimus testis, qui confessarius fuerat Ven. Annæ, totam rem, ut supra in hujus relatione est, enarrat, et id se intellexisse ait ex ore Ven. Annæ. Decimus sextus testis, monialis cœnobii illius, dicit se ingressam fuisse hora quinta matutina cellulam Ven. Matris, et sibi a Ven. Matre dictum :* « Filia, nocte hac magnum impendit periculum. » Pugnavi hac nocte quasi contra hostilem exerci- » tum. Brevi aliquid intelligemus. » Viditque deponens quod dicta Mater erat valde debilitata ac penitus in sudore, ratione cujus sudoris fuit ipsi mutata tunica aliaque vestimenta. *Et in fine addit paulo post auditum esse comitem Mauritium Nassovium super mare fuisse cum exercitu ad intercipiendam civitatem Antverpiensem ex improviso, ac credere se Deum Dominum dictam interceptionem* E *impedivisse ob intercessionem Ven. Annæ. Decimus nonus testis, item monialis ejusdem cœnobii, pariter testatur idem se hora quinta ex ore Ven. Annæ audivisse, ac credere hoc esse miraculum et naturæ vires excedere, atque eam liberationem attribuendam esse præsidio orationum Ven. Matris. Alius testis, tunc temporis prior conventus Carmelitarum Discalceatorum Antverpiæ et confessarius Annæ, dicit sibi postridie illius eventus mane ab Anna declaratum esse* se pernoctasse in oratione, et in magno agone fuisse, et rogasse Dominum Deum pro aversione imminentis periculi a civitate Antverpiensi. *Dicitque deponens* fuisse miraculosam hanc revelationem, et dictam Ven. Annæ precibus liberationem civitatis Antverpiensis a Deo impetratam. *Tandem serenissima regina Franciæ et suum de publica miraculi fama adjunxit testimonium, quod in Actis ad canonizationem Ven. Annæ* (*pag.* 173) *refertur sequentibus verbis :* Dicit opinionem esse publicam, et pro indubitato haberi Antverpiæ et alibi, imo etiam inter personas primariæ qualitatis, urbem Antverpiensem liberatam fuisse ab hostium incursu intercessione Ven. Annæ a S. Bartholomæo; eaque de causa sua Majestas insculpi curavit argenteæ capsæ F supradictam historiam.

et e § xi *laudatorum Actorum præbetur.*

26 § xi. Decimum miraculum. Liberatio seu præservatio arcis Antverpiensis (*anno* 1624) ab incursu hæreticorum. Primus testis (qui confessarius fuerat Ven. Annæ), dicit : quod anno 1624, cum a marchione Spinola nomine regis Hispaniæ obsideretur Breda, dictus comes Mauritius princeps Auriacus, dux exercitus Hollandorum, aliquot millia militum destinavit ad intercipiendam per insidias arcem Antverpiensem : et cum de nocte valde obscura et tempestuosa ad arcem accessissent cum scaphis juxta portam quam vocant auxiliarem, et mirabilia instrumenta secum detulissent, et illa applicare conarentur ad pontes et alia opera subruenda, ut sibi ingressum in arcem pararent, dicta Ven. Mater Anna circa mediam noctem excitata fuit; et cum audivisset aliquem gemitum certo pulsu ad parietem, vocavit ad se Matrem subpriorissam, et jussit ut aperiret religiosarum cellas, et videret an aliqua male haberet et ideo gemeret : quæ cum id fecisset et bene dormientes omnes invenisset, idque dictæ Ven. Matri Annæ renuntiasset, dixit eidem Matri subpriorissæ se persensisse quod

A quod civitas Antverpiensis esset in magno periculo, et propterea excitaret omnes religiosas, et juberet convenire ad chorum ad orandum Deum pro ista necessitate : quod cum factum esset, paulo post audita sunt tormenta bellica, et intellectum est hostem circa arcem illam egisse quæ supra dicta sunt, ac relictis instrumentis abivisse re omni infecta. Dictus autem R. P. Deponens dicit tunc temporis se fuisse Bruxellis existentem priorem conventus Bruxellensis, et dictam Ven. Matrem Annam tunc ad ipsum R. P. Deponentem scripsisse quæ supra sunt de ipsa relata, et se tunc illius litteras ostendisse Serenissimæ Infanti Isabellæ, quæ etiam illas retinuit, et, ut credit, in Hispaniam misit ad regem Catholicum; et jussit Serenissima Infans ut dictus R. P. Deponens Antverpiam proficisceretur, ut omnia particularia intelligeret atque illius Celsitudini referret. Et dicit ulterius dictus R. P. Deponens dictam Ven. Matrem Annam sibi dixisse supradictum gemitum fuisse S. M. Teresiæ, quæ ipsam ad orandum excitavit : et credit R. P. Deponens evidenter dictam revelationem esse miraculosam, et liberationem dictæ arcis per intercessionem et preces supra narratas; et dixit R. P. Deponens
B utramque hanc liberationem civitatis Antverpiensis ubique per Belgium et alias provincias esse publicam et notoriam. *Decimus testis, qui actualis Annæ erat confessarius, dicit se postridie mane, cum vix ulli in civitate facti notitiam habebant, Ven. Annam adiisse, ab eaque totam rem sibi fuisse narratam; et porro ea refert quæ jam attuli supra e declaratione primi testis. Undecimus testis, illius cœnobii monialis, deponit idem; et dicit se cum cæteris sororibus media nocte interfuisse orationi in choro, atque audivisse verba quæ Ven. Mater tum protulit, de periculo nempe in quo Antverpia erat. Decimus sextus testis, item monialis ibidem, declarat se eadem percepisse, non quidem visu, sed tantum relatu Ven. Annæ (nam ad chorum cum aliis non accesserat ægritudinis causa), atque se ex ore ipsius Annæ audivisse fuisse S.* Teresiam *quæ eam ad orandum impulerat. Ac Deponens ait se quæsivisse ex aliquot militibus arcis de tempore quo machinatio fuisset detecta, et intellexisse se ex iis id factum esse ipsissimo tempore quo Ven. Mater dixerat periculum cessasse. Tandem, ne citandis his Actis diutius immorer, finem hic faciam allegando verba monialis cœnobii Antverpiensis (in quo eo tempore filiæ ex præcipuis*
C *Belgii familiis Deo se dicarant); quæ ad allatum jam supra testimonium suum hæc addidit :* Se intellexisse ex ore Innici de Borgia, ipsius arcis gubernatoris, quod, ut utramque machinationem significaverat Serenissimæ Infanti Isabellæ, (*dixissetque*) castro minus bene esse provisum, adeoque ipsum facile periclitari posse, *quod, inquam,* Serenissima Infans ei responderit : « De castro et civitate Ant» verpiensi nihil metuo tamdiu quam ibidem habeo » Matrem Annam a S. Bartholomæo, cujus defen» sionem pluris facio quam copiosum exerci» tum », etc.

Transcribitur episcopi Antverpiensis de utroque, anni 1622

27 *Quædam nunc quæ aliunde quam ex Actis illis hausi, argumenta adjungam, et primo quidem authenticas de duplice illa miraculosa, urbis anno* 1622, *et arcis anno* 1624, *liberatione approbationes quas Ill. Episcopus Antverpiensis dedit post juridicum facti examen. Bina ea authentica documenta, in membrana conscripta et munita episcopi sigillo, quod in cera rubra impressum in pyxide e membrana pendet, Antverpia accepta penes me habeo, eaque hic ad litteram insero. Prius ex iis sic sonat :* Joannes Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis. Omnibus has visuris salutem in Domino. Notum testatumque facimus, visis depo- EX VARIIS.
D sitionibus factis respective coram nostris commissariis RR. DD. Godefrido Diepenbeke archipresbytero, Zegero van Hontsum pœnitentiario, Davide van Heemissen et Gaspare Estrix plebano, S. T. licentiatis et canonicis cathedralis ecclesiæ nostræ Antverpiensis, per Matrem Priorissam et moniales alias conventus Discalceatarum hujus civitatis Antverpiensis in platea dicta den Rogier, R. Patrem Provincialem ejusdem Ordinis, Joannem Greyns nautam, et Adrianum Beerendoncq notarium, iisque serio et mature examinatis, habito etiam consilio theologorum et aliorum piorum virorum, nos declarasse, prout declaramus per præsentes, per dictas depositiones satis nobis constare quod in Decembri anno MDCXXII, cum princeps Orangiæ Mauritius intenderet partim vi partim proditione capere Antverpiam, et Deo volente dissiparetur classis ejus circa Willemstadt, ita ut vento et gelu urgente ipse vix evaderet, Venerabilis Anna de S. Bartholomæo media nocte fuerit divinitus incitata ad orandum; in quo miraculosa quædam revelatio notanda est, et quod diu etiam ultra vires, incitante Deo, in oratione perseveraverit, et suis meritis ac perseverantia in ora- E
tione obtinere visa sit miraculosam istam prædictam, de qua toti mundo constitit, classis hostilis dejectionem : quod sane sanctitatis ipsius merito haberi potest indicium. In quorum fidem præsentibus manu nostra subscripsimus et sigillum nostrum apponi jussimus. Datum Antverpiæ die quarta mensis Octobris anno MDCXXIX. Joannes episcopus Antverpiensis.

et anni 1624, miraculo juridica approbatio.

28 *Posterius vero scriptum est in hæc verba :* Joannes Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis. Omnibus has visuris salutem in Domino. Notum facimus, visis depositionibus factis coram nostris commissariis RR. DD. Gaspare Estrix plebano et Davide van Heemissen, S. T. licentiatis et canonicis cathedralis nostræ ecclesiæ Antverpiensis, per Matrem Priorissam et moniales alias conventus Discalceatarum hujus civitatis Antverpiensis in platea dicta den Rogier, R. Patrem ejusdem Ordinis Provincialem, Andream de Sea, Alphonsum Martines milites, D. Jeronymum de Guerra capitaneum et locum tenentem in arce nova hujus civitatis, et Adrianum Beerendoncq notarium, iisque serio et mature examinatis, habito
F etiam consilio theologorum et aliorum Deum timentium, nos declarasse, prout declaramus per præsentes, per dictas depositiones satis nobis constare ista nocte quæ fuit immediate post duodecimam mensis Octobris anno MDCXXIV in magno periculo fuisse arcem Antverpiensem supradictam, et illud periculum eodem tempore quo contigit generatim fuisse revelatum divinitus Ven. Matri Annæ de S. Bartholomæo piæ memoriæ, priorissæ tunc temporis dicti conventus Discalceatarum, et ipsam divino motu suas moniales ad orationem media nocte convocasse, atque non sine divino Numine sensisse quando periculum istud cessaverit, ideoque in eo facto peculiarem dictæ Ven. Matris sanctitatem et humilitatem eluxisse. In quorum fidem præsentibus manu nostra subscripsimus et sigillum nostrum apponi jussimus. Datum Antverpiæ die tertia mensis Octobris anno MDCXXIX. Joannes episcopus Antverpiensis.

Hoc episcopi judicium confirmatur modo

29 *Juridica hæc solemnisque sub accepta a tot talibusque testibus jurisjurandi fide facta ab antistite Antverpiensi informatio mirandum in modum confirmatur ultroneo testimonio omnium prope auctorum qui, Belgicam Batavicamve illorum temporum*

EX VARIIS. *historiam contexentes, diserte animadverterunt Deum evidenter intervenisse, qui iterata illa Mauritii molimina cassa reddiderit, elaboratissimaque ejus consilia desiituerit; quamquam dubitandum non est plerosque eorum prorsus ignorasse quid in asceterio Antverpiensi Carmelitissæ Annæ a S. Bartholomæo evenerit, quidve ab episcopo Antverpiensi actum exploratumque fuerit. Talia aliquot scriptorum judicia indicabo, prætermissis auctoribus aliis quam plurimis, quos qui voluerit consulere, inveniet illos eodem fere modo neque minus expresse loqui atque hos quos affero. En itaque nonnullos qui cives incolæve Antverpienses fuerunt; quibus dein addam alios quosdam alienigenas, præsertim Batavos, qui nil tale suspicantes, non leve subsidiarium robur directis miraculi probationibus adjecerunt.*

quo historici,

30 *Antecessores nostri, qui Antverpiæ degebant, et qui proin rerum, a se pro more suo sollicite inquisitarum nec leviter asserendarum, bene conscii erant, ad diem* VII *Junii, agentes de Prætermissis* (*pag.* 3) *sic habent :* Ven. Mater Anna de S. Bartholomæo, Teresianarum fundatrix Antverpiæ, quam urbem suis precibus semel iterumque ab imminentibus hostibus eripuit. *Ac fere idem dicunt* B *tomo II Martii, pag.* 393. *Item Joannes Diercxsens in suo opere :* Antverpia Christo nascens et crescens, secundis curis, Antverpiæ 1773 (*tomo VII, pag.* 148, *ad annum* 1622), *ait circumferri imagines Ven. Annæ, dicatas Infanti Isabellæ Claræ Eugeniæ* (*ergo factas ante annum* 1633, *quo archiducissa obiit*), *sub quibus hoc lemma legitur :* Miraculis claruit ante et post obitum : inter cætera anno 1622 urbem Antverpiensem, prout anno 1624 ejusdem arcem, sua intercessione ab hostibus liberavit. *Sic quoque Aubertus Miræus in Chronico suo Belgico* (*ad annum* 1624) *inter prodigiosa divini Numinis præsidia refert quod Antverpia semel et iterum atque tertio ex artificiose paratis insidiis incolumis evaserit, hoc modo inquiens :* Durante porro obsidione Bredana, cum in arce Antverpiensi paucos milites præsidio relictos esse Mauritius princeps Arausionensis ab exploratoribus certo accepisset, eam mense Octobri clam noctu tentari jussit. Noctis obscuræ tenebris tecti hostes scaphas in fossam arcis dimiserant; scalas muris admoverant; malleos, vectes reliquaque instrumenta ad claustra portasque frangendas expediverant : cum ecce lumen ex alto emissum Batavos detexit, et vehemens ventorum turbo C effecit ut neque lintres firmare neque scalas muris affigere valerent. Id genus prodigia ac præsidia divina et an. 1607 itemque an. 1622 nos ipsi Antverpiæ sensimus. Anno certe 1622 postridie kalendas Decembres. . . . Mauritius Nassovius, numerosa ac valida classe Antverpiam petens, ingenti tempestate subito exorta, prope Bergas ad Zomam tantum non periit. *Utriusque miraculosæ illius liberationis meminit etiam Valckenisse pluribus locis memorialium suorum quæ manuscripta asservantur in Bibliotheca regia Bruxellensi sub numeris* 5938, 5963, 6195 *et* 17243. *Pari ratione Adrianus van Meerbeeck in flandrico suo opere cui titulus :* Mercurius Belgicus (*Bruxellis,* 1625, *part.* I, *pag.* 109 *et seqq.*) *fuse evolvit et paratam diuturno labore immensisque sumptibus classis armaturam, et certam de felici successu Mauritii fidentiam, et milites nautasque cum procellis ac hieme misere colluctantes, et diruta a Deo hominum molimina. Atque his testificationibus Antverpiensium scriptorum* (*supersedeo afferendis aliorum Belgarum sententiis*) *adstipulantur scriptores etiam alienigenæ, v. g. Angli, Galli etc. Legesis Historiam universalem ex anglico gallice conversam* (*Parisiis,* 1788, *tom. CI, pag.* 47 *et* 69); *item Gabrielem Chappuys* D *in generali sua Belgici belli Historia* (*Parisiis,* 1633, *lib.* XVIII, *pag.* 504, *et lib.* XIX, *pag.* 590); *item Josephum de la Pise in historica Tabula principum Arausiacorum Arausiacique principatus* (*Hagæ Comitis,* 1638, *pag.* 789 *ad annum* 1622, *et pag.* 799 *ad annum* 1624); *item Joannem Leclerc in Historia de fœderatis Batavicis provinciis* (*e gallico batavice facta sub titulo :* Geschiedenissen der vereenigde Nederlanden, *Amstelodami* 1730, *tom. II, pag.* 235).

etiam Batavi, utrumque eum eventum referunt,

31 *Demum, quod dignum est notatu, ipsimet scriptores Batavi his de rebus taliter loquuntur, ut, quin advertant, plane confirment juridicum præsulis Antverpiensis processum. Non modo enim condolent inopinatam illam repetitis vicibus stragem et tristem ignotæ sibi causæ effectum; sed et diserte affirmant fuisse tantam congestam bellicam vim, tantamque adhibitam prudentiam et tantas artes, ut uni Deo adscribendus sit malus exitus iteratorum istorum ad potiundum Antverpia Mauritii tentaminum, quæ, pro ea quæ exhausta in iis parandis erat humana prudentia, videbantur non posse non habere prosperum successum. Imo, quod adhuc magis singulare ac mirandum est, eorum complures, postquam pronuntiata a Mauritio verba, quibus* E *ipsemet asseveranter declararat a solo Deo impediri posse successum, retulerint, expresse et ultro confitentur divinum fuisse Numen quod ejus consilia subrucrit. Juvat ipsamet Batavorum aliquot scriptorum, qui Mauritii partes utique tuentur, verba oculis lectorum subjicere.*

v. g. van Aitzema, van den Sande, van der Capellen,

32 *Leo van Aitzema in amplissimo suo opere de Rebus politicis et bellicis* (Saken van staet en oorlogh, *anno* 1669, *tom. I, pag.* 132), *postquam narravit asperrimo repente gelu anno* 1622 *correptas et subito exortis horribilibus procellis jactatas collisasque fuisse naves, pro epiphonemate addit* Omnipotentem Deum satis ostendisse se illi (*de invadenda Antverpia*) Mauritii consilio cœptoque favere noluisse (Dat God Almachtig wel toonde desen aenslach niet te willen seghenen). *Pari ratione Joannes van den Sande in sua batavice conscripta patriarum historiarum Synopsi* (*Amstelodami,* 1650, *lib.* VII, *ad annum* 1622) *hæc habet :* Princeps meditabatur incursum in castellum Antverpiense, tamque certum se de prospero eventu confidebat, ut, in navem Dordraci conscendens, quibusdam diceret : « Id quod aggredior ausum, F » tam certo eveniet prospere, ut unus Deus id » prohibere possit. » Quod et factum est (« Desen » aenslag gaet so vast, dat niemandt deselve ver- » hinderen kan als God alleen. » 'T welck oock gebeurde). *Simili modo Alexander van der Capellen* (*in Commentariis, Trajecti ad Rhenum anno* 1777 *editis, tom. I, pag.* 126 *et* 316), *infaustam primum memorans anni* 1622 *expeditionem frustratamque Mauritii fidentiam, dicit se sperare fore ut Deus,* qui solus prohibuit successum istius cœpti, *simili aliquando iterando tentamini melius faveat :* hoopende dat Godt de Heere, die nu alleene dit werck belet heeft (gelyck de Prints, van Dordrecht gaende, geseit heeft, dat geen menschen ter werelt syn dessein konden breken of beletten, maer Godt de Heere alleene), op een ander tyt beter segen geven sal. *Item de altera, anni* 1624, *expeditione tractans, postquam dixisset duas jam horas feliciter impensas fuisse pontibus clam jaciendis apportandisque instrumentis, sic narrationem suam claudit :* Sclopetarii et nautæ parati scandendo castro instabant, cum custos eos oculis prius quam auribus intercepit, subito hora a media nocte prima splendescentibus clarissime stellis. Quod ni evenisset, non

detecti

A detecti aggressores arceque fuissent potiti : non enim plures quam præsidiarios milites centum arx habebat qui arma tractarent; nec facile ac certo ex urbe suppetiæ potuissent afferri. Apparet Deo hactenus non placuisse ut res ea bene cedat. Conjicio tale quid denuo in Flandriæ loca a Mauritio structum iri.

ac Cl. van der Kemp, sive anni 1622

33 *Denique, quem unum pro cæteris omnibus adhuc citem, Cl. C. M. van der Kemp, qui nuperrime amplam Mauritii Vitam batavico idiomate evulgavit Roterodami anno* 1843, *utrumque eum bellicum eventum fideliter et cordate describit* (*tom. IV, pag.* 153 *ad annum* 1622, *et pag.* 162 *ad annum* 1624, *cum annotationibus pag.* 372 *et* 392). *Priore autem loco, ad annum* 1622, *ita loquitur :* Mauritius, occasionem arripiens qua remotus dispertitusque erat hostium exercitus, XXX Novembris pluribus e locis equitatum in Antverpiensia quæ dicuntur ericeta congregavit : et simul 88 cohortes peditum cum tormentis reliquoque belli apparatu et vel quadringentarum diversæ amplitudinis navium classem accivit Guilielmopolim ; atque ipse eo die Haga Comitis discessit, et altero post die illuc attigit, stipatus principe Henrico, comite Ernesto
B Casimiro omnibusque fere belli ducibus. At ipso quo advenerant die biduoque sequenti acerrimum illico incubuit frigus, ita ut equites non possent progredi, regredique cogerentur. Vix autem rediérat equitatus, ut regelavit. Sed cum iter denuo capessere vellent, procellosa adeo tempestas debacchari cœpit ut Mauritio classique suæ vix receptui locus esset et ut maximo versarentur in vitæ discrimine : quippe nautæ hiemis rigore et turbinum vehementia suas regere amplius non valebant naves, quæ conflictabantur et quarum aliquot in ripam pellebantur. Eæ interea moræ effecerant ut consilium percrebuisset : quare, remisso ad hiemalia milite, Mauritius propositum liquit, nonaque Decembris die Hagam jam revenerat. . . . Attamen certam adeo boni exitus foverat ille spem, ut, Dordraci navem conscendens, nonnullis proceribus hæc dixisse verba perhibeatur : « Deum precamini ut cœptis bene faveat : » nam solus Deus felicem successum prohibere » valet. Secus, ni ipse impediat, prosperum suc» cessum non minus in mea habeo potestate quam » hanc meam quam vobis porrigo dexteram. » Ergo (*concludit Cl. van der Kemp*) evidens est vo-
C luntate Dei sinistre hoc evenisse cœptum. « Mijne » Heeren, bidt God voor onze onderneming : » want God alleen kan mij dezelve doen misluk» ken : anders heb ik den aanslag zoo zeker in » mijne macht, als de hand die ik u toereik. » Het was dan ook duidelijk Gods werk hetwelk dien aanslag deed mislukken. *Porro exhibet D. van der Kemp ipsam Mauritii rerum a se gestarum missam* III *Decembris ad Status qui dicuntur Generales relationem; quæ cum prolixior sit quam ut hic referatur, lectorem eo remitto : ubi inter alia plura leget convocatas Dordracum in* XXX *Novembris copias; classem in altum vela dedisse* I *Decembris a meridie, ut postridie exscensio fieret; vix æquor ingressos, vespere totaque insequenti nocte vexatos fuisse fœdissima tempestate et tanto frigore ut, procellarum vi injecta navibus aqua, quæ mox congelascebat, nautæ funium apparatu uti nequirent; fluenta postero die repleta actaque fuisse glaciatis aquis; ergo singulas naves quemcumque poterant petivisse locum; ex iis quasdam Guilielmopolim revectas;* 50 *vel* 60 *alio in tutum se recepisse; majorem ratium partem prope ripam alicubi gelu constrictam jacere;* 10 *vel* 12 *in scopulos actas elisasque esse.*

EX VARIIS. *sive anni* 1624 *expeditionem describant.*

34 *Ad alternam quod attinet expeditionem, nempe anni* 1624, *idem auctor D. van der Kemp hoc modo ejus meminit :* Summo in silentio pararat Mauritius pedites circiter mille equitesque ducentos. Tam D solerter cuncta erant disposita ut, non secus ac anno 1622, ille declararit non esse, præter Deum, qui felicem impedire posset successum. Verumtamen Deus hunc impedivit (Evenwel God verhinderde dien). Perventum jam erat ad arcis fossam, militesque in eo erant ut in muros scanderent, cum atra eousque nox protinus tam clara evasit ut excubitor motum prospiceret strepitumque cieret. Ergo infecta re discessum est, nullo tamen amisso milite. *Hic interserit auctor* (*nota* 457) *quædam e Regestis Statuum generalium ad diem* XIX *Octobris* 1624 *excerpta loca, quibus ipsi mandant ut regis Galliarum apud rempublicam Batavam legatus hisce verbis certior fiat de infelici illius expeditionis successu :* Excubitor qui in arce vigilias agebat, rem advertit, non equorum strepitu aliove rumore, sed lucescente inopinato cœlo et exorto splendore stellarum; quo factum est ut custos aggressores viderit, sclopetumque laxarit; ita ut retro fuerit cedendum. *Tandem claudit Cl. van der Kemp hanc suam narrationem gravibus hisce vocibus quas hausit* E *e Cl. Bosscha :* Digna profecto memoratu res est heroem cujus consilio et fortitudine multa ardua, imo quæ impossibilia æstimabantur, bellica facinora Marte secundo peracta sunt, a suis armorum primitiis tot adornasse in Antverpiam molimenta, nec tamen ullius prosperum fuisse exitum. Immutabili dixeris stetisse divinæ Providentiæ decreto ut hæc urbs fœderatarum nostrarum provinciarum reipublicæ accederet numquam. *Igitur, quod ex longa hac argumentatione consequens est, si multorum gravissimorum testium jurata depositio apud antistitem Antverpiensem valuerit ut eam quam num.* 27 *et* 28 *exhibui judicialem tulerit sententiam, fatendum est judicialem eam præsulis Antverpiensis sententiam iis quæ adjeci historicorum, et quidem præcipue Batavorum et acatholicorum, verbis haud parum esse contestatam et confirmatam. Unde Ven. Annæ a S. Bartholomæo applicari videtur posse id quod libro Judith* (*cap.* IV, *v.* 13) *de Moyse Amalecitarum gentem debellante pronuntiatur :* Confidentem in virtute sua et in potentia sua. . . non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando disjecit. *Atque hæc dum claudo,* F *lectorem denuo meminisse velim supra demonstratum esse, si Anna orarit, S.* Teresiam *fuisse quæ cœlesti monito Annam ad orandum incitarit : ita ut utrique et Annæ et* Teresiæ, *imo primo loco* Teresiæ, *laus amoti ab Antverpia periculi sit tribuenda.*

§ III. Specialia aliquot miracula selecta.

E multis Sanctæ miraculis

Editor compendii *Actorum canonizationis S.* Teresiæ, *in proloquio suo præmonet ea solum illic memorari miracula quæ singillatim pro canonizatione et a procuratore Ordinis præsentata et a Rota approbata fuere :* præter quæ, *ait,* sunt et alia quam plurima evidentia, pleneque probata testium depositionibus in processibus desuper confectis : ac novissime, post gratiam beatificationis ipsius Virginis, satis compertum est alia per ipsam Deum patrasse, maxime duo illa excellentiora, in contradictorio judicio ab Ordinariis discussa et approbata, suscitationes

EX VARIIS. suscitationes scilicet duorum mortuorum. *Proferam ergo utramque hanc suscitationem, verbis utens P. Frederici* (*lib.* V, *cap.* X), *qui narrationem sequitur Chronici* (*lib.* V, *cap.* XXXII). Anno Domini 1614, quo Beatorum fastis Sancta nostra inserta fuit, Augustinus Josephus de Alva, filiolus duorum municipum Burgensium, accepto die VIII Septembris, duodecim vel quatuordecim diebus a sua nativitate, baptismo, male se habuit et vita functus est. Nutrix quæ eum lactabat, ne tristitiam matri inferret, pueri ægritudinem dissimulavit : at hæc, materno affectu compulsa, cum inter septimam et octavam noctis horam filiolum suum voluisset invisere, cum colore mutatum invenit, alte defossis oculis, ore incomposito, motu, pulsu, sensu, denique vita carentem. Quem talem ex inopinato cernens, fasciis mœrens mater exsolvit, propius circumspectura an aliquod vitæ indicium in ipso appareret : sed nihil aliud ex diligenti sua indagatione retulit quam certiorem se esse factam quod misellus filiolus suus omnino obiisset. Tunc plura beneficia quæ a Seraphica Matre nostra jam acceperat, ejus menti recurrerunt; piaque recordatione recte uti novit. Alte inclamabat, et magna cum fiducia ac devotione illius auxilium invocabat, inquiens : « Sancta Mater, intercede apud Sanctissimam Virginem et Dominum nostrum Jesum Christum ut » obtineam filium meum et eum recuperem vivum, » si sic expediat. »

mortui unius

36 Unius horæ cum dimidia ferme spatio perseveravit, eadem verba ingeminans; et juxta precationis augmentum crescebant in ipsa desideria, devotio, spes. Interea non pauci, ad ejulatus accurrentes, pueruli aperire os sategerunt, nutrix lac ipsi infundere, ut experiretur illudne gustaret : at quorsum id in defuncto? Subinde mater ardentiori fiducia intercessuræ Teresiæ adhæsit, nec sine superna motione inquit : « Eum cuncti bene conspicite, et an vita sit » functus, certos vos facite, ut magis inde aliquod » Domini prodigium fateamur. » Novis investigationibus curaque adhibita cuncti respexerunt; cunctique iterum, nemine refragante, defunctum esse testati sunt. Tum spe repleta mulier supra caput mortui filioli posuit sacram iconem Teresiam exhibentem; et ecce illico uno temporis puncto is suscitatus lac e nutrice sugit sanumque se præbet, quantum tenerrima ejus ætas indicare par erat. Postero die nonnullorum pietas, qui admirabilis admodum prodigii erant conscii, parentes pueri hortata est, ut, ad majus devotionis excitamentum in fidelium animis erga Beatam Teresiam, illum proximo Octobri in supplicatione quæ in ejusdem festo habenda erat, circumduci juberent. Hujuscemodi suasioni obstiterunt parentes; cito tamen Sancta eos ad assensum duxit. Vix enim ipsi statuerunt minime permittere ut eorum filiolus in supplicatione gestaretur, hic a lacte gustando abstitit, nec, quocumque facto tentamine, ullius ubera sugere voluit : quo ipsi viso, se non tantum in supplicatione illius anni eum circumlaturos esse spoponderunt, sed et in cæteris in Teresiæ honorem deinceps celebrandis; et puerulus in eodem promissionis corum puncto iterum manifesta sanitatis indicia dedit, lacque gustavit. Hoc super facto ab archiepiscopali Burgensi curia legitima instrumenta confecta, et a fiscali objectiones consuetæ habitæ; cumque patefieret veritas facti, D. Ferdinandus de Azevedo archiepiscopus definitivam miraculi sententiam protulit : quæ magna cum solemnitate edita fuit, et cives Burgenses ad peculiariter Sanctam colendam animati sunt.

37 Duo nondum volverant anni ab ea suscitatione, cum altera evenit in oppido Gueneja Gaditanæ diœceseos. Isabella de Belver, puella quadriennis, diuturna maligna febri, debilitate summa et cibi defectu, ad quem capiendum impotens erat, ad mortem tandem adducta est, et VIII Augusti 1616 obiit. Cum nullus restaret anhelitus, frigida ac protensa haberet membra, mortis colore pallesceret, oculis esset emunctis atque ita horribilis aspectu ut mater ipsa ad eam quam antea adeo tenere amplectebatur, timeret accedere, non erat dubium quin puella ex hac vita migrasset. Auditis afflictæ matris fœmineis de more clamoribus, qui valde procul insonuerunt, vicini turbati ac trepidi statim advenere. Genitor, ubi paternum ex animo dolorem ob filiæ amissionem ostendit, maxima fiducia permotus, ea, inquam, fiducia qua majorem, ut ipse in processibus testatus est, nunquam in seipso expertus fuerat, cujuscumque alterius Sancti immemor, supplicem se totum exhibuit B. Matri Teresiæ a Jesu, ut vitam defunctæ restitueret; tantoque animi fervore orabat ut minime ipsi potestas esse aliter faciendi videretur. Cumque magis ejus spes augeretur, ad mortuæ cor puellæ papyraceam Sanctæ nostræ apposuit imaginem, ferventibusque suis precibus ulterius incubuit. Haud ita post, ut ipse ac mater a cadavere recesserunt, audierunt ambo sacra ab effigie fieri strepitum, qui aures bis distincte perculit, veluti scilicet evenire mos est quando valide charta percutitur. Ad suam filiam respiciendam mirantes accurrerunt, ac invenere pulsationem in ipsius corde, et membra, quæ omnia prius obriguerant, calida esse ac flexilia : adeoque indubie ad novam mortalem vitam revocata est puella, ut summopere hilaris et optime valens, et peculiari, quam nunquam antea in ipsa adverterant, pulchritudine respersa faciem, aliquid ad manducandum petierit, egressa fuerit domo, et cum suis coævis ad ludendum in viam processerit. Super his juridice processus est habitus, adhibitis de more formulis quæ in hujusmodi factis requiruntur. D. NicolausValdes de Carriazo y Otalora, episcopus Gaditanus, definivit hoc esse evidens miraculum, a B. M. Teresia patratum; effigiem vero quæ hujus prodigii instrumentum fuit, Pater Prior Alphonsus a S. Joseph, hujus definitionis procurator ab Ordine institutus, ad suum conventum Velezmalacitanum detulit.

et alterius suscitatio narratur :

item sanatio ægri in urbe Mexico anno 1615.

38 *E magno numero miraculorum quæ Deus per Sanctam nostram operari dignatus est, adhuc pauca quædam, quæ memorem, seligam. Et quidem ea promam ex dissitis variisque temporibus, ut pateat omni ævo potens Sanctæ patrocinium fuisse, idque non interiisse aut debilitatum fuisse temporis lapsu. En itaque unum quod, ut alia plura, a theologis medicisque, Ordinariorum jussu et interposito jurejurando, legali inquisitione facta, plenissime constat. Refert illud P. Josephus a S. Teresia in Floribus Carmeli* (*num.* 75); *unde illud hausit P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* X), *cujus verba hic latina facio :* P. Michael de la Valle Ord. Præd. Mexici anno 1615, illo nempe quo in Indiis festum beatificationis Seraphicæ Matris celebratum est, in morbum incidit; isque tam malignus et pervicax fuit ut post quadrimestrem curationem in domo unius ex patruis ejus, cum illum medici sanare diffiderent, tamquam mortuum deseruerint. Fratres sui Ordinis, eum sine loquela, sine sensibus, obfuscatis oculis ac sine aliquo vitæ signo cernentes, ad cœnobium reversi sunt, Sacrum in suffragium ipsius animæ facturi, ac monituri P. Priorem ut præciperet quæcumque ad sepulturam opus esset. Id nuntiantibus aderat P. Joannes de

A de Olazabal, theologiæ in eo cœnobio lector; et affectu ac devotione motus quam S. Teresiæ profitebatur, e cujus Reliquiis particulam apud se servabat, eamdem alteri Fratri in manus tradidit, ut illam ad decumbentem, sive is adhuc viveret sive jam decessisset, ferret, a potenti Teresiæ intercessione ipsius salutem sperans. Eo se contulit Frater; cumque ægrotum, sicuti illum ante reliquerat, sine ullo vitæ indicio invenisset, in aquæ vas Reliquiam mersit, eamque, Sancta nostra primum invocata, et Fratris ore, quod sibi tenaciter cohærebat, per vim aperto, ejus labiis admovit: vix aliquas in eo guttas infuderat, cum is qui minime respirabat nec ullum vitæ signum edebat, perinde ac si a profundo se somno excuteret, nova virtute in vitam rediit, statimque sensus recepit, solutus febri, nullumque aliud præteritæ ægritudinis indicium retinens præter lassitudinem, quæ tamen depulsa est paucissimos intra dies. Res in omnium conspectu adeo versata est totque habuit testes ut P. Aloisius Bagliexo, qualificator Sanctæ Inquisitionis, piam petitionem obtulerit Illustrissimo ac Reverendissimo archiepiscopo D. Joanni de la Serna, ut ad miraculum comprobandum juri-
B dica fieret informatio. Quatuordecim testes, cuncti omni exceptione majores, factum in processibus deposuerunt : promotor fiscalis objectiones suas minime prætermisit : his vero ex integro dilutis, archiepiscopus, postquam utriusque cleri insigni fama viros et aliquos medicæ facultatis doctores in consilium adhibuit, die quinta Martii anni 1616 sententiam pronuntiavit pro veritate miraculi, illudque per urbem vulgari jussit; aç inde non modicum incrementum erga Sanctam Fundatricem devotio cepit.

atque alterius 39 *Aliud P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* XIII) *miraculum exhibet, quod Bononiæ anno* 1751, *quo tempore ipse suam italicam S.* Teresiæ *Vitam parabat, evenit.* In ascetcrio, *inquit,* SS. Josephi et Teresiæ Carmelitana erat tertiaria, nomine Teresia Maria a Corde Jesu, cujus mirabilis sanatio anno sequente in ea civitate typis in lucem edita est, prævie habitis quæ assolent juridicis informationibus coram notario publico die IX Octobris anni 1752, accedente approbatione P. D. Aurelii Castagna, clerici regularis S. Pauli, ecclesiæ metropolitanæ pœnitentiarii, consensu D. Francisci Cotogni vicarii generalis, et judicio duorum peritissimorum medicorum, qui
C suam in hunc modum sententiam ediderunt: « Præ- » fatam sanationem in accurata historia allatam, » attentis morbi circumstantiis, et irrito omnium » remediorum usu, nec non subito et inopinato » ejusdem adventu, mirabilem prorsus et a con- » sueto naturæ ordine alienam esse asserimus. » Dominicus Maria Gusmanus Galeazzi, Phil. et » Medicinæ doctor et medicus supradicti conven- » tus. » Jam vero deveniamus ad prædictæ Historiæ narrationem, prout in impressa pagina legitur. Præfata illa tertiaria soror, utut virenti ac juvenili esset ætate, longo abhinc tempore variorum acerbitate malorum insolita quadam ratione gravabatur. Ab anno enim 1744 usque ad 1749 modo sævas plurimum ac crebras cephaleas pertulit, obstinatas modo acres tusses a tuberculis sive parvis pulmonis vomicis excitatas, cum sanguineis item sputis, purulentis interdum, cumque acutissimis non raro febribus. Tandem die XXIII Januarii anni 1749, cum præmemorata mala vehementius urgerent, secus spinam dorsi et in partibus musculorum sacrolumbarium et semispineorum maximis doloribus spasticis correpta fuit; qui, vim eludentes efficacium opportunorumque remediorum quæ adhibuerunt tum excellentissimus dominus Joannes Baptista Cingari, præstans æque ac infatigabilis curationis medicus, tum doctor Gusmanus Galeazzi, vir celeberrimus et extraordinarius monasterii medicus, quin idcirco remitterent, paralyticos musculos effecerunt, inferiores artus ita omnino stringentes ut dies suos in amaritudine ducere coacta semper fuerit, nunc affixa lecto cum summa respirandi difficultate, seque ab uno ad aliud latus vertendi impotens, nunc in sede immobilis, nunc, paucis licet vicibus, dura ex necessitate ægre post se crura trahens, innixa baculo et religiosarum suarum sororum valde mœrentium manibus suffulta. EX VARIIS. D

40 Ut ipsam a feris adeo malis ac pervicacibus liberarent, nihil intentatum prædicti medici reliquerunt, quin et aliorum doctorum sententiam exquirere decretum est; cumque propterea D. Cingari de integra morbi serie fidelem relationem exarasset, eamque ad D. Angelum Ceccarini misisset, magni nominis medicum Liburni, in patientis patria, qui etiam ejusdem exemplar Neapolim transmisit ad alium celebrem doctorem D. Josephum del Vecchio, ab ambobus una cum laudatis curationis medicis definitum fuit desperandum esse de sanatione E miseræ sororis patientis diu et dictis iterato mediis frustra tentata, imo eamdem ex toto claudam futuram et ad quælibet agenda inutilem. Quare afflictissima ut erat ægrota soror, quocumque artis remedio posthabito, ex animo, ardentique cum spe, obedientia freta primum, ab Altissimo, qui cujuslibet certioris remedii fons est, efficacius opportuniusque subsidium quærere studuit, Seraphicæ Matris suæ S. Teresiæ adhibens patrocinium. Hinc ejus festivitati anni nuper transacti 1751 devotissimum præmisit novendium, in quo vel unum figere gressum millies conata est, unoque temporis momento baculum et sustentacula ponere; at vero incassum : quippe suis illa malis cruciabatur acerbius. Novendio igitur quod fuerat aggressa, summa cum perseverantia, resignatione ac spiritus fervore expleto, ac illucescente decima quinta Octobris die, ob festam beneficentissimæ Sanctæ memoriam solemni, se sensit impelli, ut ipsa pluries asseruit, vel potius efficaciter roborari ab interiori Sancti Spiritus motione, ad exoptatam sanitatem a Sancta flagitandam, tuto ac enixe fidens eam se esse obtenturam. Sumpto igitur Christi Corpore, et impetrata a Matre præposita F licentia, supra chori altare baculum deposuit, ac nullo jam usa fulcro, coram sororibus ibi congregatis propter conscientiæ examinationem, quam præmittere prandio solent, illico curva quæ erat et viribus destituta, se plane erexit incolumis, ea virium copia pollens ac si nunquam vel quid leviusculum passa fuisset; adeo ut post semihoram ministrare præstoque esse sororibus ad mensam voluerit, quæ admiratione captæ et gaudio perfusæ lacrymabantur, ac miserationes Domini et validam beneficentissimamque S. Matris suæ potentiam extollebant. In posterum semper ipsa optima valetudine floruit, qua nunquam, præter omnem comparationem, meliorem habuerat; ita ut ad hodiernam usque diem quodcumque maxime laboriosum monasterii officium exercere, suæque Regulæ, austeræ licet, præscripta servare potuerit. Hæc est fide digna ac jurejurando firmata narratio mirifici eventus, quæ ad hodiernum usque diem a medicis consulto dilata est, ut, plenissima sororis valetudine constanter perseverante, præclarissimum beneficium magis magisque constaret, omnesque omnipotentem Deum æquissime concelebrarent, qui tali *anno* 1751 *Bononiæ,*

EX VARIIS. prodigio S. Teresiam glorificare dignatus est. *Porro*
A *eo ipso capite ubi P. Fredericus hoc miraculum describit, S.* Teresiam *erga Italos summe beneficam fuisse ostendit hocce modo :* Multarum quas Sancta hæc nobis comparat gratiarum locuples testis est tota Italia. Cum fiducia crebro ad aras ejus recurritur, harumque tholis votiva donaria ornatusque appenduntur. Plures civitates eam elegerunt in patronam; quod præcipue Neapoli pro toto Neapolitano regno factum est anno 1628 cum pompa quam solemnissima. Multis in locis festum ejus de præcepto est, aliis civitatibus aut pagis opi ejus adscribentibus liberationem a peste, aliis ab inundatione, aliis ab aliis calamitatibus. Imo plurimi tanta in hanc Sanctam feruntur fiducia ut ipsius auxilium invocare idem iis videatur atque rem postulatam adipisci. Vicinitasque deserti nostri Longobardici, sicut mihi, cum eum locum anno 1751 visitavi, asseveratum fuit, dicere solet : « A » Sancta illa impetramus quidquid voluerimus. »

nec non mira sanatio Complutensis puellæ hocce sæculo.

41 *Mirabilem modo sanationem, quæ nuperius quam memorata hactenus miracula evenit, proferam. Ab indendo tamen huic facto miraculi nomine, tametsi illud certa testificatione munitum sit, ab-*
B *stinebo, eo quod ecclesiasticus de eo processus, qualem Synodus Tridentina requirit, institutus non fuerit. Illud ex autographa epistola R. M. Angelæ Josephæ, priorissæ Excalceatarum Carmelitanarum Complutensis cœnobii cui a Corpore Christi nomen, mihi Madrito perscripsit R. P. Lerdo, nunc Romæ Societatis Jesu Assistens, data* XXIV *Martii* 1840 *epistola : e qua ipsa Angelæ Josephæ verba hic transumpta habes.* Die XXX Decembris 1807 nata est in hac civitate Gregoria Alvarez de la Campa, filia Emmanuelis Alvarez de la Campa et Mariæ Saldaña. Puellula hæc, insciis parentibus, e brachiis ancillæ deciderat : unde, cum jam accrevisset, deprehensum fuit eam incedere non posse; ac brevi parentes animadverterunt coxendices ejus prominere, genua vero retrorsa esse. Medicos igitur advocarunt : sed quæcumque hi adhiberent remedia adeo non sustulere malum ut imo auctum fuerit potius. Accessit ad eam curandam chirurgus Estremerensis; at inanem sumpsit operam. Denique puella, quæ non aliter quam quadrupedum more rependo paululum se movere poterat, quinto circiter ætatis suæ anno eo devenit ut ne repere quidem amplius posset. Pridie autem festi S. Matris nostræ Teresiæ sta-
C tuerunt mœstissimi parentes S. Missæ Sacrificium in Sanctæ honorem Deo offerendum curare. Pater itaque domo ad ambulationem egressus atque instinctu quodam interiori ad cœnobium S. Didaci PP. Franciscanorum hujus civitatis deductus, P. Monedero, re narrata, commendavit ut Sacrum in honorem S. Teresiæ faceret. Inde regressus domum, uxori ait : « Curam jam habui ut Missa ex voto » nostro celebretur »; dumque ambo conjuges in conclavi inter se colloquuntur, filiola ex angulo ubi posita erat, repente se erigens, currere cœpit ac parenti dixit : « Pater, pater, en quomodo per » totum conclave discurram! » Parentes, præ stupore vix sui compotes, gratias actum ierunt Sanctæ, et exinde, quamdiu potuerunt, quotannis votivum novendium instituerunt in S. Matris honorem et intererant concionibus quas præcipui doctores ac cathedratici hujus civitatis pro magna sua erga Sanctam religione habere consueverunt. Puella illa etiamnum vivit; petiique ab ea num aliquam haberet scriptam miraculi testificationem. Hanc quidem ait se non habere : attamem quemdam e vicinis suis, qui hodieque in vivis degit, posse de miraculo testimonium dare; se vero ipsam, si necesse foret, jurejurando illud asserturam quale a me relatum D
est. Parentes ejus, qui parvulam veste monialium Teresianarum induerant, legitimam miraculi probationem neglectui habuerunt; ac modo vita functi sunt. Ipsa porro Gregoria jam a bimestri matrimonium iniit. Scribebam Compluti die XXI Februarii 1840. Angela Josepha a S. Teresia.

Ut pulvere sepulcri plurium Sanctorum olim,

42 *Paucis his singillatim prodigiis enarrandis finem imponens, modo ea generatim beneficia annotabo quæ per pulverem ad Sanctæ sepulcrum collectum multi graves auctores fieri attestantur. Sequar rursus P. Fredericum, qui de his* (*lib.* V, *cap.* XIV) *sic loquitur :* Ii qui sinceram fidem cum Christiana humilitate conjungunt, norunt ac confitentur quodlibet in manu omnipotentis Dei instrumentum habile esse quo prodigia operetur : neque vacillat eorum fides, cum legunt patrata a Moyse miracula virga, a Samsone maxilla asini, a Christo saliva, a Petro umbra. Igitur cavillis cachinnisque, ut confido, abstinebunt, ubi audierint hodiedum vigere eam pietatem qua prisci Christiani Sanctorum sepulcra olim prosequebantur, teste S. Gregorio Nysseno, qui in Oratione de S. Theodoro Martyre ait : « Quod si quis etiam
» pulverem quo sepulcri locus obsitus est, secum E
» auferre permittat, pro munere accipitur, et tam-
» quam res magni pretii reposita terra ista ser-
» vatur. » Quod idem videri potest apud S. Gregorium Turonensem in Vita S. Martini, lib. II, cap. I, et lib. III, cap. XI et seqq. In loco ubi Sanctæ corpus Albæ primo fuit inhumatum, terra circumquaque reperta fuit oleoso liquore madefacta. Ex hac igitur terra, cui admixtus est sepulcri pulvis, parvæ statuæ conflantur S. Teresiæ effigiem referentes, ac distribuuntur piis ejus cultoribus. Indubitate autem ego affirmare ausim me in hujusmodi una suavissimam expertum esse fragrantiam : scilicet æstimo eam humectatam fuisse illo liquore qui tumuli terram ipsosque circumjactos lapides penetrarat. Sed is odor ordinarie hodie non amplius advertitur in iis statuis quæ ex Hispania in Italiam afferuntur. Fideles magno fructu eas adhibent. Nimirum tantillum inde pulveris deterunt, quem deglutiunt chartula involutum, magno suo ex ope Sanctæ quam invocant in necessitatibus commodo.

ita hodie pulvere sepulcri S. Teresiæ

43 Cum P. Procuratorem generalem Congre-
F gationis nostræ Hispanæ, ut mihi gratias quasdam distincte explicaret quas fideles ex pio eo more percipiunt, essem percontatus, XXII Decembris anni 1750 hæc mihi rescripsit : « Allatæ ab Hi-
» spania imagunculæ S. Matris nostræ Teresiæ ex
» pulvere illius sepulcri partim conflantur; hoc
» est, e terra aliqua glutinosa sepulcro prius in-
» jecta, ibique per tempus aliquod conservata, cui
» pulvis e sepulcro extractus admiscetur. Innu-
» meræ vero sunt gratiæ sive curationes miracu-
» losæ quas passim ac perpetim in Hispania, ma-
» xime in regno Gallæciæ, sicuti in provinciis
» Italiæ et aliis fere totius Christiani orbis, imo et
» apud infideles, hujus sacri pulveris applicatione
» vel sumptione divina virtus operatur. Veteribus
» nova jugiter succedunt mirabilia, quæ, veluti
» ex assiduitate vilescentia, nec jam scribuntur
» nec debita admiratione multoties observantur.
» Unde, etsi nonnulla audierim vel viderim, nul-
» lius tamen authenticam probationem modo trans-
» mittere valeo. » Atque ego affirmare ausim id et hic etiamnunc evenire. Totque sunt beneficia quæ eo modo obtinentur, ut, ob numerum, juridica de iis informatio non fiat : continuoque percrebescit fama de multis iis ac quotidianis, non

secus

secus ac legitur in vetusto quodam libello qui Mediolani incerto anno typis prodiit Francisci Vigonis et instructiones continet ad in Sanctæ honorem pie decies feriam quartam obeundam : « Innumerabiles sunt gratiæ ac subsidia quæ Deus patrocinio Seraphicæ S. Teresiæ fidelibus confert, et iis quidem maxime qui in infirmitatibus suis devote pulverem sepulcri ejus sumunt, qui vulgo pulvis S. Teresiæ dicitur. »

plura miracula fiunt; quale unum Genuæ anni 1702 citatur :

44 *Inter plura quæ P. Fredericus (loc. cit.) narrat miracula hoc pulvere patrata, unum ego seligam quod Genuæ contigit et cujus relatio ibi et etiam Mediolani typis vulgata est. Sanatio id fuit quæ juridice declarata fuit miraculosa post seriam valde informationem a Joanne Baptista Spinola, archiepiscopo Genuensi, hisce verbis :* Pronuntiamus et declaramus constare de curatione miraculosa secuta in persona dictæ Rev. Sororis Mariæ Victoriæ Centurionæ, monialis in monasterio S. Teresiæ Excalceatarum; et successive permittimus publicari ad majorem Dei gloriam. Datum Genuæ ex palatio archiepiscopali die IV Maji 1702. *Hæc porro relatio typis excusa ita sonat :* Anno nostræ salutis 1701, XXIII Januarii, die Dominica, R. Soror Maria Victoria a S. Teresia Centuriona, annos 26 aut 27 habens, quadam vertigine gravabatur, dicta a medicis tenebricosa et essentiali, juncta paralysi, quæ cum a minimo dextræ manus digito incepisset, inde ad totum dextrum pariter brachium ac latus pervenerat. Earum porro accessus vertiginum frequens adeo erat et vehemens, ut, præterquam quod magnam ipsi oculorum obscuritatem attulerint et omnimodam visus extinctionem, eam insuper ad impotentiam redegerint vel per minimum quidem temporis spatium se vertendi vel tantillum caput movendi, ægrota testante gravissimum se super calvariam pondus et nimium in capite æstum persentire. Hic morbus septennio ante a parvis brevibusque vertiginibus cepit initium, quæ, dum e lecto surgeret, ei visionem per semihoram circiter impediebant, quasque, quantum opinari licuit, ideo passa erat quod pluribus noctibus apertis fenestris auram dormiendo captaverit, et per diem solis reflexus multum exceperit. Progressu temporis eam vim prædictæ vertigines obtinuerunt ut piam earum sororum sollicitudinem impulerint ad varias medicorum consultationes tam Genuæ quam alibi urgendas, ut aliquod miseræ patienti levamen adhibere curarent; at frustra semper : licet enim a parvis atque frequentibus sanguinis e jugularibus venis emissionibus, trium ferme vel quatuor per vices unciarum, aliquid commodi caperet, perbrevi tamen, ut prius, iterum laborabat; eo vel magis quod tanta effusio sanguinis, supputata ab exitu Octobris anni 1700 usque ad XXIII Januarii anni 1701, 10 ad 12 librarum erat : crebræque vertigines, quæ in eodem speciatim mense Januario sibi mutuo succedebant, opinionem hanc medicis ingerebant ipsam denique posse apoplectico ictu corripi, qui eam ad obitum certo duceret. Adeo demum Reverendæ Sororis Mariæ Victoriæ valetudo in pejus versa erat ut ei restituendæ occlusam esse viam periti censuerint, eo quod promptissimis et efficacissimis remediis tam diu obluctata fuisset; cum ad Sanctam suam Matrem Teresiam fidenter admodum conversa, ab assistentibus sororibus enixe petiit parumper illius terræ seu pulveris ex parva quadam Sanctæ statua, quam ex ejus sepulcri terra confectam fuisse præfatæ Sorores se audivisse testantur. Allatum illa pulverem devotissime sumpsit, et visum illico recuperavit, caput movit, quod a prædicto calore minime amplius gravari dolebat, seque incolumem et a quocumque mali genere eam pridem vexante immunem sensit. Imo, ut evidentius pateret miraculum, non modo a pertinaci morbo divina benignitas ipsam solvit, sed insuper carnosiorem ac rubicundiorem quam ante morbum fuerat, eam reddidit, sicuti ad unum fatentur illustres medici.

EX VARIIS.

hodieque pius is et efficax pulveris usus perdurat.

45 *Gaudeo me, quod hactenus de spirituali pulveris illius efficacia e P. Frederico dixi, etiam pro hodierno tempore posse gravissimi viri, R. P. Lerdo, testimonio corroborare. Laudata enim jam pluries epistola* XXIV *Martii* 1840 *sic ille scribit :* Parvæ imagines terreæ, quas Teresinas vocant, et quas tum Albæ tum Abulæ ex pulvere terraque sepulcro Teresiæ adjacente moniales conficiunt, distribuuntur, eæque pro eliminandis febribus tertianis præsertim, dum in pulverem redactæ bibuntur, utilissime per totam Hispaniam, maxime per Castellam, usurpantur. *Neque absimile est aliud beneficium quod idem eadem epistola asseverat hisce verbis :* Antiqua et novis experimentis semper constans fiducia est qua fideles populi, tum Pastranæ tum in oppidis adjacentibus, obtinere certatim quærunt particulas ligni ex arbore albæ mori, ab ipsa S. Teresia illo in horto plantatæ, quas in suis languoribus morbisque curandis admirabilis efficaciæ esse sentiunt. *Huc etiam referri potest quod de pio æque ac proficuo sive sericarum sive chartacearum Teresiani cordis imaginum usu exposui* § LXXII *Commentarii prævii, ad quem lectorem remitto.*

Singulariter remuneratur priorissæ Complutensis in S. Teresiam *fiducia anno* 1808.

46 *In animo tandem mihi erat, non tam particularia facta, quam alia quædam prodigiorum genera memorare quæ in quibusdam auctoribus reperio, quæque, si congruis stipata essent probationibus, aptum hic locum obtinerent. Verum, cum his munita illa non sint, contra vero cum advertam auctores qui ea referunt, esse paratiores ad fuse describenda mira quædam visa promendamque miraculorum copiam, quam ad subministranda authentica documenta justasque eorum admittendorum rationes, ideo cogor ea in medio relinquere. Extremo tamen, post allata e Ribera Yepesioque miracula et post exhibita ea quæ in processu canonizationis S. Rota approbavit, aliaque nonnulla quæ episcopi, adscito e Tridentinæ Synodi placitis theologorum aliorumque doctorum virorum auxilio, exceptis etiam pro more testium juramentis, examinarunt et comprobarunt, juvat exponere, sin ut miraculum, saltem ut singularem quemdam eventum, factum sequens, quod confido fore, cum cuivis lectori jucundum, tum spirituali S.* Teresiæ *proli, ob recens quod S. Mater visa sit dare obedientiæ specimen, proficuum. Illud factum R. M. Angela Josepha a S. Teresia, priorissa Complutensis, cujus alteram narrationem jam supra (num.* 41) *allegavi, ita ad R. P. Lerdo anno* 1840 *perscripsit :* Die II Decembris 1808 Gallis civitatem Complutensem invadentibus, inde excesserunt monialium cœtus, ut qualicumque qui occurrere posset tumultui sese subducerent. Omnium ultima civitatem liquit communitas hæc Carmelitissarum Excalceatarum S. Mariæ, a Corpore Christi dictarum; quia imminens periculum ignorabant, et, tametsi religiosi nostri eas monuerant, id non credebant. Præturbatione, festinatione et mœrore quo afficiebantur, non poterant in tuto ponere pretiosas Reliquias quæ asservabantur in cella S. Matris nostræ Teresiæ, cujus ibi sculpta extat effigies ad mensam charta et atramentario instructam sedentis ac calamum manu tamquam ad scribendum composita tenentis. Effigies hæc eximia est atque pulcherrima; adeoque

EX VARIIS. adeoque quotquot eam vident, asserunt eam nonnisi
A in cœlo formosiorem esse posse. Præposita, quæ erat Mater Isidora a SS. Trinitate, magna animi cum Deo conjunctione spectabilis, S. Matris nostræ cellam ingressa sanctoque zelo accensa, ingenti mentis ardore dixit : « Mater mea, obedientiæ, » dum vivebas, fuisti amantissima, atque hanc » virtutem nobis filiabus tuis impense commen- » dasti. En nos digredimur; tu vero remanes. Pro » meo præpositæ munere tibi injungo ut Gallis » nequaquam te videndam exhibeas, nec sinas ut » in cellam tuam ingrediantur. Ecce jam videbo » num jussa factura sis : cura ut sis mihi obe- » diens. » Intrarunt porro in cœnobium octingenti Galli : qui quantocius (prout nobis retulit famulus, qui monasterii hortulanus erat atque ad illud custodiendum ibi relictus, quique etiamnum vivit) ad cellam Sanctæ properarunt, ut ostium ejus ascia aperirent; verum, quantumvis id molirentur, seram excutere non valuerunt. Videntes igitur suos conatus esse frustraneos, per aream, quam aream Sanctæ vocare solemus, transierunt ad cellæ ejus fenestram perrumpendam, in quam nonnulli ex ipsis sclopetarias glandes emiserunt;
B ac fatigabant se, quin tamen quidquam proficerent. Tum cellam præpositæ, quæ cellæ S. Matris contigua est, ingressi, parietem medianum terebris perforare cœperunt; et quidem hunc laborem usque eo perduxerunt ut nonnisi tantillum fere spatii forandum restaret, quantillum, si ita loqui fas sit, habet densitas putaminis ovi : nec tamen inceptum opus ad exitum deduxere. Quod vero maxime prodigiosum est, præposita, ubi cellam S. Matris obseraverat, præ mentis turbatione clavem in plano ad imam cellæ suæ fenestram reliquit; et hanc nihilominus, licet ita in propatulo jacentem, nemo Gallorum arripuit : ita ut reduces moniales, postquam usque ad diem XV Januarii a sua domo abfuissent, clavem invenerint eodem in loco adhuc permanentem, et ingenti cum gaudio viderint cellam S. Matris obseratam esse, laceram animadvertentes parietem. Plures ex iis monialibus adhuc in vivis sunt.

CAPUT II.

Gloria posthuma ex cultu.

C

§ I. De Indulgentiis, Officiis ac Missa in S. Teresiæ honorem concessis.

Indulgentiæ concessæ plures.

De utroque translationis et transverberationis festo, deque cultu quem S. Teresia *a beatificatione sua apud Carmelitas primum et dein per Hispaniam consecuta est, suis jam exposuimus locis. Collecta quoque, Secreta et Postcommunio, quas Summus Pontifex canonizationis die Missæ inseruit, legi possunt ad* XXXI *Julii,* § CV *Commentarii prævii in Vitam S. Ignatii. Non est igitur cur eas hic repetamus. Quare ordior ab Indulgentiis. Plenariam elargitus est Gregorius XV, cum S. Matrem cum quatuor suis sociis Sanctorum ordini adscripsit; atque eadem die, Bullam canonizationis promulgans, relaxavit omnibus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis S.* Teresiæ *festo die, ad sepulcrum in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum et unam quadragenam; iis vero qui in ejusdem festi octava,* 40 *dies de injunctis* D
seu quomodolibet debitis pœnitentiis remisit. Dein Brevi XIX *Septembris* 1622 *dato plenariam Indulgentiam concessit, consuetis sub conditionibus, omnibus Carmeli Excalceati ecclesiam die* XV *Octobris visitantibus. Extat hoc Breve in Anno Teresiano* (*tom. IX, pag.* 314) *et in Bullario Carmelitano* (*tom. II, pag.* 396). *Ad Carmelitas Calceatos extensa fuit hæc Indulgentia non secus ac reliqua privilegia Excalceatorum per litteras apostolicas Clementis* X, *die* XXXI *Octobris anni* 1670 *datas, quibus initium est :* Ad uberes. *Has in eodem Bullario* (*tom. II, pag.* 577) *reperies.*

Ejus festum initio V *Oct., non* IV *Oct.,*

48 *Mutationes plures in S.* Teresiæ *Festo, Officio et Missa contigerunt. Primo itaque de Festo. Constat a primis initiis S. Matris memoriam annexam fuisse diei* V *Octobris, et hæc dies in litteris apostolicis de Beatificatione servata est his verbis :* Ut deinceps in futurum singulis annis in die depositionis dictæ B. Teresiæ, videlicet die quinta mensis Octobris, . . . Officium et Missa. . . recitari et celebrari respective possit. . . concedimus. *Cui ordinationi nullam immutationem intulit Bulla canonizationis. At quæstio fit cur S. Matris festum diei* V *assignatum fuerit, cum tamen inter horam* 9 *et* 10 *vespertinam die* E
IV *Octobris supremum obierit diem. Varie a variis respondetur. P. Petrus Thomas Saracenus de Bononia, in Menologio Carmelitarum, anno* 1628 *Bononiæ impresso, ad calcem Vitæ S. Matris* (*pag.* 376) *ait* S. Teresiam e vivis quidem in cœlum migrasse die IV Octobris; sed, *inquit,* Summo Pontifice concedente, publice et in Ordine apud Discalceatos Patres, ne D. Francisci solemnia impedirentur, die V Octobris colitur. *P. Montoya aliam dat rationem, adstruens S. Matrem mortuam esse die* V *Octobris secundum computum Italorum, diei initium ab antecedente vespere repetentium. P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* II) *tertiam init sententiam, scribens S. Matrem expirasse die* IV *Octobris inter horam* 9 *et* 10, *cum dies* V *surgeret, atque etiam secundum computum ecclesiasticum a primis Vesperis jam esset inchoata; quapropter, quoniam dies* IV *S. Francisco sacra erat, S. Matris festivitatem usque ad annum* 1629 *die* V *fuisse celebratam. Guyetus in Heortologia* (*lib.* II, *cap.* II, *pag.* 128) *ad quæstionem :* Quo die consignandus sit in fastis Natalis cujusque Sancti, *late de præsenti dubitatione disserit, adstruens Natalem diem a vespera ad vesperam computandum* F
suaderi ratione Officiorum; usu tamen communi, quam exempla plura, puta S. Francisci de Paula, S. Ludgeri, S. Cuniberti Coloniensis, probent, eumdem a media nocte ad mediam noctem computari : licet ipse haud improbaverit usum contrarium, si Sancti post horam Completorii obiverint, tum quoniam Officium non præcedere, sed sequi aut certe comitari debeat Sanctorum triumphum, et eo potissimum die celebrari eorum transitus quo primum vulgatus fuerit; dicitque his adstipulari festivitatem S. Martini, media nocte demortui, S. Teresiæ *vespere decedentis, aliorumque item multorum, quos non nominat.*

dein vero XV *celebratum.*

49 *Porro die* V *Octobris, ut ex P. Saraceno intelleximus, adhuc anno* 1628 *agebatur Teresianum Festum; at sequenti anno ea mutatio contigit quæ in epistola P. Ferdinandi a S. Maria, Præpositi Generalis Excalceatorum Congregationis Italicæ,* XVI *Junii* 1629 *data, impressa vero cum Officiis propriis Ordinis anno sequenti, sic exponitur :* S. D. N. Urbanus Papa VIII Officium S. Matris nostræ Teresiæ ab eadem Sacra Rituum Congregatione approbatum celebrari præcipit die XV Octobris, in quo depositio ejusdem Sanctæ eo anno occurrebat

A occurrebat secundum reductionem decem dierum a Gregorio XIII anno 1582 eadem die XV factam. *Vide etiam P. Fredericum lib.* V, *cap.* II. *Quantum vero hæc dierum suppressio ad S. Matris festivitatem pertinet, ea declaratur a P. Guyeto* (*lib.* V, *c.* II, *quæst.* XIV) *in hunc modum :* Anno 1582 facta est a Gregorio XIII Pont. Max. correctio kalendarii, cujus primum caput illud fuit ut decem dies eo anno omitterentur. Locus autem omissionis ejusmodi indictus est mense Octobri, inter diem IV Octobris et V, adeo ut, celebrata de more IV nonas festivitate S. Francisci, postridie non III nonas seu V dies mensis, sed idus ipsæ seu XV dies numeratus sit. Ipsa vero eadem die IV Octobris sub vesperam contigit felix ad Deum transitus S. Virginis Teresiæ, cujus proinde Natalis, juxta id quod a nobis dictum est,... postridie in fastis consignandus erat. Et vero consignatus fuit primitus ipsa V die Octobris. Verum cum ipsamet dies fuerit prima ex omittendis, Romæque adeo, et alibi ubi tum servatum fuit Pontificis decretum, non V Octobris, sed XV numerata sit, rectius postea inscriptus fuit illius S. Virginis Natalis ipsis idibus seu XV ejusdem mensis. *Eruditis innotescit Gregorianam correctionem duobus mensibus serius in Gallia ita fuisse factam ut decem dierum omissio a die* X *Decembris usque ad* XIX *inclusive kalendario induceretur; verumtamen quotquot novi kalendaria diœceseon Galliæ, ea S. Matris festivitatem, nisi dies*
B *impediatur, ad* XV *Octobris exhibent.*

Varium fuit ejus Officium.

50 *Nunc de ipso Officio dicemus. Ex Brevi beatificationis anno* 1614 *Carmelitis Excalceatis utriusque sexus et clero Albano concessum fuit Officium et Missa de B.* Teresia tamquam de una Virgine; *atque hæc concessio non multo post ad Hispaniam universam et ad totum Carmelum fuit extensa, prout ex aliis Brevibus patet. Neque per canonizationem aliquid huic concessioni additum fuit. At, cum anno* 1629 *diem festum S. Matris transferret Urbanus VIII, proprium simul concessum fuisse Officium ex epistola præcitata Præpositi Generalis liquet. Quod Officium, quale anno sequenti excusum est, præ oculis habeo. Est autem pro Carmelitis ritus duplicis et de Communi Virginum; sed proprios habet Hymnos Vesperarum et Matutini, propriamque Orationem, et eas secundi Nocturni Lectiones quæ etiamnum in Romano Breviario habentur. Per annexam vero octavam recitabantur in* II *Nocturno Lectiones*
C *desumptæ e SS. Patrum scriptis. Nihil itaque hic mihi describendum est. Attamen, quod ad Hymnos spectat, præter eos quos annotat Grancolas* (*Comment. hist. in Breviar. Rom., lib.* I, *cap.* XXVIII) *suis temporibus ipsi Urbano VIII Pont. Max., poeticis suis operibus laudatissimo, solitum fuisse adscribi, Chronicum* (*lib.* XXIII, *cap.* XLIII, *num.* 4) *tradit ab eo etiam conditos fuisse Hymnos S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis et S.* Teresiæ. *Eamdem sententiam amplexus P. Fredericus eos sub Urbani VIII nomine cum duplici paraphrasi seu versione metrica italice ad calcem libri quinti edidit. Imo etiam Lectiones cæterasque Officii partes Urbano VIII esse tribuendas, patet cum e P. Alphonso de Andrade* (*Prologo ad Monita spiritualia S.* Teresiæ, *pag.* 13), *tum e P. Petro a S. Andrea, suam Cardinali Barberino dedicante Historiam generalem Excalceatorum Congregationis Italicæ, ubi eum ita alloquitur :* Specialis illa patrui tui (*Urbani VIII*) in Seraphicam Parentem nostram Teresiam devotio. . . illum. . . tot inter gravissimas pontificatus curas ad ejus gesta elegantibus Hymnis, Oratione ac Lectionibus, e sacrato pectore depromptis, cogenda ac Breviario apponenda adegit. *Faustinus quoque Arevalus plura de his Hymnis edisserit in Hymnodia Hispanica* (*pag.* 201), *notatque, cum hi Hymni etiam in festo Transverberationis cordis recitarentur, atque in secundo hæc verba :* Hæc est dies qua candidæ instar columbæ Cœlitum ad sacra templa spiritus se transtulit Teresiæ, *minime cum festivitate consonarent, anno* 1738 *S. Rituum Congregationem jussisse in festo Transverberationis dici :* Felix dies qua candidæ, *etc. Unde nihil jam hiulcum superest.*

EX VARIIS. D

Nomen S. Teresiæ *quando et qui Martyrologio Romano inser tum.*

51 *Ad annum ferme* 1629 *referenda est prima inscriptio nominis S. Matris in Martyrologio Romano. Ex Thesauro enim Sacrorum Rituum Bartholomæi Gavanti* (*sect* V, *cap.* XXI, *num.* 7) *et ex Benedicto XIV* (*de Beatif. et Canoniz., lib.* IV, *part.* II, *cap.* XVII, *num.* 7) *innotescit in recognitione editionis Baronianæ jussu Urbani VIII festa Sanctorum qui nuperius canonizati fuerant, enuntiata fuisse, positis primo loco iis Sanctis quibus datum erat Officium de præcepto. Hos inter nondum erat S. Mater, inferiorem idcirco nactura locum. Hujusmodi editione usus est Balduinus Willot in sua gallica Martyrologii versione, cui præmisit decretum Sacræ Congregationis quo statutum fuit* XXIII *Aprilis* 1630 *ut hoc excuderetur Martyrologium typis Romanis Andreæ Brogiotti. Anno sequenti excusum est idem* E *Martyrologium Moguntiæ, atque ex eo Tamayus de Salazar S. Matris memoriam producit his quæ cum versione Willoti consonant verbis :* Albæ S. Teresiæ Virginis, Fratrum et Sororum Ordinis Carmelitarum arctioris observantiæ Matris et Magistræ. *Reapse non capio quare umquam hæc annuntiatio immutanda visa sit : verumtamen in editione Romani Martyrologii, anno* 1748 *curata ab ipso Benedicto XIV, loco* Albæ *habes* Abulæ in Hispania, *licet S. Mater Albæ sit defuncta, atque huic proin ejus alliganda videantur cœlestia natalitia. Quod typothetæ cave ne adscribas, quoniam pag.* 373 *in adjecto Martyrologio Carmelitano eadem repetita occurrunt. Anno* 1709 *prior commemoratio adhuc obtinebat, ut ex Castellani versione gallica liquet. In Martyrologio Parisiensi, item in Ebroicensi et Antissiodorensi Albæ affiguntur S. Matris natales. Latiores Teresianas laudes, illic exstantes, mihi non recensendas arbitror, ut nec illas quas tum Ferrarius anno* 1625 *inseruit suo generali Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, tum Saussayus Appendici Martyrologii Gallicani.*

Concessio recitandi ejus Officii gradatim amplior.

52 *Occasionem concessi Officii proprii inde repetit Chronicum* (*lib.* XXIII, *cap.* XLIII, *num.* 4) *quod jam anno* 1629 *agebatur de inserendo S. Matris Officio ipsi Romano Breviario et toti præscribendo Ecclesiæ. At non ita cursim id fuit factum. Nam anno* 1634 *Gaspar de Guzman, dux de Olivares, epistolas Romam dedit, ut testatur idem Chronicum* (*lib.* XX, *cap.* XXXV, *num.* 6), *quibus facta ea de re petitio urgeretur. Quare Cardinalis Alvornoz, regis Hispaniæ legatus, huic negotio suas impendit curas* (*ibid. num.* 12). Ac post multas superatas difficultates (*ut hic Cardinalis, in Hispaniam destinans decretum tantopere expetitum, ad Gasparem de Guzman die* XV *Septembris* 1636 *rescripsit*) *tandem impetravit ut proprium S. Matris Officium, in Hispaniis jam recitatum, per totam Ecclesiam cuilibet, ad Horarum canonicarum recitationem adstricto,* ad libitum *sub ritu semiduplici celebrandum concederetur. Atque ipsum decretum legere est in Chronico* (*ibid. num.* 13). *Nescio utrum tunc primum S. Matris Festum agi cœptum sit in Polonia. Josephus Geldolphus a Ryckel, abbas S. Gertrudis Lovanii* (*de Patriarchis Familiarum Religiosarum, pag.* 669, *ex lib.* III, *cap.* II, *de Purgatorio P. Eliæ*), *ait Vladislaum, regem Poloniæ* (*anno* 1632 *re-*

EX VARIIS. *gnum is est adeptus*) *recens coronatum, a Sede*
A *apostolica duo petiisse et impetrasse :* Quorum primum fuit ut S. Teresiæ festum per universum Poloniæ regnum celebrari juberet ritu duplici; alterum ut cuilibet sacerdoti in eodem regno Poloniæ fas esset in die Animarum tria celebrare Sacra, prout assolet in Natali Domini. *At hic pium Teresianorum desiderium non stetit; sed novis supplicationibus ab Innocentio* X *impetrarunt* XXIX *Octobris* 1645 *ut per universam Ecclesiam S. Matris festivitas sub ritu semiduplici* de præcepto *recitaretur* (*vide Benedictum XIV de Beatif. et Canoniz., lib.* IV, *part.* II, *cap.* XVI, *num.* 8, *et P. Fredericum, lib.* V, *cap.* XVI). *Viginti vero annis post, die scilicet* XIX *Septembris* 1665, *indultum est ad preces P. Joannis a Conceptione, procuratoris generalis Congregationis Hispanicæ, ut prima die non impedita cujuslibet mensis S. Matris Officium sub ritu semiduplici in hac Congregatione recitari posset; quod anno sequenti* XVIII *Septembris ad totum Ordinem ipsosque Calceatos propter privilegiorum communicationem extendi declaratum est. Exstant decreta in Bullario Carmelitano* (*tom. II, pag.* 542 *et* 544). *Quid deinde fuerit actum, ex sequenti Sacræ Rituum Con-*
B *gregationis decreto intelligere est :* Officium S. Teresiæ Virginis Ordinis Carmelitarum, nuper Breviario Romano ex præcepto recitandum sub ritu semiduplici idibus Octobris appositum, Sanctissimus Dominus Noster, piis Catholicorum fere omnium principum votis annuendo, ex sententia Congregationis Sac. Rituum in posterum sub ritu duplici in eodem Breviario imprimi, et ab omnibus Christi fidelibus, tum sæcularibus tum regularibus utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, in tota Ecclesia recitari præcepit. Hac die XXI Julii 1668. M. Episc. Portuensis Card. Ginettus. — Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. Secr. *Quod decretum confirmavit Clemens IX litteris sub forma Brevis* XI *Septembris* 1668 (*vide Bullarium Carmelitanum, tom. II, pag.* 552 *et* 553). *S.* Teresiam *primam esse Virginem non Martyrem cui Officium duplex in Breviario Romamo datum sit, notat P. Fredericus a S. Antonio* (*lib.* V, *cap.* XVI).

Officium S. Teresiæ quale in Ordine Carmelitico;

C 53 *Porro* IX *Junii* 1696 *approbavit Sacra Rituum Congregatio Lectiones proprias quæ in S. Matris festivitate et per sequentem octavam a Carmelitis recitarentur. Eas inter servatæ sunt tres veteres Lectiones secundi Nocturni. Quadriennio post obtenta sunt propria Antiphonæ, Responsoria et Versiculi, in quibus ad* Magnificat *in secundis Vesperis encomium doctrinæ S. Matris cernere est. Officium vero quale Ordo hodiedum recitat, postquam a Cardinali Colloredo revisum ac correctum esset, indultum fuit* XIX *Junii* 1700 : *quod ipsi prænotatum edito exstat Officio. Ex epistola P. Josephi a SS. Sacramento, procuratoris generalis Romæ, ad P. Josephum ab Incarnatione octiduo post hanc innovationem* (*sed forte ante ejus promulgationem*) *data, editaque a P. Antonio a S. Joachim in Anno Teresiano* (*tom. VI, pag.* 359), *partem gestorum eruere licet. Ejus dicta ex idiomate hispanico latina facio :* Concessio Officii proprii in S. Matris laudem die XIX Junii (*anni* 1700) obtenta est absque Euangelio Doctricis; quod petitum non est, quia id consilium mihi dederant Cardinales etiam ii qui maxime S. Teresiæ devoti sunt, dicentes Sanctæ quidem merita inesse Doctricis, sed in Ecclesia moris non esse hoc assignare Euangelium mulieribus, quantumlibet sanctis et doctricibus mysticis, qualis esset S. Teresia; idcirco inanem fore similem petitionem, quæ sine dubio rejiceretur. Hymnum ad Laudes, compositum a Cardinali, immutavit Cardinalis Colloredo, scribens VIRGINES; qui etiam noluit D
expungi pristinam Antiphonam quæ primo loco est ad Laudes : HÆC EST VIRGO SAPIENS ET UNA DE NUMERO PRUDENTUM, quatuor tamen reliquas proprias faciens : atque insuper Antiphonas binas, alteram ad primas, alteram ad secundas Vesperas, proprias fecit; quam triplicem Antiphonarum diversitatem in solo Natali Domini usurpat Ecclesia. Hæc omnia sunt pulcherrima et majestate plena, et quam accommodatissima stylo Ecclesiæ universalis. Romæ, XXVII Junii 1700. *Hæc de Officio Romano.*

dem quale in ritu Ambrosiano.

54 *Verum duobus annis priusquam Ordini Carmelitano speciale aliquod S. Matris Officium concederetur, proprio jam utebantur monasteria Excalceatarum Carmelitanarum quæ in diœcesi Parisiensi erant. Anno enim* 1627 *impressum est Parisiis apud Franciscum Hors ex concessione archiepiscopi,* VIII *Januarii ejus anni data, Officium proprium recitandum tum die festo tum per sequentem octavam. Quamvis id præ manibus mihi sit, ei aliisque similibus hic exscribendis, ne prolixior sim, supersedeo, et eo quidem magis quod Romano Officio multo sint inferiora. At dignum censeo ut hic referatur id peculiare Officium quod Emin. Card. Cæsar Montius, archiepiscopus Mediolanensis, anno* 1647 *inseruit* E
Ambrosiano Breviario. Sic autem sonat :

ORATIO PRIMA. Superni luminis Pater, qui ad meliora semper æmulanda charismata mentem Beatæ Virginis Teresiæ charitatis ardore inflammare et sapientiæ luce illustrare dignatus es, quæsumus ut, ipsa interveniente, quod ore et opere docuit, et simplici capiamus mente et toto cordis ardore compleamus. Per Dominum etc.

ORATIO SECUNDA. Beatæ Virginis tuæ Teresiæ meritis nos, Domine, in tui amore propitius accende, ut, sicut illa tibi placuit et flore virginitatis et charitatis ardore, ita nos valeamus ea intercedente bonis operibus abundare. Per Dominum etc.

ANTIPH. (*ad Cantica* Magnificat *et* Benedictus). Audivisti, filia, et inclinasti aurem tuam, et ideo concupivit Rex decorem tuum, et oleo lætitiæ unxit te præ consortibus tuis.

PSALLENDA. Ut stella matutina in medio nebulæ, ut luna plena in diebus suis, et sicut sol fulget in meridie, sic Beata Teresia fulget in Templo Dei.

LECTIO. Teresia Virgo Hispana, piis ingenuisque parentibus Abulæ nata, tenerissima adhuc ætate Sancti Spiritus igne succensa, in Christianæ perfectionis fastigio suæ jecit eximiæ sanctitatis fun- F
damenta. Etenim domo pie profuga, trajicere tentavit in Africam, ut in lapideis Barbarorum cordibus æternum de Jesu Christo insculperet suo sanguine testimonium, quod nondum per ætatem potuisset exprimere lingua. Verum peculiari Dei consilio domum reducta, sanctimonialium Beatissimæ Virginis Montis Carmeli Institutum professa, tanto exarsit perfectionis ardore, ut, mundo infernoque undequaque adversantibus, severiorem Carmelitarum vivendi Regulam, Pio IV approbante, pristinæ observantiæ restituerit et in duobus supra triginta monasteriis cum virorum tum mulierum, sola Dei ope, ipsamet propagaverit. Libros ad orationis studium et cœlestium desideria mentes hominum inflammantes non persuasibilibus humanæ, sed divinæ sapientiæ verbis, rerum divinarum experientia magis quam lectione magistra, conscripsit. Eam novo sponsaliorum ritu, suæ scilicet passionis clavo, annuli vice, sibi Christus in sponsam adscivit; et exinde tanto ipsa patiendi flagravit desiderio ut exclamaret identidem : Domine, aut pati aut mori. Non defuit æstuanti Sponsus, sed per Angelum ignito jaculo cor ipsi transverberavit; illaque

A illaque Sponso tanta charitate respondit ut insolitum et perdifficile votum semper efficiendi quidquid perfectius esse et ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret, constantissime emiserit. Visionibus revelationibusque præclaris mirabiliter illustrata, amoris magis erga cœlestem Sponsum quam morbi vi animam Deo reddidit Albæ anno salutis 1582 idibus Octobris juxta Gregorianam kalendarii emendationem, ætatis vero suæ 67 (*dic* 68). Virgini morienti Christus inter Angelorum agmina adfuit : ejus anima sub specie columbæ in cœlum evolantis visa est; et arbor cellæ illius proxima, jamque dudum arida, præter omnem temporis et naturæ rationem, tantæ Virginis ad cœlestis Agni nuptias feliciter intrantis testis, repente efflоruit; multaque alia admiranda ejus obitum illustrarunt. Denique corpus illius odorato liquore circumfusum et adhuc incorruptum pia veneratione colitur, illamque in vita et post mortem multis claram miraculis Gregorius XV in Sanctorum numerum retulit. *Non est cur miretur quisquam me hæc de Teresiano Officio absolventem non meminisse quarumdam anno* 1622 *de cœlo, ut ferunt, delapsarum chartæque inscriptarum precum,*
B *quarum meminit P. Fredericus* (*lib.* V, *cap.* XVI). *Præterquam enim quod portentum adeo singulare infirmo nitatur testimonio, ex prævio beatificationi processu Granatensi constat illas jam tum, partim saltem, concinnatas fuisse preces. Quare, missis aliis argumentis, hæc pro næniis habentor.*

Missa in honorem Sanctæ celebrata, qualis.

55 *Jam de Missa S. Matris, sepositis his quæ ad ritum pertinent, utpote ex dictis de Breviario satis cognitis. Primis temporibus recitabatur Missa de Communi Virginum; cujus tamen Collectam his finire verbis Paulus V vivæ vocis oraculo permisit :* Ita piæ devotionis et cœlestis doctrinæ erudiamur affectu. *Gregorius XV, omnia vivæ vocis oracula irritans, hoc quoque de medio sustulerat; at die* I *Januarii* 1624 *probavit formulam :* Et cœlestis doctrinæ erudiamur affectu. *Præsens norma debetur Urbano VIII, anno* 1628 *præscribenti hæc verba :* Cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, et piæ devotionis erudiamur affectu. *Usque ad annum* 1665, *ubi jam inter Calceatos et Excalceatos Carmelitas omnigena privilegia communia erant, dicebatur apud Calceatos Missa de Communi cum una Collecta propria, quæ hodiedum in Missali Romano superest. In Missarum autem supplemento*
C *excuso anno* 1699 *eadem adhuc Missa recurrit; sed inserta tamen habet, qualia festo S. Ignatii de Loyola sunt in Missali Romano, Secretam et Postcommunionem. Huic Missæ insertum est postea Euangelium festi S. Francisci Assisiatis; quod servatum est, cum reliqua omnia præter Collectam* XXVII *Julii* 1720 *immutata sunt. Quantum licebat, in hac Missa quæsitum est ut S. Matris doctrina extolleretur, et ut innuerentur plura ejus gesta aut dicta. Satis fuerit Epistolam :* Optavi et datus est mihi sensus, *ex capite* VIII *libri Sapientiæ, annotasse. Hæc Calceatis atque Excalceatis propria. Hi vero in* Confiteor, *tum ad Missam tum in Officio divino, licet cæterum ritu Romano fere a suis exordiis utantur, post SS. Petri et Pauli nomina subdunt nomina* Beati Eliæ *et* Beatæ Teresiæ, *non appositis* Patris nostri *seu* Matris nostræ *titulis. Adhæc Pius VI kalendis Februarii* 1794 *approbavit Præfationem propriam, quæ ab Excalceatis dicatur in festivitatibus S.* Teresiæ *et per festi ejus octavam, ac in omnibus ejusdem Missis per annum votivis. Sic autem sonat :* Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere : Domine Sancte, Pater omnipotens æterne Deus : per Christum Dominum nostrum. Qui B. Teresiam Sanctorum scientiæ ac divinæ caritatis ardore munerare : et Angeli visione, ignito jaculo præcordia ejus transverberantis, vehementius inflammare : eamque sibi spirituali connubio sociatam, data dextera, significare dignatus est. Quo caritatis incendio dum B. Teresiæ vita consumitur; spiritus ejus, columbæ specie egredi visus, sublimem cœlestis gloriæ gradum conscendit. Et ideo cum Angelis, etc. EX VARIIS. D

§ II. De reliquo S. Matris cultu, et speciatim de tutelari regni Hispaniæ patrocinio.

Regum, nominatim Hispanorum, in S. Teresiam *pietas;*

Mitto, ne prolixior sim, de Summis dicere Pontificibus, quorum magna erga S. Teresiam *pietas satis constitit ex iis quæ de Reliquiis, canonizatione et cultu ecclesiastico prolata jam sunt. Primo itaque de regibus, et quidem de solis regibus Hispaniæ. Philippus II, cui Carmelus Reformatus beneficia quam plurima in acceptis referre debet, erga S. Matrem vita functam servavit, imo auxit, veneration-*E *em, studium et amorem quem sæpe exhibuerat vivæ; ita ut ejus libros inter pretiosissima cimelia reponeret, utque, audito Yepesio coram eo pro concione propalante Teresiani corporis integritatem, coleret S. Matris lipsana exciperetque venerabundus panniculos qui anno* 1594 *ex scapulæ tactu sanguinolenti facti fuerant, etc. : quæ quidem pietas adhuc clarius constat ex litteris, mandatis omnigenisque curis in canonizationis negotio impensis. Similibus argumentis, potissimum beatificatione et canonizatione procuranda celebrandaque, et patrocinio Hispaniarum S. Matri credendo et ab adversariorum vindicando contradictionibus, inclaruit Philippi III et Philippi IV sincerus erga S. Matrem amor et religio. Quin voto se Philippus IV ejusque conjux obstrinxerunt ad primæ nascituræ sibi filiæ conferendum* Teresiæ *nomen* (*vide P. Fredericum, lib.* V, *cap.* XVI). *Item Carolus II magnam coluit erga S.* Teresiam *pietatem, cujus ipsemet testis est, scribens in sui testamenti codicillo se ejus devotum*
F *præstitisse clientem. Argumento est facta ab eo ejusque conjuge fundatio qua diu noctuque ante S. Matris sepulcrum binæ lampades in perpetuum arderent; atque id magis adhuc patet e litteris quas ad patriarcham Indiarum dedit, quasque ego hic latine versas exhibeo :* Ob peculiarem devotionem quam erga S. Teresiam animo foveo, statui in sacello (*regio*) die XV Octobris festivitatem celebratum iri cum concione et solemni Sacro, quemadmodum in festo S. Ferdinandi aliorumque fieri assolet. Atque tibi mando ut secundum hoc meum statutum ea exequenda cures. Madriti die V Julii 1681. *Cum autem postea adverteret se id temporis sæpius Madrito abfuturum, celebritas dilata est ad diem quæ immediate sequitur festivitatem patrocinii B. M. Virginis* (*Chronic. lib.* XVIII, *cap.* V, *num.* 3). *Profitetur in memorato supra codicillo Carolus sibi per totam vitam in votis fuisse sui regni patrocinium S. Matri credere, ac se id negotium, ut rem momentosam, suo successori enixe commendasse. Quid porro Ferdinandus VI ejusque uxor ac Carolus III præstiterint, narratum ibi jam est ubi de S.* Teresiæ *corpore annis* 1750 *et* 1760 *examinato novæque imposito arcæ ab ipsismet regibus donatæ. Atque hæc de regibus*

EX VARIIS. A *bus Hispanis. Quæ alii reges, principes ac proceres præclara crebro edidere erga S.* Teresiam *venerationis cultusque specimina, longum foret enarrare. Imo, ut vel solorum Albanorum ducum jugis a me depingeretur erga eam pietas, nimium quantum mihi spatium necesse foret. Sufficiat unius alteriusve ex honorificis istiusmodi adversus Sanctam nostram documentis mentionem facere. Lusitaniæ rex anno* 1665 *decretum edidit ut singulis annis* XV *Octobris tribunalia vacarent et ut tota universitas Conimbricensis, præeunte rectore, accederet ad solemnia in Carmelitarum templo celebranda divina Officia* (*vide Annum Teresianum, tom. VI, pag.* 223).

item aliorum, procerum etiam et Sanctorum.

57 *Cardinalis Petrus de Salazar, quem S. Matris cor divite claudendum theca curasse jam diximus, constituit certos reditus ex quibus solverentur sumptus necessarii ad celebrandam quotannis quam piissime S. Matris festivitatem in cœnobio Carmelitanarum Excalceatarum Cordubensium* (*vide Annum Teresianum, tom. I, pag.* 356). *Ludovicus Emmanuel Portocarrero, archiepiscopus Toletanus et Cardinalis, dicavit* XV *Octobris in ecclesia cathedrali præclaram ex argento statuam quæ sacram* Teresiæ *effigiem referret* (*ibidem, tom.* X, *pag.* 306). *Sequentia de S. Josepho Calasanctio, Clericorum regularium scholarum piarum parente, ex P. Frederico latina facio :* Erat ei familiarissima amicitia cum PP. Carmelitis Excalceatis, maxime cum Venerabilibus PP. Joanne a Jesu et Dominico a Jesu, qui ei consultores et magistri spirituales, defensoresque ac promotores pii ejus Instituti erant. Venerabatur tamquam insignem suam patronam S. M. Teresiam. Ejus Opera et libri Morales S. Gregorii, qui multum quoque juverant S. Matrem, in deliciis erant Calasanctio, eisque legendis tempus impendebat plurimum. Apparebant ei sæpius illi Sancti; quibuscum colloqui pluries auditus fuit inter suaves lacrymarum imbres. Celebris facta est apparitio qua eum dignata est S. Teresia anno 1627, eum præmonens de sæva imminente tempestate; quæ, dum totum ab eo fundatum Ordinem fere submerserat, occasionem dedit Josepho mirabilem constantiam et heroicam ad mortem usque patientiam exhibendi. Laboribus oppressus, in gravem inciderat morbum, erysipelate maligno crus quod ex casu læsum erat, corripiente; ac mors ei Sacramentorum receptione communito jam imminebat. Cum solus esse voluisset manere- C tque alta contemplatione defixus, apparuit ei S. Mater, ac illum de vita et valetudinis restitutione securum fecit, significans Deum velle sibi ab eo obsequium præstari per Instituti istius propagationem, eaque ratione ingentes non defuturos illi labores et asperrimas persecutiones : quæ omnia ut generose ferret, ipsa multum ei addidit animum (*lib.* V, *cap.* XVI). Ex hoc tempore, *inquit P. Talenti* (*in Compendio chronologico-historico Vitæ S. Josephi, pag.* 109), melius habere cœpit; neque multo post a dolore liberatus est, licet crus permanserit frequenti obnoxium inflammationi atque doloribus. Pro grata sua erga Sanctam memoria voluit ut quæ prima in suo Ordine ædificaretur ecclesia, a S. Teresia titulum mutuaretur; et reapse jussum dedit ut ejus nomen inderetur, quando proximo die VII Septembris scholæ cum tirocinio Neapoli extra Portam Regiam aperiebantur. Cui rei cum PP. Carmelitani refragarentur, quod timebant ne populi ad suam ædem concursus desineret, Josephus, pacis amantissimus, jussit ut ecclesiæ suæ titulus mutaretur, diceretur que a Nativitate B. Mariæ Virginis, ratus gratum fore S. Matri Teresiæ suam erga ejus filios obsequentiam. *S. Alphonsus de Ligorio, ut ait D. Jeancard in ejus gallice scripta Vita, piis obsequiis magnaque fiducia* S. Josephum et S. Teresiam plurimum colebat : in utriusque honorem conscripsit novendialem Devotionem, eosque sui Instituti Patronos declaravit; quorum ut quotannis in singulis domibus celebrarentur festa, sedulo curabat. Sæpius eos ipse invocabat, et numquam inchoabat scriptionem, epistolam, et ne vel annotatiunculam, quin in fronte, cum Jesu et Mariæ nominum initialibus litteris, Josephi et Teresiæ litteras quoque signasset. *Originem patrocinii quo suam Congregationem a B.* Teresia *protegi voluit S. Alphonsus, reperio apud Tannojam, alterum Sancti biographum* (*gallice versum Parisiis anno* 1842, *tom. I, pag.* 383) : *scilicet die ejus festo* 1750 *detecta est conspiratio quam quinque ex ejus Congregatione sodales inierant; ac S.* Teresiæ *tutelæ adscripsit S. Alphonsus hanc detectionem, eoque magis ad eam colendam inferbuit. Quam instituerat novendialem devotionem ipse nonnumquam obibat cum plebe; ut liquet ex his Tannojæ verbis* (*tom. III, pag.* 278) : Mense Octobri 1784, ultima die novendialis devotionis erga S. Teresiam, quam pie cum populo (*Nuceriensi*) obiverat, raptus est in diuturnam ecstasin, continuo ingeminans : « Amor æterne, amo te. » D E

imo omnium fere religiosorum Ordinum.

58 *Hanc autem quam in religiosæ familiæ nupero Institutore adverto ergo S.* Teresiam *venerationem a duobus jam sæculis notavit Yepes in omnibus fere religiosis Ordinibus.* A bene multis, *inquit,* fuit animadversum huic Christi sponsæ divinitus concessam fuisse gratiam et privilegium ut, quæ ex una est religiosa familia, singulariter fuerit amata et reverenter habita ab omnibus; non secus ac si ad singulas pertinuisset (*Prolog.* § IV). *Pulchre id confirmat P. Fredericus, sic scribens :* Primi qui ejus scripserint gesta, Jesuita fuerunt et monachus Hieronymitanus. Ludovicus de Leon, Augustinianus, longum de ea texuit encomium, condiditque egregiam de ejus Operibus apologiam. Qui primi ex hispano in alia idiomata ejus verterunt libros, item pertinent ad religiosas familias : Carthusianus monachus in idioma gallicum eos misit; Jesuita in theotiscum seu flandricum; Augustinianus, prior cœnobii Moguntini, in latinum; duo e Congregatione Oratorii in italicum. P. Didacus Alvarez e Dominicanorum Ordine et P. Joannes de Rada e familia S. Francisci duabus validis doctisque elucubrationibus tuiti sunt ejusdem S. Matris libros a censuris quas iis inflixerat Summoque Pontifici F anno 1605 obtulerat anonymus quidam, cui obturaverunt licentius os, etc. (*lib.* V, *cap.* XVI). *Sine negotio centenis aliis nominibus hic breviusculus catalogus augeri posset. Præ oculis enim mihi est tomus V Anni Teresiani, ubi* (*pag.* 207—283) *index habetur honorificentissimorum titulorum et cognominum quæ S. Matri fuerunt data ab innumeris scriptoribus, quorum plurimi diversis religiosis familiis erant adscripti. Possem equidem ad congesta hæc S.* Teresiæ *cognomina addere alia quam plurima quibus a tempore quo scripsit auctor Anni Teresiani, multi alii eam cohonestarunt : sed pro longo auctorum titulorumque elencho suffecerit unum nominasse pietate, doctrina gravissimoque quo fungitur munere insignem Emin. Card. Lambruschini, Sanctissimi Domini Gregorii XVI vicarium, qui conscriptas a se de S.* Teresiæ *virtutibus pietati excitandæ ac fovendæ maxime utiles Meditationes in lucem recens dedit.*

Recens illius specimen a Societate Jesu editum.

59 *Coronidis loco his specimen subdam honoris et cultus quo S.* Teresiam *recens prosecuta est nostræ Societatis Jesu familia. Scilicet Hagæ Comitis Patres S. J. non indignum principe illo loco templum a fundamentis,*

A *fundamentis, jacto primo lapide anno* 1838, *positoque tribus post annis supremo, erexerunt sub titulo et patrocinio S.* Teresiæ; *de quo certe citra invidiam dicere fas est, sive amplitudinem spectes sive elegantiam, de palma disputare illud posse inter reliquas omnes ædes sacras a tribus sæculis in Batavico solo erectas. Quod porro Societatem nostram Bollandianam attinet, non solum pro modulo et officio S.* Teresiæ *gesta, nomen et cultum explicuimus, ac, si quando opus esset, vindicavimus; sed et sub piis ejus Sanctique Josephi auspiciis vela laxavimus, potens illud Sanctorum par in redivivæ nostræ Societatis patronos adsciscentes et utriusque festum speciali ratione quotannis celebrantes.*

Non modo singularia loca vel collegia eam patronam adoptarunt,

60 Teresiæ, *cum tantum Beatis et necdum Sanctis adscripta erat, a Mexicanis jam in patronam assumptæ, memini ad num.* 1072. *Quare non iterabo quæ ibi legi possunt. Nec est cur memorem nescio quod Teresianum et apud equites Melitenses et in Galliarum regno patrocinium, quod singularis quidam scriptor Sanctæ affinxisse magis quam asseruisse videtur* (*vide Chronicum, tom. IV, lib.* XVIII, *c.* VI, *num.* 9). *Saltem nulla utriusque hujus memorandi certe facti mentio mihi alibi occurrit. Neque*
B *etiam recensebo omnes singillatim urbes, universitates, ecclesiarum capitula, procerumque familias, quæ se S. Matris clientes solemniter professæ sunt : dicendi enim vix finis esset. Quippe auctor Anni Teresiani* (*tom. II, pag.* 149) *vel supra quadraginta enumerat nobiles Hispaniæ civitates ecclesiasque cathedrales quæ se ejus clientelæ palam devoverint; et adhuc alias complures fatetur se omittere. Si cui placuerit hæc nosse, adeat id opus, reperietque ibi et etiam apud alios passim auctores ipsa plurium electionum illarum decreta, v. g. decretum Lucense, in Hispania Sacra* (*tom. XLI, pag.* 195); *Cremonense, apud P. Fredericum* (*lib.* V, *cap.* XI); *Eugubiense, in Anno Teresiano* (*tom. X, pag.* 307), *et alia alibi. De solo igitur Sanctæ in universum Hispanum regnum patronatu disseram, et tantum, pro ratione hujus operis, per compendium. Quis enim v. g. jure a me expostulet ut, dum posthumam Sanctæ gloriam exhibeo, dissidia proferam quæ male diviserunt S.* Teresiæ *a S. Jacobi patronatus sectatoribus, et quæ acriora subinde fuerunt quam decet et tale argumentum et pios ac sinceros Sanctorum clientes? Qui hac super re ampliora cupierit, consulat Chronicum* (*tom. IV, lib.* XVIII, *cap.* VI); *An-*
C *num Teresianum* (*tom. II, pag.* 147-248); *Memoriale de patronatu S. Jacobi adversus patronatum S.* Teresiæ, *auctore Francisco de Quevedo y Villegas; Acta Comitiorum generalium Gadibus anno* 1812 *adunatorum, typis regiis inibi edita sub titulo :* Diario de las discusiones y actas de las Cortes (*tom. XIV, pag.* 55).

sed et regni comitia et quidem pluries : 1° anno 1617,

61 *Publica regni Comitia una cum rege semel et iterum, annis* 1617 *et* 1626, *S.* Teresiam *in patriæ patronam elegerunt; atque id confirmarunt ii provinciarum deputati qui, assumpto Comitiorum generalium et extraordinariorum nomine, Gadibus convenerunt anno* 1812, *scilicet in turbatissimo illo patriæ Ecclesiæque statu quo Hispaniæ rex Ferdinandus VII Summusque Pontifex Pius item VII arcta custodia in Gallia a Napoleone detinebantur. Etsi iteratæ illius electionis decreta non perstiterunt, fas tamen est me paucis ea evolvere. Prima itaque de regni Hispani patronatu S.* Teresiæ *committendo mota quæstio est die* XXIV *Octobris* 1617 *in Castellæ et Legionis Comitiis, habitis coram Philippo III in regio Madritensi palatio; ac* XVI *Novembris latum est decretum quo ipsa nominabatur illorum regnorum patrona et advocata, primævo addita Hispaniarum patrono Apostolo S. Jacobo. Decreti illius* EX VARIIS.
D *partem, encomiis novæ patronæ plenissimam, exhibet Chronicum* (*loco quo supra, num.* 4). *Exin ipse rex una cum Castellæ præside aliisque regni primoribus Sanctæ patronatum sollicite promoverunt; quod patet e binis litteris quæ in Comitiis anni* 1812 *exhibitæ fuerunt, et quarum alteras ad Gaditanos* XVIII *Augusti* 1618 *miserat præfatus præses, alteras Philippus III. Ast archiepiscopus Hispalensis D. Petrus Baca de Castro aliique de clero vehementer obnisi sunt, non quidem animo a B.* Teresia *alieno, sed unius S. Jacobi patronatus studiosiores, quem timebant imminutum iri partito inter duos honore. Multa hi adversus novum hunc B. Virgini delatum cultum contorserunt argumenta, licet exigui, imo, pro tempore quo hæc agebantur, nullius ponderis; cum tunc nondum Urbani VIII decretum prodiisset, quo cavetur ne alii in patronos quam Sanctorum fastis adscripti adoptentur, ne electio fiat sine episcopo et clero, ut Congregatio Rituum electionem faciendam prænoscat factamque approbet, etc. Attamen rex amore pacis, donec obtenta esset Beatæ canonizatio, statuit moras trahere. Atque hoc iterum patet ex litteris* XXIV *Septembris* 1618 *ad Gaditanos*
E *nomine regis datis, quibus mandat ut executioni decreti supersedeatur, usquedum aliter ipse significarit* (*vide præfatum Diarium anni* 1812, *pag.* 55). *Ast interim Philippus III vita defunctus est, undecimo scilicet priusquam Sanctorum albo* Teresia *insereretur mense.*

et iterum anno 1626,

62 *Præcipuo quod contra* Teresiæ *patrocinium objectum fuerat, per ejus canonizationem amoto repagulo, Philippus IV, ut paterni regni, ita et paternæ in* Teresiam *pietatis hæres, rem proprio suo motu resumpsit, eoque, ut videtur, proniore animo quod Sanctæ auxilium expertus esset tum in Belgio* (*vide cap.* I, § II, *ubi de Antverpia*) *tum in America, attributa S. Salvatoris oppidi recuperatione patrocinio S.* Teresiæ, *cujus effigiem in militum vexillis rex depingi voluerat. Quomodo bellicum hoc patratum fuerit facinus et quomodo supremus hujus expeditionis dux, Fredericus de Toledo Osorio, marchio de Baldueza, ut primum in Hispaniam redux Malacæ navi exscenderat, in hujus civitatis Carmelitarum templo gratum erga adjutricem* Teresiam *animum publice testatum fecerit, legi potest in Anno Teresiano* (*tom. V, pag.* 7, 8 *et* 9) *et in Chronico* (*tom. IV, lib.* XVIII, *cap.* V, *num.* 8 *et* 9). *Ergo Philippus,*
F *solo motus suo in* Teresiam *affectu ac veneratione, ut ait Chronicum, anno* 1626 *Cæsaraugusta Madritum scripsit ad Franciscum de Contreras, suum in Castella præsidem, ut Comitiis tunc inibi adunatis quæstio de S.* Teresiæ *patrocinio denuo proponeretur. Quod cum fecisset præses, omnes prope quotquot Comitiis intererant* (*teste Anno Teresiano, tom. II, pag.* 149) *eam regnorum coronæ Castellæ patronam nuncuparunt. Philippus certiorem de hac suffragatione fecit Urbanum VIII. Atque hic, majoris roboris decreto addendi gratia,* XXI *Julii* 1627 (*non* 1628, *ut Annus Teresianus habet, loco quo supra*) *illud confirmavit litteris datis in forma Brevis* (*non Bulla, ut ad calcem Actorum canonizationis anno* 1628 *editorum et ab aliis passim dicitur*), *quas hic lectorum oculis submitto.*

edente Urbano VIII confirmatorium Breve;

63 Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam, etc. Domini nostri Jesu Christi, qui servos et ancillas suas æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur ut eorumdem servorum et ancillarum Christi debitus honor et veneratio in terris indies magis promoveatur, et laudetur Dominus in San-

EX VARIIS.

A ctis suis. Quamobrem Christi fidelium ad eorumdem Sanctorum patrocinium confugientium vota, ut optatum sortiantur effectum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper ejusdem officii partes propensis studiis impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane dilecti syndici seu procuratores regnorum coronæ Castellæ nobis nuper exponi fecerunt, quod ipsi, attente considerantes quot et quanta meritis et intercessione S. Teresiæ de Jesu præpotens Deus illis contulerit et indies conferat beneficia, quamque regna prædicta illius vitæ sanctimonia ac quæ Dominus per eam operari dignatus est, miraculis, nec non etiam fundatione tot monasteriorum tam virorum quam mulierum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, in quibus primitivæ dicti Ordinis Regulæ observantia maxime floret, per eam institutorum, illustrentur, idcirco et alias ob singularem quem erga ipsam S. Teresiam gerunt devotionis affectum, in comitiis seu parlamento dictorum regnorum ultimo loco habito eamdem S. Teresiam in præcipuam regnorum coronæ hujusmodi Patronam et Advocatam elegerunt, prout in decreto desuper emanato ple-

B nius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, syndici seu procuratores prædicti plurimum cupiant electionem hujusmodi, quo firma perpetuo subsistat, nostro et hujus Sanctæ Sedis apostolicæ patrocinio communiri, nos syndicorum seu procuratorum eorumdem pietatem et consilium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus tam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis Catholici quam eorumdem syndicorum seu procuratorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio electionem prædictam ac desuper emanatum decretum hujusmodi apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus et con-

C firmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; utque imposterum eadem S. Teresia ab omnibus et singulis eorumdem regnorum personis tam sæcularibus et ecclesiasticis quam regularibus uti talis Patrona, cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis et Indulgentiis similibus Patronis competentibus seu alias concedi solitis (sine tamen præjudicio et innovatione vel diminutione aliqua patronatus S. Jacobi Apostoli in universa Hispaniarum regna), haberi et reputari; atque ita ab omnibus ad quos spectat observari debere, etiam perpetuo statuimus, præcipimus et mandamus : decernentes nihilominus irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majo- D rem sub annulo Piscatoris die XXI Julii 1627, Pontificatus nostri anno quarto.

64 *Hæc S. Virgini a Papa, rege et comitiis collata dignitas propensis animis excepta fuit, non modo ab Excalceato Carmelo, sed et a quam plurimis civitatibus, imo fere ubivis per Hispaniam locorum; quod comprobatur Joannis de Ortiz de Zarate scripto testimonio, verbotenus citato in Anno Teresiano* (*tom. II, pag.* 149). *Affirmat scilicet hic auctor, qui Philippo IV a secretis erat, in tabulario regio asservatas esse vel quinquaginta præcipuarum, quas enumerat, Hispaniæ civitatum capitulorumve ecclesiarum cathedralium aut collegialium responsorias litteras quibus regi testatum faciunt se id ab eo communicatum decretum et acceptasse et executioni mandasse. Interim tamen ecclesia Compostellana aliæque nonnullæ efflictim Teresiano patrocinio refragatæ sunt. Quem videns Carmelus adversum conatum, ad regem recurrit, ac simul qua scripto qua verbo strenue defendit honorem quem alii suapte et Carmelo inconsulto Teresiæ detulerant. Id experti refragatores ac desperantes, ut ait Chronicum, de successu suorum conatuum in Hispania, Romam se verterunt. Citatus ibi interrogatusque Romanus* E *Carmelus est : quo respondente non agi de mota a se causa, interrogatus est Hispanus regis in Urbe legatus, qui et ipse respondit nulla sibi ex Hispania ea super re venisse mandata. Non veretur auctor Chronici* (*tom. IV, lib.* XVIII, *cap.* VI, *num.* 7) *asseverare interceptas in via retentasque fuisse regis litteras, quas suo tempore adhuc exstare affirmat. Quidquid sit de gravi hac criminatione, Brevis revocationem obtinuerunt adversarii ab Urbano VIII; qui tamen sivit ut singulis civitatibus et ecclesiis maneret copia certis sub conditionibus* Teresiam *adoptandi patronam. Atque is, ait Chronicum, illius disceptationis finis fuit. Etenim Philippus IV, qui graves etiam viros experiebatur S. Matris patrocinio contrarios, pro sua prudentia censuit rem non urgendam, sed potius expectanda meliora esse tempora quibus citra animorum motus perfici id negotium posset : adduntque Acta Comitiorum anni* 1812 (*tom. XIV, pag.* 56) *regem, ne urgeret, politicis etiam inductum fuisse rationibus, quas, ut ibi dicitur, facile intelligit quicumque hispanam temporum illorum norit historiam.*

quin tamen iterata ea electio perstiterit.

65 *Atque hæc suspensa eo permansere statu ad annum usque* 1812, *quo præmemorata Gaditana Comitia renovandi Teresiani patrocinii periculum fecerunt. Quo autem hoc tentatum sit modo, breviter exponam secundum ipsa Comitiorum Acta. Jam* III *Septembris* 1811 *deputatus Guatemalensis, D. Antonius Larrazabal, moverat hanc quæstionem, votum allegans Caroli II, qui moriturus in suo codicillo scripserat* se per totam vitam illud cordi habuisse propositum, ac successori regnorumque Comitiis commendatam hanc habere velle rem, utpote maximi momenti ob magna e tali patronatu speranda beneficia. *Deinde* XXI *Aprilis* 1812 *Carmelitæ Gaditani* (*in quorum templo Comitia solemnes Deo retulerant gratiarum actiones de jacto a se in Insula vulgo de Leon novo regni constituto*) *simile, multis munitum documentis, postulatum exhibuerunt. Atque* XXIII *Junii quinque deputati comitiales qui id susceperant examinandum, re fuse a se disputata, Carmelitarum voto omnino annuendum censuerunt. Brevem amplæ eorum ratiocinationis ecce analysin :* Annis 1617 et 1626 secundum tunc vigentem ecclesiasticam de patrocinio legem rite in patronam electa fuit Teresia. . . Abunde id patet ex Brevi quod Urbanus VIII dedit, non ut tribue-

Denique anno 1812 *agitur de restaurando illo patrocinio;* F

ret

A ret factæ electioni essentialem per decretum suum vim, sed tantum ut accidentale illi robur hac confirmatione accederet, et ut pietati satisfieret regis ac subditorum ejus. . . Nihilominus, biennio nondum præterlapso, intercidit is patronatus, missis ad civitates ac municipia a canonicis Compostellanis litteris quibus affirmabatur Urbanum VIII suum Breve altero revocasse decreto. . . Quidquid sit de hac revocatione, cum a Comitiis rite electio olim facta et ab apostolica etiam Sede approbata atque executionem nacta aliquando fuerit, novo non opus est decreto, neque Romam recurrendum; sed binis anterioribus annorum 1617 et 1626 decretis, quæ valida fuerunt nec a rege vel Comitiis umquam sunt abrogata, stari potest, adeoque Carmelitarum votis accedi.

cujus decretum exhibetur.

66 *Ergo e mente comitialium eorum delegatorum* (*Alphonsi Rivera, Francisci Sonra, Vincentii Pasqual, Petri Gordillo, Joachim Villanueva*) *latum est decretum, et quidem sine controversia unanimique suffragio, atque regni administris, ut exequendum id curarent, traditum est. En quibus id promulgatum sit verbis* (*quæ desumo ex tomo II, pag.* 215, *Historiæ et Vitæ S.* Teresiæ, *auctore P. Joanne a*

B *S. Ludovico, Valentiæ editæ anno* 1813, *ea ex hispanis latina faciens*) : D. Ferdinandus VII, Dei gratia et Hispana constitutione Hispaniarum rex, eoque absente et captivo regni administratores quos nominaverunt generalia et extraordinaria Comitia, omnibus hæc visuris vel audituris notum faciunt sancitum a Comitiis esse id quod sequitur. Generalia et extraordinaria Comitia, considerantes annis 1617 et 1626 a Comitiis S. Teresiam a Jesu secundum Apostolum S. Jacobum (despues del Apóstol Santiago) electam fuisse horum regnorum patronam et advocatam, ut in omnibus patriæ necessitatibus invocaretur, ac cupientes novum edere testimonium, ut constantis erga inclytam hanc Hispanam fœminam populorum nostrorum devotionis, ita et eorum in ipsius patrocinio fiduciæ, decretum faciunt ut S. Teresiæ a Jesu patrocinium, pro Hispaniis adoptatum in Comitiis annorum 1617 et 1626, deinceps in actum prodeat, et ut injungatur RR. archiepiscopis, RR. episcopis ac corporum et territoriorum exemptorum prælatis ut circa solemnitatem ritus S. Teresiæ id disponant quod ei qua patronæ congruit. Intellectum hoc esto regni administratoribus ut executioni mandetur,

C atque curanto ut imprimatur, publicetur et divulgetur. — Joannes Polo y Catalina, præses. — Josephus de Torres y Machi, deputatus secretarius. — Emmanuel de Llano, deputatus secretarius. — Datum Gadibus XXVIII Junii 1812. — In curia administratorum regni. = Igitur mandamus omnibus tribunalibus, municipiis, præfectis, gubernatoribus, cæterisque auctoritatem civilem, militarem vel ecclesiasticam habentibus, cujuscumque sint ordinis vel dignitatis, ut observent curentque observandum, implendum et exequendum præsens decretum cunctasque ejus partes. Notum hoc vobis esto ut fiat, ac curatote ut imprimatur, publicetur ac divulgetur. — Dux del Infantado. — Joachim de Mosquera y Figueroa. — Joannes de Villavicencio. — Ignatius Rodriguez de Rivas. — Comes del Abisbal. — Datum Gadibus XXX Junii 1812. — D. Antonio Cano Manuel.

Hispani S. Teresiæ *patrocinii exitus.*

67 *Gaditanum hoc de ecclesiastico S.* Teresiæ *patrocinio plebiscitum, quale ex Comitiorum illorum officina prodiit, sine commentario retuli; tametsi plura in eo reperiuntur quæ debitæ erga ecclesiasticam auctoritatem obedientiæ et reverentiæ non satis quadrant, sed quæ meum non est discutere. Historicum saltem est documentum, ex quo, juxta atque ex actis Comitiorum* 1617 *et* 1626, *testatum fit quam fuerit hodieque perennet contribulibus suis accepta S.* Teresia, *siquidem diversa adeo hominum genera diremptisque adeo temporibus creditam ei voluerint patriæ tutelam. Germano certe Hispanorum nulli defuit amor, fiducia summaque erga eam veneratio, quominus universi hos ei collatos voluerint honores : sed lata decreta ideo non perstiterunt quod, adoptatis duobus principalibus patronis, haud pauci timerent a recentiore* Teresia *antiquum S. Jacobi patrocinium aliqua ratione evictum iri; ne quid dicam de temporum iniquitate modoque quo id nuper tentatum fuit. Atque eæ solæ fuerunt causæ ob quas nulla Teresiani patrocinii vestigia hodie superesse videantur. Porro, præter Hispanum, regnum quoque Neapolitanum Sanctam nostram habere patronam voluit, sed secundariam : narratque P. Josephus a S. Teresia, Comitia, auctore et promotore D. Antonio Alvarez de Toledo, duce Albano, prorege, eam cum plausu unanimisque votis proclamavisse; additque jugem et vegetum sub Antonii successoribus, nominatim sub comitibus de Castrillo et Peñaranda, ejus cultum ad sua usque tempora permansisse. Atque hæc præfatus scriptor tomi IV Chronici, editi* E *Madriti anno* 1684 (*lib.* XVIII, *cap.* VI, *num.* 9).

EX VARIIS D

CAPUT III.

Gloria S. Teresiæ *posthuma ab Ordine quem reformavit.*

§ I. Celeriter ac late propagata sacra Teresiæ familia.

Vivente Sancta, celerrima fuit Reformationis propagatio,

Tertio nunc capite ejus gloriam ostendemus ex numerosa, inclyta, docta et sancta prole quam fœcunda hæc parens spiritualiter progenuit. Enimvero gloria parentis est progenies gloriosa; et arbor bona habetur quæ bonos fructus facit, artifexque laudatur ab opere, quia ex effectu rite noscitur et æstimatur causa. Quod e votis Romanorum Pontificum et sub auspiciis potentium etiam principum F *superiores Ordinis incassum pluries tentarant, Carmelitana etiam virorum familia a S. Virgine ad disciplinæ severitatem non modo revocata fuit, sed et tam solido fundamento Reformatio hæc fuit superstructa, tamque sagaci optimarum regularum munimine septa, ut fertilis hæc vitis brevi propagines suas per totum fere terrarum orbem emiserit, ac copiosissimos fructus per tria fere jam sæcula in Ecclesia Dei procrearit. Brevi itaque conspectu Ordinis incrementa ab ipsis ejus incunabulis consideremus. Videlicet fundati fuere, vivente ipsa Sancta Reformatrice, conventus triginta duo, quos exhibet schema sequens, in quo conventibus fœminarum litteram F, virorum vero conventibus litteram V præfigam :*

F. Abulæ, XXIV *Augusti* 1562.
F. Methymnæ Campi, XV *Augusti* 1567.
F. Malagone, XV *Aprilis*
F. Vallisoleti, XV *Augusti* } 1568.
V. Durveli, XXVIII *Novembris*
F. Toleti, XIV *Maji*
F. Pastranæ, IX *Julii* } 1569.
V. Pastranæ, XIII *Julii*

V. Manceræ,

EX VARIIS.

A *V.* Manceræ, XI *Junii*
F. Salmanticæ, I *Novembris* } 1570.
V. Compluti, I *Novembris*
F. Albæ, XXV *Januarii*
V. Altomiræ, XXIV *Novembris* } 1571.
V. B. V. M. de Subsidio, *Aprili* 1572.
V. Granatæ, XIX *Maji*
V. In Rupecula, XXIX *Junii* } 1573.
V. Hispali, V *Januarii*
F. Segoviæ, XIX *Martii* } 1574.
F. Veasi, XXIV *Februarii*
V. Almodovari, VII *Martii* } 1575.
F. Hispali, XXIX *Maji*
F. Caravacæ, I *Januarii*
V. In Monte Calvariæ, I *Decembris* } 1576.
V. Biatiæ, XIV *Junii* 1579.
F. Villanovæ, XXII *Februarii*
F. Palentiæ, XXIX *Decembris* } 1580.
V. Vallisoleti, IV *Maji*
V. Salmanticæ, I *Junii* } 1581.
F. Soriæ, III *Junii*
F. Granatæ, XX *Januarii*
V. Ulyssipone, XIX *Februarii* } 1582.
B *F.* Burgis, XIX *Aprilis*

circa quam errant plures:

69 *Monitum hic velim lectorem me in hoc disponendo elencho, prout antea feci in Commentario prævio, potissimum sequi Ordinis Chronicum, pro viribus conando errores vitare quos non paucos reperi in variis aliorum catalogis, de quibus postea sermo erit. Præterea meminisse lectorem velim conventum Durvelensem religiosorum* XI *Junii* 1570 *fuisse translatum Manceram, et conventum Rupeculæ initio Decembris* 1576 *ad Montem Calvariæ prope Veasum, Pastranenses autem moniales initio Aprilis* 1574 *transiisse Segoviam. Unde fit ut interdum triginta sub* Teresia *fundata numerentur monasteria, communius vero triginta duo, dicente Breviario Romano :* Effloruit in eo consilio (*reformandi Carmeli*) omnipotens miserentis Domini benedictio. Nam duo supra triginta monasteria inops virgo potuit ædificare, omnibus humanis destituta auxiliis, quin imo adversantibus plerumque sæculi principibus. *Sive, ut dicit consistorialis Aulæ advocatus coram Summo Pontifice et Cardinalibus:* Plurima ejus Instituti mulierum virorumque cœnobia (rem a sæculis in fœmina inauditam) generoso ausu excitavit : siquidem septemdecim monasteria monialium erexit ac gubernavit, virorum vero quindecim fundata reliquit, miraque prudentia direxit, omniaque sanctitatis exemplo constabilivit. *Non recte igitur Helyot in sua Ordinum religiosorum Historia* (*tom. I, cap.* XLVIII) *ait plura quam triginta duo* Teresia *vivente erecta fuisse monasteria.*

C

Sanctaque mortua, Ordo multo adhuc magis

70 *Jam* XXII *Junii* 1580 *Gregorius XIII litteris suis in forma Brevis provinciam erexerat Fratrum Excalceatorum, quia, ait,* successive, benedicente Domino, numerus religiosorum primitivam regulam hujusmodi profitentium et observantium adeo hoc tempore excrevit ut de præsenti viginti duæ domus Fratrum et monialium hujusmodi, in quibus fere trecenti Fratres et ducentæ moniales existunt, devotum Altissimo famulatum exhibentes, in prædictis regnis Hispaniarum reperiantur. *Sancta nondum vivis excesserat, cum filii ejus* XX *Martii* 1582 *Ulyssipone in Africam ad Guineæ missiones vocati fuere, et anno sequente ad Congaam et Capoverdensem seu Promontorii Viridis. Genuæ recepti Fratres anno* 1584, *quos anno* 1590 *Sorores secutæ sunt. Anno* 1585 *in America prima Mexicanæ provinciæ fundamenta jacta fuere. Anno* 1586 *procurator Ordinis Romæ degere cœpit : et anno* 1587 *litteris pontificiis Sixtus V copiam fecit eligendi* D *suum Reformationi vicarium generalem, qui anno subsequente electus est in primo capitulo generali, ubi et Reformata familia in sex provincias divisa fuit, eo quod, ut loquitur Pontifex in prædictis litteris,* numerus Fratrum hujusmodi et monialium Discalceatarum non mediocriter auctus fuerit, et in dies majora, benedicente Domino, suscipiat incrementa cum divini cultus augmento, bonæ famæ odore ac spirituali fructu et consolatione animarum, tum ipsorum religiosorum, tum etiam aliorum Christi fidelium, qui piis eorum exemplis in viam salutis diriguntur, jamque non modo per universam fere Hispaniam, sed etiam in Indiis complura monasteria et domus aliaque regularia loca Discalceatorum instituta et erecta fuerint, quæ omnia per unum priorem provincialem non ita commode regi et gubernari queunt.

extenditur,

71 *Neque minus rapida subsequentia fuerunt Reformationis incrementa; adeo ut, cum S. Joannes a Cruce, qui primus ejus professus fuerat,* XIV *Decembris* 1591 *de vita decedebat, Ordo jam possideret, partim Fratrum partim Sororum, domos octo supra septuaginta. Anno dein* 1593, *omnino segregata Reformatorum a Calceatorum familia, obtentus est* E *Reformationi suus Præpositus Generalis. Hæc igitur suo jam stabat pede, cum anno* 1597 *Summo Pontifici visum est a Congregatione Hispana separare tres quæ in Italia existebant domos, nempe Genuensem Fratrum, quæ anno* 1584 *erecta fuerat, inibique Sororum, quæ anno* 1590, *ac Romanam Fratrum, quæ ipso illius separationis die erigebatur. Constitutæ trinæ hæ domus fuerunt anno* 1600 *Congregationis titulo insignitæ, rectæque a commissario apostolico; donec, fundato quarto conventu Neapoli anno* 1602, *et quinto haud procul a Tusculana civitate anno* 1605, *proprium Præpositum Generalem adeptæ fuerint. Porro Reformatum S.* Teresiæ *Ordinem successive adivisse anno* 1604 *Persidem, Poloniam et Galliam, anno* 1607 *Belgium, anno* 1612 *Coloniam, etc., patebit e schemate mox exhibendo, in quo cernere erit quo tempore singulæ utriusque Congregationis domus erectæ fuerint.*

posita v. g. sede in Gallia

72 *Specialem tamen mentionem meretur celebris multisque nominibus gloriosa una et altera Ordinis propago, scilicet ejus in Galliam invectio, ac possessio capta Montis Carmeli. Quod ad sedem in Gallia positam pertinet, narrationem ejus rite, licet paucis verbis, describit auctor operis cui titulus :* Essai F historique sur l'influence de la Religion en France pendant le dix-septième siècle, *secundis prelis Lovanii recusi anno* 1824. *Sic ait scriptor ille* (*lib.* I, § VII) : S. Franciscus Salesius, cum Parisiis (*anno* 1602) morabatur, viam planarat ad exequendum cœptum quod multi homines frugi moliebantur. Virtutes nempe S. Teresiæ valde per totam Ecclesiam resplenduerant, ac primarum ejus sodalium fervor auxerat celebritatem reformati ab ea Ordinis. Statuerant itaque zelosæ quædam personæ id Institutum, quod pietatem multum promovere natum erat, etiam in Galliam inducere. Animo rem hanc præcipue volvebant duæ principissæ de Longueville, Domina Acarie (*posthac soror conversa sub nomine Mariæ ab Incarnatione, ac Beatorum fastis inserta anno* 1791), D. de Berulle, D. de Marillac, duo alii e magistratu viri Sublet et Gauthier, doctor Duval, Gallemant, D. de Bretigny, etc. Inter sese hac de re illi conferebant, præsente S. Francisco Salesio. Litteræ patentes ab Henrico IV ad eam erectionem impetrabantur, amotis quæ subinde objiciebantur repagulis. Maxima difficultas in Hispanis e Carmelo sororibus obtinendis versata

A sata est. DD. de Berulle, de Bretigny, Gauthier et pia quædam fœmina cognomento Jourdain Hispanum ad id iter susceperunt; rex vero tum ad legatum suum Madriti, tum ad regem Hispaniæ Philippum III, in eumdem finem litteras dedit. Non nisi multas post efflagitationes atque tentamina sex Hispanæ Carmelitanæ obtentæ sunt, ut ad novum conventum Parisiis erectum inhabitandum accederent, et juxta suæ Regulæ mentem plures ibi inter eas adscribi cupientes informarent. Domina Acarie non paucas jam congregaverat puellas; easque ad eamdem vitæ consuetudinem præparans, in perfectionis semita, quam animose adeo erat aggressa, ipsa dirigebat : Congregatio S. Genovefæ cœtus hic vocabatur, et quotquot eam constituebant, singula apud moniales Carmelitanas in usu posita sectabantur. Domus eodem tempore in suburbio S. Jacobi Hispanam coloniam receptura instruebatur. Ducissa Nemosiensis primum claustri lapidem posuit pro regina Maria de Medicis, quæ tunc Fonte Bellaqueo versabatur : ducissa de Longueville et principissa d'Estouteville, ipsius cognata, secundum statuere lapidem : paucis vero post diebus pariter ecclesiæ chorum inceperunt DD. de Berulle et
B de Marillac. Tandem Hispanæ sorores, ardentissime exoptatæ, Parisios pervenere; ac primo quidem ecclesiam abbatiæ S. Dionysii visitaverunt et Montis Martyrum; ac Sanctis Galliæ Apostolis, ibidem præcipue cultis, venerationis suæ obsequia impenderunt. Suum inde conventum solemniter introgressæ sunt, magna urbis frequentia, spectatisque coram viris, iis præsertim qui huic domicilio illis apparando studiosius insudaverant. Post triduum Maria de Medicis cum principissis et aulicorum comitatu conventum adiit. Piæ septem sodales, ex earum numero quas Domina Acarie collegerat atque paraverat, habitum Ordinis sumpserunt; quas inter cernebatur marchionissa de Bréauté, florens ætate vidua, filia Nicolai de Harlai de Sanci; Dominæ Jourdain et du Coudray, Domicellæ d'Hannivel et de Fonteines-Marans. Primis illis temporibus aliæ etiam dignitate ortus opibusque præclaræ inter S. Teresiæ filias annumerari gestierunt : memorare enimvero hic posses Ludovicam Séguier, viduam præsidis et matrem Domini de Berulle; nobilem puellam de Brissac, filiam Caroli de Cossé, ducis de Brissac et castrorum præfecti; tres filias Dominæ Acarie;
C Mariam Silviam de la Rochefoucauld, Cardinalis hujus nominis sororem, et comitissam de Rochechouart de Chandenier; Mariam Phelipeaux-d'Herbault, viduam Henrici de Neuville de Villeroi; nobiles puellas de Marillac, de Raconis, etc. Ab anno 1605 novum monasterium ædificandum Pontisaræ fuit, Divione tertium : brevi alia subsecuta sunt Ambiani, Turonibus, Rothomagi, etc. Anno 1616 ducissa de Longueville secundum ejusdem Ordinis conventum Parisiis statuit : tertius postea fundatus est. Celerrime ita auctæ in Francia domus, ut sexaginta duas labente sæculo caperet.

et in Monte Carmelo,

73 *Altera memoranda Reformati Carmeli propago est Mons Carmelus, in quo felicia prisci Ordinis cunabula fuerunt. Scribitur in Chronico* (*lib.* XIX, *cap.* XLVIII) *hunc locum Teresianæ in Italia Congregationi cessisse sequenti modo. Versus annum* 1620 *frequens erat per Palæstinam missionariorum e Carmelo Excalceato, Persidem aliaque Asiatica regna petentium, iter. Lustrabant pii illi viatores inter alia Terræ Sanctæ monumenta Montem Carmelum, qui sacræ familiæ cui adscripti erant, ortum præbuerat et nomen. Inter eos P. Prosper a S. Spiritu, Cantaber, vir strenuus et devotus, isthac adiit Persidem; in cujus metropoli Ispahamo Ordinis sui domum aliquamdiu cum rexisset, anno* 1627 *evocatus fuit Romam, et dehinc missus in Syriam ad fundandam Aleppensem Missionem. Absoluto prospere et hoc negotio, pro superiorum voluntate adiit Carmeli Montem, nihil non tentaturus ut illic pedem figeret Ordinique suo domicilium pararet* (*vide Annales Carmeli Excalceati Gallici, auctore P. Ludovico a S. Teresia, lib.* II, *cap.* CXIII *et seqq.*). *Exhibet Chronicum descriptionem Eliani illius Montis, quam P. Prosper anno* 1631 *ad suos superiores ex eo hospitio misit, ut induceret eos ad novos socios sibi ex Europa permittendos. Hoc dum agitur, referuntque superiores negotium ad Urbanum VIII, P. Prosper a loci dynaste, cui arabice nomen erat* Mir Tarabei *sive* Princeps Carmeli, *facultatem obtinet struendi cœnobii, ea conditione ut annuum penderet tributum ducentorum realium sive* 50 *fere francorum. Urbanus tandem, votis annuens Præpositi Generalis ac Fratrum Congregationis S. Eliæ,* III *Decembris* 1633 *Carmelitis Excalceatis sacri Montis Carmeli habitationem et possessionem ita asserit ut nulli alterius Ordinis religioso habitare illic aut locum habere liceat. Exinde prælaturæ conventus illius titulum sibi reservat Præpositus Generalis Congregationis* E *Italicæ, quamquam domus regitur a priore in capitulo electo. Pii interim illi cœnobitæ magnum sibi, aut magis Deo Catholicæque Religioni, amorem et æstimationem conciliant pietatis et humanitatis operibus quæ exercent erga Christianos qui in iis vicinisque locis Turcarum servituti subsunt, et erga peregrinos qui ad loca ea appellunt : quod multi viatores in suis relationibus memorarunt, hodieque suis laudibus deprædicant.*

EX VARIIS.
D

ubi recens structa nunc exstat ecclesia,

74 *Ad perennem quoque Catholici nominis gloriam et simul in Excalceatæ familiæ commendationem non modicam, juxta recens structum monasterium in Monte Carmelo splendida, quæ anno* 1828 *incepta fuit, modo fere perfecta stat ecclesia, singulari in barbaris illis Turcarum terris gaudens privilegio habendi pulsandique æs campanum. Præclarum opusculum cui titulus :* Notitia de templo et hospitio Montis Carmeli, auctore D. Artaud de Montor (*Parisiis,* 1843), *multa curiose explicat super hoc Catholicæ Religionis simul et Teresiani zeli sanctæque industriæ monumento, quod exurrexit indefesso labore Fratrum aliquot Carmelitarum, qui undequaque eum in finem stipem corrogarunt et structuræ præfuerunt. Miror tamen in eo opu-* F *sculo non allegari litteras pontificias datas die* XXVI *Novembris* 1839, *quibus S. D. N. Gregorius XVI ecclesiam præfatam prærogativis Basilicæ minoris decoravit, eamque filialem capituli Lateranensis declaravit, ut notat R. P. Gregorius a S. Josepho, subprior monasterii Brugensis, qui etiam ipsas pontificias litteras mihi subministravit.*

nomine Basilicæ insignita.

75 Gregorius Papa XVI. Ad perpetuam rei memoriam. In apostolicæ Sedis fastigio collocati, illustrium præsertim ecclesiarum honori atque splendori libenter profecto prospicimus. Quum itaque in eo Carmeli Montis loco ubi ad Euangelicam Apostolorum prædicationem viri plurimi Sanctorum Prophetarum Eliæ et Elisæi vestigiis inhærentes, et Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati, rerum veritate perspecta, susceptaque Catholica Fide, omnium primi sacellum Deiparæ Virgini sacrum construxerunt, in præsentia nova erecta reperiatur ecclesia curæ commissa Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italiæ, atque hodiernus generalis procurator Congregationis ipsius a nobis efflagitaverit ut ecclesiam eamdem Basilicæ titulo ac juribus decorare

 velimus,

EX VARIIS.

velimus, nos, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ejusdem procuratoris et Congregationis desideriis quam libentissime annuendum censuimus. Quamobrem omnes et singulos quibus hæ litteræ favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et pœnis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce litteris auctoritate nostra apostolica commemoratam ecclesiam in Basilicam minorem cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, exemptionibus et indultis quibus aliæ ecclesiæ Basilicæ minores hujusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, atque uti, frui et gaudere possunt et poterunt, erigimus, ac talem hoc futurisque temporibus esse et fore statuimus, eamdemque ecclesiam Basilicam nuncupari et haberi voluimus. Decernentes ipsas præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, dictæque ecclesiæ plenissime suffragari, atque ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici auditores, Sedis apostolicæ Nuntios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV prædecessoris nostri super Div. Mat. aliisque apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus : quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXVI Novembris 1839, Pontificatus nostri anno nono. A. Card. Lambruschini.

§ II. In Ordinem cooptata multa membra insignia natalibus, scientia ac virtute.

Ordini adscriptæ multæ claro genere fœminæ;

Parvi aut potius nihili pendenda esset Ordinis laus a numero membrorum, nisi aliis nominibus corpus laudabile esset et nisi ejus membra congruis suo statui dotibus fulgerent. Ut a sequiori sexu et simul ab inferioris meriti gradu incipiam, decus non modicum Teresiano Instituto addidit neglecta a multis puellis generis nobilitas ac spreta fortunatæ paternæ domus amplitudo et mollities, ut, hispida severioris Carmeli lana indutæ strictaque arctatæ clausura et sustentatæ paupere victu, sub S. Teresiæ *disciplina Deo ancillarentur, Deoque, quantum homini datum est, conjungerentur tum intellectu per pias cogitationes, tum corde per pios affectus. Longum esset earum quæ ex Euangelii placitis ita sapientissime stultæ fuerunt, texere catalogum. In claustra adhuc viventis* Teresiæ, *quæ pauculas inopes orphanas in primum suum Abulense S. Josephi monasteriolum collegerat, confluxerunt aliquot post annis puellæ ac matronæ potenti claroque genere ortæ. Has inter fuere, ut alias plures taceam, Anna ab Incarnatione, filia proregis Navarræ, in aula Philippi II educata* (*tom. IV, epist.* 68, *not.* 13); *proxime cognata comiti de Tendilla* (*tom. I, epist.* 28, *num.* 18); *Helena de Quiroga, filia fratris Cardinalis de Quiroga et vidua D. Didaci Villaroel* (*Chronic. lib.* X, *cap.* VI), *etc.*

quarum, e Palafoxio, aliæ in Hispania

77 *Illarum vero quæ postmodum Ordini se manciparunt, aliquot enumerat Palafox in suis annotationibus ad epist.* 24 *tomi I* (*quas anno* 1656 *composuit*) *hoc modo scribens :* In conventu Ulyssiponensi vivit hodie Mater Michaela a S. Anna, filia augustissimi imperatoris Matthiæ; quæ, insigni rerum mundanarum contemptu, spes terrenas cum cœlestibus, et patrui sui archiducis Alberti palatium cum arcto Carmelitissarum Excalceatarum claustro commutavit. Albæ duas cognovi uno eodemque tempore sorores, alteram excellentissimi ducis Antonii, vocatam Beatricem a SS. Sacramento, alteram excellentissimi ducis Ferdinandi hodie viventis, quæ fuit M. Anna a Cruce, marchionissa de Villanueva del Rio; quæ mirabili plane exemplo ac spiritu, modo ut prælatæ, modo ut subditæ, inter Excalceatas Teresianas enituerunt. M. Joanna a SS. Trinitate, ducissa olim Bejarensis, ex illustri stirpe Infantadia orta, e palatio suo ad Hispalense monasterium transiit, relicta nobili sua prole, ut S. Teresiæ proli semet adjungeret, dans Deo animam simul et egregium hominibus exemplum. M. Ludovica a S. Magdalena, comitissa de Paredes, pædagoga et cubicularia serenissimæ Infantis, aulam regiam deseruit, ut in cœnobium Malagonense, cui hodie præest, sese abderet; atque ita, quæ olim augustissimæ reginæ nostræ palatium virtutibus suis illustravit et ingenio suo moderata fuit, nunc Deo ancillatur in magis regio ac sublimiori palatio. In Talaverense monasterium ingressa est M. Ludovica a Cruce, in sæculo dicta Ludovica de Padilla, filia summi Castellæ præfecti Antonii de Padilla, mater ducis de Uceda et fundatrix cœnobii Lermensis, in quo anno 1614 prioratum gerens obiit, subditarum æque ac prælatarum exemplar. Ibidem vixit M. Beatrix a S. Josepho, in sæculo vocata Beatrix de Ribera, propinqua comitis Molinensis consanguinea ac præcipua fundatrix Lermensis cœnobii, cui tredecim annos præfuit, defuncta anno 1633. In hoc cœnobio Lermensi vestem Carmelitanam induit M. Maria a Cruce, cui sæculare nomen Maria de Velasco, filia hæresque comitis de Moron. Obiit ibidem anno 1625, magno sui desiderio ob singularem prudentiam aliasque virtutes relicto, novitia Catharina ab Incarnatione, filia excellentissimorum ducum de Lemos, annos nata sexdecim.

ingressæ Carmelum,

78 Vallisoleti claruit M. Mencia a Matre Dei, e magna domo Benaventana, et in Complutensi Corporis Christi cœnobio M. Maria a SS. Sacramento, ejusdem Menciæ soror et olim marchionissa de las Navas : ambæ hæ amitæ fuerunt comitis de Benavente hodie viventis. Item Vallisoleti M. Mariana a SS. Sacramento, e domo de Montealegre; nec non sancta illa anima, excellentissima D. Brianda de Acuña, in Religione dicta Teresia a Jesu, amita comitum de Castrillo, insigne Excalceatarum virginum exemplar, quæ, ut Chronica perhibent, per quatuor continuos annos solo pane et aqua vixit et sic vivere perrexisset, nisi vetuissent superiores. Palentiæ excellentissima Ludovica de Moncada y Aragon, soror ducis de Montalto, comitissa de Santa Gadea et uxor olim Eugenii de Padilla, summi Castellæ præfecti, quæ nomen sumpsit Ludovicæ

A dovicæ a SS. Sacramento. Lucronii M. Vincentia a SS. Sacramento, filia comitum de la Corzana, quæ hodie Palentino cœnobio præest. Burgis duæ filiæ excellentissimorum comitum de Aguilar, marchionum de la Hinojosa, quæ tempore S. Teresiæ e regio cœnobio de las Huelgas ad Excalceatas Carmelitanas transierunt, et inter has vocatæ fuerunt Catharina ab Assumptione et Isabella a SS. Sacramento. Guadalajaræ soror Eleonora a Jesu Maria, filia excellentissimorum ducum Pastranensium. In cœnobio S. Josephi Cæsaraugustano et in Oscensi duæ filiæ marchionum de Torres. Item Cæsaraugustæ in S. Josephi obiit Ven. Mater Catharina a Conceptione, neptis præfecti rei maritimæ regni Lusitani, quæ Madriti inter honorarias matronas apud principissam Lusitanam versata fuerat. In Barcinonensi cœnobio M. Stephana a Conceptione, illius fundatrix, in sæculo dicta Stephana de Rocaberti, filia comitum de Peralada in principatu Cataloniæ. Oscæ cognata ejusdem Stephanæ, M. Catharina a Conceptione, vocata in sæculo Catharina Boxados y Rocaberti, filia comitum de Saballa, quæ hodie Oscensi cœnobio præposita est. In cœnobio Corvensi M. Alphonsa a Matre Dei, in sæculo Al-
B phonsa Niño de Guevara, parens D. Roderici Lassi Niño de Guevara, comitis de Añover, notissimi in Hispania in aula regis Philippi II et in Belgio in aula archiducis Alberti, cujus administer et consiliarius major fuit. Ibidem M. Eleonora Maria a SS. Sacramento, Matris Briandæ cognata et filia comitum de Arcos. Cordubæ M. Brianda ab Incarnatione, in sæculo Brianda de Cordova, e stirpe de Guadalcazar; item D. Catharina de Cordova, filia excellentissimorum marchionum de Priego, dominorum domus de Aguilar, Alphonsi de Cordova y Aguilar et Catharinæ Fernandez de Cordova, in Religione nuncupata Catharina a Jesu : quarum duarum egregias fuisse virtutes docent Sacræ illius Reformationis Chronica, tom. II, lib. VIII, cap. XXIV et XXV.

aliæ alibi, 79 Romæ duæ filiæ præfecti rei bellicæ Colonna, proximæ cognatæ præfecti rei maritimæ regni Castellæ; quarum in sæculo nomina erant Maria et Victoria Colonna. Neapoli parens excellentissimi D. Ludovici Moncada y Aragon, ducis de Montalto et proregis Valentiæ, soror excellentissimi ducis de Medina Celi. Denique annotationes in commentarios abirent, si enumerandæ forent illustres fœminæ quæ vestem Teresianam assumpserunt cum aliis
C plurimis virorum titulis ac dominiis insignium filiabus : quæ cum tantæ sint numero, brevi scripto referri nequeunt, adeoque hic omittuntur. Idem dictum velim de viris plurimis nobilibus et magnæ in sæculo auctoritatis, qui, relicta mundi vanitate, pauperem S. Teresiæ lanam induerunt seque excalcearunt, ut honoribus atque divitiis mundanis nuntium remitterent ac perpetuam memoriam æternamque gloriam sectarentur et mererentur. Unum pro omnibus sit videre serenissimam imperatricem Eleonoram, alteram Ferdinandi II sanctitate ac victoriis clarissimi imperatoris conjugem, quæ, mortuo Cæsare, ut solamen de ingenti illa jactura caperet, sub S. Teresiæ pallium se recepit in regium Carmelitissarum Excalceatarum monasterium Vindobonense.

enumerantur : 80 *Referens § proximo Carmeli in Gallia initia, mentionem feci plurium natalibus insignium matronarum et puellarum quæ ei nomen dederunt. Annumerari iis possunt, in Parisiensi conventu, platea dicta* de la Grenelle, *Thais a Misericordia, filia ducis de Grammont et vidua comitis de Rupelmonde, et in altero conventu Parisiensi, dicto* de Notre-Dame des Champs, *Ludovica a Misericordia, in sæculo Ludovica de la Baume, domina de la Vallière et ducissa de Vaujour. Sed præ cæteris memoranda est in conventu Sandionysiano Teresia a S. Augustino, filia Galliarum regis Ludovici XV, quæ, nata* XV *Julii* 1737, X *Septembris* 1770 *Religionis habitum induit, præbente ei Maria Antonia, futuri regis Ludovici XVI uxore, illud ipsum pallium quod S. Reformatrix olim gesserat, quodque Parisiis inter Sacras Reliquias asservari diximus* (*num.* 1473). *Solemni huic cæremoniæ præerat Nuntius, speciatim ad hoc delegatus a Romano Pontifice, qui summo desiderio percupivisset ipse huic solemnitati præesse, ni locorum impedivisset distantia* (*vid. Proyart in Vita inclytæ illius monialis, lib.* II, *et gallicum opusculum D. Artaud de Montor :* Notitia templi et hospitii Montis Carmeli, *Parisiis,* 1843). *In Italia, in conventu Fanensi, Teresia a Jesu, in sæculo comitissa Joanna Ghini, vidua Scipionis Chiaramonti Cæsenatis, ac mater Pii VII, facta Carmeli filia, sexagenaria obiit anno* 1773 *in odore sanctitatis. In Belgio, in conventu Gandavensi, plures ex primariis patriæ familiis uno die aulam commutarunt cum asceterio Carmeli* II *Februarii* 1623, *serenissima principe Isabella Clara Eugenia cum aulico suo comitatu eas ducente per plateas urbis in cœnobium, magno apparatu ac splendido pioque populi et senatus Gandavensis applausu, ut narrat Antonius Sanderus in sua Flandria Illustrata* (*lib.* III, *cap.* XXII *Rerum Gandav.*), *ubi nominatim quatuor ex iis ita citantur :* Domina Magdalena de Conflans, soror marchionis de S. Remy, nunc soror Magdalena a S. Elisabeth; D. Maria de Noyelles, hæres et primogenita comitis de Noyelles, nunc soror Maria a S. Joanne; D. Maria de Hallewyn, e nobili Flandrorum familia, nunc soror Maria a S. Joseph; D. Catharina de Barca, filia Antonii de Barca, qui portui Gandavensi præfuit, nunc soror Catharina de Christo. *Quod si cunctas enumerare velim Belgicas puellas quæ calcarunt aut hodiedum calcant gentilitia scuta thesaurosque, ut præoptato sibi Sponso Jesu Christo in rigido Carmelo adhæreant, non unus mihi sufficeret paragraphus. Sed pauca quæ dixi, pro specimine sunto.*

ut et plures clarissimi viri. 81 *Inter viros quoque qui Reformatum amplexati sunt Ordinem, non exiguus fuit numerus ortorum nobilissima stirpe. Jam inter primos Teresiani Instituti sectatores computabatur P. Hieronymus Gratianus, Ordinem cum fratre tribusque sororibus ingressus, quem Bibliotheca Ord. Carm. Exc.* (*p.* 190) *ortum dicit* in aula regis Catholici, Vallisoleti, patre Didaco Gratiano de Alderete, Carolo V et Philippo II a secretis, et matre Joanna de Anthisio, nobilis Poloni regiique Poloniæ apud Carolum V oratoris filia. *Computabatur et P. Ambrosius Marianus, ex inclyta in regno Neapolitano domo, sodalis quondam Hugonis Boncompagni, Pontificis postmodum sub nomine Gregorii XIII, et deputatus ad Concilium Tridentinum* (*vide Commentarium prævium, num.* 482). *Quibus adde P. Nicolaum a Jesu Maria, Genuensem, ex illustri stirpe Doria. Hique tres e primis fuerunt S. Matris asseclis. Mitto innumeros alios qui postea nobilitatis tesseris valedixerunt, ut, S.* Teresiæ *vestigiis insistentes, Crucis opprobrium sectarentur.*

At major adhuc Ordini gloria venit e cultura scientiarum, et e Missionibus, 82 *Alio nomine egregia Teresiano Instituto, et proin ipsi etiam* Teresiæ, *laus accrevit, nempe e doctrina qua scientias, potissimum sacras, filii ejus illustrarunt. P. Martialis a S. Joanne Baptista in Bibliotheca Ordinis sui, anno* 1730 *Burdigalæ edita, jam tum, ut fert libri index, sequentem scriptorum numerum collegit : qui S. Scripturam tractarunt,*

EX VARIIS.
D
E
F

EX VARIIS. A *runt, auctores* 56; *qui theologiam polemicam,* 27; *qui scholasticam,* 40; *qui moralem,* 40; *qui mysticam,* 43; *qui Sacros Canones,* 27; *qui historiam ecclesiasticam vel civilem,* 64; *qui Vitas Sanctorum,* 96; *qui orationes sacras,* 102; *qui ascetica religiosorum,* 61; *qui alios libros spirituales composuerunt,* 139; *præter alios complures qui egere de mathesi, de astronomia, de litteratura, de linguis orientalibus, præcipue de Persica, a Carmelitis missionariis exculta et illustrata. Non enim solo calamo Carmelus Catholicam Fidem et pietatem promovit, sed exercito multis modis zelo. Quippe hi, e consortio sermonis Dominis prodeuntes, cum ipsimet arderent, aptissimi erant ut sacro quovis ministerio alios accenderent. Non parvus quoque Teresiano Carmelo honos inde accessit, quod a Clemente VIII et Paulo V præfecti successive fuerint curando Romæ Missionum negotio P. Petrus a Matre Dei et P. Dominicus a Jesu Maria. Ne quid dicam de Missionibus quas Ordo ille florentes habuit, et ex parte habet, in Perside, Syria, Arabia Felice et Indiis, formatis ad id munus viris in duplice Missionum seminario, Romæ sub titulo S. Pancratii, et Melitæ sub titulo S.* Teresiæ.

B *multo autem maxime e vitæ sanctitate.*

83 *Gloria denique cæteris omnibus titulis longe præcellentior enata est Reformato Carmelo e disciplinæ observantia, Instituti sui amore et vitæ sanctitate, qua is Ordo usque se commendabilem præstitit, hodieque præstat. Alibi mentionem jam feci de celso perfectionis fastigio ad quod, ut patet ex ipsis S.* Teresiæ *libris, in suis asceteriis quam plurimæ filiæ ejus ascenderant. Tali autem stirpe satam, Teresianam progeniem degenerem non fuisse demonstrari posset vel e solis encomiis quæ frequentissime de religiosa ea familia a Romanis Pontificibus, ab episcopis, ab universitatibus et a piis doctisque viris prolata fuerunt. At, his brevitatis causa omissis, unum alterumve quod omni verborum laude majus est, breviter attingam argumentum. Hujusmodi est quod Reformatus is Ordo in gremio habuerit non exiguum personarum numerum quæ tam eminenti sanctitate effulserunt ut canonizationis earum causa introducta aut non parum provecta sit. Præter S. Joannem a Cruce, qui anno* 1727 *inter Sanctos, et B. Mariam ab Incarnatione, quæ anno* 1791 *inter Beatos cooptati fuerunt, en, e primum mihi obviis, aliquot hujusmodi Venerabiles Servos Servasque Dei. Reperio nempe* (*in Vita Ven. Annæ a S. Augustino, anno* 1832 *Parisiis gallice recusa, pag.* 2) *a S. Sede declaratum virtutes in gradu heroico coluisse : decreto anni* 1735, *Annam a S. Bartholomæo; decreto anni* 1762, *Claram Mariam a Passione; decreto anni* 1769, *Franciscum a Puero Jesu;* (*inibi pag.* 377) *decreto anni* 1776, *Annam a S. Augustino;* (*in gallica Vita B. Mariæ ab Incarnatione, Parisiis a Cl. Boucher edita anno* 1800, *pag.* 314) *decreto anni* 1789, *Magdalenam a S. Josepho;* (*in præfata Vita Ven. Annæ a S. Augustino, pag.* 2) *introductam jam causam in via esse ut ad ulteriora pervenire possit, Mariæ ab Angelis et Dominici a Jesu Maria, ut et* (*in Benedicti XIV opere de Beatif. et Canoniz., lib.* II, *cap.* LI, *num.* 11, *multisque aliis locis*) *Annæ a Jesu, ac* (*in Novissima Positione super virtutibus, Romæ* 1838) *Teresiæ Margaritæ Redi a Corde Jesu : præter alios aliasque qui me hæc non accurate perscrutantem fugiunt.* Adducentur, *ait Theophilus Raynaudus* (*in Scapulari Mariano, part.* I, *cap.* IV, § IV) *de S.* Teresia *loquens,* Virgines post eam, Virgines plane sapientes, quæ acceptis lampadibus sumpserunt oleum secum, in quas cadit illud Cypriani elogiolum : « Flos est » iste ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et D » honoris opus integrum atque incorruptum, Dei » imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Ubi enim vigeat » exquisitius regularis observantia, ubi paupertatis » sollicitius sit studium, ubi obedientia jucundius » efflorescat, ubi silentium, quo multiplicitas peccatorum præpeditur, ubi collectio animæ et familiaris consuetudo cum Deo diuturnior, purior, » suavior reperiatur, quam inter sacras has virgines, haud facile dixerim. » Proptereaque non mirum, si efflorescat super eas sanctificatio Domini. Testes rari exempli in tot ubique Teresianis parthenonibus claræ sanctitatis nomine piæ virgines et jam cœlo illatæ et etiamnum superstites.

C

§ III. Inclyta virtutis specimina nuperis temporibus a sequiori Carmeli sexu edita in Belgio, Gallia et Hispania.

E

Testata fit nupera Carmeli, maxime monialium, virtus,

Altero dein non minus luculento et magis universali argumento S. Teresiæ *filiæ* (*de solis hic loquor virginibus, eo quod historica de virorum sorte documenta mihi non suppetunt*) *a medio et amplius sæculo orbi Christiano testatum fecerunt non intepuisse primitivum Reformati sui Ordinis spiritum, ac gravissimas inter ærumnas ubivis præ se tulerunt nullis corde suo evellendum minis vocationis suæ amorem et æstimationem, exemplaque ediderunt omnimodarum virtutum ac speciatim masculæ in rebus adversis fortitudinis. Etenim a sexaginta jam annis ad hunc usque diem in cunctis prope totius Europæ successive partibus sequior ille Carmeli sexus passus est domorum suarum direptionem aut longa etiam exilia durosque carceres et sævam aliquando necem : quam haud paucæ in Gallia fortiter oppetiverunt, quando sub finem sæculi præteriti omnis dominatorum populi illius in scopulos impegisse videbatur sapientia, insaniente quæ pro Deo colebatur humana ratione* (*quam ipse qui hæc scribo in picta incensari vidi effigie, qualis scilicet in oppidulis adhibebatur, dum in urbibus projectissima fœmina in principis templi altari collocabatur, ubi monstrum illud divinos usurpabat honores*). *A proposito meo recedere me non arbitror, si pauca quædam quæ luctuosis iis temporibus Carmelus toleravit, litteris hic consignem; cum magnam non tantum Ordinis commendationem habeant heroicamque prodant in prole fortitudinem, sed et magnam simul conferant gloriam Matri quæ talem sua institutione efformavit suoque spiritu imbuit prolem.* F

indicatis prius fontibus unde argumenta hausta sint.

85 *Quæ autem promam, partim hausi e manuscripta a Cortracena Carmelitissa ephemeride et e pluribus editis libris, partim audivi ex ore Carmelitissæ proxima mihi consanguinitate conjunctæ, quæ, ex Iprensi primis vicibus Ordinis sui domo anno* 1783 *sub Josepho II expulsa, Castellionem in Gallia petiit, ut inter suas in monasterio diem clauderet. At et hac domo turbine revolutionis Gallicanæ evulsa, dum plures e sodalibus suis capite plectuntur, feliciter nece, sed non periculo, erepta, diu Galliæ pererravit plagas Juranosque montes, millenas inter mortes, et totis sex mensibus emendicato victitans pane, illotisque usa vestibus, donec tandem Solodurum in Helvetia appulit. Rursus hinc decimo*

A *decimo post mense, eos tractus invadente Gallorum exercitu, profuga Alexandriam in Pedemontio proripere se fuit coacta. Sed et tertium suo quod ingressa erat monasterio expellitur. Exin annos adhuc ferme quindecim in ea civitate morata, tandem, ut cecidit Napoleon, trigesimo tertio exilii sui anno Belgium repetivit, ubi abhinc sexennio pientissime in Domino obiit, annos nata quatuor supra octoginta. Ergo quæ ipsa qua oculata testis mihi sæpe enarravit, passim dicendis interseram, eaque confirmabo aliis quæ ad manum mihi sunt, quæque suo citabo loco, documentis.*

In Austriacis primum ditionibus

86 *Posteriore sæculi dicimi octavi parte vehementer impeti cœperunt Religionis Catholicæ dogmata et instituta, vehementius autem appeti Ecclesiæ Catholicæ bona, speciatimque tunc passim traductus est ut inutile terræ pondus et prope ut crimen ac scelus quicunque in asceterio occuparetur jugibus Dei laudibus canendis, satageretque fusis precibus a populo avertere vindictam cœlestem. In Austriacis primum ditionibus a Josepho II, ut suæ matri anno* 1780 *successerat, sine mora suppressæ sunt contemplativorum, ut dicuntur, Ordinum domus. Quam firmo autem animo, pulsæ sacris suis domi-*
B *ciliis, S.* Teresiæ *filiæ in sua vocatione perstarent, innotescit ex litteris quas Reverendissimus Præpositus Generalis Congregationis Italicæ, P. Hilarion ab omnibus Sanctis, scripsit ad Ludovicam Franciæ, filiam, ut supra dixi, Ludovici XV, et amitam Ludovici XVI, monialem in conventu Sandionysiano. Optima enim hæc virgo, ut audierat sororibus suis in remotis iis plagis ingruere persecutionem, sollicitæ pietatis ducta sensu, rogarat P. Generalem ut certiorem se dignaretur facere de earum statu. Ad ejus ergo litteras respondit Reverendissimus sequentia :* In Germania, Carmelitanas Viennæ, Græcii, Pragæ, Neostadii, in S. Hippolyti, Lincii et Leopoli, domo sua jam esse ejectas.. Ex his, postremæ civitatis moniales, una dempta, in vicina Poloniæ Ordinis monasteria commigrasse; Græcienses et Pragenses, quibus sui Instituti in vicina regione non patebat domus, uno sub tecto convivere; reliquarum vero domorum sorores admissas fuisse in monasteria aliorum Ordinum... In Italia tres dumtaxat domos fatali decreto subjacuisse, videlicet Mediolanensem, Cremonensem et Mantuanam; hujusque, Mantuanæ nempe, incolas ad unam omnes capessivisse aliud Carmeli domicilium, et partitas esse in Parmensi,
C Regiensi, Placentino ac Bononiensi... Ast omnium miserabiliorem fore sortem numerosarum in Belgio filiarum, quæ propediem suis propellendæ quoque erant e claustris; jamque supellectilia earum a fisci administris esse censita... Summo interim sibi esse solatio Bruxellenses moniales (quod e provinciali norat) in Galliæ monasteria receptum iri, moto nimirum rege supplicibus precibus quibus apud eum illa ad quam scribebat Ludovica Borbonia egerat... Postremum, enixe se cæteras potenti ejus patrocinio commendare, ut illas Belgici Carmeli incolas, quas modo ut filias regebat, saltem ut sorores sub alio deinceps regimine in tuto esse sciret (*novit lector Excalceatas in Gallia non subfuisse Carmelitanis viris, sed aliis superioribus aut commissariis apostolicis*).

summa injuria et imprudentia exterminati fuerunt Carmeli conventus,

87 *Dum hæ Præpositi Generalis litteræ novum solertis principissæ erga miseras sorores pietati calcar addunt, ipsaque e regia Ludovici XVI liberalitate cuncta disponit ad exules recipiendas, ferale promulgatur in Belgio edictum de supprimendis contemplativis Ordinibus. Asceteriorum itaque incolæ suis spoliantur illic bonis suisque exterminantur domiciliis, quamvis ipsæ hæc e juratis patriæ legibus non minus æquo plenoque possiderent jure legalique* EX VARIIS.
D *non minus titulo quam quisque suam herus domum, sicut ipsum demagogum Mirabeau fassum esse affirmat Cl. de Gerlache in sua Regni Belgici Historia (Bruxellis anno* 1839, *tom. I, pag.* 121, *aut anno* 1842, *tom. I, pag.* 155). *Memorent alii qui sortem populorum fastis inscribunt, quomodo novum hic calculum experientia adjecerit S. Scripturæ oracula, pronuntianti justitiam elevare gentes, miseros autem facere populos peccatum (Proverb.* XIV, 34); *explicentque quo pacto publica æraria, in quæ tantum alieni auri congestum erat, brevi fuerint ære alieno supplenda; atque evolvant qua ratione stipendiarii milites in bello quod Josephus II adversus Turcas suscepit, brevi absorbuerint omnes thesauros congregatos e divenditis bonis extinctorum bis mille monasteriorum (quot Fellerus numerat in suo Diario ad annum* 1788, *tom. III, pag.* 535), *dum in his juxta computum Cl. de Gerlache (loco mox citato) trecenti supra triginta tria millia innocuorum incolarum eatenus sua vixerant penu, largisque vicinos pauperes sustentarant eleemosynis.*

pulchre monasteriis olim suffragato Marshamo, licet acatholico.

88 *Interea, cum de excisis monasteriis in multis Europæ regionibus mihi sermo est, repeti jure a me potest quod Joannes Marshamus, anglicanæ licet ecclesiæ membrum, abhinc duobus sæculis, de patria sua agens, hoc modo scripsit :* Jamdudum diem fa-
E talem obierunt monasteria nostra; nec præter semirutos parietes et deploranda rudera supersunt nobis avitæ pietatis indicia. Minus impendiosa hodie cordi est Religio, et vetus dictum obtinet : « Reli» gentem esse oportet, religiosum nefas » (*A. Gell. lib.* IV, *cap.* IX). Videmus nos, heu videmus, augustissima templa et stupenda æterno dicata Deo monumenta, quibus nihil hodie spoliatius, sub specioso eruendæ superstitionis obtentu, sordidissimo conspurcari vituperio, extremamque manere internecionem! « Ad altaria Christi stabulati equi, Mar» tyrum effossæ Reliquiæ » (Hier. epist. III, pag. 32, A. ad Heliodorum). Sunt quidam zelatores adeo religiose delirantes ut religiosos veterum Ordines ἐκ τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου (Apocalypsis IX, 3) prognatos aiant. Ita licenter sibi indulget προσπάθεια. *Insuper sane mihi quoque, Vitam commentato Institutricis religiosæ familiæ, multaque proin de monasteriis sermocinato, contigerit quod idem Marshamus subjungit de Monastico Anglicano :* Neque deerunt hac qua vivimus ætate homunciones elephantina olfacientes proboscide, qui ista quæ jam prodeunt, F
tanquam futilia, inutilia et hodiernæ rerum conditioni minus congruentia damnabunt, et non tantum a bibliothecis eliminanda, sed et flammis tradenda judicabunt (*in Propylæo ad Monasticon Anglicanum*).

Multæ tum Carmelitanæ e Belgio Galliam petivere,

89 *Sacratæ itaque, ut dixi, Excalceati Carmeli in Belgio virgines, nullius criminis reæ, a Religionem perosis avidisque spoliorum ecclesiasticorum, suis e domiciliis per sacrilegum nefas apertamque injustitiam foras projectæ, quærebant locum ubi pedem figerent. Potenti Ludovicæ Borboniæ patrocinio, exulaturis patuerunt Carmelitanarum in Gallia domus. Atque eo se recepit media et amplius Belgarum pars. Scilicet, ut notatum invenio in Manuscripto archivi Cortraceni, inter eas quæ primitus, id est anno* 1783, *patriam reliquerunt, hospitatæ sunt :*

13 *Bruxellenses (id est tota familia) : in conventu Sandionysiano.*

2 *Alostanæ : ibidem.*

5 *Antverpienses :* 2 *Remis,* 2 *Hoii,* 1 *Leodii.*

3 *Vilvordienses :* 2 *Parisiis, platea vulgo* Chapon, 1 *Ambiani.*

194 7 *Ruremundanæ :*

EX VARIIS.

A 7 *Ruremundanæ* : 3 *Ambiani*, 2 *Viroduni*, 2 *Metis*.

6 *Gandavenses* : 4 *Gisortii*, 1 *Trecis*, 1 *in Gandavensi Anglarum conventu* (*hæc enim domus, ut et Lyrana et Hoogstratensis, quæ a contribulibus suis fuerant fundatæ, suppressionis decreto non subjacebant*).

12 *Teneramundanæ* (*id est tota familia*) : *in duobus conventibus Parisiensibus, platea* S. Jacobi *et* de Grenelle.

7 *Iprenses* : 3 *Rothomagi*, 3 *Castellione*, 1 *Insulis*.

8 *Brugenses* : 5 *Parisiis*, 3 *Pontisaræ*.

12 *Montenses* (*id est tota familia*) : *Duaci*.

12 *Tornacenæ* : 7 *Insulis*, 1 *Trecis*, 1 *Castellione*, 1 *Parisiis*, 2 *Valencenis*.

5 *Cortracenæ* : *Pontisaræ*.

non tamen omnes, et ob justas quidem rationes,

90 *Dein, tractu temporis, exulum numerus adhuc crevit, ita ut anno* 1787 *viginti quatuor essent supra centum : e quibus centum et duæ interiorem Galliam habitabant, cæteræ vero viginti duæ hærebant in Gallicis Leodiensibusque Belgio vicinis tractibus. Is autem numerus eo magis mirandus est quod a decennio et amplius Belgica monasteria*

B *multas ob vexationes fere emorerentur, et proin incompletus esset monialium in omnibus prope domibus numerus. Etenim jam diu Viennensem aulam veneno Jansenistico infecerant duo clarissimi medici van Swieten et Dehaen, viri specietenus Catholici, et qua tales missi a celebri Boerhave, quem imperatrix Maria Teresia duos artis suæ peritissimos, sed Catholicos, rogarat* (*vid.* Mémoires pour servir à l'Hist. eccl. *Paris* 1815, *in Catal. Scriptorum, ad* XXII *Dec.* 1772). *Ea igitur ratione factum est ut, inter alia illata Religioni impedimenta, etiam monasterium ingressuris repagula objicerentur, ab ætate, a dote, a consensu parentum, fieretque difficilis, et proin rarus, aditus ad religiosas familias. Præterea moniales e Belgio in Galliam migrantes e Charybdi in Scyllam propemodum incasuræ erant : nam adeo grassabatur gliscebatque in dies fœda in eo regno impietas, ut superior Carmelitissarum in Gallia, D. Rigaud, assereret anno* 1780 *inter centum incolas Parisienses non esse duodecim qui gravissimum Sacræ Communionis paschalis præceptum implerent* (*vid.* Histoire des religieuses Carmélites de Compiègne conduites à l'échafaud. Sens 1836, *p.* 176),

C *atque ut eo fere tempore cordati viri jam præsagirent et asseveranter prædicerent non elapsum iri decennium, quin proscribendi essent sacri Religionis ministri, divinaque Mysteria in cryptis et latibulis peragenda. Vide* Journal historique *D. de Feller, ad annum* 1786 (*tom. I, pag.* 230 *et* 318). Habitabunt ibi, *ait perspicax ille immortalique laude dignus Catholicæ Religionis athleta, verba Isaiæ XIII,* 21 *et* 22, *usurpans,* habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi. Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis. *Imo, quod magis mirabile est, quodque multi passim laudant a celebri ecclesiaste Beauregard coram aula regia Parisiis fuisse prænuntiatum anno* 1789, *idem Fellerus apertissime prædixerat toto prius quam Beauregardius triennio, ea instare tempora quibus impudicæ theatri actrices intra profanandorum sanctuariorum parietes ab apostatis Catholicis pro Deo colerentur, scorta simul et idola!* (*Vide locum Felleri supra citatum; item vide pag.* 420, *ubi tam eloquenter de misero temporum eorum statu disserit ille auctor, ut nesciam an quidquam promi possit Catholico pectore dignius*).

non autem ob defectum virtutis,

91 *Has igitur aliasque ob causas quas silentio prætereo, ipsi Belgii episcopi extinctarum domorum monialibus non dissuadebant quidem, sed* D *nec suadebant emigrationem in Gallias. Ergo, si multæ eo se non receperint, invitantique Ludovicæ Francicæ, ipsique qui id cupiebat, at non jubebat, Reverendissimo P. Generali morem non gesserint, id non imputandum est labanti in vocatione animo aut affectui carnis et sanguinis, sed justis, ut probabile est, causis ac rationibus, quas inter ea multis erat communis, quod decrepitis infirmisve sororibus quibus exilii iter impossibile erat, esset ab iis e charitatis lege inserviendum. Imo, quantum e documentis testimoniisque intelligere potui, ne vel una Belgici Carmeli sanctimonialis fuit quæ in suo statu, quantum per circumstantias licebat, sancte non perseveraverit.*

quæ quanta in iis fuerit, probatur exemplo Carmeli Bruxellensis.

92 *Quod si quis ab exemplis nosse velit quanta in Belgico Carmelo vigeret virtus et quam vere Teresianæ eæ essent virgines, legat in appendice operis Cl. Proyart :* Vie de Madame Louise de France, religieuse Carmélite, fille de Louis XV, *relationem emigrationis Carmelitanæ familiæ Bruxellensis. Modica carum supellex, ut præ vilitate a fisci administris censu prope indigna haberetur; vix ullæ ab exulaturis convasatæ reculæ, rhedisque suis vix* E *quidquam asportatum præter tria sacra corpora B. Alberti et Venerabilium Annæ a Jesu et Annæ a S. Bartholomæo; fracta præ dolore valedicturi eis Cardinalis de Franckenberg post distributam ultimo a se S. Synaxim vox et interrupta oratio; processionalis descensus in ipso abitus momento ad loculamenta quibus inclusa jacebant cadavera et cineres defunctarum suarum sororum, ut ultimum eis vale dicerent, æternamque in cœlis requiem apprecarentur; oscula humo affixa in carissimis illis locis in quibus commori et contumulari maluissent; fletus singultusque circumfluentium, summo licet mane, vicinorum ad rhedas quæ avecturæ erant voluntarias eas exules, patriæ Religionique gratissimas; stipatio devotorum Carmelo amicorum, æstimatissimorumque virorum D. de Villegas d'Estaimbourg ac baronis de Peuthy; ultima denique abeuntium mora in ecclesia Hallensi ad celeberrimam B. Virginis statuam, ut Deiparæ Angeloque Belgii tutelari postremum suam patriæque sortem commendarent : hæc omnia in supremo eo momento demonstrant et heroicam in Teresianis iis virginibus virtutem et magnam hominum erga Carmeli Ordinem venerationem. Ea autem veneratio liberius meliusque exerere se potuit,* F *quando, conversis rebus politicis,* XXV *Junii anni* 1790 *postliminio e Gallia revertentes, splendida lætaque pompa, et quaque moniali præcipuam quamdam e Bruxellensi nobilitate matronam ad latus habente, in basilicam S. Gudulæ primum, clero præeunte, conductæ fuerunt, et inde, postquam decantatus solemnissime fuisset hymnus* Te Deum, *tandem iterum reductæ ad optatissimum suum claustrum* (*vid. p.* XVIII *Vitæ P. Cornelii Smet, præfixæ præstanti viri illius operi cui titulus :* Het Leven van onzen Heer Jesus Christus, Brussel, 1841). *Ast eheu! novæ eas rursus manebant ærumnæ, quas æque fortiter tolerarunt, cum Gallorum, qui Belgium invaserant, decreto anno* 1796 *suppressa denuo monasteria sunt.*

In Gallia quoque perstitere Carmelitanæ in vocatione :

93 *Mitto æqualia aliorum Belgicorum conventuum exempla; e Bruxellensi enim, cujus reliqui omnes simillimi erant, disci omnes possunt : ac propero ad declarandum jam breviter S.* Teresiæ *gloriam posthumam ex constantia qua etiam in Gallia Excalceati Carmeli moniales sub finem sæculi præteriti durissima quæque perpeti maluerunt quam a sancta sua vocatione deficere et maculam inferre gloriæ suæ. Uno autem argumento id demonstrari potest, quod*

suppeditat

A *suppeditat Cl. d'Hesmivy d'Auribeau, archidiaconus et vicarius generalis Diniensis, qui jussu Pii VI Romæ collecta multa documenta anno* 1794 *in lucem dedit sub titulo :* Mémoires pour servir à l'histoire de la persécution française. *Nimirum hic* (*tom. I, part.* II, *pag.* 537, *art.* Paris) *agens de heroica fortitudine quam devotæ Deo sponsæ exeruerunt in æstu persecutionis Gallicanæ, testatur sequentia :* Carmelitanæ præ cæteris virgines animos dedere Catholicis invicta sua constantia. Austerus ille Ordo, qui inter suas nuperrime computarat Ludovicam Borboniam, erat numerosus imprimis. Attamen inter mille nongentas et amplius moniales vix quinque aut sex defecerunt.

ut liquet e supplicibus earum litteris;

94 *Hæ communibus supplicibus litteris, simul ac sparsus fuerat rumor de imminente domibus suis excidio, ad congregatos eos primores cives qui regni Galliarum fata regenda sibi arrogarant, confugerunt : inque iis ea qua insontes decet libertate mulieres hæ illos alloquebantur.* Quo, *inquiebant,* pacto proscribatis et convellatis Institutum quod numquam non sibi demeruit dominatorum in Gallia tutamen, populi æstimationem, multitudinis gratitudinem? Ecquam domum feratis destrui, in qua B amita augustissimi monarchæ potiores vitæ suæ annos recens transegit? Carmelitanarum fortuna numquam talis fuit quæ cupiditatem alliceret; neque earum indigentia benefactoribus umquam fuit oneri. Sed nobis euangelica ea est paupertas qua nobis sufficiamus, miseris opem feramus, patriæ non desimus, magnaque gaudeamus felicitate, plurimarum licet rerum abstinentes. Libere vota profitemur. Monasteria nostra omnes nos æquales habent; dives illic nulla, nulla nobilis : omnium par est regulis legique subjectio... Non hic, quod fama mendax spargit, victimæ, amissa libertate, lenta tabe consumuntur. Contra vero (Deum testamur!) si qua est in mundo felicitas, hac nos sub umbra sanctuarii fruimur. Ac, si denuo optandum esset mundum inter et monasterii clathra, nulla nostrarum sit quæ factum olim delectum ratum non habeat, idque adhuc majore quam prius lætitia... Nolite igitur iis nos expellere refugiis in quibus omnium consolationum fonte gaudemus. Illa magis de novo aperiatis et pietati quæ suam ad hoc vitæ genus vocationem exploratam habet, et infortunio cui sanctæ hæ latebræ modestum præbent asylum. Mementote venerabilium earum exulum (*Belgas intelligunt, quas ad primum earum in Galliam ingressum Ludovicus XVI civitate donarat*) quæ confidenter hospitum jura hic quæsierunt... quæque vos obtestantur ut in pace diem hic claudere sinantur. Hanc supplicam, illustres viri, omnium quotquot in regni monasteriis existunt, sororum nomine, demisse vobis porrigimus. Omnes, apposito litteris his, quas suo etiam sanguine exarare paratissimæ erant, chirographo, testatæ sunt malle se pati mille mortes quam status sui jacturam facere : quod eis pro martyrio esset. Instrumenta quæ fidem faciant eas in suo vitæ genere perstare velle, in manu sunt unius e comitiis vestris (*Illustrissimi episcopi Claromontani*), qui ea exhibebit simul atque id exegeritis. Cum iis omnibus, unanimi id fatemur voce, pro crudeli maxime injustaque oppressione haberemus, si nostra turbarentur asyla, quæ tuta inviolabiliaque esse semper existimavimus. Summa veneratione, etc. *Signatum erat :* Superiorissa et religiosæ Carmelitanæ (*vid. d'Hesmivy d'Auribeau, part.* II, *pag.* 655).

idque exemplo confirmatur Carmeli Virodunensis et Lugdunensis,

95 *Si particularia investigare et evolvere placeret celsarum virtutum exempla quæ in rerum Gallicarum perturbatione singuli monialium conventus et singulæ cujusque conventus moniales ediderunt, non unum mihi concinnandum esset volumen, sed plura. Adeat qui hujusmodi specimina habere voluerit, prædictum opus Cl. d'Hesmivy d'Auribeau. Ibi videre est* (*pag.* 535) *Carmeli Virodunensis, item* (*pag.* 1043) *Carmeli Lugdunensis sanctimoniales ferocibus dolosisque suis judicibus talia esse locutas ut Pater cœlestis os eis dedisse videatur cui non possent resistere omnes adversarii earum. Ad priorum responsa ipse in episcopalem Virodunensem sedem intrusus episcopus Aubry erubuit; et a mulierculis victus, turpiter ex acie cessit. Eodem modo tumultuarii feroces judices Lugdunensis tribunalis, postquam totum quatriduum nihil non tentassent ad animum virginum illarum frangendum, liberas eas, nec supplicii terrore fractas, nec dolis deceptas, dimittunt, stupentibus quodammodo ipsismet lupis agnos faucibus suis laxari, atque uno istorum judicum ultro fatente se jam miracula admittere; quippe qui tanta animi sui conversione in semetipso miraculum experiretur.*

EX VARIIS. D

præcipue vero e necatis Compendiensibus,

96 *Verum nusquam immissa cœlitus fortitudo sanctaque simul et modesta virginum illarum judicibus suis respondentium audacia eluxit magis, quam in agone quem tredecim Compendienses Carmelitanæ sustinuerunt adversus judices aut magis adversus monstra quæ omnem justitiæ et humanitatis sensum exuerant. Extat ea de re egregia relatio quam neci fortuito erepta superstes quædam ejusdem conventus soror composuit, quæque anno* 1838 *Senonibus edita est sub hac inscriptione :* Histoire des religieuses Carmélites de Compiègne conduites à l'échafaud le 17 juillet 1794. *Religiosa ea familia, in qua abneptis degebat celeberrimi regii administri Colbert* (*vid. eam Relat., pag.* 13) *et in qua e regia Ludovici XVI domo principissæ Aloisia, Victoria, Sophia et Ludovica, quoties aula Compendii agebat, sæpe ad mensam sive lectricum sive ministrantium partes obibant* (*ibid. pag.* 2), *fervens, inquam, ea domus tam sancte observabat religiosam disciplinam, ut D. Rigaud, unus e tribus Carmelitanarum in Gallia visitatoribus, cum pro officii sui munere domum inspexerat, non haberet quod corrigendum eis commendaret* (*ibid. pag.* 182). *Legi illic potest* (*ibid. pag.* 50 *et seqq.*) *qualia candidis iis animabus crimina objicerentur, quæ fuerint judicum interrogata, quæ sororum responsa, qualis ab iniquo præside pronuntiata condemnatio, denique quam læte excepta mortis sententia : quæ omnia in ea Relatione clauduntur sequenti necis descriptione :* Fideles illæ Christi sponsæ manc ad mortem sese præpararant, ac canendis Dei laudibus occupabantur. Ut autem in carros, ad supplicii locum avehendæ, conscenderant, cantabant Psalmum « Miserere », Antiphonam « Salve Regina », ac « Te Deum. » Dein, cum perventum esset ad terminum ac descendendum e vehiculo, octogenaria monialis, cujus omnia membra arthritide erant constricta, movere ipsa se nequibat, neque a sororibus, quarum manus vinculis erant innexæ, poterat juvari. Hæc videns lictor impetu in eam fertur, projicitque ceu massam plumbeam ex curru; ac viventem adhuc anum, sed totam sanguinolentam et attrito fronte visu horridam, immanes lictoris satellites in ferale pegma trudunt, cultroque collum subnectunt.

E

quarum mors hic describitur.

97 Ut pertigerant supplicii locum, omnes cantare cœperunt hymnum « Veni Creator », ac renovare promissa Baptismatis et formulam votorum Religionis. Animadversumque non sine magna admiratione fuit carnificem et satellites totamque circumfusam multitudinem, nullo edito iræ vel impatientiæ signo, sivisse ut illæ hæc Catholicæ pietatis

C F

EX VARIIS. A pietatis exercitia obirent et complerent. Plebs quoque quæ vias quibus transvehebantur, obstruebat, quæque solebat in eos quos aristocratas vocabant, indigne vociferari, ne vel mutiebat, aut, si quæ vox percipiebatur, plangentis erat et admirantis innocentium, taliter supplicium patientium, sortem. « O animas, aiebant, candidas! Quam cœlesti illæ vultu! » Certe, si his apertus non pateat paradisus, paradisus nulli erit. » Reverenda Mater Priorissa, ut altera Machabæorum mater, poposcit, et a tortore impetravit, ut omnium postrema moreretur. Atque is, *ait relatio*, si accusatores et judices spectes, atrox illius causæ exitus fuit; si vero heroicam in victimis constantiam, finis fuit gloriosissimus. *Humata dein fuere cadavera in suburbio S. Antonii, in eo cœmeterio ad quod religiosa modo familia SS. Cordium, dicta* de Picpus, *habitat, et in quo congesta fuerant, juxta Relationem* (*pag.* 33) 1298 *corpora quæ intra sex hebdomadas, a* XIV *Junii ad* XXVII *Julii, falx revolutionis Gallicanæ secuerat. Horum occisorum nomina typis vulgata fuerunt anno* 1814, *et in eo elencho nomina tredecim monialium adjuncta sunt centum et viginti quatuor aliis eodem die morti datorum nomi-*
B *nibus.*

Ea monialium fortitudo honori fuit Religioni Catholicæ ac vitæ monasticæ.

98 *Omitto plura hujusmodi Christianæ fortitudinis exempla, quæ cum legeris, Acta te legisse putes priscorum Martyrum, qui, ante Decii, Diocletiani Saporisve satellites immoti serenoque stantes ore, quasi in alienis corporibus patiebantur, ac in morte ridebant. Tale interim animi robur talisque in electo a se statu sacratarum Deo virginum constantia magnam Ecclesiæ Catholicæ ipsique monasticæ vitæ comparavit gloriam. Nam, ut laudatus sæpe d'Hesmivy* (*part.* II, *pag.* 537) *asseverat, inter quadraginta duo ferme millia virginum, quot tunc capita in Galliarum monasteriis numerabantur, non fuere ducentæ ex omnibus simul religiosis familiis quæ aut in Deum fuerint fœdifragæ aut in regiam potestatem, emittendo nempe improba quæ tunc extorquebantur jurajuranda. Atque eo modo, ut rite observatum est a Cl. Barruel in sua Cleri Gallicani Historia* (*Antverpiæ* 1794, *part.* I, *pag.* 19), *numerosæ illæ virgines, cum oblatæ, imo obtrusæ, libertati*
C *præhaberent dilectos suos cancellos, mendacii et calumniæ conviceruntinsinceros vitæ monasticæ detractores, qui sæculo præterito universæ Europæ persuadere conati fuerant monasteria non continere nisi miserandas incarceratas puellas, quæ alienæ voluntatis erant victimæ, et quibus pergratum fieret, si, ruptis vinculis et clathris, in libertatem asserentur. Simul et sanctimoniales illæ præclara tali agendi ratione luculenter demonstrarunt quanta sit differentia inter castas virgines quæ in Religione Catholica Jesu Christo sese devovent, et inter jactatas ab hodiernis avitæ Religionis desertoribus priscas Vestales, quæ, septenæ quamquam tantum erant, non infrequenter, quia violatæ castitatis reæ, e decreta sibi pœna, humo infodiebantur : ut legere est apud Eusebium, S. Ambrosium, Prudentium, etc.* (*vid. Memorialia Trivoltiana, ad annum* 1720, *pag.* 848).

Dicta confirmantur pari in Hispania virginum hodierna constantia.

99 *Neque in Belgio et Gallia dumtaxat fracti illapsique, ut ita loquar, Ordinis ruinæ impavidas et constantes virgines ferierunt, sed et recens in Hispania. Grassata enim et illic est persecutio adversus Catholicam Religionem sacraque ejus instituta; atque* XI *Martii anni* 1836 *in moniales earumque domos sequentia decreta prodierunt* (*quæ legi passim possunt in illius temporis diariis, v. g. Cl. Kersten :* Journal historique et littéraire, Liége, *tom. II, pag.* 654) : Domicilia monialium ad eum numerum restringentur qui necessarius est ut D commode capiantur quæ exire detrectabunt. Religiosæ quarum domus supprimentur, dispertientur in domos conservandas. Nulla autem manebit domus, nisi viginti professas contineat. Eadem civitate contineri non poterunt binæ ejusdem Ordinis domus. . . Religiosis ad statum sæcularem ante redactis et quarum domus jam exstinctæ sunt aut deinceps exstinguentur, pensio fiet quinque realium (*sive circiter franci unius et quartæ ejus partis*); si vero in alia religiosa domo vivere maluerint, pensio tantum fiet quatuor realium (*sive unius circiter franci*). *Interim in illis vexationibus et angustiis, quibus non tantum religiosis familiis novitias adscribere votaque profiteri vetatur, sed et illæ familiæ bonis omnibus spoliantur, domiciliorumque numerus, congestis multis monialibus in domos pauciores, quam plurimum minuitur, in tali, inquam, rerum statu sacræ Deo virgines in electo a se statu perseverant, atque in cuncta Hispania vix ullas reperire est moniales quæ obtrusa sibi libertate uti velint, quamvis plurimis in locis ob solutum male a gubernio censum prædura egestate premantur. Speciatim autem, quod Excalceatam S.* Teresiæ E *familiam attinet, plures, rerum hispanicarum bene gnari, asseverant inauditum sibi esse vel unius Teresianæ virginis liberum e suo, licet reserato, ascelerio egressum, nedum ullius a religioso statu apostasiam : unde fit ut ipsa quæ Catholicis partibus adversantur diaria sanctam eam virginum in claustrali vita pertinaciam stupeant ac prope laudent. Demum, ut post sæva ea quorum memini tempora primum eluxit aliqua in Belgio et Gallia libertas restituendi monasteria, brevi refloruit Teresiana familia, ita ut in utroque eo regno hodie non exiguus existat numerus domorum, quas suo quodammodo e cinere renatas dixeris.*

§ IV. Conspectus provinciarum ac domiciliorum utriusque Congregationis Ordinis Carm. Exc. quæ erecta fuerunt a tempore S. Teresiæ usque ad nuperas F rerum subversiones.

CONGREGATIO HISPANICA
SEU S. JOSEPHI.

Antequam Carmelus a S. Teresia *reformatus in duas Congregationes abiret, constitutæ fuerant anno* 1588 *sex provinciæ : quarum prima, sub titulo S. Eliæ, Veterem capiebat Castellam cum Navarræ regno; secunda, sub titulo S. Spiritus, Castellam Novam et regnum Murcianum; tertia, dicta a S. Angelo, Andalusiam superiorem; quarta, S. Philippo dicata, Andalusiam inferiorem cum Lusitania; quinta, sub S. Josephi patrocinio, Catalaniam, Aragoniam et Italiam; sexta demum, a S. Alberto nomen mutuata, Novam Hispaniam in terris ultramarinis. Stetit hæc provinciarum distributio* (*divulsis tamen interim, nempe anno* 1600, *monasteriis Italicis*) *ad annum usque* 1610; *quo anno congregatis in capitulo generali decimo Patribus visum fuit unam ex utraque Andalusia provinciam conficere, præposito Lusitanis vicario provinciali.*



FACIES ECCLESIÆ CARMELITARUM, DICTÆ **S. TERESIÆ**, ABULÆ.



Valentinus Carderera Del. Car. Onghena Sc.

LATUS MONASTERII CARMELITARUM ET ECCLESIÆ **S. TERESIÆ.**

(A) SACELLUM IN LOCO OLIM S. TERESIÆ NATALI.

A *ciali. Ortis hinc controversiis Romamque anno proxime sequenti delatis, R. P. Alphonsus a Jesu Maria, quartus Carmelitarum Excalceatorum in Hispania Generalis, probante Antonio Cajetano, Capuano archiepiscopo et Nuntio apostolico, cui hujus rei procurationem Paulus Papa V commiserat, die* XIII *Aprilis* 1612 *cum summo omnium suorum applausu vicariatum Lusitaniæ, quamvis sufficientem provinciæ constituendæ cœnobiorum numerum nondum haberet, in provinciam sub S. Philippi titulo erexit; quo pacto, coactis jam in unam S. Angeli provinciam Andalusiis, in senarium rediere provinciæ numerum.*

Cum autem anno 1640 *Catalani primum et mox etiam Lusitani imperium Philippi IV, Hispaniarum regis, detrectare cœpissent, adeoque ab ineunte anno* 1641 *regia in Lusitaniam potestate gauderet Joannes dux Bragantinus, Barcinonenses vero cum magna Catalaniæ parte ad Galliæ regem Ludovicum XIII descivissent, congregati Pastranæ anno* 1643 *Carmelitæ Excalceati suam S. Josephi provinciam ita dispertierunt ut penes provincialem maneret ea Catalaniæ pars quam Galli eatenus occupabant, reliquam provinciæ partem vicarius*
B *administraret; item capitulis ac diffinitoriis provincialibus in Lusitania et Catalania tempore belli celebrandis solito ampliorem, quantam scilicet rerum adjuncta exigere viderentur, concessere potestatem : denique, præter leges communes, aliquem e provincia Castellæ Veteris designarunt qui vices diffinitoris provinciæ Lusitanæ suppleret. Triennio post, in capitulo generali vigesimo secundo, nullus e provincia Lusitana diffinitor, sed hujus loco (prouti jam pridem quoad Mexicanam provinciam obtinebat) alius* ex toto, *ut dicitur,* Ordine *fuit electus; isque, ex decreto S. Congregationis negotiis Episcoporum et Regularium præpositæ edito* XXVII *Aprilis* 1646 *et deinceps binis Innocentii* X *litteris apostolicis confirmato, non diffinitor provinciæ S. Philippi, sed* sextus diffinitor *appellatus. Ad eamdem normam, propter Lusitanorum absentiam, diffinitorium generale constitutum fuit in tribus sequentibus capitulis generalibus, annis* 1649, 1652 *et* 1655. *Quoniam autem Chronicon Ord. Carm. Exc. anno* 1657 *desinit et cætera circa hanc rem documenta mihi desunt, compertum non habeo num qui e Lusitana provincia ad capitula generalia sui Ordinis venerint ante pacem anno* 1668 *Hispanos inter ac Lusitanos*
C *initam. Verum recrudescente bello anno* 1704, *iisdem ac anno* 1646 *redeuntibus difficultatibus, sextus iterum diffinitor, teste ultimo continuatore Chronici (lib.* XXIII, *cap.* I, *num* 11, *et lib.* XXIV, *cap.* XVIII, *num.* 7), e toto Ordine *assumptus fuit; idque hodiedum etiam obtinere, docet nomenclatura mox citanda. Denique e litteris nuper ex Hispania ad nos datis accepimus provinciam illam Lusitanam jam dudum separatam et a quibusvis aliis independentem existere, ita ut nec ad Hispanicam Congregationem pertineat, nec aggregata sit Italicæ.*

Porro, cum labente sæculo XVII *numerus cœnobiorum in Aragoniæ regno multum accrevisset, creata fuit anno* 1685 *nova Aragoniæ provincia sub S.* Teresiæ *titulo. Idem obtinuit pro Andalusia inferiore anno* 1688, *pro Navarra anno* 1704, *et demum pro Murcia anno* 1713. *Atque hæc quidem de Congregatione Hispanica in universum præ-notanda duxi; quæ anno* 1832 *adhucdum numerabat in Hispania provincias octo, in iisque domos virorum centum et tredecim, prout agnoscere est e nomenclatura omnium Superiorum eo anno confecta et typis excusa.* Monialium vero Ordinis jurisdictioni subditarum, *inquit is qui prædictam nomenclaturam ad nos anno* 1840 *destinavit,* cœnobia EX VARIIS.
sexaginta circiter manent : aliarum autem Ordi- D
nariis subjectarum monasteria non pauca; at numeri mihi ignoti. Erat præterea, *subdit idem,* alia provincia, S. Alberti dicta, in regionibus Novæ Hispaniæ, nunc reipublicæ Mexicanæ; cujus domus virorum sexdecim, monialium vero sex aut octo facile numerari possent. *Singularum nunc provinciarum domicilia, additis Patronorum nominibus et annis fundationis, ex ordine enumerabo : adhibendo Chronicon Ordinis, nomenclaturam paulo ante memoratam, tabulas topographicas simul et chronologicas provinciarum hujus Congregationis anno* 1739 *excusas, elenchum qui ad diem* XV *Octobris in Tamayi Martyrologio Hispanico legitur; præcipue vero elenchum quem P. Dositheus a S. Alexio tomo posteriori Vitæ S. Joannis a Cruce inseruit, et cui in exemplari quo utor, recentior manus adscripsit aliquot cœnobia condita ad annum usque* 1746, *necnon catalogum quem circa finem anni* 1844 *R. P. Emmanuel a S. Rosario nobis describere dignatus fuit ex notis quas in cœnobio suo conservant Carmelitissæ Excalceatæ Oscenses. Annotationes quasdam, ubi res feret, interseram. Præmittendum autem est, extra provinciarum ordinem,* E

Romanum *hospitium, SS. Annæ et Joachim, anno* 1610 *cum venia Pauli V Summi Pontificis erectum; in quo procuratores generales, pro negotiis Congregationis ad Romanam Curiam deputari soliti, cum suis sociis residerent. De hospitii hujus origine et incrementis agit continuator Chronici (lib.* XIII, *cap.* XI).

I. PROVINCIA CASTELLÆ VETERIS SEU S. ELIÆ. (Erecta anno 1581.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Durvelense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1568
2 Manceranum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1570
cui successit Abulense, *S. Teresiæ.* . . 1600
3 Vallisoletanum, *B. V. M. de Consolatione.* 1581
4 Salmanticense *collegium, S. Eliæ.* . . 1581
5 Segoviense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1586
6 Fluvii Sicci, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1588
7 Taurense, *Incarnationis.* 1589
8 Bañezense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1595
9 Palentinum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1599
10 Batuecanum *desertum, S. Josephi.* . . 1599
11 Methymnacampense, *Corporis Christi.* . 1645 F
12 Albanum, *S. Joannis a Cruce.* . . . 1679
13 Fontiberiense, *S. Joannis a Cruce.* . . 1723
14 Padronense, *S. Josephi.* 1733

Quatuordecim hæc monasteria adhuc existebant anno 1832. Abulense *ab anno* 1636 *solum occupat cui domus natalis S.* Teresiæ *fuerat superstructa;* Fontiberiense *pariter natali S. Joannis a Cruce domui substitutum fuit. P. Emmanuel a S. Rosario* Bañezensi *assignat annum fundationis* 1590, *et* Padronensi *annum* 1700. *Adjungenda prædictis monasteriis tria hospitia : videlicet* Peñarandense, Ponferratense *et* Albercense; *quorum postremo in tabula topographica adscribuntur hæc verba :* pro Fratribus eremi.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Abulense, *S. Josephi.* 1562
2 Methymnacampense, *S. Josephi.* . . . 1567
3 Vallisoletanum, *Conceptionis B. V. M.* . 1568
4 Salmanticense, *S. Josephi.* 1570
5 Albanum, *Incarnationis.* 1571
6 Segoviense, *S. Josephi.* 1574

7 Palentinum,

EX VARIIS. A

7 Palentinum, *S. Josephi*. 1580
8 Fluvii Sicci, *S. Josephi*. 1603
9 Taurense, *S. Josephi*. 1619
10 Peñarandense, *Incarnationis* 1669

Extra jurisdictionem Ordinis :

11 Placentinum, *SS. Trinitatis*. 1627

In tabula hujus provinciæ topographica et in P. Dosithei elencho Salmanticense *monasterium anno* 1569 *et* Segoviense *anno* 1573 *fundata dicuntur; sed perperam. Vide Commentarium prævium,* §§ XXVII *et* XXXIII.

II. PROVINCIA CASTELLÆ NOVÆ SEU S. SPIRITUS. (Erecta anno 1588.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Pastranense, *S. Petri*. 1569
2 Complutense *collegium, S. Cyrilli*. . . 1570
3 Almodovarense, *B. V. M. de Monte Carmelo*. 1575
4 Madritense, *S. Hermenegildi*. 1586
5 Toletanum, *S. Spiritus*. 1586
6 Cogolludense, *B. V. M. de Monte Carmelo*. 1588
7 Bolarquense *desertum, B. V. M. de Monte* B *Carmelo*. 1592
8 Ocaniense, *S. Alberti*. 1599
9 Civitatis Regalis, *S. Angeli*. 1610
10 Guadalajarense, *SS. Regum*. 1632
11 Talaverense, *B. V. Mariæ*. 1699
12 Budiense, *Conceptionis B. V. M.* . . . 1732

Hæc monasteria, quæ (*cum tabula topographica hujus provinciæ mihi desit*) *enumeravi secundum elenchum P. Dosithei et catalogum P. Emmanuelis, eodem numero recensentur in nomenclatura anno* 1832 *confecta : sed in hac, nescio quam ob causam,* Talaverense *nonum locum occupat; quod præter ordinem chronologicum, qui alias passim inibi servatur, factum esse nemo non videt. Quod vero in P. Dosithei elencho* Pastranensi *monasterio annus* 1589 *assignatur, is typothetæ, non auctoris, est error. Habebat hæc provincia hospitia quatuor :* Consaburense, Malagonense, Ispinense et Corvense.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Malagonense, *S. Josephi*. 1568
2 Toletanum, *S. Josephi*. 1569
C 3 Pastranense, *Conceptionis B. V. M.* . . 1569
4 Corvense, *Incarnationis*. 1585
5 Madritense, *S. Annæ*. 1586
6 Talaverense, *S. Josephi*. 1595
7 Ocaniense, *S. Josephi*. 1595
8 Civitatis Regalis, *S. Antonii*. 1596
9 Loechense, *S. Ignatii Martyris*. . . . 1596
10 Consaburense, *S. Josephi*. 1597
11 Complutense, *Corporis Christi*. . . . 1599
12 Almodovarense, *S. Josephi*. 1599
cui successit Ispinense, *SS. Josephi et Ildephonsi*. 1606
13 Guadalajarense, *S. Josephi*. 1615
14 Madritense, *S. Teresiæ*. 1684

Extra jurisdictionem Ordinis :

15 Complutense, *Conceptionis B. V. M.*
16 Guadalajarense.
17 Madritense, *Nativitatis B. V. M.* . . . 1651
18 Boadillense.

Pastranensis *virginum monasterii abolitio, ab ipsa S.* Teresia *facta, narratur in Commentario prævio* (*num.* 596 *et seqq.*). *Cætera, præter* Almodovarense (*de quo videsis Chronicon, lib.* X, *cap.* XXII), *ex PP. Dositheo et Emmanuele descripsi.*

III. PROVINCIA ANDALUSIÆ SUPERIORIS D SEU S. ANGELI. (Erecta anno 1588.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Granatense, *SS. Martyrum*. 1573
2 Rupeculense, *S. Joannis a Cruce*. . . 1573
3 Montis Calvariæ, *B. V. M. de Monte Carmelo*. 1576
4 Biatiense *collegium, S. Basilii*. . . . 1579
5 Malacitanum, *S. Andreæ*. 1584
6 Manchiæ Regalis, *Conceptionis B. V. M.* 1586
7 Ubetense, *S. Michaelis*. 1587
8 Giennense, *S. Josephi*. 1588
9 Alcaudetense, *Incarnationis*. 1590
10 Velezmalacitanum, *S. Josephi*. . . . 1591
11 Nivense *desertum, B. V. M. ad Nives*. . 1593
12 Antiquarense, *B. V. M. in Bethleem*. . 1617
13 Cazorlense.
14 Benamejiense, *B. V. M. de Remediis*. . 1682
15 Gaucinense, *S. Crucis*. 1700

Si e quindecim monasteriis hic enumeratis secundum tertiumque demas, habes hujus provinciæ statum qualis erat anno 1832. Calvariense, *ut in tabula topographica annotatur, non ita diu post obitum S.* Teresiæ *fuit derelictum.* Rupeculense, *quod anno* E 1576 *cum* Calvariensi *commutatum fuerat, sed anno sequenti denuo cœperat incoli, adhuc existebat circa sæculi proxime elapsi medium.* Cazorlense *autem, quod in nuperrima nomenclatura recensetur, nec elencho P. Dosithei nec catalogo P. Emmanuelis nec tabulæ topographicæ inscriptum est. Præterea P. Dosithcus* Antiquarense *cœnobium omisit, et fundationi cœnobii* Manchiæ Regalis *annum* 1589 *erronee assignat.* Gaucinense *in tabula topographica anno* 1702 *fundatum exhibetur. Hospitia hujus provinciæ tria ponit P. Dositheus :* Veasense, Rondense *et* Mijense; *in tabula topographica quartum additur* Gracelemense.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Veasense, *S. Josephi*. 1575
2 Granatense, *S. Josephi*. 1582
3 Malacitanum, *S. Josephi*. 1585
4 Sabiotense, *S. Josephi*. 1585
5 Ubetense, *Conceptionis B. V. M.* . . . 1595
6 Biatiense, *Incarnationis*. 1599
7 Giennense, *S. Teresiæ*. 1615
8 Antiquarense, *S. Josephi*. . . . . 1636 F
9 Velezmalacitanum, *Jesu et Mariæ*. . . 1699

P. Dositheus septimum ex hisce monasteriis prætermisit.

IV. PROVINCIA CATALANIÆ SEU S. JOSEPHI. (Erecta anno 1588.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Barcinonense, *S. Josephi*. 1586
2 Mataronense, *S. Josephi*. 1588
3 Tarregense. 1588
4 Ilerdense *collegium, S. Josephi*. . . . 1589
5 Dertusanum, *B. V. M. de Miraculo*. . . 1590
6 Gerundense, *S. Josephi*. 1591
7 Tarraconense, *S. Laurentii*. 1597
8 Reusense, *S. Joannis Baptistæ*. . . . 1606
9 Cardonense *desertum, S. Hilarionis*. . 1606
10 Barcinonense, *B. V. M. de Gratia*. . . 1626
11 Silvense, *S. Raphaelis*. 1636
12 Vicense, *S. Hieronymi*. 1642
13 Balaguerense, *S. Teresiæ*. 1678
14 Villanovanum, *S. Josephi*. 1735

Tarregense *monasterium, a Franciscanis primum* (*vide Waddingum ad annum* 1318, *t. VI, pag.* 324), *dein*

A *dein a Dominicanis occupatum, Carmelitæ Excalceati adierunt die* XXV *Septembris* 1588 : *sed cum hi non ita diu post inde excessissent, in eorum locum successerunt Augustiniani; uti narrat Narcissus Feliu de la Peña y Farell in suis Annalibus Catalaniæ* (*lib.* XIX, *cap.* XI). *Atque hæc ratio est cur istud monasterium non recenseatur in tabulis et catalogis quæ præ oculis habeo.* Silvensem *fundationem non anno* 1627, *ut in tabula hujus provinciæ topographica et jam antea in tabulis anno* 1699 *editis scriptum fuit, sed anno* 1636, *ut Tamayus et P. Dositheus habent, factam fuisse demonstrat alter e Chronici continuatoribus* (*lib.* XXI, *cap.* IV), *et confirmat auctor Annalium Catalaniæ paulo ante citatus* (*lib.* XX, *cap.* II). *Ex eodem auctore* (*lib.* XXI, *cap.* VI) *patet P. Dositheum fundationi* Balaguerensi *recte adscripsisse annum* 1678, *dum contra in tabula topographica erronee notatur annus* 1668. Villanovanæ *fundationi tabula hæc assignat annum* 1735, *sed annum* 1737 *manuscripta additio ad elenchum P. Dosithei. Cæterum omnia cœnobia supra enumerata, præter* Tarregense, *adhuc supererant anno* 1832.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

B
1 Barcinonense, *Conceptionis B. V. M.* . 1588
2 Mataronense, *Conceptionis B. V. M.* . 1648
3 Reusense, *Conceptionis B. V. M.* . . 1660
4 Ilerdense, *S. Anastasii.* 1686
5 Tarraconense, *S. Teresiæ.* 1708
vel SS. Josephi et Annæ. 1712

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Vicense, *Jesu, Mariæ et Josephi.* . . 1638

Monialium cœnobium Barcinonense *sub titulo B. V. M. sine labe Conceptæ fundatum fuisse narrat auctor Chronici* (*lib.* VIII, *cap.* VII, *num* 5), *cui consentiunt Tamayus et P. Dositheus : quare puto nomen S. Josephi per errorem irrepsisse in tabulam topographicam. In hac tabula et in catalogo P. Emmanuelis monasterio* Tarraconensi *asseruntur patroni SS. Joseph et Anna et annus fundationis* 1712; *in elencho P. Dosithei patrona S.* Teresia *et annus* 1708 : *ambigo utra ex parte stet veritas. De anno fundationis monasterii* Ilerdensis *concordant inter se præfata documenta; sed discrepant ab Annalibus Catalaniæ Narcissi Feliu, qui fundationem hanc ex testamento Josephi Pastor, canonici Ilerdensis, factam refert ad annum* 1640 (*lib.* XX, *cap.* V). *Forsitan dictum cœnobium ab anno* 1640 *ad annum* 1686
C *Ordinario loci subfuerit.*

V. PROVINCIA LUSITANIÆ SEU S. PHILIPPI.
(Erecta anno 1588.)

MONASTERIA VIRORUM.

In Lusitania :

1 Ulyssiponense, *B. V. M. de Remediis.* . 1582
2 Cascaense, *B. V. M. de Pietate.* . . . 1594
3 Eborense, *B. V. M. de Remediis.* . . 1594
4 Figuerense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1602
5 Conimbricense *collegium, S. Josephi.* . 1603
6 Aveirense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1613
7 Portuense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1617
8 Vianense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1618
9 Busacense *desertum, S. Crucis, dein S. Joannis a Cruce.* 1628
10 Santarenense, *S. Teresiæ.* 1648
11 Adollalbense, *Incarnationis.* 1648
12 Braccarense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1653
13 Setubalense, *S. Teresiæ.* 1661
14 Ulyssiponense, *Corporis Christi.* . . . 1665
15 Carnidense, *S. Josephi vel S. Joannis a Cruce.* 1681

In regno Congi :

16 Angolense, *S. Teresiæ vel Conceptionis B. V. M.* 1610

In Brasilia :

17 Bahiense, *S. Teresiæ vel Salvatoris mundi.* 1619
18 Fernambucense, *S. Familiæ in Ægyptum fugientis vel B. V. M. de Monte Carmelo.* 1698

De hac provincia vide quæ dixi in annotationibus de Congregatione Hispanica in universum. Annos quibus fundata fuere duodecim prima cœnobia modo enumerata, desumpsi e Chronico; cui magis fidendum reor quam cæteris documentis, nonnihil inter se et a Chronico discrepantibus. Quatuor postremis cœnobiis binos titulos, hinc e tabula topographica et catalogo P. Emmanuelis, illinc e P. Dositheo assignavi : utri præferendi sint, nescire me fateor. P. Dositheus tribus ultramarinis monasteriis annos non adscripsit; P. Emmanuel Angolensi *et* Bahiensi *assignat annum* 1600. *Hospitia hujus provinciæ erant* Tavirense *in Lusitania et* Recifense *in Brasilia.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

E
1 Ulyssiponense, *S. Alberti.* 1585
2 Carnidense, *S. Teresiæ.* 1642
3 Aveirense, *S. Joannis Euangelistæ.* . . 1658
4 Ulyssiponense, *Conceptionis B. V. M.* . 1681
5 Eborense, *S. Josephi.* 1681
6 Portuense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1699
vel SS. Josephi et Mariæ. 1706

Prior monasterii Portuensis *titulus apud P. Dositheum, alter in tabula topographica comparet : idem dicendum de annis* 1699 *et* 1706. *Monasteria vero Ordinariis locorum subjecta intra hujus provinciæ limites mihi nulla occurrunt.*

VI. PROVINCIA MEXICANA SEU S. ALBERTI.
(Erecta anno 1588.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Mexicanum, *S. Sebastiani.* 1586
2 Angelopolitanum, *B. V. M. de Remediis.* 1586
3 Atlixcense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1589
4 Vallisoletanum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1593
5 Guadalajarense, *Conceptionis B. V. M.* . 1593
6 Zelayense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . 1597
7 Mexicanum *collegium, S. Alberti.* . . 1601 F
cui successit Cuyocanense, *S. Annæ.* . 1614
8 S. Fidei *desertum, S. Joannis Baptistæ.* . 1606
9 Queretarense, *S. Teresiæ.* 1614
10 Salvaterrense, *S. Angeli.* 1644
11 Ad Aquas Calidas. 1649
12 Tacubense, *S. Joachim.* 1696
13 Tolucense, *S. Josephi vel Conceptionis B. V. M.* 1699
14 Antiquarense (*seu* Oaxacanum), *S. Teresiæ vel S. Crucis.* 1699
15 Orizavense, *S. Teresiæ.* 1735
16 Popayanense.
17 Latacunganum.

E septemdecim hisce monasteriis tredecim notantur in tabula topographica; et merito : nam quatuor ex iis jam a longo tempore non amplius incolebantur. Guadalajarense *extitit prius ab anno* 1593 *ad* 1610, *et iterum ab anno* 1649 *ad* 1653; *quo demum anno, sicut et alterum* Aquis Calidis *fundatum, propter varia objecta impedimenta derelictum fuit, uti narratur in Chronico* (*lib.* XXV, *cap.* II). Popayanense *vero ac* Latacunganum *ob congrui victus inopiam deseruerunt incolæ, teste Antonio de Ulloa in Itinerario*

EX VARIIS.
D

EX VARIIS. *rario Americæ Meridionalis* (*part.* I, *lib.* VI, *cap.* III).
A *P. Dositheus duodecim provinciæ Mexicanæ tribuit virorum cœnobia; sed his recentior manus addidit* Orizavense. *Quæ de* Cuyocanensi *collegio et cœnobio* Queretarensi *notavi, desumpta sunt e Chronico* (*lib.* XI, *cap.* XXI, *et lib.* XXIII, *cap.* VIII); *cum de his non satis accurate loquantur elenchus P. Dosithei et tabula topographica. De titulis monasteriorum* Tolucensis *et* Antiquarensis *nihil certi statuere possum. Hospitia tria,* Guadalajarense, Tehuacanense *et* S. Ludovici Potosinum, *annotantur in tabula topographica; nulla vero apud P. Dositheum. Circa annum* 1827 *in republica Mexicana sedecim Carmelitarum cœnobia numerata fuisse docent Hoffmannus, Pahlius et Pfaffius in sua Geographia anno* 1837 *Stutgardiæ germanico idiomate edita* (*tom. III, pag.* 321); *at num Excalceatorum, non indicant : ajunt vero plura e* 150 *illius regionis cœnobiis per annos subsequentes fuisse deleta. De reliquo præsens provinciæ Mexicanæ Ord. Carm. Exc. status mihi prorsus ignotus est.*

Porro, ad sequiorem sexum quod attinet, in regionibus Americanis ad Hispanicum dominium olim spectantibus extitere et partim (*v. g.* Guatemalæ,
B Havanæ *et in* S. Jacobi *apud Chilenses, uti a viris fide dignis accepi*) *etiamnum extant sequentia*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Angelopolitanum, *B. V. M. Dolorosæ.* . 1730

Extra jurisdictionem Ordinis :

2 Angelopolitanum, *S. Josephi.* 1604
3 Mexicanum. 1616
4 Mexicanum *alterum.* 1659
5 Guatemalense. — 6 Guadalajarense. — 7 Havanense. — 8 Limanum. — 9 Carthagenense. — 10 Limanum *alterum.* — 11 S. Jacobi Chilense. — 12 Cordubense. — 13 Potosinum. — 14 Quitoanum. — 15 Cuzcense. — 16 Bogotense. — 17 Guamanganum. — 18 Latacunganum, *cui successit* Quitoanum *alterum.* — 19 Charcense. — 20 Popayanense. — 21 Conchense. — 22 Trujillense. 23 Arequipanum. — 24 Pacense.

Novemdecim priora ex hisce monasteriis in tabula topographica provinciæ Mexicanæ recensentur : cætera quinque in Itinerario Ulloano reperi, in quo etiam mentio fit de Latacungano *monialium monas-*
C *terio, quod anno* 1698 *terræ motu destructum fuit; unde se moniales* Quitoam *contulerunt, novum ibi cœnobium erecturæ* (*part.* I, *lib.* V, *cap.* IV, *et lib.* VI, *cap.* I). *Loquens autem Ulloa de omnibus generatim Carmelitissarum Excalceatarum monasteriis in America Meridionali sitis :* Notatu dignum est, *inquit,* virginum Teresianarum monasteria firmissimo pede stare; nec ullum inter ea noscitur in quo pauciores reperiantur moniales quam ad definitum a regulis numerum complendum requiruntur (*ibid. lib.* VI, *cap.* III).

VII. PROVINCIA ARAGONIÆ SEU S. TERESIÆ.
(Erecta anno 1685.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Valentinum, *S. Philippi.* 1589
2 Tamaritense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1591
3 Cæsaraugustanum, *S. Josephi.* . . . 1597
4 Bilbilitanum, *S. Josephi.* 1599
5 Oscense *collegium, S. Alberti.* . . . 1627
6 Enguerense, *SS. Josephi et Annæ.* . . 1649
7 Boltaniense, *S. Spiritus.* 1651
8 Turiasonense, *S. Teresiæ* 1654
9 Nulense, *S. Familiæ.* 1673
10 Sosense, *B. V. M. de Valentuñana.* . 1677 D
11 Turris Carmeli, *S. Eliæ.* 1682
12 Palmarum *desertum, S. Teresiæ.* . . 1694
13 Tervelense, *S. Josephi.* 1697

Omnia hujus provinciæ monasteria virorum adhuc supererant anno 1832. *Nescio an idem dici possit de hospitiis* Ibidensi, Calandensi *et* Molinensi.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Cæsaraugustanum, *S. Josephi.* . . . 1588
2 Valentinum, *S. Josephi.* 1588
3 Turiasonense, *S. Annæ.* 1600
4 Bilbilitanum, *S. Alberti.* 1603
5 Oscense, *S. Teresiæ.* 1642

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Cæsaraugustanum, *S. Teresiæ.* . . . 1600
7 Majoricense, *S. Teresiæ.* 1630
8 Turiasonense, *S. Joachim.* 1632
9 Caudiclense, *S. Teresiæ.* 1648
10 Malvendense, *S. Josephi.* 1649
11 Tervelense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1660
12 Valentinum, *Corporis Christi.* . . . 1681
13 Nulense. E

Monasterium virginum Palmæ *in Majorica anno* 1600 *erectum dicitur a P. Emmanuele.*

VIII. PROVINCIA ANDALUSIÆ INFERIORIS SEU S. JOANNIS BAPTISTÆ.
(Erecta anno 1688.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Hispalense, *B. V. M. de Remediis.* . . 1574
2 Guadalcazarense, *B. V. M. de Caritate.* . 1585
3 Cordubense, *S. Josephi.* 1586
4 Bujalancense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1587
5 Hispalense *collegium, S. Angeli Custodis.* 1588
6 Aguilarense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1590
7 Andujarense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1590
8 Astygitanum, *Conceptionis B. V. M.* . 1591
9 Lucenense, *S. Josephi.* 1600
10 Barramedense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1641
11 Insulæ Regalis, *S. Joachim vel S. Josephi.* 1680
12 Carmonense, *S. Josephi.* 1687
13 Coronilense, *S. Michaelis.* 1688
14 Paternense, *Dominæ Virtutum.* . . . 1693
15 Montorense, *S. Joannis a Cruce.* . . 1697
16 Vallestre, *S. Josephi.* 1697
17 Lucarense, *S. Teresiæ.* . . . . . 1700 F
18 Speculense, *S. Teresiæ.* 1733
19 Gaditanum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1736
20 Corvense *desertum.*

Viginti hæc monasteria enumerantur in nomenclatura anno 1832 *edita. Novemdecim tantum enumerat auctor tabulæ topographicæ; qui videtur* Vallestre *cœnobium, quod P. Dositheus desertum* Vallestre *vocat, cum deserto* Corvensi *confudisse. P. Dositheus, qui elenchum suum anno* 1727 *edidit, septemdecim tantum nosse potuit virorum hujus provinciæ cœnobia : attamen, ut ex eo elencho liquet, jam tunc* Speculi, Gadibus *et in loco cui a* Corvo *nomen, hospitia Carmelitarum Excalceatorum exi-*
stebant; hisque annumerat P. Dositheus quatuor alia, quæ in tabula topographica non comparent, hospitia : nimirum S. Joannis Baptistæ, Arcense, Pedrosense *et* Gonzalvipontanum.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Hispalense, *S. Josephi.* 1575
2 Cordubense, *S. Annæ.* 1589
3 Lucarense, *S. Josephi.* 1590

4 Cabrense,

A 4 Cabrense, *S. Josephi.* 1603
cui successit Lucenense. 1612
5 Astygitanum, *S. Josephi.* 1638
6 Barramedense, *S. Teresiæ.* 1644
7 Aguilarense, *S. Josephi.* 1671
8 Gonzalvipontanum, *S. Josephi.* . . . 1705
9 Bujalancense, *S. Teresiæ.* 1708

Extra jurisdictionem Ordinis :

10 Fontis de Cantos, *S. Josephi.* 1632
11 Talaverense, *S. Teresiæ.* 1640

Monasterium Gonzalvipontanum *a P. Dositheo annotatur, sed in tabula topographica et a P. Emmanuele omittitur :* Cabrense *utrobique abest, quamvis ejus fundatio in Chronico narratur* (*lib.* XI, *cap.* XXXVII). *P. Emmanuel* Bujalancensi *assignat annum* 1700, *et duobus sequentibus annum* 1609.

IX. PROVINCIA NAVARRÆ SEU S. JOACHIM.

(Erecta anno 1706.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Pampelonense *collegium, S. Annæ.* . . 1587
2 Oxomense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1589
3 Corellense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1595
4 Tudellense, *S. Josephi.* 1597
B 5 Peñarandense, *S. Josephi.* 1603
6 Calagurritanum, *B. V. M. de M. Carmelo.* 1603
7 Burgense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . 1606
8 Lermense, *S. Teresiæ.* 1617
9 Lucroniense, *S. Josephi.* 1628
10 Lazcanense, *S. Teresiæ.* 1641
11 Marquinense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1691
12 Insulanum *desertum, S. Josephi.* . . . 1719
13 Reense, *S. Joannis Baptistæ.* 1733
14 Balsamedense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1732
15 Villafrancanum, *S. Joachim.* 1734

Idem est horum cœnobiorum ordo ac numerus in tabula topographica et in nuperrima Congregationis Hispanicæ nomenclatura. Duodecimum, decimum tertium et decimum quartum recentior calamus elencho P. Dosithei adjecit, omisso decimo quinto, quod pariter omisit P. Emmanuel. Lermensi *P. Dositheus S. Josephum patronum assignat,* Lucroniensi *S. Teresiam : quod equidem erronea nominum transpositione factum reor; etenim e Chronico patet sub patrocinio S. Teresiæ cœnobium Lermæ fundatum fuisse* (*lib.* XV, *cap.* V). *P. Emmanuel annum* 1597 *adscribit* Corellensi, *et annum* 1700 Insulano *deserto ac monasterio* Reensi. *Adde hospitia duo :* Bilbaense *et* Soriense.
C

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Soriense, *SS. Trinitatis.* 1581
2 Burgense, *S. Josephi.* 1582
3 Pampelonense, *S. Josephi.* 1583
4 Lucroniense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1589
5 Calagurritanum, *S. Josephi.* 1598
6 Lermense, *Incarnationis.* 1608
7 Corellense, *B. V. M. de Ara Cœli.* . . . 1723

Extra jurisdictionem Ordinis :

8 Zumayense, *S. Josephi.* 1640
9 Sansebastianense, *S. Teresiæ.* 1663

Calagurritano *apud P. Emmanuelem adscriptus est annus* 1589.

X. PROVINCIA MURCIANA SEU S. ANNÆ.

(Erecta anno 1713.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Altomiranum, *B. V. M. de Subsidio.* . 1571
2 Rodense, *B. V. M. de Subsidio.* . . . 1572
3 Daimielense, *S. Josephi.* 1583
4 Manzanarense, *B. V. M. de Gratia.* . 1558
5 Caravacense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1586 EX VARIIS.
6 Villanovanum, *B. V. M. ad Nives.* . . 1587 D
7 Uclesense, *S. Josephi.* 1594
8 Criptanense, *S. Jacobi.* 1598
9 Conchense, *S. Angeli Custodis.* . . . 1626
10 Sanclementinum, *S. Teresiæ.* 1673
11 Lietorense, *S. Joannis a Cruce.* . . . 1679
12 Murciense *collegium, S. Teresiæ.* . . 1689
13 Carthagenense, *S. Joachim.* 1690
14 Cambronense *desertum, S. Joachim.* . 1732
15 Ilorcense.

Cœnobia Altomiranum *et* Rodense *post obitum S.* Teresiæ *fuere relicta* (Rodense *quidem anno* 1603, *ut dicitur Chron. lib.* IV, *cap.* XX, *num.* 8) : *cætera omnia hic enumerata perstabant adhuc anno* 1832. Ilorcense, *quod hospitii tantum nomine gaudet in tabula topographica, et desertum* Cambronense *in P. Dosithei elencho, quippe ante eorum fundationem confecto, non reperiuntur.* Caravacense *cœnobium, cujus possessionem adierunt Carmelitæ Teresiani die* XVIII *Decembris* 1586, *sed cui non ante annum sequentem SS. Eucharistia fuit illata, primitus ad provinciam Andalusiæ pertinuit; sed anno* 1610, *teste auctore Chronici* (*lib.* VII, *cap.* XLIX, *num.* 4), *transiit ad Novæ Castellæ provinciam : unde anno* 1713 *ad* E
Murcianam. P. Emmanuel Murciensi *collegio adscribit annum* 1680.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Caravacense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1576
2 Villanovanum, *S. Annæ.* 1580
3 Conchense, *S. Josephi.* 1588
4 Daimielense, *B. V. M. de Pace.* . . . 1599
5 Valerense, *SS. Annæ et Josephi.* . . . 1600
cui successit Sanclementinum. . . . 1617

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Villarobledense, *B. V. M. de bono Consilio.* 1729

CONGREGATIO ITALICA

SEU S. ELIÆ.

Anno 1617, *in quinto suo capitulo generali, Italica Congregatio in sex provincias fuit distributa : quarum prima, sub S. Annæ patrocinio, Genuensem ditionem cum Etruria complectebatur; secunda, Sanctissimo Mariæ nomine insignita, ditionem S. Romanæ Ecclesiæ cum regno Neapolitano Siciliaque; tertia, S. Spiritui sacra, Poloniam et Lithuaniam;* F
quarta, a S. Angelo dicta, Longobardiam; quinta, sub titulo S. Teresiæ, Galliam; sexta, cui a S. Josepho nomen, Belgium, Burgundiam et Germaniam. Ex hisce deinceps cæteræ prodierunt provinciæ. E Genuensi nata est anno 1695 *provincia Etruriæ seu Annuntiationis B. V. M. E Romana anno* 1626 *ortum habuit Neapolitana Matris Dei, et sexennio post Sicula S. Alberti. Anno* 1734 *Lithuani sejunctam a Polonis provinciam, S. Casimiri dictam, nacti sunt. Pedemontana S. Mauritii provincia anno* 1653 *constituta fuit; Veneta S. Joannis a Cruce anno* 1677. *In Gallia circa sæculi proxime elapsi finem quinque provinciæ numerabantur : Avenionensis, cui remansit inditus anno* 1617 *S. Teresiæ titulus; Parisiensis, anno* 1635 *sub titulo omnium Sanctorum erecta; Normandica SS. Trinitatis, anno* 1686 *e Parisiensi nata; Lotharingica S. Nicolai, orta itidem e Parisiensi anno* 1740; *et Aquitana Jesu, Mariæ et Josephi, anno* 1641 *inchoata. Demum sexta provincia, primitus sub S. Josephi patrocinio constituta, successu temporis in octo omnino provincias abiit : nimirum anno* 1626 *erecta fuit provincia Germaniæ seu SS. Sacramenti, e qua processerunt anno* 1701 *Austriaca S. Leo-*

EX VARIIS. A *poldi et anno* 1740 *Bavarica S. Crucis : e Burgundicis cœnobiis anno* 1653 *conflata est S. Claudii provincia : Belgium anno* 1665 *duas Carmelitarum Excalceatorum provincias habere cœpit, Flandro-Belgicam, quæ retinuit S. Josephi nomen, et Gallo-Belgicam, cui patroni SS. Maria et Joseph : ex hac distracta fuit anno* 1681 *Wallo-Belgica seu Leodiensis, a S. Carolo cognominata; Flandro-Belgica autem anno* 1761 *in duas abiit; quarum altera dicebatur Brabantiæ seu S. Josephi, altera Flandriarum seu S. Josephi et Reginæ Pacis. Mentio præterea facienda est provinciæ Hibernicæ, quæ anno* 1638 *sub titulo S. Patricii erecta fuit, sed non diu post a nefario Cromwello destructa; sub cujus tyrannide Carmelitæ utriusque sexus Excalceati, non secus ac aliorum Ordinum religiosi, horrendo modo fuerunt ab hæreticis vexati et partim Catholicæ Fidei odio trucidati. Demum ad enumeratas hactenus provincias adjungendæ sunt missiones in variis orbis terræ partibus, potissimum vero in Asia, institutæ, ad veræ Religionis inter infideles propagationem et inter Catholicos conservationem.*

Italicæ quoque Congregationis tabulas æri incisas ob oculos habeo; sed hispanicis tabulis eo potissimum B *inferiores quod hæ topographicæ sunt simul et chronologicæ, illæ topographicæ tantum. Insuper adhibebo elenchum quem P. Ludovicus a S. Teresia adjecit libro secundo Annalium Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, anno* 1665 *editorum; item elenchum, quo etiam pro Hispanica Congregatione describenda usus fui, a P. Dositheo a S. Alexio confectum; libellum quoque anno* 1725 *Lovanii excusum sub hoc titulo :* Chronologia omnium provinciarum et conventuum tam religiosorum quam sanctimonialium utriusque Congregationis Hispanicæ et Italicæ Ordinis Carmelitarum Discalceatorum : *quo tamen in libello chronologiam Congregationis Hispanicæ, quamtumvis hæc etiam promittatur, frustra quæsieris. Maximam vero præ cæteris documentis lucem mihi afferet* Catalogus universalis provinciarum, monasteriorum, conventuum, residentiarum, hospitiorum et missionum Congregationis Italicæ, prout fuerunt ab exordio usque ad annum 1780, *magna cura confectus nitideque descriptus a R. P. Gregorio Maria a S. Josepho, subpriore Brugensi; qui arduum hunc laborem, summa superiorum suorum voluntate, in nostri gratiam atque* C *ad S. Matris* Teresiæ *honorem suscipere non dubitavit : ut adeo industriæ ipsius potius quam meæ attribuendus sit Congregationis S. Eliæ conspectus, quem nunc describere aggredior. Ac primum quidem locum, extra provinciarum seriem, sibi vindicant domicilia soli Præposito et diffinitorio generali immediate subjecta, adeoque*

NULLI PROVINCIÆ INCORPORATA.

1 Romanum *collegium generalitium et domicilium Superiorum majorum, SS. Teresiæ et Joannis a Cruce.* 1762
2 Melitense *collegium, S Teresiæ.* . . . 1626
3 Montis Carmeli *vicariatus, S. Eliæ.* . . 1631
4 Romanum *seminarium missionum, S. Pancratii.* 1662
5 Ulyssiponense *hospitium pro natione Germanica, SS. Joannis Nepomuceni et Annæ.*
6 Roncilionense *monasterium virginum, SS. Teresiæ et Annæ.*

I. PROVINCIA GENUENSIS SEU S. ANNÆ.
(Erecta anno 1617.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Genuense, *S. Annæ.* 1584
2 Lodanense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1609 D
3 Genuense, *B. V. M. de Sanitate.* . . . 1613
4 Voraginis *desertum, S. Joannis Baptistæ.* 1616
5 Genuense, *S. Caroli Borromæi.* . . . 1623
6 Savonense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1623
7 Clavarense, *B. V. M. de Horto.* . . . 1628
8 Vultrense, *S. Teresiæ.* 1659

Horum monasteriorum quinto ac sexto, haud scio an per errorem typographicum, annus 1628 *adscriptus legitur in elencho P. Dosithei.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Genuense, *Jesu et Mariæ.* 1590
2 Genuense, *S. Teresiæ.* 1619
3 Savonense, *S. Teresiæ.* 1623
4 Savonense, *S. Spiritus.* 1643

Genuense *S. Teresiæ monasterium secundo loco collocat P. Dositheus, adjecto anno* 1619 ; *et merito quidem hoc ab eo factum arbitror : etenim in Hist. Gen. Carm. Disc. Congreg. S. Eliæ, Romæ impressa anno* 1668, *affirmatur* Genuense *illud prius fundatum fuisse quam* Savonense *S. Teresiæ* (*tom. I, lib.* I, *cap.* XXXIV). *Recedendum igitur mihi putavi ab auctore Catalogi Lovanii impressi et a P. Gregorio, qui* Genuense *S. Teresiæ cœnobium, quasi* E *anno* 1629 *fundatum, tertio loco posuerunt.*

II. PROVINCIA ROMANA SEU S. MARIÆ.
(Erecta anno 1617.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Romanum, *B. V. M. de Scala.* 1597
2 Tusculanum, *S. Silvestri.* 1605
3 Interamnense, *S. Valentini.* 1609
4 Romanum, *S. Pauli, dein B. V. M. de Victoria.* 1612
5 Perusinum, *S. Teresiæ.* 1622
6 Caprarolense, *SS. Mariæ et Silvestri.* . 1623
7 Viterbiense, *SS. Joseph et Teresiæ.* . . 1630
8 Anconitanum, *S. Peregrini.* 1642
9 Sentinense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1643
10 Montis Virginei *desertum, Præsentationis B. V. M.* 1668
11 Urbinense, *Annuntiationis B. V. M.* . . 1672
12 Matelicense, *SS. Valentini et Teresiæ.* . 1705

Lovaniensis Catalogus Perusino *cœnobio titulum Jesu et Mariæ assignat. P. Ludovicus* Interamnensi, *quod anno* 1609 *fundatum fuisse ex Hist. Gen. Congreg. S. Eliæ* (*tom. II, lib.* III, *cap.* XXV) *constat,* F *annum adjicit* 1613; *contra vero* Romano *sequenti annum* 1609. *Eidem* Romano *annum* 1613, Perusino 1623, Viterbiensi 1629 *ac* Sentinensi 1644 *adscribit P. Dositheus.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Romanum, *B. V. M. de M. C. et S. Ægidii.* 1610
2 Interamnense, *S. Josephi.* 1618
3 Romanum, *S. Teresiæ.* 1627
4 Romanum, *Reginæ Cœli vel Præsentationis B. V. M.* 1654

Extra jurisdictionem Ordinis :

5 Romanum, *S. Josephi.* 1598
6 Fanense, *S. Teresiæ.* 1632
7 Romanum, *Corporis Christi vel SS. Petri et Marcellini.* 1637

Ultimum hoc Romanum monasterium sub Corporis Christi titulo fundatum fuit a Cardinali Dominico Gymnasio, uti liquet ex Hist. Gen. Congreg. S. Eliæ (*tom. I, lib.* I, *cap.* XLII) *et e brevi hujus Cardinalis biographia quæ reperitur in Ciaconii et Oldoini Vitis Romanorum Pontificum* (*tom. IV, col.* 346, *edit. Rom.* 1677) : *attamen P. Gregorius SS. Petrum*

A *SS. Petrum ac Marcellinum hujus monasterii patronos facit, recentiora proculdubio documenta nactus. Idem, secus ac fecere antiquiores,* Romanum *monasterium S. Teresiæ collocat extra Ordinis jurisdictionem.*

III. PROVINCIA POLONIÆ SEU S. SPIRITUS. (Erecta anno 1617.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Cracoviense, *Conceptionis B. V. M.* . . 1605
2 Leopolitanum, *S. Michaelis.* 1614
3 Cracoviense, *SS. Michaelis et Josephi.* . 1619
4 Czernense *desertum, S. Eliæ* 1620
5 Visnicense, *SS. Salvatoris.* 1623
6 Premisliense, *S. Teresiæ.* 1630
7 Camenecense, *B. V. M. de Victoria.* . . 1638
8 Varsoviense, *Assumptionis B. V. M.* . . 1642
9 Berdiczoviense, *Conceptionis B. V. M.* . 1644
10 Visnioviciense, *S. Annæ.* 1669

Monasterium Varsoviense *anno* 1622 *sub S. Josephi patrocinio fundatum dicunt P. Ludovicus et Catalogi Lovaniensis auctor : hic etiam a cæteris dissentit quoad* Camenecense *cœnobium, quod S. Michaeli sacrum esse asseverat. P. Dositheus annum* B 1613 *assignat* Leopolitano, 1617 Cracoviensi *alteri,* 1632 Visnicensi *et* 1642 Berdiczoviensi, *cui patronos tribuit S. Joannem Baptistam et S. Joannem Euangelistam.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Cracoviense, *SS. Josephi et Martini.* . . 1612
2 Leopolitanum, *B. V. M. Lauretanæ et S. Josephi.* 1642
3 Varsoviense, *S. Spiritus et S. Teresiæ.* 1649
4 Cracoviense, *SS. Teresiæ et Joannis a Cruce.* 1719

Leopolitano *S. Spiritus, et* Varsoviensi *Assumptionis B. V. M. titulum assignat Catalogus Lovaniensis, et* Cracoviense *posterius omittit.*

IV. PROVINCIA LONGOBARDIÆ SEU S ANGELI. (Erecta anno 1617.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Cremonense, *S. Himerii.* 1606
2 Bononiense, *B. V. M. Lacrymosæ.* . . 1611
3 Mediolanense, *S. Caroli Borromæi.* . . 1614
4 Faventinum, *SS. Thomæ et Mariæ Magdalenæ.* 1617
C 5 Papiense, *B. V. M. Gratiarum.* . . . 1621
6 Parmense, *B. V. M. Albæ.* 1623
7 Placentinum, *S. Teresiæ.* 1627
8 Vallesinum *desertum, S. Angeli.* . . . 1633
9 Mutinense, *B. V. M. de Paradiso.* . . 1641
10 Comense, *S. Spiritus.* 1641
11 Laudense, *S. Marci.* 1643
12 Mantuanum, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1646
13 Concesiense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1647
14 Ferrariense, *S. Hieronymi.* 1671
15 Foroliviense, *S. Teresiæ.* 1673
16 Vallesinum, *SS. Trinitatis.* 1678
17 Regiense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1685
18 Rosanense, *B. V. Mariæ.* 1685
19 Imolense, *B. V. M. de Ponte.* . . . 1735

P. Ludovicus Cremonensi *monasterio adscribit annum* 1607, Mediolanensi 1612, Faventino 1615, Parmensi 1624, Placentino 1626, Concesiensi 1643, Mantuano 1644; *P. Dositheus* Bononiensi 1612, Faventino 1616. *At* Cremonensis *initia ad annum* 1606 *referuntur in Hist. Gen. Congr. S. Eliæ* (*tom. II, lib.* I, *cap.* XLVI) : Mediolanense *non ante annum* 1614 *ædificari cœpit, ut apparet e litteris a Frederico Cardinali Borromæo ea de re datis, quas in sua archiepiscoporum Mediolanensium Historia ex ejusdem monasterii MS. codice recitat Jos. Ant. Saxius* (*tom. III, pag.* 1091) : *de* Concesiensi *fundatione, a Cæsare Cardinali Montio, item Mediolanensi antistite, anno* 1647 *effecta, videsis eumdem Saxium* (*ibid. pag.* 1137). *Ad novemdecim monasteria modo enumerata accedit in P. Gregorii Catalogo et in tabula topographica* Rezanense *hospitium.* EX VARIIS. D

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Cremonense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1613
2 Bononiense, *S. Gabrielis.* 1619
3 Parmense, *SS. Teresiæ et Antonii.* . . 1635
4 Mutinense, *S. Josephi.* 1655
5 Placentinum, *S. Josephi.* 1673
6 Mediolanense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1674
7 Rosanense, *S. Teresiæ.* 1687
8 Regiense, *Desponsationis B. V. M.* . . 1689
9 Mantuanum, *SS. Stephani et Teresiæ.* . 1694

Extra jurisdictionem Ordinis :

10 Viglevanense, *SS. Josephi et Teresiæ.*
11 Angleriense, *SS. Teresiæ et Joannis a Cruce.*

V. PROVINCIA AVENIONENSIS SEU S. TERESIÆ. (Erecta anno 1617.) E

MONASTERIA VIRORUM.

1 Avenionense, *B. V. M. a Nazareth, dein S. Josephi.* 1608
2 Lugdunense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1618
3 Massiliense, *SS. Josephi et Mariæ Magdalenæ.* 1632
4 Tolonense, *B. V. M. de M. C. et S. Joachim.* 1635
5 Aquissextiense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1637
6 Camberiense, *B. V. M. de Monte Carmelo et S. Annæ.* 1639
7 Gratianopolitanum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1644
8 Arelatense, *S. Josephi.* 1648
9 Astromelense, *S. Josephi.* 1653
10 Montepessulanum, *S. Josephi.* 1663
11 Barjoliense, *B. V. M. de bono Refugio.* . 1678
12 Carpentoractense, *SS. Josephi et Joannis a Cruce.* 1684

De duodecim hisce cœnobiis, quibus addendum Cabellionense *hospitium, satis bene consonant inter se documenta quæ præ manibus habeo. In Catalogo Lovaniensi, quem secutus fuit P. Gregorius,* Lugdunense *cœnobium anno* 1618 *fundatum dicitur : quod quidem a veritate non alienum esse evincitur ex Annalibus Carm. Exc. Galliæ a P. Ludovico a S. Teresia conscriptis* (*lib.* I, *cap.* XLIV); *quamvis ipse P. Ludovicus in suo elencho annum* 1619 *eidem cœnobio adscribat.* F

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Avenionense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1613
2 Carpentoractense, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1627
3 Caberiense, *S. Teresiæ et OO. SS.* . . 1634
4 Cambellionense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1668

Extra jurisdictionem Ordinis :

5 Cabillonense, *Matris Dei et S. Josephi.* . 1610
6 Lugdunense, *B. V. M. de Pietate.* . . 1616
7 Belnense, *S. Stephani.* 1618
8 Massiliense, *S. Mariæ Magdalenæ.* . . 1623
9 Aquissextiense, *S. Mariæ Magdalenæ.* . 1625
10 Matisconense, *Præsentationis B. V. M.* 1626
11 Arelatense, *S Josephi.* 1632
12 Gratianopolitanum, *Desponsationis B. V. M.* 1649
13 Trivoltianum, *Pueri Jesu et S. Josephi.* . 1668

Etiam

EX VARIIS.

A *Etiam hodie* Camberii *in Sabaudia existit monialium Teresianarum cœnobium; in Gallia vero* Carpentoracti, Cabillone, Lugduni, Belnæ, Massiliæ, Aquis Sextiis, Arelate *itidem degunt ejusdem Instituti virgines : quin et recentiora iisdem in tractibus habent monasteria* Montepessulanum, Nemausense, Aubaneense, Forojuliense, Augustodunense *et* Tronchense *prope Gratianopolim; ut è nuperrimo elencho ad nos transmisso accepimus.*

VI. PROVINCIA BRABANTIÆ SEU S. JOSEPHI. (Erecta anno 1617.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Bruxellense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1610
2 Lovaniense, *S. Alberti.* 1611
3 Antverpiense, *S. Josephi* 1618
4 Lovaniense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1621
5 Mechliniense, *S. Josephi.* 1652
6 Nethense *desertum, Incarnationis et S. Joannis a Cruce.* 1689

Hisce monasteriis adde duo hospitia : Vilvordiense *scilicet et* Ruremundanum. Nethensi *deserto P. Dositheus adscripserat annum* 1699; *sed hunc recentior calamus in* 1689 *mutavit. De cæteris cœnobiis nullum est inter varios quos adhibeo scriptores dissidium. Hodie nullum hujus provinciæ virorum cœnobium amplius extat.*

B

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Bruxellense, *SS. Josephi et Annæ.* . . 1607
2 Antverpiense, *S. Josephi.* 1612
3 Mechliniense, *S. Teresiæ.* 1616
4 Vilvordiense, *S. Elisabethæ.* 1663
5 Ruremundanum, *SS. Teresiæ et Joannis a Cruce.* 1698

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Lovaniense, *SS. Mariæ et Josephi.* . . 1607
7 Buscoducense. 1622
8 Oirschotanum. 1644
cui successit Mollense. 1665
ac demum Willebrockanum, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1712

Ex octo hisce monasteriis duo tantum priora et sextum hodiedum persistunt. Buscoducenses *moniales profugæ, capta anno* 1629 *a Batavis urbe, partim se receperunt* Alostum, *ubi anno* 1632 *monasterium condiderunt, testibus Cornelio van Gestel in*

C *Historia Archiep. Mechl.* (*t. I, p.* 138) *et J. F. Foppens in Hist. Episc. Silvæduc.* (*pag.* 315); *partim anno* 1636 *abiere* Coloniam, *uti refert Ægidius Gelenius* (*de Magnit. Colon. lib.* III, *syntag.* LXXVII), *initium daturæ novo inibi monasterio; partim denique* Oirschoti *anno* 1644 *sedem fixerunt, prout narrat van Gestel modo citatus. Olim quoque intra provinciæ Brabantinæ fines extitere tria*

MONASTERIA VIRGINUM NATIONIS ANGLICÆ.

1 Antverpiense, *SS. Josephi et Annæ.* . . 1619
2 Liranum, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . 1642
3 Hoogstratanum, *B. V. M. de Monte Acuto.* 1677

Horum duo priora hodie in ipsa Anglia perdurant, tertium in Gallia. Nimirum ex Antverpiensi *ortum habet* Llanhernense *prope oppidum S. Columbæ in Cornubia* (*vulgo* Llanherne near St. Columb's, Cornwall); *e* Lirano *illud quod pridem fuit in* Cocken Hall, *nunc vero est in loco quem* Domum Carmeli *vocant, apud Darlingtoniam in comitatu Dunelmensi* (*vulgo* Carmel House, near Darlington, Durham) : Hoogstratanum *quoque aliquanto tempore fuit in Anglia continuatum, nempe* Canfordiæ *in Dorsetia* (*vulgo* Canford, Dorsetshire); *at inde remotum est in* Bellumlocum *ad Valonias, Normandiæ in Gallia civitatem* (*vulgo* Beaulieu, Valogne, Basse Normandie *seu* Département de la Manche). *Videsis indices ecclesiarum, collegiorum, cœnobiorum etc. subnecti quotannis solitos Directorio seu Ordini divini Officii in Anglia.*

D

VII. PROVINCIA NEAPOLITANA SEU MATRIS DEI. (Erecta anno 1626.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Neapolitanum, *Matris Dei.* 1602
2 Alecense, *S. Teresiæ.* 1620
3 Neapolitanum, *S. Teresiæ.* 1620
4 Bariense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1629
5 Turris Græci, *S. Januarii.* 1632
6 Altiliense, *Jesu, Mariæ et Josephi.* . . 1632
7 Surrentinum, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1636
8 Tranense, *SS. Marci et Teresiæ.* . . . 1637
9 Cataciense, *S. Joannis Baptistæ et S. Joannis Euangelistæ.* 1638
10 Tarentinum, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1642
11 Monopolitanum, *SS. Joannis Baptistæ et Annæ.* 1644
12 Cosentinum, *Animarum Purgatorii.* . 1647
13 Brundusinum, *SS. Joachim et Annæ.* . 1672
14 Massæ Lubrensis *desertum, Montis Calvariæ.* 1680
15 Salernitanum, *B. V. M. de Portu Salutis.* 1582
16 Biluntinum, *B. V. M. de Populo.* . . 1702
17 Beneventanum, *S. Nominis Mariæ.* . . 1711

E

In texendis horum monasteriorum ordine et chronologia dux mihi fuit P. Gregorius; a quo tamen recessi in designando titulo monasterii Cosentini, *quod ipse sub S. Teresiæ patrocinio positum esse asserit. P. Ludovicus* Altiliensi, *P. Dositheus* Tranensi *cœnobio patronos attribuunt SS. Josephum ac Teresiam. Annum* 1657 Cosentino *cœnobio adscribit P. Ludovicus;* 1630 Bariensi *et* 1646 Monopolitano *P. Dositheus;* 1648 Cosentino *et* 1678 Salernitano *ac deserto* Massensi *auctor Catalogi Lovaniensis.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Neapolitanum, *S. Josephi.* 1607
2 Trejanum, *SS. Trinitatis.* 1620
3 Alecense, *SS. Nicolai et Teresiæ.* . . 1631
4 Bariense, *S. Teresiæ.* 1647
5 Neapolitanum. 1746

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Gallipolitanum, *Jesu, Mariæ et Josephi.* 1692
7 Neritense, *S. Teresiæ.* 1699
8 Anacaprense, *S. Michaelis.* 1710

F

Monasterium Trejanum *solus mihi indicat P. Gregorius.* Neapolitanum *posterius non alibi invenio quam in additione manuscripta ad P. Dosithei elenchum.* Neritense *et* Anacaprense *tantum occurrunt in tabula topographica et in catalogo P. Gregorii.* Gallipoletano *Catalogus Lovaniensis tutelares asserit SS. Josephum et Teresiam.*

VIII. PROVINCIA COLONIENSIS SEU SS. SACRAMENTI. (Erecta anno 1626).

MONASTERIA VIRORUM.

1 Coloniense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1613
2 Herbipolitanum, *SS. Josephi et Mariæ Magdalenæ.* 1627
3 Confluentinum, *Omnium Sanctorum.* . 1656
4 Heidelbergense, *SS. Josephi et Jacobi Min.* 1702

Coloniam *non anno* 1612, *ut scribit P. Ludovicus, nec anno* 1614, *ut in aliis elenchis asseritur, sed anno* 1613 *incolere cœperunt Carmelitæ Excalceati, teste Gelenio* (*de Magnitud. Colon., lib.* III, *syntag.* L). Confluentino *cœnobio annum fundationis*

A *nis* 1659 *solus assignat P. Ludovicus. Jungendum ad quatuor cœnobia hic indicata* Neoburgense *hospitium.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Coloniense, *B. V. M. de Pace et S. Teresiæ.* 1637
2 Neoburgense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1661

Extra jurisdictionem Ordinis :

3 Coloniense, *B. V. M. Lauretanæ et S. Josephi.* 1636
4 Dusseldorpiense, *B. V. M. de M. Carmelo.* 1643
5 Eifflia-Monasteriense, *S. Josephi.* . . 1659
6 Aquisgranense, *Jesu, Mariæ et Josephi.* . 1662

Pars extorrium Buscoduco monialium non Aquisgranensi, *ut credidisse videtur Gestelius* (*supra, ubi de provincia Brabantina, a me citatus*), *sed* Coloniensi *monasterio jurisdictioni Ordinarii subjecto initium dederunt anno* 1636; *sed anno* 1662 *aliquot ex iis Aquisgranum petierunt, novum et ibi cœnobium inchoaturæ, de quo agit Chr. Quixius tom. II Subsidiorum Historiæ Aquisgranensis* (*pag.* 32). *Alterius monasterii* Coloniensis, *anno* 1637 *per accersitas Bruxellis moniales fundati, primordia refert Ægidius Gelenius in opere suo de Magnitudine* B *Coloniæ* (*lib.* III, *syntag.* LXXVIII).

IX. PROVINCIA SICULA SEU S. ALBERTI. (Erecta anno 1632.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Panormitanum, *B. V. M. de Remediis.* . 1610
2 Messanense, *B. V. M. Gratiarum.* . . 1619
3 Panormitanum, *S. Erasmi.* 1619
4 Baidense, *S. Isidori.* 1626
5 Syracusanum, *S. Teresiæ.* 1633
6 Messanense, *S. Alberti.* 1635
7 Pitinense, *S. Isidori.* 1635
8 Catanense, *B. V. M. Novæ Lucis, dein S. Spiritus.* 1643
9 Mutycense, *B. V. M. de Populo.* . . . 1643
10 Castelveteranense, *S. Josephi.* 1643
11 Mazaranum, *S. Viti.* 1669
12 Mylense, *S. Catharinæ.* 1693

Messanensi *priori cœnobio unus P. Gregorius, lapsu fortasse calami, annum* 1617 *adscripsit; alteri* Messanensi *annum* 1637 *solus P. Ludovicus : huic equidem, licet cætera documenta aliter sonent, quoad annum fundationis prioris* Panormitanæ *assentior ex Hist. Gen. Congr. S. Eliæ* (*tom. II, lib.* III, C *cap.* XXXIX). *Titulum B. V. M. Novæ Lucis* Catanensi *cœnobio primitus inditum, de quo nihil dicunt varii quos adhibeo catalogi, memorat D. Vitus M. Amicus et Statella, Benedictino-Casinensis prior, in sua Catana illustrata* (*lib.* IX, *cap.* V, *num.* 4).

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Panormitanum, *SS. Annæ et Teresiæ.* . 1628
2 Panormitanum, *Assumptionis B. V. M.* 1636
3 Messanense, *Conceptionis B. V. M. et S. Caroli.* 1686

Extra jurisdictionem Ordinis :

4 Casmenense, *Reginæ Cœli.* 1627
5 Scicalense, *S. Claræ.* 1631
6 Vizzinense, *Animarum Purgatorii.* . . 1657
7 Claromontanum, *S. Teresiæ.* 1660
8 Syracusanum, *S. Teresiæ.* 1668
9 Galeriense, *B. V. M. Gratiarum.* . . . 1670
10 Mutycense, *S. Martini.* 1670
11 Casmenense, *S. Claræ.* 1676
12 Victoriense, *S. Josephi.* 1686
13 Mutycense, *S. Francisci Xaverii.* . . 1698
14 Montis Drepani, *S. Teresiæ.* 1701

Undecim hæc posteriora per solum P. Gregorium mihi innotuerunt. Puto autem meritissimum hunc virum titulos duorum monasteriorum Panormitanorum *inadvertanter invertisse : quapropter eos e Catalogo Lovaniensi et elencho P. Dosithei suo ordine disposui. Secundum hunc P. Dosithei elenchum prioris monasterii* Panormitani *fundatio referenda foret ad annum* 1629.

EX VARIIS. D

X. PROVINCIA PARISIENSIS SEU OMNIUM SANCTORUM. (Erecta anno 1635.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Parisiense, *S. Josephi.* 1611
2 Charentoniense, *B. V. M. de M. Carmelo.* 1617
3 Meldense, *Assumptionis B. V. M.* . . 1622
4 Nivernense, *Annuntiationis B. V. M.* . 1626
5 Silvanectense, *S. Ludovici.* 1642
6 Metense, *SS. Eligii et Josephi.* . . . 1644
7 Lingonense, *S. Ægidii.* 1646
8 Aurelianense, *S. Annæ.* 1647
9 Vicense, *S. Joannis a Cruce.* 1675

MONASTERIA VIRGINUM.

Extra jurisdictionem Ordinis :

1 Parisiense, *B. V. M. de Campis, dein Incarnationis.* . . . . . 1604 E
2 Divionense, *S. Josephi.* 1605
3 Aurelianense, *Matris Dei et S. Josephi.* 1617
4 Parisiense, *Matris Dei.* 1617
5 Nivernense, *S. Teresiæ.* 1619
6 Carnutense, *Incarnationis.* 1620
7 Trecense, *Incarnationis.* 1620
8 Castellionense, *Nativitatis Domini.* . . 1621
9 Metense, *Incarnationis.* 1623
10 Calvomontanum, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1623
11 Blesense, *Assumptionis B. V. M.* . . . 1625
12 Senonense, *Visitationis B. V. M.* . . . 1625
13 Sandionysianum, *Jesu et Mariæ.* . . 1625
14 Molinense, *Nativitatis Domini.* . . . 1628
15 Trecense, *B. V. M. de Pietate.* . . . 1630
16 Remense, *Incarnationis.* 1633
17 Virodunense, *Nativitatis Domini.* . . 1634
18 Compendiense, *Annuntiationis B. V. M.* 1641
19 Parisiense, *S. Teresiæ.* 1668

Nonnulla ex his cœnobiis, sedato gallicæ rebellionis furore, reflorescere cœperunt. Parisiis *nuper tria habebant, nunc habent adhuc duo domicilia moniales Teresianæ :* Aureliani *quoque,* Niverni, Carnuti, Trecis, Blesis, Senonibus *et* Remis *denuo* F *sedes nactæ sunt :* Compendio, *quo similiter redierant, non ita pridem excesserunt. Ad hæc duo recentiora habent monasteria,* Cenomanense *videlicet et* Brenense (*vulgo* Brienne-le-Château), *intra antiquæ hujus, de qua agimus, Parisiensis provinciæ fines sita.*

XI. PROVINCIA AQUITANA SEU JESU, MARIÆ ET JOSEPHI. (Erecta anno 1641.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Perpinianense, *S. Josephi.* 1589
2 Tolosanum, *S. Josephi.* 1623
3 Lemovicense, *S. Andreæ.* 1625
4 Burdigalense, *B. V. M. de Salute.* . . 1626
5 Claromontanum, *Assumptionis B. V. M. et S. Petri ad Vincula.* 1633
6 Blayense *desertum, SS. Josephi et Teresiæ.* 1638
7 Cadurcense, *Omnium Sanctorum.* . . . 1639
8 Ricomagense, *S. Teresiæ.* 1643
9 Tutelense, *S. Joannis Baptistæ.* . . . 1644
10 Engolismense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1654
11 Agennense, *Annuntiationis B. V. M.* . 1660
12 Burdigalense, *S. Ludovici.* 1676

EX VARIIS. Perpinianense *cœnobium, cujus fundatio narratur in Chronico Hispanico* (*lib.* VIII, *cap.* XIX), *e Congregatione Hispanica, ad quam primitus pertinebat, ad Italicam transiit et provinciæ Aquitanæ fuit insertum anno* 1662; *postea scilicet quam Ruscinonensis comitatus, cujus caput est Perpinianum, vi armorum primum, dein pacis fœdere anno* 1659 *inito, in ditionem venisset Ludovici XIV, Galliæ regis. Videsis Annales Carm. Exc. Galliæ, jam pluries a me citatos* (*lib.* II, *cap.* CXLVIII). *P. Ludovicus, horum Annalium scriptor, priori* Burdigalensi *cœnobio titulum B. V. M. de Salute tribuit; idemque facit auctor Catalogi Lovaniensis : contra PP. Dositheus et Gregorius eidem cœnobio S. Ludovicum patronum asserunt, alteri vero B. V. Mariam. Equidem haud dubito quin hac in re potior sit P. Ludovici auctoritas; utpote qui suos Annales edidit anno* 1665, *id est, decennio vel saltem quinquennio antequam alterum* Burdigalense *cœnobium conderetur. Dixi : vel saltem quinquennio; nam Catalogus Lovaniensis ad annum* 1671 *refert posterioris hujus cœnobii primordia.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Extra jurisdictionem Ordinis :

1 Turonense, *Matris Dei.* 1607
2 Burdigalense, *S. Josephi.* 1610
3 Tolosanum, *Matris Dei et S. Josephi.* . . 1616
4 Bituricense, *Matris Dei et S. Josephi.* . 1617
5 Santonense, *Matris Dei et S. Josephi.* . 1617
6 Ricomagense, *Matris Dei.* 1618
7 Burdigalense, *Assumptionis B. V. M.* . 1618
8 Lemovicense, *Matris Dei et S. Josephi.* 1618
9 Narbonense, *Matris Dei et S. Teresiæ.* . 1620
10 Lectoracense, *Matris Dei et S. Josephi.* . 1624
11 Andegavense, *Incarnationis.* 1626
12 Agennense, *SS. Trinitatis et S. Teresiæ.* 1628
13 Auscense, *SS. Trinitatis et B. V. M. de Victoria.* 1630
14 Pictaviense, *Incarnationis.* 1630
15 Montalbanense, *Pueri Jesu et S. Teresiæ.* 1634
16 Apamiense, *SS. Salvatoris et S. Josephi.* 1648
17 Niortense, *Passionis Domini.* 1648
18 Engolismense, *SS. Trinitatis, Jesu, Mariæ et Josephi.* 1654

Turone, Burdigalæ, Tolosæ, Bituricis, Ricomagi, Lemovici, Lectoraci, Agenni, Auscis, Pictavii, Montis Albani *et* Apamiæ *hoc tempore iterum degunt moniales Teresianæ. Annotanda hic insuper sunt recentiora monasteria* Albiense, Aquisbigerronense (Bagnères), Bayonense, Cadurcense, Carcassonense, Figeacense, Floropolitanum, Liburniense, Moissacense, Oleronense, Ruthenense *et* Tutelense.

XII. PROVINCIA PEDEMONTANA SEU S. MAURITII. (Erecta anno 1653.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Montevicense, *S. Teresiæ.* 1618
2 Taurinense, *S. Teresiæ.* 1623
3 Caballarii Majoris, *S. Teresiæ.* . . . 1644
4 Astense, *S. Josephi.* 1647
5 Alexandrinum, *S. Annæ.* 1666
6 Niciense, *B. V. M. de Laghetto.* . . . 1674
7 Eporediense, *S. Josephi.* 1694

De his monasteriis, quibus addendum est Montis Calerii *hospitium, anno* 1704 *inchoatum, a cæteris quibus utor auctoribus maxime dissentit P. Dositheus : nempe* Montevicensi *adscribit annum* 1621, Taurinensi 1622, Caballariensi 1636, Astensi 1646, Eporediensi *vel, ut ipse vocat,* Albaniensi 1685. Alexandrinum *monasterium, quod antiquiores in provincia Longobardiæ collocant, a P. Gregorio Pedemontanæ attribuitur; ad quam, credo, translatum fuerit postquam Leopoldus imperator, ex inito die* VIII *Novembris* 1703 *adversus Galliæ regem pacto, Alexandriam ditionem Victori Amadeo II, Sabaudiæ duci, transcripserat. Denique notari velim cœnobium quod* Niciense *nuncupavi, non intra urbem Niciam, sed in ejus territorio situm esse. Fratres suos eo induxit et ecclesia B. V. M. de Laghetto donavit Henricus de Provana, anno* 1672 *ex Ordine Carm. Exc. ad Nicienses infulas evectus; uti videre est in Gallia Christiana* (*tom. III, col.* 1294).

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Taurinense, *SS. Christinæ et Josephi.* . 1638
2 Alexandrinum, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1696
3 Montecaleriense, *Matris Dei et S. Josephi.* 1703

P. Dositheus asserit primum horum monasteriorum anno 1635 *erectum fuisse.*

XIII. PROVINCIA BURGUNDIÆ SEU S. CLAUDII. (Erecta anno 1653.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Dolense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1623
2 Salinense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1627
3 Vesuntinum, *SS. Michaelis et Josephi.* . 1645
4 Graiense, *S. Josephi.* 1646
5 Sanclaudiense, *SS. Josephi et Joachim.* . 1647
6 Bletteranense, *Conceptionis B. V. M.* . 1666
7 Marnacense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1673

Aliam rursus chronologiam sequitur P. Dositheus, adscribens annum 1626 Salinensi *cœnobio,* 1646 Vesuntino, 1654 Sanclaudiensi, 1667 Bletteranensi.

MONASTERIA VIRGINUM.

Extra jurisdictionem Ordinis :

1 Dolense, *S. Mariæ Magdalenæ.* . . . 1614
2 Vesuntinum, *Conceptionis B. V. M. et S. Josephi.* 1616
3 Salinense, *Matris Dei et S. Teresiæ.* . 1627
4 Graiense, *SS. Trinitatis et S. Josephi.* . 1644
5 Arborosinum, *B. V. M. de bono Consilio et S. Josephi.* 1647

Nuper Vesuntione *iterum habitare cœperunt virgines Carmelitanæ Excalceatæ.*

XIV. PROVINCIA GALLO-BELGICA SEU SS. MARIÆ ET JOSEPHI. (Erecta anno 1665.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Duacense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1615
2 Insulense, *S. Josephi.* 1616
3 Marlaniense *desertum, S. Josephi.* . . 1619
4 Namurcense, *S. Josephi.* 1622
5 Tornacense, *S. Teresiæ.* 1624
6 Audomarense, *Annuntiationis B. V. M.* 1626
7 Montense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1647
8 Cameracense, *SS. Josephi et Leopoldi.* . 1652
9 Valencenense, *Conceptionis B. V. M. et S. Joannis a Cruce.* 1673

Duacensi *monasterio S. Josephum patronum assignant PP. Ludovicus et Dositheus, SS. Mariam et Josephum auctor Catalogi Lovaniensis. Hic* Marlaniense *desertum prope Namurcum anno* 1620 *incoli cœptum esse dicit; qua in re non solum a PP. Ludovico, Dositheo et Gregorio dissentit, sed etiam ab Hispanico sui Ordinis Chronico* (*lib.* XVII, *cap.* XLII, *num.* 5). *Ex ejusdem ego Chronici fide* (*ibid. num.* 6) *annum* 1622 *fundationi* Namurcensi *assignavi, quam alii ad annum proxime sequentem referunt.* Valencenensi *in Lovaniensi Catalogo et P. Dositheo elencho apponitur annus* 1680.

MONASTERIA

A MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Montense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1608
2 Tornacense, *S. Josephi.* 1614
3 Valencenense, *Conc. B. V. M. et S. Josephi.* 1618
4 Duacense, *SS. Mariæ et Josephi.* . . 1625
5 Insulense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1626
6 Namurcense, *Jesu, Mariæ et Josephi.* . 1673

Hodie Duaci *in archidiœcesi Cameracensi, sub Ordinarii jurisdictione, existit monasterium Teresianum. Ante annum* 1834 *etiam* Insulis *et in* Roubaix *degerunt Carmelitanæ virgines; sed eo anno, post varias cum episcopo Cameracensi contentiones, in Belgium abierunt. In Belgica provinciæ illius parte hodie existunt virginum Teresianarum monasteria* Montibus, Tornaci *et* Namurci.

XV. PROVINCIA VENETA SEU S. JOANNIS A CRUCE. (Erecta anno 1677.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Venetum, *B. V. M. de Nazareth.* . . . 1647
2 Brixiense, *S. Petri de Oliveto.* . . . 1650
3 Veronense, *Annuntiationis. B. V. M.* . 1664
4 Vicentinum, *S. Hieronymi.* 1669
B 5 Patavinum, *SS. Hieronymi et Teresiæ.* . 1670
6 Tarvisinum, *S. Hieronymi.* 1681
7 Naupliense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1686
8 Patrense, *S. Teresiæ.* 1687
9 Cremense, *B. V. M. de Cruce.* . . . 1687
10 Venetum in Alga, *SS. Georgii et Laurentii Justiniani.* 1699

Anno 1633, *quem annum Catalogus Lovaniensis* Veneto *monasterio assignat, hospitio uti Venetiis cœperunt Carmelitæ Excalceati, monasterio vero proprie dicto non ante annum* 1647; *prout exponit Flaminius Cornelius in Ecclesiæ Venetæ antiquis monumentis* (*tom. VI, pag.* 410 *et seqq.*). *Ex eodem Cornelii opere patet monasterium* S. Georgii in Alga *non anno* 1660, *ut cum Lovaniensis Catalogi auctore scripsit P. Gregorius, sed anno* 1699, *ut notavit P. Dositheus, factum fuisse Carmelitanum. De titulis monasteriorum* Tarvisini *et* Cremensis, *quos inverso ordine ponit P. Gregorius, consonant inter se Catalogus Lovaniensis et P. Dosithei elenchus; quare his adhærendum mihi putavi. P. Dositheus priori* Veneto *adscripsit annum* 1650; Brixiensi, *cujus SS. Petrum et Teresiam patronos facit, annum* 1663. *Auctor Catalogi Lovaniensis* Veneto
C *posteriori titulum S. Teresiæ,* Naupliensi *S. Marci titulum attribuit; annos vero* 1665 Veronensi, 1694 Cremensi, 1696 Patrensi. *De* Naupliensi *et* Patrensi *cœnobiis referre hoc loco juvat P. Gregorii annotationem :* Conventus, *inquit,* Neapoli de Romania erectus antiquam ecclesiam a Græcis fundatam et S. Nicolao de Portu sacram habebat. Sedes erat missionariorum, qui inde per totam regionem excurrebant, Catholicis Græci ritus annuntiantes verbum Dei et Sacramenta administrantes. Capta urbe a Turcis anno 1715, florens hæc missio tam Mahumetanorum crudelitate quam Græcorum schismaticorum odio destructa est. Patris Achaiæ, quæ illustris est urbs S. Andreæ Apostoli Martyrio, fundatus est secundus missionis conventus; cujus ecclesia, prius moschæa imperialis Mahumetanis abominationibus devota, dedicata fuit S. Andreæ Apostolo. Summam Catholicis et hæc missionis sedes utilitatem afferebat. Ast anno 1716, capta urbe et subjecta a Turcis Achaia, omnia destructa sunt, religiosis quibusdam trucidatis, cæterisque in diram servitutem conjectis. *Hæc P. Gregorius; qui suo etiam catalogo adjicit hospitium* Conelianense.

MONASTERIA VIRGINUM. EX VARIIS.

Sub jurisdictione Ordinis : D

1 Conelianense, *S. Teresiæ.* 1682
2 Muranense, *S. Josephi.*

XVI. PROVINCIA WALLO-BELGICA SEU S. CAROLI. (Erecta anno 1681.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Leodiense, *S. Josephi.* 1617
2 Hoiense, *S. Domitiani.* 1638
3 Jemeppense, *S. Joannis a Cruce.* . . . 1683
4 Visetense, *SS. Sacramenti.* 1691

Quamquam in Chronico (*lib.* XVII, *cap.* XLII, *num.* 4) *fundatio* Leodiensis *facta dicitur anno* 1618, *putavi equidem recedendum mihi non esse ab aliis quæ mihi præsto sunt documentis, in quibus ea ad annum* 1617 *refertur.* Hoiensi *solus P. Ludovicus adscribit annum* 1641.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Leodiense, *B. V. M. de Monte Carmelo et S. Eliæ.* 1627
2 Hoiense, *S. Josephi.* 1651

Extra jurisdictionem Ordinis : E

3 Cinacense, *S. Josephi.* 1629

Refloruit Leodii *virginum Teresianarum monasterium.*

XVII. PROVINCIA NORMANDIÆ SEU SS. TRINITATIS. (Erecta anno 1686.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Rothomagense, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1624
2 Venetiense, *S. Vincentii Ferrerii.* . . 1627
3 Abbatisvillanum, *Jesu, Mariæ et Josephi.* 1640
4 Atrebatense, *S. Josephi.* 1642
5 S. Salvatoris apud Caretum, *S. Josephi.* 1644
cui successisse videtur Rhedonense, *S. Josephi.* 1687
6 Ambianense, *S. Josephi.* 1648
7 Depense, *S. Eliæ.* 1651
8 Brivatense, *S. Ivonis.* 1652
9 Lupariense *desertum, B. V. M. de Succursu.* 1660
10 Caretense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1688

Cum P. Ludovicus in suis Annalibus (*lib.* II, *cap.* LI) *ad annum* 1644 *enarret fundationem* S. Salvatoris apud Caretum, *quin* Rhedonensis F *usquam meminerit, P. Dositheus vero, Gallus et ipse,* Rhedonensis *cœnobii initia ad hunc eumdem referat annum, quæ tamen ab auctore Catalogi Lovaniensis et a P. Gregorio ad annum* 1687, *imo ab Expillio in Dictionario Geographico Galliarum* (*art.* Rennes) *ad annum* 1690 *referuntur, cumque a tabula hujus provinciæ topographica cœnobium* S. Salvatoris *absit, et* Rhedonense *contra eidem inscribatur, hinc non improbabili conjectura me usum arbitror, dum dixi alterum ex hisce cœnobiis alteri fortasse successisse.* Caretense *autem P. Dositheus anno* 1686, *auctor Lovaniensis Catalogi anno* 1687 *ortum fuisse crediderunt.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Morlæense. 1620

Extra jurisdictionem Ordinis :

2 Pontisarense, *S. Josephi.* 1605
3 Ambianense, *S. Spiritus et B. V. M. de Monte Carmelo.* 1606
4 Rothomagense, *Assumptionis B. V. M.* . 1609
5 Depense, *Matris Dei.* 1615
6 Cadomense, *Incarnationis.* 1616
7 Nannetense,

EX VARIIS. A
7 Nannetense, *SS. Salvatoris.* 1618
8 Morlæense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1624
9 Guincampense, *S. Teresiæ.* 1628
10 Gisoriense, *Conceptionis B. V. M.* . . 1631
11 Abbatisvillanum, *Jesu, Mariæ et Josephi.* 1636
12 Pontaudomarense, *Nativitatis Domini.* . 1641

E Belgio Morlæum *advenere anno* 1619 *moniales Carmelitanæ tres, cœnobium sub Ordinis jurisdictione fundaturæ in ea civitatis parte quæ ad Trecoriensem pertinebat diœcesim. Sed, cum Guidonis Champion, episcopi Trecoriensis, consensum frustra petissent, inde se receperunt in alteram partem civitatis, Renato de Rieux, episcopo Leonensi, subjectam; ibique monasterium inchoarunt. Post hæc, inde aufugere coactæ, primum in ipso S. Pauli Leonensis palatio episcopali, deinde in arce Brivatensi aliquamdiu commoratæ sunt; usquedum tandem anno* 1625 *cum aliis quas sibi adsciverant monialibus Insulas in Flandriam se receperunt. Qui hæc latius enarrata videre cupierit, adeat Michaelis de Marillac commentarium de Erectione et Institutione Ordinis monialium Teresianarum in Gallia, Parisiis editum anno* 1622 (*cap.* VIII, *et docum. B et seqq. in appendice*), *item P. Ludovici Annales* B *jam sæpe allegatos* (*lib.* I, *cap.* LII *et* LIII) *et Historiam Petri Cardinalis de Berulle, auctore Tabaraud* (*lib.* II, *cap.* VI). *In præsentia virgines Carm. Exc. cœnobia habent* Pontisaræ, Ambiani, Rothomagi, Nannetibus, Morlæi, Abbatisvillæ *et* Ponte Audomari; *quibus adjungenda sunt* Lexoviense *et* Valoniense *recens fundata.*

XVIII. PROVINCIA ETRURIÆ SEU ANNUNTIATIONIS B. V. M. (Erecta anno 1695.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Florentinum, *S. Pauli.* 1619
2 Senense, *S. Michaelis, nunc S. Nicolai.* 1684
3 Aretinum, *B. V. M. Gratiarum.* . . . 1695
4 Pratense, *B. V. M. de Pietate, nunc S. Francisci.* 1699
5 Pisanum, *S. Euphrasiæ, nunc S. Torpei.* 1719

Ultimum hoc monasterium sub invocatione SS. Josephi et Teresiæ anno 1718 *erectum putavit auctor Lovaniensis Catalogi.*

MONASTERIUM VIRGINUM.

Florentinum, *S. Teresiæ.* 1630

XIX. PROVINCIA AUSTRIACA SEU S. LEOPOLDI. (Erecta anno 1701.) C

MONASTERIA VIRORUM.

1 Vindobonense, *B. V. M. de Monte Carmelo et S. Teresiæ.* 1622
2 Pragense, *B. V. M. de Victoria et S. Antonii Patavini.* 1623
3 Græciense, *S. Josephi.* 1628
4 Tridentinum, *B. V. M. del Astas.* . . 1642
5 Goritiense, *B. V. M. de Castaneo.* . . 1649
6 S. Annæ *desertum* (*non procul Vindobona*). 1654
7 Neostadiense, *S. Teresiæ.* 1656
8 Lincense, *SS. Josephi et Elisæi.* . . . 1674
9 Javarinense, *Conceptionis B. V. M. et S. Stephani Regis.* 1697
10 Scalitiense, *SS. Trinitatis et S. Leopoldi.* 1699
11 Paczoviense, *S. Wenceslai.* 1708
12 Hippolytopolitanum. 1773

Annus fundationis Vindobonensis *est* 1623 *apud P. Ludovicum,* 1629 *in Catalogo Lovaniensi;* Pragensis 1624 *et* Neostadiensis 1665 *in eodem Catalogo et apud P. Dositheum; denique apud hunc* Goritiensis 1648. *In civitate* S. Hippolyti *inchoarunt Carmelitæ Excalceati hospitium anno* 1707, *idque anno* 1773 *in monasterium transiit; uti refert Albertus de Maderna in Historia Canoniæ Sand-* D *Hippolytanæ* (*part.* II, *pag.* 427 *et* 428). *Porro, secundum elenchum die* XIV *Maji* 1842 *in ephemeride Romana, cui vulgare nomen* Diario di Roma, *publicatum, hodie in imperio Austriaco numerantur quinque Ord. Carm. Exc. cœnobia.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Vindobonense, *S. Josephi.* 1629
2 Græciense, *Annuntiationis B. V. M.* . 1643
3 Pragense, *S. Josephi.* 1656
4 Neostadiense, *Desponsationis B. V. M.* . 1667
5 Hippolytopolitanum, *S. Teresiæ.* . . . 1707
6 Lincense, *S. Teresiæ.* 1710

Neostadiensi *Catalogus Lovaniensis adscribit annum* 1665; Hippolytopolitano *idem Catalogus* 1701, *P. Gregorius* 1705, *P. Dositheus* 1706, *Albertus de Maderna* (*loc. cit.*) 1707; *et hunc quidem potissime mihi sequendum duxi. Elenchus paulo superius allegatus numerat hoc tempore in Austriaco imperio tria monasteria virginum Carmelitanarum, quin indicet Calceatæne sint an Excalceatæ.*

XX. PROVINCIA LITHUANA SEU S. CASIMIRI. (Erecta anno 1734.) E

MONASTERIA VIRORUM.

1 Lublinense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1610
2 Posnaniense, *S. Josephi.* 1618
3 Vilnense, *S. Teresiæ.* 1626
4 Glembocense, *Assumptionis B. V. M.* . 1642
5 Grodnense, *Exaltationis S. Crucis.* . . 1646
6 Kownense, *S. Josephi.* 1708
7 Antelepciense.
8 Pinsciense.
9 Zaviliense.
10 Vilnense *alterum.*

Horum monasteriorum quarto annum 1646, *quinto* 1668 *adscripsit P. Dositheus. Septimum et octavum annotantur in tabula topographica simul et in catalogo P. Gregorii; in solo hoc catalogo nonum; in sola tabula decim..m.*

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Lublinense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . 1624
2 Vilnense, *S. Josephi.* 1638
3 Lublinense, *Conceptionis B. V. M.* . . 1649
4 Posnaniense, *SS. Nominis Mariæ.* . . 1656

Annus Posnaniensis *fundationis P. Dositheo* F *est* 1665.

XXI. PROVINCIA BAVARIÆ SEU S. CRUCIS. (Erecta anno 1740.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Monachiense, *B. V. M. de Monte Carmelo et S. Nicolai.* 1629
2 Augustanum, *SS. Sacramenti.* 1632
3 Ratisbonense, *S. Josephi.* 1635
4 Schongaviense, *S. Annæ.* 1720
5 Urfarniense *desertum, SS. Teresiæ et Joannis a Cruce.* 1732

Augustani *cœnobii primordia ad annum* 1631 *refert P. Ludovicus, ad annum* 1628 *Joannes Leon. Mayr in Moderna Ecclesia Augustensi anno* 1762 *edita* (*part.* IV, *sect.* III, § III, *num.* 1), *cæteri ad* 1632. Ratisbonensi *P. Ludovicus adscribit annum* 1639; Schongaviensi *solus Catalogus Lovaniensis annum* 1719, *alii rectius* 1720 : *nempe anno quidem* 1719 *consensum suum fundationi præbuit Alexander Sigismundus, episcopus Augustanus; sed sequenti tantum anno, teste eodem Mayr* (*ibid. num.* 2), *cœnobii facta est erectio.*

MONASTERIUM

A

MONASTERIUM VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

Monachiense, *SS. Trinitatis.* 1711

XXII. PROVINCIA LOTHARINGIÆ SEU S. NICOLAI. (Erecta anno 1740.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Nanceiense, *B. V. M. Lauretanæ et S. Josephi.* 1611
2 Mussipontanum, *Annuntiationis B. V. M.* 1623
3 Gerbevillense, *B. V. M. de Monte Carmelo et S. Joannis Baptistæ.* . . . 1624
4 Baroducense, *SS. Josephi et Teresiæ..* . 1631
5 Sanmichaelense, *S. Josephi.* 1645
6 Lunevillense, *S. Leopoldi.* 1708

Sanmichaelensi *cœnobio P. Ludovicus S. Teresiam, Catalogus Lovaniensis Deiparam in templo præsentatam et S. Teresiam patronas attribuunt. De cœnobio* Nanceiensi *consuli meretur Historia civitatis Nanceiensis, auctore J. J. Lionnois presbytero* (*tom. II, pag.* 380 *et seqq.*). *Annectendum sex monasteriis hujus provinciæ hospitium* Novicastrense.

MONASTERIA VIRGINUM.

B

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Nanceiense, *B. V. M. ad Nives.* 1618
2 Mussipontanum, *SS. Trinitatis et S. Teresiæ.* 1627
3 Baroducense, *S. Ludovici.* 1627
cui successit Lunevillense. 1629
dein Nanceiense, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1635
4 Sanmichaelense, *S. Teresiæ.* 1628
5 Novicastrense, *S. Josephi.* 1649

De omnibus hisce monasteriis agit in suis Annalibus P. Ludovicus : de utroque autem Nancciensi *magis particularia videre est apud Lionnois* (*tom. II, pag.* 273 *et seqq., et tom. III, pag.* 74 *et seqq.*). *Hodie nullum amplius intra provinciæ hujus Lotharingicæ fines existit monialium Teresianarum cœnobium.*

XXIII. PROVINCIA FLANDRICA SEU S. JOSEPHI ET REGINÆ PACIS. (Erecta anno 1761.)

MONASTERIA VIRORUM.

1 Brugense, *S. Josephi.* 1631
2 Gandavense, *SS. Josephi et Leopoldi.* . 1649
3 Iprense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . . 1650
C 4 Dunkerkanum, *S. Josephi.* 1654
5 Teneramundanum, *S. Josephi.* . . . 1662

Hisce cœnobiis adde Cortracenum *hospitium et sex cellulas deserti* Nethensis *in Brabantia, quæ post annum* 1761, *quo hæc provincia erecta fuit, Patribus Flandris reservatæ sunt. Hodie rursus degunt Carmelitæ Excalceati* Brugis, Gandavi, Ipris *et* Cortraci.

MONASTERIA VIRGINUM.

Sub jurisdictione Ordinis :

1 Gandavense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* 1622
2 Iprense, *SS. Josephi et Teresiæ.* . . . 1623
3 Brugense, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . 1626
4 Cortracenum, *SS. Josephi et Teresiæ.* . 1649
5 Teneramundanum, *SS. Josephi et Teresiæ.* 1652

Extra jurisdictionem Ordinis :

6 Alostanum, *SS. Josephi, Annæ et Teresiæ.* 1632

De ultimi hujus monasterii origine, quod in Buscoducensis locum successisse dici potest, mentionem feci in annotatis ad provinciam Brabantinam. Etiam hodie Gandavi, Ipris, Brugis, Cortraci, Teneramundæ *et* Alosti *cœnobia habent moniales Teresianæ.*

PROVINCIA HIBERNICA SEU S. PATRITII. (Erecta anno 1638, sed brevi post diruta.) EX VARIIS. D

MONASTERIA VIRORUM.

1 Dublinense, *erectum anno* 1625. — 2 Kilkenniense. — 3 Limericense. — 4 Kinsaliense. — 5 Lochriense. — 6 Galviense. — 7 Atboyense. — 8 Ardacense. — 9 Droghedense.

MONASTERIA VIRGINUM.

1 Corcagiense. — 2 Limericense.

Hodierno tempore existunt duo virorum monasteria Dublini *et* Lochriæ; *monialium novem, quorum tria sub Ordinis, sex sub Ordinariorum jurisdictione.*

MISSIONES EUROPÆÆ.

IN HOLLANDIA.

RESIDENTIÆ.

Amstelodami. 1622
Hagæ Comitis. 1647
Lugduni Batavorum. 1648
Lugduni Batavorum. 1653

IN ANGLIA ET SCOTIA. E

Londini *residentia, unde ad stationes suas diversa in loca mittebantur missionarii. Hæc missio, quæ erat sub speciali protectione legati regis Hispaniæ, inchoata fuit anno* 1614.

MISSIONES ASIATICÆ.

VICARIATUS MISSIONUM PERSICARUM.

RESIDENTIÆ ET HOSPITIA.

In regno Persico :

Ispahami, *Jesu, Mariæ et Josephi.* . . . 1609
Ormuziæ, *Jesu et Mariæ, erecta anno.* . . 1611
destructa ab Anglis et Persis anno. . . 1622
restituta ope regis Persarum anno. . . . 1632
Schirazii, *SS. Simonis et Judæ.* 1623
Benderabassii. 1670
Hamadani, *B. V. Mariæ, sedes episcopalis subjecta S. Congregationi de propaganda Fide.*
Bendercongi. 1670
Julfæ, *S. Eliæ.* 1679

In imperio Turcico :

Bassoræ, *B. V. M. de Remedio.* . . . . 1623 F
Bagdadi, *S. Thomæ.* 1721

VICARIATUS MISSIONUM SYRIACARUM.

MONASTERIA ET RESIDENTIÆ.

Aleppi, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . . . 1627
In Monte Carmelo, *S. Eliæ.* 1631
In Monte Libano, *S. Elisæi.* 1643
Tripoli, *Jesu, Mariæ et Josephi.* 1643
Ptolemaide, *Jesu, Mariæ et Josephi.*
Caifæ *seu* Porphyriæ. 1629

VICARIATUS MISSIONUM MALABARICARUM.

MONASTERIA ET RESIDENTIÆ.

Goæ, *B. V. M. de Monte Carmelo.* . . . 1620
Goæ, *S. Teresiæ.* 1630
Vizaporæ. 1635
Verapoli, *SS. Josephi et Teresiæ.*
Mahæ. — Setalli. — Mettangeri. — Cocini.

De vicariatu apostolico terræ Malabarium, quem Alexander PP. VII anno 1659 *commisit R. P. Josepho a S. Maria Carm. Exc., ad dignitatem episcopalem evecto, et qui deinde ab anno* 1700 *ad præ-*

EX VARIIS. A *sens usque tempus, ex decreto Innocentii PP. XII, demandari consuevit episcopis ex Ordine Carm. Exc. assumptis, consule Lugdunenses Annales Propagationis Fidei ad mensem Novembrem anni* 1839, *ubi reperire est momentosum de Malabaricis missionibus Commentarium, initio ejusdem anni conscriptum ab hodierno vicario apostolico, Ill. D. Fr. Francisco Xaverio a S. Anna, tunc episcopo Amatensi, hodie vero archiepiscopo Sardiano. Vide et alias ejusdem præsulis litteras in prædictis Annalibus ad mensem Septembrem anni* 1840. *Primaria hujus vicariatus sedes est* Verapolis.

VICARIATUS MISSIONUM MOGOLICARUM.

MONASTERIA ET RESIDENTIÆ.

Tattæ, *Matris Dei*. 1605
Divii, *S. Josephi*. 1630
Suratæ. 1634
Caroarii, *S. Teresiæ*. 1705
Sunkeri. 1709
Bombaini, *B. V. M. Spei*. 1717
Bombaini, *B. V. M. de Monte Carmelo*. . . 1720
Mahimi, *S. Michaelis*. 1723
B Salvatione apud Mahimum, *B. V. M. de Salute*. 1724
Marsegoni, *B. V. M. de Gloria*. 1730
Damani.

Pro his quoque missionibus erectus fuit anno 1669 *a Clemente PP. IX vicariatus apostolicus, ad quem* D *ex Ordine Carm. Exc. deputari solet episcopus, qui* Bombaini *passim residet. De hodierno vicariatus hujus statu vide loca jam citata Annalium Propagationis Fidei.*

IN IMPERIO SINENSI.

Pekinensis *residentia missionariorum*. . . . 1706

MISSIO AFRICANA.

In Mosambico *residentia missionariorum*. . 1643

MISSIO AMERICANA.

In Louisiana. 1720

Hodie vero in archidiœcesi Baltimorensi *existit monasterium virginum Teresianarum jurisdictioni Ordinarii subjectarum.*

Ergo non ita pridem ea erat fœcundæ parentis Teresiæ *numerosa religiosa proles, quam eheu diræ ab impiis hominibus suscitatæ procellæ magnam partem dissipaverunt. Attamen si avulsi rami, perstat truncus vigetque radix, e qua novos feliciter surculos quotannis excrescere cernimus, quos Ordinis moderatores excolunt, sartæ tectæ disciplinæ servandæ solliciti, spiritusque Teresiani tenaces. Faxit Deus ut ad Dei Ecclesiæque honorem et ad animarum bonum sancta prosperet Familia, in eaque posthuma S. Matris gloria in dies augeatur!* E

Metam tandem Vitæ Teresianæ attigimus. Hæc si cui productior videatur, consideret velim varias ejus partes quæ ex Antecessorum lege et exemplo prætermitti a me minime poterant; atque inveniet tam copiosam in pangenda commentandaque Sanctæ hujus Vita concurrere materiam, quantam, si ejus partes conjunctim sumantur, vix aut ne vix quidem ullius Sancti Vita subministrat. Enimvero Riberiana Teresiæ *biographia, ut præstantissima ita et longissima, deligenda et exhibenda fuit e judicio etiam Antecessoris mei Buei* (*vid. num.* 2-7). *Pari ratione Acta Canonizationis S.* Teresiæ *et amplitudine et excellentia eminent inter cætera Sanctorum Acta* C (*vid. num.* 1077 *et* 1078). *Dein ipsa Sancta multa, suo exarata stylo, præbet priorum annorum suorum documenta in libro Vitæ suæ, multa posteriorum in libro Fundationum; quæ utraque exhiberi a me fas fuit, secuto exemplum Majorum in Vita S. Augustini, etc.* (*vid. num.* 13). *Adhæc Reformatrix fuit religiosæ utriusque sexus Familiæ de Ecclesia Dei benemerentissimæ et numerosissimæ, et insuper ipsa adeo valuit calamo ut vix ullius omni ævo scriptoris opera toties recusa et in omnes prope Europæ linguas versa tanto cum animarum fructu fuerint lectitata. Ex quo evidens fit quantam Vita quam finio, præbuerit mihi rerum tractandarum silvam.* F

DIES

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS.

TOMUS SEPTIMUS.

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM MONUMENTIS, SERVATA PRIMIGENIA VETERUM SCRIPTORUM PHRASI,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariisque et Observationibus

ILLUSTRATA

A

JOSEPHO VANDERMOERE

ET

JOSEPHO VANHECKE,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS,

NONNULLIS ALIIS EX EADEM SOCIETATE OPERAM CONFERENTIBUS.

TOMUS VII OCTOBRIS

Quo dies decimus quintus et decimus sextus continentur.

PARS POSTERIOR.



BRUXELLIS,

TYPIS ALPHONSI GREUSE,

MDCCCXLV.

A

D

DIES DECIMASEXTA OCTOBRIS.

SANCTI QUI COLUNTUR DECIMO SEPTIMO KALENDAS NOVEMBRIS.

S. Bassianus Martyr Syracusis in Sicilia.

SS. Cecra et CCLXX Martyres in Africa.

SS. Saturninus, Nereus, Mireus, Aufidus et Socii CCLXV Martyres, ut videtur, in Africa.

B

SS. Leontius, Domitius, Terentius et Domninus Martyres, ut videtur, in Græcia.

S. Malcus erem. in Græcia.

S. Eliphius Martyr prope Tullum Leucorum in Gallia.

S. Bolonia V. M. in agro Bassiniacensi.

S. Silvanus Martyr Ageduni in agro Lemovicensi.

SS. Martinianus, Saturianus

C eorumque duo fratres Martyres et S. Maxima V. in Africa.

S. Junianus anachoreta et S. Amandus ejus magister in agro Lemovicensi.

S. Colmanus episc. Killruadhensis in Hibernia.

S. Salvius in agro Autisiodorensi.

S. Gallus abbas in Alemannia.

S. Baldericus Conf. in Montefalconis in agro Remensi.

S. Magnobodus episc. Conf. Andegavis.

S. Kiara V. in Momonia in Hibernia.

S. Mommolinus episc. Conf. Tornaci et Noviomi. E

S. Bercharius abbas et Martyr in Dervo monasterio.

S. Ambrosius episc. Conf. Cadurcis.

S. Lullus archiep. Conf. Moguntiæ.

S. Vitalis erem. in pago Ratiatensi in Gallia.

S. Gurdanius erem. Duaci.

S. Gualdericus agricola in Occitania.

S. Bonita V. Brivate in Arvernia. F

S. Germanus erem. et Mart. in Arvernia.

S. Anastasius erem. et monachus Ord. S. Bened. in Gallia.

S. Bertrandus episc. Conf. Convenis in Gallia.

S. Bernerius erem. Eboli in diœcesi Salernitana.

PRÆTERMISSI

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctorum Luciani, Maxiani (*seu Maximiani*) et Juliani, *Bellovacensium Martyrum meminerunt hodie plura Usuardi Auctaria apud Sollerium, inter quæ tamen Daveronense scribit esse memoriam* inventionis : *quod festum etiamnum celebrat Bellovacensis Ecclesia, translatum tamen, qua de causa nescio, e* XVI *ad* XXI *Octobris, ut videre est in Directorio Liturgico anni* 1841. *De his Martyribus actum est in opere nostro ad diem* VIII *Januarii.*

Longinus centurio et Martyr, *qui latus Christi lancea aperuisse perhibetur, recolitur hodie in fastis Græcæ Ecclesiæ; occurrit apud nos ad diem* XV *Martii.*

S. Ambrosius Confessor, discipulus Didymi, B Alexandriæ : *memoratur apud Petrum de Natalibus, a quo dein Canisius et Ferrarius eumdem mutuati sunt. Vide, si lubet, opusculum Ferd. Mingarellii, Romæ* 1764 : *de illo actum die* XVII *Martii.*

Memoriam beati Archangeli Gabrielis superni paranymphi, *habet codex Usuardino-Bruxellensis apud Sollerium; fortassis ob cognatam apparitionem S. Michaelis in monte Tumba. De S. Gabriele actum fuit die* XXVI *Martii.*

Berthæ abbatissæ et Martyris *mentionem faciunt hodie præter Auctarium Usuardi Grevenianum, Ferrarius, Canisianum Martyrologium et Gynecæum : ejus acta habes ad diem* I *Maji.*

S. Prisci Martyris, super fluvium Anduræ, *in agro Carnotensi nuntiatur a Greveno : socium martyrii adjungit proprium Jotrense* (Jouarre) *S. Hilarium, quin tamen aliquam ejus faciat mentionem in lectionibus historicis. De S. Prisco et sociis egimus ad diem* XXVI *Maji.*

Elisæum prophetam *memorat Hagiologium Abassinorum; ejus Acta reperire est ad diem* XIV *Junii.*

Arnulfum episcopum *solum Auctarium Usuardinum Greveni crude ad hunc diem producit. Suspicor Grevenum, quandoque dormitantem, cum in alio co-* C *dice reperisset ad* XVII *kal. Septembris seu* XVI *Augusti S.* Arnulfi *Metensis translationem, mensem Sextilem cum Octobri confudisse : atque inde præsentem memorian ortam esse. Quod etiam confirmatur ex eo, quod solus fere Grevenus inter Usuardi amplificatores hujus translationis oblitus fuerit. Actum fuit de S. Arnulfo Metensi ad diem, quo colitur,* XVIII *Julii.*

S. Ægidium Confessorem *recenset Auctarium Usuardi Aquicinctinum : ejus Acta illustrata habes ad diem* I *Septembris.*

S. Euphemiam Virginem et Martyrem *celebrat hodie ecclesia Claromontana in Alvernia, ut docet nos directorium liturgicum ejusdem diœcesis anni* 1827 : *ignota est nobis Sancta, de qua tacent quoque Hagiologia Claromontana. Eadem forte est ac S. Euphemia Chalcedonensis, cujus Reliquiæ per varias orbis partes distractæ fuere, ut dictum est ad diem* XVI *Septembris.*

Sancti Susis *in Bajis memoriam signat hodie Hieronymianus codex vulgatus a Florentinio; cui consonat, ut idem ait, Martyrologium Corbiense, scribens* : In Bajis sancti Sussi Martyris. *Suspicatur Florentinius hunc sanctum Martyrem eumdem esse ac Sosium, diaconum Misenatem et collegam S. Januarii: idque suadet imprimis nominis similitudo aut potius identitas, cum ad* XIX *hujus mensis apud Florentinium et in Adonis Auctariis Sosius Misenas* Sussus *scribatur : huc etiam facit, quod Bajæ Puteolis, Neapoli, Miseno, quibus civitatibus S. Sosium variis diebus codices Hieronymiani adscribunt, proximæ sint. Videatur proinde Stiltingus noster in calce tomi VI Septembris* (*a*) *ad diem* XIX *Septembris.*

Repositionem S. Firmini episcopi Martyris *habet Auctarium Ambianense Usuardi, de sancto episcopo Ambianensi egimus die* XXV *Septembris.*

Apparitionem S. Michaelis in monte Tumba, *diœcesis Abrincensis habeat hodie varia Auctaria* E *Usuardina, Martyrologium Ferrarii et Canisii. De ista apparitione actum fuit ad diem* XXIX *Septembris.*

SS. Rusticus et Eleutherius, socii S. Dionysii *recoluntur hodie in Martyrologio Canonicorum Regularium : eorum Acta vide ad diem* IX *Octobris.*

S. Leobonus, crem. Saliniaci in agro Lemovicensi *signatur hodierna die a Saussayo; dedimus Acta ad diem* XIII *Octobris.*

Beati Antiochi episcopi *Lugdunensis mentionem facit Molanus in Auctariis Usuardinis, pertinet ad diem præcedentem* XV *Octobris.*

B. Philippinam Chaloniam, Virginem Clarissam, filiam Ludovici Arausiensis principis, *memorat hodie Arturus in Martyrologio Franciscano et Gynecæo. Venerabilem eam nuncupant Annalistæ Ordinis Minorum* (*b*); *et nihil reperire est, quo cultus ejus stabiliatur. Cave tamen ne hanc Philippinam confundas cum B. Philippa de Campo-Telimano, de qua ad diem* XV *Octobris.*

S. Julianum Confessorem *habet Auctarium Bedæ tom. II Martii, vitio librarii pro S.* Juniano *infra dando nomen scriptum putamus.*

Dedicatio *novæ basilicæ monasterii* Cellensis *apud* F *Trecas recitatur hodie in Auctariis Adonianis; qua occasione confer quæ Sollerius noster habet in sua ad Usuardum Præfatione n.* 153.

Dedicationem *veteris templi Societatis Jesu Insulensis nuntiat ad præsentem diem ex Buzelino P. de Balinghem in kalendario Mariano. Facta fuit hæc consecratio anno* 1611 *ab ep. Tornacensi Michaele d'Esne, et titulus impositus Conceptio B. M. V.*

Sanctæ Heriburgis, Virginis, quæ vitæ admirabilis exemplo et puritate angelica renitens, consodales ad cœlestia erexit. *Hæc in suo Gynecæo Arturus, qui ejus locum emortualem Monasterium in Westphalia signat, quique in notis addit :* De ea Canisius in Martyrologio, Ferrarius hac die, Cratepollius lib. de Sanctis Germaniæ et Surius in Actis S. Lugderi episcopi anno 800 XXVI Martii. *Sed dum ex hujusmodi rivulis ad ipsum fontem devenimus, alium invenire non est præter Usuardi editionem, sub nomine Hermanni Greveni a Majoribus nostris citatam. Hæc simpliciter habet :* Heriburgis Virginis. *Sed saltem annuntiationem nullum importare*

(*a*) P. 764, n° 12 et p. 784, n° 107. — (*b*) Wadding. Ad an. 1441, p. 119.

cultum

A *cultum ipse profitetur in præfatione* : Quia venerabilis, *inquit,* doctor Johannes Gerson. . . . . dicit orationem posse dirigi peculiariter et secreta quadam devotione ad personas quarum fuerit eximia virtus et conversatio probata nobis comperta, quamvis ipsas non canonizaverit Ecclesia : ideo in hoc Martyrologio multos hujusmodi reposuimus, prætermittentes tamen pene semper beatæ aut sanctæ memoriæ, ut per hoc secernantur a canonizatis.

S. Evodii episcopi Uzalensis (*in Africa*) et Martyris a Donatistis ob fidem Catholicam occisi. *Hæc recitat Ferrarius in suo Catalogo Sanctorum qui Romano Martyrologio inscripti non sunt. Hic æqualis S. Augustini, quocum litterarum commercium habuit* (*a*), *passim inter Regulares sub regula S. Augustini militantes recensetur. Verum nihil nobis occurrit, quod cultum ejus plane suadere possit. Imo Evodii nomen in nullo martyrologio reperitur et de eodem tacent Canonicorum regularium et aliorum religiosorum sub regula S. Augustini militantium Breviaria et Kalendaria liturgica, quæ magno satis numero in bibliotheca nostra asservantur. Cum porro S. Pius V per litteras apostolicas in forma Brevis datas* XVIII *Decembris anni* 1570 *Ord.* CXV
B *licentiam tribuisset Canonicis Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, ut præter festa Sanctorum enumerata,* omnium quoque aliorum dictæ Congregationis et Ordinis Sanctorum festa etiam sub duplici Officio celebrare. . . . valerent; *nihil omisisse videntur laudati Canonici, ut quam absolutissimum Sanctorum Ordinis sui exhiberent catalogum. Cujus rei exemplum præbet* Proprium Windesemense *anno* 1690 *Bruxellis excusum, quod quadraginta Sanctorum nomina et Officia post Breve Pii V kalendario adjecit : ast nuspiam Evodii nomen apparet, quod sane indicium est episcopum Uzalensem fastis Sanctorum numquam fuisse adscriptum. Cæterum Ferrarius eruditionem et annuntiationem suam mutuatum se dicit* ex libro qui Templum Eremitanum inscribitur : *in quo legitur* (*phrasim italicam latine reddo*) a Circumcellionibus tortus transivisse ab hac ad alteram vitam et obtinuisse pretiosissimam coronam conservatam illi a Deo in cœlis (*b*). *Liber iste ab Ambrosio Staibano Tarentino conscriptus in lucem prodiit anno* 1608 : *quare non est quod anxie de ejus, utpote recentioris, auctoritate disseramus. Idem judicium esto de Alphabeti Augustiniani scriptore Thoma Herrera, qui dicit*
C *Evodium* communiter ab omnibus Sancti titulo nuncupari; *et de Alloysio Torelli* Secoli Agost. *ad an.* 424 § XL, *siquidem Sanctum vocari ab* immemorabili tempore *Evodium pronuntiet. Ii certe non sumus ut quidpiam velimus detractum meritis et gloriæ episcopi Uzalensis; quin omnino assentimur Tillemontino dicenti* (*c*) : Meretur hic episcopus locum nancisci non solum inter Confessores et Sanctos Pontifices, sed etiam inter Eccclesiæ Doctores. Aliquot Codices manuscripti eumdem Sancti titulo condecorant, quorum quidem sequi vestigia ausi non sumus, utpote quem ab aliqua Ecclesia cultum non repererimus, licet cæterum ejusmodi honoris meritissimus videatur. *Qui plura de Evodio scire cupiat, adeat laudatum Tillemontium* (*d*) *et Stephani Morcelli Africam Christianam* (*e*).

Peronæ in territorio Novidunensi (*Noyon*) Beati Anonymi Confessoris, Seraphici Patris Sancti Francisci discipuli, qui vitæ et miraculis coruscavit. *Hæc Arturus et Hueberus hodie; quæ hausta sunt e vulgari fama, ut testantur Gonzaga* (*f*) *et Wad-* D *dingus* (*g*) *atque adeo non constat Anonymum cultu aliquo decoratum fuisse.*

B. Francisci Thomassini a Campo Basso Confessoris Histonii in Appulia *meminit quoque Arturus, cui consentit Hueberus, dempto tamen Beati titulo, quoniam, ut arbitramur, cultu caret.*

B. Georgius ab Erballio, *laudatus hodie ab Arturo, videtur esse absque cultu ecclesiastico.*

B. Ambrosii a Corbaria (*in insula Corsica*) Confessoris *natalis celebratur ab Arturo; sed cum venerabilem hunc virum etiamnum sepultum dicat, non est quod de ejus cultu ulterius inquiramus.*

B. Bonaventuræ ab Agrigento (*in Sicilia*) Confessoris *memoria assignatur hodie in Martyrologio Arturi. Hujus viri reformationis auctoris præcipui cultus nobis non innotescit.*

B. Didacus dux, Confessor, Guadafiaræ in Castella, *numeratur inter Beatos seu potius Venerabiles, quos præsenti diei assignat Arturus. Diversus hic a S. Didaco Seraphici Ordinis similiter alumnus, et qui* XIII *Novembris colitur. De cultu Didaci ducis nihil assecuti sumus.*

Dedicationem ecclesiæ cathedralis Placentinæ, *seu* E *Ambraciensis in Hispania, referunt hodie Tamayus de Salazar et Ferrarius.*

Dedicationem ecclesiæ cathedralis Mindoniensis (Mondonnedo) *olim Britoniensis in Gallecia Hispaniæ, idem Tamayus annuntiat.*

Benedictum episcopum *solus Grevenus hodie commemorat. Plurimos vero ejus nominis sanctos episcopos fuisse nemo ignorat. Cum porro Grevenus ipse ad calcem suæ editionis anni* 1515 *fateatur se* nonnullos sanctos forsitan aliis diebus posuisse, quam apud multos colantur, *Benedictum præsenti die laudatum inter Sanctos ignotos rèponendum esse censuimus.*

Natalis B. M. Reineri cognomento Magni. Qui cum sex aliis ex abbatia B. V. de Parco (*ad fundandum Ninoviense monasterium*) transmissus, una omnes rara pietate, doctrina celeberrimi, odore virtutum alios ad Dei obsequium et sacram religionem attraxere. Hos inter primatum facile tenuit B. M. Reinerus, vir apostolicus et secundum etymologiam sui nominis vere in virtutibus Magnus. Otium vitiorum matrem extreme exosus, continuo sese lectione, oratione, aliisque pietatis exercitiis occupabat; pro acquirendis et augendis F noviter fundatæ ecclesiæ bonis ad cultum Dei magis promovendum procurator sollicitus. Tandem cum sese omnibus bonorum operum præbuisset exemplum, ideam et exemplar omnis perfectionis, Christum Jesum non jam in ænigmate aut in speculo, sed in lumine gloriæ intuiturus abiit. *Prodit hoc elogium ad præsentem diem in ephemeridibus Præmonstratensibus ex decreto Circariæ Suevicæ anni* 1760 *confectis. Mirum Reinerum non memorari in Chronico Balduini Ninoviensis* (*h*), *qui satis late describit sui cœnobii initia, ejusque primum abbatem nominat Gillebertum. Nihil novi, unde constet cultum aliquem publicum olim Reinero, sive in Parcho sive Ninoviæ impensum fuisse.*

B. M. Friderici I *Gradiciensis in Moravia ecclesiæ abbatis* XVI. *Abdicato Papiensi episcopatu, maluit abjectus esse in domo Dei. Vide reliquum ejus encomium in appendice ephemeridum Præmonstratensium ad præsentem diem. Cæterum cum non*

(*a*) Epist. CLVIII et seq., t. II, oper., c. 560. Edit. Bened. — (*b*) Tempio Eremitano, p. 157. — (*c*) Mém. pour servir à l'hist. Ecclés., t. XII, p. 584. — (*d*) Ibid., p. 581 et seqq. — (*e*) T. I, p. 366, t. II, p. 322, t. III, p. 121. — (*f*) Origines Seraph. relig., part. III, prov. Franc., mon. XXXV, p. 573. — (*g*) Ad an. 1246, num. 36. — (*h*) Corp. Chron. Fland., t. II, p. 701 et seq.

A *inveniamus huic abbati anno* 1336 *vita functo cultum obtigisse, eum prætcrire debemus.*

Frideburga per S. Gallum abbatem liberata a dæmone et spretis nuptiis regiis facta abbatissa S. Petri Metis *citatur a Nostris die* XXIX *Martii ex Gynecæo :* Necdum, *ajunt,* legimus eam ullis Fastis adscriptam. Si alius non occurrat dies multa de ejus nuptiis dubia erunt discutienda ad Vitam S. Galli. *Hæc in hodierno commentario de S. Gallo conati sumus utcumque resolvere.*

Balduinus de Bocla, *fundator Abbatiæ Baudeloensis, redit ad hunc diem, jam inter prætermittendos repositus a Nostris die* XIII *Aprilis et* XXV *Septembris : aliquem cultum uspiam habuisse non apparet. Plura de eo reperire est apud Raissium Auctar. ad Natales SS. Belgii et apud Sanderum Vit. SS. Flandriæ.*

Decentium episcopum Martyrem *habent Nostri ad diem* X *Maji : insignes olim erant ejus Reliquiæ in templo Societatis Jesu Eichstadii : sed præter nomen nihil adhuc innotuit.*

Erembertam, abbatissam in Morinis, *memorat Gynecæum. Aliis Bertana, Irembertana et Hermemberta vocatur. Sanctam eamdem appellat Joan. Mabillon* (*a*), *utpote quam cultam hac die pronuntiet.*

B *Sed Guilielmus Cuperus noster ad diem* XX *Julii in Vita S. Wulmari* (*b*) *cupit ut, ante quam de illa agatur,* acta et manifesta cultus signa suppeditentur. *Neutrum quidem præstitum fuit; unde inter prætermissos reponenda fuit Eremberta, de qua plura habet Jacobus Malbrancq, De Morinis lib.* IV, *cc.* XXVIII, XLV *et* XLVI.

Dedicatio ecclesiæ S. Audoeni Rothomagi *recensetur a Saussayo et Menologio Benedictino.*

Balduinus *archiepiscopus Cantuariensis hodie annuntiatur in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez his verbis :* In Anglia Beatus Balduinus ex monacho et abbate Fordensi episcopus Wigorniensis, et tandem archiepiscopus Cantuariensis et totius Angliæ primas electus : qui sanctis operibus, mira doctrina et omni virtutum genere ornatus, obiit in Syria magno omnium Catholicorum mœrore. *Pro more suo menologus in subjectis notis enumerat Balduini encomiastas, et ipse ejus laudes prosequitur. Ast nihil inde, quod ejus cultum indicet, elicere potuimus. Late de eo agit quoque Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensium ab anno* 1177 *ad annum* 1190 : *sed neque istic aliquid occurrit, quod venerabilis viri cultum adstruat : quinimo hæc*

C *tantum ad annum* 1190 *cap.* III, *n.* 8 *scribit :* Balduinum Menologio suo inseruit Chrys. Henriquez Octobris 16, nec est qui sine laude meminerit. *Quæ jejuniora sunt quam ut videatur Manrique cum laudato menologo consentire in Beati titulo liberaliter concesso : quapropter ab eo abstinuit in suis Annalibus. Simili egit modo, qui Bibliothecam Cisterciensem adornavit et quibusdam opusculis Balduini auxit, Bertrandus Tissier. Quæ duplex virorum gravissimorum auctoritas per se, sola sufficeret ad nobis persuadendum Balduino Cantuariensi nullum umquam cultum sacrum impensum fuisse.*

S. Witburgam, fœminam clarissimam, *Romæ annuntiat Arturus in suo Gynecæo. Jam egerunt Nostri ad diem* XVII *Martii de aliqua Witburga, Derehamensi scilicet, quam diversam ab hodierna demonstrant genus, vitæ ratio et sepulturæ locus. Etenim Witburga hodierna videtur e Cantia oriunda, utpote quam Eadburga sive Bugge regis Cantii consanguinea* (*c*) *et in S. Bonifacium Germanorum Apostolum benifica, scribit* (*d*) secum adolevisse, D eumdem utrique fuisse nutricum sinum et unam matrem fuisse ambabus. *Derehamensis contra ex Anglis orientalibus orta, filia erat Annæ regis* (*e*). *Hæc quoque patriam seu viva seu mortua numquam liquit, dum altera Romæ, ut dicit S. Bonifacius Eadburgæ* (*f*), quietem invenit juxta limina S. Petri, qualem longum tempus desiderando quæsivit; *atque ut videtur ibidem sancte finivit vitam* (*g*). *Quoniam tamen nullum adest testimonium cultus Witburgæ Romanæ impensi, illam inter prætermissos collocamus.*

Dedicatio ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Diensis *facta anno* 1200 *notatur in Proprio ejusdem ecclesiæ. Est nunc Dia* (Die, Dep[t] de la Drôme) *sub episcopatu Valentino et metropoli Avenionensi; olim urbs episcopalis, sub archiepiscopatu Viennensi.*

Palmius Martyr *comparet ad hanc diem in scheda manuscripta sæc.* XVII, *in qua notantur insignes Reliquiæ, quæ in Domo Professa Societatis Jesu Panormi asservabantur, adjectis mense et die, quibus Sanctorum festa celebrabantur. Verum in Kalendario liturgico anni* 1841 *Panormi impresso in usum universæ provinciæ Siculæ, S. Palmius neque hac neque alia die apparet. Cum vero Sanctus Martyr* E *neque aliunde nobis cognitus sit, arbitramur ejus corpus, Panormi olim asservatum, e sacris cœmeteriis effossum fuisse.*

SS. Victuriæ et Nubilitanæ Alexandriæ *meminit hodie Martyrologium Gellonense et Richenoviense : sed probabilius pertinent ad catervam Mauritanam, de qua agendum erit die sequenti* XVII *Octobris.*

SS. Alexander et Victorius Martyres Nicomediæ *hodie citati in Auctariis Bedæ pertinent ad diem sequentem* XVII *Octobris.*

Sancti Florentini, episcopi *Trevirensis, nomen habet Martyrologium Romanum ad hunc diem.* Florentinum *hunc, sive* Florentium *Tungrenses quoque sibi episcopum vindicant* (*h*) : *etenim ejus nomen in utriusque Ecclesiæ catalogis frequenter occurrit. Diffitendum tamen non est de S. Florentino silere celeberrimos catalogos episcoporum Trevirensium, Prumiensem scilicet et Ghislenianum* (*i*). *Nihilominus ejus cultus, ut testatur Ghesquierus noster, extra dubium versatur* (*k*). *Memoriam Sancti facit Ecclesia Trevirensis, etiam novissimis temporibus,* (*confer Proprium Trevirense Joannis Hugonis archiepiscopi*), *sed die, qua accuratius ejus episcopatus et res gestæ discuti poterunt* XVII *Octobris.* F

Sergius dux et Margarita uxor ejus *hodie coli in ecclesia Montis Tumbæ dicuntur in Martyrologio, quod sub Canisii nomine vulgatum est. Ferrarius, cum minime verisimile æstimaret binos hos Dei servos cultu gaudere eadem die, qua solemnissime ageretur hujus ecclesiæ dedicatio, adscripsit ambos diei sequenti. Quare et nos horum conjugum sanctitatem et cultum ecclesiasticum examinabimus ad*

XVII *Octobris.*

S. Vincentium Confessorem *refert hodie Hagiologion Franco-Galliæ ex antiquo Martyrologio excerptum, quod Philippus Labbe noster vulgavit* (*l*). *Hæc autem sunt verba :* In territorio Nivernensi sanctorum Vincentii et Salvii Confessorum. *De Sancto Salvio, quantum licuit, hac die agimus. Ille autem* Vincentius *Confessor idem est ac* S. Vincentius Confessor et presbyter, *qui in nonnullis codicibus Usuardinis ad diem* XII *et* XIII *Martii annuntiatur, ut videre licet apud Sollerium nostrum; et de*

(*a*) Act. SS. Ord. Bened. sæc. III, part. I, p. 236. — (*b*) p. 86, not. g. — (*c*) Int. Bonif. LXXXIV, p. 243, serr. XL. — (*d*) Ib. XXXIII, p. 79, serr. CI. — (*e*) Act. SS. XVII Mart., p. 605 et seqq. — (*f*) Bonif. XXXII, p. 78, serr. XX. — (*g*) Baron. ad an. 725, §§ XXII et XLIV. — (*h*) Act. SS. Belg., t. I, p. 174. — (*i*) Ibid., p. 26 et seq. — (*k*) Ibid., p. 174. — (*l*) Nov. biblioth. MSS, t. II, p. 697.

quo

A *quo in Martyrologio Autisiodorensi anni* 1751 *sub die* XIII *Martii. Eum quidem noverat decessor noster ad præfatum diem prætermissorum catalogum texens, sed quoniam circa* S. Vincentium *ejusque cultum plus lucis affundi optaverat, de eodem agere neglexit. Quominus vero id ad præsentem diem faciamus, impedit alia quoque ratio, scilicet Sanctum illum in pluribus, iisque optimis Usuardi Auctariis in crastinum differri. Quapropter Nivernensium hagiophilorum operam exposcimus in sequentem diem*

XVII *Octobris.*

S. Dulcidius *seu* Dulcissimus *episcopus Agennensis recurrit hodie in Martyrologio Parisiensi et Universali Claudii le Chastelain; cum vero die sequenti colatur, ejus gesta referemus ad diem*

XVII *Octobris.*

S. Berarii Cenomanensis episcopi *memoriam recolunt hac die aliquot Usuardi Auctaria, sed perperam: pertinet enim ad sequentem, quo dabimus ejus acta, diem* XVII *Octobris.*

Gundisalvus de Lagos *in Alphabeto Augustiniano Thomæ Herreræ memoratur hodie, quo obiisse dicitur. Directorium liturgicum ad usum PP. Eremitarum S. Augustini, hodierno ob festum SS. Martyrum*

B *Africanorum impedito, beati viri festivitatem assignat in diem, quo ipsius Acta dabimus,*

XXI *Octobris.*

Celiniam Viduam, matrem S. Remigii, *annuntiat, nescio qua de causa, recens editor Martyrologii Universalis Claudii Chastelain : etenim hæc Sancta pertinet ad diem* XXI *Octobris.*

Odam viduam Boggi Aquitaniæ ducis et S. Huberti amitam *laudatam hodie a recentiore editore Martyrologii Claudii Chastelain, signant pleraque documenta die* XXIII *Octobris.*

S. Bernardus Calvonius, Ord. Cisterciensis, episcopus Vicensis in Catalaunia. *Hodie latum de eo texit encomium Chrysost. Henriquez in Menologio Cisterciensi : eum secutus est Tamayus in Martyrologio Hispanico, eademque vestigia relegerunt tum Kalendarium Cisterciense Romanis rubricis accommodatum, Parisiis anno* 1689 *jussu Abbatis Cisterciensis editum; tum Claudius Chastelain, cæteroquin omnium accuratissimus. Verumtamen erronee id fieri videtur : nam in Ordine divini Officii recitandi anni* 1720 *ad usum Cisterciensium Hispanorum occurrit* S. Bernardi *Calvonii festum die* XXVI *Octo-*

C *bris, quin tamen eo traductus ex alia die dicatur : laudatur quoque sub eodem* XXVI *Octobris Sanctus episcopus ab Hugone Menard in Martyrologio Benedictino; et Ant. Vincentius Domenec, qui ex chartis authenticis concinnavit Vitam* (*a*), *tradit Sanctum obiisse die* XXVI *Octobris anni* 1243. *Qua in re eidem consentit laudatus Henriquez in fasciculo SS. Ordinis Cisterciensis lib.* II, *dist.* X. *Cum vero intelligamus ex scriptis Henriquez, Domenec, Tamayi et Manrique Annalistæ Ordinis, permulta de S.* Bernando *superesse documenta tum in civitate Vicensi, tum in cœnobio SS. Crucium, instanter rogamus eos penes quos forsitan delitescunt, ut ea, saltem eorum apographa nobiscum communicare dignentur, ante diem, quo de Sancto agendum erit,* XXVI *Octobris.*

Gerardum abbatem Claravallensem VI *hodie vel alio die Sancti aut Beati titulo adornant quotquot novimus Martyrologia vel Kalendaria Cisterciensia, si tamen liturgica excipias. Ipse Claudius Chastelain, gravis et sagax rerum sacrarum indagator, eumdem Claravallensem abbatem hodie producit titulo Beati insignitum. Non dubitamus quidem Venerabilem*

D *gloria cœlesti gaudere, utpote qui pro justitia Christiana occisus feratur. Verum cum satis non sit vulgo credi aliquem superna beatitudine frui, ut secundum decretum Urbani VIII Beati vel Sancti titulo condecoretur, sed insuper legitimus ecclesiasticus cultus requiratur; neque similiter sufficiat nude Martyrem esse, nisi simul sit Martyr vindicatus, licitum nobis non est* Gerardum, *qui utravis conditione carere videtur, Sanctis aut Beatis accensere et proin de eo extra prætermissorum catalogum agere. Erat nobis certe in votis Acta Venerabilis viri referre; quare nihil prætermisimus ut cultum aliquem publicum nobis ipsi probaremus. Verum quatuor, quæ invenire licuit sanctitatis vindicatæ argumenta, nimium manca sunt, quam ut votis nostris satisfaciant. Primum est Martyrologiorum et Kalendariorum auctoritas, de quibus Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1177 *cap.* III, *n.* 10, *sic disserit :* Memoratur inter Sanctos illustres Ordinis ab omnibus antiquis et recentioribus, propriis et extraneis, ex quibus plures recensuit Henriquez in Menologio (*ad* VII *Decembris*), Hugo Menardus in suo Martyrologio (*ad eumdem diem*), qui et in notis ad compendium redegit Martyrium

E Sancti, Aubertus Miræus (*Orig. monast. lib.* V, *cap.* XV *et* XVII) et alii recentiores, nisi quod tamen in assignanda Decembris septima omnes Kalendarium nostrum Salmanticæ excusum sequuti sunt. *Sed horum testium auctoritatem elidit Martyrologium Cisterciense, quod ex definitione Capituli Generalis anni* 1601 *Romanis rubricis accommodatum et jussu abbatis Cisterciensis anno* 1689 *editum est : duplex enim Sanctorum et Beatorum istic ordo prodit : prior eorum, quibus cultus ecclesiasticus competit; alter vero, de quo in monito prævio dicitur n.* 11 : Subjecimus brevem quamdam virorum Ordinis Sanctitatis fama illustrium relationem ad ædificationem privatam eorum quibus non vacat legere operosum volumen Chrysostomi Henriquez. *Atque horum ne nomen quidem in choro recitabatur. Porro* Gerardus *noster ad* VII *Decembris in secundo ordine occurrit; quod sane non accidisset, si abbas ille Claravallensis, Protomartyr Ordinis, cultu ecclesiastico gavisus fuisset. Secundum argumentum sanctitatis ex inscriptione sepulchri deducitur, atque illud apud Claud. Chastelain tantum valuisse videtur, ut Gerardum Beatum dixerit* (*b*). *Uno scilicet sepulchro conduntur* Gerardus *VI et Petrus Monoculus VIII Clarævallis Abbates; et ille quidem* F Martyr egregius, *hic vero miraculis clarus obiisse scribitur* (*c*). *Verum cum hæc post annum* 1186, *quo Petrus Monoculus obiit, sculpta sint, atque tum jam obtineret declaratio pontificia Alexandri III anni* 1170, *qua cavebatur ne quisquam* pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ *haberetur* (*d*); *fit ut appellatio Martyris, nisi cultu longævo corroboretur, sanctitatis titulum non vindicet. Tertii argumenti loco est, quod sarcophagus a terra elevatus sit : etenim teste coævo, auctore Exordii Magni Cisterciensis* (*e*) sanctum corpus (Gerardi) ante fores Oratorii Clarævallis, in cellula quæ ob receptionem corporum sanctorum Confessorum Bernardi et Malachiæ constructa fuerat, in sarcophago super pavimentum exaltato conditum est. *Ast hanc sarcophagi elevationem annexam non habuisse qualemcumque canonizationem, inde liquet, quod S. Bernardus in eodem jacuerit usque ad annum* 1174, *id est usque ad suam canonizationem* (*f*). *Quartum demum argumentum omnium validissi-*

(*a*) Santos y Varones ilustres del principado de Cataluña, p. 253. — (*b*) Martyrol. univ., p. 915. — (*c*) Gall. Christ., t. IV, col. 803. — (*d*) C. I de Reliq. et Ven. Sanct. (III. 45). — (*e*) Bibl. PP. Cisterc., t. I, p. 72. (*f*) Act. SS. XX Augusti, p. 246.

mum,

A *mum, nihil tamen proficit; invocavere scilicet Clarævallenses monachi abbatem* Gerardum : *quod patet tum ex inscriptione sepulchri* (*a*), *qua de eo ac Petro Monoculo dicitur :* Hos apud Deum patronos habere mereamur; *tum ex epistola Richardi, monachi Alvertensis* (*b*), *in qua triplex miraculum eidem adscribitur. Ast hæc privatum, non vero publicum cultum arguunt. Plura de eo, si fas sit, ad diem* VII *Decembris.* D

(*a*) Gall. Christ., t. IV, col. 801. — (*b*) Apud Manriq. Annal. Cist. ad an. 1177, c. IV, n. 6.

DE S. BASSIANO, MARTYRE,

SYRACUSIS IN SICILIA.

SYLLOGE.

ANNO FORTE CCLXIX. *S.* Bassianus, *cultus Syracusis,*

B *Ferrarius, unus inter martyrologos, S.* Bassiani *memoriam recolit, his ad præsentem diem in Generali suo Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, utens verbis :* Syracusis in Sicilia S. Bassiani Martyris sub Claudio imperatore, *qui ab anno* 268 *imperium tenuit. Neque dissonat Ordo recitandi divini Officii, in usum Patrum Siculorum Societatis Jesu anno* 1840 *excusus, in quo ad diem* XVI *Octobris pro diœcesi Syracusana legere est, festum S.* Bassiani *celebrandum sub ritu semiduplici. Officium vero est commune unius Martyris non Pontificis, Missa* Lætabitur *cum Euangelio ex Missa* Sacerdotes Dei. *Atque hinc omne de cultu deque martyrio tolerato tollitur dubium. Quocirca recte hunc Sanctum distinxerunt scriptores Siculi ab alio S.* Bassiano, *cive Syracusano, atque episcopo Laudensi in Italia, cujus vitam ad diem* XIX *Januarii illustravit Bollandus, eum ex certis monumentis inter Confessores, minime inter Martyres referens. Sunt et alii Sancti, quibus* Bassianus *nomen est; quos tamen nemo, locum cultus et martyrii mente volvens, cum S.* Bassiano *Syracusano Martyre facile confundet.*

socios, de quibus non constat, nactus,

2 *Thomas de Angelo, e familia S. Dominici sacerdos, in suis Historico-criticis Ecclesiæ Siculæ Annalibus* (*a*) *inducit Octavium Cajetanum, qui S.* Bassiano *in Vitis Sanctorum Siculorum adjungat Sanctos Fabianum et Sabinianum;* C *ternosque laudari affirmat a Raphaele Volaterrano in Anthropologia et a Leandro in Descriptione Siciliæ; quod quam rectum sit, indagare nequeo, cum triplices has scriptiones mihi deesse doleam : animadvertendum tamen Sanctos Fabianum et Sabinianum ipsi Cajetano aliquando tam obscuros factos fuisse, ut in Isagoge ad Historiam Siculam cap.* XXVI, *num.* 11 (*b*) *scripserit :* Post tempora Decii, Valerianique et Gallieni, novis Sicilia cladibus afflicta est, imperitante Claudio; cujus edictis plerique cruciati trucidatique, sed pene omnes in obscuro mansere : UNUS Bassianus ex oblivione vindicatus, qui constantia sua religionem, sanguine Syracusas condecoravit. *Atque hæc Cajetanus, postquam excusa jam esset ejus Historia Vitarum Sanctorum Siculorum, quam allegat Thomas de Angelo. Uterque ergo hic Sanctus* E *in titulo non addendus visus est Martyri* Bassiano, *de cujus unius cultu certo nobis constat.*

martyrium passus est circa annum 269.

3 *Consonant scriptores Siculi, quotquot legere licuit, in referenda S.* Bassiani *passione ad Claudii imperatoris tempora : recensuisse satis erit Rocchum Pirrum in Sicilia sacra de Syracusana ecclesia n.* IX, § IV (*c*), *Octavium Cajetanum in Isagoge, Thomam de Angelo et Ferrarium in operibus locisque citatis. Pirrus ex tabulis Syracusanis, Cajetano, Leandro et Alberto Picciolo annum* 270 *eo martyrio condecoratum fuisse statuit. Verum cum dies* XVI *Octobris S.* Bassiani *emortualis lux censenda sit, et imperator Marcus Aurelius Flavius Claudius, agnomine Gothicus, secundum communem chronotaxin quinque circiter mensibus ante Sirmii mortem oppetierit, præplacet vagum aliquantisper relinquere Martyris nostri palæstræ tempus; licet tres tantum fere annos imperium ille obtinuerit, et, ut recte annotat Thomas de Angelo, primis regni sui temporibus bello gerendo potissimum fuerit occupatus. Atque hinc neque omnino suffragari licet Thomæ, ad pontificatum S. Felicis Papæ I referenti Syracusanæ Ecclesiæ sub Claudio calamitatem; quoniam pro Papebrochii nostri in Propylæo Maji* (*d*) F *catalogos Summorum Pontificum recensentis calculo, S. Felix Petri cathedram conscendit die* I *Januarii anni* 270; *neque audiendus est Ferrarius in annotatis ad Catalogum Sanctorum scribens, S.* Bassianum passum esse quo tempore Ecclesiæ Syracusanæ præerat S. Maximus. *Ast Rocchus Pirrus in citata Syracusanæ Ecclesiæ notitia non tantum huic Maximo substituit Eutychium, verum propositum a Ferrario hunc S. Maximum plane ignorat. Plura quæ de hoc Sancto certa aut verisimilia sint, assequi nequivimus.*

(*a*) Pag. 87. — (*b*) Burmanni Coll. Script. Siciliæ, tom. II, col. 117. — (*c*) Ibid. tom. II, col. 574. — (*d*) Pag. 38*.

A D

DE S. CECRA ET CCLXX MARTYRIBUS,

IN AFRICA.

J. V. H.

EX VARIIS MARTYROLOGIIS.

SÆC. III, VEL IV. *Martyres, excepta* Cecra, *Afros fuisse satis constat:*

In omnibus Martyrologiis primariis, Beda excepto, occurrunt hodierna die Martyres CCLXX, ut dubium nullum sit horum memoriam traditioni antiquissimæ inniti. Imo, si Florentinio credimus, nec ipse Beda eorum laudes tacet, quos sequenti die recenset. Ast fallitur Florentinius, cum nihil de Martyribus nostris neque hac, neque sequenti die habeat Beda, quem consule ad initium tom. II Martii. Afros quoque esse Martyres nostros, omnes annuntiant, si Rabanum excipias, qui Asiæ illos tribuit, scribens (*a*) : In Asia natale Cereæ et aliorum CCLXX. *Opinatur Florentinius Rabanum quia* Cercam *vel* Cæcram, *quæ Asiana erat, conjunctam cum Martyribus repererat, in Asiam amandasse universam catervam; eruditissimi viri conjectura optima esset, si certa constaret* Cæcræ *patria Asia, sed vel ipse conjecturam suam dubiam facit, dum in suo Martyrologio Hieronymiano ponit :* In Africa Cacræ (*Cecræ*) et aliorum pariter passio CCLXX. *Cui consonat Hieronymianum editum a Luca d'Achery* (*b*) : In Africa Cecræ et aliorum pariter passorum. *Romanum quoque parvum ex Bibliotheca Ottoboniana, quod in calce Adonis edidit Dominicus Georgius, Romæ an.* 1745, *habet :* In Africa natale Etcre (*Cecræ*) et aliorum Martyrum CLXX. *Ex quibus omnibus videtur incerta* Cecræ *patria, quam Notkerus distinguit a reliquis Martyribus et limpide ponit* (*c*) : In Asia Cereæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. *Cui aliquatenus consentit Notkero antiquior Wandelbertus in Martyrologio metrico, utpote qui, omissa Cecra, solum CCLXX pugiles memorat* (*d*).

ast minus certum quod Lepti passi fuerint;

2 *Satis itaque liquet Martyres CCLXX Afros esse : sed Maurolycus, quem secuti sunt Auctores Martyrologii Parisiensis anni* 1727 *et Antisiodorensis anni* 1751, *non solum Afros dicit, sed* Lepti *quoque passos commemorat ex vetustis codicibus, qui alios adhuc latuerunt.* Leptis *quidem duplex est* Magna *et* Parva, *illa quidem Tripolitanæ provinciæ metropolis, hæc vero Byzacenæ civitas episcopalis, ut habet D. Ruinart in Victore Vitensi de Persecutione Vandalica. Verum siquidem Lepti passi fuerint Martyres, omnino* Leptis magna *tamquam palæstra assumenda est, cum adjungat Maurolycus* apud Leptim seu Tripolim, *quod cum Lepti magna unice quadrat. Id tamen probe cum Steph. Morcelli nostro animadvertendum, urbem* nullam tunc temporis in Africa Tripolim fuisse (*e*), *sed Tripolitanæ provinciæ nomen tres illius tractus urbes dedisse, Oeam, Sabratam, Leptin magnam. E lectione Strabonis probabiliter vitiata, sunt qui censent Leptim magnam eamdem esse urbem ac Neapolitanam Provinciæ Tripolitanæ : etenim dicit :* Νεάπιλος ἡ καὶ Λεπτὶν καλοῦσι; *sed præter vitium grammaticale, mendum obrepsisse suspicatur laudatus Morcelli, ac legendum censet* Νεάπολις καὶ ἡν Λεπτὶν καλοῦσι (*f*). *Cæterum quæstionem dirimit Plinius ibidem citatus, cum diserte Leptim a Neapoli distinguat :* Ibi (*in Provincia Tripolitana*) civitas, *inquit,* Oeensis. . . Oppida Neapolis, Taphra, Abrotonum, Leptis altera, quæ cognominatur Magna. *Distinctionem arguit quoque Morcelli ex eo quod Junius episcopus Neapolitanus post Oeensem episcopum qui Sabratensis et Leptimagnensis vice tunc functus est, subscripsit Concilio Carthaginensi sub Cypriano anno* 256 (*g*); *recte concluderet argumentum, si episcopi in dicto Concilio secundum ordinem Provinciarum subscripsissent; sed inspicienti patet promiscue sententiam dixisse, ita ut* X *loco reperiatur Mommillus episcopus* Girbitanus, *Provinciæ Proconsularis, medius inter episcopos Numidiæ et Byzacenæ.*

omnium vero incertissimum tempus,

3 *Quo vero tempore martyrium passi sint CCLXX, longe difficilior est quæstio. Card. Baronius quidem arbitratur tempore persecutionis Vandalicæ passos, ejusque opinioni favent Romanum parvum quod Adoni in editione Georgiana præfigitur :* SS. Martyrum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et aliorum CCLXX pariter coronatorum Wandalica persecutione. *Ado quoque cujus initium ad verbum excerpsit Usuardus :* In Africa natale sanctorum Martyrum CCLXX pariter coronatorum et sanctorum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus, *etc. Notkerum etiam patronum hujus sententiæ scribit Dominicus Georgius in annotationibus ad hunc diem; sed nescio quo fundamento : in suo Martyrologio* (*h*) *diserte distinguit Martyres nostros a Martiniano et Saturiano eorumque sociis :* In Asia, *inquit,* Cereæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. Item Sanctorum Martyrum Martiani, Saturiani cum duobus fratribus, *etc. Quibus verbis, maxime interposita particula* item, *clare utramque Martyrum turmam distinguit Notkerus, quin tamen quæstionem temporis attingat.*

quod ad sæc. III, *vel* IV *restringitur.*

4 *Res confecta esset, nullusque dubitaret martyrium CCLXX pertinere ad persecutionem Vandalicam seu sæculum quintum, si tuto stare liceret, tacente Notkero, auctoritati horum Martyrologorum. Sed obstat imprimis ipsorum cum aliis Martyrologiis discrepantia, quum nude CCLXX ponunt, quin Martiniani ejusque sociorum mentionem faciant, ut patet ex Hieronymianis supra allatis : dein cum Adonis et reliquorum narratio ex Victore Vitensi de persecutione Vandalica desumpta sit, solius martyrii Martiniani, Saturiani cum duobus eorum fratribus meminit Victor, non omissurus profecto triumphum CCLXX pariter coronatorum. Tandem, teste Sollerio nostro* (*i*), *in genuino textu Hieronymiano vix ulla est mentio Martyrum Afrorum in persecutione Vandalica, imo Florentinius ad hunc diem fatetur se hujusmodi mentionis non meminisse, unde sequitur Martyres nostros ante Constantinum passos fuisse. An vero tertio sæculo, ut in margine notant Martyrologia Parisiense et Antisiodorense supra laudata, non ausim decernere, cum nulla mihi occurrat ratio probabilis, cur eos tertio potius sæculo quam initio quarti passos fuisse asseram.*

(*a*) Canis. Antiq. Lect., t. II, part. II, p. 344. Edit. Basnag. — (*b*) Spicil., t. II, p. 20. Edit. Paris, an. 1723. — (*c*) Canis. Antiq. Lect., t. III, part. III, p. 180. — (*d*) D'Achery Spicil., t. II, p. 54. (*e*) Africa Christ., t. III, p. 320. — (*f*) Ibid, t. I, p. 242. — (*g*) Labbe, t. I, Conc. col. 786. — (*h*) Canis. Lect. Antiq., t. II, part. III, p. 180. — (*i*) Præf. Martyrol. Usuardi, p. XXXVIII.

A D

DE SS. SATURNINO, NEREO, MIREO, AUFIDO

ET SOCIIS CCCLXV MARTYRIBUS,

IN AFRICA.

EX MARTYROLOGIIS.

J. V. H.

SÆC III, VEL. IV. *Hi Martyres, perperam Hispaniæ adscripti,*

Florentinius luxatos suspicatur codices, qui hos martyres mira varietate referunt, ut vix reperiantur bini vel terni qui accurate inter se conveniant. Intricatam quæstionem facile solveret Tamayus in suo Martyrologio Hispanico, si tuto hunc ducem sequi liceret; scribit enim : Cluniæ in Hispania Citerore Sanctorum Saturnini et Nerei cum CCCLXV sociis, qui pro Christi confessione in Diocletiani et Maximiani impia persecutione comprehensi gloriosum martyres compleverunt agonem. *Habemus palæstram martyrii Cluniam, coloniam Romanam in Hispania Citeriori, seu in Provincia Tarraconensi, ut habet P. Florez, Ord. Erem. S. Augustini, in suo eruditissimo opere* España Sagrada (*a*). *Habemus tempus martyrii, persecutionem Diocletiani et Maximiniani. Verum cum ipse Tamayus non alios fidejussores suæ annuntiationi præbeat quam Pseudo-Dextrum, ejusque sequaces aut commentatores, cordatus quisque ad fabulas amandandam censebit splendidam martyrii annuntiationem* (*b*).

ad Africam pertinent

2 *His omissis, antiquiora et genuina Martyrologia adnotant hac die, licet cum aliqua inter se diversitate, SS. Martyres Saturninum et Nereum, quibus pleraque Hieronymiana addunt* Mireum *et* Aufidum. *Sic Martyrologium Hieronymianum Corbiense sæculi* XI *apud Lucam D'Achery* (*c*) : In Africa Cecræ et aliorum pariter passorum ducentorum septuaginta ; Merii, Aufidi, Saturnini, Nerei. *Aliud Martyrologium S. Guillelmi de Deserto seu Gellonense, quod ineunte sæc.* IX *exaratum est, nunti apud Luc. D'Achery* (*d*) : Africa, Cecræ, Marei, Aufidi, Marianæ, Nerei. *Confusa hic duo elogia videntur, tum interpolatione* Marianæ, *quæ in Gellonensi sequenti turmæ, in aliis sequenti die cum* Nino, Victoria, Nobilitana *conjungenda esset : tum omissione* Saturnini, *qui constanter in reliquis exemplaribus cum* Mireo *et Sociis laudatur. Cum vero Florentinius in suis codicibus Sanctos quatuor Martyres invenerit, nullus dubito* Saturnino *et* Nereo *Martyrologii Romani* Aufidum *et* Mireum *adnectere.*

3 *Sed quod Card. Baronius adjiciat catervam CCCLXV martyrum, advertit Castellanus in suo Martyrologio universali gallice edito, Hieronymianos codices omnes tacere de numerosa cohorte CCCLXV. Quare et Florentinius facile inclinaret in sententiam hanc turmam eamdem esse cum Martyribus CCLXX de quibus supra jam actum est,* nisi, *ait,* Romani Martyrologii emendati auctoritas diversos hos esse suaderet, dum sejunctim ab illis et in alia classe reposuit, ex veteribus Mss. ut ibi addit Baronius. *Cæterum Martyres Afros fuisse, varia edicunt Martyrologia, tacentibus aliis, in quibus est Romanum : nisi fortassis particulam* item *pro* ibidem *interpretari luberet, quod tamen illo sensu non facile admittitur. Major est etiam obscuritas circa tempus passionis. Galesinius citans Victorem Vitensem de Pers. Vandal. sæc.* V *martyrium illigat;* sed hoc, *ait Card. Baronius,* divinare est, cum nullius auctoritate probetur. *Porro cum ex Hieronymianis Apographis profluat hodierna annuntiatio, ante pacem Ecclesiæ sub Constantino Imp. redditam passos esse hos Martyres autumare licet. Propterea martyrium sæc.* III *vel* IV *accidisse opinor. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, dicit* Saturninum *fuisse presbyterum; sed, ut videtur, nullo nixus idoneo testimonio : unde plerique tacendo, hanc dignitatem S. Martyri abjudicant.*

eorumque passio ad sæculum III *vel* IV *referenda videtur.*

B E C F

(*a*) T. XXIV, part. II, p. 126. — (*b*) Cfr. Nic. Antonii Censura de historias fabulosas, l. V, c. XII, § 6. — (*c*) Spicil., t. II, p. 20. Edit. Paris 1723. — (*d*) Ibid, p. 35.

DESS. LEONTIO, DOMITIO, TERENTIO ET DOMNINO

MARTYRIBUS, CULTIS A GRÆCIS.

SYLLOGE.

TEMPORE INCERTO. *SS.* Leontius, Domitius, Terentius *et* Domninus *e solo Martyrologio metrico noti.*

Ecclesiæ Græcæ Martyrologium metricum, editum a Sibero, et e magnis Græcorum Menæis collectum, sacrum hodierno die exhibet manipulum, de quo alius Martyrologus, quem sciamus, nullus mentionem facit : adeo ut hic locus sit eæ Siberi assertioni, qua in præfatione sua notat Græcorum Martyrum absolutissimam memoriam in hoc Martyrologio metrico exhiberi; adeo, ut quos omnes reliqui scriptores ignorant, hic tantum atque unice reperiantur. *His autem Sanctis Græcis* (*e cultu scilicet Græci æstimandi sunt*) *hæc latina sunt nomina :* Leontius, Domitius, Terentius *et* Domninus; *de quibus in laudato libro hos habes versiculos :*

Τρεῖς Λεόντιε τοὺς συναθλοῦντας ἔχων,
Λεόντιόν τι τῆς πυρᾶς ἄλλῃ μέσον.

Commilitones tres habet Leontius,
Leonis instar in rogi flammas ruens.

Atque hæc e Martyrologio metrico hausta Sanctorum Martyrum memoria, unicum nobis documentum est, quod eos a nobis oblivioni dari non sinit.

DE

A D

DE S. MALO, EREMITA,

SYLLOGE

e Menæis Græcorum aliisque fastis.

TEMPORE INCERTO. *Illustratur S.* Mali *memoria e Kalendariis*

In pluribus Kalendariis Græcis, quæ olim Mediolani a Papebrochio exscripta fuere, nunc autem in bibliotheca Burgundica regia Bruxellis asservantur, nuntiatur præsenti die S. Mali, *Patris, Eremitæ et Thaumaturgi memoria. Neque eam omisit Pater Sirmundus in collectione Ms. commemorationum Sanctorum, quos ab Ecclesia Græca coli nosset, quin tamen eorum nomen e vulgatis sibi innotesceret Menologiis. Inter Martyrologia impressa venit apud Latinos unum Universale Castellani Martyrologium, quod* S. Maleum eremitam, B qui apud Græcos colitur, *commemoret. Apud Græcos autem disticho laudatur in Martyrologio Metrico, quod anno* 1727 *Urbanus Godofredus Siberus illustravit, Lipsiæque excudendum curavit; sonat autem id carmen in hæc verba :*

Μαλὸς βραχεῖαν γῆς λιπὼν παροικίαν
Πόλου κατοικεῖ τὴν μακρὰν κατοικίαν.

Terræ relinquens hocce diversorium
Nunc incolit Malus poli palatium.

et magnis Menæis Græcorum.

2 *Paulo plura nobis subministrat Menologium Matthæi Raderi, ex magnis Menæis Græcorum collectum, quod olim descripsere decessores nostri, atque nunc loculo* 7883 *Bibliothecæ Burgundicæ gaudet :* Eodem die (*scilicet* XVI *Octobris*) S. Patris nostri Mali. S. Pater noster Malus, relictis opibus et cognatis in locis solis et desertis degens, jejuniis, vigiliis et omnibus aliis corporis afflictionibus gaudebat. Erat illi vultus semper lætus et gratiosus, signaque inusitata invocato Christi nomine perpetrabat, cum et elephantiasin (lepram) ab leprosis abstergeret, dæmonas ab obsessis pelleret, cæcis solem reduceret. Et hæc quidem dum viveret agebat. Postquam ad Dominum emigravit, unguentum gratissimo odore fragrans ab ipso manabat, quod per gratiam Dei acceptam nullum non genus morborum, quomodocumque infestum persanavit. Nam glorificantes me, inquit Dominus, glorificabo, cui gloria et imperium in omnes omnium sæculorum æternitates. Amen. *Græce autem sic hæc sonant in Magnis Menæis :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαλοῦ. E Οὗτος ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Μαλὸς, καταλιπὼν πλοῦτον καὶ εὐγένειαν, ἐν ἐρήμοις καὶ ἀοικήτοις τόποις προσεκαρτέρει, νηστείαις καὶ ἀγρυπνίαις καὶ πάσαις ἄλλαις κακοπαθείαις χαίρων. Ἦν δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀεὶ χαροποιόν. Θαύματα ἐξαίσια τῇ ἐπικλήσει τοῦ Χριστοῦ ἐργαζόμενος, λεπροὺς καθαρίζων, δαίμονας ἀπολαύνων, τυφλοῖς τὸ βλέπος χαριζόμενος · καὶ ταῦτα μὲν ἐποίει ἔτι ζῶν. Ἀπελθὼν δὲ πρὸς Κύριον, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ τῇ γῇ καταλιπὼν, εὐώδη μύρον ἀπὸ τοῦ πηγάζειν, εἰς ἴασιν καὶ ἀποτροπὴν παντὸς ἐναντίου συναρτήματος καὶ νοσημάτων ἀνηκέστων ἐκ Θεοῦ χάριν εἴληφε. Τοὺς γὰρ δοξάζοντάς με, φησὶν ὁ Κύριος, δοξάσω, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος. *Plura de hoc Sancto, quæ ejus illustrent patriam, ætatem, solitariæ ejus vitæ locum et rationem, reperire non contigit : quocirca necesse nobis fuit ea in titulo omittere, quæ vulgo de Sanctis compendiose prædicantur.*

DE S. ELIPHIO, MARTYRE,

C F

PROPE TULLUM LEUCORUM IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De S. Eliphii nomine, memoria in Martyrologiis, et biographis.

ANNO FORTE CCCLXII. *S.* Eliphius, *cujus nomen non græcum sed germanicum est,*

S. Eliphius, *qui in agro Tullensi gallico idiomate* Eloph, *in diœcesi Carnotensi* Elis, *atque alibi a populo* Aloph *nuncupatur, ut Claudius Chastelain in Universali Martyrologio ejusque Supplemento idoneus testis est, in libris autem vetustisque documentis* Elifius, Elyphius, Elisius, Esitius, Alophius *scribitur, nomen suum secundum scriptores aliquot deducit e vocabulo græco* ἔλαφος, *quod cervum signat. Verum id nomen ad veteres septentrionales gentes pertinet, ut ex multis antiquis monumentis colligere est; quorum unum, litteris exsculptum runicis, et a Peringskioldo inter Monumenta Uplandica* (*a*) *relatum, satis fuerit allegasse. Inscriptus est hic cippus his verbis :* Ailifr auk Siguidur litu raisa stain iftir Vifast fadur sin ; *quæ in præsenti Sueco idiomate sonant :* Elof och Sigwed läteo resa steen til æminnelse efter sin fader Wifast, *et latine :* Eliphus et Siguidus curaruntnt

(*a*) Fol. 209.

runt erigi lapidem post Vifastum patrem suum; *neque est quod littera* r, *veteri Suecœ, præsentique Islandicæ linguæ communis, qua nomen Ailifr desinit, dubium creet ullum, quin* Ailifr *idem ac* Eliphius *sit; cum sequens qui a Peringskioldo exhibetur cippus, Vifasti filiæ nomen* Ailif *referat. Sitne vero id nomen compositum ex* ee *aut* e, *quod Wiarda in opusculo de Nominibus Germanis* (*a*) legem, jus, fas, fidem *interpretatur, qualiter in* Ewald *quod* jure potentem *indicat, an ex* aa, a, ea, ee, ei, *etc., quod* aquam *denotat, et ex* lib, liub, leof, lef, laf, *quod in nominibus juxta omnes* carum, amicum, *qualiter in* Theodleof, *et* Freotolof, *significat, judicabit ipse lector. Prius etymon faceret S. Eliphii nomen idem ac* justitiæ amicum, *alterum* aquæ amicum. *Cum* Egiluf *secundum Wiarda* (*b*) justitiæ amicum *quoque signet, videtur* Egiluf *idem esse ac* Eliphius.

diebus variis a variis nuntiatur martyrologis.

2 *Exulat porro id S.* Eliphii *nomen tum e Beda puro, tum ex Usuardo, tum ex Adone, verbo ex omnibus antiquis Martyrologiis; atque adeo ex Kalendario ecclesiæ Coloniensis sæc.* XIV, *quod Cl. Binterim edidit* (*c*), *abest S.* Eliphii *memoria. In recentioribus vero ad varios apparet dies. Imprimis ad diem* XXI *Junii ejus meminit editio Coloniensis et Lubecensis Martyrologii Usuardini, necnon Martyrologium Greveni, tertium quod Canisio tribuitur, et demum Kalendarium Coloniense confectum a Gelenio; quæ memoria orta forte est e depositione corporis in argenteo loculo, pluribus alibi explicanda. Ad diem* XI *Octobris Saussayus in Martyrologio gallicano latum de S.* Eliphio *elogium texit, nulli prorsus innixus rationi, quæ Sancti Martyris memoriam illi diei annectat. Diem autem* XVII *ejusdem mensis condecorat Sancti nostri encomio codex Usuardinus Hagenoyensis, citatus a Sollerio; neque hic abest error, quandoquidem certum est, S.* Eliphium *tum Coloniæ, tum Tulli die* XVI, *tanquam ejus in cœlis natali, coli. Nævi itaque expertes sunt Usuardini codices Ultrajectensis Leydensis, Aquicinctinus, editio Molani, aliaque Auctaria allegata a Sollerio; non secus ac codex Dervensis recentiori manu auctus, et adductus a D. Rouillart in editione Usuardi San-Germaniani, appendix Adonis, editi a Dominico Giorgi, Martyrologium Galesini, et Martyrologium germanicum, dictum Canisii; ubi S.* Eliphius *hodierna die celebratur. Surius quoque, Baillet, Butler præsenti diei S. Martyris vitam in hagiologiis suis illigaverunt.*

in Martyrologio Romano memoriam nactus est, quam aliqui correctam vellent.

3 *Martyrologium Romanum, quod potissimum in assignando Sanctis suum quemque diem ducere nos par est, hodie item celebrat S.* Eliphii *memoriam in hæc verba :* Coloniæ sancti Elyphii Martyris sub Juliano Apostata. *Claudius Chastelain loco* Coloniæ *dicere mallet* prope Tullum, *quoniam hic cœlicam coronam meruit S. Martyr; illic vero præcipuæ tantum ejus Reliquiæ asservantur. Cæterum jam multis a sæculis ingens est in Martyrologiis varietas cum ad S.* Eliphium *devenitur; nam pleraque Auctaria Usuardi, quæ in Germania et Belgio usitata fuerunt, adstipulantur Martyrologio Romano : Gallica vero mentem sequuntur Claudii Chastelain, sanctique* Eliphii *memoriam agro Tullensi, aut Prato amœno alligant. Archiepiscopus Hydruntinus De Aste, in annotatis ad Martyrologium Romanum, potissimum expungi cupit hæc posteriora verba :* sub Juliano Apostata : *quod quo jure cupiat, videbitur inferius.*

4 *Quicumque ab ineunte sæculo* XVI *de S.* Eliphii *disseruerunt gestis, ut Baronius, Ruyrius, Gelenius, Usserius, Bailletus, Tillemontius, Calmetus aliique complures, non antiquiora præ manibus habuisse videntur Acta, quam quæ Rupertus, abbas Tuitiensis, circa annum* 1130 *conscripsit; quin immo Tillemontius in Historia Ecclesiastica* (*d*) *et Bailletus in notis ad vitam S.* Eliphii *autumasse videntur jam pridem periisse vitam, qua Rupertus in prologo apud Surium* (*e*), *se usum fuisse testatur his verbis :* Qui primus nostrisque temporibus longe anterior, martyrium scripsit preciosi Martyris Eliphii, fundamentum posuit : vos autem Fratres Carissimi, tu Pater Albane, tecumque tui spirituales filii, parvitatem meam superædificare compellitis. *At quali versarentur in errore jam pridem ostendere decessores nostri Constantinus Suyskenus ad vitam S. Libariæ die* VIII *Octobris* (*f*) *et Jacobus Bueus ad vitam S. Mennæ, quæ ad diem* III *Octobris* (*g*) *excusa est. Neque difficile eis erat illud negotium, cum in Musæo suo asservatum haberent geminum passionis S.* Eliphii *exemplar, alterum e Ms. vetusto codice S. Viti in Gladbach descriptum, et cum Ms. codice e cœnobio S. Magni Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini ad pedem pontis Ratisbonæ in Bavaria collatum. Reperimus hæc aliaque ecgrapha partim in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi, partim in abbatia Tongerloensi; atque adeo eadem typis expressa nobis exhibuerunt appendices, quæ Legendæ Aureæ, anno* 1483 *Coloniæ, et anno* 1485 *Lovanii excusæ, additæ fuerunt. Ex eodem fonte, non autem ex scriptione Ruperti, haustæ fuerunt lectiones de S.* Eliphio, *quæ Breviaria Coloniensia annis* 1481 *et* 1498 *excusa, et tertium Trajectense anno* 1518 *editum, capiunt; idemque affirmandum est de Vita S.* Eliphii, *quæ inserta est uberrimo Legendario Theotisco, anno* 1485 *Coloniæ apud Ludovicum Van Renchem impresso. Neque est quod dubitetur, quin hæc S.* Eliphii *Vita eadem sit, quam opusculi sui* fundamentum *nuncupat Rupertus : cum omnes præ se ferat characteres, quibus eam Tuitiensis abbas distinguit,* non satis jucundam *eam appellans,* neque satis idoneam propter nimiam simplicitatem : qui * rem gestam non solum suo splendore non exornat, verum etiam quasi quodam fumo aliquantisper obscurat. *Præterea cum ab eodem Ruperto* non... aliud inveniretur pertinens ad memoriam ejusdem Martyris... præter scriptum illud, *oportet omnino, ut non alia exstiterit Coloniæ, quam illa ipsa Passio, qua inter decantandum Officium utebantur, ut ex pristinis Coloniensibus Breviariis liquet. Atque hæc certum satis faciunt non periisse toties desideratam S.* Eliphii *Vitam, quæ præluxit Ruperto.*

Vetus ejus Passio, quæ a pluribus perdita æstimata fuit.

* quod

non diu post annum 1036 *scripta est.*

5 *Cum autem num.* 2 *hujus Passionis* S. Menna sacra Virgo et monacha ad Porses condita *dicitur, conatus est Bueus in citato de S. Menna commentario ætatem hujus scriptionis inquirere; hæc ejus sunt verba :* Cum itaque S. Mennæ corpus ad Portum suavem sub Brunone Tullensi episcopo ac Summo deinde Pontifice, anno supra millesimum trigesimo sexto, ut in decursu videbitur, primum translatum sit, consequens est, ut ante hunc annum scriptum suum non elucubrarit anonymus, atque adeo uno sæculo tantum Rupertum ætate superarit, licet hic illum se longe antiquiorem nominarit. Neque tamen multo post dicendus est, tum quod Rupertus, qui anno 1137, auctore Miræo, e vivis abiit, eum se longe antiquiorem nulla veri specie dicere alias potuisset, tum quod id suadeat

(*a*) Pag. 47. — (*b*) Ibid. — (*c*) Part. I. Eccles. Coloniens. nov. et antiq., p. 353. — (*d*) T. VII, p. 353 et not. XII ad persecut. Juliani. — (*e*) T. V, p. 246. Edit. Colon. 1618. (*f*) T. IV, Oct. p. 232. — (*g*) T. II, Oct., p. 150.

A deat codicis Ratisponensis, cui S. Eliphii Vita inserta est, vetustas, quam 700 facile annorum esse, conjecit, quisquis tandem in Ratisponensi apographo nostro locum, unde S. Eliphii Vitam accepimus, annotavit. *Neque iis Buei rationum momentis opponere fas est, Vitam illam interpolatam aut auctam aliquando fuisse; constare id ex codice S. Maximini Trevirensis, in quo reperire non est, quæ in aliis de Coloniensi S.* Eliphii *cultu asseruntur; eamque proin anteriorem esse anno* 963, *quo S.* Eliphii *corpus Coloniam translatum est. Evertuntur hæc quippe objecta ex hoc ipso Trevirensi volumine, quod non secus ac reliqua S. Mennæ translationis meminit. Ex hac itaque MSS. varietate id unum conjicere pronum est, Colonienses adjecisse S.* Eliphii *Passioni, ex agro Tullensi acceptæ, ea quæ ad civitatem suam pertinerent; atque inde centonem illum in plerosque codices admissum fuisse; Trevirenses vero Tullensi aliove usos fuisse MS. a quo auctarium illud abesset. Cæterum quis eam S.* Eliphii *Vitam conscripserit, e nullis indiciis colligere licet; apparet id unum ex agri Tullensis accurata notitia, auctorem ad hunc pagum, minime vero ad Coloniensem civitatem pertinere. Quam sublestæ autem fidei sit integrum istud*
B *documentum, lectori deinceps satis liquebit.*

et præluxit Ruperto circa annum 1130 *in adornanda comptiore Vita.*

6 *Secundam Vitam, conscriptam a Ruperto, ad diem* XVI *Octobris fideliter edidit Surius, nihil eam stylo suo, ut plerumque assolet, reformans : quod quidem constat ex ejus collatione cum MS. Coloniensi, quod nunc in bibliotheca Burgundica regia num.* 2381 *Bruxellis asservatur. Quo anno conscripta fuerit non apprime determinare licet. Initio prologi testatur se ad scribendum inductum fuisse ab Albano abbate, ejusque monachis. De hoc Albano pauca excerpam ex Catalogo abbatum S. Martini Coloniensis, quem inter multa chronica et varii generis instrumenta nobis procuravit vir de re nostra hagiographica optime meritus Ant. Binterim. Porro secundum hunc Catalogum Albanus ille anno* 1110 *ex monasterio Brauwilerensi abbas postulatus fuerat. Anno* 1124 *occurrit ejus nomen in instrumento donationis, et in altero, quod ipse a Frederico Coloniensi archiepiscopo anno* 1130 *indict.* VIII, *regnante Lothario Piissimo Romanorum rege III, impetraverat. Ad hæc addit Catalogi scriptor :* Nec diu supervixisse videtur Albanus, hoc aut sequenti anno ad superos translatus. *Cui vero ad hæc asserendum innitatur fundamento, non in-*
C *dicat; quin in articulo de sequenti abbate Willelmo æstimat anno* 1136 *abbatiale pedum in nullius manu fuisse : cum nihil sit cur ab eo dissentiatur, Vitam S.* Eliphii *ante annum* 1130 *a Ruperto conscriptam fuisse cum eo statuendum videtur. Qualem vero operam præstiterit Rupertus ex ipsius prologo discere licet. Cum enim Vita, Monachis Coloniensibus et Ruperto Tuitiensi* usitata, non satis jucunda neque satis idonea æstimaretur propter nimiam simplicitatem, utpote rem gestam non suo exornans splendore, verum etiam quasi quodam fumo obscurans, firmum ac splendidum superædificare ædificium super hoc angustum ac tenue fundamentum *tentavit; quam in rem,* quatenus pulchritudinem materiæ non pauperaret penuria facundiæ, immo dignitatem rerum quasi coronando ambiret compositio, sive conveniens appositio sententiarum, *Coloniensium confidebat piis orationibus.*

Rupertum, cujus sinceram operam male sprevit Bailletus, secutus est Bailletus ipsemet,

7 *Hæc ille de seipso : quibus addere licet, stylum ejus revera comptiorem esse, periodis nonnumquam illigatum, et multo jucundiorem legenti. Historiæ vero ordinem atque ipsas res gestas, quantum per objectas sibi fabulas licuit, nonnihil illustravit. Pro* D *more temporis sacra Scriptura in ornamentum vocata fuit; ipsa autem Historia Ecclesiastica tripartita, Socrates in Historia Ecclesiastica, et Vita S. Martini, commentarii materiam præbuerunt, atque ea subministraverunt facta, quibus S.* Eliphii *Vita cum universa Historia Ecclesiastica colligaretur; demum pristinum de S.* Eliphio *opusculum ita a Ruperto in usum adductum est, ut, si unum alterumve minimi momenti adjunctum excipias, Ruperti scriptio a priori scriptione non discrepet, quoad res a S.* Eliphio *gestas spectat; immo ut ipsa dicta quæ ab anonymo S.* Eliphio *tribuuntur verbotenus fere transcribat, laudabilissimo sane instituto; quoniam Martyrum verba quam maxime venerabilia sunt, ut Ruinartius in Præfatione ad Acta sincera Martyrum et Benedictus XIV lib.* I, *cap.* III *de Canonizatione Sanctorum, aliique pluribus explicuerunt. Cæterum Ruperti opus non dicendum est purius quam quæ ei præluxit Vita; licet Bailletus, qui numquam hanc Vitam viderat, id asserere non dubitavit. Quod vero magis mirum est, cum ille idem scriptor in notis suis prævias ad Vitam S.* Eliphii *declarasset Ruperti fœtum omni auctoritate carere,* E *non alio tamen ipse utitur instrumento ad bene longam condendam Vitam; in qua quidem interdum a Ruperto discedit, at ut dubia aut mere putatitia dubiis aut falsis substituat; neque minoris proin auctoritatis est Ruperti scriptio quam scriptio Bailleti. Sunt et alii hagiologi qui Bailletum secuti sunt; sed dux cæcus in foveam deduxit sequaces.*

aliique, qui recensentur, biographi.

8 *Ante Bailletum nonnullæ aliæ jam conditæ fuerant S.* Eliphii *Vitæ; de his sermonem facit Calmetus in historia Lotharingiæ (a). Prima, quæ quatuordecim capita habet, Calmeto videtur scripta a Cl. Machon, cujus MS. codicem exstare scribit in bibliotheca Cl. Seguierii; edita autem fuit ineunte sæculo XVI, et vix quidquam habet, quod alibi non occurrat. De reliquis sic loquitur idem Calmetus :* Vidi Vitam seu Encomium Historicum S. Eliphii, conscriptam a P. Adriano Capuccino, et anno 1721 Nancei excusum; decerpta hæc dicitur non tantum ex abbate Ruperto et Surio, verum etiam ex hujus Sancti Vitis, quas Cl. Vici Doctor S. Theologiæ in Facultate Parisiensi et Jacobus Trigeon Doctor in Facultate Remensi anno 1578 Parisiensibus typis crediderant, et ex tertia quam Franciscus Henricus anno 1629 Nancei excudendam curaverat. At nihil in his reperi quam adjuncta quædam minus F certa, quæ Ruperti narrationi superaddita fuerant. *Hæc Calmetus. Ad manus mihi est illa P. Adriani scriptio, et insuper alia, quam ignoravit Lotharingiæ historiographus : edita fuit Mussiponti anno* 1602, *eique auctor inscribitur M. P. M. C. D. S. E.; quibus siglis absque dubio signatur :* M. P. M. Curé de St. Elophe.

§ II. S. Eliphius non videtur mortis damnatus a Juliano, neque a Sallustio præfecto, sed ab ignoto, Juliani gratiam aucupante.

Julianus, qui S. Eliphium *mortis damnasse dicitur,*

Porro *cum ab his in Vitas seu Passiones S.* Eliphii *annotationibus stylum transferimus ad ipsa*

(a) T. 1, col. 198 et seq.

A *S.* Eliphii *gesta, discutiendum tantum in præsenti commentario videtur, quis ejus martyrii auctor extiterit. Sunt scilicet qui S.* Eliphium *ab ipso Juliano apostata mortis damnatum asserant, eisque omnino suffragantur vetusta Passio et reliquæ ex eo fonte haustæ; sunt et alii qui S. Martyrem a præfecto Sallustio, Juliani amicissimo, trucidatum statuant, sibique favere arbitrantur S. Hilarium Pictaviensem; demum sunt et tertii qui S.* Eliphii *martyrium ad Juliani referant tempora, licet a se non assignari posse profiteantur, quis Juliani præfectus S. Martyrem trucidari jusserit; eisque nos accenseri cupimus. Primam autem sententiam, quæ in vetusta Passione quam latissime diducta est, juvat paucioribus exponere, adhibito S.* Eliphii *elogio, quod in Auctario Usuardino Lubeco-Coloniensi ad diem* XV *Octobris ita sonat :* In prato amœno super flumen, quod Vera dicitur, inter Grandensem et Tulensem civitates, natale S. Eliphii martyris; qui cum ferventer ea quæ sunt Christianæ fidei, Judæis et gentibus prædicasset, tandem sub Juliano apostata tentus et requisitus ut Christum negaret, respondit: inimice veritatis et adversarie propriæ salutis, ad hæc utere consilio meo, et pœniteat te errasse, ut
B mortem æternam evadere possis. Audiens Julianus fremuit et jussit decollari, dicens : nunc videbo, in quo Deus tuus prævaleat; et capite truncatus, cum gloria et honore pretiose martyrium complevit. Quo facto, corpus exanime se de terra transtulit et caput amputatum ambabus manibus amplectens, et fere per miliare deportavit in montem excelsum quem antea suæ sepulturæ elegerat. Sed nunc in Colonia Agrippina, in monasterio Sancti Martini episcopi, per translationem requiescit. *Quæ ex Vita edenda contracta sunt.*

anno 361 palam Christianus adhuc erat, neque dein in agrum Tullensem venit.

10 *Verum universam hanc narrationem graviter quatit atque evertit Ammianus Marcellinus, comes Juliani et historiographus. Eo enim teste, cum Julianus anno* 360 *exeunte ab Attuariis debellatis rediisset, suisque cum copiis Viennam in Gallia convenisset, et totus in eo esset ut sibi adversus Constantium adscisceret vires; tum ille imperii affectator* ut omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, aruspicinæ auguriisque intentus, et cæteris quæ deorum semper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes
C mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit. *Hæc Ammianus de Juliano lib.* XXI *referens res gestas circa ineuntem annum* 361; *et Ammiano consentit Zonaras, a Tillemontio* (*a*) *citatus. Atque ex his sane testimoniis manifestum fit S.* Eliphium *a Juliano nihil fuisse passum, cum hic anno superiore in Germaniam profectus esset, ut idem Ammianus lib.* XX *tradit. At investigari potest num Julianus S.* Eliphium *capite damnarit, cum ipse, occiso Libinone, adversus Vadomarium Rheni ripas vastantem anno* 361 *profectus est. In promptu responsum est : vastabat scilicet ille barbarus Galliæ fines Rhetiam versus : neque proin facile alicui persuasum iri confido, Julianum, qui, quantum in resistendo promptitudo valeat, belle nosset, ita a rectiori via aberrasse, ut perrexerit Grandim, Tullum, aut Solimariacam, cum ei Vienna proficiscendum et Basileensis ager petendus foret.* Præterea cum adulta jam æstate, compositis barbarorum trans Rhenum copiis, (*ut Zosimus* (*b*) *tradit*) velut ad profectionem longinquam omnem exercitum instrueret, *nondum hypocriseos larvam posuerat.* D *Quod Ammianus lib.* XXI *nos quoque docet his verbis :* Incertus de militum fide, placata ritu SECRETIORE Bellona, classico ad concionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens, jamque, ut apparebat, fidentior, hæc clarius solito disserebat jamdudum tacita, *etc. Et sequitur oratiuncula in qua bis de Deo disserit, nusquam de diis, et de paucis aliis, quæ Christianum non Idololatram sapiunt. Ab hoc tempore in Gallias non amplius reversus est Julianus, sed continuo per Alpes Illyriam petiit : unde in eum conjiciendæ non sunt capitis pœnæ a S.* Eliphio *petitæ.*

Frustra huic sententiæ opponit Baronius Juliani litteras,

11 *Sed undique urgent adversarii : Baronius quippe animadvertit in notis ad Martyrologium Romanum* de Juliano, dum esset in Galliis cum exercitu, duo tempora distinguenda esse : prius cum se non tantum Christianum esse (ut scribit Ammianus Marcellinus) sacros Christianorum conventus adiens profitebatur, sed (ut scribit S. Hilarius contra Constantium) Catholicis adversus Arianos favebat; posterius autem tempus, quando ab exercitu acclamatus imperator, exuens hypocrisim, palam deos gentilium coluit, ut ipse testatur in
E epist. XXXIX ad Maximum Philosophum, quam tunc scripsit cum adhuc esset in Galliis, quæ inter alia hæc habet in fine : « Deos publice et palam colimus, et totus meus exercitus pietatem amat, nos aperte boves immolamus », *etc. Sed rite Franciscus De Aste, Archiepiscopus Hydruntinus in suis ad Romanum Martyrologimm disceptationibus observat* prælaudatas litteras ad Maximum scriptas non fuisse in Galliis, sed quum ex ipsis Galliis ad Illyrios pervenisset, ut eruitur ex ipso Baronio ad annum 362 num. v, *in Annalibus,* re jam ultro citroque in apertum bellum disposita.

de Aste Zosimi asserta,

12 *Verum idem Hydruntinus Archiepiscopus cum auctoritate Baronii nos liberat, alio sibique proprio vinculo nos stringit, cum affirmat* Zosimum lib. III, adstruere his verbis : Julianum in Galliis publice immolasse. *At bona doctissimi viri venia, objectum hoc solvere liceat. Erravit scilicet vir præclarus cum hæc non ex Zosimo, sed ex Baronio, in Annalibus minus fide Zosimi verba recitante, descripsit. Ecce enim quæ Zosimus lib.* III, *cap.* IX, *subdit, cum enarravit nuntiatum fuisse Constantio Julianum Imperatorem Augustum appellatum fuisse :* Κωνστάντιος δὲ εἰς τοσοῦτον ὀργῆς τε καὶ ἀλαζονείας ἠνέχθη, ὥστε
F πρὸς τοὺς πρέσβεις εἰπεῖν, ὡς προσήκει Ἰουλιανὸν τοῦ ζῆν ἀντεχόμενον ἀποθέσθαι πρὸς τῇ βασιλείᾳ καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σχῆμα, καταστάντα δὲ ἰδιώτην ἑαυτὸν τῇ προαιρέσει τοῦ βασιλέως ἐκδοῦναι· μηδὲ γὰρ πείσεσθαι τι δεινὸν μηδὲ ἄξιον ὧν ἐτόλμησε. Ταῦτα ἀκηκοὼς Ἰουλιανὸς παρὰ τῶν πρέσβεων εἰς τὸ ἐμφανὲς ἔδειξεν ἣν εἶχε περὶ τὸ θεῖον προαίρεσιν, ἀντικρυς εἰς ἐπήκοον πάντων εἰπὼν ὡς τοῖς θεοῖς· ἄμεινον ἢ τοῖς Κωνσταντίου λόγοις ἑαυτόν τε καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐκδοῦναι. *Quæ sic latina facio :* Constantius vero ad tantam iram atque arrogantiam elatus est, ut legatis dixerit par esse ut Julianus, si vivere curaret, Cæsaris habitum una cum imperio poneret, et privatam vitam amplexus se arbitrio imperatoris traderet : neque enim quidpiam mali, vel iis quæ ausus fuerat digni perpessurum. Hæc cum audiisset Julianus ex legatis, palam suam de numine sententiam ostendit, coram, ita ut quisvis audiret, dicens se potius diis quam Constantio se suamque vitam crediturum. *Verum nihil in hoc Zosimi testimonio est, unde Julianus arguatur publice in Galliis immolasse victimas; sed id tantum inde colligitur, ei irato aut tre-*

(*a*) T. IV, p. 188, Hist. des Emp. — (*b*) Lib. III, cap. X, p. 137. Edit. Bonnensis.

pidanti

A *pidanti excidisse verba, quibus appareret eum tunc temporis non sincero animo Christianum fuisse, qualis exterius et palam videretur. Cæterum cum Julianus anno* 361 *in hæc imprudentia verba solverit linguam, neque exinde Tullensem petierit agrum, non diutius iis immorandum est.*

Bueus S. Hieronymum,

13 *Sed ipsa Sanctorum acta respirandi spatium non faciunt : Bueus enim noster in vita S. Mennæ ad* III *Octobris* (*a*) *pluribus comprobare tentavit Julianum in Galliis publice idolorum cultorem exstitisse : cujus sententiæ testem facit S. Hieronymum in Epitaphio Nepotiani hæc scribentem :* Julianus proditor animæ suæ et Christiani jugulator exercitus Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat. *Verum etiamsi S. Hieronymi auctoritas Ammiano præcellere deberet* (*quod cum de Juliani gestis agitur, admittere non licet*), *nihil tamen ex hoc S. Hieronymi testimonio confici posset; quoniam S. Hieronymus ex professo Juliani historiam hoc loco non digerebat, et potissimum quidem quoniam hæc negatio clanculo fieri potuit. At instat Bueus, publicam fuisse negationem asserens, quoniam* privatam jam ab annis duodecim (*imo decem*) fecerat, ut ipsemet scripsit ad Alexandrinos, cum nuper
B (*imo duobus fere annis post, ut docet Baronius ad annum* 361 § III) ad occupandum imperium e Galliis excessisset, cujus in Galliis commoratio sexennium non excessit. *Valeret apprime hæc probatio, si constaret Juliani epistolam et quæ includeret S. Hieronymo cum id scriberet perspectam fuisse, et S. Hieronymum non alludere ad verba quæ superiori numero ex Zosimo retulimus, aut ad aliquid simile quod nos lateat. Præterea quis noverit num S. Hieronymus Helvetiam Galliæ annumeret, quemadmodum Zosimus* (*b*) *Parisios oppidulum Germaniæ dicit? Quod quidem gravissime timeo, quoniam ea ejusdem phraseos pars, qua Julianus* Christum in Media sensisse *dicitur, nonnihil suspecta est : nam si Tillemontii dicta, genuinis innixa fundamentis, cum tabulis chorographicis Asiæ, a celeberrimo Klaproth confectis, conferam, potius in Assyria aut Armenia meridionali, quam in Media, Julianus Christum sensisse dicendus videtur. Atque hæc satis sunto, quoniam fiducia est neminem obscuro S. Hieronymi testimonio usurum esse, ut claram Ammiani Marcellini, ex professo Juliani historiam describentis, auctoritatem neget.*

et litteras Juliani ad Athenienses.

14 *At Ammianus non audiendus est, scribit idem colendus mihi decessor, atque hujus assertionis*
C *quatuor rationum momenta adducit, quarum brevitatis causa unam tantum, sed gravissimam recensebo :* Julianus *scilicet* in epistola ad S. P. Q. Athenienses, in vivis adhuc agente Constantio, scripta, suam a fide Catholica defectionem aperte profitetur, ut hac in re minime audiendus videatur Ammianus, dum lib. XXII, cap. v, ait Julianum tum primum pectoris sui arcana patefecisse, cum mortuo Constantio, solus universo potiretur imperio. *Accusatio non mollis, sed specie tenus tantum : Zosimus enim* (*c*) *aperte declarat litteras ad Athenienses tantum datas fuisse post egressum e Galliis : atque hæc non absona sunt ab his quæ tradit Marcellinus loc. cit. ubi hæc, non alia invenio verba :* Et quanquam a rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat, multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissime. Ubi vero, abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet advertit, sui pectoris patefecit arcana : et D planis absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri, et reparari deorum cultum statuit. *Ubi duo advertenda sunt : prius nempe, hoc loco Marcellinum in pingendis Juliani moribus esse; quocirca minime hæc referenda sunt ad ultima Juliani tempora, de quibus hoc libro jam sermo fit; sed ad totam Juliani quasi vitam. Alterum vero illud :* abolitis quæ verebatur, *male verti a Bueo his verbis :* Constantio mortuo; *quoniam, dum id valeret si de alio quam de Marcellino ageretur* (*plurimi enim historici deducunt a Constantio Juliani timorem*) *minime in Marcellino admitti potest, qui, ut verbis num.* 10 *recitatis patet, Juliani timorem ex eo ortum declarat, quod plerique milites, sub ipso merentes, Christiani erant. Reliqua autem quæ opponit Bueus facile diluuntur tum ope tabulæ geographicæ, tum his quæ superioribus numeris attulimus. Atque hæc satis esse arbitror, ut deserenda videatur hæc prima sententia, S.* Eliphium *ab ipso Juliano capitis damnatum fuisse, utque maxime stylo verso digna censeantur quæ anonymus Passionis auctor de lege adversus Christianos, a Juliano in Galliis degente lata, deque S.* Eliphii *interrogatorio conscripsit.* E

Neque asseri potest Sallustium sæviisse in S. Eliphium;

15 *In Annalibus ecclesiasticis* (*d*) *celeberrimus Baronius cardinalis, primum opinandi modum a se aliquando in notis ad Martyrologium Romanum propugnatum missum faciens, secundum his prodit verbis :* In Galliis ubi præfecturam gessit Sallustius, Juliano omnium carissimus, ob idque Christianorum acerbissimus hostis, passos reperimus quatuor Germanos Eliphium Tullensem virum, ejus fratrem Eucharium Episcopum, et sorores Libariam, atque Susannam ut eorumdem martyrum acta (*Rupertiana nempe*) significant : at perperam, mea sententia, dicuntur consummasse martyrium dum Julianus adhuc cum exercitu in Galliis moraretur. *Hæc doctissimi Cardinalis opinio, quam inferius num.* 260 *confirmare tentat ex S. Hieronymo asserens S. Hilarium Episcopum Pictaviensem libello nunc deperdito exagitasse Sallustium hunc, sive Dioscorum vicem ejus gerentem. Verum audiendus est Tillemontius hanc annalistæ sententiam, quam Adr. Bailletus et Butler secuti sunt, omnino labefactans et subruens aut saltem quam maxime incertam faciens.* Baronius, *inquit criticus Gallus,* inductus fuit ad credendum Sallustium Galliarum præfectum aut Dioscorum vices ejus gerentem, Christianos insectatum F fuisse testimonio S. Hieronymi, asserentis (*e*) scriptionem a S. Hilario editam fuisse adversus præfectum istum aut adversus medicum nomine Dioscorum. Debilis est hæc probatio, cum conditio medici cum vices gerentis munere nil commune habeat, unde illa in unum confundantur, et cum S. Hilario aliæ de Sallustio conquerendi causæ præter persecutionem Ecclesiæ esse potuerint : cæterum non videntur Christiani soliti fuisse scriptis lacessere magistratus gentiles, qui fidem suam abolere studerent. Præterea ubi alii in S. Hieronymi scriptis legerunt : « adversus præfectum Sallustium sive contra Dioscorum », Miræus edidit (*f*) « ad Præfectum. » Et reapse multo pronius erat scribi : « adversus Sallustium et Dioscorum. » Versio autem græca suffragatur editioni Miræi, πρὸς Σαλούστιον, ἤτοι κατὰ Διοσκόρου, ad Sallustium seu contra Dioscorum. S. Hieronymus ejusdem Hilarii scriptionis mentionem faciens, eam adversus Dioscorum confectam ait, silens eo loci de Sallustio.

(*a*) T. II, Oct., p. 155. — (*b*) Lib. III, cap. IX. — (*c*) Lib. III, cap. X. — (*d*) Ad annum 362, § CCLVI. — (*e*) Hier. de Vir. ill. c. 100. Ep. 84. — (*f*) Pag. 30. Conf. annotata Fabricii ad cit. S. Hieronymi locum. Edit. Hamburg. 1718, p. 188.

Atque

A *Atque hæc Tillemontius Sallustianum persecutionem diluens.*

qui tamen Juliani temporibus martyrium passus censendus est.

16 *Verum licet Julianus ipsemet S.* Eliphium *martyrum nece non affecerit, et dubium incertumque omnino sit generalem persecutionem adversus Christianos a Sallustio præfecto commotam fuisse, adhærendum tamen videtur antiquissimæ Tullensi traditioni, quam ipse Tillemontius plane non sprevit, referendumque istud martyrium ad Juliani tempora. Verisimile enim est plures fuisse inter magistratus copiarumque duces, ab imperatore illo in Galliis relictos, eove deinceps destinatos, qui ut principis gratiam sibi demererent, boni consuluerint ejus adversus Christianos odium induere, eosque ultimis afficere cruciatibus. Cui sententiæ pondus suum addunt non tantum quæcumque de S.* Eliphio *supersunt monumenta, verum etiam populares traditiones de aliis Sanctis pluribus; qualis est S. Bolonia, de qua continuo post S.* Eliphium *dicendum est. Et quidem persecutionis gladius potissimum in Campania Lotharingiaque, ad quem terræ tractum Tullensis ager pertinet, id temporis sæviisse videtur. Nuspiam enim plures reperiuntur Martyres, quorum palæstra ad Julianum referatur. Pro his itaque*
B *conjecturis statuendum est, S.* Eliphium *anno* 362 *aut sequenti martyrii coronam nactum fuisse. Dubium autem moveri potest nullum de loco, ubi Christi athleta animam pro Deo posuit; quoniam sexcenta de eo supersunt indicia, quæ immemorabilis cultus sacra fecit, ut in sequenti § satis superque manifestum fiet.*

§ III. De cultu S. Eliphii in Gallia.

In parœcia S. Eliphii *insigne ejus nominis est templum,*

In præsenti § de cultu S. Eliphii *dicturo, exordium ducendum videtur ab ipso loco, ubi S.* Eliphii *sacræ exuviæ primum conditæ fuerunt. Accepit autem is locus suum nomen ab ipso Sancto et gallice vulgo dicitur* St.-Elophe, *jacetque ad dextram Veræ* (le Vair), *ubi rivus hic secatur veteri via militari romana, novaque regia, quæ Neocastrum* (Neufchâteau) *Nanceo* (Nancy) *alligat. In præsentia complectitur hæc parœcia vicos quatuor, primum a Sancto Eliphio nuncupatum,* 125 *habentem incolas,*
C *secundum* Brancourt *civium* 400, *tertium Solimariacam* (Soulosse) 150 *frequentem, et demum* Fruse *ex* 140 *inquilinis constantem. Templum, S. Martyre nostro patrono gaudens, quod in primo vico est, olim celebratum jam fuit a Ruyrio in Sacris Antiquitatibus Vosagi* (*a*), *a P. Benedicto Tullensi Historiographo* (*b*) *et in Breviario Tullensi anni* 1748. *De præsenti autem ejus conditione non secus ac de aliis monumentis plura didicimus ex eruditissimis litteris, quas nuperius ad nos dedit Cl. V. Aug. Digot ex Academia Stanislai Nanceensi. Imprimis in hoc Sancti* Eliphii *templo, quod in monte exstructum est, plures exstant cælaturæ, quibus Sanctus mitra redimitus exhibetur; vulgo creditur S.* Eliphius *is esse; at præplacet sententia, quæ S. Eucharium, quem* Eliphii *fratrem et Grandensem episcopum fuisse tradunt, hac forma fingi statuit. In choro sepulcrum S.* Eliphii *est, ad quod gradibus nonnullis descendere licet. Consurgit super eo, septem minoribus columnis sustentata, statua S. Martyris, veste sacerdotali seu potius dalmatica* (*volunt nempe eum fuisse archidiaconum*) *induti, suisque manibus abscisum caput* D *gerentis; qui unus ejus effingendi modus est. Baculum brachio sinistro ad latus stringit, leonemque ad pedes jacentem habet. Inscribitur tumulo :*

SEPULCHRUM
D. ELIPHII MARTYRIS
AN. 459.

Hæc autem inscriptio duplex mihi parit dubium. Etenim loco an. 459, *ut exscriptum fuit, legendum videtur* an. 359, *quo Julianus per Tullensem agrum transiit; dein minime videtur ille lapis antiquus, quoniam illud* D., *quo* Divus *designatur ad recentiora tempora pertinet, ut colligere licet ex Benedicto XIV in opere de Canonizatione Sanctorum* (*c*) *et ex Cardinali Bellarmino in recognitione librorum suorum* (*d*). *At hæc de debili hujus monumenti auctoritate notasse satis erit. Columnis autem, quibus* Eliphii *effigiem fulciri diximus, insculpta sunt anaglypta, quibus exhibentur attributi S.* Eliphio *frater et sorores Eucharius, Libaria, Susanna, Menna, Oda et Gontruda. Septimus forte alter ex parentibus est. Ornatum olim erat id S.* Eliphii *templum tabulis plurimis ad murum pictis; quarum quæ una ad fontes baptismales superest, proponit*
E *S.* Eliphium, *viros permultos ab idolorum cultu ad Christi sacra traducentem. Ei apponitur hæc inscriptio :*

Julien Empereur apostat fait
camper son armée à Soulosse
où il apprend que St Elophe par
un seul de ses sermons avoit
converty à la foy de Jésus-Christ
236 payens.

Atque hæc de illo olim pulcherrimo templo, quod ab exeunte sæculo superiore nonnihil passum fuit.

sacrarium cathedræ S. Eliphii,

18 *In vicinia supersunt et alia plurima monumenta, quæ satis habeo recensuisse, quoniam ex edenda inferius Passione facile erit unicuique determinare, unde ortæ sint quæ illis annectuntur populares traditiones, et quam parum hæ ipsæ nedum tutæ, sed minime credibiles sint. In templi itaque cœmeterio jacet ingens lapis impolitus, cui insedisse adstruit P. Adrianus Capuccinus Nanceensis* (*e*) *B. nostrum Martyrem, cum caput abscissum in montem deferret, et ex quo pii peregrini frustula decerpere consueverunt. Circumdatus est ædicula, quod* Sacrarium Cathedræ S. Eliphii *dicitur. Paulo inferius rupes,* anno 361, *quem S.* Eliphii *emortualem putarunt, notata, cernitur; in qua post mortem* F *Sanctum se abscondisse narrat Passio vetusta, quoniam, ut addunt biographi Machon citatus a Calmeto* (*f*), *parochus Sancti* Eliphii (*g*) *et P. Adrianus Capuccinus Nanceensis* (*h*), *Julianus jusserat ut sui eum sequerentur milites et igni truncatum ejus corpus traderent.*

fons S. Eliphii *et sacellum sacræ spathæ,*

19 *Medio fere montis clivo, inter S.* Eliphii *templum et Solimariacam ad collis radices jacentem, alius est locus, cui popularis quoque annectitur historiuncula, omissa in Passione vetusta, in reliquis vero biographiis explicita. Fons ille elicitus dicitur baculo S.* Eliphii, *cum abscisso capite in montem pergentis. Ei etiamnum adjacet lamina triangularis ferrea, cujus P. Adrianus Capuccinus anno* 1721 *jam meminit, quæque contegere dicitur aliquot Eliphiani sanguinis guttas. Eam circuire in more est inter peregrinantes; unde paulatim circumcirca excavatum est saxum. Ad imum montem juxta rivum Veram ædicula consurgit, quam idem P. Adrianus* Sacellum decollationis Sancti Eliphii *appellat, popu-*

(*a*) Pag. 296. — (*b*) Hist. de Toul, p. 212. — (*c*) Lib. I, cap. 37, num. 7. — (*d*) Sub initio, t. I. — (*e*) Eloge Histor., p. 73. — (*f*) Hist. de Lorraine, t. I, col. 198. — (*g*) Vie et Martyre, etc., pag. 12. — (*h*) Elog. Historique, etc., p. 49.

lus

A *lus vero* Sainte Espalotte, Espaiotte, Epagnotte, Epéotte. *Credebat populus, cum biographus Machon S.* Eliphii *Passionem scriberet, ita designari famulam S.* Eliphii; *verum recte animadvertisse videtur Calmetus* (*a*) *vocabulum illud derivatum esse a* sacra spatha (*ensis*); *et quidem scripsit ad nos laudatus D. Digot sacellum illud istic quoque dici* la chapelle de la sainte épée. *Inscribitur huic ædiculæ annus* 1614, *quo exstructa fuit, et continet lapideum anaglypton, duo metra* (*si hæc vox feratur*) *longum et sesqui metrum porrectum in altitudinem. Videre in eo est exsculptum templum S.* Eliphii, *sacellum sacræ Spathæ, virginem seu angelum palmam manu tenentem* (*unde fors rumor de S.* Eliphii *famula manat*), *illudque victoriæ signum deferentem ad S. Martyrem; S.* Eliphium *dein baculo suo munitum et cum abscisso inter manus capite pergentem ad clivum, eumdem postea genibus positum gladiique subeuntem ictum, et sexto demum Juliani imperatoris tribunal, cui adstat S.* Eliphius, *a quatuor militibus custoditus.*

necnon maceries S. Eliphii, *pleræque piæ stationes.*

20 *Inde si pedem ad sinistram rivuli Veræ transferimus, in Solimariacam incidimus; ubi his etiam temporibus ostenditur locus, quem S.* Eliphii B *maceriem* (Masure de S. Elophe) *populares appellant, et domum arbitrantur S.* Eliphii *parentum, quos Baccium et Lientrudem* (*b*) *nominatos fuisse volunt. Excluditur tamen is locus e stationum numero, ad quas jam anno* 1721 (*ut P. Adrianus testis est*) *preces fundere solebant pii peregrinantes, et adhuc in præsentia fundere auctor nobis est D. Digot. Prima scilicet statio est sacellum sanctæ spathæ; secunda fons S.* Eliphii; *tertia rupes qua S. Martyr absconditus est; quarta ædicula cathedræ S.* Eliphii; *quinta fit coram sacris Patroni Reliquiis; sexta demum ad ejusdem sepulcrum.*

Celebris ibi est peregrinatio,

21 *Pius mos ad S.* Eliphii *præcipuum templum peregrinandi floruit floretque ab immemorabili tempore inter Lotharingiæ Campaniæque incolas, qui a podagra, calculo, febri aliisque morbis divinitus liberari cupiant, ut testis est Ruyrius* (*c*) *et P. Adrianus* (*d*); *atque olim* (*e*) *et etiam nunc quam plurimi profitentur cœleste se illic experiri auxilium, ut Cl. Digot ad nos rescripsit. Reperio tamen unum tantum divinæ hujus opis specimen, quod latius explicetur a biographo S.* Eliphii, *quem homonymi vici parochum sæpius diximus. Testatur id se prodere ex commentario,* C *qui a notario publico signatus in templi archivo asservabatur. Anno scilicet* 1463 *vir nomine Remigius Petit, alias Senot, ortus ex vico* Gray *ad Ararim fluvium, septem annos incurabili laborarat morbo. Qui cum inaudisset plura miracula, quæ ad S.* Eliphii *sepulcrum fierent, voto se adstrinxit ad peregrinationem instituendam, atque illico melius se habere sensit, et omnino se sanatum vidit, cum S. Martyris templum ingressus, ejus incubuisset sepulcro quod in choro est, suamque absolvisset orationem. Ille idem cum domum esset redux, moribundam invenit suam filiolam; quocirca novo peregrinationis voto nuncupato, continuo validam vidit puellam.*

quam olim participabant Ruppenses.

22 *Particeps autem olim erat vicina paræcia* Ruppes *pii hujus accolarum concursus. Quotannis* (*quo die nescio*), *consentiente episcopo Tullensi, conveniebant Ruppenses supplicantium ordine ad S.* Eliphii *templum, B. Martyris conquisituri Reliquias. Earum restituendarum vades fiebant præcipui e Ruppensibus, in quorum præsentia recognoscebantur sacræ exuviæ, sigillum renovabatur et gestorum scribebatur commentarius. Deferebatur dein pium* D *pignus in Ruppense templum, ubi integrum octiduum populorum pietati exponebatur : eo expleto, reportabatur a supplicantium agmine feretrum, et denuo multa solemnitate recognoscebatur. Hæc non amplius fieri scripsit ad nos sæpe laudatus Cl. V. Digot, et peregrinorum cohortes, quas vulgo processiones dicimus, nunc ad unum S.* Eliphii *templum pergere; quod maxime obtinere locum, cum calamitas aliqua in vicinam regionem ingruit.*

Sacræ S. Eliphii *reliquiæ minuuntur, bis violantur ab hæreticis et sæpius*

23 *Sacræ autem Reliquiæ, quæ in S.* Eliphii *templo asservantur, constant ex aliquot tantum minoribus ossibus, quæ istic relicta sunt, cum circa annum* 963, *ut inferius manifestum faciemus, S. Geraldus Tullensis episcopus totum fere S. Martyris corpus S. Brunoni, Coloniensi antistiti, et magni Ottonis germano, concessit; quæ concessio quantum desiderium crearit universis Tullensibus testabitur inferius scriptor indigena, qui circa annum* 978 *miracula S. Apri collegit. Quæ autem supererant ossicula inclusa fuerant pyxidi, quam hæretici e Germania in Lotharingiam irrumpentes prius anno* 1587 *fregerunt, argenteisque ornamentis spoliarunt, ut in Historia Tullensi tradidit P. Benedictus. In templo tamen ab iis relicti sunt sacri pul-* E *veres, quos nova dein theca clauserunt. Hæc aliaque valuerunt, ut Sancti* Eliphii *templi accolæ nihil deinceps prætermiserint, ut integrum sibi servarent sacrum thesaurum. Quocirca* cum anno 1612, *sic scribit Ruyrius* (*f*), Tullensis episcopus Joannes Porcelet de Maillan, vir multis meritis præclarus, diœcesim suam obiret, et rescire vellet quid reliquiaria contineret capsa, plebecula indiscreto zelo excita (verebatur scilicet ne quid de sacris exuviis auferretur) magnum in templo suscitavit tumultum; adeo ut præsul in sacro suggestu latitare coactus fuerit, ne vesano horum hominum furori obnoxius esset : quæ inverecunda Sant-Eliphiensium audacia interdicto punita est. *Hæc sibi asseveranter ita narrata fuisse subdit Ruyrius. Adjuncta quædam alia in Ruyrii narratu omissa, quæ incolarum timorem furoremque explicant, subministravit nobis Cl. V. Digot. Dum scilicet in templo esset episcopus, venit forte ad S.* Eliphii *supplicantium Neocastrensium agmen; quos particulas S. Martyris Reliquiarum conquisituros arbitrati, Sant-Eliphiani et Brancurtenses, lapidibus eos adorti sunt et in fugam verterunt.*

juridice visitantur.

24 *Iidem tamen patroni sui zelatores propellere ne-* F *quiverunt injuriam, aliquot annis post ejus Reliquiis illatam. Sueci quippe anno* 1633, *ut P. Benedictus in Historia Tullensi refert, dum in Lotharingia versarentur, denuo argento spoliarunt sacram lipsanothecam, quin tamen S. Martyris ossa destruxerint. Pium thesaurum anno* 1688 *recognovit episcopus designatus Tullensis Thiard de Bissy, jussitque ut ossicula pyxidi stanneæ, panno serico rubro vestitæ, insererentur; in qua ad hodiernum usque diem recondita jacent. Sæpius dein recognita fuere; sed de una recognitione satis erit dixisse. Die nempe* XIV *Novembris anni* 1690 *pium pignus imponendum erat ditissimo feretro, quod Simon Sallet, Dominus de Lifou et Vilouxel, thesaurarius generalis Lotharingiæ, dono dederat; quocirca jusserunt Vicarii generales capitulares Tullenses de l'Aigle et Menget, ut S. Martyris exuviæ examinarentur denuo. Nondum quippe designatus episcopus Thiard de Bissy institutionem canonicam a Pontifice supremo acceperat propter notissimas, quæ tunc inter sedem*

(*a*) Hist. de Lorraine, t. I, col. 198. — (*b*) Ruyr, Antiq. des Vosges, p. 295. — (*c*) Op. cit., p. 296. — (*d*) Ibid. p. 60. — (*e*) Ibid. p. 59. — (*f*) Antiq. des Vosges, p. 296 et seq.

A *Romanam et Ludovicam XIV ardebant lites : unde perplexam illam administrationem patiebatur Tullensis diœcesis. Hæc de monumentis S. Martyris, quæ in ipso passionis loco supersunt.*

Neocastri et Tulli servabantur olim sacri aliquot Eliphii *pulveres;*

25 *Teste P. Benedicto* (*a*) eminebat *olim* oppidum Neocastrum (Neufchâteau) sua in S. Eliphium pietate; quem in publicis necessitatibus potissimum invocabat. *Verisimillime promota fuit plurimum hæc religio, quando superiori sæculo, ut scripsit Cl. Digot, ad nobilem fœminam, consanguineam unius ex ultimis archiepiscopis electoribus Coloniensibus, et nomine, ut videtur, Dessolles missæ fuerunt aliquot sacræ particulæ, quæ dein parœciæ Sancti Nicolai Neocastrensi donatæ fuerunt. Quæ anno* 1763 *gesta fuisse videntur, cum in Breviario Coloniensi anni* 1780 (*Coloniam scilicet pleraque S.* Eliphii *ossa olim transvecta fuisse videbimus inferius*) *legatur :* Arca... sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam deferenda... *Nunc vero, ut rescripsit Cl. V. Digot, Neocastrensis ille cultus fere nullus est. In pristino templo cathedrali Tullensi ab anno circiter* 963 *asservabantur ante tumultus Gallicos, teste P. Benedicto* (*b*), *particulæ aliquot e corpore S.* Eliphii; B *at nunc, ut ex litteris parochi archipresbyteri hujus templi intelligo, nihil de iis illic amplius superest, nequidem prisca de iis instrumenta. Sed alibi plura de S.* Eliphii *sacris exuviis.*

et plura templa ejus patrocinio,

26 *Præter parœciam S.* Eliphii *sunt et alia plura templa, quæ S.* Eliphio *patrono gaudent. Vetus Index beneficiorum ecclesiasticorum et munerum civilium diœcesis Tullensis* (*c*) *Grafiniacum* (Gratigny), *Claretum in decanatu Santonensi* (Clercy) *et Punerotum* (Punerot); *quibus nunc addenda Cl. V. Digot auctor est* Graux, Viviers-le-gras *et* Fécocourt. *Extra pristinam Tullensem diœcesim erant quoque aliquot templa, eisdem usa auspiciis. Die* XIV *Octobris anni* 1685 *scripsit Claudius Chastelain ad Papebrochium nostum in hæc verba :* Rampilone (*Rampillon*) in pago Brigensi (*Brie*) admiratus sum magnificum, gothico ordine extructum, templum, quod S. Eliphio martyri Tullensi sacrum est, atque nunc parochialis, olim autem Templariorum ecclesia erat. Sunt præterea in Pertico pago aliæ duæ ecclesiæ huic Sancto consecratæ. *Hæc ille : quibus addere licet ex Indice beneficiorum diœcesis Carnotensis sæcul. XII, a Cl. V. Guerard cartulario S. Petri Carnotensis inserto, in diœcesi Carnotensi olim exstitisse parœciam nomine* C *Vallem-Pillonis* (Vaupillon) *cui S.* Eliphius *patronus erat. Addit in nota editor in hodierno Indice beneficiorum hunc locum apparere tamquam ecclesiam annexam parœciæ S.* Eliphii (*d*).

loca vero et familiæ ejus nomine gaudebant.

27 *Neque intra templa tantum continuit se S.* Eliphii *cultus. Auctor enim citati Indicis Beneficiorum Tullensium* (*e*), *qui multus quoque est in laudanda vetustate et pulchritudine S.* Eliphii *templi populique venerabundi ad id concursu, asserit quosdam illic olim parocho assignatos fuisse reditus, qui a S.* Eliphio *nomen mutuati,* S. Eliphii *dicebantur* campus. *Quod nomen gentilitium quoque factum fuit, ut liquet ex instrumento in Annalibus Præmonstratensibus* (*f*), *excuso, ubi* Theodoricus *quidam* de Sancto Elepho *signatur; præterea in tomo XIII* (*g*) *Galliæ Christianæ novæ mentio fit* terræ *et* domini de Sancto Eliphio. *Hucusque de templis, ædiculis, aliisque rebus, quibus S.* Eliphii *cultus aut nomen potissimum adhæret : priusquam tamen pedem* D *extra Galliam feramus, superest ut de ejus ecclesiastico Officio fiat sermo.*

Divinum de eo Officium celebratur in locis ad pristinam pertinentibus Tullensem diœcesim.

28 *Dubium non est quin omnium antiquissime id Officium celebratum sit in parœcia, quæ Sancti nomine et sepulcro fruitur. Nescio an aliquando mos iste post gallicæ reipublicæ tumultus cessaverit; quidquid id est, celebratur nunc solemnissimo ritu, ex concessione Benedicti Costaz, episcopi designati Nanceensis; qui die* XXVII *Februarii anni* 1813 *hanc facultatem fecit deservitori seu parocho S.* Eliphii; *quæ parœcia id temporis diœcesi Nanceensi claudebatur, utpote pertinens ad tractum, quem vulgo* Département des Vosges *nuncupamus, et ex quo in præsentia diœcesis San-Deodatensis constat. E parœcia S.* Eliphii *transivit hujus Martyris cultus ad totam priscam diœcesim Tullensem, de qua pauca præfanda sunt. Ante annum nempe* 1777 *quam latissime patebat spiritalis episcopi Tullensis ditio, complexa Ducatum Lotharingiæ et Barri partes Australes una cum tractu qui inter eas atque inter Mosam et Mosellam medius jacet, quemadmodum Limpenus noster in suo ad S. Mansueti Acta commentario sub die* III *Septembris annotat. Verum* E *Ludovicus XV Franciæ Rex operæ pretium esse, duos in Ducatu Lotharingiæ episcopatus, unum in urbe Nanceo, alterum in S. Deodati constituere, censuit. Propositum avi sui comprobavit Ludovicus XVI die* XII *mensis Martii* 1775; *summusque Pontifex Pius VI erectionis bullam dedit* XIII *kalendas Decembris* 1777. *Unde diœcesis Tullensis maximam passa est imminutionem, quippe quod ex ea una duorum episcopatuum territoria distracta fuerunt. Verum anno* 1801, *cum concordatus cum Republica Gallica sancitus est, sedes Tullensis suppressa fuit et unita Nanceensi. Porro in pristina diœcesi Tullensi quam antiquissime Sanctum nostrum fuisse cultum liquet e MS. ac vetustissimo* (*utpote quod nec S. Ludovici Galliæ Regis, nec Patriarcharum Dominici et Francisci meminit*) *Tullensi Breviario, quod hæc in præfixo kalendario habet :* XVII kal. Novembris S. Eliphii IX Lect.; *cui consonat Breviarium anni* 1535, *hæc in Kalendario statuens* XVII Kal. Eliphii Martyris. *Utrumque vero Breviarium cum de Sancto nostro officium non habeat, e communi Martyris officium fuisse dictum æstimandum est. In Breviario autem anni* 1626, *ut ad nos perscripsit R. D. Marchal, parochus in* Heillecourt, *tertia lectio propria est, et e Rupertiana* F *S.* Eliphii *Passione desumpta. In Breviariis annorum* 1684 *et* 1695 *officium exstat novem lectionum, quarum quarta et quinta item ex S. Martyris Passione depromptæ fuerunt; quas, siquidem nihil habent quod rem historicam aut liturgicam illustrare queat, missas facimus. Ut ex eodem R. D. Marchal rescivimus, præscribitur ad S.* Eliphii *festum Missa de Communi unius Martyris in Missalibus Tullensibus annorum* 1508, 1537 *et* 1551; *propria vero sed nequaquam insignis proponitur, in Missali anni* 1686; *in recentiora autem reducta fuit Missa de Communi. In diœcesibus, quas ex veteri Tullensi distractas diximus, S.* Eliphii *cultus perseverasse videtur. Saltem in Kalendario liturgico San-Deodatensi anni* 1830 *præscribitur festivitas S. Martyris sub ritu semiduplici. Cultus S.* Eliphii *in diœcesi Coloniensi et alibi locorum superest explicandus.*

(*a*) Hist. de Toul, p. 212. — (*b*) Ibid. p. 212 et 318. — (*c*) Pouillé ecclésiastique et civil, t. I. — (*d*) Cartul. de S. Père de Chartres, p. cccxv.—(*e*) p. 424.—(*f*) T. I, col. 552.—(*g*) col. 1027 et col. 1134.

§ IV.

A

§ IV. De translatione corporis S. Eliphii, cujus omnia fere sacra ossa Colonienses acceperunt.

Colonienses contendunt integrum fere S. Eliphii *corpus ad se fuisse delatum,*

Breviarium Coloniense, anno 1780 *typis excusum, paucis exhibet quæ ad S.* Eliphii *Reliquias in Monasterio S. Martini Coloniensi servatas pertinent. Cum autem in præsenti* § *de iis disputatio instituenda sit, universa lectio* IV, *quæ una de S.* Eliphio *est, hic loci inserenda videtur, ut lector uno intuitu noverit quæ spectent ad sacra hæc pignora. Sonat autem in hæc verba :* Eliphius Tullensis sub Juliano Apostata pro Christi fide interemptus martyrii palmam consecutus est. Sæculo decimo Bruno primus, Archiepiscopus Coloniensis, sacrum corpus Coloniam transtulit : quod in Ecclesia Monasterii Sancti Martini religiose conditum fuit. Sæculo decimo quinto Hermannus ab Hassia, archiepiscopus,
B arcam, cui sacræ Reliquiæ sub sigillo Archiepiscopi Warini sæculo decimo inclusæ fuerant, cum sigillum illæsum reperisset, magna cum reverentia et solemnitate aperuit; invenitque sacri corporis ossa, et caput integrum dempta parte mandibuli. Arca autem ejusdem Hermanni Archiepiscopi sigillo clausa, sæculi decimi octavi anno sexagesimo tertio denuo aperta, et extracta fibula pedis sinistri in Lotharingiam transferenda, iterum Archiepiscopali sigillo occlusa et munita fuit. Eidem Ecclesiæ Sancti Martini sæculo undecimo Sanctus Anno in honorem Eliphii Martyris geminas turres adjecit. Sacri corporis thesaurus ibidem usque in hodiernum diem magna fidelium devotione honoratur.

scriptores Tullenses vero partem tantum corporis Coloniam deductam fuisse.

30 *Ex hac itaque de S.* Eliphio *lectione patet, Coloniensibus esse sententiam,* sacri corporis ossa et caput integrum dempta mandibuli parte, *ad se olim delata fuisse et in templo S. Martini asservari; atque in ea opinione versantur omnes ecclesiastici Colonienses scriptores. Tullenses vero alium omnino ineunt sentiendi modum. P. Benedictus* (*a*) *tradit S. Geraldum, Tullensem præsulem, motum miraculis ad S.* Eliphii *sepulcrum fieri solitis, B. Martyris*
C *Reliquias in tres distribuisse partes, quarum una cederet templo cathedrali Tullensi, altera S.* Eliphii *templo, tertia seu caput S. Brunoni Coloniensi. Ruyrius* (*b*) *præiverat P. Benedicto in assignando Coloniensibus solo S.* Eliphii *capite; sed reliquum corpus totum inclusum esse scripserat in pulchra capsa, quæ in S.* Eliphii *templo et vico custodiretur. Calmetus quidem* (*c*) *id negotium pluribus obscurat tenebris, adeo ut difficile sit ejus assequi mentem. Scribit enim :* Abbas Rupertus sat manifeste declarat suis temporibus creditum fuisse S. Eliphii Reliquias Coloniæ in abbatia S. Martini servari, ejusque festum illic actum fuisse ut in abbatia Tuitiensi agebatur. (*Non ait Rupertus, cui innititur Calmetus, festum S.* Eliphii *a suis monachis actum, sed* usitatam *ejus fuisse Passionem*). Temporibus Adsonis, scilicet sæculo X, persuasum erat hominibus (*nil tale in Adsonis scriptis reperire potui*) corpus S. Eliphii, celatum dum barbari in has incursarent regiones, in oblivione sepultum mansisse. Vidricus in vita S. Geraldi affirmat hunc Sanctum, anno 963 ad insulas Tullenses evectum, D
sacras exuvias e loco in quo jacebant levasse, et majora ossa S. Brunoni Coloniensi dedisse. *Inferius vero addit :* Anno 1485 Hermannus archiepiscopus Coloniensis Reliquiarum visitationem instituit, et corpus reperit integrum præter mandibulam inferiorem, quæ in diœcesi Tullensi remansisse videtur. *Breviarium demum Tullense anno* 1748 *prelo excusum ita rem exponit :* Ex religiosa in Beatum Martyrem devotione sanctus Geraldus Tullensis episcopus sacras ipsius Reliquias transtulit, quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, Brunoni Coloniensi episcopo, magni Ottonis germano concessit : quæ digna cum veneratione Coloniam advecta sunt; ubi celebris est Sancti Eliphii memoria.

Rectam autem esse Colonienſium sententiam probant antiqui scriptores,

31 *Movetur itaque quæstio an recte Colonienses æstiment integrum fere S.* Eliphii *corpus in sua civitate asservari. Vetustissima æque ac recentiora excutienda sunt documenta; quorum omnium antiquissimum S. Brunonis testamentum* (*d*), *conditum anno* 965 *paulo post acceptum sacrum pignus. Legitur in eo S. Bruno dare* Beato Eliphio Martyri; Sancto Martino confessori (*patrono Coloniensis Monasterii*) tantumdem (*libras triginta, pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo, fratribus libras sex*); prædium præterea Solagon per precariam E
nostræ (*suæ*) ecclesiæ acquisitum. *Mitto testimonium* (*e*) *Rotgeri S. Brunonis biographi æqualis aut fere æqualis. Atque hinc certum fit anno* 965 *S.* Eliphii *reliquias Coloniæ jam fuisse servatas. Eodem vero ferme tempore scriptor Tullensis iisdem populares suos destitutos affirmat. Collector scilicet Miraculorum S. Apri quæ ad diem* XV *Septembris* (*f*) *Stiltingus noster ex Martennio et Calmeto recudenda curavit, queritur hac de re his verbis :* Neque enim illa nos corporis (*S. Apri anno* 918 *facta*) abductio illius tunc ævi hominibus, sed nobis aliisque post futuris profuit, atque ne tanto privaretur Patrono, immo omni regioni. Nam fere omnibus notum est, qualiter destituti sumus corpore Eliphii, martyris pretiosi, pignoribusque Sanctorum aliis; quod B. Aper providens (nam illi quem nihil latet, semper assistit) gregem suum ut jugiter tueatur, juvet ac regat, hac occasione præsentia sui corporis destituere noluit; *quod anno* 978 *a S. Geraldo Tullensi episcopo repertum fuisse tradit auctor synchronus in historia episcoporum Tullensium cap.* XXX *apud Calmetum. Unde cum recte eruat Stiltingus num.* 7 F
citati Commentarii ad Vitam S. Apri, horum miraculorum scriptorem opusculum suum non ante annum 978, *sed neque multo post hunc annum, condidisse, statuat lector, an ex his Adsonis verbis Lotharingiæ historiographus recte deduxerit Adsonis tempore S.* Eliphii *Reliquias ob metum barbarorum occultatas fuisse, an potius viginti circiter annis, postquam Coloniam translatæ fuissent, communis etiam apud Tullenses persuasio exstaret, vix quidpiam sibi de S.* Eliphii *Reliquiis remansisse.*

instrumentum Reliquiarum visitationis

32 *Sæculum* X *excedendum non est, ut reperiatur instrumentum in scrinio ligneo, quod sigillum episcopale muniebat, et quod in Coloniensis Monasterii archivo quatuor sæcula servatum fuerat. Surius primus illud luci tradidit, ad* XVI *Octobris Vitæ S.* Eliphii *illud subdens. Hujus quippe apographum exstat in litteris ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi ad S.* Eliphii *Reliquias probandas anno* 1485 *confectis. Recitabo illas litteras ex exemplari quod nobis transmisit Cl. Binterim, postquam tamen cum*

(*a*) Hist. de Toul, p. 212 et 318. — (*b*) Antiq. des Vosges p. 296 et seq. — (*c*) Hist. de Lorraine, t. I, col. 199. — (*d*) Act. SS. XI Oct., p. 788 et seq. — (*e*) Ibid., p. 777. — (*f*) T. V Sept., p. 75, num. 28.

Suriano

A *Suriano ecgrapho illud contulero :* LITTERÆ APERTIONIS TUMBÆ ET APPROBATIONIS CORPORIS S. ELIPHII MARTYRIS. Hermannus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Westphaliæ et Angariæ Dux, Legatusque natus, etc., Universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint, salutem in Domino. Gloriosus Deus in Sanctis suis, et in majestate mirabilis, atque in omnibus suis Sanctis et Electis laudabilis; in Sancti vero et magnifici Martyris Eliphii meritis gloriosis non immerito gloriosus prædicatur : vere mirabilis Deus Martyrem ipsum sibi charum magnifice glorificavit, et eum ubique omnibus mirabilem fecit, qui in ejusdem Electi sui ostendere dignatus est passione, quanti eum in regno suo prædestinaverit meriti et gloriæ. Omnes enim infirmi, qui diversis erant languoribus gravati, ad locum ipsius venientes Martyrii, redditi sunt plenariæ sanitati, cujusque corpus se per virtutem Christi erexit, et ambabus suum amputatum caput amplectens manibus per unum milliare comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit,
B donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret; ibique lapidem album inveniens atque planum, sedit super eum, cujus grandis duritia Martyris ipsius cessit sanctitati, et proprium aperiens gremium in sinu suo amplexatus est Sanctum. Christi fideles namque suis meritis adjuti, infidelibus Christo donante victis, victoriam gloriose sunt adepti.

anno 1485 factæ 33 Ad vestram igitur omnium supradictorum notitiam deducimus, et deduci volumus per præsentes, quod nos devotissimis ac humillimis precibus venerabilis et religiosi devote nobis dilecti Adæ abbatis insignis monasterii S. Martini Coloniensis Ordinis S. Benedicti super apertione Tumbæ Reliquiarum ipsius præclari Martyris, quibus bonæ memoriæ quondam D. Bruno archipræsul Coloniensis prædecessor noster dudum decoravit monasterium antefatum; crebrius interpellati affectuose, ex eo quod ferebatur corpus seu ossa ipsius Sanctissimi Martyris non forte integre translata ad dictum monasterium, sed caput ejusdem in majori ecclesia Trajectensi constitutum. Nosque pia devotione ad ipsum eximium Christi Martyrem affecti, ac piis desideriis dicti Adæ abbatis et con-
C fratrum ejus annuentes, die Dominica, quæ fuit vigilia S. Jacobi Apostoli de mane hora primarum constituti in monasterio S. Martini prælibato, una cum dicto Adam S. Martini et conventu suo, venerabilibus quoque et religiosis nobis sincere dilectis Antonio S. Ludgeri Werdinensis nostræ Coloniensis diœcesis atque Melchiore de Schonaw Trevirensis diœcesis dicti Ordinis abbatibus, necnon abbate monasterii in Steinfeldt dictæ nostræ diœcesis Præmonstratensis Ordinis, honorabilibus quoque Joanne Glappe et Joanne N. capellanis nostris, canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Cassii Bonnensis ibidem præsentibus, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam S. Eliphii aperriri fe-
** supple* tumbam cimus *. Qua aperta manibus nostris extraximus exinde scrinium ligneum longitudinem quasi dictæ tumbæ habens, cum ferramentis convenienter aptatis, et sigillo piæ recordationis D. Warini, quondam etiam prædecessoris nostri clausum; quod nos sanum et integrum invenientes manibus nostris abscidimus, ac scrinium prædictum reverenter in Dei nomine aperuimus, inibique cum ingenti gaudio et cordium tripudio, sicut audivimus, sic vi- D
dimus ipsius præclarissimi Martyris reconditum corpus, venerandum caput, dempta parte mandibuli, cum cæteris venustissimis membris; reperiebatur scedula superposita de littera satis antiqua in hæc verba : PRÆTIOSUS CHRISTI MARTYR ELIPHIUS.

ab Archiepiscopo Coloniensi, 34 O quam gloriosum, quamque dulce et delectabile erat videre elegantia hujus pretiosi sanctissimique Christi Martyris membra! O quanta devotio religiosorum fratrum ipsius monasterii S. Martini divinæ gratiæ congratulantium de tanti Patroni cœlestis civis et domestici Dei læto aspectu æternæ beatitudinis gloriosi possessoris. Solemniter igitur his peractis scrinium ligneum prædictum in tumba, ut præfertur, repertum, Reliquiis hujusmodi integraliter, et scedula prædicta superpositis clausum, et nostro secreto manu nostra propria signatum tumbæ majori juxta positæ imponi fecimus : et iidem fratres dicti monasterii ad decantationem Missæ solemnis ad laudem divini nominis, et in honorem ipsius pretiosi Martyris procedentes in monasterio supradicto Regi gloriæ et gratiarum largitori, qui eorum monasterium tam pretioso decorare et dotare dignatus est thesauro, referentes
E quas potuerunt gratiarum actiones. Præsentes etiam fuerunt nobilis et fidelis Hindericus Comes de Nassaw ac Dominus in Bilstein, necnon venerabilis Hindericus de Tegelen in medicinis Doctor, et Baccalaureus sacræ Theologiæ, consiliarii nobis dilecti. In quorum fidem et testimonium præmissorum has nostras litteras desuper fieri, sigillique nostri fecimus appensione communiri. Datum die ubi supra. Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto.

et potissimum schedula sæculi X, 35 *Irrefragabile testimonium ex his profluit litteris : neque hæ alio commentario indigent, quam ut paucis indicemus quo tempore inserta fuerit scrinio schedula, quæ præferebat verba :* Pretiosus Christi Martyr Eliphius. *Eam ab ipso S. Brunone translationis tempore insertam fuisse opinor; at certo, cum Warinus episcopus esset, scrinio jam inclusa erat, ut ex præmisso instrumento liquido constat. Jam vero hæc de Warino leguntur in Chronico Sancti Martini Coloniensis edito a Cl. Pertz* (*a*): Warinus. . . postea factus Archiepiscopus. . ., Romam ivit, et inde reversus, monasterium nostrum melioravit et Scotis iterum immolavit anno 975; idem Warinus factus est hic monachus, et tumbam S. Eliphii gloriose ornavit; obiit anno 985, XI kal. F
Octob. *Similia reperio in nonnullis MSS. schedis, quarum una extracta dicitur ex vetustissimo pergameno olim in Bibliotheca S. Martini Majoris asservato. Cum itaque Warinus anno* 975, (*ut ex hoc Chronico, cum his quæ in Gallia Christiana* (*b*) *exstant collato, eruere est*), *archiepiscopatum adeptus sit, et decem annis post supremum obierit diem, intra hoc spatium concludas oportet prædictæ schedulæ ætatem; nisi, ut jam dixi, S. Brunoni potius adscribenda videatur. Quin etiam propositum decennium octo forte annis minuendum est : Warinum scilicet a templo exornando incepisse, non videtur temera sententia : verumtamen anno* 977 *claustrum monasterii jam decoraverat, ut liquet ex sequenti chronogrammate olim ipsi claustro affixo :*
hæC saCra CLaUstra noVo DeCoraVIt honore GUarInUs.
Testimoniis itaque ad sæculum X *pertinentibus satis superque me probasse autumo, integrum S.* Eliphii *corpus præter mandibulam et exigua forsan quædam ossicula in S. Martini Majoris templo sæculo* X *asservatum fuisse. Sequentium quoque sæculorum*

(*a*) Monumenta Germaniæ, t. II, p. 215. — (*b*) T. III, col. 651.

testes

A *testes produci possent. At ne probationes istiusmodi justo copiosiores sint, satis mihi fuerit lectorem remittere ad Usuardi Auctaria, quæ in Sollerii nostri Usuardo reperire est, ad Breviaria Coloniensia, quorum jam memini, ad assertionem Ruperti, ad Chronicum Sigeberti Gemblacensis, item ad Chronicum Belgicum magnum, ad Fasciculum temporum Werneri Rolevinck, etc.*

frustra obnitentibus Tullensibus.

36 *Tullenses vero scriptores, quibus persuasum fuit majora tantum S.* Eliphii *ossa Coloniam translata fuisse, hæc Vidrici objiciunt verba :* Reliquias etiam venerandi Martyris Elifii religiosa devotione transtulit : quarum partem non minimam, majora scilicet ossa, prænominato Brunoni archipræsuli contulit, quæ Coloniam cum summa devotione devexit, ibique devota populorum coluntur veneratione. *Hæc Vidricus S. Apri Tullensis abbas in Vita S. Geraldi Tullensis episcopi, quam Henschenius ad* XXIII *Aprilis* (*a*) *edidit. Si vero conferantur quæ de hoc Vidrico Gallia Christiana in tomo XIII inter S. Apri abbates habet, cum his quæ in Historia litteraria Galliæ* (*b*) *excusa sunt, hæc circa annum* 1044 *a Vidrico scripta fuisse statuendum est. Verum Vidrici dicta componenda*

B *sunt cum assertis collectoris Miraculorum S. Apri, Tullenses corpore S.* Eliphii *destitutos lugentis, cum authenticis Coloniensium monumentis, et cum petitione illa nobilis fœminæ Neocastrensis, quam in præcedenti § a Coloniensibus non a San-Eliphianis S. Martyris Reliquias efflagitantem vidimus. Unde statuendum est ita* non minimam partem, majora scilicet ossa *Coloniam delata fuisse, ut in templo S.* Eliphii *remanserint brandea tantum, sepulcrum, capsa et aliquot minora ossicula. Et quidem historiographi Tullenses potius videntur rumorem popularem quam rei veritatem aut certa documenta secuti esse : certe toties laudatus Cl. V. Digot, qui omnia, quæ ad S.* Eliphii *memoriam pertinent, accurate investigavit, rescripsit ad nos Reliquias B. Martyris, quæ ab anno* 1688 *in stannea pyxide clauduntur et nihil a tumultibus gallicis passæ sunt, paucas esse numero :* Il est bon peut-être, *ejus sunt verba,* de faire observer que ces reliques sont en petit nombre. *Extra omnem itaque disceptationem ponenda sunt Eliphiana lipsana, quæ Coloniensibus monachis S. Martini a S. Geraldo Tullensi episcopo, ortu Coloniensi, concessa fuerunt, et Coloniæ a novem fere sæculis coluntur. E sequentibus quippe*

C *constabit anno* 964 *ea illuc fuisse delata.*

Facta fuit hæc translatio anno 964.

37 *In hujus translationis annum inquirenti, plura mihi præsto sunt Chronica MSS., Colonia transmissa, quorum alia ad annum* 959, *alia ad annum* 960, *alia ad annum* 962 *hanc translationem referunt. At error in omnibus his annis est; neque is fuit correctus a Bailleto, qui annum circiter* 960 *assignans, editores Insulenses et Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri fidos imitatores habuit. Unus fere Trithemius in Chronicis Monasterii Hirsaugiensis veritatis semitam pressit, ad annum DCCCCLXIIII hæc de S. Brunone scribens :* Item corpus beatissimi martyris Eliphii, in monasterium S. Martini Scotorum nostri ordinis in Colonia reposuit. *Quod vero iste annus rectus est, sequentibus conficitur. Imprimis constat hanc translationem non differendam esse post diem* XI *Octobris anni* 965, *quoniam tum (ut pluribus ad hanc diem* (*c*) *comprobat noster C. Byeus) S. Bruno naturæ cessit; immo non differendam post* II *Februarii ejusdem anni, quoniam Reginonis continuator ad hunc annum tradit, Ottoni ex Italia redeunti S. Brunonem obvium ivisse* in Purificatione D sanctissimæ Mariæ Virginis Wormatiam *usque; ambosque simul quam solemnissime Pentecostes festa celebrasse docet Rotgerus S. Brunonis biographus; atque ex eodem et ex chronographis multis rescivimus S. Brunonem, postmodum in Franciam profectum, non amplius rediisse in Germaniam. Quocirca a B. Mariæ Purificatæ festo ad S. Brunonis mortis diem spatium non fit sacris reliquiis e Gallia transferendis. Qui vero intercapedines inter varias has anni epochas inserere velit, legat Rotgerum, qui abundantius de ultimis S. Brunonis temporibus disserens, hoc sane Lotharingicum iter non omisisset. Verum neque ante mensem Aprilem anni* 963 *statui potest hæc translatio, quam a S. Geraldo Tullensi episcopo factam fuisse tradit ejus biographus, ut sæpius in hoc Commentario monuimus. Etenim Gallia Christiana in tomo XIII et Henschenius noster ad* XXIII *Aprilis duobus in locis ex appendice ad Vitam S. Mansueti, qui* III *Aprilis colitur, rite docent S. Geraldum* XXVII *Martii Treviros episcopum designandum convenisse, et mox in Tullensi sede fuisse sublimatum. At quæso, num illico S. Geraldus Sanctorum Reliquias transtulisse atque aliis donasse*

E *censendus est? Annus vero* 964 *omnium opportunismus est : tunc enim S. Bruno in Lotharingia celebravit concilium, ut Byeus S. Brunonis Vitæ commentator* (*d*) *ex chronico Cameracensi* (*e*) *latius statuit. Cum itaque clarum Trithemii testimonium præmissis adstipuletur, illiganda certissime est sæpius dicta translatio dicto anno* 964. *Jam ad cultum, S.* Eliphio *Coloniæ præstitum transeamus.*

§ V. De cultu collato S. Eliphio in monasterio et templo S. Martini Coloniensi, itemque olim Ultrajecti.

In monasterio S. Martini majoris Coloniensi

P*riusquam autem Coloniensium in S.* Eliphium *pietatem explicemus pauca præfanda videntur de monasterio deque templo S. Martini, quo B. Martyris nostri exuviæ illatæ fuerunt. De ejus exordiis sic scribit Gelenius in Admiranda Magnitudine Coloniensi* (*f*) : In quæ tempora ejus exordium sit revo-

F candum ob vetustatem obscurum est. Superest in ambitu perantiquum sacellum, quod ab Eremita Dacico (*a Tilmone Scoto anno* 690, *perhibent alii*) credunt inter circumfluentes undas extructum; ad Beatos tamen viros Plechelmum et Otgerum SS. Bonifacii et Swiberti socios tutius referuntur initia, qui adjuvantibus Plectrude et Pipino insulam (*Rheno scilicet circumdatur*) arboribus amœne consitam, in claustrum religiosorum converterunt. *Hæc Bedæ auctoritate* (*g*) *fulcit auctor MS. Monasteriologiæ hujus abbatiæ, quæ penes nos est. Ille idem varios ei casus deinde adscribit, solo tenus pene reclinatam eam a Saxonibus dicens, et anno* 779 *ab Otgero Danorum duce pristino restitutam statui; anno autem* 803 *a S. Leone Papa privilegiis, sacratis altaribus auctam, et demum vetustate collabentem a Warino archiepiscopo restauratam. Reliqua fere in Gallia Christiana* (*h*) *reperire est. Cum autem ibidem exhibitus abbatum catalogus, qui a Warini temporibus primum incipit, ad annum* 1723 *tantum producatur, utile fore autumo, catalogum illum*

(*a*) T. III, Apr. p. 206.—(*b*) T. VII, p. 409.—(*c*) Act. SS, x Oct., p. 754. — (*d*) Act. SS, XI Oct., p. 750. —(*e*) Lib. I, cap. LXXXV. — (*f*) p. 375. — (*g*) Hist. Angl., lib. v. — (*h*) T. III, col. 749 et seqq.

A *ex MS. Coloniensi perficere* : Henricus Obladen, qui totam abbatiam funditus reædificavit, anno 1726 obiit; ei successit Adrianus Valck, qui 1741 supremum diem clausit; secutus est Franciscus Spix, cujus, anno 1759 mortui, locum occupavit Sebastianus Schmitz, anno 1788 ipse moriturus. Hunc excepit Adam Rosell SS. Theol. Doctor, qui anno 1794 mortuus, locum cessit Melchiori Syberti, qui anno 1801 obiit. Eum secutus est Felix Ohoven; quo abbate, anno 1802 Galliarum imperatoris edictum abbatiam de facto suppressit. Fuit ille dein primus pastor aut parochus hujus templi. *Hæc de abbatia.*

servatæ S. Eliphii *Reliquiæ multo honore*

39 *Colonia quoque ad nos transmissum est MS. carmen de Fastis S. Martini Majoris. Conditum hoc fuisse æstimo inter annum* 1505 *et* 1513, *quo tempore a quibusdam proceribus lethalem sortem expertum esse hoc monasterium testatur prælaudata Monasteriologia : ad hanc scilicet alludere videntur hi extremi fere versiculi :*

Quasque Deo donavit opes veneranda vetustas,
Turpiter, o Superi! nunc turba profana vorando
Decoquit ablatas, ac insidiatur edendis.

Ex hoc carmine reliqua fere hauriemus; sic de pietate
B *Brunonis et Warini in S.* Eliphium :

Tum siquidem Bruno destructo rudere pontis
Erectoque novi parvo molimine templi,
Quæ tulerat quondam Francis de finibus isthuc
Martyris Eliphii sacrata recondidit ossa;
Quodque per instabiles vexatum temporis iras,
Fors deforme situ, senio languebat et annis,
Instauravit opus nitido splendore Warinus.

Quod postquam pluribus explanavit versuum auctor, et de monasticæ vitæ statu ab eodem suscepto cecinit, pergit in hunc modum :

Fertur et hinc Divos sacro dignatus honore,
Eliphii tumbam, fuerat quæ sordida pridem,
Magnifice ditans, positis hinc inde figuris,
Archetypas vitæ (quas fors imitatus agendo)
Virginei cœtus statuas expressit in una
Parte, locuturas mentito corpore tales,
Quos placuit loculo scriptos annectere versus :
» Virginibus fatuis decor intus tollitur omnis,
» Quas ad vana foris trahit inflans aura favoris,
» Dum quærunt emere, ac oleo sua vasa replere,
» Stant foris et mœrent, stupefactis vocibus hærent,
» Ante fores vitæ, quibus inquit sponsus : Abite. »
Parte alia circumposuit simulacra virorum,
C Quos nuper memini, generio primordia nostri,
Ex Scotia natos; libuit queis addere versus :
» Præcones isti juxta vestigia Christi
» Omnibus exuti vere studuere saluti,
» Adstruxere fidem contemptu mortis iidem,
» Quorum dogma sonum dedit in fines regionum
» Unde salutari jam cœpit ab imbre rigari [ctum.
» Cordis ager, multum referens cum fœnere fru-
Hinc atque hinc alios (cœlestia Numina!) Divos
Affixit, comites vitæ testesque laborum,
Discipulos Christi, posuitque his carmina subtus :
» Cives æterni Genitoris in arce superni
* *forte* salvæ » Florent ut palmæ mercede sua sibi salva*,
» Testes ante boni, modo sunt in plebe coloni,
» At finis mundi cum venerit, hora secundi
» Adventus Christi, velamine nubis amicti
» Censores æqui venient cum judice sæcli. »

Quod vero ad hos versus Leoninos, sacro loculo inscriptos, pertinet, cave ne poetam nostrum incuses quod id versuum genus ad antiquiora retulit tempora, ad verbum intelligens Horatium canentem :

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potertas.

(*a*) p. 377. — (*b*) p. 378.

Nam inter criticos jam convenire æstimo erroneam esse D *sententiam Pasqueri, in suis Disquisitionibus Francicis horum versuum originem cuidam Leoni tribuentis, et Cangii in suo glossario ad vocem* Leoninus *eamdem originem referentis ad tempora Ludovici VII aut Philippi Augusti* (*ab anno* 1120 *ad* 1223). *Diu enim antea jam hoc versuum genus in usu erat : nam Acta S. Pelagii Martyris, in opere nostro excusa ad diem* XXVI *mensis Junii, invicte probant hujus speciei metrum jam sæculo* X *in usu fuisse; en exordium auctoris sanctum alloquentis :*

Inclyte Pellagi, martyr fortissime Christi,
Et bone regnantis miles per secula Regis,
Respice Hroswitham miti pietate misellam,
Me tibi subjectam miti pietate famellam, *etc.*

Sic tota lucubratio : mitto alia plura exempla proferre; notavero tantum in hoc ipso volumine num. 17 *Commentarii de Sanctis Martyribus Mauris Coloniense occurrere specimen, quod Cangii dicta evertit. Vide ibidem num.* 8 *Comment. de S. Cannato.*

ab archiepiscopis, Warino et S. Annone

40 *Tumbæ vero, in præsentia non amplius exstantis, ornamentorum num.* 35 *jam memini ex Chronico excuso; Chronicum MS. emblemata memorat; aliud itidem MS. novam tumbam laudat; Gelenius in Admiranda Magnitudine Coloniæ* (*a*) *memorat argenteum* E *loculum; mitto reliquos Colonienses scriptores, cum res satis certa sit. Huic loco inserenda videtur hæc S.* Eliphii *memoria, quam ad diem* XXI *Junii inter prætermissos collocavit recte Henschenius :* « B. Eliphii Martyris commemoratio Coloniæ, in Monasterio S. Martini » inscripta est Martyrologio Coloniensis (*an.* 1521) et Lubecensis editionis anno 1490; item apud Grevenum, Canisium et Gelenium; qui ait hanc corporis in argenteo loculo esse depositionem. *Hæc dicta ad fontes reduxi : at in fastis Coloniensibus Gelenii, non apprime expressum reperio hanc memoriam e corporis depositione ortam esse; verum aliud, nescio quod, Gelenii testimonium Henschenio prævisse potuit : quod si ita sit, duplex S.* Eliphii *Coloniense festum ad tempora Warini referendum erit. Ulterius vero feramus pedem. Archiepiscopalem Coloniensem cathedram occupavit S. Anno ab anno* 1056 *ad annum circiter* 1076. *De eo sic ille poeta noster canit :*

Deinde pari studio compunctus episcopus Anno
Turribus elatis ornavit mœnia templi;

Quas duas turres a fronte sanctuarii *consurgentes scribit Gelenius in opere laudato* (*b*). *Gelenio consonat Chronicon MS.; et alterum Chronicum MS. similiter* F *his construendis annum circiter* 1060 *assignat. Ut ex Diario, cui nomen* Die Kölnische Zeitung, Beiblatt, XV *Decembris* 1816, *colligo, altera turris anno* 1482, *quando templum S. Brigidæ, curante Henrico a Lippia, auctum et parietibus ecclesiæ S. Martini ope concamerationis connexum est, cum S. Brigidæ ecclesia conjuncta fuit. Alteram ex his turriculis designari opinor in scheda MS. in qua traditur unam turriculam* XXIX *Januarii anno* 1539 *decidisse. Reædificata autem fuerit oportet, nisi me fallat imago civitatis Coloniæ. Hujus vero constructionis causa ex capite* XVIII, *lib.* III *vitæ S. Annonis ita explanatur in codice nostro MS. olim Eisendorpiensi, quodque utpote accuratissime scriptum laude non caret.*

habitæ sunt;

41 Eliphius quoque magni meriti Martyr, qui post abscissionem capitis, cum eodem viæ longissimæ spacium percucurrit, in visione beato Viro assistens, ejus erga se negligentiam redarguit, improperans quod eam, quam sicut religiosus in cæteros urbis suæ patronos mentis devotionem ostentabat, in eo multum infamaret; quod sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes ha-

buerit

A buerit, ut ne minimis quidem indiciis suam unquam benevolentiam in ejus ecclesiæ amplificationem prodiderit. Eo respondente, jactis quibuslibet novis fundamentis, inundationem Reni fluminis in subversionem totius Monasterii non dubitandum mox operari, perstitit ille quamlibet vel parvam suæ devotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos a thoro post quietem se excutiens, cœnobium Sancti Martini, quo Martyr idem patrocinabatur, adiit, ad inspiciendum loci situm, habitoque consilio, duas turres a fronte sanctuarii consurgentes in aerem subrigi præcepit, laudem meritumque viduæ duo minuta ferentis sine dubio possidens. *Quid in nostro opere de hac visione censendum aliquando sit; examinare poterit qui S. Annonis Vitam ad* IV *Decembris illustrabit. Hic satis nobis fuerit S. Annonis pietatem erga S.* Eliphium *annotasse. Tradit vero Gelenius* (*a*) *S. Annonem nonnihil versatum fuisse in concinnandis Litaniis Sanctorum; an vero ad eumdem auctorem referendæ sint Litaniæ pervetustæ, quæ olim in ecclesia S. Mariæ in Capitolio Agrippinensi in ternis vigiliis cantari solebant, ut Bollandus nostro ecgrapho inscripsit, me omnino latet; id unum testari possum, eas ob recentiorum*
B *SS. absentiam pervetustas esse; quodque ad rem meam facit, in eis S.* Eliphii *nomen signari. Meminit insuper Sancti nostri Gelenius in Opusculo* (*b*), *quod* Coloniam *inscripsit* supplicem, *et quo prosecutus est octiduanam supplicationem Coloniensium : in ea autem* quinto loco et post duos vexilliferos et quinque angelos, proferebatur tumba S. Eliphii seu Elaphii M. *Mitto quæ de eodem Beato Winheimius scribit in Sacrario Agrippinensi* (*c*) *et in Peregrinatione Romana* (*d*).

et cum ante annum 1789 sub majori Altari servarentur,

42 *Duplicem S.* Eliphii *Reliquiarum translationem jam meminimus : tertia ex authenticis instrumentis indicanda superest :* Anno Domini 1789 in Aprili sub reverendissimo, perillustri et eximio Domino, D. Adam Rosell abbate hujus monasterii S. Martini Majoris dignissimo, cœpta est renovatio, mutatio et magnifica exornatio ecclesiæ nostræ, qua occasione destructa sunt omnia altaria, undecim numero; de quibus tantum quinque reædificata, et anno 1791 x mensis Julii a reverendissimo ac excellentissimo Domino D. Carolo Aloysio S. R. I. comite de Konigsegg, episcopo Myrinensi et suffraganeo Coloniensi ob indispositionem reverendissimi D. abbatis consecrata sunt, prout infra scriptæ
C scedulæ Reliquiarum capsulis et altarium sepulcris impositæ testantur :

hoc anno alii altari inclusæ sunt.

43 De summo Altari. Anno Domini 1791 die x mensis Julii, Dominica III post festum SS. Trinitatis, reverendissimus et excellentissimus Dominus Carolus Aloysius Konigsegg S. R. I. Comes, etc., etc., consecravit altare hoc in honorem Sanctorum Martini, Ursulæ et Sociarum ejus, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias (*sequuntur nomina* XXI *SS.*) in eo inclusit, singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus XL dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit. — In fidem — Anton : Midderhoff suffraganeatus Coloniensis secretarius. — N. B. Hoc summum altare ante hæc erat consecratum a reverendissimo D. Francisco Spix, hujus monasterii abbate, in honorem S. Martini, S. Eliphii, Ursulæ et Sociarum ejus. — In hoc igitur nil immutatum, nisi quod memoria S. Eliphii apposita sit altari S. Catharinæ. Item nota quoad situationem. — Altare primum ad cornu Euangelii versus sacristiam, vulgo altare S. Catharinæ. D Anno Domini (*ut supra*) consecravit altare hoc in honorem S. Crucis, Sanctorum Eliphii, Catharinæ, Brigidæ, Wolffgangi et Materni, et authenticas in altari destructo repertas Reliquias Sanctorum Wolffgangi, Cuniberti et aliorum Sanctorum in eo inclusit, singulisque, *etc. ut supra.* N. B. Altare hoc ante destructionem hujusmodi erat consecratum a reverendissimo in Christo Patre Adamo, episcopo Hierapolitano, suff. Hildes. in honorem S. Crucis et S. Catharinæ V. M. anno 1661, IV Maji; in hodierna autem consecratione in honorem S. Eliphii, Wolffgangi et Materni superadditum. *Cætera ad Sanctum* Eliphium *non spectant. Quasdam etiam Sancti nostri Reliquias fuisse in SS. Bonifacii et Willibrordi collegio syntagmate CIX nos docet Gelenius dum in Sacro Thesauro* (*e*) *hæc habet :* Eliphii Martyris de capite ejus.

Coloniensis S. Eliphii *cultus adhuc perstat;*

44 *Aliquando saltem pietatem erga S.* Eliphium *magnopere floruisse Coloniæ, ex Martyrologiis Germaniæ vario tempore conscriptis, et ex his quæ præcedentibus numeris contulimus, nonnihil liquet. Hujus pietatis aliud specimen esto sequens distichon refusæ alteri Campanæ* (*anno enim* 1378 *turris conflagraverat*) *inscriptum :* E

Sum campana pii, qui nos defendet, Eliphī
Anno milleno C ter L et simul X ter.

Hodierna vero pietas potiore laude non videtur commendanda. Attamen altare S. Catharinæ, cujus superiori numero mentionem feci, altare S. Eliphii *nunc potius audit : quo saltem condecoratur nomine in recentiore scripto. Agitur vero nostri Sancti festum ritu semiduplici. Præter lectionem num.* 29 *recitatam nihil proprium habet ejus Officium hodiernum atque Missa. Olim alias fuisse lectiones, jam ex anonymo S.* Eliphii *biographo, jam ex Ruperto desumptas, alibi monitum fuit. Anno* 1481 *hæc præterea Oratio propria erat :* Misericordiam tuam nobis, quæsumus, Domine, interveniente * B. Eliphio Martyre tuo clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per, etc.

* *intercedente* Ultrajectenses legebant.

45 *Ex numero* 33 *hujus Commentarii, ubi chartam Coloniensem recitabamus, intellexit lector ad annum* 1485 *Ultrajectenses sibi persuasum habuisse apud se servari S.* Eliphii *caput. Unde non mirum in Usuardo Ultrajectensi et Leydensi, ut apud Sollerium nostrum videre licet, S.* Eliphii *memoriam cum elogio fieri. Neque desiit apud Ultrajectenses hæc persuasio post annum* 1485. *Quatuor enim in Musæo nostro habemus vetusta Missalia Ultrajectensia; quorum illud, quod excusum est Antverpiæ anno* 1540, *in Kalendario ad* XVII *Octobris nuntiat* Florentinum episcopum, Elisium Martyrem *et* Martham Virginem sororem Magdalenæ, *et ad eumdem diem propriam Missam exhibet cum inscriptione :* Elisii Martyris cujus caput est in ecclesia Trajetensi. *Missa autem hæc est :* Intr. Lætabitur justus. *Ps.* Exaudi Deus. *Coll.* Misericordiam tuam, *ut Coloniæ. Epist.* Justum deduxit. *Grad.* Domine prævenisti. ℣. Vitam petiit. ℣. Lætabitur. *Euang.* Si quis vult venire. *Offer.* Gloria et honore. *Secreta :* Suscipe, Domine, munera quæsumus dignanter oblata : et Beati Martyris tui Elisii suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium pervenire concedas : Per. *Comm.* Qui vult venire. *Complenda :* Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœleste mysterium : ut cujus exequimur actione, sentiamus effectum. Per. *E tribus reliquis Missalibus, quorum unum MS. ad sæculum* XIV *aut* XV *pertinet, secundum sæculo* XVI *impressum fuit, tertium*

Trajectensis vero ex errore forte ortus suppressus est.

F

(*a*) Admir. Magnit. Coloniæ, p. 312. — (*b*) p. 43. — (*c*) p. 153. — (*d*) p. 88. — (*e*) p. 616.

hoc

A *hoc etiam vetustius est, id ultimum tantum in præmisso Kalendario memoriam S.* Eliphii *addit festivitati S. Galli. Breviarium vero Ultrajectense, anno* 1518 *excusum, lectiones habet de S.* Eliphio *multo longiores quam quæ sunt in vetustis Breviariis Coloniensibus; eæque desumptæ fuerunt ex anonymo scriptore vetustæ Passionis S.* Eliphii. *Breviaria autem Ultrajectensia, quæ anno* 1623 *recentiora sunt, S.* Eliphii *festum expunctum habent. Quod minus mirum est, cum Surius anno* 1618 *publici juris fecerit diploma Hermanni archiepiscopi Coloniensis, quod traditionem Ultrajectensem subvertebat; nisi forte dum capitis particulam tantum haberent, id caput nuncupabant, ut olim sæpe fieri solebat. Continuo antiquiorem S.* Eliphii *dabo Vitam; quæ etsi fabulosa est, hoc potissimum nomine meretur excudi, quod toties a doctis hagiologis desiderata fuit.*

Edetur vita descripta a Zonsbeckio et cum aliis multis collata.

46 *Descripsi eam ex codice MS. cui annotavit recentior manus hæc verba :* Liber Monasterii S. Martini Majoris intra Coloniam scriptus per R. P. Henricum Zonsbeeck Coloniensem sub annum 1480. De eo Hubertus Stralensis in Necrologio sui temporis. *Ipse vero Henricus ad finem Vitæ S.* Eliphii *edendæ, et alterius Rupertianæ,* per me
B Henricum captivum *sese designavit. Bibliotheca Coloniensis P. Harzheim de eo testatur :* Henricus Zonsbeckius Coloniensis, in Sancti Martini Majoris Ord. S. Benedicti abbatia sub venerabili Adamo Mayer professus, excellentissimi ingenii vir, musicus et choraules egregius ac scriba perelegans. Moritur hydropicus 1533 ætatis suæ 76 in festo B. Mariæ Magdalenæ, cujus præsenti solatio fertur sæpius in ærumnis fuisse recreatus. Scripsit in membranis innumera fere volumina, nempe : Gradualia, Psalteria, Missalia, Breviaria, Diurnalia, aliaque cum latina, cum vernacula, Vitas Sanctorum, Homilias Patrum, Tractatusque ascéticos complectentia, quorum aliqua in Sancti Martini Bibliotheca, alia in Brauweilirensi, nonnulla in Lacensi, quædam in Sancti Jacobi Moguntiæ, ac in aliis locis superant. De eodem plura Hubertus Holthuyzen in MS. Virorum illustrium Sancti Martini catalogo. Ex comment. Oliv. Legipont Benedictini Martiniani. *Satis liquido ex his constat* captivitatem, *qua se Henricum constrictum esse scribit, vel pio vel saltem non malo sensu interpretandam esse. Recte laudatur ejus scriptionis elegantia aut potius nitor. Vitæ S.* Eliphii *de qua ago præmittuntur plura*
C *de S. Martino : ut Vita auctore Severo, Sermo S. Martini de Trinitate, etc. Postponitur vero Vita S.* Eliphii *auctore Ruperto. Absque dubio asservabatur olim hic codex in Musæo Hagiographico Antverpiensi; nunc autem constituit numm.* 2376-2381 *Bibliothecæ Burgundicæ Bruxellensis. Contuli hanc Vitam cum ecgraphis Gladbacensi, Trevirensi et Ratisponensi, de quibus dixi in primo* §, *item cum duobus legendariis sæculo* XV *impressis, et demum cum pluribus antiquis breviariis, de quibus in Commentario similiter egi.*

PASSIO S. ELIPHII MARTYRIS.

Ex cod. MS. Coloniensi, nunc Bruxellensi, collata cum MSS. Gladbacensi, Ratisponensi et Trevirensi, necnon plurimis impressis.

Juliano apostata

Julianus apostata apicibus sacri eloquii a puero divinis instructus, ad subdiaconatus *a* insuper accedens honorem, cultor Domini nostri Jesu Christi exstitit infidelissimus. Nam omnium proculdubio miserrimus mortalium, Christum cultorum videlicet fidelium Salvatorem dereliquit, et diabolum suis exigentibus meritis humani generis deceptorem incurrit. Impiissimus namque Cæsar effectus crudelem dedit crudeliter legem *b* ut omnes ubicumque * Christiani cunctis cederent facultatibus suis. Crudelissimus igitur tyrannus quanta Christicolarum pene per orbem strages dedit nec lingua exserere humana * nec ullius calamus scriptoris scribere * valet. Post non parvum * temporis tyrannus teterrimus Italiam relinquens fecit se adire Gallias ; ea procul dubio intentione ut idola erigeret, templa dæmonibus ædificaret, vastaret ecclesias, ad dæmoniorum culturam vel * præmiis invitaret Christianos, vel * si altiori consilio illum cum suis donis contemnerent, exquisitis studiose pœnis interficeret.

2 Ad maximam ergo longitudine et latitudine accessit urbem turribus et muris tunc temporis munitissimam, nomine videlicet Grandem *c*. Ad cujus adventum per superbiam Pagani eriguntur, per odium et inimicitiam Judæi armantur *d;* utrique * ad persequendos Christianos astipulati * incredibili conspiratione fiunt uniti. Cum igitur crudelissima proculdubio tempestas persecutionis in Galliis ubique Christi Ecclesiam vastaret, vir secundum sæculi dignitatem gloriosus *e* et quod * majoris est laudis fidelissimus Christianus, *f* Eliphius nomine, fulsit in urbe * Tullensi plane magna constantia. Ferunt qui ejus progeniem non ignorant, quod vir Deo plenus quatuor habuit germanos in omni sanctitatis * perfectione per cuncta sibi similimos *g*, sanctissimum videlicet episcopum nomine Eucharium, qui cum palma Martyrii susceptus est in paradisum. Corpus ejus sacratissimum in castrum * ad Liberdum *h* est conditum; castissimas etiam tres virgines per omnia Christi devotas, quarum nomina lectioni placet nobis inseri. Menna dicitur prima sacra Virgo et monacha ad Porces est condita *i;* secunda nominabatur Libaria, monacha et Martyr in civitate Grandi fuit sepulta *k*, tertia monacha similiter et Martyr cognomine Susanna *l* in Campania est sepulta *. His ita breviter dictis de Sancti semper Martyris memorandi consanguineis, nostri convertamus cursum sermonis ad gloriosissimæ ejus articulum passionis.

3 Perfidi itaque Judæi atque semper crudelissimi, qui Christum usque ad mortem sunt persecuti, illo sine dubio volente atque ad hoc ipsum veniente, fortissimum Christi militem Sanctum dico tenuerunt Eliphium et in carcerem posuerunt. Erant plane triginta * tres viri Christiani propter nomen et fidem Salvatoris carcere eodem inclusi. Factum est autem, providentia ut credimus agente divina, triginta tres *, de quibus jam diximus, carcere exierunt nocte una; qui postea in fide fortiter * permanentes Christiana, per martyrium meruerunt possidere siderea regna. Sanctus vero Eliphius de carcere egressus Leocham *m* intravit urbem et sepelivit sui genitricem naturæ cedentem. Interea athleta Christi non solum a militibus aut Judæis sed ex * ipsis studiose regibus quærebatur, ut vel * idolis magis aut dæmonibus immolaret vel * gladio interficeretur. Mirum dictu fortissimus Christi agonista timore nudus, fide firmiter armatus ad exemplum illius qui appropinquante sua passione seipsum quærentibus obtulit, sponte regressus est et civitatem videlicet Grandim intravit, ubi tunc temporis Julianus fuit. Duobus ibidem moratus diebus

D *a*

b

* *Ratisp. et Gladb.* ubique

* *In cod. col. omissa est hæc phrasis.*
* *alibi* exarare
* *lege* paululum

* *loco* vel *Gladb. et Ratisp.* ut

in agrum Tullensem ingresso,

c

E

d

* *Gladb. et Ratisp.* viri
* *alibi melius* copulati

e

* quod *omittit Ratisp.*

f

* *Ratisp. et Gladb.* in urbe fulsit

* *Ratisp.* societatis

g

* *Ratisp.* castro

h

i

k

l

* *Ratisp.* tumulata.

F

cum Judæis S. Eliphius *prædicasset,*

* *Ratisp. addit* et

* *Ratisp. addit* viri
* fortiter *deest in Gladb.*

m

* *Gladb.* ab *Ratisp.* et
* *Ratisp.* utrum
* *Ratisp.* utrum

A diebus multa non paucis beneficia præstitit infirmis. Quotcumque enim illic incommoditatibus corporum tenebantur variis, gratia Dei beato viro cooperante, integerrimam mora remota receperunt omnes sanitatem.

et dæmonem expulisset

4 Adhuc vir sanctus studuit dona illis potiora adhibere. Opus enim statim euangelistæ arripuit, et verbum prædicationis infirmitatibus liberatis et paganis præsentibus aliis prædicavit. Hi autem qui verbum Dei cum gaudio suscipientes crediderunt, mulieribus parvulisque exceptis, ducenti * viginti sex numero fuerunt. Omnes denique quorum pectora fides ad justitiam, confessio autem ad salutem mundavit, sacri baptismatis unda ad sanctificationem feliciter abluit. Vir sæpe dictus et semper dicendus de civitate existens * illa et fluvium transiens utique Veram, offendit * in Judæos *n* dæmonum thecas colentes. Erat autem Sabbatum, dies festus Judæorum. Ecce * quid nefarii in suis Sabbatis agunt Judæi : Christum Dei sapientiam et virtutem contemnunt et ad suam dæmonia perditionem colunt. Dæmon itaque qui ab initio mendax, et pater ipsius exstitit mendacii per simulacra loquens Judæis, suæ responsa effundebat fallaciæ. Exigen-
B tibus enim suæ perfidiæ meritis oracula Prophetarum et præconia Apostolorum recusarunt; suas vero libenter aures dæmoniis accommodaverunt. Beatus sane Eliphius dæmonem increpans ait : O infelix et homicida a principio generis humani, hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum seduxisti, et tuæ veneno perfidiæ crudeliter mortificasti. Iterum multipliciter Beatus diabolo comminans, sic ait : Impurissime dæmon ad tuum vade principem : quoniam * in hoc ulterius simulacro mansionem non habebis et amplius non introibis. Procax dæmon respondens ait : Usquequo * a principis mei servitio remotus fuero qui huc me misit, quia in mea diutius non permittis * mansione? Sanctus Dei gratia * plenus ait : Ad socios, sathana, tuos qui sunt in inferno vade, et in ipsa hora cum suis idolis absorbuit eum terra.

multosque convertisset gentiles,

5 Tunc Dei electus, verbum salutis paganis prædicaturus, in loco stans eminentiore ait : Homines miseri et mortales multis imo omnibus involuti estis malis * et ligati, quos per innumeros diabolus instigat errores, qui vivum * et verum Deum visibilium et invisibilium factorem ignorantes nec fidei sacramenta ejus * suscipitis neque eum adoratis. Relinquite ergo miserendi apostatam diabolum. Venite et credite Creatorem, ut peccatorum accipiatis vestrorum indulgentiam et sempiternam animabus vestris inveniatis requiem. His itaque mirabilem * Spiritu Sancto illustrante Eliphii * dictis per Dei gratiam compuncti sunt auditores, qui Salvatorem mundi cum omni devotione verum Deum * confessi crediderunt sexcenti et viginti viri. Sed mulieres Christo devotæ non fuerant numeratæ. In Christi ergo nomine cum grandi lætitia sunt baptizati et corpori Sanctæ Ecclesiæ cum magno gaudio sunt aduniti *. O virum vere per omnia laudabilem! in signis et miraculis per cuncta apostolicum, qui perfectam humanis præstitit sanitatem corporibus et veram nihilominus concessit salutem animabus!

atque hæc imperatori nuntiasset gentilis,

6 Post hæc serpens antiquus diabolus sua sibi dolens vasa diripi, paganorum unum intrat, qui cuncta quæ per Dei gratiam Beatus Eliphius est operatus diligenter Juliano intimavit. Hoc sane sui sermonis initium arripuit : Ignorasne, Juliane, quod unus Christianus, nomine Eliphius, tuos deos destruxit, atque ad tuam procul dubio confusionem ad cinerem usque redegit. Considera, obsecro, quia tibi et semini tuo non prospera sed adversa D prophetat, et sine ullo tui timore contra te et tuam audacter potentiam rebellat, atque in tuo quodammodo super te regno hodie sese exaltat. Tunc rex nimio furore turbatus, ait : Si deos cum omni festinatione immortales non adoraverit, gladius nunc meus caput ejus amputabit. Profanus autem surgens velociter Julianus ad fluvii ripam concito gradu festinavit; ibi gloriosum quem quæsivit Eliphium invenit. Constantissimus vero Martyr adventum non veritus imperatoris, voce clara cunctis ministravit verba salutis. Nec plane Salvatoris fortis athleta judicis timuit tormenta, sed per multas tribulationes et labores cum corona martyrii ad cœlestia regna pervenire voluit. Tunc rex proloquens ait * : Eliphi, per tuos quare sermones crudeliter deos dissipasti, et incantationibus eos nefariis ad nihilum deduxisti? Sed et hoc super omnia habes factum quod populum mihi abstulisti devotum, atque a cultura segregasti deorum.

7 * Vir sanctus et caritate præcipuus ait : Juliane, meum consilium suscipe salubre; renuncia diabolo et simulacris dæmoniorum; crede vero in Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum de Deo vero ex Maria Virgine secundum carnem E natum, et tuarum invenies indulgentiam culparum atque vitam in regno * habebis sempiternam. Rex truculentus ira commotus magna dixit : Per deos deasque juro tibi, Eliphi, nisi meo obtemperes præcepto et renoves deos meos et colas quos confregisti minutim, gladius meus tuum caput dividet particulatim. Sanctus Martyr respondens ait : Rex Juliane, noli errare, neque tu Deo adjuvante poteris, neque tuus pater diabolus, qui dominatur tibi, me a fide et caritate separare Christi. Christus enim innocens et sine ulla peccati macula purus, pro nobis peccatoribus misericorditer est passus. Justissimum sane videtur ut propter fidem et confessionem ejus nominis gloriosi moriamur, ut cum ipso in vita æterna feliciter lætemur. Tyrannus, frendens * quasi leo rugiens, Martyri ter beato dixit: Flexis in terram genibus tuam extende cervicem, et mei mucronis sicut tibi prædixi suscipe plagam. Cui fortissimus Christi Martyr ait : Precor te, rex, per terribile Dei mei nomen, ut des mihi saltem unius horæ spatium quo devotas possum * fundere orationes ad Dominum meum. At rex licet crudelissimus erat * paganus et infestissimus Christiani nominis inimicus, ait ad Dei * Sanctum : Tuam, sicut vis, effunde et extende orationem.

8 Preciosus Martyr postquam accepit orandi licentiam prostravit se in terram et elevans vocem, sic inchoavit precem : Domine Deus omnipotens qui cœlum, et terram * et omnia quæ in eis sunt creasti, et hominem quem ad imaginem et similitudinem tuam factum in paradiso posuisti, eumdemque post lapsum diabolo suadente per Unigeniti tui Incarnationem et Passionem reformasti, et sanctos et electos tuos non ad hujus mundi gaudia, sed ad labores et tribulationes misisti, supplicem servi tui exaudi orationem, quia te timeo solum et tota cordis alacritate diligo : nunc pro tuo nomine non solum omnia carnis tormenta, sed et ipsam subire desidero mortem; animam meam jube * suscipi per manus Apostolorum * in paradiso tuo cœlesti cum corona martyrii ponendam. Istis nunc* hominibus, a quibus sum interficiendus, cunctorum da criminum indulgentiam, et cum omnibus sanctis tuis * in regno tuo portionem; qui vivis et regnas Deus * cum Unigenito Filio tuo et Sancto Spiritu * unus et verus Deus in sæcula sæculorum.

9 Cumque fideles qui affuerunt respondissent :

* *Ratisp.* dixit

*Cui *præmittit Gladb.* *captus est S.* Eliphius; *qui cum minis restitisset,*

* *Ratisp. addit* cœlorum

* *Ratisp. addit* et

* *Ratisp.* possim
* *Gladb.* esset
* *Ratisp. et Gladb. omittunt* Dei

F

et oratione se ad mortem parasset,

* *Ratisp.* terramque

* *Ratisp.* jube meam
* *Ratisp.* Angelorum
* *Ratisp.* autem
* *Ratisp. omittit* tuis
* *Ratisp. omittit* Deus
* *Ratisp.* Spiritu Sancto

A Amen, fortissimus Christi Martyr erexit se ab oratione et in multitudinis stetit medio et ait : Rex Juliane, quum * non dubito me interfici a te, rogo saltem meum cadaver sepulcro permittas tradi et locum mihi concedas sepulcri. Rex vero viro Dei respondit : Quemcumque elegeris locum, in illo tuum fiat sepulcrum. Neminem autem moveat quod clarissimus Martyr de suo corpore sepeliendo curam habuit. Legimus enim Jacob Patriarcham rogasse Joseph filium suum ut in spelunca duplici sepeliret eum, et exegit * ab eo jusjurandum ut in illo loco poneret corpus suum. Joseph quoque cum esset ætatis centum et decem annorum et veniret ad mortem, filios Israhel rogavit ut, cum de terra Egypti exirent, ossa sua in terram repromissionis secum transportarent, et cum aliis Patriarchis, id est cum fratribus suis, illic eum sepelirent. Multipliciter certe vel * in beatorum Martyrum, aut in sanctorum Confessorum legitur libris, quod * magnam de suis curam *p* habuerunt sepulcris. Interea athleta Christi fortissimus oculos attollens et circumquaque aspiciens, vidit de longe montem meritis ejus excelsum *, qui vocatur hodie mons Sancti Eliphii *q*. Deinde Martyr preciosus lætitia spirituali plenus dixit Juliano : En *, Cæsar, cernis locum * in quo Christo demonstrante habebo sepulcrum. Post hæc se convertens ad multitudinem fidelium ait : Admoneo vos qui in Christum creditis et ipum adoratis, ut meam sæpe * memoriam habeatis, maxime tamen in die meæ passionis, et ego Christum pulsabo precibus pro vestris culpis atque fragilitatibus. Ad regem regressus, Dei Eliphius * amicus flevit præ gaudio dumtaxat grandi, non mortis timore. Namque frequenter solitus erat seipsum persecutoribus sponte offerre : quomodo potuit tormenta vel mortem timere? Sed quia per multas currit * pœnas et impiorum contempsit hominum minas et palmiferum finivit cursum, totis visceribus Christum videre desideravit *, graviter sustinuit quia eum velocius non vidit. Dicat ergo vir sanctissimus cum Apostolo Paulo, dicat : Cupio dissolvi et esse cum Christo; multum enim melius *. Cum eodem plane iterum dicat : Bonum certamen certavi, opus bonum * consummavi, fidem servavi, ideo * reposita est mihi corona justitiæ.

10 Versipellis et profanus malesuasor Julianus, quem separare non valuit minis et multis frangere
C non potuit pœnis, eum suasoriis festinat corrumpere verbis, et vanis decipere tentat * blandimentis. Crudelis itaque et immitis bellua in talia leviter prorupit verba : Vir inclyte Eliphi, noster esto amicus. Accipe dignitates et honores, aurum et argentum, et bona omnia quæ hominibus sunt preciosa posside. Tum * colendo deos fac tibi propitios et semper in nostro nominatus eris regno. Ad hæc Christi Martyr respondit : Cæsar, a diabolo es seductus, et Christianos seducere non cessas. Veram enim Christianorum deseruisti fidem, et sacrum sancti baptismatis coinquinasti fontem, et Dominum Jesum Christum fidelium Salvatorem negasti, et diabolum generis humani seductorem ad tuam perniciem colis et coluisti. Ambagibus sine causa uteris variis : quia tuis promissis, Christo me adjuvante, non seducar donis. Idcirco fiducialiter tibi dico quod Beatus Petrus locutus est Simoni Mago : Pecunia tua et munera tua sint tecum in perditionem. Ideo enim terrena promittis ut cœlestia tollas, et vitam transitoriam proponis ut æternam subtrahas, et ad extremum sine dubio idcirco suades caduca gaudia, ut amoveas ea quæ sunt æterna. Quæ igitur facturus es quantocius facito, quia numquam tibi obtempero, nec idola tua, nec parentem tuum diabolum adoro. Egó D enim in verum credo et adoro Deum, in essentia suæ substantiæ * unum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium et finem non habentem, cujus regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo Unigenitum Dei Patris omnipotentis * Filium, sibi consubstantialem, coæternum et coæqualem, Spiritu Sancto operante in Maria conceptum, verum hominem sine virginitatis suæ corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum, a mortuis tertia die resurgentem, in cœlos sanctos ascendentem, in die judicii vivos et mortuos judicaturum et unicuique secundum opera sua redditurum. Hæc cum audisset odibilis * Julianus Apostata, repente ira repletus est magna, et spiculatoribus vocatis imperavit eis, ut Martyrem sine dilatione magnificum decollarent Eliphium.

11 Sed miserrimus hostis generis humani ad victimam deridendo dixit acceptabilem omnipotentis Dei : Modo videbo si Deus tuus quem colis veniens te liberaverit et surgere te atque tuis pedibus ambulare fecerit *r*. Apparitores plane sicut illis jussum erat, fecerunt, et honorabile Sancti * Eliphii caput amputaverunt. Dominus autem Jesus Christus in Martyris sui voluit ostendere passione, quanti eum meriti atque gloriæ prædestinaverit esse in suo regno. Omnes enim infirmi qui diversis languoribus erant occupati, ad passionem martyris currentes gloriosi, meritis ipsius redditi sunt sanitati. Martyrizatus est nempe amicus Dei Eliphius in prato amœno *s*, quod situm est in ripa fluvioli cui nomen * Vera. Verum mirabilis Deus Martyrem sibi carum glorificavit et cum omnibus ubique mirabilem fecit. Martyris ergo corpus gloriosi erexit se per virtutem Christi, et ambabus suum caput amplectens manibus per unum milliare comitantibus Angelis et Christum laudantibus portavit, donec ad sui nominis montem sine ulla offensione perveniret. Deinde subiit in montem sibi electum quondam, et lapidem ibi album inveniens atque planum, ut indigenæ terræ illius asserunt, sedit super cum *. Res satis inusitata facta jam erat in petra; lapidis grandis duritia martyris cessit sanctitati, et proprium aperiens gremium in suo amplexus est sinu Sanctum, et concavum ac aptum locum sedendi in sua nimirum dedit concavitate. Si quis quod absit incredulus fuerit verbis dictantis, lapidis fidem accommodet signis non loquentis. Beatissimus Martyr Eliphius locum juxta illum est sepultus, in quo sibi sedit vir Dei desiderio plenus *t*. Super sacratissimum ejus sepulchrum ædificatum est a fidelibus oratorium ubi fideliter petentibus præstantur beneficia virtutum.

12 Mons plane in quo sepultus est Sanctus Eliphius inter Frumentosam *u* et Grandim est medius ab utraque millibus distans senis, ab aquilone Tullensem urbem tenens, ab austro vero Grandim habens. Libet ad mentem revocare in operis fine, quomodo Deus festinanter voluit servi sui injuriam vindicare. Ipse enim suis fidelibus promisit, atque fideliter ipse adimplevit : Mea vindicta et ego retribuam. Consummata itaque clarissimi Martyris passione, sol tendit suo ad occasum more, nocte paulatim diei succedente. Interea inter Christianos paganosque oritur pugna, et hominum cædes valde perficitur cruenta. Fideles namque Martyris magnifici meritis adjuti, infidelibus Christo donante victis, victoriam sunt gloriose adepti *v*. Extinctorum porro corpora paganorum Christiani miserunt in fluvium sæpe ante nominatum. Colat obsecro sancta Colonia Eliphium colendum

* *Ratisp.*, *omisso* essentia, *habet* in sua substantia

* omnipotentis *omittit Ratisp.*

* *Ratisp. addit* Deo

gladio tandem cæsus est, et caput manibus portavit.

r

* *Ratisp.* sanctissimi

E

s

* *Ratisp. addit* erat, *Gladb.* est

* *Hæc phrasis paulum confusa in Ratisp.*

F

t

Eo intercedente, victoriam referunt Christiani.

u

v

et sepulchri locum sibi elegisset,

* *Ratisp.* quia

* insuper *addit Gladb.*

* *Ratisp.* certe

* *Ratisp.* quia

p

* *Gladb. addit* a Deo præordinatum

B

q

* *Ratisp. Ecce,* * *Ratisp.* montem cernis ipsum

* *Ratisp.* semper

* *Ratisp.* Eliphius, Dei

* *alibi* percurrit

* *Ratisp. addit* et

* multum enim melius *alibi deest.*

* *Ratisp.* cursum

* *Gladb.* de reliquo *Ratisp. omittit* ideo

et denuo blanditiis tentatus fuisset,

* lege *tentat*

* *Ratisp.* Tantum

A dum, amet destinatum a Deo * Patronum; advocatum eum sibi in hac vita provideat, ut defensorem hic et in futuro illum firmiter habeat. Passus est sane venerabilissimus Martyr Eliphius XVII kalendas Novembris *x* sub Juliano apostata et tyranno, imperante vero Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* *Ratisp. addit* sibi

x

ANNOTATA.

a *Julianus numquam accessit ad subdiaconatus gradum : Lector tantum fuit; sic de eo Theodoretus* (*a*) : Hic (*Julianus*) in tenera ætate, adhuc impubes, una cum Gallo fratre lac suxerat piæ doctrinæ. Sed et postea cum pubertatis annos attigisset, jamque inter ephebos esset, eamdem doctrinam retinuit. Veritus tamen Constantium, qui tyrannidis metu propinquos suos interficiebat, in Lectorum numerum adscriptus est, et sacros libros in ecclesiasticis conventibus populo recitavit. *Mitto textum græcum. Eadem latius declarat Socrates Scholasticus* (*b*). *In tomo* III *Observationum selectarum ad rem litterariam spectantium, Halæ Magdeburgicæ impresso, negatur Julianus Lector fuisse : at tota nona observatio, ubi id obtinet, prorsus inter paradoxa ableganda est. Vide commentarios Trivultianos anni* 1708 (*c*), *ubi hæc nova crisis, omnia historiæ monumenta impugnans, merito subruitur : quod Julianum Lectorem ordinatum fuisse negat hujus observationis auctor, ratio vel prætextus est, neminem his temporibus ad hunc ordinem promotum fuisse ante annum vigesimum ætatis. Verum audiendi sane non sunt neoterici sæculi* XVIII, *cum præsto sint scriptores multo antiquioris ævi, res suis temporibus actas enarrantes, quales S. Gregorius Nazianzenus, Sozomenus, Socrates, Theodoretus, etc.*

B

b *Talem legem numquam tulit Julianus. Exaggerantur hoc loco, quæ Socrates* (*d*) *tradit :* Interdixit (*Julianus*) etiam ne in palatio militarent, qui Christianam religionem abjicere et simulacris sacrificare nollent. Ad hæc ne Christiani regendas provincias acciperent. *Vide Nicephorum* (*e*), *et Nat. Alexandrum* (*f*). *Late dictum est* § II *de Juliano in Galliis versante, examinatumque num istic persecutorem egerit.*

c *Olim in agro Tullensi civitas erat, nunc vicus monumentorum romanorum reliquiis insignis : vide P. Benedictum Capuccinum* (*g*) *et dissertationem Cl. V. Digot de episcopatu S. Eucharii* (*h*).

C

d *Hæc si de Asia Minori aut Græcia affirmarentur, non ita a veritate forent absona; de Gallia autem adstructa, intolerabilia sunt.*

e *Cratepolius in suo libello de Germaniæ episcopis et doctoribus* (*i*) *Sanctum* Eliphium filium Regis Scotiæ *proclamat. Usserius, non attendens hunc Merssæi Cratepolii errorem ortum esse ex eo quod Sancti Martyris Reliquiæ in monasterio olim a Scotis occupato asservarentur, et magis forte in Britanniæ decora quam veritatis jura inquirens, Cratepolium secutus est* (*k*). *Designat etiam loca Dempsterus* (*l*) *scribens :* S. Elisius, filius regis Scotiæ Fincormaci, ut existimo, aut sane Crathlinthi, ut aliis visum.

f *Quidam recentiores faciunt eum episcopum, non tamen sedis Tullensis, quam benigne S. Eucharo servant. Nonne sat multas fabulas de S.* Eliphio *suxit vulgus, quam ut historici novas inquirere debeant? Ad diem* XXVII *Octobris, qua festum S. Eucharii agitur, in hujus episcopatum inquiremus.*

D

g *Late commentatus est Jacobus Bueus in Vita S. Mennæ ad tertiam Octobris* (*m*) *quidquid ad parentes* (*quos Baccium et Lientrudem nuncupant*), *ad fratrem et sorores* (*Gontrudem et Odam addunt acta S. Mennæ*), *ad locum natalem* (*quem alii Tullum, alii Solimariacam, alii demum Scotiam faciunt*) *attinet. At satis superque jam dixit Bueus de istiusmodi vulgaribus rumoribus, qui quantum ad hanc fraternitatem pertinent, orti videntur ex eo, quod ii Sancti in eadem regione coluntur. Similia exempla exstant plurima.*

h *Jam tempore regis Dagoberti I Liberduni, quod Petrus de Brixei anno* 1184 antiquissisimum Ecclesiæ Tullensis castrum *appellat, S. Eucharii Reliquiæ servabantur, ut liquet ex quodam hujus regis privilegio; de quo latius, cum de S. Eucharo egemus. Consule P. Benedictum* (*n*) *obviosve geographos de Liberduno, nunc in diœcesi Nanceensi* (Dépt de la Meurthe).

i *Anno* 1063 *S. Mennæ corpus translatum fuit Porsas, seu potius Portum Suavem in pristina diœcesi Tullensi, prius monasterium Ord. S. Bened. dein collegium canonicarum nobilium sæcularium, nunc forte rudera. Portus Suavis* Poussay *vulgo audit, jacetque non procul a Mirecurtio ad rivum Madon* (Dépt des Vosges).

E

k *Diu jacuerunt Grandi S. Libariæ Reliquiæ; anno autem* 1587 *Tullum in abbatiam S. Leonis translatæ sunt; antea jam quædam desumptæ fuerant particulæ. Consule nostrum Suyskenum ad* VIII *Octobris* (*o*), *qua S. Libaria colitur, et P. Benedictum* (*p*), *nonnulla quæ Suyskenum latuere referentem.*

l *De S. Susanna nihil uspiam locorum invenio; in nullo, quod mihi innotescit, Kalendario aut Martyrologio clare notatur; de ea mentionem non facit Ruyrius in Antiquit. Sacris Vosagi; Calmetus in Hist. Lotharingiæ ad annum* 362 *pollicetur se de ea dicturum, cum de S. Menna recurret sermo; verum oblivio fidem non sivit fieri pollicitationi; Pater Benedictus autem fatetur de hac sancta leviusculam tantum superesse traditionem, qua in Campania Gallica sepulta esse perhibetur. Si vero conjecturis indulgere liceat, libenter crediderim eamdem esse ac eam Abbatissam Remensem, quæ Virgo Sancta in Vita S. Theodorici* (*q*) *vocitatur et a S. Remigio instructa fuerat. Ad diem* VIII *Octobris prætermiserunt decessores nostri homonymam Virginem cultam in pago Blionensi, quem eumdem esse suspicor ac tractum terræ diœcesis Tullensis, Ornesium inter et Mosam in Campania jacentem, cui nomen est* Blois.

F

m Leocha *idem est ac Tullum Leucorum, quæ olim sedes episcopalis erat, ut in Commentario prævio monuimus. Sunt, qui S.* Eliphii *parentes in castello quodam,* Bactiman, Baciman *dicto, habitasse asserant; potuit tamen mater Tulli obire.*

n *Hæc* dæmonum thecæ *usum potius gentilem quam judaicum signare videntur; licet enim Judæorum tabellæ, decalogi verbis notatæ, sæpiusque dictæ phylacteria, nomine* thecarum *venire possint, eis tamen non congruit appellatio* thecarum dæmonum, *et inferius* simulacrorum. *Quocirca* thecæ *illæ vel sunt ejus generis, quod culpavit S. Eligius, vetans :* Nec per fontes aut arbores vel bivios

(*a*) Hist. Eccl., lib. I, cap. II. — (*b*) Hist. Eccl., lib. III, cap. I. — (*c*) T. I, p. 448. — (*d*) Hist. Eccl., l. III, c. XIII. — (*e*) Hist. Eccl., lib. X, cap. XXXVIII. — (*f*) Hist. Eccl., sæc. IV, cap. I. — (*g*) Hist. de Toul, p. 110. — (*h*) L'Espérance, Courrier de Nancy, 8 Juill. 1841. — (*i*) p. 52. — (*k*) Antiq. Eccl. Britannicæ, p. 410. — (*l*) Hist. Eccl. Scot., n. 453. — (*m*) p. 151 et seqq. — (*n*) Hist. de Toul., p. 209. — (*o*) p. 229. — (*p*) Hist. de Toul, p. 212 et seq. — (*q*) Act. SS. Ord. S. Bened. tom. I, p. 616; in opere nostro ad diem I Julii.

diabolica

A diabolica phylacteria exerceantur (*a*); *vel quod mihi magis arridet, referendæ sunt inter* pastophoria, ædiculas, armaria, ναίσκους, ναίδια, κιβώρια μικρὰ, καδίσκους, *quæ arculæ sunt ligneæ, lapideæ, argenteæ, etc. idolum quoddam capientes, et de quibus scripserunt plurimi, quos Franciscus Cancellierus in opere de Secretariis Basilicæ Vaticanæ veteris et novæ* (*b*) *recenset.*

p *De cura sepulturarum, tum suæ tum alienæ a Patriarchis habita, adeat lector Spondanum de cœmetereis lib.* I, *cap.* V. *Idem inferius exorditur integrum caput de sollicitudine Martyrum ante et post passionem de sua sepultura; Confessores immixtos ibidem habes.*

q *Dictum est de hoc monte, ecclesia S.* Eliphio *sacra decorato, num.* 17 *Commentarii prævii.*

r *Quæcumque verba Juliano adscribuntur, prorsus ab ejus moribus abhorrent. Injuria hujusmodi emphaticæ minæ atque pollicitationes tamquam fictionis argumenta habitæ sunt a Tillemontio, quando de atrocissimis persecutoribus agitur; verum jure haberi possunt, cum de Juliano quæstio est.*

s *Jacet hoc pratum ad pedem veteris Solimariacæ, nunc* Soulosse; *de qua plura imprimis apud P. Be-*
B *nedictum* (*c*). *Solo rivo Vera separatur Solimariaca a Monte seu Vico S.* Eliphii.

t *Plura de Martyribus cephalophoris, ut dicuntur, vide in commentario de S. Bolonia, ubi hoc* D *miraculorum genus nonnihil infirmatur. Vetus Vita theotisca, cujus memini num.* 4, *et omnium optima est, omittit prorsus hoc miraculum et alia quæ sequuntur.*

u *Consentiunt omnes geographi, aut Tullensis agri scriptores, quos adhibere licuit, in dicendo Frumentosam vicum esse, qui nunc* Fruse *audit. Verum iste vicus non senis millibus distat a Monte S.* Eliphii, *sed ne semi leuca quidem, et certe multo propior est huic monti, quam Grandis. Habent tamen omnes codices :* Mons plane. . . inter Frumentosam et Grandim est medius ab utraque millibus distans senis. *Multo itaque verisimilius est alium hic indicari locum, quem* Framont *esse autumo, jacentem prope* Vichery.

v *In Commentario prævio num.* 5 *monuimus jam totum hunc finem a codice S. Maximini Trevirensis abesse.*

x *Consonant omnes Vitæ in assignanda S. Martyris cœde diei* XVI *Octobris, aut mensis S. Remigii, ut loquitur Vita theotisca. De anno vero multum ambigunt scriptores, inter annum* 350 *et annum* 363 *sese volventes. Quam ob causam initio Commentarii* E *S.* Eliphii *martyrium ad annum circiter* 362 *retulerimus, in* § II *late explicatum fuit.*

(*a*) S. Audoenus in Vit. S. Eligii, lib. II, part. III, cap. XV. Conf. notas Smetii ad Vit. S. Eligii in Act. SS. Belgii, tom. III, p. 230, not. *a* et p. 253, not. *k*. — (*b*) Tom. I, p. 133 et seqq. — (*c*) Hist. de Toul, p. 13 et 150.

DE S. BOLONIA, MARTYRE,

IN AGRO BASSINIACENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Boloniæ cultus, biographi, juventus, martyrii tempus et locus, incertum miraculum, et reliquiarum conditio.

C

CIRCA ANNUM FORTE CCCLXII. *S.* Boloniæ *cultus ex Castellano, ex nomine vici, et ex antiquo Breviario Lingonensi constat.*

Quantumvis certus sit S. Boloniæ *cultus, in nullo tamen latino Martyrologio ejus occurrit mentio. Solus Claudius Chastelain in Martyrologio universali gallico ejus meminit his verbis :* In agro Bassinianensi S. Boloniæ (*S*^te^ *Boulogne*, aut ut vulgo dicitur *S*^te^ *Bologne*) quæ in dicto agro, in templo sui nominis, sub Virginis et Martyris titulo honoratur; *quin etiam addere potuisset ipsum vicum, in quo hoc templum est, sub nomine* Bologne *aut* Ste Bologne *venire. Porro jacet ille vicus, ut ait d'Expilly* (*a*), *in pago Bassiniacensi* (*nunc fere* département de la Haute-Marne) *a dextris Matronæ fluvii, sesqui leuca a Calvo-Monte* (Chaumont); *quæ sufficiunt ut is vicus a pluribus homonymis Galliæ vicis distinguatur. In hoc autem loco duplex olim S.* Boloniæ *celebrabatur festum, prius* XVII *Julii in Reliquiarum translationis memoriam, alterum* XVI *Octobris, quoniam hoc die martyrium subiisse fertur. Neque olim ejus cultus in hoc tantum pago se continebat : ex Breviario enim Lingonensi anno* 1604 *excuso discimus in tota hac diœcesi ejus commemorationem fuisse factam, recitata oratione :* Exaudi; *cum hac tamen lege, ut* si in die Dominica festum occurreret, de eisdem (*de S. Berchario et de S.* Bolonia) non fieret Comm. nec dicerentur duæ Coll. per Horas nisi in Missa tantum. *In ordine diurno ad annum* 1829 *impresso, deleta est hæc commemoratio. In litteris vero, quam humanissime ab amplissimo Domino Favret, Illustrissimi Episcopi Lingonensis Vicario Generali, ad nos datis, innuitur hoc tempore denuo S.* Boloniæ *festum in diœcesi Lingonensi celebrari. Ipsa verba latina facio :* Hodie non exstat amplius Lingonense Breviarum. Quod ultimo excusum fuit loco, anno videlicet 1830, cum titulo: Breviarium Lingonense, mere Parisiense erat; at huic hodiernus Illustrissimus Lingonensis Præsul Romanum, prout jacet, substituit eo animo ut magis constringerentur unitatis vincula, quæ Lingonensem sedem cum Christianæ Ecclesiæ centro conjungunt : qua de re in æternum optimo nostro Præsuli gratulabitur Lingonensis diœcesis. Verum-

F

(*a*) Dictionn. géograph. et histor. des Gaules et de la France.

tamen

A tamen notetis velim nos propterea nuntium non remisisse pristinis pagi Lingonensis Patronis. *Quibus postremis verbis innui existimo, quæ superius enuntiavi : cæterum lector judicet.*

Tres S. Boloniæ *Vitæ fabulis mixtæ exstant.*

2 *Porro ad qualemcumque S.* Boloniæ *Vitam conscribendam, monumenta sat multa præsto sunt, si hujus Sanctæ ætatem inspicias; at hæc tam manca, totque nævis sunt plena, ut ea vulgarium traditionum loco habere non nequeam. Attamen quoniam generatim etiam hujusmodi traditionibus veritas subolet, tenue hoc filum tanquam ducem sequens, quantum fas erit, S.* Boloniæ *gesta discutiam. Monumenta autem illa terna sunt : primum scilicet, novem lectiones, quas anno* 1657 *ex Legenda Calvomontana transcripsit P. Jacobus Vignerius, presbyter Societatis Jesu, tunc collegii Calvomontani rector, qui ad calcem hæc totidem addidit verba :* Superior Legenda conformis est ei, quæ asservatur in ecclesia Boloniensi, diœc. Lingon., cujus Patrona est ipsa Sancta Bolonia; nisi quod hæc est illa corruptior. Ei autem additur quod sequitur : « Anno Domini millesimo CCCC et XVII, XVII mensis Julii reverendus in Christo, et Dominus Cardinalis de Barro vulgo nuncupatus, episcopus
B Ecclesiæ Lingonensis, transtulit honorabiliter ossa gloriosæ Virginis Sanctæ Boloniæ : atque festum ipsius translationis annuatim instituit in ecclesia de Bolonia, dans omnibus Christi fidelibus, in die festi ipsius 40 dies indulgentiarum. » *Atque hæc P. Vignerius de Legenda Calvomontana et Boloniensi, deque Reliquiarum translatione. Quæ cum in ipsis lectionibus sileatur, licet Vita gallica, modo memoranda, doceat continuo post annum* 1417 *in Lingonensi Breviario de ea translatione mentionem factam fuisse, consequens videtur, eas ante hunc annum fuisse conscriptas; et sane tempus sapiunt, quo historia nondum ad crisin fuerat revocata. Quoniam vero veneranda sua antiquitate conspicuæ non sunt, et nihil habent quod certum aut verisimile sit, quodque in recentioribus non repetatur, non est cur iis inutiliter opus nostrum gravemus. Secundum monumentum, quod olim P. Chiffletius ad hagiographos Antverpienses misisse videtur, e tribus lectionibus constat, quæ aliquanto prudentius, partim ex prioribus, partim ex regionis traditionibus circa exiens sæculum* XVII *collectæ videntur. Eas, licet non omnino tutas, edemus, quandoquidem nihil melius de S.* Bolonia *reperire contigit. Tertiam*
C *Vitam gallicam humanissime nobiscum communicavit R. D. Champion, Boloniæ deservitor seu parochus. Ecgraphon est anno* 1819 *descriptum ex vetustiore codice, tumultibus reipublicæ Gallicæ antiquiore (ut ex iis quæ de Reliquiis ibidem narrantur liquet), et verisimiliter circa iniens sæculum* XVIII *primum confecto. Scriptor, qui pius sacerdos esse videtur, se auctorem profitetur alicujus ignotæ nobis Vitæ S. Clementis Metensis; nomen vero suum non prodit. Assertorum suorum non alios habet vades, quam præfatas lectiones Calvomontanas, et Legendam; quam cum ipse, vir minime incredulus, pejorem illis lectionibus pronuntiet, eam nobis deesse minime dolemus. Quas vero novas de S.* Bolonia *lectiones olim conscripsit P. Vignerius, vir de historia Lingonensi optime meritus, et ad musæum hagiographicum Antverpiense destinavit, numquam hæ Antverpiam devenere, ut a Papebrochio notatum reperio; neque nos eas aliunde assequi potuimus.*

S. Bolonia, *diversa a S. Apollonia,*

3 *Porro, si S.* Boloniæ *Vitam in examen vocare lubet, primum quod occurrit dubium, gravissimum est : sitne S.* Bolonia *eadem ac S. Apollonia. Quod dubium facile urgeri potest : simillimum enim Sanctæ* Boloniæ *nomen nomini Sanctæ Apolloniæ, quæ et Pollonia et Paulina audit, et cujus festum* D *occurrit* IX *Februarii; utraque præterea fertur extractorum dentium dolores perpessa esse : quocirca in inferius edendis lectionibus dicitur :* ac primo colaphis et contusione dentium faciem ejus deturpat, ut quæ similitudine nominis et virginitatis consortio cum Apollonia conjuncta jam erat, paritate cruciatus consentiret. *Unde quis conjicere fors posset ex una Sancta Martyre duas esse factas, et alteram ortam tantum fuisse in vico Bolonia ex allatis aliunde Reliquiis : quam conjecturam nonnihil juvant innumera quæ circum ipsam Sanctam Apolloniam versantur dubia : non enim constat an Sancta Apollonia Romana diversa sit a Sancta Apollonia Alexandrina, si quidem eodem die in sacris fastis inscribuntur; quod si diversa non sit, dubium est num virgo an maritata fuerit, et imprimis quo loco, quo anno, quod martyrii genus sit perpessa. Vide P. Bollandum hac super re ad prædictum* IX *Februarii. Verumtamen quadruplex apud me obstat ratio, quin S.* Boloniam *eamdem arbitrer, ac S. Apolloniam : prima, quia alio die colitur ac Sancta Apollonia, quod firmissimum argumentum est; secunda, quia olim in vico Bolonia omnes ejus sacræ Reliquiæ servatæ videntur; tertia, quia vul-* E *garis traditio, cujus momentum spernendum non est, totam S.* Boloniæ *vitam certis illius vicis locis alligat; quarta demum, quoniam S. Apolloniæ vulgata Passio plurimum ab illa S.* Boloniæ *differt : excussorum dentium cruciatus unus fere tantum communis est.*

a nutrice pie educatur, non improbante patre pagano,

4 *Ipsa vero traditio variare videtur circa S.* Boloniæ *matrem. Edendæ lectiones non secus ac antiquiores asserunt parentes paganos fuisse. Ast in Vita gallica, quam prælaudatus Dominus Champion nobis submisit, refert auctor, in altera, qua usus est, Legenda reperiri matrem Christianam, patrem paganum fuisse. Atque hic est locus qui affirmare me jussit tertiam olim exstitisse Legendam, quæ ad manus nostras non devenit. Quæ vero in ipsis lectionibus et in Vita gallica de Sanctæ* Boloniæ *educatione dicuntur satis similia sunt his, quæ occurrunt in Passione Sanctæ Libariæ, quæ in vicina Tullensi diœcesi octava Octobris colitur. Nutricem tamen Sancta Libaria habuisse non dicitur, sed oves quoque pascebat, cum Julianus coram eam transiit. Vide P. Cornelium Suyskenum ad* VIII *hujus mensis, ubi contrahit quæ latius explicata invenerat in co-*
F *dice MS., qui nunc numerum* 3402 *Bibliothecæ Burgundicæ regiæ Bruxellensis constituit. Nolim tamen propterea hunc S.* Boloniæ *Vitæ locum prorsus respuere, quoniam S. Libariæ Passio potius desumpta videtur ex traditionibus, quæ circa S.* Boloniam *fidem invenerunt. Quod autem in edendis lectionibus dicitur* Pater non palam improbare ausus Christianissimo sub principe *filiam suam Christianam esse, vindicare id conatur, gallicæ Vitæ scriptor his, quæ latine facio, verbis :* Prodierat quippe non multo antea edictum ab Austrasiæ rege, quo hic princeps, cujus olim parentes a Sancto Clemente episcopo Metensi ad fidem conversi fuerant, vetabat ne quis e suo populo quempiam molestia afficeret ob susceptam Christi fidem. Habitabat tum ille rex Metis, quæ civitas regni sui caput erat, atque ei subjacebant rura et castella, quæ S. Boloniæ pater tum Grandi in Lotharingia, tum in vico Rocurtensi habebat; quocirca S. Bolonia nihil a suo patre perpessa est.

qui tamen non verebatur Austrasiæ regem.

5 *Verum quam inepta hæc sint, nemo non viderit, cum multo recentius sit Austrasiæ nomen et regnum. Qua de re latius jam disseruit noster Godefridus Henschenius ad* I *Februarii, quam ut iterum hoc*

A *loco hæc discutienda sit quæstio. De apostolatu vero S. Clementis, qui S. Clementis PP. patruelis nuncupatur, dictum jam est a plurimis, aliis affirmantibus, aliis negantibus, et nobis aut successoribus late agendum erit ad diem* XXIII *Novembris. Interea proponenda videtur Tillemontii sententia, qui de eo Sancto sic fatur :* Ecclesia Metensis, a discipulo S. Petri, cui Clementi nomen erat, fundatam se fuisse gloriatur. Sed nemo hac de re sermonem fecit ante Paulum diaconum, Carolo Magno coævum, minusque securum scriptorem. Quidquid autem iste de hoc episcopo dixerit, Usuardus, Ado, cæterique noni sæculi Martyrologi albis suis eum non adscribunt. Exulat quoque etiamnum e Romano Martyrologio. Ferrarius eum assignavit XXIII Novembris diei, quo S. Clemens PP. colitur. *Profert dein sententiam P. Bucherii, qui pleraque quæ de primis Galliæ episcopis referuntur inter fabulas ablegat, et sententiam amplectitur Gregorii Turonensis, statuentis permultas Ecclesias Gallicanas primis suis donatas fuisse episcopis medio circiter sæculo tertio, quo hi in Galliam a Romana Sede deputati fuerunt. Atque hinc expendere licet lectori quanti facienda sit universa*

B *illa hypothesis, qua anonymus scriptor Gallus vindicare nititur præcitata de S.* Boloniæ *patre verba, nescio e qua penu in has lectiones relata. Quod tamen potissimum est, dubitari non potest, quin tempore Juliani apostatæ Christiana fides in diœcesi Lingonensi radices jam egisset. Dubius quidem est apud multos primus eorum fidei magister; dubium est tempus quo primum divinum illic prædicatum fuit verbum; verumtamen fieri non potest, etiamsi fabulam saperet S. Benigni Vita quam ad* I *Novembris edemus, ut Christus tum nondum in hoc tractu notus foret. Vide de hoc argumento Commentarium quemdam insertum volumini, cui nomen* Annuaire du diocèse de Langres 1838 (*a*). *Unde dubitari nequit, quin sæculo* IV, *etiam ruri, Martyres habere potuerit hæc diœcesis. Sed propius ad Sanctam nostram accedamus.*

S. Bolonia *anno* 356 *passa non videtur,*

6 *Ipsum porro martyrium S.* Boloniæ *dubia nonnulla parit, quæ examini subjicienda videntur. Imprimis Lectiones edendæ non secus ac Vita gallica referunt eam palæstram ad Juliani apostatæ tempora; atque adeo in hac Vita et in recentioribus his Lectionibus annus* 356 *S.* Boloniæ *constantia decoratus dicitur. Verum in Lectionibus antiquioribus*

C *nulla de Juliano fit mentio, et hæc sola in iis de imperatoribus reperiuntur verba :* Ea tempestate (*qua pietatem assidue colebat S.* Bolonia) Ptolemæus tyrannus parere cupiens persecutorum imperiis, petebat Alesiam, in Christianos incensus; *quæ ad plurium imperatorum referri possunt regna, minime vero ad imperium Juliani, qui nulla umquam edicta in Christianos edidit. Præterea in* § II *de S. Eliphio manifestum arbitror factum fuisse ex Ammiano Marcellino aliisque, a Juliano, quamdiu in Galliis degerit, in Christianos non fuisse sævitum. Aliunde vero annus ille* 356 *difficultatibus non caret; nam licet verum sit Julianum hoc anno non ita procul ab agro Bassiniacensi cum exercitu suo stetisse, ut colligitur ex Ammiano Marcellino* (*b*), *narrante Julianum, relicta Vienna,* Autosidorum pervenisse; ubi brevi, sicut solebat, otio cum milite recreatum, ad Tricassinos tetendisse; *quo in itinere cum multa ei undique discrimina crearent barbari, nemo negaverit eum ad pagum Bassiniacensem deflectere potuisse. Ast nihil hoc proficere potest, quoniam S.* Bolonia *passa est medio mense Octobri, quod ex die cultus constat; et Julianus ante id* D *tempus Remos jam petierat,* ubi in unum congregatum exercitum Vesuntii jusserat opperiri præsentiam suam : cui præsidebat Ursicini successor Marcellus, et ipse Ursicinus ad usque expeditionis finem agere præceptus iisdem in locis. *Perrexit vero dein Julianus per decem pagos Brocomagum, et dein Coloniam Agrippinæ, qua circa mensem Augustum aut Septembrem potitus est eodem anno* (*conf. Tillem. nota* 37, *de Constantio in Histor. Imper.*). *Jam vero fieri nequit, ut Julianus mense Octobri in Galliam redux fuerit; neque proin valet quod in edendis Lectionibus adstruitur de mora, quam Julianus in oppido Grandi fecisset, et de cæteris adjunctis, ut de hybernis et theatro, quæ huic annectuntur moræ. De his enim, quæ Julianus hoc egit tempore, secus omnino loquitur Ammianus, sub eo stipendia merens :* Igitur Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde, quam Francorum regibus furore mitescente perterritis, pacem reipublicæ firmaret interim profuturam, et urbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis lætus, per Treviros hyematurus apud Senonas oppidum tunc oportunum abscessit. *Et quidem priusquam Senonas venit, Treviris Basileam pro-* E *gressus est, lacessiturus Alemannos, quos Constantius a Rhætiæ partibus insectabatur* (*c*). *Ex quibus liquet Juliani exercitum decima sexta Octobris prope Lingonas sedere non potuisse, neque ipsum Julianum tum Grandi commoratum fuisse. Deseri itaque oportet annus ille* 356; *et quidem universum tempus, quo Julianus in Galliis substitit, ut ex his liquet quæ in S. Eliphii Vita disseruimus.*

sed verisimilius aliquot annis serius.

7 *Verumtamen negare non ausim S.* Boloniam *martyrii palmam fuisse adeptam, dum Julianus imperii habenas regeret. Nam temere rejicienda non est popularis illa traditio, quæ Sanctæ nostræ cædem ad hæc tempora referat; præsertim dum nihil est, quod contrariam sententiam stabilire queat. Fieri enim potuit, ut alibi jam explicuimus, ut magistratus militumque duces, quos Julianus post suam in Orientem profectionem in Galliis reliquerat, gratiam a se relaturos sperarint, si Christi fidem delere satagerent, ne sanguini quidem parcentes. Quod eo facilius potuit accidere, cum impurus frustratus amor odium incenderet : ut in S.* Boloniæ *Passione factum legimus. Quare adscripsimus huic Sanctæ in cœlis natalem annum forte* 362. *Quis vero sit ille Ptolemæus, præfectus exercitus et* F *S. Martyris percussor, nuspiam potuimus detegere. Locus autem, ubi S.* Bolonia *capite fuit truncata, postmodum cruce ornatus fuisse legitur in edendis Lectionibus; quam non amplius existere æstimo, tum quoniam de hac silet Vita Gallica, tum quod de hac mihi sciscitanti nihil indicatum fuit.*

Mons Rocurtensis ejus passionis locus.

8 *De monte autem Rocurtensi, in quantum ad S.* Boloniæ *vitam spectat, sic ad nos scribit antea laudatus Dominus Champion :* Adivi locum quem assignat traditio castello patris S. Boloniæ. Apparet ibi nunc tantum ambitus notatus ruderibus muri, imminentis toti viciniæ, et antiqui castelli aut turris vestigia referentis. Surgebat autem hæc turris in altissimo colle Rocurtensi (*de Roocourt-la-Côte*); meridiem versus, fluvium Matronam et Boloniam spectabat, ad occidentem vero solem cernebat pulchram vallem Veteris Villæ (*Viéville*), et vicum Soncourt usque ad Vinoricem (*Vignory*); qui prospectus terminos habebat Calvum Montem, Sex Fontes, etc. Porro ab alto hoc colle præcipitatam ajunt S. Boloniam, inclusam in dolio ferreis mu-

(*a*) p. 21. — (*b*) Lib. XIV. — (*c*) Hist. des Emper., not. 38 de Constantio.

cronibus

A cronibus armato. Ad collis pedes exstat saxum, cui semper pepercit agricola, quoniam in eo impressum est ferrum mulæ, qua S. Bolonia utebatur. Vidi hoc saxum quod metrum circiter latum est, et decima fere metri parte superat superficiem campi, prato Rocurtensi vicini. Vestigium ferri agnovi: verumtamen formam tantum et venerabundam populi traditionem ut certam asseverare queo. *Sic ille.*

Sententia J. J. Chiffletii de Martyribus, amputatum caput gestantibus,

9 *Jam si ad miracula S.* Boloniæ *divertimur, continuo occurrit capitis gestatio in utraque lectionum serie affirmata. Placet illud miraculi genus Joan. Jac. Chiffletio, qui in Vesontione sua* (*a*), *sic defendit simile facinus S. Germani Martyris et episcopi Vesontini :* Hæc vetusti codices. Nec vero est, quod cuipiam in animum veniat suspicari, rem esse insolentem, et de vulgi commentis assutam, gestationem illam præcisi capitis : gestit enim plerumque ludere in iis sapientia, quæ maxime ab humanis sensibus et consiliis absint. Audi Rupertum Tuitiensem Abbatem (ap. Surium. tom V, XVI Oct.) simile quid referentem de martyre Eliphio : Martyris, inquit, corpus erexit se per virtutem Christi et ambabus amplexum manibus caput suum, per unum milliare, comitantibus utique Angelis et
B Christum collaudantibus, deportavit. Idem habes de Martyribus, Urso, Victore et Sociis, ex Thebæorum legione, Solodori in Gallia sub Maximiani tyrannide capite truncatis et dejectis in profluentem, qui (ut habent eorum acta ap. Sur. tom. V et VII XXX Sept.) capita sua in manibus portantes, flumen egressi sunt, et ad locum ubi nunc in ipsorum honore basilica fabricata est, pervenerunt. De Sancto vero Dionysio Galliarum Apostolo, consentientia sunt scriptorum testimonia; sit omnium instar Metaphrastes in ejus Actis, quæ citat Florentina synodus et refet Surius tom. V. Ferebat, inquit, ipse caput in manibus, tanquam aliquod trophæum, a divina omnino portatus gratia. *Huc usque Chiffletius; cujus cum pace dixero nullam ab eo citatam esse hoc loco auctoritatem historicam, quæ indubium faciat, umquam hoc miraculum contigisse. Absit, ut negem Deum liberrimum esse et potentissimum, illudque fieri posse prodigium; unum illud assero ignota mihi esse alicujus Sancti Acta, quæ ea polleant fide ut ab omni dubio vindicent hanc mirabilem capitis gestationem.*

refellitur.

10 *Duplex autem ratio jubet quam cautissime circa hoc miraculum versari : priorem sic jam explicuit J. Ghesquierus* (*b*) *ad Vitam SS. Chrysolii et Sociorum :* Ego quidem vix dubito, quin traditio
C illa ex eo orta sit, quod S. Chrysolius olim depictus, aut arte statuaria exhibitus fuerit abscissum capitis verticem suis manibus gestans, ut sic, quo mortis genere suum ille certamen consummarit, designaretur; pari nimirum modo, quo depicti aut sculpti olim fuerunt S. Dionysius Galliarum Apostolus, S. Nicasius Rotomagensis, S. Desiderius, S. Justus Altissiodorensis, aliique abscissum caput suis manibus gestantes, atque hinc vulgo crediti, abscissum caput a loco martyrii ad alium plus minusve dissitum transtulisse. *Vide quoque J. Stiltingum, ad* I *Octobris in Commentario de S. Piatone* (*c*). *Altera ratio magnus numerus est Sanctorum, quibus hoc prodigium obtigisse dicitur : ut enim de Sanctis Græcis taceamus, quibus hoc cum Latinis commune est, inter hos plurimi, præter citatos a Ghesquiero, supersunt, quales SS. Adalbaldus* II *Feb.; Albanus* XXI *Junii; Boetius* XXIII *Oct.; Ceraunus* XXVIII *Maji; Clarus* IV *Nov.; Decumanus; Dionysius* IX *Oct.; Domninus* IX *Oct.; Eliphius* D
XVI *Oct.; Felix et Regula* XI *Sept.; Fingar; Fremundus* XI *Maji; Fuscianus et Victoricus* XI *Dec.; Germanus* XI *Oct.; Chrysolius* VII *Feb.; Hyspadius; Jonius* V *Aug.; Justinianus; Justinus aut Justus* XVIII *Oct.; Juthwara; Kenelmus* XVII *Julii; Lambertus* III *Nov.; Laurianus* IV *Jul.; Libaria* VIII *Oct.; Livinus* XII *Nov.; Lucianus* XII *Jan.; Maxentia; Nigasius* XI *Oct.; OElbertus* XXII *Oct.; Oliricus* XVIII *Nov.; Ositha* VII *Oct.; Piatus* I *Oct.; Proculus* I *Jun.; Principinus* XII *Nov.; BB. Quadraginta Monachi Hiberni* XIV *Aug.; Quiteria* XXII *Maji; Regulus* I *Sept.; Sabinianus* XXIX *Jan.; Saturnina* XX *Maji; BB. sex Mart.; Theonestus* XXX *Jun.; Valeria* XXX *Jun.; Victor* XXVI *Aug.; Ursus et Victor* XXX *Sept. et Eremita Anglus anonymus; atque hos fere collegit Rayssius. Quibus addere juvat ex Bollando SS. Frontasium, Severinum, Severianum et Silanum,* II *Januarii Petragoricis cultos; S. Guignerum ex actis SS. Hiberniæ* (*d*); *S. Germanam Lingonensem Martyrem ex ejus actis ad diem* I *Octobris in Opere nostro editis; S. Desiderium episcopum et Martyrem Lingonensem ex historia diœcesis Lingonensis, auctore De Mangin* (*e*) *et S. Mitrium, Martyrem Aquis in Provincia, de quo dicemus ad* E
XIII *Novembris. Et quidem in universa hac recensione animadvertere licet plures Sanctos ad hunc Galliæ tractum pertinere, qui non multum a Lingonibus dissitus est. Unde cum miraculum capitis gestationis pluribus SS. Martyribus adscriberetur, a vulgo facile id quoque tributum fuit S.* Boloniæ, *utpote Martyri; eoque facilius quo probabilius est, eam sepulturæ ergo translatam fuisse in hunc locum, ubi nunc exsurgit templum quod ei sacrum est, atque hanc translationem multum favisse fingendo mirabili S.* Boloniæ *itineri.*

S. Boloniæ *imagines describuntur.*

11 *Non enim valet pro S.* Bolonia *prior, quam deprompsi, ratio ex statuis aut imaginibus petita. De his sic scribit denuo laudandus R. D. Champion :* Generatim S. Boloniæ imagines referunt Virginem ramum manu, et coronam capite gestantem; habet semper juxta se dolium quoddam. Est in Roocourt parva pictura, in qua S. Bolonia exhibetur ut puella quam binæ mulieres, pastoritias vestes indutæ, edocent. In ipso vero vico Bolonia habemus invenustam picturam, similem imaginibus, de quibus dixi. Juxta Virginem insuper pictum consurgit templum Rocurtense. Adjecta ad imam picturam disticha originem ejus referunt. Sic ista sonant :

Dulce solum, quod Sancta vocas Bolonia Martyr F
Nomine, et effuso Virgo cruore rigas :
Hic tua membra jacent sicut mirabile semen,
Quod multis ægris vita salusque fuit.
Presbyter ægrotans Joinvillæ nomine Patot
Est sanus sola Virginis hujus ope.

A Ludovico de Barro anno 1417

12 *In num.* 2 *hujus Commentarii et ad finem edendarum Lectionum mentio fit de elevatione SS. Reliquiarum, anno* 1417 *die* XVII *Julii a Cardinali de Barro facta, et de concessis quotannis hoc die indulgentiis. Licet hæc asserta repetita sint in Vita Gallica, nonnullam tamen quam solvere tentabimus patiuntur difficultatem. Etenim anno* 1417 *mense Novembri certissime Constantiensi concilio aderat Cardinalis de Barro, siquidem* VI *Idus Novembris conclave est ingressus et* III *Idus Romanum Pontificem elegit Othonem de Columna, deinceps Martinum V dictum. Vide Ciacconium cum notis Oldoini* (*f*); *Galliam purpuratam ad nomen Ludovicum Cardinalem de Barro; et Italiam sacram* (*g*). *Attamen id non obstare videtur quominus*

(*a*) Part. II, p. 62. — (*b*) Act. SS. Belgii, tom. I, p. 141. — (*c*) T. I Oct., p. 16, num. 2. — (*d*) Tom. I, p. 389. — (*e*) p. 122. — (*f*) Tom. II, p. 811. — (*g*) Tom. I, col. 143.

A xvii *Julii Ludovicus Cardinalis de Barro Lingonibus adfuerit. Saltem in sessione* xxxv *concilii Constantiensis quæ decima octava Junii celebrata est* præsentibus ibidem reverendissimis in Christo Patribus et Dominis, Dominis Joanne Ostiensi, de Ursinis, Bononiensi, Venetiarum, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentinensi, Sancti Marci, de Chalanco, de Fuxo, *non occurrit Catalaunensis episcopus, id est, Cardinalis de Barro. In sessione autem* xxxvi, *die* xxvi *Julii habita, pauciora recensentur nomina; itemque in sessione* xxxvii, *die* xxvii *Julii instituta. Quæ sequitur sessio celebrata fuit* ix *mensis Octobris; atque illi Ludovicus Cardinalis interesse poterat, etiamsi* xvii *Julii Lingonibus commoratus fuisset; et reapse inter præsentes Cardinales unus Hispanus assignatur; qui fueritne Petrus Ferdinandi Frias, genere Hispanus, episcopus Cardinalis Sabinus, dictus de Hispania, an noster Cardinalis de Barro qui Hispanus quoque fuisse ab omnibus perhibetur, supervacaneum inquirere mihi est. Altera difficultas hæc est : anno* 1417 *Cardinalem de Barro Lingonensem sedem non occupasse. En brevibus ejus vitam, partim ex Italia Sacra Ughelli, partim ex Gallia*

B *Christiana desumptam. Ludovicus dux Barri, filius Roberti et Mariæ Joannis Regis Galliæ filiæ, anno* 1394 *Pictaviensem sedem, anno* 1395 *Lingonensem, anno* 1412 *Portuensem servata Lingonensi, anno* 1413 *relicta Lingonensi Catalaunensem, anno* 1420 *Virdunensem occupavit. Creaverat autem eum antipapa Benedictus XII Cardinalem diaconum titulo S. Agathæ; sed in concilio Pisano legitimus presbyter Cardinalis SS. duodecim Apostolorum a Joanne XXIII factus est. Ex quo apparet Ludovicum de Barro Lingonensi saltem non potitum fuisse cathedra, cum S.* Bolonia *de terra levata est. Verum cum Catalaunensis sedes, quam tum occupabat, non ita a Lingonibus distet, facile fieri potuit ut ipsi crediderit Carolus, id temporis Lingonensis Episcopus, munus levandi Reliquias; eoque facilius quo familiarius se invicem hi bini uterentur episcopi, siquidem suas inter se commutavissent sedes anno* 1413 (*a*). *Neque ingratum esse potuit oblatum hoc munus Ludovico, quoniam multus fuisse videtur in honestandis Sanctorum exuviis : ut liquet ex Gallia Christiana* (*b*), *ubi mentio fit honorum, quos contulit Sanctis Florinæ, Valeriæ, Lupertio. Atque ex his quidem vindicari epigraphen existimo, quam numero* 2 *hujus Commentarii protuli.*

C *transferuntur Reliquiæ S.* Bolonia*e; earum præsens status.*

13 *In Vita Gallica latius descripta venit hæc solemnitas : sermo quippe in ea fit de informationibus et processibus Bononiæ factis; de præsentia vicinorum episcoporum, abbatum, secularium magistratuum, et innumeræ populi multitudinis; de cæremoniis simili in adjuncto usitatis; et demum de S.* Bononiæ *ossibus quæ in tali statu atque in tali ordine reperta sunt, quali forent, si decem tantum annos terræ mandata fuissent. Quis vero præsens Reliquiarum status sit, id nos docent sæpius memoratæ litteræ R. D. Champion :* Bononiæ habemus, *scribit,* capsam, cui inclusæ creduntur S. Bononiæ Reliquiæ; en quæ didici ex ore senum, qui in mea parœcia supersunt. Ante tumultus reipublicæ Gallicæ habebantur hæ Reliquiæ ut authenticæ, et ab omnibus colebantur. Cum autem violatum fuit templum, projecta sunt sacra hæc lipsana in plateam, pedibus calcanda; aliquot autem homines, quorum etiamnum noscuntur et in ore versantur nomina, ea collegere. Porro cum impietatis tempus effluxisset, ea recepit templum. Atque hæ sunt sacræ exuviæ, quas possidemus. Ill. Dominus Jacobus Mathieu archiepiscopus Vesuntinus, et ante episcopus Lingonensis eas vidit; quid vero de eis senserit me latet. Pyxis sigillo munita est; quocirca eam non aperui. D

14 *Ad calcem Lectionum tum antiquiorum, tum magis recentium duplex oratio propria legitur; quam, quoniam ad cultum pertinet, hic loci adscribimus.* Oratio *prior :* Deus castitatis amator et innocentiæ reparator, præsta propitius, ut qui Beatæ Bononiæ Virginis et Martyris tuæ celebramus triumphum, ejus quoque in cœlo mereamur, te miserante, consortium. Per Dominum, etc. Oratio *altera :* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos Beatæ Bononiæ Virginis et Martyris tuæ confessione inclyta circumdas et protegis, præsta nobis ejus imitatione proficere et oratione fulciri : ut ipsius semper adjuvemur meritis, cujus beatitudinis irradiamur exemplis. Per Dominum, etc. *Sequuntur jam Lectiones Calvomontanæ de S.* Bolonia, *quas sæculo circiter* xvii *exeunte conscriptas videri, alibi diximus.* *Veteres de S.* Bolonia *orationes.*

PASSIO S. BOLONIÆ E

e recentioribus sacris Lectionibus Calvomontanis.

Lectio prima. Bolonia vicus est non ignobilis diœcesis Lingonensis in decanatu Calvomontano *a* ad Matronam fluvium situs, ubi pons antiquissimus viam publicam et consularem jungit, quæ Neocastro huc usque deducta, indeque bifariam divisa, parte altera Trecas Parisiosque Aleciam altera, et Augustodunum petit. Hinc orta, hinc nominata *b* creditur B. Bolonia, parentibus nobilibus quidem sed paganis. Matre mortua, ad salutem ipsius nutrici christianæ tradita est, a qua pro captu ætatis edocta, Deum unum colere, ejusque Filium Christum Salvatorem Nostrum venerari cœpit. Quod pater non improbare ausus Christianissimo sub principe *c*, sufficere sibi existimavit, si interius odisset, ratus baptizatam contemptu potius, quam suppliciis et gravioribus pœnis prosequendam, et nutrici pauperculæ dimittendam. *S.* Bolonia *pie educatur.* *a* *b* *c*

F *tentatur multifarie a Ptolemæo.*

2 Lectio secunda. Nutricis oves cum pasceret, annos fere quindecim nata, contigit Ptolemeum *d* ducem cum suis hac iter habere, Alecianos Æduosque versus; quem crediderim fuisse eo missum hybernorum causa a Juliano, haud multos ante dies proclamato Cæsare *e*, nempe anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto exeunte. Redux nimirum princeps Constantii Imperatoris consobrinus ab Almanica victoria *f*, in oppido Grandensi aliquantulum substitit haud multum hinc dissito, ubi et theatrum *g* construxit, quod etiamnum existit, et ludos militibus suis exhibuit, pecuniamque sparsit ad confirmandam sibi eorum benevolentiam. Cui dum Ptolemeus lascivus et profanus homo gratificari se posse putat, cujus mores et impietatem non solum noverat, verum etiam æmulabatur, experiri statuit in Bolonia, quod nefarius apostata in Libaria jam tentarat, quam ibi martyrem recentissime effecerat. Itaque evocatam ad se blanditiis primum et spe conjugii emollire, dein terrore et metu verberum permovere aggreditur; at illa constans, et fidem pudoremque servare persuasa : Facilius, ait, mihi vitam vel acerbissimis cruciatibus eripueris. *d* *e* *f* *g*

(*a*) Gall. Christ. Tom. IV, col. 626 et seq. — (*b*) Ibid., et tom. IX, col. 894.

A *a quo tandem occiditur. Reliquiæ ejus levantur.*

3 Lectio tertia. Responso provocatum se arbitratus dirus persecutor, virgas et secures ocius expediri jubet; nec prius tradendam tortori minatur quam polluerit, et concubinam pro uxore fecerit. At illa Christum advocans : Adestò, ait, o bone Jesu, sponsæ tuæ, nec sinas oviculam, tibi agno cœlesti dicatam, vel furori vel petulantiæ luporum istorum cedere. Tum ille : Licet me, ait, misereat formæ hujus et juventutis tuæ, quia tamen obstinato animo respuis quod ambire debueras, mox quid possim experieris. Ac primo colaphis et contusione dentium faciem ejus deturpat, ut quæ similitudine nominis et virginitatis consortio cum Apollonia conjuncta jam erat, paritate cruciatus consentiret. Nudatam inde ac distentam in equuleo verberibus affici jubet; vix respiranti latera comburi imperat, illud identidem ingerens : Mihi assentire et diis sacrifica. At illa : Meipsam, inquit, immolo Deo viventi. Stupens tyrannus deponi de

h catasta *h* jubet semimortuam, et ligatis manibus ac pedibus, in dolium immergi plenum aqua, lapidibus ac ferramentis quo suffocaretur, nec vacavit ipsa suffocatio dolore. Addunt de summo monte Rocurtensi, cui parentis castellum erat superstructum, præclaro sane aspectu, præcipitatam, apparuisse, cum vas recluderetur, incolumem; ideoque mox

B ad ripam vicini amnis ubi postmodum crux lapidea posita est, capite truncatam; quod ipsa manibus

i ambabus colligens ultra fluvium transtulit *i*, in oppido cognomine sepelienda. Quæ quia contigere

* *supple* septimo decimo * kalendas Novembris, quo die commemoratio fit diversis in locis Sancti Galli Confessoris, Sanctique Bercharii Martyris, hinc data

k est occasio male philosophantibus *k* existimandi Boloniam horum fuisse sororem, quæ eorum gloriæ consors fuerit, vel sæculis aliquot maturius beatitudine prærepta. Oppidum, quod multis retro sæculis titulo comitatus insignitum, patronam delegit, quam forte dominam olim habuerat; ejusque nomini parochialem ecclesiam dicari voluit, ubi reconditæ ejus Reliquiæ diu coruscavere miraculis. Elevatæ postmodum ac translatæ sunt ritu solemni ab illustrissimo principe Ludovico Barro cardinali,

l eodemque Lingonensi episcopo *l* decimo septimo Julii 1417. Quare et in Lingonensi Breviario hujus Sanctæ Virginis memoria recolitur ad decimum sextum Octobris; et in sacrario monasterii Dervensis, atque in ecclesia S. Joannis Bapt. Calvomon-

C tana ossium ejus particulæ asservantur, et in hoc tractu terrarum uti Martyr invocatur.

ANNOTATA.

a *Bolonia nunc succursalis est sub parochia Vignorice.* (Vignory, arrond^t de Chaumont, dép^t Haute-Marne.)

b *S.* Bolonia *nomen suum non accepit a vico Bolonia; sed vicus hic, qui olim dicebatur, ut rescripsit ad* D *nos R. D. Champion illius templi deservitor,* Darthe *vel* Darthé, *et caput erat comitatus Calvummontem complexi, nomen suum posuit, ut cujus patrocinio, ejusdem quoque nomine gauderet.*

c *Constantius, cui tamen hæc* Christianissimi *laus minus congruit, intelligendus est, si S. Martyr mortem oppetierit ultimis Juliani temporibus.*

d *In Commentario prævio num.* 7 *fassi jam fuimus nuspiam alibi hunc nobis apparuisse Ptolemæum.*

e *Julianus die* VI *Novembris anni* 355 *Mediolani creatus est cæsar ab imperatore Constantio, ut Tillemontius* (*a*) *ex Ammiano Marcellino aliisque certum facit. Julianus, die* I *Decembris Mediolano profectus, ultimis diebus anni* 355 *Viennam in Galliis devenit* (*b*).

f Almanica *hæc* Victoria *Brocomagi* (Brumat *seu* Brumt) *in agro Argentinensi relata est; inde vero non petiit Julianus Grandim, sed Coloniam Agrippinam, quo secum duxit exercitum. Cæterum de his jam dictum fuit num.* 6 *Commentarii prævii.*

g *Fieri omnino posset ut id theatrum, cujus rudera, non secus ac multæ aliorum monumentorum ruinæ, ibidem adhuc supersunt, ad antiquiora referri* E *deberet tempora; nam, ut mittam nummos Neronis, Vespasiani, Commodi, Septimii Severi aliorumque ibidem repertos, inscriptio detecta illic est ad Antonini regnum pertinens* (*c*); *unde pronum conjicere est ante Juliani tempora Grandim, quæ nunc agri Tullensis viculus est, splendorem nactam jam fuisse plurimum. Præterea anno* 356 *res valde parca erat Juliano, ita ut Ammianus Marcellinus* (*d*) *scribat :* Inter tot... rerum probabilium cursus articulosque necessitatum ancipites, sudoribus gallicanis miles exhaustus, nec donativum meruit, nec stipendium, jam inde ut Julianus illo est missus : ea re, quod nec ipsi quod daret suppetere poterat usquam, nec Constantius erogari more solito permittebat. *Unde neque constare possunt, quæ de sparsa in milites pecunia hic allegantur.*

h Catasta *sæpe confunditur, ut hic fit, cum equuleo. Distinguenda tamen ea esse, probare conatur Gaspar Sagittarius* (*e*), *statuitque catastam apud ethnicos scriptores pegma esse ligneum, in quo servi venales proponebantur, apud scriptores vero ecclesiasticos suggestum ligneum, in quo tormentis afficiebantur Martyres.*

i *De eo prodigiorum genere late diximus numm.* 9 F *et seqq. Commentarii prævii.*

k *Male philosophantes, qui hic loci perstringuntur, auctores sunt antiquiorum Lectionum Calvomontanarum, de quibus num.* 2 *Commentarii prævii est dictum. Hæc commentitia fraternitas specimen esto auctoritatis earumdem Lectionum.*

l *Manifestum fecimus num.* 12 *Commentarii prævii Cardinalem de Barro id temporis in Lingonensi cathedra non sedisse.*

(*a*) Hist. des Emper. Constance, art. 38. — (*b*) Ibid. — (*c*) L'Espérance, Courrier de Nancy, 8 Juillet 1841. Dissert. Cl. V. Digot. — (*d*) Lib. XVII, cap. IX. — (*e*) De Martyrum Cruciatibus, pag. 193.

A D

DE S. SILVANO MARTYRE,

AGEDUNI IN AGRO LEMOVICENSI.

SYLLOGE HISTORICA.

Memoria in fastis sacris; cultus in monasterio Agedunensi, cujus origines referuntur; Acta alterius Martyris S. Silvano afficta; Martyrium sub Vandalis.

FORTE CIRCA INITIUM SÆCULI V. *S.* Silvanus *memoratus a martyrologis.*

B E

Licet hodierni S. Silvani *cultus inter fines angustos valde coarctatur, Rhenum tamen et Alpes transvolaverit ejus nomen oportet, quandoquidem in codice MS. Barberiniano Martyrologii, sub Bedæ nomine ante tomum II Martii apud nos excusi, passio S.* Silvani, *non signato palæstræ loco, nuntiatur, et Grevenus et editio Lubeco-Coloniensis paribus verbis* in pago Lemovicensi S. Silvani Martyris *memoriam produnt. Similem annuntiationem admisit Ferrarius, Kalendario Lemovicensi et monumentis Agedunensibus se usum esse testatus : sed* Sylvarium *in textu et in notis erronee scripsit. Latum elogium texuit Saussayus; brevissimus est Cl. Castelain, at omnium optime locum indicat, scribens :* Ageduni (*Ahun*) prope Albucionem (*Aubusson*) in Marchia superiori (*Haute Marche*) natalis S. Silvani (*Sauvan*) Martyris. *Sancti nostri* Silvani *meminit quoque Gaufredus Vosiensis, sæculi* XII *scriptor, in chronicis editis a Labbeo* (*a*); *et Bernardus Guidonis, cujus nomen in plurimis Vitis SS. Galliæ memorandum est, in opusculis Historicis a Labbeo quoque editis* (*b*), *hanc martyrologicam pene memoriam prodidit :* S. Silvanus Martyr apud Agedunum burgum, unde natus fuit, a Vandalis cum aliis suis sociis est pro fide Christi occisus. Inde vero postmodum cum sociis suis asportatus est a Danis. Festum ejus recolitur XVII kalend. Novembris. *Socii, quos hic commemorat Bernardus,*

C *mihi prorsus incogniti sunt, nisi sint iidem de quibus inter prætermissos ad* XV *Octobris jam actum fuit, quique ex mera oscitantia scriptorum orti videntur. Jam olim, ut ex Breviario Lemovicensi anni* 1625 *colligere est, in tota diœcesi Lemovicensi commemoratio S.* Sylvani *fiebat; at nihil erat proprium; ante paucos annos reformatum fuit hujus diœcesis Breviarium : attamen servatam fuisse nostri Sancti commemorationem in Laudibus et Missa docet Kalendarium anni* 1832.

colitur Agedunî;

2 *Porro Agedunum in monte aut clivo situm esse indicat sui nominis terminatio* dunum. *Huic oppidulo, quod ante quinquaginta annos pro sua amplitudine dives et populosum dicebatur, affluit fluvius Crosa, qui nomen suum dedit novæ præfecturæ* (dépt de la Creuse), *quæ illud capit. Porro duplex Crosa distinguenda est : altera minor, altera major; de qua hic sermo fit, et quæ Albucionem* (Aubusson), *Agedunum, Varactum* (Guéret), *Cellam Dunensem* (Celledunaise) *præterfluit, mox minore Crosa augenda, et ipsa demum in agro Turonensi a Vigenna* (la Vienne) *absorbenda. Ex Dictionario autem geographiæ veteris, auctore Mentelle, hæc colligo :* Ortelius asserit a se lectum fuisse in folio tertio tabulæ Peutingerianæ nondum edito, sed a Velsero secum communicato, nomen Acitodunum... D'Anville secundum hanc tabulam apud Lemovices caurum versus collocat hunc locum... Beley interpretans inscriptionem numismatis, ad primos Gallorum reges pertinentis, et in quo Leblanc Adeduno legerat, arbitratur Acitodunum, Agedunum, vel Accedunum intelligi. *Negligo opinionem eorum, qui Acitodunum idem esse ac Felletinum* (Felletin), *similiter in Marchia situm, asserunt; quandoquidem eam a melioribus geographis spretam invenio. Hæc signari a me oportuit, ne quis objiciat Agedunum ineunte sæculo quinto non exstitisse, ad quod tamen tempus refertur S.* Silvani *martyrium. Exsurgit porro ad pedem montis, in quo ædificatum est dictum oppidulum, ad ripam, videlicet Crosæ, vicus aut burgum* Monasterium Agedunense *dictum* (le bourg du Moûtier d'Ahun), *separata paræcia, temporibus geographi d'Expilly* 157 *focis constans. In hoc burgo exstabat juxta Crosam Abbatia Agedunensis* (Abbaye du Moûtier d'Ahun) *Ordinis S. Benedicti; cui loco Lexica La Martinière et Moreri, Dictionarium geographicum sacrum et Gallia Christiana* (*c*) *cultum S.* Silvani *proprie adscribunt, licet is Sanctus monasterii primarius patronus non esset, aut potius ejus vocabulum ecclesiæ non foret inditum, ut modo videbitur.*

F *cujus monasterii origines, nonnihil implicitæ.*

3 *Cum maxime variæ videantur sententiæ de hujus monasterii originibus, pauca de eo disserere nec inutile nec ingratum fore autumo. Rescripsit ad nos R. D. Parochus Agedunensis hanc abbatiam exeunte sæculo* X *fundatam dici, sed ab aliis contendi ei initium datum fuisse ab Hilduino, episcopo Lemovicensi anno* 1012. *Dionysius vero Sammarthanus* (*d*) *ejus fundationem affigit anno* 997; *at continuo hæc subdit :* Sic autem initia hujus monasterii edisserit noster D. Cl. Estiennot : Hildegarius episcopus Lemovicensis huic cœnobio initium dedit circa 980, quod, ut ait Goffridus Vossiensis, post Adhemarum, ordinate disposuit in magna caterva monachorum. Paucis tamen annis in eo substitere monachi : Alduinus enim post Hildegarium episcopus Lemovicinus, qui primum chartæ Bosonis Marchiæ comitis anno 997 subscripserat, volens ut nullus alienare præsumeret hunc locum a religione monastica et potestate abbatis, quique illum subdiderat Userciensi asceterio, quod ipsemet Hildegarius hortante genitore suo carissimo D. Geraldo vicecomite restauraverat, paulo post suadente diabolo expulit ab eodem loco monachos et ordi-

(*a*) Bibl. nov., tom. II. p. 285. — (*b*) Ibid., tom. I, p. 625. — (*c*) Tom. II, col. 609. — (*d*) Ibid. col. 608.

nem

nem monasticum, atque ibi canonicos instituit, ut refert Goffridus du Breuil prior Vosiensis in chronico, qui quidem addit post Adhemarum Cabanensem, ibidem pœnas dedisse Hilduinum ubi deliquerat : cum enim aliquando ecclesiam S. Stephani de Ageduno, unde monachos extruserat, adiret, spiritum ibi exhalavit, ad S. Martinum sepultus. *Hæc Estiennot apud Sammarthanum, qui* S. Stephanum primum patronum Agedunensis abbatiæ *nuncupat.*

exponuntur, 4 *Verum in his Estiennotii dictis, a quibus Mabillonius in suis Annalibus non prorsus abhorruit, duo confunduntur monasteria, Agentense,* (*Ainnum et Antimonasterium* Eymoûtier *et* Esmoûtier *quoque dictum*), *cujus patronus erat S. Stephanus, et Agedunense, quod S. Mariæ vocabulo gaudebat. Porro en verba Adhemari prout ea ex Bibliotheca nova Labbei* (*a*) *describo :* Alduinus (*idem ac Hildoinus*) autem episcopus monasterium Sancti Stephani Agentense, quod Aldegerius (*idem qui Hildegarius*) ornate disposuerat in magna caterva monachorum, antequam moreretur per triennium suadente diabolo destruxit, et ibi canonicos restituit. *Reliqua ad quæ alludit Estiennot vide similiter apud Labbeum* (*b*); *ubi denuo* Ecclesiam Agento *non de Age-*
B *duno reperies. Jam vero ut quis clarius videat hanc ecclesiam Agentensem non Agedunensem esse, sed Antimonasterium vel Ainnum aut Eymoûtier in agro Lemovicensi quoque situm, remittam lectorem ad probationes Historiæ Tutelensis Baluzii* (*c*) *vel ad collectionem Historicam D. Bouquet* (*d*), *in quibus tota controversia de Agentensi ecclesia aut* Ainno, *quam latissime descripta est. Qui vero hoc monasterium anno* 1012 *conditum fuisse dicunt errorem hunc elicuisse videntur ex his Adhemari* (*e*) *verbis :* Reversus Episcopus basilicam sedis Sancti Stephani, quam Sanctus Martialis dedicaverat, destruendam et amplificandam disposuit, lineasque ad fundamenta jecit, ut post dies xv insisteret operi; inde abiens ad supradictam ecclesiam Agento, unde monachos extruserat, spiritum ibi exhalavit. *Unde, cum prævaluit sententia, Hildoinum anno* 1012 *obiisse, deducitur basilicam sedis S. Stephani, seu Agedunense monasterium eodem anno inchoatum fuisse : verum hic denuo occurrit ille error quo Agedunense monasterium cum basilica S. Stephani confunditur.*

relato imprimis instrumento fundationis.

5 *Solvitur autem universa quæstio charta fundationis hujus monasterii, quæ cum in sola forte Gallia Christiana antiqua* (*f*) *reperiatur, hic oculis*
C *lectoris subjicienda visa est :* Ego in Dei nomine Boso comes (*Marchiæ*) pro remedio animæ meæ et animarum genitoris et genitricis meæ, necnon et dilecti fratris mei Gauberti, cujus desiderio et voluntate hujus privilegii tenorem stabilire decrevi, ad hortationem et petitionem nobilissimi viri ac fidelis nostri Hugonis Garcille, transfundo quandam ecclesiam, quam olim a parentibus meis jure scimus antiquitus possessam, in honore S. Genitricis Dei Mariæ consecratam. Eam igitur in cœnobio et religione monachali transvehimus, quatenus per succedentia tempora, monasticus ordo et religionis observantia, sub regula Sanctissimi Benedicti ibi teneatur, et custodiatur : eo tenore, ut deinceps nullus successor meus qui fuerit, aut aliquis jure consanguinitatis propinquus, licentiam habeat alienandi ab ordine monastico. Est autem hæc ecclesia in honore S. Genitricis Mariæ consecrata, in pago Lemovicino sita, a vico Ageduno non longe sita; ex una parte fluvius Crosa decurrendo amœna prata cingit; ex altera vero ex qua eminens prospicitur D vicus, fontium decurrentium et vinearum copia uberius fluit. Hunc ergo locum Deo et S. Petro Uzerchiensis cœnobii tradimus sub dominatu Adalbaldi abbatis, successorumque ejus, ut unitas fiat cœnobiorum, quatinus hic et illic mei, animæque Hildeberti fratris mei memoria fiat, pariterque patris et matris meæ, omniumque parentum meorum, ut precibus servorum Dei ibi manentium, sedem refrigerii consequi valeamus. Constituimus ergo hoc privilegium Boso et frater meus Gaubertus, ob consensum Alduini (*episcopi Lemovicensis*) et consilio Rotgerii de Leron et voluntate Hugonis Garcil, ut nullus ex hæredibus nostris alienare præsumat hunc locum a potestate abbatis; sed liceat pro decessoris loco, defuncto abbate Uzerchico, eligere unum ex suis, qui sub regulari norma locum gubernet. Testes privilegii ipse Boso C. Marchiæ, qui hoc firmavit, et Gaubertus frater ejus, Alduinus episcopus, Adalbertus abbas, Hugo Garcil, Ramnulfus frater ejus, Umbertus Drut, Geraldus, Amelius de Peyrac, Gauzelinus monachus, Josue, et Radulfus monachus qui hoc privilegium scripsit anno incarn. Dom. DCCCCXCVII indictione x regnante Rege Roberto. *Atque hoc* E *unum ex Uzerchiensi archivio depromptum privilegium præmissas de Agedunensis monasterii fundatione sententias satis convellit. Ut liquet ex hac charta, fruebantur Uzerchienses jure quodam in hanc abbatiam; quod quamdiu valuerit non par sum dicendo, cum noverim tantum ex Gaufredo Vossiensi, chronicum suum circa annum* 1183 *colligenti, id adhuc suo obtinuisse tempore* (*g*). *D'Expilly in Dictionario geographico Congregationi Cluniacensi subditum hoc monasterium asserit; in Bibliotheca tamen Cluniacensi nulla de eo fit mentio; unde consequens esse videtur non ita antiquam fuisse hanc subjectionem; quæ an.* 1788 *sublata fuit, cum monasterium Agedunense suppressum est, ut rescripsit ad nos laudatus R. D. Parochus.*

Acta, S. Sylvano ab Agedunensibus tributa,

6 *His præmissis de loco ubi S.* Silvanus *colitur, jam dicendum est de ejus Passione aut Actis. Quicumque sola Bibliotheca nova Labbei usi sunt, aut saltem usi videntur, S.* Silvanum *a Vandalis occisum dicunt; qui vero Lectionarium aut Breviarium Agedunense adhibuerunt, hi prorsus in aliam eunt sententiam : ut sunt Saussayus, Ferrarius, Collinus in Vitis Sanctorum Lemovicum et ecgraphum aliquod ad finem paulo auctius, quod R. D. Parochus Agedunensis ad nos transmisit. Verum hæc* F *S.* Silvani *Passio sine dubio excerpta est, mutatis tantummodo nominibus, ex Passione S. Symphoriani; quod sæpius in aliis Sanctis factum fuisse experti sunt nostri decessores. Etenim vita et martyrium S. Symphoriani patroni Augustodunensis in omnibus fere eadem sunt; minora adjuncta vix aliquantum fuere mutata; quod forte* (*ut Collinum omni culpa eximamus*) *soli codicum varietati tribuendum est. Et quidem Sancti nostri* Silvani *Passio vix ad verbum non eadem est ac ea illa quæ Breviario Viennensi anni* 1522 *conficiendo utilis fuit, et quam maxime laudat Cuperus, ad* XXII *Augusti S. Symphoriani Acta edens. Neque credat quis alias Passiones S. Symphoriani multo magis distare ab illa,* Silvano *nostro attributa; nam tantum auctiores et ornatiores sunt. Paucis jam exhibebo quæ S. Symphoriani gesta nostro* Silvano *affigantur.*

mutatis nominibus, eadem sunt ac Acta S. Symphoriani.

7 *Uterque nobili patre Fausto ortus liberalem et Christianam educationem nanciscitur. Ille patriam Augustodunum* (Authun *dein* Autun), *hic Acitodu-*

(*a*) Tom. II, p. 171. — (*b*) Ibid. p. 175. — (*c*) p. 825 et seqq. — (*d*) Tom. XIV, p. 335. et seq. — (*e*) Bibl, nov. Labb. tom. II, p. 175. — (*f*) Tom. IV, p. 963. — (*g*) Bibl. nov. Labb., tom. II, p. 285.

num

A *num vel Agedunum* (Ahun) *habet : unde facilis derivatio nominis ab uno ad alterum. Martyrii occasio pro utroque est eadem : despectus Berecynthiæ aut Cybelæ, quæ carpento portabatur, agminibus populorum stipata. Judex idem est, Heraclius, vir consularis; sic eum insignit Saussayus. Accusationes eædem sunt, seditionis molimina et Cybelæ contemptus; judicis interrogationes et Symphoriani responsa in lectionibus potissimum Viennensibus ad verbum eadem pene sunt; secuta deinde sententia est eadem; hic ante domum maternam ducitur, ille ante murum urbis; sed uterque eadem verba sibi inclamantem audit matrem; mortem uterque obit eamdem, gladio occisus; atque id tempore eodem sub Aureliano, imo Aurelio, imperatore; tandem si ultima lectionum Viennensium verba huc afferrem, Collini dicta e gallico in latinum idioma fere transtulissem; ut miretur lector etiam topographicam concordantiam, en illa :* Sic Sanctus Symphorianus. . . a persecutore prostratus, et a religiosis latenter inde est sublatus. Sic Martyr delatus ad fontem, qui extra publicum (*Collinus* in vicino *dicit*) campum est, et inibi in parva cellula tunc sepultus, (*cellulam aut oratorium paulo post ædificatum esse scribit Col-*
B *linus*) semper tamen se virtutibus publicavit, ita ut, gentibus stupentibus propter mira dona sanitatum, in honore maximo etiam illis temporibus haberetur. *Fons vero ille, quem suis adhuc temporibus exstitisse testatur Collinus, gallice* Fontaine de St Sauvan *audit, et sexta leucæ parte ab ipso oppido distat. Jam vero si differentias inter S.* Silvani *et S. Symphoriani Passionem assignare oporteat, nihil aliud mihi obvenit, quam quod nomen matris S. Symphoriani siletur, S.* Silvani *autem Silvia dicitur; dein quod* Silvanus *idolum conspuisse, Symphorianus illud tantum despexisse dicitur, quod autem ad utriusque ætatem pertinet, S.* Silvanus *vulgo annos* 15 *natus periisse dicitur; S. Symphorianus vero ex vulgatis codicibus in adolescentia quidem videtur mortuus; at certa ætas non signatur, licet codices sint* (*a*), *in quibus S. Symphoriano viginti anni tribuuntur. Cum neminem esse arbitrer, qui, versa sententia, contendat S.* Silvani *acta afficta fuisse S. Symphoriano, Martyri celeberrimo, et cujus Acta ipse S. Gregorius Turonensis novit, satis de his commentis dixisse mihi videor.*

A Vandalis occisus traditur, et a Normannis ejus Reliquiæ sublatæ sunt.

C 8 *Altera sententia, qua S.* Silvanus *a Vandalis occisus traditur, quamque sequuntur Dionysius Sammarthanus, La Martinière, Moreri, et auctor Dictionarii geographici sacri, quisque decessorem describentes, apud nullum scriptorem antiquioris ævi a me reperta fuit, quam apud Gaufredum Vosiensem sæculi* XII *exeuntis non obscurum chronologum; ecce ejus testimonium, ex Bibliotheca nova Labbei* (*b*) *desumptum :* Agedunenses Silvanum, qui a Vandalis passus, . . . pia devotione venerantur. *Alterum Bernardi Guidonis testimonium num.* 1 *hujus Commentarii jam recitavi. In innovato Breviario Lemovicensi Sancti Juniani lectionibus hæc ex laudato hagiologo adjecta sunt :* Hac die celebratur memoria Sancti Sylvani, qui, sævientibus in Christianos Vandalis, Ageduni in Superiori Marchia martyrium pertulisse traditur. Ejus Reliquiæ ibidem conditæ periere in procellosis Danorum seu Normannorum temporibus. *Cum vero ecclesiarum traditiones plurimi sunt ponderis, quamdiu adversa eis sententia probata non sit, Lemovicensis Breviarii narratio admittenda videtur, et proin S.* Silvani *mors ad annum circiter* 406 *referenda est, quo* D *tempore Vandali in Gallias irrupere et plurimum sævierunt in Christi adoratores; de qua persecutione ita olim cum eruditorum approbatione egit Ruinartius* (*c*), *ut nihil fere ejus adjiciendum sit disquisitionibus. De tempore autem, quo Dani et Normanni S.* Silvani *sacras Reliquias dissiparunt, vix quidquam statui posse videtur; quoniam non constat quando Agedunum diripuerint. Proderit tamen citasse Historiam Monasterii Uzerchiensis a Baluzio* (*d*) *et a Bouquet* (*e*) *editam; illic ad tempora Turpionis episcopi Lemovicensis referuntur hæc verba :* His temporibus Normanni terras istas populabantur. *Turpio autem ab anno circiter* 905 *ad* 944 *Lemovicibus sedit. At secure præcitata verba ad initium ejus episcopatus referri possunt, quandoquidem circa annum* 930 *Turpio jam in restaurandis suæ diœcesis monasteriis erat; confer Galliam Christianam* (*f*).

Distinguitur ab homonymis :

9 *Jam vero si ad distinguendum nostrum S.* Silvanum *ab homonymis digredior, centeni mihi occurrunt plerique Martyres, et quidem unus alterve in persecutione Vandalica occisus : at nullus in his, cui suspicari queam ullam cum Sancto nostro relationem affigi posse. Nam, ut mittam Bernardi Guidonis* E *testimonium, quo Sanctus Martyr patria Agedunensis statuitur, temeritatis arguendus essem, si Sanctum* Silvanum *aliunde Agedunum translatum fuisse affirmarem; sæculo enim septimo, quo fere corpora Sanctorum in Occidente transvehi cœperunt, valde obscurum videtur fuisse Agedunum, et monasterio abbatiave destitutum; quæ tamen obscuritas et monasterii defectus, usque post Normannorum tempora duratura, sane non favebant alicui sancto corpori recipiendo. Neminem quoque novi, qui sententiam huic contrariam inierit. Confunditur tamen noster Martyr cum quodam S.* Silvano. *Cl. V. De Saint-Allais, qui anno* 1838 *novum edidit Martyrologium universale, auctum plurimis accessionibus, apponit Sancti nostri* Silvani *memoriæ :* aliud ejus festum XXII Septembris celebrari ; *qua die re quidem vera colitur S. Silvanus, patronus Leprosii* (Levroux) *in agro Bituricensi; sed præter nomen nihil hic Sanctus cum nostro commune habet : dixisse suffecerit hunc Confessorem esse et sæculo* XV *ejus Reliquias exstitisse. Latius vide opus nostrum ad* XXII *Septembris* (*g*).

Agedunense templum non confunditur cum ecclesia S. Silvani.

10 *Definire nequeo an Sanctus noster idem sit ac patronus titularis cujusdam ecclesiæ, quæ penes Uzerchienses erat. Quod si idem fuerit, sæculo* X F *Sanctus noster duobus in locis potiorem cultum obtinuerit oportet : nam ecclesia hæc confundenda non videtur cum monasterio Agedunensi, quod similiter pertinebat ad Uzerchienses et in mediis vineis exstructum fuerat, ut ex charta ejus fundationis supra apparuit. In charta autem aut privilegio, quod Hildegarius Lemovicensis episcopus ad Uzerchiensem ecclesiam in monasterium convertendam concessit, hæc occurrunt :* Frater meus Guido. . . non dissimili devotione pro Dei amore et peccatorum suorum remissione reddit duas ecclesias, unam in honore S. Silvani vineis consitam, alteram quæ digitur Benagias. *Anno* 1133 *possidebant etiamnum Uzerchienses hanc ecclesiam, quandoquidem in historia Uzerchiensis monasterii sæpius jam citata* (*h*) *legitur :* Cum fratres contra eum de remissione ordinis murmurarent, anno MCXXXIII se insufficientem reputans, abbatiam in pace reliquit (*Alde-*

(*a*) Bosquet, Hist. Eccl. lib. II, cap. XXVII. — (*b*) Tom. II, p. 285. — (*c*) Hist. persec. Vandal., p. 402 et seqq. — (*d*) Hist. Tutel., p. 825. — (*e*) Rec. des Hist. de Fr. tom. XIV, p. 334. — (*f*) Tom. II, col. 575 et seq. — (*g*) pag. 404. — (*h*) Bouquet, tom. XIV, p. 340.

bertus

A *bertus abbas Uzerchiensis*), retenta tamen sibi ecclesia S. Silvani, ubi senectutis suæ debilitatem a rigore monastici ordinis aliquantum relevaret. *Qui vero attenderit privilegium Hildegarii ad annum circiter* 958 *referendum esse, et anno* 997 *ecclesiam burgi Ageduni B. Mariæ Dei genitrici, non S.* Silvano, *dicatam fuisse, et præterea in Uzerchiensi fragmento S.* Silvani *ecclesiam absque monasterii mentione venire, is sane non dubitabit quin Agedunense monasterium diversum sit ab hac ecclesia, et quin minime queat ex citatis monumentis concludi olim ecclesiam dicti monasterii vocabulo S.* Silvani *usam fuisse; licet celeberrimus ad eum venerandum illuc concurreret populus, ut Collinus congruus est testis. Atque hæc de cultus indiciis, sæculo* x *S.* Silvano *præstiti. Recentior Sanctorum* D *Lemovicensium biographus Labiche de Reignefort, canonicus Lemovicensis, prodit aliquot alia cultus signa, quæ ad posteriora tempora forte pertinent. Scribit scilicet* (*a*), *Sanctum* Silvanum *patronum esse oppiduli Ageduni ejusque parœcialis templi : in quo Hugo* XIII (*b*) *comes Engolismensis anno* 1302 *sub S.* Silvani *titulo plures vicariatus seu capellanias fundasset; similia beneficia ecclesiastica exstitisse in* Anzême, *archipresbyteratus de* Gueret *loco; et templa parœcialia in* Château-Hors-Chervix, *in* Chirac *prope* Mimac, *et in* Chrosmas *S.* Silvani *vocabulo et patrocinio gaudere. Plura de hoc Sancto neque rescivimus, neque resciri posse arbitramur.*

(*a*) Six mois des Vies de Saints... de tout le Limousin. 1828, p. 243. — (*b*) Moreri Dict. Hist. et Geogr., tom. I, part. II, p. 92.

B # DE SS. MARTINIANO, SATURIANO E

EORUMQUE DUOBUS FRTARIBUS MARTYRIBUS,

ET DE S. MAXIMA VIRGINE,

IN AFRICA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. V. H.

C ### § I. De variis Martyrologiis, quæ de SS. Martyribus agunt, et de tempore passionis. F

ANNO CCCCLVIII VEL CCCCLIX. *Martyrologia varia passionem horum Martyrum*

Martyrologium Romanum parvum Adoni præfixum hos pugiles cum CCLXX Martyribus, de quibus supra egimus, ita conjungit, ut in unam turmam coalescere videantur, qui in persecutione Vandalica passi dicuntur; nulla quidem facta mentione de S. Maxima. *Sic enim habet :* Sanctorum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et aliorum CCLXX pariter coronatorum Wandalica persecutione. *Hanc Martyrum conjunctionem suo etiam calculo probare videntur Ado et Usuardus dum scribunt, ille quidem :* In Africa Sanctorum Martyrum CCLXX pariter coronatorum et Sanctorum Martyrum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et egregiæ Christi ancillæ Maximæ Virginis, etc. *Usuardus vero eadem habet, nisi quod pro* Satyriano *habeat* Satiriano, *et S.* Maximam *ponat post Martyrum elogium his verbis :* Passa est etiam Maxima Virgo cum eis. *De S.* Maxima *agemus infra prolixius.*

2 *Hæc, inquam, monstrare videntur Adonem et Usuardum utrumque martyrium conjunxisse. Quamquam forte et separasse dici possint, tum quia contra morem communiter receptum, quem tamen servaverat Martyrologium Romanum parvum, globum Martyrum, qui sequi solet nomina propria, Martiniano ejusque Sociis præposuerint, tum etiam quia illorum verba conjunctionem non absolute sonant; scribunt quidem utramque turmam in Africa passam, sed propter particulam conjunctivam* et *non necessario infertur, eodem tempore coronatam fuisse. Quidquid sit, Martyrologium Romanum hodiernum Martyres nostros a turma CCLXX discrevit, dum scribit :* In Africa Sanctorum Martyrum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. Ibidem Sanctorum Martiniani et Saturiani cum duobus eorum fratribus, *etc. Quibus verbis utramque turmam diserte disjungit. Baronius quidem in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, opinatur CCLXX in Vandalica persecutione coronatos fuisse, sed ut videtur* *confuse enuntiant;*

AUCTORE J. V. H.

A

quæ corrigenda sunt ex Victore Vitensi:

detur nulla nixus auctoritate, ut patet ex rationibus supra allatis ubi de Martyribus CCLXX n. 4 egimus, quas hic repetere non juvat.

3 *Sanctorum Martyrum elogia in Martyrologiis ita ex S. Victoris Vitensis (de quo majores nostri ad diem* XXIII *Augusti* (*a*)) *Historia Vandalicæ persecutionis lib.* I *cap.* X *desumpta sunt, ut nihil in iis occurrat, quod ex eadem non mutuatum sit. Jure igitur merito ad ejus historiam corrigenda sunt, quæ minus recte in Romano parvo, Adone et Usuardo descripta fuerunt. Imprimis absunt omnino ab Historia Victoris Martyres CCLXX, de quibus præfati sumus. Dein ipsa SS. Martyrum nomina ad illius normam redigenda erunt. Hi martyrologi omnes scribunt* Martianum, *dum Victor constanter* Martinianum *habet. Revera quidem Lorichius in suo Victore typis edito Coloniæ A.* 1537 *et Basileæ A.* 1541 *primo* Mauritanum *scribit, quem deinde semper* Marturianum *appellat; et* Orthodoxographia *seu collectio sacrorum auctorum, inter quos Victoris libri tres de Persecutione Vandalica editi sunt Basileæ A.* 1555, Marturianum *vocat primum Martyrem. Non minor est varietas in nomine alterius :* Satirianum *enim aut etiam* Satyrianum, *quin et*

B Saturnianum *scribunt martyrologia supra laudata et codex unus MS., ut habet D. Ruinart in annotatione* XXXIII *ad Historiam Persecutionis Vandalicæ. Sed omnino corrigendæ sunt hæ nominum varietates ex editione D. Ruinart, qui SS. Martyres secundum codices MSS. optimæ notæ* Martinianum *et* Saturianum *appellandos docet, prout jam Card. Baronius in editione Martyrologii Romani a se emendati scribendos ex Victore judicaverat.*

tempus martyrii non ad an. 480

4 *Nunc deveniendum est ad quæstionem de tempore, quo Martyres nostri passi sunt. Varia enim est eruditorum sententia; quamvis omnes consentiant, Vandalica persecutione passos fuisse : si Card. Baronium in suis ad Martyrologium Romanum Observationibus excipias, dicentem :* Quando passi sint, non invenimus : dicere necatos esse in persecutione Wandalica, divinare est, cum nullius auctoritate probetur. *Unde liquet ab eruditissimo viro præteritam fuisse S. Victoris Vitensis Historiam de Persecutione Vandalica; ex qua dubium nullum relinquitur, quin sub Vandalis passi fuerint SS. Martyres. Quæ est igitur inter eruditos opinionum diversitas, sola circa annum passionis versatur. Martyrologium Germanico idiomate ab Adamo Wa-*

C *lassero, Dilingæ A°* 1599 *editum, quod sub nomine Canisii circumfertur, quia a Ven. Petro Canisio nostro auctum et emendatum fuit, hoc, inquam, Martyrologium tempus passionis SS.* Martiniani *et Sociorum statuit circa A.* 430 : *quod non videtur admittendum, quia Victor narrationem martyrii exordiens,* sed etiam, *ait,* tunc martyres quam plurimi fuisse probantur. . . . ex quibus aliquos narrare tentabo : *illa autem particula* tunc *refertur ad facta, quæ proxime præcedentibus verbis narraverat : hæc vero sunt subsidia collata captivis Romanis ab episcopo Carthaginensi* Deogratias, *hujus obitus, interdictum a Geiserico ne ullus episcopus in Zeugitana et Proconsulari provincia ordinaretur :* Tunc martyres quam plurimi fuisse probantur. *Hæc autem omnia acciderunt post Romam a Geiserico captam, proindeque post A.* 455.

aut ad annum 470

5 *Quare reliqui eruditi, qui tempus aliquod affigere passioni conati sunt, annum aliquem post captam Urbem statuunt. Card. Baronius annum* 456, *Martyrologium Parisiense jussu Card. Noaillii editum annum* 457, *Stephanus Antonius Morcelli* D *in sua* Africa Christiana (*b*) *annum* 459 *martyrio assignant. Difficile esset indagatu quas quisque rationes inierit, ut annum quemdam certum figeret; cum Tillemontius in suis Monumentis ecclesiasticis* (*c*) *candide fateatur ignorari tempus, quo passi sunt Martyres nostri. Si argumento vere solido niteretur conjectura Card. Baronii* (*d*) *et Gynecæi Arturi ad hunc diem, scilicet hos Martyres fuisse ex Urbe captivos, nullum videretur dubium quin illorum passio ad an.* 470 *proxime accederet.*

ut etiam opinatur Dan. Papebrochius;

6 *Idem opinatur Daniel Papebrochius noster ad* XVI *Maji* (*e*), *ratus* Maximam *ejusque socios cum Romana præda devenisse in manus cujusdam Vandali. S. Virgo, teste Victore,* universæ domui dominabatur *velut œconoma.* Hoc, *ait Papebrochius l. c.* plurium annorum fidelem servitutem supponit, intra quos tantam dominorum suorum inierit gratiam. *His annis addenda quoque sunt, reliqua mora in familia herili, et in monasterio Tabracensi, sed præcipue incolatus inter Mauros, quorum conversio ad fidem catholicam, et quæ ex mirabili prædicatione secuta sunt, missio ad civitatem romanam et constructio ecclesiæ, facile aliquot annorum spatium occu-* E *pant; unde mirum videri non deberet ad annum usque* 470 *prorogandum esse tempus martyrii. Hæc probabilem facerent conjecturam de tempore passionis, si certo constaret* Maximam *et socios fuisse Roma abductos captivos : tunc enim omnis chronotaxis ab A.* 455 *exordium sumeret, recteque ad annum circiter* 470 *deduceretur.*

sed circa an. 459 statuendum est

7 *Verum nihil est, quo hæc conjectura solide fulciri possit; nam quod* Martiniani *et Sociorum martyrium post Romanam vastationem et captivitatem acciderit, nequaquam hinc consequi videtur, tunc primum in servitutem fuisse redactos, quod nec vel levissimo indicio insinuat Victor, quin imo, cum l.* I. *Historiæ suæ c.* IV, *asserat jam ab A.* 439 antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem (*Carthaginis*) in servitutem redactam, *nihil obstat quominus dicamus tunc Martyres nostros jugum servitutis subiisse : qua in hypothesi, cum usque ad annum* 459 *viginti annorum intervallum habeamus, est certe tempus sufficiens, ut omnia quæ enumerat Papebrochius supra num.* 6, *facile peragantur. Passionem autem Martyrum ad annum LIX quinti sæculi quam proximam esse inde conjicimus, quod martyrium videatur accidisse circa tempus quo rex* Zeugitanæ et Proconsulari provinciæ F episcopos interdixit ordinandos. . . . Tunc *enim* martyres quam plurimi fuisse probantur, *et statim Martyrum nostrorum passio subnectitur. Regium autem interdictum editum est, ut patet ex Victore l. c. immediate post mortem episcopi Carthaginensis S. Deogratias, de quo majores nostri ad diem* XXII *Martii* (*f*). *Istic quidem dicitur ordinatus Deogratias A.* 453, *probabilius quia hoc anno* VIII *Kal. Novembris in diem Dominicam incidebat : sed Chronicon Prosperi Tyronis apud Canisium* (*g*), *clare asserit* Studio *et* Aetio Coss. *seu A.* 454 *die Dominica ordinatum episcopum Deogratias et proinde* IX *Kal. Nov. Malo errorem agnoscere in numero Kalendarum quam in Consulum nominibus* (*h*) : *quoniam error tanto facilius excidere potuit, quod olim, ut demonstrant Benedictini auctores Novi Tractatus Diplomatices* (*i*), *numerus nonus exprimeretur per* VIIII, *unde facile obelus unus manum scriptoris effugerit. Victor dein ibid. c.* VIII *episcopo Deogratias tres annos episcopatus tribuit, quibus menses duo dies tre-*

(*a*) T. IV August., p. 628. — (*b*) T. III, p. 172. — (*c*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 532. — (*d*) Ad. ann. 456, § XIV. — (*e*) T. III Maji, p. 581, num. 8. — (*f*) T. III Mart., p. 384. — (*g*) Antiq. Lect., tom. I, p. 311. Edit. Basnag. — (*h*) Cfr. Baron. ad an. 452, § LXVI et Crit. Pag. § VIII. — (*i*) Nouv. Traité de Diplom., t. III, p. 519.

decim

A *decim addendi sunt, si fidem adhibemus Kalendario sæc.* VI *edito a Joanne Mabillon* (*a*) *quod* depositionem *Deogratias episcopi Nonis* (v) *Januarii innectit: hinc obitus ejus A.* 458 *alligandus est, proindeque hoc anno aut sequenti passio Martyrum nostrorum reponenda videtur.*

§ II. De SS. Martiniani et Maximæ conjugio, et de disciplina Ecclesiæ circa impedimentum e voto castitatis proveniens.

Collocatur Maxima ab hero suo

Vandalus, cui serviebant Martinianus *armifactor et* Maxima *universæ domus œconoma,* ut fideles sibi magis, *inquit Victor n.* I *juxta passionis historiam infra edendam,* memoratos famulos faceret, *voluit eos* conjugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum sæcularium more conjugium affectaB bat : Maximaque jam Deo sacrata humanas nuptias refutabat. *Verumtamen S.* Maxima *licet firma in proposito servandæ virginitatis, sed Deo confisa, videtur voluntati herili non repugnasse : id quippe indicant tum Victoris verba, quibus dicit :* ubi ventum est, ut cubiculi adirentur secreta silentia, *Martinianum* maritali fiducia quasi cum conjuge *cupiisse* cubitare ; *et, Martiniano jam ad meliora traducto,* nesciisse Vandalum spiritalis secreti commercium. *Unde probabile nobis est, S.* Maximam *consensu suo firmasse matrimonium, quod Maigretius in Martyrographia Augustiniana, Herrera in Templo Eremitano, aliique certo initum fuisse innuunt.*

in matrimonium

9 *Apud Romanos penes dominum fuisse, assignare servis conjuges, satis clare enuntiat Columella de re rust. lib.* I, *cap.* I. *Hujusmodi vero maritales conjunctiones ne matrimonii quidem nomine dignabantur Romani, sed* contubernium *appellabant* (*b*). *Alio se modo habebant servi apud Germanos, e quibus Vandali prodibant.* Servis, *ait Tacitus* (*c*), non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, et servus hactenus paret. Cætera domus C officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare servum, ac vinculis et opere coercere, rarum : occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune. *Talis quidem erat servitutis conditio in Germania, sed ab hac simplicitate jam deflexerant Vandali, in Romanos mores cæterum satis proni, utpote quos videmus* Maximam *et* Martinianum *ad ministeria domestica adhibuisse. Circa servorum conjugia plenam fuisse dominorum potestatem monstrat Dr Felix Papencordt in opere de Vandalis in Africa* (*d*).

Martiniano :

10 *Attamen formam aliquam ad contubernium olim adhibitam fuisse, commode arguitur e Codice Justiniani* (*e*), *qui loquitur de contubernio* contra juris formam *inito. Quod vero ad juris normam contrahebatur, coram Ecclesia cui* non est servus neque liber (*f*) *vim rati matrimonii habebat, nisi obstaret impedimentum aliquod dirimens. Tale vero matrimonium a S.* Maxima *contractum fuisse mihi probabile apparet : neque id inusitatum in antiqua Ecclesia : sic S. Cæcilia, ut habet Breviarium Romanum ad diem* XXII *Novembris, quum* virginitatem suam Deo vovisset, contra voluntatem suam datur in matrimomium Valeriano : *sic S. Julianus, post promissam castitatem, superne illustratus, Basilissam ducit uxorem* (*g*) : *lumine cœlesti sciebant ex istiusmodi actu suam castitatem nullum detrimentum esse passuram. Quæ quidem ratio et pro Sancta nostra Virgine valere potest, ut nuptias alioquin prohibitas contrahere sibi licere existimarit, quoniam deliberatum habebat a voto castitatis numquam discedere, ut monstrant ejus ad* Martinianum *verba apud Victorem l. c.* Christo ego, *inquit,* o Martiniane frater membra mei corporis dedicavi, nec possum humanum sortiri conjugium, habens jam cœlestem et verum sponsum.

AUCTORE J. V. H.

D

qua occasione monstratur sæc. XII *antiquior*

11 *Cæterum satis notum est iis qui theologicas aut canonicas disciplinas vel summis labris delibarunt, votum simplex castitatis nuptias quidem illicitas facere, non vero invalidas. Imo sunt nonnulli qui opinantur nullum istiusmodi votum olim matrimonium diremisse : hujus sententiæ patronus inter alios est, Zegerus Bern. Van Espen, qui in Jure ecclestastico universo* (*h*) *dicit non ante sæculi* XII *annum trigesimum nonum ab Innocentio II introductam fuisse voti solemnitatem, atque adeo illo ex capite impedimentum dirimens matrimonii. Hic enim pontifex in concilio Lateranensi* II, *cap.* VII *et* VIII (*i*) *sanxit :* ut lex continentiæ et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuit quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulari præsumpserint, separentur : hujusmodi namque copulationem quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus : qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Idipsum quoque sanctimonialibus fœminis, si, quod absit, nubere attentarint, observari decernimus.

E

origo impedimenti dirimentis ex voto solemni

12 *Hæc prima fronte novæ legis imaginem præferre videntur; sed si antiqua monumenta revolvimus multa invenientur, quæ meo judicio monstrant, legem hanc multis sæculis Innocentio II antiquiorem. Etenim sunt canones plurimi qui monachorum monialiumque nuptias cum matrimonio quod, priori viro superstite attentatur, comparant; sunt alii, qui omnimodam separationem injungunt; sunt denique qui professionem regularem inter impedimenta matrimonii dirimentia reponunt. Quæ sane omnia ostendunt et antiquis temporibus votum aliquod castitatis extitisse, quod vim ac indolem voti solemnis induerat. Ac primo quidem sanctimonialem prævaricantem inter adulteras reputari, clare docet S. Innocentius I in epistola sua decretali ad omnes episcopos data anno Christi* 404, *qua dicit* (*k*) *si* quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera,... quanto et illa (*a sacerdote velata*) magis tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat et postea ad humanas nuptias transmigravit?

F

1° comparatione cum nuptiis,

13 *Id quoque in laudata epistola sub silentio prætermittendum non est, S. Innocentium duplicem virginum ordinem distinguere, alterum earum, quæ quidem perpetuam virginitatem ita voverant, ut tamen velatæ non essent; alterum earum,* quæ velari a sacerdote meruerunt : *ac duplex iste virginum ordo apprime meo judicio hodiernam nostram distinctionem*

(*a*) Vet. Analect., p. 167. — (*b*) Adam Antiq. Rom., t. I, p. 75 et t. II, p. 310. Cujas, t. IX oper. col. 1475. — (*c*) De Morib. Germ., c. XXV. — (*d*) Gesch. der Vand. Herrschaft in Africa, p. 187. — (*e*) L. 24, C. de Incest. nupt. (IX. 9). — (*f*) Galat. III. 28. — (*g*) Act. SS., t. I Januar. die IX, p. 576, n. 5. — (*h*) Part. II, sect. I, tit. XIII, t. I, oper. p. 582. Edit. Lovan. al. Lugdun. an. 1778. — (*i*) Labbe, t. X. Conc. col. 1003. (*k*) Ibid, t. II. Conc. col. 1252.

AUCTORE J. V. H.

A *ctionem inter simplex et solemne castitatis votum declarat. Porro benignius vult agi Pontifex cum lapsis, quæ velatæ non sunt : nam pronuntiat* solvi *posse* istam pollicitationem, *non tamen* sine vindicta : *illicitum scilicet erat earum matrimonium, non tamen invalidum; nam acta* aliquanto tempore pœnitentia *expiatæ, nuptiis legitime fruebantur. Ast severius habet S. Pontifex virgines jam velatas, quas perenni publicæque pœnitentiæ subjectas volebat. Ex ipsa quidem decretali deducere conatur Van Espen l. c. velatarum nuptias validas fuisse, quia monialis lapsa non admittebatur ad pœnitentiam priusquam vir* de sæculo recesserit, *commentaturque fieri* id indubie ne pœnitentia cedat in matrimonii initi injuriam; tum enim publice pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. *Sed videtur Espenius mentem Pontificis non assecutus. Imprimis, ut nihil dicam de inæqualitate pœnæ, quæ non velatæ certa, incerta velatæ, si nempe viro superstes fuerit, statuitur, Innocentius loquitur de lapsis, quæ* vel publice nupserint vel se clanculo corruperint : *numquid et occulte corrupta adhærere debet corruptori, donec hic vixerit? Dein Pontifex dicit* pollicitationem *non velatæ* solvi *posse, ergo*

B *quum nihil simile dicat de velata, solvi non potest vinculum ejus, quæ* ante immortali se sponso conjunxerat.

priore viro, contractis;

14 *Eamdem doctrinam tradit S. Hieronymus dicens lib.* I *adv. Jovinian. cap.* VII (*a*) Virgines post consecrationem (*id est velatas*) nubentes non tam adulteras esse, quam incestas. *S. Joannes Chrysostomus scribit ad Theodorum lapsum adhort.* II (*b*) : Τὸν επουρανίῳ συναφθέντα νυμφίῳ, τοῦτον μὲν ἀφεῖναι, γυναικὶ δὲ ἑαυτὸν συνάψαι, μοιχεία τὸ πρᾶγμα, κἂν μυριάκις ἀυτὸ γάμον καλῇς. Eum, qui semel cœlesti sponso junctus est, si ab eo divellatur et uxorem ducat, adulterium committit, quamvis millies hoc ipsum nuptias voces. *Iisdem fere verbis utitur S. Ambrosius in tractatu ad virginem lapsam* (*c*), *quem S. Doctori adscribit D. Ceillier* (*d*) : Quæ se spopondit Christo et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. *Similem ratiocinationem de virgine lapsa facit S. Basilius in Epistola Canonica* II *ad Amphilochium* (*e*), *et S. Augustinus, Enarrat. in Ps.* LXXXIII *n.* 4 (*f*). *Verum S. Augustinus a multis tamquam patronus contrariæ opinio-*

C *nis citatur, quia scilicet libro de sancta Virginitate c.* XXXIV (*g*) *dicit virginibus aliquibus voto castitatis obstrictis* melius esse nubere quam uri; *et lib. de Bono Viduit. c.* X (*h*) *reprehendit illos, qui docent lapsarum nuptias* non esse conjugia. *Sed secum ipse et cum aliis commode explicatur S. Doctor, si duplex continentium ordo distinguitur, nempe earum quæ simpliciter voverunt, et earum quæ insuper sacrum acceperunt velamen : ac de priore ordine loquentem Augustinum censeo, quia in libro de sancta Virginit. l. c. agit* de veste elegantiore, de capitis ligamento notabili, de prætumidis umbonibus capillorum, *quæ certe sanctimonialibus seu velatis non conveniebant, quoniam cavet Epist.* CCXI, *al.* CIX (*i*) *ut* capillos nulla ex parte nudos *habeant : in libro autem de Bono Viduit. c.* XXI *præmonet continentes ne* divitiarum cupiditate capiantur pro cupiditate nuptiarum, *ne* in cordibus nummus viri amori succedat, D *quod cum voto paupertatis religiosæ stare non potest.*

2° *e separatione injuncta,*

15 *Nostra dein sententia confirmatur ex separatione injuncta iis qui tales nuptias attentarint. Patres Concilii Turonensis anni* 567 *ad S. Radegundem scribunt* (*k*) *anathemati subjectam monialem viro adhærentem,* donec separatione facta *per competentem. . . .* pœnitentiam. . . . recipi mereatur. *Concilium Barcinonense an.* 599, *can.* IV (*l*) *sancit ut velatæ quæ* a pudicitiæ violatore se sequestrare noluerint, *ita sint alienæ a communione catholica,* ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio relinquatur. *Cui legi consonat can.* XI *Concilii Forojuliensis sub Paulino episcopo Aquilejensi an.* 791 (*m*) *præcipiens ut quæ voto castitatis emisso,* ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, indutæ fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ. . . . si postea sese vel clanculo corruperint seu publice nupserint. . . . segregentur ab invicem. *Meldense Concilium an.* 845 *can.* LXVII (*n*) *vult ejusmodi nupturientes* ad habitum religionis cogi, *et* sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter permanere : *quam sanctionem in Germania quoque vigere mon-* E *strat Concilii Triburiensis can.* XXIII (*o*) *dum vult ut hujusmodi personæ* omnino separentur *et* juramento colligentur *ne vel* familiari fruantur colloquio; *et in Anglia, lex Edgari* (*p*) *jubentis, ut sanctimonialis lapsa* deserat peccati consortium. *Tandem Concilium Lateranense* I *sub Calixto II celebratum an.* 1123 *can.* XXI (*q*) *eodem tenore matrimonia interdicit monachis, æque ac presbyteris,* contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi *præcipit, quibus verbis clare monstratur nihil novi sanxisse Concilium Lateranense* II, *ut vult Espenius.*

3° *quia tale votum inter impedimenta*

16 *Hisce argumentis e comparatione cum adulterio et ex præscripta omnimoda separatione petitis, tertium subjungimus, quod vim suam ad monstrandam asserti nostri veritatem habere censemus. Plura scilicet sunt antiqua documenta, quæ eodem sermonis tenore, iisdemque pœnis damnant et incestas propinquorum et sacrilegas monialium nuptias. Sic Concilium Parisiense* V, *an.* 615 *can.* XIV (*r*) *ad* incestas conjunctiones ab omni Christianorum populo resecandas, *dicit* ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima abstinere *debere,* qui relictam fratris, sororem uxoris . . . . vel in religionis F habitu deditam conjugii crediderit consortio violandam. *Eodem modo loquitur Metensis Synodus an.* 753 *can.* I (*s*) *quo mulcta punitur homo* si incestum commiserit. . . de Deo sacrata aut commatre sua. . . . aut cum matre et filia : *et Egbertus archiepiscopus Eboracensis in Anglia c.* CXXIX (*t*) *eodem anathematis fulmine percellit, qui* monacham, *et qui affinem* vel de propria cognatione uxorem duxerit. *Atque istiusmodi nuptias non solum pœnis inter se, sed etiam prohibitione æquiparari, monstrat can.* XV *Concilii Calchutensis in Anglia an.* 787 (*u*) interdicens omnibus injusta connubia et incestuosa, tam cum ancillis Dei vel aliis illicitis personis, quam cum propinquis et consanguineis vel alienigenis uxoribus : *et epistola synodica Concilii Duziacensis in provincia Rhemensi an.* 874 (*v*), *quæ*

(*a*) Tom. IV Oper. col. 156. Edit. Paris. an. 1706. — (*b*) Tom. I Oper., pag. 38. — (*c*) Tom. V Oper., pag. 167. Edit. Venet. an. 1781. — (*d*) Hist. des Aut. eccl., tom. VII, p. 476. — (*e*) Tom. III Oper., pag. 291. Edit. Paris. an 1730. — (*f*) Tom. IV Oper. col. 880. Edit. Paris. an. 1679. — (*g*) Tom. VI, col. 286. — (*h*) Ibid., col. 375. — (*i*) Tom. II, col. 784. — (*k*) Labbe, Tom. V Conc. col. 874. — (*l*) Ibid., col. 1606 et Aguirre, tom. III Conc. Hisp., p. 307. — (*m*) Labbe, tom. VII, col. 1006. — (*n*) Ibid., col. 1839. — (*o*) Tom. IX, col. 453. — (*p*) Wilkins, tom. I, Conc. Brit., pag. 233. — (*q*) Labbe, tom. X, Conc. col. 899. — (*r*) Labbe, tom. V, col. 1652. — (*s*) Ibid., tom. VI, Conc. col. 1660. — (*t*) Ibid., col. 1598. — (*u*) Ibid., col. 1869. (*v*) Tom. IX, col. 261.

prohibet

A *prohibet omnes illicitos concubitus* : multo magis, *addit,* concubitus cum propinquis Deoque dicatis fœminis. *Eadem vestigia sectatur Concilium Ænhamense in Anglia an.* 1009, *quando can.* VII (*a*) *præcipit ut* nemo illicitis conjunctionibus se inquinet, id est, cum cognatis, vel cum conjugatis, vel cum Deo sacratis : *quam sanctionem confirmavit dein an.* 1032 *Canutus rex Angliæ et Daniæ l.* XIV (*b*), in nomine Dei præcipiens, *post enumerata impedimenta matrimonii dirimentia, ne* commatrem aut filiolam suam, nec sanctimonialem nec repudiatam aliquis ducat uxorem. *In omnibus supra citatis documentis, quæ brevitatis causa non integra produxi, impedimentum voti unicum esset, quod dirimens non fuisset : quam abnormitatem nemo facile sanctissimis et gravissimis viris adscribet.*

reponitur. 17 *Atque hæc sunt præcipua momenta, quæ mihi suadent impedimentum, e voto profluens invalidansque matrimonium, longe antiquiorem habere originem, quam assignatam supra ab Espenio; imo eamdem vix non coævam esse ipsis exordiis status monastici. Fateor quidem superesse aliqua e SS. Patribus testimonia, quæ difficultatem aliquam facessunt, sed hæc tanta non est ut clarissimam doctrinam Conci-*
B *liorum elevet. Citatur non raro casus Venantii patricii, qui e monasterio elapsus, uxore ducta, duas filias suscepit. Lapsum S. Gregorius Papa benigne tractat, sed ut resipiscat* (*c*) : *vult omnino ut ad monasterium redeat, scribitque ad Joannem Syracusanum epist.* XXXVI, *lib.* XI (*d*), *ut* hortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obsistat. *Videmus igitur et hic necessitatem separationis hujusmodi conjunctis impositam; quæ sola monstrat facinus Venantii sancto Pontifici matrimonium non fuisse. Nunc ut ad S.* Maximam *unde digressi sumus redeamus, ejus verba clare indicant voto castitatis obstrictam fuisse; nihil tamen urget eamdem fuisse velatam, quin potius obstat ætas ejus tenera, quando in servitutem redacta fuit. Hinc si consentire, (quod quidem mihi probabile) matrimonio visa est, validum fuerit in foro externo, quod solas velatarum nuptias inanes pronuntiat.*

C §III. De monachatu SS. Martiniani, Sociorum et Maximæ.

SS. Martyres, Martinianus, Maximæ *rationibus et precibus inductus ad servandam mutuo consensu castitatem,* etiam suis fratribus, *pergit Victor n.* 2, persuasit, *ut* thesaurum quem invenerat, haberent, utpote germani, communem. *Et Deo altiores ascensiones in corde ejus disponente,* conversus Martinianus cum tribus fratribus suis, Dei quoque puella comitante, nocte clam egredientes, Tabraceno monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. *Erat fortasse Andreas ille monachus, de quo S. Augustinus scribit in epist.* XLVIII *al.* LXXXI (*e*) *data circa an.* 398. *Hanc Martyrum fugam probat Victor, dicendo Vandalum tandem* invenisse jam non sua, sed Christi mancipia. *Non ignorabat tamen Victor can.* IV. *Conc. Chalcedon. quo cavetur, nullum in monasteriis servum recipi, ad hoc ut sit* AUCTORE J. V. H.
D *monachus, præter voluntatem sui domini* (*f*) : Μηδένα δὲ προσδέχεσθαι ἐν τοῖς μοναστηρίοις δοῦλον ἐπὶ τῷ μονάσαι παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου. *Cfr in Decreto distinctionem* LIV.

19 *Fundata erat hæc disciplina in verbis S. Pauli I* *fuga servituti subtracti,* *Tim.* VI, 1 : Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. . . . Si quis aliter docet. . . superbus est, nihil sciens. *Justinianus Imperator Nov.* V, *cap.* II, § I, *vult quidem servos in monasteriis per triennium probatos et monachos effectos, liberos fieri : sed hæc Martyres nostros, utpote antiquiores ipsa lege, non juvant. Excusari quidem possent ignorantia homines simplices et inferioris conditionis; sed illud remedium* nobili pastori Andreæ *ejusque monachis vix prodesset, cum illorum ignorantia difficulter nobis probaretur. Excusandi itaque sunt, aut quia legitima non erat illorum servitus, aut potius quia periclitabatur illorum fides, quod eventus postea docuit. Quod periculum præcavens Constantinus Imperator* legem tulit ne Christianus ullus serviret Judæis. . . . Quod si quis Christianæ religionis servus penes Judæum
E deprehenderetur, illum quidem libertate donari, Judæum vero pecunia mulctari jussit. *Verba sunt Eusebii in Vit. Constantini lib.* IV, *cap.* XXVII. Ἀλλὰ δὲ ἰουδαίοις μηδένα Χριστιανὸν ἐνομοθέτει δουλεύειν... εἰ δὲ εὑρεθείη τις τοιούτος, τὸν μὲν ἀνεῖσθαι ἐλεύθερον · τὸν δὲ ζημίᾳ χρημάτων κολάζεσθαι. *Hanc legem ad hæreticos extendit consuetudo, sancita tandem ab Arcadio et Honorio, l.* 4, § 8, *C de Hæret.* (I. 5), *et l.* 1 *C. Ne Christ. mancip.* (I. 10).

20 *Non solum habitum monachalem induisse, sed* *in Tabracensi monasterio profitentur vitam religiosam;* *etiam professione monastica obligatos fuisse, insinuant verba Victoris, dicentis Vandalum invenisse* jam non sua, sed Christi mancipia, *cui se dicaverant per vota religionis. Hinc in Martyrologio Ordinis Eremitarum S. Augustini et in Directoriis ad usum eorumdem Patrum dispositis, adscribuntur Martyres nostri Ordini Augustiniano. Nostrum non est arduæ quæstionis de monachatu inter Canonicos et Eremitas S. Augustini agitatæ, quam dirimere refugit Joannes Stiltingus noster propter gravissimas rationes allatas in Vita S. Augustini ad diem* XXVIII *Augusti* (*g*), *solutionem tentare. Hoc tamen dicere non dubitamus* Martinianum *et socios ad illud institutum monasticum pertinere, quod S. Augustinus in Africa* F
aut instituit, aut ita excoluit ut ab ipso stabiliorem formam acceperit. Non pauca sunt quæ suadent S. Augustinum primum fuisse, qui monasticam vitam, in Oriente et Italia jam pervulgatam, in oras Africæ invexerit. Exprobraverat scilicet ei Petilianus episcopus Donatista, quasi genus vitæ *monachorum* ab ipso fuisset institutum : *non negat S. Doctor, sed l.* III *contr. litt. Petiliani c.* XI (*h*) *simpliciter respondet* : Quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.

21 *Huc etiam facit testimonium S. Possidii, Vitæ* *quam S. Augustinus in Africam invexit.* *scriptoris, qui c.* XI (*i*) *dicit per Augustini discipulos monasteria fuisse instituta :* proficiente porro doctrina divina, sub sancto et cum sancto Augustino, in monasterio Deo servientes, ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente et clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia et paupertate profunda, mo-

(*a*) Tom. IX, col. 799. — (*b*) Ibid., col. 927. — (*c*) Lib. I, epist., XXXIV, tom. II Oper. col. 522. Edit. Paris. an. 1705. — (*d*) Ibid., col. 1119. — (*e*) Tom. II Oper. col. 114. — (*f*) Labbe, tom. IV Conc. col. 757. — (*g*) Tom. IV Aug., p. 254. — (*h*) Tom. IX Oper. col. 321. — (*i*) Tom. X Oper. col. 264.

AUCTORE J. V. H.

A nasterium quod per illum memorabilem virum et esse et crescere cœperat, magno desiderio poscere et accipere episcopos et clericos pax Ecclesiæ atque unitas et cœpit primum et postea consecuta est. . . . . Similiter et ipsi ex illorum Sanctorum proposito venientes, Domini ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt; et studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei spei et caritatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Africæ partes, verum etiam in transmarinis et per libros editos atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt.

ut monstratur e monumentis cœvis:

22 *Idem insinuat S. Doctor in lib.* II. *Retractationum cap.* XXI (*a*) *inquiens* cœpisse *suo tempore* esse apud Carthaginem monasteria, *quorum incolæ quidam jam Christi bonum odorem non spargebant,* Omnes, *ait, de Oper. monach. cap.* XXVIII (*b*), petunt, omnes exigunt, aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, cum interea ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub

B generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare. *Ex hisce testimoniis clarum fit S. Augustini tempore novellum fuisse monasticum institutum, quod ex Italia in Africam transmigraverat; maxime cum et Romæ non ita pridem cœpisset: nam S. Hieronymus Epist. ad Principiam Virginem, quæ vulgo* Epitaphium Marcellæ *inscribitur* (*c*) : Nulla, *ait,* eo tempore nobilium fœminarum noverat Romæ propositum monachorum, nec audebat, propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachumii, et Virginum ac Viduarum didicit disciplinam : nec erubuit confiteri, quod Christo placere noverat. *S. Athanasius Romæ fuit circa finem an.* 339, *ibique octodecim menses moratus est : Petrus II, successor ejus, usque ad an.* 378 *Romæ fuit* (*d*); *hoc igitur*

C *intervallo adolevit institutum monasticum apud Occidentales; proinde vix ante baptismum S. Augustini, an.* 387, *Africæ innotescere potuit.*

adeo ut tum ipsa instituti novitas

23 *Hæc ipsa novitas instituti monastici fecit, ut monachi, fervente persecutione, et quietius viverent, et effugerent facilius vim edictorum adversus Catholicos latam. Certe Bonifacius, episcopus Carthaginensis, in Concilio ibidem celebrato A.* 525 (*e*) *conquestus est, Liberatum primatem Provinciæ Byzacenæ multas molestias Petro abbati ejusque monachis creare, qui* nec invidiæ flammam timuit accendere adversum servos Dei, quibus nihil est commune cum sæculo, congregationes pontificum, sicut pariter audivimus, frequenter adducens, et quotidianis minis Christi famulos inquietans; ut mutata vice, quos nec generalis ecclesiarum gravatio molestavit, pax ecclesiastica videatur affligere. *Hæc tamen verba non ita intelligenda sunt, ut omnem persecutionem evaserint incolumes monachi : nam ut omittam narrata monachorum martyria a Victore Vitensi, Victor Tununensis episcopus alia refert* (*f*) *ad consulatum III Zenonis Imp. A.* 479 : *male quidem, cum Hunerici persecutio inceperit primum post ordinationem S. Eugenii Carthaginensis, a.* 481, *ut probat D. Ruinart, de Persec. Vand. P.* II, *cap,* VII, *n.* 10.

D

clade monachos liberaverit.

24 *Quæ tamen narrat facta, indubia sunt :* Hunericus Vandalorum rex, persecutionem per totam Africam nimis insistens, Tubunnis, Macri Nippis, aliisque eremi partibus Catholicos jam non solum sacerdotes et cuncti ordinis clericos, sed et monachos atque laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegat, et Confessores ac Martyres facit, Confessoribusque linguas abscidit. Quos Confessores quod linguis abscissis perfecte finem adusque locuti sunt, Urbs regia adtestatur, ubi eorum corpora jacent. *Non facile quis ad concordiam reducat hos textus, nisi vel verba Bonifacii Carthaginensis ita intelligantur, ut* quos generalis ecclesiarum gravatio *minus* molestaverat, pax ecclesiastica *magis* videretur affligere : *vel eadem verba alludant ad postremam persecutionem Trasamundi, quæ in solum clerum sæviisse videtur. Cæterum Tabraca, quo SS. Martyres confugerant, duo habebat monasteria, unum virorum, alterum* E *fœminarum, ut tradit Victor : est autem Tabraca, aut secundum Ptolemæum aspirata littera Thabraca, oppidum civium romanorum Numidiæ in ora maritima, inter Armuam et Tuscam fluvios* (*Plin. Hist. nat. lib.* V, *cap.* III). *Coloniam vocat Ptolemæus; quæ inter se non pugnant :* multa enim, *ait Steph. Morcelli* (*g*), in municipia coloni deducti, præsertim milites confectis stipendiis, quos Augusti honesta missione misissent.

Inventi SS. Confessores adiguntur ad rebaptisationem;

25 Sciscitante Barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat (*scilicet fuga servorum ad monasterium.*) celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis et variis tormentis Dei famulos insectatur; agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed, quod gravius est, per rebaptisationis cœnum, fidei suæ ornamenta turparent. *Vict. Vit. lib.* I, *Hist. Pers. Vandal. cap.* X. *Sacrilegum rebaptisandi morem ad Arianos manasse a Donatistis suscipantur plures eruditi, quos citat Francisc. Blanchinus Veron. De Vitis Roman. Pontif.* (*h*). *Hi enim ne continuo dicerentur in Africæ angulo delitescere, Arianos suis erroribus inficere conati sunt. Huic opinioni fidem adstruunt illa, quæ* F *S. Augustinus variis locis dicit de Arianorum et Donatistarum consensione, Epist.* XLIV *al.* CLXIII (*i*) : Sane, *inquit,* quoniam nescio quando audieramus, Arianos, cum a communione Catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse; ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggessit.

qui error a Donatistis

26 *Similia habet lib.* III *contr. Cresconium Donat. cap.* XXIV (*k*), *et Epist.* CLXXXV *al.* L (*l*) *dicit S. Doctor Gothis sive Vandalis sociatos fuisse Donatistas :* Ut ergo breviter insinuem Dilectioni tuæ, (*Bonifacio comiti*) inter Arianorum et Donatistarum quid intersit errorem, Ariani Patris et Filii et Spiritus Sancti diversas substantias esse dicunt : Donatistæ autem non hoc dicunt, sed unam Trinitatis substantiam confitentur. Si aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerunt quam Pater est, ejusdem tamen substantiæ non negarunt. Plurimi vero in eis hoc se dicunt omnino credere de Patre et Filio et Spiritu Sancto, quod credit Catholica Ecclesia. Nec ipsa cum illis vertitur quæstio; sed de sola

(*a*) T. I Oper. col. 49. — (*b*) T. VI Oper. col, 498. — (*c*) T. I Oper., p. 122. — (*d*) L'art de vérifier les dates. Patriarch. d'Alexandrie. — (*e*) Labbe tom. IV Conc. col. 1643. — (*f*) Ap. Canis. Antiq. Lect., tom. I, p. 324. Edit. Basnag. — (*g*) Afr. Christ., tom. I, p. 293. — (*h*) Tom. III, p. 12. — (*i*) T. II Oper. col. 103. — (*k*) T. IX Oper. col. 454. — (*l*) T. II Oper. col. 643.

communione

communione infeliciter litigant, et contra unitatem Christi rebelles inimicitias perversitate sui erroris exercent. Aliquando autem, sicut audivimus, nonnulli ex ipsis volentes sibi Gotthos conciliare; quando vident eos aliquid posse, dicunt hoc se credere, quod illi credunt. Sed majorum suorum auctoritate convincuntur, quia nec Donatus ipse se credidisse asseritur, de cujus parte se esse gloriantur. *Donatistæ videntur paulatim deflexisse a doctrina majorum suorum, et ad Arianam perfidiam inclinasse, præcipue ut Gothos, qui, Hispaniis occupatis, Africæ jam imminebant, sibi conciliarent; pronum est igitur conjicere vicario conatu errores sibi communicasse, ut Donatistæ per ambages Trinitatis Sanctissimæ mysterium confiterentur, et Ariani rebaptisationem adoptarent.*

ad Arianos derivatus videtur.

27 *Sunt tamen qui putant ab Eunomio derivatum ad Arianos rebaptisationis errorem; Philostorgii enim excerpta quæ supersunt* (*a*) *tribuunt Eunomio erroris initium :* Ὅτι, φησιν, οἱ περὶ Εὐνόμιον τοσοῦτον τῶν εἰρημένων ἀιρέσεων ἀπεκρίθησαν, ὡς μήτε βάπτισμα αὐτῶν, μήτε χειροτονίαν προσίεσθαι. Eunomiani, ut scribit Philostorgius, ab hæresibus supra memoratis (*Arianorum*) tantopere abhorruerunt, ut nec baptisma eorum, nec ordinationem admitterent. *Ex verbis Philostorgii deducit Bencinus in Notis ad Vitas Rom. Pontif. Anastasii* (*b*), *Eunomium* universim promovisse rebaptisationem et reordinationem omnium, qui sive ex religione Catholica, sive ex aliis sectis ad ipsum adveniebant. *Textus Philostorgii agit solum de Arianis, qui* in varias sententias descissi sunt. *Non solvit itaque Philostorgius difficultatem rebaptisationis, præcipue cum S. Augustinus, lib. de Hæresib.* (*c*) *dicat :* Rebaptisari ab his (*Arianis*) Catholicos novimus, utrum et non Catholicos, nescio. *Non itaque videtur ex eodem fonte Arianorum et Eunomianorum rebaptisationem manasse; hi solum Arianum baptisma, illi Catholicorum ita excludebant, ut S. Doctor dubitaverit, num sacramentum Acatholicorum excluderent. Quod tandem monstrat Bencini conjecturam infirmo inniti fundamento, sunt mortales inimicitiæ, quæ inter utramque sectam ardebant, teste Philostorgio l. c., ut non facile altera ab altera aliquid mutuatum habere voluerit. Probabilior itaque mihi eorum opinio est, qui Arianam sententiam de rebaptisatione ad Donatistarum communionem referunt : maxime quia præ cæteris in Africa a Vandalis occupata impius ille furor desæviit.*

SS. Confessores variis suppliciis afficiuntur,

28 *Apud Vandalos igitur præcipua nota desertæ fidei erat rebaptisari, ut passim monstrat Victor in sua Historia. Vandalus itaque* conjicit in vinculis et variis tormentis Dei famulos insectatur, agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur, sed quod gravius est, per rebaptisationis cœnum fidei suæ ornamenta turparent. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici regis, qui præcepit, ut tamdiu implacabilis herus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati. Jubet in modum serrarum fustes robustos veluti palmatos cum stirpibus fieri, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, semper incolumes reddebantur. Hoc sæpius et multo factum est tempore, et nulla plagarum vestigia videbantur, Sancto Spiritu subinde curante. Post hoc artantur maxime dura custodia, compedeque crudeli extenduntur. Quibus cum Dei servorum visitantium non deesset frequentia, videntibus cunctis, ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miraculum hoc et voce omnium celebratur, et nobis ille, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse.

AUCTORE J. V. H.

sed mirabiliter sanantur.

29 *In observationibus ad textum Victoris infra explicamus quid per* fustes veluti palmatos *intelligendum sit. Tillemontius* (*d*) *dicit* duo MSS. referre hæc supplicia ad quatuor fratres, non vero ad Maximam, *in margine citans pag.* 156-157 *editionis Historiæ persecutionis Vandalicæ D. Ruinart. Verum citata MSS. teste laudato D. Ruinart, nuspiam insinuant* Maximam *hæc supplicia non subiisse, sed* ipsam solam miraculo *fuisse curatam, dein solam* artatam dura custodia, cuspideque crudeli extensam. *Quod supplicium soli etiam* Maximæ *tribuit Lect.* VI *Offic. prop. SS. Ord. Erem. S. August. Antv. Plantin. A.* 1674. *Varia lectio proveniebat e corrupto adverbio* maxime, *quod in* Maxima *mutaverat librarii oscitantia.* Post hoc artantur maxime dura custodia, *unus vel alter substituit :* Post hoc artatur Maxima dura custodia. *Cæterum Theodorici Ruinart lectionem probat Ado, qui singula supplicia et curationes singulas, tum quatuor fratribus, tum* Maximæ *tribuit; et Usuardus scribit :* Qui pro constantia fidei catholicæ primum nodosis fustibus cæsi et usque ad ossa laniati, cum multo tempore talia paterentur, sequenti die incolumes reddebantur. . . . . Passa est etiam Maxima Virgo cum eis. *Unde satis apparet omnibus et passiones et prodigiosam sanationem esse adscribendas. Multa occurrunt in Victoris Historia miracula, quæ ejusmodi sunt, ut coram populi frequentia gesta, iis testimoniis nitantur ut omnem prudentem timorem oppositi erroris excludant. Hic Catholicorum adest frequentia, adest confessio ipsius custodis, interposita sacramenti religione, firmata : quæ omnia ipsis testibus viventibus cum scripta sunt, nihil est quod ad eorum veritatem desiderari possit.*

§ IV. Sanctorum Martyrum relegatio in desertum; illorum mirabilis prædicatio, et mors. De S. Maxima.

SS. Confessores, in desertum Capræ Pictæ deportati,

Sancti, quos tormenta non vicerant, quosque Deus inflictis pœnis ab inimicis vindicaverat, exilio, Maxima *excepta quæ libertati suæ reddita est, relegantur in desertum Mauritaniæ, quod Capra Picta nuncupatur. Non alia mihi occurrit notitia istius deserti, quam quæ apud Victorem Vitensem reperitur. Videtur nihilominus desertum illud situm esse in interiore Mauritania versus meridiem, quum illic, ait Victor,* antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata. *Si in Mauritania, Romanis olim subjecta, fuisset desertum Capræ Pictæ, mirum esset nullum episcopum vicinum illuc se contulisse aut alios submisisse, qui his populis euangelium annuntiarent. Aliquid forsitan lucis aspergere posset quæstioni topographicæ, quod Faustus Buronitanus Victori Vitensi retulit de miraculis, quæ Deus ad tumulum SS. Martyrum operabatur; si nempe e situ civitatis Buronitanæ aliquid conjicere liceret de præfato deserto : sed nulla vicissim Buroniæ civitatis notitia est, præter hunc locum Victoris, satis incertum : nam*

(*a*) Hist. Eccles. Eusebii, tom. III, p. 523. Edit. Henr. Vales. Amstel. an. 1695. — (*b*) Blanchin. De Vit. Rom. Pont., t. III, p. 14. — (*c*) T. VIII Oper. col. 18. — (*d*) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 529, not.

D. Ruinart,

AUCTORE J. V. H.

A *D. Ruinart, in notis ad Victorem Vitensem n.* 39 *suspicatur legendum* Buconitanus *aut etiam* Buritanus *pro* Buronitanus; *ex quibus omnino incertam esse hanc qualemcumque civitatem, manifestum fit, ut ex* Buronia, Buconia, *aut* Buria *divinare non liceat vicinitatem* deserti Capræ Pictæ; *maxime cum ipse Faustus potuerit longius abesse a sua cathedra, multis episcopis tunc exulantibus, ut narrat Victor Hist. Pers. Vandal. l.* I, *c.* VII. *Ex dictis consequitur infirmo niti fundamento conjecturam Theod. Ruinart, Steph. Antonii Morcelli, qui ex Victoris Historia deducunt Buroniam civitatem fuisse in Mauritania aut in ejusdem finibus sitam. Et hic quoque, errore probabilius calami,* trium Martyrum *memoriam coli dicit, quamvis fuerint* quatuor, *scilicet* Martinianus, Saturianus et duo eorum germani.

incolas ad fidem convertunt

31 *Sancti, ut jam diximus, deducti fuerant in regionem,* ubi antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata; *Christum itaque annuntiant, et ingentem populi multitudinem ei lucrifaciunt. Ut tamen imbre sacri baptismatis rigarentur, presbyter et ministri rogantur. Nescio qualem hic observationem intercalat Tillemontius* (*a*), *quasi severior olim fuisset Ecclesiæ disciplina in permittenda laicis baptismi*

B *collatione, quam nunc est; neque video quid oblique perstringat. Interea constans fuit Ecclesiæ doctrina de validitate baptismi a quocumque debite collati, ut monstrat Tertullianus Afer l. de Baptism. c.* XVII (*b*) *et Historia S. Athanasii pueri baptisantis, quam refert Rufinus A.* 410 *defunctus* (*c*). *Constans quoque fuit Ecclesiæ disciplina, ut extra necessitatis casum nulli laico liceret baptismum conferre. Id solum in disciplina Ecclesiæ mutatum est, ut episcopi præ presbyteris aut diaconis frequentius* solemni ritu *olim baptisarent. Quod si hujusmodi variationem disciplinæ insinuare voluit Tillemontius, facile cernitur loco non suo observationem fuisse interpolatam. Martyres ut Mauris baptismatis gratiam procurarent,* mittunt legatos, *ait Victor Vitens. c.* XI, per itinera distenta deserti: pervenitur tandem ad civitatem romanam : rogatur episcopus, ut presbyteros ac ministros credenti populo destinaret.

quare petunt presbyterum e civitate

32 *Card. Baronius tum in Martyrologio Romano et annotationibus eidem subjectis hac die, tum in Annalibus ad A.* 456, § XIV, *cui adstipulatur Pagius ibid.* § XI, *nullatenus dubitat quin nomine civitatis romanæ veniat ipsa Roma, et proinde concludit*

C *legationem fuisse directam ad Papam. Varias Card. Baronius ex hoc facto Annal. l. c. deducit consequentias, imprimis Martyres nostros* ex Romana Urbe fuisse captivos, et unde venerant, petiisse ministros : vel potius voluisse ex ipso limpidissimo fonte petere catholicæ fluenta doctrinæ. Constat autem episcopos qui his temporibus erant in Mauritania, a S. Leone Romano Pontifice admonitos esse, ut ecclesiasticam observantiam custodirent. *Jam* § I *hujus Commentarii vidimus, probabilius Martyres non fuisse e numero captivorum Romanorum, quod maxime urget doctissimus Annalista, qui eos passos opinatur A.* 456. *Dein epistola S. Leonis, qua increpat non omnes, sed quosdam episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, præcedit hunc annum; capta enim anno superiori* 455 *a Geiserico Roma,* nihil potuit, *ut ait Pagius l. c.* post istam cladem circa Africanas Ecclesias statuere et ordinare, quia ut notat Victor citatus, post mortem Valentiniani, qui partem Africæ possederat, Geisericus *totius Africæ ambitum obtinuit.* Quare nulla ibi judiciorum D forma, nullus consecrationis sacerdotalis ordo, de quibus loquitur Leo in ea epistola, constitui potuit : ideoque ea, cum adhuc potiretur Mauritania Valentinianus, scripta fuit. *Non itaque subsistunt deductiones Baronii.*

Romanis moribus et fide vivente.

33 *Unde alii, inter quos Steph. Anton. Morcelli in sua Africa Christiana* (*d*), *civitatem* romanam *interpretantur,* Catholicam et Romanis moribus viventem : *utramque certe significationem capit vox* Romanus *in Africa. Priorem interpretationem probat Victor Vit. l.* I. *Hist. Pers. Vand. c.* XIV : *Theodoricus regis filius volebat capite truncari Armogastem; prohibuit vero Jocundus presbyter Arianus dicens :* Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient eum Romani Martyrem prædicare. *Ubi Catholici vocantur* Romani. *Alteram interpretationem nobis præbet S. Augustinus in Ep.* XXXV, *al.* CLXIX, *ubi Hipponem regium vocat* civitatem romanam; *quo nomine venit quoque apud eumdem S. Doctorem in l.* II *contra litt. Petilian. c.* LXXXIII (*e*) : Ita ut cujusdam diaconi nostri furnarius inquilinus domnædii sui (*id est* domini ædium, *quæ vox opponitur vocabulo inquilini. Cfr* (*f*) *Enarr. in Ps.* XXXVIII, *n.* 21) panem E incoctum abjecerit, eique nulla exilii lege damnato, communicationem non solum in civitate romana, sed etiam in patria sua ; nec solum in patria sua, sed etiam in domo sua negaverit. *Hæ ex ipsa Africa desumptæ loquendi formulæ sufficiunt, ut non adigamur* civitatem romanam *ipsam Romam interpretari, nec proin ad Romanum Pontificem directam fuisse legationem, de qua agit Victor in sua Historia. Dein cum Afri probabilius fuerint Martyres nostri, pronum est conjicere ad Afros episcopos se legatos misisse; tum quia facilior recursus erat, tum quia auxilium a finitimis petere magis in promptu. Quod si Romani Pontificis opem implorassent, potius ille episcopum quam presbyterum submisisset* (*g*). *Secutum Martyrium satis explicatur a Victore.*

S. Maxima liberata videtur vixisse

34 *S.* Maxima, *ut constat ex ejusdem Historia, coronæ Martyrum particeps non fuit. Nam post supplicia apud priorem herum tolerata, libertati reddita fuit.* Quæ nunc, *ait Victor l.* I. *Hist. Vandal. Pers. c.* II, *A.* 487, *scribens,* superest virgo, mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. *Latet autem nos annus ejus obitus; cum solum sciatur anno* 487, *quo scribebat S. Victor, adhuc vixisse. Minus dubium est S.* Maximam *in* F *Africa obiisse, quamvis rem inficiari conati fuerint aliqui eruditi in Gallia, eamque in diœcesi Forojuliensi* (Fréjus) *vitam finiisse commentati sint, uti habemus ex epistola MS. P. Caroli Fabri nostri, Avenione directa ad P. Danielem Papebrochium, quæque extat inter reliquias manuscriptorum Bollandianorum, in bibliotheca regio-burgundica. Infirmæ certe sunt eorum opinationes, quæ nituntur primum silentio Victoris de loco obitus S.* Maximæ, *sed hoc ipso satis insinuat Victor eam pedem ex Africa non extulisse; nam si in Galliis perfugium quæsivisset, Victor rerum Africanarum optime gnarus, nec ignorasset nec tacuisset S. Virginis iter.*

in aliquo monasterio Africæ,

35 *Alterum quod objicitur, est testimonium ipsius Victoris, qui narrat in Passione SS.* VII *Monachorum* § II (*quæ etiam a quibusdam l.* V. *Hist. Pers. Vand. conjungitur*) *anno* VII *regni Hunerici, anno vulgari* 484, Universa monasteria virorum vel puellarum sanctarum gentilibus, id est Mauris, cum

(*a*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., tom. XVI, p. 531. — (*b*) Edit. Pamel. Plantinian., p. 464. — (*c*) Cfr. Act. SS. ad diem II Maji, p. 188 et Tillemont. Mém. pour serv, à l'hist., tom. VIII, p. 3 et 651. — (*d*) Tom. III, p. 173 ad an. 439. — (*e*) T. IX Oper. col. 269. — (*f*) T. IV Oper. col. 323. — (*g*) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. XVI, p. 531.

habitatoribus

habitatoribus donari *regem præcepisse. Hinc deducunt S.* Maximam, *timentem pudicitiæ, refugium quæsivisse : sed illo tempore saltem erat circiter quinquagenaria; jam ab annis* XXIV *martyrium subierat* Martinianus : *neque provectiorem ætatem illi adscribimus, si a servitute liberatæ, annos circiter* XXV *assignamus. Alteram ergo, eamque Mauricam servitutem subierit, S. Virgo, aut etiam, si libuerit, sese occultaverit, nihil est quod suadeat in Gallias navigationem : sed potius defuncto Hunerico A.* 484, *et cessante persecutione, S.* Maxima *sacrarum virginum dispersionem collegerit in aliquo desolatorum ipsiusmet Africæ monasteriorum, ubi sancte finem vivendi fecerit.*

ac male a quibusdam ut soror S. Augustini habetur.

36 *Fuerunt quoque nonnulli qui S. Virginem nostram fuisse sororem S. Augustini suspicati sunt, verosimiliter quia secundum spiritum et filia et soror S. Patris dici meretur. Nam quod ad carnalem cognationem attinet, qui hujusmodi sanguinis nexum inter S. Augustinum et S.* Maximam *sibi fingit, omnes chronologicas notiones evertat, necesse est. Constat enim ex l.* III. *Confess. c.* IV (*a*) *S. Monicam S. Augustini matrem, circa A.* 370 *viro suo Patricio orbatam, in viduitatis proposito permansisse : si* B *nata igitur fuerit hæc ei soror hoc ipso anno, profecto cum redacta est ad servitutem Africa, sexagenaria fuisset* Maxima : *non igitur dicere potuisset Victor lib.* I *Hist. pers. Vand. cap.* X. Maximam *fuisse tunc* corpore simul et corde decora *et* Martinianum *adolescentulorum sæcularium more conjugium affectasse et quæ sequuntur. Quin addendum esset, S.* Maximam *ad annos* 117 *saltem ætatis pervenisse, quod, quia miraculi instar habendum erat, minime tacuisset Victor. Cæterum hujus absurdissimæ opinionis nullum vestigium reperi apud scriptores Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui tamen frequentes sunt in laudibus S.* Maximæ *Virginis, quam merito inter primarias Ordinis fœminas computant.*

PASSIO SS. MARTINIANI ET SOCIORUM.

Ex Historia Persec. Vandal. l. I, *c.* X, *Victoris Vitensis secundum editionem Ruinartii.*

C

Vandalus jungit matrimonio Martinianum *et* Maximam *servos;*

a

b

c

Sed etiam Martyres quam plurimi fuisse probantur *a*. Confessorum autem ingens et plurima multitudo, ex quibus aliquos narrare tentabo. Erant tunc servi cujusdam Vandali *b*. Fuit autem hic Vandalus de illis, quos Millenarios *c* vocant. Martinianus, Saturianus et eorum duo germani : erat et quædam conserva eorum egregia Christi ancilla, nomine Maxima, corpore simul et corde decora. Et quia Martinianus armifactor erat, et domino suo satis videbatur acceptus et Maxima universæ domui dominabatur; credidit Vandalus, ut fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque conjugali consortio sociare *d*. Martinianus adolescentulorum sæcularium more conjugium affectabat : Maximaque jam Deo sacrata, humanas nuptias refutabat.

d

sed hæc conservo suo suadet castitatem et fugam :

2 At ubi ventum est ut cubiculi adirentur secreta silentia, et Martinianus nesciens quid de illo decreverat Deus, maritali fiducia quasi cum conjuge cuperet cubitare, viva voce ei memorata famula Christi respondit : « Christo ego, o Martiniane » frater, membra mei corporis dedicavi, nec pos- D
» sum humanum sortiri conjugium, habens jam
» cœlestem et verum sponsum. Sed dabo consi-
» lium. Si velis, poteris et ipse tibi præstare, dum
» licet, ut cui ego concupivi nubere, delecteris et
» ipse servire. » Ita factum est, Domino procurante, ut obediens virgini etiam adolescens suam animam lucraretur. Nesciente igitur Vandalo spiritalis secreti commercium, compunctus atque mutatus Martinianus, etiam suis fratribus persuasit, ut thesaurum, quem invenerat, haberent, utpote germani, communem.

detecti in monasterio Tabracensi dire torquentur,

e

f

g

3 Conversus itaque, cum tribus fratribus suis, Dei quoque puella comitante, nocte clam egredientes *e*, Tabraceno monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas *f*, sociantur. Illa vero haud procul monasterium incoluit puellarum *g*. Sciscitante igitur barbaro inquisitionibus et muneribus crebris, quod gestum erat celari non potuit. Inveniens itaque jam non sua, sed Christi mancipia, conjicit in vinculis, et variis tormentis Dei famulos insectatur; agens cum eis non tantum ut pariter miscerentur *h*, sed, quod gravius est, per rebaptisationis cœnum fidei suæ ornamenta turparent *i*. Pervenit hoc ipsum usque ad notitiam Geiserici E regis, qui præcepit, ut tamdiu implacabilis herus servos affligeret, quamdiu illius succumberent voluntati.

h

i

et mire a tortura sanantur :

k

4 Jubet in modum serrarum fustes robustos velut palmatos cum stirpibus fieri *k*, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis effluueret, et dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die, Christo medente, semper incolumes reddebantur. Hoc sæpius et multo factum est tempore, et nulla plagarum vestigia videbantur, Sancto Spiritu subinde curante. Post hoc artantur maxime dura custodia *l*, compedeque crudeli extenduntur. Quibus cum Dei servorum visitantium non deesset frequentia, videntibus cunctis ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miraculum hoc et voce omnium celebratur, et nobis ille, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse *m*.

l

m

ipso Vandalo persecutore morte punito, traduntur Mauris,

5 Ast ubi Vandalus virtutem neglexit cognoscere divinam, cœpit in domo ejus vindicatrix ira grassari. Moritur ipse simul et filii; familiæ atque animalium, quæcumque optima erant, pariter intercunt. Remanens itaque domina vidua, marito, F filiis et substantia destituta, servos Christi cognato regis Sersaoni gratia muneris offert. Qui cum eos utpote oblatos cum gratulatione nimia suscepisset, filios et domesticos ejus Sanctorum merito male cœpit dæmon variis motibus agitare. Ex ordine ille cognatus, ut gestum erat, suggerit regi. Decernit statim rex cuidam gentili regi Maurorum, cui nomen inerat Capsur, religandos debere transmitti *n*. Maximam vero Christi famulam confusus et victus propriæ voluntati *o* dimisit, quæ nunc superest Virgo, mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaquam ignota. Pervenientes autem traduntur memorato regi Maurorum, commanenti in parte eremi, quæ dicitur Capra Picta *p*.

n

o

p

quos ad fidem Christi convertunt;

6 Videntes igitur Christi discipuli multa apud gentiles illicita sacrificiorum sacrilegia, cœperunt prædicatione et conversatione sua ad cognitionem Domini Dei nostri barbaros invitare; et tali modo ingentem multitudinem gentilium barbarorum Christo Domino lucraverunt, ubi antea a nullo fama Christiani nominis fuerat divulgata. Tunc

(*a*) T. I Oper. col. 90.

A deinde cogitant quid fieret, ut ager jam cultus et ingraminatus vomere prædicationis, euangelicum susciperet semen, et imbre sacri baptismatis rigaretur. Mittunt legatos per itinera distenta deserti : pervenitur tandem ad civitatem romanam *q* : rogatur episcopus, ut presbyterum ac ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio quod petebatur pontifex *r* : Dei construitur ecclesia, baptisatur simul multitudo maxima barbarorum et de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum.

unde iratus Genserícus illos morti tradit.

7 Hoc Geiserico relatione sua renunciat Capsur. De qua re surgens invidia jubet famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire; ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati, ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum vincti, currentibus indomitis equis, plangentibus Mauris sese mutuo conspicerent *s*, vale sibi in angusto fugæ unusquisque ita dicebat : Frater, ora pro me; implevit Deus desiderium nostrum. Taliter pervenitur ad regnum cœlorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis pias animas emisere. Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia
B mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari. Nam nobis beatus quondam Faustus Buronitanus *i* episcopus *t* attestatus est cæcam quamdam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat præsens.

ANNOTATA.

a *Quas editioni suæ subjecit variantes lectiones Ruinart, e Congreg. S. Mauri monachus Bened., et nos textui nostro subjicimus :* Sed etiam martyria quam plurima esse.... ex quibus aliqua, *etc.— Dixi n.* 4 *et seq. hoc exordium indicare probabilius tempus martyrii, quod circa anno* 459 *accidisse videtur.*

b Fuit autem.... vocant : *parenthesin credo; unde rectius fluit phrasis :* Erant tunc servi cujusdam Vandali, ... Martinianus, *etc.*

c *Millenarii vocabantur illi qui millenis viris præfecti erant; χιλιάρχους eos vocat Procopius* (*a*), *qui hanc divisionem Geiserico tribuit, quamvis in usu fuerit apud alios Germaniæ populos, ut notat Felix Papencordt in sua Historia Vandalorum* (*b*); *dicitque Millenarios teutonica lingua vocari* Thusundifaths. *Procopius l. c. dicit in exercitu Geiserici fuisse hujusmodi millenarios octoginta,* ut
C habere sub signis LXXX bellatorum millia crederetur. *Sed superiori tempore Vandali atque Alani non excedere dicebantur* L *millia.* Δόκησιν παρέχων ὀκτώ οἱ μυριάδας συνιέναι τὸν τῶν στρατευομένων λεών· καίτοι οὐ μᾶλλον ἢ ἐς μυριάδας πέντε τὸ τῶν Βανδίλων καὶ Ἀλανῶν πλῆθος ἔν γε τῷ πρίν χρόνῳ ἐλέγετο εἶναι.

d *Cfr dicta de hoc matrimonio in Commentar. præv. n.* 8.

e *Monstravimus Comm. præv. n.* 18, *qua ratione excusari possit horum servorum fuga.*

f *De Tabraca urbe et Andrea abbate actum in Comment. præv. nn.* 18 *et* 24.

g *Origines monasticas in Africa, utcumque indagatas, reperies in Comm. præv. n.* 21 *et seqq.*

h *Ex his liquet Vandalum voluisse, ut initum matrimonium consummarent SS.* Martinianus *et* Maxima : *sperabat scilicet, voto pessumdato, facilius ad hæresim alliciendos.*

i *De Arianis rebaptisantibus egimus in Comm. præv. n.* 25 *et seqq.*

k *Hunc locum ita gallice vertit Tillemontius* (*c*), D *quem alii dein secuti sunt :* On fit donc faire de gros bastons pleins de dents comme une scie et de pointes aisées à rompre, comme celles qu'on voit au bout des feuilles de palmier. Fustes *nempe* robustos velut palmatos, *reddit* fustes asperos in serræ modum et plenos aculeis fragilibus, prout in extremitate foliorum palmæ conspiciuntur. *Non assecutus est Tillemontius vim vocis* palmare, *quia neglexit quod sequebatur,* stirpibus. *Palmare apud Columellam de re rustica lib.* XI, *cap.* II *in fine, significat* ligare : palmare, *ait,* hoc est materias alligare. *Hic igitur apud Victorem intelligendi sunt fustes, aut circumligati stirpibus, aut truncatis ramis asperi, quorum aculei* terebrantes intrinsecus remanebant. *Sic Victorem intellexere Ado et Usuardus, cum uterque narrat SS. Martyres* nodosis fustibus cæsos et usque ad ossa laniatos : *fustes enim simpliciter nodosi carnem non laniassent.*

l *Jam supra n.* 29 *dixi plures codices pro* maxime *legisse* Maxima : *unde factum est, ut non pauci uni S. Maximæ id genus supplicii tribuerint.*

m *Ex hoc loco, quemadmodum ex aliis plurimis, qui frequentes in libris de Persecutione Vandalica occurrunt, videre licet miracula a Victore nostro* E *relata idoneis affirmari testibus : hic* lignorum putrescens fortitudo, *videntibus cunctis, et ipso carceris custode, interposita sacramenti religione, confirmante, accidisse narratur.*

n *Magna erat, regnante Geiserico, Vandalos inter et Mauros amicitia, quæ dein sub Hunerico, Guntamundo et Trasamundo atrocissimis bellis turbata fuit. Mauris traditos fuisse* quatuor millia nongentos septuaginta sex episcopos, presbyteros, diaconos et alia Ecclesiæ membra, qui ad exilium eremi destinabantur, *refert Victor lib.* II, *c.* VIII; *etenim cap. seq.* Congregantur, *inquit,* universi in Sucensem et Larensem civitates; ut illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perducerent.

o *Multi codices habent* victum *Vandalum* propria voluntate *dimisisse. Sed præferenda est Ruinartii lectio, utpote quam confirmatam reperimus ab Adone, qui* Maximæ *martyrium sic prosequitur :* Ad quod miraculum, Maxima Christi famula, suæ libertati dimissa, mater postmodum multarum Virginum Dei effecta, *etc.*

p *Jam diximus Comm. præv. n.* 30 *ignotum nobis esse situm deserti Capræ Pictæ. Felix Papencordt* (*d*) *in sua Historia Vandalorum in Africa censet Capram* F *et Capram Pictam unum eumdemque esse locum; verum situm non propius designat.*

q *Per civitatem romanam hic intelligendam esse civitatem catholicam, diximus Comm. præv. n.* 32 *et seq.; unum addam, id mea sententia manifestum fieri ex ipso Victoris textu; dicit enim :* Mittunt legatos per itinera distenta deserti : pervenitur tandem ad civitatem romanam. *Hic nempe non videtur aliud obstaculum perveniendi ad civitatem romanam, quam* distenta deserti; *procul dubio si Roma adeunda fuisset, nec omisisset scriptor pericula maris enarrare.*

r *Variam hic esse lectionem recte animadvertit Theod. Ruinart. Rhenanus quidem cum nostro textu convenit, nisi quod pro* construitur *habeat* constituitur. *Colb.* I. Expletum est cum *gaudio,* quod petebatur. Ordinatur pontifex, *etc. Sic fere habet alter Colb. sed Lorichius :* Expletur gaudio ob id quod petebatur pontifex Dei. Construitur ecclesia, *etc.*

s Qui cum vincti, *etc. Chifletius et alii tres editi :*

(*a*) De Bello Vandal., lib. I, c. V, p. 334. Edit. Bonn. an. 1833. — (*b*) Gesch. der Vandal. Herrschaft in Africa, p. 224 et seq. — (*c*) — Mém. pour servir à l'hist. ecclés., tom. XVI, p. 527. — (*d*) Gesch. der Vand. in Africa, p. 243.

Qui

A Qui cum e vicino currentibus Mauris, sese mutuo conspicerent : Vale, etc. *Sic etiam legisse videtur Ado, qui loco jam laudato sic habet :* Vicino currentibus indomitis equis, Vale sibi, *etc. nihil dicens de Maurorum planctu. Sed et pro* plangentibus *Mauris, aliqui codices habent,* plaudentibus *Mauris. Utraque lectio ferri potest. Nam barbari illi, vel quod, ut supra dictum est, ad fidem essent conversi, vel naturali omnibus hominibus commiseratione, ut alias sæpius in Martyrum agonibus evenit, ægre poterant videre homines tam atroci supplicio afflictos, maxime quod illud adeo patienter ferrent Martyres. Plaudere etiam poterant præ gaudio, quo affici solebant homines, cruentorum spectaculorum certaminumque avidissimi. Hæc Theod. Ruinart.*

t *Ex hoc Victoris loco insinuari putat Steph. Morcelli* (*a*), *exstitisse in Mauritania, nec longe a Tabraca, civitatem, Buroniam nomine, cujus episcopus Faustus fuerit. Sed Comm. præv. n.* 30 *diximus de situ hujus civitatis nihil erui posse e Fausti testis oculati præsentia. Theod. Ruinart, annotat quod pro* Fausto *aliqui* Faustinum *scribant, et pergit : Major est difficultas de ipsius sedis nomine. Omnes fere habent,* Buronitanus. *Legendum forte* Buconitanus. *In Collat. Carthag. c.* 198 (*b*) *adfuit* Donatus episcopus Bucconiensis *ex parte Donatistarum. Bucconia autem urbs erat Numidiæ : nam inter hujus provinciæ episcopos recensetur in Notitia Africana* Vitalianus Boccuniensis. *Anonymus Ravennas inter urbes Mauritaniæ, quam* Gaditanam *appellat, lib.* III, *n.* 2, Turrem-Buconis *memorat. An ex ea* Buconitanus *dictus est episcopus? Porro Colb.* 2 *Lorichius et alii habent* Burtinitanus. *Adfuit in Collatione Carthaginensi c.* 133 (*c*) Donatus episcopus plebis Buritanæ; *quam urbem incertæ provinciæ fuisse dicit Norisius in censura Garnerii, quamvis eam ad Proconsularem pertinuisse suspicetur, eamque ipsam esse, cujus episcopus* Cresciturus Busitanus *subscripsit synodicæ in Concilio S. Martini actione* II (*d*). *Sed hic episcopum aliquem e Mauritania indicare, uti videtur, Victor voluit.* D

(*a*) Afr. Christ., tom. I, p. 110. — (*b*) Baluz. Suppl. Conc. Labbei col. 242. — (*c*) Ibid, col. 208. — (*d*) Labbe, tom. VI Conc. col. 148. Hæc nempe epistola scripta a Guloso et cæteris episcopis Provinciæ Proconsularis ad Paulum patriarcham C. P. in concilio Lateranensi an. 649 recitata fuit. B E

DE S. JUNIANO
ANACHORETA, ET DE EJUS MAGISTRO
S. AMANDO,
IN AGRO LEMOVICENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cur de S. Amando Commodoliacensi hic agatur; distinguitur a S. Amando Genuliacensi; illius patria, ortus, et tempus mortis. C F

CIRCA ANNUM D. *Quare de S.* Amando *Commodoliacensi hic agatur.*

Priusquam ad gesta Sanctorum Amandi *et* Juniani *evolvenda digrediamur, ratio danda videtur, cur S.* Amandum *Commodoliacensem ejusque discipulum* Junianum *uno capite fuerimus complexi. Negandum quippe non est, S.* Amandum *non præsenti die religiose coli, et ad* XXV *Junii de eo jam a prædecessoribus nostris aliquantum actum fuisse. Verum quæ digesta illic fuerunt, aliquando omnino renovanda sunt. Cujus rei causa est, quod, cum Henschenius aggressus esset Vitam S. Amandi Genuliacensis, qui dicta die* XXV *Junii celebratur, illustrare, atque adeo examinandum suscepisset Sanctusne ille Amandus distinctus foret a magistro S.* Juniani, *operi immortuus est. Inchoatum opusculum absolvendum admisit Papebrochius; at in suo quam in alieno opere sagacior, imperfectum Henschenianæ lucubrationis non attendit, et continuo S.* Amandum *Commodoliacensem cum Genuliacensi confundens, pauca apposuit, et qualemcumque scriptionem typis credidit excudendam. Neque primi sumus in illa Henschenii et Papebrochii redarguenda opella. Jam pridem decessores nostri Pinius et Stiltingus in Prætermissis ad diem* XXVI *Augusti* (*a*) *mentem suam de hac manifestarunt his verbis :* Apud nos tomo V mensis Junii, die XXV ejusdem mensis pag. 78 actum est de SS. Amando et Domnoleno Gimeliaci in Petragoricis, et ibidem e Vita S. Juniani Commodoliacensis, danda, ut ibi dicitur, ad XVI Octobris, profertur fragmentum de S. Amando Commodoliacensi : quod dum contuli cum lectionibus ejus supra allegatis, congruentiæ, quæ in his, et in isto fragmento occurrunt, mihi suadent, in utraque narratione relucere S. Amandum Commodoliacensem : ut mirum appareat, tunc illud fragmentum ibi relatum fuisse, loco utique, prout nobis videtur, non suo. At de hoc Sancto, ac præsenti controversia tractari poterit in supplemento operis, si posteris nostris videbitur. *Verum-*

(*a*) Acta SS., tom. V Augnst., p. 762.

tamen

A *tamen hic loci potius, quam in supplemento totius operis, hæc lis dirimenda est, quoniam S.* Amandi *Commodoliacensis vita omnino innectitur vitæ sui discipuli* Juniani : *unde omnium aptissimum visum est, universa magistri gesta in præsenti illustrare Commentario; ne ter quaterque de eodem Sancto per particulas dicendum sit.*

Distinguitur ob alio S. Amando,

2 *Ante omnia probe inter se distinguendi sunt S. Amandus Genuliacensis, et S.* Amandus *Commodoliacensis, S.* Juniani *magister : quod ut liquido fiat, prius S. Amandi Genuliacensis diem et locum cultus, et dein locum habitationis cum tempore vitæ discutiemus; inde ad S.* Amandi *Commodoliacensis gesta progressuri. De die, quo Genuliacensis Amandus colitur, quæstio movenda non est; cum inter omnes conveniat diem* XXV *Junii esse. At locus cultus intricatissimus in opere nostro factus est, ex sequentibus, quas ad dictam diem produxit Henschenius, annuntiationibus :* Molanus in secunda et tertia editione Usuardi cum suis additionibus ista habet : « In Gemeliaco, natalis SS. Amandi et » Domnoleni Confessorum. » Et de Amando seorsim ita in MS. Barberiniano : « In Genelaico natale » S. Amandi Confessoris. » Verum « in Geniliaco »
B scribitur in MS. Adone Leodiensi S. Laurentii, et « Genuliaco » in MS. Florario. At loco non expresso « S. Amandus Confessor, » in MS. Florentino Magni Ducis, et MS. Coloniensi S. Mariæ ad gradus, est relatus. Qui perperam etiam Amandus sive Amantius episcopus scribitur. *Hactenus Henschenius : cujus dictis ex Solleriani Usuardi Auctario addi licet secundum codicem Montis-Sancti :* In Geneliaco natalis S. Amandi Confessoris. *Molano suffragatus est Papebrochius,* SS. Amandum et Domnolenum Gimeliaci in Petracoricis *cultos affirmans.*

qui die XXV *Junii non Gimeliaci, sed Genuliaci colitur;*

3 *Atque hic jam primus error apparet, videlicet SS. Amandum et Domnolenum Gimeliaci sacro observari cultu. Sunt quidem plura hujus nominis loca; nam, ut taceam vicum diœcesis Namurcensis, olim abbatia celeberrimum, qui jam* Gimeliacum, *jam* Gemblacum, *optime vero* Geminiacum (*ut ex Historia prisci Belgii* (*a*) *Cl. Schayes colligere est*), *scribitur; habebat S. Ruricius I, Lemovicensis episcopus, cujus Acta ad* XVII *Octobris illustrabimus, diœcesim seu paræciam* Gemiliacensem; *quod ipse testatur in suis Epistolis :* Quamobrem, *inquiens,* studio caritatis, non cupiditatis, has * ad sanctitatem vestram presbyterum meum pro diœcesi Gemiliacensi, unde
C jam pridem vobis scripseram, destinavi (*b*). *Tertium* Gimeliacum *vicum in Petragoricis fuisse, liquet e Vita S. Eusitii, quam ad* V *kalendas Decembres explicabimus, et in qua hæc occurrunt verba :* Hic igitur Petragoricæ urbis indigena, apud Gimeliacum vicum natus et altus est (*c*); *quem locum nunc* Gembly *aut* Gemeliac *nuncupari testis est auctor Geographiæ Legendarum Sanctorum* (*d*). *At nullus ex tribus his vicis Sanctorum Amandi et Domnoleni cultu sacer est. De Gimeliaco Belgico dubium moveri nequit; neque valet utrumque reliquum. Etenim, teste Gaufredo Vosiensi* (*e*), *circa annum* 1184 (*quo fere scribebat Gaufredus*) *S. Domnolenus, non in Petragoricis, neque in agro rurali Lemovicensi, sed ipsis Lemovicibus requiescebat :* Urbem itaque nostram, *ait Gaufredus,* post diœcesim repetamus.... In ecclesia S. Gregorii juxta monasterium S. Andreæ tumulus cernitur S. Domnoleni *ejusdem, quem Gallia Christiana* (*f*) *ab anno* 1534 *juxta Lemovicas jacere tradit. Unde evidens est non recte S. Domnolenum* D *Gimeliaco adscribi. Neque est cur moram injiciat auctoritas Henschenii, objicientis hæc itidem ex Gaufredo desumpta verba :* Beatus Dominicus in basilica S. Stephani juxta castrum de Gimel requiescit; *cum nomina Dominicus seu Dominius et Domnolenus distincta prorsus sint; ille die* XIII *Novembris* (*g*), *hic die* XXV *Julii* (*h*) *colatur; neque Gaufredus temere contradictionis arguendus sit, quasi unum eumdemque Sanctum* in ecclesia S. Gregorii *et* in basilica S. Stephani *sepultum dixisset. Hinc itaque liquet annuntiationem illam Molani, qua SS. Amandi et Domnoleni cultus* Gimeliaco *adscribitur, et quam Papebrochius et Henschenius fuerunt amplexi, certissime erroneam esse, quantum pertinet ad S. Domnolenum. Contra, cum reliquæ omnes citatæ commemorationes hujus nævi sint expertes, et e lectionibus variantibus eæ seligendæ sint, quas contextus aliaque adjuncta probent, nemini dubium fore autumo, quin* Genelaico, Geneliaco, *aut, quod apprime rectum est,* Genuliaco *donandus sit S. Amandus, qui die* XXV *Junii colitur.*

ubi monasticam duxit vitam; E

4 *Atque id quidem manifestum omnino fit ex eo, quod olim Genuliaci commoratus sit vir sanctus, nomine Amandus. Est scilicet in diœcesi Petragoricensi locus, cui vulgare nomen* Genouillac, *et in quo Galliæ Christianæ collectores* (*i*) *et Ruinartius in sua S. Gregorii editione* (*k*) *Sanctum Amandum cum SS. Soro et Cypriano sub abbate Savalo prima monastica stipendia meruisse perhibent. Neque injuria hanc Genuliacensis Monasterii traditionem amplexi sunt : in fragmento enim Vitæ S. Amandi, quod Labbeus* (*l*) *edidit, hæc ipsissima reperio verba :* Igitur præfatus vir Dei Amandus juxta nominis sui etymologiam, amatus a contribulibus amoris divini indeptus tyrocinia istiusmodi est divina aggressus. Cum esset miles multum nobilis ex pago urbis Lemovicinæ oriundus, montibus videlicet pristinis, ubi etiam monstratur illius hereditarius fundus, ab his digressus montibus, relictis facultatibus, omnem monasticam normam est nactus. Nam humilia expetens a montibus sublimibus (*Lemovicensibus scilicet*) ima vallium adiens descendensque agello Petragorico nuncupante Genoliaco, ubi tunc agmina monachorum degebant sub abbate Savalo et rege Clotario, juncto sibi Soro Arvernico viro sanctissimo atque Cypriano Dei electo, una devotione unanimes, uno diei articulo comam capitis deponentes, sanctæ religionis sese mancipaverunt in F obsequium, citoque ad virtutum culmen evecti ob theoreticam gratiam solitudinem elegerunt : *quæ verba commentario non indigent. Colitur S. Sorus die* I *Februarii, et S. Cyprianus* I *Decembris.*

** forte* cum his

unde postea ad locum, abbotia de Coli celebrem, transgressus,

5 *Ex Vita S. Sori, ad ineuntem Februarium edita, plura de hoc eodem S. Amando discere licet. Cum nempe S. Sorus, quem in monasticæ vitæ proposito socium habebat S. Amandus, cerneret anxietatem atque tumultum hominum confluentium Genuliacum, atque adeo brevi hinc discederet, illum secutus est individuus comes S. Amandus trans fluvium Viseram * inferiorem, et in infimo tractu, quem Dordonia et Visera intercipiunt, terni separatum sibi elegerunt locum. Terracini habitasse perhibetur S. Sorus, et cœnobii, quod ibi fuit, auctor et patronus dicitur. S. Cyprianus prope Dordoniam in loco, qui nunc a suo nomine Fanum S. Cypriani audit, cellam suam habuit, et ut in ejus narratur Vita,* ab ejusdem loci

* La Vésère

(*a*) Les Pays-Bas avant et durant la domination Romaine, tom. II, p. 494. — (*b*) Lib. II, epist. 6, in Lect. Antiq. Henr. Canisii, edit. Basnag., tom. I, p. 384.— (*c*) Vit. S. Eusitii seorsim excusa et desumpta ex vet. cod. MS. Biblioth. regiæ Parisiensis. — (*d*) pag. 54. — (*e*) Bibl. nov. MSS. Labbe, tom, II, p. 286. — (*f*) Tom. II, col. 539. — (*g*) Martyrol. uuiv. Cl. Chastelain ad dict. diem, et Labiche de Reignefort six mois de vies de SS., etc., tom. III, p. 41. — (*h*) Breviar. Lemovic. anni 1626. — (*i*) T. II, col. 1536 et alibi. — (*k*) Col. 980. — (*l*) Bibl. nov. MSS., tom. II, p. 481.

fratribus

A fratribus affectuose receptus, *tandemque* electione fratrum circumquaque manentium ad presbyteri officium est assumptus; *qui presbyteratus cum abbatis munus complecti videatur, assentimur Papebrochio addenti :* eorumque factus est abbas. *Medius inter S. Cyprianum et S. Sorum, ad hunc tamen propius,* (*non Gimeliaci, ut æstimavit Papebrochius, sed in loco ubi sæculo elapso exstabat adhuc abbatia S. Amandi de Coli*), *sedem sibi elegit S. Amandus, non* vitæ solitariæ propositun ad extremum usque vitæ terminum ita retinens, ut unum, (*Junianum intelligit, sed male*), discipulum susceperit (*a*); *sed ut saltem ad instar SS. Sori et Cypriani plures admiserit suæ vivendi normæ sequaces, forte non sub uno tecto, sed dispersos et* circumquaque manentes. *Quod vitæ genus in Lemovicensi, Petragoricensi, Arvernensi atque aliis Galliæ agris sæculo* VI *et* VII *communissimum fuisse videtur. Sanctum Amandum autem plurimis discipulis præfuisse constans traditio argumento est, illudque testantur Galliæ Christianæ scriptores, qui cum loci abbate egerant; et quidem ipsa abbatia quæ* S. Amandi nomen ab auctore suo et patrono habet, cujus festum agitur VII kal. Julii (*b*), *non vana probatio est. Hæc de die et loco cultus,*
B *deque patria et monastica vita S. Amandi Genuliacensis. Jam de ejusdem ætate.*

post medium sæculum VI, *imo ad finem hujus sæculi obiit;*

6 *Quantumvis S. Sori Vita, cujus jam memini, et quam Bollandus ad* I *Februarii, Labbeus in Bibliotheca nova MSS.* (*c*) *ediderunt, fabulis immixta foret, ut innuit Claudius d'Estiennot citatus in Gallia Christiana* (*d*), *qui se alteram, cui narratio de morbo elephantico regis Guntramni deest, habuisse profiteri videtur; eam tamen omnino damnare iniquius foret, neque eam damnarunt Galliæ Christianæ concinnatores. Quapropter hæc saltem ex ea admittenda videntur, quæ omnino verisimilia sunt : porro finem versus istius Vitæ hæc reperire est :* ad cujus (*S. Sori*) obitum præsentes adfuere sancti viri Amandus et Cyprianus. *Unde planum est S. Amandum Genuliacensem superstitem fuisse S. Soro, ac proin ex hujus ætate illius ætatem colligi posse. Jam vero sive Guntramnus, regnum anno* 561 *adeptus, S. Soro necessaria ad monasterium construendum ministravit, ut edita S. Sori Acta habent; sive Gocundus Lemovicarum princeps, Pelagia conjux et Aredius filius id præstiterunt,* ut referunt, *inquit D'Estiennot,* ipsius S. Sori Acta *inedita, et subobscure consentiunt Gaufredus apud Labbeum* (*e*), *et*
C *Bernardus Guidonis itidem apud Labbeum* (*f*), *consequens est S. Sorum atque eo magis S. Amandum Genuliacensem post medium sæculum* VI *obiisse. Etenim S. Aredius, qui anno* 591 *obiit, cum donum suum misit, abbatiale jam tenebat pedum, ut liquet ex edita S. Sori Vita :* Beatus Aredius (*ea illic leguntur verba*) tunc temporis abbas... in adjutorium ædificii ostium ei (*S. Soro*) opere cornificio aptatum misit. *Unde, cum secundum Mabillonii computum* (*g*) *S. Aredius monasterium suum circa annum* 572 *condiderit, aut certe id fecerit post annum* 550, *ut liquet ex ejus Vitis in opere nostro* (*h*), *oportet ut S. Sorus et proin S. Amandus ejus socius medio sæculo* VI *adhuc viveret. Si vero Guntramnum S. Sori benefactorem facias, manifestius etiam fit S. Sorum et consequenter S. Amandum Genuliacensem non ante annum* 550 *e vivis decessisse; cum ille, annos natus* 36, *regnum tantum adeptus sit anno Christi* 561, *et supremum obierit diem anno* 593. *Neque tantum ex Vita edita S. Sori, constat pientissimum hunc virum Guntramno coævum fuisse;* D *verum ex hac Vita liquet, id in anteriori quoque fuisse adstructum. Numero scilicet* 12 *legere est :* Igitur, UT EX IPSIUS (*S. Sori*) PATET GESTIS, hic Beatus temporibus exstitit Gontranni quondam potentissimi ac sanctissimi regis. . . *Et quidem pro communi scriptorum calculo refertur mors S. Sori ad annum* 580; *quo proin posterior esset obitus S. Amandi Genuliacensis. Superest ut inquiramus in diem locumque cultus, gesta et ætatem S.* Amandi *Commodoliacensis.*

noster vero S. Amandus *colitur Commodoliaci seu ad S.* Juniani XXVI *Augusti,*

7 *Gaufredus Vosiensis in Chronico* (*i*) *luculenter adstruit S.* Amandi *cultum, quem inferius aliunde quoque certum omnino faciemus :* Commodoliacenses, *inquit chronologus,* Juniano jubilant cum Amando præceptore suo. *Est autem Commodoliacus venustum diœcesis Lemovicensis* (dépt Haute-Vienne) *oppidulum, vulgari nunc nomine Sancti Juniani* (St-Junien) *appellatum, jacens ad Vigennæ* (Vienne) *ripam, et celebre olim ecclesia collegiata, ut inferius innotescet. Neque minus certus est dies cultus, ut liquet ex his, quæ inter recensendos prætermissos ad diem* XXVI *Augusti* (*k*) *scripserunt decessores nostri :* » In festo S. Amandi Confessoris duplex primæ classis die vigesima sexta Augusti » Officium proprium, cum Octava invenimus inter nostras schedas MSS. de Sanctis ejusdem diei : quod Officium R. P. Godefrido Henschenio misisse indicatur in nostro apographo Armandus Gerard canonicus Sarlatensis anno 1664 : « ex traditionibus, uti prænotatur, ecclesiæ Sancti Juniani. » Laudatus vero R. A. D. Gerardus in fragmento litterarum suarum. . . scribit ista : « Officia MSS. SS. Amandi Confess. XXVI Augusti, et Juniani XVI Octobris. . . accepi ex ecclesia collegiata S. Juniani in Lemovicibus. » *Quibus decessorum dictis fidem addere possumus ex ipsis, quæ adhuc supersunt, hic citatis documentis. Præterea Collinus, Commodoliacensis seu San-Junianensis canonicus, catalogum olim dedit ad nostrates, de quo mentionem facit in nota MS. Bollandus; atque in eo S. Amandi festivitas nuntiatur, ad toties dictam diem* XXVI *Augusti apud Commodoliacenses agenda. Hæc autem dies absque dubio S.* Amando *sacra facta est ex inventione seu translatione ejus Reliquiarum, ut liquet ex Antiphona ad* Benedictus *quæ sic num.* 11 *ejus Officii sonat :* Hodie canonicorum devotio et sanctæ manus sanctum corpus invenerunt Amandi et transtulerunt. . . . *Cujus ritus esset* F *hæc solemnitas, patet ex modo dictis.*

licet erronee aliter scripserit Collinus,

8 *Mirum vero omnino est, quem paulo ante nuncupavi, Collinum in Historia Sanctorum Lemovicensium S.* Amandi *Commodoliacensis Vitam edidisse ad* XXV *Junii, qua colitur S. Amandus Genuliacensis, non autem ad diem* XXVI *Augusti; quod forte ab eo actum est, quod illusus fuit sicut Henschenius et Papebrochius, ambos Amandos confundentes; aut quod sibi obsecundandum esse credidit populo Lemovicensi, qui alicujus S. Amandi festum in Kalendariis Lemovicensibus ad diem* XXV *Junii, minime ad* XXVI *Augusti legebat. Difficultas scilicet non silenda hic latet : in diœcesi Lemovicensis fastis sacris unum tantum occurrere S. Amandum eumque coli* XXV *Junii; unde consequens videtur unum quoque tantum in Lemovicibus aut vicinia exstitisse; quod eo magis urgeri potest, quo magis mirum foret Genuliacensem aut Petragoricensem coli in diœcesi Lemovicensi, et in eadem non coli Lemovi-*

(*a*) Act. SS. ad XXV Junii, p. 79. — (*b*) Gall. Christ., tom. II, col. 1536. — (*c*) Tom. II, p. 666. — (*d*) Gall. Christ. tom. II, col. 1532.—(*e*) Bibl. nova MSS., tom. II, p. 286.—(*f*) Ibid., p. 631. — (*g*) Annal. Benedict. ad an. 572, num. 48. — (*h*) Act. SS. ad XXV August., p. 171 et seqq. — (*i*) Labbe Bibl. nova MSS., t. II, p. 285. — (*k*) Act. SS. August., tom. V. p. 762.

A *censem. Responsum in promptu est : nihil enim interdum mirabilius esse, quam cultum quem Sancti in quibusdam locis, non in aliis, obtinuerunt, omnibus hagiophilis innotescit, et ne late discurramus, specimen cominus est. Sanctus Amandus scilicet, quem a loco, cui ejus cultus assignatur, Genuliacensem dixi, in nullo Martyrologio aut Auctario, in quantum novi, refertur ad monasterium de Coli, cujus tamen auctor et patronus habebatur, aut ad Lemovicas unde fuerat ortus, sed ad Genuliacum, ubi non ita diu fuit commoratus. Præterea cum hic Sanctus natione Lemovix sit, non sane miraberis eum in patria honorari; cui admirationi tanto minor subesset ratio, quo clariora fuerunt ejus miracula, et proin cultus. Cujus assertionis testem invoco ejus biographum sic in prologo loquentem :* Scripturus de vita Beati Amandi, nonnulla aggredior * ut gesta illius incomprehensa mortalibus per ordinem texere contendam, sed ut ejus conversationis primordia (*quæ sane ex S. Sori Vita noscebat*) et aliquantorum miraculorum indicia supremaque sanctitatis edisseram. Enimvero quis ad liquidum illius evidenter promere sufficiat actum, cum necdum miraculorum ejus multige-

* *supple* non

B num deprehendatur chaos. *Hæc ex sæpe citato fragmento desumpta cultum innuunt, qualem numquam habuisse videtur S. Amandus Commodoliacensis, cujus etiam corpus usque ad finem fere sæculi* XI *oblivione et terra obrutum jacuit, ut postea videbimus. Verum ad S.* Amandi *Vitam stylum jam vertamus.*

Dicitur hic S. Amandus *filius regis Hungariæ,*

9 *Ex pluribus Sancti* Amandi *biographiis, de quibus dicemus postea, frustra eruere conaberis hujus Sancti patriam, si unum opusculum gallicum Collini San-Junianensis Canonici, cujus jam memini, excipias. Hic scilicet S.* Amandi *Reliquias memorans, profert inscriptionem quam ad medium sæculum undecimum refert; sic sonat hæc inscriptio :* Hic sunt ossa, sudarium et cineres Sancti Amandi filii Regis Hungariæ. *Cum autem litteræ sæculi undecimi sat facile a recentioribus vulgo distinguantur, et Collinus multos MSS. codices tractaverit oporteat, ejus testimonium admittendum esse videtur, et proin referenda inscriptio ad annum* 1075, *quo sacrum ejus corpus detectum fuit, ut num.* 19 *ostendere conabimur. Unde vero sæculo* XI *rescitum fuerit S.* Amandum *filium regis Hungariæ fuisse, non facile determinaveris. An inscriptum erat sepulcro,*

C *in quo S.* Junianus *suum magistrum condidisse dicitur? An ipsi Commodoliacenses sæculo* XI *illud sibi imaginati sunt? Licet dictio :* Regis Hungariæ, *non autem* Regis Hunnorum, *aut* Hungarorum *suspicioni subjaceat, posterius tamen affirmare mihi non placet, quoniam in hoc supposito illud inseruissent absque dubio Vitæ aut Officio S.* Amandi, *quod a fabulis satis purum est. Ad prius autem quæsitum affirmanter respondere, idem ac aleam jactare quibusdam forte videbitur. Nihilominus Hildebertus Cenomanensis in Vita S. Hugonis Cluniacensis in loco, quem num.* 18 *integrum recitabo, tradit S.* Amandi *sepulcro aliquam inscriptionem impositam fuisse.*

quod si ad verbum intelligeretur, eum filium Attilæ faceret;

10 *Verum si quis admittat prioris inscriptionis veritatem, caveat ne vocabulum* Rex *intelligat prout in hodiernis hominum auribus sonat. Late jam plures ostendere tentarunt, sæculis* V *et sequentibus, idem id esse ac vocabulum* Dux. *Et quidem si S.* Amandus *filius diceretur regis totius Hungarorum gentis, filius ipsius Attilæ, qui medio sæculo* V *Galliam vastavit, statuendus foret. Docet scilicet Johannes Thworcz in Chronicis Hungarorum* (*a*). D Hungarorum capitaneos Belam, Keme et Kadicham in prælio anni 401 apud Kesmawr occubuisse, *et sequenti pagina addit* Attilam dumtaxat, qui Hungarico idiomate Ethele dictus est, et Budam fratrem ejusdem supervixisse, eumdemque Attilam unanimi voto regia dignitate elatum fuisse. *At licet gratia divina multifaria sit, licet ipse Attila ab eremitis, teste eodem Thworcz, non abhorruerit, et eodem auctore* (*b*), *cui assentit Petrus Ranzanus* (*c*), multitudinem filiorum susceperit, *absurdum foret S.* Amandum *filium Attilæ assignare; quoniam in hoc supposito, Ruricius episcopus Lemovicensis* (*de quo modo plura*) *id sane aliquando in suis litteris meminisset. Si itaque S.* Amandus *natione Hungarus fuerit, alicujus ducis sub Attila militantis filius dicatur oportet.*

dicitur quoque sub Clodoveo vel Alarico militasse.

11 *Porro quoniam S.* Amandus *a quibusdam Hungarus habitus est, atque excunte sæculo* V *vitam eremiticam est amplexus, inde sane profluxit traditio, quam Collinus quoque refert, et qua Sanctus noster* (*quem tamen Arianum fuisse negant*) *vel sub Alarico rege Gothorum, aut Clodoveo Francorum rege stipendia meruisse perhibetur. Verum licet utravis suppositio cum chronotaxi modo proponenda* E *non pugnat, siquidem Clodoveus anno* 486 *arma sumpsit, et Alaricus II anno* 484 *regnum obtinuit, nescio num eruditis placiturum sit Hunnum Gothorum aut Francorum castris annumerare, cum caduca traditio tantum id adstipulatur.*

Ante annum 490 *Commodoliacum secessit, ubi circa annum* 500 *obiit.*

12 *Quidquid tandem in sæculo egerit S.* Amandus, *certum est cum Commodoliacum secessisse, vitam eremiticam ducturum : qui secessus ante annum nonagesimum post quadringentesimum certo contigit. Ruricius enim Lemovicensis præsul, senior dictus, ut a succedente sibi nepote distinguatur, ante annum quingentesimum decimum obiisse traditur; quod ad* XVII *Octobris latius examinabimus. Jam vero si S.* Amandus *decem saltem annis ante S. Ruricium I obiisse dicatur, a vero aberrari non potest, quoniam S.* Junianus *in omnibus monumentis fertur S. Ruricium secundum, juvenem adhuc superbiæ fastu elatum, post mortem S.* Amandi, *liberasse a dæmone aut a morbo. At cum hic Ruricius avo suo successerit in sede Lemovicensi, nec continuo post suam liberationem, aut vitæ emendationem, hunc honoris gradum ascendisse videatur, merito sane refertur S.* Amandi *mors ad annum circiter* 500. *Si vero decem anni vitæ eremiticæ assignentur, eumque proin* F *non post annum* 490 *Commodoliacum venisse statuatur, pauciores fere annos quam exigunt S.* Juniani *instituendi labor aliaque gesta, istic degisse affirmatum fuerit. Etenim cum Ruricius I circa annum* 484, (*ut ex Stiltingo nostro Vitam S. Fausti Regiensis ad* XXVIII *Septembris illustrante num.* 270 *et* 288, *ubi Epistolam* IX *Fausti partim recitat, liquet*), *Lemovicensem sedem obtinuerit, et Sanctus* Amandus, *sub ejus episcopatu Commodoliaci fuerit detectus, postquam aliquandiu latuisset, licitum forte videbitur initium S.* Amandi *vitæ anachoreticæ etiam ante annum* 490 *referre. His itaque evolutis, si ad propositam quæstionem redeamus, quis non viderit S.* Amandum *Commodoliacensem non tantum die et loco cultus, patria* (*in quantum traditioni est fides*) *atque habitationis loco distinctum esse a S. Amando Genuliacensi, sed inter utrumque aut integrum, aut saltem dimidium sæculum effluxisse? Superest ut reliqua, quæ de Sancto* Amando *innotescunt, exponantur : at primum de biographis.*

(*a*) Scriptor. rer. Hungaricarum, tom. II, p. 60. — (*b*) p. 76. — (*c*) Scriptor. rer. Hungaric., tom. II, p. 346.

§ II.

A

§ II. Biographi S. Amandi Commodoliacensis; ejus gestorum compendium e Bernardo Guidonis; Reliquiarum inventio a S. Hugone Cluniacensi facta, earumque cultus.

Recensentur fontes,

Joannes *Collinus canonicus theologalis San-Junianensis, cujus jam meminimus, anno* 1657 *publici juris fecit* Vitam beatorum Amandi et Juniani anachoretarum, ex veteribus ecclesiæ monumentis. *Idem anno* 1673 *duplex edidit opusculum :* Florilegium sacrum Lemovicense, *et alterum gallicum,* Historiam sacram Vitarum Sanctorum Lemovicensium. *Bonaventura de Sancto Amabili Carmelita in opere suo, anno* 1676 *excuso, de* Apostolatu
B S. Martialis, de Sanctis Lemovicensibus *sermonem quoque habens, agit procul dubio de SS.* Amando *et* Juniano; *at nullum nobis desiderium ingerit ejus scriptionis absentia, quoniam fieri nequit, ut pluribus quam Collinus usus fuerit documentis. Tertius, qui Sancti* Amandi *Vitam consarcinavit, est Bernardus Guidonis Lodovensis episcopus, ex Ordine Prædicatorum, cujus Speculum Sanctorale, quod inter vetera legendaria optimum videtur (in quantum ex editis Vitis æstimare licet), Avenione in bibliotheca urbana MS. exstare falso nuper tradidit Haenel in Catalogis Bibliothecarum. At cum olim illic asservabatur, edidit ex eo Benedictus Gononus Vitam SS.* Amandi *et* Juniani. *Ejusdem Vitæ apographum exstat Bruxellis in Bibliotheca Burgundica regia, desumptum ex codice MS. Pragensi, et collatum cum autographo. Ex annotatione MS. Bollandi colligo breviorem Vitam exstitisse in MS. codice Rubeæ Vallis; at minoris pretii eam existimavit, quam ut ad finem usque cum autographo Pragensi conferret.*

unde S. Amandi *vita cognoscitur;*

14 *In Bernardi Guidonis opusculo mentio fit codicis San-Junianensis his verbis :* Cujus corporis
C Sancti Amandi inventionis in prædicto loco et translationis ab eodem, et miraculorum gestorum series et historia diffusius scripta ibidem legitur et habetur, et Sancti Amandi etiam nominatur. *Hæc* Historia *S.* Amandi *ipsum Officium est, quod edemus; quodque proin certo ad sæculi* XIV *initium referendum est, nisi potius, ut libenter æstimo, ad initium sæculi* XII, *triginta forte annis post corporis inventionem. At pauciora illic de S.* Amandi *in terris viventis gestis : omnium plurima profert Bernardus Guidonis, potissimum S.* Juniani *Vita usus. Hæc autem S.* Juniani *Vita, quam Commodoliaci audivit S. Hugo Cluniacensis abbas, omnium antiquissimum monumentum est : cui tamen sæculo, utrum* VII *an* VIII, *illiganda sit, non liquet; tametsi extra dubium est insignis ejus vetustas. Hanc Vitam Cluniaci olim descripsit Papebrochius : idemque fecimus Parisiis, ejusdem Vitæ aliquantum amplificatæ apographum desumentes ex Legenda Aurea cum auctariis, jussu Romani prioris monasterii Cœlestinorum Beatæ Mariæ (verisimiliter Parisiensium) conscripta, et anno* 1442 *absoluta, ut fol.* CXLII *notatur. Occupat nunc hic codex MS. loculum* 45 *bibliothecæ Parisiensis, quæ sibi nomen ab armamentario* (l'Arsenal) *mutuata est. Deest autem huic Vitæ prologus; at in plurima divisa est capita, quorum tituli breviori Vitæ desunt. Huc usque de fontibus unde S.* Amandi *gesta noscuntur.* D

atque hic secundum Bernardum Guidonis narratur ejus vita eremitica,

15 *Porro en ut collegit Bernardus Guidonis S.* Amandi *gesta; editione Gononi collata cum apographo nostro utor :* Beatus Amandus vir illustris, nobilibusque ortus natalibus, natalem locum et divitias temporales pro amore divino relinquens, et vitam solitariam sibi eligens, inter arctas et accessu difficiles angustias rupium, parvum tugurium sibi construxit in rure seu territorio nobilis viri * Ruricii seu Roricii * episcopi Lemovicensis supra Vigennæ fluvium, cujus loci seu territorii vocabulum tunc Commodoliacus dicebatur, ubi aliquandiu commoratus est ignotus hominibus, Deo notus, cui soli in solitudine placere cupiebat. Quadam vero die nutu Dei in rupe prærupta a pastoribus solitarius reperitur, qui, asperrimæ illius habitationis locum admirantes, abierunt; dehinc illius solitudinis incolam populis divulgarunt. Cujus rei notitia, fama referente, dum ad prædictum Ruricium seu Roricium Lemovicensem præsulem pervenisset, comperto quod vir Dei Amandus inter arbusta frondesque, quas locus eduxerat, antrum habitationis haberet, jussit ibidem pro spatio loci fieri E cellulam habitantis solitarii satis amplam, sed conventui multitudinis nimis angustam. Ex toto siquidem illius montis spatio rupis prærupta eminebat, quæ undique accessum præbebat arctam modicamque planitiem continens, ad quam de monte superiori difficilis admodum descensus erat, ubi Amandus vitam solitariam virtutibus plenam ducens, contemplationi divinæ vacans, hostis antiqui certamina non modica toleravit et vicit.

* *MS. Prag.* sanctæ memoriæ
* *MS. Prag. ubique* Bunaum seu Bonaum *male scribit.*

ejus erga S. Junianum *magisterium,*

16 Beatus vero Junianus puer (ut fertur) natione Cameracensis ex nobili prosapia ducens originem, spiritu Dei afflatus, ut desiderio cœlestis patriæ, parentes, patriamque natalem relinqueret, ad partes Aquitaniæ, duce Domino, pervenit. Comperta autem fama sanctitatis beati Amandi, ipsum adiit, cupiens institutis ejus, et moribus informari, et cum eodem se Christi tirocinio et servitio mancipare; accedensque ad cellulam Sancti Amandi, fores ejus ut sibi aperirentur pulsare cœpit. Sanctus vero Amandus cum cognovisset ad fores pulsantem esse, æstimans ne forte esset illusio aut tentatio diabolica, aliquandiu siluit, nec mox ei patefecit ingressum, donec probaret cujus rei causa prædictus venerabilis puer ad ejus cellulam accessisset. F Cognita vero causa, mox eum cum gaudio suscepit, et viam salutis ostendit. Junianus itaque egregiæ indolis adolescens, qui sortitus animam bonam tanta humilitatis gratia, tantaque sanctitate vitæ noscitur excrevisse, ut non solum imitator magistri existeret, verum et divino amore succensus, magistri vitam virtutemque transcenderet.

ejus obitus et sepultura.

17 Demum cum ejusdem Sancti Amandi obitus propinquaret, post sanctam institutionem discipuli sui Juniani, vitamque laudabilem sanctitatis, consummato felicis vitæ agone, plenus dierum et operibus sanctis, in pace migravit ad Dominum; habitationis et sanctitatis suæ hæredem et successorem relinquens Junianum, ex discipulo magistrum, tamquam alter Elias alterum Elisæum. Corpus vero Sancti Amandi in eodem loco, ubi solitariam vitam duxerat, sepelivit (in pristino scilicet antro) : ibique sepultum latuit annis multis, indeque post annorum multorum curricula, translatum fuit ad ecclesiam seu monasterium Sancti Juniani, et juxta ejus tumulum collocatum, id agente et prosequente instanter et devote viro strenuo Domino Rabulpho * canonico, concomitantibus et sequentibus signis. Qui

* *lege* Ramnulpho

A Qui Rabulphus a B. Odone * Cluniacensi primitus exhortatus, in eodem loco primitus ecclesiam construxit, in qua mundo renuntiavit, sancte obiit, vixit, et quiescit. Cujus corporis sancti Amandi inventionis in prædicto loco, et translationis ab eodem, et miraculorum gestorum series et historia diffusius scripta ibidem legitur et habetur, et Sancti Amandi etiam nominatur. Floruit sub eodem fere tempore S. Amandus, quo Clodovæus rex Francorum, a B. Remigio baptizatus, cum Alarico rege Gothorum, qui Arianus erat, et Aquitaniæ et Gothiæ regnum occupabat, quod Romanis abstulerat, congressum habuit milliario decimo ab urbe Pictavis, ubi Alaricus confossus occubuit (*anno* 507), et depulsis ab Aquitania Gothis Arianis, eamdem meliori religionis regula et fidei continuo replevit. Erat autem Dominicæ Incarnationis fere quingentesimus (*annus* 497) quando Clodovæus fuit per sanctum Remigium baptizatus, regnavitque annis circiter quindecim (*potius* 14) post baptismum.

Hugone *lege*

Reliquiarum inventionis adjuncta,

18 *Cum his fere similia in S.* Juniani *edenda vita occursura sint annotatis illustranda, non est quod diutius inhæreamus S.* Amandi *gestis : una Reliquia-*
B *rum inventio examinanda superest. Quæ Bernardus Guidonis de ea superius protulit, ex S.* Amandi *Officio extracta esse jam monui. Paulo aliter eamdem inventionem narrat Hildebertus Cenomanensis episcopus in Vita S. Hugonis, sexti abbatis Cluniacensis, quæ in opere nostro ad* XXIX *Aprilis edita est, ubi hæc leguntur* (*a*) : Item Dei servus (*S. Hugo*), dum esset in Aquitania, ad ecclesiam B. Viviani, sanctorum locorum solicitus visitator, accessit. Ubi cum præfati Confessoris diligenter actus et vitam legeret, cujusdam boni viri nomine Amandi factam in ea reperit mentionem, de quo ipse plenius edoceri desiderans, opinionem ejus et patriam, propositum et finem atque sepulturam a clericis præsens inquirit. Respondetur sciscitanti B. Amandum magistrum S. Viviani, meritis insignem, doctrina conspicuum, exemplis clarum. Corpus ejus, prout fama ferebatur, in Galliis habere sepulturam. (*E Vita S. Juniani noverant præterea cum ab hoc Sancto et proin in vicinia fuisse sepultum.*) Sequenti autem die, decanus canonicorum in eodem loco xenodochium constructurus a B. Hugone suscepti operis postulat fundamentum designari. At ille Spiritu Sancto edoctus : Hic, ait, fundamenta jacite,
C et minime pœnitebit. Ad ejus itaque suggestionem pueri altius fodientes, mausolæum prædicandæ pulchritudinis inveniunt, B. Amandi nomine insignitum : quo reperto, clerus exultat, populus glorificat Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis, nil jam de merito dubitantes abbatis, quod in inventione claruerat Confessoris. *Papebrochium, qui non advertit Sanctum* Junianum, *ut modo statuam,* Vivianum *a nonnullis nuncupatum fuisse, induxit in errorem nomen* Vivianus. *Credidit hunc* Xantonensem *episcopum esse, cui* Ambrosius *magister fuisse dicitur.*

tempus,

19 *Verum cum narratio San-Junianensis etiam minuscula adjuncta enarret* (*quod cum patens error non subest, veritatis argumentum haberi solet*), *atque San-Junianenses melius hanc Reliquiarum inventionem novisse debeant, quam Hildebertus Cenomanensis, præplacet San-Junianensi Officio potius quam S. Hugonis Vitæ adhærere, ubi diversitas in exponendis adjunctis cernitur. At præcipuus nodus in assignando inventionis tempore est. Ex numeris* 1 *et* 8 *Officii S.* Amandi *novimus translationem feria quarta factam fuisse; ex numero vero* 11, *liquet* D *eam factam fuisse* XXVI *Augusti, die S.* Amando *abhinc sacra. Verum hæc* (*ut in congruo spatio includamur*) *annis tantum* 1069, 1075 *et* 1080 *concurrere potuerunt. Quis vero ex his sit eligendus, aliunde inquirendum est. In lectione* II *secundi Nocturni Officii S.* Amandi *traditur S. Hugo Cluniacensis iterum transiisse per Commodoliacense monasterium, cum, aliquanto tempore post visitationem monasterii Angeriacensis anno* 1062 *factam, a Willelmo Pictaviensium principe evocatus est Pictavos Monasterii-Novi dotandi causa. Ut vero ex instrumento Galliæ Christianæ* (*b*) *inserto liquet, facta fuit hæc dotatio anno ab Incarnatione Domini* 1077, V *kalendas Februarii, anno* IV *Pontificatus Gregorii VII, indictione* XV. *At S. Hugo non interfuit hujus instrumenti confectioni, ut absentia ejus nominis, inter præsentes monachos non signati, certo argumento est. Quapropter S. Hugo memoratum iter susceperit oportet ad dotationis conditiones cum Willelmo exagitandas; quod circa* XXVI *Augusti anni* 1075 *fecerit, nisi San-Junianensem narrationem enervatam velint. Quocirca inventio Reliquiarum S.* Amandi *anno* 1075 *attexenda videtur.*

E *et qui secutus est cultus, illustrantur.*

20 *Hujus inventionis atque translationis historia quam latissime exponitur in Officio S.* Amandi. *Ex Collino* (*penes cujus fidem sunto*) *addi possunt sequentia :* Cum Ramnulphus sacra pignora ad S. Juniani templum transferret, pauper febri quartana correptus et manu accensum cereum gerens, accessit, tetigit loculum et sanitati restitutus est. Positæ tum sunt S. Amandi exuviæ juxta Reliquiariam capsam S. Juniani. Condidit postea Ramnulphus ecclesiam cum xenodochio in ipso loco, unde extractæ fuerant Reliquiæ. Gaudet hæc ecclesia S. Amandi nomine et patrocinio, et 60 abhinc annis (*scribebantur hæc circa annum* 1673) Patribus O. S. Francisci Recollectis usui data est a San-Junianensibus canonicis, qui sibi tamen reservarunt jus, supplicationes aliasque pietatis praxes ad eam instituendi, cum dies, quibus populus S. Amandi laudes audire gestit, annuatim recurrunt. *Idem Collinus sic fere disserit de S.* Amandi *Reliquiis :* In majori templo San-Junianensi ostenditur pretiosum caput S. Amandi inclusum perpulchro crateri (*coupe*) deaurato, opere antiquo, dato ex pietate a quodam Domino De Brigueil. Cæteræ S. Amandi Reliquiæ cum pluribus aliis servantur in vetusto loculo, qui in thesauro cernitur. In hoc nempe loculo jacet sacculus perbene F compositus, cui litteris sexcentis annis vetustioribus inscriptum est : Hic sunt ossa, sudarium, etc. *ut numero* 9 *retuli. At diu ante Collinum jam meminerat harum Reliquiarum Bernardus Guidonis in Opusculis Historicis :* S. Amandus qui præceptor fuit S. Juniani, ibidem (*Commodoliaci*) in capsa habetur, veneratur, et colitur (*c*). *Superest ut S. Amandi Officium, pia simplicitate et factorum narratione conspicuum, typis credatur. De ejus antiquitate dixi num.* 13; *ejus fidem laudavi num.* 19, *idque reperiet eruditus lector, post sequentem de S. Juniano paragraphum.*

§ III. De Sancti Juniani cultu; num confundendus cum S. Juniano Nobiliacensi, et altero Rhemensi;

(*a*) Act. SS. ad XXIX Aprilis, p. 639. — (*b*) Tom. II, col. 351. — (*c*) Labbe Bibl. nov. MSS., tom. I, p. 633.

de

A

de sepulcro et ecclesia sub ejus vocabulo Deo sacra.

CIRCA AN. DXXXV. *S.* Junianus, *quem multi memorant Martyrologi,*

Cum *S.* Amandi *vita intime colligetur cum vita S.* Juniani, *neque proin altera discuti possit, quin altera quoque discutiatur, plurima de Sancto* Juniano *determinata sunt, cum obortæ in S.* Amandi *vita quæstiones ad examen atque solutionem vocatæ fuerunt. Imprimis tamen supersunt quæ ad S.* Juniani *cultum pertinent. Porro occurrit hujus Sancti memoria in Martyrologiis tam recentibus quam veteribus, classicis tamen exclusis. Testatur videlicet Dominicus Giorgius in sua editione Adonis, addi codici Vaticano* 512 *illud auctarium ad præsentem diem :* Eodem die natalis Sancti Juniani Confessoris; *Auctarium Aquiscinctinum Usuardi apud Sollerium indicat* territorium Lemovicense *ut locum cultus; Bedæ Auctarium editum ab Eccardo* (*a*) *ejus quoque meminit. E Bernardo Guidonis S.* Juniani *cultus jam indicatus est ubi de S.* Amando *fuit actum : en alia mentio ex ejusdem viri Opusculis Historicis* (*b*) : Sancto Juniano eremitæ et Confessori
B jubilant Comodohatenses (*Commodoliacenses*) canonici : sic enim antiquitus vocabantur qui nunc S. Juniani canonici nominantur; cujus gesta habentur ibidem. Festum ejus recolitur XVII kalendas Novembris. *Eidem diei hunc Sanctum assignat Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Castellanus in Martyrologio universali, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Molanus in Natalibus SS. Belgii, Willot in Martyrologio Belgico, Collinus in Historia SS. Lemovicensium, Labiche de Reignefort in Semestri Vitarum SS. Collectione, etc. Martyrologium vero Parisiense, et alii recentiores fasti sacri ejusdem S.* Juniani *meminerunt ad* XV *Novembris aut ad aliam hujus mensis diem; unde id ortum sit, postea videbitur. In recentiore editione Hagiographiæ Butlerianæ memoratur S.* Junianus *ad* XXVI *Augusti, ubi de magistro* Amando *agendum erat; in Ordine demum seu Directorio Lemovicensi anni* 1832 *S.* Juniani *festum die* XVI *Otobris celebrandum indicitur ritu duplici minori in tota diœcesi. Quod spectat ad S. Juniani nomen, notabile est in Usuardo Greveni* Ninianum monachum et Confessorem *nuncupari. Loco* Niniani *absque dubio* Vivianus *legendus est. Hildebertus Cenomannensis, num.* 17 *citatus, eo*
C *nomine S.* Junianum *Commodoliacensem appellat, et S. Junianus Nobiliacensis ad* XIII *Augusti in Usuardo Daveronensi item* Vivianum *sortitur nomen.*

atque olim ob miracula, non tantum Lemovicenses, sed et Pictavi colebant,

22 *S.* Juniani *Commodoliacensis cultus antiquitas ad ævum S. Gregorii Turonensis, quin etiam altius referenda est. Sic de eo scribit hic S. episcopus* (*c*) : Fuit et Junianus reclusus infra Lemovicinæ urbis territorium, qui vivens multa populis ostendit miracula : sed et nunc ad sepulcrum ejus sæpe morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putavi longum, qui cæcis oculis ibidem evecti (*alibi* eo perducti) lumen receperunt, paralyticique directi sunt. Testisque est ipse populus hodieque, qui cum sanitatem recipiunt, statim se tributarios loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni, pro redditæ sanitatis gratia tributa dissolvunt. Ex quibus sunt, qui ad basilicam Sancti Martini nostri antistitis pertinere videntur. *Cum vero S.* Junianus *circa annum* 535 *obierit, et S. Gregorius ipse anno* 595 *fato cedens sæculum* VI *non excesserit, hinc fere liquet S.* Juniani *cultum a morte incepisse. Ex hoc præterea S. Gregorii testimonio, quo tam peculiarem S.* Juniani *cultum adstruit, ut eum Theodoricus Ruinartius* (*num.* 50 *præfationis ad S. Gregorii editionem*) *speciali mentione dignum judicet et* memorabilem *appellet, apud omnes constare debet, jam a sæculo* VI *obtinuisse populi Turonensis pietatem erga hunc Sanctum; quam suis temporibus adhucdum exstitisse scribit Collinus in libello jam dicto, Historia SS. Lemovicensium. Turonensibus vicini sunt Pictavienses, apud quos memoratum morem tributum solvendi, eodem viro teste, exstitit; atque in eorum gratiam tot miracula facta fuisse tradit idem hagiophilus, ut, cum scriberet, S.* Juniani *Officium quotannis* XVI *Octobris celebraretur in agro Pictaviensi, potissimum in ecclesia cathedrali S. Petri, et in ecclesia collegiata S. Hilarii Pictaviensis, ubi ritus duplex solemnis observabatur. Verum ex recentiori Directorio expunctum est hujus sancti* Juniani *nomen. Ex eodem Collino deducere licet, aliud peculiare festum sæculo suo Lemovicibus celebratum fuisse : quod festum* S. Juniani a Nivibus (S. Junien des Neiges) *appellabant. Hujus festi ratio petebatur ex hac traditione : cum S.* Junianus *ad S.* Amandum *venisset, totam noctem illi antrum suum clausum*
E *tenuerat S.* Amandus; *at licet omne hoc tempus abunda cecidisset nix, minime humidus factus fuerat S.* Junianus. *Festum certum est, non item mihi fundamentum.*

D

distinctus est a S. Juniano Nobiliacensi,

23 *Secundus labor, post expositum sancti eremitæ cultum obeundus, in Sancto* Juniano *ab homonymis distinguendo versatur. Gononus scilicet in Vitis SS. Patrum, postquam* (*d*) *meminisset S.* Juniani *nomen in tabulis Ordinis Fontebraldensis signari* (*cujus rei causam ex historia hujus ordinis eruere non potui*), *atque hujus Sancti festivitatem ad* XVI *Octobris retulisset, continuo confundit hunc Sanctum cum S. Juniano Nobiliacensi abbate, cujus dies sacra* XIII *Augusti est. Non solus in hunc errorem incidit : hallucinationis socium habuit non tantum Giorgium, Adonis Martyrologium ad hunc diem illustrantem, sed ipsum Labbeum, qui in Bibliotheca nova* (*e*) *Nobiliacensis abbatis Vitam edidit, et in prologo* (*f*) *de sectione prima scriptorum, quos editurus erat, male omnino carpsit Bernardum Guidonis. Quibus vero characteribus hi ambo S. Juniani a se invicem distinguantur, late majores nostri prosecuti sunt ad prædictam* XIII *Augusti. Præterea ad* XV *Novembris non solum in Martyrologiis universali et Parisiensi, ubi*
F *claris verbis S.* Junianus reclusus Lemovicensis *annuntiatur, verum in aliis quoque permultis Martyrologiis tertius quidam S. Junianus prodit, quem ad archidiœcesim Remensem pertinere volunt : teste enim Molano in nota ad* XVI *Octobris et Ferrario ad* XV *Novembris,* legitur apud Remenses in Martyrologio die decimo quinto Novembris : Eodem die beati Juniani Confessoris, quem beatus Remigius baptismate lavit. *Cum vero locus memoriæ hic sileatur, brevi suppletus est ille defectus in Martyrologio Canisiano, Sanctum Junianum die* XV *Novembris ad Remos referente. Et quidem antiqua satis est hæc S. Juniani apud Remenses memoria. In codice enim Usuardino Heriniensi, quem Sollerius et Bollandus plurimis laudarunt, et cui a Sollerio hæc duplex affixa fuit nota :* Scriptus fuit ad finem sæculi XI, et Usuardo puro Sanctos Remenses fere tantum adjecit; *textui puro additur :* Eodem die, beati Juniani Confessoris, quem beatus Rhemigius baptismate lavit. *Cui auctario addit Sollerius :* Patet proprium loci esse. *Maluissem dixisset Sollerius recentiores*

(*a*) De reb. Francic., tom. I, p. 829. — (*b*) Labbe Bibl. nov. MSS., tom. I, p. 633. — (*c*) De gloria Confessorum, cap. CIII. — (*d*) p. 209. — (*e*) Tom. II, p. 569. — (*f*) p. VI.

A *martyrologos suum Sanctum Junianum diei* XV *Novembris ex hoc codice hausisse : nam Molanus suum certe inde decerpsit; et Ferrarius, quamvis nuditatem suam novis sibique propriis verbis abscondere velit, solo Molano est usus; quod absque dubio ipse Canisius quoque fecerit. Recentiores prætermitto.*

sed idem videtur

24 *At quæstio est, sitne hic Sanctus Junianus a Sancto* Juniano *Commodoliacensi diversus. Affirmantem sententiam sequitur expresse Molanus, in Natalibus SS. Belgii ad* XVI *Octobris ; similiter Ferrarius ad* XV *Novembris, et Saussayus qui S. Junianum* XV *Novembris confudit cum S. Juniano Nobiliacensi, necessario die* XVI *Octobris et* XV *Novembris duos distinctos Junianos memoravit. Claudium Chastelain et Martyrologii Parisiensis concinnatores aliter sensisse ex superius dictis liquet. Et re quidem vera, licet erraverint cum S.* Junianum *ad* XV *Novembris agro Lemovicensi adscripserunt, valde probabilis est eorum sententia de duplici hoc S. Juniano in unum conflando : quod obstat argumentum, alias gravissimum, distinctos nempe dies cultus indicari, levius hic forte est : nam cum dies* XVI *Octobris audiat in Martyrologiis* XVII *kalendas Novembris, et* XV *Novembris, mensis nomine tantum mutato,* XVII *ka-*
B *lendas Decembris dicatur, quam facile fuit Heriniensi collectori improbo loco S.* Junianum *celebrare : quod eo facilius fuisse dicendum est, quod nulla vestigia veri cultus erga S.* Junianum *apud Remenses appareant. Etenim nihil in Breviario Remensi, impresso anno* 1630; *nihil in Brevi, seu Directorio anni* 1812; *nihil apud Flodoardum historiographum Remensem ; nihil apud Marlot in Historia Metropolis Remensis; nihil apud Galliæ Christianæ continuatores; nihil denique apud nostrum Suyskenum, qui in Vita S. Remigii, ad* I *Octobris illustrata, plurimis prosecutus est S. Remigii discipulos.*

ac S. Junianus Remensis.

25 *Verumtamen explicari potest quo pacto S. Junianus inscriptus fuerit codici Heriniensi, licet in diœcesi Remensi verum cultum non obtinuerit, neque, ut Sollerius loquitur,* proprius loci *sit. Cum enim ille codex ad finem sæculi* XI *exaratus sit, atque anno* 1075 *corpus S.* Amandi, *quem S.* Junianus *magistrum habuerat, inventum fuerit et tanto cum rumore translatum, ut Papebrochius ad* XXIX *Aprilis* (*a*) *scripserit :* oportere ita solemniter elevatum habere proprium diem cultus; *necesse est, ut cum S.* Amandi *fama nomen S.* Juniani *per totas Gallias increbuerit, atque adeo utriusque Acta innotuerint. Porro amplior S.* Juniani *Vita, quæ hoc*
C *tempore jam circumferebatur, ejusmodi est, ut, cum quis eam confert cum Vita S. Remigii, nec apprime bene notas chronologicas animadvertit, facile induci possit ad credendum, S.* Junianum *Commodoliacensem a S. Remigio fuisse baptizatum. Agedum, eccum hujus suspicionis fundamen : in hac Vita S.* Juniani, *non tantum plura habes de Francis a S. Remigio conversis, sed secundum communem traditionem dicitur S.* Junianus filius comitis Cameracensis; *et antiquum S.* Juniani *officium, recentius Lemovicense, Vita S.* Juniani *a Bernardo Guidonis collecta, item Vita, quam præ oculis habuit Molanus, hac in re consentiunt. Verum ille comes Cameracensis non distinctus censendus est a Ragnachario, aut Raganario, de quo Hincmarus in Vita S. Remigii* (*b*) *hæc habet :* Multi denique de Francorum exercitu, necdum ad fidem conversi cum regis (*Clodovæi aut Clodovechi*) parente Raganario ultra Summam fluvium aliquandiu deguerunt, donec Christi gratia cooperante, gloriosis potitus victoriis, eumdem Raganarium, flagitiis turpitudinum inservientem, vinctum a Francis sibi traditum rex Ludovicus occidit, D et omnem Francorum populum per Beatum Remigium ad fidem converti et baptizari obtinuit. *Tunc baptizatum fuisse S.* Junianum, *qui Ragnacharii filius habetur, et a Clodovæo, in cognatos sæviente, non legebatur occisus, crediderit sane Heriniensis codicis scriptor, et propterea contexuerit præfatam S. Juniani memoriam, qua ego non* proprium loci *Sanctum designari arbitrabor, sed potius talem, quales in peculiaribus diœceseon Martyrologiis occurrere solent, cum non cultum in diœcesi, sed tantum qualemcumque cum diœcesi relationem habent, aut habere putantur.*

Circa annum 535 obiit,

26 *Sub judice itaque relicto S.* Juniani *patre, natali loco, baptismo, etc., ad tempus ejus mortis gradum facio. Ad locum, numero* 22 *hujus Commentarii ex S. Gregorio Turonensi relatum, signat Theodoricus Ruinartius annum* 530, *tamquam tempus emortuale S.* Juniani; *Claudius vero Chastelain latum sæculi* VI *spatium apponit. A veritate non multum abesse potest Ruinartius, quoniam biographi omnes quadraginta annos in eremo transactos S.* Juniano *assignant. Equidem cum paucis tantum annis ante annum* 500 *S.* Junianum *in eremum venisse æstimaverim, libenter, quinque Ruinartii calculo* E *adjectis, annum* 535 *emortualem dicerem. Cum vero S.* Junianus *puer aut adolescens transierit ad S.* Amandum, *ad annum circiter quinquagesimum quintum ætatis pervenisse dicendus est. Quæ autem egit S.* Junianus, *cum Commodoliaci versaretur, atque ex Vita innotescunt, ad aliquot reducuntur miracula; quibus in annotatis ad Acta animadversiones aliquot apponemus.*

et Commodoliaci sepulcrum obtinuit, cui superstruxit S. Ruricius junior oratorium S. Andreæ,

27 *De S.* Juniani *sepultura in edenda Vita nihil aliud occurrit, quam* Basilicam fabricatam fuisse a Ruricio juniore, ubi sancta membra beatissimi Juniani collocarentur. *Vita vero amplior plura de S.* Juniani *sepultura subministrat, quæ recitanda videntur, quoniam coæva censenda sunt Reliquiarum elevationi, quam hic late explicant.* Postquam igitur Beatissimus Junianus felici suo obitu diem clausit novissimum, Roricius, non immemor beneficii quod ab eo acceperat, corpus ejus Lemovicas asportare decrevit; quod cum, divina Providentia aliter disponente, non potuit, haud longe a cellula sua quæ supra Vigennam in declivio montis pendet basilicam exstrui jussit in honore Sancti Andreæ dedicatam : ibique honorifice eum tumulavit. Enim vero dum Beatissimus Junianus vita F fungeretur, assuetus erat Deo orationes sub spina quadam exhibere; eoque mortuo Roricius honore felicissimo cubitis ferme duobus ab ea ipsum tumulavit; ita enim deliberavit commodius esse, propter religionem loci ubi preces agebat. Inde aram construxit inter Sancti Juniani caput et spinam; et quia altari erat infensa, succidit eam; radix vero in ima remansit. Qua cum tumulo reperta, visa est succo adhuc primo et ramorum inhærentium virore decorata, meritoque vernabat sub qua Sancti preces floruerunt. Valde enim incongruum erat ut arida fieret, quam nec vita nec morte ipse deseruit. Quo loco quicumque et sincero corde quod justum est Deum poscit per Sancti Juniani nomen, compos sine difficultate votorum regreditur.

in quo detectæ sunt ejus Reliquiæ

28 Fervet animus videndi amore ardent simul cor et oculi intueri tumulum, qui intra sui claustra Sancti Juniani Reliquias continebat; nec sufficiunt oculi tantum inspicere quantum mens exoptat. Dum vero uno inhærent affixi aspectu quædam

(*a*) Act. SS. ad XXIX April. Vit. S. Hugon., p. 640. — (*b*) Act. SS., tom. I Octobris, p. 149.

infaustissima

A infaustissima mulier appropinquavit media abrupta acie; quodque alii non præsumpserunt, ipsa sola temeritate misera præsumpsit. Advolans enim rapidissimo antiqui serpentis stimulo debacchata et sensu polluta, maculatæ limbo tunicæ pulverem circa Sancti Juniani sepulcrum attigit : sed non defuit ibi ultionis supplicium. Mox spiritus immundus arripuit eam, et vehementissime torquens amentiam immisit, et furorem crudelissimum. Ergo ubi astantes hoc mirabile perceperunt signum, illico terrore concussi expalluerunt præ metu. Tunc quisque sibi cavebat, quæ mulierculæ miseræ contigerant. Ipsi autem, qui criminis alicujus sibi conscii erant, retrahebant pedem, expavescentes ultionem. Interim autem supradicta mulier infelix a dæmone infestissimo torquebatur amarissime et circa eam miserabiles lugebant parentes, flebant etiam affines. Nocte igitur consequenti pernoctaverunt cum lucernis in orationibus ad Sancti Juniani sepulcrum, et crastina luce orta, ancillam receperunt purgatam a dæmone. Quæ cum olim mala fuisset, per principem malitiæ didicit bona esse. Ex quo enim ab illius potestate erepta fuit, omnicumque anni revolutione pœnitentiam de
B peccato suo, quod temere incurrit, usque in supremum egit diem.

anno circiter 990;

29 *R. D. Labiche de Reignefort* (*a*) *refert hanc Reliquiarum retectionem ad an. circiter* 990, *dum Alduinus, seu Ilalduinus, Lemovicensem sedem occuparet. Itherius scilicet, sic ille gallice disserit, ultimus regularis Sancti* Juniani *monasterii abbas, ad eam celebritatem populum clerumque Lemovicensem invitavit, diemque solemnis jejunii indixit. Die autem* XXVI *Januarii, post decantatas Matutinas horas, dum populus et clerus preces suas coram Deo funderet, immensa difficultate* (*oriebatur hæc ex prudenti cautione, qua Ruricius II B. virum tumulaverat*), *reconditum sepulcrum aperuit, et sacrum ex eo sustulit corpus; quod in loculo ligneo pictoque repositum* (*neque enim ditiorem fieri lipsanothecam sinebat monasterii egestas*), *translatum fuit super altare majus templi, plaudente et jubilante populo, qui confertim adstabat.*

quæ sæculo post denuo fuerunt translatæ et adhuc servantur.

30 *Idem Lemovicensis hagiographus* (*b*) *alterius Reliquiarum translationis meminit, quæ die* XXI *Octobris anni* 1102 *facta est, et Reginaldo seu Raynaldo Petragoricensi episcopo, Lemovicensis antistitis morbo impediti fungenti vices, adscribitur;*
C *quod si verum sit,* (*et nihil est quod repugnet*), *corrigenda erit Gallia Christiana* (*c*), *quæ ad annum* 1101 *seu ad anteriora etiam tempora Raymundi, qui Reginaldo successit, episcopatum Petragoricensem retulit. Quidquid id est, transtulit maxima solemnitate Reginaldus seu Raimundus corpora SS.* Juniani *et* Amandi, *necnon S. Ruricii II. Extractum tum fuit ab eo præsule e viliori loculo S.* Juniani *caput, impositumque opulento crateri ex argento inaurato; qui ingenti divitique lipsanothecæ, laminis argenteis, aureis ornatibus gemmisque instructæ, inclusus fuit. Reliqua sacra ossa duobus ligneis thecis, ferro munitis, inserta fuere, et deposita in pristino lapideo sepulcro, quod S. Ruricius II exstruxerat; quodque ab Itherio, postquam inde sustulisset S.* Juniani *ossa, restitutum et ad imum sanctuarium supra terram fuerat collocatum. Clausit dein Petragoricensis antistes id sepulcrum duobus acclivibus lapidibus, calce cæmentoque conjunctis. Octo circiter annis post circumdatum fuit id monumentum lapideis septis, duodecim Sanctorum anaglypticis statuis ornatum; quibus impositus fuit ingens lapis albus,* D *qui argenteam capitis pyxidem sustineret; et ad imum sepulcrum intra septa positus dein fuit lapis, inscriptus :* HIC JACET IN IPSO VASE CORPUS S. JUNIANI, IN QUO SEPELIVIT EUM RORICIUS EPISCOPUS. Raynaldus vero Petragoricensis episcopus, qui meruit martyr fieri, collegit eum in scriniis ligneis infra vas repositis : *quod martyrium in Palæstina subiisse tradit R. D. Labiche de Reignefort. Verum fabulas hic nundinari et posteriora illius inscriptionis verba postmodum illic adjecta fuisse ex duplici capite liquet. Prius enim, secundum epitomen quamdam aliaque MSS. monumenta, a Galliæ Christianæ collectoribus allegata* (*d*), *martyrium illud* VIII *idus Septembres anni* 1099 *Antiochiæ accidisset, cum jam tertium annum in his partibus degeret Reginaldus; unde manifestum foret, non a Reginaldo anno* 1102 *Reliquiarum elevationem fuisse factam; dein* III *nonas Octobres anni* 1098 *cum suæ diœcesis abbatibus Concilio Burdigalensi interesset, et anno* 1099 *consecrationi ecclesiæ Uzerchiensi, ut habet Gallia Christiana* (*e*). *Unde corruit omnino istud martyrium, anno* 1099 *in Oriente exantlatum; et spatium fit Petragoricensi præsuli ad hanc celebrandam lipsanon retectionem. Non liquet deinceps* E *apertum fuisse venerabilem Sancti eremitæ tumulum; et quidem constat inter reipublicæ gallicæ tumultus nihil eum fuisse passum detrimenti. Neque id temporis perierunt capitis ejus insignes Reliquiæ, quas se cum populo veneratum esse ait Labiche de Reignefort* (*f*), *quum multa celebritate anno* 1820 *acta fuit solemnitas* Ostensionis.

Falsa videtur his antiquior tentata translatio.

31 *Totics citatus Collinus, ejusque imitator Labiche de Reignefort alius frustra susceptæ translationis meminerunt, cujus jam pridem ante has duas periculum factum esset. Quadriennio enim, postquam Commodoliaci humatus esset S.* Junianus, *placuit S. Ruricio II B. Confessoris corpus devehere in templum S. Augustini Lemovicense, exstructum a prædecessore Ruricio I, quoniam ille hic suam delegerat sepulturam. Verum cum apertus fuit S.* Juniani *tumulus, et corpus currui impositum, immobiles steterunt equi, adeo ut nulla vi propelli possent. Quocirca jussit Ruricius, ut sacras exuvias reponerent, pristinum sepulcrum circumfoderent, et tribus ingentibus lapidibus cooperirent; ne quis deinceps eremitæ ossa contingere posset; atque insuper ut sibi juxta amicum suum sepulturam aliquando pararent. Ast universum id tentamen sublestæ fidei historiuncula est, perverse deducta ex his, quæ aliquanto superius ex antiquo documento descripsimus :* Postquam igitur Beatissimus Junianus felici suo obitu diem clausit novissimum, Roricius, non immemor beneficii quod ab eo acceperat, corpus ejus Lemovicas asportare decrevit; quod cum, divina Providentia aliter disponente, non potuit, haud longe a cellula sua. . . basilicam exstrui jussit. *Præterea sæculo* VI *quam rarissime effodiebantur Sanctorum corpora, ut alibi sepultura donarentur; quod qui ecclesiasticas antiquitates delibarunt, satis edocti sunt.* F

Memorata S. Andreæ ædicula locum dedit S. Juniani *cœnobio,*

32 *De templo autem et monasterio exstructis eo ipso in loco, ubi degit S.* Junianus, *supersunt quædam memoranda eo potiore jure, quod nonnulli manifeste a vero aberrant inter dilucidanda hujus asceterii fata. Ex superius dictis liquet in declivio Commodoliacensis montis, duobus ferme cubitis a spina, sub qua Deum orare solebat Beatus* Junianus, *sepultum fuisse hujus cadaver; a Ruricio II illic*

(*a*) Six mois de Vies de SS. de Limoges, tom. II, p. 237. — (*b*) Ibid. — (*c*) Tom. II, col. 1461 et seq. — (*d*) Ibid., loc. cit. — (*e*) Ibid., loc. cit. — (*f*) Six mois de Vies de SS. de Limoges, p. 238.

loci

A *loci conditam fuisse ædiculam seu basilicam, ita ut altare inter spinam et sepulcrum esset, eique ecclesiolæ titulum fuisse inditum de S. Andrea; unde liquet errare Galliam Christianam* (*a*), *cum affirmat priorem huic templo titulum fuisse de S.* Juniano; *cui dein additus esset ille alter de S. Andrea. Piorum peregrinantium eleemosynis abundantibus, ut ex S. Gregorio Turonensi jam didicimus, in cœnobium evasit illa S. Andreæ ædicula. Volunt Collinus et R. D. Labiche de Reignefort pecuniam ab ipso Ruricio II monasterio ædificando collatam fuisse; eisque aliquantum favere fateor Vitam edendam, in qua* basilicam *a Ruricio exstructam fuisse legitur; quæ vox in Galliis, ut in peculiari de basilicis opella stabilire conatus est Hadrianus Valesius, monasterii alicujus templum signavit sæpius. Verum cum S. Gregorius Turonensis, quem hunc locum adiisse ajunt* (*b*), *monasterii hujus non meminerit, cum omnes S.* Juniani *Vitæ idem taceant, et demum cum Valesiana regula exceptionem patiatur, ut R. D. Binterim* (*c*) *recte docet* (*mitto enim iracundas Launoyi adversus Valesium hac super re dissertationes*) : *malo nihil asserere, quam errandi periculum temere adire. Ast anno* 848 *certe* mona-

B sterium *dicebatur, ut constat ex Adhemari Cabanensis Chronico; quod ita apud Labbeum nostrum* (*d*) *sonat :* Josfredus vero thesaurarius nolens relinquere sæculum, conductus a Stodilo episcopo monasterium Sancti Juniani, et ecclesiam Cairoensem deprædatione et malo ingenio a jure et dominatione Sancti Martialis subripuit. *Quod Gaufredus Vosiensis* (*e*) *confirmat. Cum autem Adhemarus Chronicum suum sesqui sæculo post annum* 848 *scripserit, liquet item ex allegato loco antiquissimis temporibus Sancti* Juniani *nomen huic adhæsisse monasterio quod male Gallia Christiana* (*f*) *a S.* Amando *quoque agnominavit.*

cujus varia fuerunt fata.

33 *Paulo post hunc annum a Danis seu Normannis destructum fuit id cœnobium, ut iterum Gallia Christiana* (*g*) *et Labiche de Reignefort* (*h*) *perhibent; sed circa annum* 880, *iisdem testibus, fuit resarcitum;* quod quidem, *ut pergit Gallia Christiana* (*i*), a fine decimi sæculi non nisi præpositura fuit, sed regularis, ad annum ut videtur 1150; *quo fere tempore* varias ecclesias legimus datas ecclesiæ S. Andreæ et S. Juniani (*k*). *Primum autem regularem præpositum, sanctitate sua celebrem, Beatum Israelem fuisse tradit canonicus Col-*

C *linus in Vita, quam ex veteribus Doratensis et San-Junianensis ecclesiarum monumentis collegit, quamque in abbatia Stirpensi olim asservatam fuisse testatur Gallia Christiana* (*l*). *Hic autem et ecclesiam Commodoliacensem seu SS. Andreæ et* Juniani *restauravit, ut idem Collinus auctor est; quæ restauratio ante annum* 1014 *incepta et promota fuerit oportet, quoniam* de exilio ad hæreditatem felicem S. Israelis animam undecimo kalendas Januarii anno Domini millesimo decimo quarto transtulit *Deus, ut loquitur ejus apud Labbeum biographus* (*m*). *Idem vero templum die* XXI *Octobris anno* 1102, *ut vult R. D. Labiche de Reignefort* (*n*), *a Reginaldo Petra-*

(*a*) Tom. II, p. 552. — (*b*) Launoyus Oper. omn., tom. II, part. I, p. 191. — (*c*) Denkwürdigk. der katolisch. kirche, t. IV, part. I, p. 25. — (*d*) Bibl. nov. MSS., tom. II, p. 161. — (*e*) Ibid. p. 285 et 312. — (*f*) T. II, col. 552. — (*g*) Ibid. — (*h*) Six mois de Vies, etc., p. 236. —(*i*) Tom. II, col. 553.—(*k*) Ibid., col. 552. — (*l*) Ibid., col. 551. — (*m*) Bibl. nov. MSS., tom. II, col. 567. — (*n*) Six mois de Vies de SS., etc., p. 237. — (*o*) Tom. II, col. 549. — (*p*) Six mois de Vies de SS., etc. p. 236 et seq. — (*q*) Loc. cit. — (*r*) p. 208.

goricensi episcopo, simul trium Sanctorum Reliquias D *transferente, consecratum accepimus ex Gallia Christiana* (*o*).

Cum sæculo XIII *templum augeretur, miraculo illustratum dicitur,*

34 *Sæculo vero sequenti, ante annum* 1240 *absolutum nondum fuisse templum, quod sæculo undecimo ineunte jam instaurabatur, ex Collino cum aliis adjunctis resciri potest; hæc fere ipse habet :* Tempore præpositi Durandi Orliacensis magnum fastigium (*pignon*) et fornix quæ S. Juniani tumulum obtegit nondum exstabat, et operarii in extruenda majori fenestra, quæ rosam imitata, rosæ nomine gaudet et orientem excipit solem, occupati erant. Languebat et tepescebat opus : quocirca cum canonicus Itherius ad maturandam fabricam fuisset missus, vento aut dæmone propellente, ab alto tabulato cecidit in lapidum atque trabium acervum. Omnis vulneris fuit expers; quod S. Juniano, quem devote colebat, in acceptis relatum est. *Pluribus dein narrat Collinus duodecim viros albis indutos vestibus tempore nocturnorum hujus Itherii funerum apparuisse, atque æstimatum esse inter hos fuisse S.* Junianum. *Quæ ipse descripsit, ut initio testatur, e veteribus MSS. codicibus : verum unica codicum vetustas fidem non imperat.*

E *et alio prodigio anno* 1312.

35 *R. D. Labiche de Reignefort* (*p*) *alia duo refert beneficia, quæ S. Juniano adscribi solent. Prius a se depromptum declarat ex scripto testis oculati, qui quadriennio post memoriæ istud tradiderat. Anno scilicet* 1312 *die Dominica quadam post decantatum Completorium, decidit fulmen in Sancti* Juniani *templum, præsentesque humi prostravit, quin tamen ullum læserit, et mediam circiter horam quindecim fere pedibus supra pavimentum hæsit in aere meteorum; cujus tamen rei adjuncta, si accuratius innotescerent, fieri forsan posset, ut, quod olim dictum est miraculum, ex cognitis naturæ legibus explicaretur.*

S. Juniano *patrocinante, servatur oppidum.*

36 *Subdit R. D. Labiche* (*q*) *alterum beneficium, quod divinitus, intercedente Sancto* Juniano, *sibi collatum existimavere incolæ. Anno enim* 1587 *cum in eo essent Calviniani Galli, ut Sancti* Juniani *oppido astu potirentur, modo tam mirabili detecti sunt, ut persuasum fuerit omnibus, id sui patroni auxilio fuisse factum, et in omne ævum annuam instituerint supplicationem publicam, qua servatori suo grates referrent, quamque etiamnum celebrari arbitratur memoratus Lemovicensis hagiographus. Atque hæc de S.* Juniani *patrocinio.*

F *Quæ edenda videtur Vita.*

37 *Cum officium ritus duplicis, quod Breviario Lemovicensi an.* 1625 *insertum est, non secus ac vetustum quod San-Junianenses canonici in festo S.* Juniani *usurpabant, mera synopsis sit Vitæ edendæ atque peculiarem formam non habeat, typis illud credere supersedeo. Eadem de causa omitto Vitam a Bernardo Guidonis conscriptam, quam videat lector apud Gononum in Vitis Patrum eremitarum Orientis et Occidentis* (*r*). *Prætereo quoque Vitam ampliorem, de qua num.* 14, 27, 28 *potissimum dictum est. Satius fore videtur hac antiquiorem, et proin ad sæculum* VII *aut saltem* VIII *referendam, e codice Cluniacensi descriptam post S. Amandi Vitam aut Officium prælo subjicere.*

OFFICIUM

A

OFFICIUM S. AMANDI,

complectens ejus vitam et Reliquiarum translationem.

Ex traditionibus MMS. Ecclesiæ S. Juniani Commodoliacensis.

Omnia dicuntur de communi Confessoris non Pontificis, exceptis propriis quæ sequuntur. In primis et secundis vesperis et laudibus, antiphonæ :

Vitæ synopsis,

I. Amandus est nominatus,
Amans Deum et amatus
Per populum quem docuit *a*,
Et a Christo quem coluit.
II. In lapide, qui est Christus,
Fundaverat fidem suam,
Et in eo semper vixit,
B Et finivit vitam suam.
III. Dum Amandus ab hoc mundo
Feliciter exspiravit,
Ejus corpus Junianus
Juxta petram tumulavit.
IV. Beati corpus Amandi
Et ejus Reliquiæ *b*
Sunt inventæ per Ramnulphum
Die quartæ feriæ.
V. In cœlis est clevatus
Amandus, et laureatus
A Christo, cujus amore
Nitido vixit corpore.

Capitulum : Beatus vir qui inventus est, *etc.*

2 Hymnus :

in qua præcipua S. Amandi *gesta,*

Gaude tellus illustrata
Amandi virtutibus;
Cujus vita, geminata
Luce, fulsit actibus
Gloriosis venustata,
Et honoris moribus.
Cuncta pro te resignavit,
Christe; solitariam
Vitam ducens, aspiravit
C Ad cœlestem patriam;
Sprevit, fugit, reprobavit
Hujus mundi gloriam.
Hunc magistrum et rectorem
Junianus habuit,
Cujus vitam et nitorem
Morum sequi voluit;
Quem sequendo sic honorem
Immortalem meruit.
Te pie nostra precatur
Hæc, Amande, concio,
Ut a malis eruatur,
Et tecum palatio
In cœlesti perfruatur
Sempiterno gaudio.
Sit laus Patri, sit laus Nato,
Sanctoque Spiritui,
Quorum Amandus beato
Deservivit nutui;
Et præmio tam optato
Promeretur perfrui. Amen.

Ora pro nobis, Sancte Amande, *etc.* Ad magnificat antiphona :

Magnificet Ecclesia
Amandi prodigia,
De quo cœli curia
Gaudet cum lætitia.

D

Oratio : Omnipotens sempiterne Deus, qui Beato Amando Confessori tuo, in hujus mundi eremo contra fraudes dæmoniacas decertanti, victoriæ palmam in cœlestibus contulisti, fac nos in fide Christi sic esse stabiles, ut, contra hostiles nequitias pugnaturi, simus in adversis victores. Per *etc.*

3 Ad matutinum, invitatorium : Laudemus regem cœlorum, qui corona laureavit Amandum, et collocavit inter choros Angelorum. PS. Venite, *etc.* Hymnus : Iste Confessor, *etc.* Antiphonæ ad primum nocturnum : *ejus detectio,*

I. Beatus Amandus in viis
Peccatorum non adfuit,
Sed vivere in eremo
Secus Vigennam voluit.
II. Pastores obstupuerunt,
Dum Amandum invenerunt
Inter rupes habitare
In eremo sine lare.
III. Præsuli Lemovicensi
Roricio retulerunt *c*, *c*
Qualiter Sanctum Amandum E
In eremo invenerunt.

℣. Amavit eum Dominus, *etc. Lectiones primi nocturni per totam octavam semper sumuntur de scriptura occurrente quando fit de octava.*

4 Responsoria primi nocturni lectionum :

I. Locus, ubi conversatur, *cellæ ædificatio*
Commodoliacus vocatur,
Inter rupes positus
Juxta Vigennæ litus.

℣. Et factus est in pace locus ejus et habitatio ejus juxta Vigennæ litus.

II. Roricius cellam ibi
Præcepit ædificari,
In qua Beatus Amandus
Posset Deum venerari,
Et vivere corde mundo
Segregatus ab hoc mundo.

℣. Quoniam vir Sanctus elegit eam in habitationem sibi, segregatus ab hoc mundo.

III. Vir Amandus eremita,
Tentabatur in hac vita
Ut Deum respueret,
Et idola *d* coleret. *d*

℣. Inimici Domini mentiti sunt ei, ut Deum respueret et idola coleret. F

5 Antiphonæ in secundo nocturno :

I. Cum Amandus invocaret
Ut dæmonem captivaret,
Jesum Christum *, quem quæsivit, *et S.* Juniani *adventus exponitur.*
Ipsum statim exaudivit. * Jesus Christus
II. Cellæ portam propulsavit
Junianus et clamavit :
Percipe, Sancte Amande,
Verba mea et intende.
III. Ego vocor Junianus,
Verus Dei Christianus
Qui destruo pugnatorem
Inimicum et ultorem.

℣. Os justi, *etc.*

6 Prima lectio secundi nocturni : Beatus Amandus ex nobili ortus prosapia, mundi hujus contemptor, servire Deo cupiens ad rupes vici hujus, cui nomen Commodoliacus, nunc vero urbs S. Juniani vocatur, supra Vigennam fluvium declinavit, et inter ipsas rupes per plura temporum curricula sub spelunca quadam solitariam vitam ducens repertus est a pastoribus, qui Sancto Rori- *Quibus breviter repetitis,*

A cio Lemovicensi episcopo nuntiaverunt. Ipse vero episcopus ibidem cellulam vix triginta virorum intrantium capacem, tamen Sancto Dei multum amplam construi fecit; et in ea postea fuit habitator cum eo Sanctissimus Junianus comitis Cameracensis *e* filius, qui Sanctum Amandum adversus tentationes dæmoniacas taliter confortavit, quod ipsi ambo dæmones cum suis versutiis devicerunt. Tandem elapsis annis plurimis Beatus Amandus ad Christum Dominum feliciter transmigravit, corpusque ejus intra rupem ipsam pro ipsius corporis magnitudine excisam Beatus Junianus propriis manibus tumulavit. Adhuc tamen etiam per quam plurima et infinita tempora post felicem transitum Sancti Juniani, locus ubi Beatus Amandus sepultus fuerat, et ubi corpus ejus exstiterat, nullatenus sciebatur; sed Dei providentia, quæ mirificat Sanctos suos, refulgens per opera, Hubo * abbas Cluniacensis cœnobii, vir magnæ sanctitatis, qui quam plurima monasteria * suum monasterium *f* almi Apostoli Martialis Lemovicis ex suscepto officio visitavit, completisque ibi paucis diebus, visitationis causa consimili ad cœnobium Sancti Joannis de Angeriaco *g* descendens, fecit per vicum hujusmodi
B iter suum. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Cumque Sanctum Junianum
Vir Amandus recepisset,
Et ipsum in fide nostra
Firmiter edocuisset,
Tandem spiritum Amandus
Redemptori reddidit;
Cujus corpus sepulturæ
Junianus tradidit.

℣. Dominus in cœlo paravit sedem suam, cujus corpus, etc.

7 LECTIO SECUNDA : Et ibidem a fratribus Canonicis basilicæ S. Juniani fuit, prout decuit, hospitatus. Huic autem abbati inter cætera virtutum dona mos erat, ut sibi legerentur *h* verba divina novi et veteris Testamenti dum comedebat; qui dum sederet ad mensam, comperto quod Vita Sancti Juniani in sua basilica haberetur, fecit eam sibi ad mensam cito afferri; quæ cum loco Bibliæ legeretur, audiretque abbas in ea narrari pauca de vita et doctrina Beati Amandi petiit statim a fratribus ad mensam secum consedentibus, ubi corpus S. Amandi quiescere diceretur; et illis respondentibus, quod ejus tumulum ignorabant, neque corC pus ipsius habebant, abbas ipse una cum ipsis fratribus facta comestione perrexit ad locum *i*, ubi cella exstiterat, sed jam diruta erat ex sui * nimia vetustate. Ipso autem loco per eumdem abbatem undique circumspecto, abbas ipse fratres ipsos charitative admonuit, ut locum ipsum tantorum habitatione Sanctorum venerabilem corde puro, devote, ac sæpissime visitarent, ibique oratorium construerent, in quo possent divina officia celebrare. Die vero sequenti abbas ipse cum suis monachis ad Angeriacum arripuit iter suum; Canonici tamen præfati basilicæ Sancti Juniani ad audienda præfata Hugonis monita aures proprias obturantes, oratorium facere nexerunt *. Tandem post lapsum alicujus temporis, idem abbas est a principe Pictaviensium *k* revocatus, ut monasterium quod ipse abbas ad honorem Sancti Joannis Euangelistæ in Pictaviensi suburbio construxerat, eidem principi dotandum traderet sub certo numero monachorum serviendum. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Hugo Abbas Cluniaci,
Commodoliacum petens,
Et ibi Sancti Amandi
Vitam beatam audiens,
Statim esse construendam
Basilicam disposuit,
Ubi Beatus Amandus
Suam cellulam habuit.

℣. Quoniam illis mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum, ubi Beatus Amandus, *etc.*

8 LECTIO TERTIA : Qui abbas faciens iterum iter suum per vicum prædictum, cui nomen Commodoliacus, et ab ipsis fratribus ibidem hospitatus, petiit ab eis an oratorium præfatum construxissent; et comperto quod nihil fecerant, de nimia negligentia increpavit. Sequenti vero die idem abbas iter arripiens petiit ab Amelio basilicæ Sancti Juniani præposito, et Ramnulpho ejus canonico sese duci ad cellulam memoratam; et monachis, quos abbas ipse secum ducebat, injunxit, ut parum ante eum procederent ulterius, contentus ad præsens ipsorum Ramnulphi et Amelii comitatu, et ostensa est sibi ab ipsis canonicis rupes et cellæ locus, in qua Sancti Juniani et Sancti Amandi fuerat incolatus. Abbas vero hujus vitæ actualis tædiosus, volens in Domino contemplari, ipsos canonicos instantissime requisivit, ut permitterent E cum sub rupe suam vitam ducere et finire; sed ipse abbas ab eis prohibitus exinde recessit lacrymando; Ramnulphus, tunc eodem desiderio accensus, apud se considerans quomodo ipse abbas, qui de extremis partibus magno spiritus fervore ducebatur ad præfatum templum construendum, facere illud decrevit. Idem Ramnulphus et Geraldus canonicus, jejunio triduano peracto, sub arbore, quæ excrevit ad caput Sancti Amandi, circumfodientes, corpus ipsum invenerunt Sancti Amandi *l;* et transtulerunt juxta thecam Sancti *l* Juniani quarta feria, ita quod omnes languentes ad sepulcrum confluentes sanitatis beneficium receperunt. Inter quos Petrus levita, febris flamma cruciatus, cum sub arbore Sancti Amandi dormivisset, a somno excitatus, statim sanus factus abiit, ac præterea cæci visum, dementes rationem, muti locutionem, claudi ambulandi facultatem obtinuerunt. — Tu autem, *etc.* RESPONSORIUM :

Canonicis supradictis
Recedens Hugo prædixit,
In cella Sancti Amandi
In qua ipse diu vixit,
Esse brevi ecclesiam F
In ejusdem memoriam.

℣. Adorabitis in loco ubi steterunt pedes ejus. Esse brevi ecclesiam, *etc.*

9 ANTIPHONÆ IN TERTIO NOCTURNO: *quæ translatio*

a Cum ad Commodoliacum
Præfatus Abbas revenit
Nec aliquid de capella
Esse factum adinvenit.
b Tunc canonicus Ramnulphus
Promisit Amandi corpus
In ejus cella quærere
Et capellam construere.
c Antequam corpus quæreret
Triduum hic jejunavit,
Et in Sancti Juniani
Altari missam cantavit.

℣. Lex Dei, *etc.* Lectio Sancti Euangelii secundum Matthæum : In illo tempore dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus, *etc.* Homilia Bedæ, *ut in quinta die infra octavam Apostolorum Petri et Pauli.* RESPONSORIA :

a Petrus levita phisicus * * phthisicus
Ramnulphi concanonicus
Febris

* Hugo

* *supple* obiens *vel* gubernans

e

f

g

late narratur quomodo, interveniente S. Hugone Cluniacensi,

h

i

* sua

* neglexerunt

k

Reliquiæ detectæ et translatæ fuerint;

A Febris flamma cruciatus
Super arbore dormiit,
Et a somno excitatus
Sanus factus abiit.

℣. Ab eo qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum : ℟. et a somno excitatus, *etc.*

b In tumuli apertione
Et corporis inventione
Ex membris Sancti Amandi
Confessoris venerandi
Tantus odor emanavit
Quod omnes vere languentes
Ad sepulcrum confluentes
Sospitati restauravit. ℣. A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. ℟. Quod omnes vere languentes, *etc.* Gloria. Quod omnes. — *Antiphonæ ad Laudes ut in primis Vesperis.* — ℣. Ora pro nobis Beate Amande, *etc.*

versiculis hic ornatur. 10 HYMNUS :

Amandi, puris mentibus,
Celebremus solemnia;
Cujus doctrina, moribus,
Fide vernat Ecclesia.
Hic derelictis omnibus,
B Sequens Christi vestigia,
Totis mentis conatibus
Appetiit cœlestia.
Huic in solitudine
Est Junianus socius,
Qui, duplicato lumine,
Juncti fulsere clarius.
Amande, vir amabilis,
m Nostrum serva collegium *m*;
Laus nostra favorabilis
Sit nobis et obsequium.
Pari laudemus gloria
Patrem, Natum, Paraclitum,
Quorum Amandus gratia
Omne cavit illicitum. — *Versus ut supra.*

11 AD BENEDICTUS ANTIPHONA :

n Hodie *n* canonicorum
Devotio ac sanctæ manus
Sanctum corpus invenerunt
Amandi, et transtulerunt
Juxta thecam, in qua jacet
Sanctissimus Junianus.

In secundis Vesperis omnia ut in primis, excepta ANTIPHONA AD MAGNIFICAT :

C In loco, in quo erat Beatus
Amandus erat humatus
o Facta est ecclesia *o* :
Per cujus suffragia
Datur ibi cæcis visus,
Et redditur mœstis risus,
Languentibus sanitas,
Et claudis stabilitas,
Dementibus ratio
Et mutis locutio.

ANNOTATA.

a *Cum S.* Amandus *suum nomen a populo, quem docuit, adeptus dicatur, frustra quis ex latino nomine* Amando *argueret eum Hungarum non fuisse. Vide Commentarium num.* 9, *ubi hanc traditionem evolutam invenire est. S. Ruricius senior, scribens ad Cerauniam* (*a*), *meminit alicujus Amandi, Ceraunię servi. At nihil ibi, quod ad S.* Amandum *nostrum deflecti possit : liquet itaque inde tantum,* D *nomen istud in agro Lemovicensi singulare non fuisse.*

b *Hujus inventionis tempus diem* XXVI *Augusti anni* 1075 *fuisse num.* 19 *Commentarii ostendimus. Loco* Ramnulphi, *alii* Rabulphum *scribunt, sed minus bene.*

c *S. Ruricium seniorem episcopum Lemovicensem hic designari in Commentario num.* 12 *traditum fuit. Hæc detectio ante annum circiter* 490 *referenda est.*

d Idola *forsitan metaphorice dicuntur loco* malarum cupiditatum. *Sic apostolus dixit :* quorum Deus venter est.

e *Id minus affirmative in ipsius S.* Juniani *Vita traditur.*

f *In Gallia Christiana* (*b*) *legi potest instrumentum, quo Ademarus, vicecomes Lemovicensis, anno* 1062 *S. Hugoni tradit monasterium S. Martialis Lemovicensis. Quod vero S. Martialis Apostolus hic dicitur, innititur vulgatissimæ Lemovicensi et Burdigalensi traditioni. Edidit Labbeus* (*c*) *concilium Lemovicense anno* 1031 *celebratum, in quo a pluribus S. Martialis* primus Apostolorum *declaratur. Quid de universa hac traditione sentiendum sit, satis superque notum est. Vide Comment. præv. in Vitam S. Martialis* (*d*). E

g *Jacebat hoc monasterium in diœcesi Santonensi; plura de eo videsis in Gallia Christiana* (*e*).

h *Ex hac animadversione intelligitur usum hunc id temporis non obtinuisse in cœnobio San-Junianensi; contra in tota Vita S. Hugonis nullum forte invenies actum, qui præclarius ejus regularem observantiam significet. De hoc vero usu, quem graviter in sua regula commendavit S. Benedictus, et ultimis sæculis clerici receperunt, videndus est Haeftenus in suis Disquisitionibus monasticis* (*f*), *historice et moraliter caput aut regulam* De Lectore *commentans. Quas peculiares consuetudines circa lectionem ad mensam usurparent Cluniacenses, discere licet ex statutis et consuetudinibus Ordinis Cluniacensis cap.* XXXVIII. *Ordo, vero quem S. Hugo in audienda lectione Commodoliaci servavit, regulæ sic sonanti conformis fere est :* In lectione quæ fit ad mensam hic servetur ordo. In primis legatur Scriptura sacra veteris ac novi Testamenti, cui succedat aliquis commentarius in sacram Scripturam, vel libri ecclesiasticæ historiæ. Deinde legantur Vitæ Sanctorum, vel aliqui libri pii in vulgari, quos jusserit superior.

i *Cum S. Hugo recta ad antrum, priorem S.* Amandi *habitationem, perrexerit, nonnihil verisimile fit, ipsi innotuisse veteres eremitas sæpius in suis cellulis sepultos fuisse. Et quidem in hoc uno præsenti volumine, habemus S. Leonardum, de quo in sua Vita legitur* (*g*) : Sepultus est in supradicta (*sua*) cella a Sancto Domnolo antedicto episcopo; *item S. Gallum abbatem, et S. Vitalem eremitam, suis in cellulis sepultos, inferius videbimus. Mirum est itaque nihil de eremitica hac disciplina tradi a R. D. Antonio Binterim in Memorabilibus Ecclesiæ Catholicæ* (*h*), *a Joanne Augusti in opere de Archeologia Christiana, ab Spondano in Cœmeteriis Christianorum, a Franzenio in commentatione de Funeribus Christianorum, a Cangio in Glossario, a Martennio in opere de antiquis Ecclesiæ Ritibus, ab Haefteno in Disquisitionibus monasticis aliisque compluribus, quos de monachorum vel Christianorum funeribus disserere cognovi. Origo autem eremitici hujus ritus explicari videtur in veteribus Camaldulensium Constitutionibus, quas Helyot* (*k*) *primum* F

(*a*) Lib. II, epist. XLIX, in Lectionib. Antiq. Canisii, edit. Basnage, tom. I, p. 403. — (*b*) Tom. II, col. 179. — (*c*) Bibl. nov. MSS., tom. II, p. 766. — (*d*) Act. SS. ad XXX Junii, p. 535. — (*e*) T. II, col. 1096. — (*f*) p. 893. — (*g*) p. 48, n. 6. — (*h*) Denkw. der katol. kirche, tom. VI, part. III. — (*i*) Handbuch der Christl. archäol., t. III, c. XII. — (*k*) Hist. des Ordres Relig., t. V, p. 248.

conditas

A *conditas fuisse asserit a B. Rodulpho anno* 1102. *Verum Mittarelli et Costadoni e Camaldulensium Ordine, scriptores insignis vastissimique operis Annalium Camaldulensium, ediderunt* (*a*) *Constitutiones anno* 1080 *a B. Rodulpho scriptas, alterasque* (*b*) *confectas anno* 1085. *Porro in prioribus cap.* XXX *præscribitur, ut si quis Camaldulensis in loco de Fonte-bono* obierit, ad cremum sepeliendus deferatur. Justum est enim ut habeat sepulcrum suæ migrationis, ubi habitaculum habuit solitariæ sanctitatis. *In posterioribus* (*c*) *idem præscribitur, et eadem datur ratio.*

k *Quo tempore hæc facta sint, num.* 19 *Commentarii expositum fuit.*

l *Circa hanc inventionem nonnihil diversus est ab hac narratione Collinus, miraculis et visionibus ultra modum abundare gaudens. Hæc prætermittere lubet. Quare vero idem Collinus Amelium præpositum omittat, et Ramnulpho præposituram assignet, non mihi patet.*

m *De hoc canonicorum collegio plura habet Gall. Christ.* (*d*).

n *Legesis quæ de hoc tempore num.* 18 *deducta sunt.*

o *De hac ecclesia dictum est num.* 19.

B

VITA SANCTI JUNIANI
Monachi et Confessoris.
Ex MS. Codice Cluniacensi.

PROLOGUS.

Utilitas vitarum Sanctorum.

Quoties ad narrandas virtutes Sanctorum cujuslibet mens insonare voluerit, primitus de toto cordis adnisu eorum habitatorem *a* debet obnoxia et humili prece deposcere; ut qui illis contulit virtutum abundantiam vel triumphum, nobis famulis suis ad eas narrandum vires tribuat, unde fidelium corda ad imitandum eorum opera fidelius accendantur; cum constet quod ad amorem cœlestis patriæ, non minus exemplis bonorum operum, quam prædicationis verbo animæ excitentur : ideoque dum de Sancti viri Juniani vita vel conversatione nobis sermo exoritur, primum omnium C qualiter vel quibus rebus ejus conversio ad Dei Omnipotentis notitiam cœpit excrescere, ponatur exordium.

a

ANNOTATA.

a *Hæc, nisi ad verbum saltem quoad sententiam, hausta sunt ex prologo Vitæ S. Hilarionis, conscripta a S. Hieronymo. Vitæ ampliori, quam sæpius in Commentario laudavi, deest omnis prologus.*

VITA.

Tempore Chlodovæi regis Francorum

Cum valde in Galliarum vel Aquitaniæ provinciæ terminis sæva sub Gothorum rege Alarico *a* principe Ariana hæresis sectaretur, *b* et Francorum gens eo tempore gentilitatis teneretur errore, prædicante S. Remigio *c* Remensis urbis episcopo, Clodovæus rex Francorum cum multa gentilium turba superstitiosa ac funesta ad baptismi gratiam convolavit; qui mox cunctam gentem Francorum D ad baptismatis partem exhortari ut sub leve jugum Christi fortia colla dulci onere delegarent *; qui mox, cum sacerdotibus *d* Christi præeunte gratia inito consilio, ut gens hæretica a Christianorum repelleretur dominatu, bellum cum supra dicto rege Alarico in Pictavorum terminis *e* indidit; moxque divino fultus auxilio, Arianorum interfecto principe cum suis satellitibus, a Galliarum atque Aquitanorum finibus ejus superstitionis abstulit * dogma, et cunctis unius veræ fidei Christianæ catholicæ religionis instituit disciplinis.

* *Vit. Amp.* delegaret

d

e

* *Vit. Amp.* sustulit

3 Sub eo fere tempore vir nobilis Amandus nomine, illustris *f* ortus natalibus, Euangelii non surdus auditor, relictis omnibus, in vastæ solitudinis *g* agro cujusdam viri nobilissimi sanctæ memoriæ Ruricii *h* Pontificis, cujus nominis vocabulum Commodoliacus dicitur, sibi haud grande tuguriolum, in quo remotiorem vitam duceret, visus est construxisse. Sed cum in eodem loco vitam virtutibus plenam duceret, ibi a pastoribus reperitur. Mox ut ad prædicti agri dominum ejus fama se intulit, pro opportunitate prædicti viri cellulam parvulam ei construi jussit : in qua cum solitariam vitam duceret, antiqui hostis certamina, ut fertur, E non modica toleravit.

S. Amandus *factus est eremita in agro Lemovicensi;*

f

g

h

4 Tunc prædictus religiosus puer Junianus, relictis parentibus, hoc modo cancre * cupiens, ut ab æternæ patriæ hæreditate minime privaretur, et prædicti viri Amandi institutis se Christi notitiæ commendare cupiens, ejus fores pulsare, ut sibi aperiretur, cœpit. Ad quas fores cum cognovisset eum esse, vir Dei æstimans ne illusio aut tentatio diabolica adfuisset, aliquandiu *i* se sub silentio dedit, nec tamen mox ei patefecit ingressum, donec probaret cujus rei causa prædictus venerabilis puer ad ejus cellulam accessisset. Sed agnitione comperta, mox cum cum gaudio suscepit, ac viam salutis ostendit. Quare Junianus tanta in humilitate tantaque sanctitate, opitulante Domini misericordia, excrevisse noscitur, ut non solum magistri imitator existeret, sed etiam amore divino succensus magistri vitam virtutemque succenderet *k*. Igitur iisdem diebus cum hujus Amandi obitus appropinquaret, felici decessu migravit ad Dominum; multos tamen, ut fertur, suo salvavit exemplo.

cui magistro S. Junianus *se credidit;*
* *Ex vit. Amp.* currere

i

k

5 Post cujus obitum prædictus venerabilis vir Junianus in ejus cellula longo spatio temporis solitariam vitam duxit, cumque multis virtutibus polleret, quodam tempore coluber miræ magnitudinis *l* juxta ejus cellulam apparuit. Quo dum multi ob sanandos diversorum morborum incursus ad prædicti viri cellulam et commendandos se in ejus orationibus desiderarent accedere, a prædicta immani bestia lacerarentur, et non solum homines, sed etiam et pecora, quæ contingere poterat, sua sævitia devastabat. Conjuncti in unius * e vicinis locis uterque sexus hominum, prædictum Dei famulum deprecabantur, ut hanc bestiam suis orationibus ab eorum finibus depelleret, ne amplius in illo loco dispendia generaret, et eis præberet aditum, qualiter ad suam cellulam liberius haberent accessum. Quorum compulsus orationibus, vir Dei Spiritus Sancti fretus auxilio, cum hanc immanem bestiam de habitaculo suo prospiceret procedentem, extensa dextera vexillum crucis adversus eam opposuit, præcipiens in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut in eisdem locis ulterius habitare non præsumeret, nec malum cuiquam ingereret, antequam in maris pelagus cursum arriperet. Qui

Mortuo magistro, S. Junianus *fugat horrendum colubrum,* F

l

* *lege* unum

(*a*) Tom. III, Append., col. 512. — (*b*) Ibid., col. 542. — (*c*) Ibid., col. 546. — (*d*) Tom. II, p. 552.

mox

A mox ad viri Dei imperium, multis cernentibus, relicto suo habitaculo, de eodem loco discessit, et
m per Pictavorum territorium *m* usque ad maris Oceani fluctus est ingressus. Prima itaque sanctissimi viri Juniani virtutum hæc materia vel testimonium fuit.

ope miraculosæ aquæ pestem sedat;

6 Ut autem adsolet delicta populi ultio divina subsequi, eo tempore in Pictavorum finibus gravis
n pestilentiæ *n* clades multam partem ejusdem populi noscitur consumpsisse : nam cum prædicta plebs se cerneret interire et sæpe dicti Juniani opinio longe lateque tenderetur, multi se hoc videntes interire periculo, ad prædicti viri conveniunt cellulam,
* *deest* gratia petentes ut eis aquam, quæ ei Domini * fuerat collata, benedictam traderet, per quam imminens periculum ejus orationibus evaderent. Qui mox eisdem respondit, aliam se non habere aquam, nisi quam vicinus amnis, cujus nomen Vicenna dicitur, ministraret. Sed cum illi persistentes peterent, et prædictus vir jejuniis et orationibus ac vigiliis suum corpusculum fatigaret, mane exorto lucis
o crepusculo, vidit in sua cella *o* ex rupis latere aquam uberius fundi, quam vir Dei cum gratiarum actione hauriens, et omnipotenti Domino bene-
B dicens, populo petenti detulit. Quibus ex fide suscipientibus, omnes qui ex eadem aqua suxerunt, suprascriptæ mortis periculum evaserunt; et illis ex ipsa aqua secum in suis regionibus deferentibus, quanti ex ipsa potum contigerunt, universi salutis gratiam receperunt; et supradicti viri virtutibus ac orationibus subvenientibus, per omnipotentis Domini gratiam et misericordiam a suprascripto populo hæc pestilentiæ clades abscessit; et multi ad ejus cellulam venientes sanitatis gratiam receperunt; plures autem procul positi ab ea clade per sancti viri benedictionem sanitati pristinæ sunt restituti : nec dubitari potest ejus fuisse miraculum, qui olim antiquo populo, in eremo ob sitis inopiam clamitanti, aquam ex saxo protulit, unde ut tunc Israeliticus populus sumeret potius affluentem, et nunc famuli sui Juniani precibus ad diluendam morbi rabiem pro salute supradicti populi fons manaret ad gratiam.

diabolum, conatum igni se injicere, deturbat in Vigennam,

7 Sed cum sæpe Sanctorum miracula invidi diaboli rabies vult insequi, et providentia divinæ misericordiæ quantum vult facere non permittitur, dum quadam die prædictus vir sanctus infra suam cellulam solitariam vitam duceret, et ad calefaciendum suum corpusculum ante prunas resideret,
C mox antiquus hostis cum violenti impetu ruens, ejusdem viri sancti membra in ipsis projecit incendiis; sed non defuit divinum auxilium ad liberandum quem diaboli tentatio arripuerat ad
* *forte* auxilio perdendum. Mox quippe divino liberatus servitio * Sanctus vir ipsam cruentam bestiam, dum cellula
p ejus super saxum adesset, præcipitem *p* a vertice montis per ejusdem latus in amnem Vincennam visus est demersisse, et qui antiqui quondam sui populi hostis cum curribus et equitibus et quadrigis dimersis in mare profundum, nunc per suum auxilium prædicti sui famuli Juniani hostem diabolicum dimersit in amnem et qui se in initio suæ creaturæ contra ipsum auctorem vitæ, creatorem omnium Deum, voluit præponi, nunc etiam famulum Dei Junianum conatus est per suam prosternere malitiam; seb ab ipso potius victus atque prostratus est.

cæcum, et alterum claudum et surdum sanat;

8 Postquam vero se ereptum Dei omnipotentis misericordia a callidi hostis tentationibus intellexit, etiam divino fretus auxilio aliorum infirmitatibus compatiens, multos suis sanavit precibus *q*. Nam
q eodem tempore cæcus quidam ad eumdem veniens, Sancti viri deprecabatur obtutus, ut dum lumen D oculorum amisisset, orationibus ejus mereretur cæcitatis tenebras amittere, et oculorum recipere sanitatem. Sed cum per biduum orationi fuisset intentus, die tertio claram se lucem, auctore Domino, visus est restituisse; nec multo post alius etiam qui claudus et surdus esse videbatur, ad hujus Sancti viri defertur cellulam, deprecans ut qui cæco lumen reddiderat, ei gressum et auditum suis redderet precibus. Sed Sanctus vir orationem fundens ad Dominum, post aliquot dies cum reverteretur, exhortatur dicens ei, quod si fide intemerata maneret in Domino, non ambigeret recipere sanitatem; factumque est, dum infirmus gressibus vellet ad propria ex jussu hominis Dei remeare, ab utraque infirmitate solutus et ambulandi vires et audiendi recepit effectum. Quanti etiam ejus orationibus ab immundis spiritibus liberati, et quanti dæmones ex obsessis corporibus ejus sunt fugati orationibus, longius esset enarrare per ordinem.

Ruricium juniorem, postea episcopum, liberat a legione dæmonum.

9 Quidam autem eodem tempore illustris ortus natalibus, vir nobilis Ruricius, qui alio nomine Proculus vocabatur, rerum ditatus affluentiis, dum in superbiæ fastu fuisset elatus, non immerito Dei omnipotentis dispensante judicio, ei traditur qui se E in superbiam primus extulerat. Humiliatus sensit quantum tumidus amisisset; sed cum per medicos ac etiam, quod gravius est, per maleficos ac præcantatores a suis fidelibus etiam et a propriis vernaculis disceretur *r*, partemque substantiæ suæ *r* per tales consumpsisset, qui etiam dum sanitati eum vellent restituere gravius persequentes, dum ab eo unum vellent ejicere, mox, ut fertur, legio in eum ingressa est dæmonum. Sed cum a pluribus acrius exagitaretur, quid etiam sui agerent, ad se reversi cogitare cœperunt, scilicet ut eum ad sancti viri Juniani cellulam perducerent, ut qui ante a medicis curari non poterat, sancti viri orationibus sanaretur. Salubri igitur consilio inito, ad hominem Dei pergitur : hoc tantum vir Dei hortabatur, ut jejuniis et orationibus ac vigiliis insisteret et eleemosynas de sua substantia largas pauperibus erogaret, quia hoc genus dæmonum aliter non potest vinci, juxta quod etiam Domini nostri Jesu Christi sententiam prolatam confirmabat; sed cum ipse multas efferret pecunias ut a tanto hoste mereretur curari, hoc sanctus vir protulit in responsis, quod non erat justum, qui sua propter Deum sponte F reliquerat, ut aliorum opibus ditaretur; sed quod sibi offerebatur, hoc in pauperum substantiam erogaret, quia ipse eum potens erat a tanto hoste eripere, qui ex egrediente dæmoniaco homine legionem pepulerat, et in porcos ire permiserat. Sed cum diutius fuisset oratum et pro ejus sanitate multis jejuniis et vigiliis Dominum deprecaretur, ejus meritis sanitati pristinæ restituitur, et ita divina præstante misericordia tam sanus redditur, ut jam in eo ex ipsa malignorum spirituum turba ad imperium prædicti Dei famuli nullus præsumeret ad ejus corpusculum habere regressum, sed corpore ac mente a prædicti sancti viri Juniani oratione et correctione ita est sanitati redditus, ut post decessum patruelis *s* sui sanctæ memoriæ *s* Domini Ruricii, quondam præsulis Lemovicæ urbis, institueretur episcopus. Ac post etiam prædictus vir Dei multis pollens virtutibus per quadraginta annorum spatia in supradicto loco duxit solitariam vitam : sed quis nostrum narrare possit per singula quanta ibidem contra antiquum hostem habuisset certamina.

10 Sed cum post tot labores jam misericors

Moritur, sepelitur, ornatur templo, et miraculis claret.

Dominus noster Jesus Christus cum ab hujus ærumnosæ vitæ periculis vellet in paradisi sedibus collocare, ac intra sanctorum Angelorum numerum A sociare post tot temporum spatia, quibus hic laboriosam duxit in sæculo vitam, spiritum exhalavit extremum. Nedum immemor antedictus vir Ruricius seu Proculus quanta erga se prædicti viri sancti fuisset consecutus beneficia, basilicam *t* jussit fabricari, ubi sancta membra Beatissimi Juniani collocarentur, in quo etiam loco antea conversatio ejus fuit. Cum ex fide aliquid petitur, tanta ibidem misericordia Omnipotentis virtutum dignatur conferre præsidia, ut multi ægri ex diversis infirmitatibus ad prædictum virum Junianum venientes, sani facti discedant. Sed nos pauca de hujus virtutibus transeundo disseruimus, ut tanti viri memoriam posteris traderemus, ut qui multos sua sanavit virtute et suo ædificavit exemplo, suis nunc orationibus plebis hujus ita custos esse dignetur, ut et hic ejus suffragiis ab omnibus malis simus liberi, et in æterna beatitudine ejus mereamur precibus adæquari, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, qui tantam gloriam præstat Sanctis suis, qui cum æterno Patre et Spiritu B Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. *u*.

t

u

ANNOTATA.

a *Alaricus II, Visigothorum rex ab anno* 484, *initio regni sui, persecutionibus adversus Catholicos flagrantibus finem fecit; atque adeo exulibus episcopis diœceses repetere, et synodos cogere permisit. Verum cum anno* 496 *Clodovæus Christianæ religioni dedisset nomen, et nonnulli episcopi, qui in Visigothorum ditionibus degebant, enatum sibi inde gaudium cum concepto adversus Arianas blasphemias horrore altius manifestarent, apud Visigothos in suspicionem venerunt, et denuo faces suas agitavit persecutio.*

b *Vita amplior, quæ primo capite simillima huic est, loco* sectaretur *habet* grassaretur : *quod melius est; in eadem paulo inferius omittuntur* superstitiosa ac funesta; *quam omissionem contextus sane non culpat.*

c *Late de his egit P. Suyskenus tomo I Octobris in Vita S. Remigii.*

d *Meminit Cl. vir J. Moeller, Universitatis Catholicæ Lovanii professor, in insigni suo opere* de Historia medii ævi, *aliquot recentiorum historicorum sententiæ, qua plures episcopos, in temporalibus Alarico subjectos, conspirationis incusant. Crimen falsum esse ostendit laudatus historicus ex ipsis locis, quos adversarii ex Gregorio Turonensi* (*Hist. Franc. lib.* II, *cap.* XXXVI, *lib.* X, *cap.* XXXI *et cap.* IV *Vitar. Pat.*) *repetunt. Verum ne hic locus S.* Juniani *Vitæ immisceatur controversiæ, animadvertisse suffecerit, ante pugnam Vocladensem, Clodovæum consilium inire non potuisse cum episcopis, qui inter Visigothos versabantur. Habuit quidem prope Turones colloquium cum Alarico, at minime cum episcopis; neque ulterius ad ipsos transgressus est. Alibi vero nihil reperio de* inito hoc cum sacerdotibus consilio. *S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib.* II, *cap.* XXXVII *ait tantum :* Igitur Chlodovechus rex ait suis : Valde moleste fero, quod hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, et superatis, redigamus terram in ditionem nostram. Cumque placuisset omnibus hic sermo *etc. Verumtamen dubium esse non debet* C *quin episcopi, aliive sacerdotes adfuerint, quoniam ex quo tempore Franci ad fidem traducti sunt, episcopi interfuerunt eorum conventibus aut* placitis. D

e Chlodovechus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vogladense (*aut Vocladensi,* Vouglé *vulgo*) decimo ab urbe Pictava milliario convenit. *Hæc S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. l.* II, *c.* XXXVII. *Reliqua hujus pugnæ adjuncta, quæ anno* 507 *illigatur, eodem loco explicantur.*

f *Numero* 9 *hujus Vitæ, loco* illustribus *recurrit* illustris. *Unde ille nævus in librarios non videtur rejiciendus.*

g *In Vita ampliori caput* de cella Sancti Amandi Eremitæ *in hæc verba sonat :* Sub eo fere tempore vir nobilis, Amandus nomine, illustribus ortus natalibus, relictis omnibus, soli Deo placere ac servire desiderans, ut secretius Deo militaret, deserti loci secessum sibi in solitudine Lemovicum delegit in agro cujusdam viri nobilissimi sanctæ memoriæ Roricii pontificis, cujus nominis vocabulum Comodoliacus dicitur. Ubi tuguriolum humile latenter construxit in clivo montis, in quo remotiorem vitam duceret. Qui locus a plaga orientali viginti ferme millibus ab urbe Lemovicensi sejungitur, et ab occidua quatuordecim a Pictavorum E confiniis; ab australi Vigenna subterlabens effluit, et a septemtrionali Glana fluvius alveum nimis scopulosum habens, et pro cursu vicino alienis se undis commiscens a parte posteriori. Utriusque autem ripas rupes vastæ et prominentes coangustant et opacant, partemque situs inviam præ saxis faciunt. Hoc in loco factus est solitarius Deo soli et sibi cognitus. *Vigenna quæ alibi* Vicenna, Vincenna, *etc. dicitur, gallice audit* Vienne, Glana *vero nunc* Glane *apud Gallos appellatur.*

h *Cum ex epistolis S. Fausti Regiensis* (*a*) *videatur Ruricius senior ante episcopatum monasticam vitam amplexus esse, Commodoliacensis agri donatio cum hoc proposito pugnare censenda foret : nisi illum agrum accepisset, aut qua episcopus, aut qua donatarius sub lege eumdem in pios usus impendendi.*

i Eum diu noctuque sub divo ante fores cellulæ manere fecit, *scribit S. Juniani Vitæ ampliator. Quale inde festum apud Lemovicenses ortum sit, num.* 21 *prævii Commentarii signatur.*

k *Vita amplior* transcenderet, *non* succenderet, *habet. Illi lectioni consona sunt Officium S.* Amandi, F *et Vita a Bernardo Guidonis confecta.*

l *Non sane placebit illud miraculum viris, qui rerum naturalium studio distinentur. Raro enim in Gallia colubri sex pedes in longitudinem extenduntur, et virili brachio crassiores sunt; præterea eis non competunt quæ inferius de devastatis hominibus et pecoribus asseruntur; quin imo veneni expertes sunt. Viperæ autem, quæ dentibus venenum infundunt vulneribus, potuerunt exercuisse aliquam stragem. Verum, si tres pedes in Galliis excedant, miram magnitudinem jam obtinent; earum vero corpora vix pollicis crassitudinem assequuntur. Orta videtur hæc popularis traditio ex colubrorum in hoc loco præsentia, quam memorat Collinus, S.* Amandi *cellulam describens.*

m *Valde explicita olim fuerint oportet, quæ de hoc prodigio referebat populus; nam locum ipsum, quo coluber mare ingressus tradebatur, determinabat : testis est Collinus,* arenas Olonenses (Sables-d'Olonne, dépt Vendée) *assignans.*

n *Gregorius Turonensis, Fredegarius atque alii rerum hujus ævi scriptores, a D. Bouquet editi,*

(*a*) Lection. Antiq., Canisii, tom. I, p. 356, edit. Basnagii.

memorant

A *memorant lues plurimas atque pestes; verum harum nulla convenit cum hac, quæ tempore S.* Juniani *Pictavorum fines vastasset. Quod argumentum negativum infirmius tamen est, quam ut hæc rejiciatur narratio, potissimum, cum biographus scribat* nosci hanc cladem; *quod hujus Vitæ antiquitatem nonnihil quoque suadet. Quæ inde apud Pictavienses orta forte sit erga S.* Junianum *religio, num.* 22 *Commentarii fuit dictum.*

o *Vita amplior discedit hoc loco ab edita; illa scilicet habet :* Jubare namque crastino terram irradiante, cum vir Dei de habitaculo suo ad plagam orientalem prospexit, ecce insperato vidit fontem scaturientem et impetu valido desilientem in proximum amnem; quem nemo antea viderat.

p *Quid veri, quid falsi huic narrationi suboleat, divinabit facile lector.*

q *His miraculis adstipulatur S. Gregorii Turonensis textus num.* 22 *relatus.*

r *Sensus luxatus est; forte legi oportet :* ad maleficos. . . . duceretur.

s *Fortunatus, qui Ruricium juniorem certo novit, non patruelem sed* avum *Ruricium seniorem nuncupat in epitaphio, quod de duobus Ruriciis conscri-*
B *psit; excerpo distichon :*

Accumulante gradus prænomine, sanguine nexi
Exultant pariter hinc avus, inde nepos (*a*).

Tametsi medio ævo vocabulum nepos, filium fratris *indicabat, nec tantum, ut apud probe latinos auctores,* filium filii, (*qua de re plura Vossium quæsivisse innotescit*), *litem de voce* nepos *movere nolo, quandoquidem Fortunatus inter male latinos computandus non sit. Cum ad diem* XVII *Octobris duorum SS. Ruriciorum gesta illustranda sint, non est quod hic refellam sententiam eorum, qui negant S. Ruri-* D *cium seniorem ex matrimonio suo suscepisse liberos. Quod si jam de expulsione dæmonum, quæ num.* 9 *S.* Juniani *Vitæ narratur, sententia exquiritur, duplex ponenda est quæstio; prior an Ruricii status morbidus ex dæmonum oriretur præsentia, altera an a S.* Juniano *reapse curatus sit. Ut affirmanter ad priorem responderetur, auctor saltem coævus neque credulior adesse deberet, siquidem quam difficile sit de vera possessione pronuntiare ex obviis catholicis theologis notum sit; ad posterius autem quæsitum annuendum esse arbitror, potissimum quidem quoniam non capio, qui populus adinvenisset S. Ruricium, suum episcopum, quem ecclesiastico cultu honorat, a dæmonibus fuisse possessum et a S.* Juniano *liberatum, nisi saltem ab aliquo epileptico curatus fuisset morbo.*

t *De hac basilica aut oratorio latius dictum fuit in Commentario prævio. Quæ vero num.* 27 *de loco, ubi S.* Juniani *corpus repositum fuit, reperire est, conferas cum his quæ Mabillonius in præfatione Sæculi* II *Benedict., et in epistola Eusebii Romani, Ruinartius in præfatione ad S. Gregorii Turonensis opera num.* 53, *aliosve bene multos, qui vel de SS. tumulis vel de eorum canonizatione scripserunt.* E *Facile inde intelligere erit, S.* Junianum *a S. Ruricio juniori fuisse* canonizatum *aut potius* beatificatum, *ut hodie loquimur.*

u *Hic sequebantur in MS. codice, quæ ex S. Gregorio Turonensi num.* 22 *de S.* Juniani *miraculis retulimus, verba. In Vita ampliori ex iisdem verbis, latius dilutis, conflatur integrum caput. Ea autem, utpote adjectitia, edendæ Vitæ subjicienda visa non sunt.*

(*a*) Gall. Christ., tom. II, col. 503.

DE S. COLMANO, EPISCOPO

KILLRUADHENSI, IN HIBERNIA.

SYLLOGE HISTORICA.

C F

S. Colmani, Killruadhensis episcopi, adolescentia, disciplina, ætas.

SÆCULO VI. *S.* Colmanus, *ex fastis sacris notus,*

Scotos Albionis et Scotos Hiberniæ nonnumquam confusos fuisse præterit neminem : unde accidit, ut, quotiescumque quorumdam homonymorum Sanctorum gesta non apprime noscuntur, ratio eos distinguendi non sit, quod hi a Scotis, illi ab Hibernis coli dicuntur. Quam ob rem non certo novimus an S. Colmanus, *qui superiori die ex Scotorum Martyrologiis inter prætermissos relatus est, idem sit ac S.* Colmanus, *quem fasti sacri Hiberni hodierna die commemorant. Placet tamen affirmantium sententia, imprimis quoniam Martyrologia, qui unius meminerunt, alterum silent, et dies cultus quam maxime sibi propinqui sunt. Sed ad* XXIV *Novembris redibit locus hac de re dicendi. Porro S.* Colmanus *Killruadhensis episcopus nominatur die* XVI *Octobris in Festilogio B. Mariani Gormani, in Martyrologio Tamlactensi et in Martyrologio Dungallensi, iis scilicet, quæ a F. Michaele Clery exscripta et ex Hibernia Lovanium transmissa, olim adhibita fuerunt a Colgano* (*vide præfationem ad lectorem ante Acta SS. Hiberniæ*), *et nunc in bibliotheca Burgundica Bruxellensi* (*a*) *asservantur. In Festilogio B. Mariani Gormani unice dicitur* Colman, *sed charactere paulo diverso adscripta sunt hibernice verba, quæ ita latine sonant :* Colmanus, episcopus Killruadhensis in Dal-aradia juxta lacum Localaig in Ultonia. *In Martyrologio Tamlactensi* Colmanus Killruadhensis *prodit; in Dungallensi* Colmanus, episcopus Killruadhensis in Dal-aradia juxta lacum Localaig.

2 Dal-aradia autem regio nequit confundi, *sic fere loquitur Rev. D. Lanigan* (*b*), cum Dalrieda. Prior scilicet complectebatur partem meridionalem comitatus Antrim vergitque euronotum versus; major insuper pars comitatus Down, nisi integer *commoratus est in Dal-aradia,*

(*a*) Numm. 1502, 1504, 5095. — (*b*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, cap. v, not. 24, tom. I, p. 217.

hic

A hic comitatus, ad eam pertinebat. Porrigebatur vero a Newry usque ad montem Mis in baronia Antrim. Dalrieda autem partem borealem, aliam quæ ad Caurum spectat, et tertiam meridiem versus capiebat. *Hæc Lanigan ex Harris* (*a*) *et Bishops* (*b*). *Gough autem in additionibus ad Camdeni Britanniam* (*c*) *scribit* Dal a Radia *regionem præsentibus baroniis* Belfast, Toome et Mazareen *fere constare, et deinde illustrat plura hujus tractus loca; in quibus tamen non commemorat locum,* Kill-ruadh *dictum. Hanc terræ oram, quæ in Ultonia jacet inter lacum* Lough-Neagh *et maris sinum* Carrickfergus bay *nuncupatum, quamque suo tempore* Hive Tach *dictam fuisse scribit Colganus in Indice suæ Triados Thaumaturgæ, excoluerat ante S.* Colmanum *S. Patricius, ut in pluribus ejus Vitis a Colgano editis traditur; quin etiam vir ille apostolicus ecclesiam in loco* Elom *ædificandam curaverat* (*d*). *Hanc tellurem inhabitabant* Crutheni, *e Pictis oriundi et pristina gens* Dal-aradii. *Sic saltem sentit Lanigan* (*e*) *S. Patricii Vitam commentans. Atque illic sedem suam fixisse traditur Sanctus noster* Colmanus. (*Confer*

B *Valencey collectan. de rebus Hibernicis* (*f*).)

et episcopus fuit Killruadhensis.

3 *Locus vero Killruadh, ubi S.* Colmanus *episcopus fuisse asseritur, memoratur a Colgano in notis ad Vitam S. Corbmaci* (*g*) *et in Triade Thaumaturga* (*h*). *Verum vix quidquam ex eo disci licet, quod in Martyrologiorum annuntiationibus non prodatur. Lacum autem, juxta quem* Kill-ruadh *ædificatum fuerat, non* Localaig, *sed* Lochlaodh *aut* Loch-loedh *vocat. Ex notis vero, quas olim Wardeus Ordinis Minorum ad Rosweydum misit, quasque ipse collegerat ex compilatione, cujus meminerunt decessores nostri* (*i*), *hæc accipio :* S. Colmanus, quem is (*S. Macniscius*) miraculo liberavit a morte, fuit episcopus Kill-ruadhensis, quæ nunc obsoleta sedes est in Aradeorum regione sita, ad oram Stagni Juvenci vulgo Loch-Laodh in Ultonia, ubi ejus festum tamquam patroni colitur XVI Octobris. *Porro* Kill-ruadh *cellam fontis aut fluenti signat, et* Loch *lacum dessignante,* Laodh *vitulum,* Loch-Laodh *lacum vituli indicat. Hæc de loco, quem sua habitatione sacravit S.* Colmanus.

Puerulus servatus dicitur a S. Macniscio;

4 *Mitto designare SS. Colmanos omnes, a quibus noster Sanctus distinguendus est, cum teste Colgano* (*in notis ad Vitam S. Colmani episcopi ad* XVIII *Februarii*) *plures quam centum triginta in Martyrologiis aliisque monumentis numerentur. Nullam*

C *Vitam hujus nostri* Colmani *habemus, neque ab aliis citatam video. Aliunde itaque colligenda sunt ejus gesta : verum utinam in aliam messem, quam in biographias Sanctorum Hibernorum, prodigiis magis quam rebus gestis abundantes, falcem immittere liceret; alius tamen campus non obviat. Eccum igitur quid de nostro Sancto exstet in Vita S. Macniscii episcopi* (*k*) *ex codice Salmaticensi edita :* Nota, qualiter puerum a morte liberavit (*S. Macniscius*). Cujusdam hominis nequam, qui patrem ejus interfecit, parvulum filium ab amicis illius comprehensum et morti destinatum liberare volens et non valens, inducias petiit, ut non antequam ipse ad acervum lapidum, qui eminus exstitit, perveniret, ille interficeretur; quod impetravit. Ipso autem illuc perveniente, ibique orante, præfatus puer in aera sursum, ut in acuminibus hastarum excuperetur, projectus, ab Angelis confestim ereptus est, et in sinum sancti pontificis immunis ab omni læsione depositus : quem denique nutrivit, et in D divinis Scripturis atque religionis institutis diligenter edocuit. Ipse est Colmanus episcopus, qui ecclesiam nomine Kell-ruaid fundavit. *Hoc vero miraculum annumerandum esse iis, quæ in Commentario prævio num.* 9 *magis stupenda quam vera declarat noster Veldius, nemo non agnoscet.*

non fuit discipulus S. Patritii;

5 *Colganus in Triade Thaumaturga* (*l*) *pronuntiat S.* Colmannum *prius discipulum fuisse S. Albei, deinde S. Patritii; quæ tamen cohærere non posse, sæpius jam ostenderunt decessores nostri, cum S. Albeum posteriorem S. Patritio statuerunt. Confer Papebrochium in appendice ad Vitam S. Patricii* (*m*) *et Suyskenum in commentario de S. Albeo* (*n*), *atque adeo hi autumant S. Albeum post annum* 460 *primo ad prædicandum Hibernis missum fuisse. Non quidem in omnibus assentit Lanigan laudatis hagiographis; verum quod in præsentiarum sufficit, admittit S. Albeum circa annum* 431 *puerulum parvum admodum fuisse, æstimatque eum tantum circa annum* 470 *factum fuisse episcopum; jam vero secundum chronotaxim Papebrochii, quæ nescio an minus recte* (*o*) *Lanigan displicuerit, mortuus est S. Patricius anno fere* 460 (*p*); *et quidem secundum ipsum* E *Lanigan, qui statuit S. Patritium circa annum* 472 *obiisse* (*q*), *Colgani asserta de Sancto nostro* Colmano *vix stare possent, ut unicuique S. Patritii et S. Albei ætatem attendenti liquet. Unde autem hæc hauserit Colganus, non monet; verum Papebrochius num.* 1 *appendicis Patricianæ lectorem monet multa a Colgano ex conjecturis definita fuisse in prodigioso horridoque catalogo discipulorum S. Patricii; porro illic præfatum de S.* Colmano *assertum reperitur.*

sed perhibetur sub disciplina S. Albei vixisse,

6 *Non ita omne fundamentum deest ad S.* Colmanum *discipulum S. Albei dicendum : nam in MS. codice Salmanticensi, qui olim in Musæo Bollandiano nunc Bruxellis in bibliotheca regia Burgundica servatur, exstat S. Albei Vita, in qua sequentia de nostro* Colmano *narrantur :* Post hæc S. Albeus, quasi apis prudentissima cum mellis onere ad suam patriam Deo comite reversus est. Cumque venisset ad mare et navem in promptu non habuisset, benedixit mare, et cum omni populo suo siccis pedibus super mare ambulantes quasi per aridam terram veniunt, et in insula in aquilonali parte hujus insulæ portum tenuerunt. Ibique, jubente Albeo, unus de familia ipsius, Collanus (*lege* Colmanus) nomine, cellam ædificavit quæ dicitur Cellroid. Cumque locus iste aquam non haberet, S. Albeus F quemdam ibi lapidem benedixit, ex quo aquæ rivulus statim prorupit. Tunc Colmanus ad Albeum dixit : Aqua ista modica est. Cui Albeus ait : Quamvis modica est, æterna tamen erit. Unde usque hodie nomen fluminis istius Buanan cille ruaid (*fol.* 92). *Sed notandum est hanc S. Albei Vitam tot conspersam esse fabulis, ut P. Suyskenus* (*r*) *eam indignam judicaverit quæ ederetur. Quod vero ad S.* Colmanum *pertinet, tribuuntur in hac Vita S. Albeo* (*s*) *quadraginta vel quinquaginta socii, inter quos duodecim* Colmani, *duodecim Comgeni, et duodecim Fintani; atque hi omnes dicuntur cum S. Albeo Romam perrexisse. Exstat altera S. Albei Vita, eaque usus est Usserius* (*t*). *Omnino autem melioris non est notæ, et prioris tantum epitome videtur esse, quocirca referendis verbis supersedeo.*

et a quibusdam prælatus fuisse S. Boetano.

7 *In vita S. Corbmaci, quam Colganus ad* XXVI *Martii* (*u*) *edidit, occurrunt, sequentia, quæ de*

(*a*) Antiq., p. 48. — (*b*) p. 8. — (*c*) Tom. III, p. 627. — (*d*) Sext. Vit. S. Patricii ap. Colganum, c. CXXXVI. — (*e*) Ecclesiast. Hist., c. V, not. 25. — (*f*) T. III, p. 326.— (*g*) p. 756, n. 43.— (*h*) p. 386, n. 16.—(*i*) T. VI Junii, p. 116 et T. I Septemb., p. 662. — (*k*) Act. SS. ad III Septembris, p. 665. — (*l*) p. 269. — (*m*) Act. SS. XVII Martii, p. 582.— (*n*) Act. SS. XII Septemb., p. 29.—(*o*) Ecclesiast. Hist. of Ireland, cap. VII, § XII.— (*p*) Act. SS. XVII Martii, p. 525. — (*q*) Eccl. Hist. loc. cit. — (*r*) Act. SS. ad XII Septemb., p. 27 et seqq. — (*s*) Fol. 91. — (*t*) Antiquit. Britan. editio, ann. 1687, p. 414. — (*u*) p. 751 et seqq.

nostro

A *nostro S.* Colmano *in subjectis notis interpretatur :* S. Boedanus, sive Boetanus, sextus Eugenii filius (*et frater S. Corbmaci*). . . contulit se ad remotiores Ultoniæ fines : ubi a nobili stirpe Sodani Fiacho Aradio nati, in partibus Dal-aradiæ tunc rerum potiente, honorifice et devote susceptus. Ibi exstruxit ecclesiam. . . quam. . . dotarunt posteri Sodani, et præcipue nobiles familiæ de Cinel-decill, Clanscoba, et Sil-noiridhin, quæ se suosque posteros, ei ut patrono, in devotos clientes consecrarunt. Temporis vero successu familia de Cinel-decill, a viro Sancto deficiens, converterunt suam devotionem et affectum in Cuanum et S. COLMANUM sua eis obsequia et clientelam addicens. *Cum S. Corbmacus exeunte sæculo* V *aut ineunte sæculo* VI *floruisse a Colgano* (*a*) *statuatur et S. Boedanus abbas eidem Colgano* (*b*) *claruisse videatur post sæculi* VI *initium, et Lanigan* (*c*) *S. Corbmacum non excludat ex secunda Sanctorum serie, quæ ab anno circiter* 542 *usque ad annum circiter* 599 *porrigitur, præmissa Colgani interpretatio cum indicanda chronotaxi non pugnat.*

8 *Etenim si admittatur vi testimonii superius num.* 4 *relati, S.* Colmanum, *e pueritia nondum egressum, notum fuisse S. Macniscio episcopo, sufficit ut ortus sit ante annum circiter* 513, *quo fere S. Macniscius obiit, annos* 80 *aut paulo plures natus* (*d*). *Si vero fidatur Vitæ S. Albei, cujus discipulus dicitur S.* Colmanus, *ejus disciplina referatur oportet ante annum* 527, *quo tempore S. Albeum ad superos migrasse tradunt* (*e*). *Vixisse itaque potuit cum S. Boedano, et nihil per qualescumque indicatas Sanctorum Vitas obstat, quin circa medium sæcul.* VI *virtutibus suis claruisse dicatur. Frustra vero quæsitum a nobis est apud historicos Hibernos, qui penes nos sunt, quid de sede episcopali Kill-ruadhensi deinceps factum fuerit. Warœus in Antiquitatibus Hiberniæ* (*f*), *plures antiquatas sedes memorans earumque indicans fata, ne verbum quidem facit de Kill-ruadhensi. Unde ponendus hic loci nobis est stylus, satis habentibus S.* Colmani *memoriam illustrasse, quantum per incertas historias licuit.*

Vixisse æstimandus est circa iniens sæculum VI. D

(*a*) In notis ad Vitam S. Corbmaci, p. 755. — (*b*) Vit. S. Boedani ad XXIII Martii, p. 728. — (*c*) Eccles. Hist. of Ireland, c. X, § 4. — (*d*) Act. SS. ad III Septembris, p. 663 et seq. — (*e*) Ibid ad XII Septembris, p. 30 et seq. — (*f*) Cap. XVI.

B E

DE SANCTO SALVIO,

IN AGRO AUTISIODORENSI IN GALLIA.

SYLLOGE.

S. Salvius Autisiodorensis, memoratus in Martyrologiis, diversus est a S. Salvio Albigensi, sed idem est ac Nivernensis. Fata ædiculæ ei sacræ.

ANTE SÆCULUM VII. *S.* Salvii *memoria in Martyrologiis Autisiodorensi et Bituricensi celebratur.*

C *Jacet diœcesis Autisiodorensis in eo Galliæ tractu, quem olim Burgundiam dixere; metropolis ei erant Senones; et a tertio sæculo jam Christianæ doctrinæ præcepta audivisse traditur : quod vero propius ad nos pertinet, nec minima ejus gloria est, ferax Sanctorum fuit tellus. Viginti enim aut plures primos suos episcopos ecclesiastico veneratur cultu, multorum Martyrum sanguine conspersa fuit, neque defuit ei ubertas ad Sanctos alius ordinis generandos. Merito itaque proprium sibi habet Martyrologium, quod curis Caroli de Caylus, ejus antistitis, anno* 1751 *correctum, auctum atque illustratum prodiit. In hoc autem ad præsentem diem illa occurrit annuntiatio :* In territorio Autisiodorensi, sancti Salvii monachi, sub cujus nomine cella erat intra eamdem diœcesim sæculo sexto : et aliud oratorium ante millesimum annum exstabat juxta pagum Villæ-Novæ, quæ inde Villa-Nova-Sancti-Salvii appellatur; *et ad marginem additur :* ante annum 540; *quod hujus Sancti emortuale tempus indicat. Edidit Martennius et Durandus tomo VI Amplissimæ Collectionis plura Martyrologia; inter quæ exstat maximopere ab editoribus laudatum sæculi* X *Martyrologium Autisiodorense; at hic frustra S.* Salvii *nomen inquires. Contra S.* Salvii *nostri memoriam in vetusto Bituricensi Martyrologio* (*a*), *quod Hagiologium Franco-Galliæ nuncupavit Labbeus, ad præsentem celebrari diem, inferius manifestum fiet.*

2 *Verum probandum ante omnia videtur, S.* Salvium, *cujus festivitas in tam paucis monumentis celebratur, confundi non posse cum homonymo S. Salvio Albigensi episcopo. Argumentum autem omnium optimum deduci posse videtur ex antiquitate cellæ, quæ in præmissa Autisiodorensis Martyrologii annuntiatione memoratur. Hæc scilicet cella, quæ* Salvii *nomine insignita intra diœcesim Autisiodorensem sæculo sexto exstabat, primum nota fuit* F *authentico instrumento, quod Historiæ Pontificum Autisiodorensium, a Labbeo* (*b*) *editæ, et iterum in opere nostro ad* XXV *Septembris partim excusæ, inseritur. Sunt scilicet supplicationes a S. Aunario Autisiodorensi episcopo in pluribus, nisi in cunctis, suæ diœceseos locis indictæ. Historiographus Lebeuf, qui illas quoque edidit* (*c*), *affixit eis* annum 596 circiter; fieri posse, *inquiens,* ut Sanctus Aunarius non ante hunc annum has supplicationes indixerit. *At erravit vir sagax, siquidem hæc præmittat anonymus historicus Pontificum Autisiodorensium :* Cæterum idem Beatissimus Pontifex plurima constituit in Ecclesia Autisiodorensi, sicut in antiquis canonibus reperitur; quæ ut præcipuo observarentur vigore, consilio et auctoritate Christianissimi Guntranni regis summopere roboravit. Nam ad tutelam gregis sibi a Domino commissi, præcepit, ut tam in civitate Autisiodorensi, quam per parochias hæc debeat institutio custodiri. *Ex quibus verbis manifestum est hanc institutionem ante Guntramni, Burgundiæ regis, mortem factam fuisse; quæ non anno* 596, *sed* 593 *obtigit. Sed præterea*

Anno circiter 587, *ut ex constitutione S. Aunarii liquet,*

(*a*) Bibl. nov. Mss., tom. II, p. 697.— (*b*) Ibid., tom. I, p. 419. — (*c*) Hist. d'Auxerre, tom. I, p. 119.

A *ad annum* 587 *aut* 588 *S. Gregorius Turonensis* (*a*) *testatum reliquit, tum magnam Galliæ partem lue inguinaria vastatam fuisse;* sed regem *Guntramnum,* acsi bonum sacerdotem, providentem remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, jussisse omnem populum ad ecclesiam convenire, et Rogationes summa cum devotione celebrari et nihil aliud in usu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda adsumi, et Vigiliis adesse instanter omnes, quod eo tempore ita gestum est : *itaque, cum S. Aunarii institutio Rogationes et Vigilias quoque præscribat, summe verisimile fit has supplicationes anno* 587 *aut* 588, *a S. Aunario indictas fuisse, suadente Guntramno.*

exstabat cella Salvii, *quæ ecclesiola ei dicata non monasterium erat,*

3 *Porro inter ecclesias, quibus Rogationes faciendæ aut Litaniæ dicendæ sunt uno cujusque mensis die, venit* XXII die Cassiniacus, Nantiniacus cum cella Salvii et Mauri. *Jam quid hæc* cella Salvii *sibi velit dispiciendum est. Historicus Lebeuf, qui reliqua nomina vertit, hæc reliquit latina, et in nota conjecturam tantum proponit de Cassiniaco et Nantiniaco. In duabus tamen tabulis chorographicis, quarum prior diœceseos statum, S. Aunario episcopo, refert, et curis geographi Roberti facta est,* cella
B Salvii *gallice* S. Sauveur *dicitur, et juxta Puisayam, hujus regionis tractum, ponitur in loco, ubi fuit monasterium S. Salvatoris; at gratuitum id non solum est, verum etiam monasterium S. Salvatoris tantum tempore Caroli Magni constructum fuit et a S. Maurino episcopo dedicatum : sic Gallia Christiana* (*b*). *Si itaque mihi extraneo, tabulis geographicis Cassini utenti, quid conjicere liceat post laudatum historicum Autisiodorensem de situ cellæ* Salvii, *magis mihi arridet hanc cellam eumdem locum esse, qui postea ob suam viciniam nomen dedit* Villæ-Novæ Sancti Salvii, *et de quo sæpius sermonem habet ipse Lebeuf. Quæ me ad hanc sententiam amplectendam impellit ratio, hæc est : ecclesiola Sancti* Salvii *patrocinio et nomine fruens, olim in hoc loco, ut inferius videbimus, exstitit : jam vero paupercula ecclesia, aut oratorium olim* cella *audiebat in agro Autisiodorensi. Id non advertisse videtur laudatus historiographus; qui quoniam aut apud Cangium in Glossario, aut apud Haeftenum in ejus Disquisitionibus monasticis, aut alibi, ubi plurima e scriptoribus congesta circa vocabulum* cellam *reperiuntur, nihil sibi occurreret quod ecclesiolam indicaret, ad*
C cellam Salvii *monasterium æstimandum stimulatus forte fuit. Quamobrem num olim in agro Autisiodorensi* cella *ecclesiolam indicarit, dispiciamus jam oportet.*

ut, expensa vocabuli cellæ *significatione,*

4 *In Vita S. Germani Autisiodorensis, a decessoribus nostris* (*c*) *edita, exstat libellus ab S. Mamertino conscriptus de sua conversione : in hoc vero narrat S. Mamertinus quomodo* pervenerit ad cœmeterium, in quo sancti Amatoris episcopi dicebant esse corpusculum, *et* quia non inveniebat in quo se reciperet habitaculo, *quo pacto* parva CELLULA ostensa fuerit oculis suis in qua unus erat sarcophagus: *et inferius additur,* vestibulum *quoque huic cellulæ adfuisse. At cum cognitum fuisset, jacens ibi corpus Sancti Corcodemi diaconi esse* (*d*), *sic pergit S. Mamertinus :* His miraculis ostensis, illa CELLULA Beati Corcodemi diaconi, quæ propter densitatem veprium nulli, nisi tantum antistiti Germano, fuerat nota, facta est Deo operante omni sexui cognita; et non solum omnium notitiam promeruit, sed et culturam. Omnes igitur ex hoc tempore, eidem CELLULÆ votivam gerentes devotionem, alacriter frequentabant. *Ad hæc autem* D *animadvertatur oportet S. Corcodemum ante S. Mamertini adventum a terra jam levatum fuisse; quod integra descriptio sarcophagi, et modus, quo S. Mamertinus super eum tamquam super aram dominicam procubuit, aliaque adjuncta manifestissimum faciunt; unde liquet ante S. Mamertini adventum hanc* cellam *verum sacrarium aut ecclesiolam fuisse.*

stabilitur; 5 *Sed, ut res etiam certior evadat, aliud testimonium prodam ex libro* I *Miraculorum S. Germani Autisiodorensis, tempore Caroli Calvi a S. Heirico conscripto; en verba :* Singularis meritorum ejus potentia hoc se tuetur argumento, quod per omnes aggeres itineris sui, ubicumque aut oravit, aut docuit, usque in hodiernum diem oratoriæ CELLÆ et signa crucis elata præfulgent. *Inferius aliud ejusdem significationis dabimus exemplum. Atque ex his sane satis apparet quanto jure Benedictini sodales qui tomum XII Galliæ Christianæ elaboraverunt, cellam Salvii et Mauri non inter antiqua Autisiodorensis diœceseos monasteria numerarint, satis sibi ducentes catalogo suo* (*e*) *inserere ea monasteria, quæ cum monasterii nomine aut alio simili veniunt tum in prædicta constitutione S. Aunarii, tum in altera S. Tetrici, qui exeunte sæculo septimo Autisiodori* E *episcopus sedebat. In utraque enim plurima nuncupantur, eisque officium divinum in templo Autisiodorensi S. Stephani celebrandum indicitur; quæ inter non venit* Cella Salvii et Mauri. *Unde admitti nequit, quæ præcavenda est objectio, Salvium hunc et Maurum fuisse abbates id temporis in vivis existentes. At si cella Salvii monasterium non est, ecclesiola sit oportet; neque proin dubitari potest, quin S.* Salvius *ei patrocinaretur, ejusque cultus ad annum saltem* 587 *aut* 588 *sit referendus. Ast hæc præmissa jam ad propositam applicanda sunt quæstionem, scilicet Sanctusne noster* Salvius *a S. Salvio Albigensi distinguendus sit.*

quocirca S. Salvius *Autisiodorensis distinguendus est a S. Salvio Albigensi, qui anno* 587 *ecclesiam illic sibi dicatam habere non potuit.*

6 *Ex Sancti Gregorii Turonensis Historia Ecclesiastica* (*f*), *constat S. Salvium Albigensem anno* 584 *aut* 585 *supremum obiisse diem; jam vero anno* 587 *aut* 588 *exstabat, ut superius vidimus, in agro Autisiodorensi cella Salvii; et quis porro dixerit vel minimum verisimile esse, intra spatium duorum aut trium annorum S. Salvii cultum ita fuisse propagatum, ut ab Albiga, (ubi tamen absque dubio fere non exstabat), ad diœcesim Autisiodorensem transierit? Neque obest quod, ut tradit S. Gregorius, cœnobiticam vitam duxit S. Salvius, priusquam episcopali* F *fungeretur munere : unde conjici pronum esset, hanc* Salvii cellam *eamdem forte esse, quam olim incoluisset Albigensis antistes. Moras enim injicere non potest hæc suspicio; quoniam verisimile non est, Albigenses sibi episcopum quæsituros abiisse in agrum Autisiodorensem, qui extra suum regnum et ecclesiasticam provinciam jacebat. Præterea etiamsi S. Salvius (quod tamen probabile non est, siquidem S. Gregorius, silens ejus patriam et locum habitationis, hæc prope Albigam fuisse supponat), annos plurimos in agro Autisiodorensi commoratus fuisset tamquam monachus, facile intra decennium, quo Albigæ episcopatum obtinuit, ejus sane interiisset memoria. Quæ claudo, animadvertens non ita celebrem in Gallia fuisse S. Salvii Albigensis cultum, quin etiam classicis martyrologis incognitum; unde mirum foret omnino, si hujus sancti præsulis cultus biennio post mortem ad Autisiodorenses transvolasset.*

Idem vero est ac S. Salvius Nivernensis.

7 *Secundo examinandum venit loco, an S. Salvius Nivernensis, qui in Hagiologio Franco-Galliæ*

(*a*) Histor. Francorum, lib. IX, cap. XXI. — (*b*) Tom. XII, col. 360. — (*c*) Act. SS., XXXI Julii, p. 206. — (*d*) Vide Act. SS. ad IV Maji. — (*e*) T. XII, col. 356. — (*f*) Lib. VIII, cap. I et XXI.

seu

A *seu Biturícensi ad præsentem diem annuntiatur, idem sit ac S.* Salvius *noster Autisiodorensis. En verba hujus Hagiologii, qualia edidit Labbeus* (*a*) : In territorio Nivernensi, Sanctorum Vincentii et Salvii Confessorum. *Non est quod S. Vincentius, cognomine de Magniaco, nos remoretur, cum de eo inter prætermissos sit dictum. S. Salvius autem, qui in hac celebratur commemoratione, ad diem* XVI *Octobris cultum adhuc obtinet his temporibus in universa diœcesi Nivernensi, ut ex Martyrologio Autisiodorensi, ubi Nivernense citatur Breviarium, constat; neque proin intactas relinquere licet varias, quæ de eo propositæ fuerunt, sententias. Claudius Chastelain in indice Martyrologii Universalis S. Salvium Albigensem* solitarium Nivernensem *nuncupat, eique assignat diem* X *Septembris et* XXX *Novembris; quæ posterior dies profecto erronea est. Bailletus in Vita S. Salvii Albigensis ad diem* X *Septembris ejusdem mentis est, ut liquet ex iis, quæ de oppido Nivernensi, cui vulgare nomen est* Saint-Sauge, *effatur :* Ajunt, *inquit,* hujus S. Martyris (*Salvii Albigensis*) Reliquias partim saltem Caroli Magni tempore delatas fuisse ad exiguum pagi
B Nivernensis oppidum, quod nunc Salvii-Fanum dicitur, et sex aut septem leucas a Niverno distat orientem versus. Condita illic fuit ecclesia ejus nomine insignita, et monasterium quod nunc (*anno* 1739) prioratus est, a S. Martino Augustodunensi dependens. *Similia fere habet in Chorographia Sanctorum, ubi ad S. Salvium quoque refert locum Cenomanniæ, vulgari vocabulo* Saulge *appellatum; quod quam erroneum sit, colligere licet ex iis, quæ scripsere decessores nostri ad diem* VII *Maji in Vita SS. Serenici et Serenedi; et quidem ipsum latinum nomen* Sagium, *nimium a* Sancto Salvio *diversum, sufficit ad omnem dirimendam controversiam. Tertio demum, adolescente sæculo* XVII, *æstimabant ipsi Nivernenses, S. Salvium suum eumdem esse ac Albigensem episcopum, quandoquidem in Kalendario ecclesiastico Nivernensi anni* 1637, *quod olim Claudius Chastelain sua manu descriptum ad musæum Bollandianum destinavit, legitur ad* XVI *Octobris* S. Salvius episcopus. *Atque ex dictis duplex argumentum conficitur : e S. Salvii Albigensis Reliquiis, in agrum Nivernensem translatis, ortam esse illic S.* Salvii *memoriam, et proin Nivernensem eumdem esse ac Albigensem episcopum; et dein huic favere sententiæ ipsius Nivernensis ecclesiæ traditionem. Quod vero*
C *spectat ad S.* Salvii *Reliquias, neminem arbitror magni eam rationem ducturum, cum dubius hærere videatur Bailletus ipsemet, et Gallia Christiana in Catalogo suo Albigensium præsulum asseveranter statuat, S.* Salvii *Reliquias Albigæ integras conservari. Neque majoris forte momenti est objecta veteris Nivernensis Kalendarii auctoritas, cum deinceps Nivernenses, Kalendarium et Breviarium ad certiorem trutinam revocantes, spoliaverint ad præsentem diem S.* Salvii *nomen episcopi titulo, ut videre est in Martyrologio Autisiodorensi* (*b*). *Contra duplex suadet rationum pondus, ut S. Salvius Nivernensis idem ac Autisiodorensis æstimetur : identitas scilicet diei, qua uterque colitur, et Nivernensis Autisiodorensisque agrorum, sibi invicem adjacentium, vicinia; unde facile S.* Salvii *cultus ab una diœcesi ad alteram transierit.*

Ædiculæ S. Salvii

8 *Ex his, quæ huc usque disseruimus, quantum licuit, manifestum factum est, S.* Salvium *Autisiodorensem eumdem esse ac Nivernensem, diversum vero ab Albigensi; et nomen ejus in utroque agro, Autisiodorensi et Nivernensi, inditum esse alicui loco,* D *illic oppidulo, hic vico et ædiculæ; de qua ædicula paulo plura dicenda supersunt, quæ ad S.* Salvii *cultum pertinent. Superius jam adstruximus adversus historiographum Lebeuf S.* Salvii *cellam non monasterium S. Salvatoris, sed exiguum tantum fuisse sacrarium, quod sæculo superiore duabus ab Autisiodoro orientem versus leucis, non procul a Villa Nova S.* Salvii *adhuc exstabat; ut ipse Lebeuf testatur* (*c*). *Porro Hugo Matisconensis, Autisiodorensis episcopus, qui anno* 1138 *Præmonstratenses canonicos in cœnobium S. Mariani induxit, inter alia plurima dedit eis ecclesiam S.* Salvii, *ut constat ex charta ejus successoris Alani, data anno* 1163 *et quæ in Gallia Christiana inter instrumenta* (*d*) *integra videnda est : quæ donatio anno* 1161, *ab Alexandro Papa III confirmata fuerat, ut liquet ex bulla Monasteriologiæ Præmonstratensi* (*e*) *inserta, ubi inter nonnulla alia numeratur* locus qui dicitur S. Salvii, cum omnibus ad se pertinentibus.

9 *Verum hæc donatio post an.* 1145 *facta, aut mi-* *vices.*
noris momenti fuerit oportet, siquidem in nonnullis aliis instrumentis, circa annum 1145 *confectis, nondum inter bona S. Mariani apparet. Quod cer-* E
tum est, et propius ad rem nostram pertinet, pauperrima erat ipsa S. Salvii *ecclesia, aut potius sacrarium; neque sublata fuit hæc paupertas, quin simul patroni sublatum sit nomen. Etenim anno* 1209 *hoc latum fuit privilegium :* Ego Petrus comes Autisiodor. et Tornodor. notum facio omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, quod donavi et concessi pauperi ecclesiæ Sancti Salvii singulis annis in festo Beati Dionysii nundinas unius diei ibidem celebrari; ita quod eadem ecclesia libere absque ulla contradictione omnes redditus nundinarum percipiet. Dedi etiam in eleemosyna pro me et pro uxore mea et parentibus nostris in nemore meo de Bar unam quadrigatam lignorum ad usum præfatæ ecclesiæ, quantum unus equus de illo nemore semel in hebdomade poterit abducere. Quod ut ratum habeatur, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nono. *Cum hoc privilegium, inquam, quod Lebeuf ex archivio S. Mariani Autisiodorensis excerpsit, fuisset latum atque concessum, paulatim S. Dionysii nomen prævaluit, et creditum est a populo S. Dionysium huic ecclesiæ*
F *patrocinari; ita ut anno* 1398 *facta sit miraculi approbatio* (*f*), *in qua villici aliquot e Jaugiis, vico una alterave leuca ultra Pontiniacum, si quis Autisiodoro proficiscatur, jacenti, dicuntur* venisse apud S. Dionysium, *et per hujus Sancti merita puero remedium apprecati esse. In adjecta autem nota addit Lebeuf, etiamnum montem, in quo S.* Salvii *oratorium conditum erat,* Tureau S. Denis (*clivum S. Dionysii*) *nuncupari. Quod vero affirmat, istic olim S.* Salvii *festum die S. Dionysio sacra actum esse, penes eum fides esto; unicum scilicet fundamentum, cui eum id asserentem innixum fuisse arbitror, illud est, quod crediderit S. Salvii festum ad nundinas faciendas ut opportunissimum electum fuisse : num vero S. Dionysii festum, ad quod celebrandum olim tenebantur Galli, oportunius visum sit, judicabit lector, cujus arbitrio Autisiodorensis annalistæ assertum relinquendum visum est.*

Cæterum ignoratur S. Salvii *vita.*

10 *At toti hucusque fuimus in Sancti* Salvii *cultu adstruendo, et ipso Sancto ab homonymo vindicando : jam si quæritur quis fuerit, quid egerit, quo*

(*a*) Bibl. nov. MSS., tom. II, p. 697. — (*b*) Ad XVI Octob. in notis. — (*c*) Hist. d'Auxerre, t. I, table, p. 881. — (*d*) Tom. XII, Instr. col. 126. — (*e*) Tom. II, col. 147. — (*f*) Lebeuf Hist. d'Auxerre, Instrum., p. 132.

tempore

A *tempore vixerit, unde oriundus, ubi mortuus, atque sic deinceps, malo ignarus videri quam temerus esse. Ut superius jam enuntiavi,* Confessor *dicitur S.* Salvius *in Hagiologio Labbeano; verum illud Hagiologium hoc loco corruptum est, utpote SS.* Salvium *et Vincentium una eademque die annuntians; neque insuper est antiquum satis, quam ut ei soli integra debeatur fides. Quid, si quis eum Martyrem dixerit, atque unum e sociis S. Prisci, cujus festum hodie nonnullis in locis agitur, aut quem alium? nam plures Sanctorum Martyrum turmæ sanguine suo sacrarunt Autisiodorensem agrum, ut ex Martyrologio et Historia Autisiodorensibus unicuique facile liquet. At Martyrologium hoc ipsum S.* Salvium *monachum facit. Verum duplex, cui innititur, fundamen non satis videtur esse solidum; cum Breviarium Nivernense pro vario tempore varium fuerit; et constitutio S. Aunarii, in qua* cella Salvii *occurrit, non necessario S.* Salvium *monachum fuisse supponat : illud quippe jam videri potuit, cum de cella S. Corcodemi mentionem fecimus; nam S. Corcodemus diaconus, nusquam monachus legitur, et præterea hæc ipsa vox* cella *apud S. Gregorium Turonensem aperte de sacrario Martyris, qui numquam nec monachus nec eremita fuerat, in usu posita est. In libro enim Miraculorum S. Juliani Brivatensis narrat cap.* IV *mulierem* promisisse, ut si sospitem reciperet conjugem, Martyris sepulcrum, in quo posset spatio, cœmento contegeret, et pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimplevisse. *Quibus dictis caput* V *sic exordiatur:* Erat autem haud procul a CELLULA, quam supra sepulcrum Martyris hæc matrona construxerat grande delubrum; *et pergit evolvendo qui puer gentilis* CELLULAM expetierit Martyris gloriosi, super se ostium reseraverit, *et alter puer priorem insequens* adreptum utrumque postem ostium conatus sit infringere. *Qualia verba non caveam aut sepulcrum, sed oratorium Martyri sacrum, satis superque ostendunt. Unde patet quam caducum sit citati Martyrologii fundamentum. Ad cætera quæsita nihil certi habeo quod respondeam. Satis fuerit S.* Salvium *ab oblivione vindicare, atque erga eum præstitisse quæ in plerosque Hieronymiani Catalogi Martyres conferre solemus.* D E

B

DE S. GALLO, CONFESSORE
ARBONÆ IN ALLEMANNIA.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Hujus Sancti memoria in sacris fastis; cultus in variis regionibus.

CIRCA AN. DCXXVII. *Sancti nomen initio,*

Sancto Gallo, *cujus res gestas illustrare aggredimur, in acceptis referre debet fidem Christianam illa pars hodiernæ Helvetiæ, quæ a meridie Lacui Potamico, nunc Constantiensi, adjacet, quamque hodie præter Sangallenses, Appencellani et Glaronenses incolunt. Sanctum*
C *nostrum antiquiores* Gallonem, Gallunum, Gallianum *vocasse recte observat Cl. vir Ildephonsus Von Arx, Sangallensis abbatialis bibliothecæ Præfectus* (*a*), *donec tandem* Galli *nomen medio sæculo* VIII *inceperit et dein paulatim invaluerit. Sic apud Melch. Goldastum* (*b*) *Rinulfus quidam ait :* Servum Allidulfum cum omnia mea, cum agris, cum pradis, cum canpis, cum aquis, etc. trado de meo jure Sanct. Galloni. . . Notavi quod feci in mense Junio (*Julio?*) V. Id. Julias, in anno XV, regnante Domno nostro Theodorico rege supra Carulum Majorem Domus. *Theodoricus Francorum rex, qui in charta citatur, est Theodoricus IV, qui solus Carolum Martellum habuit majorem Domus : hic cum regnare cœperit A.* 720 *mense decembri, annus XV regni cum anno vulgari* 735 *concurrit. Nomen* Galluni *et* Gallonis *simul recurrunt in alia ibi charta :* Nos fratres vel monachi Sanct. Galluni confessoris. . . Præterea sic nobis conplacuit, ut annis singulis de festivitate in festivitatem natalis Domini, quod est in mense decembri, censum ad ipsam ecclesiam Sanct. Galloni vel Rectores ejus exsolvere debeas. . . . . Facta precaria sub die Lunis V. id. majas, anno X, regnante Domno nostro Pipino Rege Francorum.

2 Galliani *nomen habet charta apud citatum* *varie appellatum,*
Goldastum (*c*) : Ego in Dei nomine Hruothardus
filius Bainomi condam. . . . omnia et ex integro in F
dominationem Sanct. Galliani Confessoris, cujus ecclesia Arboninsi pago fulgit in optima ejusque rector Johanne Pontifice, trado. . . . Ego enim Antuuing lector anno VIII Pippino rege scripsi et subscripsi. Data sub diem quod fecit mensis Januarius dies XV, in Constantia, feliciter. *Joannes abbas post S. Othmarum, qui* XVI *Kal. Dec.* (16 *Nov*) 759 *obierat, monasterii gubernacula A.* 760 *tenebat. Varias ejusdem nominis inflexiones, teste Cl. Ildeph. Von Arx jam laudato, derivabant olim antiqui, alii a Scotico* Gilli, *quod* Cellam *significabat, quasi* Cellitæ, *alii a* Callehc, *quod idiomate Hibernorum* Lac *denotabat. Unde Ermenricus, cœnobita Augiensis, qui floruit sæc.* IX, *mortuus* 850, *de S.* Gallo *cantat* (*d*) : Galle pater, pulchro qui lactis nomine fulges, lacta me sancto lacte, beate, tuo. Gallus *tandem Sanctus noster vocatur in charta A.* 744 (*e*). *Initio quidem dicitur :* Sacrosancta ecclesia S. Gallonis conf. et aliorum plurimorum Martyrum et Confessorum, qui (*quæ*) est constructa

(*a*) Pertz Monum. Germ. Hist., tom. II, p. 5. — (*b*) Rer. Alamann. Script. t. II, p. 36 et 48. Edit. an. 1730 et Neugart Cod. diplom. Alaman. Chart. IX, t. I, p. 11.—(*c*) Rer. Alamann. Script., p. 45. — (*d*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 5. — (*e*) Neugart Cod. Diplom., tom. I, p. 12.

in

A in sito Durgaunense et in pago Arbonense; *sed pergit Lantbertus :* omnia et ex integro a die præsente de meo jure in dominationem ecclesiæ S. Galli, vel Autmaro ejus rectore.... trado atque transfundo pro animæ meæ salutem.... Data sub die IV id. Septemb. an. III. Carlomanno majorem domo sub Chanchurone comite. *Defuncto Carolo Martello successit Carlomannus major domus Austrasiæ; currebat itaque die* X *Septemb. an. III majoratus Carlomanni.*

donec Galli *appellatio circa medium sæculi* VIII

3 *Esset fortassis, qui* Galli *nomen multo citius existimaret usurpatum, quum apud cit. P. Neugart* (*a*) *videt chartam sub an.* 670 *notatam, in qua Sanctus noster* Gallus *diserte appellatur. Totam ad verbum exscribam, quia brevis est* : Partem ecclesiæ nostræ quæ dicitur Raudinleim, ubi Landarius presbyter præsens esse videtur. Ebo et conjugis (*conjux*) mea Odalsinda et Alodoes aliqua de rebus suis adfirmaverunt et tam tradiderunt ad S. Gallum—quidquid in Vachinchova, et in Laidolvinshova, Bodinchova icagimus (*possidemus*) omnibus et ex omnibus ad ipsum S. Gallum tradimus — Actum in Vachinchova villa publici. Sig. Ebonis et cojovis meæ Odalsindæ, quæ fieri rogavit. Sig. Volffaro,
B Bertario, Aimoni, Vuaninco, Teutmaro, Berno Comitis, Cunleusotes, Auttini, Dodoni. Ego Landarius presbyter roitus (*rogatus*) scripsi. Data VII idus Septemb. anno X rigni domni nostri Ildirici Riis. *P. Neugart ad diploma cit. putat illud ad an. X Childerici pertinere, proinde ad an.* 670, *hac ductus ratione :* Tres numerantur, *ait,* Childerici Francorum reges. Alter Clodovei I parens decessit an. 481; atque adeo plus integro sæculo ante incunabula monasterii S. Galli. Alter Clodovei II filius natu minor, qui fratri Clothario III in regno Austrasiæ sub tutela matris suæ S. Bathildis successit an. 660, dum legitimus regni hujus hæres, Dagobertus II, Sigiberti II filius, iniquis Grimoaldi artibus throno privatus in Scotia exulabat. Tertius fuit Chilperici II filius, Neustriæ atque Burgundiæ rex, ac jure quidem suo etiam Austrasiæ, in qua tamen ejus exercitio impediebatur Carlomanni ducis potentia, qui an. 742 diviso cum fratre suo Pippino Francorum regno, Austrasiam deinceps sub ducis quidem nomine, at regia certe auctoritate administravit, aut subegit potius. Unde Childerici III nulla fit in chartis nostris antiquis memoria, nisi addito simul Carolomanni majorisdomus no-
C mine. Præsens itaque charta neque ad an. 752, ut Goldasto placuit, neque ad ann. 751, quæ P. Herrgotti sententia est, sed ad an. 669 vel 670 spectat, Childerici II decimum. In codice S. Galli notatur ad marginem, nescio quam ob causam, annus 678.

prævaluerit. 4 *Fateor equidem superesse diplomata, in quibus aut Carolomannus solus, aut Childericus III cum eodem subnotantur, quando de Austrasia agitur. Nihilominus sunt etiam chartæ pro Austrasia, in quibus Childericus III solus signatur. Apud Mabillonium* (*b*) *tria reperiuntur diplomata pro monasterio Honaugiensi,* in pago, *ait ibidem Pippinus rex in litteris confirmationis,* Alsacense super fluvium Rhenum : *erat autem Alsatia pars regni Austrasiæ, ut monstravit Henschenius noster* (*c*) *et Schoepflinus* (*d*). *Prima est donatio facta Borono et concluditur :* Data donatio hæc die Martis proximo post medium mensem Aprilis anno IV regni Domini nostri Hilderici regis (22 *Apr.* 749); *alterum ab Hugone filio Bleoni, qui fuit ducis Adalberti, fundatoris Honaugiensis, ex fratre nepos, explicit :* Actum publice in insula Hohenaugia. Datum sub die IV kal. Junias anno VI regni domini nostri Hilderici D regis; *tertium a Bodalo filio prædicti Hugonis,* Datum mense Octobris die XII, anno VII regni Domini nostri Hilderici (an. 750). *Hæc satis probant regulam P. Neugart exceptiones pati, proindeque chartam Ebonis posse referri ad Childericum III, si pro anno regni* X *legamus* VIII; *qui, quia* IIX *scribitur, incuria librariorum facile ad* X *excrescere potuit. Atque hæc de ipso Sancti* Galli *nomine dicta sufficiant.*

AUCTORE J. V. H.

Ejus memoriam celebrant

5 *Non est quod operose investigemus Martyrologia et Kalanderia, quæ cultum S.* Galli *promulgant. Quotquot fere sunt, quæ in Ecclesia Latina post Sancti obitum conscripta aut aucta sunt, tot sunt ejus meritorum præcones. Instar omnium sit B. Notkerus, dictus* Balbulus, *de quo Majores nostri egerunt* VI *Aprilis* (*e*). *Hic A.* 870 *Martyrologium conscripsit, ut ipse fatetur ad diem* X *kal. Junii* (23 *Maji*), *agens de S. Desiderio episcopo Viennensi et Martyre* (*f*). *Hunc præ cæteris adducimus, quia auctor domesticus et antiquus compendiosam Sancti nostri Vitam exhibet. Porro ad diem* XVII *kal. Nov. hæc habet :* Apud Alemannos qui et Suevi, juxta Alpes Rhetianas, depositio sive transitus vel E ad æternam vitam natalis dies, Beatissimi Galli Confessoris, festive celebratur. Qui de insula Hybernia, quæ inter Britanniam et Hispaniam sita est, divini amoris instinctu cum magistro et abbate suo Columbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est. Veniens igitur in eremum, quæ sita est inter alpes Rhetiarum et Brigantini marginem lacus, patre Columbano Italiam petente, infirmitate detentus est. Qua divina medicante manu devicta, sanitateque recepta, solitariam ducere vitam desiderans, eremi secreta soli Deo vacando, non vacans fovebat. Rex igitur Sigibertus, ut audivit in publicis eum commorari possessionibus, jussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem obtineret, datis etiam illi auri argentique ponderibus, Cunzoni duci præcepit, ut si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad ædificandam cellam subministaret.

Martyrologia, imprimis B. Notkeri,

6 Athleta itaque Dei spirituale constructurus ædificium, parsimoniæ, orationi, vigiliisque insistens, populum ab errore idololatriæ revocavit, simulacra eorum confregit, signorum effectu prædicationem suam audientibus commendavit. Quarum numerositatem, quia liber vitæ et virtutum ejus ubique habetur et legitur, hodieque per miracula, quæ prius gesta sunt, augmentantur, in præsentiarum supersilimus, hoc solum commemorantes, quod divina pietas, Beatum Gallum genti Alemannicæ apostolum fecit, qui nationem, quam paganismo involutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ ad solem justitiæ, qui Christus est, ipse callis Dei solers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inaccessibilem, solisque bestiis, serpentibus et dæmoniis obsessum invenit, exturbatis hostibus, divinitati habitaculum exhibuit. Videndum summopere ac timendum est, ne tabernaculum Dei, quod demonstratione divina multisque sudoribus vir sanctus erexit, quodque regali auctoritate in sortem et funiculum hæreditatis Dei sequestratum est, aliqua humanæ præsumptionis temeritate impetatur, ne avaritia occupet hominum, quod a rabie dæmonum et sævitia expurgatum est bel-
F

(*a*) Neugart Cod. Diplom., tom. I, p. 5. — (*b*) Annal. Ord. S. Benedicti tom. II, p. 650. Edit. Lucens. — (*c*) Act. SS. t. I Februar., p. 209. — (*d*) Alsat. Illust., t. I, p. 621. — (*e*) T. I April, p. 376. — (*f*) Ap. Canis. Antiq. Lect., tom. II, part. III, p. 130. Edit. Basnag.

AUCTORE J. V. H.

luarum : postremo ne quo delati sunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum molestare præsumat inquietudo quælibet ausus humani. *Hæc B. Notkerus ex Vita infra danda præcipue deprompsit.*

S. Adonis et Usuardi, quamvis alia die,

7 *Ado et Usuardus memoriam S.* Galli *faciunt* x *kal. Martias* (20 *Febr.*) Cur hac die, *ait Sollerius noster,* ab Adone celebretur, equidem non perspicio, nisi forte de alia translatione aut elevatione agatur. *Eadem conjectando opinantur Mabillonius* (*a*) *et Colganus* (*b*). *Non repugno conjecturæ, quia alia firma non occurrit. Certe Ado, cui epistolarum commercium erat cum monachis Sangallensibus, ut constat ex Notkero ad* x *kal. Junii, non videtur ignorare potuisse diem natalem Sancti; unde merito concluditur occasione alicujus festivitatis memoriam S.* Galli *celebrari apud Adonem et Usuardum* x *kal. Martias. Verum me torquet scrupulus, quem removere non valeo : scilicet si ratione alicujus translationis aut elevationis solemnis erat S.* Gallo *dies* x *kal. Martias, qui fit ut Notkerus, auctor domesticus, et Adoniani operis non indiligens scrutator, quod Sollerius cum Papebrochio probat* (*c*), *tamen hanc festivitatem dicta die omnino prætermiserit? dum translationis memoriam assignaverit in diem* XVI *kal. Novembres* (XVII *Oct.*) *una cum dedicatione ecclesiæ Sangallensis, his verbis :*

B

fortassis occasione illatarum in Gallias Reliquiarum;

8 Translatio corporis Sancti Galli, et dedicatio opiparis (*opiparæ*) et decentissimæ basilicæ ipsius, quæ inter duos montes Cirrium et Walthrammesberch constructa est, a meridie habens fluvium Steinaha, ab Aquilone fluvium Nigraha. Qui locus ex ipsius Beati nomine Sancti Galli monasterium cognominatur. Ubi Domino virtutum ejus merita declarante, cæci illuminantur, surdis auditus tribuitur, mancis operari conceditur, multi linguarum laxatione gratulantur, claudis gressus diriguntur, energumeni a spiritibus nequam liberantur : clinici atque contracti indepta gratis sanitate eriguntur, dolor dentium medecina trabis compescitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur. *Non itaque Notkerus omittit translationis memoriam : quod si alia quædam celebrata fuisset, profecto præ cæteris eamdem celebrassent Sangallenses monachi. Siquidem res hæc nudis conjecturis hic peragitur, mallem opinari annuntiationem hanc in Adonianum et Usuardinum Martyrologium illatam fuisse occasione donationis Reliquiarum, aut arbitrariæ festivitatis in Galliis institutæ.*

C

ejus cultus ritu

9 *Nam cultum S.* Galli *celeberrimum olim exstitisse, ipsa ritus singularitas satis demonstrat. In ejus olim festivitate ternæ a singulis sacerdotibus celebrabantur Missæ, sicut hodiernus est mos in festo Nativitatis Christi. Id testatum facit doctissimus Pater Franc. Antonius Zacharia* (*d*), *quando ait existere Romæ in bibliotheca Barberiniana Capitulare Euangeliorum, quod olim ad Sangallense monasterium spectasse videtur, in quo ad diem* XV *Octobris adnotatur* Vigilia *S.* Galli, *et in ipsa die festa præscribuntur terna euangelia pro totidem Missis. Similiter eruditissimus Martinus Gerbert, San-Blasianus abbas, in suo libro quem de* Veteri Liturgia Alemannica *inscripsit, agens de Canone Missæ, dicit in* codicibus Alemannicis, San-Gallensibus præprimis, nonnumquam nomina *SS. Columbani* et Galli occurrere : *citatque Sacramentarium Gladbacense, in quo leguntur ad* Communicantes D *nomina* Bonifacii, Lamperti, Gregorii, Hieronymi, Galli, Benedicti, Nicolai, Oudalrici, *quibus subnectitur,* necnon et illorum quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum, eorum quoque quorum Reliquiæ in hac sancta ecclesia Dei conditæ sunt, et omnium Sanctorum quorum meritis, *etc. Refert idem Martinus Gerbert* (*f*) *inter cimelia monasterii sui cappam choralem opere plumario, cujus imaginem exhibet, servari; in illa videtur quoque imago S.* Galli, *librum sinistra tenentis.*

et extensione

10 *Unde late propagatum fuisse S.* Galli *cultum plurima monumenta testantur. Jam sæc.* VIII *ædificata fuerat basilica seu capella* in honorem Dei *et* S. Galloni *a quodam Ruothao, in villa* Willimundincas (*Welmedingen*) *pagi Burichincas, qui teste P. Neugart* (*g*) inter comitatum Hohenzolleranum et Alpes Suevicas ad sinistram Danubii situs est. *In Alsatia præter villam S.* Galli *in Marca Veteri* (*h*), *erat in agro suburbano Argentinensi capella sub invocatione S.* Galli *dicata, quæ postea in cœmeterium mutata est. Teste Nic. Serario* (*i*) *exsistebat quoque Moguntiæ* apud macellum superius, sacellum S. Galli. *Pragæ in Bohemia servatur summo* E *honore caput et brachium S.* Galli (*k*), *ejusque festum ritu duplici juxta proprium Pragense A.* 1732 *celebratur. Cæterum Germania pene universa officio ecclesiastico colit S.* Gallum ; *præcipue tamen Constantiense Breviarium A.* 1575, *Herbipolense A.* 1597 *et Passaviense A.* 1505, *ampliori cultu, senis nempe lectionibus historicis et antiphonis hymnisque propriis Sanctum nostrum prosequuntur.* Remotioribus sæculis ecclesiam S. Gallo sacram erectam a Florentinis *recte opinatur Lamius* (*l*) : nam Sancti Galli abbatis fama, ob infinita propemodum ab eo patrata miracula, cuncta Europæ regiones pervaserat ab usque saltem sæculo IX. *Multis dein agit Lamius l. c. de dicta ecclesia;* quæ demum anno 1529, quum obsidio urbis immineret, solo æquata est. *Jam ante citaverat Joannes Lamius* (*m*) *Litanias Florentinas sæc.* XI *ex codice rituali bibliothecæ Laurentiana, in quibus inter SS. monachos invocatur S.* Gallus, *ideo* quia Etrusci magna eum veneratione prosequuntur.

celeberrimus fuit.

11 *Verosimiliter eadem ex causa Venetiis erectum fuit oratorium et hospitium sub invocatione S.* Galli, *intra limites parochiæ S. Geminiani pont. quod a B. Petro Urseolo, Venetiarum duce, postea monacho, fundatum, dein alio sub invocatione S. Marci translatum fuit* (*n*). *In diœcesi Aquilejensi exstabat monasterium S. Mariæ et S.* Galli *in loco dicto* Mosino, *seu* Mosacio, *ut constat ex donatione facta a Macelino de Coha A.* 1047, *Indict.* XI *seu potius* X; *confirmata dein a Lucio PP. III, A.* 1184 XIII *kal. Octobres, ut constat ex Annalibus Ordinis Camaldulensis* (*o*) : *quod monasterium P. Joan. Franc. De Rubeis vocat Mosacense a Cacellino comite fundatum, cujus templum consecratum fuit* V *kal. Sept. A.* 1119 *ab Andrea Civitatis Novæ episcopo, conbenedicente venerabili Patriarcha Vodalrico, qui etiam Abbas Sangallensis erat. Ad jus monasterii S. Severi Classensis, Ravennatensis diœcesis, pertinuisse* medietatem de ecclesia S. Galli cum omnibus suis bonis, *testatur bulla Alexandri PP. II, data Anagniæ* VI *kalendas Januarii* 1062 *indictione* XV (*p*). F

(*a*) Annal. Ord. S. Bened., t. I, p. 360. — (*b*) Act. SS. Hibern. ad XX Februar., tom. I, p. 382. — (*c*) Præf. in Martyrol. Usuardi, p. XIX. — (*d*) Stor. letter. d'Ital., tom. III, p. 157. — (*e*) Part. I, Disq. IV, c. III, § XXVII, p. 358. — (*f*) Ibid., p. 266. — (*g*) Cod. Diplom. Chart. LXIII, t. I, p. 60. — (*h*) Schoepflin Alsat. Illustr., tom. II, p. 214, 301 et 352. — (*i*) Ap. Christ. Johannis Rer. Mogunt., tom. I, p. 85. — (*k*) Act. SS., tom. I Januar. p. 1084. — (*l*) Flor. Eccl. Monum., t. II, c. 1286. — (*m*) Ibid., t. I, c. 565 seq. — (*n*) Cornel. Eccl. Venet. Monum., tom. III, p. 245 et seq. — (*o*) Mittarelli Annal. Camald., tom. III, p. 315 et in Append. p. 507. — (*p*) Monum. Aquilej.. p. 545. — (*q*) Mittarelli, tom. II, in Append., p. 181.

Anno

A *Anno autem* 970 *Gauslinus episcopus Patavinus cum juxta ecclesiam S. Justinæ cœnobium construxisset, eidem donat varia bona* (*a*), *inter quæ* totam decimam, quæ jacet in comitatu Vicentino, loco ubi dicitur Masone, cum capella quæ est constructa ad honorem S. Galli, cum quartis et decimis et cum omnibus rebus, quæ ibidem pertinent : *qua de re cfr Comment. prævium de S. Justina die* VII *Oct.* (*b*). *Celebris erat quoque S.* Galli *cultus apud Camaldulenses monachos : nam ab Avellanitis eremicolis invocatur S.* Gallus *inter paucos patronos Benedictinos, qui in Litaniis reperiuntur* (*c*). *In veteri Ordine divinorum Officiorum per Martinum III, Priorem Camaldulensem A.* 1253 *compilato p.* II, *c.* IX, *de S.* Gallo *fiebant* tres lectiones (*d*). *Necrologium Vangaticensis monasterii, quod in Adriensi diœcesi sub archiepiscopatu Ravennate situm est, ad* XVI *Oct. præscribit* S. Galli Abbatis XII lectiones (*e*). *Quæ omnia demonstrant celebrem fuisse cultum S.* Galli *in Ordine Camaldulensi.*

B § II. Acta S. Galli discutiuntur.

Acta S. Galli **A***cta S.* Galli *celebratissima, legentiumque manibus frequentissime trita, auctorem habent Walafridum Strabonem, Augiæ divitis abbatem, qui adolescens in Sangallensibus scholis versatus, postea S. Rabani, tunc Fuldensis abbatis, auditor, abbatialem dignitatem in Augia insula, diœcesis Constantiensis, adeptus est. Moritur, teste Hepidanno* (*f*), *A.* 849, *sub quo scribit :* Walafredus abbas Augensis obiit. Ille vir litteratus Vitas Sanctorum Galli et Othmari ad petitionem Gozperti abbatis compilavit eleganter. *Gozpertus, ad cujus instantiam Walafridus Vitam S.* Galli *conscripsit, abbas Sangallensis fuit ab A.* 816 *usque ad A.* 837, *quando ætate gravis regimen reliquit Bernwico, ipse superstes usque ad A.* 843 (*g*). *Gozperti tempore conscripta igitur fuit Vita Walafridiana anno* 833, *ut constat ex prologo Vitæ metricæ* (*h*) :

Jam, ni fallor ego, messes rediere bis octo,
Ex quo actus Galli scripsimus egregii :
Tunc Cæsar Ludovicus erat nudatus honore,
Nunc heres ejus nominis alter adest. (A. 833).

C *Qui hic dicitur hæres Ludoviciani nominis, est Ludovicus dictus Germanicus, tertius Ludovici Pii imperatoris filius, qui A.* 843 *orientalem partem Franciæ, in qua erat Alemannia, accepit* (*i*).

a Walafrido elegantius elaborata;

13 *Erat, uti videtur ex initio prologi, Walafridus in juventute sua monachus in cœnobio Sangallensi, cum se erga Gozpertum* ad necessitatem obediendi constrictum *fateatur, quod vix alio modo intelligi potest, quam professione monastica ad S.* Galli. Nisi me sanctarum auctoritas Scripturarum et præcipue illa veridici prophetæ sententia, qua sacrificio obedientia præfertur, ad necessitatem obediendi constringeret, præceptis vestris, o sanctissimi Patres, apologiæ hujusmodi genus opponerem : si propheta qui. . . . priusquam exiret de ventre, sanctificatus est. . . . de ætatis infirmitate et ignorantia conquestus est; (*Jerem. I*) quid ego peccator acturus sum. . . *Quomodo justitias Domini enarrabo et adsumam testamentum ejus per os meum,* cujus ætatem nec tempus adhuc implevit, nec scientia commendavit. *Deinde tres assignat causas, cur arduam scriptionem susceperit,* D *imprimis obedientiam, dein fiduciam se S.* Galli *intercessione ac fratrum precibus adjuvandum fore.* Postremo quod alienis insisto vestigiis, veritatisque tenendæ lineam novis tantummodo cogor passibus dimetiri. Vitam igitur sancti Confessoris Christi, Patroni nostri, cujus corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis, sensu nobilem, scripto degenerem, vultis a me lumine rectæ locutionis ornari et seriem confusam capitulorum distingui limitibus.

sed desumpta ex antiquiore scriptore

14 *Pergit deinde Walafridus aliam notam characteristicam primarii auctoris, cujus vestigiis insistit, designando :* Porro dum pridem ipsum opus perlegerem, inveni ab auctore ejusdem conscriptionis terram, quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, *Altimanniam* sæpius nominari; sed ipsius nominis originem quærens, apud nullum scriptorum, quorum adhuc notitia nos respersit, ejus reperi mentionem. Nisi fallor enim, ab alto situ provinciæ idem vocabulum a modernis confictum est. *Si notas hic expositas, præsertim* stylum degenerem, *et usurpatam* Altimanniæ *vocem conferamus cum eo, quod Walafridus presse insistat* E *vestigiis auctoris Vitæ S.* Galli *infra edendæ, quamque primus publici juris fecit Ildeph. von Arx, olim abbatialis archivii præfectus* (*k*), *nulli dubium esse potest, quin hæc Vita sit illa ipsa, quam Walafridus indigitat. Nam quod* stylum degenerem *attinet, inspexisse illam vel obiter, sat est, ut nobis persuadeamus merito hujusmodi notam inustam scriptioni fuisse. Vocem* Altimanniam, *non quidem reperimus; sed, quod idem significat, num.* 5 *et* 43 Altam Germaniam, *derivatam profecto* ab alto situ provinciæ : *imo cum Walafridus dicat Altimanniæ* vocabulum a modernis confictum esse, *rem potius quam vocem prisca Vita continere debuit.*

qui circa annum 771 floruit,

15 *Antiquioris Vitæ auctor floruit circa A.* 771. *Nam postquam n.* 45 *dixisset :* Multa etiam audita (*miracula*) prætermissa sunt, dum ad ea festinatur, quæ visu comprobata sunt : *ultimo loco narrat miraculum n.* 47, *quod* quarto anno regni Carlomanni actum est. *Carlomannus, de quo sermo, filius est Pippini regis, frater Caroli Magni. Illi post mortem patris* VIII *kal. Oct. A.* 768 *obtigit regnum Austrasiæ. Igitur miraculum de quo agit auctor Vitæ antiquioris accidit inter* VIII *kal. Octobris* 768 *et prid. non. Decem.* 771, *quo obiit Carlo-* F *mannus. Ildeph. von Arx in notis criticis, quibus hanc Vitam illustravit, annum quartum Carlomanni dicit esse annum vulgarem* 745; *sed recte corrigunt editores monumentorum Germaniæ : quippe qui non attenderit illic non agi de Carlomanno majoredomus, filio Caroli Martelli, qui A.* 741 *Austrasiam gubernavit; sed de Carlomanno Pippini regis filio. Quod manifestum fit ex anno quarto regni ejus; regum enim, non inferiorum principum annis chronologia ordinabatur : deinde jam ante narraverat miraculum,* tempore Pippini gloriosi regis actum, *quod demonstrat sermonem esse de Carlomanno, Pippini regis, non vero de Caroli Martelli filio, proindeque recte poni annum* LXXI *sæculi octavi.*

unde diversus est

16 *Mabillonius* (*l*), *de eadem Vita agens, ait ei præmissum esse prologum metricum, incipientem hoc versu :*

Cum mundus per inania vertatur volitando.

eamque tribuit Wetino monacho : quem quoque ejusdem

(*a*) Ughelli Ital. Sacr., t. V, p. 434. Edit. Colleti. — (*b*) T. III Octobris, p. 807, n. 72. — (*c*) Mittarelli, t. II, in Append. p. 342. — (*d*) Ibid., tom. VI in Append., p. 170. — (*e*) Ibid., tom. VII in Append., p. 397. — (*f*) Goldast. Rer. Alamann., tom. I, part. I. — (*g*) Cfr Catal. Abb. S. Galli. Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 35 et 67. — (*h*) Ibid., p. 31. — (*i*) Pertz Monum., t. I, p. 363 et 440. — (*k*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 5. — (*l*) Vet. Analect., p. 20. Edit. Paris. an. 1723.

scriptionis

AUCTORE J. V. H.

A *scriptionis auctorem facit Goldastus* (*a*) *in suis animadversionibus ad Vitam Walafridianam. Imprimis Vitæ antiquiori non videtur prologus metricus præmissus fuisse, quum MS. circa initium sæculi noni confectum, atque ab Ildeph. von Arx editum, nullo præcedente prologo litteris uncialibus rubricatis absolute ordiatur :* Incipit liber primus de Vita atque virtutibus Beati Galli Confessoris. *Citatus a Mabillonio versus reperitur in* Cantilena *de S.* Gallo, *barbarice, id est, Teutonice a Rahperto monacho Sangallensi post medium sæculum* IX *composita* (*b*); *ac* postea *carmen illud* fratrum quidam, cum rarescere, qui id saperent, videret, ut tam dulcis melodia latine luderet quam proxime potuit, transferens, talibus operam impendit. *Probari quoque non potest sententia Mabillonii et Goldasti antiquiorem hanc Vitam Wetino, Augiensi monacho tribuentium : Wetinus obiit, ut ex ejus visione constat,* III *kal. Novembris anno* 824 (*c*), *et quidem quando* juventus adhuc floruit (*d*). *Non potuit itaque auctor esse Vitæ circa annum* 771, *seu ante annos circiter* LIII *conscriptæ.*

a Wetino : Acta Anonymie demus.

B 17 *Aliud quoque argumentum suadet Wetinum non esse auctorem antiquioris Vitæ S.* Galli : *Walafridus lib.* II, *cap.* X *vocat* priscum *scriptorem Vitæ, quod Wetino convenire non potest, novem annis ante defuncto :* Descriptis his quæ priscorum sollertia de vita, fine et virtutibus B. Galli ad nos usque scripto transmisit; hinc ea stylo comprehendere tentabimus, quæ a fidelibus testibus indicata, a carissimo fratre Gotzberto litteris sunt mandata. *Certe Walafridus neque Wetinum, sibi optime notum, utpote cujus visionem carmine adornarat, tacuisset, neque* priscorum sollertiæ *ejus scripta tribuisset. Hæc abunde probant perperam antiquiorem S.* Galli *Vitam Wetino Augiensi adscriptam fuisse. Excluso Wetino, nullus occurrit quem auctorem hujus Vitæ certo nominare possimus : Cl. Weidmann, bibliothecæ monasterii San-Gallensis præfectus, censet* (*e*) *Winitharium, qui monachus et decanus in eodem monasterio erat an.* 766 (*f*), *auctorem antiquioris Vitæ esse : cui opinioni fidem aliquam conciliant Winitharii ætas et in scribendo solertia* (*g*). *Quoniam tamen adhuc incerta est sententia, malui auctorem antiquioris Vitæ sub* Anonymi *titulo laudare. Cæterum Anonymum nostrum præcessisse videtur alius scriptor, qui vitam S.* Galli *rythmice decantaverat. Tota enim narratio rythmis inspersa est, qui*

C *cantilenas quasdam in honorem Sancti compositas præsupponunt : inutile foret rythmorum argumenta adferre, quum unam alteramve periodum legenti statim occurrent. Ipsa sanctitatis fama excitaverit poetam licet agrestem, ut res gestas beati viri vel inconcinne cantaret. Atque hæc fortassis est ratio, cur non pauca sint, quæ cum historia et Chronologia conciliari ægre possint. Sed antiqua satis est, ut non omnem scriptioni abrogemus fidem.*

S. Galli *Vitam metricam inchoavit Walafridus.*

18 *Quum, uti præfati sumus, Walafridus presse vestigiis Anonymi inhæserit, inutile duxi ejus lucubrationem annectere : si quid occurrat diversum, melius in adnotationibus ad Anonymi Vitam subjungetur : atque in decursu hujus commentarii Walafridum in citationibus præferam Anonymo, ut præcipui textus a lectore facile comparari possint. Walafridus præterea promiserat monachis Sangallensibus :* Si gratanter recte a nobis posita susceperitis, clementer vero titubantia correxeritis, et si Dominus permiserit, hujus operis agreste pulmentum postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe est, ut nostris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad nostram salutem Dominus destinavit. *Videtur Walafridus, aliis negotiis impeditus, anno* 849 *primam manum promisso operi admovisse, sed eodem anno morte præventus* vitam, *ait Ermenricus Augiensis* (*h*), in Vita finivit. *En prologus Vitæ metricæ* (*i*) :

D

Promissi memor ecce mei, Gozberte, quod olim
Devovi, ad præsens solvere, care, volo.
Pulmentum, quod agreste lebes pro tempore prosæ
Apposuit, metricis condiet en salibus.
Non ignoro aliquos memet culpare morarum,
Qui quamvis sero, debita solvo tamen.
Cum promissa sciunt patribus meruisse nepotes
Post multosque dies semina jacta meti.
Jam, ni fallor ego, messes rediere bis octo,
Ex quo actus Galli scripsimus egregii :
Tunc Cæsar Ludovicus erat nudatus honore,
Nunc heres ejus nominis alter adest.
Ordior ergo heremo degens operator in ipsa,
Quam pater incoluit Gallus, amatque fovens.
Scripturæ faciens epigrammata certa prioris
Tritæ calle viæ gressibus ibo novis.
Quoque magis celsis tanto brevioribus utar
Jungens contiguis compita multa locis.
Suscipe, suscipiant, quîs cordi est, quod placet Alto,
Auctori tribuant, quod fetet ecce mihi.

E

Mutato dehinc metro Vitam versibus hexametris prosequitur; cui labori immortuus est.

Alii quoque

19 *Præter Anonymum et Walafridum fuerunt etiam alii qui Vitam S.* Galli *prosa et versibus illustrare tentarunt. Horum labores accurate recenset Ildeph. von Arx Præf. ad Vit. S.* Galli (*k*), *cujus verba, ne actum agam, hic referenda censui.* At cum illum (*Walafridum*) multis negotiis publicis impeditum sciret diaconus Gozbertus (*Gozberti abbatis Sangallensis nepos*) Ermenricum ejus monachum, qui tum in S. Gallo morabatur, ut spartam hanc ornaret, adhortari cœpit, quod et is promisit. At cum eum præfatione exacta nimium cunctantem experiretur, et is idem Gozbertus (ut Ermenricus cavillando scribit) « sitibundus de uno fonte non » putaret sitim suam posse sedari, ad mare cu- » currit; scilicet Homerum nescio quem novum » pro hac re invocans cis Rhenum, qui in morem » Flacci non currit in poemate, sed fluit, » animad-

F vertit idem Gozbertus et Scotigenam quemdam in Ausoniæ partibus degentem ad gesta divi Galli metro pangenda, quæ canere Rihpertus magister in S. Gallo jam adgressus fuerat. Hunc præfatus Ermenricus in epistola (*melius fragmentis*) codici n. 265 inscripta, et a Mabillonio (*l*) edita his ludificatur verbis : « Et alpes philosophantur circum, » sub (ex) quibus jugum Sambutinum (die Santis- » Bergkette) * Rihpertus lyrico possidet sono; et » si nosset antra musarum, esset talis ut Cinthius » Apollo. »

* *Mabillon* Radpertus

res gestas Sancti

20 Horum ingenio ante medium sæculi noni duplici poemate decantata est vita S. Galli. Unius meminere sæpe dictus Bibliothecæ syllabus (*nongentorum annorum*) his verbis : « Metrum de vita » S. Galli in quaternionibus, vol. I, » et Notkerus Teutonicus seu Labeo in sua psalmorum translatione dicens : « Solhe allusiones sint in vita S. Galli,

(*a*) Rer. Alaman. tom. I, part. II, p. 248 et alibi. — (*b*) Pertz Monum., t. II, p. 33 et 59. — (*c*) Ap. Canis. Antiq. Lect., t. II, par. II, p. 208 : cfr tamen Annal. Wirciburg. (Pertz, t. II, p. 240), Wetini visionem ad an. 827 referentes. — (*d*) Ibid., p. 220. — (*e*) Geschicht. der Bibliothek von St Gallen, p. 285. — (*f*) Neugart. Cod. diplom. Chart. XLV, tom. I, p. 47. — (*g*) Gesch. der Bibl. St Gallen, p. 2. — (*h*) Mabillon. Vet. Analect., p. 421. — (*i*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 31. — (*k*) Ibid., p. 3. — (*l*) Vet. Analect. l. c.

diu

A » diu metriee getan ist, dar diu officia gesezzet wer- » dent.» Ac nota marginalis litteris sæculi duodecimi codicis n. 564 paginæ 69 inscripta sic : « hic legen- » dus est sermo sci Galli, qui reperitur in Vita ejus » metrica. » Altera Vita S. Galli metrica, quam catalogus bibliothecæ an. 1461 confectus his verbis indigitat : « S. Galli Vita metrica, aliquot etiam » sermones, » extat etiamnum in codice papy- raceo sæculi decimi quarti n. 587, sed pro perverso hujus ævi more eousque male scripta, ut proposi- tum de ea edenda potius temeritatis quam diligentiæ conatum vocaverit Heinricus Canisius (*a*). Cum autor hujus poematis se Galli desertum inhabitare, ejus Beati Vitam prosaicam jam anno 834 scripsisse, illam tum et metro dare Gozberto adpromisisse et nunc post sedecim annos promissis his stare scri- bat, hæc alicui alii quam præfato Rihperto melius quadrare non judico, supposito quod et is primige- niam S. Galli Vitam correxerit a mendis.

illustrarunt, 21 *Videntur tamen hæc postrema verba melius convenire Walafrido quam Rihperto; imprimis cer- tum est Walafridum prosa scripsisse Vitam S.* Galli, *eamdemque illustraturum se carmine promisisse : dum prosaica Vita a Rihperto nulla cognoscatur,*

B *nam quod* fortassis primigeniam *S.* Galli Vitam cor- rexerit a mendis, *conjectura est, quæ etiamsi fun- data, tamen distat a scriptione Actuum* Galli *egregii, ut loquitur prologus. Tempus etiam Walafrido con- venit : an.* 833, *non vero* 834, Cæsar Ludovicus erat nudatus honore, *unde cum* messes rediere bis octo *seu post annos* XVI, *incidimus in annum Walafridi emortualem* 849; *et tunc vere, ut Ermenricus ait,* vitam in Vita finivit, *seu labori immortuus est. Neque omittenda est allusio :* Pulmentum, quod agreste lebes *etc. cum verbis prologi prosaici :* si gratan- ter. . . . susceperitis. . . . hujus operis agreste pulmentum postmodum aliquibus metrorum con- dimentis infundam. *Singularis hæc et aliquantum ignobilis imago* pulmenti, *vix duobus scriptoribus occurret. Aliquid nihilominus difficultatis facessunt versus prologi :*

Ordior ergo heremo degens operator in ipsa,
Quam pater incoluit Gallus, amatque fovens.

Certe si intelligerentur de ipso Sangallensi cœno- bio, quasi an. 849 *ejus incola fuisset Walafridus, conciliari non possent cum præfectura, quam tunc gerebat monasterii Augiæ Divitis : sed commode explicantur carmina de toto regionis tractu, quem*

C *Sanctus vir laboribus apostolicis excoluerat, in quo proin et Augia Dives, quatuor tantum leucis helveticis cum dimidia a Sangallensi cœnobio distans. Alia etiam occurrit explicatio versuum : dixerat poeta,* TUNC Cæsar, *etc.,* NUNC heres, *etc.*; *et duo sequentia disticha applicat utrique tempori :* Ordior ergo, *etc., quando* Cæsar *etc.*; scriptura prioris faciens epi- grammata, ibo novis gressibus, *quando* nunc he- res, *etc. Hæc dicta sunto, ut reddam rationem cur ab Ildelph. von Arx dissentiam. Nunc ad ejus com- mentationem redeamus.*

sed nihil novi protulerunt. 22 De auctore alterius Vitæ metricæ, quæ a bello Tigurino anni 1712 apud nos desideratur, nihil examinandum superest (*b*). . . . Celebravere quoque S. Galli gesta S. Notkerus et Ratpertus vergente sæculo nono, quorum prior Vitam ejus vario metrorum genere tribus libris prosecutus est. Opus hoc jam quidem non superest, et ne qui- dem ejus fragmenta ante ducentos annos a Metzlero collecta et abs Canisio edita (*c*) : at illud hunc in modum recensitum legitur in catalogo citato anni 1461 et ipse S. Notkerus ejus in Præfatione hym- nis et tropis suis præfixa, sic meminit : « metrum » quod de vita S. Galli elaborare pertinaciter in- » sisto. » Ratpertus S. Galli Vitam cantilena teutonica a populo in ecclesia decantanda prædulci melodia complexus est, quam postea Ekkehardus IV scri- ptor Casuum (*seu Historiæ monasterii Sangallensis*) in latinam transtulit linguam, tribus eam inserens codicibus n. 168, 174, 393, quæ latina jam solum superest. . . . . Postremo et illud monendum esse putavi : sermonem a S. Gallo Constantiæ ha- bitum et ex codice S. Galli in Canisii lectionibus editum (*d*) atque translationem ejusdem Beati anno 833 factam, et litteris scotticis descriptam ac in catalogo sæpe dicto recensitam, jam apud nos in S. Gallo non reperiri, atque homiliam de sæculo nono de S. Gallo habitam et in codice n. 553 ob- viam, nihil historiæ proficuum continere, sicut et omnes memorati commentarii, poemata, cantilenæ et inscriptiones Divi hujus gesta pertractantes præ primigenia relatione, cui innituntur omnes, nil notatu dignum proferunt.

AUCTORE J. V. H.

D

§ III. S. Galli patria; tempus nativitatis; qua occasione inquiritur in epocham fundati monasterii Benchorensis.

E

S. Gallus *in Hibernia in- sula*

Ante omnia brevibus expediamus, quæ ad *S.* Galli *patriam pertinent. Dempsterus, teste Guilielmo Ni- cholsonio, episcopo Anglicano Derriensi in Hibernia* (Derry), *in bibliotheca historica Hiberniæ anglice conscripta* (*e*) *S.* Gallum *Scotum Britannum sive ex hodierna Scotia oriundum esse vult. Jam ingens præjudicium adversus Dempsterum nascitur, ex eo quod absque idoneorum testium suffragio omnes viros illustriores Scotigenas patriæ suæ vindicare tentet, usus scilicet illa æquivocatione, qua Scotia antiquis temporibus commune nomen erat, quod tum Hiber- niæ, tum Britanniæ Septemtrionali, sive hodiernæ Scotiæ, indebatur. Cæterum ne æquivoci quidem nominis remedium, quod litem pendentem solum relinqueret, Dempstero hic succurrere potest, cum an- tiquioris Vitæ infra edendæ auctor anonymus, disertis*

F *verbis asserat S.* Gallum *in Hibernia natum, in Hibernia educatum, ex Hibernia cum S. Columbano solvisse, ut in Gallias transmigraret.* Hic, *ait anony- mus n.* I, primævum florem in insula Hibernia ducens. *Similiter Walafridus in Præfatione Vitæ S.* Galli (*f*) : Liceat, *ait,* paucis Hiberniæ insulæ, de qua nobis tantum decus (*scilicet S.* Gallus) emicuit, juxta eosdem auctores situm commemorare. *Quibus verbis patriam S.* Galli *Hiberniam fuisse evidentis- sime indigitat uterque scriptor Vitæ, ut omnem du- bitationem merito excludat.*

natus c. A. 550,

24 *Verum quam leve est Sancto nostro certam patriam assignare, tam grave est rerum ejus gesta- rum chronotaxin rite instituere. Etenim pleraque facta et personæ, quæ lucem aliquam his tenebris offundere valerent, aut ipsa e S.* Galli *Vita solum innotescunt, aut si aliunde nota sunt, chronotaxin perturbant magis quam illustrant. Æqui proin boni- que consulat lector benevolus, si diutius chrono- logicis difficultatibus insistamus. Annus natalis S.* Galli *præcipue adhuc deductus fuit ab anno*

(*a*) Antiq. Lect., tom. II, part. II, p. 176. — (*b*) Vide de hoc bello ejusdem von Arx historiam pagi San Gallensis : *Geschichte des Cantons S. Gallen,* tom. III, p. 418 et seqq. — (*c*) Antiq. Lect., tom. II, part. II, p. 232. — (*d*) Ibid., tom. I, p. 781. — (*e*) Irish hist. library, pag. 97. — (*f*) Act. SS. Bened., sæc. II, pag. 229.

AUCTORE J. V. H.

A *obitus. Cum enim omnibus persuasum fuerit S.* Gallum, XCV *annos natum vita defunctum fuisse; hinc qui mortis tempus A.* 625 *innectebant, natum dicebant A.* 530 : *et e contrario alii, quibus non sane leves rationes suadebant mortem Sancti in A.* 645 *aut* 646 *differendam esse, natalem* 550 *statuebant. Malumus autem adhuc intactas relinquere quæstiones et de ætate et de anno obitus S.* Galli, *quæ ipsæ suis non carent difficultatibus, ut infra videbimus. Nunc autem aliis subsidiis stabilire conabimur vix ante A.* 550 *Sanctum nostrum hanc lucem primum adspexisse. Quod sequenti modo evincere conamur.*

a parentibus offertur

25 *S.* Gallus *puer oblatus fuit S. Columbano in monasterio Benchorensi : cujus fundatio cum A.* 559 *annectenda sit, consequitur S.* Gallum *circa A.* 550 *natum fuisse. Duo itaque hic demonstranda sunt : alterum in pueritiæ annis* Gallum *in monasterio Benchorensi oblatum fuisse : alterum, illud monasterium non citius A.* 559 *fundari potuisse. Imprimis quod ad oblationem in pueritia factam attinet, non est difficilis probationis, cum Anonymus et Walafridus in idem conspirent. Etenim Anonymus num.* 1 : Hic, *ait,* primævum florem in insula
B Hybernia ducens, cum ab ipsa pueritia sua Deo adhæsisset, studiisque liberalium artium mancipasset, parentum nutu commendabatur viro venerando Columbano; qui vitæ normam exemplis patrum tenens, vestigiumque humilitatis cunctis prætendens, mellifluam doctrinam secum degentibus opportune tradidit. Inter quos prædictus puer humilitate et strenuitate pollebat. *Similia habet Walafridus c.* 1 (*a*) : Parentes, *inquit,* beati Galli secundum Deum religiosi, secundum sæculum nobiles, filium suum primæ ætatis flore nitentem cum oblatione Domino offerentes, illius (*Columbani*) magisterio commendaverunt. *Quæ utriusque biographi verba indubie demonstrant ab ipsa pueritia S.* Gallum *in monasterio oblatum fuisse, in eoque sub magistro S. Columbano perseverasse.*

puer

26 *Benigna igitur interpretatione explicanda sunt verba B. Notkeri Balbuli de S.* Gallo, *canentis in* Lib. Sequentiarum *quæ ad Missam dici solebant* (*b*) :

Dilecte Deo Galle perenni
Hominibusque et cœtibus Angelorum
Qui Jesu Christi obediens
  Arduæ suasioni,
Prædia patris, gremium matris,
C Conjugis curam, ludicra nati
Sprevisti, pauperem pauper
  Dominum sequens,
Et crucem gaudiis prætulisti lubricis;
Sed Christus precio centuplicato
Hæc compensat, ut dies iste
  Testatur,
Dum tibi nos omnes filios
Dulci subdit affectu
Sueviamque, suavem patriam
  Tibi Galle donavit, *etc.*

Hæc profecto insinuare videntur S. Gallum *ante susceptam professionem monasticam et uxorem duxisse et ex illa filios procreasse :* conjugis curam, ludicra nati sprevisti; *proindeque non in pueritia S.* Gallum *in monasterio oblatum fuisse, sed in ætate adulta id genus vitæ suscepisse. Sed huic auctori, qui sæculo* X *floruit merito prævalere debet uterque Vitæ S.* Galli *scriptor antiquior, cum anonymus circa an.* 770, *Walafridus vero circa an.* 833 *Vitam ediderit. Sed ne B. Notkerum in monumentis domesticis plane peregrinum fuisse dicamus, supra* D *citata verba ita explicari oportet, ut* Gallus *conjugis curam, ludicra nati sprevisse dicatur, quia per professionem vitæ monasticæ noluit contrahere matrimonium, et consequenter illam jucunditatem sprevit, quam pater familias in puerilibus jocis filiorum carpere solet.*

in monast. Benchorensi;

27 *Ut tuto procedere possimus in ordiendo chronotaxin vitæ S.* Galli, *restat porro alterum inquirendum, quo scilicet anno S. Comogellus monasterium Benchorense in Hibernia fundaverit. Nam S.* Gallum *in hoc monasterio oblatum fuisse sub disciplina S. Columbani, ex eo evincitur, quod hic non aliud umquam monasterium in Hibernia incoluisse dicatur, ut videre est in ejus Vita c.* 1 (*c*). *Circa tempus vero quo monasterium Benchorense fundatum fuit, varia est scriptorum sententia. Colganus, in Vita S. Gildæ Badonici* (*d*) *brevem texens chronographiam Hiberniæ, anceps videtur, cui potissimum anno affigendum sit initium dicti monasterii, cum ex* IV *Magistris statuat an.* 551, *ex Usserio vero an.* 559 : *videtur quidem in priorem propendere sententiam, utpote quam solam citat in indice chronologico ad Triadem Thaumaturgam* (*e*). E *Eamdem opinionem suo calculo probarunt Majores nostri in Vita S. Comogelli seu Comgalli,* X *Maji* (*f*), *et Alban. Butler similiter in Vita S. Comogelli ad eumdem diem, dicens Benchorense monasterium circa an.* 550 *fundatum. Waræus in Antiquitatibus Hiberniæ* (*g*) *ponit erectum cœnobium an.* 555; *Annales Innisfallenses, citati a Joan. Lanigan* (*h*), *an.* 557 : *tandem ipse laudatus Lanigan statuit epocham fundati monasterii Benchorensis ad annum sæculi sexti quinquagesimum nonum pertinere. Atque ad hunc annum* 559 *proxime accedere primordia dicti monasterii, sequentia maxime suadent.*

cujus fundationis annus,

28 *Exordium Benchorensis cœnobii omnino pendet ab anno, quo S. Comogellus sub disciplinam S. Fintani sese recepit in monasterio Cluain-edneach, in Provincia Laginensi. Constat porro S. Comogellum* per multos annos *in dicto monasterio vixisse, antequam fundationem Benchorensem aggrederetur. Hæc enim leguntur in binis Vitis S. Comogelli, quas Nostri ediderunt ad* X *Maji* (*i*). *Prior :* Post hæc, *ait,* prudens juvenis sumpsit habitum, atque Fintanum abbatem, præclarissimum scilicet virum, in Lageniæ partibus habitantem, adivit, sub quo F per magnum temporis spatium cum omni devotione Deo servivit. Deinde cum sancti abbatis licentia ac jussione repatriavit, atque Benchorense monasterium construxit. *In posteriore autem Vita hæc habentur* (*k*) : Post multum jam tempus (*susceptæ vitæ monasticæ*) missus est S. Comgallus a S. Fintano, ut rediret ad patriam suam, causa ædificandi cellas ad Christi famulos nutriendos. Tunc jam S. Comgallus adhuc post multos annos sine ordine (*sacro*) erat; nolebat enim gradus accipere : et accepta benedictione et oratione Patris Fintani, S. Comgallus cum discipulis sibi ordinatis cœpit pergere ad patriam suam. . . . . Post hæc. . . constituit magnum monasterium, quod vocatur Benchor, in regione quæ dictur Altitudo Ultorum juxta mare orientale.

a multis controversus,

29 *Cum itaque S. Comogellus pro* magnum temporis spatium *sub S. Fintano vixerit, et adhuc post* multos annos sine ordine *fuerit in monasterio Cluain-ed-neach, facile sibi quisque persuadebit integri decennii intercapedinem non nimiam esse,*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 230. — (*b*) Ap. Pez Thes. Anecdot., tom. I, part. I, p. 34. — (*c*) Ap. Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 9. — (*d*) Act. SS. Hibern. ad diem XXIX Januarii, p. 189. — (*e*) p. 663. — (*f*) T. II Maji, p. 580, num. 5. — (*g*) Cap. XXVI, p. 180. — (*h*) Ecclesiast. Hist. of Ireland, tom. II, p. 66. — (*i*) Tom. II Maji, p. 580, n. 4. — (*k*) Ibid., p. 580, n. 10.

ut

A *ut hoc* multorum annorum *quasi positum tirocinium complectamur. Jam vero S. Fintanus monasterium suum in Cluain-ed-neach vix ante A.* 548 *fundare potuit; quod ex Vita ejus manifestum fiet. Nam aliquot annis juniorem fuisse S. Columbano Hiensi abbate, testatur Vita S. Fintani ad diem* XVII *Februarii* (*a*). *Columbanus jam dux aliquorum monachorum* dixit sociis suis : Paulisper declinare debemus ad senem cum sancto puero in propinquo habitantem. Cum ergo venisset ad locum illum S. Columba, dixit illi seniori : Ne irascaris, Pater, ego videlicet audivi, quando tu puerum sanctum tuum increpasti verbis asperis, prædicentem tibi adventum nostrum. Noli tu offendere eum, quia tu et locus tuus servies huic puero in æternum. Et ait senex : Credo quod ita erit : antequam enim natus esset, gratia Dei curabat eum. Postea factus juvenis S. Fintanus multum timore et amore Dei repletus est. *Hæc monstrant puerum intra infantiæ quodammodo annos constitutum, quum* postea factus juvenis *dicatur.*

inquiritur. 30 *Quum igitur S. Columbanus Hiensis anno* 520 *exeunte, aut* 521 *incipiente natus sit* (*b*), *consequitur S. Fintanum vix citius anno* 525 *aut* 526
B *ortum habuisse; et proinde non ante annum ætatis* XXII *aut* XXIII *seu æræ vulgaris* 548 *monasterium suum in Cluain-ed-neach fundasse. Cui epochæ si decennium, ut supra n.* 29 *vidimus, addatur, A.* 558 *aut* 559 *attingimus, quo primum construi potuit Benchorense cœnobium. Igitur S.* Gallus, *qui* puer *in S. Comogelli monasterio, utique jam constituto et famam aliquam pietatis et eruditionis adepto, oblatus est, non citius A.* 550 *nasci potuit, quidquid sit de anno ejus emortuali. Ab errore igitur excusari non potest Cointius, qui* (*c*) *annum* 530 *natalem S.* Galli *supponit, ductus hac opinione Sanctum, annis* XCV *natum, vita functum fuisse A.* 625. *In eamdem opinionem propendebant Majores nostri, dum Vitam S. Magni scribebant, ut videre est ad* VI *Septembris* (*d*) : *quippe qui Sanctum nostrum hoc anno in eadem decrepita ætate mortuum statuunt. Si enim S.* Gallus *A.* 530 *natus fuerit, non citius A.* 559 *in monasterio Benchorensi admitti potuit, et secus* non puer oblatus fuisset a parentibus. *Sed vir* XXIX *annorum monasticum habitum sumpsit, quod quidem longe a vero aberrare supra n.* 25 *et seq. demonstravimus.*

Ex genere nobili 31 *Ex primaria aliqua Hiberniæ familia originem*
C *duxisse S.* Gallum *testantur præ cæteris binæ Vitæ, Anonymi videlicet et Walafridi Strabonis. Ille narrationem suam his verbis orditur :* Fuit vir nobilitate pollens, magisque bona conversatione fulgens, quem reverentia paternalis nobis tradidit Gallum nuncupare. *Walafridus autem primævi auctoris scriptionis normam reformans* (*e*), *hæc habet :* Parentes beati Galli, secundum Deum religiosi, secundum sæculum nobiles. *Imo si aliqua fides est genealogiæ S.* Galli, *quæ in codice sæc.* IX, *teste Ildeph. von Arx, Bibliothecario Sangallensi, reperitur, eumdem ab aliquo regulo Hiberniæ descendere dicendum est. Genealogiam hanc exhibemus ex Monumentis Historicis Germaniæ* (*f*), *eamdem quoque edidit, mutatis paucis sed cum appendice, Goldastus,* in Alamannicis scriptoribus (*g*) : Ista sunt ergo nomina venerabilium virorum, quos aliqui venerabiles Scotti nobis legendo conprobaverunt atque firmaverunt. Fuit ergo in Scotia vir venerabilis nomine Unuchum (Unuchun *Gold.*) rex, qui filium generans nomen illi indidit Kethernach, qui Kethernach regnum patris accipiens, multa bonitate fulcitus est. Erat namque pauperibus in amminiculum, orfanis in adjutorium, viduis in subsidium. His ergo principalibus virtutibus fulgens in regno, procurante sua optima bonitate, genuit filium nimia bonitate pollentem, qui Callehc nuncupatus fuerat in eorum lingua, et apud latinos Gallus vocitatus. AUCTORE J. V. H.
D

32 Qui Callehc patris divitias regnumque refu- *procreatus, S.* Gallus giens, peregrinationem suscipiens, in patria Galliarum multas virtutes faciens, ad ultimum in Germaniam veniens, nimia sanctitate defunctus est. Si autem alias virtutes ejus scire vis, lege gesta ejus et omnia recognoscis (recognosces *Gold.*). De Brigidæ generatione. Fuit namque in ipsa eadem gente rex nomine Temeri, qui multo tempore obtinens regnum, in senectute defunctus est. Cujus filius nomine Tubthac, ei succedens in regno, accepit uxorem nomine Brocsach, generantesque filiam nomine Brigidam magna sanctitate degentem, que licet parva fuerit, tamen valde erat spetiosa. Ipsa namque et S. Gallus de una genealogia fuerunt. *Hæc fabulosa esse suspicatur laudatus* E *Ildeph. von Arx l. c.; nec nobis est quidquam, quo illa authentica esse vindicemus; præsertim si, quod notat von Arx in codice sæc.* IX *ea* alia manu *exstare scripta, ita intelligendum est, ut* alia manus *sit* manus recentior, *quod incertum nobis est. Cæterum satis notum est Hibernos, præ cæteris populis antiquis, maxime sollicitos fuisse, in conservandis genealogiis virorum illustrium, ut liquet cuicumque legenti vel obiter Acta Sanctorum Hiberniæ. De materna stirpe S.* Galli *alia annectit Goldastus, quasi ex eodem codice excerpta, quæ tamen, teste prælaudato Ildeph. von Arx, neutiquam reperiuntur. Cum ne ab antiquitate quidem commendationem habeant, illa consulto omittimus.*

33 *Unum adhuc inquirendum restat quod ad S.* *fratrem habuit* Galli *familiam pertinet, utrum scilicet S. Deicolus, abbas Lutrensis* (Lûre, départ. Haute Saône) *in diœcesi Bisuntina, qui colitur* XVIII *Januarii* (*h*), *fuerit frater S.* Galli. *Citat Joannes Mabillon* (*i*) *Necrologium Sangallense* (*k*), *quod* XV *kal. Februarias* (XVIII *Januar.*) *habet :* Deccoli (al. Veccoli, *melius* Deicoli) fratris S. Galli. Tametsi, *addit Mabillon,* in ejus Actis nihil de illa cum S. Gallo consanguinitate legitur. *Mirum est doctissimum virum non animadvertisse hanc consanguinitatem adstrui in prolixiori* F *proœmio, Vitæ S. Deicoli præfixo, hisce verbis* (*l*) : Præcipuos tamen et præ cæteris sibi (*S. Columbano abbati*) familiares novimus istos, Columbanum æquivocum suum, et geminos uterinos fratres Gallum atque Deicolum. *Omittit quidem consulto hoc proœmium Mabillon* (*m*), *tum quia, ut ait, a plerisque exemplaribus abest, tum, ut videtur, quia tractans de Sanctis celebrioribus in Gallia et de adventu atque exilio S. Columbani, otiosum erat. Sed quamvis absit a plerisque exemplaribus, hæc omissio non officit Lutrensibus domesticis membranis, in quibus reperitur, teste Bollando* (*n*); *eisque fides non est abroganda absque idoneis indiciis. Deinde non omnino otiosum esse, patet ex eo quod circumstantiam aliquam, ad S. Deicolum pertinentem, explicet.*

34 *Sanctum autem Deicolum S.* Gallo *multis* *S. Deicolum.* *annis seniorem fuisse ex Actis apparet. Nam cum*

(*a*) Tom. III Februar., p. 17, n. 2. — (*b*) Cfr Act. SS., tom. II Junii ad diem IX, p. 194, n. 19 et Lanigan Hist. of Irel., tom. II, p. 106 et 113. — (*c*) Annal. Eccles. Franc. ad an. 568, § XX. — (*d*) Tom. II Septemb., p. 709, n. 43 et seqq. — (*e*) Ap. Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 230. — (*f*) Pertz, tom. II, p. 34. — (*g*) Tom. I, part. II, p. 248. — (*h*) Cfr Acta SS., t. II Januar., p. 199. — (*i*) Annal. Bened. ad an. 625, § XLV, tom. I, p. 298. — (*k*) Rer. Alamann. Scriptt., tom. I, part. I, p. 94. — (*l*) Tom. II Januar., p. 202, n. 8. — (*m*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 103. — (*n*) Tom. II Januar., p. 200, n. 5.

S. Columbanus

AUCTORE J. V. H.

A *S. Columbanus in Italiam pergeret an.* 610 (*a*), Deicolus jam provectioris ætatis existens, pedibus vehementer debilitari cœpit : nec mora, provolutus genibus Patris licentiam remanendi devote supplicat. *Quando vero agitur de S.* Gallo *impedito ab eadem profectione, solæ febres transitoriæ, quæ homini cæterum vegeto accidere possunt, tamquam causa adducuntur : cum insuper S.* Gallus *multis adhuc annis laboraverit in vinea Domini, colligitur illum aliquot annis juniorem fuisse. Cui opinioni pondus aliquod adderent, si vera essent, quæ refert Goldastus* (*b*), *matrem scilicet S.* Galli genuisse cum viro suo (*num fortassis cum* viris suis? *quum* Gallus *et Deicolus dicantur fratres* uterini) XXI filios et tres filias. *Quamquam ad miram hujusmodi fœcunditatem recurrere non oporteat, ut inter fratrem utrumque statuamus plurium annorum intervallum.*

§ IV. S. Galli educatio et monachatus in Benchorensi monasterio; sacerdotium.

B

In Benchorensi monasterio S. Gallus *in Benchorensi monasterio puer oblatus, liberaliter educatus fuit. Beatum enim Columbanum magistrum nactus, virum latinæ et græcæ litteraturæ peritissimum, quique, ut ait Jonas* (*c*), in grammatica, rhetorica, geometria, et divinarum Scripturarum scrie diu desudaverat, *tales fecit progressus, ut inter omnes Columbani socios, teste Anonyme Vitæ scriptore infra n.* 7, emineret lepore latinitatis ; *et ut copiosius narrat Walafridius c.* I (*d*) : Superna gratia se præveniente, tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera ; grammaticæ etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio. Obscura autem Scripturarum tam sapienter scire volentibus reseravit, ut cuncti qui ejus prudentiam et sermones audierant, admiratione cum et laude dignissimum judicarent. *Ea scilicet apud Hibernos monachos vigebat consuetudo, ut labor manuum, quo sibi victum procurabant, nihil detrimenti afferret humanarum divinarumque scientiarum studio, quo Ecclesiæ Dei laboranti opem ferebant.*

litteris eruditus, C 36 *Traducta enim fuerat monastica institutio e Gallia in Hiberniam a S. Patritio, qui, ut refertur in Commentario prævio ad ejus Vitam* XVII *Martii* (*e*), *monasticam vitam sectatus fuerat Turonis in monasterio per S. Martinum fundato, et in insula Lerinensi. Hæc autem vivendi forma talis erat ut monastica austeritas cum ministerio ecclesiastico conjungeretur : unde necessarium quoque erat hujusmodi monachis, ut ad litterarum studia incumberent. Primus hanc vivendi formam in Occidentem invexerat S. Eusebius Vercellensis episcopus, de quo* XV *aut* XVI *Decemb. agendum erit. De illo in epistola ad Ecclesiam Vercellensem n.* 66 (*f*) *scribit S. Ambrosius :* Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab episcopo, monasterii continentia et disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit; ut et in civitate positus, instituta monachorum teneret, et ecclesiam regeret jejunii sobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ et ad normam D integritatis juventutem adstringat, et versantes intra urbem abdicet usu urbis et conversatione. Quod ipsum præstantissimum vitæ genus, *addit Card. Baronius ad A. CCCXXVIII* § XXII, S. Martinus episcopus Turonensis transvexit in Gallias : *atque hinc cum S. Patritio in Hiberniam transiit. Quare recte animadvertit Joan. Lanigan* (*g*), *facilem fuisse transitum monachorum in Hibernia ad institutum canonicorum regularium, a quibus nonnisi majori vitæ austeritate monachi diversi erant. Hæc dicta sunto ut rationem reddamus, cur ab initio tanta in monasteriis Hibernicis fuerit cura posita in litteris divinis humanisque excolendis.*

in Hibernia 37 *Columbani magistri sanctissimi et doctissimi curis ad omnem pietatem et eruditionem informatus, S.* Gallus universorum communi consilio, *ait Walafridus, cap.* I, et jussione Columbani abbatis per singulos sacræ promotionis gradus ascendens, invitus sacerdotii suscepit dignitatem. *Quibus verbis accinit Anonymus infra edendus. Narrat deinde uterque scriptor profectionem SS. Columbani et* Galli *in Gallias. Ast triplex hic exurgit quæstio : imprimis utrum in Benchorensi monasterio S.* Gallus *ad sacerdotii promotus fuerit dignitatem : quod* E *si illic, quomodo* jussio Columbani *potius quam S. Comogelli, qui ipsius Columbani abbas erat, obtendatur : tandem qua ætate S.* Gallus *sacerdos fuerit ordinatus. Ante omnia operæ pretium fuerit opinionem Bailleti ad* XVI *Octobris hic exponere; singularis enim est, et suis destituta probationibus. Eamdem latina phrasi, quantum fieri potest, verbis insistens, reddo :* Quamvis curis Columbani commissus videretur, non erat tamen huic in Gallum alia auctoritas, quam quæ ab exemplis et instructione fluebat. S. Comogellus, abbas et fundator monasterii in quo degebat, Gallum, annuente universo conventu, ad sacros Ordines promovere volebat : sed si quid executioni mandaverit, aliud non fuerit quam ut inferiores Ordines conferrentur. Omnibus enim persuasum est S. Gallum presbyterum ordinatum fuisse, postquam in Galliam appulisset cum S. Columbano, eodemque abbate suo jubente. *Hæc Adrianus Baillet.*

sacerdos, 38 *Legenti alterutram S.* Galli *Vitam, sive a Walafrido, sive ab Anonymo conscriptam, ingens illico occurrit discrimen inter horum et Bailleti narrationem. Atque imprimis S.* Gallum *post transmigrationem ex Hibernia sacerdotem ordinatum fuisse,* F *repugnat utrique scriptori Vitæ, cum in amborum libris S.* Galli *ordinatio profectionem in Gallias antecedat : et cum insuper Walafridus, post relatam ordinationem, pergat cap.* II : Dum hæc agerentur, quotidie B. Columbanus euangelicam cupiens adsequi perfectionem, ut videlicet, omnibus quæ habebat relictis, crucem suam tolleret et nudus Dominum sequeretur, consilio suo egit cum fratribus, quorum animos idem fervor accenderat, ut spreta propinquorum et prædiorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Ascendentes igitur navim, venerunt Britanniam, et inde ad Gallias transfretarunt. *Agitabat autem hæc consilia S. Columbanus, certe in Hibernia adhuc consistens, quando S.* Gallus *jam sacerdos factus,* sacris instans officiis, die noctuque precibus Dominum placavit et lacrymis, et superni Inspectoris oculis placere desiderans, pro virtutum et vitæ meritis amabatur ab omnibus, placuit universis. *Hæc evidenter demonstrant S.* Gallum *in Hibernia non solum ad sacerdotii dignitatem promotum fuisse, sed etiam post adeptum*

(*a*) T. II Januar., p. 203, n. 13. — (*b*) Rer. Alamann., t. I, part. II, p. 249. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 8. — (*d*) Ibid., p. 230.—(*e*) T. II Mart., p. 526, n. 50.—(*f*) T. VI Oper., p. 213. Edit. Venet. — (*g*) Eccles. Hist. of Irel., tom. IV, p. 347.

hunc

A *hunc gradum, aliquandiu in virtutibus se exercentem ibidem perseverasse.*

jussione S. Columbani. 39 *Moverit fortassis Bailletum ad S.* Galli *ordinationem in Gallias transferendam scrupulus, quod* jussione Columbani abbatis, *ut ait Walafridus, Columbano* compellente, *ut habet Anonymus, sacerdos ordinatus dicatur : quum proinde Columbanus non ante fuerit abbas, quam in Gallias proficisceretur, recte sibi concludendum putavit Bailletus in Galliis quoque S.* Gallum *sacerdotem factum fuisse. Facile concedam abbatis nomen Columbano perperam, aut per anticipationem tributum fuisse, cum in Hibernia S. Comogellus ipsi Columbano præesset; siquidem ex ejus licentia postea in Gallias cum sociis profectus sit. Sed hæc concessio eo non procedit, ut omnem auctoritatem S. Columbano in* Gallum *discipulum, ante migrationem, abrogemus, ac consequenter constricti simus* Galli *ordinationem post eamdem prorogare. Scilicet illo jam tempore in singulis monasteriis sub abbate præerant alii superiores, qui disciplinam monasticam sartam tectam servarent. Hujus rei testem habemus S. Hieronymum in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis* (*a*) : *Monachi in Ægypto* divisi sunt, *inquit,*

B per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus præsit, et rursus decem præpositos sub se centesimus habeat. . . . Usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus : ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquiis... Unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam. . . Opus diei statutum est : quod decano redditum, fertur ad œconomum.

superioris quidem sui, 40 *Similia habet S. Augustinus de Morib. Eccl. Cath. cap.* XXXI (*b*), *nisi quod minus clare loquatur de cura spirituali, quam decani subditis suis impendebant. Atque hanc quoque disciplinæ formam in Hiberniam transiisse suadet imprimis ipse monachorum ingens numerus, qui ad Benchorense monasterium confluxerat, uti legere est in Vita posteriori S. Comogelli cap.* I, *ad* X *Maji* (*c*) : Constituit magnum monasterium, quod vocatur *Benchor,* in regione quæ dicitur Altitudo Ultorum juxta mare orientale. Et maxima multitudo monachorum illuc venit ad S. Comgallum, ut non potuissent esse in uno loco : et inde plurimas cellas et multa monasteria non solum in regione Ultorum, sed per alias Hiberniæ provincias et in diversis cellis et monaste-

C riis tria millia monachorum sub cura S. Patris Comgalli erant. *Nulli certe in mentem veniet tantam hominum multitudinem, per varias dispersam provincias, uni paruisse destituto adjutoribus, qui laborem partirentur. Quin potius exhibetur nobis hic S. Comogellus tamquam superior generalis, qui diversas et late diffusas monachorum turmas per subordinatos superiores regit.*

non tamen 41 *Eamdem vitæ regularis nobis imaginem refert conscripta a Ven. Beda Vita S. Cuthberti ad* XX *Martii* (*d*), *qui licet Anglo-Saxo, tamen sub Hibernis vitam monasticam sæc.* VII *exercuit.* Cum ergo venerabilis Domini famulus (*Cuthbertus*) multos in Mailronensi monasterio * degens annos (*tamquam præpositus*) multis virtutum spiritualium claresceret signis, transtulit eum reverendissimus abbas Eata in monasterium, quod in Lindisfarnensi insula situm est, ut ibi quoque regulam monachicæ perfectionis et præpositi auctoritate doceret et exemplo virtutum ostenderet : nam et ipsum locum

** Colganus ad d. d. habet* regens

tunc idem reverendissimus Pater abbatis jure regebat. *Hæc plane demonstrant illo jam tempore exstitisse* Præpositos *seu* Priores, *qui sub abbate monasteria gubernarent. Unde sequitur S. Columbanum primum non fuisse, ut vult Joan. Mabillon* (*e*), *qui hujusmodi superiores in cœnobia introduxerit, sed illum secutum fuisse formam regiminis, quod in Benchorensi monasterio sub magistro S. Comogello servari viderat.* D

abbatis. 42 *Ut porro regrediamur unde divertimus, valde probabile est, S. Columbanum sub S. Comogello præpositi seu prioris officium in Hibernia exercuisse : nam simplicem de grege monachum non fuisse denotat abunde oblatio S.* Galli, *a parentibus eidem facta, quæ ab utroque biographo, ut supra num.* 25 *vidimus, refertur : deinde quod legitur in S. Columbæ Vita num.* 9 (*f*) : Ardentem patri (*Comogello*) patefaciebat affectum (*peregrinationis ad exteras nationes*) : sed non ita in patre reperiebat responsum, ut sua petitio anhelabat. Erat enim venerabili Comogello durum tanti solaminis pati dispendium. Tandem tamen adspirare cœpit et cordi anteponere, ut non plus suæ necessitati studeret, quam aliorum utilitati opportuna quæreret. *Igitur mirum minime videri debet,* jussione *S. Columbani ad sacros Ordines ascendisse S.* Gallum, *cum uterque scriptor adjungat :* universorum communi consilio, *seu ut alter habet,* exortationibus spiritualium fratrum *id factum fuisse, inter quos et suus quoque locus certe erat abbati S. Comogello. Unde non est, ut ob hujusmodi rationem S.* Galli *ordinationem migrationi ex Hibernia postponamus.* E

ætate legitima 43 *Demum S.* Gallus *presbyter ordinatus fuit in legitima ætate, scilicet annos* XXX *natus :* Christo nempe propitio, *ait Anonymus,* ad ætatem veniens. . . . sacerdotii gradum adiit. *Nam annum trigesimum completum legitimam fuisse pro presbyteratu ætatem, constat ex can.* IX *Collect. Can. Hibernicorum* (*g*) : Presbyter trigesimo : episcopus vel trigesimo, vel quadragesimo, vel quinquagesimo, sacerdos efficiatur, quia in ea ætate Christus prædicare orsus est. *In Monito prævio dicit D'Achery* (*h*) : Canones qui sequuntur, ante sæculum VIII confecti sunt, et a nobis ex magna et vetusta canonum collectione ms. delecti. *Nulla igitur est ratio, cur hos canones* tamquam incerta fragmenta studio omiserit *Wilkins* (*i*) : *maxime cum exprimant regulas Ecclesiæ Gallicanæ, quæ*

F *fere omnes in Hiberniam cum S. Patritio transmigrarant. Etenim in Concilio Arelatensi* IV, *c.* I *A.* 524 (*k*), *hæc eadem disciplina antiquitati innixa monstratur :* Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscuntur, ne forte quorumcumque importunis et inordinatis precibus sacerdotes Domini fatigentur, ea quæ toties sunt præcepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut nullus episcoporum diaconum, antequam viginti quinque annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem, nullus laicus ante promissam conversionem vel ante triginta ætatis annos accipiat.

ordinatur. 44 *Eamdem pro presbyteratu ætatem præscribit Concilium Agathense cap.* XVII, *an.* 506 (*l*). *Et merito hæc disciplina vocatur* antiquorum patrum statutum, *quippe quæ jam sancita fuerat in Concilio Neocæsarensi, an.* 314 *cap.* XI (*m*) : Presbyter ante

(*a*) Tom. IV, part. II, col. 45. Edit. Paris. an. 1706. — (*b*) T. I Oper., col. 710. — (*c*) Tom. II Maji, p. 583, n. 12. — (*d*) T. III Mart., p. 104, n. 24. — (*e*) Annal. Ord. Ben., lib. VIII, § XI, T. I, p. 192. — (*f*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 9. — (*g*) D'Achery Spicileg, tom. I, p. 492. Edit. Paris. 1723. — (*h*) Ibid., p. 491. —(*i*) Conc. Brit., tom. I, p. 6.—(*k*) Labbe, t. IV, Conc. col. 1622. — (*l*) Ibid., col. 1386. — (*m*) Ibid., tom. I, col. 1483.

AUCTORE J. V. H.

triginta annos non ordinetur, etamsi fuerit homo valde dignus, sed reservetur (*Dionysius exiguus vertit :* sed hoc tempus observet); Dominus enim Jesus Christus in trigesimo anno baptisatus est et cœpit docere. *Lectorem non fugiet eamdem rationem pro trigesimo anno completo dari in canone Neocæsariensi et Patritiano. Quidquid igitur sit de hujus canonis authentia, cui suffragatur summa antiquitas, nullum dubium est ætatem legitimam pro presbyteratus Ordine fuisse sæc.* VI *triginta annos : ita ut S.* Gallus *quem circa annum* 550 *natum diximus, circa an.* 580 *fuerit presbyter ordinatus.*

§ V. Tempus adventus S. Columbani in Gallias.

S. Columbani *Spinosa inter eruditos quæstio est, ut notant majores nostri in Vita S. Agili* XXX *Augusti* (*a*), *quo scilicet tempore in Gallias advenerit S. Columbanus cum sociis suis. Et quamvis ad vitam S. Columbani, quæ* XXI *Novembris danda est, propius spectare videatur, illam tamen hic discutiendam suscipimus : imprimis quia vita S. Columbani tot aliis disquisitionibus abundat, ut non ingratum fore putemus commentaturo hanc vitam, hujusmodi quæstionem saltem ex parte jam esse discussam : deinde quia secundis curis fortassis retractata controversia facilius componetur : et tandem quia S. Columbani adventus in Gallias intimam connexionem habet cum S.* Galli *nostri historia. Ut autem ordinate procedamus, ante omnia opus est eruditorum varias sententias exponere, eaque rationum momenta allegare, quibus illas firmari existimarunt. Explicabo deinde meam opinionem, ut lector videat cui parti magis favere debeat.*

adventum 46 *Cointius in suis Annalibus Francorum* (*b*) *statuit S. Columbanum anno* 568 *in Gallias advenisse. Eamdem ex parte opinionem sectari videtur adnotator Vitæ infra edendæ ex Monumentis Historicis Germaniæ, quum Sancti adventum tempore Sigiberti regis, seu inter A.* 561 *et* 575, *reponendum putat, notis arabicis in margine positis. Ad hanc sententiam, scilicet regnante Sigiberto id accidisse, duplici ratione ductus videtur Cointius. Omnes enim antiquiores hunc regem monstrant fautorem S. Columbani ejusque sociorum. Verum non video, cur tantum huic rationi momentum addat Cointius : etenim ipse fatetur perperam Sigiberti nomen textui irrepsisse, illique substitutum vult Guntramnum, siquidem hic, non ille, in Burgundia principatum tenuit, et quidem ab A.* 561 *ad* 593. Sigiberti loco, *ait,* repone Guntramnum, quia loca in quibus Columbanus consedit, Anagrates scilicet, Fontanæ et Luxovium sita erant in Burgundia, pertinebantque ad Guntchramnum prædicti Sigiberti fratrem. *Quod deinde* (*c*) *pluribus demonstrat. Atque hoc quidem recte. Sed quandoquidem in Sigiberti nomine errorem subesse censeat, alterumque substitui velit, nulla occurrit ratio, cur tantopere laboret in restringendo intra annos imperii Sigiberti adventum S. Columbani : notum est enim Guntramnum regnum suum in Burgundia octodecim annis post Sigibertum prorogasse.*

in Gallias 47 *Sed est et altera ratio quæ suadere videtur A.* 568 *S. Columbanum in Galliis appulisse : tabulæ Luxovienses docent Sanctum oras gallicas attigisse anno* VII *Sigiberti seu potius Guntramni Burgundiæ regis, proinde A.* 567 *aut* 568. *Verum hæ tanti esse non videntur, ut prævalere debeant solidis rationibus quæ contrarium demonstrant. Nam ipsi Sammarthani, allegando has tabulas subjungunt* (*d*), si fides tabulis Luxoviensibus *adhibenda est : quibus verbis satis insinuant, in dubium revocari harum auctoritatem. Deinde copiose duobus* §§ *præcedentibus demonstravimus S.* Gallum *circa A.* 550 *natum, post A.* 580 *ad presbyteratum promotum fuisse et quidem in Benchorensi monasterio, seu ante profectionem in Gallias : igitur non nisi post A.* 580 *S. Columbanus ex Hibernia solvere potuit. Verum quidem est Cointium* (*e*) *dicere S.* Gallum *tunc, scilicet A.* 568, egisse annum ætatis duodequadragesimum; *sed hoc vel ex eo falsum est, quod quum S. Columbanum in Gallias inducat* vicesimum ætatis annum agentem, *aperte contradicat utrique scriptori Vitæ S.* Galli, *asserenti hunc* puerum *Columbano, certe adulto, educationis ergo a parentibus oblatum fuisse.*

alii A. 568, 48 *Ad hanc epocham confirmandam citat Cointius ibidem quasi vadem suæ sententiæ* Joannem Ruyr, *canonicum Ecclesiæ S. Deodati* (S. Dié. dépt. des Vosges), *qui* sacras Vosagi antiquitates *in unum collegit et gallico idiomate edidit an* 1633. *Sed laudatus auctor omnino contrarium habet* (*f*) : Antiqui auctores fide digni scripto reliquerunt S. Columbanum jam anno quingentesimo nonagesimo septimo Vosagum ingressum fuisse, quamvis tunc deserti horridi et inhabitati adspectum exhiberet. *Lubens fateor subesse hic probabilius errorem typi; cum inter omnes conveniat Luxovium fundatum fuisse circa an.* 590. *Sed hoc certum manet, Joannem Ruyr, nullo alio loco tempus adventus S. Columbani assignasse et proinde non esse rationem, cur citatum auctorem in suam sententiam ab omnibus fere eruditis rejectam, pertrahere Cointius conetur.*

aut saltem 49 *Cæterum, ut opinio illorum qui S. Columbani adventum ad regnum Sigiberti propter auctoritatem Jonæ, scriptoris subæqualis Actorum ejusdem Sancti, referendum putant, plenius refellatur, juverit adnotasse alios auctores suppares eumdem adventum Childeberti II imperio illigasse, qui ab an.* 575 *Austrasiæ, ab an.* 593 *Burgundiæ quoque ad an.* 596 *dominatus est. Imprimis in Vita* S. *Salabergæ, abbatissæ,* XXII. *Septembris* (*g*), *quamvis citet anonymus Vitam S. Columbani ab Jona conscriptam et proinde dicat* non esse necessarium suo operi texere gesta (*Columbani*), cum sint ab eloquentissimo viro Jona elucubrate edita; *nihilominus scribit : Luxovium monasterium* vir fama laudabilis et sanctitate pollens Columbanus, peregrinus ex Hibernia adveniens, ex munificentia Childeberti regis summo studio et labore construxit. *Videtur igitur Jonæ error ab anonymo rerum gallicarum peritiori correctus fuisse. Similiter auctor anonymus suppar Vitæ S. Agili, abbatis Resbacensis,* XXX *Augusti* (*h*) *orditur narrationem suam :* Agente igitur in sceptris Hildeberto Sigeberti regis filio, qui juventutis flore et sapientiæ decore gubernavit Burgundiam atque Austrasiam. . . . Eo tempore vir religione reverendus Columbanus ab Hybernia in Galliam advenerat, desiderans a præfati regis serenitate adipisci locum, quo monasterium ædificaret. *En duo scriptores fere coævi, qui S. Columbani adventum tempore Childeberti* II, *proinde post an.* 575, *contigisse scribunt.*

sub Sigiberto 50 *Operæ pretium fuerit hic addere quod Nostri ad Vitam S. Agili* (*i*) *scripserunt :* Difficulter credi potest, duos hosce sciptores ignorasse, a quo S. Columbanus accepisset locum condendo monasterio

(*a*) Tom. V Augusti, p. 572, n. 15. — (*b*) Ad an. 568, § VI, tom. II, p. 98. — (*c*) Ibid., p. 102. — (*d*) Gall. Christ. antiq., tom. IV, p. 385. — (*e*) Ann. Franc. ad an. 568, § XI et seqq., tom. II, p. 105. — (*f*) Les Sacrées Antiquités des Vosges, p. 1. — (*g*) Tom. VI Septemb., p. 521, n. 2. — (*h*) Tom. VI Augusti, p. 575. — (*i*) Ibid., p. 576, sub not. *m*.

tam

A tam celebri. Accedit quod locus fuerit obtentus interventu Agnoaldi, qui consiliarius erat Childeberti, non Guntramni, ut ipse eum vocat Mabillonius (*a*). Attamen locum a Guntramno impetratum vult Mabillonius, quia Luxovium credidit fuisse in ditione Guntramni, non Childeberti. Verum licet certum sit in hodierno Burgundiæ comitatu situm esse prope Lotharingiæ confinia, non æque certo constare existimo de limitibus antiquorum regnorum Burgundiæ et Austrasiæ, neque adeo ausim contra auctoritatem utriusque scriptoris Guntramno potius loci donationem attribuere quam Childeberto. *Recte quidem Stiltingus noster Luxovium in utriusque regni confiniis posuit. Sed* tunc *quoque ad Burgundiæ regnum pertinuisse, ex eo patet, quod ex Jona n.* 31 (*b*) *constat, Theodoricum, cui Burgundia obtigerat, quia* in termino regni sui B. Columbanum haberet, gratulatum *sibi fuisse. Atque ne id alicui errori Jonæ adscribamus, vetat series totius historiæ, Theodoricum Burgundiæ regem persecutorem Sancti exhibentis.*

Austrasiæ rege,

51 *Manet igitur difficultas, quæ etiam Cointium movit* (*c*) *ad ineundam sententiam, minime regnasse in Burgundia, quando S. Columbanus in Gallias appu-*
B *lit, Childebertum, utpote qui illa ditione solum post mortem Guntramni, an.* 593, *auctus fuerit. Non est certe spernenda hæc difficultas : ast meo judicio tolli potest, quum Childebertus, ante mortem Guntramni, aliquo modo regno associatus fuerit, ita ut vere munificentiæ illius adscribi possit donatio Luxovii, licet intra Burgundiam siti. Hæc enim de utroque rege scribit S. Gregorius Turonensis in Historia* (*d*) : Guntchramnus data in manu regis Childeberti hasta ait : Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi. Ex hoc nunc vade et omnes civitates meas, tamquam tuas proprias, sub tui juris dominationem subjice. Nihil enim, facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum qui mei fratris es filius. Tu enim heres in omni regno meo succede, cæteris exheredibus factis. . . . Tunc ei reddidit, rex Guntchramnus omnia, quæ pater ejus Sigibertus habuerat. *Quamvis hæc postrema verba solum spectare videantur ad regni Austrasiani administrationem, Childeberto an.* 585, *majorenni facto, commissam; nihilominus sermo Guntramni non solum adoptionem, qualem Gregorius l.* V, *c.* XVIII (*e*) *descripserat, sed quamdam etiam regni societatem*
C *indicat. Ex his igitur explicari potest, quomodo scriptores quidam Childebertum, ante patrui sui Guntramni mortem, regem Burgundiæ dicere, et eidem donationem Luxovii S. Columbano factam adscribere potuerint.*

sed perperam statuunt :

52 *Tandem ut omne amoveatur præjudicium, quod ex Sigiberti nomine ingesto chronologiæ inferri possit, etiam iis, quibus hactenus dicta non probantur, probe attendenda sunt verba Joannis Mabillon* (*f*) *dicentis :* Errandi occasio Jonæ homini extero (*erat Segusinus in Subalpinis*) nec in patria nostra historia exercitato, hæc fuit, quod Burgundiæ principatum ex paterna hæreditate in Childeberti potestatem venisse falso autumaverit, quem ei ex patrui morte, id est Guntchramni provenisse exploratum est. *Et revera consideranti Jonæ textum ita esse manifestum fit. Nam in Actis S. Columbani n.* 31 (*g*) *omnem Theodorici hæreditatem Sigiberto avo auctori videtur adscribere :* Creverat jam passim fama sancti viri in universas Galliæ vel Germaniæ provincias, eratque omnium cultu venerabilis, rumore laudabilis, in tantum ut Theodoricus rex, qui eo in tempore regnabat, ad eum sæpe veniret, et orationum ejus suffragium omni cum humilitate deposceret. Sigebertus etenim, cujus superius mentionem fecimus, apud Victoriacum (*Vitry*) villam publicam, quæ in suburbano Atrebatensis urbis sita est, Hilperici germani sui dolo, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, quem Sigebertus usque ad mortem persequebatur, interfectus est. Perempto itaque Sigeberto, Hildebertus filius ejus regni sceptra suscepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Hildeberto intra adolescentiæ annos, regnaverunt filii Hildeberti duo Theodebertus et Theodericus cum avia Brunechilde : regno Burgundionum Theodericus potitus est, et regnum Austrasiorum Theodebertus suscepit regendum. *Hic aperte hæreditatem utriusque regni Burgundiæ et Austrasiæ, tamquam per Sigibertum in nepotes derivatam, nulla Guntramni mentione facta, describit Jonas : quod si tam graviter in Burgundiæ rege lapsus sit, quis miretur eumdem et Sigiberti annum emortualem ignorasse.*

AUCTORE J. V. H.

D

53 *Cum epocha Sigibertiana sustineri, ut vidimus,* *melius*
nullatenus possit, aliam quæsierunt recentiores eru- E
diti, illamque ex verbis Jonæ deduxerunt, dicentis in Vita S. Columbani n. 38 : Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius. *In vita quoque S. Agili* (*h*) *legitur :* B. Columbanus vicesimo anno ex quo monasterium instaurare cœperat, propulsione Theodorici regis et dolo pessimæ Brunechildis exagitatus, natale solum repetere perurgetur, atque Eustasius, vir totius religionis experientia probatus, successor illius subrogatur invitus. *Ex his verbis liquet S. Columbanum viginti circiter annos Luxovium incoluisse : nam de Luxoviensi monasterio hic sermonem institui, vel ex eo patet, quod S. Eustasius, qui illi subrogatus dicitur, huic monasterio præfuisse legatur.*

54 *Hæc porro S. Columbani expulsio, consen-* *alii*
tientibus Pagio in Crit. Baronii (*i*), *Mabillonio* (*k*), *Nostris in Vita S. Agili* (*l*), *Cointio* (*m*) *aliisque, A.* 610 *contigit. Putaret fortassis quispiam potius ad A.* 609 *referendum esse sancti viri exilium : nam, ut tradunt Fredegarius in Chronico* (*n*) *et Aimonus l.* III, *c.* XCIV (*o*), *e monasterio ejectus fuit A.* XIV *Theodorici, qui cum A.* 609 *concurrit, siquidem*
exordium ejus regni initio A. 596 *ponendum est, ut* F
probat Pagius in Crit. Baronii (*p*). *Retrocedendo autem ab A.* 609, *vigesimus annus incolatus S. Columbani incidit in A.* 590. *Sed sunt potiores rationes, quæ suadent in A.* 610 *rejiciendum esse Sancti exilium : prædixit scilicet beatus vir Ragamundo, uni ex tribunis ejus custodiæ, quousque regno pelleretur, commisso, n.* 39 : Chlotarium, quem nunc spernitis, intra triennium dominum habebitis. *Jam vero inter omnes in confesso est, Clotharium A.* 613 *regnum totius Franciæ adeptum fuisse, proindeque exilium S. Columbani ab A.* 610 *dimovendum non esse, a quo ad A.* 590 *devenire possumus. Utramque sententiam conciliat Pagius l. c. dicendo exilium quidem A.* 609 *irrogatum, solum* 610 *executioni mandatum fuisse.*

55 *His positis, nempe Luxovium monasterium* *A.* 590,
A. 590 *fundatum fuisse; eruditi in duas abeunt sententias. Alii inter quos D. Ceillier* (*q*) *et Joan.*

(*a*) Tom. I Annal., p. 279, lib. XI, § XIII. — (*b*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 17. — (*c*) T. II, p. 101 et seq. — (*d*) D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., tom. II, p. 306. — (*e*) Ibid., p. 299. — (*f*) Annal., lib. VIII, § X, tom. I, p. 192. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 17. — (*h*) T. VI Augusti, p. 577, n. 7. — (*i*) Ad an. 612, § VI. — (*k*) Annal. Bened., lib. X, § XLVI, tom. I, p. 266. — (*l*) Tom. VI Aug., p. 572, n. 16. — (*m*) Ad an. 590, § XXXVI, tom. II, p. 370. — (*n*) D. Bouquet Rec., tom. II, p. 425. — (*o*) Ibid., tom. III, p. 113. — (*p*) Ad an. 596, § XIII. — (*q*) Hist. des Aut. ecclés., tom. XVII, p. 463.

Lanigan

AUCTORE J. V. H.

Lanigan (*a*), *censent S. Columbanum in Gallias A.* 590 *venisse; cui sententiæ adstipulari videtur Joan. Mabillon* (*b*). *Præcipua ratio est, quia, teste Jona n.* 36 (*c*), *expulsus est* vicesimo anno post incolatum eremi illius, *id est, ut ipsi quidem interpretantur, vigesimo anno postquam Vosagum incolere cœperit, quod statim post adventum beati viri accidit. Ast, pace tantorum virorum dixerim, per eremum de qua loquitur Jonas, non quæcumque Vosagi deserta hic intelligenda sunt, sed Luxovii solitudinem, de qua proxime locutus fuerat. En verba :* Inter quos (*a S. Columbano derelictos*) venerabilis vir, qui post in eodem monasterio (*utique Luxoviensi*) Pater extitit Eustasius, discipulus et minister sancti viri, violenter avellitur, intendente super eum Mictio avunculo ejus, qui Lingonicæ Ecclesiæ pontifex erat. Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius. *Certe omnino apte* incolatus eremi *Luxovio convenit, ut ad omnem Vosagum extendi non debeat : eoque magis quod etiam ex Vita S. Agili, supra n.* 49, *vicenaria illa periodus per monasterii Luxoviensis fundationem circumscribatur.*

vel accuratius

56 *Atque huic argumento tanto fortius insistendum est, quod ipsius Jonæ narratio aliquot annorum intervallum inter Sancti adventum et Luxoviensis cœnobii fundationem interponendum suadet. Nam benigne exceptus a rege, sive Childeberto, sive Guntramno, in Anagratensi primum castro habitavit, ut narrat Jonas n.* 12. *Sequentibus dein pericopis exponit quomodo Sanctus ibidem delituerit, ita ut Caramtocus, abbas monasterii Salicensis* (le Sancys dépt des Vosges) *tribus tantum leucis ab Anagratibus distantis* (*d*), *de ejus commoratione in deserto instruendus divinitus fuerit, et, ut habet Jonas n.* 14 *Salicensis cellerarius* viam sibi pandendi itineris nequaquam repererit.... Equi ignotum iter ungula terunt, rectoque itinere ante fores B. Columbani ad Anagrates perveniunt.... Cœpit exinde frequentia populi et infirmantium cohortes ob sanitatem redintegrandam ad eum frequentare. *Pergit dein Jonas num.* 16 *in enarrando vitæ genere, quod S. Columbanus in Anagratensi solitudine tenuit :*

circa A. 585,

57 Quo in tempore cum in eadem concava scopuli solitariam vitam duceret, sicut erat ejus consuetudinis, ut cum Dominicis festis vel quorumlibet Sanctorum sacratæ solemnitatis appropinquaret
C adventus, ab aliorum societate segregatus et abditis locis receptus, vel longiori spatio eremi secreta sectabatur, ut solida mente et absque curarum inquietudine solus orationi vacaret, et religioni omni conatu intenderet, erat cibo ita attenuatus ut vix vivere crederetur. *Hæc vitæ consuetudo, quæ per varia festa Domini et Sanctorum solemnitates decurrit, S. Columbano usitata, satis demonstrat illum diuturniorem in Anagratensi deserto moram traxisse, quam ut ejus in Gallias adventus cum Luxoviensi fundatione coalescere possit. Sed qui aliquandiu ignotus delituit, fama ejus paulatim crescente, tandem ad se magnam attraxit hominum multitudinem, qui sub ejus magisterio vitam monasticam profiteri gestiebant. Atque hæc causa fuit, cur Luxovium instaurare cœperit :* Cum jam, *pergit Jonas n.* 17, multorum monachorum densaretur societate, cœpit cogitare, ut potiorem locum in eadem eremo quæreret, quo monasterium construeret. Invenitque castrum firmissimo munimine D
olim fuisse cultum, a supra dicto loco (*Anagratibus*) distans plus minus octo millibus, quem prisca tempora Luxovium nuncupabant.

sub Childeberto

58 *Ex hac rerum gestarum serie manifeste appareret aliquot annorum intervallum a S. Columbani adventu ad fundatum Luxovium statuendum esse. Quare non videtur admittendum, quod Joan. Mabillon* (*e*) *sentit, Anagratense cœnobium* primum tumultuario opere, dein crescente discipulorum numero Luxoviense a S. Columbano constructum fuisse, *quasi subinferre vellet jam ab ingressu in Vosagum de alio monasterio condendo actum fuisse : ut exinde pronum esset judicare, paucorum mensium intercapedine utrumque institutum fuisse. Pauperes erant monachi Anagratibus; sed ita tamen, ut ejusmodi mansionis non tæderet viros omnimodæ pœnitentiæ deditos. Joannes quoque Lanigan, vir accuratioris critices in antiquitatibus Hibernicis investigandis, scribit* (*f*), varias circumstantias et epochas vitæ S. Columbani vix posse conciliari cum opinione eorum, qui Sancti adventum aliquot annis ante A. 590 statuunt, *qui scilicet putant Sanctum circa A.* 585 *regnum Burgundicum attigisse. Nihil tamen in Sancti Vita, sive antecedentia sive consequentia* E
spectemus, reperitur, quod non omni ex parte, quantum equidem assequi possum, cum chronotaxi eorum qui Sanctum adventantem circa A. 585 *statuunt, quam aptissime conveniat.*

Sigiberti filio;

59 *Aliquot igitur annis adventum S. Columbani præcessisse fundationem Luxoviensem, jure merito censuerunt Pagius in Baronium* (*g*), *D. Bouquet* (*h*) *Albanus Butler in Vita S. Columbani ad* XXI *Novembris, aliique multi; quibus tamen non annumero Hadrian. Valesium* (*i*), *ideo A.* 587 *aut sequenti adventum Sancti affigentem, quia perperam statuit A.* 608 *ejectum fuisse. Ad eruditorum virorum opinionem accedit positivum monumentum, quod ostendit adventum S. Columbani A.* 585 *ponendum esse. Citatur a Joan. Mabillon* (*k*) *excerptum e codice, olim S. Petri Bellovacensis, homilias S. Augustini novem in S. Joannis Epist. continente, in cujus fine legitur uncialibus litteris :* EXPLICITU OPUS FAVENTE DN̄O APUD LUSSOVIUM ANNO DUODECIMO REGIS CHILOTACHARII INDICTIONE TERTIA DECIMA AN XLSIMO PĪS NĪ FĒL. P̄ACTO : *id est anno quadragesimo Patris nostri Columbani;* qui proinde, *pergit Mabillon in Ann.*, anno supra quingentesimum octogesimo
quinto in Vosagum advenisse dicendus est; si quidem annus duodecimus Chlotarii regis II in Burgundia regnantis et indictio tertia decima, quæ duo præsenti anno (*sc. DCXXV*) conveniunt, Chlotario III convenire non possunt. F

Burgundicæ vero coronæ

60 *Et vero non temere hæc dixisse Mabillonium, ut suspicatur Joan. Lanigan* (*l*), *patet ex eo quod hanc opinionem concordare asserat cum iis, quæ scripserat de adventu S. Columbani circa A.* 590 *in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, l. c.* : Tempus quo Columbanus Vosagum incolere cœpit, signavi paulo ante annum quingentesimum nonagesimum. Calculus iste confirmari videtur ex quadem clausula, quæ habetur in fine expositionis S. Augustini, *etc.; affert dein clausulam supra citatam. Ex hoc Mabillonii textu constat, quo sensu intelligenda sint ejus verba, circa A.* 590 *S. Columbanum in Gallias appulisse; scilicet tute intervallum quinque circiter annorum inter ejus adventum et Luxovii*

(*a*) Hist. of Irel., t. II, p. 265. — (*b*) Annal. Bened., lib. VIII, § X, tom. I, p. 192. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 20.— (*d*) Mabill. Annal., lib. XIII, § IX, tom. I, p. 191. — (*e*) Annal. Ben., lib. VIII, § X, t. I, p. 192. — (*f*) Hist. of Irel., t. II, p. 266. — (*g*) Ad an. 585, § VI. — (*h*) Rec. des Hist., tom. III. p, L. — (*i*) Tom. II Rer. Francic., p. 542. — (*k*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. III, part. II, p. 451. Annal. Bened., lib. XI, § XLVI, tom. I, p. 298. De Re diplom., lib. V, tab. VIII. — (*l*) Hist. of Irel. t. II, p. 265.

monasterii

monasterii fundationem statuendam esse. Concurrunt itaque conjecturæ et monumenta, ut dicamus S. Columbanum circa annum 585 *Galliarum regna attigisse.*

sub Guntramno

61 *Unum fortassis huic argumentationi opponi posset, nempe ex Vita S. Agili supra laudata constare Luxovium S. Columbano traditum fuisse brevi post ejus adventum intervallo. Hæc enim leguntur in Vita S. Agili* (*a*) : Dum ergo sedulo meditaretur (*Columbanus*) ac secum quæreret, quem de aulicis palatii adiret, qui se præsentiæ regis sisteret, atque celsitudini illius clementiæ desiderium suum panderet, si quando obtineri posset quod fervore fidei cupiebat, audito vehementi studio præscripti principis Agnoaldi (*patris S. Agili*), eum adire deliberat, se suamque precem illi commendat. Qui mox talis desiderii arcanum, ac si divinitus sibi commissum, suscipiens, quantocyus regi opportune indicat, eumdemque Columbanum illi gratiosum efficit, nec non ut cooptabilem illius precem exaudiat, submissus efflagitat. At rex magnanimitatis modestia jocundans super sermone hujusmodi, postulata libentissime indulget, insuper necdum petita largiri magnifice promittit.

patruo

62 Castrum namque inter vasta eremi septa, quæ Vosagus dicitur, fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum usque dirutum, quod hujus saltus incolæ, quamquam ignaro præsagio *Luxovium* nominavere. Illud quidem considerans Agnoaldus velocius posse restaurari, et cernens situm loci monachorum agmini aptum, immo intelligens, prærogativa fidei et sapientiæ illustratus, eumdem locum Deo sacrari oportere, et ubi olim profano ritu veteres coluerunt fana, ibi Christi figerentur aræ et erigerentur vexilla, atque celebrarentur mysteria, obtinuit suis precibus a sublimitate regis, ut per scripti seriem habitaculum Deo militantium perenniter delegaretur. *Hæc verba manifeste edicunt S. Columbanum statim post suum ad aulam Burgundicam accessum, obtinuisse Luxovium, ibidemque brevi temporis intervallo constituisse cœnobium. Verum ex Actis S. Agili* XXX *Augusti constat ejus Vitam interpolatam pluribus locis fuisse; et hunc ipsum locum expungendum signant Nostri* (*b*). *En textus genuinus, n.* 3 :

plena cum potestate

63 Qui dum sedule meditaretur ac secum quæreret, quem de aulicis palatii adiret, ut regiæ celsitudini suum panderet desiderium, audito vehementi studio præscripti principis Agnoaldi, se suamque precem illi commendare deliberat. Mox Agnoaldus talis desiderii arcanum, quasi divinitus sibi commissum suscipiens, quantocius regi opportunius intimat, eumdemque Columbanum illi gratiosum efficit, et castrum in vasta eremo, quæ Vosacus dicitur, fanaticorum cultui olim dedicatum, sed nunc ad solum usque dirutum obtinet a Rege, ut per scripti seriem Deo militantibus perenniter delegaretur. *Hic nulla occurrit mentio Luxoviensis cœnobii; sed e contrario concessi loci descriptio apprime convenit Anagratibus, quæ a Jona n.* 12 *in vasta eremo Vosago tamquam castrum dirutum designantur.*

hærede,

64 *Nihilominus fateor auctorem Vitæ S. Agili, etiam interpolationibus purgatum, subinferre tamen Luxovium : nam post verba mox citata legitur c.* II : Optata dehinc dies advenerat, in qua pius pater sacris altaribus charam sobolem offerret in jam dicto monasterio. *Atqui monasterium, in quo a patre suo Agnoaldo oblatus fuit S. Agilus puer, est certo Luxoviense; unde dubitari vix potest, quin Anonymus de eodem verbis præcedentibus sermonem habuerit : rediret igitur difficultas adhuc solvenda. Sed cum inconcussa maneat Jonæ auctoritas, qua Anonymus quoque nititur, ita hic explicandus est, quasi cœnobia Anagratense, Luxoviense et Fontanense unum idemque monasterium constituissent, utpote quæ ab uno abbate S. Columbano regerentur. Atque hoc ipsum dicit Jonas n.* 17 : *Variis monasteriis suis* dedit gubernatores præpositos, de quorum religione nihil dubitabat. His ergo in locis monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent, Spiritu Sancto repletus, condidit.

AUCTORE V. J. H.

§ VI. Iter Alemannicum.

Tempore adventus S. Columbani in Gallias stabilito circa an. 585, *non est quod insistamus iis quæ uterque scriptor Vitæ S.* Galli *narrat de rebus gestis in Gallia et causis exilii S. Columbani, ad cujus Vitam,* XXI *Novembris dandam, hæc spectant præcipue. Jam vidimus supra n.* 54 *S. Columbanum expulsum fuisse an.* 610; *eamdem pœnam sortiti sunt socii ejus ex Hibernia advenæ. Hoc insinuat Jonas n.* 37 : *cum enim omnes monachi patrem suum exulantem sequi vellent,* custodes regii inquiunt, nequaquam hunc sequi alios permissuros, nisi quos sui ortus terra dederat, vel qui e Britannico arvo ipsum secuti fuerant; cæteros qui alio essent orti solo, præceptis regiis ibi esse remansuros. *Clarius scriptor Vitæ S. Deicoli* XVIII *Januarii* (*c*) *edicit Scotos ad exilium compulsos fuisse :* inter quos etiam venerandi fratres Gallus atque Deicolus. . . . patris sui vestigia prosequentes, dispendium propositi itineris uterque volens nolens divino judicio perpessus. *Ex his manifestum fit, Scotis ad exilium adactis, alios regiis præceptis impeditos fuisse. Atque ista fortassis fuerit hujus discriminis causa : cum graves agitarentur quæstiones inter Columbanum et Galliæ episcopos, ut videre est in ejus epistola ad episcopos* (*d*), *illæ componendæ facilius sperabantur, absentibus Scotis, ob patriæ amorem, suorum rituum tenacioribus.*

S. Gallus

Columbanum magistrum suum

66 *Hinc quoque deducitur, errorem Johanni Muller in Historia Helvetiæ obrepsisse, cum scribit* (*e*) : Gallo oblatam fuisse Abbatiam (*Luxoviensem*); sed maluisse illum cum amico calamitatem perpeti. Gall sollte die Abtey bekommen, er wollte aber lieber mit seinem Freunde Ungemach leiden. *Cum in arbitrio Columbani aut* Galli *non fuerit in monasterio remanere, jam ruit illa conjectura historica. Præterea ex illo etiam capite non est admittenda, quod nihil simile in alterutrius Actis occurrat : quin et contrarium insinuat S. Columbanus in Epist.* III *ad suos monachos* (*f*). *Nam nulla de S.* Gallo *facta mentione, dicit antequam S. Eustasio commissa fuisset vicaria potestate administratio monasterii Luxoviensis, oblatam fuisse præfecturam S. Attalæ et Wandoleno; sed hi omnes ex Gallia oriundi erant : ut de SS. Eustasio et Attala constat ex eorum Vita* (*g*) *et de Wandoleno ex Joan. Mabillon* (*h*). *Scriptor quoque Vitæ S. Deicoli ad* XVIII *Januarii* (*i*), *quamvis mire in S.* Galli *laudes effusus, nihil affert quo oblata dignitas utcumque stabiliatur;*

(*a*) Coint. Ann. Franc. ad an. 568, § XVII, tom. II, p. 103. — (*b*) Tom. VI August., p. 576, lit. *p*. — (*c*) T. II Januar., p. 202, n. 11. — (*d*) Bibl. Max. Patt., tom. XII, p. 25. Edit. Lugd. — (*e*) Gesch. der Schweitz. Eidgenossench., tom. I, p, 203. Edit. Frankenthal. — (*f*) Bibl. Patt., tom. XII, p. 27. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 116 et 123. — (*h*) Annal. Ben., lib. X, § LIII, tom. I, p. 270. — (*i*) Tom. II Januar., p. 202, n. 10.

AUCTORE J. V. H.

sed simpliciter dicit S. Columbanum Eustasio viro probatissimo, paterni nominis simulque officii locum tradidisse et vicarium sibi ad fovendum gregem Domini substituisse : ipsum vero cum paucis, qui cum eo pro Christo peregrinationem acceperant, plenum ora lacrymis, præduce Christo, ad alia tetendisse loca.

in exilio

67 *In Vita S. Columbani Jonas n.* 38 *et seqq. late describit iter ejus Luxovio Namnetas, atque in Alemanniam; quo tandem, petente Theodeberto Austrasiæ rege et Theodorici fratre, concessit, ita tamen,* ut, *ait Jonas n.* 49, per Theodeberti regnum, si valeret ad Italiam Alpium juga transcendens perveniret. *Idem aperte dicit S. Columbanus Theodeberto regi, multa promittenti ut intra limites regni consisteret, ibid. n.* 51 : Si pollicitationis tuæ adminiculum præbueris, et demum falsitatis noxam non opposueris, quantisper me moraturum scias, ac probaturum, si in cordibus gentium vicinarum fidem serere valuero. *Jonas nullo indicio prodit quanto tempore beatus vir in Alemannia perseveraverit. Uterque auctor Vitæ S.* Galli, *anonymus n.* 7 *et Walafridus c.* VI, *statuunt illum per* triennium *in Alemannia mansisse : quod nullatenus cum Actis ejus concordare potest. Nam S. Columbanus non citius an.* 610 *in exilium actus, post peragratam magnam Galliæ partem, in aula Clotarii regis moratus, nonnisi adulto jam eodem hoc anno in Alemanniam pervenire potuit : cum præterea ex Jona n.* 59 *constet Columbanum, audita victoria Theodorici de Theodeberto relata an.* 612, *Italiam ingressum fuisse : vix ultra* biennium *in Alemania remanere potuit.*

secutus,

68 *Quas vir sanctus in Alemannia fecerat fundationes, illæ secundum ejus consilium extemporales et ad breve intervallum duraturæ erant : sed Deus aliter disposuit. Nam illud quasi in transitu jactum divini verbi semen in amplissimam excrevit messem et fructus tulit in sæcula perennes. Alemanni siquidem, qui et Suevi dicebantur, opera S.* Galli *et sociorum ejus ad fidem erant convertendi, quam antea aliqui sectati insanis fœdaverant superstitionibus. Gentis originem describit Agathias, qui sæculo* VI *floruit, in Lib.* I *de rebus gestis Justiniani Imp* (*a*) :

in Alemanniam, ab Agathia,

69 Alemanni autem (*latina Vulcanii interpretatione utor*), si Asinio Quadrato homini Italo, qui res Germanicas accurate conscripsit, credimus, convenæ sunt et miscellanei, quod et appellatio ipsa satis indicat. Hos antea Theodoricus Gotthorum rex, cum etiam universa Italia potiretur, tributarios fecerat, totamque hanc gentem subegerat. Simul atque vero is e vivis excessit, atrocissimumque bellum inter Justinianum Romanorum imperatorem et Gotthos exarsisset, tum Gotthi Francis adulantes eorumque amicitiam et benevolentiam, quibuscumque poterant modis, sibi conciliantes, et aliis multis locis ejecti sunt et Alemannicam gentem dimiserunt. Cogendas enim sibi tum temporis undequaque vires suas putabant, subditosque quotquot supervacanei neque admodum opportuni viderentur missos faciendos, quippe qui non amplius de principatu et gloria essent concertaturi, sed jam pro Italia ipsa, neve funditus delerentur periculum adituri. Quocirca cum futurum periculum ipsi animis suis præcepissent et prævidissent, voluntatem suam ad necessitatem aggregarunt. Hoc itaque modo etiam Alemannorum nationem a Gotthis dimissam in suam potestatem redegit Theodibertus : quo mortuo, ut supra dictum est, Theodibaldo filio una cum reliquis subditis etiam hi cesserunt.

sæculi VI *auctore,*

70 Sunt vero etiam his patria quædam instituta; in reipublicæ vero administratione Francorum politiam sequuntur; tantum in iis, quæ ad Deum pertinent, sententia variant. Arbores enim quasdam colunt, et fluminum lapsus et colles et saltus, atque his, tamquam justa facientes, equos aliaque quam plurima, resectis capitibus, immolant. Porro consuetudo quam cum Francis habent, ipsis conducit, in melius transferens et quodammodo pertrahens cordatiores : et brevi, ut spero, tempore hoc ipsum apud omnes evincet. *Hæc accurate profecto explicant conditionem Alemannorum illo circiter tempore, quo S.* Gallus *Alemanniam incolere cœpit : nam præter institutum esset nostrum in primam gentis originem inquirere, quam videre licet in Alemannicis Antiquitatibus apud Schoepflin* (*b*) : *sufficiat hic observasse Theodebertum, de quo loquitur Agathias, esse Theodorici filium, qui Austrasiæ seu Metensi ditioni imperavit ab an.* 534 *ad* 548.

dictam non Ostrogothiæ,

71 *Ex Agathiæ textu mox allato consequi videtur Alemannos universos Ostrogothis, Italiam occupantibus, paruisse : ait enim* Theodoricum Gotthorum regem, cum etiam universa Italia potiretur, (*Alemannos*) tributarios fecisse totamque hanc gentem subegisse. *Agathias, homo videlicet græcus, nescivit a temporibus Clodovæi I potissimam partem Alemanniæ Francici juris fuisse, ut testatur S. Gregorius Turonensis* (*c*); *quem sequuntur Rorico* (*d*) *et Aimoinus* (*e*). *Imo ipse Theodoricus Clodovæo Alemannicam victoriam gratulatur, monetque ut moderate victis imperet* (*f*). *Sat magnam tamen Alemannorum multitudinem ad Theodoricum confugisse demonstrat oratio ejus panegyrica, conscripta a S. Ennodio Ticinensi episcopo, de quo actum fuit* XVII *Julii. In hæc autem profatur verba* (*g*) : Quid quod a te Alemanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est? Cui evenit habere regem, postquam meruit perdidisse. Facta est Latiaris (*Latini*) custos imperii, semper nostrorum populatione grassata. Cui feliciter cessit fugisse, nam sic adepta est soli nostri opulentiam. *Multa igitur Alemannorum millia Theodoricum adiisse, vel ex* generalitatis *vocabulo conjicere licet, quamvis ipsam vocem hyperbolicam esse facile concedemus.*

sed Austrasiæ Regibus

72 *Cæterum hæc ipsa pars Alemannorum, a Francis profuga, non ita diu post sub eorum potestatem redacta fuit, uti testatur Agathias l. c.*: Gotthi Francis adulantes. . . . et aliis multis locis ejecti sunt et Alemannicam gentem dimiserunt. *Hic quidem hærent scriptores recentiores, ut animadvertit P. Daniel noster in Historia Franciæ* (*h*), *eosque redarguit hoc modo :* Interpres Agathiæ, *verba P. Danielis latine reddo,* Hadrianus Valesius aliique recentiores explicant Agathiam, quasi Gothi coegissent Alemannos, ut relictis Alpibus ad antiquam patriam remearent, atque illic sub Theodeberto cum gentilibus suis viverent. *Ipse vero P. Daniel censet Vitigen, Gothorum regem, ut Francos ad se alliceret, ipsam regionem, videlicet Alpes Rhæticas, Franco cessisse. Hanc controversiam, utpote ab instituto nostro alienam, aliis dirimendam relinquimus. Sed hoc certum est, Francos circa hæc tempora, scilicet circa A.* 540, *Rhætiam occupasse. Hoc insinuat Procopius de Bello Gothico, dicens* (*i*) : Θευδίβερτος, ὁ Φράγγων ἀρχηγὸς,

(*a*) Hist. Byzant. Agathias, p. 27. Edit. Bonn.— (*b*) Comment. Hist. et Crit., p. 171. — (*c*) Hist. Franc., lib. II, cap. XXX. Ap D. Bouquet, tom. II, p. 177. — (*d*) De Gestis Franc., lib. III, ibid., tom. III, p. 9. — (*e*) Lib. I, cap. XV, ibid., tom. III, p. 39. — (*f*) Ap D. Bouquet, t. IV, p. 3.— (*g*) Sirmond. Oper., t. I. col. 1610.—(*h*) Hist. de France, t. I, p. 161. Edit. Amstelod. an. 1742. — (*i*) Lib. IV, cap. XXIV, tom. II, p. 587.

A ἀρχηγὸς, ὁυ πολλῷ ἔμπροσθεν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο νόσῳ, Λιγουρίας τε χωρία ἄττα, καὶ Ἄλπεις Κοττίας, καὶ Βενετιῶν τὰ πολλὰ ὀυδενὶ πόνῳ ἐς ἀπαγωγὴν φόρου ὑποτελῆ ποιησάμενος. Paulo ante Theodebertus Francorum rex morbo obierat, cum sibi nullo negotio tributaria fecisset nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias Venetique agri partem maximam. *Quod, ait Ambros. Eichhorn Benedictinus San-Blasianus, in Episcopatu Curiensi* (*a*) : vix fuisset possibile, nisi propiorem prius Rhætiam alpestrem subegisset.

subjectam, 73 *Ex illo tempore Alemannia universa Austrasiæ regno tributa fuit sub prima stirpe Merovingica. Hinc S. Columbanus in Alemannia degens sub tutela Theodeberti II, iram fratris ejus Theodorici Burgundiæ regis effugere potuit, donec hic Austrasia potitus an.* 612, *sanctum virum in Italiam exulare coegit. Pagius in sua critica in Baronium* (*b*) *dicit :* Tunc annuente eo (*Theodeberto*) elegit ad tempus stationem intra Germaniæ terminos, in oppido diruto ad Rhenum nomine Brigantium : circa quod oberrans et mira multa efficit et Barbaros complures ad Christi fidem traducit : *Columbanus* itaque ditiones adiit, quas *Theodebertus Theodorico* fratri cis Rhenum nuper ademerat, qua de
B re legendus Fredegarius in Chronico cap. XXXVII loquens de gestis Theodorici anno X. *Hic error typothetarum obrepserit, nam Fredegarius hæc refert ad annum* XV *Theodorici. Sed alii sunt Pagii errores : nam* Brigantium *ad Rhenum ponit, quum quatuor circiter leucis a flumine distet. Dein Brigantium non* cis *sed* trans Rhenum *situm est : unde si quid* cis Rhenum *Theodebertus Theodorico ademit, Brigantium tamen ad antiquam Austrasiorum regum possessionem pertinebat.*

venit. 74 *Præterea sat obscurus est Fredegarii locus citatus* (*c*) : Anno XV regni Theuderici, cum Alesaciones (*Alsatas*), ubi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, a Theudeberto ritu barbaro pervaditur. Unde placitum inter duos reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloissa castro (Seltz, *oppidum Alsasiæ* (*d*)) instituunt : ibique Theudericus cum scaritis (*militibus*) tantum decem millibus accessit. Theudebertus vero cum magno exercitu Austrasiorum inibi prælium vellens (*sic*) committere aggreditur; quod cum undique Theudericus ab exercitu Theudeberti circumdaretur, coactus atque compulsus Theudericus, timore perterritus, per pactionis vinculum Alsacios ad Theu-
C debertum firmavit, etiam et Suggentenses et Turenses et Campanenses, quos sæpius repetebat, amisisse visus est. *Suggentenses interpretatur D. Bouquet l. c. Suntgoviæ in hodierna Alsatia incolas, Turenses Thurgovienses in Helvetia, Campanenses demum populum quemdam adhuc ignotum, superioribus tamen vicinum* (*e*). *Ex Fredegarii verbis, non licet certo deducere, Alemanniam vi per Theodebertum Theodorico extortam fuisse, maxime cum præter Alesaciones, non undecumque certum sit, quos præcise populos per* Suggentenses *etc. Fredegarius intenderit.*

§ VII. S. Galli res gestæ in Alemannia.

In Alemannia SS. Columbanus et Gallus

Erat *Alemannia vetus Rheno, Danubio et Moeno olim circumscripta. Verum senescente Occidentali imperio, cum fines ejus gentium incursionibus undique paterent, Alemanni quoque præter alias regiones* D *bello occupatas, Rheno superato, versus meridiem per Helvetiam usque ad lacum, uti videtur ex S. Isidoro Hispal. Originum l.* IX, *Lemannum dominationem suam extenderunt* (*f*). *Quo tempore S. Columbanus Alemanniam incolere cœpit, scilicet circa an.* 610 *hi populi, teste Fredegario c.* XXXVIII *supra cit., pagum Aventicensem in Transjuranis hostiliter aggrediuntur, omnia diripiunt,* plurimorum nimiam hominum multitudinem exinde in captivitatem ducunt, reversique cum præda pergunt ad propria. Theudericus ob has injurias deinceps integra assiduitate consilium inibat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere. *Hic igitur erat Alemanniæ status, quam S.* Gallus *cum S. Columbano primum, dein solus excolendam suscepit; furebat civile bellum, donec Clotarius omnium Galliarum regno potitus fuerit. Fluxit deinceps tranquillior ætas, quæ propagationi et confirmationi religionis Christianæ in illa gente plurimum profuit.*

primum 76 *S. Colombanus primum circa lacum Turicinum habitare constituit, teste Walafrido in Vit. S. Galli c.* IV : Accepta igitur a rege (*Theodeberto*) licentia eligendi locum ubicumque voluissent, dum E loca plurima perlustrassent, venerunt infra partes Alemanniæ ad fluvium, qui *Lindimacus* vocatur. Juxta quem ad superiora tendentes venerunt ad lacum Turicinum. Cumque per litus ambulantes venissent ad caput lacus ipsius, in locum qui *Tucconia* dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. *Lindimacus fluvius est* (*popularibus hodie* die Limmat, die Linth), *qui e Glaronensi pago in lacum Turicinum atque inde in Arolam* (die Aar) *influit. Ad ostia Lindimaci, proinde ad caput lacus sita est* Tucconia *hodie* Tuggen. *Perperam igitur Joan. Mabillon l. c. et in suis Annalibus* (*g*) *Tucconiam* Tugium, Zug *interpretatur. Auctorem quidem sententiæ suæ citat Goldastum* (*h*), *sed hic ipse dubitare videtur, quum illi incertum sit utrum Lindimacus idem sit fluvius, qui hodie* Limmat *vocatur. Quiquid sit* Tugium, *de quo Mabillon loquitur, oppidum est lacui sibi cognomini adjacens; nostra vero Tucconia, uti supra diximus, sita est ad lacum Tigurinum* (Lac de Zurich).

circa lacum Turicinum, 77 *Muratorius in Antiquitatibus Italicis medii ævi* (*i*), *dum Joan. Mabillonium corrigere tentat, in alium errorem incidit :* Opinatur, *ait,* Clariss. Ma-
F billonius nomine *lacus Turicini* intelligendum esse illum qui nunc *Lago di Zurigo* appellatur; *Tucconiam* vero sive *Tuggen,* non aliam esse regionem, quam quæ nunc *Zug* dicitur, auctoritate innixus Goldasti paria scribentis. Verum an hæc recte se habeant, illorum erit animadvertere, qui intimius norunt chorographiam ac eruditionem Helveticam. Neque enim Zug situm est ad lacum Turegi sive Zurigi; et contra quam censuerit Goldastus, *Tucconiæ* vocabulum exhibere potius videtur Toggemburgi terram, pro qua paucis ante annis acre bellum exarsit inter Zuriganam rempublicam et abbatem S. Galli, *imo, uti verius habet Martinus Gerbert in sua Historia Nigræ Silvæ* (*k*), Catholicos inter et Protestantes cantones, ob rebelles abbati S. Galli Comitatus Toggenburgici subditos Protestantes. *Sed ut ad rem nostram redeamus, nulla mihi Toggenburgici comitatus occurrit mentio circa hæc tempora; neque id mirum videtur, si probetur conjectura Ildelph. von Arx in Historia Pagi Sangal-*

(*a*) p. 10. — (*b*) Ad an. 612, § VIII. — (*c*) Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 427. — (*d*) Cfr Hadr. Vales. Notit. Gall., p. 495. — (*e*) Cfr Schoepflin Alsat. illustr., t. I, p. 640. — (*f*) Cfr Schoepfl. Comment. de Aleman. Antiq., p. 172. — (*g*) Lib. X, § LI, tom. I, p. 269. — (*h*) Rer. Alaman., tom. I, p. 250. — (*i*) T. I, p. 277. Edit. Mediol. 1773. — (*k*) Tom. II, p. 466.

lensis

AUCTORE J. V. H.

A *lensis* (*a*); *nomen scilicet illud derivari a viro* Tochone *appellato, ita ut* Tochonis burgum *dicendum sit : quemadmodum in Codice Diplomatico Alemanniæ Trud. Neugart* (*b*) *occurrit* Tachinwillare, *sive* Tochonis mansio, *hodie* Toggweil *in pago Turicino.*

Wangis habitant, 78 *Sed rem omnem expedit ipsa Charta barbare scripta; atque a Muratorio allata* (*c*) *quam habet quoque Trudp. Neugart* (*d*) *sub anno* 844 : *Muratorius vero ad an.* 880 *profert. Dicitur in ea S. Columbanus* Wangis *olim habitasse, qui locus hodie* Wangen *adjacet hodiernæ parochiæ rurali* Tuggen. *En verba diplomatis :* Ego in Dei nomine Wolfarth conplacuit mihi in animo meo, ut aliquid de rebus meis pro remedio anime mee et parentorum meorum condonare deberem, quod et ita et feci. Hoc est in pago Turgauge, loco qui dicitur *Wangas,* prope marcha (*Neug-marca*) Reciæ, Basilica constructa, ubi sanctus Columbanus olim cum suis habitare volebat, modo Deo opitulante concedit nobis de suo sancto corpore Reliquias adhabere. . . . . Insuper aditiam (*adjiciam*) quidquid mihi de Rikero advenit in marcha *Tuccunnie* cum omni intecritate. . . .

B Actum in puplice in loco qui dicitur *Wangas,* ubi ipsa ecclesia est constructa in honore Sancti Columbani, præsentibus quorum hic signacula continentur. . . . Anno v regnante Ludovici rege, et sub Atone comite, octavo idus Augusti. Ego indignus Cunpertus presbiter scripsi et subscripsi. *Nullum igitur dubium superesse potest, quin* Tucconia, *de qua in utraque Vita S.* Galli *agitur, sit locus hodierno vocabulo* Tuggen *appellatus, ad caput lacus Turicini, ubi Lindimacus influit, et Wangis, habitaculo S. Columbani conterminus.*

deinde 79 *Non diuturna fuit sanctorum virorum habitatio in Tucconia; cum enim hujus loci incolas a cultu idolorum revocare tentarent, discedere coacti sunt. Itaque ad Castrum* Arbonam, *antiquis* Arborem Felicem *dictum, atque in margine meridionali lacus* Potamici (*hodie Constantiensis*) *positum accedunt, excepti a Willimaro presbytero loci : a quo diriguntur Brigantium,* civitatem quamdam dirutam vicinam illis locis *orientem versus.* Columbanus abba, *ait Walafridus in Vita S.* Galli *c.* VI, presbyterum interrogavit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset, custodiis aliquantulum regularibus opportuna. Hospes Sanctorum huic inquisitioni respondit : In hac solitudine locus quidam est

C antiquæ structuræ servans inter ruinas vestigia, ubi terra pinguis et fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, eremus vasta et imminens oppido, planities copiosa victum quærentibus fructum laboris non negat. Illis igitur illuc ire cupientibus, paravit presbyter naviculam et imposuit remiges. Venerabilis autem abba cum comitibus Gallo et quodam diacono navem conscendens, invocato nomine Domini ad locum desideratum via recta pervenit.

Brigantii 80 Egressi de navicula oratorium in honorem S. Aureliæ extructum invenerunt, quod postmodum B. Columbanus in priscum renovavit honorem. Post orationem cum per gyrum cuncta lustrassent, placuit illis qualitas et situs locorum. Deinde, oratione præmissa, circa oratorium mansiunculas sibi fecerunt. *Hæc ex Walafrido citare malui, quia conferri possunt cum Vita Anonymi infra edenda. Videntur autem subsistere non posse cum iis, quæ Jonas in Vita S. Columbani narrat n.* 53; *dicit enim :* Dein perveniunt ad locum quem peragrans vir Dei non suis placere animis ait, sed D tamen ob fidem in eis serendam inibi paulisper moraturum spopondit. *Hunc locum interpretatur Joan. Mabillon* (*e*) *esse* Tucconiam, uti, *ait,* ex Walafrido Strabone infra in Vita S. Galli c. IV, memoratur. *Sed pace doctissimi viri dixerim, quæ in sequentibus de eodem loco narrat Jonas,* Tucconiæ *convenire non possunt. In Tucconia enim nullo fructu laboravit Columbanus, dum Brigantina prædicatio uberes protulerit fructus.*

majori cum fructu 81 *Sterilem fuisse missionem euangelicam in Tucconia demonstrat Walafridus in Vita S.* Galli *c.* IV, *ubi, postquam narrasset deleta fuisse fana, oblationes demersas in lacum, pergit :* Qua causa permoti gentiles, ira et invidia sanctos insectabantur, et communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum vero flagellis cæsum et contumeliis affectum de suis finibus proturbare. . . . . Post hæc non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritalis lucri persuasus, contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quam plurimum prodesse interim potuisset. Pergens ergo inde cum suis pervenit in castrum, quod Arbona vocatur. E *Hæc abunde probant inanes fuisse omnes S. Columbani labores in Tucconia. Verum Jonas l. c. postquam dixisset* non placuisse *viro Dei* locum, *addit tamen :* Multi ergo eorum tunc per beati viri suasum ad doctrinam et ad Christi fidem conversi, baptismum consecuti sunt, aliosque etiam, quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum euangelicæ doctrinæ monitis suis ut bonus pastor ecclesiæ seminibus reducebat sparsis. . . . . Vacante itaque Columbano cum suis penes Brigantiam urbem, duræ egestatis tempus obvenit. *Locus ergo quem* vir Dei non suis placere animis *ait, est Brigantium, e quo amplam messem retulit. Itaque Claudius Fleury qui in sua Historia ecclesiastica* (*f*) *Tucconios S. Columbani prædicatione conversos memorat, aperte Walafrido et auctori Anonymo Vitæ S.* Galli *contradicit.*

euangelium 82 *Verum si Jonas intelligi debet de Brigantino incolatu, alia emergit difficultas, quomodo scilicet Walafridus dicat* placuisse qualitatem et situm locorum, *quos Jonas, ut vidimus,* displicuisse *asserit? Sed hæc facile componuntur, si textum Walafridi et Anonymi consideremus. Omnes enim qui de Alemannico itinere S. Columbani scripserunt, in* F *hoc conveniunt illum nullo pacto voluisse ibidem remanere. Rem accurate exponit Walafridus c.* III : Cumque et ipsum (*Theodebertum*) rogaret, ut ad Agilolfum regem Longobardorum ejus jussu per Alamanniam duceretur, moleste ferens rex tantorum discessum virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui se reperturum loca venusta, quæ famulis Dei et ad incolendum essent commoda et ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes essent opportuna. Vir Dei semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans, aliquantisper moraturum se promisit. *Hæc postrema verba habet quoque Jonas, n.* 51 : Si pollicitationis tuæ adminiculum præbueris. . . quantisper me moraturum scias, ac probaturum si in cordibus gentium vicinarum fidem serere valuero.

prædicant, 83 *Sed cum hac promissione stabat S. Columbano immotum consilium eundi ad Agilolfum in Italiam : hoc clare demonstrat Anonymus noster n.* 4, *quando dicit S. Columbanum respondisse Theodeberto,* se petitioni ejus velle obtemperare, sed tamen firmiter

(*a*) Gesch. des Cant. S. Gall., t. I, p. 245. — (*b*) Chart. CXXXI, p. 114.— (*c*) Antiquit., tom. I, p, 276.— (*d*) Ch. CCCVI, p. 251. — (*e*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p, 26. — (*f*) Hist. de l'Egl., lib. XXXVII, § VII.

habendo

habendo æstimatum iter (*Italicum*) nulla ratione velle dimittere. *Non placebat igitur Columbano Brigantinum domicilium, quia constituerat adire Italiam; idem autem et placebat pro extemporali habitatione, brevi relinquenda, in qua tamen monasticam quam voverat vitam ducere poterat, et unde ad prædicandum Christi euangelium finitimis populis excurrere poterat.*

et destructis idolis,

84 *Joan. Lanigan in Ecclesiastica Historia Hiberniæ* (*a*) *carpit Claudium Fleury* (*b*) *et Joannem Mabillon* (*c*), *opinantes idem fuisse ædificium et oratorium S. Aureliæ,* circa *quod* mansiunculas *sibi* fecerunt *Columbanus et socii, ac templum, in quo tres imagines deauratæ sive idola affixæ erant.* Quantum, *ait, verba ejus anglica latine reddo,* Walafridum, ex quo hæc narratio desumpta est, intelligo, erat templum istud paganicum, aut saltem, quando Columbanus Brigantium advenit, paganorum usibus deputatum. Fuerit fortassis olim ecclesia Christiana, cui adjacebat oratorium S. Aureliæ. Videtur id Walafridus insinuare, loquens de sacro altari, quod, quamvis neglectum, tamen in templo reperiebatur. Mabillon supponit templum fuisse ecclesiam S. Aureliæ dedicatam, illamque
B a Columbano fuisse reconciliatam. Sed si ita est, quomodo Walafridus dicit Columbanum istic collocasse Reliquias S. Aureliæ? Certe jam illic erant, si vera est opinio Mabillonii. *Hæc Joan. Lanigan.*

Reliquias S. Aureliæ

85 *Meo quidem judicio recte interpretati sunt Walafridum Fleury et Mabillon. Nam postquam dixisset Columbanum et socios* circa oratorium mansiunculas sibi fecisse, *subdit :* Repererunt autem in templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, quas populus, dimisso altaris cultu, adorabat. *Particula* autem *vi sua refertur ad* oratorium, *de quo sermo fuit. Cæterum omne dubium tollit Anonymus n.* 7, *qui eadem narrando dicit* ecclesiæ Sanctæ Aureliæ honorem pristinum restitutum fuisse. *En ejus verba :* Fraternalis manus domicilia sibi illic præparavit, ac strenue Christum pro illo loco supplicavit. Tres ergo imagines æreas et deauratas superstitiosa gentilitas ibi colebat, quibus magis quam Creatori mundi vota reddendo credebat. Nempe desiderio destruendi eorum superstitionem vir Dei Columbanus jussit Gallo ad populum recitare sermonem, quia ille inter alios eminebat lepore latinitatis, necnon et idioma illius gentis. . . .
C Igitur videntibus cunctis, sublatas imagines comminuit (*Gallus*) petris, atque in profundum dejecit maris (*lacus*). Tunc ergo pars populi confitendo peccata sua credidit, parsque irata et indignata cum furore abscessit. Nam et vir Dei Columbanus aquam benedixit, atque sanctificando loca contaminata, ecclesiæ Sanctæ Aureliæ honorem pristinum restituit. *Quæ igitur de templo narrat Walafridus, hæc tribuit Anonymus oratorio S. Aureliæ, ut nullum supersit dubium unum et idem fuisse.*

in altari reponunt :

86 *Quam vero movet difficultatem Lanigan ex eo, quod S. Columbanus dicatur Reliquias in templo posuisse, proindeque aliud templum, aliud oratorium fuisse, facilis solutu est. Walafridus enim non dicit B. virum Reliquias S. Aureliæ* in templum *intulisse, sed* in altari *posuisse, quod prius neglectum, nunc pristino honori redditur. Notari quoque ab archeologis et rei liturgicæ studiosis meretur modus, quo Walafridus c.* VI *refert expiationem templi, a Columbano more quasi pontificali peractam :* Beatus autem Columbanus jussit aquam afferri et benedicens illam, aspersit ea templum, et dum circumirent psallentes, dedicavit ecclesiam. Deinde invocato nomine Domini, unxit altare et Beatæ Aureliæ Reliquias in eo collocavit, vestitoque altari, Missas legitime compleverunt. Omnibus ita rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio. *De S. Aurelia non attinet dicere; in hoc ipso tom.* VII *Octobris die præcedenti accurate Jacobus Bueus noster collegit, quæ ad hanc Sanctam pertinent. Quæ vero Schoepflinus* (*d*) *opposuit, erudite submovit Anselmus Berthod in Vita S. Pantali ad diem* XII *Octobris* (*e*).

ACUTORE J. V. H.

D

hæc Brigantina fundatio primum extemporalis

87 *Hæc fundatio Brigantina cessit fœminis sanctimonialibus, si fides habenda est iis, quæ Majores nostri referunt ad diem* XXX *Januarii in Vita S. Haberillæ* (*f*). *Hoc monasterium ad Brigantii amnis in lacum Constantiensem influxum, amœnissimo loco situm, vocatur passim* Alba Augia (Weissenau) *et* Major Augia (Mehrerau); *quia est altera Alba Augia, quæ ad distinctionem* Augia minor (Minderau) *appellatur. Monasterium Augiæ majoris duplex olim fuisse, virorum scilicet et fœminarum, scribit subdubitans Bollandus noster, secutus, ut ipse dicit, Crusium Annal. Sueviæ ad A.* 1097 (*g*) *et Bruschium in Chronologia Monastica* (*h*). *Crusius quidem dicit : A.* 1098 abolitis monialibus, abbatiam monachorum fecit Udalricus Rhætorum et Brigantiæ comes. *Fundationem monasterii Udalrico adscribit Joan. Mabillon* (*i*), *quasi tunc primum condi cœpisset, quod diu ante hoc tempus extitit, ut videre est in Gallia Christiana* (*k*), *in qua multi numerantur abbates ante hunc annum. Franc. Petrus in Suevia Ecclesiastica* (*l*) *et Bruschius l. c. innovatam dicunt fuisse abbatiam ab Udalrico, non vero fundatam. Cæterum, uti Bruschius et Crusius volunt, fuisse cœnobium monachis et monialibus commune, nullum equidem invenio argumentum, quo opinio fulciatur. Fuerunt, uti fidem faciunt catalogi in Gallia Christiana l. c., initio abbatissæ, post abbates : successionem video, neutiquam vero confusionem.*

E

sub S. Columbano,

88 *In Historia rei literariæ Ord. S. Ben. Oliverius Legipontius* (*m*), *quem calculo suo approbare videtur Alb. Butler in Vitis Sanctorum ad* XXI *Nobris, facit fundatorem Augiæ Brigantinæ Majoris S. Columbanum, atque vadem suæ sententiæ adducit Apronianum Huber, Brigantini cœnobii priorem; qui a S. Rituum Congregatione obtinuit, uti festum S. Columbani celebraretur deinceps in suo monasterio sub ritu duplicis primæ classis cum Octava : insuper et Clemens XII indulgentias plenarias in perpetuum concessit visitantibus Augiensem ecclesiam in ejusdem Sancti festo. Non potui mihi procurare Aproniani Huber scriptum; sed meo judicio, ex litteris ad Legipontium datis, aliud non probavit Apronianus, quam S. Columbanum incoluisse Brigantium, et id quidem* triennio, *quod ostendimus supra n.* 67 *saltem ad* biennium *coarctandum esse. Neque aliud obtinuit a S. Rituum Congregatione, quæ permisit, ut in lectionibus* II. *Nocturni* XXIV *Novemb. post verba :* ad lacum Brigantium consedit, *quæ in monastico breviario habentur, adderentur sequentia :* Sanctæ Aureliæ templum hic inanium deorum cultu profanatum post simulacra ejecta solemni ritu expiavit. Cella exinde prope idem templum constructa, cum suis commilitonibus triennio fere commoratus, ethnicorum superstitiones per ea loca substulit, inde a gentilibus exulare coactus, in Italiam. . . . profectus est, *etc. Hæc apprime cum historia SS. Columbani et* Galli

F

(*a*) Hist. of Irel., t. I, p. 288. — (*b*) Hist. Eccl., l. XXXVII, § VII. — (*c*) Annal., lib. X, § LII, tom. I, p. 269. — (*d*) Alsat. illust., tom. I, p. 341. — (*e*) Tom. VI Octob., p. 65 et seq. — (*f*) T. II, p. 1033. — (*g*) Tom. II, part. II, p. 297. — (*h*) p. 10. — (*i*) Annal. Ben., lib. LXIX, § LXXXII, tom. V, p. 363. — (*k*) Tom. V, col. 970. — (*l*) p. 199. — (*m*) Tom. IV, p. 339.

AUCTORE J. V. H.

conveniunt : sed nullatenus fundationem Augiensis monasterii S. Columbano adscribunt.

A *evasit dein perpetua opera S.* Galli,

89 *Potiori jure Brigantina fundatio S.* Gallo *videtur adscribenda. Nam antiquiora Augiensis cœnobii monumenta hunc indigitant, utpote qui S. Haberillæ sive Habriliæ vestem monasticam dederit, eamdemque cæteris antistitam præfecerit. Bollandus noster ad* XXX *Januarii l. c. scripturam refert* vetustate ita oblitteratam, ut legi modo non possit. Sententiam ejus fuisse hanc retulerunt, qui legerant : B. HABERILLA EREMITA, DE POST ORDINIS S. BENEDICTI, ABBATISSA CELLÆ SUÆ CUM MULTIS SACRIS VIRGINIBUS DEO SERVIVIT. HABITUM E S. GALLI MANIBUS, QUI TUNC TEMPORIS CUM ALIIS DISCIPULIS ET SOCIIS BRIGANTII MORABATUR, SUSCEPIT; ET HIC SEPULTA MULTIS CLARET MIRACULIS. *S.* Gallo *confirmatur quoque Brigantina fundatio ex eo quod S. Columbanus numquam habuerit in animo, ut vidimus supra n.* 83, *manere in Alemannia, imo ne voluisse quidem ut vel unus e sodalibus illic hæreret, cum solum S.* Galli *morbus ejus profectionem impedierit. Quæ cum ita sint, quis putet S. Columbanum, virum prudentem, monasterium fundasse brevi derelinquendum absque aliquo*

B *solatio aut consilio, in medio gentis adhuc barbaræ nec ad integrum conversæ?*

cui proin fundatoris titulus competit.

90 *Hæc rationum momenta mihi tam valida videntur, ut omnem abrogent fidem narrationi Aproniani Huber, si tamen evincere tentarit sententiam, quam profert Franc. Petrus in Suev. Eccles. l. c.:* S. Columbanum novo cuidam et quidem ad normam Luxoviensis illius monasterio condendo manus admovisse pro perpetua (uti tunc putabant) habitatione istic loci stabilienda. *Neque thesi huic patrocinatur decretum S. Rituum Congregationis, concedentis festum, etc. Nam ex praxi Romana certum est, S. Congregationem per concessionem Officii, et Romanum Pontificem per indulgentias, nullatenus habere ratas opiniones historicas expositas in precibus porrectis : ut videre est in Prosp. Lambertini de Beatificatione et Canonizatione servorum Dei* (*a*) *et in nostris ad Vitam S. Dionysii Ep.* IX *Octob.* (*b*). *Ad has gratias obtinendas suffecerit pietas monachorum Augiensium et populi Brigantini, quæ præcipue movere solet Romanum Pontificem et sacra tribunalia.*

C

§ VIII. S. Gallus eremum incolit, sanat Cunzonis Ducis filiam Fridiburgam, episcopatum Constantiensem recusat.

S. Columbanus, in Italiam proficiscens,

Uterque *Auctor Vitæ S.* Galli *scribit :* Cum proficiscendi (*in Italiam*) tempus instaret, *verbis utor Walafridi c.* IX, B. Gallum repentina febris invasit. Unde abbatis sui pedibus advolutus, indicavit se infirmitate vehementi laborare, et ideo iter propositum non posse perficere. Ille vero existimans eum, pro laboribus ibidem consummandis amore loci detentum, viæ longioris detrectare laborem, dicit ei : « Scio, frater, jam tibi onerosum esse » tantis pro me laboribus fatigari : tamen hoc dis- » cessurus denuntio, ne, me vivente in corpore, » Missam celebrare præsumas. » Et cum ei li- D centiam per se conversandi dedisset, viam ingressus est abeundi. *Eadem quoad sensum habet Anonymus n.* 9; *attamen S. Columbanus ipsa vultus serenitate responsi brevitatem atque adeo severitatem mitigasse videtur : etenim habet Anonymus :* Cum hilaritate animi dixit : « Si laborum meorum » particeps fieri non vis, diebus meis Missam non » celebrabis. »

S. Gallum *infirmum, SS. Sacrificio interdictum*

92 *Hanc narrationem tamquam fabulosam rejicit Joan. Lanigan* (*c*), *duabus maxime ductus rationibus; quia Columbanus is non erat, qui facile deciperetur, aut de amico tam sancto et caro male suspicaretur; deinde quia Jonas antiquior et longe majoris auctoritatis quam Walafridus, nihil hujusmodi narrat. Hæc Lanigan : cujus tamen rationes tanti non sunt, ut in dubium vocemus rem, non solum a duobus Vitæ scriptoribus, quorum unus subæqualis erat, narratam, sed etiam in Vita S. Deicoli* XVIII *Januarii* (*d*) *consignatam; quin et ipse S.* Gallus *hoc S. Columbani interdictum allegat, ne invitus ad sedem Constantiensem assumeretur, uti narrant Walafridus cap.* XIX *et Anon. n.* 19. *Imprimis silentium Jonæ nihil probat, quia nimium probat. Non dicit S.* Gallum *in Alemannia remansisse; attamen contra mentem ipsius Lanigan concluderetur S. virum in Italiam transmigrasse. Deinde hæc a S. Columbano inflicta pœna, cum Acta S.* Galli *potius attingeret, merito ab Jona tacetur, qui cæ-* E *terum non multa de illo habet.*

in Alemannia relinquit :

93 *Altera ratio, qua insinuatur S. Columbanus non facile decipi potuisse, non magni momenti est : quis enim quantumvis sanctus, sagax, prudens, qui non quandoque aliquid humani patiatur; exemplo nobis sit controversia S. Hieronymi cum S. Augustino. Quod vero probabile non est S. Columbanum male de amico caro sanctoque suspicatum fuisse; facile concedam, illum brevibus verbis a S.* Gallo *de vera gravique infirmitate convictum fuisse, proindeque in pace et caritate ab illo discessisse : sed quisquis libros vitæ spiritualis et monasticæ, tractantes de obedientiæ virtute, vel a limine salutarit, sciet ad experimentum et meritum obedientiæ sanctioribus viris non raro graves pœnas imponi, etiam propter defectum non culpabilem : unde mirandum non est inflictam a S. Columbano pœnitentiam etiam post conciliatam pacem perseverasse.*

hic, restituta valetudine,

94 Post discessus, *ait Walafridus c.* IX, magistri et sociorum, Gallus retia sua et sagenam navi imponens, (*rei enim piscatoriæ vacabat ex officio in extemporali monasterio Brigantino, c.* VI), ad Willimarum presbyterum venit, et cum obtulisset ei retia, inter lacrymas et suspiria retexuit omnia, quæ gesta fuerant circa fratres suos. Deinde infirmitatis suæ causas aperiens, rogavit eum, ut sui curam dignaretur habere. Qui suscipiens eum cum omni charitatis obsequio, domum vicinam ecclesiæ ejus necessitati concessit, et duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro hanc sollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi servirent. Exactis aliquot diebus, Domino qui medicus est verus medelam impertiente, cœpit sumere cibos, et per incrementa temporum confortatus, perfectam indeptus est sanitatem. *In Vita S. Magni, qui idem est Magnoaldo hic laudato,* VI *Septembris* (*e*) *dicitur Hibernus ex regio sanguine, et quidem cum S. Columbano jam monachus ex Hibernia transmigrasse. Idem de S. Magno et Theodoro asserit Præfatio cantilenæ de S.* Gallo (*f*). F

(*a*) Lib. IV, part. II, cap. X, num. 18 et cap. XXV, num. 54. — (*b*) Tom. IV Oct., p. 970, n. 73. — (*c*) Hist. of Irel., t. II, p. 291. — (*d*) Tom. II Januar., p. 202. num. 11. — (*e*) Tom. II Septemb. p. 700. — (*f*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 33.

Hæc

A *Hæc jam refutarunt nostri in citata Vita S. Magni* (*a*). *Cum Walafrido consentit Anonymus n.* 10, *qui dicit a Willimaro* jussum esse duobus clericis Maginoldo et Theodoro, ut sollicitudinem ejus (*Galli*) habuissent. *Si socii S. Columbani fuissent,* monachi *potius dicerentur, quam* clerici.

et duce Hilteboldo diacono,

95 *Antequam ad incolatum S.* Galli *in eremo propius accedamus, operæ pretium fuerit, ipsam historiam, prout a Walafrido c.* x *et seqq. refertur, ante oculos ponere : est enim multis difficultatibus impedita, ita ut aliqua tamquam fabulosa a recentioribus respuantur.* Diaconus itaque sæpedicti presbyteri (*Willemari*), nomine Hilteboldus, omnes eremi semitas notas habebat et secessus; solebat enim piscium et accipitrum causa capiendorum sæpius solitudinem pervagari et secreta locorum usu quotidiano perdiscere. Huic cum vir sanctus familiaritatis suæ gratiam præstitisset, quæsivit ab eo, an invenisset umquam in solitudine locum aquis abundantem puris et salubribus, planitie stratum et humanis cultibus opportunum. Desiderio, inquiens, animi ferventis exæstuo, cupiens in solitudine ducere dies huic vitæ concessos, juxta quod Psalmista pronuntiat dicens : *Ecce elongavi*
B *fugiens et mansi in solitudine. Expectabam eum qui salvum me faceret,* et reliqua. Diaconus respondit : Hæc, o Pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena præcelsis, angustis vallibus flexuosa, bestiis possessa sævissimis.

aptam solitudinem

96 Nam præter cervos et innocuorum greges animalium, ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie singulares. Timeo igitur, ne, si te illuc induxero, ab hujusmodi hostibus devoreris. Ad hæc vir sanctus, Apostoli, inquit, sententia est : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui Danielem liberavit de lacu leonum, potest et me eripere de manu bestiarum. Cui Diaconus hæc respondit : Mitte in peram tuam cibaria et rete parvissimum, cras enim introducam te in eremum; et si inveneris locum tibi acceptabilem, age gratias Deo, et præcepti Dominici comple rigorem.... Igitur vir beatus die eodem jejunus permansit, et usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit.... Dum autem lucifer suo processu noctis latibula detexisset.... atheta Dei ea, quæ ductor suus dixerat
C secum adsumens, cum orationis benedictione, illo præeunte, viam aggressus est. Cumque per totum diem iter agerent, circa horam nonam dixit diaconus : Pater hora refectionis jam instat, sumamus paululum panis et aquæ. *Noluit vero tunc quidpiam cibi sumere vir Dei, quod pœnitentiæ exemplum imitaturum se diaconus professus est.*

quærit et invenit :

97 His dictis, cœperunt iter agere festinato, quia dies jam declinabat.... Venerunt autem ad quemdam fluviolum, qui Stemaha (*Steinaha*) nominatur : ambulantesque per decursum ipsius, dum venissent ad rupem, de qua idem cum impetu descendens gurgitem facit spatiosum, ubi viderunt plurimos pisces, et imponentes retia sua, ceperunt eos. Igne deinde succenso diaconus pisces assavit et panem posuit super peram. Beatus autem Gallus dum orandi gratia modicum ab illo divulsus esset, inter condensa veprium frutecta ambulans, et pede hærens, ad terram corruit. Quod diaconus videns, accurrit ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei præscius futurorum : Sine me, ait, hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Et cum post orationem surrexisset, sumens virgam colurneam, fecit crucem et fixit in terram. D Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur Reliquiæ Beatæ Dei Genitricis Mariæ et Sanctorum Martyrum Mauricii et Desiderii. Quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit diaconum, et prostraverunt se pariter in oratione.... Finita oratione.... cum gratiarum actione cibum sumpserunt, rursumque Deo gratias exhibentes, straverunt se in terra, ut aliquantulum requiescerent....

sed brevi,

98 Nocte exacta.... diaconus ait : Pater mi, quid facturi sumus hodie? At ille respondit : Obsecro te, fili, ne moleste feras quod dico. Quia Dominus nos fecit quod quæsivimus invenire, hunc etiam diem in loco ducamus. *Transacto die, S.* Gallus *cum diacono adhuc per triduum in oratione perseveravit.* Quarto itaque die eremo digrediens, domum revisit presbyteri et inter amicæ salutationis officia, gratias Deo pro omnibus bonis quæ ei ostendit, cum debita laude persolvit. Presbyter autem suscipiens illum cum gaudio, jussit mensam apponi.... Ex illo die et deinceps habuerunt eum sicut prophetam et virum sanctum, quotidie meritorum ejus magnitudinem per vitæ illius asperitatem et virtu- E tum studia metientes. Interea illis commanentibus, nuntius venit ad presbyterum indicans Constantiensem episcopum, Gaudentium nomine, de hac vita migrasse. Hoc audito, unanimo fervore pro requie defuncti Pastoris precibus et lacrymis institerunt. Septima post hac die Gunzonis ducis epistola venit ad presbyterum, præcipiens illi, ut die duodecimo ad Iburningas villam veniret, et virum Dei secum adduceret. Nam filiam ejus nomine Fridiburgam, quæ illi erat unica, singulari pulchritudine fulgens, spiritus invasit malignus.... Hanc ob causam pater ejus nuntios misit ad regem Sigibertum Theodorici filium, qui eam habuit desponsatam, ut ei nuntiarent quidquid circa puellam agebatur.

a Gunzone Duce

99 Rex vero cum omni festinatione misit duos pontifices, de quorum meritis potissimum præsumebat, cum donis regiis ad puellam, ut eam medicamine orationum a furoris vesani languore sanarent. Igitur Willimarus presbyter volens tempore per epistolam definito ad ducem venire, dixit Beatissimo Gallo : Scis ducis mandatum : eamus ad illum. Et ille : Tuum est, inquit, hoc iter, non meum. Tu ergo proficiscere. Quid mihi cum principibus sæculi? Nam in eremum unde exivi revertar. Noli, ait, ita agere, sed perge mecum, ne forte dux, qui in vexatione filiæ nimium contristatur, ira commotus mittat satellites, teque vinctum illuc faciat perduci. Vir Deo plenus respondit : Vadam prius ad cellulam meam, ut provideam utilitatem fratrum, qui ibi sunt Domino servituri. Hoc idcirco dixit ne ad principem iret. Et consurgens ad electæ pridem habitationis locum miles Domini tendebat egregius. Sequenti die fratribus qui secum erant interdixit, ne quis eorum cuipiam quo pergeret indicaret. Sed etsi curiosius interrogati fuissent a quoquam, jussit ut eum per epistolam magistri sui ad Italiam dicerent invitatum. His dictis sumens secum duos de discipulis suis, per solitudinem Rætiam Curiensem commeavit. Cumque proximum montem transcenderent, venerunt in eremum quæ Sennia nominatur, indeque ad proximum vicum qui dicitur Quaradaves digressi, repererunt ibi Joannem diaconum, virum justum et Deum timentem : isque recepit eos hospitio et omni fovet humanitatis ob-

F

(*a*) p. 715, n. 75.

sequio.

AUCTORE J. V. H.

sequio. Finxerunt enim se de longe venisse, et apud cum manserunt septem diebus.

A *licet invitus vocatur,*

100 Porro cum supradictus presbyter, hospes Sanctorum, audisset virum Dei de cellula discessisse, navem conscendens, ad ducem transfretavit, et quæ circa hominem Dei facta fuerant, indicavit. Dux vero ut cito reverteretur, illi imperavit, et missis post virum Dei legatis, eum advenire devote rogaret (*rogavit?*). Et adjiciens : Si enim, inquit, per ejus orationem filiam meam Dominus a dæmonio liberaverit, dabo illi pontificatum Constantiensis Ecclesiæ, et insuper eum copiosis præmiorum muneribus honorabo. Ille promittens, se ut jubebatur acturum, sicubi eum qui desiderabatur invenire potuisset, ratem petens ad propria remeavit. *Miserat interea rex duos episcopos, qui laboranti puellæ nihil opis suis precibus conferre valuerunt.* Presbyter vero cum secundum jussionem ducis, virum Dei fuisset e vestigio prosecutus, reperit eum in spelunca, animum suum lectionis consolatione pascentem : et accedens salutavit humiliter, et dixit ad eum : Ne timeas, serve Dei, ad ducem venire : sub testificatione enim jurisjurandi promisit, se nullam tibi irrogaturum injuriam : sed et cum posueris manum

B tuam super caput puellæ, et ab ea per orationes tuas spiritus immundus abscesserit, in sede Constantiensi pontificatus te sublimabit honore. *S. Gallus accedit tandem ad ducem, et post orationem, videntibus qui aderant exivit de ore puellæ quasi avis nigerrima et horrore terribilis. Hora eadem sana surrexit, et a viro Dei gaudens gaudenti reddita est matri.*

et, sanata Ducis filia,

101 His ita patratis, dux jussit ei offerri dona, quæ Rex puellæ transmiserat, et insuper ut apicem pontificatus gradus dignaretur adsumere postulavit. Ad quod vir beatus ita respondit : Vivente Domino et Patre meo Columbano, interdictum altaris officium non usurpabo, nisi ab illo permissus. Quare hujus regiminis pondus, quod offers, subire non possum : quod si hoc indubitanter fieri cupis, sustine interim, donec mittam epistolam ad abbatem meum ad insinuandum illi voluntatem tuam : et si ejus permissum cognovero, tunc demum oblatum curæ pastoralis onus suscipiam. Et dux ad illum : Bene, inquit, dixisti, fiat secundum verbum tuum. Et dimisit eum in pace. *S. Gallus distributis in pauperes donis auri et argenti regiis, ædificatoque monasterio opera præfecti Arbonensis,* misit epistolam ad Joannem diaconem, rogans eum ad se venire.

C Qui cum dilecti magistri litteras accepisset, tulit quod pro benedictione offerre poterat... Cui interroganti virum sanctum de prosperitate itineris ejus (*in Uberlingas*), ille respondit : Divina nos præveniente misericordia et subsequente, cuncta prospere provenerunt. Nam cum summa gratulatione suscepit nos princeps, et eripuit Deus filiam ejus a dæmonio, et ipse dedit nobis dona non modica, et insuper obtulit mihi episcopatus honorem : ego vero non consensi suscipere ante præceptum abbatis mei. Ergo, fili, acquiesce consiliis meis; esto mecum, et lege divinæ libros scientiæ, et docebo te, cooperante gratia Dei, intelligentiam Scripturarum. Cecidit autem diaconus ad pedes ejus gratias agens, fecitque redire in sua pueros, qui secum venerunt; ipse vero remansit apud virum venerabilem, et ille cœpit eum introducere in cellaria Scripturarum, ostendens ei novi et veteris occulta Testamenti. Superna itaque illustratus clementia tanti magisterii profecit instantia, adeo ut in omni scripturæ divinæ latitudine nobiliter eruditus, laboris paterni fructus ostenderit.

episcopatum Constantiensem

102 *Narrat deinde Walafridus quomodo Fridiburga ad Sigibertum adducta, ejus accedente consensu, ex consilio S.* Galli *cœlestem sponsum terreno prætulerit :* Per idem tempus, *pergit Walafridus,* Joannes diaconus perseverans apud venerandum patrem, prudentiam quæ in eo cœlitus abundabat, studio sitienti potavit, in absolutione dumtaxat difficilium Scripturæ divinæ quæstionum et intemeratæ fidei ratione. . . . . Gratia illustratus divina, quidquid vel visu vel auditu percepit, altæ memoriæ et (ut ita dixerim) armario cordis celer inseruit, et sub hujus magisterii disciplina cum omni mansuetudinis et humilitatis custodia triennium duxit. Post hæc dux sæpe jam dictus per epistolam suam virum Dei rogavit, ut ad Constantiam oppidum perveniret ad eligendum, qui eidem sedi præficeretur, antistitem. Advocavit autem Augustudunensem et Viridunensem episcopos cum multitudine clericorum. Nemidonæ etiam, quæ a modernis Spira vocatur, venire fecit episcopum; nec non per nuntios et epistolas suas totius Alamanniæ presbyteros, diaconos, universasque clericorum copias generaliter die denominata, proxima Paschæ Dominica, apud Constantiam convenire præcepit : ipse quoque cum principibus et comitibus suis huic intererat conventui.

D

E *ad Joannem discipulum*

103 Cumque hæc synodus tantæ multitudinis celebraretur accessu, et trium spatio denuntiaretur futura dierum, Beatissimus Gallus divino plenus consilio, adsumptis Joanne et Magnoaldo diaconatus officio sublimatis, perrexit ad oppidum; ingressoque eo locum concilii, Dux. . . . . admonuit Pontifices et omnem clerum, ut juxta saluberrima Canonum decreta rectorem Ecclesiæ providerent. Cœperunt autem omnes clerici ad invicem dicere : Gallus iste testimonium habet bonum ab omnibus, qui ejus vitam noverunt : in Scripturis divinis scientiæ culmen obtinet, et in omni vitæ honestate sapientiæ luce refulget, justitiæ autem vitæ castitatem corporis sociat, mansuetudinem cum humilitate possidet, continentiæ vero salutari patientiam jungit. Largitor est eleemosynarum, orphanorum pater, in viduarum solatiis alacer. Hunc omnium virtutum sectatorem decet esse pastorem populorum. His auditis, dux dixit ad illum : Audis, quid isti loquuntur et affirmant? Sanctus Pater respondit : Bene quidem dicunt, utinam verum esset, quod fatentur. Cum autem ad invicem talia tractant, nesciunt in Canonibus esse prohibitum, ne aliqui, de locis suis commigrantes, aliis facile ordinentur in locis. Est vero mecum F diaconus quidam nomine Joannes, vicinorum indigena locorum, cui merito testimonium, quod isti mihi dederunt, potest aptari. Hunc divino credens electum judicio, vobis offero promovendum.

transfert.

104 Cumque hac attestatione vir sanctissimus in Joannem cunctorum concitaret amorem; (neque enim aliud de illo credere poterant, quam quod vir Deo carus adseruit); dux diaconem venire fecit in medium. Tu es, inquiens, Johannes diaconus? Et respondit : Ego plane. Unde, ait, ducis propaginem generis? Et dixit : In Rætia Curiensi mediocri natalium dignitate sum procreatus. Dux vero ad illum : Potesne, inquit, pontificalis infulæ pondus subire? Tunc venerabilis Gallus se pro filio responsurum promisit. Et dum hæc mutuo sermonum commercio pertractarent, subtraxit se diaconus, et fugiens, latibulum quæsivit in ecclesia S. Stephani Martyris, quæ est extra oppidum. Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe, et apprehensum lacrymis perfusum felicibus, licet renitentem in præsentiam pontificum pertraxerunt et ducis, et levaverunt omnes pariter vocem, dicentes :

A dicentes : Johannem elegit sibi Dominus pontificem hodie. Et respondit omnis populus : Amen. Episcopi itaque duxerunt eum ad altare et sollemni benedictionis officio ordinaverunt antistitem. *Refert deinde Walafridus S.* Gallum *ad frequentem clerum et populum verba fecisse, Johanne episcopo vernacule interpretante, et tandem bene longam narrationem concludit his verbis :* Magister paterna sollicitudine, precibus et consilio salutari matheten refovebat, ille vero paterno honore et omni necessitatum subsidio didascalum sublevabat. Sicque sacra piorum societas aucto crescebat honore et multiplicato commendabatur amore.

Fridiburgæ nuptiæ,

105 *Non pauca sunt in hac historia, quæ fabulosi aliquid sapiunt, aut ægre cum chronologia et historia conciliari possunt. Propterea oportuit factorum seriem ob oculos ponere; illamque conferre juverit cum narratione Anonymi, non multum a Walafrido discrepantis. Imprimis ad fabulas amandant eruditi nuptias Fridiburgæ cum Sigiberto, filio Theodorici, nimium juveni ut uxorem duceret. Deinde ex Walafridi narratione consequeretur sedem Constantiensem saltem triennio vacasse; nam S.* Gallus *in Rhætiam fugiens, ne cogeretur adire*
B *aulam Gunzonis, qui episcopatum promiserat, si filiam curasset, occurrit Joanni diacono, quem triennio instructum proponit promovendum ad episcopalem dignitatem. Hæc omnia ita intricata sunt, ut illa* nec viri amplissimi, *ait Trudpert. Neugart* (*a*), Vallesius, Mabillonius, Cointius, Schoepflinus, Gerbertus in ordinem redigere quiverint. *Ita libere opinari fas fuit, quamdiu credebatur Walafridus auctor narrationis; cum enim duobus sæculis a S.* Gallo *distaret, facile sibi quisque persuadere poterat fabulis quibusdam historiam S.* Galli *aspersam fuisse. Sed cum Anonymus centum annis antiquior eadem facta referat, illa neganda non sunt; sed potius tentandum est, ut in eum ordinem redigantur, qui cum reliqua historia conciliari possit.*

exclusis duobus cognominibus,

106 *Summa difficultas est in nuptiis Sigiberti cum Fridiburga Gunzonis filia. De his nuptiis nihil omnino dicit Pseudo-Theodorus in Vita S. Magni* (*b*); *sed solum narrat Fridiburgam, Gunzonis filiam unicam, energumenam liberatam. Optime solveret intricatam quæstionem hoc Actorum silentium, nisi eadem tam fœdis mendis scaterent, quoties Walafridum ducem deserunt. Inhærendum igitur est huic*
C *scriptori et Anonymo, nisi in manifestum nos errorem inducant. Porro tres erant circa hoc tempus principes regii, nomine Sigiberto insignes : nulli tamen eorum narrata a Walafrido convenire posse autumant eruditi. Mabillon in notis ad Vitam S.* Galli (*c*) *mavult Fridiburgam nupturiisse Sigiberto, Dagoberti filio. Verum cum hæc acciderint ante mortem S. Columbani, scilicet ante A.* 615, *ut ex responso S.* Galli *episcopatum recusantis patet, Sigiberto Dagoberti filio tribui non possunt. Si igitur Sigiberto, Theodorici filio, obstat ætas duodennis, obstare magis debet Sigibertum Dagoberti filium necdum natum fuisse : teste vero Fredegario in Chronico c.* LIX (*d*), *in lucem editus est hic Sigibertus A.* VIII *regni patris sui, id est an.* 629 *vel* 630. *Dicit quidem Meurisse, Episc. Madaurensis in Historia episcoporum Metensium* (*e*), *sponsum Fridiburgæ fuisse Sigibertum Dagoberti filium; hunc omnia Diplomata Monasterii S. Martini designare : sed præter rationes supra allatas nullum diploma citat, unde recte judicari possit. Erat tunc in Galliis alius Sigibertus, postea A.* 631 *orientalium Anglorum rex,* homo, *ait Beda* (*f*), bonus ac religiosus, qui dudum in Gallia, dum inimicitias Redualdi fugiens exularet, lavacrum baptismi percepit, et in patriam reversus, *etc. Sed ut nihil dicatur de ætate hujus Sigiberti, qui natu minor, fratri suo Eorpwaldo in juventutis flore anno* 631 *defuncto, successit rex Anglorum orientalium* (*g*), *obstat etiam id a Walafrido relatum : nempe sponsum Fridiburgæ regem Austrasiæ fuisse, quippe qui, audita ejus mirabili sanatione,* jussit, *c.* XXI, fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat, per auctoritatem regiam obtineret : *similia habentur aliis in locis, quæ indigitant sponsum virginis Austrasiis imperasse. Erat autem Sigibertus Anglus extorris et fugitivus.*

AUCTORE J. V. H.

D

stare possunt

107 *Exclusis duobus hisce Sigibertis, restat tertius, Theodorici filius. Sed huic quoque præjudicium creat ætas undecim vel duodecim annorum, utpote qui, teste Fredegario in Chron. c.* XXI (*h*), *anno* VI *vel* VII *regni patris sui, id est A.* 601 *vel* 602, *natus fuerit. Hæc ætas obstaret quidem consummationi matrimonii, nullatenus vero consensui, qui solus sufficit, ut verum, legitimum ratumque habeatur* E *matrimonium. Dicit quidem Car. Sebastian. Berardi in suis Commentariis in Jus Ecclesiasticum* (*i*) *matrimonia impuberum validari solum cœpisse circa finem sæc.* XII : *qui vero citatur in Decretalibus textus Nicolai I, c.* II, *de Despons. impub.* (IV 2) *videtur corruptus fuisse, adjecta clausula finali :* Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur : nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur. *Non est nostri instituti inquirere quod momentum insit rationibus a doctissimo Berardo allatis, tum l. c. tum in Gratiani Canonibus c.* LXXVII. *Videntur enim negativæ esse, nisi tamquam argumentum positivum afferatur, quod dicit in suis Commentar. l. c.* : Ex jure naturæ conjugium contrahere prohibentur, quicumque caussa ætatis. . . . coire non possunt vel assensum præstare. *Deinde asserit impuberibus, sive quia iis deest vera perfectaque consensio, sive generandi potestas, obesse impedimentum, quod,* cum ad matrimonii substantiam referatur, in causa est, ut matrimonium. . . . irritum penitus sit habendum.

F

cum Sigiberto Theodorici filio;

108 *Hæc nimium probare videntur : sequeretur enim neque hodie Ecclesiam dispensare posse in hujusmodi impedimento, utpote quod ad essentiam rei, proindeque ad jus naturale pertineret : cum igitur in hodierno jure probentur nuptiæ contractæ ab impuberibus, quorum illa est ætas, ut consensum validum præstare possint, sequitur id genus impedimenti revocandum esse ad legem positivam, quam Ecclesia pro opportunitate temporum, locorum et personarum mutare potest* (*k*). *Certe ipse S. Augustinus matrimonium impuberis impossibile non judicabat, cum scribens ad Benenatum, uti videtur, episcopum, dicit quidem in epist.* CCLIV, *al.* CCXXXIII (*l*) *puellam, quæ in matrimonium petebatur,* in ea ætate esse, ut si voluntatem nubendi haberet, nulli adhuc dare vel promitti deberet; *sed adjungit deinde alia, v. g. nesciri utrum nubere velit, habere puellam materteram quam consulere oportuit, tandem, fortassis et* appariturum matrem, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura præpo-

(*a*) Episcopat. Constant., p. 34.— (*b*) T. II Sept., p. 741, n. 19. — (*c*) Sæc. II, p. 238, n. *b*. — (*d*) Ap. D. Bouquet, t. II, p. 437. — (*e*) Hist. des Evêq. de Metz, p. 104. — (*f*) Eccles. Hist. Angl., lib. III, cap. XVIII.—(*g*) Cfr Joan. Lingard. Hist. d'Anglet., ch. II, tom. I, p. 104. Edit. Lovan. — (*h*) D. Bouquet, tom. II, p. 421.— (*i*) Tom. III, p. 81. — (*k*) Cfr Canonistas passim. Schmalzgrueber, lib. IV, Jur. Eccles., tit. II, n. 49. — (*l*) Oper, tom. II, p. 881. Edit. Paris. 1679.

AUCTORE J. V. H.

nit. *Quibus postremis verbis insinuare videtur, quod si mater consentiret matrimonio, ratum esse posse filiæ infra pubertatis annos matrimonium.*

A

neque his obstant ætas sponsi duodennis;

109 *Occurrit etiam hujusmodi matrimonii sive sponsalium exemplum in Vita coæva S. Gertrudis, abbatissæ Nivellensis,* XVII *Martii* (*a*) : Hoc primum, *inquit biographus,* electionis ejus in Christi servitio initium fuit, sicut per justum et veracem hominem comperimus, qui præsens ibi aderat, quia dum Pippinus (*Landensis*) genitor suus regem Dagobertum in domo sua ad nobile prandium invitasset, advenit ibidem unus pestifer homo, filius ducis Austrasiorum, qui a rege et a parentibus puellæ postulavit, ut sibi ipsa puella in matrimonium fuisset promissa secundum morem sæculi. (*Aliud exemplar habet :* jungeretur secundum sæculi dignitatem). Propter terrenam ambitionem et mutuam amicitiam placuit regi; et patri puellæ suasit, ut in sua præsentia illa cum matre fuisset evocata. Illis autem ignorantibus propter quam caussam rex vocaret infantem, interrogatur inter epulas a rege, si illum puerum, auro fabricatum sericis indutum, voluisset habere sponsum. Illa autem quasi furore repleta, respuit illum cum juramento et dixit :

B

Quia nec illum nec alium terrenum, nisi Christum Dominum volo habere sponsum; ita ut ipse rex et proceres ejus valde mirarentur super his, quæ a parva puella ex Dei jussione dicta erant. Ille vero puer recessit confusus, iracundia plenus. *Hæc egit S. Gertrudis decennis* (*b*); *et proinde ætas duodennis Sigiberti non videtur obstare ejus matrimonio cum Fridiburga contracto. Quinimo canonistæ docent esse casus, in quibus* malitia supplet ætatem (*c*), *et annos undecim sufficere, ut quis aptus quandoque ad matrimonium censeatur* (*d*).

aut bellorum civilium

110 *Sed præter ætatis præjudicium, alia accumulat argumenta contra Sigiberti nuptias Hadr. Valesius* (*e*) : Atque etiamsi, *ait,* gratis concederemus eum puberem fuisse, tamen adeo quiete et secure de contrahendo matrimonio cogitare non potuit, statim post Theodorici patris sui mortem a Chlotario oppugnatus, a Brunichilde proavia missus in Germaniam ad Toringos, *etc. Hæc et reliqua, quæ deinde examinabimus tanti non sunt ut auctoritatem Anonymi elevent; maxime si consideremus, quo loco res Sigiberti Austrasii tunc essent. Ex Fredegarii Chronico c.* XXXIX (*f*) *habemus :* Brunichildis, *defuncto Metis Theodorico,* Sigebertum in regno

C

patris instituere nititur. *Mittit legatos ad Clotarium, ut regno Theodorici excederet, respondet Clotarius* judicio Francorum *controversiam dirimendam. Quid igitur miri in his factionibus, patronos sibi quæsivisse Brunechildem et Sigibertum? hunc uxorem sibi petiisse filiam Gunzonis ducis Alemannorum, populi bellicosissimi? cum hisce nuptiis auxilium et refugium sibi paraverit. Certe hic casus occurrit in jure canonico prævisus* (*g*) : Aliqua urgentissima necessitate interveniente, . . . talis conjunctio toleretur. *Ipse incertus status Sigiberti nuptias conciliare potuit, quæ rebus pacatis et tranquillis in aliud tempus rejici debuissent.*

præsens calamitas.

111 *Aliud objicit Valesius* Gunzonem ducem Alamanniæ Fridiburgam filiam suam per manus comitum regi transmisisse. Quasi eam ad principem et dominum suum, cujus socer futurus erat, perducere gravaretur : aut quasi pater, nullo domi bello detentus, Divodurum Mediomatricorum proficisci et filiæ nuptiis tantis et tam illustribus interesse dedignaretur, affinitate regis si non D contemta, certe haud magni facta. . . . . *Hæc et alia similia amplificat Valesius : verum ipse se refutat, dum ait Gunzonem ideo absentiam excusare non potuisse, quia* nullo domi bello detentus *erat; nam ut ex Fredegario l. c. constat, tota controversia inter Sigibertum et Clotarium ad arma spectabat : merito igitur Gunzo dux in Alemannia bellum parabat. Addit demum Valesius :* sed nimirum Sigiberto, etiamsi pubes fuisset, de bello atque adeo de morte magis quam de matrimonio cogitandum erat. *Si mortem proxime instantem prævidisset Sigibertus, fortassis de matrimonio non cogitasset : ast quis est, quæso, rex, qui bello involutus et prælium commissurus est, qui stragem exercitus, atque adeo mortem cruentam certo prævideat? Certe hujusmodi bellator omnem armorum artem in eo poneret, ut vitaret prælium. Cæterum quamvis bellum instaret, pax* Francorum judicio *adhuc firmanda sperabatur. Hæc sunt quæ Hadrianus Valesius nuptiis Sigiberti, filii Theodorici, cum Fridiburga opposuit; quæque, uti mihi videntur, commode refutata sunt.*

Joannes episcopus

112 *Cæterum is non sum, ut omnem narrationis seriem Walafridi et Anonymi defendam : sunt enim aliqua quæ cum veritate historica stare non possunt. Imprimis uterque habet, S.* Gallo *promissas fuisse insulas Constantienses, si Fridiburgam sanasset. Verum sedes episcopalis primum post triennium vacavit. Nam S. vir in Rhætiam fugiens, ne aulam Gunzonis adire cogeretur, tunc* primum *occurrit Joanni diacono, postea Constantiensi episcopo, quem* per triennium *circiter ad pastorale munus præparavit. Hæc igitur promissio fieri non potuit a Gunzone : sed cum traditione sciret Anonymus sanationem Fridiburgæ occasionem præbuisse, ut S.* Gallus *ad sedem episcopalem promoveretur, utpote qui hoc miraculo Gunzoni cognitus fuerit; hinc nata fabula promissionis. Eodem modo errasse puto Walafridum, dum dicit Fridiburgam a sponso suo Sigiberto præfectam fuisse monasterio S. Petri Metensis, cui fortassis adhuc præerat S. Waldrada* (*h*).

E

circa annum, ut videtur, 615

113 *Expeditis utcumque hisce difficultatibus, alia venit quæstio, de electione Joannis ad Constantiensem cathedram : imprimis dispiciendum est, quo tempore et S.* Gallus *Constantiensem episcopatum recusavit, et Joannes ejus discipulus promotus fuit. Joseph. Harzheim in Conciliis Germaniæ* (*i*) *signat annum* 616, *Crusius in Annalibus Sueviæ* (*k*) *annum* 650; *Cointius ad an.* 614, *tandem Trudpert. Neugart electionem Joannis* (*l*) *ad an.* 615 *refert. Citant quidem laudati Neugart et Harzheim Eccardum, quasi an.* 622 *illigasset initium episcopatus Joannis* (*m*) : *sed perperam, cum nihil hujusmodi habeat, sed sub uno conspectu exhibeat seriem vitæ S.* Galli *absque ulla annorum distinctione. Crusius l. c habet reapse Joannem episcopum factum fuisse an.* 650; *sed vitium potius typothetæ, quam auctoris est : dicit enim S.* Gallum *circa an.* 640 *obiisse, proinde decennio post mortem magistri, Joannes ecclesiam regendam suscepisset. Quod omnino repugnat historiæ. Restat igitur ut anno* XIV, XV *aut* XVI *sæculi septimi hæc electio facta fuerit. Nulla vero mihi occurrit idonea ratio, cur unum ex his annis alii præferrem, nisi quod annus* XIV *non videatur stare posse cum triennio, quod Joannes audiendo S.* Gallo *impendit. Si ita narrationi Anonymi et Walafridi insistere possemus, ut singulæ facti circumstantiæ momentum historicum efficerent,*

F

(*a*) Tom. II Mart., p. 394, n. 2. — (*b*) Tom. II, p. 395, not. *c.* — (*c*) c. XIV de Desponsat. impub. (IV. 2.) — (*d*) Ferraris Biblioth. Canon. Verbo, *matrimonium,* art. II, n. 22 et seqq. et n. 35 et seqq. Schmalzgr., l. c. 52.—(*e*) Rer. Franc., t. II, p. 571. — (*f*) D. Bouquet, t. II, p. 429. — (*g*) c. II de Desponsat. impub. (IV. 2.) — (*h*) Cfr Act. SS., tom. II Maji. p. 51. — (*i*) T. I, p. 24. — (*k*) Lib. X, part. I, c. VI. — (*l*) Episcopat. Constant., p. 34. — (*m*) De reb. Franc. Orient., tom. I, lib. XI, n. XVIII.

merito

A *merito cum Josepho Harzheim anno* 616 *consecrationem Joannis episcopi attribueremus. Nam S.* Gallus *qui prius susceptionem pontificalis dignitatis excusaverat propter patris sui Columbani interdictum, deinde in concilio Constantiensi ideo oblatam infulam recusat, quia sacris Canonibus vetabatur, ne peregrini in episcopos assumerentur, nulla interdicti facta mentione; unde merito concludere liceret an.* 616 *Dominica* I *post Pascha, ut habet Walafridus, seu* XVIII *Aprilis ordinatum fuisse Joannem episcopum. Verum hæc nulla ratione videntur posse admitti : nam ex ipso Walafrido c.* XXVI *clare constat, S. Columbanum diem supremum obiisse post electionem Joannis, idemque insinuat Anonymus n.* 28. *Quare synodus Constantiensis melius innectitur an.* 615 *et proinde* VI *Aprilis.*

consecratus fuit a tribus episcopis,

114 *Neque suis caret tricis ipse modus electionis, quo Joannes ad cathedram Constantiensem evectus fuit : Walafridus loco supra citato ternos adnotat electioni interfuisse episcopos,* Augustodunensem, *Spirensem et Virdunensem, de quo postremo nihil habet Anonymus. Illud etiam observatu dignum est, ternos episcopos ternis provinciis adscriptos fuisse, cum Augustodunensis ad Lugdunensem metropolim,*

B *Spirensis ad Moguntinam, Virdunensis tandem ad Trevirensem pertineret : quin Vesuntini episcopi metropolitani, cui tunc quidem, ut constat e notitiis Galliarum* (*a*), *subjacebat sedes Vindonissa seu Constantiensis, nulla fit mentio : attamen decreto Bonifacii I in epistola ad Hilarium episcopum Narbonensem cautum erat* (*b*), *ne* in locum decedentis episcopi *alius* prætermisso metropolitano, contra patrum regulas ordinaretur. *Quod quidem confirmatur can.* VIII *Concilii Parisiensis* III *anno* 557 *celebrati, quo sancitur* (*c*), *ut* nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate : non principis imperio, *neque* per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprovincialium, ingeratur. *Ita ut Emerius, Sanctonensis episcopus, ut narrat S. Gregorius Turonensis* (*d*), *ab episcopatu depulsus fuerit, quod* decretum regis Chlothacharii habuerat, ut absque metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens.

inter quos Rauracensis seu Basileensis.

115 *Atqui electioni Joannis neque metropolitanus Vesuntinus, neque aliquis e comprovincialibus episcopus adfuisse videtur. Verum puto omnes qui de*

C *hac electione scripserunt, si Cl. Binterim in Historia synodica Germaniæ* (*e*) *excipias, cespitasse, quando Augustodunum, sive urbem Francicam Provinciæ Lugdunensis,* Autun, *sive Germanicam in Vindelicia,* Augsbourg, *interpretati sunt. Hic vero* Augustam Rauracorum *significare videtur, cujus cathedra circa medium sæculum quintum Basileam translata fuit, ut monstrat Anselm. Berthod, in Vita S. Pantali ad diem* XII *Octobris* (*f*) : *ita tamen ut usque ad medium sæculum* VIII *Rauracorum titulum retinuerit.* Augustodunum *autem hic pro Augusta Rauracorum poni, fidem facit fragmentum Vitæ S. Eustasii a Berthodo citatum* (*g*) : Fuit namque ejus (*Eustasii Luxoviensis abbatis*) studium, ut multos sua facundia erudiret. Nam multi eorum postea ecclesiarum præsules extiterunt; quorum hæc sunt nomina..... Rachnarius Augustoduni et Basiliæ episcopus. *Neque fraudi esse potest, quod Berthodus n.* 69 *et seq. amanuensium culpæ adscribat Augustodunum pro Augustam textui irrepsisse : nam quæ Eusta-*

sianæ Vitæ accidisset corruptio, et textum nostrum contingere potuit. His ita positis, quum habeamus unum episcopum comprovincialem, qui etiam primus nominatur, et primarias partes obiisse videtur, quum ex utroque scriptore constet de consensu cleri et populi, nihil est quod contra canonicitatem electionis Constantiensis objici potest, nisi forte absentia Vesuntini metropolitani et Lausannensis episcoporum, qui potuerunt esse impediti aut quorum tunc sedes vacare potuit. AUCTORE J. V. H.

D

§ IX. Post S. Eustasii mortem, recusat S. Gallus regimen cœnobii Luxoviensis : moritur.

Mortuo S. Eustasio

S. Gallus *post electionem discipuli sui Joannis, Constantia reversus, totus deinceps incubuit, ut socios suos monachos ad omnem vitæ monasticæ perfectionem informaret : atque ope Gunzonis ducis et Joannis episcopi oratorium et officinas fratribus aptas ædificavit. Dum totus in iis erat,* Abba monasterii, *ait Walafridus, c.* XXVIII, quod Luxovium dicitur, nomine Eustasius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab hujus exilio vitæ ad supernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem cœnobio constituti consilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, et ejus regimini se subdendo contraderent. *Sed noluit B.* Gallus *tantum onus subire, et* osculo pacis oblato, dimisit eos, et illi benedictione tanti patris armati ad sua remearunt. *De S. Eustasio agunt nostri ad diem* XXIX *Martii* (*h*), *atque illum mortuum ajunt an.* 625 : *Pagius vero* (*i*) *ejus obitum anno* 627 *innectit. Cum ab obitu S. Eustasii pendeat tempus mortis S.* Galli, *ut infra videbimus, non erit inutile ad crisim revocare annum emortualem S. Eustasii.* E

circa A. 627,

117 *Tota controversia in eo jacet, quo anno S. Eustasius præfecturam cœnobii Luxoviensis susceperit : nam ex Vita S. Salabergæ ad* XXII *Sept.* (*k*), *constat sanctum virum* vita beata functum migrasse ad Dominum, cum curam fratrum post discessum magistri (*Columbani*) tribus non parum minus rexisset lustris. *Prout igitur regiminis initium ordi-* F *namur ab an.* 610 *aut* 612, *sic annus* XV *præposituræ annum* 625 *aut* 627 *attinget. Pagius* (*l*) *dicit S. Eustasium non ante annum decimum tertium sæculi septimi cœnobii Luxoviensis possessionem adiisse, quia* post discessum S. Columbani, *ait auctor Vitæ S. Walarici ad* I *Aprilis* (*m*), nonnulli pastores ad commanendum ibidem convenerant, et B. Walaricus de quadam cellula regrediens, juxta Domini virtutem expulsis sæcularibus, cœpit ipsum sanctum locum restruere. Inter hæc B. Austasius (*Eustasius*) a B. Columbano fuerat destinatus ad hoc ipsum cœnobium regendum, cum adhuc quadam ex parte fines ipsius monasterii quidam utique sæculares possiderent. *Ex his verbis concludit Pagius S. Eustasium non ante annum* 612 *aut* 613 *cœnobium occupasse. Certe hæc pericope e Vita S. Walarici suadet aliquod intervallum temporis inter S. Columbani expulsionem et præfecturam S. Eustasii statuendum esse : verum non*

(*a*) D. Bouquet, t. II, p. 2. — (*b*) Labbe, t. II, Conc. col. 1585. — (*c*) Ibid., t. V, col. 817. — (*d*) Lib. IV. Hist. Eccles., c. XXVI. Ap. D. Bouquet, t. II, p. 215.—(*e*) Pragm. Gesch. der Deutschen Conc., tom. I, p. 28 et 405. — (*f*) T. VI Octobris, p. 73, § III. — (*g*) Ibid., p. 80, n. 64. — (*h*) Tom. III Mart., p. 784. — (*i*) Crit. Baron. ad an. 627, § XXVII. — (*k*) Tom. VI Septemb. p. 522. — (*l*) Ad an. 613, § VI. — (*m*) Tom. I April., p. 18, n. 7.

continuo

AUCTORE J. V. H.

continuo sequitur biennium impendendum fuisse, tum usurpationi, tum expulsioni sæcularium, quum aliquot mensium spatium sufficiat ut hæc peragantur.

A

obit S. Gallus

118 *Quod vero addit Pagius ibidem :* non videtur Eustasius ante præsentem annum (613), quo Clotarium universam Francorum monarchiam obtinuisse anno sequenti ostendemus, suæ præfecturæ aut abbatiæ Luxoviensis possessionem iniisse. *Hæc aperte contradicunt Jonæ in Vita S. Columbani n.* 61 *dicenti :* Interea memoratus rex Clotharius viri Dei prophetiæ effectum in se fuisse impletum cernens, venerabilem Eustasium, qui ejus in locum Luxoviense monasterium regebat, ad se venire imperat; *quem deinde rogat ut pergat post Columbanum, reditumque in Gallias suadeat. Hæc clarissime monstrant, ante adeptam a Clotario universi regni monarchiam, jam* præfecturæ suæ possessionem iniisse *Eustasium. Cæterum aliquandiu sanctum virum sub magistri sui Columbani obedientia vixisse Brigantii, habet Jonas in Columbani Vita n.* 54 : Nam Eustasio hoc (*miraculum*) cognovimus referente, qui eo tempore inter reliquos sub viri Dei obedientia tenebatur adnexus. *Quibus sane verbis indicatur non tamquam hospes, sed*

B

tamquam monachus inquilinus vitam Brigantii duxisse. Quam deinde habitationem reliquerit, quando S. Columbanus, Theodoricum fugiens, illum Luxovio præfecerit; proindeque cum Pagio censeo, initium præfecturæ ejus anno 612 *et consequenter obitum ejus anno* 627 *adscribendum esse.*

post breve intervallum :

119 *Non diu Eustasio superstitem fuisse S.* Gallum *narrat Wallafridus in ejus Vita c.* XXIX : Nec multo post (*oblatam Luxoviensis monasterii præfecturam*), cum jam bonorum omnium auctor et propagator athletam suum de mundi agone sublatum, præmiorum laureis voluit perrenniter adornare. *Ex his verbis Walafridi statuerunt Cointius* (*a*), *Nostri in Vita S. Magni ad* VI *Sept.* (*b*) *et Pagius Critic. Baronii* (*c*) *eodem, quo S. Eustasius, anno aut sequenti supremum diem obiisse S.* Gallum, *scilicet an.* 625 *aut sequenti, vel, ut Pagio placuit, an.* 627 *vel* 628. *Hanc opinionem omnino rejicit Joan. Mabillon* (*d*), *quem deinde secuti sunt Alban. Butler in Vitis SS. ad* XVI *Octobris, Joan. Lanigan in Historia Hiberniæ* (*e*) *aliique. Operæ pretium itaque fuerit criticas rationes adducere, quibus Mabillonius suam sententiam, qua annum emortualem S.* Galli 645 *aut* 646 *statuit, confirmare nititur.* Huic calculo, *illorum scilicet qui obitum S.* Galli *ad an.* 625 *referunt,*

C

multa obstant, *ait l. c. Annalium;* imprimis S. Galli ætas nonaginta quinque annorum, quam ei Walafridus tribuit. Quis enim sibi persuadeat, Luxoviensibus venisse in mentem, ut mortuo Eustasio tam annosum et decrepitum senem subrogandum censuerint? Deinde qui fieri potuit, ut homo tam grandævus intra decem ultimos vitæ suæ annos tot labores exantlaverit, quot Gallum in Rætia Curiensi, aliisque finitimis pagis pertulisse Walafridus auctor est? Ut omittam, quod Talto, vir illustris, Dagoberti Regis Camerarius, Gallum adhuc viventem coluisse dicitur apud Ratpertum.

rationes Mabillonii et aliorum,

120 Hæc omnia exigere videntur, ut Sancti Galli obitum serius differamus, tametsi certus ejus annus definiri non possit. *Consulto hic abstinet Mabillonius ab illa opinatione, qua in Act. SS. Ord. S. Ben. l. c. dicit, ex c.* XV *clarescere S.* Gallum *Dagoberto supervixisse, utpote cujus filius uxorem duxerit Fridiburgam, Sancti precibus sanatam. Cfr* D *supra n.* 106 *ubi monstravimus Dagoberti filio has nuptias tribui non posse; uti ipse Mabillonius dein fassus est* (*f*). Neque hæc narratio (*nuptiarum Fridiburgæ*) tribui potest Sigiberto Dagoberti filio, qui ineundo conjugio habilis non fuit vivente Gallo. *Hæ Mabillonii rationes suo pondere non carerent, nisi obstaret chronologia episcoporum Constantiensium : nam ex Walafrido c.* XXX *et Anonymo lib.* II, *n.* 35 *constat Joannem episcopum, sancti viri discipulum, magistro suo justa funebria persolvisse. Jam vero constat Joannem episcopum ante Dagobertum obiisse, nam ejus successor Martianus a Dagoberto obtinuit ut limites episcopatus Constantiensis definirentur, prout legitur in Diplomate Friderici I Imperat.* V *kal. Dec.* (27 *Nov.*) *an.* 1155 (*g*) : Nos presentis scripti privilegio, communimus et imperiali auctoritate corroboramus, imprimis distinguentes terminos parochie inter Constantien. episcopatum et ceteros adjacentes, sicut ab antecessore nostro felicis memorie Dagoberto rege tempore Marciani Constantiensis episcopi distinctos invenimus.

annum mortis 640 statuentium, refutantur, E

121 *Sigismundus Calles Societatis Jesu, in suis Annalibus Ecclesiæ Germaniæ* (*h*), *dubitat an non error aliquis irrepserit in Dagoberti et Marciani nomine, quia* fines inter episcopatum Constantiensem et Wirzburgensem, qui sub Dagoberto I necdum erectus erat, hoc in diplomate distinguantur. *Reapse anno* 741 *erectum episcopatum Wirzeburgensem probat Æmilian. Ussermann in libro de Episcopatu Wirceburgensi* (*i*). *Faceret profecto hic anachronismus adversus Diploma citatum, si Dagoberto tribueretur, sed Friderici I tempore, exsistente diœcesi Wirceburgensi, oportuit non solum ratos habere limites, prout determinati a Dagoberto I fuerant, sed insuper accuratius eosdem definire inter episcopatus recentiores, quod præstitit Fridericus imperator. Quando dein idem diploma agit de abbatia S. Udalrici an.* 973 *defuncti, nemo in animum sibi inducet omnia hæc ad tempora alicujus Dagoberti retrotrahenda esse. Dagobertus, de quo in diplomate agitur est* primus *hujus nominis, qui regnavit ab anno* 622 *ad annum* 638. *Marcianus autem Constantiensis Episcopus, quem alii Martinum, alii Marianum appellant, sedem occupavit usque ad an.* 642 (*k*). *Non tamen diffiteor in serie episcoporum Constantiensium magnam esse inter eruditos varietatem. Gallia Christiana* (*l*), *pro sententia sua laudans Jac. Manlium in Chronico Constantiensi* (*m*), *præponit Martianum Joanni, sed omnino perperam, quum Johannes circa an.* 615 *electus* (*vid. sup.* 113) *præcedere debuit Martianum,* sub quo, *teste eodem Manlio* (*l. c.*), circa annum VI, c. XXXV (635) episcopatus Constantiensis per Dagobertum Magnum, regem Francorum, fuit limitatus, prout in aurea Friderici primi bulla continetur. *Cointius Johannem quidem Martiano præponit, sed inter utrumque intercalatum vult Bosonem, qui S.* Galli *corpus* in sarcofago digno inter aram et parietem sepulturæ tradidit. *In Actis S. Magni c.* IV *ad* VI *Septembris* (*n*) *dicuntur hæc accidisse* triennio *post mortem S.* Galli : *hinc recte satis conclusit Cointius, inter Johannem et Bosonem non potuisse medium esse Martianum. Sed Walafridus l.* II, *c.* I *et Anonymus n.* 40 *dicunt hanc a Bosone translationem factam fuisse annis quadraginta post transitum S.* Galli. *Hinc patet late*

F

(*a*) Ann. Franc., tom. II, p. 105 et 747. — (*b*) T. II Septemb. p. 709, num. 43. — (*c*) Ad an. 627, § XXX. — (*d*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 247. Annal. Ben., lib. XIII, § XXII. t. I, p. 360. — (*e*) Hist. of Irel., tom. II, p. 437. — (*f*) Ann. Ben., lib. XI, § VIII, t. I, p. 277.— (*g*) Trudp. Neugart Cod. diplom. Alemann., ch. DCCCLXVI, tom. II, p. 86. — (*h*) T. II, p. 4. — (*i*) p. 2. — (*k*) Neugart. Episcopat. Constant., p. 42. — (*l*) T. V, col. 892. — (*m*) Ap. Pistor. Rer. Germ. Scriptt., tom, III, p. 702. — (*n*) T. II Septemb., p. 745, n. 30.

spatium

A *spatium, ut Martianus, sub quo a Dagoberto I limites episcopatus Constantiensis definiti fuerunt, inter Johannem et Bosonem incedat.*

tum ex Diplomate Friderici I,

122 *Hæc autem limitum determinatio facta fuerit, oportet, antequam regnum Austrasiæ Sigiberto filio suo cederet Dagobertus, quod an.* 632 *aut* 634 *accidit : unde consequitur, Johannem episcopum, circa an.* 630 *diem supremum obiisse, et proinde S.* Gallum, *quem dictus Johannes sepelivit usque ad an.* 645 *non supervixisse; sed potius, inhærendo narrationi Walafridi, eodem, quo S. Eustasius anno, aut sequenti, an.* 627 *aut* 628 *vita functum esse S.* Gallum. *Quoad rationes a Mabillonio ejusque sequacibus allegatas, illas utcumque refutarunt nostri in Vita S. Magni ad* VI *Septembris* (*a*). *Verum ut fatear quod rei est, non potuit S.* Gallus, *ante annum* XXX *sæculi septimi moriens, ad decrepitam adeo senectutem devenire, ut nunc paucis ostendemus.*

tum ex epocha

123 *Vidimus supra n.* 24 *et seq. S.* Gallum *vix citius an.* 550 *lucem hanc mortalem adspicere potuisse, cum igitur circa an.* 627 *mortuus sit, ætatem, ut plurimum,* LXXVII *attingere potuit. Sed obstat huic sententiæ unanimis vox scriptorum de Sancto nostro agentium, qui omnes ætatem illi nonaginta quinque*

B *annorum adscribunt. Sed notum est omnibus, qui antiquos codices tractarunt, quam caducum sit testimonium, quod notis arithmeticis præsertim romanis nititur, quando aliunde facta historica constringunt, ut hujusmodi notas in dubium vocemus* (*b*). *Posito S.* Gallum *ad ætatem* LXXV *plus minus annorum pervenisse, ruunt sponte omnia, quæ Mabillonius aliique objecerunt, ut mortem ejus ad an.* 645 *protelarent. Jam saltem decennio junior fuerit S. Columbano, cui* puer *oblatus fuit a parentibus educationis gratia; mirabile non fuerit, viro* LXV *annos nato episcopatum Constantiensem a clero et populo oblatum, et undecim aut tredecim annis postea monasterii Luxoviensis regimen a monachis delatum fuisse, quorum maximi intererat, illum sibi constituere abbatem, qui omnium altissime hauserat præcepta disciplinæ monasticæ a S. Columbano institutæ.*

ejus nativitatis.

124 *Ut tam decrepitam ætatem Sancto nostro non tribuam, facit etiam meo judicio Walafridi c.* XXIX *et Anonymi n.* 33 *narratio de ultima prædicatione Servi Dei. Si vere annos* XCV *natus fuisset S.* Gallus, *aptissime respondisset, per ætatem illi jam interdictum concionandi laborem, jam mortem instare et*

C *quæ his sunt similia; sed nihil horum obtendit vir Dei; apud Anonymum solum respondet :* se usum jam non habere de cella egredi, sed magis solito labore deinceps instantissime debere perfrui. *Hujusmodi certe responsio designat virum solitariæ vitæ assuetum, quem tædet* egredi in popularem conventum; *nullatenus vero senem decrepitum, qui tantum laborem ferre jam non valeret.*

Brevis chronotaxis totius vitæ.

125 *Ex hactenus dictis chronotaxis vitæ S.* Galli *deducitur. Scilicet circa A.* 550 *natus, imo, ut puer offerri a parentibus in Benchorensi cœnobio potuerit, potius A.* 554 *in lucem editus, ad dictum monasterium adducitur circa A.* 562 *aut* 564. *Sacerdos ætate competenti circa A.* 584 *ordinatus, circa A.* 590 *in Gallias appellit cum magistro suo S. Columbano. Anno dein* 610 *e Galliis a Theodorico expulsus, in Alemannia A.* 612 *solus relinquitur. A.* 614 *sanata Fridiburga, Sigiberti filii Theodorici sponsa, episcopatum Constantiensem recusat. Eodem anno cellam sibi fratribusque construit, et A.* 615 *interest concilio Constantiensi, et brevi post per mortem S. Columbani sacerdotali ministerio redditus, præcipuam curam deinceps in formandis monachis ad omnem vitæ christianæ perfectionem posuit. Fama ejus sanctitatis latius manante, post mortem S. Eustasii, quæ, uti videtur* XXIX *Martii A.* 627 *accidit, S.* Gallo *defertur præfectura Luxoviensis monasterii, qua recusata, moritur servus Dei* XVI *Octobris ejusdem aut sequentis anni.*

AUCTORE J. V. H.

D

§ X. Sancti Galli sepultura, ejus corporis violatio, Reliquiæ.

Sepulcrum,

Cum audisset, *ait Walafridus c.* XXX, Johannes Constantiensis Ecclesiæ præsul B. Gallum apud Arbonam infirmari, ascendens naviculam, potuum et ciborum ea secum genera tulit, quæ infirmitate laboranti noverat congruere; ut videlicet sua visitatione fidelissimum refoveret amicum. Cumque portui propinquaret, audivit in domo presbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celebrari, E et interrogavit quæ tanti esset causa ploratus. Audiens autem Gallum venerabilem, firmissimum suæ familiaritatis custodem, de hujus sæculi emigrasse periculis, misit se in aquam, (neque enim poterat propter nimium dolorem sustinere, donec navicula littus attingeret), descendensque cum his qui secum venerant, intravit in domum presbyteri, lugubri voce et corporis gestu mœrorem cordis insinuans. Invenit autem corpus viri sancti involutum et in loculo repositum : aperiensque sarcophagum et exanime amici cadaver inspiciens, amariores lacrymas dedit.... Inter hæc presbyter cum ut surgeret monuit, ut pro requie defuncti ambitiosius Dominum precaretur. Intraverunt itaque ecclesiam et episcopus pro carissimo salutares hostias immolavit.

in quo a Joanne Constantiensi

127 Finito autem fraternæ commemorationis obsequio, respiciens post tergum, vidit fossam, in qua sanctum corpus humare volebant. Acceptaque cruce et his quæ exsequiis exhibentur, intraverunt domum, volentes thesaurum pretiosi corporis ad locum sepulcri deducere. Cumque arcam, qua claudebatur cadaver, feretro impositam, ad fossam sepulturæ conarentur deferre, nullis viribus usquam potuit commoveri. Quod F novi genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent, Johannes episcopus dixit : « In » veritate cognosco hanc sepulcri sedem Patri » meo Gallo non placere. » Et jussit presbytero ut duos equos inveniret indomitos et faceret introduci.... Episcopus ad feretrum accessit, et ex una parte illud sublevans, presbytero altrinsecus extollente, equis superposuit, et adstantibus dixit : « Auferte frenos de capitibus eorum, » ut libertate concessa, quo Dominus voluerit, » pergant. » Accepta ergo cruce et candelis, psalmos et melodias concinentes, iter agere cœperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Quo cum pervenissent depositum est feretrum ante oratorium. Discipuli autem ejus, elevantes pii doctoris Reliquias, intulerunt et ante altare posuerunt. Deinde pariter cum episcopo orationem pro illo facientes, fecerunt fossam sepulcri inter parietem et altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmissis, sepelierunt eum : omnibus-

(*a*) Tom. II Septemb., p. 709. — (*b*) Cfr Nouv. Traité de Diplomatique, tom. III, p. 524.

AUCTORE J. V. H.

que rite consummatis, multitudo quæ ad tanti viri concurrit exsequias, episcopi benedictione communita, ad propria commeavit.

A

conditus fuerat S. Gallus,

128 *Hæc pro more hic citare volui, quatenus Walafridus cum Anonymo conferri possit, eoque lubentius, quod catholicum sepeliendi ritum ad amussim expressum reperiamus.* Meritis Beatissimi Galli, *pergit Walafridus, l.* II, *c.* I, quotidie per miraculorum signa radiantibus. . . . . cum jam post transitum ejus anni quadraginta fuissent evoluti, venit Otwinus partium earumdem potestate præditus cum exercitu magno et ira intolerabili concitatus, devastavit non minimam partem pagi, qui ab interfluente fluvio « Turgòwe » nominatur, Constantiense quoque territorium et Arbonensis pagi confinia depopulari cœpit et igne succendere. . . . . Arbonenses itaque hujus terroris immanitate compulsi, cum omnibus quæ habebant fugerunt in solitudinem et ad cellam viri Dei se contulerunt. Deinde facta in agro fovea, absconderunt ibi, quidquid habebant, et fossum terra cooperientes, ne secretum eorum deprehenderetur, lini semen desuper insperserunt. Cumque jam Arbonensem pagum hostes desolavissent, vestigia

B

fugientium secuti venerunt ad cellam Sancti Patris, et fugitivos, quos repererunt, vinctos abduxerunt, et juvenes eorum in captivitatem miserunt. Erchonaldus autem præfecti vicarius, cum vicina solitudini inhabitaret loca, habuit res ejusdem cellulæ notissimas. *Erchonaldus ex mendico exquirit, ubi laterent thesauri, et effosso latibulo, repertas divitias cum sociis dividit.* His patratis, putantes passim tale quid occultari, discurrerunt loca singula signis quibusdam sollicite explorantes. Ejusdem rei gratia Erchonaldus, adsumptis secum septem pueris introivit oratorium.

violatur aliquot annis

129 Cumque clausis ostiis pavimenti planitiem pulsarent, ob spem videlicet inveniendæ pecuniæ, unus illorum post altare veniens, pavimentum percussit, et audiens a cavitate tumuli sonitum reddi : « Hic est, inquit, quod oppido desideratis. » Accurrentes igitur pollinctores infesti cœperunt fodere; et cum ad loculum pervenissent, extulerunt illum dicentes : « Quia isti Rætiani calliditate naturali abundant, « videamus ne quippiam sub arca occulti remaneat. » Huic sacrilegio inservientes invasit eos horror immensus. Qui in fugam conversi, dum ostium oratorii singuli præoccupare niterentur, insania agitati,

C

evaginatis gladiis invicem se conciderunt. Erchonaldus vero hujus auctor sceleris, timore cogente, volens exsilire per ostium, caput superliminari illisit, et ad terram concidens, alienatus mente jacebat. Cumque a suis perduceretur ad propria, nimia infirmitate et novis doloribus cœpit urgeri. Toto itaque ipsius anni curriculo fortissimis maceratus molestiis, capillorum honore et cutis superficie spoliatus, etiam digitorum ungues amisit. Et ut omnibus longo tempore ultionis in eum divinitus collatæ signa paterent, cunctis vitæ suæ diebus hac deformitate notabilis fuit.

post ejus obitum :

130 Audiens Constantiensis Ecclesiæ præsul, nomine Boso, sepulcrum Beatissimi Galli violatum esse ab hostibus, nullumque remansisse in cellula, præter duos fratres Magnoaldum et Theodorum, qui sacri corporis Reliquias tumulo restituere potuissent, venit illuc cum clericis suis, et invenit cellulam desolatam, sancti Patris corpus de sepulcro ejectum, altaria nudata, duosque fratres, qui remanserant, spoliatos jacentes in oratorio, et magnitudinem calamitatis gemitibus et lacrymis protestantes. Et misericordia motus, cœpit eos consolari

D

multiplicibus verbis, illam replicans Psalmistæ sententiam, qua dicit : *In tribulatione invocavi Dominum et exaudivit me in latitudine. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* His dictis, sumens loculum in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit. De suo quoque fratribus vestimenta largitus est, et unde alerentur disponens, ad episcopium remeavit. *Hæc Walafridus, cui apprime consonat Anonymus.*

quod autem in Vita S. Magni

131 *Hæc autem omnia referuntur accidisse triennio post mortem S.* Galli, *in Vita S. Magni, sub Theodori nomine celebrata* (*a*). Igitur post triennium (*a morte S.* Galli) ut compleretur prophetia sanctissimi Columbani, quam ante prædixerat Beato Magnoaldo, quasi in ultionem sui venturum fore de sepulchro Beati Galli, Otwinus pessimus dux, et Erchonaldus consimilis ejus tamen præfectus, collecta multitudine populi, vallaverunt ipsum cœnobium evaginatis gladiis. . . . Nec non oratorium ingressi fregerunt sepulchrum Beati Galli, putantes ibi magnum thesaurum repositum esse. Ut autem

E

in eo nihil invenerunt, relicta ossa Beati Galli inhumata, interfecerunt omnes quos invenerunt, præter Beatum Magnoaldum et Theodorum, quos etiam flagellatos et vulneratos atque spoliatos reliquerunt jacentes in atrio. Audiens hoc Boso nomine sanctæ Constantiensis Ecclesiæ præsul, quod violatum esset, *et reliqua, iisdem verborum elementis, quibus Walafridus. Summa est discrepantia inter utramque narrationem quoad tempus, quo acciderit hæc sepulcri violatio; posito enim S.* Gallum *an.* 627 *mortuum, secundum Walafridum et Anonymum anno* 667, *secundum Pseudo Theodorum anno* 630 *Arbonensis agri vastatio innectenda est.*

dicitur id triennio

132 *Cum inter omnes conveniat S. Magnoaldum et Theodorum, irrumpentibus barbaris, cellæ S.* Galli *adhuc incolas fuisse, ut supra vidimus, lapsus quadraginta annorum nimis longus est, ut cum chronotaxi S. Magni conciliari possit, cum per annos sexaginta sex oportuisset illum S.* Gallo *superstitem fuisse, et proinde etiamsi S.* Gallum *an.* 625 *mortuum concederemus, S. Magnus tamen annum* 691 *attingeret. Hæc autem omnino improbabilia videntur, utpote quæ S. Magno ætatem centenariam tribuerent, de qua nullus ex antiquioribus*

F

umquam locutus est. Nam an. 612, *teste Anonymo n.* 11, *Maginoldus sive Magnus jam clericus, datus fuit a Willimaro presbytero adjutor S.* Gallo, ut in locis propinquis ecclesiæ ei ministraret, *quod officium supponit juvenem saltem* XX *annorum, maxime cum an.* 615 *a S.* Gallo *in Italiam destinatur jam diaconus, sive ætatis* XXV *annorum, secundum vigentem tunc disciplinam. Cfr supra n.* 43. *Hæc omnino suadent tempus incolatus S. Magni post mortem S.* Galli *ad quadraginta annos prorogandum non esse.*

post mortem sancti viri accidisse,

133 *His rationum momentis adducti nostri majores maluerunt sequi Vitam S. Magni, quæ ad triennium restringit intervallum inter mortem S.* Galli *et ejus sepulcri violationem. Hæc quidem opinio maxime favet chronotaxi S. Magni, prout illam ordinarunt; quippe quæ incolatum S. Magni ad cellam S.* Galli *contrahit : sed obstat, quod Boso vix ante annum* 633 *episcopatum Constantiensem adire potuerit, Martiano scilicet ejusdem sedis episcopo circa eumdem annum diploma Dagobertinum obtinente. Deinde verisimile non videtur, regnante Dagoberto I, quem omnes historici strenuissimum*

(*a*) Tom. II Septemb., p. 745, n. 30.

prædicant,

A *prædicant, hujusmodi vastationem accidisse : deinde Fredegarius, qui in suo Chronico res gestas Dagoberti accurate prosequitur, nullo verbo Arbonensis pagi, aut etiam Alemannicæ regionis populationem attingit. Cæterum Mabillon* (*a*) *hæc contigisse refert circa an.* 687; *et probabilius, cum Maginaldum et Theodorum cladi superstites narrat, suspicatus est eosdem non fuisse, qui a Willimaro presbytero adjutores S.* Gallo *an.* 612 *dati fuerunt : alioquin S. Magno ætas* CXIII *annorum adscribenda foret, quoniam post cladem saltem per annos* XXVI *in Faucensi monasterio vixit* (*b*). *Walafridus et Anonymus videntur semper loqui de iisdem personis : nam quos rerum gestarum testes ante adduxerant, eosdem narrant vastationis consortes fuisse : unde id omnino retinendum arbitror, in quod conspirant antiqui scriptores, cladem scilicet ab incolatu S. Magni separari non posse.*

conciliari non potest

134 *Hisce ita constitutis, dubium non est, errorem aliquem in notam numericam ab utroque scriptore positam irrepsisse, et eatenus corrigendum esse, quatenus rei gestæ narratio cum incolatu S. Magni ad cellam S.* Galli *et cum episcopatu Bosonis Constantiensis componi possit. Mallem itaque legi in utroque*

B *textu : post quindecim annos* (XV); *ita ut Arbonensis direptio inter annos Christi quadragesimum et quadragesimum secundum fluctuaret. Neque prorsus arbitraria est conjectura* (*nam conjecturam fateor*), *utpote quæ fundamentum aliquod habet in ipsa forma numeri romani* L (quinquaginta), *cujus membrum ita quandoque assurgit, ut angulum acutum efficiat* V *et proinde facile cum alia nota numerali romana* quinque (V) *confundi queat* (*c*). *Notum quoque est eamdem formam* L *antiquioribus sæculis non multum dissimilem fuisse a figura* I; *unde quoque, ut vult Ildeph. von Arx legere licet* post XI *annos. Alterutra correctio assumenda est, prout quis S.* Galli *obitum anno* XXV *aut* XXVII *supra sexcentesimum illigandum censuerit. Si anno* 625 *dicatur diem obiisse extremum, quindecim anni decurrent usque ad annum* 640 : *si e contrario annus emortualis* 627 *statuatur, post annos undecim deveniemus ad annum* 638 *aut etiam sequentem; circa quæ tempora turbatam fuisse Turgoviam infra n.* 136 *monstrabitur. Positis autem illis quindecim aut undecim annis, adesse potuit S. Magnus vastationi, qui ut supra dictum est n.* 133 *viginti sex annos postremos vitæ insumpsit in fundando monasterio Faucensi.*

C *Nostri quidem in Commentario prævio S. Magni ad* VI *Septembris* (*d*) *statuunt illum obiisse anno* 655; *quod quidem faciunt ex conjectura, quoniam upponunt circa annum* 629 *cellam S.* Galli *reliquisse : unde cogebantur quodammodo ejus mortem ad annum* LV *supra sexcentesimum definire : quemadmodum et Mabillonius serius vitam Sancti prorogat, quoniam illum annis vigintiquinque superstitem facit magistro suo S.* Gallo, *cujus mortem ut supra vidimus n.* 119 *cum* 646 *conjungit : unde Nostri recte observarunt, ut sibi constaret Mabillonius, obitum S. Magni saltem anno* 671 *innectendum esse, quando e contrario illum circa annum* 665 *vita functum scribit* (*e*). *Est vero nobis positivum argumentum, quo S. Magni dies supremus in annum* 666 *incidisse probatur. Citat nempe Ildeph. von Arx* (*f*) *manuscriptum Martyrologium Adonis in codice Sangall. n.* 455, *in quo ad hunc annum Sancti obitus notatur : credo autem aliis deficienti-*

D *bus probationibus, nos huic instrumento, licet non admodum antiquo, uti posse, donec certiora edoceamur. Atqui tum quidem licebit nobis mansionem S. Magni ad cellam S.* Galli *usque ad annum* 640 *retardare, quoniam supersunt adhuc anni* XXVI *usque ad obitum, proindeque non ita difficile erit quindecim annos inter S.* Galli *sepulturam et pagi Arbonentis direptionem invenire.*

cum chronologia

135 *Quoad Bosonem, satis constat inter eruditos illum sedem Constantiensem occupasse post Martianum* (*seu Martialem aut Martinum*), *qui tempore Dagoberti I, et proinde inter an.* 628 *et* 638 *eamdem rexit Ecclesiam, si fides videlicet habenda est diplomati Friderici I imperatoris, dato Constantiæ* anno dominice incarnat. Mllmo C. L. V. indict IIII V kal. Dec. regnante dno Frederico Romanorum imperatore Augusto anno regni ejus quarto, imperii vero primo (*g*). *In eo autem diplomate dicitur :* Distinguentes terminos parochiæ inter Constantien. episcopatum et cæteros adjacentes, sicut ab antecessore nostro felicis memoriæ Dagoberto rege, tempore Marciani Constantiensis episcopi, distinctos invenimus, videlicet, *etc. Cæterum authentiam Fridericiani diplomatis vindicatam reperies apud cit. Trudp. Neugart* (*Episcopat. Constant. Proleg. Dissert.* II). E *Prorogarunt quidem nostri ad Vitam S. Trudperti ad diem* XXVI *Aprilis* (*h*), *vitam Martiano usque ad annum* 642, *quo oratorium a prædicto Trudperto constructum sub honore SS. Petri et Pauli consecrasse dicitur; verum omnino incerta est hujus Sancti ætas* (*i*) : *et Marquardus Herrgott* (*k*) *satis nitide mea sententia monstrat S. Trudpertum potius ad octavum quam ad septimum sæculum pertinuisse : unde sponte sua fluit male interpolatum in ejus Actis Martiani nomen, neque, ubi alia non adsunt documenta, ejus episcopatum ultra regnum Dagoberti I extendi posse.*

et historia

136 *Cum itaque circa annum* 640 *duo facta concurrant, præsentia nempe S. Magni ad S.* Galli *cellam et episcopatus Bosonis; restat inquirendum quæ clades eodem tempore Arbonensem pagum, atque adeo S.* Galli *eremum affligere potuerit. Difficultatem feliciter, quantum quidem licet, componit Trudpertus Neugart* (*l*) : *Walafridus Turgoviam ab Otwino vastatam, ait,* anno quadragesimo ab excessu S. Galli; e contrario Theodorus (*supra n.* 131) id post triennium ab obitu ejusdem Sancti accidisse testatur. Verum anno sexcentesimo tricesimo, qui F opinione nostra tertius a morte S. Galli est, nec vola nec vestigium belli civilis aut incursionis hostilis apud auctores antiquiores deprehenditur. De Otwino sive duce sive præfecto, atque Erchonaldo ejus vicario, Turgoviæ comite, ut vult Goldastus, monumenta antiquiora perinde silent. Erchinoaldum vero, regis Dagoberti consanguineum, defuncto Ega, A. III Clodovei II, æræ communis sexcentesimo quadragesimo, majoremdomus in Neustria fuisse constitutum, præter Fredegarium (*m*) et Aimonium (*n*) Chronicon Moisiacense (*ap. D. Bouq. t. II, p.* 652) testatur, quo etiam tempore Otto Berone genitus patre sperabat se comitem palatii fieri posse, seu potius majorem-domus in Austrasia, infantiam Sigeberti II quod rexisset. Consilium subodoratus Grimoaldus, Pippini Landensis A. 639 defuncti filius, dignitatem ex meritis paternis sibi vindicare satagebat. Optatos honores adeptus est anno decimo Sigeberti,

(*a*) Annal. Ben., lib. XVI, § LXI, tom. I, p. 539. — (*b*) Tom. II, p. 708, n. 40. — (*c*) Nouv. Traité de Diplom., tom. II, p. 224. — (*d*) Tom. II Septemb., p. 708, n. 41. — (*e*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 505. — (*f*) Gesch. des Cant. S. Gallen, tom. I, p. 21. — (*g*) Neugart Cod. diplom. Alemann., ch. DCCCLXVI, tom. II. p. 86. — (*h*) Tom. III April, p. 426, not. *d.* — (*i*) Cfr Mart. Gerbert Hist. Nigr. Silv., tom. I, p. 49. — (*k*) Geneal. Dom. Habspurg., tom. I, p. 179 et seq. — (*l*) Episcopat. Constant., p. 26 et seq. — (*m*) Cap. LXXXIII. Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 445. — (*n*) Lib. IV, cap. XXXVI. Ibid., tom. III. p. 136.

J. C.

AUCTORE J. V. H.

J. C. quadragesimo secundo supra sexcentesimum, interfecto jam Ottone a duce Leuthario, quem in æmulum excitaverat. Walafridum itaque ac Theodorum ad hujus facti seriem respexisse puto, quum Otwini et Erchonaldi meminere. Quamvis enim nec Ottoni dignitas præfecti provinciæ aut ducis, nec Erchinoaldo vicarii officium conveniant, facilius tamen circa ejusmodi adjuncta a vero aberrari, quam nomina personarum propria oblitterari posse, criticorum plerique haud inviti admittent. At parum differre Otwinum ab Ottone, ac Erchonaldum ab Erchinoaldo, majore-domus Clodovei II ex Burgundia in Turgoviam sub A. 642 militem eduxisse adversam tamen fortunam expertum, a Leuthario II Alemannorum duce, ad cujus administrationem Turgovia spectabat, cæsum ac interemptum fuisse putem. *Hucusque laudatus Trudp. Neugart. Hæc utcumque solvunt intricatam quæstionem; conciliari etenim possunt cum incolatu S. Magni in cella S.* Galli *et cum epocha Bosonis. Admodum verisimile est, contentionem de majoratu domus inter Ottonem et Grimoaldum sub rege duodenni non absque bello compositam fuisse : nam Fredegarius in Chronico* (*a*) *dicit :* Otto quidam filius Uronis (*Beronis*) domestici, qui bajulus Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra Grimoaldum superbia tumens, et zelum ducens, cumque despicere conaretur : Grimoaldus cum Chuniberto Pontifice se in amicitiam constringens, cœperat cogitare, quo ordine Otto de palacio ejiceretur, et gradum patris Grimoaldus assumeret.

iorum tempo-um.

137 *Huc etiam facit Ottonem a duce Alemannorum Leuthario, A.* 642 *occisum fuisse, ut habet idem Fredegarius* (*b*); *quod aliquod indicium præbet in Alemannia tunc versatum fuisse Ottonem, vitamque suam pro factione Grimoaldi profudisse. Unum in conjectura historica Trudperti Neugart probare non possum; Erchanoldum scilicet, de quo in Vita S.* Galli *agitur, eumdem esse ac Erchinoaldum, qui major domus in Neustria sub Clodoveo II fuit. Certe nomen aptissime convenit, cum major domus Neustriæ in Erchamberti Breviario Regum Francorum* (*c*) *Erchanoldus vocetur. Sed neutiquam convenit utriusque ingenium : qui enim a Walafrido exhibetur Erchanoldus, expilator sacrarii Sangallensis, omnino distat ab suo cognomine, qui, ut ait Fredegarius in Chronico* (*d*), erat homo patiens, bonitate plenus, cum esset patiens et cautus, humilitate et benigna voluntate circa sacerdotes, omnibusque patienter et benigne respondens, nullaque tumens superbia, neque cupiditate sæviebat : tantum in suo tempore pacem sectans fuit, ut Deo esset placebile. Erat sapiens, sed in primis maxima cum simplicitate, rebus mensuratim ditatus, ab omnibus erat dilectus. *Hæc omnino differunt ab iis quæ de Erchanoldo dicuntur, ut impossibile sit duos hujusmodi viros in unum confundere.*

Reliquiæ S. Galli variis in locis.

138 *S.* Gallum *in oratorio cellæ suæ sepultum fuisse testantur Anonymus et Walafridus; atque illic corpus ejus permansisse, vadimonium præstat constans ejus monasterii traditio, continuata serie diplomatum firmata. Nihilominus S.* Galli *sepulcrum monstratur quoque Fuldæ, Borvici, ignoto mihi in Gallia loco, et in Wangen* (*e*). *Sed hujusmodi sepulcra aut cognominem Sanctum continent, uti fortassis in Gallia, in qua duo hujus vocabuli reperiuntur sancti episcopi Claromontani, aut Reliquias sancti abbatis potius indicant quam integrum corpus, prout probabilius Fuldæ et in Wangen acciderit. Sæculi* XVI *anno* XXIX *die* XXIV *Februarii corpus S.* Galli *e suo scrinio extractum, destructum fuit a Zwingliana factione, quæ in civitate Sangallensi dominabatur. Supererat Pragæ in Bohemia caput et brachium Sancti* (*cfr supra n.* 10), *sed cum Sangallenses monachi partem aliquam Reliquiarum S. Patroni sui rogassent, responsum fuit, ut schedæ meæ referunt, nihil hujusmodi reperiri. Attamen in* Diario SS. Reliquiarum, quæ in Metrop. Eccl. Pragensi asservantur, *conscripto a Thoma Pessina a Czechorod, decano ejusdem ecclesiæ hæc habentur sub die* XVI *Octobris :* S. Galli abbatis major pars capitis, brachium et costa, allata per Carolum ex monasterio S. Galli, Diœc. Constantiensis an. 1354. Caput argento et auro circumdatum donaverat idem Imperator ecclesiæ parochiali S. Galli in veteri civitate, quod tempore hæreseos amissum est : brachium et costa dederat ecclesiæ Pragensi, quæ hodieque intacta manent. Extat quoque in ecclesia Pragensi pars de mandibula ejusdem Sancti absque ullo dente. *Joannes Jungius in sua* Lipsanographia *seu* Thesauro Reliquiarum Electoralis Brunsvico-Luneburgensis (*Hanoveræ* 1782) *dicit* involucro subtili textili aureis literis distincto tegi *Reliquias....* S. Galli Confessoris; *sed dubitat num hic S.* Gallus *episcopus Claromontanus designetur* (*f*), *an vero sanctus abbas noster. Verum quum pleræque Reliquiæ in thesauro contentæ aut Romanam aut Germanicam originem habeant, videntur potius ad S.* Gallum *abbatem pertinere. Non est dubium alias particulas Reliquiarum variis in locis delitescere, maxime in ecclesiis et altaribus sub ejus invocatione dedicatis, quas tamen deficientibus idoneis documentis, enumerare nobis non licet. De Cambutta aut pedo ad S.* Gallum *a B. Columbano missa cfr Walafr. c.* XXV, *et Anom. n.* 28, *et late de eo agunt nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Magni* (*g*). *Nunc Acta S.* Galli *sæpius sub Anonymi nomine laudata subdimus; nam, quod nihil hic loci de abbatia S.* Galli, *ad ejus sepulcrum exstructa, disserimus, ratio est id potius pertinere ad Vitam S. Othmari ejus fundatoris, de quo ad diem* XVI *Novembris late dicetur.*

(*a*) Cap. LXXXVI. Ibid., tom. II, p. 446. — (*b*) Ibid., p. 447. — (*c*) Oper. S. Greg. Turon. Edit. Ruinart, col. 1353.—(*d*) C. LXXXIV, Ap. D. Bouquet, tom. II, p. 445.— (*e*) Von Arx. Gesch. des Cant. S. Gallen, tom. I, p. 20. — (*f*) Tom. I Jul., p. 103. — (*g*) Tom. II, p. 723, n. 121.

VITA S. GALLI,

auctore anonymo monacho Sangallensi, sæc. VIII.

Ex monumentis Germaniæ historicis Georg. Henr. Pertz, t. II, p. 3.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. S. Galli ortus, monachatus in cœnobio Benchorensi, adventus in Gallias et Alemanniam.

AUCTORE ANONYMO.

S. Gallus *in cœnobio Benchorensi monachus, a b*

Fuit vir nobilitate pollens *a*, magisque bona conversatione fulgens, quem reverentia paternalis nobis tradidit Gallum *b* nuncupare. Hic primævum florem in insula Hybernia ducens, cum ab ipsa

pueritia

A pueritia sua Deo adhesisset, studiisque liberalium artium mancipasset, parentum nutu commendabatur viro venerando Columbano, qui vite normam exemplis patrum tenens, vestigiumque humilitatis cunctis prætendens, mellifluam doctrinam secum degentibus oportune tradidit. Inter quos prædictus puer humilitate ac strenuitate pollebat, magistrum suum in studiis divinis sequens, caduca jam mundi respuendo, ac fratribus ubique aditum æterni regni ostendendo. Christo nempe propitio ad ætatem veniens, exortationibus spiritualium fratrum, præfato patre eum conpellente, humiliter rennuens adtamen Christi exemplo obœdiens sacerdotii gradum adiit; in quo provectibus pollebat, cum assiduum sacrificium Christo flagrabat *, in quibus et initiis feruntur liquida miracula. Igitur cum de remotis partibus mundi arbiter orbis lumen nostratibus *c* refulgere disposuisset, prædictus vir terrena despiciens et cœlestia quærens, cum præfatis fratribus, qui electio quædam Scoticæ *d* gentis erant, relictis habitis cunctis *, Christum secutus est, patrisque ac matris seu parentillæ cum possessionibus diversis immemor, ut mereretur in ætheris

B premio centuplici potiri.

in Gallias 2 Æstimatione etenim cœpta, portum Hybernicum linquebant, prosperisque succedentibus auris sinus Britannicos tangebant; quibus peragratis, tandem optata arva Galliæ introierunt, ubi gubernacula regni Sigiberti *e* diversas gentes tunc domuerunt; statimque confidentes in Christi amore, aulam regiminis ejus adierunt. Quos benigne suscepit, aptaque omnia cum diligentia illis præparari jussit; cœpitque causam itineris eorum inquirere, ac animo suo mellifluis doctrinis eorum delectari; qua per ordinem exposita atque diligenter consuetudine *f* erga peregrinos peracta, regalis clementiæ allocutioni vocantur. Ibi ergo inquiruntur de originis seu conversationis eorum ordine, quo cognito regalis petitio eos adiit, ut in terminis Galliæ conversationis eorum locum eligerent, nec diutius se itineris longitudine fatigarent, regalem tunc clementiam in omnibus voluntati eorum deinceps obtemperaturam. Vir ergo Dei Columbanus respondit : Omnia, quæcumque habui, propter nomen Domini dereliqui, et si nunc aliorum divitias cupio, forsam prævaricator euangelii existo, cujus desiderio actenus militavi; non enim convenit nobis, lucris caducæ hujus vitæ anhelare, sed toto mentis

C affectu Christi præceptum desiderare, in quo ait : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat » crucem suam et sequatur me. » Quomodo nosmetipsos abnegamus, si exteriora nostra pro Christo non laxamus *, aut quomodo crucem ejus tollimus, si terrestrem curam quærendo inhiamus? Cui talia obicienti responsum regale obviavit : Si Christum sequendo crucem ejus sumere desideras, heremi secreta elige, in quibus et augmentum tui premii et oportuna provideas nostræ saluti, tantum ne, nostra dicione relicta, ad alias gentes pertranseas.

cum S. Columbano 3 Regis ergo petitio prævaluit, ac cuneus ille fratrum heremi abdita elegit. Quo difinito, ingressi sunt heremum, quem vulgalis opinio nuncupat Vosagum *g*. Scrutando servorum Dei habitationibus aptum locum tandem ergo reppererunt antiquitus habitationem dirutam, aquarum calore adventantium animos delectantem, quam murorum ædificia antiqua circumdabant, incolæque regionis illius Luxovium *h* eam vocabant. Illic nempe fraternalis manus oratorium in honore Sancti Petri, principis apostolici culminis, ac officina habitationi apta * sibi construxerat. Igitur cum per aliquod tempus illic habitassent, aptaque cœnobialibus * præparassent, multi Burgundiorum gentis, nec non et Francorum *i*, veniebant ad eos propter desiderium æterni regni, D ibique mirum in modum crescebat regularis vitæ origo. Cum fluctivagum mundum linquebat nobilium multitudo, Christo laus! creverat passim opinio eorum in finibus Galliæ vel Germaniæ. Nam et maturitas vitæ eorum Theodorichum *k* regem non latuit, qui sæpe ad eos venit, ac orationis eorum amminicula postulavit. Cui sanctus vir Columbanus dulcifluam doctrinam suam inpendebat, necnon et pro concubinis quibus indiscrete adhærebat, vehementer arguebat, ortando eum, potius legitimo conjugio uti, quatenus spes regni incautela ejus non destitueretur, sed utilitati populi inposterum servaretur.

4 Multa ergo ammonitionibus ejus agebat, sed *profectus,* instigante inimico humani generis, mentem Brunnihildæ *l*, aviæ suæ, in prostitutionis amissione *m* viri Dei consilium utile rennuebat. Nam sicut Zezabel regnum Ahab perdidit, ita et hæc istum decœpit avertendo eum a legitimo conjugio ac vitam ejus lupanaribus damnando. Tantum timore honoris ac dignitatis suæ in palacio regali, si legitima conjunx versaretur sub sceptro nobili, invidia contra virum Dei augebatur, in tantum ut prædicta filia diaboli a rege inpetrasset, ne amplius sub E dicione regiminis ejus vir Dei habitasset. Nam et legatio mittebatur, quatenus de regno expelleretur; ille vero movens inde sicut in gestis ejus legitur *n*, pervenit ad Clotharium *o* regem, cumque ab eo benigne susciperetur, eumque divinitus instruxisset, expetivit, ut fultus comitibus ad Theodebertum *p* regem Austrasiorum venisset. Consentitur demum petitioni viri Dei, atque cum cunctis sibi aptis * transmittitur Austrasiorum regi, a quo suscipitur cum magnis gaudiis, eumque divinitus docendo, ibi manet diebus non paucis. Tunc itaque viam seu defensionem * per altam Germaniam *q* ad Italiam petiit, in qua eodem tempore Egilolfus *r* regnavit. Sed prædictus rex obsecrabat virum Dei manere in regno ejus, promittens se repperire loca venusta et congrua servis Dei, in quibus si habitare cœpissent, lucrum animarum inde adferri potuissent. In quibus promissis vir Dei lancem moderaminis tenuit dicendo : se petitioni ejus velle optemperare, sed tamen firmiter habendo æstimatum iter nulla ratione velle dimittere.

5 Igitur optio ei a rege dabatur, si alicubi aptum *inde in Alemanniam pervenit :* locum experiretur; in qua inquisitione venerunt F ad fluvium Lindimacum *s*, quem sequendo adierunt castellum Turegum *t* vocatum. Inde etenim adierunt villam vulgo vocatam Tucconia *v*, quæ in capite ipsius laci Tureginensis est sita. Placuit ille locus, sed incolarum displicuit pravus usus. Crudelitas et malicia in illis regnabant, namque et superstitioni gentilium inhiabant. Servi ergo Dei cum cœpissent inter illos habitare, docebant eos Patrem et Filium et Spiritum Sanctum adorare. Nam Gallus ad cujus miracula rimanda *, Christo propitio figimus opera, virum Dei Columbanum, ut jam dictum est, ab initio conversionis sequendo ejusque laboribus conpatiendo, cœpit illic gentilium fana incendere, diisque consecrata in lacum dimergere *w*. Cum ergo vidissent fana sua conbusta, adsumpserunt contra eos invidiæ arma, quæ in tantum corda eorum arripuit, ut consilio acto virum Dei Gallum voluissent interficere, atque Columbanum cum contumeliis de finibus eorum expellere. Sanctus vero Columbanus hæc audiens orabat : Deus rector poli, in cujus arbitrio totus mundus decurrit, fac generationem istam in inproperium, ut, quæ inprobe excogitant servis suis, sentiant in capitibus suis. Fiant

* *id est* : immolabat

c

d

* cunctis possessionibus

* *id est* : relinquimus

e

f

g

h

* officinas aptas

* Cœnobitis

i

k

* ipsi necessariis

* commeatum

l *m*

n

o

p

q

r

* recensenda

w

AUCTORE ANONYMO.

nati eorum in interitum; ergo cum ad mediam ætatem perveniant, stupor ac dementia eos adprehendat, ita ut alieno ære oppressi ignominiam suam agnoscant conversi; impleatur in eis prophetia psalmographi dicentis : convertetur dolor ejus in caput ejus et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet *x*.

x

ubi in prædicatione euangelica,

6 Post hæc ergo secedendo apostolicum implevit præceptum, in quo ait : Date locum iræ, atque cum alumnis ad Christi laudem festinantibus pervenit in castrum Arbonam *y*, ubi reppererunt Willimarum *z* quendam sacerdotem. Quibus ille visis, fertur præ gaudio dixisse : benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus, et inluxit nobis; eique responsum obviasse : de regionibus congregavit nos Dominus. Ipse confestim, adprehensa manu ejus, duxit eos ad orationem. Nam cum pariter orassent, domumque intrassent, ac in convivio spiritalis lætitiæ recubuissent, fertur electus Dei Gallus jussu magistri divina eloquia recitasse, audientiumque animos ad amorem cœlestis patriæ provocasse; quorum auditor præfatus presbyter obstupuit, umectans vultum lacrimis. Erant ergo ibi ad laudem Christi septem diebus læti in divi-

y

z

B nis conlationibus. Quibus peractis, didicerunt ab eodem presbytero civitatem quandam esse dirutam vicinam illis locis Pregentiam, cujus terræ pinguedo marisque *aa* vicinitas potuissent fieri servis Dei oportunitas. Quo audito, optabant eum toto animo. Nam vir Dei Columbanus una cum Gallo aptissimo discipulo, * seu alio diacono, ascendens navem explorandi causa adiit urbem. Igitur fraternalis manus domicilia sibi illic præparavit, ac strenue Christum pro illo loco supplicavit. Tres ergo imagines æreas et deauratas superstitiosa gentilitas ibi colebat, quibus magis quam creatori mundi vota reddendo credebat *bb*.

aa

* et

bb

pestructis idolis,

7 Nempe desiderio destruendi eorum superstitionem vir Dei Columbanus jussit Gallo ad populum recitare sermonem, quia ille inter alios eminebat lepore latinitatis, nec non et idioma illius gentis *cc*. Nam conventio facta est populi ad solitam festivitatem templi, magis spectaculo advenarum perculsi, quam reverentia divini cultus devoti. Quibus congregatis, electus Dei Gallus rigabat corda eorum mellifluis verbis, ortando eos ad creatorem suum converti Jesum Christum

cc

C filium Dei, qui humano generi in sordibus tepescenti reseravit aditum cœlestis regni. Igitur, videntibus cunctis, sublatas imagines comminuit petris, atque in profundum dejecit maris. Tunc ergo pars populi confitendo peccata sua credidit, parsque irata et indignata cum furore abscessit. Nam et vir Dei Columbanus aquam benedixit, atque sanctificando loca contaminata, ecclesiæ sanctæ Aureliæ *dd* honorem pristinum restituit, ibique egressus * athleta Christi cum clientibus sibi alumnis mansit triennio *ee*. Qui in morem parvissimæ matris apis ingenium exercebant in artibus diversis; inter quos electus Dei Gallus squammigero gregi insidias conponere *, et fratres sæpe, Christo largiente, lætificabat, cum illis apta diligenter prebebat.

dd

* ingressus

ee

* *adde :* consueverat

et in vitæ monasticæ officiis

8 Volvente deinceps cursu temporis, electus Dei Gallus retia lymphæ laxabat in silentio noctis, sed inter ea audivit demonem de culmine montis pari *ff* suo clamantem, qui erat in abditis maris. Quo respondente : Adsum! montanus e contra : Surge, inquit, in adjutorium mihi! Ecce peregrini venerunt, qui me de templo ejecerunt; (nam deos conterebant, quos incolæ isti colebant; insuper et eos ad se convertebant) *gg* veni, veni,

ff

gg

adjuva nos expellere eos de terris. Marinus demon D respondit *hh :* En unus eorum est in pelago, cui numquam nocere potero. Volui enim retia sua ledere, sed me victum proba lugere. Signo orationis est semper clausus, nec umquam somno oppressus. Electus vero Gallus, hæc audiens munivit se undique signaculo crucis, dixitque ad eos : In nomine Jesu Christi præcipio vobis, ut de locis istis recedatis, nec aliquem hic ledere præsumatis! et cum festinatione ad litus rediit, atque abbati suo, quæ audierat, recitavit. Quod vir Dei Columbanus audiens, convocavit fratres in ecclesiam, solitum signum tangens *ii*. O mira dementia diaboli! voces servorum Dei præripuit * vox fantasmatica, cum hejulatus atque ululatus diræ vocis audiebatur per culmina *. Livor ergo demonis dolens abscessit, cum oratio fratrum ad Dominum suppliciter ascendit.

hh

ii

* *id est* prævenit

* *adde :* montium

9 Laude colendus Christus tunc magis ac magis laudabatur, cum expellere ab eis terrorem demonum dignabatur. Illi vero, qui contempserunt eorum prædicationes, conati sunt adfligere eos propter deorum suorum contritiones *. Nempe adierunt Cunzonem *kk*, ducem partium ipsarum, accusatorias fallacias ferentes, conjuncto spiritu deceptionum, ac dicentes : propter illos advenas venationes publicas illis in locis fuisse desolatas. Qui ad eos nuntium mittere dicitur *, quo eis discedere precipitur. Nam ut adderetur ad injurias servorum Dei, vacca eorum furto ablata ducta est in abdita heremi; cujus requirendi gratia pergentes duo fratres, venerunt ad ipsos latrones; ubi tunc furto homicidium conjugitur *, cum ab eis famuli Christi occiduntur, prædaque eorum diripitur. Peracto ergo sceleré, diu quæruntur in solitudine, adtamen quandoque * exanimes inventi, lamentabiliter ad cellam sunt reducti. Deinde Sanctus Columbanus assiduitate expellentium coactus, ac dolore fraternalium funerum perculsus, dixit fratribus : Invenimus hic concam auream, sed serpentibus plenam. Vos autem nolite contristari; Deus enim, cui servimus, angelum suum mittet, qui nos ad regem Italiæ perducet, eumque placabilem faciet, ut locum nobis pacificum tribuat. Ex quo itinere athletarum Christi febrium vexatio electum Dei Gallum retinuit. Nam in ipso profectionis articulo abbatis sui pedibus provolutus, professus est, quod nequivit * infirmitate compulsus. Sed vir sanctus, causa retinendi eum secum, cum hilaritate animi dixit *ll :* Si laborum meorum particeps fieri non vis, diebus meis missam non celebrabis. Ergo arbitrio proprio tunc relictus est, qui diu sub magisterio aliorum eruditus est.

se exercet.

* *id est :* comminutiones

kk

E

* rogatur

* conjungitur

* tandem

* nequiret

F

ll

ANNOTATA.

a *Quæ de regia S. Galli prosapia habent antiquiores vide in Commentar. præv. n.* 31 *et seq.*

b Galli *nomen circa medium sæculum* VIII *prævaluit : ante* Gallo, Galonus, *etc., dicebatur. Vide Comment. n.* 1 *et seqq.*

c *Id est* Alemannis. *Hæc verba monstrant ex illa gente fuisse biographum nostrum.*

d Scotia *commune nomen erat tum Scotiæ hodiernæ tum Hiberniæ, atque hinc multiplicium errorum origo ad nostra usque tempora. Notkerus in suo Martyrologio habet :* Insulam Hiberniam.

e *Non Sigibertum, sed Guntramnum Burgundiæ gubernacula, quando S. Columbanus in Gallias appulit, tenuisse, monstratur in Comment. præv. num.* 46 *et seqq.*

f *Fortassis*

A f. *Fortassis alludit hic auctor ad morem lavandi peregrinorum pedes.*

g Vosagus *aliis* Vogesus (les Vosges), *quo nomine non solum veniunt continua montium juga, sed saltus etiam et eremus. Late extenditur per confinia Burgundiæ, Alsatiæ et Lotharingiæ : est celebris propter incolatum virorum numero et sanctitate illustrium.*

h Luxovium (Luxeuil) *in hodierna præfectura Araris superioris* (Département Haute-Saône) *in antiquo comitatu Burgundiæ* (Franchecomté) *situm, paulatim excrevit in oppidum. Cæterum ex Vita S. Columbani constat primam fundationem Sancti* Anagratibus, *alteram* Luxovii, *tertiam* Fontanis *fuisse. Hic vero sola mentio fit Luxoviensis cœnobii, quia illud caput fuit reliquorum monasteriorum.*

i *Eadem paulo uberius exponit Walafridus c.* II : Illisque ibi conversantibus et ipsum locum excolentibus, multi non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum amore vitæ laudabilis ad ipsos confluxerunt; et monitis spiritualibus instituti, tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti sunt, ut omnia sua ad ipsum contra-
B derent, et coma capitis deposita, monasticæ vitæ habitum voluntaria paupertate susciperent. *Jonas in Vita S. Columbani n.* 17 *dicit :* Ad cujus famam plebs undique concurrere et se cultui religionis dicare curabant. . . . Ibi nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut et spreta phaleramenta sæculi et præsentium pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent.

k *Theodoricus, de quo hic,* secundus *est hujus nominis, filius secundo genitus Childeberti Austrasiæ regis, an.* 596 *veneno sublati, nepos Sigiberti I Austrasiæ regis, occisi an.* 575.

l *Brunechildis, de qua tam varia atque inter se discrepantia referunt auctores etiam coævi, nupserat Sigiberto I Austrasiæ regi an.* 566; *filia erat Athanagildi, Gothorum regis in Hispania. Quæ vero est opinionum dissensio inter auctores circa Brunechildem reginam, utcumque explicatur a P. Daniel nostro* (*a*).

m Prostitutionis amissionem *interpretatur Ild. von Arx* (*b*) prostitutionis perditionem. *Sensus clarior est, si* amissionem omissionem *dicamus; ita ut legeretur :* quoad prostitutionis omissionem viri Dei consilium utile rennuebat. *Jonas autem n.* 31
C *et Walafridus c.* III *asserunt per Theodericum non stetisse, quominus S. Columbano monenti obtemperaret :* Theodericus, *ait Jonas l. c.,* quia in termino regni sui B. Columbanum haberet, gratulabatur. Ad quem cum sæpissime veniret, cœpit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, et non potius legitimæ conjugis solamine frueretur; ut regalis proles ex honorabili regina prodiret, et non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque jam ad viri Dei imperium regis sermo obtemperaret, et se ab omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunechildis aviæ, secundæ ut erat Jezabelis, antiquus anguis adiit, *etc. Eadem habet Walafridus l. c.*

n *S. Columbani expulsionem late describit Jonas ab n.* 33 *ad* 48.

o *Clotarius II primum Suessionum, et ab an.* 613 *totius Franciæ rex.*

p *Theodebertus II Austrasiæ rex a fratre suo Theodorico, Brunechilde instigante, occisus an.* 612.

q Altam Germaniam *vocat auctor illam Germaniæ partem, quam Alemanni initio sæculi* VII *incolebant. Ad hunc locum alludit Walafridus in Præfatione, dum auctorem designat, quem præcipue secuturus erat :* Porro dum pridem ipsum opus perlegerem, inveni ab auctore ejusdem conscriptionis terram quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, Altimanniam sæpius nominari; sed ipsius nominis originem quærens, apud nullum scriptorum, quorum adhuc notitia nos respersit, ejus reperi mentionem. Nisi fallor enim, ab alto situ provinciæ idem vocabulum confictum est. *Quod* Altimanniam *dicit Walafridus* Altam Germaniam *vocat noster : librarii fortassis industria, Altimanniam interpretantis.*

r Egilolfus, *melius* Flavius Agilulfus *aut etiam Agon, ducta uxore an.* 590 *Theodelinda, Autharis regis vidua, Longobardorum rex, annis* XXV *regnavit. Se regem totius Italiæ dicebat, uti constat ex inscriptione coronæ aureæ quam Modoetiæ obtulit :* AGILULF. GRAT. DI. VIR GLOR. REX TOTIUS ITAL. OFFERT. SCO. JOHANNI. BAPTISTÆ. IN. ECLA. MODICIA (*c*).

s Lindimacus *hodie* die Limmat (*nomen compositum ex* Lint *et* Mag, *torrentibus*) *in orientalem partem Lacus Turricini influit.* E

t Turegum, *hodie* Zurich, *una ex primariis urbibus hodiernæ Helvetiæ ad lacum cognominem sita.*

v Tucconia, *hodie* Tuggen, *parochia ruralis, in decanatu Rapperwilano, de qua vid. Comment. prævi. n.* 76.

w *Prosper Lambertini, postea Papa Benedictus XIV, in Opere de Canonizatione Sanctorum* (*d*), *late exponit casus, in quibus excusari potest eversio fanorum et his similia. Erat illo jam tempore lex regni, ut Christiana religio principatum obtineret : unde S. Columbanus, ut habet ejus biographus n.* 51, *cum regiis mandatis inter Suevos advenerat, ipsique Suevi jam magna ex parte baptismo fidei catholicæ initiati erant, ut testatur idem biographus n.* 53; *quare non tam gentilismi quam impiæ superstitionis accusantur. Quæ omnia faciunt juxta Prosperum Lambertini, ut factum S. Columbani excusari possit.*

x *Circa verba maledictionis a S. Columbano prolatæ, attendendum est ad ea, quæ S. Thomas dicit* 2. 2, *quæst.* LXXVI, *art.* 1 : Si aliquis imperet vel optet malum alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere utroque modo erit illicitum, et hoc est maledicere per se
F loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni; sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod imperando, vel optando sub ratione duplicis boni, quandoque quidem sub ratione justi. Et sic judex licite maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut etiam prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ : licet hujusmodi imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum sub ratione utilis; puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset. *In S. Columbani maledictione utrumque probabiliter concurrit, ut præscius futuri ventura mala denuntiaret, et optaret illa tamquam apta curandæ*

(*a*) Hist. de France, tom. I, p. 478. Edit. Amstelod., an 1742.— (*b*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 6. — (*c*) Frisi Mem. della chiesa Monzese. Dissert., I, p. 42. — (*d*) Lib. III, cap. XVII, n. 9 et seqq.

gentilium

AUCTORE ANONYMO.

gentilium cæcitati, quod posterius clare insinuant verba : alieno ære oppressi ignominiam suam agnoscant conversi. *S. Augustinus* (*a*) *maledicta excusat;* cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. Nam illa quæ de malo voto sunt, prohibentur cum dicitur : « Benedicite et nolite maledicere ». Hæc autem sæpe inveniuntur in sermone Sanctorum.

A

y Arbona, *oppidum et* pagus *est, ait Chronicum Gottwicense* (*b*), Ducatus Alemanniæ sub majore pago Durgowe, eoque mediante in principaliore pago Turegiensi seu Zurichgow comprehensus... situs est ad lacum Acronium a sinistris inter binos minores fluvios Salinsach et Steinach, in quo celeberrimum et antiquissimum monasterium S. Galli. *Arbona oppidum antiquis* Arbor felix *dicebatur, ut constat ex Itinerario Antonini* (*c*) *et ex Tabula Peutingeriana* (*d*).

z *Willimarus, quem Walafridus c.* v *vocat* presbyterum bonitate conspicuum, *erat probabilius parochus illius tractus, sub Gaudentio Constantiensi episcopo. Istic enim mansit usque ad obitum S.* Galli *an.* 625 *vel* 627; *illo invitante, Sanctus noster ultimum ad populum Arbonensem verba fecit :*

B *quæ omnia designant presbyterum, qui plebi præpositus erat eruditionis et sacramentorum gratia.*

aa Pregentia *ex familiari Germanis confusione B et P hodie* Bregentz, *antiquis* Brigantium *oppidum est ad lacum et fluvium cognominem Orientem versus situm. Hodie pertinet ad comitatum Tyrolensem, circulum Vorarlberg. Lacus Brigantinus, quem auctor noster paulo inferius* mare *appellat, vocatur etiam* Potamicus, *aut* Constantiensis, *Germanis* Bodensee : *ab eo differt lacus* Acronius, *seu* Cellensis, *estque paulo infra Constantiam, teste Cluverio : hodie tamen a plerisque Acronius et Potamicus lacus passim confunditur.*

bb *Gentiles, de quibus auctor agit, non carebant omnes baptismatis gratia, quamvis idololatricis superstitionibus dediti, ut clare monstrat Jonas in Vita S. Columbani n.* 53 : Multi ergo eorum per beati viri suasum ad doctrinam et Christi fidem conversi, baptismum consecuti sunt, aliosque etiam, quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus ad cultum euangelicæ doctrinæ monitis suis, ut bonus pastor Ecclesiæ seminibus reducebat sparsis. *Circa eadem tempora Francos similis inficiebat corruptela, ut constat ex epistola S. Gregorii M. ad*

C *Brunechildem reginam* (*e*) : Hoc quoque pariter hortamur, ut et cæteros subjectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, ut idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant; quia pervenit ad nos quod multi Christianorum et ad ecclesias occurrant, et quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant.

cc *S.* Gallus *diuturno incolatu Luxovii, Tucconiæ et nunc Brigantii, facile linguam Teutonicam addiscere potuit.*

dd *Circa expiationem templi S. Aureliæ vide Comment. prævium n.* 85 *et seqq.*

ee *De triennali incolatu S. Columbani vide Comment. prævium n.* 67.

ff Par *socium simul et ejusdem conditionis consortem indicat.*

gg *Uncinis inclusa pro glossa habet Pertz, editor Monum. Germ.*

hh *Hic frequentior* Rythmus *auditur, antiquiorem probabilius fontem, rhapsodiam quamdam demonstrans.*

ii Signum tangere *teutonismum dicit Ildeph. von Arx.* Rühren *enim* tangere, *olim* movere, projicere *significabat.* D

kk *De Gunzone duce vix aliud notum est, quam quod ex biographis S.* Galli *habemus. Alemanniæ ducatum, cui Gunzo præerat, describit Shoepflinus* (*f*).

ll *Circa interdictum a S. Columbano impositum S.* Gallo, *vid. Comment. prævium n.* 92 *et seq.*

Cap. II. In Alemannia relictus desertum Arbonense incolit, Fridiburgam Gunzonis Ducis filiam a dæmonio liberat.

In Alemannia relictus

Quod credimus divina providentia actum, ut electus Dei Gallus servaretur genti illi ad lucrum sempiternum. Sequestratione * namque peracta *a,* præfatus hospes Willimarus presbyter visitatur a servo Dei Gallo una cum retibus et navi, ibique meroris anxietas innovatur, cum separationis ordo rimatur, inter quæ hospitii sustentationes ac infirmitatis sublevationes ibidem flagitantur. Quo suscepto cum gaudio, pietatisque studio adimpleto, jussum est duobus clericis Maginoldo et Theodoro *b,* ut sollicitudinem ejus habuissent, ac in locis propinquis ecclesiæ ei ministrassent : quibus diligenter patratis, ad majus exercitium Christo propitio sanus factus est. Post hæc Hiltibodus *c* quidam diaconus, præfati sacerdotis fidus socius, cum ante alios cognitione illius heremi polleret, aditus est ab electo Dei Gallo his verbis : Fili! invenisti umquam in abditis istius heremi aptum locum ad construendum oraculum * habitaculumque congruum? desiderio desideravit anima mea permanere diebus meis in solitudine, admonente nos psalmista dicente : Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, et expectabam eum qui me salvum faceret. Respondens diaconus dixit illi : Pater mi, est heremus iste asper et aquosus, habens montes excelsos, et angustas valles, et bestias diversas, ursos plurimos, et luporum greges atque porcorum. Timeo si induxero te illuc, ne forte inruant super te.

* divisione

E

a

b

c

* oratorium

F

11 Vir autem Dei respondit : Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Danihelem de lacu leonum liberavit, ipse potens est, me liberare de manu bestiarum. Videns autem præfatus levites constantiam ejus, ait : Crastina secreta silvarum penetremus, si forte locum aptum inveniamus. Nam confido in Creatoris nostri clementia, ut dignetur nobis prævium * Tobiæ dirigere. Solito ergo more vir Dei in oratione eodem die perstitit sine cibi perceptione. Facto igitur mane, captabant viam cum oratione. Peracta nempe ter terna hora diei *, levites sciscitatur : si voluisset reficere vir Dei; a quo audivit : non se gustaturum, antequam, Christo propitio, locus ei ostenderetur ad habitandum. Agitantur igitur membra jam lassa, ac demum pervenitur ad fluviolum nominatum Petrosa *d.* Ibi ergo noctis quies demonstratur, cum squammigeri gregis turba conspicitur. Nam pervenitur ad cursum fluvioli de monte, ubi cavatur locus ejus in rupe *e,* adportatum rete immittitur, ac pisciculi non pauci captantur, ignis

solitudinem,

* ducem *seu* Angelum

* hora nona *seu* tertia pomerid.

d

e

a levita

(*a*) Contr. Faust., lib. XVI, cap. XXII, tom. VIII Oper, col. 296. — (*b*) Tom. II, p. 547. — (*c*) D. Bouquet, t. I, p. 102. — (*d*) Ibid., p. 112. — (*e*) Lib. IX, epist. XI, tom. II Oper. col. 938.— (*f*) Alsat. illust., tom. I, p. 626 et seqq.

A a levita de silice excutitur, ac refectio præparatur. Consuetam interea vir Dei orationem quærens, corruit in vepre pedem offendens; quem diaconus nitens sublevare, audivit : Sine me, hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

duce Hiltibodo diacono, * colurnea *f* *h* *g*

12 Et cum surrexisset ab oratione, fecit de virga coleria * crucem, in qua appendit capsellam *f* in qua erant Reliquiæ S. Virginis virginum, et Sancti Desiderii *g* almique ducis Mauricii *h*. Ubi denuo preces amborum innovantur. Nempe vir Dei supplex ait : Domine Jesus Christe creator mundi, qui crucis tropheo subvenisti humano generi, da in honore electorum tuorum locum istum ad laudem tuam habitabilem. Oratio ad occasum protrahitur, cibusque cum gratiarum actione percipitur. Nam cum membra quieti dedissent, virque Dei silenter levando in precibus se ante eandem capsam exercuisset, conviator ejus occulte intendebat. Interea ursus de monte adiit, ac fragmenta decerpsit, cui ab electo Dei Gallo dictum est : Bestia, in nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, sume lignum et proice in ignem. Ille continuo autem reversus adtulit validissimum li-

B gnum, et inposuit in ignem; cui ob mercedem operis offertur a viro Dei panis, sed tamen hoc modo, et præcipitur : In nomine Domini mei Jesu Christi recede ab hac valle. Sint tibi montes et colles communes, nec tamen hic pecus ledas aut homi-

* socius nes. Quibus inspectis conviator * ejus surgens ac genibus se provolvens, ait : Nunc scio, quia Dominus est tecum, eo quod bestiæ heremi obœdiunt tibi. Qui statim audivit : Cave ne alicui hoc dicas, donec gloriam Dei videas.

quærit 13 Mane autem facto dixit diaconus ad eum : Pater, quid vis, ut faciamus hodie. At ille dixit : Obsecro te, fili, ne irascaris in sermonibus meis; maneamus hic adhuc istum diem. Sume retia, et perge ad gurgitem, ego veniam post te cito, forte Dominus consuetam misericordiam suam nobis ostendet, ut habeamus aliquid ad porrigendum hospiti nostre pro hujus loci benedictione. Cui levites ait : Placent quæ dicis, statimque surrexit et ad gurgitem perrexit. Ubi cum niteretur rete laxare, apparuerunt ei duo demonia in mulierum specie nude ad litus stantes, quasi ad balneum ingredi volentes, turpitudinemque corporis sui ei monstrantes, insuper et lapides contra eum ja-

C ctantes, dicebant : Tu induxisti virum istum in

* hanc hunc * heremum, virum iniquum et invidiosum, qui semper nobis in malis prævalet. Quibus au-

* festino? ditis vicino * pede regreditur, resque gesta viro Dei nuntiatur. Quo audito, oratio amborum funditur Christo. Sanctus nempe ait : Domine Jesus Christe fili Dei, ne existimes meritis meis, sed jube has demones recedere ab hoc loco, ut sit sanctificatus in honore nominis tui. Cumque se ab oratione erexissent et ad gurgitem venissent, demones in fugam versæ sunt per decursum fluminis usque ad verticem montis. Vir autem Dei dixit : Fantasmata, præcipio vobis per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut de hoc loco in deserta recedatis, nec amplius huc introeatis. Tunc namque rete inmittentes, cœperunt squammigeros greges. Ubi iterum innovatur dolus hostis antiqui, dum adhuc pisces ad se trahebant, voces quasi duarum mulierum flentium super mortuos suos de vertice montis audiebant, quæ hæc verba rimabant : Quid agimus, vel quo pergimus! non licet nobis propter istum peregrinum neque inter homines, neque in heremis habitare. Postea vero tribus vicibus ipse diaconus cum laborasset desiderio capiendorum accipitrum, audivit de monte, qui dicitur Himilinberc *i*, demones cum clamore interrogare, si adhuc Gallus in heremo esset, an recedisset *.

D *i*

* recessisset.

et invenit. 14 His actis, lustraverunt vallem ac montem, viderunt inter duos rivos *k* silvam, planiciemque desiderabilem, ac locum ad cellam ædificandam delectabilem. Exemplo Sancti Jacob, futuræ habitationis præscius electus Dei Gallus dixit : Vere Dominus est in loco isto. Ibi et tunc miraculum innovabatur : cum serpentium multitudo illic scatebat, ex illa die non conparebat. Creator angelicæ virtutis magis ac magis adoratur, eique gratiarum actiones aguntur. Conlocutio namque inter illos egredi de heremo agebatur, sed a viro Dei exire levita supplicabatur, eique induciæ usque in diem tertium flagitabantur; quod conviator ejus dure accepit, repetendo : se non ausurum videre faciem hospitis eorum sine illius presentia. Sed sermo viri Dei prævaluit, ac levita repedavit *l*. Sanctus igitur tunc se exercuit, hisque ternis solibus absque corporali sustentatione continuit. Quarto ergo die egreditur, Arbonensisque sacerdos ab eo cum gratiarum actione visitatur, a quo cum gaudio suscipi-

E tur, eique omnis humanitas præparatur, Christo laudem referebant, ac reficiendi gratia consedebant, ubi inter cætera lætitiæ genera levites ait : Si ursus adesset, forsitan Gallus illi benedictionem porrexisset. Cum ergo sermonis origo a sacerdote inquisitum est, a levita recitabatur, ut gestum est. Exinde habitus est ab eis sicut unus ex patribus antiquis; erat enim vita ejus dura, atque ariditate * consumpta.

k

l

* austeritate

Suadente Willimaro presbytero, 15 Dum ibi adessent simul, venit nuntius ad Willimarum presbyterum, dicens, migrasse Gaudentium *m*, Constantiæ urbis episcopum; pro cujus requie ambo laborabant in oratione. Post hæc die septima missa est præfato sacerdoti epistola, in qua continebatur, adesse eum cum viro Dei super duodecim noctes ad Cunzonem ducem in villa nuncupata Iburninga *n*. Hoc ideo agebatur, quia filia ejus Fridiburga disperabatur; quam ingressus spiritus nequam torquebat passionibus incredibilibus cuiquam. Cibos modicos capiebat, volutans in terra spumabat, nec eam continere nisi quattuor poterant; quod genus demonis erat mutum usque ad diem tricesimum; exinde cœpit loqui. Nam eadem Sigiberto *o* filio Theodorichi disponsata fuit. Cui

F pater ejus per nuntios hæc cum festinatione in-

* nota fecit notuit *, pro quo amminiculo duo præcelsi pontifices missi sunt. Igitur Willimarus volens ad difinitum placitum * venire, ortatus est virum Dei secum

* diem ire. A quo responsum tale accepit : istud iter non est meum, sed tuum. Tu perge pater, quid mihi cum principe istius sæculi? sed revertar ad cellam meam. Cui sacerdos : Nequaquam, inquit, ita fiat, sed perge mecum ob consolationem tristitiæ judicis *, et ne forte invitus ad eum ducaris. Sed

* Cunzonis conatus ejus prævalebat, qui honorem mundanum fugiebat.

m

n

o

Cunzonem ducem 16 Concitus cellulam revisebat, nempe ut magis se ab humana inquisitione occultaret; mane dixit fratribus, ut nullus certum locum eum requirendi demonstraret, sed si obnixius cogerentur, abbatis sui Columbani epistolam ei venisse testificarentur, quo ad eum citius ad Italiam venisset *p;* et sic commisit se cum duobus alumnis abditis heremi. Ergo transgresso alpe, venit in silvam vocatam Sennius *q*, ubi et adfuit Quaradaves *r* vicus proximus; in quo invenerunt diaconum, Johannem nomine, servientem Domino in justitia et timore : qui eos demum introduxit, necnon et septem diebus quasi longin-

p

q

r

AUCTORE ANONYMO.

quis peregrinis ministravit, illis se fingentibus de longinquo esse. Ut secessum viri Dei sacerdos A conperit, ad ducem navigavit, atque eventum fugæ recitavit. Ad quem dux dixit : Cito pro eo legationem dirige, et ei venire ad me suade; si ergo per illum Deus liberaverit filiam meam, ditabo eum muneribus, et dabo ei urbis Constantiæ episcopiam *. In quo conatu presbyter reversus est. Igitur advenientibus pontificibus a regia dignitate directis, ingens tristitia parentum agebatur; qui tamen munera regia puellæ præsentabant, sed illa se excutiens tenenti eam gladium abstulit, atque eos interficere voluit.

* episcopatum

licet invitus

17 A qua et demon locutus est uni ex eis : Tu promisisti regi, ut eiceres me de vasculo isto, cur non adduxisti filiam tuam, quam fecisti in illa sanctæ moniali? Alteri quoque dixit : Et tu fornicatus es cum tribus mulieribus alienis. Per vestrum imperium ego numquam egrediar; sed est vir nomine Gallus, qui excussit me de Tuccinia, ubi multum tempus habitavi, et destruxit ibi omnes domos meas, et iterum invenit me in Pergentia *, et inde similiter me ejecit, quem dux iste de eo loco expulit, pro qua vindicta ego intravi in puellam istam. B Nisi ipse venerit, non egrediar hinc. Unus autem ex pontificibus dedit ei alapam dicens : Obmutesce sathanas. Qui audiens Gallum nominare, autumabat, de pullo *s* dici. Sed injuria contra missos regios non cessabat, cum verborum garrulitas se elevabat. Tres dies ibi manebant, et ad palatium remeabant, necnon et regi ordinem rei recitabant. Presbyter vero jussum conplens, ac inveniens virum Dei in spelunca legentem, consolatoria verba ait ei : Ne timeas pater, venire ad ducem, quia jurejurando juravit mihi, ne ageret tibi ullum malum, sed ut tantum orando ponas manum super caput puellæ. Nam si ei Christus subvenerit per te, dabit tibi sedem Constantiæ. Adhuc loquebantur, et ecce Johannes diaconus adfuit, qui panes azymos et langunculam vini oleumve et butyrum cum melle et piscibus assis pro benedictione ei obtulit *. Christo gratiæ aguntur, atque epulæ incipiuntur.

* Brigantii

s

* munere

adit,

t

18 Igitur vir Dei crastina se profecturum promisit, cui præfatus levites mulum suum cum stratorio *t* vehendi eum gratia adferre voluit; sed ille, ut solebat, omnem pompam fugiens, necesse se habere in cella visitare fratres adfirmavit, et sic quantocius ad castrum * venire. Quem tamen pro C condicto sacerdos sacramento constrixit. Johannes cum benedictione regressus est, et vir Dei, via qua venerat, cellam ingressus est. Ubi transacto spatio noctis, adiit castrum cum duobus alumnis; ubi et missum alium a duce directum cum sacerdote reperit, qui illos festinare conpulit dicendo : Jam triduo esse puellam sine cibo. Navis ingreditur et nocte illa ad ducem pervenitur. Mane facto dux cum eis cubiculum ingressus est, ubi mater filiam clausis oculis quasi mortuam tenuit, de cujus ore ceu sulphureus odor exivit, ubi et domesticorum multitudo aderat expectando, quod futurum erat. Sanctus ergo se in orationem stravit, atque cum lacrimis dixit : Domine Jesus Christe, qui in hunc mundum veniens ex virgine dignatus es nasci, quique ventis et mari imperasti, et sathanan retro redire jussisti, necnon et per passionem tuam humanum genus redemisti, jube istum immundissimum spiritum de hac puella egredi. Et cum surrexisset ab oratione, adprehensa manu ejus dextera, elevavit eam. Spiritus enim nequam discerpsit eam.

* Arbonam

ejusque filiam sanat :

19 Ille vero inposita manu capiti ejus dixit : Impero tibi in nomine Jesu Christi, spiritus immunde, ut exeas et recedas ab hac plasma Dei *v*. Cum hæc D dixisset, illa apertis oculis aspexit in eum, spiritusque immundus locutus est ad eum : Tu es Gallus, qui prius projecisti me, sed ego huc intravi, quia pater meus cum sociis tuis ejecit te; si me nunc eicis, ubi vadam? Vir Dei respondit : Ubi Dominus te dimersit, in abyssum. Statim enim videntibus illis, exivit de ore ejus quasi turpissima avis, nigra et horribilis. Confestim salva facta puella surrexit, quam vir Dei matri reddidit. Pater vero lætificatur cum amicis, obtulitque ei munera transmissa puellæ a dignitate regis. Nam præfatum episcopatum ei tradidit, quem vir Dei his verbis renuit : Vivente præceptore meo Columbano ego missam non celebrabo, si ergo me vis ad hoc sublevare, sine apices meos præceptori meo * venire, a quo si absolvar, obtemperans tibi inveniar. Ad quem dux : Fiat, inquit, secundum verbum tuum. Electus Dei reversus est cum donis quibus honoratus est. Præcipiebatur tamen a duce tribuno Arbonensi *x*, ut ad ædificium cellæ cum cunctis pagensibus illis adjuvasset * ei. Vir Dei Arbonense castrum ingreditur, pauperumque et egenorum multitudo congregatur, quibus dona a duce data penitus distribuebantur. Sed Maginaldus minister E ejus volens servare vasculum unum argenteum celaturis pretiosum ob * industriam sacerdotalis ministerii, interrogans pro hoc magistrum, audivit exemplum clavigeri poli : Argentum et aurum non est mihi, tu vero eroga cum. His actis, dilectæ solitudini rediit, nec non et in cœlestis regis militia semetipsum mirum in modum exercuit.

v

* ad præceptorem meum

x

* adjuvaret

* usum

multis donatus, quæ in pauperes erogat,

20 Deinde nempe Johanni diacono epistola a viro Dei dirigitur, in qua ei quantocius venire ad cum demandatur. Quam relegens, ac jussum implere cupiens, perrexit cum cologiis festinans, cellam ejus adiit, quem fraternalis manus honorifice collegit *. Quique a viro Dei humanitus * susceptus, investigans prosperitatem itineris, audivit ab eo honorem susceptionis principis; ergo et additum est de creptione puellæ, ac muneribus datis, necnon et porrectione episcopiæ. Quam, vir Dei inquit, nolui ante præceptum abbatis mei, sed tu fili capax consilii mei incipe mecum intentionem dare divinæ legi, quam secretis cordis colligens, eris forsan plurioribus * adjuvans. Quod levita audiens, genibus provolvitur gratias agens. Et agiliter comites remisit, ejusque se magisterio tradidit. Cum quo F fontem matris philosophiæ adiebat *; cum enucleatim cognitionem legis divinæ carpebat. Nec dissimilis fore * effectus est euangelico scribæ, cum vetera, novaque rimabat de corde. Rex vero Sigibertus, cum audisset, quod reddita esset sanitas puelle, jussit patri, eam transmittere ad se. Qui eam cum omni apparatu usque ad Renum perduxit, et inde per comites cum honore magno regi transmisit *y*. Quæ gratulanter suscepta, interrogata est pro recuperatione sanitatis, quam nequiverant conferre præsules aulæ regalis.

* excepit
* humaniter

* pluribus

* adibat

* fore *videtur abundare*

y

Fridiburgæ suadet virginitatem,

21 A qua responsum est : Esse ibi Scottum nomine Gallum in heremo, per quem virtutes operarentur a Domino. Hic cum jam esset, inquit, ancilla tua in extremis, rogante patre meo advenit, atque inposita mihi manu signo crucis me munivit, necnon et demoni, ut recederet, imperavit. Quo jussu obtemperante, videntibus illis, qui mecum erant in domo, exivit de ore meo, quasi corvus niger et horribilis. Deinceps corpus Domini incolomis accepi. His dictis, provoluta est pedibus regis dicens : Hoc solum inpetrasse me, clementissime rex, sinito, ut gratia tua pro me adveniat eidem Dei viro.

A viro. Rex autem interrogavit eam dicens : In qua heremo habitatio illius? Puella dixit : In silva conjuncta Arbonensi pago, qui est inter lacum et Alpes. Rex vero jussit scribere epistolam firmitatis, ut per
* obtineret regiam auctoritatem deinceps obtinuisset * vir Dei cellulam suam, quæ viro Dei transmittebatur cum duabus libris auri, et binis talentis argenti, missis humiliter venientibus, ac regiam dignitatem in ejus orationem plenius commendantibus. Cunzoni ergo duci præceptum est a rege, ut viro Dei ad ædificium
* adjuvaret cellæ adjuvasset * cum multitudine. Fecit ergo rex nuptiale convivium, vocata non modica turba principum. Qui cum jussisset virginem domum introduci, prostrata est dicens regi : Domine mi rex, ancilla tua est adhuc flebilis propter egritudinem corporis, insuper et tactus membrorum meorum est vilis. Sine me adhuc septem dies, usque dum recipiam vires. Ad quam rex : Fiat, inquit, secundum voluntatem tuam.

quam, consentiente sponso, 22 Rex palatium ingressus est, illa cubiculum reversa est. Inter convivium igitur mirati sunt multi : quia regina non aderat regis lateri. Quæ namque celabat animi decretum usque ad diem septimum. Quo inlucescente, ingressa est ecclesiam
B protomartyris clausis post tergum hostiis; ubi se exuit regiis vestibus, indutaque est sanctimonialibus. Nempe cornu altaris adpræhendit, et his verbis oravit : Sancte Stephane, qui sanguinem tuum propter Christum fudisti, sis pro me indigna hodie intercessor : ut convertatur cor regis secundum voluntatem meam, ne auferatur velamen istud de capite meo. Quod videntes viri qui eam fuerant secuti, cum festinatione nuntiaverunt regi : qui convocans sacerdotes ac principes, inquisivit inde
z consilium; inter quos Cyprianus *z*, Arlatensis præsul, dixit : Hæc puella, cum esset stricta a demoniis, voto se obligaverat, ne averteretur a sanctitate. Cave, ne eam inde abstrahas, et, ea pejora prioribus patiente, in peccatum incurras.

Deo vovet 23 Quod rex justus et timens Deum audiens, et consilium plurimorum sacerdotum sumens, ingressus ecclesiam, ubi ipsa erat, jussit adferre vestem regalem, et coronam, quæ ei præparata fuerat, dixitque ad illam : Accede ad me. Quæ putans se
* debere abstrahi debuisse * de ecclesia, obnixius cornu altaris tenuit. Cui rex clarius dixit : Ne timeas venire ad me. Omnia fient hodie secundum voluntatem tuam. Illa tunc inponens caput altari dixit :
C Ecce Ancilla Christi, fiat mihi secundum voluntatem ejus. Quam rex Sigibertus sacerdotibus jussit amovere, et ad se deducere, præcepitque eam indui veste regali cum velamine et corona, et his verbis eam Domino commendabat : Sicut mihi fuisti præ-
aa parata cum ornamentis, sic te dabo ad sponsam *aa* Domino meo Jesu Christo, et adprehensam manum ejus dexteram inposuit super altare, ob quod fertur egressus flere. Sed eam venire jussit post se, et in palatio fecit decumbere apud se, quam muneribus multis honoravit, et monasterium puellarum, constructum in honore Sancti Petri in Metis civitate,
bb ubi hæc facta sunt, commendavit *bb*. Hæc autem omnia, quæ fecerat puella, per consilium viri Dei Galli facta fuerant, qui eam a demonibus Domino auxiliante liberaverat.

ANNOTATA.

a *Hæc sequestratio, seu discessio S. Columbani ex Alemannia accidit circa medium annum* DCXII. *Nam audita clade Theodeberti, Austrasiæ regis, qui post mensem Majum hujus anni fugatus est* (*a*), *in Italiam abiit Columbanus. Atque hæc non videntur perpendisse viri clarissimi edendis Sardiniæ monumentis præpositi, cum duo diplomata Bobiensia ad an.* 602 *aut* 603 *referunt* (*b*). *Tunc quiete ac secure agebat Columbanus Luxovii, nec erat, quod a rege Agilulfo peteret. Imo de Bobio tunc primum agi cœptum, quando jam Mediolani versabatur vir sanctus, ut habet Jonas in ejus Vita n.* 60. *Ut igitur sua citatis diplomatibus conciliaretur auctoritas, oporteret corrigi prius addendo* decem *notis numeralibus, hoc modo :* Data Mediolanio in palatio sub die nono kalendas Augustas anno regni nostri felicissimi octavo (*decimo octavo*) per indictione quinta (*decima quinta*) feliciter. *Annus* XVIII *regni Agilulfi cum anno* 612 *concurrit : et circa finem Julii hujus anni Columbanus commode potuit, superatis Alpibus, Mediolanum attingere. Alterum diploma plus facessit difficultatis : signatur quidem :* Actum in palatio Constantiniano sub die III mense Novembris. *In ipso autem diplomate dicitur :* Anno Deo propitio pontificatus domini Gregorii Summi Pontificis et universalis papæ in sanctissima sede Beati
D Petri Apostolorum principis IIII indictione III. *Hæc* E *cum chronologia neutiquam concordant : mensis November anni quarti pontificatus S. Gregorii Magni, concurrit cum an.* 593. *Quo tempore Columbanus vix inceperat in Galliis, aut saltem non poterat in potestatem Sedis apostolicæ tradere cœnobium Bobiense, quod multis post annis recepit. Si diploma genuinum sit, irrepserunt certe plura menda, imprimis Gregorio substitui oporteret Bonifacium IV, cujus annus* quintus *non* quartus *currebat mense Novembri an.* 612. *Indictio quoque erat decima quinta. Hæc probabilius irrepserint vitia, quia diploma exscribi debuit ex copia sæculi* XIII. *Cæterum utrumque diploma habet Ughellus* (*c*).

b *Magnoaldum et Theodorum Scotos fuisse discipulos S. Columbani dicit Vita S. Magni seu Magnoaldi* VI *Sept. Sed hæc late ibidem refutantur in Comment. prævio* (*d*).

c *Walafridus c.* X Hiltiboldum *habet, male : ni fortassis nomen traditione corrigendum didicerit.*

d *Quam* Petrosam *dicit Anonymus,* Stemaha *vocat Walafridus c.* XI. *Hodie* Steinach, (*a* stein petra *et* ach aqua,) *rivus jam urbis Sangallensis plateas permeans, petrosa dictus, quia præceps in saxa et petras ruit. Von Arx.* F

e *Hæc excavatio adhuc ante portam urbis visitur. Von Arx.*

f Capsella *pro Reliquiarum theca : cfr Du Cange Glossarium, verb.* Capsa. *Hujusmodi capsellas Scottigenæ passim deferebant, ex corio aut alia vili materia confectas.*

g *Agitur de S. Desiderio episc. Lingonensi ad* XXIII *Maji.*

h *De S. Mauritio, duce Legionis Thebææ scribunt nostri ad* XXII *Septembris et in calce tomi VI Septembris.*

i *Olim* mons Cœlius, *seu Cœlestis, hodie* Mönzeln : *collis in vicinia oppidi Sangallensis.*

k *Rivi duo inter quos erat silva vocantur :* Petrosa *seu* Steinach, *de quo supra et* Iram, *hodie accolis* die Irr *aut* die Schwarz.

l *Hic discrimen ponit Ildeph. Von Arx inter Anonymi et Walafridi narrationem, quasi juxta hujus verba, diaconus Hiltibodus remansisset in deserto cum S.* Gallo. *Verum hoc non dicit Walafridus, sed potius diaconum rediisse Arbonam. Nam*

(*a*) Fredeg. Chron., c. XXXVIII. Ap. D. Bouquet, t. II, p. 428. — (*b*) Hist. patriæ Monum., t. I, p. 1.—(*c*) Ital. sacr., t. IV, col. 952. — (*d*) T. II Sept., p. 714.

postquam

AUCTORE ANONYMO.

postquam diaconus dixisset timere se, si Dei servum in deserto solum relinqueret, exprobrationem presbyteri sui, respondet Gallus *c.* XIV: Vade, fili, ego post vestigia tua quantocius properabo. Quo abeunte, athleta Dei toto triduo *a cibo abstinuit. Manifestum est ex textu Walafridiano, Hiltibodum domum remeasse triduo ante S.* Gallum.

m *Gaudentii prima hæc et unica mentio apud antiquos. Hoc certum est, vivente adhuc S. Columbano, diem suum obiisse Gaudentium, proinde ante annum* 615 (*a*).

n Iburningæ, *hodie* Ueberlingen, *oppidum est in magno ducatu Badensi.*

o *Quis Sigibertus Fridiburgam sponsam habuerit vid. Comment. prævii num.* 106 *et seqq.*

p *Hæc mendacio satis similia videntur : tamen nihil mendacii inest sancti viri dictis, si reapse animum habuerit recedendi in Italiam, casu quo nimium urgeretur ad dignitatem aliquam aut divitias acceptandas.*

q *Vulgo* Sennwald, *in hodierno pago Sangallensi, erat tunc locus desertus.* Alps, *qui hic venit, vox generica est apud Helvetos, significans* montem.

r *Hodie* Graps *vicus prope Sennwald.*

B s *Hæc si vera sunt, indicant* Galli *nomen jam usurpatum fuisse, vivente Sancto : nam si* Gallo, Gallunus *vocatus fuisset, non potuisset confundi cum pullo.*

t Stratorium *interpretatur Ild. Von Arx famulum, cui cura jumenti commissa est. Atque meo quidem judicio, recte : nam quamvis stratorium significet* stramentum sellæ equestris seu stragulum quo illa insternitur, (*cfr Du Cange Glossarium*), *melius hic famulum interpretamur, itineri et reducendo equo necessarium.*

v *Hæ preces et exorcismi desumptæ sunt ex precibus et exorcismis baptismi, quamvis* ad verbum *expressa, ut vult Ildeph. Von Arx, illa non reperi.*

x *Arbonæ præses in chartis traditionum, nunc tribunus, nunc centenarius, nunc vicarius vocatur. Von Arx.*

y *Ex eo quod transmissa dicatur sponsa Fridiburga, non vero per patrem ad regem ducta, ut fabula subolet Hadr. Valesio : cfr Comment. prævii n.* 112.

z *Sunt qui Cyprianum hunc Arelatensem episcopum fuisse negant : neque est quod in alterutram propendere faciat. Saxius vult S. Virgilium Arelatensem vixisse usque ad an.* 640, *et tunc Cypriano* C *nullum esset spatium. Sed tempus episcopatus S. Virgilii est tam incertum* (*b*), *ut nihil occurrat, quo Cyprianus certo rejici posset.*

aa *Est Teutonismus :* Zur Ehe geben.

bb *Cfr Comment. prævii n.* 112.

Cap. III. Recusat episcopatum Constantiensem, cellam ædificat, moritur.

Recusato Constantiensi episcopatu,

Johannes igitur præfatus, alumnus viri Dei, cum eo perseveravit, atque prudentiam multifariam didicit, interpretationes divinorum librorum, et opera manuum a Viro Dei usitata *a*. Qui in multis disciplinis ibi pro discípulo habebatur; cum Christus in eo donum gratiæ suæ operabatur, ita ut quæ vidisset aut audisset, statim corde percepisset. Ubi mansit triennio *b*, crescens mansuetudine et humilitate in Domino. Misit deinceps præfatus dux Cunzo viro Dei epistolam, ut in Constantiam venisset *, quatenus apud illum dignum pontificem elegisset. Vocavitque Augustudunensem *c* præsulem cum clero et populo, necnon et Spirensem electionis gratia accersivit, pleniterque ex tota Alta Germania *d* presbiteros et diacones, clericos et laicos ad eandem urbem convocavit, quatenus dignus pontifex eligeretur. Ipso nempe duce cum principibus Suævorum mediante, protracta est tribus diebus synodus cum infinita populi multitudine. Vir Dei Johannem et Maginaldum adsumpsit et ad urbem perrexit. Qui cum introisset concilium, dux prævenit eum dicens : Deus (qui) per Sanctam Mariam incarnari voluit, in cujus honore hæc ecclesia dedicata est, dignetur effundere Spiritum Sanctum super nos, et det nobis pontificem ad regendam plebem, et gubernandam ecclesiam suam. D

* *lege* venirent.... eligerent

c

d

ad quem Joannem discipulum sibi substitui petit;

25 Et rogavit pontifices, ut per eorum canones eligerent quem voluissent; ubi totus clerus adunatus est, simul cum eis populo proclamante : Quia iste Gallus vir Dei est, habens famam bonam per universam regionem istam, instructus de scripturis ac plenus sapientia, justus et castus corpore, mansuetus et humilis, largitor elymosinarum, E continens et patiens, pater orfanorum et viduarum; talem decet habere pontificatum. Dux autem dixit ad eum : Audis, quid isti loquuntur? Cui vir Dei respondit : Bene dixerunt, utinam verum fuisset. Isti, qui hoc dicunt, non intelligunt ex canonica auctoritate peregrinum episcopum non debere ordinari *e*. Nam hic est mecum Johannes diaconus de plebe vestra *f*, qui hoc testimonio in omnibus Christo propitio præditus est, cui pondus regiminis apte injungi congruum est. Igitur celeriter in medium synodi vocatus est, et a duce de qua progenie esset, interrogatus est. Quo respondente : in Retia parentum se habere originem, dux dixit ei : Est tibi vis regimen Ecclesiæ sucipiendum *? Ad quod electus Dei Gallus se in respondendo prætulit, laudando maturitatem vitæ ejus. Dum hæc et alia multa pro electione ejus cum viro Dei loquerentur, humiliter se retraxit, atque extra civitatem in ecclesiam Sancti Stephani fugit. Quem sacerdotum et plebis turba prosequebatur, invitusque et lugens reducebatur. Vox multitudinis elevabatur, cum Johannes antistes concordante populo eligebatur.

e

f

* Est tibi vis ad...

in ejus consecratione concionatur;

26 Electione nempe peracta, consecratus est ab episcopis præfatis. Quem statim omnes Missarum solemnia agere, et virum Dei dulcifluis F dogmatibus suis populum instruere flagitabant. Qui ob riganda corda fonte divino cupidus, alumnum manu tenens eminentiorem locum adiit, et antistite præceptoris sui verba interpretante *g*, origo fabricæ cœli et terræ, ac expulsio primi terrigenæ cum ortationibus cœlestis hereditatis requirendæ rimabantur. Nam continentia Noe, et fides Abrahæ cum exemplis patriarcharum, necnon et Mosaicis signis recitabantur, legalibus illis gestis ad animarum medellam cunctis redactis. Regum fortitudo fortissimis athletis tyrocinii christiani conparabantur, qui indesinens bellum cum virtutibus contra vicia exercent. Prophetarum visio ad morum correctionem atque ad stabilitatem rectæ fidei pleniter ab eis convertebatur, transactisque mysteriis veteris testamenti tandem ad novum gaudium Christi clementiæ perventum est, ubi tanto sublimius disputabatur, quanto ibi salubriora repperiuntur. Euangelicis ergo miraculis, passionisque ac resurrectionis sacramentis recitatis, fertur, au-

g

(*a*) Neugart Episcopat. Constant., p. 29. — (*b*) Gall. Christ., t. I, col. 154 et t. I Mart,. p. 400.

ditores,

A ditores, qui ibi aderant, propter cœleste desiderium lacrimis vultum rigasse; sicque læti ex conpunctione divina remeabant ad propria *h*. Electus igitur Dei Gallus apud alumnum septem diebus commorans, semina consolationis divinæ ei tanto uberius infudit, quanto eum in capessendis exemplis divinis obligatiorem esse conspexit. Jamque sui antistitis benedictione suscepta, revisit cognita heremi secreta. Quem pontifex prosequebatur cum servitio, ac inter cætera humanitatis genera actoribus suis cum plebe jussit ædificio cellæ certatim insistere.

h

et ad solitudinem reversus,

27 Tunc nempe Sanctus solatio fretus oratorium atque officina fratribus apta inchoavit. Ergo bis senis tantum sodalibus secum habitantibus contentus erat. Quibus aliquid extra regulæ tramitem deviare omnino indignum fuerat. Nam quodam dominico die finitis matutinalibus orationibus, cum repedassent requiescendi gratia, prima luce diei vocavit vir Dei Maginaldum diaconem dicens : Surge velociter, et præpara mihi ad missam celebrandam. Qui respondit : Quid est hoc, domine? numquid tu missam celebrabis? cui ille : Post nocturnam *i* hujus noctis, revelatum est mihi, migrasse præceptorem meum Columbanum, pro cujus B requie offeram sacrificium. Statim signum tangebatur, fratribusque congregatis oratio multiplicabatur, cum pro anima Columbani agenda missarum celebrabatur. Quibus peractis, præfato diacono vir Dei ait : Fili non sit tibi grave, festinans ad Italiam, visita in ea monasterium vocatum Bobium; ubi diligenter investigans de his, quæ acta sunt erga abbatem meum, notato die et hora, renuntia mihi sine mora. Quo jusso levita obstupuit, cum nescire se viam autumavit. Sed electus Dei : Vade, inquit, frater, noli timere, Dominus diriget gressus tuos. Benedictio petitur, et via celeriter carpitur, superno duce ei auxiliante, tandem adiit cœnobium Bobiense. Ubi juxta revelationem magistri cuncta repperit, et apud fratres illos noctem unam mansit. Qui electo Dei Gallo epistolam de gestis sancti Columbani plenam, et cambuttam *k* ipsius transmiserunt, dicentes : Præceptor noster jussit nobis adhuc vivens, ut per istum baculum Gallus absolveretur. Christo nempe propitio octava die rediens, epistolam cum cambutta præsentavit. Rebus igitur recitatis, divina clementia obnixius pro requie Columbani flagitabatur, cum in commune missarum sollemnia C ac psalmodiæ dulcedo rimabantur.

i

k

cellam ædificat.

28 Contigit autem una die, dum operaretur cum fratribus et plebe in oratorio, ut una axis ex pariete decurtata brevior aliis palmarum quattuor apparuisset, quam carpentarii æstimabant proicere. Vir autem Dei in divinum auxilium confidens, ait : Cessate paulisper ab opere vestro, reficientes corpora cum alimento præparato. Ad tempus namque labori induciæ dabantur, atque jussis electi Dei obtemperabatur. Tum domum unanimes introibant, nec non et cum benedictione cibum percipiebant. Prandio ergo auctore Deo peracto, operis gratia avidi redeuntes, invenerunt axem præfatam longiorem aliis mensura pedis dimidii. O mirabilis Deus in Sanctis suis! quod crementum naturale negaverat, fides in absciso jam germine donaverat. Dulciflua laus Redemptori mundi rependebatur, cum elementum contra naturam tractum ad locum suum restituebatur. Nec digne tacendum reor, quid miraculi ibidem postea Dominus Jesus ostenderit. Nam qui perverso humore fatigati dentium dolore quatiuntur, ex eadem axe usque in hodiernum diem, Christo propitio, medecinam capessunt, ejus meritis adjuvantibus, quem Dominus in tali signo honorare dignatus est.

29 Post hec autem contigit, quod vir Dei Eustasius *l* hoc ærumnosum exilium dereliquit, qui venerabili Columbano in regimine Luxoviensis cœnobii successit. Sed fraternalis societas prioris conversationis non inmemor ob adquirendum magisterium electi Dei Galli tractabat, atque consono consilio sex fratres ex Hibernensibus comitibus ejus cum epistola electionem nuntiantes ad eum dirigebant. Qui divina clementia ductrice ad cellam venerunt, atque humaniter suscepti epistolam ei ostenderunt; in qua cum legationis eorum ordo intenderetur, ad consuetum refugium secreti sui revertebatur. Ego, inquit, natos et predia propter Christum dereliqui, et iterum capiam divitias sæculi? Decreveram, relictis fratribus et extraneus filiis matris factus, fieri propheticus filius, et nunc fiam arator euangelicus, qui retro respiciens non est regno Dei aptus. Jam dicione regiminis vestri moderante libens obtemperabam, sed modo hac solitudine contentus, dies meos absque ambiguitate ducam. His aliisque dulcifluis verbis repressi sunt, qui eum fore pastorem sibi suspicati sunt. Inter quæ conlationum genera vocavit ad se alumnum, a quo inquisivit : quid habuissent ad reficiendum. Quo respondente : se habere tantum E sextarium farinæ, cito jussum est, panem et holera accelerare, viro Dei memoriam agente miraculorum Christi, quibus pascebat populos in solitudine.

AUCTORE ANONYMO.

Mortuo S. Eustasio, l

D

Luxoviensis monasterii præfecturan

30 Sed interea propinquus gurges visitatur ab illo cum retibus, uno discipulo cum præfatis hospitibus secum comitantibus. Ubi Christi ad laudem miraculum innovatur, cum inmanis piscis territus a duabus bestiis, quæ luderes *m* nuncupantur, quasi eis avidis preda, conspicitur. Haud igitur mora extenditur rete, et refectio servis Dei trahitur ab amne. Mirum in modum longitudo ejus XII palmarum et latitudo IV inventa est, cum ibi nisi brevis pisciculus antea umquam captus est. Bestiolæ ergo præfatæ quasi subtrahendo se expectabant, quatenus servis Dei in obsequio iterum obtemperarent. Iterum rete inmittebatur, et eisdem bestiis magnitudinem squamigerum minantibus ex aquis jam rete ruptum trahebatur, quod electus Athleta Christi conspiciens, partem ex eis natalibus aquis reddidit, partemque dilectis hospitibus præparare jussit, et addidit : Ecce, inquit, merita vestra apparuerunt, quia propter adventum vestrum Christi miracula fulserunt. Illi econtra referebant : non se conscios talis meriti esse, sed ad F ejus gloriam Creatorem mundi hæc præparasse; ubi arbiter humilitas extitit, cum utraque pars viliorem se alteri libens egit. Sanctus ergo cum sociis ad cellulam regressus est, cui quidam vir adferens II utres vini, et III modios farinæ in ipsis hostiis obviam factus est. Quæ cum Christi gratia collegebantur, atque convivium divina conlatione permixtum simul dulcedine dilectionis mediante inchoabatur.

m

oblatam recusat,

31 Aliquantos exinde dies ob fatigationem itineris, quietis temperamento injuncto, secum illos retinuit. In quibus assidue inter diversas inquisitiones legis divinæ gesta eis venerandi Columbani recitavit : sed haustis pleniter miraculorum ejus insignibus, ac inter cetera humanitatis genera utrisque in osculum sanctum ruentibus, dimissi sunt merentes et gaudentes : — merentes, quia talis patroni non adepti sunt magisterium : adtamen gaudentes, quia tantum ejus a Domino cognoverunt adjutorium. Beatus igitur eo magis divinam clementiam placavit, quo securiorem se a mundanis negotiis conspexit. Vigiliæ innovabantur, jejuniaque velut in primo tyrocinio arripiebantur. Ergo si velim rigoris ejus discretionem, districtio-

AUCTORE ANONYMO.

ribus semper secum retentis, rimare dies, ut opinor, lingua fatigata videtur mihi ante deficere. A Sed tantum acta ejus audire cupientibus, quomodo beatum cursum expleverit, dicam, precum ejus solamina implorando, ut ea, quæ veridicorum virorum testimonio conprobata sunt, mei miserrimi viciis non reprobentur. Igitur cum plasmator sæculorum merita ejus jam ostendere voluisset, et multi propter desiderium visus ejus anhelassent, contigit Willimarum, præfatum Arbonensem sacerdotem, ad cellulam ejus venisse propter priorem familiaritatem.

et tandem Arbonæ

32 Qui juxta morem benigne susceptus, nisus est, virum Dei obnixis precibus flagitare, quatenus visitationis gratia domum ejus dignaretur adire. Quod electus Dei penitus rennuit, adfirmando : se usum jam non habere de cella egredi, sed magis solito labore deinceps instantissime debere perfrui. Sed ille iterum obnixis precibus supplicabat, autumando se a paternali ejus providentia tunc esse derelictum, si doctrinæ ejus non mereretur jam habere solacium. An ergo, inquit, peccavi in te, electe Dei, quod non dignaris visitare habitaculum famuli tui? per eum, cujus ope per tuam doctrinam B actenus instruebamur, precor, ut ædificationis gratia venias, plebemque mellifluis dogmatibus tuis doceas, ut gregis anhelantis instrui de labore tuo fructum inmarcisibilem capias in æthrali regno. Vir ergo Dei fixum habens jam nullo modo egredi in popularem conventum, adtamen, ut semper solebat, tractans utilitatem plurimorum, in semetipso frangebat *; quod diebus suis firmum se habere posse sperabat; Apostolo dicente : Charitas non quærit, quæ sua sunt. Non ut transitoriarum rerum cupidus raptor, sed ut multorum devotus adjutor, ad castrum cum sacerdote se contulit. Sancta nimirum et Deo nostro grata societas, inter quos nihil regnabat nisi perfecta karitas. Igitur in adventu optato servi Dei conventus popularis agitur, mellifluæque doctrinæ ejus instantissime audiuntur. Tametsi ergo absens esset a cella, non minus tamen solito labori insistebat, cum ex divino semine fructifera corda non pauca Christo regi suo conjungebat. Ubi in opere Dei mansit biduo, vi coactus a sacerdote, nec non et a populo.

* abnegabat

obit XVI *Octobris.*

33 Sed tertio die cupiens alumnos revisere, impeditus est febrium vexatione, quarum acredo C tantum in eo crassata est, ut nec minimum, quod solebat, alimentum cibi sumeret. Quod haud secus credo divina dispositione actum, nisi ut merita ejus citius declararentur, quatenus si ad horam ei temporale iter denegaretur, cum quanta gloria electus Dei ad locum suum veniret fore, cunctis sæculis manifestaretur *n*. Ergo XIV diebus infirmitas corporis crescebat, in quibus athleta clarus Christi conspectibus se præparabat. Jamque quarto decimo die veniente *o*, in quo credimus ei laborum suorum mercedem restitutam, inbecilibus membris consumatis et absque cute et ossibus penitus defectis, ab opere tamen Dei non cessans, sed aut cœlo solamina precum dirigens, aut eloquia ædificationum eructans, indefessus in servitio Christi, quod cœperat, nonagesimo quinto ætatis anno *p*, XVI die mensis Octobris beatam animam cœlo reddidit. Cujus diei anniversarium pœne jam montes et colles omniaque ligna silvarum cum diversis creaturis resonant; cum nec signorum in eo ostensorum, nec populi catervatim confluentis numerus repperitur. Jam te ex parte non latet, quicumque hæc legendo tetigeris, quomodo devotus in bono, et cautus in D mundo provectam ætatem ducebat. Nunc, si placet, ad ea quæ post ejus transitum ob meritorum suorum declarationem ostensa sunt, veniamus, * communibus precibus Christum, qui est mirabilis in Sanctis suis, supplicando, ut pauca, quæ ex eis conperimus, suo sensu dicantur, qui dixit *q* : Ego ero in ore tuo.

* communibus

q

ANNOTATA.

a *Regulam S. Columbani professum fuisse Johannem vix est dubitandi locus, atque hæc verba quibus monstratur Johannes præter litteras divinas etiam opera manuum a magistro suo didicisse, sententiam confirmant. Cæterum quanti momenti apud antiquos monachos essent opera corporalia, consulatur S. Augustinus de* Opere monachorum (*a*).

b *Quo sensu* triennium *illud accipiendum sit, vide in Comment. prævio, n.* 113. *Nam inchoari non potest* post *oblatas S.* Gallo *Constantienses infulas; diuturnior enim fuisset vacatio sedis : potius Johannes vitam monasticam sub magistro suo professus fuerit, sanctumque virum in Rhæticas solitudines deduxerit, atque ita ad scientias divinas et* E *christianas virtutes informatus, dignus inventus fuerit, qui episcopalem cathedram conscenderet.*

c *Qui hic vocatur* Augustodunensis *episcopus* Augustanus in Rauracis *seu* Basileensis *intelligi debet. Vide Comment. præv. n.* 114. *Hujus episcopi nomen ignotum est, nam Rachonem seu Rachnacarium serius sedisse credimus. Virduni illa tempestate episcopus erat* Hermenfredus, *Spiræ* Athanasius.

d *Ex hac etymologia denominationem* hochteutsch *ortam esse putat Ildeph. von Arx : revera passim et ab antiquo nostra lingua flandrica* de nederduytsche tael *vocatur : ex Helvetia scilicet præcipua flumina in Belgium* descendunt.

e *S. Cœlestini I Papæ epistola* II *ad episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis id jubet his verbis* (*b*) : Nec emeritis in suis ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem corum, qui bene de suorum civium merentur, testimonio præponantur : ne novum quoddam, de quo episcopi fiant, institutum videatur collegium.

f *Johannes, quamvis Rhætus ex diœcesi Curiensi, videtur tamen ad Alemannicam gentem pertinuisse : Sancti enim* Galli, *sermonem populo latine facientis, interpres fuit Johannes episcopus, uti paulo infra legitur in Vita.* F

g *Plusculum hic Sancto nostro conceditur, quam indulgeri solebat presbyteris coram episcopo ad plebem verba facientibus : honoris causa interpretem agebat Johannes episcopus; nam teutonicæ linguæ peritum fuisse S.* Gallum *jam dictum fuit supra n.* 7. *Alio prorsus modo res transigitur, quando in translatione S. Othmari, cum Salomon Constantiensis episcopus, ut narrat Yso de miraculis S. Othmari n.* 4 (*c*), animadverteret frequentiam populorum, qui diversis ex partibus illo convenerant, aliquid de sanctitate illius (*Othmari*) velle audire, cum propter frigoris subreptionem faucium raucedine impeditus ipse ad eos loqui non potuisset, quendam archipræsbyterum ambonem conscendere ac vice sui sermonem ad populum facere jussit, ita videlicet ut præsbyter ipse altiori paulolum loco consistens, ea tamen proferret, quæ sibi episcopus in vicino positus dicenda insinuaret. *Episcoporum*

(*a*) Tom. VI Oper. col. 475. — (*b*) Labbe tom. II Conc. col. 1620.— (*c*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 49.

enim

A *enim proprium esse prædicationis officium, nimis notum est, quam ut multis demonstremus : permittit tamen concilium Vasense* II, *anni* 529, *can.* II pro ædificatione omnium ecclesiarum et pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi darent potestatem. *Attamen anno adhuc decimo nono sæculi septimi concilium Hispalense* II *can.* VII (*a*) *statuebat, episcopo* coram posito, *presbyteris non licere* populum docere vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari.

h *Videre est hunc sermonem apud Canisium in antiquis Lectionibus* (*b*).

i *Per* nocturnam, *designantur hic psalmi et aliæ preces, quæ recitari consueverant media nocte : hujusmodi preces hodie* matutinum *dicuntur, quæ unum aut trinum nocturnum complectuntur.*

k *De* Cambutta *vel* Cambota *vide Du Cange Glossarium et præcipue Vitam S. Magni ad* VI *Sept.* (*c*), *ubi multa de hoc baculo habentur.*

l *Agitur de S. Eustasio ad* XXIX *Martii.*

m Luderes *hic,* Lutræ, *gall.* Loutres, *fland.* Otter *interpretandæ sunt.*

n *Sensus hic satis intricatus, ita expediri potest :*
B Quod ideo credo divina dispositione actum ut merita ejus citius declararentur : quatenus si nunc reverti prohiberetur, fore tamen, ut cunctis sæculis manifestaretur, cum quanta gloria ad locum suum fuerit delatus.

o *Ex eo quod S.* Gallus *obierit* XVI *Octobris, post morbum quatuordecim dierum, non absonum fuerit suspicari, sanctum virum concionem ad populum Arbonensem habuisse in festo S. Remigii* I *Octobris; atque hinc facilius devenimus ad* XVI *Octobris, quam quum supponit Ildeph. von Arx* (*d*), *in festo S. Michaelis, Archangeli,* XXIX *Septembris, Sanctum prædicasse per biduum Arbonæ : tum enim toto saltem biduo protelandus esset sancti viri morbus. Verum in monumentis liturgiæ Alemannicæ, quæ multa occurrunt apud D. Martinum Gerbert, nihil reperi quod festum S. Remigii rubricatum exhiberet, quamquam can.* XXXVI *concilii Moguntini anni* 813 (*e*) *præscribat celebrari festum S. Remigii, quod fortassis jam in more positum erat. Cæterum si obiit S.* Gallus *anno* 628, *signato littera dominicali B incidit dies secunda Octobris in Dominicam, quando commode prædicare potuit, atque hinc fluunt recte dies quatuordecim.*

C p *Circa ætatem nonaginta quinque annorum, quibus vixisse dicitur S.* Gallus, *vide Comment. prævium n.* 123 *et seq.*

q *Exodi* IV, 12.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. De S. Galli sepultura, ejus Reliquiarum violatione et aliquot miraculis.

Johannes Constantiensis

Fama nempe aures multorum sublevans, Johanni præfato, Constantiensi præsuli, ejus infirmitatem detulit. Qui non contentus, nisi ut magistrum visitasset *a*, quasi ex ejus ope atque doctrina cœlestes terrenasque divitias habuisset, eologia *b* digna in navem sumuntur, et ad Arbonense castrum properatur. Cum ergo perventum esset ad portum, audita est vox virum Dei plangentium. Statimque a presule, quid esset, inquisitum est; D cujus cor ex timore desolationis magistri jam perculsum est. Audito igitur transitus eventu, claviger poli imitabatur, cum pontifex se præ dolore ac dilectione non continuit in navi, sed desiderio magistri misit se in aquam. Scio, quia cum velocitate venit ad corpus, qui in tale se periculum pro eo dedit devotus. Ubi tunc luctus et meror innovabantur, cum gemitus sacerdotis sociorumque ejus ad cœlum usque levabatur. Sancti namque corpus jam tunc in loculo erat, quod * inconsideratum pontifex non sustinens, arcam aperuit, ac flere his verbis cœpit : Eu, eu mi pater! cur me de domo patris mei duxisti? et jam modo orfanum et desolatum reliquisti, cum tota fiducia mea in te fuit! Diu flendo super eum incubuit, cujus visione * satiare se numquam credidit. Sed tandem eum presbyter cæterique circumstantes levaverunt, ac * orare pro eo potius debere monuerunt. Jam denique amicalibus membris relictis, præsul cum clero ecclesiam ingressus est, nec non et *c* missarum solemnia pro eo agere conatus est, cæteris omnibus in psalmodia morantibus. Jamque tam pio labore finito *d*, vexillum crucis cum omnibus exsequiis aptis tollebatur, atque E melodiis cœlestem chorum imitantibus, domus repedabatur, quatenus corpus electi Dei ibidem terræ conderetur. Sed cum tractatur, quid ibi divinum consilium egerit, non dubitatur, nisi eum statim requies æterna susceperit.

* non a se visum

* sat ari

* orari

c

d

35 Igitur cum episcopus cum clero ad corpus venit, multorum manus loculum levare cœpit, sed divina providentia mansit inmobilis, ita ut quanto obnixius evehi niteretur, tantum humana virtus in elevatione ejus infirmaretur; ubi miraculum innovabatur, cum mira inquisitio omnium inde oriebatur. Sed inter cæteros præsul ait : Vere scio, quia domino meo Gallo ista sepultura non est acceptabilis; ecce inquirendus est nutus altithroni regis. Confestim equi indomiti adduci jussi sunt. Quos ministri celerrime adtrahere conati sunt. Sed cum nimio labore sunt præsentati, cum majore tamen luctamine parati, ad corpus sunt adducti, ubi præsul cum clero et populo hujuscemodi orabat : Domine Jesu Christe, in cujus amore et honore iste vir Dei reliquit patriam suam, sequens præcepta tua, operare humano generi stupidum miraculum, vehente corpus ejus animali indomito, quocumque tibi placeat sub æthrali regno. F Cumque omnes respondissent : Amen, Willimarus, electi Dei fidus socius, peragrabat pauperes *e* vestimenta ejus distribuendo, inter quos repperit paraliticum quendam nomine Maurus, qui sic erat conpage membrorum ac nervis contractus, ut gressus proprius ei denegaretur. Cui caligæ viri Dei cum calciamentis porrectæ sunt. Quæ cum propter gaudium statim induisset, resolutæ sunt juncturæ conpagum ejus; qui lætus exilivit, clamans voce magna in laude Christi, qui pro meritis viri Dei hoc agere dignabatur.

mortui S. Galli corpus Arbona

e

36 Quod cernens episcopus cum infinita caterva plebis, magnificabat nomen Domini Jesu facientis mirabilia, qui ad honorem servi sui tam manifestam virtutem ostendere dignatus est *f*. Cereus ergo illi confestim datus est, qui cum aliis feretrum usque ad locum sepulturæ secutus est. Perpende queso, o lector! qualis meriti vir iste fuerit, ad cujus exsequium tam insolitus pedestris ordinis conviator factus est. Elevato igitur a pontifice nec non et a sacerdote feretro, et equis superposito,

ad cellam

f

(*a*) Labbe, tom. IV Conc. col. 1680. — (*b*) Ibid., tom. V col. 1666. — (*c*) Tom. I, p. 785. — (*d*) Tom. II Sept., p. 700. — (*e*) Gesch. des Cant. St Gallen, tom. I, p. 18. — (*f*) Labbe t. VII Conc. col. 1250.

ait

AUCTORE ANONYMO.

ait episcopus : Tollite frena de capitibus eorum, et pergant, ubi Dominus voluerit. Vexillum ergo A crucis cum luminaribus adsumebatur, et psallentes, equis præcedentibus, via incipiebatur. Mira res, et præsenti ævo inusitata : equi non declinaverunt ad dexteram neque ad sinistram, quoadusque recto tramite pervenissent ad viri Dei cellam. Quo cum subsisterent, occurrit agmen discipulorum levans viri Dei loculum; et humeris sublatum portarunt in oratorium. Ante altare ergo ponebatur, et a pontifice sive a clero pro eo oratio innovabatur. Sepul-
g chrum deinceps *g* inter aram et parietem peractum est, ac melodiis cœlestibus resonantibus corpus terræ conditum est; sicque pontifex, data benedictione, reversus est inmenso tripudio, gratulante plebe. In duabus ergo candelis, quæ per totum exsequium viri Dei lumen suum non dimittebant, non tacendam reor Jesu Christi virtutem. Una ad
h caput, altera ad pedes ponebatur, sed *h* per triginta dies flamma in eis rutilans experiebatur; ut vere claresceret lumen inextinguibile, quod Gallus diligebat absque mundiali amore.

solemniter portat. * lippi

37 Quibus ardentibus, dentium dolores ex ejusdem cæræ inpressione fugati sunt, * lippes ablata B acredine gavisi sunt, surdi auditu adveniente lætati sunt, diversisque aliis languoribus expulsis plures gratulati sunt. Nam ad sepulchrum ejus quicumque postea languens aut febricitans, sive ex quacumque valitudine detentus veniebat, si ex credulitate orabat, per intercessionem Sancti Dei sanus redibat. Virtutes etenim Christi ibi factæ, quamvis non pos-
* terrarum sint humana lingua comprehendi, tamen per multa spatia * arvarum ad laudem Christi resonant, qui per electi sui merita tam mira populis ostendit. His etenim, qui tanti patris vitam imitari desiderant, intimandum autumo, quibus indiciis asperitas vitæ ejus experta est. Sanctus igitur Dei capsellam ligneam habuit, quam sub clavis custodia, discipulis interiora ejus ignorantibus, usque ad
* *num forte* obseravit? finem vitæ * observavit. Post transitum ergo electi Dei præsul cum alumnis eam aperuit, scire cupiens secretum, quod in ea tamdiu latuit. Ubi repertum est parvum cilicium et enea catena infusa sanguine. Anhelantes tunc ex re certi fieri, prospexerunt ad corpus Sancti Dei, in quo cernebant per tracturam cinctorii carnem vulneratam per quatuor loca in modum cinguli gyrante vulnere usque ad interiora ossa, ut comprobaretur, quam occulte C se electus Dei Christo regi suo mactavisset, cum nec eis, qui per omnem vitam suam cum illo erant, hoc umquam apparuisset. Sed si in minimis vis majora pensare, innumeris cruciatibus se Sanctum Dei diu afflixisse, poteris pensare : Capsella igitur cum cilicio ad caput viri Dei in feretro suspensa est, sicque in præfato exsequio usque ad cellam deportata est. Rite demum sepultura peracta, suspenderunt eam ad caput in parietem cum catenis et cilicio. Ubi cum petentium fides exigebat, præclaris virtutibus merita sancti Galli fulgebant.
i Hæc omnia conprobata sunt testimonio *i* Meginaldi et Theodori diaconorum electi Dei, qui ejus obsequio, quoadusque beatum cursum explevit, meruerunt perfrui, sed et aliorum innumerabilium qui aut vitam ejus considerabant, aut ex veridicis testibus gesta Sancti didicebant.

Ejus sepulcrum miraculis clarum k

38 Postquam vero *k* XL annos fuit sepultus, veniens Otwinus præses cum exercitu magno, crudelitate succensus, devastavit aliquam partem pagi Durgaugensis, Constantiam et Arbonam succendit igne, satellitibus ejus multitudinem virorum jugulantibus mucronis in ore, mulieres cum parvulis duxere captivas, pecora vero et fruges devastavere innumeras. Quo metu ex Arbonensi pago rerum D copia * sublevata est, et in territorio cellæ viri * sublata Dei sub terram posita est; quam cupientes ab hostium incursione latere, ne spes requirendi ea haberetur, superseminaverunt diversa fruge. Vastatione demum per pagos patrata, veniens hostis prosequendo populi fugientis vestigia promiscui sexus turbam non modicam reppererunt in viri Dei cella. Adprehensi ligabantur, vincti in habitacula sibi non optata trahebantur, ac juventus eorum miserabiliter in captivitatem ducebatur. Quæ per diligentiam *l* Erchanoldi cujusdam tribuni *l* sunt prodita, cui propter vicinitatem omnia ipsius heremi fuerunt nota. Qui sciens ostensa ibidem miracula Domini, non dedit honorem nomini Salvatoris Jesu Christi; sed perversa mente oratorium intravit, ubi paraliticum quendam cognitum sibi repperit, cui minas et blandimenta inferebat ajendo : Dic mihi, ubi habent isti Arbonenses vestimenta sua, et aurum argentumque plurimum, quam habebant, quia cum eos invenimus, pœne nihil retinebant. Cui ille : Si ego, inquit, proditor eorum exsisto, quam remunerationem sperare debeo? Ad quem cupiditate deceptus dixit : Si vere cuncta manifestabis, consortio nostro frui mereberis. Absque E mora perducti sunt ad locum, ubi reppererunt subterraneum latibulum, ubi diversi generis pecuniam * experti sunt, quam gratulando inter se * repererunt partiti sunt, et, ut mos est, cum cupita repperiuntur, sollicitius inquiruntur, silvæ et * pratæ atque * prata agri pervagabantur.

violatur ab Otwino,

39 Ipse vero Erchanoldus cum VII juvenibus oratorium ingressus est, ubi hostiis clausis pulsando pavimentum investigare thesaurum conatus est; qui quam præclarus ibi ex dono Dei habitus est *, * *scil.* thesaurus absque dilatione plasmatore mundi operante, monstratum est. Ergo cum unus ex eis super sepulchrum Sancti Dei pulsasset, atque sarcofagum ex vi impetus resonuisset, gaudendo exclamavit : Hic est, quod quæritis. Qui cœperunt fodere conciti, ac venerunt usque ad arcam viri Dei. Quam sublevarunt dicentes : Isti * Romani ingeniosi sunt, * *Walafrid.* Rætiani ideo sub loculo bona sua absconderunt. Scrutari itaque conati sunt, sed divino nutu velociter repressi sunt. Nam pavor nimius super eos inruit, ex quo unusquisque * remedium sibi fugam decre- * salutem vit. Ostia ergo oratorii occupaverunt, ubi mutua cede se in invicem interfecerunt. Sed ipse Erchanoldus evadendi cupidus, volens exsilire, caput in- F lisit in superliminare, unde amens cecidit, cum dignam pœnam pertulit. Ergo ad propria ducebatur, sed inmensis doloribus corripiebatur *m*, ita *m* ut ipsum annum pœnam suam lueret, cum capillos et cutem ungulasque dimitteret, nec in omni vita sua deformitatem dimittere potuit, quam ex offensa electi Dei arripuit. Auditum est igitur a Bosone, Constantiensi præsule, sepulturam viri Dei destructam esse ab hoste, nec in cella ejus præter Maginaldum et Theodorum remansisse, quorum * * paucitas raritas corpus terræ non quisivisset recondere. Tali miseria episcopus commotus, advenit cum sacerdotibus et clero ad servitium Sancti devotus.

restituitur a Bosone Episcopo

40 Considerabatur ergo ab eo corpus sanctum digna sepultura non conditum, ac aræ nudæ, cernentibus prebentes lamentabile aspectum, nec non et prædictorum fratrum jacentium in oratorii loco intolerabilis planctus; consolationis solamen inferebatur ab eo dicente : In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo? His aliisque exortationibus finitis, Sancti corporis gleba in sarcofago digno inter aram

et

A et parietem sepulturæ tradebatur, atque super illud
n memoria meritis electi Dei congruens ædificabatur. Ubi innovabatur opus pietatis, cum præsul victum et tegumentum distribuit, ibi manentibus viris timoratis. Sicque peractis quæ Dei sunt, gratulando ob talis patroni meritum ad propria reversi sunt.

Puniuntur qui iterum violare tentant.

41 Post multum vero temporis misit *o* Pippinus major domus exercitum suum cum omni furore et iracundia ad Altam Germaniam devastandam, quam circumdederunt angustiis magnis, ita ut jam non *p* rimaretur exuberantia cruoris humani, nec multitudo ex ea populi captivi ducti. Sub quo excidio caterva fugientium in Arbonensem pagum congregata est, ex quibus plurimi ad cellam Sancti Dei festinabant, ubi sibi suffragium de misericordia atque veneratione electi Christi sperabant. Hostis igitur agiliter eos persequebatur, quos in territorio præfatæ cellæ experiebatur. Quorum investigatione subtilius cepta, quinque ex eis oratorium intraverunt, ubi quasdam feminas cum parvulis suis reppererunt. Quas cum interrogarent, unde essent, illæ se dicebant * famulas Sancti illius esse. Qui e contra : Egredimini, inquiunt, nescimus Sanctum vestrum, cujus patrocinio vos adjuvari creditis. Sub tali igitur contemptu meritorum venerandi patris duxerunt eas captivas in Franciam. Sed divina ultio eos in præsentia hominum impunitos non dimisit, quos amentia in tam reprobum sensum seduxit. Ergo anno, quo hæc acta sunt, ab antiquo hoste adprehensi sunt, cujus inpulsione per civitates ac vicos erraverunt, atque continuis vocibus clamaverunt : Gallus abbas habet nos ligatos. Sic probari poterit, quam graviter deliquerunt, cum in hoc finem vitæ miserabiliter consummaverunt.

Ignis non lædit sepulcrum,

42 Isdem igitur temporibus erat ibi quidam diaconus, custos ecclesiæ die ac nocte continuus, qui quodam vespere intulit in basilicam cereum *q*, eum collocans in candelabro juxta Sancti sepulchrum; sed ut eo magis merita Galli fulsissent, quo miracula sua Christus ibi innovasset, res inserta experta est *. Candela super pallam *r* sepulchri cecidit, quam ignis usque ad medietatem consumpsit, ex quo incendio ceteræ pallæ sepulchri intactæ remanserunt, neque ignes lectum, aut *s* cambuttam in eo pendentem tetigerunt. Quod eadem nocte sequentique die ita omnibus visum est. Sed cum tempore alterius noctis fraternalis cuneus ad opus
C divinum se præparasset, atque oratorium ex more ingressus fuisset, candelæ juxta sepulchrum inventæ sunt ardere, et duo juvenes quasi ad servitium ibi stare, quorum unus ad caput et alter ad pedes illam exustam pallam tenuit, ex qua sepulchrum Sancti Dei devote cooperuit. Timor nimius considerantes invasit, quos et præpeti gressu ad disposita lecta remisit. Quibus ingressis, cum nec pavore somnus carperetur, nec exercitium vigiliarum *t* ageretur, signum basilicæ resonans audiebant, quod cœlesti tactu factum non difidebant. Sed ut certius adfirmaretur divinam virtutem ibi claruisse, duo chori psallentium confestim auditi sunt, æthrales melodias resonuisse. Eodem igitur die pavor eos ab introitu ecclesiæ conpescuit, sed die altera ad januam oratorii congregati sunt, ubi diutissime in oratione prostrati sunt. Qua completa trepidi ingressi sunt, inveneruntque pallam integram, quam ante dolebant igne consumptam. Et ut certius crederetur divinitus actum, longitudo ac latitudo ejus tribus digitis major apparuit. Salvator sæculorum devotis mentibus laudabatur, qui per merita servi sui talia ostendere dignabatur.

43 Multa etiam audita prætermissa sunt, dum ad ea festinatur, quæ visu conprobata sunt. Tempore ergo Carlomanni majoris domus *v* homo fuit
D in Perahtoltes-para *w* rebus pauperculus, qui cum orationis causa ad cœnobium Sancti Galli una cum conjuge venire desiderasset, illa pallulam ordita est, ne vacui apparuissent, quam pro expectatione itineris circa * tortellam ceræ involvit, atque in arcam suam posuit. Sed interea non secundis eventibus domus ejus exarsit, in qua omnia cum eadem arca ignis devoravit. Sed miro * arbitris poli judicio igne exctincto, cum priores sedes gyrarentur, pallula una cum cera in cineribus inlesa reperta est, in quibus nec minimum quid ignis absorbere ausus est, inaudito modo resistente cera incendio, quousque cremaretur in Sancti Galli servitio. Miraculum multis notum est, cum laus Christi in populis dilatata est. Illi igitur juxta votum adierunt electi Dei cœnobium, ferentes munus de excidio servatum. In quorum ore merita electi Christi *x* opinabantur, cum venerando viro Audomaro *y* abbati fratribusque * res gesta rimabatur; jam tot testibus miraculi existentibus, ad quot hæc pervenire poterant in locis circumquaque jacentibus.

nec pallam Sancto offerendam.

v

w

* placentam

* arbitri

x

y

* diligenter inquirebatur

Puniti qui votum

44 Fertur et aliud miraculum tempore Pippini gloriosi regis *z* actum. Willimarus quidam valido languore vexabatur, qui vovit, se ad ecclesiam
E electi Christi unum equum ac duos boves daturum, si ex misericordia Dei recepisset sanitatis remedium. Recuperatio eum ex illo die subsecuta est, sed votum quod clade cogente actum est, sospitate veniente dilatum est. Nam post hæc contigit, quod temporalis dominus ejus Pirhtilo *aa* causa orationis ad ecclesiam electi Christi perrexit, cum quo et idem Willimar eidem * devotato insidens militiæ obtentu advenit. Suffragia sanctorum supplice dextra flagitabantur, atque susceptiones digne a fraternali manu exercebantur. Redeundi demum definita sententia, cum non longe essent ab ecclesia, Willimari equus substitit, nec sessori suo eundi consensum præbuit; calcaribus diutius cruentabatur, nec diversis ictibus punitus de loco movebatur. Quod præcelsus vir Pirhtilo videns, et qui cum eo erant mirantes, quid causæ esset, ab eo investigare cœperant. Qui non valens delictum abscondere, conpulsus est cum confusione, prout actum erat, prodere, confitendo peccatum, quia pro equo non implevit votum. Cum celeritate igitur rediebant, atque ad venerationem Sancti Dei promissum equum offerebant. Sicque accepta benedictione, reversi sunt cum Dei glorificatione.
F

z

aa

* votivo

male solvunt.

45 Ergo, et quod nunc inserendum est quarto anno regni Carlomanni *bb* actum est. Fuit in eodem pago vocato Perahtoltes-para vir quidem in fisco regali Rotunda villa *cc*, qui intercessionem Sancti Dei quærere cupiebat, sed quid ferret præ paupertate non habebat. Deliberatione etenim acta, ut aliquid ad offerendum Deo adquireret, ex instinctu diaboli debitum * sibi cumulaverat. Nam perversa mente atrium dominicum intravit, atque examen apium furto abstulit. Quo domi recluso, apes extinxerat, necnon et melle separato, tortam ceræ fecerat, quam cum vicinorum caterva comitatus perrexit aditibus * Sancti Galli delaturus. Sed rex regum, cui electus Christi servivit, in hoc virtutem suam exhibuit, necnon et fraudolentiam seducti hominis prodivit. Cum aliis igitur orantibus intravit ecclesiam, et quasi oblaturus extraxit ceram, sed in manu ejus tam durus lapis apparuit, ut in naturalibus petris vix ei æqualis in duritia reperiri potuisset. Qui reatus sui timore perculsus, adsistenti sibi confessus est, cujus sceleris vindictam perpessus est. Ille custodi ecclesiæ innotuit *, quod

bb

cc

* culpam

* ad templum

* notum fecit

n — *Walafr.* ancillas ejusdem loci — *id est* : factum inserendum comprobavit — *o* — *p* — *q* — *r* — *s* — *t*

AUCTORE ANONYMO.

absque mora plurimis claruit. Laus Creatoris in-
A menso tripudio levabatur, qui elementa ibi mutare dignabatur. Nam in honore Salvatoris ipse lapis ibi in hodiernum servatur, quatenus ex visione ejus fraudulentis metus, nec non et devotis ædificatio generetur. Innumerabilia enim per electum suum Christus ibi ostendebat in præsentique ævo, cum
* quæ si quis petentium fides exigerit, quæ si * cuncta recitare cœperit, dies, ut opinor, ei ante quam sermo cessabit. In his tantum paucis Salvator sæculorum laudetur, adoretur regnans cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Magis latine :* non contentus, nisi magistrum visitaret. *Cæterum purus Teutonismus, qui etiamnum apud nostrates viget :* Niet te vreden, ten ware dat hy zynen meester zoude bezocht hebben.

b Eologia *seu* Eulogia, *quamvis frequenter pro ipsa sacro-sancta Eucharistia aut pro pane in Missa offerendo sumatur, significat etiam quævis munera, ut constat e Regula S. Benedicti c.* LIV, *quo interdi-*
B *citur monachis* a parentibus suis nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias vel quælibet munuscula accipere.

c *Præcipuum semper fuit pro defunctis officium, offerre sacrificium Missæ, quo privari post mortem grandi pœnæ erat, teste S. Cypriano epist.* LXVI (*a*) : Episcopi antecessores nostri. . . . censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.

d *Videmus hodiernum Catholicæ Ecclesiæ morem in efferendis Christianorum cadaveribus ad amussim hic servari. De* funere Christiano *tres libros egregios scripsit Jacobus Gretserus noster* (*b*).

e *Quæ distribuit Willimarus presbyter vestimenta S.* Galli, *ideo superflua erant, vel quia Sancti corpus sola sindone indutum, vel quia sacerdotali amictu compositum erat : utrovis enim modo defunctorum corpora ad inhumationem parabantur. Cfr cit. Gretserum l.* I, *c.* V.

f *De cereis et facibus, quibuscum funera ducebantur, vide laudatum Gretzerum l.* II, *c.* VII.

g *Quamvis varia fuerit Ecclesiæ, præsertim*
C *latinæ, disciplina circa sepulturam fidelium* intra *vel* juxta *templum, illud tamen manifesti honoris significatio est, quod Sancti nostri corpus prope aram conditum fuerit.*

h *Videtur mihi insinuari consueta triginta dierum expiatio, quæ pro fidelibus defunctis celebrabatur. Hic ritus plerumque ad S. Gregorium M. refertur, ut narrat Joannes diaconus in ejus Vita l.* I, *c.* XV (*c*) : *ejus tamen vestigium reperitur in Testamento S. Ephrem Syri* (*d*), *qui agens de morte sua,* comitamini, *inquit,* me in psalmis atque orationibus vestris; et assidue pro mea parvitate oblationes facere dignemini : et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis.

i *Jam actum supra n.* 10 *de Maginaldo, seu* Maginoldo, *alias* Magno *et Theodoro. Obiit S. Magnus post medium sæculum septimum* (*e*) : *de Theodoro vide nostros inter prætermissos ad diem* IX *Octobris.*

k *De tempore quo cella S.* Galli *vastata fuit, ejusque sepulcrum violatum, vide dicta ad n.* 130 D *et seq. Ildeph. von Arx* (*f*) *ponit vastationem sub annum* 780 : *tum quia Walafridianam narrationem de quadraginta annis ratam habebat, tum quia obitum Sancti cum anno* 640 *conjungebat : neutrum cum chronologia recte convenire, multis fuit monstratum.*

l *Erchanoldum, de quo hic sermo, non fuisse majorem-domus in Neustria, sat probabiliter videor monstrasse n.* 136.

m *Duravit morbus e pavore contractus per annum, sed deformitas e calvitie, etc. permansit per totam vitam.*

n Memoria *varios habet significatus : vide Du Cange Glossarium ad hoc verbum. Walafridus c.* II, *vocem interpretatur dicens : Boso* sumens loculum in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit. Memoriam *itaque Walafridus explicat per arcam altiorem; recte igitur quisque monumentum sepulchro impositum interpretabitur : quod vero addit Walafridus,* ut moris est, *ad elevationem corporis refero; hoc enim ritu moris erat populo*
E *Sanctos honorandos proponere : siquidem ad communem inhumationem non pertinebat, alioquin Erchanoldus pulsando pavimentum scrutari non debuisset locum, ubi Sancti corpus conditum fuerat, ut narrant tum Anonymus, tum Walafridus.*

o *Agitur hic de Pippino Heristallio, qui ab anno* 680 *ad* 714 *Austrasiam occupavit, et reliquam Galliam majoris-domus titulo ab anno* 687. *Nam de Pippino rege,* Brevi *dicto, sermo esse non potest, ut existimasse videtur D. Bouquet secutus Mabillonium* (*g*), *dum Walafridianæ narrationi appingit notam chronologicam anni* 645. *Etenim infra, dum* festinat *auctor noster ad ea, quæ* visu conprobata sunt, *citat Carolomanni, fratris Pippini regis, qui tandem ultimus nominatur. Unde manifestum est, non alium supra posse intelligi Pippinum quam Heristallium, qui cæterum ab anno* 709 *ad* 712 *quater exercitum duxit in Alamanniam, uti habemus ex Chronico Floriacensi* (*h*) *et Chronico S. Benigni Divionensi* (*i*). *Annales breves S.* Galli *addunt anno* 715 Alamanniam rebellantem *domitam fuisse a Carolo Pippini filio* (*k*). *Ad hæc igitur tempora revocari potest vastatio.*

p *Quod hic adhibetur verbum* rimari, *passive*
F *sumitur et in sensu diligentis inquisitionis, apud medii ævi scriptores; unde hic significat tantam fuisse* cruoris humani exuberantiam, *sive effusionem, ut investigari etiam a diligentissimo quoque non posset.*

q *Recurrit perseverans ad nostra usque tempora consuetudo accendendi luminaria ad sepulcra et Reliquias Sanctorum.*

r *Pallæ illa tempestate multiplex erat usus, ut docet Du Cange Glossar. ad h. v. Adhibebatur enim ad altaris et ecclesiæ ornamentum, quo sensu recte* Aulæum *interpretatus fueris. Palla altaris vocatur* lineus pannus consecratus, qui super altare ponitur, super quem extenditur corporale, *imo ipsum quandoque corporale significat. Erant etiam* pallæ sepulcrales, *quibus Sanctorum et honoratorum sepulcra tegebantur. Atque de eo quidem pallæ genere hic sermonem fieri, textus indicaret satis tute, nisi obstaret textus Walafridi, qui cap.* IV, *cum sepul-*
crum vocasset aram sepulchri, *dicit exustam pal-*

(*a*) p. 446. Edit. Venet. Baluz. — (*b*) T. V Oper., part. I, p. 84. — (*c*) T. IV Oper. col. 27. — (*d*) Act. SS., t. I Februar., p. 64, n. 17. — (*e*) Tom. II Septemb., p. 708, n. 40. — (*f*) Gesch. des Cant. St Gallen, t. I, p. 21. — (*g*) Rec. des Hist., t. III, p. 663 — (*h*) Ibid., p. 315. — (*i*) Ibid., p. 318. — (*k*) Ibid., p. 316.

lam

A *lam nihil* aliis linteaminibus super sepulchrum expansis intulisse læsionis. *Unde merito infertur plura fuisse linteamina sepulcri, quippe cui altare ad sacrificandum impositum fuerat. Licet cæterum ad nonum sæculum referant aliqui* (*a*) *usum multiplicis mappæ ad sacrificium, nihilominus hic usus longe antiquior est : etenim, omisso decreto Pii I,* c. XXVII, *D.* II, *de Consecr., certum est eumdem canonem jam reperiri in Capitulis Theodori Cantuariensis* (*b*). *Præterea post S.* Galli *elevationem a Bosone factam, mirum nemini fuerit ejus sepulcrum sacri altaris usum habuisse.*

s *De Cambutta, quam baculum interpretatur Walafridus l. c., actum supra nota* k, *ad c.* III.

t *Quæ hic de* exercitio vigiliarum *dicuntur, collata cum* fraternali cuneo *paulo superius laudato et reliquis multis, satis monstrant S.* Galli *eremum jam tum ad justi monasterii formam redactam fuisse; S. Othmari vero studium fuisse, ut regula S. Benedicti inter monachos introduceretur.*

v *Carlomannus juxta notam* o *supra, filius est Caroli Martelli, frater Pippini regis, qui ab anno* 741 *ad* 747 *supremam potestatem cum fratre exercuit : factus dein monachus Cassinensis. Male subnectit*
B *Walafridus c.* VII, *donaria illa servata fuisse* in testimonium post futuris usque ad tempora Otmari abbatis; *cum ejus tempore prodigium contigisse referatur.*

w Perahtoltes-para, *alias etiam* Beroltisbara, Bertoltisbara, Bertoldesbara, Bara, Para, *pagus est ducatus Alemanniæ ad Nigram Sylvam, prope fontes Danubii.* Est, *ait Chronicum Gottwicense* (*c*), hodiernus Landgraviatus Baarensis ad Nigram Sylvam ac Danubium, ubi adhuc hodie castra et civitatis *Furstenberg, Hafingen, Nydingen, Blomberg, Geisingen, Möringen, Lupfenberg, Hohenberg, etc.* sita sunt (*d*).

x Opinabantur *passivo sensu pro* celebrabantur; *Du Cange in Glossario habet,* Opinatus, *id est* probus, bonæ famæ, celebris. *Sic in Vita S. Boniti Episc. Claromontani, ibidem legitur :* Pergit ad quemdam opinatissimum Dei famulum.

y Audomarus *hic pro* S. Othmaro *ponitur : obiit anno* 759; *de illo agendum erit* VI *kal. Decembris* (XXVI *Novemb.*).

z *Pippinus rex, pater Caroli Magni, obiit anno* 768 *die* XXIV *Septembris. Cum auctor dicit tempore Pippini quidpiam accidisse, satis insinuat, jam*
C *præteriisse illud tempus, ita tamen ut æqualis fuerit. Vide Comment. præv. n.* 15.

aa Pirhtilo *ut recte advertit Ildeph. v. Arx, qui* vir præcelsus *vocatur et equites vasallos secum ducebat, haud dubie est comes hujus nominis, qui hoc tempore pago Bertoltespara præerat* (*e*).

bb *Quartus annus Carlomanni, Pippini regis filii, Caroli Magni fratris, in annum Christi* 771 *incidit, quo ipso anno etiam vita functus est : eidem obtigerat Austrasia, ad quam Alemannia pertinebat.*

cc *Hodie* Rothwil, *urbs olim imperialis, nunc ad regnum Wirtembergicum pertinet, ad caput fluvii Neccari : olim* Rotunvilla *aut* Rotunwillare *appellabatur* (*f*). Fiscus regalis *hic significat villam regiam, prædium dominicum, juxta Du Cange in Glossario, V.* Fiscus.

CAP. II. Miracula a S. Gallo patrata ad conservationem eremi, quam vivens incoluerat.

AUCTORE WALAFR.

D Descriptis his *a*, quæ priscorum sollertia de vita, fine et virtutibus B. Galli ad nos usque scripto transmisit, hinc ea stilo comprehendere temptavimus, quæ a fidelissimis testibus indicata a carissimo fratre *b* Gotzperto literis sunt mandata. In quibus primo quomodo vel quando in cœnobio B. Galli *c* regularis vitæ instituta servari cœpissent, liquido declaratur, deinde quibus miraculis ejusdem patris virtus cunctis effulserit, probabiliter exponitur, commemoratis pariter singulorum, quæ introducuntur, assertoribus. Quæ idcirco novis dictionum positionibus ordinare voluimus, ut cum prioribus aliquam similitudinem locutionis habeant, et brevitatis compendio succincta fastidiosis lectoribus onerosa non fiant *d* : siquidem nomina eorum, qui scribendorum testes sunt vel fuerunt, propter sui barbariem, ne Latini sermonis inficiant honorem, prætermittimus scientes de veritate dictorum a fidelibus non esse dubitandum, quippe qui norunt, nihil horum, quæ referimus, E Deo impossibile esse, in quo fit, quicquid per sanctos mirabiliter et laudabiliter fit. Sed et si quis earumdem rerum testes nosse desiderat, in conscriptione, quam sequimur, poterit invenire. Inserimus quoque huic operi nonnulla, quæ non scripturæ testimonio, sed veracium virorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam servare studebimus, neque per amorem falsi aliquid de nostro inserentes, neque per invidiam veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos scripta vel dicta sequimur aliorum, ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum et adunatio rationum. *Breviter præfatus*

47 Post venerandi patris, Beati videlicet Galli Confessoris, gloriosam depositionem cottidianas excubias apud sacri corporis ejus Reliquias quidam religiosi clerici, vel discipulatus ejus memoria, vel divino amore succensi, per multa annorum curricula, scilicet quasi a temporibus Dagoberti regis usque ad *e* Karolum patrem Carlomanni et Pipini, ad laudem Christi administrabant. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per Confessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, longe lateque circumpositorum mulceret aures populo- F rum *f*, cœperunt undique alacri devotione ad tanti patris suffragia postulanda concurrere, eundemque locum ob suæ diurnitatem memoriæ multiplicibus substantiæ et possessionum amplificare donariis. Cumque res hac largitate fidelium collatæ aliquantulæ monachorum congregationi viderentur suppetere potuisse *g*, Waltrammus quidam, ad cujus paternam possessionem termini vastæ solitudinis, in quibus vir Dei cellam construxerat, pertinere videbantur *h*, videns res collatas a quibusdam præsumptoribus inordinate tractari, religiosum quemdam presbyterum Othmarum nomine, cui summam earundem committeret rerum, *i* a Victore tunc Curiensium comite impetravit, et ei cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit. Postmodum consilio cujusdam ducis nomine *k* Nebi persuasus ad præfatum principem Karolum cum eodem duce properavit *l*, ipsique eandem cellam proprietatis jure contradidit, et ut Othmarum presbyterum eidem loco præficeret, exoravit. Annuens petitioni ejus princeps *explicat auctor*

(*a*) Richard Biblioth. sacr. v. *Nappe.* — (*b*) Berardi Gratiani Canones, tom. II, p. 71. — (*c*) Tom. I, part. II. p. 559. — (*d*) Cfr Neugart. Cod. diplom. Ch. XCVI, t. I, p. 86. — (*e*) Ibid. Ch. XLIX, t. I, p. 49. — (*f*) Ibid. Ch. CXIX, t. I, p. 105.

Othmaro

AUCTORE WALAFR.

Othmaro ad præsentiam suam vocato locum commendavit, et ut regularem inibi vitam instituere studeret præcepit. Qui regressus, arripuit statim boni pastoris initia, et undique versum habitacula monachorum usibus congrua disposite construens ejusdem sancti statum loci utilitatibus diversis aptavit. Sed cum jam dictus princeps temporaliter regnandi et vivendi finem fecisset, duobus filiis Carlomanno et Pipino administrationem regni reliquit.

donationem monasterii S. Othmaro factam;

48 Carlomannus itaque paucorum decursibus evolutis annorum, ob amorem regni cœlestis secularis gloriæ pompam deposuit, et cum causa quietioris vitæ Romam tenderet in viciniam supradicti loci deveniens, ad idem monasterium causa orationis accessit, audiensque assiduis signorum virtutibus eundem *m* locum pro beati viri meritis a Domino illustrari, dixisse fertur : « Tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis B. Galli celebri diffamatus rumore. » Cumque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret a negociis se regni disjunctum explere non potuisse, quod voluit, fratri rescripsit, ut sui amoris intuitu eidem monasterio aliquod regiæ largitionis solatium dignaretur impendere. Cum igitur ab Othmaro abbate præsentatam Pipinus princeps accepisset epistolam, annuens petitioni fraternæ, libellum *n*, quem Benedictus pater de cœnobitarum conversatione conposuerat, eidem abbati tradidit, et alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei sub omni diligentia injunxit, ut in loco sibi commendato ad supplendas B. Galli excubias regularis ordinem institueret vitæ, atque ut melius posset quod jubebatur efficere, concessit illi quosdam tributarios de eodem pago, ut et illis conlaborantibus officinas fratrum usibus necessarias construeret, et vectigalia, quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad sustentationem fratrum sub commemoratione largitatis ejus haberet. Inter cætera quoque suæ munificentiæ donaria rogante abbate unum campanum ad sancti loci dedit ornatum, quod ad usque nostræ ætatis tempora in cœnobio eodem pro memoria beneficiorum ejus permansit, et ne cujusquam avaritia tanti incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi *o*, et ut moris est circumspecta roborari cautela, quo deinceps tam ipse qui aderat, quam successores ejus idem monasterium per regiam obtinerent auctoritatem, et nullius violentia pressi solis rerum principibus subjacerent. His regiæ pietatis Othmarus abba donatus solatiis, et sublimatus honoribus, monasterium lætus regreditur, et ex illo tempore monasticæ vitæ in cœnobio S. Galli exordium *p* quidem cœpit, augmentum autem et profectus hodieque laudabiliter dilatari non desinit.

dein transit ad miracula

49 Præmissa narratione, qua comprehensum satis vere credimus, quomodo sacer locus emunitatis privilegium meruerit, et quo in tempore cœnobiali dignitate sit adornatus, liberius jam ad miraculorum B. Galli commemorationem stilum convertimus *q*. Victor Curiensis Retiæ comes, cujus superius mentionem fecimus, cum innumerabiles apud tumulum S. Galli per merita ipsius virtutes ostendi creberrime didicisset, invidia perurgente, tanta novarum generositate virtutum nostram gentem insigniri perdoluit, et ut tunc fama vulgaverat, latenter voluit per abdita heremi supervenire, et preciosi thesaurum corporis, si quo pacto potuisset, auferre. Qua malitiosi raptoris intentione comperta, hi qui in circuitu cellæ viri Dei commanebant, custodibus vicissim per turmas deputatis, eundem locum ab hostili incursione, ne videlicet tam cari fulgore margariti * carerent, omni sagacitate defensare studebant. Igitur cum quadam nocte custodes in summitate montis, qui monasterio superimminet, ad suspectos incursus armati residerent præcavendos, casu lucem e cœlo venire ac totius ecclesiæ perfundere mœnia conspexerunt. Immensitatem itaque luminis admirati, ad ecclesiam citius concurrerunt, et dum trepidi stupentesque ibidem constituti eumdem intuerentur splendorem, paulatim se lux submissa recolligens, astris inseritur. At illi viso miraculo agentes Domino gratias, securi ad propria remearunt, credentes corpus viri Dei per vim ab eo loco minime auferri posse, quem illi Dominus ante sæcula prævidit, et suæ illustrationis honore temporibus illis decoravit. Unde datur intelligi, quanti apud Deum meriti vir iste fuerit, cujus sepulturæ locum cœlitus contigit illustrari, ut videlicet lumen, quo ejus anima perfecte fruebatur in cœlis, etiam mortuo corpori non deesset in terris.

* margaritæ

S. Galli

50 Audiens itaque comes prædictus a cella S. viri discessisse custodes, cupiens suos conatus explere, virorum turbam assumpsit, ut, quod male cogitaverat, repentino et latenti perpetraret accessu. Verum quia non suæ devotionis utilitati prospiciens, sed alienæ felicitatis profectibus invidens id molichatur, Dei nutu cito repressus fuisse cognoscitur. Nam eodem momento, quo iter illud aggressus est, de equo, cui insedebat, corruit, coxaque illius eo casu confracta est, Domino beati viri merita in hoc quoque remunerante, ne a loco, quem ipse elegerat, auferretur, quem de ultimis Hiberniæ finibus ad salutem multorum Retiæ vel Germaniæ destinavit. Et vicini quidem exhibuerunt excubando suæ devotionis obsequia; Deus, vero cunctorum custos bonorum, ibi etiam ad coercendum raptorem vigilavit, ubi sollicitudo alternantium non affuit populorum, et hoc quidem egit, ut credimus, ne fideles populi thesauro, quem ferventibus studiis ambiebant, fraudarentur, et ne is, qui per maliciam hoc decus attingere voluit, suæ perversitatis potiretur effectu, præcipueque prævcavens, ne ablatis sancti viri Reliquiis monachorum catervas, quæ inibi laudibus Dei servituræ erant, deesse contingeret. Itaque comes correptus, et domum a famulis reportatus, per multa tempora nimiis doloribus est agitatus, ut intelligeret saltim ex pœna, quam superbe id cogitaverit, quod suis viribus effici potuisse credebat.

intercessione patrata

51 Quia igitur Domino custodiente pii pastoris corpus a devotarum septis ovium auferri non potuit, dignum fuit, ut miraculis fidem facientibus, virtus meritorum ejus ibidem cunctis manifeste claresceret. Quidam namque de vicino territorio, cum diuturna ægrotatione vexatus lecto decumberet, subrepente humore nocivo oculorum lumen auriumque sensum amisit. Deinde plantis pedum retortis ad nates tanta depressus est infirmitate, ut de solo pectusculo vitæ manerent fugacis indicia. Qui a suis ad monasterium vehiculo delatus, dum petentibus amicis in ecclesia B. Galli unius spacium noctis ducere permissus a custode fuisset, solusque ibidem pernoctaret, circa gallorum cantum in subito mentis excessu quatuor viros candidissimis indutos vestibus oratorium introire conspexit. Qui dum altari appropiantes diutissime dulci modulaminum alternatione concinerent, unus eorum, laudibus finitis ad lecticam, in qua clinicus decumbebat, accedens : quid, inquit, causæ est o homo, quod hic pernox tenebrarum transigis solus horrorem? Crede tantum, et ab hac infirmitate deinceps eris

A eris securus. Qui protinus surgens et omni debilitate summota egressus, ad suos sanus abscessit.

ad conservationem 52 Igitur Otmarus abba cum multis annis idem cœnobium strenue rexisset, possessiones ipsius loci religiosis * quibusque circumquaque degentibus ob amorem mercedis æternæ plurima suæ largitatis dona conferentibus in tantum amplificavit, ut infra paucos annos suppetente exterarum copia rerum, et vitæ ejus clarescente mundicia, multorum pater existeret monachorum. Comites vero quidam Warinus et Ruodhardus *r*, qui totius tunc Alamanniæ curam administrabant, cum infra ditionis suæ terminos ecclesiasticarum non minimam partem rerum suæ proprietatis dominio per potentiam subicere niterentur, maximam de ejusdem monasterii possessionibus partem sibimet vendicarunt. Nam tributa, quæ bonæ memoriæ Pipinus eisdem fratribus concesserat, abstulerunt, aliaque quam plurima, quæ ex donatione quorundam religiosorum eidem cœnobio fuerant contradita, suæ rapacitatis abstraxere protervia. Insuper etiam ipsum abbatem, cum pro hac re apud principem illos accusasset, vinculis injecerunt, et in quandam Reni fluminis insulam juxta locum, qui *s* Stain dicitur, in custodiam relegarunt, ubi cum aliquantum temporis sub artissima districtione mansisset, de carcere hujus vitæ ad lætitiam commigravit cœlestem, expletis non minus quadraginta regiminis sui annis, quo sancti illius loci statum et gloriam nobiliter amplificavit et auxit.

** Pertz omittit:* religiosis

r

s

eremi, 53 Hoc itaque ita rebus humanis subtracto, prædicti comites, sublatas sancti loci possessiones retinentes, *t* Johannem quendam monachum * de proximo monasterio in ejus locum subrogaverunt, ac deinde, ut suæ tyrannidis crimen augmentarent, Sidonium Constantiensis Ecclesiæ præsulem instigarunt, ut idem monasterium episcopii partibus subicere studeret. Et hoc idcirco fecerunt, ut eo licentius, ipso machinationibus eorum favente, ea, quæ injuste abstulerant, retinere potuissent. Pontifex igitur cum suasionibus eorum libenter præberet assensum, monasterium ingressus, fratres opprimere, et eundum locum episcopii rebus subicere molitus est. Porro fratres dum potentiæ illius resistere non auderent, maluerunt ejus ditioni parere, quam tot adversitatibus implicari. Sed sequentia probant, quam perverse egerit, qui per avaritiæ morbum sacri loci privilegium ausus est C violare.

* Augia divite *t*

quam 54 Fertur siquidem eundem episcopum aliquando ad iter hostile sibi de ipsius monasterii sumptibus viaticum præparari jussisse. Quod dum fratres prætermittere non auderent, ea quæ jussa fuerant navi imposita per quorundam manus fratrum ad episcopium transmiserunt : cumque, qui missi fuerant, navigare cœpissent, avis quædam, ut sæpe isti testati sunt, ante eos apparuit, et quasi ducatus eis officium esset præbitura, facili præibat volatu, et dum per totius lacus vastitatem ipsius incognito uterentur ducatu, prospero tandem successu ad portum venientes, quid hæc novæ ducis obsequia portenderent, mirabantur; illisque quam partem peteret diligenter notantibus, domum quandam littori contiguam, in qua res præfato itineri aptæ servabantur, intravit. Mirum dictu, mox eandem cellam flamma corripiens in altum prorupit, et omnia, quæ ibi cogesta fuerant, penitus consumpsit, ut nihil eorum omnino huic incendio superesset, fiebatque justo Dei judicio, ut qui aliena per potentiam rapuerat, suis per supernam justiciam fraudaretur.

55 Tempore quoque alio idem episcopus ad monasterium veniens, dum quadam violentia eundem locum episcopio subicere, suæque tyrannidi non consentientes monachos quasi justo rebelles injuriis multiformibus afficere temptavisset *u*, Tello quidam, Curiensis Ecclesiæ præsul, misit ad eum humiliter deprecans, ut sui amoris causa, quoniam eorundem fratrum aliqui consanguinitatis vinculo illi erant conjuncti, ab eorum cessaret injuriis, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem furore dictante superbe contemnens, remandavit se illius precibus nullo pacto consensurum, verum resistentibus sibi celerem pro contemptu illaturum vindictam. Et mox oratorium B. Galli Confessoris quasi oraturus ingreditur, et ante aram ipsius nomini consecratam consistit, quique ad salutem non merebatur audiri, afflictiones, quas aliis se irrogaturum juraverat, convenienti satis talione recepit. Nam intestina ejus more sartaginis igni superpositæ fervere cœperunt, et tam diræ viscerum tortiones illum invaserunt extemplo, ut sine aliorum adminiculo nequaquam egredi potuisset; sed, quod dicere pudet, egestio naturæ turpi impetu prorumpens cum astantes nimio fœtore gravaret, sine mora ab ecclesia ejectus, vehiculo, quo E decedere monasterio posset, sicut rogaverat, est impositus. Sicque immoderato fluore naturæ consuetudine carens, vasi in quod egesta defluerent supersedens, egressus est, et ad vicinum monasterium *v*, quod Augia nominatur, cui et tunc præerat, perductus est: ubi etiam ingravescente languore, tantum sibimet famulantibus ob nimium fœtorem intolerabilis factus est, ut ei jam pæne nullus obsequia impendere solito potuisset. Tali itaque pœna multatus, cum hoc factionum suarum præmio post aliquot dies de cloaca corporis spiritum exhalavit.

D *incoluerat.*

u

v

ANNOTATA.

a *Quæ adhuc edidimus, scripta sunt ab auctore Vitæ S.* Galli; *etenim librum secundum seu Miraculorum ejusdem manus esse, monstrat imprimis nexus inter utrumque librum, quoniam posterior incipit per verba :* Fama « nempe » aures multorum sublevans : *dein stylus quodammodo rythmicus idem est in utroque libro. Quæ vero hic ex editione Goldasti et Henr. Pertz subjicimus, auctorem habent Walafridum Strabonem, qui obiit anno* 849. *Videtur porro Walafridus scriptis aliorum elegantiam quamdam addidisse, magis quam e propria scripsisse scientia, ut ipse fatetur dicens :* Ad alios veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum et adunatio rationum. F

b *Gotzbertus, de quo hic sermo, diaconus erat et ex fratre nepos Gotzberti abbatis Sangallensis ab anno* 816 *ad* 837, *quo officium deposuit,* cum jam ætatis gravitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum. *Ratpertus in libro de Casibus S.* Galli *n.* 7 (*a*). *Erat Gotzbertus nepos* calvus et claudus ac eximius patronorum cultor, *ait Ildeph. von Arx* (*b*), quos ut honoraret, S. Galli miracula litteris consignavit, Vitam S. Otmari conscripsit, ac alpes Rhæticas transgressus, de Bobio Lombardiæ monasterio S. Columbani Reliquias attulit, e lacu Cumano in quem de navi prolapsus fuerat, feliciter emersus. Cum ejus patruus structuram novi templi moliretur, ipse delineationem templi ac universi monasterii per architectos regios sibi adumbrari obtinuit, ut hæc ichnographia, huc (*ad S.* Galli) anno 830 missa e palatio et Gozberto huic inscripta, fidem

(*a*) Pertz Monum. Germ., tom. II, p. 67. — (*b*) Ibid., p. 4.

A facit adhuc superstes. *Vide monasterii ectypon apud Mabillonium* (*a*) *et secundis curis accuratius editum a Ferd. Keller. Gotzberti opuscula non amplius supersunt, nisi quatenus a Walafrido interpolata. Quæ supra retulimus de Gotzberto, maxima ex parte desumpta sunt ex fragmento coævi, Ermenrici monachi Augiensis, de Grammatica* (*b*).

c *Per regularem vitam, intelligendum puto introductam fuisse a S. Othmaro regulam S. Benedicti : nam ad finem usque vitæ, S.* Gallum *sectatum fuisse regulam patris sui, S. Columbani, ad illamque etiam discipulos suos informasse, nimis manifestum est, quam ut probatione indigeat : cap. præc. annot.* t *monastici instituti apertissima vestigia indicavimus.*

d *Damno nobis est hic Walafridi scrupulus, quum omissis testibus, multa obscurentur antiquitatis documenta. Dubitandum non est hujusmodi latini sermonis sollicitudine periisse suam quandoque antiquorum narrationibus auctoritatem.*

e *Carolum Martellum hic indicat Walafridus, qui ab anno* 715 *ad* 741 *Austrasiam summa cum potestate gubernavit. Quod hic dicitur :* Quasi a temporibus Dagoberti regis usque ad Karolum, *non ita intelligi oportet, ut vox* quasi *significet* post obi-
B tum Dagoberti; *sed refertur ad* multa annorum curricula, *de quibus paulo superius egerat auctor.* Discipulatus memoria *confirmat, quæ supra annot.* c *de monastico instituto diximus.*

f *Varias donationes cellæ S.* Galli *ante S. Othmarum factas exhibet Codex Diplomaticus Alemanniæ a Trudp. Neugart editus.*

g *De Waltrammo, ejusque majoribus hæc habet Ratpert. Cas. S.* Galli *n.* 1 *et* 2 (*c*) : Religiosos etiam viros, qui eumdem Sanctum (*Gallum*) in sua susceperunt, ejusdemque heremi jus hereditarium illi potestativa manu (*vid.* Du Cange. *Glossar. v.* potestas) concesserunt, subternotare curavimus; quorum nomina hæc sunt : Willibertus videlicet presbyter, et Talto vir inlustris, Tagoberti scilicet regis Camararius et postea comes ejusdem pagi, a quibus idem Sanctus cum in corpore viveret, cum augmentatione hujus loci non parva, maxima veneratione habitus est. At postquam de corpore spiritum transmisit ad astra, a successoribus istorum locus iste ob amorem Sancti similiter augmentatus est usque ad tempora Caroli (*Martelli*). Taltonis vero filius fuit Thiotolt, cujus filius Pollo,
C Pollonis autem filius Waldpertus, qui genuit Waldrammum. Ipse viro Waldrammus locum istum in omnibus ob amorem S. Galli augere desiderans regularemque inibi vitam instituere cupiens, Otmarum sanctum virum a Victore, Rhætiæ Curiensis comite, impetravit, eique cellam præfatam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit, abbatemque constituit, ut in Vita ipsius plenissime continetur. *Inter cætera Waltrammi donaria citat Ekkehardus* IV, *in Casibus S.* Galli *n.* 1 (*d*), *montes cœnobio donatos, qui a Waltrammo nomen habebant, scilicet* Waltramsberg, *hodie* Rosenberg. *Extat quoque in Cod. Diplom. Alemann. ch.* LXXII, *charta Waldradæ, filiæ Theotuni, uxoris Waltrammi tribuni,* data anno undecimo regnante domno Carlo gloriosissimo rege (779). . . sub die quod fecit Feb. dies II. *Utrum hæc Waldrada uxor fuerit Waltrammi, de quo Ratpertus et Walafridus, dubium facit temporis spatium satis longum inter traditionem Sancto Othmaro circa an.* 720 *a Waltrammo factam et donationem loci* Rumanishorn (Romishorn *in Turgovia ad lacum Bodamicum*) *anno* 779 : *sed temporis intervallum tantum non est, ut eadem per-* D *sona esse non possit : dein potuit Waltrammus secundas nuptias celebrasse. Erravit porro Alban. Butler in Vita S. Othmari ad* XXVI *Novembris* (*e*), *quando Waldradam* filiam *facit Waltrammi, cum ipsa se filiam Theotuni comitis, uxorem vero Waltrammi profiteatur in charta donationis* (*f*).

h *Videtur Walafridus pugnare cum Ratperto citato : illic enim dicitur Taltonem* heremi jus hereditarium S. Gallo potestiva manu concessisse, *dum Walafridus dicit ad Waltrammum Taltonis atnepotem* possessionem termini vastæ solitudinis pertinuisse. *Uterque scriptor ita conciliandus est, ut dicamus Taltonem* precariam *S.* Gallo *eremum dedisse, Waltrammum vero* proprietatem *seu* dominium. Precarium *vocatur* quod utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit, *c.* 3 *de Precar.* (III. 14); *seu ut habet S. Isidorus l.* V *Orig. c.* 25 (*quem cito e Glossar.* Du Cange *ad h. v.*) : Precarium est, dum creditor rogatus permittit debitorem in possessione fundi sibi obligati, et ex eo fructus capere. Jus *vero* hereditarium *a Taltone concessum interpretor tempus utendi fruendi fuisse indefinitum, donec revocaretur : ita ut discipuli S.* Galli *succederent juri magistri :* potestivam manum, *de qua Ratpertus, definit Du* E *Cange v.* Potestas : Qui rem, cujus potestatem habet seu cujus dominus est, alteri concedit; (*addendum censerem definitioni*) *sive ut propriam, sive utendam fruendam. Tali ratione puto Walafridum et Rutpertum conciliari posse; imo et ipsum secum Ratpertum, qui dicit paulo infra,* monasterium adhuc hereditario jure in sua tenuisse potestate Waltrammum.

i Victor *de quo hic sermo, est ejusdem nominis* secundus, *cognomento* Illustris *propter factorum gloriam; floruit medio sæculo octavo* (*g*).

k Nebus *alias* Hnabus, *avus Hildegardis reginæ, conjugis Caroli Magni, pater Rotberti comitis, qui* V *Id.* (IX) *Augusti* 773 *tradidit S. Gallo villam* Auvvolvincam, *hodie* Aulfingen (*h*).

l *Hæc traditio Carolo Martello facta videtur juxta formulam Lindebrogianam n.* XLIX (*i*), *in qua dicit rex, quod veniens abba de monasterio suo* tam se quam et ipsum monasterium cum omnibus rebus suis *ad regem* plenius commendavit : et *ipse rex* postea : Gratante animo ipsum venerabilem abbatem cum ipso monasterio vel hominibus suis et omnes causas suas amabiliter sub nostro recepimus mundeburde vel defensione. *Totam transactionem* F *optime explicat Ratpertus in Casibus S.* Galli *n.* 2 (*k*) : Postea vero tempore procedente atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus Waldrammus eumdem abbatem Otmarum Pippino regi præsentavit, ipsique regi monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter abbate contradidit : ea videlicet causa, ut ipse abbas ejusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes, nullius deinde violentia premerentur, sed tantummodo regum jussionibus obedirent. Quod benivolus princeps benigne suscipiens, statim hujus causæ conscriptionem fieri præcepit; scilicet ut monachi ejusdem loci deinceps potestatem haberent abbatem eligere sibi, atque solis tantummodo regibus subjacerent. Quam conscriptionem suæ auctoritatis signaculo confirmavit, atque abbatem ipsum in sua remisit; qui idem monasterium per annos XL feliciter rexit, Waldrammo prædicto XX annis solatium illi præstante. *Ex hisce verbis videtur deduci posse Weltrammum circa annum Christi* 740 *diem supremum obiisse, quoniam quadragenarium*

(*a*) Annal. Ben., lib. XXXI, § XXXVII, t. II, p. 532.—(*b*) Mabill. Vet. Analect., p. 421. — (*c*) Pertz, t. II, p. 62. — (*d*) Ibid., p. 92. — (*e*) p. 93. Edit. Lovan. — (*f*) Neugart Cod. diplom., ch. LXXII, t. I, p. 67. — (*g*) Eichhorn Episcopat. Curiens. Cod. prob., p. 4, seq. et 222.— (*h*) Neugart Cod. diplom., ch. LIII, t. I. p, 52. —(*i*) Ap. D. Bouquet, t. IV, p. 551.—(*k*) Pertz, t. II, p. 62.

A *quadragenarium regimen Othmari die* XVI *Novembris anni* 759 *concluditur. Dolendum est documenta, de quibus Ratpertus agit, jam non superesse : fortassis lumen aliquod intricatissimæ quæstioni* de Advocatiis *affunderent.*

m *Anno* 747 *Carlomanus tonsus, abdicato principatu, habitum Benedictinum apud Cassinenses induit. Ejus elogium vide apud Erasmum Gattulam in Historia Cassinensi* (*a*) *et in Actis SS. ad* X *Februar.*

n *Hic videre licet, quanti fierent octavo sæculo libri, cum regula S. Benedicti manuscripta inter regia donaria præ cæteris indicetur. Erat tamen illo etiam sæculo magnificentia non minima in libris exarandis, ut fidem nobis facit S. Bonifacius in sua epistola* XIX (*b*) *ad Eadburgam abbatissam, quam ita rogat :* Mihi cum auro conscribas epistolas Domini mei Sancti Petri Apostoli, ad honorem et reverentiam sanctarum Scripturarum ante oculos carnalium, in prædicando. *Sic et in epistola* CXXVIII (*c*). *Cœna episcopus scribit S. Lullo non alia apud se exemplaria,* nisi picturis et litteris permolesta.

o *Litteræ Pippini jam perditæ erant anno* 828, *ut habemus e diplomate Ludovici Pii, quo dicit* (*d*) : Sed quia super hac concessione præceptum avi
B nostri Pippini regis conscriptum non habebant, jussimus Liuthario comiti hanc causam diligentius, si ita esset, inquirere. Qui juxta veritatis et æquitatis ordinem diligenter perscrutatum, renunciavit nobis : quia, sicut per illos pagenses, et veraces homines per sacramentum invenire potuit, ita esse verum, sicut superius conprehensum est. . . . . Hirminmars notarius ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi. Data pridie idus (XII) Februarias. Anno Christo propitio, XV imperii domni Hludowici imp. et Hlotharii sexto, indictione VI. Actum Aquisgrani palatio regio (*e*).

p *Exordium vitæ monasticæ hic, ut supra dixi annot.* c, *intelligendum est de initiis regulæ S. Benedicti apud Sangallenses.*

q *Dubitat Ildeph. von Arx in adnotationibus ad Walafridum in Monumentis Germaniæ, num ille Victor vere fuerit comes Rhætiæ, quia deficiunt chartæ antiquiores. Defectus chartarum tanti non est, ut dubiam reddere possit Walafridi vix sæculo antiquioris narrationem omnino limpidam. Adigi ad id facinus Victor poterat spe divitiarum, ob præsentiam corporis S.* Galli *affluentium.*

C r Warinus *comes erat Thurgoviæ, ut habemus e variis diplomatibus in Codice Diplomatico Allemanniæ ch.* XVIII, XXIV, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXV, XXXVII, XLII, LVIII, LXII, *seu ab anno* 754 *ad* 775 : *filium habuit Isanbardum, qui varia contulit monasterio S.* Galli *die* IV *kal. Junii* 806. *Ibidem ch.* CLX. Ruodhardus, *alias* Ruadhartus *comes occurrit in charta* XLVI, *Argengoviæ præerat, qui pagus confundendus non est cum Argovia* (*e*). *Videntur vero hi egisse, instigante Sidonio Constantiensi episcopo, qui jam Augiæ Divitis dominus, monasterium Sangallense conabatur* in potestatem episcopatus redigere, *ut narrat Ratpertus n.* 2 (*c*). *Discutit pluribus Martin. Gerbert* (*g*), *num Warinus et Ruthardus Gibellinæ et Guelficæ familiæ conditores fuerint.*

s Stain, *hodie* Werth, *quod antiqui insulam interpretabantur, Castellum est apud Schaphusium, uti etiam indicat mappa geographica tomo posteriori Gottwicensis Chronici præfixa. Apud Nostrates quoque vox* Steen *domum munitam designat, uti Gandavi* Gravensteen, *Palatium comitum.*

t *Johannes ante abbas Sangallensis, quam Constantiensis episcopus fuit : nam cum* I *Martii* 739 D
donatio adhuc in scripta fuisset Audomaro *sive Othmaro* (*h*), *sequens donatio Warini fit* Johanni Abbati (*i*), *qui dein ch.* XXVIII, *id est,* XX *Augusti* 760 *vocatur* episcopus cum suis monachis ibidem (*ad S.* Galli) consistentibus. *Sidonius obierat* IV *Non.* (II) *Junii ejusdem anni* (*k*).

u *Tello episcopus Curiensis sedit ab* 758 *ad* 773 (*l*).

v *Antilogiam inter Hermannum Contractum et Walafridum putat invenire Trudp. Neugart* (*m*), *quia quem Augiæ defunctum scribit Walafridus, eumdem Hermannus in suo Chronico ad an.* 760 *ante altare S.* Galli *obiisse dicit* (*n*). *En verba :* Cujus (*Othmari*) abbatiam cum Sidonius episcopus et abbas (*Augiensis*) temerario ausu invasisset, ante altare S. Galli profluvio ventris percussus interiit. *Posset Hermannus excusari ex eo, quod vere ante altare S.* Galli *percussus ad mortem fuerit Sidonius : sed cespitat quoque dicens Johannem eidem in* utroque *monasterio* successisse.

CAPUT III. Continuantur miracula S. Galli. E

AUCTORE WALAFR.

Miraculum in sagina porcorum,

D Peracta superioribus sententiis relatione, qua nos satis vere comprehendisse credimus, quomodo sacer locus per merita B. Galli diffamatus et possessionibus dil atatus, nec non quibus sit malivolorum quorundam molitionibus impetitus, et quæ quosdam humiliaverit ultio : nunc replicandum esse censemus, quanta beatus vir præsidia sibimet famulantibus ad res suas custodiendas vel defendendas accomodet, quaque auctoritate se postulantibus et de se præsumentibus multiformi genere virtutum succurrat, Domino meritorum ejus magnitudinem signorum assiduitate mortalibus declarante. Quodam tempore dum sterilitas terræ fructus arborum non solum porcis, sed etiam silvestribus feris vel
* animalibus denegaret, ita ut in proximi heremi pastibus nusquam sagina posset inveniri, qua sues qui in *a* usus monasterii nutriebantur, pasci potuissent, occulto quodam * impulso grex suillus per silvarum avia celeri cursu cœpit abscedere, transvadatoque Reni fluminis alveo, remotioris heremi secreta F
penetravit. Subulcus autem, subitam sui pecoris fugam miratus, e vestigio insequitur, et gregem quem pessum ire putabat repperit copiosissimis pascuis immorantem. Cumque viam redeundi nesciret, mansit ibi fructibus arborum et carnibus victitans, donec grex totus affatim carnibus gravaretur obesis. Itaque domum redire cupiens, cœpit anxie cogitare, quo ingenio ignotum iter aggredi potuisset. Nocte igitur quadam vidit in somnio senem quendam reverendi habitus et vultus canicie venerabilem, dicentem sibi : quia, ut video, porci quos sequeris ubertim sunt saginati, jam redire parato. Qui dum responderet, se viam nescire, dixit illi : Scrofam quam totus grex quasi ductricem sequi solet, cædito, et quocunque illa præcesserit, tendito gressum. Quod dum ille faceret et præeuntem diligenter sequeretur, sine errore ad monasterium, cunctis aliud suspicantibus, ex inopinato pervenit. Qua in re quid aliud quam B. Galli me-

* *al.* animantibus

a

* impulsu

(*a*) T. I, p. 22. — (*b*) Würdtwein, p. 48. Serrar., ep. XXVIII. — (*c*) Ibid., p. 315. Serr. XCIX.—(*d*) Neug. Cod. diplom., ch. CCXXXIV, tom. I, p. 196. — (*e*) Cfr Chron. Gottwic., tom. II, p. 547 et 549. — (*f*) Pertz, tom. II, p. 63. — (*g*) Hist. Nigr. Silv., t. I, p. 63. — (*h*) Neug. Cod. diplom., ch. XXIV, t. I, p. 29. — (*i*) Ibid., ch. XXV. — (*k*) Neugart. Episc. Const., p. 78. — (*l*) Eichh. Episc. Cur., p. 24. — (*m*) Episc. Const.. p. 78. — (*n*) Ussermann. Germ. Sacr. Prodrom., p. 122.

rita

AUCTORE WALAFR.

rita claruerunt, dum ad usus sibi famulantium ignotum animantibus pastum ostendit, et ea rursus mirabili ordine ad propria revocavit?

A

in supplicio incendiarii,

57 Frater quidam ejusdem monasterii possessiones quasdam sub cura habens, in quodam remotiori loco ob nutrimenta pecorum stabula construxit, et illic quam plurimum fœni recondidit. Duo itaque homines diabolica instigati persuasione, eadem repositoria cum omnibus, quæ inibi congesta erant, noctu igni apposito succenderunt. Sed dum jam pæne toto anno hujus auctores facti laterent, unus eorum, arreptus dæmonio, cœpit per vicina discurrere loca, publice proclamans : Stabula pecorum B. Galli succendi, et ideo versa vice ab ipso invisibiliter incendor. Cum itaque divinum in eo continuatum judicium patesceret, pluresque importunis ejus clamoribus concitati per loca singula ad hoc miserabile spectaculum convenirent, rogavit omnes, ut ejus incendia restinguerent. Illis autem certatim in eum aquam mittentibus, pœna divinitus illata humanis viribus extingui non potuit. Non paucis deinde diebus exactis in hoc miserabili genere tormentorum, insanus vitam finivit. Alter vero cum sui sceleris socium tali cruciatu vidisset

B

damnatum, ad *b* præpositum supra dictum venit, ultroque divinum perhorrescens judicium, delictum confessus est, duosque boves pro debito obtulit ac se voto constrinxit, quod deinceps nunquam rebus S. Galli damnum inferret. Frater autem idem pœnitudinem ejus agnoscens, boves non suscepit, sed abire eum cum suis ad sua permisit.

b

furis

58 In possessione quadam ejusdem monasterii quædam silvula ob porcorum pastum custodiebatur, ne passim a multis consumeretur incisa. Hanc pauper quidam occulte solebat adire, et furtim multa inibi præcidendo grande damnum inferre. Itaque die quadam cum juxta morem suum latenter intraret et pauca succideret arbusta, gladius quem tenebat tam valide manu ejus adhæsit, ut illum deponere nullatenus potuisset. Agnoscens igitur, cujus rei causa multatus sit, ad basilicam *c* in honore B. Galli constructam festinavit, diuque in orationibus decumbens, manu resoluta, gladium ante altare dimisit. Egressus vero cogitare cœpit nihil obesse, si ligna quæ præciderat domum deferret, non autem prodesse si putrefacta perirent. Subjunctis ergo bobus carpento, ad silvam remeat, et præcisa in unum comportat, quæ cum vehiculo

c

C

vellet imponere, dolore quodam prævalido ceu stimulis urgeretur, in posterioribus attractus est. Quo cum sine mora manum protenderet, gladium quem coram altari dimiserat fortuito recepit; digitis autem manubrium constringens detestabile munus tam valide retinuit, ut articulorum juncturæ invicem laxari putarentur. Tum miser dolore compulsus ad ecclesiam recurrit, ibique prostratus veniam pro commisso et absolutionem manus deposcit. Cumque diu in oratione persisteret, et gladium nequaquam dimittere potuisset, juramento tandem ac voto promisit, nunquam deinceps se damnum B. Galli rebus illaturum. Mox manus aperta gladium deposuit, qui ob testimonium miraculi in eodem loco suspensus, multo tempore ibi permansit, invasoribus Ecclesiasticarum rerum grande timoris pondus incutiens.

et perjuri.

59 Frumoldus quidam nomine de possessione quadam ejusdem monasterii ancillas duas vi abstulit et suæ servituti subjecit. Is ab advocato pro eisdem fœminis sæpius interpellatus, tandem censura judicum coactus est, ut eas vel monasterio

d

redderet, *d* vel suo juri cum sacramento in altari B. Galli peracto firmaret. Itaque avaritia impellente, juramentum parvipendens, monasterium cum suis adiit, et ut dijudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu Sancti Dei ultio cum festina prævenit. Nam juramento expleto, ad propria iturus, basilicam egressus est, jumentoque adducto cum super illud saliendo vellet ascendere, mente captus faciem suam ad posteriora equi insidendo convertit. Æstimans itaque id per famulorum contigisse neglectum, iratus resiliit, et caballum regirari citius jussit. Cumque secunda ac tertia vice ascendere cupiens pari luderetur errore, tandem clientium adminiculo equo superpositus, monasterio cum rubore discessit. Non longe autem inde positum subito eum dirus oculorum dolor invasit, ac deinde per momenta singula decrescente visu, cæcitatis horrore damnatum materiali funditus luce privavit.

D

Vir a nece liberatus.

60 Invocatus etiam venerabilis Gallus quam promptum impendat auxilium, sequenti liquebit exemplo. Quidam vir dum per silvam quandam iter ageret, ac circumspecte incursus latronum, qui in ea solebant commorari multisque nocere, festinando devitare conaretur, tantus eum subito sopor invasit, ut vix incedere potuisset : cumque periculi metu suspectos haberet itineris casus, et dormiendi causa paulisper divertere vellet, rusticum quendam obvium habuit, eumque rogare cœpit, ut interim

E

custos sui existeret, donec importunitatem somni parumper quiescendo depelleret. At ille pacem simulans, fidem spopondit. Itaque modicum divertens pallium capiti supponit, et se prosternens Beati viri suffragia his verbis implorat : S. Galle tua me protectione custodi. Signaculo crucis deinde munitus cum obdormisset, infidus custos sponsionis immemor, sumptis armis, soporatum quasi perempturus aggreditur, de collo vestem subtrahit quo facilius uno ictu perimat dormientem. Sed cum gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore stupefactis inflecti brachia nequiverunt. Interea dormienti quidam astitit et in somno dixit : Quid somno deprimeris, quem ab imminenti interfectione modo tutatus sum? At ille evigilans et * fidelem socium nudato gladio cernens capiti imminere, exilit et comprehensum, qua pro causa hoc scelus vellet admittere, percontatur. Qui cum pro spoliis ipsius accipiendis se id facere voluisse fateretur, continuo brachia, quæ divina obriguerant jussione, deposuit. Perpendens itaque alter se divina misericordia per merita B. Galli a nece servatum, pacem cum illo fecit et illæsum abire permisit.

* infidelem

F

Puella a dæmone liberata.

61 Præterea tam multi a furore dæmonum per ejusdem sancti patris merita sunt liberati, ut si omnium curationem commemorare velimus, fastidiosis lectoribus occasionem murmurandi tribuamus. Unum ergo e pluribus replicamus, ne hoc virtutum genus viro sancto defuisse putetur. Puella quædam, sævissima hostis antiqui vexatione detenta et non ignobilium labore parentum ad monasterium perducta, cum oratorium B. Galli Confessoris intrasset, statim horribili dæmonis infestatione agitata ad terram concidit, et miserabiliter se discerpens, horrendo clamore spurcissima verba cœpit effundere. Qua causa unus e fratribus, Stephanus nomine, miseriæ illius compassus, tamdiu super eam exorcismum recitavit, quo ad usque eadem vexatio finiretur. Resipiscenti autem puellæ *e* modos pœnitentiæ indixit, seseque pro illa in orationibus ac jejuniis exercere cœpit. At misera fœmina, ut de prohibitis escis quidlibet usurpavit, tam acriter eam continuo dæmon invasit, ut vix a multis teneri potuisset. Cumque identidem ad eundem locum perducta esset, et *f* Stephanus supradictus iterato super eam exorcismum recitasset, animal parvulum in modum bruchi nigerrimum

e

f

ab

A ab ejus ore prolapsum est. Hoc viso, cum idem frater attentius adjurationi insisteret, tribus vicibus singulorum similitudo bruchorum ore excidit fœminæ. Quæ animalia dum astantes manu capere niterentur, subito disparuerunt. Puella autem eadem hora surrexit incolumis, et reliquum vitæ suæ tempus absque ulla demonis infestatione transegit.

Oleum prodigiosum.

62 Illud quoque libet ostendere evidenti miraculo, quomodo vir sanctus quosdam in servitio suo de penuria rerum trepidantes corripuerit, et modicæ fidei pusillanimitatem confortarit. Ecclesiæ ejus custos dum quodam tempore olei copiam ad luminaria instruenda non haberet, lumen quod in crypta omnibus ardere noctibus solebat, quadam nocte extinxit, quia lumen, quod ante superius altare et tumbam ardebat, per quandam fenestram radios suos ad altare infra cryptam positum dirigebat, et sufficere utrique loco credebatur. In eadem autem lampade vitrea, quam extinctam a custode retulimus, aqua inferius et olei pinguedo desuper erat. Mirabilem rem dicturus sum : ita totum oleum per rimam in fundo repertam guttatim ad terram defluxit, ut nil aquæ deesse videretur : idemque liquor per terram usque ad altare decurrens, pallam ejus lineam
B ascendendo occupavit, et ita usque ad medietatem infecit, ut nunquam deinceps ablui potuisset. In quo quid potissimum mirer, invenire non potero : utrumne quod oleum subtus aquam depressum est, an quod aqua per eandem fracturam non defluxit, vel certe quod oleum de pavimento in pallam sursum ascendit? In quibus tamen omnibus et virtutem sancti viri ostensam et stultam parcitatem * non ambigo.

* addit Pertz : *ministri increpatam*

Fugitivus reductus.

63 Sileri non debet, qua virtute servitium suum dimittentes et fraudolenter abscedentes beatus pater reprimat, et vel lapsos revocet, vel pertinaces in malo feriat. Frater quidam de eodem monasterio fugam molitus, equum furto rapuit et per noctem abscessit. Cumque ad Reni fluenta * fugax venisset, transvadare in equo temptavit, et a medio alvei nescius ad locum ubi intravit, caballo deferente, reversus cum magna festinatione ad monasterium rediit, putans se in alias longe partes abscedere. Mane facto, cum se recognovisset frustra laborasse, confusus interdiu delituit : noctu vero fugam arripiens, in fluvio sicut prius salubriter errorem passus est, et * strofa facta, per eandem viam nesciens remeavit. Confusioni igitur obstinationem jungens,
C ipsa etiam se occuluit die, et nocte insecuta tertio notum iter carpens, modo quo diximus itidem revocatur. Cumque jam tædio victus se die tertio sopori in campo dedisset, a quibusdam equum cognoscentibus captus est et loco suo restitutus, et quia effectum voluntatis suæ non invenit etiam nolens, sancti viri virtute victus, ad viam pervenit. Solent autem plures testari, cunctos, qui de familia ipsius Sancti aufugerint, aut emendationem quantocius subire, aut manifestæ ultioni debere succumbere, neque cuiquam impune cedere, qui fidem illi plenam servare contempserit.

* *al.* fluvium

* circuitu facta

A fulmine cæcus sanatur.

64 Quod Dominus flagello suo quosdam a peccatis coerceat et pro commissis affligat, testis est paralyticus, cui ante sanationem Salvator peccata dimittit; sic autem aliquando percutit, ut eos Sanctorum suorum meritis suffragantibus sanitati restituat, ut et divinæ operationis sit indicium, cum interius homo per flagellum a peccato compescitur, et virtus Sanctorum liquido comprobetur, cum pro illorum meritis exterius sanitas exhibetur. Fit etiam interdum, ut qui Dei occulto judicio non uni, sed pluribus infirmitatibus subjacet, non pariter omnia, sed diversis temporibus et intercessoribus debilitatis amittat incommoda, ut dum alicujus remedium mali per unius merita Sancti conceditur, D redintegratio sanitatis alterius precibus et honori servetur. Quarum omnium rerum evidens indicium dabit subjecta narratio. Quidam violentia fulminis ictus post ægrotationem diuturnam ita totius formam corporis et membrorum officia perdidit, ut monstruosum quiddam potius quam hominem videretur exprimere : si quidem et statura flebili contractione deposita, et gradiendi facultas ablata est. Facies vero tanta combustionis est fœditate corrupta, et oculorum sedes ita sunt carne et cute superductis complanatæ, ut inspicientibus horribile ingereretur miraculum. Adminiculo igitur parentum Romam perductus corporis quidem reliqui resolutis nexibus pristinum vigorem recepit et statum, in cæcitatis autem squalore permansit. Is a suis reductus, cum ad cœnobium B. Galli venisset et *g* quadam Dominica nocturnis *g*
laudibus interesset, sopore depressus, quasi duas ardentes sagittas ab altari vidit emissas et sibi in oculorum loca defixas, statimque tanta visione perterritus exclamavit, et tremens ad terram concidit. Cumque diu in pavimento volutaretur, cute quæ oculis supercrevit velut gladii sectione recisa, E continuo de luminis amissi restitutione gavisus est. Tempore deinde procedente oculorum ejus acies tam pura inspectantibus apparuit, ut pueri perspicaces vincere videretur obtutus. Potuit quidem, ut indubitanter credimus, ille Apostolorum eximius, cui a Domino ligandi atque solvendi potestas collata est, meritis et precibus suis omni eum debilitatis genere liberare, sed divinæ providentia virtutis constat actitatum, ut in ejusdem novitate miraculi venerabilis Gallus apostolicis actibus æquaretur, quatenus hoc quoque modo meritorum ejus magnitudo claresceret universis.

AUCTORE WALAFR.

Surdus curatus, furtum indicatum.

65 In sequenti quoque Dominica surdus quidam et mutus, multorum ibi fratrum cognitioni notissimus, utpote qui idem monasterium solitus fuerat frequentare, cum nocturnis interesset excubiis, repente impulsu valido in pavimentum dejectus est, statimque cum ab ejus ore et auribus plurimus sanguis prorumperet, sine mora utriusque membri munia recepit, et sanus abscessit. Videtur huic operi inserendum, quantum Dei famulus invigilet ad eorum res defendendas, cum ejus suffragia devote postulare contendunt. Puer quidam, qui postmodum, corpori ejusdem congregationis in- F
sertus, hæc eadem attestari solebat, cum adhuc primævæ ætatis flore gaudens inter scholasticos monasterii cujusdam Dominicæ noctis sollemniis interesset, quidam e vicino territorio mansionem ejus irrupit, ipsiusque codicem et quæcumque inibi reperire poterat furatus abscessit. Puer de basilica regressus, damnum quod illatum est largo fletu perdoluit. Porro fratri ipsius, foras monasterium posito, senex quidam eadem nocte vultu placido in somniis assistens, cuncta quæ erga puerulum acta fuerant, indicavit, nomen etiam furis locumque ubi commoraretur edixit, tempus pariter ejusdem furti depromens. Ille fidem visioni accommodans, monasterium regressus, quod in somniis audierat factum invenit, moxque indicia, quæ perceperat, secutus absque difficultate furem deprehendit, et omnia quæ ablata fuerunt recepit. Alio quoque tempore sanctimonialis quædam de episcopio Constantiensi, cujus brachia ad mamillas cum rigore contorta ad nullius operis usum deflecti poterant, cum advenisset et ante sepulchrum S. Galli aliquantisper orasset, sanitatem indepta, gaudens abscessit.

A

ANNOTATA.

a *Quamvis sues hic nutriri dicantur in usus monasterii, non tamen inde concludere licet permissum fuisse monachis esum carnium, qui solis infirmis concedebatur* (*a*). *Carnes suillæ ad usum monasterii ita deputatæ intelligantur, ut famulis, opificibus et agricolis appositæ fuerint.*

b Præpositi *dicebantur, qui villarum et redituum curam habebant, quique proin excurrendo negotiis sibi commissis invigilare debebant : quandoque ob præpositorum commodum habitatio condebatur, quæ lapsu temporis cœnobii cujusdam inferioris formam obtinebat.*

c *Hic non videtur intelligenda basilica juxta monasterium S.* Galli, *sed ecclesia quædam sub invocatione ejusdem Sancti dedicata, et sita* in possessione quadam monasterii : *id enim innuunt frequentes itus et reditus ad dictam ecclesiam.*

d *Alluditur hoc loco ad legem Alamannorum tit.* VII (*b*) : Si negare (*furtum*) voluerit, secundum qualitatem pecuniæ ita juret cum suis sacramentalibus (*conjuratoribus*) in ipso altari, cui res furB tivas abstulit, coram sacerdote vel ministro ejus, quem pastor ecclesiæ jusserit audire sacramentum. *In præcedenti autem titulo solemnitas jurisjurandi hujusmodi ita describitur :* Ista sacramenta debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam (*Reliquiarum*) ponant, et ille solus. cui causa requiritur verba tantum dicat, et super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet vel illæ Reliquiæ ad illas manus quas comprehensas habet, ut de illa causa, unde interpellatus est, culpabilis non sit. *Secundum numerum conjuratorum dicebatur cum* tertia, septima, duodecima manu *jurare.*

e *Moris erat pœnitentias corporales energumenis imponere, ut docet nos Edmund.* Martene *lib.* III, *cap.* IX (*c*); *ubi reperitur rubrica :* de jejunio dæmoniacis imponendo, *quæ concluditur his verbis :* Et si firmiter istud jejunium cum oratione et pura confessione (*confessio sacramentalis ante omnem exorcismum præscribebatur* (*d*)), servaverit; credimus de misericordia Dei et vere confidimus, quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente, liberabitur. *Energumenis liber non concedebatur accessus ad sacra, sed statis solum temporibus, ut* C *docent nos* Responsa canonica *Timothei Alexandrini episcopi* (*e*) : Si quis, cum sit fidelis, a dæmone corripiatur, debetne esse sanctorum mysteriorum particeps, an non? Responsio. Si mysterium non enunciat (*pertinet ad disciplinam arcani*), nec ullo alio modo blasphemet, sit particeps : sed non singulis diebus : sufficit enim si statis solum temporibus. *Videntur aliqui jam sæculo* VII *simulasse se energumenos, ut tradit Concilium Trullanum anno* 692 *celebratum; quare vult ut puniantur can.* LX (*f*) : Eos ergo, qui se dæmone correptos esse simulant, et morum improbitate eorum figuram et habitum simulate præ se ferunt, visum omnimodo puniri : et talibus afflictionibus et laboribus eos subjici oportere, quibus ii, qui vere a dæmone correpti sunt, ut a dæmonis operatione liberentur, jure subjiciuntur.

f *Stephani nomen occurrit in charta anni* 761. *Cod. Dipl. Alem. ch.* XXIII.

g *Consueverant illa tempestate fideles, maxime Dominicis festisque diebus, officiis etiam nocturnis interesse.*

(*a*) Cfr Mabillon Ann. Ben., lib. III, § VIII, tom. I, p. 52. — (*b*) p. 366. Edit. Lindebrog. — (*c*) T. II, p. 354. Edit. Venet —

D

CAP. IV. Alia miracula.

AUCTORE WALAFR.

Furtum indicatum.

Quidam non simplici, ut postmodum claruit, animo adveniens, dum quosdam monasterii operarios a diurno agricolandi labore disjungentes ferramenta in aratris per noctem dimisisse perspiceret, tempus tenebrosum fraudibus suis oportunum ratus, tot ferramenta sustulit, quot oneri sufficere proprio credidit. Cumque fugam celerans, tota nocte vacuo laboraret conatu, in ipso lucis exortu ad portam monasterii ex improviso pervenit, et quia factum latere non potuisse cognovit, confessione spontanea patefecit, quod præsumptione pestifera in rebus S. Galli diabolo suadente commisit. Sicque reddens quod auferre molitus est, petita venia, vacuus repedavit.

Debilis sanatus.

67 Debilis quidam ita membris omnibus contractus, ut nullo pacto per se quoquam progredi potuisset, ad memoriam B. Galli a suis perlatus et cottidie juxta sepulchrum *a* in crypta collocatus, dum usque ad vesperam ibidem orationibus insisteret, ab eisdem ad hospitium reportabatur. Quod dum aliquot ageretur diebus, presbyter quidam E ejusdem congregationis die quadam in ipsa ecclesia non longe sacris oblationibus operam dedit, subitoque præter illos cum nullus adesset æger, cœlitus per merita, ut credimus, S. Galli, cujus suffragia sedulo flagitabat, visitatus, confusa horribiliter cœpit voce perstrepere, ita ut idem sacerdos inter sacra Missarum sollemnia, sicut sæpius testari solitus erat, non minimo quateretur terrore et metu. Cumque circumspiciens oculis cuncta lustrasset, et per alicujus præsentiam magnitudinem timoris desideraret evincere, membris miseri ad statum suum redeuntibus, crepitum quasi virgarum in ariditate fractarum audivit, et huc illucque se præ angustia vertens, post paulolum cum qui debilis fuerat, sanum de crypta prodire conspexit, cui etiam tanta mox sanitatis accessit perfectio, ut sine infirmitatis obstaculo optato deinceps potiretur incessu.

a

A fastidio alter.

68 In eadem Alamannorum provincia quidam dives tantum valetudine contraria tabefactus est, ut pæne per annum integrum fastidio laborans deficeret, et solatia alimentorum, ut sanitatis recuperatio poscere videbatur, percipere vel continere non F potuisset. Is ad cœnobium B. Galli pro hac eadem causa perductus est. Post diuturnas igitur preces et suspiria cum sacræ oblationis consummaretur officium, *b* benedictionis panem de manu sacerdotis accepit. Quo comesto caruit fastidio, et desiderio victualium congrue percepto, benedicens Domino et merita S. Galli miratus, sanus cum gaudio ad propria remeavit.

b

Alter a vinculis liberatus.

69 Pauperculus quidam presbyter, propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo quam in utroque constrictus brachio, quam gravibus cottidie suppliciis afficeretur, per sulcos quos ferrum carnibus ejus inflixerat, videntibus fidem fecit. Qui cum multa Sanctorum loca pro ejusdem cruciatus remedio et admissi sceleris abolitione lustrasset, divina tandem miseratione respectus, nexus quibus in collo vel uno brachio stringebatur amittere meruit, et cum forte in vicinia cœnobii S. Galli venisset, per visionem ei (sicut, referre solitus erat) præceptum est, ut sancti viri patrocinia quærens monasterium adiret, pariterque indicatum, quod ibidem circulum quem uno adhuc

c

(*d*) Ibid., p. 349. — (*e*) Labbe, t. II Conc. col. 1791. — (*f*) Ibid., t. VI col. 1169.

ferebat

A ferebat in brachio, amissurus et optatæ gratiam sanitatis esset adepturus. At ille desiderio promissæ salutis ardescens, utpote qui tanto tenebatur cruciatu, ut totum jam brachium ferro immerso * esset conversum, iter ad monasterium maturavit. Cumque nocturnis ibidem vigiliis interesset, alto sopore depressus senem assistere videt canicie venerandum, casula indutum sibique dicentem : Quid tu ô homo cæteris laudem Domini celebrantibus somni torpore deprimeris? cujus præsentia perterritus cum responsum reddere non auderet, baculo senex, quem manu gestabat, locum ei vulneris tetigit. Dissiliente itaque longius ferro, præ dolore, quem ex attactu persensit, horrendis vocibus astantes perterruit. Quibus percontantibus, qua pro causa psallentes inquietaret, cuncta per ordinem quæ videbat retexuit. Et licet recenti adhuc vulnere non careret, pro amissione tamen ferri, cujus nexibus cruentabatur, quia sanitas in promptu erat, gaudio replebatur ingenti.

* Pertz recte addit : *in tumorem*

Miraculum in lampade. *d*

70 Alio quoque tempore frater quidam, qui in eadem Ecclesia custodis fungebatur officio, cum *d* farum, quæ ante altare S. Galli pendebat, pro B incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuisset, * incaute funem, quo ipsa farus dependebat retraxit, qui statim e manu dilapsus paxillum cui insertus erat de pariete extraxit. Cumque eadem farus sub nimia celeritate solo appropiasset, repente substitit, et absque ullo humanæ retinaculo artis in aera suspensa remansit. Custos igitur miraculi stupore perculsus, allato igni lampades omnes accendit, et plurimis hoc factum cernentibus, absque pinguedinis effusione seu diminutione lucernarum altius ipsam farum quam pendere solebat retraxit. Deo itaque laudes a cunctis, gratiæ referuntur ab omnibus, qui ad declaranda patris eximii merita stupendi novitate miraculi lumen sanctis aptatum usibus vel ad horam loco venerabili deesse non passus est. Idem frater dum alio tempore lucernas vitreas in eadem lavaret ecclesia, alius quidam ibi incaute deambulans cum se alio repente vertisset, quasdam juxtapositas veste attactas pavimento dejecit, ita ut violento ejusdem dejectionis impulsu usque in ecclesiæ cancellos ferrentur; sed miro divinæ operationis modo absque læsione repertæ, suis continuo non sine admiratione restitutæ sunt locis.

* Addit Pertz: *ibi*

Medicus. *c*

71 Frater quidam ejusdem congregationis, medicinali scientia *e* non ignobiliter instructus, dum C quodam tempore incidi flebotomo venam fecisset, et præpropera festinatione post modicum quippiam operis incaute faceret, statim non solum brachium, cujus venam incisio vulneraverat, verum etiam totum corpus ejus distensum est tumore. Qua ex causa accidit, ut mortem suspectam habere cœpisset, quippe quia viderat suæ sibi artis industriam studiosius adhibitam nihil prodesse. Sequenti itaque nocte vidit in somnio placidæ gravitatis senem sibimet assistere, causas infirmitatis blandis inquirentem sermonibus. Cumque interroganti totius ex ordine rei replicaret eventum, senex dixit ad eum : « Memento, fili, ut luce terris reddita, oleo » quod in crypta ante altare consuevit ardere, » vulneris locum perungas : nam continuo sanitatem recipies. » Itaque facto mane, quod in somnio audierat, custodi ecclesiæ retulit, pariterque cum illo basilicam ingressus, ut edoctus fuerat, certus de promissione peregit : nec mora, sacro perunctus liquore, toto corpore detumuit et integerrimam assecutus est sanitatem.

cæca et scholasticus sanati.

72 Mulier quædam unicam filiam ab ipsa, ut ipsa referebat, cæcam nativitate propriis humeris monasterio advexit *; eamque ante altare S. Galli deponens, solo prostrata pro illa diutius incubuit. Illaque orante devotius, subito puella huc illucque in pavimento volutata miserabiliter exclamat, et inter D angustias ac gemitus optato visu donata, gratissimum omnibus, qui aderant, præbet signi perspicuitate spectaculum. In eodem monasterio inter scholasticos tunc temporis erat quidam puerulus, pauperculis licet parentibus oriundus, studio tamen discendi satis intentus. Cumque immatura morte utriusque parentis solatio nudaretur, quamvis cottidianum victum suis laboribus assidue quæritaret, nequaquam tamen boni studii, etiam necessitate compellente, instantiam dereliquit. Is lateris quodam dolore percussus, usque adeo gravi per longa temporum spacia infirmitate contabuit, ut in uno latere ab humero videlicet usque ad extremam corporis partem, ulcera saniem emittentia paterent quam plurima. Qua infirmitate in tantum gravatus est, ut jam vix sine aliorum adminiculo quoquam gressum movere potuisset. Sed cum corporale medicamentum quamvis sæpissime adhibitum nihil illi prodesset, et jam jamque desperaretur a cunctis, custos ecclesiæ in festivitate B. Galli cineres de sarcofago illius collegit, et oleum quod ante ipsum E altare ardebat admiscuit, adductique corpus pueri ea parte perunxit, quam dolor possederat. Qui die altera, ulceribus jam superductis, sanus inventus, ob memoriam redditæ sibi sanitatis reliquum vitæ tempus in ejusdem sancti loci excubiis fideli devotione transegit.

* Pertz : *adduxit*

Fur punitus.

73 Post aliquantum temporis puella quædam jam multos per annos manus aridæ et curvatæ pondus ferens inutile, ad monasterium cum matre pervenit. Cumque pio voto manui torpenti globulum lini superponens, ad altare sancti confessoris accederet, et impositura quod attulit, continuo manus ipsa restituta est sanitati. Tempore vero alio rusticus quidam in eadem beati patris basilica ceræ particulam suis aptandam usibus ab altari occulte diripuit. Inde regressus ad hospitium, dum de sinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiam lapidis conversam invenit, continuoque recurrens ad ecclesiam loco suo quod abstulerat restituit, et astantibus suam salubriter confessus proterviam, quod factum fuerat indicavit. Qui rei novitate stupefacti dum inter admirationem eandem particulam certius rem cognituri tollerent ab altari, mirum dictu, in pristinam suæ naturæ F molliciem reperere mutatam.

Mutus,

74 Juvenis quidam pauperculus orationis causa monasterium adiens, fratrem suum jam dudum amissæ vocis dispendia deplorantem secum adduxit. Cumque altari S. Galli appropinquasset, presbyterum quendam inibi sacrosancta tractantem mysteria conspexit, et consummationem sacræ actionis opperiens, ejusdem sacerdotis ab officio redeuntis genibus advolvitur, et ut pro misero dignaretur aliquas fundere preces ad Dominum, instanter exorat. Et ille hujusmodi desiderio satisfaciens primo orationem pro misero fecit : deinde crucis eum munivit signaculo, ac sic Dominici corporis et sanguinis sacramento firmavit. Quo facto resolutis linguæ vinculis, qui mutus advenerat, pristinæ locutionis recepit officia.

contractus,

75 Puerum quendam membris omnibus ita contractum, ut per se nullatenus quoquam progredi potuisset, non longe in itinere quod monasterium ducit, hi, qui eum ferre solebant, solum dimiserunt. * Armamentarius autem quidam per eandem viam de silva monasterium tendens, dum jacentem miserum conspexisset, ait ad eum : Quomodo et unde,

* armentarius

AUCTORE WALAFR.

unde, o flebilis, advenisti, quove securitatis genere in hoc solitudinis horrore non timuisti remanere? quo itaque venire desiderasti? Et ille : Pro his, inquit, calamitatibus, quarum me numerositate septum vides, ad B. Galli patrocinia multo jam ex tempore pervenire cupiveram. Sed ecce hi, quorum me labore illuc deferri sperabam, modo viæ longitudine fatigati, me miserum in hac solitudine reliquerunt fame cruciandum et bestiis lacerandum. His ille quæstibus per compassionem ad misericordiam flexus, puerum humeris impositum per unum miliarium ad monasterium portat. Quem deinde frater, cui suscipiendorum pauperum cura commissa est, assumens, congrua mansione refovit. Nocte itaque quadam circa nocturnas vigilias cæteris, qui similiter suscepti fuerant, ad ecclesiam festinantibus, cœpit idem puer omnes attentius exorare, ut ad basilicam deferretur. Cunctisque id quod petebat denegantibus, cœpit crebris B. Galli nomen invocare clamoribus, deinde etiam horribilius perstrepere, ita ut non parvum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibusdam ut causas angustiarum ejus agnoscerent introeuntibus, sanus inventus est, et cum gratiarum actione ad ecclesiam properavit.

paralytica,

76 Puellam paralysi multo tempore laborantem sui ad monasterium detulerunt. Quæ ad ecclesiam deportata ad lectionem Euangelii, quæ in nocturnis secundum consuetudinem regularis officii recitatur excubiis, circumstantes, ut se a terra sustollerent et inter manus sustentarent, cœpit rogare. Cumque sublevata fuisset, dimitti se postulavit : illis autem id facere metuentibus, ne forte casu subito læderetur, valere se confidentius affirmavit. Igitur dimissa per se stetit, ac deinceps totius corporis resumpto vigore sana recessit. Cujusdam patrisfamilias non longe a monasterio commanentis ancilla dum fortuito * domus januas aperiret, turbo venti pulverem et paleas in faciem ejus et oculos projecit *f*, statimque crescente molestia, paulatim ei visus decrevit, donec horrendis pænitus tenebris cingeretur. Hæc ad ecclesiam B. Galli perducta, cum ejus suffragia primo ingressu devotissime precaretur, recepto quod amiserat lumine, gaudens abscessit. Non multo interjecto tempore, dum festivitas octavarum Epiphaniæ annuo celebraretur officio, cunctis tempore sacrificii ad ecclesiam convenientibus, luminaria et candelæ incendebantur ex more. Una autem candela sine lumine inter cæteras ardentes dimissa, inter sacra Missæ sollemnia principalis primo cœpit paulatim fumo tenui vaporare, deinde videntibus non paucis flammam concipiens, et cæteris clarius rutilans signi effectum splendoris singularitate commendavit.

* Pertz : *subito*

f

et Scotus liberati.

77 Nuper quoque de natione Scotorum, quibus consuetudo peregrinandi jam pæne in naturam conversa est, quidam advenientes, unum e suis conviatoribus multiplici peste possessum in eodem monasterio dimiserunt. Qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus, et cottidie infirmitatis suæ remedium plena fide deposceret, nocte quadam senem sibi per somnium vidit assistere gestu et habitu venerandum, quem quis esset interrogans, B. Gallum fuisse perdidicit, et protinus ad illum : Cernis, inquit, o Domine, toto me corpore dissolutum, meritorum tuorum cottidie evidentiam præstolari. Noli ergo, quod te aliquando credo facturum, differre diutius. Ad hoc enim huc usque me reservatum esse cognosco, ut sicut his barbaris virtus tua latissime claret, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innotescat et claritas. Scis ipse, scis, inquam, a natali solo quam longe sim disjunctus, quantaque inter peregrinationis angustias corporis debilitate compressus : succurre citius, opitulare quantocius. Qua ille motus querimonia, vultu placido paucis ita respondit : Die mortalibus reddita ecclesiam petito, et videbis divino te melius sublevari consilio, quam patriæ vel parentum solatio. Mane facto, summo animi gestientis ardore basilicam properat, et juxta tumulum B. Galli, promissionis memor, precibus insistit. Post orationem et lacrimas angulo sarcofagi adnixus, cœpit se sensim erigere, nec prius lecti angulum cui innitebatur deseruit, quam statura erecta et accepto robore, per se ire et redire potuisset. Qui tempore præcedenti plena sanitate donatus, in eodem monasterio precibus et sanctæ vitæ deserviens hactenus conversatur.

Epilogus.

78 Hæc de copiosissima segete B. Galli virtutum memoriæ horreis grana libuit commendare, et nostris et aliorum pastibus profutura : poterunt enim hæc plurimam diligentibus justiciam ædificationis conferre, quia et morum honestatem insinuant, et ad laudem Domini, qui ita Sanctos suos glorificat, devoti lectoris animum vel auditoris inflammant. Cæterum tot et tanta sunt ejusdem sancti patris miracula, ut nec a studiosis scriptoribus propter copiam sui possint comprehendi, nec a fastidiosis lectoribus sine tædio et rugata fronte percurri. Ea vero huic operi tantum inserta sunt, quæ et veracium relatione testium veritatem custodiant, et moderata brevitate nullius quamvis etiam utilia nausiantis mentem offendant.

ORATIO WALAFRIDI : Obsecramus itaque te, B. Galle, Christi Confessor, ut sicut sanitatem corporum meritis tuis multis te contulisse retulimus, ita nostris mentibus divinæ miserationis medelam implorare digneris. Amen.

ANNOTATA.

a *Componendus est textus hic cum iis, quæ supra n.* 62 *legimus : quæ enim hic habemus satis indicare videntur sepulcrum S. Confessoris in crypta delituisse :* Cottidie juxta sepulchrum in crypta collocatus; *sed* juxta *ponitur pro* subter, *cum e num.* 62 *constet in ipsa ecclesia superiore fuisse repositum corpus S. Galli, en verba :* Lumen quod ante superius altare et tumbam ardebat, per quandam fenestram radios suos ad altare infra cryptam positum dirigebat, et sufficere utrique loco credebatur. *Cæterum vide delineationem antiquæ basilicæ Sangallensis apud Mabillon in Annalibus Benedictinis* (*a*).

b Benedictionis panis : *ipsa mentio incruenti sacrificii dubium facit, num dives hic sacram Eucharistiam perceperit, an solum panem oratione aliqua sanctificatum; utroque enim sensu* benedictionis panis *accipitur apud antiquos. Cfr Du Cange Glossar. v.* Panis *et* Benedictio; *et S. Augustinum in Libro* II De peccatorum meritis et remissione *c.* XXVI (*b*), *qui dicit* cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus (*Paulus*) dixit per verbum Dei et orationem, qua oramus, utique nostra corpuscula refecturi.

c *Id publicæ pœnitentiæ genus optime explicat Joan. Mabillon e Ms. codice miraculorum SS. Floriani et Florentii* (*c*) : Consuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, et postea pœnitentia ductus, ad pontificem

(*a*) Lib. XXXI, § XXXVIII, t. II, p. 532. — (*b*) T. X Oper. col. 62. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II. Præf. n. 41, p. XXX.

A ficem crimen admissi facinoris detulerit, ipso decernente pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus componantur, et collum peccatoris venter atque brachia strictim innectantur ex ipsis ferreis vinculis : sicque de propria patria et solo patrio pellatur. Interim quousque divina pietas eadem vincula solvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando, peregre proficisci cogitur. *Hæc eadem ad diem* XXII *Septembris in Vita S. Florentii ediderunt nostri* (*a*), *monstrantque in Comment. prævio n.* 5 *et* 6 *hæc scripta fuisse sub initium sæculi noni; quæ epocha cum nostra historia optime concurrit.*

d Farus *seu* Pharus *lucerna erat orbicularis cum certo lucernarum aut candelarum numero, cujusmodi passim in templis nostratibus adhuc visuntur : sic dicta, quod instar phari sit ejusque speciem referat. Du Cange in Glossario v.* Pharus. D

e *Ad hunc locum dicit* Ildeph. von Arx (*b*) : Si conjecturæ locus dandus est, Isonem magistrum, quem medecinæ peritum fuisse scribit Ekkehardus IV, hunc flebotomum extitisse crederem. *Conjecturæ assentire non possum, sive cum ipso Ildephonso statuam Isonem anno* 829 *natum* (*c*), *sive cum Benedictinis scriptoribus Historiæ Franciæ litterariæ* (*d*) *ortum ejus usque ad annum* 841 *differam; in utraque hypothesi junior fuit Iso, quam ut a Walafrido sub annum* 849 *defuncto citari potuerit.*

f *Pertz habet* : turbo venti pulverem levavit et in oculos projecit.

(*a*) T. VI Septemb., p. 431, n. 19. — (*b*) Pertz. Mon. Germ., t. II, p. 93. — (*c*) Gesch. des Cant. St Gallen, t. I, p. 89. — (*d*) Hist. lit. de la Fr., t. V, p. 399.

DE S. BALDERICO, CONFESSORE,

B E

IN MONTEFALCONIS IN AGRO REMENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Fasti sacri; monumenta historica, quæ de S. Balderico supersunt.

ANTE MEDIUM SÆCULUM VII. *Colitur S.* Baldericus *in Montefalconis in Campania Gallica,*

Plurima esse loca, quibus non secus ac oppido, ubi S. Baldericus *potissimum colitur, nomen Monsfalconis adhæret, eruditum lectorem non latet; ut enim sileamus homonyma oppida et vicos, quæ vel in Italia, vel in Belgio, aut in Germania jacent, exhibet nobis Gallia sedecim Montesfalconis; aut forte plures, nisi in Dictionario Geographico Galliæ d'Expilly, et in Dictionario universali Geographico, Statistico et Historico Galliæ, anno* 1804 *Parisiis excuso, exhausta fuerit series oppidorum et vicorum, quibus id nomen in-*
C *ditum fuit. Ex ingenti autem hac Montiumfalconis multitudine ortus est quorumdam error, confundentium S.* Baldericum *cum S. Galderico seu Gauderico, in meridionali Galliæ tractu multa pietate culto. Non est tamen cur hic latius recenseamus, qui sint Montesfalconis, quibus male adscriberetur S.* Balderici *annua religio; cum satis sit indicasse, quis locus cum recte ut patronum suum et incolam sibi vindicet. Monsfalconis porro, qui, curante S.* Balderico, *ex silva cœnobium et dein oppidum factum est, jacet in agro Remensi* (dépt de la Meuse) *quinque leucis a Viroduno, totidem a Claromonte, sex fere a Fano Sanctæ Manechildis et duabus a Mosæ ripa : capiebat sæculo superiore exeunte focos circiter trecentos quadraginta. Plura de eo in citatis Dictionariis legere est, atque ipsi inferius explicabimus.*

ut ex permultis fastis sacris liquet,

2 *Nomen autem S.* Balderici, *quod apud veteres Germanos seu Teutones* virum audacia spectabilem (Balde *audaciam,* ric *divitem, spectabilem notante*) *designat, apud nullos classicos martyrologos occurrit; at contra ingens est numerus Auctariorum, similiumve fastorum, in quibus memoratur. Imprimis Auctaria Usuardi Luxoviense, Lubeco-Coloniense, Greveni, et Molani produnt :* In Montefalconis Beatissimi Balderici Confessoris, cujus merita crebris miraculis declarantur, *vel* cujus sanctitati crebra miracula attestantur. *Canisiani Martyrologii scriptor hæc in germanicum idioma transtulit, reddendo* Monsfalconis *per* Falckenberg; *sed dubito num id nomen, quo designari solet Monsfalconis in Belgio* (Fauquemont), *recte competat oppido, de quo agitur. Martinus Weissbacher* (*a*), *male P. Girii Vitas Sanctorum intelligens, confudit S.* Baldericum *Remensem cum S. Valderico, immo* F *Galderico aut Gauderico, Canigonensi seu Mirapicensi, de quo ad præsentem diem inferius agimus. Martyrologium Parisiense cardinalis de Noailles meminit quoque* Remis S. Balderici presbyteri, fratris S. Bovæ abbatissæ, et monasterii Montisfalconis versus Virodunum conditoris. *Martyrologium Ebroicense, Menardus, Bucelinus, Saussayus, Wion, Schönleben in Anno Sancto, Ferrarius in Catalogo Universali, Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Trithemius* (*b*) *aliique S.* Balderici *festum ad* XVI *Octobris referunt. Verumtamen Claudius Chastelain tritum deseruit iter, S.* Baldericum *in Martyrologio suo Universali annuntians ad diem* VIII *Octobris; quod absque dubio a sagacissimo viro fuit factum, quoniam in Vita SS. Bovæ et Dodæ* (*c*) *repererat, earum fratrem et patruelum* Baldericum *die* VIII *Octobris obiisse : in indice autem SS. apposuit Sancti nostri nomini eum non die tantum* VIII, *sed et* XII *coli; qui novus error haustus videtur ex nævo typographico, quo in Historia Remensi Marloti perverse dicitur*

(*a*) Legende der H. Petriner, ad XVI Oct. — (*b*) De Viris ill. Ord. S. Bened., lib. III, cap. CLII. — (*c*) Act. SS., t. III April. p. 289.

A S. Baldericus Remis ultimum sui cursus diem clausisse XII Octobris, quo festum ejus celebratur. *Vix est quod moneam Cl. V. de Saint-Allais, Castellani vestigia ubique prementem, in eosdem incidisse errores. Martyrologium vero Autisiodorense, jussu Caroli de Caylus editum, ad diem* VII *Octobris S.* Baldericum *laudat : in nota autem subdit :* Ex Martyrologio D. Chastelain hac die; *quæ annotatio citatiori calamo adscribenda videtur.*

nec distinctus est a S. Valdrico Hispanorum.

3 *Neque hic errorum meta figi potest, cum videam hac die annuntiari ab uno eodemque scriptore* S. Baldricum monachum in Montefalconis *et* S. Valdricum Confessorem in territorio Rhemensi. *Hæc Ferrarius, qui priorem memoriam se mutuatum esse testatur ex Martyrologio Monastico, ex additionibus Usuardi, editi a Molano, et ex Natalibus SS. Belgii ejusdem scriptoris; alteram vero annuntiationem a se acceptam esse scribit ex monumentis Montisfalconis diœcesis Remensis. At prorsus infidus est martyrologus ille in monumentis, kalendariis, tabulis, etc. citandis : quod generale de ejus accuratione judicium hic luculenter obtinet; quandoquidem Molanus in suis Natalibus omnino S.* Balderici *non meminit, et credibile non est a Ferrario visa fuisse*

B *Montisfalconis monumenta, in quibus præter hujus regionis usum* Valdericus *loco* Baldericus *scriptum esset; quin immo ex nescio quo hispano libro illud hauserit : Hispani quippe, ut liquet ex Antonio de Heredia in Vitis SS. Ordinis S. Benedicti,* Valdericum, *non* Baldericum *Sanctum nostrum nuncupant; quæ litterarum mutandarum consuetudo satis eis communis est.*

Vita S. Bovæ, male culpata,

4 *Monumenta historica, quæ antiquitas sua veneranda faciat, quina numero de S.* Balderico *latius agunt. Primum est Vita S. Wandregisili, secundum Vita SS. Bovæ et Dodæ, tertium Historia Remensis Flodoardi, quartum MS. codex citatus a Calmeto, quintum demum Chronicum Alberici Trium Fontium; quarum scriptionum auctoritatem expendere juvat. In præsentia tamen mitto de S. Wandregisili Vita disserere, cum* § III *aptior ad id recurret locus; hoc tantum annotandum videtur, constare ex ea, medio sæculo* IX *aut multo etiam tardius circumlatam fuisse S.* Balderici *Vitam, adeo ut in agro Rothomagensi probe cognosceretur; unde liquet eo potiori fide esse digna ea scripta, quæ, cum illa adhuc legeretur, condita fuerunt. Porro secundum monumentum, seu Vitam SS. Bovæ et Dodæ, quam*

C *Henschenius noster ex codice MS. Reginæ Sueciæ edidit* (*a*), nullius auctoritatis *esse pronuntiat Mabillonius* (*b*); *quod judicium num justo severius sit, expendendum est. Re quidem vera non omnino authentica est hæc scriptio et patentem errorem admisit; verumtamen secundum critices regulas, quas ipse Mabillonius ejusque sodales secuti fuerunt, non minoris facienda est hæc Vita, quam reliqua de S.* Balderico *monumenta, ab eodem annalista citata et laudata. Audiantur scilicet quæ de opusculo suo præfatur anonymus scriptor* (*c*) : Nemo miretur si nos per multa periclitemur, actus SS. Bovæ atque Dodæ Virginum denuo retexentes, cum priorem librum, qui de vita earum editus ad volumen usque magnum excreverat, neque viderimus, neque qui vel quæ eum se vidisse testaretur, valuerimus invenire. Verumtamen auditu didicimus a pluribus sororum, quod in eodem monasterio, in quo supradictæ Virgines requiescunt, armarium quoddam fuerit, in quo volumina librorum permulta exstabant recondita simulque opum divitiæ maxima-

D rum; pallia scilicet holòserica. . . . Inter quæ ipsa etiam liber ille, qui Beatarum actus Virginum continebat et ortus, diversarumque signa virtutum, flammis odibilibus perustus est. *Initio vero Prologi tradit hanc a se susceptam fuisse provinciam, quoniam sæpius monitus fuerat a duabus monialibus monasterii S. Petri Superioris,* Eva scilicet atque Gertrude, quæ earumdem Vitam Virginum ei palam fecerunt, a pluribus quæ obierunt relatam sibi sororibus. *Jam vero nonne evidens est tam facile servari potuisse per sexaginta circiter annos (nam plures non admittendi sunt) memoriam gestorum sanctæ cujusdam monasterii fundatricis et patronæ, quam quæ reperirentur in quibusdam privilegiis, in archivio custoditis, priusquam flammis abolerentur? Atqui Mabillonius laudat privilegia, quæ propter combustionem renovanda fuerant, cum in opere De Re Diplomatica* (*d*) *ita disserit :* Alia confingendorum originalium causa fuit, ad supplendam veterum jacturam ex bellis, incendiis, aliisque modis. AT QUI RECTIUS SE GEREBANT, a principibus episcopisve privilegia chartasque suas resarciri flagitabant, petito generali privilegio, in quo ecclesiæ aut monasterii generatim confirma-

E bantur possessiones omnes, aut omnium possessionum juriumque accurata fiebat enumeratio. *Et quidem ipse suis operibus plura istiusmodi specimina inseruit; atque adeo hominum memoriæ nimium fidens, hoc pacto probare studuit Solemniacense monasterium semper sub S. Benedicti regula militasse* (*e*). *Porro, cum prima critices regula in eo sit, ut quis sibi constet (qua in re multus est P. Honoratus a S. Maria in suis de critice animadversionibus), fatendum est notam multo atriorem, quam par erat, a Mabillonio inustam fuisse Vitæ SS. Bovæ et Dodæ. Multo rectius egit D. Bouquet suive socii, partem hujus Vitæ inserentes Collectioni Scriptorum Historiæ Galliæ.*

et medio forte sæculo IX, *priore combusta, scripta, plura de S.* Balderico *meminit.*

5 *Verum si tempus, quo hæc Vita conscripta fuit, expenditur, palam fiet hanc Vitam vetustiorem esse scriptis Flodoardi, quem tamen Mabillonius unicum ducem sibi admittit, cum S.* Balderici *gesta prosequitur. Composita quippe fuit hæc Vita, cum in monasterio S. Petri Superiori Remensi S.* Balderici *Reliquiæ una cum Reliquiis SS. Bovæ et Dodæ servarentur; quod testatur ipse anonymus* (*f*) *his verbis :* Hæc igitur de sanctissimis pignoribus, Sancto videlicet Balderico, et ejus sorore Beatis-

F sima Bova abbatissa, et eorum dulcissima nepte castissima videlicet Doda, templo Dei vivi, a sororibus ejusdem monasterii, IN QUO IPSA JACENT, nobis relata. *At anno* 882, *cum Normanni provinciam Remensem ingressi sunt, jam pridem alibi servabantur S.* Balderici *pignora, ut inferius ab ipso Flodoardo explicabitur. Unde liquet hanc scriptionem exeunte sæculo* IX *antiquiorem esse. Nescio tamen an vetitum foret, eam ad sæculum* VIII *referre, cum anonymus biographus scribat* (*g*) : Jam omnino opificium illud (*intelligit monasterium S. Petri Superius, ab ipso* Balderico *exstructum*) pene cerni destructum, *et* (*h*) ecclesiam Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ extra muros Remorum civitatis, (*in qua ecclesia S.* Baldericus *primum sepultus fuerat*), a fundamentis propter vetustatem annorum et maxime ingruentiam paganorum penitus cerni destructam : *quæ sane non ita præ vetustate collabi et destrui potuere, nisi unum alterumque sæculum interfluxisse supponatur. Qui vero hic indicantur pagani, Normanni esse non possunt,*

(*a*) Act. SS., t. III April. p. 283. — (*b*) Annales Ord. S. Benedicti ad annum 629, n. 10. — (*c*) Prolog., §. 2. — (*d*) Lib. I, c. VII, n. 6. — (*e*) Cfr Annales Ord. S. Bened. ad annum 866, §. 56, et Acta SS. ad diem IV Octob., p. 482 et seqq. — (*f*) Vit. SS. Bovæ et Dodæ, c. V, n. 24. — (*g*) Ibid., c. I, n. 5. — (*h*) Ibid., c. IV, n. 20.

siquidem,

A *siquidem, ut modo dictum fuit, advenerunt illi tantum postquam conscripta fuisset hæc SS. Bovæ et Dodæ Vita : de ea vero hactenus.*

Recensentur alii scriptores; sed Vita primitiva interiit.

6 *Historia Ecclesiæ Remensis, sæculo circiter post memoratam SS. Bovæ et Dodæ Vitam a Flodoardo conscripta, ubique fere huic consonat; et quidem ubi ab ea discedit, persuasum mihi est, plerumque non Anonymum, sed ipsum cæterum laudatissimum historiographum errare, quod oscitanter ausus est Anonymi opusculo. Insuper vix dubium est, quin ei quoque præluxerit Vita S.* Balderici, *cognita, ut diximus, in agro Rothomagensi. Quæ autem de S.* Balderico *commemorat, rediguntur fere ad Reliquiarum translationes et miracula; quorum relationem apud Falcomontanos exstitisse docet ipsemet. Et quidem Calmetus in Historia Lotharingiæ* (a) *codicem Falcomontensem MS., ad S.* Balderici *gesta pertinentem, in testimonium adducit; verum vix aliquid ex eo refert, quod a Flodoardo non memoretur. Litteras dedimus in hunc tractum, ut hujus codicis apographum nobis procuraretur; at cum hoc opusculum anno* 1793 *flammis absumptum fuisse tradatur, inutilis fuit hæc nostra cura. Quintum opusculum, in quo de S.* Balderico *agitur, seu Chronicon Alberici*

B *Trium Fontium, editum est a Leibnitzio in tomo II Accessionum Historicarum; at monet Albericus se Flodoardi scriptis usum fuisse. Recentiores scriptores plurimi de S.* Balderico *egerunt; verum cum brevem tantum synopsim de S.* Balderici *gestis conscripserint, non est quod plurimum nos morentur. De duobus tantum dicam : Marlotus in Historia Remensi* (b) *adducit ex quodam S.* Balderici *biographo adjuncta quædam de adventu Reliquiarum S. Germani in Montemfalconis tempore Caroli Magni; sed quis ille auctor sit, nusquam indicat. Suspicor eum esse P. F. Dominicum a Jesu, Ordinis Carmelitani; in cujus opere, Monarchia Sancta, etc. e latino in gallicum idioma verso a Modesto de S. Amabili, Vitam S.* Balderici *reperiri, docet Bibliotheca Galliæ P. Lelong; quod opus pulchrum sibi præfixum habere titulum, sed parum valere pronuntiat Langlet du Fresnoy, severus, immo sæpe iniquus Religiosorum criticus. Quidquid vero sit de hujus operis pretio, facile mihi persuadeo, nihil in eo occurrere, quod Mabillonem, Cointium, Calmetum aliosve fugerit, aut quod notatum non fuerit a Marloto, qui Monarchia usus videtur. Ex epistola Falcomontani canonici, quem inferius pluribus laudabo, nobis innotuit anno* 1715 *ex licentia archiepiscopi Remensis typis subjectam fuisse aliquam S.* Balderici *Vitam, canonicis et parœcianis usui futuram; quæ quoniam vix quidquam doceret, quod Officio Ecclesiastico deesset, ad nos non fuit transmissa. His porro in historicos fontes præmissis animadversionibus, ad ipsa S.* Balderici *gesta gradum facio.*

C

§ II. Synopsis vitæ; quo tempore monasterium S. Petri Remense a S. Balderico conditum sit; tempus natale S. Balderici; est hic Sanctus, non secus ac aliquot alii, filius Sigiberti I regis.

Ut tempus, quo S. Balderius *vixerit, statui queat, paucis præmittenda sunt ejus gesta; quæ malo in gratiam rerum liturgicarum indagatorum ex Breviario Remensi anni* 1630, *ubi tertia lectio propria est, describere, quam synopsim a meipso confectam exhibere :* Baldericus presbyter, cum sorore sua Bova, regali genere orti sunt, regis Sigiberti scilicet liberi. Remis monasterii puellarum, quod Superius a loci situ nuncupatur, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxerunt, cujus postmodum Bova facta est abbatissa. Constructo monasterio, Baldericus secessit in locum quemdam, quem Montemfalconis dicunt, densis opertum et horridum sylvis : quas ipse succidens, proprio sibi labore in illo condidit habitaculum. Ubi et diu Deo devote et quiete servivit, et nonnullis piis et Deum timentibus, et eidem Balderico facultates suas conferentibus, cœnobium sub honore Beati Germani ædificavit : quibus peractis, tandem Remos ad sororem suam Bovam reversus, ibidem ultimum sui cursus diem clausit, et sepultus non modico tempore requievit. Cujus corpus tandem ad dictum Sancti Germani cœnobium translatum est. *Collecta hæc sunt ex Flodoardo; et si excipias loca quædam, de quibus dicturi sumus, extra controversiam ponenda sunt.*

D *Ex Breviario Remensi anni* 1630 *paucis exponuntur S.* Balderici *gesta.*

8 *Ex recitatis liquet ætatem S.* Balderici *nosci posse, si compertum fuerit, quo ævo monasterium S. Petri Superius conditum sit : porro certum est, id jam exstitisse ante annum* 596, *quo Childebertus II, Austrasiæ et Burgundiæ rex, supremum diem obiit. Etenim Flodoardus* (c) *de Romulfo, Remensi episcopo, hæc inter alia multa testatur :* Villam vero Lautiniacum super fluvium Caltajonem contulit monasterio puellarum Remis in honore S. Petri constructo, quam villam dato pretio se memorat comparasse. . . . Cujus adhuc testamenti pagina in archivo Remensis Ecclesiæ reservatur, cum auctoritate Childeberti regis, qua petitus idem rex a præfato præsule per Sonnatium diaconem, virum venerabilem (*et postmodum episcopum Remensem*) hoc testamentum confirmare decrevit. *Imo ex sententia Cointii tribus saltem annis id tempus antevertendum esset, quandoquidem ipse* (d) *mortem Romulfi anno* 593 *exeunti alligat; at contra Galliæ Christianæ editores* (e) *ejus vitæ certum terminum non reperiunt, nisi anno* 613, *quo Sonnatius ejus successor res quasdam commutavit cum regina Brunichildi, quæ hoc anno mortua est. Sed malo certis stare, quam digladiari pro re nostra de tribus dubiis annis.*

E *Quoniam monasterium S. Petri Remense ante annum* 596 *a S.* Balderico *ædificatum jam erat, ut ex Romulfi testamento,*

F *quod de hoc monasterio et non de alio S. Petri parthenone agit,*

9 *Verum Marlotus* (f) *affirmat ambigi posse an monasterium, cujus in prædicto testamento fit mentio, vetus illud sit, cui Susanna præfuit tempore Sancti Remigii, et de quo Flodoardus in sua egit historia* (g). *Quod Marloti dubium sic impugnat Mabillonius in Annalibus sui Ordinis* (h) : Scio quibusdam videri hoc esse monasterium, quod Susanna abbatissa, cujus in Actis Sancti Theodorici abbatis mentio est, Beati Remigii pontificatu rexerit; sed nullo fundamento : imo vero contrarium elicitur ex testamento Sancti Remigii, qui cum omnibus, quæ tunc apud Remos erant, ecclesiis aliquid conferat, nullam prædicti monasterii mentionem facit; quod certe subsequentes post Romulfum antistites, Sonnatius, Lando et Nivardus, quorum testamenta Flodoardus laudat, non prætermiserunt. Ex quo intelligitur, Superius Sancti Petri monasterium, aut pontificatu Romulfi, aut paulo ante, id est sub finem sæculi sexti, conditum fuisse. *Verum vehementer dubito, an hæc ratiocinatio placitura sit non his tantum, qui damnant testamentum S. Remigii, in quo exstant eæ donationes,*

(a) T. I, p. 466. — (b) T. I, p. 262. — (c) Hist. Remens, lib. II, cap. IV. — (d) Ann. Eccl. Francor., t. II, p. 406. — (e) T. IX, col. 18. — (f) Hist. Remens, t. I, lib. II, cap. XXXIII, p. 254. — (g) Ibid., lib. I, cap. XXIV. — (h) Ad annum 629, §. 10.

ad

A *ad quas alludit Mabillonius; sed etiam illis, qui id approbant, cum mere negativum sit. Me judice, res confecta foret, si constaret tempore Romulfi unum tantum S. Petri monasterium Remis exstitisse, atque illud idem esse ac monasterium S. Petri, deinceps dictum* Superius.

comprobatur, certe natus est S. Balderieus *ante annum* 570.

10 *Et quidem admittendum est vel in memorato Romulfi testamento agi de monasterio S. Petri Superiore; vel, si de altero, hoc alterum destructum fuisse, priusquam Sonnatius, qui anno* 631 *aut certe ante annum* 633 *obiit* (*a*), *testamentum suum condidisset. Ex his enim, quæ inferius de S. Wandregesilo disseremus, satis superque liquebit, monasterium S. Petri Superius ante annum* 630 *conditum fuisse : porro Sonnatius in testamento suo, quod ex Flodoardo* (*b*) *notum est,* ad basilicam S. Petri in civitate auri solidos III *largitus est. Jam vero* basilicam *hoc loco monasterium significare, luculenter patet ex ipso testamento, ubi eadem vox eodem sensu sæpius evidentissime usurpatur : præterea ostendit Valesius in peculiari de Basilicis opusculo frequentissime olim hoc nomen monasteriorum ecclesiis inditum fuisse. His positis, quæro an credibile sit, testamenti codicillum a quopiam confectum iri, quin in eo determi-*

B *naretur utrivis monasterio fieret donatio, et mere diceretur* basilica S. Petri, quæ est in civitate, *cum duæ basilicæ S. Petri in civitate conspicerentur? Liquet itaque Sonnatii tempore unum tantum S. Petri monasterium exstitisse Remis; et proinde præmissa propositio tamquam certa habenda est. At prorsus a verisimilitudine aversum est, monasterium, quod satis floreret, ut ei Romulfus testamento suo dedisset villam, jam tempore sui successoris deletum fuisse. Quapropter superest, ut statuatur S. Petri monasterium Superius ante annum* 596 *ædificatum fuisse. Ne vero quis objiciat S. Nivardum similiter non distinguere in suo testamento monasterium S. Petri Superius a monasterio S. Petri Inferiori, satis est monuisse, non tantum, apposito abbatissæ nomine, id sufficienter fuisse indicatum, verum etiam monasterium S. Petri Inferius tempore S. Nivardi nondum conditum fuisse, ut aptiori loco adversus Galliæ Christianæ editores manifestum apparebit. Quæ ut claudam ad S.* Baldericum *regrediens, conclusio esto S.* Baldericum *natum fuisse ante annum* 570, *quandoquidem supponendus est saltem viginti quinque annos natus, cum ante annum* 596

C *monasterium S. Petri condidit, eique præfecit sororem suam Bovam, aut potius, si usus ferret, Bobam.*

Refelluntur errores plures

11 *At si quæritur quinam S.* Baldericus, *ejusque soror S. Bova, et mater aut pater ejus neptis S. Dodæ, qui Sigiberti regis liberi dicuntur, fuerint; denuo non una atque eadem sententia obviat. Primum apud plures fuit fixum persuasumque S.* Baldericum *filium fuisse Sigiberti III, Sancti agnominati; Antonius de Heredia in hac opinione versatus est, et ante eum alii plures, de quibus Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (*c*). *At toto suo pondere ruit is sentiendi modus; quoniam, Fredegario teste* (*d*), anno VIII regni sui (*anno Christi* 629) Dagobertus. . . Ragentrudem stratui suo adscivit, de qua eo anno habuit filium nomine Sigibertum. *Et quidem cum hic Sigibertus III hujus nominis sit, fieri omnino non potuit, ut, qui anno* 629 *natus est, liberos habuerit, qui anno* 596 *monasteria jam ædificassent. Ridicula itaque est opinio eorum, qui nostrum* Baldericum *eumdem faciunt ac Dagobertum II ejusve fratrem, filios Sigiberti III. Qua de re vide Marlotum* (*e*), *Historiam abbatiæ regalis S. Audoeni Rothomagensis* (*f*) *et Historiam Francorum Valesii* (*g*). *Breviarium Remense anni* 1630, *superius citatum, duplicem prodit sententiam : in lectione quippe de S.* Balderico, *dicuntur hic Sanctus ejusque soror Bova Sigiberti filii; in lectionibus vero de S. Bova ad* XXIV *Aprilis, S. Bova a Sigiberto adoptata perhibetur; cujus assertionis Saussayus videtur inventor fuisse et Cointius adstipulator : jam pridem a Remensibus sublata fuit hæc contradictio, ut colligo ex breviario anni* 1759, *in quo non sine adjecto dubio æstimantur regis Sigiberti liberi. Merito a contradictione cautum est; et e duobus dubiis electum est illud, quod quibusdam saltem testimoniis fulcitur; rejectum alterum, quod verisimiliter sola Saussayi auctoritate, tot fabularum inventoris et propagatoris, nitebatur.*

D

de patre SS. Balderici *et Bovæ et parentum S. Dodæ;*

12 *Tertiam sententiam proponit Henschenius in annotatis ad Vitam SS. Bovæ et Dodæ* (*h*). *Postquam enim Flodoardi testimonium et Breviarium Remense citavit :* Quidni, *inquit,* potius (*S. Bova*) ejus (*S. Sigiberti*) neptis cum S. Balderico, ex aliqua filia Dagoberti I nata? *Responsio esto : quoniam hæc explicandi ratio non tantum gratuita est, sed pugnat tum cum exsistentibus monumentis historicis, tum cum chronotaxi, S.* Balderici *gestis adhærenti.* E *Nam ut alia multa taceam, ipse Dagobertus I, Meroveo fratre suo natu minor, ortus non censendus est ante annum* 600, *quo ejus pater Clotarius II vix sextum decimum ætatis annum attigerat : dimidio itaque saltem sæculo erravit Henschenius. Hoc ergo pacto jam præcisos esse arbitror aliquot errores, quos de S.* Balderici *genere vulgatos fuisse norim. Marlotus* (*i*) *et Mabillonius in Annalibus* (*k*) *alias sententias aperiunt; priorem audiamus Marlotum :*

de eadem re exponuntur sententiæ

13 Inquirendum superest quis tandem Balderici et Bovæ parens fuerit, Sigibertus primus, vel secundus : et hic quidem licet brevis potentatus, si prolem tamen ex uxore reliquit, haud inepte censendus est Balderici, et Bovæ pater; fieri enim potest ob fortunæ casum, subversamque a Chlotario, Brunichildis odio, familiam, ut infantuli a quodam in monasteria detrusi fuerint : at cum historiæ id taceant, imo ex his habeatur spuriam Theodorici regis penitus extinctam prosapiam, et hic Sigibertus Theodorici posterioris filius impubis obierit, hæret hic animus, nec quicquam pro hac opinione occurrit. *Et re quidem vera Fredegarius cap.* XXI *testis est,* anno VI regni Theuderici (*qui annus* 601 *Christi est*) *huic regi* de concubina natum esse F filium, nomine Sigobertum, *qui anno* 613, *ut idem cap.* XLII *testatur, cum fratribus interemptus est : non potuerunt itaque Sigiberto II tres nati esse liberi.*

Marloti et Mabillonii.

14 Unde probabilius dici posset, *sic pergit Marlotus,* prædictum Baldericum, et Bovam ex Sigiberto I prodiisse. Refert enim Gregorius Turon. lib. IV cap. XLI ad Sigibertum, Parisios regressum a Rotomago, Brunichildem conjugem cum filiis venisse, et cap. I lib. V (prædicto Sigiberto interfecto apud Victoriacum) Brunichildem reginam, Parisiis cum filiis agentem ac vehementer conturbatam, a Childerico pulsam in exilium, filias vero Meldis teneri præcepisse, ac præter Inguindim et Chlodosuindam, aliam fuisse quæ historicos forsan præterierit, latueritque alicubi in Austrasia cum Balderico, donec pacatis rebus, velut e latebris emergentes primo Remis monasterium juxta portam Basilicarem extruxerint, aliud in loco qui Monsfalconis dicitur ab eventu, quem Frodoardus explicat. *Sic Marlotus. Dubitare mavult Mabillonius*

(*a*) Gallia Christ., t. IX, col. 20. — (*b*) Lib. II. cap. V. — (*c*) Ad annum 629, §. 10. — (*d*) Chronic., cap. LIX. — (*e*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXIII.—(*f*) Lib. II, cap. II.—(*g*) L. XX, p. 187 et seqq. — (*h*) Act. SS., t. III April., p. 286. — (*i*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXIII, p. 255 et seq.— (*k*) Ad ann. 629, num. 10.

his

A *his verbis :* si Baldericus et Bova patrem habuere Sigibertum regem; id non de alio, quam de Sigiberto Chlotarii senioris filio censeri potest. Sane Ordericus Vitalis Bovam Deo sacratam virginem, Sigiberti ac Brunechildis liberis annumerat; quamquam illud obstat, quod neque a Gregorio Turonensi episcopo, nec a quovis illorum temporum auctore inter hujus Sigiberti liberos censeantur. An vero hujus Sigiberti naturales proles fuerint, an ex alio regiæ stirpis Sigiberto nati, aliis divinare per nos licet. *Hæc ille. Atque hæc Mabillonii dicta non nihil urgeri possunt ex carmine S. Venantii Fortunati* (*a*), *quod tum in Gallia Christiana* (*b*), *tum in Bibliotheca maxima Patrum Lugdunensi* (*c*) *legitur, quodque conditum fuit, cum Plato archidiaconus anno* 592 *episcopus Pictavensis sacratus est; in eo occurrit sequens distichon :*

Floreat arce decens rex Childebertus in orbe
Cum genitis, populo, matre, SORORE, jugo.

Qui autem hic laudantur geniti, *sunt Theodobertus II et Theodoricus II,* mater *Brunichildis,* jugum *seu uxor Faileuba,* soror *vero unica Chlodesuinda; nam Ingundis, altera soror, anno* 585 *in Africa exul obierat. Unde liquet, si aliæ sorores fuerunt*
B *Childeberto II, eas nothas aut spurias fuisse, et proinde Marloti dicta prorsus ruere.*

Probatur Sigiberto I præter Childebertum II, Chlodesuindam, et Ingundim,

15 *At, inquiunt, Sigiberto neque nothos liberos fuisse, arguit S. Gregorii Turonensis, Fredegarii aliorumque silentium; quam rem penitius inspiciamus oportet. Jonas, monachus Bobiensis, discipulus S. Columbani, laudatissimusque biographus, in Vita S. Columbani, quæ excusa est in sæculo* II *Benedictino* (*d*), *hæc narrat :* B. Columbanus. . . . a Leopario illius urbis (*Turonum*) invitatur ad esum : ire non abnuit. . . . Tunc unus e convivis Chrodovaldus nomine, qui AMITAM THEODEBERTI REGIS in conjugium habebat, regi tamen Theodorico fidelis erat, viro Dei humili voce respondit : Si melius esset lacte potari quam absynthio? Cui vir Dei : Cognosco, ait, te regis Theodorici fœderis jura servare velle. At ille fatetur se fœdus fidei promisisse, et quandiu valeret observaret. Si regis, inquit, Theodorici junctus es fœderi, amico tuo et domino lætus eris a me legatus directus. Hæc ergo auribus ejus infer, et ipsum et suos liberos intra triennii esse circulum delendos, radicitusque stirpem ejus Dominum eradicaturum. . . Quod postmodum omnes Galliæ nationes sensere impletum. *Talia perhibet Jonas :*
C *quæ prophetia cum anno* 613 *adimpleta fuerit, sequitur exstitisse circa annum* 610 *amitam Theodoberti II, seu filiam Sigiberti I, diversam a Chlodesuinda, jam nuptam Chrodovaldo, neque tamen nominatam a Turonensi et Fredegario, et exclusam e legitimis Sigiberti liberis Fortunati disticho. Qui vero censeret objici posse hanc* amitam *filiam esse Brunichildis, ante suum in Gallias adventum forte nuptæ, legat is Fortunatum, qui, in carmine* (*e*) *de nuptiis Sigiberti regis et Brunichildis reginæ, hanc ter quaterve a sua virginitate laudat : satis fuerit hos excerpsisse versiculos :*

Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne,
Quæ placet apta toro, maturis nubilis annis,
Virginitas * in flore tumens. . . .

* *lege* virginitate

Unde consequens est Theodoberti amitam filiam fuisse Sigiberti, non Brunichildis.

alios liberos fuisse, sed nothos;

16 *Ob recitatos num* 14 *Venantii Fortunati versus eam non legitimo thoro a Sigiberto procreatam fuisse jam dictum est. Aliunde summe probabile est ex scriptore coævo plures nothos Sigiberto natos esse ante suam cum Brunichilde connubium. Hic scilicet anno* 535 *natus, et anno* 566 *tantum matri-* D *monium iniens, et proinde* 31 *annos præter omnem morem regum Francorum, anno* 14 *ætatis sæpius uxorem ducentium, in cœlibatu transgressus, a laudato S. Venantio Fortunato, plurimum in aula regia versato, atque hujusmodi rerum teste maxime idoneo, his celebratur carminibus :*

Sigibertus ovans ad gaudia nostra creatus
Vota facit, QUI NUNC ALIENO LIBER AMORE,
Vincula chara subit; cujus, moderante juventa,
Connubium mens casta petit, LASCIVA RETUNDENS
AD JUGA CONFUGIT; cui nil sua surripit ætas,
Corde pudicus agens, rector tot gentibus unus,
ET SIBI FRÆNA DEDIT; sed quod natura requirit,
Lege maritali AMPLEXU EST CONTENTUS IN UNO.

Hæc Fortunatus in citato epithalamio. Quis itaque mirabitur, si Sigiberti vulgo memoratis legitimis liberis tres saltem nothos adjiciendos esse arbitramur? Quin immo, si prorsus historicos laterent, hæc Fortunati carmina tam clara sunt, ut ob hæc ipsa excogitandi forent. His positis, proferendæ sunt genealogicæ tabulæ.

quos inter Chrodovaldi uxor, S. Baldericus, *S. Bova,* E

17 *Theodoberti amita, uxor Chrodovaldi, ex citata S. Columbani Vita extra controversiam jam est. De S. Bova autem hæc ex non ita diuturna monialium traditione refert anonymus ejus biographus* (*f*) : Exstitit. . . rege Sigiberto patre progenita, qui fuit nobilissimorum oriundus Cæsarum prosapia. *Passim vero in eadem Vita dicitur S.* Baldericus *frater S. Bovæ; dives in ea apparet; et major natu : unde colligitur eum non tantum uterinum S. Bovæ fratrem fuisse, verum etiam ex filiis fuisse ejusdem Sigiberti. Quod confirmatur ex eo, quod ab eodem Anonymo* (*g*) *non modo* frater, *sed et* germanus *S. Bovæ dicitur; quæ vox identitatem utriusque parentis etiam illo ævo implicabat, ut liquet ex his Hucbaldi, in Vita S. Rictrudis, verbis :* Habuit autem Dagobertus fratrem Aribertum (*Charibertum*) non tamen germanum, *quoniam alia matre editus erat. Deinde Flodoardus* (*h*) *hæc a se apud alios scriptores fuisse testatur :* S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova. . . regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti. *De hac nepte inferius. Tertius testis est Ordericus Vitalis a Mabillonio, ut*
F *num.* 14 *exhibui, citatus; atque hic cum Bovam tantum memoret,* Baldericum *omittat, non descripsisse videtur hoc loco Flodoardum, sed nescio quo alio monumento usus esse. Quod vero S. Bovam dixit Brunichildis filiam fuisse, error facilis fuit, quandoquidem unam Brunichildem Sigiberti legitimam uxorem noverat. Mitto referre testimonium Alberici Trium Fontium, quod in Accessionibus Historicis Leibnitii* (*i*) *exstat, quoniam pro more suo ipse Albericus testatur se sua hoc loco mutuatum esse ex Historia Remensi. Quod hic loci denuo a lectore animadversum velim, Flodoardi temporibus exstabat S.* Balderici *latior Vita, ut sæpe monui.*

et forte mater aut pater S. Dodæ :

18 *Ut cum anonymo SS. Bovæ et Dodæ biographo pergam,* superest de ingenuitate nobilis Dodæ, neptis scilicet Sanctorum Balderici et Bovæ, calentis propositi abbatissæ, aliqua suggeramus. Hæc Beata siquidem Doda nobilissima virgo, ab infantia dicitur desponsata cuidam ingenuissimo et sagacissimo viro, regia stirpe (ut fertur) progenito, quemadmodum et ipsa regali oriunda exstiterat prosapia. Sed interim ut diligenter educaretur,

(*a*) Lib. x, carm. 17. — (*b*) T. II, col. 1149. — (*c*) T. X, p. 519. — (*d*) p. 22 et seq., n. 42 et seq. — (*e*) Bibl. Patr., t. X, p. 538, lib. VI, carm. II. — (*f*) Act. SS. ad XXIV April., p. 284. — (*g*) Ibid., cap. II, n. 9. — (*h*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXVIII. — (*i*) p. 44.

A suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico. *Fueritne hæc S. Doda filia prædictæ amitæ Theodoberti, non habeo unde edisseram : quod si non fuerit, quatuor saltem nothi liberi assignandi sunt Sigiberto, videlicet S.* Baldericus, *S. Bova, amita Theodoberti seu uxor Chrodovaldi, et mater S. Dodæ, si stricto sensu accipitur appellatio* avunculus *S.* Balderico *data; sin autem vox* avunculus *vocis* patruus *locum occupat, pater S. Dodæ. Atque hæc eo securius amplectenda sunt, quod constat, præluxisse Flodoardo, de hac Sancta agenti, alia quoque documenta quam ipsam ejus Vitam : scribit scilicet Anonymus S. Dodam,* velatam religionis peplo, sponso furibundo præsentatam fuisse; *qui cum* templum castitatis per vim ad se traxisset, manus quæ castam attigerat vestem, diriguit. Mox *vero* pristinæ sanitati redditus, quidquid chartis ante assignatum exstiterat sponsalibus sui patrimonii idcirco Christo concedit Deo. Contulit siquidem eidem monasterio hæc supradicta, et plura alia donaria, quæ adhuc eadem retinet ecclesia, *quæ inter* Noviantus, villa pulcherrima, et Vallis-monasterii potestas scilicet magna. *Hæc ille* (*a*). *Flodoardus* (*b*) *autem prorsus alia hac de*

B *re acceperat; apud eum nempe sponsus* sponsam innitens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoque modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse. *Non est cur hic lectori Anonymi narrationem potius quam Flodoardi narrationem comprobem; id unum notandum Flodoardum egisse de his Sanctis ex aliis monumentis quam ex Vita SS. Bovæ et Dodæ; quæ testimoniorum pluralitas validum fulcimentum est in præsenti quæstione.*

Verisimiliter S. Baldericus *natus est inter annum* 560 *et* 566.

19 *Quamobrem historice certum censendum est, S.* Baldericum *cum germanis supra enumeratis computandum esse inter liberos Sigiberti I : quod prorsus consonat cum his, quæ numm.* 8 *et seqq. de tempore, quo monasterium S. Petri Superius a S.* Balderico *conditum fuit, diximus. Illic quippe deduximus S.* Baldericum *cum sororibus natum esse saltem ante annum* 570; *at ex his quæ num.* 16 *ex Fortunato et tempore Sigiberti matrimonii, anno* 566 *initi, collegimus, quatuor aliis saltem annis ejus ortus antevertendus est; atque hæc stricta sunt. Cum autem S.* Baldericus *ob patrimonii sui situm non procul a Remis natus esse atque ante vitam suam cœnobiticam illic habitasse videatur, ejus ortus*

C *verisimiliter includendus est inter memoratum annum* 566 *et annum* 561, *quo primum Sigibertus* sedem Remensem, *teste Turonensi* (*c*), habuit, *Austriæ caput; apud quam urbem, ut monet Ruinartius in nota ad hunc locum,* certum est Sigebertum habuisse regiam. *Qua admissa chronotaxi, reliqua S.* Balderici *gesta sine negotio dilucidabuntur.*

§ III. S. Baldericus exstruit Remis sorori suæ S. Bovæ monasterium, ad quod pertinebat templum S. Mariæ extra muros urbis; condit Falcomontanum monasterium, ubi discipulum habet S. Wandregisilum, uti, excussis hujus Sancti Actis, probatur; nova chronotaxis gestorum SS. Balderici et Bovæ texitur; moritur S. Baldericus.

D

S. Baldericus *ante monasterii Remensis ædificationem*

Flodoardus in Historia Remensi (*d*) *hæc narrat :* Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt intra urbem puellarum monasteria : quorum unum (quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxisse traditur. . . Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone eidem postmodum E obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidem venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum. *Probant hæc Marlotus* (*e*) *et Mabillonius* (*f*). *Verum ex SS. Bovæ et Dodæ biographo nonnulla animadvertenda videntur de hoc* extra muros *monasterio.*

non exstruxit monasterium S. Mariæ extra Remos;

21 *Hic enim cum pluribus explicuit* (*g*) *S. Bovæ consilium de servanda virginitate, sic pergit* (*h*) : Quo sororis castissimo Baldericus cognito desiderio, INFRA REMORUM MUROS non longe a basilicarum porta, pretiosum condidit monasterium : de cujus mirabili structura, quia ad alia properamus, vel quia nostris temporibus jam omnino opificium illud pene cernitur destructum, omittimus in præsentiarum disserere; sed suo iterabimus in loco, prius enarratis quæ pertinent negotium. Quo igitur monasterio ad unguem ædificato, et multis ornamentis ditato, gregeque sanctarum Virginum inibi collocato, et quæ necessaria intrinsecus et extrinsecus videbantur diligenter explicitis, præ- F dictus vir Baldericus sororem suam cum aliis locum incolere fecit puellis. *Verum MS. codex, unde Henschenius hanc Vitam edidit, hujusmodi conditionis erat, ut ante caput* IV *aut numerum* 15 *multa deessent : quod etiam illic annotatum erat, tamquam id culpa descriptoris contigisset. Hanc autem lacunam implendam his ipsis, quæ* suo iteranda in loco *promittuntur, colligitur ex indicibus titulorum, inter quos hic habetur :* Qualiter S. Baldericus monasterium, in quo sororem suam, Sanctam videlicet Bovam, abbatissam constituit, honorabiliter ædificaverit, et patrimonii sui hæreditatibus ditaverit. *Verum ex modo recitatis, et ex testamentis Romulfi et Sonnatii jam adductis et ex testamento Landonis inferius citando, satis superque constat monasterium puellarum S. Petri semper fuisse infra seu intra non autem extra muros Remorum.*

verum Remensis parthenon possidebat extra muros ecclesiam S. Mariæ.

22 *Suspicari licet unde prodierit Flodoardi assertio* extra muros urbis. . . . primum puellarum fuisse monasterium; *et hæc altera, hoc cœnobium*

(*a*) Act. SS. ad XXIV April. Vit. SS. Bovæ et Dodæ, cap. XI, n. 10 et 11.— (*b*) Lib. IV, cap. XXXVIII.—(*c*) Hist. Franc., lib. IV, cap. XXII. — (*d*) Lib. IV, cap. XXXVIII. — (*e*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXIII, p. 254 et seq.—(*f*) Annal. Bened. ad annum 629, §. 10 et seq. — (*g*) Cap. I, n. 4. — (*h*) Ibid., n. 5.

in

A in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri constructum fuisse. *Audi scilicet Anonymum sexto numero post lacunam (quod ob dicta notandum est) hæc disserentem :* Dehinc venerabilis Pater honorificenter sepulturæ traditur, in ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, extra muros Remorum civitatis. . . . Quæ ecclesia, quia a fundamentis propter vetustatem annorum, et maxime ingruentiam paganorum penitus cernitur destructa, omisimus de ea prolixius loqui. *Unde manifestum fit ecclesiam B. Mariæ, non monasterium B. Mariæ exstitisse; illic, non in civitate sepultum esse S.* Baldericum ; *illi datum fuisse titulum B. Mariæ, non monasterio intra muros exstructo, quod in omnibus testamentis, de quibus sermo fuit, semper cum* S. Petri *nomine, numquam cum nomine* B. Mariæ *occurrit. Præterea in opere P. Guyeti Societatis Jesu, Heortologia appellato, frustra inquires ecclesiam aut monasterium, cui vagus patronus aut titulus sit, qualis disjunctivus ille* Sancta Maria vel Sanctus Petrus; *et quidem cum vere plures patroni sunt, sumuntur per modum unius. Confundendo itaque Anonymi aut alterius dicta, consarcinavit Flodoardus suam narrationem. Fieri quoque posset,*

B *ut hæc admiserit Flodoardus, quoniam reditus ecclesiæ B. Mariæ adhuc recipiebantur a monialibus S. Petri Superioris; et propterea festum patronale servabatur : qua de re vide Guyetum* (*a*).

S. Baldericus *auctor est S. Bovæ, ut admittat abbatiale munus, et erga S. Dodam tutoris partes agere videtur;*

23 *Porro postquam Remense S. Petri monasterium ædificatum esset, et aliquandiu cum suis sociabus S. Bova illic vixisset, ut Anonymus* (*b*) *testis est,* sorores. . . conciliabula cœperunt efficere castissima, tractantes quatenus sanctam Virginem Bovam super se ponerent. . . Quod audiens beata Virgo cœpit refutare pondus honoris. . . Cum *autem* frater præfatæ Virginis Baldericus hanc sororum unanimem persensit voluntatem, dulcibus verbis et sanctissimis adhortationibus, persuadere cœpit suæ germanæ divinis non contraire consiliis, et potius aliarum quam suam pensare voluntatem... Quibus auditis, a rigida obstinatione summovit propositum, et jugo obedientiæ animum ante ad hoc cervicosum substraxit *. *Fueritne S.* Baldericus *tutor S. Dodæ, ambigo : verum apud Anonymum* (*c*) *de hac Virgine legitur :* Ut diligenter educaretur, suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico, ut nobiliter nobilis erudiretur et sancta sanctis institueretur institutis. Docetur enim parvula litteris a primævo

C divinis, post hinc humanis. *Et inferius* (*d*), *ubi adventus juvenis, cui ab infantia desponsata dicitur, enarrandus est, sic prosequitur biographus :* Quibus acceptis, Sancta Mater (*Bova*) respondisse fertur : nihil horum sua interesse; quorum interesset, magis interpellarentur; sibi puellam a fratre commendatam, et multis sudoribus apprime eruditam, nulli sine eo reddendam.

* *lege* substravit

ædificat monasterium Montisfalconis,

24 *Verum cum Flodoardo* (*e*) *pergamus :* Sanctus autem Baldericus post hujus (*Remensis*) monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conversari, Deoque devote ac quiete servire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem Falconis, locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem, avem quam nuncupamus falconem, prævium et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco D eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore S. Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulerunt : sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione : atque idem sub honore Beati Germani (*Autisiodorensis, ut docent Calmetus in Historia Lotharingiæ* (*f*), *Mabillonius in Annalibus* (*g*), *ejusque sodales in Gallia Christiana* (*h*)) ædificavit monasterium. *Quo autem anno hæc gesta sint, nihil novi unde id certo statuatur.*

quo advenit S. Wandregisilus circa annum 629,

25 *Verumtamen hæc acta sint oportet jam pridem ante annum* 629, *quo circiter tempore S. Wandregisilus secundum Mabillonium* (*i*) *ad Montemfalconis accessit, aut etiam ante annum* 627, *cui Cointius* (*k*) *mavult illigare S. Wandregisili adventum : quæ utraque sententia secundum Boschium nostrum* (*l*) *admitti potest. Porro de hoc adventu, quantum ad S.* Baldericum *pertinet, plurimum disputatum jam est. Prius itaque exhibenda videntur veterum scriptorum testimonia : in priore Sancti Wandregisili Vita, confecta ab auctore, qui* multa E a semetipso visa expressit stylo *barbaro, hæc occurrunt* (*m*) : Post quod ipse vir Dei (*Wandregisilus*) relinquens mundi istius oblectamenta, cupiebat in sancto cœnobio sub religionis habitu conversari. In primitiis cum quodam sene in loco, qui cognominatur Montefalco, habitavit non multo tempore; qui erat homo multum index (*id forte* insignis *est*), oculos speciosos, faciem liliabilem, manus prolixas, et frequenter per laticem cupiebat eas abluere, qui erogatas (*intellige* erogatis, *etc.*) omnes facultates suas, in camino paupertatis petiit assidendum. *Ad hæc vero inter alia notat Boschius, ex textu vix colligi, ad quem referendus sit ille sensus* qui erat homo, *etc. Vita posterior et interpolata S. Wandregisili, partim ex priore a coævo quoque collecta, ea ad S. Wandregisilum refert; quod vero contra est, dicitur S. Wandregisilus, in priori Vita paulo inferius, cellam* de facultatibus suis *exstruxisse : quod cum præmissis verbis ægrius consonat. Quare hæc in medio relinquimus. Audiamus jam posteriorem biographum, cujus opella a Mabillonio et Boschio item edita fuit.*

F *ut uterque biographus et chronicon Fontanellense tradit.*

26 *Sic ille* (*n*) : Postquam autem ut superius indicatum est, ipse vir sanctus mundi hujus oblectamenta deseruit, optabat in sancto cœnobio divinæ insistere philosophiæ, ac monasticæ regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primum in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum viro sancto, nomine BALTFRIDO, non multum temporis habitavit : CUJUS ACTUS ET VITAM IN GESTIS DE EO SCRIPTIS, si qui noscere velint, facile invenient. *Mitto reliqua, ad chronicon Fontanellense, circa annum* 835 *scriptum, et Acheriano spicilegio insertum, transgrediens; ubi sequentia reperio* (*o*) : Igitur ad locum qui vocatur Monsfalconis secedit, cuidam magnarum virtutum viro, CUJUS NOMEN MODO MEMORIÆ NON OCCURRIT, adhærens, plurimumque temporis cum eo conversatus, innocentis vitæ admirabilis cultor comprobatur. Inde a rege præfato (*Dagoberto I*) accersitus, atque ad regiam domum properare jussus, pro habitus mutatione increpatione primo, sed post honorifice prosecutus... *Quæ postrema latius explicata vide in præ-*

(*a*) Heortolog., p. 108. — (*b*) Cap. I, n. 5. — (*c*) Cap. II, n. 7.— (*d*) Ibid., n. 9. — (*e*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXIX. — (*f*) T. I, lib. X, col. 466.— (*g*) Ad annum 629, §. XII.—(*h*) T. IX, col. 177. — (*i*) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 629, § X. — (*k*) Annal. Eccl. Francor. ad annum 627, num. 3. — (*l*) Act. SS. ad XXII Julii, p. 256.— (*m*) Ibid., cap. I, n. 8, p. 266 et Sæcul. II Benedict., p. 527.—(*n*) Cap. I, n. 5. (*o*) T. II, p. 264, novæ editionis.

citata

A *citata utraque S. Wandregisili, abbatis Fontanellensis, Vita.*

Probatur S. Baldericum tum illic versatum esse,

27 *Verum quæstio est, num ille* senex, vir sanctus, nomine Baltfridus, *et* magnarum virtutum vir *idem sit ac Sanctus noster* Baldericus. *Mabillonius prius in Actis Sanctorum Ord. S. Bened. affirmavit, deinde in Annalibus negavit; et quoniam Annalium facilior usus est, mirabile non est, si negans sententia apud historicos, qui post Mabillonium scripserunt, secura ubique ferme obviat. Interea jam pridem noster Boschius* (*a*) *duplex proposuit argumentum, quo istum Baltfridum seu Waltfridum a nostro* Balderico *non distinguendum esse, me judice, invicte statuitur :* Certe, *inquit ipse,* de Baltfrido hoc, nulla uspiam, quod noverim, præterquam hoc loco fit mentio (Saussayum enim nihil moror), cum tamen debeat fuisse vitæ sanctitate notissimus, ut ibidem asseritur his verbis : « Cujus actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile reperient. » Parum autem verisimile videtur, ut, cujus Acta omnium versarentur manibus, ejus omnino neglecta sit in vicinis Ecclesiis sive Virodunensi, sive Remensi, memoria. S. Balderici quidem Acta perierunt, si paucula quædam

B excipias, quæ laudatus modo Flodoardus annotavit; at viget etiamnum apud Remos recordatio, eorumque Breviariis ejus festum quotannis præscribitur die XVI Octobris. Firmat hoc sane conjecturam eorum, qui nullum agnoscunt Baltfridum a S. Balderico diversum. Adde, quod monasterium S. Germani S. Baldericus in Monte Falconis versus initia Dagoberti condiderit, ut colliges ex Mabillonio Annal. Benedict. lib. XII a num. 10 : potuit ergo facile illi etiam tum præfuisse, cum accederet S. Wandregisilus. Denique in exemplari MS. Thosano Vitæ secundæ S. Wandregisili, non WALTFRIDUS, sed BALDRICUS legitur, uti notavit Rosweydus noster, qui nostra cum illo contulit

eumque male distingui a Baltfrido, cujus nomen

28 *Quibus pauca subjicienda videntur : imprimis postulat veritatis studium, ut Saussayo duo alii addantur scriptores, qui Baltfridi, Montisfalconis cœnobitæ, tamquam a S.* Balderico *distincti, memineruntprior est Trithemius, qui in opere de Viris Illustribus ordinis S. Benedicti* (*b*), Balfridum, monachum in Montefalconis in Gallia, vitæ cultorem eremiticæ, multis clarentem, ut ajunt, miraculis tam in morte quam in vita *producit; alter vero est Arnoldus Wion in appendice ad Martyrologium*

C *Monasticum* (*c*), *qui hæc a Trithemio mutuatus est, et sua fecit. Quæ si conferantur cum iis, quæ num.* 2 *hujus Commentarii citavi ex Trithemio et Wione loca, in quibus S.* Baldericum *commemorant, facile constabit Baltfridum et* Baldericum *ab eis distinctos habitos esse. Verumtamen Trithemius et Wion recentioris ætatis sunt, quam ut eorum assertiones, quarum fons Vita S. Wandregisili verisimiliter est, adversus rationes superius a nostro Boschio productas subsistere queant.*

post annum 835 male interpolatis S. Wandregisili Vitis insertum fuit; exstabat tum S. Balderici *Vita.*

29 *Altera quæ facienda videtur animadversio, hæc est : superius dictum jam est in posteriore Vita S. Wandregisili legi* Baltfridi (*immo secundum MS. Thosanum* Balderici) actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile repertum iri. *Porro summe verisimile est, hæc post annum* 835 *interpolata fuisse. Etenim ut mittam Baltfridum illum mortuum dici a Wione anno* 660 (*sed demus eum anno* 640 *mortuum esse*), *et Vitam posteriorem S. Wandregisili, qui anno* 667 *obiit, scriptam fuisse non ita multo post annum* 680 (*vide de hac re Boschium ad* XXII *Julii*); *neque proin credibile esse gesta Baltfridi, qui numquam sane fruitus est fama, qua* D *S. Martinus, S. Germanus aliique hujusmodi, ita vulgata fuisse, ut monachus non Remensis, sed Rothomagensis pagi, quadraginta annis post mortem præmissis verbis usus fuerit : aliunde omnino appareret illud* Baltfridi *nomen interpolatori debitum esse : sin minus, quo pacto chronologus Fontanellensis, qui Vita posteriore manifeste usus est,* (*confer inter alia quæ de Wandregisili Bobiensi itinere asserit, cum his quæ in duabus Vitis de eodem itinere occurrunt*), *scribere potuit* cujus nomen modo memoriæ non occurrit? *Sane nondum hæc de putatitio illo Baltfrido intrusa erant, sed oralis tantum exstabat memoria : et proin quam facilis post duo aut tria sæcula similis lapsus! Quod vera hanc interpolationem anno* 834 *recentiorem feci, ratio est, quod circa hunc annum chronicum suum absolvit Fontanellensis Monachus* (*vide monitum quod apud Acherium ipsi chronico præmissum est*); *et dein quod Mabillonius vel Ruinartius in Observationibus prævii ad S. Wandregisili Vitas ostenderunt, posteriorem Vitam ex chronico interpolatam fuisse; et demum quæ quidem ipsi de intruso Baltfridi nomine modo præmisimus, satis evincunt corruptionem Vitæ dicto anno posteriorem esse. Ex quibus consequitur hæc* E *vera absurditas,* (*si ille Baltfridus a S.* Balderico *distinctus admittitur*), *Fontanellensibus notam fuisse vitam et gesta alicujus Sancti agri Remensis, qui iisdem fere temporibus latuisset Flodoardum Remensem, reliquos agri Remensis Sanctos laudantem, de hoc vero alto tacentem silentio : quocirca statuendum est MS. Thosanum melius interpolatum fuisse; et* senem, *quem S. Wandregisilus convenit in Montefalconis circa annum* 627 *aut* 629, *nostrum esse S.* Baldericum.

Refelluntur argumenta Cointii et Mabillonii,

30 *Atque ex his denuo stabilitur chronotaxis, qua S.* Baldericum *num.* 19 *hujus Commentarii, non secus ac suas germanas, inter annum* 561 *et* 566 *natum fuisse diximus. Sed hæc et alia plurima a Cointio et Mabillonio concutiuntur, et præterea fides servanda est nostrorum decessorum promissis, qui, Cointii et Mabillonii argumenta recensentes, hæc in commentario prævio de S. Nivardo num.* 17 *scripserunt :* Cointius in Annalibus Francorum ad annum 627 num. 6 recitat verba Breviarii Remensis, quibus dicitur, monasterium Remis ædificatum a Balderico presbytero, eique præfuisse abbatissam S. Bovam Balderici sororem. De ejus-

F dem monasterii consecratione hæc ibi dicuntur : « Quod Deo in honore Beatissimæ semper Virginis Mariæ atque Sancti Petri Apostoli dicari curavit, Sancto Nivardo pontifice. » Putat Cointius ad annum 649 num. 10 consecrationem illam contigisse circa initium pontificatus Nivardi, vivente adhuc Sigiberto rege. Mabillonius in Annalibus ad annum 629 ostendere nititur monasterium istud conditum esse ante annum 630, quo certe necdum episcopus erat Nivardus, ita ut dubitari possit, an consecratio per Nivardum sit peracta, quod nec Flodoardus asseruit, nec Acta habent. Verumtamen constat, sanctum antistitem in idem monasterium fuisse beneficum : nam Flodoardus cap. VII hæc habet : « Item (dedit Nivardus bona sua) Remis ad monasterium puellarum, ubi Boba præesse videbatur abbatissa. » Laudatus Mabillonius de hac donatione sic loquitur : « Nivardus Remorum antistes sub finem sæculi septimi quædam largitus est monasterio puellarum Remis, ubi Boba præesse videbatur abbatissa; quæ distinguenda videtur a Sancta Bova ex præmissis : alias plus quam centenaria

(*a*) Act. SS. ad XXII Julii, p. 257. — (*b*) Lib. III, cap. CXLIV; ita citatur a Wione. — (*c*) Lignum Vitæ, t. II, lib. III, p. 411.

A naria fuisset. Si quis vero unam et eamdem esse velit, consequens est ut etiam neget, vel Sanctam Bovam fuisse primam Sancti Petri parthenonis abbatissam, aut Balderici sororem; vel certe Baldericum non fuisse conditorem monasterii Montisfalconis, quod conditum erat ex dictis ante annum sexcentesimum trigesimum et quidem post constructionem parthenonis Sancti Petri. » *Quo Mabillonii ratiocinio permoti, Galliæ Christianæ editores statuerunt puellarum monasterium, cui præerat abbatissa Boba, cum S. Nivardus bona quædam ei largitus est, esse monasterium S. Petri Inferius, a S. Guntberto exstructum. Ex his itaque triplex in controversiam reducitur quæstio; quæ solvenda hic nobis est, cum Stiltingus noster ibidem scripserit :* De S. Balderico agi poterit ad XVI Octobris, quo coli dicitur, ibique investigari, an argumenta Mabillonii ad distinctionem utriusque necessario cogant. Certe si monasterium exstructum est non diu ante annum 630, poterat adhuc facile superesse S. Bova, cum isti monasterio benefecit S. Nivardus, longe a fine sæculi VII, cum defunctus sit circa annum 673.

universum hunc commentarium impugnantia,

B 31 *Imprimis certum mihi est, monasterium cui bona contulit S. Nivardus esse monasterium S. Petri Superius, quoniam monasterium S. Petri Inferius tantum post mortem S. Nivardi constructum esse aperte innuit Vita S. Guntberti, edita absque interpolationibus a Papebrochio* (*a*). *Secundo, certum mihi est abbatissam Bobam eamdem esse ac Sanctam Bovam : de nomine scilicet non potest esse quæstio, cum nemo sit qui nesciat litteras* B *et* V *litteras esse μεταβολάς, ut loquitur Schilterus in Glossario ad litteram* B; *præterea in ipsa Vita S. Bovæ cap.* I, *num.* 4 *dicitur* Bova ex nomine vocitata, quasi multorum ADJUTRIX est appellata : *cujus etymi ratio repetenda est ex veteri voce* Bub, Bube, servum, servam *præter alia significante, ut clicere licet ex exemplis, quæ confert Schilterus in Glossario Teutonico ad vocem* Baba : *quæ vox etiam remanet in præsenti lingua theotisca seu flandrica vel hollandica, in qua habemus* Boef; *sed hæc vox non secus ac* Schalk, *primitus* famulus, *in perversum sensum abiit. Cur hæc latius notanda fuerint, cognoscet lector, si adeat quæ Henschenius diduxit ad citatum locum Vitæ S. Bovæ. Verum non tantum ex nominis identitate, sed aliunde quoque comprobatur abbatissam Bobam eamdem esse ac S.* Balderici *sororem. Etenim ex*

C *plurimis episcoporum donationibus, a Flodoardo servatis, satis evincitur id temporis unum tantum parthenonem Remis fuisse : quare si S. Bova a S. Nivardo non designatur, alia quædam ejus monasterii abbatissa, quæ S. Bovæ successit, indicata fuerit oportet : sed ex Flodoardo* (*b*) *novimus S. Dodam ei successisse; et firmum Flodoardi testimonium est, quoniam vidit præceptum immunitatis huic concessum a Pippone seu Pippino Heristalliensi, qui jam anno* 680 *in Austrasia dominabatur; præterea in catalogo abbatissarum S. Petri Superioris, Galliæ Christianæ* (*c*) *et Marloti Historiæ Remensi* (*d*) *inserto, frustra quæretur altera Bova, aut Boba, quæ monasterio S. Petri Superiori præfuerit. Verum duplex hæc quæstio appendiculæ tantum sunt præcipui Mabillonii argumenti, chronotaxin nostram perturbantis.*

et dicta denuo confirmantur,

32 *Tertio itaque adstruo S. Bovam centenaria majorem dicendam non esse, cum ejus monasterio benefecit S. Nivardus; licet S. Petri cœnobio abbatissa jam præfuerit non tantum circa* 630, *ut vult Mabillonius, sed triginta quatuor saltem annis ante,* D *ut numm.* 8 *et seqq. late stabilivimus. Quod ut constet, sufficit ut S. Nivardi donatio fieri potuerit ante annum circiter* 666 : (*S. Bovæ scilicet ortum inter annum* 561 *et* 566 *retulimus num.* 19 *hujus Commentarii*). *Porro, ut Stiltingus noster ostendit ad diem* I *Septembris* (*e*), *S. Nivardus Remensis archiepiscopus factus est anno fere* 650 *et forte citius. Quare nihil nos cogit S. Nivardi donationem temporibus multo posterioribus assignare. Sed vult Mabillonius ejusque sequaces hanc ad finem sæculi* VII *referendam esse : utinam tam novæ assertiones certis niterentur probationibus! sed omne fundamentum Mabillonii videtur in eo esse, quod credidit sæpe dictam donationem testamento S. Nivardi esse contentam; quod si verum foret, non quidem hinc concludere liceret hoc benefactum anno* 673, *quo fere secundum Stiltingum S. Nivardus obiit, obtinuisse : cum potuerit is Sanctus testamentum suum condere diu ante mortem; quod,* (*ut obvium citem testimonium*), *in Romulfo Remensi præsule admittunt adversus Cointium Galliæ Christianæ editores* (*f*). *Secundo, hæc testamenti hypothesis non tantum gratuita est, sed prorsus caduca; quoniam Flodoardus, qui S. Remigii, Romulfi, Sonnatii, et Landonis* testamenta E *memorat, nihil hujusmodi de S. Nivardo adstruit; quod confirmatur silentio Almanni monachi, S. Nivardi gesta prosecuti* (*g*). *Tertio, hoc ipso loco, ubi Flodoardus meminit concessionis bonorum, de qua quæstio est, agit de aliis donationibus, a S. Nivardo diu ante mortem factis : satis fuerit nominasse largitiones monasterio Altivillari collatas, quas ipse Mabillonius in Annalibus* (*h*), *Gallia Christiana* (*i*), *et nos in præsenti tomo in Vita S. Bercharii ad annum circiter* 662 *retulimus. Stare itaque potest universa nostra chronotaxis, si S. Bovæ anni circiter* 95 *assignentur. Quam ætatem bene multi Sancti, probante ipso Mabillonio, prætergressi sunt.*

Latet annus emortualis S. Balderici, *qui anno* 629 *senex erat;*

33 *Quam vero ætatem attigerit S.* Baldericus, *quo tempore mortuus sit, atque alia hujusmodi non ita dispicimus. Wion, qui Baltfridum anno circiter* 660 *mortuum scribit, testatur se nescire quo tempore obierit S.* Baldericus, *qui nobis idem est ac Baltfridus. Castellanus et Martyrologium Autisiodorense generatim ejus mortem annectunt sæculo* VII; *Martyrologium Parisiense annum* 628 *vel* 664 *assignat; sed incertum quibus fundamentis hæc nitantur. Ex S. Wandregisili Vita id unum nobis constat, eum circa annum* 629 *adhuc vixisse, sed* F *viribus jam fractum fuisse, cum* senex *dicatur; deinde ex Flodoardo et ex sæpius citata Vita S. Bovæ eum ante hanc Sanctam migrasse e vivis. Cæterum integrum caput* IV *Vitæ S. Bovæ in enarranda S.* Balderici *morte est : satis mihi est descripsisse synopsim, quam margini apposuit Henschenius his verbis :* S. Baldericus abiturus (*e monasterio S. Petri Remensi, quo negotiorum ergo devenerat*), ob tempestatem ad preces Sanctarum (*Bovæ et Dodæ*) excitatam retinetur in monasterio; gravi morbo tentatur; timet ne monasteriis malum immineat; SS. Bovam et Dodam confortat : seipsum piis votis excitat, aspiciens coronam sibi a Christo oblatam, pie moritur; odor suavissimus et cadaveris nitor cœlestem ejus gloriam indicant; obitum ejus maxime lugent S. Bova soror et S. Doda neptis. S. Balderici corpus expositum claret miraculis, sepelitur IX Octobris.

sepelitur in ecclesia S. Mariæ extra muros Remorum.

34 *His adstipulatur Flodoardus, caput de S.* Balderico *sic claudens* (*k*) : Quibus patratis (*Monte-*

(*a*) Act. SS., t. III April, p. 623. — (*b*) Lib. IV, cap. XXXVIII. — (*c*) T. IX, col. 271. — (*d*) T. I, lib. II, cap. XXXIV. — (*e*) Act. SS., t. I Sept., p. 270. — (*f*) T. IX, col. 18. — (*g*) Cfr Act. SS., t. I Sept., p. 278 et seqq. — (*h*) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 662, § 23. — (*i*) T. X probat., col. 1. — (*k*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXIX.

A *falconis ordinato*), ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico quievit. *Quæ postrema verba intelligenda non sunt, quasi S.* Baldericus *ipsis Remis sepultus fuisset; qua in re errant scriptores gravissimi. Etenim capite superiore scripsit Flodoardus* corpora *SS. Bovæ et Dodæ* in ecclesia extra muros urbis. . . diu tumulata quievisse, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam (*intra urbem*) perlata. . . *Quæ verba conferenda sunt cum his, quæ Vita* (*a*) *SS. Bovæ et Dodæ exhibet : S. Dodam* odorum muniis diversorum. . . venerabiliter compositam juxta Sancti Patris Balderici sinistri lateris partem honorifice sepelierunt. VIII kalendas Maii, in supradicta ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ : ubi merita eorum trium, per multa floruerunt tempora, quousque destructa penitus exstitit illa ecclesia propter rationes superius a nobis tractatas. *Alibi autem dicitur* (*b*) *S. Bova* tumulata ad partem dextri lateris fratris, ad quietem in basilica Sanctæ Dei Genitricis extra muros Remorum, *idemque aperte de S.* Balderico *affirmatur* (*c*). *Secundum*
B *hanc vero S. Bovæ Vitam sepultus fuit noster Sanctus* VII *Idus Octobris, seu die* IX *hujus mensis. Marlotus* (*d*) *ex Flodoardo refert S.* Baldericum *die* XII *Octobris obiisse : qui lapsus calami seu memoriæ est, cum nusquam hic auctor S.* Balderici *emortuale tempus notaverit. Quamdiu extra muros Remorum manserint nostri Sancti pignora; non est unde edisseramus. Attamen num.* 5 *hujus Commentarii planum factum fuit, eas ante annum* 882 *jam pridem aliorsum asportata fuisse, prius ad monasterium S. Petri Remense, ut ex dicto num.* 5 *liquet, dein ad Montemfalconis, ut late docet Flodoardus in hac historiæ suæ parte, quam ad calcem hujus Commentarii, annotatis instructam, subjicimus. Quod autem S.* Baldericus *in ecclesia S. Mariæ extra muros Remorum, non in ecclesia S. Petri sepultus fuerit, ratio est, nondum id temporis satis invaluisse morem sepeliendi in civitatibus, ut inferius ex Vita S. Mummolini et adjectis notis patet : qua de re non expedit plura hic conferre. Frustra objiceretur testimonium Flodoardi* (*lib.* I, *cap.* XVII) *de sepultura S. Remigii dicentis; cum potius ille locus indicet pristinum morem sepeliendi mortuos intra muros Remorum abolitum fuisse tempore S. Remigii et ipsius Flo-*
C *doardi ævo nondum fuisse restitutum. Pergimus jam ad fata cœnobii Falcomontensis, quod S.* Balderico *origines suas debere sæpius diximus.*

§ IV. Elucidantur aliquot puncta historica ad cœnobium Montisfalconis spectantia.

In Montefalconis successerant jam temporibus Hincmari canonici loco monachorum;

Quæri *primo potest num S.* Baldericus *monachus Benedictinus fuerit : mitto repetere responsa Wionis aliorumque, quos num.* 2 *citavi; unus hic Mabillonius prodeat, qui in indice prætermissorum Secundi Sæculi Benedictini insignivit S.* Baldericum *asterisco, qui* designet eos qui germani Benedictini esse videntur; *sed norunt docti hoc effugium fuisse, quo placaret sodales, qui eum violati canonis SS. Or-* D *dinis postulabant, dum alii e suis sociis eum tamquam faciliorem traducebant. Quantum vero ad me attinet, caducis conjecturis indulgere nolo : aliis indagandum relinquens, num quid elici queat ex disciplina et gestis S. Wandregisili, qui S.* Balderico *magistro usus est. Quidquid vero hac de re statuatur, non ita diu in Montefalconis habitarunt monachi, quibus canonici successerunt. Nam, licet hæc Flodoardi verba* (*e*) : Processu denique temporis diligentia clericorum, prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, ejus est illuc furtim corpus. . . . Remis ablatum, *non certo innuunt hos* clericos *jam canonicos fuisse, tempore tamen Hincmari sine dubio illic jam degebant hujus instituti viri; quod constat ex Flodoardo* (*f*) *asserente* ad tempora Caroli regis et Hincmari archiepiscopi, . . . Nordmannorum. . . terrore compulsos *fuisse* canonicos ejusdem loci, *et ex verbis Hincmari* (*g*) *in synodo apud Remos habita anno* 874 : Presbyteri nostræ parochiæ (*diœcesis*) dicuntur ecclesias suas negligere et præbendam in monasterio Montisfalconis obtinere; sed et canonici ipsius monasterii ecclesias rusticanarum parochiarum occupare. *Quod utrumque cum ex auri cupiditate fieret, et* E *multa procrearet incommoda, severe vetuit. Atque ab hoc tempore usque ad superioris sæculi gallicanos tumultus permanserunt illic canonici. At lubet paulo altius in Montisfalconis historiam inquirere, quam hucusque ab historico aliquo factum fuisse sciam.*

forte invisit Carolus Magnus hunc locum et liberaliter habuit.

36 *Superius ex Flodoardo didicimus monasterio, in Montefalconis a S.* Balderico *ædificato, inditum fuisse titulum S. Germani. Neque id mirabile est, cum hujus Sancti cultum jam tempore S. Remigii in diœcesim Remensem introductum tradat S. Hericus Autisiodorensis* (*h*). *Verum neque S. Hericus, neque alius ullus mihi cognitus antiquus scriptor, qui vitam, miracula et translationes S. Germani prosecutus sit, tradit, quæ, teste Marloto* (*i*), *a recentioribus S. Germani et S.* Balderici *biographis asseruntur, et quæ in Officio Falcomontano partim quoque reperio, Carolum Magnum ab Autisiodorensibus petiisse et adeptum esse Reliquias S. Germani, in Germaniam deferendas : eas ad Montemfalconis fuisse translatas; capulum, quo inclusæ erant tanto pondere fuisse aggravatum, ut inde intellexerint ordinatum altiori nutu, ut prædictæ Reliquiæ cœnobialem* Balderici *ecclesiam adornarent, quæ ob* F *id B. Germano dedicata est; imperatorem haud multo post hujus rei certiorem factum per nuntios, ecclesiam, et* Baldericum *visitasse, cui multos impertiit reditus, quibus decem aut octodecim præbendæ dotatæ, etc. Certum est hic fabulas non deesse : S.* Baldericus *quippe duobus fere sæculis Carolo Magno anterior est; et translationem Reliquiarum S. Germani tempore hujus imperatoris commentitiam esse manifestum est, cum ex dicto S. Herici libro, tum ex his quæ hac super re commentati sunt decessores nostri ad* XXXI *Julii, vel Lebeuf in Historia Autisiodorensi* (*k*), *aliique complures. Quorum errorum, origines detegere mihi videor in Historia fundationis monasterii Gladbacensis, quam primus edidit Lucas d'Archery in Spicilegio; ubi in tomo II posterioris editionis hæc leguntur* (*l*) : Fertur ab antiquioribus Caroli Magni temporibus Baldericum quemdam ex regni primoribus in isto monte fabricasse ecclesiam, et cum pretiosissimis Sanctorum Reliquiis, eamque sufficientibus reditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam. . . *Cujus montis*

(*a*) Cap. V, n. 24. — (*b*) Ibid., n. 22. — (*c*) Ibid., n. 20. — (*d*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXV, p. 263. — (*e*) Lib. IV, cap. XL. — (*f*) Ibid. — (*g*) Labb. Collect. Concil., t. VIII, col. 387. — (*h*) De Miracul. S. Germani, lib. I, cap. XLVI, ap. Labb. Bibl. nova Mss., t. I. — (*i*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXV, p. 262. — (*k*) T. I, p. 74. — (*l*) p. 656.

situs

A *situs dignoscitur ex his quæ ibi obviant verbis* (*a*) : Ultra terminum diœcesis (*Coloniensis*) appropiaverunt Molensium fines. In ipsis ergo finibus mons erat incultus. . . *Et inferius* (*b*) *late exponitur illum eumdem montem esse, in quo Gladbacense S. Viti monasterium ædificatum est. Ut autem excusem eos, qui Gladbacum cum Montefalconis confuderunt, notabo hunc* (*ut paulo inferius videbitur*) *in comitatu* Dolinensi *aut* Dolmensi *situm esse : quod nomen a pago* Molinensi *non prorsus dissonat; et præterea de hoc pago innumeras propositas fuisse sententias : vide chronicon Gotwicense ad vocem* Moilla *et opus Cl. VV. Binterim et Mooren de veteri et præsenti diœcesi Coloniensi* (*c*), *ubi ille pagus perbene illustratur. Ut jam redeam ad propositam quæstionem, imperatoris transitum et liberalitatem probat Marlotus* (*d*); *quæ sententia fulciri potest ex jure, quod in hoc cœnobium deinceps adepti sunt Caroli Magni successores.*

Certe penes ejus successores fuit, a quibus datus est Virdunensibus episcopus;

37 *Jus scilicet, quo in abbatias regales gaudebant reges imperatoresve, sæpe repetendum esse ex eo, quod illorum munificentiæ abbatiæ fundatio aut reædificatio debebatur docet cum aliis Thomassinus* (*e*). *Porro in divisione regni, inter Carolum Calvum et*

B *Ludovicum Germanicum anno* 870 *facta, obtinuit Carolus inter varia monasteria* Montemfalconis. *Circa annum vero* 890 *videre est hoc cœnobium penes Arnulfum, regem Germaniæ, filium nothum Carlomanni, Bavariæ regis, nepotem Ludovici Balbi, et pronepotem Caroli Calvi. At circa memoratum annum* 890 *abbatia seu collegiata ecclesia Montisfalconis e regali facta est episcopalis; ut liquet non tantum ex testimonio Flodoardi* (*f*), *sed imprimis ex ipsius Dadonis Virdunensis episcopi, qui eam accepit, scriptione. Hic scilicet, ut ipse præfatur,* anno ab Incarnatione D. N. J. C. DCCCXCIII, regnante vero domino Arnulfo rege anno V, *confecit epitomam gestorum Attonis et Berhardi, qui eum in Virdunensi sede præcesserant, quod prius edidit Wassenburgius in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ* (*g*) *et dein Calmetus inter probationes Historiæ Lotharingiæ* (*h*). *Hæc porro illic occurrunt verba, ad ipsum Dadonis tempora referenda :* Arnulphus quoque gloriosissimus rex dedit in proprium per authoritatis suæ præceptum supradictæ ecclesiæ (*Virdunensi*) abbatiam, quæ vocatur Montisfalconis, quæ est in honore S. Germani constructa, et in comitatu Dolinensi (Dolmensi *legit Calmetus*)

C est sita, cum omnibus et sibi pertinentibus, *etc.*

qui in eum jurisdictionem temporalem, et spiritualem habuerunt.

38 *Marlotus* (*i*) *commentatur hanc donationem, culpatque Wassenburgium, quod exinde contendit* (*ubi locorum id faciat equidem non reperio*) *prædicti Montisfalconis ecclesiam Virdunensi fuisse subjectam; et secundum ipsum citatum diploma probat Argoniæ ulteriorem partem, in qua jacet Monsfalconis, partem imperatorum fuisse dominii, quamvis inficias ire nolit episcopis Virdunensibus prædictum monasterium in commendam fuisse collatum : et quidem Flodoardi testimonio stabiliri posse videtur jam tempore Dadonis usum commendæ apud Montemfalconis obtinuisse; hæc sane prodit Flodoardus* (*k*) : Præfatus præsul Dado, postquam hanc S. Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datas pro villa Gerlani monte, super Mosellam conjacente, mutavit. Ad quam villam, dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis PRÆCEPISSET, . . . profecti sunt EXEQUI D JUSSA. *Præterea ex Vita B. Joannis Abbatis Gorziensis, ad* XXVII *Februarii in opere nostro edita* (*l*), *hoc alterum eruere est testimonium : narratur nempe B. Joannes a pluribus fuisse visitatus;* inter quos... quidam vir natione Britto, Andreas nomine, liberalibus apprime studiis eruditus, sed et animi virtute præpollens, et quod his majus est, in divina admodum studiosus. Hic de patria insula, infestatione Normannorum, cunctis ejusdem incolis aut occisis aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æque ac sapientibus viris pulsus, a reverendæ sanctitatis episcopo Dadone, cujus supra mentio facta est, in Montefalconis cum nonnullis, qui cum eo advenerant, Brittonibus exceptus et satis liberatiter est procuratus. *At non suavis fuit Montisfalconis canonicis hæc Virdunensium episcoporum potestas : jam anno scilicet* 941, *ut asserit Flodoardus in Chronico,* canonici Montisfalconis oppressione Virdunensis episcopi prægravati, deserentes cœnobium suum, corpus Sancti Balderici patroni sui deferunt Remis. *Hugo Flaviniacensis, qui hanc Flodoardi scriptionem ab anno* 919 *ad annum* 966 *contraxit, in suo Chronico Virdunensi idem factum admittit, innuens tamen oppressionem potius prætensam quam* E *veram fuisse. Sed recentior est Hugo, quam ut ei standum sit.*

Inde turbæ, quæ dein sedatæ; quod tamen non liquet ex epistolis, male alicui Montisfalconis abbati attributis.

39 *Quamdiu extorres e suo monasterio degerint canonici Montisfalconis, non in promptu edissere est. Res sane jam composita erat, cum Adalbero, Virdunensis episcopus, ab sua sanctitate laudatus, hoc cœnobio non anno* 980, *ut male statuit Marlotus* (*m*), *sed inter annum* 984 *et* 988 *potiretur, ut ex Gallia Christiana* (*n*) *constat, idque paulo ante mortem resignaret Rodulfo, fratris seu sororis filio, qui usque ad tempora S. Richardi, abbatis S. Vitoni, vixit, quemadmodum adstruitur a Wassenburgio* (*o*). *Citius etiam hanc litem absolutam fuisse statuendum esset ex quorumdam sententia, qui volunt, ut habet Gallia Christiana* (*p*), *a quodam abbate Montisfalconis ad Wicfridum, Virdunensem cathedram ab anno* 959 *usque ad annum* 983 *adeptum, scriptas fuisse duas epistolas, in Spicilegio Dacheria no*(*q*) *editas. Verum Martennius in Amplissima Collectione* (*r*) *easdem cum alia inscriptione edidit, et in adjecta nota satis ostendit eas scriptas fuisse a Remigio Autisiodorensi monacho ad Dadonem, quem supra memoravimus. Martennii argumentis addi potest, Hungaros, qui in priori epistola diœcesim Virdunensem dicuntur vastare, post annum* 935 *in hunc terræ tractum non incurrisse; quo anno posterior est episcopatus Wicfridi. Amicitia itaque, quæ in hac epistola inter Virdunensem episcopum et congregationem S. Germani vigere dicitur, ad canonicos S. Germani de Montefalconis non spectat.* F

Dudo primicerius Virdunensis et abbas Montisfalconis.

40 *Ex quo tempore Adalbero Rodulpho nepoti Montisfalconis cœnobium resignavit, non videtur abbatis munus continuo ad episcopum Virdunensem rediisse. In catalogo enim primiceriorum Virdunensium Galliæ Christianæ inserto* (*s*), *apparet vir quidam nomine Dudo, de quo sequentia illic leguntur :* Dudo simul erat primicerius et abbas Montisfalconis anno 1032 mense Septembris in charta fundationis prioratus Ameliæ. (*Excusa est hæc charta in Gallia Christiana* (*t*); *sed* primicerius *illic tantum audit*). Subscripsit litteris Brunonis episcopi

(*a*) Cap. VI. — (*b*) Cap. VIII. — (*c*) T. I, p. 230 et seqq. — (*d*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXXV, p. 262. — (*e*) De la discipline ecclésiastique, edit. 1725, part. II, lib. II, cap. XXVIII, n. 1. — (*f*) Hist. Remens., lib. IV, cap. XLI. — (*g*) Fol. rect. 174. — (*h*) T. III, col. LXXVII. — (*i*) Hist. Remens. t. I, lib. II, cap. XXV, p. 263. — (*k*) *Ibid.* lib. IV, cap. XLI.—(*l*) Cap. III, n. 23, p. 694. — (*m*) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. XXV, p. 263. — (*n*) T. XIII, col. 1182 et seq. — (*o*) Antiq. de la Gaule Belgique, fol. vers. 206. — (*p*) T. XIII, col. 1181. — (*q*) T. I, p. 398 poster. edit. — (*r*) T. I, col. 230. — (*s*) Gall. Christ., t. XIII, col. 1258. — (*t*) Ibid. inter instrum., p. 557.

A Tullensis pro monasterio S. Apri anno 1034. *Quæ litteræ reperiuntur inter probationes Historiæ Lotharingiæ* (*a*); *at inde discimus tantum eum* primicerium Virdunensem *fuisse. Assertio tamen Galliæ Christianæ certa est, quandoquidem ex archivio Metensi erutum fuit diploma Conradi II imperatoris, quo roborat permutationem factam inter Heymonem episcopum Virdunensem, vita jam functum, et Dudonem primicerium Virdunensem simulque Falcomontanum abbatem; quod diploma, excusum in Collectione Historicorum Galliæ* (*b*), *nuncupat Dudonem* primicerium et abbatem de loco Sancti Germani. *Ejus partem reperiet lector intextam annotatis, Flodoardi narrationi de miraculis S.* Balderici *subjungendis. Ex nullo autem fonte eruere licet, quo anno Dudo primum occuparit abbatialem Montisfalconis sedem; sequitur tantum ex Heymonis emortuali anno* 1024, *Dudonem hoc saltem anno utraque Virdunensis primicerii et Falcomontani abbatis dignitate fruitum esse. Verum non duravit is rerum status; sequenti enim tempore factum est denuo hujus ecclesiæ regimen penes Virdunenses episcopos, ut inferius ad annum* 1168 *videbimus.*

B *Ab anno* 1057, *non abbas, sed præpositus Montifalconis præest; castrum dein ædificatum et destructum; jus Virdunensis episcopi.*

41 *Interea, triginta circiter annis post Dudonis tempora, abolitus erat* abbatis *titulus, et in* præpositi *nomen, quo Milo ante annum* 935 *jam usus fuisse traditur* (*c*), *abierat. Quod docemur rescripto Godefridi Gibbosi, ducis Lotharingiæ et Godefridi Bullionensis avunculi, dato diebus sanctis Pentecostes anni* 1057, *de reformandis subadvocatis Ecclesiæ Virdunensis; quod plures abbates et* præpositus etiam de abbatia Sancti Germani *jam pridem efflagitabant, ut apud Wassenburgium legitur* (*d*). *Neque hæc interventio mira esse potest; quod Monsfalconis feudum seu beneficiarius fundus erat, quem is qui abbatis seu præpositi gerebat munus, sive is episcopus, sive primicerius Virdunensis aliusve foret, a Lotharingiæ duce tenebat. Cujus rei testis est Laurentius de Leodio, scriptor Historiæ episcoporum Virdunensium, Dacheriani Spicilegii tomo II posterioris editionis insertæ; ubi Monsfalconis intra episcopium, seu temporalem jurisdictionem episcopi Virdunensis situs dicitur, et simul mentio fit castri, quod ibidem dux Lotharingiæ tamquam dominus habebat :* Idem dux (*Godefridus Bullionensis*), *ait Laurentius* (*e*), castrum Falconis montis, quod in episcopio (*Virdunensi*) firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti. *Quod vero reddidi, vocabulum* episcopium, *cujus varias significationes in Glossario Cangii videre est, per* temporalem episcopi jurisdictionem, *auctor mihi fuit La Martinière in Dictionario suo Geographico ad vocem* Montfaucon. *Et reapse hæc recta interpretatio videtur, quandoquidem inter pagos, vicos, aliave hujusmodi, in quæ solitam jurisdictionem temporalem per investituram Nicolaus Psalmæus, Virdunensis episcopus, ab imperatore Carolo V anno* 1548 *Bruxellis adeptus est, recensetur ex antiquo more Monsfalconis* (*f*). *Quod vero spectat ad jurisdictionem spiritualem, video graves, sed recentiores, historicos Montemfalconis ante sæculi superioris tumultus episcopo Virdunensi subjicere, eumque a diœcesi Remensi decerpere. At cum nusquam aliquid mihi occurrat, quod in eamdem me inducat sententiam, arbitror hanc litem dirimi posse, si distinguatur jurisdictio in cœnobii incolas a jurisdictione in accolas vicinos seu Montisfalconis cives; et si illa tribuatur Virdunensi præsuli aliive ejus locum tenenti, hæc vero archiepiscopo Remensi adscribatur. Quidquid id est, archiepiscopi* D *Remensis auctoritas non semper inutilis fuit ipsis Virdunensibus, qui Montefalconis potiebantur. Exstat scilicet in Amplissima Collectione Martennii* (*g*) *et in Collectione scriptorum Historiæ Galliæ* (*h*) *epistola Alexandri III Papæ, data Beneventi anno* 1168 *vel* 1169 *ad Henricum Remensem archiepiscopum; qua eum exorat, ut Richardum de Crissa Virdunensem electum, Romanæ Ecclesiæ devotum, defendat a vexationibus* Gideri de Sarnai possessiones ecclesiæ Montisfalconis invadere ac devastare præsumentis, et homines ejus diversis afficientis detrimentis, *quoniam* jam dicti filii sui damna propria reputare debet.

Archidiaconi Argonæ interdum sunt Montisfalconis præpositi; quinam ex his Virdunenses episcopi facti sint.

42 *Haud scio an diu ante annum* 1224 *archidiaconatus Argonæ* (*illius nempe Argonæ partis, quæ archidiœcesi Remensi claudebatur*), *cum præpositura Montisfalconis unitus fuerit; neque similiter satis mihi patet, an hæc beneficiorum conjunctio ab ineunte sæculo* XIII *semper perstiterit : id tantum mihi certum est, Henricum de Malapete utroque hoc munere gavisum esse, cum scissio facta est in capitulo Virdunensi anno* 1224, *saniore capituli parte Radulfum de Torota eligente, (quæ electio post biennium confirmata est,) altera parte eligente ipsum Henricum de Malapete. Latius enucleatum vide hoc negotium in Gallia Christiana* (*i*). *Similiter Nicolaus Bousmard, qui curante Carolo III Lotharingiæ duce anno* 1576 *bullas suas, quibus Virdunensis* E *episcopus declarabatur, non sine canonicorum quorumdam simultate adeptus est, archidiaconus Argonæ, major præpositus Montisfalconis et decanus ecclesiæ collegiatæ S. Magdalenæ ante suum episcopatum erat* (*k*). *Inter Henricum et Nicolaum tertius innotescit præpositus Montisfalconis, qui pariter archidiaconatu fruitus est, et anno* 1456 *a majori capituli parte in episcopum electus fuit; quod officium anno sequenti ex nominatione summi Pontificis est adeptus : cujus laudes et nævos late declarat Gallia Christiana* (*l*). *Ast quoniam in his disquirendis scopus noster fuit, aliquatenus tantum supplere absentiam historiæ abbatiæ Montisfalconis; non est quod investigemus, quo tempore ædificatum fuerit castrum, quod Henricus IV, cum Campania penes Galliarum reges devenit, exscindendum jussit, et de quo Beaugier in Commentariis de Campania* (*m*) *et d'Expilly in Dictionario Geographico agunt, similiave congeramus ad historiam politicam spectantia.* F

C

§ V. Amissio omnium fere S. Balderici Reliquiarum; cultus in diœcesi Coloniensi et in Montefalconis, cum exstaret capitulum et postquam destructum est.

S. Balderici *Reliquiæ, quarum pars tantum Remis et in Montefalconis servabatur,*

In superiori § *siluimus fere de S.* Balderici *Reliquiis earumque cultu : tum quoniam ea, quæ ante Flodoardi obitum, seu potius ante scriptam ab eo Historiam ecclesiasticam Remensem contigerunt, sedulo annotavit hic historiographus; tum quoniam ea, quæ ejus secuta sunt tempora, omnimodis tenebris*

(*a*) T. II, col. CCLXVII. — (*b*) D. Bouquet Recueil des Histor. de France, t. XI, p. 538. — (*c*) Flodoardi Hist. Remens., lib. IV, cap. XLII. — (*d*) Antiquit. de la Gaule Belgique, fol. vers. 261. — (*e*) Spicileg., tom. II, p. 246 nov. edit. — (*f*) D. Calmet Hist. de Lorraine, t. VII, col. 112. — (*g*) T. II, col. 761. — (*h*) D. Bouquet, t. XV, p. 869. — (*i*) T. XIII, col. 1210. — (*k*) Ibid., col. 1244. — (*l*) Ibid., col. 1235 et seqq. — (*m*) Mémoir. histor. sur la Champagne, t. II, p. 14.

involuta

A *involuta jacent, adeo ut ipsum corpus jam pridem in ignoto quiescat loco. Remis quidem, ut habet Marlotus* (*a*), *in gazophylacio S. Petri Superioris servabatur olim* os sat longum S. Balderici (*Marloti verba sunt*), *quod inter Gallicanos tumultus forte perierit : (nam nihil nobis de eo sciscitantibus responderunt Remenses;) et in Montefalconis aliquot quoque ossicula pia habebantur veneratione : ast reliquæ sacræ exuviæ diuturna sepeliebantur oblivione. Constat id scilicet ex epistola canonici Falcomontani; qui, ut mortem aut sacrilegam vitaret perfidiam, in Coloniensem diœcesim emigraverat. Reverendi autem DD. Binterim et Mooren in suo opere de veteri et præsenti Coloniensi diœcesi* (*b*), *ubi Librum valoris Coloniensis diœcesis commentantur, inseruerunt eam ad locum, nomine* Weislich *in decanatu Arcuensi, qui nunc* Wesseling *aut potius* Wesling, *olim vero* Waslicia *dictus est. Sonant autem in hæc verba circulares illæ litteræ :* Capitulum insignis ecclesiæ collegiatæ Sanctorum Germani et Balderici Mon-

* *lege* Gallice tisfalconis, Galliæ* Montfaucon, Remensis Diœcesis in Gallia, ab imperatore S. Carolo Magno sæculariter fundatum, jam a primis temporibus circa ann. 820, a quodam Adhælardo ecclesiæ suæ abbate

B seu præposito quoddam dominium acceperat, villam nempe Wasliciam, vulgo Wesseling, supra Rheni ripas, Coloniam Agrippinam inter et Bonnam oppidum sitam. Prædium istud canonici Montisfalconis per 600 et amplius annos rexerunt, et per unum e suis fructificare fecerunt, ad hoc deputatum, donec mediante sæculo XV, attentis ex majori distantia resultantibus impedimentis, illud canonicis SS. Cassii et Florentii civitatis Bonnensis vendiderunt mediante certo et conducto florenorum aureorum numero; quibus alia sibi viciniora prædia comparaverunt. Extant hujus venditionis, capitulo Bonnensi factæ, instrumenta in archivis ecclesiæ Montisfalconis, et actus, per quem nomine sui capituli deputati Cassiani promittunt, se perpetuum in ecclesia sua Bonnensi celebraturos anniversarium pro benefactoribus ecclesiæ Falcomontanæ, iis præcipue, qui eidem dictam Wasliciam dederunt.

videntur olim in diœcesi Coloniensi deperditæ fuisse, ut constat ex epistola hic recitata;

44 Prioribus existentiæ suæ sæculis canonici Montisfalconis, primum a Nortmannis fugati; dein ab Hungaris, qui has Galliæ partes invaserant et infecerant; demum a vicinis magnatibus oppressi, ut eorum se vexationibus subducerent, toties suam Wasliciam petebant, secum auferentes corpus pa-

C troni sui Sancti Balderici; cujus ad exuvias turmatim concurrentes et prostrati, Rhenenses incolæ multas a Deo sanitates impetrarunt, multaque sunt admirati miracula, quæ fuse narrat Flodoardus Remensis sæculi X scriptor. Unde S. Balderici cultus non modicum in his Rhenensibus regionibus invaluit. Sed heu! jam ab XI sæculo corpus sui patroni desiderat ecclesia Montisfalconis, cujus tantummodo quasdam possidet particulas; et non absque fundamento conjicere datur, præcipuam corporis partem apud Wasliciam, vel in vicinia, post supra memoratas translationes esse derelictum. Accedit quod a multis inde sæculis specialis cultus habeatur in eadem collegiata Montisfalconis ecclesia Sanctorum Gereonis et Soc. Martyrum, non alia sane causa introductus, quam ex occasione supra dictarum corporis S. Balderici in archidiœcesin Coloniensem translationum, quemadmodum ex vice versa ex antiqua capituli Montisfalconis possessione patronatum Sancti Germani sibi vindicat parochialis ecclesia Wesling.

45 Quocirca ego Ludovicus Maria de Rosne, D presbyter et ejusdem Falcomontensis ecclesiæ canonicus et historiographus, pro fide nunc et rege in hisce Germaniæ partibus exulatus, nomine dicti mei capituli quoscunque rogandos rogo et obtestor, quatenus me doceant si quid ad eorum notitiam de Sancto Balderico abbate pervenerit. Utrum v. g. apud eamdem Wasliciam vel in vicinia corpus ejus conservari noscatur et cultus ejus vigeat; et si res se ita habeat, certiora per scriptum testimonia largiri dignentur petenti, perpetuas tum a me, tum meis confratribus, gratias in terris, sed majorem in cœlis accepturi mercedem ab eo, qui est mirabilis Deus in Sanctis suis. — Coloniæ Agrippinæ 20 Novembris 1793, Derosne, can. Montisfalc. — Præsens manuscriptum per manus authoris tempore sui exilii mihi infrascripto in abbatia Brauwilerensi traditum esse testor, Spenrath.

in quam aliquot faciendæ videntur censuræ :

46 *Paucula de his litteris animadvertisse juverit. Affirmatur initio ab imperatore Carolo Magno Montisfalconis cœnobium* sæculariter fundatum *esse : quod aliis verbis sonat id temporis* canonicos sæculares *substitutos fuisse monachis primitus illic a S.* Balderico *institutis; verum huic asserto nobis refragari liceat, dum persuasum habeamus tempore* E *hujus imperatoris, si quæ mutatio tunc facta sit, canonicos regulares, non sæculares, illuc introductos fuisse. Re quidem vera regula Aquisgranensis, permultum a Carolo Magno promota, æstimatur a pluribus, quos inter Zunggo* (*c*), *numquam suos canonicos inter alios quam inter* sæculares *habuisse; verum inde non certo inferas ubique temporibus Caroli Magni hujusmodi canonicos monachis successisse; nam iisdem temporibus regula canonicorum S. Chrodegangi, certe religiosorum, invaluit : quare, cum Hincmarus Remensis in synodo Remensi an.* 874 *capitulum ediderit, quo plane supponit canonicos Montisfalconis vere religiosos fuisse* (*quod legere est apud Labbeum* (*d*), *ubi inter alia mentio fit* professionis libelli), *multo magis nobis placet Zunggo sententia, qui censet* (*e*), *sæculo tantum duodecimo canonicos sæculares illuc introductos fuisse, licet tamen ex dictis satis liqueat sæculo nono disciplinam regularem in hoc cœnobio graviter jam labasse. Quæ vero præterea de Montefalconis Zunggo* (*f*) *asserit, quot verba tot fere commenta sunt. Quæ qui legere voluerit, comparet cum his quæ* § *superiore diduximus, et durissima hæc nostra censura mitior forte videbitur. Verum ad S.* Balderici *cultum pedem* F *referamus.*

hinc in illa regione cultum obtinuit S. Baldericus.

47 *Monet nos citatum laudatumque opus Binterim et Mooren, in libro* III *syntagmate* 75 *de Colonia Agrippinensis Magnitudine mentionem fieri de ruderibus ecclesiæ olim S.* Balderico *sacræ. Et quidem in indicato opere* (*g*) *legitur, videri conditum a S. Philippo Benitio, anno* 1273 *per Germaniam itinerante, monasterium Servitissarum, quod aliquandiu juxta Bonnam exstitit sub titulo S.* Balderici, *vulgo* Sanct Baldrich, nunc unitum, *ut addit Gelenius anno* 1645 *scribens,* Collegio Ditkirchensi in cujus vinea adhuc videntur rudera S. Balderici. Titulus ecclesiæ tamen videtur exstitisse ab exilio S. Balderici (*Falcomontensium sane canonicorum*) in Wesseling. *Collegium Ditkirchense idem est ac ecclesia collegiata S. Lubentii in Dietkirchen, sita in diœcesi Trevirensi ad fluvium Loganam. Frustra vero plura inquisivi de hoc Servitissarum monasterio, cujus ne mentio quidem fit in Annalibus Ordinis Servorum B. M. Virginis, neque in operibus, quæ de diœcesibus Tre-*

(*a*) Hist. Remens., tom. I, p. 256. — (*b*) Die alte und neue Erzdiözese Köln, t. I, p. 136 et seqq. — (*c*) Prodromus Histor. Canonic. Regular., t. I, p. 100. — (*d*) Collect. Concil., t. VIII, col. 587 et seq. — (*e*) Prod. Hist. Canon. Reg., t. II, p. 93. — (*f*) Loc. cit. — (*g*) Gelenius de Admiranda Coloniæ Magnitudine, p. 588.

A *virensi et Coloniensi habemus, si allata loca excipias.*

Quæ reliqua monumenta ad cultum,

48 *Quod vero ad cultum, Reliquias aliaque hujusmodi Falcomontensia attinet, nihil satius mihi occurrit, quam latino idiomate exhibere binas ad nos datas litteras. Rev. adm. Dominus Houzelot, decanus et parochus Falcomontanus, sic scilicet ad nostra postulata rescripsit :* I. Codex MS., cujus meminit Calmetus, anno 1793 flammis traditus est, non secus ac reliqua monumenta, quæ in archivio Montisfalconis servabantur. II. Pristinæ canonicorum ædes prorsus destructæ sunt; superest unum templum, quod servatum est, ut vices suppleret pristini S. Laurentii parochialis templi, in quo S. Balderici sepulcrum exstabat, et quod omnino nunc dirutum est. III. S. Baldericus patronus non est Montisfalconis, sed S. Laurentius; æstimatur ille tantum ut fundator; verum patronus est in Spanulfi villa (*Epinonville*) et Septargues, exiguis parœciis, quæ dimidia leuca a Montefalconis disjacent. Nulla exstat pia peregrinatio in S. Balderici honorem. IV. Nostra ecclesia nullis S. Balderici Reliquiis gaudet; inveni solummodo in sacristia cranium et duo ossa anterioris brachii (*cubitos itaque aut radios*), authentiæ monumentis destituta. Ea collo-

B canda curavi in altari, non ita pridem in honorem B. V. M. a Septem Doloribus erecto. Æstimat vulgus ea ex corpore S. Balderici olim desumpta fuisse. (*Videat lector quæ num.* 44 *ex litteris D. Derosne recitavi, judicetque num umquam cranium et duo majora ossa* particulæ *vocari quiverint.*) V. In Montefalconis neque imago, neque statua, neque aliud momenti cujuspiam monumentum, ad S. Baldericum spectans, exstat; si excipias puteum, qui vulgo dicitur LE PUITS DE S. BAUDRY, licet hodie hic Sanctus vernacule non BAUDRY, sed BALDERIC audit; similiter alius puteus prope pristinam ecclesiam collegiatam puteus Sancti Germani dicitur. VI. In hoc tractu non alia noscuntur miracula, quam quæ a Flodoardo referuntur. VII. Missa et Officium hujus Sancti propria sunt; iisque etiamnum utimur, licet Monsfalconis diœcesi Virdunensi nunc capitur, in qua Officium de Communi abbatis usurpatur. *Hæc laudatus Dominus Houzelot in litteris* XXIII *Aprilis anni* 1842 *datis.*

cœnobium,

49 *Mediante eodem Rev. adm. Domino, aliam multoque longiorem assecuti sumus notitiam de pristino S.* Balderici *cultu, et Falcomontanæ ecclesiæ statu. Quoniam hujus notitiæ auctor testis gravis*

C *atque ocularis est, et, quantum ex ejus scriptione colligere queo, prudentia non minus quam genuina pietate floret, rem lectori gratam a me factum iri autumo, cum jam ipsas has litteras, tamquam historicum monumentum, integras fere exhibebo. Is est R. D. Radière, hodie canonicus honorarius Virdunensis, et parochus atque decanus Claromontanus in Argona. Paucis itaque præfatus se ab anno* 1778 *canonicum capitularem Falcomontanum fuisse, nunc vero solum pristinis suis sociis superstitem esse, sic pergit :* Capitulum Falcomontanum decem abhinc sæculis (*regulari sub disciplina, intellige*) conditum, constabat præposito, decano, præcentore et viginti octo canonicis; quorum unus in ecclesia metropolitana Remensi canonicus simul erat et archidiaconus. (*Ex quo tempore id obtinuerit, neque apud Marlotum in Historia Remensi, neque ex Gallia Christiana assequi potui.*) Qui his dignitatibus ornandi essent, canonicorum calculis eligebantur. Canonicatus autem et plurimæ parochiæ erant penes liberam nominationem canonici, cujus erant beneficia conferendi vices : omnes enim canonici pro antiquitatis ordine in tabella AD CONFERENDA BENEFICIA inscribebantur; et per eos ita in orbem ibat hæc facultas, ut quodcumque beneficium, sive canonicatus, sive parochia, intra duas unicuique attributas hebdomades vacaret, pro sola sua voluntate conferret : quod insigne et rarum erat privilegium. D

Reliquias,

50 Perpulchra ecclesia collegiata Falcomontana, imperantibus sacrilegis qui tum rerum potiebantur, occlusa est die XX Novembris anni 1790; et abbatia S. Petri Remensis, quæ a S. Balderico suam similiter repetebat originem, paria fata eodem fere tempore perpessa est. Prædictæ ecclesiæ collegiatæ imago nulla exstat; item frustra inquirerentur icones quatuor lipsanothecarum, quas argenteæ laminæ aliæque ex cupro deaurato ambiebant, et in quibus multo honore servabantur sacræ Reliquiæ ex corpore S. Germani, Autisiodorensis episcopi, et hujus collegiati templi patroni, item ex corpore S. Balderici fundatoris, item ex exuviis S. Alpini, Catalaunensis episcopi, et S. Gereonis Martyris. Omnia hæc pia pignora anno 1793 projecta fuere in imum vetus armarium sacrarii; unde anno 1803 ea collegit R. D. Parochus, ut ea mixtim in capsa lignea clauderet, cum nesciret ad quem Sanctum unumquodque os pertineret. Præter lipsanothecam S. Balderici, honorabatur ibidem ejusdem Sancti E statua, alta metro circiter et dimidio, ex lapide sculpta, et picta variegato colore. Reliquarum autem iconum sortem tulit, malleorum vim perpessa. Cum capitulum nondum destructum foret, mos invaluerat circumferendæ tribus Rogationum diebus S. Balderici reliquiariæ thecæ. Multa hæc erat solemnitas : sacras exuvias bini portabant canonici, quos stipabant non modo reliqui canonici, et chorus inferior ecclesiæ collegiatæ; sed clerus quoque universus tum parœciæ Falcomontanæ, tum subjacentium vicorum, in quibus statio facienda erat, frequens comitabatur. Multus in his vicis tum ardor : incolæ omnes cujusque ætatis et sexus avebant ter subire reliquiariam capsam; cui suos libros, rosaria, aliaque hujusmodi, quin immo lintea ad ægrotos deferenda applicabant. Falcomontani cives simili modo suam in S. Baldericum fiduciam prodebant, cum sacer supplicantium ordo in ecclesiam collegiatam foret redux. *In Vita S. Vitalis, huic tomo inserta, similem pietatis usum observare licet.*

sepulcrum,

51 Historica monumenta, *ita pergit R. D. Radière,* nondum signare potuerunt, quæ exeunte superiore sæculo illic contigerunt et quorum ego F ocularis testis sum. S. Baldericus, ut ex lectionibus, in ejus Officio recitandis, atque ex Flodoardo eruere est, ecclesiam parœcialem, S. Laurentio sacram, sibi in sepulturæ locum delegerat. (*Vide Annotatum* e *ad subjectam Flodoardi narrationem.*) Huc delatum est ejus corpus Remis, et in assignato sepulcro conditum, donec canonici, necessitate multiplici compulsi, cum pio hoc onere quoquoversus vagati sint, aliquam tantum partem domum relaturi. Ejus sepulcrum usque servatum fuerat in parœciali S. Laurentii templo; verum anno 1778 vetusta hæc ecclesia destructa est, ut ei nova, eodem fere in loco ædificanda, substitueretur. Sed quoniam ex eo tempore S. Balderici sepulcrum non amplius substernebatur altari, eidem Sancto dicato, curavit capitulum, cujus ipse pars eram, ut hoc sacrum conditorium terra extolleretur; illudque anno 1780 solemnitate multa inter psalmorum cantus transtulit ad novam ecclesiam. Aderam ego ipse; et perbene mihi conscius sum a me visum hoc sepulcrum, e magno lapide in alveum cavato constans, et capiens reliquias sandaliorum et hujusmodi alia. Instrumentum publicum, quo testata

manerent

A manerent quæcumque tum erant gesta, misere interiit cum reliquis chartis, quæ turbarum tempore in archivio remanserant. Anno 1795 nova ecclesia parœcialis eversa est, et ecclesia collegiata per fas et nefas in parœcialem commutata. Remansit S. Balderici sepulcrum eo ipso in loco, quo translatum fuerat et reconditum anno 1780. Habes nunc illic forum publicum.

imagines 52 Ad te mitto ectypum sigilli Falcomontani capituli : cernere in eo est S. Germanum episcopum cum pastorali pedo, et Baldericum, monachica veste indutum, exscindentemque securi arborem cui insidet falco : natum inde est nomen MONSFALCONIS. Eodem modo iidem Sancti depicti sunt in cujusdam sacelli tabula. Medius hic inter eos est S. Laurentius : tres quippe hi Sancti coluntur tamquam patroni ecclesiæ collegiatæ, nunc parœcialis. *Atque hic loci memoratum Montisfalconis sigillum, buxo insculptum, imprimendum curavimus; quod unicum monumentum sit, quod de S.* Balderico *potuerimus reperire.*

B 

Monet dein R. D. Radière alia plura, de quibus superius late jam diximus; doletque quod nullum penes se habet catalogum præpositorum, qui, Argonæ archidiaconatu simul ornati, præfuerunt celeberrimo huic capitulo; penes quod oppidi Montisfalconis et septem subjacentium vicorum ditio erat.

et Officium S. Balderici *pertinent, recensentur.* 53 *Officium vero proprium S.* Balderici *Falcomontanum, ritui Remensi accommodatum, nihil insigne habet; et lectiones, quæ infra Octavam recitandæ veniunt, partim ex Flodoardi Remensi Historia, partim e Vita S. Wandregisili et ex quadam de Carolo Magno incerta traditione conflatæ sunt : quocirca eas hic missas facimus. Quæ vero pauca de Vita, plurima vero de miraculis et translationibus S.* Balderici *ex Flodoardi Historia Remensis Ecclesiæ hic subjicimus, ex tomo XVII Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis secundum lectiones Colvenerii desumpta sunt : quæ editio cum satis superque cognita sit, supervacaneum est ut eam pluribus describamus.*

C

VITA,

MIRACULA ET TRANSLATIONES S. BALDERICI.

Ex Historia Ecclesiæ Remensis Flodoardi, lib. IV, *c.* XXXVIII *et seqq., edita in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi secundum recensionem Colvenerii.*

CAPUT I.

Sanctus Baldericus Remis exstruit cœnobium puellarum, et in Montefalconis monasterium virorum.

AUCTORE FLODOARD.

D

S. Baldericus *ex regio genere SS. Bovæ et Dodæ Remis exstruit cœnobium*

Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo *a* non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra urbem puellarum monasteria : quorum unum (quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri *b* construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege *c*, habentes neptem, nomine Dodam *d*, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti : quamque præfata ipsius amita Bova instituens ad serviendum Deo, servandamque perpetuo virginitatem, ab amore terreni avertit sponsi. Qui cum sibi adversaretur, sponsam innitens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, E traditur interiisse *e*. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone *f* eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium *g*, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidemque venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum.

a

b

c *d*

e

f

g

et alterum sibi in Montefalconis.

2 Sanctus autem Baldericus, post hujus monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conversari, Deoque devote ac quiete servire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem falconis locum. Qui locus tunc temporis, inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem avem, quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, F habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore Sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulere : sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione : atque idem sub honore Beati Germani ædificavit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico requievit *h*.

h

ANNOTATA.

a *Hæc monasteria et basilicæ destructæ fuerint oportet ante annum* 948, *cum Flodoardus Historiam suam ante hæc tempora scripserit, ut conjiciunt Sirmundus et Colvenerius. Cfr annotationem Colvenerii ad Flodoardi prologum.*

b *Colvenerius ad hunc locum hæc scribit :* Sirmundus recte notat in margine VEL poni pro ET. Quod et aliis quibusdam locis contingit, præsertim in

A in summariis capitum. *Verum, utut sit, æstimo in Commentario num.* 22 *satis manifestum fuisse factum, ecclesiam B. Mariæ extra muros Remorum fuisse, monasterium vero S. Petri intra muros; cui si aliquando B. Mariæ titulus accessit, id factum sane fuerit, quod, destructo B. Mariæ templo, ejus reditus a Remensibus monialibus adhuc accipiebantur.*

c *Hic Sigibertus primus hujus nominis est, ut* § II *Commentarii prævii probatum fuit.*

d *De SS. Bova et Doda, quæ die* XXIV *Aprilis Remis coluntur, dixit jam ad hanc diem decessor noster Henschenius.*

e *Paulisper aliter id explicatur in Vita SS. Bovæ et Dodæ, ut num.* 20 *monuimus.*

f *Hic Pippo idem est, qui Pippinus Heristalliensis vulgo nuncupatur, et ab anno* 680 *in Austrasia dominatus est. Vide num.* 31 *Commentarii prævii.*

g *De monasterii hujus ecclesia, cui B. Maria titulus erat, deque ipso prætenso monasterio dictum est in Commentario prævio num.* 22.

h *S.* Baldericus *sepultus fuit in ecclesia S. Mariæ extra Remorum muros, ut num.* 34 *Commentarii prævii vidimus; sed dein, ut numm.* 5 *et* 34 *dictum*
B *fuit, ad Remense S. Petri Superioris templum delatum est ejus corpus.*

CAPUT II.

Miracula et translationes usque ad finem fere sæc. IX.

Clerici Falcomontenses Remis abripiunt S. Baldderici *corpus;* *a*

Processu denique temporis diligentia clericorum, prænotatum ipsius Beati viri monasterium incolentium, ejus est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis *a* ablatum. Quos dum insequerentur quidam cives Remenses, eo usque sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumque turbarentur horum adventu sacri latores pigneris *, inter utrosque densa dirimens nebula divinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, et errore in devia rapti, vestigia præcedentium servare nequiverunt. Evectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiavit, donec ad proximam cœnobio possessionem,
C quæ dicitur villa *b* Spanulfi *, infatigabiles pervenerunt. Ubi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est ecclesia. Quibus abinde cum sacro promoventibus pignere *, ubi monasterio propinquare cœperunt, ecclesiæ signa *c* cœnobii sponte, absque humano scilicet impulsu, sonuisse feruntur. Quod audientes fratres obviam sunt egressi : sicque diu desiderata suscipientes munera, dum in ecclesiam Sancti Germani ea connantur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, ut hæc nequaquam potuerint ulterius emovere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum tecto *d* super defixa conditio * membra Confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur.

pignoris

b
* *alibi* Spamulfi

* pignore

c

d
* *forte* condito

quod præ Normannorum metu alio vehunt, sibique adversus prædones præsidium habent.

4 Quo temporis peracto spatio, ad ecclesiam Sancti Laurentii, *e* ubi vivens ipse sibi sepulchrum paraverat, celebrato per triduum jejunio, venerabile corpus ejus perlatum, et in suo reverenter est depositum sarcophago; ibique constat venerabili cultu servatum, usque ad tempora Karoli regis, et Hincmari archiepiscopi, quando Nordmanni *f* hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi, canonici ejusdem loci corpus hujus patroni sui de sepulchro levatum super altare Sancti Lau- D
rentii posuerunt. Quod dum fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita recentes et calidæ, ac si de vivente proflucrent corpore. Sicque delatum est Virdunum *g*. Unde relatum, in ecclesia *g*
est Sancti Germani locatum. Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id pervenerunt; sed Domino illud protegente, nec ecclesias incenderunt; nec homines, nisi unam duntaxat mulierem, occiderunt. Ut autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eumdem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Ottradus, corpus Sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quamdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani usque ad ipsam pervenerunt arborem, et respicientes sursum, neminem potuerunt eamdem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per novem dies inibi permanens, nihilque victus, præter unam solummodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumque tunc locus idem meritis hujus beati viri a cædibus et incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, ut quidam prædones, *h* regiæ ma- *h*
jestatis infideles, ad eumdem devenirent locum, et E
non invenientes ibi manum repugnantem sibi, desolatum prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa ecclesiæ Sancti Laurentii, nemine pulsante, sonare cœperunt, et duo cerei supero sunt igne divinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis et aufugientibus, unus eorum prolapsus ad ipsam monasterii portam corruit, tamque ipso quam superbo ejus equo ruina contrito, utres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis ecclesiam muneraverunt, metuque affecti recesserunt.

Propter penuriam transferunt illud Wasliciam in diœcesi Coloniensi.

5 Hujus venerabilis loci canonici, famis quon- *i*
dam necessitate compulsi, sumptis a corpore venerandi patroni sui Reliquiis, ad suam quamdam villam, supra ripam Rheni sitam, cognomento Wasliciam *i*, quam quidam eorum abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Ubi dum pagenses, alma venerantes pignera *, sua
dona deferre cœpissent, abbas quidam monasterii, quod vocatur Bunna *k*, pergens ad Willebertum *l* *k* *l*
Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare devotionem, nec re vera Sancti alicujus pignera * illuc adstruens esse delata. Timentes autem canonici, qui advenerant, ne forte constringerentur, et discuterentur ab episcopo, quoniam totum ipsius Sancti corpus secum haberi ferebant, mox ut hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere F
centum rediere monasterium : assumentesque cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi, qui remanserant in eodem loco, clerici hoc audientes, et patronum suum advenire intelligentes, obviam cum crucibus pergunt, et honore digno tutorem suum suscipiunt. Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria mihi repente mira contigerunt. Contractus unus erectus, cæcus quidam illuminatus, et loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat a visitatione Sancti avertens. Quæ dum gereret, febre correptus, ita graviter est vexatus, ut nec manducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris hujusce coactus *, tandem peccatum suum * *al.* excoctus
recognovit, et sella se gestatoria usque ad Rhenum, indeque navigio usque ad prædictam villam, sicque ante

* pignora

* pignora

A ante corporis almi præsentiam perferri fecit : ibique culpam suam confessus, absolvi se petiit, et quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit : factisque votis annuatim solvendis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, et sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hic præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla ut ferunt dies præteriit, quo non ibidem Dei miracula patrarentur. In ipsis autem vigiliis Sancti Johannis Baptistæ, confluentibus de
m Saxonia *m* pluribus et a longinquis etiam regionibus, decem et octo insignia probantur ostensa : vixque aliquis æger accessit, qui non sospes alacerque recesserit. Ubi tanta rerum delata est copia, ut et ipsi clerici exinde viverent, et cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, ecclesiamque ipsius villæ amplificarent vel decorarent.

In conventu corporum SS. Balderici, *Jovini, Vitoni et Agerici,* *n*

6 Postea contigit, ut propter aquæ indigentiam foras extra monasterium suum idem sacrum corpus efferretur, et obviam Sancti Jovini *n* pigneribus portaretur. Cujus dum fuisset in occursum perlatum, mox ut simul venerunt, obnubilato cœlo, cum magna siccitas existeret, copiosa pluviarum vis effusa est : et dum humectarentur imbre om-
B nium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt a pluvia. Ibi quidam luscus lumen amissi recipit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, ut erat jocularis, ingratus recessit : at ubi domum pervenit, lumen quod receperat, iterum perdidit. Dum vero perventum est ad monasterium cum utriusque Sancti corpore, ita Sancti Balderici pignus est aggravatum, ut nullatenus moveri posset, donec Sancti Jovini usque ad cœnobium præcedere membra fecissent. Cum autem domnus Dado
o Virdunensis episcopus *o* hanc a rege impetrasset abbatiam, et hæc mira cœpisset audire, constituit ut omnibus annis trium monasteriorum sacra pignera simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum *p* : de sede scilicet urbis
p Virdunensis Sanctus Vitonus *q*, et Sanctus Agericus *r*, Sanctus vero Baldericus de monasterio suo,
q *r* *t* *s* et Sanctus Roduicus *s* de Wasloio *t*. In quo conventu innumera post modum sunt patrata miracula, ut vix præterierit hujusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus : maxime tamen illi, qui patrocinia Beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conventu quidam
C locutus est mutus, quem Virdunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod Sanctorum virtus, quos detulerant, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tanto Sancti Balderici pondere aggravata sunt ossa, ut penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quæruntur sui, cur inibi vellet immorari, et quid ibidem disponeret operari, accidit ut requireretur ille, qui locutus fuerat mutus. Tandemque revocatus, ubi ad locum defixi perductus est pigneris, mox absque difficultate sublatum, et ad suum sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum.

et in vico Deva plurima fiunt miracula. 7 Præfatus præsul Dado, postquam hanc Sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum, sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum
u monasterium datas, pro villa Gerlani monte *u*, super Mosellam conjacente, mutavit. Ad quam villam dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui, domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi jussa. Qui dum ad villam, quæ Deva *x* dicitur, pervenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, ut progredi nequaquam valerent ulterius ea ferentes : initoque consilio, ut ad ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore Sancti Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, ut post orationem ab ecclesia est relatum, iterum Sancti aggravatur corpusculum : mirantibusque cunctis, et quod aliqua inibi Deus pro Sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam ferentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Advenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, et fœmina quædam brachiis ab octo retro annis contracta resolvitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, et infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, ubi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, et candelæ divinitus accensæ, multique diversis sunt ab infirmitatibus liberati.

AUCTORE FLODOARD. D

x

ANNOTATA.

E a *Num.* 5 *Commentarii docuimus S.* Balderici *sacras exuvias tum servatas fuisse in monasterio S. Petri Superiori Remensi.*

b Villa Spanulfi *aut* Spamulfi *nuncupatur hodie* Epinonville; *colitur illic etiamnum ut patronus. Vide num.* 48 *Commentarii prævii.*

c *Hi signorum sonitus, Reliquiarum aggravationes, etc., apud Remenses et maxime apud Flodoardum tam communia sunt, ut cum Claudio Chastelain non facilem fidem eis adhibendam esse censeamus.*

d *Flodoardi textum hoc loco corruptum esse, neminem præteribit. In versione gallica anni* 1581 *hic locus vertitur ac si mere diceretur, Reliquias coopertas fuisse. Calmetus in Historia Lotharingiæ* (*a*) *citat codicem MS. Montisfalconis, non indicans essetne MS. Historia, Chronicon, Vita, etc. : unde hæc citatio aliquantum dubia mihi fit. Porro hæc inde se colligere testatur :* Corpus delatum fuisse in Montemfalconis; sepultum in ecclesiæ atrio; et super illud ædificatum esse tectum seu tuguriolum.

e *Videat ipse lector an credibile sit duplicem ecclesiam a S.* Balderico *in monte constructam fuisse.* F *Ecclesia quidem S. Laurentii, de qua hic agitur, populo recipiendo patuit cum Monsfalconis ab aliis quam a monachis habitaretur; verum nulla ex parte liquet, vivente S.* Balderico, *alios quam suos discipulos incoluisse hunc locum, antea* inhabitabilem et densis opertum silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum, *ut Flodoardus ipse loquitur. Nescio quoque an rejiciendum sit, S.* Baldericum *sibi ipsi elegisse sepulturam ad ecclesiam seu in atrio ecclesiæ, ut habet Calmetus; quandoquidem hæc ultima ejus voluntas adimpleta non fuisset, quin ulla hujus neglectus probabilis ratio cognoscatur.*

f *Ad determinandum hujus irruptionis tempus, episcopatus Hincmari, ab anno* 845 *usque ad annum* 882 *excurrens, præsto est, et regnum Caroli Calvi, quod sæpius auctum et mutatum, anno* 877 *ipsius morte cessavit. Spatium itaque temporis sat latum, et quidem vix est unde id constringatur, cum medio sæculo* IX *Carolum Calvum Normannis repellendis occupatum jam videmus : anno tamen* 876 *magis formidabiles eorum invasiones factæ sunt.*

(*a*) T. I, col. 466.

A g *Quamdiu Virduni sacra pignora quieverint, non patet : nuspiam quippe securitas : nam anno* 889, *ut ex Annalibus Metensibus et Sigiberti Gemblacensis Chronico ad hunc annum colligo, Virdunum et Tullum eorumque agros depopulati sunt Normanni. Bis meminit Flodoardus ad Montemfalconis Normannos accessisse : prior adventus anno* 882 *verisimillime assignandus est; quandoquidem ex Annalibus Sambertinianis et Metensibus hoc anno in agrum Remensem irrupisse et ad Axonam a Carlomanno fusi fuisse statuendi sunt; posterior vero adventus anno* 889 *illigandus fors videbitur; et sane in ipso Montefalconis victi fuerunt hoc anno Normanni; quam tamen cladem Sambertiniani Annales anno proxime superiori annectunt. Abbo monachus S. Germani Parisiensis lib.* II *de bellis Parisiensibus late celebrat hanc cladem, qua eos affecit rex Odo. Fuerunt quidem scriptores plurimi, qui arbitrati sint hanc pugnam in Montefalconis prope Lutetiam Parisiorum commissam fuisse; ast jam pridem Pater Daniel noster in Historia Galliæ, Dom. Bouquet aliique, variis Chronicis Annalibusque usi, ostenderunt de Montefalconis Remensi hic agi; de qua universa con-*
B *troversia legendus est D. Du Plessis in Annalibus Parisiensibus et annotatis ad Abbonis poema* (*a*). *Annus tamen ille* 889 *propter episcopatum Williberti, de quo in seq. num. et in nota* l *fit mentio, eam difficultatem patitur, ut admittere cogamur, vel Flodoardum temporis ordinem hic neglexisse, vel Bunnensia jurgia ad ultima Williberti tempora spectasse, vel utrumque Normannorum adventum de quo Flodoardus, circa annum* 882 *contigisse.*

h *S. Hericus in libro de Miraculis S. Germani recitat plures castigationes impactas invasoribus bonorum Montisfalconis; hujus tamen non meminit.*

i *De Waslicia vide Commentarium num.* 43.

k Bunnam *nunc, littera mutata,* Bonnam *vocamus; jacet hoc oppidum ad Rhenum inter Coloniam Agrippinæ et Confluentes* (Coblentz). *De hac abbatia, deinceps ecclesia collegiata facta, hæc ex opere D. Rev. Antonii Binterim de veteri et præsenti diœcesi Coloniensi mutuor verba; quæ descripta ab ipso sunt ex synodo Bonnensi anni* 1629 : Circa annum 310 inter alias plures in vicinia nostra fundatas ecclesias aliam prægrandem etiam SS. Cassio, Mallusio, Florentio et trecentis aliis sub S. Valentino Tongrensi episcopo Bonnæ ædificavit (*S. Helena imperatrix*) et liberaliter dotavit, fundando ibi insigne monaste-
C rium, nunc autem a multis sæculis et quantum colligere licet, circa annum 883 in canonicorum collegium conversum, qui numero 32 præter præpositum et decanum se institutos a S. Helena etiamnum gloriantur.

l *In serie episcoporum Coloniensium edita a P. Georgio Kolb Soc. Jes. occurrit Willibertus,* XXX *inter episcopos,* IX *inter archiepiscopos Colonienses. Electus est anno* 863 *et anno* 870 *consecratus, alios deinde* 20 *annos gubernaturus.*

m *Libenter crederem hic non agi de Saxonia ducali, utpote remotiore, sed de Westphalia, quæ a Saxonibus occidentalibus occupata fuit et ab eis suum accepit nomen.*

n *De S. Jovino, eremita in agro Pictaviensi, dixit in opere nostro Henschenius ad* I *Junii; qua die in abbatia sui nominis illic colebatur.*

o *Num.* 37 *Commentarii dictum est, quo tempore Montemfalconis adeptus sit* Dado, *qui anno* 923 *obiit.*

p *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum* (*b*) *unius tantum Gaudiaci, vici in Carnutibus siti,* D *meminit; licet alios multos commemorare potuisset, ut constat ex Dictionario Geographico, etc., Parisiis anno* 1804 *excuso, ad vocabulum* Jouy, *quod idem ac Gaudiacus est. Ex hoc itaque statuendum videtur hic agi de loco* Jouy, *in agro Virdunensi jacente* (Dép[t] de la Meuse, arrond. de Verdun, cant. de Clermont); *nam vetustissimus est hic vicus, ut liquet ex charta Angelrami, episcopi Metensis, qua Gorziensibus monachis dedit* villam... sitam in pago Wabrince, cognominatam Gaudiaco (*c*); *qui pagus certo ad diœcesim Virdunensem pertinebat, ut testis est Valesius in citata Notitia* (*d*), *ubi plura allegat loca, quæ ex vetustis monumentis jam* in pago Wabrinse, in comitatu Scarponinse, jam inter duos torrentes Lotosam et Horontem in pago Wavrinse et comitatu Scarponinse, *jam* in pago Wabrinse, in comitatu Virdunensi *jacere dicuntur. De situ comitatus seu pagi Scarponensis mentio fiet in annotato* u.

q *S. Vitonus, episcopus Virdunensis, gallice dictus* S. Vanne, *colitur die* IX *Novembris.*

r *S. Agericus, item episcopus Virdunensis, gallice* S. Airy, *colitur die* I *Decembris; de hoc et de S. Vitono vide Galliam Christianam* (*e*). E

s *S. Rodvicus, seu Rodingus vel Chraudingus, fundator Bellilocensis monasterii, a Suyskeno nostro illustratus fuit ad diem, qua colitur,* XVII *Septembris.*

t *Wasloium idem est ac Belluslocus; quæ nominum commutatio sæculo* XI *facta est, ut docet Vita S. Popponis abbatis, in opere nostro ad diem* XXV *Januarii edita :* Abbatiam insuper S. Mauritii, *hæc illic leguntur verba* (*f*), Wasloi dictam, cum omnibus ejusdem loci appendiciis ei (*Popponi*) delegavit (*Richardus, abbas Wasloensis*)... Qua suscepta, quia eam, quam situs loci jucunditate sui commendabilem dedit, in officinis, monasteriique brevissimis claustris vilescere invenit, funditus monasterium cum adjacentibus illi receptaculis eversum, majori, quam fuerat, elegantia reædificavit, atque pristino nomine mutato, ex honestate sui BELOACUM denominari dictavit.

u Gelani *seu* Gerlani mons (*gallice* Gillamont *a Calmeto in Historia Lotharingiæ* (*g*) *dictus*) *idem est locus, in quo postea sæculo* XI *exstructum est templum et capitulum seu monasterium S. Laurentii, Deus-Louvart* (Dieu-Louart) *nuncupatum : quæ* F *constant ex Continuatione Historiæ Episcoporum Virdunensium et Conradi imperatoris diplomate anni* 1028, *secum invicem collatis. Continuatio enim illa habet* (*h*) : Dudo etiam præpositus (*Virdunensis et Montisfalconis abbas*) apud castellum d'Eilauvarth ecclesiam in honore Sancti Laurentii constituit (*seu potius dotavit, cum episcopus Virdunensis Heimo, qui sedit ab anno* 988 *ad* 1024 *jam aliquandiu ante id exstruxisset* (*i*)), canonicos ordinavit, ordinatis necessaria disposuit, magnisque operibus cum magno labore et miro decore castrum illud ad effectum usque perduxit. *Conradianum autem diploma sic sonat* (*k*) : Notum esse omnibus cupimus, quod nos interventu ac petitione... Ramberti Virdunensis Ecclesiæ venerabilis episcopi, (*qui sedit ab anno* 1024 *ad* 1038 (*l*)), quoddam monasterium, in honorem Sancti Laurentii Martyris consecratum, situm in loco Gellani montis juxta castrum Deus-Louvart, in pago Scarponensi (*Sarponne, Scharpeigne,* seu *Charpeigne*), in comitatu Richiani, ab antecessore suo beatæ memoriæ Heimone a

(*a*) Nouvelles annal. de Paris et poëme d'Abbon, p. 340. — (*b*) p. 251. — (*c*) D. Calmet Hist. de Lorraine, t. II, preuv., col. CIX. — (*d*) p. 579.—(*e*) T. XIII, col. 1166 et seqq. — (*f*) T. II Januarii, p. 643, cap. VII, n. 26. — (*g*) Probat., t. II, col. CCLV. — (*h*) Ibid., col. XIV. — (*i*) Ibid., col. CCLV. — (*k*) Ibid., l. c. — (*l*) Gall. Christ., t. XIII, col. 1185.

fundamentis

A fundamentis constructum. . . sed quod idem monasterium super proprietatem potestatem Sancti Germani de Montefalconis erat constructum, *etc. Ordinatur dein ut compensatio quædam fiat Dudoni, Montisfalconis abbati; scilicet ut persolvant Sancti Laurentii clerici* nonam decimarum; *verum ut Virdunensi episcopo* ut domino *subsint, et episcopo Tullensi* ut proprio pastori. *Ineunte sæculo* XVII *unita fuit hæc ecclesia collegiata primatiali Nanceensi, cujus canonici cesserunt usum et dominium illius templi monachis Benedictinis Anglis* (*a*). *Jacet vero ad Mosellam, inter Tullum et Metas, infra Mussipontem; ut ex tabulis geographicis Cassini colligimus.*

x *Extra terræ tractum, in quo versamur, alia loca fuisse, quibus nomen* Deva *fuit, apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum ad vocabulum* Diva *videre est. Locus vero, de quo hic agitur, idem mihi est, ac qui nunc* Dieuve *dicitur. Distat hic sesqui leuca a Virduno meridiem versus; atque hac transeundum est, cum a Montefalconis ad Castrum Gellani, aut* Dieu-Louart *pergendum est.*

B

CAPUT III.

Reliqua miracula et translationes S. Balderici usque ad medium fere sæculum X.

Ad Reliquias S. Balderici, *devectas in Gellani montem, quem quis injuste sibi usurpabat,*
a
b
c
d
e

Ecclesiam Sancti Romani *a,* in præfata villa Gellani monte *b* constructam, dudum Milo *c* præpositus canonicorum hujus loci ab eis auferebat : quam dum, Bosone *d* comite sibi eam reddente, recepissent, et Sancti Balderici membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœperunt confluere patrocinia. Inter quos duæ cæcæ nobiles fœminæ deductæ sunt, et quædam perlata paupercula omnibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum Sancti Romani *e,* dum de more privigiles * in ecclesia celebrarentur excubiæ, subito tantum cœlitus est lumen effusum; ut omnia, quæ fuerant accensa, videretur luminaria superare. Altare tantum, supra quod Sancti erant ossa deposita, densa tegi videbatur nebula, ipsumque sacri pigneris quasi moveri cernebatur gestamen : cum repente una cæcarum primum, moxque altera sese videre proclamant. Tum media jacens contracta, ubi cœpit clamare, auxiliumque Dei et Sancti Balderici deprecari, paulatim resolvitur, primum brachiis, et inde poplitibus, donec erecta stetit in pedibus. Quæ postmodum sana effecta, clericorum stipe hucusque sustentatur. Igitur dum præfato morarentur in loco clerici cum pignere sacro, contigit quadam vespera, cum simul residerent, ut cujusdam * Milonis amici * homo, ebrietate atque furore succensus, cœpisset ad eos dicere, quid ibi facerent, et quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus respondentibus, quod Sancti Balderici, non Milonis, eædem res essent; illoque contradicente, quod non Balderici, sed Milonis haberentur, comminantibus eum clericis, recessit, et in eminentem villæ contiguam rupem conscendens sese in præceps dedit, sicque attritus jacuit ut mortuus, vel morti videretur proximus : indeque sublatus ante sancti corporis præsentiam est deportatus, ibique tandem se culpabilem reddens * insperate sanatus, et integræ in brevi restitutus est sospitati.

* *sane* pervigiles

C

* *forte* quidam
* *forte* amicus

9 Item dum nuper ad præmemoratam villam Wasliciam *f* hujus Sancti membra relata fuissent, quoniam Godefridus *g* principis Henrici *h* comes palatii eamdem pervaserat villam, quidam clericorum Sancti Balderici ad eumdem Godefridum pro hac causa perrexerunt; et cum nullam dignam potuissent apud eum percipere responsionem, nec magis se pro eis inde quam pro suo cane facturum respondisset, clericus quidam ex his intentando subjecit, quod calidum proinde sudorem sudaturus esset, nec canis suus adjuturus eum foret. Ille furibundus ad hæc eos a suo præcepit ejici conspectu. Quibus recedentibus ipse mox divina plectitur ultione, validaque correptus febre cœpit gravissime vexari, nimiisque succendi ardoribus, atque ferventissimis effluere sudoribus. Mittens igitur ad episcopum Coloniensem Wicfridum *i,* hunc ad se venire petiit, eisque rem retulit atque id ab eo consilii percepit, ut ad præfatos clericos mitteret, eosque ad se venire faciens, et errata corrigens, ab eis de sua infirmitate consilium et pariter auxilium quæreret. Quod ille obaudiens, et ad eos mittens, ad se venire mandavit. At missus ejus typho, ceu videbatur, inflatus superbiæ, cœpit, ut ad suum dominum, mox clerici pergerent, imperitando præcipere. Quibus renuentibus, sed eum caritatem secum facere rogantibus, ille contempsit, eoque recedente, in ipso egressu equus ejus, incitatus ab ipso, prosiliens ruit, et collo fracto interiit. Sic ille humiliatus ad fratres rediit, caritatem quam spreverat egit, et ita correctus recessit. Hinc iterum tertioque vocati atque petiti, hujus tandem viri compertis incommodis, ad eum tum demum veniunt, patientis compatiuntur cruciatibus, et confitentem peccatum suum, emendationemque promittentem, precibus suis absolvere student. At ille statim se melius habere professus, ubi recessere fratres, convaluit, res quas invaserat reddidit, ac deinceps ab earum se læsione continuit. Verum tanta domus ejus affecta clade fuisse perhibetur, ut vix aliqui remanserint, qui eisdem rebus usi fuerant : ipsi etiam equi et canes interierint, et ipse pervasor, perditis cum cute capillis et ungulis, vix evaserit.

AUCTORE FLODOARD.

D

* *i. e.* confitens *et in Wasliciam, ubi debito destituebantur earum bajuli præsidio,*

f
g
h

i

E

F

et in flumine Rheno, quem prædones infestabant, miracula et prodigiosæ pœnæ cernuntur.

k

10 Tunc ob infestationem Hungarorum *k,* quæ primitus eo tempore in hoc emerserat regnum, consilio inito canonici Sancti Balderici Rhenum cum domino suo transmeant. Inde quadam vespera remeantes, in fluminis medio navem jactis defigunt ancoris. Relictisque paucis in navi cum sacro pignere custodibus, ipsi ad prædictam schapha properant suæ possessionis villam. Tres vero quidam latrones, comperto quod pauci resedissent in navi custodes, ibique thesauros vel ornamenta Sancti remansisse rati, conscensa tendunt illo * cymba. Sed antequam pertingerent ad ipsam quam petebant navem, cæcati divinitus, perditoque sensu, remigare non valentes, impetu fluminis ferri cœperunt. Sicque navicula eorum navi, qua * Sancti corpus servabat, impacta contritaque, mediis eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus fluvio mox absorptis, tertius, qui etiam famulus erat Sancti Balderici, jacta manu, navem Sancti arripuit, et taliter evadens mortem, clericorumque perductus in præsentiam, nihil eorum, quæ passus fuerat, edicere valuit, donec in crastinum refocillatus, sensuque recepto, tandem quæ gesta fuerant enarravit. Postquam vero a præfato loco hujus beati viri ad

* illuc

* quæ

(*a*) D. Calmet, Hist. de Lorr. t. II, col. 180 et seq, et ibid. inter probat., col. CCLV et seq.

suum

AUCTORE FLODOARD. suum monasterium sunt ossa relata, multa inibi feruntur ostensa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta. Illuc nuper *l* quidam pauper candelam deferens in circulo devolutam, paulo ante horam vespertinam supra loculum sacrorum hanc posuit ossium; qui dum, data oratione, recederet, subito candela, supero accensa igne, cœpit ardere. Quæ donec custos ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superjecta jacebat, illæso, deflagavit, nec ullam pallio læsionem, cui adhærebat, aggessit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem creberrime ad declaranda Sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

ANNOTATA.

a *Cum ecclesia hæc jam ineunte sæculo* XI *templo S. Laurentii suppleta videatur* (*a*), *colligi nequit quis illic S. Romanus cŏleretur cum plures sint homonymi. Verisimile tamen est eum abbatem Jurensem esse, cujus Acta vide in opere nostro ad* XXVIII *Februarii.*

b *Vide annotatum* u *ad præcedens caput.*

c *Milo ille, Montisfalconis præpositus, mihi alibi non occurrit.*

d *Boso, cujus hic meminit Flodoardus, videtur idem ac Boso, Richardi Burgundiæ ducis filius, frater Rodulfi Regis, bene notus annalistæ Remensi; cum in suo Chronico* (*b*) *ejus mortem referat ad annum* 935.

e *Cum hic S. Romanus, ut diximus, verisimillime abbas Jurensis in Burgundia sit,* S. Romani vigiliæ *in diem* XXVII *Februarii inciderint oportet.*

f *Vide Commentarium prævium numm.* 43 *et seq.*

g *Godefridus, qui hic dicitur* principis Henrici comes palatii, *signatur* Godefredus *inter* comites (*c*), *qui ex parte Henrici anno* 921 *interfuerunt concilio Troslejano ad pactum inter Carolum et Henricum reges sanciendum.*

h *Cum Henricus, qui et Auceps cognominatur, hic loci non* rex, *sed* princeps *appelletur, nescio an inde concludi possit, id accidisse ante annum* 919; *quo, ut habent Casus monasterii S. Galli* (*d*), Heinricus Saxonum et Francorum consensu elevatur et ungitur in regnum. *Quæ deductio si placeat, oportet ut non impedierit ille morbus, quin Godefridus anno* 921 *concilio Troslejano interesset: et ut tardius ad Wicfridum, Coloniensem antistitem, nuntios miserit, quandoquidem ille Agrippinensibus infulis ornatus est anno* 925, *ut volunt Galliæ Christianæ prosecutores* (*e*), *et Gregorius Kolb in sua Coloniensium præsulum recensione.*

i *De Wicfrido, qui ab anno* 925 *usque ad* 953 *Coloniæ sedit, vide præcedens annotatum.*

k *In Chronico S. Vincentii Metensis* (*f*) *ad annum* 917 *leguntur* Ungari primitus regnum Lotharii ingressi.

l *Plura miracula, ut animadverterit lector,* nuper *facta perhibentur a Flodoardo; quocirca in memoriam revocare juverit, quæ in annotato* a *ad* I *caput ex Sirmundo et Colvenerio proposuimus de anno* 948, *quo Remensis historicus librum suum jam absolvisset.*

(*a*) D. Bouqnet Recueil des Histor. de France, t. VIII, p. 190. — (*b*) Ibid.—(*c*) Ibid., t. IX, p. 324.—(*d*) Ibid., p. 90.— (*e*) T. III, col. 644 et seq. — (*f*) D. Bouquet, t. IX, p. 88.

DE S. MAGNOBODO EP. ET CONF.

ANDEGAVI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sancti memoria; cultus.

CIRCA AN. DCLX. *S.* Magnobodus, *quem Ado et Usuardus prætereunt,*

Andegavum, provinciæ olim Andensis, nunc præfecturæ, quæ a Medua *et* Ligeri *fluminibus* (Maine-et-Loire) *nomen sortitur, plurimos sanctitate et miraculis insignes episcopos habuit: inter quos etiam numerandus venit S.* Magnobodus, *quem* Magnebodum, *aut* Magnobonum (*gallice S.* Maimbeuf *aut* Maimbeu) *veteres appellarunt. Hujus Sancti nomen in Romano Martyrologio non occurrit; tacent quoque de illo Ado et Usuardus genuini: quin tamen propterea cultus ejus in dubium vocari possit. Etenim Sanctum nostrum memorat in suis Auctariis ad Usuardum Molanus his verbis :* Andegavis, Sancti Magnobodi, episcopi et confessoris, qui tempore Dagoberti vita et signis late claruit. *Quæ postrema verba ita intelligenda sunt, ut complexum quidem dicant S.* Magnobodum *universam Dagoberti I ætatem, sed simul indicent S. episcopum et eumdem regem diu præcessisse, atque eidem longo tempore superstitem fuisse: alioquin ejus erroris Molanus arguendus esset, qui falso insinuat, initium episcopatus S.* Magnobodi *cum regno Dagoberti innectendum esse, ut infra latius demonstrabitur.*

2 *Cultum Sancti cæterum probant Kalendaria Ecclesiæ Andegavensis, et duplex Sancti Vita, sæculo, ut tardissime, duodecimo conscripta, uti infra videbimus. Uterque autem biographus ita de S.* Magnobodo *loquitur, ut illum virtutibus et miraculis insignem, et populorum concursu celebrem describat. Martyrologium Autisiodorense anni* 1751 *sequentibus verbis Sancti festum annuntiat :* Andegavi, Sancti Magnobodi episcopi, qui Vitam Beati Maurilii decessoris sui scripsit, ut ejus exemplo se suosque ad pietatem vehementius incitaret. *Sancti mentionem desumpserat auctor, ut infra in nota dicit,* ex Martyrologio Parisiensi et D. Chastelain, et

variis tamen in Martyrologiis et Breviario Andegavensi celebratur.

A et Kalendariis Ecclesiæ Andegavensis. *Et reapse, ut omittam Martyrologium D. Chastelain, quod sancti præsulis nomini annectit tantum, sub ejusdem invocatione exstare collegiatam ecclesiam in suburbio, Martyrologium Parisiense anni* 1727 *hoc habet notatu dignum, quod memorat Reliquias Sancti insignes Parisiis quiescere :* Andegavi, *inquiens,* Sancti Magnobodi episcopi, cujus capitis pars insignis apud Sanctum Maglorium in suburbio colitur. *Ebroicense Martyrologium, jussu Petri de Rochechouart anno* 1752 *editum, Sanctum nostrum recolit his verbis :* Andegavi Sancti Magnobodi episcopi, qui conscripta Sancti Maurilii Vita, hujus formam moribus exhibuit, cujus virtutes litteris commendaverat. *Coronidis loco sit tandem ipsum Breviarium Andegavense, quod anno* 1623 *Carolus Miron, (qui anno* 1616 *demissam sedem, mortuo Guilielmo Fouquet, anno* 1622 *resumpsit) ad* Romani formam *edidit, ea lege, ut omnes illud privatim publiceque recitarent :* Romanum tamen, *ait in litteris præfixis,* in privatis precibus semper excipimus. *Istud itaque Breviarium S.* Magnobodi *nomen in suis litaniis inter SS. Pontifices refert, atque ejus Officium ad idus* (XV) *Octobris sub ritu duplici an-*
B *nuntiat. Oratio e Communi Conf. Pontificis desumitur :* B. Magnobodus Confessor tuus atque Pontifex sua nos, Domine, solemnitate lætificet, et pro nobis tibi supplicans copiosius audiatur. Per Dominum. *Et quoniam idem Breviarium compendiosam Sancti nostri Vitam continet, non ingratum fuerit eamdem legentibus hic exhibere.*

Ex hoc Breviario ejus vitæ synopsis,

3 LECT. I. Magnobodus in pago Andegavensi natus est Christiana et illustri familia. Qui cum ab infantia futuræ sanctitatis haud obscura signa dedisset, studiis traditus literarum, totus se piis operibus addixit. Itaque facile Sancto Licinio Andegavensi tunc episcopo innotuit : qui summam in adolescente virtutem conspicatus, cum clericali tonsura initiatum ecclesiasticis exercuit officiis, ac demum sacerdotali ordine consecratum Colonetensi cœnobio præposuit. Cum autem Licinius basilicam Sancti Joannis Baptistæ a se constructam dedicare vellet, per Magnobodum cum summo Pontifice egit, ut Reliquias de corpore illius ad se ejus rei gratia transmitteret. Romæ cum esset Magnobodus, a summo Pontifice jussus lectionem in ecclesia decantare, cœptam e libro, memoriter usque ad finem divina virtute perduxit, cum e cle-
C ricis quidam virtuti ejus invidentes lampadem extinxissent. LECT. II. Benigne dimissus a Pontifice cum Reliquiis Sancti Joannis Baptistæ, Andegavum rediit. Ubi defuncto Licinio, cum delatum episcopatum recusasset, Licinii successore mortuo, in locum ejus omnium ordinum suffragiis electus est, reclamantibus dumtaxat duobus canonicis Ambrulpho et Leobaldo, qui illico, Deo vindicante, dextro oculo orbati sunt. Suscepto episcopatu, in salutem suorum toto animo intentus fuit, ac pauperum in primis curam habuit. Orationi et Sacrarum Scripturarum lectioni assidue deditus, carnem cilicio, vigiliis et jejuniis coercebat. Sanctos Quadragesimæ dies, exiguo panis et aquæ demenso contentus, in cellula transigebat. Nuntios, quos Heracleus abbas specie amicitiæ, ut ipsi venenum propinarent, pretio submiserat, ad se venientes benigne mensa excepit : et de salute admonitos, dato pacis osculo, sine noxa dimisit. LECT. III. Accessit ad vitæ sanctitatem admirabilis virtus curationum. Quippe cæcos multos illuminassse scribitur : energumenos tres dæmonis infestatione liberavit : graves morbos a multis depulit. Synodo Remensi a Sonnatio ejus sedis episcopo celebratæ interfuit. Sancti Maurilii vitam descripsit plano ac simplici stylo, anno, ut ipse in præfatione testatur, ordinationis suæ decimo, regnantis Clotarii secundi trigesimo tertio. Sancti Saturnini ecclesiam ædificavit, fratresque ibi sub regula instituit, qui pauperes ægros et peregrinos advenientes curarent : atque ad eam rem necessarios eis reditus ædesque assignavit. Tandem urgente senio, febre correptus, cum suos ad divinorum præceptorum observantiam, et charitatem gravissimis verbis cohortatus esset, erectis in cœlum manibus orans spiritum Deo reddidit decimo septimo kalendas Novembris. Corpus in ecclesia Sancti Saturnini, quæ hodie Magnobodi memoria nuncupatur, ut ipse vivens jusserat, conditum est.

AUCTORE J. V. H.

D

et cultus refertur.

4 *Hæc Breviarium Andegavense. Non est hujus loci accuratius discutere quæ in legenda reperiuntur; quandoquidem in reliquo Commentario revocabuntur ad examen : sufficiat hic monstrasse sancti episcopi vitæ synopsim, quæ probet simul quo in honore aliquando apud Andegavenses fuerit. Hodie, quantum assequi possum ex ordine liturgico anni* 1837, *in eadem diœcesi colitur S.* Magnobodus *ritu semi-*E *duplici aut simplici, et quidem pridie idus* (XIV) *Octobris. Ratio autem cur S.* Magnobodus *Andegavi non colatur in die obitus, scilicet* XVII *kal. Novembris, videtur esse quod, cum olim coleretur die* XVI *Octobris* Apparitio S. Michaelis in Monte Tumbæ, *oportuerit festum S.* Magnobodi *una die anticipare : in hodierno autem, incidente festo S. Teresiæ in idus Octobris, altero etiam die, seu* XIV *Octobris festivitas præcepta est.*

Binos habuit S. Magnobodus *biographos; Marbodi recentioris*

5 *S.* Magnobodi *Acta conscripsere bini auctores, quorum prior anonymus coævus Sancto fuit : alter Marbodus, ex archidiacono Andegavensi Rhedonensis episcopus ab anno* 1096 *ad* 1123. *Hic tersiori stylo, contractaque singulorum miraculorum narratione, Anonymi biographiam sectatus est : atque propterea Marbodi elucubratio omittendam censemus; licet forsitan aliud suaderet tum viri integerrimi doctrina et sanctitas, tum etiam ipsa operis raritas, utpote quod in sola collectione omnium operum Marbodi editioni Hildeberti Cenomanensis ab Antonio Beaugendre subnexa, quantum scio, reperiatur. Natus autem erat Marbodus in pago Andegavensi, ut monstrat ejus epitaphium ab Ulgerio Andegavensi coævo compositum :* Natus erat, quorum decus extitit, F Andegavorum : *perperam igitur Joannes Pitseus in opere de Illustribus Angliæ Scriptoribus* (*a*), *et qui illum secuti sunt, Fabricius, aliique* Brittannum *aut* Cambro-Britannum *vocant. Patrem habuit Robertum Pelliciarium, uti constat ex Cartulario S. Albini Andegavensis* (*b*); *et quidem e primaria inter Andenses familia, si valet conjectura Antonii Beaugendre ad Epist.* III, *Lib.* II, *Hildeberti Cenomanensis* (*c*), *in qua de Marbodo dicitur :* Incubuit timor tuus et tuorum super eos (*canonicos Andegavenses*) dumque persona arguitur, suspecta est universitas parentelæ. *Quibus certe verbis, si tamen de Marbodo intelligenda sunt, summa familiæ ejus potentia manifeste insinuatur. Reliqua, quæ ad Marbodum pertinent, optime exponunt monachi S. Albini, dum ejus mortem per litteras encyclicas annuntiant, atque preces pro eo efflagitant. Quatenus Marbodum respiciunt, earum fragmentum subjungimus ex Thesauro Anecdotorum, ubi plura alia de eo occurrunt* (*d*).

brevis Vita

6 Universis, *hæc ibi leguntur,* unius sacro-san-

(*a*) p. 185. — (*b*) Morice Mém. pour serv. à l'hist. de la Bret., t. I, p. 455. — (*c*) Oper. Hildebert, col. 79, not. *d.* — (*d*) Martenne Thes. Anecd., t. I, col. 355.

AUCTORE J. V. H.

ctæ Ecclesiæ filius humilis congregatio Beati Albini
A Andegavorum episcopi, plenam de hoste victoriam, et de victoria coronam. Apostolica nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes, alter alterius onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum domni Marbodi venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi, cujus sermo sale semper conditus erat, et ex ore illius omni melle dulcior semper fluebat oratio; et quamvis eodem tempore variis studiis tota Gallia resonaret, ipse tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ specialiter obtinebat. Tertio siquidem idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a sæculo, vivens in Christo sua nos viduavit præsentia, et amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate, cui famosissimus ac nominatissimus extitit magister, efficacissime claruit, electus a reverendissimo Papa Urbano (u), in Turonensi concilio (*a*), sanctæ
B sedis Ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, pontifex ordinatus est. Quam ipse dignitatem, immo onus accinctus gladio Spiritus Sancti, licet inter barbaros, et naturali quadam armatos feritate, per annos viginti octo fideliter prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit, arguendo, obsecrando, increpando, dissidentia pacificavit.

traditur :

7 Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentiens, onere pontificali deposito, Sanctissimi Benedicti habitum humilitatemque suscepit, monachumque professus, Beato Albino se tradidit; ac sic exoneratus, pauperem Christum pauper et ipse secutus est. Ante quidem, ut Martha, sollicitus erat et occupatus erga plurima, nunc vero, velut altera Maria, unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. . . . . Cæterum quia corpus quod corrumpitur aggravat animum, et deprimit inhabitatio terrena sensum multa cogitantem, et nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram, dilectissimam nobis
C caritatem vestram per viscera misericordiæ Dei nostri petimus et rogamus, ut pro illis (*scilicet Marbodo et Gerardo monacho,*) fundatis ad Dominum preces, et contra cuncta eis adversantia orationum vestrarum clypeos opponatis. Insuper admonemus, ut vanitantium vanitates et nugarum nænias penitus recidatis, ne quod utiliter nimis institutum est, notam habeat levitatis. Nos enim vota precum animabus profutura, non verborum phaleras postulamus, quæ defunctis nihil proficiunt, et vivis plurimum solent obesse; cum scriptum sit de omni verbo otioso reddituros nos rationem. *Hæc de Marbodo monachi Andegavenses, quibus consonant coævi, qui de eodem scripserunt; uti videre est in præmonitione Antonii Beaugendre ad opuscula Marbodi, quæ operibus Hildeberti Cenomanensis subjunxit. Unde mirum non est Saussayum Rhedonensis episcopi elogium texuisse in suo Martyrologio Gallicano ad diem* XI *Septembris.*

antiquior biographus coævus videtur :

8 *Altera S.* Magnobodi *ab Anonymo conscripta Vita, quam infra edemus, antiquior est, utpote quam Marbodus contractius elegantiusque, presse tamen, secutus fuerit, ut satis constat ex serie rerum gesta-* D *rum ab utroque eodem ordine relatarum. Imo auctorem Sancto nostro coævum fuisse, plurima ejus verba clare demonstrant. Nam inter miracula, quæ vivens fecit S.* Magnobodus, *tria recitat, quorum ipse scriptor testem se fuisse dicit. Primum est de duabus puellis cæcis a Sancto curatis, quod hisce verbis exorditur n.* 31 : Ergo si vera fateantur, quæ relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent, quæ oculis nostris conspeximus. *Narrat deinde puellas ad pontificem adductas, olei et orationum fomento sanatas fuisse. Alterum miraculum est de muliere itidem cæca et visui restituta, de qua dicit Anonymus n.* 47 : Dicamus ergo et illud, quod absque figmento mendacii testificari et adstruere possumus. *Non alia miracula refert Anonymus, ut ipse dicit n.* 18, *quam quæ* relatione multorum comperta sunt, *cum igitur hic dicat miraculum* absque figmento mendacii testificari et adstruere se posse, *tantum id est, quantum si iterum testis prodigii oculatus ipse fuerit. Tertium tandem miraculum, quo mulier pariter cæca, muta et paralytica liberata est, ita narrat, ut ipse præsens prodigio adfuerit, n.* 38 : Et illud obmittendum non
E censemus, quod in præsentia nostra actum est. *Hæc omnia plane conficiunt Anonymum coævum fuisse S.* Magnobodo : *unde ejus narrationi fides non est facile abroganda.*

discutitur duplex objectio, altera ad tempus nativitatis spectans,

9 *Objiciunt tamen adversus ejus auctoritatem, adstrui ab eo, S.* Magnobodum *natum esse, flagrante bello Clotarium inter atque Theodebertum Austrasiæ Theodoricumque Burgundiæ reges; et præterea conjungi ab eo initium episcopatus S.* Magnobodi *cum Dagoberti I regno; et ex utraque objectione concludunt testimonium ejus in dubium vocari posse, aut certe ejus scriptionem ad nos non pervenisse absque interpolatione. Quid veri subsit his incusationibus, dispiciamus oportet; et quidem quod ad priorem pertinet, en Anonymi verba :* Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum spectabiles inter concives non mediocre obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes, qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet et Theodeberto, adhuc intra adolescentiæ annos constitutus, exortis undique grandinum simultatibus, litem exercebat. *Quæ verba non absolute significant tempore Clotarii II natum S.* Magnobodum, *quamvis illa Marbodus ita interpretatus* F *fuerit, cum dicit natum* regnante apud Francos Lothario Chilperici filio : *sed indicare etiam possunt, locum natalem ad regnum Clotarii, totius dein Franciæ regis, pertinuisse. Nisi itaque Anonymus hæc dixerit, non tam ut epocham aliquam nativitati S.* Magnobodi *præfigeret, quam ut Neustrium ad Clotarium pertinentem accuratius designaret : non possunt ejus verba, quatenus tempus natale Sancti indicant, componi cum reliqua ejus historia. Triplex videlicet bellum inter hos reges exarsit, teste Fredegario capp.* XVII, XX, XXV (*b*) : *primum ipse Clotarius, duce Fredegunde matre, anno* 596 *ditionem Austrasianam invasit et fratres Theodebertum ac Theodoricum gravi clade affecit : iterum anno* 600 *duo fratres junctis armis Clotarium adorti, cæsoque ejus exercitu, partem Gastinensis pagi illi eripiunt : demum anno* 604, *ultro bella moventem Clotarium opprimunt, et Compendii ad pacis conditiones adigunt. Si igitur Anonymum ita interpretamur, quasi indicare voluerit tempus natale S.* Magnobodi, *natum illum dicere necesse fuerit inter A.* 596 *et A.* 604, *quemadmodum Nostri, necdum ad trutinam revo-*

(*a*) Ann. 1096. — (*b*) D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 420 et 422.

cata

A *cata opinione, quæ reapse ad hunc locum spectat, ad diem* XIII *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Licinii n.* 7 (*a*) *insinuarunt.*

quasi an. 596 *natus fuisset,*

10 *Verum hanc opinionem merito rejicit Cointius in suis Annalibus* (*b*) : Quis credat, *ait,* Magnobodum in lucem non editum fuisse ante annum Christi quingentesimum nonagesimum sextum, quo Clotarius Theodebertum ac Theodoricum reges invasit, aut nonum ætatis annum vix absolvisse anno Christi sexcentesimo quinto, quo Licinius episcopus ad Deum migravit? Si Magnobodus natus est flagrante bello civili, cum Neustriæ rex hostes experiebatur reges Austriæ et Burgundiæ, natus videtur anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, quo Sigebertus Austriæ rex et Guntchramnus rex Burgundiæ fœdus adversus Chilpericum Neustriæ regem pepigerunt, ut ex Gregorio Turonensi (*c*) retulimus. *Non est hujus loci operosius inquirere in annum emortualem S. Licinii, de quo postea apto loco agendum erit; sed quidquid sit de hac opinione, hoc certum est S.* Magnobodum *cathedram Andegavensem conscendisse, ut tardissime, anno* 609, *ut infra demonstrabitur : qui igitur posset nativitatis ejus tempus cum anno* 596 *conjungi?*

B *vix enim annum ætatis tertium decimum complevisset* Magnobodus, *cum episcopale onus susciperet.*

quod cum reliqua

11 *His adde, eumdem pontificatui quasi prælusisse, quando particeps fuit omnium consiliorum S. Licinii, ut diserte asserit Anonymus n.* 3 *et Marbodus; cujus fragmenta citare malumus, ne Anonymus repetatur :* Procedente tempore, *ait Marbodus* (*d*), per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit, dignum sane judicans, cui sollicitudinis suæ curam deberet partiri, cujusque posset consilio emergentium difficultatum ambiguitatibus explicari : neque enim illi deerat vel prudentia, qua rerum exitus metiret, vel constantia, qua bene provisa intrepidus exequeretur. Castitate præclarus, humilitate excelsus, charitate diffusus, morum doctrinam etiam lingua tacens poterat, vita loquens, minoribus exhibere. Sed neque suavitate carebat eloquentiæ, nec copia dicendorum, quibus audientium corda ab amore hujus sæculi ad desideranda magis cœlestia commutaret. His ergo de causis, sanctus episcopus Colonetense cœnobium regendum illi commisit, ut et grex fratrum rectoris sui provocatus exemplo, doctrina instructus, exhortatione accensus, ad meliora proficeret, et ipse in

C minoribus quasi præludens, ad majora postmodum disponenda ipso usu exercitatior redderetur et aptior. In qua dispensatione tam fidelem se præbuit et prudentem, ut familiæ Domini, super quam constitutus erat, sufficienter corporis et animæ necessaria ministraret, et de sanctis profectibus non suam laudem, sed ipsius Domini gloriam præ se ferret. *Mittitur post hæc S.* Magnobodus *Romam, ut a Papa Sanctorum Reliquias obtineat; ac demum, altero post Licinium episcopo defuncto, sedem Andegavensem conscendit S.* Magnobodus. *Quis non dicat absurdum esse omnia hæc operatum esse juvenem ante annum ætatis decimum quartum completum?*

chronotaxi componi non potest :

12 *Merito igitur hæc epocha ab Anonymo n.* 1, *ut volunt, insinuata rejicitur, quoniam cum factis supra relatis componi non potest. Num vero omnia felicius concilientur conjectura Cointii, examinabimus infra, quando in annum Sancti natalem inquiremus. Dicendum igitur est, aut hæc dici ab Anonymo, ut jam præfati sumus, de Clotario, quatenus ejus in Neustria regnum designetur, aut hic interpolatum fuisse ejus textum; nam scriptor, quem coævum demonstravimus, tam turpiter errare circa sui temporis historiam non potuit : quamquam hic loci interpolationem non facile admiserim, quoniam Anonymus simpliciter adstruit, parentes S.* Magnobodi sub jure Lotharii filii Chilperici, *seu in regno Neustriæ,* constitisse.

AUCTORE J. V. H.

D

altera objectio, quod ejus episcopatus initium cum regno Dagoberti componatur.

13 *Sed est alius error multo certior, in quem Anonymus n.* 5, *et, qui eum secutus est, Marbodus* (*e*) *inciderunt. Uterque scilicet dicit,* consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum *Andegavensem cathedram occupasse, quod iterum cum Sancti nostri historia componi non potest. Nam certum est, ut jam diximus, ultra annum* 609 *ejus in pontificem ordinationem non posse differri : quum igitur Dagobertus I regnum Austrasiæ primum anno* 622 *acceperit, et insuper Andegavorum civitas, utpote in Neustria, ad dictum regem non spectarit ante annum* 628, *evidens fit, errorem obrepsisse scribenti; qui cum coævo tribui non possit, amanuensis cujusdam sive oscitantiæ sive præsumptioni adscribendus videtur. Cæterum utrumque errorem in MSS. valde antiquis exstitisse vel exinde constat, quod Marbodi quoque narratio* E *iis erratis aspersus sit. Verum quantumcumque per hujusmodi anachronismos textus Anonymi in sua integritate detrimentum patiatur, hi tanti non sunt, ut fidem in reliquis Anonymo denegemus. Hisce de cultu et Actis Sancti* Magnobodi *præmissis, ad alia procedimus.*

§ II. Tempus et locus nativitatis Sancti Magnobodi; promotio ad Sacros Ordines; præfectura cœnobii Colonetensis.

Annus Sancti natalis statuendus non est 584;

In *præcedentibus probatum fuit, tempus natale, ex Anonymo desumptum, conciliari non posse cum reliqua chronologia vitæ S.* Magnobodi. *Marbodus dicit quidem Sanctum natum* regnante apud Francos Lothario Chilperici filio, *ita ut liceret undecim vel duodecim annis tempus Sancti natale antevertere : natus siquidem dici posset anno* 584, *quum aliqui Anonymum assignasse volunt annum* 596. *Verum neque hæc duodecim annorum anticipatio difficultatem, quæ e tempore suscepti episcopatus enascitur, sufficienter tollit. Fuerit profecto S.* Magnobodus *anno* 609, *quo episcopus factus est, duodecim annis ætate provectior : annum tamen vitæ ejus vigesimum quartum aut quintum tantum attingemus. Sed hæc ætas, secundum vigentem tunc Ecclesiæ, et maxime in Galliis, disciplinam, non erat idonea ad dignitatem presbyteri aut episcopi suscipiendam, ad quam requirebantur anni triginta completi, ut constat ex can.* I *Concilii Arelatensis* IV *anni* 524 (*f*) : Nullus episcoporum diaconum antequam XXV annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullus laicus ante præmissam conversionem vel ante annos XXX ætatis accipiat. *Atque hæc quidem sanciuntur, ut habet idem canon,* quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscuntur. *Quibus sane verbis indicatur hic agi*

(*a*) T. II Febr., p. 676. — (*b*) Ad an. 698, § III. — (*c*) Hist. Franc., lib. IV, cap. L, ap D. Bouquet Rec., t. II, p. 229. — (*d*) Beaugendre Oper. Hildebert, col. 1492. — (*e*) Ibid., col. 1494. —(*f*) Labbe t. IV Conc., col. 1622.

de

AUCTORE J. V. H.

A *de disciplina universaliter tunc admissa. Si itaque* S. Magnobodus, *regnante Clothario Chilperici filio, natus est, seu non citius quam anno* 584, *sequeretur illum ætate viginti quinque annorum vix completa episcopalem cathedram conscendisse; quod, utpote contrarium disciplinæ ecclesiasticæ tunc vigenti, si propter insignes ejus dotes accidisset, non tacuisset probabiliter auctor coævus* (*a*).

sed annus 574: 15 *His igitur rejectis, superest opinio Cointii supra allata n.* 10, *qua censet, si S.* Magnobodus *natus est flagrante bello civili, ejus ortum potius referendum esse ad annum* 574, *quo rex Neustriæ Chilpericus adversarios expertus est Sigibertum Austrasiæ et Guntramnum Burgundiæ reges. In hac opinione habemus S.* Magnobodum *annum ætatis trigesimum sextum agentem, et proinde jam maturum muneri episcopali : quare deficiente omni alio indicio, quo tempus nativitatis Sancti accuratius indigitetur, Cointii sententiam nos sequi oportet. Scrupulum tamen adhuc movent Anonymi verba n.* 4, *quibus, postquam narrasset* recolendæ sanctitatis virum Magnobodum ecclesiastici ordinis (*presbyteratus*) ministerio promotum *Romam legatum missum fuisse, prosequitur :* His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculis, *obit S. Licinius, atque in ejus locum, altero tamen episcopo intermedio, S.* Magnobodus *eligitur. Hæc, inquam,* multorum annorum curricula *videntur intermedia fuisse inter Sancti legationem Romanam ac ejus pontificatum : atque hinc iterum propter ætatem triginta quinque annorum constringimur : si enim trigesimo primo anno presbyter factus Romam mittitur, quomodo dici potest episcopale munus suscepisse* evolutis multorum annorum curriculis *S.* Magnobodum ? *Verum hæc multorum annorum curricula referenda non videntur ad res gestas S.* Magnobodi, *sed ad ætatem senilem S. Licinii, ita ut sensus Anonymi sit : postquam monasterium S. Joannis Baptistæ construxisset Licinius, et, procedentibus annis, ad senium devenisset, cœpit infirmari. Ope hujus interpretationis, evanescit difficultas, et nihil videtur obstare, quominus S.* Magnobodum *natum dicamus circa annum* 574.

dies natalis fuit festivitas Epiphaniæ.

16 *Notavit quoque Anonymus n.* 1, *in die Epiphaniæ,* VI *Januarii, natum S.* Magnobodum *hisce verbis :* Sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniorum die recens extitit. . . . et in ipso concentu gallicinii, C quo dieculæ prænuntiari non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus. *Locus quoque Sancti natalis, utcumque indicatur, quum Anonymus n.* 2 *dicit :* Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes (*S.* Magnobodi) ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat, qui dum navali adminiculo meatum jam dicti amnis transire vellent *etc. videtur ex his verbis* trans Ligerim *natus S.* Magnobodus, *cum non nisi trajecto hoc flumine* ad basilicam, *in qua baptisandus erat, pervenire potuerint parentes. Unde probare non possum sententiam eorum, qui dicunt Sanctum in ipsa urbe Andegavensi natum, immo plateæ nomen adjiciunt, scilicet Coriariorum* (rue des Tanneurs) (*b*). *Res clarior fieret, si certa apud auctores illorum temporum esset significatio vocabuli* Basilicæ : *Joannes Mabillon in Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*c*) *dubitat an umquam basilicæ nomine episcopales seu cathedrales ecclesias appellarit Gregorius Turonensis,* quas, *ait,* seniorum ecclesiarum aut præcise ecclesiarum nomine insignire solet. *Attamen Hadrianus Valesius,* D *quem propter egregiam disceptationem de Basilicis ipse Mabillon luculenter laudavit* (*d*), *monstrat* (*e*) *a Gregorio etiam cathedralem ecclesiam quamdoque dici* Basilicam. *Imo quod proprie ad rem nostram facit, ipse Anonymus num.* 9 *promiscue ecclesiam dicit, quam paulo ante basilicam appellaverat. Hinc fieri potest, quod basilica, ad quam puerulus* Magnobodus *baptisandus deferebatur, ipsa esset ecclesiæ cathedralis Andegavensis.*

Pie educatus, a S. Licinio Sacris Ordinibus initiatur,

17 *Parentes habuit S.* Magnobodus *nobilitate insignes, ut habet Anonymus n.* 1, *cui consentit Marbodus dicens* (*f*) : Magnobodus Andegavensi territorio oriundus fuit. . . . parentibus Christianis, quos inter concives spectabile genus et honorum dignitas sublimabat. *Neuter tamen biographus accuratius Sancti nostri familiam designat.* Procedente vero ætate, *ut pergamus cum Anonymo n.* 3, cernentes prælibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinarunt imbuere litterarum studiis. *Hanc tamen ad* sacra studia *destinationem non ita a parentibus accepit* Magnobodus, *quasi solo illorum arbitrio res ageretur; sed, ut ait Marbodus l. c., quia eum* divinis mancipandum obsequiis, E certis quibusdam excitata signis fides parentum decreverat, et Ecclesiæ Christi præficiendum cœlestis ordo providentiæ disponebat. *Itaque* adolescens factus, amplioribus cœpit virtutum studiis exerceri, nec proclivem in deteriora ætatem deformi luxu, aut inerti otio passus corrumpi, arctis semetipsum subdidit legibus abstinentiæ, ut scilicet nil ventri, nil indulgeret somno, nisi quantum naturæ necessitas postularet. Orationi jugiter, aut lectioni vacabat, ut nullum temporis intervallum absque spirituali profectu sineret deperire. Hæc cum ad Beati Licinii episcopi notitiam pervenissent, cujus mirabilis sanctitas inter Gallicanos episcopos tunc temporis habebatur, congratulatur divinorum munerum largitati, vocatum ad se juvenem more ecclesiastico tonsuravit, ac clericalibus officiis deputatum, in castris Christi probatæ jam virtutis tyronem militare præcepit. Procedente mox tempore, per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit. *Si certa esset, quam supra n.* 15 *aliquatenus probabilem diximus, nativitatis Sancti epocha, propter ætatem triginta annorum requisitam ad presbyteratus ordinem, S.* Magnobodi *ordinatio ad annum Chrisii* 603 *referri posset.* F

et monasterio Colonetensi præficitur : quamvis

18 Cernens igitur, *ait Anonymus n.* 3, Sanctus præsul Licinius ejus (Magnobodi) industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori consistere gradu, et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret, et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Si quidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonetensi Christo famulabatur, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ admonitionis paradigma obsequentibus exhiberet. *Marbodus quoque scribit* (*g*) *a S. Licinio* Colonetense cœnobium regendum commissum *fuisse* Magnobodo. *Hoc monasterium, jam diu destructum, suspicatur Bollandus noster ad diem* XIII *Februarii* (*h*) *situm fuisse,* ubi nunc Chalonnæ præfectura est, vetusque castellum, ad Ligerim fluvium, quatuor infra Andegavos leucis, via Nannetensi. *Ex his igitur utriusque biographi verbis liquet illum Colonetensi cœnobio præpositum fuisse; quin æque clarum*

(*a*) Cfr t. I Octob. Vit. S. Leodegarii, p. 366, n. 46 et seqq. — (*b*) Godard Hist. de l'Anjou, p. 171. — (*c*) Lib. VII, § VII, t. I, p. 161. Edit. Luc. — (*d*) Lib. V, § XXVIII. Ibid., p. 114. — (*e*) Discept. de Basil., cap. II, p. 11. Edit. Paris. 1657. — (*f*) Beaugend. Oper. Hildeb., col. 1491. — (*g*) Ibid., col. 1492. — (*h*) T. II Februar., p. 679, not. *c*.

sit,

A *sit, quo titulo hanc præfecturam possederit. Etenim in reliqua Vita, sive antecedentia, sive consequentia consideremus, nullo verbo S.* Magnobodi *monachatus attingitur. Hæc nihilominus Colonetensis cœnobii præfectura in causa fuit, cur Sanctum nostrum, tamquam Ordinis S. Benedicti alumnum, in suo Martyrologio ad diem* XVII *kal. Novemb. Hugo Menardus, et, in Hagiologio Benedictino hispanice conscripto, sub die* XVII *Octobris Antonius de Heredia adnumerarint. Huic opinioni probabilitatem quamdam addit, quod* Glannofoliense *monasterium, ex quo deinde cætera Benedictini instituti cœnobia prodierunt, situm esset* ad Ligerim apud Andecavos, *uti habet Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (*a*). *Verum hæc ratio ea non est, ut Mabillonium moverit ad conscribendum S.* Magnobodum *inter germanos Benedictinos. Nam in Actis SS. Ordinis S. Benedicti* (*b*) *postquam dixerit de Sanctis, quos prætermittendos censuit, se asterisco * notasse illos, qui* germani Benedictini videbantur; *ad S.* Magnobodi *nomen nullum hujusmodi signum exsistit : recte igitur inferre licet Mabillonium non habuisse Sanctum nostrum tamquam germanum Benedictinum.*

non videatur monachus fuisse,

19 *Et reapse nihil, ut jam præfati sumus, in utraque S.* Magnobodi *Vita occurrit, quo confirmari*
B *possit ejus monachatus : immo contrarium potius insinuatur, scilicet eum ut clericum Ecclesiæ Andegavensi adscriptum fuisse. Ait enim Anonymus l. c. :* Decrevit (*S. Licinius*) eum aliquantulum in superiori consistere gradu et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret : *equidem hæc verba ita intelligenda esse arbitror, ut* Magnobodus, *in superiori gradu aliquantulum, id est ad tempus, consistens, se episcopo ac reliquo clero probaret, ac deinde ab omnibus dignus haberetur, quem episcopus secum retineret, ac adjutorem suum in omnibus faceret. Quod si hoc sensu accipienda sunt Anonymi dicta, satis apparet* Magnobodum *monachum non fuisse in aliquo cœnobio : proindeque nullo jure inter Sanctos Benedictini ordinis adscribi potuisse. Deinde in neutra Vita dicitur* abbas *cœnobii Colonetensis, sed* præfectus *aut* rector, *quatenus fortasse, quoniam tunc erat presbyter inter monachos Colonetenses,* Magnobodus, *jam sacerdotii gradu insignis, illos in via salutis atque perfectionis verbis et exemplis suis dirigeret.*

sed presbyter præpositus cœnobio,

20 *Quamvis enim illa tempestate frequentes essent*
C *presbyteri monachi, non est tamen diffitendum exstitisse tunc etiam monachorum cœnobia sacerdotis solatio destituta. Duo in epistolis S. Gregorii Magni nobis occurrunt exempla, quæ demonstrant monasterium quandoque absque presbytero exstitisse. Sic S. Gregorius, amotis clericis, qui officia divina in ecclesia S. Pancratii extra Urbem negligebant, tradit illam monachorum congregationi, cui Maurum abbatem præficit, et addit* (*c*) : Sed ne remotis presbyteris, quibus ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare ministeriis (*alii legunt* mysteriis) videatur : idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic non desinas adhibere presbyterum, qui sacra Missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen et in monasterio habitare, et inde vitæ subsidia habere necesse est. *Defectum presbyteri monachi tamquam exceptionem a regula communi habent Benedictini editores Operum S. Gregorii Magni, neque inficias ibo : sed adjungunt hunc presbyterum fuisse* fortasse ex aliquo vicino monasterio; *etenim* si monasticam, *ajunt,* vitam professus non fuisset hic presbyter, quomodo in monasterio habitare, ac arctiorem monachorum vitam ducere consensisset. *Hæc opinatio nulla ratione fulcitur :*
D *dicit quidem S. Gregorius habitationem et vitæ subsidia presbytero præstanda esse a monachis, sed nullo verbo insinuat, illum severiori monasticæ disciplinæ esse subigendum.*

quod non raro carebat

21 *Similiter idem sanctus Pontifex, scribens ad Fortunatum Neapolitanum episcopum* (*d*), *dicit a* Romano clarissimæ memoriæ viro *ædificatam fuisse Neapoli ecclesiam, quam consecrare præcipit* in honorem Sanctorum Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, nec non et Pancratii; ita ut, *pergit sanctus Pontifex,* in eodem loco baptisterium numquam constituatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties Missas ibi degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione vestra presbyterum noverint postulandum : quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. *Non est dubium, quin* tunc saltem, *quando scribebat S. Gregorius, monachi ad dictam ecclesiam degentes proprio carerent sacerdote, qui missas celebraret et illis reliqua ministraret sacramenta. Quod quidem fortassis rarum non fuit primis monastici instituti temporibus, quum fuerint aliqui e primis Patribus,*
E *qui suos monachos sacrorum Ordinum exsortes malebant; ut scilicet omnis ambitio procul exularet. Talis erat imprimis S. Pachomius, in cujus Vita ad diem* XIV *Maji c.* III (*e*), *ait auctor subæqualis :* Ubi igitur ad peragenda sacra mysteria erat necesse, presbyterum e vicinarum ecclesiarum una aliqua evocabat. Nemo quippe inter eos ad ecclesiastici cleri ordinem adjunctus versabatur; ita ratiocinante Pachomio et ad suos sæpe repetente : optimum videri nullam, in cœnobiis præsertim, dignitatem et excellentiam appeti, ne rerum earum causa, aversiones, rixas, invidiam, æmulationem aliasque divisiones inter monachos oriri contingat. *Hujusmodi disciplina in causa fortassis fuit, ut aliqui, non obstantibus decretis contrariis Conciliorum et summorum Pontificum, præsertim Siricii Epist.* I, *c.* XIII (*f*), *et Gregorii Magni* (*g*), *quæ monachos ad sacros ordines promoveri permittebant, hujusmodi, inquam, disciplina in causa fuit, ut aliqui præfracte sustinerent monachis interdicendum esse accessum ad sacros Ordines. Quorum audaciam fregit Bonifacius IV decreto synodali,* III *kalendas Martias anni* 610 *promulgato, in quo hæc leguntur* (*h*) : Sunt nonnulli fulti nullo dogmate, audacissime quidem zelo magis amaritudinis, quam di-
F lectione inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia esse indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio divinitus injunctam potestatem, sed omnino labuntur. . . . Igitur Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo imperante, haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari. . . . Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum. *Hæc omnia concurrunt, ut hac præcise tempestate minor fuerit sacerdotum monachorum frequentia.*

proprio sacerdote :

22 *Potuit igitur et Colonetense cœnobium suo destitui presbytero : quare S. Licinius Andegaven-*
sium episcopus his monachis præficere potuit San-

(*a*) Lib. v, § x, t. I, p. 106. Edit. Luc. — (*b*) Sæcul. II, Prolegom, p. LVIII. — (*c*) Lib. IV, epist. XVIII, t. II, Oper. col. 696. — (*d*) Lib. X, epist. II, t. II, Oper. col. 1043. (*e*) T. III Maji, p. 303, n. 18. — (*f*) Labbe t. II, Conc. col. 1021. — (*g*) Lib. VI, epist. XXVIII, t. II, Oper. col. 814. — (*h*) Labbe t. V, Conc. col. 1618.

AUCTORE J. V. H.

A *ctum nostrum* Magnobodum, *cui noverat, (verba sunt Anonymi, cui Marbodus quoque consonat)*, inter coævos miram diligentiam, summam obedientiam, non fictam charitatem, cernuam benignitatem *et reliquas virtutum et scientiæ dotes necessarias ad monasterium regendum. Erat præterea in Galliis consuetudo lege firmata, ut clericis ecclesiæ cathedralis committerentur monasteria ordinanda, uti constat ex canone* XVIII *concilii Aurelianensis III, anno* 538 *celebrati, cui subscriptus reperitur S. Albinus Andegavensis episcopus* (*a*) : De his vero, *ita sonat ille canon,* clericorum personis, quæ de civitatensis ecclesiæ officio monasteria, diœceses vel basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas, in potestate sit episcopi ; si de eo quod ante de ecclesiastico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit : quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis vel basilicæ, debet plena ratione sufficere. *Fieri potest S.* Magnobodum *vi hujus canonis monasterium suscepisse* ordinandum; *quin tamen aut ipse monachus esset, aut etiam abbatis titulo gauderet, quem illi neuter scriptor tribuit. Verum quidem est*

B *hanc abbatum quasi commendatariorum imaginem reprobatam fuisse a S. Gregorio Magno, prohibente Joanni episcopo Ravennati, ne clerici monasteriis præponantur* (*b*), *quia* nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere : ut ipse monasterio districtionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. *Sed hæc Pontificis ordinatio, quamvis postea in Gratiani Decreto inserta c.* II, *Caus.* XVI, *quæst.* I, *erat tunc quidem, quando S.* Magnobodus *Colonetensibus monachis præficiebatur, mandatum aliquod speciale ad solum Joannem Ravennatem directum; quo certe propria alicujus regionis consuetudo convelli non poterat, tunc præsertim quando nulla rei inerat corruptela.*

probabiliter tamen regulam canonicam

23 *Hæc tamen non ita accipienda sunt, quasi omnem Sancti nostri cum vita monastica necessitudinem excludere vellem : hoc solum monstrare conor, ex præfectura Colonetensi non posse legitime deduci illum fuisse aut S. Benedicti alumnum aut etiam monachum proprie dictum. Verum ideo non nego* Magnobodum *euangelicam paupertatem, proindeque reliqua regularis vitæ vota substantialia professum fuisse. Nam valde probabile est, S.* Magnobodum,

C *a S. Licinio educatum, imitatum fuisse magistrum suum, qui, ut in Vita ejus scribitur ad diem* XIII *Februarii* (*c*), clericus effectus, soli Domino et spiritualibus fratribus placere satagebat, pauperem et communem vitam ducere desiderans, pompam seculi spernens, omne desiderium suum in divina voluntate ejusque servitio constituit. *Qui* spirituales fratres, pauper et communis vita *institutum regulare sapiunt, sed cum clericatu conjunctum. Atque hunc sensum etiam confirmant Marbodi verba in ejusdem Licinii Vita* (*d*) : Cingulum militiæ deposuit et caducis renuntiavit honoribus, totumque se in Dei servitium tradens, tonsuram clericalem cum professione suscepit. O quantum gaudium de se fratribus dedit! Quibus Dei laudibus ora omnium adimplevit! Quam multorum corda in compunctionem, oculos laxavit in lacrymas, cum viderent illam nobilissimæ stirpis indolem, fascibus et divitiis sublimatam, forma præcipuam, gloria præpollentem, contemptis omnibus, Christi jugo generosas inclinare cervices; D et de divite pauperem, de potente infirmum, servum de domino spontanea commutatione fieri. *Nemo certe facile sibi persuadebit S. Licinium non fuisse religiosum tria substantialia vota professum; sed simul etiam fateatur necesse est, hic agi de vita clericali, siquidem Licinius simpliciter* clericus *vocetur, nulla monasticæ professionis facta mentione. Quod itaque vitæ genus, a S. Eusebio Vercellensi in Occidentem invectum et deinde propagatum, coluerat S. Licinius ante episcopatum, admodum probabile est in Ecclesiam suam Andegavensem aut induxisse, aut jam inductum suis curis aluisse. Proinde probabile quoque fit S.* Magnobodum *hoc mixtum vitæ genus secutum fuisse, in qua erat, ut ait S. Ambrosius* (*e*) monasterii continentia et disciplina Ecclesiæ.

professus fuit.

24 *Neque etiam hisce temporibus tam accurate definita erat distinctio inter varios ordines religiosos, illorumque regulas, prout postea fuit. Ipse Mabillonius hoc fatetur in suis Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*f*) : Quænam, *inquit,* regulæ in prædictis monasteriis obtinuerint, colligimus ex Sidonii (*Apollinaris*) epistola (*g*) in qua Volusianum monet, E ut fluctuantem regulam monasterii S. Cyrici secundum statuta Lirinensium patrum vel Griniacensium informet : ubi regulæ vocabulum non pro aliqua scripta, ut vulgo, regula usurpatur, sed pro certa vivendi ratione ac disciplina usu recepta in monasterio; quomodo non raro accipitur apud veteres scriptores rerum monasticarum. Sic, teste Cassiano (*h*), in cœnobiis orientalibus tot propemodum typi ac regulæ erant, quot monasteria; quod de monastica seu regulari disciplina, quæ pro nutu præpositorum variabat, non de regulis scriptis intelligendum est. Neque alia forte fuerint tunc statuta patrum Lirinensium aut Griniacensium, quam ritus et consuetudines usu receptæ : quales apud Cartusienses absque scripto viguere ad Guigonem usque, quintum majoris Cartusiæ præpositum, qui eas in scripta primus redegit. . . . De Lemovicensibus id unum scimus, quod de Atanensi S. Aredii cœnobio Gregorius Turonensis antistes memoriæ prodidit (*i*), nempe istic non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, regulas celebratas fuisse. Quippe non una tum erat, ut jam dixi, repetamque sæpius, nec fixa singulorum monasterio- F rum scripta regula. Plures simul in eodem loco observari mos erat : ex quibus certa vivendi ratio ac disciplinæ regularis forma pro voluntate abbatum constituebatur, cæteris, quæ in eisdem regulis ad informandos mores pertinebant, lectioni ac meditationi fratrum reservatis. Unde per illa tempora nec mutatio regularum statum mutabat, nec status forma pendebat ex regulis : quæ cum ad unum scopum ac propositum tenderent omnes, eumdem monastici ordinis statum constituebant; eum ad modum quo varia in eamdem regulam constitutiones, ut vocant, unitati Ordinis modo non officiunt. *Hæc Mabillonius, cujus sententiæ ita subscribimus, ut tamen distinguamus inter monachos vitæ contemplativæ deditos, et clericos regulare institutum professos, qui vitam activam contemplationi conjungunt et propterea simpliciter* clerici *vocantur, quales erant in nostra opinione S. Licinius et ejus discipulus S.* Magnobodus.

(*a*) Labbe tom. V, Conc. col. 300. — (*b*) Lib. V, epist. I, t. II Oper. col. 727. — (*c*) T. II Febr., p. 679, n. 9. — (*d*) Ibid., p. 683, n. 7. — (*e*) Epist. ad Eccles. Vercell. n. 66, t. VI Oper., p. 213. Edit. Venet., an. 1781. — (*f*) Lib. IV, § XI, t. I, p. 95. — (*g*) Lib. VII, epist. XVII. Ap. Sirmond, t. I Oper. col. 1049. — (*h*) Institut., lib. III, cap. II. —(*i*) Hist. Fr., lib. X, cap. XXIX, apud D. Bouquet, t. II. Rec. des Hist. de Fr., p. 382.

§ III.

A

§ III. Sancti legatio Romana; episcopatus.

S. Licinius S. Magnobodum Romam mittit

Cum *S. Licinius in suburbio Andegavensi basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ constructam dedicare vellet, misit discipulum suum* Magnobodum *Romam, ut Reliquias ejusdem Sancti a summo Pontifice impetraret :* Quam (*ecclesiam*), *ait Marbodus cum Anonymo num.* 4 *consentiens*, in honorem Sancti Joannis Baptistæ cupiens dedicare, ejusdem Sancti Reliquias a Præsule sedis apostolicæ flagitabat. Hac igitur de causa Romam directus Magnobodus, apud Papam facile quod petiit impetravit; quem scilicet legati sanctitas atque industria quibus pollebat, statim latere non potuit. Nam et ejus modestia delectatus ac moribus, secum aliquamdiu commorari eum præcepit; tandemque apostolica benedictone cumulatum et votis, cum acceptis Sancti Baptistæ pignoribus gaudentem remisit ad propria. *Mire torquet hunc textum Adrianus Baillet*

B *ad* XVI *Octobris, cujus verba gallica latina facio :* Misit, *inquit,* illum deinde S. Licinius Romam ad S. Gregorium Magnum, ut conaretur obtinere aliquas Reliquias Martyrum, quibus ditaret simul et consecraret novam ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam nuper ædificaverat prope Andegavum. Dicitur aliquas retulisse, quamvis in hujusmodi re difficilem sese præberet sanctus Pontifex : sed non admodum verisimile est, illum (*scilicet* Magnobodum) has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ ex corpore S. Joannis Baptistæ.

ad obtinendas Reliquias S. Joannis Baptistæ,

26 *Reliquias igitur S. Joannis Baptistæ in Galliam a S.* Magnobodo *delatas fuisse nullatenus vult Bailletus, nixus probabiliter hac opinione, Sanctorum corporum elevationem, discerptionem aut translationem, ante sæculum nonum vix usurpatam fuisse : ut videre est in ejus Prologo ad Vitas Sanctorum* (*a*), *ubi ait :* Illud præsertim sæculum (*nonum*) gloriari potest falsis Actis et corruptis historiis Sanctorum, quorum effrenis licentia summum gradum attigerat illa tempestate, qua cœperunt corpora e terra levari, membratim discerpi, et alio transferri, quo latius Sanctorum cultus propagaretur. *Non est hujus loci dissertationem de*

C *sacris Reliquiis texere : unum sufficiat dixisse S. Stephani Protomartyris lipsana jam quinto sæculo et translata, et, ut satis inverecunde loquitur Bailletus,* discerpta *fuisse : de qua re testis nobis est S. Augustinus in Sermone* IV *de eodem Sancto* (*b*).

monstraturque contra Adr. Baillet

27 *Redeamus itaque ad verba Bailleti supra citata. Imprimis affirmat S.* Magnobodum *missum fuisse, ut* aliquas Reliquias Martyrum *obtineret. Hæc non dicunt aut Anonymus, aut Marbodus : prior quidem habet missum fuisse Romam* ut Reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, *sed quæ in specie sacra pignora cuperet, ex consequentibus manifestum fit,* perceptis *enim* pro quibus ierat, a beatissimo Papa pretiosis Sancti Joannis Reliquiis. . . . repedavit. *Recte igitur Marbodus habet, cum S. Licinius* Sancti Joannis Baptistæ Reliquias a Præsule sedis Apostolicæ flagitaret, hac de causa Romam directum Magnobodum *fuisse. Nulla igitur Martyrum hic fit mentio : ut quid igitur Bailletus de illis sermonem hic instituit? Nulla alia mihi occurrit ratio, quam quod Bailletus sinceris illis sæculis, Christianismo, ut vult, necdum obscurato, maluit translationem integri cujusdam corporis, quam discerptionem Reliquiarum pati : attamen hanc conjecturam refutat S. Augustinus numero præc. citatus, qui etiam exprobrans vagis monachis eorum nundinationes sacrilegas :* Membra, *ait* (*c*), Martyrum, si tamen Martyrum, venditant. *Nullo autem verbo perstringit Sancti alicujus corporis dispertitionem.*

AUCTORE J. V. H.

D

etiam isto sæculo

28 *Verum est S. Gregorium Magnum non facilem sese præbuisse in distribuendis Sanctorum Reliquiis; quod constat ex ejus epistola ad Constantiam Augustam* (*d*) : Cognoscat autem, *ait,* tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore : sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, ac tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.

et a S. Gregorio Magno

29 *Verum non ita semper brandeis mittendis contentus fuit S. Gregorius Magnus, ut numquam veras de corpore Sanctorum Reliquias distribuerit. Unum sufficiat attulisse exemplum : S. Pontifex misit ad Recharedum, Wisigothorum in Hispania regem, varias Reliquias, ut ipse loquitur* (*e*) : *præter clavem parvulam* in qua inest ferrum de catenis Beati Petri Apostoli, crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ Crucis

E inest et capilli Beati Joannis Baptistæ. *Similiter Anton. Franciscus Frisi in Monumentis Ecclesiæ Modoetiensis* (*f*) *ostendit non solum olea et brandea, sed etiam ossa Sanctorum a S. Gregorio ad Theodelindam, Longobardorum reginam transmissa fuisse : quod quoque factum comprobat Justus Fontaninus in sua* Dissertatione de Corona Ferrea (*g*); *ubi pluribus ostendit liberalitatem S. Gregorii in sacris Reliquiis largiendis.*

particulas corporis Sanctorum distributas fuisse.

30 *Non est igitur ratio cur in dubium vocet Bailletus hanc S. Joannis Baptistæ Reliquiarum illationem, quasi res esset quæ fidem excederet : tantoque magis quod absque idoneo testimonio supponat, vivente S. Gregorio Magno, S.* Magnobodum *Romam adiisse : factus enim est presbyter probabiliter anno* 603, *et deinde Colonetensis cœnobii præpositus; neque verisimile est eum primo anno a susceptis sacris Ordinibus Romanam legationem obiisse, quod tamen necessarium fuerit ob S. Gregorii obitum in* IV *idus Martii anni* 604 *incidentem. Nihil hic quoque dicendum occurrit, de excusatione, aut potius accusatione, quasi suspicari quis posset sanctum virum* Magnobodum, *aut ejus magistrum Beatissimum Licinium eo audaciæ processisse, ut Martyrum, fortassis ignotorum, Reliquias quasi de corpore S. Præcursoris desumptas venditarint. Dicendo enim :* sed non admodum verisimile est (Mais il n'y a pas beaucoup d'apparence) illum has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ e corpore S. Joannis Baptistæ, *insinuare videtur Bailletus aliquid suspicionis adhærere B.* Magnobodi *sanctitati : quasi hujus testimonium in re præsertim obvia non sufficeret, ad factum aliquod historicum asserendum.*

F

Memoriter recitat lectionem nocturnam coram Papa.

31 *Narrat uterque biographus S.* Magnobodum *Romæ consuevisse divinis officiis coram Papa interesse : hinc fortassis nata opinio legationem illam tempore pontificatus S. Gregorii accidisse : reipsa quidem S. Gregorius cantum ecclesiasticum reformavit, cantorumque scholam instituit : sed cum eadem hæc*

(*a*) T. I in fin. § XI, p. XVI. — (*b*) T. V Oper. col. 1269. — (*c*) De Opere Monach., cap. XXVIII, t. VI Oper. col. 498. — (*d*) Lib. IV, epist. XXX, t. II Oper. col. 708. — (*e*) Lib. IX, ep. CXXII, ibid., col. 1031. — (*f*) Dissertat. II. Mem. della Chiesa di Monza, p. 67. — (*g*) Cap. II, p. 22. Edit, Lips. an. 1719.

schola

AUCTORE J. V. H.

A *schola usque ad tempora Caroli Magni perseverarit, admodum probabile est, successores Sanctissimi Papæ, saltem immediatos, servasse quoque, introductas salutares consuetudines circa celebrationem divinorum Officiorum, et proinde nihil impedire, quominus S.* Magnobodus *tempore Sabiniani, Bonifacii Tertii aut etiam Quarti Romæ adfuerit.* Dum apud Papam, *ait Marbodus* (*a*), maneret, quid ei contigerit non prorsus prætermittendum existimo, quoniam et malignitatis reprehensionem et imitandæ diligentiæ continere videtur exemplum. Dum inter officia nocturnorum, quibus eum Papa familiariter admittebat, ipsius jussu lectionem, ut mos est, in pulpito recitaret, quidam ex clericis palatinis invidia ducti, sicut se habet humana perversitas, quod scilicet alienigena quidam domesticorum partes apud dominum obtineret, et eorum quasi præriperet famulatum, lumen candelæ, quo utebatur, extinguere curaverunt, ut, frustrata intentione, confusus et velut demutatus abscederet. At ille nihil commotus, eodem tenore quo cœperat, memoriter paginam consummavit. Sicque factum est, ut quod illi ad dedecus erat dispositum, in gloriam potius verteretur. *Quod hic Marbodus exhibet tamquam* imitandæ

B diligentiæ *exemplum, id Anonymo n.* 4 *videtur miraculo simile; etenim dicit Sanctum nostrum* non solum lumine carnali, quod exterius patet, ... viguisse, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet. *Certe si prodigiosi quidpiam recitationi tribuendum esset, insulse satis de* imitanda diligentia *loqueretur Marbodus. Interim facile mihi persuasero interpretationi Marbodi standum esse, tum quia naturalis est explicatio, tum maxime, quia Anonymi phrasis non absolute miraculum aliquod deprædicat.*

Mortuo S. Licinio

32 *Brevi post absolutam Romanam legationem, moritur S. Licinius, anno* 606, *ut volunt auctores Historiæ litterariæ* (*b*). *Atque hanc opinionem eatenus tenendam esse, quatenus* circa *dictum annum* 606 *obiisse S. Licinius censendus sit, suadet vel ipsum tempus quo S.* Magnobodus *Andegavensem cathedram conscendit, uti sequentia demonstrabunt. Nostri ad diem* XIII *Februarii in Commentario prævio Vitæ S. Licinii* (*c*) *statuunt circa annum* 616 *e sæculo migrasse dictum Sanctum, quia nullum certum documentum ejus obitus ante annum decimum octavum ejusdem sæculi repererant. Sed aliquot annis citius obiisse S. Licinium, liquet ex verbis ipsius S.* Magno-

C bodi, *quibus in Præfatione Vitæ S. Maurilii ad diem* XIII *Septembris* (*d*), *dicit annum decimum suæ ordinationis aut episcopatus concurrere cum anno trigesimo sexto regni Clotarii regis, seu cum anno Christi* 619, *aut, ut Baronio placet,* 613.

circa an. 606,

33 *En verba :* In Christi nomine, ego Magnobodus episcopus, ac si peccator, ecclesiæ Andecavæ.... Vitam Sancti Maurilii episcopi et confessoris, ut rusticitas mea compos fuit, simpliciter planeque, quantum potui, explicavi, in anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo sexto principis nostri domni Clotharii regis, filii Chilperici regis. *Ut igitur accuratius determinetur annus decimus episcopatus S.* Magnobodi, *proindeque ad tempus mortis S. Licinii propius accedamus, imprimis indicandum nobis, cui anno æræ christianæ illigandum sit initium principatus Clotarii II. Baronius quidem Chilperici mortem anno Christi* 587 (*e*) *innectit, sed nullo, quod afferat, idoneo testimonio nixus : unde merito emendatur a Pagio, qui dicit* (*f*) *cædem Chilperici cum anno vulgari* 584 *esse certo conjungendum : si igitur ab hoc anno per annos triginta quinque procedamus, ad annum Christi* 619 *pervenimus, qui cum simul esset annus decimus episcopatus S.* Magnobodi, *sponte sua fluit Sanctum nostrum anno Christi* 609 *aut* 610 *Andegavenses insulas accepisse.* D

ejusque successore

34 *His positis, manifestum fit S. Licinium aliquot annis ante annum* 616, *ut volunt nostri, diem supremum obiisse : quin et probabile est duorum aut trium annorum intervallum fluxisse inter S. Licinii mortem et pontificatum S.* Magnobodi : *Marbodus enim in hujus Vita dicit* (*g*) : Post decessum itaque Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi judicans contemplationis otio inhærere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur, obtinuit. *Hunc, qui S. Licinio immediate successit, episcopum nominat Gallia Christiana antiqua* (*h*) Cardulfum (*aut, ut alii volunt, Radulfum*), cujus solum nomen in fastis ecclesiasticis superest. Verum, *ita pergit Marbodus,* et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat, E istum (*scilicet* Magnobodum) divino judicio postulari. *Cum igitur certum sit, Sanctum nostrum anno Christi* 609 *episcopatum Andegavensem suscepisse : putarem Cardulfo posse tribui pontificatum duorum triumve annorum : unde perspicuum fit, recte S. Licinii mortem versus annum Christi* 606 *collocari.*

Cardulfo.

35 *Nihilominus in variis Marbodi exemplaribus non una est lectio de iis, quæ Cardulfum attingunt : Cointius ad annum* 605 (*i*) *legit :* Et illo post modicum Dei dispensatione defuncto; *eadem verba habet quoque apographum Bibliothecæ olim Bollandianæ : unde concludit Cointius :* Pontificatum Cardulfi, qui post modicum ab obitu Sancti Licinii defunctus est, annum interpretamur. *Nihil meo judicio, admissa etiam posteriori lectione, obstat quominus dicatur illud* post modicum, *ad duorum triumve annorum spatium extendatur : maxime quia Cardulfus medius fuit inter duos episcopos, quorum regimen sat diuturnum fuit : deinde Cointio persuasum erat, S.* Magnobodum *anno* 606 *insulas Andegavenses adeptum fuisse : quæ quidem opinio falsa demonstrabitur : ast si vera epocha episcopatus S.* Magnobodi *illi nota fuisset, profecto vitam S. Licinii, contra opinionem eruditorum omnium, usque ad annum* 609 *non prorogasset.*

F

S. Magnobodus *succedit an.* 609 *aut* 610,

36 *Passim scribitur S.* Magnobodus *anno* 606 *episcopus factus : ita censent Baillet, Butler et Cointius ad hunc annum* (*k*). *Atque hic quidem error manavit ex corrupta lectione Præfationis Vitæ S. Maurilii per* Magnobodum *conscriptæ. Cointius l. c. et Gall. Christian. antiq.* (*l*) *legunt :* In anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo tertio principis Domini nostri Chlotarii regis. *Si itaque anno Christi* 584, *quo is regnare cœpit, addantur anni triginta duo, pervenimus ad annum* 616, *a quo tollendi sunt anni decem, et proinde initio episcopatus S.* Magnobodi *annus Christi* 605 *aut* 606 *statuendus esset. Huic quoque opinioni subscribit Jac. Longueval Hist. Eccl. Gallicanæ lib.* IX (*m*). *Ex his satis apparet lectionem, quæ apud Cointium et alios habetur, fidem fecisse apud plerosque. Verum, teste Theodorico Ruinart in sua Præfatione ad Opera S. Gregorii Turonensis, n.* 80, *quem etiam laudant auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*n*) *in*

(*a*) Op. Hildeberti, col. 1493. — (*b*) Hist. de la France litt., t. X, p. 363. — (*c*) T. II Febr., p. 677, n. 1. — (*d*) T. IV Sept., p. 72, n. 1. — (*e*) Ad an. 587, § XXXII. — (*f*) Crit. Baron. ad eumd. an., § VIII.— (*g*) Oper. Hild., col. 1494.— (*h*) T. II, p. 115. — (*i*) Ann. Franc. ad an. 605, § II, t. II, p. 568.—(*k*) § IV, T. II, p. 576. — (*l*) T. II, p. 115. — (*m*) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 110. Edit. Paris. 1826. — (*n*) T. III, p. 574 et seq.

codice

A *codice Vindocinensi, tunc jam anno Christi* 1699 ab annis circiter 600 exarato *annus decimus ordinationis S.* Magnobodi *cum anno trigesimo sexto Clotarii II conjungitur.*

ut monstrat lectio codicis Vindocinensis

37 *Atque hanc quidem Vindocinensis codicis lectionem aliis præferendam esse suadet tum ipsa manuscripti circa finem sæculi* XI *aut* XII *initium exarati antiquitas, tum vel maxime quod in illo sincera reperiatur S. Maurilii Vita, qualis a* Magnobodo *conscripta fuit, dum in multis aliis codicibus reperiatur inspersa fabulis, sub Rainone Andegavensi episcopo anno* 905 *adjunctis, uti videre est apud Mombritium et Laur. Surium. Omnino igitur retinenda est lectio Vindocinensis, quam etiam nostri majores servarunt in Vita S. Maurilii ad diem* XIII *Septembris* (*a*), *ne ulla quidem appressa dubitationis nota. Maneat igitur inconcussum, genuinam esse Vindocinensis codicis lectionem et proinde annum decimum episcopatus S.* Magnobodi *cum anno trigesimo sexto Clotarii II concurrere, ex quo recte deducitur Sanctum anno Christi* 609 *aut* 610 *cathedram Andegavensem conscendisse.*

regnante Clotario II,

38 *In narratione Anonymi de electione S.* Magnobodi *ad episcopatum, illud singulare occurrit,*

B *quod, licet coævus, nihil dicat de pontificatu Cardulfi, quasi Sanctus noster B. Licinio immediate successisset. Rem enim his verbis refert n.* 5 : Illo ita assumpto (*id est, Licinio defuncto*) plebs Andegavensium tam clericalis quam laicalis, in unum coacervata, parili animo, una cum consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. *Pontificatus Cardulfi sat magni momenti videtur, maxime cum in ejus electione humilitas Sancti nostri adeo enituit, ut mentione dignus haberetur : probabile itaque est illa, quæ Cardulfum attingunt, oscitantia librariorum excidisse; quare eadem e Marbodo supplemus, qui sic habet* (*b*) : Post dicessum Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi judicans contemplationis otio inhærere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur obtinuit. Verum et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat istum divino judicio postulari. Communibus igitur omnium votis, cum assensu Dagoberti regis, ad quem successio regni descenderat, electus est. *Quod*

C *vero spectat ad Dagobertum regem, quasi* cum consensu *ejus ad episcopatum promotus fuisset* Magnobodus *jam supra num.* 12 *refutavimus : et textus Anonymi, qui etiam ad Marbodum manavit, eatenus corrigi debet, quatenus omissis verbis* Dagoberti filii, *legatur* una cum consensu incliti Francorum regis Lotharii : *hac enim lectione tollitur anachronismus, quo initium episcopatus S.* Magnobodi *rejiceretur ad annum Christi* 622, *quo regnum Austrasiæ obtinuit, aut potius ad annum* 628, *quo Dagobertus universa Francia potitus est, et quo proinde Andegavum, in Neustria constitutum, sub suam redegit potestatem.*

æmulis divinitus punitis.

39 *Quamvis unanimi cleri populique acclamatione S.* Magnobodum *episcopum electum fuisse narret uterque biographus, fuerunt tamen duo e clericis, qui communi sententiæ refragari ausi sunt : Ambrulfus scilicet et Leobaldus, aut, ut hunc nominat Anonymus, Leudobaudus. Erant hi, ait Anonymus n.* 5, presbyteri honore præcellentes. . . . qui nimia obstinatione hanc electionis seriem et statuta populi evertere moliebantur. *Causam hujus obstinationis accuratius describit Marbodus, cum dicit Ambrulfum et Leobaldum* ambitionis et invidiæ stimulis agitatos. *Ex hisce Marbodi verbis concludere licet illos imprimis pro se episcopatus honorem ambivisse, dein contendisse ut alii cuicumque potius hæc dignitas cederet, quam* Magnobodo *nostro, cujus virtutes suspiciebant probabilius ac timebant. Videntur quoque e senioribus presbyteris fuisse, quibus durum videbatur obedire et subesse juveni, quum Sanctus noster anno Christi* 609 *solum triginta et aliquot annos complesset. Verum divina illos ultio invasit :* ambo siquidem, *ait Marbodus,* dextro confestim privati oculo, sinistro sensu restitisse manifesta animadversione convicti sunt. Ita factum est, *inquit Anonymus eodem numero,* ut et versutus illorum astus mulctaretur, et viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

AUCTORE J. V. H.

D

§ IV. Gesta in episcopatu; obitus; Reliquiæ;

E

S. Magnobodus *boni pastoris partes*

S. Magnobodi *virtutes in episcopatu præclaras egregie describit Marbodus Anonymum n.* 6 *secutus : illarum itaque imaginem aliquam hic exhibere placet* (*c*) : Qualem vero in episcopatu se gesserit nulli dubium esse potest, quandoquidem et ante nomen rem nominis jam tenebat. Sed nunc maxime ad ipsum insistens, amplioribus sese virtutum cumulavit augmentis : siquidem majus onus majoribus erat viribus sustollendum et amplior honor propensiorem diligentiam merebatur. Neque enim poterat ignorare vir doctus propriam pastoribus non sufficere sanctitatem, nisi et subditorum peccata curaverint : solosque eos conditionis haberi miserrimæ, quibus omnium imputentur errata, sicut e diverso felicissimos merito judicari, qui de cunctorum meritis munerentur. Nullum ergo tempus, nullum desidiæ locum indulgens, super gregem Domini sollicite vigilabat, ne qua forte commissarum sibi ovium negligentius errans insidiantis lupi morsibus vastaretur. Ministrabat omnibus in tempore pabula verbi Dei, prout singulorum capacitati congruere videbat : et ad similitudinem boni ducis, cui non sufficit verbo tantum milites cohortari, nisi et manu fortiter egerit, quidquid verbis insinuabat agendum, qualiter ageretur, moribus ostendebat et vita. F Secundum apostolicum præceptum, *corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiensque erat ad omnes* (*I Thess.* v. 14), ut nullius deesset saluti, cum se singulorum necessitatibus coaptaret. Et sicut alius dicit apostolus : *non quasi dominans in cleris erat, sed forma factus gregi ex animo* (*I. Petr.* v. 3). Compassionis et misericordiæ sic abundabat visceribus, ut cum flentibus fleret, cum infirmantibus ægrotaret, cum scandalisatis ureretur, cum afflictis affligeretur. Nec minus et aliorum prospera sua judicans, gaudebat cum gaudentibus, erigebatur cum revalescentibus, applaudebat exhilaratis, recreabatur cum refocillatis.

egregie implet,

41 Pauperum vero curam habebat præcipuam, quibus sæpissime cibos esuriens, potum sitiens ministrabat. Denique suarum negligens, aliorum omnium necessitatibus inserviebat ; plenus scilicet dulcedine charitatis, non quæ sua sunt, sed quæ aliorum quærens, monachorum, sanctimonialium, seu clericorum collegia sæpius visitando, evulsis illico,

(*a*) T. IV Sept., p. 72. — (*b*) Hildeberti Oper. col. 1494. — (*c*) Ibid. l. c.

AUCTORE J. V. H.

si qua inter eos noxia pullulassent, virtutum semina jaciebat, in vitam fructificatura æternam; nam et censura vigebat justitiæ, qua delinquentium culpas ferire, et mansuetudinem indulgentiæ præsentabat, qua correctis veniam non negaret. Justitiæ invictus amator, munerum vero fervidus execrator, a veritatis tramite nec blandimentis noverat exorbitare, nec minis. In adversis erigebatur constantia, in prosperis humilitate gaudebat. Sed inter hæc ecclesiasticæ actionis tam fructuosa negotia, etiam contemplationis partes exequi non cessabat; in ecclesiis namque frequenter noctibus totis pervigilans, psalmis et hymnis et canticis spiritualibus delectabatur, purasque cum lachrymis offerens Deo preces, commisso sibi populo munimen et pacem cœlitus impetrabat : neque enim poterat non exaudiri pro populo, qui et ipsum populum dignum instituerat exaudiri; siquidem assiduo usu excultos, verbisque et exemplis edoctos ad bonitatis amorem converterat, et velut emollitæ jam et formas admittenti materiæ imaginem subditis suæ religiositatis impresserat. . . . Tantis ergo ac talibus virtutum charismatibus plenus, bonum Christi odorem longe lateque diffuderat, et in sui laudem etiam longe positorum mentes excitabat et linguas. Accessit ad vitæ meritum etiam miraculorum potentia, ut qui meritorum exemplo nollent adduci, signorum ostentis possent convinci. *Subjungit dein Marbodus multorum miraculorum narrationem, quæ eodem ordine ab Anonymo quoque referuntur. Cæterum hanc episcopalis vitæ imaginem hic exhibere placuit, non solum ut sua Sancto nostro* Magnobodo *laus esset, sed etiam maxime ut legentibus in utilitatem et ædificationem cederet.*

interest concilio

42 *S.* Magnobodus *interfuit concilio Remensi sub Sonnatio, ejusdem urbis episcopo; in qua synodo varia fuerunt stabilita ad utilitatem ecclesiæ Gallicanæ, uti videre est apud Labbe* (*a*). *Superscriptio hujus Concilii sequentibus verbis continetur :* Concilium Rhemense, Sonnatii Rhemensis episcopi temporibus celebratum, circa annum Christi DCXXX, id est Honorii papæ V, Dagoberti regis II. *Ex Flodoardo vero lib.* II, *Hist. Eccles. Rem. c.* V *sequentia citat laudatus Conciliorum collector :* Romulfum in episcopatu Rhemensi secutus est Sonnatius, qui synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta vel eo amplius Galliarum episcopis : ubi etiam Sanctus Arnulfus, Metensium præsul invenitur interfuisse, cum.... Sulpitio Bituricensi,.... Senoco Elosanensi. . . . Rustico Caturcensi. . . . Magnebodo Andegavensi. *Ast epocha concilii Rhemensis, prout in ejus superscriptione exprimitur, cum ætate præsulum in eodem laudatorum stare non potest. Nam annno* 626 *exulabat jam Senocus Elosanensis, uti nos docet Fredegarius in Chronico* (*b*). *Monstrat quoque Pagius in Critica Baronii* (*c*) *S. Arnulfum Metensem episcopatum abdicasse* aut anno DCXXV, aut tardius anno DCXXVI. *Cui opinioni assentiunt Majores in Vita S. Arnulfi ad diem* XVIII *Julii* (*d*).

Remensi :

43 *Tandem Joan. Mabillon* (*e*) *dissertatione peculiari probat Rusticum Cadurcensem anno* 629 *interfectum fuisse, anno scilicet VII regni Dagoberti I in Austrasia. Quod vero idem Concilium non multo citius celebrari potuerit, patet ex eo, quod illi interfuerit S. Sulpitius, cognomento Pius, qui anno* 624 *primum episcopus creatus fuerat. Sunt quidem nonnulli eruditi, inter quos Pagius* (*f*), *qui mallent uno anno citius hoc Concilium celebratum, probabilius quia annus secundus Dagoberti in superscriptione indicatur : sed, meo judicio, non est quod illa angamur : nam cum error irrepserit in annis et fortassis in nomine Honorii Papæ, longe facilius cespitaverit superscriptor in numeris Dagobertini regiminis exprimendis. Cæterum inter episcopos Remensis synodi supra laudatos, præter S.* Magnobodum, *S. Arnulfus inter Sanctos colitur* XV *kalendas Augusti, Sulpitius vero, qui Pius cognominatur, die* XVI *kalendas Februarii, uti videre in Actis SS. ad utrumque diem.*

subscribit testamento S. Lonegesili.

44 *S.* Magnobodi *nomen præterea subscriptum reperimus cuidam chartæ, qua S. Lonegesilus* (*vulgo S.* Longis), *sacerdos et monachus in forma testamenti publici concedit Hadoindo episcopo Cenomanensi et ejus successoribus quidquid juris sibi competebat in monasterium Buxiacense. Exstat diploma apud Mabillon in Veteribus Analectis* (*g*); *ejus subscriptio est :* Actum Sagonna malo (*mallo*) publico. Data VIII kal. Decembris anno LII regnante Clothario rege. Ego Lonegiselus indignus sacerdos et voluntate monachus hanc donationem a me factam subscripsi, et adfirmare rogavi. In Dei nomine ego Medegiselus Turonicæ urbis archiepiscopus peccator deprecante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine ego Magnobonus peccator episcopus rogante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine ego Abbo misericordia Christi episcopus subscripsi, *etc. Hanc donationem ratam habuit Clotarius rex, diplomate* dato dies VIII quod fecit mensis Januar. anno LIII regni nostri compendio palatio in Dei nomine feliciter, Amen. *S. Lonegesili testamentum ut fictitium aut saltem corruptum habet Jacobus Longueval in Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (*h*), *quia signatur anno LII Clotarii, qui solum annis XLV in Francia regnavit.* Conjicit quidem, *ait laudatus auctor, cujus verba latine reddo,* Mabillonius legendum esse annum quadragesimum secundum Clotarii II pro quinquagesimo secundo, qui errore amanuensis adscriptus fuit. Sed hoc etiam dato, difficile sibi quisque persuadebit S. Lonegesilum, qui in pagum Cenomanicum advenit sub episcopatu S. Hadoindi, id est, ut citissime anno DCXXIII, potuisse ædificare monasterium, atque perficere omnia quæ in testamento exponit anno jam quadragesimo secundo Clotharii, quæ etiam mense Decembri conjungebatur cum anno DCXXV. Profertur diploma ipsius Clotarii, quo charta supra dicta confirmatur; sed majorem suspicionem falsitatis movet : nam præterea quod signatur anno quinquagesimo tertio regni, rex vocat S. Lonegesilum sacerdotem, virum inlustrem, qui titulus solum præcipuis optimatibus sæcularibus tribuebatur, quemque sibi ipse adscribit Clotharius. *Hæc Longuevallius noster.*

cujus authenticitas contra Jac. Longueval

45 *Triplici itaque argumento utriusque diplomatis authenticitatem impetit Longuevallius : imprimis quia male notatur annus regni Clotarii II; deinde quia tempus duorum annorum, quod intercedit inter adventum S. Lonegesili et fundationem Buxiacensem, breviusculum videtur ad tot tantasque res perficiendas; demum quia contra morem istius temporis Lonegisilo titulus viri inlustris tribuitur. Hæc certe monstrant corruptum esse textum utriusque diplomatis, proindeque utcumque corrigendum esse : sed si propter hujusmodi argumenta falsas aut suppositas dicamus veteres chartas, vix reperientur, quæ momentum historicum præbere poterunt. Ex vitiatis igitur notis chronicis perperam ad falsitatem diplomatis concluditur, ut recte notat Mabillon de Re Diplomatica* (*i*). *Quod vero attinet*

(*a*) T. V Conc. col. 1688 et seq. — (*b*) Cap. LIV, D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 434. — (*c*) Ad an. 654, § X. — (*d*) T. IV Julii, p. 42, n. 329 et seq. — (*e*) Vet. Analect., p. 520. Edit. Paris. an. 1723.—(*f*) Ad an. 631, § IX.—(*g*) p. 266.—(*h*) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 11. — (*i*) Lib. III, cap. I, § X, p. 221.

ad

A *ad titulum* viri inlustris *S. Lonegesilo monacho ac sacerdoti tributum, verum quidem est, eidem non convenire, et proin habendum esse tamquam inconcinnum additamentum amanuensis male curiosi.*

vindicatur. 46 *Restat difficultas a Longuevallio proposita, scilicet tempus duorum annorum insufficiens videri, ut fundaretur monasterium Buxiaci : sed ipsum diploma consideranti patet, res omnes, seu acquisitionem hæreditatum, concessionem* partis de villa de Lucduno *et reliquas eleemosynas sponte quasi sua processisse : quam vero perfecit S. Lonegisilus ædificationem, tanta non erat, ut vel biennii laborem requireret; ipse enim fundationem suam vocat* monasteriolum, *cum illud aut solus incoleret, quoniam de consensu reliquorum nulla fiat mentio, aut certe cum paucis monachis; non est ergo quod magnam ædificiorum molem nobis imaginemur; suffecerit pro hujusmodi initiis, rude angustumque ædificium pauculorum ascetarum capax. Probanda est itaque Mabillonii correctio, qua pro annis Clotharii LII et LIII, legendos putat annos XLII et XLIII. Qui cum annis æræ vulgaris* 625 *et* 626 *concurrere debent. Hæc aliquanto latius prosecuti sumus, tum ut sua maneat Sancto nostro* Magnobodo *subscri-*

B *ptio, tum ut suppleremus omissis a Bollando nostro in addendis ad* XIII *Januarii* (*a*). *Cæterum S. Lonegesilus, quamvis secundum aliqua Martyrologia supradicta die* XIII *Januarii ejus memoria recolatur, tamen melius ponitur die* II *Aprilis, qua celebratur in ecclesia Cenomanensi, juxta Kalendarium liturgicum pro anno* 1837.

Agericum, Pictaviensem archidiaconum, sanat; 47 *Inter plurima miracula quæ uterque biographus refert, unum est peculiari mentione dignum, utpote quod indicat episcopum Pictaviensem, de quo catalogi hujus ecclesiæ tacent. Rem his verbis narrat Marbodus :* Archidiaconum Pictavensis Ecclesiæ, nomine Agericum, supra dictus vir Sanctus (Magnobodus) familiarem habebat, utpote virum bonæ simplicitatis et religionis non fictæ; nam postmodum suæ merito sanctitatis præfatæ ecclesiæ dignus præsul levatus est. Is ergo archidiaconus intolerabili dolore dentium vexabatur : quod cum anxie innotuisset episcopo, ille signum crucis dolentibus locis impressit, statimque omnis dolor sedatus est et extinctus. *Agericus hic si fuerit Pictaviensis archidiaconus, successor probabilius fuerit S. Leodegarii : atque ab hac dignitate, quæ prima erat post episco-*

C *pum, cathedram pontificalem conscenderit. Sanctus vero Leodegarius videtur functus munere archidiaconatus circiter usque ad annum* 651, *quando factus abbas S. Maxentii Pictaviensis per sexennium monasterium gubernavit, vocatus dein in aulam Clotarii III Neustriæ et Burgundiæ regis; quod quidem postremum neque ante annum Christi* 656, *quando Clotarius regnare cœpit, neque post annum* 661, *quo ipse S. Leodegarius ad infulas Augustodunenses sublimatus fuit, accidere potuit. Hæc omnia late explanantur atque discutiuntur in Commentario prævio Vitæ S. Leodegarii ad diem* II *Octobris* (*b*). *His positis, videtur Agericus demissum a S. Leodegario archidiaconatum accepisse circa annum* 661; *nam præfecturam monasterii S. Maxentii conjungere cum archidiaconatu vetabat canon* XVIII *concilii Aurelianensis* III *quem supra n.* 22 *citavimus.*

qua occasione in hujus episcopatum 48 *Ast major est difficultas in episcopatu Agerici stabiliendo, quem omnes videntur ignorasse, utpote qui in nullo episcoporum Pictaviensium catalogo memoretur. Hoc etiam accedit difficultatis, quod vix tempus reperiri possit, quo ejus sedes figatur. Non enim probabile est Agericum Didonem in episcopatu* AUCTORE J. V. H.
præcessisse : Joannes Pictaviensis interfuit concilio D
Remensi anni 625, *ut videre est apud Flodoardum lib.* II, *Hist. Ecclesiæ Rhemensis* (*c*). *Didonem vero regnante adhuc Clotario II, id est ante annum* 628 *hanc cathedram occupasse, monstrant nostri in Commentario prævio Vitæ S. Emmerammi ad diem* XXII *Septembris* (*d*). *Hinc nullus inter Joannem et Didonem intermedius episcopus statui posse videtur, quamvis auctores Galliæ Christianæ* (*e*) *S. Emmerammum interpolaverint, nulla, ut judico, probabilitate. Cfr. Commentarium Vitæ l. c. Reliquum est ut dispiciamus num Agericus forsitan Didoni successerit.* Quamdiu, *ait Gallia Christiana* (*f*), præfuerit Dido difficile est statuere; *ipsi nihilominus opinantur Didonem usque ad annum* 673 *superstitem fuisse, siquidem verum sit, quod narrat antiquus scriptor ex Urstitio p.* II *rer. Alaman. ab ipsis citatus :* Regem Hildericum, cum per aliquot annos regnasset, a pestiferis conspiratoribus in aula cum uxore sua prægnante peremptum esse : Leudesium vero et Leuthericum cum Franciæ et Germaniæ principibus fratrem ejus Theodoricum regem constituisse, suffragantibus sibi Didone Pictaviensi episcopo, Leodegario Augustodunensi episcopo et Ge- E
rino Pictaviensi comite fratre ejus.

ejusdem civitatis inquiritur. 49 *Quæ regni mutatio anno* 673 *cum acciderit, consequeretur Didonem ad hunc usque annum cathedram occupasse. Cumque deinde sequenti anno Ansoaldus episcopus successerit, ut vult Cointius* (*g*), *atque perseveraverit saltem usque ad annum* 696, *ut habet Gallia Christiana* (*h*), *non relinquitur locus Agerico. Verum quæ supra de Didone dicta sunt, quasi suffragio suo Theodorici solium firmasset, unius Anonymi licet antiqui, tamen incertæ ætatis, testimonio nituntur : cum auctores synchroni, producti a Cointio* (*i*), *omisso Didone, solum agunt de Leodegario et Gerino fratre ejus, quia hisce eventibus jam præmortuus erat Dido. Esset itaque Agerico qualiscumque locus inter Didonem atque Ansoaldum : nisi quis malit episcopatum ejus post Ansoaldum statuere, seu saltem post annum* 696; *quo casu, ut familiaris fuerit Sancto nostro* Magnobodo, *circa medium sæculum septimum defuncto, provectæ fuerit ætatis quando episcopatus onus suscepit. Sed de hujusmodi divinationibus jam satis egimus.*

Ædificata ecclesia S. Saturnini, in qua sepulcrum elegit, 50 *S.* Magnobodus, *ait Marbodus* (*k*), etiam ultra F
vitam sanctitatis suæ meritum cogitavit extendere. Considerata itaque loci et temporis opportunitate, in suburbio civitatis suæ cœpit ædificare monasterium, exemplo videlicet beatissimi magistri et prædecessoris sui Licinii, in quo servos Dei quanto posset numero, congregaret; quibus et necessaria ex possessionibus suis et redditibus, ad sufficientiam delegaret : ut quia vitam hujus corporis contra naturæ legem perpetuare non poterat, successionem religionis suæ post se victuram in multa sæcula prorogaret. Ædificatam igitur in honore Sancti Saturnini Martyris, primi scilicet Tolosanæ urbis episcopi, sicut optavit, ecclesiam, non solum rebus et possessionibus copiose ditavit, sed etiam summo decore et elegantia intrinsecus et extrinsecus studuit exornare, ut apte posset dicere cum Propheta (PS. XXV, 8) : *Domine dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.* Siquidem interiores domus parietes alternantibus spatiis musevo vestivit et gipso, iconas habentibus depictas et flores : cujus mirifici operis, etiam post tot ruinas, usque ad nostra tempora vestigia permanent in ea; ex quibus mani-

(*a*) T. I Januar, p. 1119. — (*b*) T. I Octob., p. 368, n. 52 et p. 369, n. 59. — (*c*) Hist. Eccl. Rhem., lib. II, cap. V. Bibl. Max. Patt., t. XVII, p. 533. — (*d*) T. VI Sept., p. 458, n. 26. — (*e*) T. II, col. 1151. — (*f*) Ibid., col. 1153. — (*g*) Ad an. 674, § I, t. III, p. 693. — (*h*) T. II, col. 1114. — (*i*) Ad an. 673, § XVIII, t. III, p. 661. — (*k*) Oper. Hild., col. 1502.

feste

AUCTORE J. V. H.

feste colligi possit, quanta novi operis venustas extiterit, cujus appareat vetustas ipsa mirabilis. At vero extrinsecus ædem totam porticibus vallavit atque columnis, domosque construxit usibus fratrum communem vitam degentium necessarias, sed et alias suscipiendis hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis ministerium defuisse. *Hoc monasterium, quod deinde, antiquato S. Saturnini titulo, propter* S. Magnobodi *sepulturam, ab illo nomen accepit, a statu regulari transivit ad sæcularem, constituto capitulo collegiato, in quo erant tres dignitates, octo canonicatus et tredecim capellaniæ, ut refert d'Expilly* (a).

S. Magnobodus

51 Hæc S. Saturnini sive Magnobodi ecclesia, *ait Bodin* (b), non quidem amplitudine sed certe pulchritudine inter omnes ecclesias Andegavenses eminebat. *Destructa fuit anno* 1793 *ejusque solum privatis ædibus hodie occupatur. Stratam refert idem auctor ecclesiam lateribus rubris interraso lapide albescentibus; num hæc etiam pertinerent ad musivum et gipsum, de quibus numero superiori egi, aliis relinquo judicandum. Idem ornamentum et in aliis Andegavensis pagi tractibus reperiri affirmat scriptor jam laudatus, conjectatque hujusmodi musivo totam* B *ædem stratam fuisse. Superest adhuc pars muri, longa* V *metris, alta* X, *cum columna exstante altitudinis* VIII *metrorum, recentiori structuræ implicita.*

moritur circa an. 660.

52 *Diem emortualem S.* Magnobodi *statuit Marbodus* septimum decimum kalendarum Novembris; *cui consentit Anonymus, ut monstrant varia apographa bibliothecæ Burgundicæ, quamvis D. Beaugendre in Operibns Hildeberti Cenomanensis* (c), *vitio certe typothetæ,* diem decimum octavum kalendarum *posuerit : mensis enim Octobris non habet diem octavum decimum kalendas Novembris. Ad annum Sancti emortualem quod attinet, difficilior est investigatio; quum nihil occurrat, quo certum pedem figere possimus. Baillet et Butler dicunt Sanctum circa an.* 654 *e vita migrasse, quin aliquam suæ opinionis allegent rationem : non est igitur cur illorum sententiæ adhæreamus. Anonymus solum habet* rexisse sanctum Pontificem ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per magna annorum curricula : *Marbodus vero* ad senium usque pervenisse. *Cum itaque Cointium secuti, statuimus illum circa annum* 574 *natum fuisse, facile sibi quisque persuadebit, octagenariam ætatem non attigisse modo, sed et superasse : unde censeo illum ad annum potius* 660 *accessisse.* C *Si constare nobis posset de ejus successore, de anno, quo hic aut alicui concilio interfuerit, aut diplomati cuidam subscripserit, res facilius defineretur. Qui nunc in opere, quod Gallia Christiana inscribitur, continuando insudare dicuntur, poterunt fortassis accuratiora nobis tradere, quam quæ nos ex incertis conjecturis proferimus.*

Reliquiæ ejus olim Parisiis

53 *Sepultus fuit S.* Magnobodus, *ut habet uterque biographus, in ædificata a se ecclesia S. Saturnino sacra, quæ postea, ut dictum est, titulo ipsius S.* Magnobodi *insignita fuit. Vetera autem monumenta nos non docent, quando ejus corpus elevatum fuerit. Claudius Chastelain, canonicus Parisiensis, in epistola sua ad Papebrochium nostrum data die* XVI *Octobris* 1698, *dicit se die* VII *ejusdem mensis jussu archiepiscopi Parisiensis, qui tunc erat Ludovicus Antonius de Noailles, visitasse varias Reliquias Sanctorum in ecclesia, olim S. Bartholomæi, tunc S. Maglorii asservatas, atque inter alias illic reperisse particulas corporis S.* Magnobodi : *conjectat laudatus scriptor has aliasque Reliquias datas fuisse ecclesiæ S. Bartholomæi in compensationem pro redditis* D *Sanctorum corporibus, quæ propter Normannorum metum ex Armorica Parisios transtulerat Salvator Aletensis episcopus* (d). *Ignotum mihi est, utrum Sancti nostri Reliquiæ hodiedum Parisiis supersint.*

sed maxima ex parte Andegavis, ubi flammis traditæ an. 1793.

54 *Maxima tamen pars corporis S.* Magnobodi *conservabatur in ecclesia sub ejus invocatione passim cognita. Ast sæculo proxime elapso in finem vergente, quando omnia in Galliarum regno sus deque evertebantur, anno scilicet* 1793, *non tantum ecclesia solo æquata fuit, sed Sancti corpus sub ara principe reconditum, e loculo suo extractum et flammis traditum fuit, cineribus dein in ventum dispersis. Hæc affirmat testis oculatus Cl. Blordier-Langlais, bibliothecæ Andegavensis præfectus. Hodie, ut scribit ad me* 1 *Martii hujus anni, R. D. Morel, canonicus et episcopali bibliothecæ præfectus, aliud de S.* Magnobodo *non superest, quam particula quædam sacri corporis, olim thecæ in formam brachii effictæ, ab anno* 1840 *basi statuæ argenteæ inclusa. Et hujus quidem lipsani non alia auctoritas habetur, quam quod sigillo episcopali Caroli Montault munitum sit : etenim nullæ expeditæ fuere litteræ. Hæc omnia documenta summa humanitate nobiscum communicavit P. Carolus Brandicourt, vices tum superioris* E *residentiæ nostræ Andegavensis agens, cui pro accurata industria maximas habemus gratias.*

VITA S. MAGNOBODI

AUCTORE ANONYMO COÆVO,

E MS. veteri et fide digno olim a P. Sirmondo summisso et collato cum eadem Vita, edita ab Edmundo Beaugendre inter Opera Hildeberti Cenomanensis.

CAPUT I.

Sancti natales; institutio clericalis; Romana peregrinatio; episcopatus. F

S. Magnobodus *nobili genere natus*

Gloriosus igitur atque eximius Christi pontifex Magnobodus in pago Andegavensi, divinis antecedentibus indiciis, nobiliter editus magnis miraculorum fulsit privilegiis. Qui antequam valetudine corporis et loquendi peritia fungeretur, admiranda in eo collata sunt cœlitus virtutum charismata, ut testantur ejus ubique recolenda præconia. Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum * expectabiles inter eorum cives non mediocrem obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes *a*, qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet ac Theodeberto, adhuc intra adolescentiæ annos constitutus, exortis undique grandinum simultatibus litem exercebat. Puerperio ergo suo, Christo au-

* B. *spectabiles*

a

(a) Dict. Géogr. de la France *verbo* Angers. — (b) Recherch. hist. sur Angers, etc. Tom. I, pag. 99. — (c) Oper. Hildebert., col. 1487. — (d) Felib. Hist. de Paris. t. I, p. 118 et Mabill. Ann. Bened., t. III. App. n. LXIII.

spice,

spice, prædicti genitores admodum gratulabundi de nativitatis ejus * crepundiis non modicis lætati sunt portentis. Nam, sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniorum die recens extitit, qua auctor vitæ fœcunda et intemerata genitus Virgine, a gentibus stella præduce, voluit adorari, et honorari munerum cultibus, nec non Jordanicis ablui lavacris ac lympha liquorem convertere in vini saporem, et in ipso concentu gallicinii, quo dieculæ pronuntiari * non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus, ut patenter demonstraretur lucis eum futurum amatorem et præconem, qui talibus indiciis suam decorabat nascendo natalem.

A B. *variis, sed*

* B. *prænunciari*

baptisatur, et a naufragio liberatur;

2 Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat *b*, qui dum navali adminiculo meatum * jam dicti amnis transire vellent, repente exorta tempestas totam pene salutis suæ ademit virtutem. Insurgunt procellarum nimbi ac immensus vortex pelagi cymbam elidere minatur. Alliduntur remi, remigesque fluctuum impulsione desperationis evadendi periculi noxa deterrentur. Inficitur cunctis horror timoris, ac sola præ oculis formidatur imago mortis; quid agerent nautæ, quo conatu subsidia quærerent, immensitas undarum ac syrtes gurgitum denegabant, cum subito, ut credimus, divino nutu sopitis omnium ventorum flabris, inopinata et optata supervenit quies; et qui infestanti discrimine ad perniciem dilabi formidabant, mira et indicibili celeritate omni metu absoluti, animisque gaudio oppletis, littora fluminis sulcantes ad portum salutis pervenere. Perfectis ergo omnibus, pro quibus advenerant, atque ex more completis, ad lares proprios alacres repedarunt.

b

* B. *meatu*

B

pie educatus a S. Licinio, præficitur Colonetensi monasterio:

3 Procedente vero ætate, cernentes prælibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinarunt imbuere litterarum studiis. Traditus ergo scholæ documentis omni intentione, ut ætas illa patiebatur, se in divinis mancipabat exercitiis. Quicquid aure * perceperat intra cordis arcana capaci industria retinere satagebat. Cumque infantiæ pueritiæque transcenderet curricula, pubescente jam annorum incremento, a S. Licinio Andegavensium episcopo, verticis ablata cæsarie, sanctæ Ecclesiæ instituitur officiis, ac graduum honore sublimatus ordinis sacri commendatur oraculis. Erat namque illi inter coævos mira diligentia, summa obedientia, non ficta charitas, cernua benignitas, pernox in orationibus, ultroneus in vigiliis, parcimoniæ commerciis illustratus, sanctimoniæ privilegiis decoratus, doctrinæ cumulis eruditus, sapientiæ lampadibus illuminatus, melliflua sermonis sagacitate delibutus, jugum Christi, quod portantibus amœnum * cernitur, jugiter ferens et onus ejus quod subcollantibus leve judicatur, indesinenter gerens. Cernens igitur jam supradictus Præsul * ejus industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori gradu constituere * et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret, et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Siquidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonotensi Christo famulabatur *c*, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ ammonitionis paradigma obsequentibus exhiberet.

* B. *ante*

C

* B. *amarum*

* B. add. *Licinius*

* B. *consistere*

c

Romam mittitur ad quærendas Reliquias S. Joannis Baptistæ:

4 Cum autem ipse prædictus beatus pontifex Licinius in suburbio jam prælibatæ civitatis Andegavensis basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ, miro opere constructam dedicare vellet, recolendæ sanctitatis virum Magnobodum, ecclesiastici ordinis ministerio promotum accersiens, ad urbem Romam, ubi pignora Apostolorum debita veneratione recoluntur, direxit, ut Reliquias a summo Pontifice consequi mererctur, quibus basilicam moderno cultu insertam consecrare posset *d*. At ille jussis ejus obtemperans, maturavit iter; ac * beatum Papam urbis adiens causam intimavit profectionis, atque ab eo gratanter exceptus, aliquamdiu cum eo conversatus est. Cujus jussu juxta morem, divina officia ad Missarum solemnia celebrans, contigit ut ad matutinorum * laudes cum Pontifice veniens, psalmorum et hymnorum melodiis interfuit *. At ubi ventum est ut Lectiones secundum Ecclesiæ Romanæ ritum in pulpito recitari deberent, cum benedictione ejus assurgens, lectioni operam dedit, in qua diutius detentus, absque interpellatione * cœpto operi insidens, quidam de circumsedentibus livoris facibus accensi (quod dicere nefas est) lucernam quæ visui viri Dei famulabatur extinguere aggressi sunt. At ille allatam * sibi controversiam cernens, constantior factus nihilominus opus quod subsidio lychni aliquamdiu peregerat, carens ejus solamine, corde tenus omne peragens, perlegit libri paginam, ut comprobaret Omnipotentis gratia non solum lumine carnali, quod exterius patet, illum vigere, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet, plenissime fervere *e*.

D

d

* B. *qui*

* B. *matutinas*

* B. *interesset*

* B. *interpolatione*

* B. *illatam sibi ab æmulis*

E

e

redux Cathedram Andegavensem conscendit,

5 Igitur perceptis, pro quibus ierat, * S. Joannis Reliquiis prospero cursu ad venerabilem Licinium Andegavis repedavit Pontificem, ferens pignus affabile. Quod ille alacriter acceptum, ut mente conceperat, intra oratorium moderno opere ædificatum recondens, exspectabili functione * dedicavit : in quo contuberniale collegium monachorum coacervans, juxta normam sanctæ professionis vivere instituit, ac plurima prædia ad opus * Domino ibi militantium delegavit, atque xenodochia ac brephotrophia diversaque mansionum habitacula ædificare procuravit. His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculis, cum omnipotens Dominus Præsulem Andegavensem ab hac ærumnosa ac caduca vita vellet absolvere, et B. Magnobodum in Ecclesia sua pastorem constituere, infirmitate cogente, viribus cœpit destitui propriis, qui fratrum ad se convocans examina, viaticum petiit et, percepta Sacri Corporis Christi Eucharistia, a discipulis summa cum diligentia terræ conditus est, resurrecturus cum gloria. Illo ita assumpto, plebs universa Andegavensium tam clericalis quam laicalis in unum coacervata parili animo una cum consensu inclyti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii *f*, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. Soli duo presbyteri honore præcellentes inventi sunt, qui nimia obstinatione hanc electionis seriem ac statuta populi evertere moliebantur, quorum unus vocabatur Leudobaudus, alter vero nuncupabatur Ambrulphus, sancti viri adversantes meritis; sed prævaluit definitio generalis adversus flexuosa eorum præstigia; insuper, divino exardescente examine, tanta cæde notati sunt, ut utrique oculos dextros evidenti experimento amitterent, et nusquam spem comparandæ pristinæ sanitatis adipisci mererentur. Ita factum est, ut et versutus illorum astus multaretur, et viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

* B. add. *a beatissimo Papa pretiosis*

* B. *sanctione*

* B. *divino*

F

f

quam summis virtutibus exornat :

6 At vero B. Magnobodus, ut assensus populi ferebat infulam sacerdotalem adeptus, voto omnium favente, in cathedra episcopali sublimatur. Qui ut hoc * onus suscepit ovile, continuo ut bonus pastor pro ovibus sibi creditis evigilare cœpit. Ammonebat

* B. omitt. *hoc.*

AUCTORE ANONYMO.

protervos ut corrigerentur, persuadebat bonis ut in melius augmentando de die in diem proficerent. A Quod verbis edocebat, operibus demonstrabat; nihil in terris quæ sua erant quærens, sed quæ aliorum utilitati prodessent consulens, ægrotantibus opem ferebat, periclitantibus subsidia ministrabat; pauperum visitator, egentium consolator, monachorum, clericorum ac sanctimonialium curam gerebat, viduarum ac pupillorum sollicitudinem sedulus exhibebat, pro inimicorum versutia orationi instabat, eosque caritatis fœdere mitigari satagebat; eloquio conspicuus, mente serenus, pietatis ac misericordiæ armis circumdatus, justitiæ ac rectitudinis clypeo munitus, in adversis fortis, in prosperis humilis, nec terrore terreri potuit, nec munere frangi, nec blandimentis seduci; in consilio prudens, in actione vigens, in omni probitate morum intelligens; deditus jejuniis, eleemosynis dapsilis, euangelicis præceptis acclivis, psalmorum, canticorumque pervigil concentor ac totius divinarum Scripturarum seriei non immemor : mactabat se ipsum quotidie holocaustum Domino, ac sese in ara contriti cordis sacrificium offerebat, ut hostia immaculata fieret et templum Dei * viva intraret. * fort. *vivi*
B His et his similibus virtutum gemmulis adornatus, talis præerat Andegavensibus civibus antistes constitutus Magnobodus; cujus actionis admirandæ si quis agnitor esse desiderat, sequens sermo absque mendacii fuco explicabit.

Parisios evocatus captivos miraculose liberat :

7 Igitur tali evidenti approbatione et omnium assertione B. Magnobodo apice præsulatus decorato, præfatus rex Dagobertus, monarchiam regni Francorum obtinens, comperta bonitatis ejus fama, ad se Parisios, ubi tunc temporis morabatur, accersiri præcepit. Cujus jussionibus obtemperans, non segnis ire perrexit. Dum ergo intra civitatem ingrediens, valvas transiret, rei qui in ergastulis irretiti facinore * detinebantur, comperto ejus ad- * B. *facinoribus*
ventu, vocibus importunis clamantes, beati viri solatia petebant. At ubi audivit miserorum lugubres ululatus eorumque lamentabile exitium, misericordia motus, vestigia pressit quæ in procinctu erant, eundi ad basilicam orationis gratia. Judicem ergo adiens cernua mente, rogitare cœpit ut damnatis veniam præstaret et liberam pergendi facultatem indulgeret. At ille ut erat truculentus, responso improbo sancti viri adversans voluntati, sine effectu abire fecit; qui a funesto contemptu ecclesiam
C quo tendebat ingrediens, Christi clementiam exorabat, ut noxiis copiam eundi annueret, ac a loris nexuum erueret. Illo sic in prece perseverante, repente compedes attriti manicisque contusis aditus carceris, nullo obice impediente, vinctis patuere. Prosiliunt namque et S. pontificis advoluti vestigiis, gratiarum actiones referre cœperunt. Pro quorum salute ille principis clementiam exorans, optatam absolutionem impetravit ac ne ulterius in tanto facinore rei * deprehenderentur, comminando inter- * B. deest *rei*
dixit.

miraculis claret : cæcæ visum restituit,

8 Sub eodem tempore quidam oculorum lumine amisso, magnifici viri virtutibus auditis, ad Andegavensem prædestinavit, duce præeunte, pergere civitatem, confidens spe integra, ejus solamine pristinam oculorum suorum recuperare salutem. Qui intra urbem ingrediens * a Pontifice medelam quæ- * B. *ut pontificis medelam quæreret*
rens, dictum est quia infra septa basilicæ divinis officiis intentus Missarum solemnia celebraret. At ille, hoc comperto præduce quo venerat, ecclesiam *g* *g*
adiens beatum Pontificem invenit, ut dictum fuerat, in sacris mysteriis, quem voce importuna clamitans deprecabatur, ut perditum restitueret lumen. D
Cujus querimoniis beatus antistes misertus, oratione pro ejus incolumitate profusa, peracto Missarum officio, perceptionem Sacri Corporis in os ejus cum benedictione intromisit, qui continuo omni cæcitate depulsa, acies oculorum, qui per multa annorum curricula fuerat latebris deputatus *, luci * B. *cui*
restituitur, atque gratias agens Christi virtute, cum alacritate mentis et corporis ad propria regressus est.

dysenteria laborantem pane benedicto sanat.

9 Nec illud silendum autumo quod cuidam presbytero * et bonis operibus dedito evenisse contigit. Dum enim profluvio ventris laboraret et intestina ejus morbo viscerum usque ad perniciem vitæ delabi * viderentur, jussu * quo poterat præcepit famulis suis, ut quatocyus ad virum Dei accederent et eulogias *h* quas dirigere decernebat, ipsi preferrent. At illi jussionibus Domini sui obsequentes, summa cum festinatione detulere quæ dominus eorum præceperat; qui benigne ab eo suscepti, gratanter accepit quæ ægrotus direxerat, et primis * rem agnoscens, panem benedixit re- * B. *protinus*
meantibusque bajulis tribuit jussitque ut absque dilatione æger ex eo perciperet. At illi concito gradu revertentes xenia Pontificis domino suo E
morbo obsesso attulere; quibus acceptis, et in esu sumptis, continuo omnis dolor intestinorum, refocillatis viscerum fibris, abscedens, pristinæ restituitur prosperitati agens gratias Pontifici, qui tam * * B. *ita*
eum a perniciosa clade eripuerat.

* B. deest *et*
* B. add. *et cruciari*
* B. *visu*
h

ANNOTATA.

a *Quomodo intelligendus sit hic locus et accommodandus rectæ chronologiæ, late monstravi in Comment. præv. n.* 9 *et seq. et n.* 15.

b *Quæ narrantur hoc loco, indicant S.* Magnobodum, *utpote periclitatum in trajiciendo Ligeri, quando ad basilicam baptismi causa deferebatur, ruri natum fuisse. Etenim urbs Andegavum Meduanæ* (Mayenne) *imposita ultra leucam cum quadrante Brabanticam* (7300 *metra*) *a Ligeri distat.*

c *De S.* Magnobodi *præfectura in Colonetensi cœnobio egi in Comment. præv. n.* 17 *et seqq. Joan. Mabillon in Annalibus Benedictinis lib.* IX § XXI (*a*) *de Colonetensi monasterio dicit :* Cujus situs modo et fortuna ignoratur. Quidam tamen subdubitant eo in loco positum fuisse, ubi nunc Chalonnæ præ- F
fectura, vetusque castellum ad Ligerim fluvium, quatuor leucis infra urbem Andecavorum, via Namnetensi, ad episcopum Andegavensem pertinens.

d *Vide dicta n.* 24 *et seq. circa Romanam missionem. Cæterum sacras Reliquias Romæ expetitas, S. Joannis Baptistæ fuisse monstrat consequentia sermonis apud Anonymum et aperta verba Marbodi.*

e *Exposui n.* 30 *quatenus inter se differat Anonymi et Marbodi narratio.*

f *Monstravimus num.* 31 *et seqq. ordinationem S.* Magnobodi *non ad Dagoberti, sed ad patris ejus Clotarii II tempora pertinere : atque hunc errorem amanuensis sive oscitantiæ, sive præsumptioni adscripsimus n.* 13.

g *Hic videre est, quod jam n.* 16 *insinuavi, eamdem basilicam vocari quoque ecclesiam.*

h *Quamvis Eulogiæ nomine ipa etiam S. Eucharistia veniat, ut habet jam græcus textus S. Pauli I Cor.* X 16, *nihilominus hic loci panem ab sancto episcopo simplici ritu expiatum et sanctificatum indicari puto. Utramque significationem late exponit Du Cange in suo Glossario.*

(*a*) T. I, p. 227. Edit. Luc.

A

CAPUT II.

S. Magnobodus varia miracula operatur.

Puerum maledicum, divinitus punitum, orando sanat: * B. deest : *isdem* *a*

Igitur isdem * summæ vir sanctitatis diœcesim sibi commissam illustrandi atque ammonendo circumiens, pervenit ad quoddam prædium, qui Quartiniacus *a* vulgariter nuncupatur, quem pueruli garruli in platea conglobati pariter procedentes ei obviam cachinnis ac vocibus debacchantes lacessere non formidabant, ac convitia ludendo * atque nefanda jactitabant, quas cum * ille intuens, repente unus ex ludentibus pueris mixtus pulveri omni cum pernicitate * raptus per vasta aëris more globi hac illacque ferebatur. Tunc de sodalibus cum parentibus tristitia metuque profligati per devia quæque sequentibus, ac rupium valliumque anfractus sectantes, nullo proficiebant effectu, excepto labore fatigationis : quid agerent? Consilium demebat B casus inauditus et repentinus. Tandem desperatione adacti per invia et dumosas tramites fatescentes, reperiunt puerum inter condensa veprium semianimem * et vix exilem anhelitum trahentem : quem parentes cum magno gemitu pallio involutum, et pene cunctis artubus discerptum in præsentia sancti viri obtulerunt, ac poplitibus flexis exorare cœpere, ut doloribus filii sui compati dignaretur; quibus præcepit ut intra septa ecclesiæ puerum ponerent et Domini clementiam pro eo supplicarent. Verum denuo abscedente turba ad ecclesiam prædicti parentes mœrentes * comearent, valentem puerum invenerunt, quem defunctum sperabant *. Tunc vir Domini apprehensa manu pueri, ex aditu porticus levavit, et sanum et vitæ præpotem reddidit parentibus, retribuens bona pro illusione sibi illata. At illi gratulabundi genibus ejus advoluti vota referentes, ad lares proprios remeavere.

* B. *semiviventem*

* B. *remearent*

* B. *timebant*

graviter ægrotantem levat, et flumen, submissa mirabiliter navi, transit.

11 At vero quidam vir, Theudegesilus nomine, nimiæ ægritudinis incommodo laborabat, quem nulla medicorum ars nec fomenta salubria ad sanitatis profectum reducere valebant. Cum autem C ita morbo attritus, spem omnem recuperandæ pristinæ valetudinis abolitam haberet, memor præfati antistitis beneficii, ad ejus se deferri voce * debili poposcit obtutus. Quem ille intuens diræ ægritudinis rumore * debilitatu * ad Christi suffragia conversus, orationum munia pro eo omni cum instantia fundere studuit. Sicque, divina favente clementia, ab omni molestia corporis erutus atque sanitatem adeptus, qui grabato usu alieno bajulatus fuerat, proprio ac libero arbitrio ad sua repedavit. Operæ pretium est referre et illud quod multi asserunt, miraculum. Rediens namque venerabilis pontifex cum agmine discipulorum e vico cui Othoniense *b* * vocabulum est, ut tenderet ad suæ mœnia urbis, ad oram fluminis cum accessissent, contigit eventu divino, ut credendum est, non adesse navale solatium, quo tute possint transmeare fluvii alveum; * linter citra amnem sita videbatur, sed deerat qui ejus utilitatibus consulens præsentia ipsius conducere conaretur; qui more solito ad orationum solemnia confugiens, diu in prece commoratus, repente prora ex loco, in quo adnexa tenebatur, exiliens, absque remige, nullo compellente, ad littus, in quo præstolabundus aderat, votis omnium parens natatu devehitur. Qui

* B. *flebili*

* B. *tumore*
* B. *debilitatum*

* B. *Othomense*
b

* B. addit : *siquidem*

omnipotente Domino, qui voluntatem timentium se facit et deprecationes eorum exaudit, gratias rependens cum universo comitatu suo nobili, in cum descendens ad locum quo tendebat et voluntas dirigebat, prospero cursu lætabundus pervenit.

Quartana periculose laborantem et cæcam sanitati restituit: * B. *autem* * B. deest : *cum*

12 Interea erat quidam æger nomine Mummolus, qui quartano febrium typo graviter infectabatur et diu macerationis molestia afficiebatur; quotidie enim * cum * hæc sæva pestis miserabilem languidum graviter vexaret, et nulla penitus remedia adipisci posset, morbo urgente ad mortis confinia compelli cœpit : jamque in suprema vitæ constitutus virum Dei per internuntios petit, ut sui misereri dignaretur, qui ejus inremediabilibus doloribus compassus, oleum sacra benedictione sancitum ægroto direxit atque ungi præcepit : quo accepto, ut est delibutus, fugata cuncta languoris materia, sanus redditus multis denuo vixit annis. In eodem quoque pago Andegavensi puella quædam nomine Baldetrudis morabatur, quæ ita erat lumine oculorum abdicata, ut omni desperatione addicta spes videndi in perpetuum denegari videretur. Cujus parentes orbitati condolentes, in conspectu Sancti patris Magnobodi statuentes supplici animo rogitabant, ut opem medelæ suæ natæ conferre dignaretur. Quorum petitionibus aurem accommodans, fidemque eorum cernens, ad orationis munimina conversus, cernuus Dominum exorabat, ut lumen puellæ restitueret, qui ab exordio nativitatis suæ * editum curaverat cæcum. Illo itaque in hac ita perseverante prece, paullatim cœpit puella clausis palpitare luminibus, donec omni cæcitate depulsa, ad integrum sortita lucem, viatico proprio parentum attigit fores. E

* B. dcest : *suæ*

oleo benedicto manum aridam vegetat: * B. *Domniolus* * B. *fere*

13 Sed inter ista, quidam cognomine * Doniolus longæva obsessus infirmitate, manum arefactam absque operis negotio ferre * assuetus erat; sola namque figura hujus artus inerat, sed efficacia roboris et sensibilis vigor absens, velut sarcina alicujus materiæ illi adhærebat. Agnitioni itaque præcellentissimi viri præsentatus, olei * fomento benedixit ac arido mandavit ex eo se perungi, qui salubri medicamine linitus, extemplo virtus membrorum virentibus venis, ac in robore coalescentibus nervis, redire cœpit, omnique compagine soliditatis insertus, comite valetudine, ad sua repedavit ovanter.

* B. *fomentum*

F

duplicatur illi pecunia in pauperum cibum, famis tempore expensa:

14 Quid autem referam de ineffabili Divinitatis miraculo, quod per eum omnipotentis gratia operari dignata est? Nam cum tempore quodam, urgente famis inedia, ad virum Dei, ut illi consuetum erat, agmina pauperum undique ex diversis locis confluerent, et ipse more solito, ut dapsilis largitor, absque reprocrastinatione *c* agapem faciens, necessaria erogabat; qui cum in stipendiis eorum non modicum nummorum supplesset numerum * et alendo non deficeret, usque ad satietatem omnes refecti sunt. Quibus cum alacritate euntibus, clientuli pontificis summam nummorum indagantes, quæ fuerat in cibis egentium destributa, duplicata repererunt quæ erogando consumpsissent; qui admiratione attoniti, ad eum accedentes, ut res erat, innotuerunt; siquidem centum quinquaginta amplius inventi sunt, quam in sumptu egenorum distributi dinumerarentur. At ille non elationis typo elevatus, suis meritis adscribens, sed clementiæ Dei imputans, ex intimo cordis antro gratias agens, omnino sub silentio tegere jussit; cavebat enim jactantiæ vitium.

c

* B. *ad alenda*

paralyticæ et cæcæ sanitatem obtinet.

15 Hoc itaque prodigio viri Dei meritis ita patefactis, denuo aliud subsequitur. Mulier etenim quædam paralysi morbo irretita a notis præfato pontifici in grabato defertur : quæ ita erat omni compagine artuum

AUCTORE ANONYMO.

artuum dissoluta, ut omnibus officiis amissis solus vitalis spiritus anhelare absque negotio videretur : quam vir Domini intuens, misericordia motus, altissimo regi pro ejus recuperatione preces offerre studuit; quibus completis, ad mulierem accedens, apprehensam manum illius ab imo elevare præcepit. At illa absque mora consurgens, omni languore fugato, incolumis reddita est; sicque nullius indiga solatii, cum inopinato gaudio ad sua reversa est. Non longo post tempore cæcus quidam nomine * Lodoveus, orbitatis latebrarum nodis irretitus, vitam ærumnosam cum exitio ducebat, qui tale addictus * penuria, toto nisu flagitabat, ut absque dilatione pontificis præsentaretur conspectibus : quem ad finem * importunis ejus acclamationibus tædio affecti, ad medicum saluberrimo fomento sanantem * adducere compulsis sunt. Pro quo orationi incumbens, ut est * perfusus facie lacrymarum imbre, fugata cæcitatis nocte ac sole adveniente, optatum cæco restituit videndi munus.

* B. abest *nomine*

* B. *aditus*

* B. *affines*

*B. *sanandum*

* B. *et*

dentibus laborantem signo Crucis, energumenum exorcismo, aridam manum oleo benedicto sanat :

16 Præterea archidiaconus quidam Pictaviensis ecclesiæ summæ simplicitatis vir nomine Agericus, nimiam beati viri ob sanctitatis suæ privilegia clientelam possidebat. Hic cum enormi dentium cruciaretur molestia, clementem pontificem * adiens innotuit lugubri relatu immensitatem discriminis, quam patiebatur intra antra oris; cujus doloribus sæpe dictus Pontifex compassus signum sanctæ crucis recolendum super dentium fauces imprimens, ab omni incommoditate ora absolvit. Ita sanitatis titulo præmunitus, ad locum, de quo venerat æger, rediit alacer : qui demum meritorum suorum interveniente opinione, præsulatus apice decorandus ab universis eligitur pontifex plebis ad regendum sanctæ matris Ecclesiæ statum *d*, ut postea declaravit eventus, dignus Deo et actione conspicuus. Sub eodem ferme tempore homo qui nuncupabatur Nannenus, ex prædio Vermemitensi * *e* procreatus, omnium impugnatione dæmonum infestatus vexabatur diutius, qui nimium loris et vinculorum concatenatione omni corpore * nodatus, ad virum Dei adducitur ita mente fraudatus : qui cernens plasma Christi cruore redemptum, ita inimici fraude obsessum, altius ingemiscens ad omnipotentis * Domini confugit adminiculum, supplex deprecans, ne hostis pertinax potestatem suæ teterrimæ dominationis in homine exerceret, pro quo ad terras veniens, mortem subire non horruerat. Quid multis moror? Oratione expleta mox ut sanctus vir perduelli versuto nutanti * in corpore comminitatus est, ut ab imagine Christi * velocius abscederet. Ille statim ad nihilum redactus suis præstigiis ex obsesso decedens, dæmoniacus mente recepta, totius valetudinis expertus cum benedictione Pontificis regressus est. Nec illud silendum censeo, quod * puellæ ex agro, quem * vulgo Cabariacense * *f* vocant evenisse contigit. Ea etenim, ut omnibus qui tunc temporis superstites aderant satis compertum habetur, molestia insectante, manum dexteram amiserat, quæ longo intervallo temporis hanc injuriam membris * bajulans, petitione ejus impetrante, ad beatum sæpe prælibatum delata est pontificem; qui oleum sacræ benedictionis munere insertum, dextram puellæ perungere sanxit : * quo omnium infirmitatum nexibus erepta, jussu pontificis * sanitati compar ad sua repedare valuit incolumis, magnificans Christi virtutem, sanctique viri a Domino concessam hujusmodi facultatem.

d

* B. *Vermentensi*

e

* B. *tempore*

* B. *omnipotentem*

C

*B. *versato nutatui*

* B. *Dei*

* B. add. *cuidam*

* B. *quod*

* B. *Cabariense*

f

* B. *membri*

Pro grege suo sollicite

17 Ergo si cuncta et per singula hujus sancti viri Magnobodi referre voluerimus quæ vivens in corpore gessit miracula modum * libelli enormitate excederent, sed ea solummodo quæ relatione multorum comperta sunt, ut modicitas nostri exilis fontis prævalet, breviter elucubrari ratum duximus. Nam interius et exterius virtutum floribus candens, magnis pollebat scientiæ privilegiis : pro ovibus siquidem sibi creditis sollicitus erat, ne ovile ab antiquo perduelli patefacto, aliquod detrimentum Christi grex sustineret, pro quo ipse pretiosum sanguinem fuderat. Contra astum præstigiarum rapidi leonis, quærentis quem devoret, solers evigilabat, et omnes pedicas ejus pervigili * instantia transiliebat. In domo namque patris-familias constitutus, mensuram tritici commissam conservis erogans, pro salute et augmento ovilis sibi crediti sedulus pernoctabat, ut cum Dominus adventum suum notificaret, non dormientem, sed vigilantem inveniret. Ideoque magnopere orationis supplemento intentus ut status sanctæ Dei Ecclesiæ conservaretur, exorabat mente indefessus. Inter cætera vero opera quæ diatim exercebat, sacrificium Domino offerre peculiare suum erat, in quo se ipsum in ara contriti cordis indesinenter mactans, hostia viva Domino fiebat : ac Sanctæ Dei Genitricis omniumque Sanctorum memoriam * faciens, charismata Sanctæ Eucharistiæ cernua prece sumens, pluribus exinde præbebat medelam ægrotis, ac salutem periclitantibus, nec ullo obstante obice algoris aut itineris aut cujuslibet necessitudinis omittere voluit. Psalmorum vero, hymnorum canticorumque spiritualium concentibus tam diurnis quam nocturnalibus horis ita deditus erat, ut absque his nihil operis exercere videretur *. Nec non Pentatheuci totiusque historiæ non immemor, seriem divinarum Scripturarum mente sagaci retinebat. Jejuniis autem ac parsimoniæ cultibus illustratus, augmentabat abstinentiæ normam; siquidem in diebus quadragesimæ observationis solus in cellula conclusus, solo pane et aqua contentus, et ad mensuram ponderis hoc percipiens, cum magna egestate vitam ducebat. Carnem ergo suam ista gravi penuria atque inedia edomabat, ut assidue cilicio contectus, hirtum ferret tegimen.

D

* B. *nondum*

* B. *prævigili*

E

* B. *commemorationem*

* B. *videbatur*

excubat.

18 Pauperum egenorumque ac peregrinorum sedulo memor fiebat : atque hunc orphani patrem vocabant, pupilli ac profugi consolatorem clamitabant. Nam stipendiis ejus alebantur, opibus pascebantur ac vestimentorum adminiculis tegebantur. Si quis ære alieno oppressus ac necessitatis inopia præventus, ac ingratus quisque solatium ejus expetere compulsus est, sine reprocrastinatione invenire meruit quibus indiguit. Infirmorum cura ante omnia illi adhærebat, illorumque sollicitudinem mente vigili refovebat. Si morte urgente quisquam exitum consecutus est, ejus exequiis interesse studuit; et si necessitas exegisset, ex propriis sumptibus sepulturæ traditus est. Et quid plura? Omnia omnibus factus erat, ut omnes lucrifaceret. Sed tempus postulat, ut ad narrationis seriem stylum * reducamus et quæ omisimus sancti viri narrando merita interius latentia explanando, ad ea revertamur.

F

B. * abest *reducamus et quæ omissimus.... interius*

ANNOTATA.

a Quaterniacus, *apud Marbodum* (*a*) Cartiniacus, *locus, quatenus ad diœcesim Andegavensem pertinet, est mihi plane ignotus : nisi forte fuerit aut* Chartrenay *vel* Chartrené *in districtu et pago Balgiensi* (Arrondissement et Canton de Baugé); *aut vicus*

(*a*) Beaug. Op. Hild., col. 1496.

Querré

A Querré *in pago Novi Castri et districtu Segredensi* (Canton de Château-Neuf, Arrond. de Segré). *Reperiuntur quidem vici, quorum nomina magis latinæ voci cognata videntur, scilicet* Cartigny; *sed hi inter Normannos, Ambianos et Gebennenses siti, ad episcopatum Andium spectare non possunt.*

b Othoniensem *vicum, seu ut scribit Marbodus* (*a*), Othomensem *in Andegavensi tractu non reperi. Est vicus quidam, hodie* Oudon *dictus, medius fere inter Andenesium* (Ancenis) *et Namnetes, sed credo eumdem semper adjus Ecclesiæ Namnetensis spectasse, cum ipsum Andenesium ejusdem esset diœcesis. Est tamen in pago Andegavensis ejusdem nominis rivulus, quem* Udonem *vel* Utonem *lubens appellarim; num forte, ut sæpe fit, vicus cognominis rivulo impositus fuerit, divinare non vacat.*

c Agapen *eleemosynam indicare, pluribus exemplis monstrat Du Cange.*

d *De hujus Agerici episcopatu actum fuit in Comment. prævi. n.* 46 *et seqq.*

e *Prædium, quod Anonymo est* Vermemiticense *aut* Vermentense, *Marbodo appellatur* (*b*) Vernantense. *Quam postremam lectionem probandam censeo : est enim in hodierno episcopatu Andegavensi*
B *vicus cum succursali ecclesia nomine* Vernantes, *in districtu Balgiensi et pago* Longué.

f *Quem agrum* Cabariacensem *aut* Cabariensem *appellat Anonymus, hic Marbodo* (*c*) *est* Caprariensis : *ast nihil simile inter nomina Andegavensia mihi reperire licuit.*

CAPUT III.

Continuatur narratio de miraculis.

Ægram oratione et imperio sanat.

Sanctimonialis quædam nomine Procula gravem ægritudinem incurrerat, ita ut etiam ferme usque ad periculum vitæ addictam se fateretur. Hæc pro religione propositi sui homini Dei bene nota, frequenti petitione poposcit, ut ab ipso visitari mereretur; cujus orationibus ille adminiculans, dicta vespertina synaxi, famulam Dei invisere decernens, preces omnipotenti Domino pro ejus prosperitate profudit; quibus peractis, imperante sancto viro
C continuo discessit ab ea omnis morbus infirmitatis, ita ut postea multis incolumis viveret annis.

Eracleus venefícus divinitus punitur: * B. *et rancoris*

20 Sed sunt quamplurimi invidiæ ac malitiæ rancore * ita inlaqueati, ut unde exemplum bonæ actionis ac vitæ propositum sumere deberent, nequitiæ suæ exardescentibus tribulis, ad perniciem sui exinde deteriores fiunt. Et ut enucleatius aperiamus, quidam regimen abbatis tenens, non tantam * curam ipsius officii, ut congrueret exercens, cognomento *a* Eracleus, beati antistitis Magnobodi virtutum insignia cernens, felle livoris irretitus veneni haustu eum perimere conatus est, virosque malitiæ sui sceleris conscios corrumpens, clandestine viro Dei poculum mortis propinari jussit : quos ille ad se venire conspiciens intellexit, divina providentia demonstrante, præstigia eorum mortifera, ac memor euangelici præcepti, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, omnem humanitatem eis exhibuit in cibo et in potu. Post refectionem vero ad se accersens, cœpit eis monita salutis adhibere, atque persuadere ut a tali nefanda ac vitanda versutia secederent, ne velut fratricidæ exitio pari inferendo æternæ maledictionis mucrone barathri mulctarentur. Cumque his et ejusmodi sermonum persuasionibus lethiferos exhortaretur, et ut ne serpentis controversiam, sed columbæ simplicitatem imitarentur, admoneret, dato pacis osculo abire fecit indemnes. Et * illi pudore simul ac metu perculsi, ad eum a quo directi fuerant, reversi intimavere ut res erat : qui ubi fraudes suas flexuosas intellexit denudatas, percita perturbatione perterritus limina B. Martini Turonis * fugabundus adiit, latibulum quærens; sed cum sæpissime proditor a veridicis argueretur, et quæ egerat, in palam notarentur sub jurejurando innoxium se ab hujusmodi execrabili facinore fatebatur. Sicque in duplici reatu dilapsus, in homicidii scilicet noxa et figmento perjurii, ultionem divinæ animadversionis consecutus est : nam ulcere diro perculsus in fronte tam diu extabuit, ut nulla ars medicorum salubria adhibere possent, atque hoc ita vulnere atro diutissime attritus, * mortem inopinatam incurrere meruit, qui vitæ sancti viri insidiator extitit. Sicque eo liberato ab æmulo, misericordia Christi favente, quantum pollebat virtutum donis declarabatur successibus prosperis.

AUCTORE ANONYMO.
D

* B. *At*

* B. abest : *Turonis*

* B. *attrectus*

E

puellam Romanam a triennali febri liberat.

21 His ita transactis, puella quædam in urbe Roma, nobilissimis orta natalibus, triennio a febrium invasione intolerabili afficiebatur cruciatu; cumque incurabilis ab omnibus hæc dira pestis videretur, pene jam usque ad exitum dilapsa, auditis miraculorum signis quæ intra Gallias Christi potentia a Sancto gerebantur Magnobodo Andegavensium episcopo, cœpit ejulatu clamitare, ut ad virum Dei curanda adduci mereretur : cujus importunam querimoniam consanguinei non ferentes, longævum iter arripientes, transcensis Pennarum Alpibus, atque horridam et asperam viam secantes, Gallias adiere : qui ut * Sanctum pontificem Andegavæ residere cognoverunt, celeri cursu ad eum properantes, divinis Missarum solemniis intentum invenerunt, et protinus causas itineris fessabundi innotuerunt; quos ille benigne suscipiens *b*, Dominici Corporis mysterium, quod sanctis manibus tractabat, in os puellæ intromisit : quæ absque mora veneno diutini languoris deposito, pristinæque sanitati concessa, lætabunda cum comitibus ad urbem qua venerat regressa est.

* B. add. : *ubi*

b

F

Niulphum podagricum curat:

22 His diebus erat quidam Abbas, vocabulo *c* Niulphus, qui cœnobium, in quo Sanctus Albinus *d*, olim Andegavensium antistes, corpore quiescit, secundum normam sacræ religionis regere satagebat, qui diræ morbo podagræ usquequaque obsessus ab omni officio manuum extorris permanebat. Quamobrem *e* adelphi et clientuli ejus mœstitia circumdati, ignorabant qualiter patris sui pressuris subvenirent. Ut autem sacerdoti notum factum est, sicut moris erat ægrotos visitare, ad eum visitationis gratia ire perrexit, quem in magna anxietate constitutum considerans, orationis voto completo, eulogias sacra benedictione decoratas, ut sumeret æger, adhortatus est : qui ut ubi cum fide percepit, continuo omnis molestia, quæ eum invaserat, ab eo recedens, totius corporis valetudinem * expertus est; ac grates rependens pontifici, multis deinde annis præfato cœnobio regimine præfuit, serviens Domino cum devotione.

c

d

e

* B *valetudinis* omisso *corporis*

Dodonem ulcerosum sacra Eucharistia, * B. abest : *morbi*

23 Ac non multo post homo, nomine Dodo, ab ineunte ætate indicibili subreptus languore, diu mœrore morbi * afficiebatur ulceroso *f*, qui cum ita tabefactus redderetur, ad memoriam rediit quæ dia-

f

(*a*) Beaug. Op. Hild., col. 1497. — (*b*) Ibid., col. 1499. — (*c*) l. c.

AUCTORE ANONYMO.

tim a sancto gerebantur antistite Magnobodo, arcessitumque unum ex vernaculis sibi parentibus, ad eum quantocius properare jubet, hortaturque nisu * supplici, ut caussam suæ infirmitatis illi innotesceret, et benedictionis munus ab eo perceptæ * ipse deferret. Et ille ocius peragrans, ad virum Dei accessit, narravitque rem adventus sui : a quo panem benedictione consecratum sumens, non segniter repedans, detulit domino suo, pro quo ierat xenium salubre. Ex quo cibatus est * illico divinam sensit adesse virtutem : siquidem incommoditas longæva recedens, in robore convalescens, jocundiori dehinc præmunitus est sospitate.

* B. *visu*

* B. *perceptum*

* B. abest : *est*

Romulum alium triduana oratione et communione,

24 Per idem tempus quidam archidiaconi honore prælatus, Romulus nomine, in Aquitaniæ ortus confinio, a quadam impedimenti molestia sex annis arctius tenebatur adnexus. Cum vero nulla spes adipiscendæ sanitatis arrideret, tandem divino instinctu, antistitis famam eximii, longe lateque diffusam cum agnovisset, ad eum accedere Andegavis mente integra non piguit : atque ubertim flens exorabat pontificem ut sui misereri dignaretur : cujus angori ille compatiens, ut erat omnimodis misericordiæ deditus, admonuit ut a Domino quæ-
B reret salutem, cui absque eo non poterat subvenire humana medicina : ipse vero cum eo per triduum orationi incumbens, quotidie divina mysteria pro imbecille celebrans, Eucharistiæ communicavit; quo facto, fugata omni immunditia morbi interius latente, cum gratiarum actione iter, quo venerat, lætanter regressus est.

mulierem cæcam pane benedicto sanat;

25 Magna sunt quæ supra commemorata sunt, sed adhuc majora inserenda sunt. Dum etenim hominis Dei celeberrima ubique divulgaretur fama, magnates cæterique sanctitatis arce pollentes, ejus clientelam appetentes, nimio venerabantur affectu; aut si qua itineris necessitas aut casus subrepuisset incautus, ejus benedictionis eulogias ab eo perceptas, quasi pro armis secum deferentes, protegi se confidebant. Unde accidit ut Pater cujusdam sacri cœnobii, nomine Martinus, pro necessitudine monasterii sibi commissi sollicitus, Bordegalensem adiens pagum navali commercio, hospitandi gratia ad cujusdam mulieris lares cæcitatis orbitate defessæ, divertere curavit; qui mulieris detrimenta considerans ac memor beneficii hospitalitatis, munera gratuita panis, quæ pro benedictione, ut diximus, secum detulerat, jam vespertina hora irrumpente,
C mulieri tribuens, ut cum devotione perciperet imperavit : quo sumpto, noctem in oratione cum ea pervigilem ducens, ut aurora diei illuxit, simul cum noctis caligine fugatæ sunt oculorum latebræ; cum jubare diei corusco lux quoque visuum irradiavit propatulo; quod cernens familia, tanti novitate miraculi attonita, fit strepitus maximus, collaudans Christi virtutem ac benignum hospitis sui medicum. Ergo hic talis præfuit, sicut in hac scedula absque fuco mendacii recitamus sæpius, talis utique absens, talis in ferendo opem præsens.

duas puellas pariter cæcas, illuminat.

* B. *Addantur*

g

h

26 Adduntur * itaque miraculorum insignia, quæ inserantur in pagina. Ex prædio cujus *g* Cabariacense vulgo vocabulum est, quamdam puellam in puerilibus lustris constitutam, nomine *h* Baudomellam, caligo inremediabilis lumen oculorum obduxerat; quæ solamine alterius ad beatum pontificem adducta, exoratum est ut opem misericordiæ dignaretur impertiri. At ille invocato Sanctissimæ Trinitatis ineffabili sacramento, crucisque trophæo super ipsam inserto, favente superno solamine, clarius lumen puellæ redditur, quod nusquam a crepundiis exordii sui adepta fuerat. Subsequitur deinceps aliud simile, de quo disserendum est, miraculum de adolescentula scilicet, nomine Godelena
D quæ intra annos pubertatis detenta cæcitate ac tenebrata visuum acie tenebrarum potiebatur nocte *. Hæc a notis insinuata Christi sacerdoti, sola unctione olei ac crucis effigie catechizata, sine dilatione perspicuum recepit lumen, quod permultorum dierum orbita fuerat tectum.

* B. *patiebatur noctem*

Energumenum liberat :

27 Paulo post * quoque evidenti declaratur fama. Mulier etenim, quæ nuncupabatur Goda, nimium eadem atra afficiebatur cæcitate. Protinus ergo alieno usa adminiculo conspectibus gloriosi præsulis præsentatur Magnobodi; quæ magnis cœpit clamare vocibus ut sui misereretur confessor excellens. Cujus querimoniis commotus, liquamine olei benedicti mulieris orbes luminum perunxit; quibus delibutis * expulsæ sunt tenebræ, adve- * B. *delibatis*
niente onopinatæ lucis die. Sub eodem quoque temporis articulo, quidam adolescens ad juventutis florem maturans *, antiquo perduelle insidiante, qui * B. *maturum*
mille per meandros * decipit hominum corda, ar- * B. abest : *meandros*
reptus ab ipso nimium fatigabatur; qui undique loris ac vinculorum nodis attritus, ad virum Dei adducitur, ita mente privatus : at ille imaginem Christi cernens a prædone invasam, perditamque recuperare cupiens, secus cellulam, in qua manens
E orationi vacabat, persistere jussit, quem cum toto Quadragesimali tempore penes se detinens, orationibus precibusque pro eo Dominum exoraret *, ad- * B. *exorans*
miniculante Domini virtute, fugato pervicaci hoste, curatus est; menteque recepta, sensuque vivaci augmentatus, ad propria unde coactus advenerat, ultroneus regressus est.

paralyticis usum membrorum reddit :

28 Adjiciam * etiam et illud famosum, quod post * B. *Adjiciamus*
egit miraculum. Siquidem ex villa, quam *i* Corni- *i*
liacum nuncupant, puella tribus ætatis suæ lustris peractis in tanta inciderat corporis sui detrimenta, ut manuum pedumque officio fraudaretur naturali : nam prædictos artus, humoris ac roboris amisso vigore, in modum ligni tabefactos ferre inepte * * B. *ineptos*
assueta erat : quæ prolata obtutibus sancti viri, benedictione olei sancita, ab omni cœpit curari molestia. Nam recuperata nervorum ac venarum facultate, jussu pontificis ad patriam, nendi * gra- * B. *eundi*
diendique peritia gnara, regrediens conductu proprio vixit denuo. Sed nec illud sub silentio tegendum autumo, quod infra explanandum est. In agro namque, qui *k* Gerciacus a vulgaribus vocitatur, *k*
quidam accola genuerat filium, qui ab ipsis exordiis
F nativitatis debilis manibus ac pedibus, solius reptandi subsidio fungebatur. Ex cujus eventu diro parentes opipare mœrentes *, divina solatiante pro- * B. *nolentes*
videntia, adfuit eis intempestivo noctis silentio * * B. *silicernio*
quidam specie eleganti, a quo dictum est : « Sobo- » lem, quam nuper ita debilem suscepistis, pontifici » Magnobodo deferte, atque ab eo ut sacris initie- » tur mysteriis petite, voventes eum in sorte reli- » gionis dicare. » Hac itaque visione expergefacti, rem quam in somniis audierant in invicem revolventes, diluculo inlucescente surgunt, in vice sacerdotis Ecclesiæ offerunt futurum, ut ætate convalescente sacri cultus verna floreret. Quo facto, omnis continuo imbecillitas membrorum ablata est, et robore corporis consolidatus, sub præsentia sistitur præsulis : qui comam capitis ejus * abscindens, ut * B. add. *ut moris erat,*
adolevit, divinis eum præfecit mysteriis, serviens Domino toto cordis imo, qui eum in hoc ordine adscivit.

aridam manu et cæcum oculis crucis signo sanat :

29 Quid vero referam de muliere quadam Leta nomine, quæ ita bajulabat manum dextram aridam, ut nullius officii domestici habilis agnosceretur. Hæc omni affectu mentis ad beatum virum accedens, innotuit lugubri querimonia, quæ erga se

A se agebantur et artus sui abolitam spem. Et ille petitionibus ejus assensum præbens, invocato Omnipotentis auxilio ac facto signo crucis, incolumem reddidit dexteram ut lævam, omnesque articuli compagine virtutis corroborati sunt, nentes ac fila torquentes. Commemorandum est et illud quod, operante gratia superna, de quodam viro Cariulpho egit. Is enim caligine superveniente, cæcitatis condensa incurrit : perduce itaque usus ad virum Dei properare studuit : eique discrimina corporis sui non sine grandi mœrore patefecit, et ut misericordiam adhiberet poposcit. Pro cujus miseria precibus ille fusis ad Dominum, signum admirabile crucis oculos * tenebrarum nocte sopitos imprimens, pulsa orbitatis luvione *, enixa est lux in pupillarum acie.

* B. *oculis... sopitis*
* B. *pulso... livore*

graviter febricitantem sacro oleo sanat.

30 Sed et quod pluribus est notum, non silendum arbitror de quadam scilicet muliere Marcia vocata, quæ ita febrium invasione cruciabatur, ut nulla requies diei ac noctis illi concederetur. Unde factum est, ut tantis afflicta penuriis ad Sancti pontificis præsentiam adire compulsa est; a quo more solito sacra unctione olei delibuta, omnis continuo recessit mortifera pestis, et in tantum prosperitatis compos facta est, ut quæ alieno venerat subsidio, proprio regrederetur tutamine.

B

ANNOTATA.

a *In episcopatu Andegavensi illa tempestate jam plura exstitissse monasteria, præter alia monumenta, hæc ipsa Vita S.* Magnobodi *testatur. Cujus vero fuerit monasterii Abbas, hic citatus Eracleus, nuspiam reperire potui.*

b *Quoniam Anonymus expressam hic mentionem facit SS. Eucharistiæ, confirmantur dicta cap.* I *not.* h *per Eulogias intelligi aliquid sacramentale, seu panem simpliciter benedictum.*

c *Hujus abbatis mentionem non facit Gallia Christiana Antiqua : fortassis, quia* hæc basilica, *inquit,* primum canonicorum regimini addicta fuit, *sed canonicis* translatis in ædem Mauricianam (*seu cathedralem*) substituti sunt monachi regulæ Benedictinæ (*a*), *qui status usque ad finem sæculi proxime elapsi perseveravit. Nihilominus hanc ecclesiam sæculo* VII *jam regularem fuisse, monstrant clare verba Anonymi nostri loquentis de* cœnobio *quod Niulphus*

C secundum normam sacræ religionis regere satagebat.

d *Colitur S. Albinus Andegavensis kalendis Martii, quo die ejus Acta data sunt a Nostris* (*b*).

e *Id est* fratres, *voce e græco fonte detorta.*

f *Marbodus* (*c*) *præter ulcera etiam scabiem memorat : unde etiam hinc probabile evadit huic scriptori præter Anonymum alia documenta præluxisse.*

g Cabariacense *prædium, ut habet tum Anonymus, tum Marbodus* (*d*), *ignotum mihi jam dixi cap.* II *not.* f.

h *Marbodus* (*e*) Godomellam *scribit.*

i Corniliacum, *vernacule* Corneillé, *hodie est ecclesia succursalis in districtus Balgiensis pago* Seiches.

k *Num hodiernus vicus* Jarcé *in eodem districtu et pago ac Corneliacum? probabile fit ex Marbodo l. c. qui pro* Gersiaco *scribit* Jerziacum.

AUCTORE ANONYMO D

CAPUT IV.

Referuntur alia miracula : Sancti obitus et sepultura.

Cæcas duas oratione et signo Crucis illuminat : a

Ergo si vera fateantur quæ relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent *a* quæ oculis nostris perpeximus; et ut enucleatius aperiamus; duæ sorores puellæ, quarum una Necteria, alia * vero Theodechildis vocabatur, secundum humanæ propaginis genealogiam spectabiles, utrum propriis agentibus piaculis, aut parentum irretitæ facinoribus, quod omnino non judicandum fore arbitramur, seu ut merita declararentur sæpius prædicti pontificis, * lumina oculorum amissa, gressus sui alterius dirigebantur solatiis. Quæ in conspectu ejus adducta, mox ut olei fomento cum orationis adjumento * meta * pupillarum earum delibuta est, omni orbitate depulsa, naturali jocunditate irradiante, ad propriam reversæ sunt mansionem sua præmunitæ deambulatione.

* B. *reliqua*

* B. *luminibus... amissis*

* B. *fomento*
* B. *mera*

E

basilicam in honorem S. Saturnini ædificat :

32 Igitur talibus ac tantis sancti viri ubique clarescentibus virtutum indiciis, atque crebrescentibus longe lateque actuum suorum lampadibus, ut sagax animus præmeditari cœpit qualem se erga cultum divinæ religionis exhiberet, et quo augmento famulos Christi aggregaret, ad propalandam Sanctæ Dei Ecclesiæ normam, ad profectum sui et aliorum salutem. Cujus sollicitudinem * Omnipotentis gratia favens, decrevit basilicam consecrare * in honore videlicet gloriosi Martyris Saturnini *b* primi Tolosanæ civitatis episcopi, et in honore omnium Martyrum, plurimorumque seorsum *. Ergo ut mente conceperat, opere complens, monasterium *c* summo apparatu ædificans, viros sub sancto proposito deditos aggregare curavit, in quo etiam *d* syntochia ac brephotrophia construxit, ad peregrinorum, pauperum, profectusque multorum : atque ut inedia carerent inibi sub regula contuberniali degentes, omnia necessaria accumulavit, delegans prædia quamplurima, possessionisque multam congeriem; mandavitque ut post discessum incolatus sui, ibi corpus suum terræ commendatum supremum reparationis suæ præstolaretur diem.

* B. *Cujus sollicitudini... gratia favente,*
* B. *construere*

b

* B. *sanctorum*

c

d

F

energumenam liberat :

33 His itaque cum magna elegantia peractis, omnibusque ædiculis, ut mente devoverat, constructis, quidam præpotens vir, vocabulo Theudebaldus, habens filiam atrociter vexatam, quæ nullo poterat remedio curari, flens et ejulans ad sanctum pontificem adduci fecit, obsecrans poplitibus flexis ut filiæ suæ ab hoste obsessæ opem ferre dignaretur. Cui vir beatus respondit : Non esse hoc suum, sed perfectorum patrum qui hoc possent virtute propria a Domino consequi : sed precibus supplicantium devictus pignora Sanctorum super cervices puellæ imposuit cum benedictione olei et signaculo Crucis; quo facto, iniquus prædo cum præstigiis suis fugatus, vas quod injuste invaserat relinquens, puella sensu animoque recepto incolumis restituitur sanitati. Sicque beatus tanto decoratus miraculorum eventu ab omnibus colitur, a cunctis prædicatur; parentes vero cum filia ad propria, unde mœrentes advenerant, tripudiantes revertuntur.

cæcam signo Crucis

34 Hoc a beato viro celebrato signo, mirabilius denuo coruscat. Siquidem mulier, Prisca vocata,

(*a*) Gall. Christ. antiq., t. IV, p. 23. — (*b*) Act. SS., t. I Mart., p. 54. — (*c*) Beaug. Oper. Hild., col. 1500. — (*d*) Ibid. — (*e*) l. c.

ab

AUCTORE ANONYMO.

ab exordio nativitatis suæ cæca cnixa per sex orbita * lustrium in hac ærumnosa perstitit orbitate. Sacerdoti ergo oblata illico sensit divinam super se declaratam virtutem *e*. Climata * etenim ubi conjiciebantur fore officia visuum, nomen sanctæ Crucis dextra impressans, absque dilatione solis præsentiam, quam nusquam viderat, cernere promeruit. Illico clamor populi attollitur, ac multi gaudentes dicebant sanctum pontificem simile filio Dei fecisse, qui a vitæ exordio genitum curaverat cæcum.

A

* B. *orbitas*

e

* B. *Elimata*

alium oleo sacro illuminat,

35 Eodem quoque tempore quidam adolescens Vinciemalus nomen sortitus, talem incurrerat corporis molestiam, ut oculos tenebrato lumine amitteret, qui ad serenissimum antistitem veniens, oleo sanctificato in pupillis delinitus est, et mox recedentibus tenebris lumen valens adeptus est, quod æger perdiderat. Deinceps vero prosperitate fruitus, ipse super muri fastigia ambulans, casu ab arduo corruit in ima. Qui virtute olei sanctificati, quo a beato pontifice perunctus est, cooperante juxta assertionem plurimorum, ita inlæsus inventus est, ac si minime corruere videretur.

ægrum et surdum sacro oleo sanat,

B

36 Denuo vero alius offertur, qui per quinque annorum curricula infirmitate detinebatur incommoda; quem eximius pastor misericordia ductus olei liquore benedictionis munere imbuti ungens, ac oratione fusa, vigor membrorum subito virere cœpit; sicque immensitas doloris abscedens, homo qui *f* clinicus advenerat, erectus repedavit, glorificans æterni Regis munificentiam, qui mirabilis in Sanctis suis, talia per eos operatur magnalia. Gyrante dehinc temporum articulo, quidam cognomento Gildoaldus, ægritudine diutina invalescente, officium auditus amisit. Perlatus conspectibus venerandi præsulis, nisibus quibus poterat exorabat remedia promereri. Ad quem Beatus prælibatus accedens, digitos in aures ejus immittens, simul quoque olei gratia * infudit; a quibus continuo scaturiens tabes prosilivit cum fœtore horribili, ita ut circumstantes ferre nequirent: atque ita surdus expertus auditu * ac aptatus munere duplo ad peculiare suum repedare studuit lætus tramitem carpens *.

f

* B. *guttam*

* B. *auditum*

* B. abest: *carpens duabus cæcis visum reddit.*

37 Sed et illud memoriæ commendandum est, quod mulieri cuidam ex villa quam *g* Volensem vocant, evenisse contigit. Ea namque, ut asserebat, tali impedimento gravabatur, ut si quando, re domestica interveniente alicui operi intenta foret, oculi ejus hebetescebant, ac per longa temporis intervalla cæcitate claudebantur. Ergo, ut mos aliorum ægrotantium erat, ad venerabilem Dei hominem properans, narravit quæ circa infelicitatem suam agebantur, et conditionis suæ importunitatem. At ille ineffabilem virtutem * Christi invocans, vagum lumen, quod mulier pro ambiguo possidebat, stabile firmavit, atque discussis tenebris, ovantem abire fecit. Dicamus ergo et illud, quod absque figmento mendacii testificari et astruere possumus. Item mulier in vico cui vulgo *h* Verciacense nomen est, procreata, casu subripiente, semper optatum lumen capitis perdere coacta est, quæ Alloveia vocata ad benignissimum virum adducta, precibus circumstantium devictus est orationem pro ea fundere. At ille non refutans vota precantium, invocato Omnipotentis adminiculo, per unctionem salubrem visu restituto mulieri, ad propria unde venerat, repedans * alacriter.

g

C

* B. *pietatem*

h

* B. *repedavit*

Cæca sanatur, prædo ecclesiæ punitur.

38 Et illud omittendum non censemus, quod in præsentia nostri actum est. Quædam siquidem mulier, simili modo fenestris luminis amissis, nomine Arigundis *, insuper omni compagine membrorum

* B. *Carigundis*

abdicata, loquendi usu fraudata, omnimodis spem recuperandæ virtutis amiserat. Qua ex villa Conflentis, ubi edita permanebat *, ad virum Dei deducta, per triduum fusis precibus, pro ea ad Dominum incolumem reddidit. Atque omni cum integritate consolidatæ manus et pedum bases, in revertendo solatio non eguit alieno. Igitur sancto viro tantis evidenti approbatione illustrato virtutum commerciis, controversia quoque reproborum contra efferbuit: sed pœna multatus est, qui hostis pietatis intumuit; et ut apertius edisseram, quidam intra aulam regiam commanens, cupiditatis livore anfractus, ut postea rei probavit eventus, jumentum quod ecclesiæ utilitatibus suppeditabat, nisu * temerario invasit, suisque usibus præfecit. Hoc ad aurem Pontificis perlato, magis sub silentio occulere, quam querelam voluit exaggerare. Sed in sequenti nocte ultio divina eum perculit. Nam mox ut sopori se dedit, vidit se in somno globis ignium circumvallari, ac pontificem * nimis terribilibus semetipsum redargui. Cujus comminationibus expergefactus, magnis cœpit clamare vocibus, torqueri se a beato antistite, ac petere ut ab eo visitari mereretur: ad quem ille ire non abnuens, eum visitatione ammonuit æmulum, ne sanctæ Dei ecclesiæ pervasor existeret, sed magis Christi famulos coleret ac a stipendiis eorum abstineret. Quo facto, oratione fusa, incolumem restituens, damnum, quod ecclesiæ intulerat, restaurari præcepit. At ille absque mora jussis ejus obediens, quod injuste abstulerat, reddens, liber et sospes abscessit.

D

* B. *adita*

* B. *visu*

* B. *Pontificis*

E

Sanctus in morbum incidit,

39 Rexerat itaque jam prædictus sæpius sanctus pontifex ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per multa annorum curricula, sub magno euangelicæ prædicationis honore, sub excellenti pietatis devotione ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Christianæ fidei convertit sanctitatem. Ardebat in pectoribus singulosum cœlestis patriæ amor, plebs ad ecclesiæ sanctæ sinum statutis diebus concurrebat, hymnidicas ubique odas cleri concio personabat. Religio Christiana ex amussim augmentabatur. Resecabantur vitiorum stigmata, accendebantur bonorum operum incrementa et hujusmodi virtutum igniculis Sancta Dei Ecclesia ubique pollente, piissimus pastor naturali eventu properante ad debita mortis confinia, maturante jam ætatis *i* silicernio cœpit adpropinquare. Qui ad se accersitis fratribus, quod sub sancto dogmate edocuerat *, resolutionem sui corporis intimans, ex hoc mundi ergastulo se transire innotuit. Ac post paullulum febrium valetudine * irrumpente, viribus cœpit destitui corporeis. Ad cujus discessum clerus ac populus adglomeratus, patroni sui famulabantur quantis poterant visitationis votis. Quos ille conatu quo valebat admonens et instruens, exhortabatur ut a peccaminum laqueis se cavere studerent, et præceptis Domini in omnibus memoriæ *, voluntati ejus parerent, justitiam sequerentur, charitatis fœdera cum pacis tranquillitate imitarentur, ut quando tempus vocationis eorum ab hac ærumnosa vita appropinquaret, non quasi socordes ac desides invenirentur, sed vigilantes in bonis operibus, præsto haberentur.

i

F

* B. *educaverat*

* B. *invaletudine*

* B. *memore.*

moritur XVI *Octobris et honorifice sepelitur:*

40 Finitis ergo mandatorum privilegiis, quibus alumnos instruebat, erectis in cœlum manibus, inter verba orationis sedulo Dominum invocans, XVII kal. Novembr. inter manus eorum, spiritum Domino reddens, terræ corpus reliquit. Cujus anima, ut vere profitemur, ab Angelicis agminibus assumpta, conspectibus divinis oblata, lætatur cum gloria. Ad ejus exequias multi adfuere ex vicis et agris, fletibus ac gemitibus aera complentes. Ejus sanctissima gleba, succolante

A succolante sandapila clero ac populo *k*, in basilica
k quam ipse magna cum diligentia dedicaverat, perlata, in mausoleo sarcophagi summo cum honore
l condita est. Ubi etiam quamplurima fidelium somata *l* digna veneratione habita, requiescunt, præstolantes renovationis suæ diem et venturi judicii examen. In quo loco multa, Domino cooperante, fiunt magnalia : cæci illuminantur, claudi curantur, leprosi mundantur, dæmones ex obsessis corporibus fugantur, paralytici eriguntur, et innumerabilia, quæ enarrare
* B. *videretur* incommodum videtur *; ex quibus unum quod memoriæ occurrit, huic paginæ inserendum censemus.

duos captivos liberat. 41 Post obitum siquidem viri Dei, homines duo, quorum unus vocabatur Gualdo, alter vero dicebatur Bodecharius ex patria Cenomanensi, ab Andegavensibus hostibus suis fortuitu capti, in com-
* B. *astricti* pedibus ac manicis attriti *, dira maceratione allidebantur. Nam sub ergastulo horrendo, penuria ac inedia pannisque circumsepti, ludibrio videnti-
* B. *ridentibus* bus * apparebant. Cumque ita loris adnexi per plateas et per ambulacra causa opprobrii, cum egestate ducerentur, contigit divino respectu, ut ad limina, ubi funus habebatur memorandi pontificis, non sine grandi custodia advenirent. Qui cum ad tumu-
B lum præfati pontificis accederent *m*, confestim, eno-
m datis vinculis, compagibusque catenarum eliminatis, vincti qui putabantur, absoluti apparuere. Quod lanistæ cernentes, tanta novitate miraculi metu perculsi, hac illacque divulgantes, omnibus innotuere. Ac ubi ad notitiam procerum civitatis pervenit, meritis hoc S. Magnobodi adscribentes, vinctos quos apud se more hostili detruserant, propriæ libertati concedentes, abire sinunt. At illi ab omni querela impedimenti immunes, ad patriam sui incolatus redierunt indemnes, collaudantes Christi virtutem Sanctique Magnobodi merita, qui de tanto discrimine eos eripuerat.

plures ægri sanantur. 42 Hæc ad aures vulgi divulgata, excrescere cœpit major veneratio erga sepulchrum Sancti antistitis : ita ut de longinquis et exteris regionibus, variis obsessos languoribus adducerent, et inibi excubantes ab omni infirmitatis incommodo eruebantur. Ubique memoria ejus celebrabatur, ubique merita ejus absque interpolatione recitabantur, audientes et videntes ineffabilia miracula, quæ diatim a glorioso præsule agebantur.

Epilogus. 43 Ergo animo devoto et prece supplici exoremus clementiam pietatis ejus, ut sicut in hac vita
C præsenti superstes, vota deprecantium favere studuit, ita quoque intercessor existere non dedignetur pro piaculis, quæ quotidie super nos accumulantur : quatenus ab omnibus sordium criminibus emundati, valeamus ab interitu gehennæ liberari, et in æterna lætitia doxa frui cum Sanctis, adjuvante Domino
* B. add. : *Jesu Christo* nostro *, cui est honor et potestas cum Patre et Spiritu Sancto per immortalia sæcula sæculorum.
n — Amen *n*.

ANNOTATA.

a *Jam signavi hunc locum in Comment. præv. n.* 8 *ad monstrandum Anonymum nostrum S.* Magnobodo *coævum fuisse.*

b *Colitur S. Saturninus, episcopus Tolosanus die* III *kal. Decembris, qua ejus Acta, satis intricata, edentur.*

c Summum apparatum *quo* Magnobodus *monasterium S. Saturnini construxit, enucleatius expositum a Marbodo retulimus in Commentario prævio n.* 50. *Agi vero in eo loco de tessellato seu, ut vulgo dicitur, musivo opere, nemini dubium esse potest, consideranti* alternantibus spatiis *parietem depictum* : musevum D *hic muteriam intelligo ex qua tessellæ conficiebantur, siquidem gipso opponitur : forsitan erit hic musivum vitrum græcum; quod spissum* ad mensuram unius digiti, *ait Theophilus in diversarum artium schedula* (*a*), finditur calido ferro per quadras particulas minutas. . . . Hujusmodi vitrum interpositum musivum opus omnino decorat. *Idem* (*b*) *methodum tradit, qua* albatura gypsi omnino plana et lucida fiat. *Imo ipsum gypsum coloribus atque adeo imaginibus ornari potuisse, probabile facit cit. Theophilus* (*c*), *dum dicit vasa fictilia diverso colore vitri pingi consuevisse. Tandem gypsum interpretari licet, teste Du Cange verbo* gypseæ fenestræ, *lapidem specularem, ad modum vitri perspicuum : unde hujusmodi quoque significationem sibi præfigere potuit Marbodus, quod profecto gypsi genus cum vitro musivo optime quadraret.*

d Syntochium, *ait Du Cange, idem est ac Sinodochium seu Xenodochium, id est hospitibus et peregrinis recipiendis parata et instructa domus :* brephotrophium *parvulis educandis hospitium. Marbodus eadem ita refert* (*d*) : Construxit *domos* alias suscipiendis aptas hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis E ministerium defuisse.

e Climata *hic regionem corporis indicant, in qua sit sedes visionis.*

f Clinicus, *id est ægrotus.*

g *Villam* Volensem, *seu secundum Marbodum* (*e*) Volosesisis, *nuspiam reperi in mappis aut lexicis topographicis, nisi forte fuerit* Volandry, *in districtu et pago Balgiensi.*

h *Vicus* Verciacensis, *Marbodo* (*f*) Verchiacensis, *ignotus mihi locus, nisi quis interpretari malit* les Verchés *aut* Saint-Just-des-Verchés, *in districtu Salmuriensi* (Arrond[t] de Saumur, canton de Doué).

i Silicernium *proprie cœna funebris, quæ senibus effœtis sternebatur, hic vero pro ipsa senili ætate accipitur.*

k *Hæc S. Saturnini basilica nomen deinde S.* Magnobodi *assumpsit, ut dixi Comm. prævii n.* 50.

l Somata *id est corpora.*

m *Monstravi supra in Annotatis ad Vitam et miracula S. Galli l.* II, *c.* IV, *not.* c *frequenter Sanctorum invocatione vincula fuisse disrupta.*

n *Codex manuscriptus, quo usus est D. Beaugendre, huic clausulæ subnectit sequens miraculum, quod ex ejus editione hic damus :* Christus itaque F Dominus Jesus, qui glorificat glorificantes se, mortuum puerulum ad laudem et gloriam nominis sui per hunc pretiosissimum antistitem suum Magnobodum ab inferis revocare dignatus est. Quadam namque die, dum ad supradictam basilicam cum maximo cleri plebisque tripudio Missam celebraturus occurreret, mulier quædam, ut benedictionibus sancti pontificis particeps efficeretur, cum filio uteri sui advenit ; quæ cum intra septa ecclesiæ se recepisset, et parvulus ejus ab ea recessisset, ecclesiæ valvas petiit, et in plateam, quæ ejusdem ecclesiæ est vicina, ludos agere cœpit. Et subito ex Valleia agmen equarum adveniens, atque ad insulam, quæ vulgariter Mons nuncupatur, tendens, per eandem plateam veloci cursu pertransibat. Cumque prædictus puer ad dexteram, sive ad sinistram declinare non valeret, insidiante, ut credo, humani generis inimico, ab eodem agmine in frusta discerptus expiravit. Etenim cum a sancto pontifice Missarum solemnia fuissent expleta, mulier filii sui immemor ad propria revertebatur. Itaque cum per plateam

(*a*) Lib. II, cap. XV, p. 94. Edit. Paris. 1843. — (*b*) Lib. I, cap. XIX, p. 34. — (*c*) Lib. II, cap. XVI, p. 95. — (*d*) Oper. Hildebert., col. 1502. — (*e*) Ibid., col. 1503. — (*f*) Ibid., col. 1504.

A transitum fecisset, reperit filium suum in frusta discerptum, et cum magno animi dolore a terra eum levavit, statimque miseram se clamans, ac magis vocibus aerem replens, nullo modo se poterat a lachrymis continere. Sed ubi ad memoriam rediit, quæ diutim a sancto gerebantur præsule Magnobodo, concito gradu ad basilicam usque pervenit; nondum enim sanctus antistes a basilica discesserat. Ergo prædicta mulier suffocati filii sui corpus in conspectu Sancti exposuit, dicens : Vir sancte, restitue hunc mihi filium, qui pater populi agnosceris. Hæc atque multa his similia ea dicente, devictus mulieris precibus vir Dei ad arma consueta recurrens, populo spectante, prosternitur in terra. Quid multis moror? tandiu sacerdos jacuit in pulvere, donec pariter surgens pontifex de oratione, et puer de morte. Hinc circumstans populus non minimo stupore concutitur, inusitatum cernens miraculum, fragorque in partes attollitur, laudes in excelso Creatori referuntur; completurque veridica veritatis vox promittentis ac dicentis : Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. Mater vero cum filio ad propria, unde advenerat, lætabunda regressa. D

DE S. KIARA VIRGINE,

IN MOMONIA IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B E

S. Kiaræ cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchreæ.

FORTE AN. DCLXXX. *S.* Kiara, *laudata a martyrologis maxime Hibernis,*

S. *Aengussius Keledeus in Festilogio Metrico Hibernico, quod in cultu adstruendo plurima auctoritate pollet, S.* Kiaræ, *filiæ Diubreæ, festum annuntiat die* v *Januarii. In Martyrologio vero non metrico eadem Sancta duobus diebus memoratur,* v *nempe Januarii et* xvi *Octobris. Eamdem utraque die nominant Martyrologium Tamlactense, Kalendarium Casselense et Carolus Maguiz, qui et Aengussius auctus vocatur. Beatus vero Marianus Gormanus hanc Sanctam die* v *Januarii tantum proclamat. Hæc ex Colgano* (*a*); *quæ a nobis cum apographis Hibernicis, in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi servatis, aliisque scriptis, a canonicis regularibus Tongerloensibus nostro musæo concessis, collata, fidelia esse reperimus. Præterea ad dictos dies hujus Sanctæ nomen nobis occurrit in Kalendario Tamlactensi, et in*

C *Martyrologio Dungallensi : in quo posteriore* Keara de Muigh-ascad (*campo petito*) *nuncupatur. Hibernice autem ejus nomen scribitur* Ciar, Cera, Cere, Ceara; C *vero apud Hibernos K audire, vulgo observatur. Quod autem et* Caila *et* Piala *interdum scripta est, vitium, an nominis synonymia sit statuant alii. Insuper S.* Kiaræ *brevem Vitam dat Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem* v *Januarii. Britannia Sancta* (*b*) *et alterum Martyrologium Anglicum* (*c*) *ad* xvi *Octobris nihil aliud afferunt, quam nomen* Cyram, *et locum antiqui cultus Killchream. Castellanus ad* xvi *Octobris gallice eam* Kère, *latine* Kiaram *appellat, eamque ut Virginem et abbatissam in Momonia* (Munster) *in Hibernia celebrat.*

et distinguenda a tribus homonymis,

2 *Distinguenda est hæc Sancta a tribus aliis, quæ* v *Februarii,* viii *Februarii et* ix *Septembris celebrantur. Prima coli dicitur a Colgano* (*d*) *in Raith; eamque annuntiat S. Aengussius :* Cæræ Raithensis Mentichi, *vel* Raith-Mentichensis; *secundam annuntiat idem martyrologus, præter morem :* Sanctæ Virginis *nomini* Keræ *adjiciens. Tertiam, a Colgano adstructam non reperio in scriptis, quæ in præsentiarum præ manibus mihi sunt. Castellanus quidem inter aemeros producit quamdam* S. Keram, Virginem, abbatissam in Momonia, mortuam mense Januario. *Verum non ambigo quin eadem sit, quæ* v *Januarii et* xvi *Octobris colitur. Ad dictos autem Februarii et Septembris dies nullam Kiaram, Ceram, Cyram, etc., notarunt decessores nostri, nequidem inter prætermissos; similiterque Colganus ad dies* v *et* viii *Februarii siluit de his Sanctis : neque nobis lubet incassum hunc tentare labyrinthum.*

cultum sortita est Killchreæ.

3 *De loco, in quo S.* Kiara *cultum sortita est, loquuntur plures : Colganus* (*e*) *affirmat hunc locum olim* Kill-Chere *hodie* Kill-Chreidham, *seu ut vulgus loquitur,* Killchream *appellatum esse; ejusque situm in diœcesi et comitatu Corcagiensi statuit; qua in re ab eo non dissentit Lanigan* (*f*), *qui hunc vicum* F *paucis leucis Africum versus a Corcagio dissitum esse docet. Uterque nomen loci deducit a* Cella Kiaræ, *quod Hibernis* Kill-Chere *dicitur : illic utique parthenonem exstitisse consentiunt Colganus et Lanigan; eisque accedit Gough, editor Camdeni Britanniæ* (*g*), *Archdall in Monastico Hibernico et Smith in Historia Corcagii auctores secutus. Cum autem B. Marianus Gormanus et Carolus Maguiz ex una parte statuant S.* Kiaræ *corpus in ecclesia Maghascad* (*Martyrologium Dungallense* Muigh-ascad *habet*), *et ex altera parte Kalendarium Casselense, aliique, teste Colgano* (*h*), *tradant ad* xvi *Octobris, sacra hæc pignora in ecclesia Kilchreensi asservari, dubitat Colganus aut potius suspicatur, nomina Maghascad et Killchream aut Killcream eidem congruere loco. At cavendum est ne item confundantur rudera cellæ seu monasterii S.* Kiaræ (*nisi tamen errorem prodat Colganus, cum* (*i*) *tradit* saxea, ceu viva, loqui monumenta nomen S. Kiaræ) *cum parietinis conventus Fratrum Minorum, cujus meminerunt*

(*a*) Act. SS. Hiberniæ, p. 15. — (*b*) Part. II, p. 205. — (*c*) A memorial of ancient British piety, p. 145. — (*d*) Act. SS. Hiberniæ, p. 16. — (*e*) Ibid., p. 16, not. 6, — (*f*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. III, cap. xviii. — (*g*) T. III, p. 506. — (*h*) Act. SS. Hiberniæ, p. 15, not. 13. — (*i*) Ibid., p. 14, num. 1.

Colganus

A *Colganus* (*a*), *Gough* (*b*), *Waræus* (*c*), *Waddingus* (*d*), *Alemand* (*e*), *et quod vel anno* 1465, *vel* 1468, *vel* 1470, *sive etiam* 1478 *Killchreæ traditur fundatum fuisse a Cormaco Mac Carthy, Desmoniæ principe, qui ibidem tumulatus est in medio choro cum multis viris primariis comitatus Corcagiensis; quæ res in causa fuit, cur Reformationis tempore, expulsis religiosis viris, ipse conventus destructus non fuerit. Verumtamen nunc tantum rudera superesse colligo tum ex Gough, latius ea describente, et ex annotatis, quæ duo eruditi ex Hibernia viri, curante nostro P. Francisco Murphy, nobis collegerunt potissimum ex recentissimo de Corcagio ejusque vicinia opere Cl. V. Joannis Windele* (*f*). *Dolemus sane quod, cum ne a longinquo quidem ad S.* Kiaram *id Franciscanorum cœnobium pertineat, non licet nobis pluribus ejus fata omni memoria dignissima prosequi, et per miranda ejus rudera cum lectore pervagari.*

Ejus vita, a Colgano scripta, compilata est ex malefidis scriptis,

4 *Jam cum ad S.* Kiaræ *Vitas gradus faciendus sit, continuo aperiendum nobis est, nullam reperiri; nisi Vita dicenda sit tum ea, quam Colganus ex citatis a se Martyrologiis vel Festilogiis, et ex Actis SS. Brendani et Munnu compilavit* (*g*), *tum altera multo brevior, quam Lanigan* (*h*), *Colganum castigans, edidit. Nos vero relegemus decessorum nostrorum vestigia, qui nonnumquam, cum nihil melius præ manibus haberent, Acta Sanctorum a Colgano conscripta ediderunt, suis adjectis animadversionibus. Fontes, unde hausit Colganus, indicati jam sunt; in hos et in ipsam Vitam placet hic loci præmittere aliquot annotationes, reliquis brevioribus ad calcem reservatis. Primo, Henschenius ad diem* XVI *Maji* (*i*) *rejecit tamquam apocryphas duas Vitas S. Brendani quas habebat; malens omnia, quæ de eo Sancto narrat, ex aliorum Sanctorum Vitis colligere. Æstimo duas Vitas, quæ penes Henschenium erant, eas esse, quæ in codice Salmanticensi* (*k*), *e musæo Bollandiano Antverpiensi Bruxellas in bibliothecam Burgundicam regiam translato, reperiuntur; et vere sunt omnino refertæ miris, omnemque modum superantibus narrationibus, præsertim prior, in qua famosa navigationis historia legitur. Verum nihil in his perhibetur de S.* Kiara; *unde consequens est Colganum alia S. Brendani Vita usum esse : quæ Vitarum diversitas fere arguit recentioris ævi esse, quæ de S.* Kiara *ex S. Brendani Vita narrantur. Quod autem spectat ad alterum fontem, Vitam scilicet S. Fintani seu Munnu, de quo ad*

C XXI *Octob. agendum nobis erit, Lanigan de ea diffidit vel ob ea solum, quæ ex illa hinc inde a Colgano allata sunt* (*l*). *Num.* 7 *redibit sermo de Vita S. Fintani.*

et statuit S. Kiaram *longævіorem.*

5 *Quod secundo loco notare velit lector, necesse est, si aliunde Vita S.* Kiaræ *a Colgano scripta subsistere queat, ut vixerit hæc Sancta, fatente auctore, ad minimum* 120 *vel* 130 *annos* (*m*). *Etenim secundum chronotaxim Henschenii* (*n*), *probatam Lanigan* (*o*), *obiit S. Brendanus anno fere* 577. *Sanctam vero* Kiaram *ex Annalibus Hibernicis mortuam tradit Colganus* (*p*) *anno* 679, *aut, ut corrigit Lanigan* (*q*) *anno* 680. *Ne vero lector terreatur hac longævitate, eum remittit Colganus ad notas, absque dubio eruditissimas, sed nihilominus ineptam credulitatem sapientes, adjectas Vitæ S. Kyerani Saygirensis, quem biographus, probante Colgano* (*r*), *trecentos annos vixisse tradit. Utique, si talia credantur,* mediocris *fuerit S.* Kiaræ *ætas.*

Colganum castigavit Lanigan, ipse forte facilior.

6 *Ne talibus fabulis pedem impingeret Lanigan, aliam viam ingressus est. Explodit scilicet Colganum, quod S.* Kiaram *coævam S. Brendano fecit, quodque statuit eam prius Killchreense monasterium,* D *dein cœnobium Tech-Telle incoluisse, postea in monasterium Killchreense reversuram, ibique supremum obituram diem; quin etiam annotat* (*s*) *originem errorum Colgani, æstimantis hanc nostram* Kiaram *cum S. Brendano egisse; quam in rem animadvertit duas Muscragias confundi a Colgano : unam Muscraighe Fhire, hodie* Lower Ormond *in Tipperaria, ubi S. Brendanus reapse versatus esse perhibetur; alteram Muscraighe Mitine, hodie* Muskerry *in comitatu Corcagiensi, ubi Killchrea sita est. Quæ confusio eo facilius locum habuit, quod utraque Muscragia in Momonia reperitur. Quapropter postquam admisit S.* Kiaram *in Muscraighe Mitine natam esse, sic fere pergit idem recentior annalista :* Supponitur hæc Kiara eadem fuisse ac S. Chier, quæ cum aliis quinque virginibus ad S. Fintanum Munnu, in Heli (hodie *Ely O'Carrol*) commorantem, perrexit, sibi adeptura locum, parthenoni instituendo aptum. Dicitur S. Fintanus cessisse S. Kiaræ locum, quem ipse occupabat, et qui dein Tech-Telle audiit. Nulla mihi sufficiens occurrit E ratio, ob quam negem S. Kiaram aliquandiu illic vixisse; sed dubium est valde num hunc locum a S. Fintano obtinuerit, et num ipse umquam illic commoratus fuerit; (*imo alibi* (*t*) *longe probabilius esse ostendit S. Fintanum nulli alii monasterio, quam Teach-Munnu, hodie Taghman in Wexfordia, præfuisse*). Quamdiu, *hæc alia sunt ejus verba,* S. Kiara in Heli remanserit, nihil nos monet. Porro illinc regressa in suam patriam, fundavit monasterium, a suo nomine dictum Killchrée, nunc Kilcrea. *Hæc Lanigan.*

quod monasterium S. Kiara *fundaverit, quæritur.*

7 *Neque mihi suppetit firmum argumentum ad tale assertum disturbandum; sed quod gratis asseritur, gratis itidem negari facile concedet unusquisque. Nam, licet in memorato MS. codice Salmanticensi, in quo mirissima quæque leguntur, inveniantur duæ S. Fintani Vitæ, in quarum priore iisdem fere verbis ac in fragmento, quod Colganus citat, sed paulo longior sermo de S.* Kiara *fit, et in posteriore paulo brevius eadem res narratur, omissa prædictione de S. Tellio; atque inde liqueat tres saltem diversas S. Fintani Vitas exstare, in quibus memorata exhibentur, prorsus tamen vana est illa* F *testium series. Quæ enim fides commentoribus, se invicem describentibus, ampliantibus, breviantibus, danda est? Quis nos docuit hic agi de nostra* Kiara, *non de alia? Quid omnes illi itus atque reditus, monasteriorum translationes, etc.? Quare, sepositio illo Tech-Tellensi cœnobio, id unum credere possumus monasterium Killchreense a S.* Kiara *conditum fuisse; quod persuasum esse debet tum ob nomen, ab ea acceptum, tum quod Killchreæ ei cultum delatum esse ab omnibus asseritur; reliqua nobis non propinabit Colganus. De tempore vero, quo hæc monasterii fundatio obtigit, nihil certi proditur; docet Lanigan* (*u*) *eam ab Harris referri ad sæculum* VI, *et ab Archdal ante annum* 576 : *cui chronotaxi, ob rationes num.* 5 *explicatas, semisæculum libenter adjecero. Harris et Archdall absque dubio ducem secuti sunt Colganum; cujus opellam lectori jam exhibeo, ut ipse de his omnibus judicium ferre queat.*

(*a*) Act. SS. Hiberniæ, p. 14, not. 6. — (*b*) Britannia Camdeni, t. III, p. 506.—(*c*) Antiquit. Hibern., cap. XXVI, p. 199.—(*d*) Annal. Minor., tom. XIII, p. 378. —(*e*) Hist. Monastiq. d'Irlande, p. 234. — (*f*) Notices of Cork and its vicinity. Cork, 1839. — (*g*) Act. SS. Hiberniæ ad V Januarii, p. 14 et seq. — (*h*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. III, cap. XVIII, § XII. — (*i*) Act. SS. ad XVI Maji, p. 602. — (*k*) Fol. 69 et 189. — (*l*) Ecclesiast. Histor. of Ireland, t. II, cap. XV, not. 78. — (*m*) Colgan. loc. cit. et Lanigan Eccles. Hist. of Ireland, t. III, cap. XVIII. not. 159. — (*n*) Act. SS. ad XVI Maji, p. 600, num. 2. — (*o*) Loc. cit. — (*p*) Ibid. — (*q*) Eccl. Hist., t. III, cap. XVIII, not. 155. — (*r*) Act. SS. Hibern., p. 466, not. 42. — (*s*) T. III, cap. XVIII, not. 159. — (*t*) T. II, cap. XV, not. 78. — (*u*) T. III, cap. XVIII, not. 159.

VITA

A

VITA S. KIARÆ, SEU CERÆ

AUCTORE COLGANO.

S. Kiara, filia Dubrei, Claruit in ea australis Hiberniæ regione, quæ Muscraigia *a* nuncupatur, quædam genere clara, sed virtutibus clarior Virgo, nomine Cera *b* seu Cyra : cujus quidem Acta licet temporis vel nunc supprimat, vel olim deleverit injuria, nominis tamen sancti et celebris, quod nobiles testantur scriptores, et saxea ceu viva loquuntur monumenta, non potuit delere splendorem. Patrem habuit Dubreum *c*, e Conarii *d* regis Hiberniæ stirpe, multotorum et Sanctorum et regum in utraque Scotia fœcunda genitrice oriundum.

vixisse dicitur tempore S. Brendani, 2 Postquam autem fama sanctitatis, et miraculorum hujus Sanctissimæ Virginis longe lateque diffusa esset, et odor boni nominis plures ad eam pertraheret discipulas, virtutum ejus sedulas imitatrices, construxit in prædicta sua patria Muscraigiæ regione cœnobium virginum ex ipsius fundatricis nomine Killchere appellatum, cui in summa sanctitatis opinione et mirabilium operatione sacro virginum cœtui præfuit eo tempore, B quo magnus Brendanus, post mirabilem suam septennii spatio per Oceanum navigationem, signis et virtutibus in Hibernia clarebat *e*.

quo indicante, ignem extinxit. 3 Inter alia ejus opera mirabilia, unum memoratur patriæ proficuum, et ipsi Virgini gloriosum; quo pestilentis quoddam genus ignis, et patriæ terræ, quam inextinguibili vi exurendi absumebat, et hominibus, quos pestifero fœtore extinguebat, exitiosum, mirifico orationis jaculo funditus extinxit. Factum his verbis narrat author Vitæ S. Brendani : In regione *f*, inquit, Muscraighe Fhire in provincia Momoniæ, ignis exortus est e terra, fœtorem habens pessimum. Cœperuntque homines ignem extinguere aquis, sed nullo modo potuerunt. Videnque S. Brendanus, veniendo illuc, terram ardere ascendentibus alte flammis, ait hominibus : O miseri homines, ignem infernalem videtis e terra? Rogantibus eum hominibus, ait eis : Trium dierum jejunium agite, et rogabo Deum pro vobis. Et post jejunium ait illis : Ite ad Sanctam Dei Virginem Ciaram : sibi enim dedit Deus hanc virtutem, ut extinguat illum ignem per orationem suam. Et orans Sanctissima Virgo Cera ad Deum contra C illum ignem, illico ignis extinctus est radicitus, et numquam ibi iterum apparuit.

Augentur ejus sociæ; 4 Crescentibus sic in dies signis et virtutibus hujus præclaræ Virginis, cum cresceret et sanctarum virginum, quæ sub ejus magisterio vivere ambiebant, ipsa sanctissima mater cœtum sponsarum Christi multiplicare desiderans, cum aliquot virginibus perrexit ad fines Heliæ, locum a Sancto Munna, viro mirificæ charitatis et sæculi contemptus gloria notissimo, quæsitum; ubi sponsas Christi commodius, in Deo dicatæ virginitatis instituto instruere et educare posset; accepitque ibi ab eo locum Tech-Telle nominatum, quem ipse ante ibi extruxerat, ut in ejus Vita cap. x his verbis enarratur :

it ad S. Munnam; 5 Cum B. Munna quinque annis habitasset in regione Heli, venit ad eum quædam virgo, nomine Chier *g*, cum aliis virginibus quinque, ivitque minister hospitum salutare eam, et recipere in hospitio. Cui ancilla Dei ait : Vade ad famulum Christi seniorem nostrum et dic ei : Det mihi locum ubi potuero Deo servire cum meis filiabus. Hoc autem audiens vir Dei dixit suis : Fratres, non est hic D resurrectio nostra, ideo relinquamus hunc locum nostrum et laborem virginibus Dei, et nihil vobiscum ducetis exceptis necessariis in via, et libris officialibus, et chrismalibus, et quotidianis vestimentis, et de animalibus tantum duos boves in plaustro. Cum jam ancilla Dei postulasset ab eo benedictionem, respondit ei : Benedictio sit super locum istum; et erit benedictus coram Deo, et hominibus; sed tamen locus iste non nominabitur in nomine tuo. Illa dixit : In cujus igitur nomine nominabitur? B. Munna ait : Vir ille, qui hodie tres jubilationes in agro Miodhluachræ fecit, possidebit hunc locum : ipse est Telli, filius Segeni, qui postea ad hunc locum veniet, et in nomine ejus nominabitur.

moritur anno 680. 6 Postquam ergo Christi ancilla in ecclesia de Telgh-Telle cum suis alumnis aliquandiu constitisset, et juxta mox dicta intellexisset locum illum non sibi vel suis, sed Sancto Tellio ex divinæ providentiæ decreto esse reservatum, demum in patriam reversa est, ac post multos vitæ annos, in illibati instituti rigore transactos, annis et meritis plena, anno salutis 679 *h* mortalem hanc vitam cum *h* E cœlesti commutans, ad sponsi superni amplexus advolavit, ac in ecclesia de Maghascad corpus ejus honorifice reconditum est : piaque populi devotione bis in anno ejus festum servari consuevit : die quinta Januarii, quæ dies transitus et ejus in cœlo natalis, et XVI Octobris, qui translationis creditur esse *i*. *i*

ANNOTATA.

a *Vide num.* 6 *Commentarii.*

b *In Commentario num.* 1 *exhibui nomina S.* Kiaræ, *prout in MS. Hibernicis mihi occurrerunt. In priore Vita cod. Salmanticensis dicitur* Kyear, *in posteriori* Emer, *vitio sane amanuensis. Eam vulgo* Chier *vocari tradit Lanigan. Quoniam Martyrologium Universale Castellani vulgo in usu est, ne lectori, apud nos hujus Sanctæ Vitam quærenti, inutilis labor crearetur, scripsi secundum eum Kiaram.*

c *Hæc a S. Aengussio, Martyrologio Tamlactensi, et Annalibus Cluanensibus accepit Colganus. Eadem in nostris ecgraphis reperio non secus ac in lacinia Annalium Dungallensium.*

d *Ex Kalendario Casselensi, Carolo Maguiz et* F *Menologio genealogico hæc hausta sunt. Verum a decessoribus nostris non admitti solent vetustæ Hibernicæ genealogiæ.*

e *Confer num.* 4 *Commentarii prævii. S. Brendani navigatio nostris atavis Belgis placuisse videtur : non ita pridem lingua veteri theotisca iter S. Brendani ex tenebris eruit Cl. V. de philologia Belgica optime meritus Blommaert. Cæterum ubique fere per Europam olim id iter innotuerat, adeo ut paucæ sint copiosiores MSS. codicum collectiones, in quibus hæc non appareat historia.*

f *Vide numm.* 4 *et seqq. Commentarii prævii.*

g. *Numm.* 4 *et seqq. similiter hæc impugnata vide.*

h *Dixi num.* 5 *ex Annalibus Hibernicis S.* Kiaram *anno* 679, *imo* 680 *obiisse; ex iisdem tradit Colganus eam devenisse ad provectam ætatem, et diem* V *Januarii ultimam ejus vitæ in terris fuisse.*

i *In notis infirmat hoc assertum Colganus scribens, diem* XVI *Octobris esse festum translationis, commemorationis similisve rei. Lanigan* (a) *huic diei ejus commemorationem adscribit. Quæ modo præcedunt, initio Commentarii prævii explicata sunt.*

(a) Eccl. Hist. of Ireland, t. III, cap. XVIII, § XII.

DE

A D

DE S. MUMMOLINO SEU MOMMOLENO

EPISCOPO NOVIOMENSI ET TORNACENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Mummolini sacra memoria, biographi, et gestorum synopsis.

PROBABILIUS ANNO DCLXXXIII. *S.* Mummolinus, *cujus gesta jam illustravit Ghesquierus,*

B Eruditis atque bibliophilis cognitum est opus, *quod* Acta Sanctorum Belgii selecta *inscribitur. Josephus scilicet Ghesquierus, qui plures annos Actis Sanctorum Bollandianis illustrandis vacaverat, hujus novi operis in se suscepta provincia, anno* 1783 *primum volumen edidit, quod quinque alia sequentibus annis secuta sunt. Cum autem in hoc condendo opere,* tum ex monumentis sinceris, *ita fert titulus,* necdum in Bollandiano opere editis, tum ex vastissimo illo opere servata primigenia scriptorum phrasi colligendo, *ordinem temporum, non autem kalendarii observaverit, plures obvios sibi habuit Sanctos, de quibus Bollandiani socii nondum dixerant. Qualis est S.* Mummolinus, *cujus festum die* XVI *Octobris agitur, et cujus Vita proinde hoc loco a nobis quoque edenda est. Licet Ghesquierus, et qui ei postmodum dati sunt socii Smetius et Thysius, ita illustrarunt SS. Belgii Acta, ut propius Bollandiani operis vestigia sequerentur, atque adeo pristinos commentarios recudendos curarent, et cum novæ prorsus elucubrationes condendæ forent, Bollandiana fere uterentur methodo, non tamen est quod purum Ghesquieri opus de S.* Mummolino *denuo typis subjiciamus. Etenim, si imitaremur eum ipsum, qui Bollandianis commentariis annotationes suas subjungebat, scriptio exhiberetur lectori, a reliquo opere omnino diversa; dein*

C *cum Ghesquierus non tantum S.* Mummolini *Vitam, quam præ manibus habebat, justo minoris fecerit, eamque propterea non ad calcem sui Commentarii, ut moris nobis est, integram ediderit, sed in frusta desectam partim tantum inseruerit suis disquisitionibus; verum etiam cum caruerit Vita, quæ cæteris antiquior nobis visa est; sequitur aliam omnino ac laudati hagiographi ineundam nobis viam esse; tertio,* (*quod illius Vitæ minor æstimatio atque hujus absentia peperererunt,*) *invertit seu etiam subvertit, incertis innixus rationibus, non exigua S.* Mummolini *gesta, quæ tamen in omnibus antiquis, quæ de hoc Sancto supersunt, adstruuntur monumentis; quarto demum, cum in Actis Sanctorum Belgii S. Eligii gesta illustrata jam fuissent, mittere potuit Ghesquierus plures de chronologia quæstiones, quæ, ad S.* Mummolinum *pertinentes, in Vita ejus decessoris Eligii solutæ jam videbantur; verum cum S. Eligii gesta ad diem primum Decembris in opere nostro examinanda erunt, methodo omnino inversa hic utendum nobis est. Atque hæc sunt rationum momenta, quibus ad novum S.* Mummolini *condendum Commentarium inducti fuimus. Cæterum, ne quod actum est denuo agamus, plura ex ejus scriptione hauriemus; id tamen sincere observantes, ut nihil exinde describamus, quod non accurate ad fontes retulerimus.* E *Pro more ab annuntiationibus in fastis sacris exordium ducimus.*

vario nomine in fastis sacris nuntiatur;

2 *Licet* S. Mummolinus, *quem et* Mommolenum *vel* Mommolinum *probati scriptores et recentiora Officia ecclesiastica nuncupant, antiquissimis temporibus pie cultus fuerit, omiserunt tamen ejus nomen martyrologi classici omnes. Contra ad præsentem diem ejus meminerunt codex MS. Usuardinus Bruxellensis sub nomine* Nommolino; *Aquicinctinus et alter a Molano editus sub nomine* Nummolino; *Usuardus Greveni,* Mammolinum *referens; et Hagiologium MS., quod in bibliotheca Ambianensi servatur,* Mummolanum. *Martyrologium vero qualecumque Bedæ, in monasterio Lætiensi repertum et de quo Bollandus in Præfatione Generali Actorum Sanctorum* (*a*) *sermonem habet,* in Noviomo civitate natale Sancti Mummolini confessoris *annuntiat, similemque memoriam habet codex noster MS. Usuardinus Bigardensis. Martyrologium, quod vulgo Canisio adscribitur, in* Nummolino *dicendo consonat cum Usuardo Molani; et Saussayus, Galesinus, Castellanus, Martyrologium Ebroicense, Ferrarius, auctores Martyrologii Parisiensis, Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Molanus in Natalibus SS. Belgii* Nummolinum *et* Nommolinum *quidem excludunt, at cæterum varii sunt in scribendo nomine; demum ex Monasticis Wion in Ligno Vitæ et Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino S.* Mummolinum *quoque Sanctis suis accensent : in quibus fere omnibus, præmissa annuntiatio Lætiensis titulo* episcopi *aucta occurrit. Simili memoriæ subdit gestorum compendium laudatus Molanus; « seu si mavis, » inquit Ghesquierus, Petrus Lauvius qui Molani » schedas miscellaneas supplevit et concinnavit » : et alterum atque paulo longius encomium ex Iperio Sam-Bertiniano annalista et Joanne Cognato, historico Tornacensi, S.* Mummolini *memoriæ attexuit Miræus. Utrique recitando supersedeo. Quod vero pertinet ad varias Sancti nostri nomen scribendi formulas, præplacuit* Mummolinus, *in vetustissimis monumentis usitatior norma; licet* Mummolenus, Mommolinus *similesque formæ damnari nequeant. In antiquis historiis non rarum est eumdem virum jam* Mummolinum, *jam* Mummolum *nuncupari; unde liquet idem nomen eas esse appellationes. Reli-*

F

(*a*) p. XLIX.

A *qua vero, quæ pertinent ad loca et dies, quibus olim colebatur aut etiamnum colitur* Mummolinus *noster, explicabuntur alibi.*

referuntur ejus gesta in pluribus Vitis MSS. et Breviariis:

3 *Quæ præ manibus haberet Ghesquierus S.* Mummolini *Acta, tradidit ipsemet, cum testetur epitomæ Molani consonare S.* Mummoleni *Acta quæ in insigni codice MS., qui ex abbatia Vallicellensi ad Balthasarem Moretum, postea ad musæum hagiographicum Antverpiense atque hinc ad abbatias Frigidi Montis et Tungerloensem transiit, nunc demum, ut reliqua fere hagiologica suppellex in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi asservatur, exstant. Habebat præterea* « *bina, ut loquitur, quæ ad Bol-* » *landianos olim transmissa fuerant Actorum apo-* » *grapha, alterum a R. A. D. Nicolao de la Haye,* » *Decano Noviomensi anno* 1670 *ex MSS. biblio-* » *thecæ capituli Noviomensis desumptum; alterum a* » *Chiffletio nostro, ex MS. S. Audomari, non ita,* » *ut ipse notavit, vetusto.* » *Verum ea tum erat documentorum confusio in bibliotheca Frigidi Montis, ut quatuor alia apographa nonnihil a reliquis et inter se diversa postmodum a nobis reperta fuerint: quorum primum, ex codice Noviomensi a prælaudato R. Decano desumptum, a priore diversum est, et*

B *Vitam exhibet, reliquis, ut nobis videtur, antiquiorem; secundum anno* 1666 *a D. Ludovico Nicquet, bibliothecario Cœlestinorum Suessionensium ex MS. libro cathedralis ecclesiæ descriptum fuit, atque hujus Noviomensis compendium fere est, in novem lectiones distributum; tertium, ab eodem Suessionensi bibliothecario subministratum, a Vallicellensi, quo usus est Ghesquierus, vix differt; et quartum demum, quod huic similiter non præluxit, ex lectionario Sant-Audomarensi minus vetusto descriptum fuit, et (ut ex plicis et impresso chartæ sigillo, collatis cum alio folio subsignato, manifestum mihi videtur) a nostro Bucherio submissum. Atque hic in transitu notare mihi liceat, ex nota memorato folio a Bollando inscripta constare, Bucherii primam mentem non fuisse ad Clodovei ortum sistere, et Belgium Romanum, ut ejus liber dicitur, condere; verum cum significet Bollandus, Bucherium has Vitas (quas inter S.* Mummolini) *Belgio suo inserere velle, liquet eum in animo habuisse opus suum saltem usque ad sæculum* VIII *producere, nisi integros potius Belgii annales concinnare. Hactenus de Vitis S.* Mummolini *ineditis. Ut nihil dicam de vulgaribus Vitis Sanctorum deque historiis, in quibus de rebus sacris*

C *diœcesis Tornacensis, Noviomensis, Teruanensis, etc., agitur, præsto præterea mihi fuerunt Breviaria seu Propria Audomarense annorum* 1518, 1708 *et* 1785; *Atrebatense anni* 1817; *Noviomense anni* 1630; *Iprense annorum* 1629, 1715, 1746 *et* 1776; *Tornacense annorum* 1787 *et* 1805; *Morino-Boloniense anni* 1756; *atque in his omnibus S.* Mummolini *Vita in plures lectiones divisa exstat. Ut ex kalendario, præfixo parti hiemali Breviarii S. Quintini Veromanduorum anni circiter* 1520, *colligo, parti æstivali inserta quoque sit oportet S.* Mummolini *Vita; at hanc hucusque desideramus. Priusquam autem ad alios fontes transgrediar, pauca de præmissis notanda veniunt.*

quorum fides male, ut videtur, a Ghesquiero culpata propter prologum,

4 *Quascumque Ghesquierus aut in Breviariis, aut in Lectionariis invenit S.* Mummolini *Vitas, nigro calculo eas notavit,* « *propterea, inquit, quod omnes* » *uno eodemque vitio laborant, nimirum asserto* » *perperam S.* Mummolini *in Galliam adventu sub* » *Chlotario III, Clodovei II filio, ejusque in aula* » *regia commoratione, prius nempe, ut illæ volunt,* » *quam Sanctus noster Morinos adiisset; quando-* » *quidem* Mummolinus *jam quindecim fere annis* D
» *substiterat apud Morinos, antequam Chlotarius III* » *ad Francorum regnum evectus fuerit.* » *Verum apud me carent hoc nævo Officia Tornacensia, Atrebatense, Boloniense, et Sant-Audomarense anni* 1785; *quin etiam Vita MS. brevior Suessionensis hujus anachronismi expers est. Attamen notandum est, tale initium huic Vitæ adesse, ut, licet prima lectio ei non desit, tamen, vel acephala vel aliunde distracta videatur; quandoquidem sic incipiat:* Eo in tempore vir sanctissimæ religionis, Mummolinus nomine, a regione sua egressus in Gallias cum duobus comitibus devenit. *Amplissima vero Vita, Noviomo transmissa, quæ huic breviori vel debet ortum vel ei dedit, prologum habet similem prologo, vulgatæ S.* Mummolini *Vitæ præfixo, quem anachronismi damnavit Ghesquierus; hæc quippe inibi sunt:* Tempore quo præcellentissimus rex Lotharius Ludovici filius hæreditario jure Franciæ regnum gubernavit. . . . Ecclesiam multimodo spiritualium filiorum genimine contigit propaginari *. Resedata siquidem. . . persecutione, Christus Ecclesiæ quam plurimos coadunavit Confessores. . . Eo in tempore vir sanctissimæ religionis, Mommolenus nomine, a regione sua egressus in Gallias cum duobus co-* E *mitibus devenit.

* propagari

qui explicationem patitur,

5 *Verum plura de hoc prologo animadvertenda veniunt. Imprimis, etiamsi concedendum foret, hic significari, S.* Mummolinum, *regnante Lothario seu Clotario III, primum in Gallias venisse cum suis sociis (ad quod tamen non constricti videmur), multo tamen severius esset, hanc Vitam ob unicam illam rationem rejicere: etenim, si valeret ejusmodi crisis, seponendæ forent permultæ Martyrum Passiones, quæ ab ipsis hypercriticis sinceræ habentur, licet nominum imperatorum confusio in eis appareat; de qua re legendus est P. Honoratus a S. Maria in suo de critices usu et legibus opere (a); præterea in hoc ipso præsenti volumine (b) similis erroris exemplum habemus in coæva S. Magnobodi Vita, in qua hic Sanctus dicitur,* communibus omnium votis cum assensu Dagoberti regis, ad quem jam successio regni descenderat, electus esse; *quum constet S. Magnobodum anno* 609 *Andegavensi potitum esse cathedra, et Dagobertum, Lotharii filium, anno tantum* 622 *Austrasiæ et sexennio post Neustriæ dominari incepisse. Verum cum nemo idcirco fidem denegabit Actis Sancti Andegavensis præsulis, quo jure nihili fere fieret Vita antistitis Noviomensis? præsertim cum omnis evanescat difficultas, si, mutato uno patris nomine, loco:* Tempore quo præcellentissimus rex Lotharius, Ludovici filius, *etc. scribitur:* Tempore quo. . . Lotharius, Chilperici filius, *etc.: quæ mutatio quam facile ab amanuensibus, aut etiam error a scriptore non coævo admitti potuerit, nemo non videbit. Præterea omnino non constat verum hic obtinere lapsum, cum prologus ille:* Tempore quo Lotharius *latum tantum spatium indicare videatur, quo floruisset, ut reapse floruit, S.* Mummolinus *non secus ac alii multi Confessores; cum olim, scilicet tribus sæculis ante, Sancti, quos colimus, inter Christianæ fidei persecutiones cœlicam mererentur coronam. Quæ conjectura magnopere fulcitur, tum ex eo quod in Vitis recentioribus duo distinguuntur Lotharii, prior quocum S.* Mummolinus *multum egit initio vitæ suæ apostolicæ, posterior ad cujus* aures usque pervenit *ejus* fama, *cum in episcopum eligendus esset; tum ex ipso modo scribendi, quo utebatur Anonymus: ex prologo enim, qui in utroque Vitarum genere legitur, crederes*

(a) Réflexions sur les règles et l'usage de la critique, t. II, p. 16, dissert. IV, art. V. — (b) pag. 931 n. 13

S. Mummolinum

A *S.* Mummolinum *cum sociis ex Alemannia recta Gallias petiisse ad prædicandum; abest tamen : continuo quippe docebit ipse S.* Mummolinus, *regem alloquens, se, priusquam prædicationis munus obiret, plures annos Luxovii monachum egisse.*

et ex Vita S. Eligii desumptus est.

6 *Quod si originem inspiciamus istius prologi, qui excerptus est ex Vita S. Eligii* (*a*), *facile reperimus hæc ita a biographo intellecta fuisse. In hac scilicet Vita leguntur hæc, prologo illi omnino similia, verba :* Licet ei (*S. Eligio*) ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyris non amisit, quia pro spe æternitatis jugiter laboravit; verum si ei Neronianis Decianisque temporibus in illa, quæ tunc extitit dimicare congressione licuisset, securus dixerim, sponte equuleum ascendisset, et ultro se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupasset : sed quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium, dum fortitudine roboratus, in vigiliis sedulus, in jejuniis assiduus, fidem servando, cursum consummando repositam sibi a Christo justitiæ coronam quotidie expectabat restitui : tanquam speculator etenim a Domino constitutus, prædicabat verbum cum omni auctoritate.

B *Quæ verba cum biographus indubie præ oculis habuerit in scribendo prologo, fieri non potest, ut attexuerit S.* Mummolini *in Gallias adventum regno Clotarii tertii; nam cum citata verba in parte* I *libri* II *reperisset, paulo superius initio ejusdem partis* I *de S. Eligio legerat :* Fuerat quoque de temporibus Lotharii mediani (II) mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti inclyti principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. *Aliunde vero noverat S.* Mummolinum *solummodo postquam annos plurimos primum Luxovii, dein in aula regis, postea in ministerio sacro cum S. Audomaro, et tandem in Veteri Sithivensique monasteriis versatus esset, successisse S. Eligio, qui ipse initio regni Lotharii, filii Clodovei seu Ludovici, vita defunctus erat : quomodo ergo quis vellet biographum in prologo illo retulisse S.* Mummolini *accessum in Gallias ad hujus Lotharii tempora?*

Non solum Vitæ antiquiores, sed illæ ipsæ, quæ recentiores videntur, non tantum ad sæculum X,

C 7 *Utut id esse queat, certum est, quod annotare prætermisit Ghesquierus, ipsas Vitas, quas recentiores habemus, utpote stylo minus horridas, adjunctis quibusdam non rectis auctiores aliaque id genus, non tantum certum est, inquam, eas sæculo* X *exeunte antiquiores esse, verum etiam ad sæculum* VIII *forte, centum scilicet post S.* Mummolini *obitum annis, referendas videri. De monasterio nempe duodecim Apostolorum, a S. Godeberta quoque agnominato, juxta quod sepultus fuit noster antistes, agentes :* Quo in loco, *habent,* ad militandum Deo *et* Sanctis suis congregatio statuta est monialium. *Ast id cœnobium ante annum* 989, *quo Liudulfus, ab anno* 977 *Noviomensem cathedram occupans, supremum diem obiit, sanctimoniales non cepit, ut constat ex Guidone thesaurario apud Vassorium* (*b*) : Liudulfus adeptus est sedem pontificalis honoris, cui præsedit duodecim annis : auxit quoque bonis canonicorum Betonis Curtem in Noviomagensi pago, cum Atramentaria, et omni integritate, necnon et judiciaria potestate. Dedit etiam abbatiæ S. Godebertæ partem thelonei, quam jure episcopali tenebat, et alias necessarias res thelonei, unde solvuntur in festivitate Sanctæ Godebertæ decem solidi; ipsamque ABBATIAM postea per privilegium apostolicum USIBUS CANONICORUM, CUM OMNI INTEGRITATE, CONCESSIT. Hujus dies obitus non. Novembris habetur, et ante altare D Salvatoris in ecclesia S. Mariæ est sepultus. *Neque rediit deinceps idem cœnobium in monialium potestatem; sed penes sexaginta Noviomenses canonicos fuit, donec in parœciale templum mutatum est : qua de re consulenda est Gallia Christiana* (*c*) *et opus Colliette de Veromanduensi historia* (*d*).

sed ad sæculum VIII *referendæ videntur.*

8 *Verum et altius ascendere licet : Vitæ quippe omnes, rationem reddentes, cur S.* Mummolinus *extra Noviomi muros sepultus fuerit, hac aut simili utuntur locutione :* Quia vero civitas vivorum dicitur, non mortuorum, a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem, extra muros ante portam aquariam, in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum; *unde manifestum est has omnes Vitas conscriptas fuisse, priusquam mos obtineret sepeliendi intra urbium muros ipsos episcopos. Ignoratur quidem quo tempore hic mos Noviomum inductus sit; nam etsi constet Gislebertum Noviomensem præsulem anno* 782 *adhuc extra muros in SS. Apostolorum templo conditum fuisse* (*e*), *anno vero* 936 *Walbertum in dextera parte chori templi Noviomensis intra civitatis muros sepultura fuisse donatum* (*f*), *atque inde colligi possit hunc morem Noviomi anno* 782 *recentiorem et anno* 936 *antiquiorem fuisse, nihilominus sesquisæculum interlabitur, quo quid in hac re hic factum sit, ex certis monumentis manifestum non est. Verumtamen quam maxime probabile videtur Noviomenses cæteros imitatos fuisse, et proinde sæculo forte* VIII *exeunte* civitatem *non* vivorum *tantum, sed etiam* mortuorum, *episcoporum saltem,* dictam *fuisse. Et certe quis crediderit, auctorem ullum sæculo* IX *scripturum fuisse quæ in hac S.* Mummolini *Vita de sepeliendi more dicuntur, cum per plurima concilia expresse jam liceret reges, episcopos, abbates aliosque altioris subsellii viros iis in locis sepelire, in quibus antea vetitum esset? Præ cæteris de hoc usu adeundus est Selvaggius in Antiquitatum Christianarum institutionibus* (*g*). *In confirmationem autem hujus nostræ de vetustate S.* Mummolini *Vitæ opinionis veniunt et alia dicta, quæ in recentioribus Actis ita sonant :* Conditus est. . . miles Christi scilicet juxta monasterium (*de quo supra diximus*), quod jam dudum ad honorem duodecim Apostolorum a sanctissimis viris FUNDATUR; *quæ ultima vox significare videtur tempore S.* Mummolini *biographi ad perfectionem nondum deductum fuisse id cœnobium, quod primitus a S. Eligio conditum fuerat; et proin, quantum fieri* F *licet, approximanda est biographi ætas ad S. Eligii successoris tempus. Ex his itaque consequens fit, ut S.* Mummolini *Vitæ scriptor subæqualis dicatur, ejusque ne deseratur narratio, nisi manifestus ad id compellat error.*

S. Mummolini *gesta paucis exponuntur ex Breviario Boloniensi*

9 *Ut vero lector paucis sciat, quæ S.* Mummolini *admittenda videantur gesta, lectiones de hoc Sancto proferam, quæ olim in ecclesia cathedrali Morino-Boloniensi die* XVII *Octobris* (*dies enim* XVI *festo S. Wulfranni, et* XV *festo dedicationis ecclesiarum impediebatur*) *recitabantur : licet enim lectiones Tornacenses propius ad eas accedant, præferendæ visæ sunt Bolonienses, quoniam ob suppressionem episcopalis sedis interitioni magis obnoxiæ sunt.* LECTIO IV : Beatus Mummolinus Constantiensis, Luxovio, ubi diu (*aliquot annos*) monachi vitam egerat, digressus una cum Bertino et Bertranno in Galliam venit. Qui assidua verbi Dei prædicatione, vitæ ac conversationis puritate, tantam sui famam concitaverunt, ut Chlotario, qui tum apud Francos

(*a*) Lib. II, part. I, cap. III. Act. SS. Belgii select., t. III, p. 231. — (*b*) p. 732 citat. in Gall. Christ., t. IX, col. 993. — (*c*) T. IX, col. 1094. — (*d*) Mémoires pour servir à l'histoire du Vermandois, t. I, p. 520. — (*e*) Gall. Christ., t. IX, col. 978. — (*f*) Ibid., col. 991. — (*g*) Lib. II. part. I, app § III, t. III, p. 259. Edit. Mogunt.

rerum

A rerum poticbatur, facile innotescerent. A quo in aulam invitati, magnum in palatinis reliquoque populo, quos diu verbo excoluerunt et exemplo, fructum fecerunt. Ex quibus multos a terrenarum rerum curis, et amore sæculi avocatos, ad æternæ vitæ meditationem incitaverunt. Unde miro affectu amabantur a populo et honorabantur a clero.

quod præ cæteris

10 Lectio v. Verum Sancto Audomaro, sodali quondam suo, Morinis dato episcopo, rati, quod res erat, pro multitudine messis operarios illic esse paucos, ipsum adeundum statuerunt. A quo perbenigne suscepti, tamquam cooperatores cœlitus destinati in excolenda vinea Domini strenuam operam navaverunt. Confluentibus autem undique viris religiosis, cum monachorum habitacula ædificassent, Mommolinus a Beato Audomaro illis præpositus, exemplo magis quam verbo, suis ad studium perfectionis præire voluit. Nam post diuturna jejunia, vix pane hordeaceo, coque cineribus consperso, et aquæ potu lacrymis temperato, corpus reficiebat. De crastino numquam sollicitus, quidquid in stipendium prædicationis offerebatur, mox in pauperes erogabat. Infirmis undique ad se venientibus medelam adhibebat : leprosos non exhorrens, quorum
B ulcerosa membra balneis refovebat.

accurate ea exhibet,

11 Lectio vi. Interea Eligio Noviodunensi episcopo vita functo, Mommolinus ob insignem vitæ sanctimoniam, et romanæ teutonicæque linguarum peritiam, in locum ejus sufficitur, licet invitus, nec nisi præcepto. Magna sollicitudine ecclesiam Noviomensem, necnon alteram, quæ tunc conjuncta erat, Tornacensem viginti sex per annos administravit, nullis parcens laboribus, animarum juxta et corporum medicus; viduarum et inopum perpetuus patronus. Tandem mortem diu concupitam vicinam præsentiens, mandat corpusculum in communi cœmeterio (?) exiguo condi sarcophago. Ingravescente vero morbo, nec tum ab oratione, et divinæ laudis officio cessabat, donec sumpta Eucharistia, inter gratiarum actiones, et verba orationum, decimo septimo kalendas Novembris anni sexcentesimi octogesimi quinti (?), spritum exhalavit. Quem multis a morte miraculis Deus illustravit.

necnon ex synopsi MS., hausta ex Vita S. Audomari;

12 *Aliam S.* Mummolini *Vitæ synopsim, e MS. codice descriptam, edidit Ghesquierus. Hujus synopseos apographum correctius illo, quod laudato hagiographo præluxit, ad manum nobis est. Mentio in ea non fit de S.* Mummolini *commoratione in*
C *aula Clotarii, eamque propterea plurimis laudavit ille meus decessor; at cum in ea quoque omittatur S.* Mummolini *vita monastica, acta Luxovii, atque de duplici hoc facto in prima et tertia Vita S. Audomari, quas ad* ix *Septembris publici juris fecit noster Stiltingus, omnis quoque notitia desideretur, et cætera, quæ in synopsi sunt, præter hæc verba :* agente rege Lothario, *in Vitis S. Audomari multo latius explanentur, liquidum atque manifestum est abbreviatorem hunc unicis S. Audomari gestis usum esse ad laudandum S.* Mummolinum. *Porro en synopsis ista juxta melius ecgraphum; inscribitur* Vita S. Mommolini episcopi, *et sic sonat :* Beatus Mommolinus de civitate Constantia prope Renum originem duxit. Hic cum duobus aliis Bertino scilicet et Bertranno peregrinationem arripiens, tandem Sanctum Audo-
** lege* Qui marum episcopum apud Morinum adiit. Cui * cum eum una cum comitibus honorifice suscepisset, et eis ad quietius serviendum Deo monasterium construxisset, et Mommolino dicti loci regimen injunxisset, idque vir Dei per annos multos laudabiliter gubernasset et interea Sanctus Eligius ab hoc sæculo emigrasset, Mommolinus in Noviomensis civitatis episcopum, agente rege Lothario, subrogatus, ea quæ tale decet* officium excellenter exercuit et plebem sibi a Domino commissam rite rexit. Cumque dictæ civitati in episcopio xxvii * annis præfuisset, et obitum suum in spiritu prævidisset, admonuisset quoque suos ad observantiam cœlestium præceptorum, ac salutiferum corporis et sanguinis Christi viaticum accepisset, inter gratiarum actiones et orationes spiritum exhalavit, ac xvii kalendas Novembris ad superos evolavit. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, qui Sanctum suum in terra mirificavit, et in cœlo sine fine mirabilius glorificavit. Amen. *Inquisivit jam Ghesquierus quis hujus epitomes concinnator fuerit; idemque nosmetipsi fecimus; at operam nostram frustra collocatam fuisse cum laudato hagiographo fateri cogimur. Suspicatus ille fuit eamdem præluxisse Iperio, qui ante annum* 1383 *Sam-Bertinianum Chronicum conscripsit.*

D

* *sic in utroq. apog. lege* decent
* *melius in altero apog.* xxvi, *ubi contra deest* annis

quam Ghesquierus præluxisse credidit Iperio, de quo pauca animadvertuntur.

13 *At cum Iperii Chronicum sæpius in testimonium adhibituri simus, audiamus de eo Ghesquierum, in hæc disserentem verba :* « *Vidit quamdam* » *S.* Mummoliani *Vitam Joannes Iperius... eamque* » *authenticis scriptis annumeravit, prout videre est* » *in ejus prologo, tom. III Thesauri Anecdotorum* » *Martenei col.* 448, *ubi de laudato Chronico in* E » *hunc modum loquitur :* Præsens opusculum ex » multis voluminibus scriptisque authenticis grato » labore collegimus, sumendo de quolibet quod » ad propositum spectare visum est, nihil inse» rendo quod non AUTHENTICIS SCRIPTIS APPRO» BETUR. Collegimus enim ex legendis Sanctorum » Bertini, Audomari. . . Mommolini, et plurium » aliorum. *Verum an Sancti nostri Vita, quam* » *authenticam ipse vocat, sit ea ipsa antiquior* » (*synopsis scilicet*), *a qua præfata abest lacinia;* » *num contra interpolata, dubitare quis ex eo* » *posset, quod Iperius parte* v *col.* 458 *narret, Bertinum,* Mummolinum, *et Bertrannum venisse in* » *Franciam verbum vitæ seminantes, a rege Chlo*» *tario honorifice receptos, et post longum temporis* » *intervallum adiisse S. Audomarum, tunc Mori*» *nensem episcopum. Attamen cum hæc aliunde* » *haurire potuerit Iperius, nimirum ex ea S. Ber*» *tini Vita, quam post Mabillonium Cointius et* » *Pagius Folcardo tribuerunt, Stiltingus vero* » *compilatori cuidam anonymo; nihil credere vetat* » *S.* Mummolini *Vitam, quam Iperius authenti*» *cam vocavit, antiquiorem illam esse minimeque* » *interpolatam de qua supra egimus* » (*cum Ghe*F *squierus scilicet citatæ synopsis originem investigare voluit*). *In quæ verba annotandum prius, synopsim hanc post reliquas Vitas omnes inter authentica scripta referendam esse, cum ex S. Audomari Actis, ut diximus, luculenter desumpta sit; dein quod culpatur Iperius, non secus ac si dixisset S.* Mummolinum *venisse ad S. Audomarum, postquam jam pridem cum Clotario III egisset* (*nam quem Clotarium meminit Iperius, hunc satis audacter Clotarium III interpretatur Ghesquierus*) *eum sequenti* § *a crimine liberare tentabo. Verumtamen ii non sumus, qui ubique Iperii tueamur partes : nam, ut in Commentariis de S. Audomaro et de S. Bertino decessores nostri observarunt sæpius, hæsitat frequenter erratque in annis, quod summorum Pontificum et regum Francorum annos cum æræ Christianæ annis recte componere non novisset.*

§ II. S. Mummolini ortus; vita monastica acta Luxovii; prædicatio in Gallia, et

in

A

in aula Clotarii II; condit Vetus et Sithivense monasteria, quibus præficitur.

S. Mummolini *patria, tempus natale, monastica vita Luxovii acta.*

Jam *singula S.* Mummolini *gesta illustraturi, ab ejus ortus adjunctis exordimur. Porro eum in ipsa urbe Constantiensi, in Germania prope lacum Bodamicum seu Constantiensem sita, mundo editum fuisse, tradunt Acta ejus munuscripta, idemque SS. Audomari et Bertini Vitæ satis innuunt. Statuit Stiltingus* (*a*) *S. Bertinum, ejus sodalem, inter annum* 600 *et* 610 *fuisse natum; cui libenter assentior, ad annum tamen* 600 *magis quam ad annum* 610 *inclinans. Præterea* (*b*) *cum Cointio* (*c*) *eumdem Sanctum juniorem S.* Mummolino *facit; quod, cum ex universa horum Sanctorum vitæ serie absque dubio rectum sit, S.* Mummolini *natale tempus circa exiens sæculum* VI *ablegetur oportet. Hunc vero Sanctum ex tam nobili stirpe prognatum fuisse, ut* originalem nativitatis suæ lineam *coram Clotario II* reticuerit, ne recensendo prosapiam suam

B quolibet superbiæ fastu moveretur, *ex ejus Vitis MSS. colligere est. Ex iisdem fontibus novimus et ex Iperio eum sub S. Eustasio Luxoviensis monasterii abbate, Sanctique Columbani discipulo, vitam monasticam duxisse, atque adeo religiosæ vitæ ejus exordium statui debere aliquandiu ante annum* 625, *quo S. Eustasius, uti in hujus Vita* (*d*) *videre est, e vivis excessit. Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (*e*) *partim ex conjectura, partim nitens Vitis SS.* Mummolini, *Audomari et Bertini, affixit hoc exordium fini S. Eustasii vitæ; equidem animadvertens S. Bertinum Luxovium venisse, cum puer esset, nihil video quod obstet quin annus circiter* 614 *SS.* Mummolini, *Bertini et Ebertramni disciplinæ assignetur : atque his admissis nihil occurret, quod non tantum non pugnet cum S. Bertini Vitis et Iperii Chronico, verum etiam quod consonum non sit Vitæ S.* Mummolini, *ubi sic ad Clotarium II ipse S.* Mummolinus *loquitur :* A puero... regularem sub Sancto Eustasio abbate percurri vitam. *Quamdiu vero illic manserit Sanctus noster cum suis sociis, incertum est; ut ne ab his, quæ in S.* Mummolini *Vita innuuntur, discedamus, sufficit ut eos Luxovio aliquandiu ante annum* 628 *deducamus.*

C *Atque hic loci duo notanda sunt; prius scilicet, e tonsura bicorni aut hibernica, quacum S.* Mummolinus *in imagine ad calcem Commentarii edenda, depingitur, plurimum confirmari ejus commorationem Luxoviensem, et disciplinam moresque ecclesiasticos illic auditos atque susceptos; alterum, quod notatu dignum quoque est, S. Audomarum, quem jam nominavi et sæpius nominabo, eodem tempore, quo S.* Mummolinus, *Luxovii versatum fuisse, ut liquet ex ejus Vita ad* IX *Septembris edita, et ex prævio commentario Stiltingi* (*f*); *et proinde in quibusdam de S.* Mummolino *Officiis recte dici SS.* Mummolinum, *Bertinum et Bertrannum seu Ebertramnum contubernales fuisse S. Audomari, Luxovii degentis.*

Venit S. Mummolinus *cum SS. Ebertramno et Bertino ad Clotarium II ante annum* 628, *et ad S. Audomarum circa annum* 640,

15 *Verum jam hic adest unus e præcipuis, quibus S.* Mummolini *gesta intricantur nodis : quæritur nempe, quo tempore S.* Mummolinus *cum sodalibus Bertino et Ebertramno Luxovium reliquerit; utrum, relicto Luxovio, recta tetenderit ad S. Audomarum, an vero aliquandiu ante in Galliis concionatus* D *fuerit et in aula Clotarii II versatus; et tertio demum, an post navatam S. Audomaro operam et condita Vetus et Sithivense in Morinorum pago monasteria, in aula Clotarii III degerit. Stiltingus in commentario de S. Bertino* (*g*) *responum dedit ad triplex id quæsitum, statuitque, ut paucis ejus sententiam ex notis marginalibus explicem, Luxovio* Bertinum cum Mummolino et Ebertramno non ad prædicandum per totam Galliam, ut perperam aliqui scribunt,... nec tempore Chlotarii III, neque etiam Chlotarii II egressum esse, sed vocatum verisimiliter a S. Audomaro, ad quem cum sociis venit circa annum 638 aut 640 : *unde habemus, auctore Stiltingo, cui Ghesquierus consensit, S.* Mummolinum *anno circiter* 640 *Luxovium deseruisse, et recta perrexisse ad S. Audomarum; et quod ad tertium quæsitum pertinet, censet ibidem idem hagiographus Sanctum nostrum post duplex conditum monasterium in aula Clotarii III versatum esse. Equidem, cum horum assertorum probationes inquiro, invenio recte demonstratum adversus compilatorem anonymum Vitæ S. Bertini* (*h*), *pertinentem ad sæculum* XIII (*i*), *quod si S.* Mummolinus *versatus sit in aula Clotarii III, eum non continuo, post-* E *quam egressus esset Luxovio, tetendisse ad hanc aulam, quandoquidem Clotarius ille anno tantum* 655 *aut sequenti regnum adeptus est, dum scilicet aliquot jam annos in Veteri Sithivensique monasteriis degisset Beatus noster Confessor; at frustra plura, quæ de reliquis quæstionibus probata sint, ibidem investigo.*

ut aperte habent ejus Vitæ MSS. et Iperius,

16 *Ast anonymi illius compilatoris error nihil officit, quin adhærere possimus antiquissimis de S.* Mummolino *monumentis, seu etiam Chronico Iperii, qui eis consentaneus est. Hic autem :* Specialiter, *inquit* (*k*), Sancti Bertinus, Mommolinus et Bertrannus, tres viri cultores Sanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abscondere, vel sine lucro reportare, de Luxovio Burgundiæ monasterio venerunt in Franciam, verbum vitæ seminantes, et a rege Clothario sunt honorifice recepti, ac intra palatium regis cum summa diligentia subrogati. *Quæ verba quam erronee Ghesquierus* (*l*) *ab Iperio relata crediderit ad regnum Clotarii III, manifestum fit ex his, quæ in eadem jam pridem notaverat Stiltingus* (*m*) : Quæ anonymus *compilator Vitæ S. Bertini, inquit,* facta dicit sub Chlotario III, id est, multo serius quam ut sint verisimilia; hic F (*Iperius*) sub Chlotario II ponit; *et quidem Sam-Bertinianus chronologus ita ad Clotarii II tempora vergit, ut ad ejusdem regis imperium referat* ipsam etiam, *ut loquitur Stiltingus* (*n*), traditionem Adroaldi, quæ facta est anno 648, *quamque ille* mox tamquam anno 626 factam collocat. *De hac autem donatione quæ Sithivensi cœnobio initium dedit, dicetur inferius. Pergit autem Iperius, dicta sua potissimum ex S.* Mummolini *Vitis hauriens :* Post longum temporis intervallum Sanctum Audomarum tunc Morinensem episcopum, cujus compatriota atque consanguineus erat Beatus Bertinus, *adierunt* tam amore ipsius Sancti, quam quia patriæ linguam, utpote Teutonici, bene sciebant : quos Sanctus Audomarus suscipiens, suos in prædicatione statuit esse consortes. Subibant ergo officium legationis suæ labore prædicationis continuæ. *Huc usque Iperius; cujus itaque mens fuit :*

(*a*) Act. SS. Comment. de S. Bertino, num. 31, tom. II Sept., pag. 556. — (*b*) Ibid., numm. 35 et 67. — (*c*) Annal. Eccl. Francor. ad annum 633, § XIII. — (*d*) T. III Martii, p. 784. — (*e*) Act. SS., t. II Sept., numm. 34 et seq. — (*f*) Ibid., T. III Sept., p. 386, n. 14 et seqq. — (*g*) Ibid., t. II Sept., p. 557 et seq. — (*h*) Act. SS. Ord. S. Benedicti sæcul. III, part. I, p. 109. — (*i*) T. II Sept., p. 554. — (*k*) Thesaur. Anecdot. Martenne, t. III, col. 458. — (*l*) Act. SS. Belgii select, t. IV, p. 395. — (*m*) Act. SS. t. II Sept., p. 558. — (*n*) Ibid.

A *S.* Mummolinum, *cum sociis Luxovio egressum, divinum prædicasse verbum et ad aulam Clotarii II devenisse ante annum hujus emortualem* 628; *eos dein* post longum temporis *intervallum transiisse ad Morinensem episcopum Audomarum; ibique denuo concionibus habendis dedisse operam : unde non intelligo quo pacto stare possit hæc Stiltingi in citata Iperii verba criminatio :* Non difficulter, *inquit,* hæc refutari possunt, cum certo non venerint ante episcopatum S. Audomari, qui cœptus est sub Dagoberto et quidem circa finem vitæ Dagoberti, ut plerique existimant.... Quare propius ad verum accedit, quod ante dixerat Iperius part. II, Bertinum venisse in has occiduas Flandriæ partes (*ad S. Audomarum*) tempore Severini summi Pontificis, cujus pontificatus totus anno 640 innectitur a Pagio. Cointius ad annum circiter 639 eorum adventum collocat, quod item non longe a vero abesse existimo. *Ego vero nil video, quomodo secum ipse pugnet Iperius, cum S.* Mummolinum *ante annum* 628 *ad Clotarium II, et dein* post longum temporis intervallum, *seu anno* 640 sub pontificatu Severini *ad S. Audomarum*
B *ducit.*

aliis frustra aliam chronotaxim nectentibus:

17 *Quocirca nullam adesse rationem reor, quare repudianda foret S.* Mummolini *in Galliis et apud Clotarium II prædicatio, adstructa ab Iperio et in omnibus S.* Mummolini *Vitis; neque proin eam eradendam esse, ut eam reapse eraserunt ex Officio hujus Sancti, qui Breviarium Sant-Audomarense anni* 1785, *et Atrebatense anni* 1817, *hac in re Sant-Audomarensi simile, concinnaverunt, sic S.* Mummolinum *laudantes :* (*Luxovii*) mox adeo virtutibus suis claruit, ut ad sacerdotium fuerit evectus, et ad ministerium Euangelii omnium votis destinatus. Jam prædicandi Euangelii causa cum sociis suis erat profecturus ad Rhenum, cum statim mutato consilio iisdem comitantibus ad Sanctum Audomarum Tervannorum episcopum ire decrevit. Ab eo benigne exceptus.... *Licet Stiltingi auctoritas ad hæc conscribenda nonnihil forte valuerit, abest tamen quin in omnibus eis consentaneus sit : quid enim senserit de prædicatione S.* Mummolini *et sociorum sequentibus explanat in laudato Commentario de S. Bertino* : Nihil credimus, *inquit,* de adventu Sanctorum illorum ad Clotarium aut ad ejus aulam, nihil de discipulis, qui se eis junxissent, priusquam ad S. Audomarum pervenerant.
C Verumtamen, cum scriptores ordinem rerum sæpe perturbent, fortasse S. Mummolinus vocatus fuerit ad aulam Clotarii III, antequam creatus est episcopus Noviodunensis : quæ autem dicuntur de prædicatione, et de discipulis ad Sanctos hosce confluentibus, verissima sunt, si facta credamus eo tempore, quo populum pagi Morinensis cum S. Audomaro excolebant : atque eo etiam tempore quidam e proceribus palatinis ad eos subinde venire poterant. *Quibus suspicionibus ita suffragatur Ghesquierus* (*a*), *ut tamen eas aliunde confirmatas vellet. Verum præterquam quod historica monumenta, quæ manifesta fraude non laborant,* (*qualia sunt S.* Mummolini *Vitæ,*) *incertis conjecturis prævalere debent, equidem non reperio aptum temporis intervallum, quo S.* Mummolinus *versari potuisset aliquandiu in Clotarii III aula, postquam circa annum* 640 *ad S. Audomarum venisset : ut lector ipse facile intelliget, cum ad alia ejus gesta stylum transtulerimus. Atque ex his manifestum satis est, quid ad tria quæsita, num.* 15 *proposita, respondendum esse ducam : aliquanto scilicet tempore ante annum* 628, *quo Clotarius obiisse vulgo statuitur, Luxovio egressus erit S.* Mummolinus; *cum vero euangelizandi munus perbene obiret, aliisque præcelleret dotibus, in aulam suam et familiaritatem, quin etiam in sigilli sui custodiam eum evocaverit Clotarius II; quo demortuo, adhuc decem aut duodecim circiter annos verbum Dei populo prædicaverit, donec circa annum* 638 *aut* 640 *perrexit in diœcesim Morinensem ad S. Audomarum; a quo cum ipse et sui socii benigne suscepti fuissent,* subierint, *ut loquitur secunda Vita S. Bertini a Stiltingo edita,* officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.
D

quoniam neque gravis S. Bertini senectus, neque brevitas Luxoviensis commorationis nihil hic probare valent.

18 *Huic chronotaxi binæ tantum opponi posse argumentationes videntur : prior est, biographos S. Bertini, qui ejus annum emortualem assignare tentarunt, statuisse eum vita functum esse anno* XV *regni Childeberti, qui annus Christi* 709 *est; Stiltingum* (*b*), *auctoritati Folquini, Sam-Bertinianas chartas perlustrati, innitentem, eamdem sententiam* (*cui libenter ipsi subscribimus*) *probasse; atque inde consequens fieri S. Bertinum annos circiter* 109 *vixisse, cum eum ante annum* 628 *in aula Clotarii II cum S.* Mummolino *versatum fuisse dicamus, atque tum ei* 25 *aut plures anni ætatis assignandi sint : porro si displiceat consequens, displicere quoque*
E *oportere propositiones præmissas, quarum una est hæc ipsa in aula Clotarii II commoratio. Verum antiquiores historici omnes in longævitate S. Bertini, quem* 112 *annos vixisse volunt, adstruenda consonant, ut in sæpius laudato Stiltingi commentario* (*c*) *late videre est; atque ipse* § XII *ad finem sic concludit :* Solum de ætate mihi dixisse sufficiet, Sanctum vixisse usque ad ætatem omnino decrepitam, quæ a centum annis non longe abesse potest, et hosce etiam superare : defunctum vero esse annis fere septuaginta post primum adventum ad Sanctum Audomarum et constructionem primi monasterii. *Quibus si addas tanta senectute involutum fuisse S. Bertinum, ut Rigoberto, et dein Erlefrido vicariis in regimine usus fuerit, non jam erit cur displiceat ætas* 109 *circiter annorum. Altera, quæ præmissæ chronotaxi opponi posset argumentatio, ex eo petitur, quod brevius tum foret tempus, quod S.* Mummolinus *cum sociis versatus fuisset Luxovii, ubi sanctis disciplinis vacasse videntur. Simile quid innuit Stiltingus* (*d*), *culpans Cointium, quod intra sexennium eorum Luxoviensem commorationem circumscripsit, atque hoc proponit argumentum :* Sane
F tempus sex annorum, quo se in monasterio pararent, justo brevius apparet, cum verisimile sit Bertinum aliosque juvenes fuisse, quando Luxovium venerunt. *Verum animadvertendum est id temporis monachos, Anglos saltem et Hibernos, ineunte juventa sacro diaconatui initiatos esse; cujus assertionis testis est ipse Venerabilis Beda, anno* 19 *ætatis diaconus factus, et anno* 30 *presbyter. Cum itaque Luxovio exierunt, potuit solus S.* Mummolinus, *maximus natu, sacerdos fuisse, Sancti vero Bertinus et Ebertramnus tantum diaconi. Cæterum viros apostolicos adjuvare, nonne laudabilis ad sacerdotium præparatio? Præterea de S. Bertini sacerdotio mentio tantum fit, cum jam aliquandiu monasterio Sithivensi præfuisset. Cæterum sex illi a Cointio excogitati anni, facile duplo aut triplo auctiores fieri possunt, quin ulla turbatio chronotaxi nostræ invehatur, cum S.* Mummolinus, *ut ipse in sua Vita Clotario narrat, et S. Bertinus, ut ex gestis ejus satis quoque elucet, a prima pueritia aut certe adolescentia Luxovium incoluerunt; quo si advenerint anno* 614, *sufficiens superest intervallum antequam*

(*a*) Act. SS. Belgii select., t. IV, p. 396, num. 5. — (*b*) Act. SS., t. II Sept., p. 580. — (*c*) Ibid., p. 579. — (*d*) Ibid., p. 557.

A *Clotarius II diem obierit. Sed de his satis : jam ad reliqua S.* Mummolini *gesta progredimur.*

Postquam in agro Morinensi aliquod tempus concionatus est S. Mummolinus, *circa annum 640 condit Vetus monasterium,*

19 *Quæ ad finem num.* 17 *memorata fuit prædicatio,* parvum *tantum* temporis spatium *duraverit oportet. Antiquissima enim Vita S. Bertini* (*a*) *hæc testatur :* Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice recepit, immensasque omnipotenti Domino gratias agens, qui tales sibi ad prædicandum euangelium adjutores deduxit. Erant enim præfati viri in fide perfecti catholica, et in ecclesiasticis disciplinis, atque in divina Scriptura eruditi, *quas nempe primum, ut notavit Ghesquierus* (*b*), *sub S. Eustasio abbate Luxoviensi, et uno aut altero forte dein anno sub Walberto S. Eustasii successore discere potuerant. Porro sic pergit S. Bertini biographus :* Parvo post hæc temporis spatio transacto, S. Audomarus cum prædictis viris, divina stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei fundare nomine. Ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum... Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis, ut monachorum habitaculum ædificarent, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus atque Bertinus
B cum cæteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare cœperunt, quod usque hodie Vetus vocatur monasterium. *Ex Iperio vero* parvum *illud* temporis spatium *intra unius anni limites concludendum est, siquidem* (*c*) *S. Bertini* adventum in occiduas Flandriæ partes, *et* (*d*) *constructionem Veteris monasterii pontificatui Severini, qui tantum anno quadragesimo post sexcentesimum Romæ sedit, assignet : quod Stiltingus in commentario* (*e*) *de S. Bertino libenter admittit. Verum cum idem hagiographus S.* Mummolini *adventum anno circiter* 638 *aut* 640 *affixerit, magis vagum reliquit tempus, quod S.* Mummolinus *extra Vetus monasterium populo docendo impenderit. Et quidem cum Iperius frequenter in annis hæsitet atque adeo erret, et præter ejus testimonium nulla ratio me ad dissentiendum a Stiltingo impellat, libenter subscribo hujus calculo, bonis rationibus stipato.*

in quo abbatis titulum non gessisse videtur,

20 *Porro Vetus monasterium, circa annum* 640 *exstructum, uno circiter milliari ab Audomaropoli exstitit usque ad annum* 1497, *quo simul cum suis officinis inter bella Gallorum atque Anglorum combustum fuit. Constabat autem illud asceterium ex ædicula et cella, ut habet Iperius; et sæculo* XIII *in*
C *Vita S. Thomæ Cantuariensis, illuc profugi, quam scribi jussit Gregorius Papa XI et Chistianius Lupus edidit, vocabatur* (*f*) locus abditus, aquis septus, qui ab incolis dicitur Aldemunster, quondam scilicet eremitorium Confessoris Bertini; *et similiter ab Iperio in Chronico sæculo* XIV *nuncupabatur* quasi eremitorium. *Atque huic per S. Audomarum præpositus fuit S.* Mummolinus, ac verisimiliter idcirco, *inquit Ghesquierus,* quod duobus sociis præfuisset a tempore, quo ex Luxoviensi monasterio simul discesserant, iisque esset et ætate et vita monastica senior. Censet tamen Stiltingus, Mummolino, tametsi superior et quasi pater aliorum esset, non tamen abbatis titulum fuisse concessum. *Attamen laudatus hagiographus hunc abbatis titulum S.* Mummolino, *in Veteri monasterio degenti, raptim tantum sine argumentis num.* 67 *sæpe citati commentarii negavit; quare auxiliariam manum protendens, Ghesquierus hæc confirmavit scribens :* Quod facile D crediderim, cum nuspiam hunc titulum Sancto nostro in Veteri monasterio degenti concessum inveniam.

ut triplici argumento explicatur;

21 *Equidem aliis argumentis inductus, S.* Mummolino *in Veteri monasterio versanti abbatis titulum denegandum esse autumo. Primo enim, non sine ratione Iperius Vetus monasterium nuncupavit* eremitorium; *nam in Vita S.* Mummolini, *quam antiquissimam habemus, hæc occurrunt :* Postquam vero aliquantulo temporis spatio sancti athletæ Mommolini sanctorumque sociorum Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consocietate, (*S. Audomarus*) VOLENS EOS ULTERIUS AB INVICEM SEPARARI in eadem, quam ei Adrawaldus dederat hæreditate, ad libitum suum cœnobiale fratrum concessit eis monasterium ædificare. *Jam vero viris eremiticam vitam agentibus, aut* a se invicem separatis, *non abbas aliquis, sed vix superior necessarius erat. Secundo, omnes S.* Mummolini *Vitæ, quæ clare atque manifeste duplicis monasterii meminerunt, similiter antiquissima Vita S. Bertini, aperte innuunt, novam præposituram S.* Mummolino *collatam fuisse in Sithivensi monasterio; cum hæc aut similia asserunt :* Confluentibus undique religiosis E viris ad prædictos Dei famulos, Beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum. *Unde consequens est, antea S.* Mummolino *abbatialem non fuisse potestatem, quæ tum solebat esse perpetua. Tertio, in charta traditionis Adroaldi, quæ integra legi potest apud Stiltingum* (*g*), *apud Miræum* (*h*), *in Gallia Christiana* (*i*), *apud Cointium* (*k*), *apud Brequigny* (*l*), *qui eam publicavit partim ex autographo, partim ex chartulario* X *sæculi* (*m*), *apudCl. Guerard ex eodem chartulario* (*n*), *et cujus pars edita est in Dissertatione de origine monasterii S. Bertini* (*o*), *et in ejusdem operis confutatione* (*p*), *hoc exordium exstat :* Dominis sanctis patribus * Bertino, Mommoleno, Ebertrando, ego in Dei nomine Adroaldus, *etc. Novi quidem vulgo consentire criticos in hoc exordio a Folcuino corrupto dicendo,* (*nam initium autographo deest* (*q*)) *eosque statuere* Mommolinum *ante* Bertinum *legendum; verum id quoque persuasum esse debet monachos Sam-Bertinianos numquam immutaturos fuisse hoc pacto hujus chartæ initium, si ullo titulo S.* Mummolinus *a sociis distinctus fuisset. Quis vero crediderit omnem titulum abfuturum fuisse, si S.* Mummolinus *gestasset abbatiale pedum, cum hoc confectum* F *est diploma, scilicet priusquam ad Sithivense monasterium transmigrasset? Ex his præterea intelligitur Vetus monasterium istis temporibus habitaculum tenuissimi momenti fuisse.*

* *alii legunt* presbyteris : *sed male*

octo aut decem annis post, Deo duce, ut quidam voluere,

22 *Cum Stiltingo num.* 53 redeo ad ordinem gestorum : . . . In eo loco paucis morantes annis, octo forsan aut decem, non vero annis quatuordecim, quantum apparet, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. Ratio mutandi loci fuit, quod crescente monachorum numero, prior locus nimis esset angustus; quodque Adroaldus jam permotus esset a S. Audomaro, ut bona sua sineret impendi, novaque donatione traderet ad monasterium istud (*Sithivense*) ædificandum ac censu congruo stabiliendum. *Cum vero de eligendo apto loco ageretur, Dei numini negotium creditum fuisse nar-rant tres S.* Mummolini *Vitæ, quæ in lectiones distri-*

(*a*) Act. SS., t. II Sept., p. 587.—(*b*) Act. SS. Belgii select., t. IV, p. 395. — (*c*) Thesaur. Anecdot. Martenne, t. III, col. 451, cap. I, part. II. — (*d*) Ibid., col. 458 et seq., cap. I, part. VI. — (*e*) Act. SS., t. II Sept., p. 559, num. 48. — (*f*) Christ. Lupi Oper. Omn., t. X, p. 24, lib. II, cap. V. — (*g*) Act. SS., t. II Sept., p. 560. — (*h*) Lib. I Donation. piar., cap. III. — (*i*) T. III, col. 109. inter instrumenta. — (*k*) Annal. Eccles. Francor. ad annum 648, § XXX. — (*l*) Diplomata, etc., ad res Francicas spectantia, t. I, num. CXII, p. 203. — (*m*) Ibid. prolegomen., p. LXXII et seq. — (*n*) Cartulaire de l'abbaye de S. Bertin, p. 18. — (*o*) Dissertat. hist. et crit. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 3 et seq. — (*p*) Vérité de l'hist. de l'Église de S. Omer, p. 77.—(*q*) Brequigny et du Theil Proleg. LXXIII.

butæ

A *butæ non sunt; tres vero aliæ, quæ divini Officii pars fuerunt, narrationem hanc omittunt; quæ omissio an simpliciter brevitatis causa obtineat, definire non audeo. Attamen hæc eadem narratio occurrit in Vita antiquissima S. Bertini, aut* (*quod idem est, quoniam Vita S. Bertini illigabatur Vitæ S. Audomari*) *in Vita S. Audomari, et verba Vitæ S.* Mummolini *eadem hic fere sunt ac in Vita SS. Audomari et Bertini; unde patet hanc laciniam ex una in alteram relatam fuisse. Præterea in Proludiis quæ ex codice Sant-Audomarensi præmisit Cl. Guerard Sithivensi chartulario, et in quibus SS. Bertinus et Ebertramnus S.* Mummolini subjugales *perhibentur, hæc concinuntur :*

Angelico remigio
Ductus est huc navigio;
Adversos fluctus superat,
Ad locum quando properat
Bertinus, quem elegerat
Dei Providentia.

Quo vero tempore Sithivense monasterium constructum fuisse censendum sit, ex præmissis liquet : Veteris enim monasterii constructionem cum Stiltingo ad annum 640 *retulimus; cui tempori si octo aut*
B *decem superaddantur anni, quos in Veteri monasterio commorati fuerint S.* Mummolinus *et socii, annus* 648, *aut* 650 *assignandus erit, ut tempus quo Sithivense monasterium, dein monasterium S. Bertini nuncupatum, inchoatum erit. Hæc chronotaxis discedit a supputatione, quam Mabillonius et Cointius secuti sunt; quin etiam a calculo Auctarii Sithivensis Chronici Sigiberti Gemblacensis, ubi fundatio hujus monasterii ad annum* 640 (*a*) *refertur, et ab ordine temporum assignato ab Iperio,* (*si annos spectes,*) *qui Vetus monasterium anno* 626, *Sithivense anno* 640 *ædificatum fuisse statuit; quibus addendi sunt Cl. V. Emmanuel Wallet ejusque socii, qui, anno* 1834 pristinæ Abbatiæ S. Bertini descriptionem *publici juris facientes, Iperio adhæserunt. Verum variæ hæ chronotaxes ita a Stiltingo dirutæ fuerunt in suo de S. Bertino commentario, ut nonnemo forsan mirabitur eas resuscitatas fuisse a perdoctis viris, qui hac Stiltingi lucubratione usos se fuisse testantur* (*b*). *Attamen excusationem eruere eis licet ex laudibus, quas Martennius, Iperii editor, hujus annalistæ Chronico præfixit; sed laudes illas exaggeratas esse, et Iperium in annis continuo errare,*
C *quoniam male annos Christi cum annis regum componeret,* § III *citati commentarii patefecit laudatus hagiographus. Verumtamen, quod errores Iperii multum minuit, plerumque juxta annos alias notas chronologicas ponit. Cujus rei specimen superius jam dedimus; en aliud simile, quo proposita a nobis chronotaxis non nihil firmatur; parte scilicet* VI, *cap.* I § 3 (*c*) *annectit Iperius S.* Mummolini *ad Sithivense monasterium adventum tempori, quo* præsidebat tunc Ecclesiæ Dei Martinus Papa primus. *Verum hic non ab anno* 640 *sedit, sed, ut in Propylæo Maii* (*d*) *videre est, anno tantum* 649 *ordinatus fuit. Quod mirum est, Martennius in notis mutat pontificum et regum nomina, ut numeros annorum, absque dubio perversos, servet intactos.*

condit Sithivense monasterium in loco, qui, qualis tunc esset, hic describitur ex recenti opere de abbatia S. Bertini,

23 *Rationem vero mutandi loci assignavit superius Stiltingus ex* (*e*) *Iperio, et sæpe citatis SS. Audomari, Bertini et* Mummolini *biographis, dicens eam Veteris monasterii angustias fuisse pro numero confluentium monachorum. Aliam præterea, inter multa scitu digna, assignant prælaudati abbatiæ S. Bertini descriptores : qui cum plerique indigenæ et antiquitatis studio polleant, in pretio habenda sunt eorum* D *dicta; quæ ita latina facio* (*f*): Mummolinus, Bertinus et Bertrandus prius sedem suam fixerunt in colle, qui inter monthes Sithiu et Watten ad latus fluvii Agnionis (*gallice* Aa) assurgit, atque etiamnum tumulus seu clivus S. Mummolini (*Motte de St. Mommelin*) audit. Quod ibi fundaverunt eremitorium, brevi in monasterium excrevit. Monachorum multitudo atque loci insalubritas coegerunt S. Bertinum ejusque socios aptiorem sibi quærere sedem; cujus electionem crediderunt Dei providentiæ. Navicula eorum temere sulcabat stagnum, aquis Agnionis, quas maris fluctus refundebant atque propulsabant, impletum. Erat autem hoc stagnum pristini Sithivensis sinus reliquiæ et imago. Cum enim Agnionis alluvio et palustrium silvestriumque germinum putrida agglomeratio (*tourbes*) hujus sinus fundum altius eduxissent, perrexit fluminis cursus verberari æstu maris, terras per fretum Watten ultra montem Sithiu incurrentis. Qui rerum status duravit donec cataractæ ad mare sunt constructæ, et fluvius Agnio ejusque brachia in canalem versa sunt. Antequam vero Agnionis alveus hydraulico opere immutatus fuisset, serpebat ille fluvius aut
E rivus in valle Arquensi et in plura dividebatur brachia, quibus nomen erat Meldick. Ad vallis fauces confluebant hi rivuli, et ad collem Sithiu, inter paludes, quibus hodiernum nomen de Lizel atque de Magdalena est, prolabebantur. Ad extremum hunc collem aut linguam, rectum cursum rumpebat Agnio, denuo discerpebatur in plures rivulos qui, paludibus de Lizel et Alti-Pontis dissectis, prope hodiernum S. Mummolini fanum aquas iterum miscebant suas. Circa eumdem locum (*ad Collem Sithiu*) affluebat in Agnionem rivulus, hodie S. Clara dictus, aquas devehens exiguarum vallium, quæ inter montes a S. Michaele et *des Cravates* nuncupatos jacent. Verisimile est S. Bertini naviculam hæsisse, et sæculo VII pristinum Sithivense templum ædificatum fuisse in interno angulo horum confluentium, in æstuario aut aggestu limi, locum refluæ aquæ occupante, atque naviculam vi æstus stetisse.

quod, utut egregium, nævos tamen aliquot admisit.

24 *Egregiis his topographicis disquisitionibus unum alterumve adspersum errorem non corrigere mihi nefas est. Fieri non potest ut eremitorium a S.* Mummolino *exstructum suis temporibus atque brevi in monasterium excreverit; sed id tardius factum sit* F *oportet. Nam præter ea quæ num.* 20 *hac de re jam diximus, hæc aut similia fundationi monasterii Sithivensis, non Veteris, quinque S.* Mummolini *Vitæ subdunt :* Beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum; SIQUIDEM EX EO TEMPORE INITIUM PARVÆ RELIGIONIS SUMPSIT. *Unde colligitur* Vetus monasterium *non ideo hoc sortitum esse nomen, quod tempore S.* Mummolini *jam monasterium proprie dictum, et non* quasi eremitorium *foret; sed quod* vetus *habitatio esset Sithivensis monasterii fundatorum. Quæ, si expendantur litteræ donationis Adroaldi, de quibus dictum jam est, non nihil confirmari queunt. Alter error in eo est, quod Bertino, non* Mummolino, *ut reliquorum præposito, Sithivensis monasterii construendi cura assignari videtur. Petitur hic error ex Iperio, recentiores S. Bertini biographos secuto, quos omnes late jam castigavit Stiltingus. Quæ vero de insalubritate Veteris monasterii, in rationem mutandæ sedis assignata asseruntur, nescio num strictum patiantur examen. Nam ex ipsa præmissa descriptione loci, ubi Sithi-*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 442. — (*b*) Description de l'abbaye S. Omer, p. 6.— (*c*) Thesaur. Monument. Martenne, t. III, col. 460. — (*d*) p. 100. — (*e*) Act. SS., t. II Sept., p. 561, n. 53.— (*f*) Vide p. 6 et seq. et 14.

vense

A *vense monasterium conditum fuit, liquet hunc locum tam malignis vaporibus obnoxium fuisse quam Vetus monasterium, in clivo positum. Constat præterea monachos olim non semper salubrium locorum fuisse sollicitos : nam quid hac de re sentiret S. Bernardus, monachos suos ægrotare gaudens, ex obviis hujus Sancti Vitis innotescit. Verum hæ noxulæ facile redimuntur topographicis vere doctis annotationibus, quibus imprimis intelligitur, quomodo navicula adversum fluvium subire potuerit (inferius est enim Vetus monasterium), quin remigio aut velis opus fuerit : præ maris æstu scilicet id factum fuisse liquet.*

In Sithivensi S. Petri, dein S. Bertini, monasterio sancte cum suis sociis vivit Mummolinus;

25 *Cum itaque S.* Mummolinus *ad locum, ubi brevi monasterium de Sithiu et postmodum juxta illud Audomaropolis surrexit, pervenisset, sensit necesse esse hunc locum altius educere, et aggestum arenæ limique operoso labore adaugere. Hæc saltem, inter alias sat bene fundatas suspiciones, conjiciunt Sam-Bertiniani descriptores. Prout Adroaldus in charta amplissimæ suæ donationis jusserat, exstructo monasterio impositum est nomen* S. Petri, principis Apostolorum; *quod deinceps post mortem S. Bertini, in nomen hujus Sancti, quo jubente templum ædificatum fuerat, et cujus præcipuæ Reliquiæ illic servabantur, mutatum fuit. Porro, ita loquitur Ghesquierus,* « in hoc Sithiensi S. Petri cœnobio fervebat, » *uti Cointius* (*a*) *refert,* sacræ religionis cultus » sub abbate Mummolino, cujus disciplinæ nume- » rus monachorum haud parvus se jam addixe- » rat. » Dies hic, *prout e manuscripta S.* Mummolini *Vita collegit Malbrancquius* (*b*), partim psalmodia piisve commentationibus, partim codicibus evolvendis transigebatur. Quæ refocillando corpori alimenta tempusve insumebantur, erant perexigua : mensa sæpius nullo pene obsonio condita, quandoque nil nisi extrema vitæ subsidia panem et aquam cernebat. Non quod facultates facultasve se pinguius habendi deessent, (quippe affatim jam vidimus sese Adroaldi munificentiam effundentem); sed cum rigidæ disciplinæ essent principia posituri, hujusmodi abstinentiam sibi imperabant : necnon etiam toti pauperum et peregrinorum alimoniæ studentes, sua sibi detrahebant. *His subdit Malbrancquius eamdem Vitam stylo suo reddens :* Post longas inedias (Mummolinus) novam adinvenit stomachum exsaturandi rationem, pane scilicet ordeaceo, eoque cinere commixto et aqua lacrymis temperata. Egenis non solum manu divite, sed etiam

B

C medica mirifice profuit; sive enim purulenti, sive gravioribus aliis ægritudinibus detenti accederent, primum in genua procumbere, utramque salutem homini ardentissimis precibus implorare, dein curare ulcera protinusque persanare; sic ut certior foret quisque notis inemptisque remediis, quam in medicorum fide iniquissimam mercedem ex supervacanea curationis mora captantium. Nec vero euangelicum opus abjecere; ac præsertim Mommolinus : ea enim mens erat Audomari (qui hominem ad altiorem ecclesiæ gradum præsagiebat quodammodo evehendum) ut ad vicinum maxime, quem quasi e cunis susceperat, gregem corroborandum excurreret. *Hactenus Ghesquierus ex Malbrancquio; cui an S.* Mummolini *Vita similis illis, quæ aut apud nos aut in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi exstant, an vero alia præluxerit, non habeo quod edisseram. Utut sit, probabilis mihi est memorata superius ab eo solers codicum lectio; nam licet de hac lectione Vitæ mihi cognitæ omnino silent, vivendi norma, quam Luxovii secutus erat S.* Mommolinus, *plurima in promovendis studiis erat.* D

vitam apostolicam cum cœnobitica conjungens sub regula S. Columbani.

26 *Cæterum Malbrancquii dicta ad tempus illud respiciunt, quo* Mummolinus *cum sociis euangelicum opus potissimum navabat, et ad Audomari gregem erudiendum ac corroborandum excurrebat frequens; nam uti Cointius* (*c*) *recte observat :* Condito. . . cœnobio, vicum hi Sithuensem cum sociis incoluerunt præcipue, sed euangelium per totam diœcesim Morinensem annuntiare non destiterunt. *Hæc scilicet facile ex S.* Mummolini *Vitis erui possunt, cum hæc præcipua S. Audomari mens in eis advocandis aut admittendis fuerit, neque Luxoviensis regulæ institutum, quod sine dubio sequebantur, sacro ministerio repugnaret, quin potius omnino ei faveret, ut bene noverunt eruditi potissimum ex Vita S. Eustasii. Quod vero Luxoviensem seu S. Columbani regulam memini, non est cur disputem, quamdiu hæc in Sithivensi monasterio in usu fuerit; nihil hac de re tradit Iperius, aliusve mihi notus. Controversia vero de tempore, quo S. Columbani regula cum regula S. Benedicti prorsus confusa est, atque alia hujusmodi notiora sunt, quam ut ea latius commemoremus. Notabile tamen est tonsuram S. Bertini,* E *cujus vetustissima, non tamen coæva, imago a Mabillonio in annalibus ad annum* 675 § LVI *edita fuit, Benedictinam aut Romanam esse, non Luxoviensem aut Scoticam, qualem ibidem gestat S.* Mummolinus.

Abbas Sithivensis fuit S. Mummolinus,

27 *Neque dubitavimus ubique istis gerendis præponere S.* Mummolinum, *cum ejus Vitæ omnes, non secus ac Vita antiquior S. Bertini,* nemini, *ut loquitur Ghesquierus* (*d*), suspecta, *similiter altera S. Bertini, et plures Vitæ S. Audomari, citatæ in commentario canonicorum Sant-Audomarensium* (*e*) *et a Stiltingo* (*f*), *atque adeo Officium S.* Mummolini (*g*), *anno* 1723 *in usum Sam-Bertinianensium typis editum, in id adstruendo consonent; præterea in privilegio Clodovei, anno* 691 *concesso* (*infra id edemus*) *vocatur S.* Mummolinus antecessor S. Bertini. *Quocirca Ghesquierus, qui satis tamen habuit S.* Mummolini *solummodo et antiquiorem S. Bertini Vitam citare, fatetur* (*h*) *se non satis mirari posse, Mabillonium et Dionysium Sammarthanum,* (*quibus auctor dissertationis de origine abbatiæ S. Bertini* (*i*), *et nuper Cl. V. Guerard in Chartulario Sancti Bertini* (*k*) *adhæserunt*), *S.* Mummolino *abjudicasse præfecturam Sithivensis monasterii, eique forte liberalius quam par est, tribuisse abbatialem dignitatem, cum Veteri præesset monasterio seu eremitorio.* « *Unum hic, ut disserere pergit Ghesquierus, suffe-* » *cerit Mabillonium de abbatiali S.* Mummolini » *dignitate loquentem audire :* Veteri monasterio, » *inquit* (*l*), præfectus abbas Mummolenus seu » Mummolinus, novo Sithiensi monasterio Berti- » nus : quæ res non satis animadversa auctores in » varias distraxit sententias, aliis Mummolinum » abbatem Bertino præferentibus, aliis postponen- » tibus, aliis denique ex albo Sithiensium abbatum » omnino expungentibus, ut primum Bertino lo- » cum tribuant. Mummolini itaque abbas fuit pri- » mus imo et unicus Veteris-monasterii, quod no- » men S. Mummolini hactenus retinet; Bertinus » novi post annos quatuordecim a constructione » Veteris-monasterii; cum scilicet Mummolinus » defuncto S. Eligio in sedem Noviomensem subro-

F

(*a*) Annal. Eccles. Francor. ad. annum 652, § VI. — (*b*) De Morinis, tom. I, p. 327. — (*c*) Annal. Eccles. Franc. ad annum 652, § VI. — (*d*) Act.. SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (*e*) Vérité de l'hist. de l'eglise de S. Omer, p. 4 et 15. — (*f*) Act. SS., tom. III Sept., p. 399 et 409. — (*g*) Vérité de l'hist. de l'Eglise de S. Omer, p. 16.— (*h*) Act. SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (*i*) Dissert. histor. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 45 et seqq. — (*k*) Prolegom., p. XXXIV. — (*l*) Annal. Benedict. ad annum 648, t. I, p. 401.

A » gatus est. *Eamdem esse sententiam Dionysii Sammarthani, observat* (*a*) *Stiltingus, nec inficiatur speciosam videri qualemcumque conciliationem illam variarum opinionum; sed eam videri sibi non congruentem ullis antiquis monumentis, imo omnibus fere repugnantem, adeoque et a veritate aberrantem; id quod evincit cit. pag.* (*b*), *cujus verba hic subdo :*

ut adversus antiquiores et recentiores

28 » Primo, *inquit,* huic opinioni repugnant Vitæ S. Audomari et S. Mummolini jam laudatæ. Primæ Vitæ auctor nequit merito esse suspectus, quia reliquis est antiquior, et de S. Bertino magis scripsit quam de Mummolino; secundæ auctor primum fideliter secutus est, et nonnulla magis exposuit. Aliæ quoque S. Audomari Vitæ prædictis consonant, sed eas adducere non est necesse. Jam vero ex his verbis habemus, Mummolinum fuisse primum abbatem secundi seu Sithiensis monasterii; adeoque illud esse constructum diu ante annum 662, cum Mummolinus ab anno 659 fuerit episcopus. Secundo ipsæ Adroaldi litteræ satis innuunt, donationem fuisse factam, ut construeretur novum monasterium Sithiense; sic enim habent : *ut ubi monasterium*

B » *in honore Petri, principis Apostolorum, construere debeatis, ad conversandum monachis.* Nullus e Vitæ scriptoribus dixit, Vetus monasterium fuisse constructum in honorem S. Petri. De novo igitur loquitur Adroaldus, quod in honorem S. Petri structum fuisse constat. Deinde vox *ibi* utcumque innuit, monasterium istud fuisse ædificandum in ipsa villa Sithiu, quam donabat Adroaldus. Præterea Vetus monasterium fuit angustum et numerus monachorum ibidem exiguus, ut colligitur ex omnibus Vitæ scriptoribus, ita ut dicat Iperius Sanctos ibi fuisse *quasi in cremitorio . . . . cum conventiculo parvo.* At verba Adroaldi significant, donationem esse factam, ut amplum ædificaretur monasterium, in quo magnus esset monachorum numerus. Hac de causa omnes Vitæ scriptores asserunt, undique accurrisse multos post constructum monasterium Sithiense, ut ibi Deo servirent; non vero ante istam fundationem.

cum Stiltingo statuitur,

29 » *Ut autem magis magisque constet, Sithiense monasterium S. Petri ædificatum fuisse ante annum* 662, *huicque adeo præesse potuisse S.* Mummolinum *contra ac volunt Mabillonius et Sammarthanus,*

C » *qui solum Veteri præfectum fuisse contendunt, visum est huc transferre documenta, quæ Stiltingus in sententiæ suæ confirmationem num.* 65 *adduxit, eumque rursus disserentem audire.* Tertio, *inquit,* ædificatum esse monasterium Sithiense S. Petri ante annum 662, certissimum fit ex privilegiis eidem ante istum annum datis. Audiamus aliquid ex litteris Clotarii III, quibus anno VI regni sui, id est, anno Christi 661 vel 662, (*imo* 662), mense Februario confirmat permutationem variarum possessionum, inter Mummolinum tunc episcopum et Bertinum abbatem factum : *Igitur apostolicus vir* Mummolinus *Noviomensis urbis episcopus, necnon et venerabilis vir Bertinus abba de monasterio Sitdiu, qui* * *ponitur in pago Tarwanense, a quorum amborum opere visi fuerunt ædificare, et est in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, necnon et Sancti Petri et Pauli Apostolorum, vel ceterorum domnorum Sanctorum constructus, ad præsentiam nostram*

* *quod*

D » *venientes,* etc. Certum est, Bertinum hic abbatem dici, non Veteris monasterii, sed Sithiensis, nunc S. Bertini dicti : nam Vetus monasterium numquam vocatum est Sitdiu vel Sithiu, sed istud nomen omnes novo monasterio attribuunt biographi. Stabat igitur novum monasterium initio anni 662, nec inchoatum est anno illo. Præterea constructum est non a solo Bertino, sed amborum opere, nempe Mummolini et Bertini, ut habent data verba. Eodem anno sexto Clotarii signatur charta S. Audomari, qua cœmiterium et basilicam S. Mariæ tradit monasterio Sithiensi. In hac autem charta dicitur : *Ubi antea monasterium in Dei nomine ædificatum esse videtur, ubi regulariter viventes aderant monachi,* etc. Non itaque inchoatum est anno 662 monasterium Sithiense, de quo agitur. Præterea in privilegio Clodovei III, quod ex Folquino diacono edidit Mabillonius (*c*), Mummolinus S. *Bertini* vocatur *antecessor,* ibique agitur de monasterio Sithiu. *Non igitur in solo Veteri cœnobio* Mummolinus *præfectus monachis fuit, vel ut abbas, prout volunt Mabillonius et Sammarthanus, vel, uti nobis præplacet, ut aliorum superior et quasi pater;*

E » *ast vero in Sithiensi re ipsa abbas fuit et decessor Bertini. Quæ cum certiora appareant, quam ut ulteriori dubitationi relinquatur locus; inconvulsum maneat id, quod ante diximus :* Mummolinum *Sithiensium monachorum multitudini a B. Audomaro fuisse præpositum, verumque Sithiensis monasterii abbatem fuisse, nimirum ab anno* 648, *quo illud inchoatum est, aut saltem ab uno e duobus subsequentibus, usque ad annum* 659 *aut* 660, (*potius, ut videbimus, usque ad annum* 657 *aut* 658) *quo ad episcopatum Noviomensem ac Tornacensem evectus fuit.* » *Hæc Ghesquierus secundum Stiltingum.*

Rem temporalem quoque curavit in Sithiu.

30 *Priusquam vero S.* Mummolinum *e Sithivensi deducamus monasterio, in quo vidimus eum sese continuo cum Apostolo ad anteriora extendentem, fratres suos confirmantem in virtute divinoque obsequio, et fundamentum spiritualis ædificii, plus quam undecim duraturi sæcula, jacientem, oportet et verbum addi de ejus cura et sollicitudine, ut haberent sui monachi vestimenta quibus tegerentur et escam unde vescerentur. Quam ob rem recitanda hic videtur pars privilegii regis Clodovei, Theodorici filii; quod ex Folquino recitavit Mabillonius* (*d*), *Foppens* (*e*), *D. Bouquet* (*f*), *Brequigny* (*g*), *et nuper Cl. V. Guerard* (*h*); *quodque diu quidem post S.* Mummolini *mortem, sub diem* I *kal. Jun. anno I regni Clodovei III, mense Martio anni* 691 *sceptrum adepti, concessum fuit, et Sancti nostri de rebus temporalibus curam præclare illustrat. Habet autem apud Brequigny hunc tenorem :* Chlodoveus, rex Francorum. Si illa beneficia, quæ parentes nostri ad loca Sanctorum præstiterunt vel concesserunt, pro nostris oraculis confirmamus; et regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur venerabilis vir Bertinus, abba de monasterio Sithiu, quod est in pago Terwaninse, in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, necnon et Sancti Petri et Pauli Apostolorum, vel cæterorum domnorum Sanctorum constructum, ad nostram accedens præsentiam, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod avus noster Chlotarius * quondam rex de omnes curticellas vel villas ipsius monasterii, quidquid præsenti tempore

F

* *lege* Chlodoveus

(*a*) Act. SS., t. II Sept., p. 563. — (*b*) Ibid., loc. cit. — (*c*) De Re Diplomat., lib. VI, p. 607. — (*d*) Ibid. — (*e*) Supplem. Oper. Dipl. Miræi, t. II, p. 928. — (*f*) Collect. des Hist. de Fr., t. VI, p. 667. — (*g*) Diplomat., t. I, p. 321. — (*h*) Cartulaire de S. Bertin, p. 34.

possidebant,

A possidebant, aut adhuc inantea ex munere regum, vel collato populi, seu de comparato aut de quolibet recto adtracto in quibuslibet pagis atque territoriis inibi erat additum vel collatum, integra emunitate antecessore suo Mummolino, quando vel ad prædicto monasterio concessit, ut nullus judex publicus ibidem ad audiendas causas, freta exigenda, fidejussores tollendos, nec mansiones aut paratas faciendo, nec homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quam et servientes super terras suas commanentes distringendos, nec nullas redhibitiones requirendas, nec exactandas, nec judiciaria potestas ibidem ingredere quoque tempore non deberet, nisi sub emunitatis nomen omni tempore cum omnis fretis-concessis pars ipsius monasterii debeat possidere . . . *Reliquum diploma de his atque aliis confirmandis agit. Animadvertet lector satis magnificam mentionem hic fieri de possessionibus Sithivensi monasterio addictis, cum id a S.* Mummolino *regeretur. Clodovei vero secundi, quocum S.* Mummolinus *egerat, diploma non amplius superesse videtur : illud saltem non edidit Mabillonius, neque Brequigny, neque Cl. V. Guerard in Chartulario suo Sam-Bertiniano. Plura de his diplomatis notanda*
B *non videntur, quoniam non est quod hoc loco chartas Sam-Bertinianas defendam a criminibus, de quibus eas incusavit propugnator quidam jurium Ecclesiæ Sant-Audomarensis* (*a*).

§ III. Quo anno S. Eligius, episcopus Noviomensis et Tornacensis, mortuus sit, eique successerit S. Mummolinus; de linguarum latinæ et teutonicæ peritia, qua ornatus hic Sanctus fuit.

S. Mummolinus *succedit S. Eligio;*

De episcopatu Noviomensi et Tornacensi curis S. Mummolini *credito, sic disserit recentior biographus, a Ghesquiero citatus* (*b*) : Interea vir Dei Eligius, Noviomensis urbis episcopus, post multa
C patrata miracula in pace plenus dierum migravit ad Dominum. Cujus in loco, fama bonorum operum, quia prævalebat non tantum in theutonica. sed etiam in romana lingua, Lotharii regis (*hujus nominis tertii*) ad aures usque perveniente, præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis curam subrogatus est episcopus. *Quibus addit Ghesquierus* (*c*) : « Atque ita impletum est quod morti » proximus S. Eligius postularat, videlicet ut post » obitum suum, sua benignissima pietate provideret Deus pastorem, qui regeret modeste suam » plebem, *uti legitur in ejus Vita* (*d*). *Sed erunt* » *fortasse, pergit idem hagiographus, qui biographo* » *S.* Mummolini, *Eligio Sanctum nostrum in No-* » *viomensi cathedra subroganti, opponent Vitam* » *S. Audomari, ab Anonymo exornatam, necnon* » *alteram a Folchardo seu potius a compilatore* » *anonymo conscriptam, ut et Iperium; qui omnes* » *Eligio* Mummolinum *anteposuerunt* (*qui potius* » *Eligio postposuerunt Acharium*); *audi anonymi* » *prioris verba* : Interea decedente Achario, » episcopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejus- D
» dem urbis venerabilis vir Mummolinus provehitur; *alterius autem hæc :* Interea decedente e » medio Novione, episcopo, venerabili viro Achario, Mummolinus ad præsulatum ejus provehitur, opitulante Beato Audomaro; *Iperii demum* » *sequentia parte* VI *col.* 460 : Interea decedente » Beato Achario episcopo urbis Noviomæ, ad » episcopatum ejusdem urbis Mummolinus provehitur, et Bertrannus cœnobio S. Quintini a » Mummolino præfertur. *Verum enimvero cum* » *S. Audoenus, S. Eligii amicus, eodemque quo* » *ille die et loco consecratus episcopus, atque ut* » *uno verbo absolvam omnia, fidus ejus biogra-* » *phus omnique exceptione major, diserte affirmet,* » *S. Achario proxime successisse Eligium, qua in* » *re ei consonat S.* Mummolini *biographus; multo* » *potiore jure imo indubitanter tenendum est, San-* » *ctum nostrum non S. Achario, anno* 639, *uti* (*e*) » *dictum est, defuncto; sed S. Eligio viginti post* » *annis mortuo, in Noviomensem ac Tornacensem* » *cathedram proxime successisse. En S. Audoeni* » *verba* (*f*) : Elegerunt ex merito sanctitatis cunctis » bonis operibus præditum ad sacerdotale (*seu* » *episcopale*) officium Sanctum Eligium. . . ut præ- E
» esset ecclesiæ Noviomagensi : DECESSERAT ENIM » IN IPSO ANNI CIRCULO ACHARIUS PRÆFATÆ URBIS » ANTISTES. *Verba biographi S.* Mummolini *jam* » *supra produximus.* »

minime autem post mortem S. Acharii,

32 « *Expenderat ista aut dubie Guillelmus de* » *Whitte, quem Malbrancquius in rebus monacho-* » *rum Bertinensium seu Sithivensium apprime ver-* » *satum dicit, atque Iperium ipsiusque duces* » *conatus est cum Audoeno conciliare subtili qua-* » *dam interpretatione; vult enim, uti Cointius ad* » *annum* 639, § V, *notat,* post S. Acharii mor- » tem ab Audomaro episcopo Morinensi proposito fuisse Mommolinum ascetam Sithivensem, qui consecraretur episcopus, et episcopi » vices ageret in diœcesi Noviomensi et Tornacensi, donec Eligius sub clericatus normula » tempus aliquod exegisset, seque tandem episcopum ordinari passus esset, additque id consilii » omnibus acceptum fuisse, et Mommolinum » instar administratoris seu suffraganei, ut hodie » vocant, episcopalia obiisse ante et post ordinationem Eligii, nec ante illius mortem vere » Noviomensem ac Tornacensem episcopum ex- » stitisse, ita ut et juxta Iperium electus ordina- F
» tusque sit episcopus post obitum S. Acharii, et » juxta Audoenum Eligio in episcopatum successerit. Malbrancquius hanc interpretationem » commendat, et ad validiorem confirmationem » addit apud Corbejenses visum a se diploma, » cui Mummolinus episcopus cum ipso Eligio » subscripsit. Rem nobis pergratam fecisset, si » descripsisset illud diploma, notassetque characteres chronologicos, quibus consignatum reperitur. Tomo primo Conciliorum Gallicanorum » publicatum est libertatis privilegium, quod a » Bertefrido Ambianensi episcopo monasterio » Corbejensi concessum fertur, octavo idus Septembris, anno Clotarii regis septimo; inter epi- » scoporum subscriptiones occurrit Mummolenus, » Eligius nequaquam : illo enim anno Mummolenus Noviomensis erat episcopus, et Eligius » ejus decessor pridem obieret. *Hactenus Cointius,* » *qui post pauca, quæ huc non spectant, subdit ad* » *rem nostram :* Diploma vero, quod Malbrancquius

(*a*) In opere : *Vérité de l'église de S. Omer.* — (*b*) Act. SS. Belgii Select., t. IV, p. 403. — (*c*) Ibid., p. 404. — (*d*) Ibid., t. III, p. 285. — (*e*) Ibid., t. II, p. 331. — (*f*) Ibid t. III, p. 229, cap. I,

» a se

A » a se inspectum testatur, quodcunque illud sit, » inter fabulas amandari debet, si Mummoleni et » Eligii episcoporum subscriptionibus munitur, » quia vivente Eligio, Mummolenus episcopalem » dignitatem haud gessit. » *Hæc ex Ghesquiero.*

diœceseon Noviomensis et Tornacensis administrator fuit.

33 *Verum, cum præsens controversia tota in eo sit, an* Mummolinus, *dum S. Eligius* sub normula clericatus aliqua temporis curricula exigeret, *ut S. Audoenus lib.* II *cap.* II *Vitæ S. Eligii loquitur, sedem Noviomensem et Tornacensem administrarit, episcopi titulo atque charactere insignitus, atque hoc modo habuerit memorata sedes uno tempore episcopum electum, et episcopum administratorem, negantium sententiam sequentibus confirmo : primo, quis crediderit S. Audoenum, minima etiam S. Eligii gesta memorantem, tale quid inusitati prætermissurum fuisse, quod reapse bene nosse debuisset, siquidem uno die cum S. Eligio consecratus sit a Deodato, episcopo Matisconensi? Secundo, S. Eligius tantum consecrationem suam distulit, quoniam exactissime sacros canones servare studebat : sic enim loquitur de hac dilatione S. Audoenus :* Sed vir Beatus cum se

* *alii* imposito,

nullo modo ab officio disposito * discutere posset, NE TAMEN IN ULLO CATHOLICÆ REGULÆ DEVIARE VIDE-

B RETUR, non se permisit prius sacerdotem (*quod idem hic sonat ac* episcopum, *ut liquet ex eo quod S. Audoenus se* presbyterum *dicit*) consecrari, nisi sub normula clericatus aliqua temporis curricula exigeret. *Jam vero, an S. Eligius ita strictus fuisset in servando hoc canone, et vicarium episcopum, rem simili in casu inauditam, in Ecclesiam invexisset, potissimum quidem cum bene notum esset, quid S. Ambrosius, cujus sanctitatis fama ubique resonabat, egisset, e catechumeno in episcopum electus? Tertio, spatium seu* curricula temporis, *quæ S. Eligius* sub clericatus normula *transegit, non ita longa sunt, ut grave incommodum in Noviomensem ecclesiam redundare potuerit ex eo, quod interea episcopo careret; præterea per canonem* IX *concilii Aurelianensis V, anno* 549 *celebrati, magis extensa etiam fuerat dispensatio, canone* II *concilii Arelatensis IV, anno* 524 *coacti, jam concessa; secundum illum enim canonem cavebatur tantum, ut* nullus ex laicis absque anni conversione præmissa episcopus ordinaretur : ita ut intra anni ipsius spatium, a doctis et probatis viris, disciplinis et regulis spiritualibus plenius instrueretur : *credibile autem non est a*

C *S. Eligio consecrationem suam ultra annum dilatam fuisse. Quarto, siquidem secundum probatam sententiam S. Eligius anno* 640 *episcopus consecratus fuerit, et S.* Mummolinus *verisimiliter anno* 638 *aut* 640 *ad S. Audomarum pervenerit, et paulo post ad ecclesiolam et cellam, Vetus monasterium dictum, condendum missus fuerit, videatur quo pacto hæc concilientur cum putatitio inauditoque vicario episcopatu S.* Mummolini, *inter annum* 639 *et* 640 *suscepto. Quinto demum, Vita S. Audomari antiquissima tacet S.* Mummolini *decessoris nomen : et Vitæ recentiores, cum ab hac discedunt, tam parvi faciendæ visæ sunt Stiltingo, ut aperte fere earum scriptores præmeditati erroris incusandos æstimaverit : quocirca cum S* Mummolino *præcessisse ajunt S. Acharium, cui nos S. Eligium successisse asserimus, nihil evincunt.*

Successio illa facta est brevi post S. Eligii mortem,

34 *Negato itaque atque rejecto vicario hoc S.* Mummolini *ministerio examinandum superest, quo anno reapse Noviomensis atque Tornacensis episcopus consecratus fuerit. Imprimis pendet id omnino ex anno emortuali S. Eligii, cui intra primum ab obitu annum successit. Etenim cum S. Audoenus, S. Eligii biographus et sodalis, libro* VIII *capite* 46 D *Vitæ hujus Sancti* (*a*), *quod* de equo Sancti *inscribitur, sæpius meminisset* Mummolini *episcopi, continuo post pergit :* His ita gestis, cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est EPISCOPO et reginæ (*S. Bathildi*) consilium optimum, ut ædificata ultra altare volutione (*i. e. fornice*), illic ei demum condignam facerent translationem : *ex qua narrandi resque conjungendi ratione manifestum est, eumdem episcopum, scilicet S.* Mummolinum, *et liti de equo et translationi S. Eligii implicitum fuisse. Verum hæc translatio die anniversaria mortis S. Eligii, uno scilicet anno ab ejus de hac vita exitu, facta est, cum S. Audoenus eam contigisse adstruat* anno jam vertente, die depositionis ejus annuali appropinquante *seu* adveniente.

quam ad annum 659 retulit Ghesquierus,

35 *Universus itaque nodus in S. Eligii mortis anno inquirendo jacet. Ut alios omittam multos, qui id tempus assignaverunt, Ghesquieri Verba e commentario prævio ad S. Eligii Vitam hic adduco :* De gesti, *inquit* (*b*), ab Eligio episcopatus spatio consentiunt, si unum excipiamus Pagium, eruditi omnes. Hic quippe postquam tomo III critices pag. 48, num. IV, observasset, idque recte quidem, Eligium vixisse usque ad annum sexcentesimum E quinquagesimum octavum; mox subdit, eodem ipso anno demortuum esse; atque adeo episcopatui ejus annos dumtaxat octodecim mensesque aliquot reliquit. Contra vero Cointius, Longuevallius, Bouquetus, aliique, qui episcopalem Eligii consecrationem anno 640 innectunt, ejus obitum anno 659 illigant, ejusque episcopatui annos tribuunt novemdecim, menses sex, diesque aliquot. Opinionem suam stabilire nixus est Pagius adducto privilegio quodam, ab Emmone, Senonensi episcopo, monasterio S. Petri apud Senonas concesso, quod in sæculo III benedictino (*c*) legitur directum fuisse Audoeno, Eligio aliisque episcopis, et cui tamen non Eligii nomen, sed Momoleni, ejus successoris, subscriptum legitur. At recte observat Longuevallius tom. IV Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ pag. 48, in annotatione, privilegii illius subscriptiones esse admodum mancas; neque adeo evinci S. Eligium anno 658 in vivis esse desiisse. Quod autem privilegio isti Momoleni nomen subscriptum legatur, id judice Longuevallio, nihilo plus evincit, cum nullo ex capite constet, S. Momolenum anno tertio Chlotarii III privilegio huic suum subscripsisse nomen. F Ita quidem laudatus Longuevallius, ut se mota a Pagio difficultate expediat. Verum ego non video obstare quidquam, quominus S. Eligii obitus anno Christi 659 statuatur, etiam admissa subscriptionum illarum summa fide atque incorrupta integritate. Cum enim annus tertius regni Chlotarii III a mense Novembri anni 658 cucurrerit usque ad mensem Novembrem anni 659, potuit privilegium illud currente anno tertio regni Chlotarii III S. Eligio aliisque episcopis directum fuisse, nec tamen hujus chirographo firmatum, quia ipsis kalendis (*Decembri*) ejusdem anni 659 ad superos abiit.

non recte innitens eruditorum consensui;

36 *Ad quæ animadvertendum æstimo, nuspiam a me repertum esse spatium S. Eligii episcopatus ex antiquis documentis definitum, nisi ex privilegio Senonensi et anno consecrationis; Gallia Christiana quidem tam stabiles habet viginti hos circiter S. Eligii episcopatus annos, ut inquiat* (*d*) : Obiit *Eligius* pridie kalend. Decembris, vel anno 659, si consecratus est anno 640, vel anno 665 si consecratus est anno 646; *verum hæc verba vana habenda sunt, donec citetur scriptor, antiquitate et sinceritate sua*

(*a*) Act. SS. Belgii select., t. III, p. 293. — (*b*) Ibid., p. 197 et seq. — (*c*) Part. II, p. 613. — (*d*) T. IX, col. 984.

venerabilis,

A *venerabilis, qui viginti circiter annos S. Eligio cathedras Noviomensem et Tornacensem occupanti assignet; secus integra remanet quæstio de fine ejusdem Sancti episcopatus. Secundo, omnino non video eruditos omnes consentire in affirmando S. Eligium anno* 659 *obiisse; Mabillonius quidem propter Senonense privilegium in Annalibus* (*a*) *hanc admisit sententiam, eamque Longuevallius in Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (*b*), *Colliette in Commentariis Veromanduensibus* (*c*), *Butler in Vita S. Eligii* (*d*), *D. Bouquet in Collectione Historicorum Franciæ* (*e*), *Cointius in Historia Ecclesiastica Francorum* (*f*) *aliique gregatim amplexi sunt; verumtamen sunt et alii, qui diversum opinandi modum inierunt. Hadrianus Valesius, qui ex fontibus scribere solebat, satis habuit cum S. Audoeno, laudato Eligii biographo, ejus mortem ad initia regni Clotarii III referre; Dionysius Sammarthanus annum* 665 *assignat* (*g*); *cui cum aliis pluribus præiverat Sigibertus Gemblacensis in Chronico* (*h*); *cl. v. Moeller, professor historiæ in universitate catholica Lovanii, Erchinoaldi mortem ad annum* 660 *referens* (*i*), *necessario ad hunc annum producit S. Eligii obitum, qui sepelivit Erchinoaldum. Negligenda itaque*

B *videtur auctoritas Mabillonii, aliorumque recentiorum; quam maximam quidem facimus, cum solidis nituntur testimoniis, ad trutinam vero revocamus, cum testimonia illa difficultatem incurrunt; quod inferius præstabimus.*

sed Pagium, annum 638 *assignantem,*

37 *Tertio, ut intelligantur Ghesquieri in Pagium observationes, ipsius Pagii dicta recitanda videntur :* Eligium, *inquit,* vixisse usque ad annum sexcentesimum quinquagesimum octavum, eodemque demortuum demonstrat privilegium ab Emmone episcopo Senonensi concessum, quod recitat Mabillonius sæculo III Benedictino pag. 613, directum illud *Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Faroni, Bertoaldo, Audoeno, Gauzberto, Eligio.* Datum autem, ut in ejus fine legitur *anno tertio regni Domini nostri Clotarii regis,* (qui post secundam hebdomadam mensis Novembris anni Christi DCLVIII inchoatus est,) et quidem in synodo episcoporum, ex quibus complures privilegio subscripsere, et ex præfatis sex episcopis solus Eligius non subscripsit, sed Momolenus, qui et Mummolenus dicitur, quem certum est Eligii successorem fuisse. Quare, ut recte inde colligit Mabillonius, paulo post concessum privilegium Eligius obiit,

C et quidem kalendis Decembris, quo nomen ejus veteri kalendario inscribitur. Nam licet Audoenus, nec aliquis ex antiquis diem ejus obitualem expresserit, Sanctique aliis sæpe diebus, quam quibus mortui sunt colantur (*quod hic tamen metuendum non est, quoniam aperte annotat S. Audoenus* diem annualem *depositionis ad transferendum corpus expectatam fuisse*), quia tamen Audoenus lib. 2, cap. 35 refert post Eligii mortem sanguinem fluxisse e naribus ejus, tametsi *erat hybernum tempus,* certumque est concilium illud Senonense habitum exeunte anno DCLVIII, quo tertius Clotarii regis inchoabatur, verosimile est S. Eligium die et anno præfatis in Domino obdormiisse, et ejus obitum hactenus tardius quam par erat, consignatum fuisse, ab illis præsertim, qui Dagoberti regis mortem septennio aut etiam tardius differunt.

38 *Ad hæc quidem, ut superius vidimus, animadvertit Ghesquierus, annum Clotarii III a mense Novembri* 658 *usque ad eumdem mensem anni* 659 *cucurrisse; idque privilegium hoc anno* 659 *condi potuisse, quin tamen ad S. Eligium, die* 1 *Decembris hujus anni mortuum, opportuno advenerit tempore. Quæ explicatio non tantum probabilis, sed certa habenda est, quamdiu admittitur cum Pagio, ad hoc concedendum confirmandumque privilegium anno* 658 *Senonibus synodum habitam fuisse, cujus quoque meminit Mabillonius in Annalibus ad annum* 658 (*k*), *Cointius ad annum* 657 (*l*), *et Mansi in notis ad Annales Baronii et Criticen Pagii ad annum* 658 (*m*). *Etenim, cum ex testimonio Clarii, monachi S. Petri-Vivi, hanc synodum coactam dicentis, S. Eligius huic episcoporum congregationi affuerit, eam ex mente Pagii habitam fuisse statuatur oportet post secundam hebdomadam mensis Novembris anni* 658 (*nam secunda hebdomade Novembris anni* 659 *tertium Clotarii regni annum adhuc cucurrisse ostendit ipse Pagius* (*n*)), *et ante diem* 1 *Decembris anni* 658 (*kalendis quippe Decembribus obiit S. Eligius*). *Verum ex his quindecim ad summum diebus* quinque aut sex, febre correptus, infirmitatemque deambulando, baculoque regente infirmos artus sustentando, dissimulans, nec sic quidem a Dei opere cessans (*o*), *transegit, donec* pridie kalendarum Decembrium (*p*) *clero suo valedixerit; præterea paulo ante morbum* jam sensit dissolutionem sui corporis imminere (*q*), *eamque prædixit; vix itaque octo dies remanent Pagio, intra quos S. Eligium Senonas mittat ad Synodum. Quis autem admiserit id a S. Audoeno futurum fuisse prætermissum, cum ultima S. Eligii gesta et verba ad scrupulum usque narret? Equidem Pagii computationem corrigendam censeo. Atque hæc in eos valent, qui Pagii auctoritate nituntur.*

D *bene arbitratur certis rationibus destitui.*

E

S. Eligii mors anno 659 *adscribenda non videtur propter Emmonis Senonensis privilegium,*

39 *Verumtamen, licet ex his constet Pagium non probandis hic uti calculis, fateor sententiam Ghesquieri aliorumque valde incertam mihi haberi; quoniam, cum Senonense privilegium unicum ei fundamentum sit ad S. Eligii mortem anno* 659 *collocandam, valde caduco argumento rem conficere mihi videtur. Animadvertit ille quidem cum Longuevallio subscriptiones, quas inter, ut diximus, S.* Mummolini, *S. Eligii successoris, nomen apparet, valde mancas esse; verum superscriptiones, ubi Eligii nomen exstat, et unde concludunt S. Eligium adhuc vixisse, cum id privilegium anno tertio Clotarii III* F *scriptum est, non minus mancæ appellandæ sunt; et, quod ad rem præsentem maxime pertinet, S. Eligii nomen certo inde expungendum est. Ejus autem superscriptiones, quales ediderunt Mabillonius* (*r*), *Cointius* (*s*) *et Brequigny cum du Theil* (*t*), *ita sonant :* Dominis sanctis et summi culminis apicem pontificatus cathedræ specula præsidentibus, in Christo fratribus, Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Farone, Bertoaldo, Audoeno, Gauzberto, Eligio : Emmo, peccator, supplex vester, in Domino præsumit mittere salutem. *Jam vero, ut notant Brequigny et du Theil* (*u*), Chrodobertus, Parisiensis episcopus, Faro Meldensis, Bertoaldus Trecensis, tunc temporis erant provinciæ Senonensis episcopi, recte comprovinciales ab Emmone appellati; sic et Gauzbertus, Carnotensis episcopus,

(*a*) **T. I, p. 415. Edit. Lucens. Lib. XIV, num. 67, ad ann. 659.** — (*b*) **Liv. X, ad annum 659, t. V, p. 281. Edit 1826.** — (*c*) **Mémoires pour serv. à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 249.**—(*d*) **Vies des Saints ad 1 Dec., t. XVIII, p. 190. Edit. Lovan.** — (*e*) **T. III index Chronol., p. LXXII.** — (*f*) **Ad annum 659, § XIII, t. III, p. 479.** — (*g*) **Gall. Christ., t. III, col. 273.** — (*h*) **Pertz Monum. German., t. VI, p. 326.** — (*i*) **Manuel de l'hist. du moyen âge, t. I, p. 291. Edit. 1837.** — (*k*) **T. I, p. 413 et seq. Edit. Venet.** — (*l*) **Annal. Eccles. Francor., ad annum 657, § XV, t. III, p. 449.** — (*m*) **Annal. Baronii, t. XI, p, 512. Edit. Lucens.** — (*n*) **Crit. Baron., ad annum 656, § XVII, t. XI, p. 493.** — (*o*) **S. Audoen. Vit. S. Eligii Act. SS. Belgii select., t. III, p. 283.** — (*p*) **Ibid., l. c.** — (*q*) **Ibid , p. 282.** — (*r*) **Act. SS. Ord. S. Bened. sæcul. III, p. II, p. 613.** — (*s*) **Annal. Eccl. Franc., t. V, p. 285.** — (*t*) **Diplomata. ad res Francic. pertinent., p. 227 et seq.** — (*u*) **Ibid., p. 228.**

A cujus sedem Cointius non agnovit. Sed quid dicendum de Audoeno ac Eligio, quorum si prior Rothomagensis, alter Noviomensis episcopus fuerit, comprovincialium nomine, ab Emmone minime appellari potuerunt? Pro voce *Audoeno* legendum suspicatur (*a*) Mabillonius *Audoni,* qui hoc tempore Aurelianensi Ecclesiæ præsidebat. Magis torquet Eligius, si hoc nomine intelligatur Noviomensis episcopus. Nos vero Vigilium reponendum conjicimus, tunc Autissiodorensem episcopum, Senonensis præsulis comprovincialem : nec videtur hic agi de Eligio Noviomensi episcopo, cum nomen Mummoleni, qui ei in Noviomensi sede successit, inter subscribentium nomina appareat. Clarius vero, falsa lectione deceptus, Rothomagensi episcopo et Noviomensi tribuit, quæ Aurelianensi et Autissiodorensi tribuenda erant. Errori favebat, quod notiora forent Eligii et Audoeni nomina, quam Audonis et Vigilii. *Verum quidquid de his conjecturis, quæ historicæ notitiæ forte habendæ sunt, esse possit,* (Audo *enim et* Audoenus *identica nomina sunt, neque* Vigilius *et* Eligius *multo inter se scriptione distant,*) *manifestum est SS. Audoenum et Eligium inter Senonensis sedis comprovinciales venire non*
B *posse; quoniam alter, utpote Rothomagensis sedis episcopus, alius provinciæ ecclesiasticæ metropolitanus erat, alter, qua episcopus Noviomensis et Tornacensis, ad provinciam Remensem spectabat. Quocirca mea sententia minime ex hoc privilegio concludi potest S. Eligium anno tertio Clotarii III in vivis adhuc fuisse.*

neque propter Clarii testimonium de prætensa synodo Senonensi;

40 *Neque videtur negotium facessere posse testimonium Clarii dicentis* (*b*) : Anno DCLXXV transiit ad Christum Sanctus Emmo. . . . Hic privilegium libertatis, una cum comprovincialibus episcopis, monachis Sancti Petri synodaliter fecit, temporibus Clotharii regis et Baltechildis matris ejus : in quo conventu fuerunt antistites gloriosi, Sanctus Audoenus archiepiscopus Rothomagensis, et Sanctus Faro episcopus Meldensis, Sanctusque Eligius Noviomensis episcopus, et Sanctus Amandus Tregetensium episcopus, cum aliis triginta Episcopis. *Nam cum monachus Clarius suum S. Petri Vivi Chronicum ad finem sæculi* XII *scripserit, constat inde tantum nomina Audoeni et Eligii in ejus privilegii exemplaria intrusa fuisse, antequam librum suum ordiretur chronographus; præterea usus forte est Clarius pejori etiam exemplari, quam quod nunc*
C *circumfertur, ut ex adscripto nomine S. Amandi, Tregetensium seu Trajecti ad Mosam episcopi, planum conjicere est; tertio, (quoniam mentio de hac synodo incidit et auctoritas Clarii, qui primus eam adstruxit, hinc quoque nonnihil vacillare forsan dicenda est,) illa synodus, quam plerique ecclesiastici historici (plures nominavi superius) ex Clarii narratione admiserunt, mera Clarii conjectura videtur : quandoquidem primo, in sæpius dicto privilegio nullum synodi vestigium occurrit; secundo, contrarium apparet ex ipso diplomate : nam, cum initio habeat :* Dominis sanctis. . . Emmo peccator. . . in Domino præsumit mittere salutem, *locum obtinet annotatio D. Michaelis Germain in similem inferius citandam chartam :* Cur enim minus ad absentes, quam ad eos coram positos immunitas dirigi potuit, quibus *Drauscius episcopus supplex in Domino mittit salutem?* qui sane scribendi modus eorum absentiam insinuat (*c*); *præterea Emmonis diploma desinit in hæc verba* : Quam etiam constitutionis nostræ definitionem manus nostræ subscriptionibus roboratam, D PER FRATRES ET CONSERVOS NOSTROS ABBATES,' perpetuis temporibus valituram, ut robustior maneat, VOBIS VEL CÆTERIS DESTINAVIMUS INSUPER CONFIRMANDAM STIPULATIONE SUBNEXA. Actum Mausolaco curte dominica anno tertio regni domini nostri Clotharii regis; *et continuo sequuntur subscriptiones quorumdam comprovincialium episcoporum Senonensis cathedræ, quibus privilegium illud confirmandum inscribebatur, et quorumdam e* cæteris *Galliæ præsulibus, ad quos* fratres et conservi *Emmonis,* abbates, *illud detulerint. Quæ ut intelligantur, in memoriam revocet lector oportet, his temporibus in more fuisse positum, ut deferrentur diplomata ad plures episcopos aliosque præcipuos viros, qui ea sua subscriptione firmarent; in cujus rei exemplum, ut duo e pluribus seligam, præsto est tum celeberrimum privilegium Berthefridi, Ambianensis episcopi, anno* 662 *Corbejensibus concessum, et a Sirmundo, Labbe, Harduino, Cointio et Brequigny* (*d*) *editum, tum privilegium S. Drausii, porrectum anno* X *regni Clotarii monasterio S. Mariæ Suessionensi et editum a D. Germain in Historia hujus cœnobii* (*e*), *ubi alia similia citantur, quæ in Diplomatibus Brequigny*
E *cum pluribus ejusdem generis reperire est. Quamobrem æstimo male lectum seu intellectum fuisse a Clario S. Petri Senonensis privilegium; quod cum initio septem episcoporum nomina haberet, et in fine viginti sex aut septem subscriptiones, id ipsi visum esse concilium ex triginta quatuor præsulibus constans. Quam dissertatiunculam de privilegio Senonensi ut tandem claudam, nihil ex eo in rem nostram deduci posse arbitror, nisi quod S.* Mummolinus (*quantum subscriptionibus fides est*) *anno tertio Clotarii regis III Noviomensem cathedram jam ascendisset.*

ad annum potius 657 *hæc mors*

41 *Quandoquidem ex dictis Senonensis charta S. Eligii mortis tempori definiendo parum apta videtur, supersunt duo tantum adjuncta, quæ ex S. Audoeni de amico suo scriptione novimus.* Fuerat quoque *Eligius, ait ille* (*f*), de temporibus Lotharii mediani, mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti inclyti principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. *Unde, cum junior Lotharius seu Clotarius III medio mense Novembri anni* 656 *in pueriles suas manus regni habenas acceperit, et* initium regni, *quod quatuordecim tantum duravit annos, potius*
F *primum aut secundum annum quam tertium aut quartum significet, libenter ego S. Eligii obitum ad kalendas Decembris anni* 657 *referrem. Nam quod superior annus* 656 *excludendus videtur, ratio est eum obiisse post Erchinoaldum, majorem-domus;* cujus *quippe* corpus Eligius (*verba sunt S. Audoeni* (*g*)) secum pro misericordia referens, sepulturæ tradidit. *Jam vero Erchinoaldi funesta mors, quam S. Eligius prædixerat, quamque Moeller anno* 660, *Cointius anno* 659, *Pagius anno* 656 *collocat, verisimiliter hoc anno exeunte, seu sequenti* 657 *ineunte accidit : quod omnino probabile futurum æstimo, si nempe Erchinoaldus post Clodovæi II obitum, sed tamen non diu post vita functus fuerit; quæ ex sequentibus constitura spero. Primus scilicet continuator Chronici Fredegarii hæc habet* (*h*) : Franci quoque Chlotharium filium ejus (*Clodovæi II*) majorem in regno statuunt, cum præfata regina matre (*S. Bathilde*). Eodem quoque tempore mortuus est Erchanwaldus, major-domus palatii. Franci autem in incerto va-

(*a*) Annal. Ord. S. Bened., tom. I, p. 450. — (*b*) D'Achery Spicileg, t. II, p. 464. Edit. altera. — (*c*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (*d*) Diplom. ad res Francic. spect., tom. I, p. 241. — (*e*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 421. — (*f*) Vit. S. Eligii, lib. II, part. I, cap. I. Act. SS. Belgii select., t. III, p. 229. — (*g*) Ibid., lib. II, part. VI, cap. XXVI, p. 277. — (*h*) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 449.

cillantes,

A cillantes, accepto consilio, Ebruinum in hujus honoris curam ac dignitatem statuunt. *Ex quibus postremis verbis, ut id obiter notetur, liquet quod, etiamsi certo sciretur, quo anno Ebruinus major-domus factus sit, inde continuo concludi non posset, quo tempore mortuus sit, Erchinoaldus. Eadem iisdem fere verbis repetit auctor incertus Gestorum regum Francorum* (*a*); *et non multum dissimilibus Chronicum Moissiacense* (*b*); *neque dissonant Fragmentum Historicum Anonymi, Francorum regum gesta a Dagoberto I usque ad Pipinum regem amplectens* (*c*), *et Chronica S. Dionysii* (*d*). *Ekkehardus in Chronico universali* (*e*) *similiter post narratum Clodovœi II obitum et initium regni Clotarii III subdit :* Eo quoque tempore Erchinoaldo majore domus defuncto, in locum ejus successit Ebroinus; *et Sigibertus Gemblacensis in Chronico, secundum autographum edito* (*f*) : Chlodoveus, *inquit*, rex Francorum obiit, et Lotharius filius ejus succedit et IV (*imo XIV*) annis regnat. Hujus major domus post Erchanoaldum fuit Ebroinus. *Ex quibus dicendi modis mihi manifestum videtur Erchanoaldum obiisse post Clodovœi II funus, neque id multo post contigisse, cum scriptores antiqui conspirent in dicendo*
B *eum* eodem tempore *vita functum esse. Verumtamen, cum nihil urgeat, ut Erchinoaldum et S. Eligium intra quindecim circiter istos dies, qui anno* 656 *ab initio regni Clotarii usque ad initium mensis Decembris elapsi sunt, mortuos dicamus; quin immo secundum S. Audoeni narrationem plures quam duæ aut tres hebdomadæ inter utriusque funus ponendæ videntur, differre juvat S. Eligii obitum ad diem primam Decembris anni* 657; *ubi secundus tantum annus et proin* initium *adhuc* regni *Clotarii III currebat.*

et proin initium episcopatus S. Mummolini *pertinet.*

42 *Porro pro hac sententia, quæ Audoeni verbis omnino consona est, episcopatum nactus fuerit S.* Mummolinus *anno* 657 *exeunte, aut potius anno* 658 *ineunte. Contra si quis adhærere velit sententiæ vulgari, quam supra, (quantum licuit per instrumenta, quæ aliis firma argumenta, nobis vero non secus ac Brequigny et du Theil incerta valde visa sunt,) firmavi, biennio serius S.* Mummolinum *episcopalibus infulis ornatum statuat oportet. Eas Sancto nostro delatas fuisse, intervcniente Clotario III, adstruit Ghesquierus cum recentiori biographo seu antiquioris Vitæ interpolatore :* « Interea vir Dei
» Eligius, Noviomensis urbis episcopus, post multa
C » patrata miracula in pace plenus dierum migravit
» ad Dominum. Cujus in loco fama bonorum
» operum, quia prævalebat non tantum in theuto-
» nica, sed etiam in romana lingua, Lotharii regis
» (*hujus nominis tertii*) ad aures usque perveniente,
» præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis
» curam subrogatus est episcopus. » *Verum hæc Clotarii tertii interventio, quæ legitima omnino erat (ut ex canone* X *concilii Aurelianensis anni* 549, *ubi præcipitur juxta antiquos canones electionem a clero et plebe cum voluntate regis debere fieri, manifestum est,) ita explicanda est, ut nomine ejus adhuc impuberis S. Bathildis ejus mater electioni illi consenserit eamque ratam habuerit.*

Episcopus electus est S. Mummolinus *ob plures egregias suas dotes, et ob peritiam suam linguæ latinæ*

43 *Ut ex præmissis liquet, quadruplex meritum duplici illi diœcesi, Tornacensi et Noviomensi, administrandæ aptum omnino faciebat S.* Mummolinum : *primum, ejus sanctitas; secumdum, felix ejus in Sithivensi monasterio probatumque regimen; tertium, concionandi usus; quartum, duplicis vernaculæ linguæ peritia; de qua postrema quædam videntur commentanda. Vita, antiquissima mihi dicta, tribuit* D *S.* Mummolino latinam et teutonicam facundiam; *reliquæ vero Vitæ* romanam et teutonicam. *Distinctas tamen fuisse, atque ut tales medio ævo habitas fuisse* latinam *et* romanam *linguas, liquet ex pluribus locis a Cangio ad vocem* romanus *adductis : verum hæc distinctio posterior videtur sæculo* VII, *quo vivebat S.* Mummolinus : *et quidem vix mihi non omnino certum est, hic* latinum, *sed* simplex *idioma intelligendum esse : audias scilicet quo pacto ad plebem loqueretur S. Eligius; citanda verba initium sunt Homiliæ XI, quæ tomo XII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis integra exstat :* Boni homines, quia vestram fraternitatem aliter necesse est alloqui quam consacerdotes et cooperatores nostros, quibus datum est nosse mysteria regni cœlorum : ideo ad VOS SIMPLICI ET RUSTICANO utentes ELOQUIO, convertamur, ut tantæ solennitatis sacramentum juxta parvitatem nostri sensus exponamus vobis RUSTICITATE VERBORUM. Vocatur hæc festivitas, Cœna Domini, eo quod hoc die Dominus cœnaverit cum discipulis, eisque sacramentum corporis et sanguinis sui tradiderit... *Reliqua ejusdem simplicitatis fere sunt. Objecit quidem Baro ab Reiffenberg in eruditis-*
E *sima introductione* (*g*) *ad Carmina Philippi Mouskes Tornacensis, hanc homiliam fors non, uti hic jacet, dictam fuisse, sed e sermone magis barbaro in latinum idioma fuisse conversam. At ipse Cl. V. aliis monumentis ostendit similem sermonem id temporis intellectum fuisse a populo, et Raoux* (*h*) *in commentario de linguis theotisca et gallica idem certum fecit documentis plurimis, imprimis* carmine rustico, *ut vocatur, inserto Vitæ S. Faronis. Quamobrem cum hæc S. Eligii verba a plebe Noviomensi intellecta fuisse æstimari possint, non dissimilem fuisse censemus* latinam facundiam, *qua S.* Mummolinus *utebatur. Quod vero in sæpe dicta Vita subditur :* Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonica majori ex parte utitur; utraque autem eruditiori latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa fuerit, ad plenum respondere dinoscitur, *interpolatio esse mihi videtur, aut saltem parergon, quod de suis temporibus, non de temporibus S.* Mummolini *inseruerit auctor. Non tamen negligendus est hic sensus, qui plurimum favet iis, qui linguam teutonicam aut theotiscam ex pagis Wallonum, ut loquimur, septimo sæculo excludunt; adeo ut ab hoc tempore limes, Wallones a Teutonicis dividens, nihil*
F *fere motus sit. Plura hac super re proferenda non sunt, quoniam jam a nonnullis hujusmodi quæstiones agitatæ fuerunt; quorum præcipua nomina recitantur in laudata Cl. Reiffenbergii introductione; ubi eadem de re egregius commentarius legitur.*

et theotiscæ.

44 *Biographi vero asserta de lingua teutonica aut theotisca majorem difficultatem pariunt, non quidem ob Francos, qui in S.* Mummolini *diœcesibus victitabant, sed quoniam non una atque eadem opinio est de Menapiis, quibus diœcesis Tornacensis imprimis constabat. Alii enim eos Gallo-Belgas, alii Germano-Belgas faciunt. Hi quidem nullam patiuntur difficultatem, ut eis theotiscam linguam assignent, quod manifestum est; qui vero priorem sequuntur sententiam, non ita facile se expediunt. Ne tamen hæc de S.* Mummolino *scriptio justo longior fiat, satis mihi fuerit hanc indicasse quæstionem, de qua in alterutram sententiam denuo scripserunt plurimi; quorum præcipuos recensuit quoque laudatus Reiffenbergius in allegata introductione, et alter scriptor in Bibliotheca Celtica Germanica Belgica, sub-*

(*a*) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 569. — (*b*) Ibid., p. 652. — (*c*) Ibid., p. 692. — (*d*) Ibid., t. III, p. 304. — (*e*) Pertz Monument. Germaniæ Scriptt., tom. VI, p. 118. — (*f*) Ibid , p. 325. — (*g*) p. XCVIII. — (*h*) p. 35 et seqq.

jecta

A *jecta operi de pristino Belgio, in quo ipse probare tentavit* (*a*) *Menapios origine Germanos esse. Porro cum S.* Mummolinus latina *seu corrupte latina, et* theotisca facundia polleret, *facili negotio homilias suas ad totius sui gregis oves habere potuit; et simili emissa sententia, notat Ghesquierus postea episcopis injunctum fuisse duplici lingua suas habere homilias : sic concilium Remense anni* 813 *canone* XV *præcipit, ut* episcopi sermones, homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, SECUNDUM PROPRIETATEM LINGUÆ prædicare studeant (*b*); *et concilium Turonense tertium ejusdem anni* 813 *canone* XVII, *post enumeratas homiliarum materias, monet,* ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam romanam linguam aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur (*c*). *Atque hic canon aliis Ecclesiis ita placuit, ut triginta quatuor annis post concilium Moguntinum, quod Labbeus quoque edidit* (*d*), *iisdem fere verbis canonem illum adoptaverit. Tempore S. Bernardi, ubi in Galliis sola fere rustica romana lingua apud plebem obtinebat, dicebatur in monasteriis duplici quoque idiomate, latino ad religiosos choro addictos, rustico romano ad fratres laicos :*
B *cujus homiliarum generis, in hoc idioma versarum, supersunt etiamnum, inter S. Bernardi opera, fragmenta. Sed de his satis. Atque mens nobis erat hic loci inserere dissertationem de amplitudine et mutationibus diœceseon Noviomensis et Tornacensis, quæ jam sub episcopatu S. Medardi usque ad annum* 1146 *unitæ fuerunt,* (*ut ostendit Ghesquierus in commentario de S. Medardo* (*e*)); *sed cum in immensum excrescat præsens volumen Actorum, eam ad alius Noviomensis et Tornacensis præsulis Vitam seponere visum est.*

§ IV. Expenditur duplex in S. Mummolinum accusatio; exponitur translatio corporis S. Eligii, promotio S. Ebertramni, pactum cum S. Bertino et plures subscriptiones.

C *Liberatur S.* Mummolinus *crimine culpabilis dubii,*

Reliqua *S.* Mummolini *gesta illustrans Ghesquierus, sic* § III *sui de S.* Mummolino *Commentarii exorditur :* « *Nonnulla sunt S.* Mummolini » *gesta eaque omnino certa, quæ biographus ejus* » *ne aliter quidem attigit, seu quod ipsi perspecta* » *non fuerint,* (*vidimus supra num.* 6 *biographo* » *omnino cognitam fuisse S. Eligii Vitam, ex qua* » *hæc eruuntur*) *seu potius quod existimarit, aut* » *nihil aut parum ad comprobandam ejus vitæ sanctitatem conducere. Et sane ex his unum alterumve est, quod tantum abest ut eum omni peccati* » *labe immunem semper fuisse demonstret, ut contra* » *omnino evincat, humani aliquid subinde passum* » *esse, atque vel ex animi perturbatione vel ex fragilitate humana deliquisse, paulo scilicet postquam* » *ad Noviomensem cathedram evectus fuisset.* » *Hæc Ghesquierus, duriori fors censura S.* Mummolini *gesta perstringens. Equidem, etsi is non sim qui cuncta Sanctorum acta, seposita ipsius catholicæ Ecclesiæ doctrina, sancta, innocua, meritoria statuam, non tamen in duplici mox referendo facto verum delictum, sed ad summum merum errorem video. Fatendum sane est S. Audoeno, ex cujus scriptis innotescunt, maxime hæc displicuisse, et ut genuinas culpas habita fuisse; sed modus quo S. Audoenus de S.* Mummolino *loquitur, nescio quem torvum oculum sinistrumque animum arguat : ita ut, dum facta admittuntur, abstinendum videatur a judicio, quod de eis ille fert aut suggerit. Cui rei ansam forsan dederunt Hibernicæ aut Scoticæ consuetudines, quas Luxovio haustas, servabat absque dubio S.* Mummolinus *cum cæterorum episcoporum gravamine. Porro prius factum in litteras retulit his verbis* (*f*) : Vir quidam sive ex causa, sive absque causa, ferreis quondam nexibus constrictus, cum ad supplicium duceretur, clancule. . . clapsus ad ecclesiam Sancti Eligii confugit, *ubi*... repente disrupta catena, qua premebatur, . . . cecidit. . . Mox prædictores... rursum acceptam catenam in collo ac manibus ejus injiciunt. . . *Orat miser; et* effracta catena longius ab eo prosiluit. Deinde jam omnibus recedentibus, solaque catena dissipata in testimonium remanente, cum aliquot horarum fluxisset spatium, supervenit episcopus ejusdem loci, et audiens de
E miraculo quod ibi tunc acciderat, visus est ad horam dubitasse, qui statim inde progrediens cum ascendisset equum, quo illuc advectus fuerat, mansuetissimum, mox ab eo in terram projectus, gravissimis doloribus est confectus. Et confestim culpam dubietatis episcopus reminiscens, palam coram omnibus confiteri est compulsus : sicque inde sublevatus, et salutem post dies plurimos adeptus, cautus deinceps in talibus est redditus. *Quid culpæ, quæso, est non continuo acquiescere testimonio* unius, *quantum noverat Sanctus, nebulonis* (*omnes enim recesserant*) *tale miraculum enarrantis? S.* Mummolini *prudentiam miror, ejus* dubietatem *non culpo. Quod vero ab equo dejectus fuit, atque id pœnam sibi divinitus inflictam æstimavit, culpam minime probat.*

et injuste abrepti equi accusatione,

46 *Alterum factum sequenti capite sic exponitur* (*g*) : Et quia se occasio præbuit, quod de hujusmodi conditione loqui deberem, dicam et aliud hujus rei simillimum. Dum igitur adviveret vir beatus, habuerat equum unum inter cæteros mansuetissimum, cui cum necessitas poposcisset, plerumque sedere consueverat; post cujus videlicet discessum ad ditionem abbatis, qui eidem basilicæ
F præerat, idem equus pervenerat; super quem vir apostolicus Mummolenus ejusdem loci episcopus inhianter sitiens, violenter eum prædicto abbati subripuit, suoque juri vindicavit. Abbas vero, nihil ei obtendere audens, ad Sanctum illico perrexit Eligium, eique multa deplorans causam hanc commendavit. Cum ergo prædictus equus ad ditionem episcopi fuisset perductus, cœpit statim pedibus condolere, ac toto corpore marcescente tabescens decidere : tunc episcopus, adhibito mulomedico, jussit ei studium impendere, quo scilicet sanari potuisset : sed quamvis ei cura sedule impenderetur, nihil prorsus proficere poterat : insuper etiam cum ad eum aliquis accessisset, velut fera agrestis in fremitus et calces prosiliens laniare curatorem suum nitebatur. Cumque hæc per dies plurimos faceret, nullatenusque melioraretur, tandem verens episcopus ne eum, si hoc in periculo permaneret, totum perderet, cuidam illum matronæ sibi dilectæ doni gratia obtulit, quem illa acceptum diligenti cura studiari fecit : cujus cum dorsum die

(*a*) Les Pays-Bas avant et durant la domination Romaine, t. I, p. 38. — (*b*) Collect. concil. Labbe, t. VII, col. 1256. — (*c*) Ibid., col. 1263. — (*d*) Ibid., t. VIII, col. 42. — (*e*) Act. SS. Belgii select., t. II, p. 117 et seq. — (*f*) Vit. S. Eligii, lib. II, cap. XLV. Act. SS. Belgii. t. III, p. 293. — (*g*) Ibid., cap. XLVI, p. 293 et seq.

quadam

A quadam iter arripiens insedisset; statim calcibus et stridoribus immensis actus, graviter eam in terram collisit, in tantum graviter, ut per totum fere annum eadem conquassatione laborans ægra decumberet : quæ nimirum fœmina cum se sentiret vehementer aggravari, remisit episcopo quem dederat equum, et cum eo pariter pro munere exacerbationem, ac pro gratiarum actione probra mandavit; quem episcopus receptum rursus diligere * jussit, sed cuncta ejus diligentia incassum consumebatur, et quantum plus cura adhibebatur, tantum semper idem in pejus delabebatur. Post hæc autem exstitit quidam presbyter religiosus, qui daret episcopo consilium, quatenus videret, cum nihil apud se posset equus proficere, redderet illum eidem abbati, cui dudum injuste ablatus fuisset; et cum secundum ejus consilium factum esset, post paucos dies sanus factus equus, ac mansuetissimus redditus, sub jure ejusdem abbatis permansit omni forma decorus. *Huc usque S. Audoenus.*

* diligenter curare

quam plurima adjuncta infirmant.

47 *Gravis sane accusatio; sed ita gravis, ut, si quis attendat S.* Mummolinum *episcopali nuper dignitate auctum fuisse, cum antea in Sithivensi monasterio SS. Bertinum et Ebertramnum ad sanctitatis leges instituisse, et magni eum factum a S. Audomaro, explicationem, si quæ solida reperiri possit, facile admittere debeat. Jam vero, ut diximus, S. Audoeno, hæc narranti, alienum a S.* Mummolino *animum fuisse, ob Scoticas forte consuetudines, undique apparet : nam, ut alia multa taceam, quis crederet ab episcopo talia de collega litteris creditum iri, nisi quædam exstitisset simultas? Secundo, unam tantum partem, abbatem scilicet Sparvum, audivisse videtur S. Audoenus; quæ altera ratio maxime ejus minuit auctoritatem : quid enim, ut a similibus arguamus, sentiremus de S. Joanne Chrysostomo, unius S. Hieronymi dictis cognitis* (*a*)*? quid de S. Lullo, Egile S. Sturmii biographo solo audito* (*b*)*? Tertio, alii episcopi et regina S. Bathildis modo omnino diverso judicaverint oportet de hoc negotio : nam si verum furtum fuisset, secundum canonem* x *concilii Parisiensis, anno* 615 *celebrati,* usque ad emendationis suæ vel restitutionis rei ablatæ tempus, a consortio ecclesiastico vel a Christianorum convivio habitus fuisset alienus *Sanctus* Mummolinus; *et tamen interea, ut ex ipso S. Audoeno* (*c*) *luculenter colligimus, transtulit S.* Mummolinus, *aliis episcopis, clero et S. Bathilde operam conferentibus, sancti decessoris sui Eligii corpus; unde sane liquet aliam fuisse Sparvi, aliam collegarum S.* Mummolini *sententiam. Quarto, persuasum esse debet* (*quandoquidem de certis fieri non solet litigatio*) *S. Eligii donationem non constitisse S.* Mummolino *vel ex testamento, vel ex alio authentico instrumento : quamobrem, cum id temporis jam obtineret usus diripiendi defunctorum episcoporum res domesticas, idque aliquantum locum habuisset in ipso S. Eligii funere,* (*diaconum scilicet, natione Suevum, rachinam seu lecti stratum furatum fuisse tradit ipse S. Audoenus* (*d*),) *mirum esse non debet S.* Mummolinum *episcopio, cujus ipse naturalis defensor erat, vindicasse equum, quem non certo noverat a decessore suo donatum fuisse. Quamobrem cum bona fide S.* Mummolinus *equum hunc ad res episcopales pertinere credere potuerit, facile cernere est, ejus agendi rationem eam fuisse, qua quis ab inferiore suo læsus, vulgo uteretur : videlicet quem bona fide sibi competere credit equum, ab abbate cœnobii Noviomensis repetit; quo cum uti non possit, non abbati, ne inde in se erigatur, sed alteri permittit; et demum receptum,* cum nihil apud se possit equus proficere, *ex amore pacis servandæ et scandali, ex monachorum ira forte orituri, vitandi causa, misellum animal ad eos remittit : quod vero pertinet ad miracula et prodigia, quibus divinam voluntatem indicatam vult S. Audoenus, ea supra communem ordinem non reputavit S.* Mummolinus, *siquidem mulomedicum adhibuerit; et quidem nescio an multi inter pios virtutis cultores sint, qui ob ejusmodi ostenta quidpiam de jure suo cederent. Atque hæc satis sunt, ut vel omnem a S.* Mummolino *avertant culpam, aut saltem quam maxime dubiam faciant.*

Transfert corpus S. Eligii,

48 *Hæc autem, qualecumque tandem de eis feratur judicium, primo anno S.* Mummolini *episcopatus necdum expleto contigerunt, prout eruitur ex ipsa S. Audoeni narratione, qui factis hisce aliud subnectit Sancto nostro perhonorificum, similiter ante exitum anni primi ab obitu S. Eligii inchoatum :* His ita gestis, *inquit* (*e*), cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est episcopo (Mummolino *nempe*) et reginæ (*Bathildi*) consilium optimum ut ædificata ultra altare volutione (*fornicem seu testitudinem, gallice* une voûte *intellige*) illic ei demum condignam facerent translationem. *Tum post nonnulla magis ad S. Eligium quam ad S.* Mummolinum *pertinentia, prosequitur Audoenus his verbis :* Sic igitur cum antistitis (Mummolini) præsidio opus aggredientes optatum, dignum Beato Confessori (*Eligio*) atque honorabile construxerunt mausolæum. Interea appropinquante die depositionis ejus annuali, (*igitur dicta ante exitum anni primi ab ejus obitu contigerunt*) parabant equidem cives quemadmodum ei honorificam facerent translationem. Præparabat etiam regina (*Bathildis*) vestimenta omnia holoserica nimium pretiosa, ut cum in die transmigrationis exueret illa quæ dudum cum eo miserat indumenta, et indueret ea quæ tunc præparabat nova. Igitur cum anno jam vertente, dies depositionis ejus advenisset, convenit in oppidum copiosa populi multitudo : tunc cuncto clero canore vocis celebrante melodiam, omnibusque Christianis insistentibus excubiis, ablata est cum diligentia tumba desuper Confessoris membra : deinde cum esset levatum tumuli opertorium magnum circumstantibus visum est miraculum... Tunc episcopi (*scilicet* Mummolinus, *iique quos in peragenda translatione corporis S. Eligii adjutores habebat*) cum tremore magno levantes eum de tumulo, vestimenta ei pretiosissima, quæ regina paraverat, mutaverunt omnia; ea quoque quibus dudum obtectus fuerat, eumdem exuentes, cum magna diligentia deposuerunt sub sigillis : ac sic demum... a loco, quo jacuerat vir sanctus, tunc coram cunctis submotus, cum summo et honorifico studio deponitur, atque in præparato sibi sepulcro urbane, ut decebat, componitur æternæ memoriæ servandus, ampliusque quotidie honorificandus. *Sic hæc contraxit Ghesquierus ex lib.* II *cap.* XLVII *Vitæ S. Eligii.*

S. Ebertramnum abbatem San-Quintinianum constituit; et pactum init cum S. Bertino :

49 *Ad primum quoque S.* Mummolini *episcopatus annum referendum esse censet Ghesquierus, ac fortassis ad ipsum ejus initium peractam a S.* Mummolino *Ebertramni, pristini sui in Luxoviensi monasterio, dein in vita apostolica, et in Sithivensi monasterio socii, promotionem ad abbatiam S. Quintini Veromanduensis, uti ex verbis secundæ Vitæ S. Bertini ab auctore anonymo, circa initium sæculi* X

(*a*) S. Hieronymi epist. 88, t. IV Oper., col. 727. Edit. Paris. 1706. — (*b*) Cfr infra Comment. de S. Lullo, § VI. — (*c*) Act. SS. Belgii, t. III, p. 294. et seq. — (*d*) Ibid., p. 290. — (*e*) Ibid., pag. 294.

A *conscriptæ, satis aperte colligitur.* « *Sic enim ille, ait Ghesquierus, cap.* I, *num* 6 : Interea decedente » Achario (*imo S. Eligio*) episcopo urbis Noviomæ, » ad episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir » Mummolinus provehitur, et Ebertramnus cœ- » nobio Sancti Quintini a Mummolino præfertur. » *Quibus verbis anonymus, vel eo ipso tempore, quo* » *ad episcopatum Noviomensem evectus est, vel certe* » *paulo post, Ebertramnum præfatæ ecclesiæ S.* » *Quintini a Sancto nostro abbatem præfectum* » *fuisse satis indicat. Utut sit, jam tum saltem ei* » *præerat Ebertramnus, cum* Mummolinus *episco-* » *pus cum Bertino Sithivensi abbate pactus est per-* » *mutationem quorumdam bonorum, cujus meminit* » *Folquinus diaconus, quamque Cointius anno Chri-* » *sti* 661, *Stiltingus vero anno* 662 *peractam scri-* » *bit.* » *Quæ sententia Stiltingi sane verisimilior est, cum mense Februario, anno VI regni Chlotarii III, a medio mense Novembri anni* 661 *ad medium eumdem mensem anni* 662 *currente, hanc donationem ratam habitam fuisse novimus.* « *Sed* » *tantillum discrimen, pergit Ghesquierus, nos mo-* » *rari non debet, quin ipsa subjiciamus Folquini*

B » *verba, qualia apud Mabillonium* (*a*) *exstant. En* » *illa :* Sub Francorum quoque principe * (*Chlo-* » *tario III*) prædicti regis Hludovici filio, anno » ipsius VI *, Verbique incarnati DCLX, placuit » venerabili viro Mummoleno Noviomensi epi- » scopo, domnoque Bertino abbati de Sitdiu mo- » nasterio inter se aliqua permutare locella : dedit- » que venerabilis Mummolenus episcopus domno » Bertino abbati villam nuncupatam Vallis, quam » de parte dederat viro reverentissimo Ebertramno » abbate de Sancti Quintini cœnobio pro alia villa » cognomento Tunninio, seu et in Brago et in » Glindono, vel in Selertiago. Hæc quinque locella » domno concessit Bertino. Et e contrario vir » venerabilis Bertinus dedit Mummolino episcopo » portionem suam de villa nuncupante Vausune, » in pago Constantino, et locum aliud Launardiaca » villa ad integrum; quam commutationem regia » auctoritate confirmare petierunt : quod et fa- » ctum est. »

* Lothario *addit Guerard.*
* V *male scribit Guerard.*

illa S. Ebertramni institutio postea liti fovendæ adhibita est;

50 *Hæc Ebertramni promotio aliæque similes causæ magnam olim suscitaverunt litem, de qua plurimi jam scripserunt historici aut apologi. Quæstio autem erat utrum ecclesia S. Quintini olim a monachis an a clericis aut canonicis fuisset occupata;*

C *quod si numquam a monachis, deducebant inde San-Quintiniani eam totius Noviomensis diœcesis antiquissimam esse, cæterarumque matrem; quæ antiquitas non sine quibusdam juribus exsistere poterat. Tria penes me sunt opera, quibus hac super re dissertationes immiscentur : recentissimum est* Historia antiquorum jurium San-Quintinopolis, *auctore Ludovico Hordret* (*b*); *aliud* Commentarii *sunt* ad historiam Veromanduorum (*c*), *auctore sæpe citato Ludovico Paulo Colliette, qui cum non tantum San-Quintiniani districtus decanus, sed et Sancti-Quintini regiæ ecclesiæ capellanus esset, hujus ecclesiæ jura totis humeris sustentare conatus est, condita amplissima dissertatione, quæ tomo I dicti operis inserta est; tertius vero Hemeræus mihi est, qui passim in suo opere,* Augusta Viromanduorum illustrata, *ea de re agit* (*d*). *Verum cum reipublicæ et Ecclesiæ in Galliis perturbationes omnia ex antiquitate orta jura San-Quintinianæ ecclesiæ ademerint, atque proin unicuique jam liberius suam super istius-* D *modi rebus prodere sententiam liceat, non dubito assèrere tam evidens esse ecclesiam S. Quintini tempore S. Eligii et S.* Mummolini *atque duobus sæculis post a monachis possessam fuisse, ut quis controversiarum quam veritatis amantior dicendus mihi sit, qui illud admittere renuat. Non vero est quod hic latius hac de re argumenta depromamus, cum apud ipsum Colliette, præter viri voluntatem, sat multa sincerus lector reperiet, quibus convellatur manca ipsius prætensio, dummodo reperta ad suos fontes referre velit.*

pactum vero cum S. Bertino erroribus nonnullis dedit locum.

51 *Ex Folquini verbis, quæ paulo supra recitavimus ad indicandum, quo circiter tempore S.* Mummolinus *Ebertramnum præfecerit monasterio San-Quintiniano, colligere simul licuit anno* VI *Clotarii regis commutationem ab eo fuisse initam cum S. Bertino. Ut notavit Folquinus, Clotarius, seu si mavis, Bathildis ejus mater confirmavit hanc permutationem. Cujus confirmationis litteræ exstant in tractatu Mabillonii de re diplomatica* (*e*), *in supplemento operum diplomaticorum Miræi* (*f*), *in Collectione scriptorum rerum Francicarum D. Bouquet* (*g*), *inter Diplomata Brequigny* (*h*), *et in Cl. V. Guerard Sithivensi Chartulario* (*i*) : *In quo diplomate Ebertramnus, non ut apud Folquinum* de Sancti Quintini cœnobio abbas, *sed* abbas de basilica Sancti Quintini *dicitur. Verum cum Valesius separato opusculo, Disceptatione scilicet de basicilis, quas primi reges Francorum condiderunt, an ab origine monachos habuerunt, majori suo operi de Rebus Francicis dein adjecto, adversus Launoyi dicta affirmantem sententiam fauste propugnaverit, distinctio inter* abbatem de cœnobio *et* abbatem de basilica *in verbis tantum hæret. Quod secundo loco super hoc diplomate notandum est, semel in eo dicitur S.* Mummolinus episcopus vel abbas; *quod utrum vitium sit a Folquino inter describendum admissum, an vero alludatur ad pristinum ejus munus in monasterio Sithivensi; an, quod jam tum interdum fiebat, episcopale cum nescio quo abbatiali pedo conjunxerit, aliis definiendum relinquo. Tertio notetur in hoc contractu metropolitani mentionem non fieri, quoniam mera commutatio erat, et solum secundum canonem* XII *concilii Epaonensis anni* 517 nullus episcopus de rebus ecclesiæ suæ sine conscientia metropolitani sui, vendendi aliquid habebat potestatem, utili tamen omnibus commutatione

E permissa; *quarto, recte animadvertit Ghesquierus Iperium cap.* I, *part.* 10, *hujus permutationis et diplomatis Clotarii meminisse; cætera vero narrari ab Iperio, ut hic relata sunt; sed perperam asseri villam* Vausune, *aut* Vasîme, *ut ipse vocat, S. Bertino obvenisse* ex hæreditate paterna; *quem errorem, (miror eum recurrere in opere Trudperti Neugart, Germania sacra* (*k*),) *docte jam refutavit Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (*l*), *distinguens* pagum Constantiensem *in Germania a* pago Constantino, *et censens per* pagum Constantinum, *in quo villa illa sita esse affirmatur, designari pagum* Constantinum, *situm in hodierna, aut si mavis pristina, Normannia ad Oceanum; qui pagus vulgo* le Cotantin, *vel* le Coutantin *dicitur; id nomen sortitus a* Constantia Gallica (*Coutances*), *ut Valesius ostendit in Notitia Galliarum* (*m*). *Qua de re plura videsis in memorato Stiltingi Commentario; et quinto demum noverit lector Ebertramnum anno* 1785 *adscriptum*

F

(*a*) De re diplomat., p. 605. Cfr Chartularium Sithivense. Edit. a cl. v, Guerard, ex quo correxi. — (*b*) Legendæ imprimis p. 92 et seqq.—(*c*) Mémoire pour servir à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 252 et seqq. — (*d*) Vide imprimis p. 114. — (*e*) P. 605 et seq. — (*f*) T. II, p. 925.— (*g*) T. IV, p. 643.— (*h*) T. I, p. 237. — (*i*) p. 20 et seq. — (*k*) T. I, part. I, p. 38. — (*l*) Act. SS., t. II Sept., p. 556. — (*m*) p. 156.

fuisse

A *fuisse Kalendario San-Audomarensi et anno* 1817 *Kalendario Atrebatensi et abhinc utrobique* XXIV *Januarii sortitum esse festum.*

Subscripsit S. Mummolinus *testamento S. Amandi et dicitur Sant-Amandinum templum consecrasse;*

52 « *Vidimus supra, denuo pergimus cum Ghesquiero, S.* Mummolinum *una cum episcopis aliquot translationi S. Eligii piam sedulamque navantem operam; ipsum nunc videamus Elnonensis templi consecrationi operantem, una cum S. Reolo episcopo Remensi, Sancto Amando Trajectensi quondam antistite, S. Vindiciano Cameracensi atque Atrebatensi episcopo, S. Bertino Sithiensi abbate, binisque aliis abbatibus, nimirum Aldeberto Bavoniano, et Joanne Blandiniensi. Elnonensis chronographus apud Buzelinum lib.* II *Annalium Gallo-Flandriæ hoc fere modo rem gestam refert :* S. Amandus, *quod erexerat* Elnone templum (Sancti Amandi *seu* Amandinum *postea dictum*) insigni pompa dedicavit in honorem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, convocatis episcopis in monasterio Elnone, Reolo archiepiscopo Remensi, Mommoleno Tornacensi et Noviomensi, Vindiciano Cameracensi et Atrebatensi, abbate Bertino, Aldeberto, Joanne, quibus subscribentibus testamentum suum confir-

B mavit, *idque ut ipso testamento adscribitur, anno secundo regni Domini nostri Theodorici regis, sub die* XV *kalendas Maji, seu* XVII *Aprilis.* » *De anno autem, quo hæc facta sunt, disputavit latius Ghesquierus* (*a*) *ostenditque testamento huic verisimiliter episcopos illos atque abbates subscripsisse eodem die, quo Elnonense templum consecratum fuit, nimirum* XVII *Aprilis, quæ dies anno* 679 *in Dominicam incidebat, inchoato tunc anno secundo monarchiæ Theodorici regis.* « *Cæterum, ita pergit Ghesquierus, tametsi S. Amandus episcopalem dignitatem jam pridem adeptus esset, atque ipse Elnonense templum erexisset, non dubium tamen est, quin S.* Mummolino, *utpote in cujus Tornacensi diœcesi templum illud situm erat, præcipuas in illius consecrationes partes detulerit; ut adeo non absre asseratur* Mummolinus Elnonensem basilicam consecrasse, rogante Amando, cujus testamento subscripsit, *quemadmodum in Officiis propriis diœcesis Tornacensis, anno* 1731 *editis* (*b*), *lectione* VI *legitur.* » *Dubium id tamen nobis est ob præsentiam Reoli metropolitani.*

aliis plurimis solemnibus instrumentis subscripsit.

C 53 *Aliis quoque nec minus solemnibus instrumentis calculum suum adjecit* Mummolinus, *videlicet privilegio Emmonis Senonensis, monasterio Senonensi S. Petri-Vivi anno III Clotarii regis concesso; de quo* § III *late actum est. Triennio post,* sub die *scilicet* XVIII Maji anno VI regni domni. . . Clothacarii regis, *signum suum apposuisse reperitur S.* Mummolinus *chartæ, qua S. Audomarus, Teruanensis episcopus, basilicam S. Mariæ, in oppido dein de S. Audomaro appellato a se constitutam, et sub patrocinio S. Bertini regendam, ab omni episcopali subjectione exemit. Chartam hanc, quam partim vulgavit Mabillonius* (*c*), *integram vero Malbrancq* (*d*), *Stiltingus in Commentario de S. Bertino* (*e*), *Brequigny* (*f*) *juxta apographum collatum cum chartulario Folquini, Cl. V. Guerard* (*g*) *juxta idem chartularium, aliique, adorti sunt quam plurimi : e quibus Cointium in Annalibus ecclesiasticis Francorum* (*h*), *et defensores ecclesiæ San-Audomarensis* (*i*), *nominasse satis fuerit; alii vero strenue propugnarunt : quos inter Benedictini, Novi de re diplomatica tractatus auctores* (*k*), *assertores jurium monasterii Sithivensis* (*l*), *et Brequigny* (*m*) : *ex qua vero parte collocem Stiltingum nostrum* (*n*), *qui propter subscriptiones, difficultatem nonnullam incurrentes, eam integram asserere non audet, neque tamen supposititiam, non omnino video. Quidquid sit de fide harum subscriptionum, cum aliunde constet, ut ostendit Stiltingus* (*o*), *ecclesiam illam a S. Audomaro datam fuisse Sithivensi abbati, S. Bertino; et præterea cum Sam-Bertiniani probarint privilegium absolutæ libertatis, præfata charta contentum, jure a se vindicari, ita ut id eis solemni judicio curia Parisiensis confirmarit die* III *Februarii anni* 1778 (*p*); *ipsa charta, quæ nullis probabilibus argumentis impeti potest, ut late diduxit Stiltingus, omnino admittenda videtur; et quod ad subscriptiones attinet, si quæ mutatæ aut dein appositæ fuerunt, has inter referendum non est signum S.* Mummolini; *quem dubium non est, ei suum apposuisse nomen, cum tot vincula eum SS. Audomaro et Bertino conjungerent, et non ita procul a Teruana habitaret. Ejus autem subscriptio, quæ prima post S. Audomari venit, ita sonat :* In Christi nomine Mummolenus, acsi peccator, episcopus, rogatus pro indiculo domni Audomari E subscripsi. *Sequenti anno subscripsit idem Sanctus alteri diplomati, Bertefredi nempe, episcopi Ambianensis, pro libertate monachorum Corbejensium. Edidit Mabillonius hujus diplomatis partem in Annalibus Benedictinis* (*q*), *alii vero plures integrum, ut num.* 40 *notavimus. Launoyus et Cointius pro viribus id impugnarunt; oleum tamen perdentes et operam, ut colligitur ex Brequigny* (*r*). Datum *id fuit* sub die octavo idus Septembris anno septimo regnante Chlotario rege, Captuniaco in palatio publice. *Unde corrigendus est Ghesquierus* (*s*), *qui, præter morem suum Galliæ Christianæ dicta ad fontes non referens, annum sextum regni Clotarii notavit. Refertur hæc charta a Brequigny ad annum* 662, *quoniam initium regni Clotarii III a die* VI *mensis Septembris anni* 656 *computavit; verum cum secunda hebdomade mensis Novembris anni* 659 *annus tertius adhuc curreret, ut superius cum Pagio adnotavimus, liquet diem octavum idus Septembris anno septimo regni Clotarii cum die sexta Septembris anni* 663 *convenire. Sub eodem Clotario calculum quoque suum apposuit diplomati S. Drausii, episcopi Suessionensis; quod supra num.* 40 *jam citavimus. Quoniam vero diploma illud inscribitur S.* Mummolino F *et septem aliis provinciæ Remensis episcopis, qui omnes fere ad calcem cum aliis ex vicinis ecclesiasticis provinciis subscripserunt, manifestum fit diploma illud circumlatum fuisse, non secus ac Senonense, de quo paulo supra iterum diximus, neque necessario proinde S.* Mummolinum *tetendisse* Augustam Suessionum, *ubi* VI kalendas Julii anno decimo Chlotarii, gloriosi regis, *constitutio illa* acta est, *seu concessa. Neque unica hujus circumferendi diplomatis ratio erat, quod moris ferme esset, ut comprovinciales episcopi hujuscemodi constitutiones suo confirmarent chirographo : nam, ut loquitur D. Michael Germain* (*t*), notatu dignum est, privilegium istud ad comprovinciales dumtaxat Remensis metropolis antistites fuisse directum, eo quod illi certis casibus abbatissarum interessent electionibus, uti Carolus Calvus in diplomate (*u*). . . . . profitetur

(*a*) Act. SS. Belgii, t. IV, p. 181. — (*b*) p. 214. — (*c*) Annal. Ord. S. Bened., t. I, p. 419. Edit. Luc. — (*d*) De Morinis, t. I, p. 669. — (*e*) Act. SS., t. II Septemb., p. 566. — (*f*) Diplom., t. I, p. 238 et seqq. — (*g*) Cartulaire de l'abb. de St. Bertin, p. 23 et seqq. — (*h*) T. III, p. 516. — (*i*) Vérité de l'église de S. Omer, p. 100 et seqq. — (*k*) Nouv. Trait. de diplomat., t. V, p. 4 et seqq.— (*l*) Origine de l'abb. de S. Bertin, p. 71 et seqq.— (*m*) Diplom., t. I, p. 238 et seqq. — (*n*) Act. SS., t. II, p. 567 et seqq.— (*o*) Ibid., p. 565 et 570 et seqq.—(*p*) Brequigny Diplom., t. I, p. 238. — (*q*) Ad annum 663, § 1, t. I, p. 432. Ed. Lucen. — (*r*) Diplomat., t. I, p. 241. — (*s*) Act. SS. Belgii, t. IV, p. 409. — (*t*) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (*u*) Vide ibid. diploma., p. 427 et seq.

an.

A *an.* 846. *Demum sub Childerico II subscripsit Sanctus litteris S. Bercharii pro monasterio Dervensi; quas anno* 672 *concessas fuisse statuit colendus meus collega in Commentario de hoc Sancto, qui continuo hic sequitur : de eodem diplomate plura ibidem videat lector. Atque hæc sunt S.* Mummolini *gesta, prætermissa a biographis, aliunde tamen antiquis firmata testimoniis.*

§ V. De morte, sepultura, elevatione et translatione Reliquiarum S. Mummolini; de Reliquiis concessis monasterio S. Bertini.

Anno 683, *seu secundum alios anno* 685 *mortuus, sepelitur in sacello S. Georgii, dein SS. Apostolorum, et demum S. Godebertæ dicto,*

B *Quæ adjuncta S.* Mummolini *mortem comitata fuerint, satis explicant biographi; quod vero pertinet ad tempus aliunde id inquirendum videtur. Porro consentiunt omnes S.* Mummolini *biographi cum biographo S. Audomari* (*a*) *in assignandis ejus episcopatui viginti sex annis : unde cum eum vel anno* 657 *exeunte vel* 658 *ineunte ad Noviomenses atque Tornacenses insulas evectum fuisse dixerimus, oportet ut ejus obitum anno* 683 *illigemus, qui vigesimus sextus ejus episcopatus erat. Alii vero, qui eum biennio tardius ad episcopalem sedem promotum statuunt, biennio quoque serius ejus mortem referant oportet. Itaque, cum jam moriturus esset, paternis verbis monuit clericos suos, corpusque suum extra urbem condi jussit; cui jussioni obsecundans ejus clerus, sepelivit eum* extra mœnia ante portam castri, juxta monasterium, quod *tempore biographi alterius* jam dudum in honorem duodecim Apostolorum fundabatur, quo in loco statuta erat congregatio sanctimonialium. *Antiquiores vero biographi paulo aliter locum exprimunt, cum dicunt :* extra muros ante portam aquariam in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum. *At duplex hic oritur quæstio : prior scilicet, quomodo sibi constent hæc duo asserta : S.* Mummolinum *sepultum fuisse juxta ejus mandatum* extra mœnia *aut* muros ante portam castri *seu* aquariam, *et simul conditum fuisse juxta monasterium exstructum in honorem duodecim Apostolorum, cum, ut habet Papebrochius* (*b*), *teste*

C *Ludovico de Montigny, Noviomensis Ecclesiæ archidiacono, in annotatis suis ad Vitam Sanctæ Godebertæ Virginis* (*c*), *anno* 1630 *Parisiis editam, et alio non minus securo teste Colliette passim in suis de pago Veromanduorum commentariis, monasterium duodecim Apostolorum jam pridem una ex decem Noviomensis urbis parochiis fuerit; altera quæstio in hoc versatur quod S.* Mummolinus *a pluribus biographis* in ecclesia Sanctorum Apostolorum sepultus *fuisse dicitur, et tamen in recentioribus nonnullis de eo sacris lectionibus, quas propugnator jurium ecclesiæ Sant-Audomarensis allegat* (*d*), *et in Annalibus Benedictinis* (*e*) *statuitur S.* Mummolinum in communi cœmeterio Christianorum fuisse sepultum; *quod commune cœmeterium certe non erat hæc ecclesia, tum quoniam exigua erat valde, tum quoniam sacri canones vetabant ecclesiam commune cœmeterium esse, ut late imprimis videre est apud Ludovicum Thomassinum de disciplina Ecclesiæ* (*f*).

quod tum erat in suburbio Noviomi,

55 *Ad priorem quæstionem jam respondit Ghesquierus in Commentario de S.* Mummolino *num.* 30, D *cœnobium illud, seu, si præplacet, S. Georgii oratorium, SS. Apostolorum monasterio dein inclusum, sæculo Christi septimo extra Noviomensis urbis mœnia re vera situm fuisse; tametsi nunc, imo jam pridem, ampliato urbis pomœrio, oppidi ambitu inclusum sit, adeo ut locus, quem olim porta* Castri *seu* Castelli, *aut* aquaria *occupabat, nunc sit vicinus illi, ubi modo sunt putei in frumentario urbis foro. Cui explicationi absque hæsitatione suffragandum est, quandoquidem in Vita S. Godebertæ Virginis* (*g*), *circa annum* 700 *defunctæ, hæc leguntur :* Convenientes itaque (*S. Godeberta ejusque sociæ*) IN SUBURBIUM URBIS NOVIOMICÆ in oratorium scilicet (*S. Georgii*) quod a rege susceperant, die noctuque Deo deservire infatigabiliter elaborabant. *Non ergo sibi contrarii sunt biographi, dum uno loco ajunt :* Mummolinum extra Noviomensis urbis mœnia ante portam castri (*vel* aquariam) *sepeliri voluisse; alio autem loco, eum conditum esse* juxta monasterium in honorem duodecim Apostolorum *fundatum.*

non autem sepelitur in communi cœmeterio.

56 *Ad alteram quæstionem non ita facile respondere est, quoniam nullum monumentum omnino coævum exstat, atque idcirco adversus afferenda loca objici potest : scriptores testari quod suis oculis viderent, non quod sæculo ante factum esset. Verumtamen cum testimonium non quidem coævum, sed suppar melius sit, quam nullum testimonium, neque hujus generis monumentum absque probata ratione possit* E *rejici, affirmare non hæsito S.* Mummolinum *non in communi cœmeterio, sed in ecclesia S. Georgii, seu duodecim Apostolorum continuo post mortem fuisse sepultum, non autem illuc postea translatum. Antiquiores quippe Vitæ expresse id habent, eisque suffragatur laudatæ S. Godebertæ Vita, quæ sæculo* X *æstimatur conscripta fuisse. In hac enim occurrunt sequentia verba* (*h*) : Sepulta est itaque egregia Dei famula (*S. Godeberta*) tertio idus Aprilis, in oratorio B. Georgii, in ecclesia quæ modo dicitur SS. Apostolorum, ubi et corpus S. Mummoleni ejusdem civitatis episcopi honorifice sepelierunt.

In S. Godebertæ templo cum aliis Sanctis

57 *Locus vero, ubi depositus fuit S.* Mummolinus, *sacellum forte est, quod ante turbas gallicas S. Godebertæ nomen in hac ecclesia habebat. Quod si Papebrochii verbis, eruditis Ludovici Montiniacencis annotationibus ad Vitam S. Godebertæ utentis, fidere licet, erat hoc sacellum vel crypta, vel saltem cryptæ species; tradit enim sacrarium illud* ad dextram partem chori, INFRA sacellum Sanctæ Crucis *fuisse.* F *Cum vero docet* ibidem adhuc superesse veteris tumbæ partem magnam, insculptas habentem duorum episcoporum imagines, et inter eas tertiam unam mediam in habitu sanctimonialis, similemque repræsentationem videri in ecclesiæ propylæo ex parte cœmeterii, *unusquisque facile suspicabitur alterutram S.* Mummolini *esse; verumtamen non ita luculenta hæc res est, cum duo alii sancti episcopi præter* Mummolinum *sepulturam illic nacti dicantur. Papebrochius enim in citato de S. Godeberta Commentario* (*i*) *tradit, non tantum in S. Godebertæ seu duodecim Apostolorum templo notabiles particulas ex corpore S. Eunucii ostendi et coli, verum etiam olim inde elevatum fuisse sacrum ejus corpus : quæ verisimiliter hausta fuerunt ex Montiniacensis annotatis. Et quidem, licet Stiltingus, qui ad* X *Septembris S. Eunucii gesta illustravit, omnino tacuerit de primitiva S. Eunucii sepultura, quamquam multus fuit in ejus recensendis translationibus* (*k*); *omnino admittendum videtur, illic S. Eunucii*

(*a*) Act. SS., t. III Septemb., p. 399.—(*b*) Act. SS. t. II Apr. p. 33.—(*c*) p. 63.—(*d*) Vérité de l'égl. de S. Omer, p. 222 et 234.—(*e*) T. I, p. 528.—(*f*) Lib. I, part. III, cap. LXV. Edit. Gallic.—(*g*) Act. SS., t. II April. p. 33, num. 5.—(*h*) Ibid., p. 34, num. 12.—(*i*) Act. SS., t. II April. p. 32.—(*k*) Act. SS., t. III Septemb., p. 617.

corpus

A *corpus terræ mandatum fuisse, propter elevationis festum, de quo inferius continuo dicetur. Cousin vero, Tornacensis historiographus* (*a*), *ex cap.* XV *operis Democharis de Sacrificio Missæ, ex tomo I Cosmographiæ Belforestii, et ex Officiis ecclesiasticis sæculo* XVII *et* XVIII *Noviomensis et Tornacensis Ecclesiarum, perhibet S. Acharium, decessorem S. Eligii, in S. Georgii oratorio terra conditum fuisse. Verum, cum S. Eunucius recentior sit S. Godeberta, et lapis ille indicare videatur hanc sanctam Christi ancillam inter duos episcopos sepulcro impositam fuisse, verisimilius est alterum Sanctum nostrum* Mummolinum *esse, alterum Acharium.*

levatur e terra, et postea transfertur ad templum cathedrale Noviomense.

58 *Neque minus obscurum est temporis spatium, quod S.* Mummolinus *illic jacuit, priusquam ex terra elevaretur et dein ad cathedrale Noviomense templum transferretur. Habemus quidem tamquam summe verisimile, uno tempore SS.* Mummolini, *Godebertæ et Eunucii corpora elevata fuisse; quoniam una festivitate triplex hæc elevatio olim celebrabatur, ut liquet ex his Papebrochii verbis* (*b*): Eadem ecclesia (*SS. Apostolorum*) hodie inter sacras Reliquias possidet et ostendit notabiles particulas ex corporibus SS. Eunucii et Godebertæ, quorum et
B S. Mummolini, in eadem quoque ecclesia sepulti, ELEVATIO in Martyrologio ecclesiæ cathedralis notatur ad XXVII Aprilis; *verum minime constat, quo tempore hæc elevatio facta fuerit. Cum tamen S. Eunucius circa medium sæculum* VIII *obiisse feratur* (*c*), *serius hoc tempore eam contigisse statuendum est. Ast, si una celebritate hæc trium Sanctorum corpora elevata videantur, certum est non uno anno eadem fuisse translata. S. Eunucii enim sacræ exuviæ circa medium sæculum decimum a Radulpho seu Hadulpho, Noviomensi episcopo, translatæ fuerunt in templum S. Lupi, dein S. Eligii, ut permulti testantur apud laudatum Stiltingum* (*d*); *quin ex ecclesia SS. Apostolorum motum fuerit corpus S. Godebertæ, ut planum intelligere est ex bulla Joannis Papæ XV, quam post Vassorium in Annalibus Noviomensibus* (*e*) *edidit Colliette in Commentariis de pago Veromanduensi* (*f*); *atque aliunde, ex inedito scilicet Catalogo episcoporum Tornacensium et Noviomensium, nobis innotescit* (*quod Noviomenses latuisse, cum Papebrochius suum de S. Godeberta scriberet Commentarium, ex litteris Nicolai de la Haye Noviomensis decani cognovimus*) *a* Balduino *episcopo Noviomensi* translatum *fuisse* corpus S.
C Godebertæ ab oratorio S. Georgii (*seu SS. Apostolorum*) ad basilicam Virginis Mariæ Noviomensis anno 1167 die XXVII mensis Aprilis; *quæ dies anniversaria erat elevationis SS.* Mummolini, *Eunucii et ejusdem S. Godebertæ. Atque ex his satis liquere arbitror, non eodem tempore triplicem illum thesaurum translatum fuisse. Verumtamen quod pertinet ad S.* Mummolinum, *crederem jam pridem ante sæculum* XVI *corpus ejus ad ecclesiam cathedralem delatum fuisse, tum quod ecclesia SS. Apostolorum, utpote extra mœnia posita bellatorum direptionibus obnoxia erat* (*g*), *tum quod credibile non est tam diu cathedralis ecclesiæ canonicos passos esse hæc sacra pignora a præcipuo suo templo abesse, cum per eos staret hæc illuc transferre. Simili argumento utitur Papebrochius, ubi de translatione S. Godebertæ agit.*

Templum S. Mummolini, *de quo recentiores biographi, non videtur esse idem ac templum S. Godebertæ,*

59 *Sed stylum referamus ad Ghesquierum, qui num.* 32 *sic prosequitur :* « *Non ita liquet quid sibi*
» *velit* Mummolini *biographus, dum de præfato mo-*
» *nasterio loquens, hæc verba subjicit :* Quod jam
» dudum ad honorem duodecim Apostolorum a D
» sanctissimis viris FUNDATUR. *An forte postremo*
» *hocce verbo indicare voluit, monasterium illud,*
» *eo tempore, quo scribebat, inchoatum quidem jam*
» *dudum, sed necdum peractum fuisse? Suspicor id*
» *quidem, at affirmare non ausim, cum nuspiam*
» *expressum invenerim tempus, sed neque sanctissi-*
» *morum virorum nomina, a quibus S. Georgii*
» *oratorium, mutato priore nomine, erectum fuit in*
» *monasterium, Sanctorum Apostolorum dictum.*
» *Id unum mihi liquet, cœnobium illud ante exitum*
» *sæculi decimi appellatum fuisse abbatiam S. Go-*
» *debertæ Virginis, uti patet apud Vassorium in*
» *Annalibus Ecclesiæ Noviomensis* (*h*), *ex diplomate*
» *Joannis Papæ XV, Liudulfo, seu Liudulpho,*
» *Noviomensi episcopo, anno* 988 *concesso, quo*
» *simul asseritur monasterium illud constructum*
» *fuisse* in honore beatorum Apostolorum Petri et
» Pauli, *nulla cæterorum Apostolorum facta men-*
» *tione. Constat etiam ex epistola Guidonis, No-*
» *viomensis thesaurarii, sub annum* 1050 *scripta,*
» *quam videsis tom. X Galliæ Christianæ auctæ,*
» *inter instrumenta* (*i*), *jam tum* » (*imo tempore episcoporum Walberti et Transmari, id est ante annum* 950, *ut liquet ex ipsa Guidonis scriptione*) E
« *virgines, quæ in eo degebant monasterio, sancti-*
» *moniales Sanctæ Godebertæ dictas, ipsum vero*
» *monasterium, abbatiam S. Godebertæ* (*loquitur*
» *Guido de temporibus Liudulfi, ante annum* 988).
» *Cum autem postremum hoc nomen ei deinceps ad-*
» *hæserit, oportet, ut certe ante annum* 988 *mona-*
» *sterium illud, seu saltem monasterii basilica, uti*
» *Sancti nostri biographus loquitur, Sancti* Mum-
» moleni *sumpserit vocabula, ac diu quidem ante,*
» *et forte currente ipsomet sæculo octavo.* » *Liceat mihi parumper hic sistere egregium Ghesquierum : non enim ei assentio, cum hæc biographi recentioris dicta :* ad cujus (*Dei*) laudem in præsentiarum constructa basilica usque in hodiernum diem, Sancti Mummolini sumpsit vocabula, *interpretatur ac si de ecclesia duodecim Apostolorum ageretur. Etenim nusquam vocatur hæc ecclesia nomine S.* Mummolini; *præterea concessisset sane Ghesquierus de hac ecclesia hic non agi, si S.* Mummolini *nomen non obtinuit, priusquam SS. Apostolorum nomine, quod sæculo decimo adhuc gerebat, insigniretur; atqui recentior biographus,* (*in supposito quod hæc ecclesia ab eo indicaretur,*) *affirmasset eam* usque in hodiernum (*quo scribebat*) diem Sancti Mummolini sum- F
psisse vocabula, *et biographus vetustior eamdem ecclesiam jam nomine* SS. Apostolorum *appellasset!*

sed idem potius ac templum Veteris monasterii.

60 *Porro cum hæc non consonent, neque in pristina diœcesi Noviomensi* (*de Tornacensi, ubi cultus recentior videtur, mentionem non facio*) *ullum, quod sciam, umquam exstiterit templum,* (*sane superiori sæculo nullum exstitisse liquet ex indice beneficiorum, edito a Colliette* (*k*),) *libenter crederem* basilicam, quæ S. MUMMOLINI sumebat vocabula, *templum Veteris monasterii fuisse, ubi diu commoratum vidimus S.* Mummolinum. *Cletyus quidem, non indoctus Sam-Bertinianæ bibliothecæ præfectus, scripsit ad Stiltingum nostrum* (*l*) : Illud Vetus monasterium cum suis officinis per bella Gallorum et Anglorum combustum fuit anno MCDXCVII. Felicioribus temporibus eodem in loco erecta fuit parochia sub nomine S. Mummolini, in spiritualibus et temporalibus omnino dependens ab abbatia S. Bertini; *verum inde non evincitur Veteris monasterii templum*

(*a*) Hist. de Tournay, liv. II, p. 39. — (*b*) T. II April., p. 32. —(*c*) Cfr Act. SS., t. III Sept., p. 617 et Gall. Christ., t. IX, col. 986. — (*d*) Act. SS., t. III Sept., p. 617, num. 3.— (*e*) p. 734. — (*f*) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 577.— (*g*) Cfr Colliette, Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, p. 344. — (*h*) p. 734. — (*i*) Col. 365. — (*k*) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, ad calcem. — (*l*) Act. SS., t. II Septemb., p. 561.

A *S.* Mummolini *vocabulo insignitum non fuisse ante suam destructionem; atque adeo, cum feliciora hæc tempora, quæ laudat Cletyus, recentiora videantur, (nam exeunte sæculo* XV *tanta apud Sam-Bertinianos orta erat rei pecuniariæ penuria, ut, nedum de ædificando templo cogitandum esset, successor Johannis IX in tantum monasterium bonis evacuatum invenerit, ut pro confirmatione suæ electionis prosequenda Reliquiarum capsæ, vasa servitio divino deputata, imagines Beatæ Mariæ, Audomari atque Bertini argenteæ, auroque munitæ, atque ecclesiæ calices, præcipue calix aureus, diversis gemmis ornatus, venumdati sint; licet antea abbas Johannes IX lumen ecclesiæ religiosorumque præbendas ad medium diminuisset, aliaque hujusmodi egisset parcissime; de quibus legenda est Continuatio Sam-Bertiniani Chronici (a)) cum, inquam, faustiora hæc tempora non ita continuo post hanc cladem secuta sint, devenimus ad tardiorem ætatem, quam ut ineunte sæculo* XVII *Veteris monasterii templum S.* Mummolini *per magnam Galliæ partem cognosceretur, et e longinquo ad id fierent piæ peregrinationes, quales, ut ad calcem hujus Commentarii videbitur, describit Malbrancquius; nisi jam ante*
B *memoratam destructionem S.* Mummolini *cultus ibidem vigeret.*

Miracula et translatio partis capitis ad Sithivense monasterium,

61 *Ad Ghesquierum num.* 33 *sic disserentem revertor :* « *Quod autem ad miracula spectat, quæ* » *biographus asserit S.* Mummolini *patrocinio patrata fuisse, horum ego nuspiam narrationem* » *specialem, sed neque documenta authentica invenire quivi; propterea tamen affirmanti biographo* » *fidem non abnuo, quandoquidem illa, ut alia* » *multa instrumenta vetera, iniquitate temporum* » *dein intercidisse potuerunt. Idem dictum puta de* » *insigni miraculo a S.* Mummolino *patrato, revocati nimirum defuncti hominis ad vitam, quod se* » *Cousin in antiquis MSS. legisse asserit tomo II* » *Historiæ Tornacensis* (b). » *Ex plurimis autem, qui mihi præsto sunt episcoporum Tornacensium catalogi, duo hæc habent :* Cui (*S. Eligio*) successit B. Momolenus, qui virum mortuum suscitavit, et plurima alia miracula Dominus per eum operatus est. *Eadem fere reperire est in Chronico Tornacensi, quod Baro ab Reiffenberg carminibus Philippi Mouskes, a se editis, subjecit* (c), *et in opere Malbrancquii de Morinis* (d). *Sic vero pergit Ghesquierus :* « *Frustra quoque inquisivi in acta translationis S.*
C » *Mummolini* (*cfr n.* 58); *cujus corpus nunc asservatur in cathedrali Noviomensi, ut tradunt scriptores* » *tomi IX Galliæ Christianæ auctæ* (e), *pars autem* » *capitis in Sithivensi seu Bertiniana ecclesia.* » *Idem ante eos commemoravit Malbrancquius* (f) *paulo latius, hæc illustrans his verbis :* Modo in cathedrali Noviomensium basilica ad aram principem eminet divite feretro, ad dextrum S. Eligii latus, lævum Godebertha tenente. Audomaropoli Bertinenses ostentant ejus capitis partem aliasque particulas.

quam monumenta Noviomense

62 *De advectione harum Reliquiarum ad Sancti Bertini plurima adjuncta servaverunt nobis historici. Vassorius imprimis in Annalibus Noviomensibus edidit conclusionem capitularem latinam, qua donatio horum pignorum facta est; en ut eam anno* 1841 *nobis descripsit Rev. Adm. Dominus Delettre, id temporis Vicarius Capitularis Belvacensis :* Capitulo facto die Mercurii 15 Junii 1463, congregati Domini super expeditione particulæ gloriosi capitis B. Mommoleni, jam diu promissæ Reverendo in Christo Patri Domino Gullelmo, Dei gratia Tornacensi episcopo, et abbati monasterii Sancti Bertini in Sancto Audemaro, ac recondendæ in ipso monasterio cum corpore seu Reliquiis B. Bertini, ut quemadmodum in vita comites exstiterunt, ita et habeant simul corporum Reliquias; pro quibus Reliquiis reverenter, ut decet, recipiendis, a dicto reverendo Patre destinati sunt religiosi ac providi viri Domini Andreas de Crehen, Joannes de Pratis, monachi prætacti monasterii, ac Nicolaus Erembaud, laicus baillivus ejusdem monasterii; advisaverunt Domini prænominati procedere in hunc modum, videlicet quod Missa de Requiem finita, cum omni reverentia deferatur ad majus altare præfatum caput Beati Mommoleni, et inde accipiatur reverenter illa particula quam ipsis religiosis decreverunt Domini communicare, quod et factum est. Choro siquidem congregato et cantante, allatum præfatum caput ad majus altare, a quo extractæ fuerunt una magna particula, cum quatuor aliis, una majori et aliis minutis, in eodem monasterio amodo venerandis, quod facere promiserunt dicti religiosi et baillivus, petentes super hoc sibi fieri et tradi litteras capituli, quæ concessæ sunt. *Huc usque Noviomense instrumentum.* D E

et Sam-Bertiniana certam faciunt.

63 *His consona habet Continuatio Chronici Iperii, seu Sam-Bertiniani, ubi sequentia reperio :* Willelmus cognomento Filatrius abbas LXIV. . . tabulam majoris altaris argenteam ac deauratam renovavit, omnesque gemmas per eam stratas de proprio dedit; novam capsam Beati Bertini lapidibus pretiosis ornatam, thecamque argenteam partem capitis S. Mommolini continentem, hic de Noviomo ad ejus petitionem translatam, cum gemmis quas dedit ornavit. Pannum unum album gemmis munitum (repa *seu* reba *ejusmodi panni, Sanctorum Reliquias tegentes, olim dicebantur*) super ejus (Mummolini) altare suspendendum donavit. *Abbas vero ille Willelmus, qui Virdunensem, Tullensem et Tornacensem episcopales cathedras successive occupavit, et ab anno* 1459 *ad* 1473 *S. Bertini abbatiam obtinuit, non alias tamen quam postulatoris partes hic egit, ut liquet ex additione, quam in codice Sam-Bertiniano Continuationi Iperii Chronici ad hunc locum appositam unus e decessoribus nostris reperit et exscripsit; ita sonat :* Hanc partem capitis D. Mummolini D. Andreas de Crehen prior Veteris monasterii, XXII Junii Dominica die anni 1463, huc per duos canonicos ecclesiæ cathedralis Noviomensis delatam excepit F solemniter. *Altare vero illud, de quo in Continuatione Sam-Bertiniani Chronici mentio fit, non videtur exstitisse usque ad Gallicanæ reipublicæ perturbationes; siquidem in superius laudata descriptione abbatiæ Sancti Bertini* (g), *in qua omnia recensentur altaria, altare S.* Mummolini *non prodit. Reliquiæ vero Sancti nostri, quæ nihil passæ fuerunt tempore bellorum Gallos inter et Alemannos, plurimum detrimenti monasterio Sancti Bertini afferentium* (*multus in his est Continuator Chronici*), *inter superioris sæculi turbas amissæ videntur. Quæ concludi posse autumo ex his, quibus descriptores abbatiæ Sancti Bertini librum suum claudunt verbis :* Hæc capsa reliquiaria (*intelligit ermam S. Bertini, cujus cupro insculptam imaginem edidit Stiltingus in commentario de S. Bertino* (h)) anno 1793 fracta fuit, ut ad monetæ officinam mitteretur, cum reliqua argentea supellectile, quæ in abbatiæ thesauro servabatur : *atqui non est cur ab hac sorte eximamus S.* Mummolini *Reliquiarum pyxidem.*

(a) D. Martenne Ampliss. Collect., t. VI, col. 630 et seq. — (b) p. 123. — (c) T. I, p. 535. — (d) Ibid., p. 502. — (e) Col. 985. — (f) De Morinis, t. I, p. 502. — (g) Descript. de l'abbaye de St. Bertin, p. 23 et seqq. — (h) Act. SS., t. II Sept., p. 585.

Hæc

A *Hæc de Reliquiis in Sancti Bertini olim servatis : superest ut Noviomensium, cæterarum fontis, recentiora fata explicemus. Nam quod nihil dicamus de iis, quæ olim in abbatia S. Eligii servatæ dicuntur ab editoribus Lovaniensibus Vitarum Sanctorum Butleri, ratio est, quod nihil uspiam a nobis de iis repertum fuit; atque adeo suspicio nobis est, abbatiam S. Bertini erronee S. Eligii appellatam fuisse : quandoquidem hagiographi illi nihil statuant de lipsanis, ad S. Bertini asservatis, quorum reliqui biographi meminerunt; dum de aliis, quæ ignorantur ab omnibus, sermonem faciunt.*

§ VI. Quæ fata Reliquiæ S. Mummolini expertæ sint Noviomi annis 1793 et 1795; invocatio ejus publica et privata.

B *Instrumentum recognitionis Reliquiarum Noviomensium,*

Reliquiæ S. Mummolini, *quæ Noviomi multa olim reverentia servabantur, temporibus turbatæ reipublicæ gallicanæ profanas quidem expertæ fuerunt manus, non tamen, qualiter Sam-Bertinianæ perierunt. Quæ constant ex instrumento authentico, quod mediante laudato Rev. Adm. Domino Delettre, transmisit ad nos R. D. Thiéble, parochus Noviomensis, affirmans submissum ecgraphum conforme esse exemplari in archivio Noviomensi asservato, testificansque hoc exemplar unicum monumentum esse, quod penes Noviomenses sit de suarum Reliquiarum conservatione. In eo non tantum mentio fit de S.* Mummolini *lipsanis; verum de exuviis quoque S. Godebertæ honoratæ die* XI *Aprilis, S. Medardi die* VIII *Junii celebrati, S. Acharii die* XXVII *Novembris culti, S. Eligii, quem venerantur die* I *Decembris, et S. Albini, quem eumdem arbitror ac S. Albinum Andegavensem episcopum, de quo egerunt jam pridem decessores nostri* (*a*); *quandoquidem hunc solum Albinum ad diem* I *Martii a Noviomensibus cultum reperio in Breviario anni* 1630. *Integrum tamen id instrumentum, gallice conscriptum, qualitercumque latinum faciendum visum est; tunc quoniam SS. Eligius, Medardus*

C *aliique in Ecclesia Dei illustrissimi cœlites sunt, eorumque adeo lipsanon sortem novisse magni refert, tum quoniam eo instrumento planum fit, quomodo id temporis res a schismaticis gererentur. Quod vero pertinet ad versionem latinam, ante omnia curandum visum est, ut ad verbum fere gallica scriptio latina fieret; unde difficilem stylum excusare velit lector. Præterea cum commentarius ille nonnihil aliquando obscurus esset propter immensas incidentes sententias, boni consultum est aliquot interponere parentheses, quæ in exemplari gallico desunt, atque adeo quædam repetere, quæ ne confunderentur cum genuino textu, alio charactere hic excusa fuerunt.*

anno 1793 factæ.

65 *En demum illud instrumentum :* Anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, die vigesima tertia Augusti, hora undecima matutina, nos Carolus Ludovicus Franciscus Frémont, presbyter, et Josephus Gaspard Catrières, similiter presbyter, invitati a quatuor ecclesiasticis viris presbyteris, scilicet Petro Armando Richousftz, Carolo Francisco Lejeune, Ludovico Carolo Francisco Dautrevaux et Antonio Despréaux, officia ministerii pastoralis obeuntibus in ecclesia Noviomensi; (*invitati* D *quoque*) a commissariis, quibus incumbit administratio temporalis dictæ ecclesiæ quoad ædis cultum et sarta tecta procuranda, scilicet Carolo Francisco Dionysio de Mory, Jacobo Mauritio Antonio Reneusve (?), Petro Eligio Pluche, Mauritio Dionysio Ludovico Aniano Cerdougnon, Stephano Liegoux, Claudio Josepho Lessertisseur, Joanne Francisco Trousselle, Francisco Ramboux, Joanne Baptista Vatin, Francisco Le Mesnil, Joanne Baptista Mozet, Carolo Dominico Sezille d'Armancourt, Francisco Du Jourdan, Joanne Baptista Guilbert, Ludovico Cremery, Ludovico Jacobo Francisco Le Moumier, Josepho Dionysio Florente Beaudoux, Joanne Beaudoux, Ludovico Pluche, et Carolo Francisco Josepho Sauvel, et (*obsecundantes*) votis fidelium catholicorum civitatis et accessionum Noviomi, tetendimus ad majorem sacristiam supradictæ ecclesiæ; quo cum venissemus circa horam undecimam matutinam dictæ diei, collocuti sumus cum prædictis nominatis presbyteris et commissariis, (subscribentibus præsenti instrumento, scripto et composito a Carolo Francisco Josepho Sauvel, uno e dictis commissariis, a nobis designato et electo ad harum litterarum confectionem, in præsentia re- E liqui cleri dictæ ecclesiæ et multitudinis civium dictæ civitatis et suburbiorum, qui nobiscum quoque subscripserunt,) de præsenti statu Reliquiarum Sanctorum patronorum hujus ecclesiæ et aliorum Sanctorum, qui semper in ea venerationem nacti sunt, et quarum semper depositum servavit.

Sacrista Noviomensis testatur,

66 Ad finem dicti colloquii nobis visum est, factum esse notitia publica certum, tempore spoliationis et ablationis capsarum ex auro, argento, aliis metallis et ligno confectarum, (in quibus conditæ erant Reliquiæ,) varia ossa et pretiosas Reliquias horum Sanctorum pleraque mansisse penes Eustachium Rohault sacristæ dictæ ecclesiæ, qui, ut eas direptioni et majori violationi subduceret, eas in ambitu dictæ ecclesiæ, in cœmeterium ordinato et circumdato claustris, humaverat, appositis signis characteristicis, quæ indices posteritati essent. Quamobrem, consilio presbyterorum et commissariorum subscribentium accepto, postulavimus ut dictus Rohault sacrista coram nobis et subscribentibus compareret, interrogandus de factis et articulis : quem, ad nos ingressum, invitavimus ad respon- F dendum secundum veritatem omnibus rogatis atque quæsitis, a nobis faciendis ; quoniam de majori Dei gloria et honore ejus Sanctorum agebatur.

a se visam spoliationem, anno 1793 factam;

67 Et cum affirmanter respondisset a se visos fuisse plures viros ingredientes in dictam ecclesiam circa primos dies mensis Novembris, anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, (quin omnino certum posset determinare diem), adeuntes thesaurum et alia loca in quibus depositæ erant dictæ capsæ, et quorum claves porrigere coactus fuerat; ab istis hominibus integras extractas fuisse has pretiosas Reliquias e locis in quibus hucusque servatæ fuerant, ab eis capsas apertas fuisse, revulsasque, et aurum, argentum aliaque metalla, quibus claudebantur hæ pretiosæ exuviæ, ablata fuisse; et quod pertinet ad has sacras exuvias, ossa et Reliquias, hæc ab eis separatim relicta fuisse secundum spoliationis ordinem; se animadvertisse per et sub ablationem dictarum capsarum modicas aliquot ossium particulas a quibusdam sublatas fuisse; homines, qui in mandatis habebant spoliationem, tulisse et ferenda curasse in locum, quo

(*a*) Act. SS., t. I Martii, p. 54.

pagi

A pagi (*district*) consilium coibat, aurum, argentum et alia metalla ex dictis capsis et reliquiariis thecis provenientia;

Reliquias SS. Eligii, Medardi, Godebertæ, Acharii, Mummolini, Albini, etc., a se humatas fuisse;

68 Se vero perculsum, quod in tali statu videret prædictas Reliquias, et quid ad omnem direptionem et violationem impediendam faceret inscium, videntem præterea prædictam ecclesiam sapientibus et illustratis (*éclairés*) presbyteris, qui se dirigere possent, orbam, statuisse sequi consilium sibi indicatum et suggestum a cive Prus, id temporis civitatis consule (*maire*); quod ejusmodi erat, ut humaret prædictas Reliquias, et super Reliquiis S. Eligii, S. Medardi, et S. Godebertæ lapides sepulcrales collocaret; (quod dicto sacristæ mentem indidit super aliis Reliquiis similiter qualiacumque signa ponendi;) quamobrem a dicto Rohault sacrista translata fuisse in prædictum ecclesiæ ambitum omnia ossa et Reliquias pretiosas S. Eligii, S. Medardi, S. Acharii, S. Mummolini, S. Godebertæ, qui cuncti patroni dictæ ecclesiæ, S. Albini et alius sancti episcopi et martyris cujus nomen nobis prodere non potuit; et 1° in dicto ecclesiæ ambitu a se foveam factam fuisse e regione tertii arcus extremorum claustrorum, cum quis a sacrariis

B S. Andreæ et S. Catharinæ pergit ad locum capitularem; a se in dicta fovea collocatas fuisse, minime confusas, Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertæ, et a se coopertam fuisse dictam foveam prius lapide sepulcrali, ovato, e marmore nigro, dein gleba dicto lapidi injecta; non procul a dicta fovea basim versus columnæ (*en tirant vers le pied,* autumo abesse: *du pilier*) : a se erutam fuisse alteram foveam, in qua locavit S. Mummolini Reliquias, eamque continuo a se tectam fuisse immediate impositis lapidibus, tamquam signis, et deinde gleba; in spatio autem, quod a columna (quartum et quintum arcus dictorum claustrorum distinguente) porrigitur, e regione dictorum sacrariorum S. Andreæ et S. Catharinæ, tres exiguas a se factas fuisse foveas; in quarum prima ecclesiam versus S. Albini Reliquias collocavit; in media post illam condidit Reliquias sancti episcopi et martyris, cujus nomen, ut supra, nobis indicare non potuit; et in tertia demum, eamdem amussim sequens, posuit Reliquias S. Acharii; postremum vero, lapides a se appositos fuisse dictis ternis Reliquiis, et terram

C superadditam fuisse.

a se monitos paulo post duos presbyteros, eisque indicatum locum;

69 2° Rogatus deinde dictus Rohault, quempiamne post hanc operationem et inhumationem monuisset, respondit se aliquanto tempore post (quin certum diem assignare posset), veritum ne moreretur, priusquam hæ sacræ Reliquiæ loco honorifico collocari possent, efflagitasse a.... Hallu et Francisco Montjoye ambobus presbyteris, ut pergerent ad dictum ecclesiæ ambitum, visuri et recogniturі varia loca inhumationis et apposita signa. 3° Rogatus an dicti Hallu et Montjoye reapse recognovissent dicta inhumationes et signa, affirmanter respondit : Recognoverunt.

a se visas minores pyxides ablatas ante dictam spoliationem;

70 4° Rogatus, vidissetne auferri alias minores thecas et reliquiarias capsas, quarum pars semper fuerat penes dictam ecclesiam, et quarum aliæ ad ecclesias suppressas pertinentes huc allatæ fuerant, respondit ante ablationem lipsanothecarum S. Eligii, S. Medardi, S. Godebertæ, S. Mummolini, S. Acharii, S. Albini et sancti episcopi et martyris, cujus nomen se lateat, se vidisse abripi et auferri plures ex his minoribus capsis et lipsanothecis, seque ignorare quid factum fuisset, de modicis ossium particulis, quas capiebant.

71 5° Rogatus, vidissetne instrumenta authentiæ addita dictis Reliquiis, respondit se vidisse duas membranas, sigillis munitas, se eis potitum esse, easque ambas tradidisse Carolo Francisco Lejeune, uni e quatuor prænominatis presbyteris; qui hic præsens confestim exhibuit hæc duo instrumenta, spectantia ad Reliquias S. Medardi, prius incipiens his verbis : *Jacobus de Rucheze,* et desinens his aliis : *ad id vocatis,* datum 1 Julii 1650 et munitum sigillis episcopi Cabillonensis ejusque capituli, alterum spectans ad easdem Reliquias, incipiens his verbis : *Nous, Doyen, Chanoines,* et desinens his aliis : *les jour et an que dessus,* datum 1 Julii 1650, munitum sigillo capituli S. Stephani Divionensis.

instrumenta authentiæ Reliquiarum Medardi a se visa et servata;

D

72 6° Rogatus an advertisset pannos, quibus involverentur prædictæ Reliquiæ, respondit singulis Reliquiis suum fuisse involucrum e serico rubro (in quantum meminit) contextum, et pleraque hæc involucra a se posita fuisse cum dictis Reliquiis in foveis. 7° Rogatus num quid præterea monere vel docere posset, respondit se nihil præterea novisse. Lectione facta horum quæsitorum responsorumque, declaravit dictus Rohault se in suis dictis persistere, et in his scriptis veritatem contineri, præsentique instrumento nobiscum subscripsit. — *Sign. :* Rohault. — Et cum prædicti

E Hallu et Montjoye notitiam habeant utilem et proficuam præsenti operationi, extemplo eos invitandos curavimus, ut eam nobiscum communicarent : quocirca affirmaverunt se non ita pridem vidisse dicta inhumationes et signa, qualia supra relata sunt, quandoquidem uterque prædicto tempore perrexerunt ad dictum ecclesiæ ambitum cum dicto Rohault. — *Sign. :* Montjoye. — *Deest in exemplo nostro signum* Hallu.

et item Reliquiarum involucra; indicati duo presbyteri testantur sibi locum monstratum fuisse.

Itur ad humationis locum;

73 Muniti his omnibus notitiis, monitis, et instructionibus, omnibus bene perpensis, et sancto Dei nomine invocato, invitavimus quatuor presbyteros, commissarios supra memoratos, dictum Rohault, dictos Hallu et Montjoye, Jacobum Mariam Ludovicum Dufour, medicum, Joannem Dominicum Damianum Boulongne, chirurgum, reliquum clerum dictæ ecclesiæ et multitudinem civium, ut nos comitarentur ad dictum ecclesiæ ambitum, sive ut viri necessarii recognitioni et exhumationibus supradictarum Reliquiarum, sive ut testes dictarum exhumationum et translationum. Omnes per portam claustrorum, qua itur ad sacraria S. Andreæ et S. Catharinæ, ingressi, tetendimus sic stipati, et vestibus ecclesiasticis induti, usque ad

F plagam, quæ est e regione tertii arcus extremorum claustrorum, de quo in præsenti instrumento dictum, et quidem ad marginem foveæ, cui dictus Rohault iterum declaravit se infodisse absque confusione Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertæ; et dicti Hallu et Montjoye recognoverunt hunc esse locum et signa distinctiva quæ jam viderant; et continuo mandavimus terram eruendam esse donec appareret lapis sepulcralis et deinde ossa; quocirca terra unum pedem effossa, nobis apparuit lapis sepulcralis e marmore cæruleo (*bleu*) et nigro, duos pedes longus et decem uncias latus, quem continuo tollendum mandavimus; quod cum factum esset, nobis apparuit pannus e serico rubro, in duos saccos divisus.

effodiuntur et recensentur Reliquiæ S. Eligii,

74 Cum autem dictus Rohault præsens nobis dixisset saccum purpureum coloris obscurioris, et dicto arcui propius adjacentem, capere ossa et Reliquias S. Eligii, extemplo ipsi levavimus in præsentia totius concionis dictum saccum, quem fere integrum invenimus. Quem cum aperuissemus, et vocavissemus Dufour, medicum, et Boulongne chirurgum prænominatos, hi nobis indicaverunt

caverunt ossium, quæ sat magno numero ibidem invenimus, sequentia nomina, scilicet : duas tibias, duo femora, humerum, duo minora ossa, (quæ cum eorum summa pars deesset, nominari nequiverunt,) peronen, duo ossa innominata, vel ossa ilicum, os sacrum, et tres vertebras lumbares, duos calcaneos, astragalum, duplex os cuboides, unum scaphoides, et unum cuneiforme, rotulam, phalangem digiti, partem costæ, maxillam inferiorem et plures particulas ossium, quæ nominari nequiverunt; quæ omnia ossa cum dicto involucro continuo imposuimus linteo in qualo ovato, credito pro tempore dictæ operationis quatuor presbyteris in præsenti instrumento jam nominatis.

S. Medardi, 75 Deinde humo sustulimus alium saccum coloris minus obscuri, in quo dictus Rohault nobis illico declaravit se deposuisse et clausisse Reliquias S. Medardi et S. Godebertæ. Hos dictos saccos et involucra, integra fere a nobis reperta, cum aperuissemus, dicti Dufour et Boulongne varia ossa, in eis sat magno numero reperta, suo nomine insigniverunt, scilicet : femur sinistrum, quod dictus Rohault nobis declaravit et recognovit extractum fuisse ex capsa reliquiaria S. Medardi, et a se ipso ut tale depositum esse in dicto sacco, in quo femore, utpote uno ex ossibus S. Medardi, ipsi statim vittam e charta alba apposuimus cum inscriptione : *os femur S. Medardi,* et sine mora traditum est dictis presbyteris.

S. Godebertæ, 76 Cum dictus Rohault iterum nobis dixisset et affirmasset reliqua ossa, dicto sacco inclusa, desumpta esse ex capsa et lipsanotheca nuncupata : *herma S. Godebertæ* (gallice *chef de sainte Godeberte*), dicti Dufour et Boulongne ea suis nominibus appellarunt, videlicet : totam partem superiorem cranii, duas tibias, duas partes humeri, femur dextrum fere integrum, femur sinistrum in duas partes divisum, tres vertebras dorsi, et plures partes dictarum vertebrarum, septem ossicula tum partium superiorum, tum partium inferiorum, duos calcaneos, duos astragalos, duplex os scaphoides, duplex cuboides, quinque cuneiformia. Tunc advenit Josephus Felix Apoix, medicus, quem rogavimus se jungere vellet dictis Dufour et Boulongne. Ossium descriptionem continuantes, dicti medici et chirurgus nobis indicaverunt ossa sequentia, nempe : tria ossa metatarsi, partem primæ costæ, et plura ossicula. Cum invenissemus in dicto sacco sigillum integrum et quinque fragmina sigillorum, ea cum omnibus prædictis Reliquiis S. Godebertæ imposuimus linteo in qualo ovato, quem credidimus dictis presbyteris servandum.

S. Mummolini; 77 Deinde aperiendam mandavimus foveam, in qua dictus Rohault affirmare pergit a se collocatas fuisse S. Mummolini Reliquias. Terra octo uncias effossa et lapidibus sublatis, nobis apparuit sat magna multitudo ossium cum modicis partibus panni e serico rubro : quocirca dicti medici et chirurgus continuo sic nobis indicaverunt hæc ossa, videlicet : duo femora, duas tibias, duas partes perones, partem ossis cubiti (*vel* radii : *avant-bras*) duas partes humeri, duas partes ossis ilicum, maximam partem ossis sacri, primam costam, sex vertebras, partem maxillæ superioris, duos astragalos, duos calcaneos, duas partes rotulæ, et plura ossicula tum metatarsi tum metacarpi, duplex os scaphoides et plura alia ossicula; quas omnes prædictas Reliquias continuo imposuimus linteo in qualo quadrato, credito ut supra.

78 Inde perreximus ad tres prædictas minores foveas, memoratas in præsenti instrumento; mandavimus tres dictas foveas aperiendas, ut melius eas distinguere liceret; animadvertimus ad unum e tribus locis (designatis a dicto Rohault,) et dicti Rohault, Hallu et Montjoye nobiscum animadverterunt terram videri motam fuisse post tempus designatum in præsenti instrumento. Cum vero terram fodiendam mandavissemus, tres vidimus ossium partitiones, sed minime secundum amussim ordinatas, secundum quam tamen a se locatas fuisse Reliquias S. Albini, S. Acharii et episcopi martyris, cujus nomen ut supra ei incognitum est. Cum autem terram paulo altius effodiendam curassemus, apparuit illic nobis magnus acervus ossium ad plurima corpora humana pertinentium. Cum itaque neque agnoscere potuerimus modum nobis indicatum, et quem verum esse nobis affirmare pergit dictus Rohault, neque distinguere dicta tria genera Reliquiarum, diversarum ab omnibus his ossibus, rogavimus ut omnia dicta illa ossa, qualiacumque forent, iterum in eodem loco humarentur, sed paulo altius quam antea; quod continuo in præsentia concionis factum est, et postulavimus a dicta concione, ut provideret modo ponendi signum characteristicum in loco dictæ inhumationis, siquidem prædictæ Reliquiæ illic fuerunt locatæ, quin queant hodie (*nescio quid interpositum illud :* comme Dieu est *sibi velit*) distingui a cæteris ossibus : quod dicta concio se facturam esse pollicita est.

Reliquiæ SS. Albini, Acharii et Anonymi, utpote loco motæ et suspectæ, denuo humantur.

Priores Reliquiæ solemniter feruntur in chorum, et populo enuntiantur;

79 Omnibus exhumationibus, e terra elevationibus et recognitionibus Reliquiarum S. Eligii episcopi et patroni Noviomensis, S. Medardi item episcopi et patroni, S. Godebertæ virginis et patronæ Noviomensis et S. Mummolini episcopi Noviomensis in prædicto ecclesiæ ambitu sic factis, quatuor prædictis presbyteris reverenter portantibus prædictas Reliquias in præsentia omnium assistentium regressi sumus prius ad majorem sacristiam, unde profecti eramus. Quo progressi et ingressi, et sciscitati, an quæcumque ad reliquas ceremonias et translationem faciendam et officium divinum ut in festo Reliquiarum persolvendum pertinentia parata essent, responso affirmante accepto, e prædicta sacristia, supplicantium ordine, circa horam secundam pomeridianam egressi sumus, (dum cantarentur hymni adjunctis proprii, et sacræ Reliquiæ, ut supra, portarentur) pergentes ad sanctuarium dictæ ecclesiæ; quo pervenientes reperimus magnam mensam ornatam, cui statim impositæ fuerunt dictæ Reliquiæ juxta thecas eis capiendis paratas. Habita vero a nobismetipsis oratione præsenti ceremoniæ apta, benediximus capsas, hic inferius descriptas et a nobis decentes æstimatas; et cum Ecclesia nullas Reliquias fidelium venerationi exhibeat, quin eas prius ut authenticas recognoverit, atque perfectam de illis notitiam nacta fuerit, dictus Dautrevaux legit alta et intelligibili voce coram concione præsentia rei gestæ acta; qua lectione peracta manum admovimus ad transferendas prædictas Reliquias in capsas, singulis destinatas.

collocantur S. Eligii Reliquiæ in theca, quæ describitur;

80 Primum postquam colocavissemus omnes Reliquias S. Eligii, quales indicatæ et descriptæ sunt in præsenti instrumento, cum dicto ipso instrumento in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consuendas mandavimus, quatuor distinctis locis suturarum apponi jussimus e rubra cera sigillum hujus ecclesiæ, constans e monogrammate, his litteris composito Ave M., eminente cruce et circumscriptione : Ecclesia Noviomensis; deinde transtulimus et deposuimus dictas Reliquias sic involutas et sigillatas in capsa lignea, in qua jacebat pulvillus (*coussin de Dauphine*) floribus pur-

 pureis

A pureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsa, quæ interius viginti sex uncias longa est, lata duodecim, et decem et dimidiam alta, sustentata octo globulis deauratis, basi sedecim et dimidiam uncias lata et triginta unam uncias longa; cujus basis ambitum ornat cymatium versum (*talon renversé*) et toreuma hemicyclicum (*quart de rond*) deauratum auro levigato; et cui basi innituntur octo columnæ tortiles, undecim et dimidiam uncias altæ, deauratæ auro levigato, et coronatæ trabeatione dorica, item auro levigato deaurata, nisi quod zophorus (*frise*) rubri venosique marmoris colorem imitatur. Porro hæc capsa in utraque collaterali parte tria vitra infixa habet, quorum duo (computata larga instita auro levigato deaurata) sex uncias lata, et novem uncias alta sunt; tertium, quod medium est, decem et dimidiam uncias latum et novem altum est; capsæ vero extremitates clauduntur vitro, novem et dimidiam uncias lato, et decem et dimidiam alto : quæ omnia vitra quatuor lineis procurrunt tum in partibus collateralibus tum in extremis; quatuor vero anguli trabeationis ornantur quatuor vasis ligneis tres uncias altis, et clauditur capsa gallico culmine,
B pro tempore croceis coloribus picto, septem uncias alto, et duabus testudinibus (*croupe*) instructo; quod culmen, utpote capsæ apertura, clausum et clavis continuo obfirmatum fuit, et dicto sigillo quatuor in locis cera signatoria obsignatum fuit. (*Quæ acta sunt*) ut dictæ Reliquiæ S. Eligii, translatæ, clausæ et obsignatæ, prout dictum est, in posterum, quemadmodum olim, exhibeantur venerationi fidelium in dicta ecclesia Noviomensi.

item Reliquiæ SS. Medardi, et Mummolini; 81 Deinde cum S. Medardi Reliquias, quales in præsenti instrumento descriptæ sunt, cum ipso instrumento collocavissemus in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consuendas mandavimus, quatuor locis suturarum dicti sacci dictum sigillum cera obsignatoria apponi jussimus, et dictas Reliquias cum Reliquiis Sancti Mummolini pariter positis in sacco, ex simili panno, consuto et pariter obsignato simili cera in quatuor locis (instrumentum clausum in sacco, capiente S. Medardi Reliquias, commune est Reliquiis S. Mummolini) inclusimus capsæ ligneæ, in qua sternebatur pulvillus (*coussin de dauphine*) floribus purpureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsa, quæ duos
C pedes in longitudinem et undecim et dimidiam uncias in latitudinem patet, et colore cæruleo picta ornatus rubros auro non levigato deauratos habet, et quæ sustinetur globulis deauratis auro levigato; ad alteram suam extremitatem instructa est ostiolo sex uncias lato, et septem et dimidiam alto, et munita tribus vitris arcuatis, quorum duo septem et dimidiam uncias alta et quinque et dimidiam larga sunt, et tertium quod medium occupat septem et dimidiam uncias altum et decem largum est. Capsæ vero culmen gallicum e duabus testudinibus septem uncias altis constat, et tota capsa colore rubro interius picta est. Duobus autem ostioli locis apponi jussimus cera signatoria dictum sigillum. (*Quæ acta sunt,*) ut dictæ Reliquiæ Sancti Medardi et Sancti Mummolini in posterum ut olim fidelium venerationi exponantur in dicta ecclesia Noviomensi; et inseruimus dictæ capsæ authentiæ litteras episcopi Cabillonensis et capituli Divionensis, jam relatas in præsenti instrumento.

item cranium, 82 Præterea postquam collocavissemus cranium Sanctæ Godebertæ, quale superius descriptum et designatum est in pulvillo (*coussin de dauphine*) D floribus purpureis interpuncto, in quo fixum et stabilitum est ope vittæ albæ floribus argenteis distinctæ, in crucem dispositæ, et cujus extremitates cera signatoria sigillatæ fuerunt, transtulimus, non secus ac supra, et posuimus dictum cranium vel caput, (cum præsenti instrumento sub dicto pulvillo collocato,) in capsa lignea, deaurata per totum suum ambitum auro levigato, quatuordecim et dimidiam uncias longa, larga undecim, et novem alta, suffulta basi et dein quatuor globulis, ornata quatuor parastatis ad quatuor angulos distributis, duas uncias largis, trabeatione dorica per capsæ ambitum tectis, et quadruplice linea procurrentibus, instructa ad utramque partem collateralem duobus vitris arcuatis, quatuor uncias longis, tres altis, tecta concamerato fastigio quinque uncias alto, et quatuor flammis (*vox lectu difficilior*) ad quatuor angulos, et interius colore rubro picta. (*Quæ acta sunt,*) ut dictum cranium vel caput, sic translatum, collocatum et sigillatum, in posterum ut olim, exhibeatur fidelium venerationi in dicta ecclesia, potissimum in calamitatibus publicis, adversus quas speciatim majores nostri experti sunt ejus patrocinii faustos effectus; et dictum E concameratum fastigium in duabus ejus extremitatibus obsignavimus ut supra.

et cæteræ S. Godebertæ Reliquiæ; solemnitatis finis. 83 Postremum, cum cæteras Sanctæ Godebertæ Reliquias, quales superius descriptæ sunt, cum præsenti instrumento in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras ut supra consuendas mandavimus, et quatuor locis suturarum dicti sacci sigillum hujus ecclesiæ item ut supra apponi jussimus, prædictas Reliquias sic involutas et obsignatas transtulimus et posuimus in capsa lignea, cooperta chartis cæruleis, viginti duas uncias longa, larga decem, culmine gallico sex uncias alto, duabus testudinibus instructo, tecta; quod culmen, utpote aperturam, obsignandum mandavimus ut supra quatuor in locis, prius deponentes in dicta capsa sigillum integrum et quinque sigilli partes, de quibus dictum est in præsenti instrumento. (*Quæ acta sunt,*) ut prædictæ Reliquiæ sic translatæ, collocatæ et obsignatæ in posterum ut olim exhibeantur fidelium venerationi in dicta ecclesia Noviomensi; et præsentem ceremoniam clausimus supplicatione intra ecclesiam facta cum omnibus prædictis Reliquiis; a qua reduces præcinimus et cantavimus hymnum Te Deum; F quem secutæ sunt horæ ad vesperas, cantatæ ut die festo Reliquiarum, et sub quibus dictæ sanctæ Reliquiæ manserunt expositæ fidelium venerationi. — Actum in dicta ecclesia, ubi subscripsimus præsenti instrumento cum omnibus viris in eo denominatis et cum multis civibus, postquam sigillum dictæ ecclesiæ apponi jussissemus. — *Sequuntur centum et decem subscriptiones.*

explicantur alia miracula in Ecclesia S. Mummolini *olim fieri solita, et cultus Audomaropoli, Boloniæ, San-Quintinopoli, Brugis, Gandæ, Ipris,* 84 *Ut demum hunc de S.* Mummolino *Commentarium claudamus, pauca de ejus invocatione tum privata, tum publica memoranda videntur. Malbrancquius postquam meminit mortui a S.* Mummolino *ad Vitam revocati* (*de qua re diximus superius,*) *pergit in hæc verba* (*a*) : Non opus est e finibus nostris excedere : satis eo loco, qui pene jam antiquo nomine oblitterato, non amplius Vetus monasterium, at æde ipsimet sacra, Mommolini nuncupatur, ejus sanctimoniam testata remanent in hodiernum diem vestigia. Siquidem in Belgio locus ipse hoc nomine advenis celebratissimus; qui illic pueris trimis, vel quadrimis pene obmutescentibus, vel

(*a*) De Morinis, lib. IV, cap. XXIV, t. I, p. 502.

præpedita

A præpedita lingua in articulatas voces prorumpere nesciis propitium faciunt Mommolinum : pro more a parentibus toti garruli domum reducuntur. Dominus Eustachius Thery summus Bertinensium quæstor, dum illic ageret, mihi testatus est, etiam Parisiis advenas eo donatos beneficio. (*Liquet hanc pietatem ortam esse ex nomine S.* Mummolini, *seu* Mommoleni, *vicino voci theotiscæ* Mommolen, *latine* Mussitare Mutire, *gallice* Grommeler.) Apud Audomarenses celebrior est ejus memoria, et peculiares addictæ preces. In Divorum Litania invocatur inter Confessores Eligium et Erkenbodonem, velut is qui moribundis subveniat. *Quod ad hunc tamen invocandi ordinem spectat, in Breviario Sant-Audomarensi anni* 1518 *et in renovato anni* 1785 *duplicem alium, utrumque prorsus diversum, reperio. Exulat vero S.* Mummolini *nomen non quidem ex antiquo Breviario, sed ex veteribus San-Quintinianis Litaniis, similiter ex veteribus atque amplissimis San-Donatianis Brugensibus et Proprio Brugensi. Gandæ numquam videtur fuisse cultus S.* Mummolinus, *licet olim pars maxima civitatis diœcesi Tornacensi subdita fuerit. Apud Atrebates recentior est S.* Mummolini *festivitas, atque ex conjunctione diœ-*
B *ceseon Audomarensis et Boloniensis cum Atrebatensi videtur ortus. Anno saltem* 1632 *de eo istic non fiebat memoria, ut ex Officiis propriis hoc anno impressis nobis innotescit. At in Officiis, anno* 1817 *editis, occurrit ejus festum sub ritu semiduplici : lectiones eædem sunt ac illæ quæ in renovato Sant-Audomarensi exstant. Ipris vero, quas olim cum castello Menapiorum cepit diœcesis Tornacensis, donec apud ipsos Iprenses medio sæculo* XVI *episcopus constitutus est, cultus fuit S.* Mummolinus *ritu duplici saltem ab anno* 1629, *ut ex Proprio intelligimus.*

Tornaci et Noviomagi imprimis;

85 *Usque ad iniens sæculum decimum septimum Tornaci, ubi neque olim, neque nunc ullæ servata fuerunt S.* Mummolini *Reliquiæ, (quantum ex antiquioribus scriptis Cousin, et ex nuperis cl. v. Le Maistre d'Austaing* (*a*), *plura de S.* Mummolini *gestis, nihil de ejus lipsanis disserentibus, colligere queo,) obscura videtur fuisse hujus Tornacensis episcopi sanctimonia; quin etiam in Officiis propriis Tornacensibus, anno* 1591 *Duaci excusis, S.* Mummolini *nomen abest a kalendario; sed in aliis anno* 1626 *Tornaci editis S.* Mommolebius *confessor et pontifex signatur : cujus rei causa est, quod anno tantum* 1600, *ut tradit Cousin in Historia*
C *Tornacensi* (*b*), *Michael II de gente Esnea, episcopus Tornacensis, in synodo habita in ecclesia cathedrali jussit S.* Mummolini *festum per universam diœcesim celebrari. Quod etiamnum obtinet. Nusquam autem majorem cultum olim habuit S.* Mummolinus, *quam Noviomi, ubi potissimum vixit, mortuus atque terræ creditus est. In Breviario enim Noviomensi anni* 1630 *festum ejus non tantum occurrit inter* duplicia tertiæ classis, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur, *verum etiam inter* festa in diœcesi Noviomensi ex præcepto Ecclesiæ ab omnibus observanda, in quibus servile opus facere non licet. *Invocabatur quoque illic in Litaniis, quæ Ordinis commendationis animæ pars est. Ut jam ad ipsa diœceseon Officia transeam, hæc præter lectiones vix quidquam proprii habent. Unum Noviomense hanc antiphonam capit ad* Benedictus :

Exequias Sancti tristes comitantur alumni;
Plebs in lamentis, clerus proclamat in hymnis :
Quo certe strepitu cœli devexa replentur.

In secundis vero vesperis ad Magnificat *hanc alteram :*

O pater et pastor, o præsul et alme sacerdos,
Mommolene, preces Christo, quas reddimus, offer : D
Abluat ut culpas, detergat crimina nostra,
Quod sibi vivamus post mortem jugiter. Amen.

Antiqua Oratio hæc est : Deus, qui hunc diem Beati Mommolini Confessoris tui, atque Pontificis solemnitate consecrasti, præsta, quæsumus : ut ejus suffragia apud te sentiamus in cœlis, cujus hic pio amore solemnia veneramur in terra. Per. *In quibusdam diœcesibus, ubi vel cultus recentior est, vel breviarium novatum, aliam legere est. At satis mihi fuit quæ vetustatem sapiunt proferre. Mitto insuper dicere de crebris mutationibus in lectionibus factis, potissimum Audomaropoli, ubi anno* 1610 *omnia fiebant de Communi Pontificis; Tornaci, ubi intio fere idem fiebat, etc. Ubique prope Missa* Statuit *legitur, ut eam exhibet Missale Romanum.*

et, licet saltem ad sæculum X *ascendat, Constantiæ, in S.* Mummolini *patria, cultus ille non videtur exstitisse. Recensentur aliquot dies, quibus in fastis sacris S.* Mummolinus *memoratur.*

86 *Cultus vero ipse ad sæculum* X *saltem referendus est; quoniam jam tum exstabat* basilica S. Mummolini; *quod liquet ex eo quod recentior biographus, qui hujus basilicæ meminit, loquitur quoque de sanctimonialibus S. Godebertæ; atqui jam vidimus (licet nonnulli ut Malbrancquius hac in re aliam ingressi sint viam) has sanctimoniales tantum usque ad medium sæculum decimum exstitise. Hæc de cultu in Gallia et Belgio. In Germania vero, ubi natus est, nulla de eo sacra memoria umquam facta fuisse videtur. Ejus quidem gesta explanat Helvetia Sancta* (*c*) *et Gabriel Bucelinus in Chronologia Constantiæ Rhenanæ* (*d*) *quædam, erroribus immixta, quoque affert : at uterque prorsus silet de cultu. Initio hujus Commentarii diximus aliis diebus quam* XVI *Octobris S.* Mummolini *memoriam occurrere : imprimis Saussayus inter pios et sanctos nuntiat ordine alphabetico* S. Mummolinum monachum Luxoviensem, *licet* S. Mummolinum Noviomensem episcopum *jam* XVI *Octobris protulisset : uterque unus et idem est : ex Vita S. Audomari hunc* monachum Luxoviensem *absque dubio expiscatus fuerit. Memini jam num.* 58 *olim S.* Mummolini *elevationem die* XXVII *Aprilis in Martyrologio Noviomensi celebratam fuisse; præterea in duplici Martyrologio Benedictino MS. atque inedito* XVIII *Maji nuntiatur festum* S. Mummolini episcopi Tornacensis ac monachi S. Petri (*primitus hoc nomen ferebat Sam-Bertiniana aut Sithivensis abbatia*) in diœcesi Bononiensi (*immo* Morinensi *aut* Sant-Audomarensi). *Inde editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri, qui hanc annuntiationem in* F *opere nostro ad* XVIII *Maji inter prætermissos repererant, suspicati fuerunt S.* Mummolinum *hac die fuisse translatum : verum non arridet hæc conjectura, quoniam ejus fundamentum, seu martyrologica illa annuntiatio nullius pretii est. Etenim ejus auctor nullius critices artis peritus erat; adeo ut continuo subjungat :* Eodem die S. Ebertramni discipuli ejusdem (*S.* Mummolini), qui et ipse episcopus fuit post magistrum suum; *quæ omnimode erronea sunt. Et quidem cum S. Ebertramnus in paucissimis fastis, qui ejus nomen habent, ad* XXIV *Januarii annuntietur, nuspiam vero una cum S.* Mummolino, *crederem libenter eos in hoc kalendario una die prodire, quod S.* Mummolinus *et S.* Bertrandus *Convenarum episcopus die* XVI *Octobris coluntur, et proin abbatem Sancti Quintini confusum fuisse cum episcopo Convenensi. Præterea S. Ebertramnum, cujus cultus recentissimus videtur, nondum ex terra levatum autumamus; deinde kalendarium illud medio sæculo* XVII *recentius est, utpote de diœcesi Bononiensi agens; insuper confectum non est*

(*a*) Recherches sur . . . l'église cathéd. de Tournay, t. II, p. 19. — (*b*) Hist. de Tournay, lib. II, p. 123. — (*c*) p. 156. — (*d*) p, 116.

in

A *in agro Noviomensi, sed in Germania; et demum omittit S.* Mummolini *nomen ad* XVI *Octobris; unde denuo liquet meram transpositionem esse.*

De antiqua S. Mummolini *imagine.*

87 *Ad S.* Mummolini *quoque cultum pertinere voluit Ghesquierus* (*a*) *imaginem quamdam hujus Sancti, quam secundum ectypon, insertum Annalibus Mabillonii* (*b*), *cupro insculptam post Commentarium de S.* Mummolino *exhibuit. Penes nos factus est Ghesquieri typus, eoque, utut imperfecto, nosmet ipsi usi sumus, quoniam operæ pretium visum non est novis impensis novum procurare. Invenerat Mabillonius hanc imaginem in codice Elnonensi cum formis S. Amandi Trajectensis episcopi, aliorumque qui hujus præsulis testamento subscripserunt, non secus ac S. Aldegundis, Malbodiensis abbatissæ, cui angelus S. Amandi cœlestem gloriam indicat. Cum autem Sancti nostri caput aureola cinctum illic exhibeatur, ejusque nomini præponatur Sancti titulus, atque insuper S. Amandus tabulam quadratam ad caput habeat,* quæ Sanctum adhuc viventem denotat, *ut Mabillonius* (*c*) *cum aliis bene multis statuit; scripsit Ghesquierus :* Quam vero minime recens sit Sancti nostri veneratio, abunde testatum facit Elnonensis codex antiquus, continens testamentum S. Amandi,
B cui Mummolinum subscripsisse ostendimus. *Verum, ut quod sentio, libere fatear, dubium mihi maxime est, an codex ille Elnonensis antiquior sit, quam Vita S.* Mummolini, *quam continuo edemus; et proinde an quidpiam ex eo colligi queat de antiquitate venerationis hujus Sancti. Nam quod spectat ad tabellam quadratam, S. Amandi capiti postpositam, nihil ea hic probare videtur; quandoquidem S. Amandus, anno* 679 *mortuus, tamquam vivus exhiberi non potuit, cum S.* Mummolinus, *anno* 683 *aut forte tardius vita functus, S. Bertinus circa annum* 700 *mortuus, aliique, qui S. Amando superstites fuerunt, cultum ecclesiasticum nacti essent. Neque nova est sententia, non omnes imagines, tabulas quadratas ad caput exhibentes, pictas fuisse, dum Sancti aliique quos efferunt in vivis essent. Nam, ut alia exempla mittam, exsculpendam curavit Papebrochius noster* (*d*) *S. Gregorii Magni imaginem, quam ipse minime opinatur pictam fuisse, dum Sanctus ille viveret, licet tabula quadrata capiti applicita sit. Præterea Sancti titulus et aureola, S.* Mummolino *hic concessa, nihil certi evincere possunt, cum Baudemundus, S. Amandi biographus, testamenti scriptor et monasterii Blandiniensis Gandavi abbas,*
C *Sanctus quoque illic agnominetur et omnium ornatissimam aureolam habeat; licet in nullo, quod novimus, Martyrologio nomen ejus occurrat, eique Sancti titulus datus non sit in Annalibus Blandiniensibus, nuperius a R. D. Vande Putte, tunc temporis collegii episcopalis Brugensis rectore, editis* (*e*). *Quare, etiamsi constaret codicem hunc ad exiens sæculum* VII *pertinere* (*nihil tamen statuit Mabillonius de vetustate picturæ et scriptionis*), *incertum tamen argumentum de vetustate cultus S.* Mummolini *inde deduceretur. Quod vero ad vestes cæterumque S.* Mummolini *habitum spectat, notatu digna est semilunaris in priore capitis parte tonsura, quam sæpius jam Hibernicam seu Scoticam nuncupavimus. De reliquis vestibus consulendus est præ reliquis Martinus Gerbertus in Vetere Liturgia Alemannica* (*f*), *in qua præclare pro more suo de vestibus sacris scripsit, et plurimas antiquas exhibuit formas. His annotatis, superest, ut jam edamus antiquissimam S.* Mummolini *Vitam, de qua in* § I *plura disseruimus.*

D

VITA S. MUMMOLINI EP.

NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS,

AUCTORE ANONYMO.

Ex vetere MS. codice Noviomensi.

Sancti patria; tirocinium vitæ religiosæ Luxoviense; prædicatio, et commoratio in aula Clotarii II; digressus ad S. Audomarum; condit Vetus et Sithivense monasterium; fit Tornacensis et Noviomensis episcopus; moritur. E

Tempore Clotarii III S. Mummolinus *et alii multi florent.*

Tempore, quo præcellentissimus rex Lotharius, Ludovici filius *a*, hæreditario jure Franciæ regnum gubernavit, dilectissimam Christi sponsam, sanctam videlicet Ecclesiam multimodo spiritalium filiorum germine contigit propaginari *. Resedata *b* siquidem divinæ respectu gratiæ persecutione, quæ tamdiu in Sanctos Dei desævierat Martyres, suæ Christus Ecclesiæ quam plurimos coadunavit Confessores, quos si sub ipsa rabie tyrannica contigisset vixisse, eorumdem Martyrum pro certo credimus * fuisse consortes; quoniam, quia materialis gladii cessasset persecutio, ipsi tamen ob divinæ gratiam majestatis multo sese corporum suorum excruciabant martyrio : inæstimabilibus namque insistentes jejuniis, multimoda inedia, multimodisque sese affligebant vigiliis, parentibus et amicis hilariter renuntiantes ad cœlestem solummodo remunerationem anhelabant. Eo in tempore *c* vir sanctissimæ religionis Mommolenus nomine, a regione sua egressus, in Gallias cum duobus comitibus devenit, ibique instanter verbum Dei prædicabat. Egressus siqui-
F dem de domo patrum suorum ob divinæ gratiæ remunerationem, ubicumque poterat fidei catholicæ non cessabat euangelizare veritatem. Toto autem nisu ad palmam festinans pertingere martyrii Galliarum fines, ubi ferventiorem persecutionis gladium in Sanctos desævisse comperererat, audacter penetravit, diabolo et ministrorum suorum cruciatibus non refutans * corporis sui materiam, si necesse esset, temporalem, quoad cœlestis patriæ, quam ardenter desiderabat, spiritualem adscriberetur hæreditatem. Hac de causa voluptariam vitam spernens, elegit ad breve adversa pati, ut perenniter cum Domino regnare mereretur in cœlis. Ad cœlestis siquidem vitæ, quæ numquam finietur, comparationem, Sanctis Dei Confessoribus nullius videtur molestiæ omni vitæ suæ tempore corporalem quotidie perpeti passionem. Quomodo enim mortis eos putandum est pertimescere periculum, cum ipsi sibimet, etiamsi desit persecutor, mortis propinare non revereantur poculum? Jejunare siquidem et

a

* *lege* propagari

b

* *supple* futuros

c

* *loco* recusans

(*a*) Act. SS. Belgii, t. IV, p. 412. — (*b*) Annal. Ord. S. Bened. ad ann. 675, lib. XVI. — (*c*) Ibid., § LVI, p. 487. — (*d*) Propylœum Maji, p. 90*. — (*e*) Cfr p. 55. — (*f*) Cap. III, part. I.

sitire,

S. ⅏VMO LEN⁾:



A sitire, vigilare quoque et nuditatem pati mortiferas corporum nemo dubitabit esse molestias, quas servi Dei pro minimo reputant, dum ad cœlestium gaudiorum anhelant præmia repromissa.

Concionatur in Gallia,

2 Hujus benignissimæ gratiæ causa Sanctus hic, de quo agitur, inspiratus, cum a mane usque ad vesperam prædicasset, pane tantum ordeaceo aqua cinerulenta composito reficiebatur. Postmodo vero si qua bibendi successisset necessitas, puræ ac solius aquæ poculum subsequebatur; et ad corporales edomandas illecebras, parva in dormitione tenuissimo graminis stramine pro lecto utebatur. Prædicabat indefesse pauperibus confessionem et pœnitentiam, divitibus et palatio deservientibus sæcularem abnegare jactantiam, prædicabat impiis et infidelibus irremediabile supplicium, Deum autem timentibus vitam et requiem sempiternam : edocebat omnes universaliter mundum cum omni sua concupiscentia periturum, regnum autem Dei, sicut ab ore Christi didicerat, in æternum mansurum; exhortationem suam euangelicæ confirmabat sententia prædicationis; cui, etsi objicerentur, nulla poterant figmenta obsistere argumentationis. Si quid enim in verbis suis alicui sentiebat ambiguum,

B ipso eodem in momento veteris seu novæ legis irrefutabile proferebat testimonium; quod autem prædicando aliis commendabat, ipse apostolicæ sententiæ non immemor, totis admodum viribus exequebatur, ut qui aliis æternæ remunerationis suggerebat documentum, suæ quoque ipsius conversationis imitabile præberet exemplum. Aderant

c d ei duo Bertinus *d* videlicet atque Bertrannus *e*, qui secum de sua exierant regione. Hos ipse instanter honestissime suæ sanctæ prædicationis inflammabat exhortatione. Astabant etiam ei a mane usque ad vesperam cum innumerabili populi conventu regalis aulæ proceres. Quorum quam plurimos ipsa Dei clementia per ejus infatigabilem prædicationem cœlicæ remunerationis gratanter postmodum adscripsit cohæredes ejus.

vocatur in aulam Clotarii II, et anteactam vitam aperit;

3 Sanctissimi patris nostri opinio longe lateque diffundebatur, et ubicumque perveniebat, Dei cui deserviebat gratia hilariter suspiciebatur *. Pervenit tandem ad aures regis Lotharii *f*, qui tunc temporis arcem strenue regebat totius imperii *g*. Religiosorum igitur testimonio sancti viri comperta relatione, suis eum conspectibus amicabiliter mandavit adesse. Quem ut vidit, benignissimo ut erat animo, quis

* *lege* suscipiebatur.

f

g

C vel unde esset, sed et originis suæ seriem ab eo diligentissime cœpit percunctari. At ille ne recensendo prosapiam suam quolibet superbiæ fastu moveretur, originalem quidem nativitatis suæ lineam reticuit. Verum unde natus esset ad regiam interrogationem humiliter replicuit : Sum, inquit, tuæ servus dignitatis, civitate Constantia oriundus, illa siquidem Constantia, quæ non longe a flumine Rheno remota esse dinoscitur; a puero vero regularem sub Sancto Eustasio *h* abbate percurri vitam; cujus felix exhortatio multos ad remunerationem confortans * sempiternam. Ipse quidem Sanctus Eustasius, famosissimi Christi athletæ Columbani discipulus, cum omni mentis instantia, commissum sibi prædicationis officium suum, quod ab eodem magistro suo didicerat, omni nisu viriliter executus est. Cum ergo sub ejusdem abbatis Eustasii magisterio ad maturiorem pervenissem ætatem, Dei dispositione et ipsius ordinatione, hanc quam videre licet indigne cum his duobus confratribus meis suscepi peregrinationem; quod si quid in vinea Dei elaborare potuerimus, ad æternæ vitæ nobis proveniat remunerationem. Audierat siquidem quod et ipsi vidimus ex euangelica promissione : Qui me,

h

* *loco* confortavit

inquit, sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Audierat quoque quod et nos in vera fide tenemus : Qui non bajulat, ait, crucem suam et sequitur me, non est me dignus. His et aliis a viro Dei diligentissime peroratis, ab ipso rege quam familiariter est susceptus atque intra ejus palatium non parvo temporis spatio cum multa reverentia est conversatus. Quamquam tamen regiam divinitus adeptus esset familiaritatem, tumultuantis tamen populi adulationes cautissime devitans, super afflictis et pauperibus regiam indesinenter sollicitabat dignitatem. Parum aut nihil voluptatis humanæ virum hunc infecit in palatio, quod alicujus austeritatis rigore indicari oportuisset in monasterio. Ipse quidem omnes diligebat, et ab omnibus amabatur; inter ipsas mundi concursiones officii sibi commissi ministerium inconcusse exequebatur. Sigillum *i* quoque regis habens, non multum de *i*

regia gloriabatur familiaritate : verum ecclesiis, viduis, et orphanis apud eumdem Lotharium quam plurima officii sui subveniebat auctoritate; et licet a monasterio recessisset corporaliter, in palatio tamen positus, spiritualis sui ordinis propositum non negligebat. Erat sancto Dei athletæ duplex iff palatio jejunii supplicium, cum et deliciosis utpote E regis in domo interesset dapibus, et ab ipso sese alienaret usu deliciarum.

ubi aliquandiu sancte commoratus, digreditur ad Sanctum Audomarum,

4 Aliquantulo *k* itaque tempore in regiæ domus transacto cohabitatione, Sanctum Audomarum, qui tunc temporis Ecclesiæ præerat Teruanensi, multa erga Morinos fatigari comperit prædicatione. Morini *l* siquidem, circa maris littora inaccessibilibus paludum confisi munitionibus, vicinis sedulo non reverentur repugnare nationibus. Cum enim nullam a mari timeant hostium incursionem, circa manentis viciniæ omnem prorsus pro nihilo reputant indignationem. Nec mirum si sibi adjacentibus præsumunt repugnare; quos, sicut a poetis *m* didicimus, ipsa quoque invicta Cæsaris *n* virtus nullomodo potuit debellare. Assueta igitur freti audacia, Sanctum quem prænominavimus Audomarum multa fremebant insania; audito nempe Christi nomine, admodum expavescebant; et tamquam surdæ aspides, auditu obturato, verbum Dei se suscepturos omnes omnino abjurabant. Siquidem extremi homines *o* et in extremitate positi orbis terrarum, neque Dominum noverunt, neque tunc temporis alicui principali potentiæ suberant; verum suis per omnia proni voluptatibus, quod cuique F visum fuerat impune et irreverenter exequebantur. Cum itaque beatus Dei athleta tantam ejus populi audisset feritatem, tantamque adversus Sanctum Audomarum gentis illius rebellionem, toto mentis affectu corporalem in remissionem peccatorum suorum desiderans passionem, regi valedicens regiisque principibus, palmam jam martyrii se pœne adeptum esse in secreto cordis non parum gloriabatur. Spirituali ergo divinus * accinctus gladio, Sanctum cum suis confratribus adiit Audomarum, quatenus felici prædicationis divinæ gratia sanctarum consortio adscribi mereretur animarum. Audierant enim quia frater fratrem adjuvans ambo consolantur. Audierant quoque quod alter alterius onera portando legem Dei adimplet, et gratiam divinam promeretur. Ideoque quia Sanctum illum in labore prædicationis adeo præoccupatum compererant, ad supportationem ejus non sine multo palmæ triumphatricis desiderio summopere festinabant. Accesserat etiam et aliud quoddam charitativæ fœdus dilectionis, quia videlicet Sanctus idem Audomarus compatriota eorum erat, Constantiæ scilicet, de qua exierant, indigena civitatis.

k

l

m

n

o

* *forte* divinitus

AUCTORE ANONYMO

AUCTORE ANONYMO.

Advenientes itaque sanctos sanctus Dei pontifex gratanter et benevole suscepit; et eos in adjutorium sibi a Deo missos non deæstimans, in messem Dominicam cooperaturos sibi post multam Deo gratiarum actionem redditam, gratulabunde ascripsit.

quem cum nonnihil concionando adjuvasset,

5 Ipse tamen Sanctus Audomarus gentem illam Morinorum maxima jam ex parte cum multo licet labore ab idolorum revocaverat cultura, et aris eorum subversis divinæ religionis et ecclesiasticæ institutionis ordines eos suscepisse non minimum gratulabatur. In adventu ergo Sanctissimi Mommoleni super quam sperari possit delectatus, cum eum benevole suscepisset, et libenter eum audiebat, et libentissime ab eo audiebatur. Non est dubitandum tot et tantis viris divinam semper adesse clementiam, cum ab ipso Domini ore audierimus, ubi duo vel tres in suo nomine congregatos noverit, suam absque dubio interesse præsentiam; sermo siquidem eorum semper de Domino et de divinis erat institutionibus. Parum aut nihil, quod vaniloquii argui posset, inter eos disserebatur. A mane usque ad vesperam cum mutuæ in Domino consolationi, tum institutionis euangelicæ prædicationi, tum infirmorum curandis languoribus infatigabiliter insistebant. Post solis autem occasum pane tantum et aqua defessa refocillabant corpora; nocte vero subsequenti permodico in cinere et cilicio somno reclinati, non sine multa difficultate tantas corporum suorum utcumque reficiebant molestias. Priusquam autem prædictus Dei famulus Mommolenus ad sanctum Dei pontificem pervenisset Audomarum, Sanctus idem Audomarus ob sanctæ religionis propagandum ordinem, quoddam mente conceperat ædificare monasterium *p*, ubi religiosam ordinaret congregationem clericorum, per quos Deo pro universali omnium salute ex debito quotidiana orationum psalmodia ac sanctarum placatio conservaretur hostiarum. Hæc ea cogitanti divina non defuit clementia, quæ et ei ferventiorem benignitatis devotionem inspiravit, et quod ex Spiritu Sancto præcogitaverat secundum desiderii sui effectum usque perduxit.

et Adroaldus suam villam dedisset, prius condit cum SS. Bertino et Bertranno Vetus monasterium,

6 Erat siquidem ea in regione vir quidam Adrowaldus nomine, prædiis et pecunia opulentissimus, sæculi hujus vanis plenus deliciis, ac sæculari jactantiæ admodum deditus, et secundum suorum institutiones prædecessorum fantasticis deserviens cultibus idolorum. Virum hunc, quia non longe a Morinis aberat, et tamen Morinorum honorabilior erat, ante adventum Sanctissimi Mommoleni Sanctissimus Audomarus non sine multa prædicationis instantia ad catholicam converterat credulitatem, et eum jam baptismo per sanctæ dextræ suæ sanctificaverat impositionem. Suscepto itaque sanctæ christianitatis signaculo, Adrowaldus divina subito animatus inspiratione, tum pro mutua prædicatoris sui dilectione, tum quia filiorum carebat successione, tum præcipue pro peccatorum suorum remissione, omnem suam hæreditariam possessionem *q* Deo et Sancto Audomaro tradidit, sperans et pro certo credens sese pro transitoriæ hæreditatis largitione in perpetuum feliciter ascribendum esse. Ut ergo præfati sumus ante Sancti Mommoleni adventum in prædio illo quod vulgari nomine Sithiu vocatur, ipse sanctus pontifex Audomarus jam, Deo disponente, quamdam ædificaverat ecclesiam *r*, in qua ipsemet humanis postmodum ærumnis exemptus gloriosam adeptus est sepulturam. Postquam vero aliquantulo temporis spatio sancti Dei athletæ Mommoleni sanctorumque sociorum ejus Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consocietate, volens eos ulterius ab invicem separari, in eadem quam ei Adrowaldus dederat hæreditate ad libitum suum cœnobiale fratrum concessit eis monasterium ædificare. Beatissimi ergo Dei athletæ in loco illo, quod hodieque Vetus dicitur monasterium, suam ædificare cœperunt mansionem.

quo relicto, Sithivense construit,

7 Verum ibi paucis remorantes annis, divina præordinante clementia, locum sibi eligere decreverunt aptiorem. Ne vero fatuitati seu ignaviæ tam subita ædificationis suæ imputaretur mutatio, quod mente conceperant divinæ Providentiæ commiserunt arbitrio. In stagnum siquidem, quod prædicto subter erat monasterio, sese navigio condonantes divinæ sese providentiæ absque ulla corporalis substantiæ comportatione commendaverunt, ac cum multa cordis compunctione, quo usque sibi habitationis Deo dignæ locus designaretur, numquam sese de navi egressuros voverunt. Circumferebatur itaque navicula Sanctorum per præfatum fluvium *s* absque ullo nautarum remigio. Vagabatur circumquaque omni subsidio destituta temporali, utpote quam soli summæ divinitatis Dei athletæ commendaverant voluntati, quam plurima lacrymarum effusione ora perfusi Deum compuncte sollicitabant, Dei devotissimis orationibus paternitatem non sine præcordialibus suspiriis admodum inquietabant, nullomodo se voventes de stagno egressuros, nullomodo se corporalem victum sumpturos, quoadusque, quem sibi Deus orationis locum præordinasset, eos attingere contingeret, quatenus ibi sanctissima Sanctissimi Spiritus inspiratione animati, divinis omni vitæ suæ tempore præceptionibus mererentur deservire. Sanctissima ergo Dei pietas famulorum suorum devotioni compatiens, cum tantis eos obsequii sui gratia pervidisset defatigari elaborationibus, sua ipsius gratuita benignitate ad certum eos mansionis desideratæ traduxit locum, ubi super fluvium Agnionem non multo post monasterium, quod Sithiu vocatur, instanter ædificare cœperunt. Relicta mox navicula, Sanctus Dei Confessor Mommolenus cum prædictis confratribus egressus ad terram, cum circumquaque locum habilem sibi pervidissent, quam plurima devotione Deo gratias agebant, unusquisque secundum Davidicum illud dicentes : Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam. Pauco post tempore (non est enim invalida manus Domini) gloriosum ibi peractum est monasterium; in quo cum multa confluxisset cœnobialis congregatio, sanctus pontifex Audomarus sanctissimum Dei athletam Mommolenum maximæ illi multitudini præordinavit *t* monachorum.

ubi rigide atque pie vivit.

8 Cura igitur eorum suscepta, qui eo non parvi numeri confluxerant, quanta sese sanctus pater Mommolenus parsimonia maceravit, quanta corpus suum jejuniorum, vigiliarum et nuditatis inedia cohibuerit, si ad plenum referri oportet, humanam prorsus excederet facundiam : adeo enim in his et aliis sese exercebat virtutibus, ut et commissis suis et aliis, ad quos nomen ejus pervenerat, quasi quædam gratiæ divinæ glorificatio videretur. Utebatur pro veste cilicio, corpus aqua sola et pane tantum sustentabat ordeaceo, orationi sedulo incumbens devotissimis cum lacrymis gratias divinæ semper majestati referebat. Commissæ sibi obedientiæ vir beatus non immemor, utilitati fratrum semper invigilabat in claustro fratrum; extra claustrum pauperum seu supervenientium necessitatibus insudabat, et secundum quod a sanctis canonibus acceperat hospitalitatem hilariter exequebatur. Quid plura? Pauco in tempore multos, qui adhuc prophanis gentilitatis deserviebant illusionibus, ab idolorum fallaci convertit cultura, quos

sacrosanctæ

A sacrosanctæ professionis signaculo præmunitos ad æternæ vitæ postmodum Christus introduxit præmia sempiterna. Largissimus ergo bonorum operum retributor Deus contra diabolicas reluctationes indefessam beatissimi patris Mommoleni aspiciens pugnam (oculi enim Domini super justos), almificis eum signis ac virtutibus remuneravit. Cæcis siquidem visum, surdis auditum, multimodam sanitatem per sacræ manus ejus impositionem corporibus restituebat paralyticorum, leprosos seu elephanticos non exhorrebat, immo tamquam uterinos filios contrectans, saucia eorum corpora balneis benigne refovebat.

Mortuo vero S. Eligio succedit S. Mummolinus,

9 Contigit eo in tempore gloriosissimum Dei Confessorem Sanctissimum videlicet Eligium, Noviomensis seu Tornacensis Ecclesiæ pontificem, post officii sui felicissimam consummationem de mundo emigrare, et ecclesiam sibi commissam, tamquam naviculam, quæ sine remigio est, inter mundanas tempestates aliquandiu fluctuare. Tanto prærepto pastore, oves circumquaque vagabantur; filii, patre decedente, suspirabant et lacrymabantur; unanimi omnes voce super desolatione sua Dei piissimam benignitatem sollicitabant : jejuniis tan-
B dem et orationibus eorum Dei omnipotentis reflexa misericordia; (prope est siquidem Deus omnibus invocantibus se;) sacrosanctæ gratiæ suæ respectu populum suum consolari dignatus est. Abstractum namque non sine obedientiæ impositione ab ecclesia, quam prænominavimus, nominatissimum pastorem sanctæ Noviomensi seu Tornacensi Ecclesiæ sanctum patrem Mommolenum providum divinitus delegavit successorem. Erat siquidem pastor ipse mitis, alloquio providus, in consilio devotus, in orationibus, in vigiliis et jejuniis strenuus, prælatis benevole subditus, subditis amicabiliter imperans, bonis insistens operibus, vitiis indefesse repugnans, et solius divinæ pietatis gratiæ tyrannicis principum infestationibus viriliter resistebat. Sic itaque plebs illa secundum Dei athletam Mommolenum pontificem sibi, Deo disponente, unanimiter et elegit et habere promeruit, tum quia et latina et teutonica præpollebat facundia; tum præcipue quia divinarum institutionum eum instructum audierant documentis. (Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonica majori ex parte utitur; utraque autem eruditiori Latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa
C fuerit, ad plenum respondere dinoscitur *u*). Quia ergo tot et tantarum linguarum peritum eum noverat, tum quia gloriosissimæ suæ vitæ conversationem audierat, præcipue vero quia eum in sibi commissæ pastoralitatis officio infatigabilem compererat, non sine multa obedientiæ impositione a monasterio abstractum sibi populus ille suscepit in pastorem, non minimum gratulatus sanctissimo prædecessori honestum sibi in Deo providisse successorem.

u

latinæ et teutonicæ linguæ peritus; et cum viginti sex annos omnia episcopi munia

10 Suscepta igitur ecclesiæ prælatione, Beatissimus Christi Confessor Mommolenus, regularem ecclesiastici ordinis tenorem viriliter exequebatur; regiam institutionis divinæ viam incedens, raro aut numquam ab ea deflectebat, in officio suscepto impiger semper et hilaris perseverabat, modestis modestus, pravos et rebelles justæ virga severitatis corrigere non negligebat. Erat ei semper præ oculis dies admodum tremenda futuri judicii; retractabat secum et aliis prædicabat divinæ amplectendam gratiam retributionis. Impœnitentibus et quos Deo rebelles noverat pro certo intentabat æternæ supplicium damnationis. Infatigabili prædicatione infideles et incredulos ad fidem confortabat, et bono suæ conversationis exemplo ad peccatorum promerendam remissionem strenue informabat. Mi-
D rabantur in eo prudentes sæculi tantam divinæ inspirationis requievisse gratiam; æmuli illius detractores, cum eum audissent, aut convertebantur, aut cum multa ignominia confusi diffugiebant; unde factum est, ut multi per ejus instantissimam prædicationem ab idolorum cultura converterentur : et abrenuntiato profanæ gentilitatis errore, per impositionem sanctarum ejus manuum sacrosancti baptismatis lavacro se sanctificatos esse non minimum gratularentur; nemo siquidem sapientiæ ejus resistere poterat, neque spiritui qui in eo loquebatur. Erat ei circa monasteria solertia indicibilis, circa pauperes et egenos compunctio inæstimabilis, circa hospites et extraneos charitativo admodum mentis affectu profluе utebatur; humilibus humilis; superbis (quia eorum viriliter confutabat superbiam) superbus nimium videbatur. Irreverentibus siquidem quadam vultus cervicositate pertinax videbatur; cordis autem ejus non ficta serenitas, quacumque hora ingemuissent, leniter eos demulcebat et consolabatur; et licet benigno mentis affectu Deum timentibus esset valde amabilis, hæreticis tamen et infidelibus aspectu et incessu E non parum metuendus videbatur et terribilis.

inter medias omnigenas virtutes explevisset

11 Omni seposita carnalium voluptate deliciarum, totum se transfuderat ad æternarum desideria recompensationum. Exterioris hujus hominis speciem ipsam veræ sanctificationis expressam æstimares imaginem; in humanitate siquidem profusus, in doctrina præcipuus, paratus in sermone, multimoda probitatis ornatus erat honestate. In hoc Dei sacerdote, de quo præsens agitur sermo, ipsam patris nostri Abrahæ formam intueor; Abraham enim, secundum divinam promissionem de domo patris et cognatione sua egressus, in terram quam ei Deus demonstraverat, factus est in gentem magnam. Hic autem paterna postposita hæreditate, voluntario in exilio multam christianæ religionis Deo præparavit Ecclesiam. Abraham secundum quod de Maria Virgine audivimus : Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, in monte quem ei Deus designaverat, seipsum Deo (quia se in filio, etsi non actu, animo tamen) obtulit. Sanctus vero Mommolenus in sublimitate spirituali præordinatus seipsum Deo sacrificium justitiæ immolavit. Abrahæ, post victimam oblatam domum reverso, famuli domus et omnis ejus vicinia gaudentes oc-
F currerunt; hunc vero Dei athletam post cursum feliciter consummatum Angeli Sancti suum in consortium receperunt.

et morti proximus clerum monuisset, pie moritur et sepelitur.

12 Peractis enim viginti et sex annis, postquam pontificalem adeptus est cathedram, cum divino in gazophylatio prædicationis suæ multam coacervasset spiritualem animarum pecuniam, gravissima corporis admodum infirmitate depressus, ut sibi exequialem sensit terminum instare, suos sibi discipulos assistere mandavit : Novi, ait, filioli, extremum mihi diem imminere, et quia ad præsens a vobis separari habeo, charitatem me vestram amodo diligentius oportet commonere. Si igitur vicariam meæ pusillanimitati rependitis dilectionem, futuri judicii præ oculis semper habeatis justissimam examinationem, quia ibi et justi præmia meritorum, et iniqui suam suscepturi sunt condemnationem. Oportet itaque, fratres, ad eamdem nos discussionem diligentissime præparari, ne nos imparatos dies illa inveniat supremæ ultionis; ab illa siquidem hora nemo de Dei præsumere habet misericordia : ulterius enim nulla condemnatis sperari potest indulgentia. Cautissime igitur et diligenter ultimam

patris

AUCTORE ANONYMO.

patris vestri retractate commonitionem, quo in tremebunda illa examinatione vitæ perennis felicissimam a Deo promereamini remunerationem. Curam ei nostrarum commendo animarum, ejus salutifera passio nostrorum absolvat vincula peccatorum, et ecce vobis præsentibus in manus ejus Redemptoris nostri commendo spiritum meum. His ita peroratis, cum sacrosanctam universalis nostræ suscepisset Eucharistiam redemptionis, inter ipsas gratiarum actiones ultimum populo valedicens, spiritum exalavit. Sic igitur felix ejus anima corpore soluta putribili de terris evocata, collocata est in cœlis, et Sanctis consociata, Deum collaudat cum angelis. Quia vero civitas vivorum dicitur non mortuorum *x* a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem extra muros ante portam aquariam in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum *y*. Ibi frequenter multa præstantur beneficia incommoditatibus miserorum, ægri multoties per hujus patris nostri piissimam intercessionem inibi sanantur, et peccatores vinculis absolvuntur delictorum ad laudem et gloriam Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Lotharius, Ludovici filius, idem est ac Clotarius III, ut in* § I *Commentarii prævii monuimus; ubi fuse declaratum fuit, quomodo is locus interpretandus esset.*

b *Hæc omnia ex Vita S. Eligii deprompta esse docuimus num.* 6 *Commentarii prævii.*

c *Eo in tempore, scilicet cum persecutio non amplius sæviret, circa annum forte* 614, *egressus est e patria S.* Mummolinus, *venitque Luxovium in Burgundia; inde aliquandiu ante annum* 628 *perrexit ad aulam Clotarii II; de qua re vide* § II *Commentarii prævii.*

d *S. Bertinus, de quo sæpius dictum est in Commentario, colitur die* V *Septembris; ad quam diem fuse de eo egit Stiltingus noster.*

e *S. Bertrannus, seu Ebertramnus ut Sanctus habitus fuit a Molano* (*a*) *et a Bollando* (*b*) *ad diem* XXIV *Januarii; Galliæ Christianæ prosecutores* (*c*) *ei Sancti titulum denegarunt. Verumtamen ab anno* 1785 *in diœcesi Sant-Audomarensi, et ab an.* 1817, *in diœcesi Atrebatensi ejus cultus certus est, ut liquet ex Breviario Audomarensi et ex Proprio* (*d*) *Atrebatensi, quæ Officium ejus capiunt.*

f *Agitur hic de Clotario II, qui anno* 628 *obiit. Cfr Commentarium prævium* § II.

g *Theodorico Burgundiæ et Austrasiæ rege mortuo, ejusque filio Sigiberto et universa familia exterminatis, monarchiam seu totius imperii arcem obtinuit Clotarius II anno* 613.

h *S. Eustasius, in exilium profecto S. Columbano, anno* 610 *abbas Luxoviensis factus est, ut in Commentario de S. Gallo num.* 54 *jam traditum fuit.*

i *Regium sigillum frequenter olim in Gallia et alibi locorum clericis creditum fuisse neminem latet. Conscripsit Lanovius opusculum de Sanctis Franciæ Cancellariis; Cangius, in Glossario latinitatis medii ævi ad V.* Cancellarius, *edidit ex variis catalogum cancellariorum sub secunda et tertia stirpe, et Benedictini monachi, in ejusdem operis recognitione ad V.* Referendarius, *catalogum eorum, qui simile munus sub prima stirpe obierunt; jam antea Mabillonius* (*e*) *talem recensionem a primis temporibus fecerat. Nusquam tamen hic prodit S.* Mummolinus; *quod mirum non est ob rationes, quas ex Mabillonio* (*f*) *facile discere est. Neque ab hoc officio deturbandus est S.* Mummolinus, *quod Rotbertus in Actis S. Ausberti et S. Angadrismæ, et Romanus Rotomagensis in Gestis ipsius Clotarii II regium annulum sub hoc monarcha gessisse dicuntur; quandoquidem, ut laudatus Mabillonius docet* (*g*), *ex authenticis instrumentis constet, plures olim referendarios seu cancellarios regibus Francorum fuisse.*

k *Vitæ recentiores, quas præ manibus habuit Ghesquierus, omnino aliter* aliquantulum *id* tempus *determinant :* Vir Domini Mommolenus, *hæc ibi leguntur,* cum suis sociis (*Vita antiquior nihil de sociis in aula Clotarii versantibus habet*) a rege honorifice est susceptus, et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogatus. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri, ut longe lateque verbum vitæ spargerent. S. Audomarum tunc Teruanensem episcopum adierunt. *Dubium esse nequit quin lectio antiquior melior sit, cum Clotarius II anno* 628 *vita sit functus, et S.* Mummolinus, *circa finem sæculi* VI, *ut videtur, natus, junior esset quam ut diu in aula Clotarii versari potuerit. Quid vero egerit Sanctus* Mummolinus *inter obitum Chlotarii II et suam ad S. Audomarum digressionem, difficile determinare est; quoniam, ut* § II *Commentarii prævii ad Vitam S. Audomari ostendit Stiltingus, incertum est tempus S. Audomari episcopatus, cujus quidem initium inter annum* 628 *et* 638 *vagatur. Pro libitu hac super re quisque conjiciat. Cfr tamen quæ inferius in hac Vita num.* 4 *dicuntur.*

l *Morini, gens clara apud historicos, sat multa subministrarunt Malbrancquio gesta, quam ut eis egregium suum opus* de Morinis *tribus voluminibus conderet : in quorum primo* (*h*) *egit hic annalista de Morinorum nomine, variamque proposuit etymologiam. Licet proximis temporibus Cl. V. Raepsaet inierit sententiam, repetendum esse hoc nomen a theotisco seu flandrico vocabulo* Moer, *terram cœnosam referente, magis tamen vulgo assentiunt eruditi Malbrancquio, qui illud deducit a* Mor, *etiamnum apud inferiores hodiernos Normannos mare significante; cum hodiedum mari accolis nomen* Morins *apud dictos Normannos mereatur. Quod vero in S.* Mummolini *Vita, etiam sæculo* VII, *plerique pagani perhibentur, non est cur fidem negemus. Tres scilicet S. Audomari Vitæ, a Stiltingo editæ, hac in re consonant; et quidem Malbrancquius,* (*ut Stiltingi aliorumque dicta mittam,*) *licet olim SS. Fuscianus et Victoricus et dein S. Victricius Rothomagensis episcopus hanc Dominici agri partem sedulo excoluissent, non dubitat ad annum* 622, *quo Dagobertus a patre suo Clotario II Galliæ regnum adeptus erat, hæc promere verba :* Vident in Morinis omnem exutam propemodum pietatem, quam pessumdarent morum feritas, idola colendi obstinatio... *Qui rerum status ortus videtur ex diuturniore absentia episcoporum a Morinensi, dein Teruanensi et Boloniensi sedibus; quæ brevi post in unam coaluerunt, electo in episcopum S. Audomaro.*

m *Nullus dubito, quin hic alludat biographus ad versum* 727 *libri* VIII *Æneados, licet Virgilius, nedum Morinos invictos illic prædicet, eos inter debellatas a Romanis gentes computat. Æneæ scilicet clypeus, a Vulcano confectus, cum exhibet futura*

(*a*) Natales SS. Belgii ad XXIV Januar. — (*b*) Act. SS., t. II Januar., p. 604. — (*c*) T. IX, col. 1040. — (*d*) p. 41. — (*e*) De Re Diplom., lib. II, cap. XII. — (*f*) Ibid., loc. cit. — (*g*) Ibid., cap. XI. — (*h*) p. 3 et seqq.

Romanorum

A *Romanorum fata, innumeras quoque de barbaris victorias sibi appictas habet; quocirca ibidem*

. . . incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus, et discinctos mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ et pontem indignatus Araxes.

n *Julius Cæsar, qui absque dubio hic indigitatur, prima quidem in Morinos impressione, quam Malbrancquius* (*a*) *ad annum Urbis conditæ* 697 *refert, non debellavit Morinos, quod in silvis et paludibus se continerent. Verum non ita multo post* ex magna parte Morinorum ad *Cæsarem* legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent..., seque ea, quæ imperasset, facturos pollicerentur (*b*). *Rebellarunt quidem deinde plures e Morinis;* qui quum propter siccitatem paludum, quo se reciperent non haberent, quo perfugio superiori anno fuerant usi, omnes fere in potestatem Labieni venerunt (*c*), *quem Cæsar adversus eos miserat. Mitto sermonem facere de tumultibus pacationibusque Morinorum sub Julii Cæsaris successoribus.*

B o *Eadem fere verba in Vitis S. Audomari habentur; in quibus tamen nihil statuitur de vaga Morinorum libertate, qua* nulli principali potentiæ *ineunte sæculo* VII subfuisse *dicuntur. Equidem neque Sancti Audomari biographos hæc prætermittentes, quoniam Morini jure censendi sunt Neustriæ pars, neque S.* Mummolini *biographum hæc asserentem redarguam, quoniam manifestum est principatum Francorum regum in populos, silvestrem fere vitam in paludibus et nemoribus agentes, facto inanem ferme fuisse.*

p *Hæc et sequentia conformia sunt Vitis S. Audomari, a Stiltingo editis, aliisque quarum fragmenta citat ecclesiæ Sant-Audomarensis defensor* (*d*). *Quod imprimis notandum est, consonant omnes hæ Vitæ in ordine gestorum; qui ordo, a Mabillonio aliisque impugnatus, restitutus fuit a Stiltingo in Commentario de S. Bertino* (*e*). *Hæsitat Cl. V. Guerard* (*f*) *inter Mabillonium et Stiltingum; verum si cedat utriusque auctoritas, et veterum tantum maneant testimonia, dubium non est, quin Stiltingi prævaleat sententia.*

q *Altera Adroaldi donatio omnigenos jam tulit impetus a memorato scriptore Sant-Audomarensi* (*g*),
C *omnes intendente nervos, ut hanc donationem concutiat. Mitto quas ipse* suspicandi rationes *nuncupat, satis mihi ducens* tria falsitatis certa argu- D
menta, *ut loquitur, diluere. Primum est, diplomate hujus donationis destrui donationem S. Audomaro jam factam; verum omnino contraria deberet esse conclusio, cum culpatum instrumentum habeat:*
Dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago Taruanense, quam domino patri Audomaro, apostolico viro, ad xenodochium suum ædificandum dare voluimus : sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem, ut ibi monasterium *etc.; secunda exceptio petitur ex his verbis :* Sed ipse salubre consilium nobis donavit. *Monasterium scilicet condere salubre consilium non est, cum xenodochium utile censetur : quæ ineptior objectio est, quam ut refelli mereatur. Tertium autem argumentum sic fere conficitur : certum est S.* Mummolinum *Sithivensis cœnobii primum abbatem fuisse; quam propositionem multis invictisque probationibus stabilit; verum quam ex ea promit conclusionem nemo admittet : etenim ex eo, quod abbatialis dignitas postulasset, ut S.* Mummolinus *in hoc diplomate primus nuncuparetur, non autem secundus* (*quod tamen fit in Folquini chartulario*), *sequitur initium diplomatis mutatum fuisse, non autem ipsum diploma esse suppositititium.* E

r *Ecclesia est S. Mariæ Audomaropolitana : plura vide de ea apud Stiltingum in Commentario de S. Bertino* (*h*).

s *Agnio, gallice* l'Aa; *quæ vox* aquam *significat.*

t *In Commentario prævio* § III *fuse cum Stiltingo de abbatis munere, quod S.* Mummolinus *in Sithivensi monasterio gessit, diximus.*

u *Quæ parenthesi inclusa sunt, interpolatio videntur.*

x *Ubi id dicatur nescio, nisi hæc phrasis, mutato uno vocabulo, referat versum* 38 *cap.* XX *Euangelii secundum Lucam :* Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei. *Cæterum lex* XII *Tabularum :* In urbe ne sepelito, neve urito, *notissima est. Cfr Concilium Bracarense anni* 561 *can.* XVIII *cum Annotatis Josephi Catalani* (*i*), *et Commentarium prævium* § I, *num.* 8. *In Gallia hæ leges omnium primo labefactæ fuerunt in gratiam regum Francorum; et quidem ut eos taceam, de quibus ambigi potest an reapse in civitatibus humati fuerint, Chilpericus II terra conditus est Noviomi, ut legere est apud plures priscos historicos; quos vide apud D. Bouquet* (*k*). *Sed inde nihil, ne quidem in favorem episcoporum, concludere licet.* F

y *Cfr Commentarium prævium num.* 55.

(*a*) De Morinis, t. I, p. 91. — (*b*) C. J. Cæsar De Bello Gallico, lib. IV, cap. XXII. — (*c*) Ibid., cap. XXVIII. — (*d*) Vérité de l'église de S. Omer, p. 393 et seqq. — (*e*) Act. SS., t. II Septemb., p. 559 et seqq. — (*f*) Cartul. de S. Bertin. Préface, p. XXXII.—(*g*) Vérité de l'égl. de S. Omer, p. 71 et seqq.—(*h*) Act. SS., t. II Septemb., p. 565 et seqq. — (*i*) De Aguirre Concil. Hispan., t. III, p. 181. et 187. Edit. Rom. 1753. — (*k*) Recueil des Hist. de France, t. III, p. 572, 655, 671 et 698.

A D

DE S. BERCHARIO MARTYRE,

ABBATE ET FUNDATORE MONASTERIORUM ALTIVILLARIS ET DERVI.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in sacris fastis, cultus et Acta.

ANNO DCLXXXV. *S.* Bercharii *cultus probatur*

B Quamquam *S.* Bercharii *abbatis et Martyris memoria non occurrat in præcipuis et antiquioribus Martyrologiis, Adonis ac Usuardi, quæ cum aliis Classica appellamus, non est tamen, quod de ejus cultu dubitemus, quem hodiernum Martyrologium Romanum annuntiat. Etenim ipsa ejus Vita sæculo decimo ab Adsone, ut infra videbimus, scripta testatur n.* 26 *paucis ab obitu annis S.* Bercharium *cultu publico decoratum fuisse propter frequentiam miraculorum.* Ad tanti viri obitum, *ait,* viris undecumque religiosis concurrentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, multis inibi Deo donante, miraculorum pollens effectibus. Sed cum jam Dominus ulterius Sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est, inde corpus Beati Patris debere transferri, ac illi inde translatum tumulaverunt retro altare, in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis, *etc. Notum vero est solemnes translationes et elevationes corporis initia cultus ecclesiastici constituisse* (*a*).

e diplomatis

C 2 *Ejusdem Sancti cultum adstruunt varia diplomata sæculis* IX *et* X *edita, quæ in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis Nicolaus Camuzat recitat : imprimis per unum ex eis* (*b*) *Carolus Calvus privilegium concessit monasterio Dervensi omnimodæ exemptionis a jurisdictione comitum et ministerialium, ac plenariæ libertatis in electione abbatis :* Data IX kal. Februarias (XXIV *Januar.*) an. XVIII regnante Carolo gloriosissimo Rege. Actum Carisiaco palatio regis. (*Quoniam* Carisiacum, *in Belgica secunda situm, ad Austrasiam pertinebat, annos regni ab obitu patris currere censeo et propterea chartam ad annum æræ vulgaris* 857 *refero.*) *In hoc autem diplomate Carolus rex incolas territorii Dervensis appellat* homines S. Petri et S. Bercharii; *adeo ut jam tum basilica Dervensis dedicata videatur sub invocatione S. Petri et S.* Bercharii. *Idem docet diploma Gualonis, Trecensis episcopi, quo concedit duo altaria monasterio Dervensi, seu Adsoni* ex monasterio S. Petri, ubi corpus requiescit S. Bercharii. Actum Trecis civitate publice die VIII id. (VII) Septemb. an. XVII regnante Domino nostro Lothario rege. *Ad quod diploma pauca annoto : non liquet scilicet cum quo anno æræ vulgaris concurrat annus* XVII *Lotharii regis, filii Ludovici IV seu Ultramarini. Quatuor enim ejus regni statuuntur initia, ut videre est apud auctores libri* l'art de vérifier les dates. *Cum tamen longe major pars diplomatum Lotharii regnum ordiatur a die* XII *Novembris anni* 954, *quo Remis coronatus fuit, hunc quoque annum hic accipimus : unde* VIII *id. Septembris anni* XVII, *anno Christi* 971 *illigamus.* E

et martyrologiis

3 *Quamvis igitur Ado et Usuardus de Sancto nostro sileant, ex his tamen monumentis ejus cultus antiquus plene demonstratur. Præterea* Bercharium *laudant Martyrologia non pauca, licet recentiora. Imprimis, ut jam diximus, Romanum hodiernum Sanctum nostrum annuntiat his verbis :* S. Bercharii abbatis et Martyris. *Cui elogio Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium sequentem notam subnectit :* Nequis. . . . similitudine nominis, ordinis, tituli et ministerii decipiatur, scire debet fuisse et Bertharium abbatem Cassinensem æque martyrem necatum a Sarracenis ante altare S. Martini in cœnobio Cassinensi anno Domini DCCCLXXXIV, ut scribit Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi l. I, c. XXXV, XLVI et XLVII, Petrus diaconus Lib. de Vir. illustr. montis Cassin. c. XII et Trithemius de Vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. III, c. CCCXXI. *A S. Berthario Cassinensi, cujus Acta ad diem* XXII *Octobris edentur,* Bercharium *nostrum distinguunt ætas, patria totaque actæ vitæ series, ut ex sequentibus satis patebit.* F

recentioribus

4 *S.* Bercharii *memoriam celebrant quoque Auctaria Usuardina : in vetustissimo exemplari Pratensi,* manu quidem secundaria, *inquit Mabillon in præviis ad Sancti Vitam observationibus,* sed quæ annos quadringentos facile præ se fert, ita breviter scriptum legitur : « Monasterio Dervo S. Bercharii » Martyris et abbatis. » *Codici huic adjungi possunt matricula Ultrajectina apud Sollerium nostrum in Usuardo, Grevenus ac Molanus, qui sub hac die annuntiant Sancti translationem, paucis his verbis :* Ipso die translatio S. Bercharii abbatis et Martyris. *Neque immerito* translationem *indicant laudati scriptores, ut fidem nobis facit scriptor anonymus Miraculorum S.* Bercharii, *infra edendus, agens de instauratione monasterii Dervensis, hisce verbis numero* 7 : Hoc (*templum*) longa solitudine incultum, tribulis etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt ossa pii Pastoris XVII kalend. Novemb. Hic dies eo loci celeberrimus

(*a*) Cfr Bened. XIV De Canoniz. SS., lib. I, cap. VI, n. 2. — (*b*) F. 84 verso.

berrimus habebatur ab antiquo, anniversario Dedicationis ejusdem basilicæ operatione B. Bercharii ipsius Dei ordinatione consecratæ in honore S. Salvatoris. Geminata itaque præscripti diei solemnitate, auctoritate præsentium sacerdotum decretum est, perpetuo celebrari ipso die natalis passionis gloriosi Martyris Bercharii, quam constat evenisse, instante festivitate paschali, ob quam rem manebat incelebris more Christianæ religionis. Hinc inolevit jocunditas hujus præclaræ celebritatis, qua hactenus exhilarantur tempora nostræ ætatis.

præsertim Gallicanis.

5 *Saussayus in suo martyrologio Gallicano pro more suo sat longam synopsim vitæ exhibet. Martyrologia Parisiense Cardinalis de Noailles et Autisiodorense Caroli de Caylus Sancti memoriam recolunt in die obitus seu* VII *kal. Aprilis* (XXVI *Martii*). *Hoc vero speciale habet Autisiodorense :* In monasterio Dervo, Catalaunensis diœcesis, Sancti Bercharii fundatoris et primi abbatis, cujus Reliquiæ delatæ sunt ad conventum magnum apud Airiacum villam in pago Autisiodorensi habitum (*circa an.* 1020) præsentibus Rotberto rege, Hugone de Cabilone Autisiodorensi episcopo, Landerico Autisiodorensi comite, multisque aliis proceribus. *Cfr. Joan Ma-*
B *billon* (*a*) *et D. Bouquet* (*b*). *Parisiense quemadmodum et Autisiodorense citatum non tribuunt S.* Bercharío *Martyris titulum, sub quo tamen illum colunt Ecclesiæ Catalaunensis et Trecensis ritu simplici in colore rubro, et quem illi alia Martyrologia adscribunt : quam quæstionem, ubi de ejus morte agemus, examinabimus. Benedictina quoque Menologia Menardi et Bucelini ejus memoriam celebrant. Menardus tamen in observationibus ad* XVI *Octobris, dicit S.* Bercharium *sub Eustasio abbate monachum egisse in Luxoviensi cœnobio; verum videbimus infra, ad Waldeberti abbatis tempora revocandam esse monasticam professionem S.* Bercharii. *Bucelinus evidenter errat, ut postea constabit, statuens annum Sancti emortualem* 660. *Idem nulla facta mentione* Dervensis monasterii, *ita narrationem texuit, quasi in Altivillariensi cœnobio occisus fuisset, cum ex ejus Actis manifestum sit, Dervum palæstram cruentæ necis fuisse.*

Breve ejus elogium :

6 *Tamquam brevem totius vitæ S.* Bercharii *conspectum exhibebo, quæ Hugo Menardus habet l. c. :* S. Bercharius, *inquit,* fuit ex Aquitania oriundus, nobili loco. Relicta patria et parentibus, convenit S. Nivardum archiepiscopum Remensem : qui (*scilicet* Bercharius) cum ab eo ad pietatem non mediocriter excultus fuisset, perfectioris vitæ studio
C ad Luxoviense cœnobium se contulit : ubi sub S. Eustasii (*verius S. Waldeberti*) magisterio Christo militavit. Regularibus disciplinis sufficienter imbutus, ad S. Nivardum revertit, ut refert author Vitæ illius anonymus apud Nicolaum Camuzatium in Promptuario Antiquitatum. Hujus sancti pontificis ope et adminiculo ædificavit monasterium Altumvillare ad Maternam fluvium, seu, ut alii appellant, Matronam : ubi instituit monachos sub regula S. Benedicti et S. Columbani, ut docet Flodoardus lib. II, cap. VII. Hujus cœnobii ædificationem signo cœlesti sibi gratam et jucundam fore Deus manifestavit.... Tranquillitatis autem cupidus, relicto Altumvillari cœnobio, secessit in sylvam, quæ Dervus dicitur..... In intimo sylvæ recessu ædificavit cœnobium in diœcesi Catalaunensi, quod ab eo appellatur monasterium Dervense..... In hoc cœnobio S. Bercharius martyrio laureatus ad Christum migravit, a quodam perduelli Daguino, Dervensi monacho, quem de sacro fonte levaverat, in lecto trucidatus. *Hæc Menardus.*

AUCTORE. J. V. H.

D

Officium ecclesiasticum.

7 *Porro Martyrologiorum classicorum silentium satis indicat, numquam late propagatum fuisse S.* Bercharii *cultum, imo vix limites diœcesium, in quibus sua fundaverat monasteria, excessisse. In diœcesi Remensi nulla ejus fit memoria, quantum quidem assequi potui, tum ex antiquiori Breviario jussu Ludovici Lotharingi anno* 1630 *edito, tum ex Directorio liturgico anni* 1829, *quod cardinalis archiepiscopi de Latil nomen præfert. Ritu simplici Sanctum tanquam abbatem et Martyrem celebrant die* XVI *Octobris diœceses Catalaunensis et Trecensis, uti videre est in Kalendariis liturgicis anni* 1829. *Addunt antiquæ schedæ apud nos repertæ* « per » totam diœcesim Senonensem Sancti festivitatem » servari solitam : quod demonstrant, *ut ibidem* » *dicitur,* nonnulla, quæ in suppellectili nostra » litteraria exstant, Senonensis metropolitanæ Ec- » clesiæ Breviaria, in quorum primo, quod anno » 1604 editum fuit, ad XVI Octobris, si hæc in Do- » minicam non inciderit, præscribitur in Vesperis » et Laudibus post Antiphonas BEATUS VIR, etc. » QUI ODIT, etc., uti et reliquis horis et in Missa
E » hæc de S. Berchario recitando oratio seu COLLE- » CTA : Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut » qui B. Bercharii Martyris tui natalitia colimus, » intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Si vero eadem dies Dominica fuerit, dicta » collecta in sola Missa recitari jubetur. Solam iti- » dem de Sancto commemorationem præscribit alterum Senonense Breviarium authoritate Nicolai » Cardinalis a Pellevé et archiepiscopi anno 1625 » editum; sed in tertio, quod anno 1641 jussu » Octavii de Bellegarde archiepiscopi in lucem » prodiit, ejusdem Ecclesiæ Breviario, celebran- » dum signatur Sancti festum ritu simplici; habet- » que in matutino S. Bercharius tertiam lectionem » propriam, cujus solum initium MS. nostrum » illius Breviarii compendium in hunc modum » exprimit : Is fuit abbas monasterii Altivillaris. » *Hodie vero juxta Kalendarium anni* 1827 *memoria S.* Bercharii *prorsus oblitterata videtur, cum nulla ejus mentio fiat. Non dubito quin celebrior Sancti festivitas in utroque monasterio Dervensi et Altivillariensi olim haberetur.*

Acta S. Bercharii *edenda*

8 *Quod ad Acta S.* Bercharii *attinet, illa publici juris fecit primum Nicolaus Camuzat in Promptuario Antiquitatum Diœcesis Tricassinæ, nullo addito auctoris nomine : eadem secundis curis collataque cum codice MS. monasterii S. Cornelii Compendiensis edidit Joannes Mabillon* (*c*) : *qui in suis Observationibus præviis eorumdem auctorem assignat, Adsonem S.* Bercharii *in regimine Dervensi, post multos intermedios, successorem. Hanc opinionem jam antea admiserat Laurentius Surius in auctiori Vitarum Sanctorum editione, quæ prodiit Coloniæ an.* 1618; *eamque postea amplexi quoque sunt Baillet in Vitis Sanctorum, Benedictini auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*d*) *ac tandem Nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Nivardi, Remensis archiepiscopi* (*e*), *ad diem* I *Septembris. Cæterum Adsonem Vitam S.* Bercharii *elucubrasse diserte testatur anonymus monachus Dervensis, tum in ipso Libri Miraculorum exordio, tum ejusdem libri n.* 13, *ubi ita loquitur :* Gesta vero hujus Sancti piissimi protectoris nostri Bercharii ad extremum quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis sparsit totius Galliæ oris, quæ eatenus

F

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 859. — (*b*) Rec. des Hist. de France, t. X, p. 172, 224 et 275. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 831. — (*d*) Hist. litt. de la France, t. VI, p. 489. — (*e*) T. I Sept., p. 271, n. 18.

inculte

AUCTORE J. V. H.

inculte exarata habebantur et abdita. *Cum vero hic auctor non toto sæculo, ut infra videbimus, post Adsonis obitum, in ipso Dervensi monasterio floruerit, atque adeo de ipsius scriptis optime fuerit instructus, ejusdem auctoritas nobis certum et indubitatum reddere debet quamdam Sancti nostri Vitam ab Adsone reipsa conscriptum fuisse.*

auctorem habent,

9 *Porro Vitam, quam Nicolaus Camuzat aliique edidere, ab Adsoniana non esse diversam, satis certæ indicant notæ, quibus eam distinxit laudatus monachus Dervensis; quo teste, Adso non solum S.* Bercharii *vitam, verum etiam miracula post obitum patrata scriptis mandare cogitaverat :* Quæ vero, *inquit ille auctor libri miraculorum n.* 1, post obitum beati viri ipsius meritis divino beneficio compensata (*miracula*) se relaturum (*Adso*) promiserat, minime explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, scilicet impedimentis diversarum actionum perturbatus, maximeque eventu festini obitus interceptus. *Jam vero se post vitam etiam Sancti miracula conscripturum editæ Vitæ auctor iisdem omnino verbis pollicetur in prologo, ubi ita loquitur :* Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis ætati nostræ perferri potuerunt. *Quæ sane verba genuinam hanc esse Adsonis lucubrationem tam clare ostendunt, ut mirum sit Cointium (a) et, qui eum secutus est, Pagium (b) in contrariam abiisse sententiam, editamque Vitam Anonymo cuidam, Adsone antiquiori, adscribere voluisse.*

quidquid obloquatur

10 *Unicum opinionis suæ vadimonium præbent Cointius et Pagius, verba Nicolai Camuzat, quæ, judice Cointio, litem facile dirimunt. Hic nempe in suo Promptuario (c) dicit :* Cum hucusque typographicæ operæ in excudenda D. Bercharii historia processissent, oportune admodum et consentance animi mei voto, devenit in meas manus chirografus libellus, eamdem historiam in duos bipartitam tomos complectens. Prior continet quæ superius excusa sunt, paulo tamen fusius et uberius, cum referat eumdem S. Bercharium eo die, quo Christi resurgentis solemnitas celebratur, e vita excessisse anno DCLXXXV. Posterior plurima memoratu dignissima, quæ in Dervensi cœnobio contigerunt, multa etiam egregia miracula meritis ipsius beati Martyris facta percenset. « *Hinc, ait* » *Cointius, patet scriptas duas historias de Vita,* » *sive, ut titulus præfert, de Passione S.* Bercharii, » *quarum alteram Camuzatus typis edendam curavit, alteram adhuc ineditam in tenebris delitescere dolemus. Quæstio est, utra illarum ab* » *Assone scripta sit. E duobus tomis seu libris,* » *quos Camuzatus post editam Passionem S.* Bercharii *nactus est, prior ipsam Assonis lucubrationem complectebatur, omissusque est ab eodem* » *Camuzato, qui cum historiam pene simillimam* » *jam protulisset, stylo parum mutato bis eamdem* » *rem repetere noluit. Posterior vero tomus seu* » *liber, qui de diversis casibus Dervensis cœnobii,* » *deque S.* Bercharii *miraculis inscribebatur, scri-* » *ptus fuit a monacho Dervensi, qui, quid ab Assone* » *abbate scriptum esset, initio suæ scriptionis aper-* » *tissime sic declaravit :* Hujus anterioris execu- » tionem operis (*scilicet Vitæ S.* Bercharii) divinæ » dignationis ordinatione ad memoriam informandam posterorum insignis prudentia solertissimi Assonis abbatis sæpe denominatæ ecclesiæ » Dervensis luculentissimo sermone nobilitavit. » *Hæc Cointius.*

Cointius,

11 *Verum nullius ponderis esse Cointii assertum ex hoc elucet, quod in multis exemplaribus utrumque tomum seu librum complexis, eadem, quam excudit Camuzatus, Vita seu Passio reperiatur : tale fuisse Compendiense manuscriptum, testis est Joannes Mabillon in Observationibus prævis ad Sancti Vitam. Coram habeo codicem manu exaratum e monasterio Aquicinctino, qui omni ex parte, si pauca excipias, cum Tricassina editione Camuzati convenit. Hæc jam monstrant, quo sensu accipienda sint editoris verba, quando dicit chirographum libellum, qui, Vitæ historia jam excusa, in manus ejus devenit, paulo* fusius et uberius *quædam explicasse : ubertatem declarat exemplo; scilicet MS. referre S.* Bercharium eo die quo Christi resurgentis solemnitas celebratur e vita excessisse anno DCLXXXV. *Nemo autem non videt similia additamenta in plerisque codicibus manuscriptis occurrere, quin propterea diversos nobis fingamus auctores. Immo Joannes Mabillon, quocum Filibertus Boulanger manuscriptum Dervense communicaverat, nihil immutandum censuit, exceptis paucis, quæ obitum Sancti nostri accuratius, ut infra videbimus, exponunt.*

qui

12 *Aliud est, quod suadet a Camuzato editam Vitam genuinum esse Adsonis fœtum. Anonymus auctor libri secundi, seu miraculorum S.* Bercharii, *n.* 13 *dicit, Adsonem* Gesta sancti ac piissimi protectoris Bercharii ad extremum, quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis sparsisse totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur et abdita. *Nolo equidem immorari quæstioni, qua indagaretur num altera biographia ante Adsonem exstiterit, uti opinatur Joannes Mabillon, an vero potius antiqua quædam monumenta Dervi sparsim asservata Adsoni præluxerint : nam utroque sensu Anonymi dicta accipere licet, quemadmodum et illa quæ ipse Adso in suo prologo habet, se prosequi ea,* quæ ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati suæ perferri potuerunt. *Omissa hujusmodi quæstione, ex dictis Anonymi certo deducitur, illam lucubrationem Adsoni, quæ communior est, quæ vero abditior, antiquiori scriptori esse adscribendam :* abdita *namque erant priora Dervi monumenta; ast quæ Adso scripsit,* totius Galliæ oris sparsa fuerunt.

refellitur,

13 *His positis, nulli dubium esse potest, utra ex duabus biographiis sit commmunior : quam edidit Camuzatus, reperiebatur manuscripta Compendii, ut testatur Mabillon; coram habeo exemplaria e codicibus Longipontino, Cisterciensi, Aquicinctino, qui etiam collatus fuit cum chirographo monasterii Charitatis : illa exemplaria, pauculis exceptis, inter se omnino conveniunt. Ast alterius Vitæ nullum adhuc inveniri potuit vestigium : ipso itaque Anonymo judicante, manifestum est coram adesse Adsonis lucubrationem; antiquioremque Vitam, si quæ umquam exstitit, omnino deperditam fuisse. Huc etiam facit quod Acta vulgata non sunt, ut de antiquioribus loquitur Anonymus,* inculte *seu rudi stylo conscripta, sed potius variis verborum ambagibus flosculisque non mediocriter sunt ornata, ita ut aliis Sanctorum Vitis ab Adsone, multis pauca plerumque complecti solito, lucubratis et in Opere nostro jam vulgatis, v. g. Vitæ S. Mansueti Tulli Leucorum episcopi (d), quoad stylum tam sint affinia,*

(a) Annal. Franc. ad annum 656, § VII, tom. III, p. 425. — (b) Crit. Baron. ad annum 685, § XIV. — (c) F° 86 verso. — (d) T. I Septemb., p. 637.

ut

A *ut hinc etiam S.* Bercharii *Vitæ auctorem non alium fuisse quam Adsonem confici possit.*

Adsonem Abbatem,

14 *Tandem ut ad argumentum Cointii propius accedam, nullatenus constat annum S.* Bercharii *emortualem expressum fuisse in biographia Dervo submissa. Certe Joannes Mabillon, qui Vitæ vulgatæ subnectit, quæ Filibertus Boulanger, Dervensis monachus, ad illum miserat, hunc annum expressum in narratione necis S.* Bercharii *non invenit; cum in ea solum dicatur,* mane Dominica ipsius sacrosanctæ ab inferis Resurrectionis die carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu (Bercharius) felix petivisse. *Dein subnotat in eodem MS. hæc legi :* Extremum vitæ diem obivit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini DCXXCV, Indict. XIII, Epacta XI, VI (*melius* VII) kalend. Aprilis, mane sacro Dominicæ Resurrectionis. *Ex qua loquendi ratione, mihi videtur sat clare insinuari, superiora verba glossam esse ad textum ex alio quodam monumento desumptam; neque enim ejus auctoritatem labefactare mihi in animo est; unum dico, glossam ad textum non pertinere, et proinde infringi quidquid roboris superesse posset argumento Cointiano. Nihil igitur impedire debet, quominus*
B *cum laudatis supra n.* 8 *auctoribus ob rationes allatas Adsoni Dervensi abbati Vitam vulgatam indubitanter adscribere pergamus.*

cujus elogium texitur

15 *Non alienum fuerit ab instituto nostro quædam de Adsone subnectere. Hunc impense laudat anonymus miraculorum S.* Bercharii *scriptor, infra edendus, n.* 12 *et seq.; eoque duce, de illo agunt Historiæ Litterariæ Franciæ auctores Benedictini* (*a*) *et nostri majores variis in locis* (*b*) *præsertim in Commentario prævio ad Vitam S. Apri Tullensis episcopi. Verba Constantini Suyskeni, additis nonnullis, huc transcribo :* Adso (*in Jurensi Burgundiæ tractu nobili genere natus*) in Vosago sive in Luxoviensi monasterio eruditionis pariter ac sanctimoniæ fama florebat, cum a Tullensi episcopo et clero Tullum ad magisterium sacri ordinis accersitus est. Contigit hoc sub S. Gauzlino episcopo, qui collapsam in S. Apri cœnobio disciplinam feliciter restauraverat; quod anno Christi CMXXXV verisimilius innectendum esse in Commentario prævio de ejusdem Sancti gestis ad diem VII Septembris (*c*) dictum est. In eo monasterio per aliquanta temporum volumina docuerat, quando missus est ad Dervense cœnobium, diœcesis Cata-
C launensis in Campania, cujus (*post eas, quas noster miraculorum scriptor refert, calamitates, pene collapsi*) instaurationem idem S. Gauzlinus pariter instituerat verosimiliter circa medium sæculi X, secundum dicta (*Commentarii prævii de S. Gauzlini gestis* (*d*)) Dervensibus denique abbas post Albericum præfectus est, annoque CMXCII, religionis ergo Hierosolymam navigans, e vivis excessit, *et in insula Astilia terræ mandatus fuit. Cæterum incertum est, quo præcise anno præfecturam Dervensium Adso susceperit, cum annus emortualis Alberici decessoris sui ignotus adhuc lateat. Attamen id non serius accidisse quam anno* 969 *probat Joannes Limpenus noster in Commentario prævio de S. Mansueto ad diem* III *Septembris* (*e*) *ex litteris donationis, a S. Gerardo Tullensi eo anno datis, quibus subscripsit* Adso abbas. *Similem ob rationem, si certo constaret initium regni Lotharii regis, quod, ut jam diximus, pleraque diplomata* XII *Novembris anni* 954 *illigant, dicendus esset Adso Dervensia gubernacula jam tenuisse initio anni vulgaris* 968, *cum Nicolaus Camuzat in Promptuario* (*f*) *exhibeat chartam Heriberti comitis,* datam XVI kal. Febr. (XVII *Jan.*) anno XIV regnante Domno Lothario rege Francornm; *sive anno* 968 *in qua de Adsone, tamquam abbate sermo fit. Sed non oportet de initio regiminis ejus operosius inquirere, quandoquidem Sancti nostri Vitam exarasse videtur non diu ante obitum suum; morte enim præpeditus, teste anonymo Miraculorum scriptore n.* 1, *propositum suum exsequi non potuit, eamdemque Vitam miraculis, quorum narrationem in prologo promiserat, imminutam reliquit.*

AUCTORE J. V. H.

D

et stylus examinatur.

16 *Jam observarunt laudati Historiæ litterariæ auctores* (*g*) *scriptam ab Adsone Vitam magna ex parte ex generalioribus tantum virtutum encomiis esse conflatam, et perpauca Sancti singularia gesta, non sine admixtis subinde erroribus, in ea exponi : sed id magnopere mirandum non est : Adso enim ab ætate Sancti* Bercharii, *circa finem sæculi septimi defuncti, tribus sæculis distans, nimis remotus fuit, quam ut scribere posset Vitam, quæ omnia illius gesta minutatim eoque ordine exponeret, ut alicubi in errores quosdam chronologicos aliosque non impingeret. Attamen Adso, in Dervo abbatis munere fungens, varia quæ ad Sanctum* E *ejusdem monasterii fundatorem spectabant, sibi prælucentia habuit antiqua instrumenta, prout supra n.* 12 *diximus; fortassis quoque antiquiorem Vitam : si reipsa hæc, uti Mabillon, Cointius, Pagiusque censent, ab Anonymo aliquo ante Adsonis ætatem conscripta, memoratis in miraculorum libro monasterii Dervensis cladibus fuerit superstes. Qua de causa eidem etiam fides, nisi major alicubi auctoritas contrarium suadeat, deneganda non videtur, præsertim cum ejus dicta ex aliis probatæ fidei monumentis, infra proferendis citandisve, passim confirmari queant. Digna proinde etiam nobis visa est hæc Adsonis lucubratio, ut eamdem ex sæculo* II *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti cum Tricassina et Coloniensi editionibus cumque nostris exemplaribus manuscriptis Aquicinctino et Longipontino, quod nonnihil contractius est, ut suis locis indicabimus, collatam hic recudamus.*

Vitæ subnectitur liber miraculorum

17 *Post Passionem seu Vitam edemus et aliam lucubrationem, quæ cum non solum Sancti miracula, sed etiam varias, quibus Dervense monasterium afflictum fuit, calamitates referat,* Liber Secundus de Dervensis cœnobii casibus et miraculis S. Bercharii *inscribitur. Hujus auctorem fuisse monachum* F *Dervensem, jam ante diximus; idque satis clarum est : nam et S.* Bercharium Patris, Protectoris *et* Patroni nostri *appellatione frequenter designat, et quotiescumque illi de Dervensibus monachis sermo est, eosdem* fratres *aut* seniores nostros *appellat. Nec minus luculenter idem auctor ætatem suam indicat n.* 16, *ubi scribit monasterium Dervense ab Alberico et Adsone instauratum, magnopere floruisse* usque ad exitum Domni Brunonis, ... septem annorum lustris. . . . ecclesiam (*Dervensem*) gubernantis. *Hinc enim consequens fit, auctorem manum scribendo admovisse defuncto quidem Brunone, sed tamen non diu post ejus obitum, cum se ejusdem Brunonis* imperiis frequenter iteratis *ad scribendum impulsum fuisse profiteatur.*

sæc. XI *conscriptus.*

18 *Bruno autem hic, ut ibidem etiam ait, in abbatem* ordinatus est Romæ a S. Papa Leone IX, donatus ejus cognomine cum baculo pastorali; *factumque id est anno pontificatus Leonis secundo, uti liquet ex epistola ejusdem Pontificis ad Wilhel-*

(*a*) Hist. litt. de la France, t. VI, p. 471.—(*b*) T. I Sept., p. 616, n. 3 et seq. et t. V Sept., p. 56, n. 6. — (*c*) T. III Sept., p. 135, n. 30. — (*d*) Ibid., p. 139, n. 48. — (*e*) Ibid., p. 616, n. 4. — (*f*) Fol. verso 85. — (*g*) Hist. litt., t. VI, p. 489.

AUCTORE J. V. H.

A *mum comitem Nivernensem* (*a*), *quæ legitur* data kal. Maji per manus Petri bibliothecarii. . . . anno Domni Leonis noni Papæ secundo, indictione tertia abbati S. Bercarii, quem eodem die ad abbatem in capella sua Lateranensi benedixerat, et ei nomen suum, quod fuit Bruno, imposuerat. *Itaque anno S. Leonis secundo seu æræ Christianæ* 1050 *additis septem lustris seu annis* XXXV, *exsurget annus* 1085, *quo Bruno obiit, et circa quem proinde Anonymus noster Sancti miraculis conscribendis operam dedit. Porro cum ex dictis auctor non integro sæculo Adsone posterior fuerit, atque adeo eo tempore scripserit, quo miraculorum, tempore regiminis Adsonis, a quo initium scribendi ducit, patratorum sufficiens supererat memoria, cum inter scripta a se miracula fuerint plurima, ut eodem n.* 16 *dicit* a Brunone visa, vel a cernentibus vel fidelium et veracium testimonio subnixis tradita.... pariter. . . . aliquanta (*Brunonis*) manibus scedulis adnotatæ, *tuto, mea opinione, fides narranti adhiberi potest. Nunc S.* Bercharii *gesta, servato, quantum fieri poterit, ordine discutere aggredimur.*

B

§ II. Sancti Bercharii patria, tempus natale, monachatus Luxovii.

Nascitur Sanctus in Aquitania,

S. Bercharium *Aquitanum fuisse declarat Adso n.* 1 *Vitæ infra edendæ :* Prioris, *inquit,* monimenta temporis pagum Aquitanicum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ, ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti. *Quibus verbis indicat quidem Aquitaniam patriam Sancti fuisse, quin tamen aperte significet in qua parte regionis vastissimæ natus fuerit. Illam regionem Galliæ describens Valesius in notitia Galliarum :* Primo quidem, *inquit,* una et simplex fuit Aquitania inter Pyrenæum et Garumnam ac Oceanum. . . . . deinde etiam diu post prolatos ab Augusto ejus terminos usque ad Ligerim una esse perseveravit provincia Aquitania. . . . . Postea

C Constantini Maximi ordinatione, ut puto, ex una provincia duæ factæ, Aquitania altera, altera a Novempopulis, Novempopulana dicta. . . . Demum remanentibus Novempopulis, Aquitania bifariam divisa est in Aquitanicam primam et Aquitanicam secundam : provinciæ Aquitanicæ primæ metropolis facta Biturigæ, secundæ Burdigala.

in tractu, ut videtur, Pictaviensi,

20 *Propius designat locum natalem Sancti Adso, quando l. c. dicit :* Nam inter cætera quæ ex dote supernæ dispensationis hic vir sanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hæreditatis titulis a progenitoribus temporaliter etiam certum est floruisse, quod videlicet, si quis diligenter velit, in promptu est agnoscere, cum pœne usque ad hæc nostra tempora ejus juris villas et prædia tam ultra Ligerim, ubi Diseias dicitur, quam etiam intra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in monasterii sui regimine probantur successisse, per longa temporum curricula jure quieto visi sunt possedisse. *Hæc Adsonis verba insinuant Sanctum nostrum, utpote cujus hæreditas præcipua* Diseias *dicitur, illic parentes suos habuisse commorantes, et proinde* D *in eodem loco probabilius natum fuisse atque educatum. S.* Bercharius *ipse in charta traditionis infra citanda, quando de fundatione Dervensi agit, dicit hæreditatem suam, quæ ei* ex successione paterna et materna legibus obvenerat, *sitam in* Diseio *villa* ultra Ligerim supra fluvium Crete. *Superest vero ad nostra usque tempora ad* Clanem *fluvium duabus leucis gallicis Pictavis septentrionem versus distans, vicus* Dissays *dictus, qui convenit aptissime, si pro* Crete fluvio, Clanis, Clenis *aut* Clitis *scribitur. Crete fluvii nomen mihi solum occurrit juxta Valentiam in præfectura Drumensi* (Dépt de la Drôme) : *teste Baudrand,* Crestidium *seu* Crestum, le Crest, *vicus est rivulo cognomini insidens; sed hic locus cum Aquitania minime quadrat. Cæterum vanus fuit labor in quærendo* Crete *fluvio* ultra Ligerim, *neque aliquid lucis affuderunt investigationes operosæ in Atlante Cassini et in mappa hydrographica Franciæ, a viro de re geographica optime merito Ph. Vander Maelen humanissime nobiscum communicata. Nisi igitur quispiam malit divinare* Clanem *fluvium olim etiam* Crete *dictum fuisse, probabilis, non dubito, multis erit opinio vocem corrupte expressisse librariorum oscitantiam; quæ etiam monstrabitur infra, quando* E *nomini* Nivardi, *inusitatus illo ævo archiepiscopi titulus additus reperietur. Opinationem hanc confirmat, quod plura loca, in Berchariana charta recitata, inspicienti mappam facile occurrant, v. g. Britello,* Breuil, *Musciaco,* Moussais, *Saviniaco,* Savigny, *Gravisio,* la Grève, *Aliaco,* Aillé, *Nuhileio,* Nieuil; *quod si omnia reperire non licet, id evenit forsitan aut quia locorum nomina obliterata sunt, aut in ipso diplomate vitiose expressa : aut tandem quia non ita vicina sunt hæc loca* Diseio, *cum dicatur in textu :* villa et prædia tum ultra Ligerim. . . quam infra fines Aquitaniæ, *id est, ut opinor, in ulteriori Aquitania.*

parentibus nobilibus,

21 *Cum porro ex superioribus Adsonis verbis habeamus Sancti* Bercharii *parentes* exteriore affluentia rerum non mediocriter fuisse decoratos, *vix dubium esse potest quin simul essent nobilitate conspicui : nam quo tempore Sanctus vixit, divitiæ plerumque cum generis nobilitate erant conjunctæ. Verum non ita verisimile est, quod asserit Edmundus Baugier* (*b*), *Sancti patrem exstitisse Aquitaniæ ducem : quamquam enim certum sit sæculo* VII *duces Aquitaniam administrasse, quia tamen nihil de* F *Aquitanico illo patris ducatu dicitur ab Adsone aut ab Almanno monacho, biographo S. Nivardi, Edmundo Baugier sine ulla idonea ratione id asserenti fides haberi non debet. Maxime cum præfecti Pictaviensis tractus, ubi probabiliter Sanctus noster natus est, sibi titulum ducum Aquitaniæ non arrogarint ante medium sæculum nonum, ut monstrant Benedictini auctores Historiæ Aquitaniæ* (*c*).

non quidem regnante

22 *Quo vero tempore Sanctus in lucem fuerit editus, non facile determinari potest. Biographus n.* 2 *innuit eum natum fuisse Childerico II Austrasiæ regnum obtinente, et S. Nivardo Ecclesiæ Remensi præsidente; ait enim :* Eo tempore (*nativitatis S.* Bercharii) Francorum imperium regi Childerico felicissime disponente. . . . B. Nivardus. . . . sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. *Jam vero initium episcopatus S. Nivardi figendum esse circa medium sæc.* VII, *docuit Stiltingus noster ad diem* I *Septembris, in Commentario Vitæ ejus prævio* (*d*), *et Childericus II Austrasiam anno* 660 *gubernare cœpit : ante quem proinde annum, si positis a biographo*

(*a*) Gall. Christ., t. IX, col. 917. — (*b*) Mém. hist. de la Prov. de Champagne, t. II, p. 155. — (*c*) Hist. Gén. du Languedoc, t. I, p. 723. — (*d*) T. I Sept., p. 270, n. 12.

notis

A *notis standum sit, Sancti nativitas collocari non potest; ast cum hoc natali tempore non conciliatur reliqua vitæ chronotaxis. Si enim Sanctus non ante annum* 660 *natus dicatur, idoneæ ætatis haud exstitit, cui, vivente eodem rege ad annum solum* 673 *superstite, construendi regendique Altivillariensis monasterii cura a S. Nivardo committi potuerit. Quod si Sancti nativitas sub initium episcopatus S. Nivardi, id est circa A.* 650 *constituatur, non omnis difficultas vitabitur : nam credibile non est, Sanctum, (si circa medium sæculum* VII *natus supponitur,) exactis adolescentiæ annis, ad S. Nivardum accessisse, hinc in Luxoviensi monasterio disciplina ita imbutum fuisse, ut, verba sunt Adsonis n.* 11, divinæ militiæ in utramque partem præmunitus, *quæ* longo exercitio *didicerat* in lucri dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuerit, *atque utrumque cœnobium Altivillariense ac Dervense condiderit, iisque cum abbatis titulo præfuerit. Sane hæc omnia difficulter intra annum* 650 *et* 673 *aut* 674, *circa quem S. Nivardum obiisse probabiliter monstrat Stiltingus ad* I *Septembris* (*a*), *constringuntur.*

Childerico II,

B 23 *Natum itaque sub Childerici II regno et episcopatu S. Nivardi Sanctum a biographo dici opinor, quod illustriora ejus gesta cum hac epocha conjuncta fuerint, nam* solemne est, *inquit Mabillon in nota ad hunc textum,* auctoribus, qui res gestas Sanctorum litteris mandaverunt, ut, quo quisque rege floruit, eodem natum fuisse affirment. *Utut sit, Sanctum diu ante S. Nivardi episcopatum in lucem editum fuisse, ob rationem num. præced. allatam agnoscunt omnes, quamquam non una sit quoad tempus ejus natale sententia. Adrianus Baillet et Albanus Butler ad hunc diem adstruunt Sanctum natum circa annum* 636, *quod quo fundamento faciant, ignoro. Nihilominus ejus nativitas aliquot annis antevertenda videtur, cum dictus Baillet, tacente Butlero, Joannem Mabillon* (*b*) *et Antonium Pagium* (*c*) *secutus, statuat fundatum monasterium Altivillariense anno* 662 : *quo quidem casu Sanctus noster hujus monasterii abbas fuisset constitutus, anno circiter* XXVI *ætatis suæ; quod, quia insolens fuisset in tanta juventute abbatem aliquem præfici, et proinde non parum ad laudem S.* Bercharii *contulisset, probabiliter diligentiam biographi Adsonis non effugisset. Deinde, uti num. præcedenti monstravi, ipsa vitæ series aliud omnino indicat : litteris scilicet*

C *primum in patria eruditus fuit, in adulta ætate ad S. Nivardum missus est, sub disciplina Remacli fuit exercitatus, et tandem Luxovium adiit, atque illic per annos aliquot sub disciplina monastica versatus fuit; quæ omnia prohibent quominus ejus gesta, usque ad fundatum Altumvillare intra viginti sex annorum angustias claudantur.*

sed Clotario II circa ann. 625;

24 *Cointius* (*d*) *S.* Bercharium *natum opinatur circa annum Christi* 608 : *tum quia illum discipulum facit S. Remacli, regii scrinii adhuc procuratoris* (*e*), *et proinde ante annum* 628, *quando id munus deposuit : tum maxime quia ex Adsone illum monachum egisse credit sub Eustasio Luxoviensi abbate, anno* 625 *defuncto* (*f*). *Sed neutra assertio quidpiam solidi fundamenti habet, ut infra monstrabitur. Joannes Mabillon* (*g*) *nullum determinatum assignans annum, natum statuit sub principatu Clotarii II, qui regnum ab anno* 613 *ad* 628 *tenuit. Cui sententiæ standum reor, quatenus propius ad finem Clotarii regiminis ortum Sancti nostri figamus : et proin a vero alienum non existimaverim illum, qui Sancti nativitatem anno* 625 *adscribendum putaverit : tunc enim omnia rite procedunt, neque quidpiam occurrit, quod huic opinioni repugnet; atque adeo in hac sententia Sanctus, ut exigit Adsonis narratio, adolescentiæ annis in patria transactis, ad S. Nivardum accessit sub initium episcopatus ejus, postea disciplina monastica Luxovii sufficienter imbutus ac idoneæ ætatis, sive annorum circiter* XXXVI *factus, circa annum* 662 *recipere potuit regimen monasterii Altivillariensis.*

D

prius Bereus *dictus,*

25 *A nativitate Sancto inditum fuit nomen* Bererus, *aut ut habet Camuzat* Bereus, *imo Aquicinctinum nostrum apographum* Herrerum *habet; idque nomen secundum Adsonem significat* bonæ hereditatis herum. *Quid de hac vocis* Bereri *sive* Berei *significatione sit, nescio : conjecturis id utcumque elucidare, esset operam perdere, cum hujusmodi interpretationes, a Sanctorum biographis nonnumquam usurpatæ, eruditis plerumque displiceant. Si certior esset Aquicinctina lectio, constaretque Adsonem in Jurensi tellure editum teutonice locutum fuisse, facilis esset interpetatio, vocabulo* Herrerus Erfheer, *hæreditatis herum significante. Si autem Sanctus a pueritia vere illud nomen habuerit, necesse est ut illud postea mutatum fuerit; nam ipsemet Adso*

E *semper et ubique* Bercharium *vocat, idemque faciunt Almannus monachus in Vita S. Nivardi, Sanctus quoque Nivardus in charta privilegii Altivillariensi cœnobio concessi, atque ipse Sanctus in litteris donationis pro monasterio Dervensi,* Bercharium *scribit. Laudatus Almannus asserit* Bercharium *a S. Nivardo episcopo* de sacris fontibus *fuisse susceptum : verum hoc incertum esse, quod neque apud Adsonem, neque apud Flodoardum legatur, jam observavit Stiltingus ad Vitam S. Nivardi* (*h*). Si vero id factum est, *ait,* contigisse debuit ante episcopatum Nivardi, cum Adso affirmet Bercharium simul ac in lucem prodierat sacro fonte renatum. *Ante episcopatum quoque S. Nivardus iter Aquitanicum, de quo loquitur Adso n.* 3, *suscipere debuit, quando apud parentes S.* Bercharii *diversatus bonam indolem* Bercharii *adhuc pueri miratus est.* Crediderim igitur, *verba sunt Stiltingi l. c.,* S. Nivardum jam tum episcopum dici, quia eam dignitatem postea est consecutus.

adolescens

26 *Attamen, si sola Adsonis narratio de hoc S. Nivardi itinere spectetur, concludi posset talem non fuisse Adsonis mentem : sed hunc reipsa existimasse S. Nivardum, dum Aquitanicum iter obiret,* F *jam fuisse episcopali dignitate ornatum : ast, quidquid censuerit biographus, ob rationem superius datam, et maxime ob tempus nativitatis S.* Bercharii, *certum videtur illud iter ante episcopatum fuisse susceptum. Quamquam vero Adso circa tempus itineris allucinatus fuerit, neque etiam Almannus aut Flodoardus ejusdem meminerint, illud tamen locum habuisse negari non debet. Etenim ex Flodoardo constat* (*i*), *S. Nivardum ex hæreditate materna trans Ligerim, sive infra fines Aquitaniæ possedisse varia bona, quæ possessoris præsentiam quandoque exigebant, ut vel hinc narratum ab Adsone iter verosimile etiam evadat. Porro S. Nivardus in hoc itinere apud Sancti nostri parentes hospitatus,* cum quamdam, *verba sunt biographi n.* 3, futuræ habitudinis speciem miraretur in puero boni operis candidato, *eumdemque* divino instinctu sacris mysteriis applicandum esse *jam* præcenseret, *iisdem auctor fuit, ut filium suum litteris imbuendum curarent. Quibus autem magistris Sanctus puer a*

(*a*) **T. I** Sept., p. 276, n. 34. — (*b*) Annal., lib. XV, § XXIII, t. I, p. 429. — (*c*) Crit. Baron. ad an. 662, § V. — (*d*) Ad an. 612, § XXIV, t. II, p. 635. — (*e*) Ibid., § XVII. — (*f*) Act. SS. XXIX Mart., p. 784, n. 1. — (*g*) Act. SS. Bened., sæc. II, p. 832, not *a*. — (*h*) T. I Septemb., p, 271, n. 18. — (*i*) Hist. Rem. Eccl., lib. I, cap. X. Bibl. Max. PP., t. XVII, p. 537.

parentibus

AUCTORE J. V. H.

A *parentibus traditus fuerit, uti cætera quæ in domo paterna puer ac adolescens gessit, silentio involvit Adso, nisi quod insignem ejus in scientia virtutibusque progressum extollat sequentibus laudibus n.* 4 : Igitur dum puer bonæ indolis tam scientia quam virtute animi coævos suos præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tyrocinium decrevisset intendere .... cœpit altius aspirare, terrenarum rerum contemptu sufficiens, atque ea, quæ virtutum incrementa respiciunt, perennis intuitu gloriæ totis nisibus attentans, æterna præ oculis indefesse constituere, ... diversis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coarctare, atque adolescentiæ gressus divini amoris virtute roborare.

S. Nivardum adit;

27 *Hisce generalioribus laudibus præmissis, mox refert biographus Sanctum, relicta patria, ad S. Nivardum Remos accessisse, idque iterum, si eumdem biographum audiamus, factum fuit, regnante jam in Austrasia Childerico II et Remensi Ecclesiæ præsidente S. Nivardo. Sed, ut jam prænonuimus, universam S.* Bercharii *ætatem intra regni Childericiani angustias sive intra annum* 660 *et* 674 *biographus coarctat. Hoc quidem probabilius est*

B *Sanctum Remos adventasse, S. Nivardo, ejusdem Ecclesiæ cathedram adepto : quod, ut supra diximus, circa annum* 650 *accidit. Talis vero jam tum erat S.* Bercharius, *ut, si fides biographo habenda est, illi partem sollicitudinis pastoralis non modicam tuto committere potuerit beatissimus episcopus; quod nostram confirmat sententiam Sanctum vix tardius anno* 625 *natum fuisse.* Hic igitur, *ait n. cit.,* beatus pontifex, ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto, quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis et actibus frequenter interesse, pontificalis providentiæ pondus volens nolensve cœlesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum tum publice tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola, sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore, atque in divinis operibus devotissimo consorte. *Quæ postrema verba indicant S.* Bercharium *brevi post suum Remos adventum presbyteratus ordinem suscepisse, ad quem secundum disciplinam sæculi* VII *annus* XXX *requirebatur. En iterum nos reductos, ut tempus Sancti natale ad*

C *annum circiter* 625 *referamus.*

necdum presbyter

28 *Nam ante suum ex Aquitania egressum sacerdotio initiatum non fuisse, probabile mihi faciunt verba Adsonis eodem numero relata, quibus sat aperte insinuatur* Bercharius, *adhuc adolescens, patriam reliquisse.* Igitur, *ait,* dum puer sanctæ indolis tam scientia quam virtute animi coævos suos brevi præcederet. . . . cœpit altius adspirare. . . . atque adolescentiæ gressus divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum et patriæ retinaculis, . . . Sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore expetendi. *Dein post amplissimas laudes sancto præsuli tributas, pergit :* Hujus itaque tantæ opinionis gratia provocatus, felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis, fide, habitu et actu aptissimus, cum illo beato sene, cui jampridem dictum a Domino fuerat, egredere de terra tua, *etc.,* fidem participans et meritum, cognationem relinquens et patriam, post longi laboris excursum fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice civis felicissimus. . . . sanctæ Remensis Ecclesiæ. *Ex his verbis satis patet* Bercharium *in* D *adolescentia, proindeque ante susceptum sacerdotium e patria migrasse, et per ordinationem, pro more illorum temporum, factum esse* civem felicissimum sanctæ Remensis Ecclesiæ. *Sed cum post hæc verba statim subsequantur ea quæ num. superiori citavimus, evidens quoque fit non ita diu post suum ad S. Nivardum accessum sacerdotio initiatum fuisse, excolendum tamen dein accuratius scientiis et virtutibus, quibus utiliorem laboranti Ecclesiæ operam navare posset. Traditur itaque S.* Bercharius *informandus Remaclo, procuratori sacri scrinii palatii, cujus* prudentiæ, *ait Adso n.* 5, et sanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda : qui scilicet vir inclytus, confessor postmodum Domini gloriosus, multis signorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus universis, in prosperitate modestus, in adversis patientissimus, vita laudabilis, eloquio affabilis, sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna semper ab oculis non averteret.

traditur eruditendus Remaclo cuidam

29 *Mabillon in Observationibus prævis ad Vitam S.* Bercharii *et nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Remacli ad diem* III *Septembris* (*a*) *dubitant utrum Remaclus, præceptor Sancti nostri, idem sit*

E *ac sanctus Trajectensis episcopus, quod absolute denegat Adrianus Baillet in nota marginali ad Vitam S.* Bercharii. *Certe ratione temporis nihil obstat, quominus Sanctus sub disciplina S. Remacli fuerit : ita enim coævi erant, ut alter alterum ætate superaret. Verum hanc qualemcumque probationem evertunt plane rationes oppositæ. Imprimis luculentum sane elogium texuit Adso, ut continuo vidimus, quin tamen vel verbo attingat aut ejus apud Trajectenses episcopatum, aut fundata, illo hortante et curante, monasteria duo nobilissima, Malmundariense scilicet et Stabulense; quod profecto non tacuisset scriptor, qui non solum* procurationis regii scrinii *mentionem ingessit, sed etiam encomium sic concludit, ut omnia ad procuratoris officium referenda sint :* Sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna ab oculis non averteret. *Deinde cum S. Remaclus Trajectensis probabilius initio anni* 648 *episcopus consecratus fuerit, uti Nostri monstrant in Commentario prævio ad ejus Vitam* (*b*), *proinde ante pontificatum S. Nivardi, qui non ante* II *Idus Martii* (XIV *Martii*) *anni* 649, *quando ejus decessor Lando obiit, Remensem cathedram conscendere potuit* (*c*), *nullum relinquitur tempus informando S.* Berchario

F *aptum.*

diverso ab homonymo Trajectensi,

30 *Cointius quidem* (*d*) *Sancti nostri disciplinam sub S. Remaclo annum* XXXIII *sæculi septimi præcessisse contendit : quia, teste Adsone, id factum fuit, quando S. Remaclus adhuc laicus, procuratoris regii scrinii munere in aula fungebatur, Clotario II regnante, qui diem supremum ejusdem sæculi anno* XXVIII *obiit. Verum de hoc munere a S. Remaclo administrato altum est silentium in ejusdem Sancti Vita ab auctore anonymo circa medium sæc.* IX *conscripta atque in opere nostro ad diem* III *Septembris edita. Idem silentium observant duo alii ejusdem Sancti biographi Notgerus et Herigerus. Qua de causa admodum incertum esse, an reipsa S. Remaclus illud munus in aula regia gesserit, merito jam observarunt Mabillon ad Vitam S.* Bercharii *et Veldius noster in Commentario prævio ad S. Remacli Vitam. Ad hæc quicumque concinnatum a Veldio Commentarium perlustrarit, facile perspiciet Sanctum hunc semper in Neustria, et plerumque, si non semper, in civitate Bituricensi moratum fuisse,*

(*a*) T. I Septemb., p. 673, n. 18. — (*b*) Ibid., p. 675, n. 21. — (*c*) Cfr Coint. an. 649, § IX, t. III, p. 239 et Nostros, t. I Sept., p. 270, n. 12. — (*d*) Ann. 612, § XVII, t. II, p. 631.

donec

A *donec post laudabilem Solemniacensis monasterii gubernationem, a Sigiberto II, Austrasiæ rege, in aulam evocatus fuit,* ut illius prudentia, *inquit Anonymus Stabulensis* (*a*), disponerentur regni negotia; *quod proinde ante annum* 638, *quo regnare cœpit Sigibertus, non accidit. Omnino igitur improbabile est S.* Bercharium *circa annum* 628 *magistrum habuisse S. Remaclum, tum quia vix natus erat, ut supra vidimus, tum quia S. Nivardus optimæ spei juvenem homini extero, utpote Neustrio, non tradidisset. Fuerit igitur præceptor Sancti nostri Remaclus aliquis,* (*hoc facile propter Adsonis testimonium admittemus,*) *dummodo ille omnino diversus a sancto Trajectensi episcopo statuatur.*

Deinde sub Walberto

31 Interea, *inquit Adso n.* 6, cum beati viri (*Remacli*) justus adolescens per aliquod tempus magisterio frueretur, et cœlestis pro viribus prælibasset haustum sapientiæ, Luxoviense monasterium accepto tulit expetere. . . . Bercharius itaque, famulus Christi, ad altioris vitæ semper instituta conscendere desiderans, pontificis sui authoritate et gratia celeri gressu ad locum hunc pro voto properat, præfati patris (*Eustasii scilicet, de quo jam locutus fuerat Adso*) alacritate condignus
B approbatur, sanctæ monachorum cohorti, non tam corpore quam mente et actu sociatur. *In hac narratione Adsoni obrepsit error chronologicus; quando scilicet initium monachatus S.* Bercharii *statuit sub regimine S. Eustasii, Luxoviensis post S. Columbanum abbatis. Constat enim S. Eustasium defunctum esse anno* 625, *uti videre est in ejus Vita ad diem* XXIX *Martii* (*b*), *quo tempore, ut jam diximus, vix puerulus erat* Bercharius. *Etenim, si sub S. Eustasio monasticam vitam Luxovii professus fuisset* Bercharius, *oporteret primum, ut diu ante episcopatum adiisset S. Nivardum, deinde ut per annos circiter* XXV *Luxovii perseverasset; neutrum autem cum chronotaxi concordat. Igitur S. Eustasio substituendus est S. Waldebertus vel Walbertus, qui* XL *annos Luxovium gubernavit, et quo duce et magistro Sanctus noster monasticæ vitæ stadium percurrit. Hunc quidem Adsonis errorem non admittit Cointius, sed* Bercharium *reapse a S. Eustasio monachorum Luxoviensium albo inscriptum fuisse opinatur; quia videlicet eumdem multo citius id est circa annum* 624 *in aula regia magisterio S. Remacli usum fuisse credidit. Sed cum id, ut ex supra dictis liquet, sit nullatenus probabile,*
C *non video quomodo ab errore excusari possit Adso.*

Luxovii

32 *Quantum in vitæ sanctitate et regulari observantia profecerit, colligi potest ex Vita nn.* 7 *et* 8, *ubi insignibus, quamvis generalioribus, encomiis exornantur præclaræ ejus virtutes, et præcipue obedientia, quam etiam Deus, si biographo credimus, voluit declarare illustri prorsus miraculo, quod ex Vita l. c. in compendium sic redigo : promptuarii præfectus* Bercharius, *dum cervisiam fratribus ministrandam in vas exciperet, contigit, ut ab abbate subito vocaretur; abbatis imperio sine mora obsecutus, non clauso epistomio promptuarium reliquit, atque ad abbatem accessit; reversus dein, nihil cervisiæ in terram defluxisse, sed eamdem instar columnæ mansisse supra amphoram elevatam, miratus est. Idem miraculum in Vita S. Columbani, ab Jona conscripta, observat Mabillon* (*c*), *ac propterea in suis ad Vitam S.* Bercharii *adnotationibus ita loquitur :* Bercharius (*narratum miraculum*) aptari non potest : siquidem factum dicitur Columbani imperio, quem Bercharius suppar videre non potuit. *Ast potuit istud miraculum bis fieri, primo quidem sub abbate Columbano, atque iterum sub Waldeberto; adeoque ob allatam a Mabillone rationem miraculum certo rejici non potest. Est tamen alia de causa dictum miraculum suspectum : Adso, a S.* Bercharii *ætate duobus sæculis remotus, miraculum refert non ex antiquis monumentis, sed ex sola, ut ejus verba insinuant, traditione, quæ sæpe dux est admodum infida in notis personarum et temporum : igitur etiam Adsonis auctoritas sufficiens non est, ut idem miraculum in eodem monasterio bis factum fuisse existimare debeamus : facile crediderim Adsonem quod sub S. Columbano factum narratur, perperam in S.* Bercharium *transtulisse.*

AUCTORE J. V. H.

D

monachum agit.

33 *Præter dictum miraculum, valde, ut ex dictis liquet, suspectum, quæ Sanctus in Luxoviensi monasterio singillatim gesserit, biographus non explicat; siletque quamdiu in eodem monasterio moratus fuerit. De eo tamen tempore duo liquida sunt : videlicet et ante annum* 662, *quo Altumvillare, ut infra monstrabitur, fundatum fuit, jam Remos rediisse; et* longo tempore, *ut habet Adso num.* 9, *Luxovii habitasse; quod tamen intra octennium decenniumve circumscribendum suadet initium pontificatus S. Nivardi. Cur vero Sanctus noster Luxoviense monasterium bona haud dubie venia abbatis sui reliquerit, atque Remos fuerit reversus, in causa certo fuit, quod S. Nivardus, ejusdem, quem jam ante familiarem sibi habuerat, opera uti in condendo quod meditabatur, monasterio, eumdemque abbatem præficere vellet : neque etiam absurdum fuerit cogitare ea lege Sanctum nostrum a B. Nivardo Luxovium fuisse directum, ut, postea Remos reversus, haustam plurimorum annorum exercitio disciplinam in novo monasterio propagaret.*

E

§ III. Fundata a S. Berchario monasteria Altumvillare, Puellare et Dervense.

S. Bercharius Altumvillare

S. Bercharius *tria præcipua fundavit monasteria : scilicet* Altumvillare *in episcopatu Remensi,* Puellare *pro fœminis et* Dervense *pro monachis, utrumque in saltu* Dervo, *unde et nomen derivatur. Erat autem Dervensis saltus in finibus diœcesium Catalaunensis et Tricassinæ situs. Quod ad monasterium Altivillariense attinet, non est quod diutius ejus originibus explicandis immoremur, cum in Commentario prævio Vitæ S. Nivardi* (*d*) *et in S.* Bercharii *Vita infra edenda late descriptæ fuerint : ne igitur actum agamus, hic recudere nolumus. Sufficiat hic explicare varietates inter Adsonem et Flodoardum circa dicti monasterii fundationem occurrentes, quasque Stiltingus noster discutiendas ad Vitam S.* Bercharii *probabilius rejecit. Prima, quæ occurrit, difficultas nascitur ex eo, quod Adso n.* 9 *locum, in quo conditum est Altumvillare,* juris *S. Nivardi fuisse; Flodoardus* (*e*) *vero dictum locum ad Bavonem et Theodoramnum fratres spectasse dicat; sed* illos eamdem possessionem S. Nivardo commutatione ab eo sumpta tradidisse : *ut constat etiam ex fragmento chartæ donationis* (*f*). *Vera autem est utriusque narratio, Adsonis quidem ultimum possessorem, Flodoardi vero etiam præcedentes indicantis.*

F

(*a*) T. I Septemb., p. 693, n. 2. — (*b*) T. III Mart., p. 790. Cfr Mabill. Act. SS. O. S. B., sæc. II, p. 123, — (*c*) Act. SS. O. B., sæc. II, p. 16. — (*d*) T. I Septemb., § IV, p. 272. — (*e*) Hist. Rem. Eccl., lib. I, cap. VII. Bibl. max Patr., t. XVII, p. 536. — (*f*) Gall. Christ., t. X, Instr. col. 1.

AUCTORE J. V. H.

monasterium fundat,

35 *Discrepat quoque Flodoardus a biographo, quod hic visionem columbæ, quæ occasionem construendi monasterii præbuit, referat contigisse in* A *S. Nivardi itinere Sparnacum versus : ille vero in ejusdem Sparnaco Remos reditu. Differt pariter, quod biographus nullum e primis Sancti nostri discipulis, qui in Altivillariensi monasterio habitum monasticum induerunt, nominet : Flodoardus vero tres nominatim recenseat, his verbis* (*a*) : Ubi (*in Altumvillari*) etiam præfatus Theodoramnus monachus efficitur. Sed et Reolus filium suum, nomine Gedeonem, de nepte S. Nivardi susceptum, ibi monachum fieri petiit, et rerum suarum partem ad idem monasterium condonavit. Beatus autem Nivardus, constituto monasterio, quidquid possessionum ante episcopatum fuerat visus habere, ad ipsum locum tradidit, et exhortatus Beatum Reolum (*Campaniæ comitem et S. Nivardi in episcopatu successorem*) religionis ei suasit assumere habitum. *Eodem, quo Flodoardus, modo loquitur Almannus in Vita S. Nivardi : verum cum neutrius verba, ut observat Stiltingus noster* (*b*), *absolute exigant, ut reipsa monachus factus fuerit, facile hunc sen-*
B *sum patiuntur, ut S. Reolus clericalem solummodo vestem induerit, cum in ejus Vita a Stiltingo citata, dicatur* S. Nivardi salutaribus monitis informatus, tonsuram clericalem assumpsisse; *cæterum hæc quæstio poterit fortassis maturius discuti quando ad diem* XXV *Novembris ejus Acta edentur.*

probabiliter

36 *Sed quæ maxime notanda inter utriusque narrationem intercedit differentia, ea est, quod biographus silentio quædam involvat, quæ Flodoardus l. c. ejusdem cœnobii structuram præcessisse refert :* B. Nivardus, *ait,* dum ex communi consensu totius concilii præsulum Galliæ, Namnetis Romani jussione Pontificis exhibiti, rege favente, restruxisset ecclesiam monasterii, super ripam Maternæ fluminis in loco nuncupato Villari dudum siti, sed a Barbaris diruti, et ab eo constructa hæc funditus cecidisset ecclesia, in alio loco rursus ab eo restructa, rursum traditur corruisse. *Hæc verosimiliter omiserit biographus noster, quod reditum S.* Bercharii *e Luxoviensi monasterio præcesserint. Ex male intellecto Flodoardi loco, esset fortassis quispiam, qui suspicari posset cœnobium Altivillariense a S.* Berchario *fundatum fuisse paulo post concilium Namnetense, quod Sirmondus* (*c*) *et Labbeus* (*d*) *anno* 658, *Longuevallius* (*e*) *autem anno*
C 650 *celebratum statuit. Opinatur scilicet Longuevallius concilium illud coactum fuisse, ut fieret satis mandatis S. Martini Papæ I : præscripserat enim Pontifex epistola ad S. Amandum, qua mittit acta synodi Lateranensis mense Octobri anni* 649 *celebratæ* (*f*), *hæc mandata :* Ut synodali conventione omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem encyclicæ a nobis directæ, scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda, concelebrent, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide et destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta fuerunt. *Porro hæc Namnetensis synodus satis recte quadrat cum S. Martini epistola, ut anno* 650 *aut sequenti statuenda videatur.*

circa an. 662

37 *Si quis igitur initium Bercharianæ fundationis in Altumvillari cum concilio Namnetensi connectat, dicti monasterii originem ad annum* 658 *aut probabilius ad annum* 650 *referat oportet : cujus quidem erroris Mabillonium arguit D. Bouquet* (*g*). *Nullibi tamen hanc quam Mabillonio tribuit opinio-* D *nem inveni : in Annalibus Ordinis S. Benedicti* (*h*) *fundationem Altivillariensem sub annum* 662 *ordinat : in Actis vero Sanctorum ejusdem Ordinis tempus nullum statuit. Sed cum ex Actis S.* Bercharii *n.* 17 *sciret vir eruditissimus* Childerici regis Francorum opitulante clementia *conditum fuisse cœnobium, certum profecto illi erat, non ante annum* 660, *quo regnare cœpit Childericus II, opus inchoari potuisse. Tempus igitur fundati a S.* Berchario *Altivillariensis monasterii, inter hunc annum propter Childericum regem, et annum* 673 *propter obitum S. Nivardi statuendum est. Stiltingus noster* (*i*) *circa finem episcopatus S. Nivardi initia Altumvillaris ponit; ast cum S.* Bercharius *procul dubio aliquot annos in ædificando regendoque dicto cœnobio insumpserit, cumque dein Dervense, superstite etiamnum S. Nivardo, circa annum* 672 *construxerit, initia Altivillariensia magis ad medium quam dd finem episcopatus S. Nivardi sunt revocanda.*

diu ante obitum S. Nivardi.

38 *Unum tamen est, quod suadere posset Altumvillare ædificatum fuisse circa finem episcopatus S. Nivardi; Adso scilicet sancti episcopi mortem fundato monasterio subnectit, unde concludit Pagius* (*k*) *breve temporis intervallum inter utrumque eventum* E *intercessisse. Sed Dervum non prius fuit ædificatum, ut habet Adso n.* 20, quam res tam exteriores quam interiores prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatæ *essent; tunc, ait biographus,* opportuna sibi loca lucrificandi gratia perquirebat. *Stiltingus autem ab errore liberare tentat Adsonem, cum inquit* (*l*) : Adso mortem quidem Nivardi narravit, ante quam loqueretur de fundatione Dervensi, sed nullibi asseruit mortuum esse Nivardum ante dictam fundationem. *Credo equidem Adsonem hic vere errasse et posuisse tempus obitus S. Nivardi, quando imperfecta adhuc erat Altivillariensis fundatio : nam paulo post agens de eodem cœnobio dicit :* Qui licet tanti patris fuerit solamine destitutus, nequaquam tamen a cœpti operis intentione desistens, *etc. Porro infra n.* 50, *monstrabimus S. Nivardum pluribus annis superstitem fuisse. Recte igitur plerique chronologi recentiores censent fundationem Altivillariensem circa annum* 662 *collocandam esse; cum non multo citius propter regis Childerici II initia, neque multo tardius statui possit, propter subsequentes S.* Bercharii *fundationes, quas non incepit, nisi bene constituto* F *Altumvillari, ejusque disciplina rite stabilita, ut probant Adsonis verba supra allata.*

Dein in Dervo

39 *Gradus nobis nunc est faciendus ad alias sancti viri fundationes in saltu* Dervo *factas. Erat autem saltus Dervensis, ut jam dixi, finitimus inter diœceses Catalaunensem et Tricassinam : hodie vero, saltem quoad partem territorii in quo Dervense et Puellare monasteria sita sunt, ad episcopatum Lingonensem et ad præfecturam Matronæ superioris* (Départem[t] de la Haute Marne) *pertinet. Primum quidem cœnobium in saltu Dervensi fundavit pro fœminis : unde nomen* Puellare monasterium (*gallice* Puellemontier) *accepit. Ejus fundationem sequentibus verbis refert Adso n.* 20 : Abinde (*e cœnobio Altivillariensi*) egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus Dervensis solitudinem petere contendit : quo in loco, qua venerat intentionis non immemor, aptum ædificandi cœnobii statum invigilando sollicite scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum, Dei gratia præduce, con-

(*a*) Bibl. max. Patr., t. XVII, p. 536. — (*b*) T. I Sept., p. 274, n. 27 et p. 283, not. *d*. — (*c*) Conc. Gall., t. I, col. 495. — (*d*) T. VI Conc., col. 486. — (*e*) Hist. de l'Egl. Gall., t. IV, p. 7. — (*f*) Labbe, t. VI Conc., col. 383.—(*g*) Rec. des Hist. de France, t. III, p. 588 in nota. — (*h*) Lib. XV, § XXIII, t. I, p. 429. — (*i*) T. I Septemb., p. 272, n. 21. — (*k*) Critic. Baronii, ad an. 662, § V. —(*l*) T. I Sept., p. 276, n. 33.

tulit

A tulit se ad quamdam matronam, Walthildem nomine; quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum a proavis prædiorum affluentia lætabatur : a qua vir sanctus condicti pretii dono emit sibi partem silvæ, eum scilicet locum, qui dicitur vulgo Mangisvillare : ibique cellulam ædificans, eamque B. Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum Deo Matrique serviturarum, prout posse fuit, diligentissime aggregavit. . . . . Ex hoc igitur, Christi adminiculante suffragio, excrevit numerus virginum adusque sexagenarii cumulum, quibus etiam prædictus pater neptem supra scriptæ matronæ Walthildis solemniter abbatissam præfecit.

Puellarum 40 *Puellare monasterium primum fuisse, quod S.* Bercharius *in saltu Dervensi fundavit, ex eo liquet, quod transiens biographus ad alias Sancti fundationes, dicat :* His quoque rite peractis; *quæ verba omnino indicant, reliquas constructiones in Dervo subsecutas fuisse hoc virginum monasterium. Has vero ita describere pergit biographus :* His quoque rite peractis, secretiora saltus infatigabiliter excutiens, cognoscere summopere gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset; veniens in quemdam locum, Lutosas nomine, cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo ducens aggredi, cujus erat hoc prædium potestatis adiit. Eo siquidem tempore Childericus rex, regnum Francorum nobilissime gubernans, libentissime sancti viri petitionibus adquiescebat. Hunc ergo pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris, Dei amore ferventibus, Leodegario et Mummuleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam S. Martini in honore consecravit, prædictus rex Childericus circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una benigne donavit.

et Virorum, 41 *Post ædificatam S. Martini basilicam, alias cellas erectas fuisse monstrant ejusdem biographi verba :* Beatus vero Bercharius neque his contentus cellulam sibi juxta locum, qui dicitur Puteolus, ea in parte, quæ nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem B. Mauricii condidit, sperans aptum monasterium ædificandi locum reperisse. Verum, cum hoc etiam sibi habile non videretur, super fluvium Vigeræ quamdam ecclesiam S. Sulpicii honori dicavit. Neque ibi etiam statum cœnobii aptum fore C ducens, mente pervigili, ut sapiens architectus, eum qui petentibus se adesse comprobat, dare loca congrua votis poscebat. *En varia tentamina, ut aptum sibi suisque cœnobium fundaret* Bercharius *noster : disciplicuerant priora, propterea locum magis favorabilem exquirit. Joannes quidem Mabillonius* (*a*) *hæc* omnia potius principi monasterio postea accessisse existimat : *ita ut ordinem chronologicum intervertisse Adsonem suspicetur. Profecto, si cellulas S. Martini, S. Mauritii et S. Sulpicii construxisset* Bercharius, *tamquam prioratus seu appendices principalioris cujusdam monasterii, nullum superesset dubium, quin Dervense præcessisset majus monasterium; verum ex toto contextu habemus imprimis, varias cellulas fuisse initia quædam principalis monasterii, sed cum ea loca ob ignotas nobis rationes non placerent, varias a Sancto exquisitas fuisse stationes, donec tandem Dervensem repererit. Si igitur prænarratæ Sancti fundationes ad principalem Dervensem postea accesserint, hoc non adeo ex præconcepta aliqua intentione, quam ex subsecuto eventu accidit. Deinde Adso, quem solum in hisce fundationibus auctorem sequi possumus, omnino indicat chronologico se ordine voluisse procedere in enarrandis Sancti fundationibus : a quo proin nobis non licet recedere, donec afferantur monumenta, quæ contrarium evincant.* AUCTORE J. V. H. D

post varia tentamina, 42 *Ex verbis itaque Adsonis omnino concludendum est, fundatione monasterii Dervensis sanctum virum coronidem quodammodo suis laboribus imposuisse : quod satis indicant Adsonis verba dicentis :* Quodam igitur tempore, cum jam divina clementia ulterius famulantis animum per diversa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis, locum votis congruum iri repertum dedit. *Hæc certe confirmant, quæ supra diximus de variis tentaminibus, quibus S.* Bercharius *aptum construendo monasterio locum reperire conatus est : quem primo quidem non invenit, postea vero, Deo ita disponente, aptissimum sibi elegit, ut luculenter narrat biographus n.* 23 : Nam abdita silvæ perlustrans, casu quemdam ad locum devenit, ubi pastores subulcos reperit : quos blande allocutus, aureique illos numismatis munere donans, poposcit ostendi sibi quæ habiliora aliquando silvas circumeundo ad habitandum loca pervidissent, dicens sibi animum esse, uti congruo habitandi loco extirpando silvas cœnobitarum ta- E bernacula designaret : se quidem diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. *Narrant dein subulci locum quemdam esse in saltu, cœlesti portento insignem. Post quæ pergit Adso :*

fundat tandem 43 Ibi ergo B. Bercharius multo labore silvis radicitus cruditis, cœnobii ædificandi statum præelegit. Exinde ad palatium progreditur, regis gratiam, ex cujus desiderio ista agebat, S. Leodegario episcopo, et Almarico majore domus, Fulcoaldo quoque et Wlfaudo, Nivardo etiam et Atelano episcopis, impetravit sibi dari silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus, in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum : unde sumptus habere valeret ac prædia ad cœnobium constituendum. . . . Unde ipse Domnus Bercharius ecclesiam Deo in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellavit. *Totam hanc narrationem consideranti evidens fit, Adsonem sectatum fuisse ordinem chronologicum fundationum S.* Bercharii : *proindeque omnia illa cœnobia constructa fuisse ante tempus, quo Childericus II diploma dedit pro monasterio virorum Dervensi, seu* F *ante annum III regni ejus.*

principale 44 *Inter schedas a decessore de S.* Berchario *relictas, et post concinnatum hunc commentarium prævium repertas, statuitur opinio Adsonianæ narrationi contraria, eaque duobus argumentis fulcitur. Prius est, S.* Bercharium *ante omnia principale monasterium Altumvillare constituisse, adjecisse deinde Oratoria et cellulas S. Joannis Baptistæ et B. Mariæ Virginis : unde concludit,* vel hinc Mabillonii opinionem, qua minores cellas principaliori cœnobio postea adjectas fuisse arbitratur, prorsus amplectendam videri. *Equidem lubens amplecterer opinionem Mabillonii, si Adsonis verba confuse aliquid sonarent, sed nimis accurate ordinem temporis signat biographus, ut propter analogiam quamdam ab illius chronotaxi discedere audeam; idque maxime, cum Adso efficacem rationem adducat, cur* Bercharius *non a præcipuo quodam cœnobio, sed a cellis quibusdam exorsus sit, ut numeris superioribus ostendi. Neque objicere juvat Adsoni, jam sæpius lapso credendum non esse :*

(*a*) Ann. ad an. DCLXXII, lib. XVI, § XVIII, t. I, p. 469.

facile

AUCTORE J. V. H.

A *facile errare potuit biographus circa infantiam S.* Bercharii, *et res ejus Remis gestas, quarum narratio traditione nitebatur; ast aliud omnino est, quando de Dervensi fundatione tractat; etenim coram procul dubio habebat certiora monumenta, quibus fidem facere posset.*

monasterium; 45 *Alterum argumentum, quo probare conatur decessor, Adsonem historicum ordinem intervertisse, est,* quod nullatenus verosimile sit S. Bercharium prædicta omnia sacra ædificia construxisse, priusquam a Childerico rege fundum in quo Dervense principalius cœnobium conderet, impetrasset; id autem factum esse dici debere, si quis stare velit ordini narrationis ab Adsone instituto. *Verum non credo ad hujusmodi angustias me esse redactum : ipsa quippe charta Childerici supponit non omnem fundum fuisse regium, et proin cellæ aliquot in privato fundo ædificari potuerunt. Certe Puellare monasterium ad regem non spectabat, sed ad nobilem, ut vidimus num.* 39, *matronam, Walthildem nomine, a qua pretio dato S.* Bercharius *emit partem silvæ. Dein duplex est Childerici donatio; prior, teste Adsone allato supra n.* 40, *fundationes cellarum præcedit, et concessa fuit consiliantibus Leodegario et Mummoleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus : altera donatio ad Dervense principale monasterium spectat, quæ sola hodie superstes, testes habet, omisso Mummolino, supralaudatos et insuper Nivardum et Atelanum episcopos et Fulcoaldum optimatem ut habet Adso citatus supra n.* 43. *Duo itaque fuere Childerici II diplomata, quorum posterius ad nos devenit. Utrumque certe in tabulario suo habebat Adso; unde confirmatur quoque ejus narratio, et proin quam amplexus sum, opinio.*

B

cujus fundationis 46 *His expeditis, superest altera eaque non parva difficultas circa annum, quo Dervense principale monasterium,* Puteolus *dictum, incepit : quia alii Childerici annos a regno Austrasiæ seu ab anno* 660, *alii ab obtenta monarchia totius Franciæ seu ab anno* 670 *aut sequenti computatos volunt. Priorem sententiam amplectuntur, Brequigny* (*a*), *D. Bouquet* (*b*) *et Pagius* (*c*); *quorum rationes postea expendemus. Posteriorem vero sequuntur Joannes Mabillon* (*d*), *Cointius* (*e*), *et Adrianus Baillet in Vita S.* Bercharii.- *Ante omnia ipsum Childericianum diploma e Gallia Christiana* (*f*), *cum exemplari Nicolai Camuzat* (*g*) *collatum, in medium producamus : tum quod confirmandis biographi dictis, tum etiam determinando, quod huc maxime spectat, conditi Dervensis monasterii tempori apprime subservit :* Celsitudo regalis clementiæ religiosorum virorum petitionibus semper debet annuere, maxime gerentibus studium curæ ecclesiasticæ, quatinus divinum cultum exhibentibus benigno affectu subveniat, et opem suæ devotionis impendat, ut eorum oratio apud Domini clementiam nobis succurrat, et pro pace et stabilitate regni nostri jugiter interveniat. Quapropter ad notitiam cunctorum pervenire jubemus, quoniam adiit serenitatem nostram venerandus ac religiosus abbas Bercharius, supplicans, ut concederemus ei quemdam locum in foreste Dervo et in fine Vuaciacinse, in quo sibi liceret construere monasterium, et ut daremus sumptus ac prædia, per quæ ea, quæ competerent monasterio vel locis cellarum, compleret, et monachorum congregationem ibidem aptaret.

C

diploma duplex 47. Placuit igitur reverentiæ nostræ summi viri supplicatio, et quæ postulaverat concessimus illi : qui monasterium construens supra fluvium Vigoræ in honore Beatorum Petri et Pauli vel ceterorum Sanctorum, petiit altitudinem nostram, ut, pro rei totius firmitate, integram emmunitatem circa ipsum monasterium contraderemus. Nos igitur cœlesti beneficio promoti, consensu episcoporum et optimatum nostrorum, precibus tanti viri aurem accommodantes, jubemus, ut de omni facultate ipsius monasterii, tam quod ego ipse ibidem delegavi, quam etiam, quod a reliquis Christianis hominibus noscitur esse condonatum, quodque ad præsens in quibuslibet locis, territoriis, et ex ejus hereditate vel studio, tam ultra Ligerim in Herla scilicet et Saturiaco, vel Domnofronte cum appenditiis suis quam etiam citra Ligerim possidere videntur, seu quod ibidem adhuc inantea in Dei nomine a Christianis hominibus juste et rationabiliter fuerit additum vel condonatum, pro quiete ipsius regni nostri integram emmunitatem pro reverentia ipsius sancti loci concedimus, ut nullus judex publicus, quolibet modo judiciaria accinctus potestate, in curtes ipsius monasterii ubicumque ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inantea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec * freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum * infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ullas paratas *, aut quaslibet redhibitiones exactare præsumatur, sed in omni facultate ipsius monasterii, ut præfatum est, in omnibus locis et territoriis, ubi aliquid possidere videntur, absque interdictu judicum, remotis et resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci, usque super ripam fluvioli Magnentis, progrediente in directum termino ad locum, qui Vallis profunda nuncupatur, sub emmunitatis nomine inconcusse, tam nostris quam futuris temporibus valeant dominari vel possidere, quo fiat; ut et nos de præstito beneficio ad mercedem pertineat, et ipsos servos Dei, in ipso monasterio consistentes, melius delectet pro stabilitate regni nostri attentius Domini misericordiam deprecari.

D

E

* procurationes
* vectigal
* mulctas

Childerici II 48 Et ut hæc emmunitas firmior habeatur et per tempora conservetur, manus nostræ et fidelium nostrorum, tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus, subter eam decrevimus corroborari. Signum Reoli episcopi. Sig. Leodegarii ep. Sig. Atleani ep. Sig. Wlfaudi majoris domus. Sig. Almarici. Data IV nonas Julii anno III regni Childerici regis. Actum Compendio palatio. *Antequam ad solvendam quæstionem chronologicam de anno dati diplomatis accedamus, aliqua observanda recurrunt. Imprimis in ea saltus Dervensis parte quam se S.* Berchario *dedisse in hoc diplomate profitetur Childericus rex, situs erat locus* Puteolus (*gallice* Puisie) *dictus, quem secundum Adsonem Sanctus noster ab eodem rege impetravit, atque ubi primariam basilicam sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli consecratam, ipsumque monasterium construxit, atque ea de causa Dervense monasterium* Puteolus *appellatur in litteris donationis ipsiusmet S.* Bercharii *infra recitandis et in diplomate Theodorici III, regis Neustriæ, qui, mortuo fratre suo Childerico, Austrasiam affectabat* (*h*).

F

et ipsius S. Bercharii *exhibetur;* 49 *Ad elucidationem Childericiani diplomatis, conferunt non parum litteræ donationis S.* Bercharii

(*a*) Tabl. Chronol. des Dipl., t. I, p. 63. — (*b*) Rec. des Hist., de France, t. IV, p. 645. — (*c*) Crit. Bar. ad an. 663. § VII. — (*d*) Annal., lib. XVI, § XVII, t. I, p. 468. Cfr tamen quæ idem habet in Act. SS., sæc. II, p. 841, not. *a*. — (*e*) Ann. Fr. ad an. 671, § IX, t. III, p. 634. — (*f*) T. X. Instr. col. 147. — (*g*) Prompt. Antiquit. Tricass., f° 79. — (*h*) D. Bouquet, t. IV, p. 662.

A charii, *de quibus supra mentionem fecimus, et præterea insigniter illustrant, quæ de Sancti patria, parentibus, divitiis docuimus* § II. *Quare illas integras ex Nicolai Camuzat Promptuario* (*a*) *hic transcribimus :* Ego Bercharius in Christi nomine abbas. Illud in Dei nomine potest ad animæ nostræ remedium pertinere, cum ad loca Sanctorum aliquid voluntate bona fuerit condonatum, et idcirco per hanc epistolam donationis ad monasterium, cujus vocabulum est Puteolus, supra fluvium Vigeræ, quod proprio labore, donatione et adjutorio regum ædificavimus, dono ibidem a die præsente hæreditatem nostram in villa Diseio ultra Ligerim supra fluvium Crete cum appendiciis suis, hoc est, quidquid visus sum habere in Cavannas, in Saviniaco, in Balgiaco, in Britello, in Musciaco, in Bissiaco, in Crisceio, in Cassiniaco, in Abloniaco, ibi habetur capella in honore S. Aniani, in Gravisio, in Laminiaco, in Nuhileio, in Luceio, in Sacron, in Virgiolo, in Sorgenio, in Vergenio, in Aliaco, in Montiniaco, in Cartal et Ferziaco, quæ omnia superius nominata nobis ex successione paterna atque materna legibus obvenit, tam terris quam domibus, ædificiis, mancipiis ibidem com-
B manentibus, quæ in presenti tempore tenere videmur totum ad integrum, ita ut hæc omnia superius intimata ad jam dictum monasterium volo esse in dominicatum, ut ibidem in perpetuo proficiat in augmentum, et monachi qui ibidem deserviunt die noctuque pro peccatis meis et regum et totius populi deprecari debeant, et si quis (quod fieri non credimus) de hæredibus vel prohæredibus nostris contra hanc epistolam donationis insurgere conatus fuerit, in primis vita propria careat, atque cum stirpe sua captivus.... et sic ut Sodoma et Gomorrha in præsenti seculo percussa est, similiter percutiatur potestas et habitatio ipsius..... Actum Remis civitate, sub die III cal. Septemb. (XXX *Augusti*), præsente Domino et glorioso Childerico Rege, an. IV regni ejus. Signum Nivardi archiepiscopi. S. Leodegarii episcopi Augustidunensis. S. Mummoleni epis. Noviomensis. S. Hermari abbatis. S. Hilduini abbatis. S. Bercharii abbatis, qui hanc cartam donationis fieri jussit.

et imprimis utriusque

50 *Circa utrumque hoc antiquitatis monumentum, Childericianum scilicet diploma et donationem Berchariana*m, *duplex nunc oritur quæstio: prima, an genuinæ sint, quibus utraque charta munitur, sub-*
C *scriptiones : altera, ad quem æræ Christianæ annum binæ hæ litteræ sint referendæ. Childericiani diplomatis subscriptiones genuinas non habet Pagius* (*b*), *quoniam inter subscriptos Berchar*ianis *litteris episcopos contendit male legi S. Nivardum, quem ab interpolatore quodam loco Reoli substitutum autumat. E contrario Cointius* (*c*) *et Mabillonius* (*d*) Bercharii *litteris recte subsignatum dicunt S. Nivardum et in Childerici diplomate male notatum Reoli nomen pro signo Nivardi. Ut vero opinionem suam probent, tam Cointius et Mabillonius, quam Pagius, ad Sancti nostri Acta recurrunt. Pagius itaque contendit S. Nivardum ante fundationem Dervensis monasterii, nondumque absoluta, quam anno* 662 *cœptam existimat, Altivillariensi fundatione, obiisse; quia tunc ejus obitum narrat biographus noster; adeoque S. Nivardum diplomati post mortem suam dato subscribere nequivisse. Cointius vero et Mabillonius S. Nivardum in vivis adhuc, cum fundaretur Dervense monasterium, superstitem fuisse contendunt. Neque immerito; id enim suadent tum Berchar*ianæ *litteræ, Childerici diplomate posteriores, quibus Nivardus subscriptus legitur, tum clarissima Adsonis biographi verba, dicentis n.* 24 : Auxiliantibus..... Nivardo (*procul dubio Remensi, ut infra monstrabimus*), et Atelano episcopis impetrasse sibi (Bercharium) dari silvam e *regio* fisco.

AUCTORE J. V. H.

D

diplomatis subscriptiones,

51 *Pagium insuper inter arctiores limites vitam S. Nivardi circumscripsisse, liquet ex diplomate Drauscionis seu Drausii Suessionensis episcopi pro monasterio puellari ejusdem civitatis anno* 666 *dato, cui subscriptus legitur Nivo seu Nivardus* (*e*). *Liquet pariter ex fragmento Vitæ S. Lantberti, ad diem* XIV *Aprilis a nostris edito* (*f*), *S. Nivardum adhuc in vivis fuisse* undecimo anno (*Childerici II*) regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria, *seu anno Christi* 671 : *cum vero haud diu post hunc annum transcriptum supra Childerici diploma, ut mox videbimus, concessum fuerit, admodum verisimile evadit, Nivardum, inter eos quorum apud regem favore Sanctus noster idem diploma impetravit, a biographo nostro recte recenseri, et proinde hujus nomen inter subscriptos episcopos loco Reoli esse restituendum; idque eo magis, quod procul dubio Adso, Dervensis abbas, coram habuerit originale diploma Childerici, ex quo fautorum nomina desumpserit. Ut suam tamen sententiam Pagius tueatur, reponit Nivardum, Drauscionis diplomati subscriptum, in fragmento Vitæ S. Lantberti memoratum, ac tandem a biographo nostro inter S.* Bercharii *apud regem fautores recensitum, a S. Nivardo seu Nivone Remensi episcopo esse distinguendum, et ignotæ cujusdam sedis in Gallia episcopum exstitisse. Si hæc ita se haberent, non posset non mirum videri, nullam hactenus in Gallia civitatem repertam fuisse, quæ Nivardum hunc a Remensi distinctum et ex tot antiquis monumentis cognitum, inter suæ sedis episcopos vindicaret. Præterea qui factum est, ut Nivardus ille, quem biographus inter auxiliatores nominat, subscriptus non reperiatur, cum reliqui omnes, qui intercessores apud Childericum pro S.* Bercharii *leguntur, diploma nomine suo firmasse videantur? Qui pariter factum est, ut diplomati nunc subscriptus compareat Reolus, cujus mentionem non facit biographus? Sane non aliam ob rationem mihi factum fuisse videtur, ut Nivardus inter subscriptos episcopos disparuerit, et Reolus illi substitutus fuerit, quam quod interpolator ille putaverit, reipsa agi ibidem de Nivardo Remensi, cujus propterea successorem nominat Reolum.*

E

F

dein annus

52 *Admodum igitur probabile est, perperam Reoli nomen Childericiano diplomati irrepsisse, nisi dicatur potuisse Reolus pro Nivardo vicaria potestate* (*g*) *subscribere, et in Berchar*ianis *litteris recte Nivardi Remensis nomen subscriptum legi, quin tamen probandus sit* archiepiscopi *titulus ab interpolatore quodam appositus; vulgo enim notum est vocem illam circa medium sæc.* VII *in Galliis cognitam quidem fuisse, sed tamen ante sæculum* VIII *aut* IX *ab ipsismet episcopis non fuisse usurpatam. Male itidem in S.* Bercharii *litteris expressum esse Childerici annum* IV, *patescet ex iis, quæ circa alteram, quæ nunc discutienda est, quæstionem, quo videlicet anno, Childerici II et S.* Bercharii *litteræ datæ sint, proferemus. Duplex initi a Childerico II regni epocha invenitur usitata; una inchoatur a tempore, quo a S. Bathilde matre sua solius Austrasiæ rex constitutus est; altera vero ab adita post Clotarii III mortem, et depositum rasumque Theodoricum III, Neustriæ atque Burgundiæ possessione. Proinde, ut*

(*a*) F° 81. — (*b*) Crit. Bar. ad an. 663, § VIII. — (*c*) Ad ann. DCLXXI, § XIII, t. III, p. 637. — (*d*) Ann. Bened., lib. XVI, § XVII, t. I, p. 468. — (*e*) Mich. Germain. Hist. de l'abb. de N. D. de Soissons, p. 421. — (*f*) T. II Apr., p. 217, n. 3. — (*g*) Cfr t. I Sept., p. 274, n. 33.

AUCTORE J. V. H.

A *sciatur cum quo anno æræ Christianæ annus tertius Childerici regis, quando diploma datum fuit, componi debeat, sciendum non solum est, a qua ex duabus epochis annus Childerici tertius inchoandus sit, verum etiam quo tempore idem Childericus primum in Austrasia, deinde in Neustria et Burgundia regnare sit exorsus. Duplex hoc regni initium operose inquisivit Cornelius Byeus noster in Commentario prævio ad Vitam SS. Leodegarii et Gerini* (a), *probavitque Childericum regnare cœpisse in Austrasia anno* 660; *et deinde in Neustria ac Burgundia, Theodorico III, qui aliquot mensibus post Clotarium III, sub finem anni* 669 *aut initio sequentis defunctum, utrumque regnum tenuit, e solio deturbato, anno* 670 *ad mensem Octobrem provecto regnare cœpisse.*

utriusque diplomatis discutiuntur :

53 *Ex dictis consequens fit sæpe dictum Childerici diploma datum fuisse aut anno* 662 *aut* 672, *prout ab alterutro regni initio numeretur. Posteriorem epocham designari, seu diploma datum fuisse quando tertio jam anno Childericus universam Franciam gubernabat, censent Cointius* (b) *et Mabillonius* (c) *ordinantes fundationem sub anno* 672; *horumque sententiam merito amplexi sunt e majori-*

B *bus nostris Stiltingus in Commentario de S. Nivardo* (d) *et Byeus* (e) *in Commentario de SS. Leodegario et Gerino. Etenim dictum Childerici diploma datum notatur* Compendio palatio : *id autem palatium in Neustria situm, atque istic reges Neustrasianos plerumque demoratos fuisse, passim notum est* (f). *Constat quoque Mummolinum S.* Bercharii *litteris subscriptum Noviomensem in eadem Neustria, Leodegarium qui utrumque monumentum sua subscriptione communivit, Augustodunensem in Burgundia episcopos exstitisse : jam vero nullatenus verisimile est, memoratis chartis subscribere ex Burgundiæ Neustriæque regnis episcopos, aut regium Childerici diploma in Neustrasiorum regum palatio dari potuisse, antequam Childericus Neustriæ et Burgundiæ dominaretur : sane* aliis argumentis, *ait Cointius l. c., quam quæ a loco dati diplomatis et subscriptorum episcoporum sedibus petuntur,* non est opus ut intelligas annos Childerici regis non a die numerari quo primum Austriæ dominari cœpit, sed a die quo se monarcham totius Franciæ dixit, exauctorato Theodorico fratre, Burgundionum Neu-

C strasiorumque rege.

refutatur Pagius,

54 *Hisce tamen argumentis a Cointio allatis, subscribere non vult Pagius, qui* (g) *oppositam sententiam tuetur, variisque rationibus probare nititur, utramque præfatam chartam datam fuisse, quando Childericus in sola Austrasia regnabat. Præcipuum opinionis suæ fundamentum statuit Pagius in litteris S.* Bercharii, *atque ex hisce ad dictum annum sic argumentatur :* Posterior charta data sub die III kal. Septemb. anno IV regni Childerici Cointium in transversum egit, et in causa fuit, cur mortem Sigeberti regis anno DCLIV, mortem Clodovei II et initium Clotharii III, ejus filii, anno DCLV, ejusdem Clotharii mortem et initium monarchiæ Childerici II anno DCLXIX consignarit, sicque chronologiam Francorum non parum perturbarit : si enim monarchiam Childerici II numerasset ab anno DCLXX, quo is revera eam adeptus est et Clothario fratri successit, quartus illius annus, cum III kalendas Septembris conjunctus, in posteriori charta incidisset in annum Christi DCLXXIII, quo tamen anno et mense jam forte Childericus occisus erat, quove tempore fatetur Cointius, Leodegarium in monasterio Luxoviensi inclusum D fuisse. Cum itaque Cointius persuasum haberet chartam illam datam esse anno quarto Childerici monarchæ et quidem exeunte Augusto, et Childericum anno DCLXXIII, quod ultimum verissimum est, interfectum esse, non potuit Clotharii III, Clodovei II et Sigeberti mortem non antevertere, in quæ etiam, aliaque incommoda, quemadmodum ille, volens nolensque incidet, qui laudatum præceptum Childerici et donationem Bercharii, illo in Neustria et Burgundia regnante, emissa est voluerit. *Ita Pagius variorum errorum in chronologia Cointium incusans; litterasque donationis S.* Bercharii, *adeoque etiam, quod ante has emissum fuit, regium Childerici diploma ad illud tempus, quo Childericus in sola Austrasia regnabat, revocanda esse, duplici potissimum ex capite, ex tempore videlicet exilii S. Leodegarii cædisque Childerici contendit.*

qui Childericianum

55 *Dubitandum quidem non est, quin Pagius varios chronologicos errores in Cointio recte notarit : sed nihilominus commode et absque errorum illorum, in quos Cointius incidit, periculo statui posse diploma Childerici et S.* Bercharii *litteras data fuisse eo tempore, quo Childericus non tantum in Austrasia, verum etiam in Neustria et Burgun-* E *dia regnabat, demonstrant Nostri in Commentario prævio de S. Leodegario* (h). *In hoc tamen recte habet Pagius, quod nolit in litteris S.* Bercharii *admittere subscriptum S. Leodegarii nomen, conjunctum cum die* III *kal. Septembris, anni* IV *Childerici monarchiæ : tunc enim dictus S. Leodegarius in Luxoviensi monasterio exul degebat : proinde aut hæ litteræ revocandæ sunt ad annum* IV *Childerici regnantis in sola Austrasia, sive ad annum* 663, *aut in eosdem mendum aliquod irrepsisse dicendum est. Reipsa autem hujusmodi mendum irrepsisse incuria amanuensium, qui cum oculo minus attento in autographo quod præ manibus habebant anno* III *regni ejus, unitate posteriore cum media pene inferius coeunte, exaratum adspicerent, annum* IV *regni descripserunt; idcirco mihi persuasum habeo, quod, nisi hic amanuensium error admittatur, characteres chronologici in Bercharianis litteris expressi, necessario, ob S. Leodegarii exilium, referendi sint ad Childericum in sola Austrasia regem : id autem fieri vetant subscriptorum episcoporum sedes extra Austrasiam positæ, et summa improbabilitas quæ in eo est, ut S.* Bercha-

F rius *anno* 663, *novem scilicet annis ante obtentum regium privilegium, bona sua omnia contulerit in Dervense monasterium, verosimiliter nondum constructum, ut supra vidimus. Ipsum autem cum Pagio Childericianum diploma ad idem tempus revocare, non patiuntur dati diplomatis locus,* Compendium, *in Neustria situm, et ipsiusmet Childerici verba :* Ut hæc emmunitas firmior habeatur et per tempora conservetur manus nostræ et fidelium nostrorum tam episcoporum quam optimatum subscriptionibus subter eam decrevimus roborari. *Nam* fidelium *nomine designat Childericus subditos suos, inter quos computare non potuisset Leodegarium, si, cum id diploma ederet, solum Austrasiæ regnum tenuisset.*

diploma

56 *Reponit quidem laudatus Pagius, Childerici verba ita accipienda esse, ut fidelium seu subditorum nomine alii tum episcopi tum optimates diplomati subscripti, neutiquam vero Leodegarius Burgundio, intelligantur.* Quid enim, *inquit l. c.,* impediebat, ne Childericus, qui in Neustriam ad Clotarium

(a) T. I Octobr., § VIII, p. 381. — (b) Ad an. DCLXXI, § IX, t. III, p. 634. — (c) Annal., lib. XVI, § XVII, t. I, p. 468. — (d) T. I Septemb., p. 275, n. 32. — (e) T. I Octob., p. 384, n. 122. — (f) Andr. Valesius Notit. Galliæ. — (g) Crit. Baron. ad an. 663, § XI. — (h) T. Octobr., p. 381, § VIII.

fratrem

A fratrem videndum, aut aliam ob causam nobis ignotam venerat, dare posset bona ad fiscum suum pertinentia, et quos volebat, testes adhibere; res enim hæc non est dominii, sed jus etiam privatis commune. Magis urget loquendi modus Childerici, ad quem Cointius animum non advertit: ait enim: « Et ut hæc emmunitas firmior habeatur, » manus nostræ aç fidelium nostrorum tam epi- » scoporum quam optimatum subscriptionibus » subter eam decrevimus corroborari. » Fidelium quippe nomine vassalli et subditi designantur, qualis non erat Leodegarius. Verum Childericus rex fidelium nomine non comprehendit Leodegarium, Clotarii fratris sui subditum, sed Reolum episcopum Rhemensem, Attelanum episcopum Laudunensem, Wlfaudum majorem domus Austriæ et Amalricum ex optimatibus suis unum. *Hæc quidem a Pagio commode dicuntur, sed difficilius probari possunt. Nihil enim affertur, quo utcumque fulciatur responsum. Potuit Childericus fratrem suum adire: hoc quidem possibile, sed nullatenus probabile est. Namque hoc Childerici, tertium annum in Austrasiæ regno atque vix decimum ætatis aut undecimum agentis, iter in Neustriam, a Pa-*
B *gio excogitatum, a verisimilitudine abest. Merito timere poterant Austrasii, si regem suum adeo juvenem regno excedere et in Neustriam proficisci sinerent, ne eumdem perpetuo amitterent, atque iterum Austrasia cum Neustria Burgundiaque, quod maxime aversabantur, sub unius Clotarii principatu conjungeretur, atque adeo novi etiam motus bellorum excitarentur; quos ut sedaret, S. Bathildis regina non diu ante Austrasios a ditionibus Clotarii divellere, hisque regem Childericum, qui soli Austrasiæ dominaretur, concedere coacta fuerat* (*a*).

refert ad annum 662;

57 *Huc accedit argumentum ex ipsomet Pagio desumptum: citat* (*b*) *duo diplomata a Childerico, in sola adhuc Austrasia regnante, indubie emissa; chartam videlicet donationis villæ Barisiaci Sancto Amando factæ, quæ data notatur* anno II regnante domno nostro Childerico rege, *seu anno Christi* 661 *aut* 662, *alterumque ejusdem regis præceptum pro monasteriis Stabulensi et Malmundariensi, datum* anno VIII regni domni Childerici regis; *utriusque autem diplomatis initio præmittitur atque in subscriptione repetitur Childerici regis et Hymnichildis reginæ nomen: id vero fieri eam ob causam recte observat Pagius, quod Hymnichildis S. Sigi-*
C *berti regis vidua, nepotis sui Childerici, dum Austrasiæ regno admoveretur, octo vix annos nati tutelam gereret, donec ad sufficientem ætatis maturitatem pervenisset. Jam vero si annus tertius in transcripto Dervensi diplomate signatus referendus esset ad Childericum, in sola Austrasia regem, hoc diploma æque ac duo alia mox laudata, datum fuisset eo tempore, quo Hymnichildis pro nepote suo Austrasiam moderabatur, debuisset profecto in ejusdem diplomatis initio et fine Hymnichildis reginæ mentio fieri: quod cum factum non fuerit, probabile saltem indicium est, dictum diploma ad illa tempora pertinere, quibus Childericus majorennis universam Franciæ monarchiam regebat.*

quod potius ad ann. 672

58 *Quod vero Pagius dicit nomine* fidelium, *qui in diplomate recurrunt, non venire Leodegarium, est nuda assertio nullatenus probabilis: generali voce utitur Childericus, tam pro episcopis, quam pro optimatibus: cui generalitati velle derogare, non est tam quæstionem chronologicam factis aptare, quam ad præconceptam aliquam opinionem facta quæ-*

AUCTORE J. V. H.

cumque detorquere. Ait dein Pagius diploma a Childerico datum rem non esse dominii sed jus etiam D privatis commune. *Donatio quidem partis silvæ non excedebat jus privato cuilibet competens; sed præterquam quod Dervo donata fuerant varia a variis* tam ultra quam citra Ligerim: concessit *etiam Childericus* pro quiete regni sui et pro reverentia ipsius sancti loci, ut nullus judex publicus quolibet modo judiciaria accinctus potestate in curtes ipsius monasterii ubicumque ad præsens eorum maneat possessio, *aliquid exerceat jurisdictionis. Hæc exemptio a judicibus publicis, est certe res dominii: cum itaque etiam ultra Ligerim in Aquitania, quæ ad Burgundiam pertinebat, dominium exerceretur, consequens fit, ut diploma illud concessum fuerit, postquam Childericus universæ monarchiæ Francicæ præesse cœperit. His addi potest quod concessio loci, quæ* Lutosa *appellatur, quam Joannes Mabillonius diœcesi Trecensi* (*c*), *Lexicon autem topographicum Franciæ, auctore d'Expilly, Lingonensi adscribit, facta fuerit ante fundationem Dervensem, ut supra n.* 41 *et seq. monstravimus: atque hic iterum recurrunt SS. Leodegarius et Mummolinus, hic Neustrasianus, ille Burgundio: imo cum diœceses et Trecensis et Lingonensis extra Austrasiam ad Burgundiam per-*
E *tinerent, consequitur tempore donationis Lutosæ Childericum jam universam Franciam obtinuisse.*

pertinere videtur.

59 *Coronidis loco sit, ipsa impossibilitas, ut S.* Bercharius *anno* III *Childerici, in Austrasia regnantis, id est anno Christi* 662 *aut* 663 *Dervum monasterium fundaverit: nam, fatente ipso Pagio* (*d*), *fundatio Altivillariensis huic anno recte illigatur, et ex Adsone n.* 20 *habemus, Sanctum nostrum non prius alias fundationes occepisse, quam* rebus tam exterioribus quam interioribus prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatis; *quæ omnia vix intra anni spatium absolvi potuerunt: accedunt dein Puellaris monasterii, cellarum apud Lutosam, apud Monasteriolum et S. Sulpicii fundationes, quæ cum principalis cœnobii Altivillariensis constructione intra unius anni angustias essent constringenda, ut Dervense diploma anni* III *Childerici in Austrasia ad annum æræ Christianæ* 662 *aut* 663 *referri posset. Neque Pagio suffragatur vetustus catalogus abbatum Dervensium* (*e*), *in quo dicitur S.* Bercharius anno 664 accepisse donum et privilegium a Childerico rege Francorum et post
F viginti et unum annos *obiisse: nam privilegium illud Dervensibus concessum fuisse neutiquam dicit Catalogus: imo ad Altumvillare potius pertinere nobis suadet, præter rationes supra allatas, narratio Adsonis, quæ n.* 17 *nobis exhibet Childericum beneficum erga Altivillarienses. Quod vero Pagius* (*f*) *dicit, ex hac chronologia multa enasci incommoda, quasi annus emortualis Clotarii III, Clodovei II et Sigiberti regum antevertendus esset, abunde et solide a Nostris refutatum est in Commentario prævio Vitæ S. Leodegarii* (*g*): *unde hic nihil ea de re repetendum venit. Manet igitur, ut nihil exaggerate dicam, probabilissimum, diploma Childerici datum Compendio palatio* IV *non. Julii anno* III *regni ejus, ac proinde initia monasterii Dervensis ad annum* 672 *pertinere.*

§ IV. Bercharius variis Sanctorum Reliquiis monasterium

(*a*) D. Bouquet, t. III, p. 690. — (*b*) Crit. Baron. ad an. 661, § VI. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 840. In not. ad Vitam S. Bercharii. — (*d*) Crit. Baron. ad an. 662, § VI. — (*e*) Biblioth. Cluniac. not. Andr. Du Chesne ad epist. Petri Venerab., p. 114. — (*f*) Crit. Baron. ad an. 662, § XI. — (*g*) T. I Octob., p. 381, § VIII.

AUCTORE J. V. H.

A

sterium Dervense ditat: institutæ propterea peregrinationes Hierosolymitana et Romanæ.

S. Bercharius *Hierosolymis*

S. Bercharius *non solum plurimas temporales possessiones cœnobio Dervensi contulit, monialiumque Puellaris monasterii sustentationi haud dubie, sive ex propriis, sive ex aliorum fidelium donationibus, sufficienter providit; sed non minima quoque illi cura fuit, ut utrumque a se conditum monasterium sacris Beatorum pignoribus locupletaret Ea de causa, uti narrat biographus n.* 28 semel *quidem Hierosolymam,* multoties *vero Romam Sanctus noster peregrinatus est, plurimasque inde Sanctorum Reliquias retulit; quin tamen laudatus biographus exponat, quorumnam Sanctorum cæ fuerint. Inter hosce autem sanctos thesauros ad Dervense monasterium delatos, corpus S. Theodosiæ diserte recenset codex MS. ejusdem monasterii, a Joanne Mabillon in suis ad Sancti Vitam Annotatis* (*a*) *laudatus,*

B *in quo legitur :* Anno Verbi Incarnati MCVIII, epacta XVII, idus Septemb. eodem anno, quo obiit rex Philippus, filiusque ejus in regem unctus est, a D. Rotgero abbate, anno ordinationis ejus XI, positum est in hoc scrinio corpus S. Theodosiæ Virginis, quæ pro Christi nomine multa tormenta, etiam capitis abscissione, in Cæsarea Palæstinæ passa est : hanc tamen ex eadem urbe S. Bercharius abbas, cum multorum Sanctorum Reliquiis detulit, ac in hoc monasterio, quod dono regali exstruxerat, decenter collocavit.

dicitur retulisse corpus S. Theodosiæ :

61 *Ejusdem S. Theodosiæ, uti et S.* Bercharii *tamquam in Dervo quiescentium mentio fit in diplomate apud Joannem Mabillon* (*b*), *quod datum fuit* anno quarto regni præstantissimi regis Karoli *Calvi, seu Christi* 845, *binisque aliis ejusdem regis diplomatibus posterioribus* (*c*) : *adeoque indubie fallitur Saussayus, qui ad diem* II *Aprilis in S. Theodosiæ elogio, ejusdem exuvias partim ad diœcesim Leodiensem, partim ad monasterium Dervense tempore Notgeri præsulis delatas fuisse scribit, cum ex dictis liqueat, ejusdem Sanctæ corpus, seu potius ejusdem partem,* (*nam partem alteram Constantinopolim quandoque advectam fuisse non improbabiliter*

C *opinatus est Henschenius noster in observationibus prævіis ad ejus Vitam* (*d*)) *jam ob anno saltem* 845 *et proinde integro sæculo, priusquam Notgerus, qui ab anno* 972 *ad* 1007 *sedit, ecclesiam Leodiensem moderari sit exorsus, in Dervensi monasterio quievisse. Ast vero in diplomate Ludovici Pii a Mabillonio exhibito* (*e*), *dicitur in eodem cœnobio S.* Bercharii *corpus requiescere, nulla facta corporis S. Theodosiæ mentione, fortassis quod id tunc temporis nondum illuc esset translatum, et in Martyrologio Dervensi, cujus verba post passionem S.* Bercharii *recitat Nicolaus Camuzat* (*f*), *non dicitur hoc corpus translatum fuisse a S.* Bercharo, *sed* a fratribus loci *hujus. Quare, quemadmodum hujus sacri corporis translatio S.* Bercharo *non undequaque abjudicanda est, propter asserta citati codicis Dervensis, ita quoque non est sufficiens ratio ut indubitanter eadem illi adscribatur : sola enim laudati codicis, utpote qui non ante annum* MCVIII, *et proinde plus quam quatuor sæculis post Sancti nostri obitum, exaratus fuit, auctoritas infirma aliquantum est, nisi per-*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc II, 841. — (*b*) Annal. Bened., t. II. Append. LXVIII, p. 696. — (*c*) Ibid., t. III. Append. III et IV, p. 619 et seq. — (*d*) T. I Apr., p. 62, n. 12. — (*e*) Ann. Bened., t. II. Append. LIV, p. 687. — (*f*) Prompt. Ant. Tric. fol. 112. — (*g*) T. I Octob., p. 466, n. 17. — (*h*) Sæc. II, p. 831. — (*i*) T. I Octob., p. 475, n. 45. — (*k*) Ibid., p. 361, n. 24.

petua traditione, de qua non constat, adminiculetur. D

inquiritur num socium

62 *Aliud præterea peregrinationis, quam Sanctus secundum biographum in Palæstinam suscepit, adjunctum refert scriptor Miraculorum n.* 14; *scilicet* S. Bercharius adiens Hierosolymam fertur duxisse secum Waimerum tormentorum S. Leodegarii reum. *Quod si veritati consonum sit, non potest sancto viro non summæ laudi verti, quod hujus peccatoris conversioni tantopere allaborarit. Verum cum scriptor tribus sæculis* Berchario *nostro posterior sit, cumque Waimeri peregrinationem non adeo ex probatis monumentis, quam e vulgari quodam rumusculo, ut verba citata satis indicant, didicerit; verendum sane est, ut tota hæc narratio ob solam ejus auctoritatem ab omnibus certa habeatur. Unum est quod fidem narrationis adstruere posset, nempe videri Sanctum nostrum rebus S. Leodegarii implicatum fuisse. Nam Walthildis, a qua* Bercharius *fundum Puellaris monasterii emit, conjux dicitur Waimeri, in charta Bertoendi Catalaunensis episcopi infra recitanda : dein in Vita S. Leodegarii ab anonymo coævo conscripta* (*g*), *legitur* per quemdam monachum nomine Bertharium (*alii legunt* Bercharium) ci (*S. Leodegario*) de suo fuisse interitu nuntiatum. E

itineris habuerit

63 *Joan. Mabillon in suis ad Vitam S.* Bercharii *observationibus prævіis* (*h*), *hanc quæstionem in suspenso relinquit atque judicio lectoris permittit. Quia tamen anonymus S. Leodegarii biographus monitionem tribuit* Berchario monacho, *non videtur* abbatem *nostrum, indicare voluisse; quoties enim de Ermenario, Meroaldo, Bertone aliisque monasteriorum rectoribus sermo est, abbatis titulum numquam prætermittit; id proin quoque præstitisset, si* Bercharium *nostrum celebrem profecto, et regi Childerico gratiosum, nominasset. Alium igitur Bertharium seu Bercharium hic indicatum censeo, maxime quod nomen illud satis illo sæculo commune fuerit, ut videre est in Indice Onomastico ad calcem voluminum D. Bouquet. Simili responsione elidi potest argumentum petitum ex Waimero, marito Walthildis : nihil certe impedit quominus plures id nominis gesserint : atque hinc fortassis enata fuit allucinatio scriptoris Miraculorum S.* Bercharii, *quæ, ut prædiximus, vadem alium non habet, quam rumor quidem vulgaris.*

Waimerum, persecutorem

64 *Imo omnino esset rejicienda scriptoris opinatio, si constaret de legitima lectione Vitæ coævæ S. Leodegarii, in qua diserte traditur Waimerus, sancti præsulis persecutor, impœnitens obiisse. Sed non omni ex parte sincera videtur illa lectio, sive textum ipsum, sive ejus adjuncta consideremus. En verba* (*i*) : Waimerius etenim, qui ad supradictum famulum Dei (*Leodegarium*) capiendum et ad implenda Hebroini dicta socius perniciei extiterat, posteaquam ab ipso Hebroino eo quod in ejus ultione consenserat, episcopatus (*Trecensis*) gradu dolo fuerat sublimatus, post paululum intervallo interposito in offensam incidens, Dei, ut opinamur, nutu multis flagellis obtritus est : nempe, ut fertur, laqueo suspensum ac morte turpissima, ut decebat justi proditorem, condemnatum transmisit ad tartarum. *Mirum certe est scriptorem coævum, et, ut nostri monstrant* (*k*), *testi oculato saltem æquiparandum, certo non cognovisse, quo supplicii genere affectus fuerit Waimerus, et potius, injecta laquei mentione, rumorem quemdam vagum sectatum fuisse. Genuitati textus officit, quod desit in plerisque codicibus manuscriptis, ut adnotant nostri ad hunc locum, quam ex Chesnio supplere debuerunt.* F

65 *Suspectum*

S. Leodegarii.

65 *Suspectum etiam facit textum ejusdem repetitio in alia Vita coæva, ab Ursino conscripta, in qua recurrit ad verbum expressa* (*a*) *: in aliis tamen narrationibus Ursinus, Anonymum sectatus, neutiquam se servilem exhibet, et licet facta concordent, tamen verba et stylus differunt. Tandem Anonymus sibi contradicere videtur : nam quem narrat impœnitentem obiisse, eumdem paulo ante, S. Leodegario suadente, virum frugi factum asseruerat* (*b*) : Post longam, *ait,* quam Dei martyr pertulit, famis inediam, reminiscens Waimirus humanam in eo naturam non aliter posse ita durare, nisi eum Christi gratia sustentaret, in domum suam eum jubet perduci : dura etenim viscera cœperunt emolliri. Cum enim in familiari colloquio ei fuisset assuetus, ita feritatem ejus in parvo temporis tractu edomuit, et tam ipsum quam conjugem ad Dei timorem convertit, ut argentum ecclesiæ, quod nuper pro redemptione civitatis Augustiduni receperat, ei devotus offerret, et quidquid exinde facere decrevisset, concederet. *Siquidem hæc verba Waimerum conjugatum exhibeant, et sciamus eumdem episcopum fuisse non solum ex loco supra citato, sed etiam e Vita coæva S. Præjecti, ad* XXV *Januarii* (*c*), *pro more illorum temporum conjuge illius habitum assumente. Quamvis hæc ita se habeant, non tamen credo illa sufficientia esse, ut Waimerum, persecutorem S. Leodegarii, eumdem ac Waimerum comitem S.* Bercharii *peregrinantis affirmem.*

Inchoatur Gaugiaci puellare monasterium.

66 *Pro coronide fere eorum, quæ gessit S.* Bercharius, *Joan. Mabillon* (*d*) *exhibet chartam Reoli Remensis episcopi datam* in villa Compendio sub die kal. Maji, anno XIII regni Theodorici (III) regis, *seu anno Christi* 683 *aut* 686, *prout numerantur anni Theodorici a morte Clotarii III, quæ anno* 670, *aut a liberatione e cœnobio Sandionysiano, quæ post triennium contigit : priorem certiorem dicimus, siquidem S.* Bercharius *anno* LXXXV *ejusdem sæculi, ut infra monstrabimus, obiit. Ex hoc diplomate liquet, Sanctum nostrum, præter Dervense, Puellareque monasterium, aliud insuper virginum cœnobium condere voluisse, atque hunc in finem ab eodem Reolo* locum de rebus ecclesiæ. . . . Remensis, infra urbem Catalaunensium, in pago Pertensi, supra fluvium Matrona, in villa, quæ dicitur Gaugiacus, sive et alio vocabulo, quæ dicitur Episcopi-villa, obtinuisse. *Verum, ut observant Mabillon* (*e*) *et Auctores Galliæ Christianæ* (*f*), in chartaceo codice veterrimo, Dervenses habere dicuntur in Gogiaco mansum indominicatum unum cum terra arabili ad seminandum modios triginta, et cum vinea, ubi possunt colligi vini modii tres, nulla monasterii facta mentione; *simile etiam est de eodem parthenone in aliis vetustis monumentis silentium : quamobrem laudati auctores censent, S.* Bercharium *hoc postremum suum propositum exsequi non potuisse, utpote, antequam manum operi admoveret, violenta nece verosimiliter e medio sublatum.*

§ V. Obitus S. Bercharii.

Monstratur imprimis

Nunc *ad varias circumstantias mortis S.* Bercharii *deveniendum est. Et imprimis vidimus martyrologium Romanum, aliaque Sanctum nostrum* Martyrem *appellare, quem tamen titulum omittunt Parisiense et Autisiodorense, quin ullam hujusmodi omissionis rationem indigitent. Martyrium ex communi sententia theologorum definit Prosper Lambertini* (*g*) : Voluntariam mortis perpessionem sive tolerantiam propter fidem Christi vel alium virtutis actum in Deum relatum. Martyrio ergo duæ personæ debent intervenire, hoc est persecutor et Martyr. *Has autem martyrii notas in nece S.* Bercharii *concurrisse, facile est demonstrare. Imprimis mortem a persecutore inflictam, a sancto viro acceptatam fuisse simulque causam habuisse virtutis actum in Deum relatum, e tota narratione elucet.* Inter ordinandum igitur, *inquit Adso,* plurima, forte accidit, ut filiolum suum, quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat, Daguinum nomine, exigentibus culpis suis, verbere increpationis, ut moris est, feriendum decerneret. Nam hic, ut postea claruit, pessimus et flagitiosus, fronte polita, sub ovina pelle rapacis contegebat gestamina belluæ. Itaque ex merito suæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indigne ferens doctrinalia patris objurgamina, intumescente mascula sub pectore bili, contendit insanus sanctum virum injustæ tradere neci. Denique cum beatus pater diurno anxietatis labore non modice fessus, una cum fratribus lectulo reclinatus membra sopori dedisset, quia odium incurrit, qui arguit criminosos, idem filius satanæ armis impietatis armatus, postquam eum fessum soporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. *Mortem itaque S.* Bercharius *subiit, quia abbas monachum suum pro ratione officii increpuit, et quia devium ad tramitem religionis et sanctitatis reducere tentavit : quod profecto aliud non est, quam exercere virtutis actum in Deum relatum.*

AUCTORE J. V. H.

S. Bercharius *vere Martyr dici posse :*

68 *Mirum proinde est Martyrologia Parisiense et Autisiodorense, omittendo titulum Martyris, eumdem quasi negasse : cum Martyr quis esse potest tam propter fidem agendorum, quam propter fidem credendorum, ut probat Doctor Angelicus* (*h*) : Martyres, *inquit,* dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Unde et Martyres dicuntur quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei, et ideo cujuslibet martyrii causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Jac. II. : Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Unde et de quibusdam dicitur ad Titum I : Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat, et secundum hoc possunt esse martyrii causa. Unde et Beati Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit. *Apposite ad rem nostram subnectit S. Doctor exemplum B. Joannis Baptistæ, quem utrumque Breviarium, Parisiense et Autisiodorense, Martyrem appellat : illud in oratione pro festo decollationis die* XXIX *Augusti petit a Deo, ut* sicut ille veritatis et justitiæ Martyr occubuit, ita nos pro veritate et

(*a*) T. I Octobr., p. 489, n. 18. — (*b*) Ibid., p. 471, n. 36. — (*c*) T. II Januar., p. 632, n. 12. — (*d*) T. I Annal. Append. XXX, p. 644. — (*e*) Ann., lib. XVII, § XLIII, t. I, p. 351. — (*f*) T. IX, col. 904. — (*g*) De Beatif. et Canoniz. Serv. Dei, lib. III, cap. XI, n. 1. — (*h*) 2. 2. Quæst. CXXIV, art. V.

AUCTORE J. V. H.

A justitia ad mortem usque certemus. *Autisiodorense vero :* Deus cujus veritati testimonium fuso sanguine perhibuit præcursor filii tui; da nobis, *etc. Dicitur quidem pro veritate sanguinem suum fudisse S. Joannem Baptistam, quod tamen ita intelligendum est, ut mortem pro recte facto, quod radicem in veritate atque doctrina habet, pertulerit. Atqui hoc idem dici potest de Sancto nostro* Berchario : *unde nulla idonea apparet ratio, cur Martyris titulus illi denegetur : adsunt e contrario momenta gravissima, quæ hanc illi gloriam propriam reddunt.*

exhibita duplici

69 *S.* Bercharii *necem late describit biographus Adso; sed ab ejus narratione differt fragmentum, quod tamquam appendicem Vitæ Adsonianæ subnectit Joan. Mabillon* (*a*). *Quoniam itaque inter utrumque non parvum intercedit discrimen, operæ pretium fuerit utrumque in medium proferre. Hæc autem narrat Adso :* Tantis igitur laborum certaminibus in hujusmodi stadio pro vitæ cœlestis bravio transcursis, cum jam Dominus operarium suum digna donare mercede disponeret, resolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoscere. Nam jam paschali instante solemnitate, feria quinta, qua Cœna Domini habebatur, gregis sibi commissi

B pater sollicitus, monasterium puellarum devote adiit, pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba et consolationum affamina, hoc quoque eis prædixit, quod de resolutione proprii corporis divinitus sibi notificatum manebat. . . . Cum psalmis autem et hymnis peractis omnibus, ad cœnobium redeundi iter aggreditur. . . . *Narrat deinde quomodo redux eadem nocte a Daguino lethale vulnus acceperit, qui ipse, scelere suo territus, signum pulsare cœpit.* Fratres vero, ut audierunt signum inconsueta hora, cum magna admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius cucurrerunt : sed adhuc anxietate nutantem in eo spiritum repererunt. *Refert porro quomodo Daguinus ad S.* Bercharium *perductus, veniam obtinuerit, et Romam iverit ad absolutionem criminis impetrandam : deinde narrationem prosequitur :* Beatus vero Bercharius diutissime angore vulneris morbidus, tandem carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petivit. Ad tanti quoque viri obitum, viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, *etc.*

narratione illatæ necis;

C 70 *Hæc Adso : Manuscriptum vero Dervense, cujus fragmentum affert Joan. Mabillon ad calcem Vitæ S.* Bercharii, *rem aliter exponit sequentibus verbis :* Beatus Bercharius durissimi languore vulneris morbidus, licet trahens suspiria vix proloqueretur, fesso anhelitu tamen Dominicæ Passionis et Resurrectionis solemnia, suæ etiam depositionis obsequium ac locum sepulturæ humiliter ordinans, discipulis multa ventura prædixit : indicendo eis sollicitudinem divini timoris ac observantiæ sanctæ religionis. Tandem triumphanti Domino cum palma victoriæ occursurus, mane Dominica ipsius sacrosanctæ ab inferis Resurrectionis carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petivit. Ad tanti viri quoque obitum viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est, ut jusserat, quodam loco extra ecclesiam, multis inibi, Deo donante, miraculorum pollens effectibus.

monstratur Sanctus post biduum

71 *Consideranti vel leviter utrumque textum manifestum fit, alterum alteri subserviisse, cum multa utringue eodem verborum tenore exponantur. Uter vero sit præferendus, non videtur dubium. Dervensis enim longe magis verisimilis est, et expositis in utroque manuscripto circumstantiis magis congruus.* D *Uterque in eo convenit, nocte feriæ quintæ, in Cœna Domini, percussum fuisse S.* Bercharium mortali vulnere, *a Daguino monacho, ita ut reliqui monachi putarent, illum jam interfectum fuisse;* sed adhuc anxietate nutantem in eo spiritum repererunt. *Hæc verba clare ostendunt tale vulnus sancto viro inflictum fuisse, ex quo mors proxime secuta fuerit. Unde probari non potest prior lectio dicens* Bercharium diutissime languore vulneris morbidum *fuisse. Facile malæ lectioni mederi posse cogitabit fortassis quispiam, immutato vocabulo* diutissime *in* durissimi, *atque hujusmodi errores scriptorum oscitantia textui obrepere in comperto esse : verum quominus hunc errorem mere librario incurioso adscribamus, impedit, quod in corrupto textu sequitur :* tandem carne solutum *fuisse; quo sane insinuatur sat longum intervallum inter vulnus acceptum et mortem fluxisse. Videtur igitur textus omnino corruptus in omnibus exemplaribus Adsonianis, quæ vidimus; et præferendus esse ille, qui e Dervensi codice eruitur.*

obiisse, die XXVI *Martii,*

72 *Atque id tanto magis, quod, ut testatur Nic. Camuzat in Promptuario Tricassino* (*b*), *in alio Adsonis exemplari, post excusam vitam ad manus allato, referatur* S. Bercharius eo die quo Christi resurgentis solemnitas celebratur e vita excessisse anno DCLXXXV. *Joan. Mabillon ex eodem manuscripto codice, ex quo fragmentum supra citatum extraxit, affert aliud, quod ita sonat :* Extremum E vitæ diem obiit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini DCXXCV. Indict. XIII, epacta XI, VI kal. Aprilis, mane Dominicæ Resurrectionis. *Qui characteres chronologici, inquit, non conveniunt, nisi legas* VII *kalend. Aprilis, in quem Pascha anno* DCLXXXV *incidebat. Quibus omnibus apprime confirmatur fragmentum Dervense supra citatum, videlicet Sanctum nostrum vix biduo suo vulneri superstitem fuisse, proindeque perperam legi apud Adsonem, prout illum exhibent pleraque exemplaria,* Bercharium diutissime angore vulneris morbidum, tandem carne solutum, cœlestis vitæ gaudia petivisse. *Manet itaque inconcussum Sanctum in festivitate Dominicæ Resurrectionis vitam mortalem cum immortali commutasse.*

anno 685, *non obstante*

73 *Stabilita die emortuali S.* Bercharii, *accedendum est ad quæstionem aliquantulum operosiorem, scilicet quo anno diem supremum obierit. Ex supra allatis monumentis constat, multos martyrium S.* F Bercharii *ad annum Christi* 685 *retulisse, quibus accensendus venit auctor vetusti catalogi Dervensium abbatum, ab Andrea Du Chesne nobis servati* (*c*), *in quo legitur :* S. Bercharius abbas Dervensis monasterii, anno Domini sexcentesimo sexagesimo quarto, accepit donum et privilegium a Childerico rege Francorum. Post viginti et unum annos, S. Berchario de hoc sæculo translato, Synaulius abbas successit, anno Verbi Incarnati DCL et XXX et V tempore Theodorici, fratris Childerici. *Nullus dubito quin omnes in hanc concederent opinionem, nisi obstaret diploma Bertoendi, episcopi Catalaunensis, Dervensibus concessum, ad cujus calcem legitur :* Actum Remis publice, data quem fecit mensis Februarius die XV, anno secundo gloriosi Domini nostri Clodovei regis. *Clodovæus III, Neustriæ rex, de quo hic agitur, regnare cœpit anno* DCXCI, vere ineunte : *proinde dies* XV *Februarii anni secundi in annum* XCII *aut sequentem ejusdem sæculi, prout Clodovæus regnum adierit ante vel post* XV *Februarii, incidit.*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 843. — (*b*) Fol. 86 verso. — (*c*) Notæ ad Epist. Petri Venerab., p. 114 in Biblioth. Cluniac.

74 *Cum*

diplomate

74 *Cum igitur in citato diplomate dicatur de* A *S.* Berchario : Ubi (*in monasterio BB. Petri et Pauli Dervensi*) et ipse abbas præesse videtur; *cum præterea ipse privilegium petivisse narretur; sequitur obitum S.* Bercharii *citius anno* 692 *aut sequenti statui non posse. Immo, cum ex aliis monumentis constaret illum e vita excessisse* VII *kalendas Aprilis* (XXVI *Martii*) *in die Paschatis, differendum fuit ejus martyrium in annum* 696, *notatum litteris dominicalibus B A, paschali Dominica* XXVI *Martii occurrente. Non esset quod repugnarem huic sententiæ, quam calculo suo probarunt Adr. Baillet et Alb. Butler ad* XVI *Octobris, nisi mihi summe suspecta esset diplomatis authenticitas. Admissa enim veritate privilegii Catalaunensis, habemus testimonium solemne, coævum, quo invicte demonstratur Sanctus noster, saltem ad annum* XCII *sæculi septimi superstes fuisse : parvi proinde facienda essent reliqua monumenta, quatenus recentiora, quæ annum* LXXXV *ejusdem sæculi indigitant. Ast, ut dixi, suspectum incertumque est diploma, infirmum igitur ad aliquid stabiliendum : quod ut clarius eluceat, illud lectori exhibemus, cum variis lectionibus, quæ in exemplari, ab academico de Brequigny edito occurrunt, in margine adnotatis.*

B

Bertoendi episcopi Catalaunensis,
* *add. B.* apice, *om. B.* apostolicæ
* specula
* Ingoberto
* *add. B.* episcopali Cathedra præsidentibus Bertoendus

75 (*a*) Dominis Sanctis et summi culminis Apostolicæ * Pontificalis cathedræ speculis * præsidentibus, in Christo fratribus seu coepiscopis Rigoberto * metropolitano (*b*), Basino, Stephano, Adalberto, Aloni, Madalgario *, licet indignus in ordine, tamen Katalaunensium episcopus, supplex in Domino mitto salutem. Quamquam priscæ regulæ decreta nos doceant, et quæ oportet perenniter custodire et patrum consueta indiminute servare, attamen et nos super hæc regulariter decernentes, vota supplicum et maxime orthodoxa fide fulgentium, ut illi provisione tractantes eorum petitionibus libentissimo animo volumus affectum mancipare. Quoniam igitur gloriosus domnus Clodoveus

* pie

rex, et vir illustris Pipinus major-domus, pro * religiosa sollicitudine perspicue nobis postulasse noscuntur, ut privilegium monasterio Puteolos in vasta Dervi, in honore Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Sancti Joannis Baptistæ, et Sancti Joannis Euangelistæ seu et omnium Sanctorum, a viro religiosissimo Sancto Berchario, ubi et ipse abbas præesse videtur, ex munificentia quondam

C

* Drea
* finem
* Watmerus
* Waltildis
* *add.* Deo

Childerici regis constructo; seu et alio monasterio puellarum super fluvium Vigoræ, etiam et Dria * in Dervo in fine * Flaciniacense, quod Waimerus * et conjux sua Waltidis *, et Domnus Bercharius abbas pariter construxerunt. In quo loco * sacrata Waltidis mater esse videtur multarum virginum præsenti tempore, et se cum eis multimodæ aggregationis agminibus, piæ devotionis paribus studiis sociaverunt in Dei laudibus, uno regulæ Spiritu superna inspiratione commota, ad laudes omnipotenti Deo concinendas * pium exhibet famulatum;

* concinnandas

conferre deberemus. Quod salubriter annuentes, hoc privilegium quod plena devotione petierunt, perenni auctoritate servandum, libenti animo præstitisse comperite. Nec enim nova postulantium vel indulgentium est auctoritas privilegium largiendi,

* cuncti

dum profecto cunctis * retro Apostolicæ Sedis præsules, unde sacra propagatur auctoritas non solum in vicinis provinciis constitutis, sed etiam in cæteris longe regionibus procul sitis postulata semper indulgenda sanxerunt. Unde obsecro Domnos successores Ecclesiæ prænotatæ pontifices, satis superque per omnipotentiam Trinitatis immensæ, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti obtestare, imo D conjurare * præsumo, ut commendatum * prænominatum monasterium piis mentibus jubeant diligere, jubeant fovere, jubeant continere, jubeant conservare. Et ne succidua fraternitas sacerdotum hoc nos in * regionibus propriæ deliberationis instinctu, aut nova inventione æstimet decreta fuisse; cum sub hujus constitutionis norma Sanctorum Agaunensium locus, imoque et monasterium Lirinense, seu monasterium Luxoviense, multaque alia monasteria, necnon et basilica Domni Marcelli, et innumera in Orientis partibus monasteria, propriis ex decreto pontificum servantur privilegiis. Ergo uno conspirationis consensu, Dei nutu, antedictorum Patrum religionem pensantes, ita ab omnibus decretum est, ut nullam dominationem nos successoresque nostri in superscripta monasteria virorum seu puellarum virginum, ubi sunt congregati, quod pro salute animarum suarum prædictus vir Bercharius et Waimerus seu et conjux sua Waltidis una pariter construxisse noscuntur, habeamus : quatinus eis liberius liceat, Deo juvante, sine impedimento rei alicujus, contemplativam vivere vitam. Et cum pater monasterii fuerit de sæculo evocatus, quem unanimiter E omnis congregatio ipsorum servorum Dei undecumque sibi optime regulam compertam elegerint, seniorem sibi abbatemque constituant : seu et cum mater virginum de sæculo fuerit evocata, quam unanimiter omnis congregatio ipsarum ancillarum Christi undecumque sibi optime regulam compertam elegerint, sibi seniorem matrem una cum consilio monachorum Dervensium fratrum abbatissam instituant, et si eis opportunam fuerit abbatem benedicendi, aut chrisma consecrandi, vel sacros ordines percipiendi, hoc tantummodo nobis propter canonicam institutionem et præjudicium Ecclesiæ nostræ absque ullo motu reservamus.

AUCTORE J. V. H.

* conjectare
* commendem

* *add. B.* his

76 Cæterum vero, ut superius continetur, nullam potestatem aut dominationem neque nos vel archidiaconus, successoresque nostri, vel quælibet persona habere non debeat, aut quamcumque de codem monasterio vel cellulis ejus *, parochiis aut cæteris monasteriis causam audeat præsumere vel auferre. Et si aliquid ipsa congregatio de earum religione tepide egerint secundum regulam S. Benedicti, vel domni Columbani ab eorum * abbate vel abbatissa, qui pro tempore spiritalis pater vel F mater exstiterint, corrigantur. Nam nullum pontificium * a nobis neque a successoribus nostris in eodem monasterio pro causa cupiditatis, aut (quod absit) avaritiæ habeatur; sed proprio in Dei nomine fruantur privilegio. De rebus namque præfatis, constructoribus ejusdem sancti monasterii pro sustentatione prædictorum sanctorum monachorum *, puellarum virginum, victum quoque ac vestitum collatum, seu a cæteris Deum timentibus personis in antea collaturis, vel a regia potestate fuerit concessum, nihil ex hoc neque pontificum, nec quarumlibet personarum distrahendi minuendive causa potestas omnimodo non habeatur, nisi in matribus vel patribus ejusdem monasterii, suisque præpositis *, gubernandi, regendi, dispensandique arbitrio seu dispensatione consistat. Ideo * quoque præstitimus privilegium, quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei et maxime contemplativam vitam ducentibus, pro quiete tranquillitatis tribui-

quod exhibetur, diplomate :

* *add. B.* sed et

* earum

* *add. B.* neque

* seu

* propositis

* *add. B.* Deo

(*a*) Exstat in Spicilegio Luc. d'Achery, t. III, p. 317 et apud Brequigny Diplomata, etc., t. I, p. 326. — (*b*) Sedes horum præsulum require Act. SS. XXIX Septemb., p. 164, n. 28.

tur.

AUCTORE J. V. H.

tur. Quod si quis calliditate aut cupiditate præventus, ausus fuerit ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violare, a divina ultione prostratus, reatui * anathematis subjaceat, veniatque super eum lepra Naaman Syri, excommunicatusque a sancta efficiatur Ecclesia Catholica. Et nihilominus hoc privilegium perpetuis temporibus maneat incorruptum. Quæ constitutio nostra ut firmis subsistat temporibus, manus nostræ subscriptionibus est roborata. Et ut plenius confirmetur, cæteris fratribus et coepiscopis qui ad præsens non fuerunt, destinavimus insuper roborandam. Actum Remis publice data quem fecit mensis * Februar. die xv, anno secundo gloriosi Domni nostri Clodovei regis.

* reatum

* mense

quod interpolatum, quoad contenta

77 *Non pauca sunt, ut prædixi, quæ incertum suspectumque faciunt Bertoendi diploma. Imprimis* Bercharius *noster, licet vivens, appellatur* Sanctus, *qui titulus plerumque obitum importat : non dicam plane semper hunc titulum solis vita functis aptari, ut numquam vivis impositus fuerit; ast non credo facile concedendum in diplomate solemni, a variis episcopis subscribendo, talem titulum viventi cuidam tribui. Fuerit igitur librarii vitio perperam additus : hoc certe consequetur non undecumque genuinum ad nos devenisse diploma : quod si aliqua ex parte vitiatum fuerit, quis fidem suam pro veritate reliquorum narratorum obligare poterit? Deinde Bertoendi chartam sibi non constare, aut magnam inter varia exemplaria exsistere discrepantiam, monstrat index titulorum chartarii Dervensis* (*a*), *qualis a Nicol. Camuzat exhibetur :* Privilegium datum a Bertoendo, episcopo Cathalaunensi, ad rogatum claræ memoriæ Clodovæi regis et Pippini majoris domus regiæ, in quo idem episcopus dat nobis electionem abbatis et abbatissæ, tam in nostro, quam in Puellari monasterio, qui etiam prius dedit nobis in villa nostra et aliis circum vicinis omnimodam jurisdictionem, nihil sibi retinens, præterquam benedictionem abbatis et abbatissæ (*de benedictione abbatissæ nihil dicitur in citato diplomate*), confectionem crismatis, collationem ordinum et pœnitentiales. *Pœnitentialis, de quo nobis hic est sermo, interpretatur Suppl. Glossarii Cangiani* jus instituendi pœnitentiarios vel imponendi pœnitentiam : *apponitque in exemplum, chartam Guidonis, episcopi Catalaunensis, an.* 1183, *ex tabulario Dervensi :* Præterea nobis retinuimus chrisma, Pœnitentiales, et sanctam synodum, ad quam abbas, si citatus fuerit, pro omnibus clericis suis debet venire. *Porro nullo verbo hujusmodi Pœnitentiales in charta Bertoendi attinguntur : hinc certe liquet discrepantiam inter varia exemplaria exsistere; quæ omnem authenticitatem tollit.*

et Bercharii *nomen videtur :*

78 *Immo, si fides habenda est catalogo vetusto supra num.* 73 *citato* (*b*), *diploma Catalaunense non S.* Bercharii, *sed successori ejus Synaulio datum legitur, his verbis :* Anno Verbi Incarn. DCXCIII.... data est abbati Synaulio emunitas et privilegium a Berthoendo, Cathalaunensi episcopo, rogatu Childeberti regis fratris Theodorici. *Hic allucinatur scriptor; illo anno non Childebertus, sed Clodovæus regnavit, uterque tamen non frater, sed filius Theodorici III. Admisso autem quod Synaulius receperit diploma, confirmatur, quam statuo, sententia de obitu S.* Bercharii *anno* 685. *Atque hæc quidem scripturam incertam faciunt, monstrantque infirmo nimis fundamento niti, qui propter illam Sancto nostro vitam usque ad an.* 696 *prorogant, parvi facientes testimonia, quæ licet coæva non sint, radicem tamen habere videntur in traditione domestica, quæ in Dervensi cœnobio semper viguit.*

dein Bertoendus usurpat jus

79 *Hæc quidem sufficerent ad refellendam nobis oppositam sententiam; sed unum superest vitium, quod diploma magna ex parte interpolatum ostendit. Concedit scilicet Bertoendus monialibus monasterii, quod Walthildis construxerat, quodque Puellare monasterium dicebatur, ut* cum mater Virginum de sæculo fuerit evocata, quam unanimiter omnis congregatio ipsarum ancillarum Christi undecumque sibi. . . . elegerint, sibi seniorem matrem, una cum consilio monachorum Dervensium fratrum, abbatissam instituant. *Unum tamen præter abbatis benedictionem et clericorum ordinationem, quæ ad monasteriorum virorum magis spectant, sibi reservat episcopus* propter canonicam institutionem et præjudicium ecclesiæ suæ, *scilicet chrismatis confectionem. Quis dum hæc legit, non sibi persuadebit utrumque cœnobium, tam virorum, quam puellarum intra unius ejusdemque diœcesis fines contineri? Attamen aliter se res habet. Puellare Dervense monasterium ad Trecensem episcopatum pertinet* (*c*), *ut inter omnes convenit, et manifeste probat charta Frotmundi, qui ab anno* 998 *ad* 1034 *Trecensem cathedram occupavit* (*d*). *Chartæ verba recito* (*e*) :

episcopi Trecensis,

80 In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis P. et F. et S. S. Ego humilis Frotmundus, Augustæ Trecorum pontifex, ut ipse disposuit magnus et omnipotens rex, præsentibus et futuris notum esse cupimus, quod venerabilis abba Bruno ex SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Bercharii Martyris monasterio ad nos venit supplicans mansuetudini nostræ, ut cuidam altari, quod est in villa, quæ dicitur Puellare monasterium, largiremur libertatem. Est autem illud altare in honore S. et perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ubi quondam plurimarum extiterat congregatio virginum, in quorum loco monachos sub jugo abbatis predicti loci ordinandos esse constituit, et idcirco maxime libertatem poscit, ut ibidem servientes Deo, nulla turbare possit inquietudo. Hujus ergo petitionem, quia Deo placitam esse credidimus, suscipere dignum duximus, et, quod petiit, cum fidelium nostrorum clericorum et laicorum consensu, libenter concessimus, ipsamque ecclesiam cum altari ab omni consuetudine vel redhibitione, liberam esse reddidimus, salva tamen ordinatione pontificali, eo tenore, ut unoquoque anno, in SS. Omnium festivitate, persolvant duos solidos mihi successoribusque meis. Actum Trecorum civitate publice, pridie kal. Maji, regnante Henrico Francorum rege.

quamvis dicat Cointius

81 *Hisce positis, non videtur, quomodo Bertoendus Catalaunensis episcopus potuerit libertatem concedere monasterio, quod nec ad suam diœcesim, nec ad ipsam provinciam Remensem pertineret. Frustra obtenderetur de consilio fratrum coepiscoporum, ut in diplomate dicitur, id factum fuisse : manet difficultas : deest enim ejus consensus, qui ante omnes alios requirendus fuerat, episcopi nempe Tricassini. Illa tempestate huic ecclesiæ præerat Aldobertus, cujus nomen in capite diplomatis Catalaunensis non occurrit; et merito quidem, cum in Concilio Remensis provinciæ datum censeatur; Tricasses vero ad Senonensem spectarent : dicit quidem Cointius* (*f*) *qui compendium privilegii viderat, non ipsas litteras :* Quæstioni locus esse potest, quomodo Bertoendus benedictionem sibi reservarit tam abbatis in suo episcopatu, quam abbatissæ in aliena diœcesi : *jam*

(*a*) Antiquit. Tric., fol. 82. — (*b*) Bibl. Cluniac. Not. ad lib. I, ep. Petri Ven., p. 114. — (*c*) Gall. Christ., t. XII, col. 533. — (*d*) Ibid., col. 494. — (*e*) Camuzat. Antiq. Tric., fol. 84. — (*f*) Ann. Fr. ad an. DCXCIV, § III, t. IV.

diximus

A *diximus in privilegio non agi de benedictione abbatissæ, sed varia sibi reservare Bertoendum; hinc quæstioni est locus, quam ita solvit Cointius :* Accessit procul dubio consensus episcopi Trecensis. Exemplum simile jam occurrit in monasteriis Malmundariensi et Stabulensi, quæ, Cuniberto episcopo annuente, dicata sunt ab uno eodemque Remaclo Trajectensi pontifice, quamvis Malmundarium pertineret ad diœcesim Coloniensem, Stabelaus ad Trajectensem. Qua de re sic Notgerus in Vita S. Remacli (*a*) : « Rex, quia ecclesiæ recens ædificatæ episcopali » benedictione indigebant, Beatum Remaclum ac- » cersiens, tam eam, quæ erat Coloniensis parœ- » ciæ, annuente venerabili Cuniberto episcopo, » quam illam, quæ nostræ diœcesis est, ab eo » voluit solemniter consecrari. »

id factum fuisse, permittente Trecensi episcopo,

82 *Non possum equidem meo calculo probare, quæ ad explicandum Catalaunense privilegium, affert Cointius. Ut enim omittam, in re gravissima et extraordinaria necessarium videri, ut exceptio ipsa in diplomate exprimeretur, nimirum eidem accessisse consensum episcopi Trecensis, exemplum a Cointio allatum nullatenus quadrat cum casu per privilegium expresso. Pro monasterio Malmundariensi exprimitur, etiam in simplici narratione, consensus episcopi diœcesani; dum e contrario, ne verbo quidem Trecensis episcopi mentio fit in litteris authenticis, quæ, ut satis notum est, omnes juris apices sectari consueverunt. Et quod caput quæstionis est, in facto S. Remacli agitur de consecratione alicujus ecclesiæ, nempe de unico actu semel ponendo, ad quem si consensus proprii episcopi accesserit, nihil omnino ejus jurisdictioni deperit. Ast longe alius est casus in diplomate Bertoendi : subjicitur scilicet perpetuo Catalaunensi Ecclesiæ monasterium alienum : scimus autem rarissimum esse id alienationis genus, nec licitum fuisse secundum disciplinam sæculo* VII *vigentem, nisi* cum totius cleri tractatu atque consensu (*b*) : *imo nihil alienatum a Trecensibus fuisse constat ex diplomate Frotmundi n.* 80 *citato.*

B

aut agi de puellari

83 *Unum fortassis ad veritatem diplomatis utcumque vindicandam dici posset, Bertoendum scilicet agere non tam de Puellari Monasterio in Tricassina diœcesi sito, quam de alio, quod S.* Bercharius *obtinuit a Reolo Remensi episcopo. Donaverat Reolus, ut ipse dicit in charta donationis* (*c*) locum de rebus ecclesiæ Remensis infra urbem Kathalaunensium, in pago Pertensi, supra fluvium Matronam, in villa quæ dicitur Gaugiacus, sive et alio vocabulo, quæ dicitur Episcopi-villa, quam sanctimonialis fœmina, nomine Ama, quæ sub titulo religionis vitam finivit, per suas cartas ad Ecclesiam Remensem condonavit. *Statuit deinde :* Si forsitan, quod adsolet, de ipso loco in alio loco ipsæ famulæ Dei migrare voluerint ad monasterium ædificandum,.... teneant ipsam villam Gaugiacum. . . . ad monasterium Altumvillare, quod antecessor noster domnus et pater noster Nivardus, quondam episcopus, suo opere construxit, debeat revertere cum ipsa epistola, quam spontanea voluntate fieri rogavimus. . . . Actum in villa Compendio, sub die kal. Maji, anno XIII regni Domni nostri Theodorici regis. *Mabillon annum* XIII *Theodorici III regis connectit cum anno Christi* 686 *aut etiam sequenti* (*d*). *Quoniam vero S.* Bercharium *obiisse dicit l. c.* XXVI *Martii, patet ejus chronotaxim non sibi recte constare; vidimus autem supra ad numerum* 65 *commode computari initium Theodorici ab anno* LXX *ejusdem sæculi, unde devenimus ad annum* LXXXII *aut sequentem, quo* Bercharius *noster certo vivebat.*

C

AUCTORE J. V. H.

D

monasterio Gaugiacensi.

84 *His obiter prænotatis, redeamus ad quæstionem nostram. Bertoendus certe non loquitur de Gaugiaco monasterio, quod numquam fundatum fuisse videtur, ut dixi supra n.* 65. *Verum etiamsi exstitisse dicamus, tamen manifestum est de Gaugiaco parthenone sermonem Bertoendo non fuisse. Agit enim de Puellari Monasterio, per Walthildem constructo, de quo loquitur quoque Adso n.* 20, *quod ipsum pertinet ad Trecensem diœcesim : neutiquam vero de monasterio, quod* Ama sanctimonialis *dederat, prout dicitur in charta donationis Reoli episcopi. Aliud quoque obstat, quominus Bertoendum de Gaugiaco loquentem introducamus : secundum Reoli litteras, deficiente parthenone, fundus debebat ad Altivillarienses redire : atqui id testatur nobis Joan. Mabillon his verbis l. c.* : Nunc Episcopi-villa pertinet ad Altivillarense monasterium, prout Reolus statuerat, deficientibus nimirum eo loci sanctimonialibus. *Monasterium Trecensis diœcesis e contrario suberat abbatibus Dervensibus, ut ipsæ Bertoendi litteræ abunde testantur.*

Refellitur tandem ratio,

E

85 *Ex his omnibus liquet Bertoendum reipsa agere de Puellari Monasterio, quod extra fines Catalaunensis episcopatus constitutum, ad ipsum nulla ratione pertinere poterat. Unde merito concluditur interpolatum esse diploma, cui proinde chronotaxis inniti non potest. Restant igitur documenta, quæ supra n.* 73 *attulimus, quæque testantur anno Christi* 685 *Sanctum* Bercharium *obiisse. His profecto adhærendum est, donec certioribus argumentis alius annus nobis demonstretur. Unum superest, quod scrupulum aliquem movere posset : scilicet anno S.* Bercharii *emortuali, dies Martii* XXVI *non incidebat in festum Dominicæ Resurrectionis apud Latinos, sed in Dominicam Palmarum, ut ad hunc annum adnotant auctores libri* l'Art de vérifier les dates. *Frequens quippe erat in Ecclesia Latina usus cycli Victoris Aquitani sub S. Leone Magno, aut ejus successore Hilaro invecti, qui dissidia quidem inter Occidentales et Orientales de* mense *paschali orta exstinxerat : eas tamen discordias, quæ* diem ipsum *Paschalis afficiebant, intactas reliquerat* (*e*). *Nam lunam decimam quintam a paschalibus solemniis excludens, efficiebat ut, quoties ea in Dominicam diem incideret,* octiduo *post Orientales, id est luna* XXII, *sacratissimum Pascha celebraretur. Hic casus occurrit anno S.* Bercharii *emortuali* 685, *quo sabbatum* XXV *Martii concurrebat cum luna paschali* XIV. *Proinde sequenti die dominica non Pascha, sed Palmas celebrarunt Occidentales, et proin quoque fallunt documenta allata, quæ statuunt S.* Bercharium *in Dominica Resurrectionis obiisse.*

F

quæ e diverso computo

86 *Jam plus vice simplici insinuavi me habere illa documenta, non tamquam coæva facto, quod exprimunt, sed quatenus innixa traditioni domesticæ, cui fides absque idoneo fundamento deneganda non est. Errarint itaque scriptores in conjungendo diem* XXVI *Martii anni* 685 *cum paschali solemnitate, utpote quam secundum cyclum Dionysii Exigui dein computarint; unum manet inconcussum eosdem diem et annum Sancti emortualem, diem* XXVI *Martii anni* 685 *constituere. Cæterum non credo cycli Victoriani usum tam universalem fuisse, ut nulla in Occidente Ecclesia ab illo desciverit. Luculentum certe hujus rei testimonium suppeditat S. Gregorius Turonensis* (*f*), *quod anno* 590 *illigandum probat*

(*a*) Eadem habet Anonymus, t. I Septembr., p. 693, n. 11. — (*b*) Cap. LII, caus. XII, q. II. — (*c*) Mabill. Ann. Ben. Append. XXX. T. I, p. 645. — (*d*) Ibid., lib. XVII, XLIII. T. I, p. 531. — (*e*) Cfr Henr. Sanclement. de Vulgaris æræ emendat., lib. IV, cap. X, p. 487. — (*f*) Hist. Fr., lib. X, cap. XXIII. ap. D. Bouquet, t. II, p. 378.

AUCTORE J. V. H.

A *Pagius* (*a*) : Dubietas Paschæ fuit, *ait Gregorius,* ob hoc, quod in cyclo Victor luna decima quinta Pascha fieri scripsit. Sed ne Christiani, ut Judæi, sub hac luna hæc solemnia celebrarent, addidit, Latini autem luna vigesima secunda. Ob hoc multi in Galliis decima quinta luna celebraverunt; nos autem vigesima secunda. *Siquidem anno* 590 *jam* multi *in Gallia Latinorum consuetudinem, de qua Victor, quoad diem haberent antiquatam, nemo mirabitur eamdem opinionem post annos nonaginta quinque longe plures adhuc sectatores habuisse : e quorum numero facile esse potuerunt Dervenses monachi.*

paschali 87 *Diuturnior certe fuit in Hispania usus cycli Victoriani, siquidem Hadrianus Papa I, sæculo octavo in finem vergente, exprobret Hispanis per varias epistolas illos in paschate celebrando dissentire a reliquis Ecclesiis* (*b*) : Pervenit, *ait,* ad nostras apostolicas aures, quod multi in partibus illis in insipientiam atque cordis dementiam devoluti, prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum, et nostras relationum atque admonitionum series, secundum venerandi Nicæni concilii institutionem de paschali festivitate, ita contemnere audent,

B quod si plenilunium quarto decimo scilicet lunæ die, Sabbatho contigerit, alio die dominico, videlicet quinto decimo lunæ die Pascha sanctum minime celebratur, sed prætermisso eodem quinto decimo die, in alio sequentis septimanæ dominico, qui est vicesimo secundo lunæ die, Paschalis festi gaudia pronunciant celebranda. Quo si interius mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni concilii trecentorum decem et octo patrum simul convenientium promulgata paschalium festivitatum ratio, procul dubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur. *Monstrat porro quomodo ex decretis Nicænis Pascha constituendum sit, et dein concludit :* Pro quo non silemus, charissimi, impensius vos commonere, ut a falsis fratribus caveatis, et eo modo quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum Dei, paschalem celebrat solemnitatem, et recte, si Dei tenet traditiones, et vos procul dubio celebrare studeatis, ut sicut pares nos Christianorum fidei religio efficit, æquales nimirum in festivitatibus efficiat.

peti posset. 88 *Hæc satis probant meo judicio exulasse jam diu e Galliis errorem, quem solis Hispanis exprobrat*

C *Hadrianus. Habemus igitur quasi terminos binos, inter quos medius stat annus emortualis S.* Bercharii : *scilicet annum* 590, *in quo, teste S. Gregorio Turonensi citato, jam multæ Ecclesiæ in Gallia Pascha celebrarunt die* XV *lunæ, et annum circiter* 780, *quo Hadrianus id erroris solis Hispanis impingit : nemo certe monstrare poterit Dervenses male Pascha computasse, maxime si attendat* Bercharium *nostrum Luxovii educatum, ubi diu viguit Scotorum computatio, (quæ permittebat ut luna* decima quarta *in diem Dominicam incidente, paschalis solemnitas haberetur,) in mediis dissidiis, si quæ tum adhuc fuerint, illam opinionem probabiliter tenuisse, quæ quam proxime accederet ad computandi rationem S. Columbani. Scimus autem non levem sibi creasse invidiam Columbanum, quia, Scotorum more, Pascha in Galliis celebrare voluit, uti latius explicabitur ad diem* XXI *Novembris, quando de hujus Sancti gestis sermo recurret.*

D

§ VI. Variæ Reliquiarum S. Bercharii translationes.

Corpus S. Bercharii

J*am exposui supra n.* 4 *cur festivitas S.* Bercharii *in diem* XVII *kal. Novembris translata fuerit; quia scilicet ea die recurrebat annua celebritas translationis Sancti nostri et dedicationis basilicæ Dervensis. Variis autem temporibus translatum fuisse corpus S.* Bercharii *monstrat tum Vita, tum liber Miraculorum. Primum Sanctus extra ecclesiam sepultus fuerat :* sed, *ait Adso* 26, cum jam Dominus ulterius occultare nollet, ex præfato cultelli (*aquæ supernatantis*) miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est inde corpus beati patris debere transferri, ac illi inde translatum tumulaverunt retro altare in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. *Juxta Historiam Dervensem manuscriptam, ad nos missam cura et studio R. D. Gerard Parochi in Dervo, quam conquisitis undique documentis exaravit D. Grossard, Dervensis monachus et post turbas Galliæ curatus in* Planrupt, *juxta Dervum, hæc translatio facta censetur pridie idus* (XIV) *Februarii, qua die ejus memoria celebrabatur tam in Dervo monasterio, quam in ecclesia collegiata S.* Bercharii *Castrivillani, ubi aliquæ ejusdem Sancti Reliquiæ habebantur* (Châteauvillain, Dépt Haute-Marne, arrondt de Chaumont). *Credo hanc primam translationem accidisse anno* 686, *quia inter cætera prodigia, tamquam rationem affert miraculum cultelli, quod, quoniam in omnium memoria vivum erat, non longiori intervallo separari potest a corporis elevatione. Addit quoque :* ex cujus sepulchro longo post tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum visum est defluxisse, cunctis morbo oppressis nimium salubre (*c*). *Ipsa Adsonis verba indicant olei fluxum non fuisse diuturnum, cum jam ante ejus ætatem desiisset.*

extra Dervum 90 *In Dervensi basilica quieverunt deinceps S.* Bercharii *Reliquiæ usque ad annum Christi* 921, *quo, imminentibus Hungaris, in Burgundiam translatæ fuerunt sub Rudolfo, Burgundiæ duce, ut infra videbimus, postquam respondero difficultati, quam*

F *alia documenta facessere videntur. Constat enim ex epistola Formosi Papæ, anni* 891 (*d*) *et e diplomate Ludovici, dicti Cæci, Burgundiæ regis, anni* 896 (*e*), *primam aliquam migrationem Dervensium monachorum in Burgundiam circa illud tempus accidisse. Ad illos quidem scribit Formosus :* Audientes vos de Trecassino comitatu ex monasterio Dervo a facie paganorum elapsos, et quod ab eodem venerabili episcopo (*Barnoino Viennensi*) misericorditer suscepti estis, inclinati precibus vestris, per hujus auctoritatis privilegium vos inibi, (*in monasterio S. Theuderii, St-Chef, Dépt Isère*) firmiter et quiete Deo militare confirmamus. *In diplomate autem Ludovici hæc leguntur :* Barnoinus..... petiit, ut quoddam monasterium præfatæ Ecclesiæ Viennensis in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Theuderii Confessoris Deo dicatum, in ejusdem Ecclesiæ parochia situm, atque Adalrico, abbati monachisque quondam Dervensis cœnobii ad regendum et Deo serviendum commissum, præcepto nostræ auctoritatis muniremus.

(*a*) Crit. Baron., ad an. 594, § III. — (*b*) Gretser. Opera, t. VI, p. 783. — (*c*) Circa oleum e SS. cadaveribus manans, consule Prosp. Lambert. de Canoniz. SS., lib. IV, part. I, cap. XXXI, n. 19. — (*d*) D. Bouquet. t. IX, p. 202. — (*e*) Ibid., p. 679.

non ante sæc. X

91 *D. Bouquet in notis ad citatam epistolam Ludovici videtur hanc migrationem cum translatione Reliquiarum S.* Bercharii *confudisse. Et id quidem perperam : nam duplex hæc migratio incidit in tempus diversum, devenit ad diversum locum, ac tandem nacta est patronum diversum. Prima quidem migratio ultimo decennio sæculi noni, altera vero post annum vigesimum primum sæculi decimi accidit : dein monachi Dervenses in prima migratione, corpus fundatoris sui in Dervo relinquentes in* regnum *Burgundiæ, quod Alpibus, mari mediterraneo et Druentia, adjuncto ducatu Lugdunensi, claudebatur, confugere* (*a*); ducatus *autem Burgundiæ, in quo refugium sibi statuerunt Dervenses iterum exulantes, cis Ararim et Rhodanum situs, provinciis Nivernensi, Borbonnensi, Campana, Sequanica, Bellojocensi et Brixinensi terminabatur* (*b*). *Unde sponte sua fluit in duplici exilio duplicem nactos fuisse Dervenses refugii patronum; in priori scilicet Ludovicum Cæcum, regem, in posteriori autem Rodulfum, ducem Burgundiæ. Neque fraudi nobis esse potest silentium scriptoris Miraculorum, qui unam referens, alteram migrationem ignorasse videtur. Nempe silentium unice adscribo rationi, quod tunc corpus* B *S.* Bercharii *suo loco motum non fuerit : atque hinc alienum fiebat ab Anonymi scopo hujusmodi narrationi immorari.*

translatum fuisse

92 *Fatebor tamen Anonymum videri, utramque migrationem una narratione complexum fuisse, quum scribens Dervenses* tranquillitate jocundæ pacis *ad hæc usque tempora usos fuisse, alludere videtur ad epocham, quæ primam migrationem præcessit.* Tranquillitatem, *ait n.* 5, tam jocundæ pacis, multis abusive vertentibus in augmentum impietatis, rursus severitas animadversionis Hunnorum rabiei exponit depopulationem Christiani populi : maxime addictis stragi Neustria et pleraque parte Gallici regni. Tempora hujusmodi infelicitatis impediebantur regimine Karoli Junioris, qui Simplex ferebatur nomine, non tam innocentia quam ignavia omnis rei civilis et militaris, omnino referens mores Ludovici genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus est Nihilfaciens. Imperium ergo hujus, quippe justo Dei judicio instigatus, parvipendens Hunnorum exercitus, quaquaversum debacchando insignes funditus evertens urbes, gladiis et incendio orationum domos plurimarumque gentium delevit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequen- C tibus nuntiis territi fratres supradicti Dervensis cœnobii, erumpentibus etiam ab occiduis partibus, Astingo duce, Wisigothis, qui et Normanni, communi consilio, ut audierant aliarum greges ecclesiarum, decernunt, sumptis secum ossibus B. Bercharii, fuga perquirere latibulum ; hocque statuunt circa ripas Araris fluminis ; quæ regio ipsis temporibus ferebatur immunis omnis inquietudinis regimine Rodulfi, filii nobilissimi Richardi Burgundiæ ducis, qui justi tenax, ejusque famosissimus ultor extitit.

monstratur,

93 *Facilis determinatu est epocha, qua Dervenses in ducatum Burgundiæ corpus sancti sui fundatoris transtulerunt. Nam migratio accidit, Rodulfo Burgundiæ jam duce, necdum vero Francorum rege : id est inter kal. Septembris an.* 921 (*c*) *et* III *Id.* (XIII) *Julii anni* 923 *quo rex Suessionis eligitur et inungitur a Walterio Senonensi* (*d*). *Habemus e Flodoardi Chronico* (*e*) *anno ejusdem sæculi* XIX Hungaros Italiam, partemque Franciæ, regnum scilicet Lotharii (*Lotharingiam Campaniæ conterminam*) de- AUCTORE J. V. H. prædatos fuisse. *Imminebant juxta idem Chronicum* D *Normanni, qui eodem anno* omnem Britanniam in Cornu-Galliæ, (*Cornouaille, Dépt Finistère*) in ora scilicet maritima sitam, depopulabantur, proterebant atque delebant, abductis, venditis cæterisque cunctis ejectis Britonibus. *Aliquam facessit difficultatem, quod nempe Wilhelmus Gemeticensis in Historia Normannorum dicat* (*f*) Hastingum, Normannum, *vendita Tetboldo comiti urbe Carnutensi,* distractis omnibus, peregre profectum disparuisse : *ex serie autem narrationis videtur illa disparitio ad sæculum* IX *pertinere. Sed recte animadvertit Vossius de Historicis Latinis* (*g*) multas in scriptore hoc fabulas de Normannis legi ; quod non inficiabitur, qui cum eo contulerit, quæ de ætate sua in Chronicis suis retulit Flodoardus. *Hinc apparet sublestæ quandoque fidei Wilhelmum Gemeticensem esse : cujus asserta corrigenda sunt ex antiquiorum scriptorum effatis, qualis est noster Anonymus.*

sub duce Rodulfo

94 *Alterum est quod suspectam reddere videtur narrationem Anonymi Dervensis : negat scilicet Urbanus Plancher Benedictinus in sua Burgundiæ Historia* (*h*), *Rodulfum Richardi filium umquam Burgundiam ducis titulo occupasse, atque propterea* E Ducem suppositium *appellat, hac ductus ratione quod Richardus dux Burgundiæ kalendis Septembris anni* 923 *defunctus sit, duobus scilicet mensibus postquam filius ejus Rodulfus rex Francorum inunctus fuisset; vadem hujus asserti affert Joannem Mabillon; sed perperam. Ambigue hic quidem loquitur, sed si conferatur ejus textus cum iis quæ aliis in locis jam dixerat, nullus dubitandi superest locus. Suburbanæ, ait* (*i*), *Basilicæ S. Petri Senonensi* tum (*anno* 923) præerat Samson venerabilis abbas, qui Aigloni ante biennium successerat, quo tempore Richardus Burgundiæ dux, Rudolfi novi regis parens, Justitiarius dictus, sepultus est in monasterio S. Columbæ kalendis Septembris. *Voces* quo tempore *referendas esse ad verba* ante biennium, *hinc elucet, quod agens de Rodulfo* nondum rege *dicat* (*k*) *sub anno* 922, *illum fuisse* Richardi Burgundiæ ducis recens mortui filium. *Cæterum multis confirmatur mortem Richardi statuendam esse anno* 921 (*l*) : *Rodulfum vero biennio circiter serius regem inunctum fuisse* (*m*). *Ruit igitur præcipuum argumentum quo Urb. Plancher nititur, dum affirmat Gislibertum Richardi generum illi successisse* (*n*) ; *et Rodulfus inter duces Burgundiæ reponendus est, uti* F *faciunt Benedictini, auctores libri* l'Art de vérifier les dates (*o*).

in Burgundiam; quamvis incertum sit,

95 *Incertum est quo loco constiterint Dervenses tempore secundæ hujus migrationis; non dubium tamen illos a Rodulfo fuisse susceptos, ut narrat Anonymus noster n.* 7 : *Miraculorum* rumore celeberrimo accensus memoratus princeps Rodulfus susceppturus insignia totius Francorum imperii, supplex locum ipsum Reliquiarum B. Martyris adiit, se suamque felicitatem ejus committens suffragiis : multisque donatum muneribus, fratrum necessitates plurimis relevavit largitionibus, et eos benignissime consolatos, spem propere ac prospere remeandi, Dei sanctive Martyris auxilio et sui laboris juvamine repromisit ; quod feliciter Deo favente contigit. Nam idem memoratus princeps, laturus auxilium præfatæ calamitati, imperium Francorum subiit, nequaquam tyrannice, sed divinæ pietatis prædestinatione ob meritum suæ probitatis,

(*a*) Plancher Hist. de Bourgogne, t. I, p. 155. — (*b*) Ibid., p. 224. — (*c*) D. Bouquet, t. IX. Index chronol., p. LXXXIX. — (*d*) Ibid., p. XCI. — (*e*) Ibid., t. VIII, p. 176. — (*f*) Ibid., p. 255. — (*g*) Lib. II, cap. XLIX, p. 405. — (*h*) T. I, p. 233. — (*i*) Lib. XLII. § LIV, t. III, p. 348. — (*k*) Ibid. § XLVI, t. III, p. 344. — (*l*) Bouquet, t. IX. Ind. Chronol., p. LXXXIX. — (*m*) Ibid., p. XCII. — (*n*) Hist. de Bourg., t. I, p. 237. — (*o*) T. II, p. 492 et seq.

electus

AUCTORE J. V. H.

A electus a pontificibus ac proceribus totius Gallici regni, ad effugandam inde rabiem paganæ perversitatis. Ejus itaque formidine potestatis, protinus exterrita omni feritate barbarica, restaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capessunt audaciam, qui ob metum paganorum dispersi diversa petierant loca exilii. Grex quoque Ecclesiæ Dervensis, juncto sibi cœtu fratrum Fossatensis cœnobii, qui metu supermemoratæ internecionis eo confugientes devexerunt secum ossa Confessoris Christi Mauri, pari consilio aggrediuntur iter repatriandi, pariter incedentes, simulque divina celebrantes officia, donec itineris progressione attingerent, quo ab invicem discesserunt, fines Dervenses atque Campaniæ.

in quem locum :

96 Igitur adventui pretiosissimi Martyris occurrentibus cum plurima turba sacerdotum clericorumque multis, ac ejus familia, quaquaversum dispersa, undique recurrente, excipitur eximius protector patriæ liminibus templi, quod virens extruxerat in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc longa solitudine incultum, tribulis etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis
B iterum in eo recondunt ossa pii pastoris XVII kalend. Novembris. *Posito, quod jam supra diximus, Rudolfum III id.* (XIII) *Julii anni* 923 *solium regale conscendisse, ex verbis Anonymi conjectare licet, eodem anno Dervenses patris sui translationem celebrasse : nuntiat enim Rudolfus illos* propere *ad sua redituros,* quod feliciter, *ait,* contigit : *nam ejus formidine potestatis* protinus *exterrita est omnis feritas barbarica. Atque hæc secunda est translatio corporis S.* Bercharii.

sæpius supplicantium ritu

97 *Nescio num aliqua deinceps a Dervensibus celebrata translatio sit usque ad* 1671; *nisi fortassis quædam facta fuerit circa finem sæculi* X; *quando basilica nova, vetere destructa, erecta fuit ab Adsone et consecrata a Gebuino Catalaunensi episcopo* VIII *kal. Decembris anni* 998 (*a*). *Nihilominus aliquando ad varia loca exportatæ fuere sacræ Martyris Reliquiæ. Sic circa annum* 1020 gloriosus rex Robertus, *ait Anonymus noster n.* 33, apud villam, Aireyas nomine, noscitur concilium habuisse, ubi cum innumeræ plebis multitudines diversi utriusque sexus et ætatis concurrerent, ad cumulandam quoque populi proficiscentis devotionem plurima
C Sanctorum corpora a fidelibus viris advehi cœperunt. Inter quorum veneranda pignora, seniores nostri de sacro patroni nostri corpore non ignotas detulere Reliquias, convenienter in feretro ad earum translationem præparato. *Causam convocandæ synodi exprimit scriptor Historiæ episcoporum Autisiodorensium* (*b*); *scilicet* pro redintegranda seu firmanda pace; *ast simul, ut loquitur chronicon Autisiodorense S. Mariani* (*c*), statuta sunt multa Ecclesiarum statui profutura. Aireyas, *quod etiam* Airiacum *dicitur* (Airy *vel* Arcy-sur-Cure, *dép*t. *Yonne*) *Autisiodoro quatuor circiter milliaribus distat. Cæterum moris erat, ut testatur Glaber Rudolfus* (*d*), *ad conciliorum conventus* multa deferri corpora Sanctorum atque innumerabiles sanctarum apophoretas Reliquiarum (*e*). *Huc referenda sunt, quæ e Martyrologio Autissiodrensi supra n.* 5, *exscripsimus.*

deportatæ Sancti Reliquiæ :

98 *Ter adhuc delatæ S. Martyris Reliquiæ noscuntur, uti narrat Anonymus n.* 34 *et seq. Primo scilicet, grassante* prægrandi mortalitate, et utriusque dignitatis hominibus Sanctorum suffragia quærentibus, *perductum est corpus S.* Ber- D
charii super Blesam *fluvium;* et Sancti cinere advecto fugit ipsa hominum mortalitas. *Secundo, eædem Reliquiæ portatæ fuere ad Summam Veram* (*prope Dervum*) *in ecclesiam S. Mariæ; fatetur scriptor se non recordari,* qua pro causa devotio compulerit *solemnem hujusmodi supplicationem instituere. Tertiam tandem sacri corporis delationem auctor ipse testis oculatus describit n.* 36 : Non pluerat, *ait,* ab ipsis fere gloriosæ Dominicæ Resurrectionis diebus usque in Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc igitur infortunio non modice pavefactis omnibus, majores natu plebis hujus Ecclesiæ in unum conglomerati, expetunt Domini abbatis Brunonis præsentiam (*fortassis anno* 1053 *quo siccitas magna fuit* (*f*)) postulantes concedi sibi B. patris Bercharii corpus, quatinus liceret eis per agros suos et confinia famulari bajulatione illud circumferre, ut suo sancto interventu propitiatio cœlestis subveniret afflictis. *Consensit abbas : indicta solemnitate in festum SS. Apostolorum, ipsa die pluviâ* diu negatam terræ infudit abundantiam, terraque frugum suarum desideranti plebi parturivit copiam.

anno vero 1671 in novas capsas

99 *Neque aliud mihi occurrit circa Reliquias S.* Bercharii *usque ad sæculum* XVII, *cujus anno* XXVII *reconciliata fuit ecclesia Dervensis et iterum ejus altaria consecrata fuerunt; erant quippe profanata per vastationem Calvinianam : ignoro autem, num in hoc turbine e suo loco motum fuerit corpus S. Martyris. Ast e jam laudato manuscripto D. Grossard habemus ejusdem sæculi anno* LXXI *in novas capsas fuisse translatas Reliquias, cujus quidem visitationis et translationis processum, ut ajunt, verbalem, e Gallico in latinum idioma traductum, subjicimus ex eodem manuscripto.* Anno 1671 die Martis, trigesima prima die Martii, primo pontificatus Clementis X, XXVII Ludovici XIV regis Galliæ et Navarræ gloriose regnantis, indictione IX, nos monachi, prior et conventus abbatiæ B. Mariæ in Dervo, Ordinis S. Benedicti, congregationis S. Vitoni, personaliter præsentibus D. Gaspare Pesme, D. Francisco Faudel, D. Claudio Baupoil, D. Remigio Lemaire, antiquis religiosis, (*qui scilicet reformationem Congregationis S. Vitoni non receperant*) D. Bonifacio Peronne, priore, D. Ludovico Fourrier, subpriore, D. Ludovico de Recicourt, D. Mauro Montignon, D. Clemente Michel, procuratore, D. Cypriano Loiselier, D. Huberto Mutel, secretario capituli, D. Andrea Caillet, D. Paulo Horguelin, D. Odilone Aubry, F. Antonio Cocquart, F. Adriano Lefebure, religiosis professis dictæ abbatiæ, constituentibus et repræsentantibus capitulum ejus. E F

repositæ; cujus

100 Juxta decretum capituli nostri jam pridem latum de visitando sacras Reliquias in ecclesia nostra asservatas in thecis et capsis ligneis, easdemque transferendo in pretiosiores, quas fieri curavimus ad honorandum Deum in Sanctis suis, eorumque auxilium implorandum, hesterna die trigesima hujus mensis aperuimus dictas thecas, et per instrumenta et inscriptiones recognovimus in illa, quæ S. Bercharii dicebatur, sacra ossa ejus involuta telæ damascenæ rubræ, excepto capite, quod capiti argenteo inclusum est. . . . . Invocato dein Spiritu Sancto, et recitatis precibus præscriptis, præsentibus pluribus ecclesiasticis viris et ingenti multitudine populi tum Dervensis, tum finitimorum locorum, cum omni qua potuimus reverentia et ceremoniis in simili casu consuetis, fecimus translationem dictarum sacrarum Reliquiarum. . . .

(*a*) Gall. Christ., t. IX, col. 871.—(*b*) D. Bouquet, t. X, p. 172. — (*c*) Ibid., p. 275. — (*d*) Lib. IV. Hist. cap. V. D. Bouquet. Ibid., p. 49. — (*e*) Cfr Chron. S. Petri Vivi Senon. D'Achery, t. II, p. 474.—(*f*) Chron. Fontanel. App. apud D. Bouquet, t. XI.

Ordinavimus

A Ordinavimus deinde processionem generalem per vicum Dervensem, in qua istæ sacræ Reliquiæ solemniter delatæ fuerunt. In quorum fidem, postquam nos, monasterium nostrum et quidquid illi cedit, Dei Sanctorumque suorum (quorum, Reliquiarum nos sequestros divina majestas facere dignata est,) præsidio et tutelæ commendavissemus, hoc instrumentum scribi curavimus et manu nostra secretariique nostri munivimus. *Sequuntur nomina supra citata.*

translationis exhibetur instrumentum.

101 Hodie, ultima die Martii MDCLXXI, hora decima matutina Michael Braudy et Nicolaus Regnault notarii regii in ballivatu Calvimontensi, requirentibus Dominis venerabilibus religiosis, priore et conventu abbatiæ B. Mariæ Virginis in Dervo, consistentes in ecclesia dictæ abbatiæ in facie altaris majoris, in quo erant thecæ, quibus nunc Reliquias supra expressas imposuerunt, requisiti fuimus instrumentum actorum conficere : quod illis dedimus ad effectum prout de jure : præsentibus D. Alexio Bruaux subpriore in Montier-marcy, D. Francisco Grignon, monacho ejusdem abbatiæ, DD. Nicolao, Joanne et Ludovico de la Marche, D. Lud. Parison, presbytero curato,
B D. Edmundo Renaudot, Claudio Hurlot, Ludovico Abreveux, Adriano Francisco Philberto Martinet; et Ludovico Baudry, notabilibus incolis loci Dervensis, et D. Joanne Potaye Ballivo in Chavange; qui omnes nobiscum Notariis manu sua firmaverunt instrumentum in theca S. Bercharii reconditum. *Itaque usque ad motus Gallicos et omnium monasteriorum eversionem corpus S.* Bercharii *in ecclesia Dervensi, caput quidem in scrinio argenteo, reliqua ossa in theca asservata fuerunt; quod quidem pro suo tempore testatum nobis reliquit Joan. Mabillon* (*a*).

Anno 1829

102 *Quomodo vero hæc sacra pignora in mediis posterioris ævi turbinibus servata fuerint, explicant instrumenta ad nos transmissa per RR. DD. Favrel, vicarium generalem Diœcesis Lingonensis et Gerard, parochum in Dervo, quorum eximiæ benevolentiæ iterum iterumque impense gratias agimus. Duplex coram habeo instrumentum, unum catalogum Reliquiarum exhibet, alterum continet approbationem Gilberti Pauli Aragones d'Orcet, tunc Lingonensis episcopi. Utrumque e gallico latinum facio. Prius declarationem Reliquiarum continet et sic sonat :* Anno millesimo octingentesimo vige-
C simo nono, prima die Junii, nos infrascripti Joannes Baptista Drion, Parochus in Dervo, Claudius Drion, Clericus tonsuratus, Edmundus Ogé sacristanus et organædus, Joannes Baptista Moraux ludimagister, Stephanus Augustinus Bouillevaux et Alphonsus Petit, ambo choristæ Parochiæ S. Remigii in Dervo, præmisso serio examine, certi facti sumus, quod ex omnibus Reliquiis, quarum mentio fit in variis catalogis diversorum annorum, non aliæ notas probabiles et authenticas, quibus fides adhibenda sit, habeant quam in majori scrinio corpus integrum Sancti Bercharii. . . . . (*sequitur declaratio aliarum Reliquiarum in variis scriniis, thecis et feretris*) : in theca portatili, caput S. Bercharii. . . . signatum erat : Ogé, C. Drion, Moraux, Bouillevaux, Drion.

visitatæ

103 *Jam indicavi supra n.* 89 *aliquas S.* Bercharii *Reliquias Castrivillani olim fuisse : hinc quando dicitur* corpus integrum *S. Martyris in Dervo reperiri, intelligendum est de potiori ejus parte. Suprascriptam declarationem ratam habuit Lingonensis episcopus Paulus d'Orcet instrumento sequenti :* Gilbertus Paulus Aragones d'Orcet, miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ gratia Episcopus Lingonensis. I. Viso processu verbali de statu Reliquiarum ecclesiæ Dervensis, et signis authenticis, quibus, post serium examen, munitur : II. Viso quod scrinia tam majora quam minora et aliæ reliquiariæ thecæ, non possunt esse et reapse non sunt, juxta unanimem opinionem parochianorum et finitimorum, aliud quam pretiosa hæreditas, quam antiqua et celebris abbatia Dervensis, una cum nomine et templo, reliquit parochiæ, quæ utroque etiam hodie gloriatur : III. Visa verificatione facta per D. Donadei, vicarium nostrum generalem et archidiaconum districtus Vassiacensis, cujus relatio nihil omittit quod conferre potest ad stabiliendam aut potius confirmandam authenticitàtem thecarum et Reliquiarum in eis contentarum, scilicet, acta authentica etiam Notarii manu firmata conservationis et translationis earumdem, quæ fecerunt in favorem parochiæ monachi, antequam discederent; acta etiam post discessum monachorum confecta a magistratu civili et ecclesiastico tum ad easdem conservandas, et eripiendas latrociniis rebellium, qui vasa pretiosa exigebant ad monetam cudendam, tum ad easdem reponendas E in sepulcrum sive sacellum, unde vi extractæ fuerant.

AUCTORE. J. V. H. D

S. Bercharii *Reliquiæ*

104 Attento quod universus populus honorat adhuc, sicut semper honoravit dictas sacras Reliquias, et si inscriptiones singulis appositæ non muniuntur iis litteris authenticis, quæ veneration nem olim conciliarunt, in causa est rabies persecutorum illas destruentium post dispersionem piorum cœnobitarum, qui illas conservabant, tamquam certissimum præsidium devotionis in illis repositum : attento insuper quod titulus scriptus desinit esse necessarius, quoties adest possessio immemorialis, pacifica et omnino publica, et quod veneratio dictarum Reliquiarum nullum detrimentum passa sit ex destructione titulorum : attento etiam quod si per errorem involuntarium, alicui ex dictis Reliquiis affixa fuisset inscriptio ad alias pertinens, non esset cur veneratio unicuique earum debita denegaretur, saltem in quantum in eadem theca conjunctæ reperiantur : attento demum, quod si contra omnem veri speciem, irrepsissent, tam in scriniis quam in thecis, quæ omnes varias Reliquias continent, aliquæ particulæ minus certæ, quam aliæ, quibus utpote authenticis, absque pia- F culo cultus debitus denegari non potest, tamen ejusmodi cultus habendus non esset tamquam superstitiosus, utpote qui exhibetur in globo omnibus quæ sancta et sacra continentur in dictis scriniis et thecis : attento tandem, quod si consequenter ad supra dicta, aliqua particula sola reposita in scrinio, dubium quoddam excitaret, posset conjungi cum una, quæ nulli dubio subjaceret, ita ut theca hujusmodi tantam fidem excitaret, quam aliæ, quæ sunt in simili casu :

ab episcopo Lingonensi,

105 Hinc nos moti sensu tum justitiæ erga Sanctos, quorum hæ sunt Reliquiæ, tum caritatis erga fideles, qui tanti eorumdem venerationem faciunt, (involutis prævie in pannos sericos Reliquiis iis, quarum authenticitas dubia erat, ut sic reconderentur sub altaribus dictæ ecclesiæ aut in parte inferiori scrinii majoris) et ut Sancti, quorum hæ sunt Reliquiæ non defraudentur cultu juste illis debito a fidelibus, qui eosdem elegerunt aut eligent in suos patronos, et ut illis, qui ad dictos Sanctos eorumque sacras Reliquias recurrent, nihil juris

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 843.

AUCTORE J. V. H.

quod sancta Ecclesia concedit, depereat, quoties vera et rationabili devotione ad Sanctos eorumque Reliquias confugiunt; permisimus et per præsentes permittimus, ut omnes Reliquiæ, quarum mentio fit in præsenti processu verbali, porro exponantur venerationi publicæ; et volumus ut nullo umquam tempore, nulloque prætextu fraudentur honore illis debito. Insuper, ut idem cultus extendi et sufficere possit pietati fidelium, qui eum in suam ecclesiam inducere vellent, per præsentes concedimus D. Drion hodierno curato dictæ parochiæ, quotiescumque alicui personæ aut ecclesiæ utile judicaverit, facultatem extrahendi particulas dictarum Reliquiarum, ast una dumtaxat vice in præsenti rerum adjuncto; non intendentes concedere eidem jus aliquod ordinarium, imo e contrario volentes, ut non possit authenticas litteras tradere de iisdem Reliquiis, quin specialem faciat mentionem se non extraxisse, nec potuisse extrahere, nisi vi specialis et transitoriæ facultatis, quam eidem fecimus per præsentes : ita tamen, ut si utile judicaverit, possit eamdem facultatem petere a nobis aut successoribus nostris. Apographa singularum authenticarum litterarum affigentur tum dicto processui verbali et includentur in unaquaque theca. Datum Lingonis sub signo, sigilloque nostro, et sub signo secretarii nostri die XXIII Octobris MDCCCXXIX. Signatum erat : ✝ G. P. Episcopus Lingonensis. De mandato, Rieusset.

itemque anno 1838.

106 *Confirmavit citatum diploma prædecessoris sui hodiernus episcopus Lingonensis Illustriss. ac Reverendiss. D. Petrus Ludovicus Parisis, litteris sequentibus :* Nos Episcopus Lingonensis in actu visitationis parochiæ Dervensis, visa recognitione SS. Reliquiarum in ecclesia dictæ parochiæ asservatarum, facta per unum e prædecessoribus nostris; inventa quoque in thecis, in quibus ossa sacra deponi curaverat, magna parte eorum, de quibus mentio fit in processu verbali, qui instrumento dictæ recognitionis præfigitur; sigillo nostro munivimus I. magnum scrinium ligneum cum vitro in antica facie, expositum supra altare in xysto (*galerie*) sanctuarii; II. Duo scrinia minora, ante et retro vitro munita; et ordinarie recondita intra altare B. Mariæ Virginis. Confirmamus et prorogamus concessam a dicto prædecessore nostro licentiam exponendi dictas Reliquias venerationi fidelium. Datum Dervo monasterio XXI Maji MDCCCXXXVIII. P. L. Episc. Lingonensis. *Hæc omnia instrumenta concordare cum suis originalibus attestatur* die XII Februarii 1842 J. P. Gérard Curatus in Dervo monasterio.

Status hodiernus cœnobii Dervensis.

107 *Magnificum olim Dervense monasterium tempore turbationis Gallicæ ad duas tertias partes destructum est, quæ vero post vastationem superstes remansit hodie stabulum est equorum admissariorum* (Haras). *Felicior fuit sors ecclesiæ abbatialis sub SS. Apostolorum Petri et Pauli invocatione dedicatæ : scilicet, eodem tempore destructa parochiali ecclesia sub titulo S. Remigii, parochiani abbatialem emerunt, qua hodie utuntur sub patrocinio SS. Remigii et* Bercharii. *Liceat tandem coronidis loco completam facere Dervensium abbatum seriem, qualem exhibet Gallia Christiana* (*a*) : *Claudium Antonium de Choiseul-Baupré excepit Antonius de Lastic, episcopus Convenarum : sed paucis post mensibus mortuo successit Antonius Eleonor Leo le Clerc de Juigné anno* 1781, *translatus a sede Catalaunensi ad Parisiensem archiepiscopatum. Seriem abbatum claudit Anna Antonius Julius de Clermont-Tonnerre, et ipse Catalaunensis episcopus consecratus anno* 1782, *dein, renovato Ecclesiarum ordine et statu, archiepiscopus Tolosanus et S. R. E. Cardinalis.*

(*a*) T. IX, c. 909 et seqq.

VITA S. BERCHARII

ABBATIS DERVENSIS ET MARTYRIS,

AUCTORE ADSONE, ABBATE DERVENSI.

Ex editione Nicolai Camuzati Prompt. Eccl. Tric., et Joannis Mabillon Act. SS. Ord. S. Bened., collata cum codice Aquicinctino.

PROLOGUS.

Cur Adso hanc Vitam conscripserit.

Cum gloriosas virorum illustrium palmas, ac præmia meritorum, sancta per orbem et universalis competentis obsequii functionibus sollemniter persolvat passim mater Ecclesia Catholica; nos quoque pro infructuosi ignavia silentii multandos fore arbitror, si gesta ejus lateant, cujus specialiter apud nos et virtutum exuberat copia, et sanctæ institutionis refulgent incrementa : præcipue cum facta præcedentium, salutis sit materies ad memoriam relata posterorum. Actus igitur ac laborum certamina B. Bercharii abbatis et Martyris gloriosi summatim perstringere cupientes, tanto difficilius hanc narrandi materiam sumimus, quanto ad explicandam hujus operis magnitudinem nos impares esse sentimus : sed non est illi difficile cinguem in verba resolvere, quem constat muta etiam elementa consonis vocibus sollemniter prædicare. Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati nostræ perferri * potuerunt.

* proferri *A.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *S. Bercharii ortus, prima institutio apud parentes et S. Nivardum : monachatus Luxovii.*

S. Bercharius *Aquitanus,*

Prioris monimenta temporis pagum Aquitanicum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati *, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti; qui cum conjugalis pudicitiæ jura fidei integritate servarent, commodis temporalibus præcellentes, divinorum tamen operam pia intentione studio * perflagrantes, supernæ dispositione clementiæ tantam ac talem meruerunt sobolem accipere, cujus institutione et meritis in cœlestibus castris niveas * militantium innumerabilis multitudo bonorum fructuum palmas perfer-

* locupletati *A.*

* studioque *A.*

* nivea *A.*

ret,

AUCTORE ADSONE.

ret, et multiplex antiqui deceptoris versutia, ablatis fidelium animarum spoliis, deperiret. Quod facile est deprehendere, si quis altioribus abstinens, hæc pauca in consequentibus dignetur advertere. Cui videlicet ex matris utero cum divini jam tunc sanctificatione muneris in luce prodeunti, more Aquitanico Bererum * a parentibus inditum constat fuisse vocabulum, tamquam ab ipso jam nascendi exordio bonæ hereditatis herum.

* Hererum *A.*

natus parentibus opulentis,

2 Eo tempore Francorum imperium rege Childerico * *a* felicissime disponente, viro quidem rebus bellicis potentissimo, circa * ecclesiarum autem Dei cultum devotissimo, B. pontifex Nivardus *b* sanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famosissimus, apostolica auctoritate cœlestem in terris vitam agens, sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. Qui, quia esset plenus auctoritatis et gratiæ, cum peteretur quoque diversas terrarum vel nationum tam pro vitæ merito, quam etiam doctrinæ affluentis eloquio, partes invisere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetisse, atque ad illud usque prædium traditur pervenisse, in quo viri Dei parentes videbantur propria statione recedisse. Nam inter cetera quæ ex dote supernæ dispensationis hic vir sanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hereditatis titulis a progenitoribus temporaliter etiam certum * est floruisse, quod videlicet, si quis diligenter velit, in promptu est agnoscere, cum pœne usque ad hæc nostra tempora ejus juris villas et prædia tam ultra Ligerim, ubi Discias *c* dicitur, quam etiam intra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in monasterii sui regimine probantur successisse, per longa temporum curricula jure quieto visi sunt possedisse. Sed ingruentium causa malorum, partim negligentia torpentium, partim etiam crudeli perversarum infestatione gentium videntur amissa, quæ quondam monachorum fuerant usibus attributa.

* Chilpericum *A.*

a

* in.... cultu *A.*

b

c

litteris prius in patria imbutus,

3 Sed, ut ad id quod cœpimus exsequendum redeamus, cum prædictus pontifex sanctus, a viri Dei parentibus debitæ venerationis liberalitate, ut par erat, officiosissime susceptus, quamdam * futuræ habitudinis speciem miraretur in puero boni operis candidato, divino instinctu sacris mysteriis cum applicandum esse præcensuit. Hac itaque sanctissimi pontificis auctoritate animati devotissimi genitores, infra teneros annos exactæ infantiæ, temporis opportunitatem * nacti *, litteratoriæ * professionis salutaribus disciplinis mox mancipandum esse decernunt; in quo præeunte supernæ illustrationis munere *, cum sacræ institutionis instantia spiritualium etiam donorum fulserunt incrementa. Qui scilicet non otiose passus illa de lucidissimo litterarum fonte commercia sub ætatis teneræ crepundiis ardentius aggregare, quibus postea in virile robur adsurgens, et sibi et aliis ad mensuram Dominicæ dispensationis potuisset prodesse. Ita jam tunc puerilis inconstantiæ motus, quibus sæpe illa ætas labilis et fluxa resolvitur, rigore virtutis ingenitæ et moderaminis justi componens honestate, ut præter hæc, quibus addictus * fuerat litterarum conamina; nil in se aliud residere pateretur, nisi forte dum aut opera pietatis ageret, aut certe, prout natura concesserit, sacris orationum exercitiis devotius insudaret.

* quemdam... spe... candidatum *A.*

* opportunitate subeunte *A.*
* *deest* nacti *A.*
* clericalis puerum *A.*
* providentia *A.*

* intentus *A.*

ad S. Nivardum episcopum

4 Igitur dum * puer sanctæ indolis, tam scientia quam virtute animi coævos suos brevi præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tirocinium decrevisset intendere; supernæ vitæ æstuantis animi desiderio cœpit altius adspirare, terrenarum rerum contemptu sufficiens, atque ea, quæ ad virtutum incrementa respiciunt, perrennis intuitu gloriæ totis nisibus attentans *, æterna præ oculis indefessa * constituere, peritura manentibus compensare, diversis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coartare, atque adolescentiæ gressus, divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum et patriæ retinaculis, diligenter replicans, quia qui novæ conversationis rudimenta suscipiunt, tamquam peregrinos et advenas non cives suos mundus adspiciat *; præfatum Sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore * expetendi. Qui, sicut diximus, apostolicæ institutionis prærogativa suffultus, nobilitatis honore clarissimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum proceres primus in aula regis, vita et conversatione dignissimus fulgebat.

* cum *A.*

* acceptans *A.*
* *add.* cœpit *A.*

* se esse pro certo aspiciant *A.*
* amore *A.*

Remos pergit,

5 Per id temporis ea civitas Sanctorum stipata cohortibus, et licet inter militares alas sub principe suo Childerico, capiti tamen suo consona, divini amore cultus urbs populosa spirabat. Hujus itaque tantæ opinionis gratia provocatus felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis, fide, habitu et actu aptissimus, cum illo beato sene, cui jam pridem dictum a Domino fuerat : Egredere de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te crescere in gentem magnam, * fidem participans et meritum, cognationem relinquens et patriam, post longi laboris excursum, fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice civis * felicissimus (ut patulum est in sequentibus deprehendere) sanctæ Remensis Ecclesiæ, in augmentum videlicet operationis divinæ, quam Domini omnipotentia Redemptoris in lucrandis fidelium animarum quæstibus per hos duos synergos * felicissimos præordinaverat adimplere.

* *Genes* XII.

* pater *A.*

* proceres *A.*

a quo erudiendus Remaclo traditur;

6 Hic igitur beatus pontifex, ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto *d,* quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis et actibus frequenter interesse, pontificalis providentiæ pondus volens nolensve cœlesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum, tum publice tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola, sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore atque in divinis operibus devotissimo consorte. Quapropter cupiens cum undecumque perfectius erudiri, sanctioribus ac religiosioribus divinæ scientiæ viris, quos sibi undique collata familiaritate addiderat, copulandum esse constituit, ut videlicet plurimorum instituentium auctoritate disceret, quod postmodum plurimis ministraret. Inter quos tunc temporis in regis Francorum aula præpollentis beatissimi Remacli *e,* procuratoris quidem sacri scrinii palatii, prudentiæ et sanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio venerandaque; qui scilicet vir inclytus, Confessor postmodum Domini gloriosus, multis signorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus universis, in prosperitate modestus, in adversis patientissimus, vita laudabilis, eloquio affabilis, sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna semper ab oculis non averteret.

d

e

hinc Luxovii

7 Hujus talis ac tanti viri sacris institutionibus *, rore superni nectaris illustrandum B. Bercharius, nutu prædicti pontificis, se maluit pro tempore ire copulatum, ut in quo perfectam doctrinæ scientiam intellexerat, ipse quoque per hunc ætatis suæ ac morum imbecillitati consulens, non tam scientiæ, quam sanctæ puritatis commercia reportaret. Interea cum beati viri justus adolescens per aliquod tempus magisterio fruerctur, et cœlestis pro viribus prælibasset

* pio consortio *A.*

AUCTORE ADSONE.

prælibasset haustum sapientiæ, Luxoviense monasterium accepto tulit expetere, quoniam B. Columbani districtis commendata regulis, ad se perlata fuerat fama religionis. Erat enim eo tempore in cunctis Galliarum partibus hoc cœnobium cum in * multimodis rerum possessionibus, tum etiam divinæ venerationis cultibus nomen singulare habens, quod illic et districtior institutio, et studium sapientiæ plenius haberetur : quem videlicet miræ spectationis * locum idem B. Columbanus pater in vasta Vosagi eremo a fundamentis construxerat, inventis antiquissimi operis ædificiis cum aquis naturæ ferventibus e terræ venis ultro prodeuntibus, ubi et ipse postmodum, aggregato fidelium numero sexcentorum ferme monachorum rector exstitit, longoque tempore eidem monasterio nobilissime præfuit, multisque miraculorum signis in eodem loco claruit, donec Brunechildis *f* regina impiissima, eo quod duos filios suos quos ex adulterino Theodorici nefandi regis, filii videlicet regis Sigiberti, conjugio susceperat, suo colloquio et benedictione indignos judicassset, ab eo loco, instinctu diabolico, proturbavit. Qui non sine magno mœrore et luctu omnium recessurus inde, Eustasium virum æque sanctissimum dignitate generis et vita illustrissimum, quem ipse pago oriundum Lingonico * a puero instituerat, eidem numeroso fratrum collegio rectorem præfecit. Inde Italiam expetens, Bobiense cœnobium *g* non minus decenti opere statuit, in quo consummatus virtutibus, beato fine quievit.

* *deest* in *A.*

* dispectationis *A.*

f

B

* *add.* honeste *A.*

g

monasticam vitam profitetur,

8 Sanctus vero Eustasius loco Patris residens, non minimam monachorum multitudinem in Domini servitute verbis et exemplis præmuniens, nominis et meriti magistri heres exstitit. Audita igitur fama tanti nominis, viri religiosi illuc undecumque confluunt, se suosque liberos plurimi certatim imbuendos offerunt, illud ante omnia ducentes permaximum, si vel post longævam probantis injuriæ tolerantiam, quodammodo admitti mereantur in congregationem. Jam vero quis locus vel civitas non gaudeat, ex beati viri disciplina rectorem habere pontificem vel abbatem, cum constet ex hujus virtute magisterii pene totum Francorum orbem decretis regularibus fuisse primum decenter illustratum? Bercharius itaque famulus Christi * ad altioris vitæ semper instituta conscendere desiderans, pontificis sui auctoritate et gratia, celeri gressu ad locum hunc pro voto properat, præfati patris *h* alacritate condignus approbatur, * sanctæ monachorum cohorti, non tam corpore quam mente et actu sociatur.

* Dei *A.*

C

h

* *add.* et *A.*

et virtutibus,

9 Susceptus autem in commune cum ceteris, aggressusque denuo tamquam athleta recentissimus militiæ gymnasium cœlestis, præteritorum immemor certaminum, et quasi qui virtutum in scammate * positus, ad perfectionem pugnæ nihil plene ante peregisset; cœpit rursus divinis operibus spiritum coercere *; veluti eum cerneres monasticæ districtionis tunc primum rudimenta suscepisse, seipso semper validior, et gratia supernæ illustrationis vitæ præcedentis qualitate jucundior. Jam vero stili non patitur opera, quanta in viro Dei fuerit humilitas, quanta virtus obedientiæ, quanta modestiæ gravitas, quanta caritas, quanta benignitas, quanta mansuetudo, quanta etiam patientiæ fortitudo. Obedientiæ sibi injunctæ negotium ita jubentis percurrit imperio, ut mentem in sublime dirigens, nec laudis humanæ compendia quæreret, et suæ præmium gloriæ, rei pereuntis pretio nullo compensaret. Studebat etiam aliorum consideratione seipsum despicere, et cum apud se cunctis judicaretur inferior, in humilitatis tamen culmine certabat omnibus inveniri sublimior : mœstissimum revolvens, si quis * in illo sancto collegio aliqua fortia attrectaret, quæ ille, favente Dei gratia, segnius attigisset.

* congressu *A.*

* exercere *A.*

D

* quilibet *A.*

10 Traditur siquidem per id tempus, hunc in eo loco factum aliquando ministrum a caliculis in curam promptuarii, rectoris nutu, vicibus successisse. Cumque ille hanc officinam corporum * dispensandam acciperet, quippe quem strenuum ad omnia sancta obedientia fecerat, quæ commissa fuerant prudenter inferebat. Quadam vero die, dum talibus tenetur implicitus, jussu patris est subito vocatus. Forte ille tunc promptuarium ingressus, ante vas steterat et sudem, quæ vulgo ducidulum a potu scilicet educendo dicitur, in manu tenens, cerealem amphoræ potum infundebat; mirum dictu! ad unius jussionis nutum, audito abbatis nomine, relictis quæ habebat præ * manibus, concitus cucurrit, oblitus ardore obedientiæ et vasis observantiam et amphoræ cautelam. Cumque vocatus adstaret ante abbatis præsentiam, interim potus ille in vasculum non cessans defluere subter positum, postquam ad superficiem vasis pervenerat, in modum columnæ superne constipatum in gyrum coronari cœpit. Ultro cerneres illud genus liquaminis, quod vix claustris * contineri valeat, ut quondam, Dei transeunte populo, absque littoribus Jordanis fluenta in sublime tolli; ut liquido patesceret, quanta esset virtus obedientiæ, cujus fructus nullomodo possit in terram deperire. At vero ille non sine abbatis admiratione reversus, factum stupuit, quod prius potuisse a se fieri omnino non præsumpsit : tamen vir ille sanctus hoc quod acciderat non suo, sed totum abbatis sui merito deputavit.

maxime obedientia, eminet.

* *add.* fratribus *A.*

* in *A.*

E

* clausum *A.*

ANNOTATA.

a *Quo sensu ætas S.* Bercharii *cum regno Childerici II, qui ab anno* 660 *ad* 674 *regnavit, conjungatur, explicuimus in Comment. prævio n.* 22 *et seq.*

b *Colitur S. Nivardus seu Nivo Remorum archiepiscopus die* I *Septembris : vide ejus Acta ad illum diem* (*a*).

F

c *De situ loci natalis S.* Bercharii, *qui hic* Discias *dicitur, in charta ipsius Sancti* Diseium *appellatur; vide Comm. præv. n.* 20. *Cæterum ex Adsone liquet, jam sæculo* X *donationem S.* Bercharii *Dervensibus factam periisse.*

d *Aliter habet codex Aquicinctinus :* Quoniam ipse in exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis contra voluntatem suam multotiens implicatus, atque regiæ dispositionis consiliis, ministerium sibi divinitus injunctum, tum publice, tum privatim. . . .

e *Comment. præv. n.* 29 *monstratum est, Remaclum, de quo in Vita, non esse confundendum cum Sancto homonymo episcopo Trajectensi et fundatore monasterii Stabuleti et Malmundariæ, qui colitur die* III *Septembris, cujus Acta vide ad dictum diem* (*b*).

f *Omnia hic confundit Adso : nam Brunechildis Theodorici II avia erat, uxor autem Sigiberti I, regis Metensis : Jonas scriptor coævus in Vita S. Columbani n.* 32 (*c*) : Evenit ergo, *ait,* ut quadam die B. Columbanus ad Brunechildem veniret; erat enim tunc apud Brocariacam villam. Cumque illa

(*a*) T. I Septemb., p. 267. — (*b*) Ibid., p. 669. — (*c*) Ap. Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, p. 18.

eum

A cum in aulam venisse cerneret, filios Theodorici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit : quos cum vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Cui Brunechildis ait : Regis sunt filii, eos tu benedictione robora. At ille : Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt. *Cæterum sancti viri severitas causa fuit expulsionis. Colitur S. Columbanus die* XXI *Novembris.*

g *Jam in Vita S. Galli ad caput* II, *not.* a *egimus de tempore fundati Bobiensis monasterii. Est autem* Bobium *civitas episcopalis sub metropoli Genuensi, caput districtus cognominis, in hodierna partitione Genuensi : incolas* 3743 *complectitur* (*a*). Henricus sanctus imperator, *ait Ughelli* (*b*), ibidem episcopatum instituit perpetuum (*temporaneus enim Bobiensi populo datus ante fuerat episcopus*) de licentia comprovincialium episcoporum, Benedicto VIII Pontifice annuente, anno 1014, ut Ditmarus refert lib. VII. *Sedes episcopalis primum immediate Romano Pontifici, dein Ravennati archiepiscopo et tandem ab anno* 1133 *ad nostra usque tempora metropolitano Genuensi subjecta fuit : attamen concordato Pedemontano anni* 1803 *suppressa fuerat sedes Bo-*
B *biensis, restituta dein per litteras apostolicas datas* XVII *Julii* 1817.

h *Colitur S. Eustasius die* XXIX *Martii : vide Acta Sanctorum ad illum diem* (*c*). *In Commentario prævio n.* 36 *ostensum fuit Eustasio substituendum esse S. Walbertum seu Waldebertum, qui, mortuo S. Eustasio anno* 625, *per* XL *annos Luxoviensibus præfuit : cfr ejus Acta ad diem* II *Maji* (*d*).

CAP. II. *Luxovio redux fundat cum S. Nivardo monasterium Altivillariense.*

S. Bercharius *monasticis disciplinis eruditus,*

Ita vero cum jam esset regularibus adprime disciplinis edoctus, divinæ militiæ in utramque partem armis præmunitus, ut videlicet per hæc, quæ longo exercitio didicisset, in lucri Dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuisset; in provinciam Remorum ad S. Nivardum pontificem revertitur, qui tam virtutibus quam
C rebus, ut diximus, supra gregis sui custodiam vigilans, hostis insidias relidebat, atque ecclesiasticam dignitatem profusis successibus ampliabat : cuique olim, volventibus annis, divinæ inspirationis instinctu hic ardor sensibus inerat, uti in quolibet suæ diœcesis contubernio, eo loci ad serviendum Deo viventi domum construeret, ubi rerum competentia aptiora divinæ servitutis commoda prætulisset. Illa erat in hac deliberatione morarum causa permaxima, quoniam deesset persona voti ad id agendum socia, quæ ad desiderium suppleret pontificis, et strenua in Dei rebus inveniretur instantia suscipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio suspensus animus nequaquam frustrari potuit spe jampridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, voto applicat, consultu præeligit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientia non minus agilem quam prudentem. Cumque per id temporis urbs illa, ut diximus, et multorum floreret ingenio et in admiratione reipublicæ, divinorum operum insignis haberetur commercio, hunc tamen solum, hunc sibi adsciscit præcipuum, cui consona auctoritate et merito futuræ fabricæ curam deponeret, et sane dispositione consilii omni illi structuræ specialiter præficiendum decerneret. AUCTORE ADSONE.

D

12 Prædium est publicum in pago Remensi, octo millibus ab urbe disparatum, cui videlicet ævo præcedenti Sparnacus *a* nomen fuisse constat impositum, quod olim quidem, tempore scilicet Chlodovei Francorum magni principis, quem Beatus Remigius apostolica auctoritate et præditus et probatus, doctrina et virtutibus magnificus, cum suo exercitu, ut in gestis ejus legitur, angelico ministerio sacro chrismate aquæ regenerantis illinierat, idem pater mirificus non modicæ quantitatis pretio adquisierat, ac Remensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, præsidebat, heredem constituerat *b*. Denique gloriosissimus Dei pontifex Nivardus pastoralis sollertiæ condigne administrans officium, tum ad alia suæ diœcesis loca invisenda, tum quoque ad hunc sæpe vicum egrediens, non tam propriæ causas agebat utilitatis, quam cunctis se affabilem quoque exhibens, salutem subjectorum sedulus impendebat. Cumque dies ac noctes * ædificandi cœnobium in aliquo prædiorum suorum, quibus nobiliter * temporali quoque * emolumento pollebat, desiderii continuatione pervigiles duceret, assumpto * suo illo, ut sæpe solebat, domestico Beato Berchario, causa exstitit, qua præfatum vicum expetere pro more cogitaret. Hujus processu itineris, quo ad eundem vicum, Maternæ fluminis litoribus contiguum, tenditur, quidam sui juris locus erat gratissimus, qui, paululum reducto sinu in montis latere amœnissimo *, herbis virentibus aquarumque rivulis ex sublimi vertice leniter effluentibus, arboribusque ac vineis in declivi circumquaque constipatus, intuentium oculis oblectamenta præstabat. *a S. Nivardo eligitur* *a* *b*

E

* plurimas cœnobii ædificandi *A.*
* *add.* ut superius diximus *A.*
* *deest A.*
* secum *A. addit.*
* amœnissimus *A.*

13 Sanctus igitur Pontifex hoc iter aggressus, cum jam eas partes per clivum montis attigisset, qua * decontra illa loci gradientis visibus se amœnitas propius objecisset, super equestre, quo ferebatur, vehiculum eo gravi sopore deprimitur, ut omni protinus eundi facultate proscriptus, symmistem suum * B. Bercharium inclamaret, omnemque illum equestrem, qui tunc forte se comitabatur, ordinem stare loco præciperet, et quibus ad soporem urgeretur stimulis patientius indicaret. Ecce, inquit, irruente soporis immanitate, secus solito concutior : ita ut hinc gressum promovere, impotem me esse omnino confiderem *. Procuretur ergo fessis artubus inter hæc vireta amœnitas paululum divertendi, ut, redeuntibus per soporem viribus, cœptum reddatur facultas iter peragendi. Inter late patentia nemora diffusis frondibus, virentibus foliis, instanti rei grata fagus eligitur. *in socium ad fundandum*

F

* ubi *A.*
* coactus socium suum *A.*
* considerem *A.*

Hæc alias inter tantum caput extulit alnos,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Huic itaque arbori ocius se subter injiciunt gratia quiescendi. Ita individui sui comitis B. Bercharii solo decumbentis festinans composito vertice gremio recipi, sternitur hic patulæ recubans sub tegmine fagi. Quid vero tunc miraculi cœlitus sit ostensum, stili duxi officio non improbe intimandum, ut supernæ illustrationis veritas ostenderet, qui essent, quos silvarum densitas obtexisset.

14 Interim pontifice quiescente, sanctus vir Bercharius in cœlum defixis luminibus adspicit subito *cœnobium, mirabili visione*

(*a*) Vide : Informaz. Statistiche Censiment. della popolaz., p. 45. Torin. 1839. — (*b*) Ital. Sacr., t. IV, col. 925. — (*c*) T. III Mart., p. 784. — (*d*) T. I Maji, p. 275.

AUCTORE ADSONE.

aere per serenum conspicuo columbam e sublimibus descendere, niveo fulgore radiantem, atque eidem cui substrati manserant arbori leniter insidentem. Cumque in eam oculorum dirigeret aciem, diligenter explorare cupiens, quasnam in partes A ales ille niveus * declinare decerneret, repente alarum soluto remigio, ab arbore cui insederat prosilit, et rumpens aera vacuum futuræ spatium fabricæ circumvolans, locum, in quo cœnobium construi debeat, gyro designat, præsentia sanctificat; expleto hoc lustramine, rursus nota recipitur arbore. Cumque eosdem sui ambitus circulos cœli nuntius ad futuræ rei firmitatis indicium tertio repetisset, patenti * cœlo reconditur, et nihilominus hominibus in terra degentibus divinæ voluntatis præsagium aperitur, et novæ admirationis vestigium relinquitur. Intelligit hic vir sanctus, puro ut erat animo, signum esse cœleste, quo et dubitantium animi firmarentur, et diu dilatum opus in Dei servitute fundaretur *c*. O beatum virum cui ostenditur corporali intuitu angelicæ dignitas visionis, in specie columbæ rutilantis, ad comprobandum testimonium innocentiæ et puritatis. Est etiam in hac re illud quoque non minus B admirabile, quia quod iste corporalibus deprehenderat oculis, hoc idem quiescens sanctus pontifex senserat sopore cœlestis visionis. Qui cum post aliquantulum perceptæ quietis spatium somno excitus, caput ab imis * superna revelatione prædoctus erigeret : O, inquit, votorum meorum compar fidelissime, quam gratum mihi est huc paululum gratia soporis pro tempore divertisse, quem constat per Dei gratiam tantæ revelationis mysterium cœlitus agnovisse. Ecce enim hinc jam lætus progredior, cœlorum signa sequor, quod diu differens corde gestaveram, mirandæ visionis arcano maturius aggrediendum esse compellor : sed ne longius res inopinata te duxerit *, quid viderim patenter expedio.

15 Et prius præsentias hic esse domum Dei, ut felicissimo * quondam antiquo patriarchæ, et portam cœli * mihi indigno Christi * Domini famulo divinitus ostensam *. Nam mox submissis artubus, subito hic sopore præreptus, cum vix in utramlibet partem vis naturæ quiescentem impelleret, videre mihi videor a supernis, instar nivei candoris, speciem adesse columbæ, quæ post hujus arboris sessum, non incerta quo tenderet, locum hunc præpeti C cursu volando præcingit, trinoque gyro æque peracto cœli cacumen tendit. Credo equidem hoc spei conceptæ proficuum a Deo portentum, ut quod erat voto susceptum, jam, cœlo præmonente, sit celerius exsequendum. Sancto hæc pontifice perorante : Me, inquit B. Bercharius, qui sancto viro gremii sui reclinatorium fecerat, quidquid, pater sanctissime, cœlesti prodigio in visione spiritus divinitus tibi testaris illatum, manifesta Dei virtute noveris etiam corporaliter fuisse conspicatum. His igitur alternis ita conserentibus *, altero quidem quod in somnis senserat, altero vero quod oculis corporeis adspexerat, res in prospectum deducitur, locum illum angelica perlustratione signatum ad agendum divinæ servitutis obsequium mira dispositione a Deo esse quam dignanter electum. Ita vero percepta tantæ revelationis de cœlestibus simul et consolationis gratia certiores utrique facti, et quod erat ambiguum, loci designatione specialiter edocti, inde ambo consurgunt, ac sic oculos antistes beatissimus in cœlum dirigens, illum protinus tota cordis intentione collaudans, gratias egit, in quem ab æterni Patris secreto Spiritus Sanctus corporali specie * in columba descendit, ac fluenta Jordanis sacri corporis tinctione in nostrorum ablutionem scelerum cœlo patente beavit. D

16 Præcedente itaque in conditionem æterni tabernaculi tanto ac tali auspicio : Tibi, inquit ad B. Bercharium præsul eximius, tuæque industriæ hoc sanctum opus dispono committere, ut quem prudentia et sanctitate perfectum esse non dubitem, principem quoque in constructione cœlestis fabricæ te jure consciscam. Quod vir Domini, ardens ut erat, totis affluens in Dominum visceribus, cui inimica profecto omnis ignavia *, amica vero indefessa laboris efficacitas, libenter suscipiens, tanto amplectitur desiderio, quanta in eo superna gratia meritorum excreverat magnitudo. Et quoniam seipsum jam * ante Spiritus Sancti templum virtutis effecerat, ipse quoque terrenæ molis pulcritudine templum Domino oculis etiam spectabile fundare exoptabat, confisus videlicet undique tam divino quam S. pontificis in cunctis auxilio. Nam et universis sui temporis Francorum regibus, episcopis quoque ac regiæ dignitatis proceribus tam gratum acceptabilemque eum certum est extitisse, ut si quid in divinis cultibus seu etiam terrenæ commoditatis opportunitatibus cordi esset, ab eis facile obtineret : quod in consequentibus quoque diligens E lector suo loco patenter poterit invenire, si ea quæ diversis temporibus regiæ majestatis ac Francorum principum munificentia sibi concessa fuerint, recensere voluerit beneficia. Quorum videlicet fultus auctoritate et gratia, jam maturius componendæ fabricæ negotiis accingitur, copias sumptuum præparat, et universa quæ tanto operi necessaria videbantur sedulus * operator adsignat.

17 Itaque in supradicti prædio loci quod * in declivi montis latere (ut diximus) situm, reducto profusius sinu pulcherrimam blandientis amœnitatis planiciem reddit * atque in prospectu suo subjacentia Maternæ fluminis longe lateque litora circumdespicit *, mulcenti quadam visionis voluptate compellat, ab antiquo * Altum villare nomen acceperat, angelicæ designationis spatium, ut cœlitus ostensum fuerat, murorum ambitu jactis fundamentis complectitur, omnesque illius parietes ædificii ad modum columbæ in aere permeantis suspecta permensione metatur. Nec ante divini cultoris opera destitit, donec, superna annuente Providentia, Childerici etiam regis Francorum ac sacri antistitis opitulante clementia, opus quod ad laudem Dei susceperat optata perfectione compleret *d*. Ea vero F *d* arbor, quæ quondam opulentissima fagus * steterat, in qua columba cœlitus emisssa pridem resederat, ac suo gyro situm monasterii volando expresserat, habita deliberatione succiditur, et collatis in commune omnium votis in loco cui affixa fuerat, aram in veneratione B. Petri Apostolorum principis statuit. Ad consecrationem vero basilicæ cum S. Nivardo metropolitano pontifice, alii etiam episcopi conveniunt, clerus omnis et numerosæ plebes utriusque * sexus irruunt, proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt et per B. viri Bercharii opus laudabile in Dei laudibus pari omnis magnitudine jocunditatis exsultant. In australi vero ejusdem montis latere, aliam struxit vir sanctus ecclesiam, quam Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi semper Virginis Mariæ nomine decrevit honorandam. Septa etiam monasterii et universas competentis ordinis officinas, ad sectandam vitæ regularis observantiam prudentissime composuit, monasticæ conversationis viros religiosos aggregavit, et cuncta quæ huic ordini commoda judicabantur, diligenter implevit. Copiosos vero prædiorum sumptus sanctissimus antistes,

* deest niveus : add. fortuito A.
* aperto A.
c
B
* deest ab imis A.
* sed ne longius rem inopinatam differam A. præmonstratum,
* add. illi A.
* Dominus A.
* deest Domini A.
* ostendit A.
C
* conferentibus A.
* loco in habet sicut A.

juxta Sparnacum villam,
* fuerat otiositas A.
* loco jam habet dignum A.
E
* ut fidelis A.
in loco, qui
* pro eo quod A.
* reddat A.
* circumdespici A.
* addit tempore A
F d
* loco fagus habet ibidem A.
* utrumque deest sexus A.

A stes, tam ea quæ sui juris esse videbantur, quam quæ etiam, Beato interveniente Berchario, ab ipsis Francorum primoribus obtineri poterant, in necessarios servorum Dei delegavit usus, ut videlicet in eodem cœnobio et merito et numero populus Deo serviens utriusque laboribus augerctur.

Altumvillare appellatur. * *deest* hujus *A.*

18 Hæc sunt igitur hujus * B. Patris nostri Bercharii magnorum operum sancta principia : sed adhuc restant ad divinæ obsequium majestatis priorum laborum majora certamina, quæ in hoc postmodum monstrabit opere rerum consequentia. Qui videlicet cum esset in spiritalis exercitii sublimitate perfectus, in divinæ legis meditatione continuus, temporalem tamen non auspicatus est gloriam, sed mentis puritate jugiter concupivit æternam, nec levi felicitati inclinari nec inani voluit laude resolvi. Jam vero consummata omni sacri illius templi structura, his duobus sanctissimis viris quanta fuerit immensitas exsultationis, quam grata societas unanimis affectionis, quantus divinitatis amor, quantus vitæ cœlestis ardor; nec sermo capere, nec lingua ullo modo valet explicare.

B

ANNOTATA.

a *Sparnacus, gallice* Epernay, Dép[t] Marne, *ad diœcesim hodie Catalaunensem pertinens; per concordatum anni* 1801 *diœcesi Meldensi tributa fuerat civitas, olim Remensi cathedræ subjecta. Nomen ejus antiquum, si fides habenda est Dictionnario Geographico Franciæ canonici d'Expilly, erat,* Aquæ perennes, *propter fontes multiplices, unde derivatum* Aixperne, *analogice cum* Aix, *Aquæ Sextiæ,* Aix-la-Chapelle, *Aquisgranum : unde porro* Espernay *et* Sparnacus; *nam id nomen recentius esse insinuat ipse Adso, cum dicit* :præcedenti ævo *hoc* nomen impositum fuisse constat. *Ad ecclesiam Remensem locum illum spectasse, habemus e diplomate Caroli Calvi dato anno* 845 Kal. Octobris anno VI, regnante gloriosissimo rege Carolo, indictione VIII. Actum in pago Andegavensi, in villa Avegio. *Vide Flodoardum* (*a*). *Illo siquidem diplomate dicit Carolus se* Hincmaro archiepiscopo Rhemensi præsentialiter restituere, tum Sparnacum, tum Juliacum : *Sparnacum demum, ut habet hic Adso, ex hæreditate S. Remigii provenire, monstrat prolixius ejus testamentum apud cit. Flodoardum* (*b*); *quod, quamvis ut spurium rejecerint majores nostri in Commentario prævio ad Vitam S. Remigii* I *Octobris* (*c*), *fatentur tamen ex omissione prædii Sparnacensis probari mutilum esse testamentum brevius, quod genuinum habent.*

C

b *Vide prolixius S. Remigii testamentum in quo habetur* : Sparnacus villa, quam datis quinque millia libris argenti ab Eulogio comparavi, tua (sanctissima heres mea) non extraneorum heredum meorum esse cernitur, eo quod cum criminis accusatione regiæ majestatis idem teneretur obnoxius et se minime purgare posset, non solum ne occideretur, dato jam dicto pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia ejus publicaretur, una tecum obtinui : et ideo ut præfata Sparnacus perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum stipendiisque tui pontificis deserviat, liberali sanctione firmavi. *Videtur igitur testamentum prolixius jam sæculo* X *cognitum fuisse. Cfr Nostros l. c.*

c *Paulo aliter eamdem visionem refert Flodoardus* (*d*), *uti explicuimus Commentarii prævii n.* 39 *et seq.; quoniam laudatus auctor seriem fundationis clarius explicat, non ingratum fore lectori arbitror narrationem Flodoardi coram habere :* Quadam vero die, ait, veniens de villa Sparnaco, simul comitante secum præfato abbate Berccario, visum sibi est, transito flumine, debere paululum requiescere : sicque caput in sinum sedentis reclinans Berecarii, obdormivit, et visum vidit, scilicet columbam locum sylvæ circumire, et in fago quadam post circumitionem resedisse : idque tertio columbam videt eamdem egisse, tumque cœlos petisse. Quam visionem sicut ipse in somnis, ita prædictus Berecarius vigilans fertur accepisse. Quo viso, compunctus idem cœpit abbas fundere lachrymas. Experrectus autem beatus præsul a somno, ex lachrymis ejus sibi faciem reperit udam : et interrogans quæ illi causa fletus existeret, accipit eum propter sui ruinam flevisse operis. Invicemque sibi visa referentibus, traditur pontifex hæc etiam cuidam Dei servo, nomine Bavoni, cujus erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore Sanctæ Crucis illic habens, ibi conversabatur. Qui etiam postquam visionem præsulis et ejus agnovit voluntatem, obtulit illi eamdem possessionem suam, partem quoque possessionis cujusdam fratris sui, nomine Baldini. Alterius vero fratris, Theoderamni nomine, causam retulit, quod esset scilicet in factione contra Reolum comitem, qui Remensis postea extitit episcopus, pro filiis ejus quos occiderat in ultione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio, quod exercebant, suspendio necaverat. Unde Dominus Nivardus cum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat uxorem, pacificavit, et sic ipse Theoderamnus simul cum cæteris fratribus suis eamdem possessionem S. Nivardo, commutatione ab eo sumpta, tradidit.

D

E

d *Quæ ad fundationem Altivillariensem pertinent, discussa vide in Commentario prævio n.* 39—44. *Subnectimus vero fragmentum chartæ, quæ fundationem Altivillariensem explicat : dolendum vero instrumenti periisse notas chronologicas, quibus controversia dirimi posset : periit enimvero pars posterior diplomatis, quod e Gallia Christiana* (*e*) *hic damus :* In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Nivo, sive Nivardus, etiamsi peccator, episcopus, dum omnes episcopi fratres mei etiam et de viris christianis et de bonis hominibus, monasteria secundum regulam sanctorum patrum ædificare non cessarent, petiit nos Bercharius abbas cum fratribus suis, ut ubi talem locellum eis perquirere deberemus in nostra proprietate, ubi ipsi secundum regulam patrum Sancti Benedicti et S. Columbani vivere deberent, et pro nobis die noctuque misericordiam Domini debeant deprecari, ut in futurum veniam de peccatis merear obtinere; sed cum minime hic talem locellum in nostra proprietate inveniremus, qui ipsis monachis ad monasterium faciendum placuisset, repertus est nobis una cum ipsis locellus, qui dicitur Altivillaris in fine Remensi, super fluvium Maternæ prope villam Disiacum, quem a Bavone et Theodoramo de villis Ecclesiæ nostræ concambivimus, unde et ipsa instrumenta ex hoc in archivis Ecclesiæ retinentur; villam quoque Disiacum cum ecclesia et altari B. Timothei martyris, in cujus parochia situs est Altivillaris locus, eidem monasterio legaliter confirmavimus. Sed sic pensitavit ipse Bercharius una cum fratribus suis pro novissimis temporibus, ut dum advivimus, ipsum monasterium, quod dicitur Altivillare, quod ego pro æterna beatitudine, vel

F

(*a*) Hist. Eccl. Rem., lib. III, cap. IV. Biblioth. Max. Patt., t. XVII, p. 549. — (*b*) Ibid., lib. I, cap. XVIII. — (*c*) T. I, p. 106 et p. 108, n. 270. — (*d*) Hist. Rem., lib. II, cap. VII. Bibl., p. 536. — (*e*) T. X, Instrum., col. 1.

pro

AUCTORE ADSONE.

pro remedio animæ nostræ ad sanctam regulam conservandam ædificavi, in honorem Sanctorum Petri et Pauli, seu etiam S. Joannis, et cæterorum Martyrum et Confessorum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur, in nostra potestate debeat esse, ut ipsos monachos melius delectet secundum disciplinæ ordinem et regulæ vivere, vel quieto residere : et taliter nobis consenserunt de fratribus meis coepiscopis etiam et de comitibus nostris archidiaconis, seu et abbates, vel etiam clerus noster Remensis, etiam et de viris illustribus, quorum manibus subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. *Cfr Broquigny, Diplomata, etc. ch.* CLV.

Cap. III. *Defuncto S. Nivardo, perfectoque monasterio Altivillariensi, S. Bercharius Dervum fundat, et injuste occiditur.*

Defuncto S. Nivardo,

At vero cum in his sanctorum operum studiis quam gloriose tenerentur inserti, sanctæ exhortationis gratiam per populos infundentes et ad æternitatis gloriam quaquaversum animos fidelium incitantes, cum jam superna clementia antistitis sui Nivardi vitam laudabilem perpetuæ jocunditatis commercio compensare et pro labore brevi palmam decrevisset permanentis rependere gloriæ; opere perfectus, virtutibus consummatus, adveniente kalendarum Septembrium die, mortis nexibus absolutus migravit ad Dominum *a*, beatæ immortalitatis stolam consecutus, Angelorum * agminibus in illa cœlestis curiæ dignitate concivis factus, Apostolorum particeps, Martyrum et Confessorum coheres, illius insatiabiliter adspectu fruitur, cujus amorem ab ejus pectore numquam recessisse certum tenetur; qui licet pro lege carnis debitum solverit humanæ conditionis, vivit tamen in gloria perpetuæ exsultationis, nostris autem * illic procul dubio miseriis præstantius, si ex corde rogatus fuerit, occurrere paratus, quanto nunc potentius illi summo atque invisibili spiritui cernitur esse conjunctus, per virtutem universa scientis ipse scius omnium ac exauditor effectus. Ad cujus exsequias corporis tota Remorum civitas ruit, clerus ac populus utriusque sexus convenit, ex vicinis etiam urbibus multi adfuerunt tanti pastoris excessum * admixtis pio mœrori hymnorum solemnibus obsequiis adsignantes. Cujus quidem corpus diversis populorum catervis constipatum usque ad basilicam S. Remigii a S. Berchario nec non et sanctis pontificibus, qui ea die illuc confluxerant, universa * gregis sui multitudine prosequente, condigno honore defertur, ac excellenti mausoleo condendum, decentissimam ibidem accepit sepulturam, sanctissimo viro Berchario in supradicto Altivillari cœnobio glorioso præsuli superstite relicto.

a

* *add.* quoque *A.*

* *deest* autem *A.*

* *add.* sanctissimum *A.*

* universi *A.*

S. Bercharius *fundationem Altivillariensem perficit:*

20 Qui licet tanti patris fuerit solamine destitutus, nequaquam tamen a cœpti operis intentione desistens *, subjectorum animos exemplis instruebat et verbis. Locum vero quem ædificare cœperat, rebus ac vario decore collustrans, nihil subtraxit industriæ, donec ad culmen proveheret perfectionis summæ. Spiritualium enim donorum perfusus rore, vitæ jam consertus Angelicæ, civis cœlestis patriæ,

* a divinis, cessabat operibus, sed *A.*

Dogmate justiciæ Christi refovebat ovile,
Constituens plebi cœlestia templa fideli.
Nec minus in magnis flagrans resplenduit actis;
Quæ gessere patres, fulti pietate, priores,
Optima dans vitæ populis documenta beatæ.

Domini namque gratia præeunte, multis miraculorum signis in eo loco claruit, ac supervenientibus diversarum incommoditatum casibus se opponens, multa cœlestis beneficii emolumenta populis impendebat; sanitates corporum, salutem animarum. Francorum quoque regibus diverso tempore sibi succedentibus ac palatii optimatibus ita in cunctis erat affabilis, ut, eorum usus pro voto familiaritatibus, quæ intenderet, citius obtineret, et in construendis servorum Dei habitaculis sumptus ei et copias eorum largitas pleniter ministraret. Si quis his hæsitans forte manet incredulus, prædicti loci miretur mœnia, adspiciat ædificia, perlustret diligenter opera : patebit scire cupienti quanti fuerit meriti, per quem Dominus tanta ac talia dignatus sit operari.

et pergit in silvam Dervensem,

21 Rebus igitur tam exterioribus quam interioribus prædicti Altivillarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatis, jam dictus pater Bercharius corporeæ quietis impatiens, opportuna sibi loca lucrificandi gratia perquirebat. Abinde namque egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus Dervensis solitudinem petere contendit : quo in loco, qua venerat intentionis non immemor, aptum ædificandi cœnobii statum invigilando sollicite scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum *, Dei gratia præduce, contulit se ad quamdam matronam, Waltildem nomine, quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum a proavis * prædiorum affluentia lætabatur : a qua vir sanctus condicti pretii dono emit sibi partem silvæ, eum scilicet locum qui dicitur vulgo Mangis-villare : ibique cellulam ædificans eamque B. Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum * Deo Matrique serviturarum *, prout posse fuit, diligentissime aggregavit *b*. Nam viam publicam vulgo Cantillam dictam expetens, pretio a prætereuntibus suscepit captivas puellas * octo, quas in sancta religione edocens, Deo dicatas ibi manere constituit. Ex hoc igitur, Christi adminiculante suffragio, excrevit numerus virginum adusque sexagenarii cumulum, quibus etiam prædictus pater neptem supra scriptæ matronæ Waltildis solemniter abbatissam præfecit.

* co cogitante *A.*

* valde *loco* a proavis *A.*

* puellas centum *A.*

* ejus servituras *A.*

b

* puellulas *A.*

ubi varia inchoat cœnobia,

22 His quoque rite peractis, secretiora saltus infatigabiliter excutiens, cognoscere summopere gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset : veniens in quemdam locum Lutosas *c* nomine, cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo dignum ducens aggredi, cujus erat hoc prædium potestatis, adiit. Eo siquidem tempore Childericus rex regnum Francorum nobilissime gubernans, libentissime sancti viri petitionibus acquiescebat. Hunc ergo pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris Dei amore ferventibus Leodegario et Mummuleno episcopis, Amalrico quoque et Wulfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam B. Martini in honore consecratam prædictus rex Childericus circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una * *d* benigne donavit. Beatus vero Bercharius neque his contentus, cellulam sibi * juxta locum qui dicitur Puteolus *e*, ea in parte quæ nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem Beati Mauritii condidit *f*, sperans aptum se monasterium ædificandi locum reperisse.

c

* leugam unam ei *A.*

d

e

f

* aliam divina gratia inspirante, juxta locum illum

qui nunc monasteriolum dicitur, ad honorem B. Martini condidit *A.*

perisse. Verum cum hoc etiam sibi habile non videretur, super fluvium Vigeræ quamdam ecclesiam S. Sulpicii honori dicavit * *g*. Neque ibi etiam * statum cœnobii aptum fore ducens, mente pervigili ut sapiens architectus *, eum qui petentibus se adesse comprobat, dare votis congrua loca poscebat.

g A

* quemdam actutum..... honori ædificavit *A.*
* igitur *loco* etiam *A.*
* *add.* super hoc *A.*
donec tandem juxta Puteolum
* paulo post *loco* iri repertum *A.*

23 Quodam igitur tempore, cum jam divina clementia ulterius famulantis animum per diversa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum iri repertum * dedit. Nam abdita silvæ perlustrans, casu quemdam ad locum devenit, ubi pastores subulcos reperit : quos blande allocutus, aureique illos numismatis munere donans, poposcit ostendi sibi quæ habiliora aliquando silvas circumeundo ad habitandum loca pervidissent, dicens sibi animum esse, uti congruo habitandi loco exstirpando silvas cœnobitarum tabernacula designaret : se quidem diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. At illi, præmio accepto, talibus animi votis sancto viro respondent : Nos quidem cum fides teneat firma, munerati tuis ad vota processibus parere decrevimus *h*, locumque habitandi habilem pro nostro scire ostendere parati sumus : nam persæpe inibi suillos greges jam desperati invenimus, nec seductos aliorsum spes est requirere porcos, cum illum semper absque aliquo * ductore perditi sues expetant locum. Adest quoque ibi, domine pater, quædam non ignoti miraculi fagus, subter quam luminaria sæpe * cum accensa * absque hominum accessu viderimus, divini aliquid fore suspicamur *. Nunc, inquit B. Bercharius, ocius præite, tantique præsagii loca significate, meque consequentem jamjamque diu suspensum animo æquiorem reddendo, tanta curarum mole absolvite. * His dictis prædictus Pater ad locum properat fidem dictorum excepturus : nec inaniter ferens testimonium pastorum divinitus credidit factum esse miraculum, et a Deo sibi locum ostensum, qui non pateretur servum suum diversis intentum, proprio labore frustrari. Nam qui eo cœtum bonorum exsecutione operum pollentem adunandum prænoverat, digne tali præsagio initia operum beati viri præsignavit : qui locus duobus integris milliariis a præfato loco, qui dicitur Puteolus, disparatur. Ibi ergo B. Bercharius multo labore silvis radicitus erutis, cœnobii ædificandi statum præelegit. Exinde ad palatium progreditur, regis super hoc negotio clementiæ supplicaturus.

h B

* *deest* aliquo *A.*

* cum oculis nostris *A.*
* *deest* cum accensa *A.*
* subputamus *A.*

* *add.* Cum *A.*

C

aptum monasterio locum invenit :

24 Auxiliantibus vero sibi per divinam gratiam, ex cujus desiderio ista agebat, S. Leodegario *i* episcopo et Almarico Majore-domus *k*, Fulcoaldo quoque et Wulfaudo, Nivardo etiam et Atelano *l* episcopis, impetravit sibi dari a rege silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus *m*, in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum, unde sumptus habere valeret ac prædia ad cœnobium constituendum. Cum etiam Deo disponente ad plurima sibi rex libentissime faveret, ad hoc usque processit, ut aulam sibi decenti ornatu, ut regiam decebat majestatem, in loco qui dicitur Puteolus fabricatam, ubi causa venandi crebro adventare consueverat, dono ei concederet : unde ipse domnus Bercharius ecclesiam Deo in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellavit. Sanctus vero vir quando supra memoratas puellas emit *, simul cum ipsis pretio suscepit viros octo captivos, quos in sancta religione edocens, primos in eodem loco monachos constituit. Multi vero sanctam conversationem illius ac religiositatem admirantes per ipsius exhortationem Deo favente, qui neminem vult perire, relinquentes omnia quæ in sæculo habere videbantur, sub monastica norma et sub doctrina sancti ipsius patris Deo se mancipaverunt. Ipse ergo aquam ad ipsum cœnobium de longe perduxit, officinas ad omnia necessaria paravit, habitacula quoque puellarum ordinate disponens, Hierosolymam adiit sacrasque plurimum Reliquias impetravit, tabulasque eburneas optimas secum deportavit : sicque Romam multoties adiens, plurimorum * Sanctorum Reliquias detulit, et honorifice cum episcopis in præfatis locis conservandas condidit : in quibus locis suffragantibus illorum Sanctorum meritis, quorum Reliquiæ ibi * delatæ sunt, præstante Christo, uberiora fidelibus populis beneficia largiuntur.

* emerat *A.*

AUCTORE ADSONE.

D

* *add.* inde *A.*

* illo *A.*

25 Tantis igitur laborum certaminibus in hujus mundi stadio pro vitæ cœlestis bravio transcursis, cum jam Dominus operarium suum digna donare mercede disponeret, resolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoscere. Nam jam Paschali instante solemnitate, feria quinta, qua Cœna Domini habebatur, gregis sibi commissi pater sollicitus monasterium puellarum devote adiit, pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba et consolationum affamina, hoc quoque eis prædixit quod de resolutione proprii corporis divinitus sibi notificatum manebat. Scitote, filiolæ, superna instante vocatione, me in hoc ulterius corpore manere nullo modo posse; nec mœreatis * quasi pastorem ablatum, cum vos æterno custodi regique sponsatas certa cordis devotione teneatis fixum. Nullo igitur corporeo ex me adjutorio amplius sustentandas, cœlesti rectori ut proprias commendo filias. Ad harum ergo consolationum affamina cum vehementi ululatu erumpentes in lacrimas, pater sanctus dolorem verbis exhortationum mitigans, valedicens eis et benedicens abscessit. Cum psalmis autem et hymnis peractis omnibus, ad cœnobium redeundi iter aggreditur, cadem monachis, pauperibus et peregrinis facturus.

moritur

E

* lugeatis *A.*

26 Inter ordinandum * igitur plurima, forte accidit, ut filiolum suum quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat, Daguinum nomine, exigentibus culpis suis, verbere increpationis, ut moris est, feriendum decerneret. Nam hic, ut postea claruit, pessimus et flagitiosus, fronte polita sub ovina pelle rapacis contegebat gestamina belluæ. Itaque ex merito suæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indigne ferens doctrinalia patris objurgamina, intumescente mascula sub pectore bili, contendit insanus sanctum virum * injustæ tradere neci. Denique cum beatus pater diurno anxietatis labore non modice fessus, una cum fratribus lectulo reclinatus membra sopori dedisset; quia odium incurrit, qui arguit criminosos, idem filius satanæ armis impietatis armatus, postquam eum fessum soporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. Nam cultello illum rabidus feriit, et patris sanguine manus proprias impudens filius maculavit. Arreptum vero Daguinus * quo Sanctum percusserat ferrum, reatus sui conscius in piscinam, quæ intra claustra monasterii tunc temporis habebatur, quam citissime potuit, velut occultandum dejecit. Videres tunc laticem velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expavescere. Mox enim, ut aquam tetigit, velut levissimæ pluma materiei super aquas mirabiliter natavit, ipse autem homicida amens factus ecclesiam petiit, cruentisque manibus signum pulsare cœpit.

occisus a Daguino monacho,
* In ordinando *A.*

F

* *add.* se *A.*

* *deest* Daguinus *A.*

27 Fratres

AUCTORE ADSONE. *cui ignoscit :*

A 27 Fratres vero ut audierunt signum inconsueta hora, cum magnâ admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius cucurrerunt : sed adhuc anxietate nutantem * in eo spiritum repererunt. Comprehensum igitur prædictum Daguinum fratres sancto viro obtulerunt, scire cupientes quid de admisso tanto scelere severitas clementiæ ejus judicaret. Denique sanctus pater verborum Domini non immemor, quibus Patri pro persecutoribus supplicavit, dicens : « Pater » ignosce illis quia nesciunt quid faciunt, » clementer remisit illi, quam in se exercuerat culpam. Deum tibi, frater, inquiens, pœnitentialiter placabilem fieri studeto : nam quantum ad me attinet, omni te liberum impietate remitto. Romam ergo, fili, progredere, ut te hoc scelere immunem exhibeat qui ligandi solvendique potestate suscepta, diversis morborum generibus subvenit corporis umbra *. Egressus igitur Daguinus, ex præcepto beati viri Romam petiit; unde postea non est reversus.

* Deo volente *pro* anxietate nutantem *A.*

* divina clementia *A.*

sepelitur in Dervo.. *n*

B 28 Beatus vero Bercharius diutissime angore vulneris morbidus, tandem carne solutus *n*, cœlestis vitæ gaudia, exultanti spiritu, felix petivit. Ad tanti quoque viri obitum viris undecumque religiosis confluentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium, multis inibi Deo donante miraculorum pollens effectibus. Sed cum jam Dominus ulterius Sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo ceterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est, inde corpus Beati Patris debere transferri, ac * illi inde translatum tumulaverunt retro altare in basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat; ubi suffragantibus ejus meritis, multa tribuuntur dona populis. Ex cujus sepulcro longo post tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum visum est defluxisse, cunctis morbo obsessis nimium salubre. Hujus igitur, quia peccatorum pondere prægravati summa operum adsequi propriis viribus nequaquam præsumimus, ejus qui dixit, « sine me nihil » potestis facere », imploremus auxilium gratiæ, quatenus, qui merito peccatorum deprimimur, dextera virtutis suæ sublevemur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur Deus in sæcula sæculorum. Amen.

* at *A.*

ANNOTATA.

C a *In Commentario prævio n.* 51 *monstratur S. Nivardus superstes per plures annos fundato monasterio Altivillariensi.*

b *Is locus ad nostra usque tempora retinuit nomen Puellaris monasterii,* Puellemontier, *estque parœcia succursalis sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis consecrata et* 511 *incolas capit* (*a*).

c *Hodie* Louze, *parœcia pariter succursalis incolarum* 781; *cujus patronus adhuc est S. Martinus* (*b*) : *neque confundendus hic locus cum suo homonymo Lutosa,* Leuze, *hodie in diœcesi Tornacensi.*

d Leuga *seu* Leuca *apud antiquos frequentissime sumitur pro spatio* 1500 *passuum seu pedum* 7500. *Vide Glossarium du Cange v.* Leuca.

e *Locus ab antiquo jam ad prædium rusticum redactus, hodie* la ferme de Puysy : *d'Expilly, Dict. Géog. de la Fr. art.* Joinville.

f *Duplex mihi occurrit locus circa Dervense cœnobium quod* monasteriolum *dicitur : alterum quod* Montreuil-sur-Blaise, *alterum quod* Montreuil-sur-Thonnan *appellatur : sed neutrum, quod sciam, patrocinio S. Mauritii gaudet; cum hoc Dei Genitricem, illud S. Margaritam titularem habeat* (*c*). *Unde non improbabile mihi videtur hic magis indicare locum dictum* Ville-en-Blaisois *vel* Ville-en-Bois, *qui patronum habet S. Mauritium, et toparcham habebat abbatem Dervensem; erat præterea prioratus a Dervensi principali cœnobio dependens. Vide la Martinière Dict. Geog. v.* Ville-en-Bois. *Utrum vero vicus qui* Montreuil-sur-Blaisois *appellatur, nec multum distat, antiquum* monasterioli *nomen retinuerit ex hac S.* Bercharii *fundatione, non ausim pronuntiare.* D

g *Aliam in hac vicinia sub invocatione S. Sulpitii ecclesiam dicatam non invenio, quam in* Louvemont, *vicus qui super Blesam* (la Blaise) *non super Vigeram* (la Voire) *situs est. Non credo tamen, licet codex Aquicinctinus optimæ notæ nomen fluvii expressum non habeat, de illo loco hic agi : nam lib.* II *Mirac. n.* 21 *dicitur ecclesia S. Sulpitii juxta viculum, qui dicitur* Tiliolus, *quem* Thilleux *ad Vigeram interpretor. Ecclesiam vero S Sulpitii destructam opinor ex iis quæ infra cit. numero* 21 *narrantur.*

h *Satis discrepat Aquicinctinus codex, qui habet :* Voce, ut erat, supplici venerabilis miles Christi, succensus igne Spiritus Sancti, diligenter poposcit, ut sibi locum ad cœnobium faciendum aptum ostenderent, si quem forte lustrando sylvas ad hoc idoneum alicubi invenisset. Se quidem dicit diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. At illi præmio accepto, talibus sermonibus sancto viro respondent : Nos quidem per vasta hujus sylvæ devia pro officio nostro persæpe cuntes, plurima in eadem conspeximus locumque. . . . . E

i *S. Leodegarii Acta vide ad diem* II *Octobris* (*d*).

k *Perperam Almarico tribuitur dignitas majoris domus Childerici II : cum id officium gesserit Wulfaudus, ut constat tum ex ipsis litteris Dervensis fundationis citatis Comment. prœv. n.* 47, *tum ex Chron. Sigiberti Gemblacensis* (*e*) *et aliis.*

l Atelanus *episcopus, quem alii* Azelanum *et* Telanum *scribunt, idem videtur ac Attila, Laudunensis episcopus, qui apud Flodoardum lib.* II, *c.* VII (*f*) *legitur cum S. Nivardo* quasdam res commutasse pro utriusque partis opportunitate.

m Vassiacus, *hodie* Vassy, *caput olim pagi Vallensis* (le Vallage), *nomen sortiti a vallibus amœnissimis : pagus Vallensis finiebatur ad septemtrionem pagis Catalaunensi et Perthensi, ad orientem Barrensi, ad meridiem Bassiniacensi, ad occidentem Campania proprie dicta. De la Martinière. Dict. Géog. Art.* Vallage. *Hodie caput est districtus præfecturæ Matronæ superioris,* (Arrondissement du Département de la Haute Marne) : *subest in spiritualibus episcopo Lingonensi.* F

n *Passionis adjuncta vide Comment. prævii n.* 69 *et seqq.*

LIBER SECUNDUS.

De diversis casibus Dervensis cœnobii et miraculis S. Bercharii, auctore anonymo. Ex editione Surii Vit. SS.,

(*a*) Annuaire du Dioc. de Langres, an. 1838, p. XL. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid., p. XLI. — (*d*) T. I Octob., p. 355. — (*e*) Ap. D. Bouquet t. III, p. 343. — (*f*) Bibl. Max. Patt., t. XVII, p. 535.

collata

A

collata cum Promptuario Nicolai Camuzati et codice MS. Aquicinctino.

CAP. I. *Casus Monasterii Dervensis sub Carolovingis.*

Occasio scriptionis.

Hujus anterioris executionem operis divinæ dignationis ordinatione ad memoriam informandam posterorum, insignis prudentia solertissimi * Assonis abbatis sæpe denominatæ ecclesiæ Dervensis luculentissimo sermone nobilitavit : ea ut prætulit intendens prosequi, quæ qualicumque modo notata a successoribus sive discipulis sanctissimi abbatis et Martyris Bercharii, ætati ejus potuere perferri. Quæ vero post obitum beati viri ipsius meritis divino beneficio compensata se relaturum promiserat, minime explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, scilicet impedimentis diversarum actionum perturbatus, maximeque eventu

B festini obitus interceptus : unde nostra ætas hactenus obnubilatur inscitia miraculorum almi prius sæpissime denominandi Bercharii, quæ innumeris ante volutis temporibus vel ad ejus tumulum, sive per divera loca ipsius nominis invocatione divinæ

a sublimitatis operatio mirifice præstiterat *a*. Hæc intuli minime derogans vitæ simplicitati, aut affectans fastum modernæ adulationis, sed ne obloquatur alicujus levitas, quod ante venerabilis Assonis tempora, sit muta omnis nostra antiquitas : quod contigit non tam incuria et scriptorum raritate, quam irrumpentium gentium barbara feritate, seu etiam crebra inter se populorum vicinorum concertatione.

Dervum deformatum

2 Nam haud longe post transitum gloriosi Martyris, exorta altercatione inter Ragafredum Carolumque, qui ob nimiam et Christianis temporibus antea invisam inquietudinem, Martellus vocitatus

b est *b*, innumeris nobilibus pene aporiatis, ecclesiæ plurimæ sunt ad nihilum penitus redactæ, distributis earum possessionibus, mancipiis quoque ac sacerdotalibus vasis et rebus, secularia arma et intestina bellorum negotia tractantibus. Hujuscemodi perturbationis eventu compulsi sunt fratres

C supradicti Dervensis loci cum monastico habitu militaria arma arripere, decernentes proprio arbitrio sibi suisque posteris opprobriosæ fœditatis dedecus adscribi, si causa talis exercitii paterentur se perpetuo privari possessionibus rerum variæ opportunitatis, procuratione Beati Bercharii eorum stipendiis diversis in locis delegatis. Hac occasione habitu potiti incongruo, primo a sacri ordinis tramite expeditionibus studendo, deviare, demum ipsa etiam vestimenta propria, velut armorum impedimenta monstruosa habentes, ægre pati cœperunt : sicque priori paulo melius adjicientes consilium, spretis cucullis, clericalibus sese indumentis operuere, judicantes se decentius eo ornamento Deo omnipotenti mundanis quoque studiis famulari.

instaurat Odo Abb. Stabulensis.

3 Tali modo magnificentia ipsius loci facie mutata, pessumdari atque in deterius labi variis impulsionibus cœpit, donec miseratione divina et meritis Beatissimi protectoris nostri Bercharii, rumor

* proditionis *C.* * tantæ perditionis attigit aures Augusti Ludovici. Hic adeo omni bonitatis luce refulsit, ut jure proprium sibi Pii nomen adsciverit, cujus prudentissimis consiliis assidue intererant sacerdotes sanctissimi, abbates etiam religiosissimi, inter quos spectabilis vitæ honestate, omnisque scientiæ probitate habebatur Odo *c* abbas loci, quem Stabuletum vocitatum, anterioris textus descriptio prælibavit exstructum a Sancto Remaclo pontifice, cujus conditioni felix Martyr Bercharius quondam tradidit imbuendos primævos flores suæ adolescentiæ, relinquens eo loci conspicuum memoriale proprii tyrocinii. Cum itaque rex memoratus, ecclesiarum Dei cultum variis tribulationibus depravatum, satageret in melius restaurandum reformare, regalis decreto consilii, supra nominato abbati curam delegavit Dervensis cœnobii : quo ejus industria, quiret capessere idem locus alimenta et monimenta priscæ institutionis ac nobilitatis, quam plurimam extitisse etiam annales regii testabantur. Itaque domnus Odo abbas venerandus, memorandæ operationis executione suscepta, pontificum ac coabbatum collegio fultus, præfatum locum adiens, religiositate omni ab ævo proturbata, fratribusque sui ordinis strenuissimis inibi ordinatis ecclesiæ prædia sive xenia, innumeris casibus profligata, regia simulque * pontificum auctoritate distributa, etiam pretii maxima quantitate usibus fratrum restituit : perquirens prisca privilegia, imperiali, ut decuit, munificentia roborata : nec destitit donec ad unguem polita cuncto Francorum orbi refulsit religio ipsius loci.

AUCTORE ANONYMO.

D

c

* insimulque *A.*

E

S. Bercharii *ope sanatur*

4 Ipsis quoque ejusdem loci fratribus, haud defuit specialis provisoris Bercharii conspicua virtus, qua eis suam cœlitus adesse magnificam notificaret præsentiam. Instante etenim annua solemnitate natalis Sancti Remacli pontificis venerandi *d*, rectores delegati procurationis ejusdem cœnobii, inter multa prædicamenta sacræ doctrinæ, etiam mirificos actus pretiosi Confessoris Christi, subditorum sæpissime inculcabant memoriæ : quibus accensi fratrum animi, pari voluntate cuncti spondent in ipsius vigiliis sese celebrem Sancto Bercharo peragere noctem. Interèa evenit, Deo favente, pridie ipsius celebritatis, adesse ibi quemdam contractum omnibus membris, adeo ut viderentur femoribus plantæ pedum ipsius conjunctæ, isque magnarum conatibus precum cœpit insistere, ut pernoctando in eadem basilica, foret sibi licitum Dei expectare auxilium, dicens sibi cœlitus notificatum, quod in ecclesia Beati Martyris, festoque die S. Confessoris esset sibi initium optatæ sospitatis. Fratres vero hoc audientes, multo magis exhilarati, concedunt supplicanti omnem opportunitatem, ut poposcerat, pernoctandi. Celebrata itaque synaxi completorii, capessentibus fratribus quietem primi somni, æger repentinis clamoribus, ædituos templi ac cunctos excitat fratres quiescentes in conclavi dormitorii. Surgentes autem subita perturbatione stupefacti, intrant, ut ita dicam, inviti ad peragenda solemnia nocturni officii : riteque peractis omnibus, adeunt inspicere mirabile factum, scilicet membra contracti restituta in integrum statum.

d

F

contractus.

5 Inde nimium, ut optaverant, lætificati, iterum excitantur ad repetendas laudes omnipotentis Domini : reddentes altisonis vocibus supplicia vota, super prædictorum Sanctorum consolatione piissima. Interrogatus vero ægrotus, quid illi visum fuisset, qua hora clamor ejus eorum insonuit auribus, retulit vidisse se quemdam angelici vultus ac habitus ecclesiam ingredientem, eique manum porrigentem, cujus visu in pedes constiterat, non sine nimio angore nervorum et vertibulorum. Itaque sospitati redditus, qui ante aliorum fuerat subvectus auxilio, propriis jam gressibus cœpit iter carpere

AUCTORE ANONYMO, A carpere gratulabundus, relinquens eo loci stuporem ingentis miraculi, cum maximo studio ac dilectione monastici propositi. Hoc modo primæ exorbitationis Dervensis cœnobii meritis gloriosi Martyris Bercharii statu in melius reformato, per plurima temporum volumina sacræ religionis tramitem, et antiqui decoris inflexibiliter tenuit gloriam. Sed tranquillitatem tam jocundæ pacis multis abusive vertentibus in augmentum impietatis, rursus severitas animadversionis, Hunnorum rabiei exponit depopulationem Christiani populi : maxime addictis stragi Neustria, et pleraque parte Gallici regni. Tempora hujuscemodi infelicitatis impediebantur regimine Caroli Junioris, qui Simplex ferebatur nomine, non tam innocentia quam ignavia omnis rei civilis ac militaris, omnino referens mores Ludovici genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus est Nihil faciens *e*.

e

Normannorum metu

6 Imperium ergo hujus, quippe justo Dei judicio instigatus, parvipendens, Hunnorum exercitus, quaquaversum debacchando insignes funditus evertens urbes, gladiis et incendio orationum domos plurimarumque gentium delevit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequentibus nun- B ciis territi fratres supradicti Dervensis cœnobii, erumpentibus etiam ab occiduis partibus Astingo duce Wisigotis, qui et Normanni, communi consilio, ut audierant aliarum greges ecclesiarum, decernunt, sumptis secum ossibus Beati Bercharii, fuga perquirere latibulum, hocque statuunt circa ripas Araris fluminis : quæ regio ipsis temporibus ferebatur immunis omnis inquietudinis regimine Rodulfi, filii nobilissimi Richardi Burgundiæ ducis, qui justi tenax, ejusque famosissimus ultor extitit. Cum itaque deliberatione habita, fratres satagerent in quodam domicilio res ecclesiasticas, ac suas qualescumque involucris componere sarcinulas, cruciculam quamdam, a tempore S. Bercharii eidem loco venerabilem, secretarius monasterii suspensam parieti ejusdem domicilii alio recurrens oblitus, ad horam reliquit, cum repente ignis inibi accensus congeriem stipularum sibi vicinam, nemine advertente, corripiens, flammis in tantum domum replevit, ut ingrediendi omnis abesset facultas. Fratres vero undique concurrentes incendium domicilii utpote discessuri parvipendentes, in commodum patrocinii sibi a Sancto Martyre

* permulta *A*. C relicti ac multa * tempestatum discrimina eatenus reservati, lachrymabili gemitu, culpis propriis exigentibus, se admisisse deflebant, querimoniosis vocibus flagitantes id sibi vel ad solatium suæ * exultationis a Beato patrono reddi.

* *forte* exulationis

aufugiunt Dervenses in Burgundiam,

7 Nec defuit pii patris præsentia, solaturus mœstissimos solita clementia : nam consumptis in incendio contignatione parietibusque domatis, super prunas ardentes crucicula adeo reperta est illæsa, ut etiam tenue ligamentum auro textum, quo hactenus suspensa, a vi ignis fuerit omnino incontaminatum. Hoc fausto omine exhilarata fratrum mœstitia, eximii protectoris sibi adesse munimen sentientes ac spem quandoque remeandi nacti, alacriores deliberata petiere loca refugii. Quanta vero quibusve in locis hic pater sanctus divina dignatione miracula gesserit, nulla nostræ memoriæ retulit scedula vetustatis antiquæ : tantummodo innumera priscorum adstipulatione, priores nostri nobis testati sunt extitissse, tam per spatia itineris, quam in loco destinatæ mansionis. Quorum rumore celeberrimo accensus memoratus princeps Rodulfus, suscepturus insignia totius Francorum imperii, supplex locum ipsum Reli- D quiarum B. Martyris adiit, se suamque felicitatem ejus committens suffragiis : multisque donatum muneribus, fratrum necessitates plurimis relevavit largitionibus et eos benignissime consolatos, spem propere ac prospere remeandi, Dei Sanctive Martyris auxilio, et sui laboris juvamine repromisit, quod feliciter, Deo favente, contigit. Nam idem memoratus princeps, laturus auxilium præfatæ calamitati, imperium Francorum subiit, nequaquam tyrannice, sed divinæ pietatis prædestinatione ob meritum suæ probitatis, electus a pontificibus proceribus totius Gallici regni, ad effugandam inde rabiem paganæ perversitatis. Ejus itaque formidine potestatis, protinus exterrita omni feritate barbarica, restaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capessunt audaciam, qui ob metum paganorum dispersi, diversa petierant loca exilii.

et pulsis hostibus, redeunt Dervum.

8 Grex quoque ecclesiæ Dervensis, juncto sibi cœtu fratrum Fossatensis cœnobii, qui metu supra memoratæ internecionis eo confugientes devexerant secum ossa Confessoris Christi Mauri *f*, pari consilio aggrediuntur iter repatriandi, pariter incedentes, simulque divina celebrantes officia, donec itineris progressione attingerent, quo ab invicem E discesserunt, fines Dervenses atque Campaniæ. Igitur adventui pretiosissimi Martyris occurrentibus cum plurima turba sacerdotum clericorumque multis, ac ejus familia quaqua versum dispersa undique recurrente, excipitur eximius protector patriæ liminibus templi, quod vivens extruxerat in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hoc longa solitudine incultum, tribulis etiam et vepribus circum altaria horrentibus, comentes undique fratres famulique cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt ossa pii pastoris XVII kalend. Novemb. Hic dies eo loci celeberrimus habebatur ab antiquo, anniversario dedicationis ejusdem basilicæ operationis B. Bercharii ipsius Dei ordinatione consecratæ in honore ac nomine S. Salvatoris. Geminata itaque præscripti diei solemnitate, auctoritate præsentium sacerdotum decretum est, perpetuo celebrari ipso die natalis * passionis gloriosi * natale *A*. Martyris Bercharii, quam constat evenisse instante festivitate paschali, ob quam rem manebat incelebris more Christianæ religionis. Hinc inolevit jocunditas hujus præclaræ celebritatis, qua hactenus exhilarantur tempora nostræ ætatis.

F

ANNOTATA.

a *In Comment. prævio n.* 17, *exposuimus, quo tempore et qua occasione Anonymus Dervensis librum de* Casibus Dervensis cœnobii et miraculis S. Bercharii *conscripserit.*

b *Quæ bella inter Ragafredum seu Ragunfredum majorem domus et Carolum Martellum exarserunt ab anno* 716 *ad* 724 *refert Fredegarii Chron. continuatum p.* II, *c.* CVI (*a*). *Cæterum satis notum Carolum* Martellum *dictum, non ob sævitiam in monachos, sed ob victoriam de Sarracenis* (*b*).

c Odo, *aliis* Hautho *aut* Audo, *decimus sextus a S. Remaclo fuit abbas Stabulensis et Malmundariensis. Merito habetur ut instaurator Dervensis cœnobii, ut liquet e diplomate dato a Ludovico Pio et Lothario imperatoribus, quod hic damus ex Collectione Historicorum Franciæ* (*c*) : In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus et Hlotharius, divina ordinante providentia, Imperatores

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. II, p. 433. — (*b*) Cfr Chron. Aimardi, ap. D. Bouquet, t. II, p. 574. — (*c*) Ibid., t. VI, p. 552.

Augusti.

A Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir religiosus Hauto, abba ex monasterio, quod vocatur Puteolus, quod est in Dervo constructum, in honore Beatorum Petri et Pauli, suggessit mansuetudini nostræ, eo quod prædictum monasterium, ubi ille Dei cultor abba præest, aptum esset ad monasterium regulare, quia non solum idem locus, ubi præfatum monasterium fundatum est, verum etiam et omnes adjacentias congruas haberet servis Dei monasticam vitam degere volentibus. Nam et privilegia qualiter ipsum monasterium ad monasticum ordinem perficiendum fundatum esset; et præcepta regalia nobis ostendit, ubi liquido apparuit, quod antiquitus regulare monasterium fuisset. Nos vero hanc rem diligentius scire volentes, jussimus venerabilem virum Hebonem Remensem archiepiscopum et aliquos ex suffraganeis suis ad prædictum locum ire, et diligenter intueri, non solum si ipse locus aptus esset ad monasticum
B ordinem observandum, verum et utrum clerici ibi degentes monastice vellent vivere, an non. Illi vero nostris jussionibus obtemperantes, sicut nobis prædictus Hebo archiepiscopus renunciavit, et aptum locum invenerunt ad normam regularem custodiendam, et clericos ibi degentes sponte vitam monasticam sicut illis professi sunt, suscipere et perpetuo observare velle. Sed ut prædictus ordo monasticus in eodem loco nostris et futuris temporibus, ad nostram successorumque nostrorum perpetuam eleemosynam digne observaretur, et monachi per tempora degentes secundum regulam S. Benedicti vitam degerent; prædictus Hauto abba precibus, quibus valuit rogavit, ut nostrum confirmationis præceptum idem monasterium habere mereretur, sicut cætera monasteria monachorum in regno, Deo propitio, nostro habere noscuntur. Cujus petitionem justam et rationabilem judicantes, per hos imperiales apices nostros præcipimus atque jubemus, ut abhinc in futurum prædictum monasterium sub monastico ordine persistat, et monachi ibi degentes sub regula S. Benedicti, Domino sibi adjuvante, perenniter vitam ducant monasticam.
C Et quando quidem divina vocatione prædictus abba ab hoc sæculo migraverit, quamdiu ipsi monachi inter se talem eligere potuerint, qui illis secundum regulam præesse et prodesse possit, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates; quatenus monachi per tempora ibi degentes, pro nobis, conjugibus ac liberis nostris, seu totius regni nostri stabilitate Domini misericordiam indesinenter exorare delectentur. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio et confirmatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludowici gloriosissimi Imper. signum Hlotharii serenissimi Augusti. Durandus Diaconus ad vicem Fredugisi recognovit. Data II Id. Feb. anno, Christo propitio, XIV imperii Domini Hludowici piissimi Augusti et Hlotarii V, Indictione V. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter.

d *Num fortassis ab Odone introducta solemnitas S. Remacli fundatoris Stabulensis occasio fuit, ut diceretur S.* Bercharius *eumdem habuisse institutorem? Nam quod dubiis verbis edixerat Adso in Vita* D *n.* 6, *hic aperte enunciatur.*

e *Ex his videre licet, quo tempore hæc Dervensium migratio accidit : Carolus simplex, filius Ludovici II dicti Balbi, sceptrum Franciæ tenuit ab anno* 893 *ad* 929.

f *De S. Mauri translatione in Burgundiam vide ejus Acta ad diem* XV *Januarii* (*a*).

CAP. II. *Instauratio cœnobii Dervensis, et abbatum series.*

His succincte prælibatis, ocyus exaretur series *Collapsa Dervi disciplina*
inertium hæc subsequentium temporum, quæ adeo obnubilavit inscitia negligentiaque sacri ordinis, ut cœnobitæ istius de quo tractamus loci, publice intra claustra monasterii uterentur conjugibus, nuptiarum solemnia celebrantes, undique generos ac soceros adsciscebant; distribuentes generis ornamenta vel prædia, undecunque bonorum studio
E summo labore antiquitus comparata. Hinc ad tantam pervenere rusticitatis ignaviam, ut spretis militaribus expeditionibus, conspectuque regalis ac sacerdotalis conventus, non tam zelo sacri ordinis, quam voluptate desidis otii maluerint inrecuperabiliter amittere distribuendam vicinis militibus summam mille quingentorum et quinquaginta mansorum cum opportunitate ad ipsos pertinente, videlicet, sylvarum, pascui et agriculturæ. Abbatum tamen sibi faventium subjacebant dominio, quorum quia infanda monimenta, etiam nomina a nostra sunt abrasa memoria *a*, excepto eorum *a*
penultimo domno Alardo, cui successit lues tantæ perversitatis domnus Benzo, juste ab ipso deturbatus cœnobio. Hujus itaque expulsio, ac ejusdem monasterii iterata Omnipotentis prædestinatione interius exteriusve restauratio, ut liquidius pateat, supra memorati excellentissimi regis Rodulfi memorandorum gestorum referantur ad medium maxima præconia. Regulam etenim sanctissimi patris nostri Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii *b*, solertissima industria istius *b*
principis, jubar suæ claritatis plurimis infudit Ecclesiis. Qui vero ipsis temporibus qualecunque
F præferebant monasticum schema, famosissimi quondam Luxoviensis nominis sese tuebantur consuetudine aliquantula.

10 Sed rex prudentissimus ad decoranda jura *restituitur, introducta regula S. Benedicti,*
sibi a Deo collati regiminis, ut justitiæ sectator insuperabilis, ita ecclesiarum existens instaurator inflexibilis, nequaquam passus umbraticum monachos gestantes habitum, absque aliqua ulterius aberrare doctrina, cœnobium Floriacense, insigne Reliquiis corporis piissimi patris monachorum Benedicti, corrigendum tradidit S. Odoni abbati monasterii Cluniacensis *c*. Gloriosus autem abbas locum *c*
prædictum, ut in gestis ipsius legitur, sibi a S. Benedicto adoptatum religiosissime ordinans, libellum regulæ ejusdem patris, primus eidem loco intulit. Tantæ postmodum rei celeberrima fama excitus domnus Gauslinus, Leucorum urbis pontifex *d* *d*
nobilissimus, prædictum locum adiit, inspecturus rumore ad se perlatum ordinem religionis, indeque remeans, sollicitus gregis a Deo sibi commissi, descriptionem omnis monasticæ conversationis quam inibi religiosissimam inspexit, supradictam quo-

(*a*) T. I Januar., p. 1059, n. 40.

AUCTORE ANONYMO.

A que regulam beati patris secum deferens, primus urbi Tullensi innovationem monastici ostendit propositi. Fretus igitur pontifex sapientissimus multimodis divinæ institutionis documentis, viris prudentibus undecunque collectis, cœnobium S. Apri, situm in suburbio Tullensi *e*, regularibus disciplinis strenue imbutum, multorum commoditati profuturum, decentissime reddidit illustratum.

e

et expulso Benzone abbate nefario;

11 Hinc itaque, exardescente circumquaque zelo sacræ religionis, horrescentibus etiam tyrannicis principibus, inordinatos actus habitatorum Dervensis cœnobii, pari consensu totius regionis, domnus Benzo supradictus abbas, abinde proturbatus, coactus petere (cui loco abbatis præerat) cellam Bobini Germanicæ Insulæ, in suburbio Trecorum Augustæ *f*. Discessurus tamen, clientum pravorum hortatu, cuncta privilegia, ornamentorumque aliquanta exosæ sibi ecclesiæ secum tulit: monachis vero suis metu invisæ regulæ in diversa fugientibus, successerunt fratres adducti a monasterio S. Apri : qui memoriam suæ prudentiæ, nostræ hactenus ætati ostentant etiam ecclesiasticorum voluminum sagaci ordinatione. Sed quibus auctoribus intromissi, priores fuerint expulsi supersedi scribere : ne ineptæ controversiæ aliquando videar fomentum præbuisse. Qui autem, qualesve extiterint, quorum optimo studio idem locus post asperitatem tantæ hyemis, quasi revirescendo floruerit, decrevi promere scriptis, ut noscant posteri, quantæ fuerint bonitatis, quos miseratio venerandi Bercharii præordinaverit pastores, posthac, et per hos suo felici ovili.

f

B

cui succedit Albericus :

12 Primus igitur eorum dominus claruit Albericus, nobilissimis natalibus ortus, indigena Remensis, monachusque S. Apri Tullensis, qui post supradictum Benzonem, conpetens suæ bonitati, cum regimine pastorali suscepit nomen abbatis, adoptato sibi ad supplementum omnis auxilii, domino * Assone jam dicto ac frequentius memorando, doctrina philosophica ac vitæ probitate spectabili. Hic ditissimis nobilibusque parentibus Jurensi tellure satus, Luxovio diversis studiis literatoriæ artis plenissime imbutus, quem in primævo flore juventutis affluentem verbo sanctæ eruditionis cum puritate vitæ innocentis, perspicue agnoscens pontifex clerusque Tullensis, multis supplicationibus eductum a Vosago, substituerunt urbi Tullensi ad magisterium sacri ordinis, ut lumen lucernæ super statuam

* Domno *A.*

C candelabri. Ibi per aliquanta temporum volumina variis insudans divinæ præceptionis exercitiis, post maximam multorum instructionem, iterum claritas divini splendoris, videlicet Asso, opponitur effugandis Dervensibus nebulis, ad inseranda plantaria superni obsequii. Ibi postmodum, excedente vita domino * Alberico, abbas effectus basilicam SS. Apostolorum a B. Berchario quondam extructam, parvissimam reputans, maximi quod nunc frequentamus templi fundamenta jecit amplissima. Villas duas Dreiam *g*, et eam, quæ vocatur Puellare monasterium, priorum incuria amissas, rusticis earumdem agresti rabie, ut sunt adhuc pessimæ institutionis, familiæ Sancti sibi vicinæ multas inferentibus injurias, cooperante Heriberto Trecassino comite, expenso precio quantitatis non modicæ, propriæ restituit ecclesiæ, deponens ab ipsis et a pluribus aliis exactiones importunissimas, tyrannica vi superpositas.

* Domno *A.*

g

quem excipit Adso,

13 Ipso etiam comite amminiculante, privilegia ejusdem loci, quæ supra retulimus a domno Bensone insidiose deportata ad locum Insulæ Germanicæ, cuncta recuperavit munificentia domni Odonis illius loci abbatis, cujus precibus hic famosissimus Asso Vitam Confessoris Christi Frodoberti, primi ipsius monasterii instauratoris et abbatis, sermone veracissimo, simplici exaravit stilo. Hic etiam precibus ac jussione S. Gerardi, Tullensis urbis episcopi *h*, Vitam B. Mansueti *i*, primi dirigente Petro Apostolo ipsius urbis pontificis, disertissime composuit. Gesta quoque S. Confessoris Basoli *k*, præfationibus facundis antepositis, cum subsequentia miraculorum lepide edita digessit ad liquidum, hocque non præsumptive, sed interpellatus a sapiente Gerberto tunc Remensis urbis archiepiscopo *l*, atque a sibi cognomine præclarissimo viro scilicet Assone abbate monasterii prædicti Confessoris. Cujus, defuncti haud post multum temporis, tumulum gratia specialis dilectionis versibus honoravit propriis, inquiens inter alia :

D

h *i*

k

l

O felix Asso, titulum tibi condidit Asso.

Opuscula præterea plura versifice composuit, hymnorum etiam aliquanta cantica, Ambrosianos hymnos elucidans glossulis. Sed et secundum librum dialogorum S. Papæ Gregorii, videlicet gesta SS. monachorum patris Benedicti carmine nobilitavit heroico, priscorum poetarum carminibus excellentiori omni modo, devictus supplicatione sibi familiarissimi Abbonis, abbatis *m* supra scripti monasterii Floriacensis, qui vir maximæ prudentiæ ferro insons noscitur occubuisse. Gesta vero hujus sancti piissimi protectoris nostri Bercharii ad extremum quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis, sparsit totius Galliæ oris, quæ catenus inculte exarata habebantur et abdita.

E

m

cujus gesta referuntur.

14 Nec vero tantummodo proderat monachalibus cœnobiis, verum plurimis clericalibus ecclesiis; inter alia commoda tradidit modos et horas orationum ac multiplicis psalmodiæ, tam æstatis quam hyemis quadragesimæve tempore, ut hactenus palam testatur verbis et affectu clerus Trecassinæ Ecclesiæ. Hujus tunc temporis Manasses præsul *n* hunc abbatem miro colebat affectu, se propriæque parochiæ actus ejus committens industriæ. Istius pontificis frater, Hilduinus nomine, eo tempore comes Arceiacensis Campaniæ, militari audacia multa crudelia commiserat facinora. Hunc Asso piissimus adeo est insequutus, quorum erat affluentissimus verbis sanctæ prædicationis, ut eum in se reversum cogeret cuncta relinquere, et profiteri laborem Hierosolymitani itineris, sese ei dans comitem subeundi tanti laboris gratia piissimæ consolationis, referens actus B. Bercharii : qui adiens Hierosolymam fertur duxisse secum Wamicrum tormentorum S. Leodegarii reum *o*. Itaque hujuscemodi opinionis promulgatione, multis viris illustribus excitis, determinatione istius patris dies decernitur, loca cunctis congrua ordinantur subsequendi, aut oppericndi Assonem doctissimum, operis paucis attentati famosum signiferum. Igitur anno verbi incarnati DCCCCXCII pius pater vale dicens charissimis filiis ac fratribus ob hoc inibi plurimis congregatis, largiter flendo, deosculatis omnibus, ipse prosequutus cunctorum ingenti ululatu et gemitu, ingreditur iter viæ Hierusalem mundanæ, jam sibi pactis valvis matris nostræ Syon cœlestis.

n

F

o

Adsoni defuncto

15 Secuti sunt autem eum a cœnobio frater quidam et famuli usque ad ingressum maris, inde deportaturi cæteris consolatoria verba patris. Ipse vero non tantum verba, verum manu propria conscriptas inde direxit literas, intimans se die datarum literarum intrasse mare, ducens ad portum urbis Babylonicæ. Sed festinantem ad majora certamina dignatio Omnipotentis evocat ad bravium cœlestis remunerationis : nam in ipso mari correptus languore ultimi exitus, cœpit urgeri extremi angoris singultibus,

A singultibus, lingua tamen inrecuperabilis mansit, a sociorum consolatione inflexibilis, minime vacans a laudibus piissimi Redemptoris, cujus flentes socios commendans custodiæ, beatam animam a puppi exultationis transmisit ad gaudia patriæ cœlestis. Hujus corpus defuncti, comites illustres viri ipsius sanctitatis conscii, nequaquam passi, ut mos est, pelagi fluctibus dari, sed maximo cum honore secum quatriduo devehentes, quinto die prospero
p cursu ad portum insulæ, quæ fertur Astilia *p*, appulsi, decentissimo, ut par erat, condiderunt inibi mausoleo. Inde plurimis ejusdem comitatus perpetuum voluntarie subeuntibus exilium, aliquanti optati itineris labore peracto, remeantes, diem obitus locumque sepulturæ ac extrema mandata diu expectati patris mœstissimis detulere discipulis.

succedit Bruno. 16 Præcedentibus succincte transcursis, libuit paulisper immorari laudibus istius beati viri, quia hic omni felicitate felix multorum Sanctorum gesta scriptis depinxit propriis, atque ab ejus in hunc locum cum domno Alberico ingressu, omni infelicitate supradicta hæc caruit ecclesia, nec dicam caruit solummodo, verum, quod fausto utinam proferam omine, testor augmentatam omnis decoris
B honore usque ad exitum domni Brunonis, septimi a venerando Alberico abbatis, septem annorum lustris hanc honorifice gubernantis. Hic vir prudentissimus ordinatus est Romæ a S. papa Leone IX,
r donatus ejus cognomine *r*, cum baculo pastorali, et benedictione condigna tanto patri. Hic etiam inter multa suæ sagacitatis memoranda opera, sæpe adiens Romana concilia, faventibus ejus probitati archiepiscopis magnæ auctoritatis, Athelenardo
s Lugdunensi, Hugone Crisopolitano *s*, ac Mainardo Senonensi, aliisque sacerdotum quam plurimis, annuum censum Disciacensis prædii, post tempora supra memoratæ infelicitatis primus suo loco, cujus erat juris, restituit. Usus quoque sibi decenti familiaritate successorum supra denominati S. papæ Leonis scilicet Stephani, Nicolai, Victoris atque Alexandri, plurima prisca privilegia, multaque moderna eorum auctoritatis confirmatione roborata, solicitus post se venturæ ætatis, istius loci prudens recondidit archivis. Ejus imperiis frequenter iteratis, impulsus hoc arripui opusculum muta pagina, a nomine auctoris, quæ ut reor stat aliquanti nimium
t loquacissima garrulitate inepti sermonis *t*. Sed scienter malui patere irridentium cachinnis, quam
C non implere jussa tanti patris, super miraculis B. Bercharii, quorum ipse plurima visa vel a cernentibus vel fidelium et veracium testimonio subnixis tradita, sæpe recensens, pariter ostentabat aliquanta suis manibus scedulis adnotata. Horum gratia multa præfatus sum minus utilia, scilicet causa excusationis, cur rara sint memoriæ tradita ante tempora sæpe memorandi Assonis, a cujus regimine quia narrandi inchoamus initium, eo vivente facta primum replicentur miracula.

ANNOTATA.

a *Abbatum Dervensium nomina non ita abrasa sunt ut nulla supersit eorum memoria : nam Gallia Christiana* (*a*) *octo enumerat abbates medios inter S.* Bercharium *et Alardum, scilicet* Synaulium, Odonem *seu* Hautonem, Altmarum, Pardulum, Wlfaudum, Humfredum, Adalgarium *seu* Algarium, *et* Adalricum.

(*a*) T. IX, col. 910. — (*b*) T. II Octob., p. 481, n. 34. — (*c*) Labbe, t. VI Conc. col. 1245.—(*d*) T. II Octob., p. 478 et seqq. —(*e*) T. III Septemb., p. 129.—(*f*) Ann., t. III. p. 653.—(*g*) T. V Septemb., p. 55. — (*h*) T. I Januar., p. 505. — (*i*) Promptuar. Ant. Tricass., fol. 85. — (*k*) T. II April., p. 206. — (*l*) T. I Septemb., p. 615. — (*m*) Camuz. Promptuar., fol. 83.

b *Exaggeratum merito videtur Joanni Mabillon,* D *quæ hic de regula S. Benedicti, quasi adhuc sæculo* X *incognita esset Gallis : vide dicta a Nostris ad diem* IV *Octob. in Commentario prævio de S. Aurea Virgine abbatissa* (*b*). *Certe in Concilio Moguntino anni* 813, *a* XXX *episcopis et* XXV *abbatibus celebrato, dicitur can.* XI (*c*) : Abbates autem censuimus ita cum monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi, qui in præsenti synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt; id est secundum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas. *Si igitur* regula sanctissimi patris Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii *fuerit, hoc ita intelligendum est, ut ejus memoria apud Francos, collapsa regulari disciplina, omnino fere oblitterata fuerit. Cæterum, si ante Odonem Cluniacensem Dervenses umquam Benedictinam regulam professi fuerint, utpote qui a* Berchario *patre Luxoviensem normam edocti fuerant, difficile dictu est. Cfr quæ in hoc argumentum scripsere Nostri ad citatam Vitam S. Aureæ* (*d*).

c *Obiit S. Odo abbas Cluniacensis anno* 942. *Ejus festum colitur die* XVIII *Novembris.*

d *Obiit S. Gauzlinus anno* 962, *die* VII *Septembris, ad quem diem Nostri ejus Acta edidere* (*e*). *Vide* F *chartam, qua restituit monachos in cœnobio* (*f*).

e *Erat cœnobium S. Apri sub regula S. Benedicti et Congregationis SS. Hidulphi et Vitoni. Colitur S. Aper, episcopus Tullensis die* XV *Septembris, ad quem diem ejus Acta require* (*g*).

f *Cella Bobini, hodie* Monstier la Celle, *Congregationis S. Vitoni cœnobium erat, ejus primus abbas fuit S. Frodobertus, cujus Acta vide ad diem* VIII *Januarii* (*h*). *Unde nomen* Insulæ Germanicæ *loco adhæserit, non mihi constat : clausus est duplici fluviolo cui nomen Vigenna,* la Vienne.

g Dreiam, *hodie* Droges, *a Dervo non multum dissita est parochia ruralis.* Heribertus *seu* Harbertus, *de quo hic agitur, est hujus nominis* secundus, *comes Campaniæ et Trecarum, filius Heriberti I, comitis Veromanduorum et Trecarum, frater Roberti, cui successit anno* 968 : *obiit* IV *kal. Januarii an.* 993. *Nic. Camuzat refert diploma Heriberti* (*i*) datum XVI kal. Febr. an. XIV, regnante domno Lothario rege Francorum. Actum monasterio Dervo publice. *Hoc diplomate concedit Heribertus Dervensibus mercatum, pontanaticum atque salnivum, quoad medietatem, quatenus in villa Olumna exsistunt.* F

h *Colitur S. Gerardus die* XXIII *Aprilis, defunctus anno* 994 : *ejus Acta occurrunt ad dictum diem* (*k*).

i *Mansueti memoria celebratur die* III *Septembris : ejus Acta ad hunc diem nostri dederunt* (*l*).

k *S. Basolus in agro Remensi colitur die* XXVI *Novembris.*

l *Gerbertus, Remensis archiepiscopus, anno* 999 *summum pontificatum obtinuit, dictus Silvester II.*

m *S. Abbo Floriacensis abbas martyrium subiit circa annum* 988 : *colitur die* XIII *Novembris.*

n *Manasses I obiit, ut videtur, anno* 991. *Dedit Adsoni Dervensi tria altaria* videlicet de Laderciaca Corte (*Lassicourt*), de Doninica Corte (*St Crestophe*) et de Requiniaca Corte (*Cors St Leger lez Brienè*). Actum Trecorum civitate publice sub die V April. anno IV regnante domno nostro Hugone rege (*anno* 991) (*m*). *Cfr Atlantem Cassinianum.*

o *Cfr Comment. prævv. n.* 62 *et seq.*

p Astiliam insulam *e solis S.* Bercharii *Actis cognoscimus;*

A *cognoscimus;* Astypeleam *hodie* Stampaliam, *insulam archipelagi, suspicantur esse auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (*a*).

r *Bruno, ante benedictionem* Wandelgerus *dictus, baculo pastorali donatus fuit a S. Leone IX, kalendis Maji anno* 1050 (*b*).

s *Chrysopolis* Vesuntio *dicta medio ævo : originem nominis require in Hadr. Valesii Notitia Galliæ, v. Vesuntio.*

t *Hisce verbis, ut præmonui Commentarii prævii n.* 17, *ætatem Anonymi indicatam habemus.*

Cap. III. *Miracula S. Bercharii.*

Heribertus comes sanatur; *a*

Heribertus comes, qui cognominatus Vetulus, cujus supra meminimus *a,* incurrit quondam validæ febris nimium incommodum, cujus ardoribus frigoribusque dum laboraret multo tempore, plurimorum quæsivit auxilia Sanctorum, ut eorum meritis quiret adipisci aliquod remedium, Parisius, Mettis, Trecis Sanctorum expetiit suffragia, Sancti *b* B quoque Remigii, et B. Memmii *b* adiens sepulchra, aliorum etiam Sanctorum visitavit loca, quorum non placuit meritis ut præstarent opem illius sanitatis. Novissime Vitriacum venit nimis afflictus, auxilium Domini sperans, virtute qui inibi habetur clavi ejus. Verum Dominus noster Jesus Christus, qui nec sic ei largitus est sanitatem, inspiravit, ut superprædicandi patris Bercharii interventu, posceret fratrum hujus loci orationum solamen. Mittens ergo ad magnum abbatem Assonem, obsecrat, ut pro eo, tam ipse, quam omnis congregatio, Dei ac Sancti Martyris imploraret meritum, quia vitæ suæ nullum ultra aliud sperabat auxilium, nec ei veniendi ad S. Bercharii limina aliqua suberat facultas. Hanc legationem recolendus Asso benigne suscipiens, quoniam ut adhuc liquido patet, hujus loci utilia idem princeps, ac si sua, procurabat : adscita omni congregatione, statuit ut propriam ea nocte pro eo funderent orationem, soluturi in crastino Missæ matutinalis itidem pro eo celebrationem. Ipse quoque Deo devotissimus abbas, Missa peracta, catenam S. Petri cum aliqua parte Reliquiarum S. Martyris lavans, ei in vase parvissimo transmisit ad potandum. Ipsam ergo lavationem ut C libavit, mox somno corripitur, surgensque post longam pausationem, nullo monente, cibum petiit, sanitati deinceps restitutus. Ipse autem ut Samaritanus Deo gratias reddens, ob memoriam tanti beneficii, medietatem terræ, quam habemus, Ulcenias, SS. Apostolis Petro et Paulo et B. Bercharo Martyri dedit, ipsemet eo pergens, atque ad confirmationem largitionis inde se expelli a quodam nostro monacho nomine Albuino fecit *c.*

c rusticus prædo punitur :

18 Relatum est supra studio memorandi Assonis, ac auxilio jam dicti Heriberti comitis, restitutas dominio hujus ecclesiæ villas duas, id est Dreiam et Puellare monasterium, quibus vicinus est locus parvissimæ insulæ, dictus ab antiquo Mangisvillare. Ibi B. Bercharius avidus vitæ solitariæ, primam olim construxit ecclesiam in honore S. Albini, perlustrans abdita Dervensis sylvæ, quo postea vitans frequentias sæcularium, sæpe Deo fudit gra- * gratarum *A.* tiarum * libamina precum, solitus pernoctare ibi cum discipulis, si quando contigisset, causa alicujus necessitatis demorari circa Puellarum monasterium, in villa istius nominis ab eo extructum. Verum peccatis imminentibus monasterium illud mo- D nialium postmodum est adnullatum, et ecclesia illa funditus redacta ad nihilum, non tamen omnino locus desolatus largitate cœlestium donorum : nam villæ Puellaris monasterii quidam rusticus, nomine Vulfarus, cernens studio venerandi Assonis undecunque saxa adunari ad ampliationem hujus templi, parvipendens, utpote alienus, dominium monachorum, adnexis plaustro quatuor paribus boum, pergit devehere lapidem altaris ecclesiæ supradictæ insulæ. Hunc ergo plaustro impositum, rediens venit ad vadum per quod introierat, moxque tanto pondere fixi sunt boves, ut trahere ad aquam minime possent : exclamat itaque rusticus, stimulo fustibusque agitando boves, sed nequaquam proficit : volens flectere animalia ad dexteram vel ad lævam, nec sic adipiscitur efficiendi aliquam possibilitatem. Ad hoc factum villæ jam dictæ multi convenientes, mirabantur super hac re, ac divinitus inspirati, protestabantur nolle Deum, ut altare extructum opere famuli sui, ab eo loco posset educi : quod audiens rusticus, versus ad orientem, spondet Deo Sanctoque Berchario lapidem sese loco proprio relocaturum, si ejus nutu reciperent animalia perditum gressum. Hæc dicens, boves con- E cutit, et statim mirum in modum videres eos citius retro redire, quam antea fecissent in nullo recto itinere, atque ita suo loco restitutum est altare. Exinde Dominus illic multas virtutes operari et locus cœpit venerationi haberi : ea occasione ac opera Assonis abbatis, qua sunt redditæ villæ supradictæ ditioni hujus loci. Quando, Deo disponente, domni Assonis tempore hoc cœnobium cœpit germinare, ut iterum quasi virescendo relevaretur, sicut sæpe superius protulimus, non solum villæ cœperunt rehabitari, sed etiam in locis et saltibus, ubi numquam fuerant, cœperunt rustici, qui undique confluebant, incolæ fieri.

cæca visum recipit : d

19 Itaque per id temporis construebatur quoddam mansionale super Sufflanam fluvium *d* desuper Lutosas, quod adhuc, a primi habitatoris nomine, Haraoth mansionale nuncupatur. Ibi inter primos habitatores quædam vidua commanens cæcam habebat filiam. Factum est autem ut monerentur a scientibus vicinis, quatenus ad ecclesiam Lutosas, quam S. Bercharius ædificavit ad honorem S. Martini, properarent, imploraturæ Domini misericordiam, Sancti quoque Bercharii ipsius constructoris, et S. Confessoris Martini, cujus nomini F ac honori B. Martyr eam dedicando tradiderat. Mater, ut hoc comperit, die statuto petitura ecclesiam, ibi quam ferret filia plena fide, paravit candelam. Dum ergo pergentes ad ostium venissent ecclesiæ, filia cæca quæ a matre ducebatur, contemplatur divinitus accensam, quam gerebat manibus suis, candelam. Exclamans autem dicit matri suæ : Mater, candela mea accensa est; genitrix respiciens videt candelæ flammam, et cum exultatione interrogat filiam : Tenerrima filia quomodo scis? et illa : Quoniam bene domina prospicio. Tunc turæque, oblato munere ac fusa oratione Christi Martyri sanctoque Confessori, gaudentes, et Deo gratias agentes, domum sunt reversæ. Ut autem comprobaretur juvencula utroque suffragatore sanitati reddita, palam ostendit se, ibi suscepisse munus gratiæ duplicis, scilicet restaurationem luminis, et custodiam perpetuam virginitatis, nam perfectissime lumen promerita, sacrum velamen suscepit, quod per plures annos usque ad obitum devotissime servavit.

(*a*) Hist. de la Fr. lit., t. VI, p. 475. — (*b*) Gall. Christ., t. IX, col. 917.

20 Locus

S. Bercharius *insultans,*

A 20 Locus, Monasteriolus dictus, cum ecclesia, quam ibi B. Bercharius in honorem Sancti Mauricii ædificaverat, ad nihilum ipsius temporibus sic erat redactus, ut nec super sacratissimi altaris lapidem remansisse contingeret operturam : nec etiam ab ullo frequentabātur; sed cura et juge studium officinas hujus monasterii renovantium, haud procul ab illo repererat semitam, qua facilius possent lapides advehi. Ipse quidam locellus, undique sylva magna circumseptus, penitus vero circa præscriptum lapidem confusa frutetis gramina abundabant. In hac præterea monasterii villa, Joannes vocitatus quidam extiterat homuncio, habens malæ institutionis filium nomine Dagobertum. Hic die quadam circa prædicti loci confinia dum ob custodiam sequeretur animalia, cæteris cum pastoribus sequentibus gregem, pro comperta fertilitate interiora penetrantem, nequid abduceretur, adolescens nefandus solus remanens, sacrum ascendit altare, atque ipsum quod gestabat ferro tangens, ait : Mea hic erit statio, pecusque meum, cujus reversionem haud comperero, inreverenter ab hoc exigam Sancto. Tali vesaniæ insistentem socii ut repererunt, nimia vix supplicatione ut
B descenderet meruerunt. Sed ut ex tantæ benedictionis fastigio malesanus descendit, tantus nimiæ tribulationis vigor super eum ascendit, ut nisi per contribulium subvectionem ad genitorum valeret repedare mansionem, plurimosque dies lethali angore contritus, et oculis orbatus, post modicum lamentandæ pravitatis indultum spatium, præsentis vitæ accepit terminum. Exinde arborum densitate radicitus eruta, oratorium illud reædificatur, hactenus habitatorum assiduitate usitatum, fruunturque illic dominica miseratione, qui tota eam expetierint devotione.

et alius altare violans punitur:

21 Non minus mirabile accidit de lapide altaris, quem mellitus pater et pastor Bercharius ad honorem S. Sulpitii dedicavit. Quidam militaris ordinis vit fuerat generosus, plurimis excellens possessionibus, inter quas possidebat quoddam prædium, Cryptas vocitatum, cuncta opportunitate floridum, ac fœcunditate quam exigit simplex ruralis incolatus decoratum. Id vero duriter perturbabat eum, quoniam si terrenorum cunctæ adessent commoditates, illic, quo primum Dei quæreretur regnum, nunquam fuerat Christi tabernaculum; volens igitur in eo basilicam ædificare, jubet devehi præ-
C dictum altare. Locus autem, quo ecclesia jam dicti S. Sulpitii fuerat, est juxta viculum, qui dicitur Tiliolus *e*, constans ex hujus monasterii manso, sed cuncta ejus constructio præter memoratum lapidem deleta erat sub cœlo. Itaque plaustro adducto, quidam rusticus petram superponens, redditos semitæ boves deducere cum cœpisset, post modicum spacium boves exorbitantes, minime ultra progredi valuerunt; miser vero homuncio nimium fatigatus, sæpissime conclamando, et stimulando eos, quamquam parum proficeret, ut potiretur requie, supra conscendens resedit, nesciens se magis dolori oppositum, quam fatigatione exutum; mox etenim dolore obsidetur gravissimo, boves etiam non potuerunt pedes movere a loco. Sic tandem convictus descendit, lapidem deposuit, ac in loco illo eum relinquens, domum petiit, eoque languore per aliquod tempus maceratus, vitam amisit, animalia etiam peste consumpta sunt. Dominus vero, qui hæc jusserat, videns quod acciderat, nec lapidem a loco ubi fuerat projectus removit, neque oratorium, quod ædificare disposuerat, inchoavit, timens quod displiceret Omnipotenti : sed post L et amplius annos filius prædicti divitis, in viculo, D qui dicitur Villaris, ecclesiam condidit, ac sæpius dictum lapidem advexit, et ex eo altare ibi constituit.

e

S. Bercharius *suorum custos.*

22 Fidelissimus Dei abbas Berengerius, successor dignissimus memorandi Assonis, audiens quosdam a partibus Tullensium volentes cupiditate prædæ et spoliorum, effringere istud monasterium, indixit ut ipsa cortis cœnobii valde muniretur, et vigiles ipsam circumeuntes omni nocte insisterent. Post aliquas vero noctes, dum circumissent ambitum cortis vigiles, et ad partem orientalis fenestræ secus altare S. Mariæ clamantes et clangentes, ut mos est castrorum, restitissent; ecce vox a parte templi clamans vigilibus insonuit : Qui estis vos tanta inquietudine insistentes Deo et Sanctis ejus in hoc loco, quisve jussit ut hæ vigiliæ circa Dei agerentur tabernaculum ? Illi respicientes ad sanctuarium, imaginem loquentis testati sunt se vidisse circumfusam immensa claritate, et ob nimium pavorem nihil aliud sunt respondere ausi, quam quod illorum Dominus abbas hæc jusserit. Quibus vox loquentis talia intulit : Dicite abbati : Nunquid
E non prævaleat adhuc servare hunc locum, qui hactenus protexit eum? Videte ne ultra convenientes, taliter hic inveniamini. His dictis disparuit, et illi continuo halitum vix habentes aufugerunt. Horum unus vocabatur Grimoldus de Tribus Fontanis, alius Joannes. Hic Joannes circiter XXX postea vivens annos, meruit narrare multis hanc S. Martyris servorum suorum consolationem. Alter verbo Grimoldus metu ipsius visionis infirmitate captus, ante annum vitam finivit. In eodem autem loco nullus deinceps vigil deputatus est, et illi, qui eo tempore hunc volebant infringere, convenientes circa urbem Tullensem, hospiciaque suscipientes, orta inter eos contentione, plures ex eis inibi ferro interiere, qua de causa nimium perturbati reliqui, redierunt ad propria. Post aliquot etiam dies ductor eorum vita privatus est, sicque Deus protexit hunc locum, propter sui famuli et custodis nostri Bercharii meritum.

ANNOTATA.

a *Actum fuit supra n.* 12 *de Heriberto, qui licet vocetur* Vetulus, *tamen hujus nominis est secundus.* F

b *S. Remigii Acta vide ad diem* I *Octobris* (*a*) *et S. Memmii episcopi Catalaunensis ad* V *Augusti* (*b*).

c *Est modus notabilis, quo quis dominium rei alteri tradit.*

d *Est fluviolus Sublana,* Soulaines, *quo villa Lutosæ alluitur; paulo supra ponitur in mappa Cassiniana locus* Aromagny, *quem suspicor nomen ab Haraoth mutuatum fuisse.*

e *Vide annotata ad cap.* III, *lib.* I, *annot.* g.

CAP. IV. *Continuatur narratio miraculorum S. Bercharii.*

Claudus sanatur;

Quidam claudus ultra Mosam fluvium habitans, nomine Girardus, per visum docetur, ut si sanitatem recipere vellet, dilecti Dei Bercharii suffragium

(*a*) T. I Octobr., p. 59. — (*b*) T. II Augusti, p. 4.

AUCTORE ANONYMO.

festinus quæreret. Optatum is callem dum requirendo teneret, ad cujusdam nostri clerici, qui
A Bruno dicebatur, mansionem pervenit, ac huic causam sui adventus aperuit, qui prædictum debilem deduxit ad monasterium gaudens, decimoquinto die ante festum Ascensionis Dominicæ, deinde per tres dies ante Ascensionem, in quibus litania fieri solet, ultra posse suum secutus est turbam monachorum, semper orans, qui ferebantur, merita Beatorum : id quoque in die Ascensionis non minus devote peregit. Feria vero sexta, et sabbato sic fuit fatigatus, ut ex hospitii lecto, quod Deo plenus abbas Bruno ei deputaverat, nequiret exire. Nocte igitur, quam dominicus dies sequebatur, iterum quare monasterium reliquisset interrogatur, ac mox repetat, jubetur. Mane facto, ecclesiam petiit, et usque ad publicam Missam ab ea non discessit. Dum autem legeretur Euangelium cœpit tremere, et paulatim vehementer planctus emittere; ut enim perventum est ad Secreta, dum cogeretur ut quiesceret pro Missæ reverentia, pertonabat his vocibus : Ecce morior, ecce morior. Jacens enim ad terram secus dextri chori introitum, dirigebantur nervi ejus, ac velut ex aqua
B exisset, fluebat sudor per corpus ejus : tali equidem passione vexatus est usque ad Completas; tunc denique totus fuit extensus, sed manebat ut ad exitum spiritus : quod quidam nostrorum, Odo nomine, seniorum cernens, tactus Dei fiducia et validus corpore, jacentem qui fuerat claudus, seminecem arripuit, et ante S. Petri altare deposuit. Post modicum deinde spatii, ut ad se homo rediit, memoratus senior cœpit eum deducere, quasi mater docens eum incedere. Senioribus autem hinc laudes Jesu bono psallentibus, omne suburbium accurrit et tantus in eis ardor excrevit, ut quasi Salvatorem Dominum nostrum præsentem intuerentur, quisque certaret sacro altari deferre munus. Qui vero hæc ignorans superveniebat, et nil præter indumentum quo tegebatur detulerat, continuo illud offerebat Deo et suis Apostolis pro amore Bercharii sui Martyris. Nequaquam ex toto possumus exprimere, quam vehemens gaudium extitit ipso die, sed lachrymarum ubertas, quæ a monachorum gaudio procedebat, et occursus populorum, quo affluebat, testimonium perhibuit, quod paraliticus, de quo lectum est in euangelio præsens *a* . . . . . Unde
a tantus odor hinc emanavit, ut ex multis partibus
C ante noctem multa plebs advenerit, et a partibus
b Campaniæ, et de Barro super Albam *b;* de cujus
c parte videlicet de vico, qui Salex *c* vocatur, quædam cæca affuit nomine Lamfendis, quæ continuo promeruit lumen, et hæc pro tanti muneris devotione, sacrum excepit velamen, quod usque ad obitum magnifice gessit. Convenit etiam magna multitudo debilium, videlicet cæcorum, claudorum, ardentium, aliorumque infirmorum, ex quibus plures visus, gressus, extinctionis, variæque sanitatis gratiam adepti sunt; nemo tamen extitit aliorum, qui non aliquod sentiret remedium. Is vero Girardus per plures annos in hoc loco mansit, deinde monachalem habitum accepit.

Dervum a S. Berchario *d*

24 Altera die Rainardus quidam de Villa Carcerali corte *d* astitit, cui totus dexter jam arserat pollex. Hic athletam carissimum Domini Berchari-
e um invocavit ad subventionem, et mox adipiscitur arsionis extinctionem. Crispiacus *e* villa quædam dicitur, sita in confinio castri Breonensis et sylvæ Dervensis; hæc ab antiquo latronum extitit altrix, utpote admixta sylvæ, quæ immensa circumquaque diffusa, præbet hujus studii hominibus grata latibula. Istius itaque villæ miles quidam Berterus nomine, cum suorum complicium turma
D clanculum adgressus villam quandam super Maternam fluvium in comitatu Pertensi *f*, maximam *f* inde suum multitudinem adduxit. Hos insequuti viri ipsius regionis, nequaquam valentes attingere, per hanc reversi villam, ab hominibus hujus S. Martyris sues suos cœperunt exigere, asserentes eorum ductu se eos amisisse. Istis vero hæc contradicentibus, sese illic adfirmant reversuros, nihilque in omni hac villa relicturos, verum neque S. Bercharii corpus. Plurima ergo insanissime comminati, diem statuunt reversionis, interim obligantes sacramento omnes colonos supradictæ Pertensis regionis ad direptionem hujus loci. Tandem statuto tempore simul convenientes, elegerunt septingentos ex tanta multitudine, jubentes cæteros ad propria remeare, validiores septingentos, ut diximus, retinentes, non causa alicujus nostrorum timoris, sed ad ostendendam magnitudinem suæ potestatis, sibique præfecerunt quendam virum nomine Badinum. Prænunciatur hujus ecclesiæ fratribus, unde perterriti sunt non modice, hinc quoque amplius angebantur, quoniam aberat Domini Berengerii *g* *g* abbatis venerabilis præsentia : devotissimus etenim
E Deo abbas Willermus, S. Benigni Divionensis ecclesiam religione et parietibus per auxilium Brunonis, Lingonensis episcopi, miro opere innovaverat, ad cujus dedicationem prædictum patrem sibi familiarissimum invitaverat.

25 Fratres itaque quod solum repererunt consilium, legatione directa, hostes ut quiescerent oraverunt, promittentes, reverso patre die statuto, se suosque omne eis jus legaliter exhibere : ipsi interim psalmis et orationibus S. Martyris notum flagitantes auxilium, signorum ecclesiæ sonitu notificabant suo parvissimo populo hostium adventum. Adversarii autem, humillima fratrum legatione spreta, ac, quia inde sæviores effecti, cum fremitu valido appropinquantes, occupaverunt collem, quo nunc habetur vinea prope ecclesiam S. Remigii, quem ob pugnam inibi factam, hactenus incolæ Castellionem vocitant. Ruricolæ vero nostri fere * viginti animati spiritu Domini, fractis obsta- * *deest* fere *A*.
culis, quibus detinebantur a monachis, eorum verentibus interitum, parvipendentes multitudinem hostium, pugnam inituri, in eos irruunt *, superve- * irruerunt *A*.
nientibus a foris eorum auxilio septem equitibus, tunc temporis in hac villa habitantibus; nam cæteri equites et famuli diversa petierant, causa obsequii F
fratrum et abbatis. Itaque antequam convenirent, densitas fumi ingens inter utrosque apparuit; quod cernentes adversarii paucitati nostrorum neglexerunt occurrere, sed baculos, quos omnes tantæ multitudinis cum lanceis gestabant, super eos jactantes, ut pulverem æstimaverunt consternere : Deus autem, qui servorum suorum servos animaverat in rebelles suos, meritis S. Martyris ab ipsa baculorum grandine omnes ita reddidit illæsos, ut neminem eorum tetigerit tanta fustium multitudo. Hac defensione nostri alacriores effecti, continuo se miscentes adversariis, suprascriptum ductorem illorum necant, ruentibus cæteris, ut folia arborum vento * tempore hyemis. Ita B. Martyris auxilio * *deest* vento *A*.
viginti septem virorum impetu, cedentibus septingentis, sylva proxima quam sibi rebantur auxilio fore fugientibus, causa perniciei cœpit, furore Domini imminente, existere; nam frondes undique super eos cadentes plurimos vulnerabant, multos interficientes; quidam autem gemitu morientium, casu ramorum vel foliorum adeo terrebantur, ut magis certarent se fruticibus inserere, quam iter fugiendi arripere. Stupore igitur tantæ ultionis

circumquaque

A circumquaque territi hujus ecclesiæ adversarii, haud parvo temporis spatio passi sunt quiescere familiam eximii protectoris Bercharii.

Monachus apostata

26 Frater quidam Hugo nomine dictus, cujus mirificam visionem, simulque pia merita piissimæ Dei genitricis Mariæ, S. quoque Bercharii Martyris ab ipsius inferorum claustris manifestam liberationem scribere conamur, loco *h*. . . . . sub strenua monachorum disciplina, puer Deo fertur oblatus *i;* cui a primis annis vivere, ut libuit, majorum religio prohibuit, sed diversis artium exercitiis non mediocriter instruxit, et eorum rectos actus volens nolensve sequutus est, usque in tempora juvenilis ætatis, quando, ut illa fert ætas, nimis dissolute, ut libuit, vivere quæsivit. Sed quia religionis usus talia prohibendo compescuit, exosum tenuit, quod pie amare debuit, fratrumque, cum quibus fuerat altus, collegio posthabito, fugit Cathalaunum. Hujus tunc urbis pontifex Gibuinus, agnita ejus scientia, gratanti cum benignitate retinuit, impellens eum ad renovanda opera suæ ecclesiæ, quæ erant obnubilata multorum temporum vetustate, suarum opum ei tribuens fruendi liberum arbitrium. Ille vero dum hujuscemodi mortalis vitæ gloria fruitur libere, ultra modum cœpit oblivisci futuræ : sed amator benignissimus, qui omnes vult magis salvos fieri quam perire, mirabiliter revocavit laqueis mortis devinctum misericordissima sua pietate : nam prædictus antistes, cujus utebatur suffragio, ad consecranda mœnia templi SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Bercharii Martyris, cujus prima fundamenta, ut præmisimus, venerandus Asso abbas locaverat, ire disponens, Deo ordinante, secum duxit hunc sibi familiarem. Itaque prudentiam studiorum hujus auditu percipiens, honorandus abbas Berengerius cum suis ingenti supplicatione impetravit ab ipso eum sibi dimitti. Redeunte autem pontifice ad propriæ sedis cathedram, prædictus abbas fratresque hunc sibi favorabiliter relictum, in remoto diversorio cum sibi necessariis manere constituerunt, ubi ad votum cuncta ei etiam superflua (quod dictu grave est) miserantes *, formam crucis dominicæ jubent, ut noverant eum posse, formose componere : sed Salvator sæculi, qui lavit crimina mundi, non passus est, impune formari imaginem sui vultus ab ejus neglectis manibus, quem longanimi tolerantia jam expectaverat diu : nam componens effigiem crucis, dum formose in ea sculperet imaginem Redemptoris * pro redemptione omnium patientis, acri languore correptus ad extrema perducitur.

ad meliorem frugen reductus.

27 At vero oppressus supplicio vix tolerabili, lachrymosis supplicationibus auxilium fratrum implorare cœpit, ut eum quam citissime habitu monastico renovarent, sub quo confitebatur se vixisse, ut lupum sub ovina pelle fraudulenter. Fratres ergo, ejus vehementissimæ angustiæ compatientes, diversorium, in quo languens decumbebat, compleverunt lachrymantes, ac ferventi charitate, quod petierat, concesserunt regulariter. Invidus autem omnium bonorum et seductor animarum diabolus, cernens miserum jam reformatum indumentis dudum stolide spretis, diu conquestus injurias sibi inlatas ab ordine monachorum sacro eique odioso, infremuit in eum, renovans per multa machinamenta dolosum ac multiplex ingenium. Mox itaque cum immensa dæmonum turba, duo adsunt teterrimi, qui barbarico impetu irrumpentes domicilium ægri moliebantur, si foret possibile, violenter abstrahere miseram animam a corpore. In quorum contentione dum fierent moræ, Deo protegente, unus alterum arguit, cur inducias darent pro qua venerant animam rapiendi; cui cum responsum opponeret, quod præclarissimus Dei Martyr Bercharius, cujus sacra ossa inibi tumulata venerabantur, eum protexerat, alter se non posse respondit, quoniam videret eum munitum viatico Corporis Christi, et defendi precibus monachorum ipsius Martyris Bercharii. Sed, dum prolongata altercatione, horrifico strepitu terrerent miserum, subito et mirabiliter ipsi ægro patienti cernentique hæc omnia, apparuit manus sola, quæ eis ineffabili misericordia fecit dividuum atque aufugium, sic imperiosa Dei auctoritate liberans viribus defectum : Beata siquidem Dei Genitrix et vere Beata omni refulgens pietate, dum piissimis auribus attenderet querimonias fratrum, exitum ægri orationibus præmunientium, non distulit mittere unici protectionem ad sustentandam imbecillitatem infirmi. Ipsa quoque Archangelorum Domina non multo post venit, sua benigna pietate manifeste visere dissoluta membra infirmi, ne raperet malignus, quem sacro sanguine suo Jesus Christus ejus redemerat filius : nam in titulo crucis, qui stabat ad pedes artificis decumbentis, subito visus est illucescere globus æthereus, lacteis involutis circulis, et condecoratus per designata loca radiantibus stellis. Hic visus est mirabiliter, Deo cooperante, in binas partes dividi, ejusque in medio cœlestis regina subtili et ineffabili veste fulgere, ut nulli foret dubium Genitricem Dei esse : in cujus apice, dum tam sancta micaret beatitudo, descensum fecit per mediam crucem a summo usque ad imum, strata via auro, residens (quia domina) in filii solio. Tunc fratrem, non minus attritum gravissimis languoris tormentis quam dæmonum insidiis, virgo piissima talibus dignata est roborare alloquiis : Ecce miser homo, meis et famuli sui Bercharii precibus filius meus ad misericordiam flexus, tibi pœnitentiæ indulsit tempus, ut ad locum in quo Deo et Sanctis ejus oblatus fuisti rediens, vitam deinceps ut expedit corrigas. Hæc dicens, protensa manu misericordiæ, perturbato dæmonum agmine, eum erexit et reliquit bene se habentem, ac quæ pertulerat conspexeratque astantibus flebiliter referentem.

* ministrantes *A.*

* Salvatoris *A.*

ANNOTATA.

a Bar-sur-Aube, Département de l'Aube, *oppidum non ignobile ad Tricassinam diœcesim pertinet.*

b *Lacunam nullius manuscripti ope explere nobis licuit.*

c Salex *fortassis* Saucy, *qui locus Barro adjacet.*

d Villa Carceralis *mihi ignotus locus, sed qui non videtur a Dervensi cœnobio multum dissitus.*

e Crispiacus villa *videtur esse vicus, quasi medius inter Breonam castrum* (Brienne-le-Château) *et Dervense cœnobium : fluviolo* Brevonne *insidet.*

f Pagus Pertensis, *etiam* Pertisus *et* Portensis *dictus, in quo jacet* Puteolus *seu Dervum monasterium, ut constat ex charta Ludovici Pii,* data XIIII kal. Martii anno Christo propitio XVIII imperii Domni Lucdowici piissimi Augusti, Indictione X. Actum Aquisgrani palatio; *in qua dicitur :* Haudo venerabilis abba Monasterii, cujus vocabulum est Ders, quod constat constructum in pago Pertense super fluvium Viera (*La Voire*) quod olim vocabatur Puteolus, *etc.* (*a*).

(*a*) D. Bouquet, t. VI, p. 575.

g Beringerus

A g Beringerus *erat* XIV *abbas Dervensis; vide elogia tum* Brunonis, *Lingonensis episcopi, et* Gulielmi I, *abbatis S. Benigni, in Gallia Christiana* (*a*).

h *Hiatus in omnibus, quos novi, codicibus exsistit.*

i *Ex consequentibus videtur Hugo, apostata, in Dervensi monasterio olim professus non fuisse.*

Cap. V. *Alia miracula S. Bercharii.*

Opus servile die festo exercens punitur, et sanatur.

Feriatus quidem dies fuerat, vel sicut, qui illius temporis supersunt plurimi, protestantur, sacratissimi Jesu Christi Martyris Laurentii sollemnitas totum orbem gaudio repleverat. Qua die quidam homuncio miserandus, nescius sibi, sed irrationabiliter uti asinus vivens, messis campum, quo immitteret falcem, ingreditur, dumque insisteret incisioni, unus ex manipulis intrinsecus manui affirmatur, quem nullo modo valuit abjicere, quoniam nec manum aperire poterat, neque unam ex spicis quas duricies manus articulis impresserant B expellere quibat. Angustia itaque ingenti perterritus, ad mansionem gressus dirigit, gestans vicinorum gregi admirationem, et Dei rebellium inobedientiæ ostentaturus confusionem. Vicinorum itaque animatur consilio, ac diversa jubetur circumire loca Sanctorum. Expetiit S. Mametem *a*, *a* Lingonis monachorum gemmam, et Martyrum glorioso agmine septum Desiderium *b*, *b* simulque cœlestes Geminos *c* cum innumerabilibus circum- *c* quaque Sanctorum meritis. Deinde perlustravit Trecis Sanctorum Martyrum Saviniani *d* et Pa- *d* trocli *e* sepulchra, cum cæteris multis quos enume- *e* rare longum est, inter quos, ut in cœlo lucifer, coruscat felix Lupus antistes *f*. Hi autem et alii *f* Sanctorum spiritus sicut ante conspectum divinitatis summæ audierant deliberatum, quoniam alterius officium existeret, exaudire distulerunt hujus hominis preces. Verum Jesus noster, qui agmen suorum magnificat, hujus appulit sua pietate animum, quatenus non infimi Martyrum Bercharii efflagitaret ad hanc necessitatem merita : dum enim volens intrare cortem, venisset ad pontem, qui de parte pratorum venientibus præbet ingressum, supraque conaretur ascendere, vespertinale signum C ilico forte sonuit, atque angustiatus homo sic ore clamavit : Senior S. Berchari, succurre huic meæ necessitati. Ad hanc vocem manus relaxatur, ac spicæ cadunt humotenus, quas collegere consequentes, et cum homine lætificato senioribus perferunt, quos dum cantare habebant vespertinales hymnos, cœperunt psallere matutinales, siquidem Te Deum laudamus. Spicæ autem ad hujus rei testimonium multo tempore in hac ecclesia pependerunt, et in loco ubi ceciderunt, invito portatore, usque ad hæc nostra tempora crux erecta mansit.

Milo raptor punitus. *g*

29 Milo nomine quidam miles terram de thesauro S. Petri, in Baldulficorte *g*, ut causa advocationis teneret, invasit, quam magis comprimebat, quam defensabat. Multotiens super hoc abbatis jussu ammonetur a seniore, cujus providentia thesaurus regebatur, sed dum nullam honori superno reverentiam pertulit, febre valida corripitur : cum autem ex nulla parte posset remedium excipere ad B. patris Bercharii veniens subsidium, se confitebatur reum et invasionem possessionis non facturum : mox ab infirmitate convaluit : et post aliquantulum temporis relicta complectitur, prædictus D dolor ac amplior eum arripuit, et, ut prius, promissa emendatione, ante Sanctum se reddidit culpabilem et assecutus est sanitatis gratiam : veritas namque dixit : Qui quærit invenit. Is mortem prosequebatur et repperit, nam tertio Beati Martyris bona absorbuit, et triplex dolor eum contrivit. Coactus ergo restituit Sancto quod invaserat, et jurejurando non facturum amplius promittebat : Deus autem, ut scriptum est, ne ab eo deinceps derideretur, vivendi finem illi largitur : antequam vero moreretur, mandavit ut misericordiæ patris corpus suum ferretur, quod et factum est, et intra ecclesiam sepultus. Recipiens ecclesia res suas solide possedit usque ad hæc nostra tempora, donec ut plurima Stephanus eas dolo obtinuit.

Cæcus sanatus :

30 Locus piscinæ, quo impius Daguinus, velut occultandum quod S. Bercharium percusserat, dejecit cultellum, priscis temporibus adeo oblivioni erat traditus, ut intecta * humo par esset totius claustri planitiei ac prato, neque aliquis valde seniorum ipsum perfecte noverat. Extitit autem vir quidam in ipsis Aquitaniæ partibus, a quibus extitit oriundus sæpe memoratus provisor noster Bercharius, qui mulctatus cæcitate angebatur non modice, assiduis E precibus petens misereri sibi a Deo omnipotente. Monetur itaque per somnum, ut S. Bercharii in saltu Dervensi adiret cœnobium, ibique perquireret, quo projectum nataverat ejus occisionis ferrum; certus ex ipsius aqua sibi lumen posse restaurari, cæcitate depulsa. Hac visione animatus prædictus cæcus, iter jussum ingressus, hoc ad monasterium pervenit, narrans quæ sibi fuerant dicta fratribus ac abbati : qui retulerunt se nescire certius locum ulla ostensione antiquorum. At ille plenus fide obsecrat, ut duceretur intra claustra, indicaretur ve sibi locus cognitus vel aliqua fama. Quid multa? veniens ad locum, fodere terram manibus cœpit. Hujus fratres cernentes fiduciam animi, vocatis famulis, jusserunt ut ipsa humus foderetur ei. Nondum mensura trium pedum in profundo terræ effossa fuerat, et ecce cæcus manum ad fossam applicuit, et terra humida orbes oculorum liniens, mox diu desideratum recepit lumen.

* recta *A forte* injecta

movens Sancti Reliquias increpatur.

31 Nocte quadam, dum unus fratrum custos videlicet ecclesiæ lecto membra reclinasset, cœpit intra se cogitans revolvere, si Sancti corpus, quod super debilem materiam jacebat, casu inde cecidisset, ingens peccatum omnibus adesset : hinc timore F perculsus, eadem hora a lecto egreditur, summa cum devotione præparatus, ad sanctum altare ascendit, et B. patris ossa super ipsum deposuit : qui fusa oratione et amota casus sollicitudine, dormitum cum accepta securitate vadit. Cui mox adest B. pater Bercharius, et baculo quem tenebat manu, sicuti narrare solebat, cum fremebundo vultu tangens eum vocavit. Quem prædictus custos aspiciens, tremendo interrogat : Quis es tu Domine? Ad quem Beatus cum increpatione hæc intulit : Ego sum ille, cujus super Creatoris et Salvatoris nostri Domini Jesu Christi mensa corporis composuisti cinerem. Ergo propera surgens, et inde corpus meum ad priorem transvehito locum. An nesciebas quod ubique regnet Domini nostri potentia, et super timentes se illius semper sit custodia? Ex hoc idem senior excitatus, sanctissimos artus in priori loco pro jubentis relocat imperio : et quia tempus noctis urgebat, somno potiturus iterum repetit cubile. Tunc secundo venit ad eum benedictus pater Bercharius dicens : Quia simplici mente hæc

(*a*) T. IV, col. 548 et 675.

fecisti,

A fecisti, et ut sacra curares jussum fuerat tibi abbatis tui, cessum est severitati : unde confitens hoc illi revela, simul castigatione adsumpta, nequaquam tale aliud præsumas.

easdem transferentes increpantur :

32 Vicus est quidam non longe ab hoc monasterio, cujus nomen nunc designare non cupio, qui non raro habitatore colebatur, et omni ubertate : in quo quidam extitit sacerdos, cui ea intentio assurrexit, ut de hoc patre nostro ac protectore Berchario Reliquias deposceret, et in ejusdem vici basilica reconderet, quod sua perquisitione diffidens assequi, ad tanti negotii supplementum copulavit sibi quendam in hoc suburbio manentem clericum, quemque si non propalo nomine, tamen cunctis notus agnoscitur familiaritate. Itaque obtentis Reliquiis, presbyter detulit, et in prædicta condidit ecclesia. Nocte igitur sequenti is, qui compos repedaverat, et clericus qui impetrator fuerat, clementi per visum correctione percelluntur, audientes

*locus mutilus

quod tanti patris benedictione, * indignum oppido excepissent, suppresserant inde non per Dei imperium. Secunda siquidem nocte admonentur denuo, et tertia dum fuere ammoniti, pro nihilo sunt arbitrati. Ecce postquam fuere a somno excussi, tanta

B eos inquietudo pervasit, ut in die nulla eis accederet comestionis delectatio, et nocte dum protinus oculis admisissent somnum, ambobus aderat quidam horror, quo ad requiem non sinebantur nisi momento, unde acrius attererentur. Igitur dum per dies octo tali detinerentur tormento, persona clericalis presbyterum coactus petiit, visa et perpessa pandit, qui rursus eadem se confitebatur patientem, ac percunctatur congruum hujus calamitatis remedium : unde illorum neuter nihil salubrius quicquam arbitrantes, benedicti patris quam quod redderentur pignora : secundus quamquam cum enormi reddidit mœstitia. Clericus ea deinde suo adhuc differens loco restituere, recondidit intra monasterium : domum ergo revertitur, optata ut jam salute potiretur; sed, eodem testante, amplius solito priori perturbatur incommodo. Aliquantis namque diebus his angustiis compulsus, indicat seriatim ædituo, quidquid sibi accidisset cum presbytero, et quidquid solus præsumpsisset, quamque nunc proinde maceratur atrociter. Quid ultra? verissime credito mihi : multotiens est ut reciperentur oratum, quam primo ut largirentur quæsitum. Redditur utrumque : et B. patris memoria quæ usque

C hodie servatur sepositа, et perditæ sanitatis officium ostentans hominem sanum. Itaque post dierum paucitatem villæ domini hostes combusserunt basilicam, ac deinde post aliquantulum temporis evelluntur ab ipso etiam vico incolæ, suarum merito quarumdam præsumptionum.

Aireyas solemniter defertur corpus, h

33 Gloriosus rex Robertus, apud villam Aireyas nomine noscitur concilium habuisse *h;* ubi cum innumeræ plebis multitudines diversi utriusque sexus et ætatis concurrerent, ad cumulandam quoque populi proficiscentis devotionem, plurima Sanctorum corpora a fidelibus viris advehi cœperunt : inter quorum veneranda pignora, seniores nostri de sacro patroni nostri corpore non ignotas detulere Reliquias convenienter in feretro, ad earum translationem præparato. Factum est autem, ut super quodam comite, Landrico nomine, nostri seniores facerent ob prædia B. protectoris nostri, quæ comes prædictus invaserat, proclamationem : unde indignatus, pretiosissimi patris Reliquias diripere cogitabat, autumans in feretro esse sanctissimum corpus sicut nostrates exterius testificabantur. Non ergo regis potentiam veritus, quoniam ipse rex mitissimus præ cunctis existebat, et magis mansuetudine quam feritate suos vincere cernebat : idcirco direptionem sancti corporis perpetrare satagebat, quatenus non reddendi occasionem haberet injuste pervasa, cum possideret hæredem simul et hæreditatem. Post vero tanta spatia itineris, venerunt ad aquam, quæ Urmuntio *i* dicitur : antequam ad castrum Florentini accessissent invenere transitum difficilem, nam crepido laticis profunda reperitur, et pons etiam soli homini strictissimus, ideoque equites ad transfretandum excipere non audebant, ne forte ab humeris eorum laberetur : pedites vero, qui solebant ferre pro strictura pontis, non quibant conducere, quoniam minus quatuor peditibus feretrum ferri non poterat.

qua occasione novum accidit miraculum :

34 Ergo dum meditari vellent, qualiter illius amnis transirent cursum, metus eos invadebat, ne hostis persequeretur, dum ob feretri onus equites et pedites aqua proturbaret. Tunc per ammirabilem patrem et protectorem nostrum, antiqua et divinitus jussa replicantur miracula. Nam sicut dictum est, * portitores et secutores Reliquiarum

* *supple* cum

Sancti multum et diu turbarentur, unus ex eis velut quondam Moyses eos adhortatus est dicens : Eia charissimi commilitones et Beatissimi hujus E Domini nostri devotissimi servientes, pedibus transeamus per aquam, securius transferentes tam preciosissimæ mercis pondus nostris humeris. Ad illius exhortationem et Dei nostri jussionem relinquentes pontem, et ex his quatuor pedites collo feretrum apponentes, transierunt per prædictum amnem. Cum autem usque ad renes in fluvio fuissent, et absque impedimento egressi sunt, et amplius exsiccati quam fuissent ingressi, reperti sunt. Unde non solum ex nostris orta est exultatio, sed et ex his qui nostrorum comitatui se junxerant magna laudatio. Cucurrit etiam non parva multitudo audientium et ex vicis circumjacentibus ad hoc miraculum. Tempore quodam extitit ita hominum pergrandis mortalitas, ut plurimi, uno in die, uno in loco, obirent. Factum est, ut hac de causa utriusque dignitatis homines, Sanctorum quærerent suffragia, unde multi patris optantes adminiculum petiere, ut eis perduceretur ejus sanctissimum corpus. Inter quos quædam potens persona obtinuit legatione sua, ut super Blesam *k* *k*

deferretur, quo procederet ipse obvius comitante populorum multitudine. Glorificandi patris illo delata sunt membra, ubi undecunque et populi mul- F

titudo, et advenientium irruit magna devotio. Prædictæ personæ dum præstolaretur adventus, remandavit non licere sibi obviam exire, facerent de reditu quod seniores vellent. Sancto tamen duabus illic noctibus custodito, et a confluentibus venerabiliter ad adjutorium sibi invocato, quique rediere in sua : sed occulto Dei judicio illi ad octo dies fuit terminus vitæ. Relatis itaque artubus Sancti, venit intentio villæ rusticis, ut, ubi Sanctum manserat corpus, ad memoriam tantæ benedictionis, quam per ipsius merita senserant, signum Dominicæ Crucis configerent : nam Sancti cinere advecto, fugit ipsa hominum mortalitas. Parata est materia cujus onere boves decem onerati fuere. Coloni advenere, crucem erexere, sed elevata apparuit in transverso. Quod cernentes rustica manus ingemuit et eorum unus magna voce intonuit : Si vere tanti patris huc fuit corpus delatum, istius crucis dirigam lignum; sicque directum est, et quod omnes nitebantur, ille solus constituit.

cæca illuminata :

35 Nequaquam recordor qua pro causa devotio compulit, quod cuncta congregatio ecclesiam S. Mariæ, quæ est Summaveræ *l,* petiit, ac illic patris *l*

AUCTORE ANONYMO.

glorificandi Bercharii gestavere membra : perrectum est enim sexta feria Pentecostes. Finita autem A oratione, post Antiphonam, quæ inchoatur ad introitum ecclesiæ, dum cœpit vulgus adventare munera ferens ad altare, mox ingens advenit ventus, cum quo surrexit turbo eximius. Verum multitudo populi sui *, quæ foris ecclesiam remanserat, quoniam non omnis introire valuerat, cum huc illucque aufugisset pro turbine, quædam mulier cæca inibi remanet, quæ continuo lumine est donata. Deinde nostri seniores, dum pro more vellent psallere rogationum preces, clamor attollitur pro re gesta populi, qui modulamina et preces cantatorum, coegit vertere ad jubilamina laudum. Nam ut surrexerunt, adclamantes omnes dicere : Te Deum laudamus, et applauserunt intonare : Ecce Sancta Dei Mater propalavit sæculo, quam sibi purissimo vel castissimo affectu Martyr Dei ac provisor nostri Bercharius servivit ejus filio. Ipsa quoque imperiosa genitrix merito deprecationem pauperum anticipat, quæ totius pietatis enixa est fontem; ac : Antequam me invocetis, dicam vobis ecce adsum, promittentem. Nam propter sui fidelissimi servi et nostri benignissimi domini Ber- B charii amorem, non est passa diu clamores sufferre populi, post tanti itineris laborem : felix grex et populus, quibus pater talis et pastor tribuitur. Finita deinceps hymnorum canoritate et Missa, ingenti cum veneratione Dei ministrum ac nostri provisorem retulerunt lætantes, qui advenerunt gementes, ad propriam sedem.

* sui *deest A. et C.*

Sancti intercessione

36 Miraculum, quod patrum nostrorum relatione cognovimus fuisse patratum a bono patre nostro Berchario temporibus priscis, quodque nostra ætate etsi dissimili modo, pari tamen virtute et merito factum, præsentibus vidimus oculis, nosse optantibus, velut poculum vini optimi propinamus : ut modernis id ipsum, si devotio fidelium poposcerit, et opportunitas temporum exegerit, non ambigatur posse fieri in futuris. Nostra ætate ab ipsis fere gloriosæ Dominicæ Resurrectionis diebus usque in natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut credimus peccatis mundi hujus exigentibus, cœli facies prætendebatur ænea, et terra induruerat ut soliditas ferrea, adeo ut hæc bina elementa mortalibus intentarent mortem, exhibentia minime, quæ oportet exhiberi ab eis opportuno tempore. Hoc igitur infortunio non modice pavefactis omnibus, C majores natu plebis hujus ecclesiæ in unum conglomerati, expetunt domini abbatis Brunonis præsentiam, postulantes concedi sibi B. patris Bercharii corpus, quatenus liceret eis per agros suos et confinia famulari bajulatione illud circumferre, ut suo sancto interventu propitiatio cœlestis subveniret afflictis. Tali ergo prece efflagitatus, immo evictus domnus abbas cum senioribus, annuit eis, insumpsitque id fieri prænominata die SS. Apostolorum Petri et Pauli. Veniente autem die hujuscemodi insumptionis, explicitisque matutinorum jubilationibus apostolicæ sollemnitatis, cum præcepto domini abbatis, quidam e fratribus deposuerunt feretrum continens cœlestem margaritam de loco pausationis, ut acclamanti populo exhiberetur, ut præscriptum est, bajulandum.

opportuna pluvia impetrata.

37 Liquet huic Martyri nostro tunc competisse, quod de quibusdam Sanctis dicitur, quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt *m*, nam eadem nocte cœpit cœlum nubibus obnubilari, et pluviæ guttas terris infundere. Sed ne glorificatio tanti luminis habitantibus nostra ætate in domo Domini occuleretur, sed magis in propatulo exhiberetur, lu- D cescente aurora post crepusculum, sol rutilus jubar suum mundo huic pleniter invexit. Hora autem tertia, qua creditur Spiritus Sanctus fidelium mentes implevisse sua gratia, assunt multi populi in atrio et in ecclesia, in foro et per platearum compita obsecrantes, ut, respiciente eos de cœlo divina misericordia, gestare mererentur patris sui membra sanctissima, gestandoque impetrare de tribulatione tunc præsenti suffragia. Tunc munus Domini optatum tandemque collatum suscipientes a fratribus, egrediuntur ecclesia. Læta catervatim currit plebs corde fidelis, nec desunt patres nec matres nec juniores. Portatur pater sanctus per servorum suorum confinia, pulsansque pro eis prece ad valvas sublimis misericordiæ, confestim obtinet postulata pro bajulantium semetipsum inopia. Mira canam verbis, optoque tradere scriptis. Cum autem a fratribus et populis præeuntibus et subsequentibus pater sanctus portaretur, iterum cœpit obducere Omnipotens cœli faciem nubibus atris, et quasi minaretur et diceret velle se pluere sed differre, ne bajuli sui dilecti cum obsequentibus impedimentum objiceret. Tandem expleto itinere devotæ processionis, cum ambitum templi replesset populus, et E facto silentio pulsatisque signis, concentores imposuissent introitum Missæ apostolicæ solemnitatis, ecce respectus misericordiæ cœlestis, qui demisit largitatem suæ benignitatis. Nam duritia cœlorum benignum suscepit a secretioribus imperium, rorem mittens dulcifluum, quo resoluta nubium tenacitas in largitate diu negatam terræ infudit abundantiam, terraque frugum suarum desideranti plebi parturivit copiam. Tantis ergo ac talibus tamque evidentibus miraculis refrenat, concludit, obstruxit Dominus ora loquentium adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione, largiens magna multitudine dulcedinis suæ quod absconderat timentibus se.

ANNOTATA.

a *Acta S.* Mamantis *seu* Mammetis *vide ad diem, quo colitur,* XVII *Augusti* (*a*). *Non plane perspicio cur S. Mammetem Anonymus noster appellet* monachorum gemmam, *cum Acta de monachatu taceant. Qui in collectione hagiographica sub nomine Alb. Butler gallice edita Vitam S. Mammetis legerit, sibi* F *persuadere posset hujus Sancti cultum ante sæculum* XIII *Lingonibus cognitum haud fuisse : sed perperam id fieri, tum ex Anonymo nostro, tum ex Actis Bollandianis manifestum est.*

b *S.* Desiderius, *tertius episcopus Lingonensis et Martyr colitur die* XXIII *Maji, ad quem diem ejus require Acta* (*b*). *Eadem quoque reperiuntur in libro, cui titulus gallice est :* Annuaire ecclésiastique historique du Diocèse de Langres, année 1838 (*c*); *quem librum, maxime nobis utilem, dedit bibliothecæ nostræ hodiernus Lingonensium episcopus Illustr. D. Petrus Ludovicus Parisis.*

c Gemini, *de quibus hic agitur, sunt tergemini fratres Martyres* Speusippus, Eleusippus *et* Meleusippus, *qui die* XVII *Januarii Lingonibus coluntur; ad quem diem eorum Acta require apud Nostros* (*d*).

d Savinianus *seu* Sabinianus, *Martyr Trecis, colitur* XXIX *Januarii, ad quem diem Acta ejus explicantur* (*e*).

e Patroclus, *et ipse Trecis passus, colitur* XXI *Januarii. Ejus Acta ad illum diem leguntur* (*f*).

(*a*) T. III Augusti, p. 423. — (*b*) T. V Maji, p. 242. — (*c*) p. 31. — (*d*) T. II Januar., p. 73. — (*e*) Ibid., p. 937. — (*f*) Ibid., p. 342.

f *S. Lupi*

A f *S. Lupi episcopi Trecensis et Confessoris Acta apud Nostros sub die* XXIX *Julii excusa sunt* (*a*).

g *Num fortassis* Blecourt, *qui vicus Dervensi monasterio adjacet? Milo iste volebat occupare terram, quam dein reddendo Dervensibus, sibi obnoxiam faceret titulo advocatiæ.*

h *Conventus Airiacensis anno* 1020 *celebratus fuit* (*b*). *Vitio typothetæ apud Mabillonium legi credo hunc locum ad diœcesim* Augustodunensem *pertinuisse, cum sit episcopatus* Autisiodorensis. *Vid. Comment. prævi. n.* 5.

i *Legendum probabilius* Armuntio; l'Armançon, *vel* l'Armance *fluvius est, qui Semurium et castrum S. Florentini* (St Florentin) *alluit, et in Icaunam* (l'Yonne) *labitur prope Autisiodorum. Vulgare habetur proverbium :* Mauvaise rivière, bon poisson. *d'Expilly* Dict. géogr. de la France *art.* Armançon. D

k Blesa (la Blaise) *fluviolus ad orientem Calvimontis* (Chaumont) *scaturit, et post ambages duodecim leucarum in Matronam prope Vitriacum* (Vitry-le-Français) *illabitur.*

l Summavera (Sommevoir) *habet etiamnum ecclesiam suam parochialem dedicatam sub titulo Nativitatis B. Mariæ Virginis.*

m *Hæc verba leguntur in Antiphona ad* Magnificat, *in secundis vesperis festi SS. Joannis et Pauli Martyrum die* XXVI *Junii.*

(*a*) T. VII Julii, p. 51. — (*b*) T. IX Conc. Labbe col. 842.

DE SANCTO AMBROSIO

B

CADURCENSI EPISCOPO ET CONFESSORE. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Memoria Sancti in fastis sacris et ejus cultus.

CIRCA ANN. DCCLXX. *Memoria in sacris fastis :*

Usuardus, variaque Adonis apographa Sancti Ambrosii *memoriam hac die recolunt; sed inter se non conveniunt circa varia adjuncta, quæ hodiernam annuntiationem circumstant. Nam in Adonianis apographis, a Dominico Georgio extra textum Adonis puri allatis, sub die* XVII *kalendas Novembris, habetur* (*a*) : Apud Bituricam civitatem, natalis Sancti Ambrosii, presbyteri et confessoris : *Fuldense quoque Anonymi Martyrologium, quod teste laudato Georgio* (*b*) *sæc.* X *conscriptum fuit, Sanctum annuntiat his verbis* (*c*) : Natalis Sancti Ambrosii presbyteri et confessoris. *Insuper et Usuardus, qualem edidit Sollerius noster, habet :* In territorio Bituricensi, Sancti Ambrosii confessoris; *quia autem alio charactere adscribitur in Usuardo Molani :* episcopi Caturcensis, *ideo tamquam additamentum habet Molanus ipse, et, qui illum sequitur, Sollerius noster. Omnes itaque hi hagiologi eo modo loquuntur, quasi Cadurcenses infulæ S.* Ambrosio *adscribendæ non essent : verumtamen id silentium Sancti nostri episcopatui præjudicare non debet, quippe qui diserte asseritur in ejus Vita infra edenda; quæ quamvis coæva non videatur, ejus tamen est antiquitatis, ut fidem suam probare valeat circa præcipuum aliquod adjunctum vitæ. Sed præterea non omnino certa est Usuardina lectio, quam nobis exhibet Sollerius : nam ejusdem Usuardi Martyrologium Sincerum, quod tamquam ipsius auctoris* autographum *edidit Parisiis anno* 1718 *monachus Ordinis S. Benedicti Sammaurinensis, D. Bouillard, alio modo legit, scilicet :* In pago Bituricensi, Sancti Ambrosii Caturcensis episcopi. *Hanc lectionem* veram *quidem pronunciat Sollerius,* sed alteram, *ait,* quæ nostra est, vere Usuardinam existimo. *Non vacat nobis in merita alterius lectionem operosius inquirere; præsertim cum ipse laudatus Benedictinus fateatur annuntiationem S.* Ambrosii in litura positam *esse. Aliunde, ut jam prædiximus utque enucleatius infra monstrabimus, nobis constat Sanctum nostrum Cadurcensem cathedram occupasse. Jure igitur merito Romanum Martyrologium, a Baronio concinnatum, hodie annuntiat :* In territorio Bituricensi Sancti Ambrosii episcopi Caturcensis. *Parisiense quoque Martyrologium jussu Card. de Noailles, et Autisiodorense jussu Caroli de Caylus editum episcopatum Cadurcensem S.* Ambrosio *adscribit, dicens :* Apud Bituriges, depositio Sancti Ambrosii episcopi Cadurcensis. *Ita ergo Adoniana apographa, quæ Sanctum simpliciter* presbyterum *appellant, interpretari oportet, ut salva tamen maneat ejus episcopalis dignitas : nisi proinde interpolatorum ignorantiæ hunc tituli errorem assignemus, dicere necesse fuerit, ideo vocari simpliciter* presbyterum, *quia, deposita episcopali dignitate, ad inferiorem hunc ordinem se sponte sua redegit.* C F

fundata etiam sub ejus patrocinio

2 *Quæ de Martyrologiis hactenus diximus, abunde demonstrant S.* Ambrosii *cultum, licet non valde extensum, firmissimis tamen niti fundamentis. Ejus memoriam colit Ecclesia Cadurcensis ritu, ut vulgo dicitur,* semiduplici, *juxta hodiernum Breviarium Cadurcense : olim vero ritu* duplici *celebrabatur S.* Ambrosius, *uti habemus ex* Proprio Sanctorum *ejusdem diœcesis : utriusque legendæ apographum benigne nobiscum communicavit R. D. Layrac, secretarius diœcesis Cadurcinæ : ejusdem cultus antiquitatem probat Vita,* Sanctorali Cadurcensi *illata, quam exhibet Gulielmus de la Croix in suo libro :* Series et Acta episcoporum Cadurcensium. *Propter Sancti sepulturam et monasterium aut capitulum*

(*a*) Martyrol. Adonis. Romæ 1745, p. 531. — (*b*) Ibid. Præf., p. XV. — (*c*) Ibid., p. 671.

sub

AUCTORE J. V. H.

A *sub ejus invocatione fundatum, festum diem agit quoque diœcesis Bituricensis, ritu probabiliter* semiduplici : *nam Kalendarium liturgicum Bituricense, quod coram habeo, est anni* 1831; *et proin propter concursum diei Dominicæ cum* XVI *Octobris, solum Sancti præscribitur memoria. In Breviario Bituricensi jussu Rolandi Habert, archiepiscopi, anno* 1625 *edito, cujus apographum in quodam codice partim manuscripto, partim typis excuso, et varia* Officia propria *diœcesium Galliarum continente, in usu habemus, festum S.* Ambrosii *celebratur ritu* duplici *et sequens recitatur oratio :* Concede quæsumus, Domine, fidelibus tuis Sancti Ambrosii Confessoris tui atque pontificis digne celebrare solemnia, ut ea quæ fideliter exequuntur, et hic experiantur auxilio et æternis affectibus apprehendant. Per Christum. *Canonici tamen Regulares Congregationis Gallicanæ, quorum erat S.* Ambrosii *ecclesia, patroni sui festum celebrabant die* XVIII *Octobris, ut ad nos scribit R. D. Figier canonicus et secretarius archiepiscopatus Bituricensis, litteris* XXII *Novembris* 1840; *a quo alias quoque egregias circa S.* Ambrosium *notitias accepimus. Argumentum etiam cultus validissimum nobis præbet cœnobium*

B *cum adjuncta ecclesia sub ejus invocatione fundatum aut potius instauratum a Gaufrido, Nobili dicto, vicecomite Bituricensi. Exstat charta hujus rei inter Instrumenta Ecclesiæ Bituricensis in Gallia Christiana* (*a*) : *atque ex illa clarescit dictum Gaufridum ecclesiam S. Petri et S.* Ambrosii *non tam fundasse, quam eidem reddidisse quod amiserat : ita enim loquitur :* Anni sunt transacti ab institutione Incarnationis Dominicæ usquequo hæc carta acta fuit, mille duodecim. . . . Idcirco Deo omnipotenti gratias refero ego Gaufridus, vicecomes Bituricæ civitatis, qui me prospicere et videre facit salutem animæ meæ et honorem corporis mei, dum locum S. Petri et S. Ambrosii, qui in illius ecclesia requiescit, in honore et stabilitate reducere volui ; ad ipsum enim locum B. Petri Apostolorum principis ex bona voluntate REDDO ego Gaufridus et uxor mea Eldeburgis et filii Gaufredus et Madalbertus et fratres meæ uxoris Odo et Ebbo pro remedio animæ patris meæ uxoris Radulfi et pro remedio animarum nostrarum omniumque parentum nostrorum, annuente rege Roberto, episcopo autem Dacberto firmante, terras quæ ad ipsum locum pertinent, videlicet has. . . . . DONO ETIAM EX MEA PROPRIE-

C TATE duas nundinas, unam scilicet in festivitate S. Petri de mense Junio et alteram in natale S. Ambrosii et unamquamque per septenos dies totidemque noctes, *etc. Videntur bona, quæ Gaufridus reddit ecclesiæ illi obvenisse ex hæreditate seu dote Eldeburgis, siquidem illa restituat ex voluntate dictæ uxoris suæ fratrumque ejus, et pro remedio imprimis animæ Radulfi patris ejus : cum vero significat se aliqua* reddere *ex bona voluntate ecclesiæ, aliqua autem se* donare ex sua proprietate, *satis demonstrat dictam ecclesiam suis dotatam bonis olim exstitisse, et proinde se non tam fundatorem quam instauratorem esse. Immo vel ante obitum S.* Ambrosii *jam templum illic fuisse probat sepultura Sigini, Bituricensis episcopi, paulo post medium sæculum octavum defuncti, cujus epitaphii fragmentum citatur in Gallia Christiana* (*b*) :

Hic jacet ecclesiæ pastor, fidusque maritus.
Abscondit durus viscera cara lapis.

Bituricensis collegiata ecclesia.

3 *Quam tamen S.* Ambrosii *ecclesiam fundavit sive instauravit Gaufredus, sæculare canonicorum capitulum fuit magis, quam regularium monasterium. Nam laudata charta permittit uniuscujusque canonici arbitrio suam præbendam, ita ut illam vel alteri canonico dare, vel relinquere possit; quæ libertas longissime abest a rigore vitæ religiosæ. En verba Gaufredi :* Reddo autem et illis (*canonicis*) quicquid ad altare illius S. Petri et ad omnem illam ecclesiam venerit, sive in auro, sive in argento, seu terras, seu luminaria, vel omnes res quæcumque venerint vel datæ fuerint; concedimus illis canonicis quantum numerum illis placuerit addere, vel a cœtu tollere propriæ congregationis, in ipsorum maneat jure vel potestate; præbendas quoque ipsius loci eisdem canonicis ea lege concedimus, ut nullus episcopus, nullus abbas, nullus homo illas umquam vendere, aut dare aut tollere præsumat. Sed unusquisque canonicus potestatem habeat præbendam suam alteri canonico dare vel relinquere per consilium aliorum canonicorum, qui in eodem loco reipsa deserviunt. . . . Facta est hæc largitio III Non. Augusti, regnante Roberto rege anno decimo, præsidente in cathedra Bituricensis Ecclesiæ Dacberto præsule anno octavo. *Hæ tamen notæ chronologicæ non conveniunt inter se neque cum anno Christi* 1012. *Dagbertus enim episcopatum Bituricensem adeptus est probabilius novem integris annis antequam Robertus, mortuo anno* 996 *Hugone Capeto patre suo, regnum Franciæ adierit : proindeque annus* decimus *Roberti concurreret potius cum anno* decimo octavo *pontificatus Dagberti. Sed neutrius anni conveniunt cum anno æræ vulgaris* 1012, *sed potius cum anno* 1005 *aut* 1006; *quam chronologiam adoptavit Gulielm. de la Croix in suo libro de Scric et Actis episcoporum Cadurcensium* (*c*). *Cum vero has tricas enodare, neque tempus, neque subsidia aut etiam rei momentum sinant, sufficiat hic indicâsse chartam Gaufridi, et proinde instaurationem ecclesiæ S.* Ambrosii *intra primum duodennium sæculi undecimi constituenda esse. Capitulum S.* Ambrosii *Bituricense decursu temporis a statu sæculari ad regulare canonicorum S. Augustini institutum translatum fuit sub Petro de Castra, archiepiscopo, anno* 1151 (*d*), *ut infra pluribus demonstrabimus.*

Acta quæ infra edentur

4 *Acta S.* Ambrosii *quatuor potissimum monumentis continentur : quorum duo, lectiones sunt antiqui Breviarii Bituricensis et Sanctoralis Cadurcensis, et inter se satis conveniunt, ut historicam narrationem ab invicem mutuata videantur. Tertium*

F *monumentum est hymnus rythmicus, quem nobis exhibet Gulielm. de la Croix* (*e*). *Nihil habet, quod alia scripta non referant : quin et in narratione sua solum ea complectitur, quæ Sanctus Cadurcis gessit, nulla facta mentione itineris Romani aut Turonensis, mortis vel sepulturæ Bituricis; postquam igitur retulerit, quomodo beatus pontifex in spelunca detectus, ex illa exiverit, populo deprecante, ut regimen Ecclesiæ suæ resumeret, desinit hymnus brevi oratione ad Sanctum* Ambrosium :

Ambrosi, pie confessor,
Esto noster intercessor,
Esto noster advocatus,
Quibus judex est iratus.

Quartum monumentum est Vita S. Ambrosii, *stylo quidem fusiori, simplici tamen conscripta : hanc edimus infra ex Bibliotheca manuscriptorum Philippi Labbe* (*f*). *Cui tamen editioni addemus lectiones variantes, maxime e codice Christinæ reginæ Sue-*

D E

(*a*) T. II Instr. col. 49. — (*b*) T. II col. 19. — (*c*) p. 34. — (*d*) Labbe Bibl. MSS., t. II, p. 58.—(*e*) Ser. episc. Cadurc., p. 36. — (*f*) T. II, p. 347.

ciæ, quas excerpsit accurate, ut ipse testatur, noster Joan. Bollandus, quasque reperimus in scriniis Bibliothecæ

A *bliothecæ regiæ Bruxellensis. In hoc autem codice, quia recentior est Labbeano, sunt varia additamenta, quorum aliqua res gestas illustrant, atque cum iis quam maxime conveniunt : quare hæc subjiciemus Labbeano exemplari inter Annotata, aut textui in animadversionibus subjiciemus : breviores vero variantes, quæ in una alterave vocula addita, omissa, vel transposita consistunt, pro more nostro ad marginem textus primarii adscribemus, cum nota* RS, *qua codicem reginæ Sueciæ indicabimus. Hisce monumentis annumerari posset Vita S. Allogiosi, edita in Gallia Christiana* (*a*), *quamque Edmundus Martene ex codice octingentorum annorum eruit* (*b*). *Hujus Sancti, ajunt collectores,* alibi nulla habetur mentio : ex hac autem Vita non potuimus discere quo tempore vixerit : quapropter ejus Acta inter instrumenta rejecimus. *Nullus Cadurcis exstitit Allogiosus : simplex est nominis corruptio pro* Ambrosio : *ad verbum enim, si paucula excipias, Actis S.* Ambrosii *simillima sunt, ut vel obiter inspicienti patet.*

sat venerandæ sunt antiquitatis.

5 *Acta, quæ infra edemus, auctorem habent anonymum quemdam, qui quidem non indicat ætatem suam, nisi hisce verbis, quibus narrationem concludit :* B Discipulus vero (*S.* Ambrosii), Agrippinus nomine, sequutus est eum ubicumque ambulavit, et docuit omnia quæ scripta sunt. *Paulo aliter se habet textus reginæ Sueciæ :* Discipulus vero ejus, Agrippinus nomine, qui secutus est eum ubicumque ambulavit, docuit nobis omnia, quæ scripta sunt de eo. *Ex utroque textu elicere est, auctorem anonymum hausisse narrationem suam ex teste oculato, Agrippino scilicet, archidiacono Ecclesiæ Cadurcensis, Sancti nostri valde familiari, et solo qui secretæ secessionis ejus conscius esset. Est et aliud quod nativi quid et coævi redolet num.* 10 : *scilicet S.* Ambrosii *ex spelunca egredientis* barbam ad pectus *ejus descendisse* et fuisse quasi laicum, quia novacula in ipso triennio non ascenderat in caput ejus. *Hujusmodi imago, quæ rem levissimam ad oculum depingit, et coævis moribus aptissime convenit, vix meo judicio occurreret scriptori, qui rem vel coram non spectasset, vel a teste oculato illam non audivisset. Nam olim morem fuisse in Ecclesia Occidentali ut clerici barbam raderent, testatur imprimis S. Gregorius VII, lib.* VIII, *epist.* X, *ad Orzoccum, judicem Calaritanum* (*c*) : Totius Occi-
C dentalis Ecclesiæ clerus ab ipsis fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit. *Huic concinit testimonium Ratramni, Corbejensis monachi, scriptoris sæculi noni, qui lib.* IV, *cap.* V, contra Græcorum opposita (*d*) *dicit Græcos non vereri* de barbæ tonsione clericos culpare, non tantum Romanorum, verum omnium Occidentalium Ecclesiarum ; *et apte respondet :* Est quidem iste clericorum habitus (*tonsæ aut promissæ barbæ*) non uniformis cunctis Ecclesiis, sed pro consuetudine majorum varius atque diversus, nec hinc aliquando inter Ecclesias vel Occidentales vel Orientales contentio nata est, sed tenuerunt singulæ quod suis a majoribus suscepere, vel quod provinciarum usus potius approbavit. *Paulo tamen infra dicit :* Hunc morem sequentes clerici Romanorum, vel cunctarum fere per Occidentem Ecclesiarum, barbas radunt. *Unde datur intelligi pauculas in ipso Occidente exstitisse exceptiones : propterea tenenda non est lectio canonis* XLIV *Concilii Carthaginensis* IV, *anno* 398 *celebrati, qualem exhibet Molanus* (*e*) : Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat : *quasi prohibitum Africanis clericis fuisset tondere barbam. Etenim optimæ notæ codices, expungunt vocem :* radat (*f*) : *quo casu in rem nostram facit canon. Qui plura de hac disciplina cognoscere cupit, adeat Card. Baronium Annal. Eccl. ann.* LVIII, § CXXXVII *et seq. Porro antiquitatem laudatæ Vitæ S.* Ambrosii *certiorem facit silentium de altera Bituricas translatione, quum dicatur simpliciter actu requiescere in* Ernotro vico ; *dum constat ex n.* 3, *qualis legitur in codice reginæ Sueciæ, jam sæculo decimo corpus Sancti Bituricas translatum, cultum ibidem habuisse; quin immo sæculo præcedenti intra urbem delatas fuisse sacri corporis Reliquias propter Normannorum furores, satis probabile est, uti videbimus inferius. Atque hinc concludere licet codicem reginæ Sueciæ recentioris cujusdam manus esse, utpote qui circa finem translationem corporis adjungit. Labbeanus textus de Ernotro vico agens dicit :* Ubi corpus ejus requiescit in pace, ubi per eum Dominus virtutes multas ostendere dignatus est : *Codex vero reginæ Sueciæ habet : ubi* corpus ejus requievit. . . . postea jubente Domino translatum est corpus ejus prope Biturica civitate, et positus est in loco qui vocatur Bissiacus regnante D. N. J. C., *etc. Ex his* E *omnibus satis liquidum fit, a subæquali Anonymo esse conscriptam Vitam infra edendam.*

AUCTORI J. V. H. D

§ II. S. Ambrosii episcopatus et res in eo gestæ.

Tempus episcopatus S. Ambrosii

De ortu, juventute, rebusque ante episcopatum gestis *S.* Ambrosii *nihil referunt ejus biographi; nam quod innuit Vita, quæ perperam S. Allogiosi inscribitur, de qua supra n.* 4, *quasi S.* Ambrosius *ante episcopatum conjugatus, ab uxore sua tentatus fuisset, nullius est momenti, cum in hoc solo codice reperiatur, atque istic uncinis inclusum, nulloque nexu cum præcedentibus et consequentibus colligatum, adjectitium prorsus videatur. Quod vero dolendum est, nulla vetusta scripta produnt tempus, quo Sanctus vixerit; unde necessario fluctuat et epocha, qua episcopatum Cadurcensem suscepit, et qua diem suum supremum obiit. Sanctorale Cadurcense adstruit eum* tempore Pipini Francorum regis Cadurcæ urbis episcopum fuisse. *Atque in hoc tempus consentiunt catalogi episcoporum Cadurcensium. Verum non æque liquide constat, S.* Ambrosium *cathedram primum occupasse, postquam Pippinus rex Francorum anno* 752 *salutatus fuit, ut insinuat ex allato textu Sanctoralis Gulielmus de la Croix, dicens Sanctum vixisse post ann.* 751, *quo Pippinus in regem unctus est mense Martio; multi enim anni initium a paschali solemnitate ordiebantur. Verum is erat Galliæ status, ut nonnulla de viduatis Ecclesiis prævie advertenda videantur. Certum scilicet est ex epistola S. Bonifacii Moguntini ad Zachariam Papam anno* 742 *epist.* LI (*g*) *miserum valde fuisse Ecclesiæ statum in Gallia, præcipue sub Carolo Martello :* Franci enim, *ait,* plusquam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant aut renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates, episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus et publicanis sæ- F

(*a*) T. I Instrum. Eccl. Cadurc. col. 28.— (*b*) Ibid., col. 118. — (*c*) Labbe, t. X Conc. col. 258 et seq. — (*d*) Ap. D'Achery Spicil., t. I, p. 102. Edit. Paris. 1723. — (*e*) De Hist. sacrar. imag.. p. 302, not. *y*. — (*f*) Labbe, t. II Conc. col. 1203. — (*g*) Würdtwein Epist. S. Bonif., p. 106. Serar. Epist. CXXXII.

AUCTORE J. V. H.

A culariter ad perfruendum. *Ad hæc igitur mala ab Ecclesiis Galliarum avertenda, scribit S. Bonifacius Carlomannum, ducem Francorum, cui Austrasia gubernanda obvenerat, velle congregare synodum, in qua, quæ jam* longo tempore calcata et dissipata *fuerant*, corrigerentur et emendarentur. *Atque hoc præstitum utcumque fuit concilii Liptinensis canone secundo* (*a*), *quo, episcopis et Carlomanno consentientibus, statutum fuit, ut quæ olim ab ecclesiis ablata fuerant, retinerentur quidem, sed* sub precario et censu, *ita ut* de unaquaque casata, *seu, prout Zacharias Papa epist.* LXX *int. Bonif. loquitur* (*b*), de unoquoque conjugio servorum, *denarii duodecim singulis annis redderentur; et insuper, ut moriente possessore laico, res ipsa Ecclesiæ restitueretur. Operæ pretium duco de* precario *aliqua hic explicare, siquidem hujusmodi pacta, jure antiquo usitata, sed jam diu abolita, vix sui vestigium reliquerunt. Precarium recte definiunt doctores ex ipsis verbis juris canonici c.* III *de Precar.* (III, 14) : Id quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur. *Est igitur donatio usus semper revocabilis. Ex his manifestum jam fit, quod in concilio Liptinensi concedi dicitur* sub pre-

B cario, *cum usque ad mortem possessoris laici alieno usui subjiciatur, stricte precarium dici non posse atque ad* precariam *accedere, quæ definitur :* Id quod utendum conceditur usque ad mortem illius cui usus conceditur. *Atque id genus pacti confundendum non est cum* precariis : *sunt enim precariæ* contractus quo res utenda datur ad certum tempus et si concessionis tempus sit diuturnius, ne longinquitate illius memoria intercat, singulis quinquenniis est renovandus. *Naturam et differentiam horum pactorum sat lepide explicat Ostiensis quatuor versiculis :* [*id est :* preca]

Riæ, Ria, Rium tria sunt, quibus est caput unum:
Riæ sunt solitæ per singula lustra novari;
Ria fit ad vitam, nec citra vult revocari;
Finiturque Rium tunc quando vult suus auctor.

videtur probabiliter statui posse circa A. 745.

7 *Sed hæc Ecclesiarium instauratio spectare, ut insinuat laudata epistola S. Bonifacii, videtur ad Austrasiam, quam regebat Carlomannus, quin ad reliquas Gallias, in quibus erat Cadurcum extendi deberet. Nihilominus epistola* IX *Zachariæ Papæ* (*c*), data pridie kalendas Novembris, imperante domno piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore, anno XXVII, imperii ejus an. V,

C indictione XIV, *aperte synodum dicit congregatam fuisse* mediantibus Pippino et Carlomanno; *et quidem in dicta synodo actum fuisse de censu annuo duodecim denariorum Ecclesiæ persolvendo. Nulla tamen exstat memoria concilii, ad quod Pippinus et Carlomannus, cum episcopis totius Galliæ convenerint : probabile itaque est, synodum bipertitam fuisse, scilicet Liptinæ pro Austrasia anno* 743 *secundum Phil. Labbe* (*d*), *aut, prout vult Mansi* (*e*), *anno* 745, *et Suessionis, pro reliqua Gallia an.* 744; *ex canone autem tertio hujus Concilii* (*f*) *patet constitutos tunc fuisse* per civitates legitimos episcopos, et de subtractis rebus censum annuum pariter fuisse reddendum : *unde apparet maxime convenire Suessionensem synodum cum Liptinensi. Quæri igitur potest num dicto anno* 744 *S.* Ambrosius *præpositus fuerit Ecclesiæ Cadurcensi : neque dubia esset responsio affirmans, si pacatus fuisset Aquitaniæ status : sed cum hoc ipso tempore in illa provincia turbatæ essent plurimum res omnes, unum alterumve annum fluxisse inter sanctionem synodalem et cathedræ Cadurcensis instaurationem facile admiserim : non tamen cogimur, ut episcopatum S.* Ambrosii *usque ad tempus Pippini regis seu ad annum* 752 *prorogemus; sed cum anno* 744 *et sequenti Carlomannus in Aquitaniam iverit, tunc rem ecclesiasticam constituisse probabile est; et proinde ab hac circiter epocha episcopatum S.* Ambrosii *ordiendum esse. Videtur igitur recedendum a sententia Gulielmi de la Croix* (*g*), *et Adriani Baillet, qui initium episcopatus Sancti nostri post annum Christi* 752, *quo Pippinus rex salutatus fuit, figendum putavit : corrigendus quoque videtur historicus Cadurcensis Cathala-Coture* (*h*) (*de quo et infra nobis agendum erit*) *qui dicit S.* Ambrosium *regimen Cadurcensis Ecclesiæ suscepisse anno Christi* 742; *quo certe res in Galliis non erant satis maturæ, ut reformatio status ecclesiastici inciperetur.* D

Res gestæ in episcopatu :

8 *De rebus a S.* Ambrosio *in episcopatu gestis, pauca admodum tradit Anonymus n.* 1 : Omnibus diebus, *ait,* ac noctibus in vigiliis et orationibus erat semper intentus : non enim in divitiis mundi, nec in thesauris Ecclesiæ confidebat, sed in misericordia Domini, quia plenus erat gratia Dei : non diligebat sæculum, nec eas, quæ in sæculo sunt, facultates, et res Ecclesiæ ac proprias opes, quas E habebat pauperibus erogabat, nudos cooperiebat, esurientes satiabat, sitientes potabat, captivos redimebat, thesaurum sibi in cœlo præparabat. Dicebant omnes senatores in urbe verba iniqua contra eum. Cum autem vidisset Sanctus Dei Ambrosius omnes illos fervere contra se, conversus in orationem ad Dominum dixit : Domine Deus meus, qui benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, benedic animam meam et omnia interiora mea in nomine sancto tuo, et educ me de civitate hac et de populo iniquo, qui mihi contrarius est, et blasphemat opera quæ facio in nomine tuo. Cum hæc dixisset, gratia Dei plenus reclusit se in cellula, quæ erat juxta ecclesiam. . . . Post hæc autem stetit ibidem dies multos. *Ex hoc vitæ tenore facilem fidem adhibemus iis, quæ in Breviario Cadurcensi leguntur :* Ambrosius, . . Ecclesiæ suæ diuturnis cladibus afflictæ splendorem renovare desiderans, cleri disciplinam et populi mores emendare aggressus est monitis salutaribus et exemplis. *Si itaque Sanctum nostrum apud Anonymum legimus* reclusum juxta ecclesiam suam, *hoc ita intelligendum est, ut cellulæ suæ coleret solitudinem, quin tamen pastoralis cura nullum pateretur detrimentum. Recte igitur laudatum* F *Breviarium Cadurcense, vestigia Anonymi presse sequens, addit ejus miracula saniorem populi partem in sui admirationem rapuisse : quod profecto non accidisset, si officii episcopalis negligens, contemplationi unice vacasset. Dein quomodo dicere potuissent n.* 8 : Væ nobis peccatoribus qui contradiximus opera sua et non vidimus virtutes multas, quas fecit per eum Deus, *si populum sibi commissum Sanctus non rexisset verbis et exemplis?*

tempus quo illum dimisit :

9 *Incertum porro est quamdiu S.* Ambrosius *suæ præfuerit Ecclesiæ, donec, relicto episcopatus onere, in solitudinem omnibus incognitam sese abdiderit. Septennium regiminis statuunt Breviaria Cadurcensia, sed nullo, qui quidem apparet, idoneo teste suffulta. Historicus Cadurcensis Cathala-Coture* (*i*) *conjicit S.* Ambrosium *eremum incolere cœpisse eo anno, quo basilica Figiacensis consecrata fuit, præsentibus Stephano II papa* (*k*) *et Pippino rege, quia ejus nomen non recurrit inter episcopos, qui dictæ consecrationi interfuerunt. Verum adhuc*

(*a*) Labbe t. VI Conc. col. 1537. — (*b*) Würdtw., p. 184. Ser. CXXXVIII. — (*c*) Ibid. — (*d*) T. VI Conc. col. 1537. — (*e*) T. I Suppl., col. 551. — (*f*) Labbe t. VI Conc. col. 1553. — (*g*) Ser. et Act. Episc. Cadurc.. p. 32. — (*h*) Hist. du Quercy, t. I, p. 82. — (*i*) Ibid., p. 87. — (*k*) Quandoque etiam Stephanus III dictus, ut videre est apud Chronologos.

nullum

A *nullum reperi auctorem antiquum, qui nomina episcoporum, consecrationi Figiacensi præsentium, recitaret. Gulielmus de la Croix, qui n.* 67 (*a*), *late describit prodigiosam hanc consecrationem, dicit quidem ex Actis, in Figiacensi archivo asservatis,* multos adfuisse Pontifices, inter quos celebris memoriæ Beatissimus Vivianus, qui tunc sedis Sanctonicæ præsul et comes florebat. *Ast S. Vivianum Sanctonensem statuunt Nostri ad* XXVIII *Augusti* (*b*), *circa medium sæculum quintum obiisse : hoc certum est, S. Gregorium Turonensem anno Christi* 595 *defunctum, in suo libro de Gloria Confessorum cap.* LVIII (*c*) *dicere, S. Vivianum seu Bibianum quiescere in suburbio urbis Sanctonicæ; et proinde certum obiisse est saltem sexaginta annis ante Figiacensem consecrationem. Suspecta sunt igitur hac in parte Acta Figiacensis archivi, neque fidem merentur. Quin immo hæc ipsa prodigiosa Figiacensis ecclesiæ consecratio, saltem quatenus coævis diplomatis fulcienda esset, omnino nutat. Accurate probat Cointius* (*d*) *Stephanum II Papam, qui bullam dedisse dicitur* (*e*) in eodem monasterio (*Figiacensi*) VII id. Novembris, anno Dominicæ Incarnationis DCCLV indict. VII, anno vero IV Domini Stephani Papæ II,

B *eodem anno* 755 *in Galliis non fuisse : quod si ad annum præcedentem, quo reipsa Stephanus in Galliis commoratus est, consecratio rejiciatur, non solvitur difficultas; siquidem constat Stephanum Papam, relictis Parisiis, recta via per Alpes in Italiam perrexisse, atque Romæ fuisse mense Januario anni* 755. *Ipsa dein Stephani Papæ bulla Cadurcis, ut supponitur data, aliqua exhibent, quæ sæculi octavi stylo non quadrant : dicitur enim in bulla citata :* Nulli præterea archiepiscopo, vel episcopo, aut cardinali sit facultas illum (*abbatem Figiacensem*) excommunicandi, nisi tantum Romano Pontifici. *Quamvis antiquissima sit S. R. E. cardinalium dignitas et præeminentia, videtur tamen ad posteriora sæcula pertinere, ut cardinales speciali mentione recolantur. Atque hinc etiam bulla Figiacensis aliquam interpolationem subiisse omnino videtur.*

qua occasione discutiuntur monumenta Figiacensia,

10 *Citatur quoque diploma Pippini regis* (*f*), datum in eodem loco (*scilicet in monasterio Figiacensi*) VI idus Nov. anno ab Incarnatione Domini DCCLV, indictione nona. *Verum cum in hac charta dicat rex se,* præsente Domino Stephano papa, mirabiliter a Deo consecratum (*monasterum Figiacense*) prospexisse; *videntur eadem objici posse contra Pippini*

C *regis chartam, quæ bullæ Stephani Papæ opposita fuerunt, scilicet nullum exsistere vestigium itineris Stephani Papæ Aquitaniam versus; nec opportunum tempus, sive annum quinquagesimum quartum sive sequentem spectemus, inveniri posse. Nihilominus hujusmodi nævos detergere videntur subsequentes bullæ variorum Romanorum Pontificum, qui nova privilegia, Figiacensibus concessa, fundant in primaria Stephani bulla : unde et auctores Galliæ Christianæ* (*g*) *dicunt* litteris Stephani auctoritatem omnem haud esse detrahendam. *Verum quæ afferuntur bullæ, et ipsæ merito suspectæ censentur : citatur enim imprimis bulla Paschalis I, anni* 822 (*h*) *in qua dicitur, ut* monasterium, quod Conchas nominatur, *sit* sub *Aymari* regimine quemadmodum olim fuerat, et ut eum (*id*) in priorali dignitate, quia destructum est, restauret. *Ast hæc omnino contraria sunt iis, quæ in Vita Ludovicii Pii a coævo,* Astronomo *dicto, conscripta reperiuntur : utpote in qua* (*i*) monasterium Concas *numeratur* inter multa *a Ludovico Pio* reparata imo a fundamentis ædificata monasteria. *Narrationem coævi roborat diploma ejusdem Ludovici* (*k*) datum sexto idus Aprilis, anno sexto, Christo propitio, imperii domni Ludovici excellentissimi Augusti, indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio. *Jam vero hoc anno sexto Ludovici, seu Christi* 820 *dicitur ecclesia ibidem ædificata in honore Domini et Salvatoris Jesu Christi, Medraldus abbas nominatur, refertur quoque congregatio in dies crescens, quæ tandem sub regula S. Benedicti militare cœpit. Quæ omnia nullatenus quadrant cum iis, quæ duobus post annis scripta perhibentur a Paschali I. Neque dictæ bullæ suppetias ferre potest rescriptum Urbani II, a Gulielmo de la Croix* (*l*) *citatum, quo Pontifex post exordium, Paschalinæ bullæ simillimum, plenariam concedit indulgentiam ecclesiæ Figiacensi : inscribitur enim* Stephano Cadurcensi episcopo, *quum constat anno Christi* 1093, *quo data dicitur bulla, non Stephanum aliquem, sed Geraldum II occupasse Cadurcensem cathedram, ut probant auctores Galliæ Christianæ* (*m*). *Fictas proinde credo has bullas omnes, atque ideo fictas, quod lis verteretur inter Figiacenses et Conchenses monachos circa primatum alterutrius monasterii.* E *Pro se citabant Figiacenses, præter laudatas litteras Stephani papæ et Pippini regis, ejusdem principis diploma, quo* (*n*) eremitæ Conchenses abbati Figiacensi commendabantur, quatenus ex sua abundantia illorum inopiam suppleret : et quia in asperrimis, arduis nec non angustissimis degebant locis, haberent caput in spatioso et delectabili loco, ubi eorum corpora et a labore relevarentur et recrearentur a penuria. *Tum de abbatis electione hæc subduntur :* Cum vero abbas istorum (*Figiacensium*) obierit, quamdiu inter se invenire potuerint, ex suis eligant, qui eos secundum regulam Sancti Benedicti regere possit. Quod si inter eremitas Conchenses eis melior visus fuerit, non dedignentur inde sibi sumere patrem; ita tamen ut priori monasterio, id est Figiaco, abbatiæ reverentia reservetur, et dignitas prioratus apud Conchas remaneat. *Hactenus quidem Figiacenses. Sed alia omnino cantant Conchenses, qui diploma exhibent a Pippino Aquitaniæ rege, Ludovici Pii filio datum* (*o*) : X kal. Septembris, indictione I, anno XXV imperii Ludovici Cæsaris Augusti et regni nostri XXII, *id est anno Christi* 838. *In ista quidem charta dicitur :* Interea nostræ serenitati placuit, ut quia idem F monasterium (*Conchense*) in arduis atque asperrimis locis est constitutum, ita ut pro sua angustia plurimorum obsit habitationi, et pro asperitate victualia prohibet illuc deferri, ut in loco, cujus vocabulum est Figiacus, quem tamen abhinc novas Concas vocari placuit, monasterium construatur, quatenus ab angustia et penuria portandorum alimentorum idem locus sublevatus, liberius atque delectabilius ibidem habitantes Deo servire possint.... ita tamen ut priori monasterio Concas dignitas prioratus et antiquitatis reverentia reservetur. *Hæc certe cum Figiacensium assertionibus stare non possunt, utpote quæ sunt plane contradictoria : interim meum non est litem implexam dirimere : sufficiat observasse hic falsarium aliquem subesse : satis limpide mea sententia fluit Conchense diploma, et illo verborum tenore utitur, qui controversiæ definiendæ aptus non videtur, v. g.* dignitas prioratus, *quod dextre in rem suam detorsere Figiacenses.*

AUCTORE J. V. H.

D

(*a*) Ser. Episc. Cadurc., p. 59. — (*b*) T. VI Augusti, p. 461. — (*c*) Biblioth. max. PP., t. XI, p. 883. — (*d*) Ad an. 754, § LXXIV, t. V, p. 449. — (*e*) Gall. Christ., t. I Instr., col. 43.—(*f*) D'Achery Spicil., t. III, p. 319. — (*g*) T. I Instrum. col. 43. — (*h*) Ibid. — (*i*) D. Bouquet, t. VI, p. 95. — (*k*) Gall. Christ., t. I, col. 236. — (*l*) Ser. Episc. Cadurc., p. 56. — (*m*) T. I, col. 127 et 128. — (*n*) Mabill. Ann. Bened., lib. XXVII, § III, t. II, p. 395. — (*o*) Bosc. Mém. pour servir à l'hist. du Rouergue, t. III, p. 153.

censes.

AUCTORE J. V. H.

A

censes. *Ingratam litem diremit tandem Urbanus II in concilio Nemausensi an.* 1097, *quando utrumque monasterium suo juri reliquit* (*a*). *Sed de his satis : ad Sanctum nostrum* Ambrosium *sermo redigendus est.*

et refutatur historicus

11 *Ex monumentis Figiacensibus nihil, ut vidimus, deduci potest ad statuendum tempus, quo S.* Ambrosius *in solitudinem omnibus incognitam secessit : quinimmo prorogandum videtur, usque ad annum Christi* 760, *quando Waifarius dux Aquitaniæ rebellare cœpit adversus Pippinum regem, quia, ut ait Ademarus in suo Chronico* (*b*), *nolebat* consentire justitiis ecclesiarum. *Circa illud tempus Sanctus noster, pertæsus inutilis laboris in populo indocili et continuatæ direptionis bonorum Ecclesiæ suæ, probabilius solitudinem quæsivit. Huc etiam accedit, quod Sanctus antea per annos aliquot gregem excolere debuerit, quam legitime propter populi indocilitatem onus episcopale potuerit deponere : unde omnino verisimile est Sanctum secessisse circa annum* 759, *ut habent recentiores, inter quos Bailletus. Hanc occasionem nactus causidicus Cathala-Coture in sua Historia pagi Cadurcensis* (*c*) *e tripode condemnat agendi modum S.* Ambrosii,

B

quasi abnormem et absonum a recta ratione : en ejus verba latine reddita : Visebantur illo adhuc sæculo exempla hujusmodi fervoris imprudentis. Desererebant homines absque remorsu officia essentialia, ut placitas austeritates sectarentur, quæ, quo magis erant singulares, eo magis et nocebant et allicie-bant, dum in admirationem rapiebant ignarum vulgus. Isthæc agendi ratio S. Ambrosii, quamvis in se laude digna, distat a moribus nostris et cachinnos provocaret. Verumtamen quot sunt etiam hodierna die, qui cum propter dotes, quibus pollent, propter officia, quibus funguntur, rempublicam optime procurare possent, frustrant naturam atque adeo humanitatem spe sua, quando se dedunt studiis, quæ bono publico præferunt? Adeo verum est homines omnium temporum, tantum non perfectissime, sibi similes esse! *Hæc causidicus Cathala-Coture.*

Cadurcensis Cathala-Coture,

12 *Si hæc citamus, iisque brevem refutationem subnectimus, non est quod librum causidici nostri tam celebrem judicemus, ut periculosus esse possit; sed cum hic repetita veniant, quæ more sæculi* XVIII *ab omnibus passim, qui novitatem affectabant, cantabantur, et quæ adhuc vulgari colloquio et scriptis*

C

libris tractantur, operæ pretium fuerit paucis hic dicta refellere, ut suus veritati sit locus. Imprimis Cathala causidicus reprehendit S. Ambrosium, *quod, officio episcopali dimisso, in solitudinem abdiderit sese : imprudentem dicit hujusmodi agendi rationem; remordere scilicet Sanctum debuisset conscientia, quod officio suo prætulerit austeritates voluntarias. Scire tamen debebat causidicus ex jure canonico, quod ignorare jurisconsultum fas non est, inter legitimas causas renuntiationis numerari indocilitatem seu malitiam plebis commissæ. Hæc enim leguntur c.* x de Renunt. (i. 9) : Propter malitiam plebis cogitur interdum prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter ejus duritiam, quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur : dicente Domino per Prophetam (*d*) : Linguam tuam adhærere faciam palato tuo. . . . quia domus exasperans est. Et Apostoli leguntur dixisse Judæis (*e*) : Ecce convertimur ad gentes, quia verbi Dei indignos vos fecistis. Non D tamen pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem et dimittit oves et fugit : sed de superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos : et qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicant, cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi : quia sanguinem elicit, qui nimis emungit. *Videtur canon citatus veris suis coloribus depingere S.* Ambrosium *in medio populi nolentis audire pastorem suum : recte igitur beatus vir malitiæ plebis indocilis sese subtraxit. Circa idem tempus similem dimissionem sedis nobis S. Ado in suo Chronico exhibet* (*f*) : Wilicarius, cum furioso et insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent, videns Viennensem ecclesiam suam indecenter humiliari, relicto episcopatu, in monasterium Sanctorum Martyrum Agaunensium ingressus, vitam venerabilem duxit. Vastata et dissipata Viennensi et Lugdunensi provincia, aliquot annis sine episcopis utraque Ecclesia fuit, laicis sacrilege et barbare E res sacris Ecclesiarum obtinentibus. *Wilicarius Ecclesiam suam relinquit, quia devastata; præter hoc momentum, fugam in solitudinem Sancto nostro suadebant indocilitas populi et certa spes habendi successorem in episcopatu. Si itaque in similibus adjunctis præsenti tempore episcopus aliquis, abdicatis infulis, solitudinem peteret, optime id consonaret moribus, et nedum cachinnos provocaret, hodiernis etiam hominibus summæ ædificationi exsisteret.*

et ostenditur quam inepte

13 *Quod vero Cathala causidicus porro mirabundus dicit hujusmodi mentis imbecillitatem adhuc perseverare, prima fronte concludendum videtur, rem esse, quæ ipsa frequentia tantam admirationem ciere non valet : nam cum semper et ubique exstiterit, ut ipse fatetur, error ille in Christianismi indolem refundendus est. Quomodo porro causidicus noster tam peremptorie damnare sua privati hominis auctoritate audet, quod sæculorum omnium judicio comprobatur? Admirationem itaque mentiri dicendus est causidicus, ut oblique saltem carpere posset illa Ecclesiæ instituta, quæ orationi et contemplationi præcipue devota, maxime impetebantur illa tempestate* (*anno* 1785), *qua auctor suam Historiam Cadurcensis pagi concinnavit. Hinc dicit naturam atque adeo humanitatem spe sua frustrari, quando quis* F *in placita studia, reipublicæ minus utilia, incumbit. Quibus verbis indigitat monasticæ vitæ studiosos, quos frivolis rebus deditos fingit; quasi vitam orationi continuæ impendere et corpus austeritatibus atterere, frivola essent. Qui vero primaria principia religionis Christianæ vel summis labris delibarunt, sciunt oratione ad Deum niti res humanas, et proinde utile esse tum singulis, tum universæ reipublicæ, ut sint semper qui* orent in omni loco levantes puras manus (*g*), *ut avertantur flagella iræ divinæ, et justis perseverantia, peccatoribus morum emendatio concedatur. Hanc certe anachoretarum utilitatem agnovit S. Augustinus libro* I *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* XXXI (*h*) : Nihil de iis dicam, . . . qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis con-

templatione

(*a*) Mabill. Act. SS. Ben., sæc. III, part. II, p. 448. et Gall. Christ., t. I Instr., p. 44. — (*b*) Labbe Bibl. MSS., t. II, p. 157. — (*c*) Hist. du Quercy, t. I, p. 82. — (*d*) Ezech. III, 26. — (*e*) Act. XIII, 46; paulo aliter Vulgata : Quoniam repellitis illud (verbum) et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur *etc.* — (*f*) Pertz. Monum. Hist. Germ., t. II, p. 319. — (*g*) I. Tim. II, 8. — (*h*) T. I Op., p. 710. Edit. Paris. MDCLXXIX.

templatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar : videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto : nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui se inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis et quasi ad humanos fines revocanda videatur, usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur. *Hæc S. Augustinus apposite ad causidicum nostrum refellendum.*

S. Ambrosium *carpit.*

14 *Quod si hæc, quatenus ex intimis religionis Catholicæ principiis desumpta, respuat Cathala causidicus, attendat, quæso, monachismum non solum utilem esse, ut præcepta et consilia euangelica sarta tecta serventur et alii ad sanctiorem vitam provocentur, sed etiam prodesse plurimum societati civili. Ut enim hic omittamus quantum subsidii contulerint olim monachi agriculturæ propagandæ, scientiis artibusque conservandis, nemo qui præsentem rerum statum attento oculo intuetur, diffitebitur, vel nostro sæculo optandum esse, ut plures sint, qui solitudinem sectentur. Ea enim est temporum nostrorum conditio, ut omnes ferme, qui modo aliquid litterarum addidicerint, ad omnia natos se esse facile existiment; nihil adeo excelsum aut arduum, quod se consecuturos levi manu non sperent. Unum sæpe obstat, quominus scopum, ardentissimis votis expetitum, attingant, curta scilicet res familiaris aut ære alieno gravata, quæ omnem aditum ad honores voluptatesque claudit. Hinc nihil non excogitant, nihil non moliuntur, ut divitiis tandem potiantur; ad quas acquirendas nulla via facilior, quam si, turbata republica, alienas fortunas nullo negotio invadere possint. Inhiant aliorum opibus, quas absque labore suas cupiunt, et omnibus modis corradere tentant. Jam quis non liquide videat hac exagitata tempestate, optime consultum iri paci et quieti civitatis, si essent monasteria, ad quæ concurrere posset juventus, sibi gravis, familiæ indecora, societati universæ infesta? Macerarent illic corpus suum inedia, vigiliis, stupendis etiam austeritatibus; aut etiam, si ita lubet, ignaviæ dediti, luderent anagrammatis, chronogrammatis, aut aliis id genus crepundiis litterariis : jam certe maximo reipublicæ utriusque emolumento quiescerent ipsi, aliosque cives tranquillitate perfrui paterentur : uno verbo summæ utilitatis esset* non nocuisse. *Tot videmus hodie impietatis coryphæos civibus suis perniciem et exitium minitantes, qui rempublicam vexant, turbant, evertere conantur, qui si essent monachi, innocuam, etiamsi fortassis inutilem, vitam ducerent* (*a*). *Adeo verum est* (*liceat nostrum epiphonema Cathaliano opponere*) *viros cæteroquin gnavos ex minutis fictisque circumstantiis principia cudere, quæ, si in praxim deducerentur, gravissima generant mala, non uni tantum, sed toti quandoque regno luenda. Hæc de Cathala causidici sententiis dicta sufficiant.*

§ III. Discutitur opinio Casimiri Oudini, qui S. Ambrosium Cadurcensem auctorem facit Librorum de Mysteriis et de Sacramentis, S. Ambrosio Mediolanensi vulgo tributorum.

AUCTORE J. V. H.

Oudinus opinatur libros de sacramentis *et* de mysteriis

Singularis fuit opinio Casimiri Oudin (*b*), *Sancto nostro* Ambrosio *tribuentis tractatus* de Mysteriis *et* de Sacramentis, *quæ olim communiter sub nomine S. Ambrosii Mediolanensis et Ecclesiæ Doctoris veniebant. Quantumvis enim nihil detractum velimus gloriæ Sanctorum, quorum vitam commentamur; deessemus nihilominus officio nostro et reverentiæ Sanctis debitæ, si illos alienis spoliis condecorare satageremus. Neque tamen illo consilio opinionem suam emisit Oudinus, ut ad laudes S.* Ambrosii *Cadurcensis accrescerent hi tractatus, sed potius ut validissima traditionis catholicæ monumenta, homo vafer, convelleret. Sciebat enim multum iisdem auctoritatis deperire, si et quatuor sæculis recentiora et ab obscuro quodam episcopo, qui etiam rhapsodus appellatur, edita comprobaret. Operæ pretium itaque fuerit singularem scriptoris apostatæ opinionem expendere, illamque, quantum hujus operis ratio postulat, refutare. Sententiam suam his fere argumentis fulcit Oudinus : asserit imprimis unum eumdemque esse auctorem, qui tractatum* de Mysteriis *et qui sex tractatus* de Sacramentis *conscripserit : atque huic dein assertioni, tamquam valido fundamento, superstruit aliam conjecturam, scriptorem nempe hunc non esse sanctum Mediolanensem pontificem, sed omnino videri Gallum quemdam episcopum, inter annos* 774 *et* 800 *collocandum : unde Oudini arbitrio sponte quasi sua profluit, non alium hisce tractatibus patrem assignari posse, quam S.* Ambrosium, *Cadurcensem episcopum. Ad probandas hujusmodi opinationes varia congerit Oudinus, quæ nunc examinanda sunt accurate, ne idem labor repetendus veniat ad diem* VII *Decembris, quando de S. Ambrosio Mediolanensi agendum erit.*

esse S. Ambrosii *Cadurcensis, in quam rem adducit rationes:*

16 *Sodales Benedictini e Congregatione S. Mauri in nova, quam anno* 1688 *adornarunt, editione Operum S. Ambrosii, omnino affirmant sanctum episcopum Mediolanensem auctorem esse libri* De Mysteriis (*c*); *ast dein scribunt sibi videri auctorem tractatuum* de Sacramentis *diversum esse a S. Ambrosio, qui auctor est libri de sacramentis* (*d*) : *eamdem sententiam recipientes, suo calculo comprobarunt editores Veneti anni* 1781, *quorum editione utimur in præsenti dissertatione. Hanc sententiam mutuatos illos dicit Oudinus* (*e*) *ex Albertino, theologo heterodoxo, tacito tamen hujus nomine : hic nempe lib.* II *de Sacramento Eucharistiæ caput primum concluserat his verbis, quæ ex ipso Oudino* (*f*) *exscribimus :* Judicent ergo lectores, an sit stultum ambigere de authore horum librorum (*de Sacramentis*), quod temere admodum Bellarminus pronuntiat, an non contra injurium sit, illi tribuere velle? Ex adversariis ipsis (*Catholicis*) Arnoldus (*g*) eos citans de frequenti Communione parte I, cap. XIII. « Si tamen Ambrosii sint, » inquit. Ego censeo illos esse authoris septimi seculi, ex tractatu Ambrosii de iis qui mysteriis initiantur, explicato consarcinatos et propter similitudinem Ambrosio attributos, cum rapsodi nomen ignoraretur. *Utrum propriæ sagacitati Benedictini editores assecuti fuerint non unum*

(*a*) De Maistre du Pape, lib. III, cap. II. — (*b*) De Scriptt. Eccles. Antiquis, t. I, col. 1827 et seqq.— (*c*) T. V Op., p. 177 et seqq. Edit. Venet. — (*d*) Ibid., p. 199. — (*e*) De Scriptt. Eccles., t. I, col. 1829. — (*f*) l. c. — (*g*) Doctorem Arnaud intelligit.

AUCTORE J. V. H.

A *cumdemque auctorem utriusque operis exsistere, num vero hanc sententiam ab Albertino supra laudato, aut a Godefrido* Hermant, *scriptore Vitæ S. Ambrosii Mediolanensis, mutuati fuerint, parvi refert. Unum hic discutiendum venit, quibus rationum momentis Oudinus in hanc opinionem adductus fuerit, eamdemque pro aris et focis defenderit. Sententiam suam confirmat quadruplici ratione, deinceps examinanda : prima est,* multis in codicibus sub Ambrosii nomine conjunctos reperiri libros de Mysteriis et de Sacramentis : *altera petitur* ex styli in utroque opere similitudine : *tertia* ex uniformitate doctrinæ cujusdam singularis : *quarta denique* ex connexione quæ inter varios hosce tractatus existunt, *ita ut, quemadmodum liber secundus* de Sacramentis *reclamat primum, ita quoque tractatus* de Sacramentis *necessario supponit præmissum fuisse librum* de Mysteriis. *Primæ difficultati jam occurrerunt editores Benedictini in erudito suo prologo, quem libris* de Sacramentis *præmisere* (*a*). *Cum enim multi citarentur ex antiquis, qui libros hos Ambrosio adscriberent, responderunt editores :* Scriptores illi rem (*seu quis auctor librorum esset*) ipsi per se ac destinato consilio non discusserunt, sed vel alii

B alios sequuti sunt, vel fidem habuere suis manuscriptis, in quibus eamdem opellam alibi quidem Ambrosii nuncupatione inscriptam, alibi vero tractatui alicui eamdem inscriptionem præferenti junctam reperere. Nam cum antiquissimi quique codices nullum auctoris nomen exhibeant, qui exscribendis iis navaverunt operam, cum Ambrosium hac ipsa de materia scripsisse cognovissent, non dubitarunt eidem ipsos adjudicare : alii autem etsi Ambrosianos esse non arbitrarentur, libro tamen de Mysteriis ob argumenti similitudinem duxerunt subjungendos. *Hanc ipsam postremam rationem ratam habet Albertinus supra citatus; ideo ubique ferme conjunctos reperiri binos tractatus, quia ex uno alii consarcinati sunt, sibique proin sunt simillimi. Et hæc quidem eadem argumentatio facile causam aperit, cur Ratramnus librum de Mysteriis primum librum de Sacramentis dixerit. Vide Nat. Alexandrum Hist. Eccl. sæc.* IV, *p.* I, *cap.* VI, *art.* XXVII, § II (*b*).

imprimis confusionem nominis; dein similitudinem styli et ritus

17 *Eodem modo solvitur difficultas, quæ ex* styli similitudine *petitur, quam nonnulli admisere, ut videre est apud Oudinum c.* I, *n.* 3 : *alii vero negarunt, ut Benedictini editores* (*c*), *Tillemont* (*d*) *in monumentis Ecclesiasticis, qui citat quoque Card. Bona* Rerum Liturgicarum *l.* I, *c.* VII, *D.* Ceillier *de Auctoribus Ecclesiasticis* (*e*), *atque adeo heterodoxi : nam Albertinus, dum dicit* libros de sacra-

C mentis (*f*) scatere barbarismis, multa habere, quorum nonnulla et ridicula Ambrosianaque gravitate prorsus indigna, nonnulla etiam repugnantia et contradictoria, *etc. ipse, inquam, Albertinus styli similitudinem inter utrumque opus non agnovit. Est tamen aliqua inter utrumque similitudo; quoties scilicet auctor librorum* de Sacramentis *ex libro* de mysteriis *aliquid decerpit, nisi ubi interdum depravet nimium. Verum quotiescumque propriis, ut vulgo dicitur, alis volare tentat, tunc a vero Ambrosio omnino absimilis est, neque frigidis illis et puerilibus interrogatis, quæ in libris* de Sacramentis *occurrunt, insperguntur genuina Mediolanensis Ambrosii opera. Quæ vero de* similitudine singularis doctrinæ *circa lotionem pedum commentatur adversarius, jam diu confutata fuerunt. Quid enimvero ibi tam singulare voces? Post baptismum pedes* D *lavari? Ast id et Mediolani et alibi factum esse notant tum ipse Basnagius* (*g*) *in editione Lectionum Canisii, tum Cornelius a Lapide in Commentario in Joannis c.* XIII, ℣. I, *citans Gabr. Vasquez : idem quoque testantur C. Chardon* (*h*) *in Historia Sacramentorum et multi alii. Sed scilicet auctor libri* de Mysteriis *c.* VI *asserit lotione pedum* hereditaria peccata tolli; propria enim per baptismum relaxari : *cui consonat, quod l.* III *de Sacramentis c.* I (*i*) *dicitur :* Sunt tamen qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione : sed quasi hospiti pedes lavandi sunt (*quæ tamen ratio innuitur in Missali Gothico, et in Missali Gallicano veteri* (*k*)). Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est et sanctificatio : Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum (*Joan.* XIII). . . Quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. *Auctor libri de Mysteriis satis superque vindicatus fuit ab omni* E *errore in nota, quam ad locum citatum adjecere editores Benedictini. Non dissimili modo a culpa liberatur auctor librorum de Sacramentis; ipsa enim ejus verba satis indicant, quo sensu dixerit lotionem pedum* mysterium *esse, ad* santificationem *fuisse institutum : nam imprimis si credidisset auctor per lotionem pedum tolli peccatum, cum sibi objecisset* Ecclesiam Romanam non habere hanc consuetudinem, *gravis profecto et maxime damnabilis erroris hanc Ecclesiam arguisset : qui fit igitur ut statim subjungat :* cujus typum in omnibus sequimur et formam? *ut causam hujus omissionis prætendat :* forte propter multitudinem declinavit? *Certe hujusmodi causam non obtendisset auctor, si credidisset lotionem pedum sacramentum esse ad remissionem peccati originalis institutum : non addidisset denique,* hæc dico, non quod alios reprehendam : (*quod facere debuisset, si ageretur de neglectu Sacramenti maxime necessarii*) sed mea officia ipse commendem.

prorsus singularis,

18 *Ast ipsa auctoris verba evidentissime illum ab omni errore gravi vindicant; paulo enim infra explicans illa verba :* Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet : *dicit :* F Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa : sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio. *Conceptis verbis in baptismate omnem culpam dilui, dicit, auctor, seu ut loquitur Concilium Tridentinum Sess.* V, *can.* 5 tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. . . . Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur et sentit. . . . Hanc vero concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse, quod vere et proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. *Huic ergo malo,*

(*a*) T. V Op., p. 204. — (*b*) T. IV, p. 313. (Edit. Venet. 1778). — (*c*) T. V Op. S. Ambros., p. 207. — (*d*) Mém. pour servir à l'Hist. Eccl., t. X, not. LXII in S. Ambros., p. 765. — (*e*) Auteurs Eccles., t. VII, cap. IV, § XIV, p. 487. — (*f*) Ambros. Opp., t. V, p. 200. — (*g*) Præf. in Canisii Lect. Antiq., cap. V, § XXXV, t. I, p. 57. — (*h*) Hist. des Sacrements, t. I, p. 351. — (*i*) Ambros. Op., t. V, p. 222. — (*k*) Jos. Mar. Thomasi Cod. Sacram., p. 335 et 475.

diluta

A *diluta omni culpa,* subsidium sanctificationis *profertur, id est gratia cœlestis, cujus ope, ut habet Trid. Conc. l. c.* non consentientibus sed viriliter repugnantibus nocere non valet, quin imo qui legitime certaverit, coronabitur. *Ex his ergo evanescit prorsus doctrinæ singularitas, quam utrique operi affingere quidam voluerunt : ruit igitur tertium argumentum, quo fulcire tentavit Oudinus suam sententiam.*

tandem septenarium numerum,

19 *Ast prodit nunc in apertam palæstram Oudinianus Achilles,* quem nullus, *ut ipse quidem dicit* (*a*), infringere possit, *et propterea probabiliter* dissimulatus ab editoribus Benedictinis, *ut distinctionem suam Tractatus de Mysteriis a libris sex de Sacramentis* plausibiliorem facerent. *Scilicet appellat Oudinus tractatum* de Mysteriis, *librum primum inter illos qui* de Sacramentis *conscripti sunt : atque id quidem duplici ex ratione; imprimis ut suus sit sermonibus septenarius numerus, dein ut verba quædam Libri primi* de Sacramentis *commodam nanciscantur interpretationem. Ad utrumque facilis est responsio. Etenim nulla videtur necessitas, ut septenarius numerus librorum sive sermonum admittatur : et posito etiam septimanam integram*

B *insumptam fuisse in instruendis neophytis, nullatenus sequitur Dominicam Paschatis non fuisse diem impeditiorem, quam ut sermo haberetur. Sed, admissa etiam illa necessitate, ne tunc quidem sequeretur, librum* de Mysteriis *adnectendum esse tractatibus* de Sacramentis : *nam merito suspicari licet septem olim fuisse sermones, uti videre est apud editores Benedictinos in illorum præfatione circa finem* (*b*) *et in nota* b *ad l.* VI, *c.* V, *n.* 25 (*c*) : *sed in hac hypothesi, quia brevrior est sermo ille, qui septimus dicendus esset, non nihil truncatus videretur. Quidquid sit de ista conjectura, auctor librorum* de Sacramentis *ita auspicatur librum primum, ut manifeste monstret* tunc primum *se incipere de Sacramentis tractare : en ejus verba :* De Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior, cujus rei rationem non oportuit ante præmitti. *Atque ille, qui alibi semper sequentem sermonem cum præcedenti, sive expressis verbis sive per repetitionem connectit, nihil prorsus in sermone primo* de Sacramentis *dicit, quo vel leviter indigitet se pridie integrum tractatum de mysteriis habuisse ! Ast, inquit Oudinus* (*d*), reclamari primum (*seu librum* de mysteriis) a secundo (*seu libro primo* de Sacramentis) videamus, nam de

C aliis dubium nullum est. Hæc verba sunt sermonis secundi (*alias libri primi de Sacramentis*) : « Et » ecce quasi columba, Spiritus Sanctus descendit. » Non columba descendit, sed quasi columba. Me» mento quid dixerim : Christus carnem suscepit, » non sicut carnem, sed carnis istius veritatem, » vere carnem suscepit. Spiritus autem Sanctus in » specie columbæ, non in veritate columbæ, sed » in specie columbæ. » *Alludere dicit Oudinus tractatorem ad sermonem, ut ipse dicit primum,* de Mysteriis : *nos vero illa verba,* memento quid dixerim, *interpretamur dicta ad acuendam præsentium attentionem, nempe ut recte intelligant differentiam inter* columbam *et* quasi columbam, *quam similitudine quadam desumpta e mysterio Dominicæ Incarnationis evolvit, ut legenti manifestum fit.*

quorum primus esset liber de mysteriis.

20 *Ast aliam prorsus significationem tribuit hisce verbis Oudinus, qui verba,* memento quid dixerim, *referenda esse asserit ad librum* de Mysteriis, *et quidem ad c.* IV, *quem late recitat, et ubi eo minus auditores inventuros fuisse, quæ illic latitare dicit Oudinus, æstimo, quo difficilius etiamnum ab oculatis, commentario instructis, id fieri assevero. Et ne fucum hic facere videar, en verba S.* Ambrosii *ad quæ allusisse dicitur auctor librorum de Sacramentis, commentantis verba Joan.* I, 32 (*e*). Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam, *hæc dicit :* Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres columbam etiam illam, quam Noe justus emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, ut typum agnosceres sacramenti? Et fortassis dicas : Cum illa vera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit, quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem; cum secundum Græcos in specie columbæ Spiritum descendisse sit scriptum? (*Græcus textus Luc.* III, 22 *habet :* Καταβῆναι, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, ἐπ' αὐτόν.) Sed quid tam verum quam divinitas, quæ manet semper? Creatura autem non potest veritas esse, sed species, quæ facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum, qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. . . . speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo : Et specie inventus ut homo; et de Patre Deo : Neque speciem ejus vidistis. *Conferenti utrumque* E *locum citatum evidens fit, non potuisse auctorem librorum* de Sacramentis, *quando dicit,* memento quid dixerim, *indigitare locum citatum e libro* de Mysteriis, *proindeque tractatum* de Sacramentis *nullatenus reclamare librum* de Mysteriis.

Monstratur diversus esse ritus in utroque opere :

21 *Refutatis critici nostri rationibus, æquum est monstrare varia esse, quæ diversum utriusque operis auctorem indicant. Imprimis differunt inter se baptismatis ceremoniæ ab utroque præsule usurpatæ. Etenim auctor librorum* de Sacramentis *l.* I, *c.* I (*f*) *late quærit cur* nares *baptizando tanguntur, dum S. Ambrosius nihil hujusmodi in suo* de Mysteriis *libro c.* I *habeat, sed simpliciter, dicat* tactum oris *omitti in fœminis. Habet dein S. Ambrosius L. de Mysteriis c.* VI : Post hæc utique (*post baptismum*) ascendisti ad sacerdotem : considera quid secutum : nonne illud quod ait David : Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron. Ps. CXXXII, 2. *Quibus verbis indicat Sanctus sacramentum confirmationis fuisse collatum. Post confirmationis sacræ signaculum sequitur pedum lotio :* Omnes in regnum Dei et in sacerdotium ungimur gratia spiritali. Ascendisti de fonte; memento euangelicæ lectionis. Ete-

F nim Dominus noster Jesus lavit pedes discipulis ejus, *etc. Deinde totum hunc locum concludit his verbis :* Accepisti post hæc vestimenta candida, *etc. Verum alio prorsus ordine adimplet baptismi solennitates, qui libros* de Sacramentis *conscripsit : nam lib.* III *c.* I (*g*) *post baptismum, nullo ritu intermedio, sequitur pedum lotio :* Ascendisti de fonte, quid secutum est? . . . . Succinctus summus sacerdos pedes tibi lavit, *etc.; capite seq. post explanatam pedum lotionem :* sequitur spiritale signaculum, quod audisti hodie legi, *etc. Qui ceremoniarum ordo quam alius sit ab Ambrosiano, nemo non viderit. Contendit quidem Oudinus* (*h*) *hic agi vel agi posse de unctione presbyterali, quæ neo-baptizatis fiebat per sacerdotem secundi ordinis, quæque post S. Gregorium Magnum introducta auctorem designat septimo sæculo recentiorem. Verum data etiam Oudini argumentatione, quam nullatenus probo, remanet tamen, quod hic caput rei est, differre scilicet utrumque tractatum in ordine et successione rituum. In argumenti nostri confirmationem adduci*

(*a*) De Scriptt. Eccles., t. I, col. 1835. — (*b*) Ambros., t. V, p. 208. — (*c*) Ibid., p. 246. — (*d*) De Scriptt., t. I, col. 1834. — (*e*) Ambros. t. V, p. 188. — (*f*) Ibid., p. 209. — (*g*) Ibid., p. 222. — (*h*) Scriptt., t. I, col. 1854 et seq.

possent

AUCTORE J. V. H.

possent alia, ut sunt diversitas versionis Sacræ Scripturæ, unctio ante renuntiationem, SS. Missæ sacrificii initium, etc. Quæ omnia monstrant non unum eumdemque auctorem esse utriusque tractatus.

citatur uterque liber nono sæculo

22 *Atque hisce præmissis, jam mediam confecimus viam. Nunc ostendendum venit, libros* de Sacramentis, *licet S. Ambrosio Mediolanensi adscribendi non videantur, tamen S.* Ambrosio *Cadurcensi minime tribuendos esse : quo confecto, manifestum fiet, neque tractatus* de Mysteriis *illum auctorem esse, nisi quis dicere velit ectypon typo antiquius esse. Argumenta, quibus Oudinus singularem suam sententiam fulcire conatur, sunt duplicis generis : videlicet propter nominis identitatem facilis fuit confusio Mediolanensis cum Cadurcensi* Ambrosio, *cap.* VI *n.* 2 (*a*) : *dein characteres omnes hisce opusculis convenientes apprime S.* Ambrosio *Cadurcensi aptari possunt ibid. n.* 3 (*b*). *Ast, quæso, quo tempore hæc nominum confusio orta est? Oriri potuisse innuit Oudinus inter sæculum octavum et duodecimum, siquidem dicat loc. cit.* : MSS. codices qui plurimi in bibliothecis reperiuntur, vel anonymi sunt, vel cum nomine simpliciter Ambrosii vel Sancti Ambrosii, nullique, qui adjiciant vel determinent B Mediolanensis episcopi vel archiepiscopi. Neque etiam quod sciam, ante Algerum et Hugonem Victorinum sæculo XII medio scribentes, ullus expresse sub Ambrosii Mediolanensis archiepiscopi nomine adduxit. *Expresse quidem Sancto Mediolanensi episcopo tributos non fuisse facile concesserim : verum quid inde? Numquid propterea Cadurcensi pontifici adscribemus? idque præsertim cum sæculo nono jam Mediolanensium præsul indigitetur, uti satis constat ex S. Paschasii Ratberti tractatu* De corpore et sanguine Domini *in præf.* (*c*). *Nemo enim cordatus dubitabit de Ambrosio Mediolanensi agi in sequentibus verbis :* Hæc autem ut securius tua perlegat infantia, placuit, charissime, catholicos Ecclesiæ Doctores in principio adnotari : ex quibus pauca de pluribus, quasi lac teneritudinis eliquaverimus, Cyprianum scilicet, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Joannem, Hieronymum, Isidorum, Hesichium et Bedam. *Nodum in scirpo quærere diceretur, quisquis dubitaret hic Paschasium loqui de Cypriano* Carthaginensi, *de Hilario* Pictaviensi, *de Augustino* Hipponensi : *quis igitur inficias ibit, agi hic quoque de Ambrosio* Mediolanensi? *maxime quum ordine quasi chronologico inter citatos Doctores Ecclesiæ reponatur? Hisce rationibus momentum quoque addit, quod Paschasius Ratbertus suum tractatum scribens circa annum* 831 (*uti constat ex Walæ abbatis exilio*), *ut in præfatione insinuat, id est, vix triginta annis post mortem S.* Ambrosii *Cadurcensis, si chronologiam ipsius Oudini sequamur, non posuisset ejus nomen in mediis Doctoribus supra laudatis, si intelligi potuisset de Cadurcensi episcopo tunc vix cognito.*

C

sub Ambrosii Mediolanensis nomine.

23 *Idem etiam valet pro Ratramno, qui Ambrosium suum* Sanctum Doctorem *appellat, quod* Ambrosio *nostro Cadurcensi recens defuncto simpliciter non convenit. Ast cum ille librum de Mysteriis tantum citasse videatur, non est quod immoremur* (*d*). *Quinimmo ipse Oudinus victas veritati manus dare videtur, quum circa finem n.* 2 *cit.* (*e*) *dicit :* Legentes igitur Paschasius et Ratramnus cum aliis sequentibus, *nomen Ambrosii episcopi* vel *Sancti Ambrosii,* neque Ambrosium Caturcensem episcopum de fama vel nomine noscentes, oscitanter ac inadvertentes tractatus istos Ambrosii Mediolanensis opinati sunt. *Idem circa finem n.* 3 *cit. repetit, ne* D *memoria excidat :* Seculo jam nono, Ratramni atque Paschasii temporibus, hæc opuscula esse Mediolanensis archiepiscopi, ac tamquam genuina illius, ab utroque citata credebantur. *Fatetur igitur Oudinus Paschasium et Ratramnum, dum Ambrosium nominant, intelligendos esse de Mediolanensi episcopo : quorsum igitur dicit* nullum expresse *hos tractatus* sub nomine Mediolanensis archiepiscopi adduxisse, *si ita scripserint, ut non nisi de hoc episcopo intelligi possint? Abest igitur omne confusionis periculum, quando* Ambrosii *aut* Sancti Ambrosii, *nullo alio adjecto titulo, nomen dictis tractatibus præfigitur : constat enim, ipso Oudino judice, Mediolanensem antistitem designari. Rem demum conficit quod narrat Joan. Mabillon in suo Musæo Italico T. I, P. II* (*f*) *esse in monasterio Sangallensi codicem* litteris majusculis ab annis mille exaratum : *igitur cum Mabillonius librum suum ediderit anno* 1687, *tractatus* de Sacramentis *ante S.* Ambrosii *Cadurcensis tempora jam exstitisset. Oudinus l. c. urget suum argumentum ex eo quod S. Ambrosio Mediolanensi tributum fuerit opus* de Conflictu vitiorum et virtutum, *quod tamen ad Ambrosium Autbertum, abbatem S. Vincentii ad Vulturnum, sæc.* VIII *scriptorem, pertinet : potuit itaque eidem Mediolanensi episcopo adscribi tractatus S.* Ambrosii *Cadurcensis. Licet ex ejusmodi similitudine desumptum argumentum non valide stringat; respondemus imprimis hoc non adeo provenisse ex confusionis facilitate, quam ex ignorantia veri auctoris; nam non solum S. Ambrosio, sed etiam SS. Augustino, Leoni, Isidoro adscriptus fuit tractatus de Conflictu vitiorum, ut habent editores operum S. Augustini* (*g*) : *dein hic error invaluit post sæculum* XI; *nam chronographus S. Vincentii disertis verbis asserit Autpertum composuisse librum de Conflictu* (*h*) : *non mirum igitur posterioribus sæculis invaluisse aliquem errorem. Ast de S.* Ambrosio *Cadurcensi, si fidem Oudino præstamus, ipsi ejus æquales tribuissent opus alteri. Atque hæc de confusionis facilitate dicta sunto.*

Neque Gallum quemdam indigitant sive gallicismi,

24 *Neque felicior est criticus noster in characterum convenientia dijudicanda, quæ altera probationis pars est. Nititur primum monstrare Oudinus c.* IV *et* V (*i*) *suæ dissertationis* Gallum quemdam *esse scriptorem utriusque tractatus :* Tria sunt, *inquit,* ex quibus Gallum aliquem episcopum fuisse horum tractatuum vel sermonum scriptorem, aperte colligimus : 1° Ex pedum lotione in neophytis, quam in baptismo apud Ecclesiam in usu fuisse confitetur : 2° ex conformitate Liturgiæ et aliorum Romanæ Ecclesiæ in Sacramentis rituum; quam pariter amplectebatur. 3° Ex gallicismis latine barbaris, quibus omnes isti sermones respersi sunt. *Premamus critici nostri vestigia, ast inverso aliquantum ordine. Quæ de* gallicismis latine barbaris *objicit, nimium probant, proindeque nihil : probarent scilicet tractatus non adeo ad sæculum* VIII *aut* IX *pertinere, quam ad initium sæculi* XVIII *referendos esse, cum pleræque locutiones gallicæ, quas latinis opponit, ita huic ævo propriæ sint, ut ante hoc tempus in usu non fuerint, et postea obsoleverint. Legat præterea lector c.* IV, *n.* 3, *ubi nonnumquam pro prætensa concordantia patentem diversitatem inter utrumque idioma reperiet : fatebiturque citatas phrases non magis gallicos idiotismos esse, quam italicos, hispanicos aut etiam germanicos. Tandem* E F

(*a*) Scriptt., t. I, col. 1858.—(*b*) Ibid., col. 1860.—(*c*) Bibl. PP., t. XIV, p. 730. — (*d*) Vid. Hist. litt. de la France, t. IV, p. 138. — (*e*) Scriptt., t. I, col. 1839. — (*f*) p. 4 et 7. — (*g*) T. VI Op. Append., p. 219. — (*h*) Act. SS. Ord. S. Ben. sæc. III, part. II, p. 263, n. 7. — (*i*) Scriptt., t. I, col. 1845.

in

A *in falso, ut vulgo dicitur, supposito hæret Oudinus, quasi vigeret sæc.* VIII *usus linguæ gallicæ, prout nunc floret : dicto sæculo lingua, qua utebantur Galliarum incolæ, latina erat corrupta variis idiomatibus sed præsertim Teutonica* (*a*). *Quinimmo etiamsi daremus linguam gallicam, prout hodie floret, viguisse in regno Merovingiorum, necdum tamen valeret illatio pro Aquitania, quæ usque ad Pippinum regem, sub quo vixit S.* Ambrosius *Cadurcis, magis erat Visigothis atque Sarracenis subjecta; felicior profecto fuisset Oudinus, si in Sancti* Ambrosii *sermonibus idiotismos arabicos aut gothicos assignasset.*

sive lotio pedum post baptismum usitata,

25 *Oudinus porro tamquam propriam et singularem Ecclesiæ Gallicanæ ceremoniam profert lotionem pedum in baptismo : atque hinc deducit utrumque tractatum ad episcopum quemdam Gallicanum pertinere. Verum hæc supra num.* 17 *ita refutata sunt, ut hic repetenda non veniant. Latius hic expendendum est, quod criticus noster dicit de* conformitate Liturgiæ et aliorum Ecclesiæ Romanæ in Sacramentis rituum. *Verum quisquis vel obiter tractatus* de Mysteriis *et* de Sacramentis *percurrerit, facile sibi persuadebit hos libros ad quartum potius aut*

B *quintum, quam ad octavum sæculum pertinere. Quis enim cum disciplinam arcani stricte servandam, multitudinem adultorum baptizandam, instans persecutionis periculum, de lingua dissertationes, impugnatas quarti quintique sæculi hæreses Arianorum, Priscillianistarum, Macedonianorum, et id genus alia viderit, quis, inquam, sibi persuadebit hos libros medio sæculo octavo exaratos fuisse? Hæc abunde sufficerent ad convellendum Oudinianum systema. Sed Oudinus ex his verbis l.* III de Sacram. *c.* I, Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam : *ita ratiocinatur c.* V *n.* 3 (*b*) : Anonymus hic Gallus sequitur ordinem Romanum in omnibus baptismi ritibus, excepta lotione pedum, ut diserte ipse inquit. Cum vero opusculum istud ordinis Romani conscriptum sit, postquam Romani Pontifices, jugo Longobardorum, mediantibus Galliarum regibus Pipino et Carolo Magno, exempti sunt : liquet Anonymum qui eum sequitur, qui imitatur, claruisse non nisi sub sæculi octavi finem. *Hæc Oudini conclusio. Sed abutitur criticus hisce vocibus, quibus scriptor dicit se* typum *Ecclesiæ Romanæ* in omnibus sequi, *quasi per hæc*

C *verba indigitaret* Ordinem Romanum, *qualis sæculo octavo exstitit. Si enim hoc sensu intelligendus esset scriptor, non subjunxisset paulo post, quasi potestatem habens circa ritus :* In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam : sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus. *Si* Ordo Romanus *jam tum, consentiente utraque potestate, receptus fuisset, quis episcoporum ausus fuisset ejus ritus ad examen revocare, et suo solius arbitrio subjicere?*

sive conformitas cum Ordine Romano,

26 *Ast si conferamus ritus* Ordinis Romani (*c*) *cum iis quæ in libris* de Sacramentis *describuntur, videbimus magnam inter utrosque intercedere differentiam. Quædam tantum hic notanda sunt, ne nimium excurrat oratio. In libris* de Sacramentis *nulla fit mentio* litaniarum, benedictionis et immissionis cerei paschalis in aquam, *quæ omnia in* Ordine Romano *reperiuntur* (*d*) : *aliæ sunt interrogationes desumptæ ex symbolo, alia forma confirma-*

tionis : hæc sufficiunt ad monstrandum scriptorem Ordinem Romanum *præ oculis non habuisse. Urgetur vero Oudinus adhuc pressius, quia in citatis libris ne Gallicanus quidem Ordo exhibetur : unde consequitur scriptorem ad Gallias non pertinere. Etenim l.* I *de Sacram. c.* II (*e*) *duplex est abrenuntiatio baptizandorum, dum in Veteri Missali Gallicano* (*f*), *edito per virum non minus doctrina quam sanctitate insignem, B. Josephum Mariam Thomasium cardinalem, una tantum reperiatur, quemadmodum et in Sacramentario Gallicano sæculi* VII *apud Martene* (*g*). *In aliis vero plerisque ritualibus Galliarum tres renunciationes signantur, ut habet laudatus Martene l. c. Octavo autem sæculo videtur ubique viguisse in Gallia consuetudo ternæ abrenuntiationis, uti patet ex Conc. Liptinensi anni* 743 (*h*), *et ex aliis monumentis, quæ affert Cl. Antonius Binterim, vir tot laudandus nominibus, in suo erudito opere germanico de Antiquitatibus Ecclesiæ Catholicæ* (*i*).

aut Gallicano Veteri.

27 *Juvat huc conferre alium ritum in Ecclesia Gallicana servari solitum, de quo tamen in libro de Sacramentis nihil dicitur. S. Gregorius Turon. l.* I *de Gloria Martyrum c.* XXIV (*k*) *habet :* Tunc cum exorcismo sanctificatam aquam, conspersum E desuper chrisma, omnis populus cum devotione haurit. *Atque hujusmodi conspersio non tantum in Hispania, de qua loquitur Gregorius, usitata erat; sed eamdem videre quoque est tum in Gothico* (*l*), *tum in veteri Gallicano Missali* (*m*), *quod edidit laudatus supra B. Josephus Thomasius. Nihilominus noster qui, Oudino divinante, Gallus esset, hunc quoque ritum omnino omisit, l.* I *de Sacram. c.* V (*n*); *nam aquæ baptismalis consecrationem describens, de chrismate tacet. En ejus verba :* Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea et precem defert, ut sanctificetur fons et adsit præsentia Trinitatis æternæ. *Omnino accurate tum hunc, tum alios ritus evolvit auctor : ejus itaque silentium præjudicium creat non facile oblitterandum, scilicet in sua Ecclesia gallicanam hanc consuetudinem non viguisse. Quod etiam confirmatur ex eo, quod in laudato loco totus sit in evolvendo cur Christus* prius *descenderit et* postea *Spiritus Sanctus venerit : si enim ritus chrismatis servatus fuisset, nullus dubito quin ad hunc allusisset auctor, cum apud SS. Patres vulgaris sit metaphora chrismatis ad*

F *Christum. Conferenti ritus in libris de Sacramentis descriptos cum iis qui in libris ritualibus Gallicanæ Ecclesiæ reperiuntur, varia alia occurrent, ex quibus manifestum fiet hos sermones adscribi non posse alicui Gallo, qui sæc.* VIII *vixerit et proinde abjudicandos esse S.* Ambrosio *Cadurcensi. Si itaque libri* de Sacramentis *Sanctum nostrum Cadurcensem non habent auctorem, quanto minus tractatus* de Mysteriis, *qui ob rationes, quas late deducunt editores Benedictini in prologo, ad hunc librum præmisso, aliique complures etiam ex heterodoxis, non immerito inter genuina S. Ambrosii Mediolanensis opera recensetur. Quod quidem judicium confirmatur ipso opere : quum nonnulla, quæ in eo reperiuntur, liturgica, Mediolani adhuc partim vigeant, et ritus baptismales, quales in Actis synodorum Mediolani sub S. Carolo Borromæo habitarum* (*o*) *describuntur, in hoc tractatu fundentur.*

28 *Cum itaque libri* de Sacramentis *S. Cadur-*

(*a*) Cfr Hist. litt. de la Fr., t. IV, p. 139. — (*b*) Scriptt., t. I, col. 1854. — (*c*) Bibl. PP., tom. XIII, p. 639. — (*d*) Ibid., p. 693 et seqq. — (*e*) Ambros., t. V Op., p. 210. — (*f*) Thomasi Cod. Sacram., p. 475. — (*g*) De Antiq. Eccl. rit., t. I, p. 65. Edit. Venet. 1783. — (*h*) Harzheim Conc. Germ., t. I, p. 51. — (*i*) Denkwürd. der Christ-Cathol. Kirche, t. I, part. I, p. 94. — (*k*) Bibl. PP, t. XI, p. 837. — (*l*) Cod. Sacram., p. 334. — (*m*) Ibid., p. 475. — (*n*) Ambros., t. V Op., p. 213. — (*o*) Act. Eccl. Mediol., p. 410.

AUCTORE J. V. H. *Concluditur incertum esse quis librorum de Sacramentis fuerit auctor.*

censem episcopum auctorem certo non habeant, Mediolanensem vero habere non videantur; longius progressi quidam, indagare tentarunt, quis librorum de Sacramentis *scriptor habendus esset. Varii varias secuti sunt sententias. Benedictini in Prologo* A *ad lib.* de Sacramentis (*a*) *propendere videntur ad opinionem Godefridi Hermant in Vita S. Ambrosii* (*b*), *censentis dictos libros ad aliquem e discipulis hujus Sancti, qui non multo post ipsum Mediolanensi præfuerit Ecclesiæ, pertinere. Quominus secundum ipsum feramus suffragium, id præcipue impedit, quod auctor lib.* III *c.* I *profiteatur se in ritibus sacris sectari velle vestigia Ecclesiæ Romanæ* (*c*): Non ignoramus, *inquit,* quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam : hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. . . . In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam : sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus. *Ex his verbis manifestum est, scriptorem sequi ritus Romanos tum vigentes, uno addito, scilicet pedum lotione. Quum igitur notum axioma sit :* Exceptio firmat regulam; *concludendum est ceremonias reliquas* B *omnes apprime concordare cum* typo et forma *Ecclesiæ Romanæ. Sed hujusmodi conformitas convenire non potest ritui Ambrosiano, qualis omni tempore, etiam ante S. Ambrosium exstitit. Nobis desunt libri rituales, ut latius hæc evolvamus. Unum hic adferam, quo aliqui ritum Mediolanensem subodorari putarunt : habet auctor lib.* IV *de Sacram. c.* V (*d*) *hanc formam consecrationis panis :* Accipite et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur. *Hanc formam Ambrosianam esse dicit Pamelius tom. I Liturgiæ latinæ. Verum id omnino negat Muratorius apud August. Krazer* (*e*) : Rogavit (*Muratorius*), inquit, virum Cl. Josephum Antonium Saxium, bibliothecæ Ambrosianæ præfectum, ut ex omnium antiquissimo Missali Ambrosiano canonem Missæ ad se transmitteret. Consuluit ille codicem membranaceum vetustissimum, cujus antiquitatem ad sæculum IX vel X pertinere arbitrabatur et VERBA consecrationis cum Romanis EADEM, TOTUMQUE CANONEM Romano similem invenit. Hinc verisimile est Pamelium ab auctore libri de Sacramentis fuisse deceptum, qui olim S. Ambrosio fuerunt attributi, nunc autem antistiti Mediolanensi a criticis emun- C ctæ naris rectius abjudicantur. *Magni hoc est momenti; agitur enim de forma sacrosancta, quæ vix umquam mutatur semel assumpta : unde hoc solum argumentum probabile facit judicium illorum, qui negant ad aliquem Mediolanensem episcopum dictos libros pertinere. Frustra alium quemdam auctorem quæreremus in illa librorum liturgicorum penuria, quam patimur : nisi enim liber ritualis reperiretur, cujus ceremoniæ accurate cum ritibus ab Ambrosiastro expressis convenirent, non video quomodo quid certi pronuntiari posset, et circa horum librorum scriptorem, et circa tempus, quo vixerit. Coronidis tamen loco adjungam Robertum Sala, Cisterciensem, in sua editione Operum cardinalis Bona suspicari, auctorem librorum de Sacramentis fuisse S. Maximum Taurinensem* (*f*) : *sed præter nudam conjecturam nihil affert Sala, quo opinationi suæ aliquid roboris addat. Nihil quoque luminis mihi attulit nova editio Operum S. Maximi,* D *Romæ anno* 1784 *adornata.*

§ IV. S. Ambrosius, detectus cœlesti indicio, Romam proficiscitur et in reditu obit.

S. Ambrosio *secedenti*

Vidimus § II, *S.* Ambrosium *Cadurcensem ita reliquisse episcopalem dignitatem, ut eamdem postea resumere noluerit. Malitia plebis regendæ causa est canonica dimittendi episcopatus. Quamvis autem Sanctus secretum voluerit suæ solitudinis locum, non dubium tamen est, voluntatem deponendi pontificalis oneris populo Cadurcensi innotuisse, unde rite procedere potuerit ad electionem ejus successoris. Nam viventi S.* Ambrosio *alium episcopum subrogatum fuisse, manifestum fit e Vita n.* 9, *in qua legitur, inventa clavi in pisce, S.* Ambrosius *dixisse discipulo suo :* Vade in civitatem ad episcopum : *erat igitur alius episcopus S.* Ambrosio *substitutus. Atque* E *hoc etiam ab antiqua Ecclesiæ disciplina non abludere testis est nobis S. Gregorius Magnus, in cujus Vita, a Joanne Diacono scripta* (*g*), *legitur :* Pontificibus voluntarie suis renunciantibus sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. *Voluntariæ cessionis mentionem facit quoque S. Augustinus lib.* II, *contr. Cresc. cap.* XI (*h*), *quando dicit :* Neque episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum et sacramentum Dominicum ministramus; ac per hoc ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nonnulli sancta humilitate præditi viri, propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt. *Ad has rationes accedit Waifarium, sedente S.* Ambrosio, *occupasse Aquitaniam, de quo hæc scribit Eginhardus* de gestis Pippini regis (*i*) : Waifarius dux Aquitaniæ, cum res, quæ in sua potestate erant, et ad Ecclesias sub manu Pipini regis constitutas pertinebant, rectoribus ipsorum F venerabilium locorum reddere noluisset, ipsumque regem, de hisce per legatos suos commonentem, audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitavit. Nam rex, contractis undique copiis, Aquitaniam ingressus, se res ecclesiarum bello exacturum pronuntiavit. *Hujusmodi autem Ecclesiarum vastationes causam olim præbuisse dimittendi episcopatus, testis jam nobis fuit S. Ado in suo Chronico* (*k*). *Nihil igitur miri et S.* Ambrosium *ob similem causam similiter episcopalem cathedram alteri reliquisse. De universo autem præsenti argumento, utiliter consuli potest Ludovicus Thomassinus in opere de Disciplina Ecclesiastica, part.* II, *l.* II, *c.* LII, *ubi plurima proponit exempla episcoporum Galliæ, qui his fere temporibus sedes suas reliquerunt.*

30 *Gulielmus de la Croix* (*l*) *successorem S.* Ambrosii

(*a*) Ambros. Opp., t. V, p. 206. — (*b*) Hermant Vie de S. Ambroise. Eclairciss., p. 30. Cfr Le Brun Explic. de la Messe, t. III, p. 25. (Edit. Paris 1777 8°) qui censet scriptorem esse sæculi VI. — (*c*) Ambros. Op., t. V, p. 222. — (*d*) Ibid., p. 232. — (*e*) De Antiq. Liturg, p. 631. — (*f*) Stor. litt. d'Ital., t. IV, p. 76. Cfr le Brun Explic. de la Messe, t. III, p. 210. — (*g*) Act. SS. XII Mart., p. 194, n. 39. — (*h*) T. IX Oper. col. 415. — (*i*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 199. — (*k*) Pertz. Monum. Germ., t. II, p. 319. — (*l*) Ser. Episc. Cadurc., p. 43.

alius sufficitur episcopus,

A brosii *ponit* Aymatum, *cujus episcopatum probat ex diplomate consecrationis altaris monasterii Anianensis, in diœcesi Magalonensi, quæ celebrata dicitur anno decimo Caroli Magni regis, a Leone papa III, præsentibus trecentis sexaginta sex episcopis : inter hos vero episcopos reperitur* Aymatus episcopus Caorsensis, *seu Cadurcensis. Verum illud monumentum, quo uno fulcitur Aymati episcopatus, merito exploditur ab eruditis. Nam annus decimus quartus Caroli regis concurrit cum anno Christi* 781 *aut sequenti, quo certe tempore non Leo III sed Adrianus I Romanam cathedram tenebat : quare Gulielmus laudatus pro anno Caroli* decimo quarto *ponit* trigesimum quartum, arithmetica nota, *ait,* prima tantisper immutata, an verius restituta. *Verum ne hoc quidem calculo ad annum Christi* 804, *quo Leo papa in Gallias venit, attingeret, nisi initium Caroli regis anno Christi* 769 *illigaret : sed impingit in scopulum Gulielmus; nam Carolus anno præcedenti successerat patri suo Pippino. Omissis vero his tricis chronologicis, aliunde constat Leonem Papam, quando in Galliis versabatur, Aquitaniam ingressum non fuisse : habent enim* Annales Metenses (*a*) *sequentia :* Medio Novembrio nuntiatum est ei (*Carolo Magno, an.* 804)

B Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, ubicumque illi placuisset. Quod rex gratanter suscepit; et statim, misso filio suo Karolo ad Sanctum Mauricium, eum suscipere honorifice præcepit. Ipse vero obviam illi apud Remorum civitatem, in basilica B. Remigii episcopi et Confessoris, profectus est : ibique susceptum ad Carisiacum usque perductum, cum eo ibi Natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiscentes, pervenerunt ad Suessionis civitatem, in qua dimisso Papa, ad colloquium germanæ suæ Gislæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam monasterium pervenit : fruitusque ejus colloquio, ad Carisiacum villam Leonem Papam, quem apud S. Medardum dereliquerat, sibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, et, honoratum magnis muneribus, per Bajoariam ire volentem, a suis duci fecit usque Ravennam..... Mansit apud illum (*Imperatorem*) dies octo, et, sicut dictum est, Romam repedavit. *Ex hac narratione apparet fabulosum esse documentum Anianense et proinde nullo testimonio niti episcopatum Aymati, de quo agit Gulielmus de la Croix* (*b*).

cujus nomen nescitur :

C 31 *Ignotus itaque dicendus est episcopus Cadurcensis, qui S.* Ambrosio *in solitudinem secedenti successit : nisi fuerit Angarius, etiam Agarnus vel Awarnus appellatus. Is certe jam sedebat anno secundo regni Ludovici, Caroli Magni filii in Aquitania, id est anno Christi* 783, *ut videre est in Mabillonii Annalibus lib.* XXV, § XXXIX (*c*). *Constat hoc ex diplomate Angarii,* datum anno DCCLXXIII Domini Hludovici secundo regis Francorum : *recte notat Joan. Mabillon l. c. legendum esse pro* 772 *annum* 783, *qui recte concurrit cum anno secundo regni Ludovici Pii in Aquitania, utpote qui anno* 781 *ab Adriano papa rex Aquitaniæ unctus est Romæ, ut habent Annales Metenses* (*d*). *Angarius igitur, anno* 783 *jam Cadurcensis episcopus, vixit saltem usque ad annum* XIX *sæculi noni, uti constat ex membrana abbatiæ Figiacensis de permutatione cellulæ* Jonante *inter Angarium episcopum et Pippinum Aquitaniæ regem; cujus diplomatis hæc est subscriptio :* Datum IV cal. Junii anno VI imperii Ludovici et VII regni nostri (*e*). *Quum nemo sit inter eruditos, qui auctoritatem hujus chartæ neget, una solum superest difficultas, quomodo scilicet annus* VI *Ludovici Pii imperatoris concurrat cum anno* VII *regni Pippini ejus filii in Aquitania : nam Pippinus regnum orsus videtur post kalendas Novembris anni Christi* 814, *ut probat Mansi nota in Criticam Pagii ad annum* 838, § 1 : *aliunde vero habemus exordium imperii Ludovici Pii duci a kalendis saltem Maji ejusdem anni. Igitur mense Majo præcedebat uno anno Ludovicus Pippinum : quare Cointius* (*f*), *merito suspicatur* permutatas fuisse notas chronologicas, et annos, Ludovici septimum, Pippini regis sextum, legendos esse; *quo casu dicendus esset Angarius sedem Cadurcensem occupasse anno vulgari* 820. *Si tamen aliquis malit legere Pippini* annum quintum, *nihil est quod obstet. Atque hæc de successore S.* Ambrosii *dixisse sat esto, quin tamen asserere possimus num inter Sanctum nostrum et Angarium aliquis fuerit episcopus medius.*

AUCTORE J. V. H.

D

Sanctus Romam proficiscitur,

32 *S.* Ambrosius, *dimisso episcopatu, sive occulte, ut insinuat Vita ejus brevior MS. e lectionario Cadurcino extracta* (*g*), *sive, quod probabilius est pro sua in Ecclesiam suam providentia, præmonito clero, ut alium ejus loco pontificem eligere posset, profectus est Romam ad visitanda SS. Apostolorum limina.* E *Auctor Vitæ brevioris, paulo superius citatæ, dicit Sanctum nostrum invitatum a clero et populo ut pastorale officium iterum capesceret, fuisse* causatum quod prius votum sibi solvendum foret, *visitandi scilicet limina SS. Apostolorum atque in reditu in patriam obiisse. De hujusmodi voto nihil habet Vita infra edenda : simpliciter in ea dicitur S.* Ambrosius, *recusato episcopatu, qui illi offerebatur, Romam abivisse : addit nihilominus MS. reginæ Sueciæ* (*h*), *respondisse episcopo successori :* Tu, frater karissime, sedebis in locum tuum. Ego autem vadam Romæ in nomine Domini mei Jesu Christi; si vero placuerit Domino meo, regrediar huc : sin autem, tu posside omnia : opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. *Videtur igitur Sanctus, solutus carcere voluntario, Romam abivisse non solum orationis, sed etiam consultationis causa : num scilicet onus pastorale iterum subeundum sibi esset, aut alia sibi quærenda foret solitudo. Si fides adhiberi potest tum Sanctorali Cadurcensi, apud Gul. de la Croix* (*i*), *tum Vitæ breviori Lectionarii Cadurcini, Sanctus profectus est Romam, ea mente, ut postea Cadurcum reverteretur : Sanctorale habet :* Ego vero Romam ibo, liminaque Apostolorum Petri F et Pauli visitabo, quod si Deus huc me reverti permiserit, quod voluerit, præsto sum adimplere. *Liquidius habet Lectionarium* (*k*) : Ad Apostolica limina Romam perrexit, tum Basilicam B. Martini Turonensis, sed in reditu in patriam occubuit. *Ex his apparet Sanctum reipsa voluisse redire Cadurcum, ut ex consilio Romani Pontificis, aut populi sui regimen iterum assumeret, aut in solitudine orationi et pœnitentiæ reliquum vitæ tempus impenderet.*

et in reditu obit

33 *Solemne erat Christianis omnibus, sed præsertim presbyteris, episcopis atque iis etiam, qui sanctioris vitæ desiderio tenebantur, visitare sacra limina Apostolorum, tum ut Sanctorum patrocinio adjuvarentur, tum etiam ut Romani Pontificis consiliis regerentur. Multa nobis exempla suppeditat antiquitas. Incertum porro est quantum temporis impenderit S.* Ambrosius *noster suæ Romanæ peregrinationi : cum tamen non videatur voluisse Romæ permanere, et in reditu visitaverit sepulcrum S. Martini Turo-*

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 352. — (*b*) Cfr Coint. Annal. Fr. an. 805, § XI, t. VII, p. 35. — (*c*) T. II Annal. Bened., p. 249. — (*d*) Ap. D. Bouquet, t. V, p. 343. — (*e*) Gulielm. De la Croix Ser. Episc. Cadurc., p. 43. — (*f*) Ann. Franc. an. 820, § XXVII, t. VII, p. 533. — (*g*) MS. Bibl. reg. Brux., n. 8014, fol. 22. — (*h*) Annot. ad Vit.. — (*i*) Ser. Episc. Cadurc., p. 36. — (*k*) Lect. Moyssiac. MS. sub n. 8014. Bibl. reg. Brux.

nis,

AUCTORE J. V. H.

A *nis, nihil nos cogit, ut plus quam biennium huic peregrinationi tribuamus : si itaque certo sciremus quo circiter tempore Sanctus Cadurcensem suam solitudinem reliquerit, non valde difficile foret tempus mortis certius figere. Nihil tamen impedit, donec tutiora sectari possimus, secessionem Sancti circa annum Christi* 765 *figere, quando Waifarius maxime in Ecclesias Aquitaniæ debacchabatur : cum enim hujusmodi persecutiones Sanctus non objiciat, quominus ad sedem suam redeat; recte inferri potest, ejus exitum ex caverna post mortem Waifarii seu post annum Christi* 768 *accidisse : a quo per triennium solitudinis retrocedendo ad annum* 765 *devenimus. Romam profectus S.* Ambrosius *ad visitanda SS. Apostolorum limina, videtur voluisse dein Cadurcum reverti. Nam oblatas episcopales infulas ita acceptare renuit, ut tamen voluerit Sedem Apostolicam consulere : quod manifeste innuit Sanctorale Cadurcense apud Gul. de la Croix* (*a*). *Quum episcopus illi subrogatus dixisset :* Domine et pastor bone, ego licet indignus in locum tuum subrogatus sum : quare rogo te, revertere ad domum tuam, et accipe sedem, rege populum tuum, atque esto in loco tibi præparato, quamdiu vixeris : ego

B autem alio proficiscar; *tunc ad eum* Ambrosius dixit : Regat interim Deus ecclesiam suam et populum tuum (*suum?*). Ego vero Romam ibo, liminaque Apostolorum Petri et Pauli visitabo, quod si Deus huc me reverti permiserit, quod voluerit, præsto sum adimplere : sin minus, tu omnia hæc recte guberna. *Lectionarium Cadurcense MS. sub n.* 8014 *Bibl. Reg. Bruxell. dicit :* Ad Apostolica limina Romam perrexit, tum basilicam beati Martini Turonensis; sed in reditu in patria occubuit decima sexta mensis Octobris ad Arbotum oppidum Bituricense. *Jam insinuavimus supra n.* 31 *laudatum Lectionarium in quibusdam non concordare cum aliis scriptoribus, qui de S.* Ambrosio *egerunt, atque adeo non omnem fidem mereri : hinc igitur certo concludi non potest reipsa Sanctum in reditu ad civitatem suam fuisse, quando obiit. Sed alia sunt, quæ suadent : ipsa imprimis ejus verba supra allata, quibus clare profitetur se rediturum : dein quod in via obiisse dicitur ab omnibus biographis.*

anno, ut videtur, 770,

34 *Unde probari non potest, quod habet Adr. Baillet in Vita S.* Ambrosii, *cujus verba latine reddo :* Inde (*Turonis*) secessit in pagum Bituricensem, et cellam sibi construxit in vico *S*erisio, supra fluvium

C Arnonem, quatuor circiter leucis Bituricis distanti. *Similia quoque habent lectiones Breviarii Bituricensis, anni* 1783 *nobis humanissime communicatæ a R. D. Figier canonico et secretario archiepiscopatus Bituricensis. Quibus consonant Proprium Sanctorum Cadurcense, ab Henrico de Briqueville editum* (*b*), *Auctores Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (*c*), *et Butler ad* XVI *Octobris. Multæ sunt profecto auctoritates, quæ rem suaderent, si idoneo fundamento niterentur : verum nihil de mora S.* Ambrosii *in pago Bituricino habent antiquiora monumenta, si fortassis Breviarium Bituricense, quod* vetustissimum *appellat Phil. Labbe in Bibliotheca Manuscriptorum* (*d*), *excipias : dicit enim :* Post aliquod autem tempus Roma rediens, et in pago Biturico in vico Arnotensi moram faciens, per multas tribulationes expurgatus, gloriosum Deo spiritum reddidit : *quamvis hæc* mora *explicari possit de morbo supremo, qui coegit eum demorari in præfato pago. Deinde hoc Breviarium antiquitate inferius est Vita infra edenda, quæ satis insinuat, meo judicio, Sanctum nullam moram trahere voluisse in vico Serisio :* Abiit Romam, reversusque est ad urbem D Bituricam : cumque Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino. *Cum aliud documentum æque antiquum sese non prodat, atque satis presse auctores supra laudati antiquioris hujus Vitæ vestigia sequantur, concludendum videtur Bituricensem commorationem conjecturam magis esse, quam historiam : quod satis apte probat Cadurcense Breviarium jussu Bertrandi Du Guesclin episcopi circa medium sæculum decimum octavum editum : nam cum Proprium Cadurcense Henrici de Briqueville de la Luzerne in Lectionibus S.* Ambrosii *dixisset :* Postmodum apud Bituriges contulit sese, et in pago tum temporis ignobili fixit domicilium, ibidemque vitam gloriosam finiit : *omissa domicilii Bituricensis mentione, habet Breviarium Cadurcense :* Demum apud Bituriges Serisii, ad amnem Arnoti, obiit. *Neque id quidem immerito : si enim post Waifarii mortem S.* Ambrosius *ex caverna sua Cadurcensi prodiit, quod probabile numero superiori prædixi mus, non perspicitur quomodo apud Bituriges domicilium figere potuerit Sanctus, quem omnes dicunt circa annum Christi* 770 *obiisse; qui enim a Waifarii morte ad hoc tempus intercedunt bini anni, vix sufficientes sunt ad peregrinationem Romanam* E *et Turonensem rite peragendam : tandem, ut supra dixi, non videtur Sanctus in mente habuisse ita relinquere patriam, ut numquam rediturus esset : de hoc solo dubitabat, num depositas infulas aliquando esset resumpturus. Certe unusquisque mecum consentiet verba Breviarii Bituricensis anni* 1783 *Sanctum* multo tempore vixisse ignotum *in vico* Sericiaco *apud Bituriges, nullum momentum historicum habere.*

in Arnotro vico,

35 *Jam diximus recentiores omnes annum emortualem S.* Ambrosii *figere circa* 770 : *cui tamen opinioni nemo antiquorum suffragatur : unde conjectando hic procedunt : conjecturæ facile consentiam, dum tamen opinionem num. præc. utcumque firmatam amplecti velint, quam nisi secuti fuerint, non video quibus monumentis sententiam suam probare valeant. E contrario, admissa opinione nostra, chronologia Sancti recte procedit, et facile unusquisque perspiciet, tempus mortis S.* Ambrosii *vix distare posse ab anno Christi* 770. *Locus Sancti emortualis accuratius designatur in antiqua Vita :* cum Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino. *Est autem* Ernotrum, *etiam* Ernodurum *aut* vicus Arnotensis *dictum, vicus quatuor leucis africum* F *versus a civitate Bituricis distans, atque hodie a S.* Ambrosio, Saint Ambroix sur Arnon, *appellatur, in pago Carophino* (Canton de Charrost : Département du Cher); *ad hunc vicum ducebat via a Romanis olim strata, quæ antiquam loci celebritatem satis demonstrat. Prope Ernotrum adjacet viculus* Sericiacum (Seris) *hodie* Marats, *in quo proprie S.* Ambrosius *defunctus est. Non tamen, ut mihi scribit R. D. Figier, canonicus Bituricensis, die* XXII *Novembris* 1840, *Sericiaci sepultus fuit, sed Ernotri in ecclesia, ubi, clarescentibus miraculis, magnus populi concursus habebatur : quin propterea verba* Sanctoralis Cadurcensis *admittere debeamus, quibus dicit :* Post non multos dies illius loci incolæ templum in honorem ipsius struxerunt, quod in hunc usque diem extat. *Scimus quidem Ernotrum nomen sibi mutuasse a S.* Ambrosio, *ast utrum in campo aperto sepultus Sanctus, postea templum nactus fuerit, silent antiquiores; immo pro eo quod incolæ loci exstruxissent ædem sacram in honorem Sancti, longe probabilius est, in templo jam exstructo deposuisse*

(*a*) Ser. Episc. Cadurc., p. 36. — (*b*) Gall. Christ., t. I, col. 134. — (*c*) Hist. de l'Egl. Gall., t. VI, p. 103. — (*d*) T. II, p. 346.

sacrum

A *sacrum corpus. Cæterum citatum Sanctorale manifeste confundit sepulturam Ernotrensem cum Biturícensi; siquidem post mox allata verba subnectit :* Est autem ibidem cœnobium, quod abbatia S. Ambrosii nuncupatur. *Quod verum est de urbe Biturícensi, neutiquam de vico Ernotrensi. Eumdem errorem habet Alb. Butler, quamvis Adr. Baillet utrumque locum apte distinxerit.*

Transfertur S. Ambrosii *corpus Biturícas,*

36 *Cum corpus S.* Ambrosii *aliquandiu Ernotri jacuisset, translatum fuit Biturícas, sæculo saltem decimo, ut satis constat ex diplomate Gaufridi vicecomitis Biturícensis, de quo jam egimus supra n.* 2 : *nam quando reddit anno* 1012 *monasterio S. Petri et S.* Ambrosii *Gaufridus quidquid amiserat, jam tum in dicta ecclesia requiescebat corpus sancti pontificis, idque monasterium* Ambrosii *nostri nomen præ se ferebat : quod utrumque ostendit, jam ante Gaufridi donationem translationem Reliquiarum celebratam, et, propagato ejus apud Biturícenses cultu, cœnobio novam appellationem S.* Ambrosii *inditam fuisse. Atqui hæc intra breve duodennium fieri non consueverunt. Unde merito ab auctoribus tempus translationis ad sæculum saltem decimum revocatur. Immo maxime probabile est sancti episcopi Reliquias*

B *sæculo jam nono Biturícas illatas fuisse : notum est enim illo sæculo propter metum Normannorum, Gallias dire vastantium, monachos sua cœnobia relinquentes cum Sanctorum Reliquiis in munitissimas quasque urbes confugisse. Certe Normannos graves fuisse Aquitaniæ, atque adeo Biturícensi pago, multa antiqua monumenta nobis monstrant. In annalibus Vedastinis sub anno* 889 (*a*) *legimus* Danos *seu Normannos* more suo Burgundiam, Neustriam atque partem Aquitaniæ, nullo resistente, igne et ferro devastasse; *similem calamitatem prædicant iidem Annales sub anno* 898 (*b*) : *sub anno* XXIII *sæculi decimi refert Chronicon Flodoardi* (*c*) *Normannos* Aquitaniam Arverniamque deprædatos *fuisse; unde quoque* Rodolfus rex, *anno* XXX *ejusdem sæculi, ait citatus Flodoardus* (*d*), Nordmannos, qui Aquitaniam deprædationibus infestabant, . . . uno prælio pene delevit : *atque infestationem hanc in Aquitania* per septem annorum spatia *perseverasse testatur nobis Fragmentum historicum a Chesnio primum editum* (*e*). *Plura alia possemus afferre monumenta, quæ monstrarent pago Biturícensi exitiosos fuisse Normannos; unde probabile fit corpus*

C *S.* Ambrosii, *sæculo nono in finem vergente, aut decimo incipiente, intra urbem Biturícensem translatum fuisse : quod etiam inde aliquantum confirmatur, quoniam, si non tam ex fuga, quam ex pietate accidisset translatio, aliquod saltem solemnitatis mansisset vestigium superstes.*

in templum S. Petri,

37 *Ernotro Biturícas translatum corpus S.* Ambrosii, *in S. Petri conditum fuit. Ante Sancti obitum jam exstitisse hoc templum probatur ex sepultura Sigini circa medium sæculum octavum defuncti, ut diximus supra n.* 2. *Crescente fidelium pietate erga S.* Ambrosium, *ab hoc nomen suum mutuata est ecclesia, quam cum conjuncto sibi claustro ita ex archivis describit Phil. Labbe* (*f*) : Est quidam locus prope muros urbis Biturícæ ad septemtrionalem plagam situs, Brisiacus nuncupatus, qui antiquitus in magno honore constructus, et in honorem B. Petri Apostolorum principis ac S. Ambrosii pontificis sacratus, atque maxima caterva canonicorum honorifice decoratus : sed irruente persecutione infidelium, pene ad nihilum est redactus. Sed etsi destruxerunt domicilia, non tamen abstulerunt sanctitatem. Transacto namque multorum annorum curriculo, Gaufridus, vicecomes Biturícæ urbis, D cum consilio et adjuturio omnium nobilium Biturícensis ducatus, magnifice reædificavit anno ab incarnatione Domini millesimo et duodecimo, villasque et alios honores S. Petri ac S. Ambrosii, quos injuste tenebat, ex præcepto regis Roberti et domini Dagberti, Biturícensis archiepiscopi, reddidit (*vide supra n.* 3). . . . Eorum (*canonicorum sæcularium*) devotione paulatim refrigescente, . . . quum jam non circa altaris officia dediti essent : sed . . . . essent per suam dementiam clericali ordini dehonestamento, illis expulsis, reverendus in Christo Pater ac Dominus, Dominus Petrus de Castra, Biturícensis archiepiscopus, vir omnibus veræ sapientiæ dotibus cumulatissimus, illuc introduxit canonicos regulares, viros certe morum integritate insignes, et (ut ita dicam) ipsa probitate meliores, anno Dominicæ incarnationis MCLI, quemadmodum idem Pontifex memoriæ prodidit in hæc verba : « Pastoris officii cura nos admonet sanctæ religio- » nis bonum fovere semper et diligere, eamque in » ecclesiis a Deo nobis commissis sacerdotii nostri » tempore, Deo auctore, in melius propagare. Ea » propter ego Petrus Dei gratia Biturícensis Ec- E » clesiæ archiepiscopus, salvandis animabus in » civitate Biturícarum aliquod volens ordinare » confugium, ubi et mores corrigere et dignos » pœnitentiæ fructus multi valeant Deo exhibere, » ecclesiam Sancti Ambrosii, Brisiacensis, de multa » enormitate ad normam et regulam canonici or- » dinis perducere curavimus, et in ipsa canonico- » rum regularium ordinem secundum regulam » Sancti Augustini tenendum amodo constituimus. » Quod igitur piæ devotionis intuitu a nobis salu- » briter est factum, religiosa nihilominus est sòlli- » citudine prosequendum. Proinde canonicum or- » dinem secundum regulam B. Augustini præfata » S. Ambrosii Brisiacensis ecclesia perpetuo teneri » et observari, auctoritate Biturícensis Ecclesi æet » nostra, statuimus, nostrosque successores, ut » sæpedictam ecclesiam et hujus religionis institu- » tum fovere semper et in melius laborent promo- » vere, obnixe ac devote flagitamus, et ex parte » omnipotentis Dei et Beati Stephani Protomarty- » ris admonemus, etc. » Quæ ne opus in immensum excresceret, resecavimus. *Hucusque Phil. Labbe.*

F

circa finem sæculi præcedentis destructum.

38 *Abbatiam, per Petrum de Castra sub Ordine canonico constitutam, rexere prius abbates regulares, quorum primus fuit Godefredus, quem ab anno* 1150 *ad* 1163 *saltem gubernasse perhibent auctores Galliæ Christianæ* (*g*). *Lapsu temporis hæc abbatia in commendam redacta fuit, uti videre est loco citato. Sæculo decimo sexto, turbantibus Galliam Calvinistis, principis Condæi vicarius, Gabriel Montgommery, Biturícam ingressus est per portam S.* Ambrosii, VI *kal. Junii anni* 1562, *et, pro more sectariorum, altaria evertit, imagines sacras confregit, combussit Sanctorum Reliquias* (*h*). *Inter cæteras ecclesias, Calvinistarum furore destructas, annumeranda sunt monasterium et templum S.* Ambrosii, *imo ejus sacrum corpus, e feretro jam projectum, probabilius flammis addicendum erat, quando Catholicorum industria ex impiorum manibus ereptum* (*i*), *in nova capsa collocatum fuit. Postea anno* 1571 *Ludovicus de la Mer de Matha, Alvernus, abbas commendatarius, dirutas ædes a fundamentis instauravit; quibus dein novus splendor accessit,*

(*a*) Ap. D. Bouquet, t. VIII, p. 88. — (*b*) Ibid., p. 92. — (*c*) Ibid., p. 179. — (*d*) Ibid., p. 186. — (*e*) Ibid., p. 298. — (*f*) Bibl. MSS., t. II, p. 57. — (*g*) T. II col. 181. — (*h*) De Thou Hist. univ., lib. XXX, t. III, p. 190. — (*i*) La Croix Scr. Episc. Cadurc. p. 34.

AUCTORE J. V. H.

A *quando anno* 1634, *sub Jacobo Maugis abbate commendatario, unitum fuit cœnobium congregationi Gallicanæ canonicorum regularium* (*a*). *Abbatia deinceps tranquilla perstitisse videtur, usquedum sub finem sæculi præcedentis sacra æque ac profana in Galliis turbata fuere : communem calamitatem experta quoque est S.* Ambrosii *abbatia, et in fiscum reipublicæ cessit. Divenditis ædibus, permansit tamen ecclesia usque ad annum hujus sæculi* XXVIII, *quando et hæc solo æquata fuit, excepta abside, quæ et hodie inservire posset cultui catholico, si dominus fundi illam reddere vellet, cujus quidem rei nulla spes affulgere dicitur. Ad Reliquias Sancti quod attinet, perierunt, ut pleræque aliæ, in turbine, quin ad hunc usque diem illarum vestigium reperiri potuerit. Ante hoc tempus pars saltem Reliquiarum inclusa erat herma argenteo, qui in processionibus circumferebatur.*

Sacellum juxta Cadurcum ædificatum profanatur.

39 *Serius, uti videtur, in Cadurcensem episcopatum invectus fuit cultus S.* Ambrosii : *nullum enim antiquius ejus monumentum occurrit, quam charta edita a Raymundo III* (*b*), *Panchelli dicto, qua vult ut in honorem S.* Ambrosii *patroni sui, quæ vox antiquiorem aliquanto devotionem designat, sacellum*

B *erigatur. En ejus verba ex Gul. de la Croix* (*c*) : Universis, etc., Raimundus Dei gratia Cadurcensis episcopus. Noveritis, quod nos cum venerabili capitulo Cadurcensi volentes et intendentes damna et pericula Ecclesiæ Cadurcensis, in capite et in membris, prout possumus et tenemur, evitare, et virtutem pro viribus procurare, volumus, ordinamus et statuimus, quod medietas fructuum ecclesiarum vacantium et vacaturarum in civitate et diœcesi nostra Cadurcensi, illius anni quo vacabunt in posterum, cedentibus vel decedentibus rectoribus et capellanis seu perpetuis vicariis ecclesiarum earumdem cedat : colligantur vero per certos canonicos, eligendos per nos et capitulum nostrum prædictum singulis annis, quo reddere teneantur nobis et dicto capitulo de receptis et expensis certam et legitimam rationem. Ita quod imprimis et ante omnia, ad honorem Dei et Beati Ambrosii patroni nostri, et olim episcopi Cadurcensis, de fructibus et bonis prædictis construatur oratorium congruum et honestum, in loco, seu antro, vel spelunca, in qua vel quibus prope pontem veterem Cadurcensem juxta flumen Olti dictus Sanctus arctam vitam dicitur duxisse longo tempore, et

C pœnitentiam voluntariam peregisse, prout indubitanter testantur miracula quam plurima, ibidem et alibi, præstante divina gratia, ob ejus merita declarata. . . . In quorum fidem nos episcopus prædictus sigillo nostro una cum sigillo dicti Capituli has literas muniri fecimus. Nos vero Capitulum Cadurcense sigillum nostrum commune, una cum sigillo dicti Dom. Episcopi præsentibus appendimus. Datum Cadurci die Jovis ante festum Cathedræ S. Petri anno Domini MCCCVIII. *Duplex nunc Romana Ecclesia celebrat festum Cathedræ S. Petri : die scilicet* XV *kal. Februarii et* VIII *kal. Martii, propter sedem Romanam et Antiochenam : difficile igitur foret diem certum citato diplomati assignare, nisi constaret prius, utra festivitas hic indicetur. Utraque cathedra celebratur quidem in antiquissimis martyrologiis, ut monstravit in suo Usuardo Sollerius noster; verum prius festum* XVIII *Januarii apud plures obsoleverat, ut liquet ex antiquis Sacramentario S. Gregorii M., Missali Gothico, etc., dum alterum ab omnibus Ecclesiis semper retentum fuerit.* D *Quod etiam confirmatur ex eo quod concilium Copriniacense* (Cognac) *in diœcesi Burdegalensi circa annum* 1255 *habitum,* (*d*) *inter* dies feriatos *ponat* Cathedram S. Petri, *sed post* Conversionem S. Pauli, *et proinde mense Februario. Cum itaque Raimundus Cadurcensis simpliciter dicat datum diploma* die Jovis ante festum Cathedræ S. Petri, *mihi non est dubium, quin agatur de Cathedra S. Petri mensis Februarii : cumque anno bissextili* 1308 *littera dominicalis pro hoc mense esset F, sequitur diem Jovis ante festum Cathedræ fuisse* XV *Februarii. Paulus papa IV per bullam datam* VIII *idus Januarii anni* 1558 *restituit festum Cathedræ Romanæ* XVIII *Januarii, quod in pluribus ecclesiis antiquatum erat* (*e*). *Ut redeamus ad S.* Ambrosium, *sacellum ejus, a Raimundo ædificatum, exstat adhuc, quamvis posterioribus temporibus ex parte vel ex toto instauratum fuerit. Sub finem sæculi præcedentis, hoc sacellum et adjunctum territorium, fisco publico addictum venditumque, perstat tamen, licet profanatum, atque spes est aliqua, fore ut aliquando cultui S.* Ambrosii *restituatur, ut litteris ad me datis scribit R. D. Layrac, secretarius illustrissimi Domini episcopi Cadurcensis.* E

(*a*) Gall. Christ., t. II, col. 182. — (*b*) Non vero II, ut vult La Croix, p. 138 : Cfr Gall. Christ., t. I, col. 137. — (*c*) Ser. Episc. Cadurc., p. 171. — (*d*) Labbe, t. XI, part. I Conc. col. 749. — (*e*) Exstat bulla in Act. SS. XVIII Jan., p. 182. Bollandus dicit datam idibus Januarii, cum Bullarium Romanum scribat VIII idus Januarii, t. I, p. 833. (Edit. Luxemb. an. MDCCXXVII). Cfr Bianchini Anastasius, t. IV, p. 150 et seqq.

VITA S. AMBROSII EPISC.

AUCTORE ANONYMO.

Ex MS. Andreæ du Chesne, collato obiter cum MS. Nicolai Belfortii : accuratius cum MS. reginæ Sueciæ in-4°, n° 1270.

S. Ambrosius *Cadurcensis episcopus,*

a

Igitur *a* Sanctus Ambrosius cum esset pontifex in civitate, quæ vocatur Caturcis, omnibus * diebus ac noctibus in vigiliis et orationibus erat semper intentus, non enim in divitiis mundi, nec in thesauro ecclesiæ confidebat, sed in misericordia Domini; quia plenus erat gratia Dei : non diligebat sæculum, nec ea quæ in sæculo sunt, facultates et

F res ecclesiæ et proprias opes *, quas habebat, pauperibus erogabat, nudos cooperiebat, esurientes satiabat, sitientes potabat, captivos redimebat, thesaurum sibi in cœlo præparabat. Dicebant omnes senatores in civitate verba iniqua contra eum : Unde venit hic contrarius noster destruere thesauros ecclesiæ? Quid enim facimus contra eum *b* ?

b

2 Cum autem vidisset Sanctus Dei Ambrosius omnes illos fremere contra se, conversus in orationem ad Dominum dixit : Domine, Deus meus, qui benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, benedic animam meam, et omnia interiora mea in nomine sancto tuo, et educ me de civitate hac et de populo iniquo, qui mihi contrarius est, et blasphemat * opera quæ facio in nomine tuo. Cum * hæc dixisset gratia Dei plenus, reclusit se in cellula *, quæ erat juxta ecclesiam *c*. Flectens autem genua * in oratione dixit : Domine Jesu Christe, qui cognovisti Adam antequam esset et dedisti ei scientiam, ut

* omnibus *abest R. S.*

* opes *abest R. S.*

cum videret inutilem esse suam operam,

* contrarii sunt et blasphemant *R. S.*
* cum autem *R. S.*
* cellulam *R. S.*

c

* Flexisque genibus in oratione ait *R. S.*

agnosceret

A agnosceret viam veritatis, da et * mihi servo tuo speranti in te, ut vincam inimicum diabolum, qui ingressus est in cor hominis, cui contraria sunt opera quæ facio in nomine tuo *d*. Post hæc autem stetit ibidem dies multos, et cœpit ibi per eum virtutes Dominus facere *e;* et veniebant ad eum multi languidi et sanabat eos; cæci visum recipiebant, surdi auditum, muti loquebantur, et dæmoniosi curabantur *, infirmis membra curabat, * animum ad Dominum semper intentum habens *.

* et *abest R. S.*

d

e

* mundabantur *R. S.*
* *inserit* et *R. S.*
* habebat *R. S. in solitudinem secessit;*

3 Post hæc ibi Deus per eum multas virtutes demonstrabat, et inimicus cœpit circa eum habitare ut eum subverteret ad peccatum, et non potuit *; nisi ingressus esset in quamdam mulierem, quæ erat in civitate nobilissima, ut cum ipsa peccaret, et perderet thesaurum, quem in cœlo paratum habebat. Illa autem * egressa est nocte de domo sua, et venit ad cellulam ubi Sanctus Ambrosius erat reclusus, et dixit *f :* Domine aperi mihi ostium, desiderat anima mea videre corpus tuum. Sanctus * Ambrosius respondit : Væ tibi, diabole, seductor male, serpens antique, * [ubi te parasti? Ille vero cognovit tentationem esse diaboli, et dixit :] Non destrues in Domino sperantes, quia plus est Dei potentia ad defensandum, quam tua, inimice, ad impugnandum. Erat autem hora circiter media * nocte cum solita consuetudine profetica voce psallens dicebat * : Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam : et iterum dicebat : Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ. Ille * vero erigens se dixit * : Flecte genua tua in orationem et ego pro te similiter faciam *g*.

* quippe *Belf.*

f

* *inserit* vero *R. S.*

* *uncis inclusa absunt R. S.*

B

* mediæ noctis *Belf.*

* psallebat dicens

4 Mulier vero flectens genua in orationem *, dixit : Domine, Deus meus, da refrigerium in animam meam *. Sanctus autem Ambrosius intus ecclesiam oravit dicens : Deus angelorum, Deus archangelorum, redemptor animarum, expelle inimicum diabolum de corde mulieris, et fac eam requiescere in pace in nomine tuo, non *h* permittas diabolum cordi ejus dominari, sed fac eam ut honorificet nomen tuum : qui vivis et regnas per omnia * secula seculorum amen. Mulier autem erigens se, statim egressus est inimicus de corde ejus per orationes præfati pontificis et requievit ab ipsa hora, erat enim sicut coluber, et habebat mensuram quasi cubitum unum. Mulier vero, quæ antea a diabolo tentata fuerat, dixit ad Sanctum Ambrosium : Pater mi, nihil desidero, nisi orationem a Deo *i*, quia inimicus qui in me erat, egressus est de me per orationes tuas. Gratias ago Deo meo, qui effugavit diabolum de corde * meo, indulge mihi, et ora pro anima mea.

* *loco* Ille, interea *R. S.*
* *inserit* ad mulierem *R. S.*

g

ubi graviter tentatus,
* *ubique* in oratione *R. S.*
* animæ meæ *R. S.*

h

* *loco* per omnia, in *R. S.*

C

i

* corpore *R. S.*

5 Tunc Sanctus Ambrosius flevit in oratione et dixit : Gratias ago tibi, * Pater omnipotens æterne Deus, qui exuperasti diabolum, et non permisisti perdere hominem * quem creasti, et salvos facis sperantes in te. Veniebant * omnes senatores et populi multitudo *, et admirabantur virtutem, quam fecerat Deus per eum, et dicebant ad invicem : Vere Deus est cum eo. Væ nobis peccatoribus [*k* qui contradiximus opera sua! Et non videmus virtutes multas quas fecit per eum Deus;] in iniquitatem, et in malitiam parati sumus. Alii gaudebant, alii blasphemabant. Ille vero repletus Spiritu Sancto iracundiam contra eos non habebat, sed in Deum * plenius sperabat : et serpentem illum suspenderunt in testimonium. Multi autem glorificaverunt Deum *l*.

tentantem ad frugem reduxit.
* Sancte Pater *R. S.*
* *loco* hominem, facturam tuam *R. S.*
* autem omnes *R. S.*
* multitudo *abest R. S.*

k

* Deo *R. S.*

l

6 Post multos vero dies egressus est Sanctus Ambrosius *m* de cellula, ut erat reclusus, nocte, nullo sciente, nisi uno ex discipulis suis, quem habebat fidelem, qui erat archidiaconus sub thesaurum ecclesiæ, qui vocatur Agripinus, dixit ad eum : Noli hoc patefacere, fili mi, ubi vado. Dixit discipulus ille : Quid vis, domine? Sanctus Ambrosius ait : Fili, scio quoniam peccata mea multiplicata sunt super me, ideo vado et ingredior in cavernam castri in proximum pontem, qui est super flumen Olte *n*, et præcingo me de ferro, quod paratum habeo, et hoc signum tibi dico : clavem unde catenam illam sero, jacto in pelago, et quando quidem Deus voluerit, et inventa fuerit, dic in populo ubi sum : si autem non videris eam, noli declarare. Et abiens dixit : Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.

Hinc in caverna

m

D

n

7 Et iterum cum venisset ad locum prædestinatum flevit in orationem expansis manibus, et ait : Domine sancte pater omnipotens, æterne Deus, rex cœli * cœlorum, qui fecisti omnia, qui terram fundasti, et cœlum palmo mensurasti, qui mare signasti, ut non transgrederetur fines suos, jube nomen meum scribi * in libro tuo, ubi scripsisti Sanctos et fideles tuos, qui dilexerunt nomen tuum. Et ego peccator confido in tuam misericordiam, ideo regredior in locum * præparatum propter nomen tuum; et si vis, Domine, egrediar * hinc; sin autem, hinc * reddam spiritum, quia desiderat anima mea videre gloriam regni tui.

juxta Cadurcum se abscondit,

* cœli *deest R. S.*

* jube nomen meum scribere *R. S.*
* in locum ingredior *R. S.*

E

* regrediar *R. S.*
* hinc *deest R. S.*

8 Et cum hæc dixisset apprehendit catenam et præcinxit se *o* adstrictum de renibus usque ad verticem capillis capitis sui, et abstraxit clavem unde catena conseraverat, et jactavit eam in pelagus, et dixit : In nomine Domini nostri Jesu Christi : introivitque in cavernam castri lapidei *p*, quæ erat desuper plantatum *, et elevans oculos suos ad cœlum, simulque manus et supplex oravit ad Dominum et dixit : Fiat pax, Domine, in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Et ait ad fidelem * suum : Fili, observa mandata mea, si vis videre gloriam Dei. Discipulus autem *q* vehementer composuit plantatum supra eum, et nihil parebat, et dixit ad Sanctum Ambrosium : Pater de lumine, quid eris facturus in nocte? Et dixit Sanctus Ambrosius : Fili, in nocte et in die Deus est lux. Iterum interrogavit eum : Domine, de cibo quod tibi erit ministrandum? Ille autem dixit ei : Fili, usque modo post solis occasum cibum sumebam, postmodum vero tertio die exhibe mihi oblatam *r*, et aquam sicut Deus præcipit. Et stetit ibi annos tres, diu noctuque vigilans et orans : et omnes noctes in caverna illa luxerunt veluti cerei, ut lampades ardentes : in die autem circumfulgebat lux mundi. Discipulus ille fidelis ministrabat ei, sicut præceperat illi. Sic senatores et omnis plebs civitatis clamabant et dicebant : Ubi est pontifex, et pastor noster Ambrosius? Væ nobis peccatoribus, quia propter iniquitatem egressus est de hac civitate, et nescimus ubi ambulavit. Ideo propter nostram malitiam dereliquit omnia. Sic enim miserunt alium episcopum in loco suo, quia non cogitabant ultra videre eum.

soli Agrippino cognitus:

o

p

* plancatum *Belf. ubique*

* *addit* diaconum *R. S.*

q

r

F

9 Anno autem tertio clavem, quam vir Dei Sanctus Ambrosius in aquam jactaverat, piscis glutivit eam * *s :* piscatores autem * apprehenderunt piscem illum * et portaverunt eum in coquinam *t*, et invenerunt clavem in ore ejus, et monstrabant eam in omni * populo. Videntes autem omnes dicebant ad invicem : Quidnam est * tale signum in hoc pisce. Venit autem discipulus Sancti Ambrosii, cui hoc crediderat, et cognovit eam. Tunc quidem gaudio plenus nuntiavit ei dicens : Domine, clavis, quam in pelago jactaveras, jam inventa est in

donec, cœlesti indicio
* eam *deest R. S.*

s

* de civitate illa *R. S.*
* magnum valde *R. S.*

t

* omnem *R. S.*
* esset *R. S.*
* hunc *R. S.*

AUCTORE ANONYMO.

in pisce. Sanctus autem * Ambrosius repletus Spiritu Sancto præ gaudio, flevit in oratione, et dixit : Domine Dominus noster, quam admirabile est
A nomen tuum in universa terra ! Sic enim, Domine, exaudis omnes sperantes in te, et non derelinquis diligentes nomen tuum. Domine, libera animam meam, et eripe me de loco isto, et educ me ubi vis. Et ait ad discipulum suum : Fili, Deus * non est oblitus servum suum, * memoratus est humilitatem meam : ideo vade in civitatem ad episcopum, et dic ei : clavis illa, quæ inventa est in pisce, unde est ? et dic coram omnibus ubi sum, et deferant secum tres cereos non ardentes, et veniant ad me; sin autem illuminati *u* fuerint ex virtute Dei mei, egrediar hinc.

* autem *deest R. S.*

* jam *R. S.*

* et *R. S.*

u

detectus, reducitur in civitatem;

10 Tunc perrexit discipulus *x* ad episcopum, et dixit ei omnia quæ præceperat illi Sanctus Ambrosius. Illi vero gaudentes exierunt de civitate cum crucibus, psalmis, hymnis, canticis canentes, et psallentes venerunt ad locum, ubi erat Sanctus Ambrosius et attulerunt tres cereos in manibus suis, secundum quod illis mandaverat, et prostrati in oratione, cerei, quos in manibus tenebant, statim ab ipsa hora illuminati sunt. Tunc omnes illi
B glorificaverunt Deum. Sic enim caverna illa, ubi erat Sanctus Ambrosius, comminuta erat, sicut vitrum *y*, et acceperunt illum in complexum gaudio pleni, extraxeruntque eum de vinculis ferreis, ubi erat reclusus; facies autem ejus erat pallida, et caro ejus dereliquerat membra sua : et nihil aliud in se habebat nisi animam et spiritum sanctificatum, et capilli ejus erant crescentes usque ad renes suos, et barba ejus usque ad pectus suum; et erat quasi laicus *z*, quia novacula in ipso triennio non ascenderat in caput ejus, et catena illa unde erat præcinctus confregit se et disjuncta est. Et omnes illi propter tanta mirabilia glorificaverunt Deum.

x

y

z

atque Roma rediens, obit in pago Bituricensi.

11 Tunc Sanctus Ambrosius respexit ad cœlum et oravit dicens : Domine Jesu Christe, rex virtutum, qui fecisti omnia, et sine te factum est nihil, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me, et dignatus es liberare servum tuum : Domine, deduc me ubi tu vis. Et omnes illi dicebant : Indulge nobis, quia nesciebamus ubi eras. Respondit eis : Indulgeat vobis Dominus. Episcopus vero ille, qui post ipsum in locum sanctum episcopus erat, prosternit se ad pedes ejus, et dicebat ei : Vade in pace ubi volueris.
C Episcopus vero et reliqui senatores, vel omnis plebs civitatis, postquam deduxerunt eum, reversi sunt in civitatem. Sanctus Ambrosius, plenus desiderio Christi, abiit Romam, reversusque est ad urbem
aa Bituricam : cumque Ernotro vico advenisset *aa*, contigit eum dormire in Domino. Ubi corpus ejus requiescit in pace, ubi per eum Dominus virtutes multas ostendere dignatus est. Discipulus vero Agripinus nomine secutus est eum ubicumque ambulavit, et docuit omnia quæ scripta sunt, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ex vocula* igitur *suspicor aut biographiæ S.* Ambrosii *prologum aliquem præfixum fuisse aut eamdem ex serie aliqua fuisse extractam.*

b Loco hujus phrasis habet MS. reginæ Sueciæ : Igitur invidia diaboli post aliquod tempus excitati D sunt omnes senatores ipsius civitatis in odio contra eum, dicentes : Postquam venit contrarius nostræ civitatis construere cessaverunt Ecclesiæ ? Quid enim facit contra eum ?

c *Propterea tamen Sanctum non reliquisse regimen Ecclesiæ suæ Cadurcensis, insinuavimus in Commentario prævio n.* 8.

d In MS. reginæ Sueciæ alia huic substituitur propositioni : Sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

e Nec intacta est hæc phrasis in MS. reginæ Sueciæ, ubi hæc reperies : Moratusque ibidem diebus multis, cœpit per eum Dominus virtutes multas facere.

f *Iterum nonnulla immutata habet hoc loco MS. reginæ Sueciæ :* Postea autem quam ibi Deus per eum multas virtutes demonstravit, cœpit inimicus humani generis circa eum amplius insidiari, ut eum subverteret per peccatum; sed tamen non potuit. Insidiando ergo eum, diabolus ingressus est in quandam nobilissimam fœminam, quæ erat de ipsa civitate, et cœpit vexari eam. Accidit autem, ut ipse diabolus perduceret eam ad collem, ubi vir Dei erat per noctem, ut cum ipso peccaret, et perderet E thesaurum, quem in cœlo habebat. Igitur veniens illa usque ad eum, dixit, *etc.*

g *Inserta habet hoc loco MS. reginæ Sueciæ sequentia :* Oremus ambo ad Dominum æternum, et postea aperio tibi ostium domus Dei. *MS. autem Belfortii addit tantum, omissa priori sententia :* Ac postea aperiam tibi ostium domus Dei.

h *MS. reginæ Sueciæ habet :* Non enim permittas diabolo cor ejus dominari, sed fac eam dignam, ut, *etc.* . .

i *Hic locus rursus per omnia non consonat cum MS. reginæ Sueciæ, quod habet :* Statim autem egressus est inimicus de corde mulieris per orationes præfati Ambrosii pontificis, et evomuit eum in ipsam horam. Erat enim. . . Mulier vero, quando refrigeratum est corpus, quæ antea. . . . . Pater meus, nihil desidero nisi orationem a Domino.

k *Uncis inclusa absunt a MS. reginæ Sueciæ; quæ autem sequuntur, sic ibi sonant :* Quia non nisi in iniquitatibus, et in malitiis parati sumus, et non intelligimus quæ facit per eum Deus.

l Alia est lectio in MS. reginæ Sueciæ : Illum autem serpentem suspenderunt in testimonium. Ob quam caussam multi glorificaverunt Deum. *Historiam mulieris S. Ambrosium tentantis perperam narrant auctores Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (*a*), *quasi accidisset ea tentatio postquam Sanctus jam abscondisset se in caverna prope Cadurcos. Verum hæc non quadrant cum narratione ejus biographi, referentis Sanctum post tentationem secessisse in speluncam, in qua soli Agrippino cognitus fuit, ut reliqua historia abunde demonstrat.* F

m *Continuo hic aberrat MS. reginæ Sueciæ :* De cellula nocte nullo, sciente; uni autem ex. . . . fidelem in omnibus, qui. . . . sub thesauro. . . ita confessus est : Fili charissime, vide ac præcave ut hoc nemini dixeris, quod ego facere cupio, vel ubi vadam. Qui dixit : Quid vis. . . . sero, fili, quia peccata. . . . vadam et ingrediar. . . . proximo ponte, qui est desuper flumine. . . . quem præparatum habeo . . . conserabo, jactabo eam in pelago, et si. . . . dicas populo. . . . si autem amplius. . . . et hæc dicens cœpit ire et dicere : Deus. . . .

n *Oltus sive Oldus fluvius est, qui per tractus*

(*a*) Lib. XII, t. VI, p. 104.

Gabalitanum,

A *Gabalitanum, Cadurcensem et Agennensem ad oppidum Aculeionum* (Aiguillon) *Garumnam influit. Antiqui Franci dixere* l'Olt, *sed articulus ipsi vocabulo increvit, unde hodie hic fluvius Gallis* le Lot *dicitur, nomenque suum dat præfecturæ, cujus caput est Cadurcum.*

o *Lectio MS. reginæ Sueciæ hæc est :* Cilicium habens vestimentum inter catenam et carnem suam, a collo capitis descendens usque ad renes, et abstraxit. . . . jactavitque in pelago, ... introivitque in cavernam castræ lapideæ. . . . constructa; elevans autem. . . . simul et manus, supplex. . . . Fiat pax in. . . .

p *Hanc cavernam sub invocatione S.* Ambrosii *consecratam fuisse a Raymundo III anno* 1307 *diximus in Commentario prævio n.* 39. *Castellanus in notis MSS. ad Vitam S.* Ambrosii, *sub n.* 8912 *bibliothecæ regiæ Burgundicæ asservatis, dicit sacellum ædificatum fuisse supra cavernam, unius tantum hominis capacem, picturisque et auratis ornamentis decoratum esse : distat vero ab Olto flumine sexaginta circiter passibus.*

q *Alia est lectio MS. reginæ Sueciæ :* Magnum ædificium construxit super eum ad occultandum
B eum et non comparebat. . . . In die et in nocte Deus est lux. Et iterum eum interrogavit : Domine, quod tibi erit ministrandum de cibo. . . . Usque modo diurnum. . . . sumam, ad tertium vero diem. . . . ibi sacerdos magnus Ambrosius in caverna illa annos tres, et per omnes noctes in caverna illa lux erat cerei aut lampadis : in die autem circumfulgebat eum lux mundi. Discipulus vero ille fidelis non desistebat ministrare. . . ipsi. Factum est autem post aliquod tempus, cœperunt senatores civitatis et omnis populus vehementer lamentare et reos se clamare dicentes : Ubi. . . . nostram nequitiam. . . . ambulavit bonus pastor. Ergo propter nostram malitiam, quam fecimus contra illum dereliquit omnia : sicque miserunt. . . in locum suum, quia non sperabant eum amplius videre.

r *Oblata hodierno usu sumitur pro pane ad SS. Missæ sacrificium oblato seu pro hostia non consecrata, quamvis ad significandum etiam SS. Eucharistiæ sacramentum quandoque usurpari demonstrat du Cange in Glossario ad v.* Oblata. *Hic tamen sumitur pro pane tenuissimo ex farina et aqua confecto, ad ignem prælis ferreis tosto, qui præbe-*
C *batur monachis, ut constat ex consuetudinibus Eveshamensibus in Anglia :* Item, *ut ibi dicitur* (*a*), singulis diebus Dominicis in Quadragesima dimidium præbendarium (*mensura quædam*) frumenti de granario ad oblatas ad cœnam et dimidium similiter in Cœna Domini ad idem.

s *Acta antiquiora non nominant piscem, qui clavim deglutivit; traditio tamen vulgaris habet fuisse lucium* (un brochet), *eamque stabiliunt tribus rationibus; quarum prima est, quod lucius sit gulosus; secunda, quod volunt in Olto nunc non amplius id genus piscium esse propter maledictionem S.* Ambrosii, *licet in genere fluvius ille piscibus non abundet; tertia demum testimonium est cujusdam Proprii Ecclesiæ Cadurcensis, in quo legitur :* Alium episcopum subrogarunt; cujus coquus cum lucium piscem exenteraret, dominicæ mensæ apponendum, reperit in intestino *etc. Hæc Claudius Chastelain in notis MSS. supra laudatis.*

t *Scilicet episcopi, ut expresse habet Sanctorale Cadurcense :* Evenit interea, quod piscis quispiam, qui clavim in flumen projectam deglutiverat, a piscatoribus caperetur, atque in coquinam electi D episcopi deferretur.

u *MS. Belfortii ita sonat :* Sin minus autem illuminati fuerint, hic permaneam usque in diem migrationis meæ. *Prope accedit MS. reginæ Sueciæ :* Si vero inluminati non fuerint, hic permaneam usque in diem commigrationis meæ.

x *Multum aberrat hic ubique MS. reginæ Sueciæ :* Discipulus vero gaudio plenus perrexit ad. . . quæ mandaverat. . . . Episcopus autem ut audivit præ gaudio flevit, et exiens ipse et omnis plebs cantans gaudentes, et psalmis, et hymnis, et canticis. . . . venerunt usque ad locum ubi erat magnus egregius pastor Sanctus. . . . quod ille mandaverat. Beatus vero Ambrosius et omnes prostrati in oratione et statim in ipsa hora cerei, quos tenebant, inluminati sunt. Tunc omnes præ gaudio fleverunt et laudaverunt et benedixerunt Deum, qui talia facit per Sanctum suum Ambrosium. Ille vero episcopus et omnis plebs civitatis prostraverunt se ante eum, poscentes se benedici ab eo. Factum est autem postquam benedixit et elevati sunt, caverna illa, ubi erat Sanctus Ambrosius, statim in ipsa hora comminuta est sicut vitra et extraxerunt eum foras de vinculis, ubi erat reclusus. Erat autem facies E ejus pallida. . . et totum corpus extenuatum erat nimis, et capilli ejus pertingebant usque ad renes. . . . præcinctus, dijuncta est circa eum et confracta est : et omnes qui aderant præ gaudio tanta. . . . Deduc me ubicumque tibi placet. Omnis autem populus veniens poscebat dicens : Indulge nobis, pastor bone, quia nesciebamus ubi eras. Et ille, qui post ipsum in locum suum episcopus erat, prosternens se ad pedes Sancti Ambrosii dicens : Quamvis enim indignus et peccator sim, Domine, positus sum in locum tuum. Sed quia tu es famulus Dei et particeps Sanctorum, indulge quæso mihi et miserere mei, et resede in locum tuum, et ego sub tua jussione militabo. Dixit autem ei S. Ambrosius : Tu enim, frater karissime, sedebis in locum tuum : ego autem vadam Romæ in nomine Domini mei Jesu Christi; si vero placuerit Domino meo, regrediar huc; sin autem, tu posside omnia : opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. His ita gestis, cœpit ita psallere dicens : Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas doce me. Deduc me, Domine, in via tua, lætetur cor tuum et timeat nomen tuum. Populus enim, qui
F sequebatur cum, lacrymatus est vehementer, et deduxerunt eum cum lacrymis dicentes : Cognovimus enim, Domine, quia sanctus et potens es; ubicumque tibi placuerit dirigat Dominus Deus noster vias tuas in pace. Episcopus vero et omnis plebs, *etc. Videntur autem hi sermones interpolati, cum in antiquiori Vita non reperiantur.*

y *Sanctorale Cadurcense habet,* accensis candelis, locum, ubi Ambrosius erat, nonnullos ingressos fuisse; *quod quidem verisimilius est, quam comminutam fuisse cavernam* sicut vitrum, *utpote quæ hodie adhuc exsistit, ut jam indicavimus. Videtur igitur intelligendus textus de confractione ostii cavernæ.*

z *Jam animadvertimus in Comment. præv. n.* 5, *propterea S.* Ambrosium *habitum fuisse tamquam laicum, quia erat barbatus : unde etiam conjecimus antiquam esse biographiam, quam hic damus.*

aa *Nec ad finem magis concordat MS. reginæ Sueciæ, quod habet :* Episcopus vero et omnis plebs. . . . civitatem suam, Sanctus autem Ambrosius. . . . Romam, et reversus est sub urbe Turo-

(*a*) Monast. Anglic., t. I, p. 149. Edit. 1759 et t. II, p. 25, Edit. 1829.

A nica. Cumque Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino medio mense Octobre; ubi . . . requievit in pace, ... Discipulus vero ejus, ... qui secutus est eum, ubicumque ambulavit, docuit nobis omnia quæ scripta sunt de eo. Postea jubente Domino translatum est corpus ejus prope Biturica civitate, et positus est in loco, qui vocatur Bissiacus, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, laus et imperium, in sæcula sæculorum. Amen. *Quod pertinet ad hanc lectionis partem :* et reversus est sub urbe Turonica. Cumque Ernotro vico advenisset, contigit eum dormire in Domino, *certum est eam meliorem esse quam noster textus, qui habet :* Reversusque est ad urbem Biturican. *Etenim non legimus S.* Ambrosium *antea Bituricis commoratum fuisse, ita ut dici possit* illuc reversus. *Quod objici non potest de urbe Turonica, cum dicatur* reversus sub urbe Turonica, *quasi reversus Cadurcum per urbem Turonicam : atque his quoque consonat Sanctorale Cadurcense, quod habet :* Qui inde (*Roma*) rediens S. Martini, Turonensis episcopi, templum adivit, demumque ad Arnotium vicum sub urbem Bituricam pervenit, atque ibi. . . diem vitæ suæ extremum clausit. *Sanctum vero nostrum in agro Bituricensi non voluisse domicilium suum figere, monstravimus in Commentario prævio n.* 33. D

DE S. LULLO ARCHIEP. CONFESSORE,

MOGUNTIÆ IN GERMANIA.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Cultus S. Lulli vindicatus; ejus Acta discussa.

ANNO DCCLXXXVI. Lulli *sanctitas, in dubium vocata*

Martyrologium Romanum, cui præiverant varia Auctaria tum Usuardi tum Adonis, et maxime Kalendaria liturgica Ecclesiæ Moguntinæ, annuntiat hodierna die festum S. Lulli, *archiepiscopi Moguntini, his verbis :* Moguntiæ Sancti Lulli episcopi et Confessoris. *Non esset proinde cur de ejus sanctitate cultuque ambigeremus, nisi aliqui, inter quos etiam Claud. Chastelain, de re hagiographica optime meritus,* Lulli *sanctitatem in dubium revocassent, tum propter antiquiorum Martyrologiorum silentium, tum maxime ob controversiam, quam cum S. Sturmio, abbate Fuldensi, habuit. Hæc enim scribit laudatus Chastelain, in suo Martyrologio Romano vernaculo* (*a*) : Son nom ne se voit dans aucun des anciens martyrologes ; et avec assez de fondement, vu la manière C peu chrétienne dont S. Ludger l'accuse d'en avoir usé avec S. Sturme. *Verum si antiquiorum Martyrologiorum silentium crearet aliquod præjudicium adversus* Lulli *sanctitatem, idem sentiendum esset de Sturmio, utpote quem neque Rabanus, neque Ado aut Usuardus in album Sanctorum retulerint. Unum de utroque dici potest, horum Martyrologorum silentium aliud nobis non demonstrare, quam cum scriberent, neutrius sanctitatem probatam fuisse; quod de Rabano maxime dicendum est, qui, ut ipse scribit* (*b*), Sanctorum festa quæcumque potuit invenire, ibidem inseruit, *ita tamen, ut dicat nihil se scripsisse nisi* quæ notata ab antecessoribus in libellis reperit : *quibus sane verbis sufficientem rationem reddit, cur* L *S.* Lulli, *qui vix non meminerit annos, cum Rabanus suum ederet Martyrologium, obierat.* (*Cfr Sollerii nostri præfationem ad Usuardum n.* 64). *Idem responderi potest circa Adonem et Usuardum, nisi quis malit dicere illos ignorasse sanctitatis famam cultumque* Lulli, *quatenus saltem initio intra angustissimos limites fuerint circumscripta. Cæterum ad S.* Lulli *cultum comprobandum nobis sufficeret constans ab antiquissimis temporibus Moguntinæ Ecclesiæ consuetudo, etiamsi nulla alia sanctitatis argumenta suppeterent.*

propter textum S. Liudgero falso tributum,

2 *Ast, inquiunt adversarii, S. Liudgerus, episcopus Monasteriensis, accusat* Lullum, *quod acerbius in Sturmium invectus fuerit : quin hanc culpam retorquecamus, illa tanta non est, ut emendata excludere eum debeat ex Albo Sanctorum : alioquin quotiescumque Sanctum aliquem peccantem repererimus, toties ejus nomen e Martyrologio expungendum erit* (*cfr Prosp. Lambert. de Serv. Dei Beatif. lib.* III, *cap.* XXXXIX, *n.* 7). *Apposite S. Ambrosius ad rem nostram scribit* (*c*) : Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, F acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. *Cæterum quid controversiæ inter* Lullum *atque Sturmium, utrumque Sanctum, exstiterit, infra latius examinabitur : unum hic sufficiat demonstrasse, qualemcumque culpam S.* Lullo *tributam legitimo ejus cultui obesse non posse, utpote quam gloriose reparaverit, ut postea fusius exponemus. Mabillonius, tum in Annalibus ordinis S. Ben. l.* XXIII, § XI (*d*) *tum in Actis Sanctorum* (*e*), *quem dein secuti sunt alii, inter quos Adrian. Baillet ad* XVI *Octobris, dicit, S. Liudgerum culpam omnem refundere in* Lullum *atque in testimonium asserti affert, ut ipse ait* ejus verba, *quæ nos quoque e Mabillonio damus :* Sturmi amabilis omnibus. . . . Lullo tantum fama ejus bona displicuit et semper propter invidiam adversus eum faciebat. *Exorta inter sese discordia, fratres* in Lulli episcopi suffragium confisi perrexerunt ad regem

(*a*) Martyrologe univers., p. 716. — (*b*) Canis. Thes. Monum., t. II, p. 290. — (*c*) Apol. Proph. David ad Theodos. Aug., cap. II, t. II. Opp., p. 145. Edit. Venet. 1781. — (*d*) T. II. Ann., p. 160. — (*e*) Sæc. III, part. II, p. 399.

et

A et beatum virum apud illum accusabant, crimen nescio quod de inimicitia regis objicientes ei. *Sturmio in exilium misso,* tunc rumor eximius omnium aures et ora pariter compleverat, quod Beatus Sturmi abbas a cœnobio Fulda esset per consilium Lulli episcopi ablatus. Omnes pariter graviter hoc ferebant . . . Lullus interim obtinuit apud regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium fundaretur, *etc. Hæc Mabillonius : ast hæc verba non leguntur in S. Liudgero, a quo solam Vitam S. Gregorii Ultrajectini habemus, sed in Eigile, quarto abbate Fuldensi in Vita S. Sturmii, ejus prædecessoris* (*a*). *Hæc vero accusatio adversus S.* Lullum *ex ore Eigilis Fuldensis prodiens, tanti non est, ut auctoritatem Romani Martyrologii infringat : et profecto cum omnis inter utrumque Sanctum contentio orta videatur ex jurisdictione in Fuldense monasterium, quam suam uterque arbitrabatur, mirum non est Eigilem, abbatem, cujus res in illa controversia agebatur, justo iniquiorem fuisse in S.* Lullum.

vindicatur ex antiquis monumentis.

3 *Ruit igitur quod ex S. Liudgeri testimonio adversus* Lulli *sanctitatem jactabatur documentum : imo ipse præco magis dicendus est virtutum archie-*
B *piscopi Moguntini. Hæc enim habet in laudata Vita S. Gregorii Ultrajectini* (*b*) : Ad hæc universa, non modice adjutus est (*S. Bonifacius*) ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis prædicatoribus, et columnis Ecclesiæ Dei : quorum unusquisque civitatem et regionem suam, sicut lucifer mane oriens, illuminavit exemplis et doctrina sua. *Enumerat dein Liudgerus SS. Gregorium Trajectensem, Megingodum Herbipolensem, Willibaldum Eichstadtensem episcopos et Winibaldum ac Sturmium abbates; inter hos vero, sanctitatis titulo decoratos, refert quoque* Lullum, *qui* Maguntiam metropolitanam civitatem cum maxima parte orientalium Francorum, qui in parochia illius urbis constituerunt, incoluit. *Quæ verba demonstrant quam magnam de* Lulli *sanctitate opinionem habuerint ejus æquales et præcipue S. Liudgerus. Perseveravit autem opinio post ejus mortem : de* Lullo *enim scribit S. Rabanus et ipse Moguntinus antistes, quum antea Fuldense cœnobium abbas rexisset, epigrammate* CIII *de S. Ferrutio* (*c*) :

Martyris ergo sacri dudum huc transtulit ossa
Ferrutii Lullus præsul et urbis honor.

Eodem B. Rabano sedente, anno scilicet 851 *aut* 852, *ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, Hers-*
C *veldii monachus* (*d*), translatio Lulli in Cœna Domini *celebrata fuit. Itaque sexaginta circiter annis post mortem suam, talis* Lullo *nostro delatus fuit honor, qui sanctis solum viris deferri consueverat. Unde etiam eodem Lamberto teste* (*e*), *anno Domini* 1040 *in dedicatam cryptam Hersveldensem* translatæ fuerunt Reliquiæ sanctorum Confessorum Wigberti et Lulli. *Hujus sanctitatem testatur quoque Gulielmus Malmesburiensis, scriptor sæculi* XII, *lib.* I De gestis Reg. Angl. *c.* IV (*f*) *hisce versibus,* quos jam inde a pueritia meminit se audiisse :

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medecina,
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Dum vero jam a sæculo solemniter elevatum fuisset corpus S. Lulli, *dum ejus miracula* totus prædicaret orbis, *S. Sturmio necdum Sanctorum honores decreti fuerant, quos illi tandem detulit Innocentius II anno Christi* 1139, *ut videre est apud Just. Fontaninum* (*g*). *Hæc tamen non ita dicta sunto, quasi Sturmii sanctimoniæ quidquam detractum velimus, sed ut pateat Claudium Chastelain minus prudenter locutum fuisse, dum arguit S.* Lullum, *quia controversiam cum S. Sturmio habuerat. Jam de biographis.*

AUCTORE J. V. H.

D

4 Lullus, *inquit Joan. Mabillon* (*h*), laudatores multos, nullum, qui res ipsius gestas litteris mandarit, antiquum scriptorem habuit, præter anonymum, de quo mox agendum. *Nullum non movimus lapidem, ut Vitam aliquam S.* Lulli *antiquiorem reperiremus; operam quoque ad id suam nobis promiserat et reapse præstitit Cl. Georg. Henr. Pertz, edendis Monumentis Germaniæ historicis præfectus; sed incassum fuerunt omnes conatus. Christian. Joannis* (*i*) *dicit Vitam S.* Lulli versu *exaratam fuisse a Meginfredo, monacho Fuldensi, et asserti testem adhibet Joan. Trithemium in suis Annalibus Hirsaugiensibus sub anno* 986. *Sed laudatus Trithemius nihil simile habet neque sub hoc, neque sub millesimo decimo anno, cui mortem Meginfredi illigat. En textum Trithemii prout habetur in Annalibus Hirsaugiensibus, editis typis Sangallensibus an.* 1690 (*k*) : Hic (*Meginfredus*) cum esset in omnibus scripturis non solum divinis, sed etiam humanis inter doctiores doctissimus, multa compilavit summæ auctoritatis opuscula, quorum eruditione E memoriam sui posteris commendat : Chronicon imprimis cœnobii sui Fuldensis brevem omnium abbatum continens successionis historiam edidit, in quo et aliorum ex Fulda monasteriorum quorumdam emanantium abbates et eorum successiones breviter annotavit. De quo nos opere plura in compilatione præsentis historiæ suscepisse recognoscimus, quæ placitura maxime vobis Hirsaugiensis monasterii tam futuris quam præsentibus incolis confidimus. Vitam S. Bonifacii Martyris, ex monacho primi Moguntinensis Ecclesiæ archiepiscopi carmine descripsit heroico, libros duos. Vitam S. Sturmi primi abbatis Fuldensis metrice composuit. Vitam et gesta S. Rhabani, ex quarto abbate Fuldensis cœnobii sexti archiepiscopi Moguntini, prosaice composuit. Vitam et Passionem S. Sonderoldi, ex monacho Fuldensis cœnobii Moguntinensium noni archiepiscopi. Vitam S. Hildeberti, ex abbate Fuldensis monasterii Moguntinensium ecclesiæ XII archiepiscopi. Alia insuper multa composuit, quæ ad manus meas non venerunt. *Hæc Trithemius : ex quibus liquet Christianum Joannis errasse, dum testimonium ejus invocat, dicentis Meginfredum composuisse metricam Vitam S.* Lulli. F

Acta S. Lulli *non valde antiqua*

5 *Damnum antiquioris Vitæ, quæ aut deperdita fuit aut fortassis numquam exstitit, duo Anonymi utcumque resarcierunt : quorum prior Vitam S.* Lulli *compilavit ex monumentis, quæ partim gesta SS. Bonifacii, Sturmii, Liobæ et Wigberti referebant. Alter brevitatem sectatus, paucis exceptis, de quibus infra agemus, vestigiis prioris videtur presse inhæsisse. Prioris Vitæ, nescio qua de causa, auctorem facit Hagiographia Butleriana Lovaniensis Simonem Guillemot, illum nempe qui hanc ad Mabillon transmisit. Quare hic illam* Gemmelacensem, *seu* Gemblacensem *appellat, hac sola nixus auctoritate, quod Vitam istam acceperit e codice monasterii Gemblacensis in Brabantia, ut ipse narrat in elogio S.* Lulli § I (*l*) : *dein* § XXII (*m*) *longius procedit opinando Sigibertum, celebrem chronographum, hujus Vitæ auctorem esse, quin ulla suam conjecturam probatione confirmare curet. Imprimis Gemblacensem aliquem auctorem hujus scriptionis esse, ex hac ratione*

auctore, ut videtur, Hersveldensi monacho

(*a*) Pertz Monum Germ., t. II, p. 373. — (*b*) Ad diem XXV Augusti, p. 258, n. 13. — (*c*) Rer. Mogunt. Joannis, t. II, p. 43. — (*d*) Ap. Pistor. Script. Rer. Germ., t. I, p. 312. — (*e*) Ibid., 317. — (*f*) Savil. Rer. Anglic. Scriptt., fol. 15. — (*g*) Cod. Canoniz., p. 13. — (*h*) Act. SS. Ben., sæc. III, part. II, p. 392.— (*i*) Rer. Mogunt., t. I, præf., p. 7. — (*k*) T. I, p. 128. — (*l*) Act. SS. Bened., sæc. III, part. II, p. 392. — (*m*) Ibid., p. 400.

quod

AUCTORE J. V. H.

quad in codice hujus cœnobii reperta fuit, idoneum non est argumentum. Hæc eadem enim Vita sæc. XIII *MS., quam Cl. Georg. Henr. Pertz ad nos transmisit, Heilbronnæ olim exstabat, nunc translata ad biblothecam Erlangensem in Bavaria, catalogo inscripta sub num.* 268 (*a*). *Numquid propter hujusmodi rationem* Heilbronnensem *dicemus scriptorem Vitæ? Maxime cum hæc eadem lucubratio jam typis expressa fuerit anno* 1483, *probabilius Coloniæ Agrippinæ, quia ad calcem habetur epigramma in laudem hujus urbis : quam quoque Vitam edidit Lovanii anno* 1485 *Joannes de Westfalia, typographus. Quod vero Sigibertum suspicetur Joan. Mabillonius auctorem, gratuito videtur conjicere, idque probabiliter ex eo quod Gemblaco prodire scriptionem sibi persuaserat : Gemblacensis erat Sigibertus, idemque multa jam scripserat : hæc causa suspicionis; quæ, quam levis sit, nemo non videt. Præterea Sigibertus non videtur alia scripsisse, quam quæ ipse indicat in suo libro de Scriptoribus ecclesiasticis* (*b*) : *in his vero nihil occurrit de S.* Lullo : *hæc enim de illo dicit Libellus de gestis abbatum Gemblacensium scriptus a coævo et discipulo* (*c*) : Scripsit ad Trevirenses librum de jejuniis quatuor temporum et multa quæ commemorat in libro Illustrium Virorum. *Varia igitur suadent, Vitam S.* Lulli *a Sigiberto conscriptam non fuisse. Facilius quidem fuit opinionem Mabillonianem refellere, quam in verum auctorem opusculi indagare : Hersveldensem tamen monachum aut Moguntinæ ecclesiæ clericum fuisse indicant verba, quæ num.* 32 *leguntur :* Vivens paucorum, mortuus cunctorum pene aures et mentes occupavit. Nos enim ei jam vota facimus, jamque divinos propter Deum honores deferimus, jam solemnes ferias instituimus. *Quæ postrema maxime verba Hersveldensi cœnobitæ optime conveniunt, quum et hodie istic annua festivitas S.* Lulli *celebris habeatur, sub nomine* Lullus-fest. (*d*). *Cæterum satis antiquam esse hanc Vitam ex eo suspicari licet, quod solum prioris translationis anno Christi* 852 *celebratæ mentionem faciat; neutiquam vero posterioris, quæ anno* 1040 *contigit : unde datur intelligere opusculum medio tempore conscriptum fuisse.*

satis sincere conscripta sunt.

6 *In laudatis Actis S.* Lulli *tria improbat Joan. Mabillon* § 1 : *imprimis scriptionem fere excurrere in communes locos; quod non satis accurate videtur dictum, maxime si Vitam, prout typis edita fuit, spectemus. Hinc inde quidem brevia aliqua inspersa reperies elogia, quæ omnibus passim Sanctis ejusdem conditionis convenire possunt; verum hæc talia sunt, ut in omnibus hujusmodi biographiis occurrant : Vita quidem manuscripta Erlangensis longiusculos habet sermones, et varia quibusdam ambagibus exaggerat : sed hac lectione usus non est Mabillon, ut patet ex fragmento* § XXII *allato, a quo illa omnia, quæ prolixam faciunt Erlangensem narrationem, absunt. Dicit dein idem scriptor Vitam S.* Lulli pauca facta commemorare; *certe non omnia narrat, et quæ narrat, non sat enucleate refert Anonymus; sed pleræque biographiæ horum temporum id habent incommodi, ut ad ædificationem magis quam ad eruditionem et intimam rerum notitiam scriptæ, non omnia facta exhibeant. Demum loquitur Mabillon* de fabularum admistione; *nihil quidem mihi legenti occurrit, quod fabulam sapiat : omnia e genuinis fontibus videntur hausta, prout mecum, ut confido, judicabit lector. Vitam, qualis exstat in codice Erlangensi, circa finem mutilo, edemus. Hujus tamen manuscripti Auctaria uncinis includemus, adjectis etiam in margine variantibus lectionibus editionis Lovaniensis : ita ut Vita Lovaniensis pura et integra proditura sit. Vita vero, de qua loquitur Mabillon* § XXV, *vix alicujus usus erit, cum in compendium contrahat, quæ in alia scriptione latius exponuntur. Opportunius igitur videtur compendiosam S.* Lulli *Vitam exhibere, quæ in Breviario Moguntino anni* 1570 *reperitur, quæque aliquam Sancti nostri imaginem exhibet.*

Compendium vitæ S. Lulli.

7 Lullus apud Anglosaxones in Britannia natus, a primis annis Christum cum literis imbibit. Nam adhuc septennis cujusdam monasterii patribus commendatus, nihil omisit quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus cum adolevisset, assidua edomans abstinentia spiritui subjiciebat : in Sanctarum vero Scripturarum meditatione tanta diligentia versabatur, ut omnes in admirationem sui conjiceret. Fama autem eo tempore per Britanniam crebrescente de feliciter gestis rebus Bonifacii Moguntinæ urbis archiepiscopi, cui Lullus sanguine junctus erat, iisque in locis messem quidem uberrimam, at operariorum maximam esse penuriam, cœpit animo volvere, quomodo tam sancta et necessaria functione occupato opem ferre posset. Ita jam diaconatus gradum adeptus, ex superiorum suorum voluntate iter ad Bonifacium suscepit. Sic longo terra marique emenso itinere, Germaniam adiit, cujus adventu Bonifacius mirifice est recreatus. Qui cum sanctissimæ ipsius conversationis, affluentis doctrinæ, flagrantisque in Deum animi certiora experimenta cepisset, invitum ad sacerdotii dignitatem provexit et lateri suo semper adhærere voluit. Postquam autem diu prædicationi sedulo incubuisset, multisque aliis gravibus negotiis obeundis fidem et industriam suam probasset : Bonifacius jam in Frisiam iturus, illum, præsente Pippino rege, successorem sibi in Moguntina sede constituit. Quam ille provinciam in decrepitam usque ætatem docendo, monendo, arguendo sancte et prudenter, tamquam boni patris haud degener filius, administravit. Tandem per spiritum cognoscens dormitionis suæ instare diem, vocato coepiscopo suo Alboino, viro valde religioso, injunxit, ut sacris prius celebratis mysteriis, se ad Heresfeldense monasterium præcederet. Ille sine mora sacrum perficiens, etsi toto corpore incolumis videretur et sanus, cum sacramentis Dominicis participasset, una cum Missa finivit et vitam. Nihil hoc casu motus Lullus, obitus sui prænuncium navi secum impositum, per Moganum in Heresfeldense cœnobium (prius a se extructum) advehens honorifice sepelivit. Ubi etiam morbo protinus correptus, archiepiscopatus sui anno trigesimo secundo, placida morte in Domino defunctus est. Corpus ibidem repositum, cum post sexagesimum annum e terra levaretur eo membrorum omnium decore ac vestium quoque nitore inventum est, ut illo ipso die expirasse, ac sopore potius quam morte sepultus videretur.

§ II. S. Lulli patria, et vita monastica in Anglia exacta.

S. Lullum Anglosaxonem fuisse,

S. Lullus, *ait Anonymus n.* 1, apud Anglos Saxones, haud obscuro, ut fertur, loco editus est. *Patria Anglum fuisse* Lullum, *in dubium vocari non potest.*

(*a*) Pertz Monum. hist., t. II, p. 365. — (*b*) Ap. Fabric. Biblioth. Eccles., p. 114. — (*c*) D'Achery Spicil., t. II, p. 768. — (*d*) Hoffmann Erdbescreib., t. II, part. II, p, 1676.

A *potest. Id imprimis testatur Othlonus in Vita S. Bonifacii l.* I, *c.* XXX (*a*) : In provinciam patriamque suam mittens (*Bonifacius*), exinde tam fœminas quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri Burchardus et Lullus, Willibalt et Wunibalt frater ejus, Witta et Gregorius : fœminæ vero religiosæ, matertera scilicet S. Lulli, nomine Chunihilt et filia ejus Berathgit.... sed Chunihilt et filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Thuringorum regione constituebantur magistræ. *Hunc tamen narratum infirmat tum error Othloni dicentis Gregorium Anglum fuisse, dum Francus erat, tum narratio anonymi auctoris Vitæ S. Bonifacii* (*b*), *in qua dicitur, ut recte adnotat Mabillon :* Elegit sibi (*Bonifacius*) quam plures medicos animarum : alios etenim ex gente sua, alios ex parte Franciæ, nonnullos etiam de finibus Hiberniæ, quatenus adessent sibi cooperatores in vineam Domini : ex quibus fuerunt hi : Wigbertus ex parte Anglorum, Beatus Gregorius ex nobili prosapia Francorum, Sturim vero (*Sturmius*) et Lul et Memgoz (*Megingaudus*), Willibaldus suusque germanus Winibaldus et alii quam
B plures, quorum nomina perlongum esset dinumerare per singula. *Verum hæc sunt valde intricata : cum enim Wigbertum solum Anglum vocasset, pronum est concludere SS.* Lullum, *Willibaldum ejusque fratrem ad Angliam non pertinere. Cum dein Fracis adnumerasset Gregorium, consequens erat, ut, siquidem dixerat operarios* de finibus Hiberniæ *accitos fuisse, reliquos omnes Hibernos vocaret : quo casu in manifestum incidisset errorem : constat enim Sturmium Noricum fuisse, ut habet ejus Vita ab Eigile quarto abbate Fuldensi conscripta; Willibaldum et Winibaldum ad Anglos pertinere late probavit Henschenius noster in Vita S. Richardi ad diem* VII *Februarii* (*c*). *Hinc judico nullius aut certe levis auctoritatis esse Anonymi Bonifaciani testimonium, utpote qui ignoraverit ad quam quisque gentem laudati viri pertinuerint. Othlonus quoque cespitavit, quando Gregorium Anglis accensuit; sed fortassis ille error tribui potest librarii vitio, qui incaute cæteris Anglis Francum hominem appinxerit.*

non vero Hibernum, probant epistolæ.

9 *Cæterum S.* Lullum *Anglum fuisse manifestissime probant epistolæ Bonifacianæ : inter quas illa quæ ordine* CXXIV *ponitur in editione Steph. Alexandri Wurdtwein* (*d*). *Istic Gutberchtus abbas ad* Lul-
C lum *episcopum scribit :* Gratanter quidem munuscula tuæ charitatis suscepi, et eo gratantius, quo te hoc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est holosericam ad Reliquias beatæ memoriæ Beda magistri nostri, ob recordationem et illius veneracionem destinasti. Et rectum quidem mihi videtur, ut tota gens ANGLORUM IN OMNIBUS PROVINCIIS, UBICUMQUE REPERTI SUNT gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum.... Deus illis in sua natione donavit : ad ejus pedes nutritus hoc quod narro didici. *Videtur Gutberchtus ille abbas fuisse Wiremuthensis et Gerwiensis : Venerabilis autem Beda sepultus jacuit in Gerwiensi cœnobio usque ad episcopatum Eadmundi Dunelmensis* (Durham), *qui anno* 1020 *electus fuit, ut constat ex Actis Venerabilis Bedæ ad* XXVII *Maji* (*e*). *Gutberchtus igitur scriptor epistolæ citatæ, qui se abbatem dicit, præerat probabilius monasteriis Wiremuthensi et Gerwiensi* (Wiremuth and Jarrow) *in diœcesi Dunelmensi. Et quidem Monasticon Anglicanum novum* (*f*) *dicit anno* 716 Huactberhtum *quemdam* (*Simoni Dunelmensi* Hwetbyrthum) *præfuisse utrique cœnobio. Certe nomen istius abbatis optime quadrat cum Gutberchto nostro, ut unum eumdemque esse dicamus. Neque obstat ratio temporis : id vero certum, epistolam non ante annum* 754, *quo* Lullus *noster pontificales infulas accepit, scribi potuisse, utpote missa* desiderantissimo et suavissimo in Christi dilectione amico Lullo episcopo et omnium antistitum charissimo : *sed hinc non aliud sequitur, quam quod per* triginta octo annos *Gutberchtus utrique cœnobio præfuerit, quod limites probabilitatis non excedit. Aliquid forsitan difficultatis quæri posset in eo, quod cum dicat in eadem epistola se* sub protectione *S. Pauli, patroni Gerwiensis ecclesiæ, jam* quadraginta et tres annos vixisse, *sequeretur monachum* quinquennem *ad regimen admotum fuisse : atque id etiam non adeo rarum est, ut exempla plurima citari non possint : quinimmo ex hisce verbis non plane sequitur Gutberchtum in alio quodam monasterio stipendia ante non meruisse. Unde satis certum fit hunc Gutberchtum cum* Huactberhto *aut* Hwetbyrtho *unum eumdemque fuisse. Ad rem nostram redeamus. Ad S.* Lullum *tamquam* antiquum socium *scribit quoque Ærdulfus episcopus Roffensis* (Rochester), *epistola int. Bonif.* CXVI (*g*), *eumque tamquam antiquum socium salutat :* Veracium igitur sociorum inter alia amicabilis memorialisque mos esse dignoscitur, cum se, ob interjacentium terrarum spatia, seu provinciarum exterarum regiones, præsentialiter nequeunt invisere ac salutare, certe per suos fideles nuntios, sive etiam per litteras salutationis dirigere verba. *Hujusmodi plura alia producere possemus, quæ monstrarent* Lullum *fuisse Anglum non vero Hibernum, ut habet lectio Lovaniensis in ejus Vita infra edenda.*

AUCTORE J. V. H.

D

E

Monasticum habitum induit

10 Lullus, *ait Anonymus n.* 1, haud obscuro, ut fertur, loco editus est genere nobilis. *Quæ verba videntur indicare Anonymo non undecumque certam fuisse S.* Lulli *generis nobilitatem. Nihilominus, ejus cum Chunihilde et Berathgit* eruditis, *ut habet Othlonus n.* 8 *citatus,* in liberali scientia, *et proin præstantioris cujusdam conditionis fœminis, consanguinitas, similem sanguinis nobilitatem indicat. Hic addere liceat harum sanctimonialium sacram memoriam conservatam exstare per imagines, altari S. Michaelis Ordorffensi impositas* (*h*). *Verum nullo, quod sciam, idoneo testimonio firmatur, quod asserunt tum Anonymus n.* 3, *tum Breviarium Moguntinum supra citatum, Sanctum scilicet* Lullum con-
F sanguinitatis linea proxime attigisse *S. Bonifacium. Ast si hæc dubia sunt, longe certior est Sancti nostri monachatus. Ipse quidem epistola inter Bonifacianas* XXV (*i*), *inscripta Kanebadæ abbatissæ, dicit :* Agnoscere cupimus Almitatis tuæ clementiam, quia te præ cæteris.... cingimus amore, quod... ad Germanicas gentes transivimus, et quod in venerandi archiepiscopi Bonifacii MONASTICÆ CONVERSATIONIS regula suscepti, ipsiusque laboris adjutores sumus, in quantum naturæ pauperculæ vilitas prævalet. *Neque æstimandum est tum primum S.* Lullum *monasticam professum fuisse vitam, postquam Germaniam attigisset; exstat nempe epistola* CXXIII (*k*), *quæ monstrat jam in Anglia* Lullum *monachum fuisse. Et quoniam istius epistolæ, licet brevioris, sæpius recurret mentio in decursu hujus Commentarii, eamdem hic integram exhibebo. Inscriptio est :* Sanctissimo ac venerabili episcopo Lullo servus servorum Dei (*Hereca abbas, ut videtur,*) visceralem in Domino salutem. *Dein*

(*a*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 221. — (*b*) Act. SS. v Junii, p. 482, n. 4.—(*c*) Act. SS., t. II Febr., p. 71, n. 15.—(*d*) Würdtwein Epist. S. Bonifacii, p. 310. Ser. LXXXIX. — (*e*) Act. SS. t. VI Maji, p. 723. — (*f*) T. I, p. 502. — (*g*) Würdtw., p. 300. Ser. LXXVII. — (*h*) Thuring. Sacra, p. 26. — (*i*) Würdtwein, p. 81. Ser. LXXIV. — (*k*) Ibid., p. 309. Ser. LXXXVIII.

AUCTORE J. V. H.

A *incipit epistola :* Rogo te, o dilectissime frater, sicut optime in te credo, ut non immemor sis, sed semper sagacissima mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam nostram, quam inter nos habuimus in Maldubia civitate, quando Eaba abbas in amabili charitate nutrivit, et hoc signum recordor, quod pro nomine vocavit te « Irtel, » idcirco salutat te Hereca abbas in salutatione sancta, et omnis congregatio, quæ in sua cœnobiali vita manet, quia dignos nos in memoriam habuisti tecum. Qui autem perseveraverit in pace usque in finem, hic salvus erit. Vale amabilis feliciter in ævum : meus dilectus, Deo electus, quia charitas pretium non habet. Hoc signum Hereca abbatem fecit. *Hinc liquet* Lullum *nostrum non a S. Bonifacio, ut dicit Hagiographia Butleriana Lovaniensis, sed priusquam in Germaniam trajiceret, habitum monasticum suscepisse.*

ante profectionem Germanicam,

11 *Erroris probabiliter causa fuerit, quod in epistola ad Kanebadam citata, S.* Lullus *dicat se in* venerandi Archiepiscopi monasticæ conversationis regula susceptum : *ast hæc verba non facile de prima ad ordinem monasticum admissione interpretarer, quando coram habeo epistolam Herecæ*

B *abbatis, dicentis* Lullum *in monasterio nutritum fuisse sub Eaba, et traditionem satis antiquam apud Anonymum n.* 1, *quæ refert illum septennem* in monasterium se contulisse. *Videntur igitur hæc verba magis referenda esse ad contubernium, quod habuit* Lullus *cum S. Bonifacio, a cujus latere non discedebat, si fides habenda est Anonymo, n.* 9 : Beatum igitur Lullum manu apprehensum in medium deduxit; et respiciens ad multitudinem, quæ circumstabat : En, inquit, habetis virum mea sententia dignum, cui studiorum meorum (*et*) pro Christo certaminum hereditatem delegare possim. Hic mihi affinitate carnis junctus, sed vinculo spiritus multo est conjunctior, pro eo quod mecum conversatus multo tempore, certum et evidens mihi dederit spectaculum sanctitatis suæ et optimæ secundum euangelicam institutionem conversationis. Unde ego, haud dubius de vestro assensu, injungo ei pontificatum Moguntiacensem. *Quæ verba consonant cum epist.* XCV (*a*) *inter Bonifacianas, in qua Theophylacias, diaconus Sedis Apostolicæ,* Lullum *vocat archidiaconum S. Bonifacii, cui* fidelibus et lepidis ministrabat servitiis. *Cum juxta c.* I, de Off. Archidiac. (I, 23) : Archidiaconus esset vicarius epi-

C scopi in omnibus, et omnis cura de clero ad ipsum pertineret, *manifestum fit S.* Lullum *debuisse quam proxime adstare episcopo suo Bonifacio. Licet vero plures jam essent in uno episcopatu archidiaconi* (*b*), *in hisce tamen Germanicæ Ecclesiæ initiis satis verisimile est, Bonifacio unicum fuisse archidiaconum* Lullum, *cui partem non minimam sollicitudinis suæ pastoralis confideret.*

et quidem, uti videtur,

12 *Ex allata epistola Herecæ abbatis habemus S.* Lullum in Maldubia civitate, sub Eaba abbate nutritum fuisse. *Mabillon in elogio S.* Lulli § III *dicit* Maldubiense monasterium haud aliud videri quam Meldunesburgense seu Meldunense (*Malmesbury*). *Est autem Malmesburense monasterium in Wiltonia* (Wiltshire) *situm, in antiqua apud Saxones Occidentales provincia; nomen a Maildulfo, fundatore, sortitum, ut narrat Gulielmus Malmesburensis in Vita S. Aldhelmi ad* XXV *Maji, his verbis* (*c*) : Cum jam majusculus a Cantia in West Saxones remeasset, religionis habitum in Meldunensi accepit cœnobio, quod situm est in civitate, quæ antiquo vocabulo Mealduberi, et nunc Mealmesberi vocatur. Id quidam Meldun, qui alio nomine vocatur Meildulf, natione Scotus, eruditione philosophus, professione monachus, fecerat. *Loco nomen erat antiquis* castellum Bladow *seu* Ingelborne, *ut narrat idem Gulielmus in libro antiquitatum Meldunensis cœnobii, quem cito ex Monast. Angl. novo* (*d*) : Meildulphus vitam eremiticam ducens sub castello de Bladow, quod Saxonice dicitur Ingelborne Castell : fuit autem constructum a quodam rege Britanno, nomine Dumwallo Molvicius. Civitas quondam ibi fuerat, quæ penitus destructa fuit ab alienigenis. Castellum se munitum custodivit, quod per multum tempus stetit sine habitatione propinqua. *Hanc ergo terram Leutherius seu Eleutherius Wintoniensis episcopus,* cui, *ait,* inditum est vocabulum Maildulfesburch, Aldelmo presbytero ad degendam regulariter vitam conferre largirique dignatus est; *ut habemus ex ejus charta l. c. n.* I, *data* juxta flumen Bladon VIII kalend. Septemb. anno Incarnationis Dom. DCLXXV. *Hæc igitur civitas* Maildulfesburch, Mealduberi, *quam Ven. Beda quoque l.* V, *c.* XIX *Hist. Eccl. Angl. Maildui urbem seu Mailduſi urbem appellat, optime quadrat cum* Maldubia civitate, *in qua nutritus fuit S.* Lullus : E *huc etiam facit, quod fœminæ religiosæ, seu moniales, inter quas Chunihild* Lulli *matertera, probabiliter ex Saxonia Occidentali, S. Bonifacii natali solo, oriundæ essent; ut id quidem habemus de S. Lioba* (*e*), *quæ sub Tetta abbatissa, monasticam vitam professa fuerat in Winburnensi cœnobio, comitatus Dorchestriensis* (Dorsetshire).

in Malmesburensi cœnobio;

13 *Remanet tamen aliquis scrupulus : scilicet in sæpius laudata epistola legitur S.* Lullus *in Maldubia nutritus sub* Eaba abbate; *nullus vero inter monasterii Malmesburensis præsides, occurrit, qui id nominis præferat. Post Maildulfum sanctum eremitam, habemus S. Aldelmum, qui, anno Domini* 705 *primus Shireburnensis Ecclesiæ episcopus factus, regimen cœnobii retinuit, rogatu fratrum, fortassis usque ad annum emortualem* 709 (*f*), *quo locum fecit Danieli, usque ad annum* 747 *abbati* (*g*). *Cum itaque* Lullus, *qui patriam anno* 725 *reliquerat, anno* 786 *vita excesserit, non alium potuit habere præceptorem quam Danielem abbatem : excluso autem Eaba, nutant reliqua omnia quæ ad Malmesburensem incolatum pertinent : quin et* Hereca abbas, *scriptor epistolæ, in catalogo abbatum Malmesburensium non reperitur. Etenim prædicto Danieli* F *successit Aldelmus hujus nominis secundus, quem excepit Ethelardus, quamvis annus acceptæ dignitatis ignoretur, cum incertum sit, quo anno Aldelmus II cessarit. Rexit autem monasterium Ethelardus usque ad annum* 780, *quando ad episcopatum Wintoniensem promotus fuit : huic tandem sextus abbas successit Cuthbertus, sed incertum est tempus regiminis ejus : deinceps autem usque ad medium circiter sæculum decimum, lacunam patitur catalogus abbatum. Attamen cum dicta epistola, utpote ad* Lullum jam episcopum *missa, non ante annum* 754 *scripta fuerit, immo post annum octogesimum sæculi octavi data fuisse dici possit; locus Herecæ abbati facile inveniri potest. Eabam quoque interpolare licet; siquidem Monasticum Anglicanum novum l. c. dicat se ignorare quo anno Daniel regimen susceperit, cum tamen certum sit S. Aldelmum ejus decessorem, anno* 705 *Shireburnensem episcopum, aliquandiu in regimine perseverasse : en verba laudati Monastici latine reddita :* Non ita certum est

(*a*) Würdtw., p. 265. Ser. CXLVII. — (*b*) Binterim. Denkwürd. t. I, p. 394 et 404. Cfr J. Mabillon Annal. Bened., t. I. Append. alt., p. 645. — (*c*) Act. SS., t. VI Maji, p. 79, n. 1. — (*d*) T. I, p. 257, n. III. — (*e*) Act. SS. XXVIII Septemb., p. 761. — (*f*) Act. SS., t. VI Maji, p. 78. Comment., n. 5.—(*g*) Mon. Anglic. nov., t. I, p. 255.

tempus

A tempus ejus (*Danielis*) promotionis, ut certus est ejus successor Aldhelmus II anno 746. *Verum, utut hæc sunt, cum, nullo nixi idoneo documento, duos abbates catalogo Malmesburensi intercalare non audeamus, malumus difficultatem, quam neque in librarii incuriositatem aut inscitiam rejicere volumus, utcumque enodare, dicendo Eabam et Herecam fuisse* binomines *pro more istius temporis et gentis suæ. Ut enim taceam S. Bonifacium, qui ante* Wynfrithus *fuerat, et S. Willibrordum, qui deinde* Clemens *dictus fuit, quia hæc nomina in exteris regionibus ab alienigenis acceperunt, in ipsa Anglia plures fuerunt binomines : sic S. Lioba seu Leobgytha aliud habebat nomen,* Trutghebam (*a*), *Heaburg dicitur cognomento fuisse* Bugge *epist.* XXX (*b*) *et Trecea diaconus ad* Lullum episcopatus infula fulgentem *scribens rogat ut illum cum sua familia suscipiat,* qui, *ait,* proprio dicor nomine Aldbercht : *epist.* CXVIII (*c*). *Hæc exempla sufficiunt, ad ostendendum varios tunc fuisse in Anglia, qui duplici nomine insigniti erant. Nolo enim hic in exemplum adducere ipsum* Lullum *nostrum, qui in Herecæ abbatis epistola vocatur* Irtel; *nam illam appellationem jocularem censeo, quæ limites domesticæ consuetudinis*
B *non excessit; etenim si hæc vox vere esset cognomen, proinde æque notum ac ipsum nomen, quomodo in signum adduci posset amicitiæ, quam temporis diuturnitas obliterare non potuit?* Hoc signum recordor, quod pro nomine vocavit te Irtel. *Erravit itaque Adrian. Baillet, quando dicit illud fuisse unicum* Lulli *nomen ante episcopatum : exstant enim variæ epistolæ inter Bonifacianas, in quibus qua monachus, qua diaconus, qua presbyter una voce* Lullus *vocatur* (*d*).

quin aliud incoluerit.

14 *Butleriana Hagiographia Lovaniensis dicit S.* Lullum *a monasterio Malmesburensi ad Gerwiense transiisse, atque istic nactum fuisse Ven. Bedam magistrum. Conjecturam non aliunde desumptam puto quam ex epistola* CXXIV *int. Bonif.* (*e*) *qua Gutberchtus* discipulus Beda presbyteri *dicit se suscipere ejus munuscula,* et eo, *inquit,* gratantius, quo te hæc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est holosericam ad Reliquias beatæ memoriæ Beda magistri nostri, ob recordationem et illius venerationem destinasti. *Hæc quidem probant forsitan S.* Lullo *de facie notum fuisse Ven. Bedam, cum agatur de ejus* recordatione et veneratione, *sed nullatenus implicant illum sub ejus disci-*
C *plina aliquando vixisse : quod neque important verba quæ sequuntur* Beda magistri nostri; *optimam certe interpretationem patiuntur, sive intelligamus Gutberchtum de se solo locutum fuisse, quando usurpat pluralem numerum, sive illo sensu dicamus Bedam fuisse communem magistrum, quatenus non solum voce præsentes, sed scriptis quoque absentes instruxerit. Atque hoc quidem sensu intelligendum esse Gutberchtum, declarant sequentia, in quibus gloriatur se* ad pedes ejus nutritum *fuisse, et proinde probabilem testem esse ejus scientiæ atque virtutis. Si itaque S.* Lullus *educatus quoque fuisset sub disciplina tanti magistri, multo fortius strinxisset Gutberchtus encomii sui argumentum dicendo ipsum* Lullum *fuisse nutritum ad pedes tanti doctoris, ipsum fuisse testem et eruditionis et sanctimoniæ ejus. Præterea Malmesburense asceterium sua non ca-*
rebat schola, illaque insigni; etenim illam rexerat S. Aldelmus, ad quem currebatur, *ait Wilhelmus Malmesburensis in ejus Vita ad* XXV *Maji* (*f*), totis semitis; his vitæ sanctimoniam, illis litterarum scientiam desiderantibus. *De se ipse ibidem testatur* (*g*) :

Primus ego in patriam mecum (modo vita super-
Aonio rediens deducam vertice musas. [sit,)

Ejusdem monasterii incola tunc erat Daniel, postea Wintoniensis episcopus, cujus doctrinam tanti faciebat S. Bonifacius, ut illum præ cæteris consuleret. Cfr epist. Bonif. XII, XIII *et* XIV (*h*). *Non est porro verisimile ut schola tantis magistris illustrata nullos habuerit tantorum doctorum hæredes, atque uno ictu conciderit, tunc quando* Lullus *noster pauculos post annos illam incoluit. Expungendus itaque videtur ejus sub Beda doctore in Gerwiensi monasterio incolatus.*

D 15 *Eadem Hagiographia asserit S.* Lullum *a S. Bonifacio ordinatum fuisse diaconum : quam opinionem sub judice pendentem relinquunt Joan. Mabillon in elogio* § V *et Hadrian. Baillet. Neque immerito : longe enim probabilius* Lullum *nostrum jam diaconum in Germaniam migrasse. Testatur id imprimis auctarium Erlangense n.* 4 : Lullo adhuc in monasterio constituto, cum jam diaconus esset ordinatus, nobilis quædam flamma exarsit : *cui consonat Breviarium Moguntinum in lectionibus allatis* E *n.* 7. *Traditionem ecclesiæ Moguntinæ confirmat Vitæ uterque textus n.* 3 : Multos quorum spectatam habebat fidem et exuberans tam facundiæ quam scientiæ spiritualis flumen exinde in opus Euangelii evocavit (*Bonifacius*). *Tales certe volebat adjutores S. Bonifacius, qui non instrui deberent, sed alios instruere possent,* viros religiosos, *ait Othlonus in vita S. Bonifacii l.* I, § XXX (*i*), scientiaque varia imbutos plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri Burchardus et Lullus, *etc. Hæc verba adultam juventutem* Lulli *designant, illamque quæ apta foret diaconatui suscipiendo, cui sufficiebat in Anglia illa tempestate ætas octodecim annorum, ut probat Ven. Bedæ exemplum de se ipso testantis* (*k*) : Nono decimo vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium reverendissimi episcopi Joannis, jubente Ceolfrido abbate, suscepi.

Diaconatum ante Germanicam profectionem suscepit.

§ III. Gesta S. Lulli in Germania ante episcopatum. F

Statuitur epocha adventus

Cointius *ad annum Christi* 724 § XII (*l*) *S.* Lullum, quia, *ait,* ad annum usque septingentesimum octogesimum septimum vixit, ad Bonifacium ante pontificatum Gregorii Tertii venisse non credimus. *Hic Gregorius* XV *kalendas Martii anni* 731 *pontificatum adeptus est : Mabillon in Annalibus suis sub anno Christi* 727, *l.* XX § LXXX (*m*) *dubitat de tempore adventus S.* Lulli *in Germaniam, dicens :* In eorum (*sociorum S. Wigberti*) numero videntur fuisse Lullus. . . An vero eorum adventus in Germaniam hoc anno contigerit, an paullo inferius, postquam scilicet Bonifacius a Gregorio Tertio archiepiscopus creatus est, res mihi videtur meræ conjecturæ; nam quod Bonifacius in prædicta Wiethberti epistola archiepiscopus vocatur, id non evincit eum jam Moguntinæ sedi signanter imposi-

(*a*) Act. SS., t. VII Septemb., p. 730, n. 12. — (*b*) Würdtw., p. 73. Ser. XXXVIII. — (*c*) Ibid., p. 304. Ser. LXXIX. — (*d*) Cfr epist. XXXV, LXXXV et CI. Würdtw., p. 81, 245 et 271. Ser. V, CXLV et IV. — (*e*) Würdtw., p. 310. Ser. LXXXIX. — (*f*) Act. SS., t. VI Maji, p. 81, n. 10. — (*g*) Ibid., p. 79, n. 2. — (*h*) Würdtw., p. 30 et seqq. Ser. III, LXVII. — (*i*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 221. — (*k*) Act. SS., t. VI Maji, p. 721, n. 4. — (*l*) Annal. Eccl. Fr., t. V, p. 708. — (*m*) T. II, p. 75.

tum

AUCTORE J. V. H.

A tum fuisse; cum archiepiscopus dictus sit nonnumquam ab ipsius ordinatione episcopali a Gregorio II facta : quo titulo eum honestat Daniel Wentanus antistes in responsione ad ejus epistolam tertiam (*a*). (ep. XIII.) *Temperavit itaque quam in elogio S.* Lulli § IV *emiserat sententiam, illum circa annum* 732 *in Germaniam advenisse. Hanc postremam sententiam amplectuntur Baillet et Butleri editio Lovaniensis. Multo mihi probabilius videtur S.* Lulli *iter Germanicum cum anno circiter vigesimo quinto octavi sæculi conjungendum esse, quam ut illud usque ad pontificatum Gregorii Tertii et proinde post annum* 731 *rejiciamus. Venit enim in Germaniam S.* Lullus *cum S. Burchardo, ut habemus ex Othlono citato supra n.* 8. *Jam vero Burchardum Germanicas regiones adiisse, etiamnum superstite Gregorio II, id est, ante annum* 731 *monstrarunt Nostri in Commentario prævio in ejus Vitam* (*b*) *ad* XIV *Octobris, ita ut necesse non sit eorum hic argumenta repetere.* Lullum *Burchardo socium peregrinationis fuisse, monstrat quoque epistola ad Kanebadam abbatissam in Anglia, int. Bonif.* XXXV (*c*). *Hisce enim litteris, quibus præfixæ notæ initiales* Den. et L. et B., *id est, ut interpretor,*

B Denwaldus, Lullus *et* Burchardus, *quibus solis litteræ initiales conveniunt, gratias agunt quod per illam* ad Germanicas gentes transierint. *De* Lullo *quidem non potest esse dubium, cum in consequentibus dicatur :* Ego Lul et pater noster, *scilicet S. Bonifacius. Porro sufficiat refutasse quæ Cointius contra assignatam epocham objicit.* Burchardus, *ait,* cum Bonifacii disciplinæ se tradidit, erat jam presbyter : *hoc quoque fatentur Nostri ad ejus Vitam* (*d*) : Vixitque ad annum usque Christi DCCXCI. Hæc constant ex ejus Vita, quam Egilwardus monachus duobus libris conscripsit. *Immo constat ex coævo S. Liudgero in Vita S. Gregorii Trajectensis* (*e*), *ante S. Bonifacium, proinde ante annum* 754 *obiisse S. Burchardum : unde ruit machina decrepitæ ejus ætati inædificata. Monstrarunt etiam Nostri non magni momenti esse alteram objectionem Cointianam* (*f*), *quia scilicet nihil de Burchardo legitur, ex quo venit in conspectum Bonifacii, donec idem Bonifacius Pippinum majorem-domus adiit, Childerico jam rege, id est anno Christi* 743. *Hanc enim assertionem falsam esse, late demonstrat commentator*

C *Vitæ S. Burchardi, Jacobus Bueus.*

S. Lulli *in Germaniam circa annum* DCCXXV.

17 *In S.* Lullo *ipse fatetur Cointius minorem esse difficultatem : unum itaque profert, quod vitam usque ad annum Christi* 786 *produxerit. Quid vero in hac hypothesi obstet communiori sententiæ, qua asseritur S.* Lullum *sub pontificatu Gregorii II in Germaniam venisse, plane non video : scimus ex ejus ad S. Gregorium Trajectensem seu Ultrajectinum epistola, int. Bonif.* CIII (*g*), *illum Gregorio natu minorem, ast non multum, ut infra videbimus n.* 34, *fuisse : Gregorius autem natus erat anno Christi* 704, *ut probant Nostri in ejus Vita* (*h*). *Quid igitur obesse potest quominus* Lullus *et usque ad dictum annum vixerit et tamen in Germaniam, Gregorio II Romanam regente Ecclesiam, advenerit? Demus illum viginti annos natum et jam diaconum Bonifacium convenisse, potuit certe in illa ætate non contemnenda exhibere ministeria, et levioribus quasi obsequiis præludere apostolicis laboribus. Certum quoque est non solum Othlonum, sed coævum etiam Vitæ scriptorem Willibaldum pontificatui Gregorii II illigare adventum quorumdam ex Anglia adjutorum* (*i*), *inter quos ab Othlono post* D *Burchardum primus legitur* Lullus *noster. Servanda igitur est sententia, quam indicavit nobis antiquitas, quæ rectissime componi potest cum reliquis documentis coævis, quam suadet etiam nobis ipse progressus Religionis Christianæ in Germania : verisimile enim non videtur, ut S. Bonifacius, anno* 723 *episcopus, cum omnia fidei Catholicæ prosperarent, exspectarit novem annis, antequam sociis Anglis annueret, ut venirent et adjuvarent illum. Quare, licet pontificatus Gregorii II usque ad initium anni* 731 *excurrat, maluerunt tamen nostri majores adventum S.* Lulli *et sociorum cum anno* 725 *conjungere, rati nihil antiquius habuisse Bonifacium prid. kal. Decembris anno ejusdem sæculi* XXIII *episcopum consecratum, quam ut inter cives suos laborem apostolicum partiretur. Hæc puto sufficiunt, ut quam mutuati sumus ex Commentario prævio Vitæ S. Burchardi, sententiam, solide defendamus.*

Presbyter in Germania creatus,

18 *S.* Lullus *cum ad S. Bonifacium anno circiter vigesimo quinto sæculi octavi appulit, vix annum ætatis vigesimum excedere potuit, utpote Gregorio Ultrajectino, qui anno ejusdem sæculi* E *quarto natus erat, junior, ut ipse fatetur epistola int. Bonif.* CIII (*k*). *Hinc constat illum saltem per decennium in diaconatus gradu ministrasse. Pro more igitur illorum temporum, qui annos* XXX *pro presbyteratu requirebat, circa annum Christi* 735 *sacerdotium adeptus est. Ad tempora itaque, quibus diaconali munere fungebatur, revocandæ sunt illæ epistolæ, inter Bonifacianas, in quibus ab aliis minister vocatur, aut illo se nomine ipse subscribit. Talis est centesima prima* (*l*), *inscripta :* Reverendissimo fratri Dealuno, jam dudum magistro, Lul indignus diaconus, sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens. *Utrum postquam se dixerit diaconum, per verba* sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens, *insinuare voluerit aliquid speciale, scilicet fuisse S. Bonifacii archidiaconum, ut infra videbimus, inutile est hic inquirere. Postquam Dealuni precibus se commendasset, dicit :* Vilium munusculorum transmissio scedulam istam comitatur non tam digna quam devota mente directa. *Mos erat illorum temporum, ut passim videre est in Bonifacianis epistolis, mittere munuscula in signum amicitiæ, quare et leviuscula plerumque erant. Hic vasa fictilia fuisse videntur, si conjectare licet ex versibus epistolæ subjectis. Sed* F *vicissim petit, ut ad illum* Aldhelmi episcopi aliqua opuscula seu prosarum seu metrorum aut rythmicorum dirigere dignetur, ad consolationem peregrinationis suæ et ob memoriam beati antistitis. *Quam habet hic* Lullus *de B. Aldelmo memoriam, referenda non est ad notitiam personalem S. antistitis, quum quadriennis esset, illo moriente, sed quia monachus Malmesburensis, ab Aldelmi discipulis eruditus, sæpius ejus laudes audiverat ex ore ipsius Dealuni.*

archidiaconi dignitatem usque ad episcopatum

19 *Altera epistola, quæ est* CII (*m*), *est directa ad ipsum* Lullum : Claro atque carissimo Dei ministro Lullæ, Ingalice indignus presbyter tuus, tamen per omnia devotus famulus. *Gratias agit pro litteris et munusculis, ac dein consolatur illum in tribulatione constitutum, precesque tum suas, tum totius congregationis seu monasterii promittit : demum offert illi* minima munuscula, id est, *ait,* quatuor cultellos nostra consuetudine factos et calamistrum

(*a*) Würdtw., p. 35. Ser. in notis.— (*b*) Act. SS., t. VI Octob., p. 539, n. 7. — (*c*) Würdtw., p. 81. Ser. V. — (*d*) T. VI Octob., p. 560, n. 9. — (*e*) Act. SS., t. V Aug., p. 238, n. 14. — (*f*) T. VI Octob., p. 539, n. 8. — (*g*) Würdtw., p. 274. Ser. XLV. — (*h*) Act. SS., t. V August., p. 247, n. 31. — (*i*) Act. SS. v Junii, p. 467, p. 37. — (*k*) Würdtw., p. 274. Ser. XLV. — (*l*) Ibid., p. 271. Ser. IV. — (*m*) Ibid., p. 272. Ser. XXXIX

argenteum

A argenteum et mappam unum. *Joan. Lingard in suo libro de Antiquitatibus Ecclesiæ Anglosaxonicæ c.* IV (*a*), *monstrat antiquos monachos in Anglia variis opificiis vacasse, nec ipsos quandoque episcopos dedignatos fuisse hujusmodi artibus manum admovere. Ingalices opera probabilius confectus fuerit calamister, quem cultellis adjungit. Ne tamen menti tuæ, lector, dum calamistrum legis, obversetur acus illa ferrea, qua capilli crispantur; tali nempe instrumento non utebantur sanctissimi illius temporis clerici et monachi, quibus tonsura cæsariem tantum non omnem abradebat; sed calamistrum intellige* fistulam (*cfr Facciolati*), *quæ ad bibendum adhiberi poterat, qua aurea adhuc hodiedum utuntur Romani Pontifices ad sacrum sanguinem in Missæ sacrificio hauriendum. Quid vero* Mappa *hic signet, difficile est indagatu, cum omne panni genus ad multiplices usus indicare possit. Ingalices epistolam sequitur* CII (*b*), *quæ est inscripta :* Sorori in Christo carissimæ Leobgythæ, Lullus exiguus servus, auctoritate Domini Bonifacii discipulorum. *Sed videtur hæc epistola ad tempus episcopatus ejus magis pertinere, tum quia auctoritatem inducit discipulorum S. Bonifacii, tum maxime quia liberalem illi operam pro-*
B *mittit in omnibus necessitatibus, quas rogat sibi indicari per Gundwinum diaconum : et quoniam petit, ut Lioba eidem suggerat,* ut in laboribus suis non lassescat, quia valde rarus est, qui tribulationes suas secum participare velit, *existimo hanc aptissime convenire controversiæ, quæ postmodum exorta est inter SS.* Lullum *et Sturmium, de qua latius infra erit agendum.*

videtur retinuisse;

20 *Quamvis epistola ad Dealunum, et altera Ingalices,* Lullum *diaconum designent : non tamen liquido constat, eas propterea ante annum* 735, *quo putamus illum presbyterum ordinatum fuisse, scriptas esse. Certum enim est, illum licet presbyterum, tamen archidiaconatus officium procurasse ac retinuisse, donec a magistro suo Bonifacio episcopus Moguntinus constitutus fuerit. Hoc præ cæteris monstrat epistola sua Theophylacias, Romanæ Ecclesiæ et ipse diaconus, int. Bonif.* XCV, *sequentibus verbis* (*c*) : Quæsumus vestram a Deo ambrosiam bonitatem, ut sanctissimum nimisque sibi dilectum Lullum benedictum archidiaconum vestrum, charissimum atque dilectissimum sodalem et fratrem nostrum, omnibus modis fovere propter Deum et nostræ pu-
C sillitatis amicitiam commendatum habere dignemini. Nostra est scilicet in eo rata dilectio, pro eo quod vestræ almæ paternitati magnis decoratæ infulis, fidelibus ac lepidis ministrat servitiis : et ob hoc poplite itidem flexo vestram deprecamur togatam prudentiam, ut eum multo amplius talionem habere non dedignemini. *Certum omnino mihi est, Theophylaciam, quem Joan. Mabillon* § V *avunculum S.* Lulli *suspicatur, hic petere pro cliente suo pontificales infulas; quid enim talionis rependi posset archidiacono, seu secundæ ab episcopo dignitati, nisi ut aliquando primariam cathedram conscenderet, et quidem Moguntinam : noluisset sane Bonifacius* Lullo *suo privari. Hanc epistolam scriptam suspicor, anno Christi* 748, *quo Zacharias Pontifex S. Bonifacio potestatem fecit eligendi et consecrandi sui successoris, epist.* LXXXII (*d*). *Tunc recte petebat Theophylacias, ut* Lullum, *archidiaconum suum,* omnibus modis *Bonifacius* fovere *et* commendatum habere *dignaretur. Enimvero illo jam anno, scilicet* 748, *presbyterum fuisse* Lullum *nullus puto in controversiam facile vocabit; id saltem constat eumdem triennio post, quum anno* 751 *Romam venit, presbyterum vocari, ut habemus ex epistolis* LXXXVI *et* LXXXVII (*e*) *a Sancto Bonifacio scriptis.*

AUCTORE J. V. H.

D

S. Bonifacio adjutor fuit

21 *Hæc abunde monstrant S.* Lullum *fuisse præcipuum episcopi ministrum, et omnium etiam secretorum participem, uti habemus ex ejus ad Zachariam Papam legatione. Hinc recte concludit Würdtwein* (*f*) Lullum *ordinarium comitem Sancti Bonifacii omnibus conciliis ab illo celebratis interfuisse. Quorum primum contendunt idem Würdtwein l. c., Harzheim* (*g*), *Anton. Jos. Binterim* (*h*) *celebratum fuisse in Bajoaria anno Christi* 740. *Alii e contrario, inter quos Anton. Pagi* (*i*) *et Joan. Dom. Mansi* (*k*) *eminent, volunt hoc Bavaricum concilium in annum* XLII *aut etiam* XLIII *sæculi octavi prorogandum esse. Mihi quidem videtur a priorum sententia non esse recedendum propter rationes ab Antonio Pagi et Joan. Dom. Mansi allatas, quas optime diluit Joseph. Harzheim l. c. Præcipui argumenti loco mihi est epistola Gregorii Papæ III int. Bonif.* XLVI (*l*), *data* IV Kal. Novembris imperante piissimo Augusto Leone, imperii ejus anno XXIII E sed et Constantino magno imperatore, ejus filio anno XX, indictione VIII, *id est anno æræ vulgaris* 739. *In hac autem epistola pontifex confirmat divisionem Bajoariæ in quatuor parochias seu diœceses, et ordinationem trium episcoporum, quibus singulæ parochiæ committerentur, Vivilo seu Vivilone jam exsistente episcopo Passaviensi. His subjungit :* De concilio vero, ut juxta ripam Danubii debeas celebrare nostra vice, præcipimus fraternitati tuæ apostolica auctoritate te ibidem præsentari. *Habemus hic præceptum apostolicum, cui profecto refragatus non fuerit S. Bonifacius, in omnibus observantissimus Sedis apostolicæ. Neque objiciatur Carolus Martellus, quasi illo vivente synodi celebrari non potuerint : hæc enim ad Francos Austrasios spectant, nec ipsa quidem vitio vertenda sunt Carolo, ut late monstravit Henschenius noster in Commentario prævio ad Vitam S. Eucherii Aurelianensis ad diem* XX *Februarii* §§ III, IV *et* V (*m*), *quem dein secuti sunt Carol. le Cointe ad annum* 741 § XXXVIII *et JJ. Raepsaet in Vidiciis Caroli Martelli* (*n*). *Crederem potius omissas fuisse synodos propter intestina bella, quæ Austrasiam diu perturbarunt, et ex quibus nascebatur sponte sua in-* F *gens disciplinæ ecclesiasticæ relaxatio.*

in conciliis celebrandis :

22 *Cæterum huic concilio primo Germanico, præter episcopos Bajoariæ, adfuerunt quoque illi episcopi Alemanniæ, ad quos directa fuit epistola Gregorii III, scilicet Wiggo Augustanus, Luido Spirensis; quibus adjungendus esset Ridoltus seu Rudolfus II Constantiensis, nisi eodem anno e vita migrasset* (*o*). *Dubitant quidem de Alemannicorum episcoporum præsentia Jos. Harzheim et Ant. Joseph. Binterim l. c., sed non video, ex qua ratione; nam idem habemus fundamentum ac pro concilio, scilicet epistolas Gregorii III : quemadmodum igitur ex epistola* XLVI *concludimus concilium aliquod anno Christi* 740 *fuisse celebratum in Bavaria, ita quoque ex epistola* XLV *ejusdem Pontificis dicendum est adfuisse episcopos ex Alemannia. Omisimus consulto nomen Addæ seu Ethonis Argentoratensis episcopi, quia deest in optimis codicibus. Non est opus hic reli-*

(*a*) Ant. de l'Egl. Anglo-Sax,, p. 179. Ed. Gall.—(*b*) Würdtw., p. 273. Ser. XLVI. — (*c*) Ibid. p. 265. Ser. CXLVII. — (*d*) Ibid., p. 240. Ser. CXL. — (*e*) Ibid., p. 246 et 257. Ser. CXLI et CXLII. — (*f*) Epist. Bonif., p. 101. — (*g*) Conc. Germ., t. I, p. 52 et 342. — (*h*) Pragmatische Geschicht. der Deutschen Concilien, t. II, p. 17. — (*i*) Crit. Baron. ad an. DCCXLII, § VII. — (*k*) Suppl. Conc., t. I, p. 551. — (*l*) Würdtw., p. 99. Ser. CXXX. — (*m*) Act. SS., t. III Febr., p. 211. — (*n*) Op., t. I, p. 287.— (*o*) Trudp. Neugart. Episc. Constant.. p. 74.

AUCTORE J. V. H.

quas synodos a S. Bonifacio celebratas recensere, quibusque putamus Lullum *nostrum tamquam individuum socium et archidiaconum episcopi sui interfuisse; cum nullæ in iis difficultates occurrant, quas laudati scriptores non solverint. Unum hic adnotare liceat, nos plene consentire cum Cl. Binterim interpretante dictum Willibaldi in Vita S. Bonifacii ad* v *Junii* (*a*). Convenientibus in unum episcopis et presbyteris, diaconibus et clericis, omnique gradu ecclesiastico, quos inclitæ recordationis Karolomanus dux sub regni sui imperio accersere fecit, quintum synodale factum est concilium. *Hoc quintum concilium non est, ut insinuat Harzheim* (*b*), Suessionensis *synodus anno* 744 *celebrata, neque ut vult Joan. Mansi* (*c*), Germanica *anni* 747; *utrumque enim refertur ad solum Pippinum, nulla de Carolomanno facta mentione, ut patet ex proœmio Suessionensi* (*d*), *et ex epistola Zachariæ Papæ int. Bonif.* LXXIV (*e*). *Alia igitur synodus quærenda est, quæ sub Carolomanno celebrata fuerit : neque alia nobis occurrit, quam Germanica incerti loci, anni* 742 *et Leptinensis anni sequentis. Censemus autem Willibaldum hic præcipue Germanicam indigitare, quia in illa synodo nobis videntur concurrere notæ in textu Willibaldino indicatæ. Convenerunt omnes episcopi cum presbyteris in regno Carolomanni constituti, et quidem* ut consilium darent, quomodo lex Dei et ecclesiastica religio recuperaretur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruerat, et qualiter populus Christianus ad salutem animæ pervenire posset, et, per falsos sacerdotes deceptus, non periret. *Ita concilium Germanicum. In Willibaldo vero, narratis iis quæ quatuor concilia œcumenica prima effecerant in damnandis Ario, Macedonio, Nestorio et Eutychete, additur :* Ita apud Franciam, omni funditus eradicata hæreticorum perfidia et extirpata iniquorum conjuratione, legis divinæ augebantur incrementa et synodales generalium conciliorum canones recipiebantur. *Quod itaque* quintum concilium *appellat, non adeo ordinem celebratarum a Bonifacio synodorum indicat, quam comparationem quamdam hujus Germanicæ synodi cum quatuor conciliis œcumenicis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino et Chalcedonensi.*

et in legationibus obeundis.

23 *Jam diximus num.* 21, *S.* Lullum *ad Zachariam Papam legatione functum fuisse. Agebatur in illa de rebus maximi momenti, quas ne litteris quidem committere voluit S. Bonifacius. Scribens enim ad Pontificem, hæc habet epist.* LXXXVI (*f*) : Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, ut hunc presbyterum meum, portitorem litterarum mearum, nomine Lul, grato animo clementer suscipiatis. Habet enim secreta quædam, quæ soli pietati vestræ profiteri debet; quædam viva voce vobis dicere, quædam per litteras notata ostendere, de quibusdam necessitatibus meis inquirere et interrogare, et mihi paternitatis vestræ responsum et consilium ex auctoritate Sancti Petri, principis Apostolorum, ad solatium senectutis repræsentare, ut his omnibus auditis et consideratis, si quæ sint, quæ vobis placeant facta, adaugere studeam : si autem quid, ut timendum est, displiceat, et præcepto apostolatus vestri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam persolvam. *Hæc missio contigit anno Christi* 751, *ut habemus ex epistola responsoria Zachariæ,* data pridie nonas Novembris, imperante Domino piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno XXXII, imperii ejus (*scilicet a morte patris Leonis Isaurici*) anno undecimo, Indictione quinta. *Eadem legatione obtentum dicitur privilegium amplissimum pro monasterio Fuldensi, quod S. Bonifacius fundaverat. Sed de hoc privilegio aptius agetur infra, quando de controversia inter SS.* Lullum *et Sturmium tractatus recurret,* § VI. *Ex hactenus dictis patet operosissimam fuisse S.* Lulli *vitam, ac proinde nullam mereri fidem fragmentum Chronici apud Canisium* (*g*), *in quo narratur Sanctum nostrum in vico Bavarico, Ilminster,* gloriosis operibus intrepidum permansisse : *quod quidem Annus Benedictinus, ab Ægidio Ranbeck conscriptus* (*h*), *calculo suo approbat; sed* Lullo *nostro neque tempus, neque occasio fuit, ut simile otium sibi crearet. Si igitur certo constaret Ilmensis cœnobii fundatorem fuisse Sanctum quempiam* Lullum, *homonymum quemdam fuisse dicendum foret.*

§ IV. Agente S. Bonifacio, creatur S. Lullus archiepiscopus Moguntinus.

S. Bonifacius a Papa obtinet potestatem

S. Bonifacio, *ait Serarius* (*i*), successisse Redgerum refert Bedana epitome. Sed historiæ, libri, catalogi, martyrologia et breviaria omnia reclamant. Nec de Redgero ullo ulla post S. Bonifacium mentio : sed B. Lullum successorem clamant omnia. *Abunde præterea refutabitur hæc sive fabula, sive librarii cujusdam oscitantia, per totam rei gestæ seriem. Jam anno* 742 *S. Bonifacius epist.* L (*k*), *petierat a Zacharia Papa, ut sibi successorem deligere posset; hæc enim habet citata epistola :* Ut auctoritatis vestræ licentia sit, ut cum consilio servorum Dei, de ista electione (*successoris sui in sede Moguntina*) faciam quod nobis in commune, pro Deo et pro Ecclesiæ utilitate vel fructu spiritali et defensione religionis optimum esse videatur, ut consensum vestrum habeam facere, quod optimum esse mihi inspirare dignetur Deus : quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius princeps fuerit. *Huic petitioni respondet Zacharias epistola sequenti,* data kalend. Aprilis imperante. . . . Constantino. . . . anno XXIV imperii ejus (*l*) : Quod autem tibi successorem constituere petisti, ut, te vivente, in tuo loco eligatur episcopus : hoc nulla ratione concedi patimur : quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta Patrum esse monstratur : sed volumus ut tibi ministret et sit in Euangelio adjutor, dicente Apostolo : « Si quis bene ministraverit, » gradum sibi bonum acquiret. » Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est, ut, te vivente, tibi alium substituamus. . . Sin autem et eumdem divina voluerit clementia post tui diem transitus superesse, si eum aptum cognoveris et in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de præsenti sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus : quod nulli alii concedi patimur, quod tibi, charitate cogente, largiri censuimus.

substituendi sibi successoris;

25 *Videtur S. Bonifacius eamdem gratiam flagitasse per S. Burchardum, discipulum suum, circa initium anni* 748 : *nam idem pontifex litteris* datis kalendis Maji imperante. . . . Constantino. . . . anno XXIX. . . indictione prima, *int. Bonif.* LXXXII (*m*),

(*a*) Act. SS., t. I, Junii, p. 468, n. 44. — (*b*) T. I Conc. Germ., p. 345. — (*c*) Suppl. Conc., t. I, p. 557. — (*d*) Harzheim l. c., p. 37. — (*e*) Würdtw., p. 202. Ser. CXXXIX. — (*f*) Ibid., p. 246. Ser. CXLI. — (*g*) Thes. Monument., t. IV. p. 751. — (*h*) Calend. Annal. Benedict., t. IV, p. 129. — (*i*) Johan. Rer. Mog., t. I, p. 371. — (*k*) Würdtw., p. 107. Ser. CXXXII. — (*l*) Cfr Würdtw. not. p. 116. — (*m*) Würdtw., p. 240. Ser. CXL.

concedit

A *concedit tandem, quod tam ardenter postulaverat.* Petisti, *inquit Zacharias,* ut cum nostro consultu pro superveniente tibi senectute et plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ut si invenire potueris alium in eamdem sedem, in qua præes, pro tui persona debeas collocare; tu vero, charissime, legatus et missus esse, ut fuisti, sedis apostolicæ. Nos vero, adjutore Deo, consilium præbemus tuæ reverendæ sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium, fautore Christo, sedem, quam obtines, Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ nequaquam relinquas, ut impleatur in te Dominicum præceptum : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus » erit. » Sin vero, si Dominus dederit juxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere et curam pro salute animarum, pro tui persona illum ordinabis episcopum; eritque in Euangelio tibi credito et ministerio Christi portando, in omni loco requirens et confortans Ecclesiam Dei. *Ex hisce aliisque supra citatis litteris liquet S. Bonifacium in animo non habuisse, statim Moguntinam cathedram relinquere, sed tunc solum, quando exegisset id Ecclesiæ utilitas : mirum itaque videri non debet consilium illud in alium annum*
B *rejectum fuisse. Est quoque animadversione dignum penes Bonifacium mansisse legati titulum et dignitatem, quæ proinde, moriente illo, extincta est.*

quare per Fulradum sollicitat

26 *Jam in litteris supra citatis n.* 24 *expresserat timorem suum Bonifacius, ne electio successoris gravissimas difficultates pateretur,* si contrarius princeps fuerit : *ad hoc malum avertendum epistolam direxit ad Sanctum Fulradum, abbatem S. Dionysii, et archicapellanum Pippini regis* (*a*), *ut ipse, qui apud Zachariam Papam cum S. Burchardo Wirceburgensi legatione, qua regium nomen Pippino majori domus petebatur, functus fuerat, nunc apud regem intercederet in causa electionis sui successoris et in Germanica Ecclesia rite constituenda. En epistola :* Fraternæ dilectionis tuæ spiritalem amicitiam, quam sæpe in necessitatibus meis pro Dei intuitu fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persolvere non possum : sed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cœlorum culmine mercedis præmia in gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine deprecor, ut, quod bono initio cœpisti, cum bono fine perficias, id est, ut meo verbo gloriosum et amabilem regem nostrum Pippinum salutaveris, et illi magnas gratias referas
C de omnibus pietatis operibus, quæ mecum fecit, et ut illi referas, quod mihi et amicis meis similiter videtur, ut vitam istam temporalem et cursum dierum meorum per istas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celsitudinem regis nostri, pro nomine Christi filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare et mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini, quidam presbyteri, per multa loca ad ministerium Ecclesiæ et populorum constituti : quidam sunt monachi per cellulas nostras et infantes ad legentes (*legendas?*) litteras ordinati sunt. Et aliqui seniores qui longo tempore mecum viventes laboraverunt et me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur : sed ut habeant mercedis vestræ consilium et patrocinium celsitudinis vestræ, et non sint dispersi, sicut oves non habentes pastorem : et populi prope marcam paganorum non perdant legem Christi. Propterea almitatis vestræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, ut filiolum meum Lullum et coepiscopum, si Deus voluerit et sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum et ecclesiarum componere et constituere faciatis prædicatorem et doctorem presbyterorum et populorum. Et spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant presbyteri magistrum et monachi regularem doctorem et populi Christiani fidelem prædicatorem et pastorem. Propterea hoc maxime fieri peto, quia presbyteri mei prope marcam paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere possunt, sed vestimenta ibi invenire non possunt, nisi aliunde consilium et adjutorem habeant, ut sustinere et indurare (*permanere*) in illis locis ad ministerium populi possint, eodem modo sicut ego illos adjuvi. Et si pietas Christi hoc vobis inspiraverit, et hoc, quod peto, consentire et facere volueritis, per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ, hoc mihi mandare et indicare dignemini, ut eo lætior in mercede vestra vivam vel moriar.

AUCTORE J. V. H.

D

consensum regium,

27 *Monstrat hæc epistola quanta tunc esset regum auctoritas in electione episcoporum : immo, antequam solium conscenderet, eamdem auctoritatem jam exercuerat Pippinus. In concilio enim Suessionensi anni Christi* 744, *cui nomen* Pippini ducis et E
principis Francorum *præfigitur, quatenus decreta sacerdotum vim legis in populis obtinerent, legimus canone* III (*b*) : Idcirco constituimus per consilium sacerdotum et optimatum eorum et ordinavimus per civitates episcopos. *Similia dixerat Caroloman-nus et ipse* dux et princeps Francorum, *in concilio Germanico anni* 742 *canone* I (*c*). *Hæc auctoritas ad reges Carolovingicos transiit, uti habemus ex Lupi Ferrariensis abbatis epistola* LXXXI (*d*) : Id vestræ prudentiæ dominus noster (*Carolus Calvus*) nobis jussit suggerere, non esse novicium aut temerarium quod ex palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis procurat antistites. Nam Pippinus, a quo per maximum Carolum et religiosissimum Hludovicum Imperatores ducit rex noster originem, exposita necessitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum, decedentibus episcopis, mederetur : ne forte simplicitate pontificum posset contingere, quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. *Recte igitur S. Bonifacius Fulradum, regis capellanum, intercessorem adhibet, ut* Lullum *discipulum suum cathedræ Moguntinæ imponere posset.* F

ut, urgente valetudine adversa,

28 *Instabat tunc,* (*anno scilicet* 752, *siquidem non ante hoc tempus Pippinus rex salutatus fuerit*) *illa infirmitas, quam præviderat, dum a Zacharia licentiam petebat ordinandi, se vivente, successorem suum. Non dubium est assensum illum concessum fuisse, ut clare dicit Willibaldus in Vita ejus* (*e*) : Sed quod sanctus vir infirmitate corporis prægravatus, synodalia conciliorum conventicula per omnia adire non poterat, jam consultu atque consilio gloriosi regis (*Pippini*) idoneum proponere ministrum supradicto gregi definivit, et Lullum suum ingeniosæ indolis discipulum ad erudiendam tantæ plebis numerositatem constituit, et in episcopatus gradum provexit atque ordinavit, eumque hæreditati, quam in Christo instanti acquisierat labore, implicavit, qui et fidelis in Domino comes peregrinationis ejus erat, et testis utrobique passionis et consolationis. *Unum addit auctor Vitæ tertiæ seu recentioris S. Bonifacii apud Nostros* (*f*),

(*a*) Würdtw., p. 269. Ser. XCII. — (*b*) Harzh. Conc. Germ., t. I, p. 58. — (*c*) Ibid., p. 49. — (*d*) D. Bouquet, t. VII, p. 486. — (*e*) Act., SS. t. I Junii, p. 469, n. 47. — (*f*) Ibid., p. 482, n. 5.

Lullum

AUCTORE J. V. H.

A Lullum *scilicet in synodo episcoporum electum et sacratum fuisse episcopum Moguntinum :* Inter gravissima doloris lamenta (*ob mortem S. Willibrordi episcopi*) profundique gemitus suspiria obviavit illi mente, quantocius synodum coadunare deberet. Nec mora, convenientibus in unum episcopis, omnique choro ecclesiastici ordinis, cum consensu illorum omnium et cum decreto Pippini regis, qui tunc, Carolomanno fratre defuncto, rex effectus est, Lul, venerabilem virum, Moguntinæ sedis sibi elegit successorem, Sturim vero venerabilem in cœnobio Fuldensi constituit abbatem, præcipiens illi curam gerere gregis commissi. Willibaldum quidem pastoralis officii regimen in loco Heystede commendavit, et Burchardo ejusdem civitatis parochiam in Wirceburch delegavit. Wigbertum quoque in monasterio, quod nuncupatur Hersfelda, fratrum constituit gubernatorem. Hæc quoque B. Bonifacius martyrque futurus, ut sapiens architectus, cuncta disposuit : et, adhibitis sibi aliquantis fratribus, navim conscendens Trajectum usque pervenit.

Lullum *successorem consecrare possit;*

B 29 *Textum Anonymi paulo latius evolvimus, ut liqueat hic valde confuse omnia narrari : imprimis Willibaldus, primarius Vitæ Bonifacianæ auctor, non morti S. Willibrordi tribuit profectionem S. Bonifacii, ejusque successoris electionem, sed quia* infirmitate corporis prægravatus synodalia conciliorum conventicula per omnia adire non poterat. *Et merito quidem: quum omnes qui quam longissime mortem S. Willibrordi differunt, tamen ultra annum Christi* 746 *eum vixisse asserere non audent : incredibile vero est, ut illa* gravissima doloris lamenta profundique gemitus suspiria *saltem per* sexennium *duraverint. Dein Anonymus citatus eodem modo loquitur de institutione Willibaldi et Burchardi episcoporum ac de* Lulli *ordinatione, cum tamen hæc diverso prorsus tempore acciderint. Burchardum verbi gratia jam anno Christi* 741 *episcopales infulas accepisse monstrarunt nostri majores in ejus Vitæ Commentario prævio* (*a*). *Cæterum per hæc nolim infirmentur, quæ dicit Anonymus de synodo habita ad* Lulli *nostri ordinationem ratam habendam : hanc enim præscripserat Zacharias in priore sua de hoc negotio epistola supra allata n.* 24, *dum vult, ut* cunctis præsentibus sibi successorem designaret *Bonifacius. Neque hoc infringitur ex eo quod licentia solum concedatur* pro ea hora, qua se

C de præsenti sæculo migraturum cognoverit, *nam allata verba vicinam sive per infirmitatem sive senium mortem designant; quo postremo casu, tempus erat certe sufficiens ad synodum cogendam. Ipsa dein extraordinaria via, qua* Lullus *noster Moguntinam cathedram conscensurus erat, suadebat concilii celebrationem, in quo frequentes episcopi confirmarent, quod præter canonum ordinem gerendum erat.*

quod quidem anno Christi DCCLIV

30 *Annus, quo S.* Lullus *ordinatus fuit episcopus, omnino pendet a tempore profectionis S. Bonifacii in Frisiam ejusque martyrii : et eum iterato quidem in Frisiam, relicta Germania, abiisse habemus e Vita S. Sturmii* (*b*) : Anno decimo, *inquit Eigil quartus Fuldensis abbas et auctor coævus,* postquam ad sanctum commigravit locum (*Sturmius*), sanctus archiepiscopus Bonifacius, inito cum rege et cæteris Christianis consilio, ad ulteriora Fresonum loca, paganico ritu dedita, ingressus est, ingentemque ibi multitudinem hominum Domino docendo et baptisando acquisivit. Inde post multum temporis migrans, sospes ad suas in Germania per- D venit ecclesias. Sequenti vero anno iterum ad aquosa Fresonum pervenerat arva, cœptum opus prædicationis implere desiderans. Quo cum pervenisset, et die quadam ad suam doctrinam populum convocasset, venerunt unusquisque de loco suo, non quasi humiliter ad verbum Domini audiendum, sed spiritu maligno inflati cum infestis armis ad sacra sermonis Domini festa proruunt, et Sanctum Christi antistitem ferro trucidarunt, omnemque ejus comitatum gladiis necaverunt. *Unam tantum profectionem ad Frisonicas gentes narrat Willibaldus, quia perfunctus apostolico munere in Germania, quod reliquum erat virium Frisiæ convertendæ impendere statuerat S. Bonifacius. Ast Eigil, qui S. Sturmio, cujus Vitam scripsit, convixerat, siquidem duplicem profectionem distinguat, omnino admittendus est.*

accidisse autumamus :

31 *Nihilominus ante priorem discessum S. Bonifacii, S.* Lullum *consecratum fuisse episcopum nobis imprimis suadet silentium Willibaldi, distincturi profecto binam profectionem, si inter utramque* Lulli *ordinatio incidisset. Ast nunc venit quæstio cui anno æræ vulgaris innectendus est* annus decimus, *de quo Eigil agit, fundati Fuldensis cœnobii.* E *Cointius omnino contendit ab anno Christi* 745 *texendam esse chronologiam monasterii Fuldensis, quia inter ejus fundationem et S. Bonifacii necem, quæ anno Christi* 755 *contigit* (*c*), *decem solidos annos interponit. Sed nobis potior est auctoritas Eigilis, coævi rebus quæ narrat : hic autem in laudata Vita S. Sturmii* (*d*) *conceptis verbis dicit :* Anno Incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo quarto, regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus Karlomanno atque Pippino, indictione duodecima, mense primo (*scilicet Martio*) duodecima die mensis ejusdem, sanctum et a Deo dudum prædestinatum ingressus est locum. *Ab hoc igitur anno dimovere non licet initium Fuldense : habemus enim hic testem et coævum et domesticum, omni exceptione majorem. Atque hoc testimonium tanto minus infringere potest Cointius, quod* decennium, *cui chronologiam suam superstruit, ab ipso Eigile e textu numero superiori allato mutuatus fuerit.*

non vero,

32 *Ex hoc eodem textu Pagius* (*e*) *alium calculum iniit. Ex eo scilicet, quod anno decimo fundationis Fuldensis S. Bonifacius primam suam in Frisiam profectionem adornarit, concludit illam* F *in vernum tempus anni* 753 *referendam esse, et proinde S.* Lulli *ordinationem huic quoque anno innectendam. Hæc quidem recte procederent, nisi obstarent quæ idem Eigil dicit, Sanctum* sequenti anno iterum ad aquosa Fresonum arva pervenisse *e Germania : sequens enim annus non alius esse potest, Pagio judice, quam Christi* 755, *quo martyrium subiit. Censet quippe S. Bonifacium jam Ultrajectinum archiepiscopum fuisse, quum ad ejus petitionem Pippinus rex diploma dedit, quo omnes possessiones Trajectensis Ecclesiæ confirmavit,* datum quod fuit mense Majo die XXIII anno secundo regni ipsius gloriosi regis (*f*). *Verum hanc conclusionem illegitimam puto; nam procurationem aliquam Ecclesiæ Ultrajectinæ jam habebat Bonifacius, diu ante Frisiacam profectionem, ut ipse testatur epistola* CV (*g*), *ad Stephanum II Papam directa. Episcopus Coloniensis jus metropoliticum in Ultrajectinos post mortem S. Willibrordi prætendebat : prætentioni opposuit sese Bonifacius, et merito, cum*

(*a*) Act. SS., t. VI Octob., p. 562, n. 14. — (*b*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 372. — (*c*) Pagi Crit. ad hunc annum, § XV et seq. — (*d*) Pertz, t. II, p. 370. — (*e*) Crit. Baron. ad an. 753, § VI. — (*f*) Cfr Miræum. Dipl. Belg., t. I, p. 494. — (*g*) Würdtw., p. 278. Ser. XCVII.

in

A *in illum cura hujus Ecclesiæ incumberet :* Wilbrord per quinquaginta annos, *inquit,* prædicans, præfatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana et delubra destruxit, et ecclesias construxit, et sedem episcopalem et ecclesiam in honore Sancti Salvatoris constituens in loco et castello, quod dicitur Trajectum, et in illa sede et ecclesia Sancti Salvatoris, quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem permansit : et sibi coepiscopum ad ministerium implendum substituit, et finitis longævæ vitæ diebus, in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendavit in sedem illam constituendum et ordinandum episcopum, quod et feci. Nunc autem Coloniensis episcopus illam sedem præfati episcopi Clementis (*seu Willibrordi*), a Sergio Papa ordinati, sibi usurpat, et ad se pertinere dicit propter fundamenta cujusdam destructæ a paganis ecclesiæ.

ut vult Pagius, 33 *Videmus ex hac epistola jam saltem ab an.* 747, *quo Carolomannus esse princeps Francorum cessavit, Bonifacio commissam fuisse curam Trajectensis Ecclesiæ, cui præposuit administratorem magis quam episcopum, sive ille Eobanus fuerit, sive* B *potius S. Gregorius. Non mirum igitur sanctum pontificem Bonifacium a Pippino rege expetiisse confirmationem possessionum Ecclesiæ Ultrajectinæ, et in dato diplomate dici ecclesiam S. Martini esse Bonifacii. Quo autem sensu hæc ad illum pertinuerit, explicatur ejusdem diplomatis verbis, quibus dicit rex :* Casam Dei Sancti Martini, in qua dominum Bonifacium archiepiscopum CUSTODEM præesse concessimus et confirmamus. *Non itaque qua episcopus, sed qua custos aut administrator, præerat S. Bonifacius ecclesiæ S. Martini : quocirca confirmatur eum non anno* 753, *sed sequenti potius, in Frisiam abiisse. Pagius, ut Frisiacam profectionem anni* LIII *cum nece sancti pontificis, anno* LV *ejusdem sæculi* VIII *patrata, componat, dicit illum anno* 754 *fortassis autumnali tempore in Frisiam rediisse, et proin istic hiemem transegisse, quod certe ex textu Eigilis extundi nulla industria potest.* Quo cum pervenisset, *ait,* et die quadam populum convocasset. . . venerunt. . . et sanctum Christi antistitem ferro trucidarunt. *Quæ optime quadrant, si brevi tempore post secundum adventum martyrium subiit S. Bonifacius; nullatenus vero si in Frisia hiemavit : nam Eigil, qui accurate duplicem profectionem distin-*
C *xerat, et gesta in priori adventu saltem brevibus verbis adumbraverat, nihil prorsus habet eorum, quæ autumno et tota hieme usque ad diem* V *Junii gessisset Sanctus : quare cum serie narrationis hæc reticentia non convenit.*

anno DCCLIII. 34 *Malumus itaque priorem profectiomem in Frisiam ita alligare anno decimo fundati monasterii Fuldensis, ut tamen annum Christi* 754 *attingamus. Ipse Eigil verbis supra allatis habet profectionem adornatam fuisse,* inito cum rege et cæteris Christianis consilio. *Mihi videtur valde probabile, id consilium habitum fuisse in* Campo Martio, *in quo præcipua regni negotia tractabantur. Ille conventus celebrabatur kalendis Martii, donec ejusdem sæculi anno* LV *prorogatus fuit ad kalendas Maji, unde illi nomen* Maicampi *aut* Campomadii *et* Campomaji *adhæsit. Legitur in Annalibus Petavianis* (*a*) : DCCLV venit Thasilo ad Martis campum, et mutaverunt Martis campum in mense Majo. *In campo autem Martii de generalibus regni negotiis actum fuisse, habemus ex Annalibus Fran-*

(*a*) D. Bouquet, t. V, p. 13. — (*b*) Ibid., t. II, p. 680. — (*c*) Act. SS. v Junii, p. 465, n. 26. — (*d*) T. II Jul., p. 491. —

corum Metensibus (*b*). *Mihi itaque videtur kalendis Martii anni* 754 *et proinde* anno decimo *fundati Fuldensis cœnobii etiamnum currente, convenisse episcopos et optimates, tum probatam fuisse* Lulli *electionem, ejusque ordinationem in concilio episcoporum celebratam fuisse. Isto modo omnia recte fluunt in Eigilis narratione, et habemus etiam accurate triginta duos annos solidos, quibus, uti videbimus infra, in episcopatu perseveravit, mortuus scilicet die* XVII *kalendas Novembris anni* 786. *Anno itaque Christi* 754 *episcopus ordinatus Sanctus* Lullus, *propius aberat ab anno ætatis suæ quinquagesimo : quod etiam confirmatur, tum ex epocha adventus in Germaniam* (*supra n.* 16 *et seqq.*), *tum ex regula canonica inter Anglos vigente, quæ quinquagesimum annum ad episcopatum requirebat, uti habemus ex Willibaldina Vita S. Bonifacii* (*c*), *qui episcopatum recusavit,* quoniam quinquagesimi anni, juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plene reciperet. *Scimus tamen hanc regulam non semper a S. Bonifacio servatam fuisse, ut monstrat exemplum S. Willibaldi, qui, annos natus* XLI, *Eichstadiensi cathedræ impositus fuit* (*d*).

AUCTORE J. V. H.

D

E

§ V. S. Lullus corpus S. Bonifacii Martyris transfert ad Fuldense monasterium.

S. Bonifacii Reliquiæ.

P*rima eaque luctuosa simul et gloriosa cura* Lullum *nostrum episcopum tenuit transferendi Fuldam corporis sancti magistri sui et Martyris. Sepulturæ locum ipse designaverat; mandaverat quippe successori suo, ut* (*e*) ædificationem basilicæ jam inchoatæ ad Fuldam compleret, ibidemque ejus multis annorum curriculis corpus inveteratum perduceret. *Sepulturæ hujus ordinem, saltem secundum præcipua capita hic referemus, tum quia,* Lullo *nostro mandante, omnia peracta sunt, tum præsertim quia ex varietate narrationis elucet Eigilem, alterum narrationis auctorem, iniquiori animo agendi rationem S.* Lulli *exposuisse. Primum adducimus Willibaldum* (*f*) : A Maguntia religiosi et fideles in Domino fratres, a Lullo episcopo, successore quidem hujus sancti pontificis et Martyris Christi, directi navigio, ad perducendum beati viri cadaver ad monasterium, F quod eo vivente construxerat, et secus ripam fluminis, quod dicitur Fulda, situm est, advenerunt (*Trajectum*). . . . Ejus urbis præfecti, eis audientibus, quemadmodum a glorioso rege Pippino exivit edictum, intonuit interdictum (*g*); et ne inde prædicti pontificis corpus amoveretur, indictum est. Sed quia Omnipotentis magis quam hominum convalescit fortitudo, mirabile statim ac memorabile cunctis adstantibus, Angelica magis quam humana peractum cognitione, auditum est miraculum; ecclesiæque cloccum (*æs campanum*) in signum admonitionis sancti corporis, humana non contingente manu, commotum est : ita ut omnes, repentino timoris pavore percussi, maximo timore obstupuissent, et justi hujus reddendum esse corpus proclamarent. Sicque statim redditum est, et a prædictis sanctæ recordationis fratribus cum psalmis hymnisque honorifice ablatum, ac sine remigantium labore tricesima obitus sui die perductum est ad civitatem supradictam Maguntiam. . . . . Sed et

(*e*) T. I Jun., p. 470, n. 48.—(*f*) Ibid., p. 472, n. 56. — (*g*) Erat tunc Pippinus in Italia, proin nomine regis præfectus edixerat.

AUCTORE J. V. H.

A supradictus dominus antistes, tam venerandæ dignitatis successor, qui regali illo tempore præsens erat palatio, hujus omnino ignarus causæ, adventus sancti corporis inscius, ad civitatem, quam prædiximus, veluti sub uno eodemque horæ momento pervenit.... Compuncti cordibus, cum presbyteris et diaconibus, omnique gradu ecclesiastico, ad eum quem vivens prædestinaverat locum perduxerunt, et, novo in ecclesia confecto sarcophago, ex more sepelientes posuerunt. *Hæc Willibaldus.*

invitis Ultrajectinis et Moguntinis,

36 *Othlonus, in S. Bonifacii Vita lib.* III *cap.* XXVII (*a*), *aliqua nonnihil mutat. Edictum Pippini regis fabulam fuisse insinuat.* Quia multitudini advenientium congredi non posse viderunt (*Trajectenses*), testati sunt a rege Pippino jussum fuisse, ne corpus S. Bonifacii inde auferretur. Verumtamen legati (*Moguntini*) hoc magis fictum, quam verum arbitrantes, viribus totis in ea, qua venerant causa, instabant, virtute scilicet eos roborante et adjuvante, ut voti compotes existerent. *Sequitur miraculum æris campani absque humano motu sonantis, quo perterriti, qui* ad pugnam congregati *fuerant,* sancti viri corpus reddendum esse decreverunt. *Aliud addit Othlonus, a Willibaldo*

B *omissum :* Suscepto *scilicet* thesauri tanti pignore, fuerunt plurimi in Mogunciacensi, qui censebant illic sepeliendum esse sancti viri corpus, ubi erat episcopus, affirmantes hujusmodi jus esse omnium ecclesiarum, ut quo quis sedem episcopalem habuerit, illic quoque sepeliendus sit. In tantum autem quorumdam illud affirmantium prævaluit certamen, ut pœne eorum consilio S. Lullus consentiret, nisi cuidam diacono, qui dicebatur Otpertus, apparuisset S. Bonifacius in visione dicens : « Dic episcopo Lullo, ut corpus meum absque » omni ambiguitate ad monasterii mei locum » transferat. » Cumque hanc jussionem multi audientes minime crederent, præsul Lullus, allatis Sanctorum Reliquiis, jussit Otpertum probare jurejurando, si vera esset ejus visio. At ille nihil dubitans jussa implevit, visionem jurejurando probavit.... Tali itaque gaudio perductus est monasterii Fuldensis loco, quo ipse sepeliri sæpius optavit, sæpiusque id B. præsuli Lullo peragendum commendavit. Qui et petitionem ejus complere summopere nisus, cum veneratione debita terræ, quod suum erat, reddit.

ad Fuldense monasterium

C 37 *Othlonum quamvis tempore inferiorem excipit Eigil, Willibaldo æqualis. In Vita magistri sui S. Sturmii* (*b*) *hæc habet :* Sanctus vero Martyr ad locum in solitudine, quem ipse sibi nutu Dei eligebat, corpus suum deferri voluit, quod statim claruit. Quod dum vellent ad alteram portare ecclesiam (*majorem Trajectensem*), et ibi in sarcophago ponere, accedentes manus suas in feretrum miserunt, nec levare potuerunt; multo plures alii se adjungentes, nec sic quidem feretrum, in quo sanctum cadaver jacebat, movere quiverunt. Intellexerunt ergo ejus non esse voluntatem, ut in eodem loco maneret; sed eum ad Mogontiam civitatem debere deferri pronuntiabant. Protinus grabatum absque ulla difficultate levantes, ad flumenque portantes et puppi imponentes per Rheni alveum navim trahere et superiora petere cœperunt. Quo audito, Sturmi de Fulda cœnobio, in eremo constituto, cum festinatione obviam venire curavit, et cum eis pariter perrexit, donec prospero et levi transitu ad Mogontiam urbem pervenerunt. Sacerdotes statim et omnis clerus urbis illius accedentes, Sancti Martyris corpus adsumentes, in basilicam suam cum honore posuerunt. Universi tunc D sacerdotes et clerici et populus omnis consona voce dicebant, fas non esse, ut Sanctus Dei Martyr alium deferatur in locum; sed ubi episcopalem sedem vivens habuit, ibi etiam oportere eum corpore quiescere. Insuper etiam de palatio a rege nuntius venit, qui dicit regem imperasse, ut Sancti Martyris corpus in civitate eadem, si ipsius esset voluntas, poneretur. Sturmi vero et qui cum eo de eremo convenerunt, constanter dixerunt, quod sanctus episcopus plerumque apud eos manens, et locum eis, ubi corpus suum posuissent, demonstrarit, et quod absque dubio ibi in solitudine voluisset corpore quiescere. Interea vero dum in hunc modum contenderent, et Lullus, episcopus civitatis illius, omnimodis voluisset prohibere, ne Beati Martyris corpus ad solitudinem perveniret, nocte per visionem cuidam diacono sanctus adstitit episcopus : « Cur me, » inquiens, « tardatis ad lo- » cum meum Fuldam deferre? Surgite, » ait, « cito et propere me in solitudinem ad locum » quem mihi prædestinavit Deus, perducite. » Qui consurgens, visionis, quæ ei fuerat ostensa, ordinem primo Sturmi, deinde primatibus cunctis narravit. Nimio tunc omnes terrore correpti, ultra E Sancti Martyris ind etransitum contradicere timuerunt. Lul tamen, qui illic erat episcopus, revelationem Sancti Martyris credere prius nullatenus voluit, quam is qui visionem viderat, manum sacro altari imposuisset, et cum juramento hoc, quod viderat, confirmasset. *Narrat dein Eigil corpus Fuldam advenisse* post paucos dies, id est tricesimo passionis ejus die. Postera die, *inquit,* Lullus episcopus cum clericis et reliqua turba, cum qua venerat, inde migravit.

cura præcipue S. Lulli,

38 *Conferenti triplicem hanc narrationem manifestum est, plures varietates occurrere : addit Othlonus Willibaldo illa, quæ Moguntiæ acciderunt. Sed longe diversus ab utroque est Eigil, cujus auctoritatem maximi fecimus, quando egimus de figenda epocha profectionis S. Bonifacii in Frisiam, quia scriptor erat coævus, et quia nihil apud alios auctoritatem ejus infirmabat. Sed in citata narratione merito nobis suspectus est ex iis, quæ perhibet infra circa controversiam inter* Lullum *et Sturmium agitatam. Non refert imprimis prodigium æris campani, quod illi vitio vertendum non est, utpote qui potuerit illud ignorare, dum per testes resciverit fortassis* F *miraculum feretri, quod nullis viribus movere valuerant Trajectenses, donec navi illud avehendum transtulissent. Ast nescio, num eadem ratione excusari possit, quod narrat de edicto, quasi Moguntiæ dato, quo vetebatur, ne corpus Martyris Bonifacii extra civitatem efferretur. Willibaldus non solum synchronus, sicut et Eigil, sed tempore prior et proinde factis, quæ narrat, magis vicinus fuit : scripsit, vivente Pippino rege, qui anno* 768 *obiit, quum constanter, quoties de illo loquitur, addat nomini titulum* gloriosi regis; *de Carolomanno autem agens dicit* inclytæ recordationis, *quod defunctis convenit. Deinde Willibaldus scripsit sub censura duorum episcoporum,* Lulli *Moguntini et Megingaudi Wirceburgensis* (*c*), petentibus religiosis ac catholicis viris, quibus vel in Tusciæ partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germaniæ aditibus, aut etiam in Britanniæ limitibus, S. Bonifacii Martyris fama, miraculorumque coruscatio perstrepit. *Vita igitur a Willibaldo edita per varias Europæ partes circumferenda erat : et auctor innumeris, qui rem omnem coram spectaverant, testibus circumfusus,*

(*a*) Johan. Rer. Mog., t. I, p. 272. — (*b*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 372. — (*c*) T. V Jun., p. 460, Prolog.

nec

A *nec errorem committere, nec deceptionem aliquam tentare potuit.*

ut monstratur contra Eigilem,

39 *Ast res alio omni modo se habet cum Eigile : hic tempore mortis S. Bonifacii infantiæ fines necdum egressus fuerat ; etenim ipse dicit in suo prologo* (*a*) : Ego Eigil in discipulatu illius (*Sturmii*) plus quam viginti annos conversatus eram, et sub ipsius cœnobii disciplina ab infantia usque in hanc ætatem nutritus et eruditus sum. *Obiit S. Sturmius die* XVII *Decembris anni* 779, *ut habemus ex eadem Vita : igitur circa annum* LIX *ejusdem sæculi Fuldam inhabitare cœpit Eigil infans, et proin potuit facillime ignorare quæ gesta fuerant circa sepulturam Sancti Martyris, aut etiam Moguntinis tribuere, quod Trajectensium fuerat. Quinimmo iniquioris in S.* Lullum *fuisse animi Eigilem, quæ sequuntur in ejus narratione, quæque infra discutienda venient, abunde demonstrant : quid igitur? si fictum decretum regium ad Moguntinos magis spectare dixerit, ut ita oblique* Lullum *carperet, quem postea* semper invidum *adversus S. Sturmium exhibet? Poterat hoc tanto facilius, quod scriptio, ab ipso edita, intra domesticos parietes diu fortassis delituerit, utpote quæ ad Angildruth* (*b*) *monialem* B *directa, non tam facile in publicam lucem proditura erat. Sive tamen Eigilis error fuerit, sive animus minus æquus, nihil propterea detractum volumus ejus probitati, quam præ cæteris laudat B. Rabanus* (*c*), *et quam alii auctores graves* (*d*) *litteris commendarunt : id unum hinc constat, quod infra etiam repetendum erit, in hujusmodi controversiis, quales inter SS.* Lullum *et Sturmium exarserunt, utramque partem non raro humanum aliquid pati, et subditos persæpe exaggerare defectus patronorum.*

transferuntur.

40 *Verum si Eigilem aliqua ratione defendere licet, quum edictum regium Moguntiæ fabricatum dicit; simili via procedere non possumus, quando* Lullum *accusat, quasi* omnimodis voluisset prohibere, ne Beati Martyris corpus ad solitudinem perveniret. *Rem mitius explicat Othlonus citatus :* In tantum, *ait,* quorumdam illud affirmantium prævaluit certamen, ut POENE eorum consilio S. Lullus consentiret, nisi, *etc. Willibaldus nihil dicit de altercatione Moguntina. Mihi facile persuadeo S.* Lullum *timuisse, ne populus jam commotus in apertam rebellionem rueret, si thesauro illo spoliaretur, abducendo sacrum corpus in solitudinem; et maluisse etiam hisce pretiosis Reliquiis ditare eccle-* C *siam suam, quam illas per cædem et sanguinem alio transferre. Sed cum ipse Willibaldus testatur S. Bonifacium* Lullo *successori suo imprimis commendasse, ut corpus suum Fuldæ sepeliret : quis non videt, numquam, consentiente* Lullo, *edendam fuisse hujusmodi commendationem, si reipsa, ipso aut excitante aut connivente, motus popularis exarsisset. Recte itaque Othlonus dicit* Lullum petitionem ejus (*Bonifacii*) complere summopere nisum. *Rem omnem nitide explicat additio MS. Erlangensis ad Vitam S.* Lulli *infra dandam n.* 19 *simulque exponit qua ratione* pœne *populi* consilio consenserit. Ubi ventum est Moguntiam, tum vero totus cum populo clerus obviam effusus, jure gentium agebat apud episcopum, suum inquiens fuisse hunc pontificem, sibi potissimum hereditatem defuncti patris tam jure cœli quam jure fori deberi, nec æqui nec boni memorem eum esse, si contra sentiret, præsertim cum ad eum utpote antistitem specialiter et gloria et calamitas Moguntiensis Ecclesiæ spectaret, ad ultimum si non in hanc sententiam ultro conce-

D deret, malle se viribus uti et extrema omnia experiri, quam tanto bono fraudarentur. Tunc archiepiscopus diu multumque conatus tumultuantem populum in gratiam reducere, ubi vidit rem tardius procedere, confusus incertusque animi, quid consilii caperet, quo se verteret ambigebat. Voluntati enim multitudinis refragari nec factu facile, nec satis tutum sibi videbat. Verum copiis ita in arctum coactis, cito latos exitus reperit secundum promissionem suam Beatus Bonifacius. *Narrat dein visionem, quam Otbertus habuerat : cuique credidit* Lullus, *populo contradicente; quod ipsum testatur quoque Othlonus citatus. E contrario Eigil perhibet auditæ e cœlis voci statim populum acquievisse,* Lul tamen, qui illic erat episcopus, revelationem sancti Martyris credere prius nullatenus voluisse, quam is, qui visionem viderat, manum suam altari imposuisset, et cum juramento hoc, quod viderat, confirmasset.

§ VI. De controversia exorta inter SS. Lullum et Sturmium circa cœnobium Fuldense.

E

Nihil SS. Lulli *et Sturmii sanctitati*

Quoniam *in præcedenti* § *egimus de invidia Sancto* Lullo *creata ab Eigile per mutilam narrationem translationis S. Bonifacii, opportunum credimus hic subnectere controversiam, quam cum Sancto nostro Sturmius habuit, res gestas S.* Lulli *postea prosecuturi. Non est dubium, ut infra monstrabimus, litem exortam fuisse ob jurisdictionem, quam uterque summam in Fuldense cœnobium prætendebat. Unum præmonebimus sanctitati utriusque nihil detrahi dum unusquisque jus, quod putat suum, defendit; et quod dein per susurrones utrinque malum ingravescat, ignorantiæ humanæ atque adeo infirmitati naturæ nostræ fragilis potius, quam malitiæ adscribendum est. Nihil porro sæpius inter sanctissimos etiam viros gravissimas excitavit discordias quam lis aliqua circa jurisdictionem, ut recte annotavit Joan. Fronto, canonicus regularis, in Vita S. Ivonis episcopi Carnotensis* (*e*), *agens de simultate exorta inter Ivonem et Gaufridum Vindocinensem abbatem ob exemptionem monasterii.* Hæc enim, *ait,* est ra- F dix similium discordiarum ab antiquo feracissima, etiam inter quoscumque sanctitate et doctrina claros. Et sicut illi nulla virorum etiam piissimorum auctoritas hactenus finem facere potuit, ita nec illa integritati et sanctitati utriusque partis disceptantis quidquam officere visa est. *Ita igitur de hac discordia agemus, ut dum factum exponimus, nihil detrimenti alterutri afferamus : nam æque injustum esset S. Sturmio quidpiam criminis impingere, quam, ut fecit Claudius Chastelain supr. n.* 1, *vitium omne in* Lullum *refundere, et dubie propterea de ejus sanctitate loqui.*

detrahit controversia,

42 *Imprimis illud statuendum est, totius controversiæ causam fuisse, ut diximus, utrinque prætensam jurisdictionem in Fuldense cœnobium. Hoc aperte satis insinuat ipse Eigil* (*f*), *dicens* Beatum Sturmi abbatem a cœnobio Fulda fuisse per consilium Lulli episcopi ablatum. . . Lullum interim obtinuisse apud Pippinum regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum domi-

(*a*) Pertz. Monum. Germ., t. II, p. 366. — (*b*) Ibid. — (*c*) Schannat. Hist. Fuld., p. 98. — (*d*) Ibid., p. 99. — (*e*) Act. SS., xx Maji, p. 231*, n. 11. — (*f*) Vita Sturmii apud Pertz Monum. Germ., t. II, p. 373 et seq.

nium

AUCTORE J. V. H.

A nium donaretur; acceptaque super illud ditione, abbatem ibi, qui sibi per omnia obtemperaret, constituisse quemdam presbyterum suum, qui dicebatur Marcus. *Consensit tamen brevi post S.* Lullus, *ut e gremio suo abbatem sibi constituerent Fuldenses;* quod cum omnibus placuisset, fratres bonum ex ipsis omnino fratrem et vere Dei servum omnibus bonis moribus ornatum elegerunt, nomine Prezzoldum, quem ab infantia sua Beatus Sturmi edocuit, et multum amavit illum, ipsum super se abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipso, et ipse pariter cum eis cotidie.... tractarent, quemadmodum cum adjutorio Sancti Martyris Bonifacii et cum omnipotentis Dei gratia ad hoc pervenire potuissent, ut pristinum magistrum suum Sturmen a rege Pippino sibi concedi postularent. *Tandem rex concessit, ut ad suos rediret S. Sturmius,* absolutumque ab omni dominio Lulli episcopi ad cœnobium Fuldæ eum cum omni honore ire præcepit... quod etiam causam suam et monasterii defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege, imperavit. *Monasterium igitur prius* Lullo donatum, *et postea* absolutum ab omni dominio Lulli episcopi, *fons fuit omnis controversiæ. Eamdem causam allegat*

B *auctor anonymus Vitæ S.* Lulli *auctæ, infra n.* 21: Is (*Sturmius*) privatim et publice animos fratrum sollicitabat, commonens hanc pontificis circa se indulgentiam aliorsum spectare, quam sibi opinarentur; aliud enim vultu prætendere, aliud animo machinari, et magnæ cujusdam injuriæ consilium palliare titulo pietatis, qui scilicet ad hoc quibusdam verborum lenociniis homines inescaret, ut eis fraudulenter suæ dominationis frena injiceret, et libertatis bonum eriperet, quo vitæ humanæ nihil jucundius, nomini christiano nihil decentius, professioni monachorum nihil commodius.

circa Fuldense monasterium excitata,

43 *Cœnobium Fuldense ejusque territorium, utpote quod in Pago* Grapfeld *situm est, intra limites diœcesis Herbipolensis continebatur, ut probant J. Georg. Eckardt* (*a*) *et Æmilian. Ussermann* (*b*). *Quæ proinde inter* Lullum *et Sturmium agitabatur, quæstio jurisdictionem ordinariam episcopi diœcesani non attingebat: habet quidem episcopus potestatem in monachos sicut in reliquum clerum, nisi privilegium, quo eximantur, exhibere valeant, ut passim juris ecclesiastici periti demonstrant. Alia scilicet erat controversiæ causa: nempe Bonifacius fundator erat monasterii, et vi similis fundationis*

C *competebat illi suprema quædam, saltem circa bona temporalia cœnobii, præfectura; hanc tamquam ex asse hæres vindicabat sibi* Lullus, *idque, ut ipsi videbatur, tanto justius, quanto majorem curam impendebat in complendo ædificio, quod Bonifacius inchoarat. Cautum quippe erat per canones, ut si monasterium haberet episcopum fundatorem, episcopo redderet rationes temporalium suorum, si regem, regi. Ita mihi explicandus venit canon.* XX. *Concilii in verno palatio habiti* (*c*) *anno* 755 *aut, ut Joan. Dom. Mansi præplacet, anno sequenti* (*d*). In alia synodo nobis perdonastis, ut illa monasteria, ubi regulariter monachi vel monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere potuissent, exinde si regalis erat, ad domnum regem faciant rationes abbas vel abbatissa; et si episcopalis, ad illum episcopum. *Ad se itaque pertinere opinabatur S.* Lullus *quidquid ad rationes Fuldensis cœnobii spectabat: quas enim res et jura acquirebat episcopus, hoc totum ad Ecclesiam deveniebat. Jus igitur Ecclesiæ suæ Moguntinæ propugnare putabat, quoties se tamquam magistri sui* D *Bonifacii hæredem Fuldensibus exhibebat. Hinc non mirum illum adversatum fuisse S. Sturmio, quem plus æquo pro monasterio suo stare existimabat.*

cujus natura explicatur:

44 *Ast Sturmius e contrario, a S. Bonifacio immediate institutus abbas, in se quoque solum refusum censebat, quidquid olim juris magistro suo fuerat. Unde et hic omnino excusandus fuit, si acerbius in* Lullum *insurrexerit, et si hanc animi sui aversionem monachis suis, ut satis constat ex Eigile, instillaverit. Etenim agebatur de re admodum dubia, quæ a solo Bonifacio pendebat, quamque, prolatis utrinque verbis scriptisve, ambiguam Sanctus Martyr reliquerat. Merito quoque vir sanctissimus et regularis disciplinæ tenacissimus Sturmius timere poterat, ne, serpente qualicumque episcopali dominatione circa temporalia, paulatim spirituale quoque monachorum regimen detrimentum aliquod pateretur. Hinc principiis obstandum esse, facile sibi persuasit Sturmius. In hoc igitur casu jus suum uterque propugnare putabat, immo ad hoc adstrictum se esse ex officio, quod procurabat, facile in animum ducebat. Pronum itaque erat, ut alter alterum iniquius tractaret, utpote quem sincere censebat a recta via deflectentem*

E *et omni modo per mansuetudinem et severitatem, opportune, importune, ad officium esse redigendum. Dissimulare interim non possum Eigilem quando de* Lullo *agit, nihil prorsus laudis de illo dicere, sed sanctum episcopum tamquam invidum et violentum traducere: æquior tamen est Anonymi Vitæ Lullianæ scriptoris sententia num.* 20: Sturmio, *ait,* quidam nomine tunc præerat monasterio, vir excellentis ingenii ac prædicandæ sanctitatis; sed vehementis nimium et ferocis naturæ. *Cæterum* Lullo *nostro favebat commendatio, quam in Frisiam discedens fecerat Bonifacius hisce verbis* (*e*): Tu ædificationem basilicæ jam inchoatæ ad Fuldam comple, *profecto ex bonis et pecuniis ad sedem Moguntinam pertinentibus: jus ergo S.* Lullo *constabat tum ex hæreditate,* cui eum implicaverat, quamque instanti labore acquisierat Bonifacius (*f*), *tum ex supremis quodammodo tabulis, quibus discedens Bonifacius possessiones sedis suæ ad perfectam ædificationem monasterii Fuldensis quasi oppignoraverat. Ex eadem quoque causa timebat sibi suisque S. Sturmius: cum videret scilicet episcopum* omnem operam in locum ipsum intendere, *hanc sollicitudinem* aliorsum spectare *suspicabatur, ait Anonymus noster num.* 20, *nempe ad confirmationem dominationis suæ et ad detrimen-*

F *tum monasticæ libertatis.*

monstratur interpolatus textus Eigilis,

45 *Ex hactenus dictis sequitur cardinem totius controversiæ fuisse in procuratione rei temporalis. Unde suspicor interpolationem aliquam passum fuisse textum Eigilis, narrantis S. Sturmii ad suos reditum:* Post non multum, *ait* (*g*), temporis rex vocari ad se Sturmen jussit, eique monasterium Fuldæ, quod prius habuit, ad regendum commendavit, absolutumque ab omni dominio Lulli episcopi ad cœnobium Fuldæ eum cum omni honore ire præcepit, et cum suo privilegio, QUOD BEATUS ZACHARIAS PAPA, SUMMUS APOSTOLICÆ SEDIS PONTIFEX, DUDUM SANCTO TRADIDIT BONIFACIO, MONASTERIUM REGERET, QUOD PRIVILEGIUM USQUE HODIE IN MONASTERIO FRATRES CONSERVATUM HABENT; quod etiam causam suam et monasterii defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege, imperavit. *Verba grandiusculis litteris expressa, interpolata post Eigilem fuisse conjectat Joan. Georg. Eckardt* (*h*): *neque immerito. Quomodo enim penes Pippinum regem fuisset privilegium*

(*a*) Comment. de reb. Franc. Orient., t. I, p. 396. — (*b*) Episc. Wirceb., p. XXV. Cfr Chron. Gottwic., p. 606. — (*c*) Labbe, t, V Conc., col. 1669. — (*d*) Suppl. Conc,, t. I, p. 607. — (*e*) Act. SS., v Jun., p. 470, n. 48. — (*f*) Ibid., p. 469, n. 47. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 375.—(*h*) Comment. de reb. Fr. Orient., t. I, p. 503.

S. Bonifacio

A *S. Bonifacio pro monasterio Fuldensi concessum? Fuldæ, aut certe Moguntiæ, nequaquam vero in regio palatio, fuerit hujusmodi instrumentum; secus enim, non levis in* Lullum, *virum sanctissimum et a magistro suo debitam Sedi Romanæ observantiam edoctum, derivaretur infamia, quasi vi aut arte suppressisset documentum maximi momenti, aut mandatum apostolicum contempsisset : istiusmodi calumnia gravissimis argumentis probanda foret, antequam fidem aliquam mereretur. Si vero adnotata verba e textu expungantur, recte omnia fluunt : Pippinus scilicet, ut omnis controversia componeretur, transtulit jus circa temporalia ab episcopo fundatore ad regem, ut deinceps Fuldense cœnobium non amplius inter* episcopalia, *sed inter* regalia *monasteria censeretur : novum igitur concessit privilegium, quo* absolveretur ab omni dominio Lulli episcopi, *et deinceps suam* defensionem a nullo alio quæreret, nisi a rege. *Ægre tulerit hanc rerum vicissitudinem* Lullus *noster, facile concedemus; tales enim non sunt Sancti, ut nihil humani patiantur.*

et supposititium esse

46 *Inferet quis fortasse, privilegium, a Pippino S. Sturmio datum, non fuisse ipsum Zacharianum instrumentum, sed potius diploma, quo olim ipse rex*
B *concessionem pontificiam confirmarat, et cujus exemplar in regiis scriniis repositum erat : atque tali modo graviorem saltem culpam a* Lullo *amoveri. Verum ut sincere fateamur sensum nostrum, omnem auctoritatem huic diplomati abrogandam censemus. Ex subscriptione patet suppositio : etenim post repetitam iisdem verbis Zacharianam formulam, desinit :* Signū Pippini gloriosissimi regis, signū Bonifatii archiepi. signū Burghardi epi. signū Willibaldi epi. signū Lul epi. signū Eoban epi. . . . . in Dei nomine Baddilo recognovit. Data mense Junio anno primo regni nostri. Actum Attiniaco palatio publico in Dei nomine. *Hæc ex Joan. Freder. Schannat* (*a*) *tabulis æneis desumpsimus. Scimus autem Pippini regis annos a duplici exordio incipere, sive a mense Martio anni vulgaris* 752 *quo a S. Bonifacio rex, tonso Childerico, inunctus est, aut a* V *kal. Augusti anni* 754, *quando a Stephano Papa II una cum filiis Carolo et Carlomanno, unctione regia iterato consecratus fuit. Neutra vero epocha cum subscriptionibus diplomatis quadrat : non prima, quæ cum anno* LII *sæculi octavi concurrit; tunc enim* Lullus *nondum erat episcopus, utpote qui primum anno sequenti hanc dignitatem*
C *adire valuit, ut vidimus n.* 30 *et seq. et proinde* qua episcopus *subscribere non potuit. Neque secunda epocha dictum diploma sanare potest : nam mensis Junius anni primi regni Pippini illigandus est cum anno* LV *ejusdem sæculi : sed tum jam defunctus erat S. Burchardus, Wirceburgensis episcopus, ut monstrarunt Nostri in ejus Vita ad* XIV *Octobris* (*b*), *et, ut constat e Vita S. Gregorii Ultrajectini a S. Liudgero coævo scripta* (*c*), *in qua agens de adjutoribus S. Bonifacii,* clarissimis prædicatoribus et columnis Ecclesiæ Dei, *subjungit conceptis verbis :* Duo ex illis electis Dei Wigbertus (*Fritislariensis abbas*) et Burchardus ante magistrum migrarunt a sæculo. *Neque fucum facere debet, quod Joan. Schannat* (*d*), *ut S. Liudgeri auctoritatem declinet, allegat, scilicet fuisse fortassis* duos Burchardos episcopos, *quorum alter Bonifacio præmortuus fuerit, superstite Wirceburgensi : ille enim, nobis plane ignotus,* inter clarissimos prædicatores et columnas Ecclesiæ Dei *non fuisset annumeratus.*

diploma Pippini;

47 *Ast diploma citatum aliud in hac epocha patitur detrimentum ex martyrio S. Bonifacii, quod*
D *omnes nonis Junii affigunt : unde sequeretur sanctum episcopum mense Junio adhuc fuisse in palatio Attiniaco, et tamen quinta die ejusdem mensis in Frisia occisum fuisse. Datum etsi fuerit diploma ipsis kalendis, fieri tamen non potest, ut quarta die Dockingam, Attiniaco septuaginta milliaribus Belgicis* (*circiter* 43 *myriametris*) *distantem, attigerit, neophytos præmonuerit de sacramento Confirmationis percipiendo, ipse dein populus conjuraverit in ejus necem, et ex condicto cum armis adfuerit : quæ omnia habemus ex Willibaldo* (*e*), *cujus textus sat aperte insinuat sanctum episcopum saltem semel iterumve populi concionem habuisse, qua fidei rudimenta doceret. Ruit igitur et ex hoc capite Pippinianum diploma. Quid si nec ipse quidem Pippinus Attiniaci ineunte Junio mense adesse potuit? Jam diximus supra n.* 36 *fictum fuisse decretum Pippini, quo translatio Sancti Martyris prohibebatur, quia tunc temporis in Italia versabatur bello Longobardico intentus. Habemus ex epistola Stephani Papæ II ad Pippinum, Romam, a kalendis Januarii* 755 *per trimestre spatium obsessam* (*f*), *liberatam fuisse cum audiret Aistulfus, Longobardorum rex, Pippi-*
E *num in Italiam exercitum movere* (*g*). *Mense igitur Majo jam Longobardicas oras attigerat, et usque ad hiemem extra Gallias permansit. Unde ex simili ratione statuendum est illa diplomata, quæ verno aut æstivo tempore in variis palatiis regiis a Pippino data dicuntur, toto biennio aut etiam triennio postponenda esse, quatenus annus regni, in illis expressus, non a mense Martio anni* LII, *sed a* V *kal. Augusti anni* LIV *sæculi octavi repetendus est.*

unde nutat quoque Zachariæ Papæ privilegium :

48 *Nutante Pippiniano diplomate, nutat quoque mea sententia privilegium, quo Zacharias Papa Fuldense monasterium ornasse dicitur. Si enim verum, genuinumque fuisset, non facile commisissent Fuldenses, ut falso aliquo diplomate illud fulcirent : recurrit nempe adagium :* Semel mendax, semper mendax, *quoties scilicet de materia connexa agitur. Cæterum contra Zacharianam bullam aliud quoque præjudicium creatur, ex eo quod Nicol. Serarius nullam ejus mentionem faciat, quamvis in extenso reperiatur in Vita Othloniana S. Bonifacii* (*h*) : *sed quod maxime impedit, quominus genuinas dicamus Zachariæ litteras, est, quod nullus privilegii sermo fiat in scriptis utrinque epistolis circa res Fuldenses, et quod ipse Bonifacius nihil prorsus petat simile*
F *privilegio allato. In epistola* LXXXVI (*i*), *per* Lullum *nostrum Romam delata, dicit Bonifacius :* Est præterea locus silvaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes, monachos constituimus sub regula sancti Patris Benedicti viventes... Hunc locum supradictum per viros religiosos et Deum timentes, maxime Carlomannum quondam principem Francorum, justo labore acquisivi et in honore Sancti Salvatoris dedicavi. In quo loco, cum consensu pietatis vestræ proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, et post mortem jacere. Quatuor etenim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci hujus habitare dinoscuntur. Quibus cum vestra intercessione, quamdiu vivo vel sapio, utilis esse possum. Cupio enim vestris orationibus, comitante gratia Dei, in familiaritate Romanæ Ecclesiæ et vestro servitio, inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare.

(*a*) Vindic. Archiv. Fuld., tab. III. — (*b*) T. VI Octob., p. 570, n. 39. — (*c*) T. V August., p. 258, n. 14.— (*d*) Vindic., p. 46. — (*e*) V Junii, p. 470. — (*f*) Labbe t. VI Conc., col. 1635. — (*g*) Adonis Chron. apud D. Bouquet, t. V, p. 317. — (*h*) Lib. II, § XV. Mabill. Act. SS., sæc. III, part. II, p. 80. — (*i*) Würdtw., p. 246. Ser. CXLI.

AUCTORE J. V. H. *quod contrarium videtur*

49 *Videtur autem S. Bonifacius explicatius locutus fuisse per discipulum suum* Lullum, *qui, ut dicitur in initio citatæ epistolæ, habebat* secreta quædam *soli pontifici aperienda,* quædam viva voce dicenda. *Hinc responsio Zachariæ non omni ex parte aptari potest quæstioni ab episcopo propositæ. Dicit enim pontifex in epistola* LXXXVII (*a*) : Igitur et hoc petisti, ut monasterium in vastissima solitudine et in medio gentium, quibus prædicas, constitutum et a te fundatum, atque in honore Salvatoris Dei nostri dedicatum, ubi etiam et monachos sub regula B. Benedicti degere ordinasti; illud venerabile monasterium nomine tuo (*melius* nomini tuo) privilegio Sedis apostolicæ munire deberemus. Quod votis tuis acquiescentes ordinavimus juxta desiderium et petitionem tuam : congruit enim divini ministerii prædicatorem optimumque ministrum ad desiderata pertingere et cœptum bonum opus usque in fine perficere. . . . . Data pridie nonas Novembris, imperante Domino piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore, anno XXXII; imperii ejus anno undecimo, indictione quinta. *Juvat imprimis paucis expedire quid voluerit Zacharias, dicens Fuldense* B monasterium nomine *seu* nomini *Bonifacii* esse muniendum : *videtur autem aliud hic significare non posse quam* statuere ut monasterium Bonifacii proprium sit et perpetuo remaneat. *Similis enim locutio apud S. Augustinum sermone* CCCLVI (*b*) *hujusmodi significatum habet :* Locus etiam ipse, *ait,* ubi monasterium constitutum est a memorato honorabili filio meo Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est, antequam ordinaretur presbyter, in ipso loco monasterium instituit. Sed tamen quia NOMINE ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut NOMINE monasterii possideatur.

genuinis litteris, quas S. Bonifacius

50 *Ex hac autem interpretatione, quæ vera et genuina mihi videtur, patet privilegium pontificium, quale ab Alexandro Würdtwein* (*c*) *exhibetur, quamvis datum eodem anno et die, quo recitata epistola, nullatenus tamen respondere epistolæ Zachariæ : nam prætensum privilegium prohibet omnem cujuslibet* ecclesiæ sacerdotem (*ergo et Bonifacium Moguntinæ Ecclesiæ antistitem*) in monasterio Fuldensi ditionem ullam habere aut auctoritatem, præter Sedem Apostolicam; *quum potius epistola pontificis contrarium indicat. Propterea aliæ litteræ Bonifacianæ genuinis substratæ fuerunt, quas edidit* C *e MS. Fuldensi Browerus noster* (*d*) : *in his porro non solum, ut vidimus supra n.* 48, *S. Bonifacius narrat se fundasse monasterium, atque illic velle vivens requiescere et mortuus jacere : sed cum epistolæ idem sit caput et exordium, immo et præcipua lineamenta fundationis, dicit tamen :* Venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinaret episcopum (*scilicet anno Christi* 723), obtinui ab eo, ut locum meum, meæ sepulturæ prævisum, Fuldense scilicet monasterium, nondum quidem perfectum, sed cum Dei et vestro adjutorio perficiendum, in suum specialiter susciperet præsidium, B. Petri præsidio muniendum, ac Romana auctoritate roborandum atque tuendum. Quod et fecit, et dato privilegio, sua et B. Petri auctoritate confirmavit, et banni sui vinculo, sub testificatione Christi et Ecclesiæ, perpetuo anathemate eos constrinxit, qui de stipendiis fratrum, vel decimis (*decimæ in loco silvatico, in vasta solitudine!*) et oblationibus fidelium. . . . quidquam distraxerit. Est enim locus ille, quem elegi, Fulda, nomen habens a flumine, quod præterfluit, in vasta solitu- D dine Bochoniæ, in medio nationum prædicationis nostræ; in quo loco monasterium construxi Domino nostro Salvatori Christo et ejus Genitrici perpetuæ Virgini Mariæ, et Sanctissimis Apostolis Petro et Paulo : in quo monachos constituimus sub regula S. Benedicti Deo devote servientes. Hunc locum per principes et viros religiosos ditavi prædiis et honoribus et per Pippinum et Carolomannum auctoritate firmissima confirmavi. . . . Hunc, inquam, locum meæ requiei præparatum, in vestram, Pater charissime, et B. Petri Apostoli commendo potestatem, obnixius orans atque deposcens, ut dextera protectionis vestræ sit semper munitus atque defensus.

ad Papam direxerat.

51 *Certe si hujusmodi epistolæ responsum Zachariæ quadraret, bene procederet Fuldense privilegium : sed scatet hoc commentum anachronismis : imprimis jam electus fuisset anno* 723 *Fuldensis locus sepulturæ, quum, ut e Vita S. Sturmii* (*e*) *abunde constat, vix circa annum* 740 *detectus fuerit. Dein dicit pseudo-Bonifacius se prædictum locum* prædiis et honoribus ditasse, *quando in epistola ad Fulradum supra n.* 26 *allata ad commovendam ejus misericordiam, dicit* presbyteros prope marcam paganorum pauperculam vitam habere : panem ad manducandum acquirere posse, sed vestimenta ibi invenire non posse : *Bonifacius interea, relictis suis adjutoribus, aut permissis alienæ misericordiæ, monachos prædiis et honoribus ditasset? Nemo est qui hujusmodi asserto facile consentiat. Dein quomodo* E *Gregorius privilegio decorare potuit anno* 723 *monasterium, quod anno* 744 *mense Martio primum incepit, uti habemus e Vita S. Sturmii citata? Qui fit ut, siquidem id exstiterit, nullam ejus mentionem fecerit Zacharias? Fictitiam igitur esse epistolam, satis patet : ast simul, quum cusa fuerit ad viam sternendam Zachariano diplomati, cui non satis aptabatur genuina epistola, illud ipsum nutare omnino videtur : authentico enim instrumento mendax ac proin ruinosum fulcrum adhibere non consuevimus. Cæterum hæc omnia, quæ retractabuntur in commentario ad Vitam S. Sturmii die* XVII *Decembris, hic discussimus, quia Eigil et recentiores scriptores radicem totius controversiæ in Zachariano privilegio constitutam voluerunt. In nostra tamen sententia, admissis pro veris omnibus hisce litteris, integra manebat controversia, num scilicet titulo fundationis S.* Lullo, hæreditati *S. Bonifacii* implicato, *competebat jus circa temporalia monasterii* F *Fuldensis.*

Inter SS. Lullum *et Sturmium tandem pax composita fuit.*

52 *Coronidis loco dicatur pax tandem composita fuisse inter S.* Lullum *et Fuldenses. Imprimis S. Sturmius moriens ex corde ignovit* Lullo, *quidquid credebat perperam inflictum suo monasterio* (*f*). *Dein ipse* Lullus *munificus fuit erga Fuldenses, ut nobis monstrat charta donationis factæ Fuldensibus, quæ hujusmodi est* (*g*) : In nomine Domini. Regnante Domino Karlo, Francorum et Longobardorum rege ac patricio Romanorum, die XXV mensis Septembris, die Dominica, cum idem gloriosissimus rex Karlus curiam haberet apud nos. Ego Lullus Dei gratia Moguntinæ sedis archiepiscopus tradidi Domino meo Sancto Bonifacio archiepiscopo et Martyri coemptionem prædiorum quam coemi in villa Fargalaha, quæ sita est in pago Thuringiæ, super fluvium Unstruth nuncupatum, ea conditione, ut pars mea sit cum Domno et Patre meo Sanctissimo Banifacio, Martyre et archiponti-

(*a*) Würdtw., p. 249. Ser. CXLII. — (*b*) T. V Oper., col. 1391. Alias de divers. serm. L, qui etiam inscribitur lib. II, *de Morib. Clericor.* — (*c*) p. 257. — (*d*) Lib. III. Antiquit. Fuld., cap. X, p. 201. — (*e*) Pertz Monum. Germ. Vit. S. Sturm., t. II, p. 360. — (*f*) Pertz. Ibid., p. 377. — (*g*) Schannat. Corp. Trad. Fuld., p. 36.

fice

A fice in regno Dei, et ut fratres Fuldenses mei perpetuo sint memores, dedique consilium quibusdam fidelibus nostris, quatuor videlicet nobilissimis viris, Vualtoni, Reginaldo, Vuarmondo, Burchardo, qui prædia in confinio ejusdem villæ Fargalaha in proprietatem habeant, ut partes suas Sancto Bonifacio traderent, eumque suum hæredem facerent in terris, ut sui cohæredes fierent in cœlis, qui ita fecerunt, et hæc traditio coram rege confirmata est. *Traditio hæc facta est anno* 774 *aut* 785, *qui littera Dominicali B notantur, et in quibus proinde dies Dominica concurrit cum* XXV *Septembris. Utroque anno Carolus rex in Germania versatus est, ut monstrat nobis Chronicum Laurissense et Einhardi ad hos annos* (*a*). *Vicissim Fuldenses in redintegratæ pacis tesseram et memoriam acceptorum beneficiorum S.* Lulli *nomen in dyptichon sacrum suæ ecclesiæ intulere* (*b*). *Si quid igitur peccatum cum a S. Sturmio, tum a S.* Lullo *fuit, hoc totum delevit et indulgentia illius et hujus liberalitas.*

B

§ VII. Fundationes S. Lulli.

Tentata primum Hersfeldii

Si quidem in præc. § *egimus de simultate inter SS.* Lullum *et Sturmium exorta ob procurationem Fuldensis cœnobii, opportunum duximus istis subnectere fundationes, quas fecit episcopus, reliqua ejus gesta postea commentaturi. Prima fundatio* Lulli *nostri ad Hersfeldenses spectat. Jam initium aliquod hujus cœnobii factum fuerat sub S. Bonifacio, immo fundationem Fuldensem præcesserat, ut narrat Eigil in Vita S. Sturmii* (*c*), *octo solidis annis : nihilominus tantum annorum spatium inter utriusque monasterii initia fluxisse, negat Joan. Georg Eckhardt, in suis commentariis de rebus Franciæ orientalis* (*d*). *Hanc quæstionem, quoniam S.* Lullum *non attingit, ad commentationem de Vita S. Sturmii die* XVII *Decembris disceptandam rejicimus. Unum hic inquirendum venit : num S.* Lullus *vere et proprie fundator Hersfeldensis monasterii dicendus sit. Etenim rem dubiam facit auctoritas variorum scriptorum summæ notæ, qui cœnobium hoc S. Bonifacio adscribunt. Imprimis Lambertus Schafnaburgensis, ipse Hersfeldensis monachus, in*
C *suo chronico* (*e*) *aperte dicit sub anno* 736 : Initium Herveldensis monasterii. *Ad eumdem annum refertur ab Anonymo Erfordiensi in Historia de Landgraviis Thuringiæ* (*f*) *et a Mabillon in Vita S. Sturmii* (*g*). *Si autem huic anno attribuenda est origo Hersfeldensis, procul dubio et S. Bonifacium fundatorem agnoscamus oportet, utpote qui tunc, viribus et ætate florens, res Germanicas solus procuraret. Verum cum nullus auctor coævus aut suppar istiusmodi quid dicat : censeo in hac quæstione Eigili inhærendum esse dicenti, initium quidem Hersfeldii factum, sed nono dein anno, constituto Fuldensi cœnobio, inchoatum monasterium derelictum fuisse. Elucet id ex toto contextu Eigilianæ narrationis : nam cum jussu S. Bonifacii, Sturmius et comites ejus in Buchoniam perrexissent, ad aptum monachis locum perquirendum,* die tertio, *ait Eigil* (*h*), pervenerunt ad locum qui usque hodie Hersfelt dicitur; visis exploratisque ibidem locis circumquaque positis, Christum sibi locum illum ad inhabitandum benedici poposcerunt, atque in loco illo ubi nunc monasterium situm est, parva, arborum corticibus D tecta, instruunt habitacula.

fundatio, a S. Lullo

54 *Sturmius refert magistro suo quæ repererit, ast respondet Bonifacius :* Locum quidem quem repertum habetis, habitare vos propter viciniam barbaricæ gentis pertimesco : sunt enim, ut nosti, illic in proximo feroces Saxones. Quapropter vobis remotiorem et inferiorem in solitudine requirite habitationem, quam sine periculo vestri colere queatis. *Sturmius itaque novas instituit inquisitiones, et tandem reperit* a Domino jam dudum præparatum locum, *scilicet Fuldam, quo, consentiente Bonifacio, discipulos suos transtulit Sturmius. Reliquerunt* arborum corticibus tecta habitacula, *neque enim aliud quidpiam construxisse Sturmium narrat Eigil : et locus novennio incultus ad vastitatem rediit. Eatenus consentientes mecum habeo Gabr. Bucelinum* (*i*), *et qui illum sequitur Cointium* (*k*); *verum addunt sub anno Christi* 750 *dictum monasterium a S. Bonifacio inceptum fuisse, a S. Sturmio excultum, per* Lullum *denique nostrum perfectionem attigisse. Sed nihil hujusmodi conjecturæ adminiculatur : tacent antiquiores de Hersfeldensi cœnobio, donec S. Sturmius ad suos redux cum Pippini regis* E *diplomate, quo a* Lulli *ditione eximebatur monasterium, hic alio cogitationes et affectum convertit, et rudera Hersfeldensia ad justi asceterii formam redegit. Anonymus Vitæ scriptor n.* 23 *rei gestæ seriem sat accurate narrat :* Non mediocri tædio jam (viri Dei) afficiebatur animus, cum videret tot tantosque labores suos incassum effluere, beneficiis invidiam non extingui... extremæ vero dementiæ esse huic loco tantas rerum impensas sine fructu insumere, quibus alio in loco perenne . . . . . monumentum posset extruere. . . . Locus autem erat in saltu Buchoniæ, cui Hersveldt nomen indidit antiquitas, habitationi monachorum peropportunus. *Refert dein causam cur Sturmius jussu Bonifacii illud reliquerit, ac narrationem suam prosequens :* Locus, *ait,* Herveldensis, tradente Beato Bonifacio, in proprium cessit Sancto Lullo, qui jam tunc forsitan construendi illic monasterii desiderium animo conceperat... in hunc locum omnes copias suas, dedita opera, coegit. Succisis profusius arbustis, amplioris numeri fratribus spatium laxavit, ipsum cultioribus ædificiis extruere aggressus est... brevi temporis processu Herveldense nomen in immensum gloriæ et magnitudinis F culmen evaserat.

perficitur,

55 *Postrema verba mea sententia non indicant ante* Lulli *fundationem jam aliquos Hersfeldiæ habitasse monachos; sed locum a Sturmio olim præparatum, nunc accomodatum fuisse ut plures incolas caperet. Neque vero ulla anterioris fundationis Hersfeldii ratio apparet. Certum est enim, moriente S. Bonifacio, completum necdum fuisse Fuldense monasterium, quod perficiendum commendavit discipulo et successori suo* Lullo *S. Martyr, ut vidimus supra n.* 44. *Quid igitur causæ impulisset ad novum ædificandum monasterium? Nulla quidem illius condendi necessitas apparet : non religionis propagandæ; quam initio viciniores Saxones aspernabantur, cujusque postea apostolum nacti sunt ipsum S. Sturmium Fuldensem. Nova habitacula neque requirebat monachorum numerus, cui abunde sufficiebat, istis quidem principiis, vel inchoatum Fuldæ monasterium. Tandem talem nobis non fingamus*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. I, p. 152 et 166.— (*b*) Gori, Thes. Vett. Dyptt., t. II, p. 198. — (*c*) Ibid., t. II, p. 370. — (*d*) T. I, p. 460. — (*e*) Pistor. Scriptt. rer. Germ., t. I, p. 309.— (*f*) Ibid., p. 1300. — (*g*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. III. part. II, p. 271. — (*h*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 367. — (*i*) German. Sacra., part. II, t. I, p. 44. — (*k*) Ann. Franc. ad an. 745, § LXXX, t. V, p. 134.

Bonifacium,

AUCTORE J. V. H.

Bonifacium, ut monasticam aciem, quæ maxime sua potens est unitate, bipartiri voluerit.

A *circa annum 766.*

56 *Ex hactenus dictis, videmur posse elicere tempus, quo Hersfeldia incepit : quando scilicet S. Sturmius ad Fuldenses suos rediit, cum diplomate regio, transferente dictum monasterium a jure episcopi circa temporalia ad jus regis. Quod quidem puto anno* XII *Pippini regis accidisse : prima enim traditio Sturmio abbati inscripta* (*a*) *huic anno illigatur, qui a* XXVIII *Julio cum anno æræ vulgaris* 765 *concurrit. Eodem autem anno* XII *Pippini,* V *kal. Septembris, pro monasterio Fuldensi emerat* Lullus *varia prædia a Leidrato comite* (*b*) *: post hunc igitur diem monasterii sui regimen adeptus fuerit S. Sturmius : unde satis placet conjectura Joan. Georg. Eckhardt* (*c*), *qui donationem Sturmianam, cum signum mensis præ se non ferat, ad annum sequentem, id est Christi* 766 *transfert. Ad hunc itaque annum, aut, si quis maluerit, ad præcedentem referenda sunt initia Hersfeldensis cœnobii, quod* Lullus *noster excolere cœpit, quando post reditum Sturmii, se spoliatum vidit omni jure, quod in Fuldam prætendebat, ut satis aperte declarat Anonymus n.* 54 *citatus. Ab hoc igitur anno initium stabilis mona-*

B *sterii in Hersfeldia deducendum est, quod deinde in amplissimam ditionem excrevit.* Situm est, *ait Gabr. Bucelinus* (*d*), loco percommodo in Hassia, quod præ ipsa Fulda. . . Lullus dilexit, et illud amplissimis reditibus beavit, quod etiam e cœlis ipsis respicere præ aliis visus est S. Wighertus, magnus et ipse Germaniæ Apostolus, apparensque Albuino Fritislariensi præsuli, eo suum corpus transferri voluit, quod Ernestus, Baturichus et Wolfus monachi summa religione et devotione quam primum præstitere (*e*) : sepulti ibidem BB. Albuinus (*f*) et Lullus magnum insuper loco nomen peperere. Reformavit monasterium idem S. Gotthardus (*g*), a Willigiso primo Moguntiæ electore exoratus. Idem magna sanctitate abbas S. Bardo (*h*) illustravit, qui extractus ad Moguntinam cathedram toti Germaniæ singulari ornamento fuit, ob mirificam pro concione eloquentiam alter Chrysostomus appellatus.

Extrema fata hujus cœnobii.

57 *Hersfeldensis fundatio integra perstitit usque ad initium sæculi* XVI. *Tunc enim, ut liquet e bulla Leonis X, data prid. non. Maji* 1513 (*i*), licet monasterium in Hersfelt. . . insigne et notabile ac propriis facultatibus opulentum fuisset, nihilominus a pluribus retroactis annis propter succedentium

C temporum sinistros eventus, seu etiam forsan incuriam vel potius impotentiam eorum, qui illi præfuerant, illud in ejus temporali dominio, bonis redditibus et facultatibus ex rerum alienationibus, etc. admodum diminutum, nec non ære alieno et debitorum onere gravatum et oppressum existebat. *Propterea Pontifex Hersfeldense monasterium* cum omnibus juribus et pertinentiis *suis Fuldensi cœnobio* perpetuo unit, annectit et incorporat. *Verum illa res pacate non processit, ut videre est in Historia Fuldensi* (*k*) *: obstabant quippe illi negotio tum subditi Hersfeldenses, tum Anna Meckelburgica, Wilhelmi Hassiæ Landgravii vidua et mater Philippi minorennis, ad quem spectabat suprema et hæreditaria in dictam abbatiam advocatia. Fastidiosum et ab opere nostro alienum esset, longæ et intricatæ controversiæ ambages et vicissitudines explicare. Sufficiat coronidis loco apponere, opulentum hoc monasterium in jus Protestantium abiisse, et* XXIV *Octobris anni* 1648 *per leges pacis Westphalo-mona-*

D *steriensis Hassiacæ familiæ confirmatum fuisse* (*l*) : Domus Hasso-Casselana ejusque successores abbatiam Hirsfeldensem cum omnibus appertinentiis secularibus et ecclesiasticis, sive intra, sive extra territorium (ut præpositura Gellingen) sitis, salvis tamen juribus, quæ domus Saxonica a tempore immemoriali possidet, retineant, et eo nomine investituram a Cæsarea majestate toties, quoties casus eveniret, petant et fidelitatem præstent.

Fundatio in Cassel,

58 *Altera nobis S.* Lulli *fundatio innotescit ex historia S. Ferrutii, Martyris Moguntini, de quo nobis ad diem* XXVIII *Octobris agendum erit. E narratione ejus translationis, scripta a Meginhardo Fuldensi, qui circa annum* LXXX *sæculi noni floruit, hæc habentur* (*m*) : Ibi (*in loco dicto* Castello *hodie* Cassel *juxta Moguntiam*) membra sacratissima, beneficiis divinitus comitata, a civibus frequentata, usque ad Lulli venerabilis pacifice quieverunt pontificatus tempora, qui post Sanctissimum Martyrem atque pontificem Bonifacium, sedis Moguntiacensis strenue rexit populum. Hic itaque prædecessoris atque magistri sui sequax egregius, cum per sedis suæ diœcesim ecclesias construeret, monasteria fundaret, regnumque Francorum Christianæ reli-

E gionis cultu longe lateque nobilitaret, Reliquias Sancti Ferrutii in lætantium locum transtulit, Deoque sub cœnobialis normæ disciplina militantes adunare curavit, spiritu ferventes, spe gaudentes, idipsum sentientes, animas suas castificantes in obedientia charitatis, in amore fraternitatis. Boni vero pastoris usus providentia, fratribus ipsis, ne deficerent in mandatorum Domini via, victus atque vestitus sufficientes redditus contradidit, ipsumque locum donec in corpore vixit, summa devotione pro Sancti reverentia coluit. Postquam autem domus ejus terrestris habitationis hujus luteæ soluta est, ut non manufactam, sed æternam in cœlis inhabitaret, pontificatus illius pariter et religionis successores, Richolfus, Haistolphus et Rabanus, eadem devotione locum sanctum coluerunt, ecclesiam amplificaverunt, tumbam sanctarum exuviarum decenter composuerunt, pauperes Christi sacris ossibus excubantes humanitatis summæ consolatione foverunt.

in loco, dicto Bleidenstadt

59 *Auctores Galliæ Christianæ, dum agunt de hoc monasterio* (*n*), *dubium aliquod insinuant, num forsan S. Bonifacius, aut ejus discipulus Sturmius cœnobium illud fundarint, antequam* Lullus *noster supremam quasi manum operi admovisset. Sed ex supracitato textu satis liquet Sanctum nostrum non solum perfecisse, sed inchoasse quoque opus pium; habemus enim rei testem omni exceptione majorem : nam Meginhardus, Fuldensis monachus, auctor subæqualis, flosculo illo patres et patronos suos non facile privasset, ut* Lullum, *quem monachi in Fuldam suam arbitrabantur iniquiorem, ornaret. Monasterii nomen* Locus lætantium *dictum fuit, germanice* Bleidenstadt, *quæ vox intercidit apud Germanos, sed in Flandria viget adhuc* Blyd, verblyden, *etc. Fata hujus monasterii, de quo pauca admodum in scriniis nostris inveni, explicari poterunt ad Vitam S. Ferrutii, die* XXVIII *Octobris dandam : unum sufficiat hic addidisse, cœnobium istud in collegiatam ecclesiam mutatam fuisse anno Christi* 1495 *per Alexandrum VI, et in mediis Lutheranis Catholicam fidem illibatam servavisse* (*o*).

F

(*a*) Schannat. Corp. Trad. Fuld., n. xx, p. 10. — (*b*) Ibid., n. XXIII, p. 12. — (*c*) Comm. de reb. Fr. Orient., t. I, p. 588. — (*d*) Germ. Sacr., part. II, p. 44. — (*e*) Act. SS., t. III Augusti., p. 132. — (*f*) Agetur de illo XXVI Octobris. — (*g*) Melius Godehardus, Hildesiensis episcopus, t. I Maji, p. 501. — (*h*) Act. SS., tom. II Junii, pag. 299. — (*i*) Schannat. Hist. Fuld. Prob., p. 347. — (*k*) Schann. Hist. Fuld., p. 249. — (*l*) Dumont. Traité Diplomatique, t. VI, part. I, p. 453. — (*m*) Surius XXVIII Octob., p. 394. — (*n*) T. V, col. 579. — (*o*) Cfr Gall. Christ. l. c. et Christ. Joannis Rer. Mogunt., t. I, p. 807.

§ VIII.

A

§ VIII. Dedicationes ecclesiarum.

S. Lullus *consecrat ecclesias, in Ordorff*

Quantum nobis monumenta fide digna suppetierunt, expedivimus quæ ad fundationes a S. Lullo *factas pertinent : nunc reliqua ejus gesta prosequemur. Serarius noster l.* IV, § XII *rerum Moguntinarum dicit :* Anno DCCLXXVII ecclesiam in S. Petri honorem dedicavit Ordorffii. *Subnotat autem Christ. Joannis* (*a*) : Non memini apud veterum quemdam fide dignorum me legere Ordurfi illum (Lullum), quod auctor habet, ædem sacram de novo excitatam, anno DCCLXXVII D. Petri honori consueto cæremoniarum ordine et apparatu dedicasse. *Fugit virum doctum, hanc consecrationis auctoritatem fulciri chronico Lamberti Schafnaburgensis, scriptoris sæculi* XI, *qui sub hoc anno diserte dicit* (*b*) : Dedicatio ecclesiæ in Ordorff a Beato Lullo in honore S. Petri. *Potuit certe Lambertus, finitimus et summæ fidei scriptor, ex traditione Ordorfiensi factum rescire : non est igitur cur auctoritatem ejus in re alioquin minimi momenti elevemus. Non dissimulabo tamen*

B *difficultatem aliquam facessere, quod monasterium, a S. Bonifacio Ordorfii fundatum, Sanctum tutelarem habuerit Michaelem Archangelum, ut late monstrat Othlonus lib.* I, *c.* XXIX (*c*); *immo et hoc patrocinium usque ad finem sæculi* XVI *perseverasse, testis nobis est Joan. Burchard. Menckenius in legenda Bonifaciana* (*d*) : Hæc ecclesia, *inquit,* etiamnum parochiæ vicem Ordruffii subit et vocatur die Pfarr zu St Michael, in litteris conventionis Joachimi abbatis Hersfeldensis cum Friderico Wilhelmo duce Saxoniæ XXIV Maji anno MDXCIV de feudo comitum Gleichensium Ordrufliensi et Wechmariensi. *Vide citatum diploma in Thuringia Sacra* (*e*). *Idem constat ex litteris fundationis altaris et vicariæ S. Crucis* in der Pfarrkirche Sanct Michaelis, *datis a Sigismundo, comite Gleichensi, fer.* IV *post Epiphaniam anni* 1494 (*f*). *Hinc factum est, ut Ordorfiensis civitas, licet anno* 1527 *ad Lutheranos defecerit, tamen Michaelem Archangelum perpetuo ad nostram usque ætatem in insignibus gesserit* (*g*).

sub invocatione S. Petri :

61 *Ex his, quæ hactenus dicta sunt, liquet male aliquos S.* Lullo *adscribere dedicationem ecclesiæ S. Michaelis Ordorfii, quæ quoniam circa annum* 727 *extructa fuit, Bonifacium potius quam ejus*

C *successorem, consecratorem habuit. Sed in eodem loco alia fuit ecclesia, sub invocatione S. Petri constructa, quam S.* Lullus *consecraverit. Verum quidem est laudatum Lambertum constructionem hujus ecclesiæ ad annum* 980 *referre, cum dicat* (*h*) : Gozbertus Hersfeldensis abbas ecclesiam construxit in Ordorf, *quam in honorem S. Petri dedicatam autumant : sed hinc falso deduceretur nullam ante hæc tempora ecclesiam sub ejusdem nominis invocatione exstitisse. Notum est initio sæculi decimi Hunnos sive Hungaros Germaniam et Franciam vastasse; speciatim vero Thuringiæ igne et gladio illos incubuisse, testis nobis est Regino, in suo Chronico l.* II, *sub ejusdem sæc. annis* VIII, XII, XV (*i*). *Hujusmodi certe bellis destructum opinantur eruditi monasterium S. Michaelis* (*k*); *quidni etiam ecclesiam S. Petri? præcipue quum utrumque factum referatur ab eodem Lamberto, scriptore accurato et domestico. Perierit dicta ecclesia per Hunnos, quam Gozbertus dein reædificaverit : sui unicuique facto stabit veritas. Hæc fundatio, quæ deinde in collegium canonicorum abiit, postea Gotham translata fuit, ut pluribus diplomatis ostendit Tentzelius in supplemento Historiæ Gothanæ* (*l*).

AUCTORE J. V. H.

D

in monasterio Laureshamensi,

62 *Longe certius est* Lullum *nostrum dedicasse ecclesiam Laureshamensem, quamvis hæc dedicatio aliam habeat difficultatem, quam infra discutiemus. En verba Chronici Laureshamensis* (*m*) Subsequente post hæc anno, id est Dom. incarnationis DCCLXXVII, sed a fundatione sive exordio Laureshamensis monasterii anno XIII, regni vero Caroli, ex quo, defuncto fratre suo Carlomanno, monarchia ad eum transit, anno VI, Gundelandus abbas, perfecta jam templi fabrica, et ut domum Dei decebat, omni specie decoris exornata, apud Spiream civitatem regi occurrit, magnopere deprecans, ut ipsius ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur, cui pius rex benigne assentiens, cum regina Hildigarda, filiisque Carolo, Pipino, Ludovico ac pluribus regni principibus per Lullum Moguntinæ sedis archiepiscopum et Beati Bonifacii episcopi et Martyris successorem, atque per episcopos, Megingozum (*Wirceburgensem*), Wiomudum (*Trevirensem*), Angilramnum (*Metensem*), Waldricum (*Pataviensem*), magnifico apparatu et summa vene- E ratione in capite kalendarum Septembrium dedicationem ejusdem ecclesiæ celebravit, corpusque Beati Martyris Nazarii, domini et patroni nostri, in eam maximo devotionis honore transtulit, ubi quanta miracula, quæ virtutum insignia per ipsius merita divinitus effulserint, quanta ex diversis morbis, casibus, miseriis, angustiis remedia pro ex tunc et deinceps provenerint, non est nostræ facultatis evolvere; præsertim cum sit de his libellus, a majoribus nostris prosaico metricoque stilo satis elucubrate compositus. Præterea quoque excellentissimus rex inter cætera liberalitatis suæ dona, quæ velut alter Salemon, in simplicitate cordis sui Domino lætus obtulit, villam Obbenheim cum omni integritate Laureshamensi monasterio tradidit, per quam eamdem ecclesiam in die consecrationis largissime dotavit et ditavit, cum hujusmodi confirmationis præcepto. *Sequitur in citato codice diploma donationis* datum IV. Non. Septembris anno VI regni nostri. Actum Wormatiæ, civitate publica feliciter.

anno, ut monstratur,

63 *Totum fragmentum in extenso hic apposuimus, quia varia in illo occurrunt quæ controversam epocham dedicationis dilucidare valent. Qualem vero auctor chronici describit, omnino retinendam, quidquid dicant Pagius et ejus sequaces, censemus. Præcipuum momentum nostræ opinionis est, quod chronologicæ notæ sibi constent : anni enim Caroli regis, tum fundati monasterii aptissime inter se conveniunt. Nam Carolus, qui, mortuo Carlomanno fratre, Austrasiam anno* LXXII *sæculi octavi adeptus erat, recte anno* VI *regni sui dedicationi adfuisse dicitur. Monasterium vero, ut habet idem codex Laureshamensis* (*n*), *fundatum fuit anno ejusdem sæculi* LXIV; *nec movere debet quod annus* XII *regni Pippini huic anno illigetur, quum potius esset annus tertius decimus; errorem hunc, si incurioso librario tribuere nolumus, adscribere debemus diplomati donationis, in quo cum annus duodecimus absque æræ vulgaris mentione recenseretur, lapsus est chronographus, et eidem anno Pippiniani regni donationem et fundationem monasterii tribuit. Nam* post *donationem incepisse monasterii ædificationem, ex consequentia chronici manifeste deducitur* (*o*) : Reverendus itaque

F

(*a*) Rer Mogunt., t. I, p. 377. — (*b*) Pistor. Scriptt. Rer. Germ., t. I, p. 310. — (*c*) Rer. Mogunt., t. I. p. 220. — (*d*) T. I Scriptt. Rer. Germ., p. 837. — (*e*) Henr. Otto. Thuring. Sacr., p. 39. — (*f*) Ibid., p. 30. — (*g*) Ibid., p. 21. — (*h*) Pistor. Scriptt., t. I, p. 315. — (*i*) Ibid., t. I, p. 101. — (*k*) Thuring. Sacr., p. 27. — (*l*) T. II, p. 106. — (*m*) Marq. Freher. Scriptt. rer. Germ., t. I, p. 100 et Codex Lauresh., t. I, p. 18. — (*n*) T. I, p. 2. — (*o*) Ibid., p. 6.

AUCTORE J. V. H.

A pontifex Rudgangus (*Chrodegangus*) votum ac petitionem venerabilis Williswindæ (*donatricis*).... amplexus, ... Gundelandum germanum suum.... eidem loco præfecit, ipsumque cum omnibus pertinentiis suis, eo tenore, quo sibi tradita fuerant, suæ dispositioni commendavit, fratres quoque.... a Gorziensi monasterio, quod ipse pridem construxerat, cum ipso direxit, cuncta eis necessaria tam in alimentis, quam in cæteris subsidiis impertiens. *Ex his manifestum fit monasterium incoli cœptum post* IV *id. Julias anni* 763 : *et probabiliter non nisi anno sequenti in veri monasterii formam fuisse redactam : et proinde recte dicitur annus tertius decimus decurrisse, quando anno Dominicæ Incarnationis* 777 *ecclesia Laureshamensis dedicabatur. Cæterum hæc epocha certior etiam fiet ex ipsa refutatione rationum, quas objiciunt Pagius et alii, qui sententiam ejus propugnant.*

LXXVII *sæculi octavi :*

64 *Pagius* (*a*) *imprimis objicit Chronicum duplex Fuldense, quod habet anno* 774 *celebratam fuisse dedicationem Laureshamensem : et magni profecto a nobis fieret utriusque chronici auctoritas, nisi contradiceret testi domestico, qui coram habuit, ut ipse loquitur,* libellum a majoribus suis prosaico metri-

B coque stilo satis elucubrate compositum. *Harum scriptionum auctoritatem etiam elevat, quod unicam habeant notam numeralem, quam facile corrumpunt, ut satis notum est, succedentes sibi amanuenses, dum e contrario Laureshamensis codex ternas hujusmodi notas exhibet perfectissime concurrentes. Objicit dein laudatus Pagius ecclesiarum dedicationes non nisi diebus Dominicis fieri consuevisse; anno autem* 774 *quamvis prima Septembris incideret in feriam* V, *caput tamen kalendarum Septembrium, seu diem* XIX *kalendas ejusdem mensis* (XIV *Augusti*), *concurrere cum Dominica : quod anno nostro non contingit. Ultro concedimus dedicationes fieri consuevisse diebus Dominicis; ast regula est, quæ suas patitur exceptiones, ut vel ex ipso Pagio probat Car. Meichelbeck* (*b*), *et inter quas merito recenseri potest adventus Caroli ejusque familiæ. Jam supra vidimus, quomodo annus* XIII *fundati monasterii cum anno Dominicæ Incarnationis* LXXVII *supra septingentesimum concurrat. Tandem Pagius deletam vult parenthesim, qua dicitur annum sextum Caroli numerandum esse a morte Carlomanni fratris; sed recte, mea sententia, parenthesis apponitur, meritoque Carolus regnum suum ab hac epocha orditur, siquidem tunc primum*

C *Austrasiam, qua Laureshamum et Wormatia continebantur, obtinuit.*

et templum S. Goaris, qua occasione explicatur

65 *Tertia, quam celebrasse antiqui scribunt, dedicatio fuit ecclesiæ S. Goaris, qui locus inter Wesaliam et Boppardiam ad Rhenum situs, postea in oppidum excrevit. Intra fines episcopatus Trevirensis, quem tunc Wiomadus regebat, continebatur. Hinc mirum videri potest consecratione hac functos fuisse episcopos ad provinciam Moguntinam pertinentes,* Lullum *scilicet metropolitam, Basinum Spirensem et Megingaudum Wirceburgensem, ut refert Wandelbertus Prumiensis, scriptor subæqualis in miraculis S. Goaris* (*c*) : Perfecta jam basilica, ubi jam tempus, quo divino nomini esset consecranda, successit, missi sunt ab excellentissimo principe Carolo Lullus Moguntiæ archiepiscopus, vir Anglorum gente, moribus et vita laudabilis : Basinus Nemeti, quæ civitas nunc Spira vocatur : et Mehingodus urbis, quæ trans Rhenum sita, sermone barbarico Wirziburg appellatur, episcopi, qui omnes a B. Bonifacio pontifice et Martyre fuerant ordinati : D ut per eos et ecclesia consecrari et corpus beatissimi viri (*Goaris*) in eum, quo nunc situm est, locum transferri deberet. *Suspicor causam hujus missionis et absentiæ episcoporum Trevirensis provinciæ fuisse, ipsam controversiam tunc pendentem, aut recenter decisam circa proprietatem cellæ S. Goaris, quam laudatus Wandelbertus nitide exponit* (*d*).

probabilis causa absentiæ

66 *Dederat quippe Pippinus Assuero, abbati Prumiensi, cellam S. Goaris : ast mortuo Pippino,* orta est, *inquit Wandelbertus,* inter Trevirorum pontificem tunc Weomadum et abbatem Assuerum pro eadem cella contentio; asserente episcopo ad suæ eam Ecclesiæ jus pertinere; abbate contradicente, esse illam regis lege hereditaria possessionem, neque in ea posse sibi aliquid Ecclesiam vendicare, quæ sibi esset a rege Pippino commissa et in dominium clarissimi Caroli successionis jure transmissa. *Lis hæc diu ventilata tamdem composita fuit in conventu ad Lupiæ fontem, sententiaque pro abbate lata fuit. Atque hinc pronum est judicare ægritudinem animi quamdam expertos fuisse Wiomadum Trevirensem ejusque episcopos comprovinciales; vix enim quispiam æquo oculo triumphum* E *adversarii spectat, quem ideo multimodis persecutus est, quia injustum eumdem et alienæ rei invasorem reputabat. Ideo igitur Wiomadus consecrationem basilicæ San-Goarianæ facere recusaverit, et* Lullus *noster, sollicitante Carolo rege, munus hoc impleverit, redux a placito Lippiensi.*

episcopi proprii

67 *Nam secundum ea, quæ retulimus, conjectura satis certa assequi possumus, quo anno dedicata fuerit S. Goaris basilica : nam diem,* XXV *scilicet Maji, ut habemus ex Commentario prævio ad Vitam S. Goaris* (*e*), *extra controversiam positum putamus. Annum dedicationis statuit Cointius sexagesimum octavum octavi sæculi* (*f*) : *quoniam, ait, sequenti anno* Mehingodus episcopatum Wirceburgensem abdicavit. *Labitur Cointius, ut monstrat Æmilian. Ussermann, Benedictinus Sam-blasianus, in sua hujus episcopatus historia* (*g*), *quum Megingaudus multo adhuc post hunc annum tempore cathedram Wirceburgensem occuparit : quod et nos quoque monstravimus supra n.* 63, *discutientes epocham dedicatæ basilicæ Laureshamensis. Ruit proin præcipuum Cointii argumentum : unde mirari licet, cur laudatus Æmilian. Ussermann eumdem annum* F *dedicationis ecclesiæ S. Goaris admiserit. In eamdem quoque sententiam concessit noster Josephus Harzheim* (*h*). *D. Bouquet* (*i*) *ponit celebritatem habitam fuisse anno* LXXVI *ejusdem sæculi octavi : probabilius, quia in nota ad epistolam Hadriani Papæ senserat Weomadum dicto anno obiisse* (*k*). *Verum, ut non dicamus hunc episcopum usque ad annum* XCI *ejusdem sæculi, quod censent nonnulli* (*l*), *vitam suam prorogasse, nihilominus etiam post annum, a D. Bouquet signatum, vixisse, e consecratione ecclesiæ Laureshamensis supra n.* 63 *habemus.*

seu diœcesani Trevirensis.

68 *Unum credo certum, dedicationem basilicæ Goarianæ non prius celebratam fuisse, quam composita fuerit controversia, inter Weomadum et Assuerum pendens. Ex Wandelberto porro, ut dictum est, habemus cellam S. Goaris cessisse abbati Prumiensi,* habito in Saxonia super fontem, qui Lupia dicitur, generali conventu. *Nullus autem in dicto loco conventus occurrit ante annum Christi* 780. *Sub hoc anno Annales Francorum Loiseliani ha-*

(*a*) Crit. Baron. ad an. 774, § XVIII. — (*b*) Chron. Benedicto-Buran. Præf. p. XXIII et seq. — (*c*) T. II Julii, p. 338, n. 4. — (*d*) Ibid., p. 345. n. 37. — (*e*) Ibid., p. 331, n. 24. — (*f*) Ad 768, § XLIV, t. V, p. 729. — (*g*) Episcopat. Wirceburg., p. 12 et seq. — (*h*) Conc. German., t. I, p. 124. — (*i*) Rec. des Hist. de Fr., t. V, Ind. chronol., p. LII. — (*k*) Ibid., p. 595. — (*l*) Gest. Trevir. t. I, p. 80. Edit. Trevir. 1836.

bent

A *bent* (*a*) : Tunc domnus Carolus rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum pervenit, et inde ad locum, ubi Lupia consurgit. *Idem habent Annales Metenses sub dicto anno* (*b*), *quibus consonat Vita Caroli metrica, quæ Eginhardi vestigia presse sequitur* (*c*) :

Eresburg primum petiit, post hæc ubi fontes
Lippia flumen habet, perplurima dispositurus;
In castris aliquot fertur mansisse diebus.

In hoc itaque conventu anni 780 *censeo litem de cella S. Goaris fuisse diremptam : nisi tamen quis velit in conventum anni* 782 *disceptationem rejicere, quando in eodem loco placitum magnum celebratum fuit. Ast mihi præplacet prior sententia, quum sciamus postremis vitæ annis S.* Lullum, *infirmitatibus pressum, vix potuisse operosis istiusmodi officiis vacare. Cæterum hæc controversia in causa probabilius fuit, cur tam ipse, quam alii Moguntinæ provinciæ episcopi invitati fuerint, ut consecrationem peragerent, cum nullus illorum ad provinciam Trevirensem pertineret : etenim dirempta etiam lite, manet plerumque aliquod quasi simultatis fermentum, quo viri, cæterum sanctissimi, infecti vix æquo animo adversariorum victoriam tolerant.*

B *Hinc recusaverit Weomadus dedicare ecclesiam, et* Lullus *noster, sollicitante rege Carolo, munus hoc impleverit, redux a placito Lippiensi.*

§ IX. De pallii honore tardius delato et de conciliis quibus S. Lullus interfuit.

Rariora erant concilia, propter frequentiam placitorum :

C **M***irum videri poterit consideranti frequentiam synodorum, vivente S. Bonifacio, celebratarum, nullum hujusmodi conventum habitum fuisse sub* Lullo *successore ejus. Præcipua hujus rei causa mihi videtur ipse modus, quo annis singulis ad campum Maji optimates regni convocabantur. Hincmarus Remensis, qui, ut ipse dicit, Adalhardum Corbejensem Carolo coævum exscribit, nobis testatur* (*d*), consuetudinem tunc temporis talem fuisse, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium, quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas universorum majorum, tam clericorum quam laicorum, conveniebat : minores propter idem consilium suscipiendum, et interdum pariter tractandum, et non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum. *In his autem placitis proponebantur et confirmabantur* Capitularia; *nemo autem nescit quam accurate rem ecclesiasticam universam, consentientibus episcopis, componebant. Hæc vera, meo judicio, ratio est, cur rariores essent synodi proprie dictæ. Huc etiam facit, quod hierarchia metropolitana, a S. Bonifacio instaurata, illo mortuo, intercidisse videatur, donec iterum, ut infra monstrabimus, restituta fuerit ab Hadriano Papa. Nam metropoliticam dignitatem Moguntinæ Ecclesiæ assertam fuisse, non solum S. Bonifacio, sed perpetuo ejus successoribus, habemus ex epistola Zachariæ Papæ* (*e*).

ad celebranda tamen concilia

70 *Sunt nihilominus scriptores* (*f*), *qui ideo putant in Moguntina provincia synodum episcoporum celebratam non fuisse, quia* Lullus *noster, pallio archiepiscopali destitutus per viginti circiter annos, potestatem non habuit concilia convocandi. Allegatur in favorem hujus opinationis epistola S. Bonifacii ad Cudberthum; sed dubito num stringat argumentum hujus epistolæ auctoritas : en ejus verba* (*g*) : Decrevimus autem in nostro synodali conventu et confessi sumus fidem catholicam et unitatem et subjectionem Romanæ Ecclesiæ, finetenus vitæ nostræ velle servare sancto Petro, et vicario ejus velle subjici : synodum per omnes annos congregare : metropolitanos pallia ab illa sede quærere, et per omnia præcepta Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur. Et isti confessioni universi consensimus, et subscripsimus, et ad corpus sancti Petri principis Apostolorum direximus, quod gratulando clerus et Pontifex Romanus suscepit. Statuimus ut per annos singulos canonum decreta et Ecclesiæ jura et norma regularis vitæ in synodo legantur et recuperentur. Decrevimus ut metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur ceteros et admoneat et investiget, quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negligens servus Dei. . . . Statuimus, quod proprium sit metropolitano, juxta canonum statuta, E subjectorum sibi episcoporum investigare mores et sollicitudinem circa populos, qualis sint (*sit*). Et moneat ut episcopi a synodo venientes, in propria parochia cum presbyteris et abbatibus conventum habentes, præcepta synodi servare insinuando præcipiant. Et unusquisque episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere vel emendare nequiverit, itidem in synodo coram archiepiscopo et palam omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo, quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum sacramento constrinxit, ut si sacerdotes vel plebes a lege Dei deviasse viderim, et corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi apostolicæ et vicario S. Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes episcopi debent metropolitano, et ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, et sic alieni fient a sanguine animarum perditarum. De cætero, frater charissime, quia nobis æqualis labor et majus periculum imminet, quam ceteris sacerdotibus, quia canones antiqui præcipiunt, ut omnes metropolitani (*melius,* metropolitanum) sciant sollicitudinem totius provinciæ gerere.

AUCTORE J. V. H.

D

F

non indigebant

71 *In hac quidem epistola videtur S. Bonifacius majus aliquid requirere a metropolitano,* qui sit pallio sublimatus; *ast istud tamen restringitur ad* hortationem, monitionem, investigationem, *proindeque ad quamdam inspectionem, sese fortassis extendentem etiam in illos episcopos, qui alioquin jure metropolitico subjecti archiepiscopo non erant : videtur proin pallii honor nihil commune habere cum jure celebrandi concilii. Quod si nihilominus ita voluerit quis verba citata torquere, ut ad synodum cogendam aptentur, is profecto explicare debebit, qui factum fuerit, ut cum decreto synodali caveatur,* ut metropolitani pallia a Sede apostolica quærant, *tamen* Lullus *noster per viginti circiter annos hoc ornamento caruerit ? Lubens agnosco cum Maurinis editoribus operum S. Gregorii magni* (*h*) *primum exemplum necessitatis pallii accipiendi pro metropolitanis episcopis, in citato synodali decreto occurrere : videtur nihilominus vim legis non obtinuisse, utpote quod exsecutioni non fuerit mandatum, secundum notum adagium* (*i*) : Leges instituuntur, cum promulgantur

(*a*) D. Bouquet, t. V, p. 40. — (*b*) Ibid., p. 343. — (*c*) Ibid., p. 144.—(*d*) Ibid., t. IX, p. 267.— (*e*) Epist. LXXXVIII. Würdtw., p. 241. Scr. deest — (*f*) Binterim Deutsch. Conc., t. II, p. 35.—

(*g*) Epist. LXXIII. Würdtw., p. 197. Scr. CV.—(*h*) Lib. IX, epist XI, ad Brunechild. regin., t. II, col. 936. — (*i*) Can. III, dist. III.

AUCTORE. J. V. H.

promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur. *Alioquin quomodo in epistola mox citanda Hadrianus Papa vitio non vertisset S.* Lullo *tamdiu illum distulisse petitionem pallii, maxime si insigne illud archiepiscopale necessarium fuisset ad concilia convocanda? Quare non immerito Sebast. Berardi in sua commentatione de Canonibus Gratiani* (*a*) *statuit legem accipiendi pallii impositam metropolitis fuisse anno* 877 *in Concilio Ravennatensi* (*b*) : *nisi malimus illud septennio antevertere, et proin referre ad can.* XVII *synodi œcumenicæ CP anni* 870 (*c*).

illa tempestate metropolitani pallio :

72 *Cajetanus Cenni, in notis ad Concilium Romanum anni* 779 (*d*), *recte dicit Hadrianum Pontificem instauratorem fuisse metropoliticæ dignitatis in Galliis, ut monstrat ex ejusdem Papæ epistola ad Bertherium Viennensem* (*e*), *in qua,* auctoritate, *ait,* B. Petri principis Apostolorum singulis metropolitis antiquo more potestatem suam reddidimus, et filium nostrum gloriosum et inclytum regem Karolum ante corpus B. Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnis metropolis haberet. Ideo hanc epistolam auctoritatis nostræ omnibus misimus, quam et tu, ut haberes, voluimus, ut tu nosceres Ecclesiæ tuæ privilegium, quod a tempore Beati Leonis habuit, esse integre reformatum. Datum kalendis Januarii, imperante piissimo Augusto Constantino, annuente Deo coronato piissimo rege Karolo, anno primo patriciatus ejus (774). *Ex his patet quare tamdiu caruerit* Lullus *noster pallio et nomine archiepiscopali, quod fortassis hoc vel sequenti anno primum consecutus est. Cæterum cum laudato Cajetano consentire non possum, quando dicit* (*f*) *sæculo octavo invaluisse, ut* nullam ante pallium auctoritatem haberent *archiepiscopi. Quos enim affert hujus opinionis auctores, ad sequentia sæcula pertinent, ut canon* XVII *Concilii CP œcumenici* VIII, *anno* 870 *celebrati* (*g*), *etc. Imo canon* II *Concilii Vernensis anni* 755 (*h*), *seu, ut mavult Mansi* (*i*), *anni sequentis, expresse prævidet casum, quo metropolitani non habentur, et propterea episcopos aliquos* in vicem metropolitanorum constituit, *donec, ait,* secundum canonicam institutionem hoc plenius emendemus.

quod tardius accepit

73 *Cæterum valde mihi suspecta videtur epistola Hadriani Papæ ad Tilpinum Remensem archiepiscopum, prout ex Flodoardo in collectionem epistolarum Romanorum Pontificum manavit. Eamdem* C *quoque dubiam habuit Remigius Ceillier, Benedictinus monachus, utpote quæ in controversiam vocet legitimam Sancti* Lulli *ordinationem* (*k*). *Ante omnia opus est ut ipsum textum lectori exhibeam* (*l*) : Injungimus etiam fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione episcopi nomine Lulli, Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ, ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago et Possessore episcopis, et missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Caroli Francorum regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, et fidem ac doctrinam illius atque conversationem, et mores ac vitam investiges; ut si aptus fuerit, et dignus ad episcopalem cathedram gubernandam, expositam et conscriptam, et manu sua propria subscriptam, catholicam et orthodoxam fidem per missos suos cum litteris ac testimonio tuo seu aliorum episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut pallium illi secundum consuetudinem transmittamus, et ordinationem illius firmam judicemus, et in eadem sancta Ecclesia Moguntina archiepiscopum constitutum D esse faciamus. *Hæc e Flodoardi Historia Ecclesiæ Remensis lib.* II *c.* XVII (*m*) : *e qua, ut diximus, in collectiones Conciliorum fluxit. Obiit vero Flodoardus anno Christi* 966.

S. Lullus *ob*

74 *Quamvis incertus sit annus hujus epistolæ, certe ante annum Christi* 772, *quo Hadrianus Romanam cathedram conscendit, scribi non potuit. Si de solo pallio archiepiscopali mittendo ageretur, nulla foret difficultas : etenim censeo illo sæculo, ut supra monstravi, non consuevisse Romanos Pontifices omnibus promiscue metropolitis pallium concedere, sed observasse adhuc disciplinam a S. Gregorio Magno expositam, qua* (*n*) prisca consuetudo obtinuerat, ut honor pallii, nisi exigentibus causarum meritis, et fortiter postulanti dari non deberet. *Hinc mirum non est collationem pallii per viginti annos fuisse dilatam. Verum aliud omnino sonat epistola Hadriani : acceperat nempe Pontifex sinistra quædam circa* Lulli *ordinationem :* de ordinatione episcopi nomine Lulli. . . ad nos quædam pervenerunt : *quare vult instrui de ejus doctrina et moribus, ut pallium dein possit transmittere. Quis vero sibi persuadeat Hadrianum ignorasse ordinationem* Lulli *factam fuisse per S. Bonifacium Martyrem, auctoritate Zachariæ Papæ, ut monstravimus supra n.* 25, *consentientibus quoque rege et episcopis Franciæ, cfr supra n.* 28? *Quod si non ignoraverit,* E *qui fieri potuit, ut ordinationem ante viginti annos factam confirmare voluerit? Præterea si animadvertimus S. Bonifacium consuevisse omnes res a se gestas judicio Sedis apostolicæ subjicere, ut multipliciter ex ejus epistolis liquet, nemo inficias ibit, verosimiliter sanctum episcopum de ordinatione sui successoris, quæ præter canones fiebat, certiorem fecisse Romanum Pontificem, et ab illo approbationem accepisse.*

rationem

75 *Huc etiam facit quod* Lullus *noster, qua Moguntinus episcopus, jam interfuerat Romano concilio sub Stephano III, alias IV, anno Christi* 769 *die* XII *Aprilis celebrato* (*o*) ; *in quo Constantini pseudopontificis causa judicata, et SS. imaginum cultus vindicatus fuit. Tunc vero temporis jam Romanæ Ecclesiæ diaconus erat Hadrianus, infra triennium ejusdem Ecclesiæ Pontifex futurus. Fieri itaque non potuit, ut Hadrianus ordinationem ignoraverit, et præcedentes Pontifices illam legitimam ratamque non habuerint. Unde merito concludere* F *licet, corruptam esse, quatenus nutantem faciat S.* Lulli *ordinationem. Neque juvat in causam adducere controversiam inter Sanctum nostrum et Sturmium abbatem; hujusmodi lites frequentes erant in illa rerum novitate, neque Wiomago Trevirensi nocuit diuturna disceptatio cum Prumiensi abbate Assuero. Esset fortassis qui hunc nodum explicare vellet supponendo alium pontificem antiquiorem Hadriano : sed vetat id ipse contextus epistolæ, tum quod Carolum solum regem Francorum indicet, quod anno* 772 *contigit, tum quod conceptis verbis in illa loquatur de Zacharia et Stephano* successore ejus, *proinde Stephano III.*

nobis incognitam.

76 *In hoc Romano Concilio, prout illud edidit Cajet. Cenni e Veronensi codice, sæculi, ut fertur, decimi, post Stephanum Papam sextum locum occupat* Lullus *noster, et vocatur* Magnantiæ *episcopus* (*p*). *Unus illic occurrit archiepiscopus Wilcharius Senonensis, seu ut corrupte scribitur* Vicumssenensis; *nam Willicharium Senonensem*

(*a*) T. II, p. 418. — (*b*) Labbe t. IX Conc., col. 300.—(*c*) Ibid., t. VIII, col. 1136. — (*d*) Mansi t. I. Suppl. Conc , col. 674. — (*e*) Labbe t. VI Conc., col. 1888. —(*f*) Mansi t. I Suppl. Conc., col. 669. — (*g*) Labbe t. VIII Conc., col. 1136. — (*h*) Ibid., t. VI, col. 1665. — (*i*) T. I Suppl. Conc., col. 607. — (*k*) Aut. Eccles., t. XVIII, p. 237. — (*l*) Labbe t. VI Conc., col. 1791. — (*m*) Bibl. Patr., t. XVII, p. 541. — (*n*) Lib. IV, epist. XI, t. II Op., col. 937.—(*o*) Mansi t. I Suppl. Conc., col. 641.—(*p*) Ibid.

concilio

A *concilio adfuisse, habemus e schedis Panvinianis* (*a*) *et ex ipso codice Veronensi, in quo* Wilcarius archiepiscopus Galliarum tradit scripta Leoncio notario regionario (*b*). *Hinc recte concludit laudatus Cenni, illum solum fuisse adhuc pallio donatum, utpote qui solus post Ravennatensem vocetur archiepiscopus. Reliqui omnes episcopi appellantur; inter quos* Lullus *noster post Georgium Meltensem, seu Meldensem, sextus venit a Papa Stephano III. Si autem secundum vigentem tunc disciplinam, necessarium fuisset pallium, ut jura quis metropolitica exerceret, nulla occurrit idonea ratio, cur* Lullus *insigne illud a pontifice non postulasset, et ab eodem etiam obtinuisset.*

Interest S. Lullus

77 *Ante concilium Romanum, jam adstiterat* Lullus *noster conventui Attiniacensi, in quo multa synodaliter statuta fuerunt, ut patet ex fragmento historico, quod nomina episcoporum et abbatum refert, et est sequentis tenoris* (*c*) : Nomina episcoporum seu abbatum, qui apud villam publicam Attiniacum pro caussa religionis ac salutis animarum congregati synodali conventu, inter cætera salubriter sapienterque definita, hoc quoque communi cunctorum decreto statuerunt, ut unusB quisque illorum, quorum nomina in hoc indiculo subterscripta reperiuntur, quando quislibet de hoc sæculo migraverit, centum psalteria, et presbyteri ejus speciales missas centum cantent. Ipse autem episcopus per se xxx missas impleat, nisi infirmitate aut aliquo impedimento prohibeatur; tunc autem roget alterum episcopum pro se cantare. Abbates vero, qui non sunt episcopi, rogent episcopos, ut vice illorum ipsas xxx missas expleant : et presbyteri eorum centum missas, et monachi centum psalteria psallere meminerint. *Sequuntur nomina episcoporum et abbatum inter quos post Hradegandum, episcopum Metensem, et Eddonem Argentoratensem, tertius venit Sanctus noster :* Lullo episcopus civit. Maguntiaci.

conventui

78 *In allato textu occurrunt plura notatu digna. Imprimis hic evidens fit, quod jam ante monui, conventus publicos, illo quidem sæculo, concilia episcoporum supplevisse, eamdemque vim in clero et populo obtinuisse : plura hic* salubriter sapienterque definita *narrantur ab episcopis, qui* caussa religonis et salutis animarum *convenerant. Neque hinc quidquam adversus Ecclesiæ libertatem inferatur; suum Ecclesiæ erat jus nulli principum*C *obnoxium; quæ ad Ecclesiam spectabant, inter se disceptabant ecclesiastici ordinis viri. Quod si quis nihilominus regiæ potestati subjugatas velit res divinas, sciat tamen, consentientibus episcopis, nihil simile fuisse attentatum.* Lullus *noster jam morti, ut videtur, proximus, proinde florente Carolo Magno, scribit ad Cœnam, in Anglia* (*d*) : Pro nomine Christi in contumeliis et tribulationibus gloriari, et exaltatione Ecclesiæ ejus nos oportet : quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores, novasque leges secundum sua desideria condunt. *Hæc verba mea sententia sufficiunt, ad monstrandum non omnem regendæ Ecclesiæ normam calculo sanctissimi præsulis probatam fuisse.*

Attiniacensi,

79 *Alterum notatu dignum in decreto Attiniacensi occurrit, scilicet plures tum fuisse abbates episcopali dignitate sublimatos, quorum nomina exhibentur in subscriptione : tales sunt* Theodulphus episcopus de monasterio Laubias, Jacob episcopus de monasterio Gamundias, Williharius episcopus de monasterio S. Mauricii : *sed reliquis appingitur* Willibaldus episcopus de monasterio Achistadi, D *quod vitiosum primo aspectu videri potest, quum magis Eichstadiensis* civitatis *pontifex dici debeat. Recte tamen scriptum Willibaldum censeo : initia enim hujus episcopatus a monasterio repetuntur, ut habet sanctimonialis Heidenheimiensis coæva in ejus Vita ad* VII *Julii* (*e*). *Prima Willibaldi episcopi cura fuit, construere Eichstadii monasterium, illud juxta normam regulæ Benedictinæ instituere, et in illo adjutores suos ad omnem virtutem informare : quid igitur mirum monasterii nomine hic recenseri episcopatum Eichstadiensem? Quæ presbyteris et monachis præscribuntur* psalteria *canenda pro singulis defunctis, nescio an omnes psalmos complectantur, an vero septem pœnitentiales : utroque sensu reperitur hæc vox apud antiquos, quos consule in Glossario mediæ et infimæ latinitatis et in Supplemento.*

AUCTORE J. V. H.

non vero, ut videtur, Gentiliacensi.

80 *Interfuisse* Lullum *nostrum Gentiliacensi conventui anno* 766, *in quo de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio, et de sacris imaginibus actum fuit, existimat Latomus in suis manuscriptis : ast recte subnectit Christ. Joannis* (*f*) *apud nullum veterum simile quid legi. Interim quamvis satis frequenter* E *Sanctus noster memoret se variis infirmitatibus torqueri, non facile in animum induco illas in causa fuisse, cur rarius conciliis et conventibus interfuerit. Quæ enim ad illum diriguntur epistolæ, quæque ipse vicissim remittit, manifeste demonstrant, illum tempore sui episcopatus tali usum fuisse valetudine, quæ sufficeret ad episcopale onus portandum, si tamen excipiantur anni vitæ extremi, in quibus octogenario major graviores Ecclesiæ ceremonias forsitan obire non potuit, ut insinuavi supra n.* 68.

§ X. De epistolis a S. Lullo scriptis et de munusculis inter Germanos et Anglos ultro citroque missis.

Epistola encyclica ad presbyteros

Præter novem epistolas nihil scriptum nobis reliquit S. Lullus, *quamvis dubium non sit multo plures scripsisse, ut patet e viginti quatuor ad illum directis,* F *quæ certe singula responsa sortitæ sunt. Licet stylus earum impolitus sit, varia tamen in eis occurrunt, quæ juvare possint ad historiam illius sæculi illustrandam. Prima, quæ occurrit,* (*editionem Alexandri Würdtwein sequimur* (*g*)) *est encyclica ad presbyteros in provincia Thuringiorum constitutos, scilicet* Denehardum, Eanberthum, Winbertum, Sigaherium et Sigewaldum, *ut tam ipsi, quam* ancillæ Christi (*sanctimoniales*) universaque plebs, in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluviarum flagello liberemur. *Præscribitur itaque omnibus,* ut unam hebdomadam abstineant se ab omni carne et ab omni potu in quo mel sit : *dein, ut* secunda feria, quarta feria et sexta feria jejunent usque ad vesperum. *Præterea, ut* unusquisque servorum Dei (*monachorum*) et sanctimonialium quinquaginta psalmos cantet omni die in illa septimana, et illas Missas, quæ pro tempestatibus fieri soleant, celebrare presbyteri, recordentur. *Dein præcribit pro Romano Pontifice* xxx

(*a*) Labbe t. VI Conc. col. 1722. — (*b*) Mansi, t. I, suppl. Conc. col. 643. — (*c*) Labbe t. VI Conc. col. 1702. — (*d*) Int. Bonif., epist. CXXXI. Würdtw., p. 320. Ser. CIX. — (*e*) T. II Julii, p. 511, n. 43. — (*f*) Rer. Mogunt., t. I, p. 377. — (*g*) Int. Bonif., epist. CVII. Würdtw., p. 285. Ser. CXII.

AUCTORE J. V. H.

Missas et illos psalmos, *scilicet* quinquaginta, *de quibus paulo ante locutus fuerat.*

A *primum hujus generis monumentum;*

82 *Remigius Ceillier Benedictinus* (*a*) *dicit hanc epistolam quasi derivatam e litteris Pippini regis ad S.* Lullum *directa : ita ut juxta laudatum Benedictinum Pippinianam chartam, tacito regis nomine, exscripserit. Suppresso itaque regis nomine suam eamdemque encyclicam fecisset epistolam, in qua idem jejuniorum et precationum ordo præscribebatur. Nullam tamen hujusmodi epistolam reperi, nec inter Bonifacianas, nec in aliis collectionibus : una citatur, qua Pippinus preces petit in gratiarum actionem pro abundantibus fructibus terræ* (*b*) *: quare scribit,* ut unusquisque episcopus in sua parochia Litanias faciat non cum jejunio, nisi tantum in laude Dei; qui in talem, *inquit,* nobis abundantiam dedit, et faciat unusquisque homo suas eleemosynas et pauperes pascat. *En sola Pippini ad S.* Lullum *directa epistola, quæ nobis innotuit. Notatu in Lulliana epistola dignum est, quod sit e primis monumentis, quibus episcopus clero et populo preces et jejunia præscribit. Occurrit in ea Missa peculiaris adversus aeris tempestates. Hujusmodi Missas, quæ* votivæ *dicuntur, jam tum in usu fuisse monstrat*

B *Card. Bona l.* I *Rer. Liturg. c.* XV *n.* 3 *ex Libro Sacramentorum sæculi* VIII *in quo plures habentur Missæ votivæ, quam in hodiernis Missalibus reperiuntur. Notatu quoque dignum videtur, quod inter cibos tempore jejunii vetitos reponatur* potus in quo mel sit, *quod etiam liquet ex epistola ad Oswitham infra citanda.*

epistola Lulli *ad Pontificem;*

83 *Epistola* Lulli, *inter Bonifacianas* CXII (*c*), *directa est ad Romanum Pontificem sive Stephanum III sive Paulum I, in eaque conqueritur presbyterum quemdam in Anglia, ut ex epistola patet, delitescentem, nomine* Enred, *in alia ordinatum parochia, et, non consentiente antecessore suo Bonifacio neque se successore ejus, in parochiam adductum a Willefritho presbytero, suum sprevisse magisterium.* Cognita enim, *ait,* canonum auctoritate, decrevistis, ut omnes presbyteri, qui in parochia sunt, sub potestate episcopi esse debeant, et ut nullus eorum præsumat in ejus parochia aut baptizare, aut Missas celebrare sine jussione episcopi, et ut omnes presbyteri ad concilium episcopi conveniant; quæ omnia facere contempsit prædictus ille presbyter, nomine *Enred,* et ideo secundum quod definistis, increpationis a me sententiam sortitus est. *Hujus-*

C *modi canones in conciliis istius temporis et regionis frequenter occurrunt* (*d*). *Conqueritur dein* Lullus *quod, tam Willefrith, quam cliens ejus Enred, abstulerint mancipia, vestimenta, arma, equos et armenta; quorum aliqua* ultra mare *cum Enredo transmisit Willefrith ad matrem suam : videntur itaque hi ex Anglia oriundi fuisse. Idem quoque Enredus abstulerat ab ecclesiis* duas armillas *et* quinque siglas : *satis patet quid nomine armillæ hic veniat, quæ ex auro confecta, ornamentum brachii significat :* Siglas *interpretantur commentatores in Bonifacianas epistolas,* monile; *ast armilla quoque monile est : siquidem igitur speciem monilis designat* Lullus, *recte concludimus Siglæ nomen genericum non esse, sed speciem indicare, scilicet annulum signatorium aureum, lapide pretioso fortassis ornatum, ex vetere saxonico vocabulo* sigle, *unde in teutonicam linguam Germanis* Siegel, *Flandris* Zegel *manavit* (*e*).

ad Oswitham exprobatoria:

84 *Sequitur epistola ordine* CXIII (*f*), *ad Suitanam seu Oswitham abbatissam directa, in qua, post acerbam increpationem, illam excommunicat, propterea quod* sacropalliatas fœminas duas (*id est sanctimoniales*) contra statuta canonum et sanctæ regulæ disciplinæ, sine licentia et consilio *episcopi....* propter arrogantiam et voluptatem laicorum explendam.... liberas ire permiserit in longinquam regionem. *Num fortassis in regionem natalem, Angliam? ultro citroque enim frequens erat hoc sæculo commeatus. Pergit Sanctus :* Sed ne forte hanc meam objurgationem parvipendens contemnas, apostolico te sermone percutiam, quo ait : Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Pro hujusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum consentiendo perpetraverunt, usque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas et inobedientes supradictas fœminas, intra cellam vestram (*monasterium*) non recipiatis, sed foras monasterium, excommunicatæ ab Ecclesia Christi, sedeant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane et aqua, et vos similiter abstinendo ab omni carne, et omni potu qui melle indulcoratur : scientes, quod si spernitis istam in- E crepationem, quod spernatis eum, qui a Deo missus est peccatores salvos facere, id est, Christum, qui dixit in Euangelio : Qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me, id est, Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Christo ad meliora vos converti.

discutitur, quo sensu

85 *Merito in exemplum zeli pro monastica disciplina, qua S.* Lullus *urebatur, tradit hanc epistolam Mabillonius* (*g*) : *neque fugit doctissimum virum ex hisce litteris constare sanctimoniales in Germania carne uti consuevisse* (*h*), *siquidem carnium abstinentiam imponat Sanctus in peccati pœnam Oswithæ et sanctimonialibus iis, quæ* hunc negligentiæ reatum consentiendo perpetraverunt. *Attamen vigebat istic Benedictina regula ex Anglia traducta, ad cujus observantiam plenius instaurandum Cassinum missus fuerat S. Sturmius, ut legitur in ejus Vita* (*i*) : Porro cum fratres regulam sancti patris Benedicti inhianter observare desiderassent, et ad monasticæ disciplinæ normam sua corpora mentesque toto animo inclinassent, consilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur monasteria, ut fratrum ibi concordiam et conversationem regularem perfecte discerent. F Quod cum sancto fuisset indicatum episcopo (*Bonifacio*), prudens illorum collaudavit consilium et hanc legationem studioso Sturmi injunxit. Qui præparatis itineris necessariis, adsumptis secum duobus fratribus, quarto ad locum prædictum (*Fuldam*) ingressionis anno, Romam profectus est, atque in illa terra, cunctis monasteriis lustratis, et omnium mores conversationesque ibi fratrum consistentium traditionesque monasteriorum ad plenum discens, integro anno apud illa monasteria perseverans, secundo inde anno, repletus quibus viderat virtutibus, regressus est. *Ex his elucet accurate investigatum fuisse in regulam S. Benedicti, et ad litteram observatam fuisse.*

regula Benedictina esus carnium vetabatur :

86 *Hinc credo carnem, quam hic pœnæ loco interdicit S.* Lullus, *non esse quadrupedum, sed volatilium : regula enim S. Benedicti cap.* XXXIX *dicit :* Carnium vero quadrupedum omnino ab

(*a*) Hist. des Aut. Eccles., t. XVIII, p. 221. — (*b*) Int. Bonif., epist. CIX. Würdtw., p. 287. Ser. XCVI. — (*c*) Würdtw., p. 290. Ser. c. — (*d*) Vid. Conc. Germ. anni 742, can. IV. (Harzh. Conc. Germ., t. I, p. 49). Conc. Suession. an. 744, can. v. (Ibid., p. 58). Epist. Zachar. Papæ an. 748, cap. II. (Ibid., p. 84). — (*e*) Du Cange Glossar, v° *sigla.* Interpretantur etiam *bullam, fibulam;* cfr Schiller Lexic. Saxonico-latinum v° *sigl.*—(*f*) Würdt., p. 292. Ser. XLVII. — (*g*) Vit. § XV. — (*h*) Ann. lib. XXV, § LXXIV, t. II, p. 266. — (*i*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 371.

omnibus

omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos. *Atque inde nata est quæstio, num monachis liceret vesci volatilibus; circa quam in varias opiniones abierunt ipsi Benedictini, ut monstrat Bened. Haeftenus* (*a*). *Omissa hac quæstione, utpote quæ ab instituto nostro aliena est, satis certum mihi videtur, Fuldenses monachos, quorum exemplum secuti fuerint alii utriusque sexus in Germania ascetæ, volatilibus usos fuisse; nam S. Rabanus Maurus lib.* II *de Instit. cler. c.* XXVII *citatus ab Haefteno* (*b*) : Avium usum credo inde a patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento de quo et pisces creatæ sunt. Nam in regula monachorum non invenimus aliarum carnium esum eis contradictum, nisi quadrupedum. *Hic autem liber scriptus probatur anno* 819 (*c*) : *cum itaque jam* ad patres *provocet Rabanus, nemo non videt nos ætatem* Lulli *plane attingere; quare abstinentiam a carne, Switanæ impositam, de volatilibus intelligendam esse censeo, ne jam tunc laxiorem vivendi normam introductam fuisse, dicere cogamur.*

epistola ad Cœnam Eboracensem archiepiscopum;

87 *Sequitur epistola* Lulli *ad Cœnam inter Bonifacianas* CXXXI (*d*). *Appellat Sanctus Cœnam* summi pontificatus infula præditum; *qua infula pallium archiepiscopale designatur : erat enim Cœna, alio nomine* Ethelbertus, Adelbertus *aut etiam* Albertus, *archiepiscopus Eboracensis in Anglia* (*e*), *cui sedi ab anno* LXXVII *ad* LXXXI *octavi sæculi præsedit. In illa epistola* Lullus, *in memoriam revocata antiqua amicitia,* quam coram Deo fideli sponsione pepigerant, *pergit :* Pro nomine enim Christi in contumeliis et tribulationibus glorificari, et exaltatione Ecclesiæ ejus nos oportet, quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores, novasque leges secundum sua desideria condunt. Idcirco excellentiam tuam jugem precatricem pro animæ nostræ salute, subnixa prece, flagitamus. Assiduis enim corporis ægritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnosa et periculis plenissima vita exire, redditurus pio et districto judici rationem. Parva vero munuscula dilectioni tuæ direxi, hoc est pallam holosericam optimi generis per gerulum harum litterarum. Obsecro, ut quemlibet horum librorum acquiras et nobis mittere digneris, quos beatæ memoriæ Beda presbyter exposuit, ad consolationem peregrinationis nostræ : id est, in primam partem Samuelis usque ad mortem Saulis, libros quatuor : sive in Esdram et Nehemiam libros tres, vel in Euangelium Marci libros quatuor. Gravia forte postulo : sed nihil grave veræ charitati injungo.

inquiritur in nomina principum,

88 *Non pauca in hac epistola ad Cœnam Eboracensem archiepiscopum directa occurrunt notatu digna. Mirum imprimis est S.* Lullum *tam graviter conqueri de statu Ecclesiæ,* quæ quotidie tunditur, premitur atque fatigatur, quia moderni principes novos mores novasque leges secundum sua desideria condunt. *Propter summas laudes, quibus Pippinus et Carolus unanimi voce a coævis ornantur, putat R. D. Binterim, a* Lullo *nostro hic indigitari comites Alemannos Warinum et Ruodhardum* (*f*), *atque in hanc interpretationem citat Walafridum Strabonem in Vita S. Otmari* (*g*), *ubi reapse accusantur hi duo,* qui tunc temporis (*ab anno* 754 *ad* 771) Alemanniæ curam administrabant, diabolo suadente, immanissimæ avaritiæ morbo præventi, res ecclesiarum sub sua potestate sitarum, magna ex parte in suæ proprietatis dominium per vim contraxisse. *Sed merito dubitare licet, num de hisce comitibus agere voluerit* Lullus, *cum illorum administratio intra fines Alemaniæ conclusa, vix ad Sanctum nostrum spectare potuerit. Dein quando* Lullus *lamentatur de* modernis principibus, *scribens maxime ad episcopum alienigenam, vix intelligi potest, nisi de summis principibus seu regibus, id est, Carolo et Carlomanno loquatur. Nodus igitur in eo est, ut inveniamus qua occasione S.* Lullus *queri potuerit, de filiis Pippini, quos passim laudant coævi, et de quibus certe nemo dixerit illos gravamen aliquod Ecclesiæ inferre voluisse.*

AUCTORE J. V. H.

a quibus dicebatur Ecclesia opprimi :

89 *Quamvis verba supra allata præsentem quamdam calamitatem indicare videantur, censeo tamen ita explicanda esse, ut sinistri aliquid pro futuro potius præsagiant : ita enim humanus quandoque comparatus est animus, maxime si corpore infirmo gravetur, ut quæ timet mala impendentia, illa, quasi jam actu exsistentia, deploret. Mortuo Pippino rege, timebant boni, ne nuptiæ, cum Desiderio Longobardorum rege utrinque conciliandæ, magna Religioni mala minarentur. Atque illo quidem tempore scriptam esse Lullianam epistolam patet ex eo quod principes vocet* modernos, *sive recenter solio regali impositos. Jam vero exstat epistola Stephani Papæ III alias IV ad Carolum ejusque fratrem Carlomannum directa, in qua multis illos avertere conatur Pontifex, ne nuptias cum Desiderii familia paciscantur* (*h*) : Quoniam, *inquit,* plures comperimus, sicut divinæ scripturæ historiæ instruimur, per aliæ nationis injustam copulam a mandatis Dei deviare et in magno devolutos facinore. Quæ est enim, præcellentissimi filii, magni reges, talis desipientia, ut penitus vel dici liceat, quod vestra præclara Francorum gens, quæ super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestræ potentiæ proles, (*Gisela, utriusque regis soror, Desiderii filio tradenda erat*) perfida, quod absit, ac fœtentissima Longobardorum gente polluatur; quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cujus natione et leprosorum genus oriri certum est. Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, ut tales nominatissimi reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim societas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?

monstraturque accusationem ad Pippini filios spectare :

90 *Addit utrumque jam habere uxores, quibus dimissis, alias ducere non licebat, dein pergit :* Advertite, quæso, quanti qualesque potentes per alienigena conjugia a præceptis Dei declinantes et suarum sequentes uxorum alienæ gentis voluntatem, validis innexi excessibus, immensa pertulere discrimina. *Consideranti hanc epistolam dubium vix mihi superest, quin eamdem rem spectarit* Lullus *noster, et, dum novos mores, novasque leges invecta lamentatur, nuptias Longobardicas et utriusque regis injustum divortium sugillarit : ex historia habemus Carolum Desideratam sive Ermengardem, Carlomannum Gerbergam, utramque Desiderii filiam, duxisse. E Stephani Papæ epistola elucet quoque, invita atque reclamante Ecclesia, Carolum plura simul attentasse matrimonia; si tamen id fecerit, cum graves utrinque auctores pro diversa stent sententia, quam hic discutiendam nobis non esse arbitramur. Unum hic indicare voluimus, si quid id genus peccati admiserit Carolus, id, non connivente, sed prohibente gravibus minis Ecclesia, accidisse.*

eadem epistola petit Lullus *libros*

91 *Alterum, quod in citata epistola occurrit,*

(*a*) Disquisit. Monast., lib. x, tract. VI, disquisit. II, p. 929. — (*b*) Ibid., p. 930. — (*c*) Mabillon. Ann., lib. XXVIII, § XCV, t. II, p. 424. — (*d*) Würdtw., p. 320. Ser. CIX. — (*e*) Alford. Annal. Eccl. Ang. an. DCCLXVII. n. 1.—(*f*) Geschichte der Concilien., t. II, p. 35. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 43. — (*h*) Labbe, t. VI Conc. col. 1717.

notatu

AUCTORE J. V. H.

notatu dignum, est zelus sancti viri in colligendis libris diversi argumenti. Præter opuscula Bedæ, quæ hic petit alia ejus scripta jam ab eodem Cœna episcopo quæsierat, ut constat ex hujus epistola, inter Bonif. CXXVII (*a*), *scilicet tractatus de* æstibus marinis *et* de cosmographia, *quos dicit Cœna ad manus non venisse :* nec alia, *ait,* apud nos exemplaria, nisi picturis et litteris permolesta. *Ex epistolis, inter* Lullum *et Guthbertum ultro citroque datis, liquet inter illos sæpius actum fuisse de libris : sic epistola inter Bonif.* CXXXIII (*b*) *petierat* Lullus *scripta Bedæ de* ædificatione templi, in Cantica Canticorum, *et* epigrammata heroico metro sive elegiaco composita : *receperat epist.* CXXIV (*c*) *ab eodem Guthberto libros Bedæ, de viro Dei Cuthberto* metro et prosa compositos. *Similia dona jam suo tempore rogaverat S. Bonifacius epistolis* XII (*d*) XIX (*e*) XL (*f*) XLI (*g*) LIV (*h*). *Inter quas epistola* XIX *ad Eadburgam abbatissam scripta, petit sanctus episcopus :* Quia sæpe sive solamine librorum, sive vestimentorum adjuvamine, pietas tua tristitiam meam consolata est : sic et deprecor, ut augeas quod cœpisti, id est, ut mihi cum auro conscribas epistolas domini mei Sancti Petri Apostoli, ad honorem et reverentiam sanctarum scripturarum ante oculos carnalium in prædicando.

A

B

qui frequentes ab Anglis petebantur :

92 *Ex Anglia quoque frequens erat litterarum commercium, quo libri e Gallia et Germania petebantur; ut docet S. Bonifacius epistola* LIV (*i*) *ad Ecbertum episcopum, qua scribit :* Ad indicium charitatis, fraternitati tuæ direxi exemplaria epistolarum Sancti Gregorii, quas de scrinio Romanæ Ecclesiæ excepi, quæ non rebar ad Britanniam venisse : et plura item, si mandaveris, remittam, quia multas inde excepi. *A* Lullo *nostro Milret, incertæ in Anglia sedis episcopus petit S. Bonifacii* venerabilem Vitam et gloriosum finem, *inter epistolas Bonifacianas* CXVII (*k*); *et vicissim agit de mittendo* librum pyrpyri metri; (porphyrii *legendum conjectat Serarius; sed utrolibet modo legatur, impossibile mihi est indicare quid dicere voluerit*). *Cincheardus Wintoniensis episcopus a Sancto nostro petit epistola* CXV (*l*) : Si qua apud vos solamina nobis necessaria, vel ignota spiritalis quidem scientiæ sive in libris antiquis, qui a nobis non habentur, sive in aliis ecclesiasticis administrationibus, ut nobis libenter participare non negetis. Nec non et si quos sæcularis scientiæ libros nobis ignotos adepturi sitis, ut sunt de medicinalibus, quorum copia est aliqua apud nos, sed tamen segmenta ultramarina, quæ in eis scripta comperimus, ignota nobis sunt et difficilia ad adipiscendum : vel si qua in aliis quibuslibet negotiis vel speciebus nobis necessariis providetis, communicare dignemini.

C

magna erat Lulli *fama in litteris.*

93 *Probat hæc Chincheardi epistola, quanta esset* Lulli *nostri fama in scientiis excolendis, ita ut ab eo nulla fere eruditionis species aliena videretur. Quam famam etiam confirmat Caroli Magni ad S.* Lullum *epistola de studiis promovendis, quamque Brequigny* (*m*) *sub anno* 787 *reponit. Epistolam edidit Joannes Lebeuf* (*n*), *qui recte animadvertit scriptam fuisse ante annum* 787 (*o*) : *suffecisset enim tunc encyclica, qualis extat ad Baugulfum Fuldensem abbatem* (*p*). *Cæterum excidit* Lulli *nomen; nec annus quo data fuit exprimitur : etsi non sit dubitandum quin ad Sanctum nostrum directa fuerit, quoniam et* archiepiscopus *et* discipulus S. Bonifacii *nominetur; quæ duo nulli, quem noverimus, quam* Lullo *nostro conveniunt. Siquidem inter Bonifacianas non exstat, et sat rara sunt laudati Joannis Lebeuf opuscula, non ingratum fore lectoribus putamus, si illam hic exhibeamus extractam ex codice S. Martialis Lemovicensis : maxime quia extollit quoque scientiam litterarum et zelum Sancti in allaborando ad conversionem animarum : quamvis carpere videatur aliquam negligentiam in litteris et scientiis clero suo tradendis.*

D

ut probat epistola Caroli M.;

94 Karolus Christi fretus auxilio rex beatissimo viro. . . . archiepiscopo, patri nostro. Cum in adquirendis Deo animabus studiose Deo favente invigiles, mirandum nobis valde videtur, cur in erudiendo clero proprio litterarum studiis nullam sollicitudinem geras. Cernis namque undique in subditorum cordibus ignorantiæ tenebras circumfundi, et cum possis eruditionis radium eorum sensibus infundere, in suæ illos cæcitatis caligine latere permittis. Quod enim et hac parte potens haberis, nulli est dubium : quippe cum unum sancti viri ill. præsulis, consacerdotis tui clericum, alterum ill. religiosi abbatis, ita liberalibus studiis instruxeris, ut pene nihil eis ad perfectionis culmen desit. Quæ ergo sanctitati tuæ poterit esse excusatio, cum et aliorum filii doctrinæ vestræ pabulo pleni sunt, et vestri adhuc, subtracto eruditionis edulio, ignorantiæ fame tabescunt? Unum certe e duobus; aut enim contumaci ipsi superbia vestro magisterio subdi dedignantur, aut a vestra (quod evenire nolumus) parte remissius agitur. Sed quidlibet horum sit, ad vestram, pater venerabilis, curam respicit, a quo, etsi tumescente corde sunt, debent vel paterna admonitione corrigi, vel pastorali baculo coerceri. Jam vero quantum ad studium attinet, debent modo blandis persuasionibus, modo duris etiam increpationibus, ad eruditionis lumen excitari : si qui vero ex eis inopes existunt, etiam conlatis subsidiis excitari. Et certe etsi alios ad discendum attrahere non vales, saltem de tuæ Ecclesiæ famulis, quos capaces esse perspexeris, erudire potes. Illud vero credere quis jam possit, quod in tanta multitudine, quæ vestro erit subjecta regimini, ad erudiendum aptus nemo valeat inveniri. Omnes qui te discipulum Beati Bonifacii Martyris norunt, præstolantur e vestris studiis artissimum fructum. Accinge te igitur in reliquum, pater amabilis, et ad imbuendos liberalibus studiis tuos filios studiosus existe, ut et nostræ in hoc, quod ardenter cupimus voluntati satisfacias, et perennis præmii remunerationem adquiras. Nec tuorum lucerna operum in hac solummodo parte sub modio lateat, quæ in reliquis super candelabrum posita, ex divino munere claris fulgoribus micat. Vale, pater carissime, et memor esto nostri.

E

F

pretium librorum illa tempestate :

95 *Quanti vero pretii illa tempestate essent codices, hinc dijudicare licet quod, teste Beda venerabili, Aldfridus Northumbrorum rex circa annum Christi* 690 *Ceolfrido abbati Wiremuthensi* (*q*) *dederit pro uno codice Cosmographiæ* terram octo familiarum *seu totidem* hidarum : *illo enim vocabulo vertit Bedanus interpres Anglosaxo vocem* familiam. *Continebat autem* Hida *centum, aut, ut minimum, quadraginta jugera* (arpents) : *ita ut saltem trecenta viginti jugera* (CIX hectares) *in unum librum expenderit Aldfridus : ita certe Joseph Strutt* (*r*) *interpretatur Bedam, qui rem in Historia abbatum*

(*a*) Würdtw., p. 315. Ser. XCIX. — (*b*) Ibid., p. 323. Ser. CXI. — (*c*) Ibid., p. 310. Ser. LXXXIX. — (*d*) Ibid., p. 32, Ser. III. — (*e*) Ibid., p. 48. Ser. XXVIII.— (*f*) Ibid., p. 89. Ser. XV.—(*g*) Ibid., p. 91. Ser. XXII. — (*h*) Ibid., p. 119. Ser. VIII. — (*i*) Ibid., p. 120. — (*k*) Ibid., p. 302. Ser. LXXVIII. — (*l*) Ibid., p. 298. Ser. LXXIV. — (*m*) Table des diplômes. — (*n*) Dissertat. sur l'hist. ecclés. et civ. de Paris, t. I, p. 421. — (*o*) Ibid., p. 387. — (*p*) Bouquet SS. t. V, p. 621 et Pertz Monum. Leg., t. II, p. 52. — (*q*) Colitur XXV Sept. — (*r*) Anglet. anc., t. I, p. 173.

Wiremuthensium

A *Wiremuthensium sequenti modo tradit* (*a*) : Bibliothecam utriusque monasterii (*Wiremuthensis et Girwiensis*) quam Benedictus abbas (*b*) magna cœpit instantia, ipse non minori geminavit industria; ita ut tres pandectes novæ translationis (*Heronymianæ, credo*) quem de Roma attulerat, ipse superadjungeret, quorum unum senex Romam rediens secum inter alia pro munere sumpsit, duos utrique monasterio reliquit. Dato quoque Cosmographorum codice mirandi operis, quem Romæ Benedictus emerat, terram octo familiarum juxta fluvium Fresca ab Aldfrido rege, in scripturis doctissimo, in monasterium B. Pauli Apostoli comparavit, quem comparandi ordinem, ipse dum adhuc viveret, Benedictus cum eodem rege Aldfrido taxaverat, verum priusquam complere potuisset, obiit.

examinatur varians lectio Mabillonii et Hagiographorum.

96 *Non dissimulabo tamen tum Mabillonium citatum, tum Nostros in Vita S. Ceolfridi ad* XXV *Septembris* (*c*), *Acta Sanctorum Benedictina exscribentes* (*d*), *aliter interpungendo hunc textum, delevisse omne emptionis vestigium. Allatum enim textum ita dispertiunt, ut donatio libri cosmographici ad incrementum bibliothecæ monasticæ, adeptio terræ ad meram liberalitatem Aldfridi regis spectare vi-*
B *deatur : hæc est illorum lectio :* Duos utrique monasterio reliquit; dato quoque Cosmographorum codice . . . quem Romæ Benedictus emerat. Terram octo familiarum. . . ab Aldfrido. . . . in possessionem monasterii comparavit, *etc. Sed nemo non videt quam inconcinne textus fluat, si interpunctionem Mabillonianam sequamur : imprimis Beda assumptum suum, scilicet bibliothecæ incrementum per Ceolfridum, non probat loquens de libro,* quem Benedictus Romæ emerat : *deinde postquam dixit Beda,* utrique *monasterio pandectas dedisse Ceolfridum; utri dein cœnobio Cosmographiam contulerit, qui fit, ut scriptor taceat? Tandem quomodo* comparandi ordinem, ipse dum adhuc viveret, Benedictus cum rege Aldfrido taxare potuit, *nisi de permutatione aliqua loqueretur? Certe donatarius comparandi ordinem taxare, id est, leges pacti præscribere non potest, quando ex mera liberalitate quidpiam accipit : donantis est beneficentiæ suæ modum et leges recipienti imponere. Videtur igitur de veri nominis permutatione textus intelligendus esse, et proinde interpunctio, num. superiori allata, omnino esse retinenda.*

De munusculis

97 *Ad rem nostram redeamus. Præter libros,*
C *qui ex Anglia Germaniaque ultro citroque mittebantur, inter ætatis illius homines in more positum quoque erat, ut variis invicem se munusculis donarent* (*e*). *Sic citata epistola* Lulli *ad Cœnam episcopum mentionem facit* pallæ holosericæ optimi generis. *Est vero palla aulæi genus, quo muri ecclesiæ, altaria et sepulchra tum Sanctorum, tum magnatum ornabantur, ut videre est in Glossario Car. Du Cange v.* Palla. *Silentio prætereundum non putamus, quæ utrinque mittebantur donaria; hujusmodi enim, indicatione licet compendiosa, monstrari potest aliqua saltem ex parte, quibus quæque regio mercibus abundaret. Angli in Germaniam submittebant frequenter vestimenta, illaque, ut videtur lanea et linea, ut nobis exhibet epistola Cincheardi, episcopi Wintoniensis, ad* Lullum *nostrum, int. Bonifacianas* CXV (*f*) : De nostro quoque, *scribit,* vili vestitu parvæ hæc xeniola direximus, tuo cultui quamquam indigna, tamen petimus, accommoda, hoc est, tunica lanea, aliaque linea, sicut mos est apud nos habendi, caligas et peripsemata, (*pedum integumenta*) orarium, (*hic, quoniam de communibus vestimentis agitur, sudarium interpretor : cæterum significat* stolam sacerdotalem) et coculam (*sagum Hibernicum villosum*) et gunnam brevem nostro more consutam, (*vestem pelliceam, ex anglico :* Gown) ad indicium plenissimæ dilectionis nostræ. AUCTORE J. V. H. D

98 *Epist. int. Bonif.* CVIII (*g*) *Alhredus rex Northumbrorum et Osgeofu regia uxor circa annum Christi* 769 *scribit ad S.* Lullum, *et illum rogat,* legationibus ejus ad gloriosissimum regem Carl. consulendo subveniat, ut pax et amicitia, quæ omnibus conveniunt, faciat stabiliter confirmari : *quibus verbis monstratur, quanta esset* Lulli *nostri potentia apud Carolum Magnum. Dein mittit eidem* duodecim sagas, cum annulo aureo ad dotam, *id est, in donum; etenim sic interpretor :* Parva munuscula tuæ dignitati admisimus. *Sequitur similis argumenti epistola* CXVI (*h*), *qua Æardulfus, Roffensis episcopus, Sancto nostro dat* reptem ruptilem unum. *Reptem interpretatur Du Cange e variis auctoribus,* Renones, *seu* velamina humerorum ex pectore ad umbilicum, atque tortis villis adeo E hispida, ut imbrem respuant, quos vulgo Reptos vocant, eo quod longitudo villorum quasi reptat. *Quid vero vox* ruptilis *hic sibi velit, plane non intelligo. Epist.* CXIX (*i*) Botwinus *abbas ad* Lullum *mittit* modica munuscula, id est III lacernas. *Epist.* CXXII (*k*) Cincheardus, *jam supra laudatus Wintoniensis episcopus, solatur inprimis* Lullum *amicum suum, qui* multis tribulationibus tunditur, quas prope modum omnes Sancti soliti sunt a sæculo perpeti; *quæ referenda videntur ad illa, quæ sup. num.* 88 *attigimus; post subnectit :* Modici munusculi quantulamcumque parvitatem charitatis tantummodo intuitu direximus, hoc est, de nostro vestitu indumentum, sicut solent prodecessores nostri prodecessoribus tuis destinare. *Jam egimus supra de Gutberchto, quando de libris locuti fuimus; eadem epistola* CXXIV (*l*) *dicit se donare* duo pallia subtilissimi operis, unum albi, alterum tincti coloris, cum libellis, et clocam, (*pallii genus, quod et hodie anglice* Cloak *dicitur*), *qualem ad manum habuit.* *ex Anglia*

99 *Atque id genus munuscula, licet lanea aut linea, non infimi pretii fuisse inde conjicimus, quod lana jam magni fiebat, ut monstrat laudatus Strutt* (*m*) *e legibus Inæ, regis Saxonum occidentalium, qui circa finem sæculi* VII, *sanxit c.* LV (*n*), *ut* ovis cum agno suo valeat solido, usque ad decimum quartum diem a Paschate. *Solidus autem quinque denariis constabat, ut monstrat Wilkins in suo Glossario v.* manca, marca (*o*); *cum vero* vellus ovis duobus denariis *æstimaretur ex lege* LXIX (*p*), *consequens fit, ut vellus seu lanam æquivaluerit duabus quintis partibus* ovis cum agno suo. *Huc etiam facit, quod sæculo decimo tertio exeunte, anno scilicet* 1292, *in Gallia rarus esset adhuc usus lanæ seu lini in vestimentis, ut demonstrat Cl. V. Géraud* (*q*) : *siquidem illa tempestate Parisiis lineorum* XXII, *laneorum vestimentorum mercatores* XIX *tantum exsisterent. Pelliparium, ut appellabantur illi qui pelles animalium ad vestes præparabant, numerus ad* CCXIV *excurrebat : hinc conjectare licet lanam et linum* *ad Germanos* F

(*a*) Mabill. Act. SS. Bened., sæc. II, p. 1009. — (*b*) Colitur XII Januarii. — (*c*) T. VII Sept., p. 132, n. 44 et 45. — (*d*) Ibid., p. 126, n. 17. — (*e*) Circa usum mittendi xeniola vid. Mabill. Act. SS. Bened., sæc. III, part. I. Vita ven. Bedæ, p. 554, et Haeften Disquis. monast., lib. IV, tr. VII, disq. IV, p. 430 et seq. — (*f*) Würdtw., p. 299. Ser. LXXIV. — (*g*) Ibid., p. 286 Ser. XC. — (*h*) Ibid., p. 300. Ser. LXXXVI. — (*i*) Ibid., p. 305. Ser. LXXXII. — (*k*) Ibid., p. 308. Ser. LXXXVI. — (*l*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. — (*m*) Anglet. anc., t. I, p. 182. — (*n*) Wilkins, Leges Anglo-Sax., p. 23. — (*o*) Ibid., p. 415. — (*p*) Ibid., p. 25. — (*q*) Paris sous Philippe-le-Bel, p. 518 et 530.

AUCTORE J. V. H.

A *usus longe rarioris fuisse sæculo* VIII *in Gallia, et præsertim in Germania, id temporis plane barbara. Coronidis loco adjungimus ex epist. int. Bonif.* CII, (*a*) *Ingalicen* Lullo *quatuor cultellos, et ex epist.* CXXIV (*b*) *Gutberchtum viginti cultellos misisse : quo confirmatur dictum Strabonis* (*c*), *e Britannia præter plumbum album seu stannum, etiam ferrum commercii causa exportatum fuisse. Cfr J. Cæs. de Bell. Gall. l.* V, *c.* XII.

et horum ad Anglos

100 *Neque suis partibus deerat Germania : donabat imprimis pannos ciliciarios, seu e lana caprina redactos, ut docent nos epist.* XII *et* XXXVII (*d*), *nec non villosos* (*e*) (*quales, teste Strabone, Geogr. l.* IV, *texebantur apud Belgas ex lana aspera, unde nomen villosi fortassis manavit*). *Celebrabantur quoque e Germania oriundi accipitres et falcones, quia, ut ait Æthilbertus rex, epistola* LXXXIV (*f*) : Perpauci hujus generis accipitres in nostris regionibus, hoc est in Cantia, reperiuntur, qui tam bonos producant fœtus et ad supradictam artem (*capiendi grues*) agiles ac bellicosi educentur, edomentur, ac edoceantur. *Videtur etiam ars vitraria in Galliis tunc satis exculta fuisse* (*g*); *nam laudatus paulo supra Gutberchtus ad Sanctum scribit* : Si aliquis homo

B in tua sit parochia, qui vitrea vasa bene possit facere, cum tempus arrideat, mihi mittere digneris; aut si fortasse ultra fines est in potestate cujusdam alterius, sine tua parochia, rogo ut fraternitas tua illi suadeat, ut ad nos usque perveniat, quia ejusdem artis ignari et inopes sumus. *Idem Gutberchtus petit citharistam sibi mitti,* quia, *ait,* citharam habeo, et artificem non habeo. *Citharam, ipse scriptor etiam* rottas *seu* roctam *appellat, genus instrumenti musici, secundum Strutt* (*h*) *lyram tetrachordam, quam tamen Notkerus, apud Du Cange v.* Rocta, deltæ *figuram referre propter mysterium dicit. S. Bonifacius quoque epist.* XXXVII (*i*) *ad Ekbertum Eboracensem mittit* duas vini cupellas, *petens ut* inde lætum diem cum fratribus suis faceret.

ultro citroque

101 *Præter hæc munuscula, quasi indigena, submittebant Germani in Angliam varia, quæ propter frequentius commercium cum Oriente, abundantius in Galliis habebantur. Sic sericum, de quo jam egimus supra num.* 97, *a Germanis donabatur : sicut et aromata, ut exhibent epist.* XVI, XXXV *et* LXXI (*k*); *hæc tamen non raro ex Italia proveniebant, ut liquet e variis epistolis. Sic* Gemmulus, diaconus sanctæ Sedis apostolicæ, *epist.* LXVIII *et* LXIX (*l*), ad vicem

C caritatis, cum magna reverentia dirigit *ad S. Bonifacium* cinnamomum uncias quatuor, piper libras duas, cozumbrem libram unam. *Est autem cozumber, dictus etiam* coczumber, coczimber, cotzumber *seu* cozamber, *suffimenti genus pretiosum, de quo idem Gemmulus dicit* incensum *esse, Domino offerendum,* temporibus matutinis et vespertinis, sive dum Missarum celebrantur solemnia, miri odoris atque fragrantiæ. *Atque hæc de hujusmodi donariis dicta sufficiant : neque vacat enumerare munuscula aurea et argentea, quibus invicem se ornabant viri illi apostolici. Quod si quis hanc liberalitatem mutuam reprehendat, recordetur, quæso, istiusmodi donaria simul amicitiæ tesseram et eleemosynam charitatis fuisse.*

missis.

102 *Restant adhuc quinque epistolæ a S.* Lullo *scriptæ, de quibus paucis nobis agendum est. Jam recensuimus supra n.* 10, *epistolam* Lulli *ad Kanebadam abbatissam : et num.* 18, 19 *et* 91, *quas idem scripsit litteras ad Dealunum, Leobgytham et Gut-* D *berchtum. Superest igitur una epistola inter Bonif.* CIII (*m*), *ad Gregorium Ultrajectinum directa, de qua jam egimus supra n.* 18 : *notatu præterea digna in hac occurrit descriptio quorumdam clericorum aut fortassis monachorum nimis sæculariter viventium :* Inter temporalem, *ait,* prosperitatem et æternam felicitatem, multum distare quis peritorum ignorat? Discamus igitur hac temporali potestate frui præter æternam felicitatem, et in cujus comparatione nobis omnia vilescant. Vestimenta pretiosa, caballos farre pastos, accipitres falconesque cum curvis unguibus, latrantes canes, scurrarum bacchationes, cibi potusque exquisitæ dulcedinis saporis, argenti aurique rutilantis pondera spernamus, ne sit mollis culcitræ pausatio, molliaque cervicalia a viris potius exhibeantur, quam a flammeis puellis. Ante omnia incauta familiaritas extranearum fœminarum abscindatur, quia sæpe seducimur incauta securitate pejus, quam aperta tentatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandestina divinarum scripturarum eloquia expellant, quia illa fovea omni custodia cavenda est, per quam plurimos miserabili ruina, conspicimus corruisse. E

§ XI. De anno et die obitus S. Lulli.

Non consentiunt eruditi in

Annus S. Lulli *emortualis inter eruditos controvertitur : alii enim statuunt annum Christi* 786 : *cum non sint pauci qui annum sequentem præferendum sibi censeant : ut nihil dicam de Alfordo nostro, qui sub anno* 788 *obitum collocat* (*n*) *contra omnium scriptorum sententiam. Ambigitur quoque de die obitus Sancti nostri; cum aliis placeat dies* XVII *kalendas Novembres, alii vero ipsis kalendis eum obiisse contendant. Prius de anno emortuali, utpote graviori quæstione, agemus, infra brevibus expedituri, quæ ad diem pertinent. Mirum imprimis est Nicol. Serarium* (*o*) *dicere* consensionem majorem *esse* in obitus anno 787. *Si inter recentiores hujusmodi majorem consensionem diceret Serarius, lubens assentirer : verum ipse Marianum Scotum referens, satis monstrat se de veteribus loqui voluisse : inter hosce vero ne unum quidem reperi, qui aperte dicat S.* Lullum *anno* LXXXVII *sæculi octavi diem* F *supremum obiisse. Ipse Marianus, quem auctorem hujus sententiæ facit Serarius, contrarium potius insinuat. En ejus verba* (*p*) : DCCXXXLVII. . . Lullus archiepiscopus Moguntinus obiit. Richolphus ordinatur in episcopum IV nonas Martii apud Fritislar. *Ad hunc annum certe pertinet ordinatio Riculphi : norunt enim omnes consecrationem episcoporum illis præsertim sæculis die Dominica consuevisse celebrari; illo autem anno, littera dominicali* g *signato, quartus nonas seu quartus dies Martii in Dominicam incidebat : neque ulla succurrit ratio aut veterum auctoritas, cur viventi* Lullo *Riculphum successisse dicamus, ut perperam insinuat auctor Vitæ in collectione Butleriana. Certum itaque est, ut infra quoque monstrabo, præmortuum fuisse Sanctum, cujus obitus, cum ab Octobri aut Novembri dimoveri non possit, consequens fit, ut, ipso quoque Mariano non repugnante, mors S.* Lulli *anno Christi* 786 *alliganda videatur.*

(*a*) Würdtw., p. 272. Ser. XXXIX. — (*b*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. — (*c*) Geogr., lib. IV, cap. V. — (*d*) Würdtw., p. 33. Ser. III, et p. 84. Ser. CL.—(*e*) Ibid., p. 120. Ser. VIII.— (*f*) Ibid., p. 244. Ser. XL. — (*g*) Ibid., p. 311. Ser. LXXXIX. — (*h*) Anglet. anc., t. I, p. 121. — (*i*) Würdtw., p. 86. Ser. LXXXV. — (*k*) Ibid., p. 45. Ser. VII, p. 82. Ser. V, p. 188. Ser. X. — (*l*) Ibid., p. 180 et seq. Ser. CXLVIII et seq. — (*m*) Ibid., p. 274. Ser. XLV. — (*n*) Annal. Eccl. Britanniæ, an. 788, n. 4. — (*o*) T. I Rer. Mog., p. 377. — (*p*) Pistor. Scriptt. rer. Germ., t. I, p. 635.

definiendo anno

104 *Præter Marianum laudatum, quem nemo*
A *dubium testem esse diffitebitur, allegatur quoque Hermanni Contracti chronicon a Gaspare Sagittario* (*a*) : *sed perperam; cum variæ sint lectiones, et sub utroque anno notatus obitus reperiatur, ut videre est apud Pistorium* (*b*). *In editione vero, quam novis curis adornavit Æmilianus Ussermann, Benedictinus e Congregatione S. Blasii, anno* 1790, *absolute dicit sub anno* DCCLXXXVI (*c*) : Lullo Mogontiensi archiepiscopo Richulfus successit. *Hæc lectio, prout jacet, posset fortassis aptius convenire anno sequenti, cum non adeo obitum* Lulli *indicare, quam adeptionem cathedræ Moguntinæ per Riculphum videatur : non itaque repugnabo, si quis alteram lectionem præferendam sibi esse ducat : ast mecum consentiet, per hanc nihil præjudicari opinioni, quæ diversis annis connectit et S.* Lulli *obitum et successoris sui Riculphi ordinationem.*

emortuali

105 *Submotis hisce quasi viarum impedimentis, facilius procedet scriptorum antiquiorum agmen, unanimi voce dicentium S.* Lulli *obitum anno Christi* 786 *affigendum esse. Testatur id imprimis Lambertus Schafnaburgensis, Hersfeldii monachus, auctor eximie accuratus et domesticus; hic sub hoc*
B *anno habet* (*d*) : Sanctus Lullus archiepiscopus obiit, cui Richolffus successit. *His consonant antiquiores Annales, scilicet Fuldenses seu Laureshamenses coævi, utpote qui in annum Christi* 817 *desinunt* (*e*) : Lullo Moguntiacensi episcopo defuncto Richolf successit. *Neque hic retorqueri potest idipsum, quod circa lectionem Hermanni Contracti numero sup. objeci; nam in systemate adversariorum neutrum indicato anno conveniret, non Richulfi ordinatio, quæ omnibus consentientibus in annum sequentem rejicienda est, non* Lulli *obitus, quem in hunc quoque annum repositum volunt : manifeste igitur pro nostra sententia faciunt illi scriptores, qui Riculphi pontificatum sub hoc anno reponunt.*

S. Lulli,

106 *Moissiacense chronicum, in an.* 818 *desinens, habet* (*f*) *sub anno* 786 : Pavor ingens et metus in populo irruit, ac mortalitas magna postea sequuta est : et Julius archiepiscopus obiit. *Cl. vir Georg. Henr. Pertz non solum probat correctionem a Benedictinis factam, ut pro* Julio Lullus *legatur; sed textum ipsum referre* Lullum *opinatur* (*g*), *quia* non intellexerunt litterarum *i* et *l* eo ævo figuram *Chesnius et Benedictini. Nostrum non est hanc qualemcumque litem, quum coram non habeamus exemplar*
C *manuscriptum, componere : unum dicendum videtur in specimine manuscriptorum a Cl. Pertz exhibito, optime ab invicem distingui utramque litteram, ut inspicienti manifestum fiet. Sequuntur in ordine temporis, siquidem solum in annum* 900 *excurrant, annales Fuldenses, qui iisdem verbis annales Laureshamenses repetunt* (*h*). *Idem facit chronicon Quedlinburgense, in anno* 1028 *desinens* (*i*). *Annales Wirziburgenses, quorum limes est annus primus sæculi duodecimi, sub idem tempus referunt* (*k*) : Lul Mogontiacensis archiepiscopus obiit, cui Richolfus successit. *Plura alia testimonia afferre possemus, sed hæc, quatenus antiqua, sufficiunt : maxime, si, ut supra monuimus, attendatur nullus ex antiquis clare et peremptorie adversæ sententiæ favisse.*

alii pro anno 787, *alii pro præcedenti stantes :*

107 *Quanta vero est inter antiquos scriptores consensio circa annum S.* Lulli *emortualem, tanta est inter recentiores eruditos dissensio. In annum* LXXXVII *sæculi octavi vitam prorogant Nic. Serarius noster* (*l*), *Cointius* (*m*), *Gasp. Sagittarius* (*n*), *Remig. Ceillier* (*o*), *Alban. Butler* (*p*); *Mabillonius, tum in Actis SS. Ord. S. Benedicti* (*q*), *tum in ejusdem Ordinis Annalibus* (*r*) *dubius hæret, quamvis sententiæ recentiorum satis se propensam ostendat. Sed antiquiorum opinionem amplectuntur Pagius* (*s*), *Eckhardt* (*t*) *et Sigismundus Calles noster* (*u*). *Quæ multos recentiores impulit, ut in annum* 787 *mortem S.* Lulli *rejicerent, ratio petitur e consecratione S. Willehadi in Bremensen episcopum, quæ* III *idus Julii anni* 787 *celebrata fuit, cuique Sanctum nostrum interfuisse contendunt. Sanctum vero Willehadum dicto anno, et illa die, quamvis Dominica non esset, consecratum fuisse, extra omne dubium ponit Vita ejus coæva, a S. Anschario conscripta : mortuus enim* VI idus Novembris die dominico, *mansit in pontificatu* annis duobus, mensibus tribus, diebus viginti sex (*x*) : *unde inito calculo, prædictum annum et diem consecrationis reperimus.*

AUCTORE J. V. H.

D

posteriori sententiæ favet antiquitas,

108 *Ast non æque certum est* Lullum *huic ordi-*
E *nationi adfuisse : fundamentum id asserentium in diplomate præsertim, quod pro Bremensi Ecclesia dedit Carolus Magnus, nititur. In illo Carolus, narrata de Saxonibus victoria gentisque subjectione, vult illos* pristinæ libertati donatos et omni debito censu solutos, *Deo* tributarios et subjugales esse : *dein* in Wigmodia, in loco Bremon vocato, episcopalem statuit cathedram. *Pergit dein :* Summi Pontificis et universalis Papæ præcepto, necnon et Moguntiacensis episcopi Lullonis, omniumque qui affuere consilio eamdem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis, Willehado, probabilis vitæ viro, coram Deo et sanctis ejus commisimus. Quem etiam primum ejusdem ecclesiæ III idus Julii consecrari fecimus episcopum. . . . . Data II idus Julii, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni Domini Caroli XXI. Actum in Palatio Nemesensi feliciter. Amen (*y*). *Verum dies consecrationis S. Willehadi, sine addito anno, hic certe mendosus est : datur enim intelligere anno dati diplomatis Willehadum episcopum factum, quod anno præcedenti contigit, ut supra vidimus. Immo ipse annus Incarnationis, prout in diplomate legitur, cum indictione et annis regni Caroli non concurrit : quare multi annum* 789 *ponunt.*

F

nec obstat

109 *Ad diem* VIII *Novembris, quo de S. Wille-*
hado agetur, examinari poterit citatum diploma, quod non pauci sublestæ fidei arguunt (*z*). *Sed, admissa ultro authentia citati diplomatis, illud ita explicandum censeo, ut cum laudatis supra annalibus concordare possit. Duo hic distinguenda sunt : constitutio episcopatuum in Saxonia, et ordinatio episcoporum : hanc etiam post mortem S.* Lulli *prorogare licet; illam vero, vivente sancto archiepiscopo, factam fuisse monstrat Eigil in Vita S. Sturmii, qui* (*aa*) *anno* LXXXIX VIII *sæculi, die* XVII *mensis Decembris, obiit :* Rex Karolus, Domino semper devotus, cum ipse christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc (*Saxonum*) Christo acquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio, poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congre-

(*a*) Antiquit. Ducat. Thuring., p. 91. — (*b*) Scriptt., t. I, p. 221. — (*c*) Collect. Monum., t. I, p. 127. — (*d*) Pistor. Scriptt. t. I, p. 310. — (*e*) D. Bouquet SS. rer. Gall., t. V, p. 329. — (*f*) Ibid., p. 72. — (*g*) Monum. Germ., t. I, p. 298. — (*h*) Ibid., p. 350 et D. Bouquet SS., t. V, p. 329. — (*i*) Leibn. SS. rer. Brunsw., t. II, p. 276. — (*k*) Pertz Monum. Germ., t. II. p. 240. Eckardt. Franc. Orien., t. I. p. 807. — (*l*) T. I Rer. Mog., p. 377. —(*m*) Ann. Franc., h. a. § XXIX. — (*n*) Antiq. Duc. Thur., p. 91. — (*o*) Aut. Eccles., t. XVIII, p. 220. — (*p*) XVI Oct. Edit. Lov., t. XVI, p. 26. — (*q*) Sæc. III, part. II, p. 398. — (*r*) Ad. h. a., lib. XXV, § LXXIV, t. II, p. 266. — (*s*) Crit. ad an. DCCLXXXVI, § XI. — (*t*) Franc. Orient., t. I, p. 715. — (*u*) Ann. Eccl. Germ. t. II, p. 458. — (*x*) Pertz, Monum. Germ., t. II, p. 384. — (*y*) Harzheim Conc. Germ., t. I, p. 259. — (*z*) Ludewig. Rel. MSS. præf. § XXIII. — (*aa*) Pertz, t. II Monum. Germ., p. 376.

gato

AUCTORE J. V. H.

gato tam grandi exercitu, invocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, adsumtis universis sacerdotibus, abbatibus, presbyteris, et omnibus orthodoxis atque fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suave Christi jugum credendo subire fecissent. Quocum rex pervenisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi convertit. Et post non longum tempus totam provinciam illam in parochias episcopales divisit, et servis Domini ad docendum et baptisandum potestatem dedit. Tunc pars maxime Beato Sturmi populi et terræ illius ad procurandum committitur.

tempus

110 *Eigilis verba, si curiosius sequamur, efficerent, ut divisio episcopatuum in Saxonia cum anno saltem emortuali S. Sturmii concurreret. Sed, illo quidem vivente, serio alloboratum fuit convertendis Saxonibus, quin adhuc de erigendis episcopatibus actum fuerit : ipse textus illud aliquantulum indicat :* Post non longum tempus totam provinciam illam in parochias episcopales divisit : *parenthesis est, quæ in unum alterumve annum post Sturmii mortem excurrit; passim namque eruditi monstrant divisionem Saxoniæ ecclesiasticam ad annum* LXXX *aut* LXXXI *sæculi octavi pertinere* (*a*). *In quam sententiam collimant antiquorum scripta : Lambertus Schafnaburgensis* (*b*) *sub anno* 781 *refert :* Carolus divisit terram inter episcopos in Saxonia. *Annum præcedentem indigitat Fragmentum Annalium Francorum* (*c*) : Divisit patriam (*Saxonicam*) inter presbyteros et episcopos, seu et abbates, ut in ea baptisarent et prædicarent. *Idem habet iisdem pene verbis Chronicum Moissiacense* (*d*). *Clarius id exprimit Chronicum Quedlinburgense* (*e*), *circa annum cum Lamberto concurrens :* Karolus. . . . terram Saxonum inter episcopos divisit, et terminos episcopis constituit. *Tunc igitur Saxonia in octo episcopatus divisa est, ut nobis testatur Adamus Bremensis* (*f*), *scilicet Bremensem, Osnabrugensem, Monasteriensem, Mindensem, Halberstadiensem, Verdensem, Schidrensem, Paderbornensem.*

consecrationis

111 *Jam vero hanc episcopatuum in Saxonia institutionem de consilio episcoporum factam fuisse habemus ex teste coævo, monacho Corbejensi, scriptore scilicet translationis S. Viti. Hic promiserat breviter adnectere suo opusculo,* qualiter Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint (*g*) : *paulo infra suam fidem liberat, et, narrata subactione Saxoniæ, prosequitur dicens :* Quum autem requiem præstitissit ei (*Carolo*) Dominus a compluribus inimicis suis, convocavit omnes, qui sub sua ditione erant, majores, sacerdotes et principes, atque studiosissime quæsivit, quomodo veram fidem veramque religionem in universo regno suo firmaret. Quævisit etiam nihilominus sacerdotes bonæ spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipsos secundum ecclesiasticam fidem docerent, domos episcoporum atque ecclesias constituerent. Sed cum omnem ordinem ecclesiasticum in illa regione tradidisset, qualiter ibidem monasticam religionem instituere potuisset, invenire nequivit. *Institutio igitur episcopatuum, de consilio* Lullonis *omniumque, qui affuerunt, pontificum facta fuit anno Christi* 780 *aut sequenti : unde quoque consequitur suam manere diplomati Carolino pro Bremensi Ecclesia veritatem, quin S.* Lullum *consecratorem Willehadi faciamus.*

S. Willehadi Bremensis.

112 *Cæterum hæc eadem e Vita S Willehadi habemus : nam, narrata ejus ordinatione Wormatiæ* III *idus Julii habita, addit S. Anscharius Vitæ scriptor :* (*h*) Sicque ipse primus in eadem diœcesi sedem obtinuit pontificalem. Quod tamen ob id tamdiu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cum presbyteros aliquoties secum manere vix compulsa sineret, episcopali auctoritate minime regi patiebatur. Hac itaque de causa septem annis prius in eadem presbyter est demoratus parochia, vocatus tamen episcopus, et secundum quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans. *Quibus verbis clarissime patet Willehadum jam habuisse diœcesim et jurisdictionem episcopalem anno* LXXX *sæculi octavi. Cum itaque separari debeat institutio episcopatus Bremensis a S. Willehadi ordinatione intervallo septem annorum, nulla occurrit ratio, ut, cum hæc diœcesis commissa illi fuerit de consilio* Lulli *et aliorum episcoporum, etiam ordinationem eidem antistiti tribuamus. Ruit igitur, quæ recentiorum opinationem movit, ratio, ut mortem S.* Lulli *anno* LXXXVII *adscriberent; et proinde nihil obstat, quominus antiquorum scriptorum sententiam amplectamur.*

Controvertitur quoque dies,

113 *Circa diem S.* Lulli *emortualem est quoque, licet non tanta, opinionum diversitas : Remigius Ceillier* (*i*), *auctores Franciæ litterariæ* (*k*) *et Alban. Butler* (*l*) *ponunt diem mortis ipsis kalendis Novembris : nec alium suæ sententiæ vadem videntur habere, quam Joannem Gerbrandum, Carmelitam sæculi* XV *in finem vergentis, qui in suo Chronico Belgico dicit* (*m*) *:* Tandem cum diu Ecclesiam Maguntinensem rexisset, sciens ex revelatione Spiritus Sancti instare diem dormitionis suæ, ad Herveldense monasterium, ubi jacere volebat, se transtulit, ibique trigesimo secundo anno ordinationis suæ migravit ad Dominum. *Facile quisque mecum concedet, non magnæ auctoritatis esse scriptorem, qui sæculum* XVI *tantum non attigit. Credo equidem laudatos auctores motos fuisse adnotatione Joan. Mabillon* (*n*) *dicentis :* Albuinus colitur VII kalendas Novembris (XXVI *Octobris*). Cum vero eodem anno Lullus, et quidem post eum, decesserit; si bene notatus est Albuini depositionis dies, Lullus XVII kalendas Novembris obiisse non potuit, sed potius kalendis Novembris, quo die ejus obitum reponit Joannes Gerbrandus in Chronico Belgico. *Hæc Mabillonius, et recte quidem si* certo *constaret de obitus die Albuini.*

sed absque idoneo

114 *Reperio equidem Albuini depositionis diem notari sub* VII *kalendas Novembris; ast ista mentio indicatur in solis menologiis Benedictinis Menardi et Bucelini; et quas hic affert auctoritates, ad posteriora sæcula pertinent : unde non est, unde iisdem remoremur; maxime cum dubius valde nobis videatur cultus S. Albuini, aut saltem intra angustissimos limites coarctatus, utpote cujus nulla mentio occurrit in Auctariis Usuardi a Sollerio citatis. Hæc porro quæstio ad diem* XXVI *Octobris examinabitur. Hinc facile obrepere potuit error in die depositionis notanda. Ast aliud omnino est cum* Lullo *nostro : hic primariæ sedis episcopus, sanctitate, rebus gestis, miraculis clarus, non ita latere potuit. Cum itaque Moguntina Ecclesia semper perseverarit in colendo S.* Lullo *ad diem* XVI *Octobris,*

(*a*) Schaten Hist. Weşphal., lib. VII, p. 317. — (*b*) Pistor. Scriptt., t. I, p. 310. — (*c*) Bouquet Scriptt., t. V, p. 26. — (*d*) Ibid., p. 367. — (*e*) Leibn. Scriptt., t. II, p. 275. — (*f*) Lindenb. Scriptt. Septentr., p. 4. — (*g*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 577. — (*h*) Ibid., p. 383. — (*i*) Aut. Eccles., t. XVIII, p. 220. — (*k*) T. IV, p. 172. — (*l*) Edit. Lov. ad XVI Octob. — (*m*) Sweert. Rer. Belg. Annal., p. 45. — (*n*) Ann. Bened., lib. XXV, § LXXIV, t. II, p. 266.

illumque

A *illumque eadem hac die depositum censeat : nulla mihi occurrit ratio, cur ab illa opinione discedatur, quam confirmat etiam silentium Usuardinorum Auctariorum; nullum enim Sanctum nostrum kalendis Novembribus refert; immo Marianus Scotus expresse habet* (*a*) : Lullus archiepiscopus Moguntinus obiit XVII kal. Novemb. hora diei secunda.

ut monstratur, fundamento.

115 *Mortuus fortassis fuerit* Lullus *ex pestilentia tunc grassante, uti docet nos fragmentum Annalium Francicorum* (*b*), *quod, relatis variis in cœlo signis, addit sub anno* 786 : Postea vero mortalitas magna fuit et Lullus archiepiscopus migravit de hac luce. *Cum vero post repentinam Albuini mortem, paucis interjectis diebus et* Lullus *occubuerit, fieri potest ut hæc strages vigenti mortalitati adscribenda sit. Porro* Lullus, *ut supra num.* 30 *et seqq. vidimus, ordinatus fuit episcopus mense Martio anni* 754. *Ad Martium itaque anni* 786 *triginta duo anni solidi intercurrunt : sunt tamen nonnulli, qui hos annos non solidos computant, sed inchoatos, ut auctor Vitæ infra edendæ, quia, ut dicit Pagius* (*c*), antiqui, si contingeret aliquem episcopum dignitati renuntiare, modo annos quibus superstes erat eidem, modo successori ejus adscribebant; *quod dein*

B *allatis quibusdam exemplis illustrat. Sic quoque interpretari nos oportet Marianum Scotum* (*d*), *cum sub anno* 755 *dicit* Lullum post Bonifacium successisse in episcopatu annis triginta et duobus. (*Cfr supra n.* 103). *Ab hac enim epocha seu ab obitu S. Bonifacii annus trigesimus secundus inchoatus est, neutiquam vero completus.*

§ XII. De S. Lulli Reliquiis earumque translationibus.

S. Lulli *corpus, Hersfeldii conditum,*

S. Lullus, XVI *Octobris anni* 786 *defunctus, sepulturam nactus est in fundato a se Hersfeldensi monasterio, in quo diem clauserat supremum, ut testatur Vitæ scriptor anonymus n.* 32. *Narrata repentina morte Albuini, pergit :* Archiepiscopus, tantæ rei miraculo nihil permotus, sed industrium mortis suæ præcursorem pronissimo favore amplexatus, navi jussit imponi et per Renum amne secundo devectum in loco, qui dicitur Hohstedi (*Hoechst*), exponi. Ubi

C cum ad funeris officium frequens de toto episcopatu populus occurrisset, magnifice susceptus per terram in Herveldense monasterium est translatus. Nec ulla funebrium bonorum (*honorum?*) ambitione caruit (si quis honor tumuli, si quod solatium humandi est), transmissa in omnes fide solida, quod magni momenti apud Deum sint ejus merita. At Beatus Lullus, eodem quo instituerat ordine, in monasterium Herveldense contendit. Ubi protinus morbo attactus, cum ordinationis suæ annum ageret tricesimum secundum, septimo decimo kalendas Novembris, honestissima morte perfunctus, naturæ concessit. Suumque præcursorem dextro tramite insecutus, cœlestis curiæ senatoribus est annumeratus. Nam quantis apud Deum emineat meritis, etiamsi vitæ clarissimæ ac insigniter actæ memoria obsolevisset, indicio tamen essent tot et tanta miracula, quibus licet carne mortuus, vivit tamen apud superstites, carne quondam viventi multo, ut ita dixerim, vivacius.

an. 852 *primum*

117 *Non diu sub terra jacuit Sancti nostri corpus, nam, ut habet laudatus scriptor Vitæ n.* 34 : Post traditum vero sepulturæ corpus Beati Lulli sexagesimus jam fluxerat annus, et fratribus, qui D tunc temporis in monasterio Herveldensi divinas agebant excubias, incidit in animum, ut sacra ossa levarent, et loco celebriori componerent. Cumque saxum, quo sarcophagus tegebatur, adhibita ingens religiosorum hominum vis amovisset, erat videre grande atque ab hominum memoria inusitatum miraculum. Corpus, tanto temporis processu terra obrutum, nullam senserit (*senserat*) corruptionis injuriam. Eam vultus venustatem, eam membrorum omnium dignitatem, eum vestimentorum quoque nitorem præferebat, ut ipsa eum die expirasse, aut sopore potius quam morte sepultum crederes. Sinistri tantum pedis caligulam vetustas absumpserat. Igitur cum illud immani pondere saxum, quod operiendo corpori comparatum diximus, huc atque illuc volutaretur, forte manus fugit volutantium, et fratri cuidam prope adstanti ita pedem contrivit, ut ossibus pariter cum carne comminutis, forma etiam pedis amissa, fœdum ac miserabile spectaculum præberet circumstantibus. Sed cito Beatus Lullus mœrentia fratrum pectora expedivit. Nocte enim proxima, cum languidum sopor oppressisset, ita repente suus membris omnibus vigor E rediit, ut hymnis quoque matutinalibus interesset, nulla tantæ calamitatis ne cicatrice quidem superstite.

elevatum,

118 *Lambertus Schafnaburgensis translationem S.* Lulli *in annum* 852 *reponit, dicens :* (*e*) Translatio Lulli in Cœna Domini, *quæ illo anno in septimum diem Aprilis incidit. Hinc liquet sexagesimum annum, de quo agit scriptor Vitæ, numerum hic, ut vulgo dicitur, rotundum esse : nam inter* Lulli *mortem et ejus translationem fluxerunt sexaginta quinque anni et quinque circiter menses. Occasionem translationi præbuit ædificatio ecclesiæ Hersfeldensis sub invocatione S. Wigberti, cui patroni tutelares ante fuerant Apostoli Simon et Judas. Hanc Bruno Hersfeldensis et Rabanus Fuldensis abbates inchoarant, jacto primo lapide anno Christi* 831, *feria secunda,* VI *idus Julii, ut accurate adnotat laudatus Lambertus; dedicationem quoque, eodem teste, peregit Rabanus, factus Moguntinus archiepiscopus, anno* 755, V *kalendas Novembris, qui dies SS. Apostolis Simoni et Judæ sacer est. Ejus proinde quoque auctoritate facta fuerit translatio, quæ, ut sat manifestum est e Vitæ scriptore, vera fuit elevatio corporis, beatificationi æquivalens. Nam,* F *ædificata nova ecclesia, decebat quidem fundatorem, licet fastis Sanctorum non adscriptum, illuc transferri : sed narratio Anonymi extra dubium ponit hujus facti quasi indolem, quod alio non collimabat, nisi ut S.* Lullo *cœlestes honores decernerentur.*

dein an. 1040 *in cryptam Hersfeldensem translatum fuit :*

119 *Simili ex occasione, secundum eumdem Lambertum translata fuerunt ossa S.* Lulli *anno Christi* 1040. Dedicata est, *ait* (*f*), crypta Herveldensis, atque in eam translatæ sunt Reliquiæ Sanctorum Confessorum Wigberti et Lulli. *Incendio quippe absumpta anno* 1037 *fuerat ecclesia Hersfeldensis, a Rabano olim dedicata : unde, instaurata crypta seu subterranea æde, repositæ hic fuere Reliquiæ Sanctorum. Post duplicem hanc translationem, nemo est qui ampliorem notitiam det de S.* Lulli *corpore, præter Veterem Indicem, a Browero nostro citatum* (*g*), *qui refert Sanctum nostrum Hersfeldii* requiescere corpore : *sed quoniam indiculi ætas non proditur, nobis minus utilis est ejus narratio. Juvat nihilominus notare e decem Sanctorum cor-*

(*a*) Pertz t. V, p. 548. — (*b*) Bouquet SS. t. V, p. 27. Pertz Monum. Germ., t. I, p. 33. — (*c*) Crit. ad an. DCCLXXXVI, § XII. — (*d*) Pistor. Scriptt., t. I, p. 633. — (*e*) Ibid., p. 312. — (*f*) Ibid., p. 317. — (*g*) Antiquit. Fuld., lib. II, p. 153.

AUCTORE J. V. H.

poribus, quorum nomina istic recitat, de novenis prædicari esse integra; *de solo autem S.* Lullo *dicit simpliciter :* Lullus episcopus requiescit hic corpore. *Unde satis clare datur intelligi tempore, quo Vetus Index conscriptus fuit, jam abfuisse partem corporis notabilem : quam Gandersheimium, in diœcesi Hildesiensi, translatam scribit Bodo, Clusinus monachus, sæculi* XVI *auctor. Rem exponit his verbis* (*a*) : Hoc quoque minime prætereundum censuerim, sed ratione summa posteritati præsentibus notificandum, quod isdem venerabilis pater (*abbas Wedego, qui monasterii clavum post medium sæculi* XV *tenuit,*) multis precibus, licet sæpe repulsam passus, a domina abbatissa et capitulo Gandesianæ ecclesiæ, matris nostræ, divi patris Lulli, Moguntinæ quondam Ecclesiæ archiepiscopi, venerandum caput obtinuit. Est autem superior pars capitis tota, frontem habens et occipitium : descendit vero ad nasum usque et aures, ita ut orbes oculorum pateant ex parte.

pars vero corporis

120 Quod ubi acceptum lætanter ad hoc cœnobium (*Clusinum*) portasset, quia tardo gradu repedavit, mensæ suæ imposuit, sicque reliquit. Verum cum jam quieti membra dedisset et somno indulgeret, strepitus quispiam gravis somno eum excitavit. At sono cessante, iterum sopori se dedit. Quo sic omnino dormiente, major graviorque priore strepitus dormientem a somno avocavit. Expergefactus, quidnam rei esset cogitavit : at cum vir esset nullis terriculis cedens umquam, iterum somno indulsit. Quo jam tertio plene dormiente, tertio etiam strepitus jam gravissimus insonuit, qui non solum virum expergiscebat, verum multo etiam timore perculsit. Qui in mentem revocans qualiter ob seram diei horam mensæ impositum venerandum caput reliquisset, mox surrexit, candelamque accendit, et cum reverentia pariter et timore caput sanctum accedens, ipsum istud levavit, atque in ecclesiam delatum sacro altari imposuit : sicque cum quietis locum repetivisset, amplius aliquid strepitus audivit minime. Eo tempore integrum divi patris antistitis Lulli corpus (dico autem ossa illius omnia) in ecclesia Gandesiana erat, ab aliisque separatum Sanctorum Reliquiis. Illius pollicem postea, dextrum puto, dominus Hermannus Wreden abbatissæ scriptor obtinuit. Hic beatissimus præsul monasterium Hirfeldense ædificavit, ubi sepulcrum illius est pulchrum valde: et non nisi molestissime ferunt fratres, si quis dicat, illis patronum tantum sublatum. At velint nolint, surrexit, non est ibi. Hoc in eodem monasterio dominus pater Godehardus abbas fuit, postea Hildesianorum episcopus. *Caute, ut patet e num. superiore, accipienda sunt Bodonis verba, et ita interpretari illa oportet, ut concedamus tamen partem Reliquiarum S.* Lulli *Hersfeldii esse relictam : maxime cum notum sit, quando de Sanctorum lipsanis agitur, non raro partem pro toto usurpari; quæ rhetorices figura gravibus sæpe dissidiis ansam præbuit.*

Clusinis data,

121 *Ex hactenus dictis elucet corpus S.* Lulli *Hersfeldii quievisse saltem usque ad annum Christi* 1040, *quo ejus translatio celebrata fuit : dein disceptatum fuisse quo tandem loco reconditum esset : ipso enim Bodone fatente, monstrabatur Hersfeldii* sepulcrum pulchrum valde, *quo patroni sui ossa contineri dicebant Hersfeldenses. Hæc ipsa disceptatio facit, ut anceps sit valde quæstio, quando corpus S.* Lulli *Gandersheimium translatum fuerit. Postquam me in omnem partem vertissem, nihil prorsus repe-* *rire potui, quo translationis occasionem explicarem. Succurrit dein, num fortassis corpus S.* Lulli, *Gandersheimium delatum, ex Ilmensi monasterio provenerit : (duos enim homonymos Sanctos forsitan esse jam prœmonuimus num.* 23); *quo casu sua utriusque monasterii assertioni staret veritas. Ast Bodo, unicus testis, diserte dicit* Lullum, *cujus Reliquiæ in Gandesiana basilica conservabantur, fuisse* Moguntinæ Ecclesiæ archiepiscopum, *eumdemque* monasterium Hirfeldense ædificasse; *ita ut nullus dubitandi locus relinquatur : nisi quis putet ob confusam a scriptoribus utriusque Sancti notitiam, etiam ad alterutrius Reliquias confusionem esse protendendam. Ast hic quoque omni idoneo testimonio destituimur. Malo itaque rem ancipitem relinquere, quam conjectando procedere.*

Hildesium,

122 *Quidquid itaque sit de hac controversia, non videtur Clusinum cœnobium diu thesaurum suum habuisse : nam aliquo jam tempore ante annum* 1581 *caput S.* Lulli *in ecclesia S. Elisabeth in honore habebatur, ut testatum facit Hermannus, monasterii S. Godehardi in civitate Hildesheimensi abbas, infra citandus : si tamen idem caput Clusium olim delatum sit; nam et hujus translationis neque tempus neque occasionem novimus. Certum tamen est Hildesheimii initio sæculi decimi septimi exstitisse* caput integrum et illæsum, *quod S.* Lulli *archiepiscopi Moguntini dicebatur, quodque deinde donatum fuit collegio Societatis Jesu Moguntiæ. Litteras donationis integras referemus, tum quia aliqua ad historiam spectantia continent, tum maxime ut operam conferamus, ne memoria Hermanni, sanctissimi et beneficentissimi abbatis, oblivione deleatur : quem, ut ait Serarius noster* (*b*), cum doctrina, præsertimque matheseos et juris peritia commendet, multo tamen magis commendant et exornant vera religio, integritas et humanitas, adeo ut ipsum etiam suspiciant, diligant ac venerentur hæretici, præclarum Benedictini nostra in Germania Ordinis, cujus aliquando præsidentem, ut appellant, egit, decus et ornamentum. *En porro Hermanni abbatis diploma :*

ac tandem ad templum

123 Hermannus, monasterii S. Godehardi, Ordinis Divi Benedicti, in civitate Hildesheimensi abbas, omnibus patentes has litteras lecturis salutem et felicitatem sempiternam. Quemadmodum olim populus Israeliticus sancti patriarchæ Joseph ossa ex Ægypto, ubi ultra trecentos annos quieverant, diligenti cura in terram sanctam adsportavit, decenterque condidit, ita et meum et cujuslibet Christi fidelis officium esse semper arbitratus sum, ut Sanctorum Deo placentium pretiosas Reliquias hoc infelici sæculo ab hæreticorum injuria contemptuque pro viribus vindicemus et eripiamus. Quare cum anno MDLXXXI ecclesia S. Elisabeth, extra muros Hildesheimensis civitatis sita, (in qua inter cæteras Sanctorum Reliquias Beati quoque Confessoris Lulli, archiepiscopi quondam Moguntini, caput hactenus asservatum et in honore habitum fuerat,) civium hujus loci opera subverteretur, sacrumque hoc pignus cum aliis Reliquiis quasi neglectum in separato quodam juxta cœmeterii murum loco collocaretur, e vestigio per sacerdotem catholicum, fidum ac Deum timentem, dictum S. Confessoris caput, cum aliis sacris lipsanis, illæsum et integrum, antiquis adhuc involucris tectum, inde auferri et ad monasterium nostrum transportari curavi, in quo hactenus sacrum hunc thesaurum honorifice asservatum successoribus meis tamquam singulare monasterii præsidium relinquere decreveram.

(*a*) Leibn. Rer. Brunsw., t. II, p. 352. — (*b*) Joan. Rer. Mogunt., t. I, p. 378.

societatis Jesu Moguntinum pervenit.

124 Quia vero veneranda Societas Jesu magnis a me precibus B. Lulli pretiosum caput pro collegio suo Moguntino sibi donari petiit, pro eo amoris affectu, quo dictam Societatem Jesu diligo, malui tali me thesauro potius privare, quam illius piis precibus eum denegare. Igitur una cum his litteris sæpe nominatum S. Confessoris Lulli caput integrum et illæsum, prout ad me transportatum fuit, prædicto collegio Moguntino offero et dono, illud rogans, ut hoc charitatis obsequium supra memorata Societas et præcipue ejusdem collegium Moguntinum precum suarum assiduitate compenset. In horum omnium fidem majorem litteras hasce manu propria subscripsi et sigillo monasterii consueto munivi. Hildesheimii die XII Decemb. anno Domini MDCIII. *Hæc Hermannus abbas. Nunc solo æquato templo Societatis Jesu Moguntino, ignoratur quid acciderit sacro capiti S.* Lulli, *quod adhuc forsitan delitescit, ut rescripsit ad me hodiernus episcopus Argentoratensis, Ill. ac Revmus D. Andr. Räss. Gloriabatur quoque Amorbacensis abbatia in Franconia, se inter sacras Reliquias brachium S.* Lulli *possidere, ut fidem nobis facit Ignatius Gropp, ejusdem asceterii sodalis Benedictinus* (*a*). *Damus* B *jam Vitam S.* Lulli *ex MS. Erlangensi, cujus auctaria uncinis inclusimus.*

VITA S. LULLI,

AUCTORE ANONYMO, UT VIDETUR,

MONACHO HERSFELDENSI.

a ***Ex MS. Erlangensi* a, *collato cum Legenda Sanctorum, edita Lovanii an.* 1485 *per Joan. de Westphalia.***

CAPUT I. *S. Lulli natales; profectio in Germaniam et promotio ad archiepiscopatum Moguntinum.*

C *S.* Lullus, *apud Anglo-Saxones natus,* b

Lullus apud Anglo-Saxones *b* haud obscuro, ut fertur, loco editus est, genere nobilis, fide tamen longe futurus nobilior. Operante siquidem in eo Spiritus Sancti gratia, cum lacte carnis lac sugebat divinæ caritatis; jamque in tenero lactentis infantiæ trunco pulcherrimos quosdam bonæ indolis flores præferebat. Nequaquam enim pro consuetudine hujus ætatis nugis aut lasciviæ animum addixit *, sed statim a tenero, ut ajunt, unge totum se festivæ spei tiro militiæ Christi devovit. Denique cum septimum ætatis annum attigisset, in monasterium se contulit *c*, ibique multos annos, cunctis ornatus virtutibus, exegit. Erat ei affluens Sanctarum Scripturarum scientia, qua nequaquam abutebatur in superbiam, sed verba vertens in opera, scientiam, quæ inflat, caritate, quæ ædificat, temperabat, et quo litteris instructior, eo in bonis operibus erat frequentior.

* adduxit *Lov.*

c

et monasticam vitam amplexus, * restringeret *Lov.*

2 Corpus suum quotidianis pene jejuniis in servitutem redigebat, atque, ut naturalem carnis fervorem restingueret *, nihil pensi habebat, quibus ærumnis exteriorem hominem afficeret. Sermo ejus * sale conditus erat, semperque in dicendo miram mansuetudinem atque humilitatem redolebat. Loquens enim ex abundantia cordis sui, vas Spiritus Sancti aliud non poterat eructare, quam quo plenum erat, mel caritatis et oleum lætitiæ spiritualis. Sola hæc ei esse solebat inter fratres sermonis materia, quam incerta et brevis ævi sit vita mortalium, quam cito emarcescant flores sæcularis gloriæ; felicem fore et omnium laude prædicandam antiquorum Patrum memoriam, qui vitæ carnalis spurcitias immaculato calle transissent, qui, triumphato hoste antiquo, tranquilla jam pace et Dei fruerentur contubernio; hos imitandos fore, ad horum consortia animo suspirandum, conversatione currendum, summis viribus enitendum. Hujusmodi verbis quotidie et se, ne circa propositum languesceret, incitabat, et fratribus suis non modicum divini amoris fomitem ministrabat. D

* *add.* sapientiæ *Lov.*

3 Eodem tempore in Gallia *d* Moguntiacensem archiepiscopatum administrabat *, prout probatæ per omnia fidei et magnarum in Christo virtutum, Bonifacius, qui ex eisdem Britanniæ * partibus propter Deum peregre profectus fuerat, et prædictum virum consanguinitatis linea proxime attingebat. Hic regimen pontificale ingressus, reperit per totam pene Galliam, in aliis quidem locis plurimas pristinæ gentilitatis fæces *e* resedisse, in aliis vero fidei calorem, superabundante iniquitate, ad purum refrixisse. In immensum ergo cernens messem excrevisse dominicam, tempora vero illa magnam pati operariorum penuriam, remisit in Britanniam *, et multos quorum spectatam habebat fidem et exuberans tam facundiæ quam scientiæ spiritualis flumen, exinde in opus euangelii evocavit. [Nonnullas etiam fœminas ascivit ad instruendam in Galliis castitatis ac pudicitiæ scholam; quarum pleræque ab utero matris se propter regna cœlorum castraverant sub professione virginitatis, pleræque thorum conjugalem expertæ, secundam post virginitatis naufragium tabulam, viduitatem amplectebantur. Inter has erat matertera Beati Lulli, virilis admodum animi et masculæ virtutis fœmina, nomine Cunihilt, cum filia sua, quæ, excepto virginitatis privilegio, scientia quoque et morum gravitate matrem æquabat. Quæ in Thuringia monasteriis fœminarum prælatæ, vitam magnis virtutibus claram exegerunt *f*, multosque adprime in sæculo florentes, tam viros quam fœminas, ad æmulationem instituti sui excitaverunt. E

in Germaniam d

* *add.* vir *Lov.*

* Hiberniæ *Lov.*

* Hiberniam *Lov.*

e

f

F

4 Igitur postquam celebris per Britanniam rumor percrebuit de feliciter gestis rebus Beati Bonifacii,] S. Lullo, adhuc in monasterio constituto, [cum jam diaconus esset ordinatus,] nobilis quædam flamma exarsit in pectore, ut viro Dei *, tam necessaria occupatione perfuncto, opem ferret, [nec in tanto necessitatis articulo] castris Dei se subtraheret. [Indignum scilicet, nec rationibus suis satis honestum fore arbitrabatur, ut peregrinationem hanc difficilem et arduam duceret, quam totiens infirmior fœmina usurpasset. Paucis itaque diebus deliberatione secum habita,] patrem * monasterii adiit, eique, quid animo agitaret, aperuit. A quo multis modis tentatus, cum nulla arte, nullis verborum blanditiis deduci posset a sententia *, vale faciens fratribus, iter aggressus est, cunctis eum flendo prosequentibus et tam audaci cœpto felicem exitum imprecantibus. Profectus est itaque festinanter, [Deum habens itineris socium et omnium quæ proficiscenti obstitissent, propulsorem,] et post * multos terra marique labores, tandem intravit Germaniam. [Tum temporis sum-

proficiscitur,

* *add.* Bonifacio *Lov.*

* *add.* igitur *Lov.*

* a sententia revocari posset *Lov.*

* per *Lov.*

(*a*) Hist. Abbat. Amorbac., p. 133.

mam

AUCTORE ANONYMO.

mam rerum in Galliis tenebat Carolus, major-domus regni Francorum, vir, incertum est, fide an armis præstantior. Hic est enim Carolus senior, qui inter cætera, quæ egregie et fortiter fecit, cum Sarracenis, qui in Gallias irruptionem fecerant, bis conflixit et eorum copias duobus præliis ita attrivit, ut alias CCCLXXV millibus, alias pene totidem millibus cæsis *g*, pauci qui superfuerant, vix et ægre in Hispaniam, unde eruperant, se reciperent.

g

et benigne excipitur a S. Bonifacio; * et cum se *Lov.*

5 Igitur cum S. Lullus se *] Beato Bonifacio præsentasset, gratissimum ejus habuit adventum, [non tantum in eo veneratus jura propinquitatis, qua ei, sicut est prædictum, familiariter accedebat, quantum fidei fervorem, ingenii acumen, affluentissimam Sanctarum Scripturarum scientiam, de quibus rebus jam pridem ad eum fama detulerat. Cumque aliquantis diebus eum apud se retinuisset, et ex convictu domestico certiora jam cepisset experimenta conversationis ejus et flagrantis in Deum animi, vir acris ingenii et verum cœli animal, plenum oculis ante et retro, intellexit hunc divinitus in Gallias destinatum, ut sibi, jam in decrepitam ætatem vergenti, onus pastoralis curæ allevaret : invitum igitur eum ad gradum presbyterii promo-

A

B

vit. Alios tamen, quos habere poterat, industrios verbi ministros circumquaque ad euangelizandum gentibus regnum Dei transmisit, hunc assiduo secum habuit et per omnia familiare sibi contubernium præstare voluit, quatenus suo specialius instrueretur exemplo, et jam nunc usu addisceret, quam strenue domo Dei præesse deberet.]

a quo, in Frisiam proficiscente, * *add.* autem *Lov.*

6 Multis * diebus [post hæc] evolutis, cum Dei vir Bonifacius jam supremam ætatem ageret, [et debilitate corporis fractus, non posset diutius synodos frequentare et cætera pontificalis officii munia explere,] incidit ei in animum, ut * in Frisiam iret *h*, et gentilis populi barbariem gladio spiritus, quod est verbum Dei, debellaret. [Ante quidem idem opus attentaverat, sed effera natio et parum a bestiali sævitia distans, non leviter ferebat extorquere sibi inolitam consuetudinem idololatriæ, nec leve Christi jugum sustinere poterat, quæ pro impetu animi petulantis passim in omnes se libidines transfundere consueverat. Unde vir Dei, necessitati cedendum ratus, recesserat et vitam suam, adhuc per multa Ecclesiæ profuturam, furentibus et manum sibi jamjam inferre volentibus subtraxerat. Nunc autem cum vitæ cursum consummasset et in

* *add.* secundario *Lov.*

h

C

ipso, ut ita dicam, vitæ cœlestis portu navigaret, cœptum, a quo eum difficultas rejecerat, mente promptissima repetivit,] edoctus * a Spiritu Sancto, quod humanis rebus eximendus esset per martyrium, quod solum perfectionis ejus cumulo aberat et ad quod ab ineunte ætate votis omnibus suspiraverat.

* *add.* quippe *Lov.*

archiepiscopus Moguntinus, Pippino

7 [Eo jam tempore Carolus, major-domus regni Francorum, vita excesserat, et Pippinus regni curam solus agebat : duos siquidem filios suos Pippinum et Carlomannum Carolus heredes instituerat. Sed cum per aliquot annos pari jure et communicato principatu, publica negotia curassent, Carlomannus, sæculo renuntians, reliquam sibi ætatem procul a republica habendam decrevit : et sanctæ conversationis habitu suscepto, primum Romæ in monte Soracte, deinde in Samnio provincia, in castro Cassino a cunctis sæculi occupationibus feriabatur. Porro Hildericus rex usque ad id tempus regium nomen et regiæ dignitatis inane quoddam simulacrum præferebat, quod ei a patribus per cunctam familiæ suæ seriem hereditario jure obvenerat. Cæterum administratio totius regni et omnium rerum, quæ bello vel paci usui forent, dispositio penes majorem-domus erat. Sed Hildericus jussu Zachariæ Romani Pontificis regni solio deturbatus atque in monasterium retrusus est, et Pippinus, qui more omnium retro majorum suorum major-domus vel præfectus palatii vocabatur, ejusdem Pontificis auctoritate rex declaratus et totius populi pronissimo favore rex appellatus est, sicque et nomen regium et cuncta regiæ dignitatis insignia ab Hilderico ad Pippinum ejusque posteros concessere.

D

8 Beatus ergo Bonifacius, adito Pippino rege, qui, ut dictum est, jam solus rerum potiebatur, cum frequens adesset multitudo principum totius regni, quid mente instituisset exposuit, omnes in commune consulere rogavit, ne quid detrimenti caperet Ecclesia Dei, siquidem *, quo Dominus vocaret, pergere, Deum vero pro se nitentibus nusquam abfuturum, idcirco confisi de ejus adjutorio, operam darent, ne denuo repullularent spurcitia (*spuria?*) vitulamina gentilitatis, quæ ipse succiderat, neu bono semini, quod ipse seminaverat in agro Dominico, zizania superseminaret inimicus homo.

rege

* *lege* se quidem

9 Post hæc verba] Beatum Lullum * manu apprehensum in medium deduxit, et respiciens ad multitudinem, quæ circumstabat : En, inquit, habetis virum mea sententia dignum, cui meorum studiorum [et meorum] pro Christo certaminum hereditatem delegare possim. Hic mihi affinitate carnis junctus; sed vinculo spiritus multo est conjunctior; pro eo, quod mecum conversatus multo tempore, certum et evidens mihi dederit spectaculum sanctitatis suæ et optimæ secundum euangelicam institutionem conversationis. Unde ego haud dubius de vestro assensu, [ecce coram Deo et Christo ejus, piissimo rege et sanctissimo vestro conventu,] injungo ei pontificatum Moguntiensem, quem hactenus per me ipsum ministrabam *. Ipse in his quæ Dei sunt, fungatur vobis vice patris, ipse me, recessurum corpore, spiritu autem vobiscum semper mansurum, tam dignitate referat, quam morum similitudine, ut carne mortuus in ejus quodammodo vivam virtutibus.

et populo plaudentibus, * *add.* igitur *Lov.*

E

* administrabam *Lov.*

10 [Tu vero, (in faciem autem regis intendebat,) quem Dominus unxit regem super funiculum hereditatis suæ, dilige hunc virum, ut patrem, venerare, ut Dei Angelum, et regi regum, cujus favorem et pronissimam vitæ voluntatem tot jam victoriis expertus es, hanc vicissitudinem redde, ut servo ejus ex animo collabores in salutem et regimen sanctæ Ecclesiæ. Vos etiam, quicumque animas vestras Deo vovistis, quicumque in sacramenta Christianæ militiæ jurastis, communi omnes studio capessite rempublicam Dei. Nitimini pro fide catholica, et huic viro, pro vobis ad mortem decertare parato, per omnia præstate operam vestram. Ingens illico clamor attollitur : tota in sententiam ejus turba conspirat. Una omnium efficitur vox, digno patri dignissimum obvenisse successorem. Plerique illorum nomen ejus et vitæ institutionem jam ante compererant, eo quod palatium Beati Bonifacii comes individuus frequentasset, et plerumque, illo in aliis occupato, ipse quædam episcopii negotia vice ejus administrasset, et per hoc in notitiam omnium fere principum incidisset. Porro aliis morum ejus integritatem facile astruxerat testimonium Beati Bonifacii, cujus verbis non minor fides habebatur, quam si quis Dei oraculum consuluisset.] Ita * cunctis in commune suffragium ferentibus, Sanctus Lullus in pontificatum protrahitur, accerrime repugnans et oneri tanto se imparem cum lacrymarum effusione protestans : sed Beati Bonifacii

F

creatur.

* Itaque *Lov.*

A Bonifacii auctoritate oppressus, communi sententiæ diu obluctari non potuit.

ANNOTATA.

a *Confer quæ dicta sunt circa auctorem hujus Vitæ Comment. prævii nn.* 5 *et* 6. *Quæ vero damus e Codice Erlangensi auctaria, uncis inclusa, primario textui inseruimus.*

b *De patria S.* Lulli *late egimus in Comment. prævio n.* 8 *et seqq. Lectorem non fugiet textum Lovaniensem constanter scribere* Hiberniam *pro Britannia, quoties agitur de S. Bonifacio.*

c *Circa monasticam S.* Lulli *professionem, et locum, quem monachus in patria incoluit, vide Comment. prævii num.* 10 *et seqq.*

d *Monstravimus Comment. prævii num.* 16 *et seqq. adventum S.* Lulli *in Germaniam valde probabiliter statui posse circa annum* 725.

e Fæces pristinæ gentilitatis *optime demonstrat* Indiculus superstitionum et paganiarum, *qui inter epistolas S. Bonifacii adhuc superest* (*a*), *quemque sanctus episcopus ad fidelium instructionem in concilio Leptinensi anni* 743 *promulgari fecit.*

B f *Occurrit Chunihildis nomen in variis fastis sacris ad diem* VIII *Decembris, qua de illa agetur. Aliquem cultum ecclesiasticum nactam fuisse hanc Sanctam una cum filia sua Berathgit, testis est nobis utriusque imago sacro altari imposita in ecclesia S. Michaelis Ordorffiensi in Thuringia* (*b*), *ut diximus Comment. prævii n.* 10.

g *Victorias a Carolo Martello de Sarracenis relatas tribuunt chronologi anno* 737 *et sequenti; eumdemque numerum cæsorum hostium exprimunt chronica San-Dionysiana gallice conscripta l.* V, *cap.* XXVI, *et Sigibertus Gemblacensis ad dictum annum* (*c*). *Cæterum hisce annis propterea affigendus non est S.* Lulli *adventus in Germaniam : Erlangensia enim auctaria tantæ non sunt antiquitatis, ut sententiam, qua Sanctum nostrum ex Anglia circa annum* 725 *solvisse opinamur, evertere queant.*

h *Commentarii prævii* § IV *late inquisivimus in tempus supremæ profectionis S. Bonifacii Frisiam versus, et consecrationis S.* Lulli.

CAP. II. *S. Bonifacii corpus Trajecto Fuldam transfert S. Lullus et honorifice condit.*

C *S. Bonifacius Lullo a*

[Deinde B. Bonifacius, assumpto secum archiepiscopo Lullo, Turingiam et Hassiam *a,* item cætera, quæ inter Rhenum et Wisaram incoluntur loca, peragravit, prædia omnia, quæ ipse Moguntiacensi Ecclesiæ industria sua acquisierat, ei demonstravit, ipsum etiam cunctis, qui in his regionibus fama et opibus eminentiores habebantur, exquisitissimis verbis commendavit, obtestans eos sub invocatione nominis divini, ut ei in ecclesiastico regimine fautores adessent. Demum compositis rebus ex sententia, secretius, remotis, ut fertur, omnibus arbitris, eum conveniens : Semper, inquit, etiamsi privatus ageres, oportebat te circa religionem attento ac sollicito animo esse, incon-

AUCTORE ANONYMO. D

cusso pectore pro castris Domini stare, numquam commodum tuum cultui divino antehabere, postremo summa ope niti, ne quid tibi in divinis rebus subriperet desidia vel ex lassitudine oborta satietas. Quanta, putas, harum rerum tibi incumbit nunc necessitas, cum positus sis columna in templo Dei, et toto cubitu totum pene sanctæ Ecclesiæ ædificium tibi videatur inniti. Vide ne baculum arundineum te inveniat manus innitentium, cum in partem quamlibet pro libidine sua inflectat aura favorum popularium. Convictu meo familiarius cæteris jam diu perfruitus, certissime nosti, quod numquam, blanditiis aut terrore principum infractus, loco cesserim, nec in causa Dei aliquando personam acceperim. Unde tibi relinquo Ecclesiam, Deo propitio et meo post Deum studio florentissimam.

suprema dat mandata

12 Tu ecce coram Deo et Sanctis Angelis ejus jurejurando a me obstrictus, operam da, ne tantus labor meus incassum effluat, ne tua segnities corrumpat felices pro Christo victorias, ne vinea Dominica, in cultu initiata, post uvas degeneret in labruscas. Proclivis est vita mortalium a virtutibus ad vitia, et idcirco nisi attentius agas, nisi contra fluminis ictum pressius oblucteris, brevi post, excusso freno, a sobrietate Christiana præceps referetur ad pristinæ gentilitatis spurcitias. Ego jam E vitæ præsentis stadium percurri : quidquid virium in corpore habui, bella Dominica præliando, detrivi. Nunc licet senectute confectus militare nequeam diutius, absit tamen ut ab armis Domini missionem petam, et tenuem, quæ superest, spiritus scintillam inerti otio tradam. Mortem potius ipsam, ad quam communis me impellit conditio, opto mihi fieri virtutis materiam, ut de salsugine mortalitatis hujus, completis stipendiis, emigrans imperatori meo, cujus signa ad mortem sum secutus, occurram securius. Te autem ecce sub oculis omnia videntis Dei obtestor, per eam, qua mortalibus cæteris familiarius es usus, benevolentiam meam, ut ubicumque locorum victima Christi procubuero, corpus meum requiras atque ad monasterium, quod in saltu Buchoniæ secus Fuldam fluvium mihi statui, delato justa persolvas. Ecclesiæ in eodem loco, cujus ego jam fundamenta jeci, tu extremam manum impone, tuis vel Ecclesiæ, imo tuis quia Ecclesiæ, opibus. Fratres ibi propter penuriam rerum communium vitam adhuc apostolicis institutis transigunt, opere manuum victum quæritantes.

ante discessum suum : F

13 His per omnia opem tuam et favorem ex animo impende, atque in grege superstite vivam defuncti pastoris memoriam amplectere, habiturus apud Deum et apud homines gratiam, si orbatis patre filiis strenuum te exhibueris tutorem. Nosti præterea egregium virginitatis decus et nostra memoria unicum in orbe terrarum sanctitatis exemplar, Liebam, Virginem Christi *b,* quæ non est *b* contenta intra natalis soli angustias exspectare cœlestis sponsi nuptias, sed meo instinctu Gallias intravit, atque in loco, cui nomen est Bischofesheim, prælata monasterio fœminarum, ad thalamum Christi magnos post se trahit greges nobilium fœminarum. Non etiam te fugit, quod hanc propter morum ejus prædicandam puritatem unice semper dilexerim, et cum plerumque aliarum fœminarum verecunde soleam oculos declinare, huic apud me primum familiaritatis locum concesserim. Quapropter gratum mihi feceris, cum, decurso vitæ spatio, naturæ concesserit, si eam in eodem mecum sepulcro sepelies, ut dulcissima inter se nomina nec mortis dividat violentia. Postquam igitur dicendi finem fecit et] * miles veteranus multorumque sti-

* *add.* quem *Lov.*

(*a*) Würdtw. Epist. S. Bonif., p. 126. Scr. LXXVIII. — (*b*) Thuring. Sacr., p. 26. — (*c*) D. Bouquet, t. III, p. 310 et 347.

AUCTORE ANONYMO.

pendiorum rudem Christi tironem de singulis ad unguem instruxit *, sicut instituerat, ad Frisiam contendit, assumptis secum, quos ad tale iter idoneos arbitrabatur.

A

* construxit, et *Lov.*

S. Lullus *accurate commissam*

14 At B. Lullus videns totas rerum habenas suo juri cessisse, nequaquam more humano efferri cœpit per insolentiam, sed reputans secum quam arduo ac difficili negotio manum injecisset, toto animi conatu operi ecclesiastico se accinxit. Omnes intra suam diœcesim sitas ecclesias ac monasteria visitavit *, qualiter in singulis locis divinarum rerum studium vigeret, attendit, ne quid in gregem Dominicum inimici sævientis astutia, se inscio, præsumeret, observavit. Quos æquitatis tramitem invenerat excessisse revocavit, obstinatis in faciem restitit et impudentem superborum principum frontem pontificali auctoritate refregit. Quos vero cultui divino deditos et circa religionem ferventes reperisset, tota circa hos paterni affectus viscera explicabat : [his propter pontificalis cathedræ fasces et nomen regibus etiam venerandum nequaquam se præferebat, sed horum se servum gloriabatur, his ad solvendam corrigiam calceamenti eorum imparem se fatebatur, verbis tamen blandis

* visitans *Lov.*

B

et paternæ dilectionis melle conditis exhortabatur eos, ut regiam viam, quam ingressi fuissent, infatigabili studio tererent, nec aliquando satietate capti pedem ab incepto suspenderent.] Cujus infirmitas ad languorem illum non impulit? Cujus scandalum non ussit? Cujus prosperitas lætitiam non indixit? Cujus calamitas non in ejus redundavit miseriam? Omnibus postremo omnia factus, ita mirum in modum singulis morem gerebat, ut omnium, licet ætate, sexu, vita dissidentium, pari concordia in eum studia flagrarent.

diœcesim administrat :

15 [Sicque liberalis ejus sedulitas tam Deo quam sibi animos popularium brevi conciliaverat, ut omnes in religionem devoti, et in ejus favorem quam maxime proni efficerentur; atque vulnus mœroris, qui ob decessum B. Bonifacii plerosque invaserat, cito propter tam egregium successorem in cicatricem occaluisset : neque vero tam felicibus eventis suis ipse lascivius applaudebat, aut propter ambitiosam pompam auræ popularis ipse sibi ullius delicti vel ignaviæ gratiam faciebat, metuens cum Apostolo, ne forte cum illis prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Idcirco] nihil sibi de priori parcitate cibi ac potus, nihil de labore vigiliarum,

C

nihil de contemptu rei familiaris, nihil de pristina morum ac totius vitæ temperantia remittebat. Oblitus magis posteriora, toto annisu extendebat se in anteriora, anxie inhians bravio supernæ remunerationis. Cum cæteros jam pridem fide ac pietate superasset, atrox cum animo suo certamen gerebat, ut se ipsum quoque superaret atque in dies se ipso religiosior atque in studio morum provectior haberetur.

cœlesti visione prœmonitus

c

16 [Aliquantum jam temporis post abscessum B. Bonifacii fluxerat, et ipse in curte regia Hilenheim *c* morabatur, constituto ibidem rege Pippino, apud quem frequens adesse solebat : nam gratissime consiliis ejus utebatur et præcipua quæque regni negotia illius nutu administarbat; tanta viro vis ingenii et latitudo cordis inerat; ac propterea ægre patiebatur eum lateri suo usquam abesse.] Quadam vero nocte in lecto decubans, cum [inter vigiliam et adultam quietem prima, ut ajunt,] somni nebula oculos ejus pressisset, vidit assistere sibi B. Bonifacium, stola pontificali et vestimentis solito cultioribus amictum, vultu quoque ipso ac veneranda canitie quiddam divini splendoris præferentem. [Obstupuit protinus terrore inopinato perculsus, atque in eodem lumina defixus obtutu, tacitus, quantum incumbentis formidinis articulus patiebatur, secum tractabat, ne forte sopor dormienti more suo vana somniorum spectacula præberet. At ille, faciem, quam recognosceret familiarius, retegens, cum urbana quadam ac festiva hilaritate frontem contra intuentis oculos explicasset :] En, inquit, frater dilecte, tempus exigit, ut promissis tuis fidem facias. Hodie Christo testimonium dicens, cervicem percussori præbui : hodie triumphali pompa laureatum me cœli recepit palatium. Nunc ergo memor sponsionis, qua te, præsente Deo, obligasti, moras omnes abrumpe, resides animæ jam triumphantis exuvias require, easque peregrinis regionibus ereptas, [sicut pollicitus es,] defer ad monasterium Fuldense. [Non frangat te arduum negotium, non moveat te iter asperum, non terreat te barbaræ nationis atrox et crudele ingenium : Deo auxilium ferente, omnia tibi cedent prospere.] In hæc verba visio pariter cum somno disparuit.

D

in Frisiam properat,

17 [Tunc archiepiscopus, gravi mœrore confectus, haud enim in ambiguo erat B. Bonifacium humanis rebus excessisse, ubi primum lux crastina terris est reddita, ad regem Pippinum rem detulit :

E

ei valefacto, in sua se recepit, ibique, vocata in colloquium multitudine, immane facinus Frisonum exposuit, quod illustris viri et toto orbe nominati sanguine manus suas commaculassent. Dein quid illi adhuc in carne posito ipse promisisset, aperuit; omnes postremo pro se operam dare rogavit, ne in tantum virum voti reus fieret ac per hoc Omnipotentis iram adversum se provocaret. Ubi cum cunctorum animos alacres atque ad instans negotium fervidos accepit,] * nihil moratus ad Frisiam iter instituit, habens secum armatorum copias non modicas, [cum propter barbaros, ne forte solemne funeris officium, facta vi, perturbarent, tum propter ipsos fideles, ne qua seditio inter eos oriretur, dum singuli religioso studio in sacras Reliquias impetum facere et pretiosissimo thesauro certatim prædam agere vellent.] Interea [cum fama interfecti pontificis jam convaluisset,] populus Trajectensis oppidi, [quod a loco martyrii ejus intervallo mediocri abest *d*,] globo facto, irruperunt in Frisiam, et ex illa clarissimorum Martyrum acie præcipuos quosque cum ipso principe militiæ cœlestis, B. Bonifacio, ad se transtulerunt, et rapto jam in

* *add.* unde S. Lullus *Lov.*

d

F

securitate patiebantur. Postquam eo venit S. Lullus, [tametsi ad vim faciendam par esset viribus, tamen] ne temerariæ plebi non tam oblata, quam pressius ingesta videretur occasio seditionis, blande ac sine tumultu agere cœpit.

et corpus S. Bonifacii, frustra reclamantibus

* fecit *Lov.*

18 [Totam confusæ multitudinis frequentiam vocat in concionem,] omnibus in commune ambitiosius gratias facit *, quod Sanctis Martyribus exequias solemniter exhibuissent; plurimum tamen meritis eorum apud S. Bonifacium accrescere, si corpus ejus æquo animo paterentur in monasterium Fuldense deferri, quod negotium ille sub attestatione nominis divini injunxisset; bene cum eis ac supra spem humanam feliciter gestum esse, quibus pene tota castra militiæ Dei in prædam cessissent; [S. Bonifacium si contra decretum animi ejus tenere vellent, eum non hoc in gratiam referre, sed in contumeliam; gravari magis violenta devotione, quam oblectari. His verbis cecidere popularium animi, ira in favorem est conversa.] Ita cunctis annuentibus [et singulis pro virili parte officium funeris adjuvantibus,] magnifico apparatu celebrata est sacri corporis translatio *e*.

e

19 [Nec tamen hoc modo omnis rebus difficultas

Trajectensibus et Moguntinis, Fuldam transfert.

tas adempta, tota negotii asperitas complanata est. Nam ubi ventum est Moguntiam, tum vero totus cum populo clerus obviam effusus, jure gentium agebat apud episcopum, suum inquiens fuisse hunc pontificem, sibi potissimum hereditatem defuncti patris tam jure cœli quam jure fori deberi, nec æqui nec boni memorem eum esse, si contra sentiret, præsertim cum ad eum, utpote antistitem, specialiter et gloria et calamitas Moguntiensis Ecclesiæ spectaret; ad ultimum si non in hanc sententiam ultro concederet, malle se viribus uti et extrema omnia experiri, quam tanto bono fraudarentur. Tum archiepiscopus, diu multumque conatus tumultuantem populum in gratiam reducere, ubi vidit rem tardius procedere, confusus incertusque animi, quid consilii caperet, quo se verteret ambigebat. Voluntati enim multitudinis refragari nec factu facile, nec satis tutum sibi videbat. Verum, copiis ita in arctum coactis, cito lætos exitus reperit secundum promissionem suam B. Bonifacius. Denique postero die cum episcopus ad publicum processurus foret, mollibus iterum verbis efferos populi animos attentare volens, quidam ex ordine clericorum, Othbraht nomine, diaconus officio, ei se obvium tulit, atque, impetrata secretius dicendi copia : Nocte, inquit, hac ipsa divino oraculo admonitus sum per soporem, ut tibi, o pontifex, hæc in mandatis deferrem a S. Bonifacio, ut constanter agas, nec seditione plebis simultatibus inflectaris a proposito : populo quoque testificeris non impune laturos esse, quod contra dispositionem Dei obstinato animo venire tentaverunt, nisi maturius a pertinacia conquieverint. Episcopus, ut in tanta rerum angustia et consiliorum inopia necesse fuit, gratissime hoc accepit, hominem, injecta manu, in medium protrahit, capto editiori loco, cœleste oraculum in auribus populi recitari jubet. Verum propter immoderatum retinendi sacri corporis desiderium, verbis ejus non satis fidei erat apud multitudinem, animos etiam quorumdam suspicio tangebat, ne forte consilio episcopi sibi dolus necteretur. Tum episcopus, ut verbis idem conciliaret, circumstantium magis quam suæ consulens credulitati, ad comprobandam rei veritatem, jusjurandum exegit ab homine. Ille nihil cunctatus dedit : res credita est, atque ita deinceps, relegato omni difficultatis scrupulo, corpus ablatum, et, Rheni amne trajecto, in monasterium Fuldense delatum, atque quod satis esset flagrantissimis in eum monachorum ibi commorantium studiis, solemni ac magnifico ritu traditum est sepulturæ *f*.]

A B C

ANNOTATA.

a *Hassorum nomen sæculo octavo primum innotuisse dicit Joannes Hartmann in Historia Hassiaca* (*a*) : *Hæssonum appellatio inter epistolas Bonifacianas occurrit* (*b*). *Juxta laudatum Hartmannum l. c. iste populus ad illa usque tempora Cattorum nomine veniebat.*

b *S. Lieba seu Lioba, quæ etiam Truthgeba nuncupatur, colitur die* XXVIII *Septembris, qua ejus Acta dederunt nostri* (*c*).

c *Ignota mihi omnino curtis regia : neque nomen aliquod consonans mihi occurrit, nisi dicatur librarii incuria* Hilenheim *pro* Ingelheim *esse scriptum. Est vero Ingelhemium palatium regium, duobus milliaribus Germanicis Moguntia Bingam versus distans. Hanc lectionem suadet certe consequentia sermonis, cum dicitur S.* Lullus *postera die, relicta aula regia,* in sua se recepisse.

d *Distat* Dockinga *seu* Doccomium, *palæstra S. Bonifacii, Trajecto ad Rhenum, de quo hic agitur* (Utrecht), *leucis gallicis circiter triginta quatuor. Hodie appellatur etiamnum* Doccum, *in hodierna provincia Frisiæ.*

e *Editio Lovaniensis, omisso numero* 19, *narrationem suam translationis corporis S. Bonifacii absolvit his verbis :* Magnifico apparatu celebrata est sacri corporis translatio AD FULDENSE MONASTERIUM ET FLAGRANTISSIMIS MONACHORUM STUDIIS MAGNIFICO RITU SEPULTUM.

f *Num.* 40 *hujus Commentarii videre est diversum ejusdem facti narrandi modum, quo Eigil S. Sturmii biographus magnam* Lullo *nostro creat invidiam : cæterum per hæc et hujusmodi nihil detractum velim famæ sanctitatis, qua vivus et mortuus gavisus est Eigil, Fuldensis abbas : ipse jam n.* 41 *Commentarii prævii monstravi, quam facile quæstiones circa jurisdictionem excrescant in simultates; dum utraque pars pro justitia litigare sibi persuadet.*

D E

CAP. III. *Controversia cum S. Sturmio de monasterio Fuldensi; fundatio Hersfeldensis cœnobii; pius obitus et sepultura.*

Ortas simultate inter Fuldenses et S. Lullum

His rebus bene et ex sententia gestis, archiepiscopus omnem operam suam in locum ipsum intendit : [egregiam scilicet æstimabat sibi hanc fore materiam, in qua debitum B. Bonifacio amorem totum transfunderet et amantissimi patris desiderium tanti pignoris hereditaria possessione solaretur. Itaque locum ipsum frequentius invisere, fratres super decessu B. Bonifacii anxios verbis ad consolandum exquisitissimis refovere, ubicumque res posceret, præsto adesse, inopiæ familiaris supplementum affatim præbere, periculum, si quod forte immineret, propulsare, omnia postremo liberalis atque indulgentissimi patris officia impensius administrare.] Verum ea longe aliter quam ipse spe conciperet *, cesserc *a*. [Non solum enim his rebus nullum favorem, nullam eorum benevolentiam sibi conciliabat, verum etiam cunctorum ibi degentium gravissima in se odia concitavit.] Nam Sturmio quidam nomine tum præerat monasterio, vir excellentis ingenii et prædicandæ sanctitatis, sed vehementis nimium et ferocis naturæ : [unus scilicet ex illo clarissimo grege discipulorum B. Wicberti *b*, qui in Frideslarensi monasterio ad exemplum ejus instituebantur.] Is [privatim et publice] animos fratrum sollicitabat, commonens hanc pontificis * circa se indulgentiam * aliorsum spectare, quam sibi * opinarentur : [aliud eum vultu prætendere, aliud animo machinari, et magnæ cujusdam injuriæ consilium palliare titulo pietatis, qui scilicet ad hoc quibusdam verborum lenociniis homines inescaret, ut eis fraudulenter suæ dominationis frena injiceret et libertatis bonum eriperet, quo vitæ humanæ nihil sit jucundius, nomini Christiano nihil decentius, professioni monachorum nihil commodius; proinde ipsos non bene rebus suis prospicere, si immemores nobilissimæ

F

* concepisset *Lov.*

a

b

* *add.* Lulli *Lov.*

* gratiam *Lov.*

* ipsi *Lov.*

(*a*) T. I, p. 1. — (*b*) Würdtw., p. 223. Ser. LIII. — (*c*) T. VII Septembris, p. 748.

conversationis,

AUCTORE ANONYMO.

conversationis, qua fuerant a B. Bonifacio liberaliter educati, ultro in servitutem concederent] *c*.

c A *hic multa facit*

21 His atque hujusmodi sermonibus a Beato Lullo cunctorum fratrum animos [quam maxime] alienavit, et nihil tale suspicanti non mediocrem invidiam [brevi] conflaverat. [Ex hoc omnes eum infestis nitibus, aversis obtutibus aspicere, familiaritatem abnuere, verborum blanditias, velut instructas ad perniciem suam decipulas, refugere, omnem ejus congressum et colloquium suspectum habere, denique cum dilectione, cum beneficiis, cum munificentia odio, detractione et conviciis decertare. Huc accessit, quod sub idem fere tempus quidam factiosi homines faciem regis Pippini adversus abbatem Sturmionem interpellaverunt, accusantes eum, quod in regiam majestatem verbis nimium petulantibus excessisset. Unde rex, ira succensus, exilio eum relegavit. Fuldensis vero monasterii providentiam B. Lullo decrevit *d*. Ea res suspicioni jam pridem ortæ non minimum roboris addidit, tota protinus congregatio pari studio adversus episcopum conspiravit, multaque in eum gravia et memoratu incredibilia maledicta congessit, dictitans eum malorum talium incentorem

d

B fuisse, ejus largitione accusatores fuisse corruptos, ejus artibus instructos, ejus studio in audientiam regis admissos, postremo totam hujus accusationis fabulam ab eo fuisse confictam, quatenus, deturbato pastore, ipse in desolatum ovile sine periculo impetum faceret.

ad pacem componendam :

22 Ad sedandam ergo hanc turbam archiepiscopus modis omnibus intentus, Marcum quemdam nomine præfecit eis abbatem, virum mitis ingenii, et, ut ejus ferebat opinio, tantis rerum tempestatibus comprimendis peropportunum. Sed hunc protinus illi repulerunt, tamquam partibus episcopi impensius faventem et seditionibus suis minus spei afferentem. Rursum archiepiscopus, utpote qui animo fixum haberet per omnia eis morem gerere, quamdiu posset salva æquitate, ipsis eligendi abbatis auctoritatem permisit. Læto illi hoc animo suscipiunt : eumque protinus creant abbatem, qui archiepiscopi conatibus ex æquo auderat * obviam ire, ejusque tumidos spiritus, ita scilicet illi suspicabantur, opposita, ut dici solet, fronte refringeret *e*. Is itaque creatus cum magna omnium exspectatione, principio statuit sibi cum archiepiscopo rem atrociter gerendam ; nisi enim id faceret, male se usurum hac prælatione satis certo sciebat. Hoc modo cum per biennium grave utrinque bellum gessissent, hic beneficiis, illi odio et detractione certantes, et egregium pontificem, illius ætatis clarissimum lumen, sine intermissione verbis petulantissimis insectarentur, sicut heu frequentius fieri solet, postremo vicere studia partium.

* *lege* ausus fuerat

e

C

sed incassum tentatis omnibus,

23 Nam rex Pippinus, postquam diuturnitate temporis iracundiæ fervorem digesserat, in gratiam rediens, ut verissime confido, annitente in hoc ipsum B. Lullo, ut videlicet hac ratione objecti sibi criminis suspicionem purgaret, Sturmionem abbatem ab exilio revocavit, receptoque in pristinum statum gratiæ suæ licentiam indulsit in monasterium Fuldense redeundi, curamque ejus, sicut consueverat, administrandi. Ea res fratrum animos in spem maximam arrexerat, episcopo vero non minorem seditionis comprimendæ et rerum prospere gerendarum desperationem incusserat.] Præterea non mediocri tædio jam * afficiebatur animus ejus *, cum videret tot tantosque labores suos incassum effluere, beneficiis invidiam non exstingui, [sed tamquam suppositis facibus magis magisque in dies incandescere :] extremæ vero dementiæ esse tantas rerum impensas sine fructu insumere, quibus alio in loco perenne, [nullaque vetustate abolendum fidei et] devotionis suo monimentum posset exstruere. [Diu eum hæc cunctatio suspensum tenuit : propositum, quod carissimi patris instinctu in animum induxerat, non nisi anxia et ægritudine confecta mente relinquere poterat. Vincitur tamen rerum asperitate, et post diuturnam deliberationem, post multos sudores irrita spe exhaustos, totam ab incœpto intentionem revocavit, contestatus cœlum et terram et viventem in Christo spiritum B. Bonifacii, voluisse quidem se præceptis ejus parere, ejusque institutionis alumnos amplis honoribus illustrare, sed in hac injuria infractum loco cedere : Deum ab se pœnas exacturum, si ambitionis spiritu, quod criminatores ejus jactitabant, potius quam intimæ caritatis affectu circa eos hactenus conflagrasset.

* *add.* Viri Dei *Lov.*
* *deest* ejus *Lov.*

D

tandem, probante

24 Enimvero, nisi periculosum ducerem de judiciis divinis sententiam ferre, ego haud temere vel sine nutu Dei actum crediderim, ut sancti pontificis et sanctorum, ut mea fert opinio, fratrum animi tam difficulter coalescerent. Si enim benevolentiam episcopi hæc rerum procella non excepisset, nimirum in alieno fundamento nimium occupatus, privatæ gloriæ studium omisisset, atque Hersfeldense nomen, toto orbe nunc clarissimum, abisset in vacuum, nec tanta copia sanctissimorum hominum auxisset numerum cœlestium spirituum. Interea Pippinus cum per xv annos functus regiis honoribus fuisset, diem clausit extremum *f*, duos filios relinquens superstites, utrumque adultum ætate et regno gubernando maturum, videlicet Carlomannum et Carolum, cui postea ex virtute et magnitudine rerum gestarum cognomen accessit, ut Carolus Magnus diceretur. Hi duo, ut paci et concordiæ prospicerent, paternum inter se divisere regnum. Carlomannus, vir ferocis naturæ, totus ambitione præceps rapiebatur, neque iræ aut cupiditati suæ aliquatenus moderabatur, dummodo, fratre ejecto, solus regno potiretur. Sed Carolus lenis ingenii et provectæ admodum gravitatis erat. Is fratrem, juveniliter tumultuantem, patiendo magis, quam injuriis obviam eundo, mitigare conabatur.

E

f

Carolo Magno,

25 Erat quidam tum gratia et favore totius populi, tum propriis viribus, tum usu et peritia rei militaris, tum copia omnium, quæ bellis opportuna esse solent, multum fratre instructior : mitius tamen cum fratre agendum judicabat, scilicet majori sibi gloriæ apud Deum et apud homines fore existimans, si potius fratri ad tempus cederet, quam acceptas a fratre injurias pessimo exemplo ultum iret. Nec tamen idcirco Carlomannus de ferocitate animi quidquam remittebat, sed tumultuosius in dies agere, rumpendi fœderis occasiones quærere, totum denique robur regni sui in odium atque ad perniciem fratris sollicitare. Jamque eo processerant inimicitiæ, ut ex occultis detractionibus ad apertam vim et publicum bellum res spectare videretur : nec erat in ambiguo dissensionem hanc luctuoso exitu esse terminandam. Verum periclitante hoc modo statu reipublicæ, commode adfuit misericordia Dei. Nam Carlomannus, dum fratri jamjam arma inferre et regnum per vim totum in se transferre moliretur, ægritudine præventus interiit, et optimo viro, fratri suo, nefariæ concertationis necessitatem exemit, biennio fere posteaquam pater ejus Pippinus naturæ concesserat.

F

studia sua convertit

26 Ita Carolus principatum solus obtinuit, vir inbecillis * rebus valde strenuus et ad omnia, quibus animum adjecisset, efficacissimus. Et revera si vel

* *lege* in bellicis

A vel Titum Livium vel Crispum Sallustium suarum rerum gestarum scriptorem nactus fuisset, salva fide dixerim, quod vel Julii vel Augusti Cæsaris vel cujuslibet illustrissimi Romani imperatoris gloriam tam belli quam pacis artibus exæquasset. Exstant quidem ejus gesta, sed pro rerum dignitate breviter nimis et strictim descripta. Quæ tamen quisquis legerit, inveniet quod is primus ex regibus Francorum appellatus sit Romanorum imperator Augustus, idque nomen etiam in successores suos transfuderit, si qui tamen virtutem ejus et industriam æmulari potuerint; quod rempublicam XLVII annis strenue rexerit, magnifice auxerit, pacatissimam atque fama, opibus, ædificiis, moribus, legibus ornatissimam decedens reliquerit. Sed nos ad propositum, unde digressi sumus, revertamur. Archiepiscopus Lullus, qui semper animo agitaverat flagrantis in Deum spiritus aliquod documentum transmittere in posteros, cum res hoc modo tentata minus prospere cessisset, aliud aggreditur melioribus profecto auspiciis, et, Deo aspirante, lætiores habiturum exitus.]

ad fundandum Hersfeldense
* Herollesfelt *Lov.*

27 Locus erat in saltu Bochoniæ, cui nomen Hersvelt * *g* nomen indidit antiquitas *, habitationi monachorum peropportunus. In hoc abbas Sturmis, tempore quo primum ad solitariam sylvestremque vitam eum fervor spiritus præcipitem agebat, consederat, ac erutis, [quæ faciem loci occuparant,] arbustis, parvas sibi fratribusque cellulas opere impolito construxerat, novemque ibi annos jam evolverat. Sed B. Bonifacium, licet amœnus loci situs et aquæ opportunitas alliceret, offendit tamen latus contiguum Saxonibus; nam * paganis ritibus adhuc tenebantur, et plerumque in [Thuringiam et Hassiam et] proxima quæque loca [impetum facientes,] cædes hominum et depopulationes agrorum non modicas dabant. [Horum suspecta semper eruptio, etiamsi minus periculi, multum tamen terroris et formidinis incussura fratribus videbatur.] Ut * hanc incommoditatem evaderent, [operæ pretium visum est B. Bonifacio, ut] altius in Bochoniam sedes promoverent, locisque ab accessu tutioribus insiderent *h*. Illi solum, quo nunc Fuldense monasterium, occupaverunt : locus * Herveldensis, tradente B. Bonifacio, in proprium cessit Sancto Lullo, qui jam tum forsitan construendi illic monasterii desiderium animo conceperat. [Igitur postquam modo, quem dixi, a Fuldensibus defecerat,] in hunc * locum omnes copias suas, dedita opera, coegit, succisis profusius arbustis, amplioris numeri fratribus spatium laxavit, ipsum * cultioribus ædificiis exstruere aggressus est, [atque ob id acriore vi cœptis incubuit, ut fractum priori adversitate animum sequenti rerum successu restitueret.

g
* posteritas *Lov.*

B

* qui *Lov.*

* *add.* igitur *Lov.*

h
* *addit* autem *Lov.*

C

* *add.* ergo *Lov.*

* *add.* quo *Lov.*

monasterium,
* brevique tempore *Lov.*

28 Nec spem fefellit eventus. Nam] brevi temporis processu * Herveldense nomen in immensum gloriæ et magnitudinis culmen evaserat. [Jam denique satis clarum satisque pollens, cum frequentia, tum eximia conversatione servorum Dei habebatur; opibus etiam, agris ac familiis magis magisque in dies augebatur, partim studio B. Lulli, sapientis admodum viri, partim liberalitate principum totius regni, qui pio ejus desiderio summa ope omnes annitebantur. Præterea frequentes eo confluebant homines celebris in sæculo et famæ et familiæ, qui, venditis rebus familiaribus, pretia eorum afferebant, et, secundum instituta primitivæ Ecclesiæ, simulacra gentium, argentum et aurum, substernebant pedibus Apostolorum Symonis et Tathei *. His etiam ecclesia loci attitulata erat : ea causa opes monasterii non minimum auxerat. Unde gloria loci ejus eo brevi adoleverat, ut quæ, ante aliquot annos arbustis consita, feris agrestibus gratum præbere latibulum conspiciebantur, nunc cultoribus frequentata atque augustissimis ædificiis nobilitata cerneres : comprobato etiam ad litteræ superficiem vaticinio Esaiæ promittentis, quod deserta in ubertatem versa advenæ comedent. Ad hanc loci claritatem humana virtute partam accessit etiam pietas Domini et pro magnitudine sua dignis eum muneribus honestavit, insigne dans documentum spectantis eo animi et benevolentiæ suæ. Episcopus, ut supra expressimus, cum *] ab exordio jacti fundamenti ecclesiam monasterii Beatis Apostolis Symoni et Tatheo attitulasset, atque [jam ingentem loco reverentiam tanti patrocinii majestas comparasset,] angelica in somnis voce est admonitus, ut corpus B. Wicberti eo transferret *i*.

* *lege* Thaddæi

D

* cum autem B. Lullus *Lov.*

i
quo transfert corpus

29 Is, sicut editus de Vita ejus libellus indicat, paulo superioribus annis accitu S. Bonifacii de Britannia * venerat; cumque diu in Galliis vitam morum gloria ornatissimam exegisset, vir ille * profecto ætate clarissimus et monasterialis disciplinæ exercitio nulli antiquorum patrum secundus, tandem felici in Christo dormitione sopitus, in oppido Frideslar *k* * sepulturam acceperat. Ossa ejus jam de loco in loco sæpenumero * fuerant translata, [idque propter timorem Saxonum, qui plerumque in Thuringiam et Hassiam, irruptione facta, agros ac villas armata manu populabantur, ne quid videlicet nefarii facinoris barbaricus furor in sanctas Reliquias præsumeret. Tum temporis, quo hæc gerebantur, in castello quodam, cui nomen est Buriburc *l*, ob munitionem loci servabantur, pro majestate tam insignis personæ non satis honesto loco reposita.] Tamen propter miraculum et novitatem signorum, quibus etiam circa aridos cineres Confessoris sui viva Dei gratia efflorebat, quotidie magno populi concursu frequentabantur.

* Hiberniam *Lov.*
* illa *Lov.*

E

k
* Fricellar *Lov.*
* *add.* propter timorem Saxonum adhuc gentilium *Lov.*

l

30 [Archiepiscopus igitur ad exsequendum negotium se haud satis impigre movebat. Verebatur forsitan levitatis argui, si ad implendam rem tam egregiam post primam statim visionem præceps abiret. Verum dum] * cunctando ac deliberando tempus tereret, angelica voce * ac tertio similem in modum est communitus, ut præcipitaret moras, nec cœlestibus mandatis suam diutius operam denegaret *m*. [Ita deinceps nihil ambigendum ratus, ut facto major auctoritas inesset, Carolum, penes quem eo tempore jus regium erat, super hoc consuluit. Cum ille libens annuisset,] adhibitis * sibi tam clericalis quam monastici ordinis viris illustribus, locum adiit *, sacra ossa [exinde sublata, cum magna ecclesiastici apparatus ambitione, sicut jussus fuerat,] * in monasterium Herveldense transtulit. Quantus honor, profectus et reverentia ex hoc loco illi accreverit, cunctis ibi degentibus hodieque est in propatulo. [Post hæc B. Lullus cum monasterium illud opibus affatim exornasset, ædificiis insigniter excoluisset, cunctum domus Domini decorem ad unguem elaborasset, multitudinem quoque fratrum temperatissimis institutis instruxisset, induxit animum utilitatibus rerum etiam in posterum consulere. Si quidem experimento didicerat, divina inter homines parum tuta esse; sæculares alieni semper appetentes, dum sibi censum augeant, nihil pensi habere, quam minimo discrimine divina et humana permisceant. . . *n*.]

S. *Wigberti.*

* cum autem archiepiscopus de translatione *Lov.*
* *add.* secundo *Lov.*

m

F

* *add.* igitur *Lov.*

* *add.* et *Lov.*

* *add.* honorifice *Lov.*

n

31 Inter hæc viro Dei animum pulsavit memoria verbi, quod ei B. Bonifacius, cum in Frisiam profectionem moliretur, injunxerat, videlicet ut Virginem Christi Leobam *o*, cum naturæ debitum exsolvisset, in Fuldensi monasterio tumularet, quod

Sepelit S. Liobam Fuldæ,

o

AUCTORE. ANONYMO.

et diligenter secundum ejus dispositionem adimpletum est. Sentiebat quoque vir Dei Lullus jam per spiritum instare diem dormitionis suæ : rem tamen silentio premendam censuit, tum ne tam e vicino imminentis mortis articulus necessariis suis mœrorem injiceret, tum ne jactando præscientiam, incideret in ambitionem popularis auræ, quam cunctarum virtutum perniciosam ac mortiferam labem semper duxerat, tum ut ea, quæ de funere suo apud se disposuerat, rectius ac maturius curarentur. A

et Albuinum Hersfeldiæ, p

32 Habebat secum eximiæ, ut creditur, sanctitatis virum, nomine Albewinum *p*, episcopalis officii negotia post episcopum obire solitum, quem appellatione vulgata corepiscopum *q* vocant; eoque in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo utebatur. Huic ad se accersito : Causam, inquit, incidi, quæ ad Herveldense monasterium profectionem maturare me exigat : tui sit officii, celebratis prius Missarum solemniis, me protinus insecuturum antecedere, et quæ mihi mecumque

q

* *supple* necessaria

venientibus sint receptui * providere. Illo morarum impatiens jussa ocius capescit, quæ proficiscentibus usui forent, disposuit : Missam celebrat, quid tali B commento strueretur penitus ignorans : cumque incolumis adhuc corpore sacramentis Dominicis participasset, repente spiritum exhalavit; eodem quippe momento et vitam finivit et Missam. Archiepiscopus, tantæ rei miraculo nihil permotus, sed industrium mortis suæ præcursorem pronissimo favore amplexatus, navi jussit imponi et per Renum amne secundo devectus, in loco, qui dicitur Hohstedi *r*, exponi.

r

ubi et ipse

33 Ubi cum ad funeris officium frequens de toto episcopatu populus occurrisset, magnifice susceptus, per terram in Herveldense monasterium est translatus. Nec ulla funebrium bonorum * ambitione caruit : (si quis honor tumuli, si quod solamen humandi est) : transmissa in omnes fide solida, quod magni momenti apud Deum sint ejus merita. At B. Lullus, eodem quo instituerat ordine, in monasterium Herveldense contendit, ubi protinus morbo attactus, cum ordinationis suæ annum ageret trigesimum secundum, septimo decimo kalendas Novembris, honestissima morte perfunctus, naturæ concessit, suumque præcursorem dextro tramite insecutus cœlestis curiæ senatoribus est annumeratus. Nam quantis apud Deum emineat meritis, C etiamsi vitæ clarissimæ ac insigniter actæ memoria obsolevisset, indicio tamen essent tot et tanta miracula, quibus, licet carne mortuus, vivit tamen apud superstites, carne quondam viventi multo, ut ita dixerim, vivacius : vivens enim paucorum, mortuus cunctorum pene aures ac mentes occupavit. Nos enim ei etiam vota facimus, jam divinos propter Deum honores deferimus, jam solemnes ferias instituimus.

* *lege* honorum

sanctissime moritur. s

34 Post traditum vero sepulturæ corpus B. Lulli sexagesimus jam fluxerat annus *s*, et fratribus, qui tunc temporis in monasterio Herveldensi divinas agebant excubias, incidit in animum, ut sacra ossa levarent et loco celebriori componerent. Cumque saxum, quo sarcophagus tegebatur, adhibita ingens religiosorum hominum vis amovisset, erat videre grande atque ab hominum memoria inusitatum miraculum. Corpus tanto temporis processu terra

* *lege* senserat

obrutum, nullam senserit * corruptionis injuriam; eam vultus venustatem, eam membrorum omnium dignitatem, cum vestimentorum quoque nitorem præferebat, ut ipsa eum die exspirasse, aut sopore D potius quam morte sepultum crederes. Sinistri tantum pedis caligulam vetustas absumpserat. Igitur cum illud immani pondere saxum, quod operiendo corpori comparatum diximus, huc atque illuc volutaretur, forte manus fugit volutantium, et fratri cuidam prope astanti ita pedem contrivit, ut, ossibus cum carne pariter comminutis, forma etiam pedis amissa, fœdum ac miserabile spectaculum præberet circumstantibus. Sed cito B. Lullus mœrentia fratrum pectora expedivit : nocte enim proxima cum languidum sopor oppressisset, ita repente suus membris omnibus vigor rediit, ut hymnis quoque matutinalibus interesset, nulla tantæ calamitatis ne cicatrice quidem superstite.

ANNOTATA.

a *De controversia inter SS.* Lullum *et Sturmium vide Comment. prævii num.* 41 *et seqq.*

b *S. Wigbertus colitur* XIII *Augusti; ad quem diem ejus Acta apud nostros recurrunt* (*a*).

c *Operæ pretium fuerit narrationem hanc cum historiæ serie, qualis a biographo S. Sturmii, Eigile* E *abbate, exhibetur* (*b*), *comparare, et animadvertere quomodo eadem facta diversam induant faciem secundum alterutrius scriptoris intentionem.*

d *Hisce verbis indicat Anonymus S.* Lullo commendatum *fuisse monasterium Fuldense; et illa quidem tempestate frequentem fuisse commendarum usum in Galliis monstrat Thomassinus* (*c*). *Invidiosius rem narrat S. Sturmii biographus Eigil* (*d*) : Lullus interim, *ait,* obtinuit apud Pippinum regem, munera injusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium donaretur.

e *Juvat hic iterum audire Eigilem dicentem* (*e*) : Marcum, quem inviti, Lullo faciente, super se abbatem acceperunt, ejus ulterius controversiam ferre non valentes, bonum consilium inierunt, et cum abjecerunt, et ne illorum ulterius abbas fieret, unanimiter contradixerunt. Quo amoto, omnes fratres de monasterio voluerunt exire, et ad regis Pippini palatium pergere, abbatem suum a rege Sturmen postulare. Quod cum Lullus audiret, mitigare eos blandis persuasionibus studuit, promittens eis, ut ipsi sibi de propriis fratribus inter se abbatem, qui eis placeret, constituerent. Quod cum F omnibus placuisset, fratres bonum ex ipsis omnino fratrem et vere Dei servum, omnibus bonis moribus ornatum, elegerunt, nomine Prezzoldum, . . . ipsum super se abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipso et ipse pariter cum eis quotidie tractarent, quemadmodum. . . . ad hoc pervenire potuissent, ut pristinum suum magistrum Sturmen a rege Pippino sibi concedi postularent.

f *Quum Erlangensis codex in mediam narrationem Hersfeldensis fundationis injiciat mentionem obitus Pippini regis, defuncti* XXIV *Septembris* 768; *erit fortassis, qui judicet dictum monasterium post hanc epocham occepisse. Verum Anonymus tantæ auctoritatis non est, ut recedamus a sententia n.* 55 *Commentarii prævii exposita et probabilibus munita testimoniis.*

g Hersfeldia, *etiam hodie* Hersfeld, *ad sinistram ripam Fuldæ fluvii, in electoratu Hasso-Casselano, in Fuldensi provincia.*

h *Quamvis Anonymus periculum potius mali,*

(*a*) T. III August., p. 132. — (*b*) Pertz Monum. hist. Germ., t. II, p. 373. — (*c*) Vet. et nov. et discipl. Eccles., part. II, lib. III, cap. X. — (*d*) Pertz, t. II, p. 374. — (*e*) l. c.

quam

A *quam ipsum malum verbis suis indicet; e narratione tamen Eigilis primos Hersfeldiæ incolas sub S. Sturmio multa passos fuisse liquet, cum dicat* (*a*) : Invidus omnium bonarum rerum diabolus, pertimescens servorum Dei in solitudine conversationem, malorum hominum mentes instigabat, ut sanctum servis Christi contradicerent locum. Sancti vero servi Dei, cum pravorum hominum obstinationes, immo Zabuli adversitates ferre necdum possent, diverterunt inde, *etc.*

i *De translatione S. Wigberti in Hersfeldense monasterium egerunt nostri ad* XIII *Augusti* (*b*).

k Frislarium, *hodie* Fritzlar, *ad Adranam* (Eder), *in electoratu Hasso-Casselano, in provincia Hassiæ inferioris.*

l Buriburc *seu* Buriburgum, *locus nunc destructus, e regione Frislarii, ad dexteram ripam Adranæ.* Juxta (*Frislarium*), *ait Browerus* (*c*), in excelso monte, Buriburgum, vetus episcopi sedes stabat, cujus hodieque ruinæ illic monstrantur.

m *Ex hoc loco liquido constat Erlangense MS. supplere, quæ desunt in editione Lovaniensi, qui vicissim hic hiulcam locutionem Erlangensem com-*
B *plet. Nam Lovaniensis editio dicit,* angelica voce secundo ac tertio commonitum *fuisse S.* Lullum, *quin quidpiam dicat de* prima visione, *quam Erlangensis codex refert. Ast Lovaniensis legenda vice quoque sua* secundam *visionem, quam tacet Erlangensis, recitat.*

n *In hæc verba desinit codex Erlangensis.*

o *In Actis S. Liobæ ad diem* XXVIII *Septembris* (*d*), *nihil reperitur de cura a S.* Lullo *in sepulturam S. Liobæ impensa, quæ tota monachis Fuldensibus adscribitur.*

p *De Albuino seu Albowino, aliis Witta seu Wittano dicto, recurret sermo ad diem* XXVI *Octobris;* D *ad quem ejus Acta discuti poterunt. Ex hac tamen narratione sequeretur Albuinum aliquot diebus præmortuum fuisse S.* Lullo : *unde examinandum veniet, qua de causa ejus memoria diei* XXVI *Octobris affixa fuerit.*

q *Chorepiscopus hic nuncupatur Albuinus; quidquid sit de chorepiscopis in genere; utrum scilicet episcopali charactere insigniti essent : dubium circa Albuinum nullum est, utpote quo utebatur S.* Lullus in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo (*e*).

r *Valde perturbate ordinat scriptor supremum iter S.* Lulli. *Nam inspicienti mappam topographicam ad oculum patet Hersfeldense monasterium in orientali plaga Moguntiæ situm esse, ac proinde, ut Moguntia illuc eatur, nullam esse necessitatem attingendi Rhenum : imo sive quis secundo sive adverso flumine naviget, is profecto Hersfeldia tanto longius recedet. Credo itaque textum in hunc sensum corrigendum esse :* Et per Mogonum amne adverso devectus, in loco, qui dicitur Hohstedi, exponi (*jussit*). *Juxta Moguntiam in Rhenum influit Mogonus* (le Mein), *ab oriente veniens, et, quod correctioni meæ favet, via circiter media inter Mogun-* E *tiam et Francofurtum est et hodie oppidulum* Höchst, *apud antiquos* Hochstedi *seu* Hochstedin *appellatum : ex quo iter terrestre, uti habet textus, Hersfeldiam versus carpendum erat.*

s *Vidimus Comment. prævii n.* 119 *primam corporis translationem celebratam fuisse anno Christi* 852; *id est sexagesimo septimo anno post obitum S.* Lulli : *unde satis liquet Anonymum numero, ut diximus, rotundo hic usum fuisse.*

(*a*) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 370. — (*b*) T. III August., p. 137, n. 24. — (*c*) Antiquit. Fuldens., p. 4. — (*d*) T. VII Septemb., p. 768, n. 30. — (*e*) Circa chorepiscopos cfr Nardi Dei Parrochi, t. I, p. 422.

DE S. VITALI, EREMITA,

IN PAGO RATIATENSI DIOECESIS NANNETENSIS IN GALLIA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Homonymi, biographiæ, ætas, vitæ ratio, Reliquiarum translationes, et cultus.

ANTE SÆC. IX. *In pago Ratensi*

Incolæ pagi Ratiatensis seu Ratensis, S. Vitalis *eremitæ commoratione insignis,* Oceani littus inhabitabant, *ut habet Ermentarius* (*a*), *collector miraculorum S. Filiberti, Nigri monasterii* (Noirmoûtier) *in insula Hero, nunc etiam Nigro monasterio dicta, fundatoris et abbatis; et* intra ipsum Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Namneticæ, *ut loquitur S. Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum* (*b*). *Cum interlabente Ligere fluvio a Britannia et Nannetibus separaretur, pars fuit ista tellus diœcesis Pictavensis, ut ex eo, quod, teste S. Gregorio Turonensi* (*c*), *S. Hilarius ibidem S. Lupianum baptizavit, colligit Gallia Christiana nova* (*d*); *donec anno* 851 *a Carolo Calvo, Francorum rege, in gratiam Herispogii decisa est a Pictavensi agro et addita Britanniæ, ut finis tandem fieret perturbationibus, quas fuse exponit Cl. V. Guépin in nuperiore sua Nan-*

(*a*) Act. SS., t. IV August., p. 91.—(*b*) Cap. LIV. Bibl. Max. SS. Patr. Lugdun., t. XI, p. 883.—(*c*) Ibid. loc. cit.—(*d*) T. II, col. 1143.

netensi

A *netensi historia* (*a*). *Dubium certe nullum esse potest quin usque ad tempora Herispogii, aut saltem ejus patris Nomenoji, terminus seu pagus ille episcopo Pictavensi subfuerit; atque adeo Hadrianus Valesius* (*b*) *disserens de pago Herbatilicensi, qui in Ratiatensi termino jacebat, seu etiam, ut Cl. V. Guépin velle videtur* (*c*), *idem ac ille terminus erat, ita ratiocinatur, ac si non statim episcopalis jurisdictionis fines mutati fuissent, cum civilis auctoritatis modus conversus est; hæc ejus sunt verba :* Si ergo Arbatilicum territorium (*Comté d'Herbauge*)... erat in finibus seu in agro Pictonum, ad Pictones utique, non ad Namnetes pertinuit, et diœcesi Pictavensi, non Namneticæ attribuebatur; quem pagum postea Pictava Ecclesia facile amittere non potuit, et sibi eripi passura non fuit. *Verum cum medio sæculo* IX *omnia sus deque in Britannia atque in ipso pago Ratiatensi seu Herbatiliacensi a Normannis versa essent* (*d*), *iidemque agri plurimum a Lamberto et Nomenojo, Britanniæ principibus, passi fuissent* (*e*), *multo facilius hæc nova diœceseon limitatio facta fuerit oportet; præterea cum Gislardum in sedem Nannetensem loco Actardi episcopi Nomenojus intrusisset, planum erat ut illegitimus ille præsul*
B *auctoritatem suam extenderet in Ratiatensem pagum, quem Nomenojus, ejus fautor, vi et dolo occupaverat; præsertim cum B. Leo Papa IV, falsis forte relationibus deceptus, Nomenojo faveret, ut ex Chronico Nannetensi* (*f*) *colligere licet. Quibus conjecturis novum accederet robur, si certius constarent, quæ de metropoli Dolensi, ab eodem Nomenojo instituta, circumferuntur* (*g*) *: ex his enim liqueret Nomenojum in res ecclesiasticas et civiles omnia fuisse ausum. Quidquid id est, sæculis certe* XI *et* XII, *ut ex charta* (*h*) *fundationis monasterii S. Mariæ de Calmaria* (la Chaume), *anno* 1055 *in Ratiatensi pago conditi, satis manifestum est, non aliter quam ex donationis instrumento Radulphi, Radesii domini, in gratiam cœnobii de Busajo anno* 1152 *factæ, quod Hyacinthus Moricius edidit* (*i*), *ad diœcesim Nannetensem pertinebat Ratiatensis pagus seu terminus; neque umquam exinde ab ea fuit diremptus. Plura de hac tellure, quæ nunc capitur partitione, Ligere inferiore dicta* (département de la Loire-Inférieure), *videnda sunt in Dictionariis geographicis d'Expilly, et La Martinière, non secus ac in Dictionario universali Franciæ, anno* 1804 *Parisiis impresso, ad v. Retz, in Notitia Gallia-*
C *rum Valesii ad vv. Pagus Ratiatensis et Herbatilicensis, in Geographia historica D. Vaissette* (*k*), *et demum, ut alia mittam, in Opere nostro in Commentario de S. Pantalo* (*l*), *ubi egregia disquisitio exstat adversus eos qui Pictavenses episcopos aliquando Ratiatenses dictos fuisse volunt, et in Commentariis Academiæ inscriptionum Parisiensis, in quibus* (*m*) *legitur abbatis Belley dissertatio de Ratiaco, antiqua Galliarum civitate.*

floruit S. Vitalis, *alibi parum notus;*

2 *Nomen porro S.* Vitalis, *qui Ratiatense territorium suis collustravit virtutibus, inter tam arctos fines conclusum remansit, ut non semel decessores nostros fuerit remoratum. Etenim cum Sollerius, Usuardini Martyrologii editor, atque in Sanctis accurate cognoscendis, distinguendisque facile princeps, ad præsentem diem in codice Usuardino D. Le Mare reperisset :* In territorio Ratine, Sancti Vitalis D Confessoris, *addidit :* Hunc mihi plane ignotum fateor. *Qui vero catalogum prætermissorum ad diem* XIV *Octobris confecit, rite scribit S.* Vitalis Confessoris *ad hanc diem meminisse Grevenum; sed et hæc subdit verba :* Dubitandum non apparet, quin is unus idemque sit cum Sancto homonymo, quem ad XVI mensis hujus diem Usuardina inter Auctaria Sollerius recenset, quemque non secus ac hic ibidem, fatemur nobis plane ignotum. *Sed nihil est in istiusmodi assertis quod admirationen excitet, quandoquidem in ipsa parœcia Leynes diœcesis Augustodunensis, in qua noster* Vitalis *absque dubio patronus est, minime innotescit; ita ut credant incolæ S. Vitalis, Savigniacensis abbatis, patrocinio atque titulo templum suæ parœciæ gaudere. Audi scilicet R. D. Guillard hujus loci deservitorem in epistola,* XII *Januarii ann.* 1841 *data :* In veteri actorum libro, qui penes me est, traditur S. Vitalis, abbas Savigniacensis in Normannia, patronus esse templi Leynes; late ejus vita explanari tomo XIV Historiæ Ecclesiasticæ Fleury; et XVI Octobris ejus festum agi. Alias traditiones colligere nequivi, et nullum umquam Officium proprium inveni in
mea parœcia. *Verum ad has disturbandas tenebras* E *satis fuerit produxisse Castellanum, hæc recte omnino in universali suo Martyrologio ad præsentem diem memorantem :* In pago Ratiatensi in Britannia Minori, S. Vitalis, eremitæ, cujus corpus temporibus irruptionis Normannicæ Trinorchium, Burgundiæ monasterium, delatum fuit. *Sic Castellanus, gallico tamen idiomate usus.*

distinguitur a permultis Martyribus et Confessoribus;

3 *Licet ex his satis liqueat quantopere quidam hallucinati sint, dum de Sancto nostro* Vitali *ageretur, causa tamen hallucinationis non est quod omnia ejus gesta lateant, vel quod non facile ab homonymis distinguatur : etenim, ut ab hoc capite exordiamur, cum Confessor fuerit atque dicatur, sine negotio distinguitur a quinquaginta et pluribus Vitalibus, qui martyrium passi sunt : Confessores vero, qui Vitales quoque dicti fuere, hi sunt : Vitalis qui ex Martyrologiis diei* II *Januarii in opere nostro adscribitur et vix cognocitur; Vitalis, abbas Savigniacensis, cujus festum agitur* VII *Januarii; tertius Vitalis cultum obtinet Spoleti die* XXI *ejusdem mensis; quartus, qui* IX *Martii colitur, sæculo* X *abbatem Ordinis S. Basilii Armenti et Rapollæ agebat in Sicilia; quintum referunt Martyrologia ad* XXXI F *Maji, eumque a Bastia cognominatum, noverunt Hagiophili e tertio ordine S. Francisci fuisse. Sextus, ex Martyrologiis notus, et diei* XXIII *Julii adscriptus, episcopus Ravennas videtur fuisse; septimus vero Vitalis die* XX *Octobris Salisburgi in Germania, ubi sæculo septimo episcopus sedit, colitur.*

de quorum uno, obscuro plurimum, fusius disseritur;

4 *Octavus ad annum* 777 *innotescit ex testamento longiori S. Fulradi, abbatis S. Dionysii prope Parisios, quod ediderunt Dubois* (*n*), *Mabillonius* (*o*), *Cointius* (*p*), *Felibien* (*q*), *Scheidius* (*r*), *Grandidier* (*s*) *et Neugart* (*t*), *et in quo legitur :* Similiter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit, super fluvium Nettra, quæ Hafti mihi tradidit, *et ex ejusdem testamento breviori, quod ab uno Grandidier* (*u*) *editum fuisse sciam, quodque habet :* Similiter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit supra fluvium

(*a*) Hist. de Nantes, p. 45 et seqq. Cfr Chronic. Fontanellense, Fragmentum Hist. Britanniæ Armoricæ, Annal. Sam-Bertinianos, etc. D. Bouquet, t. VII, p. 42, 49, 68, etc. — (*b*) Notit. Gall., p. 243. — (*c*) Hist. de Nantes, p. 50. — (*d*) Chron. Nannetense ap. D. Morice, Mémoires pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 137. — (*e*) Ibid., col. 139 et seq. — (*f*) Ibid., col. 140. — (*g*) Cfr opus R. D. Tresvaux, l'Eglise de Bretagne, p. 63. — (*h*) FF. Sammarthani Gall. Christ. Antiq., t. IV, p. 211. — (*i*) Mémoir. pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 621. — (*k*) T. VI, p. 462 et seq. — (*l*) T. VI Octob., p. 78 et seq. — (*m*) Mémoir. de l'acad. des inscript., t. XIX, p. 722. — (*n*) Hist. Ecclés. de Paris, t. I, p. 269. — (*o*) Act. Sanct. Ord. S. Bened., sæc. III, part. II, p. 309. — (*p*) Cointius Annal. Eccles. Franc., t. VI, p. 131. — (*q*) Hist. de S. Denis, pièc. justific., p. XXXVIII. — (*r*) Orig. Guelfic., t. I, lib. II, prob. p. 225. — (*s*) Hist. de l'Église de Strasbourg, t. II, pièc. justific., p. CXXII, — (*t*) Cod. diplom. Alemann, t. I. p. 63. — (*u*) Hist. de l'Église de Strasbourg, t. II, pièc. justific., p. CXXVII.

A Necræ. *Hujus vero cellæ situs magis determinatur diplomate Ludovici II seu Germanici, anno* 866 *dato, et a Doublet* (*a*), *Mabillonio* (*b*) *et Bouquet* (*c*) *edito; illic enim legitur :* Hetsilinga in pago Nechragawe super fluvium Nechcra, ubi Sanctus Vitalis Confessor corpore requiescit. *Pagus autem ille Nechragawe, seu Neccergowe, Neccariensis, Necchargowe, totus fere jacebat in Suevia ad utramque fluvii Neccari* (le Necker) *ripam, a flumine Vilusa* (le Fils) *prope arcem* Teck *ferme usque ad castellum* Dilsperg *prope* Neckergemundam (*d*). Hetsilinga *vero absque dubio Eslinga seu Etsilinga est ad Neccarum fluvium; de quo imperiali oppido Baudrandus aliique geographi plura explicant. Ast de cella, quæ ibidem exstabat et ubi S. Vitalis quiescebat corpus, nuspiam certi quidpiam reperire potui. Neugart* (*e*) *quidem ait eam aliquando floruisse; verum si floruit, ita floruerit oportet, ut de ea ex citatis diplomatibus sciamus tantum, dono eam datam fuisse ab Hafti S. Fulrado abbati San-Dionysiano, qui eam cum aliis multis monasterio suo donavit; jam* tempore clarissimi avi *sui* Karoli ac domni genitoris *sui* Hludovici pissimi augusti mercatum in prædicta cellula Het-
B silinga fuisse, *ut Ludovicus Germanicus in citato diplomate loquitur; eumque cum cella, petente abbate Hludovico, in suam tuitionem susceptam fuisse ab eodem Ludovico Germanico; quoniam, cum quam maxime procul a S. Dionysii abbatia abesset cella illa, malevolorum vexationibus nimium erat obnoxia : unde liquet non audiendum esse Beatum Rhenanum* (*f*), *et qui eum descripserunt, Crusium* (*g*) *et Sattlerum* (*h*), *cum contendunt Eslingam Fulrado dono datam fuisse a Carolo Magno; qui alias quidem in Alemannia villas San-Dionysianis monachis contulit* (*i*), *minime vero Eslingam, quam ab Hafti accepit Fulradus. Quid vero deinde factum fuerit, mihi prorsus in obscuro jacet, adeo ut D. Franciscus Petri in Suevia sua Ecclesiastica, licet plura Eslingensia monasteria commemoret* (*k*), *de cella hac ne verbum quidem faciat : atque idem dixero de Zeillero, qui in sua Germaniæ Topographia* (*l*) *pluribus Eslingam illustrat, de S. Vitalis autem cella alto tacet silentio. Verumtamen, cum ex eo noverimus præcipuum Eslingense templum S. Dionysio sacrum esse, et vocabulum* cella, *ut superius in Commentario de S. Salvio* (*m*) *fuse demonstravimus, ædiculam æque ac monasterium olim signi-*
C *ficarit, vehementer inclinor ad credendum cellam S. Vitalis ædem sacram, non cœnobium fuisse, in quo jus patronatus aliaque similia haberent San-Dionysiani; inde in ea ortum et promotum fuisse S. Dionysii cultum; cujus nomen, cum tulit occasio, reædificando templo inditum fuisse; eamque jure antiquitatis remansisse præcipuam. Jam quis ille Vitalis Confessor sit, qui sæculo* VIII *in cella Hetsilinga corpore requiescebat, nuspiam reperire potuimus. Verum cum verisimile non sit eumdem esse ac unum e præcedentibus, hæc de ejus cultu hic congerere placuit, ut ne penitus in opere nostro omitteretur.*

reliquis Confessoribus sat cognitis.

5 *Quod autem in præsentiarum notandum est, minime confundendus est hic S. Vitalis cum S.* Vitali *Ratensi, qui numquam in Suevia requievit. De reliquis vero omnibus sic appellatis non est cur dicam; de S. Vitali Salisburgensi ex historia hujus episcopatus tantum notavero eum etiamnum Salisburgi sepultum esse; unde sine negotio a nostro Sancto sæpe translato distinguitur. Sanctus Vitalis* D *vero Savigniacensis abbas, licet reapse, ut num.* 1 *monui, confundatur cum Ratensi, non difficilius ab eo separatur; etenim primo, Savigniacensis abbas sæculo* XII *vixit, noster vero* Vitalis *pluribus sæculis ante; secundo, hic Anglus natione fuit, ille Gallus; tertio, vixit prior in eremo et fors in Nigro monasterio, posterior in Savigniacensi monasterio, quod condidit; et multum abest quin eremitam egerit, cum et rebus politicis sæpius fuerit implicatus; verbo in tantum a se invicem distant, ut unum nomen eis commune sit, præter hoc nihil. Mitto reliquos Sanctos Vitales. Hinc gradum ad nostri biographos facio.*

S. Vitalis *Vitæ, editæ a Lobinavio, de Garaby et Alberto le Grand non in omnibus conveniunt*

6 *Anno* 1724 *edidit D. Lobineau collectionem Vitarum Sanctorum Britanniæ Minoris, quam nuper, anno nempe* 1836, *R. D. Tresvaux, canonicus Parisiensis, solerti manu castigatam auctamque denuo in lucem emisit. In tomo secundo* (*n*) *hujus editionis habes Vitam nostri Sancti* concinnatam, *ut illic inscribitur,* tum ex biographia, quam P. Albertus le Grand desumpserat ex veteri codice MS., asservato in parœciali S. Vitalis ecclesia diœcesis Nannetensis, tum ex Historia abbatiæ Trenorchiensis D. Juenin, Trenorchiensis canonici. *Idem dicere potuisset de sua S.* Vitalis *biographia* E *R. D. de Garaby, scriptor Vitarum Sanctorum Britanniæ, anno* 1839 *editarum. Quoniam vero excusæ S.* Vitalis *Vitæ conjecturas rebus certis immixtas habent, operæ pretium est nosse quid profiteatur P. Albertus de biographiæ suæ fontibus. Sic ejus dicta, e gallico idiomate in latinum versa, sonant :* Collecta est hæc Vita ex MS. pergameno, quod in ecclesia parœciali S. Vitalis in territorio Ratiatensi asservatur, quodque historiam lectionibus, hymnis, responsoriis, antiphonis et propriis distinctam capit et nobis a venerabili et discreto domino Francisco Merlet, rectore dictæ parœciæ, et partim quoque ex commentariis MSS. et traditionibus insignibus, annotatis a dicto rectore; quæ cuncta conformia sunt Annalibus Britanniæ et inviolabili temporum rationario. *Curante autem R. P. Delvaux S. J., residentiæ Nannetensis superiore, operamque suam conferente R. D. Auboisenet secretario ill. episcopi Nannetensis, ad nos missus est codex chartaceus, tritus omnino, in cujus fronte gallice legitur :* Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ, consona cum Vita MS. quæ hic asservatur. *In calce autem codicis scribitur :* Liber fabricæ S. Vitalis, inchoatus a domino Francisco F Merlet, presbytero et rectore dicti loci, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo die XVI Januarii. — Index rerum in hoc libro contentarum : 1° Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ et parœciæ. *Quæ sequuntur in indice, non pertinent ad nostrum Sanctum. In nota vero quam idem D. Merlet Vitæ S.* Vitalis *subjecit, quamque paulo inferius integram exhibebo, asseritur* nihil aliud *præter præmissam Vitam* in scriptis exstare. *Cum vero manifestum sit omnia, quæ ad ipsam S.* Vitalis *in terris degentis Vitam pertinent, non ex monumentis a D. Juenin in Trenorchiensi historia collectis, sed ex scriptis Alberti le Grand a D. Lobinavio deprompta esse; ex recitatis sequitur inter conjecturas referri debere cuncta Lobinavii vel ipsius Alberti asserta, quæ in hoc Ratiatensi codice reperire non est. Atque hæc est ratio cur non displicuerit horum scriptorum verba late exhibere.*

(*a*) Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 784. — (*b*) De Re Diplom., p. 401. — (*c*) Recueil des hist. de France, t. VIII, p. 421. — (*d*) Cfr Chron. Gotwic., t. II, p. 701 et seqq. — (*e*) Cod. diplom. Alemann., t. I, p. 63. — (*f*) Lib. tres Rer. Germanic., p. 208, edit. 1712. — (*g*) Annal. Suev., t. II, p. 4. — (*h*) Geschichte des Herzogthums Würtemberg, p. 517, 644 et seq. — (*i*) Doublet, Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 712 et seqq. — (*k*) Suev. Eccles., p. 318 et seqq. — (*l*) T. IV Beschreibung des Schwabenlands, p. 69 et seq. — (*m*) p. 854. — (*n*) Hist. des Saints de Bretagne, t. II, p. 251.

cum fontibus, qui hic describuntur.

7 *Jam hic San-Vitalensis codex describendus est. In primis notandum venit hanc Vitam gallicam tantum esse versionem, paratam a dicto D. Merlet, viro pietate, zelo et prudentia commendabili, quantum ex pluribus hujus libri adjectis annotationibus conjicere licet. Porro præ manibus nobis est duplex ecgraphon lectionum, quas olim Trenorchienses recitare solebant : alterum descriptum ex Breviario Trenorchiensi, circa annum* 1577 *manu exarato, nobis submisit prælaudatus D. Tresvaux, alterum in collectione Bollandiana ad* XVI *Octobris in bibliotheca regia Bruxellensi asservatur; easdem præterea lectiones in Historia sua Trenorchiensi olim edidit noster Chiffletius. Jam vero cum has lectiones cum Vita gallica MS. conferrem, continuo manifestum fuit Trenorchienses lectiones partem esse Vitæ latinæ, quam olim in vico S.* Vitalis *asservatam esse ex P. Alberti testimonio cognovimus. Fas itaque est secure judicare qualem in vertendo San-Vitalensis rector fidelitatem coluerit : visus itaque est ubique sensum sensui reddidisse, sed pluribus fere diluisse verbis : atque hæc in genere pronuntianda videntur; specialia ad Vitæ calcem inter annotata rejicere præplacet. Cum autem nos lateat ubi terrarum vetus latinum San-Vitalense MS. asservetur, illa gallica versio denuo latina facienda fuit; qua in re hanc servavimus rationem : quæcumque in Trenorchiensibus lectionibus reperiremus, hæc descripsimus ad verbum; quæ autem in versione gallica tantum occurrebant, hæc uncis [ ] inclusimus et verbotenus fere in latinum vertimus idioma, non omittentes has inserere voces quas, etsi minus latinas, in primævo textu exstare satis indicabat ipsius versionis insolentia. Hoc vero primævum MS. latinum e triplici monumento consutum videtur : prima pars complectitur encomium potius quam Vitam, videturque omnium antiquissima; secunda pars constat miraculis, quæ inter annum* 839 *et* 858 *contigisse videntur et forte collecta sunt ab ipso Ermentario, qui S. Filiberti miracula, ut brevi videbitur, descripsit; tertia pars fere tota ex Ermentarii scriptis texta est. Ex nota quam nuperrimæ suæ editioni Vitarum SS. Britanniæ Minoris Alberti le Grand subdidit Daniel Ludovicus Miorcec de Kerdanet intelligo Lobinavium maxime desiderasse hæc Acta, quod sibi viderentur antiquissima, et venerabili conspersa simplicitate, quæ horum operum pretium est : quæ sententia nitebatur sola Alberti le Grand scriptione. Inspectis tabulis, ipse lector benignum saltem feret judicium.*

S. Vitalis *ætas, varia a variis statuitur;*

8 *His animadversis, dicendum jam superest de ævo, vitæ ratione, Reliquiarum fato, cultuque S.* Vitalis; *et primo quidem de ævo : affirmat Albertus le Grand S.* Vitalem *circa annum* 702 *in Anglia e nobilibus genitoribus ortum esse et anno* 725 *ad S. Filiberti monasterium, quod in insula Hero seu Nigri monasterii ad Ligeris ostia erat, devenisse, religiosam suscepturum vestem. In recenti vero editione Vitarum Sanctorum Britanniæ D. Lobinavii et in Vitis Sanctorum Britanniæ R. D. de Garaby annus nativitatis siletur; tempus vero ejus ad S. Filiberti monasterium adventus ad annum circiter* 725 *refertur. Aliter omnino San-Vitalensis rector Merlet sentit; juverit uno tractu referre quidquid in S.* Vitalis *Vitam annotaverit, hæc gallice disserens :* Non traditur in hac historia, quo anno S. Vitalis territorium Ratiatense adierit, aut quo anno supremum diem obierit. Verum ex annalibus Britanniæ aliisque historiis conjici potest eum ex Anglia in Britanniam transiisse cum aliis multis Anglis e sua patria ob fidem catholicam pulsis, et in dictum locum Scobrith (qui nunc vicus S. Vitalis est) devenisse circa annum quingentesimum sexagesimum, eumque illic ad senectutem usque vixisse, quemadmodum in Vita narratur. Sæculis vero circiter duobus post ejus mortem ingruit persecutio; et monachi, qui ad illic habitandum et divina officia in sacrario ab ipso Vitali extructo peragendum missi fuerant, abierunt cum aliis vicinis monachis, ejusque detulerunt corpus ad Trenorchiense monasterium, aut ad aliud Burgundiæ cœnobium ad Araris ripas situm, et quindecim aut viginti circiter leucis Lugduno distans. Ex hoc monasterio venit post persecutionem ad nostras oras quidam monachus, et quod secum asportabat S. Vitalis brachium reliquit in dicto loco S. Vitalis, ubi asservatur ejus historia, ut supra exposita est, et cui credere possumus, dum de eo nihil aliud in scriptis exstet. *Ex quibus manifestum est annum* 725, *excogitatum ab Alberto le Grand et a Lobinavio æque ac a R. D. de Garaby admissum, non secus ac annum* 560 *a Francisco Merleto adstructum meras esse conjecturas : quamobrem satius nobis visum est incertum ejus relinquere ævum; quod ex relatione miraculorum et ex diplomate anni* 839, *partim inferius recitando, sæculo* IX *anterius fuisse solummodo cognovimus.*

traditio, qua fertur Herensis monachus fuisse, videtur niti in eo, quod Herenses ejus corpus

9 *Secunda quæstio ad S.* Vitalis *vitæ rationem pertinet. Pluribus narrat le Grand, (quem hoc loco ad verbum fere sequitur Lobinavius,) S.* Vitalem *ad Ligeris ostia venisse, ibique permulta audivisse de sanctitate S. Filiberti monachorum; his relationibus permotum, perrexisse ad Herensem, seu Nigri monasterii insulam; sese ad abbatis pedes projecisse, sibi expetentem religiosam vestem, qua post non ita diuturnam probationem anno* 725 *indutus est; neque silet quis ejus deinde per tirocinii annum fervor fuerit; eoque expleto, qua ratione unanimi monachorum consensu ad professionem religiosam fuerit admissus; eum deinde, post emissam professionem, vitæ solitariæ amore incensum, postulasse atque ab abbate suo consecutum esse licentiam in solitudine montis Scobrith (quem jam diximus vicum esse S.* Vitalis *in diœcesi Nannetensi) ædificandi sibi cellulam, in eaque habitandi. Utinam hæc omnia convenirent cum usibus monasticis horum temporum, atque adeo aliquibus historicis monumentis niterentur! At nihil aliud in confirmationem adduci potest, quam quod in ejus Vita num.* 5, *dicitur vel* Deum S. Vitali inspirasse, vel quemdam abbatem aut alium superiorem, sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, jussisse, ut sacrarium ædificaret. *Verum totus hic numerus ex populari traditione ab ecclesiæ rectore Merleto, ut ipse fatetur, Vitæ intrusus fuit. Equidem sentio universum hoc commentum ortum esse ex eo quod ecclesia S.* Vitalis *Nigri monasterii monachis data sit, et sacrum ejus corpus post irruptionem Normannicam apud eosdem, Trenorchium digressos, fuerit asservatum. Sed si res rite perpenditur, nescio an potius hujus ecclesiæ donatio pretensæ huic religiosæ professioni obstet. Pronum saltem est æstimare futurum fuisse, ut sacrarium aut ecclesia a monacho exstructa ab initio penes ejus monasterium foret. Contrarium tamen discimus ex diplomate Ludovici Pii imperatoris, dato Pictavis* V *kalendas Decembris anno sui regni* XXVI, *Christi* 839, *indictione tertia.*

et ejus ecclesiam post annum 839 *ex Ludovici Pii diplomate possederint;*

10 *Ecce excerptum hujus diplomatis, quale exstat tum apud Chiffletium nostrum inter Probationes ad Historiam Trenorchiensem* (*a*) *et in Collectione Scriptorum Galliæ D. Bouquet* (*b*) : . . . . Notum esse

(*a*) p. 194. — (*b*) T. VI, p. 628.

volumus. . .

A volumus. . . quia divino tacti amore contulimus ad monasterium Deas, in quo Sanctus Filibertus Confessor Christi corpore requiescit, constructum in honore Beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum, ubi venerabilis vir Hilbodus abba præesse dinoscitur, quandam villam juris nostri, nomine Scobrit, quæ est in pago Pictavo, in vicaria Racinse, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, et cum mancipiis utriusque sexus vel ætatis. Memoratam itaque villam, cum ecclesia Sancti Vitalis, domibus, cæterisque ædificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, salinis, molendinis, exitibus et regressibus, quantumcumque ad prædictam villam pertinet, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integrum vel inexquisitum, de nostro jure in jus et dominationem prædicti monasterii transferimus : ita videlicet, ut quicquid ab hodierno die et deinceps rectores atque ministri ejusdem monasterii de prædicta villa, vel de iis quæ ad eam pertinent, facere, ordinare, atque ad utilitatem ejusdem monasterii facere elegerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. . . . *Notandum est, hanc donationem factam esse, cum*
B *Herenses monachi præ metu Normannorum, in dies imminentium, ex Hero insula cum corpore S. Filiberti perfugissent in cellam Deensem* (*gallice* Grandlieu, *prioratum in diœcesi Nannetensi ante sæculi superioris tumultus,*) *quam paucis annis ante Arnulfus Herensis abbas in pago Herbadilico seu Ratiatensi juxta Nannetas ad Bedoniam fluviolum ædificaverat. Atque dum hæc attulimus ad vocandam in dubium aut ad negandam S.* Vitalis *monasticam professionem, simul nos accinximus ad agendum de variis S.* Vitalis *Reliquiarum translationibus.*

hi autem præ Normannorum metu ad varia loca et demum Trenorchium

11 *Modo Herenses monachos ad cellam Deensem venisse intelligere fuit; quod anno* 836 *factum est. At anno* 841 *denuo irruunt Normanni, cogunturque Herenses seu Deenses fugere in locum, latine Conaldum, gallice* Cunault *vocatum, situm in territorio Andegavensi, ad ripam Ligeris; quem Carolus Calvus, antequam Andegavi caperentur, Herensibus in refugium dederat, dum corpus Beati Filiberti adhuc in monasterio Deensi, quamvis a Normannis incenso, mansisset. Sed cum nulla jam spes Deensis aut Herensis monasterii repetendi foret, anno Christi* 858 *Conaldum asportatur S. Filiberti corpus, et verisimillimum est ei associatum fuisse ex hoc tempore*
C *corpus nostri S.* Vitalis, *non secus ac alia sacra lipsana. Anno autem* 862 *sanctum onus delatum est Mesciacum, territorii Pictavensis villam, in qua quamdiu substiterit exploratum non est. Hæc ab Ermentario, monacho Herensi testeque oculato, partim anno* 836, *partim anno* 863 *latius descripta sunt in Miraculis et Translationibus S. Filiberti* (*a*). *Quæ vero sequuntur, excerpsimus ex Falcone, monacho Trenorchiensi, qui sæculo undecimo Chronicum sui monasterii contexuit et usque ad an.* 1087 *deduxit : quod edidit Chiffletius in Probationibus Historiæ Trenorchiensis* (*b*), *et cujus partem non exiguam inseruit Cuperus suo de S. Filiberto Commentario* (*c*). *Ex hoc itaque novimus inter Normannorum prædationes Herum insulam non usquequaque a monachis desertam fuisse; ex his tamen plerosque huc illuc vagatos esse, donec tandem Geilo, abbas factus, Carolum Calvum adiit,* quatenus Beato Filiberto adhuc in terra corpore peregrinanti sibique adhærentibus locum præbere refugii dignaretur; *cujus petitioni rex libenter annuens, tribuit*
D *abbatiolam Sancti Portiani, confirmavitque hanc donationem diplomate, dato anno* 870, *sæpiusque edito tum in utraque Dacheriani Spicilegii editione, tum in Historia Trenorchiensi D. Juenin, tum in Collectione Scriptorum Galliæ D. Bouquet. Affirmat in eo rex a se hoc donum fieri,* ne *diutius Herenses* huc illucque vacillantes discurrant. *Atque tum anno, videlicet* 871, *ex Pictavensi agro, e villa nempe Mesciaco, in pagum Arvernensem, qui S. Portiani capiebat abbatiam, Herensium sacra pignora sunt delata. Quinquennio post Geilo denuo Carolum regem adiit, novum donum, Trenorchium scilicet, olim Cabillonensis diœcesis abbatiam, cum suis appendiciis Beato Filiberto postulaturus impetraturusque.* Redit *ergo ad suos, ut loquitur Falco,* et sacra pignora secum tollens cum regalibus traditionum munimentis pridie idus Maji præfatum venit ad Trenorchium. *Fuit hic itaque finis peregrinationum S.* Vitalis *aliorumque Sanctorum corporum.*

deferunt S. Vitalis *corpus cum aliis multis lipsanis;*

12 *Si quis autem novisse cupierit quæ sacra lipsana nostri S.* Vitalis *corpus comitata fuerint, audiat Falconem hac de re late devoteque disserentem :* Horum autem divinæ prærogationis munerum nomina dicere, non multum necessarium, sed nec
E penitus facile reor. Quis enim præter Redemptoris nostri, quibus ab ipsa, ut ita dicam, nativitate, juventute, ipso etiam tempore passionis usus est vestimenta, vel quæ ipsa sacratissima Genitrix ejusdem, vel sibi coaptavit, vel filio, ipsasque geminas quibus soli Deo nota, nobis incognita sacra continentur pixides; ipsumque quo idem Redemptor in passione passus est vinciri ligamen : ipsum etiam salutiferæ crucis lignum : idemque denique vas primo Salvatoris miraculo consecratum; illud quoque Sanctissimi corpus Philiberti; quis, inquam, his præmissis, innumerabilium sanctorum quorum eo die ibidem sunt allatæ Reliquiæ minutias dinumerare, vel nominare valebit? Cur Sanctos Candidum, Clinumque Martyres commemorem? Cur Sanctum Vitalem, Basilium aliosque nonnullos? Quorum tametsi gloriosa penes nos corpora retinentur; vereor tamen nominatim huic eos inferre opusculo, ne apud tardiores temere videar inficiari. Credimus plane tamen Beatum Valerianum dignis a Deo meritis obtinuisse, ut ejus sanctissimum corpus apud homines tantæ sanctitatis, benedictionis honorari consortio meruisset. *Trenorchiensis patronus jam pridem erat S. Valerianus : qui sint*
F *reliqui Sancti hic enumerati, modo dicendi locus occurret.*

quæ pleraque anno 1562 *a Calvinianis comburuntur.*

13 *Plura porro sæcula pie asservaverant Trenorchienses monachi hæc sacra pignora; ast anno* 1562 *Calviniani, in hanc abbatiam irrumpentes, omnia fere sus deque verterunt, in primis autem sævierunt in hæc religionis monumenta. Exstat in Chiffletiana Trenorchiensi Historia catalogus sacrorum pignorum, quæ hi pietatis osores incenderunt : non castigatus quidem omnino est, cum et S. Filiberti corpus recenseat, quod tamen eorum furorem feliciter evasisse aliunde novimus* (*d*). *In eo itaque numerantur corpus S. Filiberti, corpus S. Valeriani, corpus S. Candidi senatoris, qui in Actis S. Mauritii nominari dicitur, corpus S. Clini, quem a Sarracenis* (*immo Normannis*), *Herense monasterium evertentibus, martyrio donatum arbitrantur, corpus S. Samsonis Dolensis episcopi, corpus S. Basilii, corpus S. Benedicti de Quinciaco, corpus S.* Vitalis, *corpus S. Arnulfi, corpus Beatissimi Ardagni, abbatis Trenorchiensis, quem* XI *Februarii*

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. IV, part. I, p. 539 et Act. SS. t. IV Aug., p. 81 et seqq. — (*b*) p. 15 et seqq. — (*c*) Act. SS. t. IV Aug., p. 72 et seq. — (*d*) Act. SS. t. IV Aug., p. 75.

colebant,

A *colebant, una hydria nuptiarum Canæ, sindon Christi Domini, pars sudarii, dens et pili barbæ S. Petri, duæ costæ S. Stephani et guttæ sanguinis ejusdem Sancti, frustaque lapidum, quibus obrutus est. Antea vero in vicum Sancti* Vitalis *in Britannia Minori brachium hujus Sancti delatum fuerat, ut ex superius productis rectoris Merleti commentariis constat, atque idem etiamnum illic asservatur, ut ex præsentis parochi litteris nobis innotuit.*

Floruit S. Vitalis *cultus Trenorchii,*

14 *S.* Vitalis *cultus apud Trenorchienses celebris semper fuit; constat id non tantum ex veteri Sanctorum corporum apud eos asservatorum catalogo, inter Chiffletianæ Trenorchiensis Historiæ probationes* (*a*) *impresso, aut ex veteri kalendario ibidem edito, exhibentique ad* XVI *Octobris festum S.* Vitalis *Confessoris; sed id in primis eruere est ex Trenorchiensi Chronico* (*b*) *Falconis; in quo apud Chiffletium* (*c*) *hæc habes :* Wago post Odonis obitum pastorale suscepit officium : qui inlustrium vestigia patrum secutus, futuris probitatis suæ monimenta reliquit. Anno autem regiminis sui decimo octavo, (*qui saltem annum* 1006 *aut* 1007 *signat, ut ex prædecessoris ætate, annum* 989 *attingentis, liquet,*) in festo Beati Vitalis, dum totum monasterium festive
B utpote pro sollemni patroni nostri gaudio foret ornatum, per famulorum incuriam igne consumptum est cum omnibus officinis, tamque valida flatu ventorum exstitit ignis vastatio, ut pene omnis suppellex monasterii consumeretur præter Sanctorum memorias, et partem ornamentorum ad cultum Dei pertinentium; quod latebræ cryptarum ejusdem monasterii vix celare potuerunt. *Erat præterea in ecclesia abbatiæ sacellum, quod Bulla sæcularisationis capitulo unitum fuit et cujus S.* Vitalis *una cum S. Martino Vertanensi patronus titularis erat, ut testis est Juenin in sua Trenorchiensi Historia* (*d*). *Ibidem refragatur hic auctor Chiffletio, asserens jam pridem apud Trenorchienses absque solemnitate actam fuisse S.* Vitalis *festivitatem.*

in alio Burgundiæ loco, in vico S. Vitalis *et in ipsa Anglia.*

15 *Neque se continuit S.* Vitalis *cultus intra monasterii septa. Insigne specimen Burgundionum pietatis erga S.* Vitalem *numm.* 21 *et* 22 *Vitæ hujus Sancti occurrit. Sitne vero ex hoc tempore repetenda religio, qua quædam hujus terræ tractus ecclesiæ S.* Vitalem *in patronum elegerunt, judicet lector. Anno saltem* 1120 *parœcia de Lenna* eum jam ut patronum titularem habebat; quod colligitur ex diplomate, dato idibus Maji, indictione* XII, *quo Calixtus Papa II*
C *primo sui pontificatus anno Trenorchiensibus permultas confirmat possessiones, quas inter* in Matisconensi diœcesi. . . ecclesiam. . . Sancti Vitalis de Lenna. *Neque sola ad eos pertinebat ecclesia, sed et tota ditio, quam ut sibi servarent abbates, construxere castellum tempore Caroli regis VI, quod regnante Ludovico XI sæpius captum et receptum fuit, ut habet liber recens editus cum titulo :* Annuaire du département de Saône et Loire pour l'année 1839. *Ex litteris vero præsentis parochi, ad frontem hujus Commentarii jam adductis, etiamnum hunc cultum vigere nobis constitit. Quod vero pertinet ad illum, qui S.* Vitali *exhibetur in vico, qui ab ipso suum nomen in diœcesi Nannetensi mutuatus est, in annotatis ad ipsam Vitam de eo dicendum erit. Satis hic fuerit exhibuisse quotidianam commemorationem, quæ olim usurpanda erat San-Vitalensi rectori, ut ex Merleti scriptis intelligimus :*

* Leynes

Ad laudes : Sancte Vitalis, Christi Confessor, audi rogantes famulos, et impetratam cœlitus tu defer indulgentiam.

Vers. Ora pro nobis Beate Vitalis, D

Resp. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad vesperas : Nobilis Christi Confessor Vitalis, vitam vere nobilem ducens, vitam æternam meruisti recipere, et tuis cultoribus incolumitatem obtinere.

Vers. Ad te confugimus Beate Vitalis,

Resp. Suscipe preces nostras et vitam nobis impetra beatam.

Oratio : Adesto, Domine, supplicationibus nostris, *etc.*

Non stetit in Gallia S. Vitalis *cultus : e Britannia Minori transiit in Britanniam Majorem, adeo ut dum illa eum veluti incolam, hæc tamquam indigenam venerareturAtque hæc manifesta nobis sunt ex Martyrologio Anglico* (*e*), *in quo ad diem* XVI *Octobris ex Dedicationibus Willis asseritur, olim in ea Angliæ parte, quæ Vallia dicitur, exstitisse templum, quod sub patrocinio Sancti nostri* Vitalis *divino dicatum erat servitio. Paucis his de S.* Vitalis *gestis et cultu præmissis, subdimus Vitam descriptam superius.*

VITA ET MIRACULA S. VITALIS E

CONFESSORIS

Ex duplici MS. Breviario Trenorchiensi, collata cum editione Chiffletii S. J. et suppleta ex MS. gallico ecclesiæ S. Vitalis.

Vita, miracula et translationes S. Vitalis.

S. Vitalis, *Anglus, eremiticam, ducit vitam in agro Ratensi;* *a*

In hujus itaque territorii Ratinsis *a* ambitu et loco secretiori exstitit quidam incola ducens progeniem ex gente anglica, quem decoravit non solum parentum nobilis prosapia, sed et morum ineffabilis elegantia. — Qui dum genus duxit de gente pulcherrima *b*, pulchrior fide factus perfecta, *b*
adhæsit auctori toto nisu sui desiderii, ita ut, relicto F
omnis præsentis vitæ lenocinio, ac militiæ terrenæ tyrocinio, labentia respuens, inhianter vitæ præceptis adhærens, ardua vitæ arctioris vota assumens, soli placere Deo studens, elegerit singulariter cum Deo juste vivere, quam positus cum plebe humana assidue peccare. — Quod ideo studuit ut altius et velocius inimicum posset subjicere, qui protoplastum esu tentavit nefario, ac pro eo diu exilio relegatum retinuit infra flammæ fœtentis et tenebrosæ domicilium. — Cujus veritus anfractus rapidos, digne vocatus homo Vitalis, contra illum assumpsit in capite crucis galeam, in corpore gestavit castitatis loricam, collo scutum sumens fidei. — Accinctus est ense justitiæ, ut, legitime peracto certamine pugnæ, triumphatricis palmam victoriæ sumere posset a largitate suavis gloriæ. —

omnia erga Deum, *c*

2 Erat autem cellulæ habitatio beatissimi viri in ipso confinio Ratinsis, quodam in monte, Scobrit *c* nomine, in qua divina virtus ita hunc virum sibi ardentissimo amore copulavit, ut quæque fuerant

(*a*) p. 308. — (*b*) Num. 45. — (*c*) Hist. Trenorch. probat., p. 28. — (*d*) Hist. de Tournus, p. 44. — (*e*) A Memorial of ancient British piety. Supplem., p. 25.

terrena

A terrena parvi pendens, veluti si in cœlestibus jam moraretur, totus homo sic erat intentus cœlo. — Diatim orationum instans labori, ducens continuatas noctes simili vigilantia, singultus et gemitus effundens lacrymarum, mactans carnem ciborum inedia.

erga animam d

3 [Sic *d* de die in diem proficiebat in charismatibus melioribus, corpus suum ita subjiciens spiritui, et spiritum affectusque ita subdens suo Creatori, ut bonum exemplum et præcellens omnis virtutis et perfectionis imago foret in gratiam uniuscujusque se imitari volentis. Justus enim erat in suis actionibus, veridicus in suis verbis, mitis in suis moribus, munitus magno spiritali robore, largus in danda eleemosyna, castissimus et honestissimus in anima et corpore, sanctus et pius in cogitationibus, sobrius in cibo et præterea humilitate plenus, perseverans semper in spe Dei Creatoris.

et corpus suum

4 Erat vir specie amabilis, carus omnibus propter suum consilium, scientiam et doctrinam qua abundabat, in prosperitate non elatus, in adversitate non dejectus. Et licet paupere vestitu uteretur, nobilem tamen præferebat decorem, et in omnibus actionibus valde insignis erat; quandoquidem or-
B natus erat multis virtutibus, quæ eum perfectum reddebant in vera scientia divina, quæ in eo relucebat, omnesque quibus erat notus illuminabat, utpote mire effulgens in homine specioso, qualis erat ipse. Pulcher scilicet erat statura, clarus facie, et corpore bene compositus.

atque erga proximum adimplet officia.

5 Porro inter omnes quæ in eo effulgebant virtutes eminebant amor et fervor ardens devotionis erga Deum et eximia caritas erga proximum. Licet enim vita solitaria, (quam *e* profitebatur, quo integrius vacaret meditationi rerumque spiritualium contemplationi, et cum Deo ageret), non sineret plurima ab eo fieri opera misericordiæ corporalia, verumtamen pro viribus se impendebat promovendæ Dei gloriæ, devotioni fidelium, et allevationi proximi necessitatum.

e

Cum sibi oratorium exstrueret, mirabilem fontem elicit.

6 Ex traditione *f* pro explorato tenetur in loco in quo sancte vixit (quæ nunc parœcia est ejus nomine insignita), die quadam, sive inspirante Deo sive jubente quodam abbate, aut alio superiore sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, peculiare ei studium fuisse ædificandi, in monte Scobrith, quem incolebat, oratorium quoddam in formam sacrarii; et, cum a toparcha
C de Princé impetrasset licentiam tignariæ materiæ
g ex silva de Princé *g* decidendæ, lignarios fabros boumque ductores cum curru bobusque in illam ab eo ductos esse; hos vero et animantia cum medium iter ligna reducentes peregissent, essentque in loco inaquoso et procul ab omni domo remoto, atque aeris fervor et diuturna siccitas sæviret, intolerabili siti laborasse atque illic hæsisse. Quare sanctus vir genibus procubuit, oculos ad cœlum et cor ad Deum Creatorem ac Dominum suum, cujus gratia laborabat et tantam patiebatur sitim, sustulit, eique ardenter supplicavit ut aquam, qua sitim levarent, impertiretur, ut iter perficere possent. Porro in Deo fiduciam suam collocans, telluri inseruit baculum, et illico ex eodem loco scaturivit aqua limpidissima, quæ deinceps prorumpere non cessavit;
h atque hoc pacto exstitit fons *h*, qui etiamnum in eodem loco salit et quo plurima stagna implentur: hinc semper cognominatus est fons S. Vitalis. Ad eum supplicantium ordine convenire assolent diuturnæ siccitatis tempore vicinorum vicorum incolæ, Deum per Beati Vitalis intercessionem imploraturi pluviam; quam quidem Deus sæpissime elargitur.

In Sancto demortuo

7 Demum cum vir sanctus post innumerabilia plurimarum virtutum bonorumque operum exer- D citia ad magnæ senectutis ætatem devenisset, morbo tentatus, veri Christiani implevit officia et Deo reddidit animam, quæ feliciter tetendit ad fruendum inter choros Angelorum vita æterna *i*.] *i*

adimplentur octo beatitudines;

8 Ut rite in eo adimplerentur euangelicæ beatitudines, in quibus pauperes spiritu capescunt regna cœlorum. — Mites possident terram viventium, et lugentes consolationem merentur perfectorum, esurientesque sitientesque justitia saginantur, ac misericordes bona maximæ pietatis inveniunt, patientiamque habentes filii Dei cognominantur. [Quod Deus in servo suo S. Vitali adimpletum fuisse commonstravit, quemadmodum inferius videbitur.

sepelitur

9 Corpus beatissimi viri S. Vitalis positum est in lapideo sepulchro prope suam cavernam in eodem monte Scobrith (qui *k* olim penes sanctos *k* senes religiosos monasterii Herensis erat). Quo in loco Scobrith perennem insignium et præcellentium ejus virtutum memoriam ab eo posteris relinqui voluit Deus Creator; ut cum divina potentia appareret, quanta reapse in massa ejus corporis apparuit, continuo recognosceretur in cœlis nunc vivere anima, quæ in terris illud inhabitaverat. Plura E enim magna et insignia per illud operatus est Deus miracula *l*, quæ satis superque comprobabant ejus *l* sanctitatem et felicitatem; quæ licet numero permulta sunt, pauca tamen tantum ex his quæ rescivimus notamus.

et clarescit miraculis:

10 Deus itaque, volens corpus illius viri, qui se in vita tam fideliter amaverat sibique famulatus erat, post mortem honorari, pluribus hominibus suggessit consilium pii hujus viri in corporis præsentia invocandi; quoniam spes eis esset fieri posse, ut is, qui Deo tam bene serviverat, plurimum ab eo diligeretur, atque proin sibi impetrare posset, quæ ad salutem atque vitam necessaria forent. Quibus precibus Deus tantam addidit virtutem, ut quæ peterent per merita sui servi et Beati Confessoris S. Vitalis assequerentur.

animi impotem sanat;

11 Talis sors obtigit cujusdam uxori, vici hujus Sancti incolæ, quæ, quia insana et animi impos facta erat, a marito suo ad tempus separata fuerat. Cum itaque diu ac noctu hac illac vagaretur suas ineptias peragens, boni tandem a quibusdam consultum est eam in præsentiam Sancti deducere; ubi (non per suas preces) sed per devotionem eorum qui eam adduxerant et per auxilium et favorem F sanctissimi Vitalis, paucis post diebus recuperato rationis usu, hæc quæ ægrota adducta fuerat sana rediit. Unde aperte cognita est magna amicitia qua Deus servum prosequebatur et potentia quam eidem concesserat.

a manus epiphora mulierem

12 Alia mulier nomine Oda, vici de Scobrith quoque incola, deserto hoc vico, in alium locum commigraverat, hic deinceps habitatura. Paulo autem post acerbissima manus epiphora tentata est; qui dolor ita excrevit ut juncturæ pollicis mediæ manus palmæ adhærerent. Unde ita deformis et vitiata facta erat ut, omni hujus manus officio amisso, hoc membro capta et iners videretur. Tædio itaque tam diuturni doloris permota, rediit ad Sanctum morbi sui allevationem impetratura. In ejus ecclesia orationem suam devote fudit; qua fusa, tetendit ad ecclesiæ limen, ut illic signum crucis formaretur in sua manu, cujus nervi contracti et breviati erant. Porro cum hoc signum factum et Sanctus invocatus foret, separatus est pollex, in locum suum rediit, nervi relaxati sunt et manus usui reddita; mulier vero se omnis doloris et debilitatis expertem sensit. Atque hæc ita nativæ vale-

A tudini restituta est, impensasque gratias et laudes Deo omnipotenti et clementi et S. Vitali ejus dilecto servo solverunt tum ipsa tum quicumque aderant.

et virum a nervorum contractione, m n

13 Exstitit quoque in civitate Ploasmel Castro *m* vir quidam nomine Vulinus *n*, qui similiter omnium nervorum et membrorum contractionem patiebatur, et languori, quo defatigabatur tenuabaturque, plurimum obnoxius erat. Porro contigit ut homo quidam præcellenti et suprema pulchritudine ei apparuerit, eumque monuerit : si sinerent vires, peteret ædem S. Vitalis, ut illic valetudinem recuperaret. Hic itaque homo, divina adjutus gratia, itineri se dedit, pervenit ut poterat ad ecclesiam S. Vitalis; et, nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi adventante, adiit ecclesiam, preces fudit, manibus gerens multa cum fide candelæ munusculum. Cum vero qui vigilabant, concinerent Dei laudes, in officio hujus noctis celebrari solitas, hora qua primum Missæ sacrificium inchoatum est, ægrotus qui aderat humi extensus jacuit, emittens lacrymas et questus miseris cum clamoribus, ita ut ad misericordiam moveret omnes adstantes, qui cum eo flebant, et nostrum Redemptorem implo-
B rabant, ut per merita dilecti sui servi Vitalis dignaretur ei reddere sanitatem, eumque restituere corporis valetudini, quam ei olim concesserat. Quæ piæ supplicationes effectum suum sortitæ sunt : eo ipso quippe tempore ægrotus humo surgit, et accedens ad altare invocat et implorat ex animo beatissimum Vitalem, ut per magna ejus merita vehementiam doloris sibi auferat et corporis sanitatem sibi afferat. Atque tunc per virtutem et potentiam divinam hic homo, qui in mortis angustias jam venerat, sanus et toto corpore integer factus est : opus dignum æterni opificis, qui ei vitam dederat, atque hoc prodigio honoravit fidelem suum servum Vitalem, ob cujus amorem concedit et patrat quidcumque a se petatur. Omnes variis ex locis illuc congressi, ut Missæ sacrificio et toti nocturno officio interessent, oculati testes fuerunt hujus miraculi, quod in eorum conspectu Deus patraverat.

aliumque ab instanti morte liberat;

14 Fama autem Sancti meritorum in tantum ubique sparsa est, ut ad aures plurimorum morbis aliisque necessitatibus laborantium pervenerit. Hos inter numerandus est senex quidam, Judicael nominatus, e vico de Frossay *o*, qui, cum æger de-
o C cumberet, tanto dolore cruciabatur, ut jam animam Deo redditurus haberetur. Cui rei, susceptis devote a sacerdote suo et patre spirituali pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis, se paraverat, et in tantum jam devenerat discrimen, ut vix animam ducere posset. Inter has itaque vitæ reliquias Deo vovit atque promisit se ipsum visitaturum ecclesiam S. Vitalis, si sibi gratiam et favorem restitutæ valetudinis largiretur. Per Sancti virtutem effectus continuo secutus est orationem; nam præter omnium spem, lectum deserit, baculoque nixus infirmo procedit gradu et viæ sese committit. Cum autem ad ecclesiam venit, orationem suam fudit; et postridie confessus est se per Dei gratiam et boni Vitalis perfecte sanatum et sospitem esse.

et mulieri p

15 In eodem vico quædam quoque degebat mulier dicta Teburgis *p*, quæ præ vehementi capitis dolore insana et errabunda facta erat. Ut itaque ab hoc sanaretur malo, ad plures vicos benefico Sanctorum cultu insignes iverat. Verum apud S. Vitalem tantum salutem invenit.

atque viro rationis usum restituit.
q

16 Alius vir nomine Araldus, vici S. Perseverandæ *q* incola, visione phantasmatis, sibi in diaboli formam apparentis, usu memoriæ orbatus fuerat, et tantæ amentiæ æstum patiebatur, ut quoscumque D posset dentibus morderet. Erat tamen penes consanguineos, qui quantum poterant vinculis eum ligatum tenebant, ducebantque per Sanctorum loca, et pervenerunt ad S. Vitalis ecclesiam. Hic eum ligatum reliquerunt, ejus demandantes curam alicui e monachis, ejusdem monasterii procuratori; qui cum eum diutius obnoxium videret asperitati hujus amentiæ, consilium iniit ei imponendi sportam dossuariam seu vimineam cistam, eumque onerandi lapidibus, ecclesiæ ædificandæ destinatis; quibus cum eum onerasset, hanc sarcinam ab eo portari præcipiebat, eumque ducebat fune, quali jumentum ducitur, atque hoc pacto ad sæpius pergendum ad ecclesiam eum cogebat. Quod bonum opus, quantumvis invitus faceret, brevi ei salutari medicinæ fuit. Nam paucis diebus post animi sui compos et sanus factus, ultro supplicavit Deo et bono suo servo Vitali; qui viro sibi servienti tam bene subvenit et succurrit magna sua virtute et viva caritate, ut omnes incitarentur ad Deum laudandum et Sanctum in omnibus suis necessitatibus invocandum.

Normannis ingruentibus r

17 Sed temporibus Pippini *r* regis Aquitaniæ, Joannis Romani Pontificis et Hibbodi abbatis mo- E nasterii Herensis, magna piratarum multitudo, hostium regni, e Dania egressorum, irruerunt per Oceani littora in vicinas obvias terras, deprædantes et populabundi, ad belli et latrocinii instar, insulas, civitates, ecclesias et castella; quæcumque autem auferentes, omnia funditus sus deque vertebant; captivos trucidabant, nulli parcentes ætati; omnem impietatem, crudelitatem et inordinatam probrosamque concupiscentiam erga utriusque sexus homines exercebant, se exhibentes tormentorum rigore et impudicitiis, quas in sibi obvios admittebant, maxime execrandos abominandosque hominum : ebrii et procaces, tamquam rabidi per mare et flumina in illud effluentia, Ligerim *s*, Sequanam *s* et Garumnam scaphis discurrentes. Hi itaque detestandi prædones Britanniæ regionem, quam olim cornu *t* et finem Galliarum nuncupabant, popu- *t* lantur et funditus disperdunt; tunc metropolis Dolus *u* et septem ei subjacentes civitates, miris *u* propugnaculis munitæ, quarum hæc nomina sunt : Venetiæ, Kerahes, Corisopitus ad Ellam fluvium, Corisopitus Corentini, Portus Saliocan, Diallentic, et civitas Sancti Pauli (quibus olim et etiamnum alia nomina sunt), viduatæ ac exhaustæ fuerunt F non secus ac civitates Nannetæ, Andegavi, Turones, Aurelia, Niverni, cum omnibus intra earum fines exsistentibus castellis. Hæ stygiæ pestes, Garumnam ingressæ, Burdegala, Petrocora, Biturica et civitatibus Xantonum potiuntur; Sequanam vero subeuntes, populantur Rhotomagum, Constantia Castra, Abrincas, Rhedones, Noviomagum, Lutetiam Parisiorum, Bellovacum, Senones, Carnutum et alia plura munitissima civitates et castra Galliæ : quæ cuncta acciderunt propter civilem discordiam, quæ, defuncto patruo Caroli Magni *v*, inter quatuor *v* reges flagravit.

atque omnia vastantibus, w

18 In oppidis itaque et vicis tum Germaniæ *w* (*inferioris?*) tum Galliæ, tanta Christianorum clades a Danis, gente perversa et idololatra facta est, ut nullus in eorum incideret manus, cujuscumque foret sexus, ordinis aut conditionis, qui continuo vitam non amitteret. Cum vero ecclesias vel monasteria invaderent, sine mora vasa sacra, thesauros et omne aurum atque argentum diripiebant; libros autem incendentes, et e lipsanothecis et sepulcris sacras tollentes Reliquias, flammas eis supponebant, et igne destruebant, quas Deus comburi permittebat;

A tebat; quas vero comburere non poterant, eas conterebant et in pulverem redigebant, aquæ deinde aut vento tradituri, ne de eis in terra superesset
x memoria. Tunc in Galliis hæc Isaiæ *x* prophetia adimpleta est : Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

Herenses monachi
y 19 Monachi itaque, qui S. Filiberti monasteria *y* incolebant, hanc carnificinam et generalem qua hæc regio affligebatur persecutionem extimescentes, adierunt regem Pippinum ejusque implo-
z rarunt consilia. Eo itaque auctore *z*, jusserunt præpositi, ut secum asportarent corpora sancta tum Martyrum, tum Virginum, tum Confessorum, omnesque quas in suis monasteriis haberent Reliquias; et ut fugerent seseque abderent in speluncis et cavernis vicinis, quas invenire possent, eisque concessit rex quædam refugia et partem sui regni turbarum expertem. Quod cum audivissent plurimi monachi aliæque utriusque sexus ecclesiasticæ personæ, maluerunt permissam sibi a Deo et a rege consultam capere fugam, quam crudelium paganorum mucronibus sese exponere.

Trenorchium deferunt S. Vitalis corpus,
B 20 Quos inter computandi veniunt S. Filiberti monachi, qui ex Herensi suo monasterio egressi (Herum insula Oceani est), secum detulerunt sacras suas Reliquias, scilicet Beatissimæ Virginis Mariæ Deiparæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, corpus dilecti a Deo S. Filiberti, corpus illustrissimi et
aa celeberrimi S. Vitalis, S. Samsonis, et S. Benedicti *aa* (carissima eorum pignora) cum exigua suppellectili, quam eis concesserat Deus. Ut itaque seipsos et pretiosos beatorum Sanctorum thesauros servarent, propere profecti, devenerunt ad fines Burgundiæ in magnum magnificeque ad ripas Araris exstructum monasterium; in quo morati sunt, posueruntque sacras quas deferebant Reliquias : et corpus sanctissimi Vitalis insertum est aureæ gemmisque exornatæ lipsanothecæ.

quod pestis tempore bb
21 Porro aliquo tempore post *bb* accidit, ut in hac regione oriretur pestis tam contagiosa et vehemens, ut omnia vastaret; ita quidem, ut fere æstimatum foret finem mundi adesse, quandoquidem viri et mulieres, juvenes et senes ubique mortui humum caderent. Timor autem tam intolerabilis homines corripuit, ut quisquis integerrimus sibi diem non pollicerctur, quoniam omnes viderent socios suos inter loquendum in suas ulnas subito
C mortuos procidentes.

Burgundiæ populis
22 In tanto stupore præcipua Ecclesiæ capita conveniunt, et ex antiquissimorum sententia statuitur præscribendam esse pœnitentiam et afflictionem generalem, triduanum videlicet jejunium. Et responso a se dato, continuo monuit Deus id sibi placere, dummodo S. Vitalis membra in feretro ita collocarentur, ut populus ea subire posset; sese vero propter S. Vitalis preces et merita stragi finem impositurum. Res ita agitur, accipitur Sancti corpus, honorifice involvitur variatis mappis, velis et paramentis, atque ita ornatum imponitur summis quibusdam erectis valvis, et illic collocatur in gratiam quidem omnium, horum vero in primis qui vivere cupiunt, dummodo accedant ad sanctum corpus et accipiant medicamen, quod Deus per virtutem sanctarum et sacrarum Reliquiarum dilecti sui servi largitur.

saluti est.
23 Nuntium hujus magni beneficii spargitur continuo per vicos, civitates et castella circumjacentia, atque adeo per totum regnum. Accurrit populus, viri et fœminæ undique conveniunt, pectore timorem claudentes, facie pallorem et mortis speciem prodentes, rogitantesque Deum, ut sua sibi peccata remittere, se a mortis discrimine liberare, et se sanos et salvos per merita ejus servi S. Vitalis D
servare dignetur : unde quotquot ad sacrum corpus accesserunt, a morte et contagione præservati sunt *cc*. Obtigit hoc miraculum post persecutio- *cc*
nem; ex cujus *dd* historia paucissima tantum gesta *dd*
excerpsimus, ea ordinantes inter præcedentia, quæ partim legimus, partim ex vero relationum testimonio facta esse audivimus.

ANNOTATA.

a *De pago Ratiatensi, seu Ratensi confer n.* 1 *Commentarii prævii.*

b *Alluditur ad vulgatissimum dictum S. Gregorii Papæ, quod Anglorum conversioni ansam dedit. Noverit lector signum —, quod ad frontem hujus sensus videt, hoc loco non secus ac inferius designare quas in lectiones hæc Vita in Trenorchiensi MS. divisa esset.*

c *Jam pridem vocatur hic mons vicus S.* Vitalis, *gallice* Saint Vial, Saint Viau, Saint Viaud, *quod vulgare S.* Vitalis *nomen est. Distat hic locus tribus leucæ quadrantibus a* Paimbœuf, *qui exiguus in* E
ipso Ligeris ostio portus est.

d *Ut numero* 7 *Commentarii monui, quæ similibus uncis* [ ] *inclusa sunt, deerant in MS. Trenorchiensi, atque ex MS. gallico versa sunt. Indubium mihi est num.* 3, 4 *et* 5 *ad Vitam omnium primo conscriptam pertinere : secus enim sensu fere carerent, quæ num.* 7 *de octo beatitudinibus prædicantur. Laudandi modus insuper idem est ac in præteritis numeris.*

e *Hanc parenthesim non secus ac plerasque alias a rectore Merleto intrusam autumo. Aliquoties saltem hujusmodi intrusio manifesta est.*

f *Asseverare non dubito totum hunc numerum ab eodem rectore quoque intrusum esse; modus scilicet narrandi prorsus diversus est, neque ambiguum videtur, quin ad hunc locum referenda sint Alberti Le Grand asserta, quibus prædicat* insignes traditiones *a dicto rectore annotatas fuisse, ut num.* 6 *latius recitavimus. Missa est ad nos præsentis parochi relatio de eadem traditione. Aliquanto quidem diversa ab ista est, non ita tamen ut nos remoretur. Signandum solummodo parvam crucem erectam esse apud hunc fontem, qui in tota regione notus est sub nomine gallico :* Fontaine du bienheureux Saint F
Vial. *Cum siccitas adurit agros, veniunt etiamnum supplicantium ordine vicinarum paræciarum incolæ, pluviam a Deo hic postulaturi.*

g *Silvam* de Princé *etiamnum exstare colligo e tabulis geographicis Cassini : quatuor leucis distat a vico S.* Vitalis, *seu a monte Scobrith, in quo ecclesia nunc est.*

h *In dissertatione nostri Henschenii de Vita S. Gummari, quam Le Roi Notitiæ suæ Marchionatus Antverpiensis inseruit, quaque usi sunt illius successores in Vita S. Gummari, dicitur de simili origine fontis S. Gummari. Non dubitat laudatissimus ille noster decessor hujusmodi traditiones inter commenta ablegare, sentitque Sanctorum nomina tot fontibus accessisse, quod Sancti eorum aqua aliquando usi sunt. Equidem non dissentirem ab eo qui affirmaret hæc fontium nomina ab usu, quo olim agri, animantia, fontes, etc., benedicebantur, atque etiamnum benedicuntur, repetenda esse.*

i *Affirmat Albertus Le Grand et secundum eum Lobinavius S.* Vitalem *die* XVI *Octobris circa annum* 740 *obiisse. D. Kerdanet, Vitarum Sanctorum Alberti Le Grand recens editor, in annotato apponit R. D. Deric,*

A *R. D. Deric, quem in suo proœmio* (*a*) *laudat R. D. Tresvaux, S.* Vitalis *mortem referre ad annum* 745, *quin novæ hujus sententiæ rationem prodat : quam opinionem in Vitis Sanctorum Britanniæ, quas nuperius conscripsit R. D. Garaby, similiter reperio. Verum ego neminem ex illis hic laudavero ob rationes num.* 8 *Commentarii productas. Numerus qui sequitur usque ad verba :* Quod Deus. . . *desumptus est ex lectionario Trenorchiensi.*

k *Hanc parenthesin denuo intrusam censeo a rectore Merleto; totus vero hic numerus nescio a quo compilatore conflatus videtur ex fine primitivæ Vitæ et ex miraculorum prologo.*

l *Si quis advertat quo loco hæc miracula posita sint, persuasum sane habebit totius hujus scriptionis collectorem sensisse ea ante asperiorem irruptionem Normannorum facta esse : et quidem in omnibus his miraculis supponitur corpus S.* Vitalis *in monte Scobrith exstare; quod cum ad annum* 858 *inde delatum videatur, ut num.* 11 *Commentarii monitum fuit, consequens est collectoris sententiam sat firmam esse. Ex altera vero parte cum num.* 16 *ipsius Vitæ prodeat Herensium monachorum procurator, necesse est, ut conscripta et verisimiliter hoc*
B *prodigium factum sint post annum* 839, *quo S.* Vitalis *ecclesia Herensibus donata fuit. Num.* 7 *ex conjectura propositus fuit tamquam horum miraculorum scriptor Ermentarius, qui iisdem fere temporibus, jubente suo abbate Hilbodo, S. Filiberti miracula collegit.*

m Ploasmel Castrum, *vulgo* Ploërmel *nuncupatum, oppidum diœcesis Venetensis est, olim diœcesi Sam-Macloviensi subjacens et aliquot tantum leucis a vico S.* Vitalis *distans.*

n *Albertus Le Grand non* Vulinum, *sed* Milinum *scripsit.*

o *Distat hic vicus, in quantum ex tabulis geographicis Cassini intelligo, sesquileuca circiter a vico S.* Vitalis, *neque late disjacet a Ligeris ripis.*

p Tethburgim *habet Le Grand, et forte melius, utpote usitatius.*

q *Vicus S. Perseverandæ, vulgo* Sainte Pazanne *appellatus, quinque leucis circiter dissitus est a vico S.* Vitalis *jacetque inter silvam* de Princé *et Grandem lacum* (le lac de Grand-lieu). *S. Perseveranda, quæ vulgo* Pecine, Pechinne, Pazanne *audit, colitur die* XXIV *et* XXVI *Junii.*

r *Venimus tandem ad tertiam partem S.* Vitalis
C *Vitam consutam ex utroque libro Ermentarii de Translationibus et Miraculis S. Filiberti. Verum enimvero sutor iste homines, tempora, facta, omnia miscuit, licet ante exiens sæculum* XII *vixerit, ut ex annotato* u *liquebit. Ecce ab initio habes ad eadem tempora relatos Pippinum, ab anno* 814 *usque ad annum emortualem* 838 *Aquitaniæ regem, Joannem Papam VIII cujus pontificatus inter annum* 872 *et annum* 882 *includitur, Hibbodum seu potius Hilbodum, qui Herense pedum ab anno* 825 *usque ad annum* 854 *tenuisse æstimatur.*

s *Invasiones, ad quas hic alluditur, latius enucleatas vide lib.* II *Translationum S. Filiberti. Acciderunt autem post annum* 840. *Ermentarius tacet destructionem Doli, etc.*

t *Adrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem* Curiosolites *censet Aimoinum primum aut inter primos sæculo* XI *ineunte hoc nomine usum esse lib.* II *Miraculorum S. Benedicti.*

u *Vulgaria nomina Doli et septem sequentium locorum sunt :* Dol, Vannes, Carhaix, Quimperlé, Quimpercorentin, Morlaix, Aleth *et* Saint-Pol-de Léon. *Quod* Diallentic *idem esse dixi ac Aletum, e cujus civitatis ruinis civitas S. Maclovii* (St Malo) *orta est, hæc est ratio : in fragmento historiæ Britanniæ Minoris, quod Hyacinthus Moricius edidit* (*b*), *bis prodit diœcesis aut episcopus* Dialetensis (*c*), *et alibi in ejusdem Collectione* (*d*) *denuo redit* Dialectensis *episcopus. In priori vero fragmento hæc insuper habes :* Nomenojus. . . in locis eorum (*quorumdam episcoporum Britanniæ*) alios constituit, adminuensque parochias eorum, videlicet in monasterio Doli, quod tunc temporis erat ex diœcesi Dialetensis Ecclesiæ, et in monasterio S. Brioci et Sancti Tutualis Pabut, episcopos tres usurpativos instruxit. *Eadem fere repetit alter chronologus, qui antiquitate et auctoritate multo minor est, atque adeo hæc impugnare studet. At in editione regia operum Sirmondi* (*e*) *exstat scheda, e MS. Montis S. Michaelis descripta, quam idem Sirmondus* (*f*) *plurimum laudat, et quæ cum primo fragmento, in Cartusia Vallis-Dei in diœcesi Sagiensi reperto, consonat; in ea vero loco* Dialectensis Aletensis *legitur. Novi quidem Salanconem, qui hic*
E *episcopus Aletensis dicitur, in epistola synodica concilii Sucssionensis* (*g*) *ad Nicolaum I, episcopum* Dolensem *appellari; verum ii, qui Dolensis sedis initia ad Nomenoji tempora referunt, duce P. Sirmondo* (*h*), *amanuensium oscitantiæ aliive rationi id adscribent; alii autem, qui multo antiquiorem Dolensem cathedram faciunt, eam lectionem omnino sequuntur* (*i*), *quin tamen Sirmondi schedam corruptam esse sustineant, satis habentes contendisse hanc ex ira in Britones ab Anonymo scriptam fuisse* (*k*). *Quocirca nihil ex hac sententiarum varietate adversus dicta de Aleti nomine colligi potest. Vide insuper in Notitia Galliarum Valesii Aletum olim a Britannis* Guich-Aleth, Quid-Aleth *dictum fuisse : unde patet plurima huic civitati fuisse nomina. Cum autem septem superius enumeratæ civitates Dolo subjacere, et Dolus metropolis dicatur, liquet hæc scripta esse ante annum* 1199, *quo dato diplomate Innocentius III Dolum cum reliquis Britanniæ Ecclesiis denuo Turonibus subjecit. Vide opus Joannis Maan de Ecclesia Turonensi* (*l*).

v *Quis non noverit Ludovicum Pium, qui hic designatur, non patruum sed filium esse Caroli Magni? Vide apud Ermentarium aliosque obvios*
F *scriptores late enucleatam discordiam, de qua hic sermo est.*

w *Germania Belgium et Frisiam sane indicat.*

x *Hæc verba non Isaiæ, sed Jeremiæ sunt, cap.* I *vers.* 14. *Habes eadem verba in libro* II *Ermentarii.*

y *Designare sane vult Herense et Deense monasteria.*

z *Hic denuo summa confusio est. Hæc referuntur apud Ermentarium lib.* I *Miracul. et Translat. ad annum* 836. *Generale placitum tum habitum est. Num.* 11 *Commentarii breviter explicui universam Herensium fugam.*

aa *Is est S. Benedictus, cultus die* XXIII *Oct. Quinciaci, ut notatum fuit num.* 13 *Commentarii, ubi de aliis Sanctorum Reliquiis quoque agitur.*

bb *Alluditur hic forte ad mortalitatem, anno* 869 *in Burgundia ortam; de qua Clarius in Chronico S. Petri-Vivi in hæc verba loquitur* (*m*) : In diebus illis facta est fames et mortalitas magna per totum regnum Francorum, maxime per Aquitaniam et

(*a*) Vies des SS. de Bretagne, avert. p. IX. — (*b*) Mémoires de Bretagne, t. I col. 279 et seq. — (*c*) Ibid. col. 284. — (*d*) Ibid. col. 23. — (*e*) T. III col. 409 et seq. — (*f*) Ibid. col. 170. — (*g*) Labbe Concil., t. VIII col. 838. — (*h*) T. III Oper. col. 170. — (*i*) Tresvaux, l'Église de Bretagne, p. 254. — (*k*) Ibid. l. c. — (*l*) p. 129. — (*m*) Rec. des Hist. de France D. Bouquet, t. VII, p. 266.

Burgundiam ;

A Burgundiam; ita ut præ multitudine morientium non esset qui sepeliret. Nam Senonis inventi sunt una die quinquaginta sex homines mortui : sed misericordia Christi in ipso anno cessavit.

cc *Ad calcem San-Vitalensis MS. invenio notatum, hoc loco Vitæ inseri debere sequentia* : Postmodum in memoriam insignis hujus miraculi erecta est in vico S. Vitalis crux lapidea, duabus pilis sustentata, quam subire licet; et qui febri laborant et præ reverentia eam subeunt in honorem Jesu Christi crucifixi, cui se in baptismo subdiderunt, et ei Beatoque Vitali devota aliqua oratione supplicant, aut aliqua abstinentia obsequuntur, paucis diebus post restituuntur sanitati. *Pertineatne hoc fragmentum revera ad Vitam, an vero compositum sit a rectore Merleto, eo vehementius ambigo, quo magis miror in textu gallico quædam inserta et deinde expuncta fuisse verba. Cum præsens parochus in sua ad nos epistola et R. D. Garaby in suis Vitis Sanctorum Britanniæ hujus crucis et populi pietatis non meminerint, planum est conjicere ea exeunte sæculo superiore destructa fuisse.* D

dd *Totus hic sensus in MS. gallico vere inextricabilis erat; quam verisimillimam autumavi interpretationem, eam selegi. Historia, de qua hic sermo, videtur eadem esse ac Ermentarii sæpe laudata scriptio.*

DE S. GURDANIO SEU GURDINELLO,

EREMITA,

B E

DUACI ET AQUISCINCTII IN DIOECESI CAMERACENSI.

SYLLOGE.

S. Gurdanius idemne sit ac S. Gurdinellus; origines Aquiscinctienses; S. Gurdanii variæ translationes et cultus.

ANTE MEDIUM SÆC. IX. *Duaci et Aquiscinctii, jam in diœcesi Atrebatensi, jam Cameracensi,*

Duacum, *non ignobilis civitas, et Aquiscinctium, nunc rudera, florens olim abbatia, insigniuntur hodierno cultu S.* Gurdanii, *seu* Gurdinelli. *Uterque locus his temporibus subjacet archiepiscopo Cameracensi; at non semper hunc rerum statum obtinuisse, colliget lector ex ipsis monumentis, quæ inferius afferenda sunt. Ne autem ullus inopportunus lapis in via sit, en paucis quæ jurisdictionis vicissitudo exstiterit in his oris : censent scilicet Galliæ Christianæ scriptores S. Remigii ævo*

C *episcopum apud Atrebates, nullum vero Cameraci sedem suam habuisse; sed aliquot annis elapsis, Atrebatensem præsulem Cameracum transmigrasse, eique Atrebates remansisse unitos. Mutatio denuo contigit anno* 1093, *quo Lambertus ab Urbano Papa II Atrebatenses infulas accepit, et credita ei diœcesis, qua Duacum et Aquiscinctium capiebatur, a Cameracensi separata est. Ineunte hoc sæculo, novos diœceseon terminos statuit Pius Papa VII, atque ex eo tempore Cameracensi præsuli denuo subjacent Aquiscinctium et Duacum. Jam ad ipsum Sanctum transferamus stylum.*

cultum sortitus est præsens Sanctus, qui a pluribus duplicatur,

2 *Certum est exstitisse virum sanctum, nomine* Gurdanium; *at volunt bene multi non unum tantum, sed S.* Gurdanium *exstitisse et S.* Gurdinellum; *et quidem constat Duaci* Gurdinellum, *Aquiscinctii* Gurdanium *ante hominum memoriam cultum esse. Porro ex obscuritate, qua involvitur quæstio de identitate S.* Gurdanii *et S.* Gurdinelli, *orta est magna apud martyrologos differentia. Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti,* Duaci, transitum S. Gordanii eremitæ, qui et Gurdiellus dicitur, *annuntiat; eademque fere verba usurpat Bucelinus in Menologio Benedictino. Simon Peyronet, sacræ theologiæ doctor Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo probe ostendit sibi hanc controversiam notam esse, secatque nodum difficultatis adversus mox citandum Molanum. Claudius Castellanus, martyrologorum universalium facile princeps, eamdem init sententiam, in generali suo Martyrologio scribens :* Aquiscinctii S. Gurdanii (*Gourdaine*) eremitæ, cujus corpus Suessiones translatum, atque inde devectum est Duacum, ubi S. Gurdinellus (*Gourdinel*) audit. *Mitto Martyrologium Parisiense et Ferrarii Catalogum generalem Sanctorum, idem adstipulantia. Secunda martyrologiorum classis, eaque reliquis antiquior, unum S.* Gurdinellum, *aut potius* Gurdiellum *novit, et amplectitur Usuardinum codicem editum a Molano, atque alterum Usuardinum, cujus apud Sollerium nostrum ad præsentem diem mentio fit; Martyrologium MS. Villariense, quod jam musæum nostrum possidet; kalendarium præfixum Breviario MS. Duacensi, quod similiter penes nos est, et in quo hic Sanctus* Gurdimellus Confessor *nuncupatur; et demum Martyrologium Germanicum, vulgo Canisianum dictum. Tertia classis Molanum fere patrem habet : hic quippe primus late disseruit de S.* Gurdinello *distinguendo a S.* Gurdanio, *eique assenserunt Saussayus in Martyrologio Gallicano, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, P. Willot in Martyrologio Belgico, Adrianus Van Loo in Vitis Sanctorum Belgarum, auctor Martyrologii Universalis MS., quod in Ambianensi Bibliotheca vidimus, et editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri. Modus autem scribendi nomen nonnihil quoque variatur : ex Claudio Chastelain hausimus* Gurdanium, *sed Molanus et antiqua Aquiscinctiensia monumenta vulgo*

A Gordanium *habent.* Gurdinellum *desumpsi ex proprio ecclesiæ S. Amati Duacensis, impresso anno* 1740, *licet in antiquioribus monumentis constanter fere* Gurdiellum, *interdum* Guardinellum, Curdimellum, *gallice aliquando* Gordiel *repererim. Non est quod pluribus arguam eos, qui S.* Gurdanium *in* Gordianum, *et* Gordavium *transformarunt. Atque hæc de nomine monuisse satis est; latius disquiramus oportet, confundendine sint* Gurdanius *et* Gurdinellus : *quod ut præstem, evolvenda sunt signa characteristica, quæ utrique annexuit Molanus ejusque asseclæ.*

variis notis duplici hujusmodi Sancto assignatis;

3 *Primo, sæculo undecimo ferebatur Aquiscinctii olim vixisse sanctum eremitam nomine* Gordanium, *et ab eo illic ecclesiolam vel ædiculam constructam fuisse, ut inferius latius dicetur. Secundo, in vico Montiniaco, qui gallice dicitur* Montigny, *qua Aquiscinctio Duacum iter est, fons visitur, negligentia rusticorum corruptus, qui* puteus Sancti Gordanii *dicitur. Erat etiam in excisi monasterii penuario puteus, qui aquam habebat præstantissimam; idque Sancto benedicenti in acceptis referebant. Tertio, tempore Molani asserebant Aquiscinctienses se ex relatione antiquorum didicisse, Sanctum* B Gurdanium *adhuc sepultum jacere ad valvas sui templi, sub monumento marmoreo, quod introeuntibus erat conspicuum, quodque sæpe a se visum testatur Rayssius in Hierogazophylacio Belgico* (*a*). *Quarto, exhibetur S.* Gurdanius *in antiquis picturis quasi excitans Gualterum et Sicherum, ambos optimates, ad condendum Aquiscinctiense monasterium. Hæc de S.* Gurdanio. *A quo S.* Gurdinellum *duplici nota distinctum volunt; quarum prior est, quod Duacenses canonici servabant corpus S.* Gurdinelli, *illudque exeunte sæculo nono jam adepti erant; altera, quod pingitur S.* Gurdinellus *juvenili habitu, palmamque manu gerens. Hæc fere Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* XVI *Octobris refert ex iis, quæ voce et scripto ei communicarant Franciscus Barrus prior Aquiscinctiensis, non mediocri doctrina historica vir, et Adrianus Besemerus, doctor et professor ibidem.*

verum argumentum, ex diverso pingendi modo,

4 *Ut mittam recentiorum Martyrologorum auctoritatem, quæ in præsentiarum propter omnimodam discordiam nulla est, duo, ut liquet, præsto sunt argumenta ad negandam utriusque identitatem : alterum, quod pictura, qua S.* Gurdinellus *exhibetur tamquam juvenis palmam manu tenens,* C *non videtur convenire S.* Gurdanio; *alterum, quod S.* Gurdinelli *corpus venerabantur Duacenates, S.* Gurdanii *vero exuviæ Aquiscinctii sepultæ jacebant. Verum nemo negaverit picturam S.* Gurdinelli *levissimi ponderis esse. Conveniunt enim Duacenates hunc Sanctum non Martyrem, sed Confessorem esse; atque secundum hanc traditionem Officium ejus ecclesiasticum agunt; quo nihil fere ad probandum validius : quamobrem ineptus fuerit oportet ille pictor, qui Confessori Martyris insignia tradiderit. Audi scilicet Durandum, testem sæculi* XIII, *in Prochiro seu Rationali Divinorum Officiorum* (*b*) : Martyres. . . quandoque cum palmis, quæ victoriam signant, juxta illud : Justus ut palma florebit; ut, sicut palma viret, sic eorum memoria servetur. Hinc est, quod qui de Hierosolymis veniunt, palmas in manibus ferunt, in signum quod illi regi militarunt, qui Hierosolymis cum palmis honorifice receptus est. . . Confessores pinguntur cum suis insigniis : ut episcopi mitrati. . . . *Quod verum juvenis pingitur, hoc a nomine repetendum videtur, quod merum diminutivum est.*

aut ex duplici putatitio sepulcro desumptum, nihil probare potest :

5 *Alterum argumentum, quod totum in duplici sepultura est, gravissimum foret, si apprime fidendum esset Aquiscinctiensium traditioni, qua inter se narrabant corpus S.* Gurdanii *ad templi sui valvas* D *in marmoreo monumento jacere : verum hæc traditio recens est valde, quin etiam antiquis monumentis repugnat. Etenim in Chronico Aquiscinctiensi, cujus duo ecgrapha mihi nota sunt, (quorum alterum reperire est in Bibliotheca regia Bruxellensi num.* 7436, *et a decessoribus in usum vocatum fuit tomo* IV *Octobris ad Vitam S. Goswini, abbatis Aquiscinctiensis; alterum servatur in Bibliotheca Ambianensi num.* 357, *illudque nobis descripsit socius Sant-Acheolensis;) in eo, inquam, hæc leguntur :* In eadem ecclesiola (*Aquiscinctiensi*) referunt illum obiisse (Gurdanium) ibi sepultum, ibique per quemdam Sicherum Duaco fuisse translatum. *Toto suo pondere ruit ergo hæc traditio; quin etiam si hoc testimonium deesset, quis secum reputans nullum signum, nullam notam marmoreo huic monumento insculptam esse, quæ S.* Gurdanii *memoriam referat, (ut locuples testis est Rayssius* (*c*)); *quis, inquam, hæc cogitans, narrationem, huic mausolæo annexam, quam debilissimam illico non pronuntiet? Taceo quam mirabile sit, corpus cujusdam Sancti* E *servari in Belgio ad templi valvas in marmoreo mausolæo, nedum in pretiosis lipsanothecis. Præterea, sæculo* XVII *ineunte, tantillam fidem huic traditioni addebant ipsi Aquiscinctienses, ut in instrumentis publicis, quibus suas recensebant Reliquias, de S.* Gurdanio *prorsus silerent. Etenim cum anno* 1600 *die* 25 *Septembris dux de Croy et de Arschot datis litteris plura ab eis sciscitatus esset circa monasterii fundationem, ædificia, regulam, Sanctos, Reliquias, etc., in latissimis responsis die* 22 *Januarii anni* 1601 *missis, ne verbum quidem fit de S.* Gurdanii *sepulcro, licet de aliis sacris lipsanis uberes notitiæ præbeantur. Qui hæc responsa consulere cupiat, adeat num.* 7876 *Bibliothecæ regiæ Burgundicæ Bruxellensis, ubi triplex horum ecgraphon reperiet.*

sed ex die festo, nominum similitudine, et locis cultus,

6 *Rationes itaque ad negandam identitatem S.* Gurdanii *et* Gurdinelli *debilissimas aut potius nullas esse nemo inficias ibit. Contra afferri potest duplex argumentorum genus, quo sententia contraria stabiliatur : prius est, quod* Gurdanii *et* Gurdinelli *nomina sibi simillima sunt, quod Duacum et Aquiscinctium sibi fere adjacent, quodque uno eodemque die* Gurdanius *Aquiscinctii et* Gurdinellus *Duaci coluntur. Non* F *est quod nominum similitudinem pluribus agitem;* Gurdinellum *diminutivum esse superius jam monui : illud hic addam, nominis minutione non signari necessario Sanctum juvenem aut puerum : cujus rei specimina ubique fere obtinent. Quod vero* Gurdinellus *derivatur a* Gurdanio, *unicuique persuasum erit, si attendatur gallice vulgo dici* Gourdaine *et* Gourdinel; *quod Molanus et Castellanus testatum faciunt. Atque si huic nominum similitudini addatur exigua locorum distantia, quæ e duabus tantum leucis constat, et in primis quod Duaci agitur festum eodem die, quo Aquiscinctii (quod postremum ineluctabilis fere auctoritatis est), nescio qui negari possit S.* Gurdinellum *eumdem esse ac S.* Gurdanium. *Quod superest argumentum, majoris etiam ponderis est.*

et in primis ex vetusta traditione Aquiscinctiensi et Duacensi stabilitur S. Gurdanium *eumdem esse ac S.* Gurdinellum.

7 *Etenim, ut ipse Molanus in Natalibus SS. Belgii ex informatione Francisci Barri, prioris Aquiscinctiensis, memorat, asserebant olim Duacenates S.* Gurdinellum *eumdem esse ac S.* Gurdanium, *eumque ex Aquiscinctiensi insula a Sichero Dua-*

cum

(*a*) p. 57. — (*b*) Lib. I, cap. III, n. 14. — (*c*) Hierogaz. Belg., p. 57.

A *cum esse translatum : quod olim apud Aquiscinctienses etiam tenebatur, ut paulo superius ex veteri Chronico Aquiscinctiensi docuimus : quocirca quid, quæso, hanc tandem litem dirimet, si utriusque loci vetusta et concors traditio spernitur? Occulere tamen nolo duplicem exceptionem, quæ huic traditioni opponi potest, sed quæ specie tantum valida est. Prior est, quod S.* Gurdanii *corpus a Sichero Duacum translatum fuisse dicitur; qui Sicherus a quibusdam statuitur idem esse ac ille, qui exeunte sæculo* XI *Aquiscinctiense monasterium condidit, dum tamen S.* Gurdinelli *corpus sæculo* IX *jam Suessiones et Duacum foret delatum : verum ipse Molanus hunc Sicherum distinguit a conditore dicti cœnobii, cum eum mutatis litteris Sigerum appellat, et in citato chronico Aquiscinctiensi bini Sicheri, luculenter a se invicem diversi, exhibentur; ut inferius videbitur ex ipso textu. Altera exceptio eruitur ex eo, quod narrat Molanus asseri a Duacenatibus canonicis S.* Gurdinelli *corpus sibi a Suessionensibus datum fuisse : verum facilis solutu est ille nodus, quoniam liquido constabit ex dicendis, non* datum *fuisse hoc sacrum pignus, sed mere* restitutum
B *a Suessionensibus, ad quos ob Normannorum metum delatum fuerat.*

Vita non exstat; quæcumque innotescunt, desumuntur

8 *S.* Gurdinello *itaque et* Gurdanio *in unum constituto, superest ut in ejus gesta, cultum atque alia hujusmodi inquiramus. In primis dolendum est Vitam nullam exstare; quapropter Aquiscinctienses, die* XVI *Octobris ejus natalem celebrantes, Officium concinebant de communi Confessorum, præter duas proprias orationes ad Sextam et Nonam; quas orationes proprias ne quidem habebant Duacenates S. Amati canonici; qui, licet sibi hoc festum duplex majus foret, Missam* Justus *de communi Confessoris non pontificis et totum item Officium de communi præter lectiones* III *nocturni, ex sermone S. Fulgentii de Confessoribus desumptas, celebrabant. Porro quæ de S.* Gurdanio *innotescunt, desumenda sunt ex initio chronici Aquiscinctiensis, quod in bibliothecis Bruxellensi et Ambianensi servari monuimus.*

ex monumentis, quæ explicant Aquiscinctienses origines,

9 *Sic vero sonat :* Insula Aquæcincii, cum plurima circumquaque terra, juris primitus Cameracensis ecclesiæ exstitit; sed ab episcopo Cameracensi in beneficium data, per successionem generis sic permansit usque sed tempora junioris Anselmi. Pater senex Anselmus eam et cætera beneficia ab episcopo in militia sua obtinuit. Quo mortuo apud
C Cassellum in seditione vel traditione, avunculi et nepotis hæreditas Anselmo juveni cessit. Opinata res est valde et antiquorum relatione tradita, hanc insulam, de qua sermo est, quia inter interiorem ambitum solidam terram et spatiosam continet, quemdam Sanctum Gordanium olim inhabitasse, et facta inibi ecclesiola, quasi in solitudine eremiticam vitam duxisse. Revera enim ingressus et regressus, ob difficultatem circumfusæ paludis nimis onerosi efficiebantur intranti. In eadem ergo ecclesiola referunt illum obiisse, ibi sepultum ibique per quemdam Sicherum Duaco * fuisse translatum. Ecclesiola illa, ut erat vetustissima maceriaque depulsa et pene nullius habitudinis, pro benedictione tanti viri, alterius villulæ, quæ erat contigua, parochia facta remansit. Mortui sepeliendi illo deferebantur; et quia, ut diximus, difficilis erat accessus terra interior, a duobus pauperibus incolebatur et fodiendo exercebatur. Providentia ergo Dei, qui in sui dispositione non fallitur, contigit ut

* *Intellige* Duacum

(*a*) T. IX col. 615. Cfr Miræi diplom., t. I, p. 136. — (*b*) Chron. Gaufr. Vosiensis, D. Bouquet, t. XII, p. 428. Chron. Turon., ibid., p. 467. — (*c*) Auct. Aquisc. Chronici Sigib. Gemblac. Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 395. — (*d*) Ibid., p. 393. —

duo viri ingenui, Sicherus, conscia uxore et castiD tatem profitente, Gualterus cum fratribus, relicta matre, temporalia fastidientes, cœlestia adamarent, quatenus se suaque dantes Deo devotius et expeditius servire potuissent. Admixti sunt vero eorum gratissimæ devotioni et mutuæ dilectioni quidam militares, tantæ virtutis consimiles, pari modo, eodem animo, pari fide, eadem voluntate coæquales, et apostolicam vitam sequentes; ita ut in eadem societate nemo aliquid proprium aut suum diceret; sed in commune viverent, alter alteri deserviret, et ut de eis scriptum crederes : Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.

quarum adjuncta, quoad fundatores,

10 *Ut hæc præmissa paucis dilucidem, non est quod hoc loco describam quidquid de hoc cœnobio dictum est. Sufficerit pauca attulisse ex citato chronico Aquiscinctiensi, ex diplomate fundationis atque ex historicis Belgis. Ex chronico itaque imprimis novimus Anselmum, qui alibi Ansellus II dicitur, dominum fuisse de Ribodimonte, qui, teste Gallia Christiana* (*a*), *fundavit Ribodimontense monasterium in diœcesi Laudunensi, et cum Godefrido Bullonio in Syriam profectus* (*b*), *ad castrum Archas lapidis jactu interiit anno* 1098 *aut* 1099 (*c*). *Gualterus vero a Molano in Natalibus dicitur Dominus* E *de Montiniaco* (Montigny) *et Piscuaria* (Pecquencourt), *et Sicherus Dominus de Los et Corcella* (Courcelles). *In altera autem appendice Balderici Chronici, ubi hæc fundatio late quoque explicatur,* Sigerus de Lohes et Walterus, filius Ursionis, genere nobiles *celebrantur. Sicheri uxori, cui Mathildis erat nomen, in Auctario Aquiscinctiensi chronici Sigiberti Gemblacensis prima adscribitur cogitatio de hoc fundando monasterio; ibique sæpius ad hoc opus incitasse conjugem dicitur,* ideo maxime quod Sanctum quendam Gordanium inibi quondam heremiticam vitam duxisse ferebatur (*d*).

prima dona, primum abbatem,

11 *Cum instrumentum fundationis, ab Auberto Miræo* (*e*) *editum, majoris auctoritatis sit, sequentia ex eo describere malo, quam ex prædicto chronico. In diplomate itaque dicuntur Sicherus et Walterus* ecclesiam inibi voluisse restaurare, quam a S. Gordanio, in eodem loco eremiticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse. Hoc autem consilium Walterus scilicet ac Sicherus, Walterus per matrem, Sicherus per uxorem, confirmatum Ansello aperuerunt. Ipse vero Ansellus insulam illam Aquicinii, et arundinetum pertinens ad eam, F et villam, quæ Vedretum (*vulgo* Vred *dictum ad sinistram Scarpæ fluminis inter Marchianas et Aquiscinctium*) dicitur, eidem insulæ contiguam, quæ a nobis (*Gerardo II Cameracensi episcopo*) in beneficium tenebat, in manu mea reddidit, et ego ea in jus perpetuum donavi ecclesiæ ipsius Aquicinii. Præterea congaudens illorum religiositati, et christianissimi laboris inceptis, ecclesiæ libertatem, quam diu amiserat, restitui, et altare solutum a persona (*late id explicatum vide a Cangio in Glossario ad* v. Persona), et ab omni reditu feci; præter quod baculum abbatiæ in manu mea retinui; ita tamen ut eum illi darem, quem monachi illius loci, secundum regulam S. Benedicti, in abbatem eligerent. *Ex chronico porro Aquiscinctiensi et ex citato Sigiberti Auctario* (*f*) *novimus ab episcopo Gerardo duos ex monachis Hasnoniensis cœnobii, honestæ vitæ viros, ad Aquiscinctienses instruendos accersitos fuisse; e quibus uni, Alardo nomine, curam eorum commisit Gerardus et abbatem ordinavit* (*g*).

(*e*) Diplom., t. I, p. 163. — (*f*) Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 393.—(*g*) Cfr Append. alter. ad Chron. Balderici Teruanensis. Edit. a cl. v. Le Glay, p. 358.

12 *Verum*

et tempus aliquantisper declarantur.

A 12 *Verum nulla accurata temporis nota huic fundationi affigitur cum in Aquiscinctiensi chronico, tum in citato Sigiberti Auctario. Unde Galliæ Christianæ prosecutores* (*a*), *incidentes in Historiam Restaurationis monasterii S. Martini Tornacensis, conscriptam ab Herimanno abbate* (*b*), *æstimaverunt id cœnobium anno* 1077 *inchoatum fuisse. At Mabillonius* (*c*), *Locrius* (*d*), *Miræus* (*e*), *et Joannes Buzelinus* (*f*) *biennio tardius ejusdem initia statuunt, sibique faventia habent chronicum Sigiberti Gemblacensis, quale edidit Pistorius* (*g*) *et D. Bouquet continuatores* (*h*), *chronicum Iperii* (*i*), *Albericum Trium-fontium* (*k*), *et Andreæ, prioris Marcianensis, chronicum de regibus Francorum* (*l*). *Ab his tamen dissentit breve chronicum Elnonense, editum a Martene* (*m*), *a sodalibus D. Bouquet* (*n*), *et optime nuper a Rev. D. canonico De Smet* (*o*), *non secus ac chronicum Turonense* (*p*); *quod cum iisdem fere verbis ac Elnonense utatur, planum est conjicere Turonense hic loci ectypon Elnonensis esse : utut id sit, monuerunt editores* (*q*) *Turonense in annis assignandis fallax esse; et quod ad Elnonense spectat, passim in eo observare est non communem computum ejus autorem secutum esse, sed sæpius anno ocius ab*

B *eo referri res gestas : unde asserendum est Elnonense Chronicum cum reliquis convenire in assignanda præfata fundatione anno* 1079. *Cæterum cum adducta ex fundationis diplomate satis indicent, fundationem ante datum diploma nondum inceptam fuisse, ex anno ei adscripto lis hæc forte dirimi potest; porro sic desinit :* Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MLXXIX, Indictione II, anno vero Henrici regis XXVI (*immo* XXIII), præsulatus vero Domini Gerardi secundi Cameracensis episcopi IV. *Quod vero dicitur in chronico Aquiscinctiensi :* Mortui sepeliendi illo deferebantur, *explicatur a Molano dicente :* Porro ob tanti viri benedictionem Piscuarienses in vetustæ ecclesiolæ cœmeterio sepeliebantur, quod nunc constrictius est, et solas excipit familiares famulos Aquis-cinctenses. *De Piscuaria quoque intelligenda sunt, quæcumque in laudato chronico dicuntur de* contigua villula, *cujus ista ecclesiola* parochia facta remansit.

Expenduntur varia asserta de tempore, quo noster S. Eremita vixisset, et refertur ejus ætas ante medium sæculum IX.

C 13 *Jam si quæritur, quo tempore S.* Gurdanius *vixerit, non una atque eadem sententia apud varios scriptores reperitur. Cum Molanus* (*r*) *edoctus fuisset ab Aquiscinctiensibus constanter referri, et vetustis picturis exprimi monasterium in Aquiscinctiensi insula ex hujus eremitæ consilio constructum esse, et aliunde nosset in litteris fundationis aperte designari S.* Gurdanium *diu ante Sicherum et Walterum mortuum esse, scripserat :* Oportet tamen hoc consilium referre ad apparitionem post mortem. *Quæ verba* (*licet ea non probemus, utpote nullo chronico, nullove diplomate, in quibus talia omitti non solebant, nixa*) *cum non bene legisset Saussayus, fecit S.* Gurdanium *cœvum Sichero et Waltero; quod Bucelinus bona fide in suum Benedictinum Menologium quoque intulit. Recens vero editor Martyrologii Universalis, Cl. v. de Saint-Allais, cum invenisset in Martyrologio Universali Claudii Chastelain juxta S. Mummolini nomen appositum mortis annum* 685, *et S.* Gurdanius *continuo illic sequeretur S. Mummolinum, utrumque Sanctum eodem anno ad sepulcrum deduxit. Editores autem Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri conjecturæ indulsisse videntur, cum* D *S.* Gurdanium *ad sæculum* VIII *referunt. Id enim ex conjectura ab eis statui satis liquet, cum dictorum suorum testes adducunt Molanum tantum in Natalibus Sanctorum, Miræum in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio et in diplomatibus Belgicis, Galliam Christianam, et Lamartinière, qui profecto nihil de ætate S.* Gurdanii *habent. Verumtamen huic suspicioni, quæ forte non ita infausta est, suffragari videtur Claudius Chastelain in Martyrologio Universali; cum, ordinem temporis sequens, collocat S.* Gurdanium *inter S. Mummolinum exeunte sæculo* VII *mortuum, et S. Gaudericum, cujus ævum refertur ad exiens sæculum* IX. *Id unum ego affirmabo, videlicet S.* Gurdanium *ante finem sæculi* IX *jam pridem cultum fuisse : ut ex sequentibus manifestum fiet.*

Translatum fuit ejus corpus Aquiscinctio Duacum, Duaco Suessiones; unde relatum Duacum :

14 *Ex chronico Aquiscinctiensi jam innotuit corpus S.* Gurdanii *a quodam Sichero Duacum fuisse translatum, quod duobus saltem sæculis ante fundationem cœnobii factum fuerit oportet. Etenim circa exiens sæculum* IX *jam Duaci, jam Suessionibus atque denuo Duaci servabatur. Quod scilicet primum Duaci servatum est, ex præcitato chronico liquet; quod vero deinde Suessiones translatum fuit, colligitur ex Proprio Duacensi anni* 1740. *Quoniam vero quidam his repugnant, juverit audire ipsius Proprii verba, quæ ex libro argenteo* (*s*) *et e lectionario MS. ecclesiæ collegiatæ S. Amati Duacenses deprompserunt :* Anno Christi 870, imminente persecutione Normannorum, fratres Deo et Sancto ejus Amato apud Mervillam servientes, corpus patroni sui Amati, Duacum in sui juris ecclesiam... transtulerunt. Quadriennio deinde post, obtinuerunt a S. Joanne Cameracensi, eodemque Atrebatensi episcopo et a Carolo Calvo, Ludovici Pii filio, Galliæ rege, necnon a Balduino ejus nominis primo, comite Flandrorum; ut cum omnibus suis possessionibus et privilegiis Duaci remanerent. Corpus tamen S. Amati paulo post fuit deportatum Suessiones in Galliam, propter Normannorum persecutiones recrudescentes; quibus sedatis, est Duacum in eamdem ecclesiam relatum, circiter annum Domini 896. Illo enim tempore, regem Francorum, Stephanum episcopum Cameracensem et Atrebatensem, ac Balduinum, ejus nominis secundum Flandrorum comitem, clerus B. Amato serviens consuluit, quid de S. Amati corpore esset agendum. F Fuit autem definitum, quod Duacum esset referendum : quod et factum est; sed honoris causa est associatum sacris corporibus Beatorum Onesimi, episcopi quondam Suessionensis, et S. Gurdinelli Confessoris. *Hæc ex Duacensi Proprio in Officio de S. Amato* (*t*); *atque eadem* (*u*) *in Officio de S. Onesimo, verbis tantum mutatis, repetuntur. His consona habent Rayssius in Hierogazophylacio Belgico* (*v*), *Molanus in Natalibus* (*x*), *Gramayus in Antiquitatibus Flandriæ* (*y*) *et editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri in citata S.* Gurdinelli *Vita.*

sententiæ contrariæ refelluntur,

15 *At Henschenius* (*z*), *cum Rayssium, SS. Amati, Onesimi et* Gurdinelli *corpora Suessionibus Duacum translata esse narrantem produxisset, addidit :* Hujus (*S.* Gurdinelli) et S. Onesimi corpora ex Suessionibus solum translata tradunt alii. *Quibus*

(*a*) T. III col. 408. — (*b*) D'Achery Spicileg., t. II, p. 904. Edit. alt. — (*c*) Annal. Ord. S. Bened., t. V, p. 141. — (*d*) Chron. Belgii, p. 212. — (*e*) Orig. Cœnob. Bened. in Belgio, p. 126, et Annal. Belgic., p. 634. — (*f*) Annal. Gallo-Flandriæ, p. 186. — (*g*) Scriptt. rer. German., t. I, p. 843. — (*h*) Recueil des Hist. de Fr., t. XIII, p. 257. — (*i*) Martene Anecdot., t. III, p. 586; et D. Bouquet, t, XIII, p. 456. — (*k*) Leibnitz Access. Histor., t. II, p. 123; et D. Bouquet, t. XIII, p. 685. — (*l*) D. Bouquet, t. XIII, p. 419. — (*m*) Thes. Anecdot., t. III, col. 1397. — (*n*) Rec. des Hist. de Fr., t. XIII, p. 453. — (*o*) Corpus Chronic. Flandr., t. II, p. 17. — (*p*) Martene Ampl. Coll., t. V col. 1009 et D. Bouquet, t. XII, p. 463. — (*q*) Cfr Rec. des Hist. de Fr., t. X, p. 280; t. XI, p. 346 et t. XII, p. 461. — (*r*) Natal. SS. Belgii ad XVI Octob. — (*s*) Fol. 10 et 30. — (*t*) p. 55 et seq. — (*u*) p. 68. — (*v*) p. 34. — (*x*) Ad XIII Maji, XIII Septemb. et XVI Octob. — (*y*) p. 203 et 206. — (*z*) Act. SS., t. IV Maji, p. 204.

verbis

A *verbis designare sane voluit Malbrancquium, qui in opere suo de Morinis et Morinorum rebus* (*a*), *cum perhibuisset monachos Mervillenses seu Broilenses anno* 870 *cum corpore S. Amati Duacum devenisse, subjicit :* Sunt qui scribunt prius Suessiones translatum D. Amati corpus, dein Douacum cum SS. Gurdinelli et Onesimi corporibus : idque cessantibus Nortmannorum bellis ad annum 896 : sed quæ narranda insequuntur, huic rei plane refragantur. *Et narrat deinde quo pacto stabilem sedem Broilenses Duaci nacti sint, ut ex Proprio Duacensi jam intelleximus. At non difficilis detectu est origo erroris, cui egregius historicus hoc loco se implicuit. Ex nota enim, margini apposita, liquet ei in animo fuisse refellere Molanum, qui ad* XVI *Octobris scripserat :* Duacenses vero canonici S. Gurdinelli corpus una cum corpore S. Onesimi, sibi a Suessionibus donatum (*immo restitutum*) asserunt, cum S. Amati corpus ab eis referretur, cessantibus bellis, circiter annum Domini 896. *Quibus dictis Morinorum historicus credidit designari, S. Amati corpus Broilo seu Mervilla Suessiones devectum esse, atque inde anno* 896 *Duacum fuisse primo translatum. At vocabulo* referri *plane aliud statuerat Molanus;*
B *nihil itaque hic est, quod Martyrologi Belgæ dictis refragetur.*

et novis testimoniis confirmantur dictæ translationes,

16 *Fatendum quidem est Trentecampium nostrum in Commentario prævio de S. Amato* (*b*) *non verbum hiscere de hac translatione; et in Actis Sanctorum Belgii* (*c*) *exhiberi quidquid Trentecampius scripserat sine ulla additione. Verumtamen hanc translationem reapse factam esse persuasum mihi est. Etenim superius jam dixi, quibus e fontibus desumpta sit citata lectio de S. Amato; quos fontes vindicavero a Gramayi crisi* (*d*), *si monuero lectorem, eum certe corrupto ecgrapho usum esse; quod constabit unicuique, conferenti ejus dicta cum Proprio Duacensi, et citato Malbrancquii loco. Præterea cum omnes exceptiones eruantur ex eo, quod S. Amatus Suessiones non censetur devectus, juverit denuo citasse breve Chronicum Elnonense* (*e*), *de quo nuperrimus editor non dubitavit asserere* saltem a sæculo IX auctoritatem scripti coævi ei inesse (*f*). *Porro ad annum* 880 *hæc illic habes :* Ludovicus rex obiit. Nortmanni in Gandavo. Corpus Sancti Vedasti Belvagus (*Bellovacum*) asportatur. Sanctus Amatus Suessionis asportatur. *Atque eadem in Annalibus minoribus Elnonensibus, editis a cl. v.*
C *Pertz* (*g*), *et in laudatissimo Chronico brevi S. Martini Tornacensis, excuso inter historicos Galliæ* (*h*), *repetuntur; nisi tamen in Tornacensi Chronico annus* 881 *signatur; quæ temporis nota retinenda est; quoniam Elnonenses chronographiæ, ut jam diximus, anno præcurrere solent. Neque his testimoniis officit, quod Gramayus affirmat, ex Iperii Chronico narrari a Meyero Duacum anno* 879 *a Normannis excisum esse : sed præterquam quod Meyerus hæc ad annum* 880, *nemine citato, refert* (*i*), *omnimode erroneum est tale quid ab Iperio, in annis cæterum minime accurato, asseri, ut colliget ipse lector, si adeat tomum III* (*k*) *Thesauri Anecdotorum Martenii, ubi prætensum Iperii locum inveniet. Laudatum vero Elnonense Chronicum, cum docet anno* 883 *omnes abbatias, quæ ad Scarpæ ripas jacent, a Normannis vastatas fuisse, simul innuit quam caute S. Amati corpus tribus annis ante Suessiones delatum sit, quandoquidem Duacum Scarpa*
D *duas in partes secatur.*

quarum postrema ineunte sæculo X, *simul cum SS. Amati et Onesimi corporibus, facta est.*

17 *Superius ex Proprio Duacensi colligere licuit,* S. Gurdinelli *seu* Gurdanii *corpus circa annum* 896 *Duacum relatum fuisse. Hæc temporis nota, non ex MSS. Duacensibus, sed ex Molano intrusa videtur; eam enim omittit Gramayus, neque solemnis est in vetustis historiis is temporis indicandi modus; et sane non concordat hic annus cum episcopatu Stephani, qui hujus translationis consilium dedisse dicitur. Hic quippe Stephanus, qui diu creditus est anno* 895 *ad Cameracenses infulas promotus esse, hoc honore ornatus non fuit ante annum* 900, *ut docent Galliæ Christianæ editores* (*l*); *ex quibus quoque constat eum hac dignitate usque ad annum* 933 *vel* 934 *usum esse; intra quod proinde spatium concludenda est hæc Reliquiarum translatio. Non est quod immorer vanis conjecturis eorum, qui S.* Gurdinelli *corpus Duacum relatum fuisse statuunt eodem tempore, quo illuc devectum est corpus S. Mauronti. Le Moyne autem* (*m*), *rationem reddens cur hæc Reliquiarum translatio facta sit, affirmat S. Onesimi corpus Suessionibus Duacum translatum esse propter minitantium Normannorum metum. Ve-*
E *rum cum quælibet res duplici de causa fieri possit, non pugnat hæc sententia cum Proprio Duacensi, in quo SS.* Gurdinelli *et Onesimi corpora dicuntur associata fuisse corpori S. Amati honoris causa : novimus præterea ex Chronico Besuensi, anno* 901 (*n*) *ob Normannorum formidinem quasdam Sanctorum Reliquias Suessionibus aliorsum delata esse. Quod autem ad S.* Gurdinellum *aut* Gurdanium *pertinet, alia transvehendi corporis causa aderat, justitia nempe, qua hoc sacrum pignus penes Duacenses, non autem penes Suessionenses esse debebat. Atque hæc ex antedictis satis manifesta sunt, et confirmari queunt testimonio Nithardi, Caroli Magni nepotis, qui libro* III *Historiæ num.* 2 (*o*) *recensens Sanctorum corpora, quæ anno* 841 *Carolus Calvus in novam basilicam Suessionensem transtulit, inter hæc non numerat corpus S.* Gurdinelli *aut* Gurdanii, *quoniam tum nondum Suessiones delatum fuerat. Quocirca culpandus est Molanus, dum scribit hæc pia pignora a Suessionibus* donata, *non restituta fuisse.*

Novum ejus sepulcrum et imago, nunc destructa.

18 *Porro cum tempore Stephani, Cameracensis episcopi, S.* Gurdanii *exuviæ Duacum relatæ sunt in ecclesiam S. Mariæ Virginis, deinceps S. Amati, condigno honore receptæ fuerunt, atque deinceps habitæ.*
F *Gramayus in Antiquitatibus Flandriæ, postquam pluribus docuit* (*p*), *quo pacto anno* 1206, XIV *kalendas Novembris S. Amati Reliquiæ novo sepulcro conditæ fuerint, subjicit :* Hoc eodem tempore similibus ex marmore mausolæis recondita corpora SS. Onesimi et Gurdinelli. *Verumtamen cum hæc celebritas maxime ad S. Amatum pertineat, mitto narrationem, quam de ea ex citato Duacensi libro argenteo ad* XXVIII *Aprilis exhibet Proprium Duacense cum litteris Radulphi episcopi Atrebatensis; ipse satis habens annotasse, translationi illi interfuisse, præter Radulphum Atrebatensem, Gerardum Catalaunensem, et Goswinum Tornacensem episcopos. Ad S.* Gurdanium *quoque, seu* Gurdinellum, *ad SS. Amatum, Maurontum et Onesimum referuntur sequentia, quæ ex Hierogazophylacio Belgico Rayssii* (*q*), *de ecclesia collegiata S. Amati Duacensi agentis, depromo :* In frontispicio ambonis chori,

(*a*) T. II, p. 305. — (*b*) Act. SS., t. IV Septemb., p. 121. — (*c*) T. IV, p. 573. — (*d*) Antiquit. Flandr., p. 202. — (*e*) Corp. Chron. Fland. edente can. De Smet, t. II, p. 12. — (*f*) Ibid., p. 1. — (*g*) Monum. hist. German., t. VI, p. 19. — (*h*) Rec. des histor. de Fr., t. VIII, p. 285. — (*i*) Annal. Flandr., fol. 14. — (*k*) Col. 528. — (*l*) T. III, col. 14. — (*m*) Hist. des antiq. de Soissons, t. II, p. 210. — (*n*) D. Bouquet, Recueil des Hist. de Fr. t. IX, p. 20. — (*o*) Recueil des Hist. de Fr., t. VII, p. 24. — (*p*) p. 206 et seq. — (*q*) p. 34.

A quem vernacule Doxale vocamus, hujus ecclesiæ visuntur prædicti quattuor Sancti depicti, cum sequentibus versibus vetustissimis characteribus :

Corpora Sanctorum sanctisima quattuor horum
Hæc habet ecclesia pignora chara sibi.
Astra tenent animas, cœlesti nectare potas;
His ut jungamur, Christe Jesu, fer opem.

Hæc vero, ut ad nos scripserunt Rev. D. Semaille, parochus et decanus Duacensis, et eruditissimus vir Dutillœul, bibliothecarius oppidi Duaci, annis 1795 *et sequenti perierint oportet, cum templum S. Amati solo æquatum est, et in forum publicum, nunc arboribus consitum, immutatum fuit. Perierunt tunc quoque S.* Gurdanii, *seu* Gurdinelli *sacræ exuviæ,* D *non secus ac reliquorum Sanctorum, quorum pignora ibidem asservabantur; et liber argenteus aliaque documenta, quæ ex libris impressis sæpius citavimus, sortem passa fuerunt cæterorum monumentorum ecclesiæ S. Amati, quæ inter ecclesiasticos et civiles superioris sæculi tumultus evanuerunt. Aquiscinctum vero mera nunc esse rudera sæpius monuimus. Atque hic stylus nobis ponendus est, optantibus ut saltem ne intereat, qui reliquus esse possit, S.* Gurdanii *cultus, dum sacræ ejus Reliquiæ et duo, ubi colebatur, templa impiam stragem in perpetuum experta fuerint.*

DE S. GAUDERICO, GUALDERICO SEU GALDERICO, CONF.

B E

AGRICOLA OCCITANO IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De nomine, homonymis et biographis S. Gauderici; ejusdem vitæ synopsis.

ANTE SÆCULUM, UT VIDETUR, X. *Nomina S.* Gauderici *et homonymi.*

S. Gaudericus, *cujus præcipua latina nomina in hujus Commentarii fronte scripsimus, gallice vocatur a Claudio Chastelain in Martyrologio suo Universali S.* Galdry, *a Peyroneto autem doctore theologo Tolosano, testeque, utpote Occitano, magis idoneo, in suo Sanctorum Catalogo S.* Goëry, *et demum S.* Goëric *a P. Petro Maria d'Auzers Societatis Jesu, qui, dum olim in collegio Mauriacensi degeret, lectiones Mirapicenses de S.* Gauderico *ad decessores nostros misit;* C *d'Expilly vero in Dictionario suo Geographico, ubi recenset vicos Mirapicio subjacentes, Cassini in tabulis topographicis Franciæ, et auctores Dictionarii Universalis Franciæ, anno* 1804 *Parisiis excusi, appellant eum vernacule S.* Gauderic : *Catalauni vero in finibus Hispaniæ consonant in eo* San-Galderique *nuncupando. Ut initio Commentarii de S. Balderico, Falcomontano conditore, annotavimus, confudit Weissbacher in Legenda Sanctorum sæcularium sacerdotum S. Baldericum cum S.* Gauderico, *licet non tantum patria, munera, locaque cultus diversa omnino sint, verum etiam ipsa nomina non eumdem significatum habere videantur. Nam dum* Baldericus, *uti alibi diximus, virum audacia spectabilem indicat,* Galdericus, Gualdericus, *seu* Gaudericus *virum potentia conspicuum denotare videtur.* G *quippe et* W *facile in nominibus Francis inter se commutantur, ut habemus in vocabulis Willelmus et Guillelmus, Walbertus et Gualbertus, Walterus et Gualterus seu Galterus, etc. Porro* wald *in nominibus potentiam significat* (*a*), *et* ric *divitem; adeo ut* Galdericus, Gualdericus *seu* Waldericus *idem sit ac qui potentia abundat, seu conspicuus est. Vix est quod moneam a S.* Gauderico *nostro distinguendum esse S. Gaugericum, episcopum Cameracensem, quem Baronius in Annalibus* (*b*) *Gaudericum appellat, et de quo dixere majores nostri ad diem* XI *Augusti; S. Godericum seu Goericum, episcopum Metensem, die* XIX *Septembris cultum; S. Godricum, eremitam Anglum, cujus veneration dies* XXI *Maji assignatur; et S. Gericum, Guericum vel Goericum, Senonensem archiepiscopum, cujus natalis die* XXVII *Augusti agitur.* F *Hæc de nomine deque homonymis.*

Quinque nobis cognitos

2 *Jam vero si ad biographos stylum convertimus, quini numero hi nobis obviarunt : nam primo loco inter biographica scripta recenseri posse æstimo lectiones quæ in Officio ecclesiastico de S.* Gauderico *olim in meridionali Galliæ tractu usitabantur; secundo autem loco venit Vincentius Domenec, qui Sancti nostri Vitam Historiæ generali Sanctorum Catalauniæ* (*c*) *inseruit; cujus Historiæ conscribendæ gratia quater Catalauniam peragrasse dicitur in bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum* (*d*), *idque instituisse iter, ut quæcumque posset recondita instrumenta scrutaretur. Obiit autem Gerundæ anno* 1606 *in odore sanctitatis. Quæ vero scripsit de S.* Gauderico, hæc desumpta sunt, *ut ipse catalaunice seu hispanice loquitur* (*e*), ex Breviario diœcesis Elnensis (*Perpinianensis*) et ex vetusto codice MS., qui in monasterio Canigonensi asservatur; *de quo codice paulo inferius redibit sermo. Tertius biographus nobis est Reginaldus Poc, qui anno* 1627 *opusculum edidit de duobus Sanctis agricolis,* Gau-

(*a*) Wiarda, Deutsche Vornamen, etc., p. 42. — (*b*) T. XI, ad an. 615, § XII. — (*c*) p. 199 et seqq. — (*d*) T. II. p. 360. — (*e*) p. 199.

derico

derico *et Isidoro sub titulo* : Compendio de la vida, muerte, y milagros de los dos gloriosos labradores San Galderique de Canigon, y San Isidoro de Madrid repartido en dos libros por el Padre presentado F. Reginaldo Poc, natural de Planolas, de la Orden de Predicadores, doctor y cathedratico de theologia en la antiquissima universidad de Perpiñan. Perpiniani, typis Ludovici Roure, 1627. *Extra Perpinianensem tractum rarior videtur ille liber, adeo ut bonum consultum sit lectorem in bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum* (*a*) *monere, opusculum illud in bibliotheca regia Parisiensi repertum iri, ubi et nos eo uti coacti fuimus, alibi id non reperientes. Tamayus in Martyrologio Hispanico* (*b*) *ultra modum laudavit hanc Vitam, cum scripsit,* in eo non tantum vitam et miracula plurima S. Gauderici compaginata esse, sed et situm, privilegia et dominia monasterii Canigonensis, quod insignes S. Gauderici Reliquias habebat, in eo enucleari; *verum quæ ad hæc pertinent, non plura in eo inveni quam in Marca Hispanica Petri de Marca, qui* (*atque ea Reginaldus omisit*) *voluminis sui appendici authentica monumenta inseruit. Cæterum Poc iisdem ac Domenec usus est instrumentis ad beati agricolæ nostri prosequenda gesta.*

biographos, plerosque

3 *Quartus biographus isque anonymus, qui sua omnia vel ex propria penu vel ex citatis scriptoribus hausisse dicitur, innotuit nobis ex epistola cl. v. Puiggari, die* XXII *Octobris anni* 1841 *data ad R. D. Labatut, canonicum cathedralis ecclesiæ Carcassonensis, et ad nos transmissa curis R. P. Tinseau, nostrorum studiorum obsequentissimi fautoris. Fertur Anonymus ille opellam suam anno* 1705 *gallice scripsisse, eamque decennio post typis credidisse Perpinianensibus. Quem paulo superius nuncupavimus, martyrologus Hispanus Tamayus quintus biographus nobis est, cum in opere suo ad hanc diem ediderit quædam S.* Gauderici *Acta, ad quorum calcem hæc ille scripsit :* Hæc sunt Acta, quæ ex Legendario monasterii Canigonensis hispano idiomate desumpsere Vincentius Dominec et Reginaldus Poc. *Sed, ut paulo supra vidimus, testatur ipse Vincentius se narrationem suam collegisse tum e Breviario Elnensi, tum e vetusto MS. codice : unde quid velit Tamayus, non ita perspicuum est. Verumtamen cum Tamayus nihil habeat, quod a lectionibus Mirapicensibus et Vincentii Reginaldique dictis absonum sit, minus verendum est rei veritati, quam antiquitati scriptionis, inferius a nobis, utpote alia destitutis, edendæ.*

codice MS. Canigonensi usos, nactus est S. Gaudericus.

4 *Neque hæc codicis antiquitas valde veneranda esse potest, nisi ei successive adjecta fuerint miracula, prout volebat Deus ea coruscare : Domenec scilicet, qui eo usus est, exponit secundum eum miraculum quod ad annum* 1483 *referendum est : unde quæ hic scriptor de ejus antiquitate affirmat, eum antiquis litteris scriptum dicens, vix de uno sæculo intelligenda sunt; cum ex approbationibus constet Domenec hæc ante annum* 1603 *exarasse. His non absona sunt, quæ in ipsis Actis editis a Tamayo occurrunt :* His et aliis virtutum stemmatibus, sic agricola gratus fuit Domino, ut adhuc vivus ad donum miraculorum capessendum accederet; quorum relationem, aut sancti viri modestia occuluit, aut antiquitas invida obliteravit, licet duo adhuc in cordibus accolarum enixius adservantur. *Dubito autem graviter an audiendus sit Tamayus, cum unum tantum codicem MS. de S.* Gauderico *exstitisse innuit. Etenim Hieronymus Pujades, auctor Chronici universalis Catalauniæ, scripti quidem ineunte sæculo* XVII, *edito vero anno* 1831 *Barcinone, nonnihil in narranda translatione S.* Gauderici *a Domenec discedit : quod* § III *hujus Commentarii cernere erit. Utut id est, sategimus, quantum per nos stabat, ut Canigonensem codicem nancisceremur. Verum en quale responsum nobis retulit R. P. Tinseau a laudato cl. v. Puiggari, qui se quam completissima notitia de Monte Canigonensi colligenda detentum esse scribit :* Nullatenus a me reperiri potuit codex MS. Canigonensis, quem Domenec commemorat. Etenim nihil fere superest ex archivio monasterii S. Martini. Penes me est index titulorum et chartarum, quæ in eo servabantur anno 1586, quo tempore iste index a visitatore apostolico confectus est. Penes me similiter est alter index confectus anno 1787 ex jussu supremi nostri consilii; et in neutro mentio fit hujus codicis, licet secus bis terve S. Gaudericus in eis memoratur. *Hæc ille.*

Synopsis Vitæ

5 *Ut vero lector jam in limine hujus Commentarii præ oculis habeat S.* Gauderici, *quæ noscuntur, gesta, afferendæ hic visæ sunt lectiones, quæ olim ad diem* XVI *Octobris Mirapicii in Officio ecclesiastico recitabantur; ita autem sonant :* LECTIO IV. Gaudericus in agro Tolosano, humili loco, sed piis parentibus natus, patris sequutus exemplum, agriculturam exercuit. Adolescens admiranda dedit omnium virtutum exempla : juveniles siquidem ludos, et mundi illecebras respuens, totum quod ab excolenda terra aut a domesticis ministeriis vacabat tempus, orationi tribuebat. Nihil eo continentius, nihil modestius erat. Administratione familiæ suscepta, eam ex divinis præceptis instituit, sanctissimæque vitæ exemplis, christianis moribus informavit. In pauperes misericors et beneficus, illos et recipiebat domi, et suis etiam facultatibus sustentabat.

S. Gauderici

6 LECTIO V. Sanctissimam Dei Genitricem religiosissime venerabatur : in cujus honorem, quoties statis temporibus ad illius salutationem ex more in diœcesi Tolosana, longe antequam ab universa Ecclesia reciperetur, instituto, æs campanum pulsabatur, toties, detecto statim quocumque adesset loco capite, genibusque flexis, Deiparam salutabat. Hocce obsequii genus, Virgini Matri exhibitum, insigni miraculo comprobavit Deus. Cum enim aliquando vespere ex agricultura rediens vir Dei, rivum, oppido quod incolebat fere contiguum, trajiceret, forte accidit ut ex ecclesiæ turri æs campanum ad salutandam Virginem signum daret : pii instituti memor Gaudericus, in genua mediis in ipsis aquis procumbit. Quæ sanctitatem viri reveritæ, in duas continuo partes divisæ, locum in quo genuflexerat siccum relinquunt.

ex lectionibus Mirapicensibus.

7 LECTIO VI. Quam plurimis aliis miraculis sanctitatem servi sui Deus testatam reliquit, quibus magnum et sanctum clarebat ubique Gauderici nomen. Illud imprimis celebre, quod dum æstivo tempore segetem tereret, subito coortam tempestatem, ad Deum, qui voluntatem timentium se facit, fusis precibus, ab area sua non modo depulit, sed inaudito hactenus prodigio id etiam obtinuit, ut cum immissus grandis turbo circum omnia everteret, et copiosius ex terris, addensatisque nubibus, imber decidens vicina quæque loca delueret, siccam interim Gauderici aream placido serenoque cœlo sol illustraret. Denique vir sanctus, virtutibus et meritis plenus, XVII calendas Novembres ad cœlestem beatitudinem est evocatus.

(*a*) T. II, p. 461. — (*b*) T. V, p. 553.

A

§ II. Quæritur an S. Gaudericus pietatem, dictam Angelus, coluerit.

S. Gaudericus servaritne pietatem dictam Angelus?

Ut *ex recitatis lectionibus liquet, inter gesta S.* Gauderici *una ejus in Beatissimam Virginem pietas, seu potius religiosa ejus consuetudo illam salutandi, cum pulsato campano ære ad id signum daretur, (moris id fuisse in diœcesi Tolosana diu antequam id in universa Ecclesia prævaluisset, volunt Mirapicenses lectiones aliaque monumenta,) in examen vocanda videtur. Et quidem, ut absque ambagibus sententiam meam profitear, non dubito negantium, si qui sint, adhærere partibus; tum quoniam verisimile non est S.* Gaudericum *sæculo* IX *usum fuisse Salutatione Angelica, quæ hic indigitatur; tum quia certe tunc temporis in usu non erat mos pulsandæ campanæ ad indicandum, colendam esse Deiparam. Quo vero melius intelligat lector, quæ ad hanc quæstionem pertinent, juvat paulo latius id argumentum*

B *prosequi. Quod tamen spectat ad priorem hujus examinis partem, cum de ea actum jam fuerit a Mabillonio (a), et paucis annis post ab eruditissimo Grancolasio in suo Commentario historico in Romanum Breviarium (b), dein a Trombelli (c), ut ex Gerberto, de Veteri Liturgia Allemanica disserenti, intelligo, quantum quæstionis ratio patietur, contrahemus vela.*

Sæculo quidem sexto Syri usitabant quamdam Salutationem Angelicam,

9 *Imprimis fatendum est jam sæculo* VI *Salutationem Angelicam apud Syros in usu fuisse, qualis ex Syriaco idiomate in latinum versa et utraque lingua a Guidone Fabricio Boderiano vulgata fuit : unde in Bibliothecam Maximam Patrum Lugdunensem (d) translata, sic sonat :* Pax tibi Maria plena gratia : Dominus noster tecum. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus est fructus, qui est in utero tuo Jesus Christus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen. *Paulo diversa est versio in Grancolasio, qui in præcitato Commentario (e) talem edidit :* Pax tibi Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus, qui est in utero solus Christus. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen. *Alliganda autem est, ut dixi, hæc formula saltem ineunti sæculo* VI, *quo-*

C *niam eam exhibet Severus Antiochenus inter varias preces, (post orationem scilicet Dominicam,) quas subdit Libro de ritibus baptismi et sacræ synaxis apud Syros Christianos receptis. Hic autem Severus, auctore J. A. Fabricio (f), anno* 513 *Antiochenam cathedram ascendit, et pro Assemanni sententia (g) anno* 539 *supremum obiit diem.*

ut adversus Grancolasium et Gerbertum

10 *Sed repugnat Grancolasius (h); cui assentit Gerbertus in Disquisitione* VIII *de singulis partibus Horarum canonicalium (i). Audiatur Jo. Grancolasius :* Neque libellus de ritibus baptismi nomen Severi patriarchæ Alexandrini præferens, fidem ullam meretur, ad cujus finem hæc oratio reperitur; nullus enim inter Alexandrinos patriarchas Severus appellatus fuit; quæ ratio est, cur in quibusdam codicibus manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur. At veteres, qui Severi Antiocheni operum meminere, libri de baptismate mentionem non faciunt. *At bona Grancolasii venia, quis, quæso, non indignum judicet eruditissimo scriptore, prius quod* D *exponit argumentum, et quod mera hypothesis est? Non minus enim valet ac si plane dixisset : Liber iste partus non est patriarchæ Alexandrini, ergo neque editus est a patriarcha Antiocheno; nam illud :* quæ ratio est, cur in quibusdam codicibus, *etc., prorsus gratuitum est; quin etiam inscriptionum varietas sic jubebat ratiocinari : in quibusdam codicibus MSS. tribuitur ille liber Severo Alexandrino, in aliis Severo Antiocheno; at Severus Alexandrinus in rerum natura non fuit; ergo soli Antiocheno patriarchæ tribuendus est. Secunda vero probatio, qua Grancolasius sententiam suam fulcit, est mere negativa; quocirca in tantum solummodo valet, in quantum opportunum erat, ut veteres scriptores de hoc loquerentur libro. At nihil hujusmodi est : etenim est mere liturgicus, et solas continet ceremonias et preces, quæ apud quosdam Syros hæreticos in baptismate usurpabantur. Cum autem scripsisset Severus Antiochenus opuscula, quibus errores suos multo clarius exponebat, pronum erat ut orthodoxi hæc insectarentur, de libro autem isto tacerent; quod quidem eo pronius est, quo magis verisimile est hos ritus non a Severo fuisse conditos, sed in pauculis punctis tantum aliquantum fuisse immutatos : unde* E *tamen postmodum ei adscripti fuerint.*

probatur ex Severi Antiocheni opere :

11 *Quibus accidit gravissimum testimonium J. A. Fabricii (k), qui minime dubitat Severi Antiocheni scriptis adnumerare* Librum de ritibus baptismi et sacræ synaxis apud Syros Christianos receptis, tributum, *ut ait,* Alexandrino quondam patriarchæ; sed, *ut pergit,* in codice Guidonis syriaco tantum *Mar Severus patriarcha* nuncupatur. *Et,* Male, *inquit Richardus Simon ad Gabrielem Philadelphiensem (l),* ritus ille in editis exemplaribus tribuitur Severo, patriarchæ Alexandrino. Codex MS. quem consului, præfert nomen Severi patriarchæ Antiocheni, et in multis ab edito discrepat. Asservatur in bibliotheca C. V. Claudii Hardy. *Hæc doctus Fabricius. Vide præterea Montfaucon (m), qui ritus baptizandi similiter Severo Antiocheno patriarchæ ex fide syriaci codicis tribuit. In nota autem recentium Fabricii Bibliothecæ editorum (n), memorantur alii bini codices, quorum* alter Severi hæretici Liturgia, *alter* Severi Antiocheni Liturgia *audit. Cæterum nonnulla loca in his ritibus Eutychetem sapiunt; et notum est insuper Severum a Syris hæreticis dictum fuisse* os omnium doctorum; *unde pro hac apud suos auctoritate facile potuit hos nonnihil mutare* F *ritus, et suo ornare nomine.*

eademque in Hispania ante sæculum X *adhibita fuit.*

12 *Verum illud ex Severo petitum specimen Orientem, minime Occidentem spectat. A Gregorio Magno primum in Occidente adhibita fuit quædam Salutationis Angelicæ forma, in Offertorio nempe Missæ Dominicæ* IV *Adventus; sed verba Angeli tantum complectitur, estque potius Antiphona quam Oratio; quocirca quoad fidelium usum spectat, exigui valde momenti est. Aliud testimonium occidentalium pietati magis favens exhibet Vita S. Hildefonsi episcopi Toletani, quam teste Mabillonio Godescalcus, Aquitaniæ episcopus, sæculo nono ex Hispania detulit, quamque Hermannus monachus sæculo duodecimo ineunte reperit Catalauni, ut ex epistola ad Bartholomæum Laudunensem liquet (o). Illud autem testimonium sic sonat :* Beatus vero episcopus. . . vidit eamdem Dominam nostram in sede sua. . . . residentem. . . . Statimque episcopus,

(a) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. v, præf. § 119. — (b) Lib. I, cap. XV, p. 73. — (c) T. V, Dissert IV, q. 2. — (d) T. XII, p. 736. — (e) Lib. I, cap. XXV, p. 74. — (f) Bibl. Græc., t. X, p. 614. Edit. Hamburg. 1807. — (g) Bibl. Orient., t. II, p. 321. — (h) Lib. I, cap. XXV, p. 74. — (i) Cap. XI, p. 821. — (k) Bibl. Græc., t. X, p. 622. — (l) p. 290. — (m) Bibl. Bibliothec. MSS. p. 713. — (n) Bibl. Græc., p. 623. — (o) Cfr Mabillonium Act. SS. Ord. S. Bened., sæc II, p. 520 et sæc. V, in præfat. § 119; et Galliam Christ.,t. IX col. 529.

genibus

A genibus flexis, illum ei versum Angelicæ Salutationis recolere cœpit multoties dicendo : « Ave Maria » gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mu- » lieribus et benedictus fructus ventris tui. » Ipsumque versum finitum assidue iterando repetebat, donec ante ejus præsentiam perveniret. *Quæ narratio etiam si falsa esset, (quod neque affirmamus neque negamus, quoniam difficultas sat grandis est in assignando scriptore Vitæ, quæ male Juliano S. Hildefonsi successori tribui videtur (a)) quidquid, inquam, esse queat de ipso facto, certum tamen est sæculo nono Angelicam Salutationem in Hispania notam fuisse, quoniam hoc tempore inde delata fuerunt hæc Acta. Præterea hæc quoque formula in Liturgia Mozarabica exstat; sed post* ventris tui *subjicitur solummodo :* quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum. *Num vero hæc antiphona ad S. Hildefonsi tempora ascendat, videant liturgiographi Hispani : id ego fateor me frustra inquisivisse, unde ultimum hoc punctum stabiliretur.*

sed non item alibi locorum.

13 *Utut id est, si jam quæritur an sæculo* X *extra Hispaniam Angelica Salutatio a populo usurpata fuerit, gravissimis dubiis implicitum argu-* B *mentum proponi manifestum est; deque eo jam egerunt Mabillonius, Grancolasius, et Trombelli locis supra citatis, negantem amplexi sententiam : quorum probationibus, quas recensere non vacat, id unum addemus, nullum vestigium de ea pietate reperiri inter monumenta catechetica Anglo-Saxonica, Theotisca, Belgica, Gothica, Britannica, Islandica, Allemannica, etc., quæ Schilterus Thesauro suo Antiquitatum Teutonicarum inseruit; Salutationem vero Angelicam, quam in Vita S. Gertrudis (b) edidit Ryckelius, et veteribus Anglo-Saxonibus et Belgis affigere videtur, recentioris ævi mihi haberi, nisi potius ex versione Euangelii quam ex Eucologio desumpta sit. Quocirca cum Mabillonio tenendum esse videtur, eam ante sæculum* XI *in vulgari usu habitam non fuisse. Nam S. Petrus Damiani, qui sæculo* XI *floruit, dignum narratu arbitratus est, sacerdotem quemdam solitum fuisse eam quotidie recitare (c); licet ipse Rythmum super Salutatione Angelica, quem tomo III ejus Operum reperire est, composuerit, et eodem sæculo exeunte hanc precationem populo præscripserit Odo de Solliaco, episcopus Parisiensis. Quid sequentibus annis sit factitatum legere licet apud prælaudatos scriptores; qui citatis locis quoque agunt de tertia Salutationis Angelicæ* C *parte, jam sæculo* XIV, *non vero* XV, *exeunte quibusdam in locis adjecta, ut Trombelli adversus Mabillonium adstruit. Licet nonnulla mihi occurrerint tum in Breviariis, tum in conciliis et sacris scriptoribus, quæ nondum animadversa fuisse video, ea tamen mittenda visa sunt, quoniam nullam novam lucem quæstioni nostræ addunt. Ex dictis autem satis liquet, nullatenus verisimile esse S.* Gaudericum, *rudem simplicemque agricolam, sæculo* IX *Angeli, S. Elisabethæque verba ad salutandam Deiparam usurpasse. Patiatur vero lector ut paulo latius in antiquitatem et fata precationis,* Angelus *nuncupatæ, inquiramus.*

Exponitur sententia Mabillonii

14 *De laudabili illo usu in hæc verba loquitur Mabillonius (d) :* Eam (*scilicet Salutationem Angelicam*) hora ignitegii sub concubium ter recitari Johannes XXII, indulgentiis datis, statuit. Admisit hoc decretum synodus Senonensis anno MCCCXLVI; ita enim cap. XIII : « Item auctoritate dicti concilii » præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordi- » natio facta per sanctæ memoriæ Johannem » Papam XXII de dicendo ter Ave Maria tempore » seu hora ignitegii : in qua ordinatione conce- D » ditur certa indulgentia, » etc. Addit synodus triginta dies auctoritate sua, et suffraganeorum viginti dies pro iis, qui tunc Pater Noster et Ave Maria persolverint pro Ecclesia, rege, ac regia familia, regnique statu. Postea idem ritus inductus est ad matutinum tempus et mediam diem. In synodo Vaurensi anni MCCCLXVIII rectoribus et curatis parochiarum sub pœna excommunicationis præcipitur cap. CXXVII, ut circa solis ortum pulsari faciant unam campanam eo modo, quo ad noctem pulsari solebat : et tunc iis, qui in honorem quinque vulnerum Christi Domini quinquies orationem Dominicam, atque septies Angelicam Salutationem genibus flexis dixerint, triginta dies de injunctis pœnitentiis relaxantur. Postea vero hic numerus ad tres salutationes redactus est.

de antiquitate precationis, quæ dicitur Angelus :

15 In Statutis Francisci de Puteo, Cartusiæ majoris prioris ab ineunte sæculo XVI, ita legimus cap. I : « In omnibus domibus Ordinis, quæ sunt » sub ditione domini regis Franciæ, singulis diebus » hora meridiei ex ordinatione apostolica pulsetur » campana pro Ave Maria, pro pace dicti regni » conservanda, eo modo quo pulsatur hora Com- » pletorii : et singulæ personæ earumdem domo- E » rum dicant tribus vicibus Ave Maria, pro qui- » bus vice qualibet trecentos dies de indulgentia » ex indulto apostolico consequentur vere pœni- » tentes et confessi. » Ex quo intelligitur, hunc morem a Gallia incepisse sub initium sæculi XVI. Certe in historia monasterii nostri Parisiensis, id est Sancti Germani a Pratis, apud Jacobum Brolium legitur, Leonem X Guillelmo Briçonetto episcopo Meldensis et Lutevensis civitatum, atque ejusdem monasterii abbati concessisse, ad spiritualem utilitatem utriusque diœcesis suæ, et suburbii Sancti Germani indigenarum atque adventantium, ut quicumque ad pulsum campanæ in aurora, meridie et post solis occasum, Salutationem Angelicam ter genibus flexis recitaret, mille et quingentos indulgentiarum dies singulis vicibus consequeretur. *Hæc sententia Mabillonii.*

S. Bonaventura propagavit hanc pietatis praxim,

16 *Adstipulantur Mabillonio sui sodales, qui in editione aucta Glossarii Cangii sic scribunt :* Hujus institutionem, quæ primum ad pulsationem ignitegii cœpit, S. Bonaventuræ acceptam referunt nonnulli; alii vero, quod verisimilius est, Joanni XXII PP. *Sed neutiquam illud verisimilius est, siquidem teste Waddingo in Annalibus Minorum ad annum* 1269 *num.* 4, *S. Bonaventura in comitiis generalibus sui Ordinis, Assisii celebratis, hac de re egit. En verba Waddingi (e) :* Addidit etiam ut universi Fratres hortarentur privatim, et publice docerent ex rostris fideles quosque ad triplicem campanæ pulsum sub imo vespere ter eamdem Virginem (*Deiparam*) salutare verbis angelicis; in ea enim erat cum aliis plerisque Doctoribus sententia, sub illa hora a Gabriele Archangelo divinum nuncium de concipiendo Verbo æterno recepisse : a quo tempore percrebuit hic mos in Ecclesia sancta, ut ubique terrarum in summa sit observantia. *Mitto asserta Beyerlinck, qui in Theatro vitæ humanæ (f) ad articulum* Cultus B. V. Mariæ *refert S. Bonaventuram in quadam concione coram Sixto PP. IV (qui tamen sæculo tardius sedit) effla-* F *gitasse licentiam hujus decreti promulgandi. Waddingi vero testimonio consona est narratio Octaviani a Martinis; qui, cum anno* 1475 *de Sancto Bonaventura Superis adscribendo ageretur, in sua*

(a) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 515. — (b) p. 57. — (c) Opusc. XXXIII, cap. III. — (d) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. V, præf. § 122. — (e) T. IV, p. 296. — (f) T. V, p. 230.

A *oratione, a decessoribus nostris ad* XIV *Julii* (*a*) *edita, sic profatur :* Idem etiam piissimus cultor gloriosæ Virginis Matris Jesu, instituit, ut fratres populum hortarentur ad salutandum eamdem signo campanæ, quod post Completorium datur : quod creditum sit, eamdem ea hora ab Angelo salutatam. *Quod testimonium palmam sane præripit Johanni XXI, dicto XXII, qui tantum* III *idus Octobris anno tertio sui pontificatus decem dies indulgentiarum concessit iis, qui vespere genibus flexis recitarent ad campanæ signum ter* Ave Maria, *pro more in diœcesi Sanctonensi servato, ut probat decretum, quod ad annum* 1318 (*b*) *exhibet Raynaldus, et anno* 1327 *eumdem morem Romam induxit, ut denuo producto instrumento certum fecit Raynaldus ad hunc annum* (*c*).

quam vel Gregorius IX vel Honorius III jam pridem probaverat,

17 *Verumtamen ipse S. Bonaventura potius propagator quam institutor sanctissimæ hujus devotionis dicendus est. De Gregorio enim nono, qui ab anno* 1227 *ad annum* 1241 *Supremus Pontifex exstitit, edidit Ciaconius* (*d*) *hoc assertum :* Instituit etiam universalem usum, et consuetudinem, quam servat Ecclesia Christiana, pulsandi campanas post occasum solis et orandi Deiparam Virginem earum

B signo. *Quod in adjectis notis* (*e*) *confirmat Andreas Victorellus his verbis :* Gregorium IX statuisse, ut ad sanctissimæ Eucharistiæ confectionem, et ad Salutationem Angelicam pulsarentur campanæ, scripsit post abbatem Uspergensem, Genebrardus lib. IV Chronographiæ. Honorio III (*ab anno* 1216 *ad* 1227 *Romæ sedenti*) hoc alii tribuunt. *Quæ citatio malefida est : quoniam in Chronico Genebrardi* (*f*) *tribuit ipse Genebardus hoc statutum Gregorio IX, addens tamen :* Alii istud statutum adscribunt Honorio tertio, ut abbas Urspergensis, *qui idem est ac Conradus de Lichtenaw, ab anno* 1215 *usque ad annum* 1240 *Urspergense seu Averspergense pedum adeptus. Atque ex his plane patet devotam hanc praxim integro sæculo vetustiorem esse quam arbitrati fuerant doctissimi Benedictini sodales; quin etiam cum Summi Pontifices soleant specialia pietatis exercitia potius invicta sua auctoritate confirmare quam in usum inducere, quis negabit facillime fieri potuisse ut jam paulo ante Honorium III aut Gregorium IX hæc devotio aliquot in locis viguerit?*

non vero Urbanus II.

C 18 *Verumtamen nequeo suffragari recentioribus quibusdam scriptoribus, ut Croiset* (*g*), *Butler* (*h*), *etc., qui, ubi de festo Annuntiationis B. M. V. agunt, referunt illius piæ praxis originem ad concilium Claromontanum anni* 1095. *Eis præivit Arnoldus Wion in Ligno Vitæ* (*i*) *et Ferreolus Locrius* (*k*) *et forte alii, qui me prætereunt. Arnoldus, qui primipilus mihi est, tradit campanula, quam sub brachio gestans Urbanus II pingitur, designari hanc institutionem, quandoquidem ipse* in Concilio Claromontano, ut a primo die quo exercitus Christianus terram sanctam recuperaturus discederet, vespere et mane, in omnibus orbis Christiani ecclesiis, tam cathedralibus, quam abbatialibus, utriusque sexus populus Christianus trino campanæ pulsu ad orationem excitaretur, statuit. *Miror multum, Wionem subjecisse sibi id ex concilio Claromontano innotuisse : equidem frustra volvo et pervolvo canones et scriptores, quos de hoc concilio consulere mihi licet. In Vita sane Urbani PP. II, a Ruinartio confecta et tomo II Operum posthumorum edita, hæc reperio* (*l*) : Quin et nonnulli Sanctum Antoninum laudant, referentem hoc a Pontifice in concilio (*Claromontano*) statutum fuisse, ut ab ipso die, quo exercitus esset profecturus in expeditionem, vespere et mane in omnibus ecclesiis cathedralibus et monasteriis signum trino campanæ pulsu daretur, quo excitarentur populi ad orationes pro felici expeditionis successu fundendas. Quod quidem institutum mori pulsandæ Salutationis Angelicæ, qui postmodum apud omnes invaluit, occasionem præbere potuit. *Verum infelix mea sors, nisi errantium infelicior sit : nihil ego apud Sanctum Antoninum invenio, quod ad rem faciat. Narrat quidem hic Sanctus* (*m*), *quod apud alios obvios itidem occurrit, suadente hoc Pontifice præscriptam fuisse recitationem horarum seu precum B. M. V., vulgo parvi Officii seu Cursus B. Mariæ nuncupati, et non diu ante a S. Petro Damiani in suum eremitorium inducti; verum prætera, in quantum novi, ne apicem quidem.* D

Male dicitur hæc praxis primum apud Tolosates obtinuisse.

19 *At quid sentiendum de asserto, quod superius ex Breviario Mirapicensi retulimus, videlicet hanc praxim obtinuisse in diœcesi Tolosana, priusquam alibi locorum cognita esset? Fateor mihi investiganti nihil occurrisse quod hanc sententiam stabiliat; immo La Faille, qui magnam vitæ suæ partem in perscrutandis Tolosanis monumentis atque charteriis egit, multum abest, quin dicat pervetustum esse hunc usum in pago Tolosano : sic enim loquitur in Annalibus civitatis Tolosæ ad annum* 1472 (*n*) : Precatio Ave Maria hoc anno instituta fuit. Summus Pontifex, efflagitante rege, trecentos indulgentiarum dies elargitur omnibus Christi fidelibus, qui, cum meridie ter pulsabitur campana, genibus flexis ter recitabunt Ave Maria, apprecantes Dei auxilium regi ejusque regno. Hanc Bullam secutum est edictum regium, et utrumque instrumentum in omnibus regni curiis ratum habitum est. *Ita gallice laudatus annalista Tolosanus; cui consentiunt plures historiographi Galli, ut P. Daniel* (*o*), *Mezeray in Vita Caroli VIII, etc. Attamen errant cum asserunt hoc tempore primum in Gallia institutum fuisse hoc precandi genus, ut infra videbimus.* E

Hujus praxis fata in Italia a sæculo XIII

20 *Atque hæc sufficerent fere, ut quis intelligeret quantæ suspicioni subjaceat locus ille ex lectionibus Mirapicensibus desumptus. Ast cum in præsenti argumento versemur, totam quæstionem dilucidari lectori ingratum non fore confido. Quocirca ut ab Italia incipiamus, superius jam cognovimus num.* 17 *ab Honorio III aut Gregorio IX vespertinos campanæ pulsus ad Salutationem Angelicam recitandam sæculo decimo tertio ineunte præscriptos fuisse. Quam religionem ut populus admitteret, S. Bonaventura quantum potuit sategit anno* 1269. *Verum cum gravis procella Ecclesiæ Romanæ ingrueret, et pius ille mos paulatim in Italia concideret, et in Galliam e contra mearet, Joannes XXII sæculo* XIV *ineunte eum in Italia restituere conatus est, concessis Indulgentiis in Urbe vulgandis. Quæ ut constent, non est quod citem Oldoinum in Additionibus ad Ciacconium, Marraccium in Pontificibus Marianis, aliosve : satis fuerit lectori in animum revocasse decretum concilii Senonensis num.* 14 *recitatum, et duplex Joannis XXII mandatum, cujus num.* 16 *ex Raynaldo memini. Verum hæc de vespertina tantum campanarum pulsatione.* F

usque ad iniens sæculum XVI;

21 *Anno autem* 1456 *fere ineunte,* apparente per

(*a*) Act. SS., t. II Julii, p. 826. — (*b*) Contin. Annal. Eccles. Baronii ad annum 1318, § LVIII. — (*c*) Ibid. ad annum 1327. § LIV.—(*d*) Hist. Pontif. Roman., t. II, col. 70.—(*e*) Ibid., col. 73. — (*f*) Lib. IV, p. 641. Edit. Lugdun. anni 1609. — (*g*) Tom. III, p. 397. Ed. Lugd. 1804. — (*h*) T. III, p. 303. Edit. Lovanii 1829. —(*i*) Part. II, p. 563.—(*k*) De Augusta Maria, lib. VII, cap. XVI.—(*l*) p. 228.— (*m*) Chronicor., part. II, tit. XVI, § XXIII, t. II, p. 593, Edit. Lugdun., 1586.—(*n*) p. 247.—(*o*) T. VIII, p. 415. Edit. 1742.

A per aliquot dies cometa crinito, et rubro, longa caudâ, cum mathematici (*indulgeantur talia horum temporum imperitiæ*) cum mathematici, *inquam*, ingentem pestem, caritatem annonæ, magnamque aliquam cladem futuram dicerent, ad avertendam iram Dei, Callixtus III aliquot dierum supplicationes decrevit, ut si quid hominibus immineret, totum id in Turcas Christiani nominis hostes converteret. Mandavit præterea, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis signum daretur fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas dimicabant. *Hæc Ciaconius* (*a*); *eademque confirmat Andreas Victorellus* (*b*). *Sed paulatim obsolevit hæc pia consuetudo : quocirca Alexander VI, paulo postquam ab imminenti vitæ periculo servatus fuisset,* non instituit, sed inolitam renovavit institutionem Callixti III, jussitque ad meridiem pulsari campanas, monendo populo, ut per recitationem Orationis Dominicæ aut Salutationis Angelicæ imploraretur Dei auxilium adversus Turcas, ac datum tunc principium hujusmodi pulsationi die decima nona Augusti anni 1500. *Hæc Oldoinus* (*c*) *et Ciaconius* (*d*); *quibus suffragatur testis oculatus, Joannes Burchardus, ceremoniarum*
B *magister, in Diario suo Curiæ Romanæ sub Alexandro VI Papa, quod ab Eccardo editum reperio in Corpore Historicorum Medii Ævi* (*e*). *Sufficiat illud de Italia specimen.*

et in Gallia a sæculo XIV, 22 *Jam ad Galliam si gradum facimus, nullum antiquius hujus pietatis exemplum occurrit, quam quod num.* 16 *secundum Raynaldum attulimus de diœcesi Sanctonensi. Secundum exemplum a nobis repertum est in versione Rationalis divini officii Guillelmi Durandi, quod Johannes Golenus* (Jehan Golein) *ab anno* 1372 *ad* 1374 *in gallicum idioma transferendum curavit, et nonnullis auctariis ampliavit. Hujusmodi auctarium est, quod cl. v. Paulinus Paris Historiæ MSS. Gallicorum Bibliothecæ regiæ Parisiensis* (*f*) *inseruit. Paucis præmitto annexam fabulam : in Germania scilicet quidam eques, mercatores spoliando assuetus, numquam omittebat ante somnum Salutationem Angelicam genibus flexis recitare : quæ pietas causa fuit, cur non item ac comes Matisconensis in infernum vivus abreptus est, sicuti declaravit ipse diabolus, qui ei humana forma inserviebat. Signo autem crucis abegit Carmelita dæmonem, corpore putrido humi relicto. Reliqua veram historiam sapiunt et verbotenus latine*
C *facienda sunt :* Eques ejusque conjux, pro Carmelitarum fratrum consilio, perrexerunt ad dominum Papam Clementem, Carpentorati degentem; quæ gesta fuerant ei narrarunt, bona sua pro Deo abdicavere, et devote pœnitentiam amplexi sunt. Tum Papa jussit, ut post completorium pulsaretur ad Ave Maria, et decem dies indulgentiarum concessit, omnibus qui in miraculi memoriam hanc precem recitarent. Postea Papa Johannes atque alii concesserunt similiter indulgentias, quæ tandem ad LXX dies ascenderunt. Hujus rei historia in tabula depicta fuit in maxima Avenionensi ecclesia, quæ Sanctæ Mariæ de donis sacra est. *Atque hæc ad annum circiter* 1314 *referenda videntur; quandoquidem Clemens V ultimis suæ vitæ temporibus* (*licet ibi diem non obierit, ut male ab uno biographorum asseritur,*) *Carpentorati versatus est. Nam, ut alia testimonia mittam, scribit Ptolomæus Lucensis* (*g*) : Eodem anno (1314) in kalendis Martii in Carpentorato, UBI CURIA TUNC ERAT, apparuerunt tres soles in Oriente naturales, *immo parhelion : verum, ut* D *ex biographis manifestum est, non diu ante illuc advenerat Clemens V, neque diu post illic vixit, utpote medio fere mense Aprili ejusdem anni e vivis sublatus. Tertium vero testimonium ex Statutis Synodalibus Trecorensibus anni* 1334 *petitur : sic quippe sonat statutum* LXVIII (*h*) : Item, præcipit dominus episcopus omnibus curatis diœcesis Trecorensis in virtute obedientiæ, quod de cetero pulsetur campana ter in suis ecclesiis ante ignitegium; et quod sit inter duas pulsationes spatium unius Ave Maria, et dat omnibus sic dicentibus decem dies indulgentiæ. *Quod autem hanc synodum anno* 1334 *attexam, causa est statutum* LXVI *collatum cum statuto* VII *alterius synodi, quod æque ac alterum apud Hyacinthum Mombricium* (*i*) *reperire est.*

quoad pertinet ad triplex 23 *Paulo post, anno* 1346 *eamdem consuetudinem ratam habuit synodus Senonensis, ut num.* 14 *ex Mabillonio retulimus. Quod confirmat Lobineau in Historia Parisiensi ad hunc annum* (*k*), *ubi omnia hujus synodi statuta exponit. Anno vero* 1369 *hoc non absimile decretum edidit synodus Biterrensis* (*l*) : Item, simili modo ordinatur quod de cætero in aurora diei pulsetur tribus ictibus cum batallo majoris campanæ, et quilibet audiens, cujusque E status fuerit, dicat ter Pater Noster et Ave Maria, et cuilibet dicenti, de Omnipotentis Dei auctoritate et nobis attributa, damus et concedimus XX dies indulgentiæ in remissionem suorum peccaminum; *at nihil ibi de precatione vespertina. De hac vero agit Simon episcopus Nannetensis, qui ab anno* 1366 *ad* 1381 *vel* 1382 *hanc sedem accupavit; inter ejus statuta a Martene edita, venit sequens quinto loco* (*m*) : Item, præcipimus, ut ipsi faciant hora consueta pulsari campanas in ecclesiis suis ad ignitegium, gallice *Couvrefeu* et præcipiant parochianis ad pulsationem hujusmodi dicere genibus flexis verbum Salutationis ab Angelo gloriosæ Mariæ : Ave Maria : et ex hoc lucrantur decem dies indulgentiæ. *Quo autem pacto synodus Vaurensis anno* 1368 *præceperit matutinum dari signum, videsis num.* 14 *hujus Commentarii.*

diei tempus, 24 *Superius jam dixi secundum Lafaille aliosque, de lege a Ludovico XI circa Salutationem Angelicam lata : quoniam vero plures historiographi Galli varie hac de lege loquantur, alii tum matutinum, tum meridianum, tum vespertinum signum tunc institutum dicentes, alii meridianum et vespertinum,* F *alii solum meridianum, ipsa verba latina faciam ex editione anni* 1518 *Maris Historiarum, quæ nuspiam a bibliographis signata mihi occurrit* (*n*) : Anno 1472, prima die mensis Maji celebrata est in templo Parisiensi (*scilicet cathedrali*) solemnissima supplicatio publica : eodem die Johannes Brete Turonensis, sacræ theologiæ doctor, inclytam orationem habuit, in qua inter alia declaravit, regem singulari fiducia prosequi Divam Virginem Mariam, atque adeo eumdem obtestari atque hortari bonos suos Parisienses cives, ut unusquisque ad meridianum signum, dandum magna memorati templi campana, genu flecteret, et Salutationem Angelicam pro regni pace recitaret. *Neque dissonat ab hoc narratu Gaguinus* (*o*). *Quas autem indulgentias Supremus Pontifex tum concesserit, videre est ad num.* 19, *ubi fidum testimonium Lafaille enuntiavi.*

usque ad sæculum XVI; 25 *Et quidem cum ex præcitatis pateat jam in una diœcesi mane, in alia vespere, in tertia meridie*

(*a*) Hist. Rom. Pont., t. II, col. 982. — (*b*) Ibid., col. 985. — (*c*) Ibid., t. III, col. 161. — (*d*) Ibid., col. 155. — (*e*) T. II, col. 2123. — (*f*) T. II, p. 67 et seqq. — (*g*) Baluze, Vit. Pap. Avenionens., t. I, col. 53. — (*h*) Mombrice, Mémoires de Bretagne, t. I, col. 1306. — (*i*) Ibid., col. 1371. — (*k*) Hist. de Paris, t. I, p. 600. — (*l*) Martene Thesaurus Anecdot., t. IV, col. 660. — (*m*) Ibid., col. 962. — (*n*) Mer des Histoires, t. IV, fol. vers. 251. — (*o*) Annal., lib. X, cap. IX, p. 261.

signum,

A *signum, quod nunc vocamus* Angelus *datum fuisse, facile fieri potuit, ut in quibusdam diœcesibus tria hæc darentur signa, etiam ante sæculi* XV *exitum. Verumtamen non audiendus est Stephanus Pasquier, qui in Disquisitionibus suis de Gallia* (*a*) *affirmat, reperiri in interrogatorio Joannæ, Viraginis Aurelianensis, eam coram judicibus anno* 1430 *aut* 1431 *hac de re sciscitantibus respondisse : vocem, qua duce sese agere asseverabat, sibi pridie ter innotuisse, mane videlicet, meridie, et vespere cum campana ad Salutationem Angelicam recitandam invitaret. Equidem nihil tale inveni in opusculo G. Goerres de Joanna Arcensi, nihil in tomo III Notitiæ Bibliothecæ regiæ, in quo totus processus recensetur; verum in majori Historia Joannæ Arcensis, quinque tomis comprehensa, (quæ nunc præ manibus mihi non est,) certo memini me legisse ipsissima Joannæ verba, desumpta ex processibus, Lutetiæ Parisiorum asservatis, quibus luculenter constat Viraginem unius tantum pulsationis campanæ mentionem fecisse. Verumtamen in Normanniæ tractu triplex campanæ pulsatio satis antiqua sit oportet, siquidem ad n.* 5, *capitis* de populi officio *sic loquitur Claudius episcopus Ebroicensis in statutis synodalibus Ebroi-*
B *censibus anno* 1576 *promulgatis* (*b*) : Præterea cum Gallorum Annales recitent, difficilioribus temporibus instituisse majores nostros, ut ad sonitum campanæ in ortu solis, meridie et occasu admoneretur populus, quocumque in opere esset, singulariter orare ad opem Dei implorandam, volumus illum morem per hæreses et pietatis incuriam multis locis intermissum renovari et retineri : præsertim publica calamitate nos ad in impellente. *Hæc ex Conciliis provinciæ Rothomagensis : in quo opere aliquot alia reperire est statuta circa præsens argumentum, ad sæculum* XIV, XV, XVI *pertinentia, et ex quibus luculenter patet, quanta fuerit in hac re varietas variis temporibus et variis in diœcesibus. Memorata vero sufficiunt, ut quis videat quantopere restringenda sint ad particularia loca, quæ Mabillonius* (*vide num.* 15) *hoc super negotio collegit. Ad Germaniam jam stylum convertamus.*

similiter in Germania a sæculo XIV *usque ad recentiora tempora.*

26 *Primum statutum ad Germaniam pertinens, quod mihi hac super re cognitum sit, conditum est anno* 1331 *in concilio Wratislaviensi, jubetque* (*c*) *in omnibus diœcesis ecclesiis* jugiter de vespere circa crepusculum, omni die de cætero tribus vici-
C bus ad unam partem brevibus intervallis campanam pulsari, ut omnes et singuli Christi fideles ad campanæ sonitum, flexis genibus gratiam matris gratiæ invocantes et AVE MARIA dicentes pro bono statu Ecclesiæ et pace terrarum nostrarum deprecentur : *quod facientibus quadraginta dies indulgentiarum conceduntur. Secundum decretum latum est in synodo Eystettensi anno* 1354 *et a superiori prorsus diversum est : in eo quippe præcipitur* (*d*) singulis diebus in sacro tribus vicibus in omnibus ecclesiis parochialibus fieri campanæ unius sonitum et tunc tam a Clero, quam a populo ad minus unum PATER NOSTER et unum AVE MARIA pro bono statu ecclesiæ Eystettensis flexis genibus cum devotione dici. *Anno* 1416 *renovavit Wenceslaus, episcopus Wratislaviensis, indulgentias olim datas, jussitque fideles omnes mane et vespere pulsu campanæ invitari ad unum* PATER NOSTER *et tria* AVE MARIA *recitanda* (*e*). *Moguntiæ quoque fiebat hæc precatio mane ad ortum solis et quadraginta dierum indulgentia proponebatur, ut liquet ex capite* II *concilii Moguntini, anno* 1423 *celebrati* (*f*); *qua occasione* D *hortatus est Conradus, archiepiscopus Moguntinus, suffraganeos suos ad similes indulgentias his suis superaddendas. Eodem anno prorsus simile decretum* (*g*) *promulgavit Theodoricus, archiepiscopus Coloniensis, in concilio habito in sua Metropoli. Anno autem* 1491 *Henricus III, Bambergensis præsul, sub titulo* LVIII *synodalium statutorum suorum* (*h*), *legem tulit, qua, propositis quadraginta diebus indulgentiarum, ad trinam Salutationem Angelicam mane et vespere invitarentur fideles. Semisæculo tardius, anno scilicet* 1549, *Erasmus, Argentinensis episcopus, inseruit synodalibus decretis cap.* XXI *statutum* (*i*), *quo mane et vespere quoque hæ præcipiebantur preces :* Gloria tibi Domine; Ave Maria gratia, *etc. cum oratione :* Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, *etc. Medio autem sæculo* XVI *vulgaris jam erat in Germania hic usus mane et vespere salutandi Deiparam, ut liquet ex opere de Maria Deipara Virgine* (*k*) *P. Canisii, hoc ut vetus et commune institutum laudantis. In synodo vero Brixiensi anni* 1603 *ter de die obeundum commendatur hoc pietatis exercitium* (*l*); *item in synodo Pragensi* (*m*) *anni* 1605, *ubi hodiernæ orationes tanquam ex prisco Ecclesiæ usu plane proponuntur; itemque* E *in synodo Constantiensi* (*n*) *anni* 1609. *Quid vero sequentibus temporibus in aliis pluribus diœcesibus ordinatum sit prætermittimus, quoniam vulgaris jam ubique fere vigebat usus. Verno tempore anni* 1842 *concessit Borussiæ rex, ut denuo pulsarentur campanæ ad hanc pietatem indicandam.*

Pauca de hac praxi generatim notantur,

27 *Ne vero latius excrescat hæc digressio, cæteras mittimus regiones, satis ducentes paucis dixisse quo circiter ordine hæc in Divam Mariam religio ad præsentem statum surrexerit in præcipuis Europæ partibus. Coronidis tantum loco tres adjicimus notulas; quarum prima est, absque dubio verba, quæ in Vita S. P. Ignatii, a Ribadeneira conscripta, occurrunt, et quibus asseritur hunc Sanctum hujus piæ praxis in patria sua institutorem fuisse, eodem modo debere intelligi quo illa, quibus S. Bonaventura eamdem praxim traditur instituisse; anno enim* 1322 *capitulum Vicense in Catalaunia statuit, ut sub vesperam pulsaretur campana, qua cuncti excitarentur ad recitandum flexis genibus unum* AVE Maria pro salute ac pace animorum et corporum, ac fertilitate, et conservatione fructuum terræ (*o*). *Secunda est die* XIV *Septembris anni* 1724 *a Benedicto PP. XIII indulgentias, quas hodie cuilibet Chri-*
F *stiano lucrari licet, concessas fuisse; et tertia demum, pluribus in locis, Germaniæ potissimum, jam dudum distinctum a reliquis exstitisse vespertinum signum, quo Christi fideles ad preces pro refrigerio animarum purgantium fundendas excitabantur. Atque hæc jam pridem totumque de S.* Gauderico *Commentarium absolveram, cum in memoriam subiit, R. D. Antonium Binterim solita sua accuratione et sagacitate in primario suo opere de memorabilibus Ecclesiæ catholicæ* (*p*) *hunc Marianæ pietatis ritum, præmisso commentario de Salutatione Angelica, examinasse. Verumtamen cum hæc mea dissertatio in nonnullis a laudato commentario differat, et illa altera germanice scripta sit, neque proin facile ab omnibus intelligi queat, lectorem boni consulturum esse duxi, si has disquisitiones, quæ nihil debent præfato operi, non supprimerem.*

et fit conjectura de miraculo, attributo S. Gauderico.

28 *Jam vero ut ad miraculum S.* Gauderico *attributum redeamus, ipsum prodigium negare neque audeo,*

(*a*) Recherches sur la France, lib. IV, p. 392. — (*b*) Conc. Provinc. Rothomagensis, t. II, p. 392. — (*c*) Hartzheim Concil. Germ., t. IV, p. 317. — (*d*) Ibid., t. IV, p. 377. — (*e*) Ibid., t. V, p. 160. — (*f*) Ibid., t. V, p. 209. — (*g*) Ibid., t. V, p. 221. — (*h*) Ibid., t. V, p. 631. — (*i*) Ibid., t. VI, p. 499. — (*k*) Lib. III, cap. II, p. 245. Edit. 1577. — (*l*) Ibid., t. VIII, p. 565. — (*m*) Ibid., p. 741. — (*n*) Ibid., p. 909. — (*o*) Villanueva, Viage, t. VI, p. 97. — (*p*) Denkwürdigk. der katolish. Kirche, t. VII, part. I, p. 129.

A *audeo, neque placet; sed prædicta adjuncta in perversum detorta mihi videntur. Opinor quippe S.* Gauderico *pro debita sua pietate in Deiparam morem fuisse eam genibus flexis orandi, quotiescumque campana ad convocandum populum in templum pulsaretur, atque sibi non liceret vacare ab opere. Verum ejus oratio non videtur fuisse Angelica Salutatio, utpote nondum in usu apud Latinos satis posita; neque oratio* Salve Regina, *quam sæculo tantum decimo prodiisse in confesso est, licet de auctoris nomine et conditione nonnihil ambigatur* (a). *Circa hanc autem quam exposui sententiam notari potest, nihil in ea esse ab usu absonum, cum plurimi etiamnum probe Christiani, sonantibus campanis, cor ad Deum ejusque matrem convertant. Cæterum facile admittendum videtur S.* Gaudericum *præcipua secundum Deum pietate coluisse sanctissimam ejus Matrem; quandoquidem tradunt ejus biographi Deiparam, ut jam in terris famulatum servi sui compensaret, ei morienti apparuisse; qua visione recreatus, exhibebatur S.* Gaudericus *in tabula picta Canigonensi.*

§ III. De translatione Reliquiarum, miraculis et cultu S. Gauderici.

B

Hic Sanctus, anno circiter 900 *mortuus, miraculis claret,*

De *reliquis S.* Gauderici *gestis, nihil est quod commentario indigeat, aut magis definiri possit. Solum ex lectionibus a Tamayo editis eruitur, eum* die XVI Octobris circa annum Domini 900 obdormivisse in Domino; *eamdemque sententiam in Martyrologio suo universali amplexus est Claudius Chastelain. Quæ vero S.* Gauderici *mortem secuta sunt sic enucleare studebimus, ut integras lectiones Mirapicenses, quæ die* XV *Julii in festo translationis recitantur, immisceamus. Porro sic inchoatur lectio quarta :* Cum Gaudericus, sanctitatis fama ubique clarus, immaculatum Deo spiritum reddidisset, effusa ex vicinis pagis hominum multitudo, sacrum illius corpus veneratura, ad ejus exequias convenit : quibus ex more Christiano honorifice persolutis, illatus fuit in commune sepulcrum, effossum in cœmeterio ecclesiæ oppiduli (*seu potius vici, olim* Viéville, *ut ad nos scripsit cl. v. Puiggari, nuncupati et* 42 *focos ante sexaginta annos capientis*), quod nunc a Sancto, illius olim indigena,

C San-Gaudericum vocatur. Sed qui humiles semper erigit Deus, et glorificantes se glorificat, non est diu passus, servi sui corpus minus honorifice jacere. Tot enim ex illius tumulo prodiere miracula, ut iis excitati fideles, vicinarum ecclesiarum convocatis presbyteris, ex obscuro loco sacra lipsana, suavissimo odore fragrantia, extraxerint, quæ in proxima ecclesia summa veneratione collocarunt. *Nihil hac de re apud Domenec reperire est; sed ait :* Devotus populus ædificavit templum, ejus insigniendum nomine, supra ejus sepulcro, ad quod usque in præsentem diem in honorem sui servi magna patrat miracula Deus.

et beatificatur forte in concilio Narbonensi;

30 *Et quidem nonnihil ab his lectionibus discedere non ambigo, quoniam multo verisimilius arbitror S.* Gaudericum *e terra levatum fuisse, cum ad concilium provinciale Narbonense sacræ ejus Reliquiæ delatæ fuerunt. Cujus sententiæ ratio est tum facinus presbyterorum, quorum non est neque fuit venerabiles viros beatificare, tum quod id Narbonense concilium, certe ante annum* 1014 *habitum,* (*hoc enim anno Canigonem translatæ fuerunt S.* Gauderici *Reliquiæ,*) *eodem fere tempore celebratum* D *sit oportet, quo beatificatio illa facta supponitur. Sentio itaque S.* Gaudericum *exhumatum fuisse a presbyteris, et ab iisdem inter populi gaudia ad Narbonensem synodum delatum; ubi continuo Beatorum catalogo adscriptus, cum reliquis Sanctis, quorum allata fuerant corpora, in grandi honore habitus est. In lectione vero Mirapicensi sexta sic exponitur illa solemnitas :* Longius latiusque diffusum est Gauderici nomen, sequenti miraculo : ad concilium provinciale suffraganeos episcopos convocaverat archiepiscopus Narbonensis. Et ut mos illius ætatis erat, deferebant secum episcopi, quas in sua diœcesi illustres habebant Sanctorum Reliquias : quo, ex illarum præsentia sacrato cœtui reverentia cresceret; et ad divinum lumen, inter ecclesiastica tractanda negotia promerendum, tanti patroni suffragarentur. Adfuit concilio episcopus Tolosanus : qui omnium ore celebrata Gauderici sanctitate permotus, eo venerandas illius Reliquias deduci curavit. Arenti ac siticuloso solo positus erat locus, in quo cogebatur synodus : et cum ad eum maxima hominum multitudo convenisset, brevi aquæ penuria laboratum est. Quod advertentes epi-

E scopi, ut tanto malo remedium facerent, ad Deum confugere, et apud illum Sanctos precatores adhibere statuunt. Quare supplicationes decernunt, in quibus una cum aliorum Sanctorum Reliquiis solemni pompa sacra lipsana Gauderici efferuntur. Cujus opem dum illustrissimi antistites cum venerando clero conceptis precibus poscerent, repente sub Sancti Confessoris Reliquiarum ferculo, largis et perennibus aquis fons scatere visus est.

quod in suburbio Narbonensi

31 *Idem narrat prodigium Vincentius Domenec, omittens tamen aliquot hujus celebritatis adjuncta : sed contra indicat fere locum in quo coacta fuit synodus. Ex hispanico idiomate ejus verba latina facio :* Priusquam Sancti Gauderici corpus delatum fuisset in Hispaniam (*in Ruscinonem, quæ nunc Galliæ est*) contigit ut archiepiscopus Narbonensis jusserit fieri synodum in loco, qui vocatur CENTUM ARBORES, et in quem delata fuerant plurima sancta corpora, quæ inter corpus S. Gauderici. *Similia habet Reginaldus Poc. Jam vero quale hoc concilium sit investigandum est. Equidem fateor in eo determinando anxium me esse, veritatisne an erroris vestigia relegam : en tamen mea conjectura, suis rationibus stipata. Inter instrumenta Ecclesiæ Nar-*

F *bonensis, quæ in Gallia Christiana leguntur, occurrit* (b) *donatio Arnusti archiepiscopi Narbonensis anno* 911 *facta ecclesiæ S. Pauli Narbonensis, quæ sic incipit :* In nomine Domini, ego Arnustus Sanctæ Narbonensis Ecclesiæ humilis archipræsul, pro remedio animæ meæ et æterna retributione, dono ad ecclesiam Sancti Pauli, Confessoris Christi, cujus ecclesia sita vel fundata est in loco, uti vocabulum est AD ALBOLAS, trans pontem prope Narbone civitate. . . dono atque concedo ad præfatam ecclesiam Sancti Pauli in pago Narbonense infra terminio de villa, quæ vocatur Biciano, omnem alaudem, quæ mihi advenit. . . .

anno circiter 990 *habitum est.*

32 *At locus quem latine* CENTUM ARBORES *dixi, apud Domenec hispanice audit* CIEN ARBOLES; *et quoniam appositum* Cien *facile omitti aut addi potuit in usu, prorsus proclivis sum ad affirmandum locum* ad Albolas *eumdem esse ac illum, quem Domenec* Cien Arboles *nuncupat. Jam vero nullum concilium Narbonense occurrit, in quo nomina præsulum et temporis notæ minus præsenti argumento repugnant, quam concilium anno circiter* 990

(a) Perez Bayer Biblioth. Hispan. Vetus, t. I, p. 517. — (b) T. VI, col. 14.

A *celebratum* (*a*), *et in quo adfuit episcopus Tolosanus, ab aliis multis, ut in veterum instrumentorum collectionibus videre est, frequenter absens. Hujus concilii locus non signatur; sed cum sæpius in templo Narbonensi S. Pauli sacræ synodi habitæ sint, et cæteræ, quibus his temporibus interfuit episcopus Tolosanus, alii loco alligentur, quid superest quam ut hunc sanctum cœtum seligamus e multis? Cæterum, si quis archivio Narbonensi aliisve rarioribus monumentis utitur, divinet ipse melius. Spes tamen mihi est me proxime calcasse veritatis vestigia.*

Sacrilegi latrones, S. Gauderico *interveniente, plectuntur.*

33 *Secundum expositam chronotaxim, huic loco inserenda est res mira satis, quæ in quinta lectione Mirapicensi sic narratur :* Crescebat in dies cultus, et observantia populi erga Gaudericum; ad quam continuis a Deo illius intercessione acceptis beneficiis ferebatur, eaque erat omnium in Sanctum Confessorem fiducia, ut securos se, suaque omnia in tuto existimarent, dummodo sub ipsius tutela forent. Nec spes eos umquam fefellit. Ex optimatibus Provinciæ homo perditus milites in ecclesiam Sancti Gauderici immisit, ut ausu sacrilego per vim abstraherent quæcumque in ea veluti in certissimo

B rerum suarum perfugio rustici complures reposuerant. Ingenti onusti præda vix e conspectu ecclesiæ abierant latrones, cum sacrilegos divina ultio, Sancto suo illatam injuriam vindicans, insequitur. Excitata siquidem inter eos seditione, omnes mutuis concidere vulneribus : ita ut ne unus quidem remanserit, qui spoliatos rusticos prohiberet, quin ablata reciperent. Et mox tanti sceleris auctor, pudenda perculsus lepra, inter horrendos corporis cruciatus sacrilegam animam evomuit. *Narrat Domenec idem factum, paucis tantum adjectis : sic de viro præpotente, de quo hic est sermo, ait :* Erat in partibus Tolosanis princeps, apprime malus, et quantum genere nobilis, tantum moribus vilis. *Qui an fuerit Guillelmus comes Tolosanus, dictus* Taliafer, *ambigo multum : etenim unus frater tantum ei adscribitur aut cognoscitur; in præsenti vero argumento occurrunt duo, quos princeps iste, ut habet Domenec, cum latronibus in templum S.* Gauderici *immiserat, et quorum unus, in prædicta seditione ictu lanceæ guttur vulneratus, misere exspiravit. Quoniam vero inde intelligi possunt quæ brevi de Reliquiarum furto attexemus, signentur oportet hæc sequentia, quæ latina facio,*

C *Domeneci verba :* Perrexerunt itaque hi sceleris administri ad S. Gauderici templum, non ad orandum, sed ad furandum, et, nemine eis resistente, destruxerunt domos, et diripuerunt quæcumque in eis invenire erat, et postquam SANCTI TEMPLUM PRO SUO LIBITU VASTASSENT, ad dominum suum cum præda redire cœperunt.

Non Mirapicio.

34 *Nunc vero dicendum jam est de ipsarum Reliquiarum furto, quod permultis in scriptis variis semper cum adjunctis et incredibilibus fere miraculis memoratur. En quid de eo narretur in lectione quarta Mirapicensi; quod unum ex hoc lectionario recitandum supererat :* Unde (*ex templo S.* Gauderici) Mirapicium translata in ecclesiam Sancti Mauritii, lapideo sepulcro, quod etiamnum exstat, fuere condita. Inde pars modica cum pio furto sublata in monasterium Sancti Martini de Canigon diœcesis Elnensis fuisset illata, ex eo tempore, quod ex sacro corpore superest, securiori loco in ecclesia cathedrali Mirapicensi intra thecam argenteam asservatur. *Verum hæc probare non possumus; quoniam anno* 1014, *quo Canigonem jam delatæ erant,* D *ut inferius liquebit, S.* Gauderici *Reliquiæ, nondum exstitisse videtur S. Mauricii Mirapicensis ecclesia. Cum enim hæc usque ad sæculum* XIV, *quo Joannes PP. XXII Mirapicii sedem episcopalem erexit, prioratus Benedictinus fuerit, mirum esset omnino, si ineunte sæculo* XI *exstitisset, nullam de ea mentionem fieri in Mabillonii Annalibus et Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ usque ad sæculum* XII *deducta sunt : porro in indicibus utriusque hujus operis nullum invenire est verbum de hoc Mirapicensi cœnobio. La Martinière autem, d'Expilly, Moreri, Vaissette in opere geographico de Francia, Beaunier in Collectione episcopatuum et abbatiarum Franciæ, Galliæ Christianæ scriptores, etc., integrum prorsus relinquunt hoc dubium. Donec itaque contrarium probetur, (quod difficulter fieri posse autumo, quoniam ex Benedictinis Occitaniæ Historiographis, intelligo monumenta Mirapicensia hujus ævi et præcedentium temporum deperdita esse,) tamquam verisimilius admittemus S.* Gauderici *Reliquias, in lapidea theca aut sepulcro positas, tantum post annum* 1014 *Mirapicium translatas fuisse.*

E *Canigonem deferuntur S.* Gauderici *Reliquiæ,*

35 *Audiatur porro sæpius jam memoratus Domenec; iterum quæ ille hispanice habet in latinum idioma convertimus :* Anno Domini 1014 Guifredus comes Cerdaniæ, filius Domini Olibæ Cabretæ, comitis de Besalu, cum ædificasset monasterium de Canigon, Ordinis Sancti Benedicti, atque illud ingentibus divitiis ornasset, emisit duos viros qui sacras inquirerent Reliquias, ut eis, sicubi forte invenirent, novum templum honestarctur. *His concordat in plurimis Chronicum breve Canigonense, quod in Miscellaneis Baluzii* (*b*) *ita sonat :* Anno Domini millesimo primo, æra MXXXIX, anno VI Rodberti regis, indictione XIV, Guifredus comes cœpit ædificare monasterium Sancti Martini Canigonensis. Anno Domini MXIV electus fuit in primum abbatem Selva, monachus Sancti Michaelis Coxanensis. Eodem anno delatæ fuerunt Reliquiæ Sancti Gauderici Confessoris e finibus Tolosæ. *Cætera quæ potius ad monasterium quam ad S.* Gaudericum *pertinent mittimus, monentes tamen in Marca Hispanica plurima esse instrumenta optimæ notæ, quæ tum ad Guifredum, deinde monachum factum, tum ad monasterii exordia pertinent. Hieronymus Pujades præterea* (*c*) *integrum commentarium de his exordiis texuit; idemque fecit Gregorius de*

F *Argaiz* (*d*). *Ipsum vero montem Canigonem, quem sic ob continuæ nivis albedinem dictum volunt, descripsit Emmanuel Marcillo* (*e*). *Scripsit integrum quoque caput memoratus Hieronymus Pujades de furto Reliquiarum S.* Gauderici, *cui patrando non duos, sed plures viros adhibitos fuisse tradit;* quos crederem, *scribit ipse eique consentio,* monachos fuisse monasterii Sancti Martini de Canigon, stipatos a quibusdam laicis viris honestioris loci. *Hoc enim tempore in dubium vocabatur liceretne furari sacras Reliquias; et plurimi, potissimum qui Sanctorum desiderabant corpora, opus pium esse affirmabant tale furtum. Cæterum notum est sæpissime id factum esse hoc ævo. Cfr Hieronymum Pujades* (*f*) *de furto corporum SS. Eulaliæ et Julittæ, Elenam translatorum et Benedictum XIV* (*g*) *de universo hoc argumento agentem, pluraque proferentem specimina.*

36 *Sic vero dein pergit Domenecus :* Dicti legati secundum Domini sui mandatum venerunt Tolosam, (*intellige* agrum Tolosanum, *qua in re*

sed e vico S. Gauderici, *ubi male servabantur, sublatæ fuerunt;*

(*a*) Labbe Conc. t. IX. col. 742.—(*b*) T. I, p. 190. Edit. Mansi. — (*c*) T. VII, p. 360. Chron. Univers. del Principado de Cataluña. — (*d*) Perla de Cataluña, p. 362. — (*e*) Crisis de Cataluña, p. 26. — (*f*) Chron. Univ. de Cataluña, t. VII, p. 371. — (*g*) De Canoniz. SS., lib. IV, part. II, cap. XXV.

Pujades

A *Pujades continuo errat*), et hic et illic inspicientes ecclesias, diligenter inquisierunt locum, ubi invenire possent sacra corpora, et oportunitatem ea rapiendi. Cum autem animadvertissent templum, in quo S. Gauderici corpus jacebat, omnium patrando furto facillimum esse, quoniam parietes usque ad fundamenta destructi essent, (*certe ob cladem quam num.* 33 *retulimus,*) valvæ non obseratæ, et omnis custodiæ absentia liberum aditum sterneret, exsultaverunt ingenti gaudio, quod læta sibi adesset occasio tanti thesauri adipiscendi; et inter altissima noctis silentia accesserunt ad locum, ubi Sancti Confessoris exuviæ quiescebant. Tunc Deus operatus est magnum prodigium : nam cum Sancti corpus ex sepulcro tollere conarentur, sepulcrum movere nequaquam potuerunt, nec quidquam ex eo rumpere. Miraculum grande, quo Deus ostendit, quanto honore velit servos suos haberi ab hominibus! Illi stupentes, et quid agerent inscii, Dei benignitatem invocare cœperunt, et votum fecerunt Sancto Gauderico his verbis : Gloriose Sancte Gauderice, si per te nobis liceat sanctum tuum corpus efferre, pollicemur tibi nos te laturos esse in locum, in quo magnopere honoraberis.

B Quibus persolutis precibus, reversi sunt ad sepulcrum, quod facile aperuerunt; et quanta poterant pietate sacra ossa tollentes, posuerunt ea in thecis, quas ad id paratas habebant, tantoque thesauro gaudentes in viam se dederunt ad regionem suam. *Idem miraculum iisdem fere verbis narrat Pujades, qui in sequentibus ex Domeneco desumptis nonnihil discors est.*

pars tamen remanet;

37 Iter itaque suum rexerunt Hispaniam versus, et venientes tandem ad locum ubi magnus erat saltus quieverunt aliquantulum; sed interea ipsis non advertentibus ventus abstulit particulam sacri corporis. *Pujades narrat ipsos id advertisse, sed præventi aut potius turbinis vehementia retinere non potuisse abreptum os. Verum hic multa incredibilia sunt; nam ut alia taceam, certum est potiorem partem furatos non fuisse Canigonenses. Etenim Simon Peyronnet sic in suo Catalogo Sanctorum* (*a*) *de S.* Gauderici *Reliquiis loquitur :* Sacra illius lipsana servantur in sacello ecclesiæ cathedralis S. Mauritii Mirapicensis; ejus tamen sacrum caput cum ejusdem Sancti quibusdam Reliquiis, visitur in ecclesia abbatiali S. Martini de Canigon in episcopatu Elnensi; *et Beaunier* (*c*) *magnifice*

C *quoque loquitur de Reliquiis S.* Gauderici *Mirapicensibus, siquidem ait in templo cathedrali* nihil aliud insigne occurrere præter sepulcrum et Reliquias S. Gauderici pastoris, *et vasa quædam argentea et tapetas. Pergit autem Domenecus in narrando his verbis :* Creditur id factum fuisse ex divinæ Providentiæ lege, ne primi Reliquiarum possessores omnino iis privarentur, licet eas ob suam negligentiam jure merito amisissent : *cujus sententiæ paucos fautores inter Theologos reperiet.*

in itinere sanatur paralytica et fur plectitur.

38 *Ast sic pergit :* Jam vero sacerdos templi, unde Reliquias absumpserant, (*thesaurarium aut S.* Gauderici *corporis custodem dicit Pujades*) ex revelatione rescivit quo pacto ablata fuissent sacra lipsana, et ubi eorum particula remansisset. Quocirca propere tetendit ad locum, ubi hæc particula sacri corporis jacebat, eamque multa veneratione ad suum reportavit templum, in quo placuit Deo multa elargiri beneficia Sancti intercessionem implorantibus. Qui vero sacrum corpus ferebant, venerunt tandem, velociter absoluto itinere, ad Confluentem, terram Catalauniæ, et ingressi sunt in locum, qui Vinça inibi dicitur; illic autem recepit D eos benigne mulier in sua domo, cibum et potum eis apposuit, eosque dein anxie interrogavit de causa eorum itineris. Illi autem cum præ gaudio animi sui compotes non essent, quod omni periculo vacarent, quid actum esset narraverunt, eique commendaverunt sacras Reliquias. Quocirca mulier eas inclusit arca; sed cum in lectulis suis jacerent emissarii, puella a nativitatis hora paralytica, quæ in hac versabatur domo, humi prorepsit media circiter nocte ad locum ubi sacræ exuviæ repositæ erant, et ante eas vigilans Deo supplicabat, ut ei placeret rectam sibi dari valetudinem, S. Gauderico intercedente. Oratione finita, nervi, qui diu contracti fuerant, extendi cœperunt, et puella sana permansit, immensas Deo et Sancto Gauderico agens gratias. Quando autem hera hoc cognovit, stupuit, et quanto poterat secreto sustulit audacter Reliquiarum particulam, eamque sibi retinuit, insciis bajulis. Sed Dei ultio tantam temeritatem non deseruit. Ex pyxide quippe, in qua particulam illam reconderat, tanta flamma exivit, ut combusserit quidquid maximi pretii haberet, et maximi faceret; neque destitit divina vindicta, nisi cum brevi post ipsa fur ejusque filii, (ex quibus nonnulli, quod E perniciosissimum est, subita morte,) supremum diem obiissent. *Atque hæc est ratio, ait Pujades, cur templum, quod in Vinça est, costam S.* Gauderici *nunc habet.*

In monasterio Canigonensi tandem recipitur sacrum pignus;

39 Interea, *pergit Domenec,* sacri corporis bajuli citis pedibus pergebant ad monasterium; et cum corum adventum cognovit abbas, gavisus est valde, et quosdam emisit monachos, qui manibus suis venerabundi asportarent sacrum thesaurum, donec ab iis et a reliquis digne reciperetur. Cum vero adessent, exivit supplicantium monachorum agmen, cum crucibus, accensis cereis, et cum debito apparatu, inter psalmos hymnosque; et cum hac pompa et ingenti populi concursu deposita fuerunt sacra pignora ad latus altaris Sancti Martini de Canigon. Istic vero omnipotens Deus, intercedente suo servo, magna miracula edidit, visum elargiendo cæcis, auditum surdis, gressum claudis, loquelam mutis, et vires restituendo infirmis, qui a remotissimis partibus, moti magna spe eas recipiendi, accurrebant. *Ne vero quis hanc solemnitatem æstimet majorem quam reapse fuit, juverit pauca de hoc monasterio, sexcentis circiter metris ab ipso monte, proprie Canigone dicto, distante* (*ita exhibent tabulæ geographicæ Cassini*), *ex Beaunier in medium afferre :* Hæc abbatia sita est in Confluente; undique Pyrenæis montibus circumdatur, rivo Tec adjacet, et abbatiæ S. Michaelis de Coxan vicina est. Integra hora rependum est in alto monte, tetram per solitudinem, antequam ad claustra devenias. Locus, in quo abbatia condita est, adeo exiguus est, ut ne horto quidem spatium sit. Omnia regularia loca et templum angusta sunt valde. *Sic Beaunier* (*c*). *Similem fere descriptionem invenio in epistola D. Puiggari* (*vide numm.* 3 *et* 4 *hujus Commentarii*).

F

cujus ope anno 1015 *impetratur pluvia, et aurium sanitas.*

40 *Quædam dein cœlestia beneficia ex Canigonensi MS. codice subjungit Domenec :* Integer annus, *inquit,* nondum elapsus erat ex quo in Hispania sacrum pignus servabatur, cum tanta siccitas obtinuit, ut terra humore deficiente nuda esset herbis et floribus, fluvii vix fluerent, et camporum fructus perditi haberentur. In tantis angustiis positus, venit ad monasterium populus, et petiit ut Beati corpus in certum deferretur locum, quo undique supplicantium agmina adventarent,

(*a*) p. 300. — (*b*) Recueil des archevêchés, etc., t. II, 870. — (*c*) Ibid., p. 54.

pluviæ

A pluviæ implorandæ gratia. Annuentibus monachis, delatum est in condictum locum sacrum pignus, eoque alia Sanctorum corpora portata sunt. Verumtamen statutum est ut Sancti Gaudcrici Reliquiæ in templum S. Petri de Prada ferrentur, quo magis inibi essent securæ. Verum ne medium quidem iter perfecerant bajuli, cum sibi ob nimium pondus visi sunt longius progredi non posse. Qua de re cuncti obstupescentes feretrum posuerunt, jubente venerabili abbate, et orationi continuo vacantes precum suarum successum præstolati sunt. Vix autem oraverant, cum advenit pauperculus misera ducens suspiria, et humi procumbens ante Sanctum; dum vero funderet preces, viderunt omnes sanguinem ex ejus auribus erumpentem; sed cum surrexit multo alacrior, audiverunt cum dicentem, se per Dei misericordiam et Sancti Gaudcrici intercessionem salvum factum esse ab aurium dolore, quo jam pridem torquebatur; ita ut videretur S. Gaudericus se immobilem præstitisse, ut illud patraret miraculum. Præterea extemplo potuerunt facillime multoque cum gaudio sacra ejus lipsana ad memoratum templum deferre; unde ea portaverunt die Dominicæ Ascensionis in mona-
B sterium S. Michaelis de Coxan, ubi multo cum honore recepta sunt. Postremo relata sunt in Canigonem, comitantibus aliquot prædicti monasterii religiosis viris et sequente multo populo. Et sic quidem Deo placuit, intercedente ejus servo, abundantem largiri pluviam.

Postquam aliquandiu in ecclesia S. Petri servatum fuisset, et cum jam Canigonem referretur, plura fiunt miracula.

41 *Oportet vero ut priusquam in monasterium S. Michaelis deferretur, diu jacuerit in templo S. Petri aut alio tempore iterum eo delatum sit, seu in aliud templum, quod S. Petro quoque patrono gaudet, nam in tomo II Historiæ Occitaniæ inter probat. occurrit charta, qua* Poncius Guillelmus et ejus filia Aladaiz *circa annum* 1107 donant Domino Deo et S. Joanni Baptistæ monasterii Vallis-Sigerii et ad Petrum abbatem.... omnia quæ interpellabant.... in omni territorio sive in parochia S. Petri, ubi corpus Sancti Goderici jacere dicitur.... *Domenec autem narrationem suam continuat hujusmodi verbis :* Alio tempore cum præ siccitate quoque laboraretur, plurimi instanter petierunt, ut Sancti Gauderici corpus ferretur in
C montem procul a monasterio dissitum : atque illuc die assignato accurrerunt e circumjacentibus locis innumeri viri et mulieres, supplicantium more incedentes, templorum suorum ferentes Reliquias, et Dei laudes concinentes. Accidit autem, cum nocte quadam similis supplicatio cum Sancti corpore per deserta et loca aspera fieret, ut surrexerit ventus tam vehemens, ut lumina et candelas extinxerit : sed Deo volente decidit cœlitus lux, quæ cereos omnes accendit. Cum ad assignatum venissent locum et plures ibi trivissent dies in Deo aquam rogando, surrexit homo humilis loci, multisque contumeliis supplicationes insectatus est. Sed continuo tam vehemens flavit ventus, ut cum multo damno insolentem hominem humi profligaverit : quod nemo dubitavit divinæ tribuere vindictæ. Miser vero pœnitentia ductus, et expiando peccato suo allaborans, veniam petiit a S. Gauderico : Deo autem placuit ut iste per merita servi sui rectam recuperaret valetudinem, et terra abundanter reciperet optatam pluviam.

Curatur cæcus et paralyticus et anno 1384 *sedatur pestis Perpinianensis.*

42 Incola vici Canigoni proximi, nomine Villælongæ, filium habebat cæcum et omnibus membris paralyticum : porro tetendit cum misello ad S. Gaudericum, supplicans ei ne gravaretur obtinere filio suo sanas vires; et Deo reapse placuit puellum liberare a paralysi; non tamen a cæcitate, quam tantum paulo post amisit. Anno Domini 1384 D irruit ingens lues in civitatem Perpinianum, in agrum Ruscinonensem, et Confluentanum, in Cerdaniam et in multas alias partes; atque tantam istic edidit stragem, ut in uno Perpiniano intra spatium, quod mensem Novembrem a mense Martio separat, octies mille tam viri quam fœminæ demortui sint. Quocirca cum in unum convenissent, utut poterant, et de modo agerent, quo Dei placarent iram, statuerunt supplicare abbati Canigonensi ne renueret sibi mittere S. Gauderici Reliquias, quoniam sibi firma spes esset Christum Dominum, intercedente hoc Sancto, manum suam cohibiturum esse a tam horrendo flagello. Assentiente venerabili abbate pro sua religione et temporum necessitate, tulerunt Canigonenses monachi sanctum corpus, quod tam mirabile se præbuit, ut vix Perpinianum ingressum esset, cum pestilentia evanuit. Prodigia quippe multa inibi edidit, sanando infirmos et adjuvando omnes, qui devote Sanctum Gaudericum invocarent; quod experti sunt ubique homines, qui Sancti intercessionem implorarent. Fugata autem Perpinianensi calamitate, rediit abbas Canigonensis cum suis monachis ad quærenda sacra lipsana, quæ in monasterium reportata sunt, comitante infinita po- E puli multitudine, collecta omnibus ex locis, qua sacrum onus transiret. *Ab hoc forte tempore factus est S.* Gaudericus *patronus Perpinianensis, ut inferius videbitur.*

Anno 1483 *pluvia impetratur,*

43 *Sed cum Domenech pergamus :* Anno autem 1483, cum ager Ruscinonensis et Confluentanus tanta siccitate laboraret, ut præ divina vindicta omnes fluvii fere exhausti essent, accurrerunt incolæ lacrymabundi ad reverendissimum abbatem, eique supplicaverunt, ut sibi liceret sanctas Reliquias ad templum Divæ Mariæ de Domonova deferre. Votis annuente abbate, illuc delatum est sacrum pignus, ad quod supplicantium more tetenderunt prædicti incolæ, stipati ab ingenti accurrentis populi multitudine, et ab aliis supplicantium agminibus, eadem de causa adventantibus : et re quidem vera Deo miserente, et sancto ejus servo intercedente, obtinuerunt terræ fructibus abundantem aquam, et sibi incolumitatem ab incumbenti peste.

et pestis ab oppido Vinça abigitur.

44 Atque tunc quidem cum divinum celebraretur officium ob sacrarum Reliquiarum adventum, duo consules oppidi Vinça, quod pesti affligebatur, et quadraginta ex eodem loco viri, quos pestis F infecerat, supplicaverunt monachis, ut in reditu sanctum corpus circum oppidum ferrent, quoniam confiderent infirmos valetudinem recuperaturos esse, si se sisterent in muris, unde transeuntes Reliquias possent videre. Cum itaque redirent cum magno populi comitatu, Vincensium votis satisfactum est. Quocirca cum ad oppidum ventum est, exiit omnis populus ad recipienda sancta lipsana, et pro devotione quam erga Sanctum fovebat, miscuit sese cum bajulis et comitatu. Animadvertentes autem monachi, qui sacrum onus portabant, se jam immixtos pestiferis incedere, neque posse sibi majus imminere periculum, consilium inierunt incedendi per plateas oppidi laborantis peste, cujus sese immunes fore confidebant per intercessionem Deiparæ et S. Gauderici. Progressi deinde sunt longo ordine per oppidi plateas, quin alicubi morarenter aut templum aliamve ædem intrarent. Interea ad portas et fenestras veniebant ægroti, precibus et lacrymis S. Gauderici intercessionem sibi implorantes. Et placuit Deo ut intra paucos dies pestis exularet ab oppido, et infirmi sanati forent. Die XVI Octobris celebratur festum hujus Sancti, qui noster intercessor sit apud Deum in nostris necessitatibus.

A necessitatibus. Amen. *Quæ Domenecum secuta sunt, paucis jam exponamus.*

Translationes Reliquiarum S. Gauderici,

45 *Hujus scriptoris insistentes verbis, diximus num.* 27, *quo loco in Canigonensi monasterio S.* Gauderici *Reliquiæ positæ fuerint : dictis consona sunt quæ scribit Pujades; hæc tantum addit, quæ tempore Domeneci nondum facta fuerant :* Inde (*a latere majoris alteris*) nostris diebus translata fuerunt in sacellum, quod monasterii capitulum simul est, et in claustro est situm; atque illic maximo honore habentur, et quotidianis splendescunt miraculis. *Hæc scribebat Pujades ineunte sæculo* XVII. *Verum non continuo immotæ manebant illic Sancti nostri Reliquiæ. Etenim, ut Reginaldus Poc pluribus exponit, quotiescumque Ruscinonensi agro incumberet siccitatis flagellum, deliberabant consules cum* duodecim S. Gauderici viris (*id eis nomen erat*) *mittendine essent duo aut tres syndici, aliquot sacerdotibus stipati, ad Canigonense monasterium, efflagitaturi ab abbate et monachis, ut liceret S.* Gauderici *Reliquias in Ruscinonensem agrum deferre. Quod si concedebatur, supplicationis more efferebantur, plurium paræciarum sequentibus incolis. In capitulo* (*ni fallor*) *Perpinianensi deponebantur; mane vere exhibebantur, in infimo gradu majoris altaris locatæ; conciones, quæ ad exsecranda peccata, malorum causam, excitarent homines, fiebant; supplicantium ordines ad varia templa pergebant, et cum tandem impetrata esset pluvia, solemni cantico* Te Deum *grates Numini agebantur.*

B

et pietas Perpinianensium erga eum tempore siccitatis:

46 *Ipse Reginaldus Poc anno* 1626 *magna pars hujus solemnitatis fuit; subjecitque elucubrationi de S.* Gauderici *Vita suam concionem; ex qua intelligere est his celebritatibus interfuisse non canonicos tantum et sacerdotes sæculares civitatis, sed et religiosos viros ex decem Perpinianensibus cœnobiis, et moniales ex quatuor parthenonibus. Unde liquet quanta esset hæc festivitas aut supplicatio. Subdit Reginaldus quid tum Deus, intercedente S.* Gauderico, *elargitus sit : triduanam nempe concessit pluviam, ita ut hoc anno in agro Ruscinonensi et Cerdania magna ubertas frugum exstiterit. Cum moris esset, ut Perpinianenses post acceptum beneficium dona quædam porrigerent monasterio Canigonensi in honorem S.* Gauderici, *anno* 1626 *data fuit egregia arca lignea serico panno vestita. Sæpius illuc invitatus fuerat Reginaldus : et quidem cum ex ejus verbis alia nonnulla cultus adjuncta discere liceat, ejus dicta latina facere non abnuo; sunt isthæc :* Ante duodecim annos primum me audire dignata est fidelissima civitas Perpinianum, et mihi conscius sum paucos esse annos, quibus illuc non perrexi; atque adeo anno quodam, cum consulari munere egregius eques Gaudericus Pages fungeretur, bis illuc invitatus sum, semel finem versus Octobris cum seminandum esset, semel mense Majo cum triticum spicatur et maturescit. *Subdit Reginaldus se singulo itaque fere anno illuc tetendisse, verbo quotiescumque quædam necessitas id efflagitaret, et semper populum tanta fide divinum auxilium expostulasse, ut fere jam pluere crederet. Non tamen arbitror singulis annis S.* Gauderici *Reliquias Perpinianum delatas fuisse.*

C

variæ tum ceremoniæ.

47 *Alius vero ritus olim usurpabatur, qui Reginaldi temporibus ex usu abierat; erat autem hujuscemodi : cum ariditate torreretur ager, mittebant Perpinianenses ad Canigonense monasterium quatuor aut sex ex civitatis primoribus, quos inter collegii S. Joannis canonicus numerabatur. Donarium aliquod offerebant S.* Gauderico *et tribus continuis diebus supplicationem instituebant in S.* Gauderici *honorem, pergentes ad collem duplici jactu lapidis sinistrorsum distantem a monasterio, et* collem S. Gauderici *appellatum. Quo cum venissent, gradum sistebant supplicantes : continuo benedicebatur terra, conjurabatur aer, et alia pietatis officia, quibus pluvia impetraretur, fiebant. Ultima vero die, nisi plueret aut jam pluisset, aquis mergebant S.* Gauderici *caput et horæ circiter quadrante, priusquam id mergerent, fumus excitabatur ad monendum incolas ex* Castel, Vernet, Cornella *et* Villafranca; *æstimabatque Reginaldus omnes vicos agri Confluentani et Ruscinonensis tum commonefactos fuisse.* Quæ monita, *ait hic scriptor,* similia erant signis quibus indicatur Maurorum maritima invasio. *Scopus autem illius significationis eo vergebat, ut nossent omnes accolæ ultimæ supplicationis instare finem. Dum vero mergerent S.* Gauderici *caput, orationem auspicati, efflagitabant a Deo, ut quemadmodum ipsi hujus Sancti caput undis madefacerent, sic et ei per suam misericordiam luberet, terram adeo aridam et pulverulentam pluvia conspergere : quod si nihil proficeret, Perpinianum deferenda petebatur reliquiaria capsa. Quæ ultima spes semel quoque fere excidisse memorabatur apud monachos Canigonenses : diu enim Perpiniani repositum jam remanserat sacrum pignus, quin optata decideret pluvia : quamobrem Canigonenses cum jam suas Reliquias referrent, et ad collem* Terranera *venissent, unus ex eis, vir simplex et sine malitia, verbis ardentibus, immo asperis, orare cœpit sanctum patronum : siquidem sermocinatio Dei cum simplicibus est, auditæ sunt ejus preces et cecidit pluvia. Reginaldus, hæc anno* 1627 *scribens, recte addit jam tum vetitum esse ne in talibus adjunctis sacra lipsana undis mergerentur : reperio quippe in Decretis Authenticis Congregationis Rituum, anno* 1808 *excusis* (*a*), *ad postulatum Barbastrense censuisse S. R. C.* die Sabbati XIX Januar. 1619 : Nullo modo licere sub prætextu cujusvis consuetudinis, imo verius abusus, lignum SS. Crucis, et Sanctorum Reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere.

D

E

S. Gauderici, *qui pluviam quoque avertit, cultus popularis etiamnum perseverat.*

48 *Ut hos tandem de S.* Gauderici *miraculis claudam commentarios, subjicio alterius generis miraculum, quod Reginaldus, hic loci assiduus meus dux, in apices retulit : pluviam scilicet opportunam non tantum procurat S.* Gauderici *invocatio, sed eamdem inopportunam avertit. Erat enim antiqua apud Canigonenses sequens traditio : bini hujus monasterii monachi, negotia sodalium procuraturi, profecti erant. Verum in medio itinere tantus imber cecidit, ut nisi desineret, progredi non possent; et tamen prognostica pessima erant. Tum S.* Gaudericum *rogare cœperunt, ut sibi impetraret gratiam, qua ipse in vivis agens gavisus erat, cum segetem tereret et undequaque pluvia decidens areæ suæ parceret. Votis eorum annuit sanctus patronus : continuo evanuerunt nubes et iter suum perficere potuerunt monachi. Licet Canigonense monasterium anno* 1787, *ut ad nos scripsit cl. v. Puiggari, a monachis derelictum sit, et ventis et pluviæ diruendum traditum, licet etiam gravissimæ reipublicæ perturbationes deinde acciderint, perseverat etiamnum S.* Gaudericus *ad nimiam pluviam et siccitatem avertendam invocari. Hæc scilicet denuo colligo ex epistola cl. v. Puiggari :* Cum suppressum et sæcularizatum fuit Canigonense S. Martini monasterium, Reliquiæ S. Gauderici translatæ sunt in Perpinianense cathedrale templum, et collocatæ in sacrario

F

(*a*) T. I, decret. CDXVII.

A ci jam dicato, et in quo speciali modo coluntur, imprimis cum pluvia vel deficit vel abundat.

Loca in quibus S. Gauderici *Reliquiæ servantur.*

49 *Quoad reliqua loca pertinet, præter Perpinianum et Mirapicium, ubi S.* Gauderici *Reliquiæ servantur, nominanda sunt Tolosa, vicus S.* Gauderici, *Barcino et Lutetia forte Parisiorum : hæc ex sæpius citata epistola cl. v. Puiggari; qui addit :* Certum saltem est abbatem Canigonensem D. Melchiorem Soterem d'Armendaris perrexisse ad Ludovicum XIII Galliarum regem, anno 1642 Perpinianum obsidentem, et in Fano S. Erterii, (*forte* Ætherii) prioratu et vico a Canigonensi monasterio dependente castra metitum, ab eoque regi oblatum fuisse os S. Gauderici, dictum RADIUM. *Autumo ego hoc os idem esse ac Reliquias, quas Castellanus in suo Martyrologio universali scribit in Parisiensi monasterio Vallis Gratiæ servatas fuisse. Hoc quippe monasterium, nunc in nosocomium militare mutatum, adoperante Ludovico XIII olim reformatum fuit. Nihil moror abbatiam S.* Gauderici, *quam in archidiœcesi Albiensi sitam fuisse asserit laudatus martyrologus, quoniam Gallia Christiana et Beaunier de ea silent, et persuasum mihi est abbatiam* Gandericum de S. Stephano *ordinis S. Benedicti,*

B *cujus meminit Beaunier, Castellano fucum fecisse.*

Cultus ecclesiasticus S. Gauderici *in diœcesibus Mirapicensi, Sam-Papulensi, Electensi,*

50 *Atque ex his, quæ de cultu hucusque indicavimus, satis manifestum est quanta veneratione S.* Gaudericus *in meridionali Galliæ parte haberetur. Unde mirum non est, duplici eum olim festo gavisum esse in diœcesi Mirapicensi, ut constat tum ex lectionibus, quas* §§ I *et* III *inseruimus, tum ex his Simonis Peyronet verbis* (*a*) : Celebratur dies ejus natalitius in episcopatu Mirapicensi sub ritu duplici secundæ classis cum octava, die qua supra (XVI *Octobris*); translationis vero, die XV Julii ritu quoque duplici, ut liquet ex lectionibus seu legendis in festo Sancti Gauderici ac translationis Reliquiarum ejus, in ecclesia cathedrali Mirapicensi et tota diœcesi cantari solitis, quæ edita fuere anno 1658 auctoritate Ludovici Herculis de Levy de Ventadour, episcopi Mirapicensis. *Post lectiones, die* XV *Julii recitandas, hanc in ecgrapho nostro reperio* ORATIONEM : Deus humilium celsitudo, qui Beatum Gaudericum Confessorem Sanctorum tuorum meritis coæquasti : præsta nobis quæsumus ejus intercessione, ut inter hujus mundi prospera simus humiles, et inter adversa in tuo semper obsequio constantes. Per, *etc. Colitur etiamnum Mirapicii*

C *S.* Gaudericus *ritu solemni secundi ordinis cum octava, et recitatur in Missa prosa quædam propria, ut ex Kalendario liturgico diœcesis Carcassonensis, qua Mirapicium nunc capitur, colligimus. Verum in pristinis Sam-Papulensi et Electensi diœcesibus, quæ non secus ac Mirapicensis cum Carcassonensi partim conflatæ sunt, non tam celebre est ejus festum, cum utrobique careat octava, et ritu simplici agatur; atque adeo in Sam-Papulensi, memoria tantum de eo fit, recitata tamen de eo ad Matutinas tertia lectione, quod die* XVI *Octobris celebritas illic agitur Sanctarum Puellarum.*

Perpinianensi,

51 *De veteri Elnensi seu Perpinianensi (jam pridem scilicet Elnensis sedes Perpinianum translata est) S.* Gauderici *cultu ecclesiastico sequentia colligimus ex sæpe laudata cl. v. Puiggari epistola :* Frustra inquisivi vetus Breviarium diœcesis nostræ (*Elnensis seu Perpinianensis*), quod Domenec a se adhibitum fuisse scripsit; et quidem timeo ne deinceps quoque investigationes meæ incassum cedant. Ab anno 1575 recitat Perpinianensis clerus die festa S. Gauderici Officium de Communi Confessorum non pontificum. Præter D canticum Catalaunum, compositum a Reginaldo Poc et etiamnum a populo usitatum (*id in libro Reginaldi legimus, neque operæ pretium duximus id describere*), nullus hymnus proprius exstat. Annotatu digna forte est prosa Missæ de S. Gauderico, qualis legitur in veteri Missali Elnensi, excuso anno 1511 Barcinone apud Joannem Rosenbach, Germanum, atque nunc optime asservato in majori Perpinianensi seminario; (*cujus Missæ de S.* Gauderico, *in veteri Elnensi Missali insertæ, meminit quoque Reginaldus Poc.*) En prior stropha ad OFFERTORIUM :

Hodiernum celebra
Festum magno gaudio
Gauderici honore
Festivo præconio.
Turba gaudet angelorum
In cœli palatio,
Et in terris clericorum
Hilaretur concio.

Altera ad COMMUNIONEM in hæc verba sonat :

Ave sol justitiæ,
Et stella claritatis,
Ros misericordiæ, E
Pater pietatis :
Nos ad regem gloriæ
Perducas cum beatis.

Nescio utrum eo tempore, quo in usu erat hæc Missa, erectum jam esset in templo S. Jacobi Perpinianensi, ubi et deaurata statua erat, sodalitium Sancti Gauderici, *quod suo ævo exstitisse affirmat Reginaldus Poc. Utut id est, ad id sane pertinebant duodecim viri S.* Gauderici, *quorum n.* 45 *meminimus, et penes ejus sodales absque dubio erat, publicam adornare supplicationem, quæ, ut Reginaldus denuo testis est, in S.* Gauderici *honorem quotannis Perpiniani fiebat. Quod vero ad præsentia tempora pertinet, celebratur in diœcesi Perpinianensi Sancti* Gauderici *Officium, licet patronus habeatur, sub ritu duplici majori ex Communi Confessorum non pontificum, omisso* Credo, *nisi Reliquiæ vere insignes adsint : id ex Kalendario liturgico anni* 1827. *Unde liquet ne quidem amplius in usu esse Orationem de S.* Gauderico, *quam libro suo subdidit Reginaldus, et quæ hanc habet formam :* Deus qui B. Gaudericum confessorem tuum contra pestilentiam et terræ sterilitatem protectorem dedisti, concede ut ejus meritis et intercessione a labe F peccati liberemur in terris et abundantia gloriæ tuæ fruamur in cœlis. Per, *etc.*

et Tolosana. Annuntiatio in privatis Martyrologiis.

52 *In Missali Tolosano anni* 1774 *et in Breviario ejusdem diœcesis anni* 1777 *prodit S.* Gauderici *festum ad diem* XVII *Octobris, quoniam pridie S. Bertrandus celebratur. Missa de Communi Justorum indicitur, præter Orationes proprias, quarum prima opportunus a Deo postulatur imber; reliquæ duæ ex renovato Missali Remensi desumptæ sunt. Ad Matutinas autem una tantum lectio propria recitatur, collecta ex Domenec et Poc. De cultu ecclesiastico Canigonensi id unum ex Poc cognovimus, nomen ejus sacris litaniis additum fuisse : plura, utpote de patrono, suspicari licet. De Martyrologiis vix est quod dicamus; quoniam nedum inveniamus ejus nomen in ullis fastis, qui ad Officium ecclesiasticum proprie pertineant, abest ejus nomen ab omnibus Auctariis Bedæ, Adonis, Flori, Usuardi, et a Martyrologiis Ebroicensi, Autisiodorensi et Parisiensi. Id tantum reperimus in Catalogo generali Ferrarii, in Anamnesibus seu*

(*a*) Catalogus SS., ad v. Gaudericus.

Martyrologio

A *Martyrologio Hispanico Tamayi, in Martyrologio Gallicano Saussayi, male Sanctum nostrum Hispanum nuncupantis, et in Martyrologio Universali Claudii Chastelain, cujus annuntiationem lucro sibi apposuit cl. v. de St-Alais; Castellani, loco omnium, verba ita latina facimus :* S. Gauderici (*St Galdry*), qui in Occitania ad nimiam avertendam pluviam invocatur, et circa annum 900 supremum diem obiit. *Quoniam, ut num. 4 diximus, amplius non reperitur Canigonensis codex, ex quo, quæ S.* Gauderico *tribuuntur, gesta cognoscuntur, superest ut excudendam curemus S.* Gauderici, *a Tamayo collectam, Vitam. Cæterum ex adjectis annotatis facile cognoscet lector, quam parum fidei deberetur ipsi Canigonensi MS., ex quo Domenec, Poc et Tamayus dicta sua mutuati fuerunt.*

ACTA S. GAUDERICI,

AGRICOLÆ CONFESSORIS,

B ***Conscripta a Tamayo ex Domenec, Poc et aliis scriptoribus*** a.

S. Gaudericus, *humilis ortu, agros colit et pius est in Deum et proximum.*

Galdericus, seu Gaudericus fuit origine Gallus, ex provincia Tolosatum *b* oriundus, et a parentibus agricolis, et aliis humilibus exercitiis licet necessariis, Christianis attamen, mancipatis, progenitus. Quem Deus sic ab exordio ejus infantiæ virtutibus cumulavit, ut in posterum omnes sui ævi perfectissimos viros superaret. Nam *c* patiens et alacer, ut alter Job, omnes mundi ærumnas, et quæcumque adversa devincebat. Charitatis vis tanta in Dei viro crevit, quod sæpe sæpius proximi labores et angustias ipse fortius deploraret, quam illi ipsi, qui ipsis afflictabantur. Quotidie sacrosanctum Missæ sacrificium devotis cordis ardoribus exaudiebat, et fusius, si tempus permittebat, in ecclesia flexis genibus perorabat. Hinc ad agrorum culturam properans, semper tacitus et humilis, quæcumque devotionis onera assumere poterat, dum labor instabat, mentis oratione solvebat. Numquam C in festis diebus manum ponere ad aratrum consuevit, sed divinis assistens officiis in ecclesia, illis expletis in domum propriam se recipiebat, et ibidem orationi vacans tempus terebat. Comessationes et contubernia juvenum, aliaque opera, quæ conscientiam penitus confundere et maculare cognoverat, prorsus sedulus evitabat. Unicuique tam in divinis, quam in humanis sua reddere satagebat, ideo quæ erant Dei Deo, et quæ proximi proximo, ne videretur aliena cupidus appetere, persolvebat. Cum viduis, orphanis et pauperibus partem substantiæ suæ destribuens, thesauros in cœlis spectabat *d*.

Fratres sanctitatem docet; mirabiliter avertit pluviam;

2 Duorum fratrum suorum mores ita formavit, ut unusquisque eorum etiam ad perfectissimam vitæ regulam traduceret, quorum memoria etiam in benedictione fuit. His et aliis virtutum stemmatibus, sic agricola gratus fuit Domino, ut adhuc vivus ad donum miraculorum capessendum accederet : quorum relationem aut sancti viri modestia occuluit, aut antiquitas invida oblitteravit; licet duo adhuc in tabulis cordium accolarum enixius adservantur. Illud inprimis celebre fuit, nam cum S. agricola servo suo præciperet, ut semen tritici in area disponeret ad terendum, et ille præceptum sancti viri compleret; evenit ad majorem Dei gloriam, et D Galderici sanctitudinem significandam, quod aer purus subito atris et opacis nubibus oppleretur, tempestatemque validam excutere violenter inciperet. Tunc sanctus agricola flexis genibus oravit ad Dominum, ut salvam faceret messem : vix deprecatio ab ejus ore prosiliit, quando nubes, in circuitu areæ dissipatæ, vix pluviæ globulum supra eam in posterum emiserunt, cum aliorum grana penitus tempestate corruerent *e*.

e

S. Mariam orans aquis non tingitur, et demum pie moritur.

3 Secundum miraculum fuit, nam cum S. Galdericus consuevisset, dum in ecclesia fiebat signum campanæ ad orationem Angelicam exorandam *f*, quocumque in loco inveniretur, genua flectere et ibidem B. V. Mariæ, cujus devotissime languebat amore, salutationem, ut moris erat, edicere; evenit quod suæ ecclesiæ sacrista, in sancti viri contemptum et irrisionem aliquando signum hujusmodi dedit, eo tempore, quo vir Dei rivuli *g*, ad oppidum decurrentis, æquor nudis pedibus pertransibat. Quo signo audito sanctus agricola absque aquæ timore genua flexit. Sed Deus qui hominis sancti devotionem agnoverat, continuo æquoris undas continuit, et arenam siccam in medio gurgitis exposuit, qua genuflecteret Galdericus, et morem E orationis expleret, ut fecit et devote continuavit. Ex cimbalario eventum spectabat sacrista derisor; sed viso miraculo, protinus e turri descendens, et vocibus miraculum præconizans, ad sancti viri pedes provolutus veniam precabatur, omnibus, qui aderant, quod evenerat, manifestans. Denique cum sanctus agricola ad ultimam deveniret senectam, sanctitate clarus, virtutibus onustus et miraculorum gloria celebris, instantem mortis suæ horam et diem Dei misericordia præscivit, et inde morbi gravedine insultatus *, receptis Sanctis Ecclesiæ * *lege* insultato Sacramentis, ei Virgo Mater cum Jesu puero in ulnis, et Angelus Dei cum diademate liliorum apparuere *h*. Obdormivit in Domino, die XVI Octobris, circa annum Domini 900.

f

g

h

Feruntur ejus Reliquiæ in Canigonem, ubi miraculis clarescit.

4 Cujus corpus ibidem conditum aliquantum delituit, donec Dei nutu ob frequentiam miraculorum elevatum fuit *i;* ad cujus sarcophagum plura Deus ægrotis postmodum beneficia impertiebatur. Sed eveniente anno Domini 1014 cum Gaufredus comes Cerdaniæ, filius Olibæ comitis Bisoldunensis, monasterium S. Martini *k* Canigonense prope Perpinianum in montibus Ruscinonis exstruxisset, et magnis possessionibus ditasset, Benedictinisque monachis F commendasset, ut Reliquiis Sanctorum eluceret, misit servos suos in Gallias, pro illis extrahendis, qui mirabiliter corpus S. Galderici, ipso permittente, collegerunt, et in dictum monasterium conduxerunt, ubi plurimis miraculis exhibitis receptum, ibidem honorifice collocatum, innumera signorum frequentia requiescit, et mira circumstantium devotione colitur oppidorum : præstante Domino Nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

i

k

ANNOTATA.

a *Vide quæ numero* 3 *monuimus.*

b *Vicus, in quo vixisse traditur S.* Gaudericus, *olim dicebatur* Viéville, *nunc* St.-Gauderic. (Dépt. de l'Aude, arrond^t. de Castelnandary.) *Cfr n.* 29 *Commentarii prævii.*

c *Paucis in hoc numero declarantur omnes Christiani agricolæ partes; adeo ut in his S.* Gauderici *virtutibus proponatur colonis speculum sanctimoniæ, conditioni eorum aptissimæ.*

d *Quæ*

A d *Quæ in hoc numero et in sequenti narrantur, occurrunt quoque apud Domenec. Sed quæ subsequens numerus exhibet de secundo scilicet miraculo, prorsus desiderantur apud hunc scriptorem.*

e *Similia miracula occurrunt tum in Vita Venerabilis Annæ Mariæ a Jesu, Virginis sæcularis, quæ in America meridionali non ita pridem claruit, tum in Vita Venerabilis Patris Anchietæ, missionarii S.J. innumeris prodigiis clarissimi. Utinam miraculum S.* Gauderico *tributum tam certis constaret testimoniis, quam ea V. P. Anchietæ et V. Annæ Mariæ!*

f *Vide super hac re totum* § II *Commentarii prævii. Poc de eo miraculo annotat, id in nullis vetustis scriptis referri, sed ex sola orali traditione adstrui. Verumtamen nefas arbitratus est imitari Domenec, qui prudenter id omiserat.*

g *Frustra quæsivi hujus rivuli nomen, licet ipse rivulus mihi signetur in duplici tabula geographica. Ex tabula autem geographica num.* 19 *Cassini hæc haurio : ducentis circiter metris (si hæc vox fertur) ab ecclesia oppidi seu vici S.* Gauderici *fluit rivulus, qui oritur e loco mille ferme metris ab eadem ecclesia distante, et* les Mathieux *nuncupato. Transit idem fluviolus sub via publica, Appamiam Fano* D *Sancti Papuli jungente, et cum Lertii undis undas suas miscet.*

h *Absque dubio propter id prodigium pingebatur Canigone S.* Gaudericus, *visione fruens Deiparæ ei apparentis. Poc tamen, ex quo hæc colligimus, exhibet in suo libro S.* Gaudericum *veste pastorali indutum, una manu pedum, altera fasciculum spicarum tenentem.*

i *Vide num.* 29 *et seqq.*

k *Teste Beaunier* (*a*), *dicebatur quoque id cœnobium* monasterium S. Mariæ; *qui titulus ei datus fuit, cum anno* 1009 *ab Oliba Elenensi seu Perpiniamensi episcopo consecrata est ecclesia in honorem S. Martini episcopi, S. Mariæ Virginis, et S. Michaelis : cujus consecrationis instrumentum edidit Petrus De Marca* (*b*). *Monasterium hoc filia erat, ut medio ævo loquebantur, abbatiæ S. Michaelis de Coxu, seu de Coxan; initio episcopo Elenensi subjectum* (*c*), *dein, centum scilicet annis post, abbati Crassensi : ut colligitur e diplomate, edito a Montfalconio* (*d*) *et ex bulla Alexandri III, publici juris facta per Petrum de Marca* (*e*).

B (*a*) Recueil des archevêchés, etc., t. II, p. 541. — (*b*) Marca Hispanica, append. col. 971. Edit. Baluz. — (*c*) Ibid., l. c. — (*d*) Diarium Italic., p. 7. — (*e*) Marca Hispanica, append. col. 1331. E

DE S. BONITA, VIRGINE

BRIVATE IN ARVERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

INTER SÆCULUM FORTE IX ET XI. *Colitur S.* Bonita XVI *Octobris*

S. Bonita, *cujus nomen idem ac* venusta *sonat, (quod hodierna lingua hispanica liquido testatur), e Martyrologio Universali unius Claudii Chastelain mihi innotescit. Sic sonat ejus memoriæ annuntiatio :* In Arvernia Sanctæ Bonitæ Virginis, ortæ Albarii qui vicus Brivati proximus est, maxime erga Sanctum Julianum piæ, et Brivate ad Sancti Martini sepultæ; C *quæ asserta inferius subjicientur examini. Cum autem hujus Sanctæ vita atque cultus maximopere obscura sint, dedimus Brivatem litteras, plura de gestis, de Reliquiis, deque veneratione populari sciscitantes. Verum ea fuit illic. superiori sæculo rerum sacrarum clades, ut aliud non tulerimus responsum, quam quod nihil amplius in his oris de S.* Bonita *reperitur. Solis itaque impressis libris, qui numero paucissimi de S.* Bonita *agunt, utens, qualemcumque jam benevolo lectori exhibeo de Sancta* Bonita *syllogen. In primis recte ejus festum retulit Castellanus ad diem* XVI *Octobris, non autem ad diem* XV; *quod notandum est, siquidem Jacobus Branche in Vitis Sanctorum Arverniæ ad calcem Vitæ S.* Bonitæ (*a*) *integris litteris scribat se hausisse sua asserta e lectionibus Breviarii Brivatensis, quæ* decima quinta *Octobris recitantur. Non tamen licet Branchium erroris incusare, nam ad marginem Vitæ S.* Bonitæ *ubique diem* XVI *Octobris signat : unde consequens est ante annum* 1652, *quo memoratus hagiophilus opus suum typis credidit, festum S.* Bonitæ *translatum fuisse ob concurrens festum S. Bertrandi episcopi Convenensis, et canonici regularis Tolosatis. Verum immutata hæc fuerunt in Breviario, ex quo ipse Sanctæ* Bonitæ *Vitam descripsi, quodque impressum fuit anno* 1654 *ad usum ecclesiæ collegiatæ Brivatensis; illic enim festum Sancti Bertrandi prodit ad* XV *Octobris, Sanctæ* Bonitæ *vero ad* XVI *ejusdem mensis : estque hæc dies translationis, non autem* F *natalis memoria.*

2 *Porro Brivas, de qua centies jam dixerunt decessores nostri, duplex est; altera Brivas Vetus, olim oppidum, nunc vicus, imprimis mirabili suo ponte, uno arcu Elaverim fluvium claudente, insignis, gallice dictus* Vieille Brioude; *posterior Brivas, quæ Brivas ad ecclesiam, vulgo* Brioude-glise *appellatur, tumulo S. Juliani celeberrimi Martyris,* XXVIII *Augusti culti, ad tumultus reipublicæ gallicæ usque gavisa est; nobili olim canonicorum collegio clara erat, jam pridem oppidum facta; quæ Brivas jacet ad sinistram, altera ad dexteram, si secundo cursu Elaverim sequeris. Utraque olim diœcesi San-Floropolitana capiebatur; nunc autem Aniciensi* (Le Puy dépt. Haute Loire.) *Juxta veterem autem Brivatem vicus est Albarium* (Alvier), *quæ S.* Bonitæ *patria fuit. Quo vero tempore hæc nata sit, definire nequiverunt ipsi Brivatenses canonici, ut liquet ex eorum Breviario. Castellanus similiter incerto tempori ejus ætatem assignavit; at nescio quare eam Sanctis sæculi* VII *præposuerit. A nobis autem* *Brivate in Arverniæ.*

(*a*) Vies des Saints d'Auvergne, p. 603.

nihil

A *nihil certi petieris, cum omnigena documenta fere desint.*

Sæculo XV *certo antiquior est,*

3 *Verum ex lectionibus, infra recitandis, colligere licet S.* Bonitam *ante annum* 1454 *vixisse, atque adeo ejus Vitam ante id tempus fuisse conscriptam. Cum enim lectio* V *habeat :* Quadam die cum ultra metas alvei excurrit Elaver, et navis deesset, qua trajiceret fluvium propter nimiam aquarum copiam, ad littus stetit anxia virgo, *liquet exstructum non fuisse celeberrimum Brivatensem pontem, quo tempore hæc acciderunt, atque etiam quo tempore exaratus est codex, unde hæc in Breviaria Brivatensia translata sunt; secus enim planum omnino erat, ut ad hunc pontem a scriptore alludderetur. Jam vero, licet vocabulum* Brivas, Briva, *etc. celtice pontem significet, idque nomen his locis inditum antiquissimum sit; licet præterea obvii geographi, tum antiquiores tum recentiores, velint, pontem, qui nunc illic cernitur, a Romanis atque adeo a C. Julio Cæsare conditum fuisse; (cujus sententiæ promotores satis fuerit nominasse Moreri, La Martinière, d'Expilly in suis Dictionariis geographicis et historicis ad v.* Brioude, *et auctores Dictionarii Universalis Franciæ, anno* 1804 *Parisiis excusi;)*

B *constat tamen pontem illum anno* 1454 *inchoatum fuisse, ut ostendit antiquitatum quidam indagator, nomine Dijon, in commentario de hoc ponte, quem anno* 1754 *in societate litteraria Claromontana prælegit, et partim publici juris fecerunt editores Mercurii Francici anno* 1755 : *protulit enim commentator contractum anno* 1454 *cum operariis initum de hoc ipsissimo condendo ponte. De qua re plura videre est in Bibliotheca historica Franciæ Le Long, recognita a Fevret de Fontenette (a); unde hæc mihi haurienda fuerunt.*

et forte etiam sæculo XII.

4 *Ad hunc tamen annum* 1454 *standum non est : scribunt quidem Brivatensis Breviarii auctores :* Qua tempestate vixerit, incertum est : vixisse fertur Anglis in Gallos dimicantibus, quorum insidias detexit, Brivatem obsidere molientium. *Verum cum hæc innitantur solummodo traditioni alicui incertæ, quam nulla adminiculantur monumenta; cum præterea tradatur in Dictionario Franciæ (b), superius citato, Brivatem, nedum ab Anglorum armis vindicatam, contra ab eis expugnatam fuisse; quæ forte ad bella inter Philippum Augustum, Franciæ monarcham, et Richardum, Cor Leonis dictum, Angliæ regem, referenda sunt; et demum cum satis solemne sit, ut Sanctis vivis a populo aut a scriptoribus non coævis ea tribuantur, quæ iisdem, vita functis et in cœlo apud Deum intercedentibus, potius adscribenda forent; (cujus rei exemplum in Sylloge historica de S. Gurdanio superius habuimus;) multo fragilius in citatis verbis fundamentum jacere nobis videtur, quam ut propterea S.* Bonitæ *ætatem temporibus Philippi Augusti, seu exeunti sæculo* XII *affigamus.*

C

Verisimile est eam vixisse inter sæculum IX *et* XI.

5 *Equidem libenter statuerem S.* Bonitam *inter sæculum* IX *et* XI *aut* XII *vixisse. Nam illud certe temporis spatium, quod inter annum* 730 *et* 830 *cucurrit, ex ejus vita excludendum est, quia, ut Gallia Christiana ex authenticis documentis docet (c), diruta tum jacebat S. Juliani ecclesia; quam tamen sancta Virgo, dum viveret, frequentissime adire solita fuisse traditur in Brivatensibus Breviariis, nullum hic dubium admittentibus. Quod vero pertinet ad alterum temporis limitem, seu sæculum* XI *aut* XII, *ratio, quæ prohibeat, quin S.* Bonita *hoc tempore recentior statuatur, in eo posita est, quod sæculo* XII *atque adeo* XI *exeunte jam vulgo in Gallia obtineret usus, causas canonizandorum Romam deferendi;* D *quod tamen ob omnimodum fere documentorum de S.* Bonita *defectum minime factum fuisse videtur : quæ ratio nonnihil stabilitur ex eo, quod Brivatenses canonici immediate Sanctæ Sedi subjiciebantur, et proin facilius beatæ hujus Virginis laudes commendare poterant. Et quidem, quem dixi, defectus ille documentorum de Beata, impense a Brivatensi capitulo culta, alterum non spernendum momentum est, quod non sinat ejus ætatem ad recentiora differre tempora. Atque hæc ex conjectura dicta sunto, ut noverit lector, quare in fronte hujus Commentarii S.* Bonitam *inter sæculum forte* IX *et* XI *mortuam dixerimus.*

Multa circa hanc Sanctam obscura sunt.

6 *Si vero obscura sit ætas, non minus obscurus est locus ubi primum sepulta fuit S.* Bonita : *Branchius quidem innuit eam semper humatam jacuisse in sacello S. Martini, quod in templo Brivatensi non longe a sacello S. Juliani est, atque proin eam post mortem distractam non fuisse a patrono, quem viva impensissime coluerat; verum ex Officio anni* 1654 *intelligimus eam olim fuisse translatam. Ex memoratis vero Branchii dictis, quæ Officio anni* 1654 *consona sunt, constat sacellum seu capella S. Martini, non esse templum diversum a templo* E *S. Juliani (quod tamen verba Claudii Chastelain, ut gallice sonant, innuunt) sed altare tantum S. Martino sacrum in ipso S. Juliani templo. Ex lectionibus mox citandis constat perpulchrum olim fuisse hoc S. Martini sacellum; quale vero hodie sit, an etiamnum inibi exstent fenestræ pictæ, S.* Bonitæ *miraculum exhibentes; quid passæ fuerint hujus Sanctæ Reliquiæ, dum impietas proximo sæculo fureret in Galliis; quis earum hodiernus sit status; perseveretne populi cultus erga S.* Bonitam, *quem suo tempore laudibus dignum censuit Branchius; quæ denique sors obtigerit MSS. codicibus, quorum reminiscitur Officium mox recitandum, atque alia istiusmodi solvere non possumus, quoniam, ut n.* 1 *dictum est, altum erga nostra postulata vix solvi potuit silentium. Quamobrem jam sibi accipiat studiosus lector hymnum et tres lectiones desumptas ex Officio duplici nostræ Sanctæ, prout a me descripta sunt ex Brivatensi Breviario, quod Parisiis in bibliotheca pristini collegii canonicorum S. Genovefæ sub littera BB.* 871 *servatur.*

Ejus Vitæ synopsis ex Hymno.

7 HYMNUS. Alumna Christi Bonita F
Parentibus paupercula
Ad anserum custodiam
Vixisse fertur servula.
Semel relictis in die,
Ad sacra pergens limina,
In Juliani laudibus
Vacabat virgo sedula.
Ripæ tumescunt fluminis :
Ad littus orat anxia :
Adest, dum fleret, Angelus ;
Habet puella prævium.
O quanta virtus Martyris !
Quam fervens hujus caritas,
Quæ nautam nacta cœlicum
Aquarum frangit impetus !
Instar columbæ simplicis
Dies traduxit innocens,
Brevique currens stadio
Bravium victrix abstulit.
Hujus precatu Virginis
Sis Christe nobis navita,
Ut sinuosas sæculi
Perambulemus semitas.

(a) T. III, p. 502. — (b) T. I, p. 467. — (c) T. II, col. 468.

A Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

Nescio an operæ pretium sit indicasse, versum duodecimum calamo illic sic correctum fuisse : Et est puellæ prævius. ORATIO. Deus qui nos beatæ Bonitæ virginis tuæ annua solemnitate lætificas : concede propitius, ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis lætamur exemplis. Per Dominum, *etc.*

VITA S. BONITÆ VIRGINIS,

Ex Breviario canonicorum Brivatensium anni 1654.

S. Bonita *anseres custodit et erga S. Julianum pietatem colit.*

B LECTIO IV. Bonita virgo loco humili in pago Alveyrii *a* ditionis Brivatensis *b*, ad Elaverim *c* fluvium non procul ab urbe (*Brivate*), parentibus tamen Christianis nata est. Ab iis anserum vili custodiæ mancipata, et fidei rudimenta edocta, incredibili fuit a teneris erga Beatissimum Martyrem Julianum *d* igne devotionis accensa; quæ sic exarsit, ut relictis quotidie in pascuis anseribus, Brivatam properaret ad ejus tumulum, ubi ferventes fundebat preces, sibi quæ ad salutem forent necessaria, juvante Martyre, præpotens Deus suggereret ac ministraret.

Angelo duce, fluvium trajicit;

2 LECTIO V. Quadam die cum ultra metas alvei excurrit Elaver, et navis deesset, qua trajiceret fluvium *e* propter nimiam aquarum copiam, ad littus stetit anxia Virgo, precibus et lacrymis Deum exorans, ne solita ipsius ad Sancti limina peregrinatio hac vice præpediretur. Mirum dictu! flenti obvius est Angelus, quem per medios fluctus iratos habet puella prævium. Incolæ attoniti, viso miraculo, fantur Dei magnalia. O fides Virginis supra fidem! o Dei clementia! o virtus nostri Martyris singularis! id codices hujus basilicæ *f*, id majorum traditio, id denique specularia præbent vetusta *g* capellæ Sancti Martini, ubi Virginis corpus quiescit, in quibus tota rei series depicta C conspicitur.

moritur, transfertur, Reliquiæ recognoscuntur.

3 LECTIO VI. Post hoc singulare Dei beneficium Bonita virgo, abdicata sæculi cura, simplicitatem columbæ retinens, ac jugis in extollendis Dei laudibus et meritis Juliani Martyris, brevem sed innocentem ac plane cœlestem vitam duxit. Qua tempestate vixerit, incertum est; vixisse fertur Anglis in Gallos dimicantibus, quorum insidias detexit Brivatam obsidere molientium *h*. Hujus ossa nuper *i* recognita cursum consummasse in adolescentia, ut Christo sponso sociaretur, argumento sunt; vestes ibidem asservatæ e vili panno, vilis fuisse generis; capilli denique adhuc intacti, sufflavi coloris et valde decori, virginalis intactæ pudicitiæ non exiguum pariter præbent argumentum; natalitius dies ignoratur; hodiernus translationis *k* est ex fastis hujus basilicæ.

ANNOTATA.

a *Alveyrium, seu Albarium, gallice* Alvier, *vicus est juxta Brivatem veterem; de quo vide num.* 2 *Commentarii prævii.*

b *Ditio Brivatensis, gallice* le Brivadois *penes canonicos Brivatenses, hinc et ex alius dominii possessione* comites *dictos, jam a temporibus Ludovici Pii erat; qui Brivatensem comitatum cesserat Berengario cuidam, ecclesiæ Brivatensis a Sarracenis destructæ restauratori, et frequentissimi capituli conditori. Cfr Galliam Christianam* (*a*), *Valesii Notitiam Galliarum* (*b*), *et Dictionaruim Universale Franciæ* (*c*).

c *Gallice* l'Allier *nuncupatur, ortus in partitione a Ligeri superiori agnominata* (dépt Haute-Loire), *et miscens suas aquas Ligeri prope Nivernum.*

d *S. Julianus, Martyr Brivatensis, colitur die* XXVIII *Augusti; ad quam de eo dixerunt decessores nostri* (*d*).

e *Ut num.* 2 *Commentarii prævii diximus, habitabat S.* Bonita *Albarium, seu Alveyrium, vicum juxta Veterem Brivatem, qui a Brivate nova seu a Brivate ad ecclesiam fluvio Elaveri separatur. Unde facile intellectu est, quapropter hujus fluminis* E *undæ trajiciendæ essent sanctæ nostræ Virgini. Hinc quoque colligere licet Sanctam vixisse, cum templum in Brivate nova jam exstructum foret; quod certe sæculo* IX *ineunte factum jam erat, et verisimiliter multo etiam citius, ut ostendit Stiltingus* (*e*), *licet Sirmundus aliique in contrariam abeant sententiam.*

f *Per* codices hujus basilicæ *intelligo antiquum Officium ecclesiasticum MS. de S.* Bonita; *quæ conjectura si probetur, cultus S.* Bonitæ *ad sæculum saltem* XV *referendus erit.*

g *Frustra Brivatenses de his specularibus et capella S. Martini sciscitati fuimus. Quare, si divinare oporteat ad sæculum* XIII *aut* XIV *redigenda videntur, cum his temporibus magis viguerit in Gallia pictarum fenestrarum usus, et in lectionibus Brivatensia specularia vetusta dicantur.*

h *Vide Commentarium prævium n.* 5.

i *Hæc Reliquiarum recognitio, quam Branchius, anno* 1652 *scribens, ignoravit facta fuerit necesse est paulo ante annum* 1654, *quo impressæ fuerunt, hæ, quas hic loci edimus, lectiones.*

k *Quo tempore hæc translatio facta fuerit, nuspiam reperimus. Hæc autem festivitas in sola pristina* F *ditione et forte etiam in solo templo Brivatensi olim agebatur : certe, cum ante gallicanam rerum sacrarum stragem Brivas diœcesi San-Floropolitana clauderetur, clero hujus diœceseos non indicebatur in Kalendariis liturgicis S.* Bonitæ *festum celebrandum : cujus rei causa forsitan fuit, quod usque ad senescens sæculum* XVII *Brivas, non tantum in temporalibus, sed in spiritualibus quoque capitulo subdita erat* (*f*). *Nunc vero, cum Brivas diœcesi Aniciensi capitur, exstinctus videtur S.* Bonitæ *cultus : ex Kalendario saltem liturgico Aniciensi anni* 1832 *exulat hujus Virginis nomen; et Brivate, ut num.* 1 *Commentarii diximus, nihil amplius de S.* Bonita *reperitur. Faxit Deus, ut quæ exeunte superiori sæculo exstinxit impietas, ad vitam nunc revocet genuina in Deum ejusque Sanctos religio.*

(*a*) T. II, col. 463 et seqq. — (*b*) p. 101. — (*c*) T. I, p. 467. — (*d*) Act. SS., t. VI Aug., p. 169. — (*e*) Ibid., l. c. — (*f*) Cfr Gall. Christ., t. II, col. 468.

DE

A D

DE S. GERMANO,

EREMITA ET MARTYRE, IN ARVERNIA.

SYLLOGE.

ANTE SÆC. XI. *In oppido S.* Germani *in Eremo, quod olim Arverniæ prioratus erat,*

Scripserunt decessores nostri ad diem X *mensis Octobris in prætermissorum et ad alios dies relatorum catalogo sequentia, quæ quoniam rationem continent cur de S.* Germano *hic agimus, recitare lubet :* S. Germanus eremita, qui in Arverniæ prioratu, abs illo nomen sortito, vitam eremiticam duxisse fertur, hodie ibidem coli in MS., quæ penes nos exstat, notitia asseritur; ast cum pauca de Sancto illo hactenus habeamus comperta, futurumque forsan sit, ut temporis lapsu plura edoceamur, expedit enimvero, ut, seposita tantisper ista notitia, Mabillonium in Actis Benedictinis hic sequamur, ac proin ut de S. Germano non agamus ante diem, in quem cultus ejus ab auctore illo ibidem sæculo VI, parte II, pag. 209 in notula huic subjecta, differtur, XVI Octobris. *Neque displicet audire Mabillonium, qui illustrans miraculum, quo S. Robertus Casæ-Dei abbas anguillarum furtum divinitus cognovisse perhibetur, nonnihil simul illustrat hunc prioratum :* Hic locus (*quem S. Roberti biographus* Sanctum Germanum *nuncupat*) videtur esse oppidum S. Germani dictum, quatuor circiter leucis distans a Casa-Dei (*Chaise-Dieu*) Iciodorum (*Issoire*) versus, situm in loco asperrimo et frigidissimo. Dicitur vulgo S. Germanus in Eremo, *S. Germain en l'herm,* ubi olim prioratus conventualis Casæ-Dei subjectus, nunc in simplicem, ut vocant, prioratum redactus, cujus titulum habet unus e Patribus Oratorii Claromontani. Hujus loci ecclesia a B. Roberto instaurata fuit, quæ ei tradita fuerat ab Henrico Francorum rege et ipsi confirmata diplomate dato anno 1052. Porro S. Germanus hujus loci patronus dicitur ibidem vitam eremiticam duxisse, cujus festum loci incolæ celebrant die XVI Octobris. *Hæc Mabillonius loc. cit. Henschenius, Mabillonio in S. Roberti Vita ad* XXIV *Aprilis* (*a*) *commentanda præiens, suo tempore hunc prioratum a Casa-Dei dependentem eumque opulentum dicit. Nunc vero absorptus est a voraci superioris sæculi impietate. Cavendum vero est ne hoc oppidulum cum aliis homonymis fere oppidis aut vicis Arverniæ confundatur, qualia sunt S. Germanus in Ambronio,* Saint-Germain Lembron, *S. Germanus,* Saint-Germain, *etc.*

B

C

colitur S. Germanus *non* X *aut* XVI, *sed* VIII *Octobris.*

2 *Nisi varia festa sibi sacra habuerit noster S.* Germanus, (*quod ob cultus exilitatem probabile non est,*) *erravit verisimiliter Mabillonius, cum S.* Germani *cultum in* XVI *Octobris retulit; a vero quoque alienus fuit qui conscripsit notitiam, cujus secundum decessores nostros superius meminimus. Ad nos enim scripsit R. Parochus San-Germanensis suæ parœciæ patronum non* XVI *Octobris sed* VIII *ejusdem mensis coli. Cæterum ejus cultus ecclesiasticus hoc oppido circumscribitur; nam in directorio diœcesis Claromontanæ* (*cui includitur hoc oppidum*), *dato in annum* 1827, *exulat e sacris laterculis; et memoratus Dominus Parochus testatur ne in oppido quidem S. Germani in Ambronio hunc Sanctum patronum esse; et quidem S. Germanus Autisiodorensis, licet popularis non foret, multo majorem venerationem olim in Arvernia nactus fuit, quandoquidem Jacobus Branche in Vitis Sanctorum Arverniæ, anno* 1652 *editis, plura recenset miracula hujus Sancti ope in* Cesain *superioris Arverniæ vico patrata, dum ne nominis quidem nostri Sancti* Germani *mentionem faciat. Nullum præterea novimus Martyrologium, quod hunc Sanctum memoret : quæ tot indicia sunt cultum olim minime late fuisse propagatum.*

E

Loca ei sacra;

3 *At contra in oppido, quod ab eo mutuatum est suum nomen, viget floretque etiamnum debitus ei honor, licet nullus Hymnus, nulla Prosa, nec Litaniæ, sed Missa et Officium de communi Martyrum celebretur. Præter oppidum duo loca ei sacra sunt, uterque speciali veneratione : ad partem nempe meridionalem oppidi, si paulisper ad orientem deflectas, occurrit fons, qui scatuisse dicitur ex ipso loco, in quem S. Martyris decidit caput. Huc accedunt, qui febri tentantur; aquam hinc haustam bibunt; plurimique Deo ejusque Sancto gratulantur, salutarem hujus aquæ virtutem sese expertos esse. Alter locus est regia silva S.* Germani *in Eremo. In hac silva etiamnum exstant rudera exigui ædificii, formam crucis græcæ imitati, quod apud accolas cella S.* Germani *semper audiit atque habita est. In parte meridionali horum ruderum constructa est absis, seu quidpiam absidi simile* (chevet); *quem locum æstimat laudatus parochus verisimiliter oratorium esse, in quo preces suas fundebat sanctus eremita : cui conjecturæ non refragamur; atque adeo probabilissimum habemus, illic sepultum fuisse S.* Germanum; *et quidem in Vita S. Juniani jam docuimus olim quandoque mortuos et imprimis, ut videtur, eremitas sepultos fuisse in loco, in quo vixerant. Verumtamen terram istic fodendam sese curasse scripsit sæpe dictus reverendus vir, at nullas inscriptiones, sigilla aliasve hujusmodi res repertas fuisse : quod cum jam pridem e terra levatæ fuerint S.* Germani *Reliquiæ, mirabile videri nequit. Obtinet vero illic etiamnum pius atque nativus usus : feria scilicet secunda Paschatis properant illic San-Germanenses religiosi incolæ; et suum quisque affert prandium, quod vel agnus vel hædillus est.*

F

Reliquiæ et documentorum absentia.

4 *Reliquiæ S.* Germani, *quæ in cognomini oppido nunc servantur, exiguæ sunt, cum ex cubito tantum aut radio constent* (un os de l'avant-bras). *Instrumenta autem, quæ earum authenticitatem certam faciebant, flammis absorpta perierunt inter turbas reipublicæ Gallicanæ; sed cum sacra illa pignora a duabus matronis servata, et, publico re-*

(*a*) T. III April., p. 328.

ligionis

A *ligionis cultu instaurato, reddita fuissent, confectum est juridicum super ea re diploma, quod anno* 1810 *ab illustrissimo D. Duvalk de Dampierre, episcopo Claromontano, approbatum fuit. Quocirca, cum Reliquiæ illæ tamquam ex corpore S.* Germani *desumptæ recognitæ fuissent, inclusæ sunt lipsanothecæ ex cupro argentato forma ovata confecto. Quo autem tempore violatum fuit S.* Germani *templum, parcitum minime est archivio, et quæ capiebat MS. volumina incendio voranda tradita sunt anno* 1793; *atque nunc nemo jam est in tota paræcia, qui resciat quid de S.* Germano *testarentur; ita ut sæpenumero laudatus parochus asserat, fieri non posse ut S.* Germani *Vita illustretur documentis ex hoc oppido repetendis. Ei vero lubuit e populari traditione nobis concinnare notitiam, quam doleo me conferre non posse cum altera notitia, quam superius memini apud decessores nostros exstitisse, et quam nunc neque in bibliotheca Burgundica, neque apud nos in monumentis, quæ diebus* VIII, IX *et* X *Octobris sua luce decorandis olim fuerunt utilia, reperire quivimus. Hanc vero opellam, e gallico idiomate latine a me factam atque aliquantum contractam,*

B *jam exhibeo.*

S. Germanus *zeli sui*

5 *S.* Germanus *nobili ortus genere a teneris annis virtutem amplexus est. Ut totus Deo viveret, mundo valedixit, seseque abscondit in vastis silvis, quæ Arverniæ partem, in Euronotum vergentem, id temporis obumbrabant. Exstruxit ipse sibimet in loco aspero cellulam, quam numquam deserebat, nisi cum raros hujus regionis incolas euangelico verbo excolere averet. Suæ vitæ austeritas, beneficia atque miracula sibi divinxerunt amorem atque reverentiam cujusque ad se accedentis. Dederat ei Deus mirabilem cordis humani scientiam : unde cum peccatorem videret, intelligebat continuo quæ esset ejus conscientiæ ratio. Quibus dotibus superaddebat zelum mitem, benignum atque prudentem, quo ad cœlestem caulam oviculas reducebat plurimas. Istiusmodi autem mentis immutatio martyrii palmam ei procuravit. Etenim die quadam venator, mediis in silvis errabundus, offendit forte sancti eremitæ tuguriolum. Divinitus autem noverat sanctus asceta quot in venatoris animo laterent crimina; quocirca pergit ei obviam Christi crucifixi imaginem manibus stringens, eumque uno intuitu ad meliorem amplectendam frugem inducit. Sancti genua exosculatur peccator, renuitque deserere virum, qui pœnitentiæ*

C *gratiam sibi adeptus fuerat.*

martyr occumbit, ut tabula picta et traditio testatur.

6 *Ante tumultus sæculi proxime elapsi exposita erat in templo tabula picta, quæ juvenem exhibebat venatorem, genuflectentem coram sancto eremita. Equus vero pœnitentis juvenis in picturæ recessu referebatur alligatus arbori. Hujus imaginis pravum ectypon nunc exstat in fastigio sacelli, sancto patrono sacri. At qualescumque ejus sint dotes, veteris traditionis per illud servantur vestigia. Te-* D *statur vero chronicon, seu potius (ni fallor) popularis traditio juveni huic perversum fuisse commercium cum matrona, quæ in his habitabat plagis. Hæc porro cum impura libidinis suæ vincula rupta vidit, ira incenditur, et Herodiadem imitata, sancti viri caput sibi expostulat : quocirca sicarios mittit ad sanctum anachoretam, obviam eis venientem. Brevi sacrum caput gladio recisum decidit, labitur in lacunam, atque ubi sistit, scatet continuo fons, de quo superius num.* 3 *diximus. Hæc itaque sunt quæ adipisci licuit ex populi narrationibus de S.* Germano. *Vix quidquam hic reperire est quod arduum creditu sit. Unum scaturientis fontis miraculum resecandum forte est, quoniam ubique fere locorum istiusmodi fontes designantur, quin historica documenta populi fidei adstipulentur. Libentius ego credo Reliquiarum immersione aliave solemnitate sacratas fuisse hujusmodi undas : unde populari venerationi nullum fundamentum substratum esse nolim quis dixerit.*

Ejus ætas, et pristinum nomen oppidi S. Germani.

7 *Cum vero historiæ abbatiæ Casæ-Dei scriptæ quidem, non autem editæ sint, nihil fere reliquum mihi superest, unde antiquum prioratum S.* Germani E *illustrem. Tacet præterea de eo Beaunier in catalogo Archiepiscopatuum etc. Galliæ, similiter tres Galliæ Christianæ editiones, et Mabillonius in Annalibus sui ordinis. Hanc itaque claudo syllogen, duplici proposita annotatione, quam ex privilegio num.* 1 *hujus Commentarii memorato haurio : prior scilicet ad S.* Germani *ætatem spectat : etenim cum hoc privilegium* Vitriaco palatio publice obtentu domni ac venerabilis Hugonis Nivernensis episcopi mense Septembri, luna undecima, indictione quinta, ab incarnatione Domini anno 1052 (*aut potius secundum recentiorem computationem, anno* 1051) *ab Henrico rege datum fuerit, oportet ut S.* Germanus *sæculo undecimo anterior sit. Inter varia enim dona, quæ inibi confirmat Henricus I, habes* in vico Triniaco Ecclesiam S. Germani Martyris, cum ipso vico et omnibus ad eum pertinentibus. *Et quidem cum testetur, ut supra vidimus, Mabillonius ecclesiam S.* Germani *fuisse restauratam a S. Roberto, aliquanto etiam altius ascendendum est, quoniam medio sæculo undecimo ille S. Robertus, Casæ-Dei abbas, vixit. Altera notatio spectat ad pristinum nomen vici, quod nunc oppidum S.* Germani *in Eremo appellari diximus. Fuit autem illud nomen* F *vel* Triniacum, *ut ex autographo scripsere sodales D. Bouquet* (*a*), *vel* Tuniacum, *ut habet Gallia Christiana in hujus diplomatis fragmento* (*b*). *A Baluzio, editore operum Servati Lupi, in appendice* (*c*), *hæc quoque charta ex veteri Membrana D. de Kerouval edita est; et priori scribendi formæ ejus lectio favet. Cæterum, licet sat sedulo indaganti, alibi mihi non occurrit hoc nomen.*

(*a*) Recueil des Hist. de Fr., t. XI, p. 588. — (*b*) T. II, col. 104. — (*c*) p. 529.

DE

A D

DE S. ANASTASIO,

MONACHO ET EREMITA, IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De Sancti cultu, biographo, ejusque in Normannia gestis.

CIRCA ANN. MLXXXV. *S.* Anastasius *olim colebatur in diœcesi Rivensi, non autem Venetiis in patria.*

Mabillonius qui omnium primus S. Anastasii *Vitam edidit, scribit in Observationibus prævius num.* 5 (*a*) hujus sancti viri nomen in nullo, quod quidem sciat, Martyrologio exhiberi, nequidem Benedictino : *cui annotationi subscribere cogimur, quoniam nusquam, ne in Auctariis quidem Bedæ, Adonis, Usuardi hunc Sanctum designatum reperimus. Certus tamen est ejus cultus : adeo ut eum post Mabillonium Matyrologio suo inseruerit Claudius Chastelain his verbis :* S. Anastasius Devotensis, (*de Doyde*) eremita in diœcesi Rivensi (*Rieux*), mortuus circa ann. 1086, *seu potius* 1085. *Præsenti quoque diei eum assignat, utpote natione Venetum, ampliator Ferrarii in Hagiologio Italiæ* (*b*). *Venetiis tamen nullum habet cultum; quin etiam vix aut ne vix quidem cognitus est : cujus assertionis fundamentum mihi est, quod in vasto opere Flaminii Cornelii, senatoris Veneti, cui nomen : Ecclesia Veneta antiquis monumentis illustrata, sermo quidem fit de quodam S. Anastasio; verum is Persa, qui, sub Chosroa rege passus,* XXII *Januarii colitur, et cujus corpus Venetias translatum ibidem in capella SS. Trinitatis religiose asservatur* (*c*); *de S.* Anastasio *eremita prorsus ibidem siletur. Verum dum nullam in civitate, in qua natus est, sortitus est celebritatem, in loco, in quo obiit, jam olim devote colebatur : quod testatur Mabillonius his verbis* (*d*) : Colitur in ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis, seu ut habet, Vitæ auctor, Devotensis, in diœcesi Rivensi, ubi integrum ejus sacrum corpus asservatum est usque ad sæculum XVI. *Quid deinceps de Reliquiis factum sit alio loco explicabitur.*

B C

Ejus Vita conscripta fuit, non decem,

2 *Jam si ad Acta S.* Anastasii *stylus vertitur, vix quidpiam in eis est, quod dubia plura non pariat : et primo quidem Galterius, qui se eorum auctorem inscribit, Mabillonio, in Observationibus prævius ad Vitam n.* 1, *Ceillier in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* (*e*) *et auctoribus Historiæ litterariæ Gallicanæ* (*f*) *cæteroquin incognitus erat. Hi vero historiographi de eo gallice sic scribunt :* Galterius biographus S. Anastasii monachi et eremitæ, circa annum 1086 mortui, videtur novem aut decem annis post hujus Sancti mortem suam scriptionem perfecisse. Hanc sententiam nobis suggerit tum ipsa libelli lectio, tum paucitas miraculorum. Gravis est auctor, sed ignotus. Verumtamen sacerdos fuisse videtur, atque adeo parochus Devotensis; saltem ad Petrum Devotensem subdiaconum in diœcesi Rivensi sita, Sancti sepulcrum habebat. Sat facili narrat ordine et brevis est; quæ tamen brevitas ad potiora Sancti gesta omittenda minime eum coegit. *Sic fere sæpius nobis laudandi memorati Benedictini sodales; similiter Mabillonius, ex Vitæ contextu judicans, Galterium virum gravem appellat, eumque æstimat scripsisse* non multo post S. Anastasii *obitum. Mabillonii judicio omni ex parte accedendum esse ducimus. Verum brevior est lapsus temporis,* decem *scilicet* anni, *quos præcitati historiographi a morte S.* Anastasii *ad ipsius Vitæ scriptionem assignant : nam ut mittam S.* Anastasium *in vico ad Devotas peregrinum et ignotum fuisse, eumque tamen in hac sua Vita* Sancti Confessoris *et* gloriosissimi viri *titulo cohonestari, celebremque satis ei cultum, cum gesta ejus descripta sunt, delatum fuisse; (quæ non ita continuo post mortem facta fuisse præsumenda sunt;) quæ, inquam, ut mittantur, alterum argumentum peti potest ex morte S. Hugonis, sexti Cluniacensis abbatis, insinuata in S.* Anastasii *Actis; quo probabile fit viginti circiter annos adjiciendos esse decem illis, quos admisere Historiæ litterariæ scriptores.*

sed saltem triginta annis post mortem.

3 *Etenim laudati historiographi* (*g*) *cum Mabillonio aliisque admittunt S.* Anastasium *anno circiter* 1086 *obiisse; et ex altera parte constat S. Hugonem anno* 1109 *e vivis decessisse; sed cum S.* Anastasii *scripta est Vita, ad superos jam evolaverat sanctus hic abbas : quod luculente satis indicatur in ipsa Vita num.* 4, *ubi hæc sunt verba :* Venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præcrat; *qui loquendi modus mortuo, minime vero viro viventi applicatur. Verum non multo plures quam triginta anni admitti posse videntur : nam in tota S.* Anastasii *Vita S. Hugo* venerabilis *tantum* vir *nuncupatur, nusquam* Sanctus. *Ineunte autem anno* 1120, *ut eruitur ex charta de qua ad hunc annum num.* 96 *in Annalibus Benedictinis* (*h*) *sermo fit, a Calixto II, qui ab anno* 1119 *Ecclesiam gubernavit, solemniter canonizatus fuit : audi hac de re Hugonem monachum ad Pontium abbatem Cluniacensem scribentem* : Hic (*Calixtus II*) secundo Cluniacum rediit, ibique festum Dominicæ Circumcisionis et Appa-

E F

* *intellige* Epiphaniæ

ritionis * devote peregit. Qui dum inter cætera sæpius ageret de vita et miraculis B. Hugonis, non quorumlibet chartulas super his profusius exaratas attendit, sed personas authenticas in medio Cluniacensis capituli præsentatas, de Sancto quæ viderant et audierant validius attestatas, gratanter accepit.

(*a*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 487. — (*b*) T. II, ad XVI Oct. Edit. 1773. — (*c*) Eccles. Venet., t. IV, p. 356 et 358. — (*d*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 487. — (*e*) T. XX, p. 697. — (*f*) T. VIII, p. 428. — (*g*) Hist. littér. de Fr., t. VIII, p. 164. — (*h*) T. VI, p. 43. Edit. Paris.

A Episcopis vero et cardinalibus pariter assentientibus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi natalem tanti Confessoris, tot et tantis virtutibus approbati, festivum fieri Papa decrevit. *Quæ verba, cum hujus canonizationis solemnitatem splendoremque subindicent, hic loci exscribenda visa sunt ex Bibliotheca Cluniacensi* (*a*). *Sed cum tanta fuerit hæc solemnitas, et S. Hugo in totis Galliis apprime nosceretur, fieri non potest ut latuerit Vitæ S.* Anastasii *scriptorem, qui plurimum cum Cluniacensibus commercium habere debuit, ut hoc suum opusculum conscriberet; quocirca cum Hugonem* Venerabilem *tantum minime* Sanctum *nuncupet, dicendum est eum scripsisse eo temporis intervallo, quod inter annum* 1109 *et* 1120 *effluxit. Atque hæc de scriptionis anno.*

Temere dicitur ejus biographus sacerdos seu parochus Devotensis.

4 *Unde vero Gallicarum litterarum historiographi eruerint S.* Anastasii *biographum sacerdotem et forte parochum Devotensem fuisse, fateor me id prorsus ignorare. Minime quippe id in ipsa Vita indicatur : ait quidem Galterius in prologo se amicum esse Petri, Devotensis ecclesiæ subdiaconi, ejusque fratris Bernardi; se scribere ut eorum petitioni satisfaciat, et posteritatis ædificationi con-*
B *sulat; at nihil præterea, quod ad hanc rem faciat. Et quidem nescio an ipsum initium prologi contrarium indicet : quis enim Devotensis, de vico suo agens, sileret se popularem esse atque nude sic scriberet :* Galterius Petro Devotensis ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus prosperitatem? *Quis parochus Vitam scriberet parœciæ suæ patroni, et nusquam innueret sese participare hoc patrocinium? Quapropter malo cum Mabillonio in suspenso relinquere litem de scriptore, quam quid certi signans cum citatis historicis aleam errore forte plenam volvere. De Galterio tamen certo dici potest eum monachum Cluniacensem non fuisse, quoniam de S. Hugone tamquam de viro a se alieno loquitur; sed indubium fere esse eum pleraque S.* Anastasii *gesta doctum fuisse a monachis Cluniacensibus, illi manifestum fore confido, qui animadverterit vix quidpiam in hac narrari Vita quod S. Hugonis gestis non annectatur. Cæterum quanta cura illud opusculum perfecerit Galterius ad calcem prologi signat his verbis :* Rogo ergo, et obnixe supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, *etc.*; *quæ demissi animi formula factas ab auctore investigationes*
C *patefacere solet. Quibus ex Mabillonio addere juverit, quo pacto hæc Vita primum viderit lucem : quod ipse in Observationibus præviis n.* 1 *sic explanat :* Hanc vero Vitam debemus illustrissimo ecclesiæ principi Antonio Petro Bertier, Rivensium antistiti, qui codicem MS., in quo ipsa habetur, ex ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis acceptum humanissime cum uno e nostris communicavit, quam ille statim exscriptam ad nos transmisit, Actis Sanctorum Ordinis nostri inserendam. *Quam sortem circa alias Sanctorum Vitas nobis quoque apprecamur. Jam de Sancti nostri gestis; et primo quidem de pueritia.*

S. Anastasius, *liberaliter educatus,*

5 *Anno natali S.* Anastasii *determinando opportuna instrumenta præsto non sunt. Eum tamen ineunte sæculo undecimo, circa annum forte vigesimum, natum esse absque periculo affirmare licet, cum id ex tota ejus vitæ serie elucescat. Patria ei Venetiæ fuerunt, et* nobile genus secundum dignitatem hujus mundi, *ut Galterius fere loquitur. Parentibus suis magnæ curæ fuit liberalis ejus educatio; quod quidem eis eo facilius fuit, quo nobilius eo* D *tempore florere inciperent in Italia studia, ubi tamen non ita pridem omnis eorum vigor atque decus neglecta fuerant. Prodigia itaque jam non erant, qui latinæ linguæ peritiæ græcitatis notitiam adjungerent. Circa annum quippe* 1085 *scribebat Landulphus senior in Historia Mediolanensi* (*b*), Guibertum archidiaconum utriusque linguæ magistrum *et* Ambrosium Biffium in latinis et græcis litteris eruditum atque ideo biffarium dictum. *Eadem sors obtigit nostro* Anastasio, *de quo ejus biographus num.* 2 *sic disserit :* A primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. *Cæterum cum Muratorius de Litterarum statu, neglectu, et cultura in Italia, ab invasione barbarorum usque ad annum* 1100, *contexuerit non indoctum commentarium* (*c*), *satis pro instituto nostro fuerit lectorem ad eum remisisse. Monendum tamen est, nihil a Muratorio proferri; quod propius ad scholas Venetas spectet : qui defectus quoad hoc sæculum pertinet, non suppletur ab his, qui ex professo de litteris Venetis scripserunt, atque mihi innotescunt. Dubium itaque nobis*
E *est an S.* Anastasius *Venetam deseruerit terram, alibi humaniores litteras edocendus. Cæterum de ejus bonarum litterarum amore seu cum doctis commercio, postea recurret aptior dicendi locus.*

vitam monasticam amplectitur in Periculo-Maris; quod quo tempore fecerit, in ambiguo est.

6 *Peractis studiis, paravit se* Anastasius *ad vitam monasticam, corpori edomando, spirituique oratione exercendo seriam operam navans. Peragravit deinde universam Galliam, quærens sibi cœnobium, ubi arctius cum Deo conjunctus viveret, donec tandem venit ad mare Britannicum, ad fines diœcesis Abrincensis in Normannia, ubi solitudo Montis Sancti Michaelis in Tumba, seu in Periculo Maris* (Mont-S.-Michel) *votis suis explendis visa est opportuna. Annus autem quo id factum est inexplicabilibus fere tricis a Mabillonio involvitur : etenim in Observationibus præviis ad Vitam ita scribit :* Discimus ex ipsa Vita Beatum Anastasium circa sæculi hujus undecimi medium in monasterium Sancti Michaelis in Periculo-Maris dictum secessisse, eo scilicet tempore quo abbas simoniaca labe infectus, cujus nomen reticuit, eidem cœnobio præerat. Hoc autem anno circiter MLVIII aut sequenti contigisse conjicimus, quod his duobus annis nullus in catalogis aut veteribus instrumentis mo-
F nasterii Sancti Michaelis abbas memoratus occurrat, quod forte simonia notatus inter ejusdem loci abbates locum non meruerit. Et quidem cæteros abbates qui eidem monasterio hoc sæculo præfuerunt, simoniaca peste tactos fuisse non legimus. *Sic ille hoc loco; et pergit culpans Arturum Monsterium, qui ad hoc tempus male quemdam Fulconem catalogo abbatum immiscuit. At prorsus alia alibi occurrunt : Annales enim Benedictinos scribens, ad annum* 1048 § XLIII (*d*) *ita loquitur :* Haud levis suspicio est, Supponis abbatis tempore Anastasium nobilem Venetum latine et græce doctum, in Montem Sancti Michaelis accessisse, ibique monasticum habitum induisse : ubi magnam invenisse dicitur congregationem monachorum religione præstantium, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. *Quibus verbis Mabillonius decem saltem annis citius S.* Anastasium *ad Montem S. Michaelis devenisse innuit, siquidem Suppo anno* 1048 *post quindecim gubernii annos pedum ponere et ad pristinum suum Fructuariense monasterium, quod situm erat*

(*a*) Col. 464. — (*b*) Lib. III, cap. XXI et XXIII ap. Muratori Scriptt. Rer. Italic., t. IV, p. 108 et 110.—(*c*) Antiq. Ital. Medii Ævi dissert. XLIII, t. III, col. 809 et seqq. — (*d*) T. IV, p. 455.

in

A *in diœcesi Eporediensi* (Ivrea), *ut habet Mabillonius* (*a*) *et Lubinus* (*b*), *non autem in Vercellensi, ut male statuit Robertus de Monte* (*c*), *recedere coactus fuit.*

Probatur id ab eo factum sub abbate Suppone,

7 *Duplex itaque est Mabillonii sententia, aliter in Actis Sanctorum, aliter in Annalibus sui Ordinis scribentis; quod celeberrimo viro aliquando accidisse satis cognoverunt eruditi. Posteriorem sententiam amplexi sunt ejus sodales in Historia litteraria Galliæ* (*d*); *eamque tenendam esse nos quoque arbitramur, tum quoniam ea non fuit Supponis probitas, ut extra omnem suspicionem sit, tum quoniam plures suadent rationes, id neque ante neque post Supponis tempora accidisse : atque hæc rationum momenta jam explicanda sunt. Imprimis non recte a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis statui, Supponem non legi* simoniaca peste tactum fuisse *facile evincere est. In Chronicis scilicet scriptoris domestici, Roberti de Monte, sæculo* XII *abbatis S. Michaelis in Periculo Maris, reperimus sequentia* (*e*) : Reliquias (*SS. Laurentii et Innocentii Martyrum*) et partem corporis Sancti Agapiti Martyris, scilicet carnem cum costis quattuor, Suppo abbas Montis a monasterio Sancti Benigni Fructuariensis, ubi prius
B fuerat abbas, et prece et PRETIO ad monasterium Sancti Michaelis adportavit. *Unde liquet non ita horrori fuisse Supponi res sacras pretio seu simoniace comparare. Prœterea in altero Chronico Montis S. Michaelis, edito a Labbeo in Bibliotheca nova MSS.* (*f*) *legimus de Suppone nonnulla alia, quæ minus ei favent :* Eodem anno (1023), *inquit chronographus,* Suppo, abbas Fructuariensis, suscepit donum abbatiæ Sancti Michaelis. Et dum laboraret in renunciatione Fructuariensis monasterii, et in adeptione integra Montis, duo abbates rexerunt abbatiam S. Michaelis, videlicet Almodus, abbas Cæsarii (*Cerasii in diœcesi Bajocensi* (*g*)), alter Theodericus abbas Gemeticensis, *qui tamen non simul, sed successive abbatiale tenuerunt pedum, ut ex Gallia Christiana* (*h*) *et ex ipso jure canonico, biceps gubernium vetante, facile intelligere est. Jam vero integrum decennium laboravit Suppo, priusquam votorum suorum compos factus est, ut ex his Chronici verbis liquet : Anno* MXXXIII ordinatus fuit Suppo abbas, *non volentibus monachis, sed Roberto, Normanniæ duce, cogente Almodum, qui palam ut abbas recognoscebatur* (*i*), *ut succederet, quemadmodum habemus ex Gallia Christiana* (*k*).
C Multa bona (*Reliquias* (*l*) *scilicet et vasa sacra* (*m*)) contulit abbatiæ, *ut loquitur citatum Chronicum, et duo monasteria a principibus cœnobio suo adeptus est, ut in Gallia Christiana docetur* (*n*); *verumtamen, ut Montis Chronicum denuo testatur, perseveravit in eum monachorum simultas, adeo ut* propter odium monachorum recesserit, et reversus sit ad solum proprium. *Dilapidationi bonorum monasterii odium illud tribuit Gallia Christiana* (*o*), *testem neminem indicans, sed verisimilius usa Historia MS. Montis S. Michaelis, conscripta a D. Huynes, monacho Benedictino, atque nunc, ut Paulus Marchegay* (*p*) *tradit, in bibliotheca publica Abrincensi conservata. Verum is, qui abbatiam suam duobus asceteriis auxit, vix alio modo hanc incusationem incurrere potuit, quam vendendo ea, quæ prius emerat, ut emptionis suæ pretium solveret. Quibus si addas Galliam Cisalpinam seu Longobardiam* solum proprium *Supponis fuisse, ut habet Chronicum, et proin* D
valde mirum fore si monachi Normanni tam longe sibi abbatem quæsituri ivissent; dein illa Chronici verba donum abbatiæ, *acceptum a Suppone, nihil canonici sapere; et demum dubium esse non posse, quin præter Ecclesiæ leges id S. Michaelis cœnobium subintraverit, cum duodecim annos laborarit ut abbatialem baculum e manibus alius eriperet; indubium fit Supponi quadrare Galterii verba.*

8 *Diximus dein neque ante neque post Supponis* *ante annum 1048,*
tempora collocari posse simoniacum illum abbatem. Nam quod pertinet ad anteriora tempora, universa Vitæ series S. Anastasii, *ut legenti patet, omnino non sinit, ut ille Sanctus ante annum trigesimum tertium sæculi* XI, *quo Suppo abbas factus est, ad Montem S. Michaelis accesserit. Neque minorem difficultatem incurrunt posteriora, a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis assignata, tempora, seu biennium post annum* 1058, *quo catalogus abbatum vacat. Scilicet cum simonia realis, de qua hic agitur, exsistere nequeat, nisi unus sit venditor et alter emptor; atque in præsenti supposito venditor ille vel Guillelmus Nothus seu Conquæstor, ad quem ex decessorum jure, pertinebat Mons S. Michaelis* (*q*), *vel ipsi monachi dicendi sint; facile* E
demonstrare est, neque Guillelmum, neque monachos hujus criminis incusari posse. Ipsa enim S. Anastasii *Vita n.* 3 *vindicat monachos, ubi tradit in Periculo Maris a Sancto nostro* inventum *fuisse* magnam congregationem monachorum, in omnibus religiosorum, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. *Similiter, nisi Guillelmum Pictavensem, scriptorem coætaneum et ipsius Guillelmi Conquæstoris capellanum, qui* quæ oculis suis viderit indubitanter enucleare studuit, (*ut loquitur de eo Ordericus* (*r*),) *erroris arguere libeat, hic nævus in Guillelmum Nothum conjici nequit : audiatur itaque Pictavensis :* Hinc namque summo studio cœpit Ecclesiis Dei patrocinari, causas impotentium tutari, jura imponere quæ non gravarent.... Rebus enim illicitis nimia ubique, ut supra docuimus, licentia fuit. Denique cœpit omnino a familiaritate sua removere, quos imperitos aut pravos dinoscebat; sapientissimorum vero optimorumque consiliis uti, externis inimicis fortiter resistere, obsequia debita a suis potenter exigere. *Talis jam erat Guillelmus ante annum* 1046, *quod ex subsequentibus biographi verbis liquet :* Cum
F hæc initia suum splendorem Normanniæ et antiqui status tranquillitatem jam redderent.... *Cætera legesis apud D. Bouquet* (*s*).

9 *Luculentius hæc Ordericus Vitalis explanat et* *non vero inter annum* 1058 *et* 1060
multo apertius declarat quid Guillelmus de simonia senserit. Pauca ex eo referre non piget, quoniam Christianus Lupus (*t*) *falso scripsit simoniæ scabiem resumptam fuisse a Guillelmo Conquæstore : sic porro loquitur Ordericus* (*u*) : Præsules et abbates aliosque sapientes consiliarios convocabat; et eorum consilio quis melior et utilior tam in divinis rebus quam in sæcularibus ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito et sapientiæ doctrina provisio sapientum eligebat, benevolus rex dispensatorem et rectorem episcopatus vel abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem LVI (*ex Guillelmo Malmesburensi,* LII) annis custodivit,

(*a*) T. IV, p. 152. — (*b*) Brev. Notit. Abbat. Ital, p. 151. — (*c*) Chron. Roberti de Monte, ap. Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (*d*) T. VIII, p. 163. — (*e*) Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (*f*) T. I, p. 351. — (*g*) Mabillon Ann. Bened., t. IV, p. 355, et Gall. Christ., t. XI, col. 409. — (*h*) T. XI, col. 515. — (*i*) Cfr diploma Alani, Brit. ducis, quod est ap. Mabill. Annal. Bened., t. IV, app. n. L, p. 668. — (*k*) T. XI, col. 515. — (*l*) Ibid. l. c. — (*m*) Mabill. Annal. Bened., t. IV, p. 455. — (*n*) T. XI. col. 515. — (*o*) Ibid. loc. cit. — (*p*) Archives d'Anjou, p. 230. — (*q*) Cfr Chronica S. Mich. Labbe Bibl. MSS., t. I, p. 347 et seqq. et Gall. Christ., t. XI, col. 512. — (*r*) D. Bouquet Rec. des hist. de Fr., t. XI, p. 75. — (*s*) Ibid., p. 76. — (*t*) Decret. Synod. gener. ac prov. dissert. præv. II de Simonia, t. IV Oper., p. 63. — (*u*) D. Bouquet, t. XI, p. 242.

quibus

A quibus regimen in ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit; . . . Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat; et ideo in eligendis abbatibus vel episcopis non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem et sapientiam personarum considerabat. *Quibus consona sunt hæc, quæ vigilantissimus Pontifex, S. Gregorius VII, ad legatum suum in Galliis, Hugonem Diensem, anno* 1081 *scribebat* (*a*) : Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat, tamen in hoc quod ecclesias Dei non destruit neque vendit, ... cæteris regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit. *Unde palam fit quam graviter Christianus falsus sit; et reapse exemplum quod affert de episcopo Conventriensi tanquam sententiæ suæ fulcimen, non anno* 1077, *ut vult Lupus, sed pluribus annis post mortem Guillelmi Conquæstoris accidit : de quo ipso exemplo videat curiosus lector Annales Ecclesiæ Anglicanæ ad annum* 1093 *numero* 42 (*b*). *Atque ex his quidem satis apparet Guillelmum Nothum seu Conquæstorem non eum esse, qui sacrilegus nundinator vocitetur : quam ob rem improbabilis mihi prorsus est sententia hagiographorum Benedictinorum, eorumque sequacium*
B *Ceillier* (*c*) *et Butler in Vitis Sanctorum ad* XVI *Octobris* (*d*), *qui Sanctum nostrum anno* 1058 *ad Montem S. Michaelis advenisse statuunt. Atque hæc eorum assertio eo magis improbabilis est, quod omnino caducum est fundamentum, cui innititur. Nam, quod catalogus abbatum ab anno* 1058 *ad* 1060 *vacat, non est quod miremur, nedum quod simoniacum abbatem, ut Mabillonium opinantem n.* 6 *vidimus, expunctum credamus; quandoquidem nihil urgebat sæpe dictum Guillelmum, Normanniæ ducem, dein Angliæ regem, qui penes se servabat jus S. Michaelis abbatem designandi, ut quam primum eo jure uteretur, cum ita provisum esset Montis regimini, ut Ranulfus in Chronico cœnobii ab anno* 1053 *abbas designetur* (*e*), *licet vices solummodo suppleret Radulfi abbatis, qui medio tantum anno* 1058 *in itinere Hierosolymitano vita functus est. Post hujus itaque mortem facile continuare poterat Ranulfus Montis gubernium; quod cæterum ab anno* 1060 *usque ad* 1085 *cum abbatis titulo rexit* (*f*). *Atque ex his satis verisimiliter statui posse arbitramur S.* Anastasium *ante annum* 1048, *quo abiit Suppo, ad Periculum Maris accessisse et inde*
C *post unum annum recessisse.*

Licet certum sit S. Anastasium *vere monachum fuisse in Monte S. Michaelis,*

10 *Secunda quæstio, quæ moveri meretur circa* Anastasium *nostrum, in Normannia commorantem, hæc est : fueritne novitius tantum in Monte S. Michaelis, an potius religiosæ vitæ professionem emiserit? Verum eum non novitium tantum, sed et professum monachum illic fuisse, non probabile tantum, sed et certum est : nihil enim obstat, quod Galterius scribit, nempe eum* doluisse *quod* in laqueum nefandi hostis pœne ceciderat; *cum illa locutio plures explicatus facile admittat. Eum autem verum fuisse monachum, deducitur ex eo, quod Galterius liquido dicit eum* habitum optatum *illic* suscepisse, *et inferius ipse* Anastasius *S. Hugoni narrasse dicitur* quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset, *etc. Jam vero habitus monachalis saltem usque ad sæculum duodecimum non assumebatur in Gallia ante professionem : nam omissa etiam S. Benedicti regula, quæ cap.* LVIII *aperte id declarat, præscribit illud idem canon* XXXIV *concilii Aquisgranensis anni* 817 *his verbis* (*g*) : Novitius nec tondeatur nec vestimenta
D pristina immutet priusquam obedientiam promittat. *Quæ quidem lex tantopere S.* Anastasii *tempore vigebat, ut ejus coætaneus S. Petrus Damiani in opusculo* XVI *vehementer exagitare non dubitet episcopum Maurum, qui asseruerat virum quempiam non obligari ad servandum habitum, quem in morbo assumpserat; quam sententiam ex sacris canonibus omnimode evertit :* Ecce, *inquiens,* juxta Gelasiani decreti sententiam, quacumque occasione etiamsi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel induitur, funditus sibi redeundi ad sæculum licentia denegatur : *quod inferius multo acrius etiam urget; unde liquet habitum monachalem id temporis assumptum tantum fuisse, cum quis, post exactum qualecumque probationis tempus, obedientiam promitteret.*

ut duplici probatur argumento, mirus tamen non est ejus discessus

11 *Licet autem S.* Anastasius *annum tantum in Monte S. Michaelis degerit, ipse modus, quo id narrat Galterius, alterum argumentum est : nam, cum scribit* factum esse post revolutum annum, *ut de abbatis simonia audiret, satis innuit eum tirocinio jam functum esse; cum S. Benedicti regula unum tantum probationis annum præscribat, nisi morum conversio nondum ea sit, quæ monacho*
E *digna dicatur; quod in* Anastasio *præsumi non potest. Verum audio qui sciscitentur, quid ergo abierit? quid, relicto monasterio,* in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ in ipso introitu maris, *in Tumbalenia scilicet, vicina Monti S. Michaelis,* solus manere cœperit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans? *Responsio in promptu est : variæ exstabant hoc tempore sententiæ circa modum quo a subditis habendi essent simoniaci præpositi; quarum una, a S.* Anastasio *in usu posita, ea erat, simoniacos aperte hæreticos esse et paganis noxiores devitandos. Atque hæc late diduxit cardinalis Humbertus tribus libris, a Martenio tomo V sui Thesauri Anecdotorum editus; in quibus palam quoque acriterque docet simoniacos a catholicis non tantum quoadusque synodaliter deponantur, sed ne quidem ad horam tolerandos esse.*

in vicinam Tumbaleniam; quo eum secutus videtur Robertus de Tumbalenia.

12 *Unde facile intelligitur quomodo fieri potuerit, ut S.* Anastasius *crediderit Montem S. Michaelis fugiendum sibi esse. Eamdem sententiam, suadente forte nostro Sancto, videtur amplexus esse Robertus de Tumbalenia, de quo inferius paulo plura, et quem Mabillonius non dubitat eum fratrem dicere, ex quo S.* Anastasius *didicit abbatem simoniacum fuisse :* Certe, *inquit* (*h*), hoc ipso tempore uterque (*Robertus et* Anastasius) vivebat in monasterio Sancti Michaelis; *quin etiam maxime verisimile est Robertum comitem se dedisse S.* Anastasio, quamdam insulam ingresso in ipso introitu maris, et in
F basilica quadam Dei Genitricis Mariæ solo mansuro. *Etenim hæc ultima verba non ita urgenda esse, ut omnem comitatum excludant, sed iis perhiberi sanctum virum eremiticam vitam, cum antea cœnobiticam duceret, amplexum esse, facile unusquisque concedet : porro, ut inferius ex communi scriptionum quarumdam interpretatione videbimus, fruebatur Robertus S.* Anastasii *societate, et præterea nomen* de Tumbalenia *ex hujus insulæ incolatu Roberto adhæsisse videtur. Nam quod insula, S.* Anastasii *mansione honestata, Tumbalenia, Tumbella seu Tumbellena est, in dubium revocari nequit, cum alia illic in introitu maris Britannici non reperiatur; dein quod Robertus agnomen suum* (*i*)

(*a*) Lib. IX, epist. V. Labbe Concil., t. X, col. 281. — (*b*) Alfordii, alias Griffith, Fides reg. seu Annal. Ecc. Angl., t. IV, p. 126.—(*c*) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 696. — (*d*) T. XVI, p. 12. Edit. Lovan. — (*e*) Chronica S. Michaelis, Labbe Bibl. nov. MSS., t. I, p. 351. — (*f*) Cfr cit. Chron., p. 348, 350 et seq., et Gall. Christ., t. XI, col. 515.—(*g*) Harzheim Concil. German., t. II, p. 5.—(*h*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 489.—(*i*) Contrarium habet Ceillier Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46.

eam

A *eam inhabitando accepisse dicitur, ita verisimile est, ut non facile alia ratio inveniri queat. Sæculo quidem insequenti abbas S. Michaelis, Bernardus, prioratum aliquem illic instituit; verum id etiam temporis ita deserta erat illa rupes, ut, licet Mons S. Michaelis vix incolas aliquot admitteret, magis etiam vitæ solitariæ faveret Tumbalenia : nam eo animo aliquot illic ab eo erectas fuisse cellulas tradit Gallia Christiana* (*a*), ut illuc quandoque cum selectis fratribus secedens attentius vacaret orationi. *Unde satis colligitur monticulum hunc primum ab eremitis et monachis, non secus ac Montem S. Michaelis* (*b*), *inhabitatum fuisse, neque proin præsumi posse inde agnominatum fuisse Robertum, quod illic in lucem a parentibus editus foret. Neque est quod quis adversus hæc objiciat basilicam, quæ illic esset Deiparæ dicata, præsupponere accolas tum illic degisse : cum satis notum sit cellulis oratoriis basilicæ nomen sæpe sæpius inditum fuisse : cæterum ipsa S.* Anastasii *Vita, qua novimus solitarium illic eum vixisse, satis demonstrat alios nullos habitatores in exiguo illo scopulo sedem habuisse suam.*

S. Anastasii *et Roberti amicitiam participare cupit S. Anselmus;*

13 *Quam sancte autem illic ambo degerint, colligere licet ex epistola* III *libri* I *S. Anselmi* (*c*) *inscripta :* Domino dilectissimo, reverendo monacho
B Roberto, frater Anselmus Beccensis, inter sancte conversantes tantum minimus; *quam communis eruditorum sententia ad Robertum de Tumbalenia datam fuisse ut certum habet : quod ut constet appellare suffecerit Mabillonium in Annalibus* (*d*), *scriptores Historiæ litterariæ* (*e*), *Ceillier* (*f*), *Butler in Vita S.* Anastasii, *etc. Quam vero fundata sit ista conjectura facile quotusquisque videbit, qui inspexerit locorum, temporum, personarumque adjuncta : quocirca minime quoque dubitamus quin* Anastasius *noster laudetur in sequentibus S. Anselmi epistolæ verbis :* Age ergo, vir venerabiliter amabilis, et amabiliter venerabilior; certus esto, dum vivo, de hac nostra voluntate, et sollicitus esto de perficienda in me, quæ tua erit, charitate. Si enim oraveris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur.... Quod ut efficacius efficias, precor, obsecro, ut illi sancto viro Anastasio, cujus desiderabili societate frueris, me commendando, quantum absentem potes, notum facias, ut et illum amicum tuum mecum communices, et me servum tuum cum illo participes. Quatenus ex hac die dum vivimus, per te et tecum et ego illum venerer amicum alterum
C Robertum; et ille possideat servum eumdem Anselmum. Quia enim non sum dignus, non audeo petere, quod tamen velle præsumo; ut ego velut alter Robertus utar eodem Anastasio, et ipse me fruatur quasi altero Roberto : cujus bonus odor jam per multos hujus patriæ suaviter diffusus, quanto delectabilius animæ meæ fragrat, tanto ipsa ad ejus amicitiam et notitiam ardentius flagrat. Quas jam, ex quo vitam ejus audivi, habeo et amplector, quantum possum; et oro oret et ipse mecum, ut tanto nobis crescant, quantum in Deo crescere possunt. Ambo, charissimi, valete. Obsecro, in Babylonia sentite id ipsum, ut in Hierusalem participetis in id ipsum. Non hoc dico quasi timens vobis aliquando discordiam venire; sed vere cupiens a vobis numquam concordiam abire. *Sic S. Anselmus ad Robertum de Tumbalenia; qui ex sequenti numero melius etiam dignoscetur.*

14 *Etenim is est Robertus, qui usque ad an.* 1066 *aut in Monte S. Michaelis aut dein in Tumbalenia monachus fuit, unde in præposituram S. Vigoris Bajocensis assumptus est, et qui, cum Odo episcopus Bajocensis in Anglia carceris mærorem sustineret, Romam profectus est; ubi, a S. Gregorio VII Papa* D *detentus honorifice, usque ad mortem ipsius Pontificis Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ, ut Mabillonius* (*g*) *et Gallia Christiana* (*h*) *tradunt ex Orderico Vitali lib.* VIII *Historiæ ad annum* 1087 (*i*). *Præterea Robertus, ut idem Ordericus declarat* (*k*), inter reliqua peritiæ suæ argumenta, brevem et luculentam, sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem in Ecclesia dimisit : *quæ ad Sanctum nostrum nonnihil spectat. Verumenimvero quantopere jam disceptatum fuerit de hac Expositione, apud plurimos videre licet, imprimis apud Oudinum in Commentariis de scriptoribus Ecclesiasticis* (*l*). *Nunc autem prævalet apud doctos sententia* (*m*), *Expositionem, quæ pridem sub S. Gregorii Magni nomine circumlata fuit, quam iterum edidit Oudinus, et cujus prologum Mabillonius in Analectis* (*n*) *publici juris jam ante fecerat sub Roberti de Tumbalenia nomine, reapse fœtum esse hujus Roberti. Quod vero propius ad rem nostram pertinet, Mabil-* E *lonius in edenda S.* Anastasii *Vita suspicatus est hanc expositionem suadente* Anastasio *nostro scriptam fuisse, quoniam prologus hæc habet verba :* Mihi tamen amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto libellum, rogatus cœpi, multotiens admonitus perfeci. Rogavit me dominus Anastasius dilectissimus frater et dominus meus : admonuerunt vero cum illo et alii multi, non tantum pensantes mihi innatam stultitiam, quantum amantes tam secretorum verborum qualemcumque sibi clarere peritiam. *Quod tam timide proposuerat Mabillonius in Actis Sanctorum, audacius dein affirmavit in Annalibus ad annum* 1048 (*o*), *et post eum scriptores Historiæ litterariæ Galliæ* (*p*). *Quibus assentiendum esse ducimus.*

Robertus, hortante, ut videtur, nostro Sancto, scribit commentarium in Cantica Canticorum;

sed ipse S. Anastasius

15 *At quædam quoque scriptio exstat, quæ ipsi nostro* Anastasio *a pluribus tribuitur : en ut Ceillier* (*q*) *magnam hujus controversiæ partem exponat :* Parvum tractatum de Eucharistia, qui epistolæ rationem referat, nobis reliquit S. Anastasius. Aliquandiu tributus fuit (*a Dacherio scilicet in notis ad Lanfrancum* (*r*) *et a Dupin in Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum* (*s*)) cuidam monacho S. Sergii Andegavensis, duas ob causas : I quoniam F MS. codex, unde eum descripsit Dacherius, in S. Sergii monasterio servabatur; II quoniam iste tractatus inscriptus erat GERARDO abbati S. Albini ejusdem civitatis. Sed notetur necesse est, nomen GERARDUM in MS. non integrum legi, sed initialis tantum apparet littera G, et in alio MS. codice loco G legi W; quod Willelmum aut Guillelmum potius quam Gerardum denotat. Quamobrem Mabillonius in Annalibus lib. LIX § LXXX (*t*) æstimat libellum scriptum fuisse ad Guillelmum abbatem Cormeliensem, olim monachum Beccensem, atque ex hoc forte tempore Anastasio notum. *At tertia sententia, quam secuti sunt Benedictini sodales, qui S. Anselmi opera edidere, adscribit illud opus S. Anselmo, et illud* G. Gislebertum *esse interpretantur; verum hæc interpretatio pugnat cum MS. codice, de quo Mabillonius, et totam epistolam talem non esse*

(*a*) T. XI, col. 518. — (*b*) Beaunier Rec. des archevêchés, etc., t. II, p. 726. Cfr annot. *f* ad Vit. S. Anast. infr. — (*c*) Oper. Omn., p. 312 et seq. Edit. 1675. — (*d*) Ad annum 1048, § XLIII, t. IV, p. 456.—(*e*) Hist. litt. de Fr., t. VIII, p. 163.—(*f*) Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46. — (*g*) Annal. Ord. S. Bened., lib. LXIX, § XLIV, t. V, p. 345. — (*h*) T. XI, col. 404. — (*i*) Cfr D. Bouquet, t. XII, p. 626. — (*k*) Ibid., l. c. — (*l*) T. II. col. 768 et seqq. — (*m*) Cfr Hist. litt. de Fr., t. VIII, p. 338. — (*n*) p. 128 posterior. edit. — (*o*) T. IV, p. 456. — (*p*) T. VIII, p. 163. — (*q*) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 697. — (*r*) p. 21. — (*s*) Bibl. des Aut. Ecclés., t. VIII, p. 11. — (*t*) T. IV, p. 471.

A *qualem S. Anselmus ad Gislebertum scripsisset, perspiciet unusquisque, qui eorum ætatem, et familiarem verecundamque consuetudinem attenderit; quod ex S. Anselmi epistolis facile factu est.*

non scripsisse videtur Epistolam de S. Eucharistia.

16 *Propterea tamen non ii sumus, qui raptim sequamur Ceillier, Butler, et scriptores Historiæ litterariæ Galliæ. Displicet enim eorum promptitudo, qua se Mabillonii sequaces autumant, cum plane tamen affirment S.* Anastasium *illud opusculum condidisse, licet Mabillonius hic denuo duplicem sententiam inierit, in Analectis* (*a*) *re quidem vera indubitanter hunc libellum S.* Anastasio *adscribens, sed in Annalibus* (*b*), *ubi multo accuratior esse solet, quam cautissime de hac re loquens, adeoque* verisimiliter, ut videtur, *hanc scriptionem S.* Anastasii *esse conjectans. Neque certum est argumentum, quod Historiæ litterariæ scriptores eruunt ex enumeratione Sanctorum Patrum, quos fidei catholicæ testes adducit auctor anonymus; ajunt scilicet hoc eruditionis specimen, si conferatur cum doctrinæ laude quam Sancto nostro impertit ejus biographus, et expendantur locorum et temporum adjuncta, non relinquere spatium inquirendi alius Anastasii, cui hoc opusculum assignetur. Verum cum gratis omnino*

B *supponatur littera A.* Anastasium *designari, gratis quoque omnino negatur, quidquid tali superstruitur fundamini. Et præterea si attenditur S.* Anastasium *unum tantum annum in Monte S. Michaelis degisse, et deinde in Normanniæ et Britanniæ oris* solum mansisse, *ut loquitur biographus, non intelligitur quo pacto alicui epistolæ umquam præmittere potuerit :* Domino G. abbati, olim CARISSIMO FILIO, nunc Deo propitio venerabili patri frater A. *Quamobrem ob ipsum titulum Sancto nostro abjudicari posse arbitramur hanc epistolam, quæ* CV *lib.* IV *epistolarum S. Anselmi* (*c*) *est, quamque legere licet apud Dacherium in notis ad Lanfrancum* (*d*) *et apud Bulæum in Historia Academiæ Parisiensis. Jam vero si quæratur cuja tandem sit, malo ignorantiam fateri, quam minus prudentem esse. Satis fuerit dixisse opusculum illud scriptum fuisse a viro docto atque orthodoxo ad abbatem quemdam, ut videtur, Normanniæ, qui ei* jusserat ut quidquid crederet de corpore et sanguine Domini, sibi patefaceret. *Scripsit ad eum monachus* eximiorum doctorum testimonia, quatenus abbati satisfaceret se vel optime credere, vel solerti vigilantia vel sagaci perquisitione hæc indagasse. *Quæ verba induxere Dacherium, Bulæum et Dupin ad*

C *æstimandum hoc opusculum pristini erroris ejurationem esse. Feliciorem forte secuti fuissent sententiam, si opinati essent anonymo auctori dubium fuisse, quid intenderet venerabilis suus pater, velletne in fidem suam inquirere, quod ubique Berengarii nomen streperet, an vero in hujus asseclas aliquod novum vibrari telum : quæ quidem ex epistola illa elicere licet, nihil vero quod errorum ejurationem sapiat. Atque hæc de gestis, quæ S.* Anastasio, *in Normannia versanti, affiguntur. Superest ut inquiramus, quando inde pedem retulerit.*

Mansit probabiliter S. Anastasius *in Tumbalenia usque ad annum* 1067 *aut paulo tardius,*

17 *Verum cum ex ejus biographo Galterio n.* 4 *tantummodo noverimus beatum eremitam* aliquanto tempore *in Tumbalenia* vita eximiæ conversationis claruisse, *donec Hugo, Cluniacensis abbas, cœnobia sua visitans, illac transiret, liquet quidem præsentis quæstionis nodum solutum iri, si alicunde sciretur, quo anno cœnobia Normanniæ visitaverit S. Hugo; ast S. Hugonis vita, licet maximis negotiis, posteriore sæculi undecimi parte transactis, illigetur, ita a pluribus conscripta est, ut nulla fere chronotaxis inde componi queat. Hildebertus quidem, Cenomanensis præsul, cap.* III *Vitæ S. Hugonis scripsit :* Consolationis gratia pius pater loca visitare consueverat, quæ monasterium Cluniacense contingunt (*e*); *et jam suo tempore monasteria aut saltem possessiones Cluniacensi cœnobio fuisse in Normannia declaravit ipse S. Hugo in Deprecatorio, quod ipse ultimis suæ vitæ temporibus conscripsit, et bibliotheca Cluniacensis* (*f*) *continet. Ast quo anno illa acquisierit, mihi indaganti reperire non licuit, neque proin ulla temporis nota inde expetenda venit.* D

ut ex Vitis SS. Anselmi et Hugonis

18 *Alio itaque vertendus est stylus : ex epistola S. Anselmi, quam superius ad Robertum de Tumbalenia scriptam fuisse æstimavimus, certo eruitur S.* Anastasium *anno* 1059 *in vicinia Montis S. Michaelis fuisse, quandoquidem Robertus in ea dicitur* desiderabili societate Anastasii frui *et* ambo valere *jubentur. Porro Anselmus se minimum inter monachos Beccenses,* (*ut se inscribit,*) *ante prædictum tempus nuncupare non potuit, quoniam in fine tantum illius anni Beccum ingressus est, ut unicuique chronotaxim Vitæ S. Anselmi volventi sine mora patebit. Quocirca ille me non dissentientem habebit,* E *qui illam epistolam anno* 1060 *aut tardius scriptam fuisse suggeret, dummodo annum tamen* 1066, *quo Robertus de Tumbalenia ad præpositurum S. Vigoris assumptus est, non excedat. Sane circa hæc tempora sæpius in Pictavensem agrum venisse videtur S. Hugo, cum de stabiliendo Novo-Monasterio ageretur, ut ex his liquet quæ sæpius in Commentario de SS. Amando et Juniano num.* 19 *exposita sunt. Unde facile excurrere potuit in monasteria Normanniæ et Armoricæ, non ita disjuncta. Aliud autem spatium aptius non occurrit, siquidem in catalogo abbatiarum et prioratuum Bibliothecæ Cluniacensi* (*g*) *inserto, nullum asceterium mihi obviat, quod adire debuerit, aut adiisse noscatur S. Hugo ante annum* 1070, *quo tempore dubium non est, quin S.* Anastasius *Cluniaci jam versaretur.*

erui tentatur.

19 *Ascendendum tamen esse saltem ad ann.* 1067 *aut alium propiorem, ex eo colligitur quod circa hoc tempus Guillelmus Nothus, Normanniæ dux, nondum S. Hugonem viderat, licet eum summopere videre cuperet : quod duplex assertum petitur ex Bibliotheca Cluniacensi* (*h*). *Istic quippe narratur hunc ducem incredibili reverentia excepisse S. Hugonis* F *benedictionem, quam sibi Warmundus abbas, tamquam legatus deferebat* antequam *sancti Cluniacensis abbatis* colloquio frui potuisset. *Cum vero Warmundus, qui illic abbas dicitur, circa annum* 1067 *abbas Dolensis factus sit, inde quoque sequitur S. Hugonis iter et* Anastasii *nostri in Cluniacum discessum ad hæc tempora differenda videri. Atque exhinc probabile fit S.* Anastasium *viginti circiter annos in insula Tumbalenia vixisse, quandoquidem superius monstravimus eum ante annum* 1048 *e Monte S. Michaelis abiisse. Neque multo longius esse potest hoc spatium, quoniam inferius videbimus* Anastasium *circa annum* 1073 *in Hispaniam missum; quod non factum videtur, antequam commorationem suam aliquot annos Cluniaci protraxisset. Similiter initium ejus vitæ eremiticæ non multum differenda est ante annum* 1048, *quoniam secus, cum in Montem S. Michaelis advenit, non ita sopita esse potuisset memoria initi a Suppone gubernii, quam ut post annum tantum de eo audiret* Anastasius.

(*a*) p. 129. Edit. poster. — (*b*) Lib. LIX, § LXXX, t. IV, p. 471. — (*c*) Opera S. Anselmi, p. 452. Edit. 1675. — (*d*) p. 21. — (*e*) Oper. Hildeberti Cenoman., col. 921.—(*f*) Col. 493 et seqq.— (*g*) col. 1751. — (*h*) Col. 453.

Cur S. Anastasius *post Supponis ejectionem non repetierit suam abbatiam. Recapitulatio chronologica.*

20 *Quod vero S.* Anastasius *post migrationem Supponis et melioris abbatis adventum pristinum suum cœnobium non repetiit, sed eremiticam suam vitam protraxit, ratio absque dubio est, quod his temporibus vita eremitica sanctior meliorque habebatur; cujus sententiæ tum vigentis ipsum S. Petrum* A *Damiani lib.* VI, *epist.* XII *testem dicit Ceillier* (*a*), *eamque B. Simonem, comitem Crispejensem, secutum fuisse tradit ejus biographus* (*b*). *Quæ omnia ut paucis contrahamus, summe verisimile est S.* Anastasium, *circa annum* 1020 *natum Venetiis et in patria bonis litteris laudabilissime eruditum, ante ann.* 1048, *Suppone abbate, ad Montem S. Michaelis devenisse, atque inde non multo post exactum tirocinii annum et assumptam monachalem vestem in vicinam rupem Tumbaleniam cum amico suo Roberto secessisse; ubi cum degeret, S. Anselmus ejus laudes ad socium Robertum scripsit amicitiamque postulavit; Robertus vero, amico hortante, Commentarium in Canticum Canticorum condidit, ipse autem* Anastasius, *qui inde circa annum* 1067 *Cluniacum abiisse videtur, nequaquam scriptiunculam quamdam de sacra Eucharistia, ut quidam scriptores voluerunt, exaravit. Hactenus de priori parte* B *vitæ S.* Anastasii.

§ II. S. Anastasius Cluniacum petit; quæritur quo anno et cur a S. Gregorio Papa VII in Hispaniam missus sit; an ad prædicandum Sarracenis? Mors et Reliquiæ S. Anastasii.

S. Anastasius *mittitur Cluniaco in Hispaniam,*

C*um itaque S. Hugo circa annum* 1067 *aut paulo serius in Normanniæ tractum advenisset, et* per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum *S.* Anastasio retulisset, *ei tandem persuasit ut secum Cluniacum pergeret. Cum vero in hac sanctitatis palæstra plures annos, ut ex narrandi Galterii modo elucet, sese exercuisset, ad amussim regulam sequens et multa ei jejunia, vigilias,* C *genuflexiones, et orationes nocturnas superaddens, exercuisset,* præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ingressus est, ad prædicandum, *inquit Galterius num.* 5, Sarracenis; *quod quo sensu intelligendum sit, quove tempore id factum sit, disquirendum jam est. Cum autem iterum hoc loco ab Hagiographis Benedictinis dissentiendum sit, quid de his senserint prælaudati scriptores consignandum est, ne inauditi judicentur :* Aliam, *inquiunt num.* 3, deprehendimus notam ex Beati Anastasii vita repetitam, scilicet ex ejus in Hispaniam profectione, quam jubente Gregorio VII summo pontifice, et mittente Hugone abbate Cluniacensi, ab eo susceptam fuisse testatur idem Vitæ auctor. Hoc autem iter anno circiter MLXXIV consignamus, scilicet paulo post Alfonsi regis restitutionem, cum Gregorius jam secundum pontificatus sui annum attigisset. Non enim Anastasium ex iis fuisse censemus, quos postea Sanctus Hugo in Hispaniam transmisit, ut ibi disciplinam monasticam restaurarent. Isti nempe in Hispaniis per- D manserunt, variis monasteriis de novo construendis, aut certe veteribus restaurandis intenti; quorum etiam plerique ad episcopales infulas evecti sunt. At Anastasius eo solummodo profectus fuerat, ut Sarracenis Christi Euangelium nuntiaret; hinc, cum se incassum laborare advertisset, in Gallias repedavit. *Quæ quam vera sint, non inutile erit expendisse, quoniam nonnullam lucem inde affundi posse arbitror parti historiæ monasticæ in Hispania, aut si mavis, ipsius historiæ ecclesiasticæ.*

ubi Cluniacenses aliquot jam pridem degebant.

22 *Non tamen est quod in examen vocemus universam disputationis seriem, quam multis jam exagitavit P. Joann. Franc. Masdeu in Historia critica Hispaniæ* (*c*). *Absurda quippe nimis est, quam ut refellatur, quorumdam assertio, qua vita monastica primum in Hispaniam invecta prædicatur ineunte sæculo undecimo a monachis Cluniacensibus. Num vero hoc tempore, scilicet regnante Alfonso Majore, celeberrimi ii monachi quædam monasteria illic occupaverint, quum multis quoque disputetur a prælaudato Masdeu, qui negantem sententiam adstruens adversariorum simul profert argumenta, in quæstionem iterum vocare non libet : verumtamen si admittatur monachos Cluniacenses, Alfonso Majore* E *rege, in Hispaniam non advenisse, caveat tamen lector ne Cluniacenses Hispania excludat usque ad tempora Alfonsi Magni, aliis VI dicti : qui recentium quorumdam scriptorum error est. Hujus enim Alfonsi pater, superioris Alfonsi filius, qui apud plurimos Fredelannus, vulgo autem Ferdinandus dicitur, monasterio Cluniacensi et ejusdem monasterii monacho, Atoni nomine, ecclesiam Sanctæ Agathæ, cui deinde Alfonsus VI monasterium adjecit, dedit atque concessit, additis in censum annuum nonnulla pecunia, et usu prædiorum. Ipsum instrumentum legesis in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem* (*d*). *Omnium vero maxime Cluniacenses promovit in Hispania sæpius laudandus Alphonsus VI, de quo sic Petrus Venerabilis in fine libri* I *Miraculorum* (*e*) : Præter hæc (*censum annuum*) duo monasteria in Hispaniis ex propriis construxit, alia a quibusdam aliis personis construi permisit, et ubi construerentur adjuvit : in quibus Cluniacenses monachos ponens, et unde omnipotenti Deo regulariter servire possent, regia liberalitate affluenter largiens. Et pene mortuum monasticæ religionis fervorem ex parte in Hispaniis reparavit. *At jam propius res inspicienda est.* F

Ex epistola Alphonsi VI regis Castellæ et Legionis

23 *In primis certum est extremis annis pontificatus Alexandri II, et præsertim eo tempore, quo S. Gregorius VII Ecclesiæ gubernacula tenuit, id est ab anno* 1073 *usque ad annum* 1085, *semel et iterum Cluniacenses in Hispaniam abiisse : at ne in latiorem campum excurramus, juvat intra breve spatium totam concludere quæstionem, quæ in hoc fere versatur : quinam comites fuerint Hugonis Candidi, cum a S. Gregorio in Hispaniam deputatus fuit. Plures e comitatu excludunt quemdam Robertum, eumque ante annum* 1070 *in Hispaniam ad Alfonsum regem mittunt, cum tamen Alfonsus tum esset in carcere; alii, ut Sandovalius* (*f*), *Robertum et Marcellinum Hugoni socios addunt, et excludere videntur S.* Anastasium, *aut alium quemcumque. Qua super re primo exhibendum videtur fragmentum litterarum, quas integras edidit Dacherius* (*g*). *In hoc quippe fragmento, quod ipsius Alphonsi VI ad S. Hugonem conscriptum opusculum est, ita quæstionis cardo vertitur, ut ex igno-*

(*a*) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 530. — (*b*) Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. VI, part. II, p. 379. — (*c*) Historia critica de la España. t. XV, p. 252 et seqq. — (*d*) Col. 163. — (*e*) Bibliot. Cluniac., col. 1296. — (*f*) Chron. general, t. XI, p. 100. — (*g*) Spicileg., t. III, p. 407. Edit. poster.

rantia

A *rantia temporis quo scripta sit, necessario multi orti sint errores, etiamnum vigentes; en illud fragmentum :* Quanta te, gloriosissime pater, devotione diligam, melius, ut deputo, ipse cognoscis, quam aliquis doctor in charta scribere possit;* Robertum, quem super omnes monachos teneo excellentiorem et cariorem, vestrumque ex intimo corde fidelissimum confratrem, scientem qualiter tuus amor factus est mihi velut ignis tota die et nocte ardens in corde meo; unde si omnia mihi dedisses, quæ in mundo habere potes, puto nihil esse ad comparationem illius boni, quod causa mei particulam tui gregis, quem spirituali fovisti manu, in nostris partibus misisti. Quapropter gratia Domini te illuminante, ego servus servorum Dei, omnino tuæ subjectus pietati, magis ac magis deprecor paternitatem, ut in bono quod cœpisti perseveres, quatenus aliquos tuæ sanctissimæ religionis domesticos mittere digneris, et ut illum nostrum et vestrum locum, quem tuo sanctissimo fonte incepisti rigare, repleant tua dulcedine, dum in hoc fragili moveor.

* *supplet Mabillonius :* ad te remitto

quæ non anno 1070,

24 *Lucas Dacherius, qui illas litteras Alfonsi ad Hugonen edidit, affigit huic scriptioni an.* 1070; *quod nimia fiducia admisit Mabillonius in suis*
B *Annalibus* (*a*) *ad hunc annum. Verum erroneum esse hunc calculum ostendit primo ipse epistolæ finis, qui sic sonat :* De Romano autem Officio, quod tua jussione accepimus, sciatis nostram terram admodum desolatam esse; unde vestram deprecor paternitatem, quatenus faciatis ut dominus Papa nobis suum mittat cardinalem, videlicet domnum Giraldum, ut ea quæ sunt emendanda emendet, et ea quæ sunt corrigenda corrigat. Vale. *Etenim talia anno* 1070 *scribi non potuere; quandoquidem Giraldus non anno* 1070, *sed anno tantum* 1072 *ab Alexandro II cardinalis creatus sit, ut unanimi voce asserunt Wion in Ligno Vitæ* (*b*), *Ughellus in Italia sacra* (*c*), *Ciaconius in Vitis summorum Pontificum* (*d*), *etc. : unde saltem dicendum foret, hanc epistolam non ante annum* 1072 *fuisse scriptam. At hic sistendum non est, quoniam etiam tardius scriptam fuisse constat.*

sed in priori parte anni 1073 scripta est,

25 *In citata scilicet Alfonsi epistola hæc alia quoque prostant verba :* Ad hæc scito, sanctissime pater, censum quem pater meus illi sanctissimo loco Cluniacensi solitus erat dare (*vide hujus Commentarii num.* 22,) ego annuente Deo, in diebus vitæ meæ duplicabo. *At universi Sancti Hugonis*
C *biographi conveniunt in assignanda hujus duplicationis causa certo alicui facto, certoque anno. Unus pro reliquis audiatur Hildebertus Cenomanensis episcopus, quem vel in suis operibus* (*e*), *vel in opere nostro ad diem* XXIX *Aprilis* (*f*), *vel in Bibliotheca Cluniacensi* (*g*) *latius consule, nos autem hic breviabimus. Postquam itaque biographus ille narravit, quo pacto Alfonsus per episcopum, a B. Petro missum, liberationis suæ diem instare, et Sanctius ab eodem Apostolo in somniis monitus fuisset, ut fratrem suum e carcere liberaret; postquam insuper insinuavit hæc beneficia,* (*quæ tamen Rodericus Toletanus* (*h*) *Petro Usserio comiti, et Urracæ sorori adscripsit,*) *ad preces S. Hugonis cœlitus data fuisse, subjungit :* Sic Ildefonsus et sibi pariter et regno restitutus, ut liberatorem suum videre et colloquio ejus donari mereretur, destinatis apicibus imploravit; *qui apices aut litteræ absque dubio respiciunt supra recitatam epistolam. Dein sic pergit :* Impletur votum potestatis. . . . Exultat rex. . . . Qui ne intercessoribus suis ingratus aliquando videretur, duplicato censu paterno ducentas (*variant* D *in hoc numero S. Hugonis biographi*) auri uncias Cluniacensi cœnobio quotannis disposuit assignari, diem utriusque exitus et de carcere scilicet et de corpore celebrem habere desiderans. Ita vir Dei cum prædicta remeans pecunia, adducebat Maurum, *etc.*

ut, discusso ordine chronologico aliquot gestorum Alphonsi regis,

26 *Verum hæc non uno eodemque tempore facta sunt : anno enim* 1070 *Alfonsus, sive Ildefonsus a Sanctio suo fratre in prælio captus fuit, et in carcere reclusus; istic tamen non diu delituit : nam paulo post memoratam Sanctii visionem fuit inde extractus, non ut libertati restitueretur, sed ut custodiretur in monasterio SS. Facundi et Primitivi, atque illic monachalem vestem indueret; quod* non proposito sed timore *fecit, ait Rodericus. Ast hæc vana et minus stricta vincula non obstiterunt, quin anno* 1071 *effugerit Alfonsus, petieritque aulam regis Toletani, quocum permansit, donec frater suus misere occisus est ineunte, ut videtur, anno* 1072. (*Vide de dubia hac ætate Historiam regum Castellæ et Legionis Sandovallii* (*i*)). *Cum autem tantum post hanc cædem ad finem mensis Octobris, ut Sandovalius* (*k*) *tradit, Alfonsus regno Legionis atque Castellæ potitus sit, et se* regem Hi- E spaniarum *dicere potuerit, necesse est ut prædicta epistola, in qua se* regem Hispaniarum *nuncupat, non ante hoc tempus fuerit scripta : quin etiam inter regni adeptionem et hujus epistolæ scriptionem non nullum intervallum cucurrit; necesse quippe fuit, primo ut summus Pontifex, qui S. Hugoni jubendi jus dedit,* (*ait enim Alfonsus :* Quod tua jussione accepimus, *scilicet jubente S. Hugone nomine Pontificis,*) *eædem Sancii et Alfonsi in regnum restitutionem resciverit, dein ut pontificium mandatum ad S. Hugonem pervenerit, et demum ut hic scripserit ad Alfonsum, atque ut Alfonsus hanc jussionem exsequi tentaverit, ejusque viderit fructus; quibus negotiis tres saltem menses absumpti fuerint. Quæ ita presse sumpta ad initium saltem anni* 1073 *prædictam Alfonsi epistolam referrent.*

S. Gregorii VII

27 *Accuratius adhuc determinari potest hujus scriptionis tempus, et quidem ex his jam supra recitatis verbis, quibus Alfonsus S. Hugoni significat in ditionibus suis magnam desolationem exortam esse ob introductum Officium Romanum; seque propterea ab eo efflagitare, ut curet cardinalem Giraldum a Pontifice in Hispaniam mitti, qui emendet quæ emendanda repererit, et corrigat quæ crediderit* F *corrigenda. Quæ verba si conferantur cum epistola S. Gregorii VII data ad Giraldum Ostiensem et Raimbaldum subdiaconum* II *kalendas Maji anno* 1073 *et cum altera ejusdem Pontificis data ad eumdem Giraldum kalendis Julii ejusdem anni, uno tantum pacto ea explanari posse penitus mihi persuasum est. Giraldus videlicet ab Alexandro II, qui die* XXI *Aprilis anni* 1073 *obiit, in Gallias et Hispaniam legatus fuerat cum Raimbaldo. Mense Majo versabatur in Gallia, ubi receperit priorem, de qua modo dixi, S. Gregorii epistolam, quæ sexta libri* I *apud Labbeum est* (*l*) *et in qua S. Gregorius sic loquitur :* Præterea hæc meminisse debetis quod in litteris quoque domini nostri beatæ memoriæ Alexandri et nostra quoque legatione orati et commoniti fuistis, quatenus causæ Evuli comitis de Rocceio per vos et per antedictum abbatem (*Hugonem Cluniacensem*) favorem addere insisteretis; et cognita pactione, quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scri-

(*a*) Lib. LXIII, § LXXII, t. V, p. 29. — (*b*) T. I, p. 221. — (*c*) T. I, col. 59. — (*d*) T. I, col. 838. — (*e*) Col. 917. — (*f*) Act. SS., t. III April., p. 637. — (*g*) Col. 419. — (*h*) De reb. Hisp., lib. VI, cap. XV. Collect. Pat. Toletan., t. III, p. 130. — (*i*) Chron. general de España, t. XI, p. 110. — (*k*) Ibid., p. 120. — (*l*) Collect. Conc., t. X, col. 9.

pto,

A pto, quod sibi dedimus, una cum consilio abbatis, tales illuc personas dirigi procuraretis, qui et errorem Christianorum, qui ibi reperiuntur in spiritualibus corrigere saperent. . . Vos autem ex nostra parte rogate abbatem, ut tales sibi (*Hugoni Candido cardinali*) adjungat, qui eum comitentur, quorum consilio et adjutorio iter et laborem illum fiducialiter aggredi possit, legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius umquam publici rerum ecclesiasticarum negotii sive vestro consensu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi (*Hugoni Candido*) dedimus faciendi. *Mandat deinde sanctus Pontifex, ut ipse Giraldus vel continuo Romam revertatur, vel suæ moræ rationem reddat.*

et legati Hugonis Candidi, probatur,

28 *Pontificis jussa extemplo perfici cœpta sunt. In Hispaniam profectus est Hugo Candidus cum Roberto monacho Cluniacensi, atque aliis sodalibus, quos inter sine dubio Sanctus noster* Anastasius, *ut ex inferius dicendis satis constabit. Acriter promovit Hugo Candidus et plerique Cluniacenses demandatum sibi opus : unde Hispanorum* (*Castellanos et Legionenses intelligo*) *animi vehementer sunt commoti; Robertus vero blanditiis devinciebat sibi*
B *regem, et simul abolitionem ritus Mozarabici impediebat : quod S. Gregorii epistolæ* II *et* III *libri* VIII *apud Labbeum* (*a*) *certum faciunt. Interea morabatur etiamnum in Gallia cardinalis Giraldus, Gallicanæ Ecclesiæ negotiis occupatus, atque inter alia severiorem se gerens erga archiepiscopum Ausciensem : quod ex epistola S. Gregorii, quæ apud Labbeum* XVI *libri* I (*b*) *est, novimus. Agebatur tum vel finis mensis Maji, vel initium mensis Junii anni* 1073. *Atque eidem tempori annectenda est epistola Alfonsi ad S. Hugonem Cluniacensem, qua, ut vidimus, postulat ut curet S. Hugo, ne renuat domnus Papa suum mittere cardinalem Giraldum, qui melius ordinaret, quæ ad officium Mozarabicum spectabant. Cum id rescivit Giraldus statim in Hispaniam profectus est. Atque hæc profectio per Giraldi litteras vel per episcopos Galliæ, quos durius habuerat,* kalendis Julii indictione undecima, *id est, anno* 1073 *Romæ jam innotuerat : cujus assertionis irrefragabile argumentum est memorata S. Gregorii epistola* XVI *libri* I, *in qua post nonnullas objurgationes, quod gesta sua in Gallia non satis declararat, hæc habemus :* Nobis equidem gratum est, quod pro negotiis sanctæ Romanæ
C Ecclesiæ in Hispanias profectus es. *Verisimiliter S. Hugo tum comitatus est Giraldum, et duplicem, de quo diximus, censum ab Alfonso accepit : ocius saltem in Hispaniam non est profectus. Quod ad tempus Giraldi itineris spectat, nihil est quod nos moretur Florez* (*c*), *qui Giraldum ad annum* 1071 *aut* 1072 *inducit in Hispaniam. Nam ad id inductus videtur ob id unum quod anno* 1074 *Romano Concilio interesse vidit episcopos Hispanos. Verum hanc difficultatem solvit ipse S. Gregorius, cum in epistolis, ad Alfonsum Castellæ et Sancium Navarræ reges* XIV *kalendas Aprilis indictione* XII, *seu anno* 1074 *datis* (*d*), *scribat* episcopos Hispanos, qui NUPER Romam venerant per scripta sua se id facturos (*amplexuros ritum Romanum*) et in manu sua firmasse. *In fine hujus chronotaxis liceat mihi repetere, præmisso modo omnia bene inter sese consonare, secus vero creari labyrinthum.*

constat S. Anastasium *anno* 1073 *in Hispaniam profectum esse cum Hugone Candido.*

29 *Porro S.* Anastasium *socium fuisse Hugonis Candidi et Roberti Cluniacensis, in Hispaniam proficiscentium, nobis constare superius jam diximus.*

Et quidem novimus ex Galterio, ejus biographo, D *eum* præcepto sancti patris nostri Gregorii septimi, et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam. . . ingressum esse (*e*). *Jam vero duo tantum S. Gregorii VII præcepta noscuntur, quæ ad Cluniacensium in Hispaniam profectionem vel commorationem spectent. Prius illud idem est, quod num.* 27 *retulimus, et quo aliquot monachi comites dandi erant Hugoni Candido; alterum exstat in epistola* III *libri* VIII *apud Labbeum* (*f*), *anno* 1080 *data ad Alfonsum regem Castellæ et Legionis, et multo clarius in epistola* II *ejusdem libri* (*g*), *data ad S. Hugonem Cluniacensem* V *kalendas Julii, indictione tertia, seu anno* 1080. *In hac graviter perstringitur Robertus, quod Hispanos ab Officio Romano recipiendo dehortatus est, et ab introitu ecclesiæ arcetur; mandatur præterea S. Hugoni ut* sui etiam studii sit, ut monachi, in eisdem partibus *Hispaniæ* injuste dispersi, ad proprium redeant monasterium : *ex qua dictione :* injuste dispersi, *manifestum est alios Cluniacenses monachos in Hispaniam secessisse absque jussu Pontificis, dum alii illuc tetendissent ex ejusdem, ut vidimus, mandato; atque his, cum cardinali Hugoni, ut demonstravimus, profectis socium se dederit oportet S.* Anastasius, E *utpote præcepto S. Gregorii VII in Hispaniam ingressus. Quamobrem cum legatus, cardinalis Hugo, medio circiter mense Majo anno* 1073 *profectus fuerit, huic tempori, non anno sequenti, ut voluere Hagiographi Benedictini, attexendus est S.* Anastasii *abitus.*

Idem Sanctus videtur Mozarabibus, non Sarracenis prædicasse,

30 *At biographus scribit* Anastasium *non ad abolendum ritum Hispanicum, sed* ad prædicandum Sarracenis *missum fuisse. Verum cum Galterius saltem quadraginta annis post S.* Anastasii *missionem opusculum suum aggressus sit, quam facile ei fuit in uno errare facto? quanto facilius si in alio regno illud acciderit, potissimum in Hispania, de qua cum medii ævi scriptores Galli agunt, flocci fere fit eorum fides? Verumtamen non idcirco in animum mihi inducam asseverare, nihil veri sub Galterii verbis latere; ecce quid apud me verisimile sit : ad Galterium relatum fuerit S.* Anastasium *missum fuisse a S. Gregorio in Hispaniam, ut Mozarabes permoveret ad ritibus suis valedicendum; confuderit autem Galterius Mozarabes cum Arabibus seu Mauris, atque inde illorum ritus cum ritibus impiis Sarracenorum. Quod vero Galterius n.* 5 *narrat* Anastasium ad probandum certitudinem fidei Chri-F stianorum. . . per ardentem rogum post celebrata Missarum solemnia transire voluisse; sed Sarracenos conditioni ejus noluisse acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad Baptismi gratiam confugerent, *minime est cur molestiam creet. Grandis enim probabilitas est Galterium hoc loco et Rodericum Toletanum lib.* VI, *cap.* XXV *Historiæ Hispaniæ* (*h*) *de eodem agere facto. Narrat scilicet Rodericus per monomachiam et ignem librum officii Toletani probatum fuisse. Rodericum autem in enarrandis circumstantiis falsum fuisse si asseruerim, nihil a sententia peritorum absonum protulero, cum jam nonnulli eruditi scriptores integrum Roderici testimonium in dubium vocaverint, seu etiam inter fabulas relegarint : de his videat lector quæ Cuperus noster in dissertatione de ritu Mozarabico notavit* (*i*).

quod ex collatione historiarum,

31 *Attamen cum Chronicon Malleacense a Labbeo* (*k*) *editum, et cujus auctoritas apud Historicos laudatur, cum Roderico circa peractam monoma-*

(*a*) Collect. Conc., t. X, col. 252 et seq. — (*b*) Ibid., col. 17. — (*c*) España Sagrada, t. III, p. 305. Dissert. de Missa antiq. Hispan., n. 166.—(*d*) Labbe Conc., t. X, col. 52 et seq.— (*e*) Vide infra, n. 5. — (*f*) Coll. Conc., t. X, col. 253. — (*g*) Ibid., col. 252. — (*h*) Patres Toletan, t. III, p. 139. — (*i*) Act. SS., t. VI Julii, p. 49 — (*k*) Bibl. nov. MSS., t. II, p. 211.

A *chiam consentiat; suadente Cupero, fidem meretur Rodericus, dum illud idem duellum adstruit. At non tanta benignitate excipiendus censetur a nostro Cupero Toletanus archiepiscopus, cum miraculum de Officio Mozarabico, intacto ab igne, incredibile fere, si occasionem, et magis incredibile, si attendas effectus (nam Alfonsus præcepit nihilominus Officium Romanum) solus narret, silentibus auctoribus coævis : quamobrem prodigium illud non diversum censeo a probatione, quam S.* Anastasius *adversariis suis proposuisse a Galterio narratur. Quæ sententia argumento, ex tempore deducto, stabiliri posse videtur. Rodericus scilicet narrat probationem per ignem factam fuisse paulo post probationem per duellum; verum male hanc refert ad tempora quibus Alfonsus uxorem habebat Constantiam : neque probandus est Cuperus noster* (*a*), *qui, Rodericum secutus, affixit ignis experimentum anno* 1090, *quo Alfonsus jam matrimonium inierat cum laudata Constantia. Etenim Chronicum Malleacense, cujus auctoritatem et antiquitatem multo præstantiorem Roderici scriptis prædicat jure merito ipse Cuperus* (*b*), *minime hæc ad tempora matrimonii Constantiæ, quæ* filia *erat* Roberti ducis Burgundionum (*c*), *sed ad tem-*

B *pus conjugii Agnetis, filiæ Guidonis ducis Aquitanorum referenda sunt; en Chronici verba* (*d*) : His diebus (*inter annum* 1068 *et* 1070) Hildefonsus rex Hispanorum duxerat filiam Guidonis (*qui idem ac Guillielmus VIII dux Aquitanorum est*) quam habuit de Mateode supradicta. Pro qua re exstitit causa et contentio de lege Romana. Quam legem Romanam voluit introducere in Hispaniam et Toletanam mutare : et ideo fuit factum bellum inter duos milites et falsitate fuit victus miles ex parte Francorum. *Unde manifestum est hæc tempore reginæ Agnetis esse facta et quidem ante annum* 1075, *siquidem Corduba hoc anno traditur capta fuisse, et Lucas Tuidensis in suo chronico* (*e*) *postquam hanc victoriam narravit, extemplo subjicit :* Tunc accepit uxorem Constantiam, *et similiter Rodericus Toletanus, eamdem prorsus secutus normam, caput* XXI *libri* VI *Historiæ Hispaniæ claudit his verbis* (*f*) : Tunc, mortua Agnete, duxit uxorem, nomine Constantiam, ex partibus Galliarum; *et continuo pergit narrando Almenonis mortem, quæ anno* 1077 *accidisse fertur. Hæc quidem, Mariânæ probata, a plurium calculo discrepant; at non video aliquid certi afferri adversus hæc antiquiora monumenta,*

C *quibus honor suus esse debet, donec meliora producantur. Oportet itaque, ut probatio per ignem, de qua apud Rodericum mentio est, inter annum* 1073 *et* 1075 *concludatur, quo tempore S.* Anastasius *in Hispania versatus fuit : et proinde facile fuit, ut per temporis intervallum, quod ab anno circiter* 1075 *usque ad tempus, quo Galterius S.* Anastasii *scribebat Vitam, et dein usque ad Roderici Toletani ævum, duplex de eodem facto invaluerit opinio.*

ex silentio scriptorum de missionibus ad Sarracenos, et ex testimoniis,

32 *Ast inclamabunt forte adversarii : nonne S. Gregorius potuit Cluniacenses mittere monachos, quorum aliquot abolendo ritui Toletano, alii convertendis Sarracenis occuparentur? Eum potuisse negandum non est; eum vero id fecisse, utpote minime probabile, nequaquam admittendum videtur. Imprimis nullus scriptor Hispanus, licet in hanc rem, quam accurate potui, inquisivi, mihi occurrit, qui vel minimum ad hos Sarracenorum missionarios alludat; laudatur quidem a nonnullis coævis Alphonsus VI, quod* augmentum fidei procuravit, *verum facilius id refertur ad liberationem Chri-* D *stianorum, et episcopalium sedium instaurationem, quam ad conversionem Sarracenorum. Præterea plurimæ nobis supersunt S. Gregorii VII epistolæ, ad res Hispanicas spectantes, et nulla quæ conversionem Sarracenorum vel levissime attingat; contra plurima vetera monumenta exstant, quæ contrarium suadent : sic inter epistolas Alexandri II, qui decessor S. Gregorii fuit, leguntur quædam hujus Pontificis litteræ, quæ demonstrant nullam his temporibus spem fuisse Sarracenos Hispaniæ ad sacra Christiana traducendi; pauca ex ea recitare juverit* (*g*) : Alexander Papa omnibus episcopis Hispaniæ : Placuit nobis sermo quem nuper de vobis audivimus, quomodo tutati estis Judæos, qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis, qui contra Sarracenos in Hispaniam proficiscebantur. Illi quippe, stulta ignorantia vel forte cæca cupiditate commoti, in eorum necem volebant sævire, quos fortasse divina pietas ad salutem prædestinavit. . . . Dispar nimirum est Judæorum, et Sarracenorum caussa; in illos enim, qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, juste pugnatur; hi vero ubique parati sunt servire, *etc. Hæc Alexander, qui consiliario utebatur Hilde-* E *brando, postea S. Gregorio VII.*

contrarium potius probantibus,

33 *Atque hic sæpius de Sarracenis quoque agendum habuit, cum suo etiam tempore plures principes Christiani adversus eos profecti sint. At totus in vindicando jura S. Petri, innitens pactioni, quæ cum victoribus inita fuerat; nullus est in tentanda conversione Sarracenorum, quoniam, ut inferius videbitur, irrita æstimabantur hæc tentamina. Audiatur S. Gregorius ad principes Hispaniæ scribens apud Labbeum* (*h*) *:* Itaque comes Evulus de Roccio, cujus famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem Sancti Petri ingredi, et a paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab apostolica sede obtinuit, ut partem illam unde paganos suo studio et adjuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte Sancti Petri possideret. *Similiter in epistola anno* 1077 *ad omnes principes Hispaniæ data* (*i*), *et in qua sibi applicat hæc S. Pauli verba :* Necessitas euangelizandi mihi incumbit; væ enim mihi si non euangelizavero, *iterum quidem agit de terris a Sarracenis* ereptis, *at frustra requires verbum, quod ad eos* F *euangelizandos spectat. Atque his aliisque, quæ tum apud Labbeum tum apud Aguirum facile invenire est, satis liquet S. Gregorium de expellendis Sarracenis sæpius cogitasse, de convertendis autem desperasse.*

erui posse videtur.

34 *Neque hoc tentasse æstimandus est Alphonsus, quemadmodum jam supra innuimus, et ut ex ejus ira, cum se absente Mezquita* (Mosquée) *Toletana in templum Christianum commutata fuisset, satis apparet. At nihil mirum : ex epistola enim Alexandri II supra recitata intelligere jam licuit, conversionem Sarracenorum difficiliorem habitam fuisse, quam conversionem Judæorum; atque hanc sententiam toto medio ævo viguisse testimonio sunt Extractiones de libro, quem Humbertus de Romanis confecit de his quæ in Concilio Generali anno* 1274 *tractanda videbantur. Istic autem cap.* VI *talia sunt* (*k*) : Quinta circumstantia est quantum ad animositatem obstinationis ipsorum, quia multi Judæi et hæretici et philosophi et imperatores et

(*a*) Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (*b*) Ibid., l. c. — (*c*) Fragm. hist. Floriac. apud Chesnæum Scriptt. rer. Francic., t. IV, p. 89, et Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (*d*) Biblioth. nov. MSS. Labbe t. II, p. 211. — (*e*) Hispania Illustr., t IV, p. 100. — (*f*) Collect. Patr. Eccl. Tolet., t. III, p. 138. — (*g*) Labbe Conc., t. IX, col. 1138, et Aguire Conc. Hispan., t. IV, p. 430. — (*h*) Concil., t. X, col. 10. — (*i*) Labbe Conc., t. X, col. 173 et seqq. — (*k*) Mansi, suppl. Concil., t. III, col. 7.

plures

A plures idololatræ conversi sunt et baptizati. Nam Vandali qui et Poloni, et Huni qui et Hungari, Gothi qui et Daci, sunt effecti Catholici : Sarraceni vero nulli vel paucissimi sunt conversi. Sexta circumstantia est quantum ad calliditatem. Sicut enim lex illorum callide est conficta, quod contra difficultatem in credendis, austeritatem in præceptis et pœnis divinis, carnalia permittit, voluptuosa, sensibilia, ad preces Mahometi omnes salvandos fore finaliter dogmatizat. *Atque hinc liquet, (nam nihil adversus præsens argumentum valere potest, quod hoc instrumentum bellum sacrum respiciat, et in cap.* XV *dicantur Sarraceni subditi tolerari,* quia nocere non possunt; item quia in multis servitiis utiles sunt et facilius convertuntur,) *hinc, inquam, manifestum est, quantis difficultatibus innexa habebatur etiam sæculo* XIII *exeunte Sarracenorum conversio. Atque hæc quidem finem versus sæculi* XI *multo difficilior haberi debebat, tum quoniam continuo adversus eos pugnabatur, tum quoniam magis vigebat apud eos lex, qua prorsus devitandus eis erat contactus Christianorum, tamquam in ipso contaminarentur, ut loquitur Ambrosius Morales, S. Eulogium testem habens. Quæ cuncta nonnihil confirmantur ex*
B *omnimoda fere absentia testimoniorum, quibus Sarraceni ad veram fidem deducti perhibentur : sic apud Baronium in Annalibus et Pagium in Critica reperies tantum aliquot in Sicilia victas dedisse manus.*

Reliqua chronotaxis vitæ S. Anastasii.

35 *Reliquam chronotaxim, quæ facilis factu est, ex Hagiographis Benedictinis describimus, unum annum tantum ab eorum calculo detrahentes ob rationes, quas in hoc paragrapho late diduximus; sic illi :* His itaque statutis, cum ex Vitæ auctore discamus Anastasium ex Hispania reversum septem annos Cluniaci, ac tres alios in solitudine transegisse, jam decem annos supra MLXXIV (*immo* MLXXIII) habemus; quibus si unum aut alterum adjiciamus, quos in itineribus vel etiam in Hispania verbi divini prædicationi incumbens consumpserit, conficiemus beatum virum anno circiter MLXXXVI (*immo* MLXXXV) ad superos abiisse. Quem quidem annum, donec certiora occurrant, retinere visum est. *Neque nobis certiora uspiam occurrerunt; quin etiam nonnihil molestum nobis est, quod Galterius scribit S.* Anastasium *ab Hispania reversum, et septennium fere Cluniaci commoratum, cum S. Hugone in agrum Tolosanum abiisse, atque tunc*
C *illic comitem Appamiæ oppidi cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis a S. Hugone susceptum fuisse. Nam ut in annotationibus ad hunc locum paulo latius explicabimus, nonnihil id pugnat cum aliis certis monumentis historicis : cæterum error forte est in solo nomine :* Appamiæ oppidi comite. *Utut id est, ex authenticis instrumentis probabile fit S. Hugonem, abbatem Cluniacensem, anno* 1081 *circiter Tolosæ versatum fuisse : legitur enim tum in Gallia Christiana inter instrumenta Ecclesiæ Tolosanæ* (*a*), *charta quædam, qua Isarnus episcopus Tolosanus et Willelmus comes S. Hugoni et abbati Moisiacensi Hunaldo ecclesiam S. Saturnini tradidit; quæ traditio utpote minus æqua anno* 1083 *ad nihilum redacta fuisse a S. Gregorio VII noscitur* (*b*). *Referunt Galliæ Christianæ scriptores diploma illud ad annum circiter* 1082; *sed multo verisimilius est duorum saltem annorum intervallum cucurrisse inter traditionem illam ejusque revocationem, ut unicuique universam negotii seriem consideranti liquebit : unde S. Hugonis ejusque socii* Anastasii *iter ad annum* 1081 *facile referri potest. Reliqua vero hujus Sancti gesta aut commentarium* D *non patiuntur aut non requirunt : quamobrem quæ obscuriora sunt, in adjectis annotationibus quo licebit lumine circumdare satagemus. Itaque, quod superest, dicemus jam de Reliquiis.*

Ejus sepultura, et Reliquiarum elevatio,

36 *Ut ad finem Vitæ testatur Galterius,* sacrum corpus S. Anastasii in basilica Beati Martini ad Devotas, (*aut ut nunc vulgo dicunt* Saint-Martin-Doydes,) est reconditum, ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa *Galterii tempore* fiebant. *At refrixit paulatim populi fervor atque concursus, ita ut tandem oblivioni tradita sit ejus sepulcri memoria : quod patet ex sequenti monumento, quod codici MS., ipsam Vitam continenti, insertum erat, ut Mabillonius, qui illud Vitæ subjunxit, testatur; sic autem id sonat :* Notum, manifestum et certissimum, secundum relationem fide dignorum procerum loci Sancti Martini de las Devotas, est, quod corpus Sancti Anastasii, quod fuit ignotum et inscitum ubi jacebat, fuit revelatum VII kalendas Julii per modum qui sequitur. Fuit quædam mulier devota dicti loci, quæ plures vigilias in basilica Sancti Martini faciebat, et vox de cœlo sibi dice-
E bat : In loco ubi oras, corpus esse Sancti Anastasii scias, et jacet : et hoc semel, secundo et tertio sibi indixit. Propterea ipsa secura de revelatione, indixit sacerdotibus et clericis ac senioribus dicti loci, qui cum devotione et fiducia locum, ubi dixit, profunde foderunt, sed non invenerunt. Et iterum vox de cœlo eidem devotæ mulieri dixit, quod foderent profundius eumdem locum, et sanctum corpus invenient. Et ita factum fuit, et invenerunt sanctum corpus : de cujus revelatione in supradicto loco fuit magna sollemnitas, et fit quotidie *, et de circumvicinis locis ad eamdem sollemnitatem devote conveniunt, ad honorem et decorem ejusdem Confessoris et monachi magistri Sancti Anastasii, cujus anima paradisum possidet.

* quotannis

cujus adjuncta expenduntur;

37 *Pauca ad hanc appendicem de inventione corporis S.* Anastasii *notari queunt : nulla scilicet ei inest talis nota, qualis ad tempus determinandum sufficiat, neque ullam ei addidit ex codicis MS. vetustate Mabillonius. Hanc vero inventionem sæculo saltem post Sancti obitum contigisse mihi suadent, tum ipsa sepulcri oblivio, tum etiam fors nominum mutatio. Galterius enim, ineunte sæculo* XII *scribens, vicum ubi mortuus et sepultus fuerat* Anastasius, *nude* Devotas *nuncupat; in allato vero monu-*
F *mento jam locus, uti etiamnum, nomen a patrono mutuabatur, et locus* S. Martini de las Devotas *audiebat. Quod autem potissimum animadversione dignum est, patet ex ista scheda S.* Anastasium *ante id tempus ecclesiastico fruitum non fuisse cultu; cum ex ipsa narratione liqueat antea nondum factam fuisse corporis elevationem, quæ legitimi cultus exordium erat. Neque cuipiam mirum videri debet S.* Anastasium, *ut recitata scheda probat, tam alte in terra sepultum fuisse : jubebat id quippe ejus sanctitatis fama, quæ Reliquiarum fures multo nimium tentasset. Talibus tum industriis usos fuisse homines ex multis constat historiis : sic in Vita S. Berengarii monachi et Confessoris, qui anno* 1093 *obiit, et* XXVI *Maji colitur, occurrunt sequentia* (*c*) : Sepultum est vero sanctum illius corpus prope introitum ecclesiæ quam decentissime, ut sanctum decebat sepelire. Sed quia furto auferri corpus ejus timebatur, tumulus ejus muro est circumdatus, et infra ecclesiam redactus.

(*a*) T. XIII, col. 10 et seq. — (*b*) Ibid., col. 11 et seq. — (*c*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 775 et Act. SS., t. VI Maji, p. 448.

eurumdem destructio fere integra sæculo XVI *exeunte.*

38 *Numero* 1 *hujus Commentarii jam secundum Mabillonium diximus, S.* Anastasii *corpus in pristina diœcesi Rivensi in ecclesia S. Martini Doydensis seu Devotensis servatum fuisse usque ad sæculum decimum sextum : quid deinceps ei acciderit, enarrat idem scriptor : prædicto scilicet sæculo* a furentibus Calvinianis hæreticis dissipatum est, præter aliquot ejus particulas in scrinio argenteo inclusas, quæ a fidelibus eorum furori subductæ sunt et in loco tuto repositæ. Has ab aliquot annis invisit illustrissimus antistes Rivensis supra laudatus (*Antonius-Franciscus Berterius qui ab anno* 1662 *ad annum* 1705 *episcopatum obtinuit*), suaque auctoritate recognitas et approbatas fidelium venerationi exhiberi permisit. Haud procul ab eo vico visitur fons, Sancti Anastasii vulgo nuncupatus, quo sitim suam vir sanctus aliquando extinxisse memoratur. Frequentatur vero a vicinis populis, quod ejus aquæ haustu febrium ardores sedari dicantur, quod multorum experimento certum esse tradunt. *Typis tradebantur hæc a Benedictinis sodalibus ante annum* 1701. *At tentasse paulo certiori tempori sacri pignoris dissipationem assignare operæ pretium est. Imprimis certum est hoc hæreticorum facinus non ante annum* 1560 *obtigisse, quoniam hoc tantum anno, ut ex Historia Occitaniæ* (*a*) *colligitur, inchoavere hæretici has Galliæ partes turbare. At quod mihi, aliis instrumentis carenti, verisimillimum est, direptæ fuerunt Sancti* Anastasii *Reliquiæ anno* 1574; *quod sequentia mihi probant : cum Barones scilicet Rivenses acriter a Catholicorum partibus starent, diu ab eorum dominio abstinuerunt Calviniani; quin etiam in relatione gubernatoris Narbonæ, jussu regis conscripta de gestis Virorum Ecclesiasticorum, Nobilium, etc., diœceseon Narbonensis, Tolosanæ, Sam-Papulensis, Vaurensis, Montalbanensis, Rivensis et Convenensis, post enumerata loca cæterarum diœceseon, quæ in ditione hæreticorum sunt, hæc subduntur* (*b*) : Rebelles nullo loco in diœcesibus Rivensi et Convenensi potiuntur; verumtamen Mansum Azilis et oppidum Carlam, quæ vicina sunt, occupant, et civitas Mazeria non longe quoque inde distat. *Hæc gallice scribebantur Narbonæ die* XXIII *Januarii anni* 1574. *At hic annus non transiit, quin Calvinianæ cohortes Rivensem diœcesim invasissent : quæ constant ex destructione Monasterii Salanquiarum, seu Abundantiæ-Dei, quod in diœcesi Rivensi, juxta ecclesiam S. Felicis de Salanchiis, cum splendore substitit ad annum usque* 1574; *quo a Calvinistis sus deque everso, moniales in urbem Montesquivum se receperunt, donec sæculo sequenti sedem Tolosæ fixere* (*c*). *A veritate itaque non videtur absonum S.* Anastasii *corporis destructionom ad hunc annum revocare. Quid deinceps de reliquis sacri corporis particulis actum sit, enarrare mihi non licet, etiamnum responsum ad nostras litteras exspectanti.*

VITA S. ANASTASII,

auctore Galterio, ex editione Mabillonii.

PROLOGUS.

Causæ scriptionis,

a

b

Galterius *a* Petro Devotensis *b* ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus prospectitatem, et ad effectum perducere bonam devotionem. Cogitis me, dum impensius instantes rogatis, ut ad ædificationem posterorum tradam memoriæ calamo vitam Beati Anastasii confessoris. Et a me sine difficultate non video posse sufferri, nec meis viribus competit : ne vita sancti viri culpa ingenii scriptoris potius videatur atteri, quam in majus celebrari. Ne tamen vestræ petitioni videar contraire, cui, etsi parum idoneus, debeo in omnibus obtemperare, quod dissuadet aviditas * ingenii, aggrediar tutus præsidio vestræ jussionis; etenim si quid sum, si quid valeo, Domino imputare debeo. Præterea cum me profitear amicum vestrum, non decet ut omittam, si in aliquo vobis quovis modo obsequi possum; cum ut quidam sapiens ait : Amicitia tantum constet in petendi devotione, et in sedula obsequendi voluntate. Ad hoc accedit devotio pura, quæ cogere potest, etsi absint omnia supradicta, ut ad perficiendum quod petitis audacter insistam. Dum enim curam hanc mihi tanto opere indicitis, posteritatis ædificationi consulitis; dum ad laudem et honorem Dei, vitam sancti confessoris ac gloriosissimi Anastasii vultis reserari, ut posteris sit ad exemplum, et ad sanctitatis ejusdem viri testimonium. Rogo ergo, et obnixe supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, aut rescissione dignum super addidero, ne pigeat lectorem addere quod perspexerit additione dignum, aut rescindere quod transversi calami nota judicaverit corrigendum. Denique excusare me poterit devotio petentium, quæ, ut sæpe jam dixi, compulit audere quod ingenii diffidentia dissuaserat.

* ariditas

ANNOTATA.

a *Quid de illo Galterio sentiendum sit, et de ejus opere, n.* 2 *et seqq. Commentarii prævii explicatur.*

b *Vicus, qui* Devotæ *dicebatur ineunte sæculo* XII, *postea dictus est locus* S. Martini de las Devotas, *ut ex num.* 37 *Commentarii colligere est. Gallice nunc dicitur* Saint-Martin-Doydes, *et fere septentrionem versus Appamiarum* (Pamiers) *jacet.*

VITA GLORIOSI ANASTASII.

Sancti patria, monachatus in Monte S. Michaelis, vita eremitica, secessus Cluniacum et in Hispaniam, reditus Cluniacum, repetita eremus, mors in pristina diœcesi Rivensi.

S. Anastasius, *liberaliter et pie educatus,*

Gloriosissimus Anastasius Confessor Dei, Venetias oriundus, secundum dignitatem hujus mundi genere clarus enituit patre et matre non infimis ortus; qui ab ipsis cunabulis baptismatis unda regeneratus, a primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis, quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Fuit igitur clarus ingenio, doctus eloquio, ornatus moribus, amabilis omnibus, ut felices dicerentur, qui talem filium genuissent. Sed quia vir Dei sapientiam hujus

(*a*) Hist. du Languedoc, t. V, p. 188. — (*b*) Ibid., t. V, preuv. col. 227. — (*c*) Cfr Gall. Christ., t. XIII, col. 142.

mundi

A mundi stultitiam apud Deum esse in divinis codicibus legerat, et ipsam veritatem in Euangelio dicentem audierat : Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; cœpit non sine gratia ad memoriam revocare, et idem apud se revolvere, quia grave damnum susciperet, si pro terrenis cœlestia amitteret. Hæc diu revolvens, tandem secum deliberavit, quod, ut de commissis pœnitentiam ageret, monastico habitu sese committeret. Sed quia, manu missa ad aratrum, turpe est retro respicere, et tortum et inutile sulcum facere, voluit sanctus vir Anastasius sese primum jejuniis, vigiliis et orationibus macerare; ut sic probaret, si, suscepto monachorum habitu, in proposito gradu persistere posset, ne resiliret : subtraxit ergo sibi primum vinum, in quo est luxuria, quarta et sexta feria *a* cœpit jejunare, sic tamen ut aliquoties carnibus vesceretur : orationi et vigiliis plerumque insistebat.

a

ad vitam monasticam se parat, eamque amplectitur in Monte S. Michaelis;

3 Cum vero hoc modo per aliquantulum temporis carnem suam refrenasset, et jam quodammodo eam in via boni propositi teneret, abjecit edulia carnium; et ita maxime vigiliis et orationibus cœpit instare, ut a Dominica in Dominicam B jejunaret. Sed quum aliquamdiu iterum se sic manciparet, sic confirmatus est, quod sibi visus etiam est firmus, et suo proposito sufficiens. Decrevit ergo satisfacere, et suum propositum perficere. Derelictis ergo parentibus, domo et cognatis, quærens locum idoneum, ubi monachorum susciperet habitum, ad mare Britannicum pervenit, ad locum, qui Portus-Herculis *b* appellatur, qui et alio nomine ad Montem Sancti Michaelis in Periculo-

b

Maris dicitur; ubi inventa magna congregatione monachorum, in omnibus religiosorum, excepto quod abbas *c* per simoniam subintraverat, habitum optatum suscepit. De abbatis simonia vir Dei penitus ignorabat. Factum est autem post revolutum annum, cum sederet cum quodam fratre *d*, et post sermonem habitum de confirmatione animæ, de vita sanctorum patrum, ad invicem quæstio referretur, et inde diu et multum dissererent, tandem sermo directus est ad abbatem. Cognovit vir Dei Anastasius, quod abbas erat simoniacus, et per pecuniam infinitam quam dederat, in abbatiam subintraverat; unde supra modum dolens, et affirmans se diabolica fraude deceptum : quippe qui locum idoneum suo proposito quæsierat, et in C laqueum nefandi hostis pene ceciderat, recessit inde, et quamdam insulam *e* ingressus in ipso introitu supradicti maris, in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ *f*, solus manere cœpit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans.

c

d

e

f

unde paulo post discedit.

4 Ubi cum aliquanto tempore *g* vita eximiæ conversationis claruisset, et fama ejus longe lateque diffunderetur, venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat, ad revincenda * cœnobia exhortatione fratrum, qui per diversa loca et longe remota Deo deserviebant, cum multis fratribus exivit. Unde factum est, ut ad mare Britannicum perveniret, ubi audita vita et conversatione viri Dei Anastasii, misit duos de fratribus in insulam ad prædictam basilicam, et mandavit viro Dei, ut ad se gratia colloquendi exiret : de cujus enim bona conversatione audierat, eum et videre desiderabat; qui, audito venerabilis viri abbatis adventu, cum magno gaudio exivit; quem abbas honorifice suscepit et de vita et conversatione ejus studiose requisivit. A quo cum omnia audivisset, et quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset; votumque ejus intellexisset, gavisus est valde super

g

* revisenda

bona conversatione ejus, et quibus modis potuit in D Dei servitio eum confortavit. Cumque per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum abbas multum referret, virum Dei monuit, et multum rogavit, ut Cluniacum secum adiret, ubi et votum suum complere posset, et exemplum bonæ conversationis ceteris fratribus dare. Cujus petitioni vir Dei Anastasius acquiescens, cum eo iter arripuit. Cumque Cluniacum veniret, magnam dilectionem et humilitatis familiaritatem apud omnes fratres habebat; omnes unanimiter diligebat, omnes enim in Dei servitio vitæ suæ exemplo dirigebat. Diu namque vitam mirabilem duxit, dum sese dabat exemplar bonæ conversationis. Ceteris enim fratribus signo dato ad refectorium euntibus, vir Dei ad orationem remanebat, et nocte quiescentibus cunctis surgebat, et genu flexo fere tota nocte orabat, pane et aqua contentus vivebat, et hoc etiam quasi in momento accipiebat. Semel in anno in solitudines vel in prærupta loca ad celebrandas quadragesimas exibat, et tunc orationibus, jejuniis, vigiliis, flexionibus sese supra modum macerabat.

Petit Cluniacum, unde in Hispaniam mittitur;

5 Per idem tempus præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ad prædicandum Saracenis *h* ingressus est; ubi ad probandam certitudinem fidei Christianorum, et ad eradicandam crudelitatis duritiam Saracenorum, per rogum ardentem post celebrata Missarum *i* sollemnia transire voluit; sed Saraceni conditioni ejus noluerunt acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad baptismi gratiam confugerent. Sed cum a cæcitate et duritia cordis sui ullo modo redire nollent, excusso pulvere pedum in illos in testimonium, ad monasterium suum regressus est. Factum est autem post regressionem ejus, revoluto septennii fere spatio, ut venerabilis abbas ad exhortationem quorumdam fratrum, laicorum et nobilium *k*, in Aquitaniam vellet exire, qui renunciantes mundo ad habitum monachorum volebant venire. Unde factum est, ut virum Dei Anastasium secum duceret; erat enim in omnibus divinis scripturis peritus, et in exhortatione et ædificatione fratrum validus. Cumque partem magnam Aquitaniæ exhortando fratres peragrassent, tandem in Tolosanum pagum pervenerunt, ubi comitem Appamiæ oppidi *l* cum uxore et filiis ad conversa- *l* tionem monastici ordinis suscepturi erant. Jam F interim quoque instabat tempus, quo vir Dei Anastasius in solitudinibus vel in præruptis locis quadragesimam celebrare consueverat : unde cum multum sollicitus esset, et die ac nocte apud se tractaret, tandem Pyrenæos montes in propinquis sitos ad hoc elegit idoneos, ubi et quadragesimas celebraret, et vitæ eremiticæ ad tempus vacaret. Cujus precibus abbas, quia baculus et quasi columna ceterorum fratrum erat, invitus assensum præbuit. Sed quia cognoscebat constantiam ejus in servitio Dei, bonum votum nolebat morari. Coactus ergo et tristis concessit quod petebat. Cum vero ad invicem descenderent, venerabilis vir abbas flens et cum lacrymis et singultibus in collum ejus ruens, admonebat ut sui memor esset, pro se et pro ceteris fratribus apud Deum interpellaret, et ad ultimum valedicens, cum ceteris fratribus ad monasterium regressus est.

E

h

i

k

regressus Cluniacum, ad Pyrenæos revertitur.

6 Vir igitur Dei Anastasius, qui hoc solum desiderabat, ut suo voto satisfacere posset, cum magno gaudio ad montes iter arripuit : quibus cum appropinquaret, et jam nullo obstaculo interveniente singula loca notare posset, montem altissi-

m A mum, qui Abriscola *m* dicebatur, ad habitandum elegit, quia in ea parte, qua situs erat, super alios montes eminebat. Derelicto ergo quodam fratre, quem secum habebat, ad radices montis in quadam ecclesia, solus montem ascendit, facto de frondibus satis angusto habitaculo et altari, ubi sacrificium offerret. Tunc inter nives assiduas et frigora Deo deserviebat, jejuniis, vigiliis et orationibus multum insistebat; nihil autem ad victum nisi subcinericium panem et aquam requirebat, quæ tantum sub mensura a fratre, quem sub monte reliquerat, accipiebat. Cum autem in his demoraretur, et vita ejus circumquaque audiretur, cœperunt multi adire eum, et multi ad eum convenire, ut verbum vitæ ab eo audirent, et vitam ejus quam mirabiliter deducebat cognoscerent, eumque, a quo divino pabulo refocillabantur, temporalibus sustentarent. Sed vir Dei nihil prorsus ab eis ad usum corporis accipiebat : invitari enim a populo non quærebat, qui etiam de Euangelio vivere recusabat. Quidquid ergo offerebatur, per manus quorumdum fratrum *n* erogabat pauperibus, quos bonæ vitæ cognoscebat, et ad hoc idoneos ducebat.

n

ubi vitam eremiticam ducit, et vexatur a dæmone.

7 Sed inter hæc cum soli Deo placere quæreret, et ad hoc toto mentis ardore flagraret, antiquus ille hostis, artifex nocendi, adversarius humani generis, cœpit bonis ejus actibus invidere, et die ac nocte locum subintrandi ad nocendum quærere. Sed cum nihil omnino inveniret, quod in ejus actibus surripere posset, nullamque in eum potestatem haberet, machinabatur quomodo saltem de cella eum expelleret. Factum est ergo, cum quadam die post finitam orationem vir Dei Anastasius cellula exiret, et extra cum duobus fratribus, qui ad eum convenerant, sederet, hostis antiquus adfuit, et ignem in cellam ejus et in altare, quod ad sacrificium offerendum fecerat, posuit : sed vir Dei respiciens, cum ignem videret, insidias hostis nefandi agnovit; unde surgens et usque ad cellam tendens, hosti ut recederet præcepit, et signum crucis opposuit igni : ad cujus præceptum hostis recessit, et ad signum crucis exstinctus est ignis. Quod cum auditum circumquaque referretur, tunc maxime cœperunt ad eum indigenæ fere omnes convenire, et orationi ejus se commendare, de commissis etiam ab eo quærere pœnitentiam : fere enim per triennium quo mansit in eremo, tot ad eum concurrebant, quod plerumque omnes montes in
C circuitu cereis resplendere videbantur, qui ante cellam ejus a venientibus accendebantur. Sæpe etiam venientibus dixerat, se esse indignum ad quem venirent, se esse monachum a quo pœnitentiam quærerent, et non habere se licentiam prædicandi, nec pœnitentes suscipiendi : sed quid hoc proderat, cum tamen confestissime venirent, et lacrymis et precibus eum ad prædicandum excitarent?

Revocatur Cluniacum,

8 Sed cum Deus laborem ejus vellet remunerare, et ab ergastulo carnis eum evocare; ut major esset corona, voluit temporalem vitam ejus finiri in obedientia. Factum est ergo ut vir venerabilis, abbas supradictus Cluniacensis ecclesiæ, desiderio videndi fratrem flagraret, cum quantum præsentia ejus fratribus ceteris præstabat, quantumque vita ejus eos confirmabat, tantum ejusdem absentiam recognosceret; unde hujusmodi epistolam per manus quorumdam fratrum ei direxit, quæ eum ad monasterium fratrum ceterorum revocavit. « Dilectissimo filio Anastasio frater Hugo, peccator, salutem, et in beatam resurrectionem gloriosam electorum societatem. Miror, carissime fili, quod jam diu de vobis nihil audivi, nullam de vestra vita cognitionem accepi : unde mando vestræ di- D lectioni, ut si bonum videtur vobis, descendatis ad visitandos fratres, ut, sicut dixi, desiderabilis præsentia vestra corroboret et exhortetur eos *..... ..... Bene valete, et pro fratribus orate. » Vir autem Dei Anastasius accepta epistola beati patris sui abbatis, gavisus est valde; et Deo gratias referebat, quod eum dignaretur ad fratres suos revocare.

* *quædam hic legi non potuere. Mabill.*

moratur in monasterio S. Antonini, o

9 Egressus itaque eremo, pervenit usque ad locum, qui dicitur, ad Verum Corpus Beati Antonini *o* Martyris, qui alio nomine nuncupatur Fredelas, ubi cum rogaretur a populo, ut corpus Beati Martyris in locum novum reponeret, et ad petitionem eorum se præpararet, oblatus est ei infirmus, qui jam longo tempore vexabatur a febribus, ipse vero cum aqua benedicta quam sanctificaverat eum aspersisset, et signum crucis fronti ejus affixisset, ita sanus effectus est, ac si numquam infirmitatem sensisset. De eadem aqua benedicta quoscumque aspersit, a quacumque infirmitate detinebantur, sanitati restituit.

moritur in itinere.

10 Cum igitur de egressione ejus fama audiretur, factus est undique concursus populi, qui dole- E bant et plangebant se relinqui a tanto patre, in tribulatione consolatore, in adversis protectore, cumque lacrymis et fletibus deprecabantur, ne eos derelinqueret, quos fovere consueverat, quos pabulo divini verbi refocillare non neglexerat. Sed vir Dei, cujus laboris merces jam instabat, ut per obedientiam, sicut supra diximus, ejus accresceret corona, revocanti se patri suo abbati obedire volebat : nec infirmitas febrium, qua graviter detinebatur, eum ab hoc revocare poterat. Post allocutionem ergo divinæ admonitionis et exhortationis recedens, pervenit usque ad locum, quem Devotas appellant, ubi, jam invalescente infirmitate febrium, cœpit graviter ægrotare, in tantum ut hoc morbo certus esset de corporis sui resolutione; unde cum ad mitigandum dolorem aliquantulum rogaretur quiescere, et ad refrigerandum se balneare, sibi abnegavit utrumque; subjungens etiam, quia ex quo conversionem monasticam noverat, nullo balneo usus erat, nec etiam ad lavandum pedes aut caput aquam dederat. Sui igitur stadii cursu consummato, percepturus justitiæ coronam in consortio Sanctorum monachus, eremita et Confessor XVII kalendas Novembris migravit ad Dominum. Sacrum vero corpus ejus honorifice in F basilica Beati Martini ibidem est reconditum; ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa fiunt. Sed ne videamur ingerere fastidium, si per singula discurramus, ex ordine, prætermissis multis, pauca conemur explicare.

Miracula patrat post mortem.

11 Virgo quædam a tribus dæmonibus possessa tenebatur, qui in tantum eam vexabant, quod etiam mutam reddiderant. Ducta est per multa Sanctorum loca, ut sanitatem recuperaret : et dæmonia tandem responsum dederunt, quod ab obsesso corpore non egrederentur, nisi ad corpus Beati Anastasii Confessoris supradicti deducerentur. Qui ergo eam ducebant, dixerunt intra se, ubi invenirent; et requisierunt locum, in quo Sancti corpus requiesceret; adhuc enim ignorabatur a pluribus, quod de mundo nuper migrasset. Cum ergo audissent, quod ad basilicam Beati Martini Devotis esset reconditum, ligatam cum funibus illuc deduxerunt; quibus ad locum appropinquantibus, dæmones vociferantes clamabant : Cur nos incendis, Anastasi? cessa cruciari * et exibimus; cessa flagellare et ab obsesso corpore recedemus.

* cruciare.

Per

A Per multa corpora Sanctorum ducti sumus, et a nullo sic flagellati recessimus; tu solus nos incendis, tu solus cruciaris *, tu solus noces nobis. Trahentes ergo eam cum manibus in ecclesiam impulerunt, et juxta tumbam Beati Confessoris extenderunt Omnes autem, qui aderant, genu flexo cum lacrymis deprecabantur, ut Deus dignaretur ostendere adstantibus virtutem suæ clementiæ, et ad testimonium sanctitatis sui Confessoris dignaretur illam liberare. Vix orationem compleverant, et ecce dæmones ab illa puella exierunt. Surgens vero recte loquebatur, et liberatam se, nihilque mali perpeti testabatur. Mulier etiam quæ septem annis in cæcitate permanserat, cum illuc deduceretur, et post peractas vigilias noctis staret ante tumbam Sancti Confessoris, cum in ipsa celebratione Euangelium legeretur, visum recepit. Quidam vero clericus, qui phrenesi laborabat, ad eumdem locum deductus est, catenis adstrictus et funibus, ad recuperandam sanitatem. Hic quoties motio cerebri sui accidebat, si quem arripere poterat, dentibus et unguibus attrectabat; qui cum tribus vigiliis ante tumbam Beati Confessoris degisset, sanitatem recepit, et liber ab omni phrenesi recesB sit, nec postea aliquid pristinæ infirmitatis sustinuit.

crucias

ANNOTATA.

a *Hæ feriæ passim observabantur in Gallia a religiosioribus monachis et eremitis; jejunium vero sabbati, alibi commendatum, minime in usu erat* (*a*).

b *Hoc agnomen Montis Sancti Michaelis in Periculo Maris apud alios scriptores non invenio. Baudrand in suo Lexico Geographico latino tria alia recenset loca, quibus illud nomen est; at omittit Montem S. Michaelis inter hæc recensere. Multis de Monte S. Michaelis jam egit Mabillonius variis in locis suorum Annalium, et latius etiam de eo dictum est in opere nostro ad diem* XXIX *Septembris* (*b*), *cum ad hanc diem boni consultum esset de pluribus Sancti Michaelis apparitionibus simul scribere; similiter a Valesio in Notitia Galliarum, ad vocem* S. Michael in Monte *varia ejus nomina præter* Portum-Herculis *recensente, et in Michaelis Novei Chronico apparitionum S. Michaelis* (*c*). *Ut tamen iste Mons S. Michaelis ab aliis homonymis fere distinguatur, pauca addidisse juverit ex Gallia Chri*C *stiana* (*d*) : In confinio Britonum ac Normannorum, medio in mari, grandioris instar tumuli assurgit mons ducentos altus cubitos, sex millibus ab æstu Oceani, inter ostia situs, ubi mari immergunt se flumina Segia (*la Sée*) et Senuna (*Selune vel ardée*) *, totidem ab urbe Abrincatensi. Ab antiquis ob formam Mons Tumba, quandoque etiam ad duas Tumbas dictus legitur, quod alteri scopulo, minori quidem atque inde Tumbella sive Tumbellena dicto, sit proximus. Denique in Periculo-Maris etiamnum nuncupatur, quia bis qualibet die tribus fere milliaribus undique cingitur Oceano, statis vicibus intumescente, ita ut incauti et ignari æstus Oceani, si qui forte deprehensi fuerint, opprimantur. *Abbatia, de qua in Vita S.* Anastasii *sermo est, occupabatur exeunte sæculo superiori a monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri; nunc vero carcer factus, permultos continuo capit damnatos.*

* *Guintram adde ex tabulis Cassini.*

c *In Commentario prævio num.* 6 *et seqq. latissime disputatum est de hoc abbate.* D

d *Videtur hic frater idem esse ac Robertus de Tumbalenia, ut num.* 12 *Commentarii prævii probabile facere conati sumus.*

e *Insula hæc Tumbalenia est; sæculo circiter post S.* Anastasii *abitum, prioratum seu eremitorium in ea instituit Bernardus, S. Michaelis abbas* (*e*); *tardius vero castrum illic ædificatum est, quod anno* 1667 *præ metu hostium destructum fuit* (*f*). *Plura vide in Gallia Christiana* (*g*), *apud Beaunier* (*h*), *et Zeiller, qui imaginem ejus exhibet* (*i*).

f *In Commentario prævio num.* 8 *pauca jam monuimus de hoc sacello : nonnulla alia hic apponenda videntur ex scriptione quadam Anonymi, sæculo* X *antiquioris, de apparitione S. Michaelis in Monte Tumba; auctor scilicet agens de priscis incolis Montis Tumbæ, qui vicinus est Tumbaleniæ* (*k*) : Quia, *inquit,* secretiora cœli per contemplationem sublimitatis rimari volentibus gratissima esse solent remotiora eremi loca, inibi olim inhabitasse comperimus monachos, ubi etiam usque nunc duæ exstant ecclesiæ, priscorum manu constructæ. *Dubium non est, quin similis fuerit ea, quæ in Tumbalenia patronam habebat Deiparam, ut ex hoc* E *S.* Anastasii *Vitæ loco manifestum est.*

g *Quamdiu illic solus manserit, et quando discesserit, dictum fuit num.* 17 *et seqq. Commentarii prævii.*

h *Quam parum verisimilis sit illa narratio in* § II *Commentarii prævii late expensum fuit.*

i *Ex hoc loco et ex alio inferiori liquet S.* Anastasium *sacerdotem fuisse.*

k *En hujus rei causa : anno* 1076, *aut, ut Mabillonius vult, an.* 1077 (*l*), *Simon comes Crespejensis, qui* XXX *Septembris in Sanctorum catalogis cum Beati nomine prodit, S. Alexium imitatus, sponsæ et sæculo renuntians, secessit in monasterium Jurense S. Eugendi. Quod virtutis exemplum tanto splendore claruit, ut, teste Simonis biographo* (*m*), Flandriæ, Normanniæ, ceterisque Galliarum partibus usque ad fines Germaniæ, tanti viri rumore suscepto, stupore repleti morarentur, quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo, et tam carus omnibus erat, quatenus Hugo Burgundiæ dux, comesque Matisconensis et ejusdem ordinis quamplures, pietatis affectu et illius dulcedine inflammati, arma deponerent, sæculum relinquentes.

l *Hic locus intricatus est valde : constat quidem* F *Rogerium II Fuxensem comitem (nam qui postea comites Appamienses interdum dicti sunt, sæculo* XI *exeunte comites Fuxenses appellabantur) dedisse Hugoni Cluniacensi anno* 1074 *locum* Garunnam *dictum, ædificando monasterio aptum, ineunte anno sequenti castrum de Lordad aliaque, et anno* 1076 *ecclesiam quamdam a se constructam* (*n*); *constat secundo monasteriorum advocatos, qui sæpe principes erant,* milites monachos (*o*) *nonnumquam appellatos fuisse; constat tertio* fraternitatum *usum Cluniaco* (*p*) *non exulasse, et viros qui harum fraternitatum fiebant participes,* in fratres et monachos recipi *aliquando dictos esse* (*q*), *atque hanc gratiam in donatores aut benefactores vulgo fuisse collatam : ex quibus si quis Galterii dicta explicare velit, ego quidem non obstabo. Certum saltem est Galterii verba non crude accipienda esse, quasi*

(*a*) Cfr Binterim Denkw. der katol. Kirche, t. V, part. II, p. 130 et seq.—(*b*) Act. SS., t. VIII Septemb., p. 74.— (*c*) p. 204 et seqq. — (*d*) T. XI, col. 510. — (*e*) Gall. Christ., t. XI, col. 518. — (*f*) Ibid., col. 521. — (*g*) Ibid., loc. cit. et col. 510. — (*h*) Rec. des archevêchés, etc., p. 732. — (*i*) Topographia Gall., part. VIII, p. 21 et seqq. — (*k*) Act. SS., t.VIII Sept., p.77. — (*l*) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 371. — (*m*) Ibid., p. 378. — (*n*) Cfr Mabillonium in Annal., lib. LXIV, § LXVI et § CXV, t. V, p. 73 et 95 et D. Vaissette Hist. du Languedoc, t. II, p. 233. — (*o*) Du Cange in Glossar. v. *Advocatus* et *Miles*. — (*p*) Ibid., ad v. *Fraternitas* vide plura exempla et ordinem recipiendi. — (*q*) Ibid.. loc. cit.

comes

A *comes Fuxensis, seu Appamiarum, ejusque uxor, et liberi vitam monasticam amplexi forent. Etenim ille idem comes, qui ab anno* 1073 *usque ad ann.* 1121 *Fuxensem terram obtinuit* (*a*), *nedum monachalem cucullum induerit, anno* 1095 *crucem assumpsit* (*b*) *et in Terram Sanctam profectus est. Præterea multum abest, ut semper monachis faverit; quinimmo excommunicatus fuit ab Urbano II et Paschali II, quod illorum terras occupaverat; et diu Sedi Apostolicæ rebellem se præstitit : ut habemus ex authenticis instrumentis, Galliæ Christianæ* (*c*) *et Historiæ Occitaniæ* (*d*) *insertis. Verum facile fieri posset, ut hic amanuensium error irrepserit : etenim nondum his temporibus comites Fuxenses Appamienses dicebantur; quod nomen ortum videtur a castro, quod Rogerius II, e bello sacro redux, juxta abbatiam S. Antonini condidisse perhibetur* (*e*); *atque adeo anno* 1111 *primum occurrit id castrum* Appamiæ *agnominatum* (*f*) : *alias atque etiam diu post* Fredelaz, Fredeleiz, locus Sancti Antonini, *etc., dicebatur. Deinde Galterius paulo infra eumdem locum consueto nomine indicat, scribens num.* 9 : Egressus itaque de eremo pervenit usque ad locum, qui dicitur AD VERUM CORPUS BEATI ANTONINI MARTYRIS, qui alio nomine
B nuncupatur FREDELAS : *en duplex nomen a Galterio relatum; qui fit ut hic loci omiserit Appamias, si superius comitem Appamiensem scripserit? Id itaque potius admittendum videtur, hic non agi de Fuxensi comite, licet nos lateat quem indicare voluerit Galterius.*

m *Quis ille mons sit, nulli me docent libri, neque* D *chorographicæ tabulæ. Ut ex itinere S.* Anastasii, *Cluniacum paulo post redeuntis, patet, meridiem versus Appamiarum jacet.*

n *Testimonium est, servatum tum fuisse consilium, quo nemini soli concedenda suadetur ab asceticis vita eremitica. Latius vide de hac re præcellentes Disquisitiones Monasticas Haefteni, Afflighemiensis præpositi* (*g*).

o *De S. Antonino Martyre ample disputavit Stiltingus in opere nostro ad diem* II *Septembris* (*h*). *At nihil istic proferre ei licuit quod ad hanc Reliquiarum translationem, aut capsæ mutationem pertineret : neque nobis fuit datum quidpiam reperire, quod certo tempori hoc factum annectat. Sine temporis nota narrat Petrus de Marca, Benearnensis historicus, ex Fuxensibus scriptoribus, Reliquias S. Antonini Lezatum multa cum solemnitate translatas fuisse, Rogerio II eas sub pallio suo portante. Cum inde forte relatæ sunt, facta fuerunt quæ hic narrantur. Notandum insuper est, quod, cum hic locus detorqueri non posse videatur ut credamus id temporis caput solummodo S. Antonini illic servatum fuisse, non vero totum corpus, facile intelligitur* E *quanti momenti hic Galterii textus sit adversus scriptores Historiæ Occitaniæ, qui senserunt* (*i*) *corpus S. Antonini Fredelas, seu Appamias delatum fuisse tempore sacrorum bellorum; quibus anno* 1095 *tantum initium datum fuit. Cæterum aliis argumentis fuse jam refellit Stiltingus* (*k*) *hanc opinationem.*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, notes, p. 586. — (*b*) Ibid., p. 287 et 288. — (*c*) T. XIII, instrum. col. 88. — (*d*) T. II, instrum. col. 378 et seq. — (*e*) Gall. Christ., t. XIII, col. 150 et Hist. du Languedoc, t. II, p. 358. — (*f*) Ibid., locis cit. — (*g*) p. 283 et seqq.— (*h*) Act. SS.,t. I Sept., p. 340.— (*i*) Hist. du Languedoc, t. I, p. 623.— (*k*) Act. SS., t. VI Sept., p. 349 et seqq.

DE S. BERTRANDO,

ARCHIDIACONO TOLOSANO, ET CONVENENSI EPISC.,

IN GALLIA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Bertrandi festum die XVI Octobris proprie celebrandum; ejus biographiæ, earumque fontes; de initiis monasterii Scalæ-Dei.

CIRCA ANN. MCXXV. *S.* Bertrandus, XVI *Octobris celebrandus in Martyrologiis,*

Silet hodierno die Martyrologium Romanum S. Bertrandi *nomen; neque alio die silentium illud rumpit. Verumtamen per totam fere meridionalem partem Galliæ viget ejus cultus, atque adeo apud canonicos regulares unius alteriusve Congregationis olim invaluerat, et in ipsam Hispaniam et Germaniam jam pridem penetraverat. Ad finem hujus Commentarii, ubi de cultu agemus, has diœceses aliaque loca, quantum licuerit, conabimur recensere. Hic tantum notabimus, eum in quibusdam locis die* XV, *in aliis die* XVII *Octobris coli, plerumque ob alia concurrentia festa; unde explicandum est quapropter Saussayus, Martyrologium Parisiense et Ebroicense, non secus ac Baillet ad diem* XV *Octobris de eo agant. Quod vero Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum et Saussayus iterum de eo ad* XIX *Novembris sermonem habent, errorem esse inferius videbimus.* (*Vide ad finem hujus Commentarii*). *Peyronnet, doctor S. theologiæ et parochus Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo, Castellanus in Martyrologio suo universali, et Carolus de Caylus in Martyrologio Autisiodorensi soli mihi inter martyrologos occurrunt, qui S.* Bertrandi *festum diei* XVI *annectunt; quod recte ab eis fieri indubium est, quandoquidem hac die S.* Bertrandus *mortuus est, et in oppido et ecclesia, sua olim episcopali sede, multo cum honore celebratur. Jam ad ejus biographos stylum transferimus.*

2 *Ut*

plures biographos nactus est;

2 *Ut nihil dicam de lectionibus, in ejus Officio recitari solitis, quas sat multas numero habemus,* A *quatuor nobis cogniti sunt biographi, inter quos historiæ ecclesiasticæ scriptores non numeramus : Bailletus, et, qui eo hic maxime usus est, Butler vulgo satis cogniti sunt. Tertius obscurus est valde : nomen ei est Joannes Lastrade presbyter et præbendarius Convenensis : ejusque opusculum, cujus exemplar apud Patres nostros Parisienses adepti fuimus, editores Bibliothecæ historicæ Galliæ latuit. Hunc autem titulum, quem ex gallico latinum facio, sibi præfixum habet :* Relatio translationis partis Reliquiarum (*une relique*) S. Bertrandi Convenensis, recognita, castigata et aucta compendio Vitæ hujus Sancti, aliisque capitibus : *impressumque fuit Tolosæ anno* 1742. *In præfatiuncula fatetur auctor se nancisci nequivisse primigeniam Vitam S.* Bertrandi : *quam ob rem Breviariis MS. et impresso suæ ecclesiæ, Valesii Notitia Galliarum, Bailleti Vitis Sanctorum, Saussayi Martyrologio, Oihenarti Notitia utriusque Vasconiæ fere tantum utitur. Immixtis dissertationibus, quas ex concionibus, in jubilæo aliisque S.* Bertrandi *festis ab ipso ad populum habitis, distractas esse arbitror, ad justum volumen* B *excrevit opella : quocirca non multum nobis gratularemur hujus Vitæ detectionem, nisi ei nonnulla de S.* Bertrandi *cultu inserta essent, quæ alibi frustra indagassemus.*

quorum unus, Vitalis synchronus,

3 *Primigenia autem Vita S.* Bertrandi, *quam modo Lastrade sibi defuisse dolentem audivimus, in Collectione Veterum Scriptorum Edmundi Martene* (*a*), *ex MS. codice Floriacensi desumpta, prodiit. Reperimus nos dein duplex ejusdem Vitæ apographum, utrumque a P. Petro Possino anno* 1649 *ad Bollandum transmissum; quorum prius, multo præstantius quam id quod edidit Edmundus Martene, sua manu descripsit ipse Possinus, cujus merita litteraria recenset Bibliotheca Societatis* (*b*); *alterum vero, quod primam tantum partem, seu novem primos numeros capit, descripsit P. Odo de Gissey, cujus opera enumerat itidem Societatis Bibliotheca* (*c*) : *inter quæ Historia Tolosana MS. citatur; cui forte illustrandæ seposuerat laudatus Pater hanc ex nescio quo codice haustam scriptionem. Ei præmissus est in editione Marteniana et in ecgrapho P. Gisseji sequens titulus :* Incipit Vita S. Bertrandi episcopi, quæ * ad instantiam domni Jacinti sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, ad * C mandatum domni Willelmi * archiepiscopi Auxitani nepotis ejusdem Sancti, edita * est * tempore scilicet * Alexandri papæ, a magistro Vitale apostolicæ sedis notario, qui de provincia Auxitana oriundus fuit, qui vitam et miracula Beati Confessoris, ex relatione tamen * archiepiscopi, et ab aliis qui eum viderunt in ecclesia sua et plene * noverunt gesta ipsius, et fratribus Scalæ-Dei Cisterciensis Ordinis scripsit veraciter fideliter tali stilo. *In optimo tamen ecgrapho P. Possini legitur tantum :* Incipit Vita S. Bertrandi edita a magistro Vitali sacrosanctæ Sedis Apostolicæ protonotario; *ex qua diversitate dubium fit auctorine an amanuensi tribuendus sit hic titulus. Ut vero magis lectori pateat, quanta sit hujus Vitæ auctoritas, paucis disseremus de tempore deque occasione hujus scriptionis, et de fontibus unde hausit Vitalis.*

* *deest in MS. Gisseji*
* per *G.*
* Guiliermi *G.*
* scripta *G.*
* *deest G.*
* S. *G.*
* dicti *G.*
* eum *G.*

scripsit ultimam partem operis sui post annum 1170,

4 *Variæ sunt sententiæ auctorum, qui de tempore, quo Vitalis S.* Bertrandi *Vitam conscripsit, dixerunt. Fabricius in Bibliotheca Mediæ et Infimæ Latinitatis, lib.* XX *ad vocem* Vitalis (*d*), *affirmat Vitam S.* Bertrandi *circa annum* 1123 *scriptam* D *fuisse; Bailletus in tabula critica auctorum, tomo VII Vitarum Sanctorum prævia* (*e*), *ait Vitalis scriptionem quadraginta fere annis post S.* Bertrandi *mortem factam esse; ejus vero mortem anno circiter* 1126 *annectit; Collectores Bibliothecæ Historicæ Galliarum* (*f*) *audaciori passu incedunt, et Vitalis opus ad annum* 1166 *referunt. Equidem tria tempora distinguenda esse duco : primo enim certum est postremam Vitæ partem, numeros saltem ultimum et penultimum, exaratos fuisse post mortem Gulielmi archiepiscopi Auxitani, ad cujus mandatum Vitalis susceperat provinciam S.* Bertrandi *gesta conscribendi, et qui anno* 1170 *supremum diem obiit, ut Gallia Christiana* (*g*) *docet. In penultimo enim numero narratur miraculum Cantuariæ in Anglia ad tumulum S. Thomæ archiepiscopi factum; verum hic Sanctus, ut in ejus Vita* (*h*) *traditur, obiit* IV *kalendas Januarii anni* 1170. *Ipso narrandi modo distinguitur etiam hæc pars a reliqua Vita; cum exordiatur his verbis :* Alio quoque tempore accidit in Francia sabbato Pentecostes, *etc. Quæ formula, licet alibi non minus quam hic necessaria, nuspiam apparet. Cavendum tamen est ne quis multo recentiorem hanc adjectam laciniam faciat, quando-* E *quidem in ea agitur de Sancio Parra, qui S.* Bertrando *coævus fuerat, et verisimiliter etiam tum vivebat.*

reliquam fere inter annum 1167 *et* 1170;

5 *Reliqua pars, qualem reliquit Vitalis, integra aut fere integra scripta fuit inter annum* 1167 *et annum* 1170; *quod enim post annum* 1167 *scripta fuit, luculentum id facit sequens testimonium, ex numero* 29 *ipsius Vitæ desumptum :* Ego (*Vitalis*) quoque indignus servus Christi, et Auxitanæ Ecclesiæ clericus, qui hoc opus scribendi accepi ex mandato domini Vileumi archiepiscopi prælibatæ sedis, et sanctitatem et miracula B. Bertrandi tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana Ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavi Alexandro summo pontifici, viro catholico, in palatio Lateranensi, in præsentia venerabilium cardinalium. *Quæ verba sine ulla fere ambiguitate respiciunt ad concilium Lateranense, anno* 1167 *celebratum, ut inferius demonstrabitur. Quod autem ante annum* 1170, *obitualem Gulielmi III Auxitani archiepiscopi, referenda est dicta pars, evincitur ex altero Vitalis testimonio, sic num.* 11 *sonante :* Sicut hujus Sancti (Bertrandi) virtutem, F ita quoque et illius (*Gulielmi III*) religionem, cujus causa præsenti instamus proposito, multis ut veris audemus efferre præconiis, sed non præsumimus, cum sit scriptum : Lauda homines post mortem, magnifica post consummationem. *Sat clara sunt hæc dicta, ut commentario non egeant, omnesque cavillationes præscindant.*

materiam vero collegit maxime ante annum 1167.

6 *Ex præcitatis verbis Vitalis, se Romam S.* Bertrandi *sanctitatis exponendæ causa perrexisse narrantis, liquet eum jam per aliquod tempus ante annum* 1167 *in S.* Bertrandi *gesta et miracula inquisivisse, eaque notasse; dubium autem non est magnam partem primæ hujus scriptionis hic insertam esse. Quanta vero pars et quæ sit, quam primum edidit, determinari forte potest ex ecgrapho P. Gisseji, quod n.* 9 *desinit his verbis :* Manifeste datur intelligi, et occulta fide constat esse perspicuum, quod S. Bertrandus, Convenarum episcopus, fidelis Christi servus et prudens, cujus vita innumeris refulsit miraculis, postquam migraverat a sæculo majora noscitur beneficia præstitisse : more enim solito, et

(*a*) T. VI, col. 1021 et seqq. — (*b*) Allegambe Bibl. S. J., p. 691 et seq. — (*c*) Ibid., p. 641. — (*d*) T. VI, p. 302. — (*e*) p. XVI. — (*f*) T. I, numm. 8093 et seq. Edit. 1768. — (*g*) T. I, col. 986. — (*h*) P. Roger., lib. II, cap. XX, in Chr. Lupi oper., t. X, p. 49.

A multo frequentius postmodum mirabili virtute coruscavit signorum; statim namque omni mora postposita, Domino disponente, virtutes renovantur sancti pontificis, declarantur et signa copiosius. *Editio Marteniana et ecgraphum P. Possini habent eadem; sed quæ subnectuntur, liquido postea addita fuerunt. Rite ergo a me tria tempora distincta esse arbitror : primum, quod annum* 1167 *antecedit; secundum, quod tres sequentes amplectitur annos; tertium demum quod sat proxime annum* 1170 *secutum est. His annotatis corruunt præmissæ opiniones contrariæ; imprimis opinio Fabricii annum* 1133, *a quibusdam tempus emortuale S.* Bertrandi *dictum, assignantis : testatur quippe ipse Vitalis num.* 29, *se, mortuo S.* Bertrando, *nondum pueritia excessisse et* commoratum esse in pascuis cum quibusdam quorum cura erat armenta regere.

scripsit autem ad instantiam Hyacinthi, dein Papæ sub nomine Cœlestini III;

7 *Jam vero quæ occasio fuerit hujus publicandæ Vitæ ex præmissis fere liquet : non quidem fuit instructio processus canonizationis, verisimillime jam antea factæ, ut infra videbimus, sed potius commune studium, quo Sanctorum Vitæ scribuntur, commonefaciendi videlicet lectores, eis in quocumque Sancto exemplar esse et præsidium : hunc fuisse scopum*
B *Vitalis ex universo opusculo satis liquet. Ut ex titulo præterea novimus,* instabat domnus Jacintus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, et mandatum *dederat* domnus Willelmus, archiepiscopus Auxitanus : *quod utrumque plurimum scriptorem commendat, ejusque fidem, egregiis his viris probatam, lectori magni faciendam exhibet. Ille enim Jacintus cardinalis idem est, qui anno* 1191 *ad S. Petri cathedram sub nomine Cœlestino III evectus est. Quod ne quis in dubium revocet, præsto est argumentum peremptorium. Toto tempore, quo Gulielmus III S.* Bertrandi *nepos Ausciis sedit, unus tantum Jacintus cardinalis diaconus fuit, atque hunc eumdem Jacintum anno* 1191 *ad Romanas sublimatum fuisse infulas, nihil fere in universa Pontificum Romanorum historia certius est : mitto tum quæ de eo Baronius ejusque Criticus Pagius ad annum* 1191 § 1 *prodidere, tum quæ de eo habent Ciaconius, ejusque ampliator noster Oldoinus* (*a*) *: proponam tantum quæ decessor noster Papebrochius in Propylæo Maji* (*b*) *ex antiquo Pontificum Catalogo de eo protulit : nominum identitas indicatam quæstionem solvet :* Cœlestinus, natione Romanus, ex patre Petro Bobonis, antea
C Hyacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, creatus XII Aprilis, consecratus die Resurrectionis, XIV ejusdem anni MCXCI; sedit annos VI, menses VIII, dies XXVIII, tempore Henrici VI et Isaacii Angeli Imperatorum. Obiit die VIII Januarii MCXCVIII, sepultus in basilica Lateranensi : et paucis solum horis vacavit sedes.

quocum Vitalis vario tempore agere potuit,

8 *Porro ille Jacintus, seu Hyacinthus, deinceps Cœlestinus III, renuntiatus fuerat cardinalis circa annum* 1144 *vel a Cœlestino II, ut placuit Ciaconio, vel a Lucio II, ut voluere Panvinius et Aubery, vel ab Eugenio III anno* 1145, *ut asserit Moreri, aut ab Honorio II anno* 1126, *ut Novaes in Elementis Historiæ Pontificiæ* (*c*) *adversus hos aliosque, satis bono argumento nitens, probare conatur. Ex quo vero cardinalitia dignitate ornatus fuit, plura exstitere tempora, quibus hortari potuit Vitalem ad Vitam S.* Bertrandi *conscribendam : nam, ut mittam tempora, quæ ante Alexandri III pontificatum cucurrerunt, venit ille anno* 1162 *Montempessulanum, unde missus fuit ad Ludovicum VII Galliarum regem, duos deinde continuos fere annos, nonnumquam cum legati titulo, in hoc regno versaturus; porro a vero non absimile est Vitalem cum Gulielmo Ausciensi Montepessulano quoque degisse eodem an.* 1162, *cum concilium illic celebratum est, ut in Collectione Conciliorum* (*d*) *ex variis scriptis notat Labbeus, et cui sine dubio interfuit Hyacinthus, quandoquidem ejus nomen reperiatur ad calcem bullæ illic datæ anno* 1162 (*e*). *Quæ tempora si minus placeant, superest annus* 1167, *quo celebratum est concilium Lateranense, et in quo, ut jam vidimus, Vitalis S.* Bertrandi *sanctitatem et miracula evolvit; cum vero huic concilio absque dubio interfuerit Hyacinthus, et ex sua in Galliis commoratione et itinere in Hispaniam tempore Anastasii IV, qui eum quoque legatum creaverat, suscepto* (*f*), *S.* Bertrandi *famam probe novisse debuerit, mirum non foret, si id temporis per instantiam, de qua in titulo sermo est, Vitalem ad scribendum impulisset. Quidquid demum de tempore sentiendum sit, Hyacinthi assensus Vitalis lucubrationi sine negotio vindicatur, eamque quam maxime commendat, cum ille cardinalium collegii socius non tantum summa in negotiis tractandis dexteritate, sed ut obvii ejus biographi asserunt, singulari quoque prudentia ornatus fuerit;* E *quod cæterum satis patet ex epistolis, quæ supersunt et quarum septemdecim tomo X conciliorum Labbei, una in Supplemento diplomatum Mirœi, plures in tomo I Thesauri anecdotorum Martenii, et in Collectione Historicorum Galliæ D. Bouquet exstant.*

et ad mandatum Gulielmi Ausciensis, ex quo Vitalis non secus atque ex canonicis Convenensibus et monachis Scalæ-Dei multa audivit.

9 *Non absimile quid dicendum foret de Gulielmo Auxitano seu Ausciensi archiepiscopo, Sanctique* Bertrandi *nepote : fuit quippe tum rebus gestis, tum animi dotibus commendabilis, ut colligere potest lector ex his, quæ de eo in Gallia Christiana* (*g*) *leguntur. Præterea legatus quoque fuit Sanctæ Sedis, quo munere Gulielmus II et Geraldus, hujus Gulielmi III in sede Auxitana successor, etiam gavisi sunt. Ejus porro narrationes uberes fuerunt fontes, unde hausit Vitalis, ut indicatur in titulo et num.* 10 *et* 11 *Vitæ. Præter hunc testes adducit Vitalis Convenenses canonicos, aut ut titulus perhibet,* alios qui cum viderunt in ecclesia sua, et plene noverunt gesta ipsius, *et demum* fratres Scalæ-Dei Cisterciensis ordinis, *ut titulus et ipse Vitalis num.* 11 *testatur. Verum hi de miraculis ejus tantum testabantur, non autem de reliqua vita, et potissimum nihil de ejus juventute nosse poterant : quod notet lector velim, imprimis si penes se habeat opusculum* F *Lastrade, qui scripsit* (*h*) S. Bertrandum ab avunculo suo Gulielmo II, Ausciensi archiepiscopo, fratribus Cisterciensibus abbatiæ Casæ-Dei, in finibus diœcesis Ausciensis sitæ, creditum fuisse, bonis sanctisque litteris et solidis virtutibus imbuendum. *Quæ priusquam ad crisim vocemus, monebimus lectorem hæc et alia multa, quæ habet Joannes Lastrade, non reperiri in libris, quos ad opusculi sui calcem recenset, et deprompta esse sine dubio vel ex legendario MS. Convenensi, vel ex versione aut epitome primigeniæ S.* Bertrandi *Vitæ, male tamen intellectæ : unde certum fit, aliam præter jam memoratas S.* Bertrandi *Vitas exstare, quandoquidem ille se primigenium Vitalis opus præ manibus non habuisse declarat.*

*Cum his tamen monachis S.*Bertrandus, *neque juvenis, neque senex, vixerat,*

10 *Ast dubium non est, quin loco* Casæ-Dei *dicendum esset Joanni Lastrade* Scala-Dei; *non quidem quod tum omnis error evanesceret, sed quod alluditur ad hæc Vitalis verba n.* 11, *qualia edita fuerunt ab Edmundo Martene* (*i*) : Partim et illa scribenda

(*a*) Hist. Roman. Pontif.. t. I, col. 1018 et 1151. — (*b*) p. 13*. — (*c*) Elementi d'Istoria Pontif., t. III, p. 134. — (*d*) T. X, col. 1410. — (*e*) Hist. du Langued., t. II, pr. col. 586. — (*f*) Cfr Mariana Hist. Hispan., lib. XI, cap. III. — (*g*) T. I, col. 985. — (*h*) Relation de la translation d'une relique de St. Bertrand, p. 15. — (*i*) Ampl. Collect., t. VI, col. 1027.

duximus,

A duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eos sederet, et de schola virtutum eorum assumeret exempla verborum. *Verum corruptum hunc esse textum asseverare non ambigo; scribi scilicet oportet :* Partim et illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eos sederem et de schola virtutum eorum assumerem exempla verborum : *qui sensus omnino planus est, si tamen illud* exempla verborum *exularet, licet omnino ad Vitalis stylum pertineat, insulsis antithesibus pollentem. Quod autem ita restituenda sunt biographi verba ex conjectura assecutus jam eram, priusquam ad manus meas devenisset ecgraphum P. Possini, quod recte hic loci, ut fere alibi, fluit. Et quidem ejus lectionem retinendam esse ex triplice capite liquet : primo, altera est hiulca; secundo, innuit narratum iri quæ S.* Bertrandus *egit, dum ipse apud fratres Scalæ-Dei commoraretur, cum tamen nil hujusmodi facit Vitalis, miracula tantum recensens, pleraque post S.* Bertrandi *mortem patrata, cætera per vitam, non assignato tempore et loco; sed nullum factum a S.* Bertrando, *dum versaretur in monasterio Scala-Dei. Tertio, certum est S.* Bertrandum

B *non in sua juventute versatum esse apud dictos fratres, et non minus certum videtur ne in sua quidem senectute eum cum dictis fratribus egisse. Etenim quod ad priorem partem præmissæ affirmationis spectat, extra controversiam est hanc abbatiam non fuisse conditam ante annum* 1114, *quo tempore jam quadraginta fere annos in episcopali cathedra sederat S.* Bertrandus; *quod autem ad alteram partem pertinet, simile præsto est argumentum : consentiunt quippe scriptores S.* Bertrandum *ante annum* 1127 *ultimum obiisse diem; et hæc sententia nisi certa, verisimillima est. Jam vero liquet abbatiam de Scala-Dei non tantum post annum* 1114, *sed non ante annum* 1127 *fuisse conditam in loco dicto* Capadur, *ad fontes seu ad Caput Aturri fluvii : quod postremum paulo latius declarabimus.*

quoniam, ut adversus Petrum de Marca probatur,

11 *Specialem Dissertationem de origine monasterii Scalæ-Dei apud Bigerros in diœcesi Tarbiensi olim conscripsit Petrus de Marca, eamque Baluzius inter opuscula hujus laudatissimi scriptoris anno* 1681 *edidit. Diversam a nostra init ipse sententiam : at pauca tantum notanda sunt, ut ex ipsiusmet verbis appareat illi initium non ante annum* 1127 *factum esse : en igitur ejus verba* (*a*) : Visuntur

C illic (*in superiore parte Campanæ Vallis ad oram Aturri*) hodie veteris domus maceriæ; cujus fundamenta jacta fuerant in agro comitis Bigorritani proprio, ut docet veteris schedæ statim proferendæ fides. A quo tamen agro Centullus secundus comes præcipuam partem, petitione Fortonis viri nobilis fractus, avulserat. Dein post obitum Centulli, pudore et pœnitudine ductus, Forto juri sibi cesso renuntiavit in commodum monasterii ex auctoritate et consensu Petri comitis Bigorræ atque Beatricis comitissæ ejus uxoris. (*Plura hic sunt, quæ citando instrumento non confirmantur, et proin meræ conjecturæ sunt, mihi prorsus erroneæ.*) Proferenda sunt et expendenda vetustæ chartæ verba, ut recte primæ illius fundationis tempus constitui possit : « *Grangiam de Cabatur, ubi abbatia primitus facta fuit, Forto de Vico, qui locum illum a Centullo comite impetraverat, consensu et voluntate Willermi Bigorritani episcopi et Petri Bigorræ consulis ejusque uxoris Beatricis dedit Valcherio abbati Morimundensi et Bernardo Scalæ-Dei abbati in manu Willermi Auxiensis archiepiscopi et Romanæ Ecclesiæ legati.* » Huc usque Scalæ-Dei instrumentum; D *de quo sic ratiocinatur Scriptor :*

hoc monasterium

12 Si exstaret integrum istius donationis instrumentum, (*exstat illud, ut modo videbimus,*) patefaceret primam monasterii originem, quam tamen beneficio comitis Bigorritani deberi satis perspicue docet, cum in agri sive grangiæ dominicæ parte constructum ostendat. Domus quippe religiosæ constructio, imo vero et abbatiæ dignitas hanc Fortonis donationem antecedit, utpote collatam in Bernardum, jam tunc abbatem Scalæ-Dei. *Hoc loco egregium virum sisto : penes se scilicet habebat laciniam tantum instrumenti, non autem integram chartam, factam occasione translationis hujus abbatiæ in alium locum. Ex præmissis autem liquet, ei persuasum fuisse citata verba ex instrumento donationis Fortonis desumpta esse; multum vero abest : sunt quippe excerpta ex instrumento de translatione, condito anno* 1142, *quo tempore jam pridem abbas erat Bernardus. Videsis hoc instrumentum satis integrum in Gallia Christiana* (*b*). *Hinc ruunt omnes doctissimi dissertatoris conclusiones, inductiones, quin etiam incusationes adversus Fortonem. Notet præterea lector nihil in tota hac charta signari de*

E *comitibus Bigorritanis, qui hujus abbatiæ fundatores fuissent, neque dici* grangiam de Cabadur restitui, *sed* dari *a Fortone : quod in hypothesi illustrissimi de Marca prorsus aliter fuisset scriptum, cum his temporibus non soleret donatio restitutioni prætendi : unde sole clarius est Scalæ-Dei originem a Fortonis donatione repetendam esse. Ex sequentibus vero Petri de Marca verbis tempus hujus donationis dignoscitur; sonant porro hoc modo :*

inter annum 1127 *et* 1131 *conditum fuit, id est post mortem S.* Bertrandi.

13 Cum. . . in Valcherium quoque abbatem Morimundensem collata fuisse dicatur (*grangia de Cabadur*), metiendum est illius (*donationis*) tempus ex annis Valcherii, qui Galterus dicitur in Annalibus Cisterciensibus, ab Angelo Manrique conscriptis, ubi obiisse illum scribitur anno 1131, postquam per quinquennium Morimundensem abbatiam rexisset, ab anno scilicet 1127 usque ad annum 1131. Sed in priorem hujus quinquennii annum non potest conjici, quoniam Centullus secundus comes adhuc superstes erat anno 1127, ut manifeste docent acta a nobis laudata in Historia Benearnensi lib. IX cap. VII. Donatio autem Fortonis incidit in annos Petri Bigorræ comitis, qui

F etiam Marciani comitatu potiebatur, atque Beatricis comitissæ, ejus uxoris. *Hæc recte laudatus antistes. Unde miror Dionysium Sammarthanum* (*c*) *hujus abbatiæ initia vage ante annum* 1136 *statuisse. Paucis jam præmissa retexo : Centullus II non fundavit monasterium Scalam-Dei, neque deinde avulsit aliquam partem a collato territorio, ut eam Fortoni traderet; verum ante monasterii fundationem contulit grangiam* de Cabadur *Fortoni, qui pro sua pietate hanc grangiam tradidit Valcherio abbati Morimundensi, ut in ea monasterium Scalam-Dei conderet; quæ posterior traditio, et proinde monasterii constructio obtinuit temporibus Petri, qui ex uxoris jure in comitatu Bigorritano Centullo II successit, non ante annum* 1127.

Idem dicendum de monasterio Casæ-Dei.

14 *Ne vero lector Fortoni de Vico, non autem comitibus Bigorritanis, (ut suadere conatus est Parisiensis archiepiscopus,) fundationem Scalæ-Dei adscribens, ineat sententiam recte proinde loco Scalæ-Dei substitutam fuisse a Lastrade Casam-Dei Ordinis Cisterciensis, moneatur necesse est Casam-Dei non Cisterciensis sed Præmonstratensis*

(*a*) p. 396 et seqq. — (*b*) T. I, instrum. p. 192. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 1260.

Ordinis

A *Ordinis in Ausciensi archidiœcesi sitam, etiam serius quam Scalam-Dei conditam fuisse. Audiendus scilicet est Carolus Ludovicus Hugo, episcopus Ptolemaidis, et abbas Stivagiensis, sic disserens* (*a*) : Frelone fundatore, vel Frocone, ut scribit Mauritius Dupré Ordinis annalista (*non autem Petro comite Bigorritano, ut vult Dionysius Sammarthanus, Casam-Dei cum Gratia Dei confundens* (*b*)) prodiit hoc cœnobium, Guillelmo d'Andozille (*imo* de Montald, *ut § sequenti evolvetur*) archiepiscopo Ausciensi, illud transcribente Waltero abbati S. Martini Laudunensis, anno 1135, indictione XIII, epacta IV, concurrente I, ut legimus in originali diplomate, asservato in scriniis S. Martini, sed pene exeso. *Ex quibus satis liquet, S.* Bertrandum *neque cum incolis Scalæ-Dei, neque cum Casæ-Dei ascetis umquam versatum fuisse. Ut autem hæc claudantur, operæ pretium est animadvertere fratres Scalæ-Dei optime potuisse rescire S.* Bertrandi *miracula, quoniam ab anno* 1142 *sedem suam habuerunt in his Tarbensis diœcesis finibus, qui diœcesi Convenensi adjacent. Ex quibus omnibus plurimum crescit Vitalis auctoritas; ad quam tamen commendandam omnium maxime facit tum ejus officium notarii apostolici,*
B *tum ejus Romana ablegatio ad promovendam S.* Bertrandi *canonizationem. Quod si ejus scriptio aliquantum deinde corrupta fuit, id ab eo alienum est: cæterum paucissimæ sunt istiusmodi litterarum series. His de S.* Bertrandi *biographo præmissis, stylum jam ad se vocant ipsa hujus Sancti gesta.*

§ II. De S. Bertrandi parentibus, fratribus, aliisque consanguineis. Trium Gulielmorum, Ausciensium archiepiscoporum chronologia illustratur.

Nomen S. Bertrandi.

C Ut *ex tota S.* Bertrandi *vitæ serie facile innotescet, natus est S.* Bertrandus *ante medium sæculum* XI, *quin tamen certum tempus assignari queat, tum ob silentium Vitalis, tum ob aliorum monumentorum omnimodam fere absentiam. De ejus similiter nomine late disputare non vacat, siquidem* Bertrandi *vocem, ut Peyronetii* (*c*) *phrasi utar, a* Bertchranno, Bertichranno, *seu* Bertichramno *deductam esse, norunt viri docti. Cæterum hac de re jam dixere decessores nostri ad diem* VI *mensis Junii* (*d*), *ubi simul noster Sanctus ab aliis homonymis distinguitur. Admittendum tamen non videtur idem esse illud nomen ac* Bernardum; *quo nomine Sanctum, de quo agimus, a quibusdam appellatum fuisse non mirari non potuimus. Juverit tamen notare* Bertichramnum *aut similis formæ nomen sæculo duodecimo ineunte, quo Sanctus noster florebat, in Occitania non amplius obtinuisse, ipsumque proin Sanctum in conciliis et alibi* Bertrandum *subscripsisse.*

Natalis locus

16 *Occurrit autem difficultas, cum quo nomine natalis ejus locus olim appellaretur definiendum est. Novimus quidem ex edenda Vita jam tempore Atonis Raimundi, S.* Bertrandi *patris, castellum in quo natus est, in castrum, cui* Insula *deinde, et tandem* Insula Jordanis *nomen datum est, mutatum fuisse; verum grave me vexat dubium corruptumne ediderit* D *Martenius hoc loco textum, annon; scribit etenim:* Fuit autem oriundus de castello Setio, quod incolæ commutantes construxerunt exinde castrum, quod Insula nuncupatur. *Repugnat huic lectioni:* Castello Setio, *Oihenartus, dux plerumque tutissimus, qui in Notitia utriusque Vasconiæ* (*e*) *hæc habet :* Castellum Ictium, locum hunc principio, (antequam civibus frequentaretur et urbis formam indueret) vocatum fuisse testatur Vitalis protonotarius. *Et quidem tum in laudato ecgrapho Possini, tum in altero Gisseji* castellum Ictium *luculente legitur. Præterea, quæ minime spernenda auctoritas est, (siquidem annuatim frequentissimis examinatur oculis, illudque jam plura sæcula) consonat Oihenarto nostrisque MSS. tum Officium S.* Bertrandi, *quod inter Propria Tolosana anni* 1647 *excusum reperitur, tum alia, de quibus inferius dicemus. Ne tamen secundum hanc auctoritatem difficultatis nodum scindamus, obstat fragmentum extractum ex chartulario monasterii Grandis-Silvæ, quod in Historia Occitaniæ, a Benedictinis monachis elaborata, inter probationes* (*f*) *legere est; hæc porro ibi occurrunt :* Anno Incarnationis MCLXXI Odo de Insula, et India uxor ejus, pro animis suis et Arnaldi E Gausberti, dant eidem monasterio (*Grandis-Silvæ*) et Pontio abbati quidquid habent in nemore de Setes pro XX solid. Morlan. ex caritate. *Ubi vero situm sit, aut olim fuerit* nemus de Setes, *nihil habeo unde indicare possim; ad feudum tamen aut allodium dynastiæ Insulanæ pertinere videtur : quocirca fateor me angi de damnando Marteniano textu. Facile in hanc rem inquirere possent Occitaniæ viri docti, quibus multa detegenda supersunt de gente Insulana, de qua vix quempiam late disseruisse autumo.*

a Setico et Sotia distinctus examinatur.

17 *Ne quis vero, quoniam Insula Jordanis non procul a Tarno fluvio jacet, idem esse contendat ac* Seticum contra Torn, *unde Carolus Simplex, rex Francorum, anno* 922 *pro Ecclesia Gerundensi dedit chartam, quam in Marca Hispanica* (*g*) *legesis, cavit jam Petrus de Marca in eodem opere* (*h*), *ubi contra Catellum ostendit locum hunc esse trans Mosam. Neminem quoque confido castelli Setii antiquitatem esse propugnaturum ex eo, quod Cæsar* (*i*) *sæpius Sotiates memorat; longius enim ab Insula incolebant illi, ut iterum ex historicis demonstrat laudatus Parisiensis præsul, de Marca, in historia* F *sua Benearnensi* (*k*), *ubi clare patefacit Sotiam eamdem esse ac Vicum Julii, aut Adurrim* (Aire). *Setium vero seu Ictium, nunc gallice* l'Ile Jourdain *jacet ad Garumnæ fluvium, in pago Ausciensi* (Département du Gers). *Plura de hoc oppido in obviis occurrunt topographiis.*

S. Bertrandi *nobilitas et ejus familiæ potentia notatur.*

18 *Sed quidquid de castri nomine sentiatur, certum est S.* Bertrandum *ex Insulana gente esse ortum, prout testatur Vitalis num.* 1 *Vitæ, et secundum eum cæteri historiographi. Quam nobile vero esset illud genus undecimo jam sæculo multiplici ex capite colligitur : Ato Raymundus quippe, dominus Insulæ et S.* Bertrandi *pater, matrimonio fuit junctus filiæ Gulielmi, comitis Tolosani, cui agnomen* Scindens-ferrum; *Tolosanorum autem comitum genus tam illustre erat, ut Constantia, ejusdem Gulielmi ex priori matrimonio filia, secundis nuptiis juncta fuerit Roberto regi Francorum, quemadmodum ab Occitaniæ historiographis* (*l*) *et a collectoribus Historicorum Galliæ* (*m*) *fuit ostensum*

(*a*) Annal. Præmonstrat., t. I, col. 481. — (*b*) Gall. Christ., t. I, col. 1031. — (*c*) Catalogus SS. verbo Bertrandus. — (*d*) T. I, p. 776. — (*e*) p. 533. — (*f*) T. II, col. 546. — (*g*) Col. 845. Edit. Baluz. — (*h*) Col. 375. — (*i*) Comment. de bell. Gall., lib. III, cap. XX. — (*k*) Hist. du Béarn, p. 35 et seqq. — (*l*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 601. — (*m*) Recueil des hist. de France, t. XII, p. 794.

adversus

A *adversus Pagium* (*a*) *imprimis, hac de re in contrarium disserentem. Neque ibi desiit ille affinitatum splendor, ut videri potest ex indice genealogico hujus domus, quem contexuere prælaudati historiographi* (*b*); *quapropter non demiror anno* 1341 *dynastiam Insulanam antiquitatis et nobilitatis suæ gratia a Philippo Valesio, Galliarum rege, comitatus titulo fuisse decoratam : qua super re vide Oihenartum* (*c*) *et d'Expilly* (*d*). *Generis autem nobilitati non impares erant divitiæ, quas cum monasterio Grandis-Silvæ nonnihil communicavere Insulani dynastæ, ut ex præcitatis Grandis-Silvensibus excerptis facile eruere est. Harum autem magnitudinis si quis specimen cupiat, videat quæ de Bertrando de Insula, episcopo Tolosano, habet Gallia Christiana* (*e*) *et Moreri in suo Dictionario ad hujus præsulis nomen. Quam late vero pateret ejusdem familiæ ditio, partim disci potest ex fœdere* (*f*) *anno* 1196 *inito inter Jordanem de Insula et comitem Convenarum, et ex Registro* (*g*) *de Saisimento civitatis Tolosæ et comitatus Tolosani, anno* 1271 *facto.*

Aliquot minores errores notantur.

19 *Sed de S.* Bertrandi *parentibus et fratribus paulo latius jam agamus. Gulielmus Catel cum in sua Tolosanorum comitum Historia in Gulielmi*
B *Scindentis-ferrum liberos quam sedulissime poterat inquisivisset, his suam dissertationem claudit verbis, quæ ex gallicis latina facio* (*h*) : Filiæ autem nomen ignoramus pariter; sed ex memorata S. Bertrandi Vita colligimus nuptam eam fuisse Ottoni Raimundo; ex quo matrimonio duo exstitere liberi : Jordanes nempe dominus Insulæ, qui anno 1132 filiam Godefridi, domini Mureti, uxorem duxit, quemadmodum invenio fuisse notatum a D. De Beloy in quadam ex suis orationibus; et Bertrandus, qui initio archidiaconus fuit Tolosanæ ecclesiæ S. Stephani, postea vero episcopus Convenensis, et qui demum ob vitæ sanctitatem canonizationis honores est adeptus. *Hæc ille; at infelicius quam assolet, cum errores hic non deesse videantur. Primo enim nævus forte est in S.* Bertrandi *patris nomine quod* Ato Raimundus *sonat. Secundo, Jordanes ejus frater non fuit, sed nepos, ut patet ex ejus matrimonii tempore; tertio alios saltem duos habuit S.* Bertrandus *fratres, quorum alter Raimundus de Insula, alter Anonymus, qui Andohiellæ aut Andofilæi forsan fuit dominus. Rem jam aggrediamur. De patris nomine vix potest esse quæstio : habet enim Vita a Martene edita :* Sanctus ergo Ber-
C trandus clarus genere, sed nobilior fide, virtutibus refulsit : cujus pater dictus Ato Raimundus vir generosus; *cui lectioni consonant tum ecgrapha Possini et Gisseji et textus quem Oihenartus* (*i*) *legerat, tum S.* Bertrandi *Officium ecclesiasticum : passim quoque a Vitali non aberrant Occitaniæ laudati historici; at in arbore genealogica comitum Tolosanorum, liberos Gulielmi Scindentis-ferrum enumerantes, Emmæ ejusdem, ut ajunt, filiæ maritum tribuunt* Othonem Raimundum. *De hoc vero lapsu quem cum Catello communem habent jam satis.*

Expenditur charta ad S. Bertrandi *genus pertinens,*

20 *De S.* Bertrandi *vero patre cum continuo fuerit quæstio, non abs re fore confido, pauca hic proferre de charta quadam, in qua nomen ejus inscribitur, et quam omnium antiquissimam esse autumo, quæ ad Insulanum genus pertineant. Eruerunt eam Occitaniæ historiographi ex archivio monasterii S. Petri Curtensis seu* Mas-Garnier, *eamque inter probationes tomi sui II* (*k*) *publici juris fecerunt. Porro narratur in hoc instrumento, quo pacto* D *monachus quidam, Aymardus nomine, a Gulielmo Unaldi et aliis villarum dominis terram, in qua S. Licerii templi vestigia supererant, cœnobio S. Petri Curtensis impetraverit. Condita autem fuit hæc charta, non anno* 1060, *ut voluere Occitaniæ historiographi, sed certo post hunc annum; quemadmodum unicuique liquebit, qui Philippi Francorum regis ætatem cum his, quæ in hac dicuntur charta, comparaverit. Constat præterea eam die* XVIII *Januarii* 1061 *fuisse scriptam, ut illa ipsa, si cum tempore obitus Pontii Tolosani comitis conferatur, demonstrat. His autem præmissis, en qui illic subscribunt testes :* S. Atto Raimundus de Yla, S. Willelmus, Willem-Bernard de Yla, S. Arnaldus Otto de Cabatui, et Arnaldus Garsia de Garag Castro. *Ex quibus subscriptionibus tria eruere licet : primum ante annum* 1061 Castellum Ictium, *aut* Setium, *in* Castrum de Insula *jam fuisse mutatum, siquidem hoc tempore castrorum domini, vulgo saltem, a præcipuo castro suo cognomen mutuarentur; secundum, tum nondum huic cognomini appositam fuisse* Jordanis *voculam; qua in re passim errant Occitaniæ historiographi, licet Oihenartus* (*l*) *jam præmonuisset,* Insulam Jordanis *sic vulgo dictam fuisse a* Jordanis E *appellatione, in illius oppidi dynastarum gente familiari; at hujus appellationis familiaritas a medio fere sæculo duodecimo tantum obtinuit; et tertium tandem, idque præcipuum, ex ea cognosci* Willem-Bernard de Yla, *S.* Bertrandi, *ut videtur, fratrem.*

ex qua unus ex ejus fratribus cognoscitur,

21 *Etenim cum, teste Vitali, agnomen* de Insula *castro Atonis Raimundi, hujus tantum temporibus accesserit, necessario ipse S.* Bertrandi *pater primus sui generis* de Insula *cognominatus est; cum autem moris non esset fratrem a fratre mutuari suum titulum* (de Yla), *dici non potest* Willem-Bernard de Yla *S.* Bertrandi *esse patruum; verum cum e contrario paternum titulum assumerent vulgo filii, quamdiu ipsi non obtinerent proprium dominium, quid superest quam ut ille Gulielmus S.* Bertrandi *censeatur frater? Non enim obstat ætas, nam prorsus verisimile est S.* Bertrandum *anno* 1061 *fratres habuisse, qui ad testandum ætatem haberent idoneam; neque obstat quod agnomen* Bernard *addatur, quod vulgo tamquam patris nomen habetur; nam præterquam quod ob eamdem causam S.* Bertrandi *patruus dici non posset* (*pater enim agnomen* Raimundum *habet*), *agnomina illa non semper indicant patrem, ut ex* F *obvio Alfonsi I comitis Tolosani specimine eruitur : dicebatur quippe ille Alfonsus-Jordanis* (*m*), *licet patre Raimundo de S. Ægidio gauderet.*

et error circa eum aut alterum fratrem proponitur,

22 *Verum dum chartam illam examinamus, paulatim delapsi sumus ad fratres S.* Bertrandi, *et jam unum notavimus, Gulielmum-Bernard videlicet, quem si Oihenartus* (*n*) *Andofilæi dominum fecisset, anonymum suum sustulisset; sed quo id factum foret jure, non ego dispicio. Verumtamen non ii sumus qui Oihenarti rejiciamus sententiam, cum inter S.* Bertrandi *fratres Andofilæi dominum adnumerat* (*o*). *Hanc quidem oppugnant assertionem Occitaniæ historiographi sequentibus e gallico idiomate latine factis verbis* (*p*) : Huic sane nituntur testimonio (*Vitalis nempe, qui Vitam S.* Bertrandi *conscripsit*) auctores, qui Raimundo Insulæ domino, sanctique Bertrandi germano fratri alterum fratrem, qui Andofilæi in pago Tolosano sit dominus et Gulielmi III Ausciensis archiepiscopi parens,

(*a*) Crit. Baronii ad annum 998, § v et seqq., t. XVI, p. 377 et seq. Edit. Luc. — (*b*) T. III, p. 601. — (*c*) Notit. utriusq. Vasconiæ, p. 444. — (*d*) Dictionn., t. III, p. 859. — (*e*) T. XIII, col. 29 et seq. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. III, instr., col. 169 et seq. — (*g*) De Rozoi, annal. de Toulouse, t. I, pr., p. 1 et seqq. — (*h*) Hist. des Comtes de Tolouse, liv. I, part. III. — (*i*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*k*) Hist. du Languedoc, t. II, col. 235. — (*l*) Notit. utriusq. Vasconiæ, p. 533. — (*m*) Hist. du Languedoc, t. II, passim. — (*n*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*o*) Ibid., l. c. — (*p*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391 et seq.

A tribuendum esse arbitrantur; at fatendum est Vitalis testimonium non valde clarum esse; siquidem non modo auctor ille sibi ipsemet contradicere videtur, verum etiam antiquis monumentis edocemur Gulielmum III e Montaltensium oriundum esse genere; quocirca hic præsul filius fuerit sororis S. Bertrandi. *Sic illi adversus Oihenartum* (*a*) *et adversus Ange* (*b*) *insurgunt, non advertentes illam quæstionem quam proxime connexam esse cum hac altera, num Gulielmi II et III, qui in catalogo archiepiscoporum Ausciensium distinguuntur, confundendi sint in unum virum, et qui intermedius Sancius dicitur ad fabulas sit ablegandus.*

et diluitur, tum discussa Vitalis obscuritate,

23 *Porro cum quæstio hæc ad historiam ecclesiasticam Ausciensem tam prope spectet, clarius eam diducere conabimur; quod ut præstemus, ante omnia proferendum mihi est Vitalis testimonium, quod Occitaniæ historiographi infirmare studuerunt : numero autem* 10 *habet hæc :* Noverit * vestra dilectio, fratres carissimi, quoniam *, quæ præmisimus, ex * magna didiscimus parte, relatione domini Vileumi * venerabilis archiepiscopi Auxitanæ sedis, nepotis ejus, quem in * ætate tenera * apud se nutrivit, et eumdem fecit applicari studio literarum, et canonicavit eum in ecclesia Sancti Stephani, unde ipse B fuerat canonicus, et exinde ad dignitatem episcopalem assumtus. Archiepiscopi * pater * LINEA * GERMANITATIS SANCTO BERTRANDO noscitur fuisse conjunctus. MATER vero PRÆDICTI METROPOLITANI erat GERMANA beatæ et recolendæ memoriæ Vileumi * Bernardi * ARCHIEPISCOPI AUXITANI, a quo iste nomen accepit, nondum tamen in præsentem lucem effusus, sed clausus in utero matris. Quod eodem veraciter docente, dum in Auxitana sede de * suæ narrationis auctoritate multa virtutum exempla colligerem et præsentis scripti propositum, eo mandante, addiscerem. . . . . Fatemur utique quoniam non spe quæstus ad gloriam commoti ad scribendum venimus, sed hujus * viri gratia, qui PATRUELI gloria S. Bertrando conjunctus fuisse dignoscitur. *Sic Vitalis. In his utique nihil omnino obscurum; et quidem ipsa Martenii lectio non ita corrupta est, ut inde non facile plura colligamus de S.* Bertrandi *et Gulielmi III Ausciensis præsulis consanguinitate. Dicitur imprimis* mater prædicti (*id est qui Vitalis temporibus vivebat*) Vileumi *seu Gulielmi,* Auxitanæ sedis archiepiscopi, germana fuisse alterius archiepiscopi Auxitani : *quibus clare indicatur* C *quæ mater fuerit; at æque clare indicatur quis fuerit pater : noverunt quippe populares patrem ejusdem Gulielmi, seu ut habet Martenii editio, ipsum* Wilelmum per lineam germanitatis Sancto Bertrando fuisse conjunctum. *Et quantumvis nemo dubitare possit quin hæc conjunctio per lineam germanitatis talis sit, ut S.* Bertrandus *sit Gulielmi istius patruus, curat tamen ipse Vitalis ne quis de hac re suscipiat dubia, et paucis lineis inferius subdit* Wilelmum *istum* patrueli gloria S. Bertrando esse conjunctum. *Quod sane clarum testimonium est. At sibi contradicere videtur Vitalis! qua in re, obsecro? non in stemmate sane, ut liquet; at in his quæ de Bertrando archiepiscopo Auxitano perhibet. In examen id vocemus.*

tum sublata contradictione,

24 *Prodeat hæc secunda objectio : dicit Vitalis Gulielmo tertio impositum fuisse nomen alterius archiepiscopi Auxitani, quem tamen non Gulielmum, sed* Bertrandum *nuncupat in editione Martenii. Gravis objectio, fateor : sed ejus gravitas major est, quam ut in Vitalem, et non in Vitalem tantum, sed in ipsum Gulielmum Auxitanum præsulem, ex cujus* D *ore Vitalis scripserat, redundare queat. Quapropter in oscitantes amanuenses totus error transferendus est, ut satis liquet ex ecgrapho P. Possini, nullis tricis obnoxio. Verumtamen non ita horrendum oscitaverunt in modum; fateor equidem Bertrandum illum eumdem esse ac Gulielmum I Ausciensem archiepiscopum, qui sororis filio proprium suum imposuit nomen : sed difficultatem hanc feliciter jam solvere tentarat Martenius* (*c*), *supponendo Gulielmum I fuisse binominem; quæ suppositio, accurationem ecgraphi P. Possini commendans, sequentibus stabiliri potest. Inter instrumenta Galliæ Christianæ* (*d*) *exstat charta, qua idem præsul ejusque fratres ecclesiam de Monte-alto Cluniaco cedunt : sic autem incipit :* In nomine Dei summi omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Willelmus, filius Bernardi, et archiepiscopus Auxiorum, et fratres mei Raimundus et Oddo et Otgarius et Girald et Bertrannus. . . donamus ecclesiam S. Michaelis de Monte-Alto. *Ubi animadvertere est Gulielmum Bernardi esse filium; unde secundum temporis vulgarem fere morem* Gulielmus Bernardi *dicendus erat; et profecto sic ipse subscribit concilio Burdegalensi anno* 1093 *celebrato* (*e*); *en verba :* Signum E archiepiscopi Auxiensis Willelmi Bernardi; *et ibidem, cum hujus concilii præcipuos indicat viros, scribit notarius :* Coram domno Amato, legato apostolicæ sedis, et archiepiscopo Burdegalensi, et archiepiscopo Auxiensi, nomine Willelmo Bernardi.

quæ videtur orta ex eo, quod Gulielmus I Ausciensis præsul videtur fuisse binominis.

25 *Verum agnomen substituebatur his temporibus nonnumquam nomini, unde quis binominis fiebat : rem miram certa probatio credibilem faciet : Occitaniæ scilicet historiographi exhibent* (*f*) *chartam ex monasterio S. Petri Curtensis erutam; circa hujus autem mediam partem hæc leguntur :* Lacessitis rusticis illiusque dominis solitudinis, ad hoc tandem rei exitum duxit argumentosa apis, (*scilicet Aymardus monachus, qui concionatus erat*) ut a quo possideri domino illius heremi medium videbatur jure patrimonio, WILLELMO scilicet qui et UNALDO, relinquendum impetraret Deo. . . . Post non multum vero temporis prædictus WILLELMUS-UNALDI, vir venerabilis, in festum Beati Petri Cathedræ causa venerat orationis, *etc. Et in Gallia Christiana* (*g*) *simile exemplum occurrit : dicitur quippe ibi* Arnaldus Rogerii, *episcopus Convenensis ipso quo Vitalis scribebat tempore, nuncupari* Rogerium *in diplomate quo pax inter Petrum Boni-fontis abbatem et Milites templi componitur. Ex quibus siquidem constat ab agnomine et nomine quosdam factos fuisse binomines, nemo jam mirari deberet, si Gulielmus I Auxitanus etiam* Bernardus *vocatus fuisset. Unde sine negotio Amanuenses* Bertrandum *facere potuerunt. Verumtamen si cui non placuerit ille explicandi modus, quoniam alibi nusquam sic nuncupatus reperitur ille Ausciensis præsul, altera præsto est difficultatis solutio, in usu quoque horum temporum fundata : medio enim ævo frequenter initialis nominum littera scribebatur tantum; unde Vitalis forte* W. Bernardi *solummodo scripsit; atque hinc omisso* W. *facile ceciderint Amanuenses in erroneum* F Bertrandum. *Cæterum amplus est conjecturarum campus; et quidem ab eo discurrendo abstinuissemus, nisi vindicanda nobis fuisset edendæ Vitæ auctoritas.*

Ostenditur duo antiqua monumenta

26 *Tertia objectio, quam Vitali ejusque sequacibus Oihenarto et Ange Occitaniæ historiographi*

(*a*) Notit. utriusq. Vascon., p. 451. — (*b*) Hist. Généal., t. II, p. 763. — (*c*) Ampl. Coll., t. VI, col. 1027. — (*d*) T. I, p. 160, col. 1. — (*e*) Mansi Supplem., Concil., t. III, col. 125. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. II, prob. col. 235. — (*g*) T. I, col. 1129.

opponunt,

* Novit *Mart.*
* et *M.*
* *Omit. M.*
* Wilelmi *M.*
* prima *add. M.*
* *Omit. M.*
* *Omit. M.*
* *Omit. M.*
* per lineam *M.*
* *Omit. M.*
* Beati Bertrandi *M.*
* *Omit. M.*
* hujusmodi *M.*

A *opponunt, hæc est,* ex antiquis *scilicet* monumentis erui Gulielmum III e Montaltensium esse genere. *Sic illi loc. cit., Galliæ Christianæ nimiam habentes fidem, ut jam ostendemus. Antiqua monumenta, ad quæ tum Dionysius Sammarthanus, tum secundum eum memorati historici alludere videntur, duplicia sunt : prior est charta ex archivio Simorræ desumpta, in qua de incendio urbis Simorræ ejusque translatione agitur, et quæ clauditur his verbis* (*a*) : Facta sunt autem hæc anno a Christi Incarnatione MCXLI, indictione quarta, epacta XI, occurrente secunda, mense Februario, Guillelmo archiepiscopo de Montald regente Auxiensem sedem. *Altera autem charta est vetustâ membrana ex archivio Ausciensis metropolitani templi eruta, quam Sammarthanus apud Oihenartum* (*b*) *reperiens, iterum in opere suo edidit* (*c*); *sonat autem in hæc verba :* Successit Bernardo archiepiscopo Guilielmus, qui de prosapia Montaltensium descenderat, homo alti sanguinis, summa tam morum quam parentum nobilitate præpollens, tam in divinis quam in forensibus negotiis strenuissimus, in proposito constans, religionis amator, qui intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis quam Præmonstratensis Ordinis decem
B monasteria, et sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi in honore omnipotentis Dei fundavit et plantavit, quem prospera vincere, nec adversa frangere potuerunt, vir profundi sensus et consilii, et singularis discretionis. *En utraque charta, ex qua adversarii suam probari contendunt sententiam : at neutra quidquam efficere videtur, quoniam intra sæculum tres Gulielmi sedem Auxitanam occupavere, et utrumque instrumentum ad Gulielmum II referendum est, cum tamen de Gulielmo III hoc loco agatur.*

non Gulielmo I aut III Auxitanis præsulibus,

27 *In prioribus quidem Galliæ Christianæ editionibus, quemadmodum et in Notitia utriusque Vasconiæ duo tantum recensentur hujus nominis præsules, qui sæculo undecimo et duodecimo Ausciis sederunt; horum autem posterior in duos distinctus est in nova Gallia Christiana, et tres proinde ab eis admittuntur : quorum primus est Gulielmus filius Bernardi, quem ex Montaltensium baronum genere prodiisse ob donationem quamdam affirmat Dionysius Sammarthanus* (*d*). *Fuit autem hic, auctore Vitali, Gulielmi* (*quem tertium dicere solemus*) *avunculus, seditque ab anno* 1068 *ad annum* 1096 (*e*). *Gulielmus vero II prius Lactorensis fuerat episcopus, et Lactoræ*
C *sedit ab anno circiter* 1120 *ad annum* 1126, *quo anno ad Ausciensem cathedram est translatus : occupabat hanc adhuc sedem anno* 1142 *mense Septembri, ut colligitur ex charta translationis Scalæ-Dei, diœcesis Tarbensis, in qua ejus nomen memoratur* (*f*). *Tertius vero Gulielmus reperitur in instrumentis ab anno* 1148 *usque ad* 1170. *His tribus itaque distinctis, videamus quid ad propositam quæstionem evincant superiori numero allatæ chartæ.*

sed Gulielmo II applicanda esse.

28 *Prior reapse aperte asserit Gulielmum quemdam Ausciensem archiepiscopum ad Montaltensium pertinere domum; sed animadvertendum est, instrumentum, unde id eruitur, anno* MCXLI *fuisse conditum; cum vero hoc anno non sederet Gulielmus dictus tertius, de quo loquitur Vitalis, nequaquam exinde colligitur, ut hic Gulielmus tertius* de Montald *dicendus sit, aut quod idem sonat, nepos paterno genere Gulielmi I, archiepiscopi. Simile quid dicendum est de secunda charta; incipit enim expressis his verbis :* Successit Bernardo archiepiscopo Willelmus, qui de prosapia Montaltensium descende-

(*a*) Gall. Christ., t. I, instrum., p. 169. — (*b*) Notit. utriusq. Vascon., p. 452. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 287. — (*d*) Ibid., col. 981. — (*e*) Ibid., col. 982 et Annal. Ausciens. ap. Pertz, Monum. hist. Germ., t. III, p. 171. — (*f*) Cfr hæc cum Gall. Christ., t. I, col. 1075 et 984. — (*g*) Col. 987 in nota. — (*h*) Notit. utriusq. Vascon., p. 452.—(*i*) Gall. Christ., t. I, instrum. p. 162.

rat, *etc. Jam vero Gulielmus II successit Bernardo,* D
ut Gallia Christiana aperte docet et ut ex permultis probatur monumentis; Gulielmus vero III successit Sancio : unde iterum concludi quidem potest Gulielmum II fuisse Montaltensem, non item Gulielmum III. Verumtamen urget tomi I Galliæ Christianæ scriptor (*g*) *hanc chartam ad Gulielmum, quem tertium dicimus, spectare; en verba :* Tam brevi tempore Sancius fuit archiepiscopus, ut minime miremur, eum fuisse plerisque ignotum; et ex Guillelmo qui eum præcessit, alteroque, qui successit, unum esse factum. *Sic ille, innuens inde esse factum, ut Gulielmus II dictus sit Montaltensis, dum ex eo genere oriundum vellet Gulielmum III. Verum hæc conjectura nullo pacto admitti potest, nam cum præcitata charta ex ipso Ausciensi archivio desumpta sit, et continuo post mortem Gulielmi scripta videatur, non potest hæc conjectura probari, nisi hæc triplex in canonicis Ausciensibus supponatur mentis cæcitas : I ut ignoraverint an modo mortuus episcopus annos* 22, *an annos* 44 *secum vixerit; II ut obliti sint an Gulielmus II et Gulielmus III iidem essent; III ut ex eorum memoria prorsus abierit Sancius, qui ante* 22 *annos sedem occuparat; quæ profecto absurdissima sunt.* E

et secundum ejus gesta explananda.

29 *At forte alter quis urgebit eamdem sententiam ex alio capite, ex gestis videlicet, in hoc instrumento enumeratis. Dicitur quippe inibi Gulielmus* tam in divinis quam in forensibus negotiis strenuissimus, in proposito constans, religionis amator : *quæ omnia quam optime Gulielmo II conveniunt : fuit enim S. Sedis Romanæ legatus, et tantopere Ranimirum Arragoniæ regem in rebus civilibus juvit, ut ab eo obtinuerit splendidissimum diploma, datum æra* 1168, *id est anno* 1130, *quodque edidit Oihenartus* (*h*), *et post eum Dionysius Sammarthanus* (*i*). *Præterea secundum Ausciense instrumentum idem Gulielmus* intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis, quam Præmonstratensis Ordinis decem monasteria, et sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi. . . . fundavit et plantavit : *et reapse in Annalibus Præmonstratensibus in indice prævio circariarum, reperio I monasterium, Casam-Dei, anno* 1135 *in Ausciensi archidiœcesi fundatum; II monasterium S. Joannis de Castello, alias Gratiam-Dei, anno* 1140 *in diœcesi Adurensi conditum; III Combam-Longam, fundatum anno* 1138 *in diœcesi Conseranensi; IV Capellam, cujus initia, ex charta donationis factæ a Bernardo Jordane pronepote* F
S. Bertrandi, *ad annum* 1142 *referuntur. Superest autem ut præterea sex monasteria Ordinis Cisterciensis ab anno* 1120 *circiter ad annum* 1144 *in Vasconia fundata recenseantur; res difficilis non est : in sola diœcesi Ausciensi occurrunt monasterium de Beudona, fundatum anno* 1134; *monasterium de Gimont, cujus exordia vidit annus* 1142; *et monasterium de Portaglonio ante ipsum annum* 1126 *Gulielmi nostri curis conditum. Hoc tempore fœcundum quoque fuit Cistercium in aliis Vasconiæ diœcesibus : Convenensis enim diœcesis anno* 1136 *oriens vidit Boni-fontis monasterium; similiter diœcesis Tarbensis circa annum* 1127 *et* 1131 *fundatum vidit in agro Capadur monasterium Scalæ-Dei, quod anno* 1142 *quinque leucis ad Tarbam propius translatum est. Quibus si addas monasterium sanctimonialium, in eodem Cistersiensi Ordine Deo mancipatarum, abbatiam scilicet Luminis-Dei ante medium sæculum* XII *in pago Convenensi jam florentem, sex asceteria Ordinis Cisterciensis in*

hac

A *hac Vasconiæ parte, quæ Ausciensi metropoli subjacebat, reperies; et si his quatuor abbatias Ordinis Præmonstratensis in Vasconia quoque sitas adjeceris, indicatus numerus occurret expletus. Similem calculum circa Fontis-Ebraldi propagationem instituere liceret; at cum nullus stricte indicetur numerus, illud notasse sufficiat ante medium sæculum* XII *potissimum Ordinem illum succrevisse, et plura illi nata esse hoc tempore monasteria in his partibus, quæ Gulielmo tamquam sedis Apostolicæ legato subjacebant. De hujus autem legationis ampla potestate vide Petri de Marca Historiam Benearnensem* (*a*). *Atque hic duo notata velim : I lato valde sensu intelligenda esse hæc chartæ verba :* fundavit, plantavit ; *aliud enim indicare non possunt, nisi Gulielmo Ausciis sedente, aut tamquam legato annuente, etc., prædicta monasteria fuisse fundata; II similem calculum non posse institui de Gulielmo III; unde denuo probatur hanc chartam ad Gulielmum II spectare.*

Quæ confirmantur alio vetusto testimonio,

30 *Porro his adversariorum solutis difficultatibus, superest ut Oihenarti, cæterorumque sententia, Vitalis narrationi consona, proprio confirmetur argumento : suspicati sunt Occitaniæ historiographi Oihenartum Vitalis auctoritate fuisse motum ad*
B *annumerandum S.* Bertrandi *fratribus Anonymum, Andofilæi dominum, patrem Gulielmi III Auxitani præsulis, et maritum sororis Gulielmi I ejusdem sedis archiepiscopi. Audiamus Oihenartum :* Wilielmi autem archiepiscopi patrem illius loci, qui nunc Andohiele (*Andofielles*) dicitur, dynastam fuisse, videtur colligi ex cognomine ANDOZILÆI ipsi addito in Necrologio Casæ-Dei comitatus Pardiniacensis : sic enim ibi scriptum exstat : « Guillelmus Dandozille archiepiscopus Auxitanus et sedis Apostolicæ legatus, nepos Sancti Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis et multos adversarios pacificavit. » *Sic Oihenartus in Notitia utrius Vasconiæ* (*b*). *Quo ex testimonio non tantum patet prælaudatos historicos lapsos esse memoria, quod minimum est, sed potissimum Vitalem non errasse, cum huic Gulielmo non patrem sed matrem Montaltensem tribuit, et proin novo confirmari argumento tres Gulielmos intra sæculum Ausciis sedisse, primum scilicet Montaltensem, secundum Bernardi successorem, Montaltensem quoque, tertium autem Andofilæensem, successorem Sancii de Fenogreto, ut constat ex charta quam D. Claudius Estiennot in archivio parthenonis B. Mariæ de Brolio invenit, et in qua*
C *ad annum* 1144 *Sancius ille, una cum Licerio Pardiaci comite, dedit B. Mariæ de Fonte-Ebraldi locum de Brolio* (*c*).

et assertione Præmonstratensis annalistæ non infirmantur.

31 *Celare tamen nolo gravem adversus hanc sententiam difficultatem, quæ ex Annalibus Præmontratensibus* (*d*) *exsurgit. Hæc enim scribit historicus jam citatus, de primordiis Casæ-Dei agens :* Frelone fundatore, vel Frocone, ut scribit Mauritius Dupré Ordinis annalista, prodiit hoc cœnobium, Guillelmo d'Andozille archiepiscopo Ausciensi, illud transcribente Waltero abbati S. Martini Laudunensis, anno 1135, indictione XIII, epacta IV, concurrente I, ut legitur in originali diplomate asservato in scriniis S. Martini, sed pene exeso. *Hanc porro si admitteremus narrationem, gravis erroris damnandus esset imprimis D. Claudius Estiennot, qui præcitatam Broliensem chartam protulit, et ex qua aperte declarantur ob intermedium Sancium Gulielmum tertium a Gulielmo secundo distinguendum : illic autem cum nuntietur Gulielmus d'Andozille anno* 1135 *Ausciis sedisse, quo tempore contendimus Gulielmum de Montald Ausciensem* D *fuisse episcopum, corruit totum prius computum. At multa infirmant Præmonstratensis annalistæ testimonium, quod cæterum nos summopere venerari declarare non ambigimus : etenim exesum erat, quod legit diploma; et dein non aperte indicat an tempus scriptionis tantum legerit, an vero cætera, quæ profert, ibidem quoque invenerit; mihi autem tum ob rationes superius circa tres Gulielmos expositas, tum quia in nulla alia charta, in qua utervis Gulielmus dicitur alicui contractui fuisse præsens, numquam ejus nomini agnomen additur, mihi inquam persuasum est laudatum annalistam nomen* d'Andozille *hausisse ex fragmento historico, cujus in præcedenti numero meminimus. Neque temera conjectura est; nam in sequentibus palam in illud vitium incidit; ait quippe :* Si veteri membranæ Ausciensis metropolis (*eam edidimus partim num.* 26 *et seqq.*), gesta Guillelmi D'ANDOZILLE compendiose referenti, credimus, totam dotem, et totius monasterii structuram debet Præmonstratensis religionis amatori, Guillelmo, qui intra fines Vasconiæ, tam Cisterciensis, quam Præmonstratensis Ordinis, decem monasteria, . . . fundavit et plantavit. *Sed animadverterit lector in invocata charta dici* Guillelmum E ex genere Montaltensium, *et præterea exaggerata esse hæc verba* totam dotem, et totius monasterii structuram : *quapropter minor quoque mihi fides est, cum Gulielmum* Andofilæensem *superius scribit. Quod probat insuper illud agnomen* d'Andozille *ex prædicto Casæ-Dei Necrologio esse appositum, est consortium vitii in scribendo :* Andozillam *enim alibi nusquam repertum iri existimo. Porro ut perfectum relegamus iter, paucis totam hunc excursum complecti juvat : quocirca, siquidem ex nullo capite probatur Gulielmum III habuisse patrem ex Montaltensium domo, standum est Vitalis narratui, qui ei matrem ex hac domo adscribit, patrem autem, qui S.* Bertrandi *frater, et Andofilæi videtur fuisse dominus : num autem hic idem sic ac* Willem-Bernard de la Yla, *quem numero* 20 *ex pulvere excussimus, malo nihil affirmare, quam in errorem impingere.*

Alius S. Bertrandi *frater*

32 *Alius S.* Bertrandi *frater, quem Catellus ignoravit, quem vero Oihenartus videtur detexisse* (*e*), *Raimundi de S. Ægidio, comitis Tolosani, fuit socius in bello Hierosolymitano; num vero ipse domui suæ intulerit comitum Tolosanorum gen-*
F *tilitia insignia,* (*ut certo hoc aliquando fruita est honore*), *mihi exploratum non est. Cæterum constat bene eum meruisse de Raimundo Tolosano, et nonnullis in Palæstina copiis, e ditione forte sua collectis, fuisse præpositum. Narrat quippe Raimundus de Agiles* (*f*) *plura de* Raimundo *quodam* de Insula, *qui non potest non esse Atonis Raimundi de Insula filius : id enim indicat non tantum ipsum nomen* Raimundus, (*quod cum patris cognomen esset, avi forte nomen erat, et proin secundum hujus temporis morem imponebatur filio,*) *verum etiam ipse ordinarius scribendi modus Raimundi de Agiles, potissimum gesta Raimundi de S. Ægidio, cujus capellanus erat, ejusdemque militum commemorantis : porro subjacebat castrum* de Insula *Tolosano comitatui. Videat lector apud Bongarsium has S.* Bertrandi *fratris res gestas, quæ ad annum* 1099 *referendæ videntur. Præter hæc nihil aliud de hoc Raimundo certo cognoscitur : verumtamen filium habuisse videtur Jordanem, qui, anno* 1132 *matrimonium iniens cum Alues, filia Godefredi Murelli,*

(*a*) Hist. du Béarn, p. 329. — (*b*) p. 453. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 985. — (*d*) T. I, col. 481. — (*e*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*f*) Bongarsius, Gesta Dei per Francos, p. 162.

stemma

stemma Insulanum continuavit (*a*). *Est autem ille ipse Jordanes, quem Catellus S.* Bertrandi *fratribus adjunxit; at quam erronee hoc fecerit, videt unusquisque, siquidem in magna prorsus senectute uxorem duxisset.*

nonnulla de ejus genere,

33 *Percurrenti vero catalogum principum prælatorum, militum, quem Jacobus Bongarsius Gestis Dei per Francos præfixit, occurrunt præter memoratum Raimundum de Insula,* Wiscardus de Insula *et* Balduinus de Insula; *at cum sæculis, quibus bella sacra acta sunt, nomina* Wiscardus *et* Balduinus *minoris usus forent in Occitania, non dubito quin bellatores isti ad genus comitum Insulensium pagi Flandrensis pertineant : quapropter non vacat diutius ingens perscrutari volumen, cui consueti desunt indiculi. Quoniam nihil quoque mihi perspectum est de S.* Bertrandi *matris nomine, pauca, quæ hac de re dicenda sunt, ad hunc servare locum visum est. In stemmate comitum Tolosanorum, quod texuerunt Occitaniæ historici* (*b*), *inter liberos, Gulielmo Scindenti-ferrum ex secunda ejus uxore Emma, Provinciæ comitissa, natos, prodit puella, Emma nomine, quæ, ut ajunt, Atoni Raimundi nupsit. At nusquam in eorum opere aliud fundamentum* B *hujus asserti reperi præter recentioris scriptoris testimonium; et quidem affirmant id ab eo ex conjectura prolatum fuisse* (*c*), *et alibi, ubi explicite de S.* Bertrando *sermonem faciunt* (*d*), *satis sibi habent Vitalis narrationem verbotenus in gallicum convertere idioma, minime S.* Bertrandi *matris nomen determinantes.*

imprimis de matre notantur.

34 *At longius quam par est ab eorum discessere sententia scriptores operis* Art de vérifier les dates. *Duos enim tantum liberos adscribunt Gulielmo Scindenti-ferrum ex prædicto matrimonio genitos, Pontium videlicet successorem, et Bertrandum, marchionem Provinciæ, omittuntque omnem filiam, quæ S.* Bertrandi *mater foret; quin tamen ea augeant liberorum numerum, quos dictus Gulielmus ex Arsinde, priore uxore, suscepisset. Recensent nempe tantum Raimundum et Henricum in juvenili ætate mortuos et Constantiam, alteram Roberti regis Franciæ uxorem, et Ermengardem Roberto comiti Arvernensi nuptam. At certo alicubi inserenda erat S.* Bertrandi *mater; quoniam id apertis verbis testatur Vitalis, qui in hoc capite omni exceptione major est. Cæterum qui latius splendidum S.* Bertrandi *maternum genus cognoscere cupiat, adeat potissimum multoties citatam Occitaniæ historiam* (*e*), *et librum qui inscribitur* Art de vérifier les dates. *Paternum autem stemma texuit Oihenartus* (*f*), *quod tamen latius declaratur in Historia Occitaniæ* (*g*). *Verum huic quoque plura desunt nomina quæ libenter ex authenticis monumentis supplerem, nisi per plura sæcula in historiam profanam oporteret excurrere; quod a nostro proposito alienum est. Monebo tantum in catalogo ditissimi archivii D. de Joursanvault* (*h*) *indicari explicarique nonnullas chartas ineditas, S.* Bertrandi *generi, jam pridem extincto, illustrando aptas. De editis non est quod dicam.*

§ III. Pueritia et militia S. Bertrandi; quæritur an vere canonicus regularis fuerit in ecclesia S. Stephani Tolosæ; investigantur ejus episcopatus initia.

S. Bertrandus *pie educatur;*

Quemadmodum superius jam innuimus, brevis est *Vitalis in S.* Bertrandi *gestis evolvendis, prolixus autem in recensendis miraculis : de his in annotatis ad Vitam fere agam; de illis hoc loco examinanda sunt plurima. E domo paterna S.* Bertrandum, *puerili nondum superata ætate, educit illius encomiasta Lastrade* (*i*), *mittitque eum ad Gulielmum I Ausciensem archiepiscopum, avunculum Gulielmi III, ut superius jam vidimus : quæ opinationes denuo ex male intellecto Vitali haustæ sunt : ait hic quippe num.* 10 : Ex magna didicimus parte, relatione domini Vileumi (*videlicet III*), venerabilis archiepiscopi Auxitanæ sedis, nepotis ejus (*scilicet S.* Bertrandi), quem, (*nempe Gulielmum*), in ætate tenera apud se nutrivit, et eumdem fecit applicari studio litterarum. *Quæ Vitalis dicta a Lastradianis assertis prorsus diversa sunt. Postquam vero Gulielmus I,* (*sic pergit Lastrade* (*k*)), *aliquandiu nepotem suum excoluisset, credidit eum* E *monachis Cisterciensibus in monasterio Casæ-Dei, sacris litteris erudiendum. Quæ nova commenta, utpote quod in his agatur de monasterio tum nondum exsistente, numm.* 10 *et seqq. satis jam convulsa fuerunt. Ex Vitali num.* 1 *id unum scimus* placuisse utrique parentum, ut juxta Apostolum, ab infantia sacras congnosceret litteras, quæ eum possent instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. *Cujus rei causa quibus viris creditus fuerit, nos latet : cæterum sacræ hæ litteræ nihil aliud esse videntur quam prima Christianæ doctrinæ et forte latinitatis elementa; nam juvenis factus, armis indutus est.*

juvenis factus, militaribus armis induitur;

36 Cum vero B. Bertrandus, (*sic loquitur Vitalis num.* 2,) attigisset juvenilis robur ætatis militaribus armis est decoratus : *quod quoto ætatis anno factum sit, difficile determinare est, quoniam stabile non erat hujus solemnitatis tempus. Designantur scilicet citatis verbis ceremoniæ, quibus creabantur milites et equites : hujus celebritatis ritus edidit Martenius inter veteres ritus Ecclesiæ* (*l*) *et plura hac super re exstant in Dictionario Trivultiano ad verbum* Chevalier, *plura in Glossario Cangii ad verbum* Arma, Miles, *etc. et apud obvios fere scriptores. Cum autem* F *de tempore, quo arma traderentur, loquuntur scriptores veteres, vagam tantum temporis indicationem :* cum juvenile robur, cum adolescentiæ tempora, *etc.* attigisset, *proferunt : sed cum necesse esset, ut eques non ludicris sed gravibus armis ferendis par foret, viginti unus aut vulgo saltem octodecim anni requirebantur in creando equite; pro pluribus valeat unum Henrici, Gulielmi Conquæstoris filii, specimen; sic de eo breve Chronicon S. Martini Turonensis* (*m*) : Henricus anno regni patris sui Guillelmi III natus est in Anglia, XXI ejusdem regni, ætatis vero suæ XIX a patre sumpsit arma in Pentecosten. *Ordericus Vitalis lib.* VIII *scribit eum a Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo* (*ut in more fere erat*) *armis indutum fuisse. Simile quid in S.* Bertrando *obtinuisse planum conjicere est.*

in quo vitæ statu justitiam, aliasque virtutes colit;

37 *Quos mores miles induerit aut servaverit, pluribus explicat biographus Vitalis, eum non tantum a cultis virtutibus, verum etiam a calcatis vitiis*

(*a*) Oihenart, Notit. utriusq. Vasconiæ, p, 536. — (*b*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 538. — (*c*) Ibid., p. 176. — (*d*) Ibid. p. 361. — (*e*) Ibid., p. 538. — (*f*) Notit. utriusq. Vascon., p. 535. — (*g*) T. III, p. 601. — (*h*) T. II, p. 48. — (*i*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 12. — (*k*) Ibid., p. 14 et seq. — (*l*) Lib. II, cap. XII. — (*m*) D. Bouquet Rec. des histor. de France, t. XII, p. 65.

A *laudans. Et reapse non exigua laus est* isti viro, *qui,* cum non de parentibus infimis, et sub habitu militari posset viribus et potentia sua nonnullos opprimere, aliena diripere, et multam exercere malitiam, noluit exequi temporalis militiæ potestatem ad bonorum perniciem : *hæc Vitalis; quæ sane eo magis nostrum Sanctum commendant, quo crebrior tum esset apud milites nobilesve iniquitatis injustitiæque usus : qua de re grave testimonium est Treuga Dei, a medio sæculo* XI (*a*) *sæpius denuntiata; et quidem, si una tantum S.* Bertrandi *Vita exstaret, sat plura jam præsto essent vexationum specimina, quæ his temporibus in consuetudinem abierant.*

dein canonicus et archidiaconus Tolosanus fit.

38 *Quamdiu S.* Bertrandus *militem egerit determinare nequeo ob silentium Vitalis aliorumque scriptorum. Cum vero quadraginta saltem annos episcopalem sedem tenuerit, manifestum est non ita diuturnam ejus fuisse militiam. Aliquot itaque annis post assumpta arma canonicus factus sit oportet in ecclesia cathedrali S. Stephani Tolosana, ut tradit Vitalis num.* 10, *et dein archidiaconus Ecclesiæ Tolosanæ, ut idem Vitalis testatum facit num.* 7. *At quæstio est, num id temporis capitulum ecclesiæ cathedralis jam collegium esset canonicorum regularium; et proin* B *an horum institutum professus sit S.* Bertrandus. *Affirmans sententia proponitur in Officiis propriis Tolosanis anni* 1647 *et in Proprio Sanctorum Ordinis canonicorum regularium Congregationis Gallicanæ anni* 1665; *in Propriis vero ejusdem Congregationis annorum* 1758 *et* 1765 *et similiter a Bailleto velatur difficultas his aut similibus verbis :* In ecclesia Tolosana canonicus et archidiaconus eo tempore fuit, quo regularis disciplina sub Isarno præsule ibidem reflorere cœpit. *Lastrade, qui tamen in præfatiuncula lectorem monet nihil quod verum non sit in suo libello repertum iri, pro more e sua penu profert S.* Bertrandum *allectum fuisse ab Isarno, qui eo ad perficiendam cleri sui reformationem tamquam instrumento usurus esset.. Ad solvendam vero propositam quæstionem, ante omnia necesse est, ut inquiramus in initium episcopatus S.* Bertrandi; *nam si ad annum* 1073, *ut quidam volunt, referas ejus electionem ad cathedram Convenensem, a priori, ut ajunt, omnem præscindis quæstionem, excludisque S.* Bertrandum *e capitulo regulari ecclesiæ S. Stephani, quod certo certius post annum* 1073 *exorsum est. Primum itaque variæ variorum scriptorum sententiæ de tempore, quo* C *Convenensibus infulis ornatus est S.* Bertrandus, *exponendæ videntur.*

Factus est episcopus non anno 1073,

39 *Claudius Robertus in tentato potius quam perfecto opere, Gallia Christiana* (*b*), *S.* Bertrandum *vage cœvum facit Alexandro III; quod dimidio sæculo a vero aberrare est. Ricciolus* (*c*) *et fratres Sammarthani* (*d*), *Oihenartum secuti, ejus episcopatus initium determinare refugiunt, scribuntque :* Regebat episcopatum annis 1085 et 1086; *Dionysius vero Sammarthanus* (*e*) *sic disserit :* Mortuo vero Otgero, Conveniensi episcopo, subrogatur anno circiter 1073. Hoc enim anno confirmavit Petro Simorræ abbati monasterium Salengolinum. *Eadem tamen columna de Gulielmo ejusdem sedis præsule agens, Sarancolinense instrumentum in dubium vocat, monens :* Anno 1078 habitum est adhuc Gerundæ concilium, cui interfuit Guillelmus, Convenarum præsul; qui si fuerit noster Guillelmus, quæ leguntur ex argumentis parum certis de Otgerio et de Bertrando anno 1073 debent differri ad aliud D tempus. *Baillet* (*f*) *et Beaunier* (*g*) *Sancti nostri episcopatus exordium innectunt anno* 1076, *quin moneant cui superponant fundamento tam alienam sententiam. Mitto reliquos, qui hac de re dixerunt, aut aliorum potius sibi affinxerunt sententias.*

sed post annum 1078, *ut liquet ex concilio Gerundensi,*

40 *Equidem opinor S.* Bertrandum *ad Convenensem cathedram evectum fuisse circa annum* 1083; *quod videtur sequentibus stabiliri posse argumentis : certum imprimis est eum ante annum* 1078 *Convenensem non fuisse præsulem, quoniam hoc anno absque dubio sedebat adhuc Gulielmus, qui anno* 1063 *ad hanc sedem accesserat. Aperte enim id colligimus ex concilio Gerundensi, cujus Acta edidit Martenius* (*h*) *ex scriptis D. Josephi de Traverner d'Ardenne, canonico Barcinonensi; at multo accuratius vulgata illa fuerunt in Hispania Sacra* (*i*) *ab Antolino Merino. In utraque tamen editione penultima subscriptio hæc est :* Guillelmus Conveniensis episcopus subscripsi; *porro hæc tertia Gerundensis synodus celebrata est temporibus S. Gregorii Papæ VII* anno Dominicæ incarnationis septuagessimo octavo post milessimum, *ut totidem verbis ibi reperies. Neque illud unicum testimonium est, quod, etiamsi solum, difficultatem dirimeret.* E

et ex instrumento restaurationis monasterii Balneolensis;

41 *Circa ipsum tempus, quo hæc sacra synodus conveniebat, restaurare cupiebant monasterium Balneolense Bernardus, comes Bisullunensis, et conjux ejus, comitissa Ermeniardis : ut vero hujus restaurationis instrumentum majori muniretur auctoritate, Amati Ellorensis episcopi, S. Romanæ Ecclesiæ legati, et dicti concilii præsidis, aliorumque præsulum confirmationem petierunt. Prodidit illustrissimus Petrus de Marca* (*k*) *hoc ipsum instrumentum, quod duplicem partem habet; posterior pars sic desinit :* Et rogo firmari hanc meam largitionem testibus : Berengarius, gratia Dei Gerundensis episcopus. Guillermus archilevita. S. Guillermi Dei misericordia Convenarum episcopi. S. Raimundi comes. Petrus sacerdos et monachus, qui hoc scripsit die et anno quo supra. *Qui dies et annus ad finem prioris partis cum confirmatione Amati hac formula produntur :* Quæ est facta nonis Martiis anno millesimo LXXVIII, æra millesima centesima decima sexta, indictione prima. Ego Amatus Ellorensis episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, laudo et confirmo, *etc. Testimonium clarum est.* F

quæ chronotaxis non quatitur instrumento Simorrensi, cui subscripsit S. Bertrandus;

42 *Ast interceditur : pugnat videlicet hæc chronotaxis cum charta Simorrensi, in qua* Bertrandus *anno* 1073 *dicitur esse episcopus : cui objectioni duplex potest dari solutio : etenim, si nullum ex tribus monumentis intrinsece examinetur, fides potius danda est Actis concilii, quorum exemplaria, utpote plura numero, minus obnoxia erant corruptioni, quam instrumento cujusdam cessionis, servato in uno tantum scrinio; deinde duplex monumentum adversus unum prævalere debet. Altera solutio ex integritate monumentorum petitur : si enim productas chartas inspiciamus, vitium ex una parte, nullum ex altera oculos ferit. Quantumvis quippe nusquam obviare potui integro Simorrensis membranæ ecgrapho, duplex linea, quam ex ea refert Sammarthanus, sufficit ut jam patescat nævus; ait nempe* (*l*) : Mortuo vero Otgero. . . subrogatur S. Bertrandus anno circiter 1073. Hoc enim anno confirmavit Petro Simorræ abbati monasterium Salengolinum : *quo nomine sæculo* XI *dicebatur mo-*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 607 et seqq. et passim. — (*b*) Gallia Christ., p. 315. Edit. 1626. — (*c*) Chronolog. reformata t. II, p. 207. — (*d*) Gall. Christ., t. II, p. 548. Edit. anni 1656. — (*e*) Gall. Christ. nova, t. I, col. 1094. — (*f*) Vies des Saints, t. VII, p. 243. — (*g*) Rec. des archevêchés, t. I, p. 90. — (*h*) Thesaur. Anecdotor., tom. IV, col. 1190. — (*i*) España sagrada, t. XLIII, p. 482. — (*k*) Marca Hispanica append., col. 1168, Edit. Baluzii. — (*l*) Gall. Christ. t. I, col. 1094.

nasterium

A *nasterium in diœcesi Ausciensi situm* (*a*), *deinde dictum* Sarancolinum, *ut notat Gallia Christiana* (*b*), *aut* Sarrancolinum, *ut vult d'Expilly; qui monasterium illud prioratum nuncupat. At nœvus, qui adest, chronologicus est. Anno enim* 1073 *non erat* Petrus Simorrensis abbas. *Exhibet quippe Mabillonius* (*c*) *ad annum* 1073 *partem instrumenti pertinentis ad concilium, apud S. Mariæ Orreæ hoc anno idibus Augusti celebratum, et in quo cella Sanctæ Dodæ monasterio Simorræ asserta fuit; ad calcem vero instrumenti mutili, in quo Pontii Bigorrensis episcopi nomen legitur, traditur hunc Pontium tunc temporis abbatiale Simorrense munus una cum episcopali tenuisse. Adversus hæc recalcitrat quidem Sammarthanus* (*d*); *sed in texendo Tarbensium episcoporum catalogo vestigia sua relegit, affirmatque* (*e*) *Pontium, prius Simorrensem abbatem, non abstinuisse a Simorrensi abbatia, quam anno* 1073 *adhuc haberet, cum judicio episcoporum cella Sanctæ Dodæ Simorrensibus est restituta. Novi equidem aliam suscitari posse exceptionem ex his, quæ Sammarthanus* (*f*) *asserit de Bernardo, postea facto abbate S. Savini Tarbensis, et quem antea Petrus, Simorrensis abbas, constituisse in suo cœ-*

B *nobio priorem; at ne latius denuo excurrere cogamur, suffecerit invitasse lectorem ad examinandum expendendumque catalogum abbatum Simorrensium et S. Savini Tarbensium; et utrumque hiulcum ab eo repertum iri, affirmare non dubito.*

atque adeo verisimile est ejus episcopatum circa annum 1083 *inchoatum fuisse.*

43 *At licet gravi vitio laboret Simorrensis charta, de qua modo dixi, non tamen est quare ei omnis adimatur auctoritas : facile enim oscitans amanuensis loco* MLXXXIII, MLXXIII *scribere potuit; et reapse si annus* MLXXXIII *probatur, potior tollitur difficultas. Pontius enim Bigorrensis aut Tarbensis episcopus anno* 1080 *mensem Aprilem inter et hujus anni finem mortuus aut sedem suam reliquisse censendus est, quandoquidem kalendis Aprilis ejusdem anni diploma confirmavit, et ante anni exitum ejus successor, Hugo, Burdigalensi concilio interfuit. Pontio itaque mortuo aut aliorsum translato, et Simorrensi proinde pedo pertinente ad neminem, potuit Petrus sine negotio abbas Simorrensis esse anno* 1083. *Quod vero hujus explicationis consequens est, admittatur oportet, S.* Bertrandum *anno* 1083 *Convenensi cathedra jam potitum esse. Et quidem neque ad multo superiora tempora referri potest ejus episcopatus exordium : vidimus enim anno* 1078

C *Gulielmum Convenis sedentem; ast inter Gulielmum et S.* Bertrandum *inserunt, quotquot vidi alicujus notæ scriptores, Otgerum : cui sententiæ traditio Tolosana, quæ ex S.* Bertrandi *officio innotescit, et Convenensis, adstructa a Lastrade, consona omnino est. Relato itaque S.* Bertrandi *episcopatus initio ad annum circiter* 1083, *expendenda superest duplex quæstio : prior, an vita canonicorum regularium ante annum* 1083 *in ecclesiam Tolosanam S. Stephani introducta sit; posterior, si ad priorem affirmanter respondetur, hujusne participem se fecerit S.* Bertrandus.

Cum autem vita canonica in ecclesiam S. Stephani anno 1077 *introducta fuerit, ut liquet non ex instrumento quod vulgo circumfertur,*

44 *Ad prius quæsitum varie a variis respondetur : duplicem tantum proferam sententiam : Galliæ Christianæ scriptores* (*g*) *et similiter Occitaniæ historiographi* (*h*) *statuunt chartam reformationis circa annum* 1077 *confectam et S. Gregorio Papæ VII inscriptam seu missam fuisse. Contra Lelarge, Gallicanæ Canonicorum regularium congregationis socius, in suis de canonicorum ordine disquisitionibus* (*i*), *anno* 1679 *vulgatis, ex Catelli monumentis Occitaniæ partem dicti instrumenti refert, et hanc* D *reformationem anno* 1083 *alligat. Hæc illi. Quæ ut in examen vocemus, pauca de dicto instrumento præmittenda sunt : in eo Isarnus Tolosanus episcopus primum disserit de misero S. Stephani ecclesiæ statu; deinde dona enumerat sua, idemque præstat Gulielmus, comes Tolosanus; postea commendatur facta bonorum cessio protectioni S. Hugonis Cluniacensis abbatis, et S. Gregorii VII approbationi; sequuntur imprecationes; et demum nova fiunt dona, inter quæ* quarta pars oblationum ecclesiæ S. Saturnini, tertia pars cœmeterii ejusdem ecclesiæ, *etc. Verum, si res penitius inspiciatur, una ex sequentibus tribus hypothesibus admittenda est : vel tota charta facta sit oportet circa annum* 1081; *vel ejus finis circa hunc annum, et reliqua pars aliquot annis ocius; vel finis circa annum* 1081, *postulatio approbationis opposita paulo ante, et prima pars, cum reformatio inducta est : adeo ut id diploma semel aut iterum auctum videatur. Cujus sententiæ rationes tum ex instrumenti forma, tum ex epistola S. Gregorii VII* (*k*) *repeto; sic enim ad annum* 1081 *ad Richardum abbatem Massiliensem scribit :* Unde et canonici (*S. Saturnini*) querimoniam ad nos direxerunt super clericis sancti Stephani... qui... E cœmeterium, quod ante regularem ordinationem suam locus ille (*S. Saturnini*) quiete per longa temporum curricula tenuit, modo auferre atque ecclesias ad eum pertinentes in potestatem suam illicitis conditionibus redigere conantur, *etc. In quibus verbis certe alluditur ad donationis appendicem, in qua data fuerant San-Stephanianis* tertia pars cimeterii *Sancti Saturnini, et* cætera omnium ecclesiarum totius episcopatus ad *Isarnum* pertinentia; *verum inter hæc nonnulla erant de quibus litigabant inter se Isarnus et San-Saturniniani. Cum autem S. Gregorius VII in rebus urgendis alacer esset, non multum spatium inter Isarni prostremam donationem et Pontificis epistolam interponendum est : unde liquet ultimam instrumenti partem ad annum circiter* 1080 *referendam esse : at prima pars facta fuerit cum clerici ad vitam regularem invitati sunt : quod quo tempore præstitum fuerit, non patet ex dicto instrumento, aliis de causis usui sæpius futuro.*

sed ex instrumento traditionis ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ in Cluniacensium gratiam, F

45 *Aliunde itaque repetenda est hujus reformationis ætas : id fieri posse existimo ex monumento donationis ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ, traditæ S. Hugoni Cluniacensi ab eodem Isarno episcopo : habes integrum hoc monumentum in tomo* XIII *Galliæ Christianæ; sic autem desinit :* Et ut charta rata permaneat, manu propria firmavi et canonicis meis corroborandam tradidi. D. Isarni episcopi. D. Raymundi episcopi. D. Raymundi episcopi Lectorensis præpositi Sancti Stephani. D. Raymundi Petri canonici S. Stephani. D. Petri Amelii prioris ejusdem sedis... Facta autem charta anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, pontificatum Romanæ Ecclesiæ tenente Gregorio septimo PP., Francorum autem regnum Philippo rege, *etc. Jam vero si quis attenderit Isarnum in aliis chartis solere canonicos a clericis distinguere, et cum canonicos alibi scribit, ab eo intelligi canonicos S. Stephani, jam regulariter viventes, liquet ex modo invocata charta, anno* 1077 *reformationem in ecclesia S. Stephani jam obtinuisse. Præterea* Prioris *titulus, qui Petro Amelii tribuitur, alterum argumentum est id temporis clericos S. Stephani regularem vitam amplexos esse. Unde evidens est S.* Bertrandum, *quem circa annum* 1083 *episcopum*

(*a*) Gall. Christ., t. I, col. 1014. —(*b*) Ibid., col. 1094 ad marginem.—(*c*) Annal. Ord. S. Bened., t. V, p. 67. Edit. Luc.—(*d*) Gall. Christ., t. I, col. 1015. — (*e*) Ibid., col. 1228. — (*f*) Ibid., col. 1015. — (*g*) T. XIII, col. 13 et passim. — (*h*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 226, et probat. col. 292 et seqq. — (*i*) De Ordine canonic., p. 356. — (*k*) Labbe, Concil., t, X, col. 297.

factum

A *factum esse diximus, potuisse canonicis regularibus S. Stephani adscribi. At quæritur secundo an reapse eis adscriptus fuerit.*

potuit illic S. Bertrandus regularis esse canonicus, et reapse fuisse videtur;

46 *Quidam affirmant, alii respondere refugiunt, ut Bailletus et recentiorum breviariorum Congregationis Gallicanæ scriptores. Et reapse est unde quis dubius hæreat; in affirmantium tamen sententiam ire juvat sequentes ob causas : Vitalis, num.* 7 *de electione S.* Bertrandi *ad Convenensem cathedram agens, sic loquitur :* Venerunt ad claustrum Beati Stephani, ejusdem loci episcopo et conventui electionem indicantes; *ubi quid sibi* claustrum, *quid sibi* conventus *velit, perspicuum est, nisi quis præter omnem verisimilitudinem sibi fingat clericos non reformatos habitasse in eodem claustro cum canonicis regularibus. Numero autem* 10 *idem Vitalis, ludens fere verbis, et indicans Gulielmum III, Ausciensem præsulem, S.* Bertrandi *locum occupasse in ecclesia S. Stephani, scribit :* et (*S.* Bertrandus) canonicavit eum (*Gulielmum*) in ecclesia S. Stephani, unde ipse fuerat canonicus. *Verum Gulielmus absque controversia canonicus regularis fuit, quandoquidem in instrumento reformationis, de quo supra, hæc occurrunt :* Statui siquidem habita
B deliberatione, ut quicumque clerici abhinc et deinceps corpori voluerit communicare ecclesiæ prælibatæ, mancipandum se noverit rigori canonicæ vitæ, *etc. Quibus accedit quod S.* Bertrandus, *episcopus Convenensis factus, continuo regularem vitam inter canonicos suos introduxerit, ut habet Vitalis n.* 8.

licet archidiaconatus, quem obtinuit, in instrumento de reformatione non memoratur,

47 *At duplex occurrit difficultas; prior nempe constare ex Vitali num.* 7, *S.* Bertrandum *ante suum episcopatum archidiaconum Tolosanum fuisse, ejus tamen archidiaconatum non recenseri inter archidiaconatus canonicorum, qui se reformationi subjecerant : in instrumento scilicet, de quo plura num.* 44, *hæc occurrunt* (*a*) : Dono ergo (*canonicis nempe S. Stephani*) Petri Emelii ejusdem sedis prioris archidiaconatum Agarnensem cognominatum, similiter et Bernardi Franconi archidiaconatum a porta Narbonensis ad usque Carcassonense territorium, insuper et illorum omnium archidiaconatus clericorum, qui se huic vitæ canonicæ associare voluerint nunc et in futurum, ut cuncti suas, quas in domino archidiaconi tenent, partes in commune reddant. *Verum ex his verbis*
C *id tantum evinci posset S.* Bertrandum *nondum archidiaconum fuisse tempore, quo hoc instrumentum conditum esse diximus. Altera difficultas et multo gravior petitur ex eo, quod S.* Bertrandus, *jam episcopus factus, archidiaconatum suum non dimisit. Etenim licet hac de re taceatur in Gallia Christiana, hujus tamen rei probati testes præsto sunt; videlicet Occitaniæ historici* (*b*), *in margine ad monumenta Occitaniæ Catelli* (*c*) *lectorem remittentes, hæc gallice scribunt :* Electus episcopus, archidiaconatum tamen retinuit; in instrumento enim, anno 1086 facto, se episcopum simul et archidiaconum Tolosanum dicit; *similiter fratres Sammarthani sic loquuntur* (*d*) : Regebat (*S.* Bertrandus) episcopatum annis 1085 et 1086, in scriniis Ecclesiæ Tolosanæ subscribit episcopi Convenarum nomine simul et archidiaconi Tolosæ, necnon anno 1120. *Quæ dicta firmari possunt his verbis, ex instrumento restitutionis B. Mariæ Dealbatæ, factæ in gratiam monasterii B. Mariæ Deauratæ circa annum* 1110 (*e*) : Hoc factum est consilio et voluntate Amelii episcopi Tolosani et canonicorum ecclesiæ Sancti Stephani Arnaldi Raimundi præpositi, Aicardi Willelmi, Bertranni, archidiaconorum et aliorum, qui ibi aderant. D

et hujus archidiaconatus munia, non emolumenta, tempore sui episcopatus retinuit.

48 *Verum ex ipso monumento sæpe dictæ reformationis videtur colligi posse, apud hos canonicos munera tantum per mortem vacasse; nam verbis Isarni numero superiore recitatis hæc subjunguntur :* Et POST EORUM DECESSUM quoscumque voluerit episcopus archidiaconos esse cum cleri consilio, secundum Deum debent eligere et constituere : *et præter decessum nulla alia vacationis causa assignatur. Præterea commune jus hic non obtinuisse vel ex eo evincitur, quod Raimundus Lectorensis, qui dictum instrumentum confirmat, S. Stephani præpositus erat* (*vide num.* 45); *sed hoc tamen notandum illos post admissas canonicorum regularium institutiones suæ præposituræ emolumenta non percepisse : secus enim non dedisset Isarnus* sub communi vita regulariter in prædicta sede canonicis viventibus PRÆPOSITURÆ scilicet et decaniæ, sacristaniæ et capiscoliæ cunctum honorem. *Dubium non est quin similiter S.* Bertrandus, *archidiaconatum in diœcesi Tolosana servans, onus et dignitatem sui muneris, non vero ejus emolumenta* E *sibi reservasse dicendus sit. Porro frustra ex Convenensis ecclesiæ paupertate excusatio peteretur; non enim minus pauper et misera erat ecclesia Tolosana, ut ex Isarni dictis patet. Quem vero archidiaconatum S.* Bertrandus *rexerit, non invenio. Cum diœcesis Tolosana in archidiœcesim transiit, plura turbata fuerunt; unde, licet tempore S.* Bertrandi *plures archidiaconatus penes laicos fuisse constet* (*f*), *atque proinde sciatur quosnam certe nequiverit possidere, tanta tamen hic offunditur caligo, ut nihil certi asseri queat.*

Recitantur aliquot leges vitæ canonicæ, quam servavit S. Bertrandus,

49 *Sed redeundum est ad vitam canonicam, quam S.* Bertrandus *professus fuit. Præcipuæ ejus leges in sæpe memorata Isarni charta sic exponuntur :* Verbi gratia ut nihil sibi aliquid proprium habeat, vel etiam (quod absit) dicat; omnes una prandeant, una somnum capiant, communis omnibus secundum apostolicæ institutionis formam victus sit et vestitus; nulli præter licentiam sui prioris suppetat eundi vel evagandi libertas aliqua, ut quibus unus Dominus, una fides, unum est baptisma, unus existat spiritus et una anima. Ne vero alicui ob penuriam victus tantæ authoritatem diffinitionis transgrediendi male blandiatur occasio, decerno ut deinceps ex suis, si forte reperiri possint qui mereantur, præpositum, decanum, archidiaconos, scholæ magistrum, sacristam, communi consensu sibi eligant, substituant, eorumque honores cum omnibus honorum censibus, tam a sæculari conversatione convertentium, quam a puero sub canonica disciplina nutritorum, per succedentium hujuscemodi ministrorum ecclesiæ successiones, cum archidiaconatuum redditibus accipiant, possideant. Omnia ergo quæ communi donare eorum vitæ decrevi, *etc.* F

qui, licet hoc canonicorum collegium tantum anno 1105 *a summo Pontifice confirmatum fuit, vere religiosus fuit.*

50 *Ut num.* 44 *monitum fuit, post enumeratas in illa charta donationes, petitur a summo Pontifice Gregorio VII approbatio aut confirmatio. Verum dubito num hæc charta Romam pervenerit, tum quoniam S. Gregorius circa annum* 1081 (*g*) *San-Stephanianos appellat mere* clericos, *San-Saturninianos vero* canonicos, (*qua vocum varietate hos regulari vitæ præceptis obstrictos fuisse, non item illos designasse videtur*); *tum quoniam San-Stephanianorum reformartio numquam ab eo confirmata censenda*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 292. Exstat quoque, non tam recte tamen, in Gall. Christ., t. XIII, instr., col. 7. — (*b*) Ibid., t. II, p. 391. — (*c*) p. 906. — (*d*) Gall. Christ., t. II, p. 548. Edit. 1656. — (*e*) Gall. Christ. nov., t. XIII, instrum. col. 14. — (*f*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 237. — (*g*) Labbe Concil., t. X, col. 297.

est :

A *est : nusquam enim exstant confirmatoriæ litteræ, ab hoc pontifice datæ; sed ex Gallia Christiana* (*a*) *habes hujusmodi litteras a Paschali II concessas fuisse anno* 1105, *et inter instrumenta ejusdem operis* (*b*) *occurrit privilegium Innocentii II anno* 1142 *eidem ecclesiæ indultum, et quinquennio ante bulla pro regula confirmanda ab eodem Pontifice concessa fuisse ibidem* (*c*) *traditur. Porro ad hæc monumenta alludit Alexander III in bulla, data anno* 1162; *hæc enim illic obviant verba* (*d*) : Ad exemplum prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis et Innocentii Romanorum Pontificum Apostolicæ Sedis privilegio communimus; statuentes ut ordo canonicus et regularis vita in eadem ecclesia constituta ibidem perpetuis et futuris temporibus inviolabiliter observentur, *etc. Nihil vero istic de S. Gregorio VII. At quoniam S. Gregorius canonicorum Tolosatum regulam non confirmavit, inde consequens non est S.* Bertrandum *genuinis canonicis regularibus non accensendum esse. Etenim etiamsi novus Ordo religiosus fuisset,* (*non is tamen erat, utpote S. Augustini regulam sequens,*) *nihil id omnino obstitisset, quoniam, ut videtur, in concilio Lateranensi* IV *anni* 1215
B *canone* XIII (*e*) *primum novorum religiosorum Ordinum institutio vetita est; et quod pertinet ad nova fundanda monasteria, approbatio Pontificis dimidio etiam sæculo tardius cœpit certis in casibus necessaria esse* (*f*). *Dum vero S.* Bertrandus *in cœnobio S. Stephani cum archidiaconi dignitate moraretur, non omnimoda sane pace fruitus est. Jurgia plurima inter canonicos S. Stephani et canonicos S. Saturnini fervebant : quorum facta paucis referunt historiographi Occitaniæ* (*g*).

§ IV. An hodiernæ Convenæ, a S. Bertrando ædificatæ, locum occupent veterum Convenarum; item, sitne præsens ecclesia ab hoc Sancto exstructa. De institutione canonicorum regularium Convenensium.

C

S. Bertrandus *episcopus sacratus fuit a Gulielmo I Ausciensi, qui neque patruus neque avunculus ejus fuit.*

Superiori § *arbitror verisimile a me factum esse S.* Bertrandum *circa annum* 1083 *ad Convenenses infulas fuisse promotum.* Procedente tempore, *addit Vitalis,* consecratus est a Vileumo Bernardo beatæ recordationis venerabili archiepiscopo in Auxitana ecclesia. *An vero tum primum sacerdos factus sit, non est quod edisseram, quandoquidem in diœcesi Tolosana archidiaconus presbyter esse poterat, ut liquet ex hoc solo capite quod S.* Bertrandus, *episcopus factus, archidiaconatum suum non dimisit. Gulielmus I, Ausciensis præsul, qui S.* Bertrandum *consecrasse dicitur, ejus* avunculus *appellatur in propriis Tolosano et S. Genovefæ an.* 1665; *verum is neque avunculus, neque patruus S.* Bertrandi *fuit. Si enim avunculus esset, tum ipse et tota caterva* D *suorum fratrum, quos ex instrumento, edito in Gallia Christiana* (*h*) *cognoscere licet, inter liberos Gulielmi Scindentis-ferrum, comitis Tolosani, et S.* Bertrandi *materni avi, computandi forent; licet ipse Gulielmus, Ausciensis archiepiscopus, se filium Bernardi istic dicat. Neque patruus S.* Bertrandi *fuit Gulielmus, quia numm.* 23 *et* 24 *demonstratum fuit fratri S.* Bertrandi *sororem Gulielmi I Ausciensis præsulis nupsisse; et proinde secundum Tolosanum et Parisiense Officia amita nupsisset suo nepoti : quod absque certo argumento admittendum non est.*

Quæritur an in loco,

52 *Præter boni episcopi strenue adimpleta officia, teste Vitali,* dedit S. Bertrandus vehementius operam, ut ecclesia in altum consurgeret, et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus. Circa ecclesiam claustrum construxit, quantum permisit loci angustia, impediente præcipitio rupium : ibidem religionis amator, canonicos instituit, qui sub regula S. Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. In monte quippe domus non erant, et ecce temporibus hujus Sancti, meritis exigentibus suis, homines accesserunt et in monte civitatem habitationis reædificaverunt : et juxta prophetam, seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis; et locus, qui multis temporibus desertus fuerat, habitatores recepit. *Duplex quæstio, de qua varie sentiunt, discutienda hic loci est : prior, veteresne Convenæ occuparent eumdem locum ac civitas, quæ tempore S.* Bertrandi *ædificata est; posterior, ædificaveritne S.* Bertrandus *ecclesiam, quæ nunc istic visitur, seu sitne hæc eo antiquior aut recentior. Reliquus hic* § *in his fere disquirendis erit, admixtis pro re nata rebus levioribus.* E

quem veteres Convenæ occupabant,

53 *Cum de Convenarum exordiis permulta jam congesserint varii scriptores, brevioribus nobis esse licebit. Docte pro more suo agit de comitatu Convenensi Petrus de Marca* (*i*); *quam laudem Dadino Alteserræ* (*k*) *libenter quoque tribuimus. Oihenartus etiam latissimum sagacemque commentarium Notitiæ utriusque Vasconiæ* (*l*) *inseruit : quem ducem imprimis secutus est Adrianus Valesius in Notitia Galliarum : ex Valesio vero fere deprompta sunt, quæ Dionysius Sammarthanus* (*m*) *habet. At S. Hieronymus in tractatu* II *adversus Vigilantium, locuples testis, corruptis tamen ejus verbis, apud plerosque producitur. Hæc vero in editione Parisiensi* 1624 (*n*) *reperio :* Nimirum respondet (*Vigilantius*) generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine : quos Cn. Pompejus, edomita Hispania, et ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit : unde et Convenarum urbs nomen accepit. Hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei, *etc.* F

et cujus plures meminerunt,

54 *Cum autem hæc civitas in monte sita esset, a pluribus* Lugdunum Convenarum *dictum est : hos inter citantur Ptolomæus, Æthicus et Strabo. De dictis Æthici consule Diarium Trivultianum* (*o*); *De la Porte du Theil in docta sua Strabonis versione* (*p*) *pluribus commentatur locum, ubi de Convenis agitur. At nolo latius digredi de correctione quam intrudere vellet, et multi sane ægerrime susci-*

(*a*) T. XIII, col. 75. — (*b*) Ibid., instr. col. 19. — (*c*) Ibid., col. 76. — (*d*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 586 et seq. — (*e*) Labbe Concil., t. XI, part. I, col. 169. Cfr Altaserram in Ascetico, l. I, c. XVIII, p. 44. Edit. 1777.— (*f*) Cap. Religionum, § Confirmatos, de relig. domibus, in sexto, et Cap. Cum ex eo, de excessibus prælator. eod. lib. VI. Cfr Benedictum XIV de Synod. diœces. lib. IX, cap. I, n. 9. Schmier, Jurisprud. Canon. civil. lib. III, tract. I, part. II, cap. II, sect. I, § III et Ferraris Biblioth. Canon. V. Conventus, n. 13. — (*g*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 294 et 384.— (*h*) T. I, instr. p. 160.—(*i*) Hist. du Béarn, p 8 et 34. — (*k*) Rer. Aquitanic., p. 69 et seqq. — (*l*) p. 517 et seqq. — (*m*) Gall. Christ., t. I, col. 1089 et seqq. — (*n*) Oper. S. Hieron., t. I, p. 407. — (*o*) Journ. de Trévoux 1730, Juillet, p. 1313. — (*p*) Strabo, lib. II, cap. II, t. II, p. 40.

A *perent. Quod vero alterum hoc nomen* Lugdunum *a loco, cui imposita est, mutuata est civitas Convenæ, ex sequentibus Valesii verbis eruere licet. Ad vocem videlicet* Lugdunum Clavatum Remorum (*Laon*): Dunum autem, *ait,* veteres Galli montem vocaverunt, *et ad* Lugdunum Segusianorum (*Lyon*) *latius eamdem prosequitur mentem his verbis :* Vetus itinerarium Lugdunum Montem Desideratum interpretatur.... Auctor libri de fluminibus Lugodunum gallica lingua Corvi Montem significare ait... Lugo corvum, duno montem designante. *Pergit dein confutans Erricum monachum, qui* Lucdunum *scribens illud a* lucido monte *deducit : in quem tamen errorem postea prolapsus est Dionysius Sammarthanus* (*a*). *Charrier* (*b*) *init sententiam, omnium forte probatissimam, deducitque* Lugdunum *aut* Lucdunum *a* luc, *populum notante, et* dun, *referente montem. At quidquid tamen de priore vocis parte esse queat, illud certum est* duno *montem aut potius collem designari : collem dico, quoniam in linguis septentrionalibus eadem vox idem significat et omnes fere urbes, quarum latinum nomen in* dunum *desinit, in collibus aut clivis ædificatæ sunt : quarum sane numerum ingentem esse neminem latere potest.*

B *Ex quibus generatim constat Convenas in monte positas fuisse : verum accuratius ejus determinandus est situs, et primum quidem audiendi sunt scriptores aliquot præcipui.*

oppidulum a S. Bertrando *conditum sit :*

55 *Celeberrimus itaque geographus Balbi in suo Geographiæ Compendio oppidum S.* Bertrandi, *seu præsentes Convenas, juxta pristinum Lugdunum Convenarum collocat, sic fere de eo gallice disserens :* Oppidum S. Bertrandi (*Saint-Bertrand de Comminges*) exigua civitas est, et multum in deterius conversa; verumtamen magni adhuc momenti est ob marmoreas suas officinas... Effossiones subterraneæ in S. Bertrandi ejusque vicinia factæ multis funebribus inscriptionibus aheneisque monumentis detegendis fuerunt utiles. Pertinebat hæc autem cum theatri ruinis ad Lugdunum Convenarum, quæ antiqua urbs in ejus vicinia erat sita. *Similiter sensit Vasco quidam, auctor dissertationis, quam superius in Diario Trivultiano esse monui. De la Martinière in Dictionario Geographico* (*c*) *non prorsus dissimilem profitetur sententiam :* Antiquum Lugdunum Convenarum, *inquit,* positum erat ad radices montis, in quo nunc S. Bertrandi Fanum exstat, atque illud amplius fuisse quam Tolosam ex mœnium vestigiis quisque colligere potest.

C *plures negarunt, plures affirmarunt;*

56 *Aliter et, mea sententia, recte quidem sensit Baudrand in suo Lexico geographico, item geographus Mentelle* (*d*), *non secus ac Lastrade S.* Bertrandi *encomiastes, et demum, ut alios mittam, Hadrianus Valesius, quem audire lubet :* Scaliger, *ait ad vocabulum* Convenas, et Massonus scribunt, ex Lugduni Convenarum ruinis... oppidum S. Bertrandi in valle Capraria esse constructum : at contra Arnaldus Oihenartus, cui utpote Vasconi de Vasconia libentius crediderim, civitatem S. Bertrandi in eo nunc esse colle scribit, in quo olim Lugdunum Convenarum. *Quam sententiam gravissimis argumentis confirmat Notitiæ utriusque Vasconiæ* (*e*) *auctor hoc modo :* Nec opinione fallitur vir doctus (*Sirmundus in notis ad Sidonium Apollinarem*) dum Lugduni situm in eo colle fuisse sibi persuadet, in quo nunc constituta est civitas S. Bertrandi; illud enim verum esse arguunt pleraque rudera, et murorum antiquæ structuræ fundamenta, quæ in subjectis colli campis hodie visuntur, et multo majoris, quam quæ nunc angustum summi collis D spatium occupat, civitatis vestigia ostendunt : veteres item lapidum inscriptiones ibi passim obviæ, e quibus hic pauculas exhibere libet, *etc. Hæc Oihenartus : quod testimonium conjunctum cum argumento, ex nomine* Lugduno *petito, licet sententiam, quæ nobis præplacet, fere evincat, pauca tamen explicanda supersunt et aliunde confirmanda.*

sed ex descriptione S. Gregorii Turonensis, partem non munitam et imprimis

57 *Opinionum diversitas circa pristinum Convenarum situm mihi orta videtur ex eo, quod qualis a S. Gregorio Turonensi* (*f*) *describitur, major censenda est, quam ut in colle, ubi præsens S.* Bertrandi *Fanum conspicitur, exstitisse queat. Verum e duabus partibus constabat civitas : altera, quæ in colle sita et validissime munita erat; altera, quæ in subjectis vallibus assurgebat. Latus erat hujus ambitus; et ipsa pars munita multo vastior fuit, quam præsens civitas. Nihil ex penu nostra proferamus : primo ergo probandum est alteram urbis partem munitam, alteramque intutam et apertam fuisse. Turonensis itaque apud Ruinartium* (*g*) *producit Gundovaldum alloquentem Convenenses his verbis :* Sed quoniam frater meus Gunthramnus rex immensum adversus me movet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem infra murorum munitionem E concludere, ut scilicet, dum nobis illa pietas divina auget solatium, non pereatis inopia. Hæc illis credentibus, quæcumque habere potuerunt conlocantes in urbe præparabant se ad resistendum.... Igitur commorante eo apud urbem Convenas, locutus est incolis, dicens : Ecce jam exercitus adpropinquat, egredimini ad resistendum. Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum episcopo loci (*Rufino*), cuncta quæ in urbe invenire potuerant, suis ditionibus subdiderunt. Tantaque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, ut si viriliter stetissent, per multorum annorum spatia victus alimentis non egerent. *Quid, quæso, hæ Gundovaldi insidiæ valuissent, nisi ex duplici parte constitisset civitas? Quomodo quippe infra murorum munitionem suppellectilem atque alimenta concludere potuissent Convenenses, nisi pars civitatis munita, altera non munita fuisset?*

partem munitam seu montem delineantis, collata cum his quæ

58 *Montem vero munitum fuisse secundo ostendendum est loco : en ut eum describit S. Gregorius apud Ruinartium* (*h*) : Gundovaldus.... Garonnam cum... ducibus... transivit, Convenas petentes. F Est enim urbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus, ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima : ad quem per cuniculum descendentes ex urbe latenter latices hauriunt. *Mitto quæ eadem de re monachus Floriacensis Aimoinus in Gestis Francorum et Chronicon S. Dionysii hac de re conferunt, quandoquidem evidenter S. Gregorii scriptis usi sunt. Lastrade, cujus testimonio confidendum est, cum de his quæ manibus tractaverat, et oculis viderat, sermonem instituit, de præsentibus Convenis ait* (*i*) : Est mons cui nullus alius mons contiguus est; vocari posset potius monticulus, si comparetur cum Pyrenæis, ad quorum radices situs est. *Erumpentem vero fontem cernere est in imagine, quam cum aliis documentis nobis submisit R. P. Carolus Tinseau societatis nostræ, quamque utut imperfectam hic imitandam curavimus. Teste insuper eodem S. Gregorio, a parte orientis vallis profunda erat : narrans enim tentamina, die decima sexta obsidionis facta, hæc habet* (*k*) : Mane autem facto, exercitus iterum ad

(*a*) Gall. Christ., t. I, col, 1090.— (*b*) Hist. du Dauphiné, lib. II, p. 96. — (*c*) T. V, p. 222. — (*d*) Dictionnaire de Géographie ancienne v. Comminges. — (*e*) p. 517. — (*f*) Col. 359. Edit. Ruinart; et D. Bouquet., t. II, p. 306. — (*g*) Col. 360. — (*h*) Col. 359. — (*i*) Relation de la translation, etc., p. 116. — (*k*) Col. 364.

bella



NOVÆ CONVENÆ, SEU OPPIDUM S. BERTRANDI



Ludovicus D'agos Pinx. Car. Onghena Sc.

RUDERA CLAUSTRI EXTRUCTI A S. BERTRANDO

A bella consurgit, ac ex virgis fasces faciunt, quasi ad complendam vallem, quæ a parte orientis sita erat. *Cum ecclesiarum absides olim ad orientem fere semper verterentur, dubium mihi fere non est, quin hæc vallis præcipitium sit, de quo Vitalis num.* 8 *sermocinatur, et juxta quod deinceps S.* Bertrandus *ædificavit suum claustrum, quod absidem circumdabat, ut in memorata imagine conspicere licet. Monet præterea S. Gregorius* (*a*) *totam urbem, id est, partem munitam, valle profundiori esse circumdatam; idemque testatur Lastrade* (*b*). *Sed præcipitia non ubique æque propinqua fuisse annotat Turonensis, scribens :* Cumque A PORTA SE ELONGASSENT (*Gundovaldus scilicet et qui eum proditurі erant*), sicut est circa urbem vallis tota in præcipitium, impulsus ab Ollone cecidit; *in allata vero imagine idem obtinere nemo non viderit.*

de præsentibus Convenis traduntur, sententia affirmans stabilitur.

59 *Lancelot socius Academiæ inscriptionum et bonarum litterarum Parisiensis, anno* 1719 *investigavit Veterum Convenarum antiquitates : sententiam similem sententiæ Oihenarti emisit. Veteribus scilicet Convenis includendam censet vallem Caprariam* (Valcabrère), *qui vicus Garumnam versus colli seu oppido S.* Bertrandi *subjacet. Etiam propinquior est* B *ecclesia S. Justi, tota e ruderibus sculptisque lapidibus constructa* (*c*). *Teste eodem Lancelot, præsens S.* Bertrandi *templum in cacumine montis* (sur la croupe de la montagne) *ædificata est. In imagine oppidi hic adjecta juxta ecclesiam consurgit altior mons; unde Lancelotii dicta intelligenda videntur non secus ac si ille mons plura haberet satis dissita juga, quorum unum superædificatum gestaret templum. Cum hoc oppidum invisit Lancelotius, cathedrali templo, capitulo et duodecim circiter rusticanis domibus illud constabat : accrevit exinde nonnihil, cum La Martinière anno* 1768 *sexcentos, et recentiores geographi plures quam septingentos incolas ei assignent. Verumtamen multum abest, quin Bailletus verum professus sit, cum dixerit in Vita S.* Bertrandi, tot civibus montem Convenensem auctum fuisse, ut jam ejus tempore civitas esset inter amplissimas et pulcherrimas Vasconiæ.

Ecclesia Convenensis, tempore Guntramni cum reliqua civitate destructa,

60 *Non est quod vestigia relegam, et bellum exponam, quod anno* 584 *inter Gundoaldum et Guntramnum exarsit, et Convenarum excidii causa fuit. Gregorius Turonensis libro* VII *historiæ Francorum late de eo egit : præter quem Fredegarius Scholasticus in suo Chronico et in Historiæ Francorum epitome,* C *Aimoinus monachus Floriacencis in gestis Francorum, Chronicon S. Dionysii, et recentiores historici, plerumque Gregorii dicta contrahentes, consuli possunt. Ad alteram itaque quæstionem digredior, quæ in eo versatur, sitne constructa Convenensis ecclesia a S.* Bertrando. *Hic iterum inter scriptores variæ sunt sententiæ : verumtamen apud omnes in confesso esse debet tempore dicti belli omnia Convenis sus deque versa fuisse. S. Gregorius enim ita hac super re disserit* (*d*) : Nocte vero sequenti (*proditionem et necem Gundoaldi*), ii, qui primi (*alibi* missi *legitur*) erant, omnes thesauros quos in urbe reperire potuerunt, cum ministeriis ecclesiæ clam abstulerunt. Mane vero reseratis portarum valvis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt, sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa ecclesiarum altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, ut non remaneret mingens ad parietem, omnem urbem cum ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes. *Jam antea* Bladastes... metuens ne Leudegisilus (*dux scilicet exercitus Guntramni obsidentis*) obtenta victoria eos morti traderet, imposito igne in ecclesiæ domo (*domo episcopi et clericorum*), concurrentibus ad incendium mitigandum inclusis, ille fuga dilapsus abscessit. *En paucis quo pacto ecclesiæ et episcopales ædes absumptæ fuerint.* D

61 *Licet minime obscurum sit hoc S. Gregorii testimonium, reclamat tamen Lastrade, qui, ut loquitur, se non injuriam gloriæ Clodovæi I illaturum esse arbitratur, cum præsentem ecclesiam ad Romanorum, idolis inservientium, tempora referet; et reapse descriptio, quam de ea edidit, unumquemque impelleret ad eam ordini Corinthio assignandam, licet ordinis Gothici sit, ut passim loquimur : adeo fallax est ejus descriptio, et indicata antiquitas prorsus erronea. Cum autem Adrianus Valesius* (*e*), *Beaunier* (*f*), *Dionysius Sammarthanus* (*g*), *Richard et Giraud* (*h*), *asserunt* Convenas jacuisse annos amplius DXX, sic ut episcopi Ecclesiæ Convenicæ aliam sedem habere cogerentur, *clare innuunt ecclesiam non exstitisse in monte usque ad tempora S.* Bertrandi. *Atque hæc quidem amplectenda videtur sententia; ait Vitalis, ut vidimus* : Dedit igitur vehementius operam ut ecclesia in E altum consurgeret et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus. *Quæ verba :* Ut ecclesia in altum consurgeret, *indicare videntur, ab eo in altum eductum fuisse templum jam pridem dirutum, cujus inferiores parietes forsitan supererant. Cæterum, ut scripsit ad nos laudatus P. Tinseau*, communior opinio nunc est, sæculo XII hanc ecclesiam fuisse ædificatam, et secundum artis peritos structuræ genus ad hoc quidem spectare tempus; ab aliis vero contendi eam multo antiquiorem esse; videri vero utrique sententiæ aliquid non absoni a veritate inesse : æris campani turrim ecclesia vetustiorem videri; architectonicam artem in utroque non esse eamdem, quandoquidem fenestræ turris formam a circulo (*en plein ceintre*), ecclesiæ vero fenestræ et cameræ formam suam a decussatis arcubus (*ogive*) mutuentur. *Unde diceres præsentem turrim, quæ ejusdem structuræ est ac claustrum, cujus imaginem exhibemus et quod certo a S.* Bertrando *secundum Vitalis testimonium num.* 8 *ædificatum est, ad tempora hujus Sancti pertinere; reliquam vero ædem sacram non perfectam fuisse ab* F *eodem præsule; quod cæterum aliunde constat. Dum autem huic labori instaret S.* Bertrandus, *videtur sacra sua munia obiisse in templo S. Justi, quod monti etiamnum omnino adjacet. Nam, licet plerique scriptores, Valesii dicta sibi applicantes, confiteantur se nescire, ubi locorum Convenenses episcopi ante exiens sæculum* XI *sederint, ex Vitali tamen satis manifestum est hanc sedem fuisse in ambitu veterum Convenarum. Ait enim biographus ille :* Convenarum cathedralis ecclesia suo viduata pastore sollicite quærebat rectorem. . . Ducunt electum ad civitatem Convenarum... more solemni in cathedrali ecclesia intronizantes. . . Cum vir sanctus (*Ausciis, ubi consecratus fuerat,*) ad suæ civitatis ecclesiam rediisset, divinum ibidem celebraturus mysterium, factus est de more venientium ingens concursus... Hanc nimirum ecclesiam clementissimus rex Francorum... ejecta prophanæ gentis spurcitia, insignibus decoravit regalibus cum monte et suburbio, et..... illud..... adjecit, ut qui

a S. Bertrando *reædificari cœpta videtur,*

(*a*) Col. 366. — (*b*) Relation de la Translation, etc., p. 116. — (*c*) Hist. de l'Académie des inscript. et belles-lettres, t. III, p. 437 et seqq. et t. IV, p. 393 et seq. — (*d*) Col. 366. Edit. Ruinart. — (*e*) Notit. Gall., p. 158, col. 2. — (*f*) Rec. des archevêchés, etc., t. I, p. 90. — (*g*) Gall. Christ., t. I, col. 1089. — (*h*) Biblioth. sacrée, t. XXVIII, p. 255. Edit. 1828.

prædictam

A prædictam regeret ecclesiam. . . comes existeret. . . *Cum autem ecclesia S. Justi partem veterum Convenarum occuparet, et cum præterea apud Vitalem num.* 12 *legimus :* Quadam igitur dominica die ingressus est vir Dei prædictam ecclesiam (*S. Justi*) celebraturus ibidem Missarum solemnia; *satis apte statui posse videtur, illic episcopos Convenenses suam habuisse cathedram, atque ibi munia sacra sua adimplesse nostrum Sanctum, dum reædificandæ in monte ecclesiæ vacaret.* (*Cfr præterea Vitalem n.* 22.) *Verum abest multum, ut ultimam ei manum admoverit.*

sed deinde sæculo XIV *perfecta.*

62 *Etenim eam sæculo* XIV *ineunte perfectam aut consummatam fuisse, lapis sepulcralis testis est. Hugo videlicet de Castellione, qui anno* 1335 *episcopatum adeptus est, et* V *nonas Octobris anni* 1352 *obiit, in ecclesia Convenensi splendidum e candido marmore mausolæum habet, cum hoc epitaphio parieti vicino inhærente* (*a*) : Anno Domini 1352 die IV mensis Octobris, obiit reverendus pater dominus Hugo de Castellione Dei gratia episcopus Convenarum, qui hanc capellam construxit et præsentem cathedralem ecclesiam consummavit. Cujus anima requiescat in pace. *Præterea de ecclesiæ structura notandum superest tum*
B *ex annotatis R. D. Féral, secretarii illustrissimi archiepiscopi Tolosani, tum ex libello Lastrade mirabilem esse hanc ecclesiam ob prodigiosam camerarum seu fornicum altitudinem, quas nullæ columnæ sustentant; quin etiam cum ex geographicis libris innotescat marmor in Convenensi tractu commune esse, facilius fidem sibi demeretur Lastrade, cum narrat totam hanc sacram ædem e marmore albo constructam esse; et demum e dictis Tolosanis annotatis et e Beaunier* (*b*) *intelligimus, sedilia chori, a Joanne de Malo-Leone, qui ab anno* 1523 *usque ad annum* 1551 *Convenarum sedem occupavit, quam perfectissime sculpenda curata* (*c*), *advenis admirationi esse; ea quoque partim delineata reperimus in collectione quadam imaginum præcipuorum monumentorum Galliæ. Quæ vero pia monumenta S.* Bertrando *sacra sunt, inferius enarrabuntur. Sed propius ad Sancti nostri gesta redeamus.*

In sua ecclesia instituit S. Bertrandus *canonicos regulares*

63 *In primis, teste Vitali,* circa ecclesiam claustrum construxit, quantum permisit loci illius angustia, impediente præcipitio rupium. *Hujus claustri dispositionem ex oppidi delineatione conjicere licet; peristylium vero, quale superest, ex apposita hoc loco orthographia cognoscitur. Absque*
C *dubio hoc claustrum pertinebat ad ædes, destinatas canonicis regularibus, quos in ecclesiam suam introduxit, ut Vitalis num.* 8 *iterum testis est :* Ibidemque religionis amator, canonicos instituit, qui sub regula S. Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. *Poterat autem eo facilius S. Augustini regulam clericos suos edocere, quo ipse fidelius eam adimplesset in ecclesia S. Stephani Tolosani : leges enim, quæ num.* 49 *ex Isarni privilegio relatæ fuere, mere pertinent ad S. Augustini regulam, et in tribus S. Augustino attributis regulis facile reperiri possunt* (*d*). *Excipias tamen oportet, quod de communi dormitorio præscribit Isarnus, et de quo nihil mihi obviat in dictis regulis : at noti sunt hac super re plures medii ævi ecclesiastici canones; similiter innotescit communis dormitorii præceptum sæculo* XI *exeunte inductum fuisse in omnia canonicorum cœnobia, ubi id temporis regularis disciplina reviviscere cœpit : vide hac super re regulam canonicorum de Monteforti* (*e*); *statutum Alexandri II* D *in synodo Romana anni* 1063 *promulgatum* (*f*); *Vitam B. Berardi, Marsicani episcopi* (*g*); *opus Lelarge de Ordine canonicorum Regularium* (*h*); *et obvias fere horum temporum leges : cæterum ipse S. Chrodogangus integrum caput de ea re jam pridem pro clericis scripserat* (*i*).

circa annum forte 1114;

64 *De tempore vero, quo S.* Bertrandus *clericos suos ad ordinem canonicum transtulit, nihil certi mihi reperire licuit : Lelarge* (*k*) *refert hanc reformationem ad annum circiter* 1104. *Sed aleam jacere videtur, nullam rationem hujusmodi chronologiæ proferens. Equidem libenter decem annos adderem computo Lelarge; Vitalis enim num.* 10 *de Gulielmo, Auxitano præsule, scribit eum in prima ætate nutritum fuisse apud S.* Bertrandum, *qui* eumdem fecit applicari studio litterarum, et canonicavit eum in ecclesia S. Stephani : *jam vero neminem asserturum esse confido, S.* Bertrandum *magis consuluisse S. Stephani canonicis, quam suis, aut nepotes suos crediturum fuisse alienæ ecclesiæ canonicis, cum ipse non ita pridem in sua ecclesia constituisset collegium canonicorum : unde verisimile fit canonicos Convenenses institutos fuisse, postquam Gulielmus ille, prima ætate apud S.* Ber- E *trandum transacta, et bonarum litterarum absoluto curriculo, canonicis Tolosanis jam esset annumeratus, id est, cum annum vigesimum circiter ætatis attigisset. Porro Vitalis tradit eum conceptum fuisse ante mortem Gulielmi I, qui secundum necrologium S. Severi in capite Vasconiæ* XV *kalendas Maji anni* 1096 *depositus fuit* (*l*). *Ait scilicet Gulielmum III a Gulielmo I* nomen accepisse, nondum tamen in præsentem lucem effusum, sed clausum in utero matris. *Fieri tamen nequit, ut multo ocius quam anno* 1096 *natus sit, quandoquidem ex Gallia Christiana* (*m*) *innotescit Gulielmum III anno* 1170 *tantum obiisse, atque hoc etiam tempore seu potius paulo ante parem fuisse itineribus negotiisque suscipiendis : quocirca ætas* 74 *annorum non multum augenda est. Præterea, nisi id caveretur, senem eum fere faceremus, cum anno circiter* 1145 *ad episcopale munus accessit : quare statuendum videtur canonicum ordinem circa annum* 1114 *in ecclesiam Convenensem introductum fuisse.*

hujus collegii canonicorum fata.

65 *Apud hos canonicos paulatim refrixisse fervorem ex sequentibus Lastrade verbis* (*n*), *latine a me factis, colligere est :* Benedictus XII anno 1340 canonicis Convenensibus sua præscripsit statuta; quæ cum severiora et difficiliora servatu invenirentur, ad Clementem VI, Benedicti successorem, recursum est, ut ea reformaret. Quam ob causam misit ille Bertrandum, episcopum Lombariensem, qui cum a mandatis adimplendis impediretur, quod cum eodem D. Papa Avenione negotiis detinebatur, sibi substituit præpositum Lombariensem et decanum ecclesiæ collegiatæ Insulæ-Jordanis, qui Convenense capitulum visitarent, et expositæ rei veritatem inquirerent. Porro secundum eorum relationem statutorum facta est mitigatio; quam quidam laxiorem æstimaverunt, quam reapse est. *Hanc mitigationem, quoniam Bertrandus anno* 1348 *Lombariensis episcopus factus est* (*o*), *et Clemens VI anno* 1352 *obiit* (*p*), *inter annum* 1348 *et* 1352 *concludere oportet. Capitulum illud, quod sat dives fuisse videtur, jam pridem ante superioris sæculi impios tumultus sæcularizatum fuisse scribit* F

(*a*) Cfr Galliam Christ., t. I, col. 1101 et seq. — (*b*) Recueil des archevêchés, t. I, p. 91. — (*c*) Gall. Christ., t. I, col. 1105. — (*d*) Holstenius, Codex regular., t. II, p. 120 et seqq. Edit. alter. — (*e*) Ibid., t. II, p. 134. — (*f*) Labbe Conc. t. IX, col. 1176. — (*g*) Ughelli Ital. Sacra, t. I, p. 966. — (*h*) p. 350. — (*i*) Holstenius Cod. Regul., t. II, p. 98. — (*k*) De Ordine Canonic. Regular., p. 368. — (*l*) Gall. Christ., t. I, col. 981 et seq. — (*m*) Ibid., col. 986 et seq. — (*n*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 172. — (*o*) Gall. Christ., t. XIII, col. 323. — (*p*) Baluze Vit. PP. Avenionens., t. I, in plurib. Vit. Clementis VI.

ad

A *ad nos laudatus R. D. Féral; et quidem vi concordatus anni* 1801 *suppressus est ipse Convenensis episcopatus; adeo ut Antonius Eustachius d'Osmond, anno* 1785 *die* 1 *Maji sacratus, seriem hujus sedis pontificum clauserit, anno* 1801 *pontificia bulla ad suæ sedis nuntium remittendum invitatus* (*a*). *Miror multum non tantum quod Elssius in suo Encomiastico Augustiniano et Herrera in suo Alphabeto S.* Bertrandi *non meminit, sed etiam quod Penottius in sua Canonicorum Regularium Historia ne verbum quidem de Convenensi capitulo fecerit.*

§ V. Diplomata, quibus subscripsit S. Bertrandus; concilia, quibus interfuit; consecratio cœmeterii Ausciensis et ecclesiæ parthenonis S. Orientii. Mors S. Bertrandi.

B

Interfuit S. Bertrandus *concilio Burdigalensi anno* 1093;

Alibi jam aliquot signavimus instrumenta, quibus subscripsit S. Bertrandus : *superest, ut ordine fere temporis alia nonnulla recenseamus, quibus nomen suum apposuit, eique recensioni inseramus aliquot concilia, quæ præsentia sua honestavit. Imprimis anno* 1093 *interfuit concilio Burdigalensi, in quo S. Caprasii cœnobium monachis Floriacensibus fuit restitutum : cæterum id unum notabile est leges inter subscribendum satis bene servatas fuisse* (*b*). *Archiepiscopi videlicet Burdigalensis et Ausciensis primi sua signa apponunt; veniunt dein Agennensis, Petragoricensis et Engolismensis ad provinciam Burdigalensem pertinentes; sequuntur vero Bigorrensis, Convenensis, Adurensis, Vasatensis et Aquensis metropolitano Ausciensi subjecti; unde cum episcopus Bigorrensis aut Tarbensis, Odo nomine, anno* 1080 *episcopatum nactus sit, ex his subscriptionibus denuo deduci potest S.* Bertrandum *post Bigorrensem præsulem sacratum fuisse : debilius tamen fit hoc argumentum ex eo quod Vasatensis episcopus in ecgraphis suo loco non est* (*c*). *Signum vero S.* Bertrandi *inter* testes et visores privilegii *his conceptum est verbis :* signum Bertrandi Convenensis episcopi.

C

et anno 1100 *interfuit concilio Pictavensi,*

67 *Alii conventui multo celebriori, concilio nempe Pictavensi anni* 1100, *interfuit S.* Bertrandus. *Id videlicet novimus ex Cartulario MS. Ausciensi, ex quo plura edidit D. de Brugelles in Chronicis ecclesiasticis Ausciensibus, et D. Brial Collectioni historicorum Galliæ* (*d*) *nonnulla inseruit. Agitata scilicet ibi fuerunt plura negotia, quæ omnia fere in Collectione conciliorum Labbei* (*e*) *ex scriptoribus plerisque coævis declarantur; ex eis duo tantum nos seligimus, quoniam de priore, quod ad cœmeterium Ausciense spectat, in memorata Collectione siletur, et eidem postmodum denuo implicitus fuit S.* Bertrandus, *et quoniam posterius nonnullam ansam dedit eidem Sancto pro Christo ejusque lege patiendi. Porro integrum fere sæculum inter canonicos Auscienses et monachos Auscienses S. Orientii de cœmeterio quodam lis agitata est, in qua demum jacuere Sant-Orientiani. Porro cum de hac re jam dictum fuisset Tolosæ anno* 1096 *coram D. Papa Urbano II, ibidem versante, et tribus fere annis post in concilio Romano, nondum disceptationi finis impositus erat.*

D

in quo laudavit sententiam legatorum apostolicæ sedis de Ausciensi cœmeterio,

68 *Quamobrem* in concilio Pictavensi, cum de eadem re habita esset querela ad aures Johannis et Benedicti Cardinalium, qui tunc apostolica vice et legatione eidem concilio præerant, hoc judicium ab eis ita promulgatum est : « Quod judicatum est a » domino nostro beatæ memoriæ U. (Urbani) Papa » de cimiterio Burdegalensi, idem et nos de uni- » versis matricibus ecclesiis judicamus, quia non » invenimus in aliquibus decretis, vel in quibus- » dam canonibus, ut matrices ecclesiæ careant » sepultura, unde procedunt ordines et baptisma » et cætera talia. Ecclesia vero quæ recipit vivos, » recipiat et mortuos. » Itemque adjectum : « Pri- » vilegia facta contra justitiam et contra universale » judicium domini nostri U. Papæ, falsa esse judi- » camus; judicium universali domini nostri Papæ » de matricibus ecclesiis, nominatim de Ausciensi » sede, confirmamus et corroboramus. » Laudatis omnes? Universi in concilio residentes dixerunt : Laudamus. Facta confirmatio ista Ausciensis cimiterii in concilio Pictavensi a Johanne et Benedicto cardinalibus, legatis Romanæ et apostolicæ sedis, feria VI, quinto die concilii (XXIII *Novembris anni* 1100) assensu et affirmatione totius conventus, in præsentia domni R. (*Raimundi*) Ausciensis archiepiscopi, et (*Radulfi*) Turonensis archiepiscopi, (*Philippi*) Tricassini episcopi, (*Lamberti*) Atrebatensis episcopi, (*Morvanni*) Venetensis episcopi, (*Petri*) Lactorensis episcopi, (*Bernardi*) Laburdensis episcopi (*Bertrandi*) Convenarum episcopi, Engelrandi Laudunensis episcopi, Marbaudi Redonensis episcopi, Ivonis Carnotensis episcopi, et aliorum multorum tam Wasconum quam Galliæ abbatum et episcoporum. *Qui vero reliqui hi abbates atque episcopi sint, non omnino innotescit : quin etiam de numero varia sententia est, quandoquidem Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi* (*f*) *in ecclesia Sancti Petri Pictavensi die octavarum Sancti Martini* LXXX *tantum episcopos et abbates et* XXXV *canonicos congregatos fuisse scribit, et Gaufridus Grossus, scriptor Vitæ S. Bernardi, abbatis Tyronensis* (*g*), *centum quadraginta patres huic concilio interfuisse testatur : quæ varietas orta videtur ex eo, quod Hugo concilii initium, Gaufridus ejusdem finem intendit.*

E

F

eisque constanter adhæsit, cum, neglectis minis comitis Pictavensis, excommunicarunt adulterum regem Galliæ,

69 *Sed præcipuus concilii scopus erat adulterum Philippum I, regem Galliæ, inducere ad non retinendam Bertradam. Secundum appendicem itaque Vitæ S. Hilarii* (*h*) reliquis ecclesiasticis causis rite peractis, ad ultimum pro prædicto capitulo anathematis sententiam in regem pervulgare intendebant *cardinales legati. Tum Gulielmus, comes Pictavorum, quem rex nunciis suis convenerat, supervenit in templum et congregatis patribus severas intentavit minas.* Omnibus itaque aliis, *pergit dicta appendix,* ob dictum comitis (*Gulielmi*) exterritis, cum episcopis et abbatibus de proprietate regis de consessu concilii præ timore egressis, domnus Joannes legatus solus mansit interritus; immo constantior et animosior factus, exclamavit et dixit : « Audite me, fra- » tres : . . . Paveant. . . et fugiant ad adventum » lupi mercenarii, maneant hic nobiscum qui sunt » pastores boni et veri. . . . » *Collum dein comiti percutiendum extendit :* qua viri constantia comes experta, concilium ocius exit, ne regem audiret

(*a*) Biblioth. Sacrée, t. XXVIII, p. 258. Edit. anni 1827. — (*b*) Cfr Cantelium S. J., Histor. urb. metropol., t. I, p. 128. — (*c*) Cfr de hoc concilio Mansi suppl. Concil. Labbe t. II col. 125; et Mabillonium Annal. Ord. S. Bened., t. V, p. 236 et 296 et instrum., p. 617. Edit. Luc.—(*d*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 321. — (*e*) T. X, col. 720 et seqq. — (*f*) Ibid., t. XIII, p. 624. —(*g*) Ibid., t. XIV, p. 169, et in opere nostro ad XIV April., p. 233. — (*h*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 108 et seq.

A excommunicari. Quo egresso duce, Joannes sermonem continuavit, *visionem S. Hilarîi, se et reliquos ad fortitudinem exhortantis, commemorans.* Ad hæc verba omnes qui aderant exhilarati, et, timore sublato, de promissione B. Hilarii securiores sunt effecti. . . . *Tum Joannes cardinalis,* allatis luminaribus et omnibus in regem erectis, donec satisfaceret, anathematis sententiam promulgavit, *calculum suum afferentibus patribus qui remanserant, ut luculente e Gaufrido Grosso* (*a*) *et Hugone Flaviniacensi* (*b*) *habemus. Atque hic nihil est quod in S.* Bertrandi *dedecus vertatur; effugerunt scilicet ii tantum, qui de proprietate regis erant, seu immediate ei subjecti; quos inter numerari nequit Sanctus noster, utpote Convenensis : atque adeo iis accensendus est, qui manentes cum legatis bonos et veros se probarunt pastores.*

et furentis populi comitisque manus vix effugerunt.

70 *Verum quam primum populus intellexit excommunicatum fuisse regem, vehementi ira commotus est, ingentemque tumultum excitavit; adeo ut, cum jam* laus Christi, *ut loquitur Hugo Flaviniacensis* (*c*), in ore eorum qui astabant pro dimissione concilii, ut moris est, resonaret, . . . quidam e populo, in superioribus existens ecclesiæ, lapidem jecerit,
B cardinales ferire volens; cujus ictu clericus quidam capite illiso prosternitur. *Hinc nova apud præsules conturbatio, et novus apud populum furor.* Sanguine manant pavimenta, clamore confuso domus impletur, furore et insania intus et extra ministri satanæ debacchantur. Manent columnæ Christi immobiles, mortem, si Dominus jubeat, intrepidi opperientes; et ad saxa volantia, mitris ablatis, capita nuda retegentes; nec aliquando a laude Dei et prædicatione veritatis reticentes : quod voce prosecuti erant, sanguine confirmare, si sit necesse, gestientes. Quorum constantia devota et devotione constantissima furentium facta est repressio et ad pœnitentiam cordium inclinatio. *Hæc Hugo Flaviniacensis, testis oculatus, qui ipse negotium habebat in hoc concilio discutiendum. Verum dum Flaviniacensis chronographus episcopos a sua constantia laudat, ob ignaviam suam eos vituperat Gaufridus Grossus, adeo ut scribat* (*d*) *solos Bernardum Tironiensem et Robertum Arbressellensem,* aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles constantesque perstitisse, ut nec ab incœpto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem vel contumeliam pati gloriosissimum ducerent. *Sed*
C *Gaufridi testimonium parvi faciendum est in hujus concilii historia, quoniam gestorum in ea seriem valde male edoctus fuisse videtur, adeo ut in omnibus fere adjunctis, tum magnis tum parvis, a reliquis historicis dissentiat. Neque est quod quis objiciat cardinales tantum ab Hugone Flaviniacensi tamquam* Christi columnas *exhiberi; nam clare e contextu patet eo nomine venire omnes episcopos, qui remanserant et cum legatis Philippum excommunicationis vinculo innodarant. Sedata populi commotione, vitæ quidem, sed non omne libertatis discrimen evanuit. Comes enim Gulielmus, comperta regis excommunicatione,* vehementer excitus, *ut laudata appendix testimonio est,* portas urbis claudi, et exitus viarum, ne clam exirent, fecit excubari. Et rumor ubique, omnes qui interfuerant excommunicationi, captos deprædatum iri. Qui pavidi ad legatum confluunt, et quid agerent inquirunt. At vero domnus Joannes confortabat omnes, dicens ne timerent, sed rei exitum secure expectarent. Dum hæc invicem colloquuntur, venit nuncius qui portas urbis apertas et liberum omnibus exitum nunciaret. Quin et ipse comes compunctus corde venit, et prostratus in terram coram cardinalibus, culpam confitebatur et veniam postulabat; et de cætero se talia non commissurum cum juramento pollicetur. Porro domini legati. . . impletis B. Hilarii promissis (*horum quoque meminit Chronicum Malleacense optimæ notæ* (*e*)) lætantes comiti pœnitentiam indicunt, et offensam illam dimittunt, et personas concilii cum gaudio ad propria remittunt : *atque ita S.* Bertrandus, *multa constantia gravissimis functus periculis, gregi suo redditus est. Cæterum si quis plura de universo hoc negotio cognoscere velit, adeat commentarium de repudiata a rege Philippo Berta et superducta Bertrada Andegavensi, quem D. Brial Collectioni historicorum Galliæ inseruit* (*f*).

D

S. Bertrandus *non videtur subscripsisse anno* 1105 *diplomati Lezatensi.*

71 *Neque hæc unica fuit occasio, in qua S.* Bertrando *episcopali opus fuit constantia; sed priusquam ad illam alteram calamitatem deveniamus, duo examinanda sunt instrumenta, quibus confi-*
E *ciendis adfuisse volunt Sanctum nostrum. Dionysius videlicet Sammarthanus in articulo de eo* (*g*) *meminit S.* Bertrandum *præsentem legi, quando an.* 1105, *mense Octobri, Garmundus dedit Lezatensi abbati Seguino ejusque monachis ecclesias S. Vincentii et S. Beati cum vinea. Verum hæc certo erronea sunt : imprimis anno* 1105 *Seguinus Lezatensis abbas non erat, sed ante annum* 1102 *vel vita functus erat, vel abbatiam reliquerat, quandoquidem hoc anno Geraldus II abbatiæ regimen obtinebat* (*h*), *idque tenuit, ut videtur, usque ad annum* 1105, *quo Odo II ei successit* (*i*). *Præterea non ita facile capitur quomodo Garmundus Lezatensi abbati dare potuerit has ecclesias, quæ jam pridem penes ejus monasterium erant. In diplomate enim anni* 1003 *hæc reperimus* (*k*) : Ego Sulmus... cedo vel dono ipsam ecclesiam Sancti Beati (*hinc prioratum Benedictinum et oppidulum factum* (*l*)), quæ est fundata supra ripam Garumnæ, cum omni oblatione et suis appendiciis, in termino Bavartense, in comitatu Communicensi et ecclesiam Sancti Vincentii quæ est super aliam ripam Gerumnæ, cum oblatione et suis appendiciis, totum ac integrum dono Domino Deo et Sancto Petro de Lezat,... Hugoni abbati, *etc. Postea quidem laici iniquas manus immiserunt in has Lezatensium possessiones, adeo ut Garmundus*
F *ille, qui secundum Sammarthanum dedisset an.* 1105 *Lezatensi cœnobio ecclesias SS. Beati et Vincentii, conscripserit anno* 1132 *chartam restitutionis, cujus is tenor est* (*m*) : Ego Garmundus de Sancto Beato et filii mei facimus guirpitionem et solutionem de loco Sancti Beati, et cunctis rebus jure ecclesiastico ad ipsum pertinentibus, Deo et Sanctæ Mariæ, et Sancto Stephano et Sancto Beato. Facta est et firmata hæc solutio in manu Rogerii, Convenarum episcopi, die quo translata sunt corpora SS. Beati ac Privati et dedicatum est ab eodem episcopo altare Sancti Stephani. Anno MCXXXII, epacta I, concurrente V, luna XIX, die Dominica, VI kal. Julii. *Neque hæc facile componi posse cum Sammarthani dictis nemo non dispiciet. Demum memoratum anni* 1105 *instrumentum incognitum fuit prosecutoribus Galliæ Christianæ, ut liquet ex catalogo abbatum monasterii Lezatensis* (*n*), *non secus ac historiographis Occitaniæ, Mabillonio in Annalibus sui Ordinis, et Brequigny in recensione diplomatum Galliæ.*

(*a*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 169. — (*b*) Labbe Conc., t. X, col. 722. — (*c*) Ibid., l. c. — (*d*) Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 169. — (*e*) Labbe Concil., t. X. col. 723. — (*f*) Rec. des hist. de France, t. XVI; vide imprimis a p. LXXIX ad LXXXVI. — (*g*) Gall. Christ., t. I, col. 1095. — (*h*) Ibid., t. XIII, col. 208. — (*i*) Ibid., loc. cit. — (*k*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 161. — (*l*) Ibid., t. II, p. 131. — (*m*) Ibid., t. II, probat. col. 470. — (*n*) Gall. Christ., t. XIII, col. 208 et seq.

Contra

A *Contra nihil habeo quod opponam his aliis Dionysii Sammarthani verbis* (*a*) : Garsias, episcopus Lactoratensis, cum Bertrando, Convenarum pio antistite, memoratur in vetustissimo instrumento ecclesiæ Tolosanæ, tempore Arnaldi Raimundi, præpositi ecclesiæ S. Stephani. Annus non annotatur; Arnaldus vero Raimundi præposituram capituli seu S. Stephani gessit ab anno 1093 ad 1118.

Post multifarias Pontificum Romanorum sententias

72 *Verum lis de cœmeterio Ausciensi, quam in concilio Pictavensi agitatam jam vidimus, denuo nos ad se vocat. Pictavis anno* 1100 *statutum fuerat, ut secundum jus commune ecclesia cathedralis Ausciensis cœmeterium haberet, et privilegium contrarium Papæ Urbani II, quod obtendebant monachi S. Orientii, rejectum fuerat tamquam suppositititium : et quidem anno* 1099 *post concilium Romanum canonici Auscienses coram a Papa Urbano II in perpetuum Ecclesiæ suæ obtinuerant sepulturam* (*b*). *Verum, interveniente S. Hugone Cluniacensi, cui Sant-Orientiani subditi erant, confirmavit Paschalis II anno* 1105 *privilegium concessum a Leone IX et Urbano II, statuitque* (*c*) *ut* antiqua ipsius cœmeterii constitutio nulla æmulorum quorumlibet infestatione turbetur... Proinde nec extra urbem nec
B intra Auxiensi archiepiscopo et ejus canonicis liceat novum cœmeterium instituere; sed tam archiepiscopi quam regulares aut irregulares, clerici sive laici, de quibus consuetudo hactenus fuit, sepulturæ locum apud Sant-Orientianos futuris temporibus sortiantur. *At nondum hinc nata est quies : anno enim* 1118 *litteras dedit Gelasius Papa II* (*d*), *ad Bernardum archiepiscopum Ausciensem, vetans ne de cætero monachos S. Orientii super cœmeterii negotio inquietaret. Verumtamen anno sequenti Calixtus II, jus commune tenendum esse jubens, dedit Anicii* (*e*) *privilegium derogatorium, quo Bernardi Ausciensis archiepiscopi* petitioni annuendum censuit, ut Ausciensi B. Mariæ matrici ecclesiæ. . . liberam concesserit in posterum sepulturam, et. . . decreti auctoritate statuit, ut mortuorum corpora libere deinceps apud eamdem B. Mariæ matricem sepelirentur ecclesiam.

anno 1119 *consecratur cœmeterium Auscense; in qua solemnitate S.* Bertrandus *male habetur;*

73 Privilegio accepto (*f*), præsul Auscitanus Bernardus consecrationem cimiterii indixit, et ad
C eam convocavit fratres et coepiscopos suos G. (*Gulielmum*) Bigorritanum, B. (*Bertrandum*) Convenarum, J. (*Jordanem*) Coseranеum, W. (*Willelmum*) tunc Lactorensem. Cumque peragerent consecrationis solemnia, ecce monachi S. Orientii, deposito habitu monachili, sumpto autem militari, non parva militum ac peditum manu collecta, derepente irruerunt, et ex improviso civitatem invadunt; domos ecclesiæ vicinas non satis pacifice ingredientes, tam vilia quam pretiosa violenter diripiunt, quidquid mobile reperiri potest voraciter tollunt. Demum ad ipsam venerabilem ecclesiam unanimiter confluunt et corruunt, invadere, violare ac incendere, potius quam venerari cupientes, sed et, ut ipsius rei exitus evidenter edocuit, sanguinem consecrantium ardentissime sitientes, et
* combibere ? avidissime cohibere * gestientes. *Et reapse ecclesiæ incendium tum tentatum fuisse, episcopum Bigorritanum sacris operantem sagittis fuisse petitum, et armigerum quemdam miraculo tantum a nece servatum fuisse narratur :* sed nec ista nec alia quam plurima a monachis nimis crudeliter illata gravamina impedire potuerunt, quin debito consummationis D fine clauderetur consecratio cimiterii et altaris B. Joannis-Baptistæ et B. Joannis euangelistæ.

et verisimiliter interest concilio, quod VIII *Julii Tolosæ inchoatum fuit;*

74 *Privilegium suum dederat Calixtus medio circiter mense Aprili, cum id temporis Anicii* (*g*) *esset. Exeunte vero mense Junio obtinuerit oportet relata cœmeterii consecratio : sic enim pergit anonymus Ausciensis* (*h*) : Post aliquot autem dierum curricula, generale concilium convocavit et celebravit apud Tolosam dominus Papa Calixtus. *Quod concilium die octava mensis Julii inchoatum et die sexta decima absolutum fuisse probat D. Vaissette* (*i*). *Huic concilio, in quo Aniciense privilegium confirmatum fuit, S.* Bertrandum *interfuisse verisimillimum est; Bertrandus Guidonis videlicet, citatus a Catello* (*k*) *et a Pagio* (*l*), *non secus ac præfatio conditorum canonum* (*m*), *testantur huic concilio adfuisse D. Papam Calixtum, cardinales, archiepiscopos, episcopos et abbates Provinciæ, Gothiæ, Gasconiæ, Hispaniæ et Citerioris Britanniæ : inter quos tractus locum invenit Convenensis diœcesis. Vide præterea de hoc concilio historiographos Occitaniæ* (*n*). *At tum nondum disceptationi Ausciensium finis imponi potuit; neque S.* Bertrandus
in ea componenda amplius apparet. Medio tantum sæculo XII *finita fuit hæc controversia, adhibito compromisso, quod cum reliquis videre est apud D. Brugelles* (*o*) *et in Collectione historicorum Galliæ* (*p*). E

anno circiter 1122 *cum episcopo Tolosano dedicat ecclesiam parthenonis S. Orientii,*

75 *Ultimum negotium, cui implicatus fuit Sanctus* Bertrandus, *quodque certo tempori alligant scriptores, consecratio est ecclesiæ S. Orientii. Verum investigandum est, quæ sit hæc ecclesia. Olim scilicet exstiterunt in Occitania et Gasconia plura monasteria, quibus S. Orientius, die* 1 *Maji cultus, patronus aut titularis erat. Paulo superius jam egimus de monasterio S. Orientii, quod ad portas Ausciarum erat; aliud exstabat in diœcesi Tarbensi seu Bigorrensi, et a priore distinguebatur nomine,* S. Orientius de Regula : *plura de eo Gallia Christiana* (*q*) *et Petrus de Marca in Historia Benearnensi* (*r*) *lectorem docebunt; atque hoc utrumque penes monachos erat. Tertium vero capiebat sanctimoniales et post annum* 1098 *exstructum fuit; ut liquet ex eo, quod hoc anno* Emeriæ de Albias,. . . . bonæ fœminæ,. . . . quæ crucem in spatula (*scapula*) dextra levaverat ad pergendum Jerosolymam, *donata fuerit* ecclesia S. Orientii, quæ diu destructa inter vepres deserta remanserat, *et consilium datum, ut* domum in honore Dei ut ibi pauperes Christi F reciperentur ædificaret; *cujus rei gratia, ecclesiæ alia munera adjecta sunt* (*s*). *Hæc secundum Isarni consilia acta videntur : anno saltem* 1140 *exstabat monacharum cœnobium cum S. Orientii titulo; quod unitum tum est cum parthenone, Veteri-Muro dicto, diœcesis Albiensis, Ordinis S. Benedicti* (*t*). *Sed et situs illius cœnobii inquirendus est. Porro anno* 1157, *mense Julio, in placito Morlanensi, Raymundus episcopus Tolosanus concessit circa capellanum aliquod privilegium; unde liquet hoc cœnobium in diœcesi Tolosana fuisse; et Bernardus, Convenensis comes, dedit aliquot solidos* Deo et S. Mariæ et S. Orientii monacharum, et Cæciliæ Vetuli-Muri abbatissæ et Alazais monacharum priorissæ. . . in manu Raymundi Tolosani episcopi, et Rogerii Conveniensis episcopi (*u*). *Unde Vaissette* (*v*) *deducit parthenonem in finibus agri*

(*a*) Gall. Christ., t. I, col. 1075. — (*b*) Ex Cartular. Ausciensi, Rec. des hist. de France, t. XIV, p. 321. — (*c*) Ibid., p. 322. — (*d*) Ibid., l. c. — (*e*) Ibid., l. c. — (*f*) Ibid., p. 323. — (*g*) Martene, Amplissima collect., t. I, col. 651. — (*h*) Rec. des histor. de Fr., t. XIV, p. 323. — (*i*) Hist. du Languedoc, t. II, not. XLIX, p. 634 et seq. — (*k*) Comtes de Tolose, lib. II, cap. III. — (*l*) Critic. Baron. ad annum 1119, § VII. — (*m*) Labbe Concil., t. X, col. 856 et seqq. — (*n*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 383. — (*o*) Chroniq. d'Ausch prob., part. I, p. 35. — (*p*) Rec. des hist. de Fr., t. XIV, p. 323 et seq. — (*q*) T. I, col. 1256. — (*r*) Hist. du Bearn, passim. — (*s*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 349. — (*t*) Gall. Christ., t. I, col. 82. — (*u*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 565. — (*v*) Ibid., t. II, p. 292.

Convenensis

A *Convenensis fuisse. Quocirca, cum dubium moveri nequeat, quin jam pridem ecclesiæ S. Orientii de Regula et S. Orientii Ausciensis consecratæ essent, et earum consecrationi interfuisset vel Tarbensis vel Ausciensis præsul, de ecclesia tertii cœnobii Sancti Orientii intelligenda certe sunt hæc Galliæ Christianæ de Amelio, episcopo Tolosano, verba* (*a*) : Circa id tempus, *scilicet annum* 1122, cum Bertrando episcopo Convenensi dedicavit ecclesiam S. Orientii : *cujus dedicationis instrumentum nuspiam editum invenio; verisimiliter quoniam hanc notitiam ex fragmentis historicis MSS. Claudii Estiennot excerpserunt Benedictini sodales* (*b*).

et moritur ante annum 1132, *quo Rogerius ejus successor interfuit translationi SS. Beati et Privati.*

76 *Atque hic annus* 1122 *prior terminus est spatii, in quo S.* Bertrandi *obitus claudendus est. Alter vero terminus repetendus est ex episcopatu Rogerii de Noerio, successoris S.* Bertrandi. *At varii vario anno hujus episcopatus initium affigunt : fratres Sammarthani in secunda Gallia Christiana, non secus ac Oihenartus ferunt Rogerium anno* 1130 *jam sedisse; Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tertia* (*c*) *testatur sibi non præluxisse instrumenta, quibus ejus episcopatus infra annum* 1136 *deprimatur; ejus sodales autem* (*d*)
B *includunt tempus, quo sedit, inter annos* 1136 *et* 1152. *At certum est Rogerium jam episcopum fuisse* die, *ut vidimus,* quo translata sunt corpora SS. Beati ac Privati, et dedicatum est ab eodem episcopo altare Sancti Stephani (*in loco Sancti Beati*), anno MCXXXII, epacta I, concurrente V, luna XIX, VI kalendas Julii (*e*). *Cum frustra in strictiora documenta inquisierim, neque ullam veterem traditionem apud Convenenses circa S.* Bertrandi *mortem exstitisse viderim, apud me vagari debet ejus annus emortualis intra dictum decennium. Ob grandævam tamen S.* Bertrandi *ætatem, et quoniam Vitalis, qui anno* 1167 (*vide num.* 5 *hujus Commentarii*) *jam maturus ætate erat, cognovit in sua pueritia miraculum, per merita demortui Sancti* Bertrandi *factum* (*vide Vitalem num.* 29), *impellor ad referendum nostri Sancti obitum ad priorem dicti decennii partem; et propterea pede sufficienter firmo stare sentio, quæ num.* 10 *et seqq. hujus Commentarii secundum communem sententiam statuta sunt.*

Recensentur variæ de ejus anno emortuali sententiæ.

77 *Cæterum si cui nosse placuerit quæ scriptorum hac de re sententiæ sint, paucis jam explicantur. Catellus in Historia comitum Tolosanorum* (*f*)
C *S.* Bertrandi *funera ad Alexandri III pontificatum deprimit; magis etiam a vero abludit Claudius Robertus, primæ Galliæ Christianæ scriptor, toto fere sæculo aberrans* (*g*); *Oihenartus* (*h*) *et fratres Sammarthani in secunda Gallia Christiana* (*i*) *ejus obitus tempus inter annum* 1120 *et* 1130 *vagum relinquunt; Gallia autem Christiana nova* (*k*) *et secundum eam Butler* (*l*) *malunt annum circiter* 1123 *signare, Bailletus in Vitis Sanctorum* (*m*) *et ejus asseclæ Moreri in suo Dictionario ad vocem* Bertrand, *Lastrade in Vita S.* Bertrandi (*n*) *aliique indicant annum circiter* 1126. *Vaissette vero in Historia Occitaniæ* (*o*) *sub judice litem relinquere videtur. Quod et ipsi aliquo usque fecimus, cum ad frontem hujus Commentarii annum circiter* 1125 *tamquam emortuale tempus S.* Bertrandi *signavimus.*

D

§ VI. Sepultura, canonizatio, Reliquiarum elevatio S. Bertrandi.

S. Bertrandus, *sepultus in oratorio juxta chorum B. Mariæ in templo Convenensi,*

De loco, in quo S. Bertrandus *sepultus fuit, nihil tradit Vitalis. Num.* 9 *innuit S.* Bertrandum in oratorio ante altare Beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore fundata est cathedralis ecclesia *exspirasse; unde Bailletus deduxit* eum in sua ecclesia ante altare Divæ Virginis sepultum fuisse : *quod Dionysius Sammarthanus* (*p*) *absque dubio a Bailleto mutuatus est. Vaissette* (*q*) *et Butler* (*r*) *ab utroque idem didicerunt. Equidem, cum canonicum Convenensem, alias perpetuum Bailleti sequacem, hoc loco a Bailleto discedentem videam, id non absque congrua notitia ab eo admissum fuisse, facile mihi persuadeo : quamobrem negligenda non est narratio Lastrade, asserentis* (*s*) *beatum virum* in oratorio suæ ecclesiæ, quod juxta oratorium Beatæ Virginis est, primitus fuisse sepultum. *Et quidem talis locus omnino favebat suspendendis ad tumulum S.* Bertrandi *catenis, quibus captivos plures per intercessionem hujus Sancti liberatos fuisse locuples testis est Vitalis. Quamdiu autem illic jacuerit non prorsus est certum; verumtamen prudenter asseri potest ejus corpus ex terra levatum non fuisse ante annum* 1309, *ut inferius declarabitur.*

E

fuitne canonizatus tempore Alexandri III, an tempore Clementis V?

79 *Jam si quæritur quandonam Sanctis aut Beatis adscriptus fuerit, in intricatissimam quæstionem inciditur. Bailletus id a Clemente V factum fuisse asserit; Gallia Christiana* (*t*) *id ad tempora Gulielmi III Ausciensis præsulis refert. Bailleto præiverat Proprium Sanctorum S. Genovefæ Parisiense anni* 1665; *et Propria ejusdem ecclesiæ anni* 1758 *et anni* 1765, *in aliis multis mutata, hanc sententiam servarunt. Contra Vaissette* (*u*) *et Butler Dionysio Sammarthano adstipulantur. Lastrade ex una parte, gravissimo argumento pressus; ex altera, auctoritatem Bailleti, quem ut Ecclesiæ doctorem pene habet, nimium reverens, mediam init sententiam, et sex argumentis statuere tentat S.* Bertrandum *ab Alexandro III in concilio Montispessulani beatificatum fuisse et a Clemente V canonizatum : at lector non desiderabit hæc argumenta, cum noverit primum esse auctoritatem martyrologi Saussayi; et ultimum, translationem Reliquiarum, a summo Pontifice factam, canonizationem dicendam esse* (*v*). *Meliora argumenta inquiramus, totius rei gestæ ordinem, quantum fieri potest, exponentes.*

F

Canonizatus fuit non quidem ante annum 1167,

80 *Ex titulo, præfixo S.* Bertrandi *Vitæ in editione Martenii et ecgrapho P. Gisseji, novimus ejus auctorem* Apostolicæ sedis notarium *fuisse : quo munere licet a Gulielmo III, Ausciensi præsule et apostolicæ sedis legato, vestiri potuerit, ut censet Hieronymus Faber* (*x*), *constat tamen eum hoc officio honestatum fuisse ab ipso summo Pontifice, quandoquidem in curia Romana officium suum exercuit* (*y*). *Porro vel pro hac sua dignitate, vel quoniam a suo archiepiscopo deputatus fuerat,* sanctitatem et miracula S. Bertrandi tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavit Alexandro

(*a*) T. XIII, col. 15. — (*b*) Cfr eosdem, t. XIII, col. 91. — (*c*) Ibid., t. I, col. 1095. — (*d*) Ibid., t. XIII, col. 260. — (*e*) Hist. du Languedoc, t. II, probat. col. 470 et cfr supra num. 71. — (*f*) Comtes de Tolose, p. 108. — (*g*) p. 315. — (*h*) Notit. Vascon., p. 527. — (*i*) T. II, p. 548. — (*k*) T. I, col. 1095. — (*l*) T. XIII, p. 292. Edit. Insulensis. — (*m*) T. VIII, p. 244. — (*n*) Relation de la translation, etc., p. 43. — (*o*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391. — (*p*) Gall. Christ., t. I, col. 1095. — (*q*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 391. — (*r*) Vies des Saints. Edit. Insulens. ad XV Octobris. — (*s*) Relation de la translation d'une relique, etc., p. 43. — (*t*) T. I, col. 1095. — (*u*) Hist. du Laeguedoc, t. II, p. 391. — (*v*) Cfr Lastrade, p. 52 et seqq. — (*x*) De Protonotariis, cap. I, n. 12. — (*y*) Vide ibid., cap. XIII, n. 12.

summo

A summo Pontifici viro catholico in palatio Lateranensi, in præsentia venerabilium cardinalium (*a*) : *quod præsenti tempore advocati consistorialis officium esse video apud Benedictum XIV in opere de canonizatione Sanctorum* (*b*). *Hæc autem sanctitatis et miraculorum significatio non facta fuit ante diem* VII *Septembris anni* 1159, *qua Alexander III Pontifex electus est, neque post annum* 1170, *quo Gulielmus Ausciensis III obiit, ut jam sæpe diximus : sed ab hoc spatio resecandi sunt primo tredecim dies, quos Romæ in medio tumultu non coronatus degit Alexander III; dein tempus, quod usque ad secundum sui pontificatus annum extra Romam vixit; quam in urbem reversus anno* 1161, diutius ibidem propter schismaticorum seditionem quiete non potuit remanere; *neque tum ad eum sane venit Vitalis, quoniam præter paucas civitates,* patrimonium B. Petri per Teutonicos et schismaticos *tam* violenter occupatum fuerat et detentum, *ut ipse Alexander anni finem versus* ad partes Galliæ cum fratribus suis per mare transitum faceret (*c*). *Exinde Romæ versatus non est Alexander ante diem* XXIII *Novembris anni* 1165 (*d*); *anno vero* 1167 *mense Augusto illinc denuo aufugit* (*e*), *ante an-*
B *num* 1171 *non reversurus* (*f*). *Ex quibus liquet, S.* Bertrandi *vitam et miracula Romæ explicari potuisse tantum inter* XXIII *Novembris anni* 1165 *et mensem Augustum anni* 1167 : *et quidem intra hoc spatium, ante diem* XXVII *mensis Aprilis anni* 1167 *concilium in palatio Lateranensi celebratum fuisse, adversus Baronium et Labbeum ostendit Pagius* (*g*). *Excommunicatus fuit in hoc concilio Fredericus imperator : quæ alia negotia in eo agitata fuerint, ob actorum deperditionem ignoratur; ast a nemine in dubium vocatum iri autumo, quin ad illud referenda sint citata Vitalis dicta.*

sed tamen sub pontificatu Alexandri III.

81 *Verum si ex recitatis verbis manifesto habemus, S.* Bertrandi *sanctitatem et miracula anno* 1167 *in concilio Lateranensi declarata fuisse, non tamen inde certo deducere possumus eum tunc temporis cœlitibus fuisse adscriptum; sed itidem fatendum est nullum præjudicium adversus sententiam contrariam creari ex absentia documentorum, quæ ad id negotium pertineant; cum nemo sit, qui non noverit plurima in conciliis oretenus tantum agitata et statuta fuisse : in quarum rerum numerum ipsas Sanctorum canonizationes sæpius retulerunt nostri*
C *decessores et Benedictus XIV. Præterea deperdita sunt hujus concilii acta. Utut id est, certum est S.* Bertrandum *Sanctorum albo illatum fuisse ante annum emortualem Gulielmi III Ausciensis, seu ante* 1170, *quemadmodum luculente liquet ex vetusto Necrologio monasterii Casæ-Dei, comitatus Pardiniacensis, edito ab Oihenarto* (*h*) *in hæc verba :* Guillelmus Dandozile archiepiscopus Auxitanus et sedis apostolicæ legatus, nepos S. Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis et multos adversarios pacificavit. *Unde pronum esset concludere canonizationem S.* Bertrandi *in concilio Lateranensi anni* 1167 *peractam et tum ab Alexandro III promulgatam fuisse; verumtamen fieri posset, ut Pontifex tum solummodo statuerit penitius examinandum esse id negotium, idque munus crediderit Hyacintho cardinali, qui S.* Bertrandi *meritorum declarationem ita cordi habuit, ut ejus Vitam a Vitali curavit conscribendam, et qui aliquando certe honestatus est similibus officiis; ut e dicendis liquebit.*

82 *Cum enim cardinalis ille inter annum* 1172 *et* 1174 *in Hispania legati munere fungeretur, constat tum ab eo ut Sanctum promulgatum aut beatificatum fuisse Rudesindum : et quidem cum in instrumento seu declaratione beatificationis statuatur Sancti Reliquias kalendis Septembris transferendas esse, et a pluribus ut certum admittatur, diebus dominicis tantum aut festis Reliquiarum translationes olim factas esse, in annum* 1174 *hæc beatificationis solemnitas, a plerisque anno* 1170 *certo male annexa, referenda videtur. Synopsim rei gestæ edidit Antonius de Yepez in suo chronico Benedictino, similiter Tamayus Salazarius in Martyrologio Hispanico ad diem* I *Septembris; et ex his decessores nostri ad* I *Martii* (*i*). *At Ambrosius de Morales manibus suis tractavit dictum instrumentum, et multa fide, ut ipse loquitur, nonnulla ex eo hispanica fecit. Pauca excerpemus :* Y tambien por ruegos de muchos nobles varones, por el autoridad del Papa nuestro Señor, la qual (aunque indignos) tenemos en las provincias de España, habiendo tenido sobre ello con mucha gravedad nuestro consejo, quisimos que el cuerpo del sobredicho opispo y Confessor dignissimo fuese elevado y colocado en lugar digno y eminente, y que sea venerado en la tierra como E Santo por todos los fieles Christianos. *Quod latine in instrumento authentico, in monasterio Cella-nova asservato, sic fere sonare debet :* Et similiter ad petitionem multorum nobilium virorum, ex auctoritate domini nostri Papæ, qua licet indigni gaudemus in provinciis Hispaniæ, matura hac super re deliberatione habita, voluimus ut corpus supradicti episcopi et Confessoris dignissime elevaretur et collocaretur in loco digno et eminenti, et ut omnes fideles Christiani hunc virum tamquam Sanctum venerentur in terra (*k*).

Legatus Hyacinthus, qui tempore Alexandri III S. Rudesindum beatificavit.

D

83 *Morales* (*l*) *asserit in dicto monasterio Cella-nova asservari bullam, qua Hyacinthus, factus summus Pontifex sub nomine Cœlestino III, confirmat quidquid olim circa S. Rudesindum egerat. Cum Morales hæc omnia suis viderit oculis, non est quare hic in dubium vocetur Tamayi de Salazar fides* (*m*), *cum partem hujus bullæ refert, de qua ante eum, non Morales, sed alii plures jam dixerant. Ex Tamayo itaque* (*n*) *describo sequentia Cœlestini III verba :* Igitur quia illa, quæ dum in minori gradu constituti persolvimus, in perpetuum illibata permaneant, ex supra nominatorum consilio, et ejus precibus instantibus, matura et prudenti deliberatione, nunc in montis, Deo operante, cacumine collocati, omnia per Nos tunc circa hoc facta, apostolica auctoritate firmamus, et præsentis confirmationis firmitate munimus. Nulli ergo omnino hominum, *etc. Data fuit hæc Bulla* VII *idus Octobris anni* 1195. *Verum licet ea confirmatio sit rei jam pridem gestæ, censet tamen Morales loc. cit.* (*mitto Benedictum XIV* (*o*), *aliosque qui ex opere nostro synopsim tantum actorum Hyacinthi legati novisse videntur,*) *S. Rudesindum beatificatum fuisse ab Hyacintho cardinali, et ab eodem, Pontifice facto, esse canonizatum : quæ sententia admittenda est, quoniam secus probatissima de canonizatione Sanctorum doctrina, passim in omnium laudatissimo suo opere explicata a Benedicto XIV, rejicienda esset.*

et Pontifex factus hæc sua gesta confirmavit.

F

84 *Egregius enim hic scriptor, discutiens quæstionem an legatus canonizare aut beatificare valeat,*

forte idem egit erga S. Bertrandum.

(*a*) Cfr Vitam, n. 29. — (*b*) Lib. I, cap. XXI, n. 9. — (*c*) Ex Vit. Alexandri III ap. Baronium in Annal. ad annum 1191, § V. — (*d*) Novaes, Elementa Hist. Pontific., t. III, p. 99. — (*e*) Ibid., p. 100. — (*f*) Ibid., p. 102. — (*g*) Critic. Baron. ad annum 1168, § LIII. — (*h*) Notit. utriusq. Vasconiæ, p. 453. — (*i*) T. I Martii, p. 118. — (*k*) Morales, Coron. gener., lib. XVI, cap. XXXVII, n. 7, t. VIII, p. 288. — (*l*) Ibid., loc. cit. — (*m*) Benedict. XIV, de Canonizat. SS., lib. I, cap. IX, n. 7. — (*n*) Martyrol. Hispan., t. II, p. 40 et seq. — (*o*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XX, n. 19.

A *aperte negat* (*a*), *Barbosæ, Lezanæ, Castellino, Centelorio et Maltæ suffragans,* legatum de latere suæ legationis auctoritate ad actum beatificationis aut canonizationis devenire posse; *neque hic videntur probati scriptores dissentire. Cum vero quæritur an possit in forma commissaria : eum hac forma beatificare posse statuit laudatissimus scriptor; at refragari videtur sententiæ eorum, qui autumant eum etiam canonizare posse; et alibi* (*b*) *quidem vehementer impugnat eos, qui, congestis exemplis, sentiunt aliquando definitionem canonizationis a Romanis Pontificibus aliis delegatam fuisse. Verum cum ex his exemplis certo eruatur promulgationem saltem beatificationis, aut ipsam beatificationem delegatis nonnumquam concreditam fuisse, quid mirum si similis potestas Hyacintho, viro ob suam prudentiam notissimo, data fuisset erga S. Rudesindum? Neque aliquid obstare videtur, quin Hyacinthus similiter egerit erga S.* Bertrandum, *cum toties in Galliam venerit, legati munere fungens, dummodo id inter annum* 1167, *quo celebratum est Latéranense concilium et annum* 1170, *quo obiit Gulielmus III Ausciensis præsul, adimpleverit. Quamobrem sub judice relinquimus, sitne S.* Bertrandus *a cardinali*
B *Hyacintho in forma commissaria beatificatus, priusquam ab Alexandro III canonizatus fuerit.*

S. Bertrandi *corpus tum e terra elatum non fuit; sed nomen jam tum civitati Convenis datum est;*

85 *His itaque in ambiguo relictis, affirmare posse videmur corpus ejus ex terra tum elatum non fuisse : quod nemini mirum accidere debet, cum corporis elevatio sæculis* XI *et* XII *non semper canonizationem comitata sit. Unum specimen attulisse satis erit : in Commentario de S. Henrico II, imperatore et rege Germaniæ, ostenderunt decessores nostri* (*c*) *bullam canonizationis anno* 1145 *ab Eugenio III datam fuisse; sed elevationem ejus corporis duobus tantum annis post obtigisse, iidem inferius probant* (*d*). *Quocirca, cum in S.* Bertrando *facile quoque obtinere potuerit, ut ejus elevatio aliquandiu dilata fuerit, atque interea, anno scilicet* 1170, *Ausciensis archiepiscopus, totius negotii strenuus promotor, diem supremum obierit, facile intelligitur quo pacto S.* Bertrandi *corpus plures quam centum septuaginta annos humatum manserit. Intra hoc vero temporis intervallum duo nobis occurrunt testimonia, quibus constat jam tum novas Convenas* Urbem Sancti Bertrandi *dictas fuisse, et canonici Convenenses nuncupatos esse* canonicos Sancti Bertrandi; *quod idem sonat ac canonicos oppidi, non*
C *vero ecclesiæ S.* Bertrandi, *cum ecclesia B. Mariam patronam titularem habeat. In miraculo enim, de quo Vitalis num.* 41, *quodque post annum* 1170 *accidisse num.* 4 *hujus Commentarii ostendimus, dicuntur* vir et mater sua... ad urbem S. Bertrandi *devenisse; in instrumento vero de exsecutione testamenti Arnaldi Rogerii, episcopi Convenensis, quod circa annum* 1180 *scriptum fuit, dicuntur* CANONICI S. BERTRANDI habuisse valorem tria millia solidorum Morlanensium (*e*). *Quæ testimonia quoque probant S.* Bertrandum *jam ante suam elevationem cultum fuisse.*

elevatum vero fuit corpus a Clemente V anno 1309;

86 *Porro hæc elevatio facta est* XVII *kalendas Februarii anno quarto pontificatus Clementis V. Bernardus Guidonis in Vita Clementis V sic de hac solemnitate loquitur* (*f*) : Eodemque anno (1308) circa finem præcedentis mensis Augusti, Clemens Papa cum curia sua recesserat de Pictavis; transivitque per Burdegalam, et Agenesium et Tolosam; fuitque Tolosæ in festo Natalis Domini usque ad Epiphaniam. Recedensque de Tolosa, declinavit ad sedem Sancti Bertrandi Confessoris diœcesis, quæ dicitur Convenarum; ubi in festo Beati Marcelli D Papæ, scilicet XVII kalendas Februarii, corpus sacrum Sancti Bertrandi episcopi et Confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine et successor in sede, de loco, in quo prius erat, in capsam transtulit preciosam, quam ad hoc idem Papa fecerat suis sumptibus fabricari. Magnam quoque concessit indulgentiam visitantibus ibidem sacras Confessoris Reliquias annuatim. *Non dissimilia refert Amalricus Augerii de Biterris in hujus Pontificis Vita, a Baluzio quoque edita :* Item, *inquit,* quod postea anno Domini millesimo trecentesimo octavo idem Clemens... apud Tolosam venit. Et ibi in festo Nativitatis Domini remansit usque ad Epiphaniam. In quo festo ipse in civitate Convenarum supervenit, in cujus ecclesia cathedrali corpus Sancti Bertrandi Confessoris transtulit, et in quadam capsa auri et argenti, et cum lapidibus pretiosis miro modo de novo facta, per eum ipsum sanctum corpus cum summa devotione et solemnitate reposuit ad Dei gloriam et honorem.

deditque Pontifex litteras,

87 *Exstant præterea litteræ apostolicæ Clemen-*
tis V, hujus elevationis aut translationis fidem fa-
cientes : has invenit Raynaldus in libro VI *epistola-*
E *rum hujus Pontificis, quemadmodum ipse in Ecclesiæ Annalibus* (*g*) *profitetur; earumque autographum aut saltem apographum servabatur olim quoque in archivio Convenensi, ut ex his verbis, a Lastrade* (*h*) *recitatis, colligo :* Hanc igitur civitatem Beatus Bertrandus gloriosus Christi Confessor olim episcopus Convenarum se pennis virtutum erigens post præsentium cursum dierum lætus ingredi meruit; *quæ verba ex ipsis Clementis litteris se hausisse testatur Lastrade, ea certe non describens ex Raynaldo, qui pro more suo partem tantum litterarum edidit, omittens S.* Bertrandi *laudes, apostolicis litteris insertas; quod ipse nos docet, cum ait Bernardi Guidonis narrationem* confirmari literis apostolicis, quibus sancti præsulis encomia celebrantur; religiosam vero pompam, qua sacra lipsana transtulit, describi a Pontifice *his verbis :*

quarum fragmentum recitatur;

88 Clemens, *etc.*... Cupientes eumdem Sanctum, quem dominantium Dominus honoris prærogativa sublimavit in cœlis, debita in terris honorificentia venerari, sacratissimum corpus ejus de infimo ad locum celebrem et solemnem in ecclesia vestra paratum, venerab. fratre Nicolao episcopo Ostiensi, et dilectis filiis nostris Berengario tit. F SS. Nerei et Achillei presbytero, Landulfo S. Angeli, Raimundo S. Mariæ novæ, et Arnaldo S. Mariæ in porticu diaconis Cardinalibus, necnon venerabilibus fratribus nostris Rothomagensi (*Bernardo*) et Auxitano (*Amanevo II*) archiepiscopis, ac Tolosano (*Graillardo*), Albiensi (*Bertrando II*), Magolonensi (*Petro III*), Adurensi (*Martino II vel Bernardo*), Tarivensi (*sane Tarbensis episcopus intelligitur; erat is Geraldus*), et Convenarum (*Bosone*) episcopis nobis adstantibus, ac præsentibus dilectis filiis... (*Augerio de Monte-alto*) de Cimorra,... (*Arnaldo II Novelli*) de Fonte-frigido,... (*Augerio II vel Rogerio I*) de Scala-Dei,... (*Ar. Raimundi, vel Gulielmo VII*) de Bono-fonte, et... (*Arnaldo II*) de Benedictione-Dei monachorum abbatibus S. Benedicti et Cisterciensis Ordinum, Auxitanæ, Narbonensis, Tarivensis, et Convenarum diœcesum ac aliorum fidelium multitudine copiosa, XVII kal. Februarii cum debita reverentia et honore propriis manibus duximus transferendum, *etc.* Datum Convenis XVII prædictarum kal. Februarii

(*a*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XI, n. 4.—(*b*) Lib. I, cap. XLIV, numm. 7, 10 et seqq. — (*c*) T. III Julii, p. 715. — (*d*) Ibid., p. 716. — (*e*) Gall. Christ., t. I, instrum. p. 177. — (*f*) Vit. Papar. Avenion. Baluzii, t. I, col. 69. — (*g*) Ad annum 1309, § II. — (*h*) Relation de la translation, etc., p. 63.

anno

A anno quarto. *Nomina abbatum in his litteris sane expressa erant; non item nomina episcoporum; abbatum etiam nomina omisit Raynaldus, addito tamen omissionis signo : ea supplevi ex tomis I, VI et XIII Galliæ Christianæ.*

sed minime S. Bertrandum canonizavit.

89 *Quis porro crediderit ex recitatis tabulis deductum fuisse S.* Bertrandum *a Clemente V die* XVI *Januarii anni* 1309 *esse canonizatum? Verba Bernardi Guidonis et Augerii de Biterris id sane non innuunt; hi scilicet cum de canonizatione S. Petri Cœlestini seu Petri de Murrone, a Clemente V inter Sanctos relati, sermonem instituunt, prorsus alio modo loquuntur; en verba Augerii* (*a*) : Item quod postea anno a nativitate Domini MCCCXIII quinta die Maji apud Avenionem frater Petrus de Morono, quondam Cœlestinus Papa V, per dictum Clementem Papam solemniter exstitit coronatus atque canonizatus, et sub Sancti Petri nomine catalogo aliorum Sanctorum Confessorum fuit aggregatus, *etc. Verba Bernardi Guidonis* (*b*), *æque clara atque manifesta sunt. Prætereа ex sex Clementis biographis, quorum opuscula Baluzius edidit, unus anonymus Venetus, rebus politicis enarrandis fere occupatus, Sancti Petri Cœlestini canonizationis*

B *non meminit; at quatuor ex hoc senario mentionem non fecere de honore S.* Bertrando *collato : cujus silentii causa absque dubio in eo latet, quod minime canonizatio, sed mera translatio erat. Similia fere mihi dicenda sunt de litteris Clementis V : bene scilicet nota est forma bullarum canonizationum, quæ circa hoc tempus a summis Pontificibus editæ sunt; quin etiam sæpius fuit impressa bulla canonizationis S. Petri Cœlestini* (*c*); *quæ sola canonizatio Clementi V adscribitur : ast hæc bulla toto cælo diversa est a supra recitatis litteris apostolicis. Et quidem frustra quis opponeret non integras nobis adesse has litteras; responsum quippe in promptu est : modum, quo Lastrade* (*d*), *de his litteris sermonem instituit, satis superque indicare, in eis de sola translatione agi; quod si Lastrade non sufficientem fidem faciat, præsto est Ordoricus Raynaldus* (*e*), *qui in ea merum testimonium de translatis Reliquiis vidit.*

§ VII. Inquiritur in indulgentias Clementi V summo Pontifici attributas, potissimum in indulgentiam ad instar jubilæi; de tribus festivitatibus S. Bertrandi.

C

Indulgentia, quæ Convenis singulo fere sexennio lucranda est,

J*am pridem Convenis indulgentia in forma jubilæi lucranda proponitur in S.* Bertrandi *honorem, quotiescumque festum Inventionis Sanctæ Crucis in feriam sextam incidit; ad quam solemnitatem tantus fuit atque etiamnum est concursus, ut Bruzen de La Martinière in Dictionario suo geographico-historico ex authenticis instrumentis narret præ turba homines illic suffocatos fuisse, et semel confessarium præ pœnitentium multitudine a summo saxo in præcipitium fuisse propulsum; quod ex dicendis fidem sibi acquiret. Prætereа Lastrade* (*f*), *qui capite* IX *Vitæ S.* Bertrandi *de hac indulgentia tractat, ejus institutionem Clementi V, Sancti* Bertrandi *Reliquias transferenti, adscribit; atque idem ab aliis fieri video; quin etiam hæc indulgentia* in forma jubilæi *apud La Martinière, Lastrade aliosque cum mero* jubilæi *nomine mihi occurrit, licet* indulgentia ad instar jubilæi, vel in forma jubilæi nihil aliud importat quam plenariam pœnarum remissionem, non vero specialia jubilæi ordinarii vel extraordinarii privilegia, nisi hæc diserte exprimantur in diplomate (*g*). *Præsentem vero indulgentiam in illo casu versari ex eo colligitur, quod in ordinationibus illustrissimi archiepiscopi Tolosani pro indulgentia, anno* 1833 *et anno* 1839 *lucranda, jejunia, eleemosynæ, etc., non præscribuntur; quæ tamen jubilæum comitari solere scribit theologus Gallus Colletus* (*h*). *Præterea sacerdotibus non fit in hac celebritate Convenensi potestas solvendi a votis aut eadem commutandi. Interdum tamen brevitatis causa indulgentiam ad jubilæi instar jubilæum nuncupabimus.*

D

non concessa fuit in forma jubilæi a Clemente V;

91 *Jam vero nisi quis malit Benedictum XIV, doctissimum sacræ antiquitatis indagatorem, erroris arguere,* (*quod absit*), *statuendum est* indulgentiam plenariam in forma jubilæi vel ad instar jubilæi a Clemente V concessam non fuisse *Convenensibus aliisve. In Synodo enim diœcesana sic loquitur* (*i*) : Clemens VI, qui Pontifex creatus est anno 1342, primus fuit, qui Annum Sanctum a centenario ad quinquagenarium annorum curriculum contrahens, in ipsa indulgentiæ concessione usurpavit hoc verbum JUBILÆUM. Itaque, si aliqua proferatur indulgentiæ concessio inscriptam habens hanc JUBILÆI denominationem, eaque enuntiatum tempus antevertat, poterit utique prudens episcopus dubiam illam suspectamque merito habere. *Neque quidquam officit adversus hæc Benedicti XIV dicta, quod S. Bernardus jam pridem ante Clementis VI tempora in epistola ad cruce signatos* (*k*) *applicuerit indulgentiæ plenariæ vocabulum* jubilæus, *cum id tantum tropologice seu per allusionem fecerit, ut liquet ex ipsis ejus verbis :* Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino, et vere jubilæus. *Quæ S. Bernardi allusio ita quidem placere potuit, ut apud concionatores in communem abierit usum, et demum speciei cuidam indulgentiarum adhæserit; ast dici propterea nequit has ipsas indulgentias* jubilæum *dictas fuisse ante medium sæculum* XIV. *Quocirca, cum terminus comparationis ante ipsam comparationem necessario exsistere atque cognosci debeat, recte concludit Cl. v. Binterim* (*l*) *ante Clementem VI exsistere non posse indulgentias plenarias* in forma jubilæi *vel* ad instar jubilæi.

E

F

unde ad eum non pertinet forma quædam absolutionis, ejus nomen præferens.

92 *Quamobrem ad tempora Clementis V revocari non potest absolutionis quædam forma, quam huic pontifici tribuit P. Possinus in annotatis ad Vitam S.* Bertrandi : *operæ pretium est eam cognovisse :* Absolutio anni JUBILEI ecclesiæ civitatis Convenarum a domino domino Papa Clemente V edicta. Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis te absolvat et ego auctoritate ipsius et auctoritate domini nostri Clementis Papæ quinti, vicem gerens, necnon et Apostolorum Petri et Pauli, mihi in hac parte commissa et tibi concessa, absolvo te ab omni sententia excommunicationis majoris et minoris et ab omni irregularitate, sus-

(*a*) Baluze Vitæ PP. Avenion., t. I, col. 109.—(*b*) Ibid., col. 78. — (*c*) Vide Codic. Canonizat., p. 117. Edit. Rom. ann. 1729. — (*d*) Relation de la translation, p. 52 et seqq. — (*e*) Annal. Eccles. ad annum 1309, § II. — (*f*) p. 153. — (*g*) Cfr Collet de indulg., cap. I, n. 10, juxta Suarez, disp. 50, sect. IV, n. 8, et Theodor. a Spiritu Sancto, Tract. Histor. de Jubil., cap. I, § III, n. 10. — (*h*) De Jubil., cap. I, n. 3, juxta Suarez, Navarrum, Vivam. Cfr Benedictum XIV, de Synodo diœcesana, lib. XIII, cap. XVIII, n. 9. —(*i*) Lib. XIII, cap. XVIII, n. 9.—(*k*) Epist. CCCLXIII. Edit. Mabill., t. I, col. 329, n. 4. — (*l*) Denkwürdigk. der katol. Kirche, t. V, part. III, p. 500.

pensione

A pensione et interdicto, restituendo te in unitate sanctæ matris Ecclesiæ, et singulis peccatis tuis, sedi apostolicæ specialiter et generaliter reservatis, juxta tenorem literarum anni JUBILEI, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt : in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Argumenta, quibus probant indulgentiam tamen plenariam a Clemente V Convenensibus concessam;

93 *At si Clemens V Convenensibus non concessit indulgentiam plenariam* in forma *vel* ad instar jubilæi, *seu* juxta tenorem literarum anni jubilæi, *fatendum est inde non sequi nullas plenarias indulgentias ab eo concessas fuisse; quam alteram quæstionem ita examinare placet, ut ex una parte argumenta faventia proponamus, ex altera vero argumenta adversa, et cæterum ipsi lectori omne relinquamus judicium. Habemus itaque primo testimonium Bernardi Guidonis affirmantis a Clemente V, transferente S.* Bertrandi *Reliquias,* magnam quoque concessam *fuisse* indulgentiam visitantibus ibidem sacras Confessoris Reliquias annuatim. (*Cfr. n.* 86 *hujus Commentarii.*) *Præsto est secundo episcopi Convenensis mandatum, in annum* 1591 *ad diœcesanos suos datum; quod cum nullum antiquius exstare asserat P. Possinus, hic ex ejus ecgrapho excudendum curamus :* Urbanus Sangelasius, Dei
B ac sanctæ sedis apostolicæ gratia Convenarum episcopus, et capitulum ecclesiæ cathedralis Convenarum universis et singulis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Notum facimus tenoreque præsentium attestamur, quod in ecclesia prædicta Convenarum proximo ac sequenti mense Maji, secunda videlicet ac tertia ejusdem mensis diebus, a primis Vesperis secundæ diei, qua die festum celebrabitur Beati Bertrandi, ipsius ecclesiæ patroni, usque ad secundas Vesperas inclusive tertiæ diei, qua die, quæ erit Veneris, festum Inventionis Sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi solemniter agitur, ob memoriam et honorem Passionis ejusdem, qui in ara Crucis die Veneris passus est, erit indultum generale, quod a sanctissimo domino Clemente Papa quinto, Bertrandus antea vocato, cum in illa ecclesia tunc personaliter interesset, et cujus ecclesiæ, cum in minoribus agebat, episcopus, atque deinde archiepiscopus Burdegalensis fuerat, quoties Sanctæ Crucis inventio die Veneris occurrerit, cum plenaria omnium peccatorum remissione concessum extitit, atque per sanctissimos dominos nostros dominos Papas hactenus confirmatum, quibus diebus, vel
C eorum altero, omnes et singuli dictam ecclesiam visitantes, vere confessi et contriti, plenariam omnium suorum peccatorum remissionem et absolutionem cum pluribus aliis indulgentiis reportabunt et consequentur, prout huc usque quoties festum Inventionis Crucis Dominicæ in die Veneris occurrit factum et usitatum in dicta ecclesia Sancti Bertrandi Convenarum extitit. Datum Convenis die prima mensis Martii, anno Domini MDXCI. *Hæc latine; gallice dein paucis indicabatur initium et finis ejusdem celebritatis.*

similes indulgentiæ Compostellæ, Anicii, in Monte Majore, et Lugduni obtinendæ.

94 *Tertio, forma Convenensium indulgentiarum, quæ a festorum in certos dies incidentia pendent, quibusdam forte non ita extraordinaria videbitur, cum Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi festum in diem Dominicam incidit, jubilæus* (*a*), *seu ut alii volunt* (*b*), *indulgentia, quam quidam ad Callixti II tempora referunt* (*c*), *ad jubilæi instar celebretur, et similis indulgentia Anicii* (le Puy) *obtineat, quotiescumque festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis cum feria* VI *hebdomadis* D *sanctæ concurrit; quam quidem P. Gissejus* (*d*) *testetur circa annum* 1418 *dictam fuisse ante hominum memoriam exstitisse. Præterea de indulgentia Sancti Petri Montis Majoris, quam Du Port* (*e*) *anno* 1690 *scribens jubilæum appellat, certum documentum nobis exhibet Vita prima Innocentii Papæ VI* (*f*) : Eodem tempore (*anno* 1353), *inquit auctor anonymus,* fuit magnus concursus populorum peregre venientium ad monasterium Sancti Petri Montis Majoris diœcesis Arelatensis, ubi esse dicebatur indulgentia magna, immo secundum aliquos plenaria. Est autem talis indulgentia anno illo, quo festum Inventionis sanctæ Crucis occurrit feria sexta, quemadmodum fuit anno prædicto. *Insuper Convenensis canonicus Lastrade in sæpe citato opusculo de S.* Bertrando, *ut speciatim Clementis Papæ V liberalitatem probet, adducit in testimonium indulgentiam jubilarem Lugdunensem, quam Clemens V in coronationis suæ memoriam concessisset lucrandam in templo S. Joannis Lugdunensi, quotiescumque festum Corporis Christi concurreret cum festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ : quam liberalitatem quoque probatam volunt ex indulgentiis,* E *quas ecclesiæ Burdigalensi, in qua aliquando clericus et archiepiscopus fuerat, dignatus est elargiri. Alia argumenta faventia nuspiam potui reperire. Quocirca locus jam est, ut rationes, quæ contrarium suadent, proponantur.*

Argumenta contraria : parcimonia PP. in concedendis indulgentiis.

95 *Prima est gravissimorum scriptorum auctoritas : Benedictus scilicet XIV, laudans plurimum et contrahens Commentarium Beati Ludovici Thomasii Cardinalis de concessione indulgentiarum, in hæc loquitur verba* (*g*) : Denique Venerabilis Cardinalis Thomasius in præcitato Commentario, postquam innuit, omnium primam indulgentiam plenariam, uti superius relatum est, eam esse, quam Urbanus II euntibus ad recuperationem Terræ Sanctæ largitus est, quamque illius exemplo confirmarunt et innovarunt Callixtus II, Eugenius III, Clemens III et Innocentius III, dum eadem urgebat ratio Terræ Sanctæ ex hostium manibus redimendæ; addit, se nullum aliud exinde reperisse exemplum indulgentiæ plenariæ ante eam, quam primo Anno Sancto indixit Bonifacius VIII; silentio transmittens indulgentiam Portiunculæ ex eo fortasse, quod ipsa quasi immediate a Christo Domino concessa fuerit. *Unde, cum Annus Sanctus, a Bonifacio VIII indictus, anno* 1300 *cucurrerit, et* F *Clemens V anno* 1309 *S.* Bertrandi *Reliquias transtulerit, nemo non mirabitur indulgentiarum plenarum usum brevi tempore ita communem factum esse, ut Pontifex novennio post concesserit singulis fere sex annis lucrandam indulgentiam, vix dissimilem ab indulgentia centenaria Anni Sancti.*

etiam in canonizationibus Sanctorum;

96 *Secundo, non dubito quin multi pristinæ Convenensium opinioni, stipati a Benedicto XIV, Beato Ludovico Thomasio et Papebrochio nostro, harum rerum primo fere indagatore, oppositurisint,* quanta moderatione, *ut loquitur Benedictus XIV* (*h*), usi sint Romani Pontifices in indulgentiis concedendis, quas scilicet paucorum plerumque annorum concedere solebant. *Et quidem Papebrochius* (*i*) *colligens indulgentias, non in translatione Reliquiarum, sed in ipsa canonizatione Sanctorum concessas, reperit Honorium III anno* 1225 *viginti dies concessisse in honorem S. Laurentii Dublinensis; Gregorium IX anno* 1233 *an-*

(*a*) Ferraris Biblioth. canon. ad v. Jubilæum, n. 5.—(*b*) Theod. a Spiritu S. qui jubilæum ordinar. et extraord. tantum admittit. De Jubilæo, p. 6. — (*c*) Cfr Papebrochium in Propylæo Maji, paralipom., p. 69. — (*d*) Hist. de N. D. de Puy, p. 536. — (*e*) Hist. de l'Eglise d'Arles, p. 395. — (*f*) Baluze, Vit. PP. Avenion., t. I, col. 322 et seq. — (*g*) De Synodo diœcesana, lib. XIII, cap. XVIII, n. 8, p. 166. Edit. Venet. — (*h*) Ibid., loc. cit. — (*i*) Propyl. Maji, dissert. XX, n. 9.

num

A *num unum in honorem S. Antonii de Padua, anno* 1234 *item annum unum in honorem S. Dominici, et anno* 1235 *annum unum et* 40 *dies in honorem S. Elisabeth; Innocentium IV anno* 1253 40 *dies in honorem S. Petri Martyris; Clementem IV dies* 100 *in honorem S. Hedwigis, Callixtum III in litteris de S. Vincentii Ferrerii canonizatione, a Pio II expeditis, anno* 1458 *septem annos et totidem quadragenas; quibus Sixtus IV in canonizatione S. Bonaventuræ anno* 1472 *adjecit* Dominicis singulis per annum dies centum. *Hic sisto, quoniam Benedictus XIV, hæc eadem probans* (*a*), *ostendit, præter annuam indulgentiam* 40 *annorum totidemque quadragenarum, in ipsa canonizatione Sancti Francisci de Paula indulgentiam plenariam concessam fuisse. Ad Vitam Sixti IV* (*b*) *denuo comprobat Papebrochius parcimoniam Romanorum Pontificum in concedendis indulgentiis, atque ex hoc capite aliquas Parisienses inter fabulas ablegat.*

ipsum testimonium Bernardi Guidonis collatum cum indulgentiis a Clemente V Burdigalensibus concessis;

97 *Tertio, testimonium Bernardi Guidonis, num.* 86 *et* 93 *recitatum nedum favet, nocet plurimum Convenensium sententiæ : nam primo, loquitur Bernardus de indulgentia annua, dum indulgentia jubilaris Convenensis singulo circiter sexennio occurrit; secundo, indulgentia, quam novit Bernardus,* B *die anniversaria translationis Reliquiarum lucranda erat,* (*in hujus quippe celebritatis memoriam illam concessam fuisse clare liquet,*) *indulgentia autem in forma jubilæi alio omnino tempore et in adjunctis, quæ ad hanc translationem non pertinent, celebratur : et quidem si duplicem indulgentiam concessisset Papa Clemens V, proclivius erat, ut Bernardus hujus extraordinariæ potius quam illius usitatioris meminisset. Demum, si* annua *et* magna *indulgentia, a Clemente Convenensibus concessa, similis esset indulgentiæ Burdigalensi, valde benigne cum illis actum videretur. Legimus scilicet in Annalibus Ecclesiasticis, continuatis a Raynaldo* (*c*), *Clementem V* XII (*d*) *aut* XIII (*e*) *kal. Februarii anno* 1308 *varia privilegia Burdigalensi S. Andreæ ecclesiæ elargitum esse :* atque imprimis, *ait,* translationis Reliquiarum ejusdem Apostoli festum diem celebraturis nono Maji, ac diebus proxime secuturis lustrantibus eam basilicam nonnulla indulgentiarum præmia contulit, cum pretiosissimis Sanctorum lipsanis exornata esset : « Considerantes, » inquit, quod eadem Burdigalensis ecclesia in » honore Beati Andreæ Apostoli gloriosi construC » cta, metropolitana insignis existit, et alias multæ » coruscat privilegio dignitatis; quodque in ea de » ipsius Apostoli sacratissimo corpore et aliorum » plurimorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virginum venerabiles Reliquiæ, quæ multa » sunt veneratione colendæ a cunctis fidelibus, » requiescunt, » etc. *Alteram partem hujus bullæ, unde devotus Clementis animus erga hanc ecclesiam imprimis patet, edidit Baluzius* (*f*) *in hæc verba :* Hæc est enim ecclesia, quæ a juventutis nostræ primordiis suis deliciis nos educavit ut filium more matris. Hujusmodi quidem dulcedinis ubera suximus. Ipsa nos fovit in virum; et tandem nos in suum pastorem assumens, gradum se nostris subjecit ascensibus, per quem ascendimus solium apostolicæ dignitatis. *Quæ vero indulgentia per hanc bullam concessa fuerit, neque Raynaldus, neque Baluzius indicant, excerpta tantum harum litterarum recitantes; quamobrem ex alia bulla, kal. Julii ejusdem anni Pictavis data, et Galliæ Christianæ inserta* (*g*), *id colligimus :* Nuper, *ait Clemens V,* si- quidem accedentibus ad eamdem ecclesiam (*cathe-* D *dralem Burdigalensem*) in die translationis B. Andreæ Apostoli, in cujus honore eadem ecclesia est constructa, quatuordecim annos et quatuordecim quadragenas, et qui per viginti dies ante, et viginti dies translationem eamdem sequentes immediate, venerabiliter visitaverint, diebus singulis, quibus infra hujusmodi tempus causa devotionis accederent ad eamdem, septem annos et septem quadragenas indulgentiæ duximus concedendos, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem speremus, quod ratione hujusmodi indulgentiæ confluat ad eamdem ecclesiam de diversis mundi partibus fidelium multitudo : nos fidelibus ipsis in his, quæ spectant ad animarum salutem, salubriter consulere cupientes, ut eis magis existat hujusmodi indulgentia fructuosa, apostolica auctoritate statuimus, quod temporibus dictæ indulgentiæ sex pœnitentiarii, si tot archiepiscopo Burdigalensi, qui nunc est et pro tempore fuerit, necessarii videbuntur, ad hoc idonei assumendi de eadem ecclesia vel etiam aliunde per ipsum archiepiscopum, perpetuis futuris temporibus in ecclesia prædicta existant, *etc. Atque hanc tantum,* annuam *quidem et* magnam *pro tempore,* E (*ut liquet ex his, quæ num.* 96 *indicavimus,*) *non tamen plenariam, concessit Clemens V indulgentiam in gratiam ecclesiæ, pretiosissimis exornatæ Reliquiis, quam filiali ut matrem diligebat amore, cujus archiepiscopus fuerat et quam privilegiis* (*h*) *maxime insignibus condecorare studebat. Quamobrem fateor me non audere damnare eos, qui de simili indulgentia Bernardi Guidonis testimonium interpretarentur, seu non crederent a Clemente V ecclesiæ Convenensi, ubi episcopus sederat, plura collata fuisse in translatione Reliquiarum cognominis sui decessoris* Bertrandi, *quam dilectissimæ Burdigalensi ecclesiæ in memoriam translationis S. Andreæ, Christi Jesu Apostoli.*

ipsa bulla Clementis V de translatione S. Bertrandi; *et recentior Convenensium traditio;*

98 *Et quidem quarto, ex Commentariis, Tolosa ad nos transmissis, habemus,* præter indulgentiam plenariam, in ecclesia Convenensi alias indulgentias partiales lucrandas esse tribus præcipuis festivitatibus S. Bertrandi, ex concessione Clementis V per bullam, datam Convenis die XVI Januarii an. 1309, et ex confirmatione Joannis XXII per bullam datam Avenione die XVI Januarii anni 1316 et Leonis X per bullam datam Florentiæ die V Februarii anni 1515 : *ubi animadvertendum est bullam Clementis V,* F *hic laudatam, eamdem esse ac litteras apostolicas de translatione, quas supra num.* 88 *partim tantum recitare potuimus ex Raynaldo; quæ identitas ex temporis adscriptione liquet, cum* XVII *kal. Februarii et dies* XVI *Januarii duplex nota unius diei sit. Quinto, non valde antiqua videtur Convenensium traditio, quandoquidem nullum documentum, anno* 1591 *antiquius, profertur, ut num.* 93 *vidimus.*

observatio in similes indulgentias, potissimum Lugdunensem :

99 *Sexto, indulgentiæ Compostellana, Aniciensis, Montis Majoris et Lugdunensis, similes Convenensi, conferrent quidem plurimum ad fidem conciliandam hujus antiquitati, si certo de sua ipsarum constaret origine. Nam, ut imiter decessores nostros, qui nihil de vetustate jubilæi Compostellani in Commentario de S. Jacobo ad diem* XXV *Julii dixerunt,* (*maxime varia enim est in hoc argumento scriptorum sententia*); *liquet testimonium, allatum a P. Gissejo de jubilæo Aniciensi, quo is ante hominum memoriam exstitisse anno* 1418 *dicebatur, non multum stringere, cum sæpius hæc locutio sensu valde vago et*

(*a*) De Canoniz. SS., lib. I, cap. XXXVI, § V, n. 9. — (*b*) Propyl. Maji, p. 136*. — (*c*) Ad annum 1308, § XXXIX. — (*d*) Ibid., loc. cit. — (*e*) Baluz. Vit. PP. Avenion., t. I, col. 222. — (*f*) Ibid., loc. cit. — (*g*) T. II, Instrum., col. 266 et seq. — (*h*) Vide ea in Gall. Christ., t. II, col. 831 et seq. et Instrum. col. 262 et seqq.

A *incerto usurpetur. Quod vero ad jubilæum Lugdunensem spectat, ex quo potissimum Lastrade indulgentiam Convenensem propugnat, plura notanda videntur. Imprimis, si Clemens V eum concessisset ob suam coronationem, ut vult Lastrade; ecclesiæ S. Justi, in qua hæc celebritas contigit, non vero ecclesiæ S. Joannis hoc privilegium dedisset; dein in dissertatione P. de Montauzan de hoc jubilæo, inserta Commentariis Trivultianis* (*a*), *ne mentio quidem fit de Clemente V; sed totus in eo laborat dissertator, ut hujus jubilæi originem repetat vel a Martino V vel Nicolao V; et quidem nihil antiquius de eo cognoscitur, quam quod anno* 1451 *celebratus fuit. Verum cum hoc anno jubilæus quoque in Polonia, Austria, Saxonia, Thuringia, Westphalia, tractu Ruremundensi in Belgio, Lithuania, Sicilia, Castella et Legione, per extensionem Anni Sancti* 1450 (*b*), *lucrandus propositus fuerit, subibit in plurimorum mentem, diem* XXIV *Junii, quo festum S. Joannis patroni et Corporis Christi celeberrime apud Lugdunenses agendum erat, decreto apostolico electum fuisse, ut tum populus indulgentiam Anni Sancti lucraretur; et cum homines istiusmodi adjunctis* (*qualis est concurrentia festorum patroni et*

B *Corporis Christi*) *facile inhæreant, hujus rei memoriam servatam fuisse, oblivioni vero fuisse datam extensionem Anni Sancti, genuinam hujus jubilæi occasionem. Certe anno* 1546, *ubi denuo hæc concurrentia obtigit, Romam itum aut supplicatio missa fuisse videtur, quandoquidem insignia pontificia litteris pastoralibus cardinalis Ferrarii, tunc temporis archiepiscopi Lugdunensis, impressa sunt* (*c*). *Tandem tertio, quam a vero absona sunt Joannis Lastrade dicta, inde insuper liquet quod, ex quo tempore Urbanus IV festum Corporis Christi instituit, hæc celebritas et festivitas S. Joannis Baptistæ primum concurrerunt anno* 1451, *dein anno* 1546, 1666, *et* 1734, *ut notat P. De Montauzan* (*d*); *quid ergo Clemens V ineunte sæculo* XIV *id privilegium concessisset? Demum quod spectat ad jubilæum Montis Majoris, fatendum est id omnium maxime favere, cum certum de ejus antiquitate proferatur testimonium. Verumtamen,* (*qui ejusmodi antiquiorum indulgentiarum communis defectus est,*) *cum nuspiam proferatur authentica bulla Pontificis, quæ ad sæculum* XIV *pertingat, et cum Gallia Christiana* (*e*) *in catalogo abbatum Montis Majoris de concessione hujus jubilæi omnino taceat, periculum aliquod forte*

C *est, ne huic indulgentiæ intervenerint quæstores, qui, ut ait ipse Clemens V* (*f*), non sine deceptione multiplici animarum indulgentias populo motu suo proprio de facto concedunt, animas tres vel plures . . . de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahunt, . . . remissionem plenariam peccatorum indulgent, *etc.*

tuta tamen est præsens indulgentia in forma jubilæi.

100 *Atque hæc, ut initio professus sum, lectoris judicio libenter submitto. Verum quæcumque ineatur de antiquitate indulgentiæ Convenensis sententia, nihil propterea præsens ipsa indulgentia inde patitur; quandoquidem postmodum confirmata fuit imprimis a Pio VII gloriosæ felicisque memoriæ, ut ex litteris pastoralibus illustrissimi archiepiscopi Tolosani Pauli d'Astros, die* V *Aprilis anni* 1833 *datis, colligere est. Toto enim animo admittenda sunt hæc Benedicti XIV dicta* (*g*) : Temeritatem saperet hujusmodi indulgentiam nunc uti dubiam traducere : ejus quippe legitimum fundamentum statuendum est in comprobatione Romanorum Pon- D tificum. *Hæc doctissimus Pontifex. Atque ille idem inferius laudat nostrum Papebrochium, qui in Propylæo* (*h*) *de indulgentiis quibusdam, S. Silvestro Papæ affictis, sermonem instituens, scripsit,* quamvis nequeat efficere Pontifex, ut a Silvestro datæ sint indulgentiæ, quæ datæ non fuerunt, fieri tamen ab eo posse, ut eæ revera isthic nunc obtineantur, æque ac si ab ipso Silvestro promanassent.

Hujus indulgentiæ celebritas

101 *Ut ex mandato episcopali anni* 1591, *n.* 93 *recitato, manifestum est, temporis spatium, quo olim indulgentiam Convenensem lucrari liceret, intra viginti quatuor horas concludebatur; deinde duplicatum est id tempus; quæ lex jam vigebat temporibus Joannis Lastrade, præterea in suo opusculo monentis, feria quarta, seu die prima Maji, ad primas Vesperas solemnitati initium fuisse factum, instituta supplicatione generali; et similiter ei finem impositum die tertio Maji, seu post secundas Vesperas festi de Inventione S. Crucis; atque inter claudendam celebritatem venerabile S.* Bertrandi *corpus feretro circumlatum fuisse : nunc etiam, ut ex litteris pastoralibus archiepiscopi Tolosani colligimus, bis viginti quatuor horas durat solemnitas, et in utraque supplicatione pium defertur onus. Incredibile fere est quan-* E *tus olim fieret ad hanc religionem populi concursus : affirmat enim Lastrade homines, sexaginta et octoginta leucis dissitos, ad eam affluxisse, et vix alicui in plateis spatium fuisse ad se movendum; quem concursum adhuc perseverare, Tolosa nobis rescriptum est. Et quidem in Diario, cui nomen* Ami de la Religion, *in annuntiatione quadam de futuro jubilæo anni* 1844 (*i*), *dicitur multitudo magna ad eum concurrere solita ex Arragonia, Catalaunia, Navarra et diœcesibus Galliæ : quamobrem, ne ex tanta turba oriantur incommoda, ipsi regio gubernio curam esse, ne vis publica desit, quæ malevolorum, si qui fuerint, præpediat conatus* (*k*). *Multo minus partes suas desiderari patitur clerus : archiepiscopus Tolosanus, cui Convenensis tractus, præsenti S. Gaudentii archidiaconatu fere conclusus, in spiritualibus nunc subjacet, litteras pastorales ad hujus archidiaconatus incolas destinat, ipsique celebritati interesse satagit* (*l*). *Ut autem pœnitentibus fieri possit satis, permulti ex vicinia adsunt presbyteri, quibus Tolosanus præsul potestatem quidem concedit absolvendi a peccatis reservatis, non autem commutandi vota, ut liquet ex litteris pastoralibus annorum* 1833 *et* 1839, *ad nos transmissis. Anno* 1833 *quinquaginta circiter aderant sacerdotes, plerique confessarii, et unus alterve missionarius, qui quinque concionibus populum adhortaretur : quibus se addiderant, ut solemnitatem adaugerent, seminarii Polinianensis alumni* (*m*). *Anno* 1839 *non minor videtur affuisse confessariorum numerus; tunc vero vetitum est, ne, ut anno* 1833, *pœnitentes in privatis ædibus et claustro S.* Bertrandi *exciperentur, et contra concessum, ut confessarii sacrum tribunal occuparent in templis Vallis Caprariæ* (Valcabrère), Labroquère, Barbazan, *Montisregii* (Montrejeau) *et Poliniani* (Polignan). *Atque hæc satis indicant, quantopere etiamnum illa religio vigeat.*

F

et occasio; aliæ in aliis festis indulgentiæ; confraternitas S. Bertrandi.

102 *Initio hujus* § *dictum fuit, jubilarem hanc indulgentiam lucrandam esse, quotiescumque festum Inventionis S. Crucis in feriam sextam incideret. Verum res mira satis est hanc indulgentiam, quam in S.* Bertrandi *honorem concessam volunt, a festo*

(*a*) An. 1733, p. 1187-1223. — (*b*) Cfr Theod. a Spiritu Sancto, Tract. hist. theol. de jubil., cap. II, § III, n. 17 et seq. — (*c*) Vide Journal des Savants, Sept. 1734, p. 13, ubi instructio in jubil. an. 1734 explicatur. — (*d*) Mém. de Trévoux an. 1733, p. 1193. — (*e*) T. I, col. 603 et seqq. — (*f*) Clementin., lib. V, tit. IX, cap. II. — (*g*) De Syn. diœc. lib. XIII, cap. XXXVIII, n. 5. — (*h*) Dissert. VIII, n. 4. — (*i*) Ad diem XVI April., p. 108. — (*k*) Ami de la Religion, ad XXI Maji, an. 1833. — (*l*) Ibid. locis cit. — (*m*) Ibid., loc. cit.

Inventionis



ALTARE ET MAUSOLEUM S. BERTRANDI.



LIPSANOTHECA S. BERTRANDI.

Ludovicus D'agos Pinx

Car. Onghena Sc.

A *Inventionis S. Crucis pendere, non aliter ac indulgentiam monasterii Montis Majoris* (*cfr num.* 94), *quam asserunt a Romanis Pontificibus elargitam in honorem S. Crucis, cujus sacellum ibidem multa in veneratione erat* (*a*). *Attamen festum aliquod S.* Bertrandi *pridie Inventionis S. Crucis Convenis celebratur sub nomine* Revelationis *seu* Apparitionis S. Bertrandi, *quia in eo recolitur memoria apparitionis hujus Sancti, quæ ultimo numero ejus Vitæ a Vitali narratur, et quæ prima signa sanctitatis, post mortem ostensa, habentur; adeo ut olim* (*vide n.* 93) *post celebratam S.* Bertrandi *festivitatem inciperet indulgentia : unde magis magisque dubiis implicatur universa hæc quæstio. Vix est quod moneam præter id festum duo alia celebrari; quod enim die* XVI *Januarii in commemorationem translationis Reliquiarum obtinet, ex dictis satis innotescit; neque minus latet alterum, quod in die obitus,* XVI *Octobris, omnium celeberrimum est. His tribus festivitatibus et quatuor diebus festis B. M. Virginis, patronæ titularis ecclesiæ Convenensis, indulgentias quasdam, denuo, ut vult Lastrade* (*b*), *a Clemente V concessas, et a Benedicto XIV confirmatas, lucrari olim poterant sodales confraternitatis S.* Bertrandi :

B *nam sub hujus Sancti nomine confraternitatem jam temporibus Clementis V illic exstitisse plane asserit sæpe dictus Convenensis canonicus* (*c*); *et sane hanc assertionem convellere non licet ex rei novitate, cum ille ritus, ut boni scriptores ostendere conati sunt, jam vigeret sæculo* VIII (*d*), *aut sæculo* IX (*e*), *aut etiam multo ocius* (*f*). *Utut sit, medio sæculo* XVI *certo antiquior est hæc confraternitas, cum anno* 1531 *a Joanne de Malo-Leone, Convenensi episcopo, pastoralibus litteris renovata sit; quod duobus fere sæculis post, anno videlicet* 1716, *a Gabriele du Bouchet iterum præstitum est, ut docet Lastrade* (*g*).

§ VIII. De capsis reliquiariis et mausoleo S. Bertrandi Convenis, deque Reliquiis alibi servatis.

Lipsanothecæ et mausoleum S. Bertrandi

C Num. 86 *Bernardum Guidonis et Augerium de Biterris laudantes audivimus capsam, sumptibus Clementis V paratam excipiendis S.* Bertrandi *Reliquiis; verum alia hujusmodi plura explicanda supersunt. Lastrade* (*h*), *postquam laudasset chori sedilia aliaque Convenensis templi cimelia, pluribus disserit de lipsanothecis S.* Bertrandi, *quales suo erant tempore; eum audiisse non pigebit lectorem; en ejus verba latine facta :* Monumentum omnium pretiosissimum, quod isthic exstat, magnificum mausoleum est, in quo S. Bertrandi exuviæ conduntur, ex quo tempore Pontifex eas exhumandas curavit, ut in loco decentiori collocarentur; post altare majus industrie exstructum est hoc mausoleum e lapide secto; duo in eo loculamenta sunt, quorum alterum, clathris ferreis clausum, capit capsam, jussu Clementis V in tumuli formam fabrefactam, laminis cupreis deauratis coopertam, et ornatam vetustis aliquot figuris : solo jubilæi tempore, supplicationis faciendæ ergo, hæc capsa effertur, aut apparet; ex altera parte exstat alterum loculamentum, viridi bombycino panno latisque argenteis limbis interius decoratum, continensque capsam argenteam, cui inclusum est sancti patroni caput, parte dentium etiamnum instructum. Ostenditur D per totum diem hæc capsa majoribus festivitatibus, diebusque Deiparæ colendæ dicatis; quod ut fiat, aperiuntur duæ valvæ e ferro deaurato, quibus loculamentum clauditur; . . . exterius totum mausoleum splendet picturis, auraturis, imaginibusque, quibus S. Bertrandi vita partim effertur. Ante mausoleum, altare marmoreum exstat, in quo quotidie celebratur Missæ sacrificium in honorem sancti præsulis. *Hæc Lastrade* (*i*). *Hæc altare et mausoleum, qualia ante recentiorem restaurationem erant, secundum imaginem lithographicam æri insculpta hic exhibemus.*

104 *Ejusdem restaurati mausolei accuratam deli-* *describitur;*
neationem ad nos conscripsit, hodiernus R. D. parochus Déqué : Mausoleum illud, *inquit,* cui altare appositum est, quadrangulam formam habet, sex metra longum totidemque altum, et duo latum; tecto utrinque declivi cooperitur. In medio culmine exsurgit S. Bertrandi lapidea deaurata statua, duos pedes alta, et ex utroque latere duæ similes orantium figuræ. Imagines vero, quæ in antica parte apparent, in linea tela pictæ fuerunt anno 1823 secundum vetustiores, et aliquot gesta S. Bertrandi (*non apprime ubique accurate, ut ex annotatis ad* E *S.* Bertrandi *Vitam manifestum fiet,*) exhibent : in infima ad dexteram, e quatuordecim hominum figuris constante, repræsentatur corporis exhumatio, a Clemente V facta; in infima ad sinistram, quæ septemdecim figuras habet, Clemens V coram cardinalibus S. Bertrandum canonizat (*cfr tamen num.* 79 *et seqq.*); in media ad dextram, ubi quindecim figuræ apparent, concionante Sancto, mulæ cauda secatur; et in media ad sinistram reparatur hæc injuria, oblatis muneribus; (*inferius de his dicendum erit :*) in suprema ad dextram, ubi octo cernuntur homines, restituit Convenensibus comes Bigorritanus prædam a se abactam et captivos liberat; in suprema ad sinistram, ubi quinque figuræ pictæ sunt, apparet S. Bertrandus comiti Bigorritano, quem captivum duxerant Sarraceni, eumque ex carcere liberat; imago intermedia exhibet S. Bertrandum supplicantem Deiparæ. Ab utroque mausolei latere quatuor vetustiores meliorisque penicilli tabulæ sunt : in infima ad dextram, quatuor homines efferente, effinguntur obstinati peccatores, perculsi fulmine; in secunda, ubi quinque figuræ pictæ sunt, a clericis suis portatur S. Bertrandus agonizans coram altare Dei- F paræ; in tertia, quæ totidem figurarum est, consternati peccatores imponendam sibi pœnitentiam apprecantur; et in suprema fastigii apparet S. Bertrandus, cœlestem coronam accipiens. Ad latus sinistrum infima imago, septem figuras habens, exhibet captivos, qui S. Bertrando libertatem suam gratulatum ad tumulum ejus veniunt; secunda imago refert adulteram, quam Sanctus coegit ad uteri sui fructum recognoscendum; in tertia, ex quatuor humanis formis constante, effingitur mulier adultera, quæ sacrilegi jurisjurandi pœnas luit; ultima demum, in cuneum ad fastigium desinens, S. Bertrandum orationi instantem exprimit. Clathra vero, quæ in antica parte cernuntur, includunt hermam S. Bertrandi cum reliquiaria capsa, quæ diebus ejus festis et jubilæi tempore populo deosculanda porrigitur. Describenda superest postica pars; quæ in tria loculamenta distributa est, clathris ferreis, olim deauratis, clausa. In medio loculamento repositæ manent lipsanotheca,

(*a*) Du Port, Hist. de l'Egl. d'Arles 295.—(*b*) Relat. de la transl. d'une reliq., p. 157. — (*c*) Ibid., p. 156. — (*d*) Biblioth. sacr. verb. Confrérie. — (*e*) Thomassin, de discipl. vet. et nov. Eccl., part. I, lib. II, cap. XXV. Edit. 1725. — (*f*) Savaron, Traité des Confréries, passim. — (*g*) p. 157. — (*h*) p. 140. — (*i*) p. 141 et seq.

corpus

A corpus capiens, et altera data, ut volunt, a Clemente V; in duobus reliquis loculamentis pyxides, minores Reliquias plurimorum Sanctorum continentes, asservantur.

una lipsanotheca recens est; neque vetustior a Clemente V videtur data.

105 *Curavit suis expensis R. D. parochus Déqué delineationem utriusque S.* Bertrandi *lipsanothecæ fieri a cl. v. Ludovico d'Ayos. Verum cum ea, in qua nunc jacet corpus, recentioris operis sit, nihilque insigne, quod ad artem pertinet, habeat : (est enim tumba, in cujus fastigio episcopi imago est, in antica vero parte, insignia episcopalia, in modum trium tropæorum conjuncta;) visa non fuit ejus imago æri insculpenda. Altera vero capsa, quæ ex ligno confecta et cupro tenui cooperta est, cum archæologorum laudes sæpius adepta fuerit, exprimenda hic videtur.* Longa est, *inquit R. D. Déqué,* quadraginta duas centesimas metri partes, et viginti quatuor alta. Figuræ, quæ typo impressæ, non vero celatæ sunt, et monstri venationem, sæpius iisdem formis repetitam, proponunt, nihil mystici indicare videntur. Continet nunc hæc capsa mitram tantum S. Bertrandi, annulum, chirothecas et calceos, inter sacra obeunda munera usitatos, nullas vero e corpore Reliquias. *Ex hac autem descriptione, po-*

B *tissimum quod capsa cuprea est, liquet satis suspectam esse traditionem Convenensem, qua adstruitur eamdem illam esse, quam dono dedit Clemens V; hæc enim, ut num.* 86 *vidimus, secundum Bernardum Guidonis* pretiosa *erat, et secundum Amalricum Augerii de Biterris confecta erat* ex auro et argento cum lapidibus pretiosis miro modo de novo : *et quidem P. Possinus in annotatis MSS. ad S.* Bertrandi *Vitam nuncupat eam gallice* un coffre d'argent, artistement élaboré et enrichi de pierreries enchassées, *probe eam distinguens ab herma argenteo, de quo jam diximus, et quem a Clemente V quoque concessum tradit. Cum autem Lastrade (vide supra num.* 103) *hujus cupreæ, minime autem argenteæ capsæ mentionem inducat, planum credere est hanc inter annum* 1649, *quo scribebat P. Possinus, et annum* 1742, *quo excusus est Lastradii libellus, nescio de qua causa destructam esse. Similiter quoniam idem Convenensis canonicus hermæ tantum et capsæ cupreæ meminit, nihil vero habet de lipsanotheca, cui nunc corpus includitur, certum videtur hanc post ejus tempora constructam fuisse.*

Recentiora fata Reliquiarum S. Bertrandi *Convenensium.*

106 *Atque ex his satis manifestum esse confido, qui status tum sæculo elapso, tum his temporibus fuerit mausolei et lipsanothecarum S.* Bertrandi.

C *Sciscitantibus vero, quæ sors inter turbatam rempublicam gallicam sacris his lipsanis acciderit, Tolosa responsum nobis est, viros omni fide dignissimos testes esse religiose ea fuisse servata; nesciri vero a Convenensibus ætate provectis viris ea ab hoc procelloso tempore episcopali diplomate recognita fuisse; additque R. D. Féral, secretarius archiepiscopi, frustra se perscrutatum esse archivii Tolosani instrumenta, abhinc quinquaginta annis confecta; adeo ut nullum inter ea sibi obviaverit, quod ad has Reliquias pertineret. Verumtamen, ut scripsit ad nos præsens R. D. parochus, testes oculati ei affirmarunt Ill. D. d'Astros, archiepiscopum Tolosanum, anno* 1830 *aperuisse capsam, et contulisse ossa cum veteribus elenchis et instrumentis, et omnia ab eo in debita reperta fuisse conditione; quocirca eum curasse, ut sigillum suum capsæ, cui cum corpore vetera instrumenta inclusa sunt, imprimeretur :* quæ res, *inquit R. D. parochus,* certum testimonium est (ea enim accuratione utitur laudabilissimus noster præsul), omnia ab eo reperta fuisse in eo statu, in quo ante superioris sæculi turbas D erant. *Hoc tamen tempore deperditam censemus pluvialem S.* Bertrandi *vestem, de qua meminit Lastrade (a), nullam vere mentionem facit R. D. Déqué; plurimum contra laudans vestem pluvialem, quam dono dedit Clemens V, et cui acus universam Christi Domini vitam particulatim intexuit. Contra asservatur etiamnum Convenis, ut ex commentariis et imagine lithographica, Tolosa transmissis, edocemur, crocodilus siccatus, quem vulgus a S.* Bertrando *occisum prædicat : verum qui illum tempore sacrorum bellorum ex Oriente allatum dixerit, propius forte ad veritatem accedet.*

Reliquiæ S. Bertrandi *servatæ Barcinone, Parisiis*

107 *Alibi quam Convenis asservatæ quoque fuere S.* Bertrandi *Reliquiæ. Discimus e Lastrade (b) a capitulo Barcinonensi aliquot hujus Sancti lipsana petita fuisse; et licet non aperte affirmetur a canonico Convenensi ea fuisse concessa, et nullam de eis apud Barcinonenses, quos habemus, scriptores mentionem de iis reperio, reor tamen postulatis satisfactum fuisse, cum S.* Bertrandi *cultus in regione illa multum viguerit et hucusque vigeat, ut ex num.* 101 *jam constat, et inferius etiam liquebit. Inter annos* 1675 *et* 1742 *canonici regulares S. Genovefæ Parisienses aliquot quoque sacras particulas adepti* E *sunt; de eis enim gloriantur in præfatione Proprii sui anni* 1742; *eas vero non recensent inter sua lipsana in Proprio anni* 1675; *et quidem cum Lastrade earum non meminerit, proclive credere est eas a Convenensibus datas fuisse ipso anno* 1742, *quo Lastradii opusculum in lucem emissum est. Ubi autem terrarum eæ nunc lateant, (nisi in communi sacrorum strage destructæ sint,) omnino inexploratum nobis est.*

et in Insula Jordanis; quo multa solemnitate translatæ sunt

108 *Quæ vero de Reliquiis in Insula Jordanis, S.* Bertrandi *patria, asservatis, ex Lastrade, per viginti paginas earum translationem explicante, cognovimus, plurimum brevianda videntur. Joannes Papa XXII bulla, data die* XX *Februarii anni* 1381, *templum, in quod deferenda erant pia pignora, et adjectum ei prioratum erexerat in ecclesiam collegiatam (c); ipse vero locus, Insula Jordanis, quem num.* 16 *hujus Commentarii olim castrum Ictium aut Setium fuisse diximus, sæculo* XVIII *in oppidum jam excreverat; quin etiam omnium hujus tractus maximum et simul moribus solutissimum illud pronuntiat Lastrade. Cui malo ut remedium afferretur, et simul ut pietas erga Sanctum indigenam instauraretur, jam pridem actum fuerat de efflagitandis S.* Bertrandi *Reliquiis. Idcirco tandem canonici, senescallus oppidique primores conveniunt, et duos canonicos Insulenses ad capitulum Convenense ablegant. Votis eorum annuerunt canonici Convenenses, die* VI *Junii anni* 1733 *capitulariter congregati. Habitam deliberationem probavit Convenensis episcopus, Antonius de Lastic, translationis solemnitatem in diem* VI *Septembris differens. Absente Joanne Ludovico de Crillon, Tolosano archiepiscopo, assenserunt vicarii generales exceptioni Reliquiarum, et statuerunt primum diem, quo sacræ exuviæ Insulæ Jordanis quiescerent, festive celebrandum esse et Officium de translatione Reliquiarum recitandum; locum decentem suscipiendis Reliquiis paratum iri, et triduum SS. Sacramentum populi adorationi expositum fore; simulque per eos licuit parari ex eleemosynis pecuniam, unde expensæ solverentur. Tempore statuto selecti sunt RR. DD. de Sancta-Maria, Faget, Barreli et Sudria, canonici; Broqua, Valent, Becanes, Bernadon, Cembres, præbendarii; Roubineau et Robert, primores*

F

(a) p. 141. — (b) p. 51. — (c) Hist. du Languedoc, t. IV, p. 173, et Gall. Christ., t. XIII, col. 38.

laici,

A *laici, qui cum supplicantium turma sacrum thesaurum quærerent. Mitto de festivo eorum adventu aliisque hujusmodi rebus dicere. Ad populi religionem excitandam, indulgentias proposuerat Convenensis antistes, et a casibus reservatis pœnitentes solvendi facultatem concesserat. Præsente episcopo Tarbensi, (archiepiscopus Narbonensis præter sua vota alibi detinebatur,) obtulit ipse Convenensis præsul Missæ sacrificium, et thecæ, quam Insulenses asportaverant, inclusit duo ossa, quæ medici Cousier et Burgalat* costam legitimam et os vertebrale thoracis *nuncuparunt. Duplex instrumentum confecit D. Martin, secretarius clericus. Hæc die quinta Septembris acta fuere.*

anno 1733, 109 *Postridie coram immenso populo officia divina peracta sunt; et Insulensibus deinde creditum sacrum onus. Totum iter, ex* 16 *aut* 18 *leucis constans, supplicantium ritu confectum est : præibat cruciger, sequebantur sex octove canonici aut præbendarii, vicissim, ne interruptio fieret, sacra cantica concinentes. Rure atque in locis desertis currui imponebatur lipsanotheca, alibi humeris ferebatur; immensa multitudo undique accurrebat et assidua in comitando erat; e vicis et oppidis clerus, cœno-*

B *bitæ, confraternitates, populus, in supplicantium ordines distributi, obviam procedebant. Noctu quiescebat sacrum onus in vicorum oppidorumve templis, in quibus vespere fiebant verba ad populum, SS. Sacramentum adorandum exponebatur, et duo clerici cum quatuor militibus juxta lipsanothecam pernoctabant. Quæ speciatim in unoquoque loco acta sunt, videat lector in ipso opusculo Lastrade. Die* IX *Septembris Insulam Jordanis ventum est. Reliquiæ exceptæ fuerunt a D. Betou, vicario generali Tolosano. Die* X *ejusdem mensis verificatio Reliquiarum et quintuplex recognitionis instrumentum facta fuerunt; die undecima et duodecima protractæ sunt solemnitates. Et quidem, cum populi concursus maximus adhuc esset, tres alios dies festos agi et SS. Sacramentum exponi concessit dictus vicarius generalis. Interea miraculi cujusdam fama ferebatur inter populum; ægrotum videlicet sanatum fuisse : de qua tamen re nihil statuit Joannes Lastrade. Hæc satis, ut noverit lector quanta hæc celebritas fuerit.*

et ubi, anno 1838 *recognitæ,* 110 *Quid porro sacris his pignoribus acciderit, postquam Insula Jordanis vi concordatus anni* 1801 *distracta fuit a diœcesi Tolosana, et Ausciensi subjecta, colligimus ex scripto, quod a R. D. parocho*

C *Insulensi nobis impetravit sæpe laudatus P. Tinseau. Cum gallico conscriptum sit idiomate, illud latine a nobis factum lectori exhibemus :* Venerati sunt Insulæ Jordanis cives has Reliquias usque ad procellosum annum 1792. Quo tempore, cum gubernium jussisset ecclesiæ supellectilem venumdari, piæ manus subripuerunt hunc sacrum thesaurum. Cultu divino restituto, ad templum relatæ sunt, et denuo a populo honoratæ. Verum cum nullum scriptum testimonium earum authenticitatem certam faceret, mense Junio anni 1838 inquisitionem circa eas institui jussit archiepiscopus Ausciensis, cardinalis d'Izoard. Commissum fuit hoc negotium infrascripto parocho; et collecta instrumenta ad dictum archiepiscopum transmissa; quibus visis, sequens decretum prodiit :

Joachimus-Joannes-Xaverius d'Izoard, *etc.* Omnibus has præsentes visuris salutem et benedictionem in D. N. J. C. Visa relatione, facta a D. Taste, parocho Insulæ Jordanis, circa Reliquias S. Bertrandi, quas invenit in lipsanothecis; visa declaratione DD. Saureur et Fontan, sub fide jurisjurandi attestantium Reliquias esse easdem ac D illas, quæ ante conversam rempublicam ut Reliquiæ S. Bertrandi in parœcia honorabantur; considerantes ob probitatem horum testium eorumque erga religionem observantiam nullum dubium enasci posse adversus veritatem eorum testimonii; declaramus prædictas Reliquias, S. Bertrandi nomen præferentes, esse authenticas, et permittimus eas exhiberi fidelium venerationi. Quocirca mandamus D. parocho, ut curet has Reliquias collocandas in lipsanothecis, panno serico ornatis, et nomen S. Bertrandi, cujus ossa capiunt, præferentibus; et ut earum authenticitas servetur, accurate sigillabit lipsanothecam, suum sigillum apponens, et itidem apponens epigraphen, in qua Sancti nomen notatur. Et præsens nostrum decretum deponetur, et accurate servabitur in archiviis ecclesiæ Insulæ Jordanis. Datum Ausciis sub chirographo nostri vicarii generalis, sub sigillo nostro, et subscriptione secretarii nostri, tertia Julii anni 1838. Fenasse, vicarius generalis. De mandato, Mendousse, secretarius, canonicus honorarius. Pro transsumpto fideli, Insulæ Jordanis, die XII Octobris anni 1841, Taste, parochus.

E

speciali honore, 111 Ut huic mandato fieret satis, hæ S. Bertrandi Reliquiæ in nova capsa reliquiaria collocatæ et obsignatæ sunt, reique gestæ instrumentum confectum, sub data diei III Decembris anni 1839. Hæc porro capsa servatur in sacrario, S. Bertrando dicato, et omnibus diebus dominicis, si Adventus, quadragesimale tempus et dies, quibus benedictio cum SS. Sacramento impertitur, excipiuntur, procedit clerus post decantatas vesperas supplicantium ordine atque ritu ad locum, his Reliquiis honestatum, ut illic sequentem antiphonam, musicis notis in veteri charta inscriptam et distinctam concinat : Antiphona Sancti Bertrandi, Convenarum episcopi, Insulæ Jordanis nati, necnon atavis editi præfatæ Insulæ comitibus supremis :

Sanctus Bertrandus, clemens, dulcisque benignus,
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus,
Solvat vincla reis, et reddat lumina cæcis,
Infirmos sanet, cunctisque petita ministret.
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus.
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.
Prudens et justus, fortis, mitisque modestus.

℣. Ora pro nobis Sancte Bertrande, ℟. Ut digni efficiamur, *etc.* OREMUS : Deus, qui solus es bonus, et sine quo nullus est bonus vel sanctus, meritis et F intercessione Sancti Bertrandi Confessoris tui atque pontificis, jube nos tales fieri, qui non debeamus tua bonitate privari. Per Christum, *etc.*

qui Convenis etiam usitatus est, coluntur. 112 *Mutuati hæc sunt Insulenses a Convenensibus, quandoquidem in opusculo Lastrade* (a) *reperimus beneficiarios, qui horis matutinis intererant, quotidie hæc modulatos esse coram altari S.* Bertrandi. *Quæ religionis praxis sane etiamnum, partim saltem, obtinet. Lastrade præterea exhibet ad idem pietatis genus spectantem* ANTIPHONAM AD VESPERAS :

O pie nos serva,
Cui psallit juncta caterva;
Hostes enerva,
Nos protege, nosque guberna.

℣. Ora pro nobis, *etc.* ℟. Ut digni, *etc.*, OREMUS : Deus, qui solus es bonus, *etc.* ANTIPHONAM AD BENEDICTUS :

Israel est dictus
Deus, et Dominus benedictus,
Qui primo nos fecit,
Post nos redimendo refecit,

(a) p. 174.

A Bertrandi meritis
Det nobis dona salutis.

℣. Ora pro nobis, *etc.* ℟. Ut digni, *etc.* OREMUS : Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Bertrandum, Confessorem tuum atque pontificem devotum tribuisti pastorem in terris : concede propitius, ut ipse pro nobis apud te sit pius intercessor in cœlis. Per Dominum nostrum, *etc. Porro plurium sæculorum vetustatem hujusmodi antiphonarum formæ inesse nemo non viderit. Sed paulatim delabimur ad cultum ecclesiasticum proprie dictum. Priusquam tamen hunc dilucidemus, alius priscus usus exponendus est; qui, quantum dispicere queo, ab exeunte superiore sæculo obsoletus est.*

Gratus animus Auzunensium erga S. Bertrandum,

113 *Lastrade in suo opusculo de S.* Bertrando (*a*) *meminit veteris cujusdam traditionis, de qua nihil nos monet Vitalis, sed quæ in S.* Bertrandi *mausoleo appingitur* (*cfr num.* 104) *et enarrandæ consuetudinis origo fuisse traditur. Peragrabat scilicet S.* Bertrandus *diœcesim Tarbensem, veneratque tandem in vallem* Auzun. *Verbum Dei prædicabat sanctus præsul loci incolis, qui cum suos mores a sancto viro carpi ferre non possent, ludibrio eum habuerunt, et ejus muli caudam dissecare non aversati*
B *sunt. Malevolos puniit Deus, quinquennalem siccitatem immitens; unde agri et pecora tabescebant. Implorarunt tandem sancti viri orationes; quas ex animo ad Deum dirigens cœlestem placavit iram. Hæc Lastrade* (*b*)*; qui certe non audiendus est, cum S.* Bertrandum nuntium apostolicum *facit, et hunc terræ tractum ab eo a sacris interdictum fuisse asserit. Jam vero sequens usus inde enatus erat : quotannis legabant Convenenses canonici aliquot viros, qui in his oris exciperent omne butyrum, quod intra hebdomadam post festum Dominicæ Ascensionis illic conficiebatur. Atque hujus vallis incolæ vel ex voto vel ex grato animo tam arcte se adstrictos credebant ad illud tributum pendendum, ut si Convenenses canonici omisissent quæstores suos legare, ipsi curassent ut vetus mos servaretur. Temporibus P. Possini, ut ex ejus annotatis intelligimus, hoc butyrum, quod incorruptibile dicebatur, tam salubre æstimabant homines, ut ipsi Protestantes id quæsitum venirent, morbidas corporis partes eo inuncturi.*

et veneratio Barcinonensium.

114 *Superius num.* 107 *attingenda jam fuit pietas Barcinonensis erga S.* Bertrandum : *ejus origo repetitur similiter ex prodigio, quod Lastrade* (*c*) *pluribus exponit; paucis illud ego excipiam : Sancius*
C *Parra miles in Pyrenæi vallibus prædatorem agebat; monitus vero a S.* Bertrando, *justitiæ viam fuerat ingressus. Verum non ita multo post in bello hispanico a Sarracenis capitur, et compedibus vincitur. Meminit tum S.* Bertrandi *jam demortui, opem ejus implorat, et exaudiri meretur. Postridie itaque mane vidit se Sancius vinculis liberum, et tuto Barcinone versantem :* Hinc orta est, *ait Lastrade,* devotio populi Barcinonensis erga S. Bertrandum, et propter hoc miraculum ædificatum est in Monte Jovis vel Judaico (*Monjouy,* aliis *Monjuitch,* etc.), juxta civitatem et mare consurgente, eremitorium quoddam in S. Bertrandi honorem, in quo celebratur Missæ sacrificium. *Ex hoc prodigio, quod neque nego, neque confirmo, hujus pietatis originem ducendam esse, difficulter mihi persuasum erit, quoniam Vitalis numero ultimo Vitæ S.* Bertrandi *affirmat Sancium non e carcere Barcinonem, sed ad castrum suum Oltiam translatum fuisse; porro Oltia, ut in annotatis dicetur, sat procul a Barcinone dissita est. Reliqua vero cultus adjuncta libens admitto. Jam si quæritur ad quæ tempora revocandum sit initium hujus sacelli et Barcinonensis S.* Bertrandi D *cultus, fateor me nihil reperisse neque in tomo XXIX Hispaniæ Sacræ, ubi res Barcinonenses enucleantur, neque in opere P. Aimerich de Nominibus et Actis Episcoporum Barcinonensium, neque in aliis plurimis, in quibus Catalaunia, Barcino seu ipse Mons Jovis illustratur. Intelleximus autem ex cive Barcinonensi saltem usque ad recentiores in Monte Jovis pugnas sacrarium illud exstitisse.*

§ IX. Cultus ecclesiasticus.

S. Bertrandus, *qui Convenis non quatuor sed tribus festivitatibus colitur,*

Actum *jam fuit num.* 102 *de tribus festivitatibus, quæ quotannis Convenis celebrari solent in honorem S.* Bertrandi. *Quartam adjecit Saussayus, illamque affixit diei* XIX *Novembris : nomen vero indidit* festum translationis Reliquiarum, *non omittens pluribus de hac solemnitate dicere; Saussayum descripsit Ferrarius in suo generali Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non notantur, addiditque se illud hausisse ex talibus Ecclesiæ Convenensis; at incautis tantum fucum faciet : Bailletus tamen Saussayo suffragatus est. Verum n.* 86 *et seqq. sat multa*
E *producta sunt testimonia, ex quibus constat S.* Bertrandum *die* XVI *Januarii a Clemente V translatum fuisse : unde convellitur hæc festivitas, cujus Lastrade aliive merito non meminerunt. Non vero est cur de tribus veris festis, de quibus jam plurima diximus, denuo instituatur sermo. Inferius tamen nonnulla excerpemus ex Officiis, quæ his diebus apud Convenenses usurpari assolent. Jam de ecclesiastico S.* Bertrandi *cultu, aliis in locis exsistente.*

in diœcesi Ausciensi,

116 *Lastrade* (*d*) *probare volens S.* Bertrandum *ab Alexandro III beatificatum fuisse, vetustatem cultus S.* Bertrandi *pro argumento exhibet; stabilitque hanc vetustatem, antiquum Legendarium Convenense litteris gothicis, ut loquitur, scriptum et in quo S.* Bertrandi *festum cum octava celebrandum proponitur, tamquam assertionis suæ testimonium adducens; verum sequentia propius ad propositam quæstionem pertinent; addit scilicet :* Postquam Alexander III Sancti Bertrandi gloriam proclamasset, plures Ecclesiæ ejus festum celebrarunt; tales sunt Tolosana, Ausciensis, Aniciensis vel Podiensis, Narbonensis, Rivensis, Tarbensis et Lectorensis. *Ast hæc verba non ita intelligi possunt, quasi continuo hæ Ecclesiæ S.* Bertrandi *ecclesiasti-*
F *cum cultum suscepissent : nam, ut nihil dicam de diœcesi Rivensi, quæ anno* 1317 *tantum creata fuit, penes me sunt Officia propria, quæ Justus episcopus Aniciensis anno* 1624 *redigi jussit in gratiam cleri Aniciensis, atque illic frustra quæro S.* Bertrandi *festum; quod proinde apud Anicienses post hunc annum institutum fuisse videtur; et quidem post annum* 1733, *quo scripsit Lastrade, denuo sublatum fuit, quandoquidem ex Kalendario liturgico anni* 1832 *die* XVI *Octobris Officium de feria ab Aniciensibus recitari accipio. Quoniam vero Gulielmus III Ausciensis* fecit S. Bertrandum canonizari, *ut dictum fuit, libenter admitto assertionem Lastrade circa Ausciensem archidiœcesim; et siquidem Tarbæ et Lectoræ Ausciensem præsulem ut metropolitanum suspiciebant, ad has excludendas diœceses non multum movemur, licet in Proprio Sanctorum, edito ab Ill. D. Ludovico Larochefoucauld, qui ab anno* 1649 *ad annum* 1654 *Lectoræ sedit, Officio S.* Bertrandi *præmittatur hæc formula, quæ aliquantum novitatem sapit :* Ex historia Vitæ S. Bertrandi, quæ legitur in Ecclesia Convenarum. *Prorsus ignoro quare*

(*a*) p. 34 et 49. — (*b*) p. 47. — (*c*) p. 50 et seqq. — (*d*) p. 55.

Narbonenses

A *Narbonenses jam a sæculo* XII *S.* Bertrandum *coluissent. Quoad Tolosanos spectat, verisimillimum nobis est S.* Bertrandum *apud eos cultum fuisse saltem ante annum* 1317. *Cujus sententiæ rationes evolvere operæ pretium videtur.*

et Tolosana ab ineunte saltem sæculo XIV *verisimiliter colitur; item nunc in aliis quoque diœcesibus*

117 *Primo, S.* Bertrandus, *utpote ex diœcesi Tolosana ortus, et plures annos inter canonicos Tolosanos cum canonici et archidiaconi munere versatus, quam proxime ad eos pertinebat; secundo, Graillardus Tolosanus episcopus anno* 1309 *interfuerat Convenensi solemnitati translationis Reliquiarum; tertio, videtur celebrari S.* Bertrandi *festum in omnibus locis, quibus constabat diœcesis Tolosana, priusquam anno* 1317 *a Joanne PP. XXII in plures diœceses distracta est, ipsa ad metropolitanam dignitatem evecta. Saltem in Kalendario Carcassonensi, in annum* 1826 *excuso, mihi occurrit hunc Sanctum coli Carcassi, Mirapicii, apud Sam-Papulenses, et Electæ. In Kalendario vero anni* 1828 *ad usum diœcesis Ausciensis, qua non tantum Lectora sed et Lumbariæ nunc capiuntur, prodit quoque S.* Bertrandi *festum. Porro diœceses, anno* 1317 *Tolosano metropolitano subjectæ, hæ septem numero sunt : Lumbariensis, Appamiensis, Montal-*
B *banensis, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis et Sam-Papulensis. Jam vero cum Mons-Albanus ante annum* 1317 *ad diœcesim Cadurcensem pertineret, et Appamiæ, olim quidem ad episcopatum Tolosanum spectantes, jam ab anno* 1295 *a Bonifacio Papa VIII in episcopatum erectæ fuissent, non est quod nos moretur in præsenti quæstione desiderium Kalendariorum utriusque hujus diœcesis. Quod pertinet ad pristinam diœcesim Vaurensem, fatendum mihi est S.* Bertrandi *nomen non obviare in Kalendario Albiensi anni* 1827, *licet Vaurum, quod huic diœcesi nunc includitur, ante annum* 1317 *diœcesi Tolosanæ subjaceret. Sed fieri potest et quidem verisimile est a Vaurensibus etiamnum Kalendarium particulare usurpari, quemadmodum in plerisque suppressis diœcesibus obtinet. Si itaque ex reliquis unam diœcesim Vaurensem discere licet, habemus S.* Bertrandi *cultum viguisse omnibus in diœcesibus, quæ ineunte sæculo* XIV *a diœcesi Tolosana distractæ fuerunt; unde pronum est admittere hunc cultum ante ipsam distractionem exstitisse. Cæterum si hæc conjectura, utut nobis probabilissima, alicui minus placeat, admittat tamen oportet, S.* Bertrandum *ineunte sæculo* XVI *Tolosæ, cultum jam fuisse; nam legimus in*
C *Missali Tolosano hujus temporis Missam propriam de hoc Sancto. Neque videtur ille cultus umquam interruptus fuisse, quandoquidem in libello Officiorum propriorum, anno* 1647 *jussu Ill. archiepiscopi Carolo de Montchal impresso, lectiones propriæ de S.* Bertrando *exstant; Lastrade* (*a*) *anno* 1733 *ejusdem festi in diœcesi Tolosana conservationem adstruit, et Kalendarium liturgicum anni* 1824 *ritu simiduplici eumdem Sanctum coli demonstrat.*

Galliæ. 118 *In aliis quoque diœcesibus colitur aut olim cultus fuit S.* Bertrandus. *In Kalendario quippe ecclesiastico, anno* 1781 *in usum diœcesis Agathensis edito, commemoratio præscribitur Convenensis præsulis; in Kalendarium Uceticense ejusdem Sancti festum illatum videtur inter annos* 1781 *et* 1786; *nam hoc anno ejus festivitas indicitur celebranda in ecclesia cathedrali, non item anno* 1781. *Antiquiores Bajonenses laterculi mihi desunt; sed qui in annum* 1830 *excusi fuerunt, festum S.* Bertrandi *sub ritu semiduplici annuntiant. Cadurcenses quoque, ut ex eorum Ordine divini Officii, anno* 1831 *excuso, colligimus, et Sam-Pontiani Thome-*
D *riarum, ut fidem facit Kalendarium anni* 1829, *celebrant S.* Bertrandi *festum diem : recentior tamen est Sam-Pontianus cultus, quandoquidem S.* Bertrandi *nomen exulet ex Kalendariis annorum* 1664 *et* 1681. *Sunt forsan aliæ quoque in Gallia diœceses, ubi olim seu etiam nunc S.* Bertrandus *ecclesiastico honoratur cultu; sed si quæ sunt, earum penes nos non sunt Kalendaria, aut Breviaria.*

Pristinus ejus cultus apud Canonicos San-Genovefenses, Brivatenses et Voraviensis.

119 *Cum canonici regulares S. Augustini a S. Pio PP. V die* XVIII *Decembris obtinuerint indultum, pluribus præfixum Breviariis, quo non tantum Sanctos illic designatos publice colere, sed* omnium quoque aliorum dictæ Congregationis et Ordinis Sanctorum festa etiam sub duplici Officio celebrare; atque iis omnibus et singulis proprias eorum authenticas lectiones et orationes, servata prædicta Breviarii forma, accommodare valeant, *etc.; et cum ex altera parte indubium videatur* (*ut numm.* 38 *et seqq. discussum fuit*) *S.* Bertrandum *canonicum regularem fuisse, et extra controversiam teneatur canonicos regulares Convenis ab eo institutos esse, nemo mirabitur S.* Bertrandi *cultum in aliquot ecclesiis canonicorum invaluisse. Et primo invenimus Officium hujus Sancti cum tribus lectionibus propriis*
E *in Breviario canonicorum S. Juliani Brivatensium, anno* 1654 *reformato et typis credito. Quod vero pertinet ad Congregationem Gallicanam canonicocum regularium, quibus a S. Genovefa vulgo nomen est, S.* Bertrandi *festum nondum apud eos agebatur anno* 1648, *ut ex Proprio Sanctorum hoc anno impresso nobis constat; sed anno* 1665 *festum duplex cum tribus lectionibus et oratione propriis jam celebrabatur, ut similiter ex Proprio colligimus. Sed divinare nequeo quapropter anno sequenti exclusum fuerit ex Proprio, anno* 1666 *primum ex Capituli generali jussu edito. Postliminii tamen jure S.* Bertrandi *nomen restitutum video in Proprio anni* 1758, *ejusque Officio insertas novam orationem et recognitas lectiones ad* II *nocturnum, et alias lectiones ad* III *nocturnum, ex epistola* 135 *S. Bernardi desumptas. Anno vero* 1765 *ex nescio qua auctoritate prodiit Breviarium, toto cœlo distans a norma Breviarii Romani, cujus rubricas septem annis ante sibi adhuc servandas esse merito sibi persuasum habebant San-Genovefenses, siquidem indulto S. Pii PP. V id præcipiebatur : sic scilicet* Patrum suorum traditioni inhærebant, *ut tamen præfantur! In hoc itaque Proprio venit S.* Bertrandus *cum una ora-*
F *tione et una lectione propria. Licet penes nos sint plurima Breviaria Congregationum Lateranensis, Windesemiensis, etc., quæ privilegiis a S. Pio concessis gaudebant, nusquam tamen in eis reperio S.* Bertrandi *nomen. Illud tamen non in Gallia compressum mansit; in Kalendario nempe collegiatæ ecclesiæ Voraviensis* (Voraw *in Styria Inferiori*) *canonicorum regularium Lateranensium, sub regula S. Augustini militantium, impresso Græcii* (Grätz) *in annum* 1750 *video ab eis agi sub ritu duplici S.* Bertrandi *festum.*

Omittuntur lectiones de S. Bertrando

120 *Mitto describere integra Officia Missasve de S.* Bertrando. *Ne lectiones quidem, quæ in Proprio Lectorensi, ante annum* 1654 *excuso, leguntur et altam antiquitatem sapiunt, utpote ex prisco Convenensi legendario desumptæ, hic referre lubet. Licet enim ante mortem Hugonis de Bar, qui ab anno* 1671 *usque ad annum* 1691 *episcopatum Lectorensem tenuit, eæ reformatæ fuerint* (*quod colligo ex epistola piissimi hujus præsulis, ad nostrum Papebrochium data,*) *et veteres proinde interitioni obnoxiæ sint, cum tamen vix quidpiam capiant, quod*

(*a*) p. 82.

a Vitali

A *a Vitali latius non enucleetur, non est cur eas hic recitemus. Abunde me satisfacturum spero rerum liturgicarum curiosis inquisitoribus, claudendo hunc Commentarium prosa, et præfatione Missæ, necnon divini Officii hymnis, quibus Convenenses in S.* Bertrandi *honorem utuntur. Hæc denuo in acceptis referenda sunt D. Feral, secretario archiepiscopi Tolosani.*

et recitatur prosa

121 PROSA :

Tolle super astra piam
Superba frontem civitas;
Urbem triumphi consciam
Sancta decet hilaritas.
Hic vitii contagio
Sedebat ægris mentibus;
Sacrilegis religio
Mœrebat exul cordibus.
Bertrandus ecce montium
Prætervolat obstacula,
Calcat pruinas, nivium
Frangit ovans repagula.
Hinc, scelerum proluvies
Urbe procul detrudere;
Procul, atra barbaries,
B In tenebras devolvere.
Hic Deus adest, plaudite,
Pia virorum agmina;
Profani, contremiscite,
Suspensa tonant fulmina.
Sepulta propriis gemit
Impietas ruderibus;
Infrendet, sibilat, fremit
Fractis hydra cervicibus.
Victor ubi tartaream
Pestem domuit, fortior
Ponit ad aras lauream,
Vel sic laurea dignior.
Ut munus apostolicum
Curis implet fidelibus!
Ut semen euangelicum
Piis rigat laboribus!
Diu monitis durior
Obstrepuit ferocitas :
Tandem sequitur mollior
Deum; triumphat veritas.
Sic humum coli ferream,
Lenire sinum docuit,
Et sitientem vineam
C Rore salutis imbuit.
Vixit omnibus, moritur,
Suis quam sibi tristior;
Sed totus haud extinguitur,
Pars vivit ejus melior.
Qui nunc comes cœlituum
Oves aspicis miseras;
Ah! ne gregem quondam tuum,
Beate pastor, deseras. Amen.

et præfatio Missæ,

122 PRÆFATIO : Vere, *etc.* Per Christum Dominum nostrum. Qui pro salute ovium, quas acquisivit Christus sanguine suo, Beatum Bertrandum suscitasti, et populo tuo regendo caritatis tuæ ministrum præfecisti; ut fidelis et prudens dispensator, juxta cor tuum faceret et doceret : ipse est enim quem nobis in lucem dedisti, qui nos verbo vitæ pasceret, virtutum exemplis accenderet et dono miraculorum in fide corroboraret. Unde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, et supplices deprecamur, ut spiritualia Christiani populi desideria solemniter impleantur; et misericordia a te petita per Sancti tui Bertrandi suffragia celeriter impetretur : ut cum tuæ majestatis super nos apparuerit gloria meritorum nostrorum, tribuas indulgentiam per Christum Dominum nostrum; cui merito omnes D Angeli, *etc.*

necnon varii hymni,

123 HYMNUS IN PRIMIS VESPERIS :

Quantus est! cujus veniens ad aras
Dexterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit, impetrato
Munere lætus.
Omnis huc sexus, volat omnis ætas;
Sacra pastoris veneratur ossa,
Turba languentum, properate : præstat
Ille salutem.
Hæc tuas dicent sine fine laudes,
Quæ tuas, præsul, cineres recondunt,
Templa; quos servat cinis hic sepultos
Suscitet ignes.
Hic genuflexos quot habet clientes!
Quot tibi dulces recinuntur hymni!
Hic tuum nomen sonat; omniumque
Vivit in ore.
De tuis, si te mala nostra tangunt,
Sedibus terras humiles tuere;
Nec tuam nostræ bene tutor urbis
Despice gentem.
Luminis splendor Patris, una proles
Christe, te pronus veneretur orbis, E
Qui sacerdotes per amoris almi
Flamen inungis. Amen.

quibus S. Bertrandi *gesta*

124 HYMNUS AD OFFICIUM NOCTURNUM VEL MATUTINUM :

Injectum capiti, cur onus excutis?
Tandem cede Deo; te sibi flagitat
Plebs omnis, precibus et lacrymis ciens;
Frustra tu latebras petis.
Audimur : rediit : flectit amor patrem :
Pastorale tremens jam recipit pedum;
Velat sacra comas infula : fit novi
Bertrandus caput agminis.
Hoc pastore, tener grex ovium, truces
Fraudes aut rabiem nil metuas lupi :
Te circum vigili providus excubat
Custos sollicitudine.
Illi cura subest unica mentibus
Infusa tenebras luce repellere;
Et queis ipse flagrat, subdere languidis
Vivas pectoribus faces.
Illi deliciæ cum lacrymis preces,
Illi divitiæ pauperiem pati,
Illum perpetuis jam docilis juvat
Artus frangere præliis. F
Somno per gelidam carpit humum, levat
Atro pane famem, sedat aqua sitim :
Et larga miseris distribuit manu
Quæ parcens sibi subtrahit.
Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par Sancte tibi gloria Spiritus,
Qui sacris habiles muneribus tuo
Ungis chrismate præsules. Amen.

celebrantur.

125 HYMNUS AD SECUNDAS VESPERAS :

Cœlo receptum plaudite, cœlites,
Qui vestra nascens gaudia fecerat,
Bertrandus infert se triumphis
Nunc socium comitemque vestris.
Dum mens adepto perfruitur Deo,
Tellus verendas exuvias habet;
Non totus excedis : superstes
Ossibus est cinerique virtus.
Procul malorum jussa fugit cohors,
Utcumque votis te populi colunt,
Arcere morbos efficacem,
Atque truci dare jura letho.
Te civis ambit : seu calamo seges
Arente languet, seu madido natat;

Et

A Et imbris et solis potentem
Supplicibus veneratur ulnis.
Heu! quot procellis cingimur, o Deus!
Diri quot hostes insidias parant!
Da corpus invictum periclis,
Da niveam sine labe mentem.
Bertrande, per te gloria sit Patri,
Sit æqua Nato, par quoque Flamini,
Quo dante, fulges mille signis,
Dulce decus, columenque nostrum.

VITA S. BERTRANDI,

EPISCOPI CONVENENSIS,

AUCTORE VITALI SACROSANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIO.

E MS. P. Possini collato cum editione Martenii et apographo P. Gisseji. a

B

CAPUT I. *S. Bertrandi nobilis ortus, educatio, militia, vita canonica Tolosæ, episcopatus Convenensis, mors et virtutes.*

S. Bertrandus, *ex illustrissimo genere ortus,*

Sanctorum vita cæteris norma vivendi est; ideoque digestam plenius * accepimus seriem * Scripturarum : ut dum Abraham, Isaac et Jacob cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem eorum virtute reseratum enitentibus vestigiis prosequamur : Ambrosiana hæc ratio *b* nos in hanc potissimum sententiam duxit, ut scribere debeamus Vitam B. Bertrandi episcopi et Confessoris Jesu Christi. Sanctus igitur * Bertrandus, clarus genere, sed nobilior fide, virtutibus refulsit. Cujus pater * Ato Raymundus, vir generosus; mater quoque de claro titulo ducens * originem, * filia fuit Vileumi * comitis Tholosæ, qui cognomine vocabatur Scindens-ferrum *c* : cujus fama celebris, claris operibus insignita, longe positas provincias illustravit. Fuit autem oriundus e * castello Ictio * *d;* quod incolæ commutantes, construxerunt exinde castrum, quod Insula *e* nuncupatur. Placuit autem utrique parentum, ut juxta Apostolum ab infantia sacras cognosceret literas, quæ eum possent instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Qui dum esset in ætate tenera, in operibus suis tanquam matutina stella refulgens, evidenter indicabat in flore, quam copiosam fructuum segetem, et virtutum uberem germinem produceret in ætate sequenti.

* plenam *M.*
* speciem *M.*

b

* ergo *M.*

* dictus *add. M.*
* duxit *M.*

C

* utpote quæ *add. M.*
* veri *M.* Guiliermi *G.*

c

* de *M.*
* Setio *M.*

d

e

arma induit,

2 Cum vero Beatus Bertrandus attigisset juvenilis * robur ætatis, militaribus armis est decoratus; et cum nonnullos temporalis militia erigat in pestem jactantiæ, inflet et impellat in furorem superbiæ, ad rapinæ trahat iniquitatem; denique in omne turpe * involvat flagitium; qui in suis gloriantur lapsibus, putantes ea esse laudis, quæ sunt criminis; non tamen hunc potuit a studio bonitatis avertere * inanis * militiæ gloria; sedula nimirum intentione B. Martini sequebatur vestigia; unde, tanquam civis supernæ patriæ, moribus insudans honestis, miseriam inopum et gemitum pauperum suis bonis relevare studebat : tanta enim liberalitate florebat, ut nobiles, ignobiles, divites, pauperes ipsum haberent charissimum : dabat * hic operam ne * faceret proximo suo malum, et opprobrium non acciperet adversus proximos suos; pius, modestus, placabilis ad iracundiæ motum, neminem provocans, nullum contemnens, velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram juxta Jacobum Apostolum, inveniebat in singulis gratiam dilectionis; necesse enim erat ut quem divina perfuderat gratia, ab omnibus quoque amaretur.

* juvenile *M.*

* tempore *M.*

* evertere *M.*
* mala *M.*

AUCTORE VITALI.

D

* enim *add. M.*
* ut non *M.*

3 Non in divitiarum incerto et mundiali potentia spem suam vir beatissimus collocavit; sed in virtutum præsidio, quod stabile prorsus ac immobile permanet, totam mentem firmiter constituit; juxta Petri Apostoli sententiam, humilians se sub potenti manu Dei; quæ sursum sunt quærens, non quæ super terram *; sequens * Apostolum *, propriæ contemptor gloriæ, gloriabatur in Domino, sine quo gloria carnis pulvis erit. Illam ergo solam altitudinem gloriæ ardenti requirebat desiderio, quæ in suæ pulchritudinis speculo et decoris veritate indeficienter consistit, quam nullus commutationis turbo prosternit, nullus rerum casus pervertit, nullave * species alterationis * infringit; hanc amabat, totus huic inhærebat, hæc illum fovebat, hujus amor a latere suæ mentis nullatenus recedebat; non gloriabatur in pulchritudine corporis, aut * robore virium, cum et ipse formosus esset, atque robustus; sciens quod * formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut extinguitur vetustate. Formæ namque nitor rapidus * et velox et * omni vernalium florum mutabilitate fugacior, vires quoque corporis decrescunt quotidie, et minuuntur, lapsum potiuntur atque succumbunt.

mundi tamen spernens gloriam,

* quærens *add. M.*
* *omit. M.*
* *omit. M.*

E

* que *M.*
* altercationis *M.*

* in *add. M.*

* quia *M.*

* est *add. M.*
* in *M.*

4 Non ergo in his vir beatissimus suam statuebat gloriam, nec * in fugacibus * levibusque * bonis, quæ festinant ad præcipitem cursum, ad lapsum properant, ad fugam accelerant, quæ tanta levitate feruntur, tanta velocitate moventur, ut quietem nesciant, tranquillitatem ignorent, sequaces suos turpiter confundant, et multa doloris strage et amaritudine repleant; quorum amatores valentia deserit, pungit molestia, vilitas abjicit, recondit obscuritas; non igitur in his, sed in Domino jactans curam et glorians, sequebatur Apostolum, qui raptus usque ad tertium cœlum, tanquam vehemens tuba, intonans de * Spiritu Sancto, terram relinquens, loquitur secundum altitudinem cœli, docens evidenter, in quo amicus Dei debeat gloriari; Qui gloriatur, inquit *, in Domino glorietur; ecce igitur habebat secundum Deum prudentiam, quæ regebat ejus militiam, et malitiæ coercebat audaciam; cum multa nempe cautela et prudenti solertia congruis virtutum radiabat * ornamentis *; [* recte vivendi studio insudans attente, qui non se in operibus suis sed Deum cupiebat prædicari, peregrinabatur in terris, sed ejus conversatio erat in cœlo; quem * ad opus bonum spes futuræ remunerationis adduxit, et ipsum solum volebat sui operis testem, a quo se recepturum credebat tota fidei firmitate mercedem.

Deoque adhærens;

* non *M.*
* fugitivis *M.*
* labilibusque *M.*

F

* de *omit. M.*

* *omit. M.*

* militabat *M. et G.*
* gradibus *M. et G.*
* *uncinis inclusa desunt in MS. P ; hic suppleta e MS. G.*
* quod *M.*

5 Iste vir, cum non esset de parentibus infimis, et sub habitu militari posset viribus et potentia sua nonnullos opprimere, aliena diripere et multam exercere malitiam, noluit exequi temporalis * militiæ potestatem ad bonorum perniciem. Hic est qui potuit transgredi et non est transgessus, et facere malum et non fecit, ideo stabilita sunt bona ipsius in Domino; qui post aurum non abiit, nec speravit

colit justitiam,

* temporalem *M.*

AUCTORE VITALI.

A

in pecuniæ thesauris; unde fecit mirabilia in vita sua. Sub armis ergo sæcularibus, cœlesti serviebat militiæ, et egregiis moribus virtutum exempla posteritati relinquens, supernæ militiæ gloriosum assumpsit certamen. Cæterum ut causa brevitatis

* munia *M.*

præteream multa silentio divinæ gratiæ munera *, in quibus vir Dei summopere nitebat, illam undique * dignam laude prosequi cupio virtutum ejus prærogativam, quæ in paucis admodum reperitur, maxime in fervore juventutis, quæ noscitur pronior ad peccandum. Erat igitur utilis in verbo, discretus in silentio, non reserans inconsulte ostia linguæ, iniquis detractionum morsibus neminem

* utique *M.*

* convictorum *M.*
* amaritudinem *M.*
* aspernans *M.*
* iracundiam *M.*
* illius *M.*

lacerans, conviciorum * amaritudine * non exasperans *, sale nigra non respergens, non afficiens contumeliis, illud adimplens oraculum : Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundia * illius non transivit, et qui non attraxit jugum ejus *, et in vinculis ejus non est ligatus; jugum enim illius ferreum est, et vinculum illius vinculum æreum est. Quoniam enim mors et vita in manibus linguæ, turpia vitabat eloquia, quæ mores corrumpunt. Unde illud sibi congruebat quod scriptum est : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam

B

nequam; et : Ori tuo facito ostia et seras auribus tuis; quia secundum Isaiam justitiæ cultus silentium.

humilitatem et castitatem.
* et *M.*

6 Illud etiam * multo opere declinabat, superbiam dico, quæ multos et potius sæculi milites,

* *omit. M.*

quos gloria vexat inanis, conturbat et * ad infima

* *omit. M.*

dejicit. Sicut enim nonnulli, qui seipsos non * agnoscunt *, non amant lucem, in tenebris ambulant,

* cognoscunt et *M.*

nescientes quid sint, ignorantes unde veniant et quo vadant; unde religione contempta humilitatis, quærunt se supra se; et longius evolantes, metam

* ne *M.*

virtutis nusquam attingunt, nec * seipsos invenient * : excæcavit enim illos superbia sua; et unde

* inveniant *M.*

venantur sublimitatis materiam, reperiunt dejectionis culpabilem causam, juxta prophetam dicentem : Dejecisti eos, dum allevarentur. Lilio quoque castitatis virum Dei jugiter floruisse, nulli eorum extitit dubium, qui vitæ suæ munditiam et puritatem noverunt plenius; cujus virtutis eminentia, cum in omni ætate præclara sit atque laudabilis, gratior tamen fructus ejus apparet, cum

* *omit. M.*
* viriditatis *M.*

germinat et firmat radicem in id * ætatis *, quæ

C

laqueis et lapsibus Veneris solet facilius cedere.

Fit episcopus

7 Cum vir beatissimus exhiberet curam pervigilem in administratione dignitatis sibi commissæ, fama suæ bonitatis longius discurrente, quia civitas supra montem posita non potest abscondi, Convenarum *f* cathedralis ecclesia suo viduata pastore

f

* pastorem *M.*

sollicite quærebat rectorem *, qui eam posset regere

* ipsius *M.*

prudenter, et suis * necessitatibus invigilaret propensius. Factum est ergo * divinæ dispositionis * clementia, ut illi, quibus erat eligendi concessa potestas,

* igitur *M.*
* dispensationis *M.*

invocata de more Spiritus Sancti gratia, supranominatum virum Tolosanæ sedis archidiaconum eligerent in episcopum, cujus virtutem potius acta quam dicta narrabant. Venerunt ad claustrum Beati Stephani, ejusdem loci episcopo et conventui electionem indicantes. Seniores simul et juniores

* dolentes *M.* *et G.*

gaudent de promotione justi viri; dolor * per-

* penitus *M.* *et G.*

mixtus * quod eorum ecclesia filium suum mitteret longius. Quid plura? Ducunt electum ad civitatem Convenarum, virum in singulis optimis optime notum, qui neminem prece * preciove tentaverat, ut

* *omit. M. et G.*

altioris dignitatis culmen attingeret; duxerunt virum, inquam, lilio castitatis præclarum, humilitatis placidum speculo, misericordiæ plenum operibus, more solemni in cathedrali ecclesia intronizantes; concio clericorum laudibus plena resultat, in multo gaudio populorum multitudo lætatur. Procedente * tempore consecratus est a Vileumo * Bernardo *, beatæ recordationis venerabili archiepiscopo in Ecclesia Auxitana, quæ juxta majorum statuta decem civitatum noscitur * esse metropolis *g*.

D

* Præcedente *M.*
* *omit. M.*
Guiliermo *G.*
* Bertrando *M.*
* dicitur *M. et G.*

8 Post cujus consecrationis solemnitatem, cum vir sanctus ad suæ civitatis ecclesiam rediisset, divinum ibidem celebraturus mysterium, factus est de more venientium * ingens concursus, gaudium in clero et erat * lætitia magna in populo. Hanc nimirum ecclesiam clementissimus rex Francorum *h*, postquam eripuit civitatem prænominatam a tyrannica rabie gentilium, post adeptam victoriam sibi datam divinitus, ejecta profanæ gentis spurcitia, insignibus decoravit * regalibus *i* cum monte et suburbio; et ad majorem honoris sublimitatem, illud majestati regali adjecit, ut qui prædictam regeret ecclesiam auctoritate pontificali, de regio jure comes Convenarum existeret, et tam ignobilibus quam etiam nobilibus jure dominandi cunctis præesset *k*. Tantæ nobilitatis ecclesiam, etsi minus locupletem, regendam commisit Sancto Bertrando divina clementia. Dedit igitur vehementius operam ut ecclesia [* in altum consurgeret et decoravit cum illa ornamentorum venustate, quam exigit sibi in usus ecclesiæ, quia diligebat] * decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ ejus *l*. Circa ecclesiam claustrum *m* construxit, quantum permisit loci illius angustia *n*, impediente præcipitio rupium; ibidemque religionis amator canonicos instituit, qui sub regula Sancti Augustini ecclesiasticis manciparentur obsequiis. In monte quippe domus non erant *; et ecce temporibus hujus Sancti meritis exigentibus suis, homines accesserunt, et in monte civitatem habitationis reædificaverunt : et juxta prophetam seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis; et locus, qui multis temporibus desertus fuerat, habitatores recepit.

g
nobilissimæ sedis, Convenarum, ubi templum restaurat et canonicos regulares instituit.
* viventium *M.*
* *omit. M.*
h
* ac *add. M.*
i
k
* *uncinis inclusa omit. M. et G.*
E
* reciperet *add. M.*
l
m
n
* erat *M. et G.*

9 Sanctus itaque Bertrandus, signipotens fulgore virtutum, plebem sibi commissam lingua, mente, vita prudenter regebat, et virtute miraculorum hominum infirmitates curabat. Dumque parochiales ecclesias visitaret, dies vocationis advenit. Morbum incurrens febrilem, viribus corporis cœpit repente destitui; et intelligens dissolutionem corporis sui, fecit se deferri ad cathedralem ecclesiam. O virum in omnibus laudabilem! qui tota devotione erigebatur ad cœlum, et cum gravius urgeret infirmitas, faciebat se portari manibus * fratrum * in

sanctissime mortuus,

F

* *omit M.*
* a fratribus *M.*

oratorium ante altare Beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore fundata est cathedralis ecclesia *o;* ubi in contemplatione suspensus, vacabat orationi propensius, et Domino Jesu Christo et misericordissimæ matri ejus se recommendans attentius, ad vitæ præsentis exitum cum plena exultatione, tanquam certus de præmio, devotius * properabat. Denique vir sanctus, post consolationem discipulorum et doctrinam et episcopalem benedictionem eisdem exhibitam, laudabili fine diem clausit extremum XVII kalendas Novembris; quem utique lingua, mens et vita, opera, virtutes et signa fideliter narrant ad Christum migrasse; et ante thronum Altissimi, inter sanctos et sublimes Confessores Jesu Christi, gloria fruens immarcessibili, regnat feliciter * : ubi cum Sanctis regnat in æternum. Magna nimirum et valde mirabilis clementia Christi, qui post transitum sancti viri uberius * etiam * contulit eidem gratiam faciendi virtutes et signa : nam manifeste datur intelligi et oculata * fide constat esse perspicuum, quod Sanctus * Bertrandus, Convenarum episcopus, fidelis Christi servus et prudens,

o
* devotionis *M.*
* felicitate *M.*
* *omit. M.*
* *omit. M.*
* occultata *M.*
* Beatus *M.*

A prudens, cujus vita innumeris refulsit miraculis, postquam migravit * a sæculo, majora noscitur beneficia præstitisse. More enim solito et multo frequentius postmodum mirabili virtute coruscavit * signorum; statim namque omni mora postposita, Domino disponente, virtutes renovantur sancti pontificis, declarantur et signa copiosius *p*.

* migraverat *M.*

* coruscant *M.*

p

laudatur de castitate, humilitate et liberalitate. Dicta sua hausit scriptor e narrationibus

10 Inter cætera vero virtutum insignia, quibus eum divina perfuderat gratia, tria *, quæ sanctum efficiunt, noscitur habuisse, integræ castitatis puritatem, veræ humilitatis devotionem, hospitalitatem ad omnes, maxime tamen ad domesticos fidei. Erat utique * castus, non solum corpore sed etiam * mente, ut nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum *, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis. Quia * domus bona in ipso vestibulo debet agnosci, humilitatis virtutem usque adeo fideliter conservabat, ut in nullo usquequaque declinaret ad ejus contrarium, nec * more * quorumdam vanam hypocrisin inaniter curabat, sicut plerique faciunt, qui sub fallaci * specie humilitatem ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant. Sunt enim, qui nequiter se humiliant et interiora B eorum plena sunt doli; non sic iste, non sic; sed sine fuco, sine fraude, vere humilitatis custos indubitanter extitit. Liberalitatis virtus tanta in eo cognoscitur fuisse, ut hospitibus et peregrinis, pupillis et orphanis, viduis et * leprosis, et quibus est pudor aliena subsidia appetere, nulla ratione beneficentiæ gratiam abnegaret. Propter castitatem decoratus, propter humilitatem exaltatus, ob beneficentiam valde gratus, Deo et hominibus placere meruit. Ecclesia ergo Convenarum tanti patris sollicitudine in sancta conversatione profecit *, opinione claruit, rebus necessariis crevit. Noverit * autem vestra dilectio, fratres charissimi, quoniam * quæ præmisimus, ex * magna didiscimus parte relatione domni Vilcumi * *q*, venerabilis archiepiscopi Auxitanæ sedis, nepotis ejus, quem in * ætate tenera * apud se nutrivit, et eundem fecit applicari studio literarum, et canonicavit eum in ecclesia Sancti Stephani, unde ipse fuerat canonicus, et exinde ad dignitatem episcopalem assumptus. Archiepiscopi * pater * linea * germanitatis Sancto Bertrando noscitur fuisse conjunctus. Mater vero prædicti metropolitani erat germana beatæ et recolendæ memoriæ Vilcumi * Bernardi * archiepiscopi Auxitani, a quo iste nomen accepit, nondum tamen in præsentem lucem effusus, sed clausus in utero matris; quod, eodem veraciter docente, dum in Auxitana sede de * suæ narrationis auctoritate multa virtutum exempla colligerem et præsentis scripti propositum, eo mandante, addiscerem, sic accepi ex ordine.

* omit. *M.*

* perfecta *M.*

* Novit *M.*

* *omit. M.*

* et *M.*

* Wilelmi *M.*

q

* prima *add. M.*

* *omit. M.*

* *omit. M.*

* *omit. M.*

* per lineam *M.*

* Vilcumi *omit. M.*

* B. Bertrandi *M.*

Gulielmi III, archiepiscopi Ausciensis, cujus nativitas explicatur.

11 Mater ejus genuerat filios; sed morte interveniente, facile eosdem perdebat : quadam ergo die, cum loqueretur cum fratre suo archiepiscopo de morte liberorum, questa diutius, ab eo tale responsum accepit : Soror mea, fructum tui ventris * consecra Domino; si fuerit puella, sanctificabis * eam sub voto et religione sanctimonialium; si vero masculus fuerit, nomen meum impones * ei *, facies eum literas doceri et offeres eum Domino : quod sic rerum eventus, Deo disponente, clarius indicavit. Fatemur utique, quoniam non spe quæstus ad gloriam commoti ad scribendum venimus, sed hujus * viri gratia, qui patrueli gloria Sancto Bertrando conjunctus fuisse dinoscitur. Et sicut hujus * Sancti virtutem, ita quoque et illius religionem, cujus causa præsenti instamus proposito, multis et * veris studeremus efferre præconiis; sed non præsumimus, cum sit scriptum : Lauda homines post mortem, magnifica post consummationem *r*.

* quem utero deportas *M.*

* sacrificabis *M.*

* imponas *M.*

* et *M.*

* hujusmodi *M.*

* hujusmodi *M.*

D * ut *M.*

r

ANNOTATA.

a *Cfr quæ num.* 3 *monuimus de tribus his ecgraphis.*

b *Hoc proœmium initium est libri de Josepho patriarcha* (*a*).

c *Vulgare id cognomen* Taliafer *dicebatur, ut liquet ex hujus Vileumi, seu potius Gulielmi III sepulcro, cujus imaginem ediderunt Occitaniæ historiographi* (*b*). *Illis temporibus pluribus magnatibus commune fuit id cognomen, quod a corporis robore eis indebatur. In Historia Pontificum et Comitum Engolismensium* (*c*) *de quodam comite Gulielmo, Sectore-ferri, legitur :* Guillelmus iste mediocris staturæ et egregiæ statutudinis, ita quod hujusmodi in corpore quantitatis major virtus, ut arbitror, non exstitit. Nonnullos enim equites ictu lanceæ per clypeum et loricam transfigendo interfecit, et a vulgo dicitur, quod ab equo suo persecutione militare numquam præcipitatus dedit. *Ex* E *quibus liquet in attribuendo eo cognomine magis valuisse vires corporis quam animi fortitudinem, licet contrarium velint historiographi Occitaniæ* (*d*) *in laudando Gulielmo nostro, comite Tolosano. Certe propriis dotibus debebat is id suum cognomen; quandoquidem id in genere suo hæreditarium non erat, quemadmodum* Tailleran, Taillerien, *etc., aliquandiu a patre in filios defluxi apud comites Provinciæ. Quod pertinet ad Gulielmi III laudes, multum laborant historiographi Occitaniæ* (*a*), *ut aliquot saltem clara opera, ab eo facta, reperiant.*

d *De nomine hujus castri pluribus disseruimus in Commentario prævio num.* 16.

e *Id factum est ante annum* 1062, *ut in Commentario prævio num.* 16 *docuimus.*

f *Oppidum id, cujus originem, situm atque destructionem* § III *Commentarii prævii exposuimus, nunc dicitur* St-Bertrand de Comminges. *Valde mire de ejus nominis etymologia disserit Valesius :* Convenas, *inquit* (*f*), nunc vocari *Commingeois,* quasi commanentes, et pagum Convenicum, *le Comminge,* quasi commanentiam dici, olim persuasum habui : nec etiamnum mea mihi conjectura displicet. *Addit dein, in Notitia quadam Galliarum Convenarum nomen a* Communia *deduci, quod cives variis ex locis in unum corpus aut communiam coaluerint. Ast, ut alia multa taceamus, utraque conjectura repugnat dictis S. Hieronymi, quæ num.* 53 *Commentarii prævii recitavimus. Quod vero ad nomen gallicum pertinet, id corrupte a nomine latino derivari satis liquet; cæterum aliquantisper investigari potest, quas mutationes passum sit hoc nomen, ut ad præsens gallicum deveniretur. Fredegarius in suo Chronico num.* 2 (*g*), *Vasconum loquendi modum sequens,* Conbanem, *non autem Convenas scripsit; postea, ut ex diplomatibus colligere est, scriptum fuit* Cominhium, Cominicum, Comejum, Comenium, *etc.* (*h*). *Et quidem anno* 1125 Comenge *jam prodit in diplomate, quod recitant historiographi Occitaniæ* (*i*); *unde liquet id nomen huic regioni adhæsisse, cum vix aliquot annos una alterave* Communia *in his plagis exstaret* (*k*), *neque proin nomen* Comenge, *seu* Comminge *a* Communia *deduci posse.*

F

(*a*) Oper. S. Ambrosii, t. I, p. 429. Edit. 1781. — (*b*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 173. — (*c*) Labbe, Biblioth. nov. MSS., t. II, p. 258. — (*d*) Hist. du Languedoc, t. II, p. 176. — (*e*) Ibid., l. c. — (*f*) Notit. Gall., p. 158. — (*g*) D. Bouquet, t. II, p. 417. — (*h*) Hist. du Languedoc, t. II, vide Indicem. — (*i*) Ibid., probat. col. 434 et seqq. — (*k*) Ibid. p. 515.

A g *Plura de his jam disputarunt decessores nostri in Vita S. Exuperii ad diem* XXVIII *Septembris* (*a*), *et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum* (*b*). *Non enim semper Ausciensi sedi metropolis jura attributa fuerunt; quinimmo diu ipsa subjecta fuit sedi metropolitanæ Elusatium; donec hæc civitas destructa fuit et sedes archiepiscopalis semota : hinc sæculo nono jura metropolis accessere Ausciis in Aquensem, Lactoratensem, Convenensem, Conseranensem, Lascuriensem, Adurensem, Vasatensem, Tarbensem, Olorensem et Bajonensem Ecclesias; ad quas alludit Vitalis hic loci.*

h *Si quæritur, quis sit* clementissimus *ille* rex Francorum, qui *Convenas* eripuit a tyrannica rabie gentilium *et* post adeptam sibi victoriam datam divinitus, ejecta profanæ gentis spurcitia, *cathedram Convenensem tantopere nobilitavit, fateor me vix scire cui conjecturæ* (*nam plures fieri possunt*) *adhæream. Cæteris tamen præplacet sententia P. Possini, qui in observationibus, ecgrapho suo præmissis, æstimat* clementissimum *hunc* regem *Clodovæum I esse;* tyrannicam rabiem gentilium *dominationem Visigothorum, qui, jam pridem tota hac regione potiti, Tolosæ regni sui sedem colloçarant;* victoriam datam
B divinitus *Vocladensem triumphum esse, relatum de Alarico, et a veteribus permultis scriptoribus speciali divinæ opi adscriptum; et demum* ejectam profanæ gentis spurcitiam *hæresim Arianam esse, quam Visigothi profitebantur. Si vero quis hæc ad tempora Caroli Martelli, Pippini, Caroli Magni et Ludovici Pii referre velit, qui cum Sarracenis aliisque non multo melioris notæ catervis in hoc terræ tractu prœliati fuerunt, ipsi nequaquam obstabo.*

i *Regalia, ut in Glossario Cangii videre est, varii sunt generis : hic autem certe sunt vel* jura regia, quæ ab imperatoribus vel regibus interdum ecclesiasticis aliisque personis conceduntur, *qualia teloneum, moneta, pedaticum, etc., vel* prædia, quæ ad ecclesias pertinent, iis a regibus olim concessa.

k *Textus editus a Martene plane hic consentit cum MS. P. Possini; sed plurimum discors est MS. P. Gisseji, in quo hæc leguntur :* Et ad majorem honoris sublimitatem illud majestate regali adjecit, ut, qui prædictam regeret Ecclesiam authoritate pontificali, de regio vicecomes Convenarum existeret et ignobilibus jure dominandi cunctis præesset. *Ex qua lectionum varietate habemus episcopos Convenenses secundum Martenii et Possini ecgra-*
C *phum dictos fuisse* comites *et* tam ignobilibus quam etiam nobilibus jure dominandi cunctis præfuisse; *et secundum tertium apographum* vicecomitum *tantum titulum eis datum fuisse, eosque* præfuisse ignobilibus, *non autem nobilibus. Quæ varietates si in examen vocemus, liquet imprimis in utroque scribendi modo aliquid hiulci esse; nam non bene in priori lectione fluit :* Et tam ignobilibus quam etiam nobilibus. . . præesset, *ubi potius dicendum foret :* Tam nobilibus quam ignobilibus; *et altera lectio :* De regio vicecomes *desiderare videtur vocabulum* jure. *Præterea textus, editus a Martene, et jam ante Oihenarto cognitus, tam inextricabiles difficultates parit, ut Oihenartus, historiographi Occitaniæ, P. Possinus in laudibus Convenarum, quas ecgrapho Vitæ S.* Bertrandi *late apposuit, et encomiastes Lastrade omnino omiserint sermonem facere de comitis titulo, quo olim fruiti fuissent episcopi Convenenses. Et quidem jam dudum ante S.* Bertrandi *tempora reperitur comitatus Convenensis penes domum Carcassonensem, neque uspiam mentio fit de Convenensi episcopo, qui comitis titulo gavisus fuisset, sed plures occurrunt in Historia* D *Occitaniæ laici, qui comites Convenenses appellantur; unde multo credibilior fit lectio apographi P. Gisseji, quod Convenenses episcopos vicecomites tantum et cunctis ignobilibus superiores facit.*

l *Textus apographi P. Gisseji et editionis Martene differunt hic satis a textu P. Possini, ut num.* 61 *Commentarii prævii monuimus.*

m *Vide de hoc claustro et de canonicorum regularium Convenensium institutione Commentarium prævium* § IV.

n *Reapse hæc loci angustia tanta est, ut Bruzen de La Martinière in Dictionario Geographico Historico ex authenticis instrumentis narret die quadam sacerdotem confessarium præ pœnitentium turba a rupibus præcipitem datum fuisse : cui narratui fidem præbet ingens concursus hominum, ad S.* Bertrandi *jubilæum convenientium. Cfr. num.* 90 *Commentarii prævii.*

o *Errant scriptores plurimi, qui arbitrantur hanc ecclesiam posuisse primitivæ patronæ suæ vocabulum, ut S.* Bertrandi *titulum assumeret : videlicet altare tantum cum S.* Bertrandi *nomine in ea conditum est; B. V. Maria vero permansit patrona.*

p *Hic desinit ecgraphum P. Gisseji, ut num.* 6 E *Commentarii prævii monuimus.*

q *De Gulielmo III seu Vileumo, de Gulielmo I seu Vileumo Bernardi, paulo inferius memorato, deque varietate lectionum, quæ hic in MSS. exstat, plura docuimus* § II *Commentarii prævii.*

r *Liquet hæc scripta fuisse vivente Gulielmo III, Ausciensi archiepiscopo, qui sedit usque ad annum* 1170.

CAP. II. *Miracula S. Bertrandi, dum viveret in terris.*

Exigit * autem congruus ordo doctrinæ, ut aliquam Sancti Bertrandi miraculorum partem seorsum ac separatim officio stili mandemus *; quoniam in narrandis S. Bertrandi * singula * non esset data facultas et liber excresceret in opus immensum. Decens enim ut et sancti viri virtutes et signa non jaceant sepulta silentio; sed per scripturæ memoriam jugiter vivant in sæculo. Partim igitur accepimus in ecclesia sua ab his *, qui eum viderant, et ejusdem gesta noverant plenius, miracula quæ * scripsimus; partim * illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de Ordine Cisterciensi, dum apud eas sederem * et de schola virtutum eorum assumerem * exempla verborum *a*. Tempore igitur quo vir Dei, sublimatus cathedra pontificali, Convenarum regebat Ecclesiam, erat quædam femina, titulo nobilitatis insignis, sub cujus dominatione multa * constituta castella in eadem diœcesi, obsessa * a demone. Vexabat eam demonium; loquebatur tacenda atque dicenda; crinibus effusis per terram volvebatur supina; membrorum motus inæqualis, enormis et inordinatus; oculorum revolutio horrenda quam plurimum; rictus oris terribilis; facies olim formosa, tota deformis : dolebant parentes dolore nimio, pro eo quod esset opprobrium et confusio omnium; duxerunt eam ad basilicam Sancti Justi *b* *, ubi * quantum poterat jejuniis et orationibus instabat *. Quadam igitur dominica die ingressus est vir Dei prædictam ecclesiam, celebraturus

S. Bertrandus *energumenam liberat,*
* surgit *M.*
* demanda remus *M.*
* *omit. M.*
* singulis *M.*

F

* iis *M.*
* quæ *omit. M.*
* et *add. M.*
* sederet *M.*
* assumeret *M.*

a

* erant *add. M.*
* stabat *add. M.*

b

* viri *add. M.*
* ubi *omit M.*
* insistebat *M.*

(*a*) Act. SS., t. VII Sept., p. 628. — (*b*) T. I, p. 242, ad an. 508, § VIII.

A braturus ibidem missarum solemnia. Parentes et amici prænominatæ mulieris rogant illum, ut accedat ad illam, et liberet obsessam. Denique vir Dei, confisus de misericordia Christi, altius orationi incumbit; et officio pietatis convictus *, lacrymas et preces attendens rogantium, in nomine Christi Jesu adversus dæmonem fortis athleta surgit in prælium : dæmon cœpit acrius fremere et * obsessam crudelius vexare; sed ecce sanctus episcopus aquam benedictam super eam respersit * cum oratione devota, et invocata gratia Sancti Spiritus, imperat dæmoni confidenter, ut exeat : et confestim liberata est mulier a dæmonio per virtutem Spiritus Sancti et orationem apostolici viri, statimque ad majoris * certitudinis argumentum * et revelationem Christi Jesu, in ipsa * liberatione, multum evomuit sanguinis, quæ fuerat a dæmone vexata. Et omnes, qui viderunt, dederunt laudem Deo, qui tam sanctum elegit pastorem in Convenarum Ecclesia, qui et * ecclesiam sapienter regeret et dæmonia ab obsessis ejiceret. In hujus nimirum consideratione miraculi omnes, qui aderant, erant repleti stupore nimio, et lætabantur in gaudio magno; sed illi potissimum mirabantur * exultantes, B ad quorum opprobrium infirmitas dominæ videbatur spectare. Ibant igitur omnes gaudentes, et divulgabant ubique tanti virtutem miraculi; mulier vero * infinito repletur gaudio, et ait : Deo gratias et sancto episcopo, per cujus orationem liberaverat eam dominus a vinculo dæmonis. Quæ, pristina libertate percepta, cœpit e vestigio in formam sanitatis reduci, vividior * color redditur vultui, lingua modestiam *, oculi * venustatem *, stabilitatem * cervix *, et omnis denique motus membrorum cum summa compositione servabat solita * incolumitatis vestigia. Mulier hæc generosa multis temporibus de tanto miraculo perhibuit testimonium cum iis qui viderant et crediderant, non solum dum * sanctus episcopus in * terris viveret, sed etiam * postquam feliciter ad Sanctorum consortium in cœlum migrasse cognoscitur.

13 In quadam villa erat mulier formosa facie, quæ fallaci laqueo Veneris unum diaconum tanto libidinis ardore succenderat, ut præter eam nihil optaret videre *, præter eam nihil videretur amare : amor illicitus, amor perditionis et noxius, amor religionis voto * contrarius et a clericorum conditione, schola virtutum persuadente, sejunctus, C mentem prædicti clerici inebriaverat, et corpus ejus commaculaverat; et erat ligatus in vinculis ejus; et sic illius jugo colla * submiserat, ut a misera captivitate nulla ratione posset evadere. Requirebat consilium, quomodo posset ab amoris noxia peste recedere, et neminem inveniebat, qui posset eum ab ejus retiaculo liberare. Gravis nimirum ista dementia : non amicorum dehortatio, non pœna verberum *, non denique virtus medicamenti plerumque sufficiunt hanc pestem auferre, hunc dolorem præcidere, hunc furorem extinguere. Sic iste captus erat, et vincula ejus nemo solvebat, sine spe libertatis tenebatur astrictus, et a castitatis lilio recesserat impudicus. Sed ecce factum est divina gratia, ut sanctus episcopus ingrederetur hanc villam, ubi hæc fiebat; et tanquam sollicitus pastor, cupiens ovem suam reducere ad ovile Domini, corrigebat diaconum, dicens : Quid est quod audio de te? Debuisti vas tuum possidere in sanctificatione et puritate vitæ, ut dignus esses ad ministerium Dei. Congruum tibi erat et * voto tenebaris astrictus, cum ad sanctos Ordines accessisti, castitatem servare, fugere * fornicationem, quæ animam ligat, corpus commaculat. Ministrum altaris vitæ munditiam decet habere, nec usquequaque corpus suum libidinis inquinamento fœdare, nec cor suum inclinare ad Veneris æstum *. Post correptionem sancti episcopi respondit diaconus dicens : Pater, gratias tibi ago, quod rependitur meritis * congrua vicissitudo. Paterno verbere castigas, quos diligis. Ego utique me * graviter deliquisse cognosco et contra officii mei legem egisse confiteor; cæterum invitus trahor, rapior nolens ad perditionis amorem, et libertatis gratiam nusquam reperio : ago, quod nolo, et quod * odio, facio.

14 Tunc vir Dei, intelligens altius vulneratum cor ejus, convertit se ad mulierem, dicens : Sed * quid blandimentis tuis meum filium persequeris? Quare oblectationum tuarum amaritudine amarissima meum ministrum excrucias*? Numquid, misera mulier, non times summi judicis iram incurrere, qui tam nefanda scelera non consuevit impunita relinquere? An ignoras *, lasciva *, tua sine pœna tanti delicti atrocitatem committere? Desine amplius, mulier impudica, desine amplius, ab incepta desiste nequitia, et tui furoris amorem averte. Tunc mulier scelerata * contemnens monita sancti episcopi, iniquitatis verba profudit : et dum E loqueretur vana * quædam, venit super eam virga terribilis, missa * divinitus *, et mox in conspectu circumstantium vexata graviter a dæmonio, expiravit illico, simul vitam amittens et animam. Quo facto, timore magno et vehementi admiratione repleti sunt, qui aderant.

15 Quædam mulier, non habens unde filium suum nutriret, requirebat a patre præsidium; qui, ut adimeret omnem occasionem petendi beneficium, dicebat se nunquam filium habuisse ab illa. Venit ergo mulier ad virum Dei, et ante præsentiam ejus constituta, super hoc proposuit querimoniam, dicens : Ad gemitum cordis mei inclina, pie pater, aurem tuam, quia inops et pauper sum ego. Infelix ego mulier, omni exposita miseriæ, fornicatorio concubinatus amplexu hunc, quem vides puerum præsentem, vulgo natum concepi et peperi, et non possum ipsum nutrire, angustia rei familiaris [urgente; et doloris *] acerbitas vehementius conturbat viscera mea, et acrius excruciat animam meam, quia pater ejus patrem se negat, et exutus pietate paterna filium non recognoscit quem genuit, et omne beneficium negat filio suo. Video ergo misera F filium meum mori, * eo quod non habeo unde sustentem vitam ejus; unde vita mea in mærore * et in gemitibus, quoniam * fame perit filius meus; excusat matrem immoderata paupertas, et ejusdem innocentiam evidentius judicat ingens penuria; accusat patrem veritatis conscientia testis, quæ docet eum filium habere, quoniam * negat occasione retrahendi beneficium : præterea arguendus est criminis, qui, cum * habeat filium, negat nutrimentum, præsertim cum non desint * sibi facultates. Dic ergo ei, domine, ut me adjuvet quia * reliquit me solam ministrare. Tunc sanctus episcopus, considerato gemitu mulieris, jussit hominem ante præsentiam suam constitui, monuit, * inquisivit et increpavit eum, pro eo quod negaverat debitam nutrituram filio suo; qui more solito negationis protulit verbum, et se puerum istum non genuisse testatur, dicens : Audisti, optime pater, astutæ mulieris querelam, quam manifesta falsitate respergere non erubuit; tanquam calumniatrix iniqua *, in me innocentem tam * falsum intendere crimen præsumpsit. Ego breviter respondeo et me ab hac muliere filium habere nulla ratione cognosco. Ex rationibus intendentis et impellentis etsi non dis-

AUCTORE VITALI.

D
* istud *M.*
* monitis *M.*
* *omit. M.*
* quæ *M.*
et mulierem scelestam plectit.
* ut *M.*
* cruciaris *M.*
* ignorat *M.*
* lascivia *M.*
* scelerosa *M.*
* nova *M.*
* *omit. M.*
* *omit. M.*
Detegit per aquam frigidam patrem pueri,
* *omit.* [ ] *M.*
* pro *add. M.*
* timore *M.*
* in *add. M.*
* quem *M.*
* tametsi *M.*
* desunt *M.*
* qui *M.*
* et *add. M.*
* nequam *M.*
* *omit. M.*

* conjunctus *M.*
* *omit. M.*
* aspergit *M.*
* majorem *M.*
* augmentum *M.*
* repentina *M.*
* *omit. M.*
* gaudentes et *add. M.*
* etiam *M.*
* vividus *M.*
* modestia *M.*
* oculis *M.*
* venustas *M.*
* stabilitas *M.*
* cervici *M.*
* *omit . M.*
* dominus *add. M.*
* *omit. M.*
* et *M.*
impudicum increpat
* habere *M.*
* amor *add. M.*
* colla jugo *M.*
* verborum *M.*
* nam *M.*
* fugare *M.*

AUCTORE VITALI.

currebat eadem verborum series, eadem * nihilominus colligebatur sententia. Tunc sanctus episcopus ad experientiam fidei accedens, confisus utique de misericordia Christi, ante se jussit afferri vas plenum aqua frigida *d*, appositus est lapis intrinsecus, benedixit aquam, et dixit homini : In nomine Christi Jesu extrahe lapidem de aqua frigida; et si confidis de innocentia, appareant innocentiæ signa; si vero non, contrarium. Tunc homo cum temeritate et summa audacia manum mersit * in aquam, lapidem extraxit, et statim virtute divina manus tanta combustione exarsit, ut * cocta videretur in ferventissima aqua; et recepit in filium quem prius negaverat, et nutrivit eum. Sensit testis dolosus in aqua frigida ignis incendium, qui contempserat episcopale mandatum, et apprehendit omnes timor et admiratio, et magnificabant Dominum *, qui mirabilis est in Sanctis suis.

A

* tamen *add. M.*

d

* misit *M.*

* quod *M.*

* Deum *M.*

venatoribus prædam impetrat,

16 In Villa Nova *e* suum ingressus hospitium, vocavit servos patris familias, dicens eis : Habetis aliquid de venatione vestra? Qui dixerunt ei : Jamdudum, pater, de venatione nihil accepimus, et licet habeamus instrumenta venandi nonnulla, adempta * tamen nobis est diu venationis gratia. Mox vir Dei præsentari sibi laqueos jussit, et benedixit eos, et præcepit * pueris, ut ad venandum exirent; confestim executioni mandatur præceptum, et post modicum temporis spatium magnum capreolum afferunt venatores : et cognoverunt episcopi benedictionem non cecidisse * irritum et benedicebant Dominum, qui voluntatem episcopi virtute * tam repente compleverat. Multis quoque temporibus, quamdiu prædicti laquei superfuerunt, in eadem domo gratia venationis remansit.

e

* erepta *M.*

B

* jussit *M.*

* in *add. M.*

* *omit. M.*

socium suum, a malevolo interceptum, divinitus immissa caligine, vindicat,

17 Die quadam parabat * ducatum cuidam homini; et ecce * miles quidam, habens hominem * illum exosum, occurrit in via, et manu profana rapuit eum, equitantem post episcopum ut esset securior. Rogavit vir Dei tyrannum, ut quem manu sacrilega violenter * abstulerat, redderet sibi hominem; sed miles preces ejus contempsit. Quod videns episcopus ingemuit, et canonicæ ultionis non distulit exercere gladium; et mox miles plagam sensit in oculis cœlitus missam, et sicut Cain impressum est signum in palpebris oculorum, habentium motum continuum : unde invitus reddidit hominem [et incolumen reliquit *]

* præstabat *M.*

* in via *add. M.*

* *omit. M.*

* sibi *add. M.*

* *omit.* [] *M.*

a muliere sterilitatem avertit.

18 Quidam habebat uxorem * sed * utique * negata erat gratia generandi prolem. Ingressus est vir Dei villam ubi isti permanebant. Venerunt ante præsentiam sancti pontificis, exponunt cum gemitu cordis ei suam sterilitatem, quam non intulerat senectus, sed vitium naturæ. Ab utroque diligenter inquisivit sanctus episcopus, utrum post contractum matrimonium thorum * legitimum contagione adulterii, experientia recipiendæ prolis, maculasset; uterque sub fidei attestatione stipulatur se non transtulisse ad alienum thorum. Tunc sanctus episcopus jussit sibi afferri * panem et vinum, benedixit et dedit eis, monuitque ut sobrie et juste viverent et fideliter expectarent in Christo se prolem habituros. Factum est ergo ut vir ille suam uxorem cognosceret, quæ concepit, et desideratam sobolem peperit viro suo; cui per orationem Sancti Bertrandi recessit * ingrata sterilitas, et * advenit jucunda fœcunditas.

C

* suam *add. M.*

* *omit. M.*

* cui *M.*

* coitum *M.*

* offerri *M.*

* *omit. M.*

* ei *M.*

piscatoribus certum capiendorum piscium numerum præsignat,

19 In quadam villa in hospitio suo juxta fluvium, quem Nestam *f* incolæ nominant, præcepit cuidam piscatori, ut juxta numerum, quem [sibi præsignavit, pisces in flumine caperet : juxta numerum, quem *] audierat, sine mora pisces piscator de aquis extraxit et licet labori diutius incubuisset, ut plures et alios caperet, non tamen *, nisi sicut sanctus episcopus dixerat, in captura piscium voluit aquiescere fluvius piscatori. Hoc etiam vir Dei miraculum fecit semel, iterum et tertio in eadem domo, et juxta propositum numerum nec minus nec amplius sequebatur captura piscium; sed vice ultima præcepit piscatori vir liberalitatis magnificus, ut multitudinem caperet piscium copiosam. Ad fluvium velociter currit piscator, jam fidem securam accipiens ex * consuetudine *, utpote qui ex mandato episcopi in captura piscium sæpius ipse miraculorum inspexerat gratiam. De latebris gurgitum currunt celeriter pisces ad hamum, et festinantius * multitudine piscium onustus piscator redit ad domum, ubi erat vir Dei plenus eleemosinis et bonis operibus; et qui hoc viderunt, admirati sunt valde.

f

* *omit.* [] *M.*

D

* *omit. M.*

* et *M.*

* certitudinem *M.*

* festinanti *M.*

arborem sterilem fœcundam reddit,

20 In villa quadam invitavit quidam homo sanctum episcopum, ut manducaret cum illo; et paratis dapibus, fecit illum discumbere sub arbore, quam nucem nuncupant. Postquam exempta est fames epulis *, mensæque remotæ, qui paraverat convivium, dixit : Rogo te, pater, ut, post * benedictionem nostram *, benedicas et * arborem istam sub qua discubuisti. Mox arborem benedixit episcopus, camque virtutis gratiam in se recepit, postmodum ut nulla sterilitatis species sibi auferat annuatim * fructus * sui ubertatem jucundam. Accidit plerumque, ut arbores sui generis *, circumquaque positæ, ex * intemperie aeris, quos pariunt fructus amittant; sed hæc sola nuces conservans *, et nulla epidemia aeris repentinave immutatione perdens pulchritudinem gloriæ suæ, lætatur præ cæteris mater fœcunda tempore debito, sterilitatis ignara.

* epulæ *M.*

* per *M.*

* vestram *omit. M.*

* *omit. M.*

E

* annuam *M.*

* *omit. M.*

* germinis *M.*

* et *M.*

* conservabat *M.*

lolia exterminat,

21 Sicut est consuetudo, mulieres purgabant agros resecantes falcibus noxias herbas, ut seges liberius cresceret * et creditor * seminum copiosius messem colligeret. Dum huic labori mulieres instarent, pertranseuntem vident episcopum de more benedicentem eis, et dicunt ei : Audi, domine, voces ancillarum tuarum, herba pessima, quæ dicitur lolium, his * in locis consuevit excrescere *, et multitudine sua suffocat segetes, non permittit agros fructificare, nec semina credita reddere; unde sanctitas tua benedicat agros istos, ut maledictione puniat hanc noxiam herbam, ut ab agris recedat sterilitas, et tuis meritis de cætero segetum non ingrata sequatur ubertas. Supranominatam herbam confestim maledixit episcopus; et ulterius nullo tempore in illorum agrorum cultura illius herbæ noxia pestis apparuit. Magna nimirum et mirabilis fides episcopi, cujus virtutem sentiunt aquæ, arbores, agri : aquæ siquidem virtutem ejus noverunt, cum licet frigidæ essent, per orationem tamen episcopi in manu trahentis lapidem temere manifestæ adustionis reliquerunt vestigia. Alibi etiam * flumina * intellexerunt virtutem ejus, cum tot sibi pisces miserunt, quot ipse jusserat *; saltus et nemora virtutem ejus senserunt, cum vix extensis * laqueis ad ipsum venationem sine mora miserunt; ejus virtutem arbor agnovit, cum post benedictionem episcopi congruo tempore extitit sterilitatis ignara; pulchritudo quoque agrorum virtutem episcopi prædicat *, cujus gratia ab eisdem recessit herbarum malitia et provenit ubertas jucunda.

F

* excresceret *M.*

* creditorum *M.*

* hactenus *M.*

* crescere *M.*

* et *M.*

* fluvia *M.*

* petierat *M.*

* extentis *M.*

* in *add. M.*

frustra de vini copia celatur,

22 Sicut consuetudo ejus erat, in quo virtus largitatis florebat summopere, multi * comitabantur eum; et die quadam, cum esset multa inopia vini, dixit cellario * suo : Ad visitandas nostras volo exire parochias; et si potes esculentum et poculentum nobis ministra. Cui respondit cellarius : Domine, vinum non habemus. Et ait episcopus : Si habes vinum, et * contra conscientiam tuam loqueris,

* multi summopere *M.*

* cellerario *ubique M.*

* *omit. M.*

A queris, judicet Dominus, et ostendat. De monte igitur descendit episcopus, et discubuit inferius in
g domibus constitutis, juxta ecclesiam Sancti Justi *g*. Interea vero factum est ultione divina, ut vinum, quod negarat cellarius, ad pavimentum ecclesiæ repente prorumperet; et fusum est vinum, tan-
* *omit. M.* quam cupiens sequi vocem episcopi, et * obstupuerunt omnes, qui viderunt, et admirati sunt plurimum, et magnus timor apprehendit cellarium, qui fuerat locutus mendacium. In quo facto sane intelligentes recte possunt colligere, quod scriptum est ab amatoribus Christianæ philosophiæ : Quo-
*commodæ *M.* niam res temporales, usibus humanis commode * cum dantur, nitescunt; cum retinentur, vilescunt.

vas vacuum oratione complet, * cum *M.* 23 Tempore quodam, quo * vinum vix poterat inveniri in partibus illis, in una de vallibus suis ingressus hospitium, consideravit viri et uxoris ejus sollicitudinem, quam habebant circa frequens ministerium, et ait illis : Sollicitos vos esse conspicio. Qui dicunt ei : Inter angustias et pressuras coarctantur viscera nostra, quia vinum non habemus, nisi valde modicum, quod adjacet fœci in fundo dolii; et jam exinde non potest extrahi, quod sine turbine possit assumi. Tunc sanctus epi-
B scopus dedit se orationi, et aquam benedictam
* aspergens *add. M.* * respersit. *M.* super * dolium aspersit *, et benedixit vas fere vacuum; dextera Domini fecit virtutem, qui fecit in nuptiis in Cana Galileæ vinum ex aqua, et implevit hydrias * vino; implevit et dolium vino per
* de *add. M.* orationem sancti viri : nam utique in eadem hora cœpit vinum excrescere, et cum tanta inundantia ad summum copia venit, ut non solum exinde vas
* et *M.* repleretur, sed etiam * inundaret exterius unda vini uberrima; et omnes videntes hoc intellexerunt mirabilem virtutem Dei esse in Confessore Christi, et lætati sunt convivæ, magnificantes Dominum. Hoc quippe miraculum aliquid similitudinis habet cum illo, quod scribit beatus Papa Gregorius, cum loquitur de Sancto Benedicto, patre monachorum
h et duce, et denuntiat *h* per ejus merita oleum crevisse in dolio et replevisse ad summum. Vir Dei Benedictus operibus misericordiæ totus exuberabat, et ideo per merita fidei suæ oleum mana-
* inundabat *M.* bat * de dolio. Sanctus quoque Bertrandus, largitatis discipulus et omnium operum misericordiæ ardentissimus amator, illud per merita fidei et orationis obtinuit a Domino, ut vinum redundaret in
C dolio, cujus mater vitis terrena non fuerat,
* quam *M.* * vineam *M.* * quam *M.* quod * nesciebat et vinea *, quod * torcular nullum expresserat; sed per fidem sancti episcopi dolio vinum intrudit cœlestis gratiæ virtus, mira-
* operum *add. M.* * factis *M.* culis omnium bonorum * fons * indeficiens, qui de se ipso in euangelio dicit : Ego sum vitis vera. De vite vera vinum descendit in dolium; quod aperte indicavit sanctum sacerdotem potentem virtute signorum. Qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontem aquarum sub duce patri-
* is *add. M.* archa Moyse filiorum Israel *, voluit nimirum et istum decorare episcopum virtute miraculorum, et per ejus orationem vinum excrevit novum, non
* collatum *M.* tempore vindemiarum collectum *, sed virtute
* loquitur *M.* creatum Altissimi. Adhuc loquimur * in similitudine : sicut olim Helias, ille propheta signipotens, præbuit mulieri farinæ incrementum, et augmentum olei; ita quoque data est a Domino virtus epi-
* *omit. M.* scopo, ut vinum, quod erat in modica quantitate in fundo residuum *, per fidem ejus cresceret in immensum, et lætati sunt convivæ, et bibentes de
* *omit. M.* * mirificavit *M.* vino * exultaverunt pro eo, quod Dominus mirificaverat * Sanctum suum.

impudici domum maledictione sua destruit, 24 Sacerdos quidem a sancto multotiens correptus episcopo, quod infamia fœdaretur incontinentiæ, tanquam incorrigibilis et contumax nolebat a culpa recedere; sed deterius studebat contra mandatum episcopi in libidinis furorem prorumpere; denique post multas dehortationes cum vidisset sanctus episcopus rogando et orando * se nihil proficere; die quadam cum pertransiret * ante domum sacerdotis, maledixit domui, tanquam prostibulo; et ecce virtus divina, missa repente de cœlo, domum percussit ab omni angulo, et licet multo et lapideo esset firmata robore, tamen cum ingenti præcipitatione corruit tota domus. Sic igitur per virtutem sancti viri percussit Dominus domum sacerdotis, ut saltem tali injecta formidine addisceret * veri * mandatum episcopi et votum * castitatis * amare. Huic nempe miraculo illud occurrit consimile, quod beatus Papa Gregorius scribit in Vita Sancti Benedicti, spiritu omnium justorum pleni *i*, ubi denuntiat * malitiam sacerdotis cujusdam, qui amator libininis et bonis gravatus alterius, tanquam invidus et inimicus Dei, mulieres compellebat saltare * eo in loco unde possent Beati * Benedicti conturbare religionem : sed Sanctus * Benedictus ab eo loco transivit ad alterum, et domus sacerdotis corruit usque ad fundamentum : temporibus Beati * Benedicti invidia * domus destruitur, temporibus Sancti Bertrandi incontinentia domus sacerdotis percutitur.

AUCTORE VITALI.

D

* hortando *M.* * pertransisset *M.*

* adjiceret *M.* * revereri? * notum *M.* * castis *M.*

i

* denuntians *M.*

* psallere *M.* * *omit. M.*

E

* *omit. M.* * sancti *M.* * invidiæ *M.*

Deumque sibi faventem habet, cum ne in cœmeterio ædificetur prohibet,

k

* quod *M.*

25 Homo quidam, alienæ possessionis avidus, firmabat columnam, cupiens ædificare domum in cimiterio Sancti Gaudentii *k;* nuntiatum est episcopo, quoniam * homo ille locum sanctum, ecclesiastica auctoritate officio sepulturæ constitutum, in suum præsumebat transferre dominium. Amator igitur libertatis, sanctus episcopus venit ad hominem et increpavit eum dicens : Ut quid occupasti * terram, quam tui juris non esse cognoscis? Locus iste sanctus est, in quo domum ædificare desideras, et debitus sepulturæ. Morientium non viventium debent hic domus ædificari, et tu locum terribilem * et liberum contra humana et divina jura ad perniciem bonorum tuorum et detrimentum animæ tuæ tuis usibus vindicare præsumis : iniquitatis hæc opera sunt, nec jure hereditario possidenda; fuge hinc et inceptam relinque malitiam. Sed temerarius homo consilium episcopi salubre contempsit, et ejusdem præceptis obtemperare renuit, et magis ac magis operi illicito insistere cœpit. Tunc zelo rectitudinis ductus episcopus non distulit exercere gladium canonicæ ultionis et hominem ferire censura canonica. Quid plura? filius iniquitatis et diffidentiæ, innodatus vinculo excommunicationis, traditus est Satanæ in interitum carnis; et statim per merita sancti episcopi invitus mutavit propositum, cadens in languorem perpetuum : infelix, quoniam * episcopo credere noluit, lecto accubuit et nunquam ultra convaluit et timor apprehendit omnes, qui hoc viderunt, et glorificabant Deum, qui talem dederat illis episcopum.

* occupas *M.*

* tribulationum *M.*

F

* qui *M.*

et cum per eum jurat mulier, ut se adulterii crimine liberet.

l

26 Vir quidam *l* in præsentia sancti pontificis accusabat uxorem suam de crimine adulterii; uxor ejus profana, præceps et temeraria, dolosis labiis culpam celare cupiens accessit ad genua sacerdotis, extendens manum et dicens : Juro me per hunc Sanctum non perpetrasse adulterium. Et ecce in eadem hora manus extensa facta est arida, et numquam ulterius liberata; et * percussa manus commissum narravit adulterium, quod fraudulenter occultaverat linguæ officium. Mulier hæc celavit delictum et sensit flagitium; quæ, si confessa fuisset culpam, meruisset veniam : sicut mulier illa * euangelica * non erubuit coram convivantibus venire ad pedes Jesu, quantis gemitibus uberrimo lacrymarum

* est *M.*

* *omit. M.*

* *add.* quæ *M.*

AUCTORE VITALI.

marum fonte perfundi, osculari pedes Domini, lacrymisque rigare et tergere capillis, donec a fonte misericordiæ verbum bonum audiret discurrere: Quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. Hæc non imitatrix illius, noluit verum fateri, et non erubuit esse dolosa testis mendacii, quam conscientia deturpabat, actio accusabat; unde propter mendacium incurrit * flagellum, debita sceleri * noxia pœna. Vitandum mendacium, sicut legitur in propheta : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, et juramentum mendax ne diligatis. Multas et alias virtutes et signa in præsenti vita fecit dictus episcopus, quæ non sunt scripta in libro hoc; sed hæc scripsimus, transcurrendo sub brevitate, recipientes rectitudinem * facti * ad decus Ecclesiæ, et sancti episcopi religionem, et gloriam Domini revelandam, qui est mirabilis in Sanctis suis.

* occurrit *M.*
* occultari *M.*
* certitudinem *M.*
* Sancti *M.*

ANNOTATA.

a *Hunc textum retinendum esse ostendimus in Commentario prævio num.* 10 *et seqq.*

b *Sunt quidem in Occitania plures ecclesiæ, quæ* B *S. Justo patrono gaudent; dubium tamen non est, quin hæc S. Justi basilica eadem sit, quam in tabulis topographicis Cassini omnino juxta Convenas seu oppidum S.* Bertrandi *ex parte Vallis Caprariæ signatam video. Cæterum vide n.* 61 *Commentarii prævii.*

c *Videtur id prodigium exhiberi in una ex tabulis pictis, quæ S.* Bertrandi *mausoleum condecorant; (cfr num.* 104 *Commentarii prævii); sed male illic tribuitur matri filii sui negatio : pater pingendus erat.*

d *Martenius ad hunc locum remittit lectorem ad librum* VII *cap.* VII *operis sui de Antiquis Ecclesiæ Ritibus; at nihil ibi, quod ritibus hic a Vitali recensitis simile sit, reperire est : explicantur quidem illic ritus usitati in judiciis per aquam frigidam et per aquam calidam; verum utraque alio fiebant modo, quam quem hic legimus. In judicio enim per aquam frigidam demittebatur totus homo, funibus ligatus, in lacum magnum satis; quod si mergeretur, seu, ut loquebantur, aqua eum reciperet, causam vincebat suam; sin autem supernataret, damnabatur. Cum autem quis judicium aquæ calidæ subiret, manu in aheneum fervens demissa, extrahebat lapidem, vel* C *annulum, vel plumbi laminam, etc.; dein palma involucro circumdabatur, et appositum judicis sigillum tertio die frangebatur : quod si tum intacta reperiretur manus, absolvebatur reus; secus criminis convictus habebatur. Hic vero alius omnino servatus fuit ritus : accusatus scilicet ex aqua frigida lapidem extraxit, et continuo sensit dirissimam combustionem : quod experimenti genus non tantum, ut dixi, apud Martenium non reperi, verum etiam neque apud Cangium in Glossario, neque apud Muratori, qui doctissimum quoque de judiciis Dei Commentarium texuit (a). Unde, cum verisimile non sit modum specialem fuisse Ecclesiæ Convenensi in adimplendo judicio Dei, verisimile est hic nullos publicos, sed privatos, tantum ritus et pro tempore fors excogitatos, a S.* Bertrando *adhibitos fuisse. Satis notum est judicia Dei vetita esse, utpote Dei tentationem (b); sed cum hæc bona fide fierent, sæpius dignatus est Deus miraculose per hanc viam indicare veritatem.*

e *Videtur esse Villa Nova de Lecussan, quatuor fere leucis septentrionem versus a Convenis distans.* (Dépt Haute-Garonne, arrondt St-Gaudens.)

f *Duo sunt hujus nominis rivi,* Neste d'Aure *et* D Neste de Louron *vulgo dicti, qui prope* Arreau *confluunt et sesquileuca fere ad septentrionem Convenarum undas suas Garumnæ immittunt.*

g *Vide annotatum* b *ad hoc caput.*

h *Cfr Vitam S. Benedicti in Actis Sanctorum ad diem* XXI *Martii* (c).

i *Vide eamdem ibidem Vitam* (d).

k *Oppidum S. Gaudentii duabus leucis a Convenis distat; patria est S. Raimundi, fundatoris Militiæ de Calatrava in Hispania.*

l *In tabula picta, mausoleo S.* Bertrandi *appensa, exhibetur hoc miraculum. Cfr supra num.* 104 *Commentarii prævii.*

CAP. III. *Miracula S. Bertrandi post mortem.*

S. Bertrandus *post mortem captivorum calamitatem levat,*

Post transitum * sancti viri, de quibus dicendum est secundum moderationem, quæ est prope omnium rerum pulcherrima, quæ ne * ipsos * quidem quos damnat offendit, et quos damnavit dignos solet facere solutione; unde, etsi non pauca, quæ ad cohortationem * beate * vivendi proficiant, scripta sunt * superius *, tamen, cum adjici possint quam plura, ne velut semesas * verborum nostrorum epulas reliquisse videamur, inceptum prosequamur convivium. Quædam igitur miracula ex multis, quæ operatus est post * cursum vitæ præsentis, curavimus posteritati relinquere; nam singula nulla ratione possemus. Hæc ergo * quæ accepimus ex vera quorundam relatione, quorum non est præsumptio aliquo levi favore vera falsis miscere, voluimus * in scriptum * redigere. Accidit itaque temporibus illis, quibus Sanctus Bertrandus ad Christum migraverat, ut quidam vir, notus et familiaris ejus, nomine Bertrandus, caperetur a quodam; et clausus est in fundo turris et astrictus in miseris vinculis catenarum; erat in tenebroso carcere, quod grave nimium expertis * est tædium; arcebatur catenis, quod est valde molestum; denique fame et siti cruciatus, pediculorum factus est pabulum, quorum multitudo incessanter scaturiens, omnia membra tenebat; undique longa circumdatus erat catena, prædictæ miseriæ urgentibus continuo stimulis, expediri mundarive non F poterat; dies sine quiete, in nocte palpebræ ejus non inveniebant dormitationem, et si quis esset somnus, laboriosus erat; clamabat infelix, lugebat, dolebat; quid faciat, quo se vertat, ignorat; jam de vita desperat, et mortem desiderat. Denique ineffabilis clementia Christi mentem miseri hominis illustrat, excitat captivus animum, vocat in auxilium Sanctum Bertrandum; nolebat utique divina gratia, ut virtus sancti episcopi consenesceret non * tantum *, sed ejusdem amplius fama claresceret. Factum est igitur, ut toto corde invocaret in adjutorium Sanctum Bertrandum, dicens : Pie pater, credo te ad Christum migrasse feliciter; adjuva me, et ab hac pediculorum funesta rabie me propitius libera. Auditæ sunt preces ejus; et statim tanquam sensisset * jubentis imperium, tota illa prænomi- * stetisset *M.*
nata miseria in terram cecidit. Mundatus est miser a tota contagione per virtutem Sancti Bertrandi, et jam de tanto patrono securus instat ferventius orationi, rogat, plorat, supplicat, ut a vinculis ipsum eripiat, cum lacrymis, singultibus, cre-

E
* vero *add. M.*
* nos *M.*
* reprobos *M.*
* coarctationem *M.*
* bene *M.*
* sint *M.*
* serius *M.*
* semessas *M.*
* per *M.*
* igitur *M.*
* volumus *M.*
* scriptis *M.*
* captis *M.*
* *omit. M.*
* *omit. M.*

(a) Antiquit. Ital. med. ævi, t. III, col. 612 et seqq. — (b) c. III de purg. vulg. v. 35. — (c) t. III Martii, p. 285. — (d) Ibid., p. 280.

brisque

A brisque suspiriis iterat preces uberius; et cum hæc fierent, divina miserante clementia, venit sanctus episcopus, quem in luce * præsente dilexerat, visitat amicum in carcere, vincula rumpit, liberat captivum, extrahit de turre illius loci, qui dicitur Castellum Forte *a;* quid postea *? qui captivus fuerat tulit secum * catenam *b,* quam suspendit ante gloriosum sepulcrum Sancti Confessoris ad laudem et gloriam Jesu Christi.

* loco *M.*

a

* præterea *M.*
* *omit. M.*

b

vincula rumpit,

28 Fama sancti episcopi longe lateque volante, miles quidam, nomine Petrus, cepit manu violenta hominem, quem multis nexibus et firmissimis cum omni sollicitudine ligavit ad lignum, et velut insultando in verbum veritatis, cœpit erumpere dicens : Nunc exerceat vires, quas potest, Sanctus Bertrandus, qui consuevit nonnullos a pœna captivitatis exsolvere : et si potest, tibi condoleat, et* vincula, quibus adstrictus teneris, dissolvat, et tibi libertatem restituat. Dolet ligatus, gemit, suspirat, ante virtutem sancti pontificis vocem prosternit interni doloris : mira res, mox beneficium sensit captivus, quo sanctus episcopus perplexos admodum nodos vinculorum repente confregit, captivum fecit illæsum abire, quem tyrannica manus præsumpserat * nimia crudelitate vincire; venit igitur ante sepulcrum sancti episcopi, et post gratiarum actionem, miraculum, quod evenerat, circumstantibus indicabat, et dicebat populis * : Mirabilis Sanctus iste, qui et militem insultantem confudit et vinculis innodatum potenter absolvit.

* *omit. M.*

B

* sumpserat *M.*

* *omit. M.*

et similis beneficii testem se dicit Vitalis, qui promovit illius Sancti canonizationem.

29 Dum * igitur opera sancta clarescerent, quidam nomine Arnaldus tenebatur in vinculis, in castro, quod Campanum *c* nuncupatur; cœpit tacita mente revolvere, quomodo exinde posset exire; plura excogitat, meditatur attentius, et opportunitatem fugæ * non reperit; profundit * lacrymas, trahit suspiria, clamat de profundis, orat cum lacrymis, vocat in auxilium Sanctum Bertrandum, et ecce pius Confessor Christi dolenti compatitur, accedit ad miserum, vincula rumpit, solvit compeditum, et qui captivus extiterat, venit ad sepulcrum sancti episcopi agens gratias et suspendens catenas. Ego quoque indignus servus Christi et Auxitanæ Ecclesiæ clericus, qui hoc opus scribendi * accepi ex mandato * domini Vileumi *d,* archiepiscopi prælibatæ sedis, et sanctitatem et miracula Beati * Bertrandi, tempore schismaticorum, quibus sacrosancta Romana Ecclesia multarum turbine procellarum fluctuabat, significavi Alexandro, summo Pontifici, viro catholico, in palatio Lateranensi in præsentia venerabilium cardinalium, memoriter teneo, me vidisse in pueritia * mea juvenem quemdam cum vinculis ferreis, referentem * se captum fuisse, et in illis vinculis positum et liberatum per merita * Sancti Bertrandi; juvenem prædictum vidi ego, dum * commorarer in pascuis cum quibusdam, quorum cura erat armenta regere, quibus mater mea commiserat, ut cum eis pergerem sub voto peregrinationis ad sepulcrum Sancti Bertrandi, cujus patrocinio prædicta genitrix mea me commendarat attentius; solebat et ipsa hunc locum frequentare diligentius, et ut ego essem suæ devotionis imitator, ardentius commovere *; veni ergo cum prædictis ad venerandum tumulum sancti pontificis, venit in comitatu nostro prædictus captivus; et ingressus ecclesiam, post gratiarum actionem suspendit vincula ferrea, inter cætera, quæ habebantur ibidem, ad laudem Domini nostri Jesu Christi et gloriam, qui est mirabilis in Sanctis suis.

* Cum *M.*

c

* fugere *M.*
* perfundit *M.*

* scribendum *M.*
* et mandatum *M.*

d

* Sancti *M.*

C

* provincia *M.*
* confitentem *M.*
* meritum *M.*
* cum *M.*
* Beati *M.*
* commonebat *M.*

30 Mulier quædam, nomine Maria, destituta membrorum officio, affixis postremæ parti calca-

neis, gravi et longo detinebatur oppressa languore; sed cum jam diutius lecto accubuisset, parentum et amicorum suorum cura cessavit. Vertebatur in tædium; non erat qui benefaceret, qui vultu pietatis ad eam respiceret : nam longa infirmitas vix fidelem amicum inveniet. Quid ergo? misera mulier mortificatis membris vivit in corpore, jam semimortua vivit; et mortem desiderat, optat mortem, nec mori potest; protrahit * longas impia vita moras, gemit in die, torquetur in nocte; et ut liceat mihi assumere verba Ambrosiana *e :* Sicut aqua stativa vermes generans, omnino contemnitur misera mulier. Denique unum superest * solatium, miserum tamen sed necessarium, ut ejiciatur a domo tanquam cadaver mortuum, excludatur exterius, non habeat solatium, patiatur exilium : sic accidit, expellitur a domo, velut corpus exanime; collocatur in quodam vehiculo, in angusta domo constituta; plura loca perlustrat; relevatur utcunque sua calamitas largitione eleemosinarum, quas porrigit sibi fidelium pia devotio; non ipsa, sed domus ejus currit velociter * trahentium manibus; diversas circuit villas; diversa requirit hospitia; quo potest modo, vitam ducit miseram, afficitur tædio, cruciatur supplicio. Inter hæc audit celeberrimam famam miraculorum Sancti Bertrandi; currit ad montem, fideliter * implorat divinum auxilium, tota cordis contritione rogat Christi clementiam, ut per merita Beati Bertrandi sanitatem sibi restituat; sed misericors et miserator Dominus, respiciens in orationem humilium, et non spernens preces eorum, lacrymas mulieris posuit in conspectu suo. Venit ergo sanctus episcopus ad mulierem, membra contracta ad directam revocat compositionem, vires infundit, erigit contractam, sustentationis baculum porrigit, viam ostendit. Mulier repente, tanto * attonita gaudio, de carcere progreditur, prosilit ad terram, ad sepulcrum sancti viri festinanter accelerat, virtutem Sancti denunciat, osculatur sepulcrum, visitat frequentius, currit ad gentes, divulgat miracula, populus exultat *, miratur plurimum de tanta virtute, et cum baculum sibi oblatum prædicta mulier perderet, mox destituebatur viribus corporis * et efficiebatur contracta. Mira res, baculum reddebat sibi sanctus episcopus; quo accepto, fiebat incolumis, surgebat e vestigio et exercebat officia sua.

AUCTORE VITALI.

S. Bertrandus *mulierem contractam sanat, et baculum dat,*

D

* pertrahit *M.*

e

* semper est *M.*

* velocius *M.*

E

* feliciter *M.*

* *omit. M.*

* exaltat *M.*

* *omit. M.*

31 Quidam vero furatus est sibi baculum; et ingressus Hispaniam, virtutem prædicabat tanti miraculi, populis indicabat baculum; cui pro respectu sancti episcopi multam exhibebant reverentiam; et exinde ille maleficus * multas oblationes recepit : ille præ * lucro gaudebat, sed mulier lugebat, et ante sepulcrum contracta jacebat. Denique post multas lacrymas atque suspiria patronus ejus sibi baculum reddit, multis astantibus in ecclesia, qui sub voto peregrinationis advenerant; solito mulier surrexit velocius *, circumstantes mirantur, et reddunt laudem Deo commendantes virtutem sancti episcopi. Recuperavit mulier baculum, et incessum habuit liberum; non tamen virtus in baculo, sed in sancto episcopo. Mulier hæc multis temporibus tanta * divulgavit miracula in locis plerisque; et diem claudens extremum, jacet sepulta juxta basilicam Genitricis Dei, in qua quiescit corpus sancti pontificis. Parcat mihi auditor, si prolixa sibi videatur præsens narratio, quod * judicio nostro tam præclara virtus miraculi non in discursu debet paginæ commendari.

cujus virtus explicatur;

F

* baculus *M.*
* pro *M.*
* velociter *M.*
* ista *M.*
* quia *M.*

32 Mulier quædam, indigena de valle *, quæ vocatur Aram *f,* erat obsessa a dæmone; vexabatur ab immundo spiritu, incutiebat terrorem

obsessam a dæmone liberat,

* et de villa *M.*

f

AUCTORE VITALI.

videntibus *, erat vicinis * et notis abominatio, confusio et abjectio hominum; parentes et amici exhorrebant quam plurimum, et consortium suum vitare cupientes, negligebant eam, quoniam facta erat * vas contumeliæ et habitatio tenebrarum. Mulier igitur, considerans in tantum se adductam contemptum, et opprobrio tanto expositam, de domo simul et valle egreditur; venit ad cathedralem ecclesiam Convenarum; ubi, quantum poterat, vigiliis et orationibus diligenter instabat, et ante venerabile sepulcrum Sancti Bertrandi jacebat, suspirabat, patrocinio sancti episcopi * sese commendans attentius. Factum est ergo die quadam in præsentia multorum, ut obsessam dæmonium vexaret acrius; et, sentiens adesse virtutem sancti episcopi, fugeret ab obsessa : liberata est ergo mulier a dæmonio, et ab eo tempore illius furoris in ea non apparuerunt vestigia, et egit gratias Deo et Sancto Bertrando, et omnes qui viderunt simul cum ea.

mutæ loquelam restituit,

33 Quædam mulier, exigente morbi natura, perdidit linguæ officium; torquebatur secum tacita mente quid ageret, et * quod cogitationum turbine volvebat, verbis expedire non poterat, quia muta erat. Grande quippe solatium est, cum quis suas *, quas patitur, sollicitudines amicis suis indicat sermonum officio; et per contrarium maxima est tristitia, loqui saltem non posse necessaria et non habere virtutem sermonis, qui summopere consistit laudabilis et necessarius, si recta intelligentia et definita moderatione animi gubernetur. Mulier igitur ista, non inveniens consilium reserandi claustrum oris, cogitavit in mente, ut a sancto pontifice postularet præsidium : venit ante sepulcrum ejus; lingua tacet, corde clamat, et post multas vigilias et longa, quæ ab imis trahebat, suspiria, exauditæ sunt preces ejus, et loquebatur, benedicens Dominum et sanctum pontificem, per cujus meritum recuperaverat loquendi * officium.

cæco et surdo visum et auditum,

34 Crebrescente fama sancti pontificis, quidam homo cæcus et surdus cum quodam * filio suo et filia, sibi ministrantibus, inter cæteras populorum catervas, ivit ad sepulcrum piissimi patris, imploraturus auxilium. In multas lacrymas et alta volvebatur * suspiria miser iste, quoniam * et auditum amiserat et in tenebris permanebat. Hic igitur instat ferventius orationi, fundit fletus, querelas emittit, quas ipse proferens non audiebat, sed * in cordis visceribus singula, quæ loquebatur, cum sollicitudine vehementi versabat. Denique cum, inde * fatigata mentis constantia, labor * postulandi luminis * et auditus non fit in vacuum * cordis * excrescit * compunctio, devotio integritatis augetur, incrementum suscipit fides, de cœlesti sede properat medicus, confert opem laboranti sanctus episcopus, citius dicto ab auribus removetur obstaculum, velamen aufertur * ab oculis; quid multa? et surdus audivit * et illuminatus est cæcus.

tribus pueris captivis libertatem,

35 Miles quidam cepit tres pueros et trusit * eos in turri; qui vexati diutius clamaverunt ad Dominum, et exaudivit eos, et invocabant creberrime Sanctum Bertrandum in præsidio; et Dominus ac Salvator noster, qui est juxta omnes, qui tribulato sunt corde et salvat humiles spiritu, preces puerorum audivit; et qui illos * tres pueros de fornace liberavit, qui erant in Babilonia, eripuit hos tres pueros de carcere, misitque eis Sanctum Bertrandum, qui in virtute Christi Jesu liberavit eos de carcere, et eduxit eos de tenebris et umbra mortis et vincula eorum disrupit.

hydropico valetudinem,

36 Miles erat diœcesanus, et longa detentus ægritudine tantum passus est in ventre tumorem, ut asquiten *g* vel timpaniten incurrisse crederetur; et erat vita sua tam sibi [quam amicis multo oneri;] * denique cœpit clamare ardentissimo desiderio ad Dominum, ut sanaret illum per merita Sancti Bertrandi; et ecce quadam nocte cum omnes amici sui desperarent de vita ejus, ipse in thalamo, ubi jacebat *, præ * nimia angustia de lecto prorepsit * ad humum et super faciem terræ tamquam mortuus jacuit; sed lingua mentis, qua * poterat, clamabat ad Dominum, et Sanctum Bertrandum. Et inter mortis * angustias venit medicina de cœlo; et liquor, qui ventrem extenderat, et in modum timpani lucidum fecerat, liberos meatus invenit et admixtus urinæ per virgam, sicut erat immoderatus *, immoderate prorupit, et velut gurgitem aquarum multarum in terra reliquit, et curatus est omnino. Sequenti die, qui viderunt, mirati sunt valde; et ipse tempore congruo, resumptis viribus, repræsentavit se ante sepulcrum Sancti Bertrandi, pro salute recepta grates exsolvens uberius in gratia Jesu Christi Domini nostri *.

sacerdoti cæco visum,

37 Cum igitur tantorum fama miraculorum longe positas etiam * illustraret provincias, quidam sacerdos de terra Bearnensium ad illius infirmitatis pervenit incommodum, ut oculi ejus obducerentur caligine, et lumen amitteret : contabescit anima ejus in amaritudine amarissima, quia sibi negatur facultas solita exercendi negotia. Accepit itaque multorum relatione, quoniam Sanctus Bertrandus multis infirmis præstaret * solatia; urget infirmitas, movet * necessitas, ut quærat remedium : imploratur auxilium, venit ergo ad desideratum sepulcrum sancti episcopi *, instat cum omni diligentia vigiliis, hymnis, et orationibus : dulcem quoque et divinam psalmorum harmoniam mente pervigili * et meditatione laudabili psallere studebat propensius, hortabatur clericos ecclesiæ cum multa supplicatione, ut ipsum juvarent orationibus, et obtinerent * orando, ut perditum * lumen per merita sancti pontificis recuperaret *. Tunc obtulit sacrum textum Euangeliorum super altare Virginis Mariæ, quem fecerat scribi de sumptibus propriis; factum est igitur ut visum reciperet, et egit gratias Deo, et cum magno gaudio regressus est ad nobilem Bearnensium patriam; qui, accepto miraculo tanto, dederunt laudem Deo.

stulto sanam mentem,

38 Illud præterea insigne miraculum neglectæ vetustatis non debet caligine obduci, quod totius excedit * fines provinciæ, Burgundiam, Lotharingiam penetrat, Theuthonicas nationes ingreditur. Accidit igitur, ut quidam Theuthonicus ad limina Sancti Jacobi *h* pergens, in via incurreret desipientiæ morbum; pervenit itaque cum sociis suis ad venerandum episcopi tumulum; orat, plorat, suspirat; mox ejus preces exaudit * episcopus, sensum reformat, renovat rationem, intellectum * restituit, desipientiam tollit, furorem extinguit. Qui fuerat desipiens, permittit se tractari, non lacerat vestem, non stridet dentibus, non perstrepit * vaniloquia, moderatur incessum, sensate loquitur, revocatur ad sensum, ad se revertitur, salutem plene recuperat, et benedixit Dominum, qui est benedictus in æternum.

muto loquelam,

39 Quidam, gravi detentus infirmitate, lecto accubuit; et cum diu ægrotasset, cœpit aliquantulum convalescere; sed linguæ manusque destitutus officio, se repræsentavit ante gloriosum sepulcrum sancti episcopi, ubi se resolvit in gemitum cordis et lacrymas * compunctionis; quo facto, et manus, quæ ad os duci non poterat, plenam sanitatem recepit, et soluta sunt vincula linguæ ejus.

captivo libertatem,

40 Quidam captus tenebatur in vinculis, et qui eum

AUCTORE VITALI.

A

* dentibus *M.*
* intimis *M.*
* esset *M.*
* patrocinium, sancto episcopo *M.*
mutæ loquelam restituit,
* *omit. M.*

B

* *omit. M.*
* linguæ *M.*
cæco et surdo visum et auditum,
* *omit. M.*
* revolvebatur *M.*
* qui *M.*
* *omit. M.*

C

* *omit. M.*
* labore *M.*
* lucis *M.*
* et cordis compunctio *M.*
* *omit. M.*
* aufert *M.*
* audit *M.*
tribus pueris captivis libertatem,
* misit *M.*
* *omit. M.*
hydropico valetudinem,

D

g

* multo onusta *M.*
* quiescebat *M.*
* pro *M.*
* perrexit *M.*
* quantum *M.*
* mentis *M.*
* *omit. M.*
sacerdoti cæco visum,
* *omit. M.*

E

* procurat *M.*
* monet *M.*
* Bertrandi *M.*
* vigili *M.*
* obtinuerunt *M.*
* prædituм *M.*
* et *add. M.*
stulto sanam mentem,

F

* incedit *M.*

h

* sanctus *add. M.*
* mentem *M.*
* perstrepunt *M.*
muto loquelam,
* lacrymis *M.*
captivo libertatem,

A eum per crudelitatem tyrannicam ceperat, nimis * inhumane illum tractabat; cumque vidisset captivus multiplici se expositum calamitati, toto corde invocavit Dominum, ut per merita Sancti Bertrandi eum liberaret a captivitatis miseria. Prope nimirum est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate; factum est ergo ut visitaret Dominus miserum, et confestim misit ad illum sanctum episcopum, qui virtute miranda confregit vincula, liberavit captivum, et securum adduxit ante sepulchrum suum, cum gloria et honore regis altissimi, qui est mirabilis in Sanctis suis.

* minis *M.*

contracto incolumitatem

41 Alio quoque tempore accidit in Francia sabbatho Penthecostes, facto jam vespere, quod quidam vir in tundendo * pannum * contractus et membrorum valetudine destitutus est ita mirabiliter, ut cum genu stomachus calcaneusque cum clune *, et cum brachio pollex conglutinati sint *. Cui, mox portato a sua matre ad Cantuariam in Anglia, Sanctus Thomas *i*, solidata ejus base tibiaque reformata, præcepit apparens : Vade hinc, et statim recede, quia non possum tibi plus satisfacere; est enim gloriosissimus Christi Confessor Sanctus * Bertrandus in Vasconia prope Alpes B Hispaniæ; ad quem si abieris, totus sanaberis, et pristinam recuperabis incolumitatem. Hoc audito, vir et mater sua, illico discedentes, per stratam publicam, venerunt ad Sanctam Mariam de Rupe Amatoris *k*, deinde Tholosam, de Tholosa recto tramite usque ad urbem Sancti Bertrandi; ubi de nocte vigilando cum candelis suis ante sepulchrum ejus et suffragia implorando, vir cœpit calescere, paulatimque resumpto naturali vigore ac calore, sanus et incolumis penitus est effectus.

* comedendo *M.*
* panem *M.*
* crure *M.*
* sunt *M.*
i
* *omit. M.*
k

et libertatem Sancio Parra, capto a Sarracenis.

42 Quadam vice factum est, quod Sancius Parra *l* de Oltia *m* cum exercitu suo totam terram circa urbem Convenarum deprædavit; in qua præda boves fuerunt Sancti Bertrandi; quos ut scivit captos sanctus episcopus, illuc pergens, a Sancio Parra petiit boves, qui statim negavit se nullo modo redditurum boves vel quicquam de prædatione, nisi sibi redimeretur. Cui rursus * quod *M.* sanctus episcopus dixit : Redde mihi, quia * priusquam moriaris, retribuam tibi. Audito responso * reddit *M.* isto, Sancius Parra statim reddidit * Sancto Bertrando boves, et sic pacifice ambo discesserunt *n*. Postea vero Sancto Bertrando jam ad Christum evocato, idem Sancius Parra, in Hispania bello captus C a Sarracenis, in obscuro carcere miserabiliter jacebat, catenis onustus, debens in proximo abduci * adduci *M.* ultra mare cum multis aliis Christianis captivis; ad quem de nocte veniens Sanctus Bertrandus, lucidus et præclarus et totum carcerem illustrans, dixit : Surge, Sanci, et sta in pedibus. Qui respondens, ait : Quis es, Domine ? Ego sum, inquit, Bertrandus episcopus, cui boves reddidisti, paratus sum retributionem tibi reddere modo *, quam * *omit. M.* spopondi. Ad cujus vocem, solutis nexibus ferreis, quibus adstrictus et ligatus erat, surrexit protinus. Et sic ambo inde recedentes, fuerunt miraculose ad * rupem de Squito *o* in Aspa *p* juxta Oltiam *q* * apud *M.* lucescente aurora; ubi Sanctus Bertrandus rogans eum, quatenus ecclesiam, in qua corpus suum jacebat sepultum, honoraret et visitaret annuatim *r*, vale dicto *, disparuit; atque Sancius Parra, postquam fuit cognitus, tota congregata vicinia, narravit, quomodo extractus * erat de * captivitate, et omnis populus dedit laudem Deo ac Sancto Bertrando.

l
m
n
o
p
q
r
* valedicendo *M.*
* abstractus *M.*
* a *M.*

D

ANNOTATA.

a *Convenit id nomen pluribus locis; e quibus ille seligendus videtur, qui Convenis propius adjacet. Æstimo itaque hic intelligi locum* Castel-fort *nuncupatum, situmque in agro Bigorritano, Convenis vicino. Vide de illo Occitaniæ historiographos* (*a*).

b *Inter tabulas pictas, quibus S.* Bertrandi *mausoleum ornatur, una exhibet has captivorum grati animi significationes. Cfr num.* 104 *Commentarii prævii.*

c *Campanum, gallice* Campan, *vicus est, ad fluvium Aturrum, marmoribus suis celeber, nomenque suum valli Campanæ communicans.* (Dépt Hautes-Pyrénées, arr. de Bagnères.)

d *De universo hoc loco vide Commentarium prævium num.* 5 *et seqq. et num.* 80.

e *Cap.* XII *num.* 52 *libri de Nabuthe habet S. Ambrosius hæc verba* (*b*) : Aqua autem stativa cito vermes facit.

f *Vallis Aran, in superiori agro Convenensi sita, comiti Convenensi subjacuit usque ad annum* 1192; *quo tempore per matrimonium dominium regum Hispanorum factum est. Vide Dictionaria d'Expilly,* E *Baudrand et La Martinière ad v.* Aran.

g Asquites, *Græcis* ἀσκίτης ὑδρωψ *ille dicitur, cujus abdomen ad instar* ἀσκοῦ *seu utris, aqua pleni, inflatum est; tympanites vero,* τυμπανίτης ὕδρωψ, *ille cujus venter tamquam* τύμπανον *distenditur.*

h *De peregrinationibus Compostellanis seu ad limina S. Jacobi, remotis jam temporibus a Theutonicis, imprimis Frisionibus et Hollandis aliisque susceptis, egerunt decessores nostri ad diem* XXV *Julii, quo colitur S. Jacobus* (*c*).

i *Notus est satis ille Sanctus, qui anno* 1170 *martyrium obiit, et triennio post ab Alexandro III canonizatus fuit. Ejus cultus brevi in Galliam, ubi aliquandiu profugus degerat, manavit : cujus rei specimen est sanitas, eo intercedente, anno* 1179 *Philippo, Ludovici regis Francorum filio, a Deo efflagitata. Supra num.* 4 *Commentarii prævii ex hoc loco collegimus partem miraculorum post annum* 1170 *conscriptam fuisse.*

k *S. Maria de Rupe Amatoris, gallice* Rocamadour (dépt du Lot), *celeberrima abbatia et locus peregrinationis erat; cujus nomen alii deducebant a rupe S. Amatoris, alii a Rocogamoro, veteri hujus regionis loco. Plura de eo Dictionarium universale Franciæ, d'Expilly, La Martinière, Vaissette, Valesius, decessores nostri in Vita S. Amatoris ad* XX *Augusti, etc.* F

l *Ut liquet ex explicatione tabularum pictarum, quibus S.* Bertrandi *mausoleum ornatur, volunt nunc Convenenses hunc Sancium, comitem Bigorritanum fuisse.* (*Vide num.* 104 *Commentarii prævii.*) *Verum neque hic nobis licet Convenensium suffragari traditioni; cum inter comites Bigorritanos, quorum stemma accurate cognoscitur* (*d*), *nullus ad hæc tempora veniat Sancius, nedum Sancius Parra. Hic tamen, ut ex Vitali liquet, nobilissimi generis erat; et quidem vix dubium mihi est, quin ille Sancius Parra pertineat ad domum Boni Par, qui circa medium, ut videtur, sæculum* XI *pollicitus est Sancio, Madiranensis monasterii conditori, se, relicta uxore et monachali veste assumpta, hujus cœnobii gubernium assumpturum esse; sed, mortuo Sancio, uxorem retinuit et monasterium; cui moriens filium suum Gulielmum Par, licet laicum, præfecit. Atque*

(*a*) Hist. du Languedoc, t. IV, p. 363. — (*b*) Oper. S. Ambrosii, t. II, p. 51. Edit. 1781. — (*c*) T. VI Julii, p. 32 et seqq. — (*d*) Art de vér. les dates, t. II, p. 268 et seqq.

hic

A *hic abbatiæ regimen, tamquam* semipater, *usque ad annum circiter* 1115 *tenuit, cum a Pontio, Bigorritano seu Tarbensi episcopo, et Centullo, comite Bigorritano, ob scelera sua expulsus fuit. Cæterum Bonus Par consanguineus erat Sancii, Madiranensis fundatoris; atque hic ante initam monasticam vitam totius Gasconiæ consul erat, et fama, longe lateque discurrente, fruebatur. Neque plura de gente Par seu Parra cognovimus, quam hæc pauca, quæ desumpsimus ex Initiis Madirensis monasterii in diœcesi Tarbensi, scriptis ab anonymo coætaneo, integrisque a Martene* (*a*), *partim vero a prosecutoribus collectionis D. Bouquet editis* (*b*).

m *Situs castri de Olcia seu Oltia accurate inferius determinatur.*

n *Hæc in tabula, affixa mausoleo S.* Bertrandi, *picta sunt. Vide num.* 104 *Commentarii prævii.*

o *Lastrade, ut vidimus supra num.* 114, *male statuit Sancium Barcinone repertum fuisse. Nomen vero gallicum hujus rupis est* Peñe d'Esquit, *estque finis montis, duas leucas longi, eminentibusque rupibus horridi. Ejus situs ex dicendis manifestior fiet.*

p *Vallem Aspam commode nobis describunt Benearnensis historicus, Petrus de Marca* (*c*), *et auctores Dictionarii universalis Franciæ. Secundum de*
B *Marca incipit hæc vallis ad locum Urdoz, cui vicina est rupes De Squito, de qua superius diximus; secundum hos vero duabus leucis longior est, adeoque inchoatur in finibus Galliæ a radicibus Montis Aspæ, seu a fontibus Gavi, vel Gabari Aspensis, qui eam totam perfluit :* (Gavi *autem seu* Gabari *nomine* D
indigitant Pyrenæorum accolæ rivos, fluviolos aut torrentes;) *quorum scriptorum sententiæ omnino suffragatur Cassini, loca graphice depingens. Per totam hanc vallem, juxta Gavum Aspensem, strata est via, qua Oleronenses recta Hispaniam petunt, prius transeuntes juxta rupem De Scoto* (Peñe d'Escot), *ubi secundum De Marca vallis Aspensis desinit, dein juxta rupem et pontem De Squito; atque hic medium fere iter inter Oleronem et fines Hispaniæ institutum est.*

q *Olcia, seu Oltia, videtur idem esse ac præsens vicus* Osse, *semileuca circiter septentrionem versus distans a rupe De Squito; quæ tamen ad dexteram Gavi Aspensis est, dum* Osse *ad sinistram jacet. Alius nullus vicinus locus scribitur modo, qui magis ad* Oltia *accedat. Cæterum totus hic tractus nunc capitur partitione, Inferioribus Pyrenæis nuncupatis.* (Dépt Basses Pyrénées, arr. d'Oleron, cant. d'Accous.)

r *Diximus num.* 102 *Commentarii prævii, inde a Lastrade deduci festum Apparitionis S.* Bertrandi. *Hæc jam prelo premebantur, cum adepti sumus Proprium Congregationis Lateranensis, Viennæ anno* 1741 *excusum et novis auctum Officiis; quæ inter* E
venit cum erroneis satis lectionibus Officium S. Bertrandi; *unde cœnobiis Canonicorum Lateranensium totius saltem Germaniæ applicanda sunt, quæ n.* 119 *de Voraviensi monasterio diximus.*

(*a*) Thesaur. Anecdot., t. III, col. 1203 et seqq.—(*b*) Rec. des histor. de France, t. XI, p. 115 et seqq.—(*c*) Hist. du Béarn, lib. IV, cap. I.

DE S. BERNERIO EREMITA,

EBULI, IN DIOECESI SALERNITANA, IN REGNO NEAPOLITANO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C Quo die S. Bernerius colatur; ejus biographi; quid gesserit; an templum Ebulitanum construxerit; an cum alio confundendus sit; quo sæculo obierit; ejus cultus. F

EXEUNTE SÆCUL. XII. *Rationes hac die S.* Bernerio *dicendi*

S. Bernerii *vitam, quantum cognita documenta sinunt, explicaturis, primum reddenda nobis est ratio, ob quam huic diei non alteri ejus adscribimus memoriam : quæ res nonnullis implicatur difficultatibus. Etenim in fronte Officii hujus Sancti ad usum terræ Ebuli Salernitanæ diœcesis in regno Neapolitano, anno* 1604 *Neapoli excuso, hæc leguntur :* Celebratur XX Novembris; *atque hæc ex ordinatione S. R. Congregationis, ut liquet ex his, quæ ad calcem reperiuntur, verbis :* Festum S. Bernerii Confessoris in terra Ebuli Salernitanæ diœcesis fuit stabilitum a Congregatione sacrorum Rituum sub die supradicta XVIII Maji 1602, dum prosecretarius Congregationis se gerebat D. Alexander Gratianus, subscriptum vero et sigillo munitum ab illustrissimo D. cardinali Florentino tamquam præfecto Congregationis sub die XXVII Septembris ejusdem anni 1602. — Ita est, Jo : Paulus Mucantius pro secret. Congregationis. — Originalis copia revisa, et subscripta ab illustrissimo Baronio est apud me secretarium prædictum. *Verum, si quibusdam idoneis scriptoribus fidam, vel hoc decretum abolitum seu mutatum sit oportet, vel non ab omnibus eodem die celebratur Sancti nostri festum. In Chronico scilicet generali Minimorum et in eorumdem Diario Franciscus Lanovius, eo potius credendus quod Ebulense cœnobium ad Ordinem suum pertinebat, aperte S.* Bernerii *festum ad diem* XVI *Octobris refert. Insuper Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum, ad eumdem diem Octobris, sic celebrat S.* Bernerium: Eboli in Picentibus, S. Bernerii solitarii : *cui memoriæ in annotatis subdit :* Ex tabulis et monumentis ecclesiæ Ebolitanæ, quæ illum loco patroni habet, ac præcipue hac die colit. Cujus Acta Romæ vidimus MS. una cum Officio proprio, quo ante Breviarii correctionem Ebolenses utebantur. *Suo itaque pondere non caret ejus testimonium. Idem hagiophilus*

A *hagiophilus in Catalogo Sanctorum Italiæ, anno* 1613 *excuso, postquam brevibus S.* Bernerii *vitam ad præsentem diem recensuisset* ex lectionibus in ejus officio recitari solitis, *subdit :* Hac autem die non natalis, sed inventio celebratur per octo dies. *In Officio autem,* XX *Novembris instituendo, quod quidem ritu duplici fit, nulla occurrit mentio Octavæ. Cum vero ipse dies natalis, ut inferius videbitur, nonnihil disputationi subjaceat, statuet facile lector, an potius præsenti die, qua Ferrarius celebrius ejus festum fieri tradit, quam die* XX *Novembris, quæ conjecturis forte tantum nititur, de S.* Bernerio *agendum nobis esset.*

proponuntur; 2 *Altera ratio, ob quam hæc dies magis placet hæc est : cum Tamayus Salazarius in Martyrologio Hispanico ad diem* XI *Aprilis celebrasset hanc memoriam :* S. Bienerus, anachoreta apud Uxamæ-burgum in Hispania, et austeritatis, et pœnitentiæ continuatione mirabilis, animam Deo reddidit, relinquens posteris suæ sanctitatis et virtutum specimen; *atque in adjectis notis lectori comprobare aggressus esset hunc Sanctum eumdem esse ac Ebulitanum, de quo Ferrarius; decessores nostri, ad prædictam* XI *Aprilis prætermissos et in alios dies rejectos*
B *recensentes, distulerunt totius quæstionis examen* ad diem, quando ista commodius discutientur, et plenius tractabuntur, XVI Octobris. *Ne itaque nimii in Sanctis ab una ad aliam diem remittendis simus, Ferrarii calcabimus vestigia, quæ a sacro Hagiologii Italici scriptore relecta quoque fuerunt. Nihilominus lectorem monitum velim martyrologum universalem Castellanum a Ferrario discessisse, Sanctumque* Bernerium *die* XX *Novembris nuntiasse; verum ille ipse, aemerorum catalogum contexens, S.* Bernerium *Ebulitanum ex eo non excludit, ita gallice disserens :* S. Bernerius, mortuus in diœcesi Salernitana, notatur a quibusdam die, S. Bernualdo Hildesiensi sacro (XX *Novembris* (*a*)), donec inveniatur ejus dies emortualis. *Unde tantum specie tenus Castellanus adversari dicendus est.*

ex una e tribus S. Bernerii *Vitis* 3 *Quoniam quæcumque de S.* Bernerii *gestis cognoscuntur, ex ejus biographiis haurienda sunt, placet paucis de eis præfari. Sunt eæ scilicet tres numero : prima quæ antiquissima est, atque nondum, in quantum novi, vidit lucem, in Bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi, a decessoribus nostris descripta, exstat ad num.* 8950, *atque in margine præfert signum, quo perhibetur apographum esse*
C *MS. codicis Patrum Oratorii; quod Romanum esse autumo. Non scripta fuit hæc Vita ab auctore æquali, ut e num.* 12 *facile videre est; sed centum forte annis post S.* Bernerii *mortem. Neque ii sumus, qui obviis ulnis quæcumque in ea asseruntur amplectamur; atque adeo in annotatis signabimus ea, quæ interpolata videntur, et a S. R. Congregatione aut expuncta aut saltem non admissa fuerunt. Porro in codice MS., unde desumpta fuit, dividebatur Vita in* XII *lectiones, quarum unaquæque apud nos numerum constituet. Secunda, quæ nobis innotescit, Vita* ex Ebolitanis lectionibus in S. Bernerii Officio recitari solitis *a Ferrario fuit concinnata, et suo Catalogo Sanctorum Italiæ inserta. Hæ vero, quæ præluxerunt, lectiones diversæ sint oportet a prælaudata Vita, tum quoniam constructionem ecclesiæ S. Petri Ebulitanæ S.* Bernerio *tribuit, tum quoniam Reliquiarum inventionem et secutum miraculum memorat. Qui Hagiologium Italicum consarcinavit, Ferrarii opere usus est, illudque ad verbum descripsit, si Reliquiarum tamen inventio ab eo, nescio quare, omissa dematur. Tamayus autem ita Ferrarii scriptionem edidit, ut pauca tantum ei adjecerit ex* D *Pseudo-Juliano. Tertia Vita, seu Officium, cujus jam meminimus, fere e locis communibus contexta est.*

breviter ejus gesta recitantur. 4 *Quoniam vero Ferrarii opusculum brevibus complectitur quidquid de S.* Bernerio *cognitum aut adstructum fuisse videtur, juvat illud hic loci exhibere; uncinis includemus, quæ ei Tamayus* (*b*) *ex spurcatis fontibus immiscuit.* [Bienerius, sive] Bernerius Hispanus [ex urbe Uxameburg quæ nunc Burgum Osmæ in Hispania dicitur] claro genere ortus, ab ineunte ætate, a sæculi voluptatibus abhorrens, relicta patria, ecclesiarum præcipuarum peregrinationem suscepit. In qua cum magnam vitæ partem consumpsisset, tandem in Italiam veniens, apud Ebolum, oppidum in Picentibus, substitit. Ubi, cellula exstructa, victum quæritans, modico pane et vino ob valetudinem stomachi contentus, cætera pauperibus erogabat. Cum is panem cuidam inopi, lignis et igne carenti, divinitus coxisset, eo miraculo sanctitas ipsius pervulgari cœpit; quam plura subsecuta comprobarunt. Cum enim comes Ebolensis pontem super Silaro amne ædificare aggressus esset, et quod una die extruebatur, altera corrueret; Bernerius collecta mendi- E
cando pecunia, et ex ea lapidibus et cæmento emptis, fabricam pontis suis manibus aggreditur; ita ut quod uno die factum esset, sequenti duplicatum inveniretur. Ponte igitur absoluto, ecclesiam S. Petro Apostolo prope construxit; cui diu ille inserviit, donec a Deo vocatus, migravit in cœlum, campanis sponte sonantibus, et suavissimo odore ex ejus corpore exhalante. Corpus in ea ecclesia, quam ipse ædificaverat, conditum fuit, ubi oleum quod congelatum erat, diu et incessanter redundavit. Cum autem multos annos delituisset, anno salutis 1554 die XVII kalendas Novembris inventum, ac miraculo pluviæ petitæ et impetratæ confirmatum, honorifice reconditum fuit; et ad ejus tumulum etiam nunc dæmoniaci liberantur. Quapropter ab Ebolitanis præcipuo honore colitur hoc die. *Hæc Ferrarius, et secundum eum fere Tamayus.*

Quæritur idemne sit ac quidam putatius S. Bienerus, 5 *Quæcumque porro de S.* Bernerio *commentanda sunt, annectuntur quæstioni cuidam, motæ a Tamayo de Salazar, qui Sanctum nostrum confudit cum quodam S. Biendrio vel Bienero, qui numquam in rerum natura fuisse videtur. Audiatur autem Tamayus* (*c*) : Duos hujus nominis (Bernerii *vel Bieneri*) solitarios apud diversos agnosco; alium et F
alterum Hispanum; forte in essentia et identitate unum deprehendes. Muneris enim mei hæc antiqua mens est, ut quidquid ad nostram attinet provinciam, palam faciam. Ergo auctoritates in medium proferam, pius lector securiorem protinus sententiam amplectetur. Julianus noster in Chronico, ann. MVI num. 523, in hæc verba prorumpit : « Uxameburg quod nunc oppidum Burgum Osmæ dicitur, S. Bienerus solitarius colitur XI Aprilis. » Pene in nomine æqualis, in statu vero similis, et in origine indubius a Philippo Ferrario.... die XVI Octobris.... consignatur, *etc. Verum Tamayus, priusquam scisciteretur atque investigaret num S. Bienerus Oxomensis idem esset ac S.* Bernerius *Ebulitanus, inquirere debuisset, an S. Bienerus umquam Oxomæ cultus fuerit, quin etiam an aliquando exstiterit. At testatur Julianus noster : sed noverit studiosus lector hunc Julianum eumdem esse ac Julianum Petri : quod nomen non secus ac nomen Flavii Lucii Dextri et tot aliorum, qui apud Hispanos mendaciorum*

(*a*) Martyrol. Rom. indicat XX Oct.; reliqua XX Nov. — (*b*) Ad diem XI April., p. 571. — (*c*) Ibid. loc. cit.

A *fabri exstiterunt, mera larva est, qua se quis ineunte sæculo* XVII *contexit, ut in Bibliotheca Hispana veteri* (*a*) *Nicolai Antonii late videre est. Jam vero, teste ipso Tamayo, qui medio* XVII *sæculo scribebat, suis temporibus nota non erant Oxomæ S. Bieneri Acta : unde nequidem veri similitudini inniteretur is, qui Pseudo-Juliano S. Bieneri Vitam præluxisse conjiceret. En Tamayi testimonium :* Si iste (*S.* Bernerius *Ebulitanus*) idem ac ille (*S. Bienerus*), de quo Julianus noster, et Ebolitanus (*civis quiscumque*) diem transitus et anni computum (*quæ reapse ignorantur*) ut suis inserat actis, inveniet; et Uxamensis Ecclesia Hispaniæ TANTI DIVI ACTA COGNOSCET, ut tam ista (*Ecclesia Oxomensis*), quam illa (*Ecclesia Ebulitana*) anniversariis jubilationibus festum celebrent singulare. *At ex postremis verbis, quibus innuitur ne annuum quidem festum Oxomæ celebrari in S. Bieneri honorem, adversus Pseudo-Julianum exsurgit argumentum, quod nonnihil aliunde conformatur : penes me nempe est Kalendarium Oxomense anni* 1718; *atqui in hoc neque ad* XI *Aprilis, neque ad* XVI *Octobris, neque ad* XX *Novembris ulla S. Bieneri, aut* Bernerii
B *mentio fit; similiter in Hispania Sacra Florezii, ubi* (*b*) *de Sanctis diœcesis Oxomensis agitur, nusquam S. Bieneri memoria occurrit; neque ullam de eodem Sancto mentionem facit Uxamensis historiographus Loperraez Corvalan* (*a*).

a Pseudo-Juliano excogitatus et a Tamayo propugnatus :

6 *Ex præcedentibus satis jam liquet S. Bienerum Oxomensem, a Pseudo-Juliano adstructum, merito in dubium vocari. Verum etiamsi demus eum exstitisse, non video quare confundendus esset cum* S. Bernerio *Ebulitano : nam ex superstitibus monumentis* (*si tamen Pseudo-Juliani fœtus monumentum sit*) *non dicendi sunt eodem tempore vixisse. Superius auditus fuit Julianus asserens, S. Bienerum jam anno* 1006 *die* XI *Aprilis Uxameburgi cultum fuisse; verum tum secundum Vitam editam ab ipso Tamayo, Ferrario et Hagiologo Italico, tum secundum Vitam MS. a nobis edendam anno saltem* 1160 *nondum obierat S.* Bernerius *Ebulitanus.*

stabilitur negans sententia ex ætate Ebulitani templi.

7 *In opusculo scilicet Ferrarii dicitur noster Sanctus operam contulisse ædificando Ebulitano S. Petri templo, et in Vita MS., quæ nobis multo potior est, hæc solum num.* 10 *prostant :* Dedicavit itaque hic Sanctus se servitio ecclesiæ, in ea juxta virtutem infirmi corporis deservire. Ecclesia au-
C tem, ubi maxime consueverat frequentare, basilica est B. Apostoli Petri atque sanctorum habitatio monachorum, ubi et Ebolensis populus ejus limina venerantur. *Ex quibus evidens cum sit, S.* Bernerii *ætatem minime referendam esse ante hujus ecclesiæ constructionem, sine negotio demonstrari potest hunc Sanctum nondum e vivis excessisse, cum putatius S. Bienerus aut Biendrius jam coli dicitur. Audiatur itaque Ughellus* (*d*) : Hoc etiam tempore (*circa annum* 1156) ex autoritate Romualdi (*II, Salernitani archiepiscopi,*) Joannes abbas (*Ebulitanus*) ecclesiam S. Petri de Ebulo condidit; opus aliqui male referunt ejusdem archiepiscopi; sic enim testatur inscriptio in ipsa ecclesia :

Guillelmi regis, Antistitis et Romualdi
Temporibus domus hæc ædificata fuit.
Abbas istud opus venerabilis ille Joannes
Fecit, laus cujus est probitate minor.
(*Desunt duæ voces*) muros studiosi Bartholomæi
Fecit materiam; sed superavit opus.
Anno D. MCLX.

Lanovius, in Chronico generali Minimorum ad annum 1577 *num.* 3 *referens, quo pacto ad Ordinem* D *suum transierit hoc monasterium, secundum communem sententiam aut famam illigat hujus cœnobii fundationem ævo Gulielmi Normanni II, cognomento Boni, quem cœnobii fundatorem statuit.*

Indidem conjici potest de tempore quo vixerit S. Bernerius.

8 *His positis, extricet se jam quisquis Tamayi asserta propugnare aveat. Ei quippe in primis necesse est, ut inficias eat S.* Bernerium *obiisse post annum* 1160, *quo multo antiquior æstimandus est ille S. Bienerus, quem Pseudo-Julianus anno* 1006 *Uxameburgi cultum fuisse tradidit. Ex dictis quoque liquet, hallucinari meritissimum Castellanum, cum in Martyrologio suo Universali* (*e*), *juxta S.* Bernerii *memoriam, tempus emortuale annum circiter* 980 *statuit. Qui error tribuendus est Tamayo, hæc scribenti :* Quatenus ad annum, in quo ab hac sanctus anachoreta peregrinatione discesserit, scriptores conticescunt. Tantum Julianus ad annum 1006 Christi ejus cultum apud Uxamam consignat. Ex quo facile credi potest, illum antiquiorem accepisse venerationem. *Inter annum mortis et annum* 1006 *putatitii cultus inseruerit Castellanus annos circiter* 25; *qui calculus eum ad annum* 980 *reduxit. Ex*
E *præmissis vero libenter S.* Bernerii *mortem exeunti sæculo* XII *illigabo, donec rationes, huc usque mihi ignotæ, aliud suadeant. Diem emortualem in dubium quoque vocari num.* 2 *ex Castellano notavi : quam tamen ad mediam circiter hyemem referrem ob miraculum, factum in ejus morte,* quo oleum, quod tunc ibi (*in ecclesia S. Petri*) COAGULABATUR, incessabiliter redundabat; *nisi, cum nihil apprime certi occurrit, veneranda mihi esset auctoritas S. R. Congregationis, quæ anno* 1602 *approbavit Officium, in quo S.* Bernerius duodecimo kal. Decembris migrasse in cœlum miraculis clarus *affirmatur.*

Fata Ebulitanæ abbatiæ, ubi hic Sanctus quiescit,

9 *Locus, in quo S.* Bernerius *colitur, atque alia quædam ad impertitos ei honores pertinentia paucis illustranda supersunt.* Ebolum *scilicet, ut loquitur Lanovius in Minimorum Chronico ad annum* 1577 *num.* 3, haud procul amne Silaro, supra Salernum, in Orientem XVIII millibus passuum, quo spatio amœna et florens planities tenditur, oppidum est opulentum, frequens et clarum, quod ejusdem nominis fluvius alluit, Campania, episcopali urbe, non longius quatuor passuum millibus. *Non tamen jacet in Campanensi, sed in Salernitana diœcesi, ut docet tum Augustinus Lubinus in Brevi Notitia Abbatiarum Italiæ* (*f*), *tum quidam Codex MS. Taxarum Cameræ Apostolicæ, sæculo* XIV *ineunte exaratus, atque nunc inter nostra litteraria cimelia servatus. In hoc oppido, quod vulgo* Evoli *dicitur,* jam olim, condita fuerat abbatia Ordinis Benedictini, S. Petro Apostolo sacra, fundatore (ut fama est) Guillelmo Normanno II, utriusque Siciliæ rege, cui ob pie-
F tatem, prudentiam et illibatæ auctoritatis conservationem Boni cognomen factum est. *Quam tamen fundationem, circa annum* 1156 *cœptam, ut superius monendum jam fuit, Romualdus, id temporis Salernitanus archiepiscopus, ne verbo quidem attigit in latissimo suo Salernitano Chronico, quod initio tomi* VII *Rerum Italicarum Muratorius edidit. Ipse tamen Romualdus nonnihil contulit hujus fundationis stabilitati, cum anno* 1160, *die* XV *Januarii, indictione* IX, *archipræsulatus sui* VII *confirmavit Joanni, Ebulitano abbati, ejusque successoribus omnia bona juraque abbatiæ. Hæc Ughellus* (*g*) *et Lubinus* (*h*); *qui insuper docet jam pridem hanc abbatiam* consistorialem *fuisse* et in commendam dari solitam; *quin addit Lanovius eam ante an.* 1577

(*a*) T. II, p. 36 et seqq. — (*b*) España Sagrada, t. VII, p. 299. — (*c*) Descripcion histor. del obispado de Osma. — (*d*) Ital. Sacr., t. VII, col. 401. — (*e*) p. 592, ad margin. — (*f*) p. 121. — (*g*) Ital. sac., t. VII, col. 401. Edit. Venet. — (*h*) Notit. abbat. Ital., p. 121.

longum

A longum jam tempus *exstitisse* desertam; *et subjungit :* Ill. autem et Rev. D. Antonius Carafa, eo sacerdotio ac supremo galeri honore a Pio V exornatus, *eamque abbatiam commendatam tenens,* nihil habuit antiquius, quam ut exemplaris et austeræ vitæ professores in illud monasterium induceret. Habito igitur delectu, Minimos ad eam rem sublegit, et anno 1577 in possessionem misit, attributis in annum perpetuis censibus et redditibus ex bonis ipsius monasterii, quod Gregorius XIII Pontif. Opt. Max. probavit et laudavit. Cœnobium altari, ut vocant, privilegiato gaudet, et antiquum S. Petri titulum retinet.

et qui huic tribuuntur honores aliquantum illustrantur,

10 Asservant etiam *hujus loci cœnobitæ* sacrum corpus B. Bernerii solitarii, cujus virtus in expellendis dæmonibus præsertim elucet. Agunt illi diem festum Ebolenses ut patrono suo XVII kalendas Novembris. *Huc usque Lanovius. Officium, quod num.* 1 *anno* 1602 *concessum diximus, de communi Confessoris non Pontificis est, præter lectiones quartam et quintam secundi Nocturni; idque alio quoque die quam* XX *Novembris recitandum esse liquet ex his approbationis verbis :* ... Sanctissimus Dominus noster (*Clemens Papa VIII*) . . . annuit,
B ut, etiamsi in Kalendarium Romanum relatum non sit, imprimi, et in terra prædicta IN DIEBUS PRÆSCRIPTIS una cum illius Missa publice recitari libere et licite possit et valeat, *etc. De his vero diebus conjicere licet ex his, quæ num.* 1 *allata sunt. In sæpius hoc memorato Officio binæ etiam exstant S.* Bernerii *imagines, quæ mere imaginaria commenta sunt. In utraque pingitur in campis, et juxta eum consurgit templum aut monasterium Ebulitanum; in utraque exstat barbatus, in priore crinitus, in altera capuccio tectus; utrobique tenet baculum, utpote senex; in priori præterea gestat librum, vestemque talarem habet, in altera monachali induitur; in hac splendet Minimorum scutum, radians gloria, cum inscripto verbo :* Charitas; *in illa gerit rosarium, longius quam ut confundi possit cum hac brevi globulorum serie, qua in Occidenti, non tantum sæculo* XII, *ut inventio corporis S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ patefecit* (*vide ejus Vitam in opere nostro ad diem* IV *Septembris*), *sed jam sæculo* VII *homines usos fuisse prodidit tumulus S. Gertrudis Nivellensis in Brabantia* (*a*); *adeoque ita longum, ut Dominicanum rosarium dicendum sit : atque proin videatur anachronismus.*

C

VITA S. BERNERII EREMITÆ.

Ex codice MS. Oratorii, verisimiliter Romani.

S. Bernerius *a*

Olim, fratres carissimi *a,* cœnobitarum numero novimus Christi Ecclesiam militare, chorosque cœli civium restaurari : hoc manifeste in Genesi scribitur : Crescite et multiplicamini et replete terram. Cum enim Christi pauperes de sæculo migrant, cœnobiorum monilibus adornati; terram promissionis adimplent, lactis et mellis dulcedine distillantem; hæc enim illa terra est, de qua in Cantico Canticorum scribitur : Flores apparuerunt in terra nostra. His autem Sanctorum collegiis Beatissimum Bernerium ingenti virtutum congerie novimus sociatum; hoc enim et vitæ gesta probant insignia, hocque coruscantia crebra miracula protestantur.

(*a*) Ryckel., Vit. S. Gertrudis, p. 791 et seqq.

AUCTORE ANONYMO.

2 Fuit, inquam, hic natione Hispanus, ex illustri prosapia oriundus, et quia mundi deliciæ carnis excitant appetitum, carnis jam oblectatione despecta, Deo servire cupiens, decrevit corpus tradere egestatis et laborum asperitatibus macerandum. Hac igitur S. Spiritus exspiratione * quam pluries per cordis angulos revoluta, diversorum Sanctorum corpora duxit propriis pedibus visitanda; quod et ita factum est.

D *Hispanus, austerus anachoreta,*

* inspiratione

visitat Sanctorum corpora,

3 In hac igitur peregrinatione diuturna temporis prolixitate vacans, intemeratam conscientiæ aulam Deo studuit reservare; non enim decebat tanto regi veste sordida suum dapiferum ministrare, Domino per prophetam dicente : Ambulans in viam immaculatam hic mihi ministrabat; et iterum : Innocentes et recti adhæserunt mihi. Fuit enim licet juvenis corpore, senile tamen cor gerens, in opere sanctimoniæ sibi non quasi nomen usurpans, sed sortitus bonam animam, rem nominis qualitati conformans. Lumen circum adstantibus publicavit : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

venit in Italiam,

4 His, inquam, visitationibus jam peractis, viribus jam corporis vetustate privatus, quietem
E corpori quærens, duxit apud Italiam declinare, ubi posset Beatorum Apostolorum videre corpora, plurimarumque Sanctarum Virginum, necnon et vitæ præsentis cursum sub divinæ venerationis obsequio terminare; dicebat enim : Hic alias errorum gentilium vigebant vitia detestanda; vadam et in Christianæ religionis veritate prædicans confirmabo, ne majorum errorum ramusculi valeant pululare, dicente Philosopho : Parvus error in primo, magnus est in fine.

concionatur apud Ebulum,

5 Videte, fratres carissimi; non nos conturbent cogitatus, qui in Sancti cor ascenderunt; licet enim humanæ scientiæ nudatus exstiterit, nec propter hoc obstabat ipsum posse divini verbi præconium euangelizando monstrare; hinc Dominus ait : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et iterum Apostolus : Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Venit igitur Sanctus in Italiam; sed apud Ebolum *b* citius quam alibi declinavit *c,* tum quia humani generis hostes, eum invadere cupientes, quam plures prosequi consueverant, tum quia etiam hominum malitia * in ipso quam in cæteris abundabat. Ex quo autem Sanctus terræ fores intravit, dæmoniorum cessavit invasio, et plurimi a nequitiis, sedulæ prædicationis latratibus, destiterunt.

b

c

* tam *forte deest.*

F

ubi et multa bona opera præstat.

6 Ebolum igitur veniens, viarum *d* studebat lubricitates infringere, ne inopum nudos * læderent. Divini amoris ignibus inflammatus, inopum etiam supplebat inopiam, cum substantiam mendicaminis erogabat. Panis bolum ad corporis sustentationem sumebat, aquæ bibens forsulum *e,* nisi quandoque vini tantum saporem propter sanitatem. Viros ac mulieres, ad quos pro petenda eleemosyna declinabat, ad mentis puritatem adque de commissis pœnitentiam hortabatur. Inter pauperes in rebus præ cæteris abundabat, sanctitatis se præbens cæteris in exemplum. De receptis autem, arctam vitæ necessitatem retinens, præbebat aliis quod restabat.

d

* pedes *deest.*

e

Sabbatum observat, panes sine igne coquit,

7 In vigiliis *f* quidem sancti diei septimi opera servilia denegabat, imitatus vestigia Conditoris; in Genesi enim scribitur : Requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat; et ipsemet dicit : Qui sequitur, me habebit lumen vitæ. Hanc vitam, a Domino sua passione tributam, Beatus Bernerius

f

cupiens,

AUCTORE ANONYMO.

cupiens, resurgentem Dominum, omni mundana occupatione postposita, spiritum contemplationi dedicans, exspectabat. Post nonam * igitur semel accidit, quod quædam inops panes fecerat, nec ligna ad coquendum habebat. Sanctus igitur Bernerius, misericordia motus, appositos panes absque igne coctos reddidit. Fama autem ejus ut virtuosior publicabatur.

A

* *intellige* horam.

miseros juvat,

8 Fratres, itaque hic Sanctus erga afflictos pia gestans viscera, eos de bonis propriis, quæ in labore mendicaminis acquisierat, refovebat; despectos visitabat; infirmos cunctos lucro sudoris proprii redimebat; diligebat bonos; malorum tamen naturam, licet opera, non odibat; proximorum nimis corporis, et animæ maxime, procurare salutem frequentissime nitebatur: [inde *g* est quod comes *h* quidam, qui super Ebolum dominio fungebatur, duxit pontem magni ædificii in flumine Sileris construendum, erga Christi fideles eminentia pericula cupiens evitare. Cum ergo ædificare cœpisset pilam, quæ in medio est fundata, constructa die uno, die altero corruebat.

g
h

pontem extruit,

9 Beatus autem Bernerius, zelo salutis fidelium Christi motus, in labore mendicaminis in quantitate bona pecuniam acquisivit. Emptis ante lapidibus et cœmento, suis propriis manibus pilam fundavit, magnamque construxit, cœlesti adminiculo mediante. Quod enim die uno in fabrica construebat, die altero duplicatum; et licet suo pretio

B

alios pro operum servitio teneret, non divertit ab oneribus dorsum ejus, sed propriæ manus ejus in cophino serviebant.] Sancti quidem fama vigebat, sanctitate vitæ et actis mirabilibus declarata. Erat itaque viribus corporis destitutus, cum esset grandævus tempore, attritusque in membris corporis præ labore.

ecclesiis inservit et moritur;

10 Dedicavit itaque hic Sanctus se servitio ecclesiæ, in ea juxta virtutem infirmi corporis deservire. Ecclesia autem, ubi maxime consueverat frequentare, basilica est B. Apostoli Petri, atque sanctorum habitatio monachorum, ubi et Ebolensis populus ejus limina venerantur *i*. Hinc per Prophetam dicitur: Cum sancto sanctus eris. Cum ergo die quadam apud olearium quamdam pro petenda eleemosyna declinaret, a Domino vocatus occubuit *k*. Hujus anima sancta cœlum penetrat triumphalis, a rege gloriæ serto regio coronatur, quod et gesta probant insignia.

i

k

C

post mortem miracula

11 Odor autem, qui de ejus corpore emanabat, aromatum omnium et universi generis unguentorum redolentiam superabat. Campanæ autem castri prædicti, velut sancti præconium in laudibus prædicantes, omni humano adminiculo denegato, incessabiliter pulsabantur. Populus autem unanimiter irruentes sanctis inventis Reliquiis *l* in S. Petri basilica locaverunt. Oleum autem, quod tunc ibi coagulabatur, incessabiliter redundabat; quod et adhuc beneficium ob Sancti reverentiam reservatur.

l

multa et magna patrat.

12 In Sancti autem hujus morte, atque post mortem multa miracula *m* ad ejus laudem et gloriam Deus ostendit, spiritualem sibi gratiam Deus contulit, ut nec immundorum spirituum valeant quæque contagia resistere. Vidimus quidem tempore nostro, necnon et didicimus *n* a præceden-

m

n

* animas *deest.*

tibus, et sequentibus nos plurimas * ejus meritis fore salvatas, quas nec quidem Apostoli salvaverunt. Ajo hoc, non quasi B. Bernerium ipsos majoris meriti reputemus, sed ut Sancti merita coruscantia crebra miracula protestentur, ut probare videtur Gregorius in Dialogo *o*. Si gloriosa quidem miracula, quæ post mortem ejus meritis Deus ostendit, longum esset enarrare; scire tamen vos cupio, quod, si qui ab immundis vexati spiritibus, devote ad ejus limina accedentes, percepto beneficio sanitatis *.

D

o

* *supple* recedunt.

ANNOTATA.

a *Num.* 3 *Commentarii dictum jam fuit de hujus Vitæ antiquitate. Forma ejus, panegyrica potius quam biographica, significare videtur, eam primitus concionem fuisse. Unde colligere est, eam non ab initio in duodecim lectiones fuisse divisam : quæ animadversio ad annotatum* g *usu veniet.*

b *De Ebuli situ nonnulla jam memini num.* 10 *Commentarii; sequentia præterea de hoc oppido tradit Baudrand in Lexico Geographico :* Ebolum aliis est Eburi, Evoli, oppidum alias Picentinorum, nunc regni Neapolitani, in provincia Principatus Citerioris, ducatus titulo clarum, sex milliaribus distat ab ora littorali sinus Salernitani in ortum, et quindecim a Salerno etiam in ortum. *De ejus antiquitate, origine fabulosa, monumentis, historia, quædam attingit Henricus Baccus in descriptione regni Neapolitani* (*a*).

E

c *Hæc Vitæ verba :* Sed apud Ebolum citius quam alibi declinavit, *et hujus numeri reliqua tam obscura sunt, ut in dubium vocandum sit, num S.* Bernerius *reapse Romam iverit et Sanctorum Apostolorum corpora visitaverit, quemadmodum, antequam Hispania egrederetur, mente conceperat. Eum tamen hæc sacra pignora veneratum fuisse affirmant tum Ferrarii scriptum, tum Officium Ebulitanum anni* 1602.

d *Etiamsi alia deessent monumenta, quales concessiones indulgentiarum, etc., hinc liqueret, medio ævo tamquam opus caritatis usitatum fuisse, ut quis vias æquaret, et itinerantibus pararet commodiores.*

e *Quid* Forsulum *sibi velit, apprime non video : estne nomen vasis, aut calicis? An haustus? Nonne potius male scriptum est ab amanuensi? Ex ipso enim nostro apographo, ubi delet et substituit, atque evidenter nonnumquam male describit, constat eum non certo atque securo oculo MS. codicem legisse; in quo forte exstabat* Sorbellum, Sorbinum *aut* Sorbium, *quæ voces medio ævo usurpatas fuisse innotescit. Si vero quis vocabulo* Forsulum *adhærere velit, scribat saltem* Forsulam, *quod idem est ac* Fossulam, *quoniam, teste Cangio ad similes voces,* r *ante* s *nonnumquam in* s *mutatur; atque tum* Forsula *calicem, imitatum parvam fossam, significabit.*

F

f *S.* Bernerium *in colendo sabbato, si tamen ita interpretandus sit hic locus, erroneam secutum esse doctrinam obvii theologi docebunt. Cavebis tamen ne S.* Bernerium *Sabatatum facias, aut Waldensium præcursorem : recte quippe docet Cangius ad hanc vocem non ex observantia sabbati Waldenses* Sabbatatos *nuncupatos fuisse. Verum ille idem ad vocabulum* Sabbatizare *exempla affert, quibus patet S.* Bernerium, *aut ejus saltem encomiasten non solum in hoc errore fuisse versatum : quamobrem Hayto Basileensis episcopus, cap.* VIII *de die Dominico, præscribit :* Sabbatum vero operandum a mane usque ad vesperam, ne in Judaismo capiantur. *Sæculo* XVI *viguit iterum sabbatizantium error apud neotericos, de quibus Beyerlinck in Magno Theatro* (*b*) : Sabbatarii sunt hujusce tempestatis hæretici, secta Anabaptistæ, qui nimirum authore Staphilo de Luthera-

(*a*) Græv. Thesaur. Antiquit. et Hist. Ital., vol. IX, t. I, col. 38 et seq. — (*b*) T. VII, p. 3.

norum

A norum inter se concordia, sabbatum more Judæorum colunt. De quibus Lutherus libro contra Sabbatarios.

g *Totum hunc locum, uncis inclusum, interpolatum fuisse, manifestum mihi est. Id factum sane fuerit cum S.* Bernerii *encomium* (*vide annotatum* a) *in duodecim Lectiones distributum est. Interpolationem autem adesse lector admittet facile, si animadverterit contextum intricatum esse, si locus ille non rejiciatur; et contra facile fluere, si dematur. Cæterum e duplici capite narratum illic miraculum credibile non est. Etenim illud admissum non fuit a sacra Congregatione Rituum, in Officio anni* 1602; *licet, ut præfigitur, ei notæ essent S.* Bernerii *res gestæ; dein non cohæret istud miraculum cum adjunctis præcedentibus, atque hiulca non nulla includit. Eccum specimen ex initio numeri* 4 : His, inquam, visitationibus jam peractis, viribus jam corporis vetustate privatus, quietem corpori quærens, duxit apud Italiam declinare : *ubi quidem facile concedemus, hanc virium corporis minutionem non verum languorem fuisse, cum num.* 6 *narretur* lubricitates viarum infregisse (*quod senis opella esse potest*); *ast non æque imbe-*
B *cilli seni adscribi queunt, quæ num.* 9 *prostant, mendicasse videlicet pecuniam, quæ solvendo operi esset, propriis manibus pilam pontis fundasse, dorso tulisse onera, parasse ipsemet cophinum aut cæmentum. Præterea qui hæc scripsit, multo ineptior est, quam reliquæ Vitæ auctor : hic sane secum non ita discors est, ut initio narret comitem Ebulitanum mente concepisse pontem de suo construendum, atque id ab eo fuisse tentatum; et dein S.* Bernerium *ad* D *pecuniam emendicandam emittat.*

h *Quis ille comes sit, nullo modo assequi possum. Hoc tamen circiter ævo comites Ebulitani exsistebant; nam in Chronico Cavensi* (*a*) *sub anno* 1121 *reperimus :* Obiit Robbertus, Evulanus comes; *decessor sane illius, qui hic loci in S.* Bernerii *Vita indigitatur.*

i *De hac ecclesia et abbatia dictum est in Commentario prævio num.* 7 *et* 9. Populus ejus (*Petri*) limina veneratur, *allusio est ad usum, quo Romam pergunt Christi fideles, SS. Apostolorum, imprimis Petri, limina veneraturi.*

k *De tempore mortis videsis Commentarium prævium num.* 8.

l *Hæc Reliquiarum inventio manifeste nihil aliud est* (*ut ex contextu patet*) *quam inventio cadaveris S.* Bernerii, *in via modo demortui, cum pergeret ad mulierem, quæ oleum venditabat. Vide num.* 4 *veram Reliquiarum inventionem anno* 1554 *factam.*

m *Horum miraculorum memoria in Officio anni* 1602 *servata est.*

n *Amanuensis iterum culpandus hic videtur : propositioni quippe deest sensus logicus; sic restitui oportere arbitror :* Didicimus e præcedentibus et se- E quentibus nos plurimas animas, *etc., seu :* Didicimus a præcedentibus, ex sequentibus nos, etc.

o *Allusio est ad caput* VI *libri* IV *Dialogorum S. Gregorii Magni. Illic scilicet tradit S. Gregorius e miraculis cognosci posse Sanctorum animas cœlesti gloria frui.*

(*a*) Pertz, Monum. German. Script., t. III, p. 191.

ADDENDA AD HUNC TOMUM.

Ad Prætermissos XV Octobris. Bedani, *aliunde nobis ignoti, memoriam facit Lobinavius in Catalogo Sanctorum quorum cultus quidem in Britannia ei innotescebat, Vita vero nequaquam* (*a*). *De S. Bedano sic ille gallice disserit :* S. Bedanus nomen est parœciæ cujusdam in diœcesi Sam-Brio-
C censi, cui vocabulum quoque est S. Brendanus. Vulgus sæpe designat hanc parœciam nomine S. Medani, qui in Hibernia sæculo VI episcopali dignitate et vitæ sanctitate conspicuus, die festa XIV Aprilis deinceps coli meruit. Hic forsan patronus primitivus templi S. Bedani fuit. *Hæc Lobinavius, indicans dein festivitatem patroni* (*quiscumque ille tandem sit*) *in parœcia S.* Bedani *agi die* XV *Octobris. Cum nihil sit cur novas conjecturas adjiciamus opinationibus Lobinavii, id tantum monebimus in Opere nostro actum fuisse de S. Brendano, celeberrimo abbate Hibernico, ad diem* XVI *Maji, qua ejus memoriam recolit Martyrologium Romanum, et ad diem* XIV *Aprilis prætermissum fuisse S. Medanum, quia non aliunde quam ex Dempstero cognosceretur. Forsan plura de eo disquiri poterunt, quando prodibit S. Medanus, episcopus in Scotia, ad diem*

XIV *Novembris.*

Ad pag. 7 circa medium. *Quæ gerunt Martyres in pictura Capuana, insignia interpretari placuit mappas : simile quid occurrit apud Joannem Ciampinium* (*b*) *tab.* XLIII, *quod hic dicit esse volumen antiquæ formæ : sed quominus eamdem interpretationem demus Capuanæ imagini, impedit quod etiam binis fœminis concedendum esset volumen, Apostolis, qua Doctoribus, a Ciampinio tributum.*

Ad Commentarium de S. Mummolino, pag. 972, col. 1, lin. 6. *Decennio circiter ante S.* Mummolinus F *multo præstantius beneficium contulerat S. Bercharío, siquidem, teste Adsone, operam suam impendit, ut locus quidam, in saltu Dervensi situs, Lutosæ nomine, huic Sancto donaretur : Childericum II, inquit Adso,* eximius pater Bercharius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris, Dei amore ferventibus, Leodegario et Mummoleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam S. Martini in honore consecravit; prædictus rex circumquaque ab ecclesia silvæ leuga una benigne donavit. *Plura de his in præsenti volumine legere est in Commentario prævio de S. Berchario n.* 40 *et in ejus Vita n.* 22. *Ex his quoque colligere est S.* Mummolinum *æque gratum fuisse Childerico II ac olim Clothario II, et in illius quoque palatio nonnumquam fuisse versatum.*

(*a*) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. XLII. — (*b*) Vet. Monum., t. II, p. 142.

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM VII OCTOBRIS.

A

Abalos (*Alphonsus de*) *visitator archiepiscopatus Valentini* 349 a
Abbo *episcopus subscribit testamento S. Lonegesili* 938 e
†Acharius *episc. Noviomensis et Tornacensis* 963 d e f. *Reliquiæ ejus recognitæ* 975 b, 976 a b c, 977 d
Acosta (*Didacus de*) *S. J. S. Teresiæ laudator* 734 d e
Acuña (*Brianda de*) *Carm. Exc. nobili genere orta* 770 f
† Adalbaldus *cephalophorus* 819 c
Adalbaldus *abbas Uzerchiensis* 823 d
Adalbero *episc. Virdunensis* 919 e
Adda. *Vide* Etho.
† Adela *filia Dagoberti II, abbatissa Palatiolensis* 63 e f, 64 b
Adlzreiter (*Joannes*) *scriptor Annalium Boicorum* 30 a
† Ado *episcopus Viennensis non satis accurate ordinat chronologiam* 56 b
Adrianus *Ord. FF. Min. Capucc. scriptor Vitæ S. Eliphii* 801 e f
Adroaldus *fundator Sithivensis* 959 c, 961 a, 962 a b, 982 b c, 985 c d
Adso *abbas Dervensis, auctor Vitæ S. Bercharii* 807 c f, 987 f, 988, 989 b c d, 1022 b-f, 1023 a
Ærdulfus *episcopus Roffensis* 1077 d
† Ægidius *Confessor colitur* 1 *Septembris* 792 c
† Ængussius *martyrologus* 950 b
† Æonius *Arelatensis episcopus* 24 c
Æthilbertus *rex in Anglia* 1078 a
† Agapiti *Martyris Reliquiæ in monte S. Michaelis* 1127 a
† Agericus *episcopus Virdunensis* 925 b, 926 d
Agericus *archidiaconus Pictaviensis, post episcopus ejusdem urbis, in catalogo episcoporum non reperitur* 939 b c d e, 944 a b
† Agilus *abbas Resbacensis* 869 a b c
Agnoaldus *offert S. Columbano S. Agilum filium suum* 869 a b c
† Agratus *Martyr* 56 a
† Agratus *Viennensis in Gallia episcopus inter Prætermissos* 3 b
Agrippinus *diaconus S. Ambrosii Cadurcensis* 1032 b, 1048 c
Aguila (*Joannes del*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 358 b, 481 e f
Aguila (*Maria del*) *S. Teresiæ in baptismo susceptrix* 123 e
Aguilar (*Bartholomæus de*) *Ord. Præd. a S. Teresia laudatus* 739 d
Ahumada (*Antonius de*) *S. Teresiæ frater, religiosum Ordinem ingressus* 121 d e, 129 e, 560 a b
Ahumada (*Augustinus de*) *S. Teresiæ frater* 121 f, 122 a b
Ahumada (*Beatrix Davila y*) *mater S. Teresiæ* 114 b c, 117 c, 124 e f, 125 c e, 557 d e
Ahumada (*Beatrix de*) *S. Teresiæ proavia materna* 114 c
Ahumada (*Ferdinandus de*) *primus hujus agnominis* 117 c
Ahumada (*Ferdinandus de*) *S. Teresiæ frater* 118 b
Ahumada (*Joanna de*) *S. Teresiæ soror* 122 b c d, 188 f, 428 f, 570 d e, 576 d e, 578 a b c d, 579 f
Ahumada (*Petrus de*) *S. Teresiæ frater* 121 e f
Ahumada (*Vincentius de*) *presbyter S. Teresiæ cognatus* 115 a 596 f
Aicardus *archiepiscopus Arelatensis* 20 c
Aigle (*de l'*) *vicarius capitularis Tullensis jubet recognosci Reliquias S. Eliphii* 805 f
Aiglo *abbas S. Petri Senonensis* 1007 e
Aitzema (*Leo van*) *scriptor Batavus citatus* 754 e
Alagon (*Aloisia de*) *ope S. Teresiæ sanata* 749 b
Alanus *episcopus Autisiodorensis* 855 d
Alanus *episcopus Sistaricensis* 20 d
Alanus *prior Generalis Carmeli ex Oriente in Occidentem transit* 107 f
Alanus Magnus *rex Armoricæ celebrat comitia an.* 689 39 d, 41 f
Alardus *abbas Dervensis* 1021 e
Alaricus II *Visigothorum rex, catholicorum persecutor* 848 c, 850 b c
† Albanus *cephalophorus* 819 c
Albanus *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 801 b
Albergati (*Antonius*) *episcopus Vigiliarum* 413 c
Albericus *abbas Dervensis* 1022 c
† Albertus *patriarcha Jerosolymitanus regulam Carmelitis dedit* 202 d, 585 a
† Albertus *Ratisbonensis episcopus, pacis archiepiscopum inter et populum Coloniensem internuntius* 16 a
† Albertus *Carmelita S. Teresiæ apparet* 252 c 682 f
Albertus *archidux Austriæ, Belgii princeps, beatificationem S. Teresiæ expetit a Paulo V* 351 e, *digitum Sanctæ accipit* 435 b-f, *laudatur* 720 a b
† Albeus *episcopus Hibernus* 852 d e f, 853 d
† Albini, *Andegavensis episcopi, Reliquiæ Noviomi* 975 b, 976 a c, 977 d
† Albinus *Lugdunensis episcopus* 17 a b c
Albinus *idem forsitan qui S. Conoganus* 43 f
† Albuinus *alias* Wittanus, *episcopus suffraganeus, S. Lulli* 1068 b, 1080 f, 1081 b c, 1090 a, 1091 b d
Albus (*Claudius Francisci filius*) *ab hernia, intercedente B. Philippa, sanatur* 103 a
Alcocer (*Alphonsus de*) *doctor* 349 a
Alcocer (*Joannes Baptista de*) *medicus, testis in causa beatificationis S. Teresiæ* 372 b c
† Adelmus. *Vide* † Aldhelmus.
Aldegerius. *Vide* Hildegarius.
Alderete (*Joseph*) *canonicus Cordubensis* 349 f
Aldfridus *rex Northumbriæ* 1076 f, 1077 a
† Aldhelmus *episcopus Shireburnensis* 1055 c d, 1056 f, *dedicat Berkingensibus sanctimonialibus poema de Laudibus Virginitatis* 61 f, 62 a b
Aldobrandini (*Hippolytus*) *S. R. E. Cardinalis* 410 f

Alduinus *seu* Hilduinus *episcopus Lemovicencis monachos in Agentense monasterium introducit, ac dein expellit* 822 f, 823 a b. *Subscribit chartæ fundationis Agedunensis* 823 d

Alemanius (*Lucas*) *episcopus Volaterranus* 412 d

Alemanni *a Juliano et Constantio impp. lacessiti* 818 d. *Iidem sub Francorum regibus* 870 b-f, 871 a b c

Alencaster (*Joannes de*) *dux de Abrantes, Conchensis episcopus* 471 a

Alerius (*Joannes*) *Ordinis Carmeli Generalis* 207 d

† Alexander *Martyr Romanus, cujus corpus delatum fuit Thenas in Belgium, inter Prætermissos* 3 c

† Alexander *Martyr inter Prætermissos* 794 e

Alexander II *Papa mittit Cluniacenses monachos in Hispaniam* 1131 f, 1132 f

Alexander III *Papa confirmat donationes monasterii S. Mariani* 855 d, *confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a. *An canonizaverit S. Bertrandum* 1160 f, 1161 a-f, 1162 a, 1181 c

Alexander VII *Papa erexit vicariatum apostolicum terræ Malabarium* 789 f

Alhredus *rex Northumbriæ* 1077 d

Allogiosus *male scriptum nomen pro Ambrosio* 1033 a

Almanza (*Joannes de*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 366 f

Almaraz (*Joannes de*) *archidiaconus de Villaviciosa* 377 a

Almodus *abbas Cerasii in diœcesi Bajocensi* 1127 b

Almonacid (*Hieronymus de*) *Ord. Præd.* 318 d

Alouette (*Joanna*) *abortivum enixa, vivum recipit precibus B. Philippæ* 105 b c

Alphonsus VI, *dictus* Magnus, *rex Castellæ,* 1131 c f, 1132 c-f

† Alphonsus Maria de Liguori *S. Teresiæ cultor* 764 d

Alpinato (*domina de*) *testis miraculi ope B. Philippæ obtenti* 99 e

† Alpinianus *presbyter inter Prætermissos* 2 f

† Alpinus *episcopus Catalaunensis. Reliquiæ ejus in Montefalconis* 922 d

Alva (*Augustinus Josephus de*) *ope S. Teresiæ a morte suscitatus* 756 a b c

Alvarez (*Balthasar*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 158 d e f, 159, 311 d e, 491 e, 569 e f, 576 a b c d, 665 c, 734 b

Alvarez (*Didacus*) *Ord. Præd. archiep. Tranensis, testis in informationibus de S. Teresia* 351 c

Alvarez (*Garcias*) *presbyter Hispalensis, S. Teresiæ fautor* 272 c d e, 273 a b, 299 a b, 628 b

Alvarez (*Rodericus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 271 d, 665 c, 734 b c d

Alvarez Cimbron (*Petrus*) *forsan cognatus S. Teresiæ* 114 f, 123 a, 661 c

Alvarez Davila (*Alphonsus*) *S. Teresiæ cognatus, cognomento Sanctus* 591 c

Alvarez de Cepeda. *Vide* Cepeda.

Alvarez de la Campa (*Gregoria*) *ope S. Teresiæ sanata* 758 b c d

Alvarez del Aguila (*Ferdinandus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 152 f, 155 a

Alvarez de Luna (*Maria*) *testis in informationibus de S. Teresia* 370 d e f

Alvarez de Toledo (*Ferdinandus*) *dux Albanus, S. Teresiæ fautor* 310 a, 449 f, 677 d

Alvarez de Toledo (*Ferdinandus de Silva*) *dux Albanus, S. Teresiæ cultor* 424 b, 425 b, 426 f

Alvarez de Toledo (*Fredericus*) *dux Albanus* 310 a, 336 d, 714 b

Alvarez de Toledo (*Maria Teresia*) *ducissa Albana* 423 f

Alvarez de Toledo y Beaumont (*Antonius*) *dux Albanus, testis in informationibus de S. Teresia* 356 e, *sollicitus est de corpore S. Teresiæ Albæ servando* 713 b d f, 714 b c

Alvarez Ramirez (*Alphonsus*) *S. Teresiæ fautor* 220, 221 c-f, 223 a b d e, 224, 604 b c d, 607 a b c

Alvornoz (*Ægidius*) *S. R. E. Cardinalis* 761 f

Amalricus *optimas Franciæ* 995 b, 1016 f, 1017 c

† Amandus *episc. Trajectensis condit testamentum suum* 971 a b

† Amandus *Genuliacensis Confessor* 836 a b c f, 837 a d

Amanevus II *archiep. Ausciensis* 1162 f

Amator (*Ludovicus*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 374 e

† Amatus *episc. Senonensis, synchronus S. Theodato* 55 e, 56 f. *Variæ ejus translationes* 1104 e, 1105 a-c

† Ambrosius *Mediolanensis episcopus auctor est libri de Mysteriis* 1037 e f

† Ambrosius *discipulus Didymi colitur* XVII *Martii* 792 a

Ambrosius a Corbaria *in insula Corsica, inter Prætermissos* 793 d

Ambrosius a S. Benedicto. *Vide* Marianus (*Ambrosius*).

Ambrulfus *presbyter Andegavensis, propter invidiam divinitus punitus* 937 c d, 941 f

Amelius *episc. Tolosanus* 1152 c, 1160 a

† Anastasius *Martyr Persa Venetiis quiescit* 1125 b

Anastasius *imperator CP.* 56 c

Anchieta (*Joseph*) *S. J. prodigiis clarus* 1120 a

† Andeolus *Martyr* 17 c

† Andochius *Martyr* 17 c, 53 a e, 54 f

Andrada (*Alphonsus*) *S. J. commentatus est S. Teresiæ Monita* 741 d e

Andrada *S. Teresiæ in fundatione Toletana adjutor* 222 a b c d, 605 b-f, 606 a

† Andreas *Apostolus, steriles uteros fœcundare creditus* 235 d e, 612 c

Andreas *abbas monasterii Tabraceni in Africa* 829 c d

Angela Josepha a S. Teresia *Carm. Exc. descripsit nupera quædam S. Teresiæ prodigia* 758 b c d, 759 f, 760 a b

Angilramnus *episc. Metensis* 1069 d

Anna a Jesu *Carm. Exc. de Reformatione Teresiana præclare merita* 300 a, 318 f, 324, 325, 326 346 d e f, 347 a, 492 e f, *de S. Teresiæ libris edendis sollicita* 444 b c. *Causa beatificationis ejus introducta* 772 c

Anna a S. Augustino *Carm. Exc.* 302 c, *testis in informationibus de S. Teresia* 360 c, *apparitionibus S. Teresiæ insignita* 165 e, 492 a b, 502 a b, *videt columbam circum caput ejus volantem* 305 a, *videt Christum ei loquentem* 634 c, *virtutibus heroicis claruisse a S. Sede declaratur* 772 c

Anna a S. Bartholomæo *Carm. Exc. socia S. Teresiæ* 274 d, *ab ea sanatur* 304 b c, 698 e f, *miraculose scribit ex obedientia* 304 c d e, *narrat plura de S. Teresia* 336 d e f, 337 a b d e f, 338, *testis est in informationibus de S. Teresia* 357 e, *precibus suis urbem arcemque Antverpiensem ab hostibus servat* 751 b-f, 752 *et seqq. Virtutes ejus heroicas fuisse a S. Sede declaratur* 772 c

Anna Maria a Jesu *virgo sæcularis in America Meridionali* 1120 a

† Anno *Coloniensis archiepiscopus* 12 b c d, *corpora SS. Maurorum Martyrum honestiori loco recondit*

recondit 14 c d e f, *increpatur a S. Eliphio ut incuriosus sui cultus; unde duplicem turrim addit sanctuario S. Martini Majoris Coloniæ* 810 f, 811 a b

Anonymus *monachus et Martyr inter Prætermissos* 3 d

† Ansbertus *episc. Rotomagensis celebrat concilium, cujus epocha discutitur* 57 b c e f, 58 a b

† Anscharius *archiep. Hamburgensis, biographus S. Willehadi* 1079 d

† Anselmus *scribit ad Robertum de Tumbalenia* 1129 b c

Anselmus *senior, dominus Acquiscinctii* 1103 b c

Anselmus *junior seu* Ansellus *fundator monasterii Ribodimontis* 1103 c d

† Antiochus *episc. Lugdunensis colitur* XV *Octobris* 792 e

Antolinez (*Augustinus*) *Ord. S. Aug. testis in informationibus de S. Teresia* 356 a, 402 c

Antonia *vidua Joannis Blein, testatur infantem mortuum super sepulchrum B. Philippæ impositum revixisse* 98 d

† Antoninus *Martyr Appamiis* 1138 d, 1140 d

† Antonius *abbas* 90 d

Antonius a Jesu *sive* de Heredia *Carm. Exc.* 213 a b, 217 a d e, 218, 219 a b c d, 600 b c, 623 e f

Antonius a S. Joachim *Carm. Exc. scriptor Anni Teresiani* 112 e

Antonius a S. Josepho *Carm. Exc. commentator Epistolarum S. Teresiæ* 112 c, 260 a b

Antonius Sulmonensis *inter Prætermissos* 4 d

† Apollonia *non confundenda cum S. Bolonia* 817 c d e

Aranda (*Gonzalvus de*) *presbyter Abulensis, S. Teresiæ adjutor* 199 c d, 590 d

Araoz (*Antonius*) *S. J. spiritum S. Teresiæ approbat* 155 a b, 665 c, 731 d

† Ardagnus *abbas Trenorchiensis* 1095 f

† Aredius *abbas* 837 b c

† Areletus *Martyr inter Prætermissos* 3 c

Arias (*Martinus*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 366 a b

Armunia *doctor, regius Toleti capellanus* 348 f

Arnaldus *diac. card. S. Mariæ in Porticu* 1162 f

Arnaldus II *abbas de Benedictione Dei* 1162 f

Arnaldus II Novelli *abbas Fontis frigidi* 1162 f

Arnauld d'Andilly (*Robertus*) *gallice vertit scripta S. Teresiæ, sed truncatis quibusdam locis* 446 a b c d, 472 f, 473 a

Arnould (*Petrus*), *voto facto B. Philippæ, filiam suam a morte liberat* 105 a b

† Arnulfus *episc. Metensis colitur* XVIII *Julii* 792 b

† Arnulfi *corpus olim Trenorchii* 1095 f

Arnustus *archiep. Narbonensis* 1113 f

Artemius *Vasionensis episcopus concilio Matisconensi primo interest* 24 e

Artiaga (*Maria de*) *a S. Teresia sanata* 236 f

Arx (*Ildeph. von*) *edit antiquiorem Vitam S. Galli et scribit historiam pagi Sangallensis* 856 c

Aspi Sierra (*Martinus de*) *episcopus Palentinus, S. Teresiæ confessarius* 735 e, 739 c

Assuerus *abbas Prumiensis* 1070 d e f

Astorga y Cespedes (*Didacus de*) *archiepiscopus Toletanus* 471 a

Astudillo (*Franciscus de*) *Ord. Carth. testis in informationibus de S. Teresia* 357 b

Atalaya (*Joannes*) *pictor, ope S. Teresiæ sanatus* 749 c

Atelanus *episc. Laudunensis* 995 e, 997 d, 999 a, 1017 c

Ato Raimundus *comes Insulanus, pater S. Bertrandi* 1144 c f, 1145 a-e, 1173 b

† Attala *abbas Bobiensis, natione Gallus* 869 f

Attila *rex non videtur pater S. Amandi Commodoliacensis* 838 c d

Attuarii *a Juliano apostata debellati* 802 b

† Auctor *episc. Trevirensis* 33 d. *Ejus Reliquiæ apud Helmwardeshusenses* 33 f, *Brunswici* 34 b

Audo *episc. Aurelianensis* 966 a

† Audoenus *episc. Rotomagensis* 965 b c f, *cœvus S. Theodato* 55 e, 56 f, 57 c

† Audomarus *episcopus Taruanensis* 956 a b f, 957 c, 958 a, 959 a, 961 c, 971 c d e, *cæcus in senectute* 40 a, 43 d, *S. Theodato coætaneus* 55 e, 56 f, 57 a

† Aufridus *Martyr inter Prætermissos* 4 d

Augerius de Monte Alto *abbas Simorræ* 1162 f

† Augustinus *episcopus et Ecclesiæ Doctor tractatum habuit in die natali S. Agilei* 7 c, 8 b, *vocum consonantiam sectatus fuit* 21 c, *institutum monasticum in Africam invexit* 829 d, 830 a b c

Avila (*Alphonsus de*) *S. Teresiæ fautor* 221 f, 222 b, 605 b

Avila (*Gonzalvus de*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 293 a, 768 e

Avila (*Joannes de*) *Andalusiæ Apostolus cognominatus, spiritum S. Teresiæ approbat* 214 d e f, 380 a b, 665 e f, 666 f, 667 a, 733 d e f, 739 f, 740 a. *Mortem ejus Sancta amare deflet* 678 a b

Avila (*Julianus de*) *presbyter Abulensis, S. Teresiæ confessarius et adjutor* 210 e f *et passim in seqq.*, 592 b, *egregium de ea dat testimonium* 734 e f, 735 a b, *scripsit de ejus vita et fundationibus* 541 f, 734 e

Avila (*Maria de*) *Carm. Exc. S. Teresiæ cognata* 591 e f, 592 a

Avila Mexia (*Raphael de*) *cœnobii Durvelensis Ord. Carm. Exc. fundator* 214 b, 216 c, 218 a, 623 d

† Aunarius *episc. Autisiodorensis instituit circulum precum per varias ecclesias suæ diœcesis* 853 f, 854 a d

† Aunemundi (*Leonardus a S. Projecto, baro*) *B. Philippæ votum solvit ob felicem partum Annæ conjugis suæ* 99 e

† Aureliæ *Reliquias reponit S. Columbanus* 872 c, 873 a b c d, 886 c

Aurelia *Ratisponensis, num sancta, discutitur* 29 e f, 30 a b c d e

Aurelia *virgo, sanctimonialis reclusa, inter Prætermissos* 4 b c

Austerius *episc. Venusinus* 70 f

† Austriclianus *presbyter inter Prætermissos* 2 f

Aymatus *perperam inter episcopos Cadurcenses successor S. Ambrosii ponitur* 1043 a b

Azevedo (*Ferdinandus de*) *archiepiscopus Burgensis* 756 c

Azevedo (*Hieronymus de*) *comes de Monterey, S. Teresiæ fautor* 235 f

Azevedo (*Ignatius de*) *et socii Martyres Societatis Jesu* 229 c-f, 230

B

Baca de Castro (*Petrus*) *archiepiscopus Hispalensis* 765 d

Baccius *pater, ut fertur, S. Eliphii* 805 b

Baeza *religiosus Ord. Min. ope S. Teresiæ sanatus* 717 f

Baeza Polanco (*Thomas de*) *licentiatus, ope S. Teresiæ sanatus* 749 d

Bagaudæ *tumultus in Gallia excitant* 13 a

Baglieje (*Aloisius*) *Ord. Præd. S. Inquisitionis Mexicanæ qualificator* 757 a

Baillet (*Adrianus*) *leviter et false locutus de canonizationc*

zatione S. Teresiæ 354 c d e, *corrigitur* 801 d e, 864 e f, 865 a, 935
Baldetrudis *cæca ope S. Magnobodi visum recipit* 943 d
Balduinus *archiep. Cantuariensis inter Prætermissos* 794 b c
Balduinus I *comes Flandriæ* 1104 e
Balduinus de Bocla *fundator abbatiæ Baudeloensis in Flandria, inter Prætermissos* 794 a
Balmaseda (*Alphonsus de*) *episcopus Cosanus* 433 e
Balmes (*Jacobus*) *presbyter pulchre scribit de visionibus S. Teresiæ* 660 b c
Balthasar a Jesu *Carm. Exc.* 228 a b, 229 a b, 243, 244 a, 247 c, 286 d, 624 d
Bandini (*Octavius*) *S. R. E. Cardinalis* 408 e
Bañez (*Dominicus*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 198 f, 199 a, 380 b, 589 e f, 666 a c, 672 b, 737 e f, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 357 f, 728 f, 729 a b, *de vita ejus scribere voluit* 541 f, 729 b, 736 d
† Barbatus *episc. Beneventanus sæc.* VII 36 c
† Barbeas *Martyr inter Prætermissos* 2 b
Barberini (*Maphæus*) *S. R. E. Cardinalis, postea Urbanus PP. VIII* 409 a
Barca (*Catharina de*) *Carm. Exc.* 771 e
Barcella (*Augustinus*) *Ord. Carmeli prior Venetiis rescribit ad Nostros nullum superesse vestigium cultus B. Theodorici Alemanni* 108 f
† Bardo *archiep. Moguntinus* 1068 b
Bardus (*Cosmus*) *episcopus Carpentoractensis* 412 b
Baret (*Matthæus*) *a dæmone obsessus ope B. Philippæ liberatur* 105 c
Barnoinus *archiep. Viennensis* 1006 f
Barolitani *auferunt corpus S. Rogerii Cannensis episcopi* 73, 74 a b c
Baronius (*Cæsar*) *Cardinalis approbavit Vitam S. Teresiæ a Ribera conscriptam* 110 f
Barrio (*Franciscus del*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 356 c
Barro (*Card. de*) *elevat Reliquias S. Boloniæ* 817 a, 819 f, *varias regit ecclesias* 820 a b
Barro (*Robertus dux de*) *pater Cardinalis* 820 b
† Barses *Edessenus episc. inter Prætermissos* 2 b
Bartoli (*Daniel*) *S. J. queritur de truncata a Kerbekio Vita S. Teresiæ* 474 a
† Basilii *corpus olim Trenorchii* 1095 f
† Basolus *abbas* 5 d e, 1022 d, 1023 f
† Basolus. *Vide* † Bosolus.
† Bassianus *episc. Laudensis, distinguendus ab ejus homonymo Martyre* 796 b
† Bathildis *regina Francorum tutelam Childerici II gerit* 857 b
Baudastus *vir locuples in Burgundia* 53 a d
Baulme (*Joannes de*) *devotam B. Philippæ filiam ad vitam revocatam et baptizatam recipit* 102 c
Baulme (*Margarita, uxor Claudii*) *amens sui compos redditur intercessione B. Philippæ* 105 a
Baume (*Ludovica de la*) *domina de la Vallière, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 771 d
Bavo *dat S. Nivardo possessionem suam* 1015 d
Beatrix ab Incarnatione *prima inter moniales Teresianas defuncta* 251 e
Beatrix a Jesu *Carm. Exc. S. Teresiæ cognata* 123 b, 239 b c, 309 b c
Beatrix a Jesu *Carm. Exc. S. Teresiæ e sorore neptis* 122 e f, 123 a b, 224 e, 346 b, 662 d, 716 a b c
Beaumont (*Beatrix de*) *e regia Navarrensi stirpe, monasterii virginum Teresianarum Soriensis fundatrix* 319 e, 322 c, 636 a c d, 637 c d e
Beaumont (*Brianda de*) *comitissa de Lerin* 713 d, 714 b
Beaumont (*Christophorus de*) *archiepiscopus Parisiensis* 438 c
Beaumont (*Franciscus de*) *ductor prætoriæ cohortis Caroli V imperatoris* 637 c
Beaumont (*Franciscus Carolus de*) *S. Teresiæ primum infensus, sed postea devotus* 322 b c
Beckius (*Mathias Frid.*) *editor Martyrologii sæc.* X 27 b
† Beda *non fuit magister S. Lulli* 1055 b c e
† Bedanus *inter Prætermissos* 1189 a b
Belisarius *dux exercituum Justiniani imperatoris* 8 f
Bellegarde (*Octavius*) *archiep. Senonensis* 987 e
Belluga (*Ludovicus*) *Cardinalis, episcopus Carthagenensis* 471 a
Belly (*Antonii*) *uxor, voto facto ad B. Philippam, videt infantem suum mortuum reviviscere* 99 f
Belver (*Isabella de*) *ope S. Teresiæ a morte suscitata* 756 d e
Belzunce (*Henricus de*) *Massiliensis episcopus scripsit historiam suorum decessorum* 19 e, *reperit anno* 1743 *aliquot SS. Cannati et Antonini Reliquias* 23 f
Benavente (*Gonzalez de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 366 f
Benavides Bacan (*Isabella*) *testis in informationibus de S. Teresia* 356 d
† Benedicti *regula quo sensu incognita esset sæc.* X *in Gallia* 1021 e, 1023 c d
† Benedicti de Quinciaco *corpus olim Trenorchii* 1095 f, 1099 b, 1100 f
Benedictus XIII *Papa Officium transverberationis Cordis S. Teresiæ Carmelitis concedit* 429 f, 430 a. *Vide* Ursinus (*Vinc. Maria*).
Benedictus XIV *Papa indulgentias concedit festo transverberationis Cordis S. Teresiæ lucrandas* 433 d, *epistolam S. Teresiæ Vallisoleto ad se missam Carmelitissis Bononiensibus donat* 458 c
Benedictus *abbas Wiremuthensis* 1077 a
Benedictus (*Joannes*) *carceri inclusus ope B. Philippæ liberatur* 104 a b
Bentivoglio (*Guido*) *S. R. E. Cardinalis* 410 a, 435 c-f
Benzo *abbas Dervensis* 1021 e, 1022 a b
† Berarius *episc. Cenomanensis inter Prætermissos* 795 a
Berathgit *filia B. Chunehildis et cognata S. Lulli, ex Anglia in Germaniam evocata* 60 a, 1053 a e
† Bercharius *colebatur simul cum S. Bolonia in diœcesi Lingonensi* 816 f
Berecht (*Joanna Claudia*) *infantem mortuum, implorata B. Philippa, ad vitam revocat* 99 c
Berecht (*Stephanus*) *parochus in Bregnies, testis miraculi ope B. Philippæ patrati* 99 c
† Berengarius *monachus* 1135 f
Berengarius *presb. card. tit. SS. Nerei et Achillei* 1162 f
Bermudez de Castro (*Beatrix*) *Reliquiis S. Teresiæ juvat mulierem exanimi fœtu gravidam* 722 f
Bernaldo (*Ludovicus*) *abbas Generalis Ord. Cist. in Hispania* 402 c
† Bernardus *Ecclesiæ Doctor ubi ante canonizationem sepultus* 795 f
† Bernardus Calvonius *Ord. Cist. episc. Vicensis in Catalaunia, inter Prætermissos* 795 b c
† Bernardus *abbas Tyronensis* 1157 c
Bernardus *archiep. Ausciensis consecrat cœmeterium Ausciense* 1159 c d
Bernardus *archiep. Rotomagensis* 1162 f
Bernardus *episc. Laburdensis* 1157 c
Bernardus *ex Ordine Minorum inter Prætermissos* 4 d

Bernardus Fuxiensis *primus comes de Medina Celi* 582 b

† Bertana. *Vide* † Eremberta.

† Bertha *abbatissa et Martyr colitur* 1 *Maji* 792 b

† Bertharius *abbas Cassinensis, Martyr* 986 e

Berthefridus *episc. Ambianensis concedit privilegium Corbejensibus* 966 d, 971 e

Bertier (*Anton. Franciscus*) *episc. Rivensis recognoscit Reliquias S. Anastasii* 1136 a

† Bertinus *abbas Sithivensis* 955 f, 957 c e f, 958 a d e f, 959 a, 980 b, *successit S. Mummolino in regimine Sithivensi* 961 e f, 962 a-c

Bertoaldus *episc. Trecensis* 965 b f

† Bertoendus *episc. Catalaunensis dat Dervensibus privilegium, quod interpolatum videtur* 1002 f, 1003 *et seqq.*

Bertrandus II *episc. Albiensis* 1162 f

Bertrandus *episc. Lombariensis* 1156 f

Bertrandus de Insula *episc. Tolosanus* 1145 a

† Bertrannus, *alias* Ebertramnus, *socius S. Mummolini* 955 f, 957 c e. *Fit abbas basilicæ S. Quintini* 969 f, 970 a b c, 984 b

Bérulle (*Petrus de*) *Cardinalis, institutor Oratorii Gallici* 768 f, 769 a

Bessesel (*Florena*) *voto facto B. Philippæ mortuum infantem ad vitam revocat* 101 f

† Bibianus *seu* Vivianus *episc. Santonensis* 1035 a

Billiot (*Hugo*) *testis miraculi infantis precibus B. Philippæ redivivi* 105 d e

Binterim (*Anton. Joseph*) *doctor sacræ Theologiæ, de Musæo nostro optime meritus* 801 b

Bivianus *Minerbinensis episc.* 72 f, 73 a-e

Blanca *S. Ludovici regis filia* 582 a

Blancas (*Christophorus*) *cantor ecclesiæ Cæsaraugustanæ* 377 c

Blasius (*Camillus*) *advocatus Romanus, causæ Palafoxianæ patronus* 481 c

Blasquez (*Franciscus*), *cujus uxor sanatur ope S. Teresiæ* 722 e

Blasquez Davila (*Joannes*) *S. Teresiæ proavus maternus* 114 c, 116 d, 117 a

Blasquez de Ahumada (*Matthæus*) *S. Teresiæ avus maternus* 114 c

Blasquez Nuñez (*Ferdinandus*) *S. Teresiæ abavus maternus* 114 c

Blidramnus *episc. Viennensis* 58 c d

† Boetanus *frater S. Corbmaci* 853 a

† Boetius *cephalophorus* 819 c

Bona (*Joannes*) *Cardinalis pulchre de visionibus S. Teresiæ disserit* 511 d e f

† Bonaventura *composuit Officium de Passione Domini* 89 d e, *propagavit pietatem dictam* Angelus 1109 e f, 1110 a b

Bonaventura ab Agrigento *Siculus inter Prætermissos* 793 d

Boncompagnus (*Franciscus*) *S. R. E. Cardinalis* 421 e

Boncompagnus (*Philippus*) *Cardinalis, protector Ordinis Carmelitani* 285 b

† Bonifacius *Martyr, archiepiscopus Moguntinus* 59 b c f, 60 a b c e, 1033 f, 1053 a f, 1069 b, 1071 d e, 1072 e, 1083 d-f, 1084 b-f, 1085 c-f, 1086 c-f, *varia concilia celebrat* 1057 d-f, 1058 a b, *custos magis quam administrator ecclesiæ Ultrajectinæ* 1060 f, 1061 a b

Bonis (*Martini*) *uxor vovet B. Philippæ prolem moribundam, quæ vires recipit et baptizatur* 100 a

Bonpar (*Antonius*) *laterum dolore oppressus, invocata B. Philippa, sanitati redditus* 105 f

Borbonius (*Carolus*) *Massiliam anno* 1524 *obsidet* 19 e

Bordini (*Joannes Franciscus*) *e Congr. Orat. Rom. episcopus Cabellionensis, dein archiepiscopus Avenionensis, Vitam S. Teresiæ italice vertit* 446 e f

Borgia (*Carolus de*) *S. R. E. Cardinalis, patriarcha Indiarum* 471 a

Borgia (*Gaspar de*) *S. R. E. Cardinalis* 410 a

Borgia (*Innicus de*) *arcis Antverpiensis gubernator* 753 c

Bosius (*Thomas*) *S. Teresiam laudat* 737 c d

Boso *episcopus Constantiensis S. Galli sepulcrum instaurat* 882 c f, 883 d, 896 f

Boso *episc. Convenensis* 1162 f

Boso *comes Marchiæ fundat monasterium Agedunense* 823 c d

Boso *comes, ut videtur, Richardi Burgundiæ ducis filius* 927 b, 928 b

† Bosolus *Confessor inter Prætermissos* 5 d e

Bossuet (*Jacobus Benignus*) *episcopus Meldensis egregie S. Teresiæ laudes prosecutus est* 339 e, *auctoritatem ejus mutuatur adversus pseudomysticos* 467 d, 672 c, *eam vindicat a Molinosii erroribus* 710 c

Botwinus *abbas in Anglia* 1077 e

† Bova *abbatissa S. Petri Remis* 909 f, 911 a d, 912 d e f, 914 d, 915 b, 916 f, 917 a b c d, 923 d, 924 a. *Ejus Vita male culpata* 910 b c d e

Bouche (*Honoratus*) *Historiæ Massiliensis scriptor* 19 f

Boucher (*Franciscus*) *canonicus Viennensis pecunia sua fundat annuam commemorationem B. Philippæ* 92 d

Boucher (*Joannes Baptista*) *presbyter Vitam S. Teresiæ gallice scripsit* 112 e, *corrigitur* 263, 309 c d, 320 d e

Boudilon (*Petrus*) *ejusque uxor, testes miraculi invocatione B. Philippæ patrati* 104 d e

Bovius (*Carolus*) *episcopus Balneoregiensis* 413 c

Bourbon. *Vide* Borbonius.

Bourgrand (*Stephana, uxor Francisci*) *ope B. Philippæ a febri liberatur* 103 f

Boxados y Rocaberti (*Catharina*) *Carm. Exc. e comitibus de Saballa* 771 a

Bozo *comes primus Provinciam in Gallia sui juris fecisse dicitur* 21 b

Bracamonte (*Alphonsus*) *dynasta de Peñaranda* 720 f

Bracamonte (*Franciscus*) *civis Abulensis* 302 a b

Bracamonte y Avila (*Didacus de*) *canonicus Abulensis, testis in informationibus de S. Teresia* 355 e

Braganza (*Theotonius de*) *archiepiscopus Eborensis, S. Teresiæ amicus* 253 a e, 290 b, 303 e, *librum ejus de Via perfectionis Eboræ excudendum curat* 444 a, 735 b, 739 b

Bravo (*Antonius*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 366 f

† Brendani *Vita multis fabulis conspersa* 951 b

Bretigny (*Joannes de Quintanadueñas de*) *presbyter* 768 f, 769 a

Briceño *vice oratoris Hispani in Romana curia fungens* 310 e, 311 a

Briceño (*Maria*) *monialis Augustiniana S. Teresiam in virtutis semita promovet* 128 e f

Brizuela (*Inacus de*) *Ord. Præd. confessarius Alberti principis Belgii* 435 e

Brochero (*Joanna*) *purgatorio egredi visa S. Teresiæ* 661 c

Brochero de Texeda (*Joannes*) *testis in informationibus de S. Teresia* 366 f

Brunnerus (*Andreas*) *S. J. scriptor Annalium Boicorum* 30 a

† Bruno *episcopus Ruthenorum et Martyr inter Prætermissos* 2 b, *a Benedictinis cultus* XV *Octobris* 59 f

† Bruno

† Bruno *archiep. Coloniensis transfert Coloniam corpus S. Eliphii* 807 a. *Condit testamentum, quo legat varia monasterio S. Martini Coloniæ* 807 d e
Bruno *abbas Dervensis* 989 f, 990 a 1004 e
Buisseret (*Franciscus*) *episcopus Namurcensis* 353 b
Buonmattei (*Benedictus*) *scripsit partem Vitæ S. Teresiæ* 541 f
† Burchardus *episc. Herbipolensis* 60 b, 1056 a b, 1058 f, 1059 b
Burghesius (*Scipio*) *S. R. E. Cardinalis* 409 a
Burgundiones *ab Hunnis deleti* 32 e
Bustamante (*Bartholomæus*) *S. J. laudat S. Teresiam et operam confert ad ejus fundationem Veasensem* 489 f, 622 d e
Bustamante (*Isidorus Joseph*) *Vallisoletanus episcopus* 120 c
Buthillerius (*Sebastianus*) *episcopus Adurensis* 412 b

C

Cabeza de Villegas (*Ludovicus*) *canonicus Segoviensis* 349 a, 377 c
Cabria (*Alphonsus de*) *S. Teresiæ adjutor* 214 b
Cabria (*Antonius de*) *S. Teresiæ adjutor* 214 b
Caccia (*Alexander*) *episcopus Pistoriensis* 412 a
† Cadocus. *Vide* † Sophias.
Cæcilia *abbatissa Veteris Muri* 1159 f
Caffardus (*Joannes Baptista*) *Generalis Carmelitarum* 301 c d, 310 e
Cajetanus (*Camillus*) *Nuntius apostolicus in Hispania* 348 f, 376 d
Calahorra (*Antonius de*) *Ord. Hieron. testis in informationibus de S. Teresia* 366 f
Calixtus II *Papa S. Hugonem canonizat* 1125 f, 1126 a
Calixtus III *Papa renovat pietatem dictam* Angelus 1111 a
Camargo (*Joannes*) *episcopus Pampilonensis, inquisitor generalis* 471 a
Camuzat (*Nicolaus*) *scriptor Antiquitatum Tricassinarum* 988 a
Camyon (*Gulielmus*) *filium suum ope B. Philippæ sanitati restitutum videt* 105 c
† Candidus *Martyr inter Prætermissos* 3 d
† Candidi *Thebæi Martyris corpus olim Trenorchii* 1095 f
† Canion *episc. Afer sub persecutione Wandalica* 36 f
Cano (*Alphonsus*) *celeber in Hispania pictor* 172 c d
Capece (*Carolus Sigismundus*) *italice vertit posteriorem Epistolarum Teresianarum partem* 447 b
Capellen (*Alexander van der*) *scriptor Batavus citatus* 754 f, 755 a
Caprasius *Carmeli Prior inter Prætermissos* 3 e f
Carausius *rebellis, sumpta purpura, Britannias occupat* 13 a
Cardarousse (*Susannæ de*) *filia a B. Philippa sanitati restituitur* 104 f
Cardenas (*Franciscus*) *ope S. Teresiæ sanatus* 719 f, 720 a
Carderera (*Valentinus*) *academicus Hispanus* 130 f, 131 a
Cardona (*Catharina de*) *virgo vitæ sanctitate celebris* 250 f, 693 e f, *monasterium Carmelitis Excalc. fundat* 307 a b, 633 d, *S. Teresiæ apparet* 307 d, 633 c
Cardova (*Joannes Alphonsus de*) *abbas de Alabanza* 349 f
Cardulfus *episcopus Andegavensis* 936 d e
Carillo (*Joannes*) *thesaurarius ecclesiæ Abulensis, dein canonicus Toletanus* 344 e, 345 a, 603 a, 712 f
Carillo de Alderete (*Martinus*) *archiepiscopus Granatensis* 437 c
Carleval *confessarius monialium Teresianarum Malagone* 214 b c d
Carleval *S. Teresiæ adjutor* 214 b
Carolomannus, *abdicato principatu, monachus* 900 a, 903 a
†. Carolus Borromæus *Ordinis Carmelitani protector* 262 b
Carolus V *imperator* 154 d
Carolus VIII *rex Galliæ devotus erga S. Rogerium Cannensem episcopum* 74 f
Carolus II *Hispaniæ rex S. Teresiæ cultor* 763 e f, 766 f
Carolus III *Hispaniæ rex S. Teresiæ cultor* 426 f, 428 d
Carolus I Andegavensis *rex utriusque Siciliæ* 72 f, 73 f
Carolus Martellus 1019 b, 1020 f, *Sarracenos debellat* 1084 a, 1085 b
Carolus Simplex *rex Franciæ* 1007 b, 1020 a, 1021 d
Carrera (*Franciscus de la*) *S. J.* 636 d
Casquer (*Joannes*) *testis in informationibus de S. Teresia* 366 b
† Cassius *Martyr Bonnæ in Germania* 13 b
Castagna (*Aurelius*) *Cler. Reg. S. Pauli, pœnitentiarius Bononiensis* 757 b
Castellione (*Hugo de*) *episc. Convenensis ecclesiæ cathedralis ædificationem absolvit* 1156 a
Castello (*Magdalena del*) *testis in causa beatificationis S. Teresiæ* 371 c
Castiglione (*Balthasar*) *scripsit librum de Aulico* 653 b, 655 c
Castillo *doctor et canonicus Palentinus* 348 f
Castillo (*Didacus del*) *clericus Huetensis* 242 c
Castillo (*Ferdinandus del*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ et Ordinis sui historiographus* 250 f, 251 a, 282 c, 549, a, 729 d
Castillo y Arcas (*Rodericus de*) *vicarius archipresbyteratus Huetensis* 349 a
† Castrensis *episcopus Afer* 35 f, 36 a
Castro (*Didacus de*) *clericus, testis in informationibus de S. Teresia* 356 f
Castro (*Petrus de*) *episcopus Segoviensis, S. Teresiæ confessarius* 312 f, 735 e, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 357 b, 401 d, 402 b, 740 a
† Castulus *Viennensis in Gallia episcopus, inter Prætermissos* 3 b
† Casturus *Martyr* 56 a
Cathala-Coture *causidicus citatur* 1034 f, *castigatur* 1036 e f, 1037 a b
† Catharina Senensis *S. Teresiæ apparet* 237 a, *regulam pro veris visionibus discernendis a Deo accipit* 511 c d
Catharina *Sigismundi II Poloniæ regis uxor* 226 b
Catharina *principissa Lusitaniæ, Joannis ducis Bragantini uxor* 303 e
Catharina a Jesu *Carm. Exc. virtutibus insignis* 621 b-f, 622, 623 a b, *visione noscit S. Teresiæ mortem* 715 e f
Cavalli (*Seraphinus*) *Magister Generalis Ord. Præd.* 289 e f
Ceccarini (*Angelus*) *medicus Liburnensis* 757 d
† Celinia *vidua, mater S. Remigii, inter Prætermissos* 795 b
† Celsus *Martyr inter Prætermissos* 3 a
Centullus II *comes Bigorritanus* 1143 c f
Centuriona (*Maria Victoria a S. Teresia*) *Carm. Exc. ope S. Teresiæ sanata* 759 a b c d
Cepeda (*Agnes de*) *S. Teresiæ avia paterna* 114 a b, 115 f

Cepeda (*Alphonsus Sanchez de*) *pater S. Teresiæ* 114 b, 124 e f, 140 b-f, 141 a b c, 557 d e f
Cepeda (*Didacus de*) *S. Teresiæ patruelis* 123 b
Cepeda (*Eleonora de*) *Carm. Calc. S. Teresiæ consanguinea* 123 b, 661 b c
Cepeda (*Franciscus Alvarez de*) *S. Teresiæ patruus* 114 b
Cepeda (*Franciscus de*) *S. Teresiæ patruelis* 123 b
Cepeda (*Franciscus de*) *S. Teresiæ ex fratre nepos* 120 e f, 121 a
Cepeda (*Hieronymus de*) *S. Teresiæ frater* 121 f
Cepeda (*Joannes Vasquez de*) *S. Teresiæ frater consanguineus* 116 a, 117 d e
Cepeda (*Laurentius de*) *S. Teresiæ frater* 118 c-f, 119, 120 a b c d, 561 e, *pecuniam ex Peruvia Sanctæ sorori submittit* 188 f, *eam juvat in fundatione monasterii Hispalensis* 271 f, 272 a, 627 f, 628 a b f
Cepeda (*Laurentius de*) *S. Teresiæ ex fratre nepos* 121 a b
Cepeda (*Ludovicus de*) *S. Teresiæ proavus paternus* 114 b
Cepeda (*Maria de*) *S. Teresiæ soror consanguinea* 117 e f, 192 b c, 561 c, 661 d e
Cepeda (*Petrus Sanchez de*) *S. Teresiæ patruus* 114 b, 129 b c, 559 e
Cepeda (*Rodericus de*) *S. Teresiæ frater* 118 c, 125 a b, 127 d, 557 f, 558 a b c f
Cepeda (*Rodericus Sanchez de*) *S. Teresiæ patruus* 114 b
Cepeda (*Vascus Vasquez de*) *inter majores S. Teresiæ numeratus* 115 e f
† Ceraunus *cephalophorus* 819 c
Cerda (*Aloysia de la*) *S. Teresiæ amica et fautrix* 189 b d e f, 213 e f, 580 a, 582 a b
Cerda (*Ferdinandus de la*) *primus hujus agnominis, nepos S. Ferdinandi et gener S. Ludovici* 582 a
Cerda (*Ferdinandus de la*) *filius Joannis secundi ducis de Medina Celi* 224 e
Cerda (*Joannes de la*) *dux de Medina Celi* 582 b
Cerda (*Mencia de la*) *marchionissa del Valle, testis in informationibus de S. Teresia* 356 f
† Cerenicus *toto sæculo post S.* Leonardum *vixit* 49 e
Cerezo Pardo (*Petrus*) *vir pie munificus* 443 c d, 628 d e f
†† Cesa *et* x *alii Martyres inter Prætermissos* 4 d
Cespedes (*Balthasar de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 356 b
Champion (*Guido*) *episcopus Trecoriensis* 788 a
Champion *parochus Boloniæ, varia submisit de S. Bolonia* 817 c *et alibi*
Chanonier *dictus* Bachas (*Joannes*) *sanitati, voto facto B. Philippæ, restituitur* 103 c
Chappe de Ligny *gallice vertit partem Epistolarum S. Teresiæ* 325 c, 458 d
Chapuys (*Antonius*), *implorata B. Philippa, e carcere liberatur* 99 c
Charle (*Catharinæ uxoris Antonii*) *mortuam prolem ad vitam revocat B. Philippa* 103 b
Chave (*Benedictus*) *infirmus intercessione B. Philippæ sanatur* 102 c
Chaves (*Didacus de*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ et Philippi II Hispaniæ regis* 666 a, 729 d, 738 a b
Chevaulx (*Antonius*) *testis in miraculo sanatæ puellæ ope B. Philippæ* 100 c
Childebertus *Sigiberti filius, a patruo suo Guntramno associatus in regnum* 867 b c, 886 f
Childericus I, II *et* III *vario tempore regnant* 857 b c d
Childericus II *rex Franciæ privilegium dat Dervensi monasterio* 995 b, 996 *et seqq.*, 1014 f
Chlodosuinda *filia Sigiberti I* 912 f
† Chraudingus. *Vide* † Roduicus.
Christin (*Bartholomæus*) *intercessione B. Philippæ obtinet filio suo Jacobo sanitatem* 101 e
Chrodobertus *episc. Parisiensis* 965 b f
† Chrysolius *cephalophorus* 819 c d
† Chunehildis *matertera S. Lulli* 60 a, 62 f, 1053 a c, 1083 c, 1085 b
Ciampoli (*Joannes*) *domesticus Gregorii PP. XV secretarius* 406
Cienfuegos y Jovellanos (*Franciscus Xaverius de*) *episcopus Gaditanus, dein archiepiscopus Hispalensis et S. R. E. Cardinalis* 303 c
Cinehcardus *episc. Wintoniensis in Anglia* 1076 b c, 1077 c
Cingari (*Joannes Baptista*) *medicus Bononiensis* 757 d
† Clara *Virgo S. Teresiæ apparet* 187 f, 188 a, 577 c d
† Clarus *cephalophorus* 819 c
†† Claudii *duo Martyres inter Prætermissos* 3 c
† Claudius *episc. Vesuntionensis, coævus S. Theodato* 55 c, 56 f, 57 a, 90 a
Claudii Gothici *Imperatoris Tempore passus est S. Bassianus* 796 c
† Clemens *Martyr; ejus translatio inter Prætermissos* 5 b
† Clemens *episc. Metensis* 817 f, 818 a
Clemens VIII *Papa ordinavit Cardinalium titulos et diaconias* 195 f
Clemens IX *Papa erexit vicariatum apostolicum missionum Mogolicarum* 790 b
† Clini *Martyris corpus olim Trenorchii* 1095 f
Clotarius I *S. Leonardo primum infensus, sed mox reconciliatus* 48 a b c, *primum rex Suessionensis, dein totius Franciæ* 49 a
Clotarius II *primum Neustriæ, dein totius Galliæ rex* 885 c, 887 c, 930 e f, *anno* 584 *regnare cæpit* 936 c d. *In aula ejus versatur S. Mummolinus* 958
Clotarius III *rex Francorum* 954 c d e f, 964 f, 966 e
Cobos (*Didacus de los*) *marchio de Camarasa* 603 f
Cobos (*Franciscus de los*) *commendator major Legionensis* 603 f
Coccinus (*Joannes Baptista*) *S. Rotæ auditor* 352 b, 355 b, 375 d, 405 f
Cœlestinus III *Papa, ante Cardinalis Hyacinthus* 1141 b, 1142 b c. *Quid egerit Cardinalis circa canonizationem S. Rudesindi* 1161 d-f, 1162 a
Cœna *archiep. Eboracensis in Anglia* 1075 a b, 1077 c
Cointius (*Carolus*) *refutatur* 988 b-f, 989 a
† Colmannus *episcopus inter Prætermissos* 5 b d
Coligni (*Gaspar de*) *rebellium in Gallia Calvinistarum coryphæus* 229 d
Coloma (*Alphonsus*) *episcopus Carthagenensis* 748 c
Colon (*Christophorus*) *Valentini in Hispania archiepiscopatus visitator et S. Teresiæ confessarius* 733 a b
Colonna (*Maria et Victoria*) *Carm. Exc. nobili genere natæ* 771 b
Colonna Barberini (*Anna*) *S. Teresiæ cultrix* 434 d
† Columbanus *abbas Bobiensis expiat Brigantinum templum S. Aureliæ* 29 a b c, *magister S. Galli* 861 f, 862 a b d, 864 b, 865 a d. *Quo anno in Gallias appulerit et Luxovium fundarit* 866 *et seqq. In Alemanniam tendit* 870; *ibidem prædicat* 872, 873, 874 a b. *Non videtur fundator Augiæ Albæ* 873 c f, 874 a. *Moriens mittit ad*

ad S. Gallum cambuttam suam seu baculum 893 b, 895 a, *prædicit ruinam stirpis Theodorici II* 913 b
† Columbanus *Hiensis* 863 a
Commelle (*Clemens de*) *baptizat infantem intercessione B. Philippæ resuscitatum* 100 a
† Comogellus *seu* Comgallus *fundator et abbas Benchorensis in Hibernia* 862 d e f, 863 a, 865 a d e
Conflans (*Magdalena de*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 771 e
Conradus II *episc. Argentoratensis* 28 b
Constantia *filia Gulielmi ducis Aquitaniæ, uxor Alphonsi VI* 1134 b
Constantia *filia Gulielmi Scindentis-ferrum comitis Tolosani, uxor Roberti regis Franciæ* 1144 f
Constantinus Copronymus *imperator CP.* 67 c d f
Constantinus Porphyrogenneta *imperator CP.* 67 f
Contreras (*Franciscus de*) *auditor consilii regii Hispaniæ invisit corpus S. Teresiæ et testis est in causa beatificationis ejus* 365 e, 712 f, 714 b
Contreras Ribadeneira (*Alphonsus de*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 356 b
† Corbmacus *circa annum* 500 *floruit* 852 f, 853 a
† Corcodemus *diaconus* 854 c, 856 a
Cordova (*Catharina de*) *Carm. Exc. e marchionibus de Priego* 771 b
Cordova (*Ludovicus de*) *episcopus Salmanticensis causæ beatificationis S. Teresiæ operam dat* 351 a b, 376 e f, 378 a b
Corella y Mendoza (*Maria de*) *comitissa de la Puebla, testis in informationibus de S. Teresia* 356 f
† Corentinus *episcop. Corisopitensis* 39 a. *Ejus Reliquiæ Monstrolii* 42 c d f
Cornejo (*Petrus de*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 356 d
Coronel (*Francisca*) *Ord. S. Claræ, testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Coronel (*Maria*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Cortes (*Gaspar*) *filius marchionis del Valle, ope S. Teresiæ sanatus* 749 b
Costaz (*Benedictus*) *episcopus Nanceensis designatus concedit parocho S. Eliphii ritu solemnissimo coli hunc Sanctum, suum patronum* 806 d
Cotogni (*Franciscus*) *vicarius generalis Bononiensis* 757 b
Covarruvias (*Didacus de*) *episcopus Segoviensis* 248 f, 255 b, 619 b, 735 d
Cremona (*Desiderius de*) *S. R. E. Cardinalis* 421 d
Cribellus (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 617 d
Croix (*Gulielm. de la*) *scriptor historiæ Cadurcinæ* 1032 c
Crombachius (*Hermannus*) *S. J. Ursulæ vindicatæ scriptor* 15 e
Cuadra (*Joannes de la*) *Carmelita* 207 d
† Cuanus *inter Prætermissos* 3 f, 4 a
Cueva (*Antonius de la*) *ope S. Teresiæ sanatus* 750 e
Cuevas (*Franciscus de*) *S. Teresiæ benefactor* 332 a b
Cuevas (*Joannes de las*) *Ord. Præd. episcopus Abulensis, S. Teresiæ confessarius* 311 c, 317 c d, 318 c d e, 401 d, 631 f, 718 f, 720 b, 729 d
Cuevas (*Teresia de las*) *S. Teresiæ avia materna a quibusdam habetur* 114 c d e
† Cunibertus *archiep. Coloniensis* 1005 a
Curiel (*Joannes Alphonsus de*) *cathedraticus Salmanticensis* 348 f, 402 c
† Cuthbertus *episc. in Anglia* 865 c
† Cuthburga *prima abbatissa cœnobii Winbrunnensis* 61 e f
† Cyprianus *Confessor Genuliaci* 836 e f, 837 a b
Cyprianus *episc. Arelatensis* 891 b, 892 b
† Cyrillus *episc. Rhegiensis* 67 c e
† Cyrillus *episc. Trevirensis* 33 d

D

Dado *episc. Virdunensis* 925 b, 926 c
Dagbertus *archiep. Bituricensis* 1032 d e
Dagobertus I *rex Galliæ* 931 d
Daguinus *monachus occidit S. Bercharium* 1001 d, 1017 e f
Dalmatius *Massiliensibus episc. annumeratus* 23 b
† Damianus *episc. Papiensis, synchronus S. Theodato* 55 e, 56 f
Dansou (*Bertrandus*) *testis miraculi B. Philippæ* 104 f
Daviau (*Carolus Franciscus*) *archiepiscopus Burdigalensis* 116 b
Davila (*Gomezius*) *marchio de Velada, S. Teresiæ cognatus* 116 e f
Davila (*Quiteria*) *Carm. Calc. socia S. Teresiæ et testis in causa beatificationis ejus* 249 b e, 257 f, 662 f
Davila (*Sancius*) *episcopus Carthagenensis, Giennensis, Seguntinus ac demum Placentinus, S. Teresiæ cognatus et confessarius* 116 d e f, 311 f, 739 c
Davila Maldonado (*Martinus*) *vir illustris* 611 b
Davila y Ahumada. *Vide* Ahumada.
Daza (*Gaspar*) *presbyter Abulensis, S. Teresiæ adjutor* 150 a c d, 566 a-d, 739 c
Daza (*Petrus*) *prætor civitatis Granatensis* 243 b
† Decentius *episc. Martyr inter Prætermissos* 794 a
† Decumanus *cephalophorus* 819 c
† Deicolus *Lutrensis, frater S. Galli* 863 e f, 864 a
Delgado (*Franciscus*) *episcopus Giennensis* 243 d, 244 a
Deodatus *episc. Matisconensis consecrat episcopos SS. Eligium et Audoenum* 964 a
† Deogratias *episc. Carthagin.* 826 f, 827 a
† Desiderius *episc. Lingon.* 889 a, 891 f, *cephalophorus* 819 c d
Dessoles *nobilis fœmina dono accipit ab archiep. Coloniensi particulam Reliquiarum S. Eliphii* 806 a
Detus (*Joannes Baptista*) *S. R. E. Cardinalis* 421 c
Deza (*Franciscus*) *vir nobilis filium suum ope S. Teresiæ sanari videt* 749 c
Diaz (*Antonius*) *episcopus Casertanus* 413 a
Diaz (*Maria*) *virgo Abulensis sanctitate clara* 151 a, 568 c
Didacus *dux, Gundafiaræ in Castella, inter Prætermissos* 793 d
Dido *episcop. Pictaviensis* 939 c d e
Diepenbeke (*Godefridus*) *archipresbyter Antverpiensis* 753 d
Digot (*Augustus*) *multum contulit ad illustrandam historiam S. Eliphii* 804 c, 805 b, 809 b
† Dionysius *cephalophorus* 819 b c d
Diotallevius (*Hector*) *episcopus S. Agathæ* 413 b
† Doda *abbatissa S. Petri Remis* 910 c d e, 911 a, 913 f, 914 a b, 915 b c, 917 c, 923 e, 924 a
Domenge (*Benedictus*) *testis miraculi precibus B. Philippæ impetrati* 105 c
Dominguez (*Julianus*) *canonicus Salmanticensis* 428 b
† Dominicus *Ord. Præd. Institutor apparet S. Teresiæ* 237 a, 682 f, 683 a
† Dominicus Loricatus *Ord. Camald.* 108 b
Dominicus *episcopus Carthaginensis dat S. Gregorio Reliquias S. Agilei* 7 f, 9 a
Dominicus a Jesu Maria *Carm. Exc. testis in informationibus* 300

mationibus de S. Teresia 351 d. *De eo in Beatorum numerum referendo agitur* 772 a c
† Domninus *cephalophorus* 819 d
† Domnolenus *Confessor* 838 a-d
† Domnolus *episc. Cenomanensis* 46 a, 48 d, 49 d
Domnolus *a S. Magnobodo sanatus* 943 e
Donatistæ *Arianos ad rebaptizationis scelus adducunt* 830 e f, 831 a b
Doria (*Joannettius*) *dux de Tursis, S. Teresiæ cultor* 433 f
Doria (*Nicolaus*) *Carm. Exc.* 284 c, *et pluries in seqq.*, 320 a b, 344 d, 492 e f, 494 c d, 632 a, 713 c
† Drausius *episc. Suessionensis concedit privilegium monasterio S. Mariæ* 966 d e
Drogo *Pippini filius moritur* 56 b
Dubois (*Petrus*) *baptizat resuscitatam prolem Joannis de Baulme* 102 d
Dudo *primicerius Virdunensis et abbas Montisfalconis* 919 f, 926 f
Dueil (*Joanna*) *lac uberibus exsiccatis recipit, implorata B. Philippa* 99 b
Dueña (*Rodericus*) *vir pie munificus* 210 d
† Dulcidius *seu* Dulcissimus *episc. Agennensis inter Prætermissos* 795 a
Duval (*Andreas*) *doctor Sorbonicus* 768 f

E

Eaba *abbas probabiliter Malmesburiensis* 1054 a f
† Ebertramnus. *Vide* † Bertrannus.
Ebo *beneficus in monasterium Sangallense* 857 a
Egilolfus *seu* Agilulfus *rex Longobardorum* 885 c, 887 d
Eigil *abbas Fuldensis, iniquior in S. Lullum* 1051 a, *biographus S. Sturmii* 1060 *et seqq.*
Elaphius *e primatibus Britanniæ, occurrit SS. Germano et Lupo* 31 f
Eldeburgis *uxor Gaufridi viccomitis Bituricensis* 1032 b c
Eleonora *imperatrix, Ferdinandi II uxor* 771 c
† Eleutherius *socius S. Dionysii Martyris, colitur* IX *Octobris* 792 e
Eligius *episc. Noviomensis* 955 a b, 956 b. *Tempus mortis* 963 c-f, 964 *et seqq. Corporis translatio a S. Mummolino facta* 969 d e f. *Ejusdem recognitio* 975 b, 976 a b c f, 977, 978 a
† Eliphius *cephalophorus* 819 d
Elisabeth *abbatissa in Hoven inter Prætermissos* 4 c
Elisabeth *Francica, regina Hispaniæ* 434 e
† Elisæus *Propheta colitur die* XIV *Junii* 320 f, 321 a, 792 b
† Elpidius *Lugdunensis episcopus* 17 a b
† Emanus *Martyr,* XVI *Maji; ejus Acta Vitæ S. Bauderici præluxisse videntur* 50 c d, 51 a
Emery (*Jacobus Andreas*) *Congregationis S. Sulpitii præpositus scripsit opusculum de S. Teresia* 112 b e
Emmanuel a S. Rosario *Carm. Exc. nobis descripsit catalogum domorum Congregationis Hispanæ sui Ordinis* 777 d
Emmanuel a S. Thoma Aquinate *sive* de Traggia *Carm. Exc. scripsit de S. Teresia* 112 b, *in ejusdem genealogiam inquisivit* 113 d e
Emmo *episc. Senonensis privilegium dat monachis S. Petri Vivi, a pluribus episcopis subscriptum* 964 e, 965 b-f, 966 a-e
† Engelbertus *archiepiscopus Coloniensis* 16 c
Engelrandus *episc. Laudunensis* 1157 e
† Ephysius *Martyr,* XV *Januar.* 50 b
Eracleus *abbas, in S. Magnobodum invidus, punitur* 945 c, 947 b
Eraso (*Joannes*) *S. J. operam confert ad fundationem Veasensem S. Teresiæ* 489 f
Erchonaldus *sepulcrum S. Galli violat* 882 b c d, 884 a b c, 896 d e f
Eremberta *abbatissa in Morinis, inter Prætermissos* 4 a b, 794 a b
† Ericius *Martyr inter Prætermissos* 3 c
† Erkletus. *Vide* † Areletus.
Ervias (*Augustinus*) *presbyter, S. Teresiæ fautor* 305 d
Ervias (*Joanna de*) *opem S. Teresiæ in partu experta* 750 a
Escobar (*Marina de*) *virgo Vallisoletana sanctitate clara* 573 a
Esne (*Michael d'*) *episcopus Tornacensis consecrat templum Societatis Jesu Insulis* 792 f
Espen (*Zeger. Bern. van*) *refutatur* 827 d e
Espinace (*Anna de l'*) *hera B. Philippæ* 87 a b
Espinosa (*Franciscus Antonius*) *vicarius generalis Salmanticensis cor S. Teresiæ juridice visitat* 430 a
Este (*Alexander de*) *S. R. E. Cardinalis* 421 e
Esteban Domingo (*Sancius*) *inter majores S. Teresiæ numeratus* 114 c
Estella (*Didacus*) *Ord. Min.* 244 c
Estrix (*Gaspar*) *canonicus Antverpiensis* 753 d e
† Ethelburga *abbatissa Berkingensis, soror S. Erkenwaldi episcopi Londinensis* 61 f, 62 a
† Etheldreda *Virgo inter Prætermissos* 2 e
Etho *seu* Adda *episc. Argentoratensis* 1057 f, 1073 b
† Eucharius *episcopus Grandensis, in Leucis* 804 c d, 812 e, 815 c
† Eunicius *episc. Noviomensis* 972 f, 973 a c
Evodius *episc. Uzalensis in Africa, inter Prætermissos* 793 a b c
† Euphemia *Virgo et M.* 792 c
Euricus *Visigothorum rex* 23 b
† Eusebius *Vercellensis episc.* 50 c, 52 b, 53 c
Eusebius *presbyter inter Prætermissos* 5 a
† Eustasius *abbas Luxoviensis, natione Gallus* 869 f, *post S. Columbanum anno* 627 *moritur* 879 e f, 880 a b, 893 c, 895 a. *Magister SS. Mummolini, Bertini et Ebertramni* 957 b, *non vero S. Bercharii* 987 c, 1012 b, 1013 b
Eustasius *Massiliensis episcopus* 23 b
Eutychius *Tranensis episc.* 70 f
† Euthymius *monachus inter Prætermissos* 4 a
Evulus *comes de Rocceio* 1132 f
Eyrieu (*Jacobus de*) *notarius ejusque uxor Aloysia, voto facto B. Philippæ, filiam suam Henricam sanam recipiunt* 98 d

F

Fabianus *male videtur associatus Martyrio S. Bassiani* 796 c
Faiard (*Joannes*) *sanitati, voto facto B. Philippæ, restituitur* 104 d e
Farnesius (*Deiphobus*) *patriarcha Hierosolymitanus* 410 f
Farnesius (*Ranutius*) *Cardinalis, Pœnitentiarius Major* 195 d f, 587 e
† Faro *episcopus Meldensis* 965 b f
Favret *vic. generalis diœcesis Lingonensis operis nostri studiosus* 816 f
† Faustina *Martyr Romana, cujus corpus delatum fuit Thenas in Belgium, inter Prætermissos* 3 c
† Felix *cephalophorus* 819 d
Ferdinandus VI *rex Hispaniæ, S. Teresiæ cultor* 424 a, 426 c, 427 a, 428 e
Ferdinandus VII *Hispaniæ rex* 765 c, 767 b
Ferdinandus *Hispaniæ infans, Philippi II et Annæ Austriacæ filius* 242 d

Feria (*Simon de*) *Ord. S. Hier. testis in informationibus de S. Teresia* 356 d
Fernandez Barragan (*Petrus*) *presbyter opem S. Teresiæ in evidenti vitæ discrimine expertus* 750 b c
Fernandez de Temiño (*Petrus*) *episcopus Abulensis visitat corpus S. Teresiæ* 712 f, 713 a
Fernandez de Velasco (*Joannes*) *dux de Frias, testis in informationibus de S. Teresia* 356 e, 740 a
† Ferrutius *Martyr Moguntinus* 1068 d e. *Ejus corpus a S. Lullo translatum* 1051 b
† Filibertus *fundator monasterii Herensis* 1095 b c
Filipart (*Joseph*) *pictor* 428 e
† Fingar *cephalophorus* 819 d
† Fintanus *abbas in Cluain-ed-neach, in Hibernia* 862 e f, 863 a
† Fintanus Munnu 951 c d
† Firminus *episc. Martyr Ambianensis, colitur* XXVII *Septembris* 792 d
Flechilla (*Teresia de*) *Ord. Cist. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
† Florentinus *episc. Trevir. inter Prætermissos* 794 e
† Florentius *Martyr Bonnæ in Germania* 13 b
Fluvia (*Franciscus Xaverius*) *S. J. biographus S. Ignatii* 477 d
Fogieres (*Margarita, uxor Antonii de*) *intercessione B. Philippæ prolem vivam enititur* 104 b
Foniere (*Antonia de la*) *uxor Francisci de Vangence, variis morbis detenta, ope B. Philippæ sanitati restituitur* 104 c
Fonseca (*Francisca de*) *Ord. S. Franc. testis in informationibus de S. Teresia* 358 a
Fonseca (*Franciscus de*) *dominus de Coca et Alaejos* 570 e
Fontaine (*Jacobi de*) *horreum ope B. Philippæ relinquitur intactum ab incendio* 102 d
Fonteines-Marans (*Magdalena a S. Josepho de*) 769 b, 772 c
Fornari (*Raphael*) *archiepiscopus Nicænus, nuntius apostolicus in Belgio, deinde in Gallia* 434 b, 458 c
Forto de Vico *vir nobilis, fundator Scalæ-Dei* 1143 c-f
† Fortunata *Virgo et Martyr* 6 c d
† Fortunatus *Martyr, cujus corpus e catacumbis Romanis jussu Urbani VIII extractum Vallisoleti asservatur* 6 d
† Fortunatus *Tudertinus episcopus inter Prætermissos* 3 b
Fournier (*Joannes*) *presbyter baptizat prolem Martini Bonis* 100 a
Fournier (*conjux Joannis*) *videt infantem in partu mortuam ope B. Philippæ revixisse et ad baptismi gratiam pervenisse* 93 d, 105 b
† Franciscus Salesius *laudat doctrinam S. Teresiæ* 467 d e f. *De acciendis ex Hispania in Galliam monialibus Teresianis sollicitus est* 768 f
† Franciscus Assisias *composuit Officium de Passione Domini* 89 e
† Franciscus de Borgia *spiritum S. Teresiæ approbat* 154 b-f, 380 a, 567 b c, 665 b c, 734 a b
† Franciscus Xaverius *solemniter canonizatus* 414 *et seqq.*
Franciscus Xaverius a S. Anna *ex Ord. Carm. Exc. episcopus Amatensis, dein archiepiscopus Sardinus* 790 a
Franciscus a S. Andrea *episcopus Zelensis, coadjutor Salmantinus* 426 f
Franciscus a S. Maria *sive* del Pulgar *Carm. Exc. historiographus sui Ordinis* 112 a, *corpus S. Teresiæ anno* 1604 *inspicit* 348 b
Franciscus a SS. Sacramento *Generalis Congr. Ital. Carm. Exc. improbat versionem Vitæ S. Teresiæ factam a Kerbekio* 473 f
Franciscus Thomassinus *Ord. Min. Histonii in Appulia, inter Prætermissos* 793 d
Franckenberg (*Joannes Henricus de*) *Cardinalis archiepiscopus Mechliniensis* 774 e
Fredericus a S. Antonio *Carm. Exc. scripsit Vitam S. Teresiæ* 112 b d, *et Dissertationem de ejus visionibus* 516 d e f, 517 *et seqq.*
Frelo *seu* Froco *fundator Casæ-Dei Prænonstratensis Ordinis, in diœcesi Ausciensi* 1148 c
† Fremundus *cephalophorus* 819 d
Fresneda (*Franciscus de*) *episcopus Conchensis* 242 f
Fridiburga *filia Gunzonis ducis et sponsa Sigiberti regis, sanatur a S. Gallo* 794 a, 875 e f, 876 a b, 890, 891 a b c. *Nubit Sigiberto regi Theodorici filio* 877, 878
Froco. *Vide* Frelo.
† Frodobertus *abbas Cellæ Bobini* 1022 d, 1023 f
† Frontasius *cephalophorus* 819 d
Frotmundus *episc. Trecensis dat privilegium Dervensibus* 1004 e f
Frumoldus *punitus propter furtum in S. Gallum commissum* 904 c
Fuentes y Guzman (*Joanna de*) *S. Teresiæ fratria* 118 d
Fulcoaldus *optimas Franciæ* 995 e, 1017 c
† Fulgentius *Ruspensis episcopus* 7 f, *affectat finalem phraseos consonantiam* 21 c
† Fulradus *abbas S. Dionysii juxta Parisios* 1059 b, 1092 f, 1093 a b
† Fuscianus *cephalophorus* 819 d

G.

† Gabriel *Archangelus* 792 b
† Gaida. *Vide* † Legadia.
Gaitan (*Antonius*) *S. Teresiæ amicus et adjutor* 250 a b c, *et passim in seqq.*
Galarraga (*Maria de*) *marito suo sanitatem per S. Teresiæ Reliquias reddi videt* 722 b c
Galarza (*Simon*) *cœnobii monialium Teresianarum Albani benefactor* 428 f
Galeazzi (*Dominicus Maria Gusmanus*) *medicus Bononiensis* 757 c d
Galemet (*Georgius*) *delatam ad B. Philippæ sepulcrum mortuam filiam vivam recipit* 100 a
Gallemant (*Jacobus*) *doctor Sorbonicus* 768 f
† Gallus *socius S. Columbani in expiando templo S. Aureliæ Brigantiæ* 29 a
Galterius *biographus S. Anastasii* 1125 c d e, 1126 a b
Galterus. *Vide* Valcherius.
Garaña (*Joannes*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 366
Garcia (*Marcus*) *parens B. Joannis Baptistæ Lopez* 254 c
Garmundus *restituit S. Petro Lezatensi ecclesias SS. Beati et Vincentii* 1158 f, 1159 a
† Gaspar *Martyr inter Prætermissos* 3 c
Gastiategui (*Martinus*) *S. J. Reliquias S. Teresiæ in Cantabriam affert* 722 a b c
Gasto Phœbus *comes Fuxiensis* 582 b
Gaudentius *episcopus Constantiensis* 875 e, 889 e, 892 a
Gaudinus *episc. Murensis in regno Neapol.* 72 c
Gaufredus *vicecomes Bituricensis* 1032 b c
Gaufridus *dux Pictavensis, infestus patribus concilii Pictavensis* 1157 f
Gauthier (*Renatus*) *advocatus Parisiensis* 768 f, 769 a

Gauzbertus *episc. Carnotensis* 965 b f
† Gauzlinus *episc. Tullensis* 989 b, 1021 f, 1023 c
Gay (*Gulielmus*) *ope B. Philippæ carcere liberatur* 99 c
Gebuinus *episc. Catalaunensis* 1008 b, 1027 a b
Gedeon *filius S. Reoli* 994 a
Geilo *abbas Herensis* 1095 c d
Geisericus. *Vide* Gensericus.
Gelasius II *Papa* 1159 b
Gelenius (*Ægidius*) *scriptor Coloniensis* 13 d e f
Gelimer *tyrannus in Africa* 8 f
Genesius *Lugdunensis episc.* 58 d
Gennadius *presbyter Massiliensis librum de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus composuit* 22 a b c, 23 c, *secundum aliquos fuit Massiliensium episcopus post S. Cannatum* 23 b
† Genovefa *Virgo* 31 c
Gensericus *rex Wandalorum* 8 b c d, 834 b c
† Georgius *Martyr; ejus translatio Tolosæ inter Prætermissos* 2 c
Georgius *episcopus Viennensis Allobrogum prædecessor S. Theodati* 55 c, 56 c e
Georgi (*Marinus*) *episcopus Brixiensis* 412 a
Georgius ab Erballio *Aretinus inter Prætermissos* 793 d
Geraldus II *episc. Cadurcensis* 1035 d
Geraldus *episc. Tarbensis* 1162 f
Geraldus *vicecomes, pater Hildegarii episc. Lemovicensis* 822 f
† Gerardus *episc. Tullensis* 989 c, 1022 d, 1023 f. *Donat Reliquias S. Eliphii S. Brunoni Coloniensi* 805 d, 807 c
Gerardus II *episc. Cameracensis* 1104 b
Gerardus *episc. Catalaunensis* 1105 f
Gerardus *abbas Claravallensis VI inter Prætermissos* 795 c d e f, 796 a
Gerardus *abbas S. Albini Andegavis* 1129 f
Gerbertus *archiep. Remensis, postea Romanus Pontifex, nomine* Silvester II 1022 d, 1023 f
†† Gereon *et Socii Martyres Coloniæ Agrippinæ* 11 b c e, 12 a b f, 13 b c, 15 f. *Ejus Reliquiæ in Montefalconis* 922 d
† Gerinus *Pictavensis comes, frater S. Leodegarii, Martyr* 56 d, 939 c
† Germana *cephalophora* 819 d
† Germanus *cephalophorus* 819 d
† Germanus *episc. Martyr Ambianis cultus* 34 d
† Germanus *episcopus Autissiodorensis hæresim Pelagianam comprimit in Britannia* 31 b c e *Patronus est ecclesiæ Montisfalconis* 915 d. *Ejus Reliquiæ in eadem ecclesia* 918 f, 922 d
† Germanus *episc. Parisiensis* 48 d, 51 b
Gerry (*Gulielmus*) *Ord. Carm. testis miraculorum B. Philippæ* 98 c d
† Gertrudis *abbatissa amore Dei potius quam morbo obiit* 339 d
Gertrudis *marchionissa transfert Reliquias S. Auctoris episc. Trevir. Brunswicum* 34 a
† Gervasius *Martyr inter Prætermissos* 3 a
Gervasius (*Andreas*) *archiepiscopus Lancianensis* 411 c
Ghesquiere (*Joseph*) *Hagiographus, scripsit Commentarium in S. Mummolinum* 953 b c
Ghini (*Joanna*) *Carm. Exc. mater Pii PP. VII* 771 d
Gil Taboada (*Philippus Antonius*) *archiepiscopus Hispalensis* 471 b
† Gildas *abbas Ruyensis in Venetis Armoricis* 40 d e
Giraldus *Card. episc. Ostiensis* 1132 b f
Girin (*Gaufredus*) *prior S. Georgii d'Oste, testis extincti incendii ope B. Philippæ* 94 b, 102 d
Giron (*Maria*) *ducissa de Frias, amica S. Teresiæ* 740 a
Girond (*Claudius*) *B. Philippæ devotus loquelam recipit* 102 b
Gislebertus *abbas Westmonasteriensis in Anglia* 1129 f
† Godeberta *Virgo Noviomensis* 955 c, 973 a b c d. *Ejus Reliquiarum recognitio* 975 b, 976 a b c, 977 b, 978 c d e
Godefridus *comes palatii Henrici Aucupis* 927 d, 928 d
Godefridus *dominus Mureti* 1145 b
† Godehardus *episc. Hildesiensis* 1068 b
Gomez (*Franciscus*) *ope S. Teresiæ sanatus* 717 f
Gomez de Sandoval (*Franciscus*) *dux de Lerma, testis in informationibus de S. Teresia* 356 f, 741 a
Gomez de Silva (*Rodericus*) *princeps Ebolensis* 225 a d, 227 a b c d, 250 c d, 608 c d e
Gonon (*Benedictus*) *Ord. Cœlest. scriptor Vitarum Patrum Occidentis* 19 b
† Gontruda *soror, ut fertur, S. Eliphii* 804 d
Gonzaga (*Alphonsus de*) *archiepiscopus Rhodiensis* 411 d
Gonzalez (*Alphonsus*) *Carmelita* 207 d, 210 b, 217 b, 218 a, 219 b c, 623 f
Gonzalez (*Anna*) *per Reliquias S. Teresiæ a contractione manus sanata* 369 f, 370 a b c
Gonzalez (*Brigitta*) *inter Prætermissos* 4 d
Gonzalez (*Didacus*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 366 f
Gonzalez (*Ferdinandus*) *licentiatus Ord. S. Joannis Hierosol.* 349 a
Gonzalez (*Marcus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 356 d
Gonzalez (*Maria*) *S. Teresiæ atavia materna* 114 c
Gonzalez (*Paulus*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 367 b
Gonzalez de Avila (*Ægidius*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 292 f, 293 a, 665 c, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 229 f, 230 a d, 358 b, 401 a, 731 f, 732 a
Gonzalez de Luis (*Bernardus*) *scriba publicus interest apertioni sepulcri S. Teresiæ* 425 b
Gonzalez de Mendoza (*Petrus*) *episcopus Salmantinus* 612 a
Gonzalez de Villalva (*Ægidius*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 c
Gonzalez Vaquero (*Michael*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 374 f
Goria (*Jacobus*) *episcopus Vercellensis* 412 b
Goswinus *episc. Tornacensis* 1105 f
Gottor (*Petrus de*) *canonicus et vicarius generalis Turiasonensis* 377 c
Goytia (*Joannes de*) *ope S. Teresiæ sanatus* 722 a
Gozbertus *abbas Hersfeldensis* 1069 c
Gozbertus *diaconus et monachus Sangallensis* 860 e f, *scripsit Miracula S. Galli* 899 d, 901 f
Gozzadini (*Marcus*) *S. R. E. Cardinalis* 410 e
Gracian. *Vide* Gratianus.
Gradlonus *rex Armoricæ* 38 f, 40 c, 41 b c d, 44 a c
Græcus *Massiliensis episcopus* 23 b
Grailbardus *episc. Tolosanus* 1162 f
Granada y Venegas (*Ferdinandus de*) *cantor ecclesiæ Conchensis* 377 c
Grand (*Albertus le*) *Ord. Præd. scripsit Vitas Sanctorum Armoricorum* 37 c
Grassa (*Raymundus de*) *Ordinis Carmeli Generalis* 207 e
Gratianus (*Antonius*) *Philippi II regis Hispaniæ secretarius* 261 b c
Gratianus (*Hieronymus*) *Carm. Exc.* 245 d e f, 246

246, 247, 248 a b c, 255, 486, 487 a b c, 624 c f, *et alibi pluries.*
Gratianus Dantisco (*Thomas*) *testis in informationibus de S. Teresia* 356 f
† Gregorius I *Papa; ejus translatio Suessionem inter Prætermissos* 2 a. *Brandeum S. Agilei Martyris Carthagine accepit* 9 a, *nomina Martyrum uno in codice collecta habuit* 9 f, *carpsit immoderatum S. Sereni episcopi Massiliensis zelum* 22 f, 23 a, *quandoque Reliquias de corpore Sanctorum dono mittebat* 935 e
† Gregorius II *Papa non videtur aliquod privilegium Fuldensibus dedisse* 1066 c d e
† Gregorius VII *Papa Romanam liturgiam inducere tentat in Hispaniam* 1131 c-f, 1132 f, 1133 a b e. *Non videtur litteras confirmatorias reformationis clericis S. Stephani Tolosæ dedisse* 1151 e f, 1152 f, 1153 a
† Gregorius *episc. Nyssenus inter Prætermissos* 2 c
† Gregorius *Turonensis Siagrium appellat Romanorum regem* 21 e
† Gregorius *Ultrajectinus* 1056 c, 1078 d
Gregorius XIII *Papa* 226 b, *Carmelitas Excalceatos a Calceatis sejungit* 310 f, 631 e f, *corrigit Kalendarium* 761 a
Gregorius XV *Papa B. Teresiam in Sanctorum album refert* 414 *et seqq.*
Gregorius XVI *Papa ecclesiæ montis Carmeli titulum basilicæ minoris impertit* 769 f, 770 a b
Gregorius Maria a S. Josepho *Carm. Exc. utilia nobis documenta conscripsit* 769 f, 782 b c
Gregorius Nazianzenus *Carm. Exc.* 624 f, 711 f, 712 a b c d
Grimaldi (*Paulus*) *S. J. scripsit italice Vitam S. Rogerii episc. Cannensis* 70 c
Grosian (*Claudia*) *uxor Claudii vovet B. Philippæ filium mortuum, qui resuscitatus baptizatur* 100 b
Guadalajara (*Didacus de*) *presbyter* 634 b
Gudiellus (*Augustinus*) *presbyter, ope S. Teresiæ sanatus* 351 c
Guerrero (*Petrus*) *archiepiscopus Granatensis* 243 b
Guerriada *uxor Pontii de Podio nigro vicecomitis Massiliensis* 20 c
Guesnay (*Joannes Baptista*) *S. J. auctor Annalium ecclesiasticorum Massiliensium* 22 e f, 27 a
Guevara (*Didacus de*) *Ord. S. Aug. testis in informationibus de S. Teresia* 356 a
Guifredus *comes Cerdaniæ, fundator Canigonensis* 1114 e
† Guignerus *cephalophorus* 819 d
Guillenius *licentiatus ope S. Teresiæ sanatus* 722 e f
† Gulielmus *cum filio Peregrino Fogiæ in Italia, ejus translatio inter Prætermissos* 2 d
Gulielmus I *archiep. Ausciensis* 1146 e f, 1149 d e, 1153 c d, 1156 e, 1174 d, 1175 b
Gulielmus II *archiep. Ausciensis* 1142 e f, 1147 c-f, 1148 a b
Gulielmus III *archiep. Ausciensis, nepos S. Bertrandi* 1141 c e, 1142 e f, 1149 d e, 1152 a, 1156 e, 1161 c, 1175 b c
Gulielmus *episc. Bigorritanus* 1159 c
Gulielmus *episc. Convenensis* 1150 d e
Gulielmus *episc. Lactorensis* 1159 c
Gulielmus *episc. Salpitanus* 72 c
Gulielmus Conquæstor *non videtur labe Simoniaca infectus fuisse* 1127 e f, 1128 a, 1130 e f
Gulielmus II *rex Neapolitanus, Normannus* 1186 c d
Gulielmus VII *comes Pictavensis infensus est patribus concilii Pictavensis* 1157 f, 1158 c
Gulielmus Bernardi *frater S. Bertrandi* 1145 d e f, 1146 a
Gulielmus Scindens-ferrum *comes Tolosæ, avus maternus S. Bertrandi* 1144 f, 1173 c, 1175 d
Gundisalvus de Lagos *inter Prætermissos* 795 a
Gundovaldus *frater Guntramni regis* 1154 e f, 1155 c
Guntamundus *rex Wandalorum* 8 b c d
† Guntbertus *fundator monasterii S. Petri Inferioris* 917 b
Guntramnus *rex Burgundionum* 837 b d, 1154 c, 1155 d, *associat sibi Childebertum ex fratre nepotem* 867 b c, 886 f
Gunzo *dux Alemanniæ* 875 e, 886 d, 888 d, *cellam S. Gallo ædificat* 876 b, *Fridiburgam filiam desponsat regi Sigiberto, Theodorici filio* 877 c 878 c
Gutberchtus *abbas Wiremuthensis et Gerwiensis* 1053 c d, 1077 e
Gutierrez (*Antonius*) *Ord. B. V. M. de Mercede* 428 c
Gutierrez (*Joannes*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 729 d, 738 b
Gutierrez (*Martinus*) *S. J. S. Teresiæ confessarius et in fundatione Salmanticensi adjutor* 231 b c, 609 a b d, 665 d, 693 f, 732 e, *ejus mortem martyrio proximam Sancta ex visione noscit* 241 a b c, *eamdem mortem plorat* 678 a
Gutierrez (*Nicolaus*) *S. Teresiæ in fundatione Salmanticensi adjutor* 232 c, 233 d, 609 c d
Gutierrez Varona (*Emmànuel Franciscus*) *secretarius curiæ episcopalis Salmantinæ* 427 e, 428 a
Guyomarcus *vice-comes Leonensis, incertum num extiterit* 38 b, 44 b
Guzman (*Aldonza de*) *vidua Abulensis, fautrix S. Teresiæ* 194 a, 202 f, 582 a
Guzman (*Antonia de*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Guzman (*Didacus de*) *S. Teresiæ e sorore nepos* 118 a b
Guzman (*Franciscus de*) *presbyter S. Teresiæ a morte apparet* 662 f
Guzman (*Gaspar de*) *comes de Olivares et dux de San-Lucar* 124 c, 237 a, 761 f
Guzman (*Joannes de*) *marchio de Ardales, ope S. Teresiæ sanatus* 749 f
Guzman (*Petronilla de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Guzman y Aragon (*Anna de*) *ducissa de Frias, amica S. Teresiæ* 740 a
Guzman y Barrientos (*Martinus de*) *S. Teresiæ sororius* 117 f, 192 b c, 561 c
Gymnasius (*Dominicus*) *S. R. E. Cardinalis* 408 f
Gypsius (*Berlingerius*) *episcopus Ariminensis* 412 a

H

† Haberilla *abbatissa cellæ Augiæ Albæ* 873 d, 874 a
† Hadeloga *Virgo cœnobii Kitzingensis fundatrix et abbatissa* 60 f, 63 c d e, 64 a b d
Hadulfus *episc. Noviomensis* 973 b
Haistolfus *archiep. Moguntinus* 1068 e
Hallewyn (*Maria de*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 771 e
Hamularius *episc. Trevir.* 33 e
Hannivel (*Maria d'*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 769 b
Hardys (*Germanus l'*) *ope B. Philippæ carcere liberatur* 98 e
Haribertus *rex Longobardorum Alpes Cottias tradit Joanni Papæ* 58 e
Haricuria (*Joannes de*) *transfert Reliquias S. Conogani anno* 1424 42 c d e
Harlay de Sancy (*Carolina de*) *marchionissa de Breauté, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 769 b

† Hedwigis *ducissa Poloniæ inter Prætermissos* 5 a
Heemissen (*David van*) *canonicus Antverpiensis* 753 d e
† Heiricus *scriptor Miraculorum S. Germani Autisiod.* 854 d
† Helena *mater Constantini Magni* 13 e f, 14 a
Helinandus *monachus Frigidi Montis in diœcesi Bellovacensi* 12 a
Henricus *Cardinalis, rex Lusitaniæ* 303 e
Henricus II *ex comite Transtamarano rex Castellæ et Legionis* 114 c, 115 e, 582 b
Henricus IV *rex Castellæ et Legionis* 660 e
Henriquez (*Anna*) *e familia marchionum de Alcañizes, S. Teresiæ amica* 253 e, 315 a
Henriquez (*Henricus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ et testis in informationibus ad ejus beatificationem* 357 f, 401 d, 731 b-f, 738 e f
Henriquez (*Maria*) *ducissa Albana, S. Teresiæ fautrix et amica* 235 f, 249 b c, 309 f, 310 a, 338 a, 449 f, 613 a, 641 f, 645 b, *ad ornatum sepulcri ejus dona contulit* 347 d
Henriquez de Toledo (*Alphonsus*) *episcopus Sidoniensis, S. Teresiæ cultor* 343 a, 746 c, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 356 f
Hereca *probabiliter abbas Malmesburiensis* 1053 f, 1054 a c f
Heredia (*Antonius de*). *Vide* Antonius a Jesu.
Heredia (*Petrus de*) *abbas S. Quirici Burgis, testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
Heribertus II Vetulus *comes Tricassinus* 1022 c, 1024 a c, 1025 f
† Heriburgis *Virgo inter Prætermissos* 792 f
Hermannus ab Hassia *archiep. Coloniensis aperit arcam reliquiariam S. Eliphii* 807 a d, 808 a-c
Hermannus *abbas S. Godehardi Hildesiæ* 1082 e
Hermarus *abbas* 997 b
† Hermemberta. *Vide* † Eremberta.
Hernandez (*Isabella*) *ope S. Teresiæ sanata* 719 c d
Hernandez (*Paulus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 219 e f, 220 a b d f, 295 d, 604 a b, 665 d, 732 f
Hernandez (*Petrus*) *Ord. Præd., visitator apostolicus Carmelitarum in Castella* 228 e f, 285 e, 301 a, 616 f, *S. Teresiæ confessarius* 729 e
Herrera (*Joannes*) *S. J. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Hiberni *curiosi in conservandis genealogiis* 863 e
† Hidulphus *episc. Trevir.* 33 e
Hieronymus a Matre Dei. *Vide* Gratianus (*Hieronymus*).
Hieronymus a S. Josepho *Carm. Exc. scripsit Historiam sui Ordinis* 113 d
Hijosa (*Angelus Praxedes*) *Carm. Exc.* 434 d
† Hilarius *Pictaviensis scripsit ad Sallustium Galliarum præfectum* 803 e f
Hildegarius *seu* Aldegarius *episc. Lemovicensis fundat Agentense monasterium* 822 f, 823 a, 824 f
Hildelicha *seu* Hildelitha *abbatissa Winbrunnensis S. Ethelburgæ suffecta* 62 a
Hildericus *rex Wandalorum* 8 e f
Hilduinus *abbas* 997 b
Hilduinus. *Vide* Alduinus.
Hilteboldus *diaconus, comes S. Galli in quærenda eremo* 875, 888 e f
Hinojosa (*Maria de*) *S. Teresiæ affinis* 121 a b
Hnabus. *Vide* Nebus.
Honcala (*Antonius*) *canonicus Abulensis* 661 c, 664 f
† Honoratus *Massiliensis episcopus* 23 b c
Hontheimius (*Joannes Nicolaus*) *male impugnat episcopatum S. Auctoris Trevir.* 33 d e f, 34 a b c
Hontsum (*Zegerus van*) *canonicus Antverpiensis* 753 d
† Hospitius *Confessor inter Prætermissos* 2 c
Hovius (*Mathias*) *archiepiscopus Mechliniensis* 353 a b
Hoyoman (*Hyacinthus*). *Vide* Montoya (*Joachim*).
† Hugo *abbas* VI *Cluniacensis* 1125 e f, 1130 c-f, 1131 b, 1137 c, 1151 d, *detegit corpus S. Amandi* 838 c, 840 a-d
Hugo Candidus *Cardinalis legatus in Hispaniam* 1131 f, 1133 a c
Hugo de Cabilone *episc. Autisiodorensis* 987 a
Hugo Matisconensis *episc. Autisiod. beneficus in Præmonstratenses* 855 d
Hugo *episc.* XIII *Corisopitensis interfuit comitiis an.* 689 *ab Alano rege Armoricæ celebratis* 39 d
Hunckler *biographus Sanctorum Alsatiæ* 31 a
Hungari *Galliam vastant* 1007 c d
Hunnericus *rex Wandalorum* 8 c d
Hurtado (*Joannes*) *canonicus Hispalensis* 349 a
Hurtado de Mendoza (*Didacus*) *celeber scriptor Hispanus, S. Teresiæ amicus* 739 f
Hurtado de Mendoza (*Joannes*) *dux del Infantado, S. Teresiæ cultor* 343 b, *testis in informationibus de S. Teresia* 356 c, 740 a
Hurtado de Mendoza (*Ludovicus*) *comes de Tendilla et marchio de Mondejar, Reformationis Teresianæ fautor* 243 c f, 318 d
Hymnichildis *Sigiberti II regis Austrasiæ vidua* 999 b c
Hynsberg (*Theodoricus nobilis de*) 16 d
† Hyspadius *cephalophorus* 819 d

I

† Jacobus *Apostolus, Zebedæi filius; ejus translatio Tolosæ, inter Prætermissos* 3 a
† Jacobus *episc. Catanensis, Martyr* 65 b, 66 d f, 67 a b, 68 a-d, 69 e
Jacobus *episc. abbas Gamundiensis* 1073 c
Jansenius (*Cornelius*) *episcopus Iprensis nomen olim dare voluit Societati Jesu* 474 d
Ibañez (*Petrus*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 183 f, 184, 185 b c, 575 a b f, 666 a, 672 b, 730 a-e, 738 e
Idiaquez (*Joannes de*) *miles S. Jacobi etc., testis in informationibus de S. Teresia* 356 e
† Ignatius de Loyola *solemniter canonizatus* 414 *et seqq., egregie laudatus a S. Teresia* 490 d, *huic Sanctæ apparuisse fertur* 491 f
† Ildephonsus *episc. Toletanus* 1108 f, 1109 a
† Imelda Lambertina *amore Dei mortua* 339 e
Ingundis *filia Sigiberti I e Brunichildi regina* 912 f
† Innocentius *episc. Cenomanensis* 46 e, 47 e, 49 d
Innocentius II *Papa confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a
Innocentius IV *Papa regulam Carmelitanam approbavit* 202 d, 585 a
Invitiatus (*Raphael*) *episcopus Zacynthi et Cephaleniæ* 411 d
Joanna *Ludovici X Galliæ regis filia, regina Navarræ* 637 c
Joanna *Philippi II regis Hispaniæ soror, amica S. Teresiæ* 221 a b c, 736 c
Joanna a Cruce *abbatissa Clarissarum Madritensium, soror S. Francisci de Borgia* 221 b
† Joannes *Martyr,* XIX *Maji* 50 b
† Joannes Ribera *patriarcha Antiochenus et archiepiscopus Valentinus beatificationem S. Teresiæ a Clemente VIII expetit* 350 d e f, 351 a, *ea nondum Beatis adscripta, prospicit futuro ejus cultui* 736 a

† Joannes *episc. Cameracensis* 1104 e
† Joannes a Cruce *primus Carmelita Excalceatus* 131 a, 213 b d, 216 b c f, 217 a c d, 218, 219 a b c d, 229 a b, 239, 250 a, 266 c d, 275 f, 289 a-e, 293 e, 296 e, 297 a c, 301 e, 318 d, 324 e f, 325 a e, 326 f, 439 e f, 459 e, 471 e, 481 b c, 485 d f, 637 a, 772 b, 777 f
† Joannes Baptista Lopez *seu* a Conceptione *Ordinis SS. Trinitatis Reformator* 254 c d
Joannes XXII *Papa indulgentias impertit recitantibus salutationem Angelicam hora ignitegii* 1109 c. *Erigit sedem Mirapicensem* 1114 d
Joannes *discipulus S. Galli eligitur episcopus Constantiensis* 875 f, 876, 892 e f, 894 f. *Tempus mortis* 880 d e f, 881 a. *S. Gallum sepelit* 881 d e f, 895 c-f
Joannes *abbas Sangallensis* 856 f, *post episcopus Constantiensis, II nomine* 901 b, 903 d
Joannes *episc. Pictaviensis* 939 d
Joannes *episc. Rubisinus* 70 f
Joannes *abbas Ebolitanus* 1186 c
Joannes *dux Bragantinus* 303 e
Joannes *S. Bauderico coævus, falso dicitur ejus Acta scripsisse* 50 a b, 54 d
Joannes a Jesu *Ord. Min. S. Teresiæ e sorore nepos* 118 a
Joannes a Jesu *seu* Roca *Carm. Exc.* 245 e, 275 c e f, 276 a, 281 f, 294 b, 297 a, 300 c, 301 f, 310 c, 318 , 624 e
Joannes a Jesu Maria *Carm. Exc. S. Teresiæ biographus* 111 c-f, *beatificationi ejusdem Sanctæ obtinendæ allaborat* 351 b c
Joannes a S. Hieronymo *Carm. Exc. S. Teresiæ biographus* 111 c-f
Joannes a S. Ludovico *Carm. Exc. scripsit Vitam S. Teresiæ* 112 d
Joannes de Miseria *Carm. Exc.* 225 f, 624 b c, *effigiem S. Teresiæ depinxit* 341 c f, 651 c
Jobert (*Maria*), *conjux Philippi dicti Vernac, in partu laborans ope B. Philippæ liberatur* 103 b c
Jognan (*Catharina, uxor Claudii*) *in partu ope B. Philippæ liberatur* 101 f
Jonas *biographus S. Columbani, Segusinus* 867 c
† Jonius *cephalophorus* 819 d
Jordanes *episc. Coseranus in Gallia* 1159 c
† Joseph *nutritius Salvatoris cultus sui amplificationem S. Teresiæ debet* 683 c-f, 684 a b
† Joseph Calasanctius *S. Teresiæ cultor* 764 b c
† Joseph Oriol *presbyter* 470 c
Joseph II *imperator* 773 a d
Joseph a S. Gabriele *Carm. Exc. testis in informationibus de S. Teresia* 351 d
† Jovinus *eremita in agro Pictavensi* 925 a, 926 c
Iperius (*Joannes*) *chronologus Sam-Bertinianus* 956 e f
Isabella a S. Paulo *Carm. Exc. S. Teresiæ cognata* 123 b, 249 e, 591 b
Isabella Clara Eugenia *Belgii principissa Vitam S. Teresiæ Riberianam teutonice vertendam curat* 110 f, *pannum e Belgio mittit ornando S. Teresiæ sepulcro* 347 d, *beatificationem ejus a Paulo PP. V petit* 351 e, *Ordinem Carm. Exc. beneficiis et honore afficit* 353 b, 771 e, *cultum S. Josephi in Belgio promovet* 684 b
Isarnus *episc. Tolosanus* 1150 b, 1151 e f, 1152 b
Isasi (*Antonius*) *Ord. B. V. M. de Mercede* 433 e
† Isidorus *agricola solemniter canonizatus* 414 *et seqq.*
Isla (*Joseph de*) *S. J. scripsit pro defensione sui Ordinis* 488 b
† Israel *præpositus regularis ecclesiæ S. Juniani* 844 c
Jubero (*Dionysius*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 356 a
† Judocus *Confessor; ejus translatio inter Prætermissos* 5 e. *Non probatur consanguineus S. Conogani* 43 a, 44 a
† Julianus *socius S. Luciani Bellovacensis* 792 a
† Julianus *Martyr Brivate cultus* 1120 f
Julianus *episc.* IX *Catanensis* 67 b, 68 f
Julianus *imp. apostata* 802 d e f, 803 a-d, *Attuarios debellat* 802 b, *in Germaniam proficiscitur* 802 c. *Fuit ordinatus lector* 812 d, 815 a b. *Non videtur persecutionem in Christianos movisse manens in Gallia* 818 c d. *Varia ejus anno* 356 *itinera* 818 c d e
† Julius *Martyr inter Prætermissos* 3 c
† Junianus *Nobiliacensis, distinguendus ab ejus homonymo Commodoliacensi* 841 e f, 842 a
† Ivo *episc. Carnotensis subscribit concilio Pictavensi* 1157 e
† Justinianus *cephalophorus* 819 d
† Justus *Autisiodorensis, cephalophorus* 819 c d
† Justus *Lugdunensis episcopus* 3 b, 17, 18 a d
† Juthwara *cephalophora* 819 d

K

Kanebada *abbatissa in Anglia* 1053 f, 1078 c
Kemp (*C. M. van der*) *Mauritii Nassovii biographus* 755 a-c
† Kenelmus *cephalophorus* 819 d
Kerbekius (*Antonius*) *fraudis in versione Vitæ S. Teresiæ insimulatus a P. Nicolao Lancicio* 473 b-c. *Versio ejus improbata a capitulo generali Carm. Exc. Congr. Ital.* 473 e f, 474 a-d
† Kiara *abbatissa in Momonia, in Hibernia* 950 e
† Kiara *Raithensis* 950 e
Konigsegg (*Carolus Aloys.*) *episc. Myrinensis, alias Sebastopolitanus, suffraganeus Coloniensis, consecrat altaria ecclesiæ S. Martini Majoris Coloniæ* 811 c d

L

Laguille (*Ludov.*) *scriptor Historiæ Alsatiæ* 28 f
Laguna (*Paulus de*) *præses consilii Hispani Indiarum, postea episcopus Cordubensis, corpus S. Teresiæ invisit et testis est in causa beatificationis ejus* 365 e, 712 f, 714 b
Laiz (*Teresia*) *Albani monialium Teresianarum cœnobii fundatrix* 234 d e f, 235, 236 a-e, 428 f, 612 c-f, 613, 715 c d
† Lambertus *cephalophorus* 819 d
Lambertus *episc. Atrebatensis* 1101 c, 1157 e
Lambruschini (*Aloysius*) *Cardinalis episcopus Sabinensis in S. Teresiæ honorem meditationes conscripsit* 764 f
Lancellottus (*Horatius*) *S. R. E. Cardinalis* 352 a b c, 355 c, 375 f
Lancicius (*Nicolaus*) *S. J. fraudem Kerbekii, Vitæ S. Teresiæ interpretis, denuntiat* 473 b c d e
Lancisius (*Joannes Maria*) *medicus testatur miraculum ope S. Teresiæ factum* 433 b
Landeberchtus *episc. Senonensis* 58 d
Landericus *comes Autisiodorensis* 987 a
Landevenecenses *monachi, relicta Scotica, amplectuntur Benedictinam disciplinam* 39 a
Lando *episc. Remensis testamentum condit* 917 e
Landulfus *Card. diac. S. Angeli* 1162 f
Langius (*Matthæus*) *Cardinalis, archiepiscopus Salisburgensis* 195 e
Languisello (*Bernardus de*) *Arelatensis archiep.* 20 d
Lantbertus *munificus in oratorium S. Galli* 857 a

Lantes (*Marcellus*) *S. R. E. Cardinalis* 409 b
Laredo (*Bernardinus de*) *laicus Ordinis Minorum scripsit librum Ascensum in Montem* 152 a b
Lastrade (*Joannes*) *biographus S. Bertrandi* 1141 a
Lataste (*Ludovicus*) *episcopus Bethlehemensis edidit partem Epistolarum S. Teresiæ gallice versam* 312 f, 458 e
† Laurentius *episc. Sipontinus* 70 f, 71 a
Laurentius a Matre Dei *Carm. Exc. confecit arborem genealogicam S. Teresiæ* 113 e
† Laurianus *episcopus et Martyr* 24 f, *cephalophorus* 819 d
Ledesma (*Eleonora de*) *virgo nobilis Ordinem Carm. Exc. ingressa* 611 b c
† Legadia *vel* Gaida *Virgo inter Prætermissos* 5 e
Legionensis (*Ludovicus*). *Vide* Leon (*Ludovicus de*).
Leibniz (*Godefridus Gulielmus*) *laudat S. Teresiæ scripta* 462 c
Leiva y Hermosilla (*Joannes de*) *per sudarium S. Teresiæ sanatus* 372 d e f
Lenius (*Joannes Baptista*) *S. R. E. Cardinalis* 409 c
† Leo IX, *ante Bruno dictus, Tullensis episcopus* 800 f
† Leo *episc. Catanensis* 65 b, 66 a b c, 67 a c d e f, 69 b c d
Leo X *Papa diaconiam S. Angeli in presbyteralem titulum mutat* 195 c, *unit monasterium Hersfeldense Fuldensi* 1068 c
Leo XI *Papa*. *Vide* Medicis (*Alexander de*).
Leo Isauricus *imperator CP.* 67 c d e
Leo IV Chazar *imperator CP.* 67 f, 68 a
† Leobgytha. *Vide* † Lioba.
† Leodegarius *abbas S. Maxentii et archidiaconus Pictaviensis, postea episcopus Augustodunensis* 939 c d e, *subscribit privilegio Dervensi* 995 b, 997 b, 998 b-f, 999 a, 1001 a, 1016 f, *ab Ebroino anno* 678 *occiditur* 56 d
Leon (*Balthasar de*) *Ord. Præd.* 377 d
Leon (*Didacus de*) *Carmelita, episcopus Sodorensis* 243 b, 248 b, 265 a
Leon (*Didacus Antonius de*) *marchio de las Atalayuelas* 113 e f
Leon (*Ludovicus de*) *Ord. S. Augustini* 111 b, *S. Teresiæ opera edenda curavit* 444 c-f, *Vitam ejus scribere orsus est* 541 f, 736 e f
† Leonardus *Lemovicensis* 45 b, 46 b
Leonissa (*Fabius de*) *archiepiscopus Compsanus* 411 c
† Leopoldus *Austriæ marchio inter Prætermissos* 5 b
Lerdo (*Ignatius*) *Societatis Jesu assistens, egregius operis nostri fautor* 124 a, 758 b, 759 d e f
Lescano (*Gregorius de*) *Ord. Cist. testis in informationibus de S. Teresia* 356 b
Leudobaudus *presbyter Andegavensis, propter invidiam divinitus punitus* 941 f
† Libaria *Virgo Martyr* 800 d, 804 d, 812 e, 815 e 817 e f, *cephalophora* 819 d
† Liberalis *episc. Cannensis dubius* 71 d e
† Licinius *episc. Andegavensis* 929 b, 931 b, 932 a b f, 941 c, *obiisse circa an.* 606 *videtur* 936 b c d
Lientrudis *mater, ut traditur, S. Eliphii* 805 b
Lievræus (le Lièvre) *scriptor Antiquitatum Viennensium* 55 c e
† Lifardus *comes Vindocinensis non videtur fuisse frater S. Leonardi Lemovicensis* 46 b
† Lioba *Angla a S. Bonifacio in Germaniam evocata* 59 c, 61 a b c d, 62 c d e f, 63 a b c d f, 64 d, 1057 a b, 1085 f, 1087 c, 1089 f, 1091 b
† Liudgerus. *Vide* † Ludgerus.
Liudulfus *episc. Noviomensis* 955 c, 973 e
† Livinus *cephalophorus* 819 *d*
Loaysa (*Garcias de*) *archiepiscopus Toletanus* 442 f
Lobineau (*Guido Alexius*) *e Congr. S. Mauri scripsit Historiam Britanniæ Minoris et Vitas Sanctorum Armoricæ* 39 a c, 1189 b
Lobo *concionator apostolicus, ope S. Teresiæ sanatus* 750 b
† Lonegesilus *testamentum condit* 937 d e f, 938 a
† Longinus *centurio, Martyr, colitur* XV *Martii* 792 a
Lopez (*Antonius*) *frater B. Joannis Baptistæ a Conceptione* 254 c d
Lopez (*Emmanuel*) *medicus testatur miraculum ope S. Teresiæ factum* 433 b
Lopez (*Isabella*) *mater B. Joannis Baptistæ a Conceptione* 254 c
Lopez (*Maria*) *ope S. Teresiæ sanata* 722 d
Lopez Hurtado de Mendoza (*Inicus*) *marchio de Mondejar* 301 a
Lorenzana (*Balthasar de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 357 d
Lotharius III *rex Romanorum* 801 b
† Lucianus *presbyter Antiochenus et Martyr inter Prætermissos* 2 a
† Lucianus *Martyr Bellovacensis colitur* VIII *Januarii* 2 a, 792 a
† Lucianus *cephalophorus* 819 d
† Ludgerus *S. Gregorii Ultrajectini discipulus et biographus* 60 a b c. *Non fuit infensus S. Lullo* 1050 b c e f, 1051 a b
Ludovica *Francica*. *Vide* Teresia a S. Augustino.
† Ludovicus IX *rex Gallorum fratrem suum martyrio donatum asserit* 561 a
† Ludovicus Bertrandus *S. Teresiæ prosperum Reformationis Carmelitanæ successum prænuntiat* 183 b c d
Ludovicus Cæcus *rex Burgundiæ* 1006 f, 1007 a
Ludovicus Pius *rex Aquitaniæ* 1043 b c
Ludovicus II, *dictus* Balbus, *rex Franciæ* 1007 b, 1020 a, 1021 d
Ludovicus XV *rex Galliæ statuit diœcesim Tullensem dividendam in tres episcopatus* 806 e
Ludovicus XVI *rex Galliæ, in profugas e Belgio Carmelitissas Excalceatas benignus* 773 c, 775 c. *Statutam ab avo suo divisionem diœcesis Tullensis in tres episcopatus ratam habet* 806 e
Ludovicus a S. Josepho *Carm. Exc. auctor, ut creditur, Officii S. Teresiæ* 147 a
Ludovisius (*Ludovicus*) *S. R. E. Cardinalis* 410 d, 414 c
Luido *episcopus Spirensis* 1057 f
† Lullus *archiepiscopus Moguntinus* 60 a
Lunar *præsentatus Ord. Præd. approbat spiritum S. Teresiæ* 666 c, 730 f
† Lupianus *baptizatus a S. Hilario Pictavensi* 1091 f
† Lupus *Trecensis episcopus comprimit hæresim Pelagianam in Britannia* 31 b c e. *Tempus ejus ordinationis* 32 e
Lutherus (*Martinus*) *hæresiarcha* 123 c d, 557 c

M

† Macniscius *episcopus Hibernus* 852 c, 853 d
Madrutius (*Carolus*) *S. R. E. Cardinalis* 409 a
Magdalena. *Vide* Maria Magdalena.
† Magnobodus *episc. Andegavensis* 954 e
† Magnus *seu* Magnoaldus *clericus et socius S. Galli* 874 f, 875 a. *Non erat Scotus* 891 e. *Videtur circa an.* 665 *obiisse* 883 c d
Malatesta (*Sigismundus*) *Senogalliæ dominus* 2 d

Malbrancq (*Jacobus*) *S. J. edidit Vitam S. Conogani episcopi* 37 f
Malcerius *Compsanus archiepiscopus* 72 c
Malcolmus III *rex Scotiæ inter Prætermissos* 4 c d
Malderus (*Joannes*) *episcopus Antverpiensis* 753 c-f
Maldonado (*Alphonsus*) *Ord. Min. stimulos addit zelo S. Teresiæ* 207 a, 593 e
Maletti (*Petrus Franciscus*) *episcopus Niciensis* 412 e
† Mamertinus 854 c d
Mancini (*Octavius*) *episcopus Cabellionensis* 412 d
Mandus *episc. Minervinensis* 72 c
Manrique (*Alphonsus*) *archiepiscopus Burgensis, S. Teresiæ cultor* 343 a, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 357 c, 740 f, 741 a
Manrique (*Alphonsus*) *senator Burgensis, S. Teresiæ fautor* 328 d e
Manrique (*Angelus*) *Ord. Cist. episcopus Pacensis, biographus Ven. Annæ a Jesu Carm. Exc.* 331 b
Manrique (*Catharina*) *S. Teresiæ fautrix* 328 d
Manrique (*Hieronymus*) *episcopus Salmantinus* 739 e
Manrique (*Ludovicus*) *Philippo II Hispaniæ regi a Sacris et a secretis* 301 a
Manrique (*Maria*) *S. Teresiæ fautrix* 328 d, 331 b
Manrique (*Petrus*) *e canonico Toletano religiosus S. J.* 221 d, 604 d, 739 e
Manrique del Prado (*Bartholomæus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 357 e
Manso (*Martinus*) *archidiaconus Bilbaensis* 377 b
Manso (*Petrus*) *patriarcha Indiarum, testis in informationibus de S. Teresia* 356 e
Manso de Zuñiga (*Petrus*) *ex canonico Burgensi episcopus Calagurritanus, S. Teresiæ confessarius et testis in causa beatificationis ejus* 331 d, 335 c, 357 a, 468 c d, 639 e, 641 e, 735 c, 740 e f
† Mansuetus *episc. Mediolanensis, coævus S. Theodato* 55 e, 57 a
† Mansuetus *episc. Tullensis* 1022 d, 1023 f
Manzanedo de Quiñones (*Alphonsus*) *S. Rotæ auditor* 352 b, 355 b, 375 d, 405 f
Maraldus *Tarentinus archiepiscopus* 72 c
Marbodus *archidiac. Andegavensis, post episcopus Rhedonensis, scriptor alterius Vitæ S. Magnobodi* 929 e f, 930 a b c, *subscribit concilio Pictavensi* 1157 c
Marchal *parochus in Heillecourt hodiernæ diœcesis Nanceensis* 806 f
† Marcianus *Confessor inter Prætermissos* 3 d
Marcus *vicarius S. Lulli in monasterio Fuldensi* 1064 a, 1088 b
† Margarita *Virgo inter Prætermissos* 2 f, 3 a
Margarita *regina Hispaniæ, Philippi III conjux, beatificationem S. Teresiæ a Paulo V expetit* 351 d, 737 a
Margarita *uxor Sergii ducis, inter Prætermissos* 794 f
† Maria ab Incarnatione *Carm. Exc.* 768 f, 772 b c
Maria *imperatrix, Caroli V filia* 444 c d, 736 c e
Maria *regina Franciæ, filia Ludovici II Andegavensis, Siciliæ regis, conjux Caroli VII* 92 f
Maria a Jesu *Carmelitissa Complutensis* 192 d e, 579 d e, 601 a
Maria a S. Josepho *Carm. Exc.* 279 f, 297 e f, 299 c d, 579 d, 718 a d e, *testis in informationibus de S. Teresia* 358 b
Maria Barbara *regina Hispaniæ, S. Teresiæ cultrix* 424 a, 426 c, 427 a
Maria Magdalena a Cruce *monialis Cordubensis scelestissima* 151 a, 227 e f, 569 a b c, 687 a
Marianus (*Ambrosius*) *Carm. Exc.* 225 e f, 226, 227 a f, 228 a b, *et passim in seqq.*, 624 b c d e
Marinis (*Dominicus de*) *archiepiscopus Genuensis* 411 a
Marillac (*Michael de*) *regiæ signaturæ in Gallia præfectus* 768 f, 769 a
Marquet (*Jacobus*) *architectus Caroli III regis Hispaniæ* 427 c
Marquez Gazeta (*Franciscus*) *episcopus Abulensis* 124 c
Martelus (*Joannes Baptista*) *notarius Sacræ Rotæ* 377 f
† Martha *inter Prætermissos* 3 a b
† Martialis *Lemovicensis* 847 d
Martialis a S. Joanne Baptista *Carm. Exc. scriptor Bibliothecæ sui Ordinis* 112 f
Martianus *episcopus Constantiensis post Joannem, discipulum S. Galli* 880 d e f
Martin (*Laurentia uxor Benedicti*) *voto ad B. Philippam facto vitam mortuo infanti impetrat* 99 f
Martinez (*Isabella filia Bartholomæi*) *ope S. Teresiæ sanata* 723 a
Martinez (*Mathias*) *latine vertit Vitam S. Teresiæ a Ribera conscriptam* 109 e, *item S. Teresiæ scripta* 445 c, *et prologum Yepesii in Sanctæ Vitam* 725 f
† Martinus I *Papa* 960 c
† Martinus *Lugdunensis episcopus* 17 b e
† Martinus *Vertanensis* 1096 b
Martinus V *Papa, antea Otho de Columna* 819 f
Martinus a Cruce *Ord. Min. fautor S. Teresiæ* 221 f, 222 a, 605 b c
†† Martyres decies mille *S. Teresiæ morienti apparent* 644 b c d, 682 f
†† Martyres VI *cephalophori* 819 d
Mascareñas (*Eleonora de*) *S. Teresiæ Madriti hospita* 221 a, 225 e, 624 b
Masson (*Gulielmus*) *testis miraculi intercessione B. Philippæ patrati* 104 d
Mata (*Ferdinandus de*) *ecclesiæ Hispalensis concionator* 751 b, *testis in informationibus de S. Teresia* 734 c d
Matanza (*Anna de*) *ope S. Teresiæ sanata* 722 e
Matanza (*Ferdinandus de*) *S. Teresiæ benefactor* 332 a
Matha (*Ludov. de la Mer de*) *abbas commendatarius S. Ambrosii Bituricis* 1045 f
Maugis (*Jacobus*) *abbas commendatarius S. Ambrosii Bituricis* 1046 a
Maupeou (*Anna a S. Josepho*) *Carm. Exc. gallice vertit partem Epistolarum S. Teresiæ* 312 f, 458 e f, 459 a
Maupertuyus *historiographus ecclesiæ Viennensis* 56 c
Mauri *Vandalis amici sub Genserico* 834 e
†† Mauritius et socii *Martyres Thebæi* 13 a b, 889 a, 891 f
Mauritius Nassovius *princeps Arausiacus frustra urbem arcemque Antverpiensem invadere tentat* 751 b-f, 752 *et seqq.*
† Maurontus *Duacum translatus* 1105 d f
† Maurus *abbas; Reliquiæ ejus in Burgundiam transferuntur* 1020 d
Maury (*L. F. Alfredus*) *male scripsit de piis medii ævi legendis* 172 c d e
† Maxentia *cephalophora* 819 d
† Maxentia *Virgo inter Prætermissos* 5 b
† Maxianus *seu* Maximianus *socius S. Luciani Bellovacensis* 792 a
Maximianus *imperator copias ex Africa in Gallias transmisit* 12 f, 13 a
† Medanus *episc. in Scotia* 1189 c
† Medardus *episc. Noviomensis; Reliquiæ ejus recognitæ* 975 b, 976 a b c, 977 a, 978 b c
Medegesilus *episc. Turonensis* 938 d

Medicis (*Alexander de*) *Cardinalis, post Leo PP. XI, præclare de S. Teresia sentit* 741 a
Medicis (*Carolus de*) *S. R. E. Cardinalis* 421 e
Medicis (*Maria de*) *regina Franciæ et Navarræ* 434 f
Medina (*Bartholomæus de*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 249 a, 380 b c, 449 f, 666 a b, 729 c d, 738 a
Medina (*Elvira de*) *fundatrix cœnobii Incarnationis virginum Carmelitanarum Abulæ* 130 d, 131 a
Medina (*Ferdinandus de*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 358 a
Medina (*Joannes de*) *Ord. Præd. testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
Medina (*Joannes de*) *licentiatus, testis in informationibus de S. Teresia* 367 a, *ope hujus Sanctæ sanatus* 719 b
Medina Vasco (*Franciscus de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 356 d
Medrano (*Christophorus de*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 366 c
Meginfredus *monachus Fuldensis non scripsit Vitam metricam S. Lulli* 1051 d e
† Megingaudus *episc. Herbipolensis* 1051 b, 1053 b, 1069 d, 1070 c
Melgosa (*Andreas de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
Mena (*Franciscus de*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 374 f
Mendez (*Joannes*) *archiepiscopus Granatensis* 324 c, 637 c
Mendez de la Puebla (*Franciscus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 357 c
Mendoza (*Alvarus de*) *episcopus Abulensis, dein Palentinus, S. Teresiæ fautor* 287 e f, 345 d e, 603 e, 735 c d
Mendoza (*Antonius de*) *prorex Peruviæ* 738 b
Mendoza (*Bernardinus de*) *fundator monasterii S. Teresiæ Vallisoletani, e purgatorio liberatus* 214 f, 215 a b d, 602 e f, 603 a b c
Mendoza (*Didacus de*) *comes de Ribadavia* 603 f
Mendoza (*Franciscus de*) *episcopus Salmanticensis* 422 d
Mendoza (*Henricus de*) *eques S. Jacobi* 318 d
Mendoza (*Joanna de*) *ducissa de Beguiar, dein Carm. Exc.* 443 d
Mendoza (*Maria de*) *comitissa de Ribadavia, S. Teresiæ amica et fautrix* 215 e f, 600 e f, 603 b d e f
Mendoza (*Mencia de*) *ducissa Albana telam dat ornando S. Teresiæ sepulcro* 347 d, *testis est in informationibus de S. Teresia* 356 e
Mendoza (*Orofrisia de*) *S. Teresiæ affinis* 120 b f
Mendoza (*Petronilla de*) *comitissa de Valhermoso* 113 e
Mendoza y la Cerda (*Anna de*) *principissa Ebolensis* 225 a-d, 227, 228 c d e, 250 c-f, 251 a b, 608 c-f, 612 a
Meneses (*Philippus de*) *Ord. Præd. S. Teresiæ confessarius* 666 b, 730 f
Menget *vicarius capitularis Tullensis jubet recognosci Reliquias S. Eliphii* 805 f
† Menna *Martyr* 800 d f, 801 a, 804 d, 812 e, 815 d
Mercurianus (*Everardus*) *Societatis Jesu Præpositus Generalis* 292 f, 484 c
Mexia (*Didacus de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 e
Mexia (*Major*) *monialis ope S. Teresiæ sanata* 721 a
Mexia de Tovar (*Alphonsus*) *episcopus Mondoniensis, testis in informationibus de S. Teresia* 367 a
Mexia Velasquez (*Raphael de*). *Vide* Avila Mexia.
† Michael *Archangelus* 792 e
Michael a Carcano *inter Prætermissos* 4 d
Michaela a S. Anna *Carm. Exc. filia Mathiæ imperatoris* 770 d
Michelat (*Joannes*) *laterum dolore ope B. Philippæ liberatus* 105 f
Millectus (*Philibertus*) *archiepiscopus Taurinensis* 411 a
Millinus (*Joannes Baptista*) *orationem de S. Teresiæ laudibus habet in consistorio publico* 406, 407
Millinus (*Joannes Garcias*) *S. R. E. Cardinalis* 409 b
Milo *præpositus Falcomontanus* 927 b, 928 b
Mir Tarabei *Carmeli princeps cœnobii struendi facultatem Carmelitis Excalceatis impertit* 769 d
Miranda (*Bartholomæus de*) *Ord. Præd. magister S. Palatii* 741 b
Miranda (*Joannes de*) *Ord. S. Aug. testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
† Mireus *Martyr inter Prætermissos* 4 d
† Mitrius *cephalophorus* 819 d
† Modoaldus *episc. Trevir.* 33 f
Molina (*Antonius de*) *Ord. Carth. testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
Molina (*Petrus de*) *canonicus Granatensis* 377 c
Momillus *episc. Girpitanus in provincia Proconsulari* 797 d
†† Monachi XL *Hiberni, cephalophori* 819 d
Monachus (*Michael*) *scriptor Sanctuarii Capuani* 6 c f, 7 a b d e, 35 b
Moncada y Aragon (*Ludovica de*) *comitissa de Santa Gadea, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 770 f
Monroy (*Isabella de*) *Ord. Præd. ope S. Teresiæ sanata* 749 c
Montaltus (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 408 d
Montalvo (*Joannes de*) *Ord. Præd. opem S. Teresiæ in summo vitæ discrimine expertus* 750 d
Monte (*Franciscus Maria de*) *S. R. E. Cardinalis* 408 c
Montemayor (*Nicolaus de*) *S. J. inspexit S. Teresiæ Castellum animæ autographum* 443 d
Montgommery (*Gabriel*) *Calvinista Bituricas occupat* 1045 f
Montius (*Cæsar*) *Cardinalis, archiepiscopus Mediolanensis, Officium S. Teresiæ Ambrosiano Breviario inseruit* 762 d e
Montoya *canonicus Granatensis* 377 c
Montoya (*Joachim*) *disseruit de perpetuo S. Teresiæ in Societatem Jesu amore* 112 f
Morales (*Franciscus*) *ope S. Teresiæ sanatus* 749 d
Morvannus *episc. Venetensis* 1157
Moscoso (*Joannes Alphonsus de*) *episcopus Malacitanus* 402 b
Moya (*Christophorus Rodriguez de*) *accepit a S. Teresia litteras Societati Jesu perhonorificas* 475 a-e
Mucantius (*Joannes Paulus*) *secretarius S. Congregationis Rituum* 406 a
† Mummolinus *episc. Noviomensis subscribit privilegio Dervensi* 995 b, 997 b, 998 b, 1016 f
Mummolus *a S. Magnobodo sanatus* 943 d
Muratori (*Lud. Ant.*) *visiones S. Teresiæ imaginationi tribuens refutatur* 516 d e f, 517 *et seqq.*
Mutinus (*Franciscus*) *episcopus Brugnatensis* 412 f
† Mutius *Martyr inter Prætermissos* 3 c
Mutus (*Tiberius*) *S. R. E. Cardinalis* 355 c, 421 d

N

Nannenus *mentis compos fit, orante S. Magnobodo* 944 b c
Nant (*Joannes de*) *archiepisc. Viennensis interfuit conciliis*

conciliis Pisano anno 1409 *et Constantiensi anno* 1415 97 a
Navarra (*Ludovicus de*) *comes de Beaumont-le-Roger* 637 c
Navarrete y Valdivia (*Maria Teresia de*) *marchionissa de las Atalayuelas* 113 e f, 118 b
† Nazarius *Martyr inter Prætermissos* 3 a, *patronus ecclesiæ Laureshamensis* 1069 e
Nebus *seu* Hnabus *beneficus in Sangallenses* 899 f, 902 e
Nectarius *episc. Augustodunensis* 51 a b
† Nereus *Martyr inter Prætermissos* 4 e
† Nicasius *Rotomagensis, cephalophorus* 819 c d
Nicolaus V *Papa jubileum Romæ celebrat* 91 c
Nicolaus *Card. episc. Ostiensis* 1162 f
Nicolaus a Jesu Maria. *Vide* Doria (*Nicolaus*).
Niño de Guevara (*Alphonsa*) *comitissa de Añover, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 771 b
Niño Lasso de la Vega (*Rodericus*) *comes de Añover* 353 a b, 771 b
Nismes (*Raymundus de*) *episcopus Massiliensis* 20 d
† Nivardus *archiep. Remensis* 917 c d e, 987 c, 990 f, 991 a e f, 992 a b, 997 c d e, 1011 c-f, 1012 e, 1013 c-f, 1015 e f, 1017 c
Niulphus *abbas S. Albini Andegavis, a podagra ope S. Magnobodi liberatus* 945 f, 947 b
† Norbertus *Magdeburgensis archiepiscopus Reliquias Sanctorum aliquot Coloniæ accipit et Præmonstratum fert* 15 d
Norry (*Anna de*) *hera B. Philippæ* 86 f, 97 c
Norry (*Joan. de*) *archiepiscopus Viennensis sæc.* XV 83 a, 95 d, 97 e
Northof (*Levoldus de*) *Chronici Markani auctor* 16 c e
† Notkerus Balbulus *auctor Martyrologii* 857 d. *Vitam metricam S. Galli scripsit, opus nunc perditum* 861 c d
Notkerus Labeo *monachus Sangallensis carmina Leonina composuit* 21 d
Noyelles (*Maria de*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 771 e
† Nubilitana *Martyr inter Prætermissos* 794 e
Nuñez (*Velas*) *S. Teresiæ atavus maternus* 114 c
Nuñez (*Velas*) *S. Teresiæ in baptismo susceptor* 123 e

O

Obladem (*Henricus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a
Ocampo (*Maria de*) *Carm. Exc. S. Teresiæ consanguinea* 123 b, 573 e f, 591 c
† Oda *soror, ut fertur, S. Eliphii* 804 d
† Oda *Vidua inter Prætermissos* 795 b
Odalsinda *uxor Ebonis, benefica in Sangallenses* 857 a
† Odo *abbas Cluniacensis* 1021 f, 1023 d
Odo *seu* Hautho *abbas Stabulensis* 1019 d, 1020 f, 1021 a b
Odo *abbas Tornodorensis* 1096 a
Odoacer *Herulorum rex Romam capit* 21 c
† OElbertus *cephalophorus* 819 b
Ohoven (*Felix*) *abbas S. Martini Coloniæ* 810 a
Olazabal (*Joannes de*) *Ord. Præd. S. Teresiæ cultor* 757 a
Olea *S. J. presbyter* 275 b, 484 d
† Oliricus *cephalophorus* 819 b
Oliva (*Joannes*) *canonicus Burgensis, testis in informationibus de S. Teresia* 357 b
† Onesimus *vario tempore translatus* 1104 f, 1105 a f
Orcet (*Gilbertus Paulus Aragones d'*) *episc. Lingonensis approbat Reliquias S. Bercharii* 1009 d e f, 1010 a
Ordas (*Aloysia de*) *ope S. Teresiæ bis sanata* 749 f, 750 a
Ordoñez *S. J. presbyter* 242 a b
† Orientius *cultus præcipue in Occitania* 1159 e
Ormanetus (*Nicolaus*) *episcopus Patavinus et apostolicus in Hispania nuntius* 229 a, *favet Reformationi Teresianæ* 255 a b, *et passim in seqq.*, 284 e f.
Orozco de Covarruvias (*Joannes*) *episcopus Gaditanus* 252 c d, 357 d, 621 a, *scripsit de vera et falsa prophetia* 552 e, 735 c
Ortiz (*Didacus*) *S. Teresiæ fautor Toleti* 221 c-f, 224 a b c d
Ortiz de Salcedo (*Franciscus*) *notarius in processu Toletano beatificationis S. Teresiæ* 377 a
Osgeofu *regina Northumbriæ* 1077 d
† Ositha *cephalophora* 819 b
Osmond (*Eustachius d'*) *ultimus episc. Convenensis* 1157 a
Osuna (*Franciscus de*) *Ord. Min. scriptor Abecedarii spiritualis* 134 a b, 561 c
† Oswaldus *episcopus Wigorniensis, dein Eboracensis archiepiscopus, inter Prætermissos* 2 b, 3 d
Oswitha *sanctimonialis corripitur a S. Lullo* 1074 d
Otaduy y Avendaño (*Laurentius*) *episcopus Abulensis causæ beatificationis S. Teresiæ operam dat* 351 a b, 376 e f, 378 a b, *testis est in eadem causa* 356 a, 402 b, 741 a, *plurimi S. Teresiam facit* 736 a
Otgerus *episc. Convenensis* 1150 c f, 1151 c
Otgerus *Danorum dux monasterium S. Martini Majoris Coloniæ restaurat* 809 f
Othbraht *diaconus Ecclesiæ Moguntinæ* 1087 a
† Othmarus *abbas* 899 b f, 900 a, 901 a
Otto *dux Brunswicensis, competitor Imperii adversus Philippum Suevum* 28 b
Otto *idem videtur ac Otwinus* 884 a
Ottradus *canonicus Montisfalconis corpus S. Balderici servat* 924 d
Otwinus *cellam S. Galli diripit* 882 a d, 883 e f, 884 a, 896 c
Ovalle (*Gonzalvus de*) *a S. Teresia matertera ad vitam revocatus* 122 c d e, 578 a b c
Ovalle (*Joannes de*) *S. Teresiæ sororius* 122 c d, 188 f, 196 c d, 428 f, 576 d e, 578 a e, 579 f, *per Sanctæ Reliquias sanatus* 721 b
Ovalle (*Josephus de*) *S. Teresiæ ex sorore nepos, inter Sanctæ materteræ brachia mortuus* 578 c d
Oudinus (*Casimirus*) *castigatur* 1037 *et seqq.*
Ougamart (*Joanna*) *uxor Antonii Michel, enixa prolem mortuam, eamdem precibus B. Philippæ vivam recipit* 101 f
Oviedo *sacerdos ope S. Teresiæ sanatus* 720 f
Oviedo (*Alphonsus de*) *testis apertionis sepulcri S. Teresiæ* 424 b, 426 c
Oviedo (*Antonius de*) *testis apertionis sepulcri S. Teresiæ* 425 c

P

Pacheco (*Joannes Fernandez*) *marchio de Villena, S. Teresiæ cultor* 352 e
Pacheco de Espinosa (*Gabriel*) *per Reliquias S. Teresiæ sanatus* 372 a b c
Pacheco de Espinosa (*Ludovicus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 e
Pacheco de Mendoza (*Joanna*) *domina de Peñaranda, ope S. Teresiæ sanata* 720 f
Pacheco y Toledo (*Joannes de*) *comes de Montalvan* 224 c

Pachier (*Emmanuel*) *presbyter Massiliensis scripsit Vitam S. Cannati* 21 b
Padilla (*Casilda de*) *monialis primum Carmelitana, dein Franciscana* 251 d
Padilla (*Joannes de*) *presbyter, S. Teresiæ fautor* 282 d e f
Padilla (*Ludovica de*) *nobilis vidua, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 770 e
Padranos (*Joannes*) *primus e Societate Jesu S. Teresiæ confessarius* 152 f, 153, 154 a b f, 566 d e f, 567 a
Paf (*Joanna*) *fratrem suum B. Philippæ vovet, ejusque sanitatem obtinet* 98 f
Paf (*Joannes*) *textor, infirmus et cæcus ope B. Philippæ sanitati restituitur* 98 f
Palafox (*Joannes de*) *episcopus Oxomensis annotationes adjicit ad S. Teresiæ Epistolas* 112 c, 458 c, *crucem S. Teresiæ pie asservat* 437 a, *plurimum laudat hanc Sanctam ejusque scripta* 466 f, 467 a
Palladius *episc. Salpitanus* 70 f
Pallue (*familia* de la) *e qua ortus fertur S. Conoganus* 38 a d
Palma (*Didacus de San Pedro de*) *duarum monialium Teresianarum parens* 223 c
† Palmius *Martyr inter Prætermissos* 794 d e
Palominus (*Antonius*) 431 c
Pandolfus *comes Theanensis* 6 f
† Panthalemon *Martyrologio Coptico ad* XV *Octobris inscriptus, idem qui* Pantaleemon, *inter Prætermissos* 3 a
Pantoya (*Gonzalvus*) *prior Carthusiæ Hispalensis, S. Teresiæ fautor* 272 f, 273 a b, 298 a, 628 b, 629 b
Paredes (*Isabella de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 372 f
Parisis (*Petrus Lud.*) *episcopus Lingonensis usum Breviarii Romani reducit* 816 f. *Benevolum se nostris laboribus exhibet* 818 b. *Visitat Reliquias S. Bercharii* 1010 b c, 1030 f
Parra (*Sancius*) *ope S. Bertrandi liberatur* 1183 b c f, 1184 a
Paschalis I *Papa* 1035 e
Paschalis II *Papa confirmat reformationem canonicorum S. Stephani Tolosæ* 1153 a
Patot *presbyter Joinvillæ sanatur ope S. Boloniæ* 819 f
† Patritius *Hibernorum Apostolus monasticum institutum e Galliis in Hiberniam traducit* 864 c d
Pauchelli (*Raymundus*) *episc. Cadurcensis* 1046 a b
† Paulus *Martyr inter Prætermissos* 3 c
Paulus IV *Papa festum Cathedræ Romanæ S. Petri restituit* 163 e, 1046 d
Paulus V *Papa S. Teresiam Beatis adscribit* 352 c d e, *ejus Reliquias veneratur* 353 f, 354 a, 436 c d
Paz (*Rodericus de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 366 f
Pazos (*Antonius Mauritius de*) *episcopus Abulensis* 294 c, 299 f
Peinier. *Vide* Podio nigro.
Pelaez (*Alphonsus*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 357 a
Pellevé (*Nicolaus de*) *Card. archiep. Senonensis* 987 e
Pellicot (*Franciscus*) *gallice vertit partem Epistolarum S. Teresiæ* 325 b, 458 d
Peña (*Joannes de la*) *S. J. duas imagines ex designatione S. Teresiæ pingit* 570 f
Peñuela (*Gabriel de la*) *Carmelita* 243 b c d e, 261 d e
† Peregrinus *cum patre Gulielmo inter Prætermissos* 2 d
Peretti (*Andreas*) *S. R. E. Cardinalis* 408 f
Perez (*Antonia*) *testis in informationibus de S. Teresia* 371 e
Perez (*Franciscus*) *presbyter, per Reliquias S. Teresiæ sanatus* 371 a-f
Perez de la Serna (*Joannes*) *archiepiscopus Mexicanus* 353 e, 757 a b
Perez de Nueros (*Bartholomæus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ et testis in informationibus ad ejus beatificationem* 241 b, 351 c, 356 d, 732 a b c
Perez Godoi (*Franciscus*) *Martyr e Societate Jesu, consanguineus S. Teresiæ* 229 e f, 230 c
Peronon, *voto facto B. Philippæ, filiæ suæ mortuæ vitam impetrat* 101 e
Perottus (*Antonius*) *Carmelita scripsit Vitam S. Teresiæ* 171 c
Perrenot de Granvelle (*Antonius*) *S. R. E. Cardinalis* 720 b
Peso y Enao (*Catharina del*) *prior uxor patris S. Teresiæ* 114 b c
Petit *alias* Senot (*Remigius*) *S. Eliphii intercessione suam filiolæque suæ sanitatem impetrat* 805 c
Petra-sancta (*Silvester*) *Vitam S. Cannati ad Bollandum misit* 21 a
† Petrus de Alcantara *S. Teresiæ amicus et adjutor spiritum ejus approbat* 166 f, 167 a b, 174 b-f, 183 b, 185 a b, 193 b c, 196 b c, 199 f, 200 a, 379 f, 380 a, 452 b, 572 c d, 574 e, 580 b-f, 581 a d, 665 b d e, 667, 668 a b, 672 b c, 694 f, 710 b c, 733 f, 734 a, 739 a. *Mortis ejus tempus S. Teresia præscivit* 402 f, 403 a, 662 e. *Ipse eidem Sanctæ pluries a morte apparet* 199 f, 200 a b, 403 a, 587 d, 695 a
Petrus *Gabiensis episcopus* 72 a
Petrus *episc. Lectorensis* 1157 e
Petrus III *episc. Magalonensis* 1162 f
Petrus *abbas inter Prætermissos* 4 b
Petrus Monoculus *abbas Clara* VIII *vallensis* 795 f
Petrus *comes Autisiodorensis et Tornodorensis* 855 e
Petrus *comes Bigorritanus* 1143 c
Petrus ab Angelis *Carm. Exc., dein Calc.* 301 c-f
Peuthy (*baro de*) *Carmelitissas Excalceatas Bruxellis profugas in Galliam comitatus* 774 e
Phelipeaux d'Herbault (*Maria*) *nobilis vidua, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 769 c
Philippicus *imperator CP.* 56 b
Philippina *Chalonia, principissa Arausiensis, inter Prætermissos* 792 e
† Philippus Nerius *solemniter canonizatus* 414 *et seqq.*
Philippus *episc. Trecensis* 1157 e
Philippus Sueviæ *rex Romanorum Argentinæ civitati infestus* 28 a b
Philippus Augustus *rex Franciæ falso scribitur civitati Argentinæ infestus* 28 c
Philippus III *rex Navarræ* 637 c
Philippus II *Hispaniæ rex S. Teresiam plurimi facit* 209 b, 221 c, 736 c, 740 f, *plures ab ea litteras accipit* 242 c d, 264 b c, 286 e f, 287 a b, 289 b c d, 740 b c d. *Reformationi ejus favet* 269 a, 285 e f, 299 e f, *et pluries in seqq.*, 631 c d e, 740 c d, *de causa beatificationis ejus sollicitus est* 349 a b, 737 a, *libros ejus autographos in bibliotheca Escurialensi asservari jubet* 442 d e f, *eamdem mortuam multum veneratur* 763 e
Philippus III *Hispaniæ rex beatificationem S. Teresiæ a Paulo V expetit* 351 d, 407 f, 737 a, *plurimum eam veneratur* 740 f, *patrocinium Hispaniæ eidem Sanctæ asserere nititur* 765 c d
Philippus IV *Hispaniæ rex, S. Teresiæ cultor* 763 e, *ejusdem electionem in Hispaniæ patronam promovet* 765 e f

Philonardus (*Ennius*) *S. R. E. Cardinalis* 195 f
Philonardus (*Paulus Æmilius*) *archiepiscopus Amalphitanus* 411 b
Philonardus (*Philippus*) *S. R. E. Cardinalis* 409 d
† Piatus *cephalophorus* 819 c d
Pignatelli (*Stephanus*) *S. R. E. Cardinalis* 410 d
Pimentel (*Antonius*) *cantor Hispalensis* 349 f
Pimentel (*Maria*) *comitissa de Monterey, S. Teresiæ fautrix* 233 e, 611 a b
Pimentel de Fonseca (*Maria*) *comitissa de Olivares, in puerili ætate e gravi morbo intercessione S. Teresiæ sanata* 237 a
Piney (*Godo*) *testis præservati ope B. Philippæ infantis exsecti e matris mortuæ utero* 104 d
† Pippinus Landensis *moritur* 56 d
Pippinus Heristallius *Alemanniam vastat* 897 a, 898 e
Pirhtilo *vir præcelsus, testis miraculi* 897 e, 899 c
† Pius V *Papa S. Teresiæ apparet* 239 d
Pius IV *Papa approbat Reformationem S. Teresiæ* 202 f, 203, 586 e, 587 e
Pius VI *Papa dividit diœcesim Tullensem in tres episcopatus* 806 e
Pius (*Carolus Emmanuel*) *S. R. E. Cardinalis* 421 e
† Placidia *Virgo inter Prætermissos* 3 b
Plaisant (*Petrus*) *testis miraculi B. Philippæ* 104 f 105 a
Planchy (*Stephani*) *filia mortua ope B. Philippæ reviviscit* 100 b
Plateanus (*Christophorus*) *inter Prætermissos* 4 d
Poblete (*Hieronyma de*) *ope S. Teresiæ sanata* 749 a
Podio nigro (*Pontius de*) *vicecomes Massiliensis* 20 c
Polanco (*Didacus de*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 357 d
Polo *doctor medicus universitatis Vallisoletanæ, testis in informationibus de S. Teresia* 371 d e
Polo (*Joannes Baptista*) *testis in informationibus de S. Teresia* 370 f
Ponce (*Balthasar*) *Carm. Calc. ope S. Teresiæ sanatus* 749 e
Ponce de Leon (*Blasius*) *Ord. S. Aug. testis in informationibus de S. Teresia* 356 b
Porcel (*Joannes Ferdinandus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 e
Porcelet de Maillan (*Joannes*) *episc. Tullensis interdicit Sant-Eliphiensibus sacra ob injuriam sibi illatam* 805 e
Porras (*Ludovica de*) *ope S. Teresiæ sanata* 749 c d
Portocarrero (*Garcias*) *vicarius generalis Burgensis* 377 e
Portocarrero (*Ludovicus Emmanuel*) *Cardinalis, archiepiscopus Toletanus* 764 a
Possevinus (*Antonius*) *S. J. approbat scripta S. Teresiæ* 737 d, 741 b c
† Possidius *ep. testatur S. Augustinum tractatum habuisse de S. Agileo* 7 c
Possinus (*Petrus*) *S. J. scripsit de P. Ignatio de Azevedo et sociis Martyribus* 229 d, 230 a-e
Poullein de Lumena *scriptor Historiæ ecclesiasticæ Lugdunensis* 18 e
Pra (*Joannes du*) *testis infantis ope B. Philippæ resuscitati* 99 f
† Præjectus *episc. Arvernensis* 1001 a
Prezzoldus *interabbas Fuldensis* 1064 a
† Principinus *cephalophorus* 819 d
† Priscus *Martyr, colitur* XXVI *Maji* 792 b
† Procopius *dux et Martyr,* VIII *Julii* 50 b
Procula *sanctimonialis sanatur a S. Magnobodo* 945 b c
† Proculus *cephalophorus* 819 d
Prosper a S. Spiritu *Carm. Exc. montem Carmelum adit* 769 c d
† Protasius *Martyr inter Prætermissos* 3 a
Provana (*Henricus de*) *Carm. Exc. episcopus Niciensis* 786 d
Ptolomæus *persecutor, ut fertur, S. Boloniæ* 818 c, 820 f
Puget (*Stephanus de*) *Massiliensis episcopus* 19 b c, 20 a
Pugnet (*Bartholomæus et Aloysia*) *conjuges, testes sanationis Antonii Vidalon* 99 b
Puis (*Arnoldus du*) *magnus prior Alverniæ Ordinis S. Joannis Hierosolymitani ope B. Philippæ sanatur* 102 e
Puis (*Joannes du*) *testis miraculi filii sui precibus B. Philippæ redivivi* 105 c
Pulgar (*Franciscus del*). *Vide* Franciscus a S. Maria.
Puteo (*Hieronymus de*) *episcopus Marianensis* 413 c
Puyal (*Marianus*) *S. J. obsequiosus nostri operis adjutor* 432 c d, *inspexit MS. exemplar libri S. Teresiæ de Via perfectionis, Madriti asservatum* 443 d e f

Q

Quadratus (*Petrus*) *mercator in Societatem Jesu ex prædictione S. Ignatii munificus* 210 d
Quaranta (*Horatius*) *consultor S. C. Indicis italice vertit priorem partem Epistolarum S. Teresiæ* 447 b
Quarat (*Jacquemundus*) *ope B. Philippæ carcere liberatur* 99 d
Quesada (*Agnes*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Quesada (*Teresia*) *Carm. Calc.* 237 b c, 596 e, 616 e, 617 a
Quevedo y Villegas (*Franciscus de*) *scripsit pro S. Jacobi patronatu Hispano adversus patronatum S. Teresiæ* 765 c
Quinet (*Edgarus*) *malus S. Teresiæ laudator* 556 a-e
† Quinidius *Vasionensis episcopus synodo Parisiensi quartæ subscripsit* 24 e
Quiñones (*Alphonsus de*) *S. Teresiæ humilitatem expertus* 687 a
Quiñones (*Antonius de*) *comes de Luna, testis in informationibus de S. Teresia* 357 c
Quintanaduenas. *Vide* Bretigny.
Quirini (*Sebastianus*) *archiepiscopus Naxiensis* 411 d
† Quirinus *ut Confessor Zagabriæ a Ferrario annotatus, idem est ac Quirinus episcopus et Martyr Scissiæ* 2 e
Quiroga (*Alviatus de*) *canonicus Toletanus* 377 b
Quiroga (*Gaspar de*) *archiepiscopus Toletanus et S. R. E. Cardinalis* 283 e f, 287 c, 293 c d, 309 f, 321 f, 322 a, 345 e, 451 f
Quiroga (*Helena de*) *nobilis vidua Ordinem Carm. Exc. ingressa* 212 f, 242 b, 321 f, 322 a, 599 c d
† Quiteria *cephalophora* 819 d
† Quodvultdeus *ep. Carth. sede sua pellitur a Genserico* 8 c, *cariosæ navi impositus in Campaniam appellit* 36 b

R

† Rabanus *archiep. Moguntinus* 1050 c, 1051 b, 1068 e
Racoli (*Bartholomæus de*) *Massiliensis episcopus* 21 a
Raderus *scriptor Bavariæ Sanctæ* 29 e f, 30 a
Radulfus *archiep. Turonensis* 1157 e
Radulfus *episc. Atrebatensis* 1105 f
Radulfus *abbas S. Michaelis in Normannia* 1128 b

Ragafredus *seu* Ragunfredus *major domus* 1019 b, 1020 f

Raganarius *juxta quosdam S. Juniani pater, occisus a Clodovæo cognato suo* 842 c d

† Raimundus *abbas Fiteriensis Ord. Cisterciensis, fundator militiæ Calatravæ, nascitur in oppido S. Gaudentii* 1180 d

Ramirez (*Franciscus*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 366 a

Ramirez (*Martinus*) *in S. Teresiæ Reformationem munificus* 219 e f, 604 a

Ramirez de Mendoza (*Beatrix*) *comitissa Castellarensis* 208 b

Ramnulphus *canonicus condit templum S. Juniani* 839 f, 840 a e, 848 a

Ranulfus *abbas S. Michaelis in Normannia* 1128 b

Raspinus (*Ægidius*) *medicus testatur miraculum ope S. Teresiæ factum* 433 b

Rasura (*Nunnius*) *Castellæ judex, e majoribus marchionum de Velada* 115 c

Ratpertus *monachus Sangallensis sæculo nono scripsit versus Leoninos* 21 d, *cantilena teutonica Vitam S. Galli cecinit* 861 d

Ravasa (*Joannes Hieronymus*) *interpres apud S. R. C.* 377 f

Raymundus *diac. card. S. Mariæ Novæ* 1162 f

Raymundus *archiep. Ausciensis* 1157 e

Raynaudus (*Theophilus*) *S. J. laudat moniales Teresianas* 772 c d

Recamier (*Claudius filius Gouveti*) *ope B. Philippæ uxori reconciliatur et prolem mortuam vitæ restitutam videt* 102 b

Redgerus *perperam dicitur episcopus Moguntinus post S. Bonifacium* 1058 c

Regis (*Vitalis filius Petri*), *voto facto B. Philippæ, a phrenesi liberatur* 102 e f

† Regula *cephalophora* 819 d

† Regulus *cephalophorus* 819 d

† Regulus *Confessor inter Prætermissos* 4 f, 5 a

Reinerus Magnus *fundator abbatiæ Ninoviensis, inter Prætermissos* 793 f

† Remaclus *episc. Trajectensis* 1005 a, 1019 d, 1021 c

Remaclus *procurator regii scrinii, diversus ab homonymo suo Trajectensi episcopo* 992 e f, 993 a, 1011 f, 1012 f

† Remigii *festum in Germania celebratum* 895 b

Rengifo (*Petrus*) *archipresbyter Petrahitæ* 349 a

† Reolus *comes, post episcopus Remensis* 994 a, 1015 e

Requesens (*Ludovicus de*) *Philippi II regis Hispaniæ in curia Romana orator* 310 c

Reynoso (*Hieronymus*) *Palentinæ ecclesiæ canonicus, S. Teresiæ fautor* 313 e f, 483 c, 635 a b d

Ribera (*Beatrix de*) *Carm. Exc. fundatrix monasterii Lermensis* 770 e

Ribera (*Franciscus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ ac primus ejus biographus* 109 f, 110, 731 a b, 736 d, *testis in informationibus ad ejus beatificationem* 357 f, 380 c. *Quare et quomodo Vitam ejus scripserit* 539, 540, 541 a b c d, 555 b c d, 710 e f, 711 a b, 725 b c d. *Aliquoties ex itinere eam amice visitat* 630 d, 636 d e, *illius exuvias visit et pie veneratur* 713 c d e f, 714 c d e f, 715 a, *per illius Reliquias et intercessionem plura ipse beneficia consequitur* 719 e f, 723 a, 724 f

Ricci (*Franciscus*) *pictor* 431 f

† Richardus *episc. Andriensis* 70 f, 71 a c d, 72 d e

Richardus *dux Burgundiæ* 1007 c, 1020 b

Richolfus *archiep. Moguntinus* 1068 e, 1078 f

Richwinus *cœnobita Hemmerodensis, inter Prætermissos* 4 c

Ridoltus. *Vide* Rudolfus II.

Rieux (*Renatus de*) *episcopus S. Pauli Leonensis* 788 a

Rihpertus *monachus Sangallensis non videtur auctor Vitæ metricæ S. Galli* 861 a b c

Ripalda (*Hieronymus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ eam ad Fundationes suas scribendas inducit* 244 f, 453 e f, 663 f, 665 d, *testis est in causa beatificationis ejus* 401 d, 732 c d

Rivarola (*Dominicus*) *S. R. E. Cardinalis* 409 d

Roberto (*Mencia*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f

† Robertus *abbas Casæ-Dei in Arvernia* 1123 b

Robertus *rex Franciæ* 1008 b

Robertus *comes Ebulitanus* 1189 b

Robertus de Tumbalenia *socius S. Anastasii* 1128 e f, 1129 a-c

Roca (*Joannes*). *Vide* Joannes a Jesu.

Rocaberti (*Stephana de*) *Carm. Exc. ex comitibus de Peralada* 771 a

Rochefoucauld (*Maria Silvia de la*) *comitissa de Rochechouard-Chandenier, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 769 c

Rodriguez (*Maria*) *testis in informationibus de S. Teresia* 370 a b c

Rodriguez (*Melchior*) *Ord. B. V. M. de Mercede, testis in informationibus de S. Teresia* 357 c

Rodriguez de Arellanos (*Joseph*) *archiepiscopus Burgensis, infensissimus Societatis Jesu hostis* 471 e f. *Refutantur ejus in hanc Societatem calumniæ* 488 *et seqq.*

Rodriguez de Sandoval (*Sancius*) *duarum monialium Teresianarum parens* 621 c

Rodriguez de San-Jorge (*uxor Petri*) *opem S. Teresiæ in partu experta* 722 d

† Roduicus *seu* Rodingus, *seu* Chraudingus, *fundator Bellilocensis* 925 b, 926 c

Rodulfus *nepos Adalberonis episcopi Virdun.* 919 e

Rogerius *Cannensis episcopus* 72 c

Rogerius II *comes Fuxensis* 1139 f

Rojas y Sandoval (*Bernardus de*) *archiepiscopus Toletanus et S. R. E. Cardinalis causæ beatificationis S. Teresiæ operam dat* 351 b, 376 f, 377

Rojas y Sandoval (*Christophorus de*) *Hispalensis archiepiscopus* 248 a, 257 e f, 258 a-e, 626 c-f, 735 d

Roma (*Julius*) *S. R. E. Cardinalis* 421 d

Romero (*Antonius*) *Ord. S. Bened. testis in informationibus de S. Teresia* 355 e

Romnaldus II *archiep. Salernitanus* 1186 c f

Romulfus *episc. Remensis, beneficus in monasterium S. Petri superius* 911 e. *Testamentum condit* 917 e

Romulus *archidiaconus, ope S. Magnobodi sanatus* 946 a

Ronquillo (*Catharina de*) *ope S. Teresiæ sanata* 749 f

Rosell (*Adam*) *abbas S. Martini Coloniæ* 810 a. *Renovat an.* 1789 *ecclesiam suam* 811 b c d

Rosne (*Ludovicus de*) *canonicus Falcomontanus declarat nesciri locum in quo corpus S. Balderici delitescit* 921 c d

Rospigliosi (*Julius*) *nuntius apostolicus in Hispania, dein S. R. E. Cardinalis, ac demum Clemens PP. IX* 434 d

Rossi. *Vide* Rubeus.

Rotgerus *biographus coævus S. Brunonis Coloniensis* 807 e

Rubalcaba (*Petrus de*) *præbendarius ecclesiæ Salmantinæ* 428 c

Rubeus (*Joannes Baptista*) *Generalis Carmelitarum* 207 *et seqq.*, 259 *et seqq.*, 297 b, 594

† Rudesindus *episc. in Galecia beatificatus fuit a Cardinali legato* 1161 d e f
† Rudolfus *Camaldulensis* 848 a
Rudolfus II *seu* Ridoltus *episc. Constantiensis in Alemannia* 1057 f
Rudolfus *dux Burgundiæ, post rex Franciæ* 1007 a-e, 1020 b-d
Ruffi (*Antonius de*) *scriptor Historiæ Massiliensis* 19 b e
Ruiz Caballero (*Ludovicus*) *Carm. Calc. confessarius S. Teresiæ et testis in causa beatificationis ejus* 356 f, 683 f
Ruodhardus *comes infestus Sangallensibus* 901 a, 903 c
Rupertus *abbas Tuitiensis scriptor Passionis S. Eliphii* 800 d e, 801 b c
† Ruricius I *episcop. Lemovicensis* 836 b, 838 f, 839 d, 843 e, 847 c d, 849 f, 850 e
† Ruricius II *episcop. Lemovicensis, erga S. Junianum devotus* 842 e, 843 b-f, 849 d e f, 851 b d
† Rusticus *socius S. Dionysii Martyris, colitur* IX *Octobris* 792 e
Rusticus *episc. Cadurcensis* 937 c

S

Sabatati *hæreticorum genus* 1188 f, 1189 a
Sabaudia (*Mauritius de*) *S. R. E. Cardinalis* 421 e
† Sabinianus *cephalophorus* 819 d
Sabinianus *male videtur associatus Martyrio S. Bassiani* 796 c
Sabinianus *Massiliensis secundum quosdam episcopus* 23 b
† Sabinus *episc. Canusinus* 72 b c
Sacchetti (*Julius*) *nuntius apostolicus in Hispania* 434 c
Sacratus (*Franciscus*) *archiepiscopus Damascenus* 352 b, 355 b, 375 d, 405 f, *S. R. E. Cardinalis* 410 c
Saez y Burnaga (*Joannes*) *archiepiscopus Cæsaraugustanus* 432 e f
Salaya (*Maria de*) *ope S. Teresiæ sanata* 722 c
Salazar (*Angelus de*) *Carm. Calc. confessarius S. Teresiæ et testis in causa beatificationis ejus* 183 d, 201 d, 207 d, 217 b, 247 c d, 267 c d, 301 a b, 302 d e f, 306 a, 357 d, 574 d, 579 a, 589 c, 623 f, 632 e f
Salazar (*Gaspar de*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 186 f, 187 a b c, 291 c-f, 292, 403 f, 575 f, 576 a b c, 665 d, 732 f, 738 e f
Salazar (*Petrus de*) *generalis Ord. B. V. M. de Mercede, dein S. R. E. Cardinalis* 433 e, 764 a
Salcedo (*Franciscus de*) *S. Teresiæ amicus* 150, 566 a b c d, 739 d
Salcedo *S. J. S. Teresiæ laudator* 739 c
Saligny (*Renaldus de*) *episc. Autisiodorensis* 78 e
Salinas (*Joannes de*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 666 c, 729 f
Salinas (*Martinus de*) *Palentinæ ecclesiæ canonicus, S. Teresiæ fautor* 314 c, 635 b
Sallet (*Simon*) *thesaurarius generalis Lotharingiæ dono dat novum feretrum pro Reliquiis S. Eliphii* 805 f
Sallustius *præfectus Galliarum S. Eliphium non videtur occidisse* 803 e f
Salvianus *inter Massilienses episcopos a quibusdam recensitus* 23 b
† Salvius *Martyr inter Prætermissos* 2 c
† Salvius *episc. Albigensis diversus est a S. Salvio Autisiodorensi* 854 e f, 855 a
† Samson *Dolensis episcopus; corpus ejus olim Trenorchii* 1095 f
Samson *abbas S. Petri Senonensis* 1007 e
Sanchez (*Bartholomæus*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 356 b
Sanchez (*Emmanuel*) *chirurgus cor S. Teresiæ inspexit* 430 a b
Sanchez (*Teresia*) *S. Teresiæ proavia paterna* 114 a, 115 c
Sanchez Cuello (*Isabella et Maria*) *testes in informationibus de S. Teresia* 367 b c
Sanchez de Cepeda. *Vide* Cepeda.
Sanchez de Toledo (*Alphonsus*) *S. Teresiæ proavus paternus* 114 a, 115 c
Sanchez de Toledo (*Joannes*) *S. Teresiæ avus paternus* 114 a b, 115 f
Sanchez Zurraquines (*Petrus*) *Abulensis episcopus* 115 b
Sanchez Zurraquines (*Sancius*) *nobilis Cantaber* 115 b
Sande (*Joannes van den*) *scriptor Batavus citatus* 754 e f
Sangelasius (*Urbanus*) *episc. Convenensis* 1164 b
Sansedonius (*Julius*) *episcopus Grossetanus* 411 f
Santacruz (*de*) *doctor Vallisoletanus, testis in informationibus de S. Teresia* 371 e
Santander (*Ludovicus*) *S. J. confessarius S. Teresiæ* 253 a, 665 a, 732 f
Sanvitalis (*Galeatius*) *archiepiscopus Barensis* 410 f
Saraceni *Carthaginem in Africa sæculo* VII *delent* 8 f
† Sarbelius *Martyr inter Prætermissos* 2 b
Saregus (*Ludovisius*) *episcopus Adriensis* 412 f
† Satirus *Confessor inter Prætermissos* 3 d
† Saturnina *cephalophora* 819 d
† Saturninus *Mart. episc. Tolosanus* 947 e
† Saturninus *Martyr inter Prætermissos* 4 e
Savalus *abbas Genuliacensis* 836 e
† Savina *inter Prætermissos* 3 c
Saulius (*Antonius*) *S. R. E. Cardinalis* 421 b
Savojar (*uxor Antonii*), *voto B. Philippæ facto, periculose laborans liberatur* 102 a
Saxones *Christianis infesti* 1067 d
Sayes de Torres (*Petrus de*) *canon. reg. ope S. Teresiæ sanatus* 351 c
Scaramelli (*Joannes Baptista*) *S. J. auctor Directorii mystici* 166 a
Scaron (*Joannes*) *cursor in processu Toletano beatificationis S. Teresiæ* 377 a
Schmitz (*Sebastianus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a
Schoepflinus *historiographus Alsatiæ* 27 b
Scoti *consueti peregrinare* 908 c
† Sebastianus *Martyr; ejus translatio Suessionem inter Prætermissos* 2 a
Sebastianus *rex Lusitaniæ in expeditione Africana perit* 662 a b
Seco (*Michael*) *Ord. B. V. M. de Mercede* 318 d
† Secundus *Abulensium in Hispania Apostolus* 117 d
Sega (*Philippus*) *episcopus Ripæ Transonis, dein Placentinus et S. R. E. Cardinalis* 284 f, 285, 286 a
Séguier (*Ludovica*) *Carm. Exc., mater Petri Card. de Bérulle* 769 b
Seguiet (*uxor Joannis*) *in partu periculose laborans ope B. Philippæ liberatur* 102 a
Segura (*Antonius de*) *Ord. Min. forsan confessarius S. Teresiæ* 118 a, 739 d
Selenderus (*Wolfgangus*) *scripsit lucubrationem de Aurelia Ratisponensi* 30 a
Senocus *episc. Elosanensis* 937 b
† Serenedus *Martyr* 855 b

† Serenicus *Martyr* 855 b
† Serenus *Massiliensis episcopus, quod imagines Sanctorum ex immodico zelo fregerat, a S. Gregorio Magno reprehensus* 22 f, 23 a
Sergius *dux inter Prætermissos* 794 f
† Severianus *cephalophorus* 819 d
† Severinus *cephalophorus* 819 d
† Severinus *archiep. Colon.* 34 e
Severinus *Papa* 959 b
† Severus *patriarcha Antiochenus* 1108 b-e
Sevin (*Maria*) *domina du Coudray, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 769 b
Sfortia (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 310 c
Sfortia (*Franciscus*) *S. R. E. Cardinalis* 408 d
Siagrius *Suessionum præfectus, a Gregorio Turonensi rex Romanorum dictus* 21 e
Sicherus I *fundator monasterii Aquiscinctini* 1103 a
Sicherus II *transfert corpus S. Gurdanii Duacum* 1103
Sigibertus I *rex Austrasiæ jam obierat, quando S. Columbanus in Galliam appulit* 866 b-f, 867 a-d, 885 b, 886 f. *Pater est SS. Balderici et Bovæ* 912 c d e f, 913 a b c d
Sigibertus *filius Theodorici desponsavit sibi Fridiburgam Gunzoni filiam* 877 d e f, 878 a-e
Sigibertus *rex Anglorum Orientalium non fuit sponsus Fridiburgæ* 877 d
Sigibertus *filius Dagoberti I non fuit sponsus Fridiburgæ* 877 c
Sigibertus *Gemblacensis non est auctor Vitæ S. Lulli* 1051 f, 1052 a
Siginus *episc. Bituricensis* 1032 c
Sigismundus *rex Poloniæ beatificationem S. Teresiæ a Paulo V expetit* 351 d
Sigismundus *comes Gleichensis* 1069 b
† Silanus *cephalophorus* 819 d
† Silvanus *Martyr inter Prætermissos* 4 e
† Silvanus *Confessor Leprosii in agro Bituricensi* 824 e
† Simon *Apostolus, patronus Hersfeldensis* 1089 c
† Simon Stok *Carmelitarum Generalis primus qui in Occidente sedem stabilem habuit* 107 f
† Simon *comes Crispejensis, reclusus* 1131 a, 1139 e
Sixtus V *Papa confusionem inter cardinalitios titulos et diaconias tollit* 195 f, *decernit ut corpus S. Teresiæ Albæ remaneat* 346 a, 714 a, *concedit ut Carmelitæ Excalceati vicarium generalem sibi eligant* 632 a, 768 d
Sobrino (*Franciscus*) *canonicus Vallisoletanus, consultor Sacri Officii* 348 f, 377 c, *episcopus Vallisoletanus* 454 c
Solessart (*Gulielmus*) *cæcus, invocata B. Philippa, visum recipit* 105 f, 106 a
Solier (*Raymundus ae*) *episcopus Massiliensis* 20 a b c f
Solis (*Anna de*) *virgo nobilis, Ordinem Carm. Exc. ingressa* 611 c-f
Solis (*Franciscus de*) *S. R. E. Cardinalis, archiepiscopus Hispalensis* 427 d, 428 a
Solis (*Joannes de*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 366 f
Solis (*Suerus Alphonsus de*) *vir nobilis* 611 c
Solis Davila (*Joannes de*) *vir illustris* 611 b
Sonnatius *episc. Remensis* 911 e, 917 e. *Celebrat Remis concilium* 937 b c
† Sophias *seu* Cadocus *Scotus, episc. Benevent.* 36 e
Sora (*Gabriel*) *canonicus Cæsaraugustanus, consultor Sacri Officii* 348 f
Soria (*Didacus de*) *episcopus Philippinarum insularum* 737 c
Soria (*Joannes*) *pirata Calvinianus* 229 d
† Sorus *Confessor Genuliaci* 836 e f, 837 a-d
Soto (*Andreas de*) *Ord. Min. confessarius Isabellæ Belgii principissæ* 435 e
Soto (*Franciscus*) *e Congr. Orat. Rom. aliquot S. Teresiæ opera italice vertit* 446 f
Soto y Salazar (*Franciscus de*) *episcopus Salmanticensis* 214 d, 672 f
Specianus (*Cæsar*) *episcopus Novariensis, nuntius apostolicus in Hispania* 586 e, 713 f
† Speciosa *Virgo inter Prætermissos* 3 f
Spinola (*Joannes Baptista*) *archiep. Genuensis* 759 a
Spinola (*Joannes Vincentius*) *episcopus Tagastensis* 413 b
Spix (*Franciscus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a, *consecrat altare in honorem S. Eliphii* 811 c
Stephanus II *Papa, antea diaconus, ut videtur, S. Angeli in foro Piscario* 195 d, *versatus in Gallia* 1035 b c
Stephanus III *Papa* 1072 e f
Stephanus *presbyter, concepto voto B. Philippæ, videt vicum S. Genesii ab incendio liberum* 94 b
† Sturmius *abbas Fuldensis* 63 c f, 1050 c f, 1051 c, 1063 a f, 1064, 1072 f, 1087 f, 1088 c, *circa sepulturam S. Bonifacii sollicitus* 1062 c
Suarez (*Augustinus*) *Carmelita Calceatus* 247 c, 264 d, 265 b
Suarez (*Franciscus*) *S. J. S. Teresiæ spiritum approbat* 402 c, 739 d
Suarez (*Joanna*) *Carm. Calc. S. Teresiæ amica* 560 b, 561 f, 678 e, 700 b
Suarez (*Joannes*) *S. J. amicus S. Teresiæ* 241 a b, 242 b, 291 c-f, 292
Suarez de Toledo (*Gabriel*) *canonicus Toletanus* 349 f, 377 b
Sublet de la Guichonnière *rationum magister in curia Parisiensi, dein Carthusianus* 768 f
† Succus *Martyr inter Prætermissos* 4 d
Sully (*Bernardus de*) *episc. Autisiodorensis* 77 f, 78 b d
Sulmus *dat S. Petro Lezatensi ecclesias SS. Beati et Vincentii* 1158 e
† Sulpitius Pius *episc. Bituricensis* 937 c d
Suppo *abbas S. Michaelis in periculo maris, videtur fuisse simoniacus* 1126 e f, 1127 a-e
† Susanna *soror, ut fertur, S. Eliphii* 804 d, 812 e, 815 e
† Susis *idem videtur qui Sosius diac. ecclesiæ Misenatis; colitur* XIX *Septembris* 792 c d
Syberti (*Melchior*) *abbas S. Martini Coloniæ* 810 a
† Symphorianus *Martyr Augustoduni* 50 c, 53 b, 54 f. *Ejus Passio substernitur Actis S. Silvani* 823 f, 824 a b
Synaulius *abbas Dervensis* 1004 c

T

Tablares (*Petrus de*) *archidiaconus Abulensis, testis in informationibus de S. Teresia* 348 f 355 c
Talto *Dagoberti regis camerarius, beneficus in Sangallenses* 880 c, 902 b d
Tamayo (*Antonius de*) *ope S. Teresiæ sanatus* 749 b
Tamayus *S. Aureliam Hispaniæ tribuens refutatur* 27 e, *errat item circa SS. Saturninum et socios Afros* 798 a b
Tansas (*Claudius*) *pater prolis ope B. Philippæ resuscitatæ* 104 e
Tapia (*Agnes de*) *Carm. Exc. S. Teresiæ cognata* 114 f, 595 c
Tapia (*Anna de*) *Carm. Exc. S. Teresiæ cognata* 114 f, 595 f

Tapia (*Barbara de*) *S. Teresiæ consanguinea filiam suam ope ejusdem Sanctæ sanari videt* 749 b c
Tapia (*Didacus de*) *dicitur S. Teresiæ per uxorem affinis* 114 d e f
Tapia (*Hieronyma de*) *S. Teresiæ patruelis* 115 a, 118 a
Tapia (*Joanna de*) *S. Teresiæ avia materna a nonnullis dicitur* 114 d e
Tapia (*Joannes de*) *ope S. Teresiæ sanatus* 722 f
Tapia (*Maria de*) *S. Teresiæ cognata* 252 c d
Tapia Osorio (*Joseph de*) *penes se habuit scripta quædam S. Teresiæ* 452 b, 710 b
Tardyt (*Matthæus*) *canonicus Viennensis expensis suis fundat solemnem commemorationem B. Philippæ* 92 d
† Tarasia. *Vide* † Teresia.
Tarsis (*Philippus de*) *Ord. Cist. abbas S. Bernardi Compluti* 377 c
Tello Giron (*Gomez*) *archiepiscopatus Toletani administrator* 389 f, 604 d
† Teresia *Lusitana, vulgo Sancta Regina dicta* 123 f, 560 f
† Teresia *seu* Tarasia *Alphonsi V regis Legionensis soror* 123 f, 557 a, 560 f
Teresia a Jesu *Carm. Exc. S. Teresiæ ex fratre neptis* 121 b c d, 329 d, 338 e, 356 a, 357 f, 628 f
Teresia a S. Augustino *Carm. Exc. Ludovici XV Galliæ regis filia* 436 a b, 438 a b, 771 d, 773 b c f
† Thaddæus *Apostolus, patronus Ilersfeldensis* 1089 c
Theobaldus *Cannensis episc.* 74 a
Theodatus *Pater diaconiæ S. Angeli sæculo octavo* 195 d
Theodebertus *Childeberti filius, rex Austrasiæ* 885 c, 887 c
Theodoricus *abbas Gemmeticensis* 1127 b
Theodoricus *Childeberti filius, rex Burgundionum* 885 d, 887 b
Theodoricus *rex Gothorum in Italia non dominabatur Alemannis* 870 c f
Theodoricus III *rex Neustriæ* 56, 57, 1001 b
Theodoricus *comes Cliviensis* 15 f, 16 a d
Theodoricus *dominus de Valkenburg* 16 c d
† Theodorus *Cantuariensis, S. Theodati coætaneus* 55 e, 57 a
Theodorus *episc.* XIII *Catanensis* 67 c
Theodorus *Massiliensis episcopus* 23 b
Theodorus *clericus et socius S. Galli* 874 f, 875 a. *Non erat Scotus* 891 c
† Theodosia *Virgo et Martyr in Gallias translata* 1000 a b c
Theodosius *dux Bragantinus* 303 e
Theodulfus *episc. abbas Lobiensis* 1073 c
† Theonestus *cephalophorus* 819 d
Theophilus *patriarcha Alexandrinus inter Prætermissos* 2 c
Theophylacias *diaconus Ecclesiæ Romanæ* 1057 b c
Theudegesilus *a S. Magnobodo sanatus* 943 c
Theudis *rex Visigothorum* 24 f
Thiard de Bissy *episc. Tullensis designatus recognoscit Reliquias S. Eliphii an.* 1688 805 f
† Thomas *archiep. Cantuariensis, Martyr* 1183 a
† Thomas a Villanova *archiepiscopus Valentinus in Hispania* 128 d
Thomas a Jesu *Carm. Exc. sepulcrum S. Teresiæ occludit* 348 b, *testis est in causa beatificationis ejus* 351 d, *plura Ordinis sui cœnobia fundat* 435 c f
Tilpinus *archiep. Remensis* 1072 c
† Timotheus *Martyr, patronus Disiaci* 1015 f
Toledo (*Antonius de*) *dominus de Horcajada* 422 d
Toledo (*Ferdinandus de*) *prior Ord. S. Joannis Hierosol. pecuniam canonizationi S. Teresiæ destinat* 348 e, 735 f, *de ejusdem corpore Albæ servando sollicitus est* 713 b f, 714 a, *sumptus confert fundando virginum Teresianarum cœnobio* 735 f, *ope S. Teresiæ liberatur a podagra* 749 f
Toledo (*Garcias de*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 173 b c d, 190 b, 663 e, 729 e, 738 b c
Toledo (*Genovefa de*) *Clarissa Palentina odoriferam habet S. Teresiæ epistolam* 724 a b c
Toledo (*Henricus de*) *frater natu major Petri primi marchionis de Mancera, Ordinem Carm. Exc. ingressus* 625 b
Toledo (*Joanna de*) *marchionissa de Villena, S. Teresiæ amica* 214 b, 739 e
Toledo (*Isabella de*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 624 a
Toledo (*Ludovicus de*) *vir nobilis, cœnobii Mancerani Carm. Excalceatorum fundator* 624 a, 625 a
Toledo (*Magdalena de*) *monialis, Reliquiarum S. Teresiæ opem experta* 570 e, 719 d
Toledo (*Maria de*) *ducissa Albana* 310 a, 570 f, 677 c d, *testis in informationibus de S. Teresia* 357 c e
Toledo Osorio (*Fredericus de*) *marchio de Baldueza, S. Teresiæ cultor* 765 e
Toledo y Henriquez (*Bernardina de*) *monialis, Reliquiarum S. Teresiæ opem in morbis experta* 342 f, 343 a, 721 a b
Tolosa (*Catharina de*) *S. Teresiæ fautrix* 328 c, 482 b c, 483 b e, 638 a b
Topin (*Antonius*) *devotus B. Philippæ miraculose sanatur* 103 a
Tordesillas (*Joannes Vasquez de Cepeda, dictus de*) *episcopus Segoviensis* 115 f
Tordesillas (*Martinus Vasquez de Cepeda, dictus de*) 115 f
Tordesillas (*Rodericus Vasquez de Cepeda, dictus de*) 115 f
Torres (*Antonius de*) *abbas ecclesiæ collegiatæ Complutensis* 318 d
Torres (*Christophorus de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 371 c d
Torres (*Joanna de*) *Ord. Cist. per Reliquias S. Teresiæ sanitati restituta* 373 b-f
Tostado (*Hieronymus*) *Carm. Calc.* 259 d e f, 274 a f, 283 e, *et pluries in seqq.*, 310 c
Traggia (*Emmanuel de*). *Vide* Emmanuel a S. Thoma Aquinate.
Transmarus *episc. Noviomensis* 973 d
Trasamundus *successor Guntamundi, Wandalorum regis, Catholicos insectatur* 9 d
Trejo (*Didacus de*) *archidiaconus Malacitanus* 377 c
Trejo (*Ferdinandus de*) *imagine S. Teresiæ mire adjutus* 723 d
Trejo (*Gabriel de*) *S. R. E. Cardinalis* 409 f
Trithemius (*Joannes*) *abbas Hirsaugiensis* 16 d e f

V

Valcherius *seu* Galterus *abbas Morimundensis* 1143 e f
Valck (*Adrianus*) *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 810 a
Valderavano (*Franciscus de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 e
Valdes de Carriazo y Otalora (*Nicolaus*) *episcopus Gaditanus* 756 e
Valdivia (*Ludovicus de*) *S. J. testis in informationibus de S. Teresia* 122 b, 356 f
† Valeria *cephalophora* 819 d
† Valerianus *patronus monasterii Trenorchiensis* 1095 f

Valerius (*Petrus*) *S. R. E. Cardinalis* 410 b
Valle (*Michael de la*) *Ord. Præd. ope S. Teresiæ sanatus* 756 f, 757 a b
Vallejo *licentiatus filium suum ope S. Teresiæ sanatum videt* 719 b c
Vallejo (*Gaspar de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 357 d
Vallette (*Ludovicus de la*) *S. R. E. Cardinalis* 421 c
Vallier (*Petrus et Margarita*) *conjuges testati sunt duos filios ope B. Philippæ sanitate donatos* 100 c
Vanda (*Petrus de la*) *civis Salmanticensis* 234 a, 244 c, 610 b
Vandali *occidunt S. Silvanum* 824 c d
Vargas (*Franciscus de*) *Ord. Præd., visitator apostolicus Carmelitarum in Andalusia* 228 c, 243 a b e, *et pluries in seqq.*
Varon (*Vincentius*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 142 c d e f, 190 b, 562 d e, 666 a, 730 c
Vasquez (*Dionysius*) *S. J.* 188 c
Vasquez (*Franciscus*) *testis in informationibus de S. Teresia* 370 b
Vasquez (*Ludovicus*) *medicus, testis in informationibus de S. Teresia* 365 c f
Vasquez de Cepeda. *Vide* Cepeda *et* Tordesillas.
Ubaldini (*Robertus*) *S. R. E. Cardinalis* 409 c
Udalricus *Rhætiæ et Brigantii comes monialibus monachos substituit in Augia Alba* 873 c
Vecchio (*Joseph del*) *medicus Neapolitanus* 757 d
† Vedasti *corpus Bellovacum translatum* 1105 b
Vega *doctor medicus universitatis Vallisoletanæ, testis in informationibus de S. Teresia* 371 c
Vega (*Suerus de*) *S. Teresiæ fautor* 313 d, 314 b
Vela (*Christophorus*) *archiepiscopus Burgensis* 327 c d, 637 f, 638 a, 735 d
Velasco (*Alphonsus de*) *Ord. Cist. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Velasco (*Catharina de*) *Carm. Calc. testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Velasco (*Laurentia de*) *testis in informationibus de S. Teresia* 355 f
Velasco (*Maria de*) *Carm. Exc. filia comitis de Moron* 770 f
Velasco y Aragon (*Maria de*) *comitissa de Osorno, S. Teresiæ amica* 618 f
Velasquez (*Alphonsus*) *episcopus Oxomensis, dein archiepiscopus Compostellanus, S. Teresiæ confessarius* 279 a b c d, 319 c d, 321 c-f, 637 c, 735 c, 739 b
Velasquez (*Franciscus*) *Albani monialium Teresianarum cœnobii fundator* 235 a b c e, 236 a c d e, 428 f, 612 d, 613
Velez (*Bernardus*) *canonicus Methymnacampensis* 349 a
Venerandus *seu* Venecandus *idem forsitan qui S. Conoganus* 43 f
Venerius *Massiliensis episcopus* 23 b
Ventimiglia (*Marianus*) *Carmelita, Generalium sui Ordinis historiographus* 258 f
Venut (*Claudia uxor Petri*) *ope B. Philippæ sanatur* 98 c
Verallus (*Fabricius*) *S. R. E. Cardinalis* 409 c
Vergas (*Rochus de*) *archidiaconus de Monte Leon, cathedraticus Salmantinus* 402 c
† Viator *S. Justi episcopi Lugdunensis minister* 17 e f, 18 a b
Vicona *uxor Odonis Taillebois intercessione B. Philippæ partum feliciter enititur* 99 a
†† Victor et socii *Thebæi Martyres apud Xantum oppidum* 13 b, 15 f. Victor *cephalophorus* 819 d
† Victor *alter cephalophorus* 819 d
Victor *comes Curiensis* 899 f, 900 c, 902 e, 903 b
† Victoricus *cephalophorus* 819 d
Victorii *cyclus paschalis* 1006 a b
† Victorius *Martyr inter Prætermissos* 794 e
† Victuria *Martyr inter Prætermissos* 794 e
† Victurnianus *anachoreta inter Prætermissos* 3 b
Vidalon (*Antonius*) *sanatur ope B. Philippæ* 99 b
Vidalon (*Margarita*) *conjux Antonii obtinet suis precibus sanationem mariti* 99 b
Vidricus *scriptor Vitæ S. Geraldi episc. Tullensis* 809 a
Vigilius *episc. Autisiodorensis* 966 a
Vignery (*Jacob.*) *S. J. olim transmisit Vitam S. Boloniæ* 817 a
Vilches (*Petrus de*) *licentiatus Villanovæ de la Xara* 349 a
Villanueva (*Gaspar de*) *confessarius S. Teresiæ et testis in causa beatificationis ejus* 358 b, 732 f, 733 a
Villanueva (*Petrus de*) *Ord. S. Hier.* 377 b
Villarroel (*Antonius de*) *per Reliquias S. Teresiæ sanatus* 370 d e f
Villarroel y Quiroga (*Hieronyma de*) *Carm. Exc. nobili genere nata* 242 b, 253 f, 599 d
Villaseca (*Alphonsus de*) *pictor* 431 c
Villavicencio (*Laurentius de*) *Ord. August.* 301 a
Villefore (*Joseph Franciscus Bourgoin de*) *S. Teresiæ biographus* 112 c, *carpitur* 135 d e, 145 f, 146 a, 154 d
Villegas d'Estaimbourg *Carmelitissas Excalceatas Bruxellis in Galliam se recipere coactas comitatus* 774 c
Villefranche (*Joanna Brinet de*) *pristinam valetudinem ope B. Philippæ recuperat* 104 f, 105 a
Villery (*Gerardus*) *testis miraculi B. Philippæ* 104 c
Vincentius *Conf. inter Prætermissos* 794 f, 795 a. *Ejus cultus Nivernis* 855 a
Vincentius *Psalmos aliquot commentatus* 22 a b c
Vipera (*Marius de*) *scribit de ecclesia Beneventana* 35 b, 36 f
†† Vitales *Confessores varii homonymi* 1092 e f, 1093 a-d
† Vitalis *Martyr inter Prætermissos* 3 c
† Vitalis *Confessor Eslingæ* 1092 f
Vitalis *protonotarius apostolicus, biographus primarius S. Bertrandi* 1141 b-f, 1142, 1143 a b
† Vitonus *episc. Virodunensis* 925 b, 926 d
Vivero (*Isabella de*) *Ord. Cist. testis in informationibus de S. Teresia* 355 b
† Vivianus. *Vide* † Bibianus.
Vladislaus *rex Poloniæ, S. Teresiæ cultor* 761 f, 762 a
Ulloa (*Guiomara de*) *S. Teresiæ amica* 577 a
Urbanus II *Papa separat diœcesim Atrebatensem a Cameracensi* 1101 c, *non videtur præscripsisse ut pulsaretur ad salutationem angelicam* 1110 c d
Urbanus VIII *Papa diem* XV *Octobris S. Teresiæ festum esse jubet* 760 f, *hymnos aliasque partes Officii S. Teresiæ concinnasse fertur* 761 c, *electionem S. Teresiæ in Castellæ patronam confirmat* 765 f, 766 a b c, *montis Carmeli habitationem Carmelitis Excalceatis asserit* 769 d. *Vide* Barberini (*Maphæus*).
Ursinus (*Vinc. Maria*) *archiep. Benevent., post Benedictus XIII* 36 c
†† Ursula et sociæ *MM.* 15 f, 27 c f, 28 c d, 29 c d
† Ursus *cephalophorus* 819 d
Vuylen (*Stephanus*) *comes auratus* 16 a

W

Wago *abbas Tornodorensis* 1096 a

Waifarius *dux Aquitaniæ, vastator ecclesiarum* 1042 e f
Waimerus *persecutor S. Leodegarii non ivit Hierosolymam cum S. Berchario* 1000 d e f, 1001 a
Walafridus Strabo *auctor secundæ Vitæ S. Galli* 859 b c d e. *Promittit et incipit eamdem Vitam metrice* 860 c d e, 861 a b
† Walaricus *instaurare incipit monasterium Luxoviense post expulsionem S. Columbani* 879 f
Walbertus *episc. Noviomensis* 973 d
† Walburgis *Virgo, soror SS. Willibaldi et Wunibaldi* 60 a, 61 b
† Waldebertus *abbas Luxoviensis, magister S. Bercharii* 987 c
Waldricus *episc. Passaviensis* 1069 d
Walramus *dux Limburgicus* 16 d
Walthildis *matrona* 995 a, 996 a, 1000 d e, 1001 a, 1005 d, 1016 e f
Waltrammus *beneficus in Sangallenses* 899 f, 902 b c d f
Wandolenus *e sociis S. Columbani, natione Gallus* 869 f
† Wandregisilus *abbas Fontanellensis fuit discipulus S. Balderici* 915 d e f, 916, 917
Warinus *archiep. Coloniensis sæc.* x *includit arcæ Reliquias S. Eliphii* 807 b. *Monasterium S. Martini Majoris Coloniæ instaurat* 808 e f, 809 f
Warinus *comes Thurgoviæ, infestus Sangallensibus* 901 a, 903 c
Warmundus *abbas Dolensis* 1130 f
Wastecls (*Anna*) *Carm. Exc. natione Flandra* 305 c
Wedego *abbas Clusinus in Germania* 1082 a b
Wendelinus *Trevirensis* 34 b
Wetinus *monachus Augiensis non est auctor antiquioris Vitæ S. Galli* 859 f, 860 a b
Wicfridus *archiep. Coloniensis* 927 d, 928 d
Widradus *abbas Flaviniacensis* 47 a
† Wigbertus *abbas Fritislariensis* 60 b, 1051 c, 1060 a, 1068 b, 1081 e f, 1089 d e f
Wiggo *episc. Augustanus in Alemannia* 1057 f
Wilhelmus Gemeticensis *sublestæ fidei auctor* 1007 d
Wilibertus *archiep. Coloniensis* 924 e, 926 c
Wilicarius *episc. Viennensis sedi suæ renuntiat* 1036 e
† Willehadus *episc. Bremensis* 1079 d e f, 1080 a-e
Willelmus *abbas S. Martini Majoris Coloniæ* 801 c
† Willibaldus *episcop. Eichstadiensis* 60 a, 1060 b, 1061 d, *a monasterio incepit episcopatum suum Eichstadiensem* 1073 d
† Willibrordus *episc. Ultrajectinus* 1060 a b f
Willicharius *archiep. Senonensis* 1072 f, 1073 a
Williğisus *primus elector Moguntinus* 1068 b
Williharius *episc. abbas Agaunensis* 1073 c
Willimarus *presbyter Arbonensis, beneficus in S. Gallum et socios* 872 b, 874 f, 875, 876, 886 a, 894 a. *Circa Sancti sepulturam sollicitus* 895 f
Winheim (*Erhardus*) *scriptor Sacrarii Agrippinæ* 15 c e
Winitharius *monachus et decanus Sangallensis quibusdam videtur auctor antiquioris Vitæ S. Galli* 860 b c
† Winnocus *non probatur ejusdem fuisse familiæ ac S. Conoganus* 43 a, 44 a
† Winwaloeus *abbas Landevenecensis* 38 f, 40 c d f, 41 b c d, 44 b e f
† Wiomadus *archiep. Trevirensis* 1069 d, 1070 d e f, 1071 a, 1072 c
Witburga *fœmina clarissima, inter Prætermissos* 794 c d
Wittanus. *Vide* Albuinus.
Wlfaudus *optimas Franciæ* 995 b e, 1016 f, 1017 c
Woodhead (*Abraham*) *anglice vertit opera S. Teresiæ* 446 e
† Wulfrannus *Senonensis archiepiscopus; ejus elevatio et translatio inter Prætermissos* 2 c
† Wunnibaldus *frater S. Willibaldi* 60 a

X

Xeres (*Eleonora de*) *S. Teresiæ fratria* 118 b
Ximena (*Andreas de*) *S. Teresiæ fautor* 249 f, 619 b
Ximena (*Anna de*) *vidua, Carmelitissa Excalceata* 249 a b, 619 c d, 620 c d
Ximena (*Isabella de*) *Carm. Exc. testis in informationibus de S. Teresia* 340 a b c
Ximenus (*Blascus*) *unus e majoribus marchionum de Velada* 115 c

Y

Yanguas (*Didacus de*) *Ord. Præd. confessarius S. Teresiæ* 252 c, 279 b, 666 c, 682 f, 683 a, 729 f, *sepulcrum ejus versibus exornat* 347 d e f, *testis est in causa beatificationis ejus* 291 b c, 357 e, 730 a, 738 c d
Yepes (*Didacus de*) *Ord. S. Hieron. episcopus Turiasonensis, confessarius et biographus S. Teresiæ* 110 f, 111 a b c, 279 a, 322 c d e, 727 e f, 735 c, 736 f, *corpus ejus visit* 345 b c d, 365 e, 712 c f, *lintea sanguine Sanctæ miraculose tincta regi Philippo II ostendit* 347 b, 747 c, *testis est in causa beatificationis ejus* 357 a b, *et pluries in seqq., colligit testimonia de S. Teresia* 728 *et seqq.*

Z

Zacharias *Papa* 1058 *et seqq. Non videtur exemptionem Fuldensibus dedisse* 1064 f, 1065 e f, 1066 a-e
Zambeccarius (*Nicolaus*) *aulæ consistorialis advocatus* 414 c
Zamora (*Antonius de*) *presbyter, testis in informationibus de S. Teresia* 358 a, 719 b d
Zamora (*Garcias de*) *S. J.* 619 f
Zanchini (*Julius*) *quædam opuscula S. Teresiæ italice vertit* 446 f
Zayas (*Gabriel de*) *Philippi II Hispaniæ regis secretarius* 255 b
Zollern (*Itelius Fredericus de*) *S. R. E. Cardinalis* 410 c
Zonsbeeck (*Henricus*) *Ord. S. Ben. ad S. Martini Majoris Coloniæ, calligraphus nitidus, laudatur* 812 a b
Zorrilla (*Joannes Emmanuel*) *canonicus Salmantinus* 428 c
Zorrilla (*Joseph*) *episcopus Salmantinus* 426 f

INDEX

TOPOGRAPHICUS.

A

Abula Castellæ Veteris in Hispania civitas 123 c, 557 b. *Reliquiæ S. Teresiæ* 434 d e, 437 b c

Acitodunum *seu* Acedunum, *hodie* Agedunum 822 d

Adaja flumen Hispaniæ 558 a

Ado fluvius *videtur scriptus pro* Andura (Eure) 55 a

† Ægidii collegium S. J. Abulæ in Hispania 149 d, 567 f

† Æmiliani collegium Salmanticæ in Hispania 722 c

† Agathæ diaconia Romæ 195 f

Agedunum (Ahun, dépt Creuse) 822 b c d e. *Fundatur monasterium* 822 e f, 823 a-e

Agentense monasterium (Eymoutiers, dépt Haute-Vienne), *male confusum cum Agedunensi* 823 a b

† Agilei basilica Carthagine 8 b-f, 9 f

Agnio (*gall.* l'Aa) fluvius in tractu Sant-Audomarensi 960 d e, 982 d, 985 e

Ahumada vicus Hispaniæ 117 c

Aigue-Bellette locus Camberiaco vicinus 99 d, 101 a

Airiacum villa (Airy *seu* Arcy-sur-Cure, dépt Yonne) in pago Autisiodorensi 987 a, 1008 c, 1029 c

Alba de Tormes oppidum Hispaniæ 234 d. *Corpus S. Teresiæ* 346 *et seqq.*, 421 f, 422 *et seqq.*

Albarium (Alvier) juxta Brivatem 1120 b, 1122 d

Albolæ (*vulg.* Cien Arboles, Centum Arbores) prope Narbonam 1113 f

Alemanniæ *seu* Altimanniæ *situs* 871 c d, 885 e, 887 c d

Alesia (*gall.* Alise) in Burgundia 54 e

Aletum civitas episcopalis in Armorica, *nunc destructa* 1098 e, 1100 d e

Alexian *seu* Alixan vicus diœcesis Valentinæ in Gallia (dépt de la Drôme) 104 e, 106 b

Alhambra arx Granatensis 243 e

Almodovar del Campo oppidum Hispaniæ 254 c f

Alpes Hispaniæ, montes Pyrenæi 1183 b

Alsatia pagus ad Austrasiam pertinebat 857 c

Altomirani montes regni Murciani in Hispania 242 e

Altumvillare monasterium (Hautvilliers) *a S. Berchario fundatum* 987 e, 993 f, 994, 1014 e, 1015 e f

Alverniæ magnus prioratus Ordinis Hierosolymitani *etiam in Lugdunenses, utramque Burgundiam, Rhedones, Aurelianenses, Sabaudos, etc. excurrebat* 102 e, 103 e

† Amandi de Coli monasterium 837 a

Ambracia. *Vide* Placentia.

† Ambrosii vicus, *olim* Ernotrum (St Ambroix-sur-Arnon, dépt Cher, arrond. de Bourges) 1044 f

† Ambrosii monasterium Bituricis 1045 c d e

Anagrates monasterium *a S. Columbano fundatum* 868 d, 887 a

Andalusia pars Hispaniæ, *alias* Bætica *dicta a fluvio* Bæti 207 c

Andegavum (Angers) urbs Galliæ 928 c

† Andreæ Monialium vicus incognitus 98 d, 100 d

† Andreæ vinea (*vulgo* Morthoff) Coloniæ Agrippinæ 13 d e

† Anduel en Jarest in diœcesi Lugdunensi 18 d

† Anduel la Valla in diœcesi Lugdunensi 18 d

Ancisien vicus ignotus prope Annoniacum 99 b, 100 f

† Angeli diaconia Romæ 195 d e f

† Annæ eremus Villanovæ de la Xara in Hispania, *dein* cœnobium virginum Ordinis Carm. Exc. 305 d, 632 b, 634 b

† Annemundi (*vern.* St Chamond) oppidum diœcesis Lugdunensis (dépt de la Loire) 104 d, 106 b

Annicium *seu* Podium (*vern.* le Puy) urbs episcopalis (dépt de la Haute-Loire) *insignis imagine B. M. V.* 87 d, 90 b c

Annoniacum (*vern.* Annonay) oppidum olim diœceseos Viennensis, hodie Vivariensis (dépt de l'Ardèche) 99 b, 100 f, 101 a

Antezana in montanis Burgorum in Hispania 117 c

Anthon vicus in hodierna diœcesi Gratianopolitana 105 b, 106 d

† Antonii suburbium Lutetiæ Parisiorum 776 a

† Antonini mons prope Brignolium in Gallia 19 f

† Antonini pagus prope Aquas Sextias in Gallia 19 f

Antverpia civitas Belgii 751 b

Anzême (dépt Creuse, arrond. de Guéret) 825 d

†† Apostolorum ecclesia collegiata Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 d

Apriscola mons in Pyrenæis 1138 a, 1140 d

Aquæ Sextiæ (*vulgo* Aix) in Gallia, Provinciæ metropolis, *num reges aliquando proprios habuerit* 21 b d e

Aquiscinctium monasterium in diœcesi olim Atrebatensi, *nunc destructum* 1101 b c, 1106 d

Aquitania *describitur* 990 b c, *a Normannis vexata sæc.* IX 1045 b c

Aram vallis (vallée d'Aran) in agro Convenensi 1181 f, 1183 d

Arbona *seu* Arbor Felix oppidum et pagus olim in Thurgovia 857 a, 872 b, 886 a, 888 a. *Diripitur* 881 a b

Aregia rupes (*vulgo* Peña Damaya) in Hispania 117 c

Arevalo Hispaniæ oppidum 596 c

Argenteus fluvius (*vulgo* Rio de la Plata) in America meridionali 557 f, 560 f, 561 a

Argentoratum civitas episcopalis, olim sub Moguntina, hodie sub Vesuntionensi metropoli 27 b. *Ejus ager a Philippo Romanorum rege infestatur* 28 b. *Ejus collegiatæ et parochiales ecclesiæ* 28 e. *Habebat sacellum suburbanum S. Galli* 858 d

Argoir locus tribus leucis Lugduno dissitus 98 f, 100 e

Argonæ pars sub diœcesi Virdunensi 920 d

Arlanzon fluvius Hispaniæ 641 d

Armuntio *aut* Urmuntio (*hodie* l'Armançon) fluviolus in Icaunam (l'Yonne) incurrens 1029 d, 1031 a
Asculum in Piceno; *dedicatio majoris ecclesiæ* 3 b
Astilia insula (*forsitan hodierna* Stampalia) 1023 a f, 1024 a
Astygi (*vulgo* Ecija) civitas Hispaniæ 265 e, 675 c
Attalanta (*gall.* Etalantes) vicus in diœcesi olim Augustodunensi, nunc Divionensi (dépt de la Côte d'Or) 49 f
Aturum *seu* Adurris (Aire, dépt Landes) 1144 f
Avallonense castrum (*gall.* Avalon en Auxois) 54 f
† Audoeni ecclesia Rothomagi *dedicatur* 794 b
Audomaropolis (St Omer, dépt Pas-de-Calais) 961 a
Augia Alba *seu* Augia Major (Weissenau, Mehrerau) monasterium O. S. Ben. ad lacum Constantiensem 873 d
Augustodunum *quandoque pro* Augusta Rauracorum *usurpatur* 787 a b c
† Aunemundi. *Vide* † Annemundi.
Aurei Sancti *nomen erat basilicæ Gereonæ apud Agrippinenses* 11 b c f, 13 f, 14 a
† Aureliæ ecclesia Argentorati *Lutheranis cessit* 28 f
Autisiodorum ad Burgundiam pertinebat 853 b. *Non videtur episcopum habuisse B. Galterum* 78 b c d e
Auzun, vallis in diœcesi Tarbensi (dépt Hautes-Pyrénées) 1170 a

B

Bætica. *Vide* Andalusia.
Bætis (*vulgo* Guadalquivir) fluvius Hispaniæ 226 c
Bacza. *Vide* Biatia.
Baldulficorte, *forsan* Blécourt, prope Dervum 1028 c, 1031 a
Balsain silva prope Segoviam in Hispania 243 c
Barbazan vicus (dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Barcino civitas Catalauniæ *colit S. Bertrandum Convenensem* 1170 b c
Barolum (*vernac.* Barletta) oppidum Apuliæ 70 b, 76 f
† Bartholomæi Apostoli ecclesia Abulæ in Hispania 123 f
†† Bartholomæi et Apri ecclesia sanctimonialium Cisterciensium Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c
Bassiniacensis tractus continetur hodie præfectura Matronæ Superioris (dépt de la Haute-Marne) 816 c
† Beati oppidum (St Béat, dépt Haute-Garonne, arrond. de S. Gaudens) 1158 e f
Becedas oppidum Hispaniæ 137 f, 561 b
Bellesmum (*gall.* Bellême) in comitatu Perchensi (*hodie* dépt de l'Orne) 47 c
Belgium 285 a. *Cultus S. Josephi* 684 b
Belligardia oppidum olim Viennensis, hodie Gratianopolitanæ diœcesis 99 b, 100 f
Benchor monasterium Hiberniæ, *quo anno fundatum* 862 e f, 863 a b. *Ejus situs* 865 b c
Berkingense cœnobium infra Londinum ad Tamesim 61 f, 62 a
Bessessel diœcesis olim Viennensis in Gallia 102 b
Bezadas. *Vide* Becedas.
Biatia (*vulgo* Baeza) oppidum Hispaniæ, *anno* 1227 *Mauris erepta* 115 c
Bicianum villa (Bizanet? dépt Aude, arrond. de Narbonne) 1113 f
Biel *seu* Biol ecclesia succursalis haud procul a Castro Villano 100 c, 101 c d
Bischoffshemiense cœnobium in Germania 62 e f
† Blasii vicus (St Blaise-du-Buis) Vienna haud longe distans 98 c, 100 d
Bleidenstadt olim Castellum juxta Moguntiam 1068 f
Blesa fluvius (la Blaise) 1029 e, 1031 d
Bobium civitas episcopalis sub metropoli Genuensi 1013 a
Boecillo locus Hispaniæ 750 d
Boii olim incolæ Borbonesii 82 c d, 95 d
Bolonia (Bollogne, dépt de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont) vicus diœcesis Lingonensis, *Reliquiis S. Boloniæ insignis* 816 c, 820 c e, 821 c d
†† Bonifacii et Willibrordi collegium Hollandicum Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c. *Reliquiæ S. Eliphii* 811 d
† Bonniti, *duplex vicus hujus nominis,* St Bonnet-le-Troncy *et* St Bonnet-des-Bruyères; *uterque* in districtu Francopolitano 104 f, 106 c
Bouchetum Abbatia Ordinis Cisterc. in diœc. Autisiodorensi 85 f
Boveda locus Hispaniæ 345 f
Bragum (*hodie* Bray-Saint-Christophe, dépt Aisne, arrond. St Quentin) 970 b
Brancourt vicus in præfectura Vosagi (dépt des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b
Branc-Rossant, *fortassis* Bourg-d'Oysan, oppidulum in districtu Gratianopolitano 103 b, 104 a
Bregnes, *forsitan* Brena in Bressia ad Rhodanum 100 a, 101 c
Bregnies *seu* Brignais vicus diœcesis Lugdunensis 99 c, 101 a
Brema civitas episcopalis in Germania 1079 e f, 1080 a b
Bressiacum (*vern.* Bressien, *melius* Bressieu) vicus olim Viennensis, hodie Gratianopolitanæ diœcesis (dépt Isère) 101 f, 103 d
Brigantium (*vern.* Bregenz) in provincia Austriaca Tyroli, olim ad Alemanniam pertinebat 29 a c. *Istic prædicant SS. Columbanus et Gallus* 872 b-f, 886 a, 888 b. *Monasterium prius monialium, post monachorum* 873 d e f, 874 a b
Britanniæ urbes quæ Francici juris erant sæc. v et vi 41 a
Britoniensis, *nunc* Mindoniensis, ecclesia *dedicatur* 793 f
Brivas (dépt Haute-Loire) 1120 f, 1121 a b
Brivatensis ditio *olim ad canonicos S. Juliani spectabat* 1122 d
Brivatensis portus (*gall.* le port de Brest) 43 f
Brotomagus *seu* Brocomagus, *Valesio* Brumath (dépt du Bas-Rhin) 818 d, 821 d
Bruxellæ civitas Belgii 284 f. *Reliquiæ S. Teresiæ* 434 f, 435, 436 a b d e f, 437 a b. *Cultus S. Josephi* 684 b
Budriacum villa in territorio Alsennæ 53 b
Bunna, *hodie* Bonna, oppidum ad Rhenum 924 e, 925 b
Burdigalensis ecclesia *indulgentiis ditata a Clemente V* 1164 b-c
Burgi civitas Hispaniæ 320 d, 330 a, 639 a
Burgum in Bressia metropolis præfecturæ (dépt de l'Ain) in diœcesi Bellicensi 104 c, 106 b
Burgum Oxomæ (*vulgo* el Burgo de Osma) in Hispania 320 d, 1185 d
Burgundiæ regni limites 1007 a
Burgundiæ ducatus limites 1007 a
Buriburgum locus nunc destructus in Hassia 1089 e, 1091 a
Burichingæ pagus antiquus ad sinistram Danubii 858 d

Buronia, *ignota, imo incerta* civitas Africæ 831 f, 832 a, 835 a d
† Burrici ecclesia (*gall.* St Burroy) in antiquo archipresbyteratu Sinemurensi (dép^t de Saône-et-Loire) 51 e, 52 b
Buxiacum monasterium in Cenomanis 938 d

C

Cabariacum, Cabarium *seu* Caprarium, vicus episcopatus Andegavensis 944 c, 945 b
Cabilonum (Châlons-sur-Saône) civitas olim episcopalis, nunc cathedræ Augustodunensi subjacet 98 c, 100 c
† Cæciliæ ecclesia collegiata Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 b
Calmaria (la Chaume, dép^t Loire-Infér.) 1092 b
Calvariæ montis cœnobium Carmelitarum Excalceatorum in Hispania 276 a, 778 d
Campania (*ital.* Terra di Lavoro) 37 b
Campanum castrum (*hodie* Campan, dép^t Hautes-Pyrénées, arrond. de Bagnères) 1181 b, 1183 d
Canigon (le Canigou, dép^t Pyrénées-Orient.) monasterium, *in quo olim Reliquiæ S. Gauderici* 1107 a, 1114 e f, 1115
Cannæ civitas olim episcopalis, *cum Canusio sæpe confusa, forte ante* IX *vel* X *sæculum episcopos non habuit* 70 b c, 71 e f, 72 a, 76 f
† Cannati castrum de Sauzeto intra limites diœcesis Aquensis in Gallia, *olim Massiliensibus episcopis obnoxium, anno* 1473 *Renato Siciliæ regi cessum* 19 e f, 21 f, 24 a b c d, 25 c, 26 b c f
† Cannati ecclesia Massiliæ. *Reliquiæ SS. Cannati et Antonini* 20 d e f, 21 a
Cantabria Hispaniæ provincia 722 a
Canusium civitas episcopalis 71 e f, 76 f. *Ecclesia consecrata an.* 1102 *a Paschali II Papa* 72 c
Capra Picta desertum Mauritaniæ 831 f, 832 a
Captuniacum palatium publicum 971 e
Capua civitas Italiæ 6 b c e f
Caput-Aturris (Capadeur, dép^t Hautes-Pyrénées, arrond. de Bagnères) 1143 b-f
Caravaca oppidum Hispaniæ 268 c d, 629 c
Carbo insula in Rhodano prope Lugdunum 105 e, 106 e
Cardalliacum (*vulgo* Cardaillac, dép^t Lot, arrond. de Figeac) oppidum Galliæ 241 a
Carisiacum palatium regium in Belgica secunda 986 c
Carmelus mons in Syria 769 a
Carmeli montis basilica 769 e f, 770 a b
Carthago *dolose a Genserico capta* 8 b. *Sæculo* VII *capta et deleta a Saracenis* 8 f. *Celebratur concilium sub Bonifacio Carthaginensi* 9 f
Carthusianorum ecclesia Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 b
Casa-Dei monasterium in Arvernia 1123 b
Casa-Dei monasterium Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Ausciensi 1143 f, 1144 a, 1148 c
Casliacum villa super fluvium Duine in pago Burgundiæ 5
Cassinensis ecclesia *consecratur an.* 1071 *ab Alexandro Papa II* 72 b
Castañeda in montanis Burgorum in Hispania 115 d
Castel (dép^t Pyrénées-Orient. arrond. de Prades) 1117 d
Castellæ Veteris et Novæ regna in Hispania 209 a, 660 e
Castellanos de la Cañada vicus Hispaniæ 117 f, 561 c
Castellum Ictium, *hodie* Insula-Jordanis (l'Ile-Jourdain, dép^t Gers, arrond. de Lombez), *locus natalis S. Bertrandi* 1144 c-e, 1145 d, 1173 c. *Ejusdem Reliquiis ditatur* 1168 e f, 1169
Castrum-Dei (*vern.* Champdieu) vicus diœcesis Lugdunensis 104 b, 106 a
Castrum Villanum (*vern.* Château-Villain) olim diœcesis Viennensis 100 c, 101 c
Castrum Villanum (Château-Villain, dép^t Haute-Marne, arrond. de Chaumont) 1006 e
Catana urbs Siciliæ 65 a
Cayo municipium Gallæciæ in Hispania 722 f
Cella Bobini (*hodie* Monstier-la-Celle) in suburbio Tricassino 1022 a, 1023 e
Cellensis basilicæ *consecratio* 792 f
Cepeda regni Legionensis locus in Hispania 115 c d e
Cerdania pars Ruscinonis 1116 d
Celsiacum villa super ripam Armuncionis 52 f
Chamond vicus juxta S. Theuderici (dép^t Isère) 100 c, 101 d
Chandien *sive* Chandieu in diœcesi olim Viennensi, nunc Gratianopolitana 99 a, 100 e
Changy, *locus natalis B. Philippæ,* olim Claromontanæ, nunc Lugdunensis diœcesis (dép^t de la Loire) 80 c, 82 a-e, 83 c, 94 f
Charpen *seu* Charpey vicus diœcesis Valentiensis (dép^t de la Drôme) 104 e, 106 b
Château-hors-Chervix *seu* Château-Chervix (dép^t Haute-Vienne, arrond. St Yrieix) vicus *sub patrocinio S. Silvani* 825 d
Chatenay vicus in hodierna diœcesi Gratianopolitana 102 c, 103 e
Chavanay oppidulum duabus leucis Vienna dissitum 100 a, 101 c
Clanis fluvius in agro Pictavensi 990 d
Clanius (*ital.* Lagno) fluvius qui episcopatum Capuanum ab Aversano dividit 37 d
† Claræ monasterium Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 b
Clareium (Clercy *vel* Clairey) *duplex hujus nominis* vicus in agro Tullensi, Clairey-la-Côte (arrond. de Neufchâteau) *et* Clairey-sur-Madon (arrond. de Luneville) 806 b
† Clementis cœnobium Toleti in Hispania 691 e
Chrosmas (dép^t Haute-Vienne, arrond. de Bellac) *patronum habet S. Silvanum* 825 d
Chrysopolis, *alias* Vesuntio 1023 b, 1024 a
Cirrius mons juxta monasterium S. Galli 858 b
Colonetum (*probabiliter hodie* Chalonne) monasterium *committitur S. Magnobodo* 932 f, 942 f
Colonia Agrippina *plurium Martyrum palæstra* 11 *et seqq. Sæculo* XIII *ab obsidione liberata* 15 e f, 16
Columbière, *seu melius* Colombiers, vicus olim Lugdunensis, hodie Gratianopolitanæ diœcesis 105 b, 106 d
Commodoliacus (St Junien, dép^t Haute-Vienne, arrond. de la Rochechouart) 837 d, 845 f, 848 c, 850 d e
Communicensis comitatus (le Comté de Comminges) 1158 e
Compendium palatium regium (Compiègne) ad Neustriam pertinebat 998 f
Conaldum (Cunauld, dép^t Maine-et-Loire, arrond. de Saumur) vicus 1095 b
Conchense monasterium *Figiacensi unitum* 1035 c e f
Confluentanus ager (le Conflent) medius inter agrum Perpinianensem et Cerdaniam jacens 1116 d
Convenæ (St Bertrand, dép^t Haute-Garonne, arrond. de

de St Gaudens) 1153 d e f, 1154, 1155 a, 1174 c, 1175 e f
Corbien castrum in districtu Vapincensi 98 e, 100 e
Corbiniacum (*gall.* Corbigny-St-Léonard) in pristino ducatu Nivernensi (*hodie* dép[t] de la Nièvre) 47 a
Corbiniacum (*gall.* Corbigny *seu* St Marcoul-Corbiné) in prov. Campaniæ (*hodie* dép[t] de l'Aisne) 47 b
Corcella, (Courcelles, dép[t] Aisne, arrond. de Soissons) vicus 1103 e
Corduba civitas Hispaniæ 257 b c d
Corisopitum (*gall.* Quimper) civitas episcopalis in Britannia Armorica, caput præfecturæ Finisterræ (dép[t] de Finistère) 37 c, *olim* Quimper-Odet *a præterlabente fluvio, nunc passim* Quimper-Corentin 39 c, 1098 e, 1100 d
Corisopitum ad Ellam (Quimperlé) 1098 e, 1100 d
Corneilla-du-Conflent (dép[t] Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1117 d
Corniliacum (*hodie* Corneillé) vicus in districtu Balgiensi (Baugé) 946 e, 947 c
Cornu-Galliæ (Cornouailles, dép[t] Finistère) 1007 d
Corporis Christi ecclesia canonicorum regularium Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 b
Corporis Christi monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
Coxanense monasterium S. Michaelis (St Michel-de-Cuzan) 1115 f, 1116 b
Cracovia in Polonia. *Reliquiæ S. Teresiæ* 438 c
Crispiacus villa in confinio Dervensi 1026 c, 1027 f
Crosetum (*vern.* Crozet) vicus sub parochiali ecclesia la Pacaudière in diœcesi Lugdunensi (dép[t] de la Loire) 82 a b c, 94 f, 96 c
† Cuniberti ecclesia collegiata Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 a
Cuyzet vicus juxta insulam Carbonem 105 c, 106 c
† Cypriani fanum (St Cyprien, dép[t] Corrèze, arrond. de Brive) 836 f

D

Dal-Aradia regio in Hibernia 851 f, 852 a
Darthe *seu* Darthé vicus, *cui nunc* Bolonia *nomen* 821 d
Deas monasterium in Armorica (*hodie* Grand-lieu, dép[t] Loire-Infér.) 1095 a b
Dervensis saltus 993 f, 1016 e
Dervum monasterium *a S. Berchario fundatum* (Montier-en-Der, Haute-Marne, arrond. de Vassy) 987 c, 994 f, 995. *Series abbatum* 1021 e, 1023 c. *Reliquiæ S. Bercharii* 1008 *et seqq.*
Dervense monasterium puellare ad Trecensem diœcesim pertinebat 1004 d e f
Deva (Dieuve) vicus in agro Virdunensi 925 d, 927 a
Devotæ (St Martin-Doydes, dép[t] Arriège, arrond. de Pamiers) 1125 c d, 1135 d
Deus-Louvart, *al.* D'Eilauvarth, in pago Scarponensi 926 f
Diensis ecclesia cathedralis *dedicatur* 794 d
† Dionysii abbatia in Gallia 769 b
† Dionysii clivus (Tureau-St-Denis), *in quo cella S. Salvii condita erat* 855 f
Disceias (*probabiliter* Dissays, dép. Vienne, arrond. de Civray) 990 c d, 1011 b, 1012 f
Disiacum juxta Altumvillare 1015 f
Ditkircha oppidum ad Loganum fluvium 921 f
Doccomium *seu* Dockinga, *palæstra martyrii S. Bonifacii Moguntini* 1086 e, 1087 d
† Dodæ cella *Simorrensi monasterio donata* 1151 a
Domnofrons locus in Gallia 996 d
Dreia (*hodie* Droges) juxta Dervum 1022 c, 1023 e
Duacum oppidum olim Atrebatensis, nunc Cameracensis diœcesis 1101 b c
Duine fluvius in pago Burgundiæ 51 f
Durangum Cantabriæ civitas 722 a
Durvelum viculus Hispaniæ 216 c, 623 a

E

Ebolum (*ital.* Evoli *seu* Eboli) oppidum regni Neapolitani in Principatu Citeriori 1185 d, 1186 e f, 1188 d
Eclose vicus diœcesis olim Viennensis, hodie Gratianopolitanæ 99 d, 101 a
Edoche viculus in districtu Viennensi, *qui nomen sortitur a fluvio cognomine* 101 e, 103 d
Elaveris fluvius (l'Allier) 1120 f
Elepla (*vulgo* Niebla) Hispaniæ oppidum 243 a
† Eliæ monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
† Eliphii (St Elophe) vicus *cum ecclesia succursali* (dép[t] des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b c d e, 805 a, 814 b, 816 b
† Elisabethæ cœnobium virginum Salmanticæ in Hispania 232 e, 609 b e
Ellé fluvius, *a quo alterum* Corisopitum *cognominatur* Quimperlé 39 c
Elna *cathedra episcopalis Perpinianum translata* 1106 f, 1107 a
Elnonense monasterium (St Amand, dép[t] Nord) *consecratum* 971 a b
Elosana civitas episcopalis, *cujus sedes postea Augustam Ausciorum translata* 937 b
Ernotrum. *Vide* † Ambrosii vicus.
† Eustachii vicus 102 e
† Emmerammi monasterium Ratisponæ *servat corpus Aureliæ filiæ Hugonis Capeti, vulgo Ratisponensis dictæ* 29 f, 30 a b,

F

Fécocourt vicus *habens ecclesiam sub invocatione S. Eliphii.* (Dep[t] de la Meurthe, arrond. de Toul) b 806
Figiacensis monasterii *consecratio examinatur* 1034 f 1035
Flachères (Flachetes) sub parochia Lemps in districtu Turrensi (la Tour-du-Pin, dép[t] de l'Isère) 99 d, 101 b
Florentia *habebat ecclesiam S. Gallo sacram* 858 e
Fogières vicus diœcesis Lugdunensis 104 b, 106 a
Fontis Ebraldi (*vulgo* Fontévrauld) abbatia in Gallia 436 a
Foresium (*vern.* le Forez) provincia Galliæ intra Lugdunensem recensita, hodie præfecturam Ligeris (dép[t] de la Loire) constituit 81 f, 82 a b c, 94 f
Forum Julii (Fréjus, dep[t] Var, arrond. de Draguignan) 832 f
† Francisci rivus Salmanticæ in Hispania 609 b
Frislarium civitas in electoratu Hasso-Casselano 1089 e, 1091 a
Frumentosa (Fruse? Frument?) locus conterminus vico S. Eliphii 814 f, 816 d
Fruse vicus in præfectura Vosagi (dép[t] des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 b. *Num idem locus ac* Frumentosa 814 f, 816 c

Fulda urbs Germaniæ *habet forsitan aliquas Reliquias S. Galli* 884 c
Fuldense monasterium *fundatur* 1006 d e
Fumada prope Abulam in Hispania 117 c

G

Galliæ regnum 662 a, 768 e f. *Reliquiæ S. Teresiæ* 434 e f, 438 a b c
† Gaudentii oppidum (St Gaudens, dép[t] Haute-Garonne) 1179 e, 1180 d
Gaudiacum (Jouy), *plures vici hujus nominis* 925 b, 926 d
Gaugiacus, *alias* Episcopi-villa 1001 b c, 1005 c d
† Genesii cœnobium Ord. Præd. Talaveræ in Hispania 631 f
† Genesii vicus *plures habet homonymos* 94 b
Genuliacum (Genouillac) vicus in diœcesi Petrocoricensi *notatur* 836 a-c
† Georgii d'Osta monasterium in urbe Astensi ducatus Montisferrati 102 d, 103 c
Gerciacus (*hodie* Jarcé) vicus in districtu Balgiensi 946 e, 947 c
Gerlani mons (Gillamont) vicus in Lotharingia 925 c, 926 e f, 927 b
† Germani in Ambronio vicus (St Germain-Lambron, dép[t] Puy-de-Dôme, arrond. d'Issoire) 1123 c d
† Gereonis ecclesia Coloniæ Agrippinæ, *dicta* ad Aureos Sanctos 11 b c f, 13 f, 14 a. *Reliquiæ SS. Gregorii et sociorum Martyrum Maurorum* 14 f
† Germani in Eremo vicus (St Germain-l'Herm, dép[t] Puy-de-Dôme, arrond. d'Ambert) 1123 b c
Germaniæ primæ præcipuæ civitates 32 c
Gerwiense monasterium in Anglia (Jarrow) 1053 c
Gladbacense monasterium in tractu Molensi 919 a
Glindonum vicus, *ut videtur*, in diœcesi Noviomensi 970 b
† Goaris cella 1070 d e f, 1071 a
Graligny vicus hodie ad præfecturam Matronæ Superioris pertinens, olim in tractu Tullensi (dép[t] de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont), *cujus ecclesia sub invocatione S. Eliphii dedicata est* 806 b
Granata civitas Hispaniæ 243 f, 324 c, 637 a
Grandis (Grand, dép[t] des Vosges, arrond. et cant. de Neufchâteau) olim urbs, nunc viculus 802 a, 812 d, 815 c. *Ornata dicitur a Juliano imp.* 818 d, 820 f
Grandis-Silva (Grandselve, dép[t] Haute-Garonne, arrond. de Castel-Sarrasin) monasterium Ord. S. Benedicti 1144 d e
Grapfeld pagus Germaniæ 1064 b
Graux vicus, *cujus ecclesia sub invocatione S. Eliphii dedicata est* 806 b
† Gregorii Magni ecclesia Granatæ in Hispania 243 e
Guadalimar fluvius Hispaniæ 254 e
Guadalquivir. *Vide* Bætis.
Guelva oppidum Hispaniæ 243 a
Guesney vicus prope Lugdunum ad Rhodanum 99 f, 101 b
Gulielmopolis (*vulgo* Willemstad) oppidum Hollandiæ 753 d, 755 a c

H

Hallæ Deiparæ civitas Belgii 774 e
Hassiæ *nomen jam sæculo* VII *usurpatum* 1085 c, 1087 c
† Helenæ prætorium *seu* porta Coloniæ Agrippinæ 13 e
Heli (*hodie* Ely O'Carrol), *post* Tech-Telle *appellatum*, monasterium in Hibernia 951 d e f
Herbadilicus pagus in Armorica 1092 a, 1095 b
Herrera de Rio Pisuerga prope Aguilariam in Castella Veteri 115 d
Hersfeldia monasterium *a S. Lullo fundatum* 1067 c-f, 1068 a-d, 1089 a b, 1090 f
Hetsilinga, *hodie* Eslinga, ad Neccarum, oppidum in Germania 1092 f, 1093 a
Hilenheim curtis regia in Germania, *fors* Ingelheim 1086 c, 1087 c
Himilinberc, *olim* Mons Cœlius (*hodie* Mönzeln) 889 d, 891 f
Hispalis (*vulgo* Sevilla) civitas Hispaniæ 256 b, 626 f
Hispania. *Reliquiæ S. Teresiæ* 437 b c d e. *Vide* Abula *et* Alba de Tormes.
Höchst, *olim* Hohstedi, ad Mogonum fluvium 1090 b, 1091 d
Hollandicum collegium. *Vide* †† Bonifacii et Willibrordi collegium.
Hortigosa oppidum Hispaniæ 130 a, 559 e
Hortus B. V. Mariæ monasterium virginum Ordinis Cisterciensis Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c

J

† Jacobi ecclesia Hispanorum Romæ 416 d
† Jacobi suburbium Lutetiæ Parisiorum 769 a
Jaresius ager tractus in provincia Lugdunensi, *hodie* in præfectura Ligeris (dép[t] de la Loire) 99 e, 101 b
Iburninga (*hodie* Ueberlingen) in ducatu Badensi 889 e, 892 a
Iciodorum (Issoire, dép[t] Puy-de-Dôme) 1123 b
Jesu ecclesia Societatis Jesu Romæ 416 d
Illicitanus portus (*vulgo* Alicante) in Hispania 302 b
Incarnationis monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
Insula Germanica in suburbio Tricassino 1022 a, 1023 c
Insula Jordanis. *Vide* Castellum Ictium.
Insulis Flandrorum *consecratur templum Societatis Jesu* 792 f
† Joannis a Portu cœnobium Carmelitarum in Andalusia 243 a, 247 d e
† Joannis ecclesia parochialis Abulæ in Hispania 123 e
†† Joannis et Cordulæ ecclesia Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 b
† Joannis a Cruce monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
† Josephi cœnobium virginum Ord. Carm. Exc. Abulæ in Hispania 573 c-f, 574 *et seqq.*
† Josephi monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
† Josephi (*vulgo* Martini Ramirezii) oratorium Toleti in Hispania 224 f
† Josephi sacellum in ecclesia S. Agricolæ Avenione, *item* in S. Mariæ ad Martyres Romæ 197 a
Islebium comitatus Mansfeldici civitas 550 a
Italia 768 e. *Reliquiæ S Teresiæ* 437 e f, 438 a
† Justi ecclesia juxta Convenas 1176 f, 1180 b
† Justi ecclesia Lugduni in Gallia. *Reliquiæ S. Antiochi episcopi* 18 a
†† Justi et Pastoris ecclesia Compluti in Hispania 318 d

K

Kerahes (*vern.* Carhaix, dép^{t} Finistère, arrond. de Châteaulin) 1098 e, 1100 d
Killchrea vicus in comitatu Corcagiensi in Hibernia 950 e f
Killruadh olim Hiberniæ civitas episcopalis 852 b d, 853 d
Kitzinga monasterium puellare *a S. Bonifacio fundatum,* juxta Mœnum in Franconia 60 a, 62 c d, 63 c e, 64 d e

L

Labroquère vicus (dép^{t} Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Landernacum (*gall.* Landernau) *a fluvio cognomine* (dép^{t} Finistère) 37 f, 41 f, 43 a
† Laurentii de Chamousset vicus diœcesis Lugdunensis 103 a, 104 a
† Laurentii monasterium Hieronymitarum (*vulgo* Escurial) in Hispania 442 c-f
Laureshamum monasterium 1069 d e f, 1070 a b c
† Lazari ecclesia parochialis Palentiæ in Hispania 316 f
Lenna (Leynes, dép^{t} Saône-et-Loire, arrond. de Mâcon) vicus *patronum habet S. Vitalem* 1096 b c
† Leocadiæ ecclesia parochialis Toleti 224 e
Leocha *idem videtur ac* Tullum Leucorum 812 f, 815 f
Leodium *natale solum S. Leonardi Corbiniacensis fuisse non videtur* 46 d
† Leonardi de Boscis vicus ad Sartham fluvium 47 f
Leptis Magna *et* Parva, *hæc* Byzacenæ, *illa* Tripolitanæ provinciæ civitas, in Africa 797 c d
Liberdunum (Liverdun, dép^{t} de la Meurthe, arrond. de Toul) *locus sepulturæ S. Eucharii* 812 e, 815 d
Lindimacus (die Limmat, die Linth) fluvius Helvetiæ 871 c, 885 f, 887 d
Loch-Laodh lacus Hiberniæ 852 b
Los (dép^{t} Nord, arrond. de Lille) vicus 1103 e
† Ludovici monasterium Clarissarum Burgis in Hispania 251 d
† Lupi ecclesia in comitatu Calnensi in pago Burgundiæ 51 f
Lusitania Europæ regio 303 e, 662 a
Lutosæ (*hodie* Louze, dép^{t} Haute-Marne) 995 b, 1016 f, 1018 c
Luxovium monasterium (Luxueil, dép^{t} Doubs, arrond. de Lure) *fundatum a S. Columbano* 867, 868, 869 a b c d, 885 c, 887 a

M

†† Machabæorum (*postea* S. Justi) ecclesia Lugduni in Gallia 18 a d
Maclas vicus olim Viennensis, hodie Lugdunensis diœcesis 99 f, 101 c
Mæchteren. *Vide* †† Martyrum monasterium.
Magdunum (*gall.* Meung-sur-Loire) hodie sub præfectura Aurelianensi (dép^{t} du Loiret) 46 b
Magnens fluvius 996 c
Magnimons (*gall.* Maimont, Memont, dép^{t} Côte-d'Or) oppidum in Lingonibus, *locus natalis S. Bauderici* 49 c, 52 b
Malagon oppidum Hispaniæ 213 b, 601 b
Maleval vicus olim Viennensis, hodie Gratianopolitanæ diœcesis, ecclesia succursalis sub parochia Vinay (dép^{t} de l'Isère) 98 d, 100 d
Malmesburiense monasterium in Anglia 1054 a c-f
Manaria vicus Cantabriæ 722 a
Mancera oppidum Hispaniæ 218 c
Mancha Hispaniæ regio 633 a
Mangisvillare vicus prope Dervum 995 a, 1016 e
† Marcelli titulus Romæ 195 f
† Marcelli vicus in Provincia *ecclesiæ cathedrali Massiliensi datus ab Aicardo Arelatensi archiepiscopo* 20 c
† Mariani monasterium Præmonstratense 855 d e
Mariani montes (*vulgo* Sierra Morena) in Hispania 243 c
† Mariæ de Gratia cœnobium virginum Ord. Aug. Abulæ in Hispania 128 c d, 559 c
† Mariæ de la Sisla cœnobium Ord. Hieron. apud Toletum in Hispania 279 a
† Mariæ della Scala ecclesia Carmelitarum Excalceatorum Romæ 416 d. *Pes S. Teresiæ eo defertur* 422 a b, 436 b c d
† Mariæ de Monte Carmelo monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
† Mariæ de Platea ecclesia Palentiæ in Hispania 314 d, 635 b c d e, 637 b c
† Mariæ de Rosario Viridis Vallis ecclesia parochialis in archidiœcesi Hispalensi in Hispania 750 b
† Mariæ de Subsidio cœnobium Carmelitarum Excalceatorum Altomiranum in Hispania 242 e
† Mariæ de Subsidio cœnobium Carmelitarum Excalceatorum Rodense in Hispania 305 f, 632 c, 633 d
† Mariæ in Aquiro diaconia Romæ 195 f
† Mariæ in Cosmedin diaconia Romæ 195 f
† Mariæ in Vallicella ecclesia Romæ 416 d
† Mariæ Majoris basilica Romæ. *Reliquiæ S. Teresiæ* 354 a
† Mariæ sine labe conceptæ monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
† Mariæ sine labe conceptæ nosocomium Burgis in Hispania 331 f, 640 a
† Mariæ templum apud Morinos *anno* 1133 *consecratum* 4 d
† Mariæ Virginis ad gradus ecclesia collegiata Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 a b
† Mariæ Virginis Deiparæ ecclesia Massiliæ cathedralis 20 d e f
† Mariæ Virginis in Bethleem (*vulgo* in der Romersgasse) monasterium Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c
† Martini de Plaigne, vicus juxta S. Annemundi 105 b, 106 d
† Martini Majoris monasterium Coloniæ 807 a-d, 808 c f, 809 e f. *Ejus ecclesia renovatur* 811 c d. *Supprimitur* 812 a
†† Martyrum (*Maurorum*) monasterium, *dein sacellum seu parochiola* (*vulgo* Mæchteren), Coloniæ Agrippinæ 13 d e
Massilia Provinciæ in Gallia civitas episcopalis, *a Carolo Borbonio anno* 1524 *obsessa* 19 e. *Reliquiæ SS. Cannati et Antonini* 19 f, 20, 21 a. *Non fuit sæculo quinto hæresi Iconoclastarum, sed contrario potius errore infecta* 22 f, 23 a
Matriniacum (*gall.* Marmagny *vel* Marigny en Auxois) prædium S. Bauderici 53 a, 54 e
Mauritania Africæ regio trifariam divisa 12 e
† Mauritii de Reymions parochia olim diœcesis Lugdunensis 100 b, 101 c
†† Maurorum curia (*vulgo* Morthoff), *dicta dein* S. Andreæ vinea, Coloniæ Agrippinæ 13 d e
† Maximini ecclesia virginum Augustinianarum Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c

† Medardi ecclesia Suessione *ab Innocentio II consecrata* 2 e
Mervilla monasterium (Merville, dépt Nord, arrond. d'Hazebroeck) 1104 e
Mesciacum locus in territorio Pictaviensi 1095 c
Metense monasterium puellarum S. Petri 878 e, 891 c. Ecclesia cathedralis sub vocabulo S. Stephani 891 b
Methymna Campestris (*vulgo* Medina del Campo) Hispaniæ oppidum 210 d, 595 a
† Michaelis Archangeli ecclesia Romæ. *Vide* † Angeli diaconia.
† Michaelis Archangeli templum in monte Gargano *dedicatum* 70 f
† Michaelis cœnobium virginum Augustinianarum Coloniæ Agrippinæ. *Reliquiæ SS. Maurorum* 15 c
† Michaelis de Arroyo majoratus Abulæ in Hispania 130 d
† Michaelis in periculo maris monasterium (Mont-St-Michel, dépt Manche, arrond. d'Avranches) 1126 e, 1127 a
Mindonii (Mondoñedo) in Gallæcia Hispaniæ *dedicatur ecclesia cathedralis* 793 f
Mirapicium (Mirepoix) civitas olim episcopalis, *habebat Reliquias S. Gauderici* 1114 c
Misericordiæ nosocomium Toleti in Hispania 224 e
Moguntia *habet sacellum sub vocabulo S. Galli* 858 d
Moisseu vicus Belligardiæ adjacens (dépt de l'Isère) 99 b, 100 f
Mommet vicus diœcesis Valentiensis 105 a, 106 d
Monasteriolum (*vern.* Monistrol) oppidum in Velaunis, diœcesis Podiensis (dépt de la Haute-Loire) 104 d e, 106 b
Monasteriolum (Montreuil, dépt Haute-Marne) 1016 f, 1018 c d
Moncelles vicus juxta Viennam in Gallia 102 a 103 d
Monsfalconis monasterium in agro Remensi 909 c, 915 c d, 925 e. *Ad canonicos transit* 918 d e. *Conceditur episcopis Virdunensibus* 919 b c
Mons-Ferrandus, juxta Clarum Montem, caput Alverniæ, *unde una habetur urbs, quæ Gallis* Clermont-Ferrand *dicitur* (Dépt du Puy-de-Dôme) 106
Mons Martyrum juxta Granatam in Hispania 243 f
Mons Martyrum (*vulgo* Montmartre) prope Lutetiam Parisiorum 769 b
Mons regius vicus (Montrejeau, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Mons S. Antonini. *Vide* † Antonini mons.
Monstrolium (*gall.* Montreuil) oppidum Picardiæ ad Quantiam fluvium 41 e, 42 a b
Montiniacum (Montigny, dépt. Aisne, arrond. de St Quentin) vicus 1103 e
Morinensis pagus 981 e, 984 e f, 985 a b
Moros vicus in antiqua diœcesi Viennensi 102 f, 103 f
Morthoff. *Vide* †† Maurorum curia.
Mosacium in diœc. Aquilejensi, monasterium S. Mariæ et S. Galli 858 f
Movelles vicus, *ut videtur,* in Delphinatu 102 a
† Mummolini clivus (Motte de St Mommolin) juxta Audomaropolim 960 d
Muscragia *duplex, altera* Muscraighe Thire (*hodie* Lower-Ormond) in Tipperaria, *altera* Muscraighe Mitine (*hodie* Muskerry) in comitatu Corcagiensi 951 d

N

Naharros del Castillo Hispaniæ vicus 723 a
Namnetes (*gall.* Nantes) ad regnum Clodovei spectabant 41 a
Nancea (Nancy) caput præfecturæ Murthæ (dépt de la Meurthe) 804. *Fit civitas episcopalis* 806 e
Navas (las) vicus Hispaniæ 722 e
Naucosset vicus in Borbonesio 105 c, 106 d
Neapolis in Africa civitas *distinguenda a* Lepti Magna 797 c d
Neo-castrum (Neufchâteau) oppidum in præfectura Vosagi (dépt des Vosges) 804 b, 806 a
Nesta fluvius in tractu Convenensi (Neste d'Aure et Neste de Louron) 1178 c, 1180 d
† Nicolai templum Neocastrense *ditatur Reliquiis S. Eliphii* 806 a
Nigraha (*hodie* Schwarz-wasser) rivus urbem S. Galli interfluens 858 b, 889 d, 891 f
Nigrum monasterium (Noirmoutier), *olim* Herio insula, in hodierna diœcesi Lucionensi (dépt Vendée) 1091 c, 1094 f
Nivellæ Brabantiæ oppidum 550 a
Novempopulania pars Aquitaniæ 990 c

O

Obregonia vallis in Hispania 115 d
Ochnofurti (*germ.* Ochsenfort) olim monasterium sanctimonialium in Germania Superiori, juxta Mœnum in Franconia 59 c, 60 a, 62 c d, 64 d e
Odet fluvius, *a quo* Corisopitum *olim cognominabatur* Quimper-Odet 39 c
Olmedo Hispaniæ oppidum 596 f
Oltia (*forsan* Osse, dépt Basses-Pyrénées, arrond. d'Oléron) 1183 b, 1184 d
Oltus *seu* Oldus fluvius (le Lot) 1047 d, 1048 f, 1049 a
† Onuphrii titulus Romæ 195 f
Ordorff in Thuringia 1069 a b
Ormenciacus vicus in Burgundia 53 a 54 c
Oropesa Castellæ Novæ in Hispania locus 738 b
Oropesa Americæ meridionalis civitas 738 d
Othonium, Othomum, vicus episcopatus Andegavensis 943 c, 945 a
Oxoma (*vulgo* Osma) civitas Hispaniæ 320 d

P

Palentia civitas Hispaniæ 314 a b, 316 d, 634 e f
Palissa (*vern.* la Palisse) oppidum in Borbonesio, nunc diœcesis Molinensis (dépt de l'Allier) 82 f, 94 f, 96 c
Palma insula in Oceano Atlantico 229 d
† Pancratii collegium Carmelitarum Excalceatorum Romæ. *Reliquiæ S. Teresiæ* 424 c
Pantanus vicus diœcesis Aversanæ *colit S. Tammarum* 35 b, 36 f
Parisiis *anno* 849 *celebratum concilium, quod perperam Turonense* IV *vocatur* 41 a. *Reliquiæ S. Teresiæ* 434 e f, 438 a b c
Pastrana oppidum Hispaniæ 225 a, 608 c
Paterna oppidum Hispaniæ 281 a b, 631 e
† Pauli cœnobium Ordinis Prædicatorum Burgis in Hispania 641 a
Peña Damaya. *Vide* Aregia rupes.
Peñaranda oppidum Hispaniæ 720 f
Perahtoltes-para *seu* Bara pagus ducatus Alemanniæ 897 d, 899 b
Perpinianum civitas episcopalis ad Pyrenæos *possidet Reliquias S. Gauderici* 1117 f
† Perseverandæ vicus (*hodie* Ste Pazanne, dépt Loire-Infér., arrond. de Paimbœuf) 1098 c, 1100 b
Pertensis pagus 1026 d, 1027 f
Petrahita locus Hispaniæ 722 d
† Petri basilica Vaticana 414 a, 416 e f, 417 a b
† Petri de Beufs vicus olim Viennensis, hodie Lugdunensis

Lugdunensis diœcesis (Dép^{t} de la Loire) 105 c, 106 e
† Petri ecclesia Turris de Lobaton in Hispania 371 a
† Petri Lezatensis monasterium (Lézat, dép^{t} Ariège, arrond. de Pamiers) 1158 e f
† Petri Martyris cœnobium Ord. Præd. Toleti in Hispania 289 e
† Petri monasterium Inferius Remis 911 d e f, 912 a b, 917 b
† Petri monasterium Superius Remis 911 e f, 912 a b, 914 d e f, 917 a b c
Philippinæ insulæ in Asia 737 c
Pinedani montes (*vulgo* Sierra de Pineda) in Hispania 641 d
Piscuaria (Pecquencourt, dép^{t} Nord, arrond. de Douay) vicus 1103 e
Placentiæ in Hispania *dedicatur ecclesia cathedralis* 793 e
Ploasmel castrum, *hodie* Ploërmel (dép^{t} Morbihan) oppidum 1098 a, 1100 b
Polignanum vicus (dép^{t} Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Pommiers vicus prope Lugdunum, *in quo olim erat prioratus Ord. S. Benedicti* 99 f
† Portiani abbatia in Arvernia 1095 d
Portus-Herculis (Mont-St-Michel) 1137 b, 1139 b
Portus Saliocan, (Morlaix, dép^{t} Finistère) 1098 e, 1100 d
Portus suavis, Porces (Poussay, dép^{t} des Vosges, arrond. de Mirecourt), insigne capitulum nobilium fœminarum, *in cujus ecclesia corpus erat S. Mennæ* 812 e, 815 c
Praga in Bohemia *servat Reliquias S. Galli* 858 e, 884 d
Pratum amœnum Vera fluvio separatur a vico Solimarico (Soulosse) 814 e, 816 b
Princé saltus in pago Ratensi 1097 c, 1099 f
† Prisci basilica Capuæ 6 c f
Provincia Galliæ regio *partim Visigothis suberat ad sæculi quinti finem,* 23 a, *et partim Burgundionibus* 26 c. *Proprios dominos, comitum nomine, sæculo decimo habere cœpit* 21 b
Puebla vicus Hispaniæ 690 f
Puebla de Montalvan in Hispania 720 f
Puteolus (*hodie* Puysie) 995 e, 996 b f, 1016 f

Q.

Quaradaves (*hodie* Grabs) in pago Sangallensi 889 f, 892 a
Quaterniacus, Cartiniacus, in diœcesi Andegavensi, *forsitan* Chartrenay *vel* Chartréné in districtu Balgiensi (Baugé) 943 a, 944 f, 945 a
Quinciacum (*vern.* Quincy-sur-Armançon) abbatia olim Ordinis Cisterciensis, diœcesis olim Lingonensis, hodie Divionensis (dép^{t} de la Côte-d'Or) 77 b f, 78 a
Quintinopolis (St Quentin, dép^{t} Aisne) 970 c
Quirievium (*vern.* Quirieu) oppidum olim Lugdunensis, nunc Gratianopolitanæ diœcesis 103 a f

R

Rampillon vicus *cum ecclesia tituli S. Eliphii* (dép^{t} de Seine-et-Marne, arrond. de Provins) 806 b
Ratiatensis *seu* Ratensis pagus in Armorica (dép^{t} de la Loire-Inférieure) 1091 c, 1092 a b
Raudinleim *seu* Rotinleim (*hodie* Rœteln) vicus in superiore Brisgovia 857 a
Renage, *fortassis* Uriage, vicus in diœcesi Gratianopolitana 103 b, 104 a
Renel, *forsitan* Revel, vicus olim diœcesis Viennensis 102 f, 103 f
Restituta *vocabatur ecclesia episcopalis Carthaginensis* 8 e
Revertim *seu* Reventin ecclesia ruralis sub ecclesia S. Mauritii Viennæ 100 a, 101 c
Rhedones (*gall.* Rennes) civitas minoris Britanniæ ad regnum Clodovei spectabat 41 a
Ribodimons (Ribemont, dép^{t} Aisne, arrond. de St Quentin) in diœcesi olim Laudunensi 1103 d
Richiani comitatus in Lotharingia 926 f
Rines vicus diœcesis Gratianopolitanæ 101 f, 103 d
Robledo vicus Hispaniæ 633 b
Rocurtum (Roocourt-la-Côte, dép^{t} de la Haute-Marne, arrond. de Chaumont) 817 f
Rodumna (*vern.* Roanne) in diœc. Lugdunensi (dép^{t} de la Loire) 82 a b c
Roma *per Odoacrem Herulorum regem capta* 21 e. *Reliquiæ S. Teresiæ* 354 a, 422 a b, 436 b c d
Romersgasse. *Vide* † Mariæ Virginis in Bethleem.
Rosarii nosocomium Salmanticæ in Hispania 234 a
Rosenberg, *olim* Waltramsberg, *possessio monasterii Sangallensis* 902 c
Rothomagi *concilium sub S. Ansberto celebratur, cujus epocha discutitur* 57 b c e f, 58 a b
Rotundavilla, *hodie* Rothwil, olim urbs imperialis, nunc in regno Wurtembergico 897 f, 899 c
Rupecula Marianorum montium (*vulgo* Peñuela de Sierra Morena) in Hispania 243 c
Rupefortium (*vern.* Rochefort) vicus in Sabaudiæ ducatu 99 d, 101 a
Rupense cœnobium (*vern.* les Roches) Ord. Cisterciensis in diœc. Claromontana 85 f
Rupes Amatoris (Rocamadour, dép^{t} Lot) 1183 b
Ruppes vicus *cum ecclesia hodie succursali, in quam quotannis inferebantur Reliquiæ S. Eliphii* (dép^{t} des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 805 c d
Ruscinonis pagus (le Roussillon) ad Pyrenæos 1116 d

S

Salengolinum *seu* Sarancolinum monasterium in diœcesi Ausciensi 1150 f, 1151 a
Salex, *forsan hodie* Saucy, juxta Barrum super Albam (Bar-sur-Aube) 1026 c, 1027 f
Saliva (*gall.* Salives) vicus in diœcesi olim Lingonensi, nunc Divionensi (dép^{t} de la Côte-d'Or), *ubi pars magna corporis S. Bauderici* 49 f, 51 e, 52 b
Salmantica civitas Hispaniæ 231 a b c
† Salvatoris monasterii *nomen male detorquetur ad* cellam S. Salvii 854 b
† Salvatoris oppidum in America 765 e
† Salvii monasterium Monstrolii 41 f, 42 b
† Salvii vicus (St Sauge, dép^{t} Nièvre, arrond. de Nevers) 855 a b
Sancii Minaya forum Toleti in Hispania 224 e
San-Deodatum *fit civitas episcopalis* 806 e
Santivañez in montanis Burgorum in Hispania 115 d
Sarancolinum. *Vide* Salengolinum.
Sartha fluvius 46 e f, 48 f, 49 a
Saulge vicus in diœcesi Cenomanensi (dép^{t} Mayenne, arrond. de Laval) 855 b
Sauzetum. *Vide* † Cannati castrum.
Scala-Dei monasterium Ord. Cisterciensis apud Bigerros 1143, 1144 a b, 1176 f
Scharponensis pagus (Sarponne *vel* Charpeigne) in episcopatu Virdunensi 926 f
Scobrith (*hodie* St Viaud) mons in pago Ratiatensi 1096 f, 1097 d, 1099 d
† Scholasticæ

† Scholasticæ ecclesia Abulæ in Hispania 557 b
Scotia *olim commune nomen Hiberniæ et Britanniæ septemtrionali* 861 e
Segestrum silva 49 c, 50 e
Segovia civitas Hispaniæ 248 e, 619 a
Segustero (*vern.* Sisteron) civitas olim episcopalis, nunc sub episcopatu Diniensi (Digne, dépt des Basses-Alpes) 98 e, 100 e
Seissuel, succursalis ecclesia sub parochia Ste André-le-Bas, in districtu Viennensi 100 b, 101 c
Selertiagum, vicus, *ut videtur,* in episcopatu Noviomensi 970 b
Sennia Silva (Sennwald) in pago Sangallensi 889 f, 892 a
Senogallia (*vulgo* Sinigaglia) in ducatu Urbinate 2 d
Senonis *non videtur anno* 658 *celebratum concilium* 966 b c d
Serisium (Seris, *hodie* Marats, dépt Cher, arrond. de Bourges) 1044 c f
Setes nemus in Occitania 1144 e
Simorra monasterium in diœcesi Ausciensi 1151 a b
Sinemurus (*gall.* Semur-en-Auxois) oppidum in diœcesi Augustodunensi (dépt Saône-et-Loire) 51 e, 54 a
Sisla. *Vide* † Mariæ de la Sisla.
Sithivense monasterium 960 b c d e, 971 c d. *Possidet Reliquias S. Mummolini* 974 b-f
Sodorensis diœcesis in insulis Britannicis 243 c
Soleise *seu* Solaize vicus olim Lugdunensis, nunc Gratianopolitanæ diœcesis 105 c, 106 d
Solimaricum (Soulosse) hodie vicus in præfectura Vosagi (dépt des Vosges, arrond. de Neufchâteau) 804 c f, 805 a b
Somberno (*gall.* Sombernon) vicus olim Lingonensis, nunc Divionensis diœcesis (dépt de la Côte-d'Or), *ubi traditur S. Emanus oratorium S. Eusebii ædificasse* 52 b
Soria (*alias* Numantia) oppidum Hispaniæ 319 d, 636 a
Souvignan vicus in Sabaudia 104 c, 106 b
Spanulfi villa (Epinonville) 924 c, 925 e
Sparnacus (Epernay, dépt Marne) 1015 b c
Spiritus Sancti ecclesia Cordubæ in Hispania 257 c, 626 a
Squitum rupes in valle Aspensi 1183 c, 1184 d
Steinaha (*hodie* Steinach) fluviolus juxta monasterium Sangallense 858 b, 875 c, 889 d, 891 e
† Stephani monasterium in oppido Barolitano, *ubi quiescit corpus S. Rogerii episc. Cannensis* 70 b, 74 d e f
† Stephani cœnobium Ord. Præd. Salmanticæ in Hispania 234 a, 611 f
Suessio (*vulgo* Soissons) in Gallia. *Eo delata corpora SS. Sebastiani et Gregorii* 2 a
Sufflana (la Soulaine) fluvius 1024 e, 1025 f
Summavera (Sommevoir, dépt Haute-Marne) vicus 1029 f, 1031 d

T

Tabraca oppidum Numidiæ *duo habebat monasteria* 830 d e
Tardonia eremus prope Hispalim in Hispania 226 c d, 624 c
Tarraco (*vulgo* Tarragona) civitas Catalauniæ in Hispania 110 f
† Teresiæ cœnobium Carm. Excalceatorum Abulæ, *natali Sanctæ solo superstructum* 124 a b c, 560 f
† Teresiæ ecclesia Societatis Jesu Hagæ Comitis in Hollandia 764 f, 765 a
† Teresiæ monasteria Ordinis Carm. Exc. 777 *et seqq.*
Terracinum (Terrasson, dépt Dordogne, arrond. de Sarlat) monasterium *a S. Soro fundatum* 836 f
Thamarus fluvius Benevento vicinus 36 c d
Thenæ (*flandrice* Thienen, *gallice* Tirlemont) oppidum Belgii. *Eo delata corpora SS. Alexandri et Faustinæ Martyrum Romanorum* 3 c
† Theuderici (St Chef *vel* St Theudère) vicus olim Viennensis diœcesis (dépt Isère) 100 c, 101 d, 102 c, 1006 f
† Thomæ Aquinatis cœnobium Ord. Præd. Abulæ in Hispania 574 f, 577 d
Tilia fluvius juxta Salivam (dépt de la Côte-d'Or) 51 e
Tiliolus (Thilleux) vicus ad Vigeram 1018 d, 1025 c
Tordesillas oppidum Hispaniæ 115 f
Tordillos vicus Hispaniæ 234 e, 613 a
Tornodorum (Tournus, dépt Saône-et-Loire, arrond. de Mâcon) 1095 d
Trajectum ad Rhenum *seu* Ultrajectum *ferebatur possidere caput S. Eliphii* 811 e f
Triniacum *seu* Tuniacum vicus, *nunc* S. Germani in Eremo 1124 e f
Tripolis in Africa, *non civitatis, sed provinciæ nomen* 797 c
Tucconia (Tuggen) vicus hodie in Helvetia 871 e f, 872 a, 885 f, 887 e
Tullum (Toul, dépt de la Meurthe) olim episcopalis civitas, *nunc diœcesi Nanceensi unitum* 802 a. *Olim late extensa diœcesis in tres episcopatus dividitur* 806 d e
Tumbalenia insula ad septemtrionem Montis S. Michaelis 1128 e f, 1137 c, 1139 d
Tuninium villa, *hodie forsan* Tugny (dépt Aisne, arrond. de St Quentin) 970 b
Tupen, *melius* Tupin-Semon, vicus prope Viennam, in diœcesi Lugdunensi (dépt du Rhône) 102 a, 103 d
Turegum castellum (Zurich) urbs Helvetiæ 885 f, 887 e
Turiaso (*vulgo* Tarazona) civitas Aragoniæ in Hispania 110 f
Turonis *celebratum anno* 461 *concilium* 43 f
Turrigii (*vulgo* Torrijos) oppidum Hispaniæ 229 e
Turris de Lobaton in Hispania 371 a

V

Vallis Aspa (vallée d'Aspe, dépt Basses-Pyrénées, arrond. d'Oleron) 1183 c, 1184 b d
Vallis aurea (*vern.* Valloire) in Delphinatu ad Rhodanum 102 f, 103 f
Vallis Capraria vicus (Valcabrère, dépt Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1166 f
Vallis Gratiæ monasterium Parisiis *servabat os S. Gauderici* 1118 a
Vallisoletum oppidum Hispaniæ 214 f, 600 e. *Reliquiæ S. Fortunati Martyris Romani* 6 d
Vallis Pillonis (Vaupillon) vicus *cum ecclesia tituli S. Eliphii* (dépt Eure-et-Loire, arrond. de Nogent-le-Rotrou) 806 c
Vapincum (*vern.* Gap) civitas episcopalis (dépt des Hautes-Alpes) 98 e, 100 c
Vassiacus (*hodie* Vassy, dépt Haute-Marne) 995 e, 996 c, 1017 c, 1018 f
Vauleserre ecclesia succursalis sub parochia Pont-de-Beauvoisin (dépt de l'Isère) 99 d, 101 b
Vausune vicus pagi Constantini (le Coutantin) 970 b f
Veasum oppidum Hispaniæ 254 a, 621 b
Vedretum (Vred, dépt Nord, arrond. de Douay) vicus 1103 f

Vendopera *seu* Vandopera (*gall.* Vandœuvre) vicus in pago Cenomanensi ad Sartham fluv. (*hodie* dép^{t} de l'Aube) 46 f, 47 a
Venetia (*gall.* Vannes) civitas in Britannia minori 1098 a, 1100 d. Ad regnum Clodovei spectabat 41 a. *Istic anno* 465 *celebratum concilium* 43 f
Venetiis in Italia *erat oratorium sub invocatione S. Galli* 858 f
Vera fluvius (le Vair) 802 a, 804 b
Verciacum vicus in episcopatu Andegavensi, *forsan* Verchés *aut* Saint-Just-des-Verchés 948 c, 949 f
Vermentum, Vermemitum *seu* Vernantum (*hodie* Vernantes) in districtu Balgiensi (Baugé) 944 b, 945 a
Vernet (dép^{t} Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1117 d
Veter Murus parthenon Ord. S. Ben. (Vielmur, dép^{t} Tarn, arrond. de Castres) 1159 f
Vetus monasterium juxta Audomaropolim 959 b c f, 973 f, 974 a
† Victoris ecclesia superior et inferior Massiliæ 2 f
Vienna in Delphinatu, olim metropolitana ecclesia, nunc episcopali cathedræ Gratianopolitanæ subjecta 55 b
Viéville, *hodie* S. Gauderic (dép^{t} Aude, arrond. de Castelnaudary) 1113 b, 1119 f
Vigera fluvius (*hodie* la Voire) 995 b, 1017 a, 1018 d
Vignorix (Vignory, dép^{t} Haute-Marne, arrond. de Chaumont) vicus 821 c
Villacastin oppidum Hispaniæ 660 e
Villa Didaci (*vulgo* Villa-Diego) in montanis Burgorum in Hispania 117 c
Villafranca (dép^{t} Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1117 d
Villafranca (dép^{t} Rhône) oppidum diœcesis Lugdunensis 104 f, 106 b
Villalonga (Villelongue-des-Monts? dép^{t} Pyrénées-Orient., arrond. de Ceret) 1116 c
Villanova in diœcesi Convenensi (Villeneuve-de-Lecussan, dép^{t} Haute-Garonne, arrond. de St Gaudens) 1178 a, 1180 c
Villanova de Azerale oppidum Hispaniæ 596 f
Villanova de la Xara oppidum Hispaniæ 305 d e, 632 b
Villanova S. Salvii (Villeneuve-St-Salve, dép^{t} Yonne, arrond. d'Auxerre) vicus hodiernæ diœcesis Senonensis 822 f, 823 f, 824 b, 853 c, 854 b
Vinca (Vinça, Pyrénées-Orient., arrond. de Prades) 1115 d, 1116 e f
Vivier-le-Gras vicus, *cujus ecclesia est sub invocatione S. Eliphii* (dép^{t} des Vosges, arrond. de Mirecourt) 806 b
Ulyssiponæ (Lisboa) *repositum est caput alicujus S. Aureliæ* 31 d. *Eo defertur manus sinistra S. Teresiæ* 343 d e f, 344 a b c d
Volensis villa, *forsan* Volandes in districtu Balgiensi 948 b, 949 e
Vosagus (les Vosges) 887 a
Urmuntio. *Vide* Armuntio.
Uzerchia (Uzerche, dép^{t} Corrèze) monasterium 823 d e

W

Waltrammesberch mons juxta monast. Sangallense 858 b. *Vide* Rosenberg.
Wangæ (Wangen) locus juxta Tucconiam 872 a b. *Habet forsitan aliquas S. Galli Reliquias* 884 c
Waslicia (*germ.* Wesseling) in decanatu Arcuensi diœc. Coloniensis 921 a, 924 e
Wasloium, *post* Belluslocus, monasterium sub titulo S. Mauritii 925 b, 926 e
Wertz, *olim* Stain, castellum prope Schaphusium 901 a, 903 c
Willimundincæ (Welmedingen) *habet sacellum S. Galli* 858 d
Wimburnense monasterium in comitatu Dorcestriæ, *e quo prodiere S. Lioba et sociæ* 59 c, 61 f
Wiremuthense monasterium in Anglia 1053 c

Z

Zagabria (*incolis* Zogrob, Sagrab, *germanis* Agram) in Slavonia 2 e
Zamora oppidum Hispaniæ 253 e

INDEX

ONOMASTICUS.

Annalæum, *collectio monumentorum ecclesiæ Corisopitensis* 43 e
Annales *clerici, forsitan ad annum alicui ecclesiæ adscripti* 20 e
Braudeum, *linteum Reliquiarum* 9 a
Calamistrum, *fistula potatoria* 1057 a
Capa, *vestis species* 26 f
Cappellania, *ædicula sacra, sacellum* 194 d e
Cappellanus, *sacerdos ædiculæ sacræ sive sacello præpositus* 195 b
Catasta, *equuleus, pegma ferale, gallice* échafaud 821 e
Cella, *ecclesiola* 854 c d e, 856 d
Civitas romana, *civitas catholica* 832 d e, 834 f
Climata, *variæ regiones corporis humani* 948 a, 949 e
Cœnobialis, *cœnobita* 885 c
Concidatus, *vallatus, septus, forsan a* concides *seu rectius* concædes 54 c
Defensio, *commeatus* 885 e
Diertes, *impetigo, gallice* dartres 102 e, 103 e f
Dieta, *iter unius diei* 195 c
Episcopium, *temporalis jurisdictio episcopi* 920 c
Fanatici, *idololatræ* 869 b

Farus, *lucerna orbicularis* 909 a d
Ficha *sive* ficus, *contumeliosa pollicis ostensio* 165 c d
Forsulum, *vas aut calix?* 1187 f, 1188 c f
Fredum, *mulcta fisco debita* 996 e
Herigraphare, *forsan a* χειρογραφεῖν, *manu scribere* 54 c
Hida, *mensura agraria in Anglia* C *aut* XL *jugerum* 1076 f
Honor, *dominium* 20 c
Jubilegium, *jubilæum* 80 a
Licentiam petere, *valedicere, abire, italice* pigliar licenza 370 f
Luder, *lutra* 895 a
Mazmorras, *ergastula Christianorum apud Mauros captivorum* 243 f
Millenarius *belli dux millenis militibus præpositus* 833 c, 834 b
Missivæ *litteræ, epistolæ* 740 f
Morlanensis *solidus, moneta Benearnensis, valebat tres solidos et tres denarios Turonenses* 1162 c
Noctua, *ventus nocte rediens* 94 b
Oblata, *panis tenuissimus* 1049 b
Opinor, *celebror* 897 a, 899 b
Paratæ, *expensæ ad hospitum susceptionem* 996 e
Pascha, *nomen olim commune præcipuis anni solemnitatibus* 274 c
Quadrigata, *vectura unius quadrigæ, gallice* charretée 855 e
Romancium, *lingua vernacula e latino idiomate derivata* 128 a
Rotarium, *alias* ruptorium, *cauterium, italice* rottorio 374 b
Rotaticum, *tributum pro damno quod curruum rotæ viis afferunt, gallice* rodage, rouage 996 e
Senior, *dominus; unde vox gallica* seigneur 49 b
Silicernium, *ætas senilis* 948 e, 949 f
Stratorius *famulus, cui cura jumenti committitur* 890 b, 892 b
Syntochium, *xenodochium* 947 e, 949 e
Tangere, *movere* 885 d, 888 d
Teresina, *imaguncula e pulvere sepulcri S. Teresiæ confecta* 759 d
Vanitas, *mendacium* 85 c, 96 d
Xenon, *peregrinorum diversorium* 96 a

INDEX MORALIS.

A

Ædificia *suæ Reformationis qualia voluerit esse S. Teresia* 217 e f, 233 f
Ægrotis *in nosocomio inservit B. Philippa* 88 f. Ægroti *plurimi intercessione B. Philippæ sanantur* 98 c-f, 99 *et seqq.* Ægrota *puella intercessione S. Teresiæ sanitatem recuperat* 237 a. Ægrotam *monialem S. Teresia per bilocationem invisit et solatur* 251 f, 252 a b. Ægrotæ *virgini, monasterium Carmelitissis Excalceatis fundare volenti, sanitas mire restituta* 621 f, 622 a b. Ægrotis *singularem curam impendit S. Teresia* 679 d e. Ægrotans *vir nobilis per Reliquias S. Teresiæ a gravissimis doloribus liberatur* 372 a b c. Ægrotanti *novitiæ Carmelitanæ simile contingit beneficium* 373 b-f, 721 c d; *item moniali Carmelitanæ in Hispania* 374 b-f; *et Patri Dominicano Mexici* 756 f, 757 a b. Ægritudinibus *multis et magnis vexata monialis Bononiensis ad invocationem S. Teresiæ integræ redditur valetudini* 757 b-f. Ægritudines *variæ curantur intercessione S. Galli* 895 f, *et passim in seqq.* *De* ægrotis *singularem S. Magnobodus gerit sollicitudinem* 944 f; *idem* ægrotos *multos sanat* 943 *et seqq.*
Ætas *legitima pro Ordinibus sacris* 865 e f, 866 a, 1055 e. Ætas *pro episcopatu erat in Gallia annus* XXX *completus* 931 f; *sæc.* VIII *annus* L 1061 d
Æternitatis *cogitatio S. Teresiam parvulam vehementer percellit* 125 b, 378 d, 558 b c
Altaria *quandoque ab abbatibus consecrata* 811 c
Amentia *ope B. Philippæ depulsa* 100 c, 102 f, 105 a; *item ope S. Bertrandi* 1182 f
Amor divinus *ardentissimus in S. Teresia* 385 d e f, 386, 673 e f, 674 *et seqq.* Amoris divini *incendio potius quam vi morbi S. Teresia moritur* 338 f, 339, 386 e f. Amor divinus *quomodo obtinendus et in quo consistat* 659 e f, 671 f, 672 a, 677 a
Anachoretæ *in solitudine plerumque non erant absque socio aliquo* 1138 a, 1140 d
Angeli *sæpe apparent S. Teresiæ* 171 a, 179 c, 192 a, 307 d, 571 a b, 578 d, 618 e, 633 e, 658 e, 661 c, 662 a; *pie ab ea coluntur* 682 d; *plures ei morienti adstare conspiciuntur* 363 e. Angeli *contra dæmones pugnant* 179 c; *aliquando inter se dissentiunt* 263 e; *animas parvulorum post baptisma morientium excipiunt* 578 d
Angelicæ Salutationis *origines* 1108-1113
In anima *sua quantum passa fuerit S. Teresia* 149 c d e f, 156 b-f; 175 *et seqq.;* 197 b-f; 212 b c d, 395 e f, 567 e f, 572 d e f, 588 d e f, 598 d e f, 599 a b, 690 d e. Animi *S. Teresiæ dotes naturales* 651 e f, 652
Animarum *in purgatorio detentarum Deus misereretur* 215 b, 602 f. *Vide* Purgatorium.
Apostema *curatum per Reliquias S. Teresiæ* 371
Apostolicos viros *S. Teresia plurimi facit et qua potest ope juvat* 205 c e f, 387 c, 677 e f, 678 a b.
In apparitionibus *quomodo gerere se debeat homo* 165 *et seqq.* Apparitiones *S. Alberti Siculi* 252 e, 682 f; *S. Andreæ Apostoli* 235 e, 613 a; *S. Bertrandi Convenensis* 1181 a, 1183 c; *Ven. Catharinæ de Cardona* 307 d, 633 e; *S. Claræ* 187 f, 188 a, 577 c; *S. Dominici* 682 f, 683 a; *ejusdem et S. Catharinæ Senensis* 237 a; *S. Eliphii* 810 f; *S. Eusebii Vercellensis* 53 c; *S. Galli* 903 f; *Martyrum decem millium* 338 d e, 363 e f, 644 b c d, 682

682 f; *SS. Petri et Pauli* 165 a, 400 e, 682 e; *S. Petri de Alcantara* 199 f, 200 a b, 587 d e, 682 f; *S Pii V* 239 d; *S. Teresiæ adhuc viventis* 251 f, 252 a, 738 f; *ejusdem a morte sua* 118 a, 122 b, 165 e, 311 d e, 322 b, 339 a, 342 d, 344 c, 363 f, 372 e, 373 e f, 502 a b, 684 a, 715 b-f. 716, 750 f; *S. Ursulæ cum sociabus et Thebæis Maurisque Martyribus* 15 f, 16 a. *Vide* Angeli, Christus, Joseph, Maria, Visiones.

Appetitum *suum S. Teresia frustratur, ut pauperibus succurrat* 679 e f

Aquam *Deus miro modo largitur Carmelitis Excalceatis Mancerœ* 218 f, 624 a. *Vide* Fons, Pluvia.

Aquæ benedictæ *vis ad pellendos cacodæmones* 177 f, 178 b c d, 179 a b, 673 a b. Aquam benedictam *per viam comportat S. Teresia* 614 d

Arbor *quam dicunt Abulæ a S. Teresia terræ insertam, hodie superstes* 131 a b; *alia Pastranæ ab eadem plantata, miraculis insignis* 759 e. Arbor *sicca, moriente S. Teresia, subito floret* 364 c d e, 419 c. Arborem *sterilem fœcundam reddit S. Bertrandus* 1178 d e

Ariditas *in oratione quomodo ferenda* 669 f, 670. Ariditates *maximas per annos amplius viginti patitur S. Teresia* 653 e, 690 d

Assumptionem *Deiparæ in visione conspicit S. Teresia* 661 a

Auribus *male affectis medentur Reliquiæ S. Teresiæ* 717 f, 719 b, 749 e, *et patrocinium S. Gauderici* 1116 a

Austeritas *vitæ. Vide* Mortificatio.

B

Baculus *miraculosus a S. Bertrando datus mulieri contractæ* 1181 e f

De Baptismo *conferendo constans Ecclesiæ disciplina* 832 a b

Barbam *clerici Occidentalis Ecclesiæ tondebant* 1032 b c d

Basilica, *etiam ecclesia cathedralis* 932 c d

Beatificatio *S. Teresiæ* 348 *et seqq.; item S. Gauderici* 1113 c d e

Beatitudines *S. Teresiæ* 404 d

Benedictiones *ab Ecclesia adhiberi solitas plurimi S. Teresia facit* 178 b. Benedictionem *a S. Teresia petunt incolæ Manchæ* 633 b c. Benedictionem *a sacerdotibus genuflexa piissime petere solet* 682 a b

Bigami *quantumvis sancti non ordinandi* 51 b

Bilocatio *S. Teresiæ* 251 f, 252 a b

Brachium *sinistrum S. Teresia, a diabolo præcipitata, sibi frangit* 291 b c, 395 d e, 690 b c; *patientissime fert arduam ejus curationem* 690 c d e. *Idem* brachium *post mortem ejus a corpore decisum claret miraculis* 365 d, 370 b, 371 c, 434 c, 712 a c d, 714 c d e, 717 f, 749 c

Breviarium *Romanum abolito Parisiensi, quod sub nomine Lingonensis circumferebatur, substituit hodiernus episcopus Lingonensis* 816 f, 817 a

C

Cæcus *visum recipit per merita S. Conogani* 39 e; *item alii per intercessionem S. Galli* 905 d e, 907 c d; *et plures per S. Magnobodum* 942 c d, 943 d e, 944 a, 946 b c d, 947 a d, 948 a-d. Cæci *curantur ad invocationem S. Bercharii* 1024 e f, 1026 c, 1028 d e, 1030 a b; *et ad invocationem S. Bertrandi* 1182 b c e

Calumnias *in se jactatas patienter fert B. Philippa* 86 d e, 95 c d; *item S. Teresia* 265 e f, 271 a b c d, 280 c d, 297 f, 686 f, 687 a, 691, 692 a. Calumniis *impetitas moniales suas Hispalenses eadem Sancta eloquenti epistola solatur* 298

Cancro *triplici laborans monialis per Reliquias S. Teresiæ sanata* 369 d e f, 419 e

Canonizatio *S. Teresiæ ardenter promota* 353 *et seqq.; solemniter celebrata* 413 e f, 414 *et seqq.* Canonizatio *S. Bertrandi Convenensis* 1160 e f, 1161 *et seqq.*

Captivi *liberantur a S. Bauderico* 53 f, 54 a b; *alii ope B. Philippæ* 98 e f, 99 d e, 104 a b; *item alii per S. Magnobodum* 942 b, 949 a b, *ac plures per S. Bertrandum* 1180 e f, 1181 a b c, 1183 a b c

Capitis *dolores ope S. Teresiæ sedati* 364, 419 c, 643 e, 720 d e f, 749 b, 759 a b c d. Caput *hians et putrescens per liquorem e brachio S. Teresiæ fluentem integritati restituitur* 720 a

Caritas *S. Teresiæ erga proximum* 386 f, 387, 677 d e f, 678 *et seqq.* Caritas *S. Magnobodi* 944 d e f. *Vide* Amor, Zelus.

Carmelitarum Excalceatorum *primigenius fervor ac sanctitas* 217 d e f, 218, 219 a b, 261 f, 262 a, 623 f, 624 a f. *Adversus eos lata decreta a capitulo generali Ord. Carm.* 258 f, 259; *quid de his decretis videatur sentiendum* 260 *et seqq. Eos inter et Calceatos dissidia* 264 *et passim in seqq.*, 630, 631 a b c; *felix horum dissidiorum finis* 301 a b c, 310 b-f; 311 a b c, 317, 318, 319 a b, 631 d e f, 632 a. Carmelitis Excalceatis *data a Deo per S. Teresiam monita* 302 c d. Carmelitæ Excalceati *commendantur scientia, laboribus apostolicis et sanctitate* 771 f, 772 a b c

Carmelitissis Excalceatis *quis scopus a S. Teresia præfixus* 205, 206, 583 d e f, 584; *quales eæ esse debeant* 582 c d e f, 583 a b c d; *si tales vere sint, Christus morientibus speciali modo succurret* 607 f, 608 a. *Vide* Monita. Carmelitissæ Excalceatæ *eximiis clarent virtutibus* 202 c d, 204, 213 c, 223 a b, 245 b, 281 e, 290 e, 380 e, 592 d e f, 593 a b c, 599 e, 607 f, 772 b-f, 773 *et seqq.; singularibus Dei charismatibus plures ex iis donari testatur S. Teresia* 510 a b c

Carmina *a S. Teresia composita* 171 e f, 172 a b, 282 f, 283 a, 456 c d e f, 457. Carmine *pio audito, in mentis excessum rapitur* 457 e, 674 a b. Carminibus *componendis ac cantandis se ac moniales suas pie oblectat* 682 e, 700 c

Carnis *comestio monachis interdicta* 906 a. Carnis *usus quatenus interdictus Benedictinis sæc.* VIII 1074 e f, 1075 a

Castitatem *Deo vovet B. Philippa, eamque intemerate servat modestia, silentio et fuga otii* 85 c-f, 86, 95 b c d. Castitas *S. Teresiæ intemerata* 146 b c d, 392 a-e, 563 c d e f. Castitas *S. Bertrandi* 1174 b, 1175 a

Catena *ænea S. Gallus corpus domat* 896 b c

Cathedræ S. Petri *Romæ festum instaurat Paulus IV* 163 e f, 1046 d

Cereos *decem prægrandes quotannis die festo SS. Maurorum Martyrum mittere solebat ad basilicam Gereonæam senatus Coloniensis* 16 b f

Christiani *lege imperiali Judæorum mancipia esse non poterant* 829 d

Christus *S. Teresiæ amicitiis humanis addictæ apparet* 139 e, 142 a b, 562 d e. Christi *vulnerati imagine ad sanctiorem vitam incitatur S. Teresia* 147 e, 565 c. Christum *in horto Oliveti orantem sæpe et suaviter contemplatur* 148 a, 653 f. *Erga* Christi *Humanitatem maxime afficitur* 154 a. *Vide* Humanitas. Christus *pluries S. Teresiam alloquitur* 155 d f, *et passim in seqq.; sæpe se ei spectandum præbet* 161 *et seqq. passim. Vide* Visiones.

Visiones. *In monasterii fundandi proposito eam confirmat* 182 e f, 574 b c. *Fundato primo monasterio, Teresiæ apparet gratias ei agens eamque coronans* 202 b, 591 b c. *Ad Patris æterni conspectum eam in raptu deducit* 676 a. *Passionis suæ clavo eam sibi in sponsam accipit. Vide* Sponsalia. *Manus ejus lateri suo vulnerato inserit* 676 c. *Passionem suam in peculium ei tradit* 676 c d; *spondet ei se preces ejus nunquam non exauditurum* 676 d e. *S. Teresiæ mœrore confectæ solamen affert ac cibos in os ejus immittit* 297 a. *Monita ei suggerit Carmelitis Excalceatis significanda* 302 c. *Sub pueri specie cum ea loqui cernitur* 634 c. *Ad spondam morientis S. Teresiæ cum Angelis et Sanctis adstat* 338 d e, 363 e. *Monialem Teresianam videtur in mortis articulo obumbrare* 607 f. Christi *regno non esse finem gaudens recogitat S. Teresia* 673 e. Christi *passio sæpe recolenda est in meditatione* 669 a b e. *Vide* Passio. Christus *speculum et exemplar patiendi* 692 c d

Cibi *parcissima S. Teresia* 390 e, 693 a b; *lacrimans passim et e sordidis sæpe patinis eum sumit* 390 f, 688 a

Cilicio *utitur B. Philippa* 89 b. Cilicium *horridum gestat S. Teresia* 153 a, 692 f; cilicium *munusculi loco mittit ad fratrem suum* 119 c. Cilicium *S. Galli post mortem ejus inventum* 896 b c. Cilicio *carnem domat S. Magnobodus* 944 e, *item S. Mummolinus* 982 f

Cingulus *S. Teresiæ oleosum liquorem profundit* 343 d

Claudus *ope S. Bercharii sanatur* 1025 f, 1026 a b c

Clausura *monialium quanti sit momenti* 139 c d, 238 d e f; *quantum ea S. Teresiæ cordi esset* 317 f, 318 a, 322 b

Columba *cur S. Teresiæ appingi soleat* 342 a b c. Columba *alba ex ore S. Teresiæ morientis evolare visa* 363 f, 419 c, 644 b

Comestionis *modus S. Teresiæ* 390 e f

Commendarum *usus sæc.* VIII 1088 a, 1090 e

S. Communionem *frequentare orsa S. Teresia a vomitu quo mane laborare solebat, liberatur* 140 d, 681 a. *Ad S.* Communionis *mensam quam sæpe et quanta pietate S. Teresia accederet* 394 b c, 680 f, 681. *Quid circa* Communionem *suis monialibus præscripserit* 682 b, 743 f. *Vide* Eucharistia.

Conceptionem *immaculatam Deiparæ colens impudicus sacerdos ad frugem redit* 135 b

Conciliorum *vices supplebant non raro comitia regni* 1071 b c

Concionibus *sacris interesse studet B. Philippa* 95 b. Conciones *sacræ mire placent S. Teresiæ* 145 a b. Conciones *S. Galli fructuosissimæ* 886 a b c, 892 f, 893 a

Confessarios *bene doctos vult S. Teresia* 134 d, 158 d, 499 a b, 615 e f, 702 e f; *indoctos præfert semidoctis* 134 d, 702 e. Confessarii *et directores animarum sint circumspecti in loquendo* 152 d. Confessariis *obediendi gratiam S. Teresia Deo acceptam refert* 153 e. Confessariorum *consilium in rebus spiritualibus exquirendum et sequendum* 158 d e f, 165 b, 702 f, 703 a. Confessarii *S. Teresiæ interdum severe eam tractant* 158 d e, 159 d, 165 a b, 166 e f, 167 b c e, 176 b c, 567 f, 670 a b. *Erga* confessarios *suos grato animo est S. Teresia* 398 b, 699 c d. *De* confessariis *et directoribus spiritualibus suarum monialium quid S. Teresia senserit et statuerit* 498 c d e f, 499 *et seqq.*, 585 f, 586 c d, 615 c f, 616 a

Confessionem *generalem quotannis instituit B. Philippa* 90 c, 97 c. Confessio *generalis multum S. Teresiæ profuit* 153 c d e f, 566 f

Consortia *mala damnum S. Teresiæ afferunt* 126, 128 c, 129 f, 182 a, 559 a b c. Consortiis *bonis eadem plurimum juvatur* 127 b c, 128 e f, 129 f, 559 d

Constitutiones *monialium suarum ipsa S. Teresia scripsit* 492 d e f, 493 *et seqq. Earumdem summa* 584 f, 585 a b c d; *et approbationes* 585 e f; *ac quanta cura conservandæ sint* 615 c d e f, 616 a b c. Constitutiones *Carmelitarum Excalceatorum scriptæ a P. Hieronymo Gratiano* 247 b; *ordinatæ et approbatæ a capitulo Excalceatorum* 318 e

Contractus *corpore puer intercessione S. Teresiæ sanatus* 368 f, 369 a b c, 419 d e. Contractæ *manus sanatio per Reliquias ejusdem Sanctæ* 370 a b c d; *item* contracti *brachii* 371, 419 e f. *Plures* contracti *opem S. Galli experiuntur* 895 f, 905 f, 906 d e, 907 f, 908 a. Contractus *sanatur ope S. Bercharii* 1019 e f; *et alter ope S. Vitalis* 1098 a b. Contractos *sanat S. Bertrandus* 1181 d e f, 1183 a b

Contumelias *insigni tolerantia in se accipit S. Teresia* 577 f, 690 f, 691, 692 a

Conversatio *S. Teresiæ cum hominibus* 652 c d e, 697 f, 698 a

Conversionem *plurium peccatorum procurat S. Teresia* 134 d e f, 135 a b c d, 178 d e f, 387 b, 678 c d e; *ob eamque a cacodæmone vexatur* 178 d f, 679 e, 690 a b. *Gentiles* convertit *S. Eliphius* 813 b c; *SS. Martinianus et socii* 832 a b, 833 f, 834 a; *S. Mummolinus* 982 f

Cor *S. Teresiæ a Seraphino transfossum* 171, 172 a b c d, 429 *et seqq.*, 571

Corpora *SS. Maurorum Martyrum honorifice condita Coloniæ Agrippinæ* 11 b c f, 13 e f, 14 a; *reperta et publicæ venerationi rursus exposita a S. Annone archiepiscopo* 14 e f. Corpus *S. Antiochi Lugdunensis episcopi servatum in ecclesia S. Justi* 18 a b. Corpus *S. Rogerii Barolum delatum* 72 e f, 73, 74. Corpus *B. Philippæ Viennæ conditum populi concursu et miraculis claret* 92. Corpus *S. Teresiæ summo honore habitum* 343 *et seqq.*, 421 f, 422 *et seqq.*, 711 c d e f, 712 *et seqq.* Corpus *S. Galli miraculis in sepultura et postea sæpius illustratum* 895 e f, 896 *et seqq.* Corporis *S. Lulli elevatio et translationes* 1081 b-f. Corpus *S. Vitalis ad varia loca delatum* 1094 e f, 1095, 1099 a b; *a Calvinianis combustum* 1095 f. Corporis *S. Gurdanii translationes* 1104 e f, 1105; *ejusdem destructio* 1106 a d. Corpus *S. Bertrandi elevatum a Clemente PP. V* 1162 c-f. *Vide* Incorruptio, Liquor, Odor, Reliquiæ.

Crucem *manu tenens omnes dæmones provocat S. Teresia* 157 c, 390 b c, 568 b. Crux *e rosario ejus pendens prodigiis illustratur* 170 d e, 570 b c d e. *Aliæ ejusdem* cruces *religiose asservatæ* 436 d e f, 437 a. Crucis *signo dolores dentium sedat S. Teresia* 698 e f, 699 a; *item S. Magnobodus* 944 b, *qui et alia per* crucem *edit miracula* 946 c, 947 a d, 948 a. Crucis *Christi dulcis et utilis est memoria* 141 b, 193 a, 669 b, 689 f

Cultus *ecclesiasticus S. Teresiæ quomodo inceptus et promotus* 760 c d e f, 761 *et seqq.* Cultus *eidem tributus a regibus, proceribus, Sanctis, Ordinibus religiosis, populis, etc.* 763 d e f, 764 *et seqq.* Cultus *S. Gauderici apud Perpinianenses insignis* 1117 b-c. Cultus *S. Bertrandi specialis Barcinone* 1170 b c d. *Ejusdem* cultus *ecclesiasticus in Gallia* 1170 d e f, 1171, 1172, 1173 a

D

Deipara. *Vide* Maria.
Dentium *dolores benedictione S. Teresiæ sedati* 698 e f, 699 a; *item benedictione S. Magnobodi* 944 a b
Detractiones *horret S. Teresia* 137 b c, 652 e, 680 b
Diaboli *apparent quandoque sub ficta Christi, Angeli aut Sancti specie* 161 f, 162 a, 164 f, 165 e f, 166 a b, 167 c d, 168 e, 169 a b c; *ignavi sunt et mendaces* 157 c d e f, 179 c d; *crucis signo et aqua benedicta fugantur* 177 f, 178 b c d, 179 a b, 673 a b; *ægre ferunt peccatorum conversionem* 178 d f, 679 e, 690 a b; *acerbum illis accidit animas e purgatorio liberari* 179 b; *S. Teresiam multimodis vexant* 177 f, 178 a b c d, 179, 197 b c d e, 232 e f, 588 d e f, 598 d e f, 678 d e, 679 c d, 690 a b; *monasterii ejus Abulensis murum dejiciunt* 578 e f. *Ipsa a* diabolo *e scala præceps agitur* 291 b c, 395 d e, 690 b c. Diabolos *S. Teresia videt divitis cujusdam cadaver uncis ferreis raptantes* 661 b. Diaboli *queruntur destructa a S. Gallo idola* 886 c d. Diaboli *monachum apostatam invadere parantes cœlitus prohibentur* 1027 c d e. *Vide* Energumeni.
Directores. *Vide* Confessarii.
Disciplinæ *religiosæ servandæ magna S. Teresiæ cura* 280 a b, 700 b-f, 701
Discretio *spirituum in S. Teresia* 161 f, 162 a b c d, 164 a b, 235 e f, 403 d e f, 404 a
Dissensiones *inter sanctos homines, quin et inter Angelos, oriri quandoque sinit Deus* 263 d e f. Dissensio *inter SS. Lullum et Sturmium explicatur* 1063 e f, 1064 *et seqq.; ac narratur* 1087 e f, 1088
De distractionibus *in oratione occurrentibus utilis doctrina S. Teresiæ* 655 d e, 669 a b.
Doctoris *titulus num et qua ratione S. Teresiæ dari possit* 468 d e f, 469 *et seqq.*
Doctrina *S. Teresiæ cœlestis* 402 b c d e, 464 *et seqq.*, 763 b c

E

Ecclesiæ *filiam se esse gaudet moriens S. Teresia* 363 c d, 382 b, 642 c
Ecstases. *Vide* Raptus, Visiones.
Elcemosynæ. *Vide* Pauperes, Pecunia.
Energumeni *liberantur per merita S. Bauderici* 54 a b c; *item alter ad invocationem B. Philippæ* 105 d; *alii per Reliquias S. Teresiæ* 749 b c. *Ab* energumena *dæmonem expellit S. Gallus* 889 e f, 890 a-d. *Alii plures* energumeni *ejusdem Sancti opem experiuntur* 904 f, 905 a. Energumenos *liberat S. Magnobodus* 944 b c, 946 d e, 947 f. Energumeni *liberatio coram corpore S. Anastasii* 1138 f, 1139 a; *item aliorum per S. Bertrandum* 1176 e f, 1177 a b, 1181 f, 1182 a. Energumeni *pœnitentiis corporalibus afficiebantur* 906 b c
Episcopatus *olim ætatem* L *annorum requirebat* 1061 d
Episcopi *virtutes accurate describuntur* 876 e, 937 e f, 938 a; *elucent in S. Magnobodo* 892 c, 942 a b; *in S. Mummolino* 983 c-f; *in S. Lullo* 1086 a b c; *in S. Bertrando* 1174 c, 1175 a b. Episcoporum *electio fiebat sub Carolovingis de consensu regum* 1059 d e
Epistolæ *S. Teresiæ quot supersint; quando et quomodo typis excusæ, et quanta earum præstantia* 457 f, 458 *et seqq. Per* Epistolas *S. Teresiæ patrata miracula* 371 b, 750 b c; *ex iis quædam suavem spirat odorem* 724 b c
Erysipelatis *sanatio a S. Teresia facta* 361 f, 362 a-e, 419 a, 698 f, 699 a
SS. Eucharistiam *frequenter visitat et pie recipit B. Philippa* 90 d e f. *SS.* Eucharistiam *ab hæreticis injuria affici graviter S. Teresia dolet* 206 c d, 212 b, 232 a, 680 f; *ejusdem cultum cordi habet et promovere studet* 394 a, 682 a. *Per SS.* Eucharistiam *ægri sanantur a S. Magnobodo* 945 e, 946 b

F

Fama *sanctitatis quanta S. Teresiæ in vita et post mortem fuerit* 404 d e f, 405, 728 *et seqq.*
Familitates *nimiæ et futiles S. Teresiam in via perfectionis retardant* 138 f, 139 d e f, 144 b c, 562 c d e f
Farinæ *miraculosa multiplicatio per merita S. Teresiæ* 360, 361, 419 a
Febri *gravi laborans mulier attactu S. Teresiæ sanatur* 236 f. Febris *depulsa precibus et voce S. Teresiæ* 304 b c, 698 e; *pannis sanguine ejus tinctis* 719 d, 749 d e; *vestibus ejus* 342 f, 343 a, 721 a d e, 722 a; *item ad ejus invocationem* 724 d e, 751 a b. Febres *pellit S. Magnobodus* 943 d, 945 e, 947 a. Febri *gravi correptus opem S. Bercharii experitur* 1024 a b c. Febrium *ardores sedat fons S. Anastasii* 1136 a
Festivitates *Sanctorum contemnentes divinitus puniuntur* 28 b. Festivitates *Sanctorum quandoque tribus Missis celebrabantur* 858 c. *Die* festivo *operi servili insistens punitur* 1028 a b
Fides *heroica S. Teresiæ* 382, 383 a b c, 672 c d e f, 673 a b c d
Fiducia *S. Teresiæ in Deum* 684 c d e f, 685 a b
Fœminæ, *Dei pudore abjecto, ad pessima quæque proruunt* 135 a; *virtutibus potius quam vitiis affectum virorum sibi conciliant* 135 c, 235 b c. Fœminarum *directio spiritualis quantam circumspectionem exigat* 152 c d. Fœminis *cur Deus sæpe arcana sua revelet* 554 c d, 663 c d. *Per* fœminas *res grandes quandoque operatur Deus* 688 f, 689 a
Fontem *mirabiliter elicit S. Vitalis* 1097 c. Fons *sub feretro S. Gauderici scaturit* 1113 c
Fortitudo *invicta S. Teresiæ* 389 d e f, 390 a b c d
Furta *ope S. Galli detecta* 904 b c, 905 f, 906 d, 907 c

G

Gladios *sanguinolentos in Lusitaniam et Galliam vibrari ab Angelis videt S. Teresia* 403 c, 662 a
Gratiæ *gratis datæ in S. Teresia* 402, 403, 404 a b
Gratus animus *S. Teresiæ* 397 e f, 398 a b c, 699 c d e f
Gutturis *morbi per Reliquias S. Teresiæ sedati* 372 d e f, 373 a, 419 f, 720 f, 749 e

H

Habitum monasticum *assumere idem erat ac professio regularis* 1128 c d
Hæretici *quam sint miserabiles* 139 d. *Eorum nequitiam, impietatem et cæcitatem deplorat S. Teresia* 205 b, 206 c d, 583 f, 674 e, 677 b, 680 e f, 706 e
Hilaritatem *præ se fert et suis inesse vult S. Teresia* 652 c d, 700 c, 701 b
Homicidis *pœnitentia circuli ferrei imponebatur* 906 f, 908 f, 909 a
Horologii *pulsus solamen affert S. Teresiæ* 339 e f, 673 f

Humanitas *Sacrosancta Jesu Christi quam pulchra sit et gloriosa, S. Teresiæ ostenditur* 161 a b c f, 162 c d, 400 b c, 570 c f, 654 e, 658 d e. *Sæpe in meditatione consideranda est* 669 e
Humilitas *S. Teresiæ profundissima* 394 d e f, 395 a b, 685 b-f, 686 *et seqq.; ingeniosa* 189 a, 221 a b, 244 d e, 686 f. Humilitatem *parvis in rebus S. Teresia cum magno fructu exercet* 180 b c d. Humilitas *vera animam illuminat et quietat; falsa prorsus contrarium efficit* 175 b-f. Humilitatis *falsa species est orationem intermittere* 138 f, 140 c, 669 e, 685 d, 688 e. *Plura de hac virtute monita S. Teresiæ* 688 c d e f. Humilitas *S. Bertrandi in vita militari et in episcopatu* 1174 b, 1175 a
Hydropicus *ope S. Bertrandi sanatur* 1182 c d
Hypocrisin *perosa S. Teresia* 139 a, 652 f

I

Idola *destruit S. Gallus* 873 a b, 886 a b c. Idolorum *eversio aliquando excusatur* 887 e
Jejunia *ecclesiastica et regularia accurate observat S. Teresia* 391 a, 396 c; *imo ut plurimum* jejunat 693 a. Jejuniis *insigniter vacat S. Magnobodus* 944 e; *item S. Mummolinus* 982 f
A Jesu *cognominari voluit S. Teresia* 117 d, 556 f; Jesu *Sanctissimum Nomen suis scriptionibus præfigit* 709 d, 710 d. Jesus. *Vide* Christus.
Ignis *non lædit sepulcrum S. Galli* 897 b c
Imagines *Sanctorum præ nimio zelo confringi jussit S. Serenus episcopus Massiliensis* 22 f, 23 a. Imagines *pias in deliciis S. Teresia habet et per eas juvatur* 139 b, 147 c, 148 c, 201 f, 221 f, 558 c, 565 c, 570 c f, 614 d, 654 a, 673 a, 674 c, 677 b c, 680 c. Imagunculis *cordis S. Teresiæ plura patrata miracula* 432 c f, 433 a b; *alia item per* imagunculas *e pulvere sepulcri ejus confectas* 758 f, 759 a b c d. Imaginibus *S. Teresiæ res miræ patrantur* 723 d e f, 724 a
Impetus *in oratione quid sint* 657 c d e f; *quales et quantos S. Teresia experiretur* 674 a b c d, 705 a b c. *Vide* Amor divinus.
Impuberum nuptiæ *quandoque licitæ ex urgentissima causa et quando dari potest verus consensus* 877 e f, 878 a b
Impudicos *sacerdotes duos e sordibus eripit S. Teresia* 134 d e f, 135 a b c d, 178 d e f, 678 c d. Impudicam *mulierem, a qua tentabatur, ad frugem reducit S. Ambrosius Cadurcensis* 1047 a b c. Impudicitiæ *acerrimus hostis S. Bertrandus* 1177 b c d e, 1179 c d e
Incendium *ad invocationem B. Philippæ extinguitur* 102 d. Incendii *periculum ab Hispalensi S. Teresiæ monasterio Deus avertit* 273 c, 628 c d. Incendiarii *divinitus puniti* 904 a
Incontinentia *clericorum graviter a Deo punitur* 1177 c d e, 1179 c d e
Incorruptio *corporis S. Teresiæ* 343 c, *et passim in seqq.*, 365, 366, 367, 711 e, 713 a, 714 c d e f, 715 a, 746 c d e f, 747 a b c d. Incorruptio *corporis S. Lulli anno a morte sexagesimo* 1090 c d
Indulgentias *lucrari studet S. Teresia* 148 a, 673 a. Indulgentiæ *cultoribus ejus concessæ* 415 f, 421 a, 433 a, 760 d; *item legentibus ejus scripta* 471 a b. Indulgentiæ *S. Bertrandi Convenensis cultui propriæ* 1163 c-f, 1164 *et seqq.* Indulgentiarum *parci erant olim Romani Pontifices* 1164 f, 1165 a
Infans *miraculose loquitur* 235 a, 612 d
Infernum *S. Teresiæ ostensum* 180 f, 181, 182 a b c, 574 a
Inimicos *singulari dilectione prosequitur S. Teresia* 387 e, 398 b, 680 b c d e
S. Inquisitionis *tribunal cur non timeret S. Teresia* 186 c d, 672 e f
Interpretatio *sermonum gratia gratis data S. Teresiæ* 404 b
Invidiæ *pœna* 941 f, 945 c d
S. Josephi *patrocinio sanitatem recuperat S. Teresia* 137 e, 562 b. *S.* Josephum *primo monasterio Teresiano patronum assignat Christus* 182 e, 574 b. *S.* Joseph *apparens S. Teresiæ pecuniam ad monasterii fundationem affore spondet* 187 e, 576 f. *Eidem Sanctæ apparet cum B. V. Maria* 188 a b c d, 577 d e; *item cum Jesu et Maria* 300 e f. *Iter agenti S. Teresiæ viam indicat* 254 e. *Eam ad obediendum animat* 274 c. *S.* Josephi *cultum verbis et exemplis suis quamplurimum promovit S. Teresia* 682 d e, 683 c d e f, 684 a b
Iter *agendi ratio S. Teresiæ* 614. Itinera *ejus difficillima* 231 e f, 256 c d e f, 257 a b, 322 f, 323 a, 329 f, 330 a b c, 338 a b c, 610 c d, 625 d e f, 636 e, 638 d e f, 639 a b, 689 d e f; *vere apostolica* 393 b. *In* itinere *viam S. Teresiæ indicat S. Josephus* 254 e
Jubilæus *anni* 1450 *ingenti hominum concursu Romæ celebratur* 91 c d. Jubilæi *nomen pro centenaria aut quinquagenaria periodo indulgentiæ ante Clementem V notum non fuit* 1163 c
Justitia *perfectissima S. Teresiæ* 388 f, 389 a b c d. Justitia *S. Bertrandi in vita militari* 1174 a

L

Læsio animæ *in oratione quid sit* 657 f, 658 a
Lampas *coram sepulcro S. Galli mire pendula manet* 907 b
Lectio pia *mensæ regularis condimentum* 847 c
Lethargicus *puer per linteum liquore e corpore S. Teresiæ fluente imbutum miraculose excitatur* 370 d e f, 371 a
Libertas *nimia monasteriis nocet* 139 b c d
Libri *pii quanto sint ad virtutem adjumento* 124 e, 129 c d e, 130 b, 152 b c, 177 b, 557 f, 559 e f. Libri *futiles quantum nocere nati* 125 f, 128 b, 130 b, 558 f, 559 a. Libri *a S. Teresia conscripti* 380 e f, 381 a b, 438 e f, 439 *et seqq.*, 663 e f, 664
Linguarum romanæ et theotiscæ *bipertitio in Belgio* 967 c-f, 968 a b. Linguæ rusticanæ *indoles sæc.* VII 967 d e
Liquor *oleosus e S. Teresiæ exuviis scaturiens* 343 c, *et passim in seqq.*, 368 d e f, 419 d, 714 d f, 748 d e f
Loquelæ *pueris consequendæ patronus est S. Mummolinus* 978 f, 979 a
Lumina *cœlestia in morte S. Teresiæ conspecta* 363 e f, 419 b c, 644 a c

M

Magnanimitas *S. Teresiæ* 397 b c d, 417 d e, 652 a b, 684 c d e f, 685 a
Magnetismo animali *ecstases S. Teresiæ attribui nequeunt* 523 *et seqq.*
Maledicentia *in episcopum prodigiose punita* 943 a
Maledictio *a Sanctis viris prolata quo sensu excusetur* 887 e f
Mansuetudo *S. Teresiæ* 396 d e f, 397 a b, 577 f, 589 d, 689 f, 691, 692 a
Manus *aridæ a S. Magnobodo sanatæ* 943 e, 944 c, 946 f, 947 a
S. Mariam *Deiparam in matrem eligit S. Teresia* 125

125 c d, 558 d e. *Erga* Mariam *affectus oratione accenditur* 151 c. Maria *primi monasterii a S. Teresia erecti protectrix* 182 e, 574 b; *specie pulcherrima cum S. Josepho apparens S. Teresiam veste candida et aureo torque ornat* 188 b c d, 577 d e; *ab eadem cernitur primas ejus moniales pallio suo tegere* 202 b, 591 c. Mariam *Ordinis Carmelitani Matrem, Dominam ac Patronam sæpe vocat S. Teresia* 206 a, 217 f, 245 a f, 246 a b d f, 247 c, 262 a, 264 b, 268 d, 285 f, 291 f, 292 a. Mariam *cœnobii Incarnationis Abulensis quasi præpositam S. Teresia sibi substituit* 238 d, 618 d; *atque ideo visione ab ea recreatur* 618 e. Maria *cum Jesu ac Josepho S. Teresiæ apparet* 300 e f. Mariæ *juxta crucem patientis sensa S. Teresia intelligit* 674 a. *Erga* Mariam *maxima S. Teresiæ pietas* 682 d e. *De* Mariæ *doloribus verba Christi ad S. Teresiam* 692 d. Maria *apparet monacho apostatæ eumque ad meliorem frugem reducit* 1027 d e

Martyrum *nomina et loca diesque passionis in codice descripta habebat Romæ S. Gregorius Magnus* 9 f, 10 e. Martyres *quandoque lato sensu dicuntur milites in prælio adversus infideles interempti* 561 a. Martyr *dicitur qui mortem subit propter actum virtutis supernaturalis* 1001 e f

Martyrii *desiderium in S. Teresia parvula* 125 a b, 127 c d e f, 378 d, 558 a

Matrimonium *spirituale Salvatoris cum S. Teresia* 240 e, 654 f, 676 c d

Mendacium *leve toto vitæ decursu deflevit B. Philippa* 85 c, 96 d

Militum *Christianorum exemplar S. Bertrandus* 1173 c-f, 1174 a b

Ministeria *abjecta et sordida peragit S. Teresia* 687 d e

Miracula *attributa S. Bauderico* 53 f, 54. Miracula *B. Philippæ* 98 *et seqq.* Miracula *S. Teresiæ in vita sua* 236 f, 237 a, 304 b c d, 359 d e f, 360 *et seqq.*, 419 a, 578 a b, 698 c d e f, 699 a; *in morte* 364, 419 b c, 644 a; *post mortem* 364 f, 365 *et seqq.*, 419 c d e f, 717 d e f, 718 *et seqq.*, 745 *et seqq.* Miracula *S. Juniano adscripta* 844 d e, 848 f, 849. Miracula *S. Galli in vita* 889 a b, 890 a d, 893 c e; *ac post mortem* 895 f, 896 *et seqq.* Miracula *S. Balderici Falcomontani* 925 a-d, 927 b-f, 928 a. Miracula *S. Magnobodi* 939 b, 942 b-e, 943 *et seqq.*; *S. Bercharii* 1019 e f, 1024 *et seqq.*; *S. Vitalis* 1097 e f, 1098 a-d, 1099 b c d; *S. Gauderici* 1113 c e, 1115 c-f, 1116, 1117 b f; *S. Bertrandi in vita* 1176 e f, 1177 *et seqq.*; *ac post mortem* 1180 e f, 1181 *et seqq.*

Misericordia. *Vide* Pauperes.

Missionibus *sacris claret Ordo Carmelitarum Excalceatorum* 772 a, 789 d e f, 790 a b d

Missis *pluribus singulis diebus interest B. Philippa* 90 d e, 96 b. Missam *quotidie, etiam in itinere, audire S. Teresia satagit* 614 c d. Missam *quanta pietate celebraret S. Magnobodus* 944 d e. Missam *quotidie pie audit S. Gaudericus* 1119 b

Monachus *fugitivus a S. Gallo prodigiose punitus* 905 b c. Monachi *non sunt arcendi a sacro ministerio* 933 e f. Monachus *apostata mire ad frugem revocatus* 1027 a-e

Monasteria *antiquitus non habebant semper fixam scriptamque regulam* 934 d e f. Monasteria *alia episcopalia, alia regia* 1064 c

Monasticæ vitæ *commoda* 269 e f, 270 a b. Monasticam vitam *S. Augustinus in Africam invexit* 829 f, 830 a-d

Monialis *votum castitatis violans comparatur adulterœ* 827 d, 828 a-e

Monita *a Deo per S. Teresiam data Carmelitis Excalceatis* 302 b c d; *item aliis* 663 c d. Monita *S. Teresiæ ad Philippum II Hispaniæ regem* 221 c, 439 b. Monita *ejus ad moniales suas de fine sui Instituti* 205 c d e, 206; *de servando primigenio Ordinis rigore* 217 e f; *de Deo fideliter et ferventer serviendo* 269 e f, 270; *de earum confessariis* 498 d e f, 499; *de novitiis admittendis* 648, 649; *de oratione* 668 c d e f, 669 *et seqq.*; *de humilitate* 688 c-f; *de paupertate* 695 a b; *de obedientia* 696 f, 697 a b c d; *de recto monasteriorum regimine* 701. Monita *alia breviora simul collecta* 455 d e, 741 c d e f, 742, 743. Monita *ante mortem data a S. Magnobodo* 948 f; *et a S. Mummolino* 983 f, 984 a. Monita *S. Bonifacii ad S. Lullum* 1085 c-f

Morbos *et patientiam ad eos tolerandos S. Teresia a Deo poscit* 133 e; *ac mox exauditur* 133 e f, *et passim in seqq.*; *imo tota vita ægrotat* 341 d e, 689 c d

Mors *insignis S. Conogani* 39 f. Mors *pia plurium consanguineorum S. Teresiæ* 117 f, 118 a, 119 f, 120 a b c, 122 b e, 123 b, 124 f, 141 a b c, 192 b c. Mors *S. Teresiæ cœlestibus signis et prodigiis illustrata* 338 d e f, 363 b-f, 364, 419 b c d, 643, 644 a b c d. Morientes *moniales S. Teresiæ magna gaudent tranquillitate* 608 a b. Mors *præclara monialium Teresianarum Compendiensium ab impiis tyrannis neci addictarum* 775 e f, 776 a. *Ad* mortem *quomodo se paret S. Magnobodus* 948 f; *item S. Mummolinus* 983 f, 984 a; *ac S. Bertrandus* 1174 e f

Mortificatio *B. Philippæ* 89 a b; *S. Teresiæ* 153 a, 396 a b c d, 687 d e f, 688 a b c; *S. Galli* 896 b c; *S. Magnobodi* 944 e; *S. Mummolini* 982 f

Mortui *pueri ad invocationem B. Philippæ redivivi et Baptismi gratiam consecuti* 99 c d f, 100 a b, 101 e f, 102 c, 103 b, 104 e f, 105 b c d e. *A* morte *revocat S. Teresia sororis suæ filiolum* 578 a b c. Mortui *duo intercessione S. Teresiæ resuscitati* 756 b c d e. Mortuum *puerum ad vitam revocat S. Magnobodus* 950 a d. Mortuum *suscitat S. Mummolinus* 974 b

Munditici *amicissima S. Teresia* 337 a, 652 e, 655 c

Munuscula *olim ultro citroque missa a sanctis viris* 1077 c-f, 1078 a-d

Mutus *ope B. Philippæ loquelam recuperat* 102 b; *item alter ope S. Galli* 907 f; *aliique ope S. Bertrandi* 1182 a b f

N

Nobilitate *generis insignes viri ac fœminæ plures Ordini Carm. Exc. nomen dedere* 769 b c, 770 c d e f, 771

Novitiatum *religiosum S. Teresia ferventer transigit* 132 f, 133 a b c, 560. *In* novitiis *ad Ordines religiosos admittendis quæ servari oporteat* 645 c d e f, 646 *et seqq.*; *quis speciatim delectus inter moniales Teresianas sit necessarius* 582 c d e f, 583 a b c. *Alia de* novitiis *monita* 701 a b, 702 b c

O

Obedientia *eximia B. Philippæ* 88 a. Obedientia *perfectissima S. Teresiæ* 165 b, 185 f, 186 c, 196 e f, 225, 256 b c, 391, 570 a b, 575 c d e f, 642 a, 695 e f, 696; *ejusdem de* obedientia *monita* 696 f, 697 a b c d. Obedientia *in primis monialibus Teresianis exempla* 204 c d e, 592 f, 593 a, 607 f. *Ex* obedientia *scribit Ven. Anna a S. Bartholomæo,*

S. Bartholomæo, antea scribendi ignara 304 c d.
Obedientia *S. Galli insignis in subeunda pœna sibi a S. Columbano inflicta* 874 e
Oblocutiones *hominum in primi monasterii sui fundatione S. Teresia egregie sustinet* 183 d e, 185 d e, 198 b-f, 199, 200 b c, 574 e f, 575 c d, 589 b-f, 590
Oculi *male affecti sanantur ope B. Philippæ* 98 f, 99 a, 106 a; *item ope S. Teresiæ* 364 a, 419 c, 643 e, 717 f, 718 a, 749 c e
Odor *suavissimus prodit ex ossibus S. Rogerii* 74 e, 75 f; *item e S. Teresiæ exuviis* 343 c, *et passim in segq.*, 363 f, 368 a b c d, 373 f, 643 b c d, 711 c d e, 713 a e f, 714 d e f, 715 a, 747 d e f, 748 a b c; *et e Reliquiis S. Gauderici* 1113 c
Officium divinum *summa cura recitat ac recitandum curat S. Teresia* 393 f, 673 a; *ejus occasione humilitatem sæpe exercet* 180 b c, 687 c f
Oleo benedicto *a S. Magnobodo miracula patrantur* 943 e, 944 c, 946 d e, 947 f, 948 a b c
Olfactum *recuperat monialis pedes S. Teresiæ mortuæ deosculans* 364 a, 419 c, 643 e; *item novitia manum ejusdem Sanctæ suis naribus admovens* 343 f, 718 a b; *et vir gestans linteum brachio Sanctæ admotum* 723 a; *nec non alii per alias Reliquias Teresianas* 749 c e
Opera *manualia viris suæ Reformationis commendat S. Teresia* 275 c, 282 a. *Qualia suis monialibus præscribat* 585 b c. *Ipsa sedulo iisdem vacat* 393 a, 687 d e, 694 c d
Orationi *valde addicta B. Philippa* 89, 95 a b. Orationis *studium in S. Teresia infantula* 124 c, 378 d e f, 558 b c d. Orationi *mentali operam dare qui S. Teresia cæperit* 134 a b c, 561 c; *qua de causa eamdem aliquamdiu intermiserit* 138 f, 140 c, 142 c, 151 a b, 562 c d; *qua occasione eam resumpserit* 141 d, 142 d, 562 e. Orationis *mentalis utilitas* 144 a d e f, 151 b c d e, 191 b-f, 192 a, 668 c d e f. Orationi *jungenda mortificatio* 153 a d, 154 a b. Oratio *S. Teresiæ quam sublimis fuerit* 398 c d e f, 399 a b c. Orationis *supernaturalis modi varii a S. Teresia expositi* 656, 657, 658 a b. *De* oratione *documenta ac monita S. Teresiæ* 668 c d e f, 669 *et seqq.* Orationis *mentalis a supernaturali discrimen* 670 f, 671 a b. *In* oratione *assiduus est S. Magnobodus* 944 d e
Ordines *religiosi, etiam a primævo fervore decidui, ad Dei obsequium prosunt* 182 f, 574 c; *utiles etiam sunt reipublicæ civili* 515 b, 1037 a b c. Ordinum *religiosorum in perfectione progressum ardenter optat S. Teresia* 205 e. Ordinum *religiosorum Fundatores plerique visionibus et revelationibus illustrati* 401 f. Ordines *religiosi plures S. Teresiam singulari veneratione prosecuti* 764 e f

P

Pallii *obtinendi necessitas non fuit ante sæculum* IX 1071 d e f, 1072 a b
Palmarum *Dominica SS. Eucharistiam singulari fervore recipere solet S. Teresia* 681 b c
Pane benedicto *a S. Magnobodo miracula patrantur* 942 d, 945 f, 946 a b
Paralytica *monialis sanatur admoto digito S. Teresiæ* 718 e f. Paralytici *curantur ope S. Galli* 895 f, 908 b; *alii item per S. Magnobodum* 946 e f
Parentes *advigilent liberorum suorum amicitiis* 126 b d
Paroxysmus *S. Teresiæ quatriduanus, sub quo nonnulla ei revelantur* 136 c d e, 561 d e f, 562 a
Parturientibus *salutare patrocinium B. Philippæ* 98 c, 99 a e, 101 f, 102 a, 103 b c, 104 b. Parturientes *Reliquiis S. Teresiæ juvantur* 718 d, 722 d e, 750 a
Pascha *die quandoque diverso celebrabatur in Occidente ac in Oriente* 1005 e f, 1006 a b c
Passionis *Christi suavis et utilis recordatio* 129 d, 141 b, 147 e f, 148 a, 193 a, 668 f, 669 a b. Passionem *suam Salvator tanquam peculium S. Teresiæ tradit* 676 c d
Pastores animarum *non fugiunt ad incursum lupi* 1157 f
Patientia *invicta B. Philippæ* 86 d e, 95 c d; *et S. Teresiæ* 395 b-f, 689 c d e f, 690 *et seqq.*
Patrocinium *S. Teresiæ Mexicanum* 353 e; *item aliarum urbium et regionum* 765 a b; *ac speciatim Hispanum* 765 b-f, 766, 767 a b c d
Erga pauperes *et miseros mira B. Philippæ caritas* 88 d e f, 91 d e, 95 f, 96 a. *In* pauperes *misericors est pater S. Teresiæ* 124 f; *quem imitatur Sancta parvula* 125 c, 558 d. Pauperibus *succurrendi desiderium mire in S. Teresia accrescit* 708 b; *unde omni studio eis solamen et opem afferre contendit* 387 d, 679 f, 680 a. Pauperes *virgines libenter inter suas moniales admittit S. Teresia* 270 b c, 649 b c. *In* pauperes *erogat S. Gallus dona a viro principe accepta* 890 e. Pauperibus *et afflictis insigniter succurrit S. Magnobodus* 944 e f; *item S. Bertrandus* 1175 b
Paupertati *mire addicta B. Philippa* 89 f. Paupertas *excellens S. Teresiæ* 192 e f, 193 a b c d, 392 e f, 393 a b c, 587, 694, 695 a b
Peccatum *mortale nullum commisit S. Teresia* 126 c, 140 f, 145 c d e f, 146, 147 a b, 563, 564, 565 a b. Peccatum *veniale plus damni animæ afferre potest quam omnes dæmones simul* 157 d; *via est ad peccatum mortale* 182 b. *Millies mori quam venialiter* peccare *mavult S. Teresia* 705 e
Pecunia *duplicata ad eleemosynam* 943 f
Pedibus *dolens P. Ribera S. J. efficaciam Reliquiarum carnis S. Teresiæ experitur* 719 e f. Pedi *vulnerato medentur Reliquiæ vestium S. Teresiæ* 721 f, 751 a
Peregrinationes *sacras B. Philippa pie instituit* 90 a b c d, 91 a b d e, 96 c, 97 c. Peregrinationes *Hierosolymam et Romam facit S. Bercharius* 1000 a b c. Peregrinatio *Romana antiquissimis temporibus usitata* 1043 f
Perjuro *pœna cœlitus illata* 904 c d
Pestis *Romæ et alibi anno jubilæi* 1450 *grassatur* 92 a. Pestis *sedata per Sanctorum intercessionem* 1099 b c, 1116 c e f
Phylacteria *superstitiosa proscribuntur a S. Eligio* 815 f
Pictoribus *observanda de S. Teresiæ effigie* 341, 342 a b c, 651 c d e
Pleuritis *ac febris voce et tactu S. Teresiæ discussa* 362 e f, 363 a, 419 a, 698 d; *item per subuculam S. Teresiæ* 723 c
Pluralitas beneficiorum *innocue quandoque existit* 1152 d e
Pluvia *intercessione S. Bercharii obtenta* 1030 b-e; *item sæpe intercessione S. Vitalis* 1097 c. *Ad* pluvias *obtinendas vel avertendas validum S. Gauderici patrocinium* 1115 f, 1116 a b e, 1117
Pœnitentiæ Sacramentum *frequentare amat S. Teresia* 127 a, 136 b, 137 b c, 562 b. Pœnitentia. *Vide* Jejunia, Mortificatio.
Podagrici *opem S. Teresiæ experti* 721 a b, 749 e f. Podagricus *a S. Magnobodo curatus* 945 f
Prædicatorum *Ordini multa se debere fatetur S. Teresia* 335 c; *insignes de eodem visiones habet et prophetias edit* 477 f, 478 *et seqq.*, 661 e f. *E* Prædicatorum

Prædicatorum *Ordine nonnulli nuperrime pro Catholica Fide sanguinem profuderunt* 480 e; *plures ex eo Ordine viri præstantes S. Teresiæ confessarii, directores et consultores fuere* 666 a b c, 728 f, 729, 730
Precariorum *varia species* 1034 a b
Prophetia *S. Ludovici Bertrandi de Carmelo Teresiano* 183 c. Prophetiæ *S. Teresiæ* 252 d, 254 c d, 300 f, 339 f, 340, 402 f, 403 a b c d, 472 b-f, 477 c d e f, 661, 662, 663 a b c d. Prophetia *commentitia de Societatis Jesu suppressione* 476, 477 a b c. Prophetiæ *spiritus in Novo æque ac Veteri Testamento* 660 c d e f. Prophetia *de præterito, præsenti et futuro esse potest* 660 f, 661 a
Prudentia *eximia S. Teresiæ* 388 a b c d e, 700 *et seqq.*
Pulvere *tumbæ S. Rogerii plures ægri sanati* 74 e. Pulvere *sepulcri S. Teresiæ plurima patrata miracula* 758 d e f, 759 a b c d
Purgatio vulgaris *ordinarie est tentatio Dei* 1177 e f, 1178 a, 1180 b c
E purgatorio *opera S. Teresiæ liberatur anima juvenis nobilis* 215 b d, 602 e f, 603 c; *item aliæ plures animæ* 179 b, 661 a b, 678 f, 679 a

R

Raptus *in oratione quid sit* 656 e f, 657 a. Raptus *aliquot S. Teresiæ* 155 d f, 171 c, 188 a, 189 c, 191 f, 193 c, 239 b c d, 399 c d, 400 d, 571 b, 587 c, 676 a
Rebaptizationis *error videtur a Donatistis ad Arianos derivatus* 830 e f, 831 a b
Recollectio *interior orationis supernaturalis modus* 656 b c
Recreatio *inter moniales Teresianas quem in finem instituta* 217 a, 700 c
Regibus *et principibus orandi donum apprecatur S. Teresia* 439 c
Religionis *virtus quam præclara in S. Teresia* 393 d e f
Religiosæ vitæ *amor in S. Teresia parvula* 125 c, 558 b c; *languescit postea, sed reviviscit* 128 f, 129 a c d e, 559. Religiosam vitam *forti animo S. Teresia capessit* 131 c, 560 a b c
Reliquiæ *Martyrum vel earumdem linteamina* Benedictionis *nomine designatæ* 9 a. Reliquiæ *SS. Maurorum Martyrum in variis Coloniæ Agrippinæ ecclesiis et asceteriis* 14 f, 15 a b c d. Reliquiæ *Sanctorum Colonia Agrippina Prænonstratum allatæ a S. Norberto* 15 d. Reliquiæ *SS. Cannati et Antonini Massiliæ asservatæ* 19 f, 20, 21 a, 23 e f, 24 a. Reliquiæ *S. Conogani Monstrolii* 42 b-f. Reliquiæ *S. Teresiæ pluribus in locis asservatæ* 434 *et seqq.* Reliquiæ *S. Eliphii magno honore habitæ* 805 b-f, 806 a; *plerœque Coloniam Agrippinam translatæ* 807 *et seqq.* Reliquiis *S. Juniani exhibitus honos* 842 e f, 843. Reliquiæ *S. Galli variis in locis* 884 c d e. *SS.* Reliquiarum *violatores divinitus puniti* 896 e f. Reliquiarum *S. Balderici Falcomontani fata* 921, 922, 924. *SS.* Reliquiarum *distribuendarum usus sub S. Gregorio Magno* 935. Reliquiæ *S. Magnobodi* 940 c d. *De* Reliquiis *S. Mummolini referuntur plura memoratu digna* 972 *et seqq. SS.* Reliquias *conquirit S. Bercharius* 1000 a b. Reliquiarum *S. Bercharii translationes* 1006 d e f, 1007 *et seqq.*, 1029. *SS.* Reliquiæ *circumlatæ terræ fœcunditatem procurant* 1008 d. Reliquiæ *S. Lulli translatæ* 1082, 1083 a. Reliquiæ *S. Bertrandi summa veneratione variis in locis habitæ* 1167 c-f, 1168, 1169
Renuntiationis *sedis episcopalis causæ legitimæ* 1036 c
Revelationes. *Vide* Prophetiæ, Visiones.
Rogationes et Vigilias *per diœcesis suæ circulum instituit S. Aunarius ad avertendam luem* 853 f, 854 a
Rosarium *S. Teresia a tenera ætate recitat* 125 c, 127 c, 132 a, 558 c

S

Sacerdotes *magnopere venerata S. Teresia* 394 d, 682 a b
Sacrilegi *divinitus puniti* 882 b c, 896 d e f, 897 a b, 1025 a b c
Sanctorum *Vitæ S. Teresiam parvulam martyrii ac vitæ eremiticæ desiderio incendunt* 125 a b c, 378 d, 406 c, 558 a b c; *iis legendis sæpe vacat S. Teresia* 133 b, 176 b, 677 e, 682 c, 685 e. Sanctorum *Vitis scribendis delectati viri pietate ac doctrina summi* 539 a b c. Sanctorum *Vitæ quem afferant fructum* 539 c d e f. Sanctorum *plurium obitus signis cœlestibus illustratus* 644 d e f, 645 a. Sancti *a S. Teresia peculiari devotione culti* 682 c-f. *A* sanctis *recentioribus ipsa vicissim culta* 764 b c d
Sanguis *e mortuæ S. Teresiæ corpore profluit* 346 e f, 747 a b c d. Sanguine *S. Teresiæ imbutis pannis miracula fiunt* 719 b c d e, 749 d
Sarraceni *medio ævo censebantur difficillime converti* 1134 f, 1135 a
De scholis *puellarum erigendis sollicita S. Teresia* 214 c d, 242 d c
Sepulturæ *suæ curam habuere varii Sancti utriusque fœderis* 814 a, 816 a. Sepultura *eremitarum frequens in cella in qua vixerant* 847 f, 848 a. Sepulturæ *Christianæ ritus antiquissimi, iidemque in funere S. Galli observati* 881 d e f, 895 d e f, 898 a b c. Sepultura *olim intra civitatem non fiebat* 918 c, 972 d, 985 c
Serpens *S. Leonardum invadens moritur* 48 d
Sigilli *regii custodes sæpe erant clerici* 984 c d
Ad Societatis Jesu *excidium inique adhibitum S. Teresiæ nomen* 471 d e f, 476. *De* Societate Jesu *insignes S. Teresiæ visiones et prophetiæ* 472, 480 a, 491 d e f, 661 f. *Quæ ad* Societatem Jesu *pertinent in scriptis S. Teresiæ, a nonnullis omissa, truncata, male versa aut interpretata* 472 *et seqq.* Societas Jesu *S. Teresiæ semper cara, nunquam exosa fuit* 481 *et seqq. E* Societate Jesu *plures S. Teresiæ confessarii, directores et consultores* 665 b c d, 731, 732
Solitudinis *amor in S. Teresia parvula* 125 c, 558 b; *item in eadem novitia* 132 f, 133 a; *maxime autem in provectiori* 705 c d, 708 c
Somnus potentiarum *in oratione quid sit* 656 c
Spes *heroica S. Teresiæ* 383 d e f, 384, 385 a b c d, 673 d
Spiritus Sancti *dona et fructus in S. Teresia* 404 c d
Splendores *in S. Teresiæ orantis facie* 399 d e. Splendet, *moriente S. Teresia, vultus sociæ ejus Annæ a S. Bartholomæo* 338 e f
Sponsalia *mystica Salvatoris cum S. Teresia* 239 e f, 240 a c e, 676 b c
Stomacho *male affecto applicita S. Teresiæ manus medetur* 718 b c
Superstitionem *semper respuit S. Teresia* 137 e
Surdus *et mutus sanatus a S. Bauderico* 54 a; *item alter intercessione S. Galli* 905 d. Surdus *auditum ope S. Bertrandi recipit* 1182 b c
Suspensio *in oratione quid sit* 656 e f

T

Temperantia *singularis S. Teresiæ* 390 e f, 391 a, 693 a b
Templorum *numerum augeri gaudet S. Teresia* 197 a, 212 a, 232 a, 394 a, 588 d, 598 c, 680 e
Timere *non debemus diabolum, sed Deum* 157 c d e f, 158 a, 179 d
SS. Trinitatis *visiones multas habet S. Teresia* 240 e f, 400 c d, 654 e f, 658 e f, 659 a b c d. *De SS.* Trinitate *colloquentes in altum sustolluntur S. Teresia et S. Joannes a Cruce* 239 b c d

V

Veneficio *impuræ mulierculæ alligatus sacerdos* 134 f, 678 d. *De* veneficiis *quæ mens S. Teresiæ* 134 f, 135 a d e f. Veneficus *divinitus punitus* 945 c d
Veracitas *S. Teresiæ* 140 c, 652 f
Vermibus *ut plurimum carere solent vestes Carmelitanarum Excalceatarum* 693 c d, 695 c d
Vestium *ornatus nimius Deo ingratus* 87 e f, 95 e; *abjicitur a B. Philippa* 87 f, 88 a b c, 95 e. Vestes *asperas et viles induere gestit S. Teresia* 693 b, 694 c; *quales suis monialibus præscripserit* 585 d e
SS. Viaticum *piissime a S. Teresia receptum* 363 c, 642 c d e
Vigiliæ. *Vide* Rogationes.
Vino *semper abstinuit S. Teresia* 390 f, 652 e, 693 a
Virginum *in antiqua Ecclesia duplex Ordo* 827 f, 828 a b. Virginitatis *Deo consecrandæ ritus* 891 b c
In visione *admonitus S. Anno Coloniensis archiepiscopus cultum SS. Maurorum Martyrum restituit* 14 c d e f. *In honorem S. Eliphii duabus turribus sanctuarium S. Martini Majoris Coloniæ ornat* 810 f, 811 a. Visiones *ac* revelationes *S. Teresiæ* 120 c, *et passim in seqq.; speciatim* 399, 400, 401, 658 d e f, 659, 660 a b, 661, 662 a b c f, 676 a b c d e. Visiones *corporales S. Teresia nunquam habuit* 171 e, 174 e, 240 d e. Visiones *ac* revelationes *plurimis Sanctis in Veteri ac Novo Testamento divinitus exhibitæ* 542 *et seqq.* Visiones, revelationes *et* ecstases *S. Teresiæ a Dei spiritu profectæ sunt, nec naturalibus adscribi causis queunt* 511 *et seqq. Verarum* visionum *ac* revelationum *signa, in S. Teresia deprehensa* 511 d e f, 519 c d e f, 520 a b c d, 552 *et seqq.; earum genera varia* 654
Unctionis Extremæ *Sacramentum piissime recipit S. Teresia* 363 c, 642 f
Unio *in oratione quid sit* 656 d e f
Volatus spiritus *in oratione quid sit* 657 b c
Votum *servandæ virginitatis magna fortitudine implet B. Philippa* 85 d e f, 86 a-e, 95 b c, 96 c. Votum *agendi semper res maxime perfectas a S. Teresia emissum* 172 e f, 173, 386 b, 675 d e. Votum *ejusdem de servanda primigenia Carmeli regula* 617 e, 620 f, 621 a; *item de obedientia P. Hieronymo Gratiano præstanda* 265 f, 696 c d e. Votorum *renovatio fit bis quotannis in Ordine Carm. Exc.* 264 f. Vota *cur in interiori choro, non ad cancellos, emittere jussæ fuerint moniales Teresianæ* 510 b. Voto *Instituti Teresiani amplectendi facto, sanitatem recuperat puella nobilis* 611 c d e. Votum *non solvens a Deo punitur* 897 e

Z

Zelus *nimius S. Sereni Massiliensis episcopi a S. Gregorio Magno improbatus* 22 f, 23 a. Zelus *S. Teresiæ de salute et perfectione aliorum* 140 b, 190 c d e f, 191, 192 a, 204 f, 205, 206, 207 a b, 208 a, 232 a, 281 d e, 387 a, 583 e f, 584, 593 d e f, 675 a, 677 e f, 678, 679 a b c d. *Ob* zelum *animarum S. Teresia post mortem cingulo gemmis fulgido visa est* 716 e. Zelus *S. Galli in prædicando Euangelio* 872 b-f, 873, 886 a b c. Zelus *S. Mummolini* 983 c d e

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pagina 103, *col.* 2, *lin.* 6 *et* 26, rr-*l*-uu.
Pag. 115, *col.* 2, *lin.* 7, Maria-*l*-Joanna.
Pag. 128, *num.* 68, *lin* 44, sex-*l*-decem.
Pag. 129, *num.* 74, *lin.* 2, quatuor-*l*-duos, 1529-*l*-1531.
Ibid. lin. 3, decimoquarto cum dimidio-*l*-decimo-sexto exeunte.
Pag. 132, *col.* 1, *lin.* 9, attigerat-*l*-compleverat.
Pag. 457, *num.* 1560, *lin.* 9, 342-*l*-329.
Pag. 641, *annot.* c, *lin.* 1, Alarzon-*l*-Arlanzon.
Pag. 764, *num.* 58, *lin.* 40, vicarius-*l*-secretarius status.
Pag. 767, *num.* 68, *lin.* 26, xv-*l*-xi.
Pag. 792, *col.* 2, *lin. ult.* saltem-*l*-talem.
Pag. 793, *col.* 2, *lin.* 21, alumnus-*l*-alumno.
Pag. 805, *num.* 20, *lin.* 14, sacras-*l*-sacris.
Ibid. lin. 15, quiis-*l*-quias.
Pag. 942, *annot.* f, *lin.* 4, oscitantæ-*l*-oscitantiæ.
Ibid. annot. h, *lin.* 1, ipa-*l*-ipsa.
Pag. 944, *num.* 23 *in marg.* sacra Eucharistia-*l*-pane benedicto.
Pag. 951, *col.* 2, *lin.* 11, *et pag.* 952, *num.* 3, *lin.* 8, Fhire-*l*-Thire.
Pag. 952, *annot.* d, *lin.* 1, Maguiz-*l*-Maguir.
Pag. 1037, *col.* 2, *lin. penult.* propriæ sagacitati-*l*-propria sagacitate.

FINIS.